CORNELIUS A LAPIDE.

COMMENTARII

IN SACRAM SCRIPTURAM.

Rt. Rev. P. O'Mahon

LUGDUNI, EX TYPIS L. LESNE.

R. P. C.

CORNELII A LAPIDE

È SOCIETATE JESU,

S. SCRIPTURÆ OLIM LOVANII, POSTEA ROMÆ PROFESSORIS,

COMMENTARII

IN SACRAM SCRIPTURAM.

TOMUS VII,

COMPLECTENS COMMENTARIA

IN DUODECIM PROPHETAS MINORES, PSALMOS, et Job

INDICIBUS NECESSARIIS ILLUSTRATA.

EDITIO RECENS,

A QUAMPLURIMIS MENDIS, QUIBUS CÆTERÆ SCATEBANT, DILIGENTISSIMÈ EXPURGATA ET CASTIGATA,

ET

ILLUSTRISSIMO DD. A. R. DEVIE, EPISCOPO BELLICENSI,

DEDICATA.

LUGDUNI,

APUD LUDOVICUM LESNE.

M.D.CCC.XLII.

SANCTISSIMÆ
TRINITATI INCREATÆ,
ET CREATÆ IN CHRISTO JESU
TRINUM PROPHETARUM JUBILUM ET VOTUM.

1. IN tibi, ô S. Trinitas, novus et numerosus quaternorum Cherubinorum ternio, τρις τετραφωνως, triplici inquam quaternarum vocum choro te celebrantium, consonoque dissonarum linguarum concentu tibi cum Seraphinis jugiter acclamantium : *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Hi sunt duodecim Prophetæ, tui præcones et musici, duodecim scilicet Apostoli, Evangelistæ, et Choraules veteris Testamenti, qui in ternos quaterniones, quasi ternos cœlestis musices choros, distributi te ambiunt, tibique famulantes circumstant, ac in quadriga Cherubica triplicata S. Triadis nomen et gloriam toto orbe discurrentes, concinendo circumferunt. Hisce ego, eos commentando, αντιφωνως cum alternante Seraphinorum choro succino: *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis : plena est omnis terra gloria tua.* Suscipe hosce meos in tuos Prophetas labores : suscipe mea, exilia licet, tuæ Celsitudinis præconia. *De ventre enim matris meæ Deus meus es tu : in te projectus sum ex utero.* Ita *S. Ignatius*, tertius à S. Petro Antiochenus Episcopus, *visionem Angelorum per responsorios hymnos sanctam Triadem laudantium vidit, et modum visionis Antiochenæ Ecclesiæ tradidit; unde ad omnes Ecclesias ista traditio promanavit, et hæc est ratio hymnorum responsoriorum,* ait Socrates lib. 6. Hist. c. 8. nimirum : *Felix beatarum mentiumotium, juge piæ doxologiæ est negotium; quique semel in divinitatem se mersit animus, non nisi ejus deliciis et laudibus pascitur :* in quibus proinde recitandis et explicandis S. Trinitati sit omnis honor, Ecclesiæ decor, lectoribus sapor, mihi labor.

Hocce ergo Sanctissima Trinitas, et trina Unitas, unaque Deitas novum sit jubilum, quo tibi duodecim melodis Prophetarum, quasi musicorum, vocibus jubilo in novo hoc sancti anni Jubilæo, quod tertium in vita hac mihi cernere agereque ad plenam culparum veniam, gratiam et sanctimoniam indulsisti : quo pariter ternos tuos, Prophetarum et Ecclesiæ hostes, inauditis pene à seculo præliis et triumphis, per ternos reges tuis auspiciis protritos, vel subactos cernimus, gratulamur et jubilamus. Turcarum innumeras copias roburque formidabile, per Serenissimum Poloniæ regem SIGISMUNDUM III. Jagellonidem, et S. Casimiri abnepotem, Moscorum et Tartarorum vindicem, tot cladibus attrivisti; ut, si cæteri principes ei suppetias tulissent, jam actum esset de Ottomannorum imperio. Porro excessit ille libens patrio et avito Succiæ regno, ne fidem Deumque perderet : hanc tuî causa exiguæ ditionis jacturam, amplis illi in Moscovia, Polonia, Livonia, Walachia, Russia, Asia triumphis et imperiis centuplo fœnore compensasti.

II. Insuper Reges præcipuos arcto inter se matrimoniorum vinculo colligasti, simulque omnibus idem studium hæresis seditiosæ et rebellis exstirpandæ aspirasti. Indidisti enim eis hanc sapientiam, ut clare cognoscerent enerve et imbelle esse regnum, in quo cives inter se de religione digladiantur, ubi hæretici pro sua perfidia usque ad mortem dimicant, perfideque non tantum cives, sed et Principes suos produnt perduntque; fidei enim et religionis dissidium, necessario parit Ecclesiæ et reipubl. dissidium, idque internecinum, ut Rex orthodoxus regni sui dominus et rex non sit, quandiu in eo talis grassatur hæresis et hæretici, qui et seditiones conflare, et Turcæ aditum patefacere, et vicinos Principes ad bellum sollicitare solent. Qua ratione enim Regi suo fideles sint, qui Deo sunt injurii, blasphemi, infideles? Qua ratione Principi fidem servent, qui fidem Christo et Ecclesiæ datam violarunt, et assidue ac pertinaciter violant, quique suam hanc perfidiam rebellione armant et propugnant? Non id ipsorum, non naturæ, non indolis, sed phrenesis, hæresis inquam seditiosæ et infidæ, est vitium. Aperuisti Regum oculos, ut id liquido cernerent, ideoque singuli in Calvinismum, ut regni sui pestem insurgerent. Ita dedisti Christianissimo Galliarum Regi LUDOVICO XIII. S. Ludovici hæredi et æmulo, supra ætatem animos et vires, ut urbes et arces plurimas quas Hugonotti insederant, armata manu eis extorqueret, cæteras pene omnes ad deditionem cogeret, quod nemo majorum cogitare, nedum aggredi ausus fuerat; ut jam ipse Franciæ totius sit rex, qui ante triennium dimidiatus et precarius ejus tantum Rex esse videbatur. Ita FERDINANDUM imperatorem invictum, spem et columen Germaniæ, tot tantisque victoriis, iisque continuis decorasti, ut te pro eo manifeste pugnante, illud Julii Cæsaris, imo vero propatrui sui Caroli V. Imper. jure dicere possit : *Veni, vidi, vicit Christus.* Et illud Deboræ Judic. 5. *Nova bella elegit Dominus, portas hostium ipse subvertit, etc. De cœlo dimicatum est contra eos : stellæ manentes in ordine et cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt.* Instar fulminis enim victor ejus exercitus, Duce bavaro, quasi redivivo Juda Machabæo, pervasit subegitque Austriam, Bohemiam, Moraviam, Silesiam, Hungariam, Palatinatum utrumque, ex iisque hæreticorum patriarchas Hussitas, ac rebellionum faces Calvinistas, expulit et profligavit, qua in re suas quoque egregie præstitere partes insignes ex Italis Belgisque Duces, cum validis copiis ab optimo Rege Catholico opportune in auxilium submissi, ut jam Germania putidis et pestiferis membris resectis libera, redintegrari, revalescere, pristinasque vires et robur queat colligere : quibus in unum collectis ro-

horata, non tantum Turcis resistere, sed et eos bello lacessere et invadere audeat, Hungariamque hæresis dissidio perditam, unitis Germanorum et vicinorum armis repetere et recuperare valeat. Hæc eorum æterna erit gloria, hi immortales triumphi, hæc trophæa, quæ in omne ævum perennabunt. Agite, Principes generosi, pergite magnis animis, opus felicibus adeo auspiciis cœptum conficite, paribus studiis rebellem Calvini hæresin pene evulsam stirpitus ubi libet eradicate.

III. Quare procul absit à Christiano fidelium pectore, ut hæreticos contra Orthodoxum suum Principem rebellantes adjuvare, aut fovere satagat. Qui enim hæreticos juvat, hæresin juvat et propugnat, ipsamque Christi fidem et Ecclesiam oppugnat. Qui rebelles juvat, rebellionem juvat et propugnat. Quocirca justo Dei judicio reddetur ei talio, ut in quo peccavit, in eodem puniatur, et ab hæreticis bello, à subditis rebellione exagitetur; ut, quod aliis fecit injuste, idem juste à suis patiatur. Sapienter Thucydides lib. 1. *Nullus Princeps*, inquit, *à suis subditis juste puniendis arcendus est: et qui id facit, parem in se legem statuit, ne et ipse suos puniat delinquentes.* Ita gravem non tantum censuram, sed et vindictam Dei subiit Josaphat, pius alioqui Rex Juda, quando oraculo Jehu castigatus audivit: *Impio præbes auxilium, et his qui oderunt Dominum amicitia jungeris; et idcirco iram quidem Domini merebaris, sed bona opera inventa sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra Juda, et præparaveris cor tuum ut requireres Dominum.* 2. Paral. 19. v. 2. Graviorem vero excepit ab Eliezer Propheta, in eum detonante: *Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis.* 2. Paral. 20. v. 37. Et tamen Josaphat Ochoziam adjuvarat, non in impietate, sed in re politica dumtaxat, nimirum ad navigandum in Tharsis. Porro verissimum est istud, licet nonnullis paradoxum: *Christianorum de Christianis parta, cadit victoria victa*, uti evidenter demonstrat in Politica pereruditus Christophorus Varsevicius in Paradoxis. Quamobrem sapientes Consiliarii hoc suis Principibus instillant principium: *Ut tuum regnum firmes et amplifices, omni studio cole pacem et fœdus cum vicinis christianis Principibus. Horum enim amicitia, tibi erit murus et antemurale.* Nam, ut ait Rex sapientissimus: *Frater qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma.* Prov. 18. 19. Quin et Atticus Orator: *Præcipuum*, inquit, *boni Principis opus est, amicos parare. Nullum enim majus boni imperii instrumentum, quàm boni amici.* Plin. in Panegyr. Audiant Christiani saluberrimum Anchisæ apud Virgilium, Romanos à civilibus bellis dehortantis, consilium:

Ne quæso, ne tanta animis assuescite bella;
Neu patriæ validas in viscera vertite vires.

Ista ergo magnifica Dei sunt opera, qui Principibus sibi fidelibus facit mirabilia magna solus; cui proinde tota Germania, tota Gallia, tota Polonia, imo totus orbis Christianus ob tantas tamque recentes victorias, cum gratiarum actione canticum novum concinat, totoque hoc Jubilæo cum Mose et Hebræis jubilet: *Cantemus Domino; gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem projecit in mare.* Exod. 15. Eia S. Trinitas, tribus virtutis tuæ lanceis, tua inquam potentia, sapientia et gratia, trium hostium tuorum, pariter ac Prophetarum, Saracenorum inquam, Hæreticorum et Schismaticorum mentes cordaque feri et saucia, ut omnes sese tibi subdant, te agnoscant, credant, ament, glorificent: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto: sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in secula seculorum. Amen.* Tunc tuæ Majestati et clementiæ vere et exultanter omnium gentium jubilis, illud regii Vatis oraculum jubilabimus: *Omnes gentes, plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis. Psallite Deo nostro, psallite. psallite Regi nostro, psallite: quoniam Rex omnis terræ Deus: psallite sapienter.* Psal. 46. *Jubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudi ejus.* Psal. 65. *Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam et honorem: afferte Domino gloriam nomini ejus.* Psal. 95.

Tu Rex seculorum immortalis, invisibilis, gloriosus, qui lucem habitas inaccessibilem, per Verbum incarnatum te mundo pendere, apparere et cerni, ac loqui, versari, et convesci nobiscum dignatus es: per illud nos tibi reconcilias et unis: in illo divitias gloriæ tuæ nobis ostendis, *ut, dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur.* Christus enim dum nostram carnem assumpsit, nobisque consanguineus et cognatus, imo frater, fieri dignatus est, nos Deo concorporavit, ac S. Trinitatis affines effecit. Ipse ergo est salus nostra, honor noster, amor noster, deliciæ nostræ. Nimirum hoc *manifeste magnum est pietatis tuæ sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.* 1. Tim. 3. Hoc divini tui consilii arcanum prioribus generationibus incognitum, et æternis temporibus tacitum revelasti Prophetis, quasi aquilis cœlestibus, ut idipsum nobis discordi vocum concordia præcinerent. Hoc est Verbum infans, puer sapiens, Deus lactens, Christus crucifixus, qui factus est nobis sapientia, justitia et redemptio. Hic est fidei nostræ axis, sapientiæ basis, sanctitatis apex, charitatis illicium, felicitatis centrum. Intonat de eo Michæas cap. 5. *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te egredietur qui sit dominator in Israel: et egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis.* Insonat Aggæus cap. 2. *Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cœlum et terram, et mare et aridam: et movebo omnes gentes. Et veniet desideratus cunctis gentibus.* Consonat Malachias cap. 2. *Statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum. Et quis poterit cogitare diem adventus ejus? Et quis stabit ad videndum eum?* Succinit Zacharias cap. 3. *Adducam servum meum Orientem.* Et capite 9. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu.* In Christo ergo, ô increata S. Trinitas, tuî vivam imaginem expressisti, et triadem creatam efformasti, quod admirans S. Joannes epistola 1. cap. 5. *Tres sunt*, inquit, *qui testimonium dant* (Verbo incarnato, Christo Jesu) *in cœlo: Pater, Verbum, et Spiritus sanctus. Et tres sunt qui testimonium dant in terra: Spiritus, et aqua, et sanguis; et hi tres unum sunt.*

Felix Bethlehem, felix Judæa, felix Jerusalem, quæ non tantum Prophetas, sed et ipsum Verbum incarnatum gignere, videre et audire digna fuisti; quæ divinis ejus pedibus calcata, ejus sermonibus, sudoribus, lacrymis, suspiriis, quin et sanguine pretioso irrigata, eum hospitem, imo civem et filium, redemptorem et salvatorem habere meruisti; scilicet: *Factus est in*

pace locus ejus; et habitatio ejus in Sion. Quæsivimus locum Domino, Tabernaculum Deo Jacob. Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis silvæ. Introibimus in tabernaculum ejus: adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus. Psal. 131. Ibi suam ipse fundavit Ecclesiam, ibi refulsit aurora legis novæ in splendoribus Sanctorum, Virginis Deiparæ, Apostolorum, Evangelistarum, ac primorum fidelium fide et charitate ardentium. Quocirca Christus sponsus hunc thalamum sibi adamans, indeque sponsam Ecclesiam alliciens: *Veni*, inquit, *de Libano* (de Jerusalem et Judæa), *Sponsa mea: veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon* (utique Judææ montium), *de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Cant. 4. Idipsum præcinuit Zachar. c. 13. *In die illa erit fons patens* (gratiæ et baptismi) *domui David, et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ. Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, disperdam nomina idolorum de terra, et non memorabuntur ultra.* Et cap. 14. *Stabunt pedes ejus in die illa super montem Olivarum, qui est contra Jerusalem ad Orientem. Et erit in die illa, exibunt aquæ vivæ de Jerusalem, etc. Et erit Dominus rex super omnem terram; in die illa erit Dominus unus, et erit nomen ejus unum.* Michæas vero c. 4: *De Sion*, ait, *exibit lex, et Verbum Domini de Jerusalem.*

Infelices ergo et miseri Christiani, qui à suis incunabulis exsulant, qui sanctam urbem, sanguine Christi purpuratam, quæ aurora fuit Ecclesiæ, primumque ejus regnum a Turcis et Saracenis possideri, profanari et sacrilege pollui cernunt et tolerant. Non toleravit id Constantinus imp. qui loca sancta Christianis restituit: cujus nutu et sumptu mater S. Helena Hierosolymam profecta, loca sancta religiose venerata in Bethlehem, monte Calvariæ et Oliveti, alibique regia magnificentia templa et basilicas exædificavit. Quare cœpit tum eò peregrinatio à fidelibus frequentari, confluentibus è toto orbe devotionis ergo Christianis. Ipse S. Hieronymus, relicta Roma, in Bethlehem se transtulit, ut ad Christi incunabula viveret et moreretur; quem secuta S. Paula, magnum post se trahens nobilitatis Romanæ agmen ibidem quatuor exstruxit monasteria, in quibus ipsa cum filia Eustochio Christi paupertatem, humilitatem et sanctitatem imitata, vitam egit religiosam et cœlestem. *Bethlehem ingressa*, ait S. Hieronym. in epitaph. Paulæ, *et in specum Salvatoris ingrediens, me audiente jurabat, cernere se oculis fidei infantem pannis involutum, vagientem in præsepi Dominum, Magos adorantes, stellam fulgentem desuper, matrem Virginem, pastores nocte venientes, ut viderent Verbum quod factum erat, et jam tunc Joannis Evangelistæ principium dedicarent: In principio erat Verbum, et Verbum caro factum est, mixtisque gaudio lacrymis loquebatur. Salve, Bethlehem, domus panis, in qua natus est ille panis, qui de cœlo descendit. Salve, Ephrata, regio uberrima, cujus fertilitas Deus est.*

Constantinum secutus Heraclius imp. anno Domini 628. cœlestibus de Cosroe Persarum rege potitus victoriis, crucem Christi ipsi ereptam, Hierosolymam victor reportavit, ac deposito regali cultu, detractisque calceis, et plebeio amictu indutus, illam propriis humeris retulit in eum montem, quo eam Salvator tulerat; ac in eodem Calvariæ loco statuit, unde à Persis fuerat asportata. Ita S. Trinitatis Christique injurias ultus Heraclius hasce de Persis vindicias dedit, imo reddidit Hierosolymæ. Jerusalem enim est civitas Dei electa, sancta et gloriosa, fundata in montibus sanctis, centrum et umbilicus mundi, urbs perfecti decoris, gaudium universæ terræ, paradisus orbis: quæ tanquam regia inter omnes urbes, velut caput in corpore, sicut sol inter astra effulget; quasi Ecclesiæ militantis Capitolium, triumphantis typus et præludium.

Post Constantinum et Heraclium Urbanus II. Pontif. æternum decus et gloriam sibi peperit (unde et monumento ejus hoc elogium inscripserunt: *Urbanus II. auctor expeditionis in infideles*), cum concilio apud Clarum montem habito anno Domini 1095. ita Principes Galliæ ad recuperandam Hierosolymam à Saracenis jamdiu occupatam, animavit, ut non dubitarent mori pro illa civitate, in qua Christus pro nobis mortuus est. Quare effecit ut trecenta hominum millia nomen in militiam Christi dederint, signumque crucis susceperint, atque inter illos multi Principes, Duces et Comites: in quibus eminuit Godefridus Bullonii Dux, præstantis animi, religionis et fortitudinis vir: qui quàm facile terra sancta à Christianis recipi possit, ostendit, dum parvis copiis residuis Hierosolymam anno Domini 1099. expugnavit, feria sexta hora qua Christus mortuus est, ipseque primus conscensis muris urbem ingressus, primus deinde Hierosolymæ Christianus Rex, quasi novus David creatus, regnum in posteros sex Reges, per LXXX. annos propagavit, idque merito suæ virtutis, pietatis et modestiæ, qua, ut alia præteream, christianis Principibus eum de more regio diademate coronare satagentibus, humilitatis studio restitit, dictitans: *Nolle se aurea corona insigniri in urbe sancta, in qua Christus Dominus pro nostra salute spineam tulisset: unde ea contentus, illique reverentiam exhibens, regiam respuit, regum optimus, lumen et speculum cæterorum.* Ait Wilhelmus Archiepiscopus Tyri, lib. 9. Belli sacri c. 9: Vivet, Godefride, vivet, Urbane, tua virtus et gloria, quandiu seculorum omnium vivet ÆTERNITAS.

Porro orationem Urbani, qua in Concilio Claromontano omnes ad bellum sacrum accendit, recitat idem Wilhelmus, in qua inter cætera ait: *Hæc igitur salutis nostræ incunabula, Domini patriam, religionis matrem, populus absque Deo, ancillæ filius Ægyptiæ possidet violenter, et captivitatis liberæ filiis extremas imponit conditiones, quibus versa vice merito servire tenebatur. Saracenorum gens impia, loca sancta in quibus steterunt pedes Domini, jam à multis retro temporibus violenta premit tyrannide, subactis fidelibus et in servitutem damnatis. Ingressi sunt canes in sancta, profanatum est sanctuarium, humiliatus est cultor Dei populus, angarias patitur indignas genus electum, servit in luto et latere regale sacerdotium, princeps provinciarum facta est sub tributo civitas Dei. Templum Domini, de quo zelans Dominus vendentes ejecit, ne domus Patris ejus fieret spelunca latronum, facta est sedes dæmoniorum. Templum Domini inquam, ut ait Mathathias, quasi vir ignobilis, vasa gloriæ ejus abducta sunt captiva. Civitas Regis regum, quæ aliis regulas intemeratæ tradidit fidei, gentium superstitionibus cogitur invita deservire; sancta resurrectionis Ecclesia, requies dormientis Domini eorum fœdatur spurcitiis. Loca venerabilia, quæ Dominum in carne susceperunt hospitem, signa viderunt, senserunt beneficia, facta sunt gregum præsepia, stabula jumentorum. Accingimini ergo, et estote, filii, potentes, ut pugnetis adversus infideles; quoniam melius est mori nos in bello, quàm videre mala gentis*

nostræ et Sanctorum. Audite hæc, Principes, audite, Christiani, summi Pastoris vestri, Christi Vicarii lamenta, imo oracula.

VI. Urbani cœpta constanter prosecuti sunt succedentes ex ordine Pontifices, Paschalis II. Gelasius II. Callistus II. Lucius II. sed maxime Eugenius III. qui anno Domini 1143. urgente Ludovico Rege Francorum, et S. Bernardo, expeditionem in terram sanctam suscitavit, ac S. Bernardum ad omnes Galliæ et Germaniæ populos (qui eum ut Prophetam, vel Apostolum suscipiebant) in eam concitandos auctoravit; quare sequenti anno omnium consensu, S. Bernardus totius belli Dux et Princeps militiæ electus est. Verum satis visum est Eugenio, si ille tuba sacerdotali indiceret bellum, et tam verbis, quàm litteris Christianos ad id excitaret: quod illum felicissime sequentibus innumeris signis et prodigiis præstitisse, testantur Acta vitæ ipsius, et Epistolæ ab eo conscriptæ, nec non et Otto Frisingensis: sed magis ipse rerum successus, dum non solum Ludovicus Rex celebrato apud Verzelacum conventu, crucem, quasi belli sacri insigne, ab eodem S. Bernardo sumpsit una cum multis regni sui Principibus et optimatibus, quos tam ingens populi multitudo secuta est, ut vacuarentur urbes et castella; sed et ejusdem hortatu Conradus Romanorum Rex generali apud Spiram conventu indicto, æque crucem una cum fratre suo Henrico Duce Noricorum aliisque Principibus et nobilibus plurimis (etiam Polonis, adeoque Henrico Boleslai Regis fratre, teste Cromero lib. 6. Polon.) accepit: quibuscum etiam signati sunt nonnulli Episcopi, atque inter alios ipse Otto Frisingensis, virtutibus et meritis clarus. Qui demum addit non solum ex Romano Imperio, sed etiam vicinis regnis, puta Francia, Anglia, Pannonia, innumeris populis ac nationibus hac expeditionis fama ad sumendam crucem commotis, repente sic totum pene Occidentem siluisse, ut non solum bella movere, sed et arma quempiam in publico portare nefas haberetur. Utinam nunc iterum S. Bernardus, vel è cœlo idem classicum fidelibus canat!

Ludovicum et Conradum æmulatus est S. Ludovicus, Francorum gloria dicam, an sanctitas, an verius utrumque? qui in Palæstinam non tantum copias transmisit, sed ipse quasi earum dux, relicto avito solo et regno, per tot terrarum mariumque spatia, maximis impendiis, laboribus et conatibus, semel et iterum trajecit, ut eam Saracenis extorqueret, et Christianis pristinis hæredibus assereret: sed cum peccatis fidelium exigentibus, idipsum, quod tanto conamine, virtute et animo moliebatur, perficere non posset; mortem tamen in tam gloriosa expeditione oppetere anno Domini 1270. non dubitavit, fidensque cygnæum cecinit: *Introibo in domum tuam, Domine, adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo;* nimirum *tendit ad astra per aspera virtus:* quin et operis tam Christiani prosequendi et perficiendi decus filiis posterisque suo exemplo, æque ac testamento reliquit. Resuscita, Domine, hunc S. Ludovici zelum in catholicis Regibus et Principibus, præsertim Turcæ limitaneis et confinibus, ut unanimes in tantum opus conspirent; sed et remotiores excita, ut in partem tam gloriosi operis veniant, ac nominatim S. Ludovici sequaces, hæredes, et cognomines, ut victricia arma ab Hæreticis in Saracenos transferant, ac Francos, cæterosque otiari nescios opere tam sancto occupent, ne ipsorum ardor quietis impatiens in bellum vel civile, vel Christianum, quo sese invicem collidant, turpemque dent maculam in gloriam suam, ac iram Dei in se concitent, erumpat; sed potius in Turcas, Tartaros et Saracenos, juratos S. Trinitatis Christique hostes, ad vitam et immortalem eorum gloriam, sese exerat. Hoc nomen Christianissimum eis hæreditarium, hoc S. Ludovicus progenitor, hoc generosa indoles et animi celsitudo, hoc S. Ecclesiæ amor et fidei ardor, hoc victoriæ et trophæa contra Christi perduelles cœlitus data, hoc præsules, hoc Pontifices, hoc fideles omnes jure suo ab eis efflagitant.

VII. Sapienter S. Catharina Senensis theodidacta (uti refert Raymundus Generalis Ordin. Prædicat. et ex ipso Ambros. Catharinus in ejus vita) Summos Pontifices, Gregorium XI. et Urbanum VI. anno Domini 1375. et sequent. acriter ad Bellum Turcis inferendum exstimulavit. Cumque Pontifex regereret, illud in tot intestinis Principum Italiæ, aliarumque regionum dissidiis, importunum videri, institit illa, *Imo vero*, inquit, *nunc maxime opportunum est, adeoque nullum efficacius remedium ad dissidia hæc tollenda suppetit, quam si fœdus sanctum sanciatur, quo omnes paribus animis in communes Christi et Christianorum hostes conspirent: ibi suos animos et impetus, suos pugnandi ardores irasque effundent, eaque ratione privatas ponent lites et odia.* Ita, ut alios taceam, Rogerius et Boemundus fratres, Siciliæ, Apuliæ et Calabriæ Principes, continuo inter se de principatu digladiantes, ab Urbano II. fœdere belloque sancto conciliati, arma fraterna in Saracenos verterunt. Boemundus enim occupata Melphi, cupiditate gloriæ incensus, cum duodecim millibus delectæ juventutis Italicæ in terram sanctam profectus, sua hac virtute animique præstantia adeo fratrem Rogerium permovit, ut positis armis dixerit sibi omnia cum fratre deinceps fore communia, ac statim Tancredum filium pugnandi cupidum, belli comitem fratri tradiderit, ait Platina in Urbano II. Pari modo acerba Germanorum, Bavarorum, Belgarum, Polonorum dissidia sopita fuisse expeditione in terram sanctam duce Conrado imper. narrat Otto Frising. lib. 1. de gestis Frederici I. imper. cap. 29. Sapienter Livius lib. 2: *Bella externa*, inquit, *sedant domesticas seditiones. Externus timor, magnum concordiæ vinculum.* Idipsum pervidet metuitque Turca, quocirca omni ratione christianos Principes à sese invicem divellere, ac inter eos lites et bella serere molitur: ea de causa dum vicinum aggreditur, cum remotioribus fœdus init, imo eos in vicinum concitat, itaque eum Christianorum armis expugnat: quo facto remotiores gradatim eadem arte et fraude circumventos, ac ab aliis desertos aggreditur, occupat et subjugat. Fœdifragus enim ipse cùm sit, fœdus initum, dum ei lubet, quæsita occasione abrumpit: cum ex adverso Christiani, insidiosi fœderis nomine magis quàm religione irretiti, vicinos ab eo invasos protegere non audeant, itaque ipsos ejus prædæ exponant, mox et ipsi ejus præda futuri. Norunt historiarum et rerum Turcicarum periti, Turcam subinde jurare super libro smegmatico, itaque imposturam Christianis facere, ac juramentum violare, dictitando se super libro ficto, non vero, ac proinde ficte, non vere jurasse. Quare jure ei regerant Christiani: *Frangenti fidem, fides frangatur eidem.* Nimirum fœdifragus fuit Bajazetes, qui Venetis contra pacta Coronem, Methonem et Naupactum ademit. Bajazetem imitatus nepos Solymannus, qui anno Domini 1537. totis viribus Italiam aggredi destinabat, sed temeritate cujusdam Veneti trierarchæ offensus, omnes iras et copias in Venetos sibi fœderatos effudit, Corcyra ipsorum insula longe lateque vastata, et insulis Cycladibus direptis, negotiatoribusque Venetis toto Turcico imperio cum universis eorum opibus et pecuniis in prædam datis; insuper eosdem Nauplii et Epidaurici concessione, ac duabus in Dalmatia arcibus

Nadino et Lubiana, mulctavit; Solymanni enim erat vox: *Dummodo regnem, nil moror: sicut in cælo unus Deus, ita in terra unus Solymannus est colendus.* Solymannum patrem æmulatus Selymus, fœdus jurejurando cum Venetis initum violans, eis Cyprum extorsit; quin et eis insultans: *Barba*, inquit, *mihi à Venetis apud Naupactum abrasa succrevit; ego vero eis brachium dextrum capta Cypro amputavi, quod nunquam recrescet.* Annon hæc societas leonina? Pari modo fecere et faciunt cæteri. Cum enim ab origine fuerint sintque orbis prædones, toti opibus regnisque Christianorum per fas et nefas inhiant. Interim lethargo quasi sopiti altum dormiunt Christiani; quia quisque longe à se Turcam, et se ab ejus jugo abesse autumat. Qua in re errant omnes gravissime. Idem censebant olim Constantinopolitani, Trapezuntii, Thraces, Bulgari, Bosnii, Servii, Hungari, cæterique; at jam à Turca capti, errorem suum vident, et serio, sed sero lugent. Turca in limine, et pene in visceribus est Christianorum omnium, et illi eum à se remotum dictitant? O cæcitas! ô stupor! Nuper tempore Pii V. inhiavit Cretæ, Venetiis, totique Italiæ. Viennam semel iterumque obsedit, inhians Augustæ totique Germaniæ. Ante triennium Poloniam se unico prælio devoraturum pollicebatur. Imminet ergo, et pene incubat Italiæ, Germaniæ, Poloniæ. Nunc silet, quia domesticis distinetur dissidiis; at occasionem præstolatur, ea data illico more suo imparatos Italos, Germanos, Polonos adorietur et opprimet. Utinam periculum hoc adeo quàm certum est et præsens, conspiciant, et inito contra eum communi fœdere discutiant Christiani, dum res est integra! ne sero cum cæteris jam à Turca occupatis suum torporem, suaque dissidia accusent et defleant. Nunc cum domi rebellione gravi variaque agitatur; cum in Persam omne exercitus robur transmisit; cum puer est; cum Ducibus, consilio et ærario destituitur; cum Principes catholici tot victoriis à Deo datis ad bellum sacrum invitantur, tempus est opportunum eum invadendi et profligandi: quod si prætermittere neglexerimus, sero pœnitentes illud requiremus. Nihil enim tam volucre est, quàm occasio: nihil levius, cum se offert, penditur, nihil magis, cum abiit, desideratur; nihil periculosius amittitur: nihil difficilius recuperatur. Porro quis dubitet Turcam Italiæ et Christianis imminere, cum Tunetanum regnum ab eo occupatum à Sicilia, Epirum et Macedoniam à Dalmatia, Forojulium à Dalmatia tenuissimo tractu videat disterminari; cum Apollonia, Turcico oppido, Hydruntum regni Neapolis urbem, antea quoque à Turcis possessam, unius noctis spatio annavigari posse intueatur? Quid Hispanis, Italis, Gallis insidiosius Alligerio? Quid Fessa, Marroco, Biserta, et tota illa Afrorum vafrorum societate est infestius? An Gallia ergo expers? nequaquam. Maria quæ utramque ejus partem alluunt, adeo Turcicis sunt infesta latrociniis, ut non ora, non sinus: non portus aliquis tutus et iis non exploratus esse videatur. Quocirca Joannes ille Tarnovius Comes, qui sæpius Poloniæ exercitibus victor præfuit, dictitabat *omnia Polonica comitia perpetuam belli Turcici meditationem esse debere.* Idem dicas de Comitiis Germanicis, Gallicis, Italicis, Hispanicis. Celebre est illud Græcorum apud Pachymerem, lib. 5. historiæ: *Cum hostibus Crucis geratur bellum, ubi et victoria laudabilis est, et vinci salutare.* Item: *Pax colenda, ubi Dei jacturam non facimus: bellum gerendum, ubi religio periclitatur totaque Resp.*

Quapropter ut ad Pontifices sacri belli fæciales, imo tibicines redeam, Eugenii III. pro terra sancta zelum æmulati sunt Alexander III. Lucius III. Urbanus III. Gregorius VIII. Clemens III. Cælestinus III. Innocentius III. Honorius III. Gregorius IX. cui mox succedens Innocentius IV. testibus Platina, Onuphrio et aliis, legatos per Franciam et cæteras provincias misit, qui fidelibus suaderent militiam Christi suscipere, et S. Ludovici signa castraque in terram sanctam sequi. Ad eamdem Christianos incitavit Alexander IV. Urbanus IV. Nicolaus IV. Innocentius VI.

Eugenius IV. vero Pontificatum iniens anno Domini 1431. in Turcas mari classem, terra exercitum Legato Juliano Cæsarino Cardinale misit, ac duce Ladislao Poloniæ rege triginta Turcarum millia uno prælio inter Hadrianopolim et Danubium cecidit. Tunc quoque Joannes Hunniades à Ladislao Transylvaniæ præfectus, multos Amuratis exercitus delevit, Moldaviam recepit, maximam Serviæ et Bulgariæ partem victricibus armis percurrit.

Eugenio IV. succedens Nicolaus V. anno Domini 1447. vehementer institit, ut bellum communi omnium Christianorum consensu in Turcas decerneretur, quos jam parare arma contra Constantinopolitanos senserat: et ob eam Cardinalem Rutenum Constantinopolim miserat, qui Imperatori et civibus auxilium polliceretur, si ad catholicam fidem, ut in Concilio Florentino promiserant, redire voluissent, sed illis in schismate persistentibus, justa numinis vindicta Mahomet Turcarum imp. Constantinopolim paulo post expugnavit anno Domini 1453, ac occiso imp. Palæologo, crudelissime urbem ferro flammaque vastavit, teste Chalcondyla lib. 8. et aliis. Cujus rei labem Pontificatui suo impactam, dum abolere coactis in Turcas copiis studet Nicolaus, arthriticis doloribus exstinguitur.

VIII. Nicolai studiis insistens successor Callistus III. creatus Pontifex anno Domini 1455. illico Turcis bellum indixit. Repertum est in scrinio ipsius hac de re votum, ante pontificatum hisce verbis futuri præsagis conceptum: *Ego Callistus Pontifex Deo omnipotenti voveo, et sanctæ individuæ Trinitati, me bello, maledictis, interdictis, execrationibus, et demum quibuscumque rebus potero, Turcas Christiani nominis hostes sævissimos persecuturum.* Ea de causa illico prædicatores per totam Europam misit, qui Christianos omnes ad arma contra Turcas concitarent; quin et per legatos Usumcassanum Persarum regem contra eosdem accendit. Ipse sedecim triremes Romæ ædificatas in hostem misit Ludovico Patriarcha Aquileiensi præfecto, qui triennio maritima hostium Asianorum vexavit, insulas quasdam cepit, ac magnas clades hostibus intulit. Alfonsus autem rex et Burgundiæ Dux Crucis signum suscipientes, ituros se quoque in hostem profitebantur, vel armatos milites eò missuros. Jussit insuper Callistus in meridie campanæ sono fideles admoneri ut orationibus eos juvarent qui contra Turcas dimicabant. Hac ratione parta fuit illustris illa de ipsis victoria. Christiani enim duce Johanne Viavoda, adhortatore Johanne Capistrano Minorita apud Belgradum anno Domini 1456. sexaginta Turcarum millia ceciderunt, captis centum sexaginta bellicis tormentis; Mahometes tyrannus saucius, fuga salutem quæsivit. Ea victoria Pontifex Festum, puta officium solemne, Transfigurationis Jesu Christi die sexta Augustini instituit. Actum de crudelissimo hoste tunc fuisset, si christiani Principes omissis intestinis odiis et bellis, terra ac mari tantam victoriam prosecuti fuissent, sicut Callistus monebat et urgebat. Verum, dum illi segniter rem agunt, Turca resumptis viribus Trapezuntem prius, Imperatore

interempto, Bosniam deinde Rege capto atque interfecto, cepit. Prævidebat hæc è specula Callistus et gemebat, nec cessabat litteris et nuntiis Principes Christianos adhortari, ut in tantis malorum periculis oculos aliquando aperirent, frustra remedia deinceps quæsituros, ubi jam hostis invaluisset : Platina Onuph. Genebr. in Chronol. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. c. 5. Azor. tom. 2. lib. 1. c. 15. Vide hîc quàm Pontificibus ex officio continua, et quasi hæreditaria fuerit cura sacri fœderis contra Turcas sanciendi.

Quapropter Callisto III. succedens Pius II, magni animi, sapientiæ, facundiæ et zeli vir, conventu Principum è tota Europa Mantuæ indicto, nervosa et efficaci oratione iisdem persuasit, ut bellum communi omnium decreto Turcis indiceretur. Verum decretum hoc infregerunt mox intestina bella, quibus Germani, Hungari, Britanni, Hispani, Itali in se mutuo arma verterunt. Stetit tamen in sententia animosus Pontifex, dumque classem, quæ passim in portubus superi inferique maris ad tantum bellum fuerat ædificata, atque Venetorum Ducem belli socium Anconæ exspectat, diutina et lenta febri afflictatus moritur anno Domini 1464. Pontificatus 6. Sepultus in basilica S. Petri, cum hoc elogio : *Pius II. Pontifex Max. natione Tuscus, patria Senensis, sedit annos sex. Brevis Pontificatus ingens fuit gloria. Oppugnatoribus Romanæ Sedis intra atque extra Italiam restitit. Conventum Christianorum Mantuæ pro fide habuit. Catharinam Senensem inter Sanctas Christi retulit, etc. Cultor justitiæ et religionis. Admirabilis eloquio. Vadens in bellum quod Turcis indixerat, Anconæ decessit : ibi et classem paratam, et Ducem Venetorum cum suo senatu commilitones Christi habuit.*

Pio II. suffectus est Paulus II. anno Domini 1464. qui accepto nuntio Turcas capta Epiro in Illyricum iter parare, legatos misit ad Reges et Principes eos oratum, ut, compositis rebus suis de bello Turcis inferendo ad propulsandam injuriam cogitarent.

Paulum II. excepit Sixtus IV. anno Domini 1471. qui, ut Christianos Principes inter se dissidentes ad concordiam revocaret, et sacro in Turcas fœdere sociaret, Bessarionem Cardin. Nicænum misit in Galliam, Rodericum Borgiam in Hispaniam, M. Barbum in Germaniam et Pannoniam; Oliverium Carafam maritimæ 24. triremium classi præfecit : hisce se junxere quinquaginta Venetorum, 24. Ferdinandi Regis Aragonum, adeo ut illis Turcæ ex Bosphoro in Ægæum obviam prodire non sint ausi. Smyrna tunc in Asia capta, incolæque omnes abacti. Constans fama est, Christianos eo anno magnam Asiæ partem occupaturos fuisse, si ipsi mari, sicut Usumcassanus Persarum Rex terra, Turcas vexare perrexissent. Mox cum Scodra, ditionis Venetæ oppidum, à Turcis oppugnaretur, Sixtus Scodranos commeatu et pecunia instruens, ad hosti resistendum animavit. Rursum cum Turca, Hydrunte in Salentinis repente vi capta, Italiam omnem incredibili terrore complesset, Sixtus comparata classe hostem retrogredi compulit. Sub id tempus Cyprum occuparunt Veneti, ne in Turcarum potestatem veniret : Mahometes maximis viribus Rhodum oppugnans, eam fortiter tuente magno Rhodiensium Equitum Magistro, re infecta discedere coactus est.

In Sixti IV. morientis locum suffectus Innocentius VIII. anno Domini 1484. omnes Christianos Principes frequentibus nuntiis hortatus est ut, mutuis dissensionibus et bellis compositis, fœderibus juncti, Turcarum vires toto jam orbe formidabiles retunderent. Zizimum Sultanum Bajazetis imp. fratrem excepit, ac ejus opera bellum Bajazeti inferre meditabatur : qui ut illud à se averteret, quotannis Romam quadraginta aureorum millia ad alendum fratrem submisit, atque Pontifici dono dedit ferrum lanceæ, quo latus Christi in cruce perforatum est, quod religiose in Vaticana S. Petri Basilica asservatur et visitur. Igitur ad unum omnes ab Eugenio IV. usque ad Alexandrum VI. ex ordine Pontifices, fœderi belloque sacro totis animi viribus incubuere, nimirum Nicolaus V. Callistus III. Pius II. Paulus II. Sixtus IV. Innocentius VIII. Horum vestigiis instiтere Leo X. Adrianus VI. Paulus III. Pius IV. cujus opera Solymannus Melitensem obsidionem solvere coactus est.

IX. Atque ut cæteros taceam, horum, ac nominatim Pii II. et IV. tam spiritus quàm nominis hæres et æmulus Pius V. suis suorumque commodis neglectis, curas omnes ad publicam salutem convertens, bellum sociale cum Rege catholico et Venetis iniit, ac de Turcis memorabilem illam apud Naupactum in Sinu Lepantino victoriam retulit anno Domini 1571. Græciam multaque alia iis erepturus, si ducum nationumque concordia constitisset, expeditionem feliciter cœptam constanter prosecuta fuisset : sed Christianis accidit quod Maharbal à Cannensi pugna dixit Annibali : *Vincere scit Annibal, ac victoria uti nescit.* Hoc ergo illustrium Pontificum Urbanorum, Eugeniorum, Callistorum, Piorum, cæterorumque pene omnium ab Urbano II. usque ad Gregorium XIII. illustre fuit opus, hoc decus : quorum proinde nomen et gloria in terra apud homines, æque ac in cœlo apud Deum et Angelos Sanctosque in omne ævum perennabit. Utique meminerant illi se Pastores esse non urbis dumtaxat, sed et universi orbis. Sciebant primas Pontificis curas esse debere, ut fidem, Ecclesiam, cultum et regnum Christi ubivis gentium propaget. Sciebant Præsulis Apostolici proprium esse munus, imitari S. Petrum, cæterosque Apostolos, qui vel per se, vel per suos universum mundum Christo subegerunt. Norant fideles, etiam infidelibus subditos, suas esse oves, sibi à Christo et B. Petro concreditas, ac proinde sui officii esse eas pascere, tueri, et in libertatem asserere. Quocirca muneri huic suo plene satisfacere sategerunt, esto voluntati eorum et voto exitus non semper responderit, sive Imperatorum Græcorum perfidia, sive quia promiscua, inops et imbellis fidelium turba devotione excita ad bellum concurrit; sive quod eadem acephala fuit et carens idoneo duce; sive quia inter Duces concordia non constitit. Ad tantam enim expeditionem opus est uno summo, eoque insigni imperatore, lecto et veterano milite, ac ærario solido : quæ tria Reges christiani hoc tempore facile præstare possunt. Auxilia deinde valida variæ provinciæ et gentes ultro præbebunt. Sane Christiani qui provincias Turcæ subditas incolunt, duramque serviunt servitutem; quin et sola christiana Turcarum mancipia multis subinde partibus ipsos Turcas numero superant, uti oculati testes referunt; adeoque hic Turca tria, ille decem, alius viginti possidet mancipia, quæ ut tyrannicum herile jugum excutiant, decertabunt usque ad mortem; cum servitus Turcica eis ipsa morte sit acerbior. Exemplo sit Georgius Castriotus, qui anno Domini 1443. Amuratis jugum excutiens Epiri se principem constituit, ac solus cum suis Epirotis per omnem vitam ἀσπονδον πόλεμον cum Turca gessit, multasque et magnificas de eo victo-

rias reportavit. Unde Turcis ita formidabilis exstitit, ut ab eis Scanderbegius, id est Alexander Magnus, sit nuncupatus, quin et solo ejus nomine audito, eum scilicet adventare, illico velut viso fulmine diffugerent : de cujus gestis plane heroicis libri tredecim exstant. Coævus et quasi ei collega fuit Joannes Hunniades, cujus paulo ante memini, cognomento Fulmineus, Turcarum terror pariter et fulmen, qui variis præliis facile millionem Turcarum cecidit, cujus hoc erat axioma : *Turcam à Christianorum provinciis, puta ab Italia, Germania, Polonia, longius esse submovendum; nec exspectandum donec ipse Christianorum regiones invadat, sed in Thraciam et Turciam Christianis esse transeundum, ibique cum eo confligendum; perinde ac Alexander Magnus cum Dario in Asia; Annibal cum Romanis in Italia, Scipio cum Carthaginensibus in Africa dimicarunt.* Hunniadis et Scanderbegii, æque ac Ladislai asseclæ, imo successores sunt reges et principes Poloni et Hungari, qui, utpote Turcis et Tartaris contermini, cum eisque assidue belligerantes et triumphantes, pene soli rem hanc conficient, si quis eis portionem pecuniæ ad tantum opus necessariæ suppeditet, imo dumtaxat prænumeret : facile enim ipsi eam deinde ex victorum spoliis, et provinciarum, quas subjugabunt, tributis refundent. Atque videtur Deus idipsum nupera eorum tam insigni victoria præsignificasse, adeoque inchoasse. Sane apud Turcas in fatis est, et certum quasi oraculum, suum imperium à Polonis evertendum. Quocirca hæc præ aliis expedita viris sapientibus videtur ratio sine modestia, sine invidia, sine ambitione et discordia, quæ inter plures intercedere solet, omne hoc negotium absolvendi. Polonum enim Principem ultro sequentur non solum Kosaki Turcarum terror; sed et plurimi nobiles Poloni, Hungari, Germani, Itali, Walachi, Moschi, etc. suis expensis, spe gloriæ vel prædæ illecti. Sane à Danubio ex Walachia, quæ Poloniæ adjacet, Constantinopolim usque non nisi decem dierum est iter. Quare idipsum animo designabat Stephanus Battoreus, sapiens æque ac magnanimus Poloniæ rex, eaque de causa fœdus contra Turcam cum Philippo II. Hispan. Rege pepigerat, dictitans se Philippi in hoc bello fore stipendiarium : qui si vixisset, utique unus ille Turcam profligasset et imperio exuisset, præsertim Persa ex altera parte eumdem invadente. Polono enim et Persa ex fœdere in exitium Turcæ conspirantibus, Turca resistendo non est, sed succumbat et pereat oportet. Porro Polonis Turcicum bellum pene est necessarium, tum ut Turcam longius à finibus suis submoveant; tum ut perpetuos et furtivos Tartarorum incursus à sese in Turciam avertant, ibique cum utrisque aperto marte confligant, uti nuper feliciter et gloriose fecerunt. Poloni ergo et Germani cum auxiliis Summi Pontificis et Regis catholici, Walachiam, Hungariam, cæterasque provincias nuper à Turcis fraude sibi ereptas, facile recuperabunt.

X. Proh pudor! proh scelus! Christiani in Christianos ob terræ angulum, ob exile honoris punctum internecinis odiis et præliis inter se decertant. A Christianis effunditur sanguis Christianus, Christi sanguine redemptus : madent manus Christianæ Christianorum sanguine, et carnem Christianam carni Christi consanguineam conscindunt, mactant, discerpunt. Ubi fides? ubi spes? ubi charitas? ubi philadelphia et amor fraternitatis? Christiani uno Christo patre, una Ecclesia matre regenerati et alti; una fide, una spe, una charitate consociati; unius Dei, unius religionis vinculo et sacramento constricti, sese quasi lupi spoliant, laniant, et excarnificant. Hæc videt, et in sinu ridet Turca, ac quasi tigris hinnulos de gleba graminis inter se arietantes, occupat, rapit et devorat. Nimirum Christianorum dissidia perdiderunt et Turcis prodiderunt Asiam, Græciam, Hungariam, aliaque opulentissima regna. Hoc est quod queritur Michæas : *Filius contumeliam facit patri, etc. et inimici hominis domestici ejus.* Et Jeremias : *Omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ei inimici.* Et sponsa Cant. 1 : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Prophetæ ad unum omnes non aliud pene vaticinantur, dolent et deplorant, quàm exitium terræ sanctæ, quod ipsa ob fidei, morum et animorum dissidia Chaldæis aliisque infidelibus tradenda sit; atque omnes hortantur, orant et obsecrant, ut qua vitam corrigendo, qua orando, qua armis propagando, qua in unam fidem et sententiam conspirando, tantam Ecclesiæ et reipubl. cladem avertant. Clamat Osee cap. 5 : *Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama, ululate in Bethaven.* Et Jeremias cap 6 : *Confortamini, filii Benjamin in medio Jerusalem, et in Thecua clangite buccina, et super Bethacarem levate vexillum.* Idipsum non solis Judæis, sed et Christianis insonant : magis enim Christianis quàm Judæis suas scripsere prophetias; atque Christianis terra sancta magis propria, longeque sanctior, charior et venerabilior effecta est per Christum, B. Virginem, Apostolos, primitivos fideles, primamque Ecclesiam, quæ ibi nata adolevit, seque per totum orbem sparsit et propagavit. Quid ergo hæremus? Quid moramur? Prophetis obtemperemus, majores nostros æmulemur : satagamus terram Christi, Christo asserere; prima Ecclesiæ prædia illi restituere; domicilium S. Trinitatis, sublatis exsecrandis sacrilegiis, illi reddere ejusque laudibus consecrare.

XI. Nunquam tanta rei bene gerendæ spes affulsit, quanta nunc. Videtur Deus eam ultro Christianis offerre, et in manus dare, quando, ut alia taceam, Turcas animis cadere, copiis viribusque minui, internecinis agitari discordiis, pavidos regni sectæque suæ interitum exspectare; Christianos vero animosos hisce omnibus assurgere erigique conspicimus, quando catholicos Principes oppressa vel suppressa rebellium hæresi dominari, arctoque inter se connubiorum vinculo fœderari, ac universos zelo religionis agi accendique cernimus et gratulamur. Quid enim debellata pene rebellium hæresi superest, nisi ut ejus reliquia subigant, ac deinde ejus sororem, alteram inquam rebellis infidelitatis speciem, Mahometismum debellent? Ille jam effœtus consenescit, et sponte sua ad interitum ruit : peregit suum ipse seculum, suam vixit ætatem, magnam utique mille annorum, quibus stetit viguitque impia Mahometi lex, iisque elapsis occasurum olim Mahomet ipse prædixit : jam ergo decrepitus occasui vicinus est : occidentem et prolabentem impellant dumtaxat, et conjunctis manibus protrudant Christiani, et acta res est; ni illico ejus ruinam videbunt et exsultabunt. Et sane eam jam inchoatam conspicimus, dum assidua et Vatiniana eorum inter se dissidia, tumultus et seditiones intuemur : falli enim nescit et nequit æternæ veritatis vox : *Omne regnum in se divisum desolabitur.* Concidunt sese invicem Turcæ, concisos occupent Christiani. Evigilent ergo, et occasione tam commoda utantur. Vetus sapientum fuit estque omen, Janizerorum potentiam indomitamque audaciam Ottomannicum perdituram imperium. Id jam in procinctu est. Ipsi Turcæ dum vident se destitui Principe, milite, consilio, pecunia, concordia, animo, viribus, propalam profitentur de suo jam conclamatum esse imperio : ipsi Christianis ultro se offerunt, ac tantum non advocant. Tot Christianorum millia misere sub jugo Turcico gementia, passis manibus per

sacra omnia opem nostram implorant, seque et fortunas omnes offerunt, ut jugum hoc excutiant. Hæc ipsa, à tam dira tyrannide et manicis ad pileum et libertatem vocata, si dumtaxat eis arma suggerantur, ac ducem qui bellum inchoet videant, illico sequentur, ac pene sola rem conficient: quia in eam immane tributum quod Turcæ pendunt, conferent. Multi etiam inter Christianos, licet in fide heterodoxi, tamen quia Principibus suis fideles, et quia Christi professores, lubentes præsentem occasionem arripient, ut, si invitentur, in societatem belli ultro veniant; tum ut contra communem Christiani nominis hostem conspirent (*Commune enim periculum concordia propulsandum est*, ait Cornel. Tacitus) ejusque jugum quàm longissime à se amoliantur; tum ut Christianum imperium propugnent et propagent; tum ut suas ditiones et fortunas ex opimis Turcarum spoliis augeant et locupletent.

Porro agitur hìc non modo de amplissimo et ditissimo Ottomanorum imperio occupando, sed et de multorum millium, imo millionum animarum salute æterna: quæ sane sine impia crudelique socordia negligi nequit. Nunc enim magis quàm unquam proclive et facile est Christianis, ut Turcæ adimant regna omnia suis majoribus per summum scelus erepta, ut Ecclesiæ sibique restituant Asiam, Hungariam, Græciam, Macedoniam, Thraciam, Armeniam, Galatiam, Cappadociam, Epirum, Cyprum, Bithyniam, Pontum, Syriam, Palæstinam (primas utique orbis provincias à S. Petro et Paulo ad Christum conversas, eorumque et Ecclesiæ prima quasi prædia et patrimonia), Ægyptum, Africam, Æthiopiam, totumque Orientem. Quis hìc dormitet? Quis non protinus evigilet? Quis non opes omnes et vires, omne ingenium et consilium in opus tantum tantique momenti offerat et conferat?

Quòd si Persa (aut quis novus Tamerlanes, mundi terror, bellicosus et acer in armis) nobis otiantibus aut dormientibus, regiones illas præoccupet, uti cœpit, sane magno terrori evadet Christianis, eisque, utpote duplo jam potentior, in armis exercitatior, tot victoriis insolentior, formidabilius quàm Turca imminebit? ut eum monarchiam Europæ ambientem, ab urbibus tectisque nostris submovere non valeamus, quem à vicinis arcere non volumus. Sane videtur Deus opt. max. claris suæ mentis indiciis ostendere, se velle, ut bellum hoc sacrum capessamus; cum occasiones undique tam evidentes illius conficiendi, quales à mille annis non dedit, modo suggerit, ultroque offert: quas si elabi è manibus sinamus, nunquam amplius illæ redibunt: *Rerum occasiones tarditatem nostram et ignaviam non exspectant*, ait sapienter Demosth. Philipp. 1. Sed nisi illico prehendantur, cum sese ostentant, diffugiunt, et irrevocabiles sunt: *Fronte capillata est, à tergo occasio calva.* Earum neglectum graviter ulciscetur justus omnium judex vindexque Deus, atque illos ipsos dorso nostro dabit in flagellum, quos nunc ultro in sinum offert, ut subjiciat. Ita Chananæos Judæis dedit in flagellum perpetuum, eò quòd ipsi eos subigere et delere, siculi jusserat Dominus, omisissent, ac pacis fœdera cum eis iniissent; uti videre est in tota Judicum historia: idque moriens eis prædixerat, et comminatus erat Josue cap. 23. 13: *Ut sint*, inquit, *vobis in foveam ac laqueum, et offendiculum ex latere vestro, et sudes in oculis vestris, donec vos auferat atque disperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis.*

Ambabus ergo ulnis acceptemus et amplectamur præsens hoc tam liberale Dei donum; utamur occasione quam nobis in manum dat; subdamus Mahometanos nobis, ne cogamur eis colla subdere, eosque habere dominos, imo tyrannos et tortores, quos modo possumus habere subditos et supplices; Deo opt. max. ad id tam manifestis ostentis vocanti pareamus, ne in die judicii tantæ occasionis, totque millium animarum salutis neglectæ, rigidam à nobis rationem reposcat rigidus munerum suorum, æque ac occasionum et bonorum operum exactor Christus Dominus. Si paruerimus, Prophetas honorabimus, Prophetarum votis satisfaciemus, Prophetarum oracula adimplebimus; adeoque prophetas, Christum Dominum, Deiparam, Apostolos, eorumque fidem et religionem, quasi exsules postliminio terræ sanctæ restituemus; Angelos sanctos miro gaudio afficiemus; Dei hominumque gratiam, et gloriam æternam nobis conciliabimus.

Pecunia, nervus belli, deesse non poterit, si quælibet urbs et provincia vel modicum conferat. Unus S. Ludovicus olim omnes belli sacri expensas per plures annos præstitit, nunc eas non præstabunt universi Principes christiani illo longe ditiores? Præsertim si militaris pragmatica observetur, ut milites frugales sint in victu et vestitu, nec auro vel cyathis, sed ferro et hastis depugnent, uti faciunt Turcæ et Tartari. Quin et hostiles provinciæ, utpote divites et vastæ, si subigantur, exercitus nostros alent, uti priscorum Romanorum aluerunt. Ita anno elapso Asianus Bassa copias suas contra Ottomanos aluit ex ipsis provinciarum Ottomanicarum vectigalibus et tributis, idque copiose et splendide. Ita olim Alexander magnus non nisi septuaginta talentis bellum orsus, spoliis hostium et gaza Darii se et milites omnes locupletavit. Idem fecere Julius Cæsar, Scipio, Pompeius, Annibal, Cyrus, Nabuchodonosor, ac nuper Saladinus, Tamerlanes, Ismael Sophus, cæterique magni Duces, qui hostium opibus suos ditarunt, seque vel Asiæ, vel Europæ, vel orbis monarchas effecerunt. Soli pene Cosaki, si hæc præda illis offeratur, rem feliciter à se sæpius tentatam conficient, nec aliud stipendium deposcent. Opes Asiæ offeruntur, spolia Orientis; quis ad manubias tam opimas non accurrat, imo advolet! Bessarion Card. memoriæ prodidit Mahometem, qui duo imperia, duodecim regna, et trecentas urbes ipsamque Constantinopolim expugnavit, non nisi duos milliones annui census habuisse. Quis Christianorum regum non habet longe plures? Sed una Constantinopolis dedit ei prædam sedecim millionum. Porro facile erit Pontifici Max. solidum belli sacri ærarium in annos aliquot erigere, si à singulis Regibus et Principibus Christianis corroget id quod quisque pro re tam pia, tam utili, tam sibi et toti Reipubl. Christianæ necessaria volens lubensque conferet. Unus Rex catholicus pro suo fidei zelo jam à 57. annis quotannis in Belgicum bellum, in unam inquam modicam provinciam, plures milliones expendit; quid non impendet in totum Orientem, ipsamque Jerusalem, cujus ipse se hæreditario jure regem indigitat? Rex quilibet conferat millionem, Princeps vel Respubl. quælibet aliquam millionis portionem; exsurget ærarium non tantum sufficiens, sed et abundans. Omitto ultroneas mercatorum aliorumque divitum in tam pium bellum oblationes, pensiones opimis beneficiis, eleemosynas fidelibus in Jubilæo in hanc rem à Pontifice indicendas: ex quibus multorum millionum summa conflabitur. Si quilibet ditiorum vel aureum conferat, ex tot divitum per totum orbem millionibus, quot aureorum milliones consurgent? Taceo dispensationum, privilegiorum, peccatorum aliorumque mulctas, quæ pie ad tam

pium opus exigi queunt et applicari. Sane Innocentius III. Pontif. quadragesimam reddituum partem Clericis omnibus in usum belli sacri indixit : regi vero Galliæ, et regi Angliæ ita scribit et præscribit, lib. 2. epist. 239 : *Tu ipse ad defensionem terræ sanctæ competentem in expensis tuis dirigas numerum bellatorum, quasi decimas saltem Christo persolvens, ita quod ex hoc divinam gratiam possis plenius promereri.* Idem rursum Clericis per triennium vigesimam reddituum partem, in eumdem finem sub pœna excommunicationis indixit. Euntibus vero ad bellum sacrum tributa, quin et usuras creditoribus debitas relaxavit : ac generalem inter Christianos toto orbe pacem per quadriennium servandam sub pœna anathematis sanxit. Paulus III. Carolo V. in Africam contra Saracenos castra moventi, decimas omnium in Hispania beneficiorum attribuit. Pius V. Pontificios redditus omnes in usum belli sacri, similiumque piorum operum contulit, ideoque illustrem illam de Turcis apud Naupactum victoriam retulit.

Jam vero dissensionis aut discordiæ inter nationes et principes nunquam minus fuit periculum, quàm hoc seculo. Deus enim opt. max. nobis dedit Reges et Principes mire Catholicos, optimos piissimos, Sedi Apostolicæ summe addictos et devotos (ut taceam omnes affinitate arctà invicem devinctos) cujus proinde distributionem, arbitrium et sententiam omnes prompte sequentur. Sic seculo elapso Alexander VI. Pont. Indiarum limites divisit, propriosque statuit Hispanis et Lusitanis : hinc utrorumque mira in iis concordia. Hæc ergo Sedes Apostol. sacræ hujus expeditionis, uti aliàs semper fuit, ita et nunc erit arbiter et judex ; imo choragus, director, moderator. Hæc cuique suas operas et provincias partietur. Hæc spolia et lucra dividet. Hæc lites omnes judicabit et componet. Hæc novos principes et reges, si opus sit, instituet et creabit. Atque ista est propria hujus ævi gratia et felicitas, ad commune hoc Ecclesiæ negotium conficiendum uti maxime opportuna et accommoda, ita hoc fine à Deo provisa et donata. Denique obvia est concordiæ ratio, si quisque seorsim loco sibi commodo communem hostem invadat, et quidquid ei adimit, jure belli occupet, sibique vindicet. Achilles Tarduccius libello, *Quod Turca vincibilis*, demonstrat Turcam à solis Hungaris vinci posse, quinquaginta Christianorum millibus in aciem productis. Suffragatur Anonymus illi additus *De statu imperii Turcici*, qui per calculum arithmeticum ostendit bellum contra Turcam geri confi-cique posse quotannis quatuor auri millionibus ; exercitu vero quadraginta millium peditum, et bis mille equitum, addita ea classe centum triremium. Rursum fœdus Christianorum Principum à Leone X. Pont. contra Selymum sancitum, ac provincias cuique ad invadendum occupandumque attributas, recenset Fr Guicciardinus, et ex eo Lazarus Sorantius in Ottomanno cap. 118. Qui et addit Leonem decrevisse, ante omnia vim auri maximam congerendam, tum ex ordinariis Principum contributionibus, tum etiam ut singulis Christianis certum aliquod tributum, hujus belli nomine imperaretur.

Porro experientia constat omnem in debellando hucusque Turca difficultatem constitisse in divisione et dissensione Principum Christianorum, adeoque Reipubl. Christianæ languorem tum prodidisse, et se prodiisse, cum monarchia transiit in polyarchiam; sicut ex adverso Turcarum robur emicuit, cum polyarchiam Ottomannus in monarchiam transtulit ; quocirca Turcæ, cum sit monarcha singulis regibus potentior, à Christianis resisti nequit, nisi ad monarchiam redeant, ut Monarchæ infideli Monarcham fidelem opponant. Et quis hìc magis idoneus, quàm Summus Pontifex? Bessarion Cardin. sapientissimus asserebat *Turcam similem esse lupo, qui cum sit pili concoloris, canes pilo discolores vel infinitos non metueret ; paucis vero unius pili conspectis, fugam adornaret.* Ita prorsus Christianos Principes, licet plurimos et potentissimos, si discordes sint, non metuit, sed ridet Turca ; paucos si concordes sint, reformidat et fugit. Quin et Solymannus ipse Caroli V. æmulus et antagonista, ut Ferdinando imp. Caroli fratre se potentiorem ostenderet, ejus legato insultans dixit *se esse draconem unius capitis, sed multarum caudarum ; Ferdinandum vero et Christianos esse draconem multorum capitum, sed unius caudæ.* q. d. Christianorum imperium est polyarchicum, ideoque discors et imbecille ; meum vero est monarchicum, ideoque concors et validum. Igitur in hoc bello subdant se Principes Christiani, uti faciunt, Romano Pontifici ; atque hac ratione monarchiam Christianam redintegrabunt, eamque Turcica longe validiorem constituent, ac mari æque ac terra Turcam invadent : quod omnino faciendum censuit Corolus V. Porro ne quis fidelis vel hæreticus ditiones principum, eo tempore quo bellum sacrum capessunt, quovis titulo invaderet, Eugenius III. cavit sub pœna anathematis. Idem cavit Innocentius III. quem paulo ante citavi. Cavent et Principes fœderati : fœderis enim prima conditio est, ut, si quis unum invadat, cæteri omnes eum, quasi publicum Christi et Christianæ Reip. hostem et proditorem persequatur, ac regno, principatu, dominio, opibus, rebusque omnibus privent et spolient. Det Deus, ut omnes omnino ad pristinam unionem et monarchiam ab eo sancitam, hoc Jubilæo revertantur!

Quapropter de felici belli exitu optime sperandum est, et vix dubitandum, præsertim, si, uti Mose orante Josue vincebat Amalec, ita et nos cum Machabæis Numinis opem, precibus, jejuniis, sancta vita, bonisque operibus assidue nobis concilie-mus : quarum rerum Jubilæum hoc illicium est, imo inchoatio et præludium. Sane hisce annis plures viri Religiosi sanctitatis et prophetiæ opinione celebres prædixerunt certo instare ruinam Turcici imperii, ac Christianos brevi potituros terra sancta.

Emitte, ô Sanctissima Trinitas, ex alto, per Verbi tui incarnati acerbissimos dolores, crucem et merita, Spiritum tuum sanctum, spiritum sapientiæ, consilii, pietatis et charitatis, ut omnes fideles et principes in tua fide, cultu et amore concordes, studeant resistere, imo tuo regno subigere omnes Saracenos, paganos et infideles ; ut tuum nomen et gloriam agnoscant et celebrent omnes gentes ; ut omnis terra confiteatur nomini tuo sancto. Dilexisti, *Domine, portas Sion super omnia tabernacula Jacob.* Ut quid ergo, *Deus, venerunt Gentes in hæreditatem tuam, polluerunt nomen sanctum tuum, posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam?* Terra in qua te laudaverunt patres nostri, tradita est alienigenis, qui assidue sacrilego ore blasphemant nomen tuum, et Christi tui. Locus in quo Christus operatus est salutem in medio terræ, possidetur ab Antichristianis. Exsurge, Domine, vindica probrum tuum. Excita è Christianis Machabæos, qui gentes conterant et convertant, qui tibi tuam gloriam, Ecclesiæ suum regnum, terræ sanctæ avitam fidem et sanctitatem asserant, ac postliminio restituant. Excitasti nuper invictum Poloniæ regem, qui prælia hæc inchoaret tanta fortitudine, æque ac felicitate, ut unus ipse non solum omnes Turcarum vires sustinuerit, sed et assiduis præliis eos attriverit, fregerit, et ad pacem coegerit ; plane

utique protriturus, si auxiliaris aliorum principum copiis opibusque suffultus, bellum hoc fuisset prosecutus. Sane Christianis Regibus ipse unus, Deo auspice, viam prævivit stravitque, ac pariter ostendit quàm facile communis ille Ecclesiæ hostis hactenus cunctis formidabilis, subigi, imo deleri et exterminari possit, si Christiani Principes junctis animis malint bellum in ipsum capessere, quàm inerti desidia, et privatarum rerum respectu communibus incendiis deflagrare; si communibus viribus eum impetant, diversisque copiis et locis invadant, ut non tantum eum procul à suis finibus arceant, sed et plane profligent ac exstirpent; si concordibus studiis in communi periculo quod quisque potest præsidii, id in medium conferat. Ita res Christiana beata, invicta, et æterna hac concordia est futura. Idipsum ergo ingere et persuade cæteris Principibus, eosque sancto fidei et charitatis fœdere constringe, ut unanimes, læti et alacres constanter prælientur prælium Domini, prælium Christi, prælium Patris et Filii et Spiritus Sancti, ita ubique terrarum serviemus tibi humero uno, uno corde et ore; ubique tibi psallemus; ubique agemus Jubilæum, cum terra sancta, totusque orbis ad pristinam fidem, ad pristinum herum et dominum suum revertetur; ubique tibi in linguæ mentisque jubilo, exsultantibus animis et vocibus jubilabimus: *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.* Hocce fidelium, hocce meum unicum est votum, quod mihi ab olim, ô S. Trinitas, inspirasti et inspirare non desinis, ut assidue desiderem, et obsecrem te pro excidio mahometismi, hæresis et paganismi. Utinam triplicem trium horum tuorum hostium ruinam, ante mortem videre contingat, ut toto orbe sit unum Christi ovile et unus pastor! Tunc utique lætus occumbam, canamque et jubilabo cum S. Simeone: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace; quia viderunt oculi mei salutare tuum: quod parasti ante faciem omnium populorum: Lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israel.* Tunc pariter occinet S. Joannes suum illud: *Vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo à Deo, paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* Apoc. 21. Tunc modulabitur Tobias illud c. 13. *Jerusalem civitas Dei, luce splendida fulgebis, et omnes fines terræ adorabunt te, etc. Portæ Jerusalem ex sapphiro et smaragdo ædificabuntur, et ex lapide pretioso omnis circuitus murorum ejus. Ex lapide candido et mundo omnes plateæ ejus sternentur, et per vicos ejus Alleluia cantabitur. Benedictus Dominus, qui exaltavit eam*, et sit regnum ejus in secula seculorum super eam. *Amen* Tunc rursum psallet regius Vates: *Omnes gentes, plaudite manibus, jubilate Deo in voce exsultationis. Elegit nobis hæreditatem suam, speciem Jacob, quam dilexit.* Psal. 46. *Magnus Dominus, et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus. Fundatur exsultatione universæ terræ mons Sion latera Aquilonis, civitas regis magni. Deus in domibus ejus cognoscetur, cum suscipiet eam* Psal. 47. *Lætentur cœli, et exsultet terra, commoveatur mare, et plenitudo ejus.* Psal. 95. *Dominus regnavit, exsultet terra, lætentur insulæ multæ: adorate eum omnes Angeli ejus; audivit et lætata est Sion. Exsultaverunt filiæ Judæ propter judicia tua, Domine.* Psal. 96. *Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Psal. 97. *Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis spiritus laudet Dominum, Alleluia.* Psal. 150. Tunc exsultabit Isaias: *Laudate cœli, quoniam misericordiam fecit Dominus: jubilate, extrema terræ, resonate, montes, laudationem, saltus et omne lignum ejus: quoniam redemit Dominus Jacob, et Israel gloriabitur*, cap. 44. 23. *Ecce isti de longe venient* (ad Jerusalem) *et ecce illi ab Aquilone et mari, et isti de terra Australi. Laudate, cœli, et exsulta, terra; jubilate, montes, laudem: quia consolatus est Dominus populum suum, et pauperum suorum miserebitur*, cap. 49. v. 12. et 13. *Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui, etc.* cap. 60. v. 1. et 3. Tunc buccinabit Sophonias: *Lauda, filia Sion; jubila, Israel: lætare, et exsulta in omni corde, filia Jerusalem. Abstulit Dominus judicium tuum, avertit inimicos tuos: rex Israel Dominus in medio tui: gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione sua, exsultabit super te in laude*, cap. 3. v. 14. 15 et 17. Tunc jubilabit Zacharias: *Exsulta satis, filia Sion, jubila, filia Jerusalem: ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator, etc. quia lapides sancti elevabuntur super terram ejus. Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines*, c. 9. v. 9. 16 et 17.

Fac me voti mei, imo tui compotem, Jesu Christe Salvator, amor noster. *Hæc est enim*, sicut ipse Patrem pro nobis precando dixisti, *vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum*, Joan. 17. 3. Ac vicissim Pater tibi promisit dixitque: *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, et dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ*, Psalm. 2. v. 7 et 9. Tu quoque sancta Dei genitrix Patris æterni filia, Verbi incarnati mater, Spiritus sancti sponsa, quæ sola cunctas hæreses interemisti in universo mundo, has quoque nostri ævi interime. Assere tibi terram sanctam, quasi tuum natale solum; assere Hungariam, olim tibi clientem et supplicem, ideoque regnum Virginis nuncupatam, assere cæteras provincias: quia cunctarum es Regina et Domina. *Tu enim* (ait S. Cyrillus hom. 6. contra Nestorium) *es pretiosa margarita orbis terrarum: tu lucerna inexstincti luminis, corona virginitatis, sceptrum orthodoxæ fidei, templum indissolubile, continens eum qui nusquam contineri potest, mater et Virgo. Per te Trinitas sanctificatur, per te crux pretiosa dicitur. Per te exsultat cœlum, lætantur Angeli et Archangeli, fugantur dæmones, et homo ipse ad cœlum revocatur; omnis creatura idolorum errore detenta conversa est ad notitiam veritatis, et in toto orbe terrarum constructæ sunt Ecclesiæ. Te adjutrice gentes veniunt ad pœnitentiam. Per te unigenitus Dei filius, vera illa lux, effulsit sedentibus in tenebris et umbra mortis. Te Prophetæ prænuntiarunt, te Apostoli summis laudibus celebrarunt.* Dirige ergo universos, ô inclyta maris stella, inter æstuantes hujus seculi fluctus et turbines, recto cursu ad orthodoxam fidem, virtutem, sanctitatem, et tandem ad portum salutis æternæ: Monstra te esse matrem monstrantium se tuos cupere esse filios. Da per potentes tuas ad Filium preces nobis omnibus, VIVERE DEO, VIVERE COELO, VIVERE ÆTERNITATI: DA CHRISTO FRUI, ILLI JUBILARE PER OMNIA SECULA. Hoc est enim omnis homo. Amen.

ANNOTATIO

ADDENDA AD MINORES PROPHETAS.

Nonnulli novitii et rudiores Theologi non capientes titulum Epist. Dedicatoriæ, quam Prophetis Minoribus præfixi, *Sanctissimæ Trinitati increatæ, et creatæ in Christo Jesu trinum Prophetarum jubilum et votum;* sed admirantes (ignorare enim facit admirari, ait Aristot.) à me flagitarunt, ut illum concise obscurum fusius enucleem et explicem. Id ergo in eorum gratiam nunc facere aggredior, quia cum S. Paulo, insipientibus, æque ac sapientibus debitor sum.

Clarum est ex ipsis terminis et vocibus hîc librum dedicari non uni, sed duplici, Trinitati; priori increatæ, posteriori creatæ. Nec enim una eademque Trinitas potest esse increata, simul et creata, sicut idem non potest esse creator et creatura: hoc enim implicat et contradictionem involvit. Trinitas ergo increata est Deus in essentia unus, sed in personis trinus, scilicet Deus Pater, Filius, et Spiritus sanctus, quæ sunt tres personæ divinæ reales, et realiter à se mutuo distinctæ, quæ eamdem numero habent essentiam et divinitatem, ideoque per omnia omnipotentes sunt immensæ et æquales, eamdemque latria adorandæ. Quocirca Seraphini, tum angelici, tum humani, puta Prophetæ omnes, ter quaternis vocibus trisagium: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth*, jugiter illis accinunt, uti in Dedicatoria mox subjicio. Hoc augustissimum et inneffabile Trinitatis mysterium, in S. Script. diserte expressum, contra Sabellium, Arrium et Macedonium omni ævo constanter docuit et propugnavit Ecclesia. Idem in Conciliis OEcumenicis multoties est definitum, intentato Arrianis et Sabellianis illud negantibus anathemate. Idem tradiderunt Apostoli in Symbolo, ac Patres Syri, Græci, Latini, quolibet ævo, ut S. Justinus, S. Ephrem, S. Epiphan. S. Athanasius, S. Damascen. S. Basilius, S. Gregor. Nazianz. S. Chrysostomus, S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Ambrosius, S. Gregorius, cæterique orthodoxi ad unum omnes, uti pluribus locis demonstravi, sed præcipue in Dedicatoria Prophet. Majorum, ubi magna et mira, sed minora longe quàm meretur, S. Trinitati dedi elogia; et in Isaia c. 6. v. 3 ad illa: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth;* ac Rom. 11. 33. ad illa: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! etc. Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula, Amen;* et Hebr. 13: *Qui* (filius) *cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ;* et alibi sæpius: passim enim insector Arrianos et Ebionæos, velut hæreticos juratos S. Trinitatis et Christi Paulique hostes, ac blasphemos atheosque.

Trinitas creata in Christo est Christi sanctissima anima, caro et sanguis: hæc enim tria creata sunt, ac à Deo creatore Christi humanitati, velut partes substantiales in incarnatione inditæ, cum *Verbum caro factum est.* Alludo enim ad illud 1. Joan. *Quoniam tres sunt qui testimonium dant* (quod *Jesus est Filius Dei*, ut dixi v. 5.) *in cælo: Pater, Verbum et Spiritus sanctus: et hi tres unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in terra: spiritus, et aqua et sanguis: et hi tres unum sunt.* Spiritus enim est sanctissima Christi anima; aqua est illa quam Christus è carne lateris sui cum sanguine moriens emisit. Ibi enim S. Joannes Trinitatem increatam assignat, Patrem, Verbum sive Filium, et Spiritum sanctum: creatam vero spiritum, aquam et sanguinem, quarum utraque testatur Christum esse Dei filium et mundi salvatorem, uti ibidem fuse exposui. Simili modo Prophetæ omnes prophetant et docent Trinitatem utramque, puta mysterium S. Trinitatis et incarnationis Verbi, ut utrique prophetias suas ipsi dicasse videantur, ideoque utrique ego illas dedicavi. Idque repræsentat imago S. Trinitatis in sinu gestans Christum crucifixum, cui singuli Prophetæ circumcirca sua oracula depromunt, quam epistolæ Dedicatoriæ præfixi. Dedicatoria enim ad imaginem respicit, illamque explicat.

Porro Trinitatis nomen licet absolute positum, ex usu fidelium soli increatæ competat, si tamen addatur τὸ *creatæ*, non nisi rei in tempore creatæ, qualis est Christi humanitas, convenire potest, atque hoc modo nomen Trinitatis usurpant Patres, cum dicunt in anima humana esse imaginem S. Trinitatis, imo Trinitatem participatam; quia in anima sunt tres potentiæ, scilicet memoria, intellectus et voluntas (imo hæc tria reipsa idem sunt cum anima, si Philosophis nonnullis credimus), sicut in essentia divina sunt tres personæ divinæ, scilicet Pater, Filius et Spiritus sanctus. *Eo enim ipso,* ait S. August. lib. 14. de Trinit. c. 8, *imago Dei est mens, quo capax ejus est, ejusque particeps esse potest. Jam ergo in ea Trinitatem, quæ Deus est, inquiramus. Ecce enim mens meminit sui, intelligit se, diligit se: hoc si cernimus, cernimus trinitatem, nondum quidem Deum, sed imaginem Dei. Hæc enim quædam apparet trinitas, memoriæ, intelligentiæ et amoris.* Et S. Isidor. lib. 7. Etymol. c. 4: *Trinitas appellatur,* ait, *quod fiat totum unum ex quibusdam tribus, quasi trinitas, ut memoria, intelligentia et voluntas, in quibus mens habet in se quamdam imaginem divinæ Trinitatis; nam dum tria sint, unum sunt.* Et S. Bonav. in 1. dist. 24: *Trinitas dicitur,* inquit, *quasi ter unitas, vel trium unitas.* Hinc et S. Bernard. serm. 11. in Cant. de eadem agens: *O beata,* ait, *et beatificans Trinitas, ad te mea misera trinitas miserabiliter suspirat, quoniam à te infeliciter exsultat. Discedens à te quantis se intricavit erroribus, doloribus, timoribus! Heu me, qualem pro te commutavimus trinitatem! Cor meum conturbatum est, et inde dolor: dereliquit me virtus mea, et inde*

pavor : et lumen oculorum meorum non est mecum , et inde error. Et quàm dissimilem trinitatem , ô animæ meæ trinitas exsulans , offendisti. Simili phrasi Plinius , lib. 2. c. 31, ait in parelio visos esse sæpius trinos soles , et trinas lunas. Quid enim est trinus sol et trina luna , nisi trinitas solis et lunæ ? Si latine licet dicere trinas esse animæ potentias , et trinas esse Christi incarnati partes ; cur pariter non liceat dicere animam habere trinitatem trium potentiarum, et Christum trium partium.

Denique , si quis *τὸ et creatæ in Christo Jesu* , ita accipiat et detorqueat , ut velit in Christo Jesu nihil esse nisi creatum ; hic hæreticus est , Arrianus et Ebionita , hoc est Judæus vel judaizans. Christiana enim fides docet in Christo unam esse personam divinam , sed duas naturas , nimirum divinam , quam Christus ab æterno à Patre accepit , juxta quam verus est Deus Patri ὁμοούσιος et consubstantialis , ideoque in Trinitate increata secundus et medius ; et humanam , quæ in tempore creata est , cum ipse qua homo , conceptus est de Spiritu sancto , et natus ex Maria Virgine. Primus id negavit impius Ebion , primus post Simonem Magum hæresiarcha anno Christi 74. Hic enim sacrilegus judaizans , cum Cherintho negavit Christum esse Deum , eumque merum hominem esse asseruit , quia Moysem prætulit Christo , ac legem Evangelio ; ideoque S. Paulum Evangelii præconem , Legis apostatam nuncupabat. Unde illi coævus S. Ignatius epist. ad Philadelphenses : *Si quis* , inquit , *dicat unum esse Deum , et confiteatur Christum Jesum , sed eum nudum esse hominem putet , non autem Deum unigenitum , sapientiam et Verbum Dei , sed solum anima et corpore constare censeat ; hujusmodi serpens est , fraudem et errorem prædicans in exitium hominum ; et est ejusmodi inops sensu cognomento Ebion.* Et S. Epiphanius hæres. 30. quæ est Ebionis : *Quemadmodum* , inquit , *si quis copulasset sibi ornamentum ex diversis lapillis pretiosis , et vestem variegatam et splendide se ornasset : sic hic* (Ebion) *vice versa quidquid horrendum est et perniciosum et abominabile , informeque et incredibile , et odio plenum , id à singulis sectis accepit , et seipsum in omnes efformavit : Samaritarum enim habet abominationem , Judæorum nomen , Ossenorum vero et Nazaræorum opinionem , Cherinthianorum formam , Carpocratianorum improbitatem , et Christianorum vult habere appellationem.* Et Eusebius, lib. 3. Hist. c. 27. *Sed et alios* , inquit , *idem dæmon alia arte decepit , id est , Ebionæos , quæ interpretantur pauperes* (Ebion enim hebr. אביון idem est quod *pauper;* Ebion enim revera fuit mentis inops , et pauper , non tam ære et censu , licet id ipse jactaret, quàm fide et sensu :) *vere enim pauperes sunt et egeni in scientia gloriæ Christi · quoniam quidem eum solum hominem putant , communi etiam nativitate ex viro et femina procreatum.* Quocirca eum ut hæresiarcham et atheum acriter impugnant S. Iren. Tertull. S. Epiphan. S. August. Theodor. Philastrius, Cardin. Bellarminus , Hosius , Gregorius de Valentia, Stapletonus , Alfonsus à Castro , ac cæteri Doctores Orthodoxi prisci et moderni , qui contra hæreses scripserunt ; ut mirum sit hoc seculo nonnullis in locis infamem et scelestum Ebionem : toties damnatum , rursum ex orco esse revocatum , et monstrosam ejus hæresim jam diu sepultam , rursum in lucem prodiisse opera Judæorum et judaizantium cum insigni probro Christiani nominis , æque ac ingenti fidelium damno. Hoc ergo est opus , hic astus Satanæ , qui transfigurat se in Angelum lucis , ut per Judæos Christum et Christianos supplantet , ac homines quasi pisces decipiat capiatque , et secum trahat ad æterna gehennæ incendia. Quocirca S. Joannes Apostolus adeo detestatus est blasphemum Ebionem , ut , cùm casu balneum adiisset , intellexissetque in eo lavari Ebionem , illico cum suis aufugerit , dicens : *Festinate , fratres , egrediamur hinc , ne cadat balneum , et pereamus cum Ebione , qui intus est in balneo , propter ipsius impietatem* , uti narrat S. Epiphan. hæresi 30.

IN DUODECIM

MINORES PROPHETAS

COMMENTARIUS.

PROOEMIUM.

PROLEGOMENA hic pauciora præmitto : quæ enim Prophetis majoribus præfixi, eadem minoribus serviunt. Rem ergo aggredior : studeo enim brevitati, ut totam S. Scripturam octo vel novem tomis complectar, quod viri sapientes postulant. Notat S. August. l. 18. de Civit. c. 19. et Ruffinus præfat. in Oseam, duodecim Prophetas minores dici respectu quatuor majorum, puta Isaiæ, Jeremiæ, Ezechielis et Danielis, non eo quod iis sententiarum gravitate, et rerum verborumque majestate cedant; sed ob sermonis et librorum brevitatem. Potuissent et ipsi paria majoribus volumina scribere, si voluissent : per multos enim annos munere concionandi et prophetandi functi sunt, uti Oseas usque ad annum ætatis nonagesimum strenue hoc officio perfunctus est. Ex quo liquet, eos multa vaticinando et concionando dixisse ; quæ scriptis non tradiderunt; idque ex studio modestiæ et humilitatis, ut minores essent et haberentur, nec majoribus æquarentur. Quo studio impulsus humilis S. Franciscus, se et suos fratres Minores esse et nuncupari voluit. Unde cum Cardin. Hostiensis, qui postea creatus Pontifex, Gregorius IX. dictus est, ab eo quæsisset : utrum sibi placeret, ut fratres sui promoverentur ad Ecclesiasticas dignitates; respondit : *Domine, Minores ideo vocati sunt fratres mei, ut majores fieri non præsumant. Si vultis ut faciant fructum in Ecclesia Dei, tenete illos et conservate in statu vocationis eorum, et ad Ecclesiasticas prælationes nullatenus ascendere permittatis.* Ita refert S. Bonaventura in vita S. Francisci cap. 6. Eodem studio et spiritu actus S. Paulinus Nolæ Episcopus, vir nobilis genere, ingenio, virtute, sapientia et eloquentia, quam mire extollunt S. Hieron. et August. rogatus ut scriberet in S. Scripturam, respondit se minus peritum esse, et indignum qui tam sublimes et divinos libros interpretaretur. Quare nunquam calamum huic operi admovere voluit, sed aliis minus sublimibus, epistolis et carminibus, quæ etiamnum exstant, et viri doctrinam, æque ac modestiam, religionem, mundique contemptum testantur. Ita habet ejus Vita. Addit S. Chrysost. hom. 9. in Matth. *Multa*, inquit, *ex Propheticis perierunt monumentis : desides enim cum essent Judæi, nec desides modo, sed et impii, alia quidem perdiderunt negligenter, alia vero tum incenderunt, tum conciderunt. Et de profanitate quidem tali Jeremias refert*, cap. 36. 32 : *De negligentia vero*, 4. Reg. 22 : *Legimus, quoniam post multum temporis vix Deuteronomii volumen sit repertum, defossum quodam in loco, ac pene deletum.*

Itaque maluerunt hi nostri Prophetæ, multis omissis, pauca tantum, nimirum præcipua, capita suorum oraculorum et concionum conscribere, quæ Judæis dictorum a se et ab iis auditorum memoriam jugiter refricarent, quæque ipsi, æque ac posteri, præsertim Christiani, ob prolixitatem non fastidirent, sed ob brevitatem avide legerent. Verbo enim paucis, scripto toti consulitur posteritati : *Zacharias* (et quilibet doctor) ait Tertull. lib. de Idolol. c. 23. *loquitur in stylo, auditur in cera : manus omni sono clarior, littera omni ore vocalior.* In hac ergo Prophetarum brevitate magna et prægnans est rerum copia, magnus dicendi nervus, magnum pathos, densus et multiplex sensus. Audi S. Hieronym. proœmio in epist. ad Philemon. *Sed*, ait, *mihi videntur dum Epistolam simplicitatis arguunt, suam imperitiam prodere, non intelligentes quid in singulis sermonibus virtutis ac sapientiæ lateat. Si autem brevitas habetur contemptui, contemnatur Abdias, Nahum, Sophonias, et alii duodecim Prophetæ, in quibus tam mira, et tam grandia sunt quæ feruntur, ut nescias utrum brevitatem sermonum in illis demirari debeas, an magnitudinem sensuum.* Quocirca idem hic in proœmio, Oseam vocat *commaticum, et quasi per sententias loquentem :* brevibus enim sententiis quasi per commata intercisis, multas magnasque res pathetice eloquitur; nimirum sapiens uti verum uno mentis cernit in ictu, ita idem enuntiat, unoque dentis verbique dicit et dictat in ictu. Sed audi ipsummet S. Hieronym. *Osee commaticus est, et quasi per sententias loquens. Joel planus in principiis, in fine obscurior. Et usque ad Malachiam habent singuli proprietates suas.* Et in prologo Galeato : *Duodecim*, ait, *Prophetæ in unius voluminis angustias coarctati, multo aliud, quam sonet in littera præfigurant.* Hic ergo verum est istud quod de apibus cecinit Virgil. in Georgic.

In tenui labor, at tenuis non gloria.

Nam, ut ait Eccles. c. 11. 3 : *Brevis*, græce μικρα id est parva, *in volatilibus est apis, et initium dulcoris habet fructus illius.* Hinc ista vox apum :

Magna etenim est nobis in parvo corpore virtus.

Ut Tydeo illi, pusillo mole corporea, sed mente gigantea, qui Tydeus fuit statura, sed animo Hercules, solertia Ulysses. Virtus enim compressa fit fortior, et majores impetus plagasque

adversariis infligit. Apostolus, uti nomine, ita corpore Paulus fuit et pusillus; sed sapientia et spiritu excelsus, imo longolius: *Tricubitalis est*, ait S. Chrysost. *et cœlos sideraque transcendit.* Ita Prophetæ minores tricubitales sunt, si verba et sententias spectes; sed sapientia et sensibus æthera transcendunt. Egregie S. Paulinus epist. 1. inter sex quas scripsit ad Amandum: *Sicut mellis*, inquit, *gutta idem sapit, quod totus favus, sic et in uno licet verbo stillicidium linguæ vestræ, totum sanctæ animæ vestræ saporem refert. Nec ideo margarita vilis est quia exigua, sed ideo magis pretiosa, quia et in exiguo modo magnum pretium habet. Sed et granum sinapis, quod minimum videtur in semine, maximum tamen exstat in olere: ideo etiam brevis sermo vester, dulcedinem simul ac vigorem verbi cœlestis tenet.* Sic Alanus in Anticlaudiano laudat Symmachum urbis præfectum sub Theodosio Imper. à nervosa styli brevitate dicens:

Symmachus in verbis parcus, sed mente profundus:
Prodigus in sensu, verbis angustus: abundans
Mente, sed ore minor: fructu, non fronde, beatus,
Sensus divitias verbi brevitate coarctat.

Non dubitat Poeta muscam exiguam cum rege componere:

An quisquam conferre negat cum principe muscam?
Eminet in minimis maximus ipse Deus.

Tria parva, sed efficacia:

Vipera, si memini, prima est, formica secunda,
Tertia cui proprio nectare lucet apis,
Non te parve culex formica, aut vipera, non te
Vatis Bilbilici clarior esset apis.

Porro Virgil. lib. 4. Georg. apim esse, vel habere quid numinis asserit:

Esse apibus partem divinæ mentis, et haustus
Æthereos dixere: Deum namque ire per omnes
Terrasque tractusque maris, etc.

Homines statura parvi, communiter magnanimi sunt. Cor membrorum minimum, ipsum tamen est quasi focus et arx corporis, et alterum quasi animal, primum vivens et ultimum moriens, vitæ, sensus et motus fons et origo; quin et animalia generosa, ut leo, parvum habent cor; quæ vero magnum habent, ut hyæna, lepus, cervus, asinus, panthera, mustela timida et pavida sunt, ait ex Aristot. Plinius lib. 11. cap. 37. Adeo Deus et natura, parvos et parva amant: et in parvis vasis sua cimelia recondunt: *Nulli enim parvus est census, cui magnus est animus*, ait S. Leo serm. 1. de Quadrag. Quocirca Philosophus interrogatus, quid minimum esset simul et maximum; cum unus dixisset esse oculum, eo quod membrorum sit minimum, et tamen totum mundum, qui maximus est, visu comprehendat; respondit non esse oculum, sed cor, tum ob rationem jam allatam, tum quia cor non solum mundum, sed et ea quæ supra mundum sunt, adeoque res infinitas mente, amore et affectu complectitur, nec ulla re nisi Deo, qui immensus est, repleri et satiari potest. Denique cor humilitate minimum, virtute et gloria est maximum, uti docet Christus Matth. 18. 4. et cap. 19. 26.

Præclare Sapiens Proverb. 30. 24: *Quatuor*, ait, *sunt minima terræ, et ipsa sunt sapientiora sapientioribus. Formicæ populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi. Lepusculus plebs invalida, qui collocat in petra cubile suum. Regem locusta non habet, et egreditur universa per turmas suas. Stellio manibus nititur, et moratur in ædibus regis.* Sapienter quoque Manilius lib. 4. Astron.

Nec contemne tuas, quasi parvo in corpore vires.
Quod volat, immensum est. Sic auri pondera parvi,
Exsuperant pretio numerosos æris acervos.
Sic adamas punctum lapidis pretiosior auro est.
Parvula sic totum pervadit pupula cœlum;
Quodque vident oculi, minimum est, cum maxima cernant,
Sic animi sedes tenui sub pede locata,
Per totum angusto regnat de limite corpus.

Gaudet ergo natura, æque ac Deus qui est natura naturans auctorque naturæ, magna, imo magnitudinem suam imminuere, contrahere et coarctare ad parva, ut ibi unita densetur, eòque magis resplendeat, quò in minori minor esse gestit. Quid majus microcosmo et universo? hoc tamen Deus totum collegit in homine, dum eum microcosmum effecit. Quid sublimius Verbo æterno, Dei filio? hic tamen in infantili corpore integer inhabitare voluit, eique se adæquavit. Hoc est Verbum abbreviatum, portentum seculorum, de quo Apostolus Roman. 9. 28. ait: *Verbum breviatum faciet Dominus super terram.* Nam, ut de eodem vaticinatus est Isaias c. 10. 12: *Consummatio abbreviata inundabit justitiam.* Quid magnificentius Christo, vero Deo et homine? et tamen ipse in exigua Eucharistiæ hostia, imo in quolibet ejus puncto totum se sistit. Magnus ergo esse cupis? Deum imitare: ab eo viam et modum grandescendi disce: humilia, abbrevia, coarcta te, et magnus evades, Deoque similis. Sic angelus in punctum loci se contrahit: sic et anima tota est in qualibet corporis particula. Sic Orator convolvulum florem vocavit, rudimentum naturæ, lilium facere condiscentis: pari modo humilitas convolvula est rudimentum animæ, qua ad apicem virtutum scandere condiscit. Denique aureum est istud Poetæ:

Quidquid præcipies esto brevis, ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.

Et Cicero lib. 1. de Orat. oratori hoc dicendi dat præceptum; *Satius est minus quam nimis. Facilius enim cujusque rei in unum contracta species, quam divisa temporibus, oculis animisque inhæret*, inquit Velleius Paterc. lib. 1. Hac de causa hi Prophetæ breves et contracti potius, quam fusi et prolixi esse maluerunt.

Argumentum minorum Prophetarum idem est quod majorum, nimirum arguunt idololatriam, aliaque Hebræorum peccata, quæ Jeroboam erigendo vitulos aureos, quasi Deos in Dan et Bethel, invexerat, ad hoc, ut per schisma religionis, faceret et schisma regni decem tribuum à regno duarum, Judæ scilicet et Benjamin, ne videlicet decem tribus occasione sacrorum et cultus divini ex lege celebrandi in Jerusalem, à se suoque regno ad duas tribus, et regem Roboam redirent, ut patet 3. Reg. 12. 26. Deus ergo quasi pius pater, ad eos revocandos misit Prophetas, qui tum decem tribus, tum duas reliquas hoc quoque idololatriæ contagio, ob vicinitatem et affinitatem decem tribuum, infectas, de hisce sceleribus corriperent, commi-

nando eis captivitatem Assyriacam et Babylonicam; itaque eas ad avitam patrum fidem et pietatem revocarent, ac ad Dei cultum et amorem accenderent: qua de causa addunt vaticinia lætaque promissa de Christo, deque Ecclesia, Sacramentis, gratia, omnique felicitate ab eo afferenda in novo testamento: ideoque sæpe hi Prophetæ à Christo, Paulo et Apostolis citantur. Nam, ut sapienter ait S. August. in Sententiis n. 214: *Stultus est qui non credit denuntiationibus Prophetarum in paucis quæ restant, cum videat tam multa completa, quæ tunc non erant, quando prædicebantur implenda.*

Porro facillimum est, mutato tantum nomine, quæ Judæis hîc ob idololatriam aliaque scelera ad litteram intentant Prophetæ, tropologice applicare Christianis, atque animæ cuilibet, quæ per peccatum à Deo ad suas cupiditates abit, ac præsertim ad hæresin, cui passim hæc tropolog. adaptat S. Hieronym. nam, ut ipse ait in cap. 14. Osee, gulosi deus et idolum est venter, avari mammona, hæretici sua hæresis, suumque commentum et dogma, et ita de cæteris. Quocirca æque Christianis ac Judæis sua oracula dictarunt et consignarunt Prophetæ.

Jam vero Prophetæ minores numero sunt duodecim, instar duodecim Patriarcharum, et duodecim Tribuum ad quas mittebantur. Fuerunt enim ipsi Patriarcharum suppares, imo sui ævi, duodecim Patriarchæ, duodecim Tribuum duodecim Doctores, duodecim Apostolorum duodecim prodromi et antitypi, imo veri veteris testamenti Apostoli et Evangelistæ.

Merito ergo Ecclesiasticus celebrans heroes Hebræorum, hoc elogio duodecim hosce Prophetas celebrat et condecorat cap. 49. 12: *Duodecim Prophetarum ossa pullulent de loco suo*, q. d. Ossium et sepulcri, ac per consequens ipsorum duodecim Prophetarum virens semper, grata et florida sit memoria; nomen et fama eorum cum sepulcris et monumentis ipsorum perennet, ut videantur reviviscere, et magis vivere defuncti, quam cum reipsa viverent; adeo eorum laus, decus et gloria promanet ad posteros, imo permaneat in æternum, ut, quoties posteri inspexerint eorum ossa et sepulcra, toties eorum virtutum et oraculorum gloriosam memoriam renovent et celebrent, dignosque prædicent, quorum ossa inter Patriarchas et Apostolos, ad gloriam cœlestem resurgant in universali hominum resurrectione. Est metalepsis: ossa enim ponuntur pro sepulcro, sepulcrum pro sepultis, puta pro ipsismet Prophetis; nimirum contentum ponitur pro continente: et pullulare idem est quod semper vigere et florere. Causam subdit: *Nam corroboraverunt Jacob* in fide et pietate unius veri Dei et Messiæ, quem prædixerunt venturum: *corroboraverunt*, inquam, tum vaticinando, tum suis meritis et precibus robur et auxilium Dei populo impetrando: *et redemerunt se in fide virtutis*, puta in fide non quali quali, sed valentissima et potentissima; vel *in fide virtutis*, id est, in fidelitate maxime strenua et efficaci, *redemerunt*, id est liberarunt et immunes præservarunt *se* ab omni culpa, pœna et calumnia: quia non nisi ea quæ Deus eis revelabat, fideliter et constanter proloculi et vaticinati sunt. Simili enim phrasi de Josue, aliisque Judicibus Israel dicit idem Eccles. cap. 46. 13: *Et judices, quorum non est corruptum cor, qui non aversi sunt à Domino, ut sit memoria illorum in benedictione, et ossa eorum pullulent de loco suo*, hoc est, ut explicans subdit, *et nomen eorum permaneat in æternum, permanens ad filios illorum, sanctorum virorum gloria.* Ossa ergo hæc Prophetarum etiamnum pullulant, et pullulabunt usque ad finem mundi, dum ipsi per sua monumenta et oracula Christianis, Judæis, omnibusque gentibus assidue prædicant, et prædicabunt Messiæ adventum, ejusque fidem, mores, spiritum, omnemque virtutem et sanctimoniam.

Mystice S. Bernard. serm. 2. ad Fratres, in illud, *Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob*, docet omnes vere Religiosos, mystice esse Prophetas, eo quod perspicaci mentis acie eminus prospiciant superna, absentia et futura; quod eorum mens, cogitatio et conversatio in cœlis sit, indeque ex summo cœlorum vertice, quasi aquilæ, exiguum hoc terræ punctum respiciant et despiciant; quod in altis æternitatis montibus commorentur, indeque sub se videant et rideant inanes honorum opumque pompas, reges et principes quasi formicas intueantur, regnorum ortus et occasus, rerum omnium vicissitudines, temporum gyros et circumvolutiones, cunctosque seculi turbines, flexus et reflexus, quasi bullas nascentes et mox denascentes, contemplentur. Hi nimirum veri videntes, veri vates, veri mystæ sunt: cæteri cæcutientes, præsentia exigua conspicantur, futura licet maxima non prævident; *in terrenis lynces, in cœlestibus talpæ. Magnum sane*, inquit Bernard. *prophetandi genus, cui vos* (Fratres suos alloquitur) *deditos esse conspicio; magnum prophetiæ studium, cui vos video mancipatos. Quid illud? Nempe juxta Apostolum, non considerare quæ videntur, sed quæ non videntur, sine dubio prophetare est. Ambulare in spiritu, ex fide vivere, quærere quæ sursum, non quæ super terram, oblivisci quæ retro sunt, extendi in anteriora, ex magna parte prophetare est. Alioqui quonam modo, nisi per spiritum prophetiæ, conversatio nostra in cœlis est? Sic nimirum Prophetæ olim quasi non inter homines erant sui temporis, sed virtute et impetu quodam spiritu dies illos transilientes, exsultabant ut viderent diem Domini; et videbant et lætabantur in ea.* Talis Propheta, talis videns erat regius Vates, sibi occinens: *Credo videre bona Domini, in terra viventium.* Talis S. Hilarion, teste S. Hieronym. *qui monebat omnes prælerire figuram hujus seculi; et eam esse veram vitam, quæ vitæ præsentis emeretur incommodo.* Talis Paulus, qui in tertium cœlum raptus exclamabat: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Quod enim momentaneum est et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Et: *Fides est substantia rerum sperandarum*, ergo futurarum; *argumentum non apparentium*, ergo obscurarum et propheticarum. Fides est mente cernere bona cœlestia, quæ oculis non vides. Talis videns et videntium pater erat Abraham, qui *fide demoratus est in terra repromissionis tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac et Jacob, cohæredibus repromissionis ejusdem. Exspectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor Deus.* Juxta fidem et prophetiam defuncti sunt Abel, Henoch, Noe, Isaac, Jacob, Joseph, *non acceptis repromissionibus, sed à*

longe eas aspicientes et salutantes, et confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Ideo non confunditur Deus, vocari Deus eorum: paravit enim illis civitatem. Fide Moses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem: aspiciebat enim in remunerationem. Fide reliquit Ægyptum. Quare? *Invisibilem enim tanquam videns sustinuit.* Alii fidei et prophetiæ heroes, res sperandas et futuræ gloriæ bravia speculantes, pro iis *distenti sunt, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem.* Mystici ergo Prophetæ sunt, qui vita magis quam voce, singulis inclamant: *Deorsum corpora, sursum sint corda: despice terrena, cœlestia suspice.*

Jam Quæritur primo, Ad quas gentes proprie missi sunt hi Prophetæ; quibus populis prophetarunt? Resp. Aliqui Prophatarum vaticinati sunt duabus tribubus tantum, puta Juda et Benjamin, alii cæteris decem, alii utrisque: idque nominibus regum, sub quibus se prophetasse scribunt; aut nomine populi Juda, vel Israel, aut aliis modis et circumstantiis subindicant, imo sæpe idipsum clare exprimunt. Ubi recte notat S. Hieronym. in proœmio: Quoties, inquit, ad decem tribus prophetia tenditur, sub his nominibus fere designantur, scilicet *Ephraim, Samaria, Israel, Joseph, Jezrahel, Bethel, Bethaven,* et interdum *Jacob;* cum vero ad duas tantum, tunc notantur nomine *Juda, Jerusalem, Benjamin, domus David*, et aliquando *Jacob.* Porro decem tribus vocantur *Ephraim* et *Joseph:* quia primus eorum rex Jeroboam, et multi deinceps oriundi fuerunt ex tribu Ephraim, qui fuit filius Joseph Patriarchæ. Dicuntur eædem *Samaria* et *Jezrahel:* quia hæ duæ erant metropoles regni earumdem. Dicuntur *Israel* et *Jacob:* quia posterorum ejus major erant pars; unde quasi plures parentis nomen sibi appropriarunt. Jacob enim alio nomine vocatus est Israel, Gen. 32. 28. Dicuntur *Bethel:* quia in Bethel à Jeroboam erecti fuerunt vituli aurei, puta idola, quæ ipsi coluerunt. Unde et Bethel dicta est per antiphrasin *Bethaven*, id est domus iniquitatis: quæ enim tempore Jacob vocabatur eratque *Bethel*, id est domus Dei, Genes. 28. 19. à Jeroboam facta est Bethaven, id est, domus idoli et peccati. Porro Prophetæ Israelitis, ob idola aliaque peccata minantur excidium, et captivitatem Assyriacam, quam eis inflixit Salmanasar anno 6. Ezechiæ regis Juda: Judæis vero minantur excidium et captivitatem Babylonicam, quam eis irrogavit Nabuchodonosor anno 11. et ultimo Sedeciæ, sub utraque vero repræsentant captivitatem stragemque extremam, quam eisdem inflixit Titus et Romani, ob occisum ab eis Christum. Illi ergo hæc facile est adaptare, mutato tantum nomine Salmanasar et Nabuchodonosor in nomen Titi, et Chaldæorum in Romanorum.

Nota, initio horum Prophetarum aliquibus Prophetis addi nomina patrum et avorum, aliis non addi. Causam discriminis nonnulli hanc assignant, quod ex traditione Hebræorum (quam refert S. Hieronym. initio in Sophoniam, et S. Basil. in Isaiæ cap. 1.) patres et avi Prophetarum, qui in titulo eorumdem nominantur, fuerint quoque Prophetæ; cæteri taceantur eo quod non fuerint Prophetæ. Sed hæc traditio incerta est et dubia, etiam ipsi S. Hieronymo; quinimo eam rejicit et confutat Paulus Burgensis Hebræorum doctissimus, in Osee cap. 1. Facilior ergo et magis consona S. Scripturæ ratio est, nomina patrum addi iis, quibus ad distinctionem et notitiam addere ea opus fuit. Plures enim eodem loci erant tunc viri illustres et sapientes, qui vocabantur Osee, Joel, Jonas, Sophonias, Zacharias: hinc ut Prophetæ habentes eadem nomina ab illis secernerentur, addiderunt nomen patris, dicendo: Osee filius Beeri, Joel filius Phatuel, Jonas filius Amathi, Sophonias filius Chusi, Zacharias filius Barachiæ. Hanc causam dat S. Chrysostom. initio comment. in Isaiam, Theod. initio comment. in Joelem, et S. Gregor. homil. 2. in Ezech. Secunda causa est; patres aliquorum nominantur, eo quod fuerint nobiles, vel virtute, sapientia, officio et auctoritate illustres: horum enim nominatio Prophetis aliquam dignitatem et fidem apud populum conciliabat. Ita S. Basilius et S. Hieronymus in Isaiæ 1. Hac enim de causa regibus et regali prosapia ortis, quales fuerunt Isaias et Daniel, patrum nomina (vel certe stirps regia) adjiciuntur. Adde, nomina patrum aliquando juvare ad Prophetæ intelligentiam, et ad quædam mysteria significanda, quæ eleganter aperit S. Hieronym. in cujusque Prophetæ initiis, quæque inferius ex eodem recitabo.

Eædem causæ sunt, cur in aliquibus nomen patriæ recenseatur, puta in tribus scilicet Amos, qui oriundus fuit ex Thæcua: Michæa, qui ex Morasthi: Nahum, qui fuit Elcesæus. Ex patria enim quisque facile dignoscitur, et ab aliis secernitur. Quod ergo Rabbini nonnulli, ut R. David, censent eum cui patria non additur, fuisse Hierosolymitanum, commentum est, et falsum esse patet in Jona, cui patria non additur, qui tamen fuit Gethæus, non Hierosolymitanus, ut patet 4. Reg. 14. 25.

Quæritur secundo, de tempore et ordine duodecim Prophetarum: Quando nimirum, et quo ordine prophetarint?

Dico primo: Aliqui Prophetæ non notant tempus quo prophetarunt, quia generales sunt eorum prophetiæ, et ad omnia spectant tempora. Tales sunt Abdias, Joel, Nahum, Malachias, Jonas. Alii tempus prophetiæ exprimunt, quia eam aptant certo tempori, aut ut ex tempore adjecto facilius et melius ipsa materia et series prophetiæ intelligatur. Ita S. Basilius in Isaiæ 1. et Ruffino initio comment. in Osee. Secundo, aliqui tempus omittunt, quia brevitati student, æque ac obscuritati, ut videantur esse Prophetæ, non historici, ac lectoris studium exerceant et acuant. Ita Christoph. à Castro lib. 4. de Prophetis cap. 6. Tertio, continua est traditio, ait S. Hieronym. initio in Osee, et Ruffinus in c. 1. Joelis, medios Prophetas qui tempus non præferunt in titulo, prophetasse sub illis regibus (saltem sub extremo illorum) sub quibus prophetavit præcedens Propheta, qui temporis titulum præfert, excepto fortasse Joele, qui non sub Ozia, Joatham, Achaz et Ezechia, uti Osee, qui Joelem præcedit, sed sub Manasse ab Hebræis prophetasse perhibetur: et Habacuc, qui pariter sub Manasse prophetavit, non sub Joa-

tham, Achaz et Ezechia, uti Michæas et Nahum, qui Habacuc immediate præcedunt. Id patebit ex chronotaxi, quam mox subjiciam.

Dico secundo, probabile est hosce Prophetas pene omnes in Bibliis ordine temporis quo prophetarunt, esse collocatos. Hunc enim ordinem dedit eis tam Synagoga in Bibliis Hebraicis, quàm Ecclesia in Bibliis Latinis. Negat id S. Hier. hic in prologo; sed locum ejus vitiatum esse, liquet ex proœmio ejusdem in Joelem: quare pro *apud Hebræos*, legendum est *apud Græcos*. Græci enim in ordine Prophetarum à Latinis dissentiunt, sed Hebræi consentiunt. Quocirca ultimi fuerunt Zacharias et Malachias: hos enim fuisse ultimos patet ex lib. 1. Esdræ 5. 1. et ex eorum titulo, in quo asserunt se prophetasse sub Dario Hystaspis, qui post Cyrum quartus fuit Persarum rex. Primus ergo, qui ante omnes, etiam ante Isaiam, prophetavit, fuit Osee. Ipse enim ita orditur: *Principium loquendi Domino in Osee,* c. 1. 2. ita Euseb. in Chron. S. Hieron. et alii in Osee 1. 2. Negant hoc nonnulli, ut Christoph. à Castro, censentque primum fuisse Abdiam; putant enim eum prophetasse tempore Josaphat et Achab. Hi enim exciderunt Idumæos, uti prædicit Abdias, ut patet 4. Reg. 3. 4. et 1. Paral. 20. 1. Secundum esse Jonam, qui prophetavit excidium Ninives, quod factum est sub Sardanapalo, anno 8. Azariæ vel Oziæ regis Juda. Tertium esse Osee. Verum hunc ordinem minus verum videri, ostendam in Abdia et Jona. Certe in omnibus Bibliis Hebræis, Græcis et Latinis Osee primus ponitur, quin et ante Isaiam collocatur à Septuag. qui tamen in aliis nonnullis ordinem invertunt. Nam in Bibliis Septuag. duodecim Prophetæ hoc ordine collocantur: Primo, Osee; secundo, Amos; tertio, Michæas; quarto, Joel; quinto, Abdias; sexto, Jonas; septimo, Nahum; octavo, Habacuc; nono, Sophonias; decimo, Aggæus; undecimo, Zacharias; duodecimo, Malachias. Deinde subnectuntur Prophetæ majores, Isaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel: idque vel quia Osee tempore fuit primus; Osee autem in eodem libro annectuntur cæteri minores: vel quia minores majoribus oraculorum et sententiarum pondere non cedunt, eosque numero superant, sunt enim duodecim, cum illi sint quatuor. Dixi *pene omnes*: quia si initium cujusque Prophetæ spectes, puta annum quo quisque cœpit prophetare, præponendi sunt nonnullis Jonas et Nahum, et postponendus Joel. Hoc enim ordine cœperunt prophetare: Primus omnium fuit Osee; secundus, Jonas; tertius, Amos; quartus, Abdias; quintus, Michæas; sextus, Nahum; septimus, Joel; octavus, Habacuc; nonus, Sophonias; decimus, Aggæus; undecimus; Zacharias; duodecimus, Malachias. Id ita esse patebit ex harmonia, sive chronotaxi, quam mox subjungam. Unde S. Chrysost. præfat. in epist. ad Rom. probat in epistolis S. Pauli non servari ordinem temporis quo sunt scriptæ: Quia, inquit, is ordo non servatur in Prophetis. Jam vero voluit Deus prophetare per duodecim Prophetas, ut nemo de eorum veritate dubitare posset, utpote cum videt oraculum unius cæterorum omnium oraculis confirmari, totque habere testes, quot sunt Prophetæ. Blasphema enim et mendacissima apud Eusebium lib. 5. Histor. cap. 13. est Apellis vox: *Prophetias se ipsas redarguere; esse enim eas à se invicem discordes, mendaces, et sibi ipsis contrarias;* ac proinde à contrario spiritu et sibi repugnante editas.

Porro scripserunt in minores Prophetas sancti. Hieronymus, Cyrillus, Theodor. Theoph. Ruffinus, non ille Aquilejensis antagonista S. Hieronym. nam stylus dissentit, et Gennadius, qui studiose opera Ruffini Aquilejensis collegit, hujus commentarii non meminit; alius ergo fuit hic Ruffinus ab illo. Scripsit et in omnes, uno Osee excepto, Remigius Altisiodorensis, qui vixit annum Domini 880, sub Carolo Calvo imp. Exstat in Biblioth. SS. Patrum. Item Rabanus, Rupertus, Lyranus, Hugo, Dionysius. Et novissime ac exactissime Christoph. à Castro, Gaspar Sanchez, et Franc. Ribera, qui passim post litteralem, minutim singulorum moralem sensum persequitur. Brevissime scripserunt Emmanuel Sa et Joannes Mariana, qui punctim multa tangunt. Hos omnes magno laboris et temporis impendio à capite ad calcem perlegi, discussi, et in compendium redegi: ac pene decreveram post eos non scribere, juxta illud: *In sylvam ne ligna feras; ne sidera cœlo, lucem soli, noctuas Athenis Addas; ut videare Sapientum octavus, tertius Cato, quintus Evangelista.* Verum multa alia ut hæc ederem impulerunt, nimirum, ut æquabili tenore commentarium in totam Sanctam Scripturam pertexerem; sua enim cuique dicendi scribendique est methodus, ab aliis omnibus diversa et dispar. Rursum ut multa propria adderem. S. Scriptura enim est abyssus, quæ nullis scriptis, vel commentationibus exhauriri, imo nec penetrari potest. Insuper, quia multa docet, novaque affert ætas et tempus. Proficit enim Ecclesia sapientia, ac velut aurora crescit sensim ad claram usque meridiem. Alioqui de me sentio et dico quod de se S. Bernard. epist. 87. ad Ogerum, postulantem à se institutionem recte vivendi: *Itane lanam quærit ovis à capra, molendinum aquam à furno, sapiens verbum à stulto?* Exstant hic Romæ in Bibliotheca Vaticana et Medicea, versiones vetustæ Bibliorum duæ, Syriaca et Arabica; eaque duplex, Antiochena et Alexandrina, quas uti subinde citavi in prophetis majoribus, ita et hic citabo. Utraque in Latinum idioma transtulit Illust. et Reverendiss. Dom. Sergius Risius Maronita, Archiepiscop. Damascenus, cui Arabica lingua materna est, Syriaca familiaris; ea enim utuntur Damasceni et Maronitæ in sacris. Citabo utramque in locis difficilioribus et illustrioribus ad Prophetas hosce vel illustrandos, vel locupletandos. Varietas enim hæc versionum antiquarum servit ad S. Scripturæ tum claritatem, tum copiam, quam ambiunt concionatores; quorum rogatu et commodo ad publicum bonum (cui omnes ad Dei gloriam consulere satagimus) hæc mihi edenda communicavit Illustriss. Dom. Risius, cui proinde ea accepta referat lector. Nota est versio Pagnini, item Tigurina, quam Leo Hebræus, et Theodorus Bibliander, aliique eorum Symmistæ Zuinglii asseclæ Tiguri in Helvetia concinnarunt, eamque commentariis brevibus illustravit Franciscus Vatablus, regius Hebrææ linguæ Parisiis Professor; quæ quia ab hæreticis edita est, multaque novat, et à Vulgata studio dissidet, ut eam tacite carpat et subruat, hinc sæpe lima et censura indiget.

Denique exstat Targum, id est, Chaldaica paraphrasis in Prophetas (æque ac in cæteros

veteris Testamenti libros) cujus auctor est R. Jonathan filius Uzielis; sicut Targum Pentateuchi auctor fertur R. Aquila, qui chaldaice Onkelus dicitur; cæterorum vero R. Joseph cæcus. Verum hæc paraphrasis in cæteris libris præterquam in Pentateucho (ubi tamen aliquos quoque nævos habet, ut recte ostendit Bellarm. l. 2. de Verbo Dei cap. 3.) corrupta est aliquibus in locis et fabulis merisque Thalmudistarum nugis de duobus Messiis, de tertio templo ædificando Judæis, de liberatione à captivitate Titi et Vespasiani, de lamentatione Dei, de ascensione Mosis in cœlum, de tabulis legis ex sapphiro throni divini excisis, etc. conspersa. Quocirca Franciscus Ximenius Cardinalis et Archiepisc. Toletanus, in editione Bibliorum Complut. profitetur in Proœmio se solum Targum edere in Pentateucho. Verum quia in cæteris libris nonnulla habet quæ valde favent Christianæ religioni, hinc illud ibidem quoque edidit Arias Montanus in editione Bibliorum Regiorum: ubi et Apologiam ejusdem scripsit Franciscus Lucas. Citabo illud frequenter ad versionis vel illustrationem, vel copiam, explosis fabulis Judaicis.

Quæritur tertio, de phrasi et objecto Prophetarum, nimirum quo stylo utantur, et quod objectum spectent, quidque ad litteram significent?

Dico primo: Omnes quidem Prophetas, sed præcipue hosce duodecim minores, abundare parabolis, symbolis, ænigmatibus; idque tum quia Prophetæ sunt, ideoque prophetice, id est obscure et ænigmatice, loquuntur; tum quia breves sunt et concisi: tum quia hoc poscit majestas Spiritus Sancti, ne hæc ejus oracula, quasi patula et omnibus perspicua, vilescant, sed velut arcana sapientia plena, cunctis suî venerationem, æque ac studium excitent: qua de causa Pythagoras, Heraclitus, Pherecydes, Plato et Ægyptii sua dogmata per symbola et ænigmata tradiderunt. Quocirca Origen. hom. 7. in Exodum, cœlestia eloquia comparat cum manna, quod cum esset minutum et rotundum, plenum tamen erat interna suavitate, et vigore admirabili. Et R. Moses apud Galatin. l. 5. c. 6: *Scito*, ait, *quod clavis intelligentiæ universorum, quæ Prophetæ dixerunt, est intelligere parabolicas et metaphoricas similitudines, ac ænigmata. Scis enim apud Oseam, cap. 12. dictum esse: In manu prophetarum assimilabo. Et apud Ezech. cap. 17. Fili hominis ænigmatiza ænigma, et paraboliza parabolam ad domum Israel. Scis rursus quod dicit Sapiens Prov. 25. Poma aurea in cancellaturis argenteis, verbum dictum secundùm ambas facies suas. Cancellaturæ argenteæ sunt retiacula argentea, in quibus oculi sunt minutissimi, penetrabiles tamen visu. Est ergo sensus, quod verbum dictum secundùm ambas facies suas, id est, secundum interiorem et exteriorem (puta mysticum et litteralem sensum) est sicut pomum aureum in retiaculo argenteo: ac si dicat, necessarium esse, ut sit sensus exterior pretiosus et bonus velut argentum, interior vero multo melior sicut aurum, necesse quoque est, ut sit aliquid in exteriori sensu quod ducat considerationem ad interiorem; quemadmodum pomum aureum vestitum retiaculo argenteo, cum procul respicitur, vel absque multo intuitu, totum videtur argenteum; cum habens visum accesserit provocatus argenti decore, videbit profecto aureum pomum intus latere. Sic sunt verba Prophetarum.* Hucusque R. Moses. Exstat hîc Romæ in picturis perelegantibus Bibliothecæ Vaticanæ hieroglyphicum prophetiæ. Pingitur enim ipsa quasi matrona velatis oculis; dextra tenet gladium evaginatum et tubam; sinistra catenam, quæ è sole supereminente descendit, capiti imminet columba. Velati oculi significant prophetiæ obscuritatem: tuba clangorem prædicationis; gladius minas necis; catena seriem providentiæ omnes res et eventus inter se apte connectentis, quæ à sole, id est à Deo, derivatur: columba index est Spiritus Sancti qui locutus est per Prophetas. Vere ergo dixit S. Chrysost. hom. 23, in Acta: *Abyssus quæstionum S. Scriptura est.* Et S. Aug. serm. 11. de verb. Domin. sec. Matth. *Scriptura ubi aperta est, famem pascit, ubi obscura fastidium levat.* Rursum: *Scriptura ubi dilucescit, ibi dulcescit.* Vide Clementem Alex. lib. 5. Stromat. Ubi inter cætera docet, non tantum Græcos et Ægyptios, sed et barbaros hisce symbolis usos. *Aiunt*, inquit, *Idanthuram, Scytharum regem (ut refert Pherecides Syrus) Dario qui Istrum trajecerat, bellum minitantem symbolum misisse pro litteris, Murem, Ranam, Avem, Jaculum et Aratrum. Cum autem de iis exorta esset dubitatio, Orontopagas tribunus militum dicebat eos tradituros imperium, conjectans ex Mure quidem domos, ex Rana aquas, ex Ave aerem, ex Jaculo arma, ex Aratro regionem. Xiphodres autem contra est interpretatus. Dicebat enim: Nisi tanquam aves evolaverimus, aut tanquam mures terram, vel tanquam ranæ aquam subierimus, illorum tela non effugiemus: non enim sumus domini regionis.*

Hinc liquet, quàm profundum, sententiosum et elaboratum sit hoc exiguum Prophetarum opus, utpote in quo per symbola conscribendo et concinnando, duodecim Prophetæ tanto tempore desudarint: per omnem enim vitam non scripserunt aliud. Fertur Virgilius vix quindenos versus per dies singulos composuisse, ut eos toto die lamberet, relamberet, limaret et expoliret, ideoque quælibet ejus verba plena sunt elegantiæ et doctrinæ. Quocirca parvo hoc suo poemate inter Poetas primas tulit, jureque habetur Poetarum princeps. Verum est illud Apuleii in Floridis: *Nulla res potest esse eadem festinata, simul et examinata; nec esse quidquam omnium, quod habeat et laudem diligentiæ, simul et gratiam celeritatis.* idem ego in hisce meis commentariis solitaque brevitate consector, ut pauca scribam: sed succulenta, ac diu sæpiusque per annos viginti quinque, quibus tertio hosce Prophetas in scholis pertractavi, librata, discussa et expensa.

Dico secundo: Prophetas aliquando ad litteram loqui de Cyro, Nehemia, Zorobabele, etc. qui Judæos è captivitate Babylonica reduxerunt in patriam: aut de Davide, Salomone, Ezechia, qui regnum Israelis evexerunt tam opibus et gloria, quàm pietate et Dei cultu, allegorice vero de Christo: aliquando tamen ad litteram loqui de Christo, etsi cum allusione aliqua ad Ezechiam, Davidem, Zorobabelem, etc. Negabat id Theodorus Mopsuestenus judaizans et ebionizans (contendebat Christum non esse Deum, sed purum hominem) qui omnia augusta de Christo oracula, ad litteram referenda esse censebat ad Aaronem, Zorobabelem, Davidem et Judæos, ab Apostolis vero et Evangelistis ea

accommodari Christo sensu tantum allegorico, vel accommodatitio. Quod ejus dogma generatim recenseatur et damnatur in Conc. Œcumen. V. quod fuit Constantinopol. II. act. 5. ac particulatim in Concilio Romano sub Vigilio Papa, quod exstat in Bibliotheca Vaticana, indeque illud transcripsit Antonius Augustinus, et noster Prado procemio in Ezech. sect. 3. ac Turrianus, ut ipse refert commentans in libr. 2. Constit. Apol. cap. 5. Porro Concilium Romanum hæc affert exempla. Primum Joel. 2. 28 : *Effundam de spiritu meo super omnem carnem;* Mopsuestenus hoc interpretabatur de favore quo prosecutus est Dominus exercitum Zorobabelis, pugnantem contra Scythas. Secundum, Michææ 5. 2: *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda : ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel.* Mopsuestenus per dominatorem hunc accipiebat Zorobabelem. Tertium, Malach. 3. 1 : *Ecce ego mitto angelum meum ; et statim veniet ad templum suum dominator.* Mopsuestenus per dominatorem accipiebat Esdram, vel quem similem, qui olim cultum Dei in templo Judaico restituit. Quartum, Amos 9. 11 : *In die illa suscitabo tabernaculum David quod cecidit, et reædificabo aperturas murorum ejus,* etc. Mopsuestenus : *Hoc loco*, inquit, *Amos reditum è Babylone prædicit, quando Zorobabel ex stirpe David regem habuerunt; Jacobus vero Actor.* 15. 16. *hunc locum ad Christum transtulit, in quo res est ad exitum verum perducta.* Quintum, Zachar. 9. 9: *Ecce rex tuus veniet tibi;* Mopsuestenus hunc regem aiebat esse Zorobabel redeuntem cum suis è Babylone. Ita et alii nonnulli, quorum ratio erat : Quia, inquiebant, gloriosius est Christo et Ecclesiæ præsignari personis et rebus, quàm verbis. Sextum, ps. 15. 10 : *Non derelinques animam meam in inferno.* Mopsuestenus id ad litteram non de Christo; sed de populo Israel erepto ex periculis prædictum esse censebat. Rursum illa psal. 21. 18 : *Foderunt manus meas et pedes meos. Dederunt in escam meam fel. Diviserunt sibi vestimenta mea.* Mopsuestenus aiebat hæc ad litteram non de Christo, sed de Davide esse prædicta propter tyrannidem Absalonis, qui regiam urbem substantiamque pervaserat, et in terra omnia patris sui dinumeraverat; sed Evangelistam hæc ex eventu ad Christi traxisse personam. Quibus omnibus recitatis Vigilius Papa subjungit : *Qui hæc ita sapit docet, credit aut prædicat, anathema sit.* De fide ergo est hæc loca ad litteram non de Davide, aut Judæo aliquo, sed de Christo esse intelligenda. Similiter in Synodo V. generali act. 5. ubi damnatur Mopsuestenus, de eo ejusque erroribus ex Ecclesiastica historia Hesychii sic dicitur : *Prima elementa doctrinæ suæ ex Judaico vaniloquio incipiens, codicem in prophetiam Psalmorum conscripsit, omnes de Domino* (Christo) *prædictiones abnegantem.* Quocirca D. Thomas præfatione in psalmos, ait damnatum in V. Synodo Theodorum Mopsuestenum, eo quod doceret in veteri Scriptura et Prophetis nihil expresse haberi de Christo, sed ex sola quadam accommodatione.

Porro cavendi hic moderni nonnulli, præsertim Concionatores, qui à Prophetis et Patribus degeneres, novum concionandi, novum Prophetas explicandi et pertractandi modum commenti sunt. Ut enim apud populum plausum inveniant, verba S. Scripturæ ad miros suos conceptus, sibi, ut videtur, ingeniosos et elegantes, violenter inflectunt et trahunt. Quapropter nec sensum litteralem S. Scripturæ et Prophetarum, nec mysticum, qui litterali quasi basi et fundamento insistere, ipsique apposite ex æquo respondere debet, sed ingenii sui speculationes parergas pro verbo Dei populo proponunt, imo supponunt. Hi enim non Dei, sed sua sensa populo pro divinis venditant, ipsamque S. Scripturam in alienas, imo in ipsi contrarias subinde expositiones detorquent, ac proinde eam temerant, illique violentas manus inferunt, quæ sane audax et gravis in Deum, ejusque sacras Litteras est irreverentia et injuria, grave probrum, et pene sacrilegium : est enim ingens sacrarum Litterarum abusus et profanatio.

Vis exempla ? accipe. Exstat liber concionum, qui asserit Davidem uxoria difficultate, utpote re in hac vita molestissima, afflictum, quotidie pro ea, proque uxore orasse. Probat id ex verbis psal. 37. 69 : *Deus in adjutorium meum intende,* id est, inquit, Deus in uxorem meam intende, fac eam facilem et morigeram : uxor enim vocatur *adjutorium viri,* ut patet Genes. 2. 18 : *Faciamus ei* (Adæ) *adjutorium* (puta Evam) *simile sibi.* Spectatum admissi risum teneatis amici. Alterum audivi qui docebat, S. Scripturam asserere Mosen mortuum esse in osculo Domini; quia nimirum Deuter. 34. 5. in Hebræo dicitur : *Moses mortuus super os Domini* : Ergo, inquit, in osculo Domini. At quis nescit *os Domini* in Scriptura significare dictum, jussum, præceptum Domini? Quocirca Noster, Chald. Septuag. et alii passim vertunt : *jubente Domino.* Tertius ex illo Thren. 1. 15 : *Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Juda : idcirco ego plorans,* probabat B. Virginem conceptam esse sine peccato originali. Hunc enim loci sensum dabat : Christus torcular passionis præcipue subiit pro B. Virgine, eique illius merita singulariter applicavit, curando ut præservaretur à peccato originali : idcirco ego Jeremias ploro, quod conceptus sim in peccato originali, licet in utero ab eo fuerim expiatus, esto enim hac re sim superior cæteris hominibus, qui in hoc peccato nascuntur, inferior tamen sum B. Virgine, quæ in eo nec nata, nec concepta est. Hæc erat ipsi demonstratio : quasi vero hic de B. Virgine agatur, et non potius de impia Jerusalem, quæ à peccatis non fuit expiata, sed ob ea oppressa et excisa. Torcular enim hoc fuit excidii Jerusalem, non passionis Christi. At, inquies, conceptus hi lepidi populo placent, videnturque appositi et elegantes. Non audiat lepores hos Satyricus, ne subsannans exclamet : O lepidum, sed leporinum caput, quod ut plebis rudis et indoctæ aures mulceat, et se, et S. Scripturam facit fabulam, quod :

> Humano capiti cervicem jungit equinam,

Et alter :

> Id sibi negotii credidit solùm dari,
> Populo ut placerent quas fecisset fabulas.

Lepores hi illepidi sunt, elegantiæ inelegantes, facetiæ infacetæ, sales insulsi, fabulæ ineffabiles, imo infandæ. Quis Philosophorum ferret, Aristotelem : quis Oratorum, Ciceronem ; quis Theologorum, S. Thomam subtilibus explicationibus et commentis, in alios, et ab ejus mente alienos sensus torqueri? Qui hoc auderet, fal-

sarius apud omnes audiret. Quis ergo ferat S. Scripturam, quæ ipsius Dei ad homines est epistola, uti ex S. August. ait S. Gregor. lib. 4. epist. 84. ad Theodorum, in proprios conceptus, qui à mente Dei alieni sunt, rapi et distorqueri? Quis rex sustineret præconem suas litteras, sua edicta, aliena à sua mente explicatione interpretantem? sane in eum ut læsæ majestatis reum animadverteret. Et Deus sustinebit verbi sui præcones illud aliena, imo sibi adversa, interpretatione pervertere et adulterare?

Damnavit Ecclesia Origenem, quod sui cerebri commenta fecerit S. Litterarum sacramenta, dum Evæ ex Adami costa formationem spiritaliter, arbores paradisi angelicam fortitudinem, tunicas pelliceas humana corpora; et plura similia mystice interpretatus est, ac litteræ veritatem fugiens ad mysticos sensus confugit, symbolicus semper Interpres, ait S. Hier. Atque hæc una lapsus ejus fuit occasio. Præclare Cassiodorus de Instit. divin. lect. *Origenes*, inquit, *ubi bene, nemo melius, ubi male, nemo pejus.* Quare sic legendus est, sicut Virgilius dum Ennium legeret, à quodam quid faceret interrogatus, respondit: *Aurum ex stercore quæro.*

Eadem damna Hæreticos, qui S. Scripturæ cereum nasum assuunt, eamque in sua sensa volentem nolentem flectere et trahere conantur. Quis pariter non damnet Orthodoxos, qui eidem Scripturæ sensum attexunt quem ipsa non habet, imo non patitur? Hæresis est aliquid sacræ Scripturæ contrarium asserere: hæresis ergo est S. Scripturæ alienos ab ejus mente, et contrarios sensus affingere. Hoc enim est reipsa diserte contrarium dicere ejus, quod dicit et significare intendit sancta Scriptura. Non enim S. Scriptura in syllabis et verbis, sed in sensu et sententia consistit. Quod enim est gladius ad vaginam, granum ad aristam, anima ad corpus, hoc est sensus genuinus ad ipsa verba S. Scripturæ. Si hunc sensum tollis, et alienum substituis, ipsam Scripturam exanimas, imo pro anima propria quam ei avellis, spuriam ipsi substituis. Hac de causa idipsum ne fieret, gravi sanctione vetuit S. Tridentina Synodus, cujus verba mox recitabo, omnesque Patres. Unus omnium instar sit S. Hieron. qui scribens in c. 13. Isaiæ, ubi ad litteram agitur de Babylonis excidio, taxat eos qui, posthabito litterali sensu, ad allegoricos et mysticos confugiunt, qui cum litterali non cohærent, nec ei superstruuntur. *Audivimus*, inquit, *Medos, audivimus Babylonem inclytam in superbia Chaldæorum. Volumus intelligere quod fuit, et quærimus audire quod non fuit. Et hoc dicimus, non quod tropologicam intelligentiam condemnemus, sed quia spiritalis interpretatio sequi debeat ordinem historiæ, quod plerique ignorantes lymphatico in Scriptura vagantur errore.* Audiant hoc conceptuum aereorum architecti: sciant se nodum in scripto quærere, se mente concipere quod non est in rerum natura, se fabricare chimæram: quærunt enim sensum in Scriptura quem ipsa non habet, ac proinde in ea lymphatico vagantur errore. Hic ergo eorum conceptus non est veritas, sed error fanaticorum, ideoque furor, si credimus S. Hieron. Monet S. Paulus Timotheum epist. 2. c. 4: *Prædica verbum, argue, obsecra, increpa. Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus.* Pariter hi sanam doctrinam, puta sensum genuinum, non sustinent, sed eum quasi vulgarem fastidiunt, ac ut auditoribus, qui prurientes habent aures, se accommodent, pruriunt mente pariter et lingua. Pruritus hic arguit judicium minus solidum, mentem levem, puerilem et curiosam, quæ talibus commentis et figmentis pascitur; cum solidum in S. Scripturæ germano sensu pabulum habeat, illudque nauseans rejiciat: perinde ut stomachi male sani, vento turgidi et cacochymici, solidum utilemque cibum fastidiunt, appetuntque cibos leves, fungosos, pravos et noxios. De Chrysippo argutiarum opifice vere dixit Cicero: *Chrysippi acumen in seipso frangitur et evanescit.* Ita acumina hæc aures plebis prurientes titillant, sed si discutiantur, minus vera, minus germana invenientur, et quasi fumi tenues vanescent in auras. Ubique enim verum est illud. Quæ nimis acuta et arguta, ea minus sunt solida, et non raro stolida. S. Scriptura pulcherrimas, æque ac acutissimas, difficillimas et obscurissimas habet sententias et sensus de qualibet virtute et vitio; adeoque sensus ejus sunt conceptus ipsius Spiritus S. ut quid ergo exiles homuncionum imaginationes, futiles sæpe et nugaces consectamur? Deus per Jeremiam c. 23. acriter increpat pseudo-prophetas, qui suis somniis prætendebant visiones et verba Dei: *Audivi*, inquit, *quæ dixerunt Prophetæ prophetantes in nomine meo mendacium, atque dicentes: Somniavi, somniavi. Usquequo istud est in corde Prophetarum vaticinantium mendacium, et prophetantium seductiones cordis sui? Propheta qui habet somnium, narret somnium, et qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum vere. Quid paleis ad triticum? dicit Dominus. Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petras?* Arguit Deus Prophetas, qui cum sui cerebri commenta populo venditarent, dicebant. Hæc dicit Dominus: jubetque ut eo, utpote falso, omisso, dicant: Hæc ego commentus sum, hæc ego somniavi, hæ sunt paleæ meæ; Dei vero verbum est ignis, et malleus conterens petras. Itidem dicant et hi. Hic est conceptus meus, hoc commentum meum, non Dei, non S. Litterarum. Apostolus jubet Timotheo pastori et prædicatori epist. 2. c. 2: *Sollicite*, inquit, *cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis: recte*, inquit, non prave, non contorte, non ficte; nimirum ut primo sensum litteralem sanctæ Scripturæ genuinum tradas, deinde mysticum et moralem apposite illi inhærentem superstruas et quasi inædifices. Unusquisque, ait idem Paulus 1. Corinth. 3. videat quomodo superædificet; alii enim aurum, argentum, lapides pretiosos superædificant; alii lignum, fœnum, stipulam. Sed hæc ignis in die Domini comburet: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Quocirca S. Hier. in c. 40. Ezech. *Eisdem*, ait, *lineis, et historia currit et tropologia; sed illa humilior est, ista sublimior.* Idem, vel quisquis est auctor. in c. 3. epist. 2. ad Corinth. *Ille*, ait, *vere spiritualis intellectus est, qui non verisimilibus coloribus pulchrum mendacium pingit, sed virtute rerum ipsam rem exprimit veritatis.* Et S. Gregor. hom. 4. in Evang. *Tunc allegoriæ fructus suaviter carpitur, cum prius*

post historiam in veritatis radice solidatur. Denique exstat hac de re grave justumque decretum sacrosancti Œcumenici Concilii Tridentini sess. 4. quod sic habet : *Præterea ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei et morum ad ædificationem doctrinæ pertinentium, S. Scripturam ad suos sensus torquens, contra eum sensum quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ sint. Qui contravenerint per Ordinarios declarentur, et pœnis à jure statutis puniantur.* Et inferius, agens contra eos qui sententias S. Scripturæ ad fabulosa, vana, adulationes, etc. detorquent, jubet *ut omnes hujus generis homines, temeratores, et violatores verbi Dei, juris et arbitrii pœnis per Episcopos coerceantur.* Advigilent ergo Episcopi, eorumque vicarii, et idipsum strenue exsequantur, atque effrenem hanc novos S. Scripturæ sensus effingendi, imo in ecclesiis deprædicandi licentiam, coerceant, ideoque theatrales hosce mimos, comœdos, fabulones è sacris pulpitis deturbent, vel emendent, ut auctoritatis S. Scripturæ, quæ liber est ipsiusmet Dei, sint tutores et vindices, utque ab Ecclesia scandalum hoc et monstrum adeo fœdum et infame exterminent; meminerint hujusce rei se Deo reddituros rationem, quam exactam ab eis in hora mortis ipse judex, utpote S. Scripturæ auctor et dictator, exposcet.

Quæritur quarto :] Quis fuit habitus, quæ dispositio interna Prophetarum ? Respond. Prima dispositio animæ fuit quies, tranquillitas et serenitas ; per hanc enim anima liberatur ab omni turbatione et tumultu passionum et cogitationum distrahentium in diversa, ac colligitur in seipsam, ut plane pleneque possit intendere revelationi divinæ, quæ est causa prophetiæ. Ita S. Basil. Proœmio in Isaiam : *Prophetarunt*, inquit, *puræ ac pellucidæ animæ, veluti specula facta divinæ operationis, quæ imaginem integram et inconfusam, nullaque ex parte turbatam carnis affectibus, repræsentabant. Nam omnibus quidem adest Spiritus Sanctus, verum in his qui puri sunt affectibus, peculiarem vim ostendit.* Quocirca S. Hier. in c. 28. Matthæi : *In veteri*, ait, *et novo Testamento hoc semper observandum est, quod, quando augustior aliqua apparuit visio, primum timor pellitur, ut sic mente pacata possint quæ dicuntur audiri.* Ita Christus, se post resurrectionem revelans mulieribus, viam præmunit dicens : *Nolite timere*, Matth. 28. Et Gabriel oraculum de Joanne Baptista nascituro daturus Zachariæ, Luc. 1. 13, animum ejus præparat abstergendo timorem, dicens : *Ne timeas, Zacharia.* Ubi Theophyl. auream dat regulam, et quasi indicem boni malive spiritus : *Si mens*, inquit, *primum turbatur, et statim timor solvitur et iterum quiescit, revera divina visio est ; si autem timor ac turbatio magis ac magis crescat, dæmoniaca visio est.* Hinc Cassianus et alii rerum spiritualium magistri docent hoc indicio consolationem Angelicam ab illusione diabolica secerni et dignosci, quod Angeli primo aspectu terreant, mox terrore absterso animam sedent et consolentur ; ex adverso diabolus primo animam falsa consolatione mulceat, mox eamdem multis pavoribus et angoribus implicet.

Secunda dispositio fuit animæ à sensibus et sensibilibus abstractio, per crebram et assiduam orationem et meditationem. Hæc enim animam à rebus terrenis avellunt, et in Deum elevant, ut ejus inspirationi excipiendæ tota vacet et attendat. Rationem dat S. August. lib. 10. de Trinit. cap. 4. nimirum, quod anima, cum sit limitatæ virtutis, non possit simul attendere rebus sensibilibus et divinis, præsertim cum hæ ab illis multum diversæ, et quasi contrariæ sint ; quocirca cum attendit sensibilibus, parum ei restat virium, parumque attentionis quod impendat divinis ; quo ergo minus attendit terrenis et corporalibus, eo magis potest attendere spiritualibus et cœlestibus. Quocirca Patriarchæ maxime prophetarunt, cum morti essent vicini, utpote quasi jam separati à curis, cogitationibus et affectibus hujus vitæ ; uti prophetavit moriturus Jacob Genes. 49. et Moses Deuter. 33. Vide de hac re S. Gregor. 4. Dial. 26. Ad hoc quoque juvat psalmodia ; hæc enim mentem excitat, elevatque ad sublimia. Unde Elisæus 4. Reg. 3. 15, postulaturus Dei oraculum, vocavit psaltem : *Cumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini, et ait : Hæc dicit Dominus, etc.* Huc quoque facit fuga voluptatum carnis et sensuum ; hæc enim mentem valde deprimit, incrassat et inquinat, ut cœlestes illuminationes et influxus cernere, excipere, haurire et gustare nequeat. Quocirca Moses jejunio 40 dierum purgavit corpus et mentem, ad excipienda Dei oracula et præcepta in Sina, Exodi 34. 28. Huc quoque confert solitudo. Quocirca Orpheus et Zoroastres multis annis vixerunt in solitudine, ut supernis intenderent. Talibus competit illud quod de Tiresia canit Homerus, et ex eo Plato in Menone :

Hic solus sapit, ast illi volitant velut umbræ.

Tertia est sanctitas vitæ : licet enim Deus subinde impiis det donum prophetiæ quasi obiter et per transennam ; nam in die judicii, uti docet Christus Matth. 7. 22, improbi nonnulli dicent : *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus ?* atque talis fuit Caiphas Joan. 11. 51. et Balaam Num. 22. 32. et Saul 1. Reg. 19. 24. qui, cum essent impii, prophetarunt ; tamen donum prophetiæ continuum, et quasi habituale non solet dare nisi Sanctis, uti videre est in hisce duodecim, qui omnes catalogo Sanctorum in Martyrologio adscripti sunt. Ratio est : prima, quod deceat tantum donum (Prophetæ enim sunt quasi os Dei) non dari nisi sanctis : impii enim eo non tantum indigni, sed et ad id inepti sunt ; secunda, quod sanctitas mentem elevet, disponatque ad Dei illustrationes hauriendas; tertia, quod Prophetæ mittantur à Deo ut sint concionatores, qui quasi mallei contundant saxea hominum corda. Ad hoc autem sanctitas non vulgaris, sed eximia requiritur, puta ingens zelus, tum gloriæ divinæ, tum salutis animarum promovendæ. Nam qua ratione peccator convertat peccatorem ad vitam puram et sanctam ? quomodo frigidus accendat frigidum ? Calore et amore opus est, eoque ingenti, ut quis alium Dei amore inflammet ; non aqua, sed ignis major minorem accendit. Præclare sanctus Chrysost. hom. in titulum psalm. 50 : *Prophetæ*, inquit, *velut quidam pictores sunt virtutis ;* virtus

autem melius pingitur vita quàm voce. Vivacior enim est imago morum, quàm verborum. Quocirca Philo, lib. *Quis rerum divinarum hæres : Malum*, ait, *virum non est fas interpretem esse numinis, sed in solum sapientem hoc competit; quia is solus est instrumentum Dei, resonans ab eo contactum et pulsatum invisibiliter.* Et Origen. lib. 3. Periarch. cap. 3 : *Sanæ*, inquit, *et immaculatæ animæ, si cum omnia affectu omnique puritate se voverint Deo, et alienas se ab omni dæmonum contagione servaverint et per multam abstinentiam purificaverint, et piis sacræ religionis imbutæ fuerint disciplinis; participium per hoc divinitatis assumunt, et prophetiæ, ac cæterorum divinorum donorum gratiam merentur.* Præclarius S. Basil. procemio in Isaiam : *Cum anima*, inquit, *omni virtutis studio dedita, vehementi in Deum amore perpetuam Dei memoriam sibi impressam servat, atque hac re primum apparat sese, ut Deum habeat velut inhabitantem, ex vehementissima in Deum intentione, et arcano amore numine afflata, digna prophetiæ dono redditur, Deo divinam virtutem impertiente, animique oculos aperiente ad intelligendas quas velit speculationes.* S. Maximus, centuria 1. de Charitate, cap. 95 : *Quemadmodum*, inquit, *sol exoriens et mundum illuminans, cum seipsum, tum res à se illuminatas demonstrat; ita quoque sol justitiæ purgato animo exoriens, et seipsum videndum exhibet, et rerum quæ à se factæ sunt, et deinceps fient, rationes demonstrat.*

Quocirca S. Bernard. lib. de Interiori domo cap. 69. in fine : *Certum*, ait, *signum tibi sit, quæcumque es anima, quod dilectum tuum minus diligis, vel ab illo minus diligeris, si ad theoricos illos excessus nondum vocaris, vel vocantem sequi nondum merueris. Vis nosse quia sublimitas divinarum revelationum sit manifestum divinæ dilectionis indicium? jam non dicam, inquit, vos servos, sed amicos; quia omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis. Satage ergo Deum tuum intime et summe diligere, et omni hora in divinæ contemplationis gaudium summo cum desiderio anhelare. Collige teipsam ad temetipsam, et in solo divinitatis desiderio requiesce.* Prophetæ ergo Deo fuerunt familiarissimi, ejusque quasi secretarii, interpretes et præcones.

Porro inter cæteras virtutes, animam disponentes ad illustrationem et revelationem Dei, prima et maxime necessaria est humilitas. Nam, ut ait S. Laurent. Justinian. lib. de Connubio Verbi, sub finem : *Cum humilitatis virtus animam compleverit, defecerit, liquefecerit, tunc incipiet dilatari dilectione, irradiari veritate, repleri lumine, elevari spiritu. Hinc secretorum oritur revelatio, Scripturarum declaratio, futurorum cognitio, sensuum corporalium alienatio.* Humilitas enim subjicit et substernit mentem Deo, ut in eam illustrationes suas immittat. Unde S. Gregorius, lib. 1. Dialog. cap. 1 : *Mens*, ait, *quæ divino spiritu impletur, habet evidentissima signa sua, virtutes scilicet, et humilitatem, quæ si utraque perfecte in una mente conveniunt, liquet quod de præsentia Sancti Spiritus testimonium ferant.* Hoc est quod ait Sapiens cap. 7. 27 : *Sapientia Dei per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et Prophetas constituit.* Quinimo id per umbram vidit, Gentilis licet, Aristoteles lib. de Divinat. per somnium, cap. 1. dicens : *Si divinatio somniorum à Deo est, inconveniens est eam immittere quibuslibet, et non optimis viris.* Hac ratione posterioribus seculis multi Anachoretæ et Sancti spiritum propheticum adepti sunt. Audi Ruffinum oculatum testem, præfatione in Vitas Patrum, lib. 2 : *Vidimus*, ait, *apud cos multos Patres, cœlestem vitam in terra agentes, et novos quosdam Prophetas, tam virtutibus animi, quàm vaticinandi officio suscitatos, quibus ad testimonium meritorum, nec signorum quidem, ac prodigiorum deerat efficacia. Cur enim hi qui nihil terrenum, nihil carnale cupiunt, non accipiant cœlestium potestatem? Nonnullos namque eorum ita ab omni malitiæ cogitatione ac suspicione vidimus defæcatos, ut nec si aliquid mali adhuc gereretur in seculo, meminissent. Tanta in eis inerat tranquillitas animi, tantusque inoleverat eis bonitatis affectus, ut merito de eis dictum sit : Pax multa diligentibus nomen tuum, Domine*; et mox : *Tanta namque in eis fides est, quod etiam montibus ut transferantur valeat imperare, etc. Sunt ergo ornati moribus, quieti, lenes, tranquilli, et charitatis vinculo velut quadam germanitate constricti. Ad æmulationem vero virtutum certamen ingens exercent et agones; studet enim unusquisque clementior altero, benignior, humilior ac patientior inveniri; si quis autem sapientior cæteris fuerit, hic ita communis erga omnes et mediocris existit, ut secundùm mandatum Domini, omnium minimus et omnium servus esse videatur.* Ecce qua ratione, quibus virtutibus Sancti illi donum prophetiæ et miraculorum meruerunt et obtinuerunt; quin et hodie merentur et obtinent.

Denique quatuor sunt indicia, quibus verus Propheta et prophetia à pseudo-propheta falsisque oraculis secernitur et dignoscitur : primum est sanctitas; Prophetæ enim erant viri sancti; pseudo-prophetæ vero erant idololatræ, hæretici, impii, superbi, vani, luxuriosi, etc. uti etiamnum sunt; secundum est, quod vera prophetia conformis sit verbo Dei, fidei et doctrinæ Ecclesiæ, eique quasi judici se submittat; pseudo-prophetia vero utrique difformis est; quocirca nullius judicium aut censuram admittit; tertium est rei eventus; nam veræ prophetiæ reipsa eveniunt, falsæ neutiquam. Hoc signum dat Deus Deuter. 18. v. 22. Quartum vera prophetia utilis est ad ædificationem Ecclesiæ, prodestque pietati et moribus; pseudo-prophetia inutilis est, vana, curiosa, futilis, imo noxia et pestilens. Ita S. Chrysost. hom. 19. in Matth. et S. Petrus apud S. Clementem, lib. 3. Recognit. Accedunt non raro miracula, quæ vera et solida patrant Prophetæ, ficta vero et simulata pseudoprophetæ.

Quæritur quinto : Quisnam fuit habitus exterior Prophetarum? Respond. primo : Nonnulli censent eodem sacro unctionis oleo ex eodem cornu, quo ex præscripto legis inungebantur sacerdotes et reges, inunctos quoque fuisse Prophetas. Verum hoc de unico duntaxat Eliseo legimus, scilicet eum jussu Dei unctum ab Elia, itaque auctoratum et quasi consecratum Prophetam. Ita enim Eliæ jussit Deus 3. Reg. 19. 16 : de cæteris id non legimus; imo Isaias cap. 6. 7. ait se constitutum Prophetam tactu Seraphini carbone ignito labia sua tangentis et purgantis; Jeremias vero voce divina cap. 1. 4. Eadem cæteri constituti et auctorati sunt Prophetæ. Accedit quod aliqui remote à Jerusalem et templo, imo in Samaria et Bethel

apud idololatras prophetarint, ubi non erat oleum sacrum, quo ungi possent, nec idololatræ unctionem hanc permisissent. Quare non est verisimile omnes Prophetas oleo sacro unctos et consecratos fuisse. Ita à Castro lib. 4. Proleg. cap. 5; quin et S. Chrysost. hom. 1. in epistol. ad Rom. initio ad illa verba : *Servus Jesu Christi*, et S. August. lib. 1. Retract. cap. 26.

Secundo, vestis Prophetarum erat saccus, sive cilicium ex pilis hircorum, vel camelorum, vel equorum, etc., contextum. Patet id Isaiæ 20. 2 : *Solve*, inquit, *saccum de lumbis tuis, et calceamenta tua tolle de pedibus tuis.* Et Elias erat *vir pilosus, et zona pellicea accinctus*, 4. Reg. 18. Et Zacharias, cap. 13. 4, loquens de falsis Prophetis habitum verorum assumentibus : *Nec operientur*, inquit, *pallio saccino ;* Septuag. *Veste cilicina.* Ubi S. Hier. asserit Prophetas, cum prophetarent, induisse cilicium, ut populum incitarent ad pœnitentiam. Idem docet Clemens Alexandr. lib. 3. Strom. Ita S. Joannes Baptista, pœnitentiæ præco, vestitus erat cilicio è pilis camelorum, et zona pellicea, Matth. 3. 4. Porro sacco huic, sive tunicæ saccinæ vel cilicinæ injiciebant pallium, uti patet de Elia, qui pallium suum injiciens Elisæo, eum ad se sequendum et prophetandum vocavit, imo vi divina compulit, 3. Reg. 19. 17. Id ipsum tradit Orig. hom. 13. in Numer. Incedebant ergo Prophetæ tali, vel simili habitu, quali jam Patres Capuccini, quasi contemptores mundi, et prædicatores regni vitæque cœlestis. Sic qui olim à gentilismo ad Christianismum convertebantur, rejecta toga, pallium induebant, quasi modestiæ professores, et mundi contemptores, uti Tertull. se fecisse narrat et gloriatur lib. de Pallio. Subinde jussu Dei alia quoque oraculis suis conformia assumebant et induebant, uti Jeremias cap. 27. 2. jussu Dei induit catenas et vincula, ut repræsentaret instantem captivitatem, in qua vinciendi erant Judæi aliæque gentes à Chaldæis. Eadem de causa jussus est Ezechiel cap. 12. 3. assumere habitum transmigrantis, et incedere raso capite, cap. 5. 1.

Tertio, victus Prophetarum fuit sobrius, adeoque vilis et asper; vox gravis, oculi in cœlum suspicientes, imo suspensi, vita austera et insolita, incessus motusque omnis ad modestiam et pietatem compositus, factusque ad commovendos et compungendos duros Judæorum animos ; ita ut viderentur esse homines novi et alterius seculi, ac quasi Angeli è cœlo venientes, et legati à Deo missi ad homines convertendos. Hoc est quod ait Isaias, c. 8. 18 : *Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, et in portentum Israel.* Ita Amos cibus erant sycomori, id est, ficus fatuæ et insipidæ, ut patet cap. 7. 14; Ezechielis, cap. 4. 12, panis hordeaceus subcinericius et aqua ; Danielis, legumina : ea enim ipse refutatis cibis regiis poposcit, ideoque meruit donum prophetiæ, ut patet Daniel. 1. 17; Joannis Baptistæ locustæ et mel silvestre, Matt. 3. 4. Sic et filii Prophetarum victitabant oleribus, ut patet 4. Reg. 4. v. 39. Similis fuit victus et vita Christi et Apostolorum, juxta illud Apostoli : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar*, 1. Corinth. 9. 27. Et : *Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum*, Rom. 14. 21. Apostolus enim fuit perfectionis magister, et magis opere quàm ore docuit, non solum præcepta, sed et consilia Evangelica, quale est non bibere vinum, nec edere carnem. Hinc rursum ait : *Usque in hanc horam et esurimus et sitimus*, 1. Corinth. 4. 11. Quocirca abstemium fuisse Paulum, et nunquam bibisse vinum censet Baron. anno Christi 36. Porro S. Hieron. contra Jovin. c. 10. cum dixisset homines initio mundi, toto tempore quod diluvium præcessit, abstinuisse carnibus, æque ac vino (eas enim post diluvium primum concessas Noe Genes. 9. v. 3. qui et primus vitem plantavit, vinumque ex ea elicuit), subdit : *Postquam Christus venit in fine temporum, et extremitatem traxit ad principium, nec repudium nobis dare permittitur, nec circumcidimur, nec comedimus carnes, dicente Apostolo : Bonum est vinum non bibere, et carnem non manducare. Vinum enim cum carnibus post diluvium dedicatum est.* Sic Hegesippus, et ex eo S. Hieron. lib. de Viris illustr. scribit de Jacobo fratre Domini : *Hic ex utero matris suæ sanctus fuit, vinum et siceram non bibit, carnes nunquam manducavit.* S. Petrum lupinis, herbis et leguminibus victitasse tradit S. Greg. Nazianz. orat. de amore pauper. Sic et S. Marcum Alexandriæ cum suis Essæis quotidie jejunasse, ita ut vespere duntaxat pane et sale, aut herbis vescerentur ac aquam biberent, tradunt Euseb. Joseph, et Philo lib. de Essæis. Rursum S. Hieron. Epist. ad Lucinum Bæticum : *Utinam*, ait, *omni tempore jejunare possemus, quod in Actibus Apostolorum, diebus Pentecostes, et die Dominico Apostolum Paulum, et cum eo credentes, fecisse legimus!*

Ex quibus locis Vincentius Consentinus, Doctor et Provincialis Ordinis Minimorum, libello hac de re edito probare contendit Christum et Apostolos nunquam carnes comedisse ; et ad illud quod objici posset ex Lucæ 10. 8 : *Manducate quæ apponuntur vobis*, respondet limitando, *quæ apponuntur*, scilicet vilia et modica, inter quæ carnes numerari nequeunt. Hoc cum grano salis accipiendum, nimirum hoc sensu, quod Apostoli abstinentiæ et ædificationis studiosi, utpote perfectionis magistri, vitarint, quantum honeste poterant, delicias, carnes et vina; non tamen ea religione et voto, quo faciunt Minimi. Nam si necessitas cogeret, aut si pietas et utilitas aliud suaderet, v. g. si invitati commode alium cibum habere non poterant, libere carnibus vescebantur. Hoc enim poscebat vita illorum Apostolica, ut per totum orbem discurrere, et cum omnibus agere vivereque possent, ut omnibus omnia fierent. Unde hoc eis permissum, imo præceptum est verbis jam citatis Lucæ 10.

Denique mores, gestus et actiones omnes Prophetarum tales erant, ut viderentur esse homines cœlestes, et Angeli terrestres. Ad hoc enim eos Deus mittebat in mundum, ut homines à terrenis cupiditatibus avocarent, et cœlestium desiderium eis imprimerent. Eadem de causa in mundum missus fuit S. Dominicus, qui quasi sui ævi Paulus è cœlo lapsus, et verbo et vita omnes, etiam Prælatos et Cardinales, ad mundi contemptum, ac Dei amorem incitabat. Quocirca præter alia, ter singulis noctibus acriter ad sanguinem sese diverberabat, ut peccata aliorum in suo corpore lueret; multas Albigensium persecutiones sustinuit, suaque patientia eos ab hæresi ad fidem convertit ;

zelo martyrii, salutis animarum, et gloriæ Dei flagrabat. Orabat adeo ardenter, ut spiritu in Deum elevatus elevaret et corpus in aere pendulum. Hinc proceres et plebeii eum ut virum divinum audiebant, et ut Angelum Dei sequebantur, beatosque se existimabant, si vel eum contingere possent; plurimi in ejus disciplinam se dantes, eumque moribus exprimentes, orbi admirationi et saluti fuere. Circinatus enim ad illius normam Religiosus (quod de Philosopho dixit Tertull. lib. de Pallio), dum videtur, auditur; magis enim exemplo quàm verbo loquitur et concionatur. Socius ei à Deo datus est S. Franciscus, qui proinde animo oculisque in cœlum intentus, non aliud vita et voce, habitu et vultu concionabatur, quàm: *Ad cœlum, ad cœlum.* Audi S. Bonavent. in Vita ejus, c. 4: *Evangelicus præco*, inquit, *civitates circuibat et castra, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in virtute spiritus annuntians regnum Dei. Videbatur intuentibus homo alterius seculi; quippe qui mente ac facie in cœlum semper intentus, omnes sursum trahere conaretur.* Unde et fructum ingentem subdit: *Nam prædicationis ipsius fervore succensi quàm plurimi, secundùm formam à Dei viro acceptam, novis se pœnitentiæ legibus vinciebant, quorum idem Christi famulus Ordinem fratrum de pœnitentia nominare decrevit. Convertebantur etiam virgines ad perpetuum cœlibatum; inter quas virgo Deo charissima Clara, ipsarum plantula prima, tanquam flos vernans et candidus odorem dedit, et tanquam stella præfulgida radiavit. Multi etiam non solum devotione compuncti, sed et perfectionis Christi desiderio inflammati, omni mundanorum vanitate contempta, Francisci vestigia sequebantur: qui quotidianis succrescentes profectibus, usque ad fines orbis terræ celeriter pervenerunt;* et cap. 12: *Erat enim verbum ejus velut ignis ardens, penetrans intima cordis, omniumque mentes admiratione replebat; cum non humanæ inventionis ornatum prætenderet, sed divinæ revelationis afflatum redoleret;* et mox: *Tam efficacibus subito cœpit verbis affluere, tamque potenti virtute illorum mentes virorum sublimium* (Papæ scilicet, et Cardinalium) *ad compunctionem inflectere, ut aperte clareret, quod non ipse, sed spiritus Domini loquebatur. Nesciebat aliquorum culpas palpare, sed pungere; nec vitam fovere peccantium, sed aspera increpatione ferire. Eadem mentis constantia magnis loquebatur et parvis, eademque spiritus jucunditate paucis loquebatur et multis; omnis ætas, omnisque sexus properabat virum novum mundo cœlitus datum, et cernere et audire.* Ejus asseclæ fuere S. Antonius de Padua, de quo Auctor vitæ ita scribit: *Videbatur quasi alter quidam prodiisse Elias, zelo Dei fervens, inflammatusque igne Spiritus Sancti ignitis sermonibus accendebat et urebat auditorum tepida, torpentia, frigida et obscura corda.* Item B. Petrus Martyr, cujus hoc continuum concionis erat thema, è nostro Jona petitum: *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur.* Et S. Bonaventura, S. Thomas, S. Bernardinus, S. Vincentius Ferrerius, aliique similes oratores cœlestes. Hosce sibi imitandos proponant nostri Prophetæ, Concionatores inquam et Doctores, qui Clerum et populum reformare, sanctificare, ad cœlum deducere contendant.

Homonymus et suppar S. Francisco Assisio fuit nostro seculo noster S. Franciscus Xaverius, hoc anno Domini 1622 inter cœlites relatus, qui mente oculisque in cœlum defixus, non nisi cœlum cogitabat, aspiciebat, prædicabat, ac quasi homo cœlo lapsus ad cœlum omnes traducere satagebat. Hujus enim unius rei causa à Deo in mundum missus videbatur. Cœlestia enim jugiter non tantum contemplabatur, sed et reipsa gustabat et sapiebat, ut ineffabiles illas cœlitum delicias præcipere et prælibare videretur. Hinc illæ ejus voces: *Satis est, Domine, satis est, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.* Hinc ardens ejus vultus instar Seraphini spirans amorem, imo ardorem divinum effulgurans. Hinc illa corporis ejus in oratione à terra elevatio, ut inter cœlum et terram suspensus, spiritu secum rapiente molem corporis, in alta conscenderet, ut videretur, quod ait S. Gregor. hom. 37, *Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, incorruptionis perpetuæ munere lætari.* Quapropter patria exsul parentibus amicisque orbus, quasi terræ hospes, et civis cœli, inter exteros, extremosque Indos vivere et mori ambivit, sciens utique eo se Deo viciniorem, quo à notis et amicis esset remotior. Deo ergo nixus, ejus unius amore instar fulguris, imo instar Angeli, tanta terræ marisque spatia, totumque Orientem evangelizando, celerrime pervasit; Xaverius enim (quod de S. Paulo Prophetarum et Apostolorum patriarcha ait Chrysostom. homil. 2. de ejus laudibus) *in terra gradiens sic se agebat in cunctis, quasi Angelorum societate frueretur. Passibili enim colligatus corpori, illorum perfectione gaudebat, tantisque fragilitatibus subditus, in nullo inferior supernis virtutibus apparere certabat. Quippe ut pennatus totum docendo pervolavit orbem, et velut incorporeus labores omnes periculaque contempsit, ac quasi jam cœlum possidens, tanquam cum ipsis jam incorporeis degeret, ita jugi mentis intentione vigilavit. Angelis quidem diversarum gentium cura commissa est, sed nullus eorum ita creditum sibi gubernavit populum, uti Paulus orbem,* et Franciscus *universum illuminavit* Orientem. *Quàm hoc admirabile, cum ex terrena lingua sermo prosiliens, velut oraculum, mortem fugavit, peccata dissolvit, tenebras infidelitatis discussit, atque mutatione mirifica terram convertit in cœlum! Hac de causa ad confusionem et injurias, quas ob prædicandi studium sustinebat, magis quàm ad bonorum oblectamenta properabat, mortem potius quàm vitam appetens, paupertatem quàm opulentiam, et multo magis laborem desiderans quàm alii requiem post laborem; studiosius pro inimicis orans, quàm alii adversus inimicos. Convertebat enim orbem terrarum, quem nos pervertimus. Hujus rei studio non tantum urbes, gentes, exercitus, provincias, pecunias, potestates velut arenam vilia reputavit; sed et præ Christi dulcedine non Angelorum, non Archangelorum admiratus est dignitatem, nec quidquam simile concupivit. Perfrui enim Christo, hoc illi vita erat, hoc mundus, hoc Angeli, hoc præsentia, hoc futura, hoc regnum, hoc promissio, hoc bona videbantur innumera. Præter hæc vero nihil in tristium parte ponebat. Horum enim quæ hic habentur nihil asperum, nihil etiam suave reputabat. Sic despiciebat universa quæ cernimus, ut solet herba jam putrefacta contemni. Tyrannos vero ipsos ac populos spirantes furorem, velut*

quosdam culices æstimabat. Mortem verò et cruciatus, et mille supplicia, quasi ludum putabat esse puerorum, dummodo propter Christum aliquid sustineret. Hunc enim amplectebatur libenter, et decorabatur vinctus catena magis, quàm diademate coronatus. Etenim coarctatus carcere habitabat cœlum, ac libentius verbera excipiebat et vulnera, quàm alii bravia diripiunt; dolores non minus quàm præmia diligebat, cum ipsos utique dolores loco duceret præmiorum; propterea enim illos et gratiam nominabat. Denique illi vivere Christus erat et mori lucrum. Hucusque Chrys. de Paulo, nos de Xaverio. Hæc apostolatus Pauli et Xaverii insignia, hæc prophetiæ decora, hæc heroica virtutum facinora, quibus infidelitatis monstra, et vitiorum portenta ubique debellavit, imo in Evangelicæ veritatis et virtutum splendorem transmutavit, ac paucorum annorum spatio seipsum meritis, Europam et Indiam beneficiis, Societatem Jesu exemplis, orbem fama, Ecclesiam gloria, cœlum civibus sanctisque quos eò transmisit, implevit et decoravit. En tibi ideam veri Prophetæ, veri Apostoli.

Quarto, de cœtu Prophetarum legimus 1. Reg. 10. 5. dictum Samuelis ad Saulem: *Cum ingressus*, ait, *fueris ibi urbem, obvium habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso, et ante eos psalterium, et tympanum, et tibiam, et citharam, ipsosque prophetantes. Et insiliet in te spiritus Domini, et prophetabis cum eis, et mutaberis in alium virum.* Hi Prophetæ erant viri religiosi, semoti à seculo, vacantes Dei laudibus et psalmodiæ, ideoque psalterio, tympano, tibia et cithara, tum Deum laudabant, tum se invicem ad laudes Dei concinendas provocabant. Inter eos tamen erant aliqui Prophetæ proprie dicti, ut Elias, Elisæus, etc. 4. Reg. 6. 1. Unde S. Hieron. epist. 4. ad Rusticum, Religiosos et Monachos vocat filios Prophetarum. Horum enim in vita et moribus piis sunt imitatores et asseclæ, æque ac Essenorum et Therapeutarum, tum eorum qui apud Judæos ante Christum, tum eorum qui Christiani exstiterunt, quorum parens et dux fuit S. Marcus, de quibus Eusebius, Joseph, et Philo libr. de Essæis.

Porro secedebant à populo Prophetæ, tum orationis et sanctitatis, tum auctoritatis causa. Nam, ut ait Tacitus: *Major est rebus ex longinquo honor;* et ut B. Petrus Damiani in epistolis, sicut pictura si procul absistat, inhianter et cum cupiditate perspicitur; si juxta sit, contemptibilis indicatur: ita ex secessu doctis et sanctis oritur apud omnes reverentia; ex adverso *minuit præsentia famam.*

Porro, an aliqui è duodecim hisce Prophetis fuerint ex hoc cœtu Prophetarum incertum est: certum est non omnes fuisse. Nam Amos, c. 1. 1, ab armentis raptus est ad prophetandum. Rursum eos certas non habuisse sedes et domos liquet, ex eo quod diversis in locis, urbibus et provinciis prophetarunt. Alii enim in Judæa, alii in Samaria, alii in Bethel, etc. prophetarunt. De Holda prophetissa legimus 4. Reg. 22. 14, eam Hierosolymis habitasse *in secunda*, scilicet in media urbis parte; Jerusalem enim in tres partes, quasi vicos et regiones, erat distributa: scilicet in primam, secundam sive mediam, et tertiam, uti patet ex ejus chorographia. Tradunt Hebræi in secunda, utpote quietiori et securiori urbis parte, fuisse gymnasia, ibique habitasse viros litteratos et studiosos. Quocirca verisimile est ibi pariter nonnullos habitasse Prophetas.

Denique nominum Prophetarum etymologias et significata ita paucis perstringit S. Hieron. præfat. in Joelem: *Osee*, ait, *interpretatur* σωζων, *quem nos Salvatorem possumus dicere. Joel* αρχομενος, *id est, incipiens. Amos* βαςαζων, *qui apud Latinos portans dicitur. Abdias* δουλος κυριου, *id est, servus Domini. Jonas* περιςερα, *id est, columba. Michæas* οστις ουν, *quod apud nos sonat, quisquasi, aut quis velut? Nahum* παρακλησις, *id est, consolatio. Habacuc* περιλαμβανων, *id est, amplexans, sive luctans. Sophonias* κεκρυμμενος κυριου, *hoc est, arcanus Domini. Aggæus* εορταζων, *quem nos festivum, sive solemnem possumus dicere. Zacharias* μνημη κυριου, *id est, memoria Domini. Malachias* αγγελος μου, *id est, nuntius meus. Quæ omnia quo sensu accipienda sint, in suis voluminibus disseretur.* Attexit deinde etyma quatuor majorum Prophetarum: *Isaias*, ait, σωτηρια κυριου *dicitur, id est, salus Domini. Ezechiel* κρατος κυριου, *id est, robur Domini. Jeremias* υψηλος κυριου, *id est, excelsus Domini. Daniel* εκρινε με κυριος, *id est, judicavit me Dominus.*

Denique mores, vitam et mortem singulorum Prophetarum scripserunt S. Epiphan. Isidorus, et Dorotheus quem multi censent fuisse Episcopum Tyri, et Martyrem sub Juliano Apostata. Verum Baronius utrumque negat, recteque ostendit Dorotheum hunc alium esse à Dorotheo, qui fuit presbyter (non Episcopus) Tyri, Martyrque à Juliano effectus est annum agens ætatis 107, de quo in Martyrolog. die 5. Junii. Consentit Bellarmin. de Script. Eccles. asseritque Synopsin hanc Dorothei de vita Prophetarum plenam esse fabulis. Nam Priscam uxorem Aquilæ ponit inter 72 Christi discipulos, facitque Episcopum Colophone. Imo omnes quos S. Paulus in Epistolis suis nominat aut salutat, facit discipulos Christi. Vide de Synopsi Epiphanii et Isidori Bellarminum, libro citato; Baronium et Possevinum, in Bibliotheca.

Quæritur sexto: Quis est scopus, quis usus, quis fructus Prophetarum? Resp. Finis est enarrare nobis ipsa sensa et arcana mentis divinæ, fructus, docere nos sapientiam divinam, æque ac vitam cœlestem; docere nos sapere secundùm Deum, sapere divina, vivere Deo, ex Deo, cum Deo. S. Carolus Borromæus, Italiæ et nostri ævi fulgor et fulgur, asserebat hanc esse basin vitæ sapientis et sanctæ, nimirum semper et ubique tendere ad Deum, ut omnes actiones et passiones nostræ incipiant, dirigantur et desinant in Deum. Si vis, inquit, proficere in vita Christiana, perfici in doctrina, virtute et spiritu Christi, hæc tria observa: Primum, quotidie incipere et inchoare te existima, ut scilicet eo fervore quotidie servias Deo, ac si eo die primum ei servire inciperes; secundum, in mente semper habeto Deum et jugiter cogita te in ejus præsentia versari: spectaculum enim facti sumus mundo et Angelis et hominibus; tertium, effice ut omnia tua opera tendant ad Deum. Ita habet Auctor Vitæ S. Borromæi lib. 8. c. 18: *Indicabo tibi, ô homo*, ait Michæas cap. 7. 8, *quid sit bonum, et quid Dominus requirat à te: utique diligere judicium, et facere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo*, ut quasi altior terra, major homine, cœli civis, par Angelis cum Deo ambules, cum Deo jugiter verseris et agas, ex Deo omnes tuas cogitationes, sermones et

actiones haurias, metiaris et dirigas. Sollicitudo hæc ambulandi cum Deo multa magnaque complectitur, magnorum et heroicorum operum est parens, uti in Michæam ostendam. Prophetæ ergo sunt *os et oraculum Dei*, per quos secreta sua, sensa et placita mundo Deus revelavit, præsertim quid credere, sperare, amare, agere debeamus, ut vitam beatam assequamur. *Multifariam*, ait Paulus Heb. 2. 1, *multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.* Et Zacharias Luc. 1. 70 : *Sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt, Prophetarum ejus.*

Prophetæ ergo non ex se, sed ex Deo locuti sunt, fueruntque os ejus et lingua. Quocirca docent ipsi nos sapientiam Dei, *scientiam sanctorum*, et prudentiam justorum, ut eamdem et alios doceamus, ac cum Joanne Baptista paremus Domino plebem perfectam. D. Thom. 1. p. q. 1. art. 1. quærit an præter scientias naturales necessaria sit alia revelata et supernaturalis ; ac respondet omnino eam necessariam esse, quam deinde ponit basim totius Scripturæ sacræ, et Theologiæ, totiusque doctrinæ et vitæ Christianæ. Causam à priori assignat, quod finis noster et beatitudo supernaturalis sit, quam lumen naturale, ratio et scientia naturalis non cognoscunt, non attingunt; ac proinde ad eam ejusque viam demonstrandam, necessarium est lumen revelatum et supernaturale: fini enim supernaturali media supernaturalia danda et coaptanda sunt. Multa subtiliter de natura, de elementis, de animalibus, de homine, de vita œconomica et politica disseruerunt Gentilium Philosophi, sed hæc omnia intra naturæ fines consistunt, terræ limites non excedunt : aliis ergo doctoribus opus qui viam in cœlum, iter ad Deum nobis commonstrent. *Narraverunt*, inquit Psaltes Ps. 118, *mihi iniqui fabulationes : sed non ut lex tua.* Quæ Plato, quæ Pythagoras, quæ Socrates, quæ philosophi omnes de mundo, de moribus, de beatitudine scripserunt, fabulæ sunt, si cum lege tua, ô Domine, si cum oraculis, cum Prophetis tuis comparentur. *Vani*, ait Sapiens c. 13. 1, *sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei :* hanc autem Dei scientiam enuntiant Prophetæ. Ipse enim Deus per Osee, c. 12. 10, proclamat : *In manu* (in oraculo) *Prophetarum assimilatus sum.* Diserte vero Baruch veram sapientiam investigans, c. 3. 14: *Audi*, ait, *Israel, disce ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus, ut scias simul ubi sit longiturnitas vitæ et victus, ubi sit lumen oculorum et pax. Ubi sunt principes gentium*, etc. *qui in avibus cœli ludunt, qui argentum thesaurizant et aurum : exterminati sunt, et ad inferos descenderunt; viam autem disciplinæ ignoraverunt. Non est audita in terra Chanaan, neque visa est in Theman. Filii quoque Agar, qui exquirunt prudentiam quæ de terra est, negotiatores Merrhæ et Theman, et fabulatores, et exquisitores prudentiæ et intelligentiæ ; viam autem sapientiæ nescierunt. Non est qui possit scire vias ejus, sed qui scit universa novit eam, et adinvenit eam prudentia sua. Hic est Deus noster : hic adinvenit omnem viam disciplinæ, et tradidit illam* (per Prophetas) *Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. Post hæc,* ut ore tenus hanc sapientiam doceret homines, *in terris visus est, et cum hominibus conversatus est*, cum scilicet *Verbum caro factum est.*

Hic ergo fuit error, hæc caligo vitæ humanæ, quod mortales quasi talpæ, terram et terrena tantum saperent, divina vero, iterque ad divinam beatitudinem ignorarent. Quinimo hic error etiamnum multos tenet Christianos, qui vitam suam instituunt secundùm prudentiam politicam et humanam, secundùm rationes naturales et temporaneas, ut honeste, decore, honorate, sapienter inter homines vivant, ut suam ætatem commode transigant, eaque transacta cum Augusto Cæsare morituro dicant : Sat commode, sat decore personam nostram egimus : valete et plaudite. Interim non considerant, non provident, non consulunt animæ suæ, saluti suæ, æternitati suæ. Ad hunc scopulum allidit, dissilit et perit major hominum pars. Deus ergo huic malo mederi, huncque errorem dispellere volens, misit Prophetas, qui quasi videntes ea quæ remota, cœlestia, futura et æterna sunt, ex alta prophetiæ specula, quasi è cœlo, speculantes ostendant nobis viam ad salutem, erudiant nos sapere et vivere secundùm rationes, non naturales, terrenas et temporaneas, sed supernaturales, cœlestes et æternas, quæ conscriptæ sunt vivuntque in mente Dei, quæque solæ mente satiant et beant. Verissimum enim est illud August. epist. 39 : *Vincula hujus mundi asperitatem habent veram, jucunditatem falsam : certum dolorem, incertam voluptatem : durum laborem, timidam quietem : rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem.* Hoc est quod Zacharias de filio S. Joanne Baptista, qui Prophetarum fuit ultimus, finisque legis et prophetiæ, ac Evangelii Christique lucifer, canit : *Tu puer Propheta Altissimi vocaberis : præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum : per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitabit nos oriens ex alto. Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Quapropter Prophetæ fuerunt quasi stellæ noctem orbis illuminantes, imo quasi soles mundi. Nam, ut ait Origen. S. Scriptura et verbum Dei, quod præferunt Prophetæ, est sol, non corporalis hic et materialis, sed spiritalis et intelligibilis, mundum universum illustrans. Quantum ergo cœlum superat terram, quantum sol lumine et fulgore vincit candelam et lampadem, tantum oracula S. Scripturæ et Prophetarum superant sapientiam et dogmata omnium Philosophorum. Viderat S. Petrus in transfiguratione Christi, cominus oculis corporeis gloriam Christi, vocem audierat suis auribus : *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui : ipsum audite*, et tamen hanc ipsam visionem recensens epist. 2. cap. 1. 17. prophetiæ postponit : oculus enim perstringi potest, auris falli; sed prophetia perstringi aut falli nequit. *Hanc vocem*, inquit, *nos audivimus de cœlo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto. Et habemus firmiorem propheticum sermonem : cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris.* Lucifer est clarior illa Christi doctrina, puta fulgor Evangelii, succedens nocti tenebrarum gentilismi et judaismi, ducensque ad claram meridiem beatæ æternitatis et visionis Dei. *Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia,*

sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.

Quocirca cœlesti luce hîc opus, ut cœlestes Dei voces, cœlestes hosce doctores capiamus et intelligamus. Ea propter cum D. Thoma meditatione et oratione magis quàm studio hîc nitendum et utendum. Hinc S. Bernardi hoc fuit axioma : *Mens hominis sapientis qui Deum diligit, non est in terra, sed in cœlo :* quia semper cœlestia considerat et desiderat. Sanctus vero August. in psal. 64 : *E cœlis,* ait, *misit ad nos epistolas Pater noster, ministravit nobis Scripturas Deus, quibus epistolis fieret in nobis redeundi desiderium : quia peregrinationem nostram diligendo ad hostes facies posueramus, et dorsum ad patriam.* Et S. Gregorius, libr. 4. epist. 84. ad Theodorum medicum : *Imperator,* ait, *cœli Dominus, hominum et Angelorum, pro vita tua tibi suas epistolas transmisit ; et tamen, gloriose fili, easdem epistolas ardenter legere negligis. Stude ergo, quæso, et quotidie Creatoris tui verba meditare. Disce cor Dei in verbis Dei, ut ardentius ad æterna suspires, ut mens vestra ad cœlestia regna majoribus desideriis accendatur. Tanto enim tunc major ei erit requies, quanto modo ab amore conditoris sui requies nulla fuerit.* Ita S. Bernardus, totus meditationi deditus, *confessus est aliquando sibi meditanti, vel oranti sacram omnem velut sub se positam et expositam apparuisse Scripturam,* ait Auctor Vitæ ejus lib. 3. cap. 3. De S. Francisco scribit S. Bonav. in ejus Vita, c. 11 : *Ad tantam,* ait, *mentis serenitatem indefessum orationis studium, cum continua exercitatione virtutum, virum Dei perduxerat, ut quamvis non habuerit S. litterarum peritiam per doctrinam, æternæ tamen lucis irradiatus fulgoribus, Scripturarum profunde miro intellectus scrutaretur acumine. Penetrabat enim ob omni labe purum ingenium mysteriorum abscondita, et ubi magistralis scientia foris stat, affectus introibat amantis.* Unde et Doctor quidam Theologus, admirans ejus responsa, dixit : *Vere Theologia sancti Patris istius, puritate ac contemplatione tanquam alis in altum subvecta, est quasi aquila volans : nostra vero scientia ventre graditur super terram. Nec absonum, si vir sanctus Scripturæ à Deo intellectum acceperat, cum per imitationem Christi perfectam, veritatem ipsarum descriptam gestaret in opere; et per Spiritus S. unctionem plenariam, doctorem earum apud se haberet in corde.*

Meditatio ergo, oratio et sancta vita sunt claves S. Scripturæ et Prophetarum : et hi vicissim claves sunt cœlorum. Nam Prophetarum et *Scripturarum lectio cœlorum est reseratio,* ait S. Chrysost. hom. 2. in verba Isaiæ : *Vidi Dominum,* etc. Idem conc. 3. de Lazaro : *Fieri,* ait, *non potest ut quisquam salutem assequatur, ni perpetuo versetur in lectione spirituali.* Ex quo infert, non tantum Monachos, sed et laicos conjugatos debere lectioni S. Scripturæ vacare, idque eo magis, quo majoribus quàm Monachi distractionibus, tentationibus et periculis implicantur. *Unde necesse est,* inquit, *indesinenter à Scripturis armaturam sumere.* Additque : *Ubicumque fuerint libri spirituales, illinc omnis expellitur vis diabolica, multaque inhabitantibus accedit consolatio : quia ipse etiam sacrorum librorum aspectus segniores nos reddit ad peccandum. Rursum sive in sanctimonia perstiterimus, ex libris reddimur tutiores firmioresque. Quod si accesserit sacra lectio, non aliter quàm in sacris adytis rebus divinis vacans anima, sic repurgatur, meliorque redditur, Deo cum ipsa per illas Scripturas colloquente.* Et inferius : *Memento Eunuchi reginæ Æthiopum* (Act. 8.) *qui, cum esset homo barbarus, innumerisque distentus curis, nec intelligeret quæ legebat, legebat tamen in curru sedens* Isaiam Prophetam : *quod si in via tantam præstitit diligentiam, cogita qualis fuerit domi versans. Magna adversus peccatum munitio est Scripturarum lectio; magnum præcipitium, profundum barathrum Scripturarum ignoratio, magna solutio, perditio,* etc. *Sicut mordent conscientiam, ita non parum afferunt utilitatis animis eorum qui mordentur.* Auctor Imperf. in S. Matt. hom. 27. Prophetas nuncupat Angelos et paranymphos Christi. *Ecce, ait, omnes Prophetæ ante faciem Christi transmissi sunt, et Angeli sunt vocati; sicut scriptum est* Act. 7 : *Qui accepistis legem in præceptis Angelorum, et non custodistis.* Et superius : *Prophetæ est, de Christo prædicare. Prophetæ est, pro merito conversationis et fidei prophetiam accipere. Prophetæ est, beneficium à Deo accipere. Prophetæ est, verbum ante tempus significare de Christo. Prophetæ est, ut ipse de Deo prophetet.* Et homil. 41 : *Via est Christus, quæ ducit ad vitam. Et viæ dicuntur omnes Prophetæ, et omnes Apostoli : hæ enim omnes viæ ducunt ad Christum : Christus autem ad Patrem ; sic generalis et publica via est diabolus, quæ ducit ad mortem : et viæ sunt omnes professiones seculi istius, ut puta professio philosophi* (vanæ, gentilitiæ et erroneæ) *una est via : professio militiæ via altera, mundialis dignitas altera.* Quocirca S. Chrysost. hom. in tit. ps. 50 : *Prophetæ,* ait, *velut quidam pictores sunt virtutis, ac militiæ qua contra peccata et diabolum decertamus.* Idem, hom. 1. in c. 1. Isaiæ initio, docet prophetias esse oracula divina, ac litteras è cœlis delatas. Unde, hom. 4. in c. 6. Isaiæ, asserit *silentium Prophetarum esse signum iræ divinæ.* Idem in cap. 8. Isaiæ : *Deus,* ait, *confecit medicamentum prophetiæ, delinquentes erudiens præscientiam pœnarum, non item doctrice experientia earum ; ut si quidem resipiscerent comminationibus auditis, experimentum evitarent intentati supplicii.*

Porro, in Prophetis non est quærenda eloquentia, sed sapientia. Audi memorabilem historiam, quam in hoc argumento sibi in juventute obvenisse narrat S. Hier. scribens ad Eustochium de custodia virgin. : *Post noctium,* inquit, *crebras vigilias, post lacrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manus. Si quando in memetipsum reversus, Prophetas legere cœpissem, sermo horrebat incultus : et quia lumen cæcis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam esse, sed solis. Dum ita me antiquus serpens illuderet,* etc. *raptus in spiritu ad tribunal judicis pertrahor,* etc. *Interrogatus de conditione, Christianum me esse respondi. Et ille qui præsidebat: Mentiris, ait, Ciceronianus es, non Christianus. Ubi enim thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Subdit deinde se acriter flagellatum, donec permitteret et juraret : *Domine, si nunquam habuero codices seculares, si legero, te negavi.* Qua de causa idem S. Hieron. prooemio in l. 3. Comment. in Amos : *In explanatione,* ait, *S. Scripturæ non verba composita et oratoriis floribus adornata, sed eruditio et simplicitas quæritur veritatis.* Nimirum hisce sublimibus Prophetarum mysteriis congruit illud Manilii : *Ornari res ipsa vetat, con-*

tenta doceri. Et illud Fabii : *A Philosopho si afferat eloquentiam, non aspernor; si non afferat, non admodum efflagitem. Res magnæ seipsis ornatæ sunt, non indigent fuco ut amentur.* Et S. Basil. Græcorum facundissimus ad Diodorum : *Lectionis*, ait, *inaffectata et incomposita simplicitas decora mihi videbatur, et conveniens professioni Christiani hominis; cujus est non ad ostentationem magis scribere, quàm ad publicam utilitatem.* Rursum S. Hieron. ad Damasum, q. d. *Scio*, ait, *hæc molesta esse lectori, sed de Hebraicis litteris disputantem non decet Aristotelis argumenta conquirere, neque ex flumine Tullianæ eloquentiæ ducendus est rivulus, neque aures Quintiliani flosculis, et scholarum declamatione mulcendæ : pedestris et quotidianæ similis, et nullam lucubrationem redolens oratio necessaria est, quæ rem explicet, sensum edisserat, obscura manifestet, non quæ verborum compositione frondescat.*

Porro tanta est obscuritas et profunditas Prophetarum, ut singulæ pene eorum sententiæ ænigmata videantur : nimirum prophetia obscuritatem in sua ratione et essentia includit : eam ergo affectant Prophetæ. *Mira*, inquit S. Aug. lib. 12. cap. 14, *profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos superficies blandiens parvulis, sed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas. Horror est intendere in eam, horror honoris, et tremor amoris.* In iis itaque verum est illud Auctoris Imperf. apud S. Chrysost. hom. 4 : *Sicut in cœlo celatur Deus, sic in Scriptura absconditur.* Et sicut hoc cœlum omnes homines vident, Deum autem inhabitantem cernere nequeunt; sic et sacras Litteras omnes fere legunt, non tamen omnes Deum veritatis in arcanis sensibus latentem intelligunt, nisi sapientiæ lumine illustrati. Quocirca Origenes assidue versabat, meditabatur et scrutabatur S. Scripturas, indeque orbis doctor et pene oraculum evasit, qui utique major exstitisset, si minori affectu plausus orbis excipiens, minor esse voluisset. Audi de eo S. Hieron. ad Marcellam epist. 10 : *Ambrosius, quo chartas, sumptus, notarios ministrante, tam innumerabiles libros vere Adamantius et Chalcenterus noster explicavit, in quadam epistola quam ad eumdem de Athenis scripserat, refert, nunquam se cibum Origene præsente sine lectione sumpsisse : nunquam iniisse somnum, nisi unus è fratribus sacris Litteris personaret : hoc diebus egisse et noctibus, ut et lectio orationem exciperet, et oratio lectionem. Quid nos ventris animalia tale unquam fecimus, quod si vel secunda hora legentes invenerit, oscitamus, manu faciem defricantes continemus stomachum : et quasi post multum laborem, mundialibus rursum negotiis occupamur.* Perdius et pernox in S. Litteris fuit Origenes; at nimis ingenio et studio suo confisus in errores justo Dei, qui excelsa deprimit sternitque, judicio prolapsus, suo malo nos docuit non altum sapere, sed cum metu et reverentia ad Deum Deique libros accedere, ipsi fidere, nobis ipsis diffidere : ab ipso humili prece assidue poscere, ut in sacra sua adyta, sensaque mentis suæ nos introducere dignetur.

Jam pene à quadraginta annis sacro huic studio incumbo, à triginta annis non aliud ago, quin et continue S. Litteras doceo : et tamen sentio quàm parum in eis profecerim, longe plura me ignorare quàm didicerim; imo quo profundius eas scrutor, eo majorem sapientiæ abyssum intueor. Ut clare videam verum hic esse vetus Sapientis dictum : *Cum consummaverit homo, tunc incipiet.* O æterna veritas, et vera charitas, et chara claritas, Deus meus et omnia, cui suspiro die ac nocte, illumina tenebras meas (quas in dies in me majores deprehendo) fulgore lucis tuæ irradia menti meæ in splendoribus Sanctorum, ut in lumine tuo videam lumen; quo et alios pariter illuminem, et tuî amorem inflammem. Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua, tu qui mentes et linguas infantium facis disertas. *Omne enim datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Profiteor palam dicoque cum S. August. libr. 1. Confess. cap. 16 : *Ecce, tu Domine, rex meus et Deus : tibi serviat quidquid utile puer didici; et tibi serviat quod loquor, quod scribo et lego, et numero.* Tibi enim et tuæ gloriæ, tuæque Ecclesiæ usibus laboro, scribo, vivo, non mihi, nec meis. Fave ergo, et cœptis meis radiis tui favoris benignus aspira. Hominum judicia aut plausus non moror : tibi enim soli placere cupio, et displicere timeo, dicoque cum Apostolo : *Mihi pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die. Sed neque me ipsum judico : qui autem judicat me, Dominus est.* Et cum S. Hieron. præfat. lib. 2. Comment. in Osee: *Optarem illud mihi contingere, quod Titus Livius scribit de Catone, cujus gloriæ neque profuit quisquam laudando; neque vituperando quisquam nocuit; cum utrumque summis præditi fecerint ingeniis. Significat autem M. Ciceronem, et C. Cæsarem, quorum alter laudes, alter vituperationes supradicti scripsit viri. Dum enim vivimus, et in vase fragili continemur; videntur amicorum prodesse studia, et nocere æmulorum opprobria. Postquam autem reversa fuerit terra in terram suam, et tam nos qui scribimus, quàm eos qui de nobis judicant, pallida mors subtraxerit, et alia venerit generatio, primisque cadentibus foliis virens sylva succreverit, tunc sine nominum dignitate, sola judicantur ingenia, non honorum diversitate, sed operum merito.* Si quid in me meisque dictis et scriptis est veritatis, virtutis, pulchritudinis, totum quantum quantum, tuum est, ô Sacro-sancta Trinitas, quæ es prima, increata et fontalis veritas, virtus, pulchritudo. Ergo non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Omnia enim nostra bona, tua sunt dona. Si quid vero in me meisque est erroris, vitii, deformitatis, uti plurimum est, totum ex me est, totum mihi deputo, in me recipio, et supplex veniam posco. Tibi itaque laus, tibi decus omnis boni; mihi dedecus omnis mali, et confusio faciei meæ : tibi benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus Deo nostro in secula seculorum. Amen. Dixisti, Domine, tuis Apostolis et Prophetis, eorumque asseclis et interpretibus : *Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi*, Matt. 5. 13. Dixisti, ac dicendo sanxisti et effecisti. Nam, ut ait ibidem S. Hilarius : *Apostoli sunt rerum cœlestium prædicatores, et æternitatis velut satores, immortalitatem omnibus corporibus, quibus eorum sermo aspersus fuerit, conferentes.* Da, Domine, ut eorum adinstar simus et nos cœli prædicatores, et æternitatis satores, ut instar salis mentes hominum terrenas et insulsas condiamus, eisque incorruptionem impertiamur; ut quicumque hæc legunt,

ex S. oraculorum tuorum cognitione, ex tuarum promissionum minarumque gravitate et pondere, illecebrosas terræ cupedias despiciant, ac cœlestium bonorum amore, et beatæ æternitatis desiderio studioque efficaci accendantur. Hoc unum specto, hoc unum postulo, huc omnis mea lectio et scriptio, huc omnis labor desudat, ut sanctum nomen tuum sanctificetur, tuaque sancta voluntas fiat sicut in cœlo, sic et in terra; ac sanctum tuum regnum gratiæ, gloriæ et felicitatis sempiternæ, ubi tu eris omnia in omnibus, nobis adveniat. Amen.

CANONES
IN PROPHETAS MINORES.

Præter canones quos majoribus Prophetis præfixi, hos minoribus pene proprios accipe. Prophetæ in nominibus propriis hominum vel urbium, alludunt ad eorum significata, tum ad elegantiam, tum ad vim et energiam; quocirca Noster Interpres sæpe pro ipsis nominibus Hebraicis, eorum significata reddidit. Tale est Primo, Osee 1. v. 6. ubi Osee, cum jussu Dei filiam ex fornicaria genuisset, à Deo audit: *Voca nomen ejus absque misericordia*, hebr.— לא רחומה *lorachuma.* Hoc ergo erat nomen proprium filiæ. Verum quia *lo rachuma* significat *absque misericordia*, ac significatum hoc urget hic Deus, dicens: *Quia non addam ultra misereri domui Israel;* hinc Interpres solerter vertit, *Absque misericordia.* Ibidem v. 9. cum Osee rursum ex ea genuisset filium, audit: *Voca nomen ejus, non populus meus;* hebr. לא עמי *lo ammi.* Hoc ergo erat nomen proprium filii. Verum Interpres perspicax vidensque ad nominis significatum alludi, recte vertit, *non populus meus.* Sequitur enim: *Quia vos non populus meus, et ego non ero vester.* Sic c. 10. 5: *Vaccas*, inquit, *Bethaven coluerunt habitatores Samariæ.* Jeroboam enim vaccas, sive vitulos aureos colendos erexit in Bethel, quod hebraice idem est quod domus Dei, Genes. 28. 17. Verum quia Jeroboam ibidem collocavit idola, hinc Osee et Prophetæ Bethel vocant Bethaven, id est, domum idoli, q. d. Vos Bethel mutastis in Bethaven, id est, vos ex domo Dei fecistis domum idoli et diaboli.

Secundo, tale est Michææ. 1. 10: *In domo pulveris pulvere vos conspergite.* Pro *pulveris* hebraice est עפרה *aphra*, quod est nomen proprium urbis. Verum quia *aphra* significat pulverem eoque alludit Propheta, hinc eleganter vertit Noster: *In domo Aphra*, id est, *pulveris pulvere vos conspergite.* Et v. 11: *Transite vobis habitatio pulchra*, hebr. ספיר *sapir*, quod est nomen urbis; sed significat pulchram. Et mox: *Non est egressa quæ habitat in Exitu*, hebr. *in Saanam*, quod est nomen urbis, sed exitum significat. Et v. 12: *Infirmata est in bonum quæ habitat in Amaritudinibus;* hebr. in *Maroth*, quod est nomen urbis; sed significat amaritudines, q. d. Quæ habitat in Maroth, id est in amaritudinibus, juxta nomen suum infirmata et amaricata est. Et v. 14 *Dabit*, etc. *domos mendacii in deceptionem regibus Israel*, hebr. אכזיב *aczib*, quod est nomen urbis, sed significat mendacium, eoque alludit dicens לאכזב *leaczab*, id est, ad mentiendum et decipiendum reges Israel.

Tertio, tale est Zachar. 3. 8: *Adducam servum meum Orientem.* hebr. צמח *tesmach*, quod est nomen Christi; sed significat germen nascens, et oriens ex terra virgine, uti Christus ex matre virgine sine patre natus est.

Quarto, tale est Gen. 26. 20. ubi Isaac ex jurgio pastorum puteum vocavit *Calumniam*, hebr. עשק *esec.* Hoc ergo erat nomen proprium putei. Et v. 21. alium ob similem causam vocavit *Inimicitias*, hebr. שטנה *sitna.* Et v. 22. tertium vocavit *Latitudo*, hebr. רחבות *rechobot, dicens: Nunc dilatavit nos Dominus.* Et vers. 33. quartum vocavit *Abundantiam*, hebr. שבעה *sabea. Unde nomen urbi impositum est* Bersabee, q. d. Puteus saturitatis et abundantiæ.

Quinto, tale est 2. Reg. 8. 1: *Tulit David frænum tributi de manu Philistiim*, Hebr. *tulit David Metheghamma,* quod est nomen proprium loci, vel urbis, significatque *Frænum tributi.*

Sexto, tale est 2. Reg. 21. 19: *A Deo datus filius saltus*, hebr. *El chanan ben iaare*, quod fuit nomen proprium viri unius ex fortibus Davidis: sed *El* idem est quod Deus, *chanan* dedit *ben* filius, *iaare* saltus.

Septimo, tale est Proverb. 30. 1: *Verba congregantis filii vomentis;* hebr. *verba Agur filii Jake.* Agur enim fuit vir et doctor, filius Iake, qui verba sequentia dictavit, sed *Agur* significat congregantem, *Iake* vomentem.

Octavo, tale est 1. Paral. 4. 22: *Qui stare fecit solem virique mendacii, et securus, et incendens.* Hebr. est, *Joakim, et viri Kozba, et Joas, et Seraph:* quæ sunt nomina propria virorum; unde ea retinuerunt Septuag. Sequitur enim: *Qui principes fuerunt in Moab.* Sed *Joakim* idem est quod stare faciens, *kozba* est mendacium, *Joas* securus, *Saraph* incendens. Ibidem c. 2. 55: *Cinæi venerunt de calore patris domus Rechab.* Hebr. *Cinæi venerunt de Chamath patre Domus Rechab.* Ita Septuag. Pagnin. et Tigurina; *sed Chamath* hebr. significat calorem.

Nono, tale est nomen Petrus; nam S. Petrus in Syria Syriaco nomine à Christo vocatus est *Cephas*, cum prius vocaretur *Simon*, Joan. 1. 42. sed quia syriace *Cephas* idem est quod græce et latine Petrus et petra, scilicet super quam Christus ædificavit Ecclesiam; hinc à S. Matthæo cap. 16. 18. et veniens Romam à Romanis deinceps vocatus est Petrus: sicut Saulus vocatus est Paulus: *Saulus* enim est nomen Hebræum, *Paulus* Romanum.

Decimo, tale est quod Job ultimo v. 14. de tribus filiabus Job dicitur: *Et vocavit nomen unius Diem, et nomen secundæ Cassiam, et nomen tertiæ Cornustibii.* Hebr. *et vocavit nomen ejus Jemima*, id est diem, aut pressius Diariam (*Jom* enim est dies; inde *Jemina* est diaria) *et nomen secundæ Retsia*, id est Cassiam, *et no-*

men tertiæ kerenhaphuc, id est Cornustibii. Hæ ergo tres filiæ proprie à Jobo vocatæ sunt *Jemima, ketsia*, *kerenhaphuc;* sed Interpres nominum earum significata reddidit; quia ad ea allusit Job. Audi Nicetam: *Ideo*, inquit, *primam filiam Diem nominavit, quod ab obscurissima ærumnarum nocte ad felicitatem restitutam divinitus, quasi ad diei aspiciendam lucem, esset revocatus; secundam Cassiam appellavit, quod jam similis odoris quadam suavitate bonorumque voluptate frueretur. Tertiam Amaltheæ cornu* (sic enim vertunt Septuag.) *vocavit, quod vitam deinde vixerit omni bonorum genere peraffluentem.* Et Olympiodor. atque ex eo Vatabl. Filias, ait, ita vocavit in monumentum utriusque fortunæ, prosperæ et adversæ, quasi jam ex tenebris ad diem et lucem, à fœtore sterquilinii, in quo sederat, ad fragrantiam; ex sordibus saniei et ulcerum, ad nitorem et elegantiam rediisset. Unde pro *cornu stibii*, R. Abraham vertit, *cornu*, vel *robur immutatum* (hoc enim significat Hebr. *haphuc*) scilicet ex infirmitate et adversitate in hanc fortitudinem et felicitatem, priori et pristina longe majorem. Tropol. Olympiod. Dies sumus, inquit, cum lucifer Domini ortus fuerit in cordibus nostris. Cassia, cum suavis Christi odor progressu virtutum evadimus: Cornu stibii, vel Amaltheæ cum spiritualium charismatum ubertate complemur, et ad perfectionem properamus. Symbolice, Sanct. Greg. per tres hasce Jobi filias accipit tres status generis humani. Qui enim lux fuimus conditi, et nunc redempti, inquit, sumus Cassia, id est, fragrantes fortitudine, patientia et pœnitentia, erimus aliquando Cornu stibii in clangorem et exsultationem æternæ laudis assumpti. Ita ipse in verba citata Jobi c. 42.

2. Metonymia crebro utuntur Prophetæ, æque ac Poetæ (utrique enim sunt vates) metonymia enim inter omnes figuras et schemata est elegantissima. Sic civitas capitur pro civibus. Samaria pro Samaritis, Jerusalem pro Hierosolymitis, idolum pro idololatris, templum pro sacerdotibus, schola pro discipulis, Bacchus pro vino, peccatum Jeroboam pro cultu vitulorum aureorum, Isaias pro suis oraculis, Vulcanus pro igne, cœlum pro cœlitibus, terra pro terrigenis, Ceres pro frugibus, bene moratæ urbes pro bene moratis incolis, mors pallida pro mortuis pallidis, sidera pro cœlo, penates pro domo, os pro vultu, cuspis pro telo, ignis pro incendio, arx pro urbe, acies pro oculis, Mars pro bello, vertex pro capite, tellus pro terra, Neptunus pro mari, Pluto pro inferis, unda pro flumine, oliva pro oleo, toga pro pace, merces pro merito, peccatum pro supplicio, meritum pro præmio. Juxta hoc schema Trojam in Latio consignat Virgilius, dum ita canit.:

> Non Xanthus tibi, non Simois, non Dorica castra
> Defuerint, alius Latio jam partus Achilles,
> Natus et ipse Dea.

Ubi Latinum Achillem vocat Turnum, Dorica castra Rutulos, Xantum et Simoen à Anienem, Tiberim, etc.

3. Ablativi, Infinitivi, Gerundia suis verbis juncta, eorumdem significationem adaugent, et actionem complent, simulque important et indicant modum, quo ea fieri et peragi solet. Sic *videndo videre*, est clare et dilucide videre; quia visio fit media luce: *Audiendo audire* est recte audire et percipere; quia auditio fit auribus excipiendo, et mente retinendo verbum quod profertur. Sic *ore loqui*, vel *loquendo loqui*, est cordate vel præmeditate loqui: quia vere verbum oris est id, quod corde, id est mente, præconcipitur et præcogitatur.

4. Oculus corporis significat oculum mentis, puta intellectum: Sic et auris significat aurem mentis, puta voluntatem, quæ jussa audit, iisque obedit. sic Matth. 13. 9. dicitur: *Qui habet aures audiendi, audiat*, q. d. Qui habet voluntatem obsequentem et morigeram, hisce meis dictis obsequatur et obediat. Geminatio enim ejusdem vocis, puta *auris* et *audiendi*, significat perfectionem et complementum actionis, uti dixi can. 3.

5. Metalepsis est crebra apud Prophetas hosce minores, qua verbum, vel nomen sumitur, non præcise pro eo quod significat, sed pro eo quod inde consequitur; ut Osee 2. 21: *Exaudiam cælos, et illi exaudient terram*, hoc est, ego respondebo cœlis in siccitate tacite petentibus pluviam, qua terram sibi subjectam irrigent, nimirum eos ipsos nubibus complendo; et vicissim cœli respondebunt terræ sitienti et petenti pluviam, illam in eam distillando. Ex responsione enim intelligitur postulatio; hanc enim illa consequi solet; nemo enim respondet nisi rogatus: *Et terra exaudiet triticum et vinum, et oleum; et hæc exaudient Jezrahel*, q. d. Jezrahel, id est semen et populus Dei, puta Israelitæ petunt triticum, vinum et oleum, illisque quasi dicunt: Eia date nobis copiam vestri, cibate et pascite nos; hæc vicissim dicunt terræ: Eia esto fœcunda, parturi nos, ut satiemus Jezrahel; terra rursum invocat cœlum: Eia da mihi pluviam, ut germinare possim triticum, vinum et oleum. Cœlum denique invocat Deum. Eia, Domine, imple me nube, rore et pluvia, ut ea distillem in terram, eamque fœcundem. Deus exaudit cœlum, dando ei nubes et pluviam: cœlum exaudit terram, distillando ea; terra deinde exaudit triticum, vinum et oleum germinando et producendo ea: hæc denique exaudiunt Jezrahel, copiose germinando et nascendo, dandoque se Jezraheli in messem et cibum. Itaque omnium votis satisfit à Deo, qui omne animal implet benedictione; sed debito ordine et gradatione jam dicta.

6. Prophetæ minores mira quadam harmonia majoribus concinunt; quia easdem pene res prænunciant quas majores, puta captivitatem Assyriacam et Babylonicam, adventum Messiæ, Ecclesiæ Sacramenta, etc. Voluit enim Deus oraculi sui tot testes dare, ut nemo de eo dubitare possit, cum idem omnes prænuncient, ac in omnibus consonent, in nullo dissonent. Hoc enim invincibile veritatis, veræque divinationis est argumentum, quo passim utuntur S. August. contra Manichæos, et Tertullianus contra Marcionem, ut probent auctoritatem tam novi quam veteris testamenti, ac utriusque auctorem fuisse Deum, ex eo quod per omnia unum alteri pulchra et discordi quadam concordia, velut voces diversæ et discordes in musico concentu, consonet et consentiat. Sicut enim umbra consentit, et ad amussim correspondet corpori, sic et vetus testamentum novo. Hinc minores Prophetæ majoribus sunt quasi

suppares, quod enim hi fusius et fluentius, hoc illi concisius et nervosius dicunt. Ita Michæas suppar et æmulus est Isaiæ, imo ad verbum subinde idem cum eo dicit, ut cum c. 4. v. 1. ait : *Et erit in novissimo dierum mons domus Domini præparatus in vertice montium*, et cætera usque ad v. 4. Eadem pene ad verbum habet Isaias c. 2. Rursum quod Michæas de castris Sennacherib ait c. 5. 1 : *Nunc vastaberis filia latronis, obsidionem posuerunt super nos;* hoc idem de iisdem ait Isaias c. 33. 1 : *Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis? et qui spernis, nonne et ipse sperneris?* etc. Sic quod ait Osee c. 10. 8 : *Et dicent montibus, Operite nos, et collibus, Cadite super nos?* hoc Isaias cap. 2. 19. dicit: *Et introibunt in speluncas petrarum, et in voragines terræ à facie formidinis Domini, et à gloria majestatis ejus, cum surrexerit percutere terram.* Sic prophetia Abdiæ contra Idumæos, eadem est cum prophetia Jeremiæ contra eosdem c. 49. 14. et seq. ut patet conferenti utramque. Sic quod ait Nahum. c. 1. 15 : *Ecce super montes pedes evangelizantis et annunciantis pacem*, totidem verbis habet Isaias cap. 52. 7. Sic quod ait Zacharias c. 9. 9 : *Exsulta satis, filia Sion, jubila, filia Jerusalem : ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator;* iisdem verbis recenset Isaias c. 62. 11. Similia sunt perplura.

7. Apud prophetas, præsertim minores, creber est sarcasmus, id est, hostilis irrisio, vel jocus cum amaritudine : qualis est ille Pyrrhi ad Priamum jamjam occidendum apud Virgil. Æneid. 2 :

> Referes ergo hæc, et nuncius ibis
> Pelidæ genitori : illi mea tristia facta,
> Degeneremque Neoptolemum narrare memento.

Talis est Proverb. 1. 16 : *Despexistis omne consilium meum*, etc. *Ego quoque in interitu vestro ridebo*, et *subsannabo, cum vobis id quod timebatis evenerit.* Sic regem Babylonis à Cyro cæsum irridet Isaias c. 14. 12 : *Quomodo cecidisti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris?* Et Ezechiel regem Tyri c. 28. 12 : *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti*, etc. *donec inventa est iniquitas in te : et ejeci te de monte Dei, et perdidi te, ô Cherub.* Talis est illa gentium vox de Jerusalem : *Lapidetur, et aspiciat in Sion oculus noster*, Michææ 4. 11.

8. Creber quoque est mycterismus, id est, subsannatio, sive irrisio cum suspensione nasi, ac risus Sardonius, de quo Cicero lib. 7. epist. 26. ad Fabium Gallum : *Videris*, inquit, *mihi vereri, ne, si istum habuerimus, rideamus* γελωτα σαρδωνιον, significans futurum, ut, si Cæsar rerum potiretur, multis arridere atque applaudere cogerentur quæ magnopere displicerent : μυκτηρ enim græce significat nasum, qui index est iræ et irrisionis. Unde Plinius l. 11. c. 37 : *Et altior* (nasus) *homini tantum, quem novi mores subdolæ irrisioni dicavere.* Hinc nasum suspendere, est tacite et vafre irridere. Unde Horat. lib. 1. serm. satyr. 6 :

> Naso suspendis adunco.

Et Persius satyra 1. de Horatio :

> Callidus excusso populum suspendere naso.

Idem satyra 5 :

> Disce, sed ira cadat naso, rugosaque sanna.

Et Martial. lib. 1. epigram. 32 :

> Et pueri (dicaces) nasum Rhinocerotis habent.

Hinc *nasutus* vocatur qui docte novit alios irridere. Unde Martial. lib. 13. epigr. 2 :

> Nasutus sis usque licet, sis denique nasus.

Ita Cicero subsannat Verrem, comparans cum verri, id est porco, act. 3 : *Homines*, ait, *negabant mirandum esse, jus tam nequam esse verrinum.* Verres enim et hominem, et suem significat; ac jus tam civile est, quàm suillum. Et act. 6 : *Siculi*, ait, *Sacerdotem exsecrabantur, qui verrem tam nequam reliquisset.* Nam C. Sacerdos Siciliæ prætura abiens, successorem reliquerat Verrem; et sacerdos, id est mactator, reliquit verrem, id est suem, quam non mactavit, utpote victimam fœdam et Diis ingratam. Talis est Michææ 6. 3 : *Popule meus, quid feci tibi? aut quid molestus fui? responde mihi. Quia eduxi te de terra Ægypti, et de domo servientium liberavi te, et misi ante faciem tuam Mosen et Aaron, et Mariam?* q. d. Quid mali tibi feci, ô Israel! anne summa mea beneficia quæ in te contuli, maleficia æstimas, et ut talia mihi improperas? Liberavi te ex Ægyptio carcere, deduxi per Mosen usque in Chanaan: hæccine mihi objicis? non enim habes aliud quod mihi objicias. Similis est Osee 7. 16 : *Reversi sunt ut essent absque jugo, facti sunt quasi arcus dolosus : cadent in gladio principes eorum à furore linguæ suæ. Ita subsannatio eorum in terra Ægypti.* Et Amos cap. 2. 13 : *Ecce ego stridebo subter vos sicut stridet plaustrum onustum fœno.* Et c. 4. 12 : *Quapropter hæc faciam tibi Israel; postquam autem hæc fecero tibi præparare in occursum Dei tui*, q. d. Occurre, si potes, Deo te invadenti, cum illo manus consere, vim vi propulsa, si vales. Et Isaiæ 57. 13 : *Cum clamaveris, liberent te congregati tui*, q. d. Reliquisti me, ô Sion! vade ergo ad Deos tuos : in tribulatione eos inclama, illi liberent te.

9. Solent Prophetæ post oracula excidii et cædium, subjungere carmen funebre, sive epitaphia, vel ad majus pathos, vel ad leniendam oraculi atrocitatem. Ita Michæas c. 2. 4. Samariæ exscindendæ hoc pangit carmen funerale : *In illa die sumetur super vos parabola, et cantabitur canticum cum suavitate dicentium : Depopulatione vastati sumus, pars populi mei commutata est. Quomodo recedet à me, cum revertatur qui regiones nostras dividat.* Simile Babyloni et et Baltasari pangit Isaias c. 14. 4. Et Ezechiel Tyro cap. 26. 17 : *Quomodo*, inquit, *peristi, quæ habitas in mari, urbs inclyta?* etc. Et Ægypto cap. 32. 19. Et Jeremias Hierosolymæ in Threnis. Porro primum orbis et commune Patriarcharum epitaphium exstat Gen. 5.3 : *Vixit Adam nongentis triginta annis, et mortuus est. Vixit Seth nongentis duodecim annis, et mortuus est*, etc. Ita David Sauli et Jonathæ occisis hunc planctum planxit 2. Reg. 1. 18 : *Inclyti Israel super montes tuos interfecti sunt : quomodo ceciderunt fortes? Montes Gelboe nec ros, nec pluvia veniant super vos, quia ibi abjectus est clypeus fortium. Sagitta Jonathæ nunquam rediit retrorsum, et gladius Saul non est reversus inanis. Saul et Jonathas amabiles, et decori in vita sua, in morte quoque non sunt divisi : aquilis velociores, leonibus fortiores.* Solebant enim in hoc carmine defunctorum virtutes et victorias decantare. Unde Virgil. ecloga. 5. Daphnidis, id

est Cæsaris, vel Quintilii Vari, cædem deflens, hoc ejus epitaphium, imo apotheosim canit :

> Et tumulum facite, et tumulo superaddite carmen.
> Daphnis ego in silvis, hinc usque ad sidera notus.

Et paulo ante :

> Daphni tuum pœnos etiam ingemuisse leones
> Interitum, montesque feri, silvæque loquuntur.
> Daphnis et Armenias curru subjungere tigres
> Instituit (*quia Cæsar sacra Liberi patris ex Armenia Romam transtulit*) Daphnis thyasos inducere Baccho,
> Et foliis lentas intexere mollibus hastas, etc.

Nimirum epitaphia hæc duplici fine inventa sunt. Prior est, ut viventibus sint mortis specula, eosque moneant vitam hanc esse comœdiam, in qua quisque personam agit vel rustici, vel regis, vel Pontificis, donec finiatur actio comica, vel tragica. Posterior, ut iisdem sint virtutum exempla et incitamenta. Ita Virgil. 11. Æneid.

> Ite, ait, egregias animas, quæ sanguine nobis
> Hanc patriam peperere suo, decorate supremis
> Muneribus.

Idipsum ad vivum in seipso repræsentavit moriens Augustus Cæsar, uti refert Sueton. in ejus vita. Nam astantibus dixit : *Satisne belle, amici, personam nostram egimus?* Illis respondentibus : *Belle; Valete ergo*, inquit, *et plaudite :* ac reducta cortina animam exhalavit, significans vitam hanc esse fabulam, in eaque se egisse personam Imperatoris : eam se nunc in morte ponere, ac in terram, è qua formatus erat, redire; posteris autem fortunati imperatoris effigiem relinquere, ut jure singuli ei succedentes sibi acclamari optent : *Augusto felicior, Trajano melior.* Tertio, epitaphia hæc sunt heroicorum facinorum decora, æque ac defunctorum monumenta, ut vivant in memoria charorum et posterorum, itaque æternitatem nominis consequantur : hanc enim ex instinctu naturæ optat et ambit homo, quod ipsum signum est immortalitatis et æternitatis animæ, ac resurrectionis; nisi enim ipsa æterna esset, non ambiret æternam suî memoriam ; nam ideo in mentibus hominum semper vivere exoptat, quia in seipsa semper vivit sentitque, et gaudet se vivere in mentibus aliorum. Adde, cum natura hoc æternitatis desiderium animis hominum inseverit, sequitur ipsos æternos esse. Natura enim nihil facit frustra, nec appetitus frustraneos inserit, aut à se insertos frustrari patitur. Denique quartam causam assignat S. August. scilicet ut pro defunctis fidelibus oretur. Audi eum libr. de Cura pro mortuis, cap. 4 : *Non ob aliud*, ait, *Memoriæ, vel monumenta dicuntur ea, quæ insignita sunt sepulcra mortuorum, nisi quia eos qui viventium oculis morte subtracti sunt, ne oblivione etiam cordibus subtraherentur, in memoriam revocant, et admonendo faciunt cogitari.* Et mox : *Cum itaque recolit animus, ubi sepultum sit charissimi corpus, et occurrit locus nomine Martyris venerabilis, eidem Martyri animam dilectam commendat recordantis et precantis affectus. Qui cum defunctis à fidelibus charissimis exhibetur, eum prodesse non dubium est iis, qui cum in corpore viverent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt.* Pergit deinde ostendere hæc monumenta non tantum esse vivorum solatia, sed et mortuorum adjumenta. Iisdem de causis quotidie in Martyrologio legimus Sanctorum eo die defunctorum agones et triumphos.

Can. 10. Prophetæ minores, quia concisi sunt et pathetici, hinc affectibus abundant, eosque alternant et miscent, ut nunc peccatoribus minentur iram Dei, nunc blandiantur, nunc terreant, nunc consolentur, nunc irascantur, nunc misereantur, nunc fulminent, nunc gemant, nunc rideant, nunc plorent; perinde ut videmus homines in ira, mœrore, gaudio, vel desperatione constitutos, hosce affectus alternare; loquuntur enim quæcumque affectus varii et inter se pugnantes, puta nunc ira, nunc spes, nunc timor, nunc mœror, vicissim exsurgentes suggerunt. Hac de causa abundant hyperbatis, aposiopesibus, emphasibus, aliisque figuris patheticis, quæ vel indignationem, vel misericordiam concitant; hinc etiam sententiæ sequentes, subinde immediate præcedentibus non sunt connexæ; sed eas quæ multo ante præcesserunt, respiciunt: ut Michææ 7. v. 5. τὸ *Nolite credere amico*, non cohæret cum eo quod præcessit. *Nunc erit Vastitas eorum,* sed cum eo quod superius dixit v. 2 : *Periit vir sanctus de terra,* etc. *Vir fratrem suum ad mortem venatur.*

Can. 11. Omnes Prophetæ pro fine et scopo habent Christum, in eumque toti collimant. Quocirca sæpe ad eum avolant; et quod observatione dignum est, omnes, excepto Jona et Nahum, expresse in Christo desinunt, in eoque oracula sua finiunt, quasi ei coronidem operis sui assignantes. Primus enim Osee cap. ult vers. 6. ita Christum pingit : *Ero quasi ros Israel : germinabit sicut lilium, et erumpet radix ejus ut Libani.* Secundus Joel cap. 3. v. 18. ita concludit : *Et erit in die illa* (Evangelii) *stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte, et per omnes rivos Juda ibunt aquæ*, etc. *Et Dominus commorabitur in Sion.* Tertius Amos c. 9. 11 : *In die illa*, inquit, *suscitabo tabernaculum David* (puta regnum et Ecclesiam Christi) *quod cecidit, et reædificabo aperturas murorum ejus*, etc. *Ut possideant reliquias Idumææ et omnes nationes, eo quod invocatum sit nomen meum super eos.* Quartus Abdias ita desinit : *et ascendent salvatores in montem Sion, indicare montem Esau, et erit Domino regnum.* Quintus Michæas ita finit: *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, et transis peccatum?* etc. *Revertetur et miserebitur nostrî, et deponet iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra : dabis veritatem Jacob, misericordiam Abraham, quæ jurasti patribus nostris à diebus antiquis.* Christus enim est veritas et misericordia, olim promissa Abrahæ et Patribus. Sextus Habacuc ita clare in Christo exsultans conquiescit : *Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo*, cap. 3. 18. Septimus Sophonias cap. ult. v. 9 : *Tunc*, ait, *reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, et serviant ei humero uno. Ultra flumina Æthiopiæ, inde supplices mei filii dispersorum meorum deferent munus mihi.* Et v. 14 : *Lauda, filia Sion, jubila, Israel, lætare et exsulta in omni corde, filia Jerusalem*, etc. Octavus Aggæus ita concludit : *Ego movebo cœlum pariter et terram. In die illa, dicit Dominus exercituum, assumam te, Zorobabel* (in Christo ex te nascituro) *fili Salathiel, serve meus, dicit Dominus; et ponam te quasi signaculum : quia te elegi.* Zorobabel enim

hîc repræsentat Christum, quasi pater filium. Nonus Zacharias cap. ult. v. 7 : *Et erit*, ait, *dies una, quæ nota est Domino, non dies, neque nox, et in tempore vesperi erit lux.* Et *erit in die illa, exibunt aquæ vivæ de Jerusalem. Et erit Dominus rex super omnem terram ; in die illa erit Dominus unus, et erit nomen ejus unum.* Decimus Malachias ita finit in Elia, qui secundum Christi adventum præcurret : *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum.* Undecimus Daniel pari modo cap. 12. oracula sua obsignat resurrectione et judicio Christi. *Multi*, inquit, *de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, et alii in opprobrium, ut videant semper. Qui autem docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Duodecimus Isaias simili argumento librum terminat: *Assumam ex eis*, inquit, *sacerdotes et Levitas, dicit Dominus, quia sicut cœli novi et terra nova, quæ ego stare facio coram me, dicit Dominus, sic stabit semen vestrum et nomen vestrum. Et erit mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato*, etc. Decimus tertius Ezechiel, cum novam Jerusalem, puta Ecclesiam Christi, descripsisset, in ea desinit, dicens : *Et nomen civitatis ex illa die, Dominus ibidem.* Decimus quartus Jeremias, Threnos ita claudit cap. 4. 20 : *Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris, cui diximus : In umbra tua vivemus in gentibus.* Ita Prophetæ, Apostoli, Sanctique omnes quodlibet opus in Christo incipiunt, in Christo finiunt et desinunt, eique quasi centro cordis sui dicunt cum S. Nazianzeno : *A te principium, tibi desinet :* uti S. Paulus omnes omnino epistolas suas orditur à Jesu Christo, et pene omnes in eodem terminat. Vides hîc ut finis legis et Prophetarum, æque ac Apostolorum et Sanctorum, sit Christus. Sicut enim is qui aliquid vehementer amat, de eo crebro cogitat, loquitur, somniat ; sic et Prophetæ quasi divini in amoris sauciati vulnere, quo futurum Messiam ardebant, omnes suos cogitatus, verba et facta eo flectebant, ut illum quærerent, illum sonarent ; illius denique, in quo uno salus et redemptio mundi posita erat, vitam, mores et mysteria, ubicumque commode possent, repræsentarent.

12. Verba S. Scripturæ et Prophetarum diversos, imo contrarios subinde habet sensus, idque quia à diversis, imo contraria sentientibus proferuntur; vel diversas, imo contrarias causas, effectus aut fines respiciunt. Exemplum illustre, est Joan. 11. 50. Ubi Caiphas de Christo ait : *Expedit vobis ut unus homo moriatur pro populo, et non tota gens pereat.* Quibus verbis Caiphas intendebat significare, expedire Judæis, ut Christum neci darent, ne Romani Judæam, quæ Christum quasi Messiam regem Judæorum Cæsari oppositum colebat, invaderent; quod sane politicum, scelestum et diabolicum erat consilium. Verum Spiritus Sanctus qui movebat linguam Caiphæ, non cor, ut ait S. Chrysost. per hæc ejus verba longe aliud intendebat significare, nimirum, expedire ut Christus pro salute populi moreretur, ac morte sua redimeret Judæos, omnesque gentes ; quod non intelligebat Caiphas. Unde subdit S. Joannes : *Hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex* (ideoque caput Ecclesiæ veteris) *anni illius prophetavit* (materialiter, non formaliter) *quod Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum.*

Sic 4. Reg. 8. v. 10. Hazael consulens Eliseum, rogansque an Benadad rex Syriæ à morbo revalesceret nec ne, ab eo audit : *Vade, dic ei : Sanaberis : porro ostendit mihi Dominus, quia morte morietur.* Si sanabitur, quomodo morte morietur? An vero jubet Propheta Hazaeli, ut regi suo mentiatur? Absit. Itaque duo contraria significat hîc Propheta, quorum utrumque erat verum. Prius, morbum regis non esse lethalem. unde ait, *Sanaberis*, scilicet quantum est ex parte morbi, q. d. Morbus tuus non est lethalis, morbo tuo non morieris ; idque erat verum : posterius, *morte* tamen *morietur*, scilicet non naturali, sed violenta : nam Hazael regnum ambiens, et invadens, v. 15 : *Tulit stragulum, et infudit aquam, et expandit super faciem ejus*, itaque suffocavit eum prætextu refrigerationis : *Quo mortuo, regnavit Hazael pro eo.*

Similis antiphrasis est 3. Reg. 22. 15. ubi Michæas Propheta consultus ab Achab rege Israel, an oppugnatio urbis Ramoth sibi foret prospera, nec ne, respondet : *Ascende, et vade prospere, et tradet eam Dominus in manus regis*, q. d. Quia vis ascendere, ascende, optoque ut prosper hic sit ascensus, urbsque tibi tradatur : verumtamen per prophetiam scio contrarium eventurum : scio enim quia ibi occideris, uti paulo post occisus est. Est ergo ironia, ut notant ibidem Abulens. et Vatabl.

Huc facit quod scribit Ambros. Catharinus in Vita S. Catharinæ Senensis lib. 2. c. 28 et 29. Ipsi à Deo revelatos esse duos sensus illius orationis Christi in horto : *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste ; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*, Matth. 26. 39. Sensus, inquam, novos et diversos, imo in speciem contrarios vulgari expositioni. Prior est, q. d. Pater mi, illico da mihi bibere calicem passionis ; illum enim avidissime sitio : da ut illico patiar et moriar : ardor enim meus patiendi nullas patitur moras, ne quidem horæ, vel instantis unius : fac ergo ut illico per me transeat, ac deinde à me transeat calix iste ut, per passionem meam abolita morte et peccato, illico redimam genus humanum, itaque ad te revertar, ut te fruar, mi pater. Hoc enim Christus, optabat secundum spiritum : optabat enim accelerare et absolvere opus redemptionis nostræ, ad quod à Patre erat missus. Unde ipse ait : *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur?* Lucæ 12. 50. Et paulo ante passionem : *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum.* Voluit enim dare exemplum S. Ignatio, Laurentio, Vincentio, aliisque generosis Martyribus desiderandi cruces, et ambiendi martyria. Secundum carnem tamen optabat contrarium, nimirum, *transeat*, id est, auferatur à me calix passionis. Porro hi duo sensus se invicem compatiuntur : poterat enim Christus unum orare secundum carnem, alterum secundum spiritum. Si poterat, probabile est eum fecisse. Nam si Apostolus ait 1. Corinth. 14 : *Orabo spiritu, orabo et mente;* multo magis Christus orans carne, oravit et spiritu : spiritus autem desiderium erat contrarium desiderio carnis : caro ergo hisce verbis optabat transferri à se passionem, spiritus vero optabat eam accelerari, et celeriter per-

transire. Posterior sensus illius orationis S. Catharinæ revelatus est hic : Videbat, inquit ipsa, Christus Dominus multos fore ingratos suæ passioni, mansuros in peccatis, ac damnandos, hic erat ei summus dolor, huncque vocat suum calicem, q. d. Transeat à me calix iste, id est, amove à me hunc dolorem, hoc tormentum, puta hunc numerum damnandorum : fac ut omnes meæ passionis ita sint participes, ut salventur. Et si hoc Christus absolute et efficaciter orasset, utique impetrasset; quia Pater nil negat Filio : sed maluit Christus ex reverentia se conformare Patris voluntati et justitiæ, ideoque subjunxit : *Verum tamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Ita S. Catharina. Hosce S. Catharinæ Senensis sensus citat et sequitur inter alios noster Ludovicus de Ponte, Meditatione de oratione Christi in horto. Verum hæc sobrie accipienda sunt, nec imitanda, nisi ex Dei revelatione, vel aliunde constet illos sensus intentos fuisse à Spiritu Sancto. Qua in re peccant multi concionatores, qui ex cerebro suo fingunt sensus S. Scripturæ, sæpe ipsi litteræ et menti Spiritus Sancti contrarios, contra quos egi superius quæst. 3.

Simili modo vox carnis afflictissimæ est illa Job, maledicentis diei suo c. 3. 2 : *Pereat dies in qua natus sum;* Vox vero spiritus est : *Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum;* Job. 1. 21. Sic vox carnis est illa Jeremiæ cap. 20. 14 : *Maledicta dies in qua natus sum, etc. Quare de vulva egressus sum, ut viderem laborem et dolorem, et consumerentur in confusione dies mei?* Vox vero spiritus : *Cantate Domino, laudate Deum : quia liberavit animam pauperis de manu malorum.* Ibidem v. 13. Sic sæpe aliud caro nostra orat, aliud per eamdem orationem petit et impetrat Spiritus Sanctus. Nam, ut ait Apostolus Rom. 8. 26 : *Quid oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus : quia secundum Deum postulat pro sanctis.* Pari modo in Scriptura solerter secernendæ sunt sententiæ fidelium et piorum, à sententiis dictisque infidelium et impiorum : ut Ecclesiastæ 3. 19 : *Unus interitus est hominis et jumentorum, et æqua utriusque conditio, etc. et nihil habet homo jumento amplius.* Quæ verba S. Gregor. l. 4. Dialog. 4. Olympiod. et alii interpretes, censent dici a Salomone, non in persona propria, sed in persona Epicureorum, negantium animæ immortalitatem. Sic in libro Job solerter distinguenda sunt verba Job à verbis Eliphaz, aliorumque amicorum ejus : illa enim probantur à Deo, hæc improbantur. Job ult. v. 7. Simili modo in Evangelio S. Joannis, secernenda sunt verba Judæorum Christo credentium, à verbis incredulorum. In eadem enim turba alii credebant Christo, alii non credebant. Unde contraria sentiunt et dicunt : illi enim probant, hi improbant dicta Christi. Quare videndum quid cuique sit tribuendum. Hoc canone multas solvemus antilogias, multa loca in speciem contraria conciliabimus.

13. Hebræum כי *ki,* id est, *quia, quoniam,* sæpe non causam significat, nec rationale est, sed exceptivum, vel adversativum, vel sermonis inchoativum, vel encliticum, et ornatus dumtaxat gratia additum. Hinc Primo, *ki,* id est, *quoniam,* ponitur pro *quamvis,* psal. 77. 20 : *Quoniam,* id est quamvis, *percussit petram, et fluxerunt aquæ, etc. Numquid et panem poterit dare, aut parare mensam in deserto?* Habacuc. 2. 18 : *Quid prodest sculptile, quia,* id est quamvis, *sculpsit illud fictor suus?*

Secundo *ki,* id est *quoniam,* est nota asseverationis, et capitur pro *sane, certe, enimvero.* Psal. 17. 30 : *Quoniam,* id est enimvero, *in te eripiar à tentatione;* Ps. 54.13 : *Quoniam,* id est sane, *si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique.*

Tertio, *ki* sæpe est nota initii sermonis, et periodum inchoat, uti videre est in Psalmis. Sic Lucæ 1. 61. dicitur : *Et dixerunt ad illum : Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.* Osee 11. 1 : *Quia puer Israel, et dilexi eum.*

Quarto, *ki,* id est, *quia,* ponitur pro *quod.* Lucæ 2. vers. 13 : *Sicut scriptum est in lege Domini, quia,* id est quod, *omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.*

Quinto *ki,* id est, *quia,* sumitur pro *porro, adhæc, insuper.* Sophon. 3. 9 : *Quia,* id est insuper, *tunc reddam populis labium electum.*

Sexto, *ki* ponitur pro אשר *ascer,* relativo, id est *qui.* Gen. 4. 25 : *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem* (hebr. *ki,* id est *quia occidit Cain.* Exodi 13. 17 : *Non eos duxit Deus per viam terræ Philisthiim, quæ* (hebr. *ki,* id est, *quia*) *vicina est.*

Septimo *ki,* id est, *quia* est adversativum, capiturque pro *sed.* 2. Reg. 16. 18 : *Nequaquam, quia,* id est sed, *illius ero, quem elegit Dominus.*

Octavo, *ki* est nota temporis, significans *quando, cum* Gen. 4. 12 : *Cum* (hebr. *ki*) *operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos.*

Nono, *ki* est exceptivum, idem valens quod *nisi.* 1. Reg. 30. 17 : *Et non evasit ex eis quisquam nisi,* hebr. *ki, quadringenti viri.* Est apocope כי *ki* enim ponitur pro כיאם *kiim,* id est, nisi.

Decimo, *ki* cum geminatur, est disjunctivum, significans *aut, vel,* ut 3. Reg. 18. 27. *Aut,* hebr. *ki, in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit* vester Deus Baal.

Undecimo, est negativum, significans *ne, non.* Isaiæ 30. 21 : *Hæc est via, ambulate in ea, et non* (hebr. *ki*) *declinetis, neque ad dexteram, neque ad sinistram.*

Post schisma Jeroboam et decem tribuum à duabus, earumque rege Roboam, usque ad captivitatem Babylonicam, distinguuntur hæc duo nomina, *Israel* et *Juda. Israel* enim decem, *Juda* duas tribus significat. Post captivitatem vero Babylonicam, *Israel* et *Juda* pro eodem accipiuntur, scilicet pro duabus tribubus : tum quia in his solis perstitit familia et nomen Israelis, id est, Jacobi Patriarchæ cæteræ enim tribus toto orbe dispersæ fuerunt : tum quia multi fideles è decem tribubus, junxerunt se Judæ. Tribus ergo Juda cæteras decem, quæ Israel vocabantur, complexa est. Ita S. Cyrill. Ribera et Arias in cap. 12. Zachariæ v. 1. Sic Zacharias pater Joannis Baptistæ canit : *Benedictus Dominus Deus Israel,* id est Judæorum. Sic Christus ait se missum ad oves quæ perierunt domus Israel. Sic Evangelistæ sæpe nominant *Israel;* nec alium intelligunt, quam populum Judaicum, utpote qui solus ex stirpe Israelis restabat, eratque hæres promissionum Abrahæ et Israeli, id est Jacobo, à Deo factarum.

15. Verba activa Hebræorum sæpe non actionem et effectum, sed agendi virtutem, vim et

potentiam significant. Sic Christus Joannis 1. vocatur *Agnus, qui tollit peccata mundi : Lux quæ in tenebris lucet, et illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, scilicet quantum in se est, q. d. Christus in se habet virtutem tollendi peccata, dispellendi tenebras, et illuminandi omnem hominem, nimirum, nisi ipse oculos claudat et lucem hanc videre nolit, uti multi infideles et impii fecerunt, et faciunt. Simili modo dicimus : Hic ignis urit; hæc aqua humectat, id est, habet vim urendi, humectandi, etc. etiamsi sæpe nil urat, nec humectet. Ita intellige illud Marci ultimo : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*, scilicet quantum est ex natura et vi fidei et baptismi; si nimirum is qui credidit, leges et præcepta fidei, ac spiritum baptismo acceptum sequatur, et exsequatur in servandis Christi mandatis. Et illud Joan. 6. 55 : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*, scilicet quantum est ex vi Eucharistiæ ; cui tamen peccator obicem suis peccatis ponere potest, eamque elidere. Sic sæpe Scriptura cum enarret opera Dei, magis significat ea quæ facere potest, quàm quæ reipsa facit : ut, *Qui respicit terram, et facit eam tremere : qui tangit montes, et fumigant*, Psalm. 103. v. 32 : *Qui præcipit soli, et non oritur, et stellas claudit quasi sub signaculo*, Job. 9. 7. Et clarius v. 6 : *Qui commovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutiuntur*, hoc est, concutere et commovere potest. Sic Zacharias c. 12. v. 12. dicit, quod omnes familiæ Judæorum videntes Christum in cruce confixum, plangent, id est, jure plangere poterunt et debebunt. Quem enim ad planctum non moveat Deus in cruce fixus? etiamsi de facto multi increduli eum non planxerint, sed subsannarint. Et Amos c. 8. 10 : *Convertam*, ait, *omnes festivitates vestras in luctum, et omnia cantica vestra in planctum, et inducam super omne dorsum vestrum saccum, et super omne caput calvitium.* Non est necesse omnes sacco indui, aut omnia capita decalvari; sed sensus est, q. d. Tanta erit clades, ut merito omnes possint saccum induere, et caput decalvare. Et Isaiæ c. 4. 1 : *Apprehendent septem mulieres virum unum in illa die.* Id factum nusquam legimus ; sed sensus est, q. d. Tanta erit cædes virorum, ut vix unus maritus septem mulieribus reperiatur, ac consequenter ut septem mulieres pro uno marito certare possint, vel debeant, si more gentis suæ nubere velint.

Can. 16. Prophetæ, præsertim Zacharias, sæpe utuntur apologis, tum ad obscuritatem, quæ propria est prophetiæ, tum ad elegantiam; tum ad excitandam auditorum torpertium, imo oracula Dei aversantium iisque adversantium, attentionem ; sicut Demosthenes judicum oscitantium attentionem excitavit, narrando fabulam mulionis, de umbra asini in ardente sole contendentis cum asini conductore. Ea enim curiositas hominum, ut ad fabulas et res novas aures arrigant, ad graves et serias demittant, velut iniquæ sortis aselli. Insignis apologus est Joas filii Gedeonis, dictatus ab eo contra Sichimitas, qui regem sibi crearant spurium et tyrannum Abimelech, Judic. 9. 8 : *Ierunt*, ait, *ligna ut ungerent super se regem, dixeruntque olivæ : Impera nobis. Quæ respondit : Numquid possum deserere pinguedinem meam, qua et dii utuntur et homines, et venire ut inter ligna promovear? Dixeruntque ligna ad arborem ficum : Veni, et super nos regnum accipe. Quæ respondit eis : Numquid possum deserere dulcedinem meam fructusque suavissimos, et ire ut inter cætera ligna promovear? Locutaque sunt ligna ad vitem : Veni et impera nobis. Quæ respondit eis : Numquid possum deserere vinum meum quod lætificat Deum et homines, et inter ligna cætera promoveri? Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum : Veni, et impera super nos. Quæ respondet eis : Si vere me regem vobis constituetis, venite et sub umbra mea requiescite; si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, et devoret cedros Libani*, sensus est, q. d. Vos, ô Sichimitæ, elegistis vobis in regem Abimelech parricidam et tyrannum, quasi rhamnum, qui proinde vos punget et cruciabit. Justo ergo Dei judicio vobis eveniet, ut lis et bellum inter vos et Abimelech concitetur quo et vos ipsum conficiatis et ipse vicissim vos, ut utrique pereatis. Tyrannus enim in suos, etiam nobilissimos, si, ut communiter fit, ob tyrannidem ei litem moveant, exitium immittit; quo tamen et ipse afflatur pariter, interitque, uti in plerisque tyrannis visum est. Verus Propheta fuit Joas, nam Sichimitæ et Abimelech se invicem confecerunt. Similis apologus est Joas regis Israel, ad Amasiam regem Juda se provocantem ad Bellum : *Carduus*, ait, *Libani misit ad cedrum quæ est in Libano, dicens : Da filiam tuam filio meo uxorem. Transieruntque bestiæ saltus quæ sunt in Libano, et conculcaverunt carduum.* Apologum explicat dicens : *Percutiens invaluisti super Edom, et sublevavit te cor tuum; contentus esto gloria et sede in domo tua; quare provocas malum, ut cadas tu et Judas tecum?* 4. Regum 14. v. 9. Similis est Zachariæ 11. 2. *Ulula, abies, quia cecidit cedrus*, q. d. Ululate, plebeii, quia ceciderunt magnates. Et v. 1 : *Aperi, Libane, portas tuas, et comedat ignis cedros tuos*, hoc est; aperi, ô Jerusalem, portas tuas Tito et Romanis, qui domos tuas cedrinas comburent. Idem toto cap. 5. eleganti apologo describit captivitatem Judæorum in Babylone, per mulierem impositam amphoræ, et ab alis milvinis translatam in Sennaar, id est in Babylonem. Plurimi similes sunt apud Zachariam et cæteros Prophetas, quos paulo post inter Hieroglyphica, vel Ænigmata, ordine recensebo.

Can. 17. Prophetæ subinde alludunt ad fabulas Gentilium et Poetarum, tum quia hæ fabulæ apud Gentiles erant tritæ et celebres ; tum quia subinde non tam fabulæ, quam ænigmata, aut mythologiæ sunt, ad morum informationem compositæ; quales sunt fabulæ Æsopi, quæ magnam sapientiam et prudentiam continent; Ethicam enim docent per appositas rerum fictiones et fabulas. Hinc celebris fuit apud veteres Theologia μυθικη, id est fabulosa (et Mythologi habiti sunt Philosophi, imo Theologi) de qua Fulgentius librum scripsit ; ejusque meminit S. August. libro 6. de Civit. cap, 5. et Euseb. lib. 3. Præpar. cap. 2. Sic Malachias c. 4. 2. dicens : *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus*, alludit ad fabulam phœnicis ; quia phœnix symbolum est et ænigma solis, qui radiis suis quasi pennis vestitur, iisque vitam et sanitatem cunctis viventibus impertit. Sensus ergo est, q. d. Orietur Christus, qui à morte redivivus quasi phœnix, id est, quasi sol salutaris, radiis gratiæ et gloriæ suæ, velut pennis contingens justos mortuos et sepultos, eos à morte ad vitam suscitabit, sanabit,

beabit et glorificabit. Sic Judith cap. 16. 8. dicitur : *Nec filii Titan percusserunt eum*, Holofernem. Ubi alluditur ad fabulam Titanum, quos Poetæ fabulantur fuisse gigantes, cœli et terræ filios, ac bellum gessisse cum Jove, ab eoque fulmine adactos in tartara ; de quibus Virgil. 6. Æneid.

Hic genus antiquum terræ, Titania pubes;
Fulmine dejecti fundo volvuntur in imo.

Non quod fabulas Poetarum approbet S. Scriptura, sed ut loquatur more vulgi, ejusque sermone rem veram significet; quia *Non bene possumus intelligere quod dicitur, nisi per ea vocabula quæ usu didicimus, et errore combibimus*, ait sanctus Hieron. cap. 5. Amos v. 8. et S. Gregor. lib. 9. Moral c. 6. præsertim quando fabulæ ex S. Scriptura ortum ducunt, uti Pererius aliique viri docti censent fabulam Titanum originem accepisse ex historia et factis gigantum Genes. 6. 4. et cap. 11. 4. Filii ergo Titan, per catachresin vocantur bellicosissimi et robustissimi gigantes, quales poetæ nuncupant, censetque fuisse Titanes. Unde explicando subdit Scriptura Judith. 16. 8 : *Nec excelsi gigantes opposuerunt se illi; sed Judith filia Merari in specie faciei suæ dissolvit eum.* Ita S. Hieron. in cap. 3. epist. ad Galat. sub initium. Sic Isaias cap. 34. 14. alludit ad fabulas Onocentaurorum et Lamiarum, ut ibi dixi. Sic Job 42. 14. filia Job, quæ hebr. et à Nostro vocatur *Cornu stibii*, à Septuag. nuncupatur *Cornu Amaltheæ*, quam Poetæ fingunt esse capram altricem Jovis. Sic Job 21. 33. dicitur : *Dulcis fuit glareis Cocyti;* glarea est terra prope fluvium, arenosa et lapidosa. Cocytus est fluvius in Arcadia, à Styge palude fluens, quem inferorum esse fluvium Poetæ finxerunt, eo quod in illam paludem multa cadavera conjiciebantur, ut cito exederentur. Veterum enim sepulcra erant juxta flumina, ut cadavera flumine consumerentur, eoque purgaretur aer. Sensus ergo est, q. d. Impio bene convenit cum sepulcro; nihil enim ibi mali sentit, sed in eo dulciter et suaviter quiescit, uti Poetæ fingunt defunctos quiescere in Cocyto. Mystice S. Gregor. Impius, ait, dulcis est Cocyto, id est, diabolo et inferno, qui morte et pœnis improborum gaudet et pascitur. Alludit itaque Job ab fabulam tritam Cocyti : dictus enim est Cocytus ἀπο του κωκυειν, id est lugere ; luctus enim convenit mortuis. Hinc Cocytum fingunt vicinum Acheronti. Audi Virgil. 6. Æneid.

— Tenent media omnia silvæ,
Cocytusque sinu labens circumfluit atro.

Et Claudian.

— Presso lacrymarum fonte resedit
Cocytus, Acheron tacitis obmutuit undis.

Rursum Virgil. 6. Æneid.

Acheron omnem Cocyto eructat arenam.

Ubi Servius, ad Physiologiam hoc figmentum pertinere ait, quod qui caret gaudio, sine dubio tristis est : Tristitia autem vicina luctui est, qui ex morte procreatur; recte ergo in Cocytum per Stygem arenas eructare suas Acherontem fingit Virgil. Quocirca jure hæc quasi fabulosa ridet Cicero Tuscul. 1 : *Dic quæso*, ait, *num te illa terrent, triceps apud inferos Cerberus, Cocyti fremitus, transvectio Acherontis, mento summam aquam attingens siti enectus Tantalus ?* Sic Amos cap. 5. 8. ait de Deo : *Facientem Arcturum et Orionem.* Ubi alludit ad fabulas Poetarum; ex illis enim imposita sunt nomina stellis Unde Virgil.

Arcturum, pluviasque Hyadas geminosque Triones,
Armatumque auro circumspicit Oriona.

Can. 18. Ex titulo prophetiæ sæpe colligere licet qualis sit futura, an tristis, an læta, an mixta. Nam cum titulus ejus est משא *massa*, id est onus, vel pondus, signum est evidens tristem fore. Onus enim significat pondus grave et importabile vindictæ et pœnæ, ex certo et irrevocabili Dei decreto inferendum impiis, ut duram eorum cervicem premat et curvet, vel frangat, qui Dei patientiam expectantem eos ad pœnitentiam contempserunt, et in sceleribus suis obdurati perstiterunt. Unde sæpe significat plenum urbis et gentis excidium, ut : *Onus verbi Domini in terra Hadrac, et Damasci requies ejus*, Zachar. 9. v. 1 : *Onus verbi Domini super Israel*, Zachar. 12. v. 1. Onus domus Achab, quo excisa est ejus familia, 4. Reg. 9. 25. Vide Jerem. 23. 33. et seq. Cum vero titulus prophetiæ est *visio*, vel certe *verbum Domini;* tunc ordinarie læta est, *et prospera pollicetur, sive post comminationem meliora promittit*, ait S. Hieron. in c. 23. Jerem. sub finem. Cum denique titulus est : *Onus visionis*, ut Isaiæ 22. 1. aut : *Onus verbi Domini*, ut Malach. 1. 1. tunc partim tristis est, partim læta. Hic canon S. Hieron. crebro verus est, non tamen semper. Nam visio exhibita Jeremiæ c. 1. et Joeli c. 1. et Amos c. 1. et Nahum c. 1. nil fere lætum habet, sed omnia tristia, ac proinde onus includit uti recte advertit Ribera Osee 1. 1. Porro solus Abdias prophetiam suam inscribit, et vocat Visionem : Nahum vero, Habacuc et Malachias eam inscribunt Onus ; cæteri omnes Prophetæ minores eam inscribunt Verbum Domini. In decursu tamen prophetiæ, illam subinde visionem nuncupant, ut ejus certitudinem indicent. Visus enim omnium sensus est certissimus. Unde Theophrastes apud Rodrig. l. 10. 28. visum scite appellavit formam sensuum; quia scilicet experimenta illorum ille solus quasi actuat, perficit et certificat. Et S. August. l. 10. Confess. c. 35. experientiam sensuum, et eorum quasi fidei resolutionem, in visu sitam esse docet; quocirca omnes sensus quasi oculatos exhibentes, dicere solemus : Vide ut sapiat, vide ut sonet, etc. Et Aristot. gnome est lib. 2. Metaphys. finem contemplationis esse veritatem visam ; unde et beatitudo nostra consistit in visione Dei : Prophetæ ergo abstracti à cæteris rebus, et mentis intuitum figentes in contemplatione unius simplicis veritatis, habuerunt prægustum quemdam et initium beatitudinis, juxta illud Apostoli. 1. Corinth. 13 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, quæ verba citans S. Aug. lib. 1. de Trinitat. cap. 8. *Hic*, inquit, *nobis contemplatio promittitur, actionum omnium finis, atque æterna perfectio gaudiorum.*

Differunt prophetia et exstasis. Prophetæ enim sæpe viderunt futura sine exstasi; subinde tamen fuerunt alienati à sensibus, raptique in exstasim, uti contigit Adæ Genes. 2. 21. Abrahæ Genes. 15. vers. 12. S. Petro Actor. 10. v. 10. et S. Joanni in Apocalypsi (quæ exstases ordinarie factæ sunt, fiuntque per angelos; hi enim sunt administri Dei) omnibus enim hisce locis græce est ἐκστασις quæ proprie est raptus mentis

alienatæ à sensibus in aliquid sublimius. Unde S. Gregor. lib. 5. Moral. cap. 22. docet in exstasi mentem à sensibus avulsam dormire mundo, sed laboriosius vigilare Deo. *Est ergo exstasis dormitio vigilans, seu vigilia dormiens,* juxta illud Cant. 5: *Ego dormio, et cor meum vigilat,* q. d. Sensus meus dormit, sed mens vigilat. Nota : S.Thom. quæst. 13. de veritate, art. 2. ad ult. et 2. 2. quæst. 175. art. 3. ad 1. et in 2. Cor. 12. lect. 1, docet quod excessus mentis, exstasis et raptus aliquando contingat sine alienatione mentis à sensibus, nimirum cum quis exterioribus sensibus et rebus utitur, sed tota ejus intentio divinis contemplandis et amandis vacat, qua ratione S. Dionys. c. 4. Divin. nom. asserit quod divinus amor exstasim facit; amor enim transfert amantem à se in Deum amatum. Anima enim magis est ubi amat, quàm ubi animat; magis est ergo in Deo, quàm in seipsa. Unde S. Bonav. tract. de Gradibus contempl. *Exstasis,* ait, *est deserto exteriori homine, suî ipsius super se voluptuosa quædam elevatio, ad superintellectualem divini amoris fontem.* Aliter vero et secundùm magis usitatam significationem : *Fit,* inquit S. Thomas, *dictus excessus mentis, exstasis et raptus, cum aliquis etiam actu ab usu sensuum et sensibilium rerum abstrahitur, ad aliqua supernaturaliter videnda; idque per abstractionem à sensibus externis ad imaginariam visionem, vel ab imaginatione quoque ad intellectualem; et hoc iterum aut per intelligibiles immissiones, aut secundùm quod intellectus videt Deum per essentiam.* Quod S. Thom. censet concessum S. Paulo in raptu, 2. Corinth. 12. 2; sed contrarium est verius, scilicet S. Paulum non vidisse Dei essentiam, ut ibidem ostendi. Cæteris vero ut Adæ, Abrahæ, S. Petro et S. Joanni censet exstasim contigisse per abstractionem à sensibus, sed cum imaginaria visione, quod verum est, et liquet ex locis citatis Scripturæ. Ordinarie enim mens in cognitione utitur phantasmatibus; unde licet rapiatur, habet tamen comites cogitationes phantasiæ.

Porro opera dæmonis, imo vi morbi, posse aliquem alienari à sensibus, rapique in exstasin quasi naturalem, docet noster Delrio lib. 2. Disquis. Magic. q. 25. ubi refellit Cardanum, qui asserit, *cum libeat, posse quempiam vi naturali rapi;* et Bodinum, qui censet *in ejusmodi exstasi animam reipsa migrare de corpore.* Denique S. August. lib. 12. de Genesi ad litter. c. 26 : *Cum rapitur,* inquit, *anima ad ea visa, quæ spiritu cernuntur similia corporalibus, omnino à sensibus corporis avertitur, amplius quàm in somno solet; sed minus quàm in morte.* Nam in somno non ita avertitur à sensibus, quin illi levi sono, motu pulsuque evigilent; in exstasi autem nullum motum, sonum pulsumque, etiamsi acrius vellicetur aut pulsetur, sentit : in morte vero avertitur non tantum à sensibus externis, sed etiam internis, imo à toto corpore, ita ut illud amplius non informet, nec animet aut vivificet.

Jam vero linguam, qua loquitur Deus animæ, et anima Deo, pie explicat S. Bernard. serm. 45. in Cantic. : *Verbum et anima,* inquit, *habent linguas suas, quibus se alterutrum alloquantur, præsentesque indicent. Verbi lingua, favor dignationis ejus : animæ vero, devotionis fervor. Elinguis est anima atque infans, quæ hunc non habet, et non potest illi esse sermocinatio cum Verbo : ergo cum hujusmodi linguam suam movet, volens ad animam loqui, non potest anima non sentire. Vivus est enim sermo Dei, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ. Et rursum cum suam linguam anima movet, Verbum latere multo minus potest, non solum quia ubique præsens, sed quia nisi ipso stimulante, devotionis lingua minime ad loquendum movetur. Verbo ergo dicere animæ : Pulchra es, et appellare amicam, infundere est unde amet, et se præsumat amari.* Et S. Gregor. lib. 5. Moral. 20. explicans illud Job, cap. 4. 12 : *Quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus : Venas,* inquit, *superni susurri auris cordis furtive suscipit, quia subtilitatem locutionis intimæ afflata mens, et raptim et occulte cognoscit : nisi enim se ab exterioribus desideriis abscondat, interna non penetrat : occultatur autem ut audiat, et audit ut occultetur ; quia et subtracta à visibilibus, invisibilia conspicit ; et repleta invisibilibus, visibilia perfecte contemnit.* Cum ergo loquitur Deus animæ, et illa loquentem audit ; non duæ actiones sunt, sed una eademque, quæ ut à Deo proficiscitur, vocatur *locutio;* ut recipitur in homine, vocatur *auditio.* In phantasia loquitur Deus per Angelos, in mente per se. Solus enim ipse illabi potest immediate intellectui et voluntati, quod facere nequit Angelus. Angeli autem in phantasia loquuntur, per motum humorum et spirituum animalium, in quibus deferuntur internæ rerum species : nimirum ita illos commiscendo et componendo, ut hanc illamve speciem, et consequenter rem quam volunt, phantasiæ, et per phantasiam intellectui repræsentent. Varios locutionis Dei et Angelorum modos recenset S. Gregor. 18. Moral. 2.

Can. 20. Prophetia omnis cum sit supernaturalis, exposcit pariter lumen supernaturale, quod vulgo propheticum vocatur; sicut enim ad visionem corporalem tria requiruntur, scilicet primo, objectum emittens suî speciem in oculum ; secundo, lumen objectum illuminans; tertio, ipsa visio, puta oculus recipiens speciem, et per illam objectum illuminatum inspiciens et videns, eaque ratione visionem in se eliciens et producens; ita pariter ad visionem propheticam requiruntur tria, scilicet primo, objectum, puta res futura quæ prævidetur ; secundo, lumen propheticum mentem Prophetæ elevans, ut quasi ex alto eminus rem futuram videat; tertio, ipsa visio et cognitio rei futuræ. Porro lumen propheticum non est aliud quàm ipsa Dei illustratio et revelatio, sive locutio interna qua mentem Prophetæ illustrat, eique revelat futura ; quæ partim Dei est, quatenus à Deo immittitur, partim Prophetæ, quatenus in ejus mente recipitur, imo in ea, et per eam vitaliter concurrentem à Deo producitur, qua Dei est, vocatur illustratio; qua Prophetæ est, vocatur visio, auditio, cognitio, ut dixi in fine c. 19. Lumen ergo hoc, sive illustratio est instar coruscationis, vel fulguris spiritalis mentem perstringens et illustrans (juxta illud Ps. 76. 19 : *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ.* Et illud Psal. 143. 6 : *Fulgura coruscationem, et dissipabis eos*) qua mens certo cognoscit rem futuram quæ à Deo revelatur, et simul eam non à dæmone, sed à Deo revelari, uti fit in actu fidei : illius enim objectum materiale est res revelata, formale revelatio divina, vel ipse Deus revelans. Ideo enim fide credo Deum esse trinum et unum, quia

Deus ipse, qui est prima veritas, quæ nec falli, nec fallere potest, id revelavit. Quocirca Prophetæ excipientes Dei revelationem, fide divina tenebantur credere tam sua oracula, quàm illa sibi revelata esse à Deo.

Similes illustrationes, quasi coruscationes sentiunt sæpe viri spirituales, præsertim vacantes orationi et contemplationi, quibus mens eorum partim illustratur, ad clarius et sublimius cognoscenda attributa Dei, vaticinia Prophetarum, aliaque mysteria fidei et Scripturæ: partim amore Dei rerumque cœlestium afflatur et accenditur. Similes sentiunt subinde peccatores, cum Deus eis immittit cogitationes et illuminationes pias de morte, de judicio, de brevitate vitæ, de vanitate concupiscentiarum, de inferno, de cœlo, quibus clare vident se male et imprudenter agere, ac in periculo salutis versari, ideoque timore et dolore percelluntur, qui eos impellit ad pœnitentiam vitæque mutationem. Porro istæ illustrationes menti non sunt liberæ, sed necessario in ea recipiuntur, cum Deus illas ei immittit: perinde ac visio fulguris aperto ac vigilanti oculo est necessaria, non libera: iis tamen receptis, libera manet mens, ut circa eas liberum fidei actum eliciat, libereque credat illa esse vera, atque exinde alios liberos doloris, pœnitentiæ, amoris, aliarumque virtutum actus in se concipiat et efformet. Illustrationes enim, quas intellectui; et pii impulsus affectusque, quos voluntati Deus immittit et indit, sunt gratiæ prævenientes, et excitantes mentem peccato vel torpore sopitam, ut evigilet, et iis libere cooperetur, itaque in se actus pœnitentiæ, timoris, amoris et heroicarum virtutum producat. Pro talibus ut scilicet crebro eas nobis immittat Deus, continue orare debemus. Ex iis enim omnis noster profectus et salus pendet. Ita pro iis orat Psaltes psalm. 12. 4: *Illumina*, ait, *oculos meos, ne unquam obdormiam in morte; ne quando dicat inimicus meus: Prævalui adversus eum.* Psalm. 17. vers. 19: *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine: Deus meus, illumina tenebras meas.* Psalm. 33. 6: *Accedite ad Deum, et illuminamini.* Psalm. 66. 1: *Deus misereatur nostrî, et benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos.* Psal. 75. 5: *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* Isaiæ 60. 1: *Surge, illuminare, Jerusalem: quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est.* Lucæ 1. 79: *Illuminare his qui in tenebris, et in umbra mortis sedent.* Joannis 1. 9: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ephes. 5. 14: *Exsurge qui dormis, et illuminabit te Christus.* Psal. 26. 1: *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo?* Job. 11. 17: *Quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam; et cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer.* Psal. 96. 4: *Illuxerunt fulgura ejus orbis terræ.* Ezech. 1. 13: *Hæc erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, et de igne fulgur egrediens. Et animalia ibant et revertebantur in similitudinem fulgoris coruscantis.* Job. 36. 29: *Si voluerit*, etc. *fulgurare lumine suo desuper.* Psal. 89. 17: *Sit splendor Domini Dei nostri super nos, et opera manuum nostrarum dirige.* Isaiæ 58. 11: *Implebit splendoribus animam.* Habacuc. 3. 4: *Splendor ejus ut lux erit.* Baruch. 4. 2: *Ambulabimus per viam ad splendorem ejus.*

Can. 21. Ex dictis patet errare veteres Philosophos, qui censuerunt divinationem fieri naturaliter: nam in anima inesse vim fatidicam, puta virtutem divinandi, præsertim dum ea morti vicina est, aut melancholia, mania, vel furore poetico exagitatur. Ratio eorum erat, quod anima habeat aliquid divinitatis, sitque quasi divinæ particula auræ; creata enim est ad imaginem Dei: ergo et divinationis Deo propriæ est particeps. Ita censuit Plato dialog. de Natura: *Quod*, inquit, *dementiæ humanæ Deus divinandi vim dederit, illud argumento esse potest, quod nemo dum sanæ mentis est, divinum et verum vaticinium ullum assequitur; sed cum vel somno prudentis vis præpedita est, vel oppressa morbo, vel divino aliquo raptu à sua sede dimota, fieri divinatio solet.* Et in Apolog. pro Socrate, ex ejus mente asserit eos qui proximi sunt morti solere divinare. Et Aristot. in Problem. sect. 30. probl. 1: *Multi*, inquit, *propterea quod ille calor sedi mentis in vicino est, morbis vesaniæ implicantur, aut instinctu lymphatico infervescunt: ex quo Sibyllæ efficiuntur, et Bacchæ, et omnes qui divino spiraculo instigari creduntur, cum scilicet id non morbo, sed naturali intemperie accidit.* Similia habet Cicero l. 1. de Divinat. additque rationem. *Cum est*, inquit, *somno sevocatus animus à societate et contagione corporis, tum meminit præteritorum, præsentia cernit, futura providet. Jacet enim corpus dormientis ut mortui, viget autem et vivit animus. Quod multo magis faciet post mortem, cum omnino ex corpore excesserit: itaque appropinquante morte multo est divinior.* Quocirca concludit triplicem esse divinationem; *omnem enim divinandi vim à Deo, à fato, et à natura dimanare.* Et lib. 2: *Sæpe audivi*, ait, *poetam bonum neminem sine inflammatione animorum existere posse, et sine quodam quasi afflatu furoris.* Nam

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo.
Impetus ille sacræ semina mentis habet.

Idem censuit Porphyrius, uti refert Jamblicus lib. de Myster. Ægypt. §. de somniis divinis. Videtur huic sententiæ favere S. Aug. lib. 12. Confess. citatus à S. Thoma 1. p. qu. 86. art. 4. ad 2: *Anima*, inquit, *habet quamdam vim sortis, ut ex suî natura possit futura cognoscere; et ideo quando retrahitur à corporis sensibus, et quodam modo revertitur ad seipsam, fit particeps notitiæ futurorum.* Sed recte eum excusat, mentemque ejus explicat ibidem D. Thom. dicendo animam separatam à sensibus fieri aptam et dispositam, ut recipiat impressiones Dei, Angelorum, vel dæmonum, ac per eas accipiat notitiam futurorum, quam non habet ex seipsa; et hoc duntaxat velle S. Augustinum. Adde, quæsivi hæc verba studiose in S. August. nec hactenus ea reperire potui. Illud tantum reperi lib. 4. Confess. c. 3. et lib. 7. 6. Mathematicos planetarios subinde divinare, et futura prædicere, non arte, sed sorte, puta casu, quod verum est, nec ad rem præsentem facit, imo ejus oppositum insinuat: inter multa enim quæ prædicunt, subinde casu verum tangunt, dicuntque: ergo non naturæ vi, non artis certitudine, sed sortis casu conjectant verumque attingunt, quasi aleatores rei futuræ.

Hæc Philosophorum sententia est erronea, et repugnans non tantum S. Scripturæ, sed et Philosophiæ. De fide enim est prophetiam esse opus divinum, et prænotionem futurorum con-

tingentium esse dotem propriam Deo, adeoque esse notam et indicem divinitatis. Nam, ut ait Tertull. Apolog. 20 : *Testimonium divinitatis est veritas divinationis.* Unde Deus cum idolis decertans : *Annuntiate,* inquit, *quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos,* Isaiæ 41. 23. Et S. Petrus epist. 2. cap. 1 : *Omnis,* inquit, *prophetia propria interpretatione non fit ; non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines.* Hinc et Prophetæ omnes passim hunc titulum oraculis suis præfigunt : *Verbum Domini : Hæc dicit Dominus,* etc. Prophetia ergo est verbum à Deo præscitum et prædictum, non ab homine. Ratio physica est : Prima, quia futura contingentia sunt plane indeterminata : determinabuntur enim ab agente libero ; cum scilicet voluntas libera in tempore futuro, libere ad alteram contradictoriorum partem se determinabit. Ergo impossibile est ut homo, dæmon, vel angelus ea determinate præsciat et præcognoscat ; sed id est virtutis et omniscientiæ divinæ, quæ infinita mentis suæ acie et vi prævidet quid libera voluntas tali tempore, loco et circumstantiis sit electura et determinatura. Secunda : Mens humana pendet à phantasia et sensibus. Nihil enim est in intellectu, quod non fuerit prius in sensu, ut ait Aristot. At futura contingentia nullo sensu percipi possunt : ergo nec ab homine intelligi queunt, non magis quàm à cæco colores videri. Tertia : quod non existit vel in se, vel in sua causa, ab homine et angelo cognosci nequit. At futura contingentia nec in se, nec in suis causis, utpote adhuc futuris et indeterminatis, existunt. Ergo ab homine et angelo prænosci nequeunt. Ita S. August. lib. de Divinat. dæmon. et S. Thom. 2. 2. q. 55. art. 1. ad 3.

Porro argumentum Platonis et Ciceronis tantum probat animam, cum morti vicina separatur à sensibus, aut cum amore, vino, igne, mania, bile, etc. incalescit, excitari et acui, ut quasi se supra se attollat, videatque et cognoscat ea quæ aliàs non videret et cognosceret ; sed intra terminos et limites naturæ. Unde tunc præsagit ea, ad quæ vel ipsa bilis et humor inclinat, vel quorum causas et principia videt, vel quæ spiritus animales excitati et fervidi naturaliter ei suggerunt, ut patet in Poetis. Quocirca viri prudentes simili praxi utuntur, cum carmen, orationem aut concionem, vel quid aliud componere volunt : curant enim ut corpus et caput igne, somno, veste, etc. incalescat, itaque calente cerebro sua componunt. Calor enim excitat spiritus animales, qui excitati multos et insignes conceptus suggerunt ; sed deinde defervescente calore, ea relegunt, seligunt, judicant, digerunt. Ingenium enim in calore consistit, judicium in frigore. Unde juvenes ingenio et inventione pollent, senes judicio et censura, utpote qui habent sedatas passiones, frigidosque affectus. Adde sæpe in maniacis immiscere se dæmonem, et suggerere ea quæ remota sunt, vel futura : illa enim præsciunt ex probabili et subtili conjectura causarum præcedentium. Hac enim conjectandi vi et sagacia, mens eorum acerrima, præ homine prædita est : sanctis vero in morte suggerunt subinde Angeli, vel Deus oracula de futuris, uti contigit Jacobo Genes. 49. et Mosi Deuter. 33. Altera Philosophorum ratio, petita ab imagine, non concludit. Anima enim est imago Dei naturalis, non supernaturalis : quocirca naturaliter tantum naturalia Dei attributa repræsentat, et participat ; qualia sunt intellectus, voluntas, memoria, cognitio, amor, libertas, etc. non vero supernaturalia : qualis est prævisio futurorum contingentium, vis patrandi miracula, charitas, gratia, gloria, beatitudo, etc. Adde, anima habet aliquid divinationis uti et divinitatis, dum ex signis et causis præviis præsagit futura naturaliter, sed sagaciter.

Can. 22. Prophetæ et scriptores hagiographi, dum ad certas provincias et gentes prophetant aut loquuntur, consuetudines, ritus, leges, merces, etc. quin et multas voces illis gentibus proprias consulto usurpant, ut eis se accommodent, utque melius res suas eis dilucidas faciant. Ita S. Hieron. in Abdiam scribit eum usurpare vocem Assyriacam *Sepharad*, id est, *terminum*, quam ipse in textu Abdiæ vertit *Bosphorum*, quia de Assyriis erat sermo. Sic Daniel cap. 2. 3. et seq. multa ponit Babylonica nomina musicorum instrumentorum, æque ac Magistratuum, uti sunt Satrapæ, Signæi, Adargazæi, Gedrebaæi, Detrabaæi, Tiphthaæi. Sic Job, quia in Arabia vixit, et Arabice liber ejus primitus conscriptus fuit ; hinc multas voces, æque ac consuetudines Arabicas usurpat, uti testatur S. Hieron. in ejus prologo. Idem ad Algasiam Epist. 151. q. 10. scribit Apostolum *humanum diem* nominare ex Cilicum lingua (erat enim ipse Cilix puta Tharsensis), dum dicit 1. Corinth. 4. 3 : *Mihi pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die.* Tale quoque esse καταβρευέτω, Coloss. 2. 18. Vide ibi dicta. Additque : *Multa sunt verba, quia juxta morem urbis et provinciæ suæ familiarius Apostolus utitur.* Rursum Prophetæ sæpe alludunt ad historias et gesta sui temporis, quæ tunc omnibus erant nota ; nunc autem sunt incognita, eaque de causa subinde nobis obscuri sunt.

Can. 23. Prophetia proprie est de tempore futuro ; per catachresin tamen ad præteritum quoque et præsens sese extendit. Unde Homerus Iliad. 1. ait Chalcantem vatem nosse omnia, præterita, præsentia et futura. Quod imitatus Virg. 4. Georgic. ait :

> ——Novit namque omnia vates :
> Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Exempla dat S. Gregor. hom. 1. in Ezech. : *Prophetia,* ait, *de futuro est : Ecce virgo concipiet, et pariet filium, Isaiæ 7. Prophetia de præterito : In principio creavit Deus cœlum et terram. De illo enim tempore dixit homo ; quo non erat homo. Prophetia de præsenti, 1. Corinth. 14 : Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus ; occulta enim cordis ejus manifesta fiunt,* etc. *Quod recte prophetia dicitur, non quia prædicit futura, sed quia prodit occulta. Ventura etenim res occultatur in futuro tempore, præsens autem cogitatio absconditur in latenti corde :* utriusque ergo notitia est paris virtutis, puta non humanæ, sed divinæ. Sic Elisæus Propheta absens vidit Giezi petentem et accipientem pecuniam à Naaman : *Nonne,* inquit, *cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tibi?* 4. Reg. 5. Addit S. Gregor. Prophetas præteritis ventura permiscere, itaque fecisse Mosen, *ut dum implentur ea quæ de fu-*

turo prædiceret, ostenderet etiam quia de præterito vera dixisset.

CAN. 24. Ex prædicto can. 25. S. Greg. eadem homil. 1. in Ezech. colligit octo prophetiæ modos et species. Prima est : *Aliquando,* inquit, *spiritus prophetiæ ex præsenti tangit animum prophetantis, et ex futuro nequaquam tangit.* Dat exemplum : *Sicut Joannes Baptista, venientem Dominum videns, ait : Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi ; sed cum jam moriturus esset, missis discipulis requirebat dicens : Tu es qui venturus es, an alium exspectamus ? In quibus verbis ostenditur, quia in terris quidem venisse redemptorem noverat, sed an per semetipsum ad aperienda inferni claustra descenderet, dubitabat. Ex præsenti enim prophetiæ spiritu tactus fuerat, qui humanitatem mediatoris videns, et divinitatem ejus intelligens, confitebatur agnum qui peccata mundi tolleret. Sed tactus ex futuro non fuerat, quia adventum illius in inferno nesciebat.*

Secunda : *Aliquando vero prophetiæ spiritus animum prophetantis ex futuro tangit, atque ex præsenti non tangit, sicut aperte libri Geneseos historia testatur, cum Isaac Esau filium suum ad venandum misit, cui minorem filium Rebecca ad benedicendum supposuit, qui hædinis pellibus indutus, paterno palpatui corpus fraternum finxit. Cui ille minori filio tanquam majori, benedictionem dedit, quæque ei essent longe futura nuntiavit : sed quis esset qui coram se assisteret, scire non potuit. Prophetiæ ergo spiritus ex futuro animum prophetantis tetigit, atque ex præsenti non tetigit, quando caligantibus oculis pater et ventura prædicebat, et præsentem filium nesciebat.*

Tertia : *Aliquando prophetantis animum ex præsenti, pariter et ex futuro tangit ; quod ex eodem libro Geneseos liquido docemur. In illo quippe scriptum est quia, cum ad vitæ jam terminum propinquaret Jacob, et duos filios Joseph fecisset assistere ante eum, ut ex benedictione illius possent longe post futura promereri, cui majorem ad dexteram, minorem vero posuit ad sinistram. Cumque ille oculis senectute caligantibus nepotes suos, quis prior, quisve esset minor, humano visu discernere nequaquam posset, ductis in obliquum brachiis, dexteram manum minori, sinistram majori imposuit. Quod dum corrigere filius vellet, ait: Non ita convenit, pater; quia hic est primogenitus ; audivit : Scio, fili mi, scio. Et iste quidem erit in populos, et multiplicabitur : sed frater ejus junior major illo erit. Prophetiæ ergo spiritus ex præsenti, pariter et ex futuro, prophetantis animum tetigit, dum Jacob et ventura nuntiabat, et eos quos corporeis oculis videre non poterat, ante se positos per spiritum discernebat. Sic Ahiæ Prophetæ animum prophetiæ spiritus et ex præsenti, atque ex futuro tetigerat, cum caligantibus oculis eam, quæ se esse aliam simulabat, et uxorem Jeroboam esse cognovit, et quidquid ei futurum esset aperuit, dicens : Ingredere, uxor Jeroboam ; hæc dicit Dominus Deus Israel: Quia operatus es male super omnes qui fuerunt ante te, et fecisti tibi deos alienos et conflatiles, ut me ad iracundiam provocares, me autem projecisti post corpus tuum, idcirco ego inducam mala super domum Jeroboam. Ex præsenti ergo, atque ex futuro pariter prophetantis animus tactus fuerat, qui et ingredientem deprehendere potuit, et ei ventura nuntiare.*

Quarta : *Aliquando autem ex præterito, et ex præsenti, atque ex futuro pariter tangitur animus prophetantis : sicut Elisabeth venire ad se Mariam conspiciens, quia incarnatum Verbum gestaret in utero, agnovit, eamque jam Domini sui matrem vocavit, dicens : Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? De cujus conceptione per angelum quoque ad Joseph dicitur : Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Quæ videlicet Elizabeth dicit : Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino. Docens enim : Beata quæ credidisti, aperte indicat quia verba angeli quæ dicta ad Mariam fuerant, per Spiritum agnovit; atque subjungens : Perficientur ea quæ sunt dicta tibi à Domino, quæ eam in futuro sequerentur prævidit. Simul ergo de præterito et præsenti, atque ex futuro per prophetiæ spiritum tacta est, quæ et eam promissionibus angeli credidisse cognovit; et matrem nominans, quia redemptorem humani generis in utero portaret, intellexit. Et cum omnia perficienda prædiceret, quid etiam de futuro sequeretur, aspexit.*

Quinta : *Aliquando vero prophetiæ spiritus ex præterito tangit animum, nec tangit ex futuro ; sicut in Paulo Apostolo aperte ostenditur, qui discipulis dicit : Notum vobis facio, fratres, Evangelium quod evangelizatum est à me, quia non est secundùm hominem : neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici ; sed per revelationem Jesu Christi. Unde aliis quoque discipulis dicit : Secundùm revelationem notum factum est mihi Sacramentum. Qui tamen hoc ipsum Evangelium quod per revelationem cognoverat, cum Hierosolymam prædicaturus ascenderet, ait : Ecce ego alligatus spiritu vado in Jerusalem, quæ in ea ventura sunt mihi ignorans.*

Sexta : *Aliquando prophetiæ spiritus tangit ex futuro, nec tangit ex præterito ; sicut in Elisæi facto scriptum est quia, cum unus ex filiis Prophetarum materiam succideret, huic ferrum securis in aquam cecidit, qui exclamavit : Heu, heu, Domine mi, et hoc ipsum mutuo acceperam. Dixit autem homo Dei : Ubi cecidit? At ille monstravit ei locum. Præcidit ergo lignum, et misit illud, natavitque ferrum. In quo videlicet prophetæ facto cognoscitur, quia qui requirit ubi ceciderat, quid esset facturus noverat : sed tamen cum requirit, constat quia, ubi ferrum cecidisset, ignorabat. Prophetiæ ergo spiritus Elisæi mentem ex futuro tetigerat, sed ex præterito non tangebat, qui et ferrum ex profundis demersum, quia revocaturus esset ad superficiem scire potuit; sed ubi ceciderat omnino nescivit.*

Septima : *Aliquando prophetiæ spiritus in præsenti ex parte tangit, et ex parte non tangit. Quod Petri Apostoli historia testatur, cum missi ad eum à Cornelio milites, ei sunt per spiritum nuntiati. Scriptum quippe est : Et dixit spiritus ei : Ecce viri tres quærunt te. Ad quos ille descendens, et requirens dixit : Quæ causa est propter quam venistis ? In cujus verbis ostenditur quia eamdem causam per spiritum non audierat, quam à militibus requirebat. In præsenti ergo mentem Petri spiritus ex parte tetigerat, et ex parte non tetigerat, qui et adesse milites dixit, et pro qua causa venerant, tacuit.*

Octava : *Aliquando spiritus in futuro ex parte tangit, et ex parte non tangit ; sicut Prophetarum filii de auferendo Elia ad Elisæum dicunt : Numquid nosti quia hodie Dominus tollet dominum tuum à te? Quo tamen ablato sese per diversa dispergunt, eumque in rupibus et vallibus quærunt. In futuro ergo eorum mentem prophetiæ spiritus*

ex parte tetigerat, et ex parte non tangebat, quando eum quem tollendum noverant, non inveniendum quærebant. Ex parte itaque tacti sunt, atque ex parte non tacti, qui et sciebant quod tolli posset, et nesciebant quod inveniri non posset. Idem quoque Elisæus per prophetiæ spiritum de futuro ex parte tactus est, et ex parte non tactus, cum regi Israel diceret : Percute jaculo terram. Et cum percussisset tribus vicibus, et stetisset, iratus est contra eum vir Dei, et ait : Si percussisses quinquies, aut sexies, sive septies percussisses Syriam usque ad consumptionem; nunc autem tribus vicibus percuties eam. Qui itaque noverat quia toties percuteret Syriam, quoties percussisset terram; sed cum ei diceret : Percute terram, quoties eam percussurus esset ignorabat : quippe et indignatus est terram tertio fuisse percussam; profecto constat quia de futuro ex parte tactus fuerat, et ex parte non tactus, qui Syriam percuti prædixit, sed terram amplius percuti voluit.

CAN. 25. *Aliquando,* inquit ibidem S. Gregor. *prophetiæ spiritus Prophetis deest, nec semper eorum mentibus præsto est, quatenus cum hunc non habent, et hunc agnoscant ex dono habere cum habent. Unde Elisæus cum flentem Sunamitem mulierem à suis pedibus per Giezi puerum avelli prohiberet, dixit : Dimitte illam; anima enim ejus in amaritudine est, et Dominus celavit à me, et non indicavit mihi. Sic quoque cum eum Josaphat de futuris requireret et prophetiæ ei spiritus deesset, psaltem fecit applicari, ut prophetiæ ad hunc spiritus per laudem psalmodiæ descenderet, atque ejus animum de venturis repleret. Vox etenim psalmodiæ cum per intentionem cordis agitur, per hanc omnipotenti Domino ad cor iter paratur, ut intentæ menti vel prophetiæ mysteria, vel compunctionis gratiam infundat.*

CAN. 26. *Aliquando Prophetæ sancti dum consuluntur,* inquit ibidem S. Greg. *ex magno usu prophetandi quædam ex suo spiritu proferunt, et se hæc ex prophetiæ spiritu dicere suspicantur; sed quia sancti sunt, per Spiritum Sanctum citius correcti, ab eo quæ vera sunt audiunt, et semetipsos, quia falsa dixerunt, reprehendunt.* Ita Nathan, inquit S. Greg. Propheta fuit, quia occultum Davidis adulterium et homicidium ei revelavit et redarguit; sed prædicens Davidi fabricam templi, quasi Deus illud à Davide vellet ædificari, erravit. Unde mox de errore admonitus à Deo, eum correxit : *Quia in re inter Prophetas falsos ac veros ista distantia est, quia Prophetæ veri si quid aliquando per suum spiritum dicunt, hoc ab auditorum mentibus per Spiritum Sanctum eruditi citius corrigunt: Prophetæ autem falsi et falsa denuntiant, et alieni à Sancto Spiritu, in sua falsitate perdurant.*

CAN. 27. Hæ voces *non amplius*, *non ultra*, in Scriptura et Prophetis sæpe non significant æternitatem, sed longitudinem temporis, scilicet rem illam non fore longo admodum tempore, etiamsi postea futura sit, scilicet post hominum tum viventium mortem et memoriam; tunc enim videtur fore quasi aliud novumque seculum, ad quod non se extendit vulgaris hominum sermo, uti nec vita, vel memoria. Sic de ortu Christi ait Isaias cap. 2. 4 : *Nec exercebuntur ultra ad prælium;* quia nascente Christo fuit pax universalis in orbe, eaque duravit diu. Sic idem, cap. 23. 12, ait de Tyro : *Non adjicies ultra ut glorieris.* Et Ezechiel de eadem, c. 26. v. 13 ; *Sonitus cithararum tuarum non audietur amplius.* Et vers. 14 : *Non ædificaberis ultra,* scilicet ad longum tempus ; nam postea reædificata est, et pristinam gloriam resumpsit ; unde ab Alexandro Magno rursum vastata est. Simili modo *æternum, seculum, generatio generationis,* sæpe non æternitatem absolutam, sed temporariam et humanam, hoc est longum tempus denotant; ut cum lex Mosis dicitur fore æterna. Vide can. 4. in Pentateuch.

CAN. 28. Verba Hebræorum nunc actum perfectum, nunc continuatum, nunc inchoatum, nunc destinatum duntaxat significant; v. g. *credo*, nunc significat credere destino, nunc credere incipio, nunc credere pergo, et in fide confirmo, nunc plane et perfecte credo, ut alibi ostendit. Rursum, id fieri dicitur, quod aptum est et proclive ut fiat : atque id facere dicitur quis cujus faciendi potestatem habet ; ut *facio* sit idem, quod possum facere. Sic Job cap. 9. 7. ait : *Qui præcipit soli, et non oritur,* id est, præcipere potest. Et v. 6 : *Qui commovet* (id est, ad nutum commovere potest) *terram de loco suo, et columnæ ejus concutiuntur.* Amos. 9.5 : *Qui tangit terram, et tabescet, tangit*, id est, ita tangere potest, ut tabescat. Plura vide apud Salmer. prolegom. 20. quin. 2. can. 12. Sic Prophetæ dicunt sub Christo abolenda omnia peccata; justitiam, pacem, sanctitatem, omnemque virtutem toto orbe germinaturam ; quia scilicet hoc natum erat fieri, atque Christus idipsum, quantum est ex parte sua, effecit. Dedit enim nobis lytrum sanguinis sui, et gratiam suam potentem et copiosam, qua quisque omnia peccata abolere, omnesque virtutes menti inserere potest, si ea uti, eique cooperari velit; esto multi ea non aboleant, nec virtutes inserant, quia Christi gratiam respuunt, vel negligunt. Rursum, non simul et semel id fit, sed sensim, crescente anima, æque ac Ecclesia, in fide et virtutibus.

CAN. 29. Dicitur conditor, vel auctor rei, qui illam ornavit et auxit, etsi eam primus non fecerit. Sic Alexander Magnus dicitur conditor Alexandriæ, quia eam jamdiu conditam auxit et decoravit, eique nomen suum indidit. Sic Nabuchodonosor de Babylone ait Daniel 4. 17 : *Nonne hæc est Babylon civitas magna, quam ego ædificavi?* id est, amplificavi et decoravi : nam Babylon diu ante condita est à Nemrod, Genes. 10. v. 10. Sic Romulus dicitur condidisse Romam, cum tamen de Evandro, qui ante Romulum fuit, dicat Virgil. Æneid. 8 :

Tunc rex Evandrus Romanæ conditor arcis.

Sic sæpe in Scriptura dicitur ædificasse locum, vel urbem, qui eam collapsam, dirutam, vel vastatam reædificavit aut restauravit.

CAN. 30. Dativus sæpe apud Hebræos per paragogen redundat, ut Cant. 1 : *Si ignoras te* (heb. *tibi*), *ô pulcherrima inter mulieres, egredere;* ubi *te*, et *tibi* redundant. Ibidem c. 2. 10 et 13. *Surge et veni* : hebr. *Surge tibi, veni tibi.* Sic Hebræi dicunt, *Vade tibi*, id est vade, abi. Sic Isaiæ 6. 8 : *Quem mittam, et quis ibit nobis?* Nonnulli censent τὸ *nobis* per paragogen addi ornatus causa ; uti et τὸ *sibi* Isaiæ 59. 16 : *Salvavit sibi brachium suum;* esto alius istorum locorum sit sensus magis genuinus, ut ibidem dixi.

CAN. 31. In Prophetis sæpe est climax, id est scala, sive gradatio ad orationis tum elegantiam,

tum energiam. Talis est Osee 2. 21 : *Exaudiam cœlos, et illi exaudient terram; et terra exaudiet triticum, et vinum, et oleum; et hæc exaudient Jezrahel.* Talis est Joelis 1. 4 : *Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus; et residuum bruchi comedit rubigo.* Talis est illa quæ septies iteratur Amos, cap. 1 et 2 : *Super tribus sceleribus Gazæ, et super quatuor non convertam eum.* Similis est illa B. Petri Damiani, serm. de S. Andrea : *Solum cor hominis capax est rationis et mysteriorum Dei. Cor est in pectore, anima in corde, mens in anima, fides in mente, Christus in fide; et hoc esse puto quod ait Apostolus, habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Et illa S. Gregorii, hom. 29. Evang. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles; nam de cœlo venit in uterum, de utero venit in præsepe, de præsepi venit in crucem, de cruce venit in sepulcrum, de sepulcro rediit in cœlum.* Porro *Gradatio*, inquit Cicero ad Herenn. lib. 4, *est, in qua non ante ad consequens verbum descenditur, quàm ad superius conscensum est, hoc modo : Nam quæ reliqua spes libertatis manet, si illis et quodlibet licet, et quod licet possunt, et quod possunt audent, et quod audent faciunt, et quod faciunt vobis molestum non est.*

Can. 32. Paradoxa crebra sunt apud Prophetas. Tale est Osee 1. 2 : *Vade, sume tibi uxorem fornicationum, et fac filios fornicationum.* Et Osee 13. 14 : *Ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero, inferne.* Et Jonæ 1. 2 : *Erat Jonas in ventre piscis tribus diebus et tribus noctibus.* Et Michææ 5. 2 : *Ex te* (ô Bethlehem) *mihi egredietur, qui sit dominator in Israel; et egressus ejus ab initio à diebus æternitatis.* Si enim egressus ejus est ab æterno, quomodo fiet in tempore? Tale est : *Qui totum cupit, totum perdit; dimidium ergo plus est toto*, de quo dixi Habacuc 1. 15. Sic Zacharias, cap. 5. 8, vidit impietatem quasi mulierem amphoræ inclusam, ferri in Babylonem. Et cap. 9. 17. vinum germinans virgines, cum vinum incitet ad libidinem. Maxime vero paradoxa dicunt, cum vaticinantur de Christi incarnatione, vita, passione, resurrectione, Ecclesia, missione Spiritus Sancti. Tota enim œconomia vitæ Christi plena est paradoxis, æque ac doctrina et philosophia ejusdem. Quid enim magis apud mundi sapientes paradoxum et incredibile, quàm *humilitas exaltat, paupertas ditat, jejunium satiat, in luctu sita est consolatio, in cruce gaudium?* Hæc tamen Christus palam edicit : *Omnis qui se humiliat, exaltabitur : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum : Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur : Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur : Beati estis cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint,* etc. *gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis*, Matth. 5. 1. et sequent. *Prophetæ* enim fuerunt *viri portendentes*, ut ait Zachar. c. 3. 8. et *portentum Israel*, ut ait Isaias cap. 8. v. 18. Sic Cicero scripsit sua, aut potius Stoicorum paradoxa, id est, admirabilia, inquit, et contra opinionem omnium, nimirum hæc : Solum honestum esse bonum, virtute prædito nihil deesse ad beate vivendum; æqualia esse peccata, et recte facta (sed hoc non tam est paradoxum, quàm error exploratus Stoicorum) solum sapientem esse liberum, et omnem stultum servum; solum sapientem esse divitem.

Can. 33. Pleræque omnes veteris Testamenti prophetiæ adimpletæ sunt vel ante Christum, vel per Christum. Excipio pauculas de Gog, Magog, Antichristo, judicio et fine mundi, quæ exstant Ezech. 38. et 39, Daniel 7. 25. et cap. 11. 36 et sequent. et cap. 12. Nonnulli tamen ex iis divinarunt adhuc futura. Primo, per accommodationem, uti Proclus Episcopus Constantinop. Theodosio juniori contra Scythas pugnanti accommodavit ea quæ Deus intentat Gog et Magog (nam hi erant Scythæ et Tartari) Ezech. 34. 42; quia ex plagis cœlitus in Scythas immissis, probabiliter conjectabat eorum excidium, uti refert Socrates lib. 7. Histor. cap. 42. Secundo, per omen divinum, ut cum S. Antonius, S. Franciscus, S. Martinus, Clodovæus et alii, quorum exempla recensui Isaiæ 8. v. 20. jussu vel instinctu Dei, ex lectione Prophetarum, vel S. Scripturæ primo occurrente acceperunt normam vivendi, vel didicerunt eventum belli, aut alterius rei futuræ. Dixi, instinctu Dei; quia alioqui id facere est superstitio, et tentatio Dei. Tertio, per novam prophetiam. Ita Joachim Abbas Floriacensis scribens in Isaiæ c. 13 et seq. Onus Babylonis, ait, tangit Romam; Chaldæorum, Allemaniam; Philisthinorum, Lombardos; Moabitarum, Græcos; Tyri, Siculos; Ægypti, Francos, etc. uti dixi in fine Prooemii in Isaiam. Verum in omnibus ipse obscurus et ænigmaticus est, in nonnullis falsus et fallens; esto à multis habitus fit Propheta. Ita seculo præcedenti Hieron. Savanarola per oracula Amos, Zachariæ et Danielis, vaticinatus est adversa et prospera, quæ intra centum annos eventura erant Florentinis; quod Turcarum Imperator occupaturus esset Italiam et Romam, ac futurus Christianus, æque ac cæteri Turcæ et Saraceni; quod Pontifex cathedram è Roma translaturus esset Hierosolymam; quod brevi venturus esset Papa angelicus, qui totam Ecclesiam reformaret, quæ ita asseveranter asserebat, ut diceret ea sibi revelata esse à Deo, et multos audientium visuros illa reipsa compleri. Sed experientia docuit in plerisque eum à vero aberrasse, et illusum fuisse, ac Florentiam paulo post expugnatam; unde tandem ipse misero fine vitam conclusit. Vide Ambros. Catharin. lib. de Prophetiis Savanarolæ, et Raphaelem Volater. lib. 5. Geogr. in fine. Similis est liber propheticus, qui circumfertur nomine Methodii Martyris, sed falso; nam libri auctor non est Methodius Martyr, Olympiæ in Lycia Episcopus, et postea Tyri; sed Methodius Cyrensis : in quo cum citetur Magister sentent. et alia non satis rationi consona, videri posset hic liber ab aliquo magno nebulone compositus, ait Salmeron tom. 1. Proleg. 7. sub finem. Dixi *veteris Testamenti;* nam in Apocalypsi, quæ est prophetia novi Testamenti, multa prædicuntur adhuc futura, uti in ea ostendam; sed in ea multi errant, dum oracula ejus generalia, et totam Ecclesiam spectantia, ad particulares homines, vel eventus detorquent. Egi Romæ cum quodam, qui integrum volumen talium divinationum, vel potius imaginationum conjecturalium in Apocalypsin conscripserat, ac nominatim quinam futuri essent Pontifices et Cardinales, ex ea se colligere jactitabat. Vere Comicus : *Amantes sibi somnia fingunt;* et sunt qui indigent helleboro.

Can. 34. Multum valet ad genuinum sensum

S. Scripturæ capiendum, capitum, sententiarum et vocum ejus apta vel conjunctio, vel dispunctio, systole, vel diastole. Exemplis res erit clara. Eccles. 24. 20. multi Codices legunt : *In plateis sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi.* Et ita etiamnum legitur in Officio Eccles. B. Virginis ad Nonam, sensu obscuro et difficili, quem Romana Biblia illustrant aliter dispungendo, nimirum sic : *Quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis. Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi.* In plateis enim plantantur platani, non cinnama et balsama. Sic 1. Reg. 3. 2. multi legunt : *Oculi ejus* (Heli) *caligaverant, nec poterat videre lucernam Dei antequam exstingueretur.* Quid hoc ? Ergone exstincta lucerna in tenebris melius videbat Heli, quàm in luce, ea splendente ? ergone noctuæ similis erat Heli, et noctiluca ? Rem elucidant Romani Codices, dum ita legunt et dispungunt : *Oculi ejus caligaverant, nec poterat videre : lucerna Dei antequam exstingueretur, Samuel dormiebat in templo Domini.* Est periphrasis noctis, q. d. Cum adhuc arderent lucernæ, et Samuel dormiret, apparuit ei Dominus ; noctu enim ardebant lucernæ in tabernaculo, mane exstinguebantur. Ita S. Hieron. Sic Aggæi cap. 2. versus primus referendus est ad finem capitis primi ; alioqui enim manifeste pugnat cum versu secundo, qui proxime sequitur, ut patet intuenti. Similem diastolen esse Jerem. 28. v. 1. censet S. Hieron. et alii, ut ibi dixi. Talia nonnulla sunt, quæ suis locis annotavi.

Ubi nota. Distinctio moderna capitum S. Scripturæ non est facta à Prophetis, nec à Patribus Græcis aut Latinis, sed iis posterior et recentior est, uti fuse docet Sixtus Senensis lib. 3. Biblioth. in methodo partitionis. Excipio Psalmos, qui singuli seorsim dictati et scripti sunt. Patres enim citant S. Scripturam, per citationem non capitum, sed historiarum, vel materiarum. Sic S. Augustinus dicit se scripsisse Comment. à principio Genesis usque ad ejectionem Adæ de paradiso, quod nos diceremus, in tria prima capita Genesis. S. Gregor. ait se scripsisse in librum Regum, à principio usque ad unctionem Davidis regis, quod nos diceremus, in quindecim prima capita lib. 1. Regum. Sic Elias Levita Præfat. in Masor. ait olim legem totam, puta Pentateuchum, fuisse unum Pasuc, id est, unum tractatum sine incisione, vel divisione. Hinc S. Hilarius, scribens in Matthæum, eum distinxit in canones 33, et Ambrosius S. Lucam divisit in 64 titulos, Beda vero in 93 capita ; licet Sixtus Senensis suspicetur hanc divisionem ab aliis esse factam. Ammonius Alexandrinus, vel, ut alii volunt, Eusebius Cæsariensis aut Tatianus, pro numero materiarum concordiæ Evangelicæ, distribuit S. Matthæum in capita 350, Marcum in 235, Lucam in 345, Joannem in 232. Porro in Interpretibus Græcis à sexcentis annis, puta Euthymio, Œcumenio, Areta, Andrea Cretensi, Suida, in novo Testamento capitum distributio invenitur similis nostræ, sed ea paulo major. Ergo paulo post illud tempus videtur facta ea capitum divisio, quam nunc in Bibliis cernimus. Unde illa utuntur S. Thomas, Alensis, Albertus, S. Bonaventura, illisque coævi. Denique veteres libros æstimabant numero versuum, non capitum ; versus autem constabat sex dictionibus. Sic S. Hieron. præfat. in homil. Origen. super Cant. ait Origenem scripsisse in Cantica versus fere viginti millia. Idem de Script. Eccles. ait Nazianzenum omnia opera sua conclusisse versibus triginta millibus. Et Apolog. in Ruffinum ait Hilarium mutuatum ex Origene versus prope quadraginta millia, seipsum vero, dum exponeret epistolam ad Ephesios, dictasse quotidie versus mille. Ita Sixtus. Non mirum ergo si divisio hæc subinde minus apta aut commoda sit, uti suis locis annotavi.

Can. 35. Euphemismus Græcis est boni omnis captatio ; Rhetoribus est figura, qua nomina, vel res mali ominis in boni commutant, aut certe avertunt et deprecantur ; ut Terent. in Andria : *Si evenerit* (*quod Dii prohibeant*) *discessio.* Hæc non raro occurrit in Script. Sic enim maledictionem et blasphemiam ob suî enormitatem et exsecrationem, non audent suo nomine nominare, sed per euphemismum eam contrario nomine vocant benedictionem, ut : *Benedixit,* id est maledixit, *Naboth Deum et regem*, 3. Reg. 21. 13. *Benedic*, id est maledic, *Deo, et morere,* Job 2. 9. Sic in juramento exsecratorio dicunt : *Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat ;* sed per euphemismum silent malum quod quis sibi imprecatur, quasi rem tristem et mali ominis. Sic milites Davidis à Nabal tondente oves petunt alimoniam, dicentes per euphemismum : *In die enim bona venimus,* 1. Reg. 25. 9. Huic vicinus est *Charientismus,* id est urbanitas, lepos et festivitas sermonis ; quæ figura est Rhetorices, qua dura dictu gratius proferuntur, ut si interrogantibus num quis nos quæsierit, responsum detur : *Bona fortuna,* exinde intelligitur nos neminem quæsisse. Sic roganti matri : Audio filium meum in bello esse captum, estne verum ? respondent amici ejus dolorem festive levantes : Non ; est redemptus : quo tacite significant eum fuisse captum et male habitum, sed jam esse redemptum. Sic Cicero pro lege Manilia, ne diceret consulares fasces esse captos, dixit esse redemptos. Sic sanatum esse vulnus libentius auditur, quàm illatum ; instauratam esse domum, quàm dirutam, supplemento novo refectas esse legiones, quàm occisis militibus imminutas. Sic ait Isaias c. 40. 1 : *Consolamini, consolamini, popule meus,* etc. *quoniam completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas ejus ;* quo tacite significat eam fuisse malam et iniquam. Sic sapiens illa mulier Thecuitis, festive Absalonis scelus et fratricidium in se suosque filios transtulit, ut ei à Davide veniam impetraret, 2. Reg. 14. 6. Sic Nathan Propheta, ut regem Davidem de adulterio et homicidio Uriæ corriperet, usus est apologo divitis, qui pauperi oviculam rapuit, et mactavit, ut in ejus enormitate rex videret immanitatem sui flagitii, 2. Reg. 12. vers. 2. Atque hic est modus commodissimus corripiendi magnates, qui opibus et titulis superbi, non ferunt se aperte et in fronte reprehendi. Charientismi illustres exstant in epist. Valerii ad Ruffinum, qua ei suadet ne ducat uxorem, tom. 9. operum S. Hieron. Sic enim habet : *Paccuvius flens ait Arrio vicino suo : Amice, arborem habeo in horto meo infelicem, de qua prima uxor mea se suspendit, postmodum secunda, jam nunc tertia. Cui Arrius : Miror te in tot successibus lacrymas invenisse. Dii boni, quot tibi dispendia arbor illa suspendit ! Da mihi et de arbore surculos, quos*

seram. Timeo ne et te oporteat arboris illius surculos mendicare, cum jam inveniri non poterunt. Cato Uticensis dixit : Si absque femina posset esse mundus, conversatio nostra non esset absque diis. Phoroneus rex ait Leontio fratri suo : Ad summam felicitatem nihil mihi deesset, si uxor mihi semper defuisset. Metellus Mario respondit, cum ejus filiam dote divitem, forma nobilem, genere claram, fama felicem ducere noluit : Malo meus esse, quàm suus. Cui Marius : Imo ipsa tua erit. At ille : Imo virum oportet uxoris esse. Logicum est enim : Talia erunt subjecta, qualia permiserint prædicata. Lais Corinthia petivit à Demosthene centum talenta pro consensu. At ille suspiciens in cœlum, ait : Non emo tanti pœnitere.

HARMONIA CHRONOLOGICA

DUODECIM PROPHETARUM.

Hoc est, tabula chronologica, per annos mundi et Christi consignans oracula duodecim minorum Prophetarum, conformis et subalterna illi, quam quasi probabilem tum Pentateucho, tum Prophetis majoribus præfixi. Scio varios varie hæc consignare, omnesque probabiliter : sed paucis annis, quibus una chronologia ab alia distat, additis, vel demptis, hæc tabula cuilibet computui et chronologiæ serviet.

Reges Juda sibi continuo succedentes, sub quibus prophetarunt Prophetæ.

Ozias, vel Azarias regnavit annis 52
Joatham 16
Achaz 16
Ezechias 29
Amon 2
Josias 31
Joachas mensibus 3
Joakim annis 11
A Joakim anno XI finito, puta ab ejus cæde, et filii ejus Joachin transmigratione in Babylonem, incipiunt anni 70 captivitatis Babylonicæ, de quibus Jeremias cap. 25. 11. Unde hinc annos prophetiæ suæ inchoat, et consignat Ezechiel in tota sua prophetia, ut ibidem dixi.
Joachin mensibus 3
Sedecias annis 11
Anno 11. Sedeciæ, Nabuchodonosor Jerusalem et regnum Juda evertit, anno regni sui 18
Regnavit post excisam Jerusalem Nabuchodonosor annis 26
Universim enim regnavit annis 44
Et successit ei filius Evilmerodach, sive Baltassar, qui regnavit annis 34
Baltassarem, capta Babylone, occidit Darius Medus et Cyrus.
Itaque post Baltassarem in Babylone regnavit Darius Medus anno 1
Post Darium, Cyrus jam Monarcha regnavit annis 3
In anno 3. Cyri finiuntur prophetiæ Danielis, qui ultimus omnium quatuor majorum Prophetarum prophetavit.
Cyro successit Cambyses regnans annis 8
Cambysi post magos (qui paucis mensibus regnarunt) successit Darius Hystaspis, qui regnavit annis 36
Dario successit filius Xerxes, qui regnavit annis 20
Xerxi successit filius Artaxerxes, à manu una longiore altera cognominatus Longimanus, qui regnavit annis. 40

Anno mundi 3136, ante Christum 814, qui fuit à diluvio annus 1479, à nativitate Abrahæ annus 1187, ab exitu Hebræorum ex Ægypto annus 682, cœpit regnare in Jerusalem et Juda Ozias, sive Azarias rex, regnavitque per 52 annos sub quo prophetavit Osee, Jonas, Amos et Isaias. Itaque Osee, qui fuit primus omnium Prophetarum, cœpit prophetare sub initio regni Oziæ. Nam Isaias, qui eum secutus est, cœpit prophetare sub annum 17. Oziæ, ut habet Euseb. in Chronico, qui fuit annus ante Christum 797. Jonas vero cœpit ante annum 14. Oziæ, uti mox ostendam. Insuper sub Ozia rege cœperunt Olympiades. Annus enim 40. Oziæ, qui fuit ante Christum 774, fuit annus primus Olympiadis 1. Ante Olympiades autem omnia apud Gentiles scriptores et historicos sunt incerta. Ab Olympiadibus enim cœpit apud eos historiæ fides. Audi Eusebium in Chronico ad Olympiadem 1 : *Ab hoc tempore Græca de temporibus historia vera creditur ; nam ante hoc, ut cuique visum est, diversas sententias protulerunt.* Unde Varro apud Censorinum de Die natali cap. 21. duplicem ponit seculorum ordinem : priorem à diluvio ad primam Olympiadem, eumque vocat μυθικον, id est fabulosum; posteriorem ιςορικον, id est historicum. Prophetæ ergo nostri antecesserunt omnem Gentilium historiam et sapientiam, æque ac Romam. Roma enim condita est anno 23. post inchoatas Olympiades, uti passim docent Chronologi.

Osee ergo, sub initia regni Oziæ, jussu Dei duxit uxorem fornicariam, et ex ea procreavit duos filios et unam filiam ; primum nominavit *Jezrahel ;* secundam filiam, *Lo rachuma,* id est, *Absque misericordia ;* tertium, *Lo amni*, id est, *Non populus meus ;* ut tam factis, quàm verbis portenderet sanguinem Jezhrahel brevi vindicandum super domum Jehu ; ac Israelem ob fornicationem cum idolis, aliaque scelera gravissime sine misericordia puniendum ; atque cum vitulo aureo quem colebat in Dan et Bethel, transferendum in Assyriam. Post Oziam perrexit Osee prophetare sub Joatham, Achaz et Ezechia, ut ipse ait cap. 1. 1 ; sed quid præcise sub hoc illove rege prophetarit ignoramus ; quia ipse, ut et alii minores Prophetæ, sua oracula per annos regum sigillatim non consignant, uti consignant Jeremias, Ezechiel,

Daniel et subinde Isaias. Porro sub hisce regibus Osee prædixit Christum, devicta morte et inferno, die tertia resurrecturum; Synagogam Judæorum, tamquam adulteram, à Deo repudiandam; Ecclesiam vero ex Gentibus, Christo per fidem sponsandam in sempiternum; denique Synagogam diebus multis fore sine rege et lege, sine sacerdotio et sacrificio, exspectantem Messiam, ad quem in fine mundi convertetur.

Paulo post Osee prophetavit Jonas contra Niniven, nimirum regnante in Juda Ozia, in Israel Jeroboam, ut patet 4. Regum 14. 25. Quare necesse est Jonam prophetasse primis 14. annis regni Oziæ: illis enim dumtaxat cum Ozia regnavit Jeroboam. Ipse enim vita et regno decessit anno 14. Oziæ, ut colligitur ex 4. Regum 15. 1. juncto cum cap. 14. 23. Eodem tempore in Latio regnabat Procas Sylvius, avus Romuli, et in Assyria Sardanapalus, qui videtur fuisse rex Ninives à Jona conversus ad pœnitentiam. Jonas ergo præcessit Amos paucis annis. Amos enim cœpit anno 25. Oziæ, ut jam dicam.

Anno mundi 3161 ante Christum 789, qui fuit Oziæ regis annus 25. cœpit prophetare Amos. Cœpit enim *ante duos annos terræ motus* (ut ipse ait cap. 1. 1.) qui contigit anno 27. Oziæ. Prophetat autem vindictam Dei in Damascum, Philisthæam, Tyrum, Edom, Ammon, Moab, Judam, et maxime contra Israel, id est, decem tribus, quibus ob idololatriam aliaque flagitia excidium per Assyrios intentat. Adhæc, tenebras è solis eclipsi, meridie futuras per totum orbem in passione Christi; ac per eum tabernaculum Davidis collapsum restaurandum vaticinatur. Insuper in Bethel prædicat captivitatem et excidium Israelis. Quocirca ab Amasia sacerdote idolorum accusatur rebellionis, ac tandem vecte per tempora transfixus, Martyr occumbit.

Paulo post Amos cœpit prophetare Abdias, qui Idumæis excidium per Chaldæos prædicit, eo quod ipsi perpetui fuerint Judæorum hostes.

Anno mundi 3188, ante Christum 762, cœpit regnare in Juda Joatham, filius Oziæ, sub quo cœpit prophetare Michæas, ut ipse ait c. 1.1. Prædicit autem initio Samariæ et Israelis excidium per Assyrios.

Anno mundi 3198, ante Christum 751, qui fuit regni Joatham XI. Roma condita est à Romulo, qui in ea regnavit annis 29. Quocirca solerter et apposite notat S. Augustin. lib. 18. Civit. 27. hosce Prophetas cœpisse prophetare sub exordia urbis Romæ, quia eorum oracula Romanis, et Gentibus Christi fidem amplexuris scribebantur. Audi eum: *Ezechias quippe rex Juda eo usque regnavit, ac per hoc per ea tempora, isti velut fontes prophetiæ pariter eruperunt, quando regnum defecit Assyriorum, cœpitque Romanorum; ut scilicet quemadmodum regni Assyriorum primo tempore exstitit Abraham, cui promissiones apertissimæ fierent in ejus semine benedictionis omnium gentium; ita in Occidentalis Babylonis exordio, qua fuerat Christus imperante venturus, in quo implerentur illa promissa oracula Prophetarum, non solum loquentium, verum etiam scribentium in tantæ rei futuræ testimonium solverentur. Cum enim Prophetæ nunquam fere defuissent populo Israel, ex quo ibi reges esse cœperunt, in usum tantummodo eorum fuere, non Gentium. Quando autem ea Scriptura manifestius prophetica condebatur, quæ gentibus quandoque prodesset, tunc oportebat incipere, quando condebatur hæc civitas, quæ Gentibus imperaret.*

Anno mundi 3220, ante Christum 730, cœpit in Juda regnare Ezechias; sub hujus annum 7. vel 8. cum jam eversa esset ab Assyriis Samaria, et Israel abductus in Assyriam anno 6. Ezechiæ, ita ut sola restaret intacta Jerusalem et Juda, Michæas c. 3. 12. prædicit quod Jerusalem à Chaldæis exscindetur. *Sion*, inquit, *quasi ager arabitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa silvarum.* Vide Jere. 26.18.

Sub idem tempus prophetavit Nahum excidium Ninives, eo quod Ninivitæ post prædicationem Jonæ, in pristina scelera relapsi essent, uti dicam proœmio in Nahum.

Anno mundi 3230, ante Christum 720, Ezechias in regno agebat annum decimum: sub hunc annum edidit Michæas illustre illud oraculum c. 5. 2. de Christo in Bethleem nascituro uti ibidem ostendam.

Anno mundi 3234, ante Christum 716, Ezechias agebat annum regni 14. sub hunc annum Michæas protulit prophetiam illam c. 4. 1. de Ecclesia in Sion à Christo instituenda, uti ibidem demonstrabo.

Anno mundi 3249, ante Christum 701, cœpit in Jerusalem et Juda regnare Manasses rex impius, sub quo probabile est prophetasse Joel: quia ipse soli Judæ (quasi Israele jam vastato anno 6. Ezechiæ) vaticinatur excidium ob idololatriam, et ob occisos ab eis Prophetas, quod factum est tempore et jussu Manassis, S. Hieron. tamen Euseb. et alii permulti censent, Joelem prophetasse longe anterius, scilicet paulo post Osee, sub Ozia rege. Porro Joel prædicit Judææ instare vastitatem per noxias bestias, et hostes Chaldæos, quos sub specie locustarum, erucarum et bruchorum depingit; ideoque hortatur omnes, et præsertim sacerdotes, ad planctum, jejunium et orationem; et conversis magnam pollicetur prosperitatem, dandum Doctorem justitiæ, Spiritum Sanctum effusum iri super credentes, invocantes Dominum salvos fore. Denique diem judicii prænunciat, ac graphice describit ejus horrorem, et prodigia prævia; locum quoque significat, nimirum in valle Josaphat peragendum esse.

Sub Manasse etiam prophetavit Habacuc, qui pariter Manassi, ac toti Judææ ob impietatem, extremam cladem per Chaldæos prænunciat.

Anno mundi 3306, ante Christum 644, cœpit regnare in Juda Josias: sub quo prophetavit Sophonias, ut patet c. 1. 1. æque ac Jeremias: quos secuti sunt Ezechiel et Daniel, qui prophetarunt sub Joakim filio Josiæ. Quocirca hi soli Judæ, utpote Israele jam sub Ezechia vastato, comminantur Dei vindictam: *Scrutabor*, inquit Deus per Sophoniam c. 1. 12: *Jerusalem in lucernis:* atque in typo excidii Jerusalem, æque ac Ninives, orbis excidium, diemque horribilem judicii graphice depingit.

Novem Prophetæ jam recensiti, prophetarunt ante excidium Jerusalem, et ante captivitatem Babylonicam. Nam hæc contigit sub Joakim et Sedecia filiis Josiæ. Cæteri tres qui sequuntur, puta Aggæus, Zacharias et Malachias, prophetarunt post captivitatem Babylonicam, postque reditum Judæorum ex Babylone, qui contigit anno 1. monarchiæ Cyri. Quocirca.

Anno mundi 3433, ante Christum 517, qui fuit

annus 2 Darii Hystaspis, Tarquinii Superbi, Romanorum septimi et ultimi regis, annus 27. ait S. Hieron. cœpit prophetare Aggæus, ac Judæos hortari, ut templum à Chaldæis combustum reædificent. Aggæi oraculis excitati Jesus pontifex et Zorobabel dux, cum populo templi fabricam ordiuntur, quibus Aggæus promittit tum frugum copiam, tum majorem fore hujus templi, quàm prioris Salomonici gloriam; Christum enim ex Zorobabel nasciturum, hoc templum sua præsentia, concionibus et miraculis condecoraturum.

Eodem anno, sed bimestri post Aggæum (puta mense 8. Aggæus enim mense 6.) cœpit prophetare Zacharias, Aggæi adjutor, stimulans populum ut, postpositis privatis suis commodis et domibus fabricæ templi insistat. Unde vidit virum metientem civitatem c. 2. 1. et Jesum pontificem templi c. 3. et candelabrum templi c. 4.

Anno mundi 3434, ante Christum 516, qui fuit annus 3. regni Darii Hystaspis, Zacharias cap. 5. vidit amphoram, in qua sedebat mulier nomine impietas per aerem raptari in Babylonem. Et cap. 6. vidit quatuor quadrigas, repræsentantes quatuor imperia, et monarchias sibi invicem ex ordine successuras; ac posteas Christum Christique regnum : *Ecce*, inquit, *vir*, *Oriens nomen ejus.*

Anno mundi 3435, ante Christum 515, qui fuit annus 4. Darii Hystaspis, Zacharias, ut ipse asserit c. 7. 1. rogatus, an pristina captivitatis jejunia, ea jam soluta, adhuc servanda forent? respondet, ea commutanda in festivitates præclaras, ac Judæos hortatur, ut in fabrica templi animose pergant. Unde c. 9. monet, ne timeant Philistæos, eo quod hi ipsis à Deo sint subjugandi, ac rursum promittens Christum : *Ecce*, ait, *rex tuus veniet tibi justus et salvator ipse pauper, et ascendens super asinam, et pullum filium asinæ.*

Anno mundi 3437, ante Christum 513, qui fuit annus 6. Darii Hystaspis, perfecta est templi fabrica; in cujus dedicatione Aggæus et Zacharias cecinerunt alleluia. Ita Epiphan. et Doroth. in eorum Vita. Quocirca Zacharias sequentibus annis vaticinatur ea, quæ cap. 10. et deinceps enarrat, nimirum summam urbis et templi fore felicitatem, per Machabæos pontifices, duces et vindices populi; ac præsertim per Christum qui in eo versabitur, et victimam pro hominibus se offerret Deo, ideoque à Juda vendetur Judæis 30 argenteis; percutietur ut pastor, et dispergentur oves: denique, perfossis manibus, affigetur cruci. *Qui sunt*, inquit, *plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet : His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me*, Zachar. 13. 6. Quocirca per Christum effundendum spiritum gratiæ, et fontem baptismatis super habitatores Jerusalem omnesque gentes ad Christum et Ecclesiam concursuras prædicit et promittit.

Anno mundi 3467. ante Christum 483, qui fuit annus Darii Hystaspis 36 et ultimus, Aggæum et Zachariam diem obiisse tradunt Hebræi in Seder Olam, et innuunt S. Epiphan. et Doroth. in eorum Vita.

Anno mundi 3487, ante Christum 463, cœpit in Perside regnare Artaxerxes Longimanus, filius Xerxis, sub cujus annum 5. vel 6. prophetat Malachias, Prophetarum omnium ultimus, contra vitia sacerdotum et populi, præsertim quod contra legem uxores alienigenas duxissent. Nam anno sequenti, puta 7. Artaxerxis, venit Esdras in Jerusalem, omnibusque persuasit ut eas repudiarent. Insuper prædicit Malachias sacrificia Judæorum à Deo repudianda, ac eorum loco oblationem mundam Eucharistiæ à Christo sanciendam, quæ ubivis gentium toto orbe offeratur et sacrificetur : denique Christum venturum ad templum quasi Angelum testamenti, ejusque præcursorem fore minorem Angelum, scilicet Joannem Baptistam : Eliam vero venturum ante secundum Christi adventum, qui convertet corda patrum ad filios.

Ex dictis patet, hosce duodecim Prophetas vicissim et successive prophetasse per 300 annos; tot enim fluxerunt ab Ozia rege Juda usque ad Artaxerxem Longimanum.

HIEROGLYPHICA

E DUODECIM MINORIBUS PROPHETIS EXCERPTA.

EX OSEE.

Cap. 1. v. 2. *Vade, sume tibi uxorem fornicationum, et fac filios fornicationum.* Ad litteram jubet Deus Prophetæ, ut ducat meretricem in uxorem, indeque procreet filios qui à matre infami vocentur filii fornicationum, id est, filii fornicariæ et meretricis : idque ad hoc, ut repræsentet idololatriam Israelis. Osee enim repræsentat Deum, uxor meretrix Synagogam, filii Israelitas. Unde explicans subdit : *Quia fornicans fornicabitur terra à Domino*, q. d. Quia incolæ terræ, puta Israelitæ, à Deo apostatabunt, et colent idola quasi amasios suos.

Vers. 4. *Et peperit ei filium. Et dixit Dominus ad eum : Voca nomen ejus Jezrahel; quia adhuc modicum, et visitabo sanguinem Jezrahel super domum Jehu.* Jezrahel, id est, semen Dei, repræsentat Israel, qui erat populus Dei. Osee ergo jubetur à Deo primogenitum suum vocare Jezrahel, ut per eum repræsentet stragem posterorum Jehu, regum Israel, q. d. Succidam posteros Jehu ob idololatriam, et quia ipsi Jezrahel, id est, pios Israelitas, Deum verum colentes persecuti sunt, sicut succidi stirpem Achab in Jezrahel ob idololatriam, et quia ipse in Jezrahel pium Naboth occidit. Unde subdit : *Et conteram arcum Israel in valle Iezrahel.*

Vers. 6. *Et peperit filiam. Et dixit* (Dominus)

ei : *Voca nomen ejus, absque misericordia.* Causam subdit, scilicet ut suo nomine repræsentet, *Quia non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum.*

VERS. 9. *Et concepit, et peperit filium. Et dixit : Voca nomen ejus, non populus meus,* ut hic filius suo nomine Israeli assidue in os ingerat, *Quia vos non populus meus, et ego non ero vester.*

CAP. 3. 1. *Dilige mulierem dilectam amico et adulteram, sicut diligit Dominus filios Israel. Et fodi*, id est pretio conduxi, *eam. Et dixi ad eam : Dies multos exspectabis me ; non fornicaberis, et non eris viro; sed et ego exspectabo te.* Quid hoc symbolum significet, explicat subdens : *Quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod, et sine theraphim; et post hæc revertentur et quærent Dominum,* etc. *in novissimo dierum.*

CAP. 6. 3. *Quasi diluculum præparatus est egressus ejus; et veniet qua imber nobis temporaneus et serotinus terræ.* Christi adventum, ejusque gratiam et Evangelium recte denotat per symbolum auroræ; sicut enim hæc post longam noctem, lucis et diei omnisque boni est initium et causa, ita et Christus : atque per symbolum imbris temporanei, qui sementem rigat ; et serotini, qui messem impinguat et maturat ; pari enim modo Christus et semen gratiæ, et messem bonorum operum, ac gloriæ æternæ in nobis operatur.

CAP. 9. 9. *Profunde peccaverunt sicut in diebus Gabaa*, q. d. Sicut Gabaitæ gravissime peccaverunt, enormi stupro occidentes uxorem Levitæ, illudque insano bello contra cæteras omnes tribus defendentes, quo proinde usque ad internecionem cæsi sunt, Judic. 16. et 20. ita nunc Israelitæ gravissime peccant stupro spirituali, id est idololatria ; quia illam pertinacissime retinent et tuentur, ideoque exscindentur ab Assyriis.

VERS. 13. *Ephraim Tyrus erat fundata in pulchritudine*, q. d. Israel cum Deum coleret, erat pulcherrimus, opulentissimus et fortissimus, uti est Tyrus, quæ in rupe sita, et mari cincta, pulcherrima est, opulentissima et inexpugnabilis omniumque gentium accolis et opibus, quasi regina coronatur. At jam cum Deum dereliquit : vastabitur et perdetur ut Sodoma.

CAP. 10. 1. *Vitis frondosa Israel : fructus adæquatus est ei*, q. d. Israel vitis est frondibus luxurians, et in eas totam se effundens; hinc similes parit fœtus, folia nimirum inania, non solidos fructus, q. d. Israel frondibus abundat, fructu vacuatur : quia opes resque externas consectatur, internum vero in mente pietatis cultusque Dei fructum negligit : fructus ergo ejus est ventris, non mentis; carnis, non spiritus, puta opes, fruges, luxus, indeque consequens impietas et idololatria.

VERS. 11. *Ephraim vitula docta diligere trituram.* Idem dicit metaphora vitulæ, quod prius dixit per metaphoram vitis, q. d. Ephraim diligit trituram, id est, fruges et opes, ideoque amat laborem triturandi, id est, colendi idola : quia per ea se putat hasce fruges nancisci. Hinc facta est pinguis et obesa : sed ego collum ejus pingue et crassum domabo, faciamque ut Assyrii in illud inscendant, eumque frænent et regant, uti eques frænat et regit equum. Hoc est quod ait : *Ascendam super Ephraim.*

CAP. 11. 3. *Ego quasi nutricius Ephraim : portabo eos in brachiis meis : et nescierunt quod curarem eos. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Funiculi Adam sunt amor et beneficentia, quibus allici trahique solent homines ad redamandum : illex enim et magnes amoris est amor.

CAP. 13. 3. *Idcirco* (quia scilicet vitulos aureos coluerunt, meque Deum ad iram concitarunt, exscindam eos per Assyrios : unde tunc) *erunt quasi nubes matutina, et sicut ros matutinus præteriens, sicut pulvis turbine raptus ex area, et sicut fumus de fumario*, id est, de camino, qui in aere mox dispellitur et evanescit : pari enim modo ipsi in captivitate dispergentur.

VERS. 7. *Et ego ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum* (ab Assyriis enim quasi pardis in Assyriam ducentur) *occurram eis quasi ursa raptis catulis, et dirumpam interiora jecoris eorum.* Solent enim leones et feræ prædam findere et lacerare usque ad cor, illudque cum jecore primo devorare, q. d. Pari modo ego cor, id est, mentem, et jecur, id est, appetitum et concupiscentiam, Israelitarum tristissimis cogitationibus, anxietatibus, melancholiis, pavoribus, et mœroribus affligam, et quasi disrumpam.

VERS. 14. *Ero mors tua, ô mors : morsus tuus ero, inferne.* Christus moriens fuit mors mortis, quia moriendo mortem occidit; momordit vero infernum, cum post mortem eo descendit, et patres ex ipso eduxit, ac vires inferorum et dæmonum confregit.

CAP. 13. 6. *Ero quasi ros Israel : germinabit sicut lilium, et erumpet radix ejus ut Libani. Ibunt* (diffundent se) *rami ejus, et erit quasi oliva gloria ejus, et odor ejus ut Libani.* Israelis, id est fidelis et justi, fœcunditatem, gratiam et felicitatem comparat primo, rori et irrorationi ; secundo, lilio ; tertio, cedro, pino, aliisque arboribus Libani proceris, latis et odoratis ; quarto, olivæ pingui et fertili. Addit quinto : *Convertentur sedentes in umbra ejus ;* sexto : *Vivent tritico ;* septimo : *Germinabunt quasi vinea ;* octavo : *Memoriale ejus sicut vinum Libani*, q. d. Israelitæ, id est, fideles verique Christiani, abundabunt omni annona spirituali verbi Dei et Sacramentorum, præsertim Eucharistiæ; ideoque florebunt et crescent omnibus virtutibus, bonis operibus et meritis.

EX JOELE.

CAP. 1. 4. *Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo*, q. d. Una clades alteri succedit, sequens antecedentem continua serie excipit : Assyrii assiduis incursionibus populantur et vastant terram Israel. Loquitur enim de Assyriis figurate, quasi de locustis et bruchis agros et vineas depascentibus, dicens : *Gens enim ascendit super terram meam fortis et innumerabilis : dentes ejus ut dentes leonis, et molares ejus ut catuli leonis. Posuit vineam meam in desertum, et ficum meam decorticavit.*

CAP. 2. 25. *Reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus, et rubigo, et eruca, fortitudo mea magna, quam misi in vos*, q. d. Pristinam cladem et vastitatem nova pace et ubertate sarciam et compensabo.

VERS. 28. *Effundam spiritum meum super omnem*

carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ. Id factum in Pentecoste, Act. 2.

Vers. 30. *Et dabo prodigia in cœlo, et in terra, sanguinem, ignem et vaporem fumi,* in fine mundi; *antequam veniat dies Domini magnus et horribilis,* puta dies judicii.

Cap. 3. 2. *Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis ibi.* In Valle enim Josaphat, quæ est prope Jerusalem, fiet judicium, ac super eam sedebit in nube gloriosa Christus Judex.

Vers. 13. *Mitte falces, quoniam maturavit messis. Venite et descendite, quia plenum est torcular.* Messis est consummatio seculi, tunc enim angeli quasi falce demetent homines, impiosque prement quasi in torculari, *in valle concisionis,* id est, in gehenna inferni.

Vers. 18. *In die illa stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte, et per omnes rivos Juda ibunt aquæ, et fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum,* Hebr. *torrentem Setim.* Ligna Setim erant imputribilia: unde ex eis facta erat arca, et tabernaculum; hinc significat Ecclesiam triumphantem et Beatos, q. d. In cœlo omnia erunt plena dulcedinis, suavitatis et gaudii, et per beatissimos rivos, id est, choros laudantium Deum, aquæ voluptatum decurrent; et fons, id est, lumen gloriæ, et visio beatifica de throno Dei egredietur, irrigans et beans omnes electos.

EX AMOS.

Cap. 3. v. 3. *Numquid ambulabunt duo pariter, nisi convenerit eis?* q. d. Sic ego non ambulabo cum Israele, quia ille mecum non convenit, sed cum idolis.

Numquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædam? Numquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit? q. d. Sic Deus rugire non desinet contra Israel, donec eum quasi prædam capiat et laniet per Assyrios.

Vers. 5. *Numquid cadet avis in laqueum terræ absque aucupe? Numquid auferetur laqueus de terra antequam quid ceperit?* q. d. Sic Deus laqueum Assyriorum, quem quasi auceps tetendit Israeli, non auferet, donec eodem Israelem capiat et strangulet.

Vers. 6. *Sic clanget tuba in civitate, et populus non expavescet?* Sic Deo clangente per Amos, ac indicente prælium et stragem, merito expavescat Israel. Unde hæc omnia hieroglyphica explicans, et applicans subdit: *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit? Quia non faciet Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas. Leo rugiet, quis non timebit? Deus locutus est, quis non prophetabit?*

Vers. 12. *Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ: sic eruentur filii Israel qui habitant in Samaria, in plaga lectuli, et in Damasci grabato,* q. d. Sicut pastor leoni ex ove devorata eripit duo crura, sic pauci Israelitæ evadent manus Assyriorum, iique viles et inutiles, scilicet pauperes, et ægri macie morboque confecti, qui in plaga, id est latere et angulo, lecti decumbunt, vel in Samaria, vel in Damasco.

Cap. 13. *Formans montes, et creans ventum, et annuncians homini eloquium suum: faciens matutinam nebulam, et gradiens super excelsa terræ. Dominus Deus exercituum nomen ejus.* Est hypotyposis potentiæ et magnificentiæ Dei.

Cap. 5. 5. *Bethel erit inutilis.* Hebr. *Bethel erit in Aven,* q. d. Domus Dei fortis fiet domus vanitatis, doloris et diaboli.

Vers. 19. *Quomodo si fugiat vir à facie leonis, et occurrat ei ursus, et ingrediatur domum, et innitatur manu sua super parietem, et mordeat eum coluber,* q. d. Samaritæ ex uno periculo in aliud, ex uno hoste in alium, v. g. ex Phul, in Teglatphalasar, ex hoc in Salmanasar incident.

Cap. 7. 1. *Ecce fictor locustæ in principio germinantium serotini imbris, et ecce serotinus post tonsionem regis.* Locustæ sunt Assyrii, fictor est Deus, imber serotinus est Jeroboam, tonsio regis est vastatio Israelis facta à Benadad, q. d. Post vastitatem Israeli inflictam à Benadad, res Israelis per Jeroboam regem reflorescere cœperunt: sed ecce mox Deus immisit Phul et Assyrios qui quasi locustæ eas depascerent.

Vers. 4. *Et ecce vocabat judicium ad ignem Dominus Deus, et devoravit abyssum multam, et comedit simul partem,* q. d. Post Phul, qui mille talentis à Manahen rege Israel acceptis, sine noxa abiit, Deus justo suo judicio immisit Israeli *ignem,* id est, Salmanasar, qui ignito quasi ardore et impetu eum invadens, devoravit *abyssum multam,* id est, magnam multitudinem populi, puta Tribum Ruben, Gad, et dimidiam Manasse, trans Jordanem humili loco quasi in abysso habitantes: *Et comedit simul partem* Israel selectam, scilicet Tribum Netphthalim, Aser et Zabulon, cis Jordanem commorantes.

Vers. 7. *Et ecce Dominus stans super murum litum* (calce incrustatum, id est, elegantem et firmum) *et in manu ejus trulla cæmentarii. Et dixit Dominus ad me. Quid tu vides Amos? Et dixi: Trullam cæmentarii. Et dixit Dominus: Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Israel: non adjiciam ultra superinducere eum.* Trulla est cura et providentia, qua Deus murum Israelis calce illinivit, id est, speciosum, æque ac fortem et hostibus invictum effecit, quamdiu Israel Deo fidelis adhæsit. At nunc cum infidelis ad vitulos aureos deflexit, Deus deponit trullam, id est curam ejusdem, sinitque eum invadi ab Assyriis, et ruere in interitum.

Cap. 8. 1. *Ecce uncinus pomorum. Et dixit: Quid tu vides Amos? Et dixi: Uncinum pomorum. Et dixit Dominus ad me: Venit finis super populum meum Israel,* q. d. Sicut uncino poma ex arbore carpuntur, sic per Assyrios carpam Israelitas, et in captivitatem abducam. Ita S. Hieron. Mystice, poma sunt homines, quos uncinus, id est, mors carpit; nunc hunc, nunc illum, donec omnes colligat.

Vers. 8. *Ascendet quasi fluvius universus, et ejicietur, et defluet quasi rivus Ægypti,* q. d. Sicut Nilus exundans opplet totam Ægyptum, eamque abluit et evertit secum in mare, in quod defluit; ita Assyrii operient terram Israel, omnesque ejus opes et incolas in cumulum colligent, eosque secum abducunt in Assyriam.

Cap. 9. 1. *Vidi Dominum stantem super altare, et dixit* (angelo) *Percute cardinem, et commoveantur superliminaria.* Jubet hic Deus angelo ut, convulso cardine, evertat templum, ob avaritiam et scelera populi.

Vers. 11. *In die illa suscitabo tabernaculum*

David quod cecidit, etc. Ut possideant reliquias Idumææ, et omnes nationes, etc. et stillabunt montes dulcedinem, et omnes colles culti erunt, q. d. Regnum Davidis, collapsum restaurabo per Christum, faciamque ut ipse per fidem possideat Idumæam omnesque gentes, tanta donorum spiritualium ubertate et felicitate, ut montes et colles vina et mella fundere videantur. Patet Actor. 15. 16.

EX ABDIA.

VERS. 18. *Erit domus Jacob ignis, et domus Joseph flamma, et domus Esau stipula*, q. d. Judæi et Israelitæ subigent sibi Idumæos, sicut ignis subigit sibi stipulam. Unde explicans subdit : *Et succendentur in eis, et devorabunt eos.*

EX JONA.

CAP. 2. 1. *Et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus, et tribus noctibus. Sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, et tribus noctibus*, Matth. 12. 40. Post triduum piscis *evomuit Jonam in aridam*, v. 11. Sic Christus post triduum ex inferis redivivus et gloriosus resurrexit.

CAP. 4. 6. *Et præparavit Dominus Deus hederam, et ascendit super caput Jonæ, ut esset umbra super caput ejus. Et lætatus est Jonas. Et præparavit Deus vermem, et percussit hederam, et exaruit, etc. Et percussit sol super caput Jonæ, etc.* Tropol. docet Deus omnes res et spes humanas esse umbram hederæ, quam subito vermis adversitatis erodit, tumque homines in ea recumbentes ferit sol angoris et tribulationis. Qui ergo sapit, non in creatura aliqua, sed in creatore spes resque suas deponat. Ille juge præbebit umbraculum, ille jugis certusque erit protector.

EX MICHÆA.

CAP. 1. 4. *Et erit in novissimo dierum, mons domus Domini præparatus in vertice montium, et sublimis super colles : et fluent ad eum populi, et properabunt gentes multæ, et dicent : Venite ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos de viis suis, et ibimus in semitis ejus : quia de Sion egredietur lex, et verbum Domini de Jerusalem.* Est hieroglyphicum Ecclesiæ, quam Christus inchoavit in Sion. Hæc est enim civitas in monte posita, quam eminus intuentur omnes gentes, et ad eam confluunt, ut discant legem Dei et Christi, ac juxta eam vitam Christianam et sanctam ineant in pace, concordia et gaudio Spiritus Sancti. Unde subdit : *Et concident gladios suos in vomeres, et hastas suas in ligones : non sumet gens adversus gentem gladium, et non discent ultra belligerare. Et sedebit vir subtus vineam suam, et subtus ficum suam, et non erit qui deterreat, etc. et regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc et usque in æternum.*

VERS. 8. *Et tu turris gregis nebulosa* (hebr. *ophel*, quæ erat turris altissima juxta templum, ideoque intuentibus apparebat caliginosa) *filia Sion, usque ad te veniet : et veniet potestas prima, regnum filiæ Jerusalem*, q. d. Tu, ô Sion, quæ turribus Ophel, gregis, et aliis celsis et nebulosis excelsa es nebulosa et munita, felix eris et beata. Nam ad te primo veniet Christus, ipse primo in te regnabit, prima ejus potestas et imperium tibi ab eo communicabitur, nimirum priscum et avitum regnum Davidis, qui regnavit in Sion et Jerusalem, ipse quasi ejus filius et hæres suscipiet, et restaurabit, ac fortissimum efficiet, non corporale, sed spirituale, illudque tibi consignabit. Ecclesia enim quæ cœpit in Sion, quasi regina regis Christi, dominatur omnibus Christianis toto orbe dispersis. Unde subdit v. 13. *Surge et tritura* (hostes tuos infideles, eosque tibi subige) *filia Sion : quia cornu tuum ponam ferreum, et ungulas tuas ponam æreas, et comminues populos multos, et interficies* (hebr. החרמתי *hacharamti*, id est, quasi anathemata consecrabis) *Domino rapinas eorum, et fortitudinem eorum Domino universæ terræ.*

CAP. 5. 2. *Et tu Bethleem* (sita in regione) *Ephrata*, id est, frugifera et fertili) *parvulus es in millibus Juda : ex te mihi egredietur* (Christus) *qui sit dominator in Israel : et egressus ejus ab initio a diebus æternitatis.* Egressus Christi duplex symbolum est duplicis nativitatis Christi. Prior fuit in cœlo æterna, in qua Christus genitus est à solo Patre, fuitque ἀμήτωρ. Posterior est temporalis, in qua Christus natus est in Bethleem ex Virgine Deipara, fuitque ἀπάτωρ.

EX HABACUC.

CAP. 3. 4. *Cornua in manibus ejus*, q. d. *Manus*, id est, potentia, operatio et vindicta Dei est cornuta, id est, valida, acris et penetrans. Mystice, cornua sunt anguli et clavi in manibus Christi crucifixi. Nam *ibi abscondita est* (divinitas et) *fortitudo ejus.* Unde quasi in triumphum, *ante faciem ejus ibit mors, et egredietur diabolus ante pedes ejus, etc. Incurvati sunt colles* (puta reges et principes) *mundi ab itineribus æternitatis ejus.* In quemcumque enim locum pedem suum intulit Christi æternitas, et æterna majestas circumiens orbem, et evangelizans per Apostolos, illum, ejusque principes, sibi suæque fidei et cultui subjugavit.

EX SOPHONIA.

CAP. 3. 1. *Væ provocatrix et redempta civitas columba.* Columba symbolum est stoliditatis : quia ablatis pullis è nido, ad illum tamen revertitur, q. d. Væ Hierosolymæ, quæ stolida est et excors ut columba : nam cum à me ex Ægypto, et alias sæpe sit redempta et liberata, ipsa tamen mei obliviscitur, ad idola pergit, itaque me ad iram provocat.

VERS. 8. *In igne zeli mei devorabitur omnis terra.* Hic ignis zeli apparuit in Pentecoste, quando Spiritus Sanctus, in linguis insedit Apostolis, per quos consumpsit et devoravit omnem terram Gentilium et gentilismi. *Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, et serviant ei humero uno.* Labium electum est lingua fidelis et Christiana, qua omnes gentes ab Apostolis conversæ invocant nomen Domini, eique serviunt humero uno, id est, unanimiter, summa concordia et charitate. Unde de iis subdit :

VERS. 17. *Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit; gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione sua*, id est, in tuî amore silenter et gaudenter conquiescet, *exsultabit super te in laude*, laudando tuam fidem, constantiam, patientiam, martyrium, etc.

VERS. 18. *Nugas qui à lege recesserant congregabo.* Nugas vocat nugaces, leves et viles Judæos, qui à lege recesserant, quos Christus

in Sionem, id est, in suam Ecclesiam, congregavit et adunavit.

EX AGGÆO.

Cap. 2. 8. *Adhuc unum modicum, et ego commovebo cœlum et terram, et mare et aridam. Et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria.* Desideratus est Messias, qui fuit gloria templi secundi, dum illud sua præsentia, doctrina et miraculis condecoravit. Commota sunt cœlum et terra, dum prodigia stupenda ediderunt in ejus nativitate et morte, quibus quasi clamabant se stupere hanc creatoris sui exinanitionem et dignationem, ac homines ad similem stuporem, gratitudinem, amorem et laudem Dei provocabant. Unde explicans subdit : *Magna erit gloria domus istius novissimæ*, id est, templi Zorobabelis, *plusquam primæ*, puta templi Salomonis.

Vers. 24. *In die illa dicit Dominus exercituum, assumam te, Zorobabel fili Salathiel, serve meus, dicit Dominus, et ponam te quasi signaculum quia te elegi.* Signaculum, id est, sigillum, vel annulus signatorius, quia hic omnia obsignat et custodit, ac litteris et edictis regiis dat fidem : unde regi est ad manum, ejusque digito inseritur : hinc symbolum est amoris, fidei, auctoritatis, honoris, excellentiæ, quæ Deus contulit Zorobabeli, dum ex ejus stirpe fecit nasci Christum, quem statuit suum in orbe Legatum, Regem, Doctorem, Prophetam, Pontificem, Redemptorem, ut legem Evangelicam, salutem et reconciliationem à Deo decretam, omnibus sibi credentibus promulgaret, et reipsa conferret : *Hunc enim Pater signavit Deus*, Joan. 6. 27.

EX ZACHARIA.

Cap. 1. 8. *Ecce vir ascendens super equum rufum, et ipse stabat inter myrteta quæ erant in profundo* (in valle, v. g. ad ripam Euphratis, cui adjacet Babylon :) *et post eum equi rufi, varii, et albi.* Hic vir fuit S. Michael custos Synagogæ : insidet equo rufo, quasi vindex, fusurus sanguinem hostium populi Dei : stat inter myrteta, id est, inter Prophetas piosque Judæos, qui in profundum captivitatis et ærumnarum in Babylone fuerant demersi. Sequuntur eum equi et equites rufi, id est, angeli præsides gentium, quæ persecutæ fuerant Judæos : et albi, id est, angeli præsides gentium Judæis benevolarum : et varii, id est, angeli præsides gentium variantium affectum, ut nunc Judæis essent amicæ, nunc inimicæ. Omnes hi perlustratis regionibus sibi commissis, dicunt gentes omnes in pace degere. Unde orat Michael, ut eadem Judæis detur : *Usquequo*, inquit, *tu non misereberis Jerusalem? iste jam septuagesimus annus est* desolationis urbis et templi.

Vers. 19. *Ecce quatuor cornua, etc. Et ostendit mihi Dominus quatuor fabros, etc. Hæc sunt cornua quæ ventilaverunt Judam per singulos viros, et nemo eorum levavit caput suum. Et venerunt isti deterrere ea, ut dejiciant cornua gentium, quæ levaverunt cornua super terram Juda.* Quatuor cornua sunt quatuor gentes degentes ad quatuor mundi plagas, quæ vexarunt Judæos, scilicet ab Oriente Ammonitæ, ab Occidente Philistini, à Meridie Idumæi, ab Aquilone Assyrii et Chaldæi. Porro quatuor fabri, sunt quatuor angeli tutelares Judææ, qui hasce gentes et timore perculerunt, et perculsas prostraverunt.

Cap. 2. 5. *Ego ero ei* (Jerusalem et magis Ecclesiæ) *ait Dominus; murus ignis in circuitu*, q. d. Instar muri ignei cingam et tuebor Ecclesiam, ne quis hostis eam invadat : sicut Cherub flammeo gladio tuetur paradisum, Genes. 3. Unde subdit : *Et in gloria ero in medio ejus*, q. d. Intrinsecus civibus ore consolationi, et gloriæ : forinsecus vero hostibus, instar muri ignei ero terrori et vastitati.

Vers. 8. *Hæc dicit Dominus exercituum : Post gloriam misit me ad gentes.* Et vox Christi, q. d. Olim ego Dei filius, gloriam meam ostendi in Jerusalem et Judæis : nunc mittor à Patre in carnem, ut majorem gloriam ostendam in Ecclesia et gentibus Christianis. *Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.*

Cap. 3. 3. *Et Jesus Pontifex filius Josedec, erat indutus vestibus sordidis. Et stabat ante faciem angeli. Qui respondit, et ait ad eos qui stabant coram se* (angelos inferiores) *dicens : Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum : Ecce abstuli à te iniquitatem tuam, et indui te mutatoriis*, q. d. Abstuli à te peccata tua, et restituo tibi pontificatum, ideoque pro vestibus sordidis reddo tibi stolam pontificiam, ut deinceps templum cultumque meum instaures, in eoque pontificatu fungaris. Allegorice, Jesu filius Josedec repræsentat Jesum Christum, ob peccata nostra sputis et plagis in passione sordidatum, sed die tertia resurgentem, et stola gloriæ circumdatum.

Vers. 8. *Audi Jesu sacerdos magne, tu, et amici tui qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt*, hebr. *viri portenti*, q. d. Tu, ô Jesu, Zacharia, Aggæe, etc. estis Prophetæ, et tam verbis, quam factis portenditis Christum, ejusque Ecclesiam. Unde subdit : *Ecce enim ego adducam servum meum Orientem*, hebr. צמח *tsemach*, id est, germen oriens ex Virgine et radice Jesse, puta Christum.

Vers. 9. *Quia ecce lapis quem dedi coram Jesu : super lapidem unum septem oculi sunt. Ecce ego cælabo sculpturam ejus, ait Dominus.* Lapis hic angularis et fundamentalis templi, id est Ecclesiæ, est Christus. Septem ejus oculi, sunt septem angeli primarii portectores Ecclesiæ : sculpturæ, sunt vulnera et stigmata Christo in passione incisa, per quæ abstulit iniquitatem terræ, ut sequitur.

Cap. 4. 2. *Vidi, et ecce candelabrum aureum totum : et lampas ejus super caput ipsius : et septem lucernæ ejus super illud : et septem infusoria lucernis, quæ erant super caput ejus. Et duæ olivæ super*, id est juxta, *illud, una à dextris lampadis, et una à sinistris ejus.* Candelabrum repræsentat lucidissimam Dei providentiam, qua futurum erat, ut mox candelabrum materiale, id est, templum à Judæis reædificaretur. Lampas est ipsa divinitas et mens divina omniscia. Septem lucernæ lucentes instar oculorum, sunt septem angeli primarii, administri et executores divinæ providentiæ, præsertim in hac templi fabrica. Sic enim eas explicat angelus v. 10. dicens : *Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in universam terram.* Septem infusoria, id est, calami concavi instar canalium et fistularum, per quos oleum è lampade de-

rivabatur et defluebat in septem lucernas, totidem calamis insistentes, significant varias divinæ providentiæ rationes, modos et influxus, quas septem angelis administris suis communicat, ut eas exsequantur. Duæ olivæ, sunt Jesus Pontifex et Zorobabel princeps, qui astant candelabro repræsentanti Deum Deique providentiam, ut eam exsequantur, templumque reædificent, ac Ecclesiam, æque ac rempubl. Judæorum instaurent. Ita enim explicat angelus v. ultimo dicens : *Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universæ terræ.*

Allegor. Candelabrum est Ecclesia : Lampas est Christus : Oleum est Christi sanguis, merita et gratia. Hæc enim Christus per septem Sacramenta, quasi infusoria, influit in septem lucernas, id est, in omnes fideles et Ecclesias. Duæ olivæ, sunt S. Petrus et Paulus, qui Christo assistunt quasi primipili in fundanda et exornanda Ecclesia. Item Elias et Henoch in fine mundi, qui Judæos gentesque omnes ad Christum convertent; itaque consummationem et culmen imponent Ecclesiæ, tam militanti, quam triumphanti.

Vers. 7. *Quis tu, mons magne, coram Zorobabel? in planum,* q. d. Quis tu, ô Sanaballat potens et superbe, ut resistas Zorobabeli in fabrica templi ? complanare, deprime tuam potentiam et superbiam. Non enim valebis Zorobabelem Deo nixum impedire, quo minus templum consummet. Mystice : Quis tu, ô Satan potens et superbe, ut Zorobabelis filio, id est, Christo et Christianis, resistas in erigenda et propaganda Ecclesia? complanare : illi enim te calcabunt, et, te invito, Ecclesiæ fabricam consummabunt.

Et educet lapidem primarium, qui in culmine emineat, q. d. Zorobabel culmen templo imponet illudque consummabit. *Et exæquabit gratiam gratiæ ejus,* q. d. Faciet Zorobabel ut gratia consummationis templi, gratiæ inchoationis ejusdem commensuretur, et quasi ex æquo respondeat. Unde explicans subdit : *Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, et manus ejus perficient eam.*

Vers. 10. *Quis enim despexit dies parvos? Dies parvos* vocat, quibus parva et exilia templi fundamenta jaciebantur à pauperibus Judæis, ita ut non viderentur ad culmen posse deduci, multo minus æquare magnificentiam prioris templi à Salomone ædificati.

Et lætabuntur, et videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel, q. d. Videbunt mox Zorobabelem perpendiculo dimetientem et perficientem fabricam templi, tumque lætabuntur quasi in die magna et mirabili. Lapis enim stanneus est, qui funem perpendiculi distendit, ut recta et ad libellam fabrica mensurari et assurgere possit.

Cap. 5. 2. *Ego video volumen volans : longitudo ejus viginti cubitorum, et latitudo ejus decem cubitorum.* Volumen hoc continebat furta, perjuria et scelera impiorum, æque ac pœnas cuique pro mensura scelerum debitas, et imminentes : hinc volat et quasi involat in fures, perjuros, etc. præsertim qui opes à Dario aliisque datas pro fabrica templi, in suos usus sacrilege convertebant. Quocirca visum fuit egredi ex templo, vel circa illud volare : unde et ei in mensura fuit par. Tabernaculum enim Mosis, quod erat instar templi, longum erat viginti cubitis, latum decem ; tantumdem longum et latum erat hoc volumen. Ita explicat Zacharias dum subdit : *Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ : quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur; et omnis jurans ex hoc similiter judicabitur.*

Vers. 6. *Hæc est amphora egrediens. Et dixit : Hæc est oculus eorum in universa terra. Et ecce talentum plumbi portabatur : et ecce mulier una sedens in medio amphoræ. Et dixit : Hæc est impietas. Et projecit eam in medio amphoræ, et misit massam plumbeam in os ejus. Et levavi oculos meos, et vidi : et ecce duæ mulieres egredientes, et spiritus in alis earum, et habebant alas quasi milvi; et levaverunt amphoram inter terram et cœlum. Et dixi ad Angelum qui loquebatur in me : Quo istæ deferunt amphoram? Et dixit ad me : Ut ædificetur ei domus in terra Sennaar, et stabiliatur, et ponatur ibi super basem suam.* Amphora est mensura peccatorum, qua impleta Deus ea castigat et vindicat. Oculus omnium impiorum in eam respicit : quia impii non nisi ad suas cupedias et scelera respiciunt, itaque eam sensim adimplent, qua impleta, talento plumbi ipsa obtegitur; quo significatur gravis Dei ultio et sententia, quæ impietatem amphoræ, id est, mensuræ pœnarum, culpis parium, adæquat et includit ut eam evadere nequeat. Impietas est idololatria, aliaque crimina. Duæ mulieres sunt Nabuchodonosor et Nabuzardan, qui quasi milvi alati celerrime et rapacissime impietatem cum amphora, puta impios Judæos qui jam mensuram scelerum suorum impleverant, transtulerunt in Babylonem, ut ibi quasi in sua sede et regno commoretur impietas, tam quoad culpam, quam quoad pœnam. Vide dicta Zachariæ 5.

Cap. 6. 1. *Et quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium; et montes, montes ærei.* Quatuor quadrigæ sunt quatuor monarchiæ, quarum una alteri continue successit : hæ prodierunt è duobus montibus, id est, è celsitudine et arcana profunditate divini consilii et providentiæ, cujus duæ sunt partes, quasi duo montes, scilicet sapientia et potentia, sive prædestinatio et executio : utraque fortis et efficax instar æris, adeo ut nemo eis reluctari potuerit, aut possit.

Vers. 2. *In quadriga prima equi rufi, et in quadriga secunda equi nigri, et in quadriga tertia equi albi, et in quadriga quarta equi varii fortes.* Equi rufi significant primam monarchiam Chaldæorum, qui rufa veste, id est purpurea et coccinea, amiciebantur; quique erant rufi, id est, crudeles et sanguinarii, præsertim in Judæos. Nigri significant secundam monarchiam Persarum : nigror repræsentat pavorem et horrorem, quem incusserunt Judæis sub Cambyse, et sub Assuero marito Esther per dolos Aman. Albi significant Græcos, qui albati incedebant, ait Cyrill. quique in Judæos fuerunt clementes et benevoli. Varii significant Romanos, quorum varium fuit regimen, nunc monarchicum, nunc aristocraticum, nunc democraticum.

Vers. 6. *Equi nigri egrediebantur in terram Aquilonis,* q. d. Persæ aggressi sunt et vastarunt impiam Babylonem. Unde de iis subdit vers. 8 : *Qui egrediuntur in terram Aquilonis, requiescere fecerunt spiritum* (Septuag. *furorem*) *meum in terra Aquilonis,* puta in Babylone, quæ Aquilonaris est Judææ.

Et albi egressi sunt post eos. Quia Alexander et

Græci successerunt Persis, eosque cum suo rege Dario profligarunt juxta Babylonem. *Et varii egressi sunt ad terram Austri*, Augustus et Romani invaserunt Ægyptum, quæ Judææ est ad Austrum, eamque devicto apud Actium Antonio et Cleopatra (quæ ultima ex Græcis, puta Ptolomæis fuit Ægypti regina) sibi subjugavit, eaque ratione, exstinctis plane Græcis, eorum monarchiam ad se transtulit.

Vers. 11. *Sumes aurum et argentum, et facies coronas duas*, unam pontificiam, alteram ducalem; *Et pones in capite Jesu filii Josedec, sacerdotis magni*, ut significes deinceps pontifices fore duces et principes Judæorum: ac magis, ut allegorice Jesus filius Josedec, id est, justitiæ Dei, repræsentet Jesum Christum fore summum orbis Pontificem, æque ac regem. Unde de eo subdit: *Ecce vir oriens* (Chald. *Messias*) *nomen ejus. Et subter eum orietur*. Multitudo fidelium et sanctorum. *Et ædificabit templum*, id est, Ecclesiam tam militantem, quam triumphantem, *Domino: et ipse portabit gloriam, etc.* gloriose resurgens, et ascendens cum triumpho in cœlum, ibique residens ad dexteram Patris, quasi Rex regum et Dominus dominantium.

Cap. 8. 3. *Et habitabo in Jerusalem, et vocabitur Jerusalem civitas veritatis, et mons Dominus exercituum, mons sanctificatus.* Jerusalem typus est Ecclesiæ, quæ est columna et firmamentum veritatis, ac mons sanctitatis, tam doctrinæ, quam vitæ divinæ. Unde subdit:

Vers. 7. *Ecce ego salvabo populum meum de terra Orientis, et de terra occasus solis.* Hoc est quod Judæis ait Christus de Gentibus: *Multi venient ab Oriente et Occidente, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum*, Matth. 8. 11. Unde et subdit Zachar. vers. 23: *Apprehendent decem*, id est multi, *homines ex omnibus linguis gentium, et apprehendent fimbriam viri Judæi* (id est, confitentis Deum, et credentis in Christum eumque prædicantis, puta Apostoli, virique Apostolici) *dicentes: Ibimus vobiscum: audivimus enim quoniam Deus vobiscum est.*

Vers. 19. *Jejunium quarti* (mensis) *et jejunium quinti, et jejunium septimi, et jejunium decimi, erit domui Juda in gaudium et lætitiam, et in solemnitates præclaras.* Hæc fuerunt symbola jejunii quatuor temporum, quod usurpat Ecclesia, uti docet S. Leo. Vide dicta *Zachar.* 8. 19.

Cap. 11. 12. *Et dixi ad eos: Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam; et si non, quiescite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteis. Et dixit Dominus ad me: Projice illud ad statuarium, decorum pretium quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos: et projeci illos in domo Domini, ad statuarium.* Zacharias hac actione sua symbolica, per visionem ipsi, ut videtur, in mente à Deo objecta et efformata, repræsentavit venditionem Christi, qua Judas eum vendidit triginta argenteis; quod proinde per ironiam vocat decorum, id est vile et infame pretium. Unde jussu Dei projecit illud in templo, ut eo à statuario, id est à figulo, emeretur ager in sepulturam peregrinorum, Matth. 27. 3.

Cap. 13. 1. *In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris et menstruatæ.* Fons hic est Christus in cruce lancea et clavis perforatus, ex quo scaturivit Baptismus, Eucharistia, cæteraque Sacramenta, ac omnis gratia: quibus abluitur peccator, et menstruata, id est, peccatrix. Peccatum enim est menstruum, id est sordes et virus animæ. Unde hunc fontem explicans subdit:

6. *Et dicetur ei: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum* (puta in Judæa et Jerusalem) *qui diligebant me*, q. d. Has plagas mihi inflixerunt mei cives et cognati, puta Judæi, qui erant populus colens et diligens Deum, et consequenter me. Ego enim sum Deus, et Dei filius.

Vers. 7. *Framea suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum.* Est vox Dei Patris, qua significat suo decreto occidendum esse Christum, q. d. Jubeo tibi, ô framea, ô gladie (sub quo claves, lanceam, flagella, et omnia mortis instrumenta, per synecdochen intellige) ut ferias et occidas Christum, qui est vir cohærens mihi, et pastor quem dedi meis fidelibus, ut ipsi ejus morte redimantur. *Percute* ergo *pastorem, et dispergentur oves.*

Cap. 14. 4. *Et stabunt pedes ejus in die illa super montem Olivarum, qui est contra Jerusalem ad Orientem: et scindetur mons Olivarum ex media parte suî ad Orientem, et ad Occidentem prærupta grandi valde, et separabitur medium ad Aquilonem, et medium ejus ad Meridiem.* Symbolum est Christi ex monte Oliveti ascendentis in cœlum, indeque mittentis Apostolos in quatuor mundi plagas. Anagog. Christo ibidem confidente ad judicium, findetur totus mons, ut impios, æque ac Antichristum, absorbeat, mittatque in tartara,

Vers. 7. *Et erit in die illa: non erit lux, sed frigus et gelu. Et erit dies una quæ nota est Domino, non dies, neque nox, et in tempore vesperi erit lux.* Ad litteram dies hic fuit tempus persecutionis Antiochi Epiphanis, qua Judæis afflictis dies videbatur non esse dies, sed nox. Verum vespere, id est in fine persecutionis, successit lux, id est, lætitia et consolatio per victorias Judæ et Machabæorum. Anagog. dies judicii, qui soli Deo est notus, ita erit horridus, ut sub illud tempus sol obscurandus sit, et stellæ de cœlo casuræ: sed vespere, id est in fine ejus, succedet Sanctis lux beatitudinis et gloriæ æternæ.

Vers. 8. *Et erit in die illa: exibunt aquæ vivæ de Jerusalem: medium earum ad mare Orientale, et medium earum ad mare novissimum: in æstate et hieme erunt.* Alludit ad fontes Gihon, qui ad Occidentem; et Cedron, aliosque qui ad Orientem cingebant et decorabant Jerusalem. Per hos intelligit Machabæos, qui suis præliis et victoriis, quasi fontes aquas vivas consolationis, lætitiæ, et rerum abundantiæ attulerunt Judæis. Parabolice significantur Apostoli, qui è Jerusalem exeuntes in totum orbem emanarunt aquas gratiæ et doctrinæ Evangelicæ. Anagog. significantur gaudia Beatorum ex visione Dei, quasi ex fonte manantia. Unde huc alludens S. Joannes Apocal. 22. 1. in descriptione cœlestis Jerusalem: *Et ostendit mihi*, inquit, *fluvium aquæ splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei, et agni, etc.*

Vers. 16. *Et omnes qui reliqui fuerint de universis gentibus, quæ venerunt contra Jerusalem, ascendent ab anno in annum, ut adorent regem Dominum exercituum, et celebrent festivitatem*

tabernaculorum. Tenuiter id factum à Machabæis, qui Idumæos, Philistæos aliasque vicinas gentes coegerunt ad suscipienda sacra Judaica, eorumque festa colenda. Plene id factum ab Apostolis, qui omnes gentes converterunt et induxerunt ad celebranda festa Christiana, adumbrata per Judaica; ac præsertim ut mystice agant festum tabernaculorum, nimirum ut quasi peregrini degant in hoc mundo, tanquam in tabernaculo; ac fide, spe et charitate jugiter contendant ad patriam cœlestem.

Vers. 20. *In die illa erit quod super frenum equi est, sanctum Domino,* q. d. Machabæi phaleras equorum, aliasque manubias hostium consecrabunt Deo, quasi victoriæ auctori. Idem facient de suis spoliis et opibus Principes, Reges et Imperatores conversi ad Christum: quorum primus fuit Constantinus, qui proinde ad litteram clavum sanctum, quo crucifixus est Christus, imposuit freno equi sui, tum ad ostendendam suam fidem et pietatem in Christum, tum ut ejus ope communitus in præliis, victoria potiretur.

Et erunt lebetes in domo Domini, quasi phialæ coram altari, q. d. Ob victorias Machabæorum, multi confluent ad sacrificandum Deo: hinc plurimos adducent lebetes ad coquendas carnes victimarum, quos deinde relinquent templo, Deoque consecrabunt; ita fiet ut tot sint lebetes sanctificati, quot phialæ; ac lebetes in nitorem et sanctitatem phialarum quasi transeant. Mystice, lebetes sunt corda fidelium, in quibus igne charitatis excoquitur quidquid carnale est, ut fiant sancta instar thymiamatis quod est in phialis, jugiter exhalantia incensum orationis et laudis Deo. Hinc de S. Magdalena canit Ecclesia:

Fit ex lebete phiala,
In vas translata gloriæ,
Ex vase contumeliæ.

q. d. Prius erat lebes concupiscentiæ, deinde facta est phiala continentiæ et pœnitentiæ.

EX MALACHIA.

Cap. 1. 11. *Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus: et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* Hebr. מנחה *mincha,* id est, sacrificium farreum, puta farinæ et panis, Levitici 2. quod erat typus Eucharistiæ, quæ hîc ad litteram significatur, et prædicitur in lege nova fore non tantum Sacramentum, sed et sacrificium.

Cap. 3. 1. *Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis.* Duos hîc Angelos prænuntiat Malachias, unum communem et priorem, qui sit præcursor posterioris. Hic est S. Joannes Baptista, qui fuit Angelus, id est legatus, Christi; idque ante faciem ejus, id est coram eo: quia Christum præsentem populo ostendit, et digito demonstravit. Alterum Angelum testamenti, puta Christum, qui fuit Angelus, id est legatus, Patris ad sanciendum novum testamentum, id est, fœdus inter Deum et homines. Hic post Joannem concionantem et præsertim incarceratum, venit ad templum, ibique prædicavit et miracula patravit, quibus comprobavit se esse Angelum testamenti, puta Messiam. Unde de eo sequitur: *Ecce venit, dicit Dominus exercituum. Et quis poterit cogitare diem adventus ejus. Et quis stabit ad videndum eum?* q. d. Ecce ego Malachias eminus in spiritu eum adventantem conspicio. Et quis comprehendat, imo quis appendat, ponderet et penetret pro dignitate, uti meretur, ejus in carnem advenientis dignationem, charitatem, potentiam, sapientiam, majestatem, gloriam? Quis vero coram tanta majestate consistere queat? quis tantam lucem irretortis oculis intueri valeat? Quis hominum impurorum coram tanta puritate, imo igne conflante et purificante, illæsus consistat?

Vers. 2. *Ipse enim quasi ignis conflans et quasi herba fullonum,* q. d. Christus instar ignis conflabit, et instar herbæ saponariæ, qua fullones expurgant pannos, emundabit ab omni peccato et immunditie, suos fideles, præsertim sacerdotes.

Vers. 3. *Et sedebit conflans, et emundans argentum. Et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum, et quasi argentum: et erunt Domino sacrificia offerentes in justitia,* q. d. Christus quasi aurifex igne divino excoquet suos sacerdotes, ut niteant instar argenti, et splendeant instar auri, itaque justa et sancta Deo offerant sacrificia. Aaronici enim sacerdotes fuerunt terreni, Christiani vero sunt argentei et aurei.

Cap. 4. *Ecce dies veniet succensa quasi caminus, et erunt omnes superbi, et omnes facientes impietatem stipula: et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem et germen.* Dies hæc est dies judicii, *succensa* igne, tum conflagrationis mundi, tum gehennæ, tum acris examinis et judicii divini, in qua impii cum omni sua gloria, opibus, deliciis et pompis funditus exscindentur, et comburentur ut stipula, cujus nulla radix superest, aut germen; ita tamen ut illæsi ipsi semper perdurent in igne, ad pœnam continuam et æternam.

Vers. 5. *Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum, ne forte veniam et percutiam terram anathemate.* Hinc patet Eliam Thesbitem, ut habent Septuag. cum Henoch venturum ante diem judicii, ut Judæos convertat. Elias ergo cor, id est mentem, fidem et devotionem patrum erga Christum venturum reducet, imprimetque filiis, ut cor, id est mens, fides et devotio filiorum erga Christum jam præsentem, imitetur et sequatur cor, id est mentem, fidem et spem patrum; ne veniens Christus ad judicium, incolas terræ terrenis bonis affixos perdat anathemate, id est, pleno excidio et exterminio; sed credentes in se salvet beetque.

ÆNIGMATA.

EX OSEE.

Cap. 1. 10. *Et erit in loco ubi dicitur* (dicebatur) *eis : Non populus meus vos ; dicetur eis : Filii Dei viventis. Et congratulabuntur filii Juda et filii Israel pariter. Et ponent sibi caput unum, et ascendent de terra.* Est ænigma vocationis Judæorum et Gentium ad fidem et salutem per Christum. Hi enim antea non erant populus Dei, sed per fidem in Christum facti sunt populus Dei, et filii Dei, verique Judæi et Israelitæ, cum scilicet unum caput sibi posuerunt Christum, et cum eo ascendere cœperunt mente et conversatione sancta de terra in cœlum.

Vers. 7. *Quia magnus dies Jezrahel*, q. d. Celeberrimus et felicissimus erit dies ille, quo Jezrahel, id est, semen et filii Dei antea dispersi, per Christum unigenitum Dei filium congregabuntur in unam Ecclesiam, nunc militantem, postea triumphaturam in cœlis.

Cap. 2. 15. *Dabo vallem Achor* (id est turbationis) *ad aperiendam spem*, q. d. Turbatio et desperatio erit occasio, et initium spei : ubi omnia videbuntur perdita et desperata, ibi affulgebit spes salutis. Deus enim in arctis extremisque difficultatibus maxime adesse solet, suisque aperire viam ad evadendum.

Vers. 21. *Exaudiam cœlos et illi exaudient terram. Et terra exaudiet triticum, et vinum, et oleum : et hæc exaudient Jezrahel*, q. d. Dabo cœlis pluviam, quam tacite poscunt, ut eam communicent terræ, quæ per eam fecundata dabit triticum, vinum et oleum, quo alatur Jezrahel, id est, populus Dei : Jezrahel enim poscit triticum, etc. triticum poscit terram fecundam, terra fecunda poscit pluviam è cœlo. Horum omnium votis satisfacit Deus, dum facit ut cœlum impluat terræ, ex eaque producat fruges, ad alendum Jezrahel.

Cap. 5. 1. *Laqueus facti estis speculationi, et rete expansum super Thabor. Speculationem* vocat populum speculandum, sive speculationi et custodiæ sacerdotum et procerum commissum, q. d. Vestrum erat speculari, præmonere, itaque avertere pericula à populo : at vos pro specula eidem facti estis laqueus; quia verbo et exemplo eum idolis implicastis et illaqueastis, itaque in ruinam et exitium egistis : perinde ac venatores reti capiunt et illaqueant feras et aves in monte Thabor.

Vers. 7. *Devorabit eos mensis ;* Aquila, *neomenia*, id est nova luna, puta novus rex, novum imperium, quæ sub luna, cum luna, et instar lunæ mutantur et innovantur.

Cap. 6. 3. *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos.* Ad litteram primus dies, est captivitatis Assyriacæ : secundus, Babylonicæ; tertius, redemptionis et libertatis per Cyrum, et multo magis per Christum. Allegorice primus dies fuit passionis Christi, secundus sepulturæ, tertius resurrectionis, quo seipsum, nosque in seipso à morte ad vitam Christus suscitavit. Tropolog. q. d. Cito Deus pœnitentem sua gratia vivificat; et patientem in tribulatione cito consolatur et liberat.

Vers. 5. *Propter hoc dolavi in Prophetis, occidi eos in verbis oris mei*, q. d. Judæi erant duri ut marmora : conatus ergo sum eos dolare et scalpere per Prophetas, assidue eos tundens et pulsans, nunc minando, nunc blandiendo, adeo ut Prophetas tot oraculis, verbis et concionibus fatigarim et quasi enecarim; sed frustra : scalpra enim mea hebetavi, et Prophetas meos tantum non occidi; at ipsi marmora manent, sculpi scalpique nolunt.

Cap. 7. 8. *Ephraim factus est subcinericius panis qui non reversatur*, qui non invertitur, ideoque ab igne aduritur, q. d. Israel, quasi panis subcinericius, manet in suo cinere et sordibus idololatriæ, nec se ab iis avertit, ut per pœnitentiam redeat ad Deum : quocirca igne Assyriaco sensim comburetur et consumetur. Unde subdit : *Comederunt alieni robur ejus*, puta fruges et opes ejus diripuerunt et devorarunt Assyrii : *et ipse nescivit*, ipse non advertit se consumi, et tendere in ruinam.

Cap. 8. 7. *Ventum seminabunt, et turbinem metent*, q. d. Sicut qui serit ventum, metit turbinem, quem causat ventus in terram jactus et conclusus : ita qui seminant idololatriam, superbiam, aliaque scelera, metent turbinem calamitatum et ærumnarum, quarum causa est idololatria, superbia, etc. Unde affini adagio idem explicans subdit :

Culmus stans non est in eo, germen non faciet farinam, q. d. Sicut ex vento seminato nasci nequit culmus consistens, germenque crescens in granum quod faciat farinam : ita et ex idololatria et superbia nasci nequit aliquid boni, quod operantem pascat et reficiat; sed potius omne malum, quod eum cruciet, affligat, et mille molestiis curisque exagitet.

Vers. 8. *Israel factus est quasi vas immundum*, puta matula, in quam Assyrii aliæque gentes suas sordes conjiciant; ita S. Hieron.

Vers. 9. *Israel est onager solitarius sibi*, q. d. Israel jugum Dei et legis excussit : vult esse liber, sibique, ut lubet, vivere, instar asini feri et sylvestris.

Cap. 9. 8. *Speculator Ephraim cum Deo meo : Propheta laqueus ruinæ factus est*, q. d. Propheta qui debebat esse speculator populi, versarique cum Deo, et ex ejus ore loqui, hic factus est populo laqueus ruinæ : quia suis falsis oraculis et doctrinis populum induxit in exitium et ruinam.

Vers. 14. *Da eis, Domine. Quid dabis eis? Da eis vulvam sine liberis, et ubera arentia*, q. d. Inflige Israelitis pœnam raram et acrem, scilicet sterilitatem et orbitatem, ut vel filios non concipiant, vel si conceperint, lactare et educare nequeant, idque quia in filiis superbierunt, iisque sacrilege abusi sunt, immolando eos Moloch.

EX JOELE.

Cap. 2. 20. *Eum qui ab Aquilone est procul faciam à vobis.* Scilicet Nabuchodonosorem et Holofernum, qui ex Aquilonari plaga, puta Chaldæa et Assyria, veniunt, avertam ab Israele.

Mystice, diabolum avertam à fidelibus. Ipse enim est frigidus Aquilo, qui suo frigore omnia bona desiccat, acediam et torporem piorum operum inducit.

EX AMOS.

Cap. 1. 3. *Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eum : eo quod trituraverint in plaustris ferreis Galaad*, q. d. Ob tria, id est multa, scelera Damasci, sed maxime ob quartum, quia scilicet crudeliter sæviit in Israelitas, puta Galaaditas, triturando eos quasi triticum, non parcam ei; sed pariter in eum sæviam, et acriter eum puniam.

Cap. 6. 13. *Numquid currere queunt in petris equi, aut arari potest in bubalis? quoniam convertistis in amaritudinem judicium, et fructum justitiæ in absynthium*, q. d. Equi et bubali sequuntur naturæ ductum : unde nil faciunt naturæ repugnans; v. g. ut equi currant in petris, ut bubali indomiti jugo domentur, et arent. At vos, ô Israelitæ, naturas rerum invertitis; quia facitis naturæ repugnantia : nam justitiam in injustitiam, virtutem in vitium, dulcedinem in amaritudinem convertitis.

Cap. 9. 6. *Qui ædificat in cœlo ascensionem suam*, id est thronum, ad quem sancti è terra ascendunt; *et fasciculum suum super terram. Fasciculum* vocat colligationem trium elementorum, aeris, aquæ et terræ. Mystice, fasciculus Dei est Ecclesia, fide, lege et charitate Dei constricta et colligata: Ecclesia, inquam, tum mixta et militans, tum electa et triumphans.

EX MICHÆA.

Cap. 1. 7. *Quia de mercedibus meretricis congregata sunt, et usque ad mercedem meretricis revertentur*, q. d. Quia Samaria suas opes collegit ex idololatria (hæc enim est meretricatus spiritalis), hinc cædem ad idololatras, puta ad Assyrios raptores devolventur.

Vers. 15. *Adhuc hæredem adducam tibi quæ habitas in Maresa.* Est sarcasmus: *hæredem* enim vocat Assyrios, qui vastabunt et hæreditabunt Maresa cæterasque urbes Judææ. Unde subdit: *Usque ad Odollam veniet gloria Israel*, q. d. Gloria Israel propulsa quasi ab Assyriis, qui ejus urbes capient, fugiet usque ad Odollam, quæ est in finibus Judææ, ibique cadet et exstinguetur, cum Odollam capiet Assyrius. Ergo tu, ô Samaria, æque ac tu, ô Judæa, *decalvare et tondere* (in signum extremi luctus) *super filios deliciarum tuarum* (Septuag. *super filios tuos delicatos*) *dilata calvitium tuum sicut aquila*, quæ senescens toto corpore deplumatur et decalvatur : *quoniam captivi ducti sunt ex te.*

Cap. 6. 10. *Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis, et mensura minor iræ plena*, q. d. Adhuc ignis cupiditatis, toties à nobis Prophetis repressus et restinctus, quasi sopitus reviviscit, inardescit et increscit, nimirum thesauri qui ex iniquitate comparantur, et usus mensurarum quæ justo sunt minores, sed ira Dei plenæ; quia quod eis deest in pondere, hoc Deus supplebit et implebit sua vindicta onereque supplicii.

EX NAHUM.

Cap. 1. 10. *Quia sicut spinæ se invicem complectuntur; sic convivium* (id est, cœtus convivarum, sive convivæ) *eorum pariter potantium, consumentur quasi stipula ariditate plena*, q. d. Convivantes et compotantes Assyrii, qui insymposiis instar coronæ è spinis contextæ et implexæ, sibi invicem in orbem sociantur, dum mensas et vina coronant; hi, inquam, ab Angelo et à Medis, quasi stipula aridissima comburentur et consumentur.

Cap. 3. 16. *Plures fecisti negotiationes tuas, quàm stellæ sint cœli; bruchus expansus est et avolavit*, q. d. Sicut bruchus sole calente alas expandit et avolat; ita merces et opes tuæ, ô Ninive, quæ numero certant cum stellis, persequente te Chaldæo, à te ad eum avolabunt.

Vers. 17. *Custodes tui quasi locustæ, et parvuli tui quasi locustæ locustarum, quæ confidunt in sepibus in die frigoris; sol ortus est, et avolaverunt*, q. d. Sicut locustæ tam magnæ, quàm parvæ, nocturno frigore torpentes, solis radiis excitatæ et calefactæ avolant; ita tui duces et milites, ô Ninive, qui te custodiebant, veniente Chaldæo aufugient.

EX SOPHONIA.

Cap. 1. 7. *Præparavit Dominus hostiam, sanctificavit vocatos suos.* Hostia, pro peccato immolanda divinæ vindictæ, est impia Jerusalem. Sacerdotes, eam immolaturi, sunt Chaldæi, quos Deus ad hoc vocavit et *sanctificavit*, id est auctoravit, designavit, et quasi consecravit ministros et exsecutores suæ justitiæ et sententiæ.

Vers. 12. *Scrutabor Jerusalem in lucernis*, q. d. Scrutabor Judæos in speluncis se abdentes, per Chaldæos, qui eos ubique investigabunt, ut occidant, vel capiant. Unde subdit : *Et visitabo* (puniendo) *super viros defixos in fæcibus suis*, puta in peccatis suis, q. d. Sicut vinum jugiter residens in fæcibus suis fit olidum, vapidum et insipidum; ideoque ab œnopola ab iis depromitur, et in aliud vas transfertur; ita Judæi, in Judæa degentes in otio et rerum abundantia, lasciviunt et luxuriant, putent et fœtent; quocirca eos inde transferam in Babylonem.

Vers. 15. *Dies iræ, dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris.* Dies hæc ad litteram est dies excidii Jerusalem per Chaldæos. Allegor. est dies mortis et dies judicii. Unde de ea subdit : *In igne zeli ejus devorabitur omnis terra; quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram.* Deus enim judex et vindex, quasi zelotes impulsus zelo justitiæ, honoris et amoris sui, ad vindicandum injurias sibi irrogatas, acriter puniet Judæos et fideles qui quasi sponsæ ab eo adamatæ, eo spreto, cum creaturis adulteratæ sunt.

EX ZACHARIA.

Cap. 10. v. 4. *Ex ipso* (Juda) *angulus, ex ipso paxillus, ex ipso arcus prælii, ex ipso egredietur omnis exactor simul.* Hæc sunt quatuor ænigmata principis, puta Machabæorum, et mystice Apostolorum. Princeps enim, primo, est angulus reipubl. utpote qui omnia ejus latera stringit, continet et roborat; secundo, est quasi paxillus, quia ex ipso omnium subditorum fortunæ, res et spes pendent, quasi ex paxillo; tertio, est quasi arcus, hostes Reip. sternens et profligans; quarto, est exactor, id est, victor qui victis leges, jura et tributa imponit.

Cap. 11. 1. *Aperi, Libane, portas tuas, et comedat ignis cedros tuas*, q. d. Aperi, ô Jerusalem, portas tuas Tito et Romanis, qui domos tuas cedrinas comburent. Libanus enim est ænigma Jerusalem et templi, tum quia ex cedris pinisque Libani erant constructa; tum quia ut Libanus arboribus, ita Jerusalem populis abundabat.

Vers. 2. *Ulula abies, quia cecidit cedrus.* Ululate plebeii, quia ceciderunt magnates, qui vos protegebant; illis ergo cadentibus, cadetis et vos. Unde explicans subdit: *Quoniam magnifici vastati sunt.*

Vers. 7. *Et assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi Decorem, et alteram vocavi Funiculum, et pavi gregem.* Duæ virgæ pastorales, sive duplex pedum significat duplex regimen Dei. Primo enim rexit Judæos amore, sceptro quasi decoris, per promissa et beneficia, deditque principes et pontifices benevolos et beneficos; quales fuerunt ante Zachariam Moses, Josue, David, etc., post eum Machabæi, et maxime Christus. Verum quia Judæi his recalcitrarunt, hinc fracto sceptro decoris assumpsit sceptrum funiculi, quo cœpit eos regere terroribus, minis, vinculis et flagellis, præsertim post Christum, ac tandem plane eos abjecit, tradiditque vastandos Tito et Romanis, uti in sequentibus docet Zacharias.

Vers. 15. *Et dixit Dominus ad me: Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti*, id est improbi, qui gregem negligit, imo expilat, ut se unum pascat et ditet. Hujus vasa, id est instrumenta, sunt machæra, vel culter ad jugulandum oves: baculus ad confringendum earum crura; laqueus ad eas strangulandum; cithara, quam neglectis ovibus pulset, ut se oblectet. Unde subdit:

Vers. 17. *O pastor et idolum, derelinquens gregem*, q. d. Tu, ô stulte et improbe pastor, non es pastor, sed umbra et idolum pastoris. Habes nomen et pedum, sed curam et vigilantiam pastoris non habes. Tales fuere Jason et Menelaus tempore Machabæorum, atque Annas, Caiphas et Scribæ tempore Christi. Talis erit Antichristus in fine mundi, qui volet adorari ut idolum et numen.

Cap. 12. 2. *Ecce ponam Jerusalem in superliminare crapulæ omnibus populis in circuitu.* Alludit ad profanationem templi factam sub Antiocho, adeo ut in eo comessationibus et scortationibus vacarent, ut patet 2. Machab. 6. Quocirca templum jam non erat templum, sed popina, ganea et domus crapulæ, ita ut in ejus superliminari tituli loco scyphus, quasi insigne compotationis et crapulæ, exponi potuerit, et forte reipsa expositus sit, q. d. Græci et nonnulli Judæi ex domo Dei fecerunt domum crapulæ; ego faciam ut quasi ebrii in illam impingant, utque à Machabæis cædantur, et jam non vino, sed sanguine suo inebrientur; propinabo eis calicem tremoris, stuporis et soporis (hæc enim omnia significat hebr. רעל *raal*), ut eo consopiti æternum somnum dormiant.

Vers. 3. *Ponam Jerusalem lapidem oneris cunctis populis, omnes qui levabunt eum, concisione lacerabuntur.* Alludit ad palæstram Gentilium, quam impius Jason in Jerusalem induxit, in qua certabant disco, id est, massa plumbea, vel saxea, quis scilicet eam altius elevare, vel longius projicere posset, qua sæpe lacerabantur manus levantium, imo ipsi levantes subinde opprimebantur, q. d. Certant Græci, ut Judæos, quasi discum et lapidem oneris è Judæa in Græciam projiciant; sed ego faciam ut ab eodem per Machabæos lanientur et opprimantur.

EX MALACHIA.

Cap. 4. 3. *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus; et egrediemini et salietis sicut vituli de armento.* Alludit ad ænigma phœnicis; hujus enim sunt pennæ. Phœnix enim est avis solaris, quia symbolum est solis, q. d. Christus ex morte redivivus orietur vobis, ô justi, quasi phœnix, id est, quasi sol justitiæ post occasum exoriens, qui suis radiis, quasi pennis expansis, vobis irradians, à morte vos resuscitabit, ac gloria beatitudinis et dote agilitatis donabit, ut vegeti, læti et felices exsiliatis, sicut exsiliunt vituli bene pasti et saginati.

ADAGIA.

EX OSEE.

Cap. 2. 6. *Sepiam viam tuam spinis*, hoc est, impediam ne curras ad tuos amasios, puta ad idola.

Vers. 9. *Liberabo lanam meam et linum meum.* Auferam à te vestes laneas et lineas, quibusa buteris ad cultum idolorum. Significat creaturas invite servire impietati, ideoque ab impiis quasi captivari, quia creatæ sunt et destinatæ ad hunc finem, ut serviant piis in cultu Dei. Ab hac captivitate liberat eas Deus, dum illas impiis adimit, et transfert ad pios vel homines, vel usus.

Vers. 13. *Visitabo super eam dies Baalim.* Puniam eum ob cultum Baal.

Vers. 14. *Lactabo eam et ducam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.* Seducam eam ab amasiis, et solus cum sola agam, eique abblandiar.

Vers. 19. *Sponsabo te mihi in sempiternum, et sponsabo te mihi in justitia et judicio, et in misericordia et miserationibus.* Assumam te mihi in sponsam cum summa misericordia, æque ac justitia; qua te tuebor, et hostes tuos prosternam.

Cap. 3. 1. *Diligunt vinacia uvarum.* Peccator relicta uva pingui et plena, id est, vero summoque bono, diligit vinacia, id est, folliculos uvæ passæ, puta picta et ficta bona, falsas delicias, falsos honores, falsas opes, falsa gaudia.

Cap. 4. 2. *Sanguis sanguinem tetigit.* Cædes cædibus adduntur, peccata peccatis cumulantur.

Vers. 11. *Fornicatio et vinum et ebrietas auferunt cor*, id est rationem, judicium, mentem, spiritum, hominemque dementant et infatuant.

Vers. 15. *Si fornicaris tu, Israel, non delinquat*

saltem Juda, habens Dei templum, Deoque quasi dedicatus et intimus. *Quoniam sicut vacca lasciviens declinavit Israel.* Israel ut vacca lasciviat, Juda in Dei lege consistat ut leo.

Cap. 5. 3. *Ego scio Ephraim, et Israel non est absconditus à me*, q. d. Ego sum cardiognostes, ideoque video intimas Israelitarum cogitationes, desideria et propensiones in fornicationem et idololatriam. Unde sequitur : *Quia nunc fornicatus est Ephraim, contaminatus est Israel : quia spiritus fornicationum in medio eorum.*

Vers. 5. *Respondebit arrogantia Israel in facie ejus*, q. d. Arrogans fastus Israelis, Deique contemptus publica clade sternetur et punietur; hæcque humiliatio et pœna ostendet ejus scelera ; eique interroganti : Cur adeo punior ? in faciem non voce, sed facto et reipsa respondebit : Quia tam arrogans fuisti, q. d. Pœna respondebit culpæ ; pœna culpam prodet, totique orbi demonstrabit. Unde sequitur : *Et Israel et Ephraim ruent in iniquitate sua.*

Vers. 12. *Ego quasi tinea Ephraim, et quasi putredo* (Hebr. teredo) *domui Juda*, q. d. Ut tinea molli lentoque, sed certo morsu corrodit vestem, ac teredo lignum ; ita ego corrodam et consumam Israelitas et Judæos.

Vers. 14. *Ego quasi leæna Ephraim, et quasi catulus leonis domui Juda*, q. d. Laniabo Israelitas quasi leæna, et Judæos quasi leunculus.

Cap. 6. 6. *Misericordiam volui et non sacrificium, et scientiam Dei plus quàm holocausta*, q. d. Requiro internam pietatem, non externam ; actus, non cæremonias ; victimas mentis, non carnis ; cordis, non oris.

Cap. 7. 4. *Omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente.* Sicut adulterandi libido adulterando increscit, magisque accenditur : ita libido colendi idola in Israelitis, ipsa eorum cultura magis increvit, et incensa est instar fornacis, quam succendit pistor ; ita ut viderentur in idola furere et insanire.

Vers. 11. *Factus est Ephraim quasi columba seducta, non habens cor.* Sicut columba stolida sinit sibi pullos auferri, et ad eumdem nidum redit ; rursum, ob escam in retia se dat, sinitque se capi : ita Israelitæ stolidi implorant opem deorum et Assyriorum, à quibus vident se sensim spoliari et vastari, agique in exitium.

Vers. 16. *Facti sunt quasi arcus dolosus.* Videbantur Jehu et Israelitæ, everso Baal, studia sua directuri ad stabiliendum Dei cultum, sed ecce resilierunt ad colendos vitulos Jeroboam.

Cap. 4. 8. *Ipsi regnaverunt et non ex me, principes exstiterunt, et non cognovi*, q. d. Reges Israel fecerunt schisma à domo David, et regnarunt in Israel non me auctore, sed populo tumultuante, et deficiente à Roboam. Ego enim unum institui regnum, puta Juda, non Israel ; ego sum auctor unius Synagogæ et regni, non duplicis ; odi enim divisionem et schisma, præsertim tendens ad idololatriam.

Cap. 9. 4. *Sacrificia eorum quasi panis lugentium*, q. d. Israelitæ idololatræ, et mœrentes in captivitate offerunt et comedunt victimas immundas et illegitimas, æque ac lugubres et funestas, quale est epulum funebre.

Vers. 10. *Facti sunt abominabiles sicut ea* (idola, et meretrices Beelphegor, id est Priapi obscenissimi) *quæ dilexerunt.*

Cap. 10. 12. *Seminate vobis in justitia* (Hebr. *justitiam*, id est, opera pia, justa et sancta), *et metite* (id est, certo metetis) *in ore misericordiæ.* Hebr. *juxta os misericordiæ*, scilicet Dei. *Os* symbolum est capacitatis et amplitudinis, q. d. Amplissimum à Deo recipietis mercedem, gratiam et misericordiam, tantam scilicet, quanta decet os, id est, amplitudinem misericordiæ Dei.

Innovate ergo vobis novale, q. d. Cor vestrum, evulsis vitiorum spinis et loliis, quasi novale, id est, novum agrum, Deo præparate, ut in eo ipse serat copiosa suæ gratiæ et misericordiæ semina.

Vers. 13. *Arastis impietatem, iniquitatem messuistis*, q. d. Hactenus arastis, et seminastis impietatis semina et opera, ideoque pœnas iniquitati debitas messuistis : *Ac comedistis frugem mendacii*, q. d. Paucas tenuesque comedistis fruges, ideoque mendaces et fallaces ; quia spem magnæ segetis, quam dabant in germine, in messe non præstiterunt.

Vers. 11. 9. *Deus ego et non homo*, q. d. Homo regitur ira, ego iram moderor et rego ; homo offensus spirat vindictam, ego misericordiam ; hominis cogitationes sunt naturales, terrenæ et depressæ ; meæ sunt supernaturales, cœlestes et transcendentes omnem Angelorum intellectum ; homo est inconstans et mutabilis, ego constans et immutabilis.

Vers. 12. *Circumdedit me in negatione Ephraim, Judas autem testis descendit cum Deo, et cum sanctis fidelis*, q. d. Cum Ephraim, id est decem Tribus, abnegavit Dei cultum, et coluit vitulos aureos, tunc Judas, id est, duæ Tribus Deo fideliter, cum sanctis sacerdotibus aliisque fidelibus adhæsit, ac quasi descendit cum Deo ; Deus enim parte sui regni et Ecclesiæ ab Ephraim quasi spoliatus, descendere et deprimi videbatur ; illi tamen in hoc descensu et contumelia, fidelis comes et assecla fuit Judas. Judas ergo fidem et amicitiam suam stabilem Deo in hac persecutione, et tribulatione probavit. Vulgo enim fieri solet illud Poetæ :

> Donec eris felix, multos numerabis amicos ;
> Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Cap. 12. 1. *Ephraim pascit ventum et sequitur æstum*, q. d. Israel facit rem futilem, perinde ac si quis ventos vellet pascere et regere, quasi oves ; imo rem noxiam, perinde ac si quis persequeretur æstum ; eum enim non comprehendet, nec lædet, sed potius ab eo læde tur et uretur. Colit enim idola vana et noxia, in iisque spes suas reponit ; ob quæ vastabitur et comburetur.

Vers. 7. *Chanaan in manu ejus statera dolosa*, q. d. Israel jam non est Israel, sed Chanaan, id est, mercator fraudulentus ; in manu enim ejus est statera dolosa ; quia per iniqua pondera et mensuras decipit ementes et vendentes, ac iniqua lucra aucupatur.

Vers. 11. *Si in Galaad idolum, ergo frustra erant in Galgal bobus immolantes*, q. d. Si Galaaditæ, id est Israelitæ, experti sunt suos deos esse *idolum*, id est, rem vanam et noxiam, ideoque se cum iis excisos esse, et in vanum abiisse ; ergo frustra eosdem colunt Judæi in Galgal : pariter enim sentient eos esse idolum, id est, rem vanam et noxiam, cum eoque exscindentur et evanescent.

Cap. 13. 9. *Perditio tua, Israel, tantummodo in me auxilium tuum*, q. d. Excidium tuum tibi

tuisque sceleribus ascribe, non mihi meæque sævitiæ; ego enim tantum tibi auxiliari possum, idque desidero, si pœnitere et ad me redire velis. Tuum ergo exitium habes ex te, ex me vero non nisi auxilium.

Vers. 11. *Dabo tibi regem in furore meo, et auferam in indignatione mea*, q. d. Non est quod speres auxilium à regibus tuis, Jeroboam et posteris ejus; quia sicut eos tibi iratus dedi, ita et iratus auferam, tradamque unà tecum Assyriis. Id fecit Deus in Hosee ultimo rege Israel.

Cap. 13. 4. *Dicite ei* (Deo quem offendisti): *Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum*, id est da veniam, gratiam, omneque bonum, quod rursum per gratiarum actionem à nobis accipias. Unde subdit) *et reddemus vitulos labiorum nostrorum*, puta laudem et hymnodiam labiis nostris expressam. Præscribit Propheta Israeli pœnitenti formulam confessionis et deprecationis.

Vers. 10. *Quis sapiens, et intelliget ista? intelligens, et sciet hæc? quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis*, q. d. Soli sapientes, id est fideles et justi, intelligunt vias legesque Domini, ac in eis ambulant recte in cœlum; cæteri, infideles scilicet et impii, insipientes sunt: quia vias Dei practice non cognoscunt, nec in eis ambulant, sed in eis impingunt, corruuntque in scelera, ac deinde in supplicia, puta in gehennam.

EX JOELE.

Cap. 1. 15. *Aaa diei, quia prope est dies Domini*, puta dies excidii Samariæ, et typice totius mundi, q. d. Instat extrema clades urbi et orbi, *et quasi vastitas à potente veniet.* Unde de eodem ait cap. 2. 1: *Canite tuba in Sion, ululate in monte sancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ, quia venit dies Domini; quia prope est dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et turbinis; quasi mane expansum super montes, populus multus et fortis*, q. d. Sicuti summo mane sol expandit spargitque radios in montes, eosque præoccupat; ita Assyrii summa celeritate advolarunt, et præoccuparunt montes Israelis, antequam eos adventare scirent et sentirent Israelitæ.

Cap. 2. 3. *Ante faciem ejus ignis vorans, et post eum exurens flamma; quasi hortus voluptatis terra coram eo, et post eum solitudo deserti, neque est qui effugiat eum*, q. d. Exercitus Assyriorum ita omnia vastabit, ac si ignem cuncta afflantem ante se præferret, et post se exhalaret, ita ut terram, quæ antea erat florens quasi paradisus, redigat in solitudinem et vastitatem. Hinc

Vers. 19. *A facie ejus contremuit terra, moti sunt cœli, sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum.* Hæc proprie fient in fine mundi; sed improprie facta sunt in excidio Israelis, quia scilicet Israelitis pavore perculsis, cœli et terra inverti, concuti et obscurari visa sunt. Est hypallage.

EX AMOS.

Cap. 5. 7. *Qui convertitis in absynthium judicium.* Qui injustas, amaras et acerbas fertis sententias in pauperes et innocentes, itaque eos quos juvare et consolari debebatis, exacerbatis et mœrore conficitis.

Vers. 9. *Qui subridet vastitatem super robustum.* Qui ludens et quasi subridens immittit plagas in robustos, quibus eos vastat et conculcat.

Vers. 11. *Pro eo quod diripiebatis pauperem, et prædam electam tollebatis ab eo, domos quadro lapide ædificabitis, et non habitabitis in eis; vineas plantabitis amantissimas, et non bibetis vinum earum.*

Vers. 13. *Prudens in tempore illo* (excidii, considerans justum Dei judicium et vindictam) *tacebit, quia tempus malum est.*

Vers. 23. *Aufer à me tumultum carminum tuorum, et cantica lyræ tuæ non audiam.* Quia Deus quærit cantica cordis, non oris; planctum mentis, non vocis.

Vers. 24. *Et revelabitur quasi aqua judicium, et justitia quasi torrens fortis*, q. d. Dei justa vindicta vos obruet, instar torrentis longe lateque exundantis, qui omnia secum convolvit et abripit.

Cap. 6. 1. *Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ! optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel. Qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris. Qui comeditis agnum de grege. Qui canitis ad vocem psalterii. Bibentes vinum in phialis, etc., et nihil patiebantur super contritione Joseph* (populi sui.) *Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium* (in captivitatem Assyriacam), *et auferetur factio lascivientium. Juravit Dominus Deus in anima sua, etc.*

Vers. 12. *Quia ecce Dominus mandabit, et percutiet domum majorem* (decem Tribus) *ruinis* (excidio pleno et perpetuo), *et domum minorem scissionibus*, id est, duas Tribus scindet et carpet; sed non delebit: quinimo post 70 annos captivitatis Babylonicæ, eas sibi et patriæ restituet.

Cap. 7. 14. *Non sum Propheta, et non sum filius Prophetæ, sed armentarius ego sum, vellicans sycomoros. Et tulit me Dominus cum sequerer gregem, et dixit Dominus ad me: Vade, propheta ad populum meum Israel.* Ita stulta et ignobilia mundi eligit Deus, impletque suo spiritu, ut confundat nobiles et sapientes.

Cap. 8. 11. *Emittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini*, q. d. Redigam Israel in obsidione Samariæ ad tantas angustias, ut Prophetas, quos antea sprevit, undique conquirat, ut ex iis sciscitetur oraculum de futuro obsidionis eventu, an et quomodo manus Assyriorum possit evadere.

Cap. 9. 7. *Numquid non ut filii Æthiopum vos estis mihi filii Israel?* Quia sicut Æthiopes colore, ita vos moribus atri estis, deformes, obdurati et immutabiles.

EX ABDIA.

Vers. 3. *Dicis* (ô Edom) *in corde tuo: Quis detrahet me* (ex rupe in qua securus habito) *in terram? Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.*

EX JONA.

Cap. 2. 9. *Qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam derelinquunt*, q. d. Qui colunt idola, quique voluptates suas à Deo vetitas sectantur, derelinquunt Deum, à quo omnem misericordiam et omne bonum exspectare debent.

CAP. 3. 4. *Adhuc quadraginta dies , et Ninive subvertetur.*

EX MICHÆA.

CAP. 1. 5. *Quod scelus Jacob? nonne Samaria? et quæ excelsa Judæ? nonne Jerusalem?* q. d. Samaria quasi metropolis, quæ decem Tribubus debebat esse dux fidei et religionis, facta est eisdem dux idololatriæ , æque ac Jerusalem Judæ, sive duabus Tribubus.

VERS. 8. *Super hoc plangam et ululabo , vadam spoliatus et nudus ; faciam planctum velut draconum , et luctum quasi struthionum ,* q. d. Miserabiliter et inconsolabiliter plangam excidium Samariæ.

VERS. 10. *In domo pulveris* (Hebr. *in Aphra*) *pulvere vos conspergite ,* q. d. Aphra , urbs Samariæ , recte vocatur Aphra , id est pulvis ; quia in pulverem ab Assyriis est redigenda. In ea ergo quasi in domo pulveris , vos , ô Samaritæ , pulvere vos conspergite , et lugete excidium ejus et vestrum.

CAP. 2. 13. *Ascendet pandens iter ante eos , divident et transibunt portam , et ingredientur per eam ; et transibit rex eorum coram eis , et Dominus in capite eorum ,* q. d. Christus præibit pandetque viam fidelibus suis in Ecclesiam , tum militantem , tum triumphantem.

CAP. 3. 6. *Propterea nox vobis pro visione erit, et tenebræ vobis pro divinatione ; et occumbet sol super Prophetas , et obtenebrabitur super eos dies ,* q. d. Quia vos , ô pseudoprophetæ , non lucem , id est veritatem , sed noctem et tenebras , id est mendacia , prophetastis , prædicendo impiis pacem , id est prospera ; idcirco puniam vos , faciamque ut visiones , id est prophetiæ vestræ , vertantur in noctem , tum falsitatis , ut omnibus appareat eas fuisse tenebras , id est, errores et figmenta ; tum calamitatis et excidii. Redigam enim vos in eas angustias , ut sol vobis pavidis et attonitis occumbere , diesque in meridie obtenebrari videatur.

VERS. 8. *Verumtamen ego repletus sum fortitudine spiritus Domini , judicio et virtute , ut annuntiem Jacob scelus suum , et Israel peccatum suum.* Doctori et concionatori necessaria sunt hæc tria : primo, fortitudo, id est libertas, et constantia docendi et arguendi peccata et peccatores potentes ; secundo, judicium, id est veritas , æquitas et discretio ; tertio , virtus , id est efficacia dicendi.

VERS. 10. *Qui ædificatis Sion in sanguinibus et Jerusalem iniquitate ,* q. d. Qui domos magnificas in Jerusalem ædificatis ex injustis vectigalibus , donis , usuris , contractibus , fraudibus , rapinis et oppressionibus pauperum. Unde explicans subdit : *Principes ejus in muneribus judicabant , etc.*

VERS. 12. *Propter hoc causa vestri* (ob vestras rapinas et scelera) *Sion quasi ager arabitur , et Jerusalem quasi acervus lapidum erit , et mons templi in excelsa sylvarum ,* q. d. Demoliar Sionem , et in ea domos vestras ; quia eas ædificatis ex rapinis et sanguine pauperum. Urbs enim plectitur propter cives ; et templum igni destinatur propter impios et sacrilegos indigenas. Satius enim est illud dari igni , quàm sceleri ; excidio , quàm sacrilegio ; hosti Chaldæo , quàm idololatræ et homicidæ Judæo.

CAP. 6. 3. *Popule meus , quid feci tibi , aut quid molestus fui tibi? responde mihi. Quia eduxi te de terra Ægypti , et de domo servientium liberavi te , et misi ante faciem tuam Moysen , et Aaron et Mariam?* q. d. Estne hoc maleficium quod mihi imputas , nimirum beneficium , quo te è carcere Ægyptiaco redemi , et ex mancipio effeci ingenuum et liberum ? Est mycterismus.

VERS. 8. *Indicabo tibi , ô homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat à te : utique facere judicium* (justitiam) *et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Sicut reus supplex et sollicitus ambulat cum judice, à quo veniam et vitam petit ; et sicut famuli solliciti ambulant cum dominis suis , à quibus victum et omnia bona sperant.

VERS. 14. *Humiliatio tua in medio tuî.* In te residet tam culpa, quam pœna afflictionis tuæ.

CAP. 7. 1. *Væ mihi , quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ ! non est botrus ad comedendum,* q. d. Heu mihi ! nam ego Michæas prædicatione mea excolui vineam Juda ; sed oleum et operam perdidi : vix unum alterumve converti : diabolo et idolis cedunt botri grossi et plurimi ; Deo et mihi pauculi acini. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

VERS. 4. *Qui optimus in eis est, quasi paliurus ; et qui rectus, quasi spina de sepe ,* q. d. Optimus inter Judæos, nocens est et aculeatus, pungitque et lædit ut paliurus et spinæ : cogitate ergo quales sint cæteri, quales pessimi.

VERS. 5. *Ab ea quæ dormit in sinu tuo , custodi claustra oris tui ,* q. d. Uxori ne reveles secreta tua : prodet enim te , utpote infida et garrula : *Nam inimici hominis domestici ejus.*

VERS. 8. *Ne læteris, inimica mea* (ô æmula Idumæa) *super me* (Jerusalem , quæ vastata sum à Chaldæis) , *quia cecidi ; consurgam , cum sedero in tenebris. Dominus lux mea est. Iram Domini* (captivitatem 70 annorum in Babylone) *portabo , quoniam peccavi ei, donec causam meam judicet : educet me in lucem* (in libertatem per Cyrum , et magis per Christum) *videbo justitiam ejus ,* justam vindictam in Chaldæos, aliosque fidelium tyrannos.

VERS. 18. *Quis Deus similis tuî , qui aufers iniquitatem, et transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? Revertetur et miserebitur nostrî : deponet iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Dabis veritatem Jacob, misericordiam Abraham, quæ jurasti patribus nostris à diebus antiquis ,* q. d. Tu , ô Domine Deus, vere et fideliter præstabis libertatem per Cyrum et magis per Christum , Jocobo , id est Jacobæis , sive Judæis , quam misericorditer olim promisisti , et jurasti Abrahæ cæterisque Patriarchis, te daturum posteris eorum.

EX NAHUM.

CAP. 1. 9. *Non consurget duplex tribulatio ,* id est, ut Septuag. *Non vindicabit bis in idipsum in tribulatione,* q. d. Deus idem scelus non punit bis; ita S. Cyril. et Theoph.

VERS. 15. *Ecce super montes pedes* (gressus , adventus : hujus enim symbolum et causa sunt pedes) *evangelizantis et annuntiantis pacem : celebra , Juda , festivitates tuas , et redde vota tua : quia non adjiciet ultra ut pertranseat in te Belial, universus interiit.* Belial hîc ad litteram est Sennacherib : allegorice est diabolus : tropologice est peccatum : anagogice est mors, quæ tolletur in resurrectione , qua sublata Beati in cœlo celebrabunt perenne festum et jubileum.

CAP. 2. 11. *Ubi est habitaculum leonum , et pas-*

cua catulorum leonum? Ubi est Ninive, quæ erat lustrum leonum, id est, tyrannorum, qui prædabantur omnes gentes, earumque spolia et opes distribuebant suis catulis, id est, filiis et optimatibus? q. d. Eversa est et expilata à Chaldæis, sicut ipsa evertit et expilavit alias.

Cap. 3. 1. *Væ civitas sanguinum, universa mendacii dilaceratione plena! non recedet à te rapina*, q. d. Væ civitati Ninive, quæ tota est sanguinaria, mendax, plena rapinis et prædis! quia sicuti prædata est, et laceravit alias gentes, sic pariter ipsa lacerabitur, eritque prædæ Chaldæis.

Vers. 4. *Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ, et gratæ, et habentis maleficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus suis, et familias in maleficiis suis*, q. d. Exscindetur Ninive ob idololatrias suas, superstitiones et veneficia, quibus infecit et imbuit omnes gentes sibi subjectas.

Vers. 8. *Numquid melior es Alexandria populorum, quæ habitat in fluminibus? aqua in circuitu ejus; cujus divitiæ, mare: aquæ, muri ejus: Æthiopia, fortitudo ejus*, q. d. Ne fidas tuis viribus et opibus, ô Ninive: nam Alexandria quæ te est fortior et opulentior, utpote adjacens mari et aquis cincta, iis se tutari non poterit, sed capietur à Chaldæo: pariter ergo ab eo capieris et tu.

EX HABACUC.

Cap. 1. 6. *Ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram et velocem, ambulantem super latitudinem terræ, etc. Leviores pardis equi ejus et velociores lupis vespertinis, etc. Volabunt quasi aquila festinans ad comedendum.* In pardo notatur Chaldæorum sævitia, in lupo voracitas, in aquila rapacitas: in omnibus velocitas.

Vers. 13. *Quare non respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio justiorem se? Et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem?* q. d. Cur permittis, ô Domine, Nabuchodonosorem quasi balænam impune grassari, nosque quasi pisciculos tyrannice opprimere et deglutire? Cur nos quasi lumbricos sinis ab eo injuste calcari et proteri?

Vers. 16. *Propterea immolabit sagenæ suæ, et sacrificabit reti suo: quia in ipsis incrassata est pars ejus, et cibus ejus electus. Sagenam* et *rete* vocat arma, vires et castra Nabuchodonosoris, quibus quasi retibus ipse illaqueabat, et capiebat gentes instar piscium, q. d. Ipse sibi suisque viribus, non Deo, ascribit suas victorias. Unde eas habet pro numine: quocirca ipse ut Deus, in statua aurea quam erexit, Daniel. c. 3. coli et adorari voluit.

Cap. 2. 1. *Super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem, et contemplabor ut videam quid dicatur mihi*, q. d. Ego disputans et argumentans cum Deo, cur sinat impios Chaldæos vastare populum Dei: ut meam thesin quasi munitionem propugnem, stabo vigil in excubiis, ut argumenta Dei excipiam, eaque aliis argumentis, si possim, repellam et refellam.

Vers. 2. *Et respondit mihi Dominus, etc. Apparebit in finem, et non mentietur: si moram fecerit, exspecta illum; quia veniens veniet, et non tardabit: justus autem in fide sua vivit*, q. d. Tandem Deus puniet Chaldæos, et è Babylone liberabit Judæos, scilicet post 70 annos: quare si moram fecerit, exspectate eum, quia certo veniet, idque brevi. Nolite ergo in ista mora esse impatientes, increduli, et diffidentes de hisce Dei promissis; sed in eorum fide et spe vestram captivitatem, et ærumnas generose sustentate, alacresque vivite.

Vers. 6. *Væ ei qui multiplicat non sua! usquequo et aggravat contra se densum lutum?* q. d. O miser Nabuchodonosor, cur rapis alienas opes? quid enim hæ sunt aliud quàm densum lutum, quo te opples et aggravas?

Vers. 11. *Quia lapis de pariete clamabit*, q. d. Lapides, ligna et tigna quæ rapuisti, vel ex rapto emisti, ad superba tua palatia exstruenda, propalam omnibus inclamabunt tuam avaritiam et rapinam, ideoque te juste à Deo puniri, vastari et disperdi.

Vers. 18. *Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus, conflatile, et imaginem falsam?* q. d. Quid in idolo tui Beli confidis? Hoc enim non est numen, sed numinis imago falsa, quam plastes finxit: *Dominus autem in templo sancto suo: sileat à facie ejus omnis terra.*

Cap. 3. 16. *Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis, ut ascendam ad populum accinctum nostrum*, q. d. Veniant in me omnes ærumnæ, omnes morbi, omnes afflictiones, ut in die illa horrenda excidii Babylonis, communem Chaldæorum cladem evadam, et ascendam ad populum accinctum ad iter, cum eoque sospes redeam in Judæam. Allegor. ut in die excidii mundi, dieque judicii sim securus, et ascendam ad populum electorum, jam accinctum ad iter in cœlum.

Vers. 18. *Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo*, id est, liberatore et salvatore meo, tum è Babylone, tum mystice à peccato et gehenna: *Deus Dominus fortitudo mea, et ponet pedes meos quasi cervorum, et super excelsa mea deducet me victor*, in Jerusalem tum terrestrem, tum cœlestem, *in psalmis canentem.*

EX SOPHONIA.

Cap. 2. 9. *Moab ut Sodoma erit, et filii Ammon quasi Gomorrha, siccitas spinarum, et acervi salis, et desertum usque in æternum.* Est periphrasis extremæ vastitatis et desolationis, qua Moab et Ammon regiones olim florentes per Chaldæos convertendæ erant in spineta, et acervos salis instar Sodomæ. Causam subdit v. 10: *Hoc eis eveniet pro superbia sua; quia blasphemaverunt, et magnificati sunt super populum Domini*, Hebr. *magnificarunt*, scilicet os et linguam, subsannando Judæos cum vastarentur à Chaldæis, et blasphemando, ac dicendo quod Deus eorum non potuisset eos contra Chaldæos tutari. Quocirca *horribilis*, Hebr. *terribilis*, erit *Dominus super eos, et attenuabit omnes deos terræ, et adorabunt eum viri de loco suo omnes insulæ gentium.* Hoc impletum est per Evangelium Christi et prædicationem Apostolorum.

Vers. 13. *Ponet speciosam* (Niniven) *in solitudinem, etc. Hæc est civitas gloriosa habitans in confidentia, quæ dicebat in corde suo: Ego sum, et extra me non est alius. Quomodo facta est in desertum, cubile bestiæ?* q. d. Ninive, urbs illa inclyta, superba et gloriosa, orbis domina, à Chaldæis vastabitur, ita ut in ea deinceps non habitent homines, sed bestiæ et feræ.

EX AGGÆO.

Cap. 1. 6. *Seminastis multum, et intulistis parum; comedistis, et non estis satiati; bibistis, et non estis inebriati; operuistis vos, et non estis calefacti; et qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum.* Causam dat v. 9 : *Quia domus mea deserta est, et vos festinatis unusquisque in domum suam*, q. d. Quia vos prætulistis vestras domos et commoda Deo, indeque neglexistis fabricam templi, ut illud maneret desertum; hinc Deus punit vos sterilitate et penuria, ut agri, horrea, vineæ et cellaria vestra sint arida, deserta et squalida, nec vos satient aut reficiant. Unde v. 11 : *Vocavi*, inquit, *siccitatem super terram, et super montes, et super triticum, et super vinum, etc.*

EX ZACHARIA.

Cap. 1. 12. *Et respondit angelus Domini, et dixit: Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Jerusalem et urbium Juda, quibus iratus es? iste jam septuagesimus annus est.* Hi 70 anni sunt desolationis, sive excidii Jerusalem et templi, qui inchoantur anno 18. Nabuchodonosoris, et finiuntur anno 2. Darii Hystaspis, quo hæc dixit angelus : ac proinde diversi sunt ab annis 70. captivitatis Babylonicæ. Hi enim finiuntur anno 1. Cyri, et inchoantur anno 11. Joakim, vel, ut alii, anno 3. ejusdem.

Cap. 2. 6. *O, ô, fugite de terra Aquilonis*, puta de Babylone, quæ est confusio errorum et vitiorum, ideoque rursum brevi capietur et vastabitur à Dario Hystaspis. Tropol. fugite de mundo, qui plenus est pompis, vanitatibus, erroribus, concupiscentiis, ærumnis, periculis.

Cap. 3. 2. *Numquid non iste torris est erutus de igne?* q. d. Jesus filius Josedec, rediens à captivitate, est quasi torris ustulatus et fuliginosus, è fornace Babylonia erutus, id est miser, squalidus et pauper. Cur ergo tu, ô Satan, ei adversaris, ut eum plane comburas et disperdas, ne templum cultumque meum quasi pontifex restauret?

Vers. 10. *In die illa, etc. vocabit vir amicum suum subter vineam, et subter ficum*, q. d. Tempore Christi et Evangelii erit summa pax, lætitia et communicatio, ut fideles inter se bona habeant communia, in iisque conviventur, tum corporaliter, tum potius spiritualiter in Eucharistia, vita, doctrina et gratia Christi. Ipse enim est nostra vitis et ficus.

Cap. 7. 13. *Et factum est sicut locutus est* (Deus) *et non audierunt : sic clamabunt, et non exaudiam*, q. d. Lege talionis par pari referam : ipsi me vocantem noluerunt audire, vicissim ego quoque eos in necessitate me invocantes non exaudiam.

Cap. 9. 1. *Domini est oculus hominis, et omnium tribuum Israel*, q. d. Deus est *oculus*, tum activus, et videns omnes gentes, æque ac tribus Israel, iisque providens : tum passivus et visus, q. d. Deus est objectum oculi : Deus est in quem oculum intendunt omnes homines, ab eo sperantes opem et omne bonum. Sic Ægyptii Deum et numen, sive providentiam, pingebant quasi oculum baculo insistentem. Baculus significat sceptrum, puta dominium et potestatem regiam; oculus, vigilantiam et providentiam Dei.

Vers. 9. *Exsulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem. Ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator : ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ.* Rex est Christus, qui in die Palmarum, quasi rex certo debellaturus dæmones, peccata et mortem, triumphans ingressus est Jerusalem, vectus asina, Matth. 21. 5.

Vers. 11. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua*, q. d. Tu, ô Christe, merito et pretio sanguinis tui, quo sancivisti novum fœdus inter Deum et homines, liberasti Patres in limbo detentos, ut tecum resurgerent, et ascenderent in cœlum.

Vers. 13. *Et suscitabo filios tuos, Sion, super filios tuos, ô Græcia, et ponam te quasi gladium fortium. Et Dominus Deus super eos videbitur, et exibit ut fulgur jaculum ejus : et Dominus Deus in tuba canet, et vadet in turbine Austri*, q. d. Apostoli ex Sione, id est, è Judæa oriundi, erunt quasi gladius fortis, arcus, jacula fulgurantia, lapides fundæ, tubæ et turbines Dei, quibus Græcos, id est, omnes gentes, clangore et potenti virtute Evangelii prosternet, sibique subjiciet. Unde de iisdem subdit.

Vers. 16. *Quia lapides sancti elevabuntur super terram ejus*, q. d. Apostoli erunt quasi lapides sancti, in titulum et trophæum victoriæ, de toto mundo partæ, erecti et elevati; ut quisquis eos viderit, vel nominari audierit, cogitet et stupeat tantam eorum gratiam et vim, qua pauci totum orbem Christo subegerunt.

Vers. 17. *Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?* q. d. Apostoli eorumque asseclæ tantæ erunt virtutis, tantaque patrabunt, non vi sua, sed ope Dei, qui omne suum bonum et pulchrum eis communicabit, scilicet S. Eucharistiam, quæ eos quasi frumentum alet, roborabit; et velut juvenes, agiles, electos et validos reddet; ac quasi vinum cœleste, eos virgines, cœlestes et angelicos efficiet.

Cap. 10. 3. *Posuit eos quasi equum gloriæ suæ. Eos*, scilicet Machabæos pugnaces et victoriosos. Mystice Apostolos. Sic equus gloriæ Christi fuit S. Paulus ; unde de iis subdit vers. 5 : *Et erunt quasi fortes conculcantes lutum viarum in prælio, et bellabunt ; quia Dominus cum eis.* Et vers. 12 : *Confortabo eos in Domino, et in nomine ejus ambulabunt.*

Cap. 12. 6. *In die illo ponam duces Juda, sicut caminum ignis in lignis, et sicut faciem ignis in fœno, et devorabunt ad dexteram et ad sinistram omnes populos in circuitu*, q. d. Ponam Machabæos quasi caminos et faces, qui omnes gentes in circuitu succendant, sibique subjiciant. Allegor. Dabo Apostolos, qui instar ignis totum mundum amore Dei inflammabunt.

Vers. 8. *Et erit qui offenderit ex eis in die illa*, ut resurgat fortior, *quasi David : et domus David quasi Dei, sicut angelus Domini in conspectu eorum*, q. d. Judæi qui metu Antiochi à fide apostatarint, videntes Machabæorum victorias, animos resument, et fortiores resurgent instar Davidis post lapsum. Rursum proceres et posteri Davidis erunt validi quasi angeli Dei. Hoc verum in Machabæis, verius in Apostolis et Christianis.

Vers. 10. *Effundam super*, etc. *Jerusalem spiritum gratiæ et precum, et aspicient ad me quem confixerunt.* Est prophetia de Christo in cruce spinis, clavis et lancea confixo, quem judæi pii aspexerunt cum intimo dolore et compassione,

precantes Deum, ut tam indignam filii sui et Messiæ necem averteret, et ulcisceretur.

Vers. 12. *In die illa magnus erit planctus in Jerusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon*, q. d. Magno planctu plangent mortem Christi; sicut olim planxerunt necem Josiæ, qui occisus est in Mageddo, juxta Adadremmon urbem, ita dictam à copia malogranatorum.

EX MALACHIA.

Cap. 1. 3. *Dilexi Jacob, Esau autem odio habui.* Quia scilicet Jacobæos è Babylone in patriam reduxi, Idumæos autem in captivitate reliqui. Unde explicans subdit : *Posui montes ejus in solitudinem, et hæreditatem ejus in dracones deserti.* Et vers. 4 : *Isti ædificabunt, et ego destruam : et vocabuntur termini iniquitatis, et populus cui iratus est Dominus usque in æternum.* Allegor. Jacob, id est sanctos et electos, dilexi, et elegi ad vitam æternam : Esau, id est impios et reprobos, odio habui, et damnavi ad gehennam. Vide dicta Rom. 9. 13.

Vers. 6. *Filius honorat patrem, et servus dominum suum : si ergo pater ego sum, ubi est honor meus ; et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?*

Vers. 14. *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat debile Domino : quia rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, et nomen meum horribile in gentibus.* Deo enim summo et optimo, summa et optima sunt danda, præsertim quæ illi voto promissa sunt.

Cap. 2. 7. *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est. Angelus*, id est, nuntius et legatus, ut vertit Vatabl. quem scilicet Deus legat ad homines, ut eis suam voluntatem et legem enuntiet.

Cap. 3. 6. *Ego Dominus, et non mutor.* Sum immutabilis, ideoque non revoco mea decreta, promissa et minas.

Vers. 14. *Dixistis : Vanus est qui servit Deo ; et quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus, et quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum? Ecce nunc beatos dicimus arrogantes : siquidem ædificati sunt facientes impietatem.* Est vox impiorum negantium numen et providentiam Dei, eo quod videant pios in hoc mundo deprimi, impios exaltari. Hisce respondet Propheta : *Et attendit Dominus, et audivit* hosce sermones impiorum providentiam Dei impugnantium, et piorum eam defendentium : *Et scriptus est liber monumenti, id est* memoriæ, *coram eo timentibus Dominum, et cogitantibus nomen ejus*, q. d. Deus in memoria et mente sua, quasi in libro conscripsit omnium hominum dicta et facta, eaque in die judicii leget, et cuique pro merito præmium vel pœnam decernet : præmium, scilicet timentibus et assidue cogitantibus Dominum. Nam *hi erunt mihi*, ait, *Dominus exercituum, in die qua ego facio*, id est faciam, scilicet judicium, *in peculium*, hoc est populus peculiaris, peculiariter à me electus, dilectus et exaltatus, quem omnibus meis bonis beabo et glorificabo, *et parcam*, id est miserebor, indulgens et munificus ero *eis, sicut parcit vir filio suo servienti sibi.* Quocirca in die judicii, *videbitis quid sit differentiæ inter justum et impium, et inter servientem Deo et non servientem ei.*

COMMENTARIA

IN

OSEE PROPHETAM.

ARGUMENTUM.

Osee uti oraculis, factis et moribus, ita et nomine præfigurat, imo repræsentat Christum, uti notat S. Hieron. et Leo Castrius hîc. Osee enim idem est quod Josue, et Jesus, id est, salvator : unde Josue ante vocatus est Osee, ut patet Numer. 13. 17. Sicut ergo Josue in ducatu et regimine populi, Isaias in prophetia et gestis, ita pariter et Osee sua voce et vita repræsentavit Christum : ac proinde hi tres idem nomen, puta Jesu, prætulerunt. Ab eadem enim radice ישע *iasca*, id est salvavit, deducitur nomen Josue, vel Jesus, id est salvator, et nomen Isaias, id est salus Dei : et nomen Osee, id est, salvans populum, nimirum sanctitate doctrinæ suæ, æque ac precum et morum vitæque exemplo. Ubi nota *Osee* proprie hebr. significare *salva* : hebr. enim הושע *hoscea* est imperativus *hiphil*, à rad. *iasca*, significans *salva*. Apposite : Osee enim optat oratque Dominum, dicens : Salva nos, Domine, ab Assyriis, Chaldæis, et præsertim à peccato et morte per Messiam, quem missurus es. Huic optioni respondit Deus mittendo Jesum, id est, Salvatorem postulatum.

Fuit ergo ipse juxta nomen suum Osee, id est salvator, quia salutem populi sui qua orando, qua prædicando, qua sanctæ vitæ exempla dando procuravit, æque ac Josue pugnando : de quo ait Eccles. c. 46. 2 : *Qui fuit magnus secundùm nomen suum in salutem electorum.* Ac proinde uterque typus fuit Jesu Christi. Hinc et noster hic fuit filius *Beeri*, id est *putei mei*; quia ex Deo quasi puteo hausit aquas doctrinæ cœlestis, quas in Judæos, velut agros aridos effunderet, juxta illud Isaiæ 12 : *Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris.* Ita S. Hier. hîc, et epist. 131. ad Ruffin.

Porro Osee tam ad Juda, quàm ad Israel sive decem Tribus prophetat : unde utriusque reges in titulo præfigit.

Osee fuit synchronos Isaiæ, ait S. Hieron. imo ante Isaiam Prophetarum primus, ut patet c. 1. 2. Osee ergo cœpit prophetare sub initium regni Oziæ vel Azariæ, ante Olympiades, et ante Romam conditam : cum Albæ regnaret Procas Silvius, avus Romuli. Itaque Osee prænuntiat Israel, id est, decem Tribus exscindendas ab Assyriis, quod primum regnum suum Jeroboam, ejusque posteros in idololatria vitulorum aureorum secuti sint : Judam vero ab hac Assyriorum clade immunem servandum, quod Prophetarum vocibus obtemperans resipuerit, secutusque suum regem Ezechiam idola abjecerit, templumque purgarit, licet postea ad eadem redierit; ideoque sub Sedecia à Chaldæis vastatus sit. Quocirca Christum salvatorem et consolatorem ei aliisque fidelibus miseris et afflictis, qui sunt veri Israelitæ in spiritu, esto non in carne, promittit. Primo ergo prædicit Israelitarum carnalium excidium et reprobationem, ac spiritualium Israelitarum, præsertim Gentilium, vocationem et electionem; idque reipsa repræsentat, dum Dei jussu ducit uxorem meretricem, ex eaque gignit proles, quibus dat nomina, primo *Jezrahel;* secundo, *absque misericordia;* tertio : *Non populus meus : quia*, inquit, *vos non populus meus, et erit in loco ubi dicetur eis : Non populus meus vos ; dicetur eis : Filii Dei viventis.* Secundo, continua oratione idololatriam aliaque peccata populi acriter insectatur, minando ei Dei plagas et excidium tantum, ut *dicant montibus : Operite nos; et collibus : Cadite super nos.* Tertio, Dei clementiam, gratiam et gloriam pœnitentibus promittit. Hinc ait c. 13. 14 : *Ero mors tua, ô mors; morsus tuus ero, inferne.* Et cap. 14. 6 : *Ero quasi ros, Israel germinabit sicut lilium*, etc.

Censet Alcazar Apoc. 5. 2. angelum fortem, qui ibi inducitur, ad litteram esse Osee Prophetam. De angelo enim hoc ibidem ita legimus : *Et vidi angelum fortem prædicantem voce magna : Quis est dignus aperire librum, et solvere signacula ejus?* Quibus verbis alludit Joannes ad illud Osee 14. 10 : *Quis sapiens, et intelliget? intelligens et sciet hæc? quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis : prævaricatores vero corruent in eis.* Liber enim, ille signatus Apoc. 5. continet vias tam piorum, qui legem Domini sequendo beantur, quàm impiorum, qui eam spernendo damnantur. Jure autem Oseas nuncupatur angelus fortis, tum ob robur animi, quo primus concionando perfregit glaciem duricordium Judæorum, et profligavit idola ac vitulos aureos : tum quia Epiphan. in ejus Vita scribit eum verborum suorum vi, ingentem quercum in duodecim partes divisisse, ut probaret Dominum venturum cœlitus in terram, hocque fore signum adventus ejus : *Si quercus*, inquit, *in Selom findatur à seipsa in portiones bis senas, et fierent totidem quercus. Et accidit ita.* Hæc apposite dicuntur, veraque sunt in sensu non litterali, sed mystico. Nam ad litteram angelus ille Apocal. 5. non fuit homo, sed verus et proprie dictus angelus, uti ibidem ostendi.

Porro patheticus est Osee, ideoque commaticus, ut ait S. Hieron. hoc est concisus. Agit enim personam Dei, qui quasi sponsus spon-

sam Synagogam deperiens, eamque in adulterio deprehendens, gravissimos concitat affectus: hinc indignationis et minarum; inde amoris et zeli. Inde pariter obscurus est, tum quia affectus plene non eloquitur, sed per aposiopesin ob pathos incidit; tum quia verum est illud Poetæ: *Brevis esse laboro, obscurus fio;* tum quia profundus est. *Osee Propheta quanto profundius loquitur, tanto operosius penetratur,* ait S. Aug. lib. 18. Civit. 28.

Denique Osee obedientia et vitæ sanctitate illustris ab Ecclesia Sanctorum catalogo adscriptus est 4 Julii. Vide Epiph. Doroth. et Isidor. in Vita Osee.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jubetur Osee uxorem ducere fornicariam, et fornicationis ex ea filios procreare, ut hoc suo facto et connubio repræsentet Synagogam, puta Israelitas, religionem et fidem uni Deo datam violasse, et ad idola quasi adulterinos Deos declinasse. Obedit Propheta, et meretricem ducit, ex eaque gignit tres proles, quarum primæ dat nomen Jezrahel, id est semen Dei; secundæ Lo rachuma, id est, absque misericordia; tertiæ Lo ammi, id est, non populus meus, quibus Israelis impietatem, ideoque punitionem et repudium, velut in quotidiana imagine Judæis objicit; quæ deinde fusius per sequentia capita prosequitur. Denique vers. 10. promittit spiritualem Israelem innumerabilem fore populum Dei et filios Dei viventis.

1. Verbum Domini, quod factum est ad Osee filium Beeri, in diebus Oziæ,
Joathan, Achaz, Ezechiæ regum Juda, et in diebus Jeroboam filii Joas
regis Israel. 2. Principium loquendi Domino in Osee, et dixit Dominus
ad Osee : Vade, sume tibi uxorem fornicationum, et fac tibi filios fornica-
tionum : quia fornicans fornicabitur terra à Domino. 3. Et abiit, et accepit
Gomer filiam Debelaim : et concepit, et peperit ei filium. 4. Et dixit Do-
minus ad eum : Voca nomen ejus Jezrahel, quoniam adhuc modicum, et
visitabo sanguinem Jezrahel super domum Jehu, et quiescere faciam regnum domus Israel.
5. Et in illa die conteram arcum Israel in valle Jezrahel. 6. Et concepit adhuc, et peperit filiam.
Et dixit ei : Voca nomen ejus : Absque misericordia ; quia non addam ultra misereri domui
Israel : sed oblivione obliviscar eorum. 7. Et domui Juda miserebor, et salvabo eos in Domino
Deo suo : et non salvabo eos in arcu et gladio, et in bello, et in equis, et in equitibus. 8. Et
ablactavit eam, quæ erat absque misericordia. Et concepit, et peperit filium. 9. Et dixit : Voca
nomen ejus : Non populus meus ; quia vos non populus meus, et ego non ero vester. 10. Et
erit numerus filiorum Israel quasi arena maris, quæ sine mensura est, et non numerabitur.
Et erit in loco ubi dicetur eis : Non populus meus vos; dicetur eis : Filii Dei viventis. 11. Et
congregabuntur filii Juda, et filii Israel pariter : et ponent sibimet caput unum, et ascendent
de terra ; quia magnus dies Jezrahel.

1. Verbum Domini quod factum est Osee filium Beeri.] Est hic titulus prophetiæ, præfixus non ab Esdra (uti alii putarunt) qui post captivitatem restituisse et restaurasse dicitur codices S. Scripturæ; sed ab ipsomet Osea, uti et tituli cæterorum Prophetarum ab ipsismet, prophetiis eorum præfixi sunt, quibus testabantur se esse earum auctores, seque eas à Deo per revelationem accepisse, cui proinde omnes credere et fidem adhibere debeant. *Verbum* ergo idem est quod oraculum, prophetia, sermo Domini, ut vertit Chald. Addit Cajet. in illud Lucæ 3 : *Factum est verbum Domini super Joannem:* Divina, inquit, inspiratio, instructio et missio, vocatur verbum Domini: verbum ergo non tantum prophetiam, sed et missionem sonat. Hoc enim Dei verbo mittebantur ad populum, eique hæc Dei oracula edicere jubebantur. Hoc ergo verbo constituebantur legati Dei, Prophetæ, Doctores et præcones ad populum. Cur prophetia nunc vocetur *verbum*, nunc *visio*, dixi can. 1. in Prophetas majores.

Ad Osee filium Beeri.] Hebræi, et ex eis Lyran. Arias et Guadalupensis, censent hunc Beeri esse Beera, qui fuit princeps Tribus Ruben, ac à Teglathphalasar captus ductus est in Assyriam 1. Paral. 5. 6. Verum obstat ratio temporum; nam Osee et pater ejus Beeri diu præcesserunt Teglathphalasar. Osee enim cœpit prophetare initio regni Oziæ: Teglathphalasar vero invasit Samariam, ex eaque captivos abduxit anno Oziæ 52, ut patet 4. Reg. 15. v. 27 et 29. Accedit quod S. Epiphan. Dorotheus et Isidorus in vita Osee, asserunt Osee fuisse oriundum ex Tribu Issachar, non Ruben. Quare fabulosum est quod tradit R. David, et ex eo Vatabl. Osee et cæteros Prophetas, qui nomen patriæ non præferunt, fuisse Hierosolymitas.

Allegor. S. Hier. Osee, inquit, est Jesus, est filius Beeri, id est, putei mei, hoc est, Dei Patris. Deus enim Pater non est cisterna nunc aquis plena, nunc vacua et sicca: sed et quasi puteus perennes vivasque scaturiens aquas, tum generationis Filii, tum sapientiæ, et bonorum omnium, quæ suo filio communicavit et jugiter communicat, quibus ipse per Osee aliosque Prophetas et Apostolos, Judæorum et Gentium siccitatem rigat, humectat et fecundat.

Aliter Leo Castrius: Beeri, inquit, idem est quod *in lumine meo*. Significat ergo Jesum, qui, quasi lumen de lumine, est Verbum à Patre et in Patre existens. Verum sic dicendum fuisset באורי *beori*, non *Beeri*, uti recte advertit sanctus Hieron.

In diebus Oziæ, Joathan, Achaz, Ezechiæ regum Juda, et in diebus Jeroboam filii Joas regis Israel.] Nominat reges tam Juda quàm Israel; quia tam contra Judam, quàm contra Israel, id est, decem Tribus, prophetat, magis tamen contra Israel; unde toties nominat Ephraim, Israel, Bethel, Bethaven, quæ non nisi Israel, id est decem Tribus, significant. Ita S. Hieron. Athanas. in Synopsi, et Euseb. in lib. de Appellationibus librorum propheticorum. Hinc patet primo has prophetias, licet breves, successive tamen et per longum tempus fuisse dictas, deinde scriptas; secundo, Osee fuisse primum Prophetarum, uti mox ostendam, ac diutissime prophetasse, nec tantum prædixisse, sed etiam vidisse excidium decem Tribuum à se prædictum; hoc enim contigit anno 6. Ezechiæ. Ita S. Hieron. et Ruffinus. Quocirca tradunt Hebræi Osee prophetando superasse annos 90 quibus multa dixit quæ non scripsit; multa etiam à populo rebelli perpessus, confessionis, id est lenti, sed longi martyrii palmam obtinuit.

Jeroboam.] Hic non fuit primus rex Israel, qui schisma fecit sub Roboam 3. Regum 12. 20; sed eo longe fuit posterior, nimirum fuit pronepos Jehu regis Israel, cui Deus 4. Reg. 10. 3. promiserat regnum usque ad quartam generationem, itaque præstitit. Nam Jehu successit filius Joachas, huic Joas, huic Jeroboam hic, huic Zacharias, quem regno ac vita spoliavit Sellum: in quarto ergo rege suæ prosapiæ, puta in Zacharia, defecit stirps regalis Jehu, 4. Reg. 15. v. 10.

Nominat Osee præter reges Juda etiam Jeroboam regem Israel, ut significet se tam, imo magis, contra Israel, quàm contra Judam prophetare. Sed cur è regibus Israel solum nominat Jeroboam, omittens Zachariam, Sellum, Manahem, Phacee, Phaceam et Osee, qui in Israel regnarunt eo tempore, quo in Juda regnabant Ozias, Joathan, Achaz et Ezechias? nam anno 6 Ezechiæ, qui fuit annus 9 Osee, eversum est ab Assyriis regnum Israel. Respond. Varii varias dant causas, sed vera et genuina est, ut Propheta indicet se non extremo, nec medio tempore regni Oziæ vel Azariæ (utpote qui 52 annos regnavit), sed ejus initio prophetare cœpisse. Nam anno Jeroboam regis Israel 27, cœpit in Juda regnare Ozias; Jeroboam autem regnavit 41 annis: unde sequitur ultimos tantum 14 annos Jeroboam concurrere cum primis 14 annis Oziæ, quibus simul regnarunt, Jeroboam in Israel, Ozias in Juda, quibus necesse est prophetasse Osee; cœpit enim, cum uterque simul regnaret. Vide 4. Reg. 14. 23. et 4. Reg. 15. 1. Tunc quoque, puta paulo post Osee, prophetare cœpit Amos sub utroque hoc rege, ut ipse ait cap. 1. v. 1. Ita Arias, Ribera et à Castro. Ex dictis sequitur Osee prophetasse excidium Samariæ et regni Israel fere nonaginta annis (tot enim sunt ab initio regni Oziæ usque ad 6 Ezechiæ, quo capta est Samaria) antequam illud contingeret: excidium vero Jerusalem et Juda prædixit circiter 224 annis (tot enim sunt à 1 anno Oziæ usque ad ultimum Sedeciæ, quo eversa à Chaldæis est Jerusalem) antequam eveniret. Nam excidium Jerusalem posterius fuit excidio Samariæ 34 annis. Ita tempestive Deus peccatores præmonet de imminenti plaga, datque significationem ut fugiant à facie arcus, eumque pœnitendo evadant, ne querantur se serius esse monitos. Ita centum annis ante diluvium jussit Noe fabricare arcam, et monere homines de instante diluvio. Hinc rursum sequitur Osee cœpisse prophetare paulo ante Isaiam. Nam Isaias cœpit anno 17 Oziæ, uti habet Eusebius in Chronico.

2. Principium loquendi Domino in Osee.] Duplex hîc est sensus litteralis: Prior, q. d. Primo omnium ante Isaiam, Joelem aliosque Prophetas locutus est Dominus ipsi Osee, vel ad Osee. Unde sequitur Osee fuisse primum omnium Prophetarum. Negat hoc Christ. à Castro; sed asserunt S. Hieronym. Rupert. Haymo, Vatabl. Albert. Hugo, Cardin. Dionys. hîc, et S. Basil. ac Ruffin. in Isaiæ cap. 1. Idque confirmant Hebræa, prout nunc punctantur. Sic enim habent: *Principio locutus est Dominus per Osee*, ut vertit Vatabl. Jam enim punctant דִּבֶּר *dibber*, id est, *locutus est* in præterito, cum Noster et Septuag. legerint in infinitivo *dabber*, id est *loquendi*. Favet insuper nostra versio. Nam *principium loquendi Domino* (subaudi *fuit*) *in Osee*, idem est quod, principium loquendi Dominus sumpsit fecitque in Osee, sive primo loqui cœpit in Osee.

Secundus sensus est, q. d. Hoc est principium quo Dominus cœpit loqui cum Osee, scilicet illud quod sequitur: *Sume tibi uxorem fornicationum;* etc. Ita quoque explicat S. Hieron. Theodor. Haymo, Hugo, Lyran. à Castro et Vatabl. qui rursum sic vertit: *Initio quo locutus est Dominus per Oseam, dixit ad ipsum Oseam: Vade, sume tibi uxorem*, etc. q. d. Adverte, ô lector, et admirare quare principium oraculis suis dederit Deus, nimirum jubendo Osee ducere meretricem, ut hoc ipso meretricios populi mores repræsentaret et carperet.

Verum hoc sensu cæteri omnes Prophetæ idem principium usurpare potuissent, ac pari modo

dicere: principium loquendi Domini in Isaia, Abdia, Joel, etc. Jam autem nemo alius hoc dicit, sed solus Osee. Signum ergo est eum non tantum hunc sensum, sed vel maxime priorem, qui soli ei competit, exposcere.

Domino,] id est, *Domini;* utrovis enim modo ex Hebræo vertas, significans tamen *Domino:* τὸ enim *Domino* significat causam et auctorem principii loquendi, q. d. Dominus principium et quasi fundamentum oraculorum suorum dedit, et jecit in Osee.

In Osee,] interius inspirando illi ea quæ faceret et diceret populo. Secundo, *in*, id est ad, *Osee*, ut vertunt Septuag. Vatabl. et alii. Tertio, *in*, id est per Osee ad populum. Quarto, *in*, id est cum Osee. Hæc enim omnia significat Hebr. *beth* præpositionis.

Vade, sume tibi uxorem fornicationum,] id est, multis fornicationibus deditam et infamem, insignem fornicariam, publicam meretricem vel in taberna, vel in lupanari, vel alio loco corpus pro turpi lucro cuilibet prostituentem. Simili hebraismo vocatur vir sanguinum, vir dolorum, vir misericordiæ, vir virtutis, is qui valde est sanguinolentus, valde dolens, insigniter misericors, insigni virtute præditus. Jubetur ergo Osee ducere famosam meretricem, eamque sibi legitimo copulare matrimonio, ac filios ex ea procreare, ut hoc symbolo quasi verbis et sermone reali, carpat apostasiam et idololatriam populi sui. Propheta enim hic Deum refert, uxor fornicaria Synagogam, id est, populum Israel sive decem Tribuum, ut patet ex sequent. fornicatio enim hic, et passim apud Prophetas significat peccata, præsertim idololatriæ, qua Israelitæ, relicto Deo sponso suo, licentioris vitæ desiderio, idolis voluptatibusque suis quasi amasiis adhærebant. Ita enim explicat propheta, dum mox causam hujus sui connubii à Deo præcepti subnectens, subdit: *Quia fornicans fornicabitur terra*, id est, quia Israelitæ valde addicent se idololatriæ, prono et communi impetu proruent ad colenda idola, q. d. Ego Deus te, ô Osee, habere volo uxorem fornicationi hactenus addictissimam, ut designem uxorem meam, puta Synagogam, mystice fornicariam, id est idololatram, esse et fore, ut quod cœpit esse sub Jeroboam, deinceps sit magis. Ita sanctus Hieron. Chald. et alii.

Errant ergo illi qui censent hoc loco juberi Prophetæ ut fornicetur, ut scilicet accedat ad meretricem manentem meretricem, ita ut eam non ducat in uxorem Unde colligunt fornicationem esse licitam. Hic enim est error manifestus, quem Græcis attribuit Alfonsus à Castro lib. 7. contra hæres. v. *Fornicatio;* fornicatio enim non tantum in novo, sed et in veteri testamento jure naturali et divino fuit prohibita, uti ostendi in fornicatione Thamar, Gen. 38. 16. ex communi Patrum et Interpretum sententia. Et fusius 1. Corinth. 6. 9.

Denique jubet Deus Prophetæ: *Sume tibi uxorem;* ergo jubet ut eam matrimonio sibi copulet, non ut cum ea fornicetur. Ita passim Patres et Interpretes.

Dices: S. Thom. 1. 2. q. 100. art. 8. ad 3. et 2. 2. q. 154. art. 2. ad 2. Cajet. et nonnulli Thomistæ dicunt Osee fornicatum esse, et tamen non peccasse; quia Deus matrimonii rerumque omnium dominus cum eo dispensavit, eique dedit potestatem et jus in corpus meretricis. Hæcque omnia putant significari verbis Dei ad Prophetam, quibus ait: *Sume tibi uxorem*, non matrimonii, sed *fornicationum.*

Resp. disputant Theologi an Deus dispensare possit in lege naturæ, puta in Decalogo; ac varii varie respondent. Primo, Occam in 2. q. 19. ad 3. et 4. dubium, Gerson in tract. de Vita spiritali lect. 1. corol. 10. in Alphabeto 61. litt. E. et Almainus tract. 3. Moral. cap. 15. asserunt Deum in omni omnino præcepto Decalogi et legis naturæ posse dispensare; imo Occam ait Deum posse præcipere odium Dei, facereque ut illud non sit malum, sed bonum. Ratio eorum est: Omne peccatum, inquiunt, ideo est peccatum, quia voluntate Dei prohibitum est. Si ergo Deus velit ut aliquid non sit peccatum, hoc ipso non erit peccatum.

Secunda est S. Bonaventuræ in 1. d. 47. q. 4, Scoti in 3. d. 37. q. 1. §. *Hic dicitur*; et Gabriel. in 3. d. 37. q. 1. ar. 2. concl. 1, Deum posse dispensare in præceptis secundæ tabulæ, non vero primæ, puta posse in iis quæ tangunt proximum, non vero in iis quæ tangunt Deum.

Tertia est Durandi in 1. d. 47. q. 4. n. 16. Deum posse dispensare in præceptis affirmativis secundæ tabulæ, non vero in negativis.

Verum dico Deum in nullo præcepto legis naturæ directe et formaliter posse dispensare. Ratio est, quia lex naturæ continet et præcipit id quod natura sua et intrinsece bonum est; quocirca quæ contra eam fiunt, natura sua et intrinsece mala sunt, non quia voluntate Dei prohibita, sed quia suapte natura contraria et dissentanea sunt naturæ et rationi naturali. Sicut enim res possibiles sunt possibiles, non quia Deus voluit eas esse possibiles, sed quia ex se non implicat contradictionem ut esse possint; eodem modo opera contra legem naturæ suapte natura sunt mala, non quia Deus voluit ea ut mala prohibere, sed quia ex seipsis naturæ rationali, ut rationalis est, contraria sunt et repugnantia. Cum ergo Deus non possit pro voluntate sua mutare naturas rerum, non poterit etiam mutare legem naturæ, ut quod illa dictat esse conveniens rationi esseque bonum, Deus decernat non esse conveniens esseque malum. Quocirca nullus, ne Deus quidem, facere potest ut odium Dei sit bonum, vel licitum (hoc enim repugnat non tantum rationi et naturæ, sed et ipsi divinitati), ut furari, mœchari, mentiri liceat: furari enim est accipere rem alienam, invito domino; mœchari est turpiter uti semina non sua, sed aliena; mentiri est contra mentem loqui et fallere. Hæc autem intrinsece et natura sua ita mala et prava sunt, ut nequeant esse bona et honesta. Quocirca Deus uti hæc non potest suadere, ita nec facere, nec præcipere, multo minus velle et efficere ut sint honesta et licita. Hinc patet falsam esse primam sententiam, ejusque fundamentum. Non enim ideo fornicatio est mala, quia Deus ita vult, eamque odit; sed potius ideo eam odit, quia ipsa in se suaque natura est inhonesta et turpis. Sicut ergo creaturæ suam existentiam habent à voluntate Dei, suam vero possibilitatem habent ab ipsa natura Dei; posito enim quod sit Deus omnipotens, naturaliter sequitur et quasi resultat quod possit creare hominem, equum, etc. ac consequenter quod illæ creaturæ sint possibiles, quæ sine Deo essent impossibiles; ita pariter lex positiva, tam divina quàm huma-

na, pendet et fit à voluntate Dei, lex vero naturalis derivatur à lege æterna, quæ est in mente et ratione Dei. Ita S. Thom. Cajetan. Richard. et ex iis Gabr. Vasquez 1. 2. disp. 179. num. 12. Indirecte tamen et materialiter potest Deus in iisdem dispensare, nimirum mutando materiam rei præceptæ, itaque eam subtrahendo legi naturæ et obligationi Decalogi. Hoc autem fere fit in præceptis duntaxat secundæ tabulæ, non vero primæ, uti dixerunt auctores secundæ sententiæ. Explico: Potest Deus mihi dare jus in bona, corpus et vitam alterius, et tunc licite potero illi eripere bona, quod alias fuisset furtum; uti corpore alterius, quod alias fuisset mœchatio; occidere alterum, quod alias fuisset homicidium. Sic Deus jussit Hebræis Exodi 12. v. 36. ut spoliarent Ægyptios, quia hoc ipso eis dedit bona Ægyptiorum, fecitque ut illa jam non essent Ægyptiorum, sed Hebræorum; quocirca Hebræi ea occupantes, non aliena, sed sua occuparunt; sua, inquam, ex donatione Dei, qui est summus omnium, imo vitæ necisque dominus. Sed hîc dedit Osee jus in corpus fornicariæ, et hoc ipso fecit ut illa esset sua uxor, non aliena. Quocirca utens ea Osee non est fornicatus, sed actu materiali in conjugio illi quasi suæ uxori est copulatus. Sic si Deus alicui præciperet, vel permitteret ire ad lupanar, ibique copulari meretrici semel duntaxat, ad prolem ex ea suscitandam, illa copula jam non esset fornicatio, sed esset actus conjugii temporarii; copularetur enim non alienæ, sed suæ, ac consequenter uxori saltem temporariæ ex dispensatione Dei. Deus enim potest remittere obligationem, qua se uxor marito in conjugio ad perpetuam fidem obligavit, ideoque potest dispensare in matrimonii vinculo, ac facere ut non sit perpetuum, sed temporarium, quandiu scilicet ei libuerit; præsertim quia potest educationem prolis, ob quam matrimonium requirit perpetuitatem, vel negligere tanquam ejus dominus, vel aliis modis procurare. Ita olim dispensavit cum Judæis in matrimonio, cum eis permisit dare uxoribus libellum repudii, quo vere solvebatur matrimonium, ita ut uterque conjux quasi liber et solutus posset cum alio aliud conjugium contrahere. Sicut ergo tunc maritus quolibet tempore, imo post primam copulam poterat uxorem repudiare; ita posset et nunc copulari semel cum una, ac mox illam dimittere, si Deus pari modo nunc cum illo dispensaret.

Censet ergo S. Thom. Osee jussu et dispensatione Dei cum fornicaria copulatum fuisse tantum copula temporali (ideoque eam copulam per catachresin vocat fornicationem) non vero matrimonio stabili et perpetuo. Itaque opinatur hanc Osee uxorem fuisse temporariam, et matrimonium cum ea temporarium, scilicet ad aliquos actus generationis, et ad tres proles ex ea generandas; deinde dimisisse illam, itaque solutum fuisse temporarium cum ea matrimonium. Ergo docet S. Thomas Osee accessisse ad fornicariam, non tanquam ad concubinam, sed tanquam ad uxorem, licet temporariam tantum; censet enim Deum cum eo dispensasse, ut ad tempus duntaxat cum ea contraheret, eaque uteretur ut sua; censet ergo Osee non esse fornicatum, sed usum matrimonio licet temporali tantum. Verba ejus sunt: *Osee accedens ad uxorem fornicariam vel mulierem adulteram, non est mœchatus, nec fornicatus; quia accessit ad eam quæ sua erat secundùm mandatum divinum, qui est auctor institutionis matrimonii.* Quomodo vero hic ejus actus matrimonii vocetur *fornicatio* explicat 2. 2. q. 154. art. 2. ad 2: *Osee, ait, non peccavit fornicando ex præcepto divino, nec talis concubitus proprie fornicatio debet dici, quamvis fornicatio nominetur* (dum dicitur: *Sume tibi uxorem fornicationum*) *referendo ad cursum communem*, quo scilicet communiter à vulgo vocatur *fornicator*, qui cum fornicaria ad tempus copulatur, et expleta libidine eam deserit. Unde liquet D. Thomam docere quod Osee hîc non sit fornicatus, sed cum fornicaria quasi sua uxore, concedente et dispensante Deo, ad tempus sit copulatus. Verum verius est quod passim censent alii Doctores et Interpretes, scilicet Osee non temporarium, sed stabile et perpetuum cum fornicaria iniisse conjugium. Ideo enim jubetur eam ducere uxorem; atque ex sequentibus patet eum per quatuor, imo plures, annos illi cohabitasse; nam dicitur ex ea tres proles genuisse, easque deinde per eam lactasse et educasse. Quo fit ut nulla hîc fuerit dispensatio, sed sola jussio Dei; licite enim poterat Osee fornicariam in uxorem accipere, sed non tenebatur; ut ergo teneatur, jubet et obligat eum Deus.

Instabis: Uxor hæc fornicaria repræsentat Synagogam idololatrantem; atqui hæc post connubium cum Deo initum rediit ad sua idola: ergo et hæc fornicaria post connubium cum Osee rediit ad suas fornicationes; alioqui enim non ex æquo repræsentaret Synagogam, nec typus responderet antitypo. Resp. Simile per omnia non est simile; sed in eo tantum, in quo collocatur similitudo; quocirca non est necesse in allegoriis et typis, ut omnes circumstantiæ temporis, modi, actionis, etc. respondeant rei significatæ, sed eæ tantum in quibus fit repræsentatio, et comparatio significantis cum significato; puta typi cum antitypo. Ita hîc jubetur Propheta ducere fornicariam, ut per hoc repræsentet Synagogam esse fornicariam. In eo ergo tantum ponitur hîc comparatio et similitudo, quod, sicut Propheta ducit fornicariam, ex eaque gignit proles, quæ à probro matris vocantur filii fornicationum, id est fornicariæ: ita Dei uxor, id est Synagoga, sit fornicaria, id est idololatra, similesque sibi gignat et educet filios, puta idololatras. Nec enim hæc res licite aliter repræsentari potuit. Non enim potuit Deus præcipere Prophetæ fornicationem, ut ad fornicariam accederet tanquam non suam; sicut Synagoga idola colebat et Deos non suos; aut ut post copulam et proles remitteret eam ad lupanar et ad sua stupra; hoc enim fuisset peccatum. Erat ergo hîc matrimonium Osee cum fornicaria (etiam ex sententia S. Thomæ, saltem temporarium), ac consequenter filii fornicationum vocantur filii ex matrimonio hoc nati; ideoque vere non erant filii fornicationum, sed tantum hoc nomine vulgo censebantur et nominabantur, ob præcedentes ante connubium matris fornicationes. Simpliciter ergo et in genere jubetur hîc Propheta per uxorem fornicariam repræsentare Synagogæ idololatriam, abstrahendo à tempore et loco, ubi et quando; an ante connubium cum Deo, an post eam perpetraret. Adde Judæos post hanc Osee prophetiam, puta post punitionem et excidium à Chaldæis illatum, postquam punit et pœnitentes

connubium cum Deo per Esdram renovarunt, amplius non rediisse ad sua idola, sicut uxor hæc Osee post connubium cum eo, non legitur rediisse ad suas fornicationes. Verum est majorem esse speciem fornicationis, et consequenter similitudinis, si cum D. Thoma quis dicat non stabile, sed temporarium fuisse matrimonium; sed ex altera parte, res ipsa turpior et magis inhonesta apparet; videtur enim revera esse fornicaria copulæ, et simulatum tantum matrimonium.

Errat, secundo, Haymo qui uxorem fornicationum interpretatur uxorem quæ post matrimonium ex priori fornicandi habitu rursum cum aliis procis fornicetur, id est, adulteretur, ex eisque gignat filios, qui proinde vocantur filii fornicationis, id est, ex adulterio nati, quos Propheta jubeatur sibi asciscere et educare, æque ac matrem retinere et alere. Hoc enim fuisset non tantum infame, sed et scandalosum, ideoque illicitum; visus enim fuisset Propheta uxorem in adulteriis fovere, eisque consentire. Unde edicit Sapiens: *Qui tenet adulteram, stultus est et impius*, Proverb. 18. 22. Vide Sanchez lib. 10. de Divortio, disput. 13. Quocirca infamis, et publicum orbis probrum fuit Claudius Imp. eo quod ejus uxor Messalina publice scortaretur. Ita Sueton. in Claudio. Et M. Antonius Philosophus ob Faustinam conjugem, quæ in continuis stupris versabatur; cumque de ea re moneretur, amicique suaderent ut eam repudiaret, si nollet occidere, effeminate respondit: *Si uxorem dimittimus, reddamus et dotem;* dotis nomine significans Imperium, quod ab Antonio Pio patre Faustinæ, ita volente Adriano Imper. adoptatus acceperat. Ita Julius Capitolinus in Antonino.

Errant, tertio, Lyran. et Burgens. qui fornicationem hîc mystice accipiunt pro idololatria, putantque Osee hîc juberi ut ducat uxorem fornicationum, id est, Gentilem et idololatram. Ratio eorum est, quia hæc uxor repræsentat Synagogam idololatrantem: ergo ipsa quoque uxor fuit idololatra. Resp. negando consequentiam. Idem enim non repræsentatur per idem, sed per simile; atque Prophetæ solent repræsentare idololatriam per fornicationem; quia hæc illius aptissimum est symbolum, speculum et imago. Ita S. Hieron. Theod. Haymo, Hugo et passim Interpretes. Quocirca cum Deus Prophetæ ait: *Sume tibi uxorem fornicationum*, fornicationem litteraliter ut sonat accipit; cum vero hujus jussionis causam et symbolum subdit, explicatque dicens: *Quia fornicans fornicabitur terra*, fornicationem mystice accipit, pro idololatria; quia illam symbolice per veram et realem fornicationem uxoris Prophetæ repræsentari jusserat.

Quæres an vere et realiter hæc gesta sint, an vero tantum per visionem imaginariam; sive, an revera Osee duxerit fornicariam, ex eaque genuerit filios fornicationum, an vero Deus idipsum tantum in imaginatione illi repræsentarit, ut videretur sibi eam ducere, et ex ea gignere: quomodo somniantes videntur sibi facere ea quæ somniant? Visionem tantum fuisse censent Chaldæus et Rabbini nonnulli, quos sequuntur Origenis sectatores, teste Ruffino, Haymo, Isidorus, Burgensis et Vatabl. Imo S. Hier. idipsum censet scribens in Ezech. 4. Et hîc in Prooemio: *Osee*, ait, *audiens à Domino: Accipe uxorem fornicariam, non frontem rugat, non mærorem pallore testatur, non verecundiam mutato genarum rubore demonstrat; sed pergit ad lupanar, et scortum ducit ad lectulum. Et non initiat illam pudicitiæ matronali, sed se luxuriosum et nepotem probat. Qui enim adhæret meretrici, unum cum ea corpus efficitur. Quis sapiens, et intelliget ista?* ac post ea respondet, infertque hæc typice et singulariter esse interpretanda. Ratio ergo fundamentalis hujus sententiæ est hæc, quia res turpis et indigna fuisset, si vir sanctus et Propheta duxisset scortum.

Verum longe verius est quod communiter censent alii omnes Patres et Interpretes, rem hanc non per visionem, sed realiter esse peractam. Ita Theod. Cyrill. Hebræi, Arias, Hugo, Dion. et alii hîc, ac S. August. libro 3. de Doctrina Christ. c. 12. et lib. 22. contra Faustum cap. 23, S. Basil. in Isaiæ 8, Irenæus lib. 4. contra hær. c. 37, S. Thomas loco citato et alii passim; imo idem censet hîc S. Hieron. uti videbit qui verba ejus accurate expenderit. Ait enim more suo historiam hanc ad antitypum esse referendam, id est, Osee duxisse fornicariam, non ex ejus amore et libidine, sed ut Christi et Ecclesiæ conjugium repræsentaret. Hoc ergo, non aliud voluit, cum dixit hoc Osee factum typice et singulariter esse interpretandum. Ratio hujus sententiæ est, quia hoc exigit simplex narratio præcepti divini et facti puta obedientiæ Prophetæ; alias enim cum visio est, solet id exprimere, vel signo aliquo indicare Script. ut patet Apocal. 1. 4. Ezech. 40. 1. et alibi. Adde: Nominatur hic maritus, scilicet Osee; uxor, scilicet Gomer; uxoris mater, scilicet Debelaim; tres ejus proles, scilicet *Jezrahel, Lo ammi, Lo rachuma*, quæ omnia significant non esse parabolam, sed veram historiam. Causa est, quod populus in idolis et peccatis suis obdormierat, itaque ordinarias increpationes et monitiones Prophetarum spernebat, imo non audiebat; voluit ergo Deus reali et portentosa prophetia, jubendo scilicet Prophetæ ducere fornicariam, ex eaque proles procreare, populum in peccatis dormientem à somno scelerum excitare, et commovere ad pœnitentiam. Eadem de causa jussit Isaiæ c. 20. ut ipse, cum esset vir nobilis et magnæ auctoritatis, nudus per urbem Jerusalem media luce discurreret; ut hoc portento omnium oculos in se converteret, ac reipsa daret eis typum et speciem imminentis spoliationis et excidii, itaque populum ad lamenta converteret. Eadem de causa jussit Ezech. c. 4. stercore boum vesci, ut eo instantem urbi famem et cladem præmonstraret.

Ad argumentum respondeo Dei jussionem et auctoritatem abstersisse ab hoc Prophetæ connubio omnem infamiæ et turpitudinis maculam, præsertim quia assumebatur ad prophetiam et rei futuræ sacramentum. Adde non esse turpe, sed sanctum et honestum, fornicariam ducere hoc fine, ut ipsa vitam turpem cum honesta, fornicationem cum matrimonio commutet; imo confessarii solent et debent concubinariis suadere ut concubinatum in connubium vertant.

Ita S. August. lib. 22. contra Faust. c. 80. respondet Manichæis impugnantibus vetus testamentum, et objicientibus illi quod in eo fornicatio Prophetæ sit imperata. Respondet enim S. August. Non imperata est fornicatio, sed meretrix relicta fornicatione in castum et sanctum conjugium assumpta est, de quo mox plura.

Idem Gentilibus respondet hîc S. Hier. eisque

similia Gentilium exempla opponit : *Qua ratione*, inquit, *prædicent virum eruditissimum Xenocratem, qui Polemonem luxuriosissimum juvenem, et inter psaltrias atque tibicines et impudicas mulieres ebrium, et hedera coronatum fecit obedire sapientiæ et adolescentem turpissimum mutavit in sapientissimum Philosophum? Cur Socratem ad cœlum levent, qui Phœdonem, ex cujus nomine Platonis liber est, de lupanari, ob crudelitatem et avaritiam domini, multorum libidini servientem, in Academiam transtulerit? Et quidquid illi de Philosophiæ magistris responderint, nos ad Prophetæ defensionem referemus.*

ET FAC TIBI FILIOS FORNICATIONUM.] Tò *fac* non est in Hebræo, nec in Sept. nec in Syro, nec in Arabico. Sic enim habent: *Accipe tibi matrem fornicationum, et filios fornicationum.* Unde Primo, aliqui *filios fornicationum* proprie accipiunt filios ex fornicatione procreatos, quos velut testes fornicationis maternæ, Osee cum matre jubeatur ut suos recipere, alere, et quasi adoptare, quæ ingens erat ignominia et pœna Prophetæ, idque ad hoc, ut per hæc repræsentaret pari modo Synagogam peperisse filios idololatras, quos tamen Deus quasi Patriarcharum suosque filios, cum ignominia et dolore alat in Jerusalem. Ita explicant Theod. Hugo, Lyranus et Arias.

Verum hos filios non fuisse adoptivos, sed naturales; nec antea genitos, sed à Propheta ex fornicaria generandos, patet ex seq. Ait enim: *Et abiit* (Osee) *et accepit Gomer filiam Debelaim, et concepit et peperit ei filium*, etc. Vox ergo *fac*, licet expresse non sit in Hebræo, tamen subauditur; imo includitur in voce, *accipe.* Accipere enim ex uxore filios, Hebræis idem est quod suscipere et procreare. Verbum enim לקח *lacach*, id est, accipio, sumo, tollo, apud Hebræos est amplissimæ significationis. Ita S. Hier. August. Basil. Vatabl. et alii superius citati.

Secundo, Ribera censet vocari *filios fornicationum*, id est, fornicariæ; quia erant filii matris idololatræ. Verum hoc superius refutavi. Idololatria enim est fornicatio mystica, non litteralis, de qua hìc agitur.

Dico ergo, filii procreandi ab Osee ex legitimo cum fornicaria conjungio, vocantur *filii fornicationum*, id est, filii matris, quæ antea tota fornicationibus fuit dedita. Hanc enim suam turpitudinem et infamiam prolibus afflabat mater, quæ fuerat publica meretrix, nec eam matrimonium subsequens apud populum detergere et delere poterat. A matre ergo proles infamiæ notam et fornicationis nomen sortiuntur. Ita S. Hieron. et alii jam citati.

Adde, vocantur hi *filii fornicationum*, quod et ipsi in fornicationem futuri sint proclives, hocque vitium, hancque libidinosam indolem una cum natura à matre fornicaria sint hausturi et sucturi. Hoc enim apte respondet rei significatæ. Hi enim filii libidinosi, significant Judæos mystice libidinosos, id est, in idola proclives, unde iis æque ac matri exitium intentat c. 2. 4. dicens: *Filiorum ejus non miserebor, quia filii fornicationum sunt.* Ita Emmanuel Sa, Mariana et Pineda lib. 1. de Rebus Salomon c. 4. n. 3. Simili enim phrasi in Script. vocantur filii obedientiæ, diffidentiæ, superbiæ ii qui in obedientiam, diffidentiam, superbiam sunt valde propensi, adeo ut ex ipsa obedientia, diffidentia, superbia geniti et procreati videantur. Unde Syrus vertit: *Sume tibi mulierem quæ fornicatur, et filios qui fornicantur; quia fornicando fornicabitur terra de post Dominum*, à Domino.

Ubi moraliter Nota, vitia parentum, præsertim matrum, transfundi in filios; vitiata enim matre, vitiatur semen, quod vitiat prolem quæ ex semine formatur. Quocirca sponsis qui quærunt sponsas, valde inquirendum est, non tam an sponsæ sint opulentæ et pulchræ, quam an sint castæ, honestæ, virtuosæ, ne, si sint incestæ, inhonestæ, vitiosæ similes generent proles. *Justi* ergo *mores*, ait Antiphanes Philosoph. *sunt peculium præstantissimum, et dos omni auro nobilior.*

Id ita esse docent Physici et Medici, ipsaque ratio et experientia. Hac enim de causa passim in libris Regum, Salomonis, Abiæ, Josaphat, Manassis, aliorumque regum matres studiose nominantur, quia à matre pendet indoles et educatio prolium vel in bonum, vel in malum; et qualis est mater, talis est et proles; præsertim quia proles sequitur Affectum et amorem, quem magis in matre, quam in patre exsperitur. Causam dat Aristot. lib. 9. Ethic. 7. Magis, inquit, à matribus amantur proles, quia generatio earum laboriora est, et magis sciunt eas esse suas. Ita Spartani, teste Plutarcho in Apophtheg. Lacon. continentes fuerunt, fortesque in bellis et laboribus, quia matres habebant viragines, quæ ex institutione Lycurgi continentiæ, laboribus et duritiei tam se quam proles assuefaciebant. Unde Gorgon. Leonidæ uxor cuidam sibi exprobranti : *Vos Spartanæ solæ viris vestris imperatis;* respondit : *Quia solæ viros parimus.* Hinc filius meretricis vocatur is, qui habet mores meretricios. Ita Saul Jonatham filium suum pro Davide intercedentem, vocat filium *mulieris ultro virum rapientis*, 1. Reg. 20. 30. id est filium meretricis, q. d. Meretricius es, quia mater tua fuit meretrix. Aut q. d. Non videris filius meus, sed filius adulteræ, quia Davidem hostem meum magis amas quam me; quasi mater tua non ex mè, sed ex Davide te genuerit, ideoque Davidis amorem tibi ingenerarit. Ita Agrippina Neronis mater in libidines fuit effusa, adeo ut et Neronem ad suì incestum provocaret, ideoque quale libidinis et crudelitatis monstrum, Neronem, orbi dedit? Ita ex Cornel. Tacito Sabell. lib. 2. Enn. 7.

Heliogabalus Imper. Græcæ meretricis filius ab ea suam spurcitiem et obcœnitatem hausit. Ita Lamprid. et Rhodigin. lib. 11. c. 13.

Quin et Salomon trecentarum uxorum maritus, et septingentarum pellicum concubinus, matrem habuit Betsabee adulteram.

Semiramis Ninum filium ad stuprum compellavit ideoque ab eo interfecta est, si credimus Cresiæ, quem citat Sabell. lib. 1. Enn. 1.

S. Aphra Martyr, antea meretrix (quæ à Narcisso Hyerosolymorum Episcopo à turpi et immundo quæstu revocata fuit) matrem habuit Hilariam, quæ solis lenociniis sibi victum comparabat. Ita habet ejus Vita.

Venus incesta incestuosissimi Jovis fuit filia, ait Ovid. 10. Metamorph.

Julia Cæsaris Augusti filia, libidinum paternarum fuit æmula, teste Sueton. in Augusto. Hac de causa, æque ac ob ignominiam, spurii Jure Canonico arceantur sacerdotio, suntque irregulares; sacerdotium enim angelicam puritatem requirit.

Simili modo infantes dum sugunt nutricum indolem, affectus, et vitia una cum lacte sugere et imbibere, multis exemplis ostendi Genes. 21. vers. 7.

Denique filios matribus quam patribus similiores naturam efficere solere, tum corpore, tum moribus, docent Arist. lib. de Gener. anim. cap. 4. et in Prol. lib. 10. c. 12. ac Hippocrates de Genitura. Quocirca pium æque ac prudens est nonnullarum urbium institutum, ut impudicarum matrum spuriæ proles per magistratum à matribus avellantur, ne matres vitiatam in semine filiorum indolem, magis vitiata educatione pravoque exemplo corrumpant; ac gravibus matronis alendæ traduntur, quæ depravatam nativitatem gravi severaque institutione castigent et reforment; quales videmus Romæ in Hospitali S. Spiritus et in monasterio S. Catharinæ de Funariis. Simili modo in aliis urbibus spuriotrophia erecta et dotata sunt.

Quæres quibus de causis voluit Deus ut Propheta fornicariam duceret, ex eaque filios procrearet. Respond. litteralis causa primaria est ea, quam paulo ante dedi, ut nimirum hoc quasi vivum speculum daret Judæis, in quo clare conspicerent et contemplarentur suam turpitudinem et idololatriam. Secundaria fuit charitas ut scilicet fornicariæ pudori et conscientiæ consuleret, dum eam commutat in uxorem. Ita S. August. lib. 22. contra Faustum cap. 80: *Quid*, ait, *adversum clementiæ Veritatis* (quæ Christus, qui est veritas, dixit Pharisæis : *Meretrices et publicani præcedent vos in regno cœlorum*) *quid inimicum fidei Christianæ, si meretrix relicta fornicatione in castum conjugium commutetur? Et quid tam incongruum et alienum à fide Prophetæ, quam si non crederet omnia peccata impudicitiæ dimissa esse in melius commutatæ? Itaque meretricem Propheta* (Osee) *fecit uxorem, et ad vitam corrigendam mulieri consultum est, et figuræ Sacramentum, de quo mox loquemur, expressum*. Subdit deinde ibidem, et fusius c. 89. Manichæos carpsisse hoc factum Osee, non quia infame, sed quia ipsi matrimonia damnabant, malebantque liberi fornicari, quam prole gravare uterum uxoris, et se onere illam alendi; ideoque fingebant Deum, sive divinæ substantiæ partem, in prole quasi ligari et vinculis constringi.

Insuper voluit hic Deus Prophetæ obedientiam exercere æque ac patientiam, *Ut quanto illa* (uxor) *sordidior est, tanto sit propheta patientior, qui talem uxorem duxerit*, ait S. Hieron. præsertim quia Osee erat juvenis, virgineus, sanctus, et in flore ætatis, æque ac puritatis et virtutis, dum meretricem duxit; fuit enim hæc prima ejus prophetia quam habuit initio regni Osiæ, ac deinde prorogavit vitam per annos 52. Osiæ, 16. Joathan, totidem Achaz, pervenitque ad tempora Ezechiæ. Juvenis ergo, dum duxit fornicariam, fuerit oportet.

Allegorica causa est, ut Osee per connubium cum fornicaria repræsentaret simile, sed mysticum, idque duplex, Christi conjugium : Prius cum carne nostra, quæ erat fornicaria, id est caro peccati, quam depuratam sibi univit et despondit per incarnationem. Ita S. Ambros. lib. 2. Apolog. David. cap. 10. mystice explicat non tantum hoc Osee connubium, sed et Davidis adulterium. *Ad Prophetam*, inquit, *dictum est : Vade, accipe tibi uxorem fornicariam. Dominus jubet cum ea quæ fornicaria fuerit, esse conjugium, cujus conjugii fructus est Christus. Namque filio qui ex fornicatione* (id est ex uxore Osee quæ antea fuerat fornicaria) *est natus, à Domino nomen impositum est Jezrabel, quod est divina generatio. Si ergo pia illa copula fornicariæ, etiam ista utique pia societas adulteræ copula est*, etc. Et mox : *Ex disparibus copulis contubernium pium factum est, quando scilicet Verbum caro factum est, non sunt legitima consortia divinitatis et carnis. Suscepit carnem Deus, assumpsit animam, per inusitatam nec legitimam incarnationem consortium fecit esse legitimum, ut sit Deus omnia in omnibus*. Unde nomen filii est Jezrabel, id est semen Dei, vel brachium Dei. Christus enim est brachium, id est virtus, Dei, uti eum vocat Isaias cap. 53. 1. Christus etiam est semen Dei, quia non ex semine viri, sed ex Spiritu Sancto conceptus et natus est. Quocirca Tert. l. de Carne Christi cap. 18. et 19 : *Dei filius*, inquit, *ex Patris Dei semine, id est Spiritu, ut esset hominis filius, caro ei sola erat ex hominis carne sumenda sine viri semine, vacabat enim viri semen apud habentem Dei semen*. Et c. 19: *Quid est ergo? Non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo natus est*. Ita et Leo Castrius, qui tamen perperam contendit, hunc sensum solum esse litteralem, et alios omnes excludit. Obiter hîc Nota, Spiritum Sanctum proprie non esse semen Dei. Deus enim nullum ex se semen decidit, uti facit homo; improprie ergo et per catachresin Tertull. Spiritum Sanctum vocat semen Dei, quia scilicet ipse, divina virtute à Patre et Filio accepta, fecit in Virgine, quod in uxore facit semen viri : vocatur ergo *semen*, quia fuit loco et vice seminis: formavit enim et organizavit corpus Christi in Virgine, uti embryonis corpus in utero matris ex ejus semine et sanguine coagulat, coagmentat, format et organizat semen virile.

Posterius Christi connubium est cum Ecclesia, quod Osee suo hîc repræsentat. Ita S. Ambr. lib. de Salomone cap. 5 : *Meretrix*, inquit, *ista Ecclesiæ typus est, aliquando in Gentibus constituta, idolorum cultibus vitiata, quam vanæ superstitionis stupra polluerant, quam falsorum deorum adulteram fecerat multitudo; lascivosque ac turpes incompositis motibus saltus, nemorum et lucorum inculta lustrabat, dedita luxuriæ, pompæ Gentilium mancipata. Hanc posteaquam Dominus noster Jesus Christus puro baptimatis fonte perfudit, ablutionem et criminis accepit et nominis*. Ita et S. August. lib. 22. contra Faustum cap. 89. ac S. Prosper lib. de Prædictionib. et et promis. c. 15. p. 2. imo S. Paulus Rom. 9. 24. In hujus rei typum Moses duxit uxorem Æthiopissam Num. 12. v. 1. *Contra quam*, inquit sanctus Hieron. in proœmio, *Aaron et Maria, carnale sacerdotium Judæorum et prophetia litteræ serviens, mussitant, et offendunt Deum. Quæ dicit in Cantico cantici, Fusca sum et formosa, filiæ Jerusalem*. Christo ergo venienti in mundum dixit jussitque Pater : *Sume tibi uxorem fornicariam*, puta Ecclesiam ex Gentibus, ex eaque procrea filios, qui sint filii fornicationum, id est, matris Gentilis; sed ex patre, utpote filio Dei, sint et ipsi filii Dei, ex quibus multi ad pristinam matris fornicationem sunt redituri, id est concupiscentias suas secuturi et peccaturi, ideoque à Deo puniendi et rejiciendi.

Mira sane misericordia et dignatio fuit Osee ducentis fornicariam, sed longe major Christi

carnem et Ecclesiam nostram arctissime sibi unientis et despondentis, ut eam depuraret, sanctificaret et glorificaret, et quasi divinam redderet, tumque Osee, id est, Jehu et salvatoris nomen adeptus est. Ita Osee æmuli et Christi sectatores sunt, qui ad dura, vilia et abjecta quævis sese demittunt, et quoslibet labores et dolores subeunt, ut animas cum concupiscentiis fornicantes, sordidas et horridas convertant, purasque efficiant, et ad Deum sponsum reducant.

Unde tropologica causa est, ut hoc exemplo doceret Deus Osee, id est, prædicatores, confessarios, aliosque zelo proximorum flagrantes abducere animas à Satana, carne et peccato, easque per pœnitentiam et castimoniam despondere Christo, uti Paulus Corinthios despondit epist. 2. cap. 11. v. 2. Anima enim peccatrix est fornicaria, imo adultera, gignitque filios fornicationum, id est, opera luxuriæ, gulæ, superbiæ.

Unde S. Hier. in proœmio, per fornicariam hanc tropologice accipit S. Magdalenam, quam pœnitentem sibi Christus despondit: *Hæc*, inquit, *est meretrix et adultera, quæ in Evangelio pedes Domini lavit, crine detersit, et confessionis suæ honoravit unguento.* Et inferius: *Hæc est meretrix de qua loquitur Dominus ad Judæos: Amen dico vobis, meretrices et publicani præcedent vos in regno Dei. Ista meretrix* (Rahab Josue 2.) *exploratores meos duos, fortissimos juvenes, quorum alterum in circumcisionem misi, alterum ad Gentes, humanitate suscepit, abscondit studio, levavit in tectum, operuit lini stipula. Quæ cæsa persecutionibus, et tota in baptismate immutat colorem, et de tetro in album vertitur.*

Quia fornicans fornicabitur terra.] Hoc est, impense et continuo fornicabitur Israel, id est, decem tribus. De his enim loquitur, non de Juda, ut patet ex seq. Nam futurum junctum participio vel gerundio ejusdem verbi, Hebræis significat actus vehementiam et continuationem, sive consuetudinem. Fornicationem hic mysticam intellige, puta idololatriam; hic enim Deus symbolum sive parabolam applicat, et explicat, q. d. Jussi te, ô Osee, ducere fornicariam, et ex ea generare filios fornicationum, ut per hoc Judæis repræsentem, quod ipsi pari modo mystice fornicabuntur, id est, amabunt colentque idola, me vero Deo relicto.

3. Et abiit et accepit Gomer filiam Debelaim.] Perperam Hugo et Dionys. per diastolen legunt *de Belaim*, quasi *Belaim* sit nomen proprium loci, ex quo oriunda fuerit Gomer. *Debelaim* enim unam esse vocem, eamque Hebræam patet ex Hebræo. *Debelaim* ergo est nomen matris Gomer, ait S. Hieron. et Rupert. licet aliqui velint esse nomen patris ejusdem. Notat uxorem ex nomine et stirpe, ut sciamus hanc esse historiam, non visionem. Suspicatur Sanchez Debelaim quoque fuisse fornicariam, tum quia tacetur nomen mariti ejus, tum quia talis fuit ejus filia Gomer: nam *sicut mater, ita et filia ejus*, ait Ezech. c. 16. v. 44. Apposite uxor vocata est Gomer, et parens Debelaim; Gomer enim hebr. idem est quod consummatio vel consumptio; Debelaim idem est quod duæ massæ ficuum aridarum; quo significatur consumendam et vastandam esse Synagogam: *Quæ consummata in fornicatione atque perfecta filia voluptatis, quæ fruentibus suavis videtur et dulcis*, ait S. Hier. eo quod animo et corpore idolis et voluptatibus servierit. Debelaim enim, id est, ficus geminæ symbolum est voluptatis et dulcedinis geminæ. Unde Vat. *Gomer*, ait, *significat consumptionem, et Debelaim palatas duas, quibus animi et corporis voluptates intelliguntur, quæ pariunt consumptionem et interitum*, juxta illud Apostoli: *Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem.* Potest quoque hæc gemina voluptas accipi, spiritus et carnis, sive ambitionis et ventris, puta gulæ et libidinis. Ex his enim duabus oritur omnis concupiscentia, omne peccatum, omnis ruina hominum. Est ergo elegans hic gnome: Gomer est filia Debelaim, id est, corruptio est filia ficuum, puta est filia voluptatis, pœna est filia culpæ; hæc enim quasi mater illam parit; uti enim ficui et pomo vermis, ita et amori ac voluptati dolor, putor et pudor innascitur. Præclare Valer. l. 9. c. 1: *Campana*, ait, *luxuria invictum armis Hannibalem, suis illecebris amplexata, vincendum Romano militi tribuit.*

Denique Arias per geminas ficus ad litteram accipit geminum regnum Hebræorum, scilicet Israel et Juda; utrumque enim idolis et cupediis suis erat deditum, ideoque excidio à Deo addictum. Licet enim hæc prophetia capitis primi proprie et primario ad Israel (hunc enim vocat Jezrahel vers. 4.) dirigatur, tamen secundario et consequenter ad Juda Israelis æmulum et asseclam quoque dirigitur.

4. Voca nomen ejus Jezrahel.] Osee jubetur à Deo primum filium suum ex fornicaria uxore genitum vocare Jezrahel, ut per eum Hebræis repræsentet cladem imminentem Jezraheli, id est, Israeli, sive decem tribubus.

Jezrahel hebr. quadruplex habet etymon, et quatuor significat. Primo, Jezrahel dicitur quasi זרע אל *zera el*, id est, semen Dei. Secundo, quasi זרע אל *zeroa el*, id est, brachium Dei. Tertio, quasi יזרה רע אב *iizze ra el*, asperget malum vel contritionem Deus. Quarto, quasi זרע אל *zara el*, id est, sparget vel disperget Deus, scilicet Israelitas, ut captivi eant in Assyriam, et spargantur per totum orbem. Rursum Jezrahel notat Israel, imo idem est cum Israel, si litteram ז commutes in ש, צ et in א affine.

Nota. Jezrael erat urbs regalis, et metropolis decem tribuum, ait S. Hieron. eratque terminus Tribus Manasse et Issachar, sita in pede montis Gelboe ad Occidentem, insigni turri et specula, qua per totam Galilæam usque ad Carmelum, Thabor, Libanum, ac ultra Jordanem patebat prospectus illustris. Juxta hanc urbem erant campi amœnissimi et fertilissimi, ac vallis vastissima, quæ plus quam decem millibus passuum tendebatur, quæ ab urbe vicina, vallis Jezrahel dicebatur; sicut vicissim urbs à valle fertilissima dicta est Jezrahel, id est, semen Dei, quod semen in messe uberrimum, puta centuplum redderet, ut videretur esse semen Dei, et à Deo benedictum. Ante urbem erat vinea et ager Nabot, qui adhuc temporibus Borchardi et Breidembachii ostendebatur, ut ipsi scribunt in descriptione terræ sanctæ. Porro Deus jubet Osee, ut suum primogenitum ab hac urbe et valle vocet Jezrahel, ut per eum repræsentet Israel. Unde causam nominis subdit dicens:

Quoniam adhuc modicum, et visitabo sanguinem Jezrael super domum Jehu.] *Jehu*, nominat, quia ejus posteri tum regnabant in Israel erantque propagatores idololatriæ. Regnabat enim tunc Jeroboam, qui fuit tertius à Jehu: Jehu enim successit Joachas filius, huic Joas, huic Jeroboam;

huic Zacharias, qui occisus est à Sellum, in eoque stirpis Jehu excisa est.

Ex verbis Osee liquet, et omnes fatentur alludi hic ad historiam Achab, Jezabel, Nabot et Jehu. Jezabel enim uxor Achab per calumniam curavit occidi Nabot in Jezrahel, ut ejus vineam ibidem sitam invaderet et possideret. Quocirca Deus per Eliseum unxit Jehu in regem, jussitque ei ut hoc scelus eodem in loco vindicaret. Jehu ergo occidit Jezabel, et curavit eam sepeliri in agro Jezrahel. Insuper omnes filios Achab jussit occidi in Samaria, eorumque capita ad se mitti in Jezrahel, 4. Reg. c. 9. et seq.

Jam primo, Arias verba textus sic explicat, q. d. Voca, ô Osee, filium tuum Jezrahel, id est, brachium Dei, quia sicut ego Deus brachio meo in Jezrahel effudi sanguinem Jezabel et filiorum ejus, ita eodem effundam sanguinem posterorum Jehu, quia Achabo et Jezabeli similes sunt in scelere. Hic sensus alienior videtur. Sanguis enim Jezrahel in genitivo hic accipiendus est, quasi sanguis Jezrahelis, velut personæ cujus sanguis effunditur; non in dativo vel ablativo, quasi sanguis Jezrahele ut brachio, vel instrumento effusus.

Secundo, Theodoret. quem sequitur noster Emmanuel, Jezrahel, inquit, id est, semen Dei est Israel, qui est populus Dei, puta decem tribus. Sanguis autem in Scriptura vocatur homicidium, et per catachresin quodvis enorme peccatum et scelus, quale hic est idololatria, præsertim quia idololatræ non raro fundebant sanguinem occidendo pueros, aliosque homines eosque immolando Moloch, Baal, aliisque idolis, atque semper occidebant animas tum suas, tum suorum. Hic sensus mysticus potius videtur, quàm litteralis.

Tertio, Rupert. Vatabl. et Anton. Fernan. in visione 1. lect. 3. exponunt, q. d. Puniam sanguinem Jezabelis et filiorum ejus à Jehu effusum in Jezrahel, quia licet, me jubente, id fecerit, tamen ipse in illa cæde non tam studuit meæ voluntati quàm suæ ambitioni servire : ut scilicet, occiso semine regio, ipse regnum invaderet, et quasi tyrannus regnaret. Hic sensus non satis respondet Scripturæ, quæ ob hoc factum laudat Jehu, eique regnum promittit usque ad quartam generationem 4. Reg. 9. et seq.

Quarto, Christ. à Castro, Jezrahel, inquit, est Israel, ejusque primus rex Jeroboam, cæterique ejus reges : q. d. Vindicabo sanguinem Jezrahel, id est, Israelitarum, effusum per Jeroboam et cæteros Reges, præsertim oriundos è familia Jehu, eo quod ipsi pios Israelitas renuentes ire in Dan et Bethel ad adorandos eorum vitulos aureos, occiderunt. Id enim fecisse Jeroboam patebit cap. 5. quocirca evertam domum Jehu, totumque regnum Israel. Verum hoc incertum est: nusquam enim legimus quod Jehu renuentes adorare idola occiderit. Hic tamen sensus, uti et alii jam recensiti, quasi accessorii et partiales locum habere et admitti possunt, suntque probabiles. Sed quærendus est sensus principalis et genuinus.

Dico ergo, quia verba Prophetæ manifeste alludunt ad stragem domus Achab editam à Jehu in Jezrael, eique similem minantur ; hinc primus et principalis sensus hic est, q. d. Ego Deus, ô Jehu, elegeram te ut idololatriam invectam à Jeroboam, et promotam ab Achab et Jezabel in Israel, everteres ; ideoque te regem constitui, jussique ut occideres et sepelires omnes posteros Achab, idque in valle Jezrahel, eo quod ipse in eadem fidelem meique cultorem Nabot interemerat. Quod si id non faceres, sed eis occisis foveres nihilominus eorum idola, scires te similem horribilem, imo horribiliorem, Dei vindictam experturum. At ut quasi vecors et temerarius, hujus severæ ultionis Dei contra Achab, cujus ipse minister et carnifex fueras, oblitus, in eumdem lapidem impegisti, eadem idola coluisti. Hoc est enim quod dicitur 4. Reg. 10. 29 : *Delevit itaque Jehu Baal de Israel; verumtamen à peccatis Jeroboam, qui peccare fecit Israel, non recessit, nec dereliquit vitulos aureos. Visitabo* ergo *sanguinem Jezrahel super domum* tuam, hoc est, domui tuæ similem plagam et stragem inducam, qualem tu meo jussu induxisti, super domum Achab in Jezrahel. Itaque sicut tu filiorum ejus omnium sanguinem effudisti, ita et omnium tuorum effundetur, omnesque posteri tui regno et vita spoliabuntur ; ac paulo post puta post quadraginta annos, totus Israel qui te in idololatria secutus est, vel occidetur, vel captivus abducetur in Assyriam. Quocirca ut hoc Israelitis, ô Osee, repræsentes, jubeo ut filium tuum voces Jezrahel, eisque explices ideo eum vocari Jezrahel, ut meminerint Jezabelis, et filiorum Achab occisorum et sepultorum in Jezrahel ob idololatriam, sciantque se ob eamdem causam pari modo occidendos, ut quoties nominarint vel audient nominari nomen filii tui Jezrahel, toties eis recurrat et redeat in mentem strages domus Achab, facta in Jezrahel, et eorum similis propediem facienda, quam ego hic per te eis intento. Ita Mariana et alii. Unde Jezrahel, æque ac Sodoma, proverbialiter significat ingentem vindictam, ingens excidium, ait Sanchez.

Ubi Nota. Pro *visitabo* Syrus vertit, *ulciscar*, hebr. est פקדתי *pakadti*, quod valde generalis et angustæ est significationis ; nec tantum vindicare, ulcisci et punire significat, sed in genere idem est quod requirere, recensere, imponere, inducere. Sensus ergo est, q. d. *Visitabo*, id est, requiram, *sanguinem Jezrahel super domum Jehu;* dicamque : Cur tu, ô Jehu, effudisti sanguinem domus Achab in Jezrahel ? nonne id fecisti meo jussu, quia idololatræ erant, et idololatriæ duces in Israel? Quare ergo tu non es veritus eadem idola colere et propugnare? Esto ergo eis similis in pœna, quibus fuisti similis in culpa, illorum sanguis à te effusus est ; tuus quoque effundatur : stirps illorum excisa est; et tua exscindatur. *Visitabo* ergo, id est, requiram et recensebo ac annumerabo supplicia domus Achab domui tuæ, dicamque : Ecce Achab peccavit in tot tantisque idolis et sceleribus, tu, ô Jehu, in totidem peccasti. Quocirca sicut Achab tot plagis, omniumque (puta septuaginta) filiorum strage punivi, ita et totidem plagis te puniam : ac sicut numerum culparum, ita et plagarum Achab, tibi tuæque domui annumerabo et accensebo, hoc est, inducam et infligam.

Hic est sensus principalis, cui tamen cæteri annexi et connexi sunt. Itaque secundam Theodoreti expositionem et quartam Christophor. à Castro hic jam addas, hoc modo, q. d. Quia tu, ô Jehu, instar Achab, piorum Israelitarum Deum verum colentium, tuosque vitulos aureos spernentium, qui erant Jezrahel, id est, semen, hoc

est populus, Dei, sanguinem effudisti; et quia omnes Israelitas ad sanguinem, id est, ad enorme scelus idololatriæ, compulisti, ideo instar Achab sanguis tuorum omnium effundetur. Et sicut sanguinem Nabot ab Achab effusum, in Achabi domo omnem ejus stirpem occidendo ultus sum, ita et sanguinem fidelium à te et tuis effusum in tua familia, eam evertendo, ulciscar: grave enim crimen, et in cœlum clamans vindictam est occisio innocentis, præsertim fidelis et sancti. Nam, ut ait S. Augustinus in psal. 9. explicans illud: *Sedet in insidiis*, etc. *ut interficiat innocentem; innocentem interficere est ex innocente facere nocentem*, quæ est perversio tam justitiæ, quam naturæ.

Dices, Sanguis posterorum Achab effusus est in Jezrahel, non ob ejus idololatriam, sed quia ipse ibidem effuderat sanguinem Nabot, ut ejus vineam occuparet. Ergo hæc non recte adaptantur sanguini posterorum Jehu effundendo ob idololatriam. Respond. antecedens esse falsum. Hæc enim strages inducta est domui Achab ob idololatriam, uti diserte dicitur 4. Reg. 21. 22. 26. determinatio vero loci, quod scilicet fieret in Jezrahel, facta est ob occisum ibidem Nabot, qui erat idolorum hostis, et unius veri Dei cultor.

Nam ad idololatriæ pœnam hæc omnia spectare, patet ex eo, quod ea de causa jubeatur Osee ducere fornicariam, et gignere filios fornicationum, ut idololatriam Israelitarum repræsentet. Unde ait: *Quia fornicans fornicabitur terra*, mystice scilicet cum idolis; ideoque ei sanguinem et exitium intentat.

Huc pertinet explicatio quam ex Chaldæo afferunt Haymo, Hugo, et Albertus, quæ talis est: Visitabo, id est, imputabo sanguinem domus Achab à Jehu effusum in Jezrahel, ipsi Jehu ejusque domui, eo quod ipse eadem idola coluerit, ob quæ filios Achab occidit, ejusque stirpem evertit; ac proinde opere ipso ostendit se inique et injuste occidisse idololatras; nec tam paruisse Dei jussui, quam secutum esse suam ambitionem et tyrannidem, uti dixit Vatabl. cum ipse æque ac illi fuerit idololatra. Itaque sanguis Jezrahel contra ipsum revertetur, et in ejus domum recurret: meruit enim ipse qui inique idololatras occidit, ut ejus, utpote pariter idololatræ, domus et stirps tota similiter exscindatur, ut, sicut ipse idololatras gladio punivit, ita et ejus idololatria gladio puniatur et succidatur. In Jezrael pulchra est annominatio ad ejus etymon, q. d. Visitabo sanguinem Jezrahel, id est seminis et populi Dei, puta piorum Israelitarum, quos afflixerunt et occiderunt Achab (ut patet 4. Reg. 9. 7.) et Jehu, super eorum domum et familiam, eroque eis Jezrahel, id est, יזרע רע אל *iizza ra el*, id est inducens malum et contritionem Deus, puta conteram et evertam eos.

Denique Septuag. et post eos Arabicus, plane aliter vertunt nimirum, *Ulciscar sanguinem Israel super domum Juda*. Suspicor cum S. Hieronymo in eis typographicum esse mendum, et pro *Israel* legendum esse *Jezrahel*, ac pro *Juda Jehu*. Sic enim habent Hebr. Chald. Latina, et Syrus. Perperam ergo Leo Castrius ex versione Sept. et ex eo quod non dicit Propheta, Visitabo vitulos Jeroboam, sed, *Visitabo sanguinem Jezrahel super domum Juda*, contendit hæc ad litteram accipienda esse de excidio Judææ et Hierosolymæ per Titum. Sensum enim esse, q. d. Sanguinem Jezrahel, id est, Christi (hic enim dicitur Jezrahel, id est, semen Dei, quia non ex semine viri sed ex Spiritu sancto est conceptus) à Judæis occisi ulciscar super Juda, evertendo Jerusalem et Judæam per Romanos. Perperam, inquam: nam ex toto contextu liquet hìc agi de idololatria Israel, ejusque punitione per Assyrios, non de excidio Judæ per Titum. Hic ergo ejus sensus mysticus est et allegoricus, isque congruus, non litteralis.

Moraliter disce hìc, quam severe puniat Deus illos, qui Dei judicia et castigationes impiorum non æstimant, nec propter eas ad Dei timorem et vitæ mutationem inducuntur, sed eadem peccata perpetrant, ob quæ vident alios à Deo castigari, imo se jussu Dei alios castigasse, quales sunt impii Principes, Judices, Prætores, Prælati, Prædicatores, etc. qui ea quæ in aliis puniunt, ipsimet perpetrant. Hac enim de causa excidium minatur Deus domui Jehu, quod peccata Achab, quæ per eum castigaverat, non devitarit. Qui enim tam manifestis et acribus divinæ vindictæ exemplis non emendantur, merentur ut eamdem subeundo, aliis statuantur in exemplum.

Simili modo et sensu dixit Lamech Genes. 4. 24: *Septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagies septies*, q. d. Si Cain qui unum occidit, septuplum, id est, multipliciter, punitus est, ergo ego Lamech, qui duos occidi, quique pœnam Caini vidi, nec tamen ab ejus peccato abstinui, septuagies septies, id est longe gravius et multiplicius puniendus sum. Ita S. Chrysost. ibidem. Sic et Ezech. cap. 16. ut et alii Prophetæ Judæ intentat excidium, eo quod habuerit legem et tabernaculum Dei (ideoque vocat illum Oolla ac consequenter debuerit castigare idololatriam Israelis sive decem tribuum (quas proinde vocat Ooliba) et tamen hoc adeo nòn fecerit, ut etiam dum videret Israelem puniri et exscindi à Deo, nihilominus in ejus scelere et idololatria perstiterit. Talibus merito intonat Apostolus Rom. 2. 1: *Propter quod inexcusabilis es, ô homo, omnis qui judicas. In quo enim judicas alterum, teipsum condemnas. Eadem enim agis, quæ judicas. Existimas autem hoc, ô homo, qui judicas eos qui talia agunt, et facis ea, quia tu effugies judicium Dei?* Et v. 21: *Qui ergo alium doces, teipsum non doces, qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis, qui abominaris idola, sacrilegium facis*, etc.

Et quiescere faciam regnum domus Israel.] Id est abolebo et evertam regnum Israel, sive decem tribuum. Ita Vatab. *Domum* vocat tribum et gentem; Hebræi enim sub Roboam in duas quasi tribus et gentes fuerunt divisi, scilicet in Israel et Juda. Præstitit id Deus paulo post hanc prophetiam, sed sensim et paulatim. Hæc enim prophetia facta est ultimis annis Jeroboam, qui fuit pronepos Jehu, et pater Zachariæ. Zacharias autem tantum sex mensibus regnavit, occisus à Sellum: ac paulo post regnum Israel invasit Phul rex Assyriorum, eique tributum indixit: deinde Teglathphalasar, qui cepit et transtulit in Assyriam tribum Ruben, Gad, et dimidiam Manasse. Denique Salmanasar, qui anno 9. Hosee ultimi regis Israel (qui erat annus 6. Ezechiæ regis Juda) Samariam cepit, totumque regnum Israel evertit. Post Jeroboam

ergo et Zachariam circiter 40. anno (mendose codex S. Hieron. habet 49.) eversus et captus est Israel. Vide historiam 4. Reg. 15. et seq.

5. Et in illa die conteram arcum Israel in valle Jezrahel.] *Arcum* vocat robur, vires, arma, milites Israelitarum, sive decem tribuum. Ita S. Hieron. Rupert. Haymo, Lyran. Hugo et et alii. Male ergo Arias per *Israel* accipit duodecim tribus putà tam Juda, quàm Israel.

Quæres, quando et quomodo in valle Jezrahel contritum sit regnum Israel? nihil enim de eo in Scriptura legimus. Aliqui per Jezrahel accipiunt Samariam: ad illam enim confluxit totus populus, imminente Assyrio, ibidemque ab eo victus et captus est. Verum nusqnam *vallis Jezrahel* capitur pro Samaria, præsertim quia Samaria sita erat in monte, non in valle. Melius ergo alii censent ex hoc loco Prophetæ, ante excidium Samariæ et gentis, Israelitas de more collatis signis conflixisse cum Assyriis in vicina valle Jezrahel. Hæc enim longissime patet, et aptissima erat conflictui. Ibi ergo superati et cæsi sunt Israelitæ ab Assyriis, qui deinde victoriam prosecuti Samariam obsederunt, et everterunt cum toto regno. Ita S. Hieronym. Cyrill. Theodoret. Haymo et alii Interpretes. Unde Borchard. Breidem. et ex eis Adrichomius in Descriptione terræ sanctæ, de hac valle ita scribit: *Vallis Jezrahel lata duobus milliaribus* (sed multo longior) *quæ et planities Galilææ. In valle hac seu planitie intermedia magni et multi habiti sunt conflictus. Hîc enim pugnavit Gedeon contra Madianitas, Judic.* 6. *et* 7. *Et Saul contra Philistæos* 1. *Reg.* 31. *Item Achab contra Syrios*, 3. *Regum* 20. *et postea Tartari ibi conflixerunt contra Saracenos.*

Porro apte Deus statuit ut Israel in Jezrahel cæderetur. Est enim magna vis et emphasis in verborum et rerum tum vicinitate, tum allusione, q. d. Olim, ô decem tribus, eratis Israel, id est, populus dominans Deo, cum pietatem vestri patris Jacobi secuti uni Deo servientes, ab eo impetrabatis benedictionem et omne bonum quod petebatis, qua de causa Jacob vocatus est Israel, Genesis 32. 28. Eratis pariter tunc Jezrahel, id est, semen et populus Dei. At nunc Deo rebelles et apostatæ: cum ad idola deflexistis, non estis Jezrahel, id est, semen Dei, nec Israel, id est dominantes Deo; sed Deus jam jam dominabitur vobis, quasi hostis dominans, sæviens et grassans in urbe quam capit et vastat.

Ipse ergo cædet vos per Assyrios in valle Jezrahel : tum quia ibidem cæsa est stirps Achab idololatræ, quem vos imitati estis : tum quia hic loco apte convenit triplex etymon Jezrahel, quod recensui initio capitis. Eo enim alludit, quasi dicat : In hac valle sentietis Jezrahel, hoc esu: Primo, זרע אל *zeroa el*, hoc est, brachium, Deii vos feriens et occidens; secundo, quia ibidem erit Jezrahel, hoc est, יזרה רע אל *iizza ra el*, id est, asperget in vos malum et contritionem Deus ; tertio, ibidem erit Jezrahel, id est, זרה אל *zara el*, hoc est, dispergens vos Deus in Assyriam omnemque ventum et plagam orbis. Alium sensum affert Leo Castrius : Vallis, inquit, Jezrahel, id est, seminis Dei, puta Christi, est Jerusalem; quia Christus in Jerusalem docuit, vixit, crucifixus et mortuus est : q. d. Adhuc modicum, id est, post parvum tempus, scilicet 40. post Christi crucem anno, *Visitabo sanguinem Jezrahel;* hoc est, Christi à Judæis crucifixi, *super domum Jehu*, id est, super decem tribus, *et conteram Israel*, id est, Judæos omnes tam et decem, quàm ex duabus tribubus, *in valle Jezrahel*, id est, in Jerusalem per Titum. Succreverant enim post captivitatem decem tribus ex residuis captivitatis, itaque tam regnum Israel, quàm Juda deletum est à Tito et Romanis. Verum hic sensus non est litteralis, ut ipse contendit, sed allegoricus et mysticus isque appositus. Si enim Deus sanguinem Jezrahel, id est Israel, vindicavit tam atrociter in domo Jehu, quidni atrocissime vindicaret sanguinem unigeniti filii sui in gente Judaica, tam perfide et scelerate ab ea trucidati?

Tropol. pari modo vindicabit Deus et puniet Christianos impie viventes, qui, ut ait Apostol. Hebr. 10. 29 : *Filium Dei conculcaverint, et sanguinem testamenti pollutum duxerint, in quo sanctificati sunt, et spiritui gratiæ contumeliam fecerint. Horrendum est incidere in manus Dei viventis.*

6. Et concepit adhuc, et peperit filiam.] Quia Israelitæ duri erant et obstinati, hinc multis Prophetarum ictibus tundendi erant. Priori ergo filio et oraculo tristi additur hîc secundum oraculum et portentum æque triste et minax, imo tristius et minacius; quasi secundus aries, qui ferrea eorum pectora feriat et quatiat. Audi S. Cyrill. lib. 6. Glaphirorum : *S. Oseas*, inquit, *meretricem duxit uxorem, neque infames deprecatus est nuptias, et passus est se esse patrem infamium liberorum, quorum nomina fuerunt, Non populus meus, non consecuta misericordiam. Prophetarum prædictionibus adversabantur Israelitæ, neque recipiebant, neque legebant legem Dei. Jubebat ergo Deus facere ea quæ velut picturæ essent rerum futurarum, ut velut in tabula quadam futura plane et aperte depingerentur, ut in aures et in oculos vel nolentium incurrerent, ut qui saperent diligere potiora : ut quos possent ab impietate abducerent.* Quoties enim Israelitæ has proles prophetæ, toties seipsos quasi in imagine intuebantur; et quoties eas nomine suo compellabant, toties seipsos suaque fata sibi à Deo decreta nuncupabant et recensebant; v. g. cum vocantes hosce pueros dicebant : Veni huc *lo racuma*, id est *absque misericordia;* adesdum *lo amni*, id est *non populus meus*, tacite sibi ipsis dicebant et cogitabant, *Mutato nomine de te fabula narratur.* Tu es quem puer hic repræsentat, tui ille personam gerit. Tu ergo es non populus Dei, tu es absque misericordia, quem Deus rejecit et reprobavit.

Filiam] Filia hæc idem repræsentat quod primus Osee filius Jezrahel, scilicet Israelis sive decem tribuum vastationem. Sed cur primus est filius, secunda filia? Resp. causa physica est, quia solent conjuges nunc filios, nunc filias generare. Causa symbolica est prima, ut repræsentet tam viros, quàm feminas, utpote idololatriæ participes, hac clade involvendas; secunda, filia repræsentat infirmitatem et debilitatem Israelitarum, qua ob peccata non tam viri, quam feminæ facti, Assyriis non potuerunt resistere. Ita S. Hieron. Chaldæus, Cyrill. Haymo, Hugo et Rabbini; tertia, hi tres filii repræsentant idem, scilicet Israelitarum cladem et excidium, sed simul repræsentant hujus cladis tres quasi partes et gradus. Itaque primus Jezrahel repræsentat stragem stirpis Jehu, uti

expresse dicitur vers. 4. Nam regnante ea stirpe validum adhuc et quasi masculum erat regnum Israel. Jehu autem stirps excisa est in Zacharia abnepote quem occidit Sellum tyrannus ; secunda filia repræsentat statum debilem et infirmum, quem habuit regnum Israel post Zachariam sub Sellum, Manahen, et Phacea regibus Israel; quando Salmanasar multis rapinis, cladibus et captivitatibus ita attrivit et attenuavit regnum Israel, ut jam inclinaret ad ruinam ; tertius filius repræsentat plenam gentis stragem et regni excidium sub Phacee penultimo, et sub Hosee ultimo rege Israel. Ita Isidorus Clarius et R. David. Phacee enim rex impius et crudelis centum Judæorum millia occidens, et Jerusalem cum Rasin rege Syriæ obsidens, concitavit in se suumque regnum Israel iram Dei, ejusque excidium acceleravit, uti prædixit Isaias c. 8. 6. et seq. Possent quoque tres hæ proles repræsentare tres reges Assyriorum, scilicet Phul, Teglatphalasar et Salmanasar, qui vastarunt et carpserunt regnum Israel, donec Salmanasar, capta Samaria, illud plane evertit.

Et dixit (Deus) ei (Osee] voca nomen ejus, absque misericordia,] ut per hanc prolem significes Israelitas misericordia Dei indignos et incapaces, justo Dei decreto certo exitio esse destinatos ; unde explicans subdit : *Quia non addam ultra misereri domui Israel;* Septuag. *non addam ultra ut diligam eos,* q. d. Sæpius ante hac Israelitis ob peccata afflictis et pœnitentibus misertus sum, dum eis misi Gedeonem, Samsonem, Davidem, aliosque reges et judices, sive vindices populi : at nunc, quia peccandi et idololatrandi finem nullum faciunt, et quia in sceleribus suis sunt obstinati et impœnitentes, eorum amplius non miserebor, sed sine ulla spe veniæ aut misericordiæ, tradam eos gladio et igni Assyriorum.

Hebr. pro *absque misericordia*, est לא רחמה *lo rachuma.* Hoc ergo fuit nomen proprium filiæ Osee. Censet Arias τὸ *lo* id est *non,* scilicet, *miserebor* ad Israel sive decem tribus spectare; τὸ vero *rachuma,* id est *misericordiam consecuta,* spectare ad Juda ; de quo subdit : *Et domui Juda miserebor* : quia Juda ex captivitate rediit, non Israel. Verum hoc subtilius est, quàm solidius, τὸ enim *lo rachuma* unicum est nomen, unumque significat, scilicet Israelis derelictionem à Deo : quare τὸ *lo* à *rachuma* divelli nequit. De Israele enim proprie hîc agitur, non de Juda : obiter vero tantum additur illud : *Et domui Juda miserebor,* ut per hoc Israelis pœna augeatur, dum se solum exitio destinatum, sibique vindictam, Judæ vero vicino et fratri suo misericordiam parari audit.

Sed oblivione obliviscar eorum.] Hebraice כי נשא אשא להם *ki nasa essa lahem,* quod varie vertitur : Hebr. enim נשא *nasa* varia significat, scilicet portare, tollere, elevare, parcere.

Quocirca primo, Chald. vertit, *Si resipuerint parcendo parcam eis.* Sed hæc versio repugnat nomini, *Absque misericordia.*

Secundo, Vatabl. vertit, *Tollendo tollam eos à facie mea.*

Tertio, R. David, *Elevando elevabo super eos,* scilicet, hostes Assyrios.

Quarto, Septuag. non verbotenus, sed sensum reddentes vertunt, *Adversans adversabor eis,* vel potius, ut alii legunt, *Aversans aversabor eos.*

Quinto, alii, *Exportando exportabo eos* in captivitatem.

Sexto, alii, *Decipiendo decipiam eos,* vel *seducendo seducam eos.* Hebr. enim *nasa,* si *scin* habeat punctum in dextro cornu, significat seducere, decipere.

Septimo, Noster et alii vertunt, *Obliviscendo obliviscar eorum,* id est, plane et omnino obliviscar eorum ; eradam eos ex mea memoria, ut nunquam amplius velim de eis cogitare aut loqui. Hebr. enim *nasa* per *he* significat oblivisci. Litteræ enim *aleph* et *he* apud Hebræos sunt commutabiles, et sæpe una pro alia ponitur.

Nota catachresin. in Deo enim proprie nullius rei est oblivio, utpote qui summa pollet sapientia, cuique omnia et præterita et futura objective semper præsentia sunt : dicitur tamen oblivisci, cum abjicit, negligit, et delinquit aliquem, ita ut hominibus videatur ejus esse oblitus. Sicut ergo irasci dicitur, cum punit ; recordari, cum benefacit ; dormire, cum differt vel pœnam, vel præmium : ita oblivisci, cum negligit et abjicit. Pulchre S. August. lib. 1. Confess. c. 4 : *Amas,* inquit (ô Domine) *nec æstuas, zelas, et securus es ; pœnitet te, et non doles, irasceris et tranquillus es ; opera mutas, nec mutas consilium.*

Moral. ingens est pœna peccatoris cum Deus illius obliviscitur : quia signum est ejus impœnitentiæ et obstinationis, æque ac derelictionis et reprobationis divinæ. Talis ergo nihil gratiæ, nihil sapientiæ, nihil boni exspectare potest à Deo, à quo, quasi à sole, omnis lux et omne bonum dimanet necesse est. Causa hujus oblivionis Dei est, quod peccator prius obliviscatur Dei ; quæ ei omnium malorum est causa. Unde ut hanc suî oblivionem Deus populo excutiat, clamat per Jeremiam c. 2. 31 : *Numquid obliviscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? populus vero meus oblitus est meî diebus innumeris.* Et Isaias cap. 17. 1 : *Oblita es Salvatoris tui.* Et cap. 51. 13 : *Oblitus es Domini factoris tui.* Et cap. 44. 21 : *Memento horum Jacob et Israel, quoniam servus meus es tu : formavi te,* etc. *ne obliviscaris meî.* Ex adverso orat Psaltes psalm. 12. 2 : *Usquequo, Domine, oblivisceris meî in finem ?* Et psal. 41. 10 : *Quare oblitus es meî, et quare contristatus incedo dum affligit me inimicus ?* Porro hanc pœnitentiam infligit Deus peccatori, juste et congrue : qui enim obliviscitur Dei, lege talionis meretur vicissim ut Deus ejus obliviscatur.

Vis ergo ut Deus tuî non obliviscatur, sed jugiter recordetur ? noli ejus oblivisci, sed jugiter ejus recordare, semper eum ante oculos et in mente habe. Hinc B. Catharinæ Senensi hoc dogma dedit Christus : *Filia, recordare meî, et ego recordabor tuî. De me semper cogita, et ego de te pariter cogitabo ;* ita habet ejus Vita. Quocirca S. Dominicus suis edicebat, *ut continuo cum Deo, vel de Deo loquerentur.* Et S. Thomas Aquinas dicere solebat : *Religiosus non est, qui non semper in mente habet Deum.* Hoc est quod clamat Psaltes psalm. 63. 7 : *Miserationum Domini recordabor.* Et Jerem. cap. 51. 50 : *Recordamini procul Domini.* Ita Jonas in ventre ceti c. 2. 8 : *Cum angustiaretur,* ait, *in me anima mea, Domini recordatus sum, ut veniat ad te oratio mea :* et mox Deus vicissim ejus recordatus *dixit pisci, et evomuit Jonam in aridam.* Rursum Psaltes fructum hujus memoriæ significat

dum ait Psalm. 76. 4 : *Memor fui Dei, et delectatus sum.* Et Psal. 113. 12 : *Dominus memor fuit nostri, et benedixit nobis.* Ergo cum Isaia c. 26. 8. assidue dicamus: *Domine, nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desideravit te in nocte : sed et spiritu meo in præcordiis meis mane vigilabo ad te.*

7. Et domui Juda miserebor.] Quia Juda licet aliquos habuerit impios reges, et nonnullos è populo, multos tamen habuit fideles et pios reges, quos secutus est populus; ut Josaphat, Oziam, Ezechiam, Josiam et præsertim David, cui Deus promisit et juravit Psalm. 88, misericordiam et regnum stabile, ac Christum ex ejus semine nasciturum. Israel vero cum omnibus suis regibus à primo Jeroboam, usque ad ultimum Hosee per annos 256, continue coluit idola, puta vitulos aureos in Dan et Bethel, ideoque Deus ejus misereri noluit, sed eum funditus excidit; secundo, quia ex Juda nasciturus erat Christus, ita enim decreverat Deus; unde subdit : *Et salvabo, etc.* Nota : In Deo nulla est passio, sed sola omnisque virtus. Misericordia ergo qua virtus, est in Deo, non qua passio. Misericordia enim in Deo est affectus benevolentiæ, quo cupit succurrere miseriæ nostræ, eamque levare et tollere, vel certe mitigare. In hominibus vero est virtus, et simul est passio, concitans teneritudinem animi, compassionem et sensum miseriæ alienæ, lacrymas, planctum, etc., quæ in Deo esse nequeunt. Deus enim est ἀπαθὴς et impassibilis. Quocirca vere Lactant. lib. de Ira Dei, cap. 16, reprehendit eos, qui nullum animi motum, nullum affectum putant esse in Deo, ac subdit: *Et quia sunt aliqui affectus qui non cadunt in Deum, ut libido, timor, avaritia, mœror, invidia, omni prorsus affectu eum vacare dixerunt; his enim vacat, quia vitiorum affectus sunt; eos autem qui sunt virtutis, id est, ira in malos, charitas in bonos, miseratio in afflictos, quoniam divina potestate sunt digna, proprios et justos, et veros habet.*

Unde et Ecclesia orat : *Deus cui proprium est misereri semper et parcere, etc.* In Deo ergo est verus et proprius actus misericordiæ, æque ac charitatis, sapientiæ, aliarumque virtutum. Deus enim cum sit vita, habet hosce actus vitales virtutum; sed hi non sunt in eo accidentia, uti sunt in nobis, sed sunt idem cum ejus essentia. Hæc enim cum sit immensa, et infinitæ virtutis, perfectionis, et activitatis (est enim ipsa actus quidam immensus et efficacissimus) in se continet et absorbet omnes actus virtutum, qui in Angelis et omnibus sunt divisi et discreti, quia finiti et terminati. Sicut ergo mare absorbet omnia flumina, nec iis augescit vel intumescit, quia vastum est et quasi immensum, ut ejus respectu flumina sint instar guttæ, quam illico sorbet; ita et divinitas est mare, quod omnes dotes et perfectiones sorbet, aut potius in se continet. Rursum, sicut divina essentia ob suî immensitatem eadem est cum Patre, et eadem cum Filio, et eadem cum Spiritu Sancto quæ sunt tres personæ distinctissimæ et realiter diversæ, ita multo magis eadem essentia divina identificatur cum intellectu, voluntate, amore, aliisque potentiis et actibus divinis, tum circa se, tum circa creaturas. Cum enim ipsa quaquaversum plene et plane sit infinita, hinc nihil prorsus ei addi potest; quia quidquid cogites vel optes, jam ante in ipsa exstitit, illudque ipsum communicat creaturis sine ulla sui imminutione vel mutatione. Tanta enim est in ipsa omnis boni plenitudo, ut nulla fingi possit accessio; tanta firmitas, ut nulla diminutio. Quidquid ergo in tota multitudine Angelorum, hominum, et creaturarum omnium sparsim habetur boni; id totum in Deo est collectum in simplicem unitatem, idque sine limitatione et infinite. Hinc fit ut Deus per simplicissimam suam essentiam formaliter sit sapiens, justus, misericors, etc., adeoque sit ipsa sapientia, bonitas, justitia, misericordia, etc. Ipsa ergo essentia Dei per se præstat sola, quod in creaturis præstant bonitas, sapientia, misericordia, aliæque plurimæ et diversissimæ virtutes, sed modo eminentissimo et illimitato. Quis jam non amet hoc bonum in quo omne bonum? imo quis amet aliud bonum, quod cum eo comparatum umbra est, et potius privatio boni quàm bonum?

Et salvabo eos in Domino Deo suo.] Id est, per Dominum, ope et viribus non ipsorum, sed Domini. Nota hebraismum. Hebræi enim de se loquuntur in tertia persona, ac si de aliquo alio loquerentur. Sic dicitur Genes. 19. 24 : *Dominus pluit super Sodomam ignem à Domino*, id est, à se ipso. Et Num. 12. 7 : *At non talis servus meus Moses, qui, etc., palam Dominum*, id est me, *videt.*

Chald. vertit, *salvabo eos per verbum Domini Dei sui*, id est, per Dei promissionem fidelem et firmam, qua salutem à se promissam reipsa præstabit. Mystice per *verbum*, id est, per filium suum, qui ex Judæis carnem assumet et homo nascetur, q. d. Salvabo eos per Jesum, id est, salvatorem mundi. Ita S. Hieron. et S. Hilar. lib. 4. de Trinit. sub finem. Imo Leo Castrius ad litteram putat Prophetam hîc loqui de Christo, qui salutem attulit Judæ, id est, credentibus; et repulit israel, id est, incredulos. Verum patet ex dictis, hæc allegorica esse, non litteralia. Porro licet hæc verba sint generalia et communia toti S. Trinitati, tamen mystice appropriari possunt Filio : illi enim appropriatur salus, liberatio et redemptio. Quæres, de qua salute Judæ ad litteram loquitur hîc Propheta? Primo, S. Hieron. Cyrill. Haymo, Theodor. Rupert. Lyran. Hugo et Vatabl. putant eum loqui de ea qua liberavit Ezechiam, et duas tribus à manu Sennacherib, occidendo in ejus castris una nocte per angelum 185 millia Assyriorum, 4. Reg. 19.

Secundo, et potius, loquitur Propheta de salute, quam Judæis attulit Cyrus liberans eos è captivitate Babylonica. Hæc enim longe major magisque optata, jucunda, plena, et universalis omnium fuit salus : et in hac recte Juda opponitur et anteponitur Israeli, qui nunquam ex captivitate Assyriaca rediit. Ita iidem auctores paulo ante citati.

Nota : Duas tribus, scilicet Juda et Benjamin, sub Cyro eos laxante ex Babylone rediisse in Judæam, certum est ex 1. Esdræ cap. 1. Idem de decem tribubus quæ ante duas abductæ erant in Assyriam, scilicet eas inde rediisse in Samariam, censent S. Cyril. in Osee 11. Theodor. et Theoph. in Osee 3. Verum contrarium, scilicet has ex Assyria nunquam rediisse, patet ex hoc loco, et ex 3. Reg. 17. 23. et ex Joseph lib. 11. Antiq. cap. 5. Estque communis S. Hieron. hic

et in Malach. 2. Catholicorum æque ac Hebræorum omnium sententia.

Dices, eas redituras prædicit hîc Osee v. 11. et cap. 11. v. 8. et seq. et cap. 12. v. 9. et c. 14. v. 6. ac Ezechiel cap. 37. v. 16. et 22. et Jeremias cap. 50. 4. ac Tobias cap. 14. v. 6. dicens : *Prope erit interitus Ninive, et fratres nostri qui dispersi sunt à terra Israel, revertentur ad eam.* Respondeo : Osee, Jeremias, Ezechiel loquuntur de reditu et libertate spirituali (non corporali) quam multi ex Israelitis, æque ac ex Judæis, adepti sunt per fidem in Christum, de quo plura inferius. Tobias vere loquitur de reditu Judæorum non in Samariam, sed in Jerusalem. Ait enim : *Domus Dei quæ in ea incensa est iterum reædificabitur, ibique revertentur omnes timentes Deum, et relinquent Gentes idola sua et venient in Jerusalem, et inhabitabunt in ea.* Fateor tamen non paucos ex Israelitis sive Samaritis, excisa Ninive ubi detinebantur captivi, fugisse in Jerusalem, ibique cum Judæis in templo coluisse Deum ; et hoc videtur innuere Tobias, cum post excisam Niniven statim subjungit : *Et fratres nostri qui dispersi sunt à terra Israel, revertentur ad eam.* Verum hæc reversio fuit privata paucorum fugientium ; non communis et publica, quia nec auctoritate publica Assyriorum vel Chaldæorum, nec communi consilio et conspiratione Israelitarum peracta est (uti Judæorum reversio è Babylone facta est auctoritate Cyri, et communi populi consensu, duce Nehemia et Esdra) sed quisque vel mansit in Ninive, vel rediit in Judæam, vel alio migravit, prout cuique libuit, vel commodius fuit. Simili modo anterius non pauci Israelitæ fideles et pii, fugientes idololatriam Jeroboam et cladem Israeli instantem, ex Samaria fugerunt in Judæam, ibique sedem fixerunt, ut patet 2. Paral. 11. 56. et cap. 15. v. 9. et cap. 30. v. 1. et ex Josepho lib. 8. Antiq. cap. 3. Hi cum Judæis in Babylonem abducti, indeque cum iis reducti, postea valde multiplicati sunt. Multi etiam in ipso excidio Samariæ profugerunt in vicinam Judæam. Multi etiam pauperiores relicti sunt in Samaria, ad eam colendam, cum cæteri ducerentur in Assyriam ; sicut in excidio Judææ et Hierosolymæ, Chaldæi in ea reliquerunt aliquos Judæos, ut essent vinitores, agricolæ, etc., ut patet 4. Reg. ult. 12. Unde his, puta ex Zabulon et Nephthalim prognatis, prædicavit Christus Matth. 4. 13. et ex his plerosque Apostolos elegit, ut patet Psalm. 67. 28. et Isaiæ 9. 1. Hinc et Anna Prophetissa quæ erat ex tribu Aser, habitabat in Juda et Jerusalem, Lucæ 2. 36.

8. Et ablactavit eam.] Hæc ablactatio filiæ typice significabat pari modo Israelitas privandos esse lacte, id est, doctrina, oraculis, promissis, lege, gratia, omnique favore et consolatione Dei. ita S. Hieron. Haymo, Lyran. et Vatablus ac jugi captivitati tradendos, in qua Gentilium cibis, moribus et ritibus sustentarentur. Ita Rupert. et à Castro.

8 et 9. Et concepit et peperit Filium, puta tertiam prolem. Et dixit ei, scilicet Deus Osee, ut patet v. 4. Voca nomem ejus, non populus meus.] Nomen ergo tertiæ prolis erat לאעמי *lo ammi*, id est, *non populus meus.* Jam primo, Ruffinus et Albertus putant hanc prolem significare duas tribus, puta Judæos in Babylonicam captivitatem à Deo abjectos ; Vatablus et Arias eosdem à Tito et Romanis plane excisos. Verum hoc cap. vaticinatur Propheta excidium Israelis, sive decem tribuum ; non duarum, sive Judæorum. De his enim paulo ante contrarium dixit v. 7. nimirum : *Domui Juda miserebor et salvabo eos.* Secundo, alii putant hîc significari Cuthæos, id est, Assyrios, qui ex Cuth aliisque locis à Salmanasar translati sunt in Samariam, cum ipse inde Israelitas in Assyriam abduceret. Cuthæi enim non fuerunt populus Dei, quia cum Deo Israel coluerunt idola Assyriorum, uti dicitur 4. Reg. 17. v. 41. Verum Cuthæi non fuerunt Israelitæ, sed Gentiles. Pergit ergo Propheta prophetare de excidio et vastitate Israelis, sive decem tribuum, earumque omnimodam abjectionem et reprobationem à Deo, tertiæ hujus prolis nomine repræsentare jubetur, quod scilicet Israel amplius non sit futurus populus Dei, sed Gentium et idolorum, atque inter Gentes victurus, ibique prole et robore crescens, quasi puer masculus in gentilismo vir fortis et robustus sit evasurus. Ita S. Cyrill. S. Hieron. Theodoret. Chald. Rupert. Haymo et alii. Sic ex adverso Isaias cap. 8. 3. à Deo jubetur vocare filium suum, *Sear Jasub*, id est, reliquiæ convertentur ; ut significet reliquias Judæorum ad Deum et Christum convertendas, uti ibidem dixi. Talia nomina prophetica, et quasi omina à Deo indita, crebra sunt in Scriptura, ut : *Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, Matth. 16. 18. Sic Christus Jacobum et Joannem vocavit *Boanerges*, id est, filios tonitrui, tonantes scilicet et fulminantes. Sic Isaias cap. 8. 1. nomen pueri Emmanuelis dicit fore : *Accelera spolia detrahere, festina prædari.* Simili schemate dixit Poeta :

Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones.

Et Virgil. eclog. 4. Julium Cæsarem 23. vulneribus in curia confossum vocat Daphnidem, ejusque apotheosin canit :

Candidus insuetum miratur limen Olympi,
Sub pedibusque videt nubes, et sidera Daphnis.
Ipsa sonant arbusta : Deus, Deus ille Menalca.

Porro Gentiles sæpe ab eventu vel præsenti, vel futuro nomina accipiebant, vel commutabant. Sic apud Græcos teste Cicerone lib. de Orat. Tyrtamus, postea ab eloquentia Euphrastes, tandem à divinitate loquendi Theophrasti nomen invenit. Philosophorum Homerus, qui ab avo Aristoclis nomen acceperat, à pectoris latitudine, vel potius à latissima felicissimi ingenii ad disputandum copia, Plato fuit appellatus teste Plutarch. in Platon. Apud Romanos ille Tyrius, qui prius Malchus (quod prisca Hebræorum et Phœnicum lingua regem sonat) dicebatur, demum Longino Cassio præceptore suo id volente, à regum purpura Porphyrium se transnominavit. Ita Porphyrius in Vita Plotini. Ita et Imperatores recens creati nova accipiebant vel nomina, vel cognomina. Severus Afer ut populo Romano placeret, Pertinacis, Julianus ut militibus voluptuariis satisfaceret, Commodi cognomen accepit. Ita Herodian. lib. 2. Sic nunc in Sacramento Confirmationis cuique licet nomen suum permutare ; quin et in ingressu Religionis multi illud permutant, ut v. g. apud Franciscanos Francisci, apud Dominicanos Dominici, apud Benedictinos Benedicti nomen accipiant, ut fundatorum Ordinis sui virtutes cum nomine

semper ante oculos ponant, easque æmulari et moribus exprimere conentur.

QUIA VOS NON POPULUS MEUS, ET EGO NON ERO DEUS VESTER.] Hebr. *ego non ero vobis*, scilicet, Deus, gubernator, tutor, provisor, nutritor, pater, mater, uti hactenus fui. Quanta sit felicitas et benedictio esse populum Dei, Deumque habere patrem; ex adverso quanta sit infelicitas non esse populum Dei, Deumque habere hostem, fuse describit Moses in Levitico toto c. 26. et in Deuter. toto cap. 28. Mystice hæ tres proles significant tres gradus peccati, et tres gradationes peccatoris, quibus sensim ruit in gehennam. Prima enim proles Jezrahel, id est, semen Dei, scilicet perditum et effusum, ac quasi occisum, uti dixit v. 4. significat primum gradum peccati, quo peccator suis illecebris intentus negligit et non curat monitiones, conciones, inspirationes Dei, ideoque Deus illas suamque gratiam sensim ei subtrahit. Hinc descendit ad secundum gradum, qui est impœnitentia et obstinatio, ut sit absque misericordia. Inde ruit ad tertium, ut non sit è populo Dei, sed à Deo reprobatus trudatur in gehennam.

10. ET ERIT NUMERUS FILIORUM ISRAEL QUASI ARENA MARIS, QUÆ SINE MENSURA EST, ET NON NUMERABITUR.] Hîc alio transit Propheta, et à tristibus ad læta de more se convertit. Unde Hebræi et Lyranus hîc inchoant caput secundum. Quocirca minus recte Theodor. et Cyrill. hæc connectunt præcedentibus per exaggerationem hoc sensu, q. d. Firmum manet manebitque meum decretum de excidio Israelis, etiamsi ille cresceret ut arena maris, fieretque innumerabilis. Nam contrarium significat τὸ *et erit*, et quæ sequuntur. Itaque hoc loco assurgit Propheta ab Israele carnali ad spiritualem, à bonis terrenis ad cœlestia et divina. Ne quis enim objiciat, dicatque: Quomodo, ô Propheta, prædicis Israel perdendum et exscindendum, cum Deus Abrahæ promiserit semen ejus, puta Israelem, fore instar arenæ maris innumerabilem Genes. 22. v. 17. occurrit et respondet, id verum ratumque esse et fore, sed in Israele spirituali, non carnali.

Quæres, quando et per quem impleta sit hæc prophetia? Primo, Hugo censet impletam esse per Ezechiam, qui 2. Paral. 30. undequaque Israelitas evocavit ad colendum Deum in Jerusalem; item per Josiam, qui instituit solemne pascha, ad quod tam Israelitæ, quàm Judæi undique confluxerunt. Hi ergo tunc caput unum sibi constituerunt, scilicet pium regem Josiam, vel Ezechiam.

Verum Ezechias convocavit Israelitas initio regni sui, cum nondum esset excisa Samaria, nec dispersi Israelitæ. Osee autem loquitur hîc de Israelitis jam dispersis, imo rejectis, à Deo rursum congregandis; Josias vero post excisam Samariam eos dispersos quidem congregavit, sed paucos; at Osee ait eos fore innumeros.

Secundo, Ruffinus, Theodor. et Hugo putant impletam esse sub Cyro; tunc enim Israelitæ mixti Judæis, duce Zorobabele, è Babylone redierunt in Jerusalem. Verum et hi perpauci fuerunt.

Dico ergo, prophetiam hanc impleri cœptam esse à Christo, qui tam Israelitis quàm Judæis per se evangelizavit; prædicavit enim in Galilæa et Samaria, ac nominatim in terra Zabulon et Nephthali, ut ait S. Matth. cap. 4. 15. indeque suos evocavit et collegit Apostolos. Rursum paulo post Samaria per Philippum recepit verbum Dei, quocirca eo missus est S. Petrus et S. Joannes Act. 8. Adde, indies plures ex Israel convertuntur. Denique omnes Israelitæ convertentur in fine mundi, ut ait Apostolus Rom. 11. v. 26. tuncque perfecte implebitur hæc Osee prophetia. Ita S. Hieron. et Christoph. à Castro hîc. Verum quia hi Israelitæ sunt eruntque pauci, nec possunt dici innumerabiles, hinc

Dico secundo, sub Israelitis intelligi quoque Gentiles conversos ad Christum, in iisque perfecte impleri hanc prophetiam. Hi enim sunt innumerabiles, et hi sunt veri Israelitæ secundum spiritum, non secundum carnem; quia secundum fidem sunt filii Abrahæ et Israelis, et consequenter benedictionis et bonorum à Deo utrique promissorum hæredes. Per fidem enim cooptantur in familiam Abrahæ et Israelis; ideoque vocantur et coram Deo sunt filii Israel, sicut filii adoptati civiliter, vocantur et sunt filii et hæredes adoptantis. Sensus ergo est, q. d. Licet dixerim Israelitas secundum carnem exterminandos et projiciendos à Deo, tamen promissio Abrahæ facta Genes. 22. v. 17. qua ait: *Benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli et velut arenam, quæ est in littore maris;* non excidet nec erit irrita, quia eorum loco in familiam Abrahæ succedent et adoptabuntur alii qui ex Gentibus credent in Christum, eruntque filii Abrahæ secundum fidem et spiritum; hi enim erunt instar arenæ maris quasi innumerabiles. Id ita esse patet primo, quia Apostolus Roman. 9. v. 25, diserte hunc Osee locum explicat de Gentibus, ex eoque contra Judæos probat non solum Judæos, sed et Gentes Christi vocationis et gratiæ participes fore: *Quos et*, inquit, *vocavit nos non solum ex Judæis, sed etiam ex Gentibus, sicut in Osee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam; et non dilectam, dilectam; et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Et erit in loco ubi dictum est eis: Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi.* Deinde Israelitas, sive Judæos quoque vocandos et salvandos per Christum, sed paucos, non innumerabiles, probat ex Isaia dicens: *Isaias autem clamat pro Israel, si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ salvæ fient, etc.* Quid clarius?

Dices, Osee verba ad litteram intelligenda sunt de Israelitis naturalibus, Apostolus vero per analogiam et similitudinem tantum accommodat ea Gentibus; quia uti Israelitæ, ita et Gentiles non erant populus Dei, sed à Christo vocati facti sunt populus Dei, uti explicant sanctus Chrysost. Theophyl. et Christ. à Castro. Verum hoc dici nequit. Nam Apostolus didactice loquitur, et contra Judæos scholastice argumentatur, probatque ex hoc loco Osee Gentes vocandas à Christo; ergo de Gentibus vere et proprie locutus est Osee. Alioqui enim respondissent Paulo Judæi; hocque ejus argumentum elusissent dicendo; Osee loquitur de Israelitis tantum, non de Gentibus: ergo tu, ô Paule, perperam et falso trahis, imo detorques ejus verba ad Gentes.

Secundo, quia Apostolus clare alibi docet benedictionem Abrahæ et Israeli promissam, ac bona quæ Israelitis eorum posteris per Christum promittunt Osee aliique Prophetæ, non pertinere ad carnales Israelitas, sed ad spirituales,

id est, ad credentes tam ex Gentibus, quàm ex Israelitis; optimus autem interpres Prophetarum est S. Paulus. Audi eum clare id pronunciantem Rom. 9. 6, itaque solventem et explicantem similia veteris testamenti loca à Judæis objecta: *Non autem quod exciderit verbum* (promissio posteris Abrahæ et Israelis facta) *Dei; non enim omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ; neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii, sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est, non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine, etc.*; et Galat. 3. 6: *Abraham credidit Deo, et reputatum est illi ad justitiam; cognoscite ergo quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ. Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat Gentes Deus, prænunciavit Abrahæ dicens: Quia benedicentur in te omnes gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.* Ergo hæc Osee promissio pertinet ad Gentes Israelis fidem imitantes et credentes in Christum.

Tertio, hæc est communis Patrum expositio; scilicet per Israel hìc tam intelligi Gentes, quàm Israelitas naturales ad Christum conversos. Ita S. Hieron. Cyrill. Ruffinus, Haymo, Hugo. Albertus et alii hìc, ac S. August. lib. 22. contra Faustum cap. 89. et sæpe alibi, Cyprian. lib. 1. testimon. contra Judæos cap. 19. Tertul. lib. 4, contra Marc. cap. 16. Irenæus lib. 2. cap. 4. Prosper. lib. 2. de Vocat. Gentium, cap. 18. Primas. Anselm. et S. Thom. in Rom. 9.

Denique id ipsum verba sequentia plane significant, quibus ait eos qui aliquando non erant populus Dei, vocandos filios Dei viventis, congregandos in unam Ecclesiam sub uno capite Christo, ascensuros de terra, foreque hunc magnum diem Jezrahel; quæ omnia magis Gentibus fidelibus, quàm Israelitis conveniunt.

10. Et erit in loco ubi dicetur, (id est, dicebatur tam à Deo, quàm ab hominibus, ita Vatabl. unde Septuag. vertunt, *ubi dictum est*) eis: Non populus meus vos; dicetur eis: Filii Dei viventis.] Locum hunc intellige non Chaldæam, in quam abducti erant Judæi, uti vult Albert. nec Jerusalem et Judæam, uti censent Haymo et Hugo; sed quemcumque locum in toto orbe ubi fuerint fideles et credentes Christo. Ita ex Chald. S. Hieron. et S. August. lib. 1. ad Simplic. q. 2. imo S. Petrus Epist. 1. c. 2. Scribens enim Christianis dispersis per Bithyniam, Pontum, Galatiam, Asiam, etc., quibus ipse evangelizaverat, graphiceque explicans hæc Osee verba, ait: *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.* Locus ergo hic est Ecclesia Christi ubivis gentium et toto orbe dispersa.

Filii Dei viventis.] Maxima est hæc hominis dignitas et sublimatio, per quam fimus divinæ consortes naturæ, ait S. Petrus. Vere S. Leo serm. 6. de Nativit. *Omnia*, inquit, *dona excedit hoc donum, ut Deus hominem vocet filium, et homo Deum nominet patrem.* Quocirca idem serm. 1. de Nativit. docet hominem debere imitari Deum patrem, ejusque mores induere, ut vitam agat divinam, non terrenam, non animalem: *Agnosce*, inquit, *ô Christiane, dignitatem tuam, et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degenere conversatione redire*; et serm. 6: *Genus electum et regium regenerationis suæ respondeat dignitati, diligat quod diligit pater, et in nullo ab auctore suo dissentiat, ne iterum dicat Dominus illud*, Isaiæ cap. 1: *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me*; sed sequatur illud Christi Matth. 5: *Estote perfecti sicut et pater vester cœlestis perfectus est.* Hi ergo *non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*; similes unigenito Dei, cui Pater ab æterno dixit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Porro τὸ *viventis habet* emphasin, q. d. Non sunt deorum mutorum et mortuorum, non idolorum; sed Dei veri et viventis filii, qui est ipsa vita divina et increata, eamque illis aspirat et communicat.

Nota: In hac generatione et filiatione pater est Deus, semen est gratia præveniens, mater est voluntas ei consentiens et cooperans, proles est homo justus, anima est charitas. Rursum exemplar hujus filiationis est filiatio Verbi Dei; sicut enim Deus Pater ab æterno genuit filium sibi consubstantialem et æqualem per omnia, ita illius adintar in tempore gignit filios, qui per gratiam sint id quod filius Dei est per naturam. Nostra ergo filiatio est imago filiationis divinæ. Hoc est quod ait Apostolus Rom. 8. 29: *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*; et v. 14: *Quicumque spiritu Dei aguntur ii sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater.* Idipsum probat subdens: *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii et hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; si tamen compatimur, ut et conglorificemur.*

Porro ut hanc Dei adoptionem profundius inspiciamus, ambiamus et suspiciamus, notandum est, in ea non tantum animæ infundi gratiam, charitatem, aliaque dona Spiritus Sancti sed etiam ipsum Spiritum Sanctum, qui est primum et increatum donum, quod Deus donat hominibus. Potuisset Deus in justificatione per gratiam et charitatem infusam nos tantum facere justos et sanctos, illaque magna fuisset Dei gratia et beneficentia, etiamsi nos in filios suos non adoptasset; sed hac non contentus, voluit nos ita facere justos, ut simul faceret et adoptaret in filios. Rursum hanc adoptionem facere potuisset, dando nobis solam charitatem, gratiam et dona creata; gratia enim est participatio divinæ naturæ in summo gradu, quantum scilicet deitas à creatura non tantum naturaliter, sed et supernaturaliter participari potest. Majus itaque priori fuisset hoc Dei beneficium. Verum eo non contenta immensa Dei bonitas, voluit simul nobis dare seipsam, ac per se nos sanctificare et adoptare. Quocirca Spiritus Sanctus sponte sua se annexuit suis donis, gratiæ et charitati, ut quandocumque ea infundit animæ, simul cum eis et per ea infundat seipsum personaliter ac substantialiter, juxta illud Apostoli: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*, Rom. 5. 5. Quocirca Apostolus eum vocat *Spiritum adoptionis: Non enim*, inquit, *accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei; si autem*

filii et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; si tamen compatimur, ut et conglorificemur, Rom. 8. 15; et: *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei;* ibid. v. 14, et: *Quoniam autem estis filii, misit Deus spiritum filii sui in corda vestra, clamantem: Abba, Pater*, Galat. 4. 6. Hæc ergo est summa Dei nostri dignatio, æque ac nostra summa dignitas et exaltatio, qua recipientes charitatem et gratiam, simul recipimus ipsam personam Spiritus Sancti quæ se sponte charitati et gratiæ inserit et annectit, ac per ea nos inhabitat, vivificat, adoptat, deificat, agitque ad omne bonum. Vis majora? Accipe. Spiritus Sanctus descendens personaliter in animam justam, secum adducit cæteras divinas personas, Patrem et Filium, utpote à quibus separari nequit. Tota ergo Trinitas personaliter et substantialiter venit ad animam quæ justificatur et adoptatur, in eaque quasi in suo templo manet et inhabitat, quamdiu illa in justitia perdurat, juxta illud 1. Joan. 4. 16: *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo;* et 1. Cor. 6. 17: *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Hoc est quod Christus moriturus in divinissima illa oratione ad Patrem rogavit et impetravit, dicens: *Ut omnes unum sint, sicut tu pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint;* Joan. 17. 21, ut scilicet Spiritum Sanctum unum et eumdem participent, et in ipso uniantur, et per ipsum cæteris personis divinis; itaque in ipso omnes unum sint, quia Spiritus Sanctus, qui ab omnibus participatur, et qui in omnibus est, unus et idem est. Unde omnes in unica re individua unum sunt, scilicet in Spiritu Sancto sicut tres personæ divinæ unum sunt in una natura divina, eaque singulari et individua. Ita explicat S. Cyrill. lib. 11. in Joan. cap. 26. S. Athanas. orat. 4. contra Arian. et ex eis Toletus. In justificatione ergo et adoptione animæ infunditur gratia et charitas, ac cum iis Spiritus Sanctus, totaque deitas, et SS. Trinitas, quæ se hisce suis donis substantialiter quasi annexuit et inclusit, ut nos sibi substantialiter uniat, sanctificet, deificet et adoptet; qua adoptione primo accipimus summam dignitatem filiationis divinæ, ut reipsa non tantum accidentaliter per gratiam, sed et quasi substantialiter per naturam simus filii Dei, et quasi dii: Deus enim suam naturam realiter nobis communicat et donat; secundo, per eamdem quasi filii accipimus jus ad hæreditatem cœlestem, puta ad beatitudinem omniaque Dei Patris nostri bona; tertio, per eamdem nanciscimur miram dignitatem operum et meritorum, ut scilicet opera nostra quasi filiorum Dei substantialium, ut ita dicam, maximæ sint dignitatis, valoris et pretii, ac plane commensa et condigna suo præmio, puta æternæ vitæ et gloriæ cœlesti, utpote quasi procedentia ab ipso Deo spirituque divino, qui nos inhabitat, ad eaque nos impellit, iisque cooperatur.

Ex dictis sequitur primo, quod justitia inhærens, sive gratia justificans, per quam sanctificamur et adoptamur in filios Dei, non sit una simplex qualitas, ut quidam imaginantur, sed multa complectatur, scilicet remissionem peccatorum, fidem, spem, charitatem, aliaque dona, ac ipsum Spiritum Sanctum donorum auctorem (ac consequenter totam S. Trinitatem.) Hæc enim omnia in justificatione infusa accipit homo, ut ait Concil. Trid. Sess. 6. c. 7.

Sequitur secundo, falli eos, qui in justificatione et adoptione censent dari Spiritum Sanctum duntaxat quoad sua dona, non autem quoad suam substantiam et personam. Contrarium enim docet S. Bonavent. in 1. sent. d. 14. art. 2. q. 1. qua tota ostendit Spiritum Sanctum non tantum in effectu, sed etiam in propria persona, quasi donum increatum justis dari, ut sit eorum perfecta possessio. Idem docet Magister sent. lib. 1. dist. 14 et 15. ex S. August. et aliis. Et Scotus, Gabriel, Marsilius ibidem. Idem clare asseverat S. Thom. 1. p. q. 43. art. 3. et 6. et q. 38. ar. 8. Ubi ostendit Spiritus Sancti nomen proprium esse donum, quia ipse donatur omnibus justis, S. Thomam sequuntur ejus discipuli, ac nostri PP, Vasquez, Valentia, et maxime Suarez lib. 12. lib. de Deo trino et uno c. 5. n. 8. 11. 12. qui inde infert, quod Spiritus Sanctus novo modo secundum substantiam suam incipiat præsens esse in anima justi, quo ante non erat: citatque pro hac sententia S. Leonem, S. August. S. Ambr. adeoque eam certam esse asserit, ut contrarium dicere censeat esse errorem. Probatque ex S. Scriptura: 1. Corinth. 6: *Membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, quam habetis à Deo.* Roman. 5: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* 1. Joan. 4: *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Joan. 14: *Quem mittet Pater in nomine meo.* Et: *Apud vos manebit et in vobis erit. Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Et Joan. 16: *Si abiero, mittam eum ad vos.* Rationem dat Suarez n. 12: *Quia*, inquit, *dona gratiæ vi sua et quasi connaturali jure, postulant realem ac personalem præsentiam Dei in anima, per talia dona sanctificata: quia si per impossibile fingamus, Spiritum Sanctum non esse alias realiter præsentem intra animam, eo ipso quodanima talibus donis afficeretur, ipsemet Spiritus Sanctus veniret ad eam per præsentiam personalem, et maneret quamdiu gratia in illa duraret.* Simili modo, inquit, Verbum præsens est humanitati Christi, ut, si per impossibile antea non fuisset illi præsens, jam per unionem hypostaticam illi fieret personaliter et intime præsens. Addit deinde rationem moralem? quod scilicet per gratiam fiat perfectissima amicitia inter Deum et hominem, quæ postulat præsentiam amici, puta Spiritus Sancti, qui manet in anima amici sui, ut illi intime uniatur, in eaque tanquam in templo suo resideat, colatur, ametur et adoretur.

Ex hac communicatione ipsiusmet personæ Spiritus Sancti et divinitatis, sequitur animæ summa cum eo unio, elevatio, et quasi deificatio, ac consequenter adoptio perfectissima, scilicet non tantum per gratiam, sed et per substantiam divinam; quia per eam non tantum jus ad hæreditatem Dei patris, sed et naturæ divinæ participationem, ipsumque Spiritum Sanctum ac Dei filiationem, non tantum accidentaliter, sed quasi substantialiter, eo sensu quo paulo ante dixi, adipiscimur. Sicut enim apud homines proprie pater dicitur, qui naturam suam filio communicat; sicut Deus, dando nobis cum donis et per dona Spiritum Sanctum, naturam suam divinam communicat, eoque modo proprie et perfecte nos facit et adoptat in filios. Unde S. Basil. hom. de Spiritu Sancto ait Sanctos propter inhabitantem Spiritum Sanctum esse Deos. Dic-

tum enim est illis à Deo : *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes*, indeque probat Spiritum Sanctum esse Deum. *Necesse est enim*, inquit, *divinum esse Spiritum, et ex Deo esse, qui diis divinitatis est causa.* Jam sicut prioris adoptionis per gratiam causa formalis est ipsa gratia, ita hujus secundæ adoptionis, quæ fit per communicationem ipsius Spiritus Sancti, causa formalis est ipse Spiritus Sanctus animam justi inhabitans, medium vero est ipsa gratia.

Sequitur tertio, quod adoptio nostra licet in se una sit, virtute tamen sit duplex. Prior est, qua adoptamur in filios Dei per charitatem creatam, et gratiam animæ infusam. Hæc enim est summa participatio divinæ naturæ. Posterior est, qua per gratiam adipiscimur ipsum Spiritum Sanctum ejusque naturam divinam ; ac per eum quasi deificamur, et in filios Dei adsciscimur. Porro utraque hæc adoptio hìc inchoatur per gratiam, sed in cœlo perficietur et soli dabitur per gloriam æternam, qua hæreditatis Dei possessionem reipsa nanciscemur (idque firme et immobiliter, sine ullo timore vel periculo eam unquam amittendi) Deoque intime uniemur et fruemur per visionem beatificam, qua novo modo Deus seipsum substantialiter animæ beatæ communicabit, illique intime et suavissime illabetur, seque insinuabit. De hac ait Apost. Rom. 8. 23 : *Ipsi intra nos gemimus, adoptionem* (id est adoptionis, puta hæreditatis ad quam adoptati sumus, possessionem) *filiorum Dei exspectantes.* Et S. Joan. Apoc. 21. v. 3 : *Ecce*, ait, *tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* Et vers. 7 : *Qui vicerit, possidebit hæc, et ero illi Deus, et ille erit mihi filius.*

Sequitur quarto, quod, sicut Christus est filius Dei naturalis, tum qua Deus per generationem æternam ; tum qua homo per unionem hypostaticam ; ita nos simus filii Dei adoptivi, sed longe nobilius, quam sunt filii adoptivi hominum. Illi enim nihil physicum recipiunt à patre adoptante, sed tantum denominationem moralem, per quam jus ad ejus hæreditatem consequuntur : nos vero recipimus à Deo gratiam, et cum gratia ipsam Dei naturam, ut sicut apud homines pater proprie dicitur, qui alteri communicat suam naturam humanam, generatque hominem ; ita Deus dicatur pater non tantum Christi, sed et noster : quia naturam suam nobis communicat per gratiam, quam Christo communicavit per unionem hypostaticam, ut ejus fratres nos efficeret, juxta illud Rom. 8. 29 : *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Et Joan. 1. 12 : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus : qui non ex sanguinibus*, etc. *sed ex Deo nati sunt.*

Moral. Ex his disce quantum, et quàm inæstimabile sit filiationis et adoptionis divinæ beneficium. Pauci illud tantæ dignitatis esse sciunt, quantæ jam esse ostendi : pauciores illud ponderant eo pondere quod meretur. Sane quisque in se illud venerabundus admirari deberet, ac doctores et prædicatores illud populo, eo modo quo jam exposui, explicare et inculcare, ut fideles et sancti sciant se esse templa animata Dei, seque Deum ipsum in corde portare : ac proinde divine cum Deo ambulent, et digne cum tanto hospite conversentur, qui ubique eos comitatur, ubique adest, ubique intuetur. Merito Apostolus 1. Corinth. 6. 19 : *An nescitis*, ait, *quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti qui in vobis est, quem habetis à Deo, et non estis vestri ? Empti enim estis pretio magno : glorificate et portate Deum in corpore vestro.* Et S. Leo serm. 1. de Nativit. *Agnosce*, ait, *ô Christiane, dignitatem tuam, et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degenere conversatione redire. Memento cujus capitis et cujus corporis sis membrum. Reminiscere quia erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen et regnum. Per baptismatis Sacramentum Spiritus Sancti factus es templum. Noli tantum habitatorem pravis de te actibus effugare, et diaboli te iterum subjicere servituti; quia pretium tuum sanguis est Christi, qui in veritate te judicabit, quia misericordia te redemit.* Et S. August. serm. 24. de Tempore, tomo 10 : *Prima*, ait, *nativitas ex masculo et femina : secunda nativitas ex Deo et Ecclesia. Ecce ex Deo nati sunt. Unde factum est, ut habitaret in nobis. Magna mutatio, ille factus caro, iste spiritus. Quid est hoc? qualis dignatio, fratres mei? Et erigite animum ad speranda et capienda potiora, nolite adjicere cupiditatibus secularibus. Pretio empti estis : propter vos Verbum caro factum est, propter vos qui erat filius Dei, factus est filius hominis, ut qui eratis filii hominum, efficeremini filii Dei.* Idem in Psal. 52 : *Filii*, ait, *hominum sunt, quando male faciunt, quando bene, filii Dei. Hos enim facit Deus ex filiis hominum filios Dei, quia ex filio Dei fecit Deus filium hominis. Videte quæ sit illa participatio divinitatis ! Filius enim Dei particeps nostræ mortalitatis effectus est, ut mortalis homo fiat particeps divinitatis suæ. Qui tibi promisit divinitatem, ostendit in te charitatem.*

Audi et S. Cyrill. Hierosol. catech. 7 : *Hoc itaque*, ait, *cognoscentes spiritaliter conversemur, ut adoptione Dei digni efficiamur. Qui enim spiritu Dei ducuntur, isti sunt filii Dei*, etc. *Ne forte et illud nobis dicatur, si filii Abraham essetis, opera Abraham faceretis. Si enim eum patrem vocamus, qui opus cujusque sine personæ acceptione judicat, non sine timore, incolatus seu peregrinationis nostræ tempus transigemus, non diligentes mundum, nec ea quæ in mundo sunt. Qui enim diligit mundum, non est dilectio Patris in illo. Itaque dilectissimi Patrem cœlestem per opera glorificemus, ut videant opera nostra bona, et glorificent Patrem nostrum qui in cœlis est. Omnem sollicitudinem nostram in illum projiciamus : scit enim Pater noster, quibus opus habeamus.*

Audi et S. Ambr. l. 5, de Fide cap. 3 : *In quibus*, inquit, *Deus filium suum ad imaginem suam cernit, eos per Filium adsciscit in gratiam filiorum : ut quemadmodum per imaginem ad imaginem sumus, sic per generationem filii in adoptionem vocemur.* Et mox : *Estote perfecti, sicut et pater vester cœlestis perfectus est. Quod si ille secundum plenitudinem majestatis suæ perfectus est, nos autem perfecti secundum virtutis accedentis profectum.*

Hoc est quod admirans stupensque Christianis inculcat S. Joan. Epist. 1. c. 3. 1 : *Videte*, ait, *qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus. Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus : quoniam videbimus eum sicuti est.* Cogita in humanis

quanta sit dignitas esse filium principis, regis, imperatoris (hic enim filius hoc ipso dignior est cæteris omnibus totius regni hominibus) et scito idem in divinis esse, censeri filium Dei. Esse ergo filium Dei in immensum amplius est, quàm esse Regem, Pontificem, Imperatorem, dominum cœli et terræ; imo quàm esse Angelum, Archangelum, Cherubinum, Seraphinum. Quam ergo hæc filiatio Dei ambienda, quàm suscipienda, quàm sollicite conservanda, et, si amissa sit, recuperanda! Quantæ pro ea à quolibet justo gratiæ Deo agendæ? Quanta fiducia, amore et reverentia ipse justus cum Deo, quasi filius cum patre, jugiter agere et versari debet? Nimirum cum Noe, Enoch, Abraham, in generatione sua sit perfectus, ambuletque cum Deo: et Angelis potius sit familiaris, quàm hominibus. Vere S. Cyprian. lib. de Spectaculis. *Nunquam*, inquit, *humana opera mirabitur, quisquis se cognoverit filium Dei. Dejicit se de culmine generositatis suæ, qui admirari aliquid post Deum potest.* Idem tract. de Orat. Domin. *Quando*, ait, *Deum Patrem dicimus: quasi filii Dei agere debemus; ut quomodo nos nobis placemus de Deo Patre, sic sibi placeat et ille de nobis. Conversemur quasi Dei templa, et Deum in nobis constet habitare, ut qui cœlestes et spiritales esse cœpimus, non nisi spiritalia et cœlestia cogitemus et agamus.*

8. Congregabuntur filii Juda et filii Israel.] Tum naturales, puta Judæi et Israelitæ, qui convertentur ad Christum, ait S. Hieron. Haymo, Albert. Vatabl. Arias et à Castro: tum filii Juda et Israel secundùm spiritum, puta Gentiles qui familiæ Judæ et Israelis accensebuntur, in eamque transibunt, imitando Abrahæ fidem in Christum, itaque erunt ejus filii adoptivi: *congregabuntur*, inquam, in unam Christi Ecclesiam. Scio S. August. locis citatis et Lyran. hæc duo distinguere, et per Israel accipere Gentes, per Judam Judæos: ex adverso S. Hieron. et Rupert. per Judam accipere Gentiles, per Israel Judæos ad Christum conversos. Sed puto hac distinctione opus non esse, cum enim per Israel et Juda fundamentaliter intelligantur veri Israelitæ et Judæi, qui ad Christum convertentur; symbolice vero et mystice Gentiles ad Christum convertendi, qui tam Judæis quàm Israelitis conversis in una eademque Ecclesia associabuntur; non video ad quid, vel quomodo in Gentibus fidelibus ea distinguere debeamus, aut possimus. Quocirca censeo in Gentibus Israel à Juda non secerni; sed Gentes tam Judæ, quàm Israeli fideli et credenti in Christum associari et accenseri, ac proinde eas tam Juda, quàm Israel vocari.

Et ponent sibi caput unum.] Puta Christum ducem et ductorem, ejusque vicarium Romanum Pontificem.

Et ascendent de terra.] Alludit ad reditum è captivitate Babylonica, uti notant Chald. Theodor. et Hugo, q. d. Uti olim Judæi in Babylone depressi, et quasi mancipia curvato collo et capite incedentes, dum per Cyrum liberi effecti sunt, inde erecto capite exsultabundi exierunt et ascenderunt in Jerusalem: ita è simili captivitate spirituali, qua sub peccato et dæmonis potestate incarcerati tenebantur Judæi, Israelitæ et Gentes, per Christum liberabuntur, indeque exibunt, et alacres ac lætabundi ascendent pergentque in terram promissam, puta in Jerusalem, id est, in Ecclesiam tum militantem in terris, tum per eam ad triumphantem in cœlis.

Vocatur hic transitus ab infidelitate, gentilismo et judaismo, ad fidem et Ecclesiam, ascensus, tum quia fuit è tenebris et carcere in lucem et civitatem, puta in Ecclesiam sublimem, et in admirabile lumen Dei, ut ait S. Petrus. Secundo, quia fuit transitus à servitute in libertatem; servi enim curvi, depressi et quasi descendentes; liberi vero cervice erecta, et quasi ascendentes incedunt.

Tertio, vox *ascendere* notat Christianorum vitam non esse terrenam, uti est infidelium; sed cœlestem, eosque à terris mente et conversatione conscendere in cœlum: *Nostra enim conversatio in cœlis est*, ut ait S. Paulus.

Quarto, addit Lyran. et Ribera, voce ascendendi significari incrementum et propagationem fidei et Ecclesiæ, q. d. *Fideles ascendent de terra*, id est, crescent sensim, lateque se per universum orbem spargent et propagabunt instar fontis, qui è terra exsiliens eructat aquas, sed modicas, quæ tamen partim continua fontis eructatione, partim aliorum fontium et rivulorum confluxu ita crescunt, ut ingentem lacum vel flumen efficiant. Sic ascendere pro crescere capitur Jerem. 46. 6, ubi de Pharaone, ejusque copioso exercitu dicitur: *Quis est iste qui quasi flumen ascendit, et velut fluviorum intumescunt gurgites ejus? Ægyptus fluminis instar ascendit, et velut flumina movebuntur fluctus ejus; et dicet: Ascendens operiam terram.* Et de Nabuchodonosoris copiis cap. 47. 2: *Ecce*, inquit, *aquæ ascendunt ab Aquilone, et erunt quasi torrens inundans, et operient terram.* Sic Ezech. cap. 19. 3. ait: *Eduxit unum de catulis suis et leo factus est*, pro *eduxit* hebr. est, *ascendere fecit*, id est, exaltavit eum et promovit in regem. Et Psaltes psalm. 96. 9: *Nimis exaltatus es*, hebr. *nimis ascendisti*, (ô Domine,) *super omnes deos*, hoc est præ omnibus Gentium diis tuum robur et gloriam exaltasti et dilatasti.

Quia [hebr. כי *ki*, quod sæpe non est causale, sed assertivum et admirativum, idemque valet quod *sane*, *equidem*, *profecto*) magnus est dies Jezrahel.] *Magnus*, id est celeberrimus, jucundissimus et felicissimus. Sic Romani magnos dies vocabant eos qui magnis molestiis, longisque laboribus et miseriis finem dabant, ideoque erant lætissimi, optatissimi et faustissimi. Sic de hoc eodem Osee die, puta de diebus Messiæ, cecinit Sibylla apud Virgil. ecloga 4.

Incipient magni procedere menses.

Sic Mathematici magnum annum vocant eum, quo septem planetæ, expletis propriis cursibus, sibi concordant, de quo Cicero lib. 2. de Natura deorum. Magnus, inquit, annus est, qui tenet duodecim millia quingentos quinquaginta quatuor annos, post quos Platonici dicebant omnium rerum fore reditum et revolutionem. Ita Christus reduxit magnum annum, dum omnia reparavit, et ad primævam originem et felicitatem reduxit. Ex adverso dies parvi vocantur dies humiliationis, paupertatis et angustiæ, Zachar. 4. 10: *Quis*, inquit, *despexit dies parvos?* quibus scilicet Zorobabel parva et exilia jecit novi templi fundamenta.

Jam *Jezrahel*, id est semen Dei, vocatur populus Dei, sive Ecclesia ex Judæis, Israelitis et Gentibus congregata, cujus caput est Christus,

quem Apostolus Galat. 6. 16. vocat *Israel Dei.* Sensus ergo est, q. d. Equidem magnus, illustris, faustus, admirabilis, et terque quaterque beatus erit ille dies, illud seculum, quo Israelitæ et Judæi tum naturales, tum mystici et adoptivi, puta Gentiles conversi ad Christum, antea dispersi et errabundi, congregabuntur in unum, ut fiant *Jezrahel*, id est unus populus, una Ecclesia, puta filii Dei viventis, ut ponant sibi unum caput Christum, et ascendere incipiant de terra in cœlum. O quàm felix, quàm novus et nunquam visus, quàm clarus et gloriosus erit, quantamque mutationem singulis fidelibus totique orbi inducet dies ille; quo *lo ammi* fiet *ammi*, id est, non populus meus, fiet populus meus; quo *lo rachuma* fiet *rachuma*, id est, ea quæ erat absque misericordia, plena erit gratia et misericordia Dei. Ita Albert. Haymo, Hugo, Lyran. et Vatablus. O quàm salutaris, augustus, cœlestis et beatus erit dies ille, seculum illud quo nascetur, prædicabit et regnabit *Jezrahel*, id est filius Dei, *puta* Christus Dominus, qui *Jezrahel*, id est, semen benedictum, puta plurimos filios fideles, sanctos et gloriosos Deo pariet per prædicationem et cœlestem vitam, tum suam, tum Apostolorum suorum. Ita S. Hier Rupert. Albert. Leo Castrius, Emmanuel et Mariana.

Hinc dies hic *Jezrahel* accipi potest dies Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis Christi, ac Pentecostes, sive missionis Spiritus Sancti, et prædicationis Apostolorum per totum orbem. Hisce enim omnibus Christus operatus est et operatur indies salutem nostram, nosque Deo generavit et generat; unde Haymo magnum diem Jezrahel interpretatur totum tempus christianismi, puta totum quod fluxit à Christo, fluetque ad finem mundi; toto enim hoc tempore generatur et propagatur Jezrahel, id est Ecclesia, sive populus Dei.

Hinc primo, Leo Castrius hîc, et S. Cyril. in Glaphyris lib. 5. hæc intelligunt de die Incarnationis et Nativitatis Christi; Magnus, inquiunt, dies Jezrahel, quia de Jezrahel, id est, de semine Dei, puta de Spiritu Sancto conceptus est filius Dei; de quo dixit Psaltes: *Hæc dies quam fecit Dominus*, et Paulus: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*, et Jeremias, c. 31. 22: *Creavit Dominus novum super terram, femina circumdabit virum;* et Isaias, cap. 6. 9: *Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis.* Quin et Sibylla apud Virgilium ecloga 4. de eo ita canit:

> Magnus ab integro seculorum nascitur ordo:
> Jam redit et virgo, redeunt Saturnia regna,
> Jam nova progenies cœlo demittitur alto,
> Chara Deum soboles, magnum Jovis incrementum.
> Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
> Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
> Casta fave Lucina.

Secundo, magnus erit dies Jezrahel, quo scilicet in cruce dirissima passurus et moriturus est filius Dei *pro gente, et non tantum pro gente; sed ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum*, ait S. Joan. cap. 11. 52. Hi enim sunt *Jezrahel*, id est, *semen cui benedixit Dominus;* Isaiæ 61. 9. de quo idem Isaias ait cap. 6. v. 13: *Semen sanctum erit id, quod steterit in ea.*

Tertio, magnus erit dies Jezrahel, quo scilicet semen Dei, id est Christus, resurget et reviviscet: *Magnus*, inquit Rupert. *erit dies, et magna illustratio seminis Dei, quod est Christus; seminis, inquam, resurgentis ex mortuis, cum quo consurgentes utique ascendunt de terra, faciendo quod ait Apostolus: Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Sic nimirum prima ascensione facta, quæ est resurrectio prima, tandem ascendent corpora quoque de terra, quæ erit resurrectio secunda; et sequentur caput suum sicut membra capiti conjuncta, et sicut ipse Christus expressit dicendo: Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ.*

Hinc quarto, magnus dies Jezrahel erit dies judicii et resurrectionis, quo Christus judex discernet semen Dei à semine diaboli, puta electos à reprobis; illosque ad beatam et gloriosam vitam evocabit, secumque ducet in cœlum ad triumphum æternum. Ita Cyrill. *Magnus*, ait, *revera dies Christi, quo omnes vita functos excitabit, et descendet quidem de cœlo, sedebit autem super throno gloriæ suæ, et reddet unicuique juxta opera sua.* Unde de hac die ait Joel cap. 2. 11: *Magnus dies Domini et terribilis valde, et quis sustinebit eum?* et v. 31: *Sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. Et erit, omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit quia in monte Sion et in Jerusalem erit salvatio, sicut dixit Dominus et in residuis, quos Dominus vocaverit.* Hi ecce sunt dies Jezrahel.

Rursum Jezrahel significat brachium Dei. Ita hi omnes dies sunt Jezrahel, id est, dies et opera magni brachii, id est, magnæ virtutis et potentiæ divinæ, ita Arias. Simili modo magnus fuit dies Madian, quo scilicet Gedeon contrivit Madianitas, et ab eorum jugo Hebræos liberavit, qui dies fuit typus hujus diei Christi redemptoris nostri, de quo proinde canit Isaias, cap. 9. 4: *Jugum oneris ejus et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus* (puta diaboli, ô Christe) *superasti, sicut* (Gedeon) *in die Madian.* Ubi nota: In hac eadem valle Jezrahel Gedeon Madianitas prostravit, ut dicitur Judic. 6. 33. ut plane eo alludere videatur hîc Propheta. Vide quæ de die Madian dixi Isaiæ 9. 4.

Hic est ergo magnus dies Jezrahel, quo per Christum incarnatum magnum illud mysterium vocationis et adoptionis fidelium peractum est, quod in omnibus suis epistolis Apostolus ita stupet et admiratur. Unde Ephes. 2. 11. Gentes ad gratiarum actionem et jubilum excitans: *Memores*, inquit, *estote quod aliquando vos Gentes*, etc. *eratis sine Christo, alienati à conversatione Israel, et hospites testamentorum, et promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Jesu vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi.* Et mox: *Ergo jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei.* Hinc rursum attonitus exclamat: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* Rom. 11. 33.

Tropolog. Magnus dies Jezrahel Ecclesiæ est, quo multi ad illam conversi facti sunt Jezrahel, id est semen, hoc est filii, Dei. Talis fuit dies quo Constantinus Magnus conversus convertit orbem sibi subjectum. Magnus dies genti vel urbi est, quo ab hæreticorum vel Turcarum jugo liberata, transiit in libertatem filiorum Dei, et in regnum Christi, ut illum jugiter recolere debeat, ac gratulabunda cum Psalte canere : *Hæc dies quam fecit Dominus; exsultemus et lætemur in ea.* Sic magnus dies fideli animæ est, quo baptizata et fidelis effecta est; quo relapsa in peccatum per pœnitentiam ad Dei gratiam rediit; quo è seculi turbinibus ad statum perfectionis à Deo evocata est, quo professionem emisit; quo sacerdotio initiata est, etc. Hisce enim diebus vel simpliciter, vel excellentius facta est Jezrahel, id est, semen sive filia Dei, ut merito illos quotannis recurrentes cum ingenti gratiarum actione, laude et jubilo celebrare debeat, ac canere cum B. Virgine : *Magnificat anima mea Dominum. Et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia fecit mihi magna qui potens est; et sanctum nomen ejus. Fecit potentiam in brachio suo.*

Sic magnus dies Jezrahel fuit, quo Judith occidens Holofernem, patriam liberavit, quem proinde Hebræi annuo festo celebrarunt, ut patet Judith ult. v. 31. Sic magnus fuit dies Jezrahel, quo Esther Judæos neci destinatos eripuit, quem proinde annuo festo phurim, id est sortium, recoluerunt posteri, Esther cap. 9. v. 26 et 31. Sic magnus fuit dies Encæniorum, id est dedicationis templi, tum factæ primitus per Salomonem 3. Regum 8. tum restauratæ per Esdram 1. Esdræ 6. et postea per Judam Machabæum, 1. Machab. 4. 52. Sic magnus fuit dies cæsi à Juda Nicanoris, annuumque festum, 1. Machab. 7. 49. Sic magnus fuit dies cælitus dati Aaroni, et sub Juda Machabæo recuperati ignis sacri, quo comburendæ erant victimæ, 2. Machab. 1. 18. Sic magnus dies, imo annus, fuit quinquagesimus, puta jubileus, Levit. 25.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

JUBET DEUS ARGUI ISRAELEM DE IDOLOLATRIA ET INGRATITUDINE : QUOD NIMIRUM VINUM, FRUMENTUM, LINUM, ETC. QUÆ ACCEPERAT A DEO, ET ACCEPTA TULERAT IDOLIS UNDE SE EA ABLATURUM MINATUR, QUODQUE VISITABIT SUPER EUM DIES BAALIM. HINC SECUNDO, PRÆDICIT ISRAELIS PÆNITENTIAM; AC CONSEQUENTER V. 14. PROMITTIT QUOD EUM LACTABIT, DUCET IN SOLITUDINEM, ET LOQUETUR AD COR EJUS, ERITQUE VIR EJUS. DENIQUE VERS. 18. PERCUTIAM, INQUIT, CUM EIS FOEDUS. ET SPONSABO TE MIHI IN SEMPITERNUM. ET SEMINABO MIHI EAM IN TERRA, ET MISEREBOR EJUS QUÆ FUIT ABSQUE MISERICORDIA.

1. DICITE fratribus vestris : Populus meus : et sorori vestræ, misericordiam con-
secuta. 2. Judicate matrem vestram, judicate : quoniam ipsa non uxor
mea, et ego non vir ejus, auferat fornicationes suas à facie sua, et adulteria
sua de medio uberum suorum. 3. Ne forte expoliem eam nudam, et sta-
tuam eam secundum diem nativitatis suæ : et ponam eam quasi solitudinem,
et statuam eam velut terram inviam, et interficiam eam siti. 4. Et filiorum
illius non miserebor : quoniam filii fornicationum sunt. 5. Quia fornicata
est mater eorum, confusa est, quæ concepit eos : quia dixit : Vadam post amatores meos, qui
dant panes mihi, et aquas meas, lanam meam, et linum meum, oleum meum, et potum meum,
6. Propter hoc ecce ego sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria, et semitas suas non
inveniet. 7. Et sequetur amatores suos, et non apprehendet eos, et quæret eos, et non inve-
niet, et dicet : Vadam et revertar ad virum meum priorem : quia bene mihi erat tunc magis
quam nunc. 8. Et hæc nescivit, quia ego dedi ei frumentum, et vinum, et oleum, et argentum
multiplicavi ei, et aurum, quæ fecerunt Baal. 9. Idcirco convertar, et sumam frumentum meum
in tempore suo, et vinum meum in tempore suo, et liberabo lanam meam et linum meum, quæ
operiebant ignominiam ejus. 10. Et nunc revelabo stultitiam ejus in oculis amatorum ejus :
et vir non eruet eam de manu mea. 11. Et cessare faciam omne gaudium ejus, solemnitatem
ejus, neomeniam ejus, sabbatum ejus, et omnia festa tempore ejus. 12. Et corrumpam vineam
ejus, et ficum ejus : de quibus dixit : Mercedes hæ meæ sunt, quas dederunt mihi amatores
mei : et ponam eam in saltum, et comedet eam bestia agri. 14. Et visitabo super eam dies

Baalim, quibus accendebat incensum, et ornabatur inaure sua, et monili suo, et ibat post amatores suos, et mei obliviscebatur, dicit Dominus. 14. Propter hoc, ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem : et loquar ad cor ejus. 15. Et dabo ei vinitores ejus ex eodem loco, et vallem Achor ad aperiendam spem : et canet ibi juxta dies juventutis suæ, et juxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti. 16. Et erit in die illa, ait Dominus : vocabit me : Vir meus; et non vocabit me ultra Baali. 17. Et auferam nomina Baalim de ore ejus, et non recordabitur ultra nominis eorum. 18. Et percutiam cum eis fœdus in die illa, cum bestia agri, et cum volucre cœli, et cum reptili terræ : et arcum, et gladium, et bellum conteram de terra : et dormire eos faciam fiducialiter. 19. Et sponsabo te mihi in sempiternum : et sponsabo te mihi in justitia, et judicio, et in misericordia, et in miserationibus. 20. Et sponsabo te mihi in fide : et scies quia ego Dominus. 21. Et erit in die illa : Exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cœlos, et illi exaudient terram. 22. Et terra exaudiet triticum, et vinum, et oleum : et hæc exaudient Jezrahel. 23. Et seminabo eam mihi in terra, et miserebor ejus, quæ fuit absque misericordia. 24. Et dicam non populo meo : Populus meus es tu; et ipse dicet : Deus meus es tu.

1. DICITE FRATRIBUS VESTRIS.] Hæc videntur pertinere ad finem capitis primi; unde S. Hieron. Lyran. Vatabl. et alii hæc connectunt cum cap. 1, et caput secundum inchoant à verbis proxime sequentibus. *Judicate matrem.* Plane enim alludit ad tres proles Osee, scilicet, *Jezrahel, Lo ammi*, et *Lo rachuma*, quasi *Jezrahel*, id est semen Dei loquatur fratri suo *Lo ammi*, id est non populus meus, et eum consoletur, eique congratuletur de tam felici mutatione, qua à Deo jam factus sit *Ammi*, id est populus meus; itemque sorori suæ *Lo rachuma*, id est absque misericordia, quod jam sit *Rachuma*, id est misericordiam consecuta : unde ex Hebræo si pro puncto *tsere* substituas *chiric*, ut pro אחיכם *achechem* legas אחיכם *achichem*, ver as : *Dic fratri vestro*, æque ac, *dic sorori vestræ ;* sed eòdem res redit, sive in singulari, sive in plurali vertas, fratri, vel fratribus; sorori, vel sororibus; tuæ, vel vestræ : singula enim hæc filiorum nomina, licet voce sint singularia, significatione tamen et repræsentatione sunt pluralia; significant enim semen Dei, et populum Israeliticum, in quo hominum erat multitudo et pluralitas.

Hinc patet fratres et sorores hìc vocari eos, quos cap. 1. 10. vocavit filios Israel, et filios Dei viventis. Jam, cum ex dictis cap. 1. pateat hos tres Osee filios significasse primo, Israelem, sive decem Tribus, ob impietatem à Deo desertas; secundo, Gentes paris impietatis et idololatriæ; sed quæ æque ac Israelitæ postea per gratiam Dei ad Christum conversæ, factæ sunt populus Dei, et misericordiam consecutæ, hinc sensus hujus loci est, q. d. O vos viri Juda, qui estis fidelis Dei populus, nolite abjicere decem Tribus et Gentes, qui fratres vestri sunt per Dei prædestinationem, vocationem et gratiam, per quam ad Christum sunt conversi, vocate ergo eos: Populum meum, et misericordiam consecutum, qui olim erant et vocabantur : Non populus meus, et absque misericordia. Nam τὸ *dicite fratribus*, scilicet Israelitis, est vox Judæ. Hinc enim fuit frater Israel; quia duæ Tribus erant fratres duodecim Tribuum; aut, si mavis, est vox Jezrahelis; hic enim fuit frater *Lo ammi* et *Lo rachuma.* Jam per Juda aut Jezrahel intelligit primos fideles Christo credentes. Hi enim fuerunt ex Juda et ex Israel : hi enim mire gavisi sunt, cum viderunt Samaritas, Galilæos et Gentes ad Christum converti : iisque quasi jam fratribus suis in Christo et Ecclesia applaudebant, eosque vocabant fratres et populum Dei, ac misericordiam consecutum, uti eos vocat S. Petrus epist. 1. c. 2.10. et S. Paulus Rom. 9. 25.

Hunc sensum exposcunt nomina, *Ammi*, id est, populus meus; et *Rachuma*, id est, misericordiam consecuta; his enim plane alludit ad finem capitis primi, ubi Israelitis jam conversis ad Christum hæc nomina indidit. Ita censent S. Hieron. Albert. Hugo, Haymo, Lyran. Isidor. Vatabl. et Arias. Audi S.Hieron. qui ita explicat, q. d. *O homines Tribus Juda, nolite desperare decem Tribuum salutem; sed eam quotidie et sermone, et voto, et litteris ad pœnitentiam provocate ; quia frater vester appellatur et soror; frater, ex eo quod dicitur : Populus meus; soror, ex eo quod appellatur : Misericordiam consecuta.* Deinde aliter explicat, hæc applicando Judæis : *Qui*, inquit, *in Christum creditis, et estis tam ex Judæis, quàm ex Gentibus, dicite fractis ramis et priori populo, qui projectus est : Populus meus, quia frater tuus est ; et : Misericordiam consecutæ, quia soror tua est; cum enim intraverit plenitudo Gentium, tunc omnis Israel salvus fiet.* Additque tropolog. *Hoc idem nobis præcipitur, ne hæreticos penitus desperemus; sed provocemus ad pœnitentiam, et illorum salutem germanitatis optemus affectu.*

Verum quia in Bibliis Latinis et Græcis hæc divelluntur à fine capitis primi, ita ut ab his incipiat caput secundum, hinc juxta hanc distinctionem aliter hæc explicanda sunt; cum Chald. et Christoph. à Castro, nimirum ut spectent ad sequentia : *Judicate matrem;* quasi Propheta hìc redeat ad initium cap. 1, ac per eum jubeat hìc Deus Prophetis, et piis quibuslibet viris Israelitis, ut, dum adhuc retinent nomen populi Dei, et misericordiam consecuti, plebem Israeliticam matrem suam, cujus singuli ipsi sunt membra ac filii, judicent, id est moneant, et coarguant; ne, si in sua impietate perseveret, et sibi et filiis interitum pariat. Unde Chald. vertit : *Prophetæ, dicite fratribus vestris : Popule mi, convertimini ad legem meam, et congregationis vestræ miserebor.* Sensus ergo est, quasi dicat : Vos, ô Prophetæ, dicite fratribus vestris, scilicet iis qui sunt veri Israelitæ, id est Dei cultores, qui proinde sunt

et vocantur *Ammi*, id est populus meus; et sororibus vestris, scilicet mulieribus quæ sunt veræ Israelitides, ideoque sunt et vocantur *Rachuma*, id est misericordiam consecuta; ut judicent, id est arguant, et increpent matrem suam, scilicet Synagogam, sive cœtum Israelitarum colentium idola; eique denuntient ex me et meo nomine, quod ipsa jam non sit uxor mea, nec ego maritus ejus: auferat ergo fornicationes, id est, idololatrias suas, ut mereatur ad me redire, et in gratiam thorumque recipi. Unde Syrus vertit: *Vocate fratres vestros, Populum meum, et sorores vestras, Misericordiam consecutas, inite judicium* (judicate) *cum matre vestra;* et Arabicus Antiochenus: *Dicite, popule meus, fratri vestro et sorori vestræ dilectæ, et judicium decernite ad matrem vestram;* et Arabicus Alexandrinus diversis verbis, sed eodem sensu: *Dicite fratribus vestris* (Judæis infidelibus): *Vos non populus meus; et sorori vestræ, quod non est misericordiam consecuta: inite judicium cum matre vestra.*

Sorori vestræ.] Hebraice est *iod* plurale לאחותיכם *laachotechem*, unde Vatabl. Pagnin. et alii recentiores vertunt, *sororibus vestris*. Sed eòdem res redit, sive in singulari, sive in plurali vertas, ut paulo ante ostendi. Congruentius tamen noster Interpres vertit in singulari; quia una erat filia Gomer, nomine *Lo rachuma*, soror *Jezrahel* et *Lo ammi*, filiorum Osee: ad illam enim alludit. Porro *iod* istud additur voci huic etiam in singulari, ut patet Cant. 8. v. 8: *Quid faciemus sorori nostræ?* hebraice, לאחותינו *laachotenu*.

2. Judicate matrem vestram.] Hìc proprie juxta S. Hieronymum et alios permultos, quos paulo ante citavi, incipit caput secundum. Hìc enim redit Propheta à seculo Christi de more ad suum, et ad suos Israelitas, puta ad sui seculi depravatos mores, scilicet ut Israelitas qui toti idololatriæ dediti ruebant in exitium, increpet et ab ea revocet.

Quæritur: Quænam hæc mater? Aliqui accipiunt Judam et Jerusalem, sive Synagogam duarum Tribuum, quasi hìc Propheta increpet duas Tribus, sicut primo cap. increpavit decem; ita Ribera, ut sensus sit, q. d. Vos, ô pii Judæi, qui pios Israelitas vocatis fratres, et pias Israelitides sorores; arguite Jerusalem et Synagogam, sive cœtum populi, qui in ea est, quæ est quasi mater vestra (ad vos enim loqui cœpi): arguite, inquam, eam, eo quod jam cœperit imitari decem Tribus, et cum esset uxor cultrixque Dei, iterum se adulteriis, id est, idololatriæ sordibus inquinarit: ne idem illi faciam quod feci decem Tribubus; scilicet ut eam repudiem et abjiciam. Hoc enim facere plane cogito et destino.

Melius alii per matrem accipiunt Samariam, sive Synagogam Israelitarum. Alludit enim ad Gomer uxorem Osee, quæ fornicando repræsentabat idololatriam Israel, ut dixi cap. 1. 2. Jubet ergo Propheta ut *Ammi* et *Rachuma*, id est fratres et sorores, puta fideles Israelitæ et Israelitides, arguant hanc matrem suam de infidelitate et idololatria; unde v. 4. ait: *Et filiorum ejus non miserebor, quia filii fornicationum sunt: quia fornicata est mater eorum*, ubi plane notatur Gomer ejusque filii, id est Israelitæ impii. Denique v. 13. et 14. expresse nominantur ejus filii, scilicet *Jezrahel, Lo ammi, Lo rachuma*. Pergit ergo Propheta hìc insectari Israelis idola. Jam sensus est idem quem paulo ante dedi; illum ergo repete et applica, mutato tantum nomine Juda in Israel. Ita S. Hieron. Chald. Albert. Hugo, Arias et alii. Hinc patet Prophetam hìc increpare Israelitas idololatras sui ævi, non autem Judæos qui erant futuri tempore captivitatis Babylonicæ, ut vult Theodor. multo minus Judæos futuros tempore Christi. Allegor. tamen hæc recte iis adaptes hoc sensu, quasi scilicet hìc veri Israelitæ, puta Apostoli, jubeantur increpare Synagogam, eo quod Christum sponsum suum non recipiat nec agnoscat. Ita Haymo et Vatablus.

Nota: Pro *judicate*, alii vertunt: *litigate*, id est judicio contendite, litem ei intentate; Vatabl. *expostulate*. Judicare ergo hìc non est sententiam ferre: sed accusare, sive partes accusatoris agere; hoc enim significat heb. ריבו *ribu*. Est catachresis, vel metonymia; ponitur enim causa pro effectu, antecedens pro consequente; scilicet accusatio pro judicio, sive lata sententia; hæc enim certo ferenda est in reum certum et confessum, puta in publicos idololatras Israelitas, sicut ex lege Deuter. 13. 6. certa et lata erat sententia mortis, puta lapidationis, in adulteram. Sententia ergo de jure lata, et per judicem certo ferenda habetur moraliter quasi jam lata.

Septuag. vertunt: κρίθητε, id est, *judicamini cum matre vestra*, eodem sensu; qui enim judicio contendit cum parte adversa, uti facit actor sive accusator cum reo, hic dicitur cum eo judicari, id est in judicio disceptare, in judicio agitari et ventilari, ut à judice sententiam vel favorabilem, vel adversam excipiat. Aliter à Castro: *judicamini*, inquit, id est, vos invicem arguite et increpate. Sed prior expositio est genuina, eamque exposcit vox hebr. *ribu*, et consensus cæterorum Interpretum.

Ut auferat fornicationes suas a facie mea et adulteria.] Tritum est in Scriptura apud Prophetas, fornicationes et adulteria vocari idololatriam, ejusque actus, præsertim sacrificia, quia per hæc anima, vel gens relicto Deo sponso suo, copulatur idolo et dæmoni, quasi fornicario et adultero. Fornicatio ab adulterio distinguitur quasi genus à specie: fornicatio enim est copula tam cum soluta, quàm cum conjugata; adulterium, cum conjugata tantum. Aliter S. Hieron. *Fornicaria*, inquit, *est quæ cum pluribus copulatur; adultera quæ unum virum deserens, alteri jungitur*. Hinc ps. 72. cum Psaltes dixisset v. 25: *Quid mihi est in cœlo, et à te quid volui super terram?* pro quo Hebr. S. Hieron. et Aquila habent. *Quis mihi est in cœlo? et tecum nolui in terra*, scilicet habere alium sponsum, amicum et adjutorem, ut exponit Theodor. et, ut Chald. socium. Arnobius legit: *Quid mihi restat in cœlo, et à te quid volui super terram?* q. d. Ego Christus in terra positus ita cœlestem vitam egi, ut, cum in cœlum ascendero, nihil mihi supersit, quod in terra positus non impleverim: nil enim præter te, ô Deus meus, volui super terram; nihil ergo in terra relinquo nisi obedientiam et adimpletionem voluntatis tuæ: nihil in cœlo nisi amorem et cultum tui; tu enim es omne quod in cœlo et in terra volo et adamo. Subdit v. 27: *Quia ecce qui elongant se à te peribunt, perdidisti* (perdes) *omnes qui*

fornicantur abs te, qui scilicet à te sponso suo, tuaque fide, amore et cultu desciscunt adhærendo idolis vel creaturis, quasi adulteris. *Quorum anima*, inquit Arnob. *alterum ducit Deum* (quasi maritum), *aut à veritatis et sanctitatis conjugio se falsitate et iniquitate commiscet*. Quocirca subdit et infert Psaltes v. 28: *Mihi autem adhærere Deo bonum est*, græce προσκολλᾶσθαι, id est, mihi agglutinari Deo bonum est. Triplici vinculo, inquit S. Bernard. anima colligatur Deo: Primo, honestate et promissione, quasi fune; secundo, timore inferni, quasi clavis, de quo dicitur psal. 118: *Confige timore tuo carnes meas; à judiciis enim tuis timui;* tertio, amore, quasi glutino.

A FACIE MEA,] est emphasis, q. d. Non pudet te, ô impudens meretrix et adultera, quod me vidente, et in oculis meis forniceris. Scis me zelotypum, et non metuis ne te in flagranti delicto confodiam, siderem aut fulmine afflem?

ET ADULTERIA DE MEDIO UBERUM SUORUM.] Per hæc grammatice intelligit illecebras et signa adulterii: puta omnem ornatum et gestum meretricium. Solent enim meretrices nuda ostentare ubera, eaque onerare floribus, gemmis, bullis, unguentis, philtris et amatoriis carminibus, ut amasios in suî concupiscentiam illiciant. Denique contrectatione uberum inchoatur, accenditur et expletur libido. Jam per hæc litteraliter intelligit ornamenta faciei, capitis, pectoris, bullas, annulos, torques, aliaque quæ ad ubera gestabant in honorem idolorum, ac præsertim medallia et imagines idolorum, quas è collo suspensas, vel in lamina cælatas ad pectus deferebant. Idipsum poscit sponsus à sponsa, sed sancto et casto amore dicens, Cant. 8: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*, q. d. O sponsa, cor tuum æque ac brachium meî imagine obsigna, meî imaginem cæla et gesta tam in bullis appensis ad cor, id est ad pectus, quàm in armillis appensis ad manus et brachia, ut hæc tibi jugem meî memoriam et amorem refricent et ingerant, ut assidue non aliud quàm me cogites et ames.

3. NE FORTE EXSPOLIEM EAM NUDAM, ET STATUAM EAM SECUNDUM DIEM NATIVITATIS SUÆ.] *Diem nativitatis* Israelis vel Synagogæ, vocat ortum vel propagationem primam Gentis Israeliticæ in Ægypto: in Mose enim et cum Mose quasi orta est Synagoga, crevit et adolevit, ac quasi pubes desponsata est Deo, quando in Sina per Mosen à Deo legem, et cæremonias, et ritum sacrorum, quibus Deum coleret, accepit. Ita S. Hier. Theodor. Rupert. Haymo, Hugo et alii. Paulo aliter Arias: censet enim ortam Synagogam in Chaldæa, cum Abraham ejus parens ibidem ortus est. Verum ibi non tam gens ipsa, quàm gentis pater, puta Abraham, ortus est.

Nuditatem vocat, tum inopiam et paupertatem Israelis in Ægypto, ubi affligebatur, vivebat et victitabat quasi mancipium Ægyptiorum, tum infirmitatem et impotentiam ejusdem, qua quasi inermis et imbellis, carensque duce, se tutari non poterat, ideoque Pharaoni erat in prædam et rapinam; tum quod destitutus lege, religione, tabernaculo, Prophetis, à Deo quasi derelictus et nudus, omnique veste tam corporali, quàm spirituali destitutus videretur. Sensus ergo est, q. d. In Ægypto Israel natus est nudus, miser, pauper, imbellis, abjectus, informis; carens rege, duce, lege, religione, Synagoga, repub. imo Deo, omnique bono, expositus prædæ et neci, ac infanticidio Pharaonis. Ego ejus miserrimi commiseratus eum per Mosen collegi, liberavi, eduxi, armavi, spoliis Ægyptiorum ditavi, manna pavi, lege et sacris instruxi, in Synagogam et rempubl. efformavi, mihique eam despondi. At illa jam dives facta, luxuque abundans, lascivire et recalcitrare cœpit, fornicari et idola colere, me aspernari. Itaque moneo ut pristinæ suæ conditionis, meæque beneficentiæ memor resipiscat, alioqui eam derelinquam, sinamque revolvi in primævam infantiæ suæ miseriam et nuditatem; ut sit sine opibus, sine rege, sine lege, sine Deo; ut vastetur et spolietur ab Assyriis, omnibusque bonis et rebus suis nudetur. Hoc est quod subdit: *Ponam eam quasi solitudinem; eam*, scilicet terram, et consequenter gentem Israel: desolatio enim gentis est desolatio terræ; et vicissim desolatio terræ est desolatio gentis. Quocirca Osee aliique Prophetæ de Israele nunc loquuntur quasi de gente, nunc quasi de regione et terra. Unde subdit: *Et statuam velut terram inviam;* Hebr. et Septuag. *terram sine aqua;* Chald. *terram desertam:* hæc enim est invia. *Et interficiam eam siti*, q. d. Faciam eam arentem et siticulosam, ita ut siti enecetur tam terra, quàm gens quæ eam incolit. Cum enim agri et prata carent aqua, itaque sitiunt et arescunt, nullas dant fruges, nullam segetem, nullos fructus, nulla germina, ac consequenter jumenta et homines tunc suo pabulo potuque destituti, sitiunt et tabescunt. Hoc idem schema Synagogæ, quasi puellæ recens natæ, nudæ et miseræ, à Deo vestitæ, ditatæ et desponsatæ, ac deinde lascivientis, adulterantis et idololatrantis; ideoque à Deo rursum derelinquendæ, ac per Chaldæos denudandæ et vastandæ graphice et fuse proponit Ezech. cap. 16. et Jerem. c. 2. Vide ibi dicta. Tropol. pari modo Deus gentes et animas suî olim cultrices, si eo spreto ad hæresin aliaque scelera deflectant, omnibus suis gratiis, beneficiis et donis denudt; itaque facit ut incultæ et inutiles jaceanta ac redigantur in solitudinem; punitque eas, siti, id est desiderio voluptatum, quas obtinere nequeant; ut instar Tantali sitientes aquas videant et tangant, sed eas ore contingere et haurire nequeant. Rursum siti, id est desiderio felicitatis, quam assequi non possunt: vera enim et solida felicitas solis justis à Deo destinatur et obtingit.

Secundo, sicut in locis aridis sunt feræ, quæ venenum ab immodico æstu trahunt virulentissimum, uti sunt serpentes et dracones, eorumque variæ species; ita anima arida et sitiens non parit nisi cupiditatum feras et vitiorum venena.

Tertio, terra arida generat monstra; unde de Lybia dicitur: *Semper Lybia aliquid mali affert;* et de Africa: *Semper Africa aliquid novi parit.* Rationem dat Aristot. lib. 2. de Gener. animal. cap. 5. quod, cum regio sit æstuans et arida, paucos habeat fontes, ad quos sitis levandæ causa congregantur animalia et feræ, ibique inter se commiscentur, itaque è commixtione diversarum specierum generentur monstra; et è monstrorum commixtione nova rursum procreentur monstra, fœtusque biformes, imo

triformes et quadriformes. Ita anima, cùm relicto sponso Deo vagatur per opum, honorum, deliciarum amores, innumera parit peccatorum monstra, uti videre est in aulis, civitatibus, imo et collegiis Clericorum et Monachorum, in quibus dominatur ambitio, avaritia, gula, libido, etc. Ita Sanchez.

4. Et filiarum illius non miserebor. Notat parabolice filios Gomer, puta *Jezrahel, Non populus meus, Absque misericordia*, et per eos ad litteram intelligit Israelitas idololatras, Synagogæ idololatrantis filios, uti dixi cap. 1. Horum dicit Deus se non misserturum; sed eos per Assyrios excisurum. Quia filii fornicationum sunt,] id est, quia imitati sunt matrem suam in idolorum cultu, quem ab ea didicerunt et imbiberunt. Alioqui enim si sola mater peccasset, filiique innoxii fuissent et pii, sola mater merita fuisset supplicium, non filii : *Anima enim quæ peccaverit, ipsa morietur; et filius non portabit iniquitatem patris*, uti sancit Deus Ezech. 18. 20. Ita S. Hieronym. Chald. Theodor. et Lyran. Nota : Per matrem intelligit Synagogam, id est, primores et senes Synagogæ; hos enim quasi duces, juniores et populus in idolorum cultu sequebantur. Unde subdit : *Quia fornicata est mater eorum*, q. d. Principes suo exemplo, institutione et jussu docuerunt, imo compulerunt populum secum fornicari et idola colere.

5. Confusa est quæ concepit eos.] Primo, Rupert. et Albert. *Confusa est*, inquiunt, confusione non verecundiæ, sed ignominiæ; quia in peccato (adulterii, id est idololatriæ) deprehensa est.

Secundo et melius, confusa est, quia spe sua frustrata est; quia id quod sperabat non obtinuit. Sperabat enim luxuriari cum suis amasiis, id est idolis et idololatris, ab iisque ditari; sed Deus ei iter ad illos interclusit. Hoc est enim quod subdit : *Quia dixit : Vadam post amatores meos;* sed à Deo viam intercipiente audit : *Sepiam viam tuam spinis.* Sic ait Apostolus : *Spes non confundit*, id est, non frustratur hiantem et sperantem; sed eum certo deducit ad rem speratam. Sic sæpe Psaltes orat, dicitque : *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum;* id est, spe mea non excidam, sed certo à te assequar quod à te spero. Spes enim et sperans pudefit et confunditur, cum spe sua deluditur, nec rem speratam assequitur.

Quia dixit : Sequar amatores meos.] Meretrix hæc, ait S. Hieron. *in tantam venit impudentiam, ut audiret per Jeremiam : Facies meretricis facta est tibi, impudorata es tu. An non est hoc duræ frontis, et meretriciæ impudentiæ, ut in suo scelere glorietur, et dicat : Sequar amatores meos, vadam ad idola, quæ mihi et ad victum, ut ad vestitum necessaria præbuerunt?* Ita quoque Theodor. Haymo et Vatablus.

Alii per *amatores* intelligunt ipsos Gentiles, quorum idola Israel colebat, sperans ab eis protectionem et auxilium contra hostes; ut suis agris et bonis secure frui, indeque honeste imo laute vivere posset. Ita Chald. Haymo, Hugo et Isidor. nec male. Nam Prophetæ *amatores* vocant tam idololatras, quàm eorum idola, ut patet Ezech. 16. 36. Sed eòdem res redit : ab idolis enim, quasi diis, alimoniam, ab idololatris amicitiam et subsidia sperabant Israelitæ.

Qui dant panes mihi. Hebr. *panem meum :* per panem Hebræi significant quemlibet cibum, quodlibet obsonium, quasvis delicias : et aquas meas, tum fontium, tum pluviarum, ad irrigandam et fecundandam terram. Nam de potu mox sequetur : Lanam meam et linum, ex quibus vestes laneas et lineas mihi meisque conficiam : oleum meum, quo utar ad cibum, ad lumen et ad unctionem : et potum meum,] tum vini, tum siceræ, quæ fiebat nunc ex aqua in farina tritici et hordei elixa et cocta (qua etiamnum utuntur Transalpini, vocantque *cerevisiam*), nunc ex contusis pomis, pyris, cerasis, aliisque fructibus; quin et ex herbis, salvia, cicorea, origano, etc. et ex radicibus; atque ex incisione arborum : inde enim lacryma copiosa stillans potum dat, uti fit in Brasilia, quæ proinde multis in locis alio non utitur potu.

6. Propter hoc.] Hic versus et proxime sequens recto ordine collocandi essent immediate ante v. 14 : *Propter hoc ecce ego lactabo eam.* Sic enim omnia optime cohærent. Primo enim Deus sponsæ scelera recensens ei pœnam infligit, illa afflicta de more confugit ad suos deos; sed Deus viam sepit et intercludit : illa ergo pœnitens ad Deum revertitur, Deus misericors eam pœnitentem et revertentem excipit, dicitque : *Propter hoc ecce ego lactabo eam.* Hic enim est rectus ordo, quem passim videmus servari in reconciliatione conjugum. Quocirca nonnulli hos duos versus, sextum scilicet et septimum parenthesi intercludendos censent. Est enim hìc vehemens pathos sponsi Dei, indignantis sponsæ ob adulteria; in quo proinde affectus ex vehementia et copia inciduntur, miscentur et turbantur.

Sepiam viam tuam spinis.] Syrus : *Sepiam viam tuam spina*, scilicet Arabica, quæ acuta, densa et multa est in Palæstina. Sensus est, q. d. Quia tu, ô Synagoga, confugis ad deos Gentium; quia frumentum, lanam, linum, omneque bonum petis, non à me, sed à tuis amasiis, puta idolis et idololatris; idcirco ego tibi viam ad eos intercludam, nimirum tot calamitatibus te premam, tanta hostium incursione et obsidione te cingam, ut ad tuos amasios egredi, opemque ab eis poscere non valeas. Fecit hoc Deus, cum in Samariam immisit Phul, Teglathphalasar et Salmanasar reges Assyriorum. Hi enim suis copiis omnes vias ita obsidebant, ut Israelitæ neque in Syriam, neque in Ægyptum, neque in Ammonitidem, Damascum, Idumæam profugere possent.

Moral. Deus sepit et obstruit vias peccatoribus, cum eos à peccatis, morbo, ærumnis, odiis, persecutionibus (hæ enim sunt sepes et maceria, quibus Deus iter eis ad peccata intercludit) cohibet, vel ipsas occasiones peccatorum aufert; quæ ingens est Dei misericordia, licet peccatori suas delicias concupiscenti, ingrata et exosa. Ita Adamo superbienti, et ex ligno scientiæ boni et mali ambienti omniscientiam et divinitatem, Deus sepivit viam, ponens ante paradisum Cherubim, cum flammeo et versatili gladio, qui eum aditu paradisi prohiberet, ne ad lignum scientiæ boni et mali posset accedere. Ita sepit viam libidinosis, dum occultas eorum libidines orbi pandit et prodit; percutiens eos lue Gallica, ut publice confundantur, subeantque gravem cruciatum æque ac ignominiam et infamiam : hæc enim est sepes et maceria, qua à peccatis cohibentur, vitamque emendant. Sic sepivit viam Israelitis fornican-

tibus cum filiabus Moab, occidendo 24 millia, Num 25. 9. et Sodomitis, afflando eos igne cœlesti, Gen. 19. Ita sepit gulosis viam ad delicias et vina, dum eos paupertate vel morbo affligit, ut ad omnem cibum nauseent; uti fecit filiis Israel, desiderantibus carnes pro manna, num. 11. 20 et 34. Sic sepit avaris viam ad lucra, dum merces per naufragium perdit, aut per piratas et latrones diripit. Sic ambitiosis sepit viam ad honores, dum eis patronorum, per quos promoveri sperabant, favorem et gratiam aufert; ut eis sint odio, quibus antea erant in deliciis; dum eis æmulos opponit, dum eis alios majori pollentes dexteritate, prudentia, gratia anteponit, uti quotidie in aulis et secularium, et Ecclesiasticorum principum fieri videmus. Hæ sunt sepes, hæ maceriæ, quæ assidue eis inclamant: *Filii hominum, utquid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium*, imo spinas et cruces?

Audi S. Greg. 34. Moral. cap. 2. et hom. 36. in Evang.: *Spinis electorum viæ sepiuntur, dum dolorum punctiones inveniunt in hoc quod temporaliter concupiscunt. Quasi interposita maceria vis eorum obviat, quorum nimirum desideria perfectionis difficultas impugnat. Horum profecto animæ amatores suos quærunt, et non inveniunt; dum sequendo malignos spiritus, nequaquam eas quas appetunt, hujus seculi voluptates apprehendunt. Tunc dicit: Vadam ad virum meum priorem*, id est ad Deum, *quem tunc mens uniuscujusque desiderat, cum multiplices amaritudines, velut quasdam spinas invenit in iis delectationibus, quas temporaliter concupiscit. Nam dum adversitatibus mundi, quem diligit anima, morderi cœpit, tunc plenius intelligit quanto illi cum priori viro melius fuit. Eos ergo quos voluntas prava pervertit, plerumque adversitas corrigit*, uti correxit filium prodigum fame pereuntem, Lucæ 15. 17.

Et semitas suas (quibus ad idola et idololatras currebat) non inveniet,] utpote spinis à me obseptas. Est enallage personæ, crebra apud Prophetas. Transit enim à secunda persona in tertiam, à *tuas* in *suas*. Unde explicans subdit:

7. Et sequetur amatores suos, et non apprehendet eos,] q. d. Implorabit opem idolorum et Gentium, quibus religione et fœdere se devinxit; sed non obtinebit, tum quia ipsæ vias medias spinis à me interclusas transire non poterunt; tum quia sine me imbelles sunt, et invalidæ ad opitulandum. Quocirca Synagoga, omni eorum spe destituta, ad se et ad Deum redibit et dicet: *Vadam et revertar ad virum meum priorem* (ad Deum), *quia bene mihi erat tunc magis quàm nunc.* Comparat deos Gentium amatoribus, eo quod Synagogam comparaverit meretrici.

Tropolog. hoc dicit et sentit anima pœnitens, dum videt se à suis amasiis, id est sociis, voluptatibus, applausibus derelictam et deceptam. Tunc enim damnat illas, et ad Deum, in quo antea veram experta est requiem et gaudium, recurrit. Ita ad Christum recurrit Magdalena, filius prodigus, S. Paulus, et S. Matthæus, et alii. Pulchris apologis fallaciam harum amasiarum declarat Damascenus in historia Barlaam et Josaphat, c. 12 et 13.

8. Et hæc nescivit,] redit ad v. 5; eò enim hæc pertinent, uti dixi initio v. 6, q. d. Synagoga coluit Deos, dicens: Hi dant mihi panes, aquas, lanam, linum, oleum, et tam impudens fuit ut nesciret, id est non recognosceret, me illi hæc dedisse, quin et argentum et aurum, quod ipsi dedi, consecravit Baal, ex eisque fecit simulacra Baal. In voce *nescivit*, est catachresis: sciebat enim Synagoga se habere hæc à Deo; sed *nescivit*, id est, scire noluit, non agnovit, ita se gessit ac si nesciret. Ita Vatabl. Sic Terent. in Andria ait: *Tu ædepol si sapis, quod scis nescies*, id est, nescire te simulabis.

Tropol. S. Hieron. Panis, inquit, hæreticorum est luctus perpetuus; aqua, cœnosa doctrina, qua etiam baptizatos suffocant; lana et linum, simulata sanctitas et munditia, quia veniunt in vestimentis ovium; oleum est adulatio, unde dicitur: Oleum peccatoris non impinguet caput meum, potius, S. Scriptura, quam illi pervertunt.

Quæ fecerunt Baal.] *Baal* est dativi casus, ut patet ex articulo hebr. *lamed*, לבעל *lebaal*, q. d. Quæ fecerunt, id est obtulerunt, et accepta tulerunt ipsi Baal, quasi eorum auctori et datori; vel quæ dedicarunt ipsi Baal. Sic *facere* Latinis idem est quod sacrificare; unde τὸ *quæ*, non tantum ad argentum et aurum, sed et ad frumentum, vinum et oleum referri potest; hæc enim faciebant, id est, offerebant et libabant Baal, vide Ezech. 16. 17. Secundo, *quæ fecerunt*, id est, ex quibus fabricarunt et ornarunt *Baal*. Unde ex Hebræo verti potest, *aurum fecerunt Baal*, q. d. Ex auro Dei, et à Deo accepto, fabricarunt idolum Baal; facere enim aurum, vel argentum, est illud cælare, polire, aut in vas vel effigiem aliquam efformare: infectum enim dicitur, quod rude est et impolitum. Audi Isidorum, l. 15. c. 17: *Tria sunt genera argenti, et auri, et æris: signatum, factum, infectum. Signatum est quod in nummis est; factum est quod in vasis et signis: infectum, quod in massis, quod et grave dicitur, id est massa.*

Tropol. peccatores suas cupiditates faciunt suos deos. Unde S. Hier. in psal. 80. 10: *Non erit in te Deus recens: Cui Deus*, ait, *venter est, Deus ei recens est? quotcumque vitia habemus, quotcumque peccata, tot recentes habemus Deos. Iratus sum, ira mihi Deus est: Vidi et concupivi mulierem, libido mihi Deus est. Unusquisque enim quod cupit et veneratur, hoc illi Deus est.* Ita fornicatores corpus, vires, opesque quas à Deo acceperunt, mancipant suis veneribus. Unde Syrus vertit, *ex eo* (auro et argento) *fecerunt Baal;* Arabicus, *conflavit ea Baal.* Porro Baal, sive Baalim, sive Bel, Bal, Belus, erat Jupiter Belus, qui fuit Deus primus Chaldæorum, de quo plura dixi Gen. 10. 9. et Daniel. 14. 2.

Tropol. Origenes hom. 2. in Cant. per aurum accipit sensum et intellectum; per argentum facundiam et gratiam sermonis; quæ dum ad vanam gloriam, vel ad lucra sectanda, non vero ad Dei gloriam et animarum salutem expendimus, tunc ea Baalim offerimus. *Dedi*, inquit Origen. *vobis sensum et rationem, qua me Deum et sentire possetis, et colere: vos autem sensum et rationem, quæ in vobis est, ad colenda dæmonia transtulistis.* Simile est Ezech. 7. 20. vide ibi dicta. Glossa vero ex Haymone: *Per vinum*, inquit, *lætitia spiritualis signatur, quam non in hoc seculo, sed in Deo habere debuerunt; per oleum, sensus illuminatio; per argentum, nitor eloquii; per aurum, præceptum*

dilectionis Dei et proximi; in quibus omnibus non Deum, sed dæmones venerabantur. Similia habet sanctus Greg. 3. p. Pastor. admon. 25.

9. IDCIRCO CONVERTAR, ET SUMAM FRUMENTUM MEUM.] Convertar ab amore in odium, à beneficentia in vindictam; convertar, inquam, ab alimonia, qua tam liberaliter eam alui, dedique frumentum, vinum, etc. ad puniendum eam sterilitate et fame; ut ex prophetia hac, et ipsa ejus experientia discat, sciatque meum esse frumentum et vinum, illaque à me dari, non ab idolis: *Sumam* ergo, *et auferam frumentum meum in tempore suo*, puta in tempore messis, *et vinum meum in tempore suo*, puta in tempore vindemiæ, q. d. Faciam ut parum frumenti in messe, et parum vini in vindemia colligant, aut si multum collectum sit, evanidum sit, parumque det panis et vini; aut certe incendio, grassatione hostili, aliove modo illud disperdam.

ET LIBERABO LANAM MEAM ET LINUM MEUM.] *Liberabo*, scilicet, quasi è captivitate, qua detinentur ab iniquo vel injusto possessore. Unde Chald. vertit: *Detraham vestem sericam et byssinam, quam dederam ei ad operiendum ignominiam suam;* Septuag. *Auferam linteamina mea et vestimenta mea, ne tegant ignominiam ejus; ignominiam*, id est, nuditatem; hanc enim significat Hebr. ערוה *erua*, et hæc est turpis et ignominiosa, q. d. Spoliabo et nudabo eam vestibus, nudamque ignominiose ad ludibrium exponam, ut ab omnibus rideatur et illudatur. Est prosopopœia; tanquam enim lana et linum invite servirent ingratis et impiis idololatris, quasi injustis possessoribus; inde ea dicit se liberaturum. Ergo τὸ *liberabo* significat quod creaturæ coacte serviant impiis, superbis et ingratis; Deus enim eas creavit ad hunc finem, ut homini servirent ad cognoscendum et amandum Deum, earum creatorem et largitorem. Quocirca dum hoc suo fine, ad quem conditæ sunt, privantur, imo contra Deum assumuntur ad superbiam et luxum, naturaliter idipsum aversantur, captivantur, et vim patiuntur, ac reipsa dolerent, gemerent, et de injuria protestarentur, si sensum haberent. Hoc est quod ait Apost. Rom. 8. 20: *Vanitati enim creatura subjecta est, non volens; sed propter eum qui subjecit eam in spe.* Et mox: *Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc.*

Deus ergo creaturas ita gementes sub hac servitute liberat, dum impiis eas aufert, et piis eas tradit, aut facit eas sibi suoque obsequio, ad quod conditæ sunt, et ad quod naturaliter propendent, totoque naturæ pondere feruntur impendi.

Audivi in Belgio celebrem concionatorem, qui calumniatoribus nonnullis objectantibus Clericos et Religiosos quosdam laute vivere, pro concione respondit, primo, hanc esse calumniam et mendacium; secundo, esto id verum esset, non esse iniquum, sed secundùm ordinem rerum: Deus enim creavit creaturas ut servirent piis, non impiis; famulis, non hostibus. Quocirca, inquit, si panis, si vinum, si ova, si perdices loqui possent, clamarent: Comedant nos viri sancti, servi Dei nostri, non comedamur ab inimicis Domini nostri. Substantia nostra, caro nostra incorporetur sanctis, ut in iis ad gloriam resurgat, non peccatoribus: in illis enim resurget ad gehennam. Quæ enim creatura non mallit esse in cœlo et gloria, quàm in inferno et igne?

Hac de causa in fine mundi, et maxime in die judicii omnes creaturæ, quasi vindices creatoris sui, insurgent in impios, eosque disperdent. Hoc est enim quod ait Sapiens c. 3. v. 21: *Pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos. Ibunt directe emissiones fulguris, et tanquam à bene curvato arcu nubium exterminabuntur. Et à petrosa ira mittentur grandines, et flumina concurrent duriter. Contra illos stabit spiritus virtutis, et tanquam turbo venti, dividet illos.*

10. ET NUNC REVELABO STULTITIAM EJUS;] Septuag. *immunditiam*; Vatabl. *turpitudinem;* Pagnin. *spurcitiam;* Chaldæus, *ignominiam ejus.* Proprie hebr. נבלות *nablut* significat rem stolidam et stultam: unde de Nabal marito stolido apposite dixit Abigail uxor David: *Ne ponat, oro, Dominus meus rex cor suum super virum istum iniquum Nabal; quoniam secundùm nomen suum stultus est, et stultitia est cum eo,* 1. Regum 25. 25.

Porro *stultitia* Israelis sive decem Tribuum (de his enim loquitur, ut ante dixi) erat hæc, quod relicto Deo optimo patre et provisore, à quo percipiebant frumentum, vinum, linum, omniaque bona, colerent muta et surda idola, eisque suum frumentum, vinum, etc. ascriberent, et accepta referrent: quæ sane ingens erat stoliditas, ingratitudo et impietas. Hanc revelaturum se toti orbi minatur hic Deus, idque reipsa præstitit, cum Israelem bonis omnibus nudavit; eumque prædæ, captivitati et irrisioni Assyriorum (quorum deos Israel colebat) exposuit.

Similis est stultitia cujusque peccatoris, utpote qui creaturam Creatori, terram cœlo, diabolum Deo, infernum paradiso, peccatum sanctitati, malum bono præfert.

11. ET CESSARE FACIAM OMNE GAUDIUM EJUS.] Quia cessare faciam omnes fruges ejus; item omnia sabbata, omnesque dies festos ejus, ut sequitur; in his enim feriari, gaudere, et recreare se solent Judæi æque ac Christiani.

12. ET CORRUMPAM, Vatabl. *devastabo*, tum per grandinem et procellas, tum per Assyrios, VINEAM EJUS ET FICUM,] q. d. Non tantum uvas et ficus; sed et ipsas vineas, ipsasque ficuum arbores exscindam et demoliar. Causam subdit: DE QUIBUS DIXIT: MERCEDES (meretricatus, id est culturæ idolorum) HÆ, MEÆ SUNT, QUAS DEDERUNT MIHI AMATORES MEI,] q. d. Exscindetur, quia fruges et opes quas ego ei dedi, ipsa ingrate et stolide acceptas retulit suis idolis.

ET PONAM EAM IN SALTUM.] Ribera ex Hebræo, Chald. et Septuag. contendit legendum, *ea*, scilicet vineam et ficum; Romana vero legunt, *eam*, scilicet Synagogam, et terram Israel; hæc enim ab Assyriis vastata, data est bestiis terræ devoranda; huic enim continue loquitur, eamque peccati coarguit. Minus ergo genuine S. Hieron. Theodor. et Lyranus Jerusalem ejusque excidium hic significari volunt; nam, ut dixi, agit hic Propheta de decem, non de duabus Tribubus. Septuag. pro יער *iaar*, id est saltum, vel sylvam, legentes יעד *iaad*, id est testimonium, vertunt, *ponam eam in testimonium*, ut scilicet toti orbi attestetur quanta sit Dei in sceleratos ira, justitia, potentia et vindicta.

13. ET VISITABO SUPER EAM DIES BAALIM,] q. d.

Puniam *dies*, id est, peccata illis diebus, puta idolorum festis, commissa, quibus ornabat se, coluitque Baalim, id est, varios Gentium deos, festivis sacrificiis et vestibus, uti sequitur. Ita Chaldæus, Haymo, Hugo et Vatabl. Nota : Baal hebr. primo, significat dominum à rad. בעל *baal*, id est dominatus est : inde secundo, significat sponsum et maritum ; maritus enim est caput et dominus uxoris suæ, 1. Cor. 11. 3; hinc tertio, Gentiles suum Jovem vocabant Baal, quasi dominum cœli et terræ. Baal in plurali habet *Baalim*, quasi dicas, multi domini, multi mariti, multi dii : hos multos opponit solitudini, et singulari *Baali*, uti mox dicam.

Aliter S. Hieron. q. d. Faciam ut illis ipsis festis diebus, quibus colebat Baalim, puniatur et exscindatur. Sic tropol. dies Baalim sunt, quibus quis servit Veneri, Mammonæ, spiritui superbiæ et ambitionis, quasi Baalim, id est, amasiis, dominis et heris, imo diis suis. Hos Deus visitat, cum peccatorem punit lue venerea, paupertate, amissione honoris et status.

Rursum visitat dies Baalim, cum peccatorem licet pœnitentem punit tribulationibus, rebus adversis, desolationibus ; et præsertim tentationibus pristinorum peccatorum, ad eum quasi ad veterem amicum recurrentium ; uti S. Maria Ægyptiaca totidem annos, puta 17. quod peccarat, obscenis cogitationibus tentata fuit. Idem passim aliis contingit. Vide S. Bernard. serm. 3. et 4. in Cantic.

Quibus accendebat incensum, scilicet Baalim, puta idolis : et ornabatur inaure sua et monili suo,] quasi meretrix, quæ se adornat et fucat amasiis suis. Judæi autem in festis cultiores induebant vestes, ad cultum festi et idoli sui; uti et faciunt Christiani, sed in honorem Dei et Sanctorum quorum festa colunt.

Propter hoc ecce ego lactabo eam.] Difficile est τὸ *propter hoc:* quæ enim est causa, imo quæ consequentia et connexio dicere: Uxor adulterata est, ideoque puniam et perdam illam, propterea lactabo eam ? Primo, aliqui sic connectunt et exponunt, q. d. Quia Israel tam graviter peccavit, quia tam graviter errat et delirat, quia in tantis versatur animæ miseriis et periculis salutis, ut mihi miserationem potius moveat, quàm iram et bilem ; hac de causa ego post ejus castigationem, iram in misericordiam vertam ; et ostendam ei divitias potentiæ et misericordiæ meæ ; nimirum lactabo eam, et loquar ad cor ejus ; itaque eam ad me convertam et reducam. Ita Ribera ; secundo, Lyran. hæc connectit cum initio capitis : *Dicite fratribus vestris : Populus meus ; et sorori vestræ : Misericordiam consecuta.*

Verum dico esse hìc hysterologiam, uti ostendi v. 6. Hæc ergo verba, *Propter hoc ecce ego lactabo eam*, referenda et connectenda sunt cum v. 6. et 7. Sic enim omnia ordinate cohærent et fluunt. Sensus ergo est, q. d. Dixi v. 6. et 7 : *Sepiam viam ejus spinis*, vexabo et castigabo eam; ne scilicet sponsa mea Synagoga, Gentes et deos alienos adire et colere possit ; unde ipsa in se revertetur, pœnitensque vitæ prioris, dicet : *Vadam et revertar ad virum meum priorem. Propter hoc*, quia scilicet ipsa pœnitens ad me redit : *ecce ego lactabo eam*, q. d. Ego priorum ejus scelerum oblitus, eam redeuntem excipiam, quasi sponsus amantissimus, et in ejus amplexus ruam, ut ruit pater in amplexus filii prodigi ad se redeuntis, Lucæ c. 15.

Præclare S. Bern. ser. 83. in Cant. docet tantum esse sponsi Dei nostri amorem, ut anima quantumcumque vitiis corrupta, adhuc per amorem castum et sanctum possit redire ad nuptias, et thalamum sponsi. *Magna*, inquit, *res est amor, sponsæ res et spes unus est amor. Hoc sponsa abundat ; hoc contentus est sponsus ; nec is aliud quærit, nec illa aliud habet. Hinc ille sponsus, et sponsa illa est.* Et inferius : *Quidni amet sponsa et sponsa amoris ? Quidni ametur amor* ? Vide sequentia.

Ecce ego lactabo eam.] Ruffinus : *Lactabo*, inquit, id est, dabo manna Hebræis in deserto ; manna enim dicitur *lac*, quia lacti erat simile in colore et sapore. Verum hoc manna olim dederat Deus ; hìc autem ait, *lactabo*, in futuro. Rursum, *lactare* hìc non significat lac dare, vel lacte nutrire ; sed est verbum frequentativum, derivatum à primitivo lacio ; cujus significatio patet ex compositis allicio, illicio, pellicio, et ex frequentativis lacto, illecto, delecto : lactare ergo idem est quod allicere, suadere, pellicere, et velut lacte dato inescare, decipere et capere, uti docet Fest. Pompeius l. 10. Sic vulgo dicimus : Herus meus hac spe me lactat, magnis promissis lactor, etc. Sic Prov. 1. dicitur : *Si te lactaverint*, id est, pellicere et seducere voluerint, *peccatores, ne acquiescas eis.* Et hoc significat hebr. פתה *patha*; unde græcum πείθω, id est suadeo, persuadeo. Quocirca Septuag. vertunt, ἐγὼ πλανῶ αὐτὴν, *ego seduco eam, et ponam eam quasi desertum;* Vatabl. *ego pelliciam eam;* Syrus, *ecce decipio eam;* Arabicus Antioch. *errare faciam eam;* Arabicus Alexand. *perdam eam;* alii, *ego inescabo eam ;* sicut pisces et aves data esca inescantur, itaque capiuntur. Jam primo, Theodor. et Theoph. hoc in malam partem accipiunt, atque ex Septuag. hunc dant sensum, quasi dicant : *Ecce ego faciam eam seduci, et erroribus implicari, ac labi ; ut ducatur in captivitatem* (in Assyriam), *et captivam factam his omnibus bonis faciam destitui.* Verum hæc in bonam accipienda esse, et significare læta promissa, non tristia et minas, docent passim alii Interpretes; et patet ex sequentibus. Ait enim : *Loquar ad cor ejus; dabo ei vinitores ejus ; canet ibi juxta dies juventutis suæ ; vocabit me : Vir meus : auferam nomina Baalim : percutiam cum eis fœdus : sponsabo te mihi in sempiternum. Lactabo* ergo *eam*, id est suadebo, alliciam, et quasi pio dolo inescabo, et decipiam eam ; ut ultro idola sua contemnat, et mihi quasi sponso et Deo suo te totam addicat et mancipet. Unde Chald. vertit : *Ecce ego subjiciam eam legi, et operabor illi miracula, et grandia facinora, qualia edidi illi in deserto.* Hoc est quod ait c. 36. 25 : *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestrî, et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis carneum.*

Tropol. ita Christus lactabat S. Magdalenam, ut opes, delicias, veneres, et quidquid est in mundo fastidiret; ut famam et judicia Pharisæorum contemneret, qui putabant eam non tantum deceptam; sed et insanam, cum in publico convivio Christi pedes lacrymis lavit, et capillis tersit. Sic lactavit Deus S. Antonium, Hilarionem, Franciscum, Claram, totque nobiles et divites, qui, spretis seculi oblectamentis, religiosam et austeram pœnitentiæ vitam amplexi

sunt, et in dies amplectuntur, quos mundani deceptos, imo fatuos æstimant. Ita lactatus S. Paulus dicebat : *Domine, quid me vis facere?* Actor. 9. Et : *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Et : *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus.* Ita lactavit primos Christianos et Martyres, ut dulcedine divinæ consolationis, et amore Christi pro eis crucifixi illecti, imo ebrii procurrerent ad martyria, ambirent ignes, bestias, cruces; ac in ipsis catastis, craticulis et ignibus exsultarent, tyrannisque et tortoribus insultarent, uti videre est in Vita S. Ignatii, Laurentii, Vincentii, Agathæ, et aliorum plurimorum.

ET DUCAM EAM IN SOLITUDINEM.] Alludit, primo, ad sponsam adulterantem, quæ turbis sese inferens, et per multorum adulterorum cubilia et lupanaria divagata, tandem pœnitens à marito domum reducitur, quasi in solitudinem; ut ibi sola cum solo marito degat. Secundo, alludit ad Synagogam Hebræorum, quæ in Ægypto turbis Ægyptiorum et idolorum, puta Apis, Isidis, Osiridis, Canopi, Hammon, et aliorum plurimorum commixta, jussu Dei à Mose educta est in desertum Sina; ibique à Deo legem, tabernaculum et religionem accipiens, in sponsam, id est Ecclesiam et rempubl. ab eo electa et assumpta est. Sensus ergo est, q. d. Sicut olim te, ô Israel, vagantem, et meretricantem cum turba Gentilium et deorum Ægypti, inde eduxi in solitudinem; ita pariter nunc ex turba Assyriorum, Medorum, Chaldæorum, Persarum, Parthorum, inter quos captivus et dispersus divagaris, nunc horum, nunc illorum deos colens, ducam te in solitudinem, qua itur in Judæam et in Jerusalem, ut per illam te in patriam sedem et religionem, quasi in solitudinem reducam. Erant enim Judæi in Judæa à Gentibus separati; imo post excidium, Judæa erat solitudo. Hoc est quod ait Ezechiel cap. 20. 34: *Educam vos de populis, et congregabo vos de terris, in quibus dispersi estis,* etc. *Et adducam vos in desertum populorum, et judicabor vobiscum ibi facie ad faciem; sicut judicio contendi adversum patres vestros in deserto terræ Ægypti,* qui locus huic nostro persimilis est, eumque explicat. Ita Chald. Haymo et alii.

Tertio, et potius, ducam eam in solitudinem, hoc est, ducam Synagogam, puta Israelitas, ab idololatria Ægyptia et Assyria, æque ac à superstitione Judaica, ad Ecclesiam Christi, in qua quasi sponsus solus cum sola segregata jam à pristinis amasiis et peccatis, et à multitudine ac tumultu seculi, cum illa agam blande et secrete; illam protegam, illi miracula faciam, qualia olim feci Hebræis in deserto.

Nota. Hunc locum R. Salomon et Judæi accipiunt de solo reditu ex captivitate Babylonis: tunc enim multi Israelitæ cum Judæis redierunt in Jerusalem, nec deinceps nominarunt aut coluerunt Baalim : sed quieti et læti Deo vero servierunt. Christiani vero permulti, ut Hieron. Cyrill. Ruffin. Theodor. Theophylus, Lyran. Vatablus, Arias, Ribera et alii hæc accipiunt de redemptione hominum è captivitate diaboli, facta per Christum.

Verum mediam sententiam ego sequor, dicoque Prophetam alludere ad reditum è captivitate Babylonica, eumque obiter perstringere; sed sub eo quasi tenui typo, potius significare reditum è captivitate diaboli, per redemptionem Christi. Ita Theodor. : *Hæc,* inquit, *typice et adumbrate sub Zorobabel acciderunt : expresse vero, et veritate ipsa, ubi Christus se hominem fecit.* Idque patet ex verbis et promissis Prophetæ, quæ augustiora sunt, quàm ut Israelitis, iisque paucis è Babylone cum Judæis redeuntibus, conveniant. Talia sunt : *Arcum et gladium, et bellum conteram de terra, et dormire eos faciam fiducialiter.* Nam Judæi, Babylone redeuntes, mox servierunt Persis, Græcis, Romanis. Et: *Sponsabo te mihi in sempiternum.* Et: *Dicam non populo meo : Populus meus es tu; et ipse dicet : Deus meus es tu.* Quod Apost. Rom. 9. 25. et S. Petrus 2. ep. 1. 10. de populo Christiano explicant.

Quæres cur Ecclesia vocetur *solitudo,* cum in ea sit Gentium multitudo? Respond. primo, quia ipsa coluit unum Deum, qui solus verus est Deus; ideoque est Baal, vel Baali v. 16. Hunc enim opponit Baalim, id est multis amasiis, dominis, et diis quos Israel coluit in Ægypto et in Assyria. In Ecclesia ergo est solitudo Dei, et consequenter solitudo fidei, et solitudo religionis, cum apud idololatras et hæreticos sit multitudo et confusio uti deorum, ita et errorum et sectarum. Hoc est quod ait Apost. Eph. 4. 5 : *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Hinc consequenter Ecclesia est sola, id est una, cum hæretici et idololatræ plurimas, sibique invicem contrarias habeant synagogas et congregationes.

Secundo, quia, sicut Deus Hebræos duce Mose deduxit per mare Rubrum mersis Ægyptiis, in desertum Sina; ibique eos in suam Synagogam efformavit, dando legem et sacerdotium; ita et Christianos per mare Rubrum sanguinis Christi in baptismo, mersis peccatis et vitiis, deducit in Ecclesiam; ibique eis dat suas leges et sacra.

Tertio, sicut Hebræos in deserto aluit manna, et aqua ex petra; ita Christianos in Ecclesia alit Eucharistia, aliisque Sacramentis et gratiis, ac consolationibus spiritualibus.

Quarto, sicut Hebræis in deserto dedit victoriam contra Amalec, Og, Sehon, aliosque hostes; ita Christianis in Ecclesia dat victoriam contra dæmones, carnem et mundum.

Quinto, sicut Hebræos per desertum duce columna ignis per noctem, et nubis per diem, protexit ab æstu et procellis, eosque illuminavit et deduxit in terram promissam : ita Christianos in Ecclesia per desertum hujus vitæ deducit, duce Spiritu Sancto, qui in adversis eos illuminat et inflammat, in prosperis protegit et humiles facit, ut securi tendant in terram viventium, promissam in cœlis.

Trop. Deus vere pœnitentes deducit ad solitudinem, ibique eos divinis donis exercet et perficit, ubi scilicet separati sunt ab omni seculi, illecebrarum, et hominum turba et tumultu. Ita Magdalenam separavit à turba, fecitque ut se sequeretur in solitudinem; ac post mortem et resurrectionem deduxit eam in solitudinem, montemque vicinum Massiliæ, ubi in Bauma peccata pristina deflens, cum Christo et Angelis versabatur, vitam angelicam magis quàm humanam agens. Sane, qui è peccatis emergere, vitamque serio emendare et mutare volunt, necesse est ut à turba declinent, et in solitarium locum, saltem ad tempus se recipiant; ubi et pristina vitia dediscant, et occasiones peccatorum distractionumque declinent; et meditatio-

nibus sanctis, piisque exercitiis insistentes, discant qua ratione et modo vitam corrigere debeant; denique ubi à Deo visitentur, illuminentur et corroborentur in hoc melioris vitæ proposito. Nam ut ait Job c. 12 : *Ad me dictum est verbum absconditum, et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus.* Loquitur enim Deus, ait S. Dion. l. de Div. nom. aut per lumen quoddam, aut per inspirationes internas, raro vero per vocem sensibilem. Ut quis ergo eum audiat, recipiat se in solitudinem et silentium, ubi mentem et aures à rebus aliis avulsas introvertat, et ad Deum qui in centro cordis est reflectat : ibi silentem ejus sibilum et susurrum excipiet. Quæ causa movit Carolum V. Imper. ut abdicatis tot regnis in solitarium locum se reciperet, ubi liber à curis et turbis, totus sibi et Deo vacaret, atque ad instantem mortem vitamque beatam se compararet, uti reipsa præstitit perstititque usque ad vitæ finem. Quocirca Franciscus Borja, olim sub eo Dux Gandiæ, in ejus funere rogatus ut oratione funebri illi parentaret, hoc thema proposuit, Caroloque adaptavit : *Elongavi fugiens, et mansi in solitudine*, ostendens quàm pie et sapienter egisset, qui mundum prius reliquisset quàm mundus ipsum : quod propediem futurum erat. Novum hoc, et orbi nostro seculo inauditum fuit tanti viri exemplum. Major fuit Carolus in sua eremo quàm in imperio : quia major mundo æque ac seipso. Ita noster P. Sacchinus tom. 2. Annal. Societatis Jesu ad annum Domini 1558.

Caroli avi sui sensa animi secutus est Philippus III. Hisp. rex, moriens hoc anno Domini 1621 ; licet enim vitam juste, innocenter et pie traduxisset, adeo ut hoc obfirmatum haberet malle se omnibus regnis privari, quàm scienter Deum vel venialiter offendere ; tamen in mortis agone penitius rationem regni administrati Deo mox reddendam considerans, et expavescens, in has voces et vota erupit : *Utinam nunquam fuissem rex ! utinam annos quos in regno egi, exegissem privatus in eremo ! utinam vitam solitariam cum Deo duxissem in Thebaide ! Quàm nunc securius morerer ! quàm fidentius ad Dei tribunal pergerem!* Ita habet ejus mors typis vulgata, et testantur quotquot ei interfuere. Audi Lot in Sodomorum incendio : *Salva animam tuam, noli respicere post tergum, neque stes in omni circa regione; sed in monte salvum te fac*, Gen. 19. Ita S. Joannes Baptista secessit in desertum, ut ibi verbo et exemplo prædicaret pœnitentiam, eoque ab urbium strepitu sevocans turbas, omnibus inclamabat: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Ita Christus Dominus, inchoaturus opus suæ prædicationis et nostræ redemptionis, sibi à Patre impositum, à Spiritu Sancto ductus est in desertum, ibique ad illud quadraginta dierum meditatione, oratione et jejunio se comparavit, Matth. 4; eodemque prædicaturus turbas eduxit, uti et Apostolos in montem, apicem Evangelii eos docturus, Matth. 5. 1. Solitudo enim facit mentem quietam, sibi præsentem, collectam, eamque compungit cogitatione rerum cœlestium et æternarum. Ita S. Hieron. Pœnitens abiit in solitudinem Syriæ, et ad illam invitans Heliodorum, epistolam hoc epilogo quasi celeusmate concludit : *O desertum Christi floribus vernans ! ô solitudo in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi civitas regis magni exstruitur ! O eremus familiarius Deo gaudens ! Quid agis, frater, in seculo qui major es mundo? quamdiu te tectorum umbræ premunt ? quamdiu famosarum urbium carcer includit ?* Tertull. l. de Pallio, c. 5 : *Secessi*, inquit, *de populo, imo unicum mihi negotium est, nec aliud nunc curo quàm ne curem. Via meliore in secessu fruare, quàm in promptu*, id est, in publico. *Nemo alii nascitur moriturus sibi.*

S. Basilius cum S. Gregor. Nazianz. in eremo orationi et studio sacrarum Litterarum vacans, scripsit tractatum de laudibus eremi, quem sic inchoat : *Solitaria vita cœlestis doctrinæ est schola, ac divinarum artium disciplina. Illic Deus est totum, quod discitur ; via, qua tenditur : totum, per quod ad summæ veritatis notitiam pervenitur. Eremus est paradisus deliciarum, ubi spirant ornamenta virtutum : ibi rosæ charitatis igneo rubore flammescunt : ibi lilia castitatis niveo candore candescunt ; cum quibus etiam humilitatis violæ : ibi myrrha mortificationis, non solum carnis; sed, quod gloriosius est, propriæ voluntatis exundat : et thus assiduæ orationis indesinenter emanat.* Et paulo post : *O eremus sanctarum mentium delectatio, et intimi gustus inexhausta dulcedo ! Tu caminus ille Chaldaicus, ubi sancti pueri ferventis incendii vires orationibus reprimunt et exstinguunt. Tu fornax, ubi superni regis vasa formantur, et ad perpetuam nitorem malleo pœnitentiæ percussa, ac lima salutiferæ correctionis erasa perveniunt. O cella negotiatorum cœlestium apotheca! Felix commercium, ubi terrenis cœlestia, transitoriis mutantur æterna.* Et inferius : *O cella spiritalis exercitii mirabilis officina, in qua humana anima Creatoris sui imaginem in se restaurat, et ad suæ redit originis puritatem. Tu das ut homo mundo corde Deum conspiciat, qui suis obvolutus tenebris, Deum et seipsum prius ignorabat. Tu facis ut homo in mentis arce constitutus, cuncta sub se videat terrena defluere, semetipsum quoque prospiciat in ipsa rerum labentium decursione transire. O cella castrum Dei, turris David, Angelorum spectaculum, palæstra fortiter dimicantium! O eremus mors vitiorum, fomes et vita virtutum ! Tibi Moyses debet bis acceptæ legis Decalogum. Per te Elias novit Domini pertranseuntis adventum. Per te Elisæus duplicem magistri sortitus est spiritum. Tu scala illa Jacob, quæ homines vehis ad cœlum, et Angelos ad humanum deponis auxilium. O vita eremitica, balneum animarum, purgatorium sordidorum ! cella nempe est conciliabulum Dei et hominum.* Et sub finem : *O eremus mundi persequentis felix effugium, laborantium quies, mærentium consolatio, ab æstu seculi refrigerium, peccandi repudium, reclusio corporum, libertas animarum, exedra gemmarum cœlestium, curia cœlestium senatorum! ubi victor dæmonum, socius efficitur Angelorum : exsul mundi, hæres est paradisi ; abnegator sui, sectator est Christi.*

S. Bernard. epist. ad Fratres de Monte Dei : *Cellæ*, ait, *et cœli habitatio cognatæ sunt, sicut enim cœlum et cella ad invicem videntur habere aliquam cognationem nominis, sic et pietatis. A celando enim cœlum et cella nomen habere videntur; et quod celatur in cœlis, hoc et in cellis. Quod quæritur in cœlis, hoc et in cellis. Quidnam est hoc? vacare Deo, frui Deo. Quod cum secundùm ordinem pie et fideliter celebratur in cellis, audeo dicere: Sancti angeli Dei cellas habent pro cœlis, et æque delectantur in cellis, ac in cœlis.* Et

paulo post: *A cella in cœlum sæpe ascenditur; vix autem unquam à cella in infernum descenditur; quia vix unquam nisi cœlo prædestinatus, in ea usque ad mortem perstitit.* Et inferius: *Cella terra sancta; et locus sanctus est, in qua crebro fidelis anima cum Verbo Dei conjungitur, sponsa sponso sociatur, terrenis cœlestia, humana divinis uniuntur. Siquidem sicut templum sanctum Dei, sic cella est servi Dei.* Et: *In templo enim et in cella divina tractantur, sed crebrius in cella.* Idem tract. de Modo bene vivendi ad sororem, c. 58: *Si*, ait, *propter Deum in terra vitaveris societatem virorum, per Deum in cœlo habebis societatem Angelorum.*

Porro hic secessus maxime quærendus est ei qui deliberat de vitæ statu, dubitatque quem capessere debeat. Docet id S. Bernard. epist. 107. in fine, Thomam Præpositum, ut, si cupiat cœli vocem audire secedat. *Huic*, ait, *voci Dei tui, dulciori super mel et favum si præparas aurem interiorem, fuge curam exteriorem, ut expedito et vacante interno sensu, dicas et tu cum Samuele: Loquere, Domine, quia audit servus tuus. Vox hæc non sonat in foro, sed nec auditur in publico; secretum consilium, secretum quærit auditum. Auditui tuo gaudium pro certo dabit et lætitiam, si sobria aure perceperis.* Hoc modo se præparabat David, cum dixit: *Audiam quid loquatur in me Dominus, quia loquetur pacem in plebem suam, et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor;* id significans, quod Deus non loquatur iis qui extra cor sunt in res externas effusi; sed iis qui se recipiunt ad interna cogitanda. B. Petrus Damian. epist. ad Teuzonem ait se quemdam sanctum Eremitam consuluisse de se suoque statu; an scilicet sibi expediret, Ecclesiæ et proximis servire in Cardinalatu et Episcopatu Ostiensi; an vero iis abdicatis recipere se ad monasterium, eo quod vitam illam activam sentiret spiritum suum distrahere et minuere, ejusque profectum impedire. Cui Eremita: *Quid prodest lucernæ si aliis luceat, et ipsa se flamma vorax absumat?* Quocirca Petrus, relicto Episcopatu et Cardinalatu ad suum monasterium rediit, ibique totus suæ saluti et perfectioni vacavit. Hæc enim erat prima ejus vocatio, puta monastica.

Jam vero non sufficit solitudo corporis, si desit solitudo mentis, ad quam illa ducit, si nimirum mens per ea, quæ vidit vel audivit, divagetur, totumque mundum cogitando oberret. Deus, inquit S. Bernard. ser. 40. in Cant. est spiritus; requirit ergo à nobis solitudinem spiritualem magis quam corporalem: *Sola*, induit, *indicitur tibi mentis et spiritus solitudo. Solus es, si non communia cogites, si non affectes præsentia, si despicias quod multi suspiciunt, si fastidias quod omnes desiderant, si jurgia devites, si damna non sentias, si non recorderis injuriarum. Alioquin nec si solus corpore es, solus es.* Et paulo superius docens quomodo anima fiat sponsa Dei: *Omnino*, inquit, *supra te est angelorum Domino desponsari. Annon supra te, adhærere Deo, atque unum spiritum esse cum eo? Sede itaque solitarius sicut turtur, nihil tibi et turbis; etiam ipsum obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum. O sancta anima! sola esto, ut soli omnium serves teipsum quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge et ipsos domesticos. An nescis te verecundum habere sponsum, et qui nequaquam suam velit tibi indulgere præsentiam præsentibus cæteris? Secede ergo, sed mente, non corpore, sed intentione, sed devotione, sed spiritu.*

S. Gregor. 30. Moral. 12. explicans illud Job 39: *Quis demisit onagrum liberum in solitudinem, et vincula ejus quis solvit? Viri*, inquit, *contemplativi quasi onagri solitudinem mentis inhabitant, et liberi à secularium negotiorum tumultibus, Deum sitiunt. Quid enim prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis? Itaque bene conversantibus primum solitudo mentis tribuitur, ut exsurgentem intrinsecus strepitum terrenorum desideriorum premant; ut ebullientes ab infimis curas cordis, per superni gratiam restringant amoris, omnesque motus importune se offerentium levium cogitationum, quasi quasdam circumvolantes muscas, ab oculis mentis abigant manu gravitatis, et quoddam sibi cum Domino intra se secretum quærant, ubi cum illo, exteriori cessante strepitu, per interna desideria silenter loquantur.*

Denique scripsit Cornelius Musius, illustris nostro ævo Delphis in Hollandia Christi Martyr, carmen doctum in laudem vitæ solitariæ, cui hanc patheticam dat clausulam:

Vive ut vis; sed cum ægrotabis,
Justis lacrymis damnabis
Omnes mundi infulas.

Et cum morti propinquabis,
Tunc, sed sero, provocabis
Ad beatas cellulas.

O beata solitudo,
O sola beatitudo,
Piis secessicolis!

Quàm beati candidati,
Qui ad te volant alati,
Porro à mundicolis!

Notatu dignum est quod scribit Joannes Mauburnus Abbas Liuriacensis in Roseto 1. cap. 3. sub finem, nimirum varios Ordines variis de causis à primæva sanctitate et splendore decidisse, ut Cluniacenses propter otium, Cistercienses propter negotia nimia ruralia, Præmonstratenses ob nimia Missarum et chori onera; Mendicantes ob nimiam cum secularibus familiaritatem, quia nimis se populo immiscuerunt juxta illud psal. 105. 35: *Commixti sunt inter Gentes, didicerunt opera eorum, et factum est illis in scandalum;* Benedictinos ob nimias opes, juxta illud: *Filia amplæ dotationis suffocavit matrem devotæ religionis.* Addit præ cæteris in suo nitore et vigore stetisse Carthusienses ob studium solitudinis et silentii, ac ob strenuam ob servantiam visitationum. Unde hæc tria carmine complexus ait:

Per tria, si, so, vi, Carthusia permanet in vi (*id est vigore*).

Si est silentium, *so* solitudo, *vi* visitatio. Episcopus enim, rector, superior visitans subditos, corrigit eos, si prolapsi sint; si stent integri, vigiles et constantes, eos conservat. Silentium et solitudo faciunt primo, ne subditi suas murmurationes et tentationes invicem communicent et affricent; secundo, ne mentem terrenis et vanis phantasmatibus, quæ concupiscentiarum sunt excitamenta, impleant; tertio, disponunt animum ut satus divinos excipiat. Deus enim hoc suum balsamum non infundit nisi animo libero, puro, et fæcibus terræ secreto, et soli Deo attendenti;

hoc enim dignum et justum est. Audi Thomam Theodidactum, lib. 1. de Imitat. Christi c. 20: *Dixit quidam: Quoties inter homines fui, minor homo redii. Nemo secure apparet, nisi qui libenter latet. Nemo secure loquitur, nisi qui libenter tacet. Nemo secure præest, nisi qui libenter subest. Qui se abstrahit à notis et amicis, appropinquabit illi Deus cum Angelis sanctis. Maxime sanctorum humana consortia, ubi poterant, vitabant, et Deo in secreto vivere eligebant.*

Id ipsum Gentiles per umbram viderunt, suaserunt, et reipsa præstiterunt. Scipio Africanus, teste Plutarc. in ejus Vita, dicebat *nunquam se minus esse solum, quam cum solus esset; nec unquam minus otiosum, quam cum otiosus esset.* Alius ex adverso aiebat *nunquam se minus hominem esse, quam cum inter homines versaretur.* Ptolemæi, ut habetur in ejus Vita, in prologo Almagesti, hæc erat gnome: *Securitas solitudinis dolorem removet, pavor multitudinis consolationem aufert.* Cicero senescens, forensis vitæ pertæsus, Tusculum secessit, ibique philosophatus est, ac Tusculanas quæstiones quibus alterum Senecam se exhibet, conscripsit. Seneca epist. ad Lucilium, c. 7, dans ei præcepta honestæ et beatæ vitæ: *Quid tibi*, inquit, *vitandum præcipue existimem, quæris? Turbam. Nondum illi tuto te commiseris. Ego certe confiteor imbecillitatem meam, nunquam mores quos extuli, refero. Aliquid ex eo quod composui turbatur, aliquid ex his quæ fugavi, rediit.* Et mox: *Inimica est multorum conversatio. Nemo non aliquod nobis vitium aut commodat, aut imprimit, aut nescientibus illinit. Nihil vero est tam damnosum, quam in aliquo spectaculo desidere. Tunc enim per voluptatem facilius vitia subrepunt. Quid me existimas dicere: Avarior redeo, ambitiosior, luxuriosior, imo vero crudelior et inhumanior, quia inter homines fui?* Et inferius: *Socrati, Catoni et Lælio excutere mentem suam dissimilis multitudo potuisset; adeo nemo nostrûm qui maxime concinnamus ingenium, ferre impetum vitiorum tam magno comitatu venientium potest; convictor delicatus paulatim enervat et emollit; vicinus dives cupiditatem irritat; malignus comes, quantumvis candido et simplici, rubiginem suam affricat.* Et paulo post: *Recede in te ipsum quantum potes, cum his versare qui te meliorem facturi sunt; illos admitte, quos tu potes facere meliores. Mutuo ista fiunt, et homines dum docent, discunt. Non est ergo quod gloria publicandi ingenii te producat in medium, ut recitare istis velis. Cui ergo, inquis, ista didici? Tibi didicisti. Democritus ait: Unus mihi pro populo est, et populus pro uno. Alius cum quæreretur ex illo, quò tanta diligentia artis spectaret ad paucos perventuræ: Satis*, inquit, *mihi sunt pauci; satis est unus, satis est nullus. Epicurus cum uni ex consortibus studiorum suorum scriberet: Hæc*, inquit, *ego non multis, sed tibi; satis enim magnum alter alteri theatrum sumus.* Et cap. 8: *Secessi non tantum ab hominibus, sed etiam à rebus, et primum à rebus meis. Durius tractandum est corpus, ne anima male pereat. Contemne omnia quæ supervacuus labor velut ornamentum ad decus ponit. Cogita in te præter animum nihil esse mirabile, cui magno nihil magnum est.* Nonne hæc aurea sunt? nonne quot sententiæ, tot margaritæ?

Qui ergo ad vitam solitariam vel monasticam à Deo vocantur, hac solitudine jugiter gaudeant, vitamque Angelorum agant in Dei laudibus, ac ea utantur non tantum ad suam, sed et ad aliorum salutem orando, docendo, concionando, scribendo, etc. pro suo quisque talento. Non enim sibi solis sunt nati, sed et aliis. Atque ea est perfecta contemplatio, quæ in actionem dimanat; hæc enim illam fovet, oblectat, perficit et consummat. Qui vero ad vitam activam destinantur, subinde ad solitudinem hanc se recipiant, mentemque à curarum tumultu revocent, et se sibi reddant ut interquiescat tam corpus, quam spiritus; utque errata sua multiplicia introspiciant et corrigant; utque Deo se uniant, ab eoque ad cor loquente novum lumen, novas vires et animos hauriant, ad labores vitæ illius molestæ sustinendos, et difficultates omnes fortiter superandas, propter Ecclesiæ et Reipub. publicum bonum.

Memorabilis hac in re fuit Thomas à Kempis, auctor libri de Imitatione Christi, anno Domini 1441, qui inter fratres sui Ordinis occupatus, cum iisque colloquens, quoties sentiebat cœlestis sponsi vocem et inspirationem, se quasi sponsam ad colloquium evocantem, humiliter, sed libere fratribus valedicens et secedens, aiebat: *Charissimi fratres, oportet me secedere: est enim qui in cella me exspectat.* Illico ergo in cellam se proripiens, devote instar Samuelis inquiebat: *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.* Ita habet ejus Vita à viro gravi ipsi coævo conscripta. Lege c. 20. lib. 1, et videbis profunda ejus sensa de amoris solitudinis et silentii, ac asseres eum in cella ex Dei instinctu hausisse illum cœlestem spiritum, quem ipse cuique ejus libellum legenti jugiter exhalat et afflat. Denique Hugo de S. Victor. lib. 4. de Arca Noe, c. 4: *Scrutemur*, ait, *Scripturas, et inveniemus vix aut nunquam Deum locutum fuisse in multitudine; sed quotiescumque innotescere voluit aliquid hominibus, non gentibus et populis, sed vel singulis, vel admodum paucis, et à communi hominum frequentia segregatis, vel per nocturna silentia, vel in campis et solitudinibus, et montibus et vallibus se manifestavit. Sic locutus est cum Noe, cum Abraham, cum Isaac, cum Jacob, et Mose, Samuele, David et omnibus Prophetis.* Ac paulo post: *Quid est quod semper loquitur in secreto Deus, nisi quod nos ad secretum vocat? Et quid quod cum paucis loquitur, nisi ut nos colligat sive uniat?*

ET LOQUAR AD COR EJUS.] Sensus est primo, q. d. Loquar ei interius, non exterius; loquar ei in mente et voluntate, non in aure, ingerendo ei suæ ingratitudinis et peccatorum pudorem, terrorem, odium, ac spem veniæ, et desiderium et amorem melioris vitæ; ut ad sponsum suum Deum pœnitens redeat.

Secundo, q. d. Cor ejus verbis meis mulcebo, flectam, et ad me meique amorem et cultum convertam. Unde Leo Hebræus vertit: *Loquar in cor ejus.* Hoc est quod ait Ezech. c. 36. 26: *Dabo vobis cor novum et spiritum novum.* Vide ibi dicta.

Tertio, ex Hebr. proprie vertas: *Loquar secundùm cor*, id est affectum, *ejus*, q. d. Alloquar eum blandis verbis et plenis consolatione, quasi sponsus sponsam ad me revertentem; quibus ejus cor, id est amorem et affectum, lactabo, ut præcessit, mulcebo, et ad me rapiam. Sicut Isaias capite 40. 2. ait: *Loquimini ad cor Jerusalem*, id est, *consolamini eam*, uti præcessit. Unde Syrus vertit: *Demulcebo cor illius;* Arabicus: *Loquar in corde ejus, et detrimentum non ingredietur intellectum illius*, uti fit ab amasiis

carnalibus et fallacibus. Sic Gen. 34. 3. de Sichem consolante Dinam à se violatam dicitur : *Tristemque delinivit blanditiis*; Hebr. *Locutus est ad cor puellæ.* Sic Booz consolatus est Ruth : *Et locutus est ad cor ejus*, Ruth 2. 13. Fecit hoc Deus Synagogæ per Esdram, ut patet lib. 2. c. 8. 10. ubi Esdras, legens populo legem, illi flenti dixit : *Ite, comedite pinguia, et bibite mulsum, etc. quia sanctus dies Domini est, et nolite contristari; gaudium enim Domini est fortitudo nostra.* Sed maxime fecit id Ecclesiæ per Christum et Apostolos, præsertim in Pentecoste mittendo Spiritum Sanctum quasi paracletum, id est, consolatorem fidelium ; in quo ut ait Apost. Rom. 8. *clamamus : Abba Pater.* Unde ipse hoc Spiritu plenus et exsultans, in omnibus suis laboribus et tribulationibus jubilabat dicens : *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Et cap. 12. 9 : *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi; propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Cum enim infirmor, tunc potens sum.* Ita Deus Eremitas in sua austera vita, Magdalenam et pœnitentes in suis lacrymis, Martyres in tormentis consolatus est; adeo ut illa omnibus epulis præferrent. Hoc est quod ait Isaias cap. 10. 27 : *Computrescet jugum à facie olei.* Vide ibi dicta.

Mystice, loquitur Deus ad cor sanctorum, qui se totos illi despondent, imo consecrant, dum student illi per omnia placere, illi jugiter inhærere, cum illo ambulare et colloqui. His enim præsentem se sistit quasi sponsus, loquitur, erudit, consolatur : *quo præsente*, ait Richard. Victor. in Cantica (explicans illud c. 3. 4, *paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea*) *innovatur anima, et quasi ei adhærens sentit interni gustus dulcedinem, intelligentiam spiritualem, fidei illuminationem, spei augmentum, charitatis incentivum, compassionis affectum, justitiæ zelum, delectationem virtutum. Habet in oratione cum Deo familiare colloquium, audiri se sentiens, et plerumque exaudiri, facie ad faciem cum Deo loquens, et audiens quid loquatur in ea Dominus Deus, in oratione Deum cogens, et interdum convincens.* Ecce hæc loquitur ad cor sponsæ sponsus, facitque eam loqui, ut ei postulanti eadem largiatur.

Idem docet S. Bern. serm. 57. et 58. in Cant. ubi explicans illud : *En dilectus meus loquitur mihi : Surge, propera, amica mea,* ait Deum in anima devota loqui humilitatem, patientiam, fraternam charitatem, obedientiam, pacem, mortificationem vitiorum, compunctionem, omnemque sanctimoniam. *Porro*, inquit, *hoc igne consumpta omni labe peccati, et rubigine vitiorum, si jam emundata ac serenata conscientia, sequatur subita quædam atque insolita latitudo mentis, et infusio luminis illuminantis intellectum, vel ad scientiam Scripturarum, vel ad mysteriorum notitiam, quorum alterum propter nos oblectandos, alterum propter proximos ædificandos reor dari, oculus procul dubio respicientis est iste, educens quasi lumen justitiam tuam, et judicium tuum tanquam meridiem.* Subdit sponsum hortari sponsam, id est, viros perfectos ad regimen imperfectorum, ut ex eis vitia exstirpent et virtutes inserant, dicendo : *Surge, propera, amica mea.* Idem serm. 74 : *Vivum*, ait, *et efficax est* Dei verbum, *moxque ut intus venit, expergefecit dormitantem animam meam, movit et mollivit et vulneravit cor meum, quoniam durum lapideumque erat, et male sanum. Cœpit quoque evellere et destruere, ædificare et plantare, rigare arida, tenebrosa illuminare, clausa reserare, frigida inflammare, nec non et mittere prava in directa, et aspera in vias planas, ita ut benediceret anima mea Domino, et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus.*

15. Et dabo ei vinitores ejus ex eodem loco.] Ita et Chald. qui proinde in Hebræo legit cum Nostro כרמיה *koremeha*, id est, vinitores ejus. Jam aliis punctis legunt כרמיה *keramea*, id est, vineas ejus : unde et Septuag. vertunt, *possessiones ejus*, q. d. Vineta quæ in terra Chanaan *eodem loco*, puta in solitudine, de qua præcessit, incipiunt ; quæque Israelitis abstulerunt Assyrii, v. 12, restituam eis ibid. Ita Vatabl. Et mystice, per Christum restituam eis gratiam et dona Spiritus Sancti, qui est pignus hæreditatis æternæ, Ephes. 1. 23. Hæ enim sunt vineæ, quas fideles hîc possident inchoate, sed plane possessuri sunt in cœlo. Ita Arias. Verum eòdem redit sensus, sive vineas legas, sive vinitores : ubi enim est vinea, ibi est et vinitor, et vice versa. Quocirca Sanchez censet hîc alludi ad ritus nuptiales, in quibus dos sponsæ data, erat dotalis ager : ita enim Deum hîc suæ sponsæ, puta Synagogæ, in dotem dare vineam fertilissimam Engaddi : illam enim vel eamdem, vel vicinam esse valli Achor. Unde eò alludit Cant. 1. 14 : *Dilectus meus in vineis Engaddi.* Et Cant. 8. 11 : *Vinea fuit pacifico in ea quæ habet populos;* Hebr. *in Baal hamon.* Idem enim videtur locus qui hîc vocatur *Vallis Achor*, et ibi *Engaddi*, ac *Baal hamon.* Vallis Achor hîc ergo præ cæteris Judææ locis meminit Osee, quia hæc fuit velut prima dos à Deo data Synagogæ, per quam quasi accepit spem et arrham totius Chananææ brevi possidendæ.

Aptius tamen Noster legit, *koremeha*, id est, vinitores ejus : vinea enim Dei erat olim Synagoga, nunc est Ecclesia, ut patet Isaiæ 5. 7 : *Vinea Domini exercituum domus Israel est.* Et Matth. 21. v. 23, vinitores sunt Prophetæ et Apostoli. Unde Chald. vertit : *Constituam ei inde gubernatores ejus.* Sensus ergo est, q. d. Sicut olim vineæ meæ, id est Synagogæ, puta Israeli exeunti ex Ægypto dedi curatores et cultores, puta Mosen, Josue et Aaron ; ita postea eidem redeunti ex Assyria et ex Babylone dabo similes, puta Esdram, Nehemiam, Aggæum, Malachiam, etc. ac tempore Christi dabo ei Apostolos, Evangelistas, aliosque pastores et doctores, qui primi erunt *ex eodem loco*, puta oriundi ex Israele æque ac Moses, Esdras, etc. nam postea eorum successores erunt alieni et peregrini, uti prædicit Isaias c. 61. 5, puta Gentiles conversi ad Christum; cum scilicet Ecclesia per Gentes sparsa et propagata fuerit. Hi ergo erunt vinitores maxime seduli et strenui, qui assidue Ecclesiam, puta fideles, custodient, dirigent, corrigent, excitabunt, ut fructus bonorum operum, quibus vitam æternam mereantur, proferant, perinde ac vinitores vineam solent plantare, dirigere, putare, ablaqueare, etc. ut uvarum copiam proferat. Ita S. Hier. Emman. Mariana et alii passim. Moraliter discant hîc pastores et Prælati se esse vinitores suæ parochiæ vel diœ-

ceseos, illamque tanta cura et assiduitate excolere debere, quanta vinitor excolit vineam.

Et vallem Achor ad aperiendam spem.] Vallis Achor sita est juxta Jericho: dicta est *Achor*, id est turbationis, eo quod Hebræis duce Josue ingredientibus terram promissam, ob sacrilegium Achan, ibidem Israel turbatus sit et cæsus ab hostibus. Nam Josue, c. 7. 25, dixit ad Achan: *Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac, indeque vocatum est nomen loci illius, Vallis Achor usque hodie.* Erat hæc vallis amœna, compascua et fecunda, ut patet Isaiæ 65. 10. Unde Israel ingrediens in Chanaan, in ea primum ex longa quadraginta annorum peregrinatione conquievit, seque refecit et recreavit.

Pro *ad aperiendam spem*, hebr. est, *ad*, vel *in ostium spei*, ut vertit Vatabl. Pagnin. R. David et alii. Sic Latini dicunt, aperire fores amicitiæ, cum qui ad eam aditum vel occasionem præbent. Theodot. vertit: *Ad aperiendam* υπομονην, id est, *sustinentiam* et *exspectationem ejus*. Hebr. enim תקוה *ticva* significat filum, lineam et extensionem; indeque per metaphoram longam spem et exspectationem; spes enim est quasi linea, qua se animus sperantis ad rem speratam extendit et prolongat, dum ad eam sperando anhelat. Hoc spectasse videtur Chald. dum vertit: *Ad delicias animæ.* Anima enim, rem speratam adipiscens, ea deliciatur. Mirum est Sept. et Syrum vertere: *Ad aperiendam intelligentiam*, vel, ut Syrus, *sensum suum;* quod tamen Theod. et Theoph. congrue sic exponunt, q. d. Sicut ex pœna Achan et conturbatione Israel in valle Achor, ob furtum Achan, intellexit et didicit Israel timere Deum, ejusque plagas et vindictam; ita pariter ex captivitate Babylonica didicit eumdem revereri eique obedire; multo magis exinde Christiani timent Christum, ejusque legi parent, ne in vallem Achor, id est, perturbationis et gehennæ, ubi nullus est ordo, sed sempiternus horror inhabitat, detrudantur; sicut Achan in valle Achor lapidatus et combustus est. Ita moraliter ex adversis eruditur anima, et devenit ad consolationem speratam.

Porro nostræ versionis multiplex est sensus. Primo, à Castro explicat, q. d. Sicut in valle fertilissima, quæ postea à peccato et punitione Achan, dicta est Achor, Israel ex longo itinere recreatus est, et uberrimos terræ promissæ fructus prælibare et gustare incepit; indeque intellexit quanta esset totius terræ illius ubertas, eamque certa spe concepit et quasi devoravit; ita pariter eadem vallis Achor, prima eidem ex Babylone redeunti occurret, in qua requiescat, et primitias fructuum terræ cum gaudio prælibet: ac tempore Christi Israelitis ex captivitate diaboli redeuntibus, et ingressis terram Evangelicam prima occurreret eadem vallis, puta Ecclesia Hierosolymitana, omni virtutum genere florens: indeque aperietur janua spei, simili modo totum orbem subjiciendi Christo et Evangelio, ex eoque uberrimos virtutum fructus colligendi. Nam ex ubertate vallis illius, tanquam ex ungue leonem, et ex filo glomum eruerunt, collegerunt et intellexerunt ubertatem terræ reliquæ, quam involute cognoverant et sperabant. Unde Chald. vertit: *Vallem Achor, ad delicias animæ.* Illas enim gustarunt primi Christiani, qui cum Apostolis primitias spiritus hauserunt. Idem experiuntur qui vitam malam in bonam, aut bonam in meliorem et perfectionem commutant: sentiunt enim miram animæ quietem, suavitatem, consolationem; ac ex illa conjiciunt longe majorem sentire eos qui provecti sunt; et maximam, qui post luctam in cœlis coronantur; *ubi erit vita sine morte, sine errore veritas, sine perturbatione felicitas*, ait S. August. Enchir. 23, ex quo spem concipiant idem sibi eventurum, si perseverent.

Hic sensus appositus est; sed non plenus, nec adæquatus: non enim explicat, nec applicat cur hæc vallis dicatur Achor: in voce enim Achor magna est emphasis, uti omnes Interpretes docent. Quocirca

Secundo, Vatabl. putat hîc esse antithesin vallis Achor et Ecclesiæ, q. d. Non erit in ista mutatione, puta in Ecclesiæ fundatione, tale initium, quale fuit in ingressu terræ sanctæ: illic enim fuit turbatio; hîc, nempe initio Ecclesiæ, læta et prospera erunt omnia.

Tertio, optime S. Hieron. quem sequuntur Haymo, Rupert. Lyran. Ribera et alii censent hîc alludi ad factum Josue, qui Achan sacrilegum occidit, omniaque quæ ejus erant, igne consumpsit; indeque potitus est urbe Hai totaque Chananæa. Significat ergo quod *in prima Israelis victoria*, inquit S. Hieron. *mœror in gaudium commutatus sit: ibique aperta est spes, ubi fuerat desperatio; ut punitis his qui peccavere in Christo, et commisere sacrilegium, salventur ex eis qui blasphemantes Judæos fuerint detestati, et quantum in se est, interfecerint*, q. d. Olim in valle Achor punito Achan conturbatio in quietem, et in spem conversa est desperatio Israelis. Ita et tempore Christi punientur Judæi sacrilegi et Christicidæ; tumque salutis spem concipient veri Israelitæ, qui eorum incredulitatem et scelus fuerint detestati; et quantum in se est, sustulerint: Josue enim fuit typus Jesu Christi; Achan, Judæorum incredulorum; vallis Achor, Judææ et Jerusalem. Quocirca Beda, et ex eo Haymo: *Sicut*, inquit, *occiso Achan populi perturbatore, omnis Israel spem concepit hostes suos devincendi, eorumque urbes capiendi; ita destructa Jerusalem per Romanos, Apostolis cæterisque credentibus aperta est spes victoriæ de universo mundo reportandæ*, ut scilicet Gentes subjicerentur Christo et Ecclesiæ.

Moraliter hîc significatur primo, Ecclesiam ob scelera impiorum, præsertim sacrilegorum, puniri et turbari: ideoque illam impios plectere et expellere debere, tumque fore ei omnia prospera: sic enim punito Achan, Israel habuit maximas victorias contra Chananæos. Sic ergo ait S. August. q. 8. in libr. Josue: *Disciplina sancitur, ut non se solum quisque curet in populo, sed invicem adhibeant diligentiam, et tanquam unius corporis et unius hominis, alia pro aliis sint membra sollicita.* Sicut enim manu furis peccante et furante, totum ejus corpus plectitur: ita fit et in corpore politico, puta in Ecclesia, ut scilicet Deus eam castiget ob membrorum, id est fidelium paucorum, et subinde unius, enormia peccata. Vallis ergo Achor est vallis justitiæ et vindictæ, ac consequenter spei.

Secundo, hîc docemur pœnitentiam aperire ostium spei et salutis: pœnitentia enim est vallis Achor qua mens timore Dei percellitur. Nam, ut ait Albert. et Dionys. *Interfecto Achan, debilitas populi versa est in fortitudinem, paupertas in abundantiam, tristitia in gaudium, et hæc omnia in valle pœnitentiæ seu contritionis promittun-*

tur : in ea enim aperitur ex perceptione præsentium bonorum spes futurorum.

Tertio, discimus hîc Deum permittere Ecclesiam et fideles tentari, vexari, turbari extreme, et ad restim quasi adigi; tuncque si ipsi in spe, et invocatione Dei persistant, celerem et admirabilem afferre opem : vallis enim Achor est humiliatio et tribulatio, quæ est janua spei. Ita Christo crucifixo et occiso, turbati sunt Apostoli et Ecclesia, illaque videbatur peritura, sed mox tertio die Christus resurgens, eam in miram lætitiam et spem erexit. Ita sub Diocletiano summa erat fidelium persecutio : juraverat enim ipse se illos exstirpaturum, aut imperium depositurum, quod proinde de facto deposuit; et ecce subito Deus affuit, ac per Constantinum Ecclesiæ libertatem et triumphum dedit. Idem passim in particularibus Ecclesiis, congregationibus, Ordinibus, et fidelibus quibusque semper fuit, et etiamnum est videre. Qui ergo est in valle Achor, id est, in turbatione, tentatione et persecutione, stet in fiducia Dei, sciatque certo vicinam esse consolationem, Deumque mox aperturum ostium spei et salutis. Hoc est Dei paradoxum : *Vallis Achor aperit ostium spei*, nimirum desperatio (res desperata) parit spem, turbatio quietem, tentatio gaudium, tribulatio coronam, lucta triumphum. Sic sæpe desperatio victis est stimulus et causa victoriæ. Hinc ait Abner ad Joab in conflictu nimis se suosque urgentem : *An ignoras quod periculosa sit desperatio ?* 2. Reg. 1. Hinc illud in præliis aureum præceptum : *Hosti fugienti aureum sterne pontem.* Qui enim desperant de vita et salute, extrema tentant, et in rabiem acti, ne inulti moriantur, victores secum in exitium trahunt. Talibus enim *una in audacia est spes salutis*, ait Tacitus lib. 4. Unde Ovidius, lib. 3. de Ponto, eleg. 7 :

> Proximus huic gradus est bene desperare salutem,
> Seque semel vera scisse perisse fidem.

Et Seneca in Medea :

> Qui nihil potes sperare, desperet nihil.

Et alius :

> Unica spes victis est desperare salutem.

Vere Triverius apophteg. 50 : *Qui in summo*, ait, *periculo omnem liberationis spem abjicit, Deum cum malo duce comparat, qui militis oblectatur interitu, aut exercitum in præcipitio collocat.*

Quocirca Abbas Isidorus apud Sophron. in Prato spirit. c. 110. dicebat : *Dæmonum opus est ut, cum animam in peccatum dejecerint, tunc nos in desperationem præcipitent, ut perfecte nos perdant ; semper enim dæmones dicunt animæ : Quando morietur et peribit nomen ejus? At pænitens è contra clamabit : Non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini. Ipsi impudentes rursum clamant : Transmigra in montem sicut passer. Idcirco et nos ad illos dicere debemus : Nam et ipse Deus meus, et salvator meus, adjutor meus, non emigrabo.*

Idem Isidorus dæmoni suggerenti ei desperationem, ac dicenti : *Quoniam post hæc omnia iturus es in tormenta*, respondebat : *Quamvis ego in tormenta mittar; tamen vos subtus me invenio*, teste Ruffino in Vitis Patr. l. 3. n. 101. qui similia refert, n. 102. et sequenti.

Porro causa cur Deus suos permittat ad extrema adigi, est, ut plane diffidant sibi omnique opi creatæ, ac toti fidant Deo, in eumque se totos conjiciant; quod dum faciunt, non potest non succurrere. Ipse enim promisit dicens : *Quoniam in me speravit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum*, Psal. 90. 14. Hoc est quod Propheta ait ad Josaphat regem hostibus circumsessum 2. Paral. 20. 25 : *Nolite timere, nec paveatis hanc multitudinem ; non est enim vestra pugna, sed Dei : non eritis vos qui dimicabitis, sed tantummodo confidenter state, et videbitis auxilium Domini super vos.* Sic et Moses, Hebræos à Pharaone cinctos ac pavidos animans, ait Exodi 14. 13 : *Nolite timere : state et videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie Dominus; pugnabit pro vobis, et vos tacebitis.* Hoc est quod canit Psaltes psal. 21. 5 : *In te speraverunt patres nostri, et liberasti eos: ad te clamaverunt, et salvi facti sunt ; in te speraverunt, et non sunt confusi.* Et Ezechiel. c. 2. 11 : *Respicite, filii, nationes hominum, et scitote quia nullus speravit in Domino, et confusus est.* Et Job. 13. 15 : *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo*, q. d. Dum spiro spero, et vivens et moriens spero in Deo meo. Et Josue cæsus ab hostibus, c. 7. 9 : *Quid facies*, ait, *nomini tuo magno?* Et Psaltes rursum Psal. 113. 9 : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Idem securus et exsultans in Deo : *Dominus*, ait, *illuminatio mea, et salus mea, quem timebo ?* Psal. 26. 1. Vide sequentia. Hoc est quod Græci dicunt : Θεος απο μηχανης ; et Latini : *Deus ex machina, Deus ex improviso apparens.* Et Eurip. in Oreste : *Apollo in mediis tumultibus apparens, res turbatissimas subito componit.* Sic Priamus apud Homerum Iliade ω :

> Numen adhuc aliquod dextram mî obtendit amicam.

Et adagium vetus :

> Adhuc aliquis Deus respicit nos.

Allegor. Leo Castrius (licet ipse id putet esse litterale) : Vallis Achor, id est, passio et turbatio Christi, ac nominatim vallis Getsemani, ubi orans captus est Christus, turbatique sunt et fugerunt Apostoli, facta est credentibus spes et janua vitæ æternæ : per illam enim redempti et salvati sumus.

ET CANET IBI JUXTA DIES JUVENTUTIS SUÆ.] Sept. et Syrus : *Et humiliabitur ibi ;* Symmachus : *Et affligetur ibi ;* Theodotion : *Respondebit ei;* Aquila : *Et audiet ;* Chald. : *Dedent sese ibi verbo meo ;* Noster, Vatabl. et alii melius vertunt : *Et canet ibi ;* licet enim Hebr. ענה *ana* et humiliari, et affligi, et respondere, et audire et canere significet ; et licet Israel in Ægypto à Pharaone afflictus sit : tamen hîc non agitur de afflictione, sed de liberatione, et ob eam lætitia et cantu, q. d. Sicut olim Synagoga Israelis liberata à Pharaone merso in mari Rubro, cecinit alternis choris Deo carmen eucharisticum dicens : *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est : equum et ascensorem projecit in mare*, Exod. 15. Ita pariter canet, cum ex Assyria et ex Babylone liberata à Cyro redibit in patriam; ac multo magis cum è captivitate peccati et diaboli liberata à Christo redibit in Ecclesiam, ut tendat in patriam et Jerusalem cœlestem : canet, inquam, quasi alternis choris, his præcinentibus, aliis succinentibus, tanquam exsultans de tanto dono tripudians et triumphans. Ita S. Hieron. Vatabl. et alii. Simili modo anagogice Beati in cœlo qui mare hujus seculi feliciter quasi victores trans-

ierunt, canunt canticum Mosis et Agni, Apoc. 15. 3.

Nota : *Dies juventutis* Synagogæ vocat tempus Mosis, quo illa recens nata, evocata à Deo ex Ægypto, et educta per Mosen, lætabunda cecinit, gratiasque egit Deo, Exodi 15; unde explicans subdit : *Et juxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti.* Vox enim *et* est διηγητικη, idemque valet quod *id est.*

16. Et erit in die illa, ait Dominus : vocabit me, Vir meus, et non vocabit me ultra, Baali.] Ita legendum cum Hebr. Rom. et Septuag. non *Baalim.* Nota : *Baali* idem est quod dominus meus, habens vel possidens me, maritus meus. Et sic vocabant uxores Hebrææ maritos suos, dicentes : *Baali,* id est, domine et marite mi, peto hoc vel illud abs te ; unde idem est *Baali* quod אישי *isci*, id est, vir meus : quo sensu Arabicus vertit : *Vocabunt me Baali , et non Baalim.* Verum quia Baal in plurali addita littera, *m*, puta Baalim, significat deos et idola, et quia Baal, sive Bel, et Belus, Deus erat gentium idololatrarum ; hinc in odium idololatriæ, et ad ejus exstirpationem, nomen hoc abolet Deus, *ne, dum Israel aliud loquitur, alterius recordetur ; et virum nominans idolum cogitet,* ait S. Hieron. q. d. Esto sim vester Baal, id est, dominus et maritus : nolo tamen me hoc nomine compelletis, ne videar esse Baal, vel Baalim, id est, Deus Chaldæorum , Tyriorum et aliarum gentium. Simile esset si diceret : Nolo à vobis vocari Jehova, vel Jova (uti Calvinus, Castalion et alii Novantes vertunt vocantque Deum) ne me Jovem æstimetis , q. d. Israelitæ Babylone redeuntes, et multo magis credentes in Christum, adeo Baalim, id est idola, detestabuntur, ut nec nominare ea velint, nec memores eorum futuri sint per labia sua. Ita Rupert. Haymo, Dionys. Vatabl. Emmanuel et alii. Unde Syrus vertit : *Vocabit me, Vir meus, et non, Baal meus.*

Aliter R. Salomon, Lyran. Leo Castrius, Mariana , Isidorus et Arias exponunt, q. d. Israel in lege nova compellabit me *Isci,* id est, vir meus, quod amoris est nomen : sponsum enim amantissimum significat; non Baali , quod timoris et dominatus est nomen : Baal enim significat herum , sive dominum imperiosum , uxori et aliis herili jure dominantem. Sic Augustus Cæsar noluit vocari Dominus, eo quod domini ad servos referantur, ut tyranni, non ut reges in subditos, qui eis sint id quod est pastor ovibus. Dominus enim et servus correlativa sunt. Hoc est quod ait Apost. Rom. 8. 15 : *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum Dei.* Judæis ergo Deus fuit Baal, id est Dominus : Christianis est *isç* , id est, vir et sponsus. Verum priorem sensum exigit id quod sequitur : *Et auferam nomina Baalim de ore ejus, et non recordabitur ultra nominis eorum.* Potest tamen hic secundus sensus ut accessorius et allusivus admitti. Ad varia enim alludunt Hebrææ voces.

Unde voce *isci,* id est, vir meus, allusio esse potest ad אש *esç,* id est, ignis , q. d. Deum invocabis nomine *Isci,* id est, vir meus; quasi *esçi,* id est. ignis meus, amor meus; Deus enim noster ignis consumens est, totus amor, totus ardor : ardet enim amore nostri. Quocirca Hebræi dicunt virum vocari *isç,* ab אש *esç,* id est ignis, eo quod calidæ sit naturæ et igneæ complexionis, cum femina sit aqueæ et phlegmaticæ. Ita in Pentecoste Deus ostendit se esse *esçi,* id est, ignem nostrum ; quando in specie ignis et linguarum ignearum descendit in Apostolos, eisque dedit cor igneum et linguam igneam.

Alii, ut Forsterus, censent virum dici hebr. *isç* à verbo יש *iesç,* id est *est,* vel *existit;* eo quod vir prior sit essentia seu existentia femina ; femina enim ex viri costa formata est, indeque dicta est אישה *isça,* quasi virago, aut potius vira à viro, utut est, sicut Latinis vir dicitur à virtute, Græcis ανηρ ab ανδρειας, id est fortitudine: ita Hebræis *isç* significat virum, qui ætate, auctoritate, dignitate, virtute, robore, judicio et gloria non tantum feminis , sed et juvenibus, omnibusque plebeiis præstat et anteponitur. Vir ergo idem est quod virilis, præstans, illustris. Sicut ergo homo dicitur *Adam* ab *adama*, quasi terrenus à terra, luteus à luto , et אנוש *enosç* ab infirmitate quasi desperatæ vitæ, et brevi moriturus : ita ex adverso dicitur *isç* à robore præstantia, virtute. Quocirca apposite hîc jubet Deus se à Synagoga vocari *isç,* utpote qui omnibus rebus præstet et tempore, et dignitate, et potentia, et providentia. Ipsius enim nomen est Jehova, sive : *Ego sum qui sum.* Et : *Qui erat, et qui est, et qui venturus est,* Apoc. 1. 4. Et sic apposite opponitur Baalim, id est idolis, quæ non habent esse verum, sed fictum ; suntque dii non veri, sed mendaces: *Idolum* enim *nihil est in mundo,* ait Apost. 1. Cor. 8. 4. Vide ibi dicta.

Et percutiam cum eis fœdus in die illa, cum bestia agri.] Pro *cum eis,* Hebr. et Septuag. habent *eis.* Unde S. Hieron. in Comment. legit : *Percutiam fœdus inter eos et bestias.* Loquitur de Synagoga sive Israele nunc in singulari, nunc in plurali : quia in populo sunt multi. Theodoret. et Theophyl. putant hæc præstita Israelitis Babylone redeuntibus. Hi enim Deo auctore fœdus et pacem habuerunt cum bestiis, id est cum barbaris, puta cum Persis, Græcis et Romanis : item proprie cum bestiis, inquit Theophyl. quia Deus effecit ut feræ et bestiæ fruges eorum non consumerent aut læderent. Verum hæc levia et exilia fuerunt : quare plenius et perfectius hæc eis præstita sunt per Christum.

Ubi nota : Symbolice hîc *bestiæ* significant homines barbaros et truces ; *volucres* significant timidos et ambitiosos : *reptilia* denotant vafros et ventri deditos, q. d. Hi omnes per Christum et Apostolos contrariis virtutibus exculti et mansuefacti, pacem inibunt et colent tam cum Deo, quàm inter se. Hoc est quod prædixit Isaias c. 11. 6 : *Habitabit lupus cum agno , et pardus cum hædo accubabit,* etc. Hinc et S. Petrus Act. 10. 13, mittendus ad Cornelium aliosque Gentiles, vidit linteum plenum quadrupedibus, serpentibus et volatilibus , audiitque : *Occide , et manduca :* ex quo intellexit Gentibus esse prædicandum Evangelium, easque convertendas ad Christum. Ita S. Hieron. Theodor. Haymo, Albert. Hugo, Vatabl. Ribera et alii. Vide dicta Isaiæ 24.

Insuper Apostoli aliique nonnulli illustres Sancti , ut S. Antonius , Franciscus, vere et proprie acceperunt à Christo potestatem in serpentes , scorpiones , pisces , aves et bestias terræ , Lucæ 10. 9. Ita Rupert. Isidor. et Arias. Verum hoc paucorum fuit privilegium : prius vero omnibus fidelibus est commune. Prior ergo sensus est genuinus et plenus.

19. ET SPONSABO TE MIHI IN SEMPITERNUM,] q. d. Israelem olim ob adulteria, id est idololatriam, repudiavi, et Assyriis in prædam dedi; at jam Babylone reduces, et longe magis tempore Christi veros Israelitas, eos scilicet qui ex Israele et ex Gentibus ab infidelitate et impietate convertentur, credentque in Christum, adsciscam mihi in sponsam, puta in Ecclesiam: quam nunquam repudiabo, sed mihi copulabo ei in æternum; ideoque ut sponsalia hæc et connubium confirmem sanciamque in æternum, dotem ei excellentem et multiplicem dabo, qua exornata non possit non mihi jugiter placere, ut eam cogar semper amare et ut conjugem retinere. Dotes hæ sunt justitia, judicium, misericordia et fides. Recte Theodor. Rupert. Lyran. Arias et alii passim ex τὸ *in sempiternum* inferunt hîc agi de Ecclesia Christi; nam Synagoga est repudiata, et esse desiit. Sensus ergo est, q. d. Synagogam mihi desponsabo usque ad Christum, tuncque per Christum vertam eam in Ecclesiam, quæ erit mihi sponsa æterna. Hinc patet Ecclesiam nunquam in fide defecisse, nec posse deficere.

ET SPONSABO TE MIHI IN JUSTITIA ET JUDICIO.] Primo, Sanchez explicat, q. d. Regam te, et in officio (hoc enim est justitia et judicium) continebo, ac vivendi leges præscribam, quasi maritus uxori, quomodo filia in officio continetur à patre, à quo leges accipit, quas sequatur, utpote qui illius pudori et honori consulit, deque rebus omnibus necessariis providet. Cui per patrium nomen ac potestatem licet admonere libere, atque etiam severe, si quando in eo quod jus exigit conjugale peccaverit. Maritus enim succedit in locum patris, quem sponsa relinquit. Ut totum amorem et studium in maritum transferat. Unde Jerem. 3. vers. 4. à Deo sponso audit Synagoga: *Amodo voca me, Pater meus, dux virginitatis meæ.* Hæc ergo est mutua inter sponsum et sponsam justitia, sive officium. Rursum, q. d. Justificando te et judicando, sive vindicando te in sponsam accipiam. *Justitia* enim hîc, primo, significat justificationem Ecclesiæ et fidelium; qua Deus eis infundit justitiam, id est gratiam, charitatem, cæterasque virtutes, quibus abolentur peccata, et constituuntur justi gratique Deo, Deique filii et hæredes; imo uxores et sponsæ, ut hîc ait Propheta. *Judicium* significat jus et sententiam judicialem, quam pro Ecclesia tulit Deus contra diabolum, qui ut tyrannus eam injuste possidebat, eique dominabatur. Secundo, *justitia* et *judicium* cum junguntur in Scriptura, significant duas partes, sive duo officia justi judicis et judiciii. Judex enim per justitiam justos defendit, eisque dat et conservat, id quod est ipsorum; per judicium vero judicat et condemnat impios, qui justos injuste vexant et persequuntur, q. d. Ego, ô Ecclesia, ô sponsa, te tuaque semper tuebor, ego hostes et persecutores tuos puniam et disperdam.

ET IN MISERICORDIA ET MISERATIONIBUS.] Est hendiadys, q. d. In misericordia summæ miserationis, in misericordia maxima, utpote profecta ex intimis visceribus, et ex viscerali commiseratione; hanc enim significat hebr. רחמים *rachamim.* Est hæc secunda arrha et dos sponsæ, qua Deus eam in æternum sibi despondet; nimirum intima miseratio et summa misericordia illi à Deo exhibita, et jugiter exhibenda. Hoc est quod ait Paulus Tit. 3. 5: *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum.* Hæc sunt viscera misericordiæ Dei, quæ in nos effudit per Christum, Luc. 1. 78.

ET SPONSABO TE MIHI IN FIDE.] Tertia dos sponsæ est fides; unde tertio repetit τὸ *sponsabo*, ut certam, plenam, perfectam, et in æternum duraturam desponsationem sanciat et significet. Quocirca Chald. vertit: *Consolidabo et stabiliam sedem meam in te.* Sicut enim in matrimonio est mutua corporum traditio, ita hîc sponsa se tradit Deo, ac vicissim Deus se tradit sponsæ, ut in ea thronum sibi æternum constituat, in quo quasi rex et judex habitet et sedeat, ac judicium exerceat justos tuendo, impios puniendo. Unde thronus hic Dei quatuor virtutibus quasi columnis fulcitur: nimirum justitia, judicio, misericordia et fide. Sic psal. 88. 15: *Justitia et judicium præparatio* (id est fulcimentum: hoc enim significat hebr. מכון *mechon*) *sedis tuæ.* Et Proverb. 20. 28: *Misericordia et veritas custodiunt regem, et roboratur clementia thronus ejus.* Porro fides hæc in Deo est fidelitas et constantia in promissis, quæ in Scriptura vocatur *veritas.* Per hanc enim Deus sponsæ assecurat nuptias has cum illa fore perpetuas, nec ullo repudio divellendas. Ita à Castro. In sponsa vero accipi potest, tum eadem fidelitas, qua sponsa se fidelem promittat et præstet suo sponso, ut nil præter eum amet; tum fides Christiana quæ est initium justitiæ et gratiæ, per quam despondemur Deo. Hæc enim Christi fides initio Ecclesiæ maxime inculcanda fuit, ut homines crederent in Deum incarnatum et crucifixum, itaque fierent fideles, et sponsæ Dei ac Christi. Vide de desponsatione animæ cum Deo ac quæ dixi 2. Cor. 1. 2. ad illa verba: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Intuere hîc amorem et zelum sponsi Dei in sponsam Synagogam. Merito S. Bernard. serm. 5. de Dedicat. Eccles. citans hæc Osee verba subdit: *Si non fecit ille quod sponsus, si non tanquam sponsus amavit, si non zelatus est tanquam sponsus, noli acquiescere sponsam te arbitrari.*

Porro Philo Carpathiorum Episcopus ordinatus à S. Epiphanio, tempore Arcadii et Honorii Imp. scribens in Cantica Cant. tom. 1. Biblioth. SS. Patrum, explicans illud Cant. 3. 11: *Egredimini, et videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius,* docet Christum ter, sive tribus diebus, sibi despondisse Ecclesiam. Primo, dum incarnatus est: tunc enim sibi carnem nostram, et per eam hominum Ecclesiam cœtumque hypostatice copulavit. Secundo, in passione: tunc enim suo sanguine Ecclesiam lavit, sibique in sponsam emit. Tertio, in Pentecoste: tunc enim desponsationis arrham Ecclesiæ dedit, nimirum Spiritum Sanctum.

Denique hac Osee sententia, quasi formula sponsaliorum, Christus Dominus S. Catharinam Senensem in sponsam assumpsit, eamque sibi visibiliter despondit. Rem miram narrat Auctor gravis Vitæ ejusdem P. Raymundus, qui Generalis fuit Ordinis S. Dominici Magister, S. Theologiæ Doctor, et S. Catharinæ Confessa-

rius. *Ut posset*, inquit, *sponso cœlesti, immutabili quodam modo et inviolabili fidelitate semper manere subjecta, valde aspirabat ad perfectum fidei gradum, dicens cum Apostolis : Domine, adauge mihi fidem, eamque adeo in me perfice, ut nulla possit vi adversantium concuti vel prosterni. Cumque sæpe illi id oranti, sæpe etiam responderet Dominus : Desponsabo te mihi in fide : tandem in Bacchanalibus, aliis ventris festa celebrantibus, ipsa se inclusit in suam cellulam, non respiciens in vanitates et insanias falsas, sed ardentissime petens à Domino eam, quam diximus, fidei perfectionem. Et quia verissime dixit Propheta : Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui : Christus ei apparuit cum sanctissima matre sua et aliquot Sanctis, et eam mirabili modo sibi despondit, hortatusque est eam, ut deinceps ageret viriliter et incunctanter ea, quæ ex divina providentia ipsi facienda incumberent. Post eam autem desponsationem cœpit Dominus eam sensim trahere ad hominum convictum et consuetudinem. Volebat enim ejus opera uti ad multorum hominum promovendam salutem.* Ex hac desponsatione secuta est mira virginis cum Christo familiaritas et unio. Nam etiamsi familiæ et ægris serviret, *nihil ab æterni sponsi castis amplexibus recedebat. Versa enim prope modum ei in naturam videbatur incredibilis quædam habilitas et promptitudo mentem suam cum Christo conjungendi, etiam quovis loco et tempore, ne ab hac felicissima conjunctione ullo actu externo impediatur, semper et ubique tendens ad cœlestia. Unde fiebat, ut prope innumeris vicibus extra se raperetur.* Porro causam desponsationis et quasi meritum, hanc dedit Christus : *Quia tu*, inquit, *sprevisti vanitates mundi, amplexa es crucem et pœnitentiam, quæris summum et æternum bonum, atque hisce diebus Bacchanalium, quibus mundani vacant gulæ et luxuriæ, tu studes mortificationi et orationi, idcirco ego te mihi desponsabo.* Modus ritusque fuit hîc ; *B. Virgo accipiens dexteram Catharinæ, extendendo ejus digitum annularem petebat à Filio, ut illam sibi desponderet. Matri annuit Christus, et accipiens Catharinæ dexteram, digito ejus annulum sponsalitium* (qui etiamnum Romæ servatur in monasterio Virginum Dominicanarum in Magnanapoli, ubi eum clare intuitus sum) *inseruit dicens : Ecce ego qui sum Creator et Salvator tuus, te mihi despondeo in fide, quæ perdurabit in te ex hac hora semper immutabilis, donec nuptiis æternis tibi in cœlo conjungar, ubi videbis me facie ad faciem, meque perfrueris. Superest ergo, ut viriliter decertes et in robore fidei, quam tuo cordi infixi, superes omnes illecebras et angustias mundi, omnes stimulos carnis, et omnem tentationem inimici.* Ita Raymundus in Vita S. Catharinæ Senens. quam in Italicum idioma transtulit Ambros. Catharinus l. 1. c. 23.

21. Exaudiam cœlos,] nimirum mandando id quod mando per Ezech. c. 38. 8 : *Vos montes Israel ramos vestros germinetis, et fructum vestrum afferatis populo meo Israel.*

Nota primo, ad emphasin et elegantiam hîc in cœlis, etc. proponi prosopopœiam per gradationem, q. d. Cœli appetitu naturali, quo terræ, hominum, totiusque universi, cujus ipsi pars sunt, bonum et commoda desiderant, videntur à me Deo poscere nubes et pluviam ; ego illam eis annuam, statimque dabo; et sic consequenter cœli respondebunt votis terræ sitientis, et pluviam fœcundam desiderantis, eam distillando ; et terra satisfaciet votis tritici multipliciter crescere cupientis, et triticum explebit vota Jezrahel, id est, seminis et populi Dei, qui hasce fruges exoptat. Hæc gradatio significat tum miram fertilitatem bonorum, etiam temporalium, quam populo suo pollicetur Deus, tum subordinationem congruam, et ordinatam causarum secundarum seriem à Deo institutam, qua infimæ à mediis, mediæ à summis, summæ à Deo pendent et reguntur, quam Gentiles fatum, fideles harmoniam mundi appellarunt, de qua Job. 38. 37 : *Concentum cœli quis dormire faciet?* Sic hîc Israelis id est populi Dei, vita pendet et sustentatur à tritico, hoc à terra, hæc à cœlo, hoc à Deo; unde pro *exaudiam* hebr. est ענה *ana*, quod, ut dixi, inter alia significat respondere, et canere alternis. Unde hîc vertas, *respondebo cœlis*, vel *illis præcinentibus succinam*, et accinam : cœli enim postulando canent Deo ; Domine, da nobis pluviam ut terra producat triticum, vinum et oleum, quo alatur Jezrahel, id est, populus tuus, cui nos et omnia creata servire decrevisti. Respondebit et succinet Deus : Æquum mihique gratum postulatis ; idipsum præstabo : amo enim Jezrahel, id est Israel, quasi sponsam charissimam.

Unde moraliter hîc advertit Pineda in Job 37. vers. 11. num. 3. quod universitas creaturarum cum suo creatore conspirans in commoda hominum, præsertim fidelium et sanctorum, videatur mirabilem concentum efficere, et, ut Sapiens ait cap. 19. 17 : *sicut in organo suum sonum custodire*, q. d. Sicut cum in musico instrumento sonus unius chordæ ex variatione modulationis et toni, aliam et aliam efficit harmoniam in gratiam audientium, ita, Deo ludente in elementis Ægypti, elementum suam naturam et ordinem retinens, junctum alteri, in ejus conditionem et usum transisse visum est, ad punitionem Ægyptiorum, in gratiam Hebræorum. Nam jumenta Hebræorum terrestria transeuntia mare rubrum à Deo divisum, videbantur piscium naturam induisse, et natantia, puta ranæ, in terra degentia Ægyptios affligebant, ac si fuissent terrestria. Simili schemate ait Euripides, apud Aristot. 8. Ethic. c. 1 :

> Cum est sicca tellus, ipsa certe tunc imbrem amat.
> Cum turget æther imbre ; cum cœlum tumet,
> Affectat, ut telluris in sinus cadat.

Tollit hîc Deus prius maledictum, quod Israeli adulteranti cum idolis intentavit. v. 9 : *Sumam frumentum meum in tempore meo.* De Jezrahel dixi c. 1. 4. Chaldæus censet Jezrahel hîc significare populum Dei antea dispersum, nunc à Deo in Ecclesia collectum et benedictum.

Nota secundo, hîc esse continuam allegoriam. Alludit enim ad Israelem ex Assyria et Babylone redeuntem in Judæam, cui Deus dedit pluviam, triticum, oleum et vinum, uti notant S. Hieron. Theodor. Theophil. Albert. et Hugo : sed sub his allegorice significat Deum tempore Christi pro votis fidelium eis abundantiam gratiæ, Sacramentorum, concionum, omniumque donorum spiritualium daturum. Ita S. Hieron. et Rupert. Uterque sensus est lit-

teralis ; sed prior est quasi typus et umbra posterioris ; unde ad illum tantum alludit eumque obiter perstringit ; intendit vero per eum significare posteriorem, in eoque hæret, seseque explet, uti fieri solet in allegoria. Deus enim et populus Dei, puta veri Christiani, parvi æstimant omnia bona temporalia et caduca. Hi enim didicerunt à Christo calcare terrena, et amare cœlestia, eisque toto affectu inhiare, ut vivant æternitati. Hinc symbolice ex Theophyl. Leo Castrius. Vinum, ait, et frumentum, id est Eucharistia, aliaque Sacramenta exaudient Jezrahel, id est, semen vel brachium Dei, puta Christum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, quique est virtus et brachium Patris, ut scilicet ipsa Sacramenta faciant opus suum, quod est fideles Christi purgare, sanctificare, pascere, roborare : Christus enim est qui per ea hæc operatur in fidelibus. Rursum Deus Pater Christi causa è cœlo depluit in Ecclesiam ubertatem bonorum spiritalium. Idem Castrius ex S. Aug. Exaudiam, inquit, cœlos, id est, cœlites, puta Angelos et Sanctos, qui pro Jezrahel, id est fidelibus militantibus, Deum precantur; et cœli, id est sancti, exaudient terram, id est Ecclesiam, ut à Deo pluvias cœlestium bonorum Jezraheli, id est fidelibus, impetrent. Ante Christum enim ejusque sanctos, jussum erat cœlis ne pluerent : Mandabo, inquit Deus, nubibus cœli ne pluant super terram. Ita ipse ad litteram, ego symbolice. Hinc et anagogice Cyrill. ; *Exaudiam cœlum, ait, id est, munerum meorum largum dispensatorem faciam cœlum, sive cœlicolas, ut et ipsi misericordiam consecutos exhortari possint. Et tunc plane terra exaudiet frumentum, vinum et oleum, id est, fructum ferent, qui sunt in terra, spem vitæ, lætitiæ, hilaritudinis. Et typus quidem vitæ frumentum est, vinum autem lætitiæ, oleum hilaritatis et bonæ habitudinis.*

23. ET SEMINABO EAM MIHI IN TERRA.] *Seminabo*, id est, instar seminis spargam ipsam, ait Vatabl. q. d. Ego Ecclesiam, ejusque Apostolos et Principes spargam per totam terram, ut illi per semen doctrinæ et martyrii sui multam fidelium et sanctorum segetem producant. Ita Haymo et Rupert.

Nota : Vox *eam* grammatice non refert *Jezrahel*, utpote masculinum; sed *matrem ejus*, puta Synagogam : de ea enim egit hoc capite. Alludit et obiter perstringit, uti jam dixi, Israelitas è Babylone redeuntes in Judæam, ubi, instar seminis jacti in terram, ubertim creverunt et propagati sunt. Ita Chald. Theodor. Theoph. et alii. Simile est Jeremiæ 31. 27. vide ibi dicta. Nota : τὸ *seminabo*, significat actionem et mortificationem seminis, puta Apostolorum et posterorum. Nam, ut ait Christus Joan. 12. 14 : *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet ; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Non minuitur*, ait S. Leo serm. 1. de S. Petro et Paulo, *Ecclesia persecutionibus, sed augetur, et semper Dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.* Idem fit in qualibet anima fideli et sancta.

ET MISEREBOR EJUS QUÆ FUIT ABSQUE MISERICORDIA.] Hæc explicata sunt cap. 1. v. 6. Tantum Nota. Pro *miserebor*, etc. Vaticana Biblia legunt, *diligam non dilectam*. Hebr. enim רחם *racham*, significat intimum affectum tam dilectionis, quàm miserationis et misericordiæ. Unde S. Paulus citans hunc locum Rom. 9. 25. utrumque ponit. Ait enim : *Sicut in Osee dicit : Vocabo non plebem meam, plebem meam ; et non dilectam, dilectam, et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam.* Quod enim Paulus dicit : *Vocabo non plebem meam, plebem meam ;* Osee dicit : *Dicam non populo meo : populus meus es tu.* Præponit enim ea Paulus, quæ Osee postponit. Porro quod addit Paulus : *Et erit in loco ubi dictum est eis, non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei viventis*, non ex hoc c. sed ex c. 1. v. 10. desumpsit. Ibi enim dixit Osee : *Et erit in loco ubi dicetur eis : Non populus meus vos ; dicetur eis : Filii Dei viventis.*

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

JUBETUR OSEE ADULTERAM DOMUM SUAM ABDUCERE, CUM EAQUE PACISCI UT IBI MULTO TEMPORE CÆLEBS SEDEAT, NEC FORNICETUR, NEC AD VIRUM SUUM REDEAT, AC PER HOC REPRÆSENTAT ISRAEL MULTO TEMPORE FORE SINE DEO, SINE IDOLIS, SINE LEGE, SINE REGE, SINE THERAPHIM; SED IN NOVISSIMO DIERUM REVERSURUM AD DOMINUM.

1. Et dixit Dominus ad me : Adhuc vade, et dilige mulierem dilectam amico
et adulteram, sicut diligit Dominus filios Israel, et ipsi respiciunt ad deos
alienos, et diligunt vinacea uvarum. 2. Et fodi eam mihi quindecim argen-
teis, et coro ordei, et dimidio coro hordei. 3. Et dixi ad eam : Dies mul-
tos exspectabis me; non fornicaberis, et non eris viro; sed et ego exspec-
tabo te. 4. Quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe,
et sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod, et sine theraphim. 5. Et
post hæc revertentur filii Israel, et quærent Dominum Deum suum, et David regem suum : et
pavebunt ad Dominum, et ad bonum ejus in novissimo dierum.

1. ADHUC VADE,] jubetur hîc Osee amare et pretio conducere, inque domum suam inducere adulteram : quia prior fornicaria Gomer non plene repræsentabat Israelis adulteria, id est, idololatrias cum diis Gentium quasi adulteris commissas, spreto vero amico, puta Deo.

Quæres, contra quos hoc signum assumitur sive quosnam repræsentat hæc adultera? Duodecim tribus repræsentare censet S. Hieron. et Lyran. Duas tantum, puta Juda et Benjamin, significare censent alii, ut, sicut Ezechiel c. 23. per duas sorores meretricantes notavit omnes Hebræos idololatrantes, puta per Oolla decem tribus, per Ooliba duas; ita hîc Osee per Gomer fornicariam c. 1. significet decem tribus, per adulteram vero hoc capite significet duas, quæ decem in idolorum cultu secutæ et imitatæ sunt. Ita Haymo, Rupert. Albert. Hugo, Vatabl. Ribera et Sanchez.

Verum melius Chald. Theodor. Theoph. et à Castro, censent hîc eosdem notari, qui c. 1. notati sunt : puta Israelem, sive decem tribus. Hisce enim comminatur ob idololatriam plenum excidium et desolationem, ut sint sine rege, sine lege, Deo, republ. etc. quod ita evenisse post Samariæ excidium anno 6. Ezechiæ regis peractum cernimus : cum ex adverso duæ Tribus Babylone redeuntes habuerint duces, legem, et rempubl. usque ad excidium per Titum, quod non ob idololatriam, sed ob occisum Christum perpessæ sunt, et etiamnum perpetiuntur.

DILIGE MULIEREM DILECTAM AMICO.] Ita et Chal. S. Hieron. רע *rea*, id est amico. Verum Septuag. aliis punctis legentes רע *ra*, id est malum, vertunt : *Dilige mulierem diligentem mala*, scilicet adulteria : et ita legunt Theod. et Theophyl. utpote Græci, qui proinde Græcam versionem Septuag. sequuntur, sed eodem redit sensus.

Quæres, quænam hæc? an Gomer quam duxit Osee c. 1. an quæ alia? Primo, Ruffinus, Ribera, et aliqui alii censent fuisse Gomer : quæ, inquiunt, post conjugium cum Osee, tresque proles ex eo susceptas, adulteris se miscuerat : unde Osee ejus repudium cogitabat. Sed Deus eam recipi, diligi et retineri, renovato et redintegrato per novum contractum cum ea matrimonio, jubet; ut hoc facto repræsentet Synagogam Deo desponsam, licet adulterantem, diligi à Deo, eamque ipsum post adulteria idololatriæ amare, et retinere sibi sponsam. Ratio est, quia Osee non potuit aliam adulteram, quæ alterius esset uxor, in uxorem ducere : fuisset enim hoc novum adulterium : debuisset ergo illa ad priorem verumque maritum remitti (ejus enim erat uxor) non ab Osee duci.

Secundo, Chald. S. Hieron. Cyrill. Theodor. Hugo, Isidor. Paulus à Palatio, à Castro, Emmanuel et alii, censent hanc mulierem non fuisse Gomer, sed aliam (uti verba textus innuunt, præsertim τὸ *adhuc* et *fodi*, id est emi : ergo hactenus non erat empta nec comparata) quæ à viro suo discedens adultera effecta sit, quam Osee jubetur à scelere avocare, et emere non in uxorem, sed in ancillam, ac domi retinere castam, ut nec cum viro, nec cum adultero copuletur; donec post multum tempus ad virum suum revocetur, et in ejus gratiam thorumque redeat. Audi S. Hieron. : *Propheta diligit adulteram, et tamen non ei matrimonio copulatur, neque fornicatione conjungitur, sed tantum diligit delinquentem.* Hoc enim verba Osee significant v. 7 : *Et dixi ad eam : Dies multos exspectabis me : non fornicaberis, et non eris viro; sed et ego exspectabo te.* Quod deinde explicans et ad scopum per eam prophetice repræsenta-

tum applicans subdit : *Quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege*, etc. *et post hæc revertentur, et quærent Dominum Deum suum.*

Tertia sententia, quam Theoph. Rupert. (qui vult hanc fuisse sororem Gomer) Vatabl. Sanchez et alii sequuntur, media est, nimirum mulierem hanc aliam fuisse à Gomer, emptamque ab Osee in sponsam et uxorem, non in ancillam. Hoc enim significat τὸ *dilige mulierem*, q. d. Duc in uxorem et ut uxorem dilige. Rursum τὸ *Exspectabis me, sed et ego exspectabo te*, unde liquet eam ab Osee fuisse desponsatam, ut fieret uxor; sed Osee consummatione conjugii et copula abstinuisse ad longum tempus, quo expleto, ei copulatus est, ut repræsentaret pari modo Synagogam multo tempore fore sine rege, lege, Deo, eoque expleto, ad Dei amplexus redituram. Osee enim videtur hìc personam Dei gerere, mulier Synagogæ, conjugium et copula religionis et cultus Dei. Ergo fuit hæc uxor Osee, sicut Synagoga erat uxor Dei. Unde sequitur virum ejus priorem, sub quo adulterata erat, jam fuisse mortuum, aut certe per libellum repudii ei à viro ob adulteria datum, scissum et solutum fuisse prius cum eo conjugium, ita ut jam soluta potuerit nubere Osee Prophetæ.

Hæ sententiæ probabiles sunt, sed secunda probabilior, ob nostram versionem, quæ vertit, *dilectam amico*, id est marito; sequitur enim, *Sicut Dominus Deus diligit filios Israel*, q. d. Sicut hæc mulier, licet multum dilecta à marito, tamen adulteratur, ita filii Israel, licet multum dilecti à Deo, tamen copulantur idolis. Amicus ergo hìc non potest accipi adulter, sed maritus : talis enim erat Deus respectu Synagogæ. Hinc sequitur, mulierem hanc habuisse amicum, id est, maritum superstitem, ac proinde non potuisse appeti ab Osee in uxorem, sed tantum in ancillam, aut potius Osee eam perditam et profugam adamasse ex charitate, ut proximam, eique dedisse pretium et hospitium, ut adulterare desineret. Ita auctores citati, ac nominatim per amicum hunc accipiunt maritum, non adulterum, Chald. Lyran. Isidor. Paulus à Palatio, Arias, Guadalupensis, Vatabl. et alii multi; licet S. Hieron. Theodor. et Theoph. ex Septuag. intelligant adulterum. Et sic *rea*, id est, amicus vel socius, significat maritum, Jerem. 3. 20 : *Quomodo si contemnat mulier amatorem suum*, hebr. *rea*, id est amicum, puta maritum. Hic ergo amicus gerit typum Dei, non Osee, qui tantum mulieris hujus est conductor.

Porro Chald. Isidor. et Vatabl. censent hæc facta esse in Osee non realiter, sed tantum in spiritu per visionem imaginariam. Melius Theodor. à Castro, et alii censent reipsa ab eo esse facta et patrata. Vide dicta c. 1. 1.

Et adulteram.] Septuag. Complut. et Regia legunt, καὶ μοιχαλίδας, id est *et adulteras*, sed corrupte; legendum enim cum Codice Vatic. Sanc. Hier. et Theoph. καὶ μοιχαλίδα, id est, *et adulteram*. Patet ex Hebræo, Syro, Arabico et aliis. Vide hìc tenerum Dei cor, quo amat et sequitur peccatores à se aversos.

Moral. S. August. hom. 38. inter 50 : *Evelle*, ait, *cor tuum ab amore creaturæ, ut inhæreas creatori, quia si amas illa quæ fecit, adulter es, et quæris iram, quia amicitia hujus seculi inimica est Deo. Quicumque ergo voluerit esse amicus hujus seculi, inimicus constituitur Dei. Anima, deserto creatore, amans creaturam adultera est. Illius enim amore nihil castius, nihil delectabilius. O anima ut illius amplexibus digna sis, dimitte ista, et illi inhære gratis. Nam inde dixit Psaltes psal. 72. Mihi adhærere Deo bonum est, ideoque versum priorem præmisit dicens : Perdidisti omnes qui fornicantur abs te.*

Et diligunt vinacea uvarum.] Pro *vinacea*, hebr. est אשישי *asçisçe*, quod Chald. Lyran. Marinus, Forsterus, R. David, et ex eo Vatabl. et Pagnin. vertunt *œnophora*, vel *lagenas uvarum*, quasi notetur hic idololatrarum gula et ebriositas. Solebant enim idololatræ in suis sacrificiis et festis solemnioribus epulari et potare, imo præsentibus certam vini et cibi mensuram distribuere, uti et fecit David, cum arcam transtulit in Sion 2. Reg. 6. 19. Hinc et Septuag. vertunt πέμματα, id est bellaria, panes ex similia factos et placentas, quæ idolis offeruntur, ait S. Hieron. et Theophyl.

Verum melius S. Hieronym. Vatabl. et alii vertunt *vinacea*. Nam et Aquila vertit, παλαιά, id est *vetusta;* et Symmach. ἀκάρπους, id est *infrugiferos*, sive aridos et steriles uvarum folliculos; vinacea enim sunt folliculi sive pelliculæ uvarum, quæ in torculari, expressa uva vinoque defluente, remanent. Unde heb. vocantur אשישים *asçisçim*, quasi dicas *ima*, seu *fundamenta*, quæ in torculari subsidunt; à rad. אשש *asçasç*, id est fundavit. Ita Columella lib. 6. c. 3. (ubi vocat *siccata vinacea*) et Varro lib. 3. de re rustica c. 11. et Cato c. 10. et Plinius lib. 17. 22. Eadem vocantur *lora, quod lota acina, ac pro vino operariis datur hieme*, ait Varro lib. 1. c. 54. et Plinius lib. 14. 10 : *Non possunt*, ait, *jure dici vina, quæ Græci deuterias appellant, Cato et nos loram, maceratis aqua vinaceis; sed tamen inter vina operaria numerantur.* Audi et Hugonem : *Vinacea*, inquit, *sunt pelliculæ, botrus plures racemi, racemi plures uvæ, acinum granum, glarea liquor.* Significat ergo hic Propheta idololatras idolis suis obtulisse hæc vinacea, inquit Theodor. et Theophyl. aut potius agri sarcasmo perstringit eos, quod, relicto domi vino puro et præstanti, adirent idola et idolothyta; ubi ob advenarum turbam singulis dabatur lora ex vinaceis aqua dilutis, non vinum.

Unde Tropol. vinacea et inanes uvarum folliculi significant res vanas et futiles, in quibus nihil est succi, nihil medullæ, nihil boni, quales erant idola et idolothyta, aliaque quæ amabant Israelitæ, relicto Deo; omnis enim peccati voluptas inanis est, insipida et exsucca, non solida, non satians. Hinc Hugo : *Vinacea*, inquit, *sunt dæmones, qui creati in magna pinguedine Spiritus Sancti, sed per superbiam arefacti, projecti sunt de cœlo. Nam Deus in eis, ait S. August. fuit simul et largiens gratiam, et condens naturam;* sed, effusa gratia per peccatum, mansit natura vacua, quasi vinaceum. Sic, ô peccator, cum sectaris honores et dignitates, vina et veneres, vinacea sectaris, folliculos inanes, et mero aere aut vento turgidos sectaris. Vescebaris in domo Dei pane cœli, pane Angelorum; nunc vagus et profugus cum filio prodigo ambis siliquas porcorum. Quod enim in tritico sunt siliquæ, hoc in uvis sunt vinacea. Itane, ô stolide, mundo te credis, qui pro tritico siliquas, pro vino loram tibi propinat ? Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mistum est aqua, imo aqua est mera,

eaque putrida. Quin ad patrem, ad Deum tuum redis? invitat te ille ad mensam suam vino et deliciis instructissimam, ac clamat: *Venite, comedite panem meum, et vinum quod miscui vobis.* Et Proverb. 9. 5: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*, Joan. 6. 51: *Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?* Zachar. 9. 17: *Venite, et bibite, et inebriamini, charissimi.* Cantic. 5. 1. Quin accedis, quin accurris ut sentias dicasque cum sponsa: *Introduxit me rex in cellaria sua: exsultabimus et lætabimur in te:* Pulchre S. Bernardus in Sentent. *Vinum*, ait, *gratiæ est, quod ex botro Cypri, id est, conditoris largitate decurrit: et hoc est mustum quo sponsi filii inebriantur, quod mittitur etiam in utres novos.* Et rursum: *Triforme vinum est in scypho Dei; rubicundum in longanimitate sanctorum, quod lætificat Isaac in ægritudine: album in remuneratione justorum, quo ebriatur Noe; nigrum et acidum in damnatione pravorum, quod Jesus gustat, sed non vult bibere.* Et ex hoc vino, ait idem tract. de Diligendo Deo, *sobria illa ebrietas vero, non mero, ingurgitans; non madens vino, sed ardens Deo.* Et serm. 18. in Cant.: *Ovando bibitur vinum lætificans cor hominis, vinum spiritus quod inebriat, et carnalium voluptatum infundit oblivionem.*

2. Et fodi eam.] Id est conduxi, comparavi eam. Ita Septuag. Chald. S. Hieron. Hugo, Lyran. Vatabl. Arias, et alii passim. Unde Syrus vertit: *emi eam;* Arabicus: *conduxi eam.* Nota hebr. כרה *cara* proprie significat fodere, exscindere, excavare; inde per metalepsin significat comparare vel emere. Olim enim quisque fodiebat sibi cryptas ad habitationem et ad sepulturam, ac multo magis vineas, agros, puteos et cisternas, quibus maxime in Mesopotamia locisque vicinis (ubi habitarunt Patriarchæ Israelis) ob terræ siccitatem et calorem indigent, indeque tot et tanta jurgia pastorum Isaac cum pastoribus Abimelech ob hosce puteos, Genes. 26. v. 17. 20. 22. adeo ut etiamnum viatores ibidem ad puteos communes anhelent et divertant, æque ac in Europa anhelant ad hospitia, ut mihi retulit oculatus testis R. P. Marietus. Puteos ergo olim fodiendo sibi comparabant, ut patet Gen. 50. 5. et alibi. Hinc *fodere* significat *emere, comparare*, ut Deuter. 2. 6. pro *aquam emptam haurietis*, hebr. est: *aquam fodietis ab eis argento*, id est, emetis argento, emptamque haurietis. Addit S. Hieron. Haymo, et Lyran. Osee uti hoc verbo fodiendi, quia alludit ad vinacea jam dicta, Israel enim erat quasi vinea, quæ fodi solet. Unde c. 2. 15. dixit: *Dabo ei vinitores ex ea.* Quocirca Leo Castr. Fodi, inquit, et pastinavi vineam, impendens in fossores quindecim argenteos. Secundo, Forsterus: *Cara*, inquit, significat fodere et scindere, indeque emere: quia ementes et vendentes dexteras invicem percutiendo quasi discindunt, earumque discissione et divisione stipulantur venditionem utriusque esse factam, ratamque emptionem significant. Tertio, Arias: *fodi eam*, id est, emi in servam perpetuam; huic enim fodi et perforari solebant aures, juxta legem Exodi 21. 6. Deuter. 15. v. 16.

Unde Nota: Licet Ruffin. et Ribera paulo ante citati censeant hanc feminam ab Osee fuisse emptam in uxorem; apud veteres enim, etiam Hebræos, sponsi mariti emebant sponsas et uxores, tum ab earum parentibus, tum ab ipsismet, dando eis pro dignitate cujusque munera; ac sponsæ vicissim dotem dando, ea sibi maritos coemebant. Ita David emit Michol centum præputiis Philistinorum, Jacob Rachelem emit servitio septem annorum. Gen. 29. 18. Sephora emit Mosem sanguine filii, quem circumcidit, Exodi 4. 25. vide ibi dicta. Idem mos fuit apud Romanos, ut patet ex Cicerone oratione pro Murena, et Gellio. l. 18. 6. atque apud Græcos: unde Iliad. 9. Agamemnon Achilli offert filiam sine ἐδνοις, id est, donis, quæ sponsi solent dare sponsis. Unde ab Ovidio dona jugalia vocantur, ab aliis sponsalia. Sic ergo Osee hîc videtur emisse uxorem. Tamen verius est, ipsum eam non emisse in conjugem, sed conduxisse in ancillam, ad hoc ut adulteris et adulteriis abstineret. Unde Septuag. vertunt: εμιςθωσαμην αυτην, id est, *mercede et pretio conduxi eam*, μιςθος enim est merces. Ita S. Hieron. Albert. Hugo et alii supra citati.

Quindecim argenteis,] scilicet siclis. Siclus autem pendebat quatuor drachmas Atticas, id est, semiunciam, puta 4. regales Hispanicos, sive quatuor Julios Italicos, uti dixi Exodi 30. v. 13. Ergo siclus argenteus erat florenus Brabanticus; et 15. sicli 15. floreni Brabantici.

Coro hordei.] Corus, hebr. חומר *chomer*, (diversus est ab עמר sive *gomor*, quæ mensura erat victus diurni, Exodi 16. 16.) erat mensura continens 30. modios. Ita S. Hieron. et Epiphan. lib. de Mensuris, qui ait, corum continere 30. modios, esseque cameli onus. Addit Paulus à Palatio, corum sive chomer esse onus asinarium, quod scilicet fortis asinus ferat, indeque dici *chomer* à חמור *chamor*, id est asinus. *Antiquissimum*, ait Plin. lib. 18. c. 7, *in cibis hordeum, sicut in Atheniensium ritu apparet; et gladiatorum cognomine, qui Hordearii vocantur.*

Et dimidio coro hordei.] Hebr. est לתך שעורים *letch seorim*, quod mirum est Septuag. vertere νεβελ οινου, id est lagenam vini: *seorim* enim hordeum significat, non vinum. Et cæteri Interpretes verterunt ημικορον, id est medium corum, hoc est quindecim modios hordei. Ita S. Hier. Epiphan. et alii.

Porro empta fuit hæc uxor dimidio coro hordei; quia olim confarreatione nuptiæ contrahebantur, cum certis verbis coram testibus solemni sacrificio, in quo panis farreus adhibebatur, in manum conveniebant, ait Ulpianus: quod à Romulo institutum fuisse testatur Dionys. nam farreatio illa significabat vitæ communionem; quocirca diffarreatio apud Festum est dissolutio matrimonii confarreatione contracti. Ita Ulpian. l. 9. Instit. Plinius l. 18. c. 3. et ex iis Pineda l. 5. de Rebus Salomonis c. 2.

Quæres, quidnam hæc significent? Primo, Chald. S. Hieron. Hugo, Lyran. et alii censent quindecim argenteis significari decimam quintam diem primi mensis Nisan, puta Pascha, quo Hebræi sanguine agni paschalis à morte, quam inferebat angelus percutiens primogenita Ægyptiorum, redemerunt suos primogenitos, ideoque deinceps eosdem quinque siclis redimere sunt jussi. Corus et dimidius, id est, 45. modii, significant 45 dies, quibus ex Egypto pervene-

runt ad montem Sina, ubi legem acceperunt, in qua sanxit Deus primitias hordei sibi offerri altera die Paschalis, inquit Chald. Verum esto eo alludi possit, tamen hæc jam pridem transacta erant; hìc autem est prophetia de futuro, quæritur ergo quid in futurum portendant?

Secundo, Arias censet quindecim argenteis significari quindecim Prophetas tam majores, quàm minores, qui Israeli prædicarunt eumque conduxerunt ad pœnitentiam: corus, sive chomer, inquit, est cumulus; *ceorim* est hordeum, item turbo et tempestas, 45. modii sunt 45. pœnæ, quas Deus Judæis Levit. 26. intentavit, si legem violarent, quas Propheta hìc Judæis subituros significat. Alii alia asserunt, sed impertinentia, quæ vide, si lubet, apud Christ. à Castro.

Simplicius dicendum videtur, hoc pretium taxatum fuisse huic mulieri ad annuum victum; ad hunc enim Romani designabant modios suos 48. quos efficiunt Hebræorum modii 45. puta corus cum dimidio. Unde Terentius in Phormione docet, quod servi quatuor modios in mense accipiebant pro victu: jam multiplica quatuor per duodecim (tot enim sunt menses in anno) habebis modios 48. quæ erat mensura annui victus Romæ. Porro hordeum et hordeaceus panis erat cibus servorum, ancillarum et pauperum; apud Hebræos etiam adulterarum; unde mulieri de adulterio accusata, ait S. Hier. jubetur accipere gomor farinæ hordeaceæ. Num. 51. 5. Per hæc ergo omnia significat Propheta, quod Deus Israelitis ob peccata servituti destinatis, et quasi jumentis terrenis (horum enim pabulum est hordeum) dabat bona terrena; sed cum labore et pauca, puta tanta quanta ad victum sufficiunt, tale enim est corus cum dimidio hordei ad victum annuum, ac quindecim sicli ad vestitum et cætera necessaria; idque ad hoc, ne cogantur Gentes et idola sequi sicut olim faciebant sed sciant se non omnino à Deo esse derelictos, quinimo ejus in se curam, alimoniam et bonitatem agnoscant, et spe majorum donorum ad Deum revertantur, quod fiet in novissimo dierum, ut dicitur v. 5. Hoc est quod ait Apostolus Roman. 11: *Non repulit Deus plebem suam quam præscivit:* sed exspectat donec in fine *omnis Israel salvus fiat.* Ita Ribera, à Castro et alii. Moral. de pretio hoc vide S. Hieron. hìc, et S. Ambros. l. 4. epist. 39. et l. 8. epist. 77.

3. Et dixi.] Propheta conduxit adulteram pretio quindecim argenteorum, et sesquicoro hordei; nunc conductionis pacta et conditiones quas ab ea exigit, illi proponit.

Prima est, *Dies multos* (puta annuum integrum, hunc enim Hebræi vocant ימים *iamim*, id est dies; quia annus est omnium dierum complexio et revolutio: et ad annuum victum dederat ei pretium, uti jam dixi) *exspectabis me*, hebr. *sedebis mihi*, vel mecum, q. d. Per annum apud me habitabis et desidebis, nec vagaberis per domos et hospitia tuorum amasiorum. Ita Theod. Theoph. Pagnin. et alii. Unde Isidor. et Vatabl. exponunt, q. d. *Multos dies in luctu sedebis quasi vidua.* Osee hìc repræsentat non Deum, sed Salmanasar, qui Israelitas in Assyria quasi in hospitio captivos detinuit. Noster vertit, *exspectabis me*, quia respicit rem significatam: ad hoc enim sedebat domi Prophetæ, ut exspectaret tempus quo ab eo reconciliaretur, et reduceretur ad maritum. Ita S. Hier. Haymo et alii.

Secunda est, *non fornicaberis;* hic enim fuit præcipuus scopus Prophetæ, nimirum ut avocaret eam à fornicatione. Ubi Nota insignem ejus charitatem et zelum animarum. Ita Sanct. Ephrem celebrat zelum et solertiam Abramii Eremitæ (in ejus vita) qui Mariam neptem suam in fornicationem lapsam, indeque publice in hospitio meretricantem, re cognita insecutus, magno labore æque ac industria inde abduxit, et in eremum ad pristinam vitæ sanctitatem perennemque pœnitentiam reduxit. Ita S. P. N. Ignatius Romæ monasterium S. Marthæ extruendum curavit, ut in eo reciperentur mulierculæ, quæ à turpi quæstu abductæ vitam in melius mutare vellent, ipseque existens Generalis illas eo deducebat. Cumque ei objiceretur in illis operam perdi, quod facile ad vomitum redirent: *Minime sane*, inquit Ignatius, *sed si omnibus vitæ meæ curis atque laboribus id possim efficere, ut vel unam noctem peccato vacuam præterire istarum aliqua velit, omnes ego quidem nervos contendam, ut vel illo tam exiguo tempore Deus et Dominus noster non offendatur, etiamsi sciam illam statim ad ingenium redituram.* Ita Ribaden. l. 3. Vitæ ejus c. 9. Nimirum clare perspiciebat quantum malum, quanta Dei offensa et injuria sit unum peccatum mortale, una fornicatio, ad quam proinde avertendam quilibet Dei zelotes omnes vires corporis et animi contendere et impendere debeat.

Tertia est: *Et non eris viro*, id est, nulli viro nubes, aut copulaberis, et consequenter nec ad tuum virum (ille enim te ob adulteria negligit et spernit) redibis, sive copulaberis; multo minus mihi, qui sum merus tuì custos, hospes et conductor.

Quarta est: *Et ego exspectabo te;* hebr. *Et ego ad te*, scilicet respiciam et veniam; ut suo tempore, puta post annum, te ex hoc meæ domus hospitio educam, et ad maritum reducam. Noster vertit, *exspectabo*, quia respicit rem significatam, q. d. Exspectabo, ut tu pœnitens convertaris, tumque ego te marito restituam. Ita Chald. S. Hieron. Haymo, Hugo et Lyran. Aliter Ribera: exspectabo, inquit, te ut tecum copuler, et ex te rursum liberos procreem. Censet enim hanc fuisse Gomer uxorem Osee, à qua ipse ad tempus jussu Dei abstinuerit, jusseritque eam domi sedere quietam, nec fornicari; sed exspectare se, suumque thorum, ad quem denuo eam revocaturus erat, ut repræsentaret quod Deus, qui Synagogam Judæorum jam quasi dereliquerat, data interim frugali sustentatione bonorum temporalium, exspectaret eam usque in finem mundi, ut tunc ei rursum desponsetur, eique liberos procreet. Aliter quoque Vatabl. Pagnin. et Arias, vertunt enim: *Non eris viro, nec etiam ego ad te,* supple: ingrediar, ut tecum copuler. Significationem et causam harum conditionum explicat Osee, et applicat Israeli dum subdit:

4. Quia dies multos sedebunt, desolati et dispersi, ideoque lugentes, afflicti et squalidi, filii Israel sine rege, etc.] Primo, Rabbini, Ruffin. Albert. et Hugo, hæc accipiunt de captivitate Babylonica duarum tribuum, usque ad ejus laxationem per Cyrum. Verum obstat quod in illa captivitate habuerint hæ tribus pontificem, scilicet Josedec, item legem et judices, ut

patet Daniel. 15. 5. quin et regem Joachin, et principes Zorobabel et Salathiel, insuper altare, ut patet Baruch. 1. 10. et sacerdotes ac Prophetas, ut Danielem, Ezechielem, etc. atque Deum colebant, quæ tamen omnia hic eis defore prædicitur. Rursum Zorobabel aut Salathiel non potest dici David rex. Ita S. Hieron. Cyrillus, Rupert. et S. August. 18. Civit. 28.

Secundo, R. David hæc contigisse putat tempore Machabæorum et Herodis: tunc enim subacti fuerunt Judæi ab Antiocho Epiphane ejusque posteris, qui sacra Judæorum profanarunt, et pontificatum vendebant; ac licet tunc Machabæi essent principes, non tamen erant legitimi, quia oriundi ex Tribu Levi non Juda, cui sceptrum dedit Deus, Gen. 49. 10. Verum errat; tunc enim sub Machabæis maxime floruit religio, virtus et fortitudo Judæorum, erantque ipsi legitimi principes, utpote à toto populo electi. Nec obstat locus. Genes. 49. 10. ut ibi ostendi.

Tertio S. Hieron. Cyrill. Haymo, Hugo, Lyran. Paulus à Palatio, Vatabl. Ribera, Sanchez et passim alii, ac S. August. lib. 18. Civit. 28. censent hæc pati Judæos, nunc, puta post Christum, et passuros eadem usque ad finem mundi. Jam enim carent rege, sacerdotio, altari, etc. Verum hoc patiuntur Judæi ob occisum ab eis Christum, non ob idololatriam; quod tamen asserit hic Propheta. Rursum hucusque Propheta egit de Israelitis, id est, decem tribubus, non de duabus, puta Judæis: Judæorum enim dixit se misertorum, c. 1. 7. Fateor tamen à pari ad eos hæc posse extendi. Unde

Quarto, dico cum Theodor. Theophil. Chaldæo, et à Castro. Prophetam pergere loqui de Israelitis, id est, decem tribubus, ac prædicere earum excidium, et desolationem duraturam usque ad finem mundi. In Assyriam enim abducti, inde nunquam redierunt, nisi perpauci mixti Judæis; sed spersi, et incogniti vagantur etiamnum toto orbe, unde carent rege, lege, republ. sacerdotio, etc. serviuntque viles, pauperes et miseri aliis gentibus et principibus, uti mulier illa (quæ horum erat typus) sedebat apud Osee desolata, quasi vidua, carens marito, omnique alia ope divina et humana, habens solam tenuem sustentationem quam dabat illi Osee. Hoc est quod eis pariter prædixit Azarias Propheta 2. Paral. 15. 3: *Transibunt multi dies in Israel absque Deo vero, et absque sacerdote, doctore, et absque lege*, q. d. Excisa Samaria ab Assyriis anno 6. Ezechiæ regis Juda, Israelitæ captivi erunt et profugi, carebuntque tam repub. quam Ecclesia; tam rege, quam pontifice, tam curia, quam templo; tam civili jure, quam sacro.

Sine altari.] Hebr. est, מצבה *matseba*, id est, statua. Unde Leo Hebr. Isidor. Arias, Pagnin. et alii vertunt, *sine idolis.* Verum melius vertit Noster, *sine altari*, ita enim vertunt Septuag. altare enim directe et correlative respondet sacrificio, quod antecessit. Hinc et Chald. vertit: *Neque erit in Samaria excelsum*, scilicet altare. *Matseba* enim significat omne id quod erigitur, statuitur, firmatur, quale in primis est altare, à rad. יצב *iatsab*, id est, *stetit*, et in hiphil הציב *hitsib*, id est, *statuit*, erexit, firmavit.

Sine ephod.] *Ephod*, sive superhumerale, erat primaria vestis pontificum, ut dixi Exod. 28. 6. Unde significat pontificatum et sacerdotium Israeli auferendum, uti jam pridem ablatum est. Ita S. Hieron. Theodor. Theoph. Hugo et Lyran. quocirca Septuag. vertunt, *sine sacerdotio.* Verum quia in τῷ *sine sacrificio, et sine altari*, sat significavit auferendum pariter sacerdotium, hoc enim sine altari et sacrificio esse nequit; hinc pressius et melius per ephod accipiemus oracula et prophetiam, quæ fiebat per urim et thummim posita in ephod, uti dixi Exodi 28. 30. significat ergo ab Israele auferendos Prophetas et pontifices, qui per urim et thummim dent oracula, et consulti respondeant de futuris. Ita S. Cyrill. Theodor. et Theoph.

Sine theraphim.] Quæres, quid est *theraphim?* Primo, Judæi censent fuisse sacras imagines, quibus privandæ erant decem tribus in Assyriaca captivitate; unde Aben-ezra et alii Rabbini ex hoc loco colligunt sacras imagines non fuisse Judæis vetitas, sed tantum profanas et idololatricas. Sileat ergo Lutherus et hæretici, qui volunt Theraphim fuisse sacras imagines similes imaginibus Catholicorum, unde eas esse vetitas, quia alibi passim Scriptura vetat et damnat theraphim. Legant hi fabulones Bellarmin. lib. 2. de Sanctis.

Secundo, Arias et Cajetan. in Judic. 17. et Oleaster in Genes. 31. 19. censent esse imagines quas certo astrorum situ conficiebant Astrologi, ut ex iis loquentibus, responsaque dantibus cognoscerent futura. Unde R. Eliezer in suis capitulis cap. 36: *Quare*, inquit, *vocantur Theraphim?* ac respondet: *Adducebant hominem primogenitum et mactabant, eique caput abscindebant, atque hoc sale et aromate condiebant, ac inscribebant super laminam nomen cujusdam spiritus immundi. Porro supponebant nomen illud sub lingua ipsius, eamque reponebant in pariete, atque coram eo accendebant lucernas, et adorabant eum, ipse vero alloquebatur eos.* Et Aben-Ezra in Genes. 31. Theraphim, ait, erant hominum imagines, ad superiorum virtutum et cœlorum influxum suscipiendum. Sic et Lyranus in Judic. c. 17.

Tertio, alii Rabbini censent esse instrumenta quædam ærea, ad horarum partes internoscendas, seu esse horologia, cylindros, astrolabos.

Quarto, Moncejus lib. 1. de Vitulo aureo c. 18 et 20. putat theraphim fuisse Cherubim, alii Seraphim. Unde Cedrenus referens historiam Judic. 17. Pro *theraphim* habet *Seraphim.* Chaldæi enim ita dicunt, nam pro littera, s, ponunt t, ut pro *scalos*, id est, tria, dicunt *thelath*, pro *sces*, id est, sex, dicunt *scet*, pro *mescalim*, id est, proverbia, dicunt *methalim*, pro *matseca*, id est, fusile, *matheca*, pro *sçaar*, id est, janua, dicunt *therah*, cum metathesi, è qua Græcorum θύρα, et Germanorum *thur*, inquit Serarius in Judic. 17. q. 5. Hinc et S. Hieron. Theraphim, ait, sunt Cherubim et Seraphim, sive alia quæ in templi ornamenta jussa sunt fieri, hæc enim omnia per synecdochen significantur in suâ parte, puta in theraphim, hoc est Cherubim et Seraphim. ita et Haymo, Albert. Hugo et Dionysius.

Quinto, Christ. à Castro, Sanchez et Leo Castrius censent theraphim esse urim et thummim, quæ erant duo lapides, vel duo simulacra, ut putat Christ. à Castro, in rationali pon-

tificis, dantia oraculum et responsa consulentibus. Probant, quia Septuag. et Aquila vertunt, *illuminationes*, vel *manifestationes*, sic autem iidem vertunt urim et thummim Exodi 28. v. 30. Verum hoc uti novum, ita parum verisimile videtur, præsertim quia hoc periculosum valde fuisset apud Judæos, si imagines vidissent, vel audissent loquentes et vaticinantes. Erant enim ipsi in imaginum adorationem et idololatriam propensissimi.

Quocirca dico primo, *theraphim* significat imagines sive simulacra. Patet, quia ita vertit Noster 1. Reg. 19. 16. in statua quam pro Davide profugo supposuit uxor Michol. ubi Septuagint. vertunt κενοταφια, id est, statuas repræsentantes mortuum hominem, sed inanes et evanidas, cum ipsum corpus hominis non adsit, sed absit. Secundo, quia Aquila vertit μορφωματα, id est, figuras seu imagines: Chald. צלמניא *tsalmenaia*, id est, similitudines et simulacra.

Dico secundo, hinc consequenter theraphim, sicut et simulacra, sumuntur pro idolis, quia priscæ imagines, præsestim apud Judæos, vix fiebant nisi diis et idolis. Patet, quia Noster Interpres et alii Genes. 31. 19. Judic. 17. 5. Ezech. 21. 21. et alibi passim, *theraphim* vertunt idola. Hæc dicuntur *theraphim*, vel à rad. רפה *rapha*, id est demittere, ut vult Marinus et Forster, quod idololatræ coram iis se demitterent et humiliarent, ea adorando, vel à Chaldæo תרף *teraph*, id est, putrescere, exprobrare, et probris afficere. Unde Chaldæi *beth hatturpha*, id est, domum turpitudinis, vocant fanum idoli, et forte inde manavit Latina vox turpis et turpitudo, ait Serarius loco citato. *Theraphim* ergo idem est quod turpe, probrosum, immundum, putridum et putrefactione dignum; tale enim est idolum, quod proinde hebr. vocatur stercus et sordes, vel potius *theraphim* dicta sunt à seraphim et cherubim, de quo mox plura.

Porro *theraphim* hic, uti et alibi, significare idola, ex eo colligitur, quod per τὸ *sine theraphim*, explicat illud quod de muliere dixit v. 3: *Non fornicaberis, et non eris viro*, q. d. Volo te, ô mulier, domi meæ degere solam, ita ut nec adulteris, nec marito tuo copuleris; ut repræsentes, quod Israelitæ post excidium pari modo sedebunt sine sacrificiis et altari; ut non colant Deum verum, quasi maritum suum; et sine theraphim, ut non colant deos alienos, quasi adulteros; significat ergo Israelitas longo tempore non colituros Deum verum, nec theraphim, id est idola.

Dico tertio, *theraphim* significat idola, tum qua deos, tum qua dabant oracula, et consulentibus respondebant de futuris eventis. Patet, quia Ezech. 21. 21. de rege Babylonis dicitur: *Interrogavit idola* (hebr. *theraphim*) *exta consuluit*; et Zachar. 10. 2: *Quia theraphim locuta sunt, et divini viderunt mendacium*; unde et Chald. vertit: *Non erit qui responsum reddat*; idem patet Judic. 17. 5. et cap. 18. 20. in theraphim Michæ. Secundo, quia Septuag. pro *theraphim*, vertunt δηλωσιν, id est, manifestationem; et Aquila φωτισμον, id est, illuminationem, hoc est, prophetiam et oraculum: Denique Rabbini: *theraphim*, inquiunt, *sunt imagines futura prænuntiantes*.

Theraphim ergo erant simulacra et idola, quæ idololatræ domi habebant, invocabant, et in omnibus difficultatibus dubiisque consulebant, quasi Lares et Penates suos. Sic Rachel furata est theraphim, id est idola et Lares, patris sui. Genes. 31. 19. Sic Micha habuit theraphim, quasi Penates suos, Judic. 17. vers. 5. Itaque significatur hic quod Israel in captivitate carebit theraphim, id est, diis patriis, Laribus et Penatibus suis, puta vitulis aureis, et Baalim, quos colebat in Samaria, licet enim mistus Gentibus coluerit earum idola; tamen hi non erant ejus theraphim, id est, dii patrii, Lares et proprii Penates quos coluerant in Samaria. Ita Hebræi, Lyran. Vatabl. Pagnin. Isidor. Arias. Serarius loco citato, et alii. Simili modo Gentiles coluerunt suos Lares, adeo ut etiam post excidium domo et urbe fugientes, eos secum peregre asportarent, uti Æneas, excisa Troja, extulit secum idola patria, quasi Lares suos, quod tacite irridens Virgil. ait:

> Ilium in Italiam portans victosque Penates.

Hinc narrant Gentiles, quod, cum Trojæ in honorem Palladis arx, et in ejus summo templum illi ædificaretur, è cœlo ceciderit Palladium, id est, Palladis simulacrum ligneum movens oculos et hastam quam manu gestabat, ut scribit Servius. Hoc Palladium sibi locum in eo templo delegit; moxque oraculum ab Apolline datum est Trojam exscindendam, si Palladium hoc ex urbe efferretur. Quocircà Diomedes et Ulysses clanculum, occisis custodibus, illud extulerunt; ac paulo post à Græcis capta est Troja. Ita Ovidius 5. Fastor. et Virgil. 2. Æneid.

> Fatale, *inquit*, aggressi sacrato avellere templo
> Palladium, etc.

Palladium enim erant Penates Trojæ. Et S. Augustin. in lib. de Civit. ridet hosce deos urbiumque tutores, qui oculos habent et non vident, pedes et non ambulant, manus et non possunt opitulari: *Tales*, inquit, *fuerunt præsides et custodes Capitolii, qui cum seipsos non possent defendere, quanto minus valebant civitatem tueri?* De his ait Plautus:

> Ego Lar sum familiaris ex hac familia,
> Unde exeuntem me aspexisti.

Inde Lararium vocabatur locus sive oratorium in quo theraphim, id est, Lares et dii domestici servabantur et colebantur. Scribit Lampridius Alexandrum Severum Imperat. in Larario rem divinam mane factitasse ad effigies deorum, in quibus habebat Abrahamum et Christum, in secundo autem Larario habebat simulacrum Virgilii et Ciceronis. Iidem dicti sunt Penates: *Sive à penu ducto nomine* (*est enim omne quo vescuntur homines penus*) *sive ab eo quod penitus insident, ex quo etiam penetrales à Poetis vocantur*, inquit Cicero lib. 2. de Natura deorum. Et Macrob. lib. 3. Satur. cap. 4: *Penates*, ait, *esse dixerunt, per quos penitus spiramus, per quos habemus corpus, per quos rationem animi possidemus*. Unde Plaut. in Mercat. *Ego mihi alios Penates deos persequar, alium Larem.* et Terent. in Phormione: *At ego deos Penates hinc salutatum domum divertar.*

Hinc rursum suspicari quis potest, theraphim ortum habere à cherubim et seraphim, uti superius dixi. Cum enim Gentes viderent Judæos tanta veneratione prosequi cherubim et seraphim, tum post fabricam arcæ et cherubim

per Mosem, tunc ante eam. Nam ante eam Genes. 31. Rachel dicitur furata theraphim, id est, idola patris sui, atque ab initio mundi cherubim positi erant ad custodiam paradisi; denique ex traditione Adæ, Noe, Abrahæ, filii et nepotes eorum ante Mosen cognoscebant et venerabantur angelos, seraphim et cherubim, inde Gentiles suspicati sunt hæc esse eorum numina et deos tutelares; unde ipsi pariter suos Lares et Penates nonnihil immutata et corrupta voce (uti fieri solet, cum voces è primæva lingua in aliam peregrinam transferuntur) pro seraphim et cherubim vocasse videntur theraphim, præsertim Chaldæi, qui littera *t* gaudent, et *s* in *t* commutant, ut initio dixi. Hinc et theraphim sæpe junguntur cum ephod, uti hoc loco, et Judic. 17. 5. et cap. 18. vers. 4. 17 et 20; constat enim ephod vestem fuisse sacerdotalem Judæorum.

Et quærent Israelitæ, sive decem Tribus, tot centenorum annorum desolatione et derelictione afflicti, pœnitentes et resipiscentes, Dominum Deum suum et David regem suum.] *David*, id est Messiam, sive Christum Davidis filium, et in regno (non temporali, sed spiritali Ecclesiæ) successorem. Ita Chald. S. Hieron. Hugo, Vatabl. Isidor. Arias et alii passim. Ita Christus vocatur David Ezechiel. 34. 23 : *Suscitabo super servum meum David;* Jerem. 30. 9 : *Servient Davidi regi suo, quem suscitabo eis.* Et alibi, ut docet S. August. tom. 4. lib. de Octo Dulcitii quæstionibus quæst. 5. et ult. ac fuse Galatin. lib. 3. cap. 23; nomina enim parentum apud Hebræos sæpe patronymice sumuntur pro filiis et posteris.

5. Et pavebunt ad Dominum et ad bonum ejus.] Pavor in Scriptura, cùm Deo et rebus divinis tribuitur, significat summam venerationem et reverentiam, q. d. Summa reverentia prosequentur et colent Dominum. Septuag. vertunt : *Stupebunt in Domino et in bonis ejus.* Porro *ad Dominum*, id est, audito nomine Domini, q. d. Solo nominis divini auditu perculsi et attoniti, eum reverebuntur. Bonum autem hìc significat Dei erga Israelitas largitatem et beneficentiam, quam Deus fidelibus per innumeras gratias, dona et beneficia demonstrat, et testatissimam facit, ita ut fideles iis visis in Dei tam liberalis et benefici admirationem et stuporem rapiantur, q. d. Israelitæ mira devotione et reverentia venerabuntur Dei bonitatem et magnificentiam; quia videbunt tam magnifica dona et beneficia ab ea sibi, licet tam diu rebellibus post tot secula exhiberi, juxta promissa Abrahæ et patribus facta. Unde primo, particulatim. S. Hieron. Albertus et Hugo per *bonum* accipiunt Jesum Christum, quem unigenitum suum (ac consequenter omnia dona per eum et cum eo) nobis donavit Deus Pater. Secundo, Haymo, Albertus et Arias per *bonum* accipiunt Spiritum Sanctum; hic enim est primum et increatum bonum et donum Patris et Filii, qui omnia creata dona in se complectens, ea ubertim in nos effundit. Tertio, alii per *bonum* accipiunt Eucharistiam; in hac enim summam bonitatem, opus et gratias nobis in dies ostendit, et communicat Deus Pater, et Christus Dominus juxta illud Zachariæ 9. 17 : *Quid est bonum ejus, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?*

In novissimo dierum,] in fine mundi, quando sub adventum Antichristi, maxime post eum occisum, Israelitæ et Judæi, qui ei viventi et regnanti adhæserant, partim memores concionum et miraculorum Eliæ et Enoch, partim aliorum concionatorum exhortatione, convertentur ad Christum, uti dixi Apocal. 11; tunc enim omnis Israel salvus fiet, Roman. 11. 25. Ita S. Hieron. Haymo, Albert. Hugo, Lyran. et alii passim. Secundo, Isidor. et à Castro hæc facta putant in incarnatione, et primo adventu et prædicatione Christi, scilicet inchoate, tunc enim pauci ex Israel converti cœperunt. Errant alii, qui hæc præstita putant in laxatione Judæorum è Babylone facta per Cyrum.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Causas iræ Dei et vindictæ in Israelem recenset, maledictum, mendacium, homicidium, furtum, adulterium, etc. quorum omnium origo fuit, quod in eo non esset scientia Dei. Rursum horum omnium causam, v. 8. assignat ignorantiam et malitiam sacerdotum, qui peccata populi adulando fovebant ut pro iis hostias ab eo acciperent. Tertio, v. 19. arguit Israelis lasciviam et libidinem, ideoque ei ignominiosum excidium et captivitatem comminatur.

1. Audite verbum Domini, filii Israel, quia judicium Domino cum habitatoribus
terræ : non est enim veritas, et non est misericordia, et non est scientia
Dei in terra. 2. Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et
adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit. 3. Propter hoc
lugebit terra, et infirmabitur omnis qui habitat in ea, in bestia agri, et in
volucre cœli : sed et pisces maris congregabuntur. 4. Verumtamen unus-
quisque non judicet ; et non arguatur vir : populus enim tuus, sicut hi qui
contradicunt sacerdoti. 5. Et corrues hodie, et corruet etiam Propheta tecum : nocte tacere
feci matrem tuam. 6. Conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam : quia tu scien-
tiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi : et oblita es legis Dei tui, obliviscar
filiorum tuorum et ego. 7. Secundùm multitudinem eorum sic peccaverunt mihi : gloriam eorum
in ignominiam commutabo. 8. Peccata populi mei comedent, et ad iniquitatem eorum subleva-
bunt animas eorum. 9. Et erit sicut populus, sic sacerdos : et visitabo super eum vias ejus, et
cogitationes ejus reddam ei. 10. Et comedent, et non saturabuntur : fornicati sunt, et non
cessaverunt : quoniam Dominum dereliquerunt in non custodiendo. 11. Fornicatio, et vinum,
et ebrietas auferunt cor. 12. Populus meus in ligno suo interrogavit, et baculus ejus annuntiavit
ei ; spiritus enim fornicationum decepit eos, et fornicati sunt à Deo suo. 13. Super capita
montium sacrificabant, et super colles accendebant thymiama : subtus quercum, et populum,
et terebinthum, quia bona erat umbra ejus : ideo fornicabuntur filiæ vestræ, et sponsæ vestræ
adulteræ erunt. 14. Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatæ, et super sponsas
vestras cum adulteraverint : quoniam ipsi cum meretricibus conversabantur, et cum effeminatis
sacrificabant, et populus non intelligens vapulavit. 15. Si fornicaris tu, Israel, non delinquat
saltem Juda : et nolite ingredi in Galgala, et ne ascenderitis in Bethaven, neque juraveritis :
Vivit Dominus. 16. Quoniam sicut vacca lasciviens declinavit Israel : nunc pascet eos Dominus,
quasi agnum in latitudine. 17. Particeps idolorum Ephraim, dimitte eum. 18. Separatum est
convivium eorum, fornicatione fornicati sunt, dilexerunt afferre ignominiam protectores ejus.
19. Ligavit eum spiritus in alis suis, et confundentur à sacrificiis suis.

1. Audite verbum Domini, filii Israel.] Hinc patet Prophetam adhuc alloqui decem Tribus. Ita Chald. S. Hieron. Hugo, Vatabl. et alii; hæ enim vocantur Israel et Ephraim vers. 17, licet aliqui, ut Haymo et Arias, hæc accipiant de duabus Tribubus, eo quod v. 15. nominet Juda; sed id facit obiter, per subitam depressionem, imo per comparationem et oppositionem ad Israel, id est ad decem Tribus. Alii denique, ut Ribera, hæc accipiunt, tam de Israel quam de Juda, id est, de duodecim Tribubus, quod non est improbabile; licet primum quod dixi sit probabilius, magisque proprium et connexum.

Quia judicium Domino cum habitatoribus terræ.] *Judicium*, id est, accusatio et expostulatio, unde Chald. vertit, *disceptatio*, q. d. Habet Deus quod in judicio accuset, justeque expostulet cum incolis Samariæ. Ita Vatabl. et alii.

Non est enim veritas,] id est fidelitas, sive fides promissorum et factorum, q. d. Israelitæ non servant fidem, sed dolosi sunt et fraudulenti; decipiunt enim et fraudant proximos suos.

Ita passim Interpretes. Solus Albert. quem sequitur Dionysius accipit veritatem morum et vitæ, qua scilicet vita dicitur vera, id est recta, justa et conformis suæ regulæ, puta rectæ rationi.

Non est misericordia,] q. d. Non est qui misereatur, et miserando subveniat egenti et afflicto. Ita Haymo, Hugo, Vatabl. Arias ac S. Cyprian. epist. ad Demetrianum, ubi et addit: *De sterilitate aut fame quereris, quasi famem majorem siccitas quam rapacitas faciat, quasi non de captatis annonarum incrementis et pretiorum cumulis flagrantior inopiæ ardor excrescat. Quereris cludi imbribus cœlum, cum sic horrea cludantur in terris. Quereris minus nasci, quasi quæ nata sunt, indigentibus præbeantur. Pestem et luem criminaris, cum peste ipsa et lue detecta sint vel aucta crimina singulorum, dum nec infirmis exhibetur misericordia, et defunctis avaritia inhiat ac rapina; iidem ad pietatis obsequium timidi, ad impia lucra temerarii, fugientes morientium funera et appetentes spolia mortuorum; ut appareat in ægritudine sua miseros ad hoc forsitan et derelictos esse, ne possint, dum curantur, evadere.* Ita sane et hodie sæpe immisericordia est causa miseriarum privatarum et publicarum.

Et non est scientia Dei in terra.] *Et*, id est, *quia* (hoc enim significat Hebr. *vau*), q. d. Defectus scientiæ Dei, quasi luminis practici, est causa cur deficiat misericordia et veritas, sive fidelitas. Porro *scientiam Dei* accipe non speculativam, sed practicam, qua cognoscimus, æstimamus et reveremur Dei numen, providentiam, justitiam, vindictam, etc. ideoque hæc Dei scientia cum ejusdem timore, amore, cultu et obedientia conjuncta est. Hæc enim est scientia, sapientia et prudentia, quam passim commendat Scriptura, præsertim in Proverbiis, Ecclesiastico et aliis libris Sapientialibus, q. d. Non est qui Deum practice cognoscat, puta qui ejus majestatem et providentiam apprehendat et æstimet uti par est, qui eum timeat, colat et revereatur; ut cogitans ejus providentiam qua punit impios, et præmiat pios, studeat ei placere; ideoque vacet operibus piis, et abstineat ab impiis, de quo ait S. Joan. epist. 1. c. 2. 4: *Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est;* unde Chald. vertit: *Non est qui ambulet in timore Domini.* Sic et S. Cyrill. et S. Cyprian. lib. ad Demetrianum. Quod enim homines à peccato absterret, et ad bonum impellit, est Numinis metus et reverentia; hoc si tollas, homines impune frena laxabunt suis concupiscentiis, et ruent in omnia scelera. Hoc est quod queritur Psaltes Psalm. 13: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus;* hac de causa *corrupti sunt, et abominabiles facti.*

Ex adverso S. August. ser. 112. de Tempor. *Cognitione*, ait, *Dei nihil melius est, quia nihil beatius est, et ipsa vera beatitudo est. Unde et Salvator ad Patrem ait: Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te unum verum Deum et quem misisti Jesum Christum.* Et mox: *Beata siquidem vita est cognitio divinitatis; cognitio divinitatis, virtus boni operis est; virtus boni operis, fructus est æternæ beatitudinis. Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare et legere. Nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur; cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur.* Idem scripsit lib. de Beata vita, quo toto docet non aliud esse beatam vitam, quam perfectam Dei cognitionem. S. Bern. tract. de Interiori domo in fine: *Deum*, ait, *cognoscere, plenitudo est scientiæ; plenitudo autem hujus scientiæ, plenitudo est gloriæ, consummatio gratiæ, perpetuitas vitæ. At hujus vero scientiæ plenitudinem, opus est potius intima compunctione, quàm profunda investigatione; suspiriis, quàm argumentis; lacrymis, quàm sententiis; oratione, quàm lectione; cœlestium potius contemplatione, quàm terrestrium occupatione.* Idem, lib. de Conscientia, docet multos quærere scientiam, paucos conscientiam, cum vera scientia consistat in pura et sancta coram Deo conscientia.

2. Maledictum et mendacium.] Chald. vertit: *Perierant incolæ hujus terræ, mentiuntur, etc. committunt adulteria, perfringunt* (scilicet sepem mandatorum Dei) *et sanguis sanguinem tangit, cædes cædem excipit.* Sic et Vatabl. Alii vertunt et explicant: *Maledictis, calumniis, conviciis et exsecrationibus insectantur proximos.* Ita Theop. Haymo, Lyranus et Hugo. Utrumque significat hebr. אלה *ala*, sed magis prius; ostendit enim non esse veritatem in terra ex contrario, quia scilicet in ea regnat *ala*, id est, perjurium exsecratorium, ut vertunt Septuag. q. d. Exsecrantur, dicuntque: Dispeream, terra mihi dehiscat, si hoc non sit verum, vel si hoc non fecero, et mentiuntur fidemque fallunt; ideoque sunt perjuri.

Inundaverunt.] Chald. et Vatablus, *eruperunt instar diluvii*, quod omnes aggeres et sepes sua vi diffringens et disrumpens, campos implet et opplet aquis. Hoc enim est hebr. פרץ *parats;* pari enim modo Israelitæ suis sceleribus plurimis et maximis diffringebant omnia jura jussaque Dei, atque omnia replebant furtis, fraudibus, adulteriis, cædibus, etc.

Et sanguis sanguinem tetigit.] Septuag. *Sanguines in sanguinibus miscent.* Sic enim legit Codex Vatican. Hebr. ad verbum est: *Sanguines in sanguines tetigerunt. In sanguines*, id est, *sanguines;* verba enim contactus apud Hebræos construuntur cum *beth*, id est, *in.* Dicunt enim percutere in manu, pro percutere manum; occidere in anima, id est, occidere animam. *Sanguis* in Scriptura significat primo, homicidium, per metonymiam, qua objectum ponitur pro actu; puta sanguis, pro effusione sanguinis, indeque extenditur per catachresin ad quamvis vim, fraudem et injuriam proximo illatam; hæc enim viam sternit ad homicidium, ejusque est quasi inchoatio; unde prohibetur quinto Decalogi præcepto: *Non occides.* Secundo, significat omnem contaminationem, pollutionem et immunditiem; sanguis enim effusus omnia contaminat, polluit, cruentat et fœdat. Tertio, per synecdochen significat quodlibet scelus; quia enim maximum scelus in proximum est homicidium, hinc ab eo utpote famosiori sumitur denominatio, ut quodlibet aliud facinus à pari vel simili vocetur sanguis. Hisce omnibus modis hîc accipitur.

Primo ergo Vatabl. exponit: *Sanguis sanguinem tetigit;* id est, cædes cædi fuit continua, vel cædes cædem tetigit, q. d. Sunt continuæ cædes in Samaria, mutuis vulneribus sese passim interficiunt. Sic Latinis priscis alternum dare sanguinem dicebantur, qui se invicem vulnerabant. Unde Seneca in Thyeste:

Quis vos exagitat furor

Alternum dare sanguinem
Et sceptrum scelere aggredi?

Unde Syrus vertit: *Sanguinem sanguine miscuerunt;* Arabicus: *Sanguinem super sanguinem effuderunt.* In Hebræo major est emphasis. Habet enim in plurali: *Sanguines tetigerunt sanguines,* q. d. Tanta est effusio sanguinis, ut non guttatim is stillet, sed instar rivi et torrentis decurrat, atque ad sanguinem alibi effusum confluat, efficiatque quasi lacum sanguineum, et campos sanguinantes. Inde *vir sanguinum* vocatur homicida et latro, uti David vocatur à Semei 2. Reg. 16. 7.

Secundo, Rupert. sanguinem accipit pro commixtione seminis et sanguinis (semen enim est sanguis optimus et plane percoctus) consanguineorum, q.d. Consanguinei invicem sanguinem, id est semen, commiscent, invicem incestant et polluunt.

Tertio, plenissime, Chald. S. Cyril. S. Hieron. Haymo et Hugo *sanguines* accipiunt pro peccatis, q. d. Addunt peccata peccatis, scelera sceleribus accumulant. Audi S. Gregor. hom. 11. in Ezech. *Sanguis sanguinem tangit, quando peccatum peccato additur; ut ante Dei oculos adjunctis iniquitatibus anima cruentetur, Paulus Apostolus ait: Ut impleant peccata sua semper. Joanni quoque per angelum dicitur: Qui nocet, noceat adhuc; et qui in sordibus est, sordescat adhuc,* q. d. Domus, vici, fora, templa, muri, agri peccatis inundant et exundant.

Quæres cur sanguis sit symbolum peccati? Resp. primo, quia effusio sanguinis, puta homicidium, inter homines censetur gravissimum esse peccatum. Secundo, quia sanguis est sedes et instrumentum concupiscentiæ, quæ est causa peccati. Sanguis enim subministrat materiam tam libidini, quam iræ et superbiæ, eaque accendit et inflammat. Unde sanguis est symbolum carnalis sensus et cupiditatis, uti ex Theodor. docui Levit. 17. 11. Tertio, quia sanguis Judæis ex lege erat immundus et abominabilis, nec eo licebat vesci, idque in odium et detestationem homicidii, Levit. 17. 10. Rursum, sanguis menstruatarum et naturaliter et ex lege immundissimus erat, Levit. 15. 19. et seqq. Tale est peccatum quod est menstruum, et teterrimum virus animæ. Quarto, quia peccatum occidit animam, ejusque quasi sanguinem et vitam effundit.

Allegor. Theoph. et ex eo Leo Castrius (qui hunc sensum affert quasi litteralem): Judæi sanguini Prophetarum miscuerunt sanguinem Christi, Apostolorum et Martyrum, dum eos æque ac Prophetas occiderunt, uti Christus eis objicit Matth. 23. 33. Rursum iidem, ait Castrius, Christum inter duos latrones crucifixerunt, ut crederetur esse latro. Sic ergo sanguinem Christi sanguini latronum miscuerunt.

3. PROPTER HOC LUGEBIT TERRA.] Hic pœnam tot tantisque sceleribus debitam intentat. Ait ergo: *Lugebit,* id est, ut Chald. *vastabitur et desolabitur, terra,* ut metaphorice lugere videatur; sicuti ex adverso prata ridere dicuntur, cùm germine, floribus et fructibus vernant. Ita Lyran. Arias et Vatabl. Secundo, *lugebit,* metonymice, quia vastata luctum incolis inducet. Ita Haymo et Hugo. Quocirca hujus luctus terræ effectum subdit, dicens:

ET INFIRMABITUR,] id est, languebit, fame conficietur, tabescet et morietur. Ita Chald. Est metonymia; ponitur enim antecedens pro consequente, puta infirmitas pro morte.

OMNIS QUI HABITAT IN EA, IN (id est, cum) BESTIA AGRI, ET IN (id est, cum) VOLUCRE COELI,] q. d. Desolata terra non tantum homines, sed et bestiæ avesque, quin et pisces morientur; tum quia hæc omnia ex terræ frugibus vivunt: iis ergo sublatis emoriuntur; tum quia per hæc omnia punitur à Deo homo peccans, qui est eorum dominus.

ET PISCES MARIS CONGREGABUNTUR,] id est, deficient et morientur. Ita Sept. et Chald.

Quæres: Cur defectus animalium et mors vocatur *congregatio?* Respond. primo, quia animalia, etiam fera, ut leones, cervi, lupi, apri sparsi per agros et sylvas, dum periculum mortis sentiunt, naturæ instinctu solent congregari in unum agmen, ut simul juncta validius periculo resistant. Secundo, quia pisces cum ob vitium aquarum, aeris, aliave de causa (ut ob fœturam, vel cum balæna gravida onus ventris sentiens agitat seipsam totumque mare et consequenter omnes pisces) aliò migraturi sunt, solent congregari in unum agmen, itaque simul proficisci; unde tunc piscatores, qui id præsentiunt, eos piscari solent; uti quotannis stato tempore videmus fieri piscationem halecum, mugilum, salmonum. Tertio, Ribera et alii exponunt: *Congregabuntur,* scilicet ad multitudinem et congregationem mortuorum, id est, tabescent et morientur. Hinc enim illa trita phrasis: *Apponi* vel *congregari ad patres,* id est, mori. Est metalepsis, vel metonymia: ponitur enim consequens pro antecedente, scilicet descensus in sepulcrum et limbum, pro morte prævia. Quarta et genuina, quia hebr. אסף *asaph* significat congregare, colligere, auferre. Sic enim poma dicuntur congregari vel colligi, dum carptim auferuntur. Sic pisces congregantur in sagenam, dum expiscando auferuntur. Unde Lucilius:

Ruis huc, et colligis omnia furtim.

Congregare ergo vel colligere, idem est quod auferre.

Porro hæc mors vel descensus piscium in desolatione terræ contingit partim naturaliter: siccitas enim et combustio terræ arefacit torrentes et rivos, qui alebant pisces; partim et potius justo Dei judicio, qui hominum impiorum terra et aqua, bestiis et piscibus abutentium castigat, omnium defectu et desolatione. Hoc est quod minatur Isaias Ægyptiis c. 19. v. 5: *Arescit aqua de mari, et fluvius desolabitur atque siccabitur; et deficient flumina, et mœrebunt piscatores.* Ita in historiis legimus, et hoc seculo vidimus, in Francia, Scotia, Hollandia urbes olim piscatione et piscibus divites, postquam hæresim admiserunt, piscibus emorientibus, vel aliò commigrantibus sterilitate et paupertate à Deo vindice punitas. Refert Platina sub Victore III. Pontif. ob peccata illius ævi pisces tam in mari quam in fluminibus defecisse. Idem Hibernæ contigisse, sed precibus S. Malachiæ correctum esse, in hujus Vita scribit S. Bernard. Sic ex adverso Christus semel et iterum ingentem copiam piscium adduxit in retia S. Petri, utpote fidelium principis, Lucæ 5. v. 6. et Joan. 21. 6. Theodor. per aves accipit divites, qui in pisces, id est pauperes, grassantur eosque consumunt; sed hoc mysticum est, non litterale.

4. VERUMTAMEN UNUSQUISQUE NON JUDICET (id est, non expostulet, ut vertit Vatablus, non increpet) ET NON ARGUATUR VIR,] q. d. Nemo increpet et arguat homines hujus regionis; frustra enim id faciet, nam monenti obstrepunt et contradicunt. Ita S. Hieron. Lyran. et Vatabl. Loquitur quasi desperans de eorum emendatione, simulque significat eos plane indignos esse monitione et correptione, ait Rupert. Audi S. Hier. *Provocati erant ad judicium Dei filii Israel, ut causas Dominicæ indignationis audirent, et præterita peccata cognoscerent, propter quæ hostibus traderentur. Nunc quia in scelere perseverant, et impudenti Deum fronte contemnunt, audiant: Non necesse est ut veniatis ad judicium, ut in vestris flagitiis arguamini; quia tantæ estis impudentiæ; ut nec convicti quidem, pudorem habeatis et verecundiam; sed contradicatis mihi, quasi si discipulus magistro, sacerdoti plebecula contradicat.*

POPULUS ENIM TUUS SICUT HI QUI CONTRADICUNT SACERDOTI.] Vatabl. *sicut hi qui litigant cum sacerdote*, q. d. Israelitæ contradicunt mihi et Prophetis, sicut improba et impudens plebs contradicit sacerdoti, cum eoque litigat. Ita S. Hier. alleg. Judæi contradixerunt Christo, qui est summus sacerdos, dicentes: Non habemus regem nisi Cæsarem, ait Leo Castr. Secundo, τὸ *sicut* potest accipi ut nota non similitudinis, sed veritatis, uti est Joan. 1. 14, q. d. Populus tuus est obstreperus et vitilitigator, uti decet eum qui litigat et jurgatur cum suis sacerdotibus. Quocirca Arias sic exponit, q. d. Nemo est qui arguat populum. Nam sacerdotes quorum est cum arguere, æque improbi sunt. Unde si hi populum increpent, ille recalcitrat, et scelus sceleri regerit illud occinens:

Væ tibi tu! nigræ dicebat cacabus ollæ.

5. ET CORRUES HODIE,] id est brevi, q. d. Jam jam tibi, ô Israel, imminet ruina et calamitas captivitatis Assyriacæ; tibi, inquam, et tuis pseudo-prophetis, qui tibi quasi nunquam vastandæ falso abblandiebantur. Ita Chald. S. Hier. Theodor. Lyran. et Isidor.

Alii pro *hodie* vertunt, *interdiu*, aliterque sequentia dispungentes, sic transferunt: *Corrues igitur interdiu*, id est palam, media luce, non per tenebras et insidias, *corruet et Propheta tecum nocte*, id est, in sua calamitate et strage, æque ac ignorantia, imprudentia, et inopia consilii. Ita Chald. Vatabl. Pagnin. Isidor. et Arias; unde sequitur:

NOCTE TACERE FECI (præ pudore et confusione) MATREM TUAM,] puta Synagogam, sive Samariam, q. d. Puniam ejus obstreperam contradictionem silentio, ut se excusare, imo loqui nec audeat, nec possit: *Nulla flendi major est causa, quàm flere non posse*, vel metu tyranni fletum prohibentis, vel præ gravitate mali, quæ oculis mentique stuporem inducit: *Cum miserrimum sit flere, quàm infelix sum, cui ne hoc quidem licet!* ait Seneca lib. 1. Controv. 1. *Noctem* vocat tempus calamitatis et excidii, puta captivitatis, cædis et spoliationis Samariæ, forte etiam quia noctu capta est ab Assyriis. Unde Hebr. est, *nocte* et *tacere feci*, vel compescui *matrem tuam*, q. d. Cum nox erit, tunc tacebit. Rursum hebr. דמיתי *damiti* verti potest cum Vatabl. Pagnino et aliis, *succidi*, q. d. Nocte succidi matrem tuam. Tertio, verti potest cum Septuag. *Nocti assimilavi matrem tuam*, q. d. Ita cladibus obruetur, ut dies videatur esse nox, utque ipsa nocti tenebrosæ et horridæ similis esse videatur.

6. CONTICUIT POPULUS MEUS.] Vatabl. *Ad silentium redactus est*, vel *succisus est populus meus*, *eo quod non habuerit scientiam Dei*, de qua v. 1.

QUIA TU SCIENTIAM REPULISTI, REPELLAM TE, NE SACERDOTIO FUNGARIS MIHI.] *Scientiam* vocat Dei legisque divinæ studium et cognitionem, non tantum speculativam, sed et practicam uti dixi v. 1. Unde Chald. vertit: *Quia tu repulisti timorem Dei, repellam te, etc.* Nota primo: Alloquitur Synagogam sive populum Israel; unde de ea loquitur, nunc in genere masculino, nunc in feminino dicens: *Oblita es legem Dei tui*, q. d. Repellam te, ô Israel, ne ullus ex filiis tuis, aut ex cœtu tuo sit mihi sacerdos. Maxime tamen alloquitur ipsos sacerdotes, ut patet ex sequentibus. Nam v. 8. ait: *Peccata populi mei comedent*, scilicet sacerdotes; ita Chald. et Arias. Jam sacerdotium intelligit non falsum et idololatricum, institutum à Jeroboam, ut vult Albert. hoc enim non *mihi*, id est Deo, sed vitulis aureis fuit dicatum, sed verum et divinum. Sensus ergo est, q. d. Quia tu, ô Israel, et maxime vos, ô sacerdotes sparsi per Israelem, ut eum Dei cultum et timorem doceretis, repulistis studium meæ legis; hinc ex lege et pœna talionis vobiscum agam; nimirum quia vos legem meam adeo neglexistis, ut nec eam legeretis, nec ipsos legis libros haberetis, ego vicissim vobis ipsam legem, scientiam, sacerdotium, omnemque meî cultum et religionem auferam, ut quasi ad atheismum et paganismum redigamini. Ex sacerdotio enim pendet totius populi fides, cultus et religio. Eo ergo ablato necesse est ut hæc pariter auferantur et pereant. Ingens ergo pœna quam Deus Israeli hîc socordi in suî cultu comminatur, est sacerdotii ablatio. Videant nunc respubl. hæreticæ, quæ sacerdotes et sacerdotium Christianum exterminant, quàm non tantum illis et Christo, sed et sibi ipsis sint injuriæ; hoc enim ipso auferunt sibi Dei fidem, Dei Ecclesiam, Dei cultum, veramque religionem. Denique Arabicus vertit: *Quia tu es qui dilexisti seculum, et consolationem ejus, et ego repellam te, ne fungaris mihi sacerdotio.* Quod notent sacerdotes, ne se implicent rebus secularibus, ut monet Apostolus, si Deo servire et frui velint. Rursum ex hac Osee sententia, Synodus VII generalis probat arcendos esse episcopatu indoctos, qui carent Sacræ Scripturæ scientia, ut habetur dist. 38. cap. *Omnes.*

7. SECUNDUM MULTITUDINEM EORUM SIC PECCAVERUNT MIHI. *Eorum*, scilicet, *filiorum*, ut præcessit, q. d. Multiplicavi Israelitas sicut stellas cœli, sed quo plures fuerunt, eo plures peccarunt et gravius; ut quot Israeli filios dedi, tot mihi videar hostes genuisse; ipse enim eos educat in meî odio, et in idolorum amore cultuque. Quocirca GLORIAM EORUM IN IGNOMINIAM COMMUTABO,] q. d. Auferam eis filios (hi enim sunt gloria parentum, præsertim in lege veteri) quod eis erit valde probrosum et ignominiosum. Ita S. Cyrill. Theod. et Theoph. Secundo, sanctus Hieron. explicat, q. d. *Quot homines habuit Israel, tot aras exstruxit dæmonibus, in quorum victimis peccavit mihi. Propterea gloriam eorum, in qua gloriabantur sibi, cum Deo idola præferebant, in ignominiam commutabo; ut et sacerdotes capiantur et populi. Siquidem sacerdotes*

peccata populi mei comedunt, quia cum eum peccare perspexerint, non solum non arguunt, sed laudant, atque sustollunt, ac beatos prædicant. Tertio, Chald. τὸ *eorum* ad opes et proventus refert; vertit enim: *Sicut multiplicavi eis proventus, sic ipsi multiplicaverunt contra me peccata.* Ita sæpe videmus non tantum laicos, sed et sacerdotes ex opibus insolescere et luxuriari, juxta illud Deuter. 32. 15: *Incrassatus est dilectus, et recalcitravit.* Quocirca apposite, ait S. Ambr. *Divitiæ de vitiis nomen acceperunt*, quia divitiæ vitiorum sunt fomes.

8. Peccata populi mei comedent.] *Comedent*, id est comedere solent; futurum enim Hebræis sæpe significat morem, consuetudinem actionis. *Peccatum* in Scriptura tripliciter sumitur: primo, pro peccato proprie dicto; secundo, metonymice pro pœna peccati; tertio, pro hostia pro peccato; ut, cum ait Apostolus 1. Cor. 5. 21: *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum*, id est hostiam pro peccato, *fecit.*

Triplex ergo hic affertur sensus. Primus, q. d. Sacerdotes comedent, id est, luent pœnas peccatorum populi, quorum causa fuere sua dissimulatione; efficiam ergo ut quæ comederunt peccata, et quorum ipsi fuerunt causa, evomant cum visceribus, inquit Christ. à Castro. Unde et Theodor. sic exponit, q. d. *Metent quæ severunt, et suorum peccatorum fructum vindemiabunt.* Verum cum hac explicatione non recte cohæret id quod sequitur: *Et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum.*

Secundus, q. d. Peccata, id est, hostias pro peccato à populo oblatas comedunt sacerdotes, in iisque convivantur et epulantur. Unde S. Bernard. serm. 77. in Cant. *Peccata*, inquit, *populi mei comedunt, q. d. Peccatorum pretia exigunt, et peccantibus debitam sollicitudinem non impendunt. Quem dabis mihi de numero præpositorum, qui non plus invigilet subditorum vacuandis marsupiis, quàm vitiis exstirpandis?* Unde Prosper, lib. 2. de Vita contempl. cap. 10, ex hoc loco docet graviter peccare eos qui ex bonis Ecclesiæ locupletari volunt: *De Clericis*, inquit, *dicit Spiritus Sanctus: Peccata populi mei comedunt; sed sicut nihil habentes proprium, non peccata, sed alimenta quibus indigere videntur, accipiunt: ita possessores non alimenta quibus abundant, sed aliena peccata suscipiunt.*

Tertius: *Peccata populi comedunt*, qui precibus et victimis suis ea abolent et consumunt. Ita Ruffinus et alii. Verum hæc est laus sacerdotis, non probrum, de quo hic agitur.

Dico ergo, sensus est, q. d. Sacerdotes *peccata populi mei comedunt*, non ea consumendo per orationes et oblationes, uti par erat (hoc enim eorum officium, æque ac oblationes fidelium poscunt et exigunt), sed ea laudando, dissimulando, et in se suamque conscientiam ac caput ea suscipiendo. Ita enim agendo quasi hauriebant et absorbebant peccata populi, erantque causa ut illa multiplicarentur, idque ad hoc ut *peccata*, id est, hostias pro peccato plurimas à populo acciperent et comederent. Dicebant enim adulando, et extenuando peccata populi: Illud nullum, vel leve est peccatum; Deus scit nos esse fragiles et infirmos, tales ergo sciens tolerat, iisque compatitur; non ergo sitis anxii, ego illud in me suscipio, ego pro te satisfaciam Deo, et, uti ait Theophyl. *Super nos sit condemnatio*, uti Judæi dicentes Pilato: *Sanguis ejus sit super nos et super filios nostros;* ita S. Hieron. Haymo, Rupert. Hugo, Lyran. Ribera et alii. Et S. Gregor. hom. 17. in Evang. *Cur*, ait, *peccata populi comedunt, nisi quia peccata delinquentium fovent, ne temporalia stipendia amittant?* Et Arias: *Optant*, inquit, *magnam peccatorum esse copiam, quæ suam illis mercem cum quæstu compendioque suppeditent.* Sic apud Japones peccata populi comedunt sacerdotes, quos ipsi Bonzios vocant, qui cuilibet omnium scelerum impunitatem spondent, dummodo eis largas det oblationes et eleemosynas; hujusque sponsionis suæ dant syngraphas, quas morituri secum deferunt ad sepulcrum, quasi eas exhibituri judici et vindici Deo; ita habent epistolæ Japonicæ.

Duo ergo hac phrasi significat Propheta, adeoque peccatum accipit dupliciter; scilicet proprie, et metaphorice, pro hostia, pro peccato: hanc enim offerebant, et ex parte comedebant sacerdotes juxta legem Levit. 7. vers. 7; eò ergo alludit, q. d. Hi sacerdotes ex lege comedunt peccata, id est, hostias pro peccato à populo oblatas; et quia avari sunt et gulosi, inhiant hisce oblationibus et hostiis, ideoque ipsa peccata populi extenuando et adulando sorbent et deglutiunt, et, ut ait S. Job, bibunt quasi aquam iniquitatem. Ita sorbebat peccata Henrici VIII regis Anglicus ille palpo, qui regi volenti ducere Annam Bolenam, quæ putabatur regis esse filia ex pellice, ac roganti quantum peccatum esset cognoscere matrem et filiam, respondit: Tantum, quantum si quis devoret pullum cum matre, puta cum gallina, uti refert Sanderus lib. 1. de Schismate Anglicano. Hunc sensum poscit id quod sequitur:

Et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum.] Hebr. ad verbum præcise sic habent: *Peccata populi mei comedent* sacerdotes, *et ad iniquitatem eorum* (scilicet sacerdotum, id est, suam) *elevabunt*, vel *portabunt animam ejus*, scilicet populi, in quo quia sunt multi; hinc Noster vertit in plurali, *eorum*, scilicet populorum, q. d. Sacerdotes, respuentes Deum Deique scientiam, epulantur in hostiis et oblationibus populi, indulgent genio et ventri; et ad hanc similesque iniquitates suas imitandas invitant, erigunt, et inducunt animas populi verbo et exemplo. Unde subdit: *Et erit sicut populus sic sacerdos*, q. d. Sacerdos, qui populum præire debebat virtute, par est ei, imo præit eum, in scelere. Hinc secundo, R. David, Vatablus, Arias sic explicant, q. d. Inhiant, et avide exspectant iniquitates populi, sive ut contra legem peccet populus, ut exinde ab eo hostias pro illis peccatis expiandis accipiant, quibus epulentur: inhiant ergo peccatis populi, quasi inde toti pendeant et vivant; nam sublevare animam hebr. significat erigere animam in spem, sperare, inhiare, ut patet Ezech. 24. 25. et alibi; tertio, Haymo: *Sublevant*, inquit, *dicentes: Quoniam populus Dei estis, ex genere Abraham descendistis, propter illius amicitiam parcet vobis Deus, si peccaveritis ei.* Et Ribera sic explicat, q. d. Sacerdotes addunt animos popularibus ad hoc ut magis peccent, dum peccatis eorum connivent, ea palpant, iisque adulantur; quarto, alii *sublevant* exponunt per *exonerant*, q. d. Sacerdotes animas oneratas peccatis adulando sublevant, alleviant, exonerant; ita S. Hieron. Haymo, Rupert. Hugo, Lyran. et alii;

quinto, pro *sublevabunt* Septuag. vertunt, *accipient*, q. d. Sacerdotes pro iniquitatibus populi accipiunt, id est, offerunt Deo animas suas, seipsos devovendo iræ Dei pro populo. Ita Cyril. Verum primus sensus maxime genuinus est, ac deinde secundus, et tertius. Porro Cyrill. pulchre docet sacerdotes debere se orando et sancte vivendo, hostiam Deo pro peccatis populi offerre: *Talis enim*, ait, *potest populum qui in offensam Dei incurrit, legemque Dei violavit, in gradum pristinum restituere.*

Et erit sicut populus sic sacerdos.] Hebr. *Et erit* (vel *et est*) *sicut populus, sicut sacerdos*, est Hebraismus. Hebræi enim similitudinem exprimunt nota similitudinis, puta τὸ *sicut* apponendo utrique rei comparatæ, vel simili, quod Latinus Interpres apte Latina phrasi reddidit uni apponendo τὸ *sicut*, alteri τὸ *sic*, quod respondet voci *sicut*, estque redditio similitudinis. Sensus est, q. d. Similis est eritque populus sacerdoti, et sacerdos populo; qualis populus, talis sacerdos, et vice versa. Hoc enim exigit non tantum ipsa notæ similitudinis reciprocatio, ut vult Martin. Martines lib. 8. Hypotyp. cap. 8. Sed et ipsa similitudinis ratio, simile enim est simili simile; et vice versa, simile enim est relativum æquiparantiæ. Sive ergo dicas: *Sicut populus sicut sacerdos*, sive dicas: *Populus est sicut sacerdos.* Idem dicis, idemque significas; similis, inquam, est in culpa. Unde Vatablus vertit: *Hinc fit ut sit talis populus, qualis sacerdos;* ac consequenter similis erit in pœna. Hanc enim sententiam infert tum ex eo quod proxime præcessit, scilicet: *Peccata populi mei comedent* (sacerdotes), *et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum;* quibus verbis sacerdotes æquantur, imo præferuntur, populo in culpa; tum ex eo quod paulo ante dixit: *Gloriam eorum in ignominiam commutabo*, q. d. Nulla erit differentia inter sacerdotes et plebeios, nam omnes erunt captivi citra delectum; et ob id omnes afficientur ignominia et contumelia: *Eximiorum enim et magnatum rationem hostes habere non solent*, ait Procop. in Isaiæ 24. 2. Unde et sequitur: *Et visitabo super eum vias ejus.* Nam sacerdotes erant decus et gloria Israelis, utpote consecrati Deo, et mediatores inter Deum et populum. Debebant ergo hanc suam gloriam tueri antecellendo populo, tum in legis scientia, tum in sanctitate Deique cultu. At quia neutrum præstiterunt, sed populo tam in ignorantia, quàm nequitia fuerunt pares, imo superiores; hinc iisdem pares, imo superiores fuerunt in pœna et ignominia. Ita S. Hieron. Haymo et Hugo. Simili modo dicas de indisciplinatis clericis et Religiosis: Qualis laicus, talis clericus; qualis secularis, talis Religiosus. Tolle habitum, hunc ab illo non discernes; quia eadem utriusque est lingua, sermo, actio, vita et mores.

Præclare urget hunc locum S. Greg. hom. 17. in Evang. et 2. p. Pastor. c. 7. Vere S. Chrysost. *Sacerdotes multi, sacerdotes pauci: non omnis sacerdos sanctus, sed omnis sanctus est sacerdos;* scilicet mysticus, qui mysticas laudis, orationis et sanctorum operum hostias Deo offert. Audi et Gilbertum Abbatem in append. ad serm. S. Bernardi in Cant. serm. 13: *Factus est sacerdos sicut populus, ut licentius populus sicut sacerdos fiat. Mundo se monachi studio conformant, et qui in mundo sunt errorem suum nostrorum satis versute et nimis vere tuentur exemplo. Mutuis ad vitia sese aut informant aut fovent exemplis pastores, populi, seculares et Religiosi; promptuaria plena sunt hujusmodi, eructantia ex hoc in illud, aut turpis, aut tepidæ conversationis spiritum pestilentem. Heu quàm avido cordis ore pravum hunc attrahimus spiritum, et corrumpentem haurimus auram! Jesu bone quando erit, si tamen aliquando erit, sicut fides integra, sic et incorrupti mores.*

Et visitabo super eum vias ejus,] q. d. Puniam ejus actus et peccata. *Viæ* enim in Scriptura vocantur actus, modus vivendi, tenor vitæ, conversatio; per hæc enim mens incedit, sicut per vias corpus.

Et cogitationes ejus reddam ei,] hebr. מעללו *maalalav* significat studia, machinationes, molitiones, opera. Hæc ergo vocantur hîc *cogitationes*, scilicet ipsæ machinationes scelerum; has reddit Deus peccatori, cum illum propter easdem ex æquo punit et affligit.

10. Et comedent, et non saturabuntur.] Pauperes spiritu, qui esuriunt et sitiunt justitiam, saturabuntur, ideoque beati prædicantur à Christo, Matth. 5. 6. At hi avari sacerdotes et epulones, qui peccata populi comedunt, iisque inhiant inexplebili aviditate, justo Dei judicio ad tantam famem redigentur in captivitate Assyriaca, ut eam saturare et explere nequeant. Ita Theoph. et Arias, qui addit: *Qui hostias captant, ipsi in hostias convertentur*, ut spolientur et mactentur ab Assyriis.

Secundo, Ribera et Arias, q. d. Licet gulæ, ventri et sceleribus se immergant, nunquam tamen desiderium suum explebunt. Nam, ut ait S. Hieron. et ex eo Haymo: *Voluptas insatiabilis est, et quanto magis capitur, tanto plus utentibus se famem creat. E contrario beati esurientes et sitientes justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Sicut justitia saturat, sic iniquitas substantiam non habens, vana comedentes fraude deludit, et uteros devorantium vacuos derelinquit.*

Alienus Theodor. Comedent, inquit, pœnas et supplicia, at nunquam iis saturabuntur, id est, nunquam illa desinent, quia unum alteri continuo succedet.

Fornicati sunt, et non cessaverunt.] Chald. Vatablus, Pagnin. Arias et Isidor. hæc accipiunt de corporali fornicatione, de qua sequitur: *Fornicatio, et vinum et ebrietas auferunt cor;* unde vertunt, *scortabuntur et non prorumpent;* Syrus: *Non sunt multiplicati*, id est, non crescent, non augebuntur filiis, q. d. Quærunt liberos, ideoque non tantum uxoribus, sed et meretricibus copulantur; sed Deus puniet eos sterilitate, ut filios non procreent; sicut paulo ante eosdem, quia epulones punivit fame, ut eam saturare nequeant. Congrua enim et justa pœna fornicantium est ἀτεκνία et sterilitas illiberis, ut qui ex matrimonio ad proles à Deo instituto eas procreare nolunt, ex meretricibus eas procreare cupientes non possint, aut si procreent, pravæ sint et miseræ, brevisque ævi, uti hodierna sæpe docet experientia. Hoc est quod dicitur Sapient. 4. 3: *Spuria vitulamina*, græce μοσχεύματα, id est propagines, et novi surculi: *Non dabunt radices altas;* quod clare explicans cap. 3. 16. ait: *Filii adulterorum in inconsummatione erunt*, id est, inconsummati erunt, nec pervenient ad perfectam ætatem: *Et ab iniquo thoro semen exterminabitur.*

Secundo, et melius S. Hieron. Theodor. Cyrill. Theoph. Haymo, Hugo et Lyran. hæc accipiunt de fornicatione mystica, id est, de idololatria; de hac enim continue agit hîc Propheta, de eaque statim, causam hujus sui dicti dans, subdit: *Quoniam dereliquerunt Dominum.* Sensus ergo est, q. d. Comedent, et non saturabuntur, quia fornicati sunt cum idolis, et non cessaverunt, nec sua fornicatione saturati sunt; sed inexplebili libidine fornicari, id est, idololatrare, continue perrexerunt. *Vires*, inquit S. Hieron. *in fornicatione deficiunt, et fornicandi desiderium non quiescit;* unde pro *cessaverunt*, hebr. est לא יפרצו *lo iiprotsu*, id est, *non sunt divisi*, scilicet à sua fornicatione, suisque amasiis, puta idolis; sed iis jugiter copulati sunt; radix enim פרץ *parats* significat dividere. Inde locus in quo Deus, pro Davide pugnans, divisit et dispersit Philisthæos, dictus est *Baal pharasim*, id est, habens divisionem, q. d. Planities divisionum, vel campus fracturæ et rupturæ, dicente Davide: *Divisit Dominus inimicos meos coram me, sicut dividuntur aquæ*, 2. Reg. 5. 20. Uterque sensus verus et genuinus est. Fornicatio enim hîc et in sequent. tum proprie pro scortatione, tum mystice pro idololatria capitur. Ratio est, quia illa hujus erat non tantum imago et symbolum, sed comes quoque et assecla, imo et instrumentum. Idola enim, præsertim Beelphegor, sive Priapum, colebant fornicatione, omnique obscenitate, etiam infanda et Sodomitica cum effeminatis, ut patebit v. 14.

QUONIAM DOMINUM DERELIQUERUNT IN NON CUSTODIENDO], scilicet ejus legem et præcepta. Ita S. Hieron. Hugo, Albert. Lyran. et alii. Hebr. habent: *Quia deseruerunt Dominum ad custodiendum*, id est, quia deseruerunt custodire Dominum, sive custodiam Domini. *Custodia Domini* hebr. vocantur leges, præsertim cæremoniales Domini. Hæ vocantur *custodia* per metonymiam, quia summe observandæ et custodiendæ sunt, ut qui eas custodit, Deum ipsum qui eas sanxit, quique iis colitur et honoratur, custodire videatur. Unde Chald. vertit: *Quia cultum Domini dereliquerunt et non custodierunt;* et Vatablus: *Quia deseruerunt Dominum, quo minus eum*, (id est, ejus jussa) *observarent.* Sicut ergo aulici et stipatores, puta Helvetii, summa cura jugiter custodiunt principem, et omnia quæ eum tangunt, nec faciunt aliud tota vita; ita nos, præsertim sacerdotes, custodire decet cultum ritusque sacros Dei. Sic Sapient. 6. 19. dicitur: *Cura disciplinæ dilectio est, et dilectio custodia legum illius est; custoditio autem legum consummatio incorruptionis est.* Alludit ad Levitas, qui dicuntur in tabernaculo excubare, et custodire custodias Domini, id est, tabernaculum, vasa ritusque Domini, Levit. 8. 33. Numer. 1. 53. et cap. 3. 32. 36. 38. et cap. 8. 26. cap. 18. 4. 5. 8. et alibi.

Quocirca minus recte Cyrill. et Theoph. sic exponunt, q. d. Dereliquerunt Dominum, ut custodirent vias suas malas, ebrietatem, fornicationem, etc. Rupert. qui ex adverso: *Non custodierunt se*, inquit, *ne servirent peccatis.*

11. FORNICATIO, ET VINUM, ET EBRIETAS AUFERUNT COR.] *Fornicatio*, tum corporalis, jungitur enim vino et ebrietati; tum quæ inde consequi solet spiritalis, id est, infidelitas et idololatria, aufert cor, id est, mentem, rationem, judicium, animum, ac hominem dementat, facitque vecordem. Ita Theodor. Theoph. et alii. Idque tum quia ipsa fornicatio est fœda et vesana, ac repugnans rectæ rationi; tum quia corporalis subjicit hominem meretriculæ, quæ vesanis cupiditatibus agitur; spiritalis vero subjicit hominem idolo et dæmoni, qui est juratus ejus hostis; tum quia exhaurit et perdit ejus opes, famam, sanitatem, conscientiam. Ita Dalila Philisthina cor, vires et vitam eripuit Samsoni. Ita septingentæ concubinæ Salomonis dementarunt regem sapientissimum, eumque ad sua idola colenda pertraxerunt et perdiderunt, 3. Reg. 11. v. 1. Porro fornicario et peccatori excordi cor restituit timor Dei, judicii et gehennæ; Deus enim per timorem cor pulsat, et ad vitam spiritalem excitat. Nam ut ait Sapiens Eccli. 25: *Qui timet Dominum, convertetur ad cor suum.* Justos vero et generosos, sed dormitantes vel incogitantes, excitat Deus per amorem et beneficia; ut Davidis cor excitavit 2. Reg. 7. cum dixit: *Revelasti aurem servi tui dicens: Domum ædificabo tibi, propterea invenit servus tuus cor suum, ut oraret.*

Moral. disce hîc quàm bruta sit libido, quæ præ aliis vitiis homini, etiam sapienti et principi, cor et mentem eripit. Quocirca Diogenes, teste Laertio lib. 6, dicebat *scorta esse regum reginas;* quod reges dementarent, ac ab illis quidquid collibuisset, peterent et impetrarent, ideoque in ipsos reges quasi regnum, imo tyrannidem exercerent; reges enim à populo non semper obtinent quod exigunt, at scorto nihil negatur. Idem Diogenes dicebat scorta similia esse mulso lethalibus venenis temperato, eo quod afferrent quidem initio voluptatem, sed quam perpetuus dolor consequeretur.

Quocirca Demosthenes Corinthi postulans à Laide famosa meretrice corporis copiam, cum illa pro nocte stipularetur drachmarum decem millia, deterritus magnitudine pretii, mutavit sententiam dicens: *Non emo tanti pœnitere*, significans inhonestæ voluptati comitem esse dementiam, æque ac pœnitentiam.

Xerxes iratus Babyloniis quod à se defecissent, postquam illos in suam potestatem redegit, vetuit ne ferrent arma; sed psalteriis tibiisque canerent, scorta alerent, cauponas haberent, quo voluptatibus evirati et excordes, non molirentur denuo defectionem. Testis est Plutarch. in Apophtheg. regum.

Demetrius Phalereus cum vidisset juvenem luxuriosum: *Ecce*, ait, *quadratam statuam habentem syrma, ventrem, pudenda et barbam.* Ita Brusson. lib. 3. cap. 33.

Hæc Gentiles, quid jam dicant Christiani, quibus major à Christo puritas et sanctitas indicitur, quibusque magis nota est libidinis turpitudo, noxa, et vindicta æternorum ignium?

Præclare Salomon sua experientia et periculo (ideo enim forte damnatus est, ejus enim salus est dubia) edoctus: *Vinum*, inquit, *et mulieres faciunt apostatare sapientes;* nam, ut ait Poeta:

Nox et amor, vinumque nihil moderabile suadent;
Illa pudore caret, Liber amorque metu.

Præclare S. Ambr. lib. 4. in Lucam, cap. 4: *Nec minorem*, ait, *febrem amoris esse dixerim quàm caloris. Itaque illa animum, hic corpus inflammat. Febris enim nostra avaritia est, febris nostra libido est, eo quod ignitæ sint cupiditates;* et mox: *Vehementior tamen est animi, quàm corporis*

febris, et ideo pro animi voluptate corporis salus plerumque contemnitur, nec à periculis abstinetur. Affert exemplum illustre : *Theotimus cùm gravi oculorum incommodo laboraret, et amaret uxorem, interdicta sibi à medico facultate coeundi, cupiditatis impatiens, atque impetu libidinis raptus : Vale*, ait, *amicum lumen.* In æstu ergo cupiditatis sciens se oculos amissurum, maluit illos amittere, quàm libidine abstinere. An non libido ei cor mentemque eripuerat ? Utique, idque sensit, cum libido deferbuit et oculos amisit ; tunc enim errorem cæcitatemque suam deflens, sed sero, nec libidinis voluptatem retinere, nec oculos perditos recuperare valuit.

Apposite quoque tres illi Heroes custodes Darii regis, cum inter se quærerent et disputarent quidnam esset fortissimum ? primus eorum respondit : *Forte est vinum ; alius : Fortior est rex ; tertius Zorobabel : Fortiores sunt mulieres : super omnia autem vincit veritas*, 3. Esdræ 3. 10. Mulieres ergo sunt Sirenes, quæ socios Ulyssis sua forma et cantu inescarunt, dementarunt et perdiderunt. Vis remedium ? Unicum est in fuga. *Fugite fornicationem*, ait Apostolus, fugite aspectum vocemque mulierum. Illustre hac de re exemplum exstat in Vita S. Martiniani apud Surium, qui graviter et crebro tentatus à mulieribus, ut eas effugeret toto orbe factus est profugus, cujus hic jugis erat stimulus : *Fuge, Martiniane.*

Denique fornicatio eripit homini cor, id est, mentem et cerebrum : quia in ipso ejus actu homo videtur esse impos suî, æstuare et furere instar epileptici. Unde philosophi nonnulli dixerunt actum venereum esse meram epilepsiam ; præsertim quia ille si frequentetur, realiter hanc inducit, uti experientia vidi, et ratio physica clare id demonstrat. Quocirca Alexander Magnus, licet ab adulatoribus audiret se esse filium Jovis, tamen hominem se fateri coactus : *Ex usu*, ait, *Veneris, et ex somno manifeste me esse hominem convincor.* Ita Plutarch. in ejus Vita.

VINUM ET (*et* capitur pro, *id est :* ita Emmanuel) EBRIETAS AUFERUNT COR.] Septuag. hæc aliter dispungunt et vertunt, nimirum : *Fornicationem, vinum et ebrietatem suscepit cor populi mei ;* verum alii passim dispungunt et vertunt, uti noster Interpres. Hebr. ad verbum est : *Fornicatio, vinum et mustum* (vel, ut Vatabl. vertit, *potus inebrians*) *capiunt*, vel accipiunt, vel eripiunt, *cor.* Alludit hebr. תירש *tirosç*, id est, mustum sive vinum recens expressum, à rad. ירש *iarasç*, id est, possedit et occupavit : eo quod cum crassum sit, turbidum, bulliens et fumosum, statim occupet et possideat cor, id est, arcem mentis, faciatque hominem ebrium et amentem. Notat originem idololatriæ omnisque mali fuisse comessationes et compotationes : hæ enim eripiunt mentem, et judicium rectæ rationis, simulque libidinem inflammant, itaque hominem præcipitant in fornicationem aliaque scelera, ac tandem in infidelitatem et idololatriam ; ejus enim Deus est venter. Id ita esse patet ex prima hominum post diluvium propagatione. Cum enim vinum inventum fuit à Noe, mox ipsi et multo magis ejus posteris cor ad se rapuit, et mentem eripuit, adeo ut plerique omnes ad vitia, imo ad idololatriam deflexerint. Noe enim moriens, gemens fremensque vidit pene totum orbem, id est, omnes suos posteros impios et idololatras, uti dixit Genes. 9. sub finem capitis. Hinc nonnulli notarunt vinum à Noe inventum, adeo avide citoque ab omnibus arreptum tentumque fuisse, ut ipsum ejus nomen in omnes linguas transierit, idemque quod prius, apud omnes, licet jam linguis divisos, remanserit. Vinum enim hebr. dicitur יין *iain*, vel *ien :* inde Janus (puta Noe) vini inventor : inde Græcum οἶνος ; inde Latinum *vinum ;* Gallicum *vin ;* Italicum, Sclavonicum et Hispanicum *vino ;* Germanicum, Anglicum et Belgicum *vviin*, et ita de cæteris gentibus et linguis. Porro quàm vinum et deliciæ eripiant cor, non tantum Prophetæ, sed et gentium Philosophi docuerunt.

Anthistenes, quodam prædicante delicias, *Hostium*, ait, *filiis contingat in deliciis vivere*, ut rem amentem et pestilentem detestans delicias, quas plerique pro summo bono complectuntur. Ita Laertius, lib. 6. de Vitis Philos. c. 1.

Diogenes apud Laertium eodem lib. distomachabatur in eos qui pro bona valetudine diis munera offerrent, et in ipso sacro omnibus voluptatibus se obruentes perderent. Idem eos qui per luxum in coquos, nepotes, scorta et adulatores facultates suas profunderet, similes dicebat arboribus per præcipitia nascentibus, quarum fructus homo non gustaret, sed à corvis et vulturibus ederentur : sentiens eos qui gulæ ventrique serviunt, non esse homines.

Socrates, apud Laertium lib. 2. c. 5, aiebat esse turpe, si quis sua sponte serviens voluptatibus talem se faceret, quales nemo domi suæ vellet habere servos. Talibus autem nullam salutis spem reliquam esse, nisi si pro eis deos comprecarentur alii, ut bonos dominos nancisci possent, quando prorsus decretum esset servire : indicans nullos fœdiorem et miseriorem servire servitutem, quàm qui et animo et corpore servirent voluptatibus. Idem admonebat voluptates non aliter quàm Sirenas esse prætereundas, obturata aure instar Ulyssis ei qui properat ut Ithacam, id est, virtutem veluti patriam, conspiciat.

Plato cum videret Agrigentinos magnis impensis ædificare, eodemque modo cœnare : *Agrigentini*, ait, *ædificant quasi semper victuri, et comedunt quasi semper morituri.* Ita Ælian. lib. 12.

Arcesilaus Scytha percunctanti quî fieret ut ab aliis sectis multi deficerent ad Epicureos, ab Epicureis nulli desciscerent ad alios : *Quoniam*, ait, *ex viris Galli fiunt, ex Gallis viri nequaquam.* Gallos dixit sacerdotes Cybeles eviratos, quasi diceret : In voluptatem proniores sumus, quàm in virtutem, cum tamen hæc ex feminis viros, illa ex viris feminas efficiat. Ita Laert. l. 4. c. 6. Idem respondit B. Thomas Morus cuidam roganti cur tam multi ad Lutheri hæresin voluptuariam deficerent.

Cato senior vinoso cuipiam et guloso ejus familiaritatem ambienti abnuit, causamque addidit : *Quia*, inquit, *vivere non possum cum eo qui melius et subtilius palato, quàm corde sentit.* Ita Brusson. l. 3. c. 7.

Tiberius Cæsar Attilio Butæ viro prætorio, cum ad inopiam per luxum redactus eam deploraret : *Sero*, inquit, *experrectus es.* Dormiunt nimirum temulentiæ ac luxui dediti verius quàm vivunt; nam *vita mortalium vigilia est.* Ita Seneca in epist.

Scipio Æmilianus Censor declaratus, audiens juvenem placentam ex melle in urbis formam compactam, Carthaginemque nuncupatam convivis diripiendam dedisse, equo privavit. Rogatus cur? *Quia,* inquit, *me prior Carthaginem diripuit.* Quo dicto militem damnavit ignavum et vecordem, qui gulæ deditus cum placentis potius melle conditis, quàm contra hostes pugnaces belligeraret. Ita Brusso, lib. 3. c. 1.

Sed accipe propria vini et crapulæ. Pythagoras dicere solebat *ebrietatem esse insaniæ meditationem.* Ita Maximus, serm. 30.

Leontichidas Spartiata rogatus cur parum bibant Spartiatæ? *Ne,* inquit, *alii pro nobis consultent,* q. d. Nequit prudenter de rebus consultare, cui sanum judicium à vino ablatum est. Ita Plutarch. in Lacon.

Astyages cum rogasset Cyrum cur vinum non hausisset? *Quia,* ait, *metuebam ne in cratere mixta venena forent. Etenim cum tu in natalitiis amicum adhibuisti, perspicue didici eum vobis venena infudisse. Et quo pacto,* inquit ille, *ô fili, hoc dignovisti? Quod videbam vos,* respondit, *neque corporis esse, neque mentis compotes.* Ita Xenophon in Pædia.

Androclides vir sapiens ad Alexandrum Magnum vino deditum dixit : *Vinum potaturus, rex, memento te bibere terræ sanguinem : cicuta homini venenum, cicuta est vinum.* Ita Brusso, l. 1. c. 19.

De Bonoso bibacissimo, qui postea Imperator creatus est, dixit Aurelianus : *Non ut vivat, sed ut bibat natus est.* Ita Vopiscus in Aureliano. Idem Bonosus se suspendit : ac roganti cuipiam quis esset suspensus, respondet alter non hominem esse, sed amphoram. Æschines dicebat: *Speculum formæ est æs* (olim enim specula fiebant ex ære polito) *vinum autem animi:* nihil enim tàm occultum in corde, quod ebrius non effutiat. Ita Maxim. serm. 30 :

Luxuriosa res est vinum et tumultuosa ebrietas.

Proverb. 20. 1 :

Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet. Proverb. 23. 29.

Noli regibus, ô Lamuel, noli regibus dare vinum: quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas. Proverb. 31. 4.

S. Basil. et Ambros. dicunt ebrietatem esse voluntariam insaniam. Amplius ait S. Bernard. lib. de modo bene vivendi, cap. 25 : *Multi,* ait, *per vinum à dæmonibus capti sunt, nec est aliud ebrietas, quàm manifestissimus dæmon.* Et paulo ante : *Ebrietas corpus debilitat : ebrietas generat perturbationem mentis ; auget furorem cordis ; ita alienat mentem, ut homo nesciat seipsum.*

Monachus quidam Ægyptius, interrogatus cur assidue sibi voluptates subtraheret, respondit : *Subtraho eas mihi, ut iræ causam et occasionem præcidam. Scio enim illam semper de voluptatibus belligerari, mentemque meam perturbare, et cognitionem ipsam fugare.* Ita Niceph. lib. 11. hist. c. 43.

12. Populus meus in ligno suo interrogavit.] Probat quod fornicatio et ebrietas auferant cor, ex eo quod homines deducat ad idololatriam, ut idola lignea, surda, cæca, muta et inania interrogent quasi deos suos, et consulant de futuris rerum eventis. Aut potius sensus est, q. d. Adeo luxus et libido tam fornicandi, quàm idololatrandi dementavit eos, ut à lignis et baculis oracula poscant.

Quæres quodnam sit hoc lignum ? Primo, Chald. Rup. et Lyran. respondent esse ligneum idolum; secundo, Isidor. esse pseudo-prophetas quos consulebat populus. Hi metaphorice vocantur *lignum,* quia eis quasi ligno et scipioni innitebatur vulgus ; tertio, melius, S. Hieron. Haymo, Hugo et Vatabl. per *lignum* hoc accipiunt baculum divinatorium : eo enim quasi instrumento divinabant. Unde Septuag. vertunt : *In symbolis eorum interrogabant :* erant enim hi baculi superstitionis et divinationis symbola. Hinc et subdit : *Et baculus ejus* (ab eo interrogatus) *respondit ei.*

Nota. Veteres Chaldæi, eosque secuti Hebr. utebantur ῥαβδομαντεία et βελομαντεία, id est, divinatione per virgas et sagittas. Ita Nabuchodonosor dubitans an Jerusalem, an Philadelphiam oporteret bello appetere, accepit duas sagittas, quarum uni inscripsit nomen Jerusalem, alteri nomen Philadelphiæ ; deinde sorte eas commiscuit, unamque eduxit, qui cum videret inscriptum nomen Jerusalem, conjecit illam sibi primo esse expugnandam, Ezech. 21. 21. Vide ibi dicta. Rursum sagittam jaciebant in altum, et aspiciebant quò illæ caderent; an antrorsum, an retrorsum ; an ad dexteram, an ad sinistram, eòque sibi pergendum esse conjectabant. Ita Theoph. ; tertio, Moses Samsonis filius, in explicatione præcepti negativi 52, commemorat hujusmodi ritum : Decorticabant baculum ligneum uno tantum ex latere, tum in aerem projiciebant ; si primo jactu apparuisset superior pars decorticata, at secundo jactu superior pars adhuc vestita, prosperum successum augurabantur : sin è contra primum pars vestita, infelicem : si utroque jactu vestitum vel nudatum latus superius fuisset, mixtum eventum sibi pollicebantur; et hoc ab Osee hìc notari et carpi. Vide Rhodiginum lib. 4. cap. 29. et Delrio lib. 4. Disquis. Magic. c. 2. q. 7. sect. 1. sub finem, et sect. 3. sub initium.

Spiritus enim fornicationum decepit eos.] Aliqui per hunc *spiritum* accipiunt stimulum carnis, puta vehementem inclinationem et impulsum ad fornicandum. Huc accedit Cassian. collat. 7. cap. 32. qui ex Sereno Abbate docet spiritum fornicationis esse dæmonem incitantem ad fornicationem : licet enim dæmones sint incorporei, et quisque eorum homines ad quælibet vitia sollicitet, tamen ut sit inter eos aliquis ordo, utque ordinatius ideoque potentius et efficacius homines oppugnet, ipsimet inter se operas et vitia distribuerunt ; ita ut hi præsint huic vitio, ad illudque sollicitent, isti illi, alii alteri, inde enim in Script. vocari videntur spiritus iræ, superbiæ, gulæ, luxuriæ, etc. Sic Moabitides puellæ deceperunt Hebræos, dum eos primo induxerunt ut secum fornicarentur, deinde ut idolum suum Beelphegor colerent, itaque Dei iram et plagam eis acciverunt, Numer. 25.

Secundo, *spiritus fornicationum* est ardor et impetus animi, incitans eum ad idololatriam ;

ita Theodor. Theophil. Arias et alii. Hoc spiritu quasi œstro acti vesani Israelitæ ruebant ad idola colenda, uti fornicator ruit ad scorta ; uti patet ex Prophetis, qui passim in hunc ardorem invehuntur et detonant. Unde sequitur : *Et fornicati sunt cum Deo suo*, q. d. Fornicando, id est, idololatrando desciverunt à Deo Deique cultu. Uterque sensus huic loco congruit, uti dixi vers. 10; sed posteriorem magis intendit Spiritus Sanctus.

13. SUPER CAPITA MONTIUM SACRIFICABANT.] Hæc capita sunt quæ à loci altitudine *excelsa* vocantur passim in libris Regum.

ET SUPER COLLES ACCENDEBANT THYMIAMA,] id est, incensum, suffitum. Græcum enim θυμιᾶν significat suffire, suffumigare, adolere incensum, et hoc significat hebr. קָטַר *katar* : thymiama ergo hîc non tantum est illud compositum ex stacte, onyche, galbano et thure, quod Deus jussit adoleri in altari thymiamatis, Exodi 30. 34; sed etiam thus, ambra, et quodlibet incensum, edens suffitum.

QUIA BONA, amœna, jucunda, ERAT UMBRA EJUS.] Idem de arbore populo candida (hanc enim significat hebr. *libne* : sunt enim et populi nigræ) ait Virgil. Ecloga 9:

> Hic candida populus antro
> Imminet, et lentæ texunt umbracula vites.

IDEO FORNICABUNTUR FILIÆ VESTRÆ,] q. d. In pœnam vestræ fornicationis, tum corporalis, tum spiritalis, scilicet idololatriæ, Deus permittet ut filiæ vestræ corporaliter fornicentur, tum amasiis suis, tum cum hostibus vestris, puta Assyriis; qui eis abutentur, cum eas captivas abducent, nec eas impediet aut puniet : quo fiet ut magis et magis fornicentur, ac majori dolore et ignominia vos afficiant, animosque vestros vulnerent. Ita Theodoret. Haymo, Albert. et Hugo.

Secundo, Chald. Vatabl. et Pagnin. vertunt in præsenti, *ideo fornicantur filiæ vestræ*, q. d. Quia vos fornicamini, hinc vestro exemplo fornicantur et filiæ ac sponsæ vestræ, præsertim quia absunt ab ædibus et oculis vestris, ac versantur apud excelsa in locis sylvosis et amœnis, quæ scelus illectant, ut, sicut vos fidem frangitis Deo, ita justo Dei judicio frangant et sponsæ fidem vobis datam. Lex enim est talionis :

> Frangenti fidem fides frangatur eidem.

Pro *sponsæ* hebr. est כלת *callot*, quod verti potest cum Chald. Theophyl. et Vatabl. *nurus*, id est, uxores filiorum vestrorum, q. d. Hæ fidem frangent datam filiis vestris, fornicando cum adulteris; sicut vos fidem fregistis Deo datam, fornicando cum idolis : itaque tam vos, quàm filios vestros, maritos suos pudore et mœrore afficient et conficient.

14. NON VISITABO, id est, deseram, negligam, peccare impune permittam. Ita S. Hier. Theod. Hugo, Lyran. aut, ut Isidor. et Vatablus, q. d. Non puniam tam severe ut vos, filias et sponsas vestras, cum adulteraverunt. Causam subdit : QUONIAM IPSI CUM MERETRICIBUS CONVERSABANTUR.] Est enallage personæ : ex indignatione enim quasi avertens faciem ab ipsis, mutat secundam personam in tertiam, dicens : *Ipsi*, id est, vos ipsi, q. d. Quia vos, relictis filiabus et uxoribus, aditis meretrices, cum eisque scortamini ; hinc ipsæ vestro exemplo irritatæ, et à vobis derelictæ, pari modo et jure relictis vobis adibunt amasios et adulteros, cum eisque fornicabuntur. Hebr. habent : *Quoniam ipsi cum meretricibus separabantur*, id est, separatim relictis filiabus et uxoribus conversabantur et scortabantur : licet Marinus in Lexico hebr. יפרדו *iiparedu*, id est, separabuntur, derivet à פרד *pered*, id est, mulus (qui sic dicitur, quod sit generatione separatus), q. d. Mulos, id est, spurios gignent, vel q. d. Ad instar mulorum abutuntur matrimonio, non generandi causa, sed explendæ libidinis ergo duntaxat. Porro meretrices hæ erant sacerdotissæ Beelphegor, id est Priapi, et sua prostitutione eum colebant, ait S. Hieron. Cyrill. et Theodor. de quibus 3. Reg. 15. 12. aut Veneris cultrices, ut vult Albert. quæ sedentes ad ejus templum adventantibus se prostituebant, uti dixi Baruch 6. 42.

Moraliter disce hîc proles et uxores imitari parentes et maritos in scelere, Deumque horum peccata, prolium et uxorum peccatis et ignominia ulcisci. Ita ultus est adulterium Davidis scelere Absalonis, qui uxores Davidis patris sui incestavit, 2. Reg. 12. 11. Præclare Juvenalis Satyra 4:

> Et quod majorum vitio sequiturque minores,
> Et nitidis maculam ac rugam figentia rebus,
> Quæ monstrant ipsi pueris traduntque parentes.
> Si damnosa senem juvat alea, ludit et hæres
> Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.
> Sic natura jubet.

Quocirca illud in mente recordant parentes :

> Et peccaturo obsistat tibi parvulus infans.

Et illud Plauti in Pseudol.

> Probum patrem esse oportet, qui gnatum suum
> Probiorem, quàm ipsus fuerit, postulet.

Denique illud Verini :

> Et verbo et facto parvis sit regula natis,
> Optima sitque omni tempore norma pater.

Sane pueri, dum circa mores inconditos monentur vel arguuntur, illam quasi natura insitam excusationem regerunt : A patre hoc didici. Id mater me docuit : Sic faciebat mater mea, sic pater ; vulgo dicitur : *Mali corvi, malum ovum.* Audivi non raro parentes graviter querentes de filiis, quod essent spurci, vinosi, maledici, cervicosi, inobedientes, intractabiles. Quibus ego : Parentes horum sæpe sunt causa ; quia ipsi iisdem vitiis addicti filiis pravo exemplo præeunt, illosque eadem verbis et factis docent. Si ergo cuperent filios mores corrigere, ipsi prius suos corrigerent, quibus illos dedocerent ea quæ ante docuerant.

Ita Augusti Cæsaris libidines et sordes imitatæ sunt duæ Juliæ, filia et neptis; quæ proinde publicum illi probrum exstiterunt : unde ipse tertiam adoptavit Agrippinam, sed et hanc mox ob sordes abdicavit : nec aliter tres illas, quàm tres vomicas, seu tria carcinomata sua appellare solebat : quin et testamento cavit ne mortuæ in sepulcrum suum inferrentur. Denique exclamare solebat illud Homericum :

> O utinam cœlebs vixissem, orbusque perissem !

Ita Sueton. in ejus Vita.

Eadem, imo major est ratiò uxorum, quàm filiorum. Nam, ut ait Seneca epist. 95: *Improbus*

est, qui ab uxore pudicitiam exigit, ipse alienarum corruptor uxorum; uxor enim mariti adulteri exemplo ipso incitata, aut imitari se putat, aut vindicare, ait Quintil. Quocirca de multis dici potest quod de Clytemnestra ait Ovid. l. 1. de Arte amandi :

> Dum fuit Atrides una contentus, et illa
> Casta fuit : vitio est improba facta viri.

Et illud Euripidis de eadem :

> Stultæ quidem sumus mulieres, non ego :
> Cum autem insit hoc animis, peccat maritus
> Fastidiens connubia, imitari vult
> Mulier virum, et alium parare amasium.

Denique Aristot. in Œcon. : *Primum itaque,* ait, *leges sint viro ad uxorem, ut injuria cesset ; sic nec ipse injurias patietur;* alioqui talionem rependet ei uxor, et lege talionis se tuebitur.

Et cum effeminatis.] Hi erant viri sive scorta mascula, ut sunt pueri pathici, sacerdotes Priapi, qui mollitie et venere succuba Sodomitis serviendo, ex viris quasi feminas se efficiebant, ideoque vocantur *effeminati.* Unde Aquila vertit, ενηλλαγμενους, id est mutatos, scilicet ex officio virili, in femineum; Sept. τετελεσμενους, id est consecratos, scilicet Priapo aut Veneri; Theodotion, κεχωρισμενους, id est separatos à vulgo, quasi sacerdotes Priapi. Ita Cyril. qui ait : Erant viri, sed in feminas mollitie mutati, qui muliebri vociferatione et cymbalis utentes, facesque ferentes circumcursabant. Sic et Theodor. Rupert. Haymo, Hugo, Lyran. et alii, qui et addunt aliam causam cur vocentur *effeminati,* quia, inquiunt, multi ex illis castrabantur, fiebantque eunuchi; ut ad venerem tantum passivam valerent, quasi feminæ, non activam. Porro hosce viros succubos Beelphegor, id est Priapo, consecratos fuisse in Israel et Juda patet 3. Reg. 14. 24. et 4. Reg. 23. 7. Sed audi S. Hieron. : *Nos,* ait, *effeminatos vertimus. Hi sunt quos hodie Romæ matri non deorum, sed dæmonum servientes, Gallos vocant, eo quod de hac gente Romani truncatos libidine in honorem Atys (quem eunuchum meretrix fecerat) sacerdotes illius manciparint : propterea autem Gallorum gentis homines effeminantur, ut qui urbem Romam ceperant, hac feriantur ignominia. Istiusmodi idololatria erat in Israel, colentibus maxime feminis Beelphegor, ob obsceni magnitudinem, quem nos Priapum possumus appellare.*

Secundo, tamen non minus apte pro effeminatis vertas meretrices. Has enim proprie significat hebr. קדשות *kedesçot,* quod est femininum; viri enim et mares masculine vocantur קדשים *kedesçim* (possunt tamen et hi feminine vocari *kedesçot* per catachresin, quia erant effeminati, uti jam dixi). Favet S. Hieron. : *Sciendum,* inquit, *quod in præsenti kadesçot, meretrices* ιερειας, *id est, sacerdotes Priapo mancipatas vocet.* Verum recte suspicatur Ribera in codice S. Hieron. esse mendum librariorum, et legendum esse, ιερεις, *sacerdotes Priapo mancipatos vocet,* nec secum pugnet : nam paulo ante eos *viros* vocavit. Erant ergo viri sexu, sed meretrices et feminæ abusu libidinis et naturæ. Favet et Symmachus, qui εταιρας, id est socias, amicas, amasias) proprie meretrices appellavit. Sic et Theoph. : *Initiatos,* inquit, *hujusmodi vocat sacros mystas, dignos jam arcanis apud illos sacris judicatos, ceu perfectiores : qui mares esse visi, femellæ fuerunt, cymbalis utentes, femineisque ululantibus circumibant trivia, Beelphegor sacramenta perficientes.* Et Chald. qui vertit : *Cum scortis comessantur et potant.* Ubi nota. Hebræis plus est *kedesça,* quàm זונה *zona : zona* enim significat quamlibet meretricem, *kedesca* vero famosam, publicam, quasi lupanari jam auctoratam et consecratam : hæc enim dicitur *kedesça,* id est sancta, per antiphrasim, quia spurcissima et fœdissima, ac spurcitie sua infamis et celebris. Rursum *kedesça,* id est sancta, vocabatur meretrix, quæ Priapo aut Veneri erat consecrata quasi sacerdos, quales hæ erant.

Et (id est, idcirco, scilicet ob scelera jam recensita) populus non intelligens vapulabit.] Cum scilicet tandem à me punietur, exscindetur, et in captivitatem, puta in Assyriam, ducetur. Ita S. Hier. Tig. vertit : *Et populus, qui intelligere noluit, variis jactabitur malis ;* Vatabl. : *Populus, non intelligens peribit,* vel *corruet,* q. d. *Populus, ignorans Deum, corruere solet. Aut stupore afficietur, cum scilicet sentiet tanta Dei flagella, qui, licet sit misericors, est tamen et justus in puniendis peccatis,* et tarditatem supplicii gravitate compensat.

Hebr. לבט *labath* proprie significat impingere, offendere, ruere, vapulare ; R. David vertit, *pervertetur;* R. Joseph, *claudicabit ;* Thargum, *capietur ;* R. Salomon, *laborabit, fatigabitur;* Pagnin. *festinabit, anceps erit et dubius, nesciens quò se vertat.*

15. Si fornicaris tu, Israel, non delinquat saltem Juda.] Ab Israel sermonem convertit ad Juda, eumque monet ut memor templi et regni Dei (in Juda enim regnabat Deus per posteros Davidis, ibique suam habebat domum et templum) non imitetur Israel fornicando, et fornicatione sua honorando et colendo Beelphegor aliosque deos, id est dæmones.

Et nolite ingredi in Galgala.] Galgala locus erat et civitas inclyta, distans à Jordane stadiis quinquaginta, à Jericho stadiis decem : miraculis et religione patrum sancta et illustris. Nam primo hic transito Jordane castra longo tempore posuerunt filii Israel, ibique prima publica facta est gentis circumcisio. Ibi enim Josue circumcidit omnes masculos Hebræorum, qui per 40 annos peregrinationis nati erant in deserto, ibique primum in Chanaam Pascha celebravit : unde in Galgala Hebræi adierunt quasi possessionem terræ promissæ. Nam deficiente manna, ibidem primum comederunt de frugibus terræ. Inde locus nomen accepit, dictusque est Galgala, Josue 5. 9. ubi sic legimus : *Dixitque Dominus ad Josue* (peracta circumcisione): *Hodie abstuli opprobrium Ægypti à vobis ;* quia hodie vos à vita et moribus incircumcisorum Ægyptiorum, per circumcisionem transtuli in sanctam meam legem et gentem ; ideoque *vocatum est nomen loci illius Galgala.* Galgala enim, vel Gilgal, vel Galgal, vel, ut S. Hieron. vocat, Golgol. hebr. idem est quod amotio et ablatio ; scilicet præputii, et consequenter opprobrii, et gentilismi Ægyptiorum : radix enim גלל *galal* significat devolvere, removere, auferre : inde geminata *ghimel* littera, *ghilghal,* vel *galgal,* idem est quod devolutio, remotio, ablatio.

Secundo, in Galgala Josue accepit omen victoriæ et possessionis Chananææ ; videns enim Angelum evaginatum habentem gladium, per-

rexit ad eum, et ait: *Noster es, an adversariorum?* audivitque ab eo: *Nequaquam, sed sum princeps exercitus Domini, et nunc venio*, ut tibi Chananæam subjugem: *Solve calceamentum tuum de pedibus tuis; locus enim in quo stas sanctus est*, Josue 5. v. 13.

Tertio, in Galgalis Josue reposuit duodecim lapides, quos tulerat de medio Jordanis alveo, idque ut ibi essent in perpetuum monumentum transitus miraculosi, quo duodecim Tribus sicco pede per Jordanem transierant in Chananæam, Josue 4. 20. Unde S. Hier. in Epitaphio S. Paulæ ait hosce lapides ibidem visos à S. Paula. Hi duodecim lapides repræsentant duodecim Tribus et Patriarchas; ac consequenter duodecim Apostolos, quasi duodecim petras et fundamenta Ecclesiæ, Apoc. 21. v. 14. Ita Tertul. l. 4. contra Marcion. c. 13.

Quarto, in Galgalis per multos annos constitit tabernaculum Dei, cum arca et propitiatorio; unde ibidem Samuel judicabat populum, ibique Saulem secundo in regem unxit, 1. Reg. 10. 8. Ibi quoque Agag regem Amalec occidit, 1. Reg. 15. 33.

Quinto, Elias et Elisæus frequenter versabantur in Galgalis, ibique prophetabant, et faciebant miracula, 4. Reg. 2. 1. et c. 4. 38.

Hac de causa idololatræ idola sua jam inde ab initio statuerunt in Galgalis, utpote loco sancto adeo, et celebri. Nam tempore Aod, qui tertius à Josue fuit Judex Israelis, erant idola in Galgalis, ut patet Judic. 3. 19.

Ubi nota dæmonem esse simiam Dei, ideoque coli velle ubi cultus fuit Deus, tum ut Deum possessione sua excludat, tum ut celebrior sit ejus honos et veneratio. Idcirco Antichristus sedem regiam constituet in Jerusalem, uti ostendi Apocal. 11. 8; ibique in templo sedebit et coletur ut Deus, tum ut habeatur verus rex Sionis, id est Messias, successor Davidis et Salomonis, tum ut profanet urbem olim sanctam, et pro templo Dei suum constituat, tum ut evertat monumenta omnia passionis, resurrectionis et ascensionis Christi, cujus ipse erit hostis, et Antichristus. Sic experientia constat dæmonem maxime insidiari monasteriis tum virorum, tum feminarum, ut magum vel magam, lubricam, turbulentam, etc. aliquam in illud inducat, quæ cæteras omnes vel turbet, vel inficiat, ut ubi maxime cultus fuit Deus, colatur ipse, itaque Deum suo templo quasi expellat, de eoque se vindicet.

In Bethaven.] *Bethaven* urbs fuit Judææ, sed ignobilis, sita juxta Bethel; de qua Josue 7. 2. et de ea hîc loqui Prophetam censet à Castro. Verum S. Cyrill. Hieron. Theophil. Theod. Haymo, Lyranus et alii passim putant ipsam Bethel vocari *Bethaven*: tum quia ei erat vicina; tum quia Bethel erat celeberrima, primo sanctitate et pietate, postea idolis et idololatria. Jeroboam enim vitulos aureos collocavit in Dan et Bethel, quasi in duobus regni limitibus, ibique hisce vitulis per se sacrificavit. Nota: Bethel prius dicta est Luza, ob copiam nucum et amygdalarum (hæc enim hebr. vocantur לוז *luz*) à Jacobo vero Patriarcha, qui ibi vidit Deum scalæ innixum, et Angelos per scalam ascendentes et descendentes, vocata est Bethel, id est, domus Dei, Genes. 28. 19. Eadem à Prophetis per antiphrasin vocatur *Bethaven*, id est, *domus iniquitatis*, ut vertit Theodotion, aut *domus nihili*, ut vertunt Symmachus et Aquila. Septuag. pro אָוֶן *aven* per crasin legentes אֹן *on* vertunt, *domus doloris*, vel *domus idoli*, quia in ea erat templum, in quo colebantur vituli aurei Jeroboam. Id ita esse patet Amos 5. 5. ubi Propheta eadem pene verba, quæ hîc habet Osee, usurpat, aitque: *Nolite quærere Bethel, et in Galgalam nolite intrare, etc. quia Galgala captiva ducetur, et Bethel erit inutilis*, hebr. *aven;* Bethel ergo est Bethaven. Monet itaque Judam, puta duas Tribus, ne adeant idola vicina posita in Galgalis et in Bethel. Dico vicina, quia Galgala et Bethel erant in sorte Tribus Benjamin, ut patet Josue 18. vers. 12 et 22; ideoque ea potius nominat, quàm Dan aut Samariam. Dicit autem: *Ne ascenderitis in Bethaven*, quia Bethel sita erat in loco alto. Ita Vatabl.

Tropol. Bethel fit Bethaven, cum regnum, populus, urbs, uti Anglia, Scotia, Dania, à fide et cultu Dei ad hæresin desciscit, cum templa in stabula, monasteria in armamentaria, hospitalia in tabernas et ganeas convertuntur, quibus competit illud Jeremiæ et Christi: *Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum*, Matth. 21. 13. Rursum sancta anima fit Bethaven, cum à Dei gratia per peccatum excidit; tunc enim à regno et dominio Dei transit in jus et potestatem diaboli.

Nota Prophetam hîc, et deinceps usque ad finem capitis, maxime loqui duabus Tribubus; ad illas enim convertit sermonem vers. 15. dicens: *Si fornicaris in Israel, non delinquat saltem Juda.*

Neque juraveritis: Vivit Dominus,] q. d. Ne juretis per vitam idoli, quod est in Galgalis, vel in Bethel, ei attribuendo nomen *Dominus*, hebr. *Jehova*, quod est nomen incommunicabile, et proprium Deo vero. Juramentum enim est actus latriæ: jurando enim per aliquem, testabantur eum esse infallibilem, primam et increatam veritatem; ac consequenter esse numen et Deum: eum enim jurantes in testem suæ assertionis vocabant dicentes, v. g. Vivit Dominus, quod hoc illudve fecerim, aut faciam, quasi dicerent: Juro per Deum vitamque Dei, quod hoc illudve feci, aut faciam. Sicut ergo paulo ante vetuit cultum idoli, ita hîc vetat juramentum per idolum: hoc enim est protestatio et invocatio numinis Deique veri. Ita Theod. Albert. Hugo, Lyran. et alii.

Alii exponunt, q. d. Ego Deus et Dominus, sive Jehova vester, nolo ut per me meamque vitam amplius juretis, cum sitis idololatræ; nolo ut ore, quod invocatione idolorum polluistis, juretis, nominetis et invocetis, itaque polluatis nomen sanctum meum. Ita S. Hieron. Cyrill. Theoph. Haymo, Isidor. Vatabl. et alii. Verum hæc expositio non recte cohæret cum eo quod præcessit: *Nolite ingredi in Galgala, et ne ascenderitis in Bethaven;* huic enim annectit: *Neque juraveritis: Vivit Dominus*, hæc enim tria pari casu, tenore et nexu dicuntur, ut patet ex Hebræo. Eòdem ergo spectant; scilicet ad hoc ne colant idola in Galgalis et Bethaven, neve per ea jurent. Alioqui quæ esset connexio dicere: Nolite colere idola in Galgalis et Bethaven, et nolite jurare per nomen meum? Contrarium enim potius dicendum esset, hoc modo: Nolite colere nec jurare per idola, quæ sunt

in Galgalis, sed potius colite me, et jurate per nomen meum.

16. Quoniam sicut vacca lasciviens declinavit Israel.] Proponit Judæ petulantiam et lasciviam Israelis, quasi rem fœdam, indignam, et Dei indignationem exitiumque gentis provocantem; ut Juda aliena insania et periculo sapiat, illudque declinet, q. d. Israel carens cerebro lasciviat ut vacca; at tu, ô Juda, persta in Dei lege, quasi leo, huic enim te assimilavi Genes. 49. 10. Ita S. Hieron. Theodor. Theoph. Haymo et alii.

In Hebræo est elegans paronomasia: *Sicut vacca* vel *vitula* שררה שרר *sarera sarar Israel*, q. d. Sicut vacca rebellis rebellavit Deo Israel. Ita Vatabl. *Sarera* enim significat vaccam quæ lascivia vel œstro agitatur, ideoque indomita et rebellis jugum omne excutit, et quasi furens huc illucque discurrit.

Quocirca Septuag. vertunt: *Sicut vacca asilo percussa insanivit Israel;* asilo, id est œstro, uti ex Virgilio docet S. Hieron. sic enim canit Virg. lib. 3. Georg.

> Est lucos Silari circa, illicibusque virentem
> Plurimus Alburnum volitans, cui nomen asilo
> Romanum est, œstron Graii vertere vocantes,
> Asper, acerba sonans, quo tota exterrita sylvis
> Diffugiunt armenta.

Asilum significat furorem Hebræorum, quo impetu insano ferebantur et ruebant ad cultum idolorum. Noster generalius magisque proprie et adæquate vertit, *lasciviens;* non enim solo œstro, sed et pastu, amore, aliisque de causis lasciviunt vaccæ. Unde Chald. vertit: *Sicut bos qui saginatur et recalcitrat, sic rebellat Israel propter multitudinem bonorum,* juxta illud Deuter. 32. 15: *Incrassatus est dilectus, et recalcitravit, etc.* Noster vero melius vertit *vacca,* quàm *bos,* tum quia hebr. פרה *para* vaccam significat, non bovem; tum quia feminæ omnium pene animantium magis lascivæ sunt, petulcæ et deliræ, quàm mares, uti docet Aristot. lib. de Physiognomia, et ex eo Augustin. Niphus, qui hujusce rei physicas rationes adducit: *Magis malefica,* inquit Aristotel. *sunt feminea masculis, et proterviora, et minus defensiva;* rursum: *Masculina natura sunt fortiore, et justiore genere; feminina autem sunt timidiora et injustiora natura.* Feminina tamen quia minus habent cerebri, judicii, animi et virium, hinc natura id aliunde compensante, plus habent affectus, passionum, procaciæ et impudentiæ: hisce enim illa supplet.

Denique Propheta comparat Israelem vaccæ; non cani vel asino. Primo, quia coluit vaccas, puta vitulos aureos, vocatur vacca potius quàm vitulus, ad majorem confusionem, quia sic miro fornicationis modo à vitulis subigebatur, quibus visibiliter adorando se substernebat; invisibiliter vero suam animam tauro, id est dæmoni, prostituebat. Secundo, quia Deus ejus erat venter, et ut ait David: *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* Tertio, quia ejus lascivia commutanda erat in jugulationem, jubilus in mugitum et planctum. Ita Ruffinus, Rupert. et ex iis Delrio adagio 977. Denique quia vitulabatur et lasciviebat, uti vaccæ et vituli quos colebat.

Nunc pascet eos Dominus quasi agnum in latitudine,] id est, in loco lato et spatioso, q. d. Sicut agnus, qui saginatur, latissime in pascuis uberrimis pasci sinitur, ut impinguatus statim mactetur; ita Deus sinit Israelem bonis affluere et lascivire, ut sit prædæ Assyriis, ab eisque spolietur et juguletur. Ita S. Hieron. Vatablus et Lyranus.

Secundo, alii, q. d. Israel captivus ibit in Assyriam, ubi non lasciviet ut vacca; sed ducetur quò hostes volent, ageturque ad nutum Assyriorum tanquam agnus mansuetus. Ita Haymo, Hugo et à Castro. Aut sicut agnus mansuetus ubique matris ubera requirit; ita Israel in captivitate domitus et mansuefactus, me meaque ubera requiret. Ita Theodor. et Theoph.

Tropol. S. Hieron. per Israel hæreticum, per Juda fidelem et Ecclesiasticum accipit: *Si semel,* ait, *fornicaris, hæretice; saltem tu, Ecclesiastice, non delinquas; nec ingrediaris in Galgala, hæreticorum conciliabula, ubi peccata omnia revelantur, et instar porcorum volutantur in cœno* (alludit enim Galgala ad גלה *gala*, id est revelavit, et ad גלל *galal*, id est revolvit, volutavit) *ne te ascendere putes ad superbas et arrogantes falsorum dogmatum fictiones. Non est enim ibi domus Dei, sed domus idoli. Sicut enim vacca percussa asilo, percussi sunt hæretici ardentibus diaboli sagittis, et legis notitiam reliquerunt; ideo pascentur in lata et spatiosa via, quæ ducit ad mortem, et patientia Domini bonique pastoris eos nutriet ad interitum.* Idem, mutato nomine hæretici, adaptes ambitioso, luxurioso, avaro et cuilibet peccatori.

17. Particeps idolorum Ephraim, dimitte eum,] q. d. O Juda, dimitte Ephraim, id est Israel, puta decem Tribus, quæ sunt participes cultus et mensæ idolorum; comedunt enim idolothyta, scilicet carnes et cibos idolis immolatos: noli ergo eum imitari, noli cum eo participare in idolis et idolothytis. Ita S. Hieronym. Theoph. Hugo, Lyran. et alii. Minus recte Rupert. et Vatabl. censent hæc esse verba Dei ad Prophetam, q. d. Luseris operam, si ad pœnitentiam invitaris Ephraim; dimitte ergo eum cum suis cupidinibus et idolis. Gravissima enim est pœna dimitti à Deo, et tradi sibi suisque concupiscentiis.

Separatum est convivium eorum.] Dat causas Judæ, cur Israelis commercium et societatem vitare debeat. Prima est hæc, q. d. Quia illorum cultus, religio et convivium à tuo, ô Juda, separatum et diversum est: tu enim abstines cibis lege Levit. 11. vetitis; illi sine scrupulo iis vescuntur, tu participas ex hostiis pacificis Deo immolatis; illi participant et comedunt idolothyta. Ita S. Hieron. Albertus et Hugo, tu post epulas castum te conservas; illi epulis distenti ardent in libidines. Hoc est quod sequitur: *Fornicatione fornicati sunt.* Pro *separatum est convivium*, hebr. est סר סבאם *sar sobeam*, id est, recessit potatio vel compotatio, id est convivium eorum. Hebræi enim vocant, *miste,* id est compotationem, uti et Græci συμποσιον, à communione potus, quod Latini à communione victus et cibi vocant *convivium.* Est metaphora à vinis acidis. Nam recedere venuste ab Hebræis usurpatur de vino, quando in vappam resolvitur. Unde et Græci tale vinum ἐξεστηκος, Cicero *vinum fugiens*, Flandri *afgaenden wijn* vocant. Chald. R. David, Vatabl. Pagnin. et alii recentiores vertunt: *Putruit* vel *fœtuit potus eorum,* q. d. Vinum

eorum erat olim vinum *cos*, id est coloratum, odoratum, sapidum; jam per scelera eorum recessit à suo colore, odore, sapore; factumque est decolor, putidum, acidum, q. d. Lætitia eorum in tristitiam versa est, gaudia in luctum, epulæ in absynthium.

Myrum est Septuag. vertere : *Provocavit Chananæos;* quod sic explicat S. Hieron. q. d. *Tantum studium habuit Israel in idolorum cultu, ut non imitatus sit Chananæos, id est Ethnicos, sed ad imitationem suî eos provocaverit erroris.*

Denique Isidorus vertit : Recessit ebrietas et crapula eorum, quasi Israelitis hîc tacite objiciatur, quod usque ad crapulam et vomitum sese ingurgitarent.

DILEXERUNT IGNOMINIAM PROTECTORES EJUS.] Altera ratio qua urget Propheta Judam, ut recedat ab Israel; quia, inquit, *protectores*, id est dii quos colunt, vel, ut Chald. Hebr. Pagnin. et Vatabl. principes ejus, qui sanciunt idololatriam, fornicationem, crapulam, illumque ad ea inducunt verbo et exemplo, iisdem non nisi ignominiam et probrum ipsi accersunt. Itaque per ignominiam intellige probrosam et ignominiosam tam idololatriam, cum S. Hieron. Haymone, Hugone et Lyrano; quàm gulam et fornicationem, cum Aria et Chaldæo, qui vertit : *Fornicationem dilexerunt, ut venirent sibi in ignominiam proceres eorum.*

Legit Interpres הבו *habo*, id est afferre : jam aliis punctis legunt, הבו *habu*, id est afferte, date. Unde vertunt : *Diligunt, date ad ignominiam, clypei ejus*, id est, protectores ejus qui eum tuentur ut clypei, q. d. Protectores et principes Israelis diligunt munera, dicuntque : Date, date nobis dona, quod est illis, æque ac populo ignominiosum. Ita Vatabl. Pagnin. Isidor. Rabbini. Aut, ut Arias, *date*, scilicet vina et delicias, q. d. Assidue postulant vina et delicias, quasi Epicurei, quæ est summa ignominia. Verum hæc versio obscurior est, ac textui nonnulla addit et supplet; nostra vero clarior, planior, magisque adæquata est, ideoque verior et germanior.

19. LIGAVIT EUM SPIRITUS (id est ventus, sive turbo) IN ALIS SUIS.] Septuag. *Turbo spiritus sibilabit in alis ejus*, q. d. Turbo divinæ indignationis et vindictæ, quasi alis suis colligabit Israelem, sive Synagogam, eamque auferet in captivitatem Assyriacam; ibique celerrime disperget in omnes mundi plagas, sicut turbo contorquere, jactare et dispergere solet paleas. Aut q. d. Quocumque ventus perflaverit, eò secum deferet alligatum Israelem; quare celerrime hinc avolabit quasi impulsus velocissimo et rapidissimo vento. Ventis enim dantur alæ per metaphoram, ob velocitatem; unde et pinguntur alati æque ac angeli, ait Isidor. lib. 7. Etymol. c. 5. Hinc Ovid. 1. Metam.

Emittitque Notum, madidis Notus evolat alis.

Sic aquæ pluviæ dicuntur in nubibus, non tantum includi, sed et ligari, Job 26. vers. 8. ut nisi simul cum nubibus, moveri et discurrere non possint; nubes enim sunt pluviæ vehiculum. Ita Pineda ibidem. Unde Syrus vertit : *Colligabitur spiritus in alis eorum;* Arabicus Antiochenus : *Venit spiritus inflexus* (retortus) *in alis ejus;* Arabicus Alexandrinus : *Flaverunt venti ex alis ejus.*

Est poetica descriptio captivitatis. Ita Ruffin. Theodoret. Theophil. Pro *ligavit*, hebr. est צרר *tsarar*, id est ligavit, constrinxit, contorsit, arctavit, afflixit, tribulavit. Cyrill. et Theophyl. pro אותה *ota*, id est, *eam*, aliis punctis legunt אתה *atta*, id est *tu;* unde vertunt : *Turbo spiritus tu es in alis ejus*, quasi Propheta loquatur Deo, dicatque eum esse ipsum turbinem, qui auferet Israelem, aut, ut Cyrill. q. d. Tu, Juda, fuisti Israeli quasi turbo spiritus in alis volucris : cum enim Israel vidit te, qui habes templum, jam inertem et supinum, iisdemque peccatis illigatum, magis citiusque apostatavit.

Ex adverso S. Hieron. Haymo, Albert. Hugo et Lyran. per spiritum hunc accipiunt diabolum, q. d. Diabolus est qui impellit Israelem ad idololatriam aliaque scelera; adeo ut videatur ei mentem et voluntatem colligasse, eaque astrinxisse idolis. Sic dæmon peccatorem alligat amasiæ, vino, ambitioni, itaque ligatum agitat et raptat, quasi mancipium, quocumque vult, uti magas et sagas tam corpore, quàm spiritu raptat ubilibet.

Secundo, Leo Hebr. vertit : *Ligavit ventum in alis suis;* quod Vatabl. exponit, q. d. *Ventus constrictam tenebat illam congregationem* (hanc enim significat hebr. אותה *ota*, quod est femininum) *Israelitarum in alis suis, et ita eos aliò transferet*, puta in captivitatem Assyriacam; alas enim vocat oras et sinus vestium, quasi Israel in iis ligatum habeat ventum sive turbinem, qui eum ita alatum celerrime transfert in Assyriam. Unde et Symmachus vertit : *Ligavit ventum in alis venti;* quod explicans S. Hieron. *Ligavit*, ait, *eos diaboli spiritus in alis suis, qui circumferuntur omni vente doctrinæ, et stabili in Ecclesia pede permanere non possunt.*

Secundus hic sensus coincidit cum primo : sive enim dicas Israelem in Assyriam abreptum alis turbinis iræ Dei, sive alis turbinis sui, eòdem res redit; turbo enim Israelis non est alius quàm turbo iræ Dei, quem scilicet ei ira Dei indidit et impressit, ut eum auferat in Assyriam; sicuti vis jacientis lapidem, et vis jacti lapidis, eadem est. Jaciens enim vim suam lapidi jacto imprimit, ut eum projiciat quò vult : vis ergo hæc tam est hominis jacientis, quasi efficientis; quàm lapidis jacti, quasi recipientis et patientis. Denique hebr. *ota*, id est eam, aliqui referunt ad ignominiam, q. d. Turbo iræ Dei ligavit ignominiam in alis Israelis, ut illam excutere nequeat; unde subdit : *Confundentur à sacrificiis suis*, id est, ob sacrificia quæ idolis obtulerunt.

Tropolog. disce hîc peccata creare turbinem qui peccatores ignominiose dispergat, et tandem deturbet in tartara. Quocirca Zacharias cap. 5. vers. 7. vidit mulierem, cui nomen erat impietas, amphoræ insidentem, à duabus mulieribus habentibus alas milvi, et spiritum in alis, rapi in Babylonem, quæ est symbolum gehennæ. Vide quæ de funibus et vinculis peccatorum dixi Isaiæ 5. 18.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Vocat Deus ad judicium sacerdotes et primores, eosque accusat quod laqueus fuerint populo, eumque suis idolis et sceleribus implicarint : Quia spiritus, inquit, fornicationum in medio eorum. Hinc eis cum populo, et cum Juda, qui Israelis scelus secutus est, hostile excidium intentat, dicens v. 5 : Respondebit arrogantia Israel in facie ejus ; ruet etiam Judas cum eis. Denique v. 12. ait se eos quasi tineam et cariem corrosurum, ac v. 14. quasi leænam discerpturum.

1. Audite hoc, sacerdotes, et attendite domus Israel, et domus regis auscultate :
quia vobis judicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, et rete
expansum super Thabor. 2. Et victimas declinastis in profundum : et ego
eruditor omnium eorum. 3. Ego scio Ephraim, et Israel non est abscon-
ditus à me : quia nunc fornicatus est Ephraim, contaminatus est Israel.
4. Non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum : quia spi-
ritus fornicationum in medio eorum, et Dominum non cognoverunt. 5. Et
respondebit arrogantia Israel in facie ejus : et Israel et Ephraim ruent in iniquitate sua, ruet
etiam Judas cum eis. 6. In gregibus suis et in armentis suis vadent ad quærendum Dominum,
et non invenient : ablatus est ab eis. 7. In Dominum prævaricati sunt, quia filios alienos ge-
nuerunt : nunc devorabit eos mensis cum partibus suis. 8. Clangite buccina in Gabaa, tuba in
Rama : ululate in Bethaven, post tergum tuum Benjamin. 9. Ephraim in desolatione erit in die
correptionis : in tribubus Israel ostendi fidem. 10. Facti sunt principes Juda quasi assumentes
terminum : super eos effundam quasi aquam iram meam. 11. Calumniam patiens est Ephraim,
fractus judicio : quoniam cœpit abire post sordes. 12. Et ego quasi tinea Ephraim, et quasi
putredo domui Juda. 13. Et vidit Ephraim languorem suum, et Juda vinculum suum : et abiit
Ephraim ad Assur, et misit ad regem ultorem : et ipse non poterit sanare vos, nec solvere
poterit à vobis vinculum. 14. Quoniam ego quasi leæna Ephraim, et quasi catulus leonis domui
Juda : ego, ego capiam et vadam : tollam, et non est qui eruat. 15. Vadens revertar ad locum
meum : donec deficiatis, et quæratis faciem meam.

1. Audite hoc, sacerdotes.] Increpat primo sacerdotes, deinde populum, præsertim primores populi, demum regis aulicos et principes Israelis de idololatria : hanc enim sacerdotes et primores abolere, et populum dedocere debebant, eumque docere verum Dei cultum. Per sacerdotes S. Hieron. Haymo, Hugo, Ribera et alii accipiunt pseudosacerdotes idolorum in Israel : hi enim non erant veri et legitimi; tum quia non erant ex tribu Levi; tum quia erant idolorum; tum quia non à Deo, sed à Jeroboam idololatra rege constituti, 3. Reg. 12. vers. 28. Possunt tamen accipi veri Dei sacerdotes. Hi enim sparsi erant per Israel, ut eum in Dei cultu continerent; sed cum Jeroboam vitulos suos induxit, non tantum populus, sed et sacerdotes regis sui imperium secuti, vitulos hosce et Baalim coluerunt, aliosque colere docuerunt, imo compulerunt.

Quia vobis (Septuag. *ad vos*) judicium est.] q. d. Vos Deus vocat ad judicium et condemnationem; ut scilicet vos ob idololatriam in justo judicio accuset, et condemnet ad excidium inferendum ab Assyriis. *Judicium* ergo hîc primo, proprie sumi potest : secundo, improprie, per catachresin pro disceptatione, accusatione, redargutione, increpatione, quæ fieri solet in judicio; tertio, metonymice pro condemnatione, q. d. Adeste in judicio Dei, ut vestram sententiam et condemnationem audiatis. Ita S. Hieron. Theodor. Theophyl. Hugo, Ribera et alii. Aliter Chald. et Isidor. q. d. Quia vestrum est judicium, id est, quia ad vos spectat judicare, quia polletis auctoritate in judiciis; hinc adeste in hoc Dei judicio, verum non ut judices, sed ut rei.

Quoniam laqueus facti estis speculationi, et rete expansum super Thabor.] Pro *speculationi* hebr. est *mistpha,* vulgo *maspha,* quod Vatabl. Arias, Pagnin. et passim Hebraizantes ac Novantes accipiunt ut nomen proprium urbis. Maspha enim fuit urbs sita in monte, eaque celebris,

nam in ea fuit arca testamenti, unde eo conveniebat populus ad orationem. Hinc et Samuel in Maspha judicabat populum, 1. Reg. 7. 20. In Maspha quoque habitavit Godolias et Jeremias, Jerem. 40. 41. Vertunt ergo hebraizantes : *Nam laqueus facti estis in Maspha, et rete expansum super Thabor.* Idque dupliciter exponunt. Primo, Vatabl. Kimchi et Pagnin. subaudiendo vocem *sicut*, exponunt, q. d. Vos scandalo et offendiculo estis populo, ut eum capiatis et inducatis ad idololatriam, indeque in exitium et ruinam; sicut venatores laqueos extendunt in Maspha, et retia in Thabor, ad capiendas aves et feras. Secundo, Arias exponit, q. d. Jeroboam in Maspha et Thabor statuit speculatores et custodes, qui capiebant Israelitas euntes Jerusalem ad templum, eosque cogebant ire in Dan vel Bethel, ibique adorare vitulos aureos Jeroboam. Verum, ut alia omittam, huic versioni obstat, quod Maspha non erat in Israel, ubi regnabat Jeroboam; sed in Juda, ubi regnabat Roboam, uti docet S. Hieron. in locis Hebr. Adrichom. et passim alii.

Quocirca noster à Castro censet urbem hanc Maspha aliam fuisse ab ista Maspha Judææ, ac fuisse sitam in Israel, puta in monte Galaad. Mons enim Galaad dictus est Mistphe vel Maspha, id est specula; vel, ut Septuag. vertunt, ὅρασις, id est visio, ex eo quod Laban sanciens fœdus cum Jacob, ibi Deum, quasi speculatorem, in testem et vindicem sui fœderis per juramentum vocarit, uti dixi Genes. 31. 48. Itaque censet à Castro, Jeroboam speculatores constituisse in Galaad, qui populum averterent à templo, et cogerent adorare in Dan et Bethel. Hic sensus probabilis et plausibilis videtur.

Verum obstat primo, quod de his speculatoribus in libris Regum, et in tota Script. nulla fiat mentio; aliquid tamen de iis innuitur Osee cap. 6. 9. uti eo loco dicam. Secundo, quod Galaad nusquam vocetur Maspha, nisi Genes. 31. v. 48. idque tantum in Hebræo. Tertio, quod *Mistpha* hic in Hebræo habet articulum dativi casus, sic enim Hebr. ad verbum habent : *Quia laqueus fuistis ipsi Matspha, et rete expansum super Thabor.* Male ergo recentiores vertunt : *In Mitspha*, vel *super Mitspha*; *Mitspha* enim hic est dativi casus. Quarto, quia Sept. Chald. S. Hier. plane consentiunt nostræ versioni, vertuntque: *Quia laqueus facti estis speculationi*, vel speculæ. Itaque *Mitspha* hic est nomen non proprium urbis, sed appellativum significans speculationem, vel speculam.

Quæres, quænam est hæc *speculatio?* primo, S. Hier. exponit, q. d. Facti estis laqueus pro speculatione, eo sensu quem mox asseram. Hebr. enim *lamed* in *lemitspha*, subinde significat *pro.* Secundo, abstractum hic accipi potest pro concreto, more Hebræo: *speculatio* ergo accipi potest pro populo speculato, seu vestræ, ô sacerdotes et principes populi, curæ et speculationi commisso, q. d. Vos ô primores (hos enim alloquitur) qui debebatis speculari, excubare, et custodire populum in cultu Dei, eumdem verbis et exemplis pertraxistis ad idololatriam. Sic Ezechiel à Deo constitutus est speculator populi cap. 3. 17. vide ibi dicta. Ita Cyril. Albert. Hugo, Emmanuel, Mariana et Lyran. Aut certe *speculationi*, id est prophetiæ, hoc est Prophetis, q. d. Vos ô Israelitæ facti estis laqueus Prophetis et doctoribus, quia eis insidias tenditis, eosque capitis et occiditis. Ita Chald. Theod. Theoph. *Mitspha* ergo, id est speculatio, significat vel *mitsphe*, id est speculatum, scilicet populum; vel *tsophim*, id est speculatores, scilicet Prophetas; perinde ac si dicas : Laqueus facti estis episcopio, id est Episcopo, et subditis Episcopo, unde Syrus vertit : *Laquei enim facti estis speculatori.*

Quocirca allegor. Cyrill. hæc accipit de Judæis Christo (hic enim est speculator et Episcopus animarum nostrarum, ut ait S. Petrus epist. 1. c. 2. v. ult.) ejusque verbis et factis ubique insidiantibus, ut eum in necem et crucem agerent, uti tandem fecerunt. Sic et Leo Castrius, qui putat hunc esse sensum litteralem, adeoque de Christo totum hoc caput, imo totum Prophetam explicat ad litteram, in quo hallucinatur. De Christo enim Propheta loquitur allegorice, non litteraliter.

Nota. In Hebr. pulchra est paronomasia inter משפט *mispat*, id est judicium, et מצפה *mitspha* id est speculationem, q. d. *Vobis mitspat*, id est *judicium*, *est*, hoc est, cito vos ad judicium, quia fuistis laqueus *lemitspha*, id est speculationi. Rursum inter פח *pach*, id est laqueus, et מצפה *mitspha*, id est specula, q. d. Pro speculari facti estis laqueus : vestrum enim erat speculari, et præmonere ac custodire populum; sed vos ipsi eum illaqueastis, et in laqueum, id est, in captivitatem hostium induxistis, juxta expositionem S. Hieron. primo loco assignatam. Perinde ac si latine ludas, ac dicas : Vos speculatores facti estis expilatores aut spiculatores, vos tutores traditores; vos curatores proditores; vos defensores direptores; vos pastores perditores; vos Episcopi apostatæ. Ita Synodus generalis V. actione 5, ex verbis S. Cyrilli, hunc Osee laqueum ait esse Theodorum Mopsuestenum, et similes hæresis et falsitatis doctores.

ET RETE SUPER MONTEM THABOR.] Subaudi voculam *sicut*, q. d. Sicut venatores rete tendunt avibus et feris in Thabor, ita vos insidias tetendistis vel populo, vel Prophetis et prædicatoribus. Porro Thabor, vel, ut Septuag. et Joseph vocant. Itabyrius, mons est pulcherrimus in medio Galilææ campo, mira æqualitate ex omni parte rotundus : in vertice viginti sex stadiorum campestris planicies patet : cœli temperie est saluberrimus : vineis, olivis, aliisque arboribus fructiferis undique consitus : rore perpetuo uvidus : arborum frondibus, et versicoloribus herbis semper viridis, atque suavi omnigenum florum odore fragrantissimus. Hinc magna ferarum, maximeque avium in eo est frequentia, quarum et grato concentu amœnissimus est, et venatu celebris : unde in eo venatores retia tendebant, ut ait hic Osee. Denique totus hic mons pascendis oculis, reficiendisque animis natus factusque videtur : ideoque eum Christus Dominus merito delegit tum orationi, tum transfigurationi suæ, in quo sole lucidior et nive candidior refulgens coram Mose et Elia, cælestis beatitudinis et gloriæ specimen aliquod discipulis suis dedit ita Borchard. Bredembac. et Adrichom. in Descript. terræ sanctæ.

Tropolog. Theophyl. speculatores, id est Episcopi, Pastores et Prælati, quorum erat invigilare saluti subditorum, eis fiunt rete, cum vel falsa doctrina, aut pravis consiliis, vel moribus et exemplis eos secum implicant, trahunt-

que ad scelera, et in ruinam; idque in Thabor, quod nomen hebraice significat, puritas, vel veniens lumen, ait S. Hier. quia in ipsa sacerdotii pulchritudine animis fœditatem afferunt; in ipsa puritate inquinant; in ipso lumine tenebras effundunt; in ipsa celsitudine in profundum plebem præcipitant, ait Sebast. Barrad. lib. 7. cap. 5. Unde Arabicus Antioch. vertit. *quia facti estis laqueus in offensionem, et quasi rete expansum super abyssum;* et Arabicus Alexandr. *jam facti estis sicut laquei in locis insidiarum, et sicut cibus qui ponitur in venationem in nemoribus animalium.*

2. Et victimas declinastis; scilicet à Deo, ejusque templo, et altari Hierosolymitano, ad idola eorumque aras erectas in Dan et Bethel: idque in profundum] scilicet impietatis. Unde Chald. vertit: *Sacrificant idolis largissime.* Hebræi enim sumunt verba pro adverbiis. Ita Ribera. Hebr. ad verbum habent: *Victimam declinantes profundaverunt*, id est, in profundum scelerum abierunt, profunde descenderunt, in fundum idololatriæ prolapsi sunt, et, ut ait Osee cap. 9. 9. *Profunde peccaverunt.* Eadem phrasi utitur Isaias c. 31. 6. *Convertimini sicut in profundum recesseratis* (hebr. *sicut profundastis*) *filii Israel.* Et c. 30. 33. dicitur Tophet, id est gehenna, profunda et dilatata; hebr. *profundavit et dilatavit se.* Ita S. Hieron. Albert. Lyran. Arias, Ribera et alii. Aliter Vatabl. et Clarius, qui per profunditatem intelligunt calliditatem et versutiam, q. d. Apostatæ qui declinant à vera religione, rationem subtilem et callidam invenerunt immolandi diis alienis: dicunt enim se colere idola in honorem Dei. Sic Galli dicunt: *Voila un homme profond*, cum callidum et astutum denotare volunt.

Septuag. hæc referunt ad rete quod præcessit: vertunt enim: *Qui cupiunt venationem confixerunt;* ut Hebr. *profundaverunt*, idem sit quod, profunde vel retia in terram, vel lanceas et venabula in corpora defixerunt, scilicet venatores: legendum enim *confixerunt*, ut habet editio Romana Caraffæ, S. Hieron. Theodor. et Theophyl. non *timuerunt*, ut habent Complut. et Regia. Syrus vertit: *Et venatores qui venantur operuerunt laquei*, q. d. Capti sunt laqueis suis, quos aliis tetenderunt; *ego autem erudiam* (corripiam) *eos omnes, ego scio.* Mystice S. Gregor. homil. 4. in Ezech. *Sunt*, ait, *nonnulli qui idcirco se in prece lamentis afficiunt, ut aut terrena commoda acquirant, aut hominibus sancti videantur. Quid hi nisi victimas in profundum deferunt? qui per hoc quod in imo sunt quæ requirunt, orationis suæ sacrificium deorsum deponunt.*

Et ego eruditor omnium eorum] q. d. Profunde peccant, cum tamen ego numquam destiterim eos corripere per Prophetas et erudire, ne tantum scelus patrarent. Ita S. Hieron. et Septuag. qui vertunt, *et ego magister eorum.* Minus recte vertit Lyran. *et ego cognitor eorum*, q. d. Non pudet eos peccare in mea præsentia; ego enim omnium eorum scelera cognosco et video. Nam Hebr. *musar*, non significat cognitionem, sed correptionem, objurgationem, castigationem: unde disciplina et castigatio puerorum vocatur *musar.* Quocirca Chald. vertit: *Ego adduco correptiones*, vel *castigationes super omnes illos:* quod Theodor. et Theophyl. exponunt per futurum, q. d. Ego castigabo eos excidio, puniam eos captivitate.

3. Ego scio Ephraim, id est, ut rhythmice more Hebr. quasi per carmen antistrophum explicat, dum subdit: Et Israel non est absconditus a me] Aut potius Ephraim vocat tribum regiam et capitalem; Israelem vero reliquas novem quæ Ephraim idololatriam et imperium secutæ sunt; distinguit enim Ephraim ab Israel v. 5. q. d. Novi ingenium et indolem Israelis, quod scilicet in idola sit propensissimus, et à me maxime aversus, quodque idololatriam et vitulos Jeroboam, qui fuit primus eorum rex ex tribu Ephraim, mox prono animo secutus sit, adeoque alte animo suo impresserit, ut eum quasi contribulem suum totus populus, omnesque deinceps reges in scelere imitati et assectati sint; nec ullis Prophetarum monitis aut minis ab eo revocari possint; nisi excidio conterantur, et captivitate dura eorum corda frangantur. Ita S. Hier. Theodoret. Rupert. Albert. Arias, Lyran. et Vatabl.

Tropol. hîc Nota, Deum cognoscere et prævidere intimas et secretissimas mentium cogitationes, desideria, propensiones, intentiones. Unde in Script. vocatur cardiagnostes, quia scrutatur renes et corda. Quocirca Isaias c. 29. 15. graviter redarguit impios, qui putant se Deum latere dicentes: *Quis videt nos, et quis novit nos?* quod tantumdem est, ac si *figmentum*, inquit, *dicat fictori suo; Non intelligis*, non me cognoscis, quod impium est: Dei enim est creaturas suas, quas ex nihilo creavit et finxit regere et conservare: ergo qui eas creavit, eas pariter intime cognoscit, penetrat et pervidet. Præclare Sapiens Proverb. 15. 11. *Infernus*, ait, *et perditio coram Domino, quanto magis corda filiorum hominum*: *perditio*, id est, damnatio æterna, q. d. Novit Deus ima inferni; et qui, quot, quantumque ob scelera sua sint damnandi, aut damnati: ergo multo magis novit secreta cordium cujusque. Ita valet, stringitque hoc argumentum à majore ad minus, q. d. Cum in cubili, imo in corde occultissime peccas, cum te latere credis, adeo Deum non lates, ut simul ipse videat pœnas, quas præcise mereris, quasque ipse tibi in gehenna pro illo crimine præparavit. Tu peccas, et inanem concupiscentiam exples, interimque non cogitas gehennam et ignes æternos, qui tibi à Deo parantur. Hoc est quod graviter et significanter ait Apost. Hebr. 4. 12. *Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus.* Vide ibi dicta. Atque hæc est causa cur Deus prævideat et præcognoscat omnia contingentia futura, omnesque actus voluntatis liberos futuros, vel absolute, vel conditionate, si videlicet in tali, vel tali rerum serie, talibusque circumstantiis voluntas poneretur, quid ipsa factura et electura esset: quia scilicet ipse prævidet, et plane comprehendit totam voluntatem, omnesque ejus occultas affectiones et propensiones, uti et circumstantiarum rerumque omnium, itaque videt ipsam positam et compositam cum tali gratia, tentatione, aliisque circumstantiis certo et infallibiliter, sed libere ad hoc illudve se determinaturam. Qui enim causam comprehensiva cognitione co-

gnoscit et comprehendit, comprehendit et omnes ejus effectus actusque, etiam liberos.

4. NON DABUNT COGITATIONES SUAS UT REVERTANTUR AD DOMINUM] Aliter verti potest ex Hebræo, scilicet, *Non permittent opera eorum* (impia et idololatrica, quibus assidue vacant) *ut revertantur ad Dominum.* Ita Chald. et Vatabl. cui apte cohæret quod sequitur.

QUIA SPIRITUS FORNICATIONUM IN MEDIO EORUM] q. d. Ita dediti sunt idololatriæ, ut videantur spiritu et œstro idololatrandi agi et furere, uti vaccæ actæ œstro furentes discurrunt, et à bubulco revocari compescique nequeunt. Aliter Vatabl. intelligit enim spiritum pseudoprophetarum, q. d. Decepti sunt à pseudoprophetis, illorumque doctrina et spiritu idololatrico imbuti, in idola insaniunt.

5. ET RESPONDEBIT ARROGANTIA ISRAEL IN FACIE EJUS.] *Arrogantiam* vocat superbiam Israelis, qua spernens Deum, sequebatur idola : rursum *arrogantia* hic sumitur pro pœna culpæ arrogantiæ debita, q. d. Punietur hæc arrogantia Israelis, ita ut pœna respondeat culpæ, eique publice, quasi in faciem dicat : Ecce, quia, ô Israel, tam arrogans fuisti et rebellis in Deum tuum, hinc merito nunc ab eo humiliaris et plecteris : Hinc Vatabl. et Pagnin. vertunt: *Testificabitur fastus Israelis contra eum,* idque *in faciem ejus.* Unde explicans subdit : *Et Israel et Ephraim ruent in iniquitate sua.* Quocirca Septuag. pro *respondebit*, vertunt, *humiliabitur injuria* (injuriosa in Deum arrogantia) *Israel in faciem ejus ;* Chald. *deprimetur gloria Israel ipsis videntibus. Respondebit* ergo id est ; ex æquo punietur et humiliabitur, ut conquerenti juste respondere possit, eum ita puniri, quia fuit tam arrogans. Nam pœna debetur et commensuratur, itaque ex æquo respondet culpæ ac peccanti, sicut præmium virtuti, merces labori, fructus agricolæ, uti ait Jacob ad Laban. Genes. 30. 33. quo hic alluditur. Ita S. Hieron. Theodor. Albert. Hugo, Lyran. et Ribera.

IN FACIE.] Id est palam, publice, ipsis aliisque omnibus videntibus, et justum Dei judicium ac vindictam approbantibus. Ita Chald. Theophyl. et alii jam citati. Aliter Arias, qui Tῳ *in facie*, putat significari impudentiam, q. d. Arrogantia et fastus Israelis cernitur et relucet in facie ejus, oculis et superciliis inflatis, altis et tumidis, juxta illud Isaïæ 3. 9. *Agnitio vultus eorum respondit eis.* Vide ibi dicta. Vere dixit B. Cæsarius Episcopus Arelat. homil. 23. *Quisquis superbus est, dæmone plenus est.*

Moraliter S. Gregor. lib. 26. Moral. cap. 13. ex hoc Osee loco docet luxuriam esse pœnam arrogantiæ : *Occultam*, inquit, *culpam sequitur aperta percussio; ut malis exterioribus interiora puniantur, et cor publice corruat, quod latenter tumebat.* Probat id ex eo quod Osee hic dixit : *Spiritus fornicationum in medio eorum.* Ejus causam assignans subdit : *Et respondebit arrogantia Israel in faciem ejus ; ac si diceret : Culpa quæ per elationem mentis in occulto latuit, per carnis luxuriam in aperto respondit. Proinde per humilitatis custodiam servanda est munditia castitatis. Si enim pie spiritus sub Deo premitur, caro illicite super spiritum non levatur. Habet quippe spiritus commissum sibi dominium carnis, si tamen sub Deo recognoscit jura legitimæ servitutis. Nam si auctorem suum superbiendo contemnit, jure et à subjecta carne prælium suscipit.* Probat id exemplo Adæ, qui mox ut inobediens contra Deum superbivit, stimulum carnis sensit ; ideoque erubescens nuda membra foliis ficus contexit : *Ut superatus disceret, quid elatus amisisset.*

ET ISRAEL ET EPHRAIM RUENT IN INIQUITATE SUA.] Hæc est responsio realis, non verbalis ; de qua jam dixit : *Et respondebit arrogantia Israel in facie ejus.* Distinguit Israel ab Ephraim, uti corpus à capite, regnum à metropoli. Tribus enim Ephraim dedit primum regem Jeroboam, multosque deinde ejus successores Israeli : unde Ephraim continebat imperium et regnum Israelis, sive decem tribuum, earumque erat quasi caput et metropolis. Sensus ergo est, q. d. Decem tribus ruent cum suo capite, puta cum suo imperio, cum sua tribu regali Ephraim, ejusque rege et regno, idque *in iniquitate sua*, id est, merito iniquitatis, propter iniquitatem suam. Sic enim præpositio *in*, Hebræis sæpe significat meritum vel demeritum, idemque valet quod propter, uti legenti Psalmos notissimum est.

RUET ETIAM JUDAS CUM EIS,] q. d. Etiam duæ tribus, sive regnum Juda ruet, quia Israelis idololatriam secutum est.

6. IN GREGIBUS SUIS ET IN ARMENTIS,] q. d. Positi in calamitate, et ab hoste circumdati, quærent Deum per victimas gregum et armentorum ; sed frustra : nec enim eum invenient; utpote, qui derelinquentes se pariter dereliquerit. Ita S. Hieron. Hoc est enim quod subdit : *Ablatus est ab eis ;* Chald. *subduxit se majestas ejus ab eis.* Alleg. q. d. Judæi post Christum volent Deo offerre pristinas gregum victimas, iisque Deum placare; sed frustra : ipse enim recessit ab eis ad Christianos, et gregum victimas in Eucharistiam corporis Christi commutavit. Ita Theophyl. et Leo Castrius.

7. QUIA FILIOS ALIENOS GENUERUNT.] *Alienos*, scilicet à Deo, Deique cultu; sive quos ab infantia in idololatria educarunt, aut Moloch aliisque idolis per ignem consecrarunt. Hi enim me non cognoscunt, nec ego illos ut meos cognosco, sed ut alienos æstimo. Ita S. Hieron. Cyrill. Albert. Hugo et Clarius. Huc accedit Repertus et Lyran. qui per *filios alienos* intelligunt discipulos familiares, aut subditos, quos ipsi docebant suam idololatriam.

Secundo, Cyrill. Theodoret. Theophyl. Clarius, Emmanuel et Mariana, censent vocari *filios alienos*, quos ex alienigenis, puta ex filiabus Gentium, quarum connubia eis erant à Deo vetita, Exodi 34. vers. 16. et Deuteron. 7. vers. 3. procreabant. Unde Chald. vertit : *In verbum Domini perperam egerunt, quia filios de filiabus gentium sibi statuerunt.*

NUNC DEVORABIT EOS MENSIS,] q. d. Per singulos menses irruet in eos hostis et plaga, eosque percutiet et vastabit. Unde Chald. vertit : *Nunc adducam adversus eos populos per singulos menses qui populabuntur fructus terræ eorum;* et Arabicus Antiochen. *Nunc devorabunt eos latrones, et gentem eorum;* et Arabicus Alexandr. *Comedet eos Assur, et omnia bona eorum.* Ita S. Hieron. Haymo, Hugo, Vatabl. Emmanuel et alii : et patet ex 4. Reg. 15. vers. 19. et 29. sub Phul, Teglathphalasar, et Salmanasar crebras fuisse irruptiones Assyriorum in Samariam. Rursum Deum plagas alias et alias successive et continue in Israelitas immisisse, significat illud Joel

cap. 1. 4 : *Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo.*

Secundo, Clarius et Vatabl. per mensem, synecdochice accipiunt breve tempus. Declarat, inquiunt, illud *nunc*, quod dixerat, cum dicit *mensis*, q. d. Post tempus menstruum; id est brevissimum, perituri sunt cum suis facultatibus : aut, hoc mense vastabuntur et devorabuntur. Videtur enim Propheta hæc dixisse jamjam imminente hoste et clade : unde subdit : *Clangite buccina in Gabaa.* Hic sensus plenus videtur et facilis.

Tertio, Lyran. Mariana et Arias ex R. Salomone, per mensem accipiunt *ab*, id est Julium : censent enim in Julio captam et excisam esse Samariam cum regno Israel. Sed hoc incertum est : certum est eodem mense Julio combustam esse Jerusalem cum templo à Chaldæis, totumque regnum Hebræorum, sive posterorum Israelis, 4. Reg. 25. 8. illi ergo certius hæc attribuas.

Denique Septuag. pro *mensis*, vertunt, *rubigo*, videntur ergo pro חודש *chodesç*, id est mensis, legisse, חסיל *chasil*, id est rubigo, Aquila vero vertit, *neomenia*, forte quia censuit primo die mensis excisam esse Samariam. Hæc Aquilæ versio illustrem dat allegoriam et tropologiam. Neomenia enim, sive novilunium, quod erat Hebræis prima dies mensis (hunc enim inchoabant à nova luna) symbolice repræsentat novum imperium, ac consequenter mutationem status gentis et regni, q. d. Brevi veniet neomenia, id est novus monarcha, puta Salmanasar, et Nabuchodonosor, ac novum eorum imperium, quod devorabit Israelitas et Judæos veteremque eorum gentem, mores et regnum. *Novus enim rex, nova lex, nova plebs*, ut vulgo dicitur. Et hoc significat Hebræum חדש *chodesç*, scilicet innovationem, novitatem, à rad. חדש *chadasç*, id est innovavit, novum fecit : inde enim neomenia, sive calendæ vocantur *chodesç*, eo quod tum fiat innovatio lunæ, et consequenter mensis lunaris, quo utebantur Hebræi. Itaque omnes res humanæ, omnes gentes, omnia imperia sub luna sunt, et reguntur à luna, id est à vicissitudine, mutabilitate, et quasi à fortuna. Sunt ergo lunatica, ac instar lunæ, et cum luna cito decurrunt, transeunt, et finiuntur in novilunio, dum scilicet novus rex, novumque imperium assurgit.

Quocirca mulier illa cœlestis Apocal. 12. 1. Ecclesiam et fideles repræsentans lunam habet sub pedibus, quia fideles et sancti terra sunt altiores et luna, id est, omni rerum temporalium mutabilitate, ac cum S. Paulo mentem et conversationem habent in cœlis.

Cum partibus suis.] Septuag. *et cleros eorum : cleros*, id est sortes, puta terras et agros, quæ sortito cuilibet tribui et familiæ obvenerant, Josue cap. 15. unde Leo Hebr. vertit, *cum agris suis.*

8. Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama.] *Buccina* erat è cornu cornea : *tuba* ex ære ærea, subinde ex argento argentea, q. d. Adest hostis, imminet prælium, vel obsidio ; ergo clangite et convocate populum ad arma, ut hosti resistat. Nota : *Gabaa* et *Rama* urbes erant celebres in tribu Benjamin, vicinæ, et in monte sitæ : unde et nomen acceperunt. *Rama* enim significat excelsum, *Gabaa* collem. Quocirca Septuag. vertunt : *Clangite tuba super colles, resonate in excelsis.* Porro Benjamin Judæ adhæsit, fueruntque hæ duæ tribus unitæ sceptro et familiæ Davidis tempore Roboam, cum ab ea decem reliquæ tribus fecerunt schisma, electo rege Jeroboam. Hisce ergo post Israelem exitium denuntiat, explicat enim illud quod dixit : *Ruet etiam Judas cum eis*, q. d. O duæ tribus, ne putetis vos immunes fore à clade et excidio Israelis; quin potius tubis clangite : video enim in spiritu imminere bellum et excidium decem tribubus, quæ colunt idola in Bethel et Bethaven : video pariter quod, iis abductis, in vos quasi vicinos sese convertet hostis, vosque pariter vastabit et exscindet. Ita S. Hieron. Hugo, Lyran. Ribera, à Castro, et alii. Hac de causa cum dixisset : *Ululate in Bethaven*, quæ urbs erat decem tribuum, subdit : *Post tergum tuum Benjamin*, q. d. Post Bethaven, quæ tibi à tergo est, ô Benjamin, te hostis quasi flamma proserpens pariter invadet et corripiet :

Nam tua res agitur paries cum proximus ardet.

Aliam causam cur in Gabaa et Rama clangere jubeat, dat Chald. dum vertit : *Buccinate, prophetate venturos contra eos populos interfectores, eo quod crearunt regem super se Saulem, qui erat de Gabaa Benjamin, etc. et eo quod minime susceperint verba Samuelis prophetæ, qui erat de Ramatha.* Verum esto hæc de Saule et Samuele vera sint, tamen remotiora sunt; nec de iis hic agitur, sed de præsenti idololatria, ob quam Israelitæ puniendi erant excidio ab Assyriis, et Judæi à Chaldæis.

Ululate.] Hebr. הריעו *hariu*, id est vociferamini, conclamate, scilicet ad arma, eo quod hostis adsit. Unde Vatablus vertit : *Clangite ;* Septuag. *Prædicate in domo ων*, aut *vociferamini*, quasi de re jam desperata et conclamata, quod scilicet hostis jam expilet et incendat urbem, omnesque trucidet : tunc enim solet audiri clamor et ululatus puerorum et feminarum : et hoc videtur voluisse Noster, dum vertit : *Ululate.* Ita Rupert. Haymo et Albert. Porro Sept. vertunt, *in domo ων*, in quo Græci interpretes se torquent; sed dico Septuag. pro בית און *beth aven*, per crasin legisse בית און *beth no.* Idem ergo est *Bethaven*, id est domus iniquitatis, puta idoli, quod *Bethon*, id est *domus doloris*, idolum enim et scelus Hebr. vocatur *labor* et *dolor*, quia ejus est causa. Ex *Bethaven* ergo, id est ex domo peccati, itur in *Bethon*, id est, in domum doloris, tum præsentis, tum æterni ; puta in gehennam.

Post tergum tuum Benjamin,] q. d. A tergo tibi instat et imminet hostis, ô Benjamin ; jam enim expugnat Bethaven, quæ tibi à tergo adjacet, ita Clarius. Vatabl. et alii Hebr. est, *post te Benjamin*, scilicet est hostis in Bethaven. Mirum Septuag. vertere ἐξέστη, id est mente excessit, vel in mentis stuporem et exstasin raptus est Benjamin.

In die correptionis, punitionis, vindictæ et excidii. Refer hæc verba tum ad id quod præcedit : *Ephraim in desolatione erit.* Ita Hebr. Chald. Sept. et Latina Romana, q. d. O quantum desolabitur Ephraim in die excidii ! tum ad id quod sequitur : In tribubus Israel ostendi fidem,] q. d. In die excidii *ostendi*, id est, ostendam fideles et veras fuisse meas minas, quibus per Prophetas eis hoc excidium intentavi et

prædixi; ostendam ergo eis meam fidem, id est, veritatem seu fidelitatem : fiet enim excidium quod prædixi, et comminatus sum. Ita S. Hieron. Theodoret. Theoph. Arias et Ribera. Alii tamen hæc à sequentibus dirimunt, ac tantum ad id quod præcedit referunt. Unde id quod sequitur *ostendi*, proprie accipiunt in præterito, q. d. Sæpius fideliter admonui decem tribus de excidio futuro, nisi resipiscerent : liberavi ergo fidem meam per fidelem admonitionem : ideo me accusare seque excusare non possunt quod à me non fuerint præmonitæ. Hisce ergo verbis occludit eis os : fidem enim vocat sinceram, amicam et fidelem præmonitionem. Ita Chald. Clarius, Vatabl. et à Castro. Hic sensus appositus est magisque respondet dispunctioni Bibliorum Hebr. Chald. Græc. et Latinorum Roman.

10. Facti sunt principes Juda quasi assumentes terminum,] scilicet alienum, puta alieni agri, et fundi, id est *transferentes*, ut vertunt Septuag. ac Syrus, et promoventes terminum, id est lapidem, stipitem, vel columnam terminalem (quo agri proprii limitantur, et ab alienis dividuntur) scilicet ad hoc, ut eos, vel eorum partem suis agris et fundis adjungant : quod est peccatum injustitiæ et furti, vetitum lege Dei, Deuteron. 19. 18. Solebant enim veteres vel lapide in terram defosso, uti etiamnum fit, vel erecta columna, aut titulo fundos suos limitare, ut constaret quousque eorum fundus porrigeretur, ne ab alio invadi aut occupari posset. Hic lapis limes, et signum dividens agrum ab agro, vocabatur terminus. Hinc Terminus Gentilibus erat Deus, in cujus tutela credebant esse fines agrorum, cujus festa dicebantur Terminalia. Tales deos Terminos passim Romæ, quasi antiquitatis monumenta, in hortis magnatum asservari et exponi videmus. Jam sensus hìc est multiplex. Primo, q. d. Principes Juda transferunt terminos agrorum, et alienos agros invadunt, suisque contra jus et fas adjiciunt. Ita Chald. Vatabl. Arias et à Castro. Verum esto huc alludat, et quasi obiter hoc eorum scelus perstringat, tamen omnia præcedentia et sequentia alio, scilicet ad idololatriam, spectant.

Secundo, S. Hieron. Haymo, Hugo, Lyranus, Mariana et alii exponunt, q. d. Principes Juda, ipsique Judæi gaudent decem tribus esse abductas ab Assyriis, ut ipsi suos terminos prorogare, eorumque terram occupare possint. Verum hoc parum credibile est et de Ezechia pio rege, sub quo decem tribus abductæ sunt. Rursum, esto id fecisset, licite fecisset : juste enim potuisset Judas, Israele abducto, ejus terram occupare : erat enim ejus proximus hæres, eique ut frater fratri succedere poterat et debebat. Tota enim Chananæa data erat à Deo Jacobo, et posteris ejus ; unde si quis ex eis moriebantur, vel abducebantur, fratres in eorum possessiones succedebant. Denique obstat ratio priori sententiæ opposita.

Tertio, ergo melius sic exponemus, q. d. Principes Juda similes sunt raptoribus, qui terminos suos transferunt, ut alienos invadant. Pari enim modo ipsi terminos fidei et cultus mei, meæque Ecclesiæ transferunt, voluntque sibi adjungere et copulare deos Gentium, eorumque cultus, templa et aras, ipsasque Gentes et Synagogam infidelium. Ita Theophyl. Theodor. et Theodorus Antioch. qui ait : *Transferunt terminos meos et jura, honorem, qui mihi debetur, in idola transferentes, more eorum qui contra jus alienos terminos transferunt.* Hoc enim exigit vox *quasi :* hæc enim significat eos non esse proprie translatores terminorum, sed tantum illis esse similes. Addit Ribera, q. d. Judæi non contenti adorare idola, quæ erant in Judæa, transierunt quoque in alienos terminos, ut in Bethaven, quæ erat decem tribuum, imo in Assyriam, ut earum idola coleret, templaque et aras victimis suis impleret, imo ut idola hæc ex Assyria traduceret in Judæam, uti fecit Achaz 4. Regum 16. v. 10. et 18. Hunc sensum et poscunt sequentia, sequitur enim : *Quoniam cœpit abire post sordes,* id est idola. Et clarius v. 13. *Et abiit Ephraim ad Assur, et misit ad regem ultorem.* Judæi enim, æque ac Israelitæ pressi ab hostibus, ad vicinas gentes opem postulantes confugiebant ; utque eam impetrarent, eis in fide et religione se sociabant, eorumque idola colebant, imo transferebant in Judæam : unde hæc passim redarguit Jeremias, Ezechiel, Osee hìc, aliique Prophetæ. Hac de causa Noster vertit, non *transferentes,* sed *assumentes terminum :* quia idola hæc Gentium assumebant sibi Judæi, quasi Deum suum tutorem et terminalem, qualis Romanis erat Deus Terminus. Prophetæ enim minores loquuntur concise, ænigmatice, parabolice, ideoque obscuri sunt, quia paucis verbis multa significant, et ad multa alludunt.

Denique Arabicus Alexandr. vertit ; *Tanquam qui immutati sunt in funibus suis:* olim enim agros et fundos dimetiebantur funibus, Arabicus vero Antioch. *Facti sunt principes Juda, tanquam qui dimissus est cum alis suis.* Videtur respicere ad id quod dictum est cap. 4. 19. *Ligavit eum spiritus in alis suis.*

Tropol. *assumentes terminum* in fide, sunt hæretici, qui transgredientes terminos religionis à Patribus sancitos, assumunt sibi quasi idolum hæresin Lutheri, Calvini, etc. In moribus vero, qui trangredientes justitiæ aut charitatis terminos Decalogo sancitos, assumunt sibi concubinas, usurpant fundos, domos et prædia aliena. Rursum qui actionum suarum scopum et finem sibi præfigunt, non Dei honorem, sed suum ; qui ambiunt dignitates et prælaturas ; qui nomen et famam non in cœlis, sed in terris aucupantur ; qui familias suas præter jus et fas evehere et extollere moliuntur.

10. Super eos effundam quasi aquam iram meam,] q. d. *Hostium multitudine velut inundatione quadam fluminis* (aut torrentis) *occupabo eos,* ait S. Hieron. et Theodoret. Unde à Castro : *Effundam,* ait, *super eos quasi diluvium indignationem meam.* Videtur alludere ad diluvium Noe, quo Deus omnes impios obruit. Verum quia ait, *aquam,* non flumen, non torrentem, non diluvium ; hinc secundo, simplicius cum Vatablo et Ribera accipiemus de aqua, quæ è vase everso et inverso tota effunditur, ita ut vix gutta hæreat aut restet ; aqua enim tota est liquida et fluida, quia nihil habet glutinosum aut viscosum, quod vasi adhæreat, uti habet oleum, lac, mel, etc. quæ proinde si effundantur, suî partem vasi adhærentem relinquunt, q. d. Sicut aqua ex vase inverso universa simul effunditur, ita ego meam excandescentiam totumque furorem meum, simul et semel in eos effundam. Sic Christus Psal. 21. 15. ait : *Effusus sum sicut aqua,* q. d. Omnes vires, spiritus, et sangui-

nem effudi instar aquæ effusæ. Sic Israelitæ cincti à Philisthæis, pœnitentes invocarunt Dominum : *Hauseruntque aquam et effuderunt in conspectu Domini*, quasi dicerent : Sumus coram te, Domine, ut aqua ista effusa. Unde sequitur : *Atque dixerunt : Tibi peccavimus, Domine.* Quocirca Chald. vertit : *Et impleverunt aquas, et effuderunt cor suum in pœnitentia.* Et S. Gregor. in illum locum : *Quid enim*, ait, *est aquam haurire, nisi de profunda animi pœnitentis confusione fluenta lacrymarum producere*? etc.

11. Calumniam patiens est Ephraim.] *Calumniam* Hebræi vocant oppressionem, sive ab hoste, sive ab accusatore fiat, sive à quo alio, vim aut injuriam faciente; hanc enim significat עשק *oscec*, q. d. Israel opprimetur ab Assyriis injuste, utpote tyrannis, juste tamen respectu suorum scelerum, Deique justi vindicis : unde fractus est judicio,] tum justo Dei, tum injusto Assyriorum. Ita S. Hieron. Haymo, Hugo et Lyran. Alludit ad judicium in quo quis per calumniam falsorum testium, aut injusti judicis opprimitur, damnatur, plectitur. Unde pro *fractus* Heb. est רצוץ *retsuts*, id est concussus, oppressus, conculcatus, stratus, prostratus est. Sic enim hic quasi judex erat tyrannus Salmanasar, qui Israelitas injuste concussit, oppressit, spoliavit, occidit. Judicium ergo hic est vindicta et supplicium per judicium quasi irrogatum, quod ex parte Dei erat justum justaque scelerum ultio, ex parte Salmanasar injustum ; ei enim non nocuerant Israelitæ.

Secundo, Vatabl. *judicium* proprie accipit, q. d. Israel vi opprimetur et iniquis judiciis apud gentes, inter quas erit captivus. Sic enim fieri solet peregrinis, præsertim captivis. Cum ergo Israelitæ oppressi ab Assyriis judicio cum eis contenderent, suumque jus et res in eos repeterent, ab Assyrio judice quasi exteri et captivi repellebantur, et causa Assyrio oppressori adjudicabatur.

Tertio, Septuag. censent hic denotari crimen Ephraim, ob quod Deus in eum iram effundere decrevit. Unde vertunt : *Oppressit Ephraim adversarium suum, conculcavit judicium; quia cœpit abire post vana*, puta post idola. Injuria enim in Deum per idololatriam, est origo injuriæ, oppressionis et injustitiæ in proximum : sicut ex adverso qui fideles sunt Deo, fideles sunt et proximo. Nimirum pro עשוק *asçuc*, id est calumniam patiens, Septuag. alio puncto legerunt עשוק *asçoc*, id est opprimere, calumniam facere; sic pro רצוץ *retsuts*, id est fractus, legerunt רצוץ *ratsots*, id est frangere, hoc est oppressit, fregit : Hebræi enim infinitivis utuntur pro præterito.

Quoniam coepit abire post sordes,] id est post idola. Hæc enim Scriptura vocat sordes et stercora : quia sunt numina vilissima et putidissima ; ut ea adducat in odium et contemptum. Secundo, Chald. vertit : *Quia abiit ut erraret post mammona iniquitatis*, q. d. Ideo Ephraim vim patitur et judicio opprimitur, quia ipse pari modo pro muneribus in judicio oppressit pauperes, insontesque damnavit. Tertio, Clarius, Arias, Vatabl. et Pagnin. vertunt : *Quia cœpit abire post præceptum;* sicque exponunt, q. d. Ephraim volens et ultro secutus est præceptum Jeroboam de adorandis vitulis, quos proinde adoravit. In Hebræo enim jam legitur צו *tsau*, id est præceptum. Verum aliter legerunt prisci, Septuag. Chald. S. Hieron. et alii, nimirum צוא et eliso א quiescenti, צו *tso*, id est sordes, stercora, puta idola. Hæc enim Septuag. vocant *vana*.

12. Et ego quasi tinea Ephraim, q. d. Sensim per Assyrios carpam, corrodam, consumam et perdam decem tribus. Et quasi putredo, Hebr. רקב *rachab*, id est teredo, (et sic aliqui hic legendum censent cum R. David : teredo enim respondet tineæ, quæ præcessit) vel caries (hæc enim est putredo ossium et lignorum, quæ ea corrodit et consumit) domui Juda, q. d. Decem tribus per Assyrios consumam citius, uti tinea pannum, utpote mollem, cito exedit ; duas vero tribus tardius, uti caries lignum, utpote durum, tardius erodit. Ita S. Hieron. Lyran. Vatabl. Porro Septuag. vertunt : *Ego quasi conturbatio Ephraim, et quasi stimulus domui Juda;* Syrus: *Ego ero quasi commotio Ephraim, et commotio domui Juda* ; Arabicus Antiochen. *Ego qui perturbavi Ephraim, et ego tanquam mordens domum Juda;* Arabicus Alexandrinus : *Et ego deturbabo Ephraim*, Ita et hodie Deum videmus, instar tineæ, familias, urbes et provincias sceleratas sensim sine sensu corrodere, depauperare et consumere. Idem Tropol. sentit fidelis, clericus et religiosus in anima, dum peccat, aut in Dei obsequio suoque officio intepescit : nunc enim hanc gratiam, virtutem et fortitudinem, nunc illam, nunc aliam sibi auferri persentiscit.

Nota. Apposite Deum comparat tineæ et teredini, quia Israelem ejusque idololatriam vocavit sordes : tinea enim et teredo invadunt vestem aut lignum, non sanum et elimatum, sed vetustate, pulvere, aliisque sordibus obsitum, squalidum, et quasi emaciatum. Nam tineas ex pulvere, situ et putredine nasci docet experientia. Unde Plinius lib. 11. cap. 35. *Idem*, ait, *pulvis in lanis et veste tineas creat, præcipue si araneus una includatur ; sitit enim, et omnem humorem absorbens, ariditatem ampliat.* Et Horat. l. 2. Serm. satyr. 3 :

Cui stragula vestis,
Blattarum ac tinearum epulæ, putrescat in arca.

Hinc homini sordido tineas minatur Martial. lib. 2 :

Non metuas mortem, Nevole, sed tineas.

Quocirca tropolog. tinea apte repræsentat homines carni et voluptati deditos : hos enim ipsa voluptas quasi tinea consumit. Unde S. Gregor. explicans illud Job 4. 19 : *Qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea*, sic ait : *Tinea quippe damnum facit, et sonitum non facit : ita iniquorum mentes, quia damna sua considerare negligunt, integritatem quasi nescientes perdunt. Amittunt namque à corde innocentiam, ab ore veritatem, à carne continentiam, et per accessum temporis ab ætate vitam.* Sed id non sentiunt : *Dum toto desiderio curis temporalibus implicantur. Quasi ergo à tinea consumuntur, quia sine sonitu culpæ morsum tolerant, dum quanta detrimenta vitæ et innocentiæ patiantur, ignorant.* Rursum tinea, ait idem Greg. 18. Moral. 11 : *Sibi domum corrumpendo ædificat*, ita gula et luxuria carnem in qua exoritur, corrumpit. Insuper tinea chartas et pannos sine ullo cujusquam fructu, ac tan-

dem seipsam consumit; itidem facit gula et luxuria. Exstat hac de re elegans ænigma tineæ:

> Littera me pavit, nec quid sit littera novi.
> In libris vixi, nec sum studiosior inde.
> Exedi Musas, nec adhuc tamen ipsa profeci.

Denique tinea clanculum rodens pannos, significat occultum Dei judicium, indeque occulta damna et strages, uti notat Pineda in locum Job citatum.

13. ET VIDIT EPHRAIM LANGUOREM SUUM.] Puta suum imperium infirmari, languescere, deficere, et ad occasum tendere.

ET JUDA VINCULUM SUUM. Hebr.] מזור *mazor*, id est colligationem suam, hoc est plagam suam pannis obvolutam et obligatam. Significat plagam et cladem quam accepit Juda à Rasin rege Syriæ, et à Phacee rege Israel, qui multos Judæos abduxerunt, 4. Regum 15. 38. et c. 16. v. 5. et 6. ita S. Hieron. qui secundo addit, per vinculum hoc posse accipi colligationem et consociationem, qua Juda Israeli in idololatria et scelere fuit colligatus; aut potius conspirationem et conjurationem, qua Rasin et Phacee contra Achaz et Judam conjurarunt. Porro EPHRAIM, ut hanc plagam suam sanaret, ABIIT AD ASSUR,] quasi ad medicum et chirurgum, hoc est, misit legatos ad regem Assyriorum, petens ab eo opem et protectionem. Id fecit Manahem rex Israel, mittens ad Phul regem Assur mille talenta argenti ad hoc, ut suum regnum confirmaret et protegeret 4. Reg. 15. 19. Ita S. Hieron. Haymo et Hugo. Rursum id fecit Hosee ultimus rex Israel, qui se quasi vasallum subdidit Salmanasar, pendens ei annuum tributum, ut sub ejus alis tuto et quiete viveret et regnaret, 4. Regum 17. 3. ita Theoph. et Arias.

ET MISIT AD REGEM ULTOREM.] *Misit*, scilicet Judas, ut solveret vinculum suum, de quo paulo ante dixit. Alterne enim Propheta hic loquitur de Israel et de Juda, ut patet ex antecedentibus et sequentibus. Ita S. Hier. Cyrill. Haymo, Dionys. Arias, Ribera et alii, qui sic exponunt: Judas, inquiunt, id est, Achaz rex Judæ, pressus et quasi obsessus à Rasin rege Syriæ, et Phacee rege Israel, misit legatos et munera opis petendæ causa ad Teglatphalasar regem Assur. 4. Regum 16. 7. Hunc ergo vocat Propheta *regem ultorem;* Aquila et Theodor. *judicem;* Symmach. ὑπερμαχοντα, id est *defensorem* (vindicare enim, vel ulcisci, apud veteres, significabat defendere, et ita subinde capitur in Scriptura, ut dixi Romam. 12. 19.) quia erat monarcha potentissimus: ita ut ad eum quasi tutorem et vindicem omnes principes et reguli confugerent. Hebr. est ירב *iareb*, id est, qui ulciscetur, id est ultor; Chald. *ut adventaret ultum eos;* Septuag. Syrus, Arabic. Vatabl. Pagnin. Arias et Clarius retinent Hebr. *iareb*; sed falluntur in eo quod putent illud nomen esse urbis Assyriæ in qua rex regnarit. Sic Gedeon à *jareb* dictus est *Jerobaal*, id est ultor vel vindex Baal, eo quod destructo ab eo altari Baal, Joas pater ut eum contra vim vicinorum tueretur, dixerit: *Ulciscatur se de eo Baal, qui suffodit aram ejus,* Judic. 6. v. 31. Videtur ergo alludere ad Gedeon, æque ac ad Jeroboam; uterque enim fuit *iareb* id est ultor, judex et vindex Israelis; ille contra Madianitas, hic contra Roboam; ab eo enim oppressus Israel misit ad Jeroboam postulans eum libertatis suæ vindicem et principem, 3. Regum 12. 20.

Minus recte Chald. Theodoret. et Lyranus per *regem ultorem* accipiunt Sua regem Ægypti, ad quem confugit Hosee rex Israel, pressus à Salmanasar, ideoque ab eodem cum toto regno captus et eversus est 4. Reg. 17. 4. hæc enim pertinent ad Juda, non ad Israel, ut dixi. Adde, Sua impotens erat, nec potuit Israelitas tutari. Unde non recte vocatur rex *Jareb*, id est judex et vindex.

Mystice, aliqui, ait S. Hieron. per regem *Jareb*, id est ultorem, accipiunt Christum, qui peccatores salvare non poterit in die judicii, sicut scriptum est: *In inferno quis confitebitur tibi?* Allegor. Theoph. et Leo Castrius per *regem ultorem* accipiunt Romanos, quorum opem invocavit Hyrcanus pontifex et Judæi, sed ab eis per Titum excisi sunt; aut certe Julianum Apostatam, qui Christianis infensissimus, in eorum odium se fecit Judæorum vindicem, eisque templum restaurare aggressus est; sed frustra: Deus enim, immisso in fabricam igne, opus consumpsit. Ita Socrates lib. 3. 20.

14. QUONIAM EGO QUASI LEÆNA EPHRAIM,] q. d. Rex ultor non poterit ab hoste liberare, quia ego Deus sum, qui hostes immitto et roboro, imo ego sum vester hostis, qui quasi leæna invado Ephraim. Apte Dei vindicta comparatur leænæ: quia hæc fortissima est et ferocissima, præsertim cum peperit alitque catulos; ad quos, omnibus invitis et frustra obsistentibus, prædam quam cepit et discerpsit, domum asportat. Docent Physici, et ex eis Gesnerus in leone, leonem tam esse ferum, ut ad retundendam ejus feritatem indita ei sit à natura febris quartana, qua jugiter laborat, quamque abstinentia superat. Hæc enim ei est medicina, cui horologium est fames et venter. Hebr. שחל *scachal* significat bestiam quamvis trucem et efferatam, qualis est leo; Septuag. vertunt, pardalim, quæ velocissima est et sævissima. Ita S. Hieron. qui addit: *Ut quidquid sævum in bestiis est, hoc in Dei indignatione cognoscas. Nihil panthere velocius, nihil leone fortius. In panthere velox per Assyrios regni Samariæ significatur interitus, et in leone fortissimum contra Jerusalem et Judam aliquanto post tempore ostenditur regnum Chaldæorum*, etc. *ut fiat* (Deus) *quasi panther, vertatur in leonem, mutetur in bestias.* Unde subdit: *Ego ego capiam et vadam; tollam, et non est qui eruat.*

Nota: Sicut v. 12. Deum quasi tineam opposuit sordibus Israelis, ita hic apposite Deum quasi leænam opponit regi ultori, ad quem recurrebat Israel; hoc enim fortior est leæna; sic et Deus fortior erat Teglathphalasare. Symbolice, Deus in hac vita peccatores castigat leniter ut tinea, at in die judicii et in gehenna sæviet et lacerabit eos quasi leæna. Tunc horrendo sonitu in eos rugiet: *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et Angelis ejus,* Matth. 25.

ET QUASI CATULUS LEONIS DOMUI JUDA.] Hi enim catuli solent esse audaciores, utpote ignari periculorum et insidiarum: ac ferociores, utpote avidiores sanguinis, quem recens degustarunt, præsertim quia fervet et bullit in juventute sanguis. Quocirca Judas aggrediens hostes, comparatur catulo leonis; quiescens vero, leoni, Genes. 49. 9: *Catulus leonis Juda. Ad prædam, fili mi, ascendisti: requiescens accubuisti ut leo.* Justi quoque confidentia comparatur catulo leo-

nis. Prov. 28. 1 : *Fugit impius nemine persequente, justus autem quasi leo* (Hebr. כפיר *kephir*, id est leunculus) *confidens absque terrore erit.* Leunculus enim animosus est et sævus, quia jugiter ei latrat stomachus : ac fame, æque ac specie et forma, orisque rictu et rugitu, videtur esse quasi latrator Anubis, præsertim cum grandescit, fitque leo.

15. Vadens revertar ad locum meum.] Uti solent leænæ, laniata fera raptaque præda, in speluncam reverti, eamque ibi cum catulis devorare : ita ego per Assyrios et Chaldæos tam Israelitas, quàm Judæos prædabor, eosque in captivitatem abducam, ibique eos servitute, tributis et oneribus consumam et quasi devorabo. Ita Haymo, Arias et Vatabl. Chald. vertit : *Auferam majestatem meam, et in locum sanctitatis meæ revertar, qui est in cœlis, donec norint se peccasse*, q. d. Deseram Judæos cum templo, et quasi oblitus eorum tradensque eos hostibus, abibo in cœlum : hic enim est locus solii et gloriæ Dei, ex quo eminus spectat reorum carceres et supplicia. Ita S. Cyrill. Hier. Theod. et alii. Vatabl. hæc refert ad c. sequens, hicque inchoat cap. 6. cum eo enim cohærent, eoque spectant, uti mox patebit.

Donec deficiatis.] Hebr. עדו אשמו *ad iescemu*, idest, donec peccatum suum et culpam agnoscant. Ita Chald. Vatabl. Clarius : Arias et alii, אשם *asçam* enim peccare et peccatum significat. Verum *asçam* subinde ponitur pro שמם *sçamam*, id est desolavit; ordines enim verborum imperfectorum sæpe apud Hebræos inter se commutantur, v. g. defectiva *Pe aleph*, quale est *ascam*, commutantur cum duplicantibus secundam, quale est *scamam.* Unde Septuag. vertunt, *donec dispereant*; Noster, *donec deficiatis.* Hic sensus priori subservit, eumque antecedit. Judæi enim per cladem et excidium excitati peccata sua agnoverunt, et pœnitentes ad Deum redierunt, uti patet ex libro Baruch. Huc enim tendunt plagæ omnes à Deo in urbes, gentes, familias et homines immissæ, ut scilicet iis sternat eorum superbiam, utque cor concupiscentiis obstructum et obduratum aperiat, cruciet et sauciet, quo afflicti sua scelera Deumque vindicem agnoscant, ad eumque pœnitentes recurrant; cum videant non esse alium qui plagas hasce depellere, malisque tantis succurrere possit, juxta illud Psal. 15 : *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* Dum ergo flagellaris à Deo, non ad Assyrios, id est, non ad principes et potentes, qui te è manibus Dei eripere non possunt, sed ad Deum ipsum cum Davide et Ninivitis recurre ac supplex dicito : *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Tibi soli peccavi, et malum coram te feci.* Ita mulcebis iram Dei, ac flagellum ex manibus irati extorquebis, pristinumque ejus favorem, gratiam et opem tibi conciliabis et restitues.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Promittit afflictis Christum redemptorem, quia eos vivificabit tertia die, quique orietur quasi diluculum et quasi imber temporaneus et serotinus. Inde v. 4. redit ad sua tempora, et accusat duritiem Ephraim, quod eum per Prophetas dolare voluerit, sed ipse omnes dolabras respuerit : item immisericordiam, cum Deus misericordiam velit non sacrificium. Denique v. 8. invehitur in Galaaditas, qui cultores euntes in Jerusalem in via occidebant.

1. In tribulatione sua mane consurgent ad me : Venite, et revertamur ad Do-
minum. 2. Quia ipse cepit, et sanabit nos : percutiet, et curabit nos.
3. Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, et vivemus
in conspectu ejus. Sciemus, sequemurque ut cognoscamus Dominum : quasi
diluculum præparatus est egressus ejus, et veniet quasi imber nobis tempo-
raneus, et serotinus terræ. 4. Quid faciam tibi, Ephraim? quid faciam tibi,
Juda ? misericordia vestra quasi nubes matutina ? et quasi ros mane per-
transiens. 5. Propter hoc dolavi in Prophetis, occidi eos in verbis oris mei : et judicia tua quasi
lux egredientur. 6. Quia misericordiam volui, et non sacrificium : et scientiam Dei, plusquam
holocausta. 7. Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi prævaricati sunt in me.
8. Galaad civitas operantium idolum supplantata sanguine. 9. Et quasi fauces virorum latronum,
particeps sacerdotum, in via interficientium pergentes de Sichem : quia scelus operati sunt.
10. In domo Israel vidi horrendum : ibi fornicationes Ephraim; contaminatus est Israel.
11. Sed et Juda pone messem tibi, cum convertero captivitatem populi mei.

1. IN TRIBULATIONE SUA CONSURGENT AD ME.] Hæc pertinent ad finem capitis quinti, unde eò hæc referunt Hebræi, Chald. et Pagnin. et caput sextum inchoant ab illis verbis : *Venite, et revertamur ad Dominum.* Vatabl. vero caput sextum inchoat à v. ult. cap. 5. uti ibi dixi. Sed eòdem omnia recidunt, indicantque initium hujus capitis connexum esse cum fine cap. præcedentis, hoc modo et hoc sensu : Revertar ad locum meum, ait Dominus, donec tribulatione afflicti et deficientes Israelitæ culpam suam agnoscant, et quærant faciem meam. Cum enim fuerint in tribulatione, mane consurgent ad me. Hinc patet tribulationem hìc intelligi tum eam quam passi sunt Israelitæ in captivitate Assyriaca, tum eam quam passi sunt Judæi in captivitate Babylonica. Ita S. Hieron. Theod. et Theoph. utramque enim utriusque comminatus est cap. præced. v. 5. dicens : *Israel et Ephraim ruent in iniquitate sua, ruet etiam Judas cum eis.* Et v. 12 : *Ego quasi tinea Ephraim, et quasi putredo domui Juda.* Unde ejus remedium quærens tam Israel, quàm Juda, *abiit ad regem ultorem, et ipse,* inquit Propheta, *non poterit sanare vos;* quocirca opem humanam ab iis desperantes, in tribulatione recurretis ad me Deum vestrum, uti hìc dicitur.

Aliter Arias, qui per *tribulationem* accipit captivitatem Judæorum, quam passi sunt à Tito et Romanis. Verum illius nulla cap. præced. facta est mentio : nec in illa Judæi conversi sunt sincere ad Dominum, nec Deus tertia die illos vivificavit: quin potius eos excidit et internecione delevit.

MANE,] id est cito, mature, festine petentes à me ut eos tribulatione liberem; puta mane hoc symbolicum fuit, cum transacta nocte captivitatis, impletisque ejus septuaginta annis à Deo decretis, Judæi, excitante eos in spem Daniele, Esdra, Aggæo, aliisque Prophetis, ad vicinam sub Cyro liberationem anhelantes, supplices à Deo eam postularunt et impetrarunt : mane enim et aurora Judæis captivis fuit spes vicinæ liberationis, mox expletis 70 annis præstandæ per Cyrum.

Mystice S. Hieron. *Mane*, inquit, id est, cum ortum fuerit eis lumen pœnitentiæ per facem fidei. Allegor. Lyran. *Mane*, ait, id est, in prædicatione Joannis Baptistæ, qui quasi lucifer et aurora præivit Christum solem justitiæ, exhortans homines ad pœnitentiam, ut per eam illos ad Christi gratiam et justitiam præpararet. Tertull. lib. 4. contra Marc. 43. hæc accipit de mulieribus piis, quæ afflictæ ob mortem Christi venerunt mane ad monumentum ut eum ungerent; unde meruerunt primæ videre eum resurgentem, qui mire eas consolatus est. Verum hic sensus est accommodatitius.

1. VENITE, subaudi, dicentes, et se invicem adhortantes, ET REVERTAMUR AD DOMINUM, QUIA IPSE CEPIT.] Hebr. טרף *taraph*, id est rapuit, vel abripuit nos, q. d. Non Salmanasar, non Nabuchodonosor, sed Deus vindex fuit, qui ob scelera nostra, per Salmanasar et Nabuchodonosor nos vinctos abripuit in Assyriam et Babylonem : unde ipse solus potest nos liberare, et plagam hanc sanare, uti se sanaturum promisit, ideoque brevi reipsa sanabit. Respicit ad illud quod dixit cap. præced. v. 14 : *Ego quasi leæna Ephraim? ego capiam et vadam; tollam, et non est qui eruat;* et v. 13 : *Ipse* (rex ultor, puta Assyrius) *non poterit sanare vos, nec solvere poterit à vobis vinculum*, sed ego solus qui illud vobis induxi; unde subdit :

2. PERCUTIET ET CURABIT NOS.] Hebr. יחבשנו *iachbescenu*, id est, obligabit nos, puta fasciis vulnera nostra alligabit, itaque curabit. Unde Sept. vertunt, μοτωσει: μοτα enim, ait S. Hieron. *appellantur linteola quæ inseruntur vulneribus, ut putridas carnes comedant, et extrahant purulentias; artisque medicorum est grandia vulnera longo sanare tempore, et per dolorem reddere sanitatem. Percutit ergo nos Dominus, et curat nos; quia quem diligit corripit, et non solum curat, sed et vivificat post duos dies.* Sic et Isagoge Galeno adscripta; ubi μοτος dicitur esse quadruplex; στρεπτος, id est tortilis; ξιστος, id est rasilis, quod de rasa linteorum materia formaretur: τιλτος, id est concerptilis, à concerptu vellicatuque materiæ : ελλυχνιωτος, quod ex ellychnio conflaretur. Interpres Biblior. Reg. μοτωσει vertit, *turbabit nos;* quia chirurgus ut vulnus curet et pus eximat, penicillo illud expurget, turbet et radat oportet; ut deinde μοτον, sive ellychnium sanans inserat. Eleganter S. Aug. in Psal. 50 : *Illa*, ait, *est vox Domini : Ego percutiam, et ego sanabo. Percutit putredinem facinoris, sanat dolorem vulneris. Faciunt hoc medici, secant, percutiunt, et sanant : armant se ut feriant, ferrum gestant et curare veniunt.*

Moral. disce hìc tribulationem esse telum Dei, quo Deus homines à se fugientes et abeuntes in ruinam, ad se et ad salutem revocat. Tribulati enim hoc telo confixi, prostrati et humiliati, ponunt fastum, culpam agnoscunt, et pœnitentes poscunt à Deo veniam; qui mox supplicibus parcit, eosque ulnis maternis amplectitur. Hoc est quod ait Psalmista : *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, et confirmasti super me manum tuam*, psal. 37. 3. Ita S. August. in psalm. 21. serm. 2. docet Deum esse medicum, qui tribulatione quasi medicamento curat vitia nostra : *Sub medicamento*, inquit, *positus ureris, secaris, clamas, non audit medicus ad voluntatem, sed ad sanitatem.* Et l. 1. de Verbis Domini serm. 18 : *Bibe*, ait, *amarum calicem; tu enim tibi fecisti. Præcepta illa mea quæ sano data sunt tam dulcia, tam levia, contempta sunt : cœpisti laborare, sanari non potes, nisi amarum bibas calicem tentationum, tribulationum, angustiarum et passionum. Bibe ut vivas. Et ne responderet ei languidus, non possum, non fero, non bibo : prior bibit medicus sanus, ut bibere non dubitaret ægrotus. Quid enim amarum est in tali poculo quod ille non biberit? Si contumelia, prior audivit cum dæmones expelleret : In Beelzebub ejicit dæmonia. Si dolores amari sunt, ligatus, et flagellatus, et crucifixus est. Si mors amara est, etiam mortuus est. Si genus mortis exhorrescit infirmitas, nihil illo tempore fuit ignominiosius quàm mors crucis.* Idem, sermone 3. de Machabæis : *Totus mundus fornax aurificis est. Ibi justus tanquam aurum, impii tanquam palea. Ibi tribulatio sicut ignis, ibi Deus sicut aurifex. Pius Deum laudat, aurum rutilat, impius Deum blasphemat, palea fumat; iste purgatur, ille vastatur eodem igne; Deus in utroque laudatur.* Idem in psalm. 40 : *Patitur quis tribulationes, docetur amare meliora per amaritudinem inferiorum, ne viator tendens ad patriam, stabulum amet pro domo sua.* Idem lib. de Vera innocentia : *Cum Dominus permittit, aut facit ut aliqua tribulatione vexemur,*

etiam tunc misericors est : qui exercitans fidem, et differens adjutorium, non auxilium negat, sed desiderium movet. Idem, epistol. 87 : *Res prospera donum est consolantis, res autem adversa donum est monentis Dei.* S. Gregor. in Moral. : *Aurem cordis*, inquit, *tribulatio aperit, quam sæpe prosperitas hujus mundi claudit.* S. Chrysos. hom. 4. de Pœnitentia, tribulationem vocat aratrum : *Illo ergo*, inquit, *corda scindamus, ut si quæ dolosa herba, et improba cogitatio nobis inest, radicitus eam evellamus, ut puras pietatis seminibus terras exhibeamus.* Idem, homil. 4. de divite et paupere : *Nisi tentatio*, inquit, *nec corona; nisi certamina, nec bravia; nisi stadia, nec honores; nisi tribulatio, nec remissio; nisi hiems, nec æstas. Et hoc non tantum in hominibus, sed et in seminibus intueri licet. In his enim multam pluviam, multam nubium collisionem, multam glaciem fieri oportet, si vernans spica exsurgere debet. Cum ergo ingruit hiems animarum, seramus et nos in hac hieme, ut in æstate metamus.* Hic fuit sensus, hæc praxis Sanctorum omnium : Saræ, Tobiæ cap. 3. 21 : *Hoc habet pro certo omnis qui colit te, quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur; si autem in tribulatione fuerit, liberabitur.* Job. c. 5. 17 : *Beatus homo qui corripitur à Deo : increpationem ergo Domini ne reprobes, quia ipse vulnerat, et medetur; percutit, et manus ejus sanabunt.* Psaltis, psal. 15. v. 4 : *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* Salomonis, Proverb. 3. v. 11 : *Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, nec deficias cum ab eo corriperis : quem enim diligit Dominus corripit, et quasi pater in filio complacet sibi.* Jeremiæ cap. 31. 18 : *Castigasti me, et eruditus sum quasi juvenculus indomitus.* Jonæ, c. 2. 8 : *Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum.* Danielis, c. 11. 35 : *Et de eruditis ruent, ut conflentur, et eligantur, et dealbentur.* Zachariæ c. 13. 9 : *Uram eos sicut uritur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum.* Malachiæ, c. 3. 2 : *Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum; et sedebit conflans et emundans argentum; et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum et quasi argentum.* Quin et Philo cum aliis Judæis apud C. Caligulam accusatus ab Appione, quod Cæsari divinos honores non tribueret, ejectus ex aula, sociis Judæis respondit : *Bono animo nos esse oportet, quibus iratus est Caius; quia necesse est adesse divinum, ubi humanum cessat auxilium.* Ita Euseb. l. 2. Histor. c. 5. Denique S. Bernard. in Sententiis : *Tribulatio*, ait, *tria confert : Exercitium, ne virtus amoris, otii tepore frigescat; probationem, ut nostræ constantiæ fortitudo, ad exemplum hominibus innotescat; præmium, ut juxta tribulationis modum immensum gloriæ pondus accipiat.* Subdit deinde totidem remedia : *Adversitati*, ait, *tria sunt opponenda : Electorum agones et angustiæ, quas patiuntur qui pie vivunt; Redemptoris afflictiones et molestiæ, quas ei sævissimi principes intulerunt; dispositio moderatricis justitiæ, cujus altitudinem, quasi virgæ Joseph summitatem, non discutere, sed adorare debemus.*

3. Vivificabit nos post duos dies.] Primo, Hebræi sic exponunt, q. d. Post duos, id est, paucos, dies Deus liberabit nos Babylone, in qua captivi, afflicti, et quasi mortui, et, ut ait Ezech. c. 37, quasi ossa arida in sepulcro degimus; liberans ergo nos ab hac morte civili, puta captivitate, *vivificabit nos*, ut videamur nobis resurgere in libertatem, quasi in novam vitam. Sicut enim servitus, carcer, mœror, sunt mors quædam civilis et moralis; ita libertas, lux et lætitia est vita moralis et civilis : *nec enim vivere, sed vigere et valere est vita*, ait Poeta. Verum id locum habet in solis Judæis, non in Israelitis : hi enim ex Assyria nunquam liberati sunt. De utrisque autem egit et agit Propheta. Adde Catholicos omnes hæc referre ad Christum. Fateor tamen ad liberationem Judæorum è Babylone per Cyrum hìc alludi, eamque obiter et allusive perstringi. Loquitur enim Israelitis, quorum primus dies fuit tempus captivitatis Assyriacæ, et Judæis, quorum fuit secundus æque miser dies captivitatis Babylonicæ : post quos successit tertius dies lætus et faustus redemptionis et liberationis, quam inchoavit Cyrus, perfecit Christus.

Secundo, ergo Patres et Interpretes Orthodoxi omnes docent hìc prædici Judæis et Israelitis adventum Christi redemptoris. Hunc enim eis in captivitate afflictis identidem ingerebant Esdras, Zorobabel, Aggæus, Zacharias, Jesus filius Josedec, aliique sacerdotes et Prophetæ. Sensus ergo est, q. d. Sustinete, ô Hebræi, modicum, sperate, invocate Deum : quia post duos dies, id est, post breve tempus, ipse vos liberabit, inchoate per Cyrum, sed plene et perfecte per Christum (à Cyro enim ad Christum assurgere, et subito quasi avolare solent Prophetæ, uti dixi Isaiæ 45. 8.) qui Abrahæ nobisque à tot seculis promissus est salvator et redemptor. Ipse enim nos à peccato, morte et inferno liberabit, ac gratiæ, vitæ et cœlo, restituet : itaque vivificabit nos vita sancta, cœlestis et divina. Sic *duo dies* sumuntur pro paucis et brevibus, numer. 9. 22 : *Si vero biduo* (id est, pauco tempore) *aut uno mense, vel longiore tempore fuisset* (columna nubis) *super tabernaculo.* Sic et cap. 11. 19. Isaiæ 17. 6. et alibi. Tempus ergo 591 annorum (tot enim fuerunt à captivitate Babylonica, usque ad nativitatem Christi) vocatur hìc *duo dies :* quia Deo (et Prophetis in lumine Dei elevatis) respectu æternitatis suæ, et respectu æternæ et cœlestis salutis afferendæ per Christum, *mille anni sunt sicut dies hesterna quæ præteriit*, ut ait Psaltes psal. 89. 4. Hinc eodem respectu et sensu ait de Christo Aggæus c. 2. 7 : *Adhuc unum modicum est*, etc. *et veniet desideratus cunctis gentibus.* Ita Cyrill. Arias, Vatabl. à Castro, et alii. Itaque tempus nativitatis et primi adventus Christi, puta tempus gratiæ, novi Testamenti et Christianismi, vocatur hìc *dies tertia*, tum quia brevi erat adventura, tum quia plenam vitam, lætitiam, lucem, cumulumque (hunc enim significat ternarius) bonorum omnium erat allatura : tum quia post primam diem legis naturæ, et secundum diem legis Mosaicæ, immediate quasi tertia erat successura; proprie vero post primam diem captivitatis Assyriacæ, et secundam captivitatis Babylonicæ, quasi tertia erat hæc dies liberationis futura, uti paulo ante dixi; tum quia alludit hìc Osee ad diem tertium quo Christus à morte resurrexit. Unde dico

Tertio, plane respicit hìc Propheta ad resurrectionem Christi, quæ tertio die à passione ejus facta est, eamque hìc significat et prophetat. Liberatio enim et redemptio Israelitarum et

Judæorum, æque ac nostra, facta per Christum completa et plane perfecta fuit in ejus resurrectione: hæc enim ejus fuit terminus et coronis. In ea ergo Christus plene nos vivificavit, tum quia in ea plene nos redemit et sanctificavit, tum quia ipsa nostræ resurrectionis est causa tam exemplaris, quàm efficiens: unde in ea Christus nos secum quasi vivificavit, et suscitavit ad vitam beatam et immortalem. Unde Arabicus Antioch. vertit: *Sanabit nos post duos dies, et in tertia surgemus, et manebimus* (habitabimus) *in conspectu ejus*, coram eo; et Arabic. Alex. *Ipse est qui sanabit nos, et liberabit nos post duos dies, et in tertia stabimus vivi coram eo.* Hoc est quod ait Apostolus Rom. 4. 25: *Qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.* Et Ephes. 2. 5: *Cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo, cujus gratia estis salvati, et conresuscitavit, et consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu.* Ex resurrectione enim Christi tam certam habemus fidem et spem nostræ resurrectionis, ac si jam cum ipso de facto resurrexissemus; vide ibi dicta. Ita hunc locum passim intelligunt Patres, qui ex hoc loco probant resurrectionem Christi et nostram, ut S. Hieron. Theodor. Haymo, Hugo, Lyran. Emmanuel, Mariana et alii hìc, Origen. hom. 5. in Exod. Tertull. lib. 4. contra Marc. c. 43. Cyprian. l. 2. contra Judæos c. 25. Lactant. lib. 4. 19. Cyrill. Hierosol. catech. 14. August. lib. 18. Civit. 28. Ruffin. in expos. Symbol. Gregor. hom. 20. in Ezech. Nyssen. lib. de Cognitione Dei, qui tres putant hæc dici in persona Sanctorum qui resurrexerunt cum Christo Hierosolymis, ibique multis apparuerunt, Matth. 27. 53. Idem docuerunt veteres Hebræi apud Galatin. lib. 8. 22. Et R. Moses in Beresith rabba, id est, Genesi magna, explicans illud Gen. 22: *Die autem tertia elevatis oculis vidit locum procul,* dicit: *Multæ sunt in Script. dierum trinitates, quarum una est resurrectio Messiæ.* Unde illud 1. Corinth. 15. 4: *Et quia resurrexit tertio die secundùm scripturas.* Anselm. ibi, et Doroth. in vita Osee, exponunt de hac Scriptura Osee; nec enim alibi dies tertius resurrectioni Christi præscribitur. Accedit Isidorus Pelus. qui lib. 2. epist. 112. sic legit: *Tunc mors lugebit fortiore morte devicta. Sanabit nos post duos dies, in tertio resurgemus, ac vivemus cum eo;* atque explicat de resurrectione Christi, in qua et suam et nostram mortem ipse superavit et profligavit.

Porro hos tres dies ita consignant Orig. loco jam citato, S. August. serm. 90. de Tempore, et alii; primum diem numerant eum, quo passus et crucifixus est Christus; secundum, quo sepultus est et descendit ad inferos; tertium, quo resurrexit. Aliter Ribera: Primus, inquit, dies fuit decima quarta luna, qua post celebrationem Paschæ et institutionem Eucharistiæ, in horto orans captus est, patique cœpit Christus. Secundus est luna decima quinta, puta parasceve, qua passus et occisus est. Tertius est luna decima sexta qua resurrexit. Verum sic sabbatum esset luna decima sexta; hoc enim succedit lunæ 15 sive parascevæ; cum tamen constet Christum non sabbato, sed Dominico die resurrexisse. Vide Interpretes in Matth. 12. v. 40.

Porro Christus resurrexit præcise tertio die, variis de causis. Prima est, quia Jonas c. 2. tribus diebus fuit in ventre ceti, et hoc facto portendit Christum tribus diebus fore in sepulcro, ac tertio die resurrecturum, ut ipse tertio die vivus è ventre ceti prodiit. Hanc causam dat Christus Matth. 12. 40. Secunda, quia Christus idipsum prædixerat Joan. 2. 19: *Solvite*, ait, *templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.* Tertia, quia, si caro ejus diutius mansisset in sepulcro, fuisset corrupta. Hoc autem non decebat, juxta illud psalm. 15. 10: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Quarta, ne videretur quis alius resurrexisse. Quinta, quia Christus moriendo mortem destruxit; decebat ergo ut in morte diu non teneretur, sed mox quasi ejus domitor et triumphator gloriose resurgeret. Sexta, quia vita Christi hominis fuit divina, et inter res omnes creatas nobilissima: decebat ergo eam, peracta redemptione et satisfactione nostra, illico restaurari, præsertim quia divinitas semper, etiam in morte, mansit tam corpori, quàm animæ Christi conjuncta. Quod enim semel assumpsit, hoc nunquam dimisit. Audi S. Leonem, serm. 1. de Resurrect. *Ne turbatos discipulorum animos longa mœstitudo cruciaret, denuntiatam tridui moram tam mira celeritate breviavit, ut dum ad integrum secundum diem, pars prima novissima, et pars tertii prima concurrit, et aliquantum spatio temporis decideret, et nihil dierum numero periret.* Et mox: *Tam velox incorruptæ carnis vivificatio fuit, ut major ibi esset soporis similitudo, quàm mortis. Quoniam Deitas, quæ ab utraque suscepti hominis substantia non recessit, quod potestate divisit, potestate conjunxit.* Moralis causa fuit, ut doceret crucem et mortem fidelium brevem fore, et quasi triduum respectu beatæ æternitatis. Ergo quasi animat eos ad crucem et mortem, quod ex ea quasi ex somno secum mox resurrecturi sint ad vitam æternam.

Mystice, varii varie tres hosce dies annumerant. Primo, S. Augustin. serm. 90. de Tempore: *Tres*, ait, *dies non incongrue possumus dicere, Patrem, et Filium, et Spiritum S. quia et Pater dies est, et Filius dies est, et Spiritus S. dies est, et hi tres, unus dies.* Vivificavit nos Pater, creando et dando naturam: Filius, redimendo, et dando suum sanguinem; Spiritus S. sanctificando et dando gratiam et justitiam. Secundo, Fulgentius apud Albertum, primum diem numerat, quo ab æterno à Deo patre genitus est Filius; secundum, quo in tempore ex Virgine natus est homo; tertium, quo è sepulcro resurrexit. Tertio, alii: Primus, inquiunt, dies est nativitatis Christi; secundus, passionis; tertius, resurrectionis. Quarto, Lyran. et R. Salomon, per tres dies tria templa eorumque tempora accipit: Primus, inquit, dies fuit tempus templi Salomonici, cui successit nox captivitatis Babylonicæ; secundus templi Zorobabelis, cui successit nox excidii Titi et Romanorum; tertius templi Christi, id est, Ecclesiæ semper duraturæ.

Tropol. S. Bernard. Tres dies, ait, significant triplicem vitam; primam naturæ et culpæ, puta peccati originalis; secundam gratiæ; tertiam gloriæ; nam serm. 72. in Cant. explicans illud Cant. 2: *Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ;* sic in fine ait: *Cum igitur duo in nobis præcedant dies, unus quidem inspirans pro corporis vita, alter vero respirans in sanctificationis gratia, porro tertius supersit in resurrectionis gloria; claret perfecto aliquando implen-*

dum in corpore quod præcessit in capite, magnum utique pietatis Sacramentum, et Prophetæ testimonium qui ait : Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu ejus. Et fusius serm. 2. in vigilia Nativit. : *Tres,* ait, *dies sunt de quibus legimus : Vivificabit nos post duos dies, in die tertia resuscitabit nos; unus sub Adam, alter in Christo, tertius cum Christo. Unde et sibi subditur : Sciemus sequemurque ut cognoscamus Dominum. Et hîc dicitur : Cras egrediemini, et Dominus erit vobiscum. His enim dicitur, qui dimidiaverunt dies suos, in quibus perit dies in qua nati sunt, quæ est dies Adæ, dies peccati, cui Jeremias quoque maledicebat : Maledicta dies in qua natus sum; omnes enim in illa nascimur. Utinam pereat in nobis omnibus dies illa, dies nebulæ et caliginis, dies tenebrarum et turbinis, quam nobis fecit Adam!* Deinde agens de secundo die gratiæ Christi : *Ecce*, ait, *illuxit nobis dies redemptionis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. Hæc est dies quam fecit Dominus, exsultemus et lætemur in ea; quia cras egrediemur. Unde, nisi de conclavi hujus seculi, de ergastulo hujus corporis, de compedibus necessitatis, curiositatis, vanitatis, voluptatis. Quid enim spiritui nostro cum terrenis,* etc. *Agite diem istum in Christo, ut ambuletis sicut et ipse ambulavit.* Tertium deinde explicans ait : *O Juda et Jerusalem, nolite timere, cras egrediemini, id est, quàm cito à corpore exierit anima, omnes simul affectiones, omnia desideria, quibus per universum interim mundum dispersa et ligata tenebatur, dissolventur, et egredietur de visco hoc, et Dominus erit vobiscum,* etc. Idem rursus, serm. 5. inter parvos : *Vivificabit,* ait, *nos post duos dies, scilicet cognitionis et conversionis; in die tertia suscitabit nos voce Verbi incarnati per primam suam resurrectionem; et vivemus in conspectu ejus vivificati per passionem, serenius illuminati per miraculorum cognitionem; sequemurque ut cognoscamus Dominum; instructi per doctrinæ conversionem.*

Anagog. S. Hieron. quem sequuntur Albert. Hugo et Clarius putant hîc notari tres Christi adventus : *primum in humilitate*, cum natus est homo ; *secundum in gloria*, cum resurrexit ; *tertium in habitu judicantis ;* itaque dies tertia erit dies judicii et resurrectionis universalis, qua Sancti resurgent ad vitam et gloriam æternam. Unde Chald. Vertit : *Vita donabit nos in diebus consolationis qui venturi sunt, et in die resurrectionis mortuorum suscitabit nos, et vivemus cum eo.*

In die tertia suscitabit nos.] Explicat quod dixit : *post duos dies;* hoc enim idem est quod *die tertia.* Unde Lactant. loco jam citato : *Vivificabit*, inquit, *nos post biduum die tertio.* Sic et Tertull. Theodor. Clarius, Arias et à Castro hîc et S. Gregor. ac Origenes superius citati. Quis sit hic dies tertius jam dixi. Pro *suscitabit*, hebr. est יקימנו *iekimenu*, quod Hebræi et Chald. vertunt, *stare faciet, fulciet, sustentabit nos.* Sed alii passim vertunt, *suscitabit nos;* sequitur enim, *et vivemus;* et præcessit, *vivificabit nos.* Agitur ergo hîc de suscitatione ad vitam, non de sustentatione in vita.

Et vivemus in conspectu ejus.] Primo, Theodor. Theophil. et Rupert. exponunt, q. d. *Vivemus;* scilicet vita gloriæ et beatitudinis, præsertim cum post generalem resurrectionem in corpore glorioso resurgemus; tunc enim non tantum Deum oculis mentis videbimus facie ad faciem, sed et Christum oculis corporeis. Verum quia sequitur : *Sciemus, sequemurque ut cognoscamus Dominum*, hinc melius hæc accipiemus de vita gratiæ, q. d. Vivemus in ejus (Dei et Christi) gratia et cura quam habet de nobis, imo in ejus conspectu ; videbimus enim eum facie ad faciem, et vicissim videbimur ab eo, ac proinde illi ut nos intuenti semper placere conabimur, itaque eum ejusque leges et doctrinam sequemur in sancta conversatione, ut in dies eum magis magisque cognoscamus, amemus, colamus, donec eum assequamur, et videamus facie ad faciem in cœlis. Ita S. Hieron. Albert. Hugo, Lyran. Arias, Vatabl. Ribera et à Castro. Ubi nota. Τὸ *in conspectu ejus* tripliciter exponi potest : primo, q. d. Viventes videbimus eum facie ad faciem, inquit Vatabl. puta Christum in carne natum.

Secundo, q. d. Ita sancte vivemus, ut semper simus memores nos in ejus præsentia oculisque versari, ac proinde ei per omnia placere et obsequi studebimus; quomodo Henoch, Noe, aliique viri sancti et perfecti dicuntur ambulasse cum Domino, Genes. c. 5. 22. et c. 6. 9. Vide ibi dicta.

Tertio, q. d. Securi et felices vivemus in conspectu ejus, scientes eum jugiter nos intueri, curare, regere, tueri, qui antea cum viveremus in peccatis, oculos mentemque et curam à nobis averterat ; τὸ enim *in conspectu ejus* opponit ei quod dixit c. 5. v. ult. : *Revertar ad locum meum donec deficiant, et quærant faciem meam*, sive, ut ait Jeremias c. 7. 15 : *Projiciam vos à facie mea, sicut projeci fratres vestros, universum semen Ephraim;* sicut enim Deus Cainum, Genes. 4. 14, omnesque impios projicit à facie sua, ita ex adverso pios jugiter in oculis et mente habet. Quocirca id sibi suisque exposcens David orabat Psalm. 122. 2 : *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum; donec* ipse vicissim oculos suos benigne convertat ad nos, et *misereatur nostri.* Sicut enim sol quæcumque luce sua, quasi oculo aspicit, ea illustrat, calefacit, vivificat, lætificat, fecundat ; ita prorsus facit et Deus, qui est sol increatus et immensus. Hinc rursum Psaltes passim orat dicens : *Respice in me et miserere meî;* respiciendo enim misereris et benefacis : *Non avertas faciem tuam à me : ne projicias me à facie tua; ostende mihi faciem tuam ; faciem tuam, Domine, requiram.* Item : *Illustra faciem tuam super servum tuum*, psal. 30. 17 : *Dominus illuminet vultum suum super nos*, psalm. 66. 2 : *Faciem tuam illumina super servum tuum*, ps. 118. 135. q. d. Lucidam, id est serenam, lætam, hilarem, benignam, amicam et beneficam mihi faciem vultumque ostende, non atram, severam, tristem, iratam, minacem.

Quarto, *vivemus*, id est erimus vivaces, sani, vegeti, alacres, fortes, gloriosi. Hæc enim omnia complectitur vita, quasi mater et radix omnium ; nam ut ait Martial. l. 9. epigram. 69 :

> Non est vivere, sed valere, vita.

Et Seneca :

> Mortis habet vices,
> Lentis quæ trahitur vita gemitibus.

Hinc gloria Beatorum vocatur *vita æterna.*

QUASI DILUCULUM PRÆPARATUS EST EGRESSUS EJUS,] q. d. Christi nativitas et ortus quo è cœlo in terram nascendo et conversando egredietur à Deo paratus est instar auroræ ; quia ut aurora depellet tenebras ignorantiæ et peccati, ac Israelitas omnesque homines luce suæ doctrinæ et sanctæ vitæ collustrabit. Hoc est quod ait Apost. Rom. 13 : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* Pro *præparatus est*, hebr. est נכון *nachon ;* id est, firmiter et certissimo præparatus, ac fixo Dei decreto confirmatus est, puta in Dei prædestinatione, adventus Christi. Ita S. Hieron. Theodor. Rupert. Hugo, Lyran. et Vatablus.

Anagog. Isidor. hæc accipit de gloria resurrectionis qua Christus cœpit toti orbi velut aurora coruscare, suamque vim et fortitudinem exerere, juxta illud Psalm. 109. v. 3 : *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum*, q. d. Princeps eris, ô Christe, in die, non humilitatis et crucis, sed in die virtutis, id est, potentiæ et regni tui, cum splendore, gloria et majestate sanctissima et sacratissima, quæ apparebit in tua divina resurrectione, ascensione, sessione ad dexteram Patris, missione Spiritus Sancti, et conversione omnium gentium.

Nota. Christi ortus tum divinus, tum humanus, recte comparatur auroræ. Primo, quia, sicut aurora est prima diei lux, ita primum opus Dei Patris fuit generatio æterna Filii ; per auroram ergo significatur ejus antiquitas et æternitas, juxta illud Psal. 109. 3 : *Ex utero ante luciferum genui te ;* pari modo primum opus redemptionis nostræ fuit ejus generatio humana, sive incarnatio. Unde S. August. et Justin. contra Tryphon. illud : *Ex utero ante luciferum genui te*, sic exponunt. Quia, inquiunt, ex solo utero Virginis, sine viri semine, ante luciferi ortum, post mediam noctem genitus et natus est Christus. Addit Tertull. lib. 5. contra Marcion. c. 9. Sicut in diluculo apparent stellæ, sic in diluculo quo natus est Christus, stella nova Magis apparuit, indicans eis Christi quasi auroræ ortum.

Secundo, sicut aurora solem tegit, et quasi parit ; ita caro Christi nascens tegebat ejus divinitatem, eamque nobis secum afferebat, et quasi pariebat.

Tertio, sicut aurora est lux exigua, quæ crescit usque ad meridiem ; ita et crevit Christus infans ætate, sapientia et gratia apud Deum et homines usque ad crucem.

Quarto, sicut in aurora producitur ros ex aere, qui herbas et plantas irrorat, vegetat et fecundat ; ita et Christus ex cœlo per Virginem opera Spiritus Sancti prodiit, qui animas peccato mortuas sua gratia irrorans vivificat, et bonis operibus meritisque fecundat. Unde pro *ex utero ante luciferum genui te*, Hebræa, Symmach. Aquila et quinta editio habent : *Ab aurora tibi ros adolescentiæ tuæ ;* alii vertunt : *Ab aurora rorem genui te.* Sic Isaias comparat Christi generationem rori, cap. 45. 8. dicens : *Rorate, cœli, desuper.* Vide ibi dicta. Rursum ros adolescentiæ Hebræis idem est quod flos et decor adolescentiæ. Ros ergo primo, designat suavitatem, hilaritatem et dulcedinem Christi ; secundo, ejus generationem cœlestem ex Virgine, sicut ros nascitur ex aurora virtute cœlesti, ait R. Hadarsan. Unde ex Hebræo verti potest : *Ex utero auroræ ros juventutis tuæ.* Tertio, gratiarum copiam, quæ instar roris in Christum effusa est. Hinc Chald. vertit : *Misericordiæ Dei præsto erunt tibi tanquam ros, sedebunt confidenter nati tui.* Unde ex hoc loco probant Vatabl. et Suar. 3. p. t. 1. disp. 18. s. 3. plenitudinem gratiæ animæ Christi infusam esse in utero, puta in primo conceptionis ejus instanti. Sic ergo Christus, genitus ut ros, fuit filius auroræ, id est, Patris æterni qua Deus, et matris virginis qua homo. Hinc sumpsit Trismegistus suum illud : *Deus cum maris et feminæ vim haberet, peperit Verbum ;* atque ex eodem Lactant. lib. 4. 13. docet quod Deus est απατωρ et αμητωρ, ac proinde oportuisse ut bis nasceretur filius, in prima spirituali nativitate αμητωρ, in secunda carnali απατωρ. Insuper per rorem significatur filium esse tam patri, quàm matri consubstantialem : ros enim ejusdem substantiæ est cum materia ex qua fit. Ita Molina 1. p. q. 27. a. 1. disp. 2. Denique noster Mald. (cui favet Cajetan. et versio Chaldæi jam recitata) commentans in Psal. 109. sic exponit : Ex utero, id est ex baptismo, tibi, ô Christe, nascetur ros pueritiæ, id est, multitudo puerorum, vel ros adolescentiæ et juventutis, id est, multitudo adolescentium et juvenum, puta fidelium et Christianorum : ros enim in copia gignitur, terramque terram quasi operit : est enim instar minutissimæ pluviæ, sive stillarum, quæ frequentissime et creberrime cadunt. Rursum ros significat gratiam largam fidelibus hisce Christi filiis datam. Sensus ergo est, q. d. Generatio, progenies et posteritas tua, ô Christe, non erit carnalis, sed spiritualis, eaque copiosa tum numero, tum gratia, qualis est roris.

Quinto, sicut auroræ lux hominibus, qui cæcis longæ noctis tenebris fatigantur, optatissima est, gratissima et jucundissima ; ita et hominibus sedentibus in tenebris et in umbra mortis exoptatissimus et faustissimus fuit Christi ortus. Hinc enim est illud quod ait Job, c. 11. 17 : *Cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer.* Et S. Petrus Christum Christique Evangelium vocat luciferum, epist. 2. c. 1. 19 : *Donec dies illucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris.*

ET VENIET QUASI IMBER NOBIS TEMPORANEUS ET SEROTINUS TERRÆ.] Imber temporaneus, vel tempestivus in Palæstina est, qui cadit in autumno jactis in terra seminibus, ut ea radices figant in terra, et germinare incipiant ; serotinus, qui cadit in vere, ut segetem incrasset, impinguet et maturet. Dicitur ille intempestivus, quia est sementis ; hic serotinus, quia est segetis et messis. In Syria enim tota æstate vix pluit, sed sudi sereni que sunt dies. Ita S. Hieron. et Vatabl. Utrique Christum comparant Prophetæ ; quia æque ut illi optatus advenit, terramque, id est, hominum animas, fecundavit et vivificavit.

4. QUID FACIAM TIBI, EPHRAIM ?] *Parentis in perditos filios monstrat affectum,* ait S. Hieron. juxta illud Isaiæ 5 : *Quid est quod ultra debui facere vineæ meæ, et non feci?* et Michææ 6 : *Popule meus, quid feci tibi ?* Redit hic Propheta ad sua tempora, ac mores incorrigibiles Hebræorum sui ævi, ob quos à Deo destinati sunt excidio, uti ait in sequentibus. Hic ergo ostendit ipsos suæ perditionis esse causam, non Deum, qui de ea dolet, eamque omnibus modis avertere conatus est, pulsando assidue animos eorum duros et rebelles per Prophetas, nunc minis, nunc promissis, nunc flagellis ; ita ut ex parte sua omnia adhi-

buerit, quæ eos sanare, et ad salutem tam animæ quàm corporis perducere poterant. Quocirca moral. Dionys. Carthus. *Hæc*, ait, *possunt esse verba clementissimi Dei ad Christianos peccatores, temporalia congregantes, et labiis tantum confitentes, vel aliis vitiis implicitos, quos Deus ad pœnitentiam indesinenter invitat, eorum damnationi velut compatiens. De quo dicit Apostolus, quod vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Hinc et S. Petrus epist. 2. cap. 3. ait : Patienter agit Dominus propter vos, nolens aliquos perire, sed omnem ad pœnitentiam reverti. Cui consonat Isaias cap. 30 : Propterea, inquit, exspectat Dominus ut misereatur vestri. Non ergo divitias bonitatis et longanimitatis ejus contemnamus. Mallet et jam Christus animarum amator denuo crucifigi, quàm sineret quempiam (quantum in se est) condemnari.* Hæc ergo voluntas in Deo sincera est, seria et, quantum est ex ejus parte, efficax; est ergo voluntas non signi tantum, ut quidam volunt, sed beneplaciti; alioqui enim ficte et simulate Deus ageret, dum invitat peccatores ad se tanto dolore et effectu, si eum tantum in ore et verbis haberet, non in mente et corde, quod cogitare est nefas, de quo plura cap. 11. 9.

MISERICORDIA VESTRA.] Hebr. חסד *chesed* significat pietatem et misericordiam, indeque sanctitatem; hujus enim signum et causa est misericordia. Unde *chasidim* vocantur viri misericordes et pii. Sensus est, q. d. Quid faciam vobis, ô Hebræi? obstinati enim estis in vestris sceleribus, nec pia mea monita et inspirationes in mentem admittitis; licet enim aliquando aliqua pietatis et misericordiæ in proximos egentes et miseros vos tangat cogitatio et sensus, tamen is instar nubis et roris matutini, qui statim ad ortum et calorem solis evanescit, subito præterit et pertransit, q. d. Pietas et misericordia vestra inconstans est, instabilis et evanida. Ita Chald. Rupert. Lyran. Vatabl. et Arias. Secundo, alii hîc accipiunt *misericordiam* Dei, non Judæorum, q. d. Ego Deus cuperem vestri, ô Judæi, misereri, idque assidue et continuo; sed vos hanc meam voluntatem et misericordiam vestra nequitia dispellitis, æque ac ventus subito dispellit nubes, et sol oriens subito sorbet rorem. Ita S. Hieron. Theoph. Hugo et Ribera. Priori sensui magis favet id quod sequitur : *Misericordiam volo, et non sacrificium.*

5. PROPTER HOC DOLAVI IN PROPHETIS.] Pro *dolavi* hebr. חצבתי *chatsabti*, id est excidi, succidi, occidi, ac tribuitur lignis et lapidibus, dum cæduntur ut dolentur et quadrentur; unde Septuag. vertunt : *Propterea succidi* (Syrus, *dilaceravi;* Arabicus, *messui*) *Prophetas vestros*, quod S. Hieron. Haymo, Rupert. et Hugo exponunt de falsis Prophetis, q. d. Occidi pseudo-prophetas, qui vos à me et à pietate vera abducebant ad impietatem et superstitionem, ut qui causa erroris fuerunt prospera promittentes, interfecti verterentur in occasionem salutis, ait S. Hieron. Ita Deus per Eliam occidit 450 Prophetas Baal, 3. Reg. 18. Leo Castrius vero uti et Theoph. accipiunt veros Prophetas, sicque exponunt, q. d. Occidi, id est, occisioni et neci certæ exposui meos Prophetas, dum eis jussi ut assidue vestram impietatem redarguerent; sciebam enim ideo illos à vobis occidendos. Aut, ut Vatabl. et à Castro, q. d. Obtudi Prophetas meos, et quasi enecavi; nam eos fatigavi assiduis stimulis, adeo ut eos quasi ad necem redegerim; jugiter scilicet eos impellendo et pulsando, ut vos assidue monerent et pulsarent, nunc minis, nunc promissis.

Verum, quia Hebræa habent : *In Prophetis*, itaque vertit Noster, Chald. et alii; hinc melior et illustrior sensus erit, si hanc dolationem ad populum referamus. Unde S. Hieron. quem sequuntur Haymo, Albert. et Hugo, sic exponit : *Dolavi vos in Prophetis* (id est per Prophetas), *et verbis terribilibus comminatus sum; scalpellum, ignes et cauteria protuli, ut quem clementem contemnebatis, timeatis offensum.* Explicat et probat id quod dixit : *Quid faciam tibi, Ephraim?* tua enim pietas et misericordia levissima est, impietas solidissima et durissima instar marmoris et adamantis; propterea eam frangere et dedolare conatus sum per Prophetas, sed frustra; nam dum marmora isthæc silice duriora sculpere nitor, hebetavi dolabras et scalpra mea; scilicet ministros et Prophetas meos; nam *occidi eos in verbis oris mei*, q. d. Continuis oraculis, monitis et jussis eos fatigavi et confeci; hæc enim magno eis stabant; oportuit enim illos sæpius cum sermone omnia bona et vitam ipsam simul exponere et profundere : sed obduruerunt marmora, cælari recusant, nihil profecimus tanto labore, tantis impendiis, nolunt effingi ad imaginem Dei homines ipsius figmenta. Similis est querela et pathos Dei per Jeremiam cap. 6. 27 : *Probatorem dedi te in populo meo robustum, etc. æs et ferrum; universi corrupti sunt. Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflavit conflator; malitiæ enim eorum non sunt consumptæ. Argentum reprobum vocate eos; quia Dominus projecit illos.* Vide ibi dicta. Ita Hieron. Prado in Ezech. 24. 12, Emmanuel, Mariana et alii.

ET OCCIDI EOS IN VERBIS ORIS MEI.] S. Hieronym. hoc æque ac præcedens refert ad Judæos, q. d. *Occidi negligentes in verbis oris mei, ut ante peccatores verborum terrore punirem, quàm captivitas immineret*, q. d. Occidi eos, non re ipsa, sed verbis et minis. Melius et efficacius alii τὸ *dolavi* ad *Judæos*, τὸ vero *occidi* ad Prophetas referunt. Ita Lyran. Arias, à Castro et Prado jam citatus. Sensus est, quem paulo ante dedi.

ET JUDICIA TUA QUASI LUX EGREDIENTUR,] q. d. Dolavi et occidi vos ad hoc, ut *judicia*, id est justitiæ vestræ, instar lucis orirentur ac splendescerent. Sicut enim sol per radios splendet, ita judicia et leges Dei per opera emicant, ait à Castro. Secundo, Vatabl. q. d. Res tuæ feliciter et prospere tibi cesserunt. Sicut enim tenebræ infausta, ita lux prospera et fausta significat, q. d. Propter Prophetas quibus te dolavi, cumulavi te beneficiis meis. Verum *judicia* non significant beneficia. Tertio ergo aptissime, q. d. *Et*, id est idcirco, *judicia tua*, id est, condemnatio tua velut in luce clara videbitur, et apparebit omnibus esse justa, tuumque scelus esse inexcusabile, utpote obstinatum post tot Dei monita, dolationes et verbera. Ita S. Hier. Theodor. Hugo, Lyran. Arias et alii.

6. QUIA MISERICORDIAM VOLUI, ET NON SACRIFICIUM.] S. Hieron. hîc et S. Chrysost. Hilar. et Euthym. in Matth. c. 9. 13. accipiunt misericordiam non hominum, sed Dei, quasi dicat : Jucundius mihi est misereri vestri, quàm à vobis sacrificia recipere; magis delector vestra conversione et salute quàm victimis. Favet Christus Matth. 12. 7. Cum enim Pharisæi carperent

Apostolos, quod sabbato vellerent spicas, ut fami suæ succurrerent, Christus eis hæc Osee verba objicit dicens : *Si autem sciretis quid est : Misericordiam volo, et non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes*, q. d. Si sciretis quanta sit Dei misericordia, sciretis pariter gratius ei esse, ad famem pauperum sublevandam, velli spicas in sabbato, quàm sabbatum tam rigido ab operibus otio cum tanta meorum fame observari. Verum sic non recte cohærent hæc cum præcedentibus, quibus minatus est eis judicia, id est condemnationem; nec cum sequentibus : *Et scientiam Dei plus quàm holocausta.* Hæc enim scientia est hominum; ergo et misericordia. Adde non congrue misericordiam Dei cum victimis hominum comparari.

Melius ergo hæc accipiemus de misericordia, id est, eleemosyna et beneficentia hominum in proximos egentes et miseros. Ita Chald. Theod. Theoph. Haymo, Albert. Lyran. Arias, Vatabl. et August. lib. 10. Civit. S. Cyprian. lib. 3. contra Judæos cap. 5. et alii, imo Christus Matth. 12. 7. Sensus enim ejus est, q. d. Permisi discipulos meos famentes sabbato vellere spicas, quia misereor eorum, cupioque ut fami suæ succurrant. Scio enim Deo gratiorem esse misericordiam quàm otium sabbati, imo sacrificium : hoc ergo à me discite, mecumque misericordiam hanc in discipulos meos famentes induite et exercete, ut eos non accusetis ob sabbatum violatum, sed ob famem levatam excusetis, eisque compatiamini.

Nota primo : Vox *quia* dat causam præcedentium, præsertim eorum quæ dixit v. 4. ubi accusavit eorum misericordiam, qua una scelera sua expiare, Deumque placare poterant, quod esset instabilis et fallax, eo quod mox in solitam immisericordiam et crudelitatem (idololatria enim crudelis est, æque ac hæresis) relaberentur, q. d. Commendavi vobis misericordiam, et immisericordiam accusavi, quia illa Deo gratissima est, hæc exosa et ingratissima ; misericordiam enim Deus mavult et præfert sacrificio. Erant enim Judæi, uti immisericordes in proximos, ita misericordes et propensi ad sacrificia et oblationes externas, quasi in illis tota pietas Deique reconciliatio consisteret, putantes, si illa præstarent omnia sibi fore secura, Deumque eorum scelera dissimulaturum, quem errorem eis hic Deus adimit, asserens contrarium, nimirum : *Misericordiam volo, et non sacrificium.* Et Christus Matth. 23. 23 : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, et anethum et cyminum, et reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium et misericordiam, et fidem!*

Nota secundo : Ex eo quod ait, *non sacrificium*, putarunt aliqui vetera sacrificia Deo non placuisse, imo ei exosa fuisse. Sed hic est error : erant enim ab eo instituta et præcepta toto Levitico, erantque actus religionis et latriæ Dei. Itaque τὸ *non sacrificium* idem est quod *quàm sacrificium*, uti vertunt Septuag. Chald. et alii. Hebræi enim quia carent comparativo, hinc cum exprimunt per negationem ejus quod minus est. Itaque quod Hebræi dicunt : *Misericordiam volo* (id est, amo, cupio, diligo, opto ; hoc enim est hebr. חפץ *chaphats*), *non sacrificium*, hoc Latini dicunt : Misericordiam malo quàm sacrificium, vel misericordiam præopto, præeligo, præfero, præpono sacrificio. Unde S. August. lib. 10. de Civit. cap. 5. *ubi scriptum est*, inquit : *Misericordiam volo magis quàm sacrificium, nihil aliud quàm sacrificium* (mysticum misericordiæ) *sacrificio* (proprie dicto) *prælatum oportet intelligi.*

Quæres quomodo revera misericordia præstet sacrificio ? Resp. et dico primo : Actus sacrificii, uti manat à religione et devotione interna, melior et nobilior est actu misericordiæ. Patet, quia ille Deum, hic hominem spectat ; ille est actus religionis et latriæ ; hic misericordiæ, quæ est virtus moralis, religio autem præstat omnibus virtutibus moralibus : est enim cultus ipsius Dei. Ita S. Thom. 2. 2. q. 81. a. 6.

Dico secundo : Misericordia tamen præstat sacrificio externo, quia illud in lege veteri secundùm se, sive ex opere operato Deo non placebat, sed tantum ex devotione offerentium, misericordia autem per se placet Deo. Et hoc intendit hic Propheta ; Judæi enim immisericordes summam sanctitatem, pietatem et placationem Dei ponebant in externis hisce sacrificiis, quasi per se Deo placerent, eumque placarent victimæ ovium et boum. Hoc Deus hic reprehendit per Osee, uti per Isaiam cap. 1. 11 : *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? etc., quiescite agere perverse, etc., subvenite oppresso.* Et Jerem. 7. v. 22 : *Holocaustomata vestra addite victimis vestris, et comedite carnes, quia non locutus sum cum patribus vestris, et non præcepi eis, etc., de verbo holocaustomatum et victimarum.* Et Psalm. 49. 13 : *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Et Psalm. 15. 18 : *Quoniàm si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis.* Simili modo dicitur 1. Reg. 15. 22 : *Melior est obedientia quàm victimæ.* Et Psalm. 50. 19 : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Simili ergo modo vero dici posset : charitatem, humilitatem, obedientiam, pœnitentiam internam volo, non sacrificium, id est, præfero sacrificio externo. Rursum licet sacrificium nobilius sit ratione objecti, quod est honor Dei, tamen ratione necessitatis sæpe nobilior est misericordia, ideoque præferenda, adeo ut tunc malum esset sacrificare, v. g. cùm ægroto est ministrandum. Sic Christus reprehendit filios, dicentes parentibus egentibus *corban*, hoc est, munus illud Deo offerre præstat, quàm dare tibi, ô pater, Matth. 15. v. 6. Sic S. Augustin. damnat parentes, qui bona sua dant monasterio, cum habeant filios indigentes, adeoque talium oblationes ipse refutare solebat, uti refert Possidonius in ejus Vita cap. 24. Tertio, quia misericordia sæpe imperatur à charitate, eamque includit ; constat autem actus charitatis nobiliores esse actibus religionis. Ubi nota per sacrificium hic omnem cultum externum, ut cultum sabbati, Matth. 12. 7. intelligi ; per misericordiam vero, omnia opera charitatis et pietatis internæ ; hanc enim significat hebræum חסד *chesed*, idque patet ex eo quod subdit : *Et scientiam Dei plus quàm holocaustum.* Unde Pineda lib. 8. de rebus Salom. cap. 1. sic explicat : *Misericordiam*, id est, animum bene erga me affectum, *volo, non sacrificium.* Quarto, misericordia præstat sacrificio, si misericordia referatur ad cultum Dei, et imperetur à virtute religionis ; tunc enim sunt duo actus, unus elicitus à misericordia, alter imperatus à religione, qui duo præstant uni religionis et sacrificii.

Moraliter disce hîc quanta sit excellentia misericordiæ, quàmque ea grata sit Deo, qui eam præfert suis sacrificiis. Ratio est, quia ipse est virtus divina et propria Deo; summum enim bonum summe est misericors et beneficum. Hinc ait Psaltes: *Miserationes ejus super omnia opera ejus;* et Ecclesia orat: *Deus cujus proprium est misereri semper et parcere.* Præfert ergo Deus ea quæ per misericordiam homini conferuntur iis quæ ipsi per sacrificium donantur: tum quia iis non indiget, iisque nihil honoris aut gloriæ ei accrescit; tum quia plus quærit hominis utilitatem quàm suam, quod puri est amoris, quodque gloriosius est et summe magnanimum, planeque regium et divinum. Hinc B. Nazianz. orat. de cura pauperum: *Esto*, inquit, *calamitoso Deus.* Et S. Cyprian. tract. de orat. Dominica: *Quando*, ait, *quis miseretur pauperis, Deo fœnerat; et qui dat minimis, Deo donat, spiritaliter Deo suavitatis odorem sacrificat.* Neque enim, ait idem tract. de Opere et Eleemosyna: *Promereri misericordiam Domini poterit, qui misericors ipse non fuerit.* Unde inferius docet in fame misericordiam esse cibo præponendam, exemplo viduæ, quæ primo fecit panem Heliæ, deinde sibi et filiis 3. Reg. 17: *Esurientibus*, ait, *liberis alter prius pascitur; neque in penuria et fame cibus ante quàm misericordia cogitatur.* S. Chrysost. homil. 36. ad Pop. *Misericordia*, ait, *major est gratia, quàm mortuos suscitare.* Idem homil. 51. in Matth. docet pluris esse misericordiam facere, quàm templa magnifica condere: *Hoc enim templum* (vivum, puta pauperum) *illo* (materiali) *est multo præstantius*; et hom. 53: *Misericordia*, ait, *ars quædam liberalis est, in cœlis habens officinam, et non hominem, sed Deum magistrum possidet. Hæc nobis mansionem in cœlo ædificat, et æterna tabernacula præparat;* S. August. lib. de Eleemosyna: *Hæ*, ait, *sunt hostiæ gratissimæ, misericordia, humilitas, confessio, pax et charitas.* Idem, lib. 9. de Civit. cap. 5: *Cicero*, ait, *in Cæsaris laude locutus est, dicens: Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior, nec gratior est misericordia.* Idem, serm. 34. de resurrectione Domini: *Vide*, ait, *si non magnam Deus tibi dat misericordiæ mercedem. Si dimittis homini in quo te læsit homo hominem, et Deus tibi ignoscet in quo offendisti homo Deum.* Idem, tract. de Avaritia et Luxuria: *Ego*, inquit, *Dominus accepi, ego reddam. Esurivi, et dedistis mihi manducare, etc. Terram accepi, cœlum dabo; temporalia accepi, æterna restituam; panem accepi, panem dabo, sed cœlestem et æternum; hospitium accepi, domum dabo; æger visitatus sum, salutem dabo; in carcere visitatus sum, libertatem dabo, etc.* Idem, serm. 203. de Tempore: *Multa*, ait, *sunt genera miserationum, quæ cum facimus adjuvamur, ut dimittantur nobis nostra peccata; sed ea nihil est majus, qua ex corde dimittimus quæ quisque peccavit.* Auctor serm. ad Fratres in eremo, serm. 5: *Sola*, ait, *misericordia ad Deum deducit hominem, sola Deum deducit ad hominem, sola Deum humilians, nos sublimat.* Quocirca Josaphat rex apud Damascen. in hist. cap. 36, relicto regno, tendens ad vitam anachoreticam, Barachiæ, quem sibi in regno substituerat, valedicens, hoc ei primum dedit præceptum non suum, sed Christi: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur;* et rursum: *Estote misericordes, sicut et Pater vester cœlestis misericors est. Hoc enim præceptum*, inquit, *potissimum ab eis exposcitur, qui in summo imperio constituti sunt, ut eum imitentur à quo potentiam acceperunt. Hac porro in re maxime quis Deum imitabitur, si misericordia nihil potius antiquiusque habeat. Huc accedit, quod subditos nihil æque ad benevolentiam alliciat, ut beneficii gratia egentibus concessa.*

S. Joannes, qui à misericordia, Eleemon, id est misericors, vel Eleemosynarius est dictus, omnes miseros juvabat, et vesperi lacrymabatur, si nemo afflictus eo die opem ejus postulasset. Hinc ditatus à Deo est bonis tam temporalibus, quàm spiritalibus. Porro originem hujus suæ virtutis ita ipse aliis enarrat apud Leontium: *Mihi*, ait, *cum essem quindecim annos natus et versarer in Cypro, quadam nocte puella quædam apparuit in somnis eximia pulchritudine, splendide vestita, et oleagina corona in capite redimita. Cum vero prope me stetisset, et manu latus pupugisset, me territum è somno excitat. Rogavi autem eam quænam esset, et unde veniret, et quomodo ausa esset accedere ad me dormientem. Illa autem subridenti et læto vultu me hilariter et placide intuens: Sum, inquit, prima ex filiabus magni regis. Si tu me tibi amicam paraveris, potero te ei efficere familiarem; nulli enim major est apud eum, quàm mihi, fiducia; quoniam ei, ut è cœlo descenderet in terram, et carnem acciperet humanam, ego persuasi. Ego vero cum ad me rediissem, et id quod visum fuerat mente versarem, judicabam eam esse misericordiam; statim ergo surgens, ivi solus ad Ecclesiam; et fio obviam pauperi, qui erat nudus, et valde affligebatur frigore. Ei, cum me mea veste exuissem, eum trado, apud me dicens: Sciam an sit verum et non deceptio, id quod à me est visum; et prius quàm venissem in ecclesiam, ad me accedens vir quidam candidatus, tradit mihi auri centum nummos, qui mox evanuit. Tunc intellexi visionem non esse phantasiam, sed apertam visionem.* Unde ipse deinceps in misericordiæ opera ita effudit, ut in iis fuerit exemplum et portentum orbis. Dictitabat autem se, cum quid erogaret, mox à Deo duplum, imo centuplum recipere. Proinde ejus hæc erant axiomata:

Non est justum ullius alterius rei curam nos gerere prius quàm Christi. Ite ergo per urbem, et sigillatim describite dominos meos. Cumque rogarent sui quos suos vocaret dominos? *Quos vos*, inquit, *pauperes et mendicos soletis appellare, eos ego dominos meos et adjutores nomino. Nam ii soli mihi possunt opem ferre, ut à Christi regno non excidam.*

Si nobis qui homines sumus, licet omnino ad Deum accedere absque ullo intercessore, et de quibus volumus eum rogare; quomodo non ipsi quoque nostris conservis portas aperuerimus, absque ullo impedimento? et non cuilibet, cui est opus, benignam aurem præbuerimus? Scimus enim qua mensi fuerimus mensura, eadem nobis remetiendum.

Sophronius videns eum quadam die tristem, causam rogans, audivit: *Hodie miserandus Joannes non ab aliquo ullam accepit mercedem, neque ullum vel minimum piaculum potuit offerre Christo pro multis et magnis suis delictis.* Quid hoc minus illo Titi Imper. *Hodie non regnavimus, quia neminem affecimus beneficio?*

Christus jubet dari cuivis petenti, si autem dici-

tis vos esse alicujus alterius, qui imperat ut examinetis vitam et statum mendicantium, sciatis quod neque Christus, neque humilis Joannes opus habet curiosis ministris.

Si nostra essent quæ dantur, et ea à nobis illata essent in mundum, forte aliqua venia danda esset ei qui parce uteretur. Si autem Dei sunt omnia quæ sunt, ejus omnino jussum in iis quæ sunt ejus servare oportet.

Si subit vos timor ex incredulitate, ne forte multitudo impensarum superet Ecclesiasticos reditus, ego ne tantillum sustinebo esse socius vestræ modicæ fidei. Persuasum enim habeo quod, etiamnum totus mundus veniret simul Alexandriam, egens beneficentia, hos Dei thesauros nequaquam in angustum redigeret. Hæc omnia narrat Leontius in ejus Vita. Palladius, in Lausiaca cap. 115, narrat Eleemonem monachum adeo in omnes fuisse misericordem, ut etiam libros venderet, eorumque pretium mox in pauperes erogaret. Rogatus cur id faceret, dixit : *Quî possum meo persuadere magistro me ejus artem accurate didicisse, nisi illo ipso usus fuero ad artem recte exercendam ?*

Et cap. sequente Bisarionem ab eadem virtute commendat, quod nudum pauperem vestiret suo habitu, ipse interim nudus ; quin et Evangelium vendiderit ut pauperi subveniret, dicens : *Ut illic habeamus fiduciam, propter obedientiam vendidi ipsum sermonem, qui mihi semper dicebat : Vende quæ habes, et da pauperibus.*

Et cap. 118. celebrat Melaniam Romanam, quod in totum orbem fuerit benefica ; et Olympiadem neptem Abblavii Præfecti cap. 144, quod omnia sua in pauperes erogaret.

Denique ut alia omittam, vivum et ardens misericordiæ speculum, æque ac spiculum nobis est Christus Dominus, qui per viscera misericordiæ suæ visitavit nos oriens ex alto, ut nostris miseriis, quæ plurimæ erant et gravissimæ, subveniret. Quamobrem hæc ipsa tota in nos effudit, tum in incarnatione, tum in vita, tum in cruce, ut vere dixerit Isaias cap. 53. 4. de eo : *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Vis ergo vivam misericordiæ effigiem ? intuere Christum in cruce, ubi totus est miseria, quia totus est misericordia nostra. Nec tantum in cruce, sed et post mortem per omnia secula, imo in æternum totum se per misericordiam in suos effundit : *Se nascens enim dedit socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium.* Nascendo enim curavit miserias nativitatis et vitæ nostræ, eas in se suscipiendo, moriendo curavit miserias peccatorum nostrorum, pro iis satisfaciendo ; convescendo dandoque se in Eucharistia ad manducandum, curat singulorum infirmitates et passiones animæ, cibando eam alimonia cœlesti ; regnando curat miseriam mortis et mortalitatis, dando corpus suo conforme, puta immortale et gloriosum. Sane qui miserias infinitas animæ suæ, æque ac corporis clare perspicit, videtque eas per singula momenta à Christo curari novis et infinitis miserationibus, non potest non eos admirari, æmulari, in easque transformari, ut jugiter canat cum Psalte : *Misericordias Domini in æternum cantabo.*

Et scientiam Dei plus quam holocausta.] Scientiam Dei practicam intellige, puta conjunctam cum interna Dei reverentia, pietate, charitate, misericordia. Opponit enim internam pietatem externæ, puta holocaustis. Unde sequitur hebr. חסד *chesed* hîc non tantum misericordiam, sed quoslibet veræ et internæ pietatis actus denotare et comprehendere, uti superius dixi. *Chesed* enim proprie significat pietatem tum in Deum, tum in homines, puta pium et propensum affectum, benignitatem, beneficentiam, gratiam, charitatem, benevolentiam, gratitudinem, sanctitatem sive bonitatem. Inde enim חסיד *chasid*, id est pius, vocatur vir bonus et sanctus, et *chasida* vocatur ciconia, avis pia in parentes, ideoque pietatis symbolum. Ita à Castro hîc et Marinus, Forsterus, Pagnin. et alii in Lexicis. Sic Jonæ 2. 9. dicitur : *Qui custodiunt vanitates* (idola) *frustra misericordiam suam* (hebr. חסדם *chasdam*, id est, pietatem suam erga Deum, et consequenter erga homines) *derelinquunt ;* uti *chesed* proprie significat Dei timorem et cultum.

Ipsi autem sicut Adam (primus parens in paradiso violans pactum cum Deo, ejusque conditionem et legem de non comedendo pomo vetito) transgressi sunt pactum,] q. d. Imitantur parentem suum, puta primum legis et pacti Dei prævaricatorem ; ideoque sicut ille paradiso expulsus est, ita et ipsi terra sua, quæ instar paradisi est, puta Judæa, expellentur. Ita S. Hieron. Cyrill. Rupert. Hugo et Lyran. Addit Clarius : Sicut Adam non fame pressus, non concupiscentia incitatus, sed mera sua lubentia pomum vetitum comedit ; ita hi peccant ex mera petulantia.

Secundo, Septuag. τὸ *Adam* acceperunt ut nomen commune, non proprium, significans hominem ; unde vertunt : *Ipsi vero sunt sicut homo prævaricans testamentum*, vel *fœdus.* Sic et Vatablus et Clarius ; sed hi duo cum Theodor. vertunt in genitivo : *Ipsi autem transgressi sunt fœdus meum sicut hominis*, id est, ut fœdus ictum cum homine, q. d. Non pluris fecerunt fœdus mecum initum, quàm si cum homine inivissent ; unde ex levitate mox illud resciderunt et violarunt. Aut, ut Arias, q. d. Ipsi externis victimis me colunt, quasi cum hominibus agerent, qui non vident cor, falluntur ; ego enim sum cardiognostes, ideoque internam pietatem et misericordiam volo, non sacrificium.

Ibi prævaricati sunt in me.] Τὸ *ibi* quadrupliciter exponi potest. Primo, *ibi*, scilicet in Adamo, q. d. Ex eo tempore quo Adam peccavit, cœperunt prævaricari in me ; insigniter ergo hanc Adæ prævaricationem imitati sunt, imo continuarunt ; secundo, *ibi*, scilicet in paradiso, q. d. In terra sua, puta in Judæa, quæ amœna et fertilis erat instar paradisi terrestris, in qua ego eos benigne collocaveram, uti Adamum in paradiso, ibi, inquam, paradiso hoc suo, meaque benignitate abusi et lascivientes recalcitrarunt. Ita S. Hieron. Chald. et Vatablus.

Tertio, *ibi*, scilicet in suo sacrificio et holocausto, quod vel idolis cum idololatria, vel mihi cum impia mente et conscientia scelerata offerunt ; quarto et genuine, *ibi*, scilicet in transgressione qua pactum meum transgressi sunt : sicut Adam *prævaricati sunt in me*, quia hoc pactum mecum, non cum Angelo, non cum homine inierunt.

8. Galaad civitas operantium, id est, fabricantium, ornantium et colentium, idolum.] Galaad erat mons celebris terræ sanctæ, ita dic-

tus à fœdere inito inter Laban et Jacob, Gen. 31. 48, qui cessit in sortem tribubus Ruben et Gad. Inde civitas in eo ædificata dicta est pariter Galaad, et ab altitudine Ramatha, ex qua ortus est Jephte, Judic. 11. 1. et Ramod Galaad, in qua unctus fuit Jehu in regem, 4. Reg. 9. 1. Hæc erat civitas refugii, ut patet Josue 21. 36. et 1. Paral. 6. 78; ideoque in ea erat multitudo sacerdotum. Quocirca ob urbis celebritatem idololatræ posuerant in ea sedem idololatriæ, templumque et aras idolis exædificarant, uti hîc significat et taxat Propheta, q. d. Galaad, civitas sacerdotalis et sancta, facta est metropolis idololatriæ et iniquitatis, adeo ut ad eam tota composita factaque videatur. Ita S. Hieron. Chald. vertit: *Galaad civitas vim inferentium.* Hebræum enim און *aven* significat iniquitatem, indeque violentiam, uti et idololatriam. Utraque enim insignis est iniquitas.

Supplantata sanguine,] q. d. Galaad supplantabitur, capietur et vastabitur ob sanguinem piorum Deum colentium; quem ipsa idololatra copiose et injuste effudit. Est emphasis in verbo *supplantata*, q. d. Ipsa supplantavit, et per dolos ac insidias dejecit Dei cultores; hinc ipsa pari modo supplantabitur, decipietur et dejicietur in ruinam. Unde hebr. est *Supplantata à sanguine;* et ita latine legendum hîc contendit Ribera. Ita reipsa factum est ut Galaad, quæ prima erat in scelere, prima pariter esset in clade et excidio. Nam quia Syris erat vicina, hinc prima expugnata est ab Assyriis tempore Phacee, 4. Reg. 15. 29. Ita S. Hier. Haymo, Hugo, Ribera et alii.

Hinc secundo, pro *supplantata à sanguine*, Leo Hebr. vertit: *Oppressa sanguine;* Hebræi et Pagnin. *Fœdata sanguine;* Chald. *Dolose effundens sanguinem;* Lyran. *Insidiatrix sanguinis*, q. d. Galaad ita dedita fuit insidiis et cædibus piorum et innocentium, ut eorum sanguine quasi supplantata, oppressa et submersa videatur; natavit in sanguine alieno et innocenti, jam natabit in sanguine suo et nocenti.

Tertio, Septuag. pro מדם *middam* legentes מים *maim* vertunt: *perturbans aquas*, id est, sanam doctrinam, uti faciunt idololatræ et hæretici, inquit Theodor.

Alleg. *Galaad*, id est, tumulus testimonii, est Jerusalem polluta sanguine Prophetarum, Christi et Apostolorum, aliorumque ejus testium, quos ipsa cum suis Scribis et Sacerdotibus occidit et tumulavit, uti eis objicit Christus Matth. 23. 29. Ita Leo Castrius ad litteram, ego allegorice.

Et quasi fauces virorum latronum,] q. d. Galaaditæ habent fauces hiantes ad prædam instar latronum, imo luporum; sitiunt enim sanguinem et cædem innocentium. Sic de voraci famelico ait Silius lib. 3:

> Immani fauces diducit hiatu.

Legit Interpres in hebr. חכי *chicke*, id est fauces, jam legunt alio puncto חכי *chacke*, id est exspectare, inhiare; unde vertunt: *Sicut latrones qui exspectant virum*, ut eum occidant vel spolient, puta qui prædæ inhiant. Ita R. David, Pagnin. Vatablus et alii. Alio casu et syntaxi, sed eodem redeunte sensu, vertit Chald. *Sicut observat vir latrunculos, consociati sunt ipsi et sacerdotes eorum*, q. d. Deicolæ, euntes ad templum in Jerusalem, ita timebant et cavebant Galaaditas eorumque sacerdotes, ut viator timet et cavet latrunculos.

Aliter Haymo et Albert. per fauces enim metaphorice accipiunt strictos ingressus vallium aut collium, in quibus latere solent latrones, et insidiari viatoribus, eosque inopinantes repente aggredi. Sic enim vocantur fauces terræ, fauces portus, fauces scopuli, fauces Orci, de quibus Virgil. 6. Æneid.

> Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci.

Ita Græci pauci numero exspectarunt Xerxem cum innumeris copiis ad fauces Thermopylarum, ibique eum ceciderunt. Sic ergo sensus est, q. d. Galaaditæ insidebant fauces montium, ut euntes Hierosolymam caperent, spoliarent, occiderent. Unde Symmachus vertit: *Fauces tuæ quasi viri insidiatoris.*

Verum hebr. *chicke* fauces hominis, non terræ significat; à radice enim חכה *chaka*, id est exspectare, anhelare, inhiare, deducitur nomen חך *chec*, id est palatum, gula, fauces, eo quod cibo inhient; sunt enim ipsæ quasi os stomachi, scilicet interior pars gulæ, ubi os angustatur tenditque in stomachum, quam partem Græci et Latini *laryngem*, vel *pharyngem* vocant. Unde de ea Plin. lib. 11. 36: *Summum gulæ*, inquit, *fauces vocantur, extremum stomachus.* Hæ enim fauces magis significant aviditatem inexplebilem cædis et sanguinis, quàm illæ montium et vallium. Sic Cæsar apud Lucan. Pompeium comparat tigridi, quæ, assueta sanguini ferarum, semper eum sitit:

> Sic et Syllanum solito tibi lambere ferrum
> Durat, Magne, sitis: nullus semel ore receptus
> Pollutas patitur sanguis mansuescere fauces.

Porro Septuag. pro כחכי *kechicke*, aliis punctis legentes כחכי *kochachi*, vertunt: *Fortitudo tua quasi viri piratæ*, q. d. Summa vi et fortitudine invadis transeuntes in Jerusalem, uti faciunt piratæ; כוח *coach* enim est vis, virtus et fortitudo.

Particeps sacerdotum, puta Galaad, habens fauces latronum, particeps et socia fuit sacerdotum, quia in via interficiebant pergentes de Sichem,] q. d. Galaaditæ fuerunt socii sacerdotum Bethel, puta idolorum et vitulorum aureorum, qui Deicolas euntes à Sichem in Jerusalem in Paschate, Pentecoste et Scenopegia, ut juxta legem Deum in templo adorarent, trucidabant vel per se, vel per submissos à se sicarios. Ita S. Hieron.

Hebr. jam ad verbum habent: *Sicut latrones qui observant virum, ita conspiratio sacerdotum in via qua itur Sichem, trucidant*, scilicet viatores. Pro *conspiratio* Vatablus vertit, *congregatio;* Pagnin. *collegium;* alii, *societas.* Notatur hîc sceleris atrocitas et imperium. Nam ubi in illud multi conspirant, nihil non perficiunt; armata enim tot manibus totque consiliis impietas, omnia perfringit et sternit.

Pergentes de Sichem.] Hebr. שכמה *sechma*, id est, in Sichem; hoc enim significat ה locale. Ita Vatablus et Arias. Verum dico ה hîc non esse locale, sed terminativum nominis proprii. Urbs enim hæc dicta est *Sichem*, vel addito ה *Sichima.* Unde Septuag. et Symmach. vertunt: *Interfecerunt Sichima*, id est, *Sichimitas.* Noster vero, quia hîc fit mentio viæ in Jerusalem, recte subaudiens præpositionem מן *min*, id est

de, vertit, *pergentes de Sichem*. Hi enim idololatræ non occidebant euntes in Sichem, sed ex *Sichem* euntes in Jerusalem. *Sichem* enim urbs, dicta à Sichem principe, qui vitiavit Dinam Jacobi filiam Gen. 34. 2, tempore Christi dicebatur *Sichar*, quam Christus per mulierem Samaritanam convertit, Joan. 4. 5; deinde dicta Neapolis, hodie Napoloza. Errant qui putant ad has insidias allusisse Christum, Lucæ 10. in parabola euntis è Jerusalem in Jericho, qui incidit in latrones. Nam Jericho erat ad Orientem Hierosolymæ, Sichem vero ad Septentrionem. Quare nulla erat via, quæ ex Jerusalem per Sichem tenderet in Jericho. Nominat Sichem præ aliis urbibus, tum quia ex Samaria, quæ erat metropolis decem Tribuum, recta erat via in Jerusalem per Sichem; tum quia Sichem religione erat celebris; in ea enim habitarunt Abraham et Jacob, cujus et puteus ibidem ostenditur; in ea quoque sepultus est Joseph, Josue 24. 32. Rursum Sichem erat juxta montes Hebal et Garizim, in quibus Moses proclamavit legem, et benedictiones eam servantibus, et maledictiones eam prævaricantibus, Deuter. 27. 4. Hinc multi Sichimitæ in cultu Dei perstiterunt, cum alii declinarunt ad vitulos Jeroboam. Hinc quoque peregrini, visentes loca sancta, visebant (ut etiamnum visunt) Sichem et Jerusalem, sicut Christiani in Italia visitant Lauretum et Romam; tum denique quia juxta Sichem erat Dan et Bethel, ubi Jeroboam posuit vitulos aureos. Ibi ergo erat sedes idololatriæ, ac consequenter ibi vigebat persecutio in pios et fideles euntes in Jerusalem, quos in via intercipiebant et male mulctabant.

Porro Chald. Aquila, Theodot. Vatabl. Clarius et Pagnin. τὸ *Sichem* accipiunt ut nomen, non proprium, sed appellativum, significans humerum. Unde vertunt: *Turma*, vel *conspiratio sacerdotum in via interficit humero uno*, id est, consensu unanimi, pari studio et conatu. Sic enim fures et milites dum conspirant in domus vel urbis expilationem, uno quasi humero ferunt scalas, trabes, aliaque instrumenta quibus turres conscendant, aut ostia sternant ad irrumpendum et prædandum. Aquila vertit in accusativo: *Participatio sacerdotum in via occidebant*, id est amputabant, *humeros* viatorum euntium in Jerusalem.

Quia scelus operati sunt, q. d. Insidiantur Galaaditæ Deicolis eosque occidunt, quia totos se sceleribus dediderunt. Pro *scelus* hebr. est זמה *zimma*, id est, piaculum, nefas, abominatio, puta scelus horrendum et exsecrabile.

Disce hîc moraliter quantum scelus sit impedire opera pietatis, ac remorari eos qui tendunt ad salutem et ad Dei cultum, v. g. ad statum perfectionis. Unde S. Hieron. hæc applicans hæreticis: *Nos dicamus*, inquit, *hæreticos* (tu dic libertinos, aliàs Catholicos, ut irrisores et sanniones operum piorum) *intercludere viam, ne de Sichem, id est, de bonis operibus, pergamus in Jerusalem, id est, in Ecclesiam. Isti sunt quasi fauces latronum, et interficiunt eos qui per hujus seculi viam ad veritatem pergere cupiunt. Sichem interpretatur* ὦμοι, *id est, humeri, in humeris opus intelligimus, et omnes falsi sacerdotes abscondunt viam, et occidunt homines malis operibus, ne perveniant Jerusalem. Quod autem humerus opus significet, illud ostendit Jer.* 31. *juxta Sept. Da cor tuum in humerum tuum, hoc est, quæ intelligis verte in opera. Et de Issachar legimus Genes.* 49. *quod supposuerit humerum suum ad laborandum, et vir agricola sit.* Quocirca S. Chrysost. lib. 3. contra vituper. vitæ monast. hunc ponit nonum et summum malitiæ gradum. Primus, ait, malitiæ et impietatis gradus est, jumenta et pecora ipsa inimicorum errantia, vel lapsa negligere; secundus et major, inimicis ipsis, si qua re egeant, non subvenire; tertius, proximos ignotos aspernari; quartus, despicere familiares; quintus, non solum corpora, sed etiam animas fratrum pereuntes negligere; sextus, ipsos filios pereuntes negligere; septimus, nec alios qui curent comparare; octavus, prohibere insuper eos qui sponte juvare illos velint; nonus, non modo eos à salute arcere, sed etiam eorum salutem ultro oppugnare. Hoc est quod tam sedulo monet et præcipit Apostol. 1. Thessal. 5. v. 19: *Spiritum nolite exstinguere.* Vide ibi dicta, ac præsertim mirum hac de re exemplum Prætextatæ, quod refert S. Hier. epist. 7. ad Lætam.

10. In domo Israel, puta in regno decem Tribuum, vidi horrendum, puta fornicationes Ephraim,] scilicet idola et vitulos aureos, quos induxit Jeroboam rex oriundus ex Ephraim, quemque Tribus Ephraim quasi civem et regem suum secuta est, et mox totus Israel, hoc est quod ait: *Contaminatus est Israel.* Pro *horrendum* heb. est שערוריה *sçaaruria*, idem quod *sçaarurit*, sed per auxesin quid amplius et majus significat, uti notat Marinus in Lexico. Vatabl. vertit, *pollutiones*, inquinamenta; Pagnin. et Marin. *turpitudinem*, fœditatem; Noster, Jerem. 5. 3, *mirabilia. Stupor*, inquit, *et mirabilia facta sunt in terra.* Hîc vero proprie vertit *horrendum*, quod horripilationem excitet, faciatque ut pili et crines audientium ex horrore erigantur: שער *sear* enim pilum significat; et inde *seirim* vocantur satyri pilosi et hirsuti. Talis est idololatria, præsertim communis totius gentis, Deo olim addictæ et devotæ, quæ unum hominem, puta Jeroboam, secuta est, Deo omnium Domino relicto et spreto.

11. Sed et Juda.] Hæc verba connectenda sunt cum præcedentibus hoc modo: *Contaminatus est Israel, sed et Juda.* Ita Hebr. Chald. et Septuag. Juda enim secutus est idola Israelis.

Pone messem tibi.] *Pone*, scilicet, ô Israel, vel potius tu, ô Juda, q. d. O Juda, tu etiam capieris, æque ac Israel, quia ejus scelera imitatus es, nec tu, ut putas, pones et recondes messem tuam, quia eam hostis Chaldæus vastabit; is enim metet ea quæ tu seminasti, pones tamen et recondes tibi messem, quæ ex spicis deciduis per tot annos captivitatis tuæ sponte et copiose succrescet, cum te è captivitate reduxero per Cyrum, q. d. Ante ne ponas, quia hostes id non permittent; tunc vero pones, tu enim redibis è captivitate, non Israelem, qui in ea jugiter manebit. Osee enim concise loquitur; et paucis multa complectitur, uti dixi in Proœmio. Ita Hugo, Dionys. Ribera et Lyran. qui sic breviter et plane exponit: Relinque messem tuam in tempus quo convertam captivitatem tuam, et nunc ei ne impliceris; tunc enim messem colliges, licet nunc captiva ducaris. Simili schemate Virgil. in persona pastoris Mantuani, finibus suis à milite veterano pulsi, ait Eclog. 1:

Post aliquot mea regna videns mirabor aristas.

Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has segetes? en quò discordia cives
Perduxit miseros! en queis consevimus agros!

Secundo, Haymo et Hugo per messem intelligunt filios, q. d. Pone messem, id est genera filios, quos demetat, id est, capiat, vel occidat hostis Chaldæus. Sed huic expositioni non consentiunt, nec cohærent sequentia : *Cum convertero captivitatem populi mei.* Licet enim id Ruffinus sic exponat, q. d. Tu quoque, ô Juda, demeteris, cum captivitas populi mei Israel convertetur ad te, ut tu similiter capiaris, tamen id non respondet hebraismo, quo convertere captivitatem significat liberare è captivitate, non vero in captivitatem ducere.

Tertio, Arias hæc refert ad tempora Christi, q. d. Demetetur Judæa à Tito et Romanis, cum captivitatem generis humani è potestate diaboli solvam per Christum. Hoc allegoricum est. Adde, ponere messem significat metere, non demeti: est enim actus ejus qui metit, non qui metitur; unde Septuag. vertunt τρυγᾶν, id est, vindemiare.

Recentiores aliter vertunt, ideoque aliter explicant: pro *pone* enim legunt שת *sçat* in præterito, id est, posuit; unde vertunt : *Etiam Judas posuit,* vel *ponit messem,* vel plantarium. Quod primo, aliqui sic explicant, q. d. O Juda, tuis sceleribus continuis paras ibi demessionem, id est excidium, cum convertenda erat captivitas populi mei, id est, dum ego cogito de captivitate tua evertenda. Unde Theodor. et Theoph. ex Septuag. legunt : *Sed et Judas dimisit messem suam,* puta suas segetes et opes, quia secutus est idola Israelis, ideoque à Chaldæis spoliatus et excisus est.

Secundo, Clarius vertit et explicat, q. d. Etiam ô Juda, Ephraim posuit plantulam tibi, vel contra te. Nam plantavit tibi lucos, et docuit idololatriam, qua re effecit ne te converterem, sed à me abjectus abires in captivitatem.

Tertio, Vatabl. putat hîc notari factum Jeroboam, quo restituit Damascum et Emath Judæ, 4. Reg. 14. 25 et 28, q. d. Ephraim, id est Jeroboam filius Joas, rex in Ephraim, posuit tibi, ô Juda, plantarium in Damasco et Emath; ipse enim has urbes tibi restituit, in iisque Judæos incolas plantavit tunc, cum convertit captivitatem populi, cum scilicet jugum regis Syriæ à populo suo, puta ab Israele, depulit et excussit: et tamen tu, ô Juda, cum accepisses tantum à Deo beneficium, ei ingratus fuisti, eum sprevisti, et deos Gentium tibi adscivisti.

Cum convertero, usque dum convertam : Hebr. enim est בשובי *besçubi,* id est in, vel ad conversionem captivitatis populi mei,] id est, tuam, ô Juda. Est hebraismus : Hebræi enim cum quem alloquuntur, sæpe compellant in tertia persona, uti faciunt et Germani, dum honoris causa dicunt : Dominus hoc dicat, vel faciat, id est tu, ô Domine, hoc dicas, vel facias.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describit nequitiam et malitiam Jehu, et Israelis idololatrantis, comparando eam primo, furno succenso; secundo, fermento, v. 4. et pani subcinericio, v. 8; tertio, columbæ seductæ non habenti cor, v. 11; quarto, arcui doloso, v. 16.

1. Cum sanare vellem Israel, revelata est iniquitas Ephraim, et malitia Sama-
riæ, quia operati sunt mendacium : et fur ingressus est spolians, latrunculus
foris. 2. Et ne forte dicant in cordibus suis, omnem malitiam eorum me
recordatum : nunc circumdederunt eos adinventiones suæ, coram facie mea
factæ sunt. 3. In malitia sua lætificaverunt regem : et in mendaciis suis
principes. 4. Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus à coquente :
quievit paulum civitas à commistione fermenti, donec fermentaretur totum.
5. Dies regis nostri : cœperunt principes furere à vino : extendit manum suam cum illusoribus.
6. Quia applicaverunt quasi clibanum cor suum, cum insidiaretur eis : tota nocte dormivit
coquens eos, mane ipse succensus quasi ignis flammæ. 7. Omnes calefacti sunt quasi clibanus,
et devoraverunt judices suos : omnes reges eorum ceciderunt; non est qui clamet in eis ad me.
8. Ephraim in populis ipse commiscebatur : Ephraim factus est subcinericius panis, qui non
reversatur. 9. Comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit : sed et cani effusi sunt in eo, et
ipse ignoravit. 10. Et humiliabitur superbia Israel in facie ejus, nec reversi sunt ad Dominum
Deum suum, et non quæsierunt eum in omnibus his. 11. Et factus est Ephraim quasi columba
seducta non habens cor : Ægyptum invocabant, ad Assyrios abierunt. 12. Et cum profecti
fuerint, expandam super eos rete meum : quasi volucrem cœli detraham eos, cædam eos secun-

dùm auditionem cœtus eorum. 13. Væ eis, quoniam recesserunt à me ! vastabuntur, quia prævaricati sunt in me, et ego redemi eos; et ipsi locuti sunt contra me mendacia. 14. Et non clamaverunt ad me in corde suo, sed ululabant in cubilibus suis : super triticum et vinum ruminabant, recesserunt à me. 15. Et ego erudivi eos, et confortavi brachia eorum : et in me cogitaverunt malitiam. 16. Reversi sunt ut essent absque jugo, facti sunt quasi arcus dolosus : cadent in gladio principes eorum, à furore linguæ suæ. Ista subsannatio eorum in terra Ægypti.

1. Cum sanare vellem Israel, revelata est iniquitas Ephraim.] Multi hæc accipiunt de tempore Jeroboam, qui fecit schisma à Roboam, factusque rex decem Tribuum induxit idola, puta vitulos aureos in Israel, q. d. Cum sanare vellem Israel à sceleribus et idololatria, quam induxit Salomon colens deos concubinarum suarum alienigenarum, 3. Reg. 11. 31. tunc erupit Jeroboam ortus è Tribu Ephraim, qui vitulos aureos erexit in Dan et Bethel, quem secuta est tota Samaria operans mendacium, id est, colens idola vitulorum. Ita S. Hieron. Cyrill. Haymo, Hugo, Lyran. Clarius et Ribera. Huc accedunt Theodor. Theoph. Arias et Sanchez, qui hæc accipiunt de Jeroboam cæterisque omnibus regibus Israel; hi enim Jeroboam ducem in scelere et idololatria sunt æmulati. Verum obstat quod tempore Jeroboam necdum erat Samaria, quia illa condita est post 60 annos ab Amri patre Achab, 3. Reg. 16. 14. Rursum, Deus tunc sanare volebat non solum Israel, sed magis Juda, qui erat fons mali et idololatriæ; nec tunc revelata est, quasi antea latuisset abscondita iniquitas Ephraim, sed esse et existere cœpit.

Dico ergo Prophetam loqui de tempore Jehu, sub Jehu enim cœpit prophetare; unde eum nominat initio prophetiæ, dicens cap. 1. 4 : *Adhuc modicum, et visitabo sanguinem Jezrahel super domum Jehu.* Per Jehu enim Deus volebat sanare et exstirpare idololatriam: unde jussit ei 4. Reg. 9. 6. evertere Baal et domum Achab, ejusque prophetas 450 occidere; quod et præstitit Jehu initio regni. Verum mox metuens idem quod Jeroboam, ne scilicet, si populus ad Deum ejusque templum in Jerusalem rediret, pariter ad regnum regemque Juda rediret; hac de causa in idololatriam relapsus est, populoque vitulos aureos Jeroboam colendos proposuit. Quocirca in eum hic detonat Deus.

Porro Deus hic personam medici induit, qui chirurgum sibi ascivit Jehu ad resecanda putida membra Israelis, et reliqua sananda. Alludit enim ad Ramoth Galaad, ubi rex creatus est Jehu, 4. Reg. 9. 1. et seq. In Galaad enim erant aromata et pharmaca optima, æque ac chirurgi et medici. Unde de ea ait Jerem. cap. 8. 22 : *Numquid resina non est in Galaad? aut medicus non est ibi? Quare igitur non obducta cicatrix filiæ populi mei?* Vide ibi dicta. Sensus ergo est, q. d. Cum per Jehu quasi chirurgum meum in Galaad sanare vellem vulnus idololatriæ Israelis, ideoque per eum resecassem Achab et Jezabelem (quæ, utpote Tyria, fuerat fax et incentrix cultus Baal Dei Tyri) ejusque prosapiam, puta septuaginta filios; videbatur jam eversum regnum idololatriæ, omnesque idololatræ timentes Jehu quasi vindicem et excisorum Baalitarum, diffugiebant aut latitabant; sed ecce Samaria, quæ erat metropolis in Ephraim, puta consiliarii regii aliique politici in Samaria, fraudulenter suggesserunt et suaserunt Jehu stabilire cultum vitulorum in suo regno, si illud statumque suum conservare vellet. Hoc enim exigere politiam; alioqui enim populum, si permittatur redire ad Dei cultum in Jerusalem, pariter rediturum ad pristinum ejus sceptrum et regnum, puta ad stirpem Davidis. Hoc consilio politico et satanico ictus captusque Jehu, in eorum sententiam concessit, cultumque vitulorum restituit et sanxit. Tunc ergo revelata est malitia Samariæ, à Jehu paulo ante compressa, ideoque latitans postquam scilicet Samaritæ subdole pertraxerunt Jehu in suam idololatriam, idque paulo ante hanc Osee prophetiam; ipse enim prophetavit sub Jeroboam pronepote Jehu, ut patet ex Prooemio.

Ita etiamnum videmus politicos suadere principibus hæresin, ut statum et principatum suum tueantur, vel adaugeant. Ita hæresis invecta est in Hollandiam; qui enim in ea dominari cupiebant, hæresin induxerunt hoc prætextu, quod, si Hollandi Catholicam fidem permitterent, certo jugum Hispanicum essent subituri : Catholici enim, aiebant illi, scrupulo conscientiæ adacti ad suum avitum et legitimum principem, puta ad regem Hispaniæ, redire volent; ut ergo excludamus Hispanum, excludamus fidem Catholicam oportet. Idem fuit paralogismus Elizabethæ reginæ Angliæ. Cum enim ipsa ob natales spurios, et à Pontifice Romano damnatos, incapax esset regni, ut fulmen Pontificis et Pontificiorum averteret, regnumque sibi stabiliret, schisma fecit à Pontifice et fide, ac hæresin invexit, ideoque Deus illico succidit ejus regnum stirpemque, uti olim succidit domum Jeroboam, Achab, Jehu, aliorumque regum, qui cultum Dei abjecerunt, et cultum idolorum sanxerunt. Idem evenit Hollandis, qui, cum caput sibi præciderint, acephali sunt, ac inter se hæresibus odiisque internecinis digladiantur, quibus sese consument, nisi ad unitatem priscæ religionis, æque ac reipubl. et ad caput avitum redeant. Det eis Deus idipsum sapere.

Quia operati sunt mendacium.] In Script. uti triplex est veritas, mentis, oris et operis : mentis, cum ejus cognitio adæquatur et conformis est suo objecto, puta cum mens res cognoscit, prout vere à parte rei sunt; oris, cum verba conformia sunt menti; operis, cum opera conformia sunt suæ regulæ, puta rectæ rationi, officio et legi : ita ex adverso triplex est mendacium, scilicet mentis, oris, et operis; mentis, est error quo mens difformis est suo objecto, puta quo falso judicat de re; oris, est mendax locutio qua contra quàm in mente sentit, proloquitur; operis, est scelus quo homo deviat à suo officio, à recta ratione et lege. Tribus hisce modis hic accipi potest. Samaritæ enim inve-

hentes idololatriam et falsam religionem, invehebant menti errorem in fide; blasphemiam in lingua, quia spernebant Deum et laudabant idola: scelus in opere, puta in sacrificio et externo cultu idolorum.

Proprie ergo *mendacium* significat hîc cultum falsum et mendacem idolorum, ipsumque idolum. Idolum enim est numen et Deus mendax; cum enim sit lapis vel lingum, mentitur se esse Deum, seque opponit Deo, qui est veritas verumque numen. Ita S. Hieron. Haymo, Hugo, Theodor. Theophyl. et alii. Quocirca Socrates dicebat *se malle adorare canem quàm idolum*, eo quod canis cum sit opus naturæ, idque vivum, dignior sit idolo, quod est opus artis, idque inanime. Idem aiebat se mirari quod, cum simulacrorum artifices id summo studio conniterentur, ut lapis quàm simillimus homini redderetur, non pariter hoc curarent, ne ipsi lapidibus similes et viderentur et essent. Hoc est quod ait Propheta Psalm. 113. 4: *Simulacra Gentium argentum et aurum, opera manuum hominum; oculos habent, et non vident; aures habent, et non audiunt, etc. similis illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.* Diogenes, teste Laertio lib. 6, solebat subinde adire simulacra, et aliquid ab eis petere. Demirantibus cur id faceret: *Ut consuescam*, inquit, *non commoveri, si quando ab hominibus non impetro quod peto.* Idem rogatus à tyranno è cujusmodi ære potissimum oporteret fieri simulacra: *Ex eo*, inquit, *ex quo fusi sunt Harmodius et Aristogiton*, innuens illa cum ipso esse tollenda, quod illi tyrannicidæ fuerint. Idem dicebat *bonos viros esse deorum simulacra.* Deorum, cum sint optimi, natura proprium est benefacere omnibus, nocere nemini. Hæc imago melius relucet in sapientibus ac bonis viris, quàm in statuis, cum dii sint incorporei. Fabius Annibalis domitor, capto direptoque Tarento, scribæ percunctanti quid de statuis templorum statuisset: *Relinquamus*, inquit, *Tarentinis deos iratos.* Ita Plutarch. in Apoph. Roman.

Secundo, ut Clarius et Arias, sicut *facere veritatem* in Script. est facere id quod officium cujusque requirit, ita *facere mendacium* est facere contra officium et debitum. Sic diabolus mendax, *in veritate*, id est, in officio, subjectione et fide quam Deo debebat, *non stetit*, Joan. 8. 44. Sensus ergo est, q. d. Consiliarii et primores Samariæ transgressi sunt officium suum, fidemque quam Deo et reipubl. debebant. Debebant enim regi Jehu suadere veram religionem, verumque unius Dei cultum; at ipsi induxerunt eum in idololatriam, indeque in excidium et ruinam, tum suam, tum gentis totius et regni. Mentiebantur enim regnum Jehu stabile fore, si populum domi in cultu vitulorum contineret, ut non iret in Jerusalem. Mentiebantur, inquam, nam omne regni firmamentum est vera religio, vera fides, verus Dei cultus. Docet hoc S. August. in lib. de Civit. quos hoc argumento conscripsit, ubi lib. 1. cap. 33. ait: *Scipio non censebat felicem esse rempub. stantibus mœnibus, ruentibus moribus*, inter quos primas tenet religio et pietas. Et lib. 2. 18. enarratis vitiis quæ Romam Gentilem invasere et pene perdidere, addit ejus imperium cruce Christi firmatum esse et stabilitum. Ait enim: *In ista colluvione morum pessimorum, maxime venire ac subvenire debuit cœlestis auctoritas, quæ voluntariam paupertatem, continentiam et benevolentiam, justitiam atque concordiam, veramque pietatem persuaderet, cæterasque vitæ luminosas validasque virtutes, non tantum propter istam vitam honestissime gerendam, nec tantum propter civitatis terrenæ concordissimam societatem, verum etiam propter adipiscendam salutem sempiternam, et sempiterni cujusdam populi cœlestem divinamque rempub. cui nos cives adsciscit fides, spes, charitas.* Et mox: *Deus enim sic ostendit in opulentissimo et præclaro imperio Romano, quantum valerent civiles etiam sine religione virtutes, ut intelligeretur hac addita fieri homines cives alterius civitatis, cujus rex veritas, cujus lex charitas, cujus modus æternitas.*

Tertio, aliqui vertunt: *Quia sibi mutuo non servant fidem;* qui enim fidem Deo non servant, nec servant homini, quocirca ubi est hæresis, ibi pariter grassantur fraudes et doli. Castrius hoc refert ad Samaritas, qui contra fidem Achab regi datam occiderant 70 ejus filios, cum Jehu id juberet, 4. Reg. 10. 7. Verum hos occidi jusserat Deus; ergo magis ob idololatriam, quam ob hanc cædem eos per Prophetam hîc redarguit, præsertim quia periculum erat, ne impii parentis idola impiæ proles sequerentur. Taxat tamen quoque Propheta hanc cædem ob perfidiam, uti inferius dicam.

Et fur ingressus est spolians, latrunculus foris.] Tò *et* explicat *mendacium*, idemque valet quod *id est*, aut certe *et*, id est, *ideo*, quasi dicat: Quia Samaritæ fraudulenter et mendaciter suaserunt cultum vitulorum regi Jehu (S. Hieron. cum aliis, uti dixi initio capitis hæc attribuit regi Jeroboam); idcirco ipse Jehu, secutus eorum fraudulenta consilia, clanculum in regni gubernacula ingressus est ut fur dissimulans occultam suam nequitiam et idololatriam; at ubi rerum plane potitus est, quasi latro publice grassatus est, cogens omnes ad sua idola et nolentes spolians, vel occidens. Sic Nabuchodonosor vocatur *latro*, Jerem. 18. v. 22. Vide ibi dicta.

Secundo, sic exponas, q. d. *Et*, id est idcirco, fures et latrones tum domestici, tum externi, invadunt urbes et agros Israelitarum, eosque vastant et expilant. Nam dum in republ. eliminatur vera religio, subintrant furta, latrocinia omniaque scelera, uti hæc in Galaad et Samariam subintrasse dixit cap. præced. vers. 9. Ita Chald. Lyran. et Arias. Rursum, Deus in eos Syros et Assyrios, qui eos vastarent, immisit, uti dicitur 4. Reg. 10. vers. 32. Ita Theodor. Theoph. Dionys. et Ribera. Hi enim in libris Regum vocantur *latrunculi*, id est, prædones, grassatores, quos Belgæ vocant: buytbuyters. Septuag. vertere solent, μονοζωμενους, id est unius, scilicet eximiæ, zonæ, quasi dicant, excellentes bello, et qui cingulo eximio à cæteris differunt, egregieque sunt accincti et armati. Ita Suidas. Hebr. enim גדיד *gadid* significat accinctum et expeditum militem. Sic et olim milites vocabantur *latrones*, vel απο του λατρευειν, id est, à serviendo, ut vult Festus lib. 10. vel à latendo, quia ex insidiis more latronum hostes adoriuntur. Nota: Jehu hîc, primo, comparatur furi et latroni; secundo, v. 4. pistori succendenti furnum idololatriæ, ejusque fermento fermentanti populum; tertio, columbario seducenti et capienti columbas vers. 11; quarto, arcui doloso vers. 16, quia evertendo Baal,

videbatur idola eversurus, et mox ea restituit.

2. ET NE FORTE DICANT,] q. d. Ne cogitent et querantur me in memoriam revocare præterita parentum suorum peccata, ac propterea filios plectere ex vindicta magis quàm ex desiderio sanandi eos, enumerabo illis modernas eorum machinationes impias, quas hisce diebus coram facie mea impudenter perpetrarunt, ut eas negare vel excusare non potuerint. Ita S. Hieron. Haymo, Hugo, Lyran. Ribera et Arias.

Septuag. hæc referunt ad præcedentia, vertuntque : *Ut concinant quasi canentes in corde suo*, id est, ut S. Hieron. ut quasi socii consentiant cum fure et latrone; et cum eis quasi canant eamdem cantilenam, vel, ut Theodor. ut videntes tantas suas clades gemant canantque threnos, non publice, ne hostis eos subsannet, vel acrius puniat, sed tacite in corde suo.

Tertio, Chald. vertit : *Nec interim reputant in cordibus suis omnia ipsorum maleficia manifesta esse coram me; mox circumvenient eos opera eorum mala* (id est, vindicta et supplicia operum malorum), *quæ coram me aperta sunt*, q. d. Brevi fiet ut videant me opera eorum cognoscere et videre, cum scilicet sentient mea verbera et flagella. Ita Vatablus.

3. IN MALITIA SUA LÆTIFICAVERUNT REGEM] Jeroboam, ait S. Hieron. vel potius Jehu, q. d. Sua mala et impia voluntate applauserunt Jehu ejusque principibus, deficiendo à suo rege Achab, ejusque familia regia, ac in gratiam Jehu colendo vitulos pro Baal; item perfide occidendo 70 filios Achab fidei suæ commissos, et 40 fratres Ochoziæ ; hanc enim defectionem et perfidiam vocat mendacia. Licet enim Jehu à Deo per Prophetam unctus et creatus rex, mandante Deo, eos occidi jusserit, tamen Samaritæ ignorabant Dei jussu hæc fieri. Secreto enim unxerat Propheta Jehu in regem, quocirca non Dei jussu, seu metu Jehu tyranni eos occiderunt, ideoque injuste et perfide. Sept. vertunt, *reges;* non enim soli Jehu, sed et antecessoribus et successoribus ejus in idololatria consenserunt. Ita solet vulgus mobile adulari regibus, et ad eorum libitum mutare fidem et religionem instar arundinis, uti hodie in Germania fieri videmus. Quàm verum est illud:

Regis ad exemplum totus componitur orbis !

Quocirca melior esse nequit oratio, quàm illa qua oratur pro regibus et principibus, tum Ecclesiasticis, tum secularibus, ut eos prudentes, et pios, et strenuos vel lagiatur, vel efficiat Deus. Hoc est quod inculcat Apostol. 1. Timoth. 2. vers. 1 : *Obsecro igitur primo omnium fieri obsecrationes, etc. pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate.*

Viderunt idipsum Gentiles. Euripidis est hæc vox : *Gubernari oportet malos à bonis, et parere se melioribus; si vero impios in civitate promoveris, sursum atque deorsum vita nostra inopinato tota pervertetur.* Platonis ista : *Sutores, si pravi et perditi sint, quamquam dissimulent, nihil inde periculi civitati imminet ; custodes vero legum et civitatis, si non revera sint, sed videantur tantum, urbem totam funditus perdunt.* Velleii Paterculi : *Princeps optime faciendo docet; cumque sit imperio maximus, exemplo est major.* Neoptolemi apud Sophoclem in Philoct.

Principibus omnia, quos penes rerum fuit
Summa, imputo; nam urbs à magistratu, à duce
Exercitus dependet : exemplo ducum
Peccant frequenter milites.

Hoc est quod clamat Ecclesiast. cap. 10. 2 : *Secundùm judicem populi, sic et ministri ejus : et qualis est rector civitatis, tales et inhabitantes in ea. Rex insipiens perdet populum suum.* Hinc Arabicus hoc loco vertit : *Lætati sunt reges eorum in iniquitate, et principes eorum in mendacio; et fiduciæ eorum sicut sues grunniunt, et sicut qui pastam conficit, et exspectat eam donec fermentetur, sic erunt dies regum ipsorum ;* et Syrus : *In malitia sua lætificaverunt reges, et in malitia sua omnes principes eorum : exardescunt quasi clibanus ardens in decoctionem.*

4. OMNES ADULTERANTES,] id est, omnes idololatrantes. Est metaphora à pistore furnum accendente, q. d. Israelitæ instar furni accensi æstuant libidine et ardore colendi idola. Ita S. Hieron. Cyrill. Vatabl. Unde Hebr. habent : *Omnes illi adulterio* (idololatria) *incalescunt, uti fornax succensa à pistore.* Hebræi enim coquentem vocant *pistorem;* uti et veteres Latini. Unde Festus Pompeius : *Cocum*, ait, *et pistorem apud veteres eumdem fuisse accipimus.* Grammatice significat libidinem et concupiscentiam adulterandi, ipso adulterii actu non exstingui, sed quasi fornacem injectis sarmentis magis accendi. Unde Salonius, in Parab. Salom. qui exstat tomo 1. Biblioth. SS. Patrum, sic explicat illud Proverb. 30 : *Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes : Affer, affer; et nunquam satiantur.* Sanguisuga diabolus est qui semper sanguinem sitit, id est, ad peccata homines trahere cupit, et sitim peccandi incessanter accendit : duæ filiæ sunt luxuria et avaritia, quæ diaboli sitim et ardorem imitantur, dicentes : Affer, affer ; quia sicut ille nunquam peccando satiatur, sic nec luxuria et avaritia. Nam quanto quisque magis luxuriatur et fornicatur, tanto amplius delectatur. Similiter quanto quisque divitias sibi accumulat, tanto magis eas semper augmentat. Hinc et S. Gaudentius Episc. Brixiens. tempore S. Ambrosii, tomo 2. Biblioth. SS. Patrum tract. 13. ad Neophytos : *Stupri*, inquit, *assiduitas luxuriam carnis non cohibet, sed accendit, dicente Propheta : Omnes fornicantes, velut ardens clibanus corda eorum. Prædatoris quoque rapacitas non comprimit avaritiam, sed irritat. Scriptum est enim : Qui amat pecuniam, non satiabitur pecuniis*, Eccles. 5. Sic gulosus gula, iratus ira, superbus honore, etc. magis inflatur et accenditur. Nam

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

QUIEVIT PAULULUM CIVITAS A COMMISTIONE FERMENTI, DONEC FERMENTARETUR TOTUM,] q. d. Sicut pistor fermentum indit massæ farinæ, ac deinde succensa fornace quiescit ; mox enim fermentum quiete et tacite proserpit per totam massam, eamque suo acore inficit et fermentat : quo facto pistor in fornacem succensam massam infert, in eaque coquit panem (unde Syrus vertit : *Cessabit de civitate conficiens pastam donec fermentetur*) ; ita Jehu noluit vim facere populo. *Quidquid enim necessitate fit, cito solvitur, quod voluntate arripitur, perseverat*, ait S. Hier.

Jehu ergo non coegit populum ad colendos vitulos, sed permisit idololatras sensim et occulte fermentum idololatriæ suæ per populum spargere, donec ejus permissione et conniventia, imo benevolentia, totus populus hoc scelere inficeretur et corrumperetur : tunc eo convocato suo decreto cultum vitulorum sanxit, quod populus avide excepit, faustaque regi acclamavit. Ita totus ab eo in clibanum succensum, id est, in impetum et ardorem, imo furorem idololatrandi conjectus est, atque idololatria publica ardensque instar fornacis ab eo succensæ exarsit. Ita S. Hieron. Cyril. Albert. Hugo Lyran. et Ribera.

Eleganter hunc Osee locum tractat Petrus Abbas Cellensis anno Domini 1181. lib. de Panibus cap. 4. in fine, tomo 8. Biblioth. SS. Patrum : *Et jam quiescens Ægyptius ab operatione exteriori*, inquit, *dum non animadvertit, fermentatur. Sicut pasta, non solùm cum ei admiscetur fermentum, fermentatur ; sed multo magis cum à commixtione cessat qui commiscuit, et ipsa pasta bene cooperta quasi quiescens obdormit : sic animo concepta malitia, etsi videatur aliquanto tempore* (*forte, quia deest occasio*) *à malo opere cessare : eo tamen quasi acrius sævit in corde, quo non transit in opere. Unde Oseas : Paululum civitas cessavit à commixtione fermenti, donec fermentaretur totum, q. d. Ut studiosius cogitatum perpetret malum, callidius pro tempore retrahit manum. Confotum enim stuparum superinjectione incendium, non dormit, sed serpit, non exstinguitur, sed reficitur : sic voluntas mala, velut flamma latens, vorat tandem superpositos necessitatis, et rejicit, velut torrens, dilationum obices.* Unde infert : ergo Religionem professus periculose gustat seculi fermentum. Audit Novitius verbum seculare, ambitiosum, illecebrosum, non movetur; sed phantasia excipit fermentum, quod in cella menti recurret, eamque ad seculum repetendum, ad ambitionem, ad nuptias sollicitabit, et forte expugnabit. Idem videmus in pueris et puellis innocentibus.

Ad hanc Osee sententiam pertinet illud Œdipi : *Ab inquieto sæpe simulatur quies.* Sic tropol. Hæretici, ait S. Hieron. initio quiescunt et omnia pacifica promittunt, sed occulte sua docent, itaque cancer paulatim serpit in populos. Addit S. Hieron. ex Hebræorum traditione, Jeroboam (de eo enim ipse hæc accipit, uti dixi : ego de Jehu) cum subito religionem novare non auderet metu seditionis et rebellionis, occulte quosdam submisisse, qui populum excitarent, ut à rege peteret Deum domesticum, puta Lares et Penates, scilicet vitulum quem coluerant in Ægypto : id ita factum libentibus illis, sed maxime rege Jeroboam. *Ergo*, inquit, *similes erant clibano ardenti, parato ad coquendum si quid immittas ; ardebant enim cupiditate.* Ita Elisabetha regina Angliæ, teste Sandero de Schism. Anglic. restitutam à Maria sorore sua regina fidem Catholicam in Anglia, succedens ei primo anno regni sui subvertit, constituens magistratus hæreticos, qui in Parlamento hæresin restitui peterent, imo decernerent. Politice, principes sapientes et boni hoc Jeroboam, vel Jehu consilium imitentur, sed in bono. Ita Alfonsus Aragonum rex, teste Guicciardino, cum cogitaret bellum, aut quid aliud moliretur, priusquam deliberationes animique sui cogitata intelligerentur, tacite per suos rumorem spargebat, regem his illisve de causis merito talia moliri debere. Hinc fiebat ut magno omnium applausu et laude consilia et molimina ejus probarentur, cum publice proponebantur ea quæ jam omnium calculis, et quasi præjudiciis justa aut necessaria habebantur.

Hebr. est hendiadys : *Quievit à civitate, à commistione*, id est, quievit rex à commistione, id est depravatione, civitatis, quod in re idem est cum eo quod vertit Noster : *Quievit civitas*, rege videlicet quiescente, et tacite dissimulante, *à commistione*, id est, à corruptione et depravatione regis aperta. Ita Ribera. Hebr. enim מעיר *meir* idem est quod *à civitate.* Recentiores vertunt, *ab excitando*, scilicet, quievit furnarius, ut furnum accendat, huncque dant sensum : Quibus in locis furni sunt publici, solent furnarii noctu vicatim inclamare mulieres et excitare, ut pastam subigant : quas postquam excitare quieverunt, furnum interim accendunt, tamdiuque vehementer calefaciunt, donec fermentatam pastam et in panes conformatam ipsæ afferant, ut coquatur in furno vehementissime calido, cujus calori comparat hìc Propheta ferventissimum idololatrarum studium in colendis idolis. Sunt, inquit, ut fornax à furnario accensa, quam accendere solet statim, postquam cessavit excitare mulieres subigendæ pastæ causa, quæ tantisper vehementissime æstuat, donec à mulieribus inferatur panis. Ita Vatabl. et Clarius ex R. David. Hæc versio consentit cum eo quod præcessit : *Omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente*, illudque explicat.

Verum juxta Nostrum Interpretem est hìc alia similitudo, eaque valde apposita ; sicut enim prius ardorem idololatrandi Jehu et Israelis comparavit fornaci succensæ : ita hìc comparat fermento, quod totam massam illico pervadit. Unde eadem comparatione utitur Apost. 1. Cor. 5 : *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio.* Quamquam eòdem res redit, et secundus sensus primum continet et includit, Jehu ergo fuit quasi furnarius, qui fornacem idololatriæ accendit ; tum permittendo vitulos aureos, tum sua conniventia excitando alios, qui fermentum idololatriæ in massam, id est, in cœtum populi spargerent, qui dum totus eo infectus fuit, Jehu eam publico decreto, templo et cultu in hanc idololatriæ suæ fornacem intulit et percoxit.

Denique Pagnin. vertit : *Cessavit pistor à civitate*, id est, ut Chald. vertit : *Migrabunt cito à civitatibus suis.*

Allegor. Leo Castrius (licet id ipse putet esse litterale) hæc refert ad Judæos, qui fermento iræ et superbiæ tumidi, cum plebem corrupissent, Christum cruci affigi à Pilato postularunt et impetrarunt. Sic ait Plautus : *Mea uxor propter illam tota in fermento jacet*, id est, præ ira tumet et turget, uti fermentum elevat et tumefacit pastam.

5. Dies regis nostri. Est mimesis : imitatur enim et exprimit vocem populi applaudentis, et congratulantis tam regi, quàm diis suis, puta vitulis à rege sancitis et erectis, q. d. Populus cum jam omnino fermento idololatriæ esset corruptus, acclamavit regi Jeroboam, ait S. Hier. vel potius regi Jehu dicens : Hæc est dies regis nostri, scilicet regalis, læta et fausta (sic ait Psaltes : *Hæc dies quam fecit Dominus, exsulte-*

mus et lætemur in ea) tumque et ipsi principes cœperunt furere quasi ebrii, et comessantes, Deique obliti idola colere : tumque ipse rex EXTENDIT MANUM SUAM (ad calices *)* CUM ILLUSORIBUS,] id est, cœpit agere idem quod illusores jam dicti, puta principes eorumque asseclæ, qui Deo, aut potius regi vanis laudibus et acclamationibus illudebant, q. d. Libenter cœpit cum eis potare, illudere, scurram agere, laudare idola, spernere Deum. Ita S. Hieron. Haymo. Hugo, Lyran. Ribera et alii. Vide hic, ut magis adulatio, quàm hostis reges et principes perdat. Ita Mariana.

Nota. Hebr, לץ *lets*, quod Noster illusorem vertit, significat hominem superbum, irrisorem, qui omnia divina et humana irridet, plane corruptum, pestilentem, qui quasi pestis alios inficit et corrumpit, quales sæpe sunt in aulis, qui principes etiam bonos omnino immutant et depravant. Aliter Chald. Arias, Pagnin. et Vatabl. exponunt enim, q. d. Die illo quo regem inaugurarunt, cœperunt principes cum eo compotare, indeque jugiter vacant compotationi, non reipubl. aut, ut Clarius, ægrotare eum fecerunt, propinantes ei lagenam vino plenam, ut eum assuefacerent potationi, itaque enervarent, mentemque et consilium ei adimerent, ut cum potatoribus assidue potaret, cum nugatoribus nugaretur, cum illusoribus aliis illuderet. Hebr. enim החלו *hechelu*, significat tam ægrotare, quàm incipere. Rursum pro חמת *chamat*, id est furere (est enim infinitivus à rad. יחם *iacham*, id est incaluit, iratus est, furit) ipsi legunt חמת *chemet*, id est utrem, lagenam.

6 et 7. QUIA APPLICAVERUNT QUASI CLIBANUM COR SUUM CUM INSIDIARETUR EIS. *quia* causam dat cur Jeroboam, vel potius Jehu tam facile populum totum, puta omnes Israelitas induxerit ad cultum idolorum, scilicet vitulorum. Causa est hæc : quia Israelitæ in corde et mente erant corrupti, et libidine, id est, amore idololatriæ, æstuabant : unde cum rex Jehu insidiaretur eis, ut eos pelliceret ad idololatriam, ipsi ei mox applauserunt, corque suum quasi clibanum idololatria æstuantem aperuerunt et applicuerunt, ideoque totius populi communi consensu et decreto vitulorum cultus receptus, sancitus et stabilitus est. Quocirca rex Jehu prius anxius et timens, ne aliqui ex populo voluntati et idololatriæ suæ resisterent, cognita populi mente et consensu, dormivit, id est, securus fuit instar hominis qui tota nocte dormit, COQUENS EOS, id est, permittens eos per se coqui, hoc est, fermentari plane, massamque impietatis efficere : unde sicut pistor, per noctem fermentata massa, mane eam infert in furnum, quem eadem nocte calefacit, quemque rursum eodem mane extremo igne et flamma calefacit : ita Jehu populum in idololatriæ furnum consentientem et volentem injecit ; imo MANE IPSE SUCCENSUS QUASI IGNIS FLAMMÆ, q. d. Ipse Jehu non tantum quasi pistor flammam idololatriæ, qua idololatras percoqueret, succendit; sed et quasi conversus in ipsam flammam, inflammavit omnes Israelitas. Quocirca hac flamma OMNES CALEFACTI SUNT QUASI CLIBANUS summo ardore, quo instar ignis DEVORAVERUNT JUDICES SUOS, alliciendo et cogendo eos, ut et ipsi furentem populum sequerentur, cum eoque idola colerent, imo suo decreto colenda præciperent : hinc et OMNES REGES EORUM, qui Jeroboam, aut potius Jehu secuti sunt, in eumdem impietatis furnum CECIDERUNT,] ita S. Hieron. Albert. Haymo, Hugo et Lyran. Nota. Amor ardens vocatur ignis, et clibanus succensus : quia amor ciet motum cordis vehementem, qui causat calorem in homine, imo fervorem et æstum. Unde Job 31. dicitur : *Ignis est usque ad perditionem devorans.* Et istud Sapientis: *Qui non zelat, non amat.*

Quocirca Epictetus rogatus ab Adriano Imper. : *Quid est amor ?* respondit : *Otiosi pectoris molestia, in puero pudor, in virgine rubor, in femina furor, in juvene ardor, in sene risus.* Cur Venus Vulcano nupta dicitur? *Ut ostendat amorem ardore incendi.* Hinc Virgil. de Didone amante Æneam Æneid. 4 : *Et cœco carpitur igne. Uritur infelix Dido. Ardet amans Dido.* Et alibi :

Est mollis flamma medullas
Interea, et tacito vivit sub pectore vulnus.

Porro amor, quia ignis est et calor, hinc emollit et liquefacit partes corporis : et quia eo calore resolvuntur spiritus vitales et animales, adjuvante ad eam resolutionem et consumptionem vehementi cogitatione, quæ fixa est in re amata; hinc ex amore vehementi sequitur deliquium et languor, totiusque corporis infirmitas : ad quam juvat tristitia, et ægritudo animi de absentia rei amatæ. Vide Richardum de S. Victore libr. de Gradibus charitatis cap. 4. et lib. de Gradibus violentæ charitatis, ubi fuse explicat, quomodo amor vulneret, liget, liquefaciat, deliquium et languorem adducat. Hos amoris æstus et effectus sentiebat sponsa dicens Cant. 2. 5 : *Fulcite me floribus, stipate me malis : quia amore langueo.* Et c. 8. 6 : *Lampades ejus lampades ignis atque flammarum.*

Secundo, Chald. et alii hanc flammam censent esse insidiarum, injuriæ et violentiæ in proximos, quæ ex flamma idololatriæ proserpere et exoriri solet : Chald. enim sic vertit : *Instar clibani ardet cor eorum in insidiis suis : tota nocte protrahitur furor eorum, usque mane æstuat in morem ignis flammigeri,* q. d. Uti pistor noctu, succenso furno, dormit usque mane, tumque rursum ignem furni suscitat et auget, quo furnus succensus novas et scintillantes evomit flammas : ita Israelitæ noctu quiescunt, cogitantes et meditantes modos insidiandi et nocendi proximo, usque mane : tum enim quisque surgit, ut quasi ignis succensus insidias et noxas noctu meditatas in proximum evomat, et opere consumet : quocirca Israelitæ *omnes calefacti sunt* hac malignitate *quasi clibanus,* ut regi Jehu placerent, ideoque *devoraverunt,* id est occiderunt, *judices suos :* et *omnes reges,* id est 70. filii Achab regis *eorum,* manu ipsorum cæsi *ceciderunt : non est qui clamet in eis ad me,* q. d. Nullum eis spatium dederunt ante mortem convertendi se ad Dominum, eumque invocandi, sed subito omnes trucidarunt: itaque tam animas quàm corpora eorum perdiderunt. Ita Theodor. Theophyl. Arias et Vatabl.

Tropol. rex impius, qualis fuit Jeroboam, est pistor cacodæmonis ; regi enim omnes subditi applicant cor suum quasi clibanum succendendum : videat rex quem ignem injiciat, cælestemne divini amoris, an tartareum vitiorum. Rex impius tartareum injicit, eoque panes suavissimos, id est peccata, coquit cacodæmoni, qui parem illi gratiam referet : nam in inferno

clibanum ei succendet, quo in æternum ardeat. Ita Sebast. Barrad. lib. 9. c. 12. Concord. Evang.

8. EPHRAIM IN POPULIS IPSE COMMISCEBATUR.] Dat causam tantorum scelerum, q. d. Causa cur Ephraim, id est, Israel succensus fuerit ut fornax impietatis, est, quod fœdus et amicitiam inierit cum vicinis populis et gentibus, cum iisque conversans eorum impietatem et scelera imbiberit, juxta illud psal. 105. 35 : *Commisti sunt inter Gentes, et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum,* etc. Ita Theodor. Vatabl. et Arias.

EPHRAIM FACTUS EST SUBCINERICIUS PANIS, QUI NON REVERSATUR,] q. d. Sicut pasta quæ sub cineribus juxta ignem coquitur, si non vertatur, insensibiliter exuritur et consumitur, ita et Israel in cineribus et sordibus idololatriæ manens, nec per pœnitentiam se convertens ad Deum, exuretur ab hostibus. Nam *comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit,* q. d. Assyrii paulatim vires Israelis atterent, eumque expilabunt, quod tamen ipse non advertet, puta se in ruinam et exitium tendere, seque à Deo puniri ob eum derelictum per cultum vitulorum. Ita Cyrill. Theodor. et Theophyl. Vel *nescicit,* id est, non sapuit, non resipuit. Unde Chald. vertit : *Similis est domus Ephraim subcinericio pani, qui antequam versetur comeditur,* vel à famelico, vel potius ab igne quo coquitur ; *diripuerunt populi substantias eorum.*

Nota. In pane subcinericio multas notat Israelis conditiones. Primo, pertinaciam, scilicet eum cinere, id est sordibus, undique esse circumdatum, in iisque perdurare, nec ab iis recedere et reverti ad Deum : etiam dum ab eo igne tribulationis excoquitur. Ita S. Hieron. Cyrill. Theod. et Theophyl. Unde Tropol. S. Gregor. libr. 32. Moral. 7 : *Factus est*, ait, *Ephraim quasi panis subcinericius qui non reversatur. Ex natura quippe bene condita est nobis intentio, quæ surgat in Deum, sed ex conversatione nequiter assueta inest voluptas, quæ præsens premat in seculum. Panis autem subcinericius ex ea parte mundior est, quam inferius occultat; atque ex ea parte sordidior, qua desuper cinerem portat. Quisquis ergo intentionem qua Deum debuisset quærere negligit, quasi more panis subcinericii mundiorem partem inferius premit : et cum curas seculi libenter tolerat, quasi congestum cinerem superius portat.* Et lib. 11. cap. 6 : *Si terrenarum cogitationum cinerem à mente excutimus, quasi panem subcinericium reversamus.*

Secundo, celerem vindictam et exitium : panis enim sub cinere coquitur, non in furno, à pauperibus et famentibus, ut statim ab eis comedatur : rursum panis ille si non vertatur, mox exuritur : sic et Israel statim ab Assyriis devoratus et exustus est. Ita Chald. Albert. et Vatabl.

Tertio, imprudentiam, quod scilicet Israel in cupidinibus suis sordidis et exitiosis residens, non verterit se in alteram partem, ut videret clades et exitium ob illas sibi imminens. Ita Clarius. Cupiditates enim et peccata sunt instar panis subcinericii, qui duas habet facies, sive superficies; inferiorem, qua terræ; superiorem, qua igni et cineribus adhæret : ita peccati facies inferior est voluptas terrena, quam intuetur et arripit peccator ; superior est cinis, id est mors et ignis, hoc est pœna et gehenna quæ voluptatem peccati certo quasi à tergo sequitur, eique connexa est : hanc non intuetur peccator : unde ab ea imprudens et incautus, cum minime putat, comprehenditur et exuritur. Quocirca Syrus vertit : *Ephraim factus est placenta parvuli, decocta est, comesta est,* q. d. Mox ut facta et cocta, comesta quoque est. Sic enim pueri placentam mox ut cocta est comedunt. Arabicus Alexand. : *Ephraim factus velut locus combustus, et ipse non mutatur;* Arabicus Antioch. : *Ephraim erat succensus, non revertens.*

9. COMEDERUNT ALIENI (Assyrii) ROBUR EJUS.] *Robur*, Id est, fruges et opes eum roborantes : *panis* enim *cor hominis confirmat*, psalm. 103. 15. Mystice, alieni sunt dæmones, qui vires animæ, suggerendo cupiditates, enervant, eo non advertente. Unde ait : *Et ipse nescivit adversarios amicos putans, et devoratores suos arbitrans esse convivas;* ait S. Hieron. Sic et S. Greg. 34. Moral. c. 3. Quocirca recté S. Bernard. serm. 2. de Quadrag. id adaptat Religioso, qui in exteriora cor effundit, itaque ejus robor spirituale dissipat et perdit. *Miser*, ait, *homo, qui totus pergens in ea quæ foris sunt, et ignarus interiorum suorum, putans aliquid se esse cum nihil sit, ipse se seducit. Sicut aqua effusus sum* (*ait Psalmista in persona hominis*) *et dispersa sunt omnia ossa mea. Et alius quidam Propheta : Comederunt, inquit, alieni robur ejus, et ignoravit. Exteriorem quippe superficiem intuens, salva sibi omnia suspicatur, non sentiens vermem occultum, qui interiora corrodit. Manet tonsura, vestis necdum mutata est, jejuniorum regula custoditur, statutis psallitur horis ; sed cor longe est à me, dicit Dominus. Attende solerter quid diligas, quid metuas, unde gaudeas aut contristeris : et sub habitu religionis animum secularem, sub pannis conversionis invenies cor perversum.*

SED ET CANI EFFUSI SUNT IN EO], q. d. Jam Israel captivitati et excidio proximus est, uti homo senex et canus morti : Israel canescit, senescit, tendit ad interitum. Est Catachresis. ET IPSE IGNORAVIT] se excidio pproximum, multo magis ignoravit se ob derelictum Deum, et ob idola exscindendum. Ita S. Hier. Aliter Haymo, Hugo et Lyran., q. d. Israel pervenit ad canitiem, mortem et excidium : itaque tunc cœpit sapere, et agnoscere suam culpam causamque excidii. Nemo enim tam insipiens est, qui non in morte sapiat. Sic Ptolemæus, ut habetur in ejus vita præfixa Almagesto, dicere solebat : *Ultimæ promissiones hominis canæ sunt,* id est sapientes, seriæ, æque ac seræ et ultimæ. Verum cum hac explicatione non recte cohæret *τὸ et ipse ignoravit.*

Tropol. S. Hieron. hæc referens ad hæreticos, aliosque impios : *Comederunt*, inquit, *alieni, id est dæmones, robur ejus ; sed et cani effusi sunt in eo, imo effloruerunt, id est multo erravit tempore, et nihilominus ignoravit senectutem et vetustatem suam, de qua scriptum est Hebr. 4. Quod veteratur et senescit prope exterminium est. Etsi ad justum virum, et ad Ecclesiasticum dicitur Sapient. 4. Cani hominis sapientia ejus; quare non dicatur ad iniquum et hæreticum, Cani hominis stultitia ejus ? De hac senectute Daniel dicebat ad presbyterum : Inveterate dierum malorum. Unde et in libro Pastoris (si cui tamen placet illius recipere lectionem) Hermæ primum videtur Ecclesia cano capite ; deinde adolescentula et sponsa crinibus adornata.*

Apposite ergo hæc Osee verba Pelagio hæresiarchæ seni, et inveterato malorum dierum, cum jam ipse hæresim antea occultatam detegeret, ac instar Cain vagabundus eamdem per Ægypti monasteria spargeret, adaptat et intorquet B. Isidorus Pelusiota, scribens ad eum sub annum Domini 405. l. 1. epist. 314 : *Cani*, inquit, *effusi sunt in Ephraim, et ipse ignoravit, vitiosis nimirum affectibus juvenescens. Eodem modo tibi quoque ingens annorum turba canitiem invexit, et tamen rigidum et inflexum animum habes, ex alio monasterio in aliud migrans, atque omnium mensas perscrutans et explorans.*

10. Et humiliabitur superbia Israel in facie ejus.] Hebr. *respondebit ergo fastus Israelis ei in faciem*, id est, testificabitur contra eum palam et aperte, quod scilicet juste ob superbiam deprimatur et evertatur. Vide dicta c. 5. 7.

11. Et factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor.] *Cor*, id est mentem, sensum, prudentiam. Simile adagium est apud Suidam : *Columba sedens;* hæc enim simplex, facile seducitur et capitur vel à milvo, vel ab aucupe. Pro *seducta* hebr. est, פותה *potha*, id est flexilis, facilis, seductilis : Septuag. ἄνους, id est insipiens, *amens*, uti legit Isidor. Pelus. l. 4. epist. 137. Aquila et Symmach. *decepta ;* Leo Hebræus *stolida*, quæ scilicet facile se sinit capi et decipi, quia simplex et carens corde, id est, intelligentia et sagacitate: rursum corde, id est, cordato animo et memoria. Unde Syrus vertit : *Factus est Ephraim quasi columba puella* (parvæ ætatis, ideoque ignara, inexperta et seductilis, *cui non est cor*, animus, animique fortitudo ; Arabicus Alexand. : *Factus est Ephraim ut aves insipientes, et non est illi intelligentia;* Arabicus Antioch. : *Factus est Ephraim sicut columba, non habens intellectum, neque cor.*

Nam primo, columba cum singulis mensibus ova pariat et pullos excludat, videatque singulos è columbario et nido continue auferri, ad eum tamen obliviosa et stolida iterum iterumque, et millies redit : ibique rursum ova fovet, pullos excludit, qui iterum auferuntur. Secus faciunt aliæ aves, quæ, ovis aut pullis sublatis, aufugiunt, nidumque mutant : ita Israel licet videret se spoliari, suasque proles capi nunc à Phul, nunc à Teglatphalasar, nuuc à Salmanasar regibus Assyriorum, tamen identidem ad Assyrios recurrebat opem postulans. Nota Arist. l. de Generat. et part. animalium docet, nec columbam, nec ullum animal quod sanguinem habeat, posse vivere sine corde : cor hîc ergo non physice, sed symbolice accipiendum pro sensu et sapientia, qua præ reliquis avibus carent columbæ. Id maxime verum est in columbis Syriæ, quæ ita nidum et columbarium suum adamant, ut etiamsi per centum milliaria et amplius ab eo abducantur, et in peregrina ignotaque regione constituantur, tamen vel ex odoratu, vel ex sagacitate et instinctu naturæ cognoscentes ubi sit suum columbarium, si libere ex alto avolare sinantur, mox ad illud directe paucis horis contento volatu revolent : unde Syri columbis pro nuntiis et veredariis utuntur, uti oculati testes mihi retulerunt, de quo plura cap. 11. 11. Tales erant Israelitæ in Syria, qui opes suas in idola stolide profundebant, quin et filios proprios idolo Moloch comburendos quasi insani tradebant, atque ob hæc vastabantur ab Assyriis : ipsi tamen spoliati opibus et orbati filiis, sine ullo quasi doloris aut dispendii sensu redibant ad sua idola, æque ac ad Assyrios, eorumque opem et amicitiam ambiebant, quod æque vecors et stultum erat, ac si quis lupo ovem aut prolem committeret. Erat ergo Israel excors, ingens sine medulla pepo, et cucurbita. Ita S. Hieron. Chald. Theodor. Theoph. Hugo, Arias, Ribera, Mariana et alii.

Secundo, columba est vecors et excors, quia ut ait Arias. cum reliquæ aves retia caveant et aucupem fugiant, columba tamen adeo stupida est, ut propter objectam escam, præsertim tempore nivis, sponte in retia incurrat, mox enim ut videt abeuntem eum qui retia tetendit, in illa ad escam devolat. Rursum S. Basil. epist. 175. ad Julittam : *Ars*, ait, *quædam est aucupandi columbas, videlicet talis : ubi unam ceperunt qui capiendis illis student, cicurem illam reddunt, et ad humanum convictum assuefaciunt. Deinde unguento alas illius perungunt, sinuntque conjungi agrestibus; illa vero per unguenti fragrantiam agrestem illum ac liberi passus gregem, ad possessionem transfert ejus cujus ipsa domestica est. Bene olentes autem sequuntur et reliquæ, atque ita in potestatem columbarii veniunt.* Prudentius quoque in Hamartigenia luculenter omnes modos enumerans, quibus ab aucupibus columbæ decipiuntur, ostendit totidem fere illusionibus hominum animas à dæmone in tartara detrudi. Hinc et Christus Matth. 10. 16. monet ut simplicitatem columbæ cum serpentis prudentia copulemus, eaque illam acuamus et custodiamus, ut scilicet ita simus simplices, ne aliis noceamus ; sed et prudentes, ne aliorum insidiis capiamur, prudentia enim sine simplicitate calliditas est, simplicitas sine prudentia, stultitia est. Hinc Prudentius Evam à serpente deceptam columbæ comparat :

Eva columba fuit tam candida, nigra deinde
Facta per anguinum malesuada fraude venenum.

Insuper columba domestica à columbis alterius columbarii, sibiloque aucupis illecta, in illud sponte se infert, seque capi permittit. Denique solent aucupes exoculatam columbam in reti ponere, quæ subsultans et in reti ludens, eoque se illaqueans, ad idem cæteras columbas allicial. Ea Græcis παλευτρια, teste Suida, dicitur à παγευειν, quod est seducere, seu in laqueum inducere. Unde Aristophan. in Avibus loquens de columbis ait : *Et cogit paleutriam agere* (columbas) *alligatas in reti.* Similes paleutrias anates vidi in Belgio, quæ in lacubus et paludibus jungentes se anatibus silvestribus eas abducebant in retia, magna herorum voluptate et quæstu. Ita Israelitæ sponte in laqueos et aucupes, puta in Assyrios et Ægyptios incurrebant, se suaque illis dedebant, hostesque suos æstimabant amicos. Hoc est quod explicans subdit Osee : *Ægyptum invocabant, ad Assyrios abierunt. Et cum profecti fuerint, expandam super eos rete meum, et quasi volucrem cæli detraham eos.* Id maxime verum fuit in Hosee ultimo rege Israel : hic enim cum esset tributarius Salmanasar regis Assyriorum potentissimi, stolide rebellavit, ac contra eum imploravit opem Sua regis Ægypti : quare indignans Salmanasar, Samariam cum rege et regno evertit, 4. Reg. 18. 10.

Moraliter, tales sunt qui occasiones peccato-

rum, v. g. societatem puellarum, aut pravorum sociorum non vitant, imo ambiunt, unde corruunt in peccata et gehennam. Quid stolidius quàm sponte Assyrio, id est dæmoni, se dedere, quàm sponte in ruinam æternam se præcipitare? Ita Theoph. Vere S. August. l. 1. Confess. 13 : *Quid est miserius misero non miserante seipsum?* Sapienter monet S. Ephrem ode in eos qui assidue peccant et raro pœnitent, tom. 1 : *Fuge*, ait, *scorpionem, cujus nosti stimulum : fuge serpentem, cujus exploratam habes perniciem. Qui secundo in eumdem impegerit lapidem, cæcus est aut mente captus.*

Tertio, columba notat ingratum erga bene de se meritum. Nam mas ubi robustior evaserit, ex consortio matris patrem expellit, itaque ei connubio jungitur, ait Horus hierogl. 54. et Aldrovandus in columba pag. 418. Sic Israel ingratus fuit Deo optime de se merito, eumque expulit è throno matris suæ, puta Synagogæ, quam sua idolatria constupravit, et conspurcavit.

Quarto, columba est vecors, quia, ut docet Plinius l. 10. c. 36. et ex eo Sanchez sibi in colorum varietate mire placet, unde ut eam columbæ in pennis suis alisque ostentent, inani quadam jactantia eas inter se collidunt et implicant, ut resonent strepitumque edant. Ad strepitum excitantur accipitres, qui advolant, easque implicitis alis avolare non potentes, facile capiunt. Ita dum vanæ gloriæ, suæque pulchritudini indulgent, ultro sibi mortem adsciscunt : sic et Israel sua superbia, jactando suas opes, suæque terræ fertilitatem et amœnitatem, illexit Assyrios ad eam invadendam et capiendam. Sic et hodie multis venustas et ostentatio est causa ruinæ et interitus. Vere Poeta :

> Sed tacitus pasci si posset corvus, haberet
> Plus dapis, et rixæ multo minus invidiæque

Denique Israelem imprudentem comparat columbæ seductæ et insipienti, quia est et columba sapiens, de qua dicitur : *Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* etc. *cujus pennæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri*, ps. 67. ita S. Hier.

Symbolice, cur est bulla pectoris, et bulla est cordis symbolum. Bulla enim gestabant nobiles in pectore, ut eam inspicientes se homines et rationales cogitarent, si corde et mente excellerent. Rursum cor arcano sermone notat consilium, ait Pierius hierogl. 34. et vicissim bulla Macrobio dicitur ἀπὸ τῆς βουλῆς, id est consilio : tam ergo bulla, quàm cor symbolum est, monitor, indexque consilii. Hinc Salomon. orat. 3. Regum 3. 9 : *Dabis servo tuo cor docile*, id est sapiens plenumque consilio, *ut populum tuum judicare possit.* Ex adverso carent corde principes et subditi, qui sine ratione et consilio regunt aut reguntur, qui non animadvertunt quid eligant, quid faciant, quem finem sit res habitura, in quas difficultates et ærumnas se conjiciant; sed temere objecta voluptatis, opum aut honorum esca, eam invadunt cum jactura vitæ, status et animæ. Sic Judæis ait Jerem. c. 5. 21 : *Audi, popule stulte, qui non habes cor.* Et Sapiens Prov. 6. 32 : *Qui autem adulter est, propter inopiam cordis perdet animam suam.* Et cap. 11. 12 : *Qui despicit amicum, indigens corde est.* Et cap. 10. 13 : *Virga in dorso ejus qui indiget corde.* Sic Plautus ait de muliere : *Cui pectus sapiat; nam cor non potest :* quia nullum habet. Sic Tertul. l. 4. c. 10. contra Marcionem ait, eum nec cor, nec cerebrum habere.

Videtur ergo peccator, qui stulte et imprudenter parva præ magnis, caduca præ solidis, momentanea præ æternis ambit et amplectitur, non habere cor; quia illud ei eripuit Plutus, Venus, fastus etc. Exempla ad litteram illustria suppetunt. Narrat ex Prospero Gabriel Inchino Canon. Eccles. Lateran. serm. 1. de puritate cordis, rem miram de divite avaro; qui cum mortuus esset, hæredes apparuerunt corpus ac singula lustrantes, non invenerunt cor : quod undequaque requirentes, tandem in cumulo nummorum ejus aureorum reconditum et sepultum invenerunt : quin et dæmonem specie draconis cordi assidentem, illudque discerpentem viderunt, eumque sibi dicentem audierunt : *Hoc aurum et argentum est pretium cordis, quod mihi vendidit amicus vester, ideoque jure meum est, eoque pro arbitratu uti possum.* Simile est quod in Vita S. Antonii de Padua legimus : cum enim ipse orationem funebrem haberet in funere divitis cujusdam avari, urgeretque verba Christi : *Ubi est Thesaurus tuus, ibi est et cor tuum*, entusiasmo actus : Inspicite, ait, mortui thesaurum, videbitis quàm hoc Christi dictum sit verum : ibi cor divitis invenietis; quare illud in eo quæsiverunt, et invenerunt.

Eleganter verbisque nervosis docet S. Bern. libr. de Natura et dignitate amoris cap. 1. impios et carnales non habere cor hominis, illudque in ventrem eorum diffluxisse, et mutatum esse in brutum. Applicans enim eis illud psalm. 21 : *Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei*, subdit : *In angusta quippe corporis parte cor locatum est, ubi quasi medium superiorum sensuum arcem, et corporis inferioris sicut populi humilioris, quasi quamdam regeret et dispensaret remp. totamque circumquaque cogitatuum et actionum regionem; sed ad concupiscentiæ carnalis ignem degeneri quadam mollitie liquescens, totum diffluxit in ventrem, et in medium ventris, videlicet non sapiens nisi ea quæ ventris sunt, et de ventre in ventris inferiora omnia confundens, omnia degenerans, omnia adulterans, amoris naturalem affectum pervertens in brutum quemdam carnis appetitum; non solum quæ non licet appetentem, cum contumeliis corporis in passionibus ignominiæ, sed adeo oblitum suæ antiquæ generositatis, ut qui creatus erat Deo soli, à corruptis et corruptoribus suis æstimetur esse potius luxuriæ naturale domicilium, et vitiorum omnium prostibulum. Infelices qui tantum natura reclamante sibi viluerunt, ut animæ suæ locum, qui proprius Dei creatoris erat, et nulli creaturæ communicabilis, sedem Satanæ; sedem spurcitiarum et omnis immunditiæ constituerent.*

11. ÆGYPTUM INVOCABANT, AD ASSYRIOS ABIERUNT, q. d. Nunc Ægyptiorum, nunc Assyriorum opem invocare solent Israelitæ. Unde mox de more rursum eam invocabunt : ET CUM PROFECTI FUERINT, EXPANDAM SUPER EOS RETE MEUM.] Ut ab Assyriis reti quasi capiantur, à quibus opem sperabant, patet 4. Reg. 15. 29. et cap. 17. 24. Ita Theod. *Rete* vocat exercitum Assyriorum. Hinc secundo, q. d. Cum Hosee opem Sua regis Ægypti invocabit, *abierunt*, id est, abibunt et et captivi ducentur Israelitæ, *ad Assyrios.* Ita S. Hieron. Unde sic τὸ *abierunt* non respondet

τὸ *cum profecti fuerint expandam super eos rete.* Nam hoc sensu rete expansum erat à Deo, antequam abirent et proficiscerentur in Assyriam, quia hoc reti capti et abducti sunt.

Tropol. Ægyptios et Assyrios invocant, qui non Dei, sed hominum favorem ambiunt, iis adulantur, dant munera, ut præbendam, vel statum ad quem aspirant assequantur, sed Deus super eos expandit rete; puta fastidia, molestias, æmulationes, ignominias, morbos, mortem, etc. quibus illaqueantur, et misere vivunt, et contabescunt.

12. Quasi volucrem coeli detraham eos, q. d. Detraham Israelitas ex altissima et munitissima urbe Samariæ (hæc enim ædificata erat in monte Somer, indeque vocata est Samaria 4. Reg. 16. 24) quem dabo expugnandam et vastandam Assyriis, perinde ac aves arte aucupum, puta per immissos falcones, ex altissimis arboribus detrahuntur, capiuntur et occiduntur.

Secundum auditionem,] q. d. Sicut olim audivit et monitus est Israel à Mose Deuter. cap. 27. et cap. 28. scilicet se puniendum à Deo, si ab eo deflecteret ad deos Gentium, ita nunc ab eo punietur et cædetur. Ita Vatabl. Clarius et à Castro. Aliter alii, q. d. Sicut totus eorum cœtus auditus est inclamare et poscere opem deorum et Gentium, ita totum pariter cædam et plectam. Ita S. Hieron. Haymo, Hugo et Lyran.

13. Ego redemi eos, liberavi eos tum ex Ægypto, tum ab aliis hostibus, puta Madianitis per Gedeonem, Philisthæis per Samsonem, Ammonitis per Jephte, etc. Et ipsi locuti sunt contra me mendacium,] q. d. Ipsi tamen hanc redemptionem non mihi, sed vel idolis, vel aliis Gentibus mendaciter adscripserunt, mentiti sunt quod dii Gentium eos salvassent, non ego, ita S. Hieron. Chald. Theod. Cyril. Vatabl. et alii. Sic Hebræi educti ex Ægypto cum Moses abesset, acciperetque legem à Deo in Sina, fabricarunt sibi vitulum, puta Apin, eique acclamarunt: *Isti sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti,* Exodi 32. 8.

Ululabant,] q. d. Israelitæ ululabant præ miseriis et ærumnis, puta præ defectu tritici et vini, præ fame, siti, etc. nescientes aliud quam gemere et plorare, nec memores tunc opem meam esse implorandam. Ita Arias, Ribera et à Castro. Secundo, S. Hieron. Theophyl. Hugo et et alii, q. d. Ululabant more Gentilium bacchantium aut furentium, qui ululatu et horrendis clamoribus deorum opem exposcunt, putantes quod iis aures deorum ferient et pertundent, uti fit apud homines.

14. Super triticum et vinum ruminabant.] Non dicit, *comedebant*, sed *ruminabant*, ut eos similes bestiis ostenderet, ait S. Hieron. quæ non faciunt aliud quam comedere et ruminare, id est, cibum comestum in os regerere, rursumque mandere, itaque jugiter cibum ex ore in stomachum, et ex stomacho in os mittere et remittere, q. d. Non aliud cogitant, non aliud somniant, quam escas et ventrem, modumque ea comparandi, ob hoc plorant, ob hoc ululant, dicentes cum patribus suis: *Quis dabit nobis carnes ad vescendum? Recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto: in mentem nobis veniunt cucumeres et pepones,* Num. 11. 4. De cætero non cogitant à quo ea petere; aut si eis donentur, cui gratias agere debeant; quia *recesserunt à me.* Hinc omnia tribuunt fortunæ, aut diis suis, non meæ providentiæ. Ita Vatabl. Clarius et Arias.

Aliter S. Hier. et Chald. quasi dicant: Præ copia tritici et vini, quæ ruminant quasi bestiæ, recalcitrarunt et recesserunt à me. Verum quia ululabant præ fame, in potius inopia laborabant, quam copia. Pro *ruminabant*, hebr. est, יתגררו *iitgoraru*, quod recentiores vertunt: conveniebant, congregabant se; Sept. vero, *concidebant se*, scilicet cultris ad placandos deos, ut ab iis impetrarent triticum et vinum. Sic enim fecerunt sacerdotes Baal ad eliciendum ignem è cœlo, 3. Regum 18. 28. Ita Cyril. et Theoph. qui addit: Virilia sibi amputabant, ut sanctius diis ministrarent, ut faciebant cultores Rheæ matris. Noster optime vertit, *ruminabant*, quia hoc recte significat gulam Hebræorum, ob quam murmurare et ululare solebant; et *iitgoraru* id proprie significat. Nam גרון *garon* est guttur, inde גרר *gorer*, idem est quod gargarizo, guttur mulceo, vel proluo, uti Philoxenus teste Aristot. in Ethicis, optabat sibi guttur gruis, ut diutius cibi potusque voluptatem et delicias sentiret. Et Alciatus hoc dat emblema gulosi:

> Gurgulione gruis, tumida vir pingitur alvo,
> Qui larum, aut manibus gestet onocrotalum.

Ita Forsterus, Marinus, et passim Hebræi in Lexicis, docent quod גרה *gehra* significet populum præmansum, quod animal ex imo trahit et denuo ruminat, quasi dicas: Trahenda, seu rumen, radix enim *gor*, vel *gorer*, vel *gara*, significat trahere, attrahere, quod in bestiarum stomacho et ore est ruminare, indeque deducitur *garon*, et גרגרה *garghera*, id est guttur, gurgulio, eo quod gutture trahitur et retrahitur cibus æque ac halitus, instar serræ, quæ proinde ab eadem radice à continuo tractu et retractu hebr. dicitur מגרה *meghera*, quasi dicas, traha: gulonibus enim terra, æque ac horologium, est gula et venter.

15. Et ego erudivi eos, docui eos legem viamque salutis per Mosem. Secundo, *erudivi*, id est, reprehendi et castigavi pravos eorum mores per Prophetas: hoc enim significat Hebræum יצרתי *iitsarti.* Ita Leo Hebræus. Tertio, Arias, *Eurudivi*, inquit, id est, instar medici dedi doque eis sana consilia et remedia. Quarto, *erudivi* eos ad bellum, puta constrinxi et accinxi eos gladio, inquit Vatabl. sequitur enim: *Et confortavi brachia eorum,* ut hostes suos debellarent. Sic ait David Psal. 143. 1: *Qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum.* Erudivi ergo eos, et roboravi tot tantisque modis; et, id est at, ipsi in me cogitaverunt malitiam,] ut mihi rebellarent, ad deos Gentium sequerentur et colerent.

16. Reversi sunt, ad pristinum suum ingenium, pravamque indolem et mores, ut essent absque jugo,] ut scilicet essent filii Belial, effrænes, exleges, rebelles, qui omne legis Deique jugum, quasi vaccæ indomitæ, excutiunt. Unde Chaldæus vertit: *Aversi sunt ut deficerent à lege.* Legit interpres cum Chaldæo על *ol*, id est jugum, jam legunt על *al*, quod Rabbini, Vatabl. Pagnin. et Clarius vertunt, excelsus, altissimus, à rad. עלה *ala*, id est ascendit in altum. Vertunt ergo: *Revertuntur, at non ad Altissimum*, sed ad vitulos aureos. Videtur notare Jehu, qui cum evertisset Baal, videreturque Deum verum culturus, mox rediit ad

vomitum, iterumque cultum vitulorum, quos Jeroboam erexerat, restituit Septuag. vertunt: *Reversi sunt in vanum*, id est ad idola. Tropol. ad vanas opes et honores seculi. Alleg. Christus erudivit Judæos, sed ipsi ab eo aversi, ejus legem excusserunt, at sagittis linguæ suæ eum confixerunt clamantes: *Crucifige, crucifige eum.* Ita ex Cyrillo Leo Castrius.

Facti sunt quasi arcus dolosus.] Qui scilicet, cum suam sagittam mittere et jaculari videatur in unam partem, in quam à jaculante dirigitur, eam divertit, et in aliam partem, imo in ipsum jaculantem, eam reflectit et retorquet, vel ex se, vel quia collimat et jaculatur in materiam duram, aut validam, quæ missam sagittam resilire facit in jacientem, uti accidit militibus Eugenii tyranni, pugnantibus contra Theodosium Imp. quod miraculum ita celebrat Claudianus in ejus Penegyr.

> Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
> Obruit adversas acies, revolutaque tela
> Vertit in auctores, et turbine reppulit hastas.

Pari modo Israel et Jehu cum à me dirigeretur ad excidium Baal et idolorum, reflexus est in me meumque cultum excidit, et statuit aras vitulorum, easque suo arcu propugnavit. Proprie *arcus dolosus*, sive pravus, distortus et obliquus est, qui inter jaculandum alio mox vertitur (vel à vafro jaculatore, vel ob fabricam arcus ita compositam, vel casu, vel ob defectum arcus) quam in directum quo tenditur et respicit, sicque alium, vel etiam ipsum jaculantem nec opinantem, dimissa ferit sagitta. Unde Illyrica versio psal. 77. 57. habet: *Converterunt se in arcum inversum*, quales arcus arte fiunt, in quibus semicirculus cum sagitta in adversam partem levi ferri motu reflectitur, insciumque jaculantem configit. Ita Fenella Kemethum regem Scotorum occidit, porrigens ei pomum aureum, ita fabrefactum, ut quicumque illud tetigisset, statim multis telis è pomo prosilientibus transfigeretur, uti narrat Cardan. libro 12. de Rerum variet. cap. 56.

Arcus dolosus, ait S. Hieron. *est qui percutit dirigentem, et vulnerat dominum.* Ita Israel qui contra Gentes, earumque deos se armare debebat, adversus se suumque Deum armatus est. Seipsum enim lædit, qui Deum offendit. Unde tropologice S. Gregor. 27. Moral 27. Convertitur, ait in arcum pravum arrogans doctor, quia dum contra elationem verba facit, in seipso sagittas figit, sicut arcus perversus ipsum à quo intenditur, percutit, quod vulgo dicitur: *Cornicum oculos configere.* Addit S. Cyrill. Deus, ait, tetendit Israelem, pugnans cum tyrannide diaboli, quasi proprium arcum adversus idololatriam quæ universum mundum occupaverat; verum ipsi conversi sunt in contrarium, scilicet in Dei contumeliam et contemptum, ait Ruffinus. Alludit ad psalm. 77. 9: *Filii Ephrem intendentes et mittentes arcum, conversi sunt in die belli;* et ad arcum Jehu, quo dolose occidit Joram regem Israel, clamantem, *insidiæ Ochozia*, 4. Reg. 9. 23.

Rursum Israel est arcus dolosus, quia alio mittit sagittas fiduciæ et orationis suæ, scilicet ad idola, me relicto, ad quem eas mittere debebat, ait à Castro. Secundo, arcus dolosus est, qui videtur tensus et paratus ad jaculandum, cum sit remissus et ineptus. Unde Theod. legit ex Sept. *Facti sunt ut arcus non contentus*, sed laxatus, qui nullam perniciem hostibus infert; quamquam versionis Septuag. vera lectio sit contraria, scilicet *Facti sunt quasi arcus intensus.* Quod S. Hieron. sic tropologice de hæreticis explicat: *Quia*, inquit, *semper parati sunt ad pugnas et contentiones in perniciem audientium.* Iidem sunt arcus dolosus, ut habet nostra versio, *quia, sicut eorum hæresiarchæ Judæi, instructi de scripturis sanctis, adversus Dominum legis et Prophetarum et Evangelii verba vertunt;* depravant enim scripturas, eisque Deum earum auctorem, ipsamque ejus fidem et veritatem impugnant, quibus recte competit illud psal. 77. 57. *Conversi sunt in arcum pravum.* Ubi S. Aug. *Arcus*, inquit, *perversus non pro nomine Domini, juxta illud: Non erunt tibi dii alii præter me. Per arcum autem significat animi intentionem.*

Hinc Tropol. arcus pravus vel dolosus sunt, qui intentionem quam in Deum dirigere debebant, dirigunt ad creaturas, v. g. qui jejunia, orationes, eleemosinas, quæ dirigere debebant in Dei honorem dirigunt ad auram popularem. Ita Guadalupensis.

Rursum arcus dolosus sunt, qui per immanem ingratitudinem opibus et potentia sua abutuntur adversus illos, quorum opera fuerunt ea consecuti; uti de Eutropio et Habundantio narrat Claudianus lib. 1. in Eutrop. Ita Delrio adagio 949. Sic maledicus lingua ferit Deum, qui eam dedit ad suî laudem. Sic homicida manu quasi ferit Deum datorem, dum Dei imaginem, puta hominem, occidit. Sic omnis qui peccat, vel ingenio suo, vel facundia, vel opibus, vel aliis naturæ aut fortunæ dotibus à Deo datis, contra Deum pro dæmone pugnat.

Cadent in gladio (Assyriorum) principes eorum (Israelitarum) a furore linguæ suæ.] Quia scilicet furente et indignante insana lingua, blasphemias in me, pro suis idolis certantes evomuerunt, cum ab iis opem contra hostes peterent, me spreto. Ita S. Hieron. Haymo, Albert. Hugo et Lyran. Unde Chald. vertit: *Propter pravitatem linguæ eorum* Septuag. *propter imperitiam* (id est stoliditatem) *linguæ eorum*, qua dicunt ligno: Deus meus es tu, et lapidi: Tu me genuisti, ait Cyrill. Aliter Vatablus et et Arias: furorem enim Dei accipiunt, q. d. Cadent, quia maledica sua lingua concitarunt furorem Dei, qui eos disperdet.

Ista est subsannatio eorum in terra Ægypti,] q. d. Hic est mos olitanus, hæc avita indoles eorum; sic enim me deriserunt et subsannarunt olim habitantes in Ægypto, colentesque Apin. Unde Chald. vertit: *Ista sunt opera eorum, dum essent in terra Ægypti.* Ita S. Hier. Theoph. Albert. et Hugo. Aliter Clarius et Vatabl. *Subsannationem* enim passive capiunt, q. d. Ridebuntur ab Ægyptiis, cum ab eis opem poscent; dicent enim: Ite ad Dominum Deum vestrum, ite ad vestros Assyrios, illi vos juvent. Aut, ut Lyran. ridebuntur ab ipso Deo, juxta illud psal. 2. 4: *Qui habitat in cœlis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos.*

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Minatur Deus Israeli excidium, quod Jeroboam posterosque ejus, se inconsulto, crearit reges, cum eisque vitulos aureos coluerit. Unde ait : Ventum seminabunt et turbinem metent. Secundo, taxat quod amicitiam Assyriorum ambierit, et dato tributo emerit; ideoque ab illis ipsis exscindendum prædicit, excisis pariter urbibus et delubris, quæ magnifice ædificaverat tam Judas quam Israel. Nota : Israelem, ejusque opera et idola comparat Primo, v. 6. aranearum telis; Secundo, v. 7. vento et turbini, ac culmo evanido; Tertio, v. 8. vasi immundo, id est matulæ; Quarto, v. 9. onagro.

1. In gutture tuo sit tuba quasi aquila super domum Domini : pro eo quod trans-
gressi sunt fœdus meum, et legem meam prævaricati sunt. 2. Me invoca-
bunt : Deus meus cognovimus te Israel. 3. Projecit Israel bonum, inimicus
persequetur eum. 4. Ipsi regnaverunt, et non ex me : principes exstiterunt,
et non cognovi : argentum suum et aurum suum fecerunt sibi idola, ut
interirent. 5. Projectus est vitulus tuus Samaria, iratus est furor meus in
eos. Usquequo non poterunt emundari ? 6. Quia ex Israel et ipse est :
artifex fecit illum, et non est Deus : quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ.
7. Quia ventum seminabunt, et turbinem metent : culmus stans non est in eo, germen non
faciet farinam; quod et si fecerit, alieni comedent eam. 8. Devoratus est Israel : nunc factus
est in nationibus quasi vas immundum. 9. Quia ipsi ascenderunt ad Assur, onager solitarius
sibi Ephraim munera dederunt amatoribus. 10. Sed et cum mercede conduxerint nationes, nunc
congregabo eos : et quiescent paulisper ab onere regis et principum. 11. Quia multiplicavit
Ephraim altaria ad peccandum : factæ sunt ei aræ in delictum. 12. Scribam ei multiplices leges
meas, quæ velut alienæ computatæ sunt. 13. Hostias offerent, immolabunt carnes, et come-
dent, et Dominus non suscipiet eas : nunc recordabitur iniquitatis eorum, et visitabit peccata
eorum : ipsi in Ægyptum convertentur. 14. Et oblitus est Israel factoris sui, et ædificavit delu-
bra : et Judas multiplicavit urbes munitas : et mittam ignem in civitates ejus, et devorabit ædes
illius.

1. In gutture tuo,] q. d. Admove tubam ori tuo, aut potius maxima voce et clamore tubali, ac si tubam haberes in gutture, proclama et expectora id quod sequitur, scilicet : Veniet hostis *quasi aquila super domum Domini.* Sic Isaiæ c. 58. 1. ait jubetque Deus : *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* Septuag. vertunt, *in sinu eorum quasi terra.* Cur ita verterint nescire se fatetur S. Hieron. nec enim quid tale est in hebræo, Suspicor pro שפר *scophar*, id est tuba, eos legisse עפר *aphar*, id est pulvis terræ ; et pro חכך *chickecha*, id est, in gutture tuo legisse חוקך *chekecha*, id est in sinu tuo. Theod. refert istud ad finem capitis præcedentis, hoc sensu : *Subsannatio ista recidet in sinum eorum; fiunt enim quasi terra invia; nam* hostis veniet *quasi aquila.* Porro Theodor. miscens versionem Theodotionis versioni Septuag. legit, *quasi terra in via sicut tuba ;* Syrus vertit : *Tonitruum tuum velut tuba sit;et quasi aquila super domum Domini;* Arabicus : *Et erat in foraminibus eorum quasi terra, et quasi aquilæ in domo Domini.*

Quasi aquila super domum Domini.] Subaudi veniet, advolabit, insiliet hostis. Hunc enim comparat aquilæ, quæ in sublime elata, ex improviso instar tormenti involat in prædam, puta in agnos, capras, lepores. Per *aquilam* multi intelligunt Nabuchodonosor : hic enim domum Domini, id est templum, vastavit et incendit, idemque ab Ezechiele c. 17. 3. Jeremia c. 48. 40. et Habacuc c. 1. 8. comparatur aquilæ. Ita S. Cyrill. Theodor. Hieron. Theoph. Albert. Hugo, Lyran. Vatabl. et Ribera. Verum Nabuchodonosor evertit regnum Juda, non Israel, de quo continue hic agitur.

Secundo, Arias accipit Sennacherib, qui post excisos Israelitas invasit Jerusalem et templum.

Alii accipiunt Salmanasar, qui evertit *domum Domini*, id est Israel, qui erat populus quem inhabitabat Dominus.

Tertio, à Castro hic explicat, q. d. Veniet Salmanasar tantis copiis et animis, ut videatur non tantum Samariam, sed et Jerusalem templumque excisurus : unde ex Hebræo vertas : *Quasi aquila usque ad domum Domini*, puta usque ad Judam et templum veniet, sed Deo adhuc parcente Judæis et templo, eumque ab illis avertente, Judam et templum reipsa non invadet. Denique aliqui per *domum Domini* accipiunt fanum vitulorum : hoc enim idololatræ vocabant domum, id est templum, Domini.

Quarto et melius, jungendo primam expositionem cum secunda, per aquilam intelligas hostem in genere, tam Chaldæum, quam Assyrium, puta Nabuchodonosorem, qui Judam et templum, ac Salmanasar, qui Israelem evertit. Loquitur enim Propheta brevis confuse et concise, miscetque subinde Judam cum Israele, et utrique hostes excidiumque intentat : esto crebrius vaticinetur Israeli, uti hic mox ad eum resilit. Israelis enim excidium fuit prævium, vicinum et affine, ac quasi præludium excidii Judæ : eo quod tam Judæ, quàm Israelitæ transgressi sint fœdus legemque Dei, ut sequitur.

Porro *domus Domini* hìc vocatur templum, quod ex sui origine, Deique institutione commune erat Judæ et Israeli; hinc symbolice tam Israel, quàm Juda, erat domus Domini : quia in utroque populo à se electo per sui cultum et templum habitabat Deus. Sic Jerem. 12. 7. dicitur: *Reliqui domum meam; dimisi hæreditatem meam*, id est, reliqui Judæam. Et c. 11. 15 : *Quid est quod dilectus meus in domo mea* (in terra sancta) *fecit scelera multa?* Sic passim apud Prophetas, populus Dei vocatur domus Jacob, domus Israel, domus Juda. Sensus ergo est, q. d. Veniet hostis Assyrius et Chaldæus cum magno impetu, feritate et velocitate advolans quasi aquila ad prædam, ut domum Domini, id est terram sanctam, tam duarum, quam decem tribuum diripiat, imò ipsum Dei templum succendat. Cur Chaldæi comparentur aquilæ, dixi Ezech. 17. 3.

Quinto et optime, totus hic versus sic connecti (ut in Bibliis passim sine dispunctione media connectitur) explicarique potest : *In gutture tuo sit tuba quasi aquila* : supple, clange et exalta vocem tuam *super domum Domini*. Clangor enim proprie aquilarum vox esse dicitur. Unde auctor Philomelæ :

Dum clangunt aquilæ, vultur pulpare probatur.

Et Homer. Iliad μ. *Ipsa vero* (aquila) *clangens volabat flatibus venti*. Quidam aquilæ vocem vocarunt, reboatum, propter strepitum gravem avibus alterius speciei, maxime nocentibus, tam inimicum adeoque terribilem, ut earum feratur tardare motum et obtundere, qualis sane regiam avem decebat : quin et draco ipse clangorem aquilæ audiens, terrore perculsus intra latebras suas mox se abscondere dicitur. Verum hoc verum est tantum in degeneri aquila, quam vulturinam, vel subaquilam vocant. Nam vera aquila tantum abest ut vocem aliquam edat, aut canat, ut mutam pene physici tradant, aut vix vocalem, idque ex animi magnitudine, qua fame et siti superior, animæ affectus et cupiditates regere et moderari novit : voces enim hujusmodi plerumque intemperantis impotentisque animi affectus, puta inopiam, aut cupiditatem, aut timorem, aut lætitiam indicant. Ita ex Plinio et Æliano Aldrovandus in Aquila pag. 33. Quin et Aristot. libr. 9. Hist. anim. cap. 32. melanaetum, sive pullam aquilam, quam liberalem vocat, invidiæque expertem, ideo non clangere nec murmurare autumat, quia modesta minimeque petulans, affectus moderari ac cohibere melius possit quàm cæteræ. Hic sensus planus et appositus videtur. Jubetur enim Propheta tuba clangere instar aquilæ, ut repræsentet clangorem turbarum Chaldæorum et Assyriorum, qui quasi aquilæ feroces involabunt in Samariam, Judæam et templum. Unde huc videtur alludere Joan. Apocal. 8. 13 : *Et vidi, et audivi vocem unius aquilæ volantis per medium cælum, dicentis voce magna : Væ, væ, væ habitantibus in terra.* Hæc enim aquila erit Propheta, prædicens orbi calamitates imminentes sub tempora Antichristi, uti Osee hìc prædicit clades Israeli instantes, vide dicta Apoc. 8. Porro in Scriptura non raro aquila vocatur subaquila, ut Matth. 24. 28 : *Ubicumque fuerit corpus* (cadaver) *illic congregabuntur et aquilæ*, scilicet vulturinæ, sive subaquilæ ; vera enim aquila, quia generosa, non cadaver quærit, sed prædam vivam : nec comedit nisi quod ipsa necaverit, teste Aristot. Plinio, aliisque Physicis. Allegor. Leo Castrius : Aquila, ait, significat Titi et Romanorum exercitum ac vexilla; in his enim præferebant aquilas, q. d. Romani vastabunt Jerusalem et templum, in eoque sua vexilla, puta aquilas, collocabunt, ob cæsum à Judæis Christum.

2. Me invocabunt, cum sibi exitium imminere sentient, dicentque : Deus meus cognovimus te Israel,] q. d. Nos qui sumus Israel, id est Israelis, puta Jacobi Patriarchæ filii et hæredes, invocamus opem tuam ; quia cognovimus et coluimus te, ô Deus noster ; tu enim nobis tui cognitionem et cultum per Mosem et patres nostros indidisti. Vere Lactantius lib. 1. cap. 1 : *Nullus*, ait, *suavior est animæ cibus, quam cognitio veritatis*, præsertim primæ increatæ. Dicit *meus* in singulari pro noster ; quia respicit nomen *Israel*, quod pariter est singulare quoad vocem, sed plurale quoad significatum : significat enim totum populum. Unde ait, *Invocabunt* in plurali. Hìc à toto cœtu Hebræorum, tam duarum, quàm decem tribuum, descendit ac salit Osee ad unam ejus partem, puta ad Israel, id est decem tribus ; contra has enim maxime prophetat, eo quod ipsæ idololatriæ et schismatis fecerint initium eo ipso tempore, quo vivebat et hæc prædicabat Osee ; cum duæ tribus post mortem Osee, sub Achaz et Manasse regibus ad idola deflexerint. Ita S. Hieron. Cyrill. Theodor. Haymo, Hugo, Ribera et alii. Chald. vertit : *Omni tempore in quo adduco super eos angustiam erant coram me dicentes : Nunc certo cognoscimus quod non sit nobis Deus præter te : redime nos, quia sumus populus tuus Israel.* Sed frustra clamabunt, meque invocabunt; causam subdit, dicens :

3. Projecit enim Israel bonum.] Deum scilicet, ejusque fidem et religionem. Deus enim est omne bonum, tam suum, quàm nostrum ; ut ei singuli merito dicere debeamus cum S. Francisco : *Deus meus, amor meus, et omnia.* Secundo,

projecit Israel bonum virtutis et pietatis, æque ac divinitatis meæ. Idcirco ego pariter à me abjiciam et projiciam eum, quo facto *inimicus persequetur eum.* Causam primam et fontem mali subdit, dicens :

4. IPSI REGNAVERUNT, ET NON EX ME.] Primo, taxatur hîc populus, quod inconsulto Deo reges sibi crearit proprios, eosque schismaticos; unde et statim cum eis à Deo ad idola vitulorum defecit, tamque schisma à fide, quàm à domo Davidis fecit, 3. Reg. 12. Ita S. Hieron. Theophil. Theodor. Ubi nota : Pro *regnaverunt*, hebr. et chald. est המליכו *himlichu*, id est regnare fecerunt, reges sibi constituerunt. Quocirca Origen. hom. 4. in lib. Judic. et Cyprian. epist. 55. legunt : *Sibimet regem constituerunt, et non per me ; principem, et non per consilium meum ;* clarius Chald. : *Regem sibi crearunt, et non ex sententia mea ; constituerunt sibi principes, sed non ex voluntate mea.* Porro Origenes et S. Hieron. putant hîc notari Saulem, cum populus à Samuele regem peteret. Tunc enim Deus dixit Samueli : *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Verum hoc factum jam exoletum erat, et emendatum per Davidem, quem Deus ipse Sauli substitui, regemque à Samuele ungi jussit : nec Saul fuit causa schismatis et idololatriæ, sed tam Judam, quàm Israelem, in unius Dei cultu continuit.

Melius ergo idem S. Hieron. Cyrill. Theodor. Haymo, Lyran. Hugo, Ribera, cum Rabbinis, censent hîc notari Jeroboam ; hic enim ab Israele creatus fuit rex, fecitque schisma tam à Roboam et stirpe Davidis, quàm Deo, ejusque cultu et templo, erigendo vitulos aureos in Dan et Bethel.

Dices : Jeroboam à Deo per Ahiam Silonitem Prophetam designatus fuit rex. Scisso enim pallio in duodecim partes, dixit ei Ahias : *Tolle tibi decem scissuras. Hæc enim dicit Dominus : Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem Tribus.* Quocirca Abulens. in 3. Reg. 12. quæst. 8 et 9. censet decem Tribus licite fecisse schisma à Roboam, et elegisse Jeroboam in regem. Ratio ejus est : Quia, inquit, ipsæ Tribus liberæ erant populusque liber ; Roboam autem volebat eas in servitutem redigere, easque regere ut tyrannus, non ut rex : poterant ergo ab eo recedere, et novum regem sibi creare. Populus enim vel respubl. principibus et regibus dedit imperium in se, puta potestatem et jus regendi populum, sed certis justisque conditionibus ; unde et potest illud iisdem auferre, vel imminuere, si ipsi eo abutantur et tyranni evadant. Non enim populus absolute se dedit regi, uti quis dat aurum vel equum amico, ita ut omne suum jus in eum transferat, nec unquam illud revocare possit ; sed certis pactis intervenientibus, inter quæ primum est, ut juste ab eo regatur, utque contra hostes ab eo defendatur ; quod si id negligat aut violet rex, potest populus revocare potestatem quam illi dedit, eumque regno deponere. Ita Abulensis.

Pro responsione nota : Duplex de Jeroboam est sententia, utraque probabilis. Prior asserit eum creatum esse regem tam à Deo, quàm à populo; posterior censet eum creatum à solo populo, non à Deo.

In primis ergo Pineda, lib. 2. de Rebus Salomonis cap. 2, ita respondet : Jeroboam, inquit, accepit à Deo jus regni super decem Tribus ministerio Ahiæ Prophetæ, dicentis 3. Reg. 11. 37 : *Te autem assumam, et regnabis super omnia quæ desiderat anima tua, erisque rex super Israel.* Sed postea suffragiis populi non tam cepit jus regni, quàm possessionem, 3. Reg. 12. 20 : *Cum audisset Israel quod reversus esset Jeroboam, miserunt et vocaverunt eum congregato cœtu ; et constituerunt eum regem super omnem Israel.* Quod non tam pertinet ad jus regni, quàm ad solemnitatem quamdam inaugurandi regis, atque regii muneris exercendi. Qua ratione Origen. Cyprian. Theoph. et Theod. docent accipiendum hoc Osee 8. 4 : *Ipsi regnaverunt, et non ex me*, id est me inconsulto, suo tantum libito et cupiditatis temeritate regem constituerunt Jeroboam. Queritur enim Deus non de ipso Jeroboam, cui divinitus jus regni collatum fuerat; sed de decem Tribubus, quæ ira potius et animi impatientia, quàm idonea aliqua ratione ductæ à domo David defecerant, et alteri se regi regendas permiserant. Unde in Hebr. pro *regnaverunt*, est המלכו *himlichu*, id est regnare fecerunt, regem crearunt. Ita ipse.

Alii ex adverso, et forte probabilius, censent Jeroboam non à Deo, sed à populo creatum esse regem, idque Deum tantum prædixisse, 3. Reg. 12. 37; nam illa verba : *Regnabis erisque rex*, prædictio sunt tantum et promissio regni, non vero ejus donatio, regisque creatio : regni, inquam, dandi à populo per ejus schisma et defectionem à Roboam, quod tamen permittere et non impedire intendit Deus, quia per illud punire volebat idololatriam Salomonis, ut ipse eidem prædixerat 3. Reg. 11. 11. Quod ergo ait : *Te autem assumam*, idem est quod, te autem assumi faciam, ita animos populi resque omnes disponam, meaque providentia dirigam, ut assumaris in regem tu, non alius. Idipsum, non aliud, nec amplius significat Deus, dum ait 3. Reg. 12. 24 : *A me factum est verbum hoc*, puta schisma Israelis, quo novum regem sibi creavit. Huic sententiæ plane favet nostra versio hîc, quæ habet : *Ipsi* (scilicet Jeroboam, et posteri ejus reges Israel) *regnaverunt, et non ex me.* Hebræum enim *himlichu*, tam significat regnarunt, quàm regnare fecerunt : sæpe enim sumitur in significatione *kal*, esto sit *hiphil.* Favet et historia lib. 3. Regum ; nam cum c. 11. Dominus tantum prædixerit et promiserit Jeroboam regnum dandum per populum, nusquam autem de facto ipsum unxerit aut crearit regem, sed cap. 23. solus populus faciens schisma à Roboam per se inconsulto Deo eum regem constituerit ; plane videtur à solo populo, non à Deo, ipse creatus fuisse rex. Populus autem creando eum regem peccavit ; quia temere, sine consilio et consensu Dei id fecit. Debebat enim in re tam gravi ex prisco more consulere Deum per Pontificem, vel per Prophetam. Deus enim instituerat regnum Hebræorum per Samuelem, volueratque unum esse, non duo : Hebræi enim erant populus et regnum Dei : ac proinde regnum hoc non tantum humanum erat, uti est aliarum gentium, sed et spirituale et divinum. Peccarunt ergo Israelitæ qui inconsulto Deo hoc regnum immutarunt, et mere humanum effecerunt, ac diviserunt, novumque regem sibi crearunt. Sic peccaret populus et clerus, si Pontificem, etiam tyrannice regentem, deponeret : Pontifex enim à Deo auctoritatem accipit et potestatem, non ab Ecclesia, ideoque à solo Deo deponi potest. Jeroboam quoque pec-

cavit: quia licet sciret à Deo prædictum et promissum sibi regnum, tamen illud iniit sine Deo, neque unctus fuit à Pontifice, aut Propheta, sed solius populi tumultuantis vocibus et acclamationibus creatus, illud acceptavit et usurpavit. Secus est de Jehu, qui schismate jam facto, et regno Israelis jam instituto, à Deo creatus et unctus est rex per Prophetam, 4. Reg. 9. 6. Quid ergo Deus per Ahiam dicit Jeroboam, 3. Reg. 11. 31: *Scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem Tribus*, intellige non active per me, sed objective et permissive per Israelem, puta per populum. Objiciam enim ejus oculis et animis imprudens et tyrannicum responsum et regimen Roboam, quo fiet ut ipse ab eo aversus convertat se ad Jeroboam, eumque creet: quod ego permittam, ut puniam peccata tam Salomonis, quàm Roboam. Sicut ergo Christus ait, ob hominum malitiam et infirmitatem necesse esse ut fiant scandala, væ tamen homini illi per quem scandalum venit! ita posita duritie Roboam, et aversione populi ab eo, necessum quasi erat alium, puta Jeroboam, à populo regem creari: væ tamen illi, qui hujus creationis fuit causa et scandalum! Deo enim irato, ideoque invito ea facta est; unde Israelitæ non leguntur Deum consuluisse, nec ex ejus oraculo aut directione, sed motu proprio et temerario regem sibi subito creasse. Ita S. Hieron. Theodor. Cyrill. Vatabl. Ribera, à Castro et alii. Prædixit ergo Deus Ahiæ et Jeroboam, eum regem futurum per tumultum populi, non vero ipse per se eum regem constituit. Taxat itaque Deus hìc primo populum, quod sine suo nutu regnum Davidis unum à se constitutum, in duo diviserit, quodque ab eo fecerit schisma, ac novum sceptrum et regnum sibi erexerit, creando sibi regem Jeroboam; præsertim quia per hoc schisma prævidebat eum inducturum schisma in fide, et idololatriam. Itaque peccavit populus contra jus non humanum, sed divinum, ac consequenter contra religionem, non contra justitiam. Jure ergo queritur Deus, quod reges in Israel non regnarunt ex se, uti regnarunt reges Juda; quia ipse non instituit regnum Israel, uti instituit regnum regesque Juda.

Secundo, taxat ipsos reges Israel, quod non ex Deo, sed ex se regnarint: quia scilicet aliqui ex eis tyrannice regnum invaserunt, ut Zamri, Amri, Sellum, Manahem, Phaceia, Phacee et Hosee, sub quibus hæc prophetavit Osee, 4. Reg. 15. et sequent. Alii vero, ut Jeroboam, Jehu, etc. licet à Deo viderentur designati vel electi, tamen non tam ex divina auctoritate et voluntate, quàm ex propria cupiditate et regnandi libidine regnum iniverint: unde et statim ad idola defecerunt, ut sequitur. Quocirca Septuag. vertunt: *Ex semetipsis regnaverunt, et non ex me, principes exstiterunt, et non indicaverunt mihi.* Denique regnarunt, id est, regnum administrarunt, non ex me, id est, non juxta meam legem et voluntatem, sed juxta suam tyrannidem et impietatem, præsertim quia per leges et edicta sua sanxerunt idololatriam. Ita Sanchez.

Tropolog. hæc facile est adaptare tyrannis, qui regnum vel invadunt, vel legitime adeptum tyrannice administrant, præsertim qui hæresim, schisma, sacrilegia in regnum invehunt; rursum iis qui ex ambitione potius, quàm virtute imperium regimenque ambiunt, et capessunt principatum vel prælaturam, contra quos ait S. Gregor. 1. p. Pastor. cap. 1: *Dominus per Prophetam queritur dicens: Ipsi regnaverunt, et non ex me principes exstiterunt, et ego ignoravi. Ex se namque, et non ex arbitrio summi rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaquam divinitus vocati, sed sua cupidine accensi, culmen regiminis recipiunt potius, quàm assequuntur. Quos tamen internus judex et provehit, et non cognoscit; quia quos permittendo tolerat, profecto per judicium reprobationis ignorat.* Et S. Bernard. de Convers. ad cleric. cap. 27. taxans clericos ambientes prælaturas: *Tollitis*, inquit, *et non accipitis claves. De quibus Dominus queritur per Prophetam: Ipsi regnaverunt, et non ex me; principes exstiterunt, et ego non vocavi eos. Unde tantus prælationis ardor, unde ambitionis impudentia tanta, unde vesania tanta præsumptionis humanæ? Audeatne aliquis vestrûm terreni cujuslibet reguli, non præcipiente, aut etiam prohibente eo, occupare ministeria, præripere beneficia, negotia dispensare? Nec tu Deum putes, quæ in magna domo sua à vasis iræ aptis in interitum sustinet, approbare. Multi quidem veniunt, sed considera quis vocetur.*

Aptius hæc adaptat S. Cyprianus Fortunato et Felicissimo, aliisque schismaticis, qui cathedram Pontificiam S. Cornelii legitimi Papæ convellere et invadere moliebantur. Unde scribens ad Cornelium, epist. 3. lib. 1, habet hanc auream sententiam: *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus judex vice Christi cogitatur; cui si secundum magisteria divina* (notent hoc hæretici) *obtemperaret fraternitas universa; nemo adversum sacerdotum collegium quidquam moveret: nemo post divinum judicium, post populi suffragium, post Coepiscoporum consensum, judicem se jam non Episcopi, sed Dei faceret; nemo dissidio unitatis Christi Ecclesiam scinderet, nemo sibi placens ac tumens seorsim foris novam hæresin conderet.* Et inferius: *Plane Episcopi* (schismatici) *non de voluntate Dei fiunt; sed qui extra Ecclesiam fiunt, sed qui contra dispositionem et traditionem Evangelii fiunt, sicut ipse Dominus in duodecim Prophetis ponit et dicit: Sibimet regem constituerunt, et non per me.*

Viderunt idipsum per umbram Gentiles, qui reges et principes legitimos à Deo dari crearique asserunt. Ita Callimachus: *Ex Jove sunt reges.* Et Homerus passim reges vocat διογενεῖς, Jove genitos, et διοτρεφέες, quasi Jovis alumnos. Romulus quoque primus Romanorum rex hanc legem sanxit: *Ut nemo regnum magistratumque iniret, nisi auctor fieret Deus ipse,* uti refert Pompon. Lætus de Magistr. Rom. Titus Imp. teste Suetonio in ejus Vita, cap. 9, duos patricios in necem suam conjurantes non occidit, sed monuit ut desisterent; *principatum fato dari*, inquiens, *frustraque tentari facinus potiundi spe, vel amittendi metu.* Plinius in Panegyr. Trajani: *Principem*, ait, *dat Deus, qui erga genus humanum vice sua fungitur.*

NON COGNOVI] practice, id est, non approbavi principes Israelis. Ita S. Hieron. Vatabl. et alii paulo ante citati. Sic dicet Christus reprobis: *Nescio vos*, id est adversor vos, Matth. 25. 12. Similes phrases plures recenset S. Gregor. lib. 2. Moral. 4.

ARGENTUM SUUM ET AURUM SUUM FECERUNT SIBI

IDOLA, q. d. Ex auro et argento suo conflaverunt sibi idola, UT INTERIRENT,] id est, ad interitum eorum; vel, unde interibunt. Τὸ enim *ut* eventum et effectum significat, non causam. Hebræa habent in singulari, *ut exscinderetur*, id est ut interiret, scilicet argentum et aurum eorum, cum ab hoste Assyrio vel rapietur, vel incendio consumetur. Quare minus recte hoc aliqui ad homines referunt eo sensu, q. d. Totam copiam auri et argenti contulerunt in fabricam idolorum; ita ut multum de suis opibus detraxerint. Hebr. enim כרת *carat* significat exscindere, succidere, perdere; et ad hostes pertinet. Unde sequitur: *Projectus est vitulus tuus*, quem ex auro tuo fabricasti.

Moral. proprie avari aurum et argentum faciunt suum idolum; quia illud præ rebus omnibus adamant, quærunt, tuentur, Deoque sæpe præferunt: unde avaritia ab Apostolo vocatur *idolorum servitus*, Ephes. 5. 5. Vide ibi dicta.

5. PROJECTUS EST VITULUS TUUS, SAMARIA.] Heb. *projecit* (scilicet Deus) *vitulum tuum*, *ô Samaria!* quia fecit ut tecum caperetur ab Assyriis. Septuag. legentes aliis punctis זנח *zenach*, in imperativo, vertunt: *Projice vitulum tuum*, *ô Samaria!* R. David et Arias vertunt: *Elongabit se à te*, vel, *projiciet te vitulus tuus*, puta Apis quem colis, quem amas, et in quo omnem spem tuam reponis. Hebræi enim carent casibus; unde עגל *eghel* tam est *vitulus* in nominativo, quàm *vitulum* in accusativo. Porro præterita accipe pro futuris: *projectus est*, id est projicietur: *projecit*, id est projiciet. Est enim prophetia.

USQUEQUO NON POTERUNT EMUNDARI?] q. d. Quamdiu durabit ista obstinata voluntas vitulos et idola colendi? utique usque ad excidium et captivitatem Assyriacam. *Quæ tanta insania*, ait S. Hieron. *me dante locum pœnitentiæ*, *illos ad sanitatem nolle reverti?* Chaldæus nectit hæc præcedentibus, itaque vertit: *Exarsit furor meus in eos*, *quamdiu non potuerunt* (quia obstinate noluerunt) *se purgare* ab idololatria. Hebr. est, *usque quando non poterunt innocentiam*, supple comparare sibi Israelitæ, id est, quamdiu impuris et immundis animis erunt propter idololatriam? Ita Vatablus.

6. QUIA EX ISRAEL ET IPSE EST,] q. d. Israelis opus et figmentum est hoc idolum vituli, puta Apis Ægyptii, uti et alia idola aliarum gentium stulta figmenta sunt. Patet ex seqq. Hunc enim vitulum primo finxerunt Ægyptii: inde Hebræi exeuntes ex Ægypto eumdem formarunt in deserto, Exodi 32. 4. Hos imitatus Jeroboam eumdem conflavit, cum fecit schisma à Roboam et Juda. Sensus est, q. d. Apis non est Deus, non est numen, nil ex se habet divinitatis aut potentiæ: sed Deus effectus et formatus est à stultis Ægyptiis et Israelitis.

QUONIAM IN ARANEARUM TELAS ERIT VITULUS.] Probat Apin non esse Deum, quia ab Assyriis disperdetur, q. d. Licet aureus hic vitulus quasi Deus jam magni fiat ab Israelitis, tamen brevi ab hostibus exterminabitur, et difflabitur ut tela araneæ, sive ut fila in autumno per aerem volantia, quæ per ventum in atomos et in auram dissolvuntur et abeunt. Vult dicere: Idolum est opus inutile, evanidum, ac proinde se suosque cultores adjuvare impotens planeque infirmum et invalidum.

Pro *telas aranearum* hebr. est שבבים *scebabim*, quod R. David, Arias et Vatablus vertunt, *scissilia*, *fragmenta*, *frusta*; Chald. *asseres*; Symmach. *instabile;* V. editio, *vagus et fluctuans;* Septuag. πλανῶν, id est, *seducens* vel *decipiens*, q. d. Assyrii confringent et captivum abducent Apin, qui Israelitas seducit. R. David, R. Abraham, et ex eis Pineda in Job 18. 5. vertunt, *scintillas*, q. d. Samaritæ fecerunt vitulum æreum, splendentem et scintillantem; sed scintillæ splendoris in suos cultores desævient, velut scintillæ ignis. Insuper ipsi velut levissimæ scintillæ statim peribunt et exstinguentur. Moral. peccator per usuras, fraudes, etc. parans sibi opes, præbendas, dignitates magnis laboribus et molestiis, quid nisi telas aranearum texit? quæ mox vento casuum humanorum, ac præsertim mortis, difflabuntur et evanescent; nec eum in Dei judicio tegere aut vestire poterunt; imo quæ quasi scintillæ ignem gehennæ illi succendent, vide dicta Isaiæ c. 59. 6.

7. VENTUM SEMINABUNT, ET TURBINEM METENT, q. d. Frustra laborarunt colendo Apin; nullum enim ex eo fructum capient, nisi turbinem excidii et captivitatis. Nota pulchram metaphoram, ab agricola seminante et metente mutuatam, quæ crebra est in Script. nam seminare significat operari; metere, mercedem operis recipere; ventus, opus inane, sterile, futile; turbo, calamitatem, scilicet captivitatem. Ita Mariana et alii. Rursum, alluditur ad ventum, qui quasi semen intra terram ex exhalationibus conceptus et genitus, cum in lucem et aerem eruperit, ciet pulverem, turbinemque infestum excitat. Significat ergo hoc adagium, laborem idololatrarum et impiorum in colendis suis idolis non tantum esse frustraneum, sed et noxium. Quid enim fructus speret qui ventum seminat, nisi terræ motum et pulveris nubem? horum enim causa est ventus in terra conclusus. Unde Arabicus Alexand. vertit: *Seminaverunt ventum*, *et in perditione auferentur; non implebitur manipulus de hordeo;* Arabicus Antioch. vero: *Seminaverunt planities majores eorum*, *ut pasceretur* (vitulus Samariæ, de quo præcessit) *eas; non fuit autem illis arundo*, *neque virtus ad faciendum.*

Notat Anton. Fernand. in vision. 13. sect. 1. quod turbo pulverem dissipans apposite quadret in tribulationes quibus homo jactatur, homo, inquam, qui est pulvis et cinis à primæva illa maledictione peccati. Unde est illud Psalm. 1. 4: *Non sic impii*, *non sic*, *sed tanquam pulvis quem projicit ventus à facie terræ.* Ubi S. Hilar. *Ut sit*, inquit, *pœna ludibriosa; levissimus quippe terræ pulvis*, *paleæ*, *et hujusmodi aliæ quisquiliæ nihil aliud sunt quàm rapidis ludibria ventis.* Et quid est homo post peccatum, nisi merum ludibrium tentationum et calamitatum undique ingruentium, eumque huc illucque raptantium? Hoc est quod ait Isaias cap. 21. 1, excidium Babyloni miserrimum denuntians: *Onus deserti maris; sicut turbines venient de terra horribili.*

Quærit S. Gregor. in illud Job 38. 1: *Respondens autem Dominus Job de turbine dixit*, cur Deus de turbine sit locutus? ac respondet, quia flagellato loquebatur; durabat nempe illa adhuc tempestas malorum, qua Deus flagellabat Job: idcirco non alius flagellanti è quo loqueretur conveniebat thronus, quàm turbo.

Tropol. ventum seminant, et turbinem me-

tunt, qui bonum operantur ut inanem gloriam, vel quæstum sordidum aucupentur: hæc enim ut turbo, mille curarum, sollicitudinum et dolorum flatibus æstibusque eos exagitat. Ita Cyrill. Sic fere et Theoph. quem audi: *Seminans in carne, et ex carne corruptionem metens, ventis corrumpenda, levia et vacua seminat, à spiritu, seu flamine nequitiæ noxam hanc recipiens. Nec jam robore præstat, ut faciat opus animam alens. Nec enim dicere cum D. Paulo potest: Omnia possum in eo qui me confortat, Christo. Si unquam quidquam operetur boni, non juxta divinum hoc scopum faciens, sed ad humanam quamdam gloriam, vel aliam rationem non commendabilem, dæmonibus istud impertit.* Ubi nota Theoph. de more sequi versionem Septuaginta. Septuag. enim sic vertunt: *Corrupta vento seminaverunt, et subversio eorum suscipiet ea*, quod tropologice de hæreticis explicans S. Hieron. *Isti*, inquit, *ventum seminant sive ἀνεμόφθορα, quæ à vento corrupta sunt semina, quæ medullam non habent, quam Græci ἐντεριώνην vocant; et idcirco vacua seminantes, inania vacuaque recipiunt; imo seminantes in carne, de carne metunt corruptionem, et circumferuntur omni vento doctrinæ.* Ita sementi seges respondet.

CULMUS STANS NON EST IN EO, GERMEN NON FACIET FARINAM.] Ex Septuag. S. Cyrill. legit et explicat, q. d. *Similes erunt manipulo spicarum carentium granis, quæ inutiles sunt ad conficiendum panem.* Adagium est simile priori, imo prioris pars et explicatio, q. d. Idololatræ ventum seminant, et turbinem metent; quia ex semine eorum non nascetur culmus et germen, quod crescat et maturescat in grana et segetem, ut ex ea fiat farina et panis edulis; sed totus culmus in germen et inanem spicam abibit, q. d. Omne opus eorum, puta cultus, idolorum, nullum eis afferet fructum, nil opis divinæ, nil consolationis, nil boni pariet; ac nominatim culmum, et germen faciens farinam, id est, messem et segetem, rerumque copiam et opes, quas ab hisce suis diis sperant, eis non dabit. Unde Chald. vertit: *Omnes eorum opes et segetes deprædabitur hostis*, vel disperdet Deus, ut fiant extreme pauperes. Est synecdoche: ex culmo enim et germine segetem, omnesque opes intelligendas relinquit. Ita S. Hieron. et Ruffinus quem audi: *Apud te*, inquit, *nihil fertilitatis firmitatisque remanebit, ut solet in culmo, cujus proceritas per aliquam aeris injuriam, spicæ plenitudinem non creaverit. Ita igitur et tu nihil emolumenti consequeris, nec ulla culturæ respondebit industria.*

Loquitur, ut dixi, de idolis et idololatris: à pari tamen et simili hoc adagium adaptes, ait Delrio adagio 948, ostentationi virtutis non solidæ, rebusque modice duraturis, nec ad felicem exitum perventuris; quales esse solent divitiæ male partæ, immodicæ diligentiæ, studia intemperata, præcocia puerorum ingenia, conciones, disputationes et scriptiones supra vires, supra doctrinam et ingenium. De quibus verum est illud Ptolemæi dictum prol. in Almagestum: *Qui scientiam suam ultra astutiam quæ in ipso est extendit, est sicut pastor debilis cum multis ovibus;* has enim regere, pascere et impinguare nequit. Quocirca S. Gregor. lib. 8. Moral. cap. 28. tropologice hæc Prophetæ verba hypocritis adaptat: *Culmus*, inquit, *germen non habet, cum vita virtutum meritis caret. Farinam culmus non facit, cum his qui in præsenti seculo proficit, nil subtilitatis intelligit, nullum boni operis fructum reddit. Sed sæpe et cum fecerit, hanc alieni comedunt; quia et cum bona opera hypocritæ ostendunt, de his malorum spirituum vota satiantur. Qui enim per hæc placere Deo non appetunt, nequaquam agri dominum, sed alienos pascunt. Fecundo itaque hypocrita et neglecto palmiti similis, servare fructum non valet; quia botrus boni operis in terra jacet. Sed tamen hac ipsa vecordia sua pascitur* (ut ait Job), *quia pro bono opere à cunctis honoratur, cæteris præeminet, subjectas hominum mentes tenet, majoribus locis attollitur, favoribus nutritur; sed tunc se stulte egisse intelliget, cum pro delectatione laudis sententiam divinæ correptionis acceperit.*

Denique Leo Castrius, per culmum et germen non faciens farinam, accipit diram famem, qua à Deo puniti sunt Judæi ob occisum Christum, quando obsessi à Tito fame extabuerunt, adeo ut et matres comederent filios.

8. DEVORATUS EST ISRAEL, hoc est, opes Israelis, vires, fama et gloria attrita et absumpta sunt ab Assyriis, q. d. Israel mixtus idolis et Gentibus, proprium et nobile Israelis nomen amisit, FACTUSQUE EST QUASI VAS IMMUNDUM,] sordibus et fæcibus plenum, puta matula, ut omnium gentium sordes, ignominiam et probra unus exciperet; matulam enim verterunt alii interpretes, teste Ruffino. Idem recte dicas de quovis fideli peccatis inquinato et polluto. *Immundum vas sive inutile*, ut vertunt Septuag. *Hebræi matulam vocant*, ait S. Hieron. *quo ad projicienda stercora uti solemus.* Et Ruffinus: *Nunquam*, ait, *Israel honesto delegatus officio est, ut post libertatis ac dominationis insignia, saltem inter servos liberaliter censeretur; sed quasi vas ad naturæ requisita compositum, ita contumeliarum sordibus implebatur.* Sic Varro, Plautus, et alii hominem vilissimum et sordidum vocant *matulam*, dicuntque: *Non homo est, sed matula.* Unde et Martial.

> Dispeream si tu Pyladi præstare matellam
> Dignus es, aut porcos pascere Pirithoi.

Ita Judæi ob cæsum Christum à Romanis capti, et ad stercora exportanda damnati, stabularii et matularii effecti sunt. Unde Juvenal. Satyra 3:

> Judæi, quorum cophinus fœnumque suppellex.

Quin et fœtorem genti toti proprium contraxerunt, quem non nisi baptismo eluere possunt, si convertantur ad Christum. Unde à Poetis *fœtentes* appellantur, et tales experientia sentimus. Ita Martialis lib. 4. epig. 4. fœtentem Judæorum halitum conjungit cum exhausta palude, cum aqua sulphurea, cum fumante lychno, cum vulpino stercore, cum viperino cubili. Et Fortunatus, l. 5. Carm. epist. ad Gregorium:

> Abluitur Judæus odor baptismate divo,
> Et nova progenies reddita surgit aquis.
> Vincens ambrosios suavi spiramine rores,
> Vertice perfuso chrismatis efflat odor.

Pari modo peccatores, præsertim scorta, sunt hominum, imo diaboli, matulæ, ait Delrio ada-

gio 949; venter enim gulosi et luxuriosi quid aliud est, quàm matula, quàm latrina, quàm cloaca? Dum ergo hanc per diem sæpe visere, inspicere et olfacere cogitur, cogitet talem esse ventrem, et multo magis talem esse animam suam. Huc pertinet illa meditatio S. Bernardi: *Cogita, ô homo, quid fuisti, quid es, quid eris. Fuisti sperma fœtidum; es vas stercorum: futurus esca vermium.* Ita tentationes gulæ superavit B. Jacoponus, carnes putidas identidem applicando ori et naribus; ac libidinis ignem superavit odorando cadaver purulentum mulieris adamatæ monachus ille in Vitis Pat. lib. 5. tract. 5. de fornicatione, § 22.

Porro quàm hoc nomen et obsequium matulæ vile et infame sit, docuit adolescens Spartanus, qui, ut refert Plutarch. in Apophtheg. Lacon. ab Antigono captus ac venditus, paruit quidem in omnibus emptori, quæ non essent indecora ingenuis: cæterum jussus afferre matulam, detrectavit obsequium, addens: Non serviam. Surgente domino, puer: Senties, inquit, quem emeris, simulque conscenso tecto sese præcipitem dedit, malens mori, quàm tam viliter servire.

9. QUIA IPSI ASCENDERUNT AD ASSUR, ONAGER SOLITARIUS SIBI,] q. d. Israel petiit opem ab Assyriis ad hoc, ut quasi onager, id est asinus sylvester, omne jugum legis Dei excuteret, viveretque liber, ac faceret quidquid libet more onagrorum, et more Gentium, quibus idola hanc peccandi dant licentiam. Ita Theodor. Theophil. Arias, Vatabl. Ribera et à Castro. Hinc justo Dei judicio Israel derelictus, solus erit ut onager, destitutus tam Assyriorum, quàm Dei quem dereliquit auxilio. Idem dicas de hæresi et hæretico. Aliter S. Hieron. et ex eo Haymo, Hugo et Lyran. *Ascenderunt*, inquit, id est, *ascendent, imitantes onagrum solitarium, nequaquam ut oves pasti à Domino, sed male abutentes libertate sua, et educti in captivitatem*, q. d. Ascendent Israelitæ captivi in Assyriam, quia voluerunt vivere ut onagri liberi, et absque jugo disciplinæ; ideoque Assyriorum amicitiam et opem magnis muneribus et tributis coemerunt. Unde Chald. vertit: *Ascendent ad Assyrios pro eo quod ambulaverint in voluntate animæ suæ, tanquam onager efferus*; Septuag. vertunt: *Germinavit* (fructificavit, fœtus produxit) *apud semetipsum Ephraim.* Tradit enim Oppianus onagrum marem ita esse zelotypum, ut pullos suos dentibus exsecet, ne generare queant, ut ipse solus onagra sua fruatur. Unde et vocatur *solitarius;* licet enim feminarum agmine stipatus incedat, tamen eis solus imperare et frui vult, nec alium marem rivalem, vel æmulum patitur. Incedit ergo solus non ab onagrarum, sed ab onagrorum convictu. Audi Solinum Polyhist. cap. 30: *Africa onagros habet, in quo genere singuli imperitant gregibus feminarum; æmulos libidinis suæ metuunt. Inde est quod gravidas suas servant, ut in editis maribus, si qua facultas fuerit spem generandi morsu detruncent; quod caventes feminæ in secessibus partus occulunt.* Idem tradit Plinius, lib. 8. cap. 30.

Allegor. Leo Castrius: Israel, ait, post occisum Christum est onager solitarius, quia solus in suo errore et perfidia Judaica pertinaciter persistit; nec cum cæteris gentibus omnibus in religione cultuque Dei communicat.

Tropol. hæc facile adaptes superbis, præsertim apostatis à fide, vel Ordine; unde Rupertus: *Onager*, ait, *id est agrestis asinus, hominem stultum atque superbum significat, sicut in Job cap. 11. 12. scriptum est: Vir vanus in superbiam erigitur et quasi pullum onagri liberum se natum putat;* et inferius: *Onager ergo dicitur, id est, asinus, sed superbus, asinus per stultitiam; sed infrænis, et præsepii dominici contemptor, vel ignarus præ superbia; solitarius, à rectore Deo profugus, et solus, utpote Dei desertor, et à Deo desertus.* Vide et S. Gregor. in citatum S. Job locum lib. 10. Moral. cap. 15.

EPHRAIM MUNERA DEDERUNT AMATORIBUS,] Assyriis, quorum opem et amicitiam ambiebant, ideoque eorum idola colebant. Sic enim Phul regi Assyriorum in tributum dederunt mille talenta, ideoque Manahem rex Israel singulis indixit tributum quinquaginta siclorum, 4. Reg. 15. v. 19 et 20.

10. SED ET CUM MERCEDE CONDUXERINT NATIONES, q. d. Quia muneribus et mercede conduxerunt Assyrios, hinc ne frustra conducti videantur, NUNC contra ipsosmet Israelitas, in excidium Samariæ CONGREGABO EOS.] Ita Arias, Clarius, Vatablus et Pagnin. Dicit *eos*, et non *eas* (uti dicendum erat; respicit enim *nationes*) quia hebr. גוים *goim*, id est *nationes*, est masculinum. Secundo, planius per *eos* accipias Ephraim, id est Israelitas. Ita Chald. S. Hieron. Theodor. Haymo et Lyranus, q. d. *Nunc congregabo eos*, scilicet Israelitas in Samariam aliasque urbes, ut in iis præsidiis Ægyptiorum adjuti contra Assyrios se muniant, ibique quiescant paululum à tributo et muneribus, quæ pendebant regi Assyriorum et principibus, sed modica erit hæc quies; nam mox sequetur, ut ab Assyriis ob rebellionem indignantibus obsideantur, expugnentur et vastentur: unde 4. Reg. 17. Ita hæretici, ut excutiant jugum fidei et Catholicorum principum, implorant opem Turcarum; itaque paululum videntur quiescere à jugo et onere; sed mox longe gravius jugum Turcicum subeunt, uti in Hungaria factum et fieri videmus et lugemus.

ET QUIESCENT PAULISPER.] Nota: Pro *quiescent*, uti vertit Noster et Septuag. hebr. est ויחלו *vaiachelu*, quod si à חול *chul* deducatur, significat dolere, cruciari; si à חול *chol*, in hiphil significat incipere. Unde Arias et Pagnin. vertunt: *Dolebunt et cruciabuntur paululum propter onus regis et principum*, q. d. Modicum dolebunt ob tributum quod pendunt Assyriis, sed paulo post longe magis dolebunt, cum ab eisdem vastabuntur. Alii vero vertunt: Incipient paululum ab onere regis et principum, puta à tributo quod eis pendunt, supple *liberi esse et quiescere*, ut vertit Noster. Rursum Clarius vertit: *Incipient eos onerare* (tributis) *tam rex quàm principes;* et R. David, Vatablus et Pagnin. *Incipient conqueri et murmurare paululum propter onus regis et principum*, puta propter tributum, q. d. Jam incipiunt gravari et queri ob tributa, sed multo magis querentur, cum mox exscindentur et abducentur in captivitatem. Ita impii, inquit à Castro, incipiunt degustare in oneribus quibus gravantur, æterni exsilii instantis, et carceris gehennalis angustias et supplicia.

11. QUIA MULTIPLICAVIT,] q. d. Habuit Israel sat idolorum et altarium, quid opus fuit ea ad insaniam multiplicare, et cumulare peccata peccatis, ut sibi iram Dei, vindictam et exci-

dium accelerarent? Quocirca multipliciter punietur. Vere S. Ephrem tract. de Timore Dei, tom. 3: *Cui*, ait, *non placet ministrare Domino uni, serviet multis; et qui non vult subesse præfecto uni, subjicietur multis.*

12. Scribam ei multiplices leges meas, quæ velut alienæ computatæ sunt.] Hic expletur sensus prioris sententiæ aliàs pendentis, q. d. Quia multiplicavit Israel altaria, idcirco et ego multiplicabo leges capitales contra eum. Nota: Alludit ad scripturam legis in lapidibus factam à Mose, jussu Dei Deuter. 27 et 28; idque ad perpetuam legis memoriam apud Israelitas, ut eam ejusque præmia, si eam observarent; ac pœnas, si eam negligerent, cordi imprimerent, ac jugiter præ oculis haberent. Sensus ergo est, q. d. Leges meas earumque pœnas multiplices olim scripsi per Mosen in lapide; ac jam scribam eas in dorso Israelitarum virga et stylo ferreo, nimirum multiplices illas plagas à Mose descriptas, infligam eis gladio hostili, eo quod leges meas, quasi alienas, obliti neglexerint et contempserint. Leges ergo hic pœnales intellige; puta pœnas lege decretas iis qui eam violent: est metonymia. Ita Ruffinus. Sicut enim vir pius est quasi lex viva, quæ suis moribus clamat quid facto opus, quid lex, quid Deus, quid religio poscat, ut docet S. August. lib. de Mendacio, cap. 15. et S. Greg. hom. 10. in Ezech. *In sanctorum*, ait, *vita cognoscimus quid in Scriptura legere debeamus.* Et Philo, lib. de Abraham, ait legem scriptam esse commentarium vitæ sanctorum; ita impius à lege punitus est lex viva, inclamans cæteris ut impietatem fugiant, ne in easdem pœnas incurrant. Sic fur suspensus, è patibulo reipsa omnibus inclamat: Cavete à furto, ne suspendamini sicut ego. Tradit Herodotus lib. 2. Assyrios depinxisse regis Sennacherib cladem et cœlestem vindictam cum hoc lemmate: *In me intuens pius esto.* Et Virgil. 6. Æneid.

Phlegyasque miserrimus omnes
Admonet, et magna testatur voce per umbras:
Discite justitiam moniti, et non temnere Divos.

Aliter Vatablus et alii recentiores vertunt, nimirum: *Præscripseram eis* רבי *rubbe*, id est, *multiplicitates* vel *excellentiora*, vel *axiomata legis meæ, sed reputarunt ea ceu quid alienum*, q. d. Dedi legem Israeli quasi margaritam, eamque digito meo conscripsi; at ipse quasi alienam eam respuit, tanquam ad eum non pertineret. Quid ergo ultra ei faciam? scribam aliam legem? Nequaquam, quia pari modo eam spernet. Ita sanctus Hieronym. et Syrus, qui vertit: *Scripsi illi multitudinem legum mearum, et velut aliena computavit ipsa verba mea.*

Verum hic sensus non cohæret cum τῷ *quia*, nec cum versu præcedenti; additque notam interrogationis, qua carent Biblia; legunt enim hæc assertive, non interrogative. Verisimilius Sanchez hæc accipit quasi ironice dicta à Deo, ac si Deus suum consilium reprehendat, quod laboret de corrigendis Israelis moribus; cum tamen ipsi nihilo idcirco futuri sint meliores, q. d. scilicet: Scribam Israeli novas leges, quas æque ut veteres contemnet; non scribam. Similis ironia est Isaiæ 26. 11: *Misereamur impio, et non discet justitiam facere.* Et apud Virgil.

En queis consevimus agros!
Insere nunc, Melibœe, pyros, pone ordine vites.

Sic vulgo dicitur: *Ale luporum catulos, et canes qui te lanient.*

13. Hostias (victimarum et *oblationum mearum*, ut addunt Hebræa) offerent, et Dominus non suscipiet eas.] Hebr. *Dominus non volet illa*, vel *non delectabitur illis*, q. d. Si quando mihi sacrificarunt, non idolis, hoc fecerunt ut vescerentur sacrificatis, non ad me placandum. Ita Vatablus. Nota: Samaritæ cum idolis colebant quoque Deum verum et avitum, eique subinde sacrificabant, ut patet 4. Reg. 17. 33. Verum quia id faciebant, non propter Deum, ut eum colerent, sed ad hoc, ut inde epularentur et opipara instruerent convivia, hac de causa reprehendit hic eos Deus, eisque minatur excidium. Ita S. Hieron. Vatabl. Ribera, à Castro et alii.

Ipsi in Ægyptum convertentur,] q. d. Cogentur fugere et reverti in Ægyptum. Ita factum; nam post excidium Samariæ multi Israelitæ, ex illo elapsi, ut se salvarent fugerunt in Ægyptum, ibique mortui sepulti sunt in Memphi, ut patebit cap. 9. 3. Ita S. Hieron. Theoph. Theod. Arias et Vatabl. Idem fecerunt Judæi post excidium Jerusalem, ut patet Jeremiæ cap. 44. 12. Ægyptus enim erat juge et commune Israelis refugium et asylum; secundo, S. Hieron. sic quoque exponit, q. d. Ipsi revertentur ad eum vivendi modum, quem tenuerunt in Ægypto; colent enim idola, et vitia Gentium induent, sicut fecerunt in Ægypto; tertio, Lyran. et Sanchez, q. d. Revertentur in Ægyptum, hoc est, talia brevi apud Assyrios patientur, qualia ipsorum patres passi sunt ab Ægyptiis, scilicet duram servitutem, ministeria sordida, pauperiem, famem, etc., ut more Hebræo subintelligatur nota similitudinis *sicut, velut.* Ipsi ibunt in Assyriam, velut in novam Ægyptum, hoc est, novum carcerem. Primus sensus planissimus est, eique favet v. 6. cap. sequentis: *Ægyptus congregabit eos, Memphis sepeliet eos.*

Oblitus est Israel factoris sui,] Dei creatoris sui, qui eum sibi populum peculiarem fecerat, et selegerat ex omnibus Gentibus, uti eidem prædixit et exprobravit Moses in Deuter. toto cap. 32, præsertim v. 18: *Deum qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui.*

14. Et ædificavit delubra,] puta templa, vel fana idolis, spreto Deo; spes enim suas omnes collocavit in idolis. *Delubra* dicta sunt loca ante aras, quod in iis essent labra, id est, conchæ et vasa ad abluenda mortuorum cadavera, inquit Asconius in Divinat. vel, ut alii, à diluendis tum cadaveribus, tum manibus sacerdotum ante sacrificium. Quocirca delubra erigebant juxta magnatum sepulcra, ibique captabant in somnis oracula per necromantiam. Unde Isaias cap. 65. 4: *Qui habitant*, inquit, *in sepulcris, et in delubris idolorum dormiunt*, ad captandam divinationem. Festus vero *delubrum* dici putat quasi delibratum, id est, decorticatum fustem, quem pro Deo venerabantur. Servius autem: Delubrum, inquit, dictum est, quod uno tecto plura complectitur numina, ut est Capitolium, in quo est Minerva, Jupiter, Juno.

Et Judas multiplicavit urbes munitas. Iis, non

Deo, confidens se fore tutum ab hoste Chald. idcirco ego MITTAM IGNEM IN CIVITATES EJUS, ET DEVORABIT ÆDES. (Hebr. ארמנות *armenoth*, id est palatia; ædes magnificas (ILLIUS.] Fecit id Deus per Nabuchodonosor. Ita S. Hieron. Hugo, Lyran. et alii, licet Haymo et Hugo hæc quoque facta putent per Sennacherib, qui cepit omnes urbes munitas Juda, excepta Jerusalem, civitates et palatia, tum Juda, tum à pari Israelis intellige; sicut enim utrumque culpavit de oblivione et neglectu Dei: ita utrumque pariter reum damnat ad excidium et incendium urbium et ædium. Minus ergo recte aliqui *civitates* referunt ad Israel, palatia ad *Judam;* quia, inquiunt, Osee usurpat Hebr. Israel in genere masculino, Juda in feminino; subaudit enim terram Juda. Verum hæc ratio non subsistit; nam Osee hìc Judam usurpat in genere masculino, dicens: *Judas* הרבה *hirba*, id est, *multiplicavit urbes: hirba* enim verbum est masculinum; feminine enim dicendum fuisset הרבתה *hirbeta*, uti norunt hebraice periti. Rursum cum ait: *Mittam ignem in civitates*, plane intelligit eas de quibus paulo ante dixit: *Judas multiplicavit urbes;* in Hebræo enim utrobique est eadem vox ערים *arim.* Ergo civitates intelligit Judæ. Si quis tamen hæc distinguere velit, melius cum Aria vice versa, *civitates* ad Judam, *ædes* vel palatia ad Israel referet: ארמנות *armenot* enim, id est palatia, vel domus augustæ et templa, sunt היכלות *hechalot*, id est basilicæ, delubra, templa, quæ paulo ante dixit ædificasse Israel.

Verum, uti dixi, verius est eòdem pertinere civitates, et ædes sive palatia, scilicet primo ad Judam, deinde à pari ad Israel. Unde et Septuag. vertunt: *Mittam ignem in civitates ejus, et devorabit fundamenta illius;* fundamenta enim sunt civitatum, quæ cum civitatibus devorabit immissus ab hoste ignis. Porro de Juda, æque ac de Israele, loquitur Propheta nunc in genere feminino, intelligens terram, uti cum dicit ארמנתיה *armenoteha*, id est, ædes illius feminine; nunc masculine, intelligens populum, ut cum dicit הרבה *hirba*, id est, multiplicavit; et עריו *arau*, id est, urbes ejus, cum affixo, sive pronomine masculino.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

ISRAELI IN FRUGIBUS ET OPIBUS LASCIVIENTI, DEOSQUE GENTIUM QUASI EARUM DATORES LUDIS ET FESTIS COLENTI, MINATUR CAPTIVITATEM, IN QUA PANEM LUGENTIUM ET POLLUTUM COMESTURUS SIT. SECUNDO, V. 9. DOCET QUOD IMITENTUR PARENTES SUOS, QUI COLUERUNT BEELPHEGOR, NUMEROR. 25. ET GABAITAS, QUI UXOREM LEVITÆ STUPRO ENECARUNT. HINC V. 11. MINATUR EIS CÆDEM FILIORUM, VULVAM SINE LIBERIS, ET UBERA ARENTIA, QUODQUE EOS IN PERPETUUM DESERENS ET ABDICANS TRADET HOSTIBUS, UT PLANE EXSCINDANTUR, FIANTQUE TOTO ORBE VAGI ET PROFUGI.

1. NOLI lætari, Israel, noli exsultare sicut populi: quia fornicatus es à Deo tuo,
dilexisti mercedem super omnes areas tritici. 2. Area et torcular non pascet
eos, et vinum mentietur eis. 3. Non habitabunt in terra Domini: reversus
est Ephraim in Ægyptum, et in Assyriis pollutum comedit. 4. Non liba-
bunt Domino vinum, et non placebunt ei: sacrificia eorum quasi panis lu-
gentium; omnes qui comedent eum, contaminabuntur: quia panis eorum
animæ ipsorum, non intrabit in domum Domini. 5. Quid facietis in die
solemni, in die festivitatis Domini? 6. Ecce enim profecti sunt à vastitate: Ægyptus congre-
gabit eos, Memphis sepeliet eos: desiderabile argentum eorum urtica hæreditabit, lappa in
tabernaculis eorum. 7. Venerunt dies visitationis, venerunt dies retributionis: scitote Israel
stultum Prophetam, insanum virum spiritualem, propter multitudinem iniquitatis tuæ, et mul-
titudinem amentiæ. 8. Speculator Ephraim cum Deo meo: Propheta laqueus ruinæ factus est
super omnes vias ejus, insania in domo Dei ejus. 9. Profunde peccaverunt, sicut in diebus Ga-
baa: recordabitur iniquitatis eorum, et visitabit peccata eorum. 10. Quasi uvas in deserto
inveni Israel: quasi prima poma ficulneæ in cacumine ejus, vidi patres eorum; ipsi autem intra-
verunt ad Beelphegor, et abalienati sunt in confusionem, et facti sunt abominabiles, sicut ea
quæ dilexerunt. 11. Ephraim quasi avis avolavit, gloria eorum à partu, et ab utero, et à con-
ceptu. 12. Quod et si enutrierint filios suos: absque liberis eos faciam in hominibus, sed et væ

eis, cum recessero ab eis! 13. Ephraim, ut vidi, Tyrus erat fundata in pulchritudine : et Ephraim educet ad interfectorem filios suos. 14. Da eis, Domine. Quid dabis eis? Da eis vulvam sine liberis, et ubera arentia. 15. Omnes nequitiæ eorum in Galgal, quia ibi exosos habui eos : propter malitiam adinventionum eorum, de domo mea ejiciam eos : non addam ut diligam eos, omnes principes eorum recedentes. 16. Percussus est Ephraim, radix eorum exsiccata est, fructum nequaquam facient. Quod et si genuerint, interficiam amantissima uteri eorum. 17. Abjiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum : et erunt vagi in nationibus.

1. NOLI LÆTARI, ISRAEL, q. d. Ne exsultes, ô Israel, ne publica festa, ait Chald. tripudia et ludos instituas, uti instituunt Gentes in honorem deorum, quorum cultum nunquam dereliquerunt, cum ab eis abundantiam opum, victoriam, aut aliud insigne beneficium accipere se putant; quia tu FORNICATUS ES, id est, coluisti idola, itaque aversus es A DEO TUO;] ergo tibi lugendum est jugiter, non exsultandum. Ita Chald. Hugo, Clarius et alii. Aliter Arias, q. d. Noli lætari, ô Israel, ut cæteri populi; quia tu jam dispersus per captivitatem, non amplius es populus, sed mancipium et fæx populorum omnium.

DILEXISTI MERCEDEM,] scilicet meretriciam, ut nimirum pro mercede idola coleres SUPER AREAS, id est, pro areis, TRITICI.] Merces ergo fuerunt areæ tritici, q. d. Fornicatus es cum idolis quasi meretrix, pro pretio et mercede tritici, ut scilicet idola darent tibi ejus copiam. Unde Chald. vertit : *Dilexisti servire idolis pro omnibus areis frumenti*, q. d. Ubicumque erat spes frumenti, lucri, aut copiæ rerum, ibi quasi meretrix, illarum spe idolis te substernebas, eaque colebas, sperans te ab eis ditandum; ideoque juste à Deo hac mercede, puta frugibus et opibus privaberis, ut sequitur. Ita S. Hieron.

Secundo, *super*, id est, *apud*, *omnes areas tritici fornicatus es*, puta coluisti idola; quia in ipsis areis, æque ac in torcularibus, vel juxta eas, tripudia et ludos instituebant in gratiarum actionem, laudando deos suos, quod copiosam messem aut vindemiam dedissent. Ita S. Hieron. Hugo, Lyran. et Arias, q. d. Plena horrea, et copiosam messem, quam Deus tibi dederat, tu non Deo, sed idolis acceptam tulisti, iisque festa et ludos instituisti, quæ summa est ingratitudo, æque ac impietas. Ita Theodor. et Theophyl. ac S. Cyrill. quem audi : *Solebant*, ait, *Gentiles, cum incipienda erat aratio, sacrificare dæmonibus, petentes fertilitatem; item cum metendum erat et vindemia calcanda, libabant et sacrificabant canentes odas* ἐπιληνίους (vindemiales) *in summa lætitia. Accusat ergo nunc Dominus Israel, qui hoc idem faciebat quod Gentes, quæ Deum non cognoverant. Fornicatus es ergo, inquit, dilexisti munera, etc., petisti non à Deo, sed ab idolis fertilitates agrorum, quas tibi non dederunt; hoc enim significat : Area non cognovit eos, etc.*

2 et 3. AREA ET TORCULAR NON PASCET EOS, q. d. Quia Israel dilexit areas et horrea messis, eaque petebat et accepta referebat, non mihi eorum datori, sed idolis, qui nihil in ea juris et potestatis habent; idcirco ego hæc Israeli ingrato et impio auferam, faciamque ut nec area det frumentum, nec torcular vinum quod pascat eos; quocirca VINUM MENTIETUR EIS, q. d. Vineæ quæ eis multas uvas, multum vini promittere videbantur, fallent eos, et parum vel nihil uvarum et vini proferent; itaque spe sua eos frustrabunt, quinimo faciam ut vastentur ab Assyriis : unde NON HABITABUNT IN TERRA DOMINI, et Chananæa, quam Deus eis promisit et dedit; sed REVERSUS EST (revertetur) EPHRAIM, puta Israel, excisus et profugus, IN ÆGYPTUM, ET IN ASSYRIIS captivus POLLUTUM COMEDIT.] Hoc est, comedet idolothyta, ac cibos lege Levit. 11. vetitos, ideoque immundos. Ita S. Hieronym. Chald. Theoph. Haymo, Hugo, Lyranus et alii. Vide dicta cap. 8. 8. Erat ingens probrum ac pœna, æque ac peccatum apud Judæos, pro pane sancto comedere pollutum. Unde Machabæi excarnificari maluerunt, quàm suilla carne lege vetita vesci, 2. Machab. 6. 18. Sic et Daniel, c. 1. 8. et S. Petrus, Actor. 11. 8. exhorruerunt cibos Gentilium immundos. Simile est illud Horatii lib. 2. Epist. 2 :

> Verum ubi oves furto, morbo periere capellæ,
> Spem mentita seges, bos est enectus arando.

4. NON LIBABUNT DOMINO VINUM,] q. d. Non Deo, sed idolis et dæmoni sacrificabunt et libabunt, et, ut ait Apost. 1. Corinth. 10. 20, bibent *calicem dæmoniorum* (id est, dæmonibus oblatum), non Domini. Ita S. Hieron. Haymo, Arias et Vatabl. Secundo et potius, q. d. Puniam eos sterilitate et fame, ut ne quidem habeant vinum quod Deo in sacrificiis libent. Patet ex paulo ante dictis.

Nota : Deus in Levitico et Numer. 15. sanxit ut in omni sacrificio carneo, puta ovis, capræ et bovis, adhiberentur libamina, quasi condimenta, puta panis, vel simila oleo conspersa, sal et vinum. Sacrificium enim erat quasi convivium Dei. Unde victimæ in Scriptura vocantur *panis*, id est, cibus Dei. In convivio autem requiritur tam cibus, puta panis et caro cum sale, quàm potus, puta vinum; quod in honorem Dei vel in terram effundebatur, vel à sacerdotibus bibebatur, hocque vocabatur *libare* et *libamen*. Unde et Christus in sacrificio Eucharistiæ instituit speciem panis, quasi cibum; et speciem vini, quasi potum libandum, id est, hauriendum à sacerdote in honorem Dei. Vide dicta in Levit. et Num. 15.

Nota secundo. : Videntur Israelitæ, saltem sapientiores, errorem et dementiam suam in cultu vitulorum agnovisse et damnasse; ac voluisse Deo vero sacrificare, cui sacrificarant patres eorum. Unde de eis ait Deus cap. 8. 2 : *Me invocabunt : Deus meus, cognovimus te Israel.* Verum, quia non ex toto corde ad Deum se convertebant, sed partim Deo in occulto, partim vitiis et idolis in publico, ut communi populo se accommodarent, serviebant; hinc Deus eos co-

rumque victimas respuit et reprobat, ita fere Sanchez. Unde sequitur :

Et non placebunt ei,] q. d. Hostiæ et sacrificia Israelis, deficiente libamine, puta vino, non placebunt Deo, quia imperfecta et illegitima, et quia ab idololatris oblata extra Jerusalem et templum in Assyria, ubi captivus detinetur Israel. Hebr. *non dulcescent ei*, id est, non erunt Deo dulcia et jucunda ; sicut injucundum et ingratum est epulum, in quo deest vinum, in quo editur tantum, non bibitur. Unde subdit :

Sacrificia eorum quasi panis lugentium.] Supple immunda erunt, æque ac tristia et insuavia, uti sunt prandia lugentium, tum quia carentia vino, tum quia ab idololatris oblata inter idola et idololatras, sæpe etiam ipsis idolis, uti censet S. Hieron. et Cyrill. estque valde verisimile ; tum quia contra legem, extra templum et Jerusalem in Assyriaca captivitate oblata, in qua Israel degit mœrens et lugens, ac proinde festa et sacrificia sua læte et festive celebrare nequit, uti fecit in Jerusalem et templo.

Nota : Explicat hîc cibum Israelis *pollutum*, de quo dixit v. 3. per panem lugentium, qui scilicet comedi solet in exsequiis et funeribus, quæ Græcis νεκρόδειπνα, id est, lugentium cœnæ dicuntur : Latinis *parentalia*, quod parentibus mortuis immolentur, ait S. Hieron. iisque hæc quasi ultima justa et pietatis officia solvantur. Porro hic panis et cibus Judæis immundus erat, nam Num. 19. v. 11. 14. et 16. sancit Deus, ut omnes contaminentur ; sintque immundi per septem dies, qui mortuum tetigerint, aut funeri interfuerint, aut ex pane epulove funebri comederint. Panis ergo luctus, sive domus funestæ, tangentes et comedentes funestabit et contaminabit. Significat ergo totam vitam Israelis in Assyriaca captivitate, fore continuam quamdam quasi funebrem et feralem cœnam ; in qua squalens et mœrens comedet cibos Gentium pollutos, ejusque oblatio non feriis, sed inferiis erit aptior, inquit Ruffin. Albert. Hugo, Vatablus et Arias.

Tropol. S. Hieron. Hæretici, ait, qui nonnisi lucra et symposia aucupantur, omniaque deliciarum causa faciunt, ut populum decipiant, et domos devorent viduarum, habent panem lugentium, id est, verba mortifera, quibus iniquitatem loquuntur contra Dominum, qui panis non ingreditur in domum Domini. Sic omnis peccator comedit panem lugentium, quia et nihil est lætum, etiamsi epuletur et tripudiet ; non enim potest esse vera lætitia, ubi est mala conscientia. hæc enim vermem rodentem et remorsum pungentem semper secum defert.

Quia panis eorum animæ ipsorum, scilicet, erit, q. d. Animæ, id est, concupiscentiæ et gulæ suæ consulunt et satisfaciunt sacrificando, non autem sacrificant ut Deum, vel idola colant; ac propterea indigni sunt ut panis, id est, victimæ eorum ad domum Domini,] id est, ad templum deferantur, quod proinde, me puniente, à Chaldæis igne succendetur ; in Assyria autem et Chaldæa *ad domum Domini* deferri non poterunt, quia nulla erit ibi domus Domini. Ita S. Hieron. Theophyl. Hugo, Arias, Ribera et alii.

Tropol. hæc recte adaptes sacerdotibus indigne sacrificantibus, non pietatis, sed lucri et gulæ causa : horum enim sacrificium, licet ex parte hostiæ, puta filii Dei, sit Deo gratissimum ; tamen ex parte offerentium est quasi qui patri filium necat, ipsumque se offerentem occidit. Est ergo panis lugentium. Unde Chald. vertit : *Sacrificia eorum erunt instar panis abominabilis.* Ita Delrio adagio 951. Rursum Theophyl. hæc adaptat sacrificio quod fit ex injuste partis ; hoc enim est panis lugentium, quia est de bonis oppressorum, ideoque lugentium.

Symbolice hîc disce, Deo non placere oblationes et victimas, quæ tristi, lugubri et melancholico animo ei offeruntur, sed hilarem datorem diligere, ut ait S. Paul. 2. Cor. 9. 7.

Hermes Episcopus et Martyr, S. Pauli discipulus, in libro Pastoris, quem probavit S. Dorotheus, Damasus et multi veterum, visione 5. mandato 10, narrat sibi apparuisse angelum in figura pastoris, et inter alia dixisse : *Tristitia omnium spirituum nequissimus est, et pessimus servus Dei, et omnium spiritus exterminat et contribulat Spiritum Sanctum, et oratio tristis non habet virtutem ut ascendat ad altare Dei. Quoniam tristitia sedet in corde ejus. Cum ergo mixta fuerit oratio viri cum tristitia, hæc non patietur orationem mundam ascendere ad altare Dei. Sicut enim vinum aceto mixtum eamdem suavitatem non habet; sic et tristitia Spiritu Sancto mixta eamdem orationem mundam non habet.* Hoc est quod ait Aaron, lugens in strage filiorum : *Quomodo potui placere Domino in ceremoniis mente lugubri.* Quocirca Cassianus collat. 9. cap. 3. docet, quod ad recte orandum, iræ præ omnibus, ac tristitiæ perturbatio funditus ex animo sit eruenda.

5. Quid facietis in die solemni, in die festivitatis Domini ?] Primo. sensus est, q. d. In captivitate non poterit Israel celebrare festum Paschæ, Pentecostes et similia, quæ cum gaudio celebrabat in Jerusalem. Ita Theodor. Arias, et Lyran.

Secundo et nervosius, S. Hieron. Haymo, Albert. Hugo, Clarius et alii exponunt, q. d. Festa pristina non celebrabitis, ô Israelitæ, in templo utpote positi in captivitate ; sed facietis perenne festum et solemnitatem vindictæ meæ, quo scilicet publice puniam vos captivitate, paupertate et gladio. Hæc enim dicitur solemnitas Domini, quia in ea solemnis Dei justitia et gloria toto orbe splendebat, et ab omnibus gentibus celebrabatur. Sic ait Jerem. Thren. 2. vers. 22 : *Vocasti quasi ad diem solemnem, qui terrerent me de circuitu.* Ex eadem phrasi et tropo, impii exscindendi et occidendi in hac Dei solemnitate vocantur hostiæ et victimæ, quæ immolantur justitiæ divinæ : ac Assyrii et Chaldæi, qui eos occidunt et immolant, vocantur sacerdotes Dei. Sic ait Isaias cap. 34. 6 : *Victima Domini in Bosra, et interfectio magna in terra Edom,* etc. *quia dies ultionis Domini, annus retributionis judicii Sion.* Hinc bellum contra impios vocatur sanctum, militesque sancti, quasi auctorati et consecrati à Deo sacerdotes. Sic ait Jerem. c. 6. 4 : *Sanctificate*, ô Chaldæi, *super eum* (Jerusalem) *bellum.* Vide ibi dicta.

Anagog. S. Cyrill. lib. 4. in Joannem cap. 35, q. d. Vos, ô impii, qui sprevistis viam arduam, laboresque virtutis, non poteritis ingredi solemnitatem cœnæ et beatitudinis cœlestis. Dicet enim vobis paterfamilias : Quomodo intrastis huc absque veste nuptiali ?

6. Ecce enim profecti sunt a vastitate.] Id est proficiscentur et fugient in Ægyptum, prop-

ter excidium et vastitatem Samariæ. Vide dicta c. 8. 8.

ÆGYPTUS CONGREGABIT EOS, MEMPHIS SEPELIET EOS.] Memphis, nunc Cairus, vulgo *Alcairo* dicitur, aut potius Memphis vetus fuit è regione Cairi, ab alia parte fluminis Nili. vide dicta Jerem. 44. v. 1. S. Hieron. Haymo, Albert. et Hugo hæc accipiunt de Judæis, qui occiso Godolia, quem Chaldæi præfecerant Judææ, timentes eorum vindictam, fugerunt cum Jeremia cap. 43. 7. in Ægyptum. Verum hìc non agitur de Judæis, sed de Israelitis, id est, Samaritis : eorum ergo excidium et fuga in Ægyptum hìc prædicitur, quodque morituri et sepeliendi sint in Memphi.

DESIDERABILE ARGENTUM EORUM URTICA HÆREDITABIT.] Per *urticas* significat longam fore captivitatem et Samariæ vastitatem, q. d. Domos splendidas, quas Samaritæ magno argento comparaverant, vasisque argenteis et pretiosis exornaverant, ac in quibus suos thesauros argentumque condiderant, vastabit et radet Assyrius usque ad solum ; adeo ut in eo tribuli, lappæ et urticæ germinent. Ita S. Hieron. Haymo, Albert. Arias. Unde Chald. vertit : *In domo desiderabili argenti eorum urticæ degent.*

LAPPA IN TABERNACULIS EORUM.] Pro *lappa* Septuag. vertunt *spina ;* alii, *tribuli.* Est enim lappa spinosa teste Dioscor. lib. 3. cap. 98. flosculum habens aculeis plenum, qui injectus in vestem tenaciter adhæret, quo ludo solent pueri delectari. Cujus tria sunt genera, ait Perottus. Nam quædam dicitur canaria, quæ est exigua, canibus adhærens. Altera major est, et philanthropos appellatur, quod vestibus hominum adhærens, eos amare videatur. Tertia appellatur personata, et maxima est, nasciturque juxta rivos et flumina. Folia habet ampliora cucurbitis ; ideoque veteres ea utebantur ad personatos faciendos. Porro Plinius l. 21. 17 : *Notabile,* ait, *est in lappa quæ adhærescit, quoniam in ipsa flos nascitur non evidens, sed intus occultus, et intra se germinat, velut animalia quæ in se pariant.* Hebr. חוח *choach* proprie hamum significat, indeque omnem plantam spinosam, quæ instar hami tenet et capit id cui applicatur. Unde noster Interpres nunc lappam, nunc carduum, nunc tribulum, nunc paliurum vertit.

7. VENERUNT DIES VISITATIONIS, id est, punitionis et excidii, qui erunt DIES RETRIBUTIONIS.] Quibus Deus rependet eis supplicia pro sceleribus. Ita Syrus.

SCITOTE.] Legit interpres ידעו *udeu* in Imperativo, jam legunt ידעו *iedeu* in futuro, id est, scient. Septuag. verò legerunt ירעו *iaroa,* id est, *affligetur Israel sicut Propheta insaniens.* Sensus est, q. d. Nemo vobis aduletur, nemo vos decipiat ; nam instant dies castigationis et supplicii vestri : proinde scitote nunc, vel tunc ipsa experientia scietis, stultos fuisse et insanos Prophetas, qui vos non capiendos nec exscindendos, sed secure et læte victuros, omniaque prospera pollicebantur ; me vero, Isaiam, Joelem, et similes fuisse veros Prophetas, qui cladem hanc et stragem vobis prædiximus.

Secundo, S. Hieron. et Lyran. censent, hìc ipsummet Israel vocari, *Prophetam stultum,* q. d. Scitote, vel tunc scient omnes, Israel fuisse Prophetam stultum et insanum, hoc est multa effutientem temere, instar insani et furore quodam aut spiritu perciti : quia ipse securitatem et fausta omnia sibi promittebat, cum ecce jam captus et vastatus sit.

Tertio, S. Hieron. rursum, Haymo, Albert. et Hugo, hæc intelligunt de veris Prophetis, q. d. Scitote et advertite nunc, vel tunc scietis et advertetis, Prophetas qui excidium minabantur, quos vos stultos vocabatis, an insani fuerint, an potius viri spirituales, id est, afflati Spiritu Sancto. Primus sensus et secundus aptiores et planiores sunt : comparat enim populum aviculis, pseudoprophetas aucupibus, prædicationem eorum laqueo. Ita Vatabl.

VIRUM SPIRITUALEM.] Id est, Prophetam ; hunc enim Hebræi vocant *virum spiritus,* id est, spiritu Dei afflatum. Pro *virum spiritus,* vertas, *virum venti,* et pro *spiritualem, ventosum,* id est, vanum et mendacem. Sic Jerem. 5. 13. ait : *Prophetæ fuerunt in ventum locuti, et responsum* (oraculum, prophetia) *non fuit in eis.* Syrus : *Cognoscet Israel stultus Prophetam insanum, virum qui amictus est spiritu stoliditatis;* Arabicus : *Consumetur Israel ut vespera perturbata, aut sicut homo indutus spiritu malo.*

PROPTER MULTITUDINEM INIQUITATIS TUÆ, ET MULTITUDINEM AMENTIÆ,] q. d. Habuisti falsos stultosque Prophetas, qui te deciperent, et in exitium agerent : quia id merebatur multa tua iniquitas et amentia, qua Deum tuum, ejusque veros Prophetas semper sprevisti : aut ut Hieron. Prado in Ezech. 13. vers. 3. q. d. Propheta quidem vester stultus fuit ; sed in hanc amentiam præcipitarunt eum iniquitates vestræ, atque odium Dei, vestris impietatibus conceptum. Pro *amentiæ* Hebr. est משטמה *mastema,* quod R. David. Vatabl. et alii recentiores vertunt, odium, iram, furorem (nam ira, furor brevis est) ; radix enim שטם *satam* significat odisse, inimicari, adversari : odium ergo est amentia, et odire Deum summa est amentia. Sensus est, q. d. Adhæsisti idolis, eorumque falsis Prophetis ; quia odisti Deum, ejusque Prophetis adversatus es, quæ summa est vesania et dementia.

8. SPECULATOR EPHRAIM CUM DEO MEO : PROPHETA LAQUEUS RUINÆ (Hebr. *aucupis,* qui avem capit agitque in ruinam) FACTUS EST SUPER OMNES VIAS EJUS, INSANIA (Hebr. *mastema,* id est, *odium,* uti jam dixi) IN DOMO DEI EJUS.] Primo, Theod. sic explicat, quasi dicat, Ephraim per legem et Prophetas, quos à Deo accepit, constitutus est quasi speculator et doctor gentium omnium, ut eas doceret verbo et exemplo Dei cultum, viamque virtutis et salutis. At ipse factus est eis laqueus, dum insane coluit idola et vitia idololatrarum.

Secundo, Vatablus q. d. Ephraim fecit sibi speculatorem, id est, pseudoprophetas, eosque vult audire simul cum Deo suo, q. d. Vult audire et colere tam idola quàm Deum, tam falsos quàm veros Prophetas, quæ est mera insania.

Tertio, Chald. et Lyranus, q. d. Speculator Dei, id est, verus Propheta, est in Israel ; at Israel ei laqueum tetendit, ut eum interficiat, itaque concitat sibi odium Dei, qui hunc speculatorem in domo, id est, Ecclesia sua, constituit.

Quarto et genuine, q. d. : *Speculator cum Deo meo,* id est, Propheta qui debuerat secundum Deum, et quasi à Deo auctoratus et constitutus Propheta, aut qui dicebat se Deo familiarem et ab eo missum, ideoque debebat Israeli vera præ-

dicere et docere, ac hostes et imminentia mala ex alta providentiæ suæ specula prospicere, præmonere et avertere, hic eum illaqueavit, et quasi laqueus aucupis eum decepit sua falsa prophetia et doctrina, qua inter alia prædicabat, quasi acceptum ex ore Dei, Israeli nihil timendum esse ab hoste et vastitate, itaque causa fuit, ut Israel perduraret in suis viis, id est, impiis actionibus, ac præsertim in sua idololatria, quæ summa est *insania : nam in domo Dei ejus,* id est, in templo idoli ejus, quod ipse coluit ut Deum suum, incitat eum ad adorandum idolum, id est, ligna et lapides : ex his enim compactum est idolum. Speculator ergo hic est pseudopropheta, et falsus fallaxque doctor. At quis ? S. Hieron. Haymo, et Hugo accipiunt Jeroboam. Hic enim creatus rex illaqueavit populum, eumque coegit adorare vitulos aureos à se erectos in Dan et Bethel ; secundo, Albert. et Dionys. Carthus. accipiunt Ahiam Silonitem : qui licet esset verus speculator, id est, Propheta Dei, tamen per accidens factus est laqueus Israeli, quia prædixit, et quasi promisit regnum impio Jeroboam, qui causa fuit idololatriæ et ruinæ Israelis ; tertio, planius et plenius accipias quosvis falsos prophetas; hi enim mentiebantur se à Deo missos, itaque illaqueabant et decipiebant populum. Hi quoque sunt stulti Prophetæ et insani, de quibus dixit v. præced.

Tropol. hæc recte adaptes Tertulliano, Lucifero Calaritano, Origeni, aliisque viris sapientia et virtute illustribus : hi enim fuerunt quasi oraculum Dei, et quasi speculator cum Deo conversans : sed per apostasiam et lapsum facti sunt laqueus in Ecclesia, multosque fideles secum traxerunt in ruinam, quibus recte competit versio Arabica v. 11 : *Ephraim quasi avis volavit, et eminentia* (claritas nobilitas) *eorum quasi vallis, et quasi vada.*

9. Profunde peccaverunt, sicut in diebus Gabaa.] Hebr. est *profundarunt ;* Syrus *profundum petierunt,* id est, in profundum, puta in barathrum scelerum, prolapsi sunt; et, ut Vatabl. profundam fecerunt defectionem, ex qua scilicet emergendi vix videtur ulla esse spes, aut possibilitas, et, ut Prado in Ezechiel. 13. 3. q. d. Ex profundo et imo corde ; ex toto affectu recesserunt à Deo, et coluerunt idola. Porro *dies Gabaa* S. Hieron. Haymo et Hugo referunt ad tempus, quo Saul creatus est rex in Gabaa, cum populus invito Deo à Samuele regem sibi postularet, q. d. Uti Israel olim Saulem, ita nunc Jeroboam me invito regem sibi constituit. Melius idem Hieron. Cyrill. Theoph. Lyran. Vatabl. Ribera et alii hæc referunt ad enorme stuprum à Gabaitis commissum in uxorem Levitæ; ob quod omnes cæsi sunt. Vide historiam Judic. c. 19. et 20. Sensus ergo est, q. d. Sicut profunde, id est, gravissime, peccarunt viri Gabaa, et Benjaminitæ, fœdo et insano stupro occidentes uxorem Levitæ, illudque deinde contra alias omnes tribus pertinacissime defendentes stolido bello, quo omnes pene usque ad internecionem totius tribus Benjamin occisi sunt : ita nunc Israelitæ gravissime peccant stupro spirituali, id est, idololatria publica, et communi omnibus decem tribubus, illamque pertinacissime tuentur et defendunt, nec ullis Prophetarum monitis aut minis ab ea avocari se sinunt : quin potius Pseudoprophetarum vocibus et oraculis in ea confirmari et perfici gaudent : quocirca à Deo exscindentur ut Gabaitæ.

10. Quasi uvas in deserto inveni Israel, q. d. Elegi Israel, eduxique per Mosen ex Ægypto in desertum, fuitque ipso mihi charissimus et in deliciis, uti solent esse viatori in deserto fame, siti et fatigatione afflicto, uvæ repertæ, et prima poma ficulneæ,] id est, primæ et præcoces ficus (*pomum* enim Latinis significat fructus omnes qui molliori sunt cortice), quæ Jeremiæ 24. 2. vocantur *præcoquæ,* alibi *primitivæ,* vel *primi temporis.* Septuag. Isaiæ 28. 4. vertunt *præmaturas.* Hæ enim, quia post longam earum carentiam avide expetuntur, in proverbium abierunt, significantque rem valde desiderabilem, diuque expetitam : primos enim fructus, præsertim ficus, mire concupiscimus ; quia iis, utpote immaturis, diu, puta toto anno, abstinuimus. Immaturitas enim et mora cupiditatem acuit, ut ubi primum maturuerint, aut sese ostenderint, cupide arripiantur. Simili modo ego Israelem inopem et famelicum in deserto manna de cœlo alui. At ipse ingratus et recalcitrans, me spreto defecit ad Beelphegor, id est Priapum, eumque adoravit. Num. 25. 1. vide ibi dicta. Sensus ergo est, q. d. Israel colens nunc vitulos, imitatur parentes suos, qui primitus coluerunt Beelphegor. Ita Chald. Albert. et Arias. Ita quoque explicant S. Hieron. Theodor. Theophyl. Rupert. Haymo, Hugo et Lyran. nisi quod ipsi per *patres* accipiant Abraham, Isaac, Jacob, non Mosen. Verum hi non fuerunt in deserto.

Nota. Pro *quasi prima poma ficulneæ,* Septuag. vertunt: *Sicut scopum in ficu temporaneum.* Sicut enim scopus, id est, speculator rem longe venientem annuntiat, ita præcox ficus maturitatem, uti erudite annotavit Billius in orat. 32. Nazianz.

Abalienati sunt in confusionem,] q. d. Converterunt se ad colendum pudendum idolum Priapi, quod uti obscœnum, ita per obscœnas libidines et fornicationes colebant. Ita S. Hieron. Cyrill. Theodor. Theoph. et Lyran.

Et facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.] Puta, sicut idolum Priapi erat fœdissimum et abominandum, ac sicut abominandæ erant meretrices Madianitæ quas dilexerunt, et cum quibus fornicabantur, quæ eos ad cultum Priapi illexerunt : unde Arias et Vatabl. vertunt : *Facti sunt abominabiles secundum amorem earum,* scilicet meretricum, id est, sicut meretrices hæ, amorque earum et fornicatio erant abominabiles. Sicut ait Psaltes psal. 113. 8 : *Similes illis* (simulacris et idolis) *fiant qui faciunt ea.* q. d. Idoloplastæ et idololatræ fiant trunci, stipites, stupidi ingenio, omnique sensu homine digno, ac viribus destituti, clausis et mortuis mentibus, ait S. August. et Hieron. tales enim solent esse idololatræ, idolis suis similes. Hinc scholastice recte docet D. Thomas 1. 2. q. 18. art. 2. actus humanos sumere speciem ex objectis, ut si objectum sit bonum, actus sit bonus ; si objectum sit malum et abominandum, actus sit malus et abominandus ; idque in tali specie virtutis vel vitii, cujus est objectum : objectum enim à voluntate amatum et concupitum, suam bonitatem vel malitiam in eamdem transfundit. Arabicus vertit : *Illusi sunt in operibus suis, et assimilati sunt amenti.* Peccator ergo est stultus et amens.

Moral. Disce hic, quod voluntas nostra natura sua sit quasi chamæleon : sicut enim ille rerum omnium quibus se applicat, colorem induit, præter rubrum et candidum, inquit Plin. lib. 8. cap. 33. ideoque in omnes formas et species se transmutat : sic et voluntas omnium rerum speciem et faciem quasi induit, quibus se per amorem jungit et applicat. Hinc dixit vir sapiens : *Quod per voluntatem resolute et efficaciter vis, hoc absolute es.* Vis resolute esse humilis, hoc ipso humilis es : vis esse temperans, castus, obediens, patiens ; si id efficaciter vis, de facto es temperans, castus, obediens, patiens. Hoc est quod ait S. August. epist. 52. ad Macedonium : *Non faciunt bonos vel malos mores nisi boni vel mali amores.* Sicut ergo facti sunt abominabiles , qui dilexerunt peccata : ita facti sunt, fiuntque speciosi et gratiosi, qui diligunt Deum speciosissimum et gratiosissimum. Nam, ut ait S. August. tract. 2. in epist. 5. Joann. : *Talis est quisque, qualis est ejus dilectio, terram diligis ? terra es : Deum diligis? quid dicam? Deus eris.* Amor enim transformat amantem in rem amatam. Unde : *Anima,* ait S. August. , *magis est ubi amat, quàm ubi animat.* Et vicissim res amata magis est in amante, quàm in animante. Quocirca Cato Censorius amantis animum dicebat in alieno corpore vivere, uti refert Plutarch. in ejus Vita. Et Plato asserebat omnes qui perdite amarent, in suo et proprio corpore mortuos esse eo quod in alieno viverent, uti refert Fulgos. lib. 7. cap. 2. Et Panætius Philosophus amorem turpem aiebat esse rem impotentem alteri emancipatam, vilem sibi, uti refert Brusson. lib. 1. cap. 2. Ejus enim officium non est aliud quàm corpus proprium et creaturas alias puta carnes, panes, vina, delicias, etc. in putredine devorando, vel voluptuando convertere. Hæc ejus utilitas , imo vilitas : hæc ejus potestas, imo infirmitas, ut per eum nostra sanies transeat affluenter : non enim facere valet, ut maneat. Hoc ejus studium, hæc ejus beatitudo, ut voluptatum creatarum sordibus affluat, quibus votive succumbit, corrumpente eum per illas diabolo qui mire gaudet de hominis deceptione et interitu , cum rei creatæ quam turpiter homo adamat, imago ei maneat impressa, tanquam simulacrum in templo suo; cui non bovem, non hircum, sed animam rationalem et corpus, id est, seipsum totum peccator immolat, cum ea fruitur. An non ergo abominabilem se facit, cum se pro vili delectatione, eaque momentanea, putri carni, imo teterrimo dæmoni mancipat, et servum addicit ? quando creaturas quas fœde diligit, ac cum eis seipsum in putidas vomicas, carcinomata, aliasque sordes et putredines transmutat.

Ex adverso anima amans Deum, fit spiritalis, angelica, divina , et in Deum illi inhærendo transit. Unde S. Ambros. lib. de Isaac et anima c. 3 : *Tunc,* ait, *nos osculatur Dei Verbum, cum cor nostrum lumine cognitionis illuminat, et amore bonitatis inflammat, ut adhæreat ipsi, et unus cum ipso spiritus efficiatur.* Nervosius S. Gregor. explicans illud Cant. 1. 1 : *Osculetur me. Cum ejus* (sponsi ait sponsa) *osculum sentio, subita mutatione me derelinquo, et in ejus similitudinem illico liquefacta transformor.* Amor enim est motus et impulsus, quo amans fertur in rem amatam, eique se unit, et in eam se transformat. Secus est in intellectu et intellectione. Hic enim non tendit extra se, sed res intellectas per species et cognitionem, ad se trahit, sibi imprimit et incorporat, ut docet S. Thom. 1. 2. q. 22. art. 2. Denique ex hoc loco et similibus, recte probant Theologi , quod actus peccati transiens , post se relinquat in anima peccantis maculam habitualem peccati, per quam ipsa formaliter sit exosa et abominabilis Deo. Ita Joannes Salas 1. 2. q. 86. initio.

Ephraim quasi avis avolavit, gloria eorum a partu.] Est Hebraica metathesis, sive verborum transpositio : sic enim illa ordinanda sunt : Gloria Ephraim quasi avis, id est velocissime, avolavit à partu, etc. Gloriam vocat filios : hi enim sunt parentum decus et gloria, uti dicitur Prov. 10. 8. Sensus ergo est, q. d. Filii Ephraim in quorum multitudine, specie et robore ipse gloriabatur, cito morituri sunt; alii *à partu,* cum scilicet primum prodierint in lucem, alii ab utero quia scilicet abortivi erunt, q. d. Faciam ut matres patiantur aborsum, fœtusque suos abortiant, alii *à conceptu,* quia semen conceptum mox diffluet, ut ex eo embryo formari nequeat ; q. d. Puniam uxores vestras sterilitate et vitio matricis, faciamque ut fœtum non concipiant , aut conceptum abortiant , aut natum mox perdant. Hunc esse sensum patet ex sequentibus : *Quod etsi enutrierint filios suos, absque liberis eos faciam,* q. d. Quod si filios aliquos procrearint et educarint, illos vel gladio hostili, vel peste, aut morbo occidam, ut ad ætatem maturam non perveniant, nec computentur *in hominibus.* Idem patet ex v. 14. ubi dicit : *Da eis vulvam sine liberis, et ubera arentia.* Ita S. Hier. Chald. Vatabl. Arias et alii. Aliter Theod. Haymo et Lyran. quasi dicat, Ephraim cito quasi avis avolabit in captivitatem Assyriacam, qui gloriabatur de sobole copiosa, de utero conceptuque fœcundo. Aliter quoque Theoph. q. d. Ephraim cito quasi avis avolavit, et recessit à viis et moribus patrum suorum : quia gloriam suam non in me, sed in prole, partu et conceptu ubere constituit. Hinc ego illam ei adimam et succidam.

Arabicus Antiochenus vertit : *Ephraim quasi avis volavit, et eminentia* (claritas, nobilitas) *eorum quasi vallis, et quasi vada;* Arabicus Alexandrinus : *Ephraim velut avis volans, et quasi dolor parturientis : sic gloria eorum ; quia enutrit filios suos ut exteros è filiis hominum, væ illis, quia recesserunt a viis meis.*

Tropol. *Gloria Ephraim à partu, ab utero, à conceptu transit*, inquit Julianus Archiepisc. Toletan. qui in Nahum, exstat tom. 2. Biblioth. SS. Patrum, *Quando mens prius honore, gloriæ quasi semidea, pro fama infamiam , pro gloria miseriam, odium pro gratia, contemptum pro reverentia, lucrum pro jactura, inediam pro copia justo Dei judicio recipit: partus est operatio, venter intentio , conceptus cogitatio. Gloria igitur Ephraim avolat à partu, à conceptu, ab utero, quando prius splendide forinsecus viventium, et de vitæ exstrinseca honestate in se gloriantium inhonestatur actio, corrumpitur intentio, fœdatur cogitatio,* de quo plura vers. 14.

Sed et væ eis cum recessero ab eis.] Est gradatio : Primo enim minatus est eis, quod sobolem impediret ne nasceretur; secundo , quod natam occideret ; et hic tertio, minatur eis omnimodam desolationem, indeque vastitatem et excidium, q. d. Væ eis cum eos orbabo non tantum filiis, sed et mea cura et providen-

tia, atque à me abdicabo; tunc enim invadent eos perdentque Assyrii.

Nota. Est hic duplex lectio : prior בסורי *besuri,* par *sin,* quod idem est cum *samech,* id est, *cum recessero.* Ita legunt et vertunt Noster, Aquila, Symmach. Jonathan Chaldæus Paraphrastes (quem Galatinus lib. 1. de Arcan. fidei cap. 5. asserit 42. annis præcessisse Christum) qui vertit : *Væ eis cum sustulero majestatem meam ab eis;* R. David, R. Abraham, R. Salomon. Vatabl. et alii. Posterior בשרי *besari*, id est, caro mea ; unde vertunt : *Væ eis cum caro mea ex eis.* Ita Septuag. et Theodor. quos sequuntur Græci, ut Cyrill. Theodor. Theophyl. Doroth. in Synopsi, Cyrill. Hierosol. catechesi 12. Quocirca Theodor. et Theophyl. putant hic esse prophetiam de incarnatione Christi: imo Raymundus quem citat Lyran. sic legit : *Væ eis, incarnatio mea ex eis,* q. d. Væ nunc Israelitis cum exscindentur ab Assyriis, sed longe magis væ cum ex eis carnem ego Christus assumam : tunc enim ipsi me, licet cognatum suum persequentur et occident, ideoque à Tito, et Romanis funditus delebuntur, et in æternum desolabuntur. Sic et Lyran. Burgens. Mariana, Galatin. lib. 1. cap. 8. et Leo Castrius, qui contendunt Judæos hunc locum corrupisse, ac pro *besari,* id est, *caro mea,* scripsisse *besuri,* id est, *cum recessero ;* idque, quia Verbum incarnatum oderunt et repudiarunt. Verum id perperam dicitur, primo : nam Christus carnem sumpsit ex Judæis, non ex Israelitis ; secundo, quia passim in Bibliis scribitur בסורי *besuri.* per *vau,* quod nequit esse in בשרי *besari,* id est, caro mea, ut patet intuenti. *Besuri* ergo, id est, *cum recessero,* legendum est, non *besari,* id est, *caro mea;* tertio, quia versionem hanc Vulgatam, qua legimus, *cum recessero,* recepit et probavit Ecclesia à mille annis : impium autem est dicere, Ecclesiam vitiata et falsa versione uti.

Quocirca Cyrill. et Theoph. aliam meliorem et Vulgatæ editioni viciniorem hujus versionis septuag. dant interpretationem, scilicet hanc : *Auditis,* inquit Theophyl., *Propheta minis Dei adversus Israelem precatur, ne vel ipse, vel sui contribules, et secundum carnem cognati sint participes futuræ istius iræ. Idcirco inquit : Caro mea ex ipsis, hoc est extra ipsos. Longe quæso ab ipsis removear, et ego, et caro mea, sive cognati et contribules.* Sic Apostolus Judæos vocat *carnem suam,* id est : cognatos, secundum carnem, Roman. 11. 14. Simili modo Cleon. in tragœd. apud Senec. Jasonem à communi culpa cœtuque eximit, dicens :

Proculque vestro purus à cœtu stetit.

13. Ephraim, ut vidi, Tyrus erat,] q. d. Ephraim, prout ego ipse vidi, par erat Tyro in opibus, prosperitate, fortitudine munitione, copia prolium, omnique decore et gloria, cum Deum coleret ejusque legem servaret ; inquit Chald. quia sic vallabatur Dei auxilio, sicut Tyrus mari, ait S. Hieron. At quia nunc Deum relinquit, sibi suisque idolis præfidens, hinc omnem ei gloriam Deus adimet ac præsertim filios, in quibus ipse adeo solet gloriari, dabit tum in bello pugnantes, tum post bellum victos et captos, occidendos Assyriis eorumque regi. Hunc enim vocat *interfectorem.* Ita S. Hieron. Albert. Lyran. Vatabl. et alii. Tyrus olim erat quod nunc Venetiæ. De gloria Tyri dixi Isaiæ 23. et Ezech. 26. Huc accedit Vatabl. qui sic vertit et explicat. Vidi Ephraim sicut Tyrum, puta primo florentem pace rerumque copiam, mox ob idololatriam vastatum.

Secundo, Arias puta esse antithesin Ephraim et Tyri, q. d. Esto Tyrus ad Ephraim, puta ad tribum Aser, pertineret, ut patet Josue 19. 29. tamen vidi Ephraim à Tyro toto cœlo differre ; vidi enim Tyrum florentissimam opibus et prolibus, Ephraim vero ei vicinum vidi utrisque orbatum et desolatum.

Tertio, Aquila, Symmach. et Theodor. pro *Tyrus,* vertunt, *petra;* hanc enim significat Hebr. צור *tsor,* indeque urbs in petra fundata dicta est Hebr. *Tsor,* Chald. *Tor,* græce et latine *Tyrus,* q. d. Ephraim erat ut arx munitissima, puta ut petra et scopulus durissimus, qui fixus in terra omnes contemnit procellas turbines et ventos, puta omnes hostium incursus, sed quia in Deum peccavit, Deus ei vires roburque adimet, ut filios cogatur tradere Assyriis mactandos. Ita S. Hieron.

Quarto, Septuag. pro ר legentes ד, puta pro צור *tsor*, id est, Tyrus, צוד *tsud*, id est, venatio vel captura, vertunt : *Ephraim, sicut vidi, in* θήραν, id est, *venationem* vel *captionem præbuit filios suos, ut educeret ad interfectionem.*

Nota. Deus Ephraim, id est Israeli, intentat filiorum necem et orbitatem præ cæteris ærumnis ; tum quia ipse in iis gloriabatur et præfidebat, quasi ob eorum et civium copiam esset inexpugnabilis ; unde eos vocavit gloriam Ephraim v. 11. tum quia Ephraim filiis suis abusus erat non tantum ad fastum, sed et ad idololatriam ; eos enim immolaverat idolo Moloch ; jure ergo iisdem à Deo spoliatur et orbatur ; tum quia imitabatur fornicationem et idololatriam Gabaitarum, et parentum colentium Beelphegor. Fornicationis enim congrua et propria pœna est ἀτεκνία sive liberorum orbitas, uti dixi c. 4. 10.

14. Da eis, Domine, pœnas et supplicia quæ merentur. Sed quas? Quid, inquam, dabis eis? quas pœnas in particulari decet me iis imprecari, et te, ô Domine, iis infligere? Utique ut filios, quos perdite amant, quibusque abutuntur, perdant, itaque summe crucientur. Da ergo eis vulvam sine liberis et ubera arentia,] q. d. Puni uxores Ephraim sterilitate, ut liberos non concipiant, aut si quos conceperint et pepererint lactare et nutrire nequeant ; ubera enim arentia sunt, quæ lacte carent. Sic nimirum eis occasionem fastus et idololatriæ, quam per filios committunt, præcides, ô Domine ; sic pariter tolles stirpem tibi invisam. Ita S. Hieronym. Cyrill. Chald. Theoph. Haymo, Hugo, Lyran. et alii. Solus Arias hæc in bonum accipit, quasi Deus hic pœnam Israelitis decretam moderetur et imminuat, ut sensus sit : Ne Israelitæ nimis crucientur, videndo filios jam maturos ab Assyriis capi et interfici ; fac, ô Domine, ut illi vel non concipiantur, vel concepti et nati mox tabescant et moriantur. Paulo aliter quoque Vatabl. vertit, nimirum sine interrogatione, sic: *Da eis, Domine, quod daturus es ; da eis vulvam abortientem, et ubera arentia ;* Arabicus Alexand. *Da eis, ô Domine, secundum retributionem eorum ; et da eis non parturientes, et mammam arentem ;* Arabicus Antioch. *Ephraim vidi in statu quo vidi sterilem. Da eis, Domine, vulvam non parturientem, et uber siccum ;* Syrus : *Da eis, Domine, id quod*

das (dabis) *eis; da illis matricem illiberem, et ubera arida.*

Moral. disce hîc Deum punire parentes orbitate filiorum, dum ipsi matrimonio turpiter vel prolibus superbe vel impie abutuntur ad Dei offensam ; ex adverso Deum pios parentes, sæpe donare egregia multaque sobole. Exemplum est pia Anna, ejusque æmula Phenenna ; hæc enim in filiis superbiens, Annamque sterilem irridens, ab ea supplantata est ; Deus enim Annæ filium dedit Samuelem Prophetam, ac insuper quinque alias proles, 2. Regum 2. 21. unde ipsa gratias agens Deo carmen eucharisticum cecinit, dicens : *Exsultavit cor meum in Domino, et exsultatum est cornu meum in Deo meo; dilatatum est os meum super inimicos meos* (Phenennam, ejusque filios et asseclas, mihi sterili insultantes) *etc., donec sterilis* (uti ego) *peperit plurimos, et quæ multos habebat filios, infirmata est.* Tradunt Hebræi, et ex eis S. Hieron. Abulens. Vatabl. et alii, Phenennæ tot mortuos esse filios, quot nascebantur Annæ. Celebris est apud Gentiles Niobe, quæ septem filiis totidemque filiabus pulcherrimis superbiens, seque Latonæ præferens, ab Apolline Latonæ filio, filiis et filiabus omnibus interfectis, orbata præ dolore attonita obmutuit, ac velut lapidescens malis diriguit, uti describit Ovid. 6. Metamorph. et Statius lib. 5. Sic Augustus Tiberius, Caligula, Nero, Domitianus, Trajanus, Adrianus, cæterique pene omnes Imperatores Gentiles, ob libidines et fastum sobole caruerunt, neque ullum ex se tanti imperii reliquerunt hæredem.

Mystice id verius est in anima, quæ ob virtutes Deique gratiam et dona vane gloriatur et superbit, quasi illa sua sint opera, non Dei munera. Hæc enim cum humilis agnosceret Deum datorem, eique gratias ageret, pulchra erat et florens rerum spiritualium copia, ut Tyrus; at jam superbiens, sibique præfidens deseritur à Deo sponso; itaque ab eo semen et lac gratiæ non accipit, ut opera bona parturiat; aut si acceperit et pepererit, ea lactet et nutriat : ubera enim animæ arent, id est succo gratiæ et spiritus destituta sunt : unde proles, id est, opera bona grandescere nequeunt, sed tabescunt et evanescunt. Idem maxime locum habet in Prædicatoribus, Prælatis, Confessariis, aliisque qui animas Deo parere satagunt. Dum enim puro zelo gloriæ Dei et salutis animarum id faciunt, florent filiorum spiritualium copia et fructu : dum vero se, puta plausum, lucra, aut commoda aucupantur, mox matrix eorum sterilescit, et ubera arescunt, ut nec filios in spiritu gignere, nec si quos genuerint, alere et promovere possint. Hoc est quod ait Christus : *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis.* Et mox : *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet.* Joan. 15. 6. Omnis enim succus vigorque gratiæ, qua spiritualiter vivimus, vegetamur, crescimus, et fructificamus, derivatur à Christo quasi à radice et humo. Vide S. Gregor. hom. 17. in Evangelia.

Præclare S. Bernard. ser. 51. in Cant. *Ingratitudo,* inquit, *inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio. Ingratitudo ventus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.* Idem tract. de Interiori domo cap. 41 : *Superbia,* inquit, *sicut est origo omnium criminum, ita est ruina omnium virtutum. Sola superbia contra cunctas animi virtutes se erigit, et quasi generalis ac pestifer morbus omnes corrumpit.* Idem ser. 54. in Cant. *Argumentum superbiæ, privatio est gratiæ.* Ex adverso, argumentum humilitatis, est copia gratiarum. Si quem ergo videris privari gratia et donis suis, scias eum esse superbum : si vero aliquem videris iis abundare et crescere, scito eum esse humilem. Humilitas enim est mater et conciliatrix donorum, quorum dissipatrix est superbia : Deus enim humilibus dat gratiam, quam superbis aufert.

Omnes nequitiæ eorum in Galgal.] In Galgal enim Israelitæ abjecerunt omne regimen Dei, tam politicum quàm sacrum. Politicum, quia à Deo regi nolentes, in Galgal petierunt à Samuele dari sibi regem, qui proinde dedit eis Saulem. Sacrum, quia in Galgal statuerunt idola, quæ, spreto Deo, coluerunt. Ita S. Hieron. Theod. Hugo, Lyran. Vatabl. et alii. De Galgal vide dicta cap. 4. 20.

15. Quia ibi exosos habui eos. Hebr. כי *ki*, id est *quia*, sæpe non causam significat, sed encliticum est, et ornatus causa additur, imo subinde effectum significat. Ita capitur hîc, q. d. *Quia,* id est idcirco, ibi cœpi eos odio habere et aversari. Ita Ribera, à Castro, et alii.

De domo mea ejiciam eos.] Puta de templo, ut explicat, Chald. vel potius de terra sancta, quæ tota erat quasi una domus et familia Dei, in qua sub ejus alis et protectione securi et felices degebant Israelitæ, quasi filii sub parentis cura, unde in ea habebant nomen Israelis et populi Dei : ibi quoque Deus suos Prophetas, quasi paterfamilias ad eos erudiendos et formandos mittebat. *De domo* ergo *mea ejiciam eos,* ut alieni à me abeant captivi ad Gentes, et idola quæ coluerunt. Ita S. Hieron. Theoph. Lyran. Arias et alii.

Non addam ut diligam eos.] Id est, *Non amplius diligam eos,* ut vertit Vatabl. Nam, ut sequitur, et ut ait S. Hieron : *Abjecit eos Deus omnium Prophetarum, quia non audierunt eum ; et vagi erunt in nationibus, non habentes altare, non sedem, non principem, donec ad Christum convertantur.*

Omnes principes eorum recedentes,] q. d. Omnes reges Israel à primo Jeroboam usque ad ultimum Hosee, à Deo ad vitulos aureos recesserunt.

16. Percussus est Ephraim, radix eorum exsiccata est.] Comparat Ephraim arbori, prius, frondibus et fructibus luxurianti, postea percussæ aurugine et arescenti, quod radix ejus siccata sit, ideoque fructum producere non valenti, q. d. Ephraim, id est, populus Israel, instar arboris percussæ et arescentis in radice, paucos vel nullos proferet fructus, id est filios. Patet ex sequenti. Unde Chald. vertit : *Domus Israel similis est arbori, cujus radix uredine percussa est deorsum, et siccatur folium ejus sursum, fructum non faciet.* Porro radix Israel accipi potest fecunditas illi à Deo indita, cum Ruffin. et Lyran. vel regia potestas, sive reges et principes, cum Theodor. et Theoph. Hi enim instar radicis sustentabant, et vegetabant totum populum. Unde Arias apposite : Radix, inquit, est rex, truncus est regia tribus Ephraim, folia et rami cæteræ novem tribus, q. d. Ultimus Samariæ rex (qui est quasi radix) puta Hosee, cum Samaria, totaque tribu Ephraim, quæ, est quasi truncus arboris, vastabitur à Salmanasar : unde ab

eodem mox vastabuntur cæteræ omnes (quæ sunt quasi rami) ut plane arescat, utpote siccata radice, regnum et respub. Israel; adeo ut, etiamsi aliquos *genuerint, interficiam amantissima*, vel, ut Vatabl. et alii vertunt, *desiderabilia, uteri eorum*, id est, charissimos filios, qui erant eorum desiderium et deliciæ; unde Chald. vertit : *interficiam viscerum eorum pulchritudinem.* Proles enim sunt parentum pignora, et quasi viscera.

Mystice, radix regni et reipubl. est Deus, hic enim regnum et rempubl. sustentat, auget, florere et fructificare facit. Ita S. Hieron. qui rursum per radicem accipit Patriarchas Israelis, puta Abraham, Isaac et Jacob. Hi enim licet in se vivi, aridi tamen, et quasi mortui erant suæ soboli degeneri, puta Israelitis idololatris; quia eos aversabantur, nec eos merito et prece sua juvabant.

17. Abjiciet eos Deus meus, non illorum : quia non audierunt eum : et erunt vagi in nationibus.] Hoc est quod deplorat Jeremias Thren. 1. 8. *Peccatum* (fornicationis spiritalis, puta idololatriæ, loquitur enim Jerusalem, quasi de Virgine meretricante) *peccavit Jerusalem : propterea instabilis facta est*, q. d.

Ætherei scelus hoc ægre tulit ira mariti,
Inque suam vetuit te remeare domum.
Inde vaga, huc illuc incertis sedibus erras :
Nulla tibi domus est, cum sit ubique domus.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, comparat Israelem viti frondosæ, sed fructibus vacuæ, quod Dei opibus abusus sit ad augendum cultum idolorum, ideoque minatur ei excidium, quodque idolum ejus, puta vitulus aureus, deferetur munus regis ultori, scilicet regi Assyriorum; tantasque strages et ærumnas, ut dicturi sint montibus : Operite nos; et collibus : Cadite super nos. Additque id jure fieri, quia priscum est hoc Israelis peccatum, puta ex diebus Gabaa, in quo pertinaciter persistit, quod non nisi excidio extirpari potest. Secundo, vers. 11. comparat eum vitulæ amanti trituram, id est, fruges et opes, unde ait : Hactenus arastis impietatem, iniquitatem messuistis; nunc sapite, ac seminate in justitia, ut metatis in ore misericordiæ. Deinde hortatur ut novale cordis sui innovent, et præparent ad gratiam quam afferet Christus, justitiæ doctor ac dator. Denique vers. 14. si in impietate persistent, minatur quod Bethel, id est, idola Bethel perdent eos sicut Beth Arbel, id est, domus Gedeonis, perdidit Salmana cum Madianitis.

1. Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei secundum multitudinem
fructus sui multiplicavit altaria, juxta ubertatem terræ suæ uxuberavit
simulacris. 2. Divisum est cor eorum, nunc interibunt : ipse confringet
simulacra eorum, depopulabitur aras eorum. 3. Quia nunc dicent : Non
est rex nobis : non enim timemus Dominum : et rex quid faciet nobis ?
4. Loquimini verba visionis inutilis, et ferietis fœdus : et germinabit quasi
amaritudo judicium super sulcos agri. 5. Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ : quia luxit super eum populus ejus, et æditui ejus super eum exsultaverunt
in gloria ejus, quia migravit ab eo. 6. Siquidem et ipse in Assur delatus est, munus regi
ultori : confusio Ephraim capiet, et confundetur Israel in voluntate sua. 7. Transire fecit
Samaria regem suum quasi spumam super faciem aquæ. 8. Et disperdentur excelsa idoli,
peccatum Israel : lappa et tribulus ascendet super aras eorum : et dicent montibus : Operite
nos, et collibus : Cadite super nos. 9. Ex diebus Gabaa peccavit Israel, ibi steterunt : non
comprehendet eos in Gabaa prælium super filios iniquitatis. 10. Juxta desiderium meum
corripiam eos : congregabuntur super eos populi, cum corripientur propter duas iniquitates
suas. 11. Ephraim vitula docta diligere trituram, et ego transivi super pulchritudinem colli
ejus : ascendam super Ephraim, arabit Judas, confringet sibi sulcos Jacob. 12. Seminate
vobis in justitia, et metite in ore misericordiæ, innovate vobis novale : tempus autem requirendi
Dominum, cum venerit qui docebit vos justitiam. 13. Arastis impietatem, iniquitatem messuis-

tis; comedistis frugem mendacii : quia confisus es in viis tuis, in multitudine fortium tuorum. 14. Consurget tumultus in populo tuo : et omnes munitiones tuæ vastabuntur, sicut vastatus est Salmana à domo ejus qui judicavit Baal in die prælii : matre super filios allisa. 15. Sic fecit vobis Bethel, à facie malitiæ nequitiarum vestrarum.

1. VITIS FRONDOSA ISRAEL.] Pro *frondosa* hebr. est בקק *bokec*, id est, evacuas ; quia scilicet se totas in frondes effundit; in easque succum suum exhaurit et evacuat, ut nil, vel parum supersit quod in fructus et uvas transferat. Unde Chald. et Vatabl. vertunt ; *Vitis vacua*, vel *dissipata*, id est, *succo carens et humore*. Sic Nahum 2. 2. dicitur : *Vastatores dissipaverunt eas;* hebr. eleganter *bekakim bokekim*, id est, evacuatores evacuarunt eos, hoc est prædatores prædati sunt eos. Hinc et *Aquila*, ait S. Hieron. *bokec interpretatus est* ενυδρον , *quam nos aquosam vel* εξοινον *possumus dicere, eo quod vini perdat saporem : Symmachus* υλομενουσαν , *quæ tota in frondibus creverit : vites enim quæ putatæ à vinitore non fuerint, in flagella* (*id est* , *palmites*) *frondesque luxuriant, et humorem quem debuerant in vina mutare* , *vana frondium et foliorum ambitione disperdunt. Talis fuit Israel crescens in multitudine populorum, et non reddens fructus agricolæ Deo.*

Addit deinde aliam, imo contrariam interpretationem : *Vitis* , inquit , *frondosa* , *sive juxta Septuag.* ευκληματουσα , *id est, bonas habens propagines et flagella fructifera multos botros attulit; et uvarum fœcunditas ramorum magnitudinem coæquavit, sed hæc quæ prius talis erat antequam offenderet Deum, postea abundantiam fructuum vertit in offensæ multitudinem ; ut quanto plures haberet populos, tanto plura ædificaret altaria, et abundantiam terræ numero vinceret idolorum.* Hæc deinde more suo tropologice apposite adaptat hæreticis: hi enim similes, imo pejores sunt idololatris.

Ratio hujus diversæ, imo contrariæ versionis et explicationis est, quod *bokec*, idem sit, quod *evacuans se*. Jam autem vitis se evacuare potest in frondes solas [ita ut nil, vel parum possit suppeditare fructibus et uvis) aut partim in frondes, partim et magis in uvas, itaque erit frondosa, simulque fructifera. Sic Israel olim tempore Patriarcharum erat fructifer, id est affluebat tum uvis et fructibus, æque ac hominibus, juxta illud ps. 78 : *Extendit palmites suos à mari usque ad mare :* tum pietate, Dei cultu, bonisque operibus, ita S. Hier. Haymo, Hugo, Lyran. et alii. Sic ait Isaias cap. 5 : *Vinea Domini sabaoth domus Israel est, et viri Juda germen delectabile ;* unde *fructus adæquatus est ei*, id est, fructus ejus respondit palmitum, id est, familiarum, multitudini ; tot tulit fruges, quot numero incolarum alendo sufficerent.

Verum prius verisimilius est; *bokec* enim proprie evacuantem se, id est, vacuam et evanidam significat, ut vertit Symmach. Aquila, Chald. et Vatabl. quin et Septuag. Nam ηυκληματουσα idem est quod , bonos habens palmites, surculis luxurians : κληματα enim à Theophrasto, Columella, et aliis vocantur palmites et pampini vitis, vel fasciculus sarmentorum vitis ; unde ex eo fiebant κληματα, id est, virgæ centurionales, quibus scilicet centuriones cædebant milites delinquentes. Hinc Macrobius vocat vitem centurionalem : lege enim Romana sancitum erat, ut cives non virgis cæderentur, sed sarmentis vitium, teste Livio libr. 57. Huc facit quod Plutarch. in Apophthegm. et ex eo Valerius Maxim. lib. 6. cap. 4. scribunt, Popilium Lenam à Romanis missum ad Antiochum Epiphanem, ut eum juberet recedere ab Ægypto, nec pugnare in Ptolemæos, cum Antiochus moram faceret, deliberans quid esset responsurus, Antiochum κληματι , id est, virga, circumscripsisse, eique dixisse : Non exibis hoc circulo, nisi responsum des mihi et Romanis ; ευκληματουσα ergo idem est , frondosa et pampinosa.

Itaque de hac vinea in frondes evanescenti, id est, de Israele in opes bonaque terræ effuso, ait: *Fructus adæquatus est ei*, id est, eum fructum tulit, quem promittebat pampinorum et sarmentorum lascivia, scilicet nullum verum et solidum, quia totus abiit in frondes et surculos, totus terrenis bonis inhians, iisque et prolibus luxurians , atque ea idolis accepta referens sprevit Deum, itaque nullum pietatis, timoris Dei et sanctitatis fructum dedit ; non uvas religionis, sed labruscas protulit idololatriæ ; ita S. Hier. Vatabl. Arias , Prado in Ezech. c. 15. v. 2. fructus enim respondens et adæquatus viti frondosæ, sunt frondes et labruscæ. Unde Vatabl. Vertit : *Ponetne*, vel *afferetne fructum?* q. d. Non, nisi foliatum et futilem ; alii vertunt : *Fructus mentietur illi*, id est, fallet eum et frustrabit sua spe. Hebr. enim ישוה *iesçavue* , id est, *adæquatus est*, si à שוא *sçave* , id est, mendacium , deducatur , significat *mentietur*. Aliter Arabicus Alexandrinus vertit : *Vitis florida habens ramos est Israel : multi sunt fructus ejus in templis eorum*, puta multæ in idolis victimæ et impietates ; Arabicus Antiochenus : *Israel quasi vitis fertilis, et fructus ejus facilis est ei*; Syrus : *Vitis pampinorum* (pampinosa) *Israel, quæ fecit fructus secundum multitudinem fructuum ejus, multiplicaverunt altaria.* Juxta hoc Sanchez sic explicat, q. d. Israel quasi vitis, uti frondes, ita et fructus multos protulit, et opibus abundavit, sed has omnes suis idolis, impendit, plures impensurus, si plures habuisset. Alii, q. d. Vitis evacuat, id est, dementat Israelem. Nam : *Fornicatio et vinum auferunt cor* , cap. 4. 11. Sic Jerem. c. 51. ait, *iebokeku*, id est, evacuabunt, terram ejus. Chald. hæc ad captivitatem refert; vertit enim : *Vitis vastata est Israel* , *quæ erat plantata cum legem exsequeretur : et fructus respondit ei. Nam opera ejus mala facient ut exsulet.* Vitis ergo vastata similem fructum feret, scilicet exsilium et captivitatem.

Allegor. vinea est Ecclesia , et tropologice anima quævis fidelis, idque primo, quia antiquis, præsertim Patriarchis , potissimum prædium erat vinea. Ita Noe mox à diluvio plantavit vineam, Gen. 9. v. 20. Sic Deus Israelitis in terra promissa promisit vineta, Deut. 6. 11. Sic sponsa Cant. 8. 11. hæreditatem suam vocat vineam : *Vinea*, ait, *mea coram me est*, q. d. Mihi carissima et vicinissima, in ea vel juxta eam dego, illa oculis meis semper obversatur. Sole-

bant enim veteres, uti et moderni, in atrio domus ad januam plantare vineam, ad umbram et ad amœnitatem. Est enim vinea quid medium inter hortum et agrum : nam hic quæstuosus est, ille deliciosus; vinea est quæstuosa et deliciosa.

Secundo, quia vinea maxime fructifera est : tum quia vinum fert, quod Deum lætificat et homines, Judic. 9. 13; tum quia nulla arbor vite feracior, si ejus tenuitatem spectes : tum quia multæ vineæ bene excultæ copiosum dant fructum, uti fuit illa de qua Cato, quæ ex singulis jugeribus dabat decem vini culeos. *Efficaci exemplo,* ait Plinius libr. 14. 4, *non maria plus temerata conferre mercatori, non in rubrum littus Indicumve merces petitas, quàm sedulum ruris larem.* Hinc Sapientia sese deprædicans : *Ego,* ait, *quasi vitis fructificavi,* Eccli. 24. 23. Talis vitis fuit S. Polycarpus, discipulus S. Joannis Apostoli, Christianorum in Asia doctor, pater, et dux ad martyrium, de quo proinde vere Poeta :

> Fructificas, Polycarpe, Deo, more, ore et amore :
> A fructu merito nomen et omen habes.

Nimirum polycarpos poscit, amat et provehit Deus, non polyphyllos; fructiferos, non frondosos. Denique vinum quod profert vitis, ita vires hominis reficit et recreat, ut non tantum lac senum, sed lignum vitæ, imo vita hominis dici possit.

Tertio, quia vinea jucundissima est, sive ordines vitium, sive pampinos, sive botros vernantes et rubescentes spectes. Quocirca sponsa sponsum ad ambulandum per vineam invitat in Canticis. Denique musti ex uvis recens expressi tanta est vis, ut lagenas et vasa sæpe diffringat, ut homines non tantum ebrios, sed et mentis impotes, et quasi amentes efficiat.

Ita Ecclesia et anima fidelis, primo, est prædium Deo charissimum; secundo, fertilissimum bonorum operum; tertio, amœnissimum; quarto, efficacissimum : licet enim exterius instar ligni vitis sit vilis et despecta, interius tamen habet succum vivificum, puta spiritum Christi, quo languidi et quasi emortui reviviscunt, incalescunt, aliosque Dei amore inflammant ad ardua virtutum opera. Hoc ergo est vinum germinans virgines, id est, castos et immortales : virgo enim, vivido roseoque colore florescens, juventæ nunquam senescentis et immortalis vitæ est symbolum; ita Prado loco citato. Et S. Bern. ser. 63. in Cant. : *Viro sapienti,* ait, *sua vita vinea est, sua mens, sua conscientia, nil quippe incultum desertumve in se sapiens derelinquet.* Et mox : *Cui virtus vitis, cui actio palmes, cui vinum testimonium conscientiæ, cui lingua torcular expressionis, sermo, cogitatio, conversatio; et si quid aliud est ex eo, quidni totum Dei agricultura, Dei ædificatio est, et vinea Domini sabaoth?* Vinea ergo hæc non tantum frondosa, sed et florens, fructifera et vinosa est. Idem serm. 65. Ecclesiam vocat *vineam grandem nimis,* Domini plantatam manu, redemptam sanguine, rigatam verbo, propagatam gratia, fecundatam spiritu. Et serm. 60 : *Si vineæ animæ flos opus, odor opinio est, fructus quid? martyrium. Et vere fructus vitis, sanguis est Martyris. Quidni mustum rubens probatum, pretiosum plane de vinea Sorec, torculari passionis expressum?* Denique vide eumdem libr. de Passione Domini, qui totus est de mystica hac vite et vinea. Explicans enim illud Joan. 15 : *Ego sum vitis vera,* docet Christum esse veram vitem, cujus proinde præcisionem, circumfossionem, vincula, culturam et speciem Christo accommodat. Deinde cap. 8. et seq. septem vitis hujus folia mystica recenset : mox c. 16. ejusdem flores : *Habuit,* inquit, *vitis ista vera non unius, sed omnium florum speciem, violam humilitatis, lilium castitatis, rosam patientiæ et charitatis, et florem abstinentiæ, quem crocum appellamus.* De his dicitur in Cant. : *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Et : *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.*

Secundum multitudinem fructus sui multiplicavit altaria.] *Fructus* vocat frondes; non enim uvas, sed frondes proferebat hæc vitis, uti paulo ante dixi : per frondes intelligit filiorum frugumque copiam, q. d. Quanto plures habebat cives et opes Israel, tanto plura ædificavit idola et altaria; quia instar vitis frondosæ, in ea totus effluxit; ita S. Hieron. Theodor. Theoph. Chald. Lyran. et Vatabl. in Hebr. est elegans paronomasia inter טוב *tob*, et היטיבו *hetibu*, q, d. Secundum bona terræ fecerunt bona idolis, quasi earum largitoribus, ut quo plus bonorum ab iis se accipere putabant, eo plus iis impenderent. Sic ait de Deo frugum Virgil. Eclog. 7 :

> Nunc te marmoreum pro tempore fecimus, at tu,
> Si fœtura gregem suppleverit, aureus esto.

Hoc est quod subdit hìc Propheta : *Juxta ubertatem terræ exuberavit simulacris.* Ita impii Deo reddunt mala pro bonis, et beneficia vertunt in maleficia, ac fruges in gladios, divitias in vitia, quibus contra auctorem eorum pugnant pro diabolo.

2. Divisum est cor eorum.] Hebr. *divisit cor eorum;* Septuag. *divisit corda sua,* quia scilicet Israel, puta Samaritæ, separarunt mentem suam primo, à Deo Deique lege, ait Chald. et Theophyl.; secundo, à sese invicem, q. d. Animis et odiis inter se dissident, dum hi hæc, illi illa idola, alii alia inducere conantur. Ita S. Cyrill. Theodoret. Albert. et Hugo. Simili modo inter hæreticos perpetua videmus schismata et jurgia, quæ parit superbia. Cum enim fastu tumeant, nolunt aliorum hæreses sequi esseque eorum discipuli; sed ipsi novorum dogmatum auctores et magistri esse satagunt. Porro Hugo putat hìc notari schismata inter Juda et Israel, sive inter Roboam et Jeroboam, ac consequenter inter Deum et vitulos aureos : hos enim coluit Israel, illum Juda. Verum hoc remotius est : vicinius S. Hieron. Haymo et Albert. putant hìc significari schisma inter Hosee ultimum regem Israel, et populum, dum populus vitulos, rex Deum colendum censeret : sed hujus schismatis in Scriptura nulla est mentio, imo de Hosee rege dicit 4. Regum 17. 2 : *Fecitque malum coram Domino,* quia, ut videtur, coluit vitulos aureos, non Deum; tertio : *Divisum est cor eorum in seipsis,* dum partem ejus Deo, partem idolis dare volunt. Cupiunt enim tam Deum, quàm idolum colere, ut utrumque habeant propitium, ut patet 4. Reg. 17. 33. Ita Lyran. Sic Romani colebant deos omnium gentium, ut omnes haberent propitios et faventes, ne, si quem negligerent, eum contra se concitarent; uti Trojani colendo Venerem, concitarunt contra se Juno-

nem, uti narrat Virgil. 1. Æneid. Putabant enim inter Deos esse lites et bella, uti sunt inter homines.

NUNC INTERIBUNT,] q. d. Idcirco jamjam exscindentur et desolabuntur, ut vertunt Septuag. divisio enim et schisma est causa ruinæ et interitus. Verum enim est illud Christi : *Omne regnum in se divisum desolabitur ;* secundo, cum Chald. Aria et Vatablo verti potest : *Nunc delinquent,* q. d. Insigne delictum et enorme flagitium est, hæc cordis eorum divisio à Deo et proximis, imo à seipsis. Hebr. enim אשם *asçam* et delinquere, et desolari, sive exscindi et interire significat.

IPSE, scilicet Deus, CONFRINGET per Assyrios SIMULACRA EORUM] Israelitarum. Ita S. Hieron. Theodor. Theophyl. Albert. et Vatabl. Hebræi enim sæpe suppositum subticent, et ex circumstantiis subintelligendum et supplendum relinquunt ; secundo, *ipse,* id est *ipsum,* scilicet cor divisum : לב *leb* enim, id est *cor*, hebr. est masculini generis, æque ac *ipse :* vel certe *ipse,* scilicet Israel, qui divisit cor suum, ut habent Hebræa, q. d. Ipse dissensus animorum, ipsa discordia, ipsa schismata et factiones perdent eos, tradentque hosti, qui simulacra, æque ac domos et urbes eorum evertet. Ita à Castro. Unde sequitur :

3. QUIA TUNC DICENT : NON EST REX NOBIS, etc.] q. d. Cum viderint adventare Assyrios, ac Samariam obsidere , nec Hosee regem suum posse eis resistere, tunc dicent : Non est rex qui nos possit tueri ; rex noster perinde est, ac si non esset rex, idque juste accidit nobis, quia non timemus, nec colimus Dominum , sed idola. Deo enim, qui est Rex regum et Dominus dominantium , irato , quis mortalis rex juvare et salvare poterit? Ita Lyran. et Vatabl. Unde secundo, S. Hieron. Theodor. et Albert. exponunt, q. d. Cum Hosee rex capietur ab Assyriis, dicet Israel : Jam orbati sumus rege; quia Deum regem regum reliquimus. Tertio , à Castro, q. d. Deus qui solet nos regere, esseque rex noster, nos deseruit ; quia non coluimus eum : quid ergo opis nobis conferet Hosee rex miser, et ruinæ proximus : denique Hugo et Arias exponunt, q. d. En regnum Israel quod invito Deo instituimus, jam succisum est : quia Deum non timuimus. Quid ergo illud nobis profuit, aut proderit, quod nos secum trahit in ruinam ?

Moral. discant hìc resp. et reges omnem eorum potentiam esse imbellem et invalidam, nisi Dei cultu et ope fulciatur. Hoc professus Salomon. 3. Reg. 2. 24 : *Vivit,* ait, *Dominus, qui firmavit me, et collocavit me super solium David patris mei.* Et Davidi ait Deus psalm. 88. 36 : *Semel juravi in sancto meo, si David mentiar : semen ejus in æternum manebit, et thronus ejus sicut sol in conspectu meo.* Quocirca David moriens Salomoni hæc ultima dedit monita : *Observa custodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus,* etc. *ut confirmet Dominus sermones, quòs locutus est de me, dicens : Si custodierint filii tui vias meas, et ambulaverint coram me in veritate in omni corde suo, et in omni anima sua, non auferetur tibi vir de solio Israel.* Quin imo Moses moriturus, ex ore Dei de regibus ita sanxit Deuter. 17. 18 : *Postquam sederit* (rex) *in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium* , etc. *legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discant timere Dominum Deum suum, et custodire verba, et cæremonias ejus,* etc. *ut longo tempore regnet ipse, et filii ejus.* Hoc ipsum æterna sapientia edicit Prov. 8. v. 15 : *Per me reges regnant.* Hinc de Josaphat pio rege dicitur 2. Paral. 2 : *Fuit Dominus cum Josaphat, quia ambulavit in viis David patris sui,* etc. *confirmavitque Dominus regnum in manu ejus,* etc. *factæque sunt ei infinitæ divitiæ et multa gloria.* Hac de causa Agapetus recte monuit Justinianum Imper. uti refert Baron. tom. 7. in Justin. : *Sceptrum,* inquit, *imperii cum à Deo susceperis , cogitato quibusnam modis placebis ei qui id tibi dedit , cumque omnibus hominibus ab eo sis prælatus, præ omnibus eum honorare festina.*

Viderunt idipsum Gentiles. Scribit Plinius de Viris illustr. c. 2. Numam Pompilium, secundum Romanorum regem, ferum populum *religionis institutione et utilibus legibus domuisse , suumque regnum ita firmasse , ut pendente ejus regno nemo illi bellum moverit.* Apud Livium lib. 44. est illa vox C. Marcii : *Favere pietati fideique deos, per quæ populus Romanus ad tantum fastigii pervenit.* De Agesilao Spartanorum duce ita scribit Xenophon in ejus laudibus : *Existimabat divina auxilia non minus in hostili, quàm amico in solo imploranda esse.*

4. LOQUIMINI VERBA VISIONIS INUTILIS.] Legit Interpres דברו *dabberu* in imperativo , id est, *loquimini :* jam legunt דברו *dibberu* in præterito , id est locuti sunt. Chald. vertit in præsenti , *loquuntur verba violenta;* quia Hebræi carent præsenti, et pro eo utuntur præterito. Rursum pro *visionis inutilis* , hebr. est שוא אלות *aloth scau* , id est, *juramenti mendacis,* vel futilis et *inutilis.* Solebant enim Prophetæ suas visiones, sive prophetias confirmare juramento, dicendo : *Vivo ego, dicit Dominus,* id est, juro per vitam meam ; aut potius se diris devovendo , dicere : *Hæc mihi faciat Deus, et hæc addat, si mentior.* Hebr. enim *alot* significat juramentum exsecratorium, maledictionem et imprecationem tristium. Talis ergo visio et prophetia vocatur *ala,* id est exsecratio, quia fiebat cum exsecratione. Sensus est ergo, q. d. Loquimini sane, et jactate verba pseudo-prophetarum, qui afferunt suas visiones, easque jurando et pejerando confirmant, sed mendaces et futiles. Pollicentur enim omnia prospera , nec timendos esse Assyrios, sed mentiuntur et decipiunt vos, aguntque in ruinam. Est ironia : ridet enim et subsannat eos, quod falsis prophetis et seductoribus fidem habeant in suam perniciem : loquuntur enim visiones, sed futiles et mendaces, puta non Dei oracula, sed cerebri sui somnia. Ita S. Hieron. Haymo, Hugo et alii.

FERIETIS FOEDUS.] Hæc sunt *verba visionis inutilis,* seu oracula pseudo-prophetarum. Dicebant enim : *Ferietis* , vel ferite, *fœdus,* scilicet cum diis vestris, æque ac regibus, jurando et devovendo vos diris, si unquam eos eorumque schisma deseratis, et ad Deum domumque David in Jerusalem et templum redeatis. Ita Vatabl. Arias et Clarius ; secundo, ferite fœdus cum Assyriis, aut cum Ægyptiis : si hoc feceritis, omnia erunt vobis secura et prospera. Ita ipsi. At fallunt : nam instat vobis amaritudo captivitatis. Unde de ea subdit :

ET GERMINABIT QUASI AMARITUDO JUDICIUM SUPER SULCOS AGRI.] Pro *amaritudo* hebr. est ראש *rosç,* quod significat venenum, amaritudinem, resque

venenatas et amarissimas, uti est fel, virus serpentum (unde Chald. vertit: *Caput serpentum maleficorum*) colocyntides, absynthium, etc. Septuag. vertunt, *germen*, scilicet amarum et noxium. Sensus ergo est, q. d. *Judicium*, id est, supplicium Israelis, *germinabit*, et prodibit quasi *amaritudo*, id est, amaræ et noxiæ herbæ, v. g. absynthium, *super sulcos agri*, ubi copiosius germinant, utpote terra sulcata et elaborata, q. d. Uti noxiæ herbæ copiose germinant in terra culta; ita copia suppliciorum germinabit in Israel, qui in agro tam terræ, quàm cordis duxit sulcos non pietatis, sed impietatis: hisce enim cor suum sulcavit, id est, studiose et data opera peccavit, sculpendo et colendo idola, ac Deum Deique legem et minas spernendo; idque ex eo quod credidit pseudo-prophetis dicentibus eum, si id faceret, fœdusque cum idolis feriret, tutum et securum fore. Ita Theod. Theoph. Arias, Vatab. et S. Hier. qui et addit de hac amaritudine supplicii: *Ut qui seminaverunt copiose in gaudio, copiose metant in lacrymis; qui riserunt, fleant; qui habuerunt consolationem, lugeant.* Alludit ad minas et exsecrationes Mosis Deut. 29. 18: *Ne forte sit inter vos vir aut mulier, familia aut tribus, cujus cor aversum est hodie à Domino, ut vadat et serviat diis illarum gentium, et sit inter vos radix germinans fel et amaritudinem. Cumque audierit verba juramenti hujus, benedicat sibi in corde suo dicens: Pax erit mihi, et ambulabo in pravitate cordis mei. Et Dominus non ignoscat ei, sed tunc quàm maxime furor ejus fumet.* Imo hasce minas in Israele jam implendas Osee hîc prædicit; secundo, *judicium*, id est vindicta, *super sulcos agri*, accipi potest sterilitas inducta agris, q. d. Deus puniet vos agrorum sterilitate, ut, licet sulcati et seminati, non proferant segetem, sed potius spinas, tribulos, lolia, herbasque amaras et venenatas.

5. Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ.] *Bethaven* est Bethel. Bethel enim, id est domus Dei, dicta est, ob visum ibi à Jacobo Deum scalæ innixum. Eadem deinde dicta est *Bethaven*, id est domus iniquitatis, vel idoli, ob vitulos aureos quos ibi adorandos proposuit Jeroboam. *Vaccas* ergo, sive juvencas, vocat hosce vitulos. Unde Septuag. hîc vertunt, *vitulum;* et de eo mox sequitur: *Quia luxit super eum* (vitulum) *populus.* Pro quo nota: Vitulus hic fuit Apis, sive Serapis, Deus Ægyptiorum. Hunc enim cum Ægyptiis coluerunt Hebræi degentes in Ægypto, ideoque Deus, ut eos ab hoc idolo avelleret, jussit Mosi ut eos educeret ex Ægypto in Sina: ubi cum Moses, accepturus legem, diutius cum Deo hæreret in monte, mox populus volens redire in Ægyptum, Apin, puta vitulum aureum, quasi ducem viæ sibi conflavit, Exodi 32. 4. Eumdem renovavit et revocavit Jeroboam, faciens schisma à Deo et à domo David: lege historiam 3. Reg. 12. v. 28; Porro Jeroboam non unum, uti videtur velle S. Hieron. Haymo, Rupert. Hugo et Lyran. sed plures erexisse vitulos patet, tum 3. Reg. 12. 28. tum quia hîc eos vocat *vaccas* in plurali. *Vaccæ* ergo *Bethaven* sunt duo vituli aurei, quos fecit Jeroboam, unumque posuit in Bethel, alterum in Dan. Dan ergo, æque ac Bethel, vocatur hîc *Bethaven*, id est, domus idoli.

Nota: Scriptura hos deos nunc vocat *vitulos*, nunc *vitulas*, vel *vaccas*. Primo, quia Patres quos citavi Exodi 32. v. 4. docent eos non fuisse integros vitulos, sed tantum capita vitulina, ita ut Aaron Hebræis tantum conflaverit caput vituli: unde an is mas esset, an femina, puta an vitulus, an vitula, vix dignosci poterat; secundo, quia valde verisimile est, si è capite sexus dignosci poterat, fuisse vitulas potius quàm vitulos; tum quia Herodot. lib. 2. id docet: *Boves mares*, inquit, *eosdemque mundos, ac vitulos universi Ægyptii immolant; feminas eis immolare non licet, utpote Isidi consecratas. Nam Isidis simulacrum muliebre est bubulis præditum cornibus, quemadmodum Io Græci describunt, bovesque feminas omnes itidem Ægyptii venerantur ex omnibus pecudibus longe plurimum:* tum quia hebr. vocantur עגלות *eglot* feminine, id est vitulæ, uti vertunt Sept. 3. Reg. 12. 28. ac Joseph. lib. 8. Ant. c. 3; sive vaccæ, uti vertit Noster hîc. *Vaccas* ergo novellas accipe, id est vitulos adultos, aut potius adultas: vitulus enim, uti et bos, asinus, equus, ovis, camelus, et cætera animalium nomina utrumque sexum, puta tam feminam, quàm marem significant. Hæc sententia valde probabilis est: contraria tamen, scilicet fuisse vitulum, potius quàm vitulam, non est improbabilis, eamque videtur sequi S. Hieron. Rupert. Vatabl. et Arias. Ratio est, quia passim vocatur *vitulus;* hîc tantum vocatur *vacca* ad irrisionem. Apis ergo, sive Serapis, erat bos, vel vitulus corpore nigro, candida fronte, habens in tergo albam notam vel maculam, uti dixi Exodi 32. 4.

Tropolog. peccator qui carni, abdomini, ventri et veneri indulget, colit vitulos et vaccas Bethaven, cum iisque vitulatur, fitque quasi vitulus. Sicut enim vituli et vaccæ stupidi sunt, petulci, jugum subeunt, terram aratro subigunt, et collum oneri supponunt; ita et carnales stupidi fiunt mente, lasciviunt, labores maximos subeunt, ut suis deliciis fruantur, onera gravissima et pene importabilia suscipiunt, fœno pascuntur, totique in terram et terrena projecti sunt.

Coluerunt.] Hebr. est יגורו *iaguru*, id est timuerunt, hoc est, coluerunt et venerati sunt, ut vertit Noster. Chald. et alii; nam *primus in orbe deos fecit timor.* Hinc in Scriptura timor Dei significat venerationem et cultum Dei. Timor ergo hic est reverentia Dei. Ita S. Hieron. Theodoret. Haymo et alii.

Aliter Vatabl. Arias, Pagnin. et Clarius, q. d. Samaritæ, videntes ab Assyriis vastari Bethel et vitulos suos, pavebunt, timentes quod et ipsimet propediem simili clade vastabuntur. Septuag. vertunt, *morati sunt:* גור *gur* enim significat proprie peregrinari, morari, degere; inde גר *gher* est peregrinus, et quia peregrini peregre, apud exteros et incognitos sunt timidi et pavidi, hinc *gur* significat quoque timere, pavere. Vertunt ergo Septuag. *Apud vitulum domus* ὤν (pro און *aven* enim legunt ipsi per crasin און *on*) *morabuntur habitatores Samariæ.* Hinc et Vatabl. vertit: *Ad vitulas Bethaven concurrent Samaritæ.*

Quia luxit super eum populus ejus. *Eum*, scilicet vitulum, ut vertunt Septuag. Itaque quas ante *vaccas* vocavit, hîc *vitulum* vocat, ob causas jam dictas: et quia voluit substantiam tantum idoli, non sexum, non numerum significare, scilicet quod esset bos, sive vitulus, non equus, non hircus, non aries. Sensus ergo est: *Luxit*, id est lugebit, populus super vitu-

lum Deum suum, cum scilicet videbit eum ab Assyriis capi, et captivum avehi in Assyriam. Lugebunt ET ÆDITUI EJUS, puta sacerdotes et custodes vituli ejusque templi, qui antea EXSULTAVERUNT IN GLORIA EJUS, cum ipse ab omnibus coleretur: QUIA GLORIA hæc vituli MIGRAVIT AB EO.]

6. SIQUIDEM ET IPSE (vitulus) IN ASSUR (Assyriam) DELATUS EST, MUNUS REGI ULTORI.] Septuag. *et ipsum vinciendum duxerunt xenia regi*, q. d. Vitulum hunc captivum, quasi munus et xenium insigne abstulerunt Assyrii regi suo. Nota primo: τὸ *quia* hîc non causam significat, sed eventum, hebr. enim. כי *ki* sæpe tantum consequentiæ et ornatus causa additur, idemque valet quod *hinc*, *hac de causa*, *idcirco*. Secundo, post τὸ *æditui*, more Hebræo subauditur relativum אשר *ascer*, id est *qui*. Tertio, regem Assyriorum vocari *ultorem*, id est vindicem; Symmach. ὑπερμαχοῦντα, id est præsulem et defensorem, ob causam quam dedi c. 5. 13. Allegor. Tertull. l. 4. contra Marcion. c. 42: *Oseas*, inquit, *de Christo prophetavit: Et vinctum eum ducent xenium regi;* nempe cum Pilatus eum misit ad Herodem. Sed perperam; donum enim hoc fuit idolum, puta vitulus aureus, qui nequit esse typus Christi.

CONFUSIO EPHRAIM (Ephraimitas, id est Israelitas, sive Samaritas) CAPIET, ET CONFUNDETUR ISRAEL IN VOLUNTATE SUA.] Hebr. מעצתו *meatsato*, id est *à consilio suo*, ut vertunt Septuag. Vatabl. et alii.

Quæres: Quænam hæc confusio, quæ voluntas, quodnam consilium? Primo, S. Hieron. Theodoret. Theophil. Haymo et Hugo: *Tradunt*, inquiunt, *Hebræi vitulos aureos à sacerdotibus furto esse ablatos, et pro his æneos et deauratos repositos. Cum igitur lugeret populus tempore necessitatis et angustiæ, etiam vitulos aureos inter munera cætera Assyriis regibus, et maxime regi Sennacherib, ab Israel esse directos; exsultabant æditui quod fraus eorum nequaquam posset argui et deprehendi. Et hoc est quod ait: Æditui ejus, scilicet vituli, super eo exsultaverunt in gloria populi, hoc est, in vitulo quem habebant pro gloria; quia migrasset ab eo, id est à populo, et translatus esset ad Assyrios. Siquidem ipse delatus est munus regi ultori, statimque sequitur: Confusio capiet eos, etc. Deprehensa enim fraus vitulorum deauratorum, regi Israel litteris indicatur; unde se placere existimaverant, inde vel maxime confunduntur, et offendunt eos quibus munera miserant, existimantium non furto sacerdotum, sed fraude regum atque consilio hoc esse perfectum.* Additque S. Hieron. *Legimus, 4. Reg.* 15. 19, *regem Israel Manahen regi Assyriorum Phul mille talenta argenti misisse, ut ei præberet auxilium, inter quæ nonnulli arbitrantur etiam vitulos aureos esse directos.* Consilium ergo hoc sacerdotum fuit, quod suaserint regi Israel, ut vitulos deauratos mitteret dono regi Assyriorum, ut sic fraus eorum lateret, qua ipsi furati vitulos aureos, supposuerant æneos deauratos; confusio et pudor eorumdem fuit, cum fraus eorum, detecta per regem Assyriorum, redundavit in caput regis Israel, et tandem in caput ipsorummet sacerdotum. Aliter Theophil. opinatur enim sacerdotes suasisse principibus, ut vitulos hosce mitterent in Assyriam, quod sperarent eos ab Assyriis adorandos, sed confusi sunt; nam Assyrii eos confregerunt. Aliter et Theodoret. Consilium, ait, hoc fuit de mittendo vitulo in donum Sua regi Ægypti, ut is Israelitas tueretur contra Salmanasar. Sed confusi sunt: nam et vitulum perdiderunt, et à Sua adjuti non sunt.

Verum hæc omnia incerta sunt, et fabulas Rabbinicas olent, præsertim quia Osee satis significat vitulum hunc non datum, sed captum ab Assyriis c. 8. 5: *Projectus est*, inquit, *vitulus tuus, Samaria.* Et hic v. 2: *Ipse confringet simulacra eorum.* Et v. 8: *Disperdentur excelsa idoli, peccatum Israel.*

Dico ergo: Voluntas hæc et consilium Israelis fuit, quod vitulum quasi numen suum elegerint, et Deo vero prætulerint, eique, non Deo, servire voluerint, sperantes ejus ope se tutos fore ab Assyriis. Sed confusi sunt: nam vastati sunt cum vitulo, qui ab Assyriis captus et irrisus, in donum oblatus fuit regi ultori, puta Salmanasar qui ultus est defectionem Israelitarum tam à Deo, quàm à se, quod scilicet contra fœdus secum initum confugissent ad sua regem Ægypti. Ita Lyran. Arias, Vatabl. Ribera, à Castro et alii.

Tropol. S. Gregor. explicans illud S. Job, c. 21. 16: *Consilium eorum longe sit à me. Quod est*, inquit, *iniquorum consilium, nisi terrenam gloriam quærere, æternam negligere: salutem temporalem cum damno interiori appetere, et dolores transitorios ad æternos gemitus commutare?*

7. TRANSIRE FECIT SAMARIA REGEM SUUM.] Hebr. נדמה *nidme*: quod primo verti potest, *exscindetur in Samaria rex ejus*, scilicet rex Samariæ, puta Hosee occidetur in ea. Ita Vatabl. Secundo: *Similis est cum Samaria rex ejus spumæ, quæ est in superficie aquarum*, q. d. Rex cum regno instar spumæ dissipabitur et evanescet. Ita Arias. Tertio: *In silentium redacta est*, vel *obmutefacta est*, id est periit, disperiit *Samaria cum rege suo.* Ita Forster. Quarto, Noster passivum *nidme* accepit pro activo דמה *dama*, vel *dimma*, id est excidit. Unde vertit, *transire fecit;* Septuag. *abjecit;* forte pro נדמה *nidme* legerunt נדפה *niddepha*, id est impulit, propulit, propulsavit Samaria regem suum quasi spumam; spuma enim ab unda et fluctu proprie propelli dicitur, q. d. Samaria idola colendo transire fecit, impulitque in exitium regem suum quasi spumam. Suo enim scelere apud Deum meruit et effecit, ut regnum suum cum rege ab eo exscinderetur, et transiret celerrime, evanesceretque ut spuma aquæ propulsa et dispulsa à fluctibus. Rursum, q. d. Cum rex populo in idololatriam propenso obsecundaret; et hic sceleris avidus regi assentiretur et assentaretur, fecit populus, quem aquæ multæ repræsentabant, regem suum perire quasi spumam ex se natam, eam scilicet in seipso, velut in aqua consumens, perdens et evanescere faciens. Aliter Sanchez, qui per regem accipit idolum, puta Moloch, vel vitulos aureos, quos secum perdiderunt Samaritæ.

Nota: Pro *spumam* hebr. est קצף *ketseph*, quod proprie significat ebullitionem et effervescentiam; inde iram ebullientem, inde bullam et spumam. Septuag. vertunt, φρύγανον, quod Interpres *cremium* vertit, puta sarmenta, stipulæ, omniaque ignis fomenta ad cremandum facilia, quibus fornax incenditur, vel torretur aliquid atque frigitur: à frigendo enim vocatur

φρυγανον. Ita ex Columella et Plinio S. Hieron. Hæc enim sarmenta, vel stipulæ, instar spumæ ab aqua propelluntur, et si accensa sint, ab ea mox exstinguuntur, ait Theodoret. Symmachus vertit, επιζεμα, *volens ostendere ferventis ollæ superiores aquas, et in spumam bullasque surgentes, quas Græci πομφολυγας vocant*, ait S. Hier. Syrus vertit: *Rejecit Samaria regem suum quasi paleam*, vel *quasi testudinem* (pro *ghelo* enim aliis punctis legi potest *golo*) *super faciem aquæ;* Arabicus Antioch. *Despexit Samaria regem suum quasi herbam super aquas*, v. g. algam. Arabicus Alexand. *Sustulit Samaria regem suum sicut spumam, quæ est super faciem* (superficiem) *aquarum.*

8. ET DISPERDENTUR EXCELSA, altaria, sacella et templa (hæc enim Judæi more Gentilium erigebant in montibus, locisque excelsis) IDOLI, puta vituli aurei in Bethel erecti, quod est PECCATUM ISRAEL.] *Peccatum* vocat non actum, sed objectum peccati, puta idololatriæ.

ET DICENT, Israelitæ in excidio Samariæ per Salmanasar, MONTIBUS: OPERITE NOS], q. d. Tanta erit clades et cædes Israelitarum, tantus clamor, pavor et horror Assyriorum, ut qui poterunt abdant se in speluncas et cavernas: qui non poterunt, optent montibus et collibus operiri et contegi, ne hanc stragem videant et sentiant; *ut nemo futurus sit*, ait Theophyl. *qui non malit obrui aut terra discedente, aut repentino montium casu, quàm mala ab hostibus admissa sustinere.* Et Cyrill. *Dicent*, inquit, *montibus, in quibus idola colebant: Cadite super nos, et anticipate crudelitatem Babyloniorum, et captivitatis extremam miseriam.*

Nota ad litteram, ut patet ex antecedentibus et sequentibus, hæc intelligi de excidio et calamitate extrema ac desperata decem Tribuum, cum ab Assyriis excisa est Samaria. Ita S. Hier. Cyrill. Ruffin. et alii. Allegor. vero hîc dari typum calamitatis et excidii, tum Jerusalem per Titum et Romanos, quæ tanta fuit, ut in cryptas et cloacas se abderent Judæi, teste Josepho; excidium enim Samariæ fuit typus et præludium excidii Jerusalem; unde eidem hæc accommodat Christus Lucæ 23. 30. Ita S. Hieron. Haymo, Theophyl. et Hugo. Imo Rupert. vult hunc esse sensum litteralem; sed perperam. Tum totius orbis in fine mundi; unde eidem hæc adaptat S. Joannes Apocal. 6. vers. 16. Simile est Isaiæ 2. 19: *Introibunt in speluncas petrarum, et in voragines terræ à facie formidinis Domini.* Sic apud Senecam in Troadibus vidua Hectoris, occultans filium in sepulcro, ait ei:

Fata si miseros juvant,
Habes salutem: fata si vitam negant,
Habes sepulcrum.

Quod Malchus Monachus, teste S. Hieron. in ejus Vita, herum insequentem fugiens, abdensque se in speluncam, sibi adaptans: *Si*, inquit, *Dominus miseros juvat, habemus salutem; si despicit peccatores, habemus sepulcrum.*

Anagog. hæc plane pleneque congruunt damnatis in gehenna, qui optant mortem, ut pœnas evadant, et mori nequeunt. De quibus S. Bernard. lib. 5. de Consid. cap. 12: *Horreo*, ait, *vermem mordacem, et mortem vivacem. Horreo incidere in manus mortis viventis, et vitæ morientis. Quis det illis semel mori, ut non moriantur in æternum? Qui dicunt montibus: Cadite super nos; et collibus: Operite nos, quid nisi mortem mortis beneficio aut finire, aut evadere volunt? Denique invocabunt mortem, et non veniet*, ait S. Joannes Apocal. 9. Unde Arabicus vertit: *Et dicent montibus, et rupibus, et collibus: Cadite super nos.*

9. EX DIEBUS GABAA PECCAVIT ISRAEL,] q. d. Priscum et inolitum est hoc idololatriæ Israelis peccatum, olitana et pertinax hæc in eo est labes et macula, quæ proinde non nisi igne et excidio purgari et evelli potest.

Quæres: Quinam sunt dies Gabaa? Primo, Chald. hæc refert ad Saulem, qui creatus est rex in Gabaa; peccavit enim Israel petendo regem contra voluntatem Dei, q. d. A tempore Saulis peccavit Israel, et Deo rebellare cœpit: in Gabaa ergo tam populus, quàm rex steterunt coram Domino: imo contra Dominum; et tamen non comprehendit eos prælium susceptum *super*, id est contra, *filios iniquitatis*, puta Philisthinos incircumcisos et infideles, q. d. Licet Israel peccaverit creando regem Saulem, tamen Deus eum non deseruit, nec tradidit Philisthæis, sed potius eos illi subjugavit. Nam, ut dicitur 1. Reg. 14. 52: *Erat bellum potens adversus Philisthæos omnibus diebus Saul.* At Israel, tantæ Dei clementiæ immemor et ingratus, ab eo descivit ad idola. Ergo acriter ab eo punietur. Hoc est enim quod subdit: *Juxta desiderium meum corripiam eos.* Verum in creando Saule rege non peccavit solus Israel, de quo hîc agitur, sed et Juda; nec sub Saule, aut post Saulem sub Davide et Salomone à Deo descivit ad idola, sed sub Roboam.

Secundo ergo, melius alii hæc referunt ad tempora Judicum, puta ad tempus quo stuprum in Gabaa est commissum à Benjaminitis in uxorem Levitæ, ob quod omnes pene in prælio deleti sunt, Judic. 19. 20. Sensus ergo est, q. d. Ex eo tempore, quo viri Gabaa et Benjaminitæ scelus in Levitam ejusque uxorem admiserunt, peccavit Israel, scilicet idololatria publica, puta colendo idolum à Micha erectum in urbe Dan Judic. 17. 5. et cap. 18. 30. Nam utramque historiam, puta stuprum Gabaa et idolum Michæ eodem tempore contigisse patet Judic. 17. 1. nimirum statim post tempora Josue, vivente adhuc Caleb, sub Othoniele, ut docent Hebræi, S. Hieron. Ruffin. Rupert. Theodoret. Theophyl. Lyran. à Castro et alii. Unde et Josephus utrumque morti Josue illico subnectit, ante historiam Judicum. Idque demonstratur ex eo quod Phinees filius Eleazari filii Aaron jam tum vivebat, uti ibidem dicitur cap. 17. 6. et cap. 18. 1. et cap. 20. 27; et ex eo quod Jonatham filius Gersam, filii Mosi, consecratus fuerit sacerdos idoli Michæ, uti dicitur cap. 18. 30; rursum quod tum necdum ab Israelitis expugnata esset Jerusalem, uti dicitur cap. 19. 11. Cum igitur Jerusalem expugnatio narretur initio libri Judic. cap. 1, sequitur stuprum Gabaa et idolum Michæ contigisse ante tempora Judicum, et historias eorum libro Judicum esse præponendas. Vide Abulens. ibid. Porro nominat scelus et stuprum Gabaa potius quàm idolum Michæ; quia illud enorme erat, infame et exsecrabile, non tantum coram Deo, sed et coram hominibus; et quia stuprum hoc mystice repræsentabat idololatriam: hæc enim in Scriptura vocatur *fornicatio, adulterium*, etc. Denique, quia, hæc duo vicina et

conjuncta sunt : libido enim est mater idololatriæ, æque ac hæresis; et vice versa idololatræ sunt libidinosi ; ac Gabaitæ utrumque fuisse videntur, et ex uno vitio in alterum prolapsi.

Tertio, pro *ex diebus* hebr. est מימי *mime*, quod verti potest, *præ diebus Gabaa* peccavit Israel, q. d. Gravius peccavit Israel colendo idola, quàm Gabaitæ violando uxorem Levitæ; gravius ergo punientur quàm illi ; cumque illi pene ad internecionem deleti sint, multo magis Israel internecione delebitur. Ita Vatabl. et Sanchez. Aliter Clarius, q. d. O Israelitæ, gravius nunc peccastis colendo vitulos Jeroboam, quàm in diebus Gabaa per stuprum ; illud enim pauci Gabaitæ commiserunt, totus vero reliquus Israel illi restitit, scelusque publico bello vindicavit ; hîc autem nullus est qui idololatriæ vitulorum resistat, sed omnes in eam conspirant. Ego ergo Deus, sceleris æque ac honoris mei vindex exsurgam, omnesque vos sontes plectam per Assyrios.

Ibi steterunt,] q. d. A diebus Gabaa, in idololatria Michæ immobiles perstiterunt, ut patet Judic. 18. v. 30. et 31. æque ac Gabaitæ in defensione stupri. Ita Theodoret. et Theophyl. Perstiterunt, inquam, usque ad Jeroboam, qui idololatriam in vitulis suis renovavit et auxit. Aliter Rupert. et Lyran. q. d. Cum Israelitæ vindicassent stuprum Gabaa, ibi steterunt, nec perrexerunt vindicare gravius scelus, puta idolum Michæ, uti facere debebant. Aliter et Clarius, q. d. In Gabaa unanimiter steterunt Israelitæ ad ultionem sceleris, et conspirarunt ad vindicandum stuprum.

Non comprehendet eos in Gabaa prælium; est hebraismus : cum enim ait, *in Gabaa*, subauditur particula similitudinis *sicut*, q. d. *Comprehendet* Israelitas *prælium*, at *non* tale quale fuit Gabaitarum, vel sicut fuit *in Gabaa*, super, id est contra, filios iniquitatis,] puta Gabaitas, qui abusi erant uxore Levitæ; sed longe gravius, quo scilicet plane exscindetur tam Samaria, quàm rex et regnum totum Israel.

Aliter à Castro, q. d. In Gabaa filios iniquitatis, id est Gabaitas, non comprehendit prælium Israelis ; quia primo et secundo prælio Israel à Gabaitis victus et cæsus est. Verum obstat quod ait, *comprehendet* in futuro : loquitur ergo de futuro, non de præterito. Adde sensum illum videri extra propositum, et difficulter toti sententiæ adaptari.

10. Juxta desiderium meum corripiam eos, q.d. Cum omnes stent et conspirent in prisca idololatria, quam cœperunt à tempore Michæ, desidero et aveo eos insigniter corripere et castigare. Meo ergo nutu et providentia congregabuntur super eos populi (Assyrii), cum corripientur, id est punientur, propter duas iniquitates suas,] puta duos vitulos (est metonymia : idololatria enim ponitur pro ipso idolo) quos coluit, scilicet unum in Bethel, quam v. 1. vocavit *Bethaven ;* alterum in Dan, ubi primitus fuit idolum Michæ in diebus Gabaa, uti innuit v. 9. Ita S. Hieron. Haymo, Albert. Hugo, Lyran. et Clarius ; qui secundo, *duas iniquitates* accipiunt duplicem idololatriam, scilicet unam priscam idoli Michæ in diebus Gabaa, alteram recentem vitulorum Jeroboam. Tertio, Arias exponit, q. d. Gabaitæ unam stupri iniquitatem admiserunt ; hi vero duas, puta fornicationem et idololatriam. Quarto, S. Hieron. addit unam iniquitatem esse, quod non coluerit Deum; secundam, quod coluerit vitulos. Simile est Jeremiæ 2. 13. Interpres noster hebr. אסרם *asram* accepit quasi derivatum à יסר *iasar*, id est corripere. Ordines enim verborum imperfectorum, qualia sunt ארם *asar*, et יסר *iasar*, sæpe commutantur, ita ut unum ab alio modos et tempora mutuetur. Recentiores vero proprie *asram* ab אסר *asar*, id est vincire, ligare, derivant; unde vertunt : *Cum colligarint*, vel conjunxerint *se in duobus jugeribus*, vel *sulcis ;* huncque dant sensum ut sit metaphora à jugo, vel à pari boum arantium, q. d. Sicut duo boves uno jugo constringuntur ad arandum, et ad sulcandos agros, v. g. duo jugera ; ita Israel et Juda conspirabunt in eamdem idololatriam, puta ad colendos duos vitulos aureos. Cum ergo uterque sic conspiraverit, tunc utrumque, quasi duos boves colligatos, cædam et mactabo. Addit Chald. q. d. Sicut Israelitæ laborarunt in cultu duorum vitulorum, ita ipsimet capti et constricti ab hostibus, quasi duo illi vituli arabunt ; damnabit enim eos hostis quasi boves et mancipia ad aratrum et ad agricolationem. Ubi adverte : Pro *iniquitates* hebr. est עונות *onoth*, quod Chaldæus, R. David, Vatablus et alii vertunt, *jugera*, vel *sulcos*. Verum aliis punctis legendum est עונות *avonoth :* aut certe *onoth* per crasin ponitur pro *avonoth*, id est iniquitates ; ita enim vertunt Septuag. Noster, Arias, Pagnin Forster. in Lexico et alii ; nusquam enim alibi *ona* significat jugerum aut sulcum.

11. Ephraim vitula docta diligere trituram.] Sicut v. 1. Israelem comparavit viti frondosæ, sed fructibus vacuæ ; ita hîc eumdem comparat vitulæ, quæ aravit impietatem, et messuit iniquitatem : in eaque metaphora persistit usque ad finem capitis. Porro alludit ad multa: Primo, in voce *Ephraim*, id est frugifer, fertilis, ad fertilitatem terræ Ephraim ; secundo, in *vitula* ad aureos vitulos, vel potius vitulas, sive vaccas, ut dixi v. 5. quas colebat, q. d. Ephraim colendo vitulas vitulatur, œstroque insaniæ agitur quasi vitula. Tertio, *docta*, id est assueta, ut vertit Vatablus et alii. Unus Lyranus vertit, *stimulata*, quod eòdem reduci potest : consuetudo enim illi erat pro stimulo. Alludit ad Apim, id est vitulum, quem Israel in Ægypto coluit ; indeque ejus cultui se assuefecit, eique pertinaciter adhæsit in Chanaan. Rursum ad fruges copiosas Ægypti, quibus Israel inescatus in Ægypto, ad eas earumque triturationem, æque ac ad Apim, quasi earum datorem jugiter anhelabat. Quarto, pro *trituram* hebr. est לדוש *ladusc*, id est ad triturandum, puta ad excutiendum grana è segete. In Palæstina enim, æque ac in Italia, Canariis, aliisque regionibus grana excutiunt, non homines ligneis flagellis, uti faciunt Germani et Galli, sed boves et vaccæ, sive pedibus et ungulis segetem calcando et terendo, sive, ut ait S. Hieron. ferreos orbes super acervum segetum trahendo. Quinto, in voce *docta* et *diligere*, significatur vitulas ad hanc laboriosam trituram condoceri per pabulum, quod ex area capiunt, sed sensim : sæpe enim laxantur; itaque spe pabuli discunt sponte ad aream, et ad triturandum redire ; eo quod dum triturant, subinde segetem ore carpere, ex eaque edere sinuntur, juxta legem Deuter. 25. 4.

Sensus ergo hujus allegoriæ est, q. d. Ephraim instar vitulæ amantis trituram et triturationem, eique assuefactæ, didicit idola colere, et idololatriæ se assuefecit; ac licet subinde ea dimiserit, tamen mox ad ea recurrit: quia per ea sibi frugibus ditari, divesque fieri et prosperari videbatur. Unde labores et molestias, quas in idolorum cultu sustinet, vel non sentit, vel facile superat, quia ex eo putat se frui libertate, opibus, rerumque copia. Ita Rupert. Haymo, Lyran. Hugo. Notat S. Hieron. τὸ *docta* significare consuetudinem et amorem. *Ephraim*, inquit, *similis est vaccæ*, *vel vitulæ*, *quæ à juventute sua didicit aream terere*, *et ferreos orbes super acervum segetum trahere*, *ut paleæ à tritico separentur; et non solum didicit*, *verum nimia consuetudine cœpit amare quæ didicit*. etc.

Aliter explicat Vatabl. q. d. Ephraim mavult triturare, quàm arare, id est, mavult comedere quàm laborare; unde est instar vitulæ saginatæ pinguis et obesus. Et alii: Ephraim, inquiunt, amat trituram, id est regnum, quo trituret, id est sibi subdat, et tributis exhauriat alias tribus et gentes. Hinc

Tertio, Septuag. pro *trituram* vertunt, *contentionem* et vexationem: *Ephraim*, inquiunt, *vitula dicta diligere* νεῖκος, id est *contentionem;* sicut enim tritura affligit et vexat segetem, ita contentio vexat homines, præsertim subditos. Aut potius, ut Theodor. Cyrill. Theophyl. et S. Hieron. contentio hæc est cum Deo. Sicut enim vitulus triturans contendit cum segete, ut ei in grana adimat et excutiat; ita Israel contendebat cum Deo, nec ejus jugum suscipere volebat, sed illud excutiebat; quocirca ego, inquit Deus, collum ejus obesum et superbum premam et subigam per Assyrios. Versioni Septuag. consentit Chald. qui vertit: *Similis est domus Israel vitulæ quam arare docent, et non discit.* Perperam Leo Castrius pro νεῖκος legit νῖκος, id est victoriam, q. d. Ephraim assuetus fuit non domari et vinci, sed vincere, ut ait S. Cyrillus. Sensus tamen eòdem redit.

Verum prima expositio est genuina. Est enim adagium, significans indolem, usumque et morem Israelis, quo assuetus libertati, gulæ et ventri, ardenter et constanter diligebat idola, quasi per eam libertatem et gulam suam expleret. Alludit ad ingenium meretricum; hæ enim sunt, et vocantur *vitulæ* lascivientes. Meretrices enim assuetæ amasiis, scortationi et symposiis, ad ea jugiter redeunt, nec ullis vel amicorum monitis, vel amasiorum contumeliis, vel lue venerea, dolore et sordibus, vel infamia, etc. ab illis avocari se sinunt, sed ad illa semper revertuntur velut canis ad vomitum, etiamsi cum dolore, labore et confusione turpitudinem suam expleant. Sic et Israel assuetus idolis, et idololatrarum gentium commerciis, cum quibus epulabatur, quibusque se ditari putabat, nullis Dei minis, plagis, aut probris ab iis vocari poterat; sed quasi vitula et meretrix lasciviens, cum iis comessabatur et scortabatur assidue. Ita Martinus de Roa lib. 3. Singul. c. 13. et Delrio adagio 954.

Moral. hinc disce quanta sit vis consuetudinis, præsertim meretriciæ. Vulgo et vere dicitur: *Consuetudo est altera natura.* Et Sapiens Proverb. 22. 6: *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Unde S. Gregor. l. 20. Moral. 16: *Vitula*, ait, *trituræ laboribus assueta, relaxata plerumque ad eumdem laboris usum, etiam non compulsa revertitur. Ita pravorum mens hujus mundi servitiis dedita, et rerum temporalium fatigationibus assueta, etiamsi sibi libere vacare liceat, subesse tamen terrenis sudoribus festinat, et usu miseræ conversationis trituram laboris quærit, ut à jugo mundanæ servitutis cessare non libeat, etiamsi liceat.* Et hom. 10. in Ezechiel.: *Nonnulli*, ait, *ut in hoc mundo aliquid esse videantur, terrenis laboribus insudant, insistunt causis, permiscentur jurgiis. Et quamvis se corpore deficere inter labores sentiant, amore tamen terrenarum rerum devicti, delectabiliter fatigantur. Quibus per Prophetam dicitur: Ephraim vitula docta diligere trituram*, etc. *Rogant ut premantur, grave se incurrisse periculum quietem putant.* Talibus congruit illud Jobi c. 30. 7: *Qui inter hujusmodi lætabantur, et esse sub sentibus delicias computabant.* Et illud Isaïæ 5. 18: *Væ qui trahitis iniquitatem in vinculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum!* Vide ibi dicta. Vide et S. August. l. 8. Confes. c. 5. ubi se à concubinatu, cui assueverat, non potuisse expedire narrat, etiamsi is displiceret, ideoque gemeret et suspiraret, donec efficaci Dei gratia tactus, nodum hunc quo concubinæ alligabatur discidit. Sic et hodie qui tractant animas, audiunt sæpe concubinarios, usurarios, ebriosos, etc. suam infelicitatem plangentes, sibique indignantes, quin et vere pœnitentes, qui tamen data occasione ad vomitum statim redeunt. Nam, ut ibidem ait S. August.: *Ego suspirabam ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, et inde mihi catenam fecerat, et constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido; et dum servitur libidini, facta est consuetudo; et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis, unde catenam appellavi, tenebat me obstrictum dura servitus.*

Nota, secundo, Israelem vocari *vitulam*, quia vitulando cum vitulis, vitula potius erat quàm homo. Pulchre Boetius, lib. 4. Consol. phil. prosa 3, ostendit quomodo vitium hominem sua humanitate dejiciat, et in bestiam transformet: *Avaritia*, inquit, *fervet alienarum opum violentus ereptor? Similem lupi dixeris. Ferox atque inquietus linguam litigiis exercet? Cani comparabis. Insidiator occultus surripuisse fraudibus gaudet? Vulpeculis exæquetur. Ira intemperans fremit? Leonis animum gestare credatur. Pavidus ac fugax non metuenda formidat? Cervi similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet? Asinum vivit. Levis atque inconstans studia permutat? Nihil ab avibus differt. Fœdis immundisque libidinibus immergitur? Sordida suis voluptate detinetur. Ita fit ut qui probitate deserta, homo esse desierit, cum in divinam conditionem transire non possit, vertatur in belluam.*

ET EGO TRANSIVI SUPER PULCHRITUDINEM COLLI EJUS.] Vatabl. *Et ego transivi cervicem ejus pinguem*, q. d. Quia Ephraim, id est Israel, pertinaciter diligit trituram idolorum, ex eaque facta est pinguis et obesa, uti ipsa putat; *et*, id est, *idcirco*, ego transivi, id est, transibo super pulchrum pingueque collum ejus, et tumentes ejus cervicum toros jugo imposito edomabo, ait S. Hieron. scilicet per Assyrios. Nota: Transit Deus, cum plagas infligit; hinc *transire*

in Scriptura significat punire. Ita transivit per domos Ægyptiorum, occidens primogenita eorum, indeque sancitum et nuncupatum est Pascha, Exodi 12. 12. Ita S. Hieron.

Ascendam super Ephraim,] uti solet eques ascendere super equum; hoc enim est Hebr. ארכיב arkib, q. d. Deinceps omnino Israelem mihi subjugabo, faciamque ut Assyrii inscendant in collum ejus, perinde ac Sapores Persarum rex conscensurus equum, Aureliani Imper. dorsum quasi scabellum prius inscendebat. Idem fecit Tamberlanes Bajazeti Turcarum Imperatori. Simili schemate ait Jeremias c. 46. 20 : *Vitula elegans atque formosa Ægyptus ; stimulator* (hostis et vastator Nabuchodonosor) *ab Aquilone veniet ei.*

Arabit Judas.] Nota Hebræam metaphoram, qua *arare* significat operari et colere. Hebr. enim חרש *charasc* significat operari, arare et fabricare. Dicit ergo quod, cum Deus ultor ascendet super Ephraim, id est, cum decem Tribus subjugabit Assyriis, trahetque eas captivas in Assyriam, tunc Judas, id est, duæ Tribus hanc Israelis cladem videntes, sibique de eadem metuentes, resipiscent, et sub Ezechia pio rege aratrum legis resument, ideoque persistent in terra sua, ibique colent Deum verum : ac confringent sulcos, id est opera et idola, Jacob,] puta Israelis, sive decem Tribuum. Ita Theodor. et Theophyl. Aut, q. d. Jacob, id est reliqui ex decem Tribubus, profugi ex Samaria, confugient ad Judam, cum eoque in unum populum coalescent et conspirabunt in verum unius Dei cultum, uti in agricolatione conspirant agricolæ, dum unus arat, alter sulcos et glebas confringit. Ita S. Hieron. Haymo, Albert. Lyran. et alii. Huc accedit Vatabl. vertit enim : *Juda arabat, Jacob confringebat ei glebas*, quod tamen alii paulo aliter accipiunt, q. d. Ephraim, id est Israel, dilexit trituram, id est regnum : at Deus subjiciet illum Tribui Judæ, et Judas arabit tanquam paterfamilias; Jacob vero, sive Israel, confringet ei glebas, quasi minister et famulus. Duo ergo hîc significantur : prius, quod Israel profugus conspirabit cum Juda in unum sceptrum unamque religionem ; posterius, quod in hac re minor erit Juda, eique subditus subserviet; Juda enim tenuit sceptrum, juxta promissa Jacobi patriarchæ, Genes. 49. 10.

12. Seminate vobis in justitia, et metite, id est, metetis certissime. Imperativum enim usurpant Hebræi pro futuro, cum ejus certitudinem, quasi illa sit in manu nostra, denotare volunt) in ore misericordiæ.] Hebr. *ad os misericordiæ ;* et ita legit Origenes, tract. 12. in Matth. et S. Ambros. lib. de Naboth. c. 7. Jam *misericordia* tripliciter accipi potest : Primo, ut idem sit quod justitia, et significet opera pia, justa et sancta, q. d. Date operam justis, piis et sanctis operibus : metetis enim et recipietis præmium in ore, id est secundum mensuram misericordiæ, hoc est, eorumdem sanctorum operum. Ita Chald. Theophyl. Haymo, Hugo, Dionys. et alii. *Os* enim hebraice sæpe significat capacitatem, proportionem, mensuram ; unde לפי *lephi*, id est *ad os*, idem est quod *secundum, juxta, pro ratione, mensura* vel *merito* operum, cum de iis agitur, uti norunt hebraice periti, et docent Marinus, Pagninus et alii in Lexicis. Sic Exodi 12. 4. dicitur : *Assumet vicinum juxta* (hebr. *lephi*) *numerum animarum, quæ sufficere possunt ad esum agni.* Et c. 16. 16 : *Colligat unusquisque ex eo* (manna), *quantum sufficit ad vescendum ;* hebr. *lephi achlo*, id est, *secundum os cibi ejus*, hoc est juxta edacitatem ejus, quantum os ejus potest capere et comedere. Sic et Genes. 47. 12. de Joseph dicitur : *Alebat eos omnemque domum patris sui, præbens cibaria singulis;* hebr. לפי הטף *lephi hattahp*, id est, *secundum os parvuli*, hoc est, quantum quisque, etiam parvulus, comedere poterat. Porro *misericordia* in Scriptura sæpe sumitur pro sanctitate et justitia, puta pro operibus sanctis et piis ; quia propria sanctorum virtus et index est misericordia, uti ostendi Daniel. 4. 24. et 2. Corinth. 9. v. 8. Sensus est, q. d. Exercete vos in actibus misericordiæ et justitiæ, id est quarumlibet virtutum, et referetis mercedem amplissimam, *secundum os*, id est, amplitudinem misericordiæ et piorum operum, quæ exercuistis. Explicat enim id quod dixit vers. præcedenti : *Arabit Judas, confringet sibi sulcos Jacob ;* unde persistens in metaphora arationis et agricolationis, explicans subdit : *Seminate vobis in justitia, et metite in ore misericordiæ*, q. d. Quantum justitiæ, id est pietatis, misericordiæ cæterarumque virtutum quasi arando seminaveritis, tantum messis et præmii ex iis percipietis. Huic Prophetæ adagio simile est illud S. Ephrem in serm. ad fratres tom. 2 : *Post formicam apis, post laborem requies* ; et fructus, post tribulationem refrigerium, q. d. Post labores formicæ colliges mel et favos apis. *Acerbitatem enim laboris dulcedo quietis excipit, et asperitatem vitæ gaudium.* Sic Christus *favos post fella* (crucis et passionis) *gustavit*, ait Tertull. libr. de Corona militis, c. 14.

Secundo, planius *misericordia* hîc proprie accipi potest, et ad Deum referri, q. d. *Seminate in justitia*, hebr. *justitiam,* vel *ad justitiam,* hoc est, justitiæ et sanctitatis semina, puta pia de Deo rite colendo desideria et proposita cordi vestro inserite, ut inde opera justa et sancta germinent; sicque metetis eorum segetem, id est, mercedem amplissimam, quam Deus *in ore misericordiæ*, id est, juxta misericordiam suam immensam, quæ merita nostra superat et vota, vobis promittit, et reipsa præstabit. Ita Vatabl. qui vertit : *Seminate vobis ad justitiam, metite beneficentiam*, scilicet Dei ; et Septuag. *Seminate vobis in justitia, vindemiate fructum vitæ.* Huc accedit explicatio Riberæ : *Seminate*, inquit, *opera justa, et metetis in ore misericordiæ*, id est, quantum misericordia voluerit, hoc est largissime. *Os* enim subinde pro voluntate capitur, ut cum dicitur : *Percussit eos in ore gladii*, id est, qnantum gladius percutere et occidere valebat et volebat, q. d. Omnes occidit, nemini pepercit. Hæc explicatio subtilior videtur ; planius et solidius dixerimus *os* significare amplitudinem, capacitatem, quantitatem, mensuram, q. d. Seminate opera pia et sancta, et metetis secundum os, id est, secundum capacitatem et amplitudinem misericordiæ Dei, hoc est, amplissimam ab eo mercedem recipietis, tantam scilicet, quanta decet Deum Deique misericordiam, quæ amplissima est, utpote divina et immensa. Quocirca ex Hebræo verti potest cum Marino : *Metite ori misericordiæ ; ori*, id est amplitudini, hoc est, amplissime. Unde Syrus vertit : *Seminate vobis justitiam, et metite os*

misericordiæ, q. d. Ex semine justitiæ metetis os ipsius misericordiæ et gratiæ, ut illud totum, quantum quantum est, metatis et capiatis. Porro misericordia hæc est remissio culparum præcedentium, et pœnarum eis debitarum, ac præsertim instantis excidii et captivitatis, q. d. Parcet vobis Deus, nec sinet vastari, quin et bonis temporalibus ac spiritualibus vos cumulabit, ut iis cumulatus est Judas sub Ezechia pio rege, ac liberatus de manu Salmanasar et Sennacherib.

Tertio, S. Ambros. lib. de Naboth. c. 7. *justitiam* accipit pro misericordia, uti accipitur psal. 111. 9 : *Justitia*, id est misericordia et eleemosyna, *ejus manet in seculum seculi*, et alibi. Et *misericordiam* proprie capit pro eleemosyna, q. d. Studete misericordiæ et eleemosynæ, et amplam ejus mercedem recipietis, juxta illud 2. Corinth. 9. 6 : *Qui parce seminat, parce et metet ; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.* Sed audi Ambros. : *Bonorum enim fructus munerum in eos ipsos qui contulerunt convertuntur, et gratia liberalitatis in auctorem boni operis redit. Denique scriptum est : Seminate vobis ad justitiam. Esto spiritalis agricola, sere quod tibi prosit. Bona satio in corde viduarum. Si terra tibi reddit fructus uberiores quàm acceperit, quanto magis misericordiæ remuneratio reddet multipliciora quàm dederis ?* Deus enim liberalior est, quàm sit terra vel natura. Si ergo terra ex uno semine dat centum, imo subinde trecenta grana; multo magis Deus pro una eleemosyna dabit centum, trecentas, imo mille. Rursum, bonum opus semen est melioris. Humilias te, inde incitaris ad magis te humiliandum. Oras, magis cupis orare. Das eleemosynam, plura dare exoptas. Nam uti somnus somnum, ita virtus virtutem adescat : labor laborem, vigiliæ vigilias pariunt, uti aiebat S. Dominicus Loricatus.

Quarto, pro *misericordia* hebr. est חסד *chesed*, quæ vox tam pietatem, quàm misericordiam significat. Unde vertit Marinus : *Metite ori pietatis.* Proprie enim hic agitur de operibus piis, quibus colitur Deus, quæ contraria sunt operibus impietatis, quibus Judæi coluerunt idola, de quibus subdit v. 13 : *Arastis impietatem, iniquitatem messuistis*, q. d. Estote justi et pii in Deum, et Deus vicissim pius, fidelis ac beneficus erit in vos; sicut antea cum impii eratis in Deum, Deus pariter quasi iniquum, id est minus humanum et maleficum, se vobis exhibuit. Primus sensus, et magis secundus, planissimus et plenissimus est, huncque quartum in se complectitur. Quarto favet Arabicus, dum vertit : *Inquirant Dominum, et veniat fructus justitiæ eorum.*

Symbolice S. Hieron. Haymo, Arias et Hugo sic exponunt : Seminate in lege, et metetis in gratia, q. d. Studete legi, ô Israelitæ, ita præparabitis vos ad gratiam Christi. Lex enim Mosis fuit lex justitiæ et rigoris, lex vero Christi est lex gratiæ, amoris et liberalitatis ; unde subdit : *Tempus autem requirendi Dominum.*

Anagog. S. Bernard. de Convers. ad Clericos cap. 15 : Seminate in gratia, et metetis in gloria ; seminate in terra cum labore, et metetis in cœlo cum jubilo : *Nec enim*, ait, *opera nostra transeunt, ut videntur, sed temporalia quæque velut æternitatis semina jaciuntur ; stupebit insipiens, cum ex hoc copioso semine copiosam videbit exsurgere messem.* Nota opera bona esse semina beatæ æternitatis. Idem serm. de S. Benedicto : *Seminemus*, inquit, *hominibus exemplum bonum per aperta opera ; seminemus Angelis gaudium magnum per occulta suspiria. Seminate et vos, quia tam multi ante vos seminaverunt : fructificate, quia vobis seminaverunt. O genus Adam, quàm multi seminaverunt in te, et quàm pretiosum semen, quàm male peribis, et quàm merito : si perierit in te tantum semen, simul et seminantium labor ! Seminavit in terra nostra Trinitas, seminaverunt Angeli pariter et Apostoli, seminaverunt Martyres, Confessores et virgines, etc. Seminavit Pater panem de cœlo, Filius veritatem, Spiritus S. charitatem. Apostoli ibant, et flebant mittentes semina sua : venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos. Duo manipuli sunt quos quæris, honoris scilicet et quietis. Qui seminaverunt laborem et utilitatem, metent honorem pariter et quietem.*

INNOVATE VOBIS NOVALE.] *Novale* est ager novus, cum scilicet is excisis spinis, loliis, herbisque noxiis, primo colitur et seritur, q. d. Evellite è corde vestro lolia cupiditatum et spinas vitiorum, quæ crebro repullulant, ut innovati, velut novus ager, semen divinum gratiæ et virtutum excipiatis. Vatabl. vertit : *Arate vobis arationem*, sicque explicat. q. d. *Interim præparate corda vestra ad adventum Christi.* Sept. vertunt : *Illuminate vobis lumen scientiæ*, id est, ut Theophil. illustrate lucernam mentis vestræ lumine cognitionis Dei, deficientes ab idolis, eorumque tenebris et erroribus. Hebr. enim ניר *nir* sulcum et derivationem tam luminis, quàm fluminis, æque ac agrorum significat. Quocirca recte S. Clemens Roman. lib. 2. Const. Apost. cap. 5 : *Habe*, inquit, *curam verbi, Episcope, ut possis omnia secundùm verbum interpretari, ac multa doctrina populum tuum copiose nutrias, et illustratione legis illumines. Accendite vobis*, *ait Dominus, lumen cognitionis, dum tempus est.*

Moral. ex hac versione Sept. docet S. Ambr. cognitionem suî debere præcedere cognitionem Dei, nec nisi per illam, perque bona opera ad hanc perveniri. Audi eum in psalm. 118. octonario primo : *Seminate vobis ad justitiam, vindemiate ad fructum vitæ, illuminate vobis lumen cognitionis : non prius illuminate, sed seminate : nec solum prius seminate ad justitiam, sed etiam vindemiate, inquit, ad fructum vitæ, et sic illuminate lumen cognitionis, ut perfectio non solum consitis, sed etiam receptis fructibus approbetur.* Per lumen enim cognitionis S. Ambros. hic et clarius lib. de Isaac cap. 4. accipit perfectionem charitatis. Plenius vero et pientius S. Bernard. serm. 37. in cant. *Seminate*, ait, *vobis ad justitiam, metite spem vitæ, et tunc demum illuminate vobis* (ait) *lumen scientiæ. Ultimam posuit scientiam tanquam picturam, quæ statum habere nequeat super inane; et inde illa duo præmisit et subjecit illi tanquam se solidum aliquid picturæ substerneret. Securus jam intendam scientiæ, si vitæ prius per beneficium spei securitatem accepero. Tu ergo seminasti tibi ad justitiam, si ex vera notitia tuî evigilasti timere Deum, temetipsum humiliasti, fudisti lacrymas, eleemosynas profudisti, jejuniis et vigiliis afflixisti corpus, si pectus tunsionibus, cœlos clamoribus fatigasti. Hoc siquidem seminare est ad justitiam. Semina sunt bona opera, bona studia, semina lacrymæ sunt. Ibant, inquit, et flebant mittentes semina*

sua. Idcirco metent manipulos gloriæ, quin et statim metunt spem vitæ et gloriæ futuræ. Et epist. 108 : *Veram scientiam*, inquit, *soli Christi discipuli, id est, mundi contemptores Dei munere assequuntur. Nec enim hanc lectio docet, sed unctio ; non littera, sed spiritus ; non eruditio, sed exercitatio in mandatis Domini. Seminate, inquit, vobis ad justitiam, metite spem vitæ : illuminate vobis lumen scientiæ ; vides, quia non recte proditur ad lumen scientiæ, nisi justitiæ germen præcedat ad animam, ex quo formetur granum vitæ, et non palea gloriæ.*

Huc accedit S. Hilar. qui in psalm. 118. sic legit et explicat : *Serite in justitia* (alii legunt, in justitiam) *vosmetipsos, et metite vos in fructu* (alii, in fructum) *vitæ, et illuminate vos in lumine scientiæ. Non illuminatio primum, sed satio nostra præcepta est, ut cum ante nosmetipsos, id est, vitæ nostræ usum, in spem fructuum severimus, deinde cum quæ sata sunt messuerimus, tunc nos in lumine scientiæ illuminemur. Tenendus igitur hic ordo est sationis, messis et illuminationis. Plures enim nostrûm illuminari se priusquam serere ac metere festinant, cum satio atque messis quædam consequendi luminis præparatio sit.*

Tempus autem requirendi Dominum, cum venerit qui docebit vos justitiam,] q. d. Cum venerit Christus doctor justitiæ, tunc erit tempus inquirendi ea quæ Dei sunt et salutis : illud ergo observate, ô Israelitæ, et ne sinatis illud vobis elabi et effluere ; ita S. Hieron. Haymo et Hugo qui censent Prophetam hic de more avolare ad Christum.

Secundo, Lyran. hæc de Ezechia explicat : hic enim reduxit populum ad Dei cultum, itaque fuit doctor justitiæ, et inchoate et imperfecte, ac quasi in typum Christi, qui plene et perfecte idipsum præstitit.

Tertio, pro *cum venerit*, ex Hebr. Septuag. Vatabl. et alii vertunt : *Donec veniat, et depluat super vos justitiam*, q. d. Nunc est tempus quærendi Dominum, vosque præparandi ad adventum Messiæ ; ille enim veniens docebit vos, imo dabit veram justitiam, qua coram Deo justi sitis, filii et hæredes regni ejus. Unde Chald. vertit : *Recipite vos ad timorem Domini : nunc enim revelabitur, et afferet vobis justitiam* ; ita veteres Hebræi apud Galatin. lib. 3. cap. 29. Theop. Vatabl. et alii.

Moral. disce hic uti tempore gratiæ et salutis, dum datur : nam post hoc tempus non erit aliud gratiæ, sed justitiæ. Pulchre S. Ephrem tract. de Morte tom. 1 : *Nemo*, ait, *finitis nundinis mercaturam exercet ; neque ille qui post certamina accedit, coronatur : neque qui jam confecto bello venit, laudem consequitur. Merito ergo nec is qui vita jam exacta post mortem pietatem exercet, pius esse censendus est.* Ponderent hoc temporiperdæ.

13. Arastis impietatem.] Hebr. חרש *charas* significat primo, arare ; secundo, fabricare ; tertio, machinari ; unde primo exponas, q. d. Ager quem arastis hactenus, et semen quod seminastis fuit impietas, ac consequenter seges non fuit alia quàm impietas, q. d. Nihil cogitastis aliud, quàm impietatem impietati addere, scelera sceleribus cumulare. Secundo, q. d. In corde vestro exstirpastis sulcos et semina pietatis, cognitionis cultusque Dei, ac duxistis et seminastis semina impietatis et idololatriæ : idcirco iniquitatem messuistis], puta fraudes, dolos, omneque nefas in Deum et proximum operati estis. Ex corde enim impio et iniquo, non nisi impietatis et iniquitatis fructus et opera proveniunt. Rursum, q. d. Ex impietate in Deum prodiit omnis iniquitas in proximum, uti docet Apost. Roman. 1. 28. et 29. Ita S. Hieron. Tertio, *iniquitas* accipi potest pro pœna iniquitatis, puta pro deprædatione et captivitate, q. d. Perpetrastis culpam iniquitatis, hinc ejus pœnam, puta spoliationem ab Assyriis et captivitatem, luitis et sustinetis ; ita Theophyl. Opponit enim Propheta hunc vers. 13. versui 12. q. d. Hactenus arastis et seminastis impietatem, ideoque iniquitatis hujus pœnas messuistis : deinceps ergo sapite, et seminate in justitia, ut metatis misericordiam et beneficentiam Dei ; alioqui si persistatis in scelere, certo vastabimini et exscindemini, ut sequitur.

Comedistis frugem mendacii,] id est, mendacem et fallacem. Nota : Fructus et fruges dicuntur mentiri, cum tantum non reddunt, quantum in germine promittebant, puta cum seges siccitate vel aurugine in agro deperit, aut in horreis à vermibus, aut vento aereve corrupto atteritur, consumitur et evanescit. q. d. Simili modo vos, ô Israelitæ, ex vestra impietate et idololatria non percipietis pacem, prosperitatem, rerum copiam, quæ sperabatis, quæque pseudo-prophetæ vobis promittebant.

Tropol. omnis gulosus, omnis avarus, omnis luxuriosus, omnisque impius comedit fructum mendacii. Nam, ut ait S. Hier. *gulosus cor habet in ventre, lascivus in libidine, cupidus in lucro.* Lucrum autem mendax est, libido mendax, gula mendax : nec enim satiant appetitum, nec veram afferunt delectationem, sed fucatam, umbraticam et evanidam ; unde Psaltes psalm. 3 : *Filii hominum, utquid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium ?*

Præclare S. Gregor. homil. 36. in Evang. docet hoc distare inter delicias corporis et cordis, quod *corporales*, inquit, *deliciæ cum non habentur, grave in se desiderium accendunt ; cum vero avide eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. At contra spiritales deliciæ cum non habentur, in fastidio sunt; cum vero habentur, in desiderio, tantoque à comedente amplius esuriuntur, quanto et ab esuriente amplius comeduntur. In illis appetitus placet, experientia displicet ; in istis appetitus vilis est, et experientia magis placet. In illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat : in istis autem appetitus saturitatem, saturitas appetitum parit. Augent enim spiritales deliciæ desiderium in mente, dum satiant : quia quanto magis earum sapor percipitur, tanto amplius cognoscitur quod avidius ametur : et idcirco non habitæ amari non possunt, quia earum sapor ignoratur ;* vide eumdem lib. 20. Moral. cap. 16. Accedit quod carnales deliciæ spiritales et veras excludant, iisque viam obstruant ; dum ipsæ omnes sensus occupant, totumque hominem possident. Quocirca asserit vere S. Hieron. *animas in nimio sanguine et adipibus quasi luto involutas, nihil tenue, nihil cœleste, sed semper de carnalibus eructare, et ventris ingluviem cogitare.* Tertio, deliciæ et divitiæ sunt mendacium, quia pro delectatione ingerunt, desinuntque in fastidium et cruciatum tam animæ, quàm corporis. Ita Cicero pro Cœlio : *Amores, ait, et deliciæ mature et celeriter deflores-*

cunt, et in omnibus rebus, voluptatibus maximis fastidium finitimum est. Et Boetius, lib. 3. metro 7 :

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit fruentes,
Apiumque par volantum
Ubi grata mella fudit,
Fugit, et nimis tenaci
Ferit icta corda morsu.

Quocirca Epictetus art. 120 : *Dignus est*, inquit, *deorum conviva, qui rebus creatis moderate utitur; qui vero licitas etiam voluptates contemnit, non jam conviva Dei est, sed consors.*

QUIA CONFISUS ES IN VIIS TUIS,] in operibus tuis impiis, ac præsertim in cultu idolorum. Est enallage numeri : transit enim à plurali numero ad singularem, quia loquitur populo, qui singularis est, si cœtum spectes; pluralis, si capita et homines.

IN MULTITUDINE FORTIUM TUORUM,] tum civium, tum amicorum Gentilium, tum idolorum : idcirco

14. CONSURGET TUMULUS IN POPULO TUO, cum te invadent hostes Assyrii, ET OMNES MUNITIONES TUÆ VASTABUNTUR.

SICUT VASTATUS EST SALMANA A DOMO (à familia, servis et militibus) EJUS QUI JUDICAVIT (ita legendum cum Hebr. et Roman. non *vindicavit*, uti legunt nonnulli codices Latini) BAAL, puta à domo Gedeonis. Comparat enim excidium Israelis futurum per Salmanasar regem Assyriorum, excidio Madianitarum, quorum princeps erat Salmana, facto per Gedeonem Judic. 8. 2. et psalm. 82. 12. Ita S. Hieron. Cyrill. Ruffin. Theodor. Rupert. Albert. Hugo et alii passim. Sensus ergo est, q. d. Sicut Gedeon cecidit Salmana idololatram, hostem populi Dei; ita et Salmanasar cædet Israelem, ob idola quæ coluit in Bethel.

Nota primo : *Salmana* quem occidit Gedeon scribitur per *tsade*, hic vero *Salmana* scribitur per *scin*. Unde hunc esse diversum ab illo contendit Lyranus cum Chaldæo, qui proinde *Salmana* hîc accipiunt ut nomen, non proprium, sed appellativum significans pacificum, idemque quod Salomon. Sic enim Turcarum Imp. vocatus est Solymannus, id est, Salomon : utrumque enim nomen ab eadem radice שלם *scalam*, id est, pacificus fuit, deducitur. Unde vertunt : *Sicut vastari solet pacificus per insidias belli*, vel *ab insidiatore in bello;* sic vastabitur Israel. Verum auctores jam citati asserunt unanimiter hunc *Salmana* esse eumdem cum illo quem occidit Gedeon, idque mox clarius patebit. Nec obstat quod hic per *scin*, ille per *tsade*, scribatur : quia hæ duæ litteræ vicinæ sunt et commutabiles; utraque enim includit σιγμα, licet illud in *tsade* addito *t*, roboretur et durescat, idemque valeat quod *ts*.

Nota secundo : Pro *qui judicavit Baal*, hebr. est una vox ארבאל *arbel*, quod varie à variis explicatur. Primo, Chald. et Lyran. uti jam dixi, vertunt, *insidias* vel *insidiatorem*, à rad. ארב *arab*, id est, insidiatus est. Secundo, alii censent esse nomen proprium principis, vel urbis, de qua 1. Machab. 9. vers. 2. dicitur : *Castra posuerunt in Masaloth, quæ est in Arbellis*, huncque dant sensum : Sicut Salman, id est Salmanasar, 1. anno Hosee regis Israel, vastavit urbem Arbel crudelissime, ita ut infantes coram matribus, et matres coram infantibus collideret : sic Deus vastabit Israel et Samariam. Licet enim hæc historia in Scriptura non narretur, tamen tempore Osee erat apud omnes vulgata et celebris. Porro urbs hæc dicta est *Arbel*, aut ab ארבע *arba*, id est quatuor, et אל *el*, id est *Deus*, vel *fortis*, quod in ea celebres exstarent et colerentur quatuor Dii, vel quatuor Heroes; sicut dicta est *Cariat arbe*, id est civitas quatuor, scilicet Gigantum, Josue 14. 15. aut ab ארב *arab*, id est insidiatus est, et אל *el*, id est Deus, vel Deo. Ita Arias, Vatabl. et Marinus in Lexico. Syrus pro *Arbel* legit *Il*, vel *El*, id est Deus; unde vertit : *Sicut vastatio Salmana de domo El in die prælii.*

Verum dico *Arbel* idem esse per crasin quod *Ierobaal* (ut vertunt Septuag. unde perperam in Complut. æque ac in Arabico utroque legitur *Ieroboam*, pro *Ierobaal*), id est Gedeon. Ita auctores jam citati. Audi S. Hieron. *Arbel idipsum significat quod et Ieroboal, sed breviori disertiorique sermone; Arbel* enim idem est quod litigator, vel judex Dei, puta Baal : idem significat *Ierobaal :* ריב *rub* enim idem est quod litigavit, contendit, judicavit : *Baal*, est Deus Baal. Ex eo enim quod Gedeon judicavit, id est damnavit, et infirmum convicit esse Baal, dum ejus aram evertit, dictus est Jerubbaal, dicente Joas patre Gedeonis : *Ulciscatur se de eo Baal* (si est Deus) *qui suffodit aram ejus*, Jud. 6. v. 31. Rursum Gedeon dicitur *Arbel*, id est, insidiator Dei : quia Deum Baal clanculum noctu per insidias evertit.

MATRE SUPER FILIOS ALLISA.] Quæres : Unde hoc petitum? Resp. S. Hieron. scriptum esse Judic. 8 : *Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua.* Verum id non reperitur Jud. 8, sed 1. Reg. 15. 33; sunt enim verba Samuelis ad Agag regem Amalec, cum eum occidi mandaret. Lapsus ergo memoria videtur S. Hieron. Dico ergo id in libro Judicum et historia Gedeonis non narrari, reipsa tamen accidisse, uti hîc asseritur : nimirum fuit tantus pavor, consternatio et confusio in castris Madian, dum Gedeon et socii ejus clangerent tubis trecentis, et faces trecentas ardentes ostentarent, ut vel gladiis Madianitarum in sese invicem conversis, vel festinatione et trepidatione fugientium, matres cum filiis allidarentur. Ita Ribera, Emmanuel, Mariana et alii.

15. SIC FECIT (id est faciet) NOBIS BETHEL] q. d. Sic vos punient et cædent non tam hostes Assyrii, quàm *Bethel*, id est peccata à vobis commissa, puta idola adorata in Bethel, sicut Salmana punitus et cæsus est à *Beth Arbel*, id est, à domo et exercitu Gedeonis. In Hebræo est elegans paronomasia, et antithesis inter *Beth Arbel* et *Bethel*, q. d. Sicut cecidit et prostravit Madianitas idololatras *Beth Arbel*, id est domus Gedeonis, qui fuit *rub*, id est, judex et vindex *El*, id est Dei falsi, puta Baal; ita cædet vos *Bethel*, id est, domus Dei veri, quàm vos violastis et fecistis *Bethaven*, id est domum idoli : propter sacrilegia enim commissa in Bethel exscindemini. Unde subdit :

A FACIE MALITIÆ NEQUITIARUM VESTRARUM,] id est, propter pessimas nequitias vestras, quibus polluistis Bethel, id est Domum Dei. Hac de

causa ait Isaias cap. 31. 9: *Dixit Dominus, cujus ignis est in Sion, et caminus ejus in Jerusalem.* Vide ibi dicta.

Simili elegantia et tropo Isaias Jerusalem vocat *Ariel*, in eaque voce varie ludit cap. 29. v. 1. et 2. dicens: *Væ Ariel, Ariel! civitas quam expugnavit David, etc. Et circumvallabo Ariel, etc. Et erit mihi quasi Ariel.*

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Inculcat Deus, et in os injicit Israeli amorem et beneficia a se ei jugiter præstita, ut ostendat ejus ingratitudinem, quod a se ad vitulos aureos desciverit. Puer, inquit, Israel, et dilexi eum: et ex Ægypto vocavi filium meum. Et ego quasi nutricius Ephraim, et portabam eos in brachiis meis. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Quocirca ingrato captivitatem et iram intentat, quam tamen ita misericordia temperat, ut ei reditum in patriam spondeat. Ab hac clade eximit Judam, quia ipse fidelis a parte Dei stetit cum sanctis Levitis.

1. Sicut mane transiit, pertransiit rex Israel; quia puer Israel, et dilexi eum: et ex Ægypto vocavi filium meum. 2. Vocaverunt eos, sic abierunt à facie eorum: Baalim immolabant, et simulacris sacrificabant. 3. Et ego quasi nutricius Ephraim, portabam eos in brachiis meis: et nescierunt quod curarem eos. 4. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis: et ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum: et declinavi ad eum ut vesceretur. 5. Non revertetur in terram Ægypti, et Assur ipse rex ejus: quoniam noluerunt converti. 6. Cœpit gladius in civitatibus ejus, et consumet electos ejus, et comedet capita eorum. 7. Et populus meus pendebit ad reditum meum: jugum autem imponetur eis simul, quod non auferetur. 8. Quomodo dabo te, Ephraim, protegam te, Israel? 8. Quomodo dabo te sicut Adama, ponam te ut Seboim? Conversum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea. 9. Non faciam furorem iræ meæ: non convertar ut disperdam Ephraim: quoniam Deus ego, et non homo: in medio tui sanctus, et non ingrediar civitatem. 10. Post Dominum ambulabunt, quasi leo rugiet: quia ipse rugiet, et formidabunt filii maris. 11. Et avolabunt quasi avis ex Ægypto, et quasi columba de terra Assyriorum: et collocabo eos in domibus suis, dicit Dominus. 12. Circumdedit me in negatione Ephraim, et in dolo domus Israel; Judas autem testis descendit cum Deo, et cum sanctis fidelis.

1. Sicut mane transiit, pertransiit rex Israel.] Chald. Arias, Pagnin. et Vatabl. hæc verba referunt ad finem præcedentis capitis, quia eò pertinere videntur. Verum Noster, Septuag. et passim veteres Græci et Latini ab hisce verbis inchoant caput undecimum. Hebr. est, *in aurora*, (vel *instar auroræ:* ב enim, id est *in*, sæpe sumitur pro כ, id est, *instar, sicut*) *plane excisus est rex Israel*, q. d. Sub initium regni Hosee, rex Israel cum Samaria et regno exscindetur ab Assyriis. Comparat Hosee auroræ, quia sicut aurora medium quid est inter noctem et diem, lucem et tenebras, estque post noctem initium diei et lucis; ita post longas ærumnas et spoliationes, quas Israel sustinuerat ab Assyriis, sub Hosee rege respiravit, et in spem melioris sortis se erexit, præsertim cum Sua rex Ægypti videretur illi opitulaturus: sed hæc spes velociter instar auroræ, sole oriente et auroram fugante, pertransiit et evanuit. Ita S. Hier. Cyrill. Ruffin. Theodor. et Theoph. Simili modo Israelis regem comparavit spumæ cap. præced. vers. 7. cum ait: *Transire fecit Samaria regem suum quasi spumam super faciem aquæ.* Ubi pro *transire fecit* in Hebræo est idem verbum quod hîc, scilicet נדמה *nidme*, quod, ut ibi dixi, varie exponi potest.

Secundo, S. Cyrillus per *mane* accipit experrectionem Dei ad vindictam, qui ante dissimulans peccata Israelis, dormire videbatur: *Cum, inquit Cyrillus, Deus nondum peccata aliquorum punit, dormire dicitur; ut ait Jeremias: Ne, inquit, sis, Domine, tanquam somno dormiens, aut tanquam vir non potens salvare; et David: Surge, Domine. Et aliàs videns auxilium Domini: Surrexit, inquit, tanquam dormiens. Mane itaque vocat*

hic tempus ipsius velut evigilationis in eos : mane enim solemus evigilare. Verum prior sensus et allusio est aptior; mane enim hic tribuitur regi pertranseunti, non Deo evigilanti : quamquam hoc cum illo conjunctum est. Ideo enim rex mane pertransiit et excisus est, quia Deus in ejus excidium evigilavit.

Tertio, nonnulli ex eo quod sequitur : *Ex Ægypto vocavi filium meum,* id est Christum, uti explicat. S. Matth. cap. 2. vers. 15. hæc omnia de Christo ad litteram accipiunt, q. d. Christus in mundo nascetur quasi aurora, sed et cito transibit ut aurora : post tres enim prædicationis annos redibit ad Patrem. Ergo, ô Israelitæ, venientem studiose excipite, ejusque tempus diligenter observate. Ego enim vos, quasi Abrahæ amici mei filios, dilexi, ideoque ex Ægypto vocavi filium meum, ut vos ejus præsentia, doctrina et gratia frueremini.

Verum ad Hosee regem hæc pertinere ad litteram, non ad Christum, patet ex eo quod ait: *Pertransiit rex Israel.* Idem patebit ex sequentibus : toto enim capite agitur de judicio et excidio Israelis. Unde moraliter disce reges terrenos similes esse auroræ, quæ aurea videtur, sed mox evanescit : eorum enim *vita* est quasi *vapor,* ut ait S. Jacobus epist. cap. 4 : *Ad modicum parens;* vapor, inquam, aurea quadam honoris regiæque pompæ luce perfusus. Somnia sunt hominum regna, ideoque merito in somnis à Nabuchodonosore, Chaldæorum, Persarum, Græcorum et Romanorum imperia visa sunt Daniel. 2. Quid ergo sunt dignitates, status et sceptra ? nonne aureus quidam nubium color, temporis momento evanescens ?

Quia puer Israel, et dilexi eum.] Vox *quia* more Hebræo redundat, uti dixi c. 10. 17; unde Leo Hebræus vertit : *Quando Israel adhuc puer erat, dilexi eum,* cum scilicet in Ægypto degeret, et quasi oriretur cresceretque populus Israel, essetque parvus, imbellis, ignorans, afflictus quasi puer, ex tunc dilexi eum, curamque ejus egi, et quasi puerum per Mosen inde liberavi et eduxi. Ita S. Hieron. Vatabl. et alii.

Secundo tamen, τὸ *quia* proprie ut causale accipi potest, q. d. Quia Israel in Ægypto erat puer tenellus, sui impos, se regere impotens, neglectus ab omnibus, ab Ægyptiis oppressus et neci destinatus, opisque indigus : hac de causa eum dilexi, et enutrivi quasi mater. Solet enim puerorum parvitas, imbecillitas et pericula, matres allicere ad eorum amorem et curam. Ita Theophyl.

Adde, *dilexi eum*, quia *puer* erat, quod esset filius Jacobi Patriarchæ, quem puerum, imo in utero adhuc existentem dilexi, dicens Malach. 1. 2 : *Jacobi dilexi, Esau autem odio habui.* et Genes. 25. 23 : *Major serviet minori,* puta Esau Jacobo, nimirum Idumæi servient Jacobitis, id est Israelitis. Sicut ergo Jacobum puerum, ita et filium ejus Israelem puerum dilexi. Denique τὸ *quia* connectit hæc præcedentibus, q. d. Rex Israel cum suo populo transiit, id est, brevi transibit et interibit; quia Israel, quem à puero dilexi, ex Ægypto eduxi, alui et nutrivi ut mater, huic meæ dilectioni et beneficiis ingratus et rebellis, me sprevit, et ad Baalim declinavit.

Et ex Ægypto vocavi filium meum.] *Et*, id est, idcirco, q. d. Quia Israel puerum dilexi, idcirco eum quasi filium meum, ex Ægyptia servitute per Mosen evocavi et eduxi. Ita Septuag. et Chald. qui vertunt : *Ex Ægypto vocavi filios ejus,* scilicet Israelis ; licet enim in Hebræo sit בני *beni,* id est, *filium meum,* tamen hoc in re idem est quod, *filios ejus :* filii enim Israelis erant filii Dei; et quia Israel, ut ait S. Hier. *Singulariter dicitur, sed pluraliter intelligitur,* utpote populus, forte etiam Septuag. et Chald. pro *beni* legerunt בניו *banau,* id est, filios ejus, uti opinatur Maldon. in Matth. 2. 15. Porro populum suum Deus vocat *filium,* dicens Exodi 4. 22 : *Filius meus primogenitus Israel.* Et : *Dimitte filium meum ut serviat mihi.* Ita S. Hieron. Theodor. Theoph. Rupert. Hugo, Lyran. Arias, Vatabl. hic, Jansen. Maldon. Barrad. et alii in Matth. 2. 15. Et patet ex iis quæ hic antecedunt et sequuntur : hæc enim spectant populum Israel. Hic enim dicitur filius Dei primogenitus, quia dilectus ab eo fuit ut primogenitus, et solus primo electus ex omnibus gentibus, ut esset Dei peculium, respubl. regnum, sacerdotium.

Dices : Quomodo ergo S. Matth. cap. 2. 15. ait hoc Osee oraculum impletum esse in Christo puero, cum ex Ægypto revocatus est in terram Israel ? Julianus Apost. teste S. Hieron. hic objiciebat Christianis, ut S. Matthæum vel falsitatis, vel inscitiæ argueret. Respondet, primo, Jansenius in Matth. 2. id impletum esse in Christo per accommodationem, quia quod dictum est de populo Israel, recte Christo quasi simili aptari et accommodari potest : perinde atque si quis de filio qui patri percharus est, diceret :

Omnis in Ascanio chari stat cura parentis.

Verum hoc liberius dicitur, et pene temerarie, inquit Suarez loco mox citando : nec enim prophetiæ impleri dicuntur, nisi cum eveniunt ea quæ per eas prophetata sunt. Quare aliud est accommodari, vel aptari Scripturam, aliud eam impleri. Igitur prophetia proprie impleri dici nequit, nisi cum fit quod ipsa in sensu vel litterali, vel allegorico futurum prædicit, uti docent communiter Interpretes.

Secundo, Eusebius l. 9. Demonstr. Evang. c. 4. Lyranus et Dionys. censent hunc locum ad litteram intelligi de Christo. Verum ex antecedentibus et sequentibus patet hic agi de populo Israel. Dices duplicem hic esse sensum litteralem, unum de populo, alterum de Christo. Ita Prado proœmio in Ezech. sect. 8. et 9. Respond. id minus congrue dici, tum quia cætera non spectant Christum, sed populum : in sensu enim litterali omnia et singula congruere debent rei de qua agitur; secus est in allegorico : tum quia populus Israel fuit typus Christi. Ergo ad litteram sermo est de populo, typice de Christo; sensus enim litteralis non est typicus, sed typici figura et imago : populus enim Israel exsulans in Ægypto, Christi ibidem exsulaturi figura fuit; sicut nunc corpus mysticum Ecclesiæ, corporis naturalis Christi figura est.

Tertio ergo, melius dicemus ad litteram hanc sententiam impletam esse in populo Israel per Mosen educto ex Ægypto, allegorice vero et typice in Christo puero reducto ex Ægypto : licet autem hic sensus sit allegoricus, tamen est priore litterali dignior, potior et magis intentus à Spiritu Sancto : populus enim Israel in hoc

reditu ex Ægypto gessit typum Christi, præsertim quia Christus illius populi fuit pars et propago, eaque nobilissima. Hac de causa ait, *filium meum*, non *filios meos*, ut denotet Christum. Neque hoc mirum aut novum est : nam magis nova et insolens videtur allegoria, qua Sina et Sion, item Sara et Agar significant duo testamenta, vetus et novum, uti explicat Apostolus Galat. 4. v. 24. Ita S. Hieron. Ribera et alii initio citati, ac S. Chrys. et Theophyl. in c. 2. Matth. atque Francisc. Suar. 3. p. q. 37. art. 4. disp. 7. sect. 1. et Gabriel Vasq. 1. p. q. 1. art. 10. disp. 14. c. 4.

Objicit Osiander in c. 2. Matth. Fieri nequit ut populus Israel innumerabilis, unius hominis sit figura : ergo in sensu allegorico hic locus nequit accipi de Christo. Resp. negando antecedens. Si enim unus homo potest repræsentare totum populum ex se generandum, uti Patriarcha ; sicut de Jacob et Esau dicitur Rebeccæ matri Gen. 25 : *Duæ gentes sunt in utero tuo*, etc. vel sibi subditum, uti rex repræsentat regnum ; cur vice versa unus populus unum hominem, quasi Patriarcham et regem, ac præsertim Christum Dominum, repræsentare non possit? ita Patres passim et Doctores. Porro qua ratione populus Israel fuerit figura Christi peregrinantis in Ægypto, et inde redeuntis, fuse explicat Rupert. in locum citatum Matth. 2.

Ex hoc loco ostendit S. Hier. quædam non haberi in versione Septuag. quæ habentur in Hebræo, ideoque se novam ex Hebræo versionem cudisse, idque ei obtrectantibus objicit : *Qui*, ait, *detrahunt nostræ translationi, videant Scripturam de qua Evangelista hoc testimonium sumpserit, et interpretatus est de Domino Salvatore, quando de Ægypto reductus est in terram Israel : et cum invenire non quiverint, desinant rugare frontem, adducere supercilium, crispare nares, digitis concrepare.*

2. Vocaverunt eos, ex Ægypto et idololatria Moses, Aaron, aliique Prophetæ, ut eos ad avitum Dei cultum reducerent ; sed ipsi licet sic id est, adeo et toties vocati et invitati, abierunt a facie eorum,] id est, obverterunt eis terga, euntes ad Baalim. Unde plane vertunt Septuag. *Sicut vocavi eos, ita abierunt à facie mea;* Hebræi enim sæpe subaudiunt voculam *sicut*, et similes, quasi dicant : Uti ego eos vocavi, ita ipsi impudentes averterunt se à me : quanta fuit mea benignitas et assiduitas in vocando, tanta fuit eorum durities et contumacia in resistendo, et respuendo meam vocationem. Ita Chald. Cyrill. Hier. et alii. Potest secundo *sic* accipi *propterea*, q. d. Quia ego vocavi eos toties, propterea abierunt, uti solent facere pueri protervi et refractarii, qui eo quod vocentur à parentibus, ut hoc illudve faciant, idcirco rebelles avertunt faciem et abeunt, qua expositione significatur Israelis major plenaque obduratio et pervicacia. Sic Hebr. כן *ken*, id est *sic*, sumitur pro עלכן *alken*, id est, *super sic*, hoc est, *propterea*. Psal. 60. 9: *Misericordiam et veritatem ejus quis requiret? sic* (id est propterea, idcirco) *psalmum dicam nomini tuo.* Joan. 4. 6: *Jesus autem fatigatus ex itinere sudebat sic* (id est, idcirco, quia scilicet fatigatus) *super fontem*, uti exponunt Tolet. et Maldon. ibidem. Sic enim vulgo dicimus : *Venit fessus, et ita* (id est ideo) *consedit.* Quin et Cicero 4. Tuscul. *Sic*, inquit (id est idcirco), *tot simul virtutes, continentiæ, gravitatis, justitiæ, fidei defecerunt.*

Aliter Arias : Vocaverunt, ait, id est, invocaverunt Israelitæ *eos*, scilicet deos Gentium : *sicque abierunt*, videlicet ut non tantum eos invocarent, sed et iis sacrificarent. Unde sequitur : *Baalim immolabant. Abierunt*, inquam, *à facie*, id est, ante faciem, *eorum*, uti solet grex ovium ire ante faciem pastoris, populus ante Episcopum, milites ante ducem, filii ante parentes. Verum de diis Gentium nulla hic præcessit mentio.

3. Baalim, id est, diis Gentium, puta idolis, nimirum vitulo aureo, Exodi 32. 4. et Beelphegor, sive Priapo, Num. 25. 1. immolabant.] Quia enim Deus primarius Chaldæorum, Tyriorum, Carthaginensium, etc. erat Baal, vel Bel, sive Belus ; hinc quoslibet deos vocarunt *Baalim* in plurali.

Et ego quasi nutricius Ephraim portabam eos in brachiis meis.] Legit Interpres זרועתי *zerootai*, id est, *in brachiis meis :* jam addito *vau* legunt זרועתיו *zerootau*, id est, *brachiis ejus.* Pro *nutricius* hebr. est תרגלתי *tirgalti*, quod Rabbini, Vatabl. Arias et alii hebraizantes dicunt poni pro הרגלתי *hirgalti*, id est, incedere feci, in pedes erexi, ambulare docui, pedetentim deduxi, uti faciunt nutrices, dum infantes deducunt docentque incedere. Unde vertunt : Ego Ephraim, id est Israelem, puerum deduxi, et ambulare docui per desertum. Aut, ut Vatabl. Ego sensim et pedetentim eum deduxi, ne conficeretur labore viæ. Alii vertunt : *Ego dedi pædagogum Ephraim* (puta Mosen) *qui portaret eos super brachia sua*, quasi alludat ad illud Mosis : *Ut dicas mihi : Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum*, Num. 11. 12.

Verum melius magisque præcise vertit Noster, *nutricius*, id est nutritor, vel nutrix. Hoc enim proprie significat תרגלת *tirghelet*, et addito iod paragogico תרגלתי *tirgalti* (quod plane diversum est ab *hirgalti*, id est, incedere feci : hoc enim verbum est, illud nomen : deducitur enim à רגל *regel*, id est, pes. Unde Marinus in Lexico vertit, *pedatio*, q. d. *Itio*, vel *ambulatio mea erat ad Ephraim*) ; *tirghelet* ergo est nutrix, quæ pedes infantium format et firmat, eosque deducit, docet et assuefacit incessui. Unde Sept. vertunt, συνεπόδισα, id est, colligavi pedes, scilicet fasciis infantilibus, quod etiam est nutricum, ait Theoph. Jam sensus est is quem dat S. Hier. *Narrat*, ait, *Deus quo Israel amore dilexerit, secundum illud Deut.* 1. 32 : *Portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare parvulum filium suum, in omni via per quam ambulasti, donec venires ad locum istum. Et in alio loco* (Deut. 31. 11.) : *Expandit alas suas, et assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.* Et Psal. 79. 2: *Qui deducit velut ovem Joseph. Ego*, ait, *qui pater eram, nutricius factus sum, et parvulum meum in ulnis meis ipse portabam, ne læderetur in solitudine, et ne vel æstu, vel tenebris terreretur, in die nubes eram, in nocte ignis columna, ut quos protexeram, meo illustrarem et sanarem lumine : cumque peccassent, et fecissent sibi vituli caput, dedi eis locum pœnitentiæ, et ignoraverunt quod curarem eos, ut vulnus idololatriæ quadraginta annorum spatio obducerem, et pristinæ redderem sanitati.* Quod ergo subdit : *Et nescierunt*, idem est ac si dicat : Et tamen post tot beneficia, quibus quasi nutrix

eos educavi, ipsi hæc officia providentiæ et maternæ curæ meæ erga se non agnoverunt, sed me spreto dixerunt vitulo : *Hi sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti*, Exodi 32. 4.

PORTABAM EOS IN BRACHIIS MEIS.] In deserto enim per Mosen, per columnam ignis et nubis, per manna, per vestium eorumdem conservationem, etc. tam suaviter et benigne Deus Judæos tractavit et deduxit, ac si quasi nutrix eos brachiis suis portasset.

4. IN FUNICULIS ADAM TRAHAM EOS, IN VINCULIS CHARITATIS.] *Adam* hic accipi potest vel ut nomen proprium protoplasti, vel, ut commune, significans *hominem*. Si ut proprium, sensus erit quem dat S. Hieron. q. d. Sicut ex amore Adamum natura simul ac gratia, et amicitia mea donavi, ita et vos posteros ejus donabo. Adam enim ex mea gratia est vester protogenes et archigenes, id est, humanæ generationis princeps. Aut, ut noster Prado in Ezech. c. 6. v. 9. Funiculi, inquit, sunt dolores : illis enim quasi funibus homo arctatur et constringitur, juxta illud Psal. 17. 6: *Dolores* (hebr. חבלי *chable*, id est funes) *inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis*. Hebræum enim *chebel* funiculum, ligamen, vinculum, indeque dolorem, quasi ligantem et vincientem significat. Sensus ergo est, q. d. Ego Israelitas per dolores et afflictiones, quos ab Adamo parente suo hæreditarunt, ad me traham, quæ sunt mei erga illos amoris pignora. Unde sequitur : *In vinculis charitatis*, id est, in vinculis quibus soleo ad me allicere charissimos filios, quæ sunt castigationes et flagella.

Secundo, alii passim *Adam* accipiunt ut nomen commune, vertuntque, *hominis*. Ita Aquila, Syrus, Symmachus, Theodot. et Septuag. q. d. In funiculis, quibus solent homines ligari et trahi, nempe amore et beneficiis, traham illos ad me. Unde Chald. vertit : *Sicut moris est trahi filios dilectos, traxi eos fortitudine charitatis ;* Arabicus : *Attraxi eos pugillo protractionis meæ*. Alludit ad c. 10. 11 : *Ephraim vitula docta diligere trituram*. q. d. Vitulæ lascivientes, qualis est Israel, trahuntur funibus canabinis, vel ferreis ; at ego Ephraim, licet subinde mihi renitentem, nolo ut bestiam tractare, trahereque invitum fune verberum et terrorum, sed ut hominem (non servum, sed filium) traham eum funiculis amoris : illis enim trahi solent homines, præsertim ingenui, et filii. Ita S. Hieron. Vatablus, Emmanuel, Mariana et alii. Porro S. Hieron. per *hominem* specialiter accipit Patriarchas, Abraham, Isaac et Jacob. *Curavi*, inquit, *eos propter funiculos et vincula charitatis, quibus mihi Abraham, Isaac et Jacob astrinxeram*. Hi enim fuerunt parentes Israelis, ob quos Deus Israelem amabat et curabat. Verum planius quilibet homines accipi possunt : omnes enim trahuntur amore.

Tertio, nonnulli funiculos Adam, id est, hominis, active accipiunt, non passive, id est, non quibus homo trahitur à Deo, sed quibus homines sancti, puta Abraham, Isaac et Jacob traxerunt Deum in sui, suæque familiæ et gentis amorem, ut eam diligeret, et eligeret ex omnibus gentibus in suam Ecclesiam et regnum. Verum prior sensus est magis genuinus.

Quarto, Hebr. חבל *chebel* verti potest, *corruptio, vastatio*. Unde Septuag. vertunt : *In corruptione hominum extendi eos in vinculis charitatis meæ*, q. d. Esto sint peccatis infecti et corrupti, tamen adhuc conabor eis mederi ex charitate, sicut medicus ægro, v. g. contracto, volens mederi, extendit membra ejus contracta, alligans ea vinculis, non ut eum affligat et torqueat, sed ex charitate ut sanet.

Nota primo : *Traham* potest proprie accipi ut futurum, q. d. Licet Israel me offenderit, tamen adhuc traham illum ad me. Verum melius accipias pro præterito : *Traham*, id est, traxi ; clarius enim liquet quod Deus traxerit eos in deserto, quam quod post tempora Osee eos tracturus sit : paulo enim post eos vastavit, et tradidit Assyriis : et quia sequitur : *Declinavi ad eum*, etc. in præterito. Ita S. Hieron. Septuag. Chald. Rupert. Hugo, Lyran. Dionys. Arias et Sanchez. Præcessit enim præteritum : *Portabam eos in brachiis meis*. Recte S. Aug. in Psal. 3. 6 : *In prophetia*, ait, *bene miscentur futura præteritis, quo utrumque significetur*.

Nota secundo : Tractus et funiculi significant copiam, æque ac suavitatem amoris, qua Deus homines ad se trahit : *Magnes enim amoris est amor*. Hoc est quod ait S. August. de sua ad Deum conversione et tractu, lib. 9. Confess. 1 : *Quàm suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum, et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas à me tu vera et summa suavitas, ejiciebas et intrabas pro eis omni voluptate dulcior*. Idem Aug. serm. 2. de verbis Apostoli tom. 10 : *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum : Non dixit*, inquit, *Duxerit, sed Traxerit. Ista violentia cordi fit, non carni. Quid ergo miraris? crede, et venis; ama, et traheris. Non arbitreris istam asperam molestamque violentiam; dulcis est, suavis est; ipsa suavitas te trahit. Nonne ovis trahitur, cum esurienti herba monstratur? Et puto quia non corpore impellitur, sed desiderio colligatur : sic et tu veni ad Christum. Ad illum enim qui ubique est, amando venitur, non navigando*.

Nota tertio : Ruffinus funiculos Adam censet esse beneficentiam, qua Deus Adamum post peccatum prosecutus est, dans ei cibos illaboratos, et sponte nascentes ; sic vice versa funiculos Israelis esse manna, et aquam de petra quæ ei sine satione et fossione in deserto Deus dedit, quibus quasi charitatis vinculis eum alligavit : quæ fuerunt typus Eucharistiæ. Unde

Allegor. traxit nos Christus in funiculis Adam, cum pro nobis factus est Adam, id est, homo, caro nostra, et frater noster, ut docendo, patiendo, et moriendo pro nobis, nos ad se et ad Deum traheret, ac terrenum Adam redimeret, transformaret, faceretque cœlestem : cumque hominum morbos, tam corporis, quàm animæ curavit, inquit Theophyl. et Rupert. ac præsertim cum quasi nutricius Ephraim, corpus et sanguinem suum nobis dedit in Eucharistia. Hic enim est funiculus Adam, quo nos sibi Deoque astrinxit. Est enim Christus in Eucharistia *amor amorum*, ut ait S. Bernard. serm. de Cœna Domini. Ita Delrio adagio 956. Audi et S. Hieron. *In tantum dilexi, et tam demens pastor fui, ut morbidam ovem humeris meis ipse portarem : ipsi vero ignoraverunt quod mea illos passione curarem, et qui amator sum om-*

nium hominum, traherem eos ad credendum in vinculis charitatis.

Symbolice, Paulus à Palatio : Funiculi Adam, ait, sunt leges veteres datæ Judæis, et multo magis novæ datæ Christianis : hæ enim ligant, id est, obligant populum quasi funiculi, suntque Adam, id est hominum, non bestiarum : quia humanæ sunt, et rectæ rationi ac æquitati conformes. Eædem sunt vincula charitatis : quia finis legis est charitas, ut scilicet nos ducat ad amorem Dei et proximi. Tales et debent esse leges humanæ, scilicet vincula charitatis, non tormina cupiditatis: quia publicæ utilitati, non propriæ aviditati serviant oportet.

Tropol. disce hìc amorem esse telum violentissimum, quod hostes expugnat, immo immutat, et ex inimicis facit amicos. Errat hìc mundi sapientia, quæ hostem odiis, maleficiis et plagis vult vincere, cum iis magis accendatur odium et hostilitas. Vera ratio vincendi hostem est, eum vincere amore, et vincere beneficiis. Vidit hoc Philippus Macedo, qui, ut testatur Plutarch. in ejus Vita, cum capitaneum quemdam haberet, qui jugiter illi ejusque famæ detrahebat, censerentque amici eum terrore et minis compescendum, Philippus, aliis armis utens, misit ad eum magnam pecuniæ vim, addens, si plura cuperet, se plura daturum. Hoc dono vincta est ejus lingua, victa maledicentia, ac qui primo Philippum carpebat, nunc eum laudabat et in cœlum evehebat. Mirabantur amici doni ignari tantam in calumniatore mutationem; quibus Philippus : *En*, ait, *in mea manu est facere, ut detractores mei sint laudatores.* Idem obsessurus arcem in rupe sitam, cum sui dissuaderent, dicerentque eam esse inaccessam, ideoque inexpugnabilem, rogavit num asinus onustus auro eò ascendere posset : asserentibus viam patere asino : Ergo, inquit, accessu et expugnatu facilis est. Quare submissa ingenti auri vi arcis præfectum sibi devinxit, fecitque ut arcem sibi dederet. Nimirum *validius et facilius aureis hastis pugnatur, quàm ferreis.* Norunt hoc sapientes principes et duces. Docuerat id Philippum Apollo Pythius, dum ab eo consultus respondit :

Si telo ex auro pugnaveris, omnia vinces.

Seneca epist. 9. ad Lucil. *Si vis amari, ama.* Et Poeta :

Ut præstem Pyladen, aliquis mihi præstet Orestem,
Hoc non fit verbis : Marce, ut ameris, ama.

Præclare S. Chrysost. hom. 13. ad pop. explicans illud Christi : *Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis*, ait : *Vis beneficia capere? confer beneficium alteri : vis laudari? lauda alium : vis amari? ama : vis partibus primis potiri? cede illas prius alteri.*

Et ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum.] *Ero*, id est, *eram :* sicut paulo ante *traham*, id est traxi. Sequitur enim, *et declinavi* in præterito. Jam quoad sensum, Albert. explicat, q. d. Faciam ut maxillæ eorum premantur jugo Assyriorum. Unde Symmach. vertit: *Putaverunt quod imponerem jugum super maxillas eorum.* Jugum scilicet, vel hostis, vel legis meæ, quam ipsi æstimant durissimum esse jugum. Melius alii contrarie exponunt, q. d. Exaltabo, id est, auferam ab eis jugum aliarum gentium. Tertio, Septuag. vertunt : *Ero eis quasi dans alapas homo super maxillas ejus.* Quod explicans S. Hieron. *Quia*, inquit, *non sua sponte currebant, sed vincti funibus trahebantur, paululum maxillas eorum verberavi; non puniens, sed corrigens et emendans. Judex lacerat carnes, torquet funiculis, flagellis atque ignibus cruciat : qui autem pater est, lascivientem filium palma percutit manus.* Sic et Cyrill. et Theodor. per alapam hominis accipiunt castigationem levem, qua Deus quasi pater leniter castigat suos, quasi pueros : *quem enim diligit Deus, castigat.* Imo aliqui hæc accipiunt de alapa qua pater leniter tangit maxillas pueri, quasi applaudens ei poppysmo blandientis, ut doceant Dei alapas non esse aliud quàm plausus quosdam, et manuum collisiones, quibus equisones, seu poppyzontes voce simul et manuum tractatione equos animare solent, et indomitos cicurare, uti Deus hìc cicuravit Israelem. Ita Delrio adagio 957. Quare minus recte Leo Castrius hæc refert ad alapam à milite datam Christo in passione, coram Caipha pontifice; præsertim quia ipse contendit in Hebræo pro *exaltans* עול *ol*, id est *jugum*, legendum esse *exaltans* יד *iad*, id est *manum*, scilicet ad dandam alapam. Quod est contra omnes codices.

Sed quæres qua ratione et qua allusione ad rem rusticanam in nostra Versione dicatur : *Ero eis quasi exaltans jugum super maxillas ;* nec enim rustici exaltant jugum super maxillas, sed super collum, vel cornua boum. Primo, Ruffinus censet alludi ad boves qui trahunt currus : *In quibus*, inquit, *juga cum solvuntur, eriguntur ;* cum enim boves è curru solvuntur et abeunt, elevatur currus temo, qui pariter secum elevat jugum. Verum solutis bobus solet et jugum eorum solvi, nec dimitti alligatum temoni. Adde hìc magis ad boves arantes, vel triturantes, quàm ad currum trahentes respici. Alludit enim ad id quod paulo ante dixit cap. 10. v. 11 : *Ephraim vitula docta diligere trituram, et ego transivi super pulchritudinem colli ejus : ascendam super Ephraim, arabit Judas, etc.*

Secundo, alii censent respici ad morem rusticorum, qui ad singulos sulcos elevant jugum boum ad caput et cornua, ne eo collum nimis incalescat et gravetur. De eo enim sic præcipit Columella lib. 2. c. 2 : *Sulcum longiorem facere quàm pedum centum viginti contrarium est pecori, quoniam plus æquo fatigatur, ubi hunc modum excessit. Cum ventum erit ad versuram, in priorem partem jugum propellat, et boves inhibeat, ut colla eorum refrigescant, quia celeriter conflagrant, nisi assidue refrigerentur; et ex eo tumor, ac deinde ulcera invadunt.* Ita Figuerius. Verum hæc spectant elevationem jugi ad caput et cornua, non vero ad maxillas, quod quærimus.

Tertio, verisimilius Sanchez censet per *jugum* hìc significari capistrum, quod os boum et maxillas tegit et stringit, ne inter arandum germina carpant : hoc enim capistrum alligatur jugo, ne boves caput demittant, sed eo erecto incedant. Hoc enim faciendum esse docet Columella loco citato : *Ut boum colla*, inquit, *minus labefactentur, jugumque melius aptatum cervicibus insideat.* Cum enim boves ab arando vel triturando cessant, elevatur et aufertur jugum, unaque capistrum quod erat ori et maxillis alligatum; imo subinde inter arandum et triturandum agricolæ laxant elevantque capistrum

à maxillis, ut boves caput demittere, et germina vel grana quæ triturant carpere et edere possint. Sub jugo ergo hic intellige frenum sive capistrum : hoc enim proprie tangit maxillas, et elevatur super eas, ut boves comedere possint. Unde et sequitur : *Et declinavi ad eum cibum, ut vesceretur*, q. d. Israel quasi traxit jugum meum peregrinans per desertum 40 annis : sed cum aliquid laboris et modestiæ subivit, in tam diuturno et difficili itinere, ego sic eum relevavi et refeci, sicut agricola solet laborantem bovem, à quo jugum et laborem amovet, ut suis se temporibus pabulo reficiat et restauret.

Quocirca optime Hebræa vertit Chald. *Verbum meum fuit sicut bonus agricola, qui allevat humerum boum, et relaxat* (frenum) *in maxillas eorum.* Alludit enim ad vitulos vel boves arantes et triturantes (his enim comparavit Israel, c. 10. 11, quibus jugum cervici, capistrum ori imponitur, ut assidue arent vel triturent, nec ab hoc opere divertere possint os segeti vel cibo admovendo : hos agricola, si clemens et benignus sit, subinde à jugo solvit aut laxat, ut quiescant et comedant, q. d. Pari modo ego cervicem Israelis jugo, maxillas capistro liberavi, dum in deserto hostium arma et jugum ab eo averti, fecique ut à labore itineris sæpe interquiesceret, *et declinavi*, id est, demisi è cœlo manna, quo *vesceretur*. Ita S. Hieron. Exaltatur ergo jugum super maxillas, cum ab illis attollitur et aufertur, aut, ut Vatabl. cum more rusticano è collo boum aufertur, et in cornibus eorum suspenditur, ut per maxillas dependeat et defluat. Sic enim respirant boves, et refocillantur aliquantulum in mediis arandi et triturandi laboribus. Alleg. Christus exaltat et aufert à nobis jugum peccati, dæmonis et concupiscentiæ, dicens : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos*, Matth. 11. v. 28. Aut enim tentationes et difficultates tollit, aut sua gratia ita eas emollit, ut hoc earum jugum non videatur maxillas stringere, neque collum arctare.

Et declinavi ad eum ut vesceretur,] id est, ut Symmach. et Vatabl. *Declinavi ad eum cibum:* hunc enim significat hebr. אוכיל *ochil :* quod alii vertunt, *comedere faciam*, puta tum bona terræ Chanaan, tum manna, quo Israelem alui in deserto. Ita S. Hieron. Chald. Haymo, Albert. Lyran. et alii. Allegor. per manna accipe Eucharistiam, qua Christus suos alit, de qua ait S. Hieron. *Declinavi* (ego Christus) *ad eos, deserens regna cœlorum, ut cum eis vescerer assumpta forma hominis : sive dedi eis esum corporis mei ipse et cibus et conviva.*

Pro *declinavi* hebr. est אט *at*, quod per apocopen ponitur pro אטה *atte* futuro hiphil, à rad. נטה *nata*, id est declinavit. Aliqui *at* accipiunt ut adverbium, significans *quiete*, quasi dicat : Exaltavi jugum gentium, abstulique à maxillis Israel, fecique ut quiesceret à bellis in Chananæa per Josue, utque quiete ejus frugibus vesceretur. Sed hæc significatio et versio dubia est et incerta. Docti enim Hebræi censent *at*, cum adverbiascit, significare abscondite, clam, tecte, à rad. לאט *laat*, id est, abscondit.

5. Non revertetur in terram Ægypti.] Est hic oratio pathetica, ideoque confusa, in qua multa supplenda sunt : Deus enim hic induit pathos parentis, vel nutricis zelotypæ, q. d. Ego tanta charitate, tot beneficiis affeci, et allexi ad me Israelem : sed ille cor habet algidum, et à me aversum, ad me reverti non vult, sed reverti cogitat in Ægyptum, ut ejus opem imploret contra Assyrios. Quid ergo ? impune hoc feret ? Non feret : sepiam viam ejus spinis, faciamque ut viis ab hoste obsessis in Ægyptum reverti nequeat, utque Assyrius eas ex improviso præoccupet, et in Assyriam captivum abducat, sitque *Assur ipse rex* (imo tyrannus) *ejus.* Unde Chaldæus vertit : *Non revertentur in terram Ægypti, sed Assur* (puta Salmanasar) *dominabitur eis.* Ita S. Hieron. Albert. Lyran. et Hugo. Aliter Arias, q. d. Debebant ire et opem implorare, non Ægypti, nec Assur, sed Domini Dei, ut τὸ *revertetur*, non rem futuram, sed debitum et obligationem significet, idemque sit quod *reverti debet :* sic enim Hebræi subinde loquuntur dicentes : *Hoc non fiet*, id est, hoc fieri non debet.

6. Coepit gladius,] q. d. Jam Assyrii per crebras excursiones cœperunt vastare, et occidere Israelitas, nec desistent : donec *electos et capita*, id est, consiliarios (ut habent Hebræa) et principes eorum cum tota gente consumant. Id ita factum esse patet ex historia lib. 4. Reg. c. 15. et sequent.

7. Et populus meus Israel pendebit ad reditum meum, q. d. Israel animo pendulus sperabit et exspectabit, ut ego de more rediens liberem eum ab Assyriis, qui velut recedens jam eum deserueram, sed falletur : quia enim ipse in sua contra me rebellione et vitulorum cultu persistit faciam, ut jugum Assyriorum imponatur eis omnibus simul, nemine excepto : quod non auferetur,] sed erit perpetuum. Ita S. Hieron. Albert. Haymo, Clarius et alii.

Secundo, q. d. Israel pendet et hæsitat an ad me converti et redire velit, necne. Ita Leo Hebræus et Chald. qui vertit : *Populus meus hæsitat se convertere ad legem meam.* Accedit Arias qui explicat, q. d. Israel superbus et pervicax non vult prior me de reconciliatione compellare, sed exspectat ut ego prior ei reconciliari postulem, quasi ego sim offendens et reus, ille offensus et actor.

Huc quoque accedit R. David, quem sequitur Pagnin. et Vatabl. qui hebr. משובתי *mesçubati*, quod Noster vertit : *reditum meum*, vertunt, *aversionem*, vel *rebellionem meam*, huncque dant sensum : Israel in sua à me aversione undique pressus angustiis et hostibus hæsitat quid agere, quò confugere, cujus opem implorare debeat.

Nota : Pro *jugum imponetur ei*, Hebr. est, *ad jugum vocabunt eum.* Legit Interpres על *ol*, id est jugum, æque ac Chald. qui vertit : *Infirmitatem gravem incurrent simul.* Jam legunt alio puncto על *al*, id est altus, excelsus, puta Deus. Unde vertunt : *Ad Altissimum vocabant eum*, q. d. Prophetæ vocabant Israelem ut ad Deum rediret. Septuag. vertunt : *Deus super pretiosa ejus irascetur.*

Rursum pro *non auferetur*, Heb. est, *non exaltabit*, vel *non exaltabitur*, scilicet jugum, id est, non auferetur à maxillis Israelis, uti exposui vers. 4. Alii aliud suppositum verbi subaudiunt, scilicet Theodot. *non exaltabit*, puta *eos Deus;* Chald. *non exaltabit*, supple *caput*, Israel depressus ab Assyriis; Vatabl. *non exaltabit*, supple *Israel Deum*, id est, non laudabit, nec celebra-

bit Deum, quia ab eo avertit se ad idola, q. d. Hæsitat Israel an mecum in gratiam rediturus sit, et licet Prophetæ eum crebro vocent, ut ad Altissimum redeat, nemo tamen est qui ad Deum redeat, eumque exaltet et colat.

8. QUOMODO DABO TE EPHRAIM, PROTEGAM TE ISRAEL.] Pro *protegam* hebr. est אמגנך *amagghen*. Quod si à radice גנן *ganan*, id est tegere, obtegere, deducas, significat *protegam*, obtegam, et, ut Septuag. ac Aquila vertunt: *Scuto circumdabo te*. Nonnulli tamen censent *amagghen* esse contrariæ significationis (talia enim sunt multa Hebræorum verba, quæ aliquando unum, aliquando ejus contrarium significant) unde Theodotion vertit, ἀφοπλίσω σε, id est, nudabo te, et *auferam à te* ὅπλον, id est scutum, quo te ante protexeram, ait S. Hieronym. et Chald. *exterminabo te*.

Secundo, si *amagghen* à rad. מגן *magan*, id est tradere, deducas, significat *tradam te*, scilicet hostibus Assyriis. Ita Symmachus, Leo Hebræus et Pagnin. Hi sensus licet verbotenus diversi, imo contrarii, in eumdem tamen sensum, quasi finem et scopum, collimant. Deus enim hìc duas personas et duos affectus alternantes induit, scilicet amantis patris, qui filium peccantem punire ex amore refugit, et severi judicis, qui eum ut reum plectere destinat. Est enim in hac Dei interrogatione ingens pathos, in quo quasi luctatur amor cum dolore et ira, puta summa Dei misericordia cum ejusdem justitia et vindicta. Deus enim, ait Cyrillus hìc, quasi pendulus se versat utrimque, hæsitatque an protegere, an perdere debeat Israelem tam perditæ et profligatæ vitæ, ut ostendat quàm ejus misereri cupiat, si resipiscere velit, quàmque invitus ad ejus impœnitentis excidium descendat. Sensus ergo est, q. d. *Quomodo dabo*, id est, quid de te, vel tibi faciam, ô Israel? protegamne te more solito ut pater? at tua obstinata à me aversio et rebellio obsistit, tuaque scelera atrocia clamant in cœlum, et vindictam à me efflagitant. Perdamne te per Assyrios, ut Sodomam, Adamam, Seboim, urbes Pentapoleos? at quomodo id paternus meus in te affectus patietur? Cum Sodomam perdidi, tactus fui dolore cordis intrinsecus; at nunc si te filium meum perdam, magis cor meum, quàm tuum, dolore sauciabo. Cor enim mihi findi, convelli et dissecari (anthropopathως) videtur, si te, quem amavi ut filium, ut viscera mea, abjiciam, tradam Assyriis, vastem et disperdam. Quid ergo faciam? quò me vertam? vincet amor, an dolor? misericordia, an justitia? Vincat amor, vincat misericordia. Ait ergo:

CONVERSUM EST IN ME COR MEUM, PARITER CONTURBATA EST PŒNITUDO MEA.] Leo Hebræus vertit: *Inversum est in me cor meum, simulque accensæ sunt in me pœnitudines meæ*, q. d. Dum ita mecum luctor, misericordia et pietate paterna vincor. Itaque cor meum converto et inverto, muto sententiam, revoco decretum de exscindendo prorsus Israele; ac quasi pœnitens conturbo intimo animi sensu, percellorque quod eum omnino perdere voluerim. Non ergo eum exscindam ut Sodomam, sed castigabo ut filium; puniam, non ut perdam, sed ut emendem.

9. NON FACIAM FUROREM IRÆ MEÆ, ut eum exterminem, prout scelera ejus postulabant. Denique NON CONVERTAR UT DISPERDAM EPHRAIM.] Ita S. Cyrill. Hieron. Theodor. Theophyl. Alber. Hugo et alii. Causam subdit:

QUONIAM DEUS EGO SUM, ET NON HOMO.] q. d. Non sum ego similis hominibus, qui in inferendo supplicio plerumque ex ira transiliunt metas justitiæ: Deus sum, qui in puniendo, non solum metas justitiæ æquare non soleo, sed citra illas me contineo, ait Anton. Fernan. vis. 29. sect. 3. Nimirum homo furore ebrius naturæ moderari nescit, ego scio; homo in vindictam se effundit, ego vindictam misericordia tempero, imo supero; in me enim misericordia superexaltat judicio: quantum ergo Deus homini, cœlum terræ eminet, tantum magnifica et divina clementia mea eminet justitiæ et vindictæ, ipsisque omnibus hominum omnium sceleribus, quæ tam facile absorbet, quàm mare sorbeat guttam aquæ. Ita S. Cyrill. Theodor. et alii.

Aliter Chald. et R. David, q. d. Homo offensus revocat promissa; at ego licet offensus ab Israele, promissa tamen, quæ Abrahæ, Isaac et Jacob patribus ejus feci, servabo et opere præstabo.

Omnes ergo hæc in bonum accipiunt, unus Arias hoc in malum accipit, q. d. Fixum maneat decretum meum de exscindendo Israele: *Quia Deus ego sum, non homo*, q. d. Quia sum Deus immutabilis, non homo, qui facile flectitur mutatque sententiam. Verum perperam, cætera enim omnia hìc non vindictam et odium, sed summum amorem et clementiam spirant.

Moral. disce hìc quàm in offensis condonandis dispar sit sensus Dei et hominum. Homo offensæ vindictam machinatur, Deus reconciliationem. Homo punit ut perdat, Deus punit ut emendet. Homo passione et ira, Deus ratione et justitia movetur. Homo stulte reputat sibi fore dedecus, si prior reconciliationem postulet: Deus idipsum sibi honori ducit. Est hæc mundana, imo diabolica, hominum magnanimitas, ut pertinaces sint in offensis et litibus; eaque de causa multi juges alunt inimicitias, quia neutra pars vult prior reconciliationem, multo minus veniam, etiamsi offenderit prior, postulare. Concionatores eos dedoceant hanc mundi sapientiam, imo stultitiam et dementiam, ostendantque non dedecus, sed decus et laudem esse eximiam, si quis prior de reconciliatione adversarium interpellet. Hoc enim signum est animi liberalis, iræ potentis, mansueti, humani, imo divini: Deum enim ducem imitatur, qui prior nos peccatores sua gratia prævenit, et invitat ad reditum in gratiam. Vide S. Chrysost. hom. de simultate et ira, tom. 5. ubi præclare docet honorificum esse prævenire partem adversam, eamque invitare ad reconciliationem; eo quod hæc reconciliatio et præventio sit heroica virtus, ingensque bonum utrimque, cujus causa et auctor est non rogatus, sed rogans: *Qui enim prior venit, is*, inquit, *totum lucrum anticipat. Si enim ab alio exoratus iram relinquis, illi imputatur, cujus precibus impetratum est. Non enim Deo obtemperans, sed illi gratificans legem adimplevisti*. Christus prior è cœlis descendit ad nos, ut nos ad se revocaret. Christianus ergo est, et Christi assecla, qui idipsum imitatur. Pusilli et arcti animi est fovere injurias, ampli et celsi eas abolere. Unde Moses postulans à Deo veniam

rebellionis à populo admissæ : *Magnificetur ergo*, inquit, *fortitudo Domini, sicut jurasti, dicens : Dominus patiens et multæ misericordiæ, auferens iniquitatem et scelera*, Num. 14. 17. Sic Theodotius Imper. teste S. Ambros. serm. de ejus obitu, beneficium se accepisse dicebat, cum ignosceret; quin et Hadrianus, licet Gentilis, Imperator creatus dixit sibi jam ereptam esse facultatem injuriæ privatæ ulciscendæ : quod Imperatorem deceat non nisi publicas reip. injurias vindicare, privatas vero condonare; ejus enim dotem propriam esse clementiam. Ita Sanchez ad v. 7.

IN MEDIO TUI SANCTUS, ET NON INGREDIAR CIVITATEM,] q. d. Hostes crudeles, dum civitatem obsessam capiunt, eam ingrediuntur, et vastant: non ita ego, non ingrediar urbes tuas ut eas vastem, quia sanctus sum, et in medio tuî habito, ideoque cupio te corrigere et correctum salvare. Ita Ruffin. Rupert. et S. Hieron. Non ergo ponam te ut Sodomam, sed tuî reliquias conservabo, imo te totam, ô Jerusalem, sub Ezechia pio rege à Sennacherib tutabor et protegam. Hoc est enim quod prædixit Isaias cap. 36. 4 : *Non ingredietur urbem hanc, et non jaciet ibi sagittam.* Licet enim hæc spectent ad Ephraim, tamen spectant quoque ad Juda et Jerusalem, uti jam dicam, magis tamen spectant ad Ephraim. Unde recte noster Prado in Ezech. 4. 3. sic explicat : *In medio tuî sanctus*, id est, hucusque à te cultus et honoratus fui, *et non ingrediar civitatem*, q. d. Non ergo decet me civitatem Sichem (vel Samariam, quæ erat metropolis Ephraim) idolorum sentinam ingredi, quia decrevi ejus cives servare. Sustinet enim Deus personam judicis, qui advertere animum non vult ad ea quæ plectere recusat; ac proinde non ingreditur loca sceleratorum, ne videns scelera, urgente justitia, cogatur ea punire.

Secundo, Hebræi, Haymo, Albert. et Hugo exponunt, q. d. Ego in medio tuî, ô Israel, moror et color; nec te sedemque meam derelinquam, ut ingrediar aliam civitatem vel gentem. Hinc R. Salomon, R. Abraham, R. David, et etiamnum Judæi deliri existimant Deum tantum apud Judæos habitare. Huc accedit Chald. qui de Jerusalem explicat, q. d. Jerusalem est mea civitas, ibi habeo templum, in medio ejus habito; non ergo illud deseram, ut aliud templum vel urbem ingrediar. Licet enim hæc spectent ad Israel, id est, ad decem Tribus primario, secundario tamen spectant ad Judam; utrisque enim prophetat Osee, præsertim quia decem Tribus priscum ex Dei institutione jus habebant ad Jerusalem, et ad templum, nec illud à se abdicare poterant, quantumvis ad idola deflecterent.

Tertio, q. d. Ego Deus dignor in medio tuî habitare, ô Israel, esto nullam ingrediar civitatem aut locum, tum quia omnibus locis sum præsens, tum quia loco non egeo, nec capior : sum enim toti orbi infusus, effusus, et circumfusus. Ita Theodor. et Lyran.

Quarto, aliter Sanchez, q. d. In te, ô Ephraim, sunt aliqui sancti (ut Osee, Joel, Amos, aliique Prophetæ) qui in Sodoma totaque Pentapoli non fuerunt, qui si non omnino cohibere, obtundere tamen possint districtum gladium vindicis iracundiæ. Quare non ingrediar civitates Ephraim eo modo, quo olim per angelos sum ingressus Sodomam, ad ejus scelera videndum, et incendio vindicandum.

Moraliter, vide hîc viscera charitatis, clementiæ et dignationis Dei nostri, qua peccatores sceleratissimos, quales erant Israelitæ, ad se trahere conatur in funiculis Adam; dolet et pœnitet, gemit et suspirat ex intimo corde, quod eos castigare debeat, mutat et revocat sententiam de eorum excidio. Audi S. Hieron. *In medio tuî sanctus, et non ingrediar civitatem, hoc est, non sum unus de his qui in urbibus habitant, qui humanis legibus vivunt, qui crudelitatem arbitrantur justitiam. Jus summum summa malitia est, mea autem lex, meaque justitia est salvare correptos.*

Considerent hæc penitius Theologi illi, qui ponunt in Deo reprobationem, vel positivam, vel negativam damnandorum, non ob eorum demerita, sed ex mero Dei beneplacito; censent enim Deum ante omnem prævisionem operum, imo ante prævisionem lapsus Adami et peccati originalis (uti illorum nonnulli volunt) ex hominibus hos, puta electos, absoluta et efficaci voluntate elegisse ad gloriam, illisque solis destinasse media et auxilia congrua et efficacia ad salutem; cæteros vero omnes, utpote damnandos, neglexisse, reprobasse negative, et posuisse in serie damnandorum; ex quo infallibiliter fiet ut hi ad unum omnes damnentur; ideoque Deum negare eis auxilia congrua, imo (ut aliqui volunt) etiam sufficientia ad salutem utpote qui statuerit eos relinquere in massa peccato originali damnata, ideoque permittere eos labi in peccata actualia, in iisque obdurari et mori, itaque damnari.

Quomodo, quæso, hæc consentiunt cum verbis Prophetæ nostri, et cæterorum omnium, in quibus protestatur, imo jurat Deus, se ex animo cupere omnium hominum, etiam peccatorum et obstinatorum (quales erant hi Samaritæ) salutem, nolle se eorum mortem et perditionem; de eaque ex intimis visceribus dolet et ingemiscit, ideoque assidue per Prophetas eorum scelera arguit, minatur pœnas, hortatur et invitat ad pœnitentiam, promittens eis veniam et gratiam? Si quis rex aut princeps hæc omnia præstaret populo rebelli, nonne diceretur ab omnibus sincere summeque cupere ut populus ad se sibique reconcilietur, itaque mortem rebellibus debitam evadat, vivat et salvetur? At Deus longe melior, benignior et clementior, longe sincerior, longe veracior est quovis rege aut principe.

Sane qui aliter sentiunt, videntur primo, Deo fucum vel hypocrisin ascribere, ut exterius dicat et promittat, quod interius non putat, vel vult. Si enim Deus damnandos omnes ante prævisionem demeritorum rejecit et reprobavit negative, ergo interius in animo suo noluit eos salvare, imo voluit derelinquere ut perirent et damnarentur; ergo cum exterius per Prophetas dicit se velle eorum salutem, nolle mortem; simulate, et quoad speciem et apparentiam externam tantum id dicit : non enim revera et ex animo potest velle contradictoria, nimirum velle eorum salutem eamdemque simul nolle. Ficta ergo et simulata (quod cogitare horret mens Christiana, imo humana) erit illa Dei per Isaiam cap. 5. 4. ad Judæos vox : *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci?* et Jerem. c. 2. v. 5 : *Quid invenerunt patres vestri in*

me iniquitatis, quia elongaverunt à me, et ambulaverunt post vanitatem? Et v. 12 : *Obstupescite, cœli, super hoc, et portæ ejus, desolamini vehementer; duo enim mala fecit populus meus; me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas.* Similibus querelis Dei plenus est Jeremias. Talia quoque sunt Prov. 1. 24 : *Vocavi et renuistis, extendi manus meas, et non fuit qui aspiceret.* Ezech. 20. 31 : *Convertimini et agite pœnitentiam, facite vobis cor novum, etc. Et quare moriemini, domus Israel? quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus; revertimini et vivite.*

Secundo, hæc sententia valde coarctat Dei clementiam et bonitatem, scilicet ad solos electos, qui pauci sunt; circa alios vero omnes qui plurimi sunt, facit eum rigidiorem quàm sit ullus rex Turca aut Tartarus in populum suum. Absit crudelitas à Deo benignissimo. Insuper reprobationem, damnationem, obdurationem, et consequenter peccatorum patrationem, quæ inde sequitur, ascribit Deo optimo et sanctissimo, ejusque providentiæ et curæ; cum et Scripturæ et rei natura doceat ea ascribenda esse peccatori. Cur Deo clementissimo illa tribuunt, à quo sunt alienissima, et non homini, cujus ea sunt propria? Clamat Osee cap. 13. 9 : *Perditio tua, Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* Quàm ergo perperam dicunt nonnulli : Perditio tua, non tua, sed ex Deo est reprobante! Quid enim est reprobatio, etiam negativa, nisi perditio, eaque extrema et æterna? Clamat Eccles. cap. 15. 11 : *Non dixeris : Per Deum abest* à me sapientia et scientia salutis; *quæ enim odit ne feceris*, q. d. Non per Deum, sed per te stat quod non capessas viam salutis, quia facis ea quæ Deus odit, ac proinde à via ista recedis. Si enim non facias illa quæ Deus odit, accedet ad te Deus et sapientia, sive scientia sanctorum : *Non dicas : Ille me implanavit*, id est, in errorem impulit : *Non enim necessarii sunt ei homines impii.* Jam si Deus ex se, ante prævisionem operum impios reprobavit, nonne recte dicere poterunt impii : Non per me, sed per Deum stat quod primitus sim reprobatus ab eo; huic autem ejus decreto resistere ego non potui, nec reprobationem ejus evadere : illi ergo imputanda est prima meî reprobatio, omnesque ejus effectus, non mihi. Quis enim ego sum, qui resistam Deo, ejusque providentiæ seriem frustrer et evertam?

Adde, reprobare, punire, damnare sunt actus justitiæ vindicativæ; ergo non præcedunt, sed sequuntur et præsupponunt peccatum, et culpam reprobandi et damnandi. Princeps enim esset injustus et tyrannus, si subditos impelleret vel induceret ad peccata eo fine, ut eos posset punire, damnare et occidere.

Tertio, Christi filii Dei unigeniti redemptionem et œconomiam valde hi doctores extenuant, ejusque gratiam et gloriam imminuunt : nam eam ad paucos electos restringunt, atque cæteros ab ea reipsa excludunt, etiamsi nomine tenus partem ejus aliquam, aut potius apparentem aliquam umbram ad eos extendere videantur. Jam ex adverso, ex S. Scriptura et ex doctrina Patrum et Ecclesiæ constat quod Christus hac de causa incarnatus sit, laboraverit, sudaverit, passus, crucifixus, et atrocissima quæque perpessus sit, ut omnes omnino homines, etiam eos qui sua culpa damnantur, redimeret, ut omnibus gratiam non tantum sufficientem, sed et copiosam ad salutem impetraret, pro eaque assidue Patrem oravit, atque ad eam omnes toto Evangelio ex animo invitat. Hinc amare flevit super Jerusalem, dicens : *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?* Hac de causa per totum orbem misit Apostolos, quia scilicet, ut ait Apostolus 1. Tim. 2. v. 4 : *Omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Idcirco rursum singulis seculis, imo singulis annis per urbes singulas, vicos et castella mittit prædicatores, qui doceant et invitent omnes ad ejus gratiam et salutem : ergo neminem ab ea exclusit vel excludit, nisi nolentem venire.

Quarto, multi ex iis qui damnabuntur sunt baptizati, pœnitentes et justi, in quibus omne peccatum, etiam originale, plane deletum et abolitum est. Ergo Deus eos tunc odisse, reprobare, negligere aut deserere nequit; sed amat, juvat, protegit et destinat ut fiant hæredes gloriæ et regni sui, uti docet S. Scriptura, et Concil. Trid. quod inter cætera ait sess. 6. art. 11. Deum gratia sua non deserere justum, nisi prius ab eo deseratur.

Quinto, ex hac sententia Deus videtur insidiari saluti omnium eorum qui damnantur. Nam ante omnem prævisionem decrevit eos reprobare, utque hoc decretum sit infallibile et efficax, debet procurare illis passim offendicula et gratias inefficaces et incongruas, ut peccent justeque damnari possint, uti recte argumentatur Gregor. de Valentia. Hoc enim involvit id quod dicunt auctores illius sententiæ, scilicet Deum ante omnem prævisionem ponere reprobos in serie damnationis et damnandorum.

Quocirca viri sapientes non pauci aversantur ista dogmata, et præsertim reprobationem tam negativam, quàm positivam ante prævisionem operum et finis vitæ cujusque, eamque è cathedris et pulpitis eliminandam censent, tanquam Dei æquitati, sanctitati, bonitati et clementiæ, æque ac Christi redemptioni, meritis et charitati injuriam, quæque hominibus teporem ad bona opera, et pronitatem ad peccata ingerat, ad eaque sollicitet. Sane novi plures, qui ex illius sententiæ prædicatione et doctrina, velin desperationem vel in insaniam acti miseri vixerunt; aliquos etiam qui se occiderunt. Semper enim decretum Dei de sua salute vel damnatione, quasi fatum quoddam ineluctabile, idque dubium et incertum, capiti suo impendens phantasiæ suæ objicientes, nec illud excutere valentes, succubuerunt tandem, ac in diffidentiam, vel amentiam prolapsi sunt. Denique hæc sententia impulit Calvinum et hæreticos ad hoc, ut dicant Deum esse auctorem operum malorum, æque ac est bonorum.

Itaque sentiamus, dicamus, doceamus et prædicemus quod Prophetæ et Apostoli prædicarunt, scilicet Deum benignum esse in omnes, velleque et optare ex animo omnium salutem, ideoque reprobationis cujusque causam esse peccata propria, non quæcumque, sed ea tantum in quibus quis vitam finit; Deumque neminem reprobasse, nisi quem in peccatis moriturum prævidit, uti docet S. August. lib. de Correp. et gratia cap. 13. et Prosper in resp. ad cap. 2 et 3. Gallorum. Deus enim cuique hanc vitam dedit quasi stadium, in quo usque ad

mortem decurrat et decertet; si rite decertarit, eum eliget, coronabit et glorificabit: si nequiter, eum reprobabit et damnabit. Quamdiu ergo in hac vita sumus, in via, stadio et agone sumus, id est, in statu merendi gloriam, vel demerendi gehennam: in morte erit terminus, uti vitæ, ita et meriti vel demeriti. Quocirca in cujusque arbitrio est quamdiu vivit, vel bene agere, itaque mereri et eligi ad gloriam, vel male, itaque reprobari. Hoc est quod per Mosen Deut. 30. 15. Deus Hebræis edixit: *Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum; et in contrario mortem et malum, ut diligas Dominum, etc. et vivas;* et Eccl. 15. 14: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et præcepta sua: si volueris mandata facere, conservabunt te. Apposuit tibi aquam et ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Ita fecisse Deum cum Angelis et Adamo clarum est, et fatentur auctores illius sententiæ; ergo et idem facit cum hominibus post lapsum: per Christum enim homines lapsos erigere, et in pristinum, imo altiorem gradum restituere decrevit, et de facto restituere dignatus est, uti manifestissimum est in iis qui baptizati et justi, imo magni Sancti evaserunt, è quibus tamen postea nonnulli sua superbia, aliave culpa perierunt, et etiamnum pereunt et damnantur.

Hic sensus dignus est Deo, dignus Christo, dignus Ecclesia. Sentiamus ergo cum Sapiente de Deo in bonitate, à quo, ut ait Isaias c. 28. 21, mala infligere vel inferre alienum est et peregrinum, proprium vero misereri et parcere. Nam, ut ait Psaltes: *Miserationes ejus super omnia opera* ejus. Et Sapiens, c. 11. 27: *Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas;* græce significantius, δέσποτα φιλόψυχε. Ipse ergo est φιλόψυχος, et, ut ait Apostolus Tit. 3. 4. φιλάνθρωπος, qui ex mero amore animas creavit, easque perditas Christi sui sanguine redemit, ac proinde non vult eas perire, sed salvari, ideoque singulis gratias et media ad salutem sufficientia, imo copiosa et abundantia, ex immenso hoc amore quo eas prosequitur, suppeditat; ut qui pereunt, non Deo, sed suæ ignaviæ, vel malitiæ id tribuere debeant, uti ait hîc Propheta. Vide inter alios Gregorium de Valentia, 1. p. q. 23. disp. 1, puncto 3.

Dices: Deus elegit hanc rerum seriem, in qua prævidebat hosce, puta reprobos omnes, peccaturos, ideoque damnandos: ergo voluit et intendit eos negligere, et reprobare ante omnem prævisionem operum. Cur enim eos posuit in hac serie rerum, in qua infallibiliter damnandi erant, nisi quia voluit eos abjicere? alioqui enim posuisset eos in alia serie, in qua prævidebat illos salvandos. Resp. negando consequentiam: inde enim à pari sequeretur Deum intendisse peccata reproborum, quia ea pari modo prævidit in tali serie, in qua eos posuit, certo futura; hoc autem dicere est impium et blasphemum. Causa ergo cur eos posuerit in tali serie, non fuit illa, quod intenderet eos reprobare aut damnare; sed quia liberum ei fuit eligere seriem quamcumque voluit, præsertim quia prævidebat Deus quod quamcumque seriem eligeret, semper aliqui cum communibus gratiæ auxiliis (noluit enim omnibus dare extraordinaria et potentissima, hoc enim quasi privilegium paucis reservavit) ex arbitrii libertate, facilitate et fragilitate deficerent et peccarent, ideoque reprobarentur et damnarentur. Quod ergo hanc seriem de facto elegerit, in qua prævidebat hosce defecturos et damnandos; non illam, in qua prævidebat hosce in gratia perstituros et salvandos, sed alios defecturos et damnandos; hoc liberæ ejus electionis et potestatis fuit: est enim ipse summus rerum omnium Dominus. Taceo occultas alias hujus electionis causas, quas plures in mente sua habuit et habet: has enim homini scrutari nec possibile, nec fas est; sufficiat nobis non fuisse hanc causam, quod hos præ aliis vellet reprobare ante prævisionem operum, uti jam ostendi. Nam dedit eis, æque ac aliis, communia gratiæ auxilia, cum quibus facile bene vivere et salvari poterant et debebant (hocque volebat et intendebat Deus) sicut multi alii iisdem bene vixerunt, et salvati sunt. Tribuant ergo suæ libertati, fragilitati et negligentiæ, non Deo, nec Dei reprobationi, quod gratiæ Dei cooperari strenue, prout res tanta poscebat, noluerint, ideoque reprobati sint.

10. Post Dominum ambulabunt, quia Dominus quasi leo rugiet,] suoque metu percellet cogetque omnes ut se sequantur, et post se ambulent. Id reipsa factum est primo, cum Deus in vastitate et captivitate Israelitarum rugiit et sæviit quasi leo. Tunc enim multi ex iis plagis fracti, et pavore Dei perculsi ad Deum redierunt, eumque in captivitate Assyriaca coluerunt et invocarunt, petentes veniam et liberationem, Ita S. Hieron. Haymo et alii.

Secundo, cum Ezechias convocavit et invitavit Israelitas in Jerusalem ad Dei cultum, 2. Paral. 30. Rursum et potius, cum Judæi è Babylone redierunt in Judæam; tunc enim multi ex Israel, id est è decem Tribubus, Judæis permixti cum eis redierunt in Jerusalem, ibique in templo Deum coluerunt. Ita S. Cyrillus, Theodor. Chald. Albert. et Hugo.

Tertio et maxime, Christo incarnato et prædicante, ac rugiente quasi leone, tum per se, tum per Apostolos, multi Israelitæ tam ex Samaria et Judæa, quàm ex Ægypto, Assyria omnique mundi plaga ad eum conversi sunt, et quasi columbæ advolarunt, quos ipse collocavit in domibus suis, puta in particularibus Ecclesiis, ubi pie sancteque Deo servierunt, serviunt et servient. Ad Christum enim avolare hîc Prophetam censent Hebræi, S. Hieron. et alii passim.

Nota. Christus per se et Apostolos evangelizans comparatur leoni: Primo, quia ipse ut leo terrore et minis judicii et gehennæ terruit peccatores, et reipsa in judicio terrebit damnatos infligendo illis ignem æternum. Secundo, quia uti leo quasi rex dominatur cæteris feris et animalibus, ita Christus dominatus est philosophis, sectis et erroribus tam Gentilium, quàm Judæorum. Tertio, quia summa auctoritate et majestate loquebatur qua leo. Quarto, quia summa et leonina fortitudine è captivitate peccati, diaboli et gehennæ veros Israelitas eduxit.

Quia ipse rugiet, et formidabunt filii maris,] id est, homines marini, v. g. insulani. Sic Isaiæ 23. 10. Tyrus dicitur *filia maris*, quia in-

sula; aut *filii maris*, id est, Occidentis (mare enim Mediterraneum est ad Occidentem Judææ; hinc *mare* in Scriptura significat Occidentem) hoc est, Occidentales populi, q. d. Remotissimi quique Israelitæ, qui in Occidentem profugerant, æque ac gentes Occidentales, audito hoc leonis, id est Dei et Christi, rugitu, *formidabunt*, hebr. יחרדו *iecherdu*, id est, trepidabunt, eique se subdent. Nam ut ait Amos c. 3. 8: *Leo rugiet, quis non timebit?* Significat quod ad remotissimos quosque Israelitas, æque ac nationes, perveniet vox, terror, potentia, et dominans gratia Christi.

Aliter Theodor. nam per *filios maris*, accipit pisces, quasi dicat: Tam horrendus erit Dei rugitus, ut pisces etiam fugituri sint, et in maris imo se abdituri.

Mystice, *mare* est seculum hoc varium, æstuans et tempestuosum: filii ergo maris sunt filii hujus seculi, quos Christus rugiens perculit et convertit.

11. Et avolabunt quasi avis ex Ægypto et quasi columba de terra Assyriorum.] Cum scilicet ego Deus rugiam per Cyrum proclamando libertatem, ut Judæi Babylone redeant in patriam, et multo magis cum rugiam per Christum, proclamando libertatem à peccato et gehenna, tunc Israelitæ inter Gentes dispersi undique ad me confluent, scilicet à mari, id est ab Occidente; ab Ægypto, id est, à Meridie; et ab Assur, id est, ab Aquilone et Oriente, ut me duce redeant per Esdram in Judæam, et multo magis per Christum redeant ad Ecclesiam, quæ est prima veraque eorum patria, ubi *eos in domibus suis* et sedibus, puta in localibus Ecclesiis, *collocabo*. Ita Chald. qui vertit: *Post Dominum ambulabunt, et verbum ejus sicut leo erit qui rugit: statim enim ac rugiet congregabuntur exsules ab Occidente. Sicut avis quæ aperte venit, sic venient qui in exilium acti fuerunt in terram Ægypti: et sicut columba quæ revertitur ad columbare suum, sic redibunt qui deportati sunt in terram Assur*, q. d. Israelitæ, æque ac Gentes, leonis, id est Dei et Christi, angusta voce territi et exciti, ad eum ejusque fidem et sequelam confluent.

Nota. Per Assyrios et Ægyptios, quaslibet regiones et gentes accipit per Synecdochen: hos tamen præ aliis nominat, quia eò fugerant, vel abducti erant Israelitæ tempore captivitatis, indeque quasi columbæ revolarunt.

Quæres, primo, quænam sit avis Ægypti, et cur ei comparetur Israel rediens è captivitate? Resp. esse ibin, vel accipitrem; utraque enim Ægyptiis erat in honore, et sacra, imo divinis honoribus colebatur. Per eam ergo significat Israelis, non tantum celerem reditum, sed et indemnitatem, ac dignitatem, honorem et reverentiam, quibus ab hostibus ipsis dimissus honorifice et gloriose in patriam sit reversurus. Ægyptii enim, ait Strabo, è terrestribus tria coluerunt, scilicet bovem, canem et felem: è volatilibus duo, accipitrem et ibin: ex aquatilibus duo, sepidotum piscem et oxyrynchum. Accipiter avis est rapax, ab accipiendo dicta, ideoque celerrima. Unde Æthiopes, rem cito factam significaturi, pingunt accipitrem; quod hæc aliarum ferme omnium avis sit velocissima, ait Diodor. lib. 4. cap. 1. Eadem à Virgilio 11. Æneid. *sacra* vocatur, dum ita canit:

> Quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto,
> Consequitur pennis sublimem in nube columbam.

Porro accipiter Ægyptiis erat in honore et veneratione. Primo, quia accipiter est hieroglyphicum solis, tum ob vim prolificam qua præditus est; est enim inter aves fecundissimus; tum quia vivacissimus est; tum quia jubar radiosque solis firmiter intuetur; tum quia oculos et visum habet acutissimum. Unde Plutarchus accipitrem interpretatur Osirim et Solem. Origenes eumdem vocat Apollinis nuntium: tum quia trigesimo quoque die feminæ solet conjungi æque ac sol lunæ. Hinc et Zoroastres, teste Eusebio, dixit Deum accipitris habere caput; Deus enim est sol justitiæ, Malach. 4. 2. Secundo, quia cæteræ aves dum in sublime tendunt, non recto, sed obliquo feruntur tractu: solus autem accipiter sublimipeta recto meatu volat. Tertio, quia accipiter symbolum est animi alati, ac in altum cœlumque evolantis, ac consequenter sacerdotis et sacerdotii; quod verum et legitimum solus Israel possidebat. Quarto, quia accipiter symbolum est gloriæ et victoriæ; tum quia agilitatis in volatu principatum obtinet: tum quia avis est pugnacissima et solertissima, quo fit ut dimicans alias aves semper vincat, vincatur nunquam. Quocirca Darius Persarum rex, qui sibi totius orbis victorias promittebat, pallam gestabat auro distinctam, in qua accipitres tres velut rostris inter se concurrebant, inscripta hac voce, νικητικωτατος, id est, victoriosissimus. Et Antiochus, tot victoriis illustris, accipitris cognomine vocari gestiebat. Hæc et plura tradit Pierius hierogl. 21. cap. 2. 6 et 19.

Ibis vero ita propria est Ægypto, ut alibi non reperiatur. Ibis autem est ciconiæ species, excelsa, rigidis cruribus, procero rostro. Hinc Ægyptus in obeliscis et nummis repræsentatur per ibin: tum quia ibis alibi quàm in Ægypto vivere nequit: tum quia Ægyptus habet speciem Δ; unde et delton vocatur; eamdem habet ibis, tum in rostro, si illud patefaciat, tum in incessu, quo pedes ad æquales trianguli lineas deducit. Porro ibis Mercurio dicata erat, qui totius cordis et sermocinationis dominus habebatur: hinc et cordis est symbolum, præsertim quia ibis mirifice cordi confert, uti asserunt medici: et quia ibis duas æque drachmas ponderat, teste Plutarcho; quod utique pondus est cordis pueri recens nati. Insuper ibis, rostro purgans alvum, docuit homines usum clysteris; hinc sanitatis et salutis est symbolum, præsertim quia, ut ait Cic. lib. 1. de Natura deorum; *Ibes maximam vim serpentum conficiunt, itaque avertunt pestem ab Ægypto, cum volucres angues ex vastitate Lybiæ vento Africo invectas interficiunt atque consumunt: ex quo fit ut illæ nec morsu vivæ noceant, nec odore mortuæ.* Unde Poeta vocat *saturam serpentibus ibim.* Hinc et scribit Josephus l. 2. Antiq. 5. Mosen copiis Ægyptiorum à Pharaone præfectum, cum in Æthiopas castra moveret, quia per loca serpentibus plena profecturus erat, vim ibum ingentem papyraceis arcis inclusisse, iisque in serpentes immissis, ab iis illæsum in Æthiopiam penetrasse, eamque subjugasse. Hæc Pierius hieroglyp. 24.

Quæres, secundo, cur *avem Assyriorum* vocat

columbam, potius quàm aquilam, et cur Israelem reducem comparat columbæ, non alteri avi? Resp. primo, quia volatus columbæ directus est, æque ac constans. Secundo, quia apud Assyrios columbæ sacræ habebantur, et nefas erat eas occidere: unde tanta ibi crevit harum volucrum copia, ut accedentium mercatorum ora pervolarent. Hac de causa ait hîc Osee: *Et avolabunt quasi avis ex Ægypto, et quasi columba de terra Assyriorum.* Hinc et Tibullus lib. 1:

Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes,
Alba Palæstino culta columba Syro?

Testatur Euseb. lib. 8. Præpar. 5. se, cum ad Ascalonem Syriæ civitatem appulisset, miratum esse multitudinem columbarum, cumque causam rogaret, audivisse lege apud eos columbarum usum esse prohibitum. Causa fuit, quod adulatores Semiramidis, reginæ primæ Assyriorum, finxerint eam commutatam in columbam, eaque specie eam quasi deam coluerint. Quocirca Martialis lib. 13. de columba ita canit:

Ne violes teneras præduro dente columbas,
Tradita si Gnidiæ sunt tibi sacra Deæ.

Tertio, quia columba timida ad umbram etiam accipitris celeriter avolat. Nam ut ait Poeta:

Terretur minimo pennæ stridore columba.

Ita Israelitæ timidi, data licentia à Cyro, statim è Babylone aufugerunt, et deinceps ad solum Babylonis et idololatrarum nomen trepidarunt; juxta vetus proverbium:

Timeo naufragus omne fretum.

Et:

Vitaret cœlum Phaeton, si viveret.

Quarto, quia columbæ unice amant suum columbare, æque ac nidum et pullos; unde etiamsi aliò abducantur, mox ut liberæ evadunt, eò statim revolant: quocirca columbis uti solent in obsidione urbium, quasi tabellariis. Obsessi enim per eas ad amicos ultro citroque litteras transmittunt et recipiunt. Ita iis usus est Brutus in obsidione Mutinensi, de quibus Poeta:

Quid vigil obsidio, quid arces
Aut valla prosunt, per spatia invii
Eunte cœli nuntio?

ait Plin. lib. 10. c. 37. Ita Christiani, Ptolemaidem obsidentes, per columbam tabellariam eam miro stratagemate obtinuerunt. Cum enim per columbam Sultanus misisset litteras, quibus se brevi obsidionem soluturum significabat, Christiani eam intercipientes, contrarias fictasque, Sultani nomine inscriptas litteras, per eamdem in urbem miserunt, quibus significabatur Sultanum aliis districtum urbi succurrere non posse: ergo cum hoste optimis conditionibus componerent. Ita obsessi urbem Christianis dediderunt, uti narrat Egnatius, et ex eo Aldrovandus prolegom. in Ornithol.

Quin et patresfamilias, ut docet Lipsius l. 2. Saturn. c. 6, qui in theatrum aut circum ibant, unde non tam cito dabatur reditus, columbas secum in sinu ferebant, easque emittebant cum tabellis nuntias domum quid vellent, idque probat ex Varrone, l. de Re rustica, qui ait: *Columbas redire solere ad locum licet animadvertere, quod multi in theatro è sinu missas faciunt, atque ad locum redeunt, quæ nisi reverterentur non emitterentur.* Id maxime verum in columbis Syriæ et Palæstinæ, quæ etiamsi ad centum milliaria à columbari abducantur, si è loco alto libere avolare sinantur, statim directe mira vel odoratus, vel naturæ sagacitate, ad columbare suum paucis horis revolant: quibus proinde etiamnum mercatores et cives, ut merces advectas aliaque nuntient, pro tabellariis utuntur. Nam eas secum deferentes ad portus, vel ad alias urbes, inde cum litteris domum remittunt, uti mihi Romæ narrarunt viri graves, qui in Syria vixerunt oculisque idipsum conspexerunt.

Idipsum fuse narrat et confirmat R. P. Stephanus Mantegazza Ordinis S. Dominici, in suo Hierosolymæ itinerario lib. 2. cap. 22 et 23, ubi narrat se id vidisse Cairi in Ægypto, additque in toto Oriente, incolas columbis uti pro nuntiis et veredariis, quibus carent, magno et pretii et temporis compendio, easque ad id edoceri: atque Godefridum Bullonium, qui terram sanctam ante sexcentos annos recuperavit, primusque è Christianis creatus est Hierosolymæ rex, in obsidione Hierosolymæ intercepisse columbam, quæ à Sultano cum litteris ad obsessos mittebatur: ipsum vicissim columbam cum litteris misisse ad obsessos in castello Hesaræ.

Hisce ergo columbis suis recte Israelitas comparat Propheta, q. d. Avolabitis è captivitate ad patriam, uti columbæ vestræ alicubi detentæ avolant ad suum columbare et nidum.

Tropol. fidelis amet Ecclesiam, Religiosus suum Ordinem, uti columba amat suum columbare, et si quo casu inde abducatur, mox ut potest eò revolet, ut dicat cum Job c. 29. 18: *In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies.* Et cum Psalte psal. 83. 4: *Etenim passer invenit domum, et turtur nidum, ubi ponat pullos suos;* mea autem domus est templum, meus nidus altare, de quo subdit: *Altaria tua, Domine virtutum, rex meus et Deus meus,* q. d. Altaria tua sunt ad quæ anhelo, uti avis ad nidum suum. De his ait Isaias c. 60. 8: *Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas?* vide ibi dicta.

12. Circumdedit me.] Hîc redit Osee ad sua tempora et ad pristinas minas. Unde Lyran. Arias, Pagnin. et Vatablus hinc inchoant c. 12. Sensus ergo est, q. d. Cupitis scire causam cur non obstante mea tanta miseratione et amore Ephraim æterna captivitate, uti jugiter inclamo, damnandus sit? Ea in promptu est, quia scilicet circumvenit me suo mendacio (negavit enim cultum mihi debitum), et reliquas Tribus dolo: nam dolose eas seduxit ad colendos vitulos aureos, quos mihi astute substituit.

Judas autem testis descendit cum Deo, et cum sanctis fidelis,] q. d. Judas autem non fecit sic, quia eodem tempore sub Ezechia pio rege, sua fide, cultu et vita Deo adhæsit, ad ejusque partes ab Israele neglectas, ideoque quasi inferiores, *descendit testis* veritatis, puta divinitatis Dei; itaque *cum sanctis* tum Patriarchis et Prophetis, tum potius Sacerdotibus et Levitis (hi enim in schismate Jeroboam retinuerunt cultum Dei, ideoque ex Israel ad Judam et Jerusalem confugerunt, ut patet 2. Paral. 13. 9.) *fidelis* Deo fuit, veramque ejus religionem et obedientiam fideliter, stabiliter et constanter (hoc enim significat hebraice נאמן

neeman) conservavit: ideoque cum exscindetur Ephraim et Samaria, tunc Judas et Jerusalem stabit et florebit. Ita S. Hieron. Haymo, Hugo, Emmanuel, Mariana et alii. Perperam Complutens. pro *fidelis* legunt *fidelibus*. Nota. Noster interpres legit עד *ed*, id est testis; jam legunt עד *od*, id est adhuc. Rursum רד *rad* accepit ut infinitivum à ירד *iarad*, id est, *descendit*: jam accipiunt ut præteritum verbi רוד *rud*, id est, dominatus est; unde vertunt: *Judas autem adhuc dominatur cum Deo*. Ita Chald. Leo Hebræus, Lyran. et Pagnin. quasi alludat ad luctam Jacobi cum Angelo vices Dei gerente, cui cum prævaleret Jacob, vocatus est, *Israel*, id est, dominans Deo, Genes. 32. 28. Verum eòdem redit sensus, q. d. Cum Ephraim vastabitur, Judas suum retinebit dominatum et sceptrum, quia cum Deo consentit et conspirat; retinet enim ejus fidem et cultum, quasi testis ejus fidelis; unde regnat adjutus et protectus à Deo, adeoque à Deo et cum Deo regnare videtur: Dei enim regnum terrenum erat in Juda, uti cœleste est in cœlo. Unde Chald. vertit: *Proles vero Juda validæ fuerunt in cultu Domini*; et Arabicus Alexand. *Judas testis cum Deo remotus ab eis, et factus est fidelis et sanctus.*

Aliter Arias et Albert. q. d. Judas stetit in cultu Dei quasi testis ejus fidelis, etiam cum descendit de splendore regni, dum scilicet Ephraim, id est Jeroboam; potiorem regni partem occupavit, eamque ad vitulos aureos abduxit.

Rursum Vatabl. et Lyran. censent hìc innui mysterium SS. Trinitatis. Nam pro *fidelis*, vertit in dativo, *et cum sanctis fideli*: ac per τὸ *sanctis*, accipit Deum qui præcessit, in personis trinum, in essentia unum, q. d. Judas descendit cum Deo, cum Deo, inquam, qui sanctissimus est, ac ter sanctus in tribus personis (ut pluraliter vocari possit קדשים *kedoscim*, id est sancti; tum quia sanctissimus est, tum quia in eo sunt tres personæ sanctissimæ) æque ac fidelissimus. Simili enim modo et causa Deus vocatur *Elohim* in plurali. Verum primus sensus uti planissimus, ita maxime genuinus est. Porro Septuag. hæc aliter dispungunt, itaque vertunt: *Circumdedit me in mendacio Ephraim, et impietate domus Israel et Judas: nunc cognovit eos Deus, et populus sanctus vocabitur Dei;* Septuag. sequitur Syrus: *Circumdedit me Ephraim in mendacio, et domus Israel et Juda dolo, donec descendit cum ipso Deo populus sanctus et fidelis;* et Arabicus Antiochenus: *Considerate* (reperite modum) *quomodo removeatis mendacium, ô domus Ephraim, et iniquitatem, ô domus Israel et Juda: quoniam jam cognovistis Dominum, et vocabimini Deo populus sanctus.*

Denique Hebræi hæc referunt ad transitum maris rubri, de quo historiam vel fabulam hanc narrant, ait S. Hieron.: *In exitu Israel ex Ægypto, quando ex alia parte mons, ex alia rubrum mare, et ex alia Pharaonis cingebatur exercitu, et inclusus populus tenebatur; cæteris Tribubus desperantibus salutem, et aut reverti in Ægyptum, aut bellare cupientibus, solus Juda fideliter ingressus est mare; unde et regnum meruit accipere; et hoc esse quod nunc dicitur: Judas testis sermonum Dei, et astipulator ac vindex descendit cum Deo in mare, et inter sanctos fuit fidelissimus, ut verbis jubentis crederet Dei.*

Verum quidquid sit de hac historia, certe de ea hìc non agitur (esto eò alludi possit), sed de schismate Israelis facto per Jeroboam, in quo Judas fideliter perstitit in cultu veri Dei.

Moral. Judas, id est, confessor et testis fidelis Dei, cum eo descendens in apostasia Israelis, est verus Christianus, qui cæteris à fide, pietate, castitate vel justitia metu pœnarum, vel spe opum et honorum deficientibus, in iis cum Deo et pro Deo constans usque ad mortem persistit, cum jactura bonorum, famæ et vitæ. Sic toto pene orbe arianizante, unus pro fide Homousii invictus stetit S. Athanasius, quasi Atlas Ecclesiæ, hæresimque profligavit, ac de ea triumphum egit. Horum dux et antesignanus est Christus, de quo ait S. Joan. Apoc. 1. 5: *Qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ, qui dilexit nos, et lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Tribunus est Moses, dicens Deuter. 4. 26: *Testes invoco hodie cœlum et terram, cito vos perituros esse*, si à Deo ad idola desciscatis. Chiliarchæ sunt Apostoli, à Christo ad id deputati, Actor. 1. 8: *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ.* Signifer est S. Paulus, ad id à Christo electus, Actor. 22. 15: *Eris testis illius* (Christi) *ad omnes homines eorum quæ vidisti et audisti.* Hinc ipse ait Rom. 1. 9: *Testis enim mihi est Deus, cui servio in spiritu meo in Evangelio fili ejus, quod sine intermissione memoriam vestrî facio.* Et Philip. 1. 8: *Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Jesu Christi.* Et 1. Thessal. 2. 10: *Vos testes estis, et Deus, quàm sancte, et juste, et sine querela vobis, qui credidistis, fuimus.* Primicerius est S. Stephanus, ut patet Actor. 7. de quo proinde ait Paulus Actor. 22. 20: *Et cum funderetur sanguis Stephani testis tui, ego astabam et consentiebam.* Prodromus est Josue c. 24. 22: *Testes*, inquit, *vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum, ut serviatis ei.* Propheta est Samuel 1. Reg. 12. 5: *Testis*, ait, *est Dominus adversum vos, et testis Christus ejus in die hac, quia non inveneritis in manu mea quippiam* muneris, oppressionis, vel injustitiæ aut criminis. Milites sunt Christiani, qui aliis ad hæresim, libidinem, aliave scelera deficientibus, perstant in fide, continentia et virtute. Triarii sunt Martyres, qualis fuit Antipas, qui bovi æneo includi et cremari maluit, quàm Christi fidem negare. Apoc. 2. 13: *In diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos.* Agmen claudent Elias et Henoch, Martyres Christi futuri, et occidendi ab Antichristo. Apoc. 11. 3: *Dabo*, inquit, *duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta.*

Atque ut veteres prætercam, illustre, idque recens et domesticum habemus exemplum quadraginta Martyrum è Societate nostra, quorum Provincialis et dux fuit P. Ignatius Azebedo, qui anno Domini 1570, die 15. Julii, missi in Brasiliam ad docendum et convertendum barbaros, juxta Palmam insulam intercepti à pirata Calvinista Jacobo Soria, segregati à cæteris omnibus laicis et Ecclesiasticis, qui eadem navi vehebantur, quia Jesuitæ, ad unum omnes pro fide Christi proque constanti professione religionis suæ confossi pugionibus, sclopis et lanceis, in mare præcipitati sunt; cum Ignatius quasi dux, elata in altum imagine B. Virginis, hortaretur omnes ad mortem et martyrium animose obeundum: qui proinde capite gladio diffisso, immotus mortem operiens, tribus confossus lanceis vociferando cecidit: *Testes*, inquit, *ap-*

pello mortales et Angelos, me pro fidei Catholicæ Romanæ professione occumbere, à qua ne latum quidem unguem resiliendum censeo; sociosque respiciens: *Filioli*, inquit, *mei, mortem ne expavescite, præliate fortiter prælium Domini; Deus vires suggeret, qui coronas ostentat. Illi gratias agite, qui vos ad eas vocat.* Ei proximus Didacus Andrada, cum pugionibus confossus in mare præcipitaretur: *Pugnemus*, inquit, *socii fortiter, sanguinis prodigi: Christi enim sanguine redempti sumus.* Quocirca duo è sociis infirmi, qui facile latere potuissent, in pedes ultro è lectulo desiliunt, injectaque veste seminudos se jugulumque offerunt. Quin et Joannes Sanctius, cum è Societate non esset, cæteris tamen sociis se adjunxit, ut hanc martyrii palmam aucuparetur; quam et obtinuit. Denique Emmanuel Alvarez martyrii ardore incensus, increpans hæreticos, multis plagis et vulneribus acceptis, contritis manibus, pedibus et ossibus, longa duraque nece emoriens: *Mihi*, inquit, *ô fratres, nolite compati, sed potius invidete: profiteor enim palam me nunquam tantum bonum, tam gloriosam mortem promeritum; quindecim annis servivi Deo et Societati; oppido quàm liberaliter Deus omnia obsequia mea, labores omnes hac nobili martyrii laurea compensat et remuneratur!* Ita Petrus Ribadeneira in vita P. Francisci Borgiæ, lib. 3. c. 11: *Nimirum sanctorum vita est interpretatio Scripturæ*, ait S. Hieron. imo viva concio, lectorem delectans, docens et movens.

Præclare S. Clemens, lib. 5. Constit. Apost. c. 1: *Qui*, inquit, *propter nomen Domini Dei nostri damnatus est, hic est sanctus Martyr, frater Domini, filius Altissimi, receptaculum Spiritus Sancti; per quem illuminationem gloriæ Evangelii singuli fideles acceperunt, cum digni habiti sunt immortali corona, et testimonio passionum ejus, ac societate sanguinis ipsius, ut conformarentur morti Christi in adoptionem.* Et S. Cyprian. ad Fortunat. de Exhort. martyr.: *Martyrium*, ait, *est baptisma in gratia majus, in parte sublimius, in honore pretiosius: baptisma, in quo Angeli baptizant; baptisma, post quod nemo peccat: baptisma, quod fidei nostræ incrementa consummat; baptisma, quod de mundo recedentes statim Deo copulat.* Et in fine: *Clauduntur oculi in persecutionibus terræ, sed patet cœlum: minatur Antichristus, sed Christus tuetur; mors infertur, sed immortalitas sequitur; occiso mundus eripitur, sed restituto paradisus exhibetur; vita temporalis exstinguitur, sed æterna reparatur. Quanta est dignitas, et quanta securitas exire hinc lætum, exire inter pressuras et angustias gloriosum, claudere in momento oculos, quibus homines videbantur et mundus, et aperire eosdem statim ut Deus videatur et Christus?* Sicut balsami frutex incisus balsamum stillat suavissimum, quo vulnera sanantur; ita Martyres, secti et cæsi, virtutis suæ odorem et exemplum toto orbe sparserunt, quo infirmorum animi sanantur, et ad idem decus excitantur; de quibus S. Chrysost. homil. de S. Martyr.: *Flamma*, ait, *illos undique obsidente, ac scintillis in ulcera prosilientibus, et quavis fera crudelius vulnera vellicantibus, perinde atque si essent adamantini, et in alienis ista corporibus fieri cernerent, ita generose, ac cum ea quæ illos decebat fortitudine, in confessionis verbis constantissime perseverabant; et in omnibus his malis durantes, simul et animi sui robur invictum, et Dei gratiam egregie præ se ferebant.* Deinde eos comparans soli: *Dum*, ait, *velut crocei quidam radii rivi sanguinis undique illis diffluerent, eorumque corpus multo quàm cœlum sol ipse splendidius illustrarent.* S. Gregor. Nazianzen. uti citat S. Maximus serm. de Patientia, apologum narrat arboris, quæ resecta pullulat, et cum ferro certat; et tantum abest ut moriatur, ut potius morte ipsa vivat, sectione germinet, ac decerpta succrescat. Arbor hæc, ait Nazianz. est *vir philosophus, qui infortuniis illustratur, et molesta quæque in virtutis materiam transfundit, ipsisque adversis venustatur.* Hunc Horatius, Ode 4. lib. 4, ita pingit:

> Duris ut ilex tonsa bipennibus,
> Nigræ feraci frondis in algido,
> Per damna, per cædes, ab ipso
> Ducit opes animumque ferro.

Ita *nimirum juvat ire periclis ad Deum.*

Scribit Plinius l. 37. c. 9. et Isidor. l. 13. 16. alectoriam gemmam esse crystallina specie, magnitudine fabæ, quæ invenitur in ventriculis gallorum gallinaceorum, eaque usum Milonem Crotoniatem, in certaminibus invictum fuisse. Utut hoc sit, talis alectoria est animi constantia, quæ omnia hostium tela illæsa excipit et retundit, de qua Chrysost. apud Nicetam: *Beatus*, ait, *ille undique petitus, firmius stetit, et sexcenta tela clypeo excipiens deditionem non fecit, exhausit dæmonis pharetram, nec concidit, imo nec de gradu quidem tantisper motus est.* Hic est amianthus lapis, qui impositus igni ignescit, sed exemptus candidatus apparet et purior, teste Plinio l. 36. c. 19. Hic est salamandra, quæ in igne vivit: proinde eam pro insigni assumpsit Franciscus I. Galliarum rex, subscripto hoc disticho:

> Ursus atrox, aquilæque truces, et tortilis anguis
> Cesserunt flammæ jam salamandra tuæ.

Sed audi ipsos Martyres è carcere scribentes et buccinantes ad S. Cyprian. lib. 5. epist. 12: *Quid gloriosius, quidve felicius ulli hominum poterit ex divina dignatione contingere, quàm inter ipsos carnifices interitum confiteri Dominum Deum? quàm inter sævientia secularis potestatis varia et exquisita tormenta, etiam extorto, et excruciato, et excarnificato Christum Dei filium, etsi recedente, sed tamen libero spiritu confiteri? quàm relicto mundo cœlum petiisse? quàm desertis hominibus inter Angelos stare? quàm impedimentis omnibus secularibus ruptis, in conspectu Dei jam se liberum sistere? quàm collegam passionis cum Christo in Christi nomine factum fuisse? quàm immaculatam conscientiam de confessione nominis reportasse? quàm humanis et sacrilegis legibus contra fidem non obedisse? quàm veritatem publica voce contestatum fuisse? quàm ipsam quæ ab omnibus metuitur moriendo mortem subegisse? quàm per ipsam mortem immortalitatem consecutum fuisse? quàm omnibus sævitiæ instrumentis excarnificatum et extortum, ipsis tormentis tormenta superasse? quàm omnibus dilaniati corporis doloribus robore animi reluctatum fuisse? quàm sanguinem suum profluentem non horruisse? quàm supplicia sua post fidem amare cœpisse? quàm detrimentum vitæ suæ putare, non exisse?* Ô robora, ô nobiles triumphi!

Quid superest? nisi ut classicum Apostoli Heb. 12. 1. audientes, eorum virtutis æmuli, cum Juda quasi testes fideles cum Deo descendamus in arenam, ac generose pro Christo, religione et justitia decertantes, eamdem, vel similem martyrii palmam consequamur. *Ideoque et nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.* Nemo se excuset, dicatque: Felicia ista martyrii tempora jam transierunt, desierunt persecutores, transiit Nero, Decius, Diocletianus; nam hostis nulli deest: persecutor jugiter te infestat, nunc dæmon, nunc caro, nunc mundus: cum his acriter conflige, hos supera, martyr eris. Si socios, si mulierculas ad obscena te sollicitantes fortiter repudies, et cum Joseph effugias, martyr eris pudicitiæ: si bonorum rapinas, fraudes, injurias patienter sustineas, martyr eris patientiæ: si tui contemptum, depressionem, opprobria hilariter feras, martyr eris humilitatis: si Superioris jussa varia et ardua strenue capessas et adimpleas, martyr eris obedientiæ.

Ita B. petrus Faber, primus S. Ignatii fundatoris nostri socius, ab eo per omnem vitam variis jussionibus mandatisque exercitus, tandem Romam revocatus, licet medici ob intensos calores iter dissuaderent, maluit obedire quàm vivere: vitam ergo quam in obedientia traduxerat, in obedientia posuit; ideoque inter alias in cœlo laureas hanc unam præcipuam obtinuit, quod sit hostia obedientiæ. Post mortem enim apparens ipse cuidam personæ sanctæ, ostendit ei suam gloriam, cum lætissimus sæpius diceret se obedientiæ nomine mortem oppetivisse, ideoque miris in cœlo gaudiis perfrui. Ita in ejus Vita, lib. 2. c. 28. narrat Nicol. Orlandinus, idque se accepisse ex litteris R. P. Andreæ Oviedo Patriarchæ Æthiopiæ asseverat.

Hoc est quod ait S. Bernard. ser. 2. in festo omnium Sanctorum: *Martyrii veri genus est paupertas voluntaria*, multo magis castitas et obedientia. *Quid mirabilius, aut quod martyrium gravius quàm inter epulas esurire, inter vestes multas et pretiosas algere, paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster ille appetitus? An non merito coronabitur qui sic certaverit mundum abjiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, et (quod gloriosius est) de semetipso triumphans, et crucifigens concupiscentiam prurientem?* idem, serm. 1. in Octava Paschæ: *Memento*, ait, *et unicum, et quotidianum esse baptismum, similiter et martyrium. Est enim et martyrii genus, et quædam effusio sanguinis in quotidiana corporis afflictione. Est et baptismus aliquis in compunctione cordis et lacrymarum assiduitate.* Idem, serm. de B. Virgin. in illud Apoc. 12: *Mulier amicta sole, et in capite ejus corona stellarum duodecim*, duodecimam ejus stellam et gemmam assignat *martyrium cordis*. Ipsa enim, ut idem ait serm. 4. in cœna Domini, fuit *martyr non ferro carnificis, sed acerbo dolore cordis: quàm amare flebat, quàm amare dolebat*, astans Christo crucifixo! Idem in sententiis: *Martyrium sine sanguine triplex est: Parcitas in ubertate, quam habuit David et Job: Largitas in paupertate, quam exercuit Tobias et vidua: Castitas in juventute, qua usus est Joseph in Ægypto.* Idem docet S. August. serm. 250. de Temp. *Contra mortifera*, inquit, *blandimenta luctemur, scientes in eo etiam quotidiana martyria Christianis non deesse.* Et S. Greg. hom. 35. in Evangel. *Ferre*, ait, *contumelias, odientes diligere, martyrium est in occulta cogitatione.* Et S. Hieron. in Epitaphio S. Paulæ, eam vocat Martyrem: *Nam*, inquit, *non solum effusio sanguinis in martyrio reputatur, sed et devote quoque mentis servitus immaculata, quotidianum martyrium est. Illa corona de rosis et de violis texitur, ista de liliis.*

Quocirca sapienter S. Pachomius (ut habet ejus Vita) cuidam monacho volenti claustris egredi ad captandum martyrium: *Frater*, inquit, *monachi certamen fortiter et strenue sustine, et cum vitam tuam nulli reprehensioni affinem ita gesseris, ut Christo placeas, habebis in cœlis communicationem martyrii.* Vide S. Cyprianum (vel quisquis est auctor) tract. de Duplici martyrio, passionis scilicet, et actionis, puta sanctæ vitæ: hac enim testimonium perhibemus Deo, illumque glorificamus æque ac illa. *Fidelis*, inquit, *tota vita martyrium, hoc est testimonium, reddat Deo: quod adeo negligendum non est, ut, nisi ea præcesserit, martyrium quod sanguine perhibetur, non sit martyrium. Frustra enim cervicem præbueris carnifici, nisi prius occideris membra, quæ sunt super terram, hoc est affectus qui militant adversus spiritum, odium, invidiam, superbiam, libidinem*, etc. Quisquis ergo satagit esse Judas et testis, cum Deo descendat in arenam, et persistat cum sanctis ejus fidelis. Huic enim utraque corona promissa est, et debetur dabiturque. Congruit enim ut qui cum Deo et Sanctis ejus fidelis descendit in arenam, cum eis pariter gloriosus ad palmam ascendat in cœlum.

Denique præ cæteris, Ecclesia Martyribus annumerat eos qui, morbo laborantibus ministrantes ex charitate, eodem afflantur et emoriuntur. Exemplum illustre est in Martyrol. Romano die 28 februarii, ubi sic legimus: *Alexandriæ commemoratio SS. Presbyterorum, Diaconorum, et aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani Imp. cum pestis sævissima grassaretur, morbo laborantibus ministrantes, libentissime mortem oppetiere, quos velut Martyres religiosa priorum fides venerari consuevit.* Ubi Baronius ex Eusebio lib. 7. Histor. c. 16. et seq. citat S. Dionysium Alexandrinum Episcopum, epist. ad Hieracem, de iisdem sic loquentem: *Ex Patribus qui virtute erant præstantissimi, in hunc modum mortem oppetierunt, quorum nonnulli erant Presbyteri, alii Diaconi, quidam è populo, virtutis ergo multum laudati: adeo ut istud mortis genus, quod propter incredibilem pietatem et robustam fidem suscipiebatur, nihil à martyrii splendore abesse videretur.*

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

DISCEPTAT, LITEMQUE INTENTAT JUDÆ ET ISRAELI : PRIMO, QUOD PASCAT VENTUM IMPLORANDO OPEM, NON DEI, SED ÆGYPTIORUM ET ASSYRIORUM. SECUNDO, QUOD INGRATUS SIT DEI BENEFICIIS, TAM JACOBO PATRI PRÆSTITIS, UT QUOD EUM PRÆELEGERIT ET PRÆTULERIT ESAU, QUOD EUM FECERIT ISRAEL, ID EST, DOMINANTEM DEO, ETC. QUAM SIBI ; UT QUOD PER MOSEN EDUCTUS SIT EX ÆGYPTO. TERTIO, QUOD JUDAS VIDENS VANITATEM ET PUNITIONEM IDOLOLATRIÆ IN EXCIDIO ISRAELIS, EAM TAMEN NON CAVERIT ; UNDE OFFENSUS MINATUR EI NECEM ET OPPROBRIUM.

1. EPHRAIM pascit ventum, et sequitur æstum : tota die mendacium et vastita-
tem multiplicat : et fœdus cum Assyriis iniit, et oleum in Ægyptum ferebat.
2. Judicium ergo Domini cum Juda, et visitatio super Jacob : juxta vias
ejus, et juxta adinventiones ejus reddet ei. 3. In utero supplantavit fratrem
suum : et in fortitudine sua directus est cum angelo. 4. Et invaluit ad an-
gelum, et confortatus est : flevit, et rogavit eum : in Bethel invenit eum,
et ibi locutus est nobiscum. 5. Et Dominus Deus exercituum, Dominus
memoriale ejus. 6. Et tu ad Deum tuum converteris : misericordiam et judicium custodi : et
spera in Deo tuo semper. 7. Chanaan, in manu ejus statera dolosa, calumniam dilexit. 8. Et
dixit Ephraim : Verumtamen dives effectus sum, inveni idolum mihi : omnes labores mei non
invenient mihi iniquitatem, quam peccavi. 9. Et ego Dominus Deus tuus ex terra Ægypti, adhuc
sedere te faciam in tabernaculis, sicut in diebus festivitatis. 10. Et locutus sum super Prophetas,
et ego visionem multiplicavi, et in manu prophetarum assimilatus sum. 11. Si Galaad idolum,
ergo frustra erant in Galgal bobus immolantes : nam et altaria eorum quasi acervi super sulcos
agri. 12. Fugit Jacob in regionem Syriæ, et servivit Israel in uxorem, et in uxorem servavit.
13. In propheta autem eduxit Dominus Israel de Ægypto : et in propheta servatus est. 14. Ad
iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinibus suis, et sanguis ejus super eum veniet, et
opprobrium ejus restituet ei Dominus suus.

1. EPHRAIM PASCIT VENTUM.] Primo, S. Hieron. Albert. Clarius et Dionysius exponunt, q. d. Ephraim perdit oleum et operam, facitque rem inanem, inutilem et futilem, imo noxiam et impossibilem, dum, relicto Deo, ad idola et ad idololatras in afflictione et vastatione confugiens, ab eis sperat opem et salutem : perinde enim facit, ac si pastor ventum, velut gregem suum vellet pascere, ut eo se aleret et sustentaret : hoc enim futile est et noxium (ventus enim homine est potentior, eique flando noxam infert), imo impossibile. Pari enim modo Ephraim colit idola saxea, quæ juvare nequeunt, imo nocent : provocant enim iram et vindictam Dei. Secundo, ex Hebræo vertas : *Ephraim pascitur vento.* Unde R. David explicat, q. d. Ephraim colens vitulos, similis est homini aperienti os suum vento, et pascenti illum ex quo non vivit. Pascor enim est verbum deponens, tamque accusativum regit, quàm ablativum. Unde Virgil. lib. 4. Georg. ait : *Apes pascuntur arbusta.* Et l. 3 : *Pascuntur vero sylvas.* Sic dicimus : Equus pascitur gramen, æque ac pascitur gramine. Itaque *Ephraim pascit ventum*, partim potest accipi active, ut *pascit* sit idem quod pascitur vento. Sic Ovid. ait lib. 2. Fastor.

Pascit ovis pratum, verbenas improba carpsit.

Partim passive, ut *pascit* sit idem quod facit se cibum ventis, ut venti, puta Assyrii, eum devorent. Sic S. August. lib. 5. contra Cresc. explicans illud Proverb. 6. 10 : *Qui nititur falsis, hic pascit ventos : id est*, inquit, *fit esca malis spiritibus.* Potius active accipiendum hic videtur. Sic enim qui vana spe lactatur, aut seipsum lactat, dicitur pasci vento, aut pascere et comedere ventum.

Tropol. ambitiosi pascuntur vento. Quid enim est honor, nisi popularis aura, et ventus in omnem partem mobilis, statimque evanescens? Sunt ergo quasi chamæleontes qui feruntur vivere et nutriri vento. Ita Sanchez. Similia huic proverbia sunt : Reti ventos venaris : cribro aquam hauris : in arena ædificas : in saxis seminas : ignem dissecas : littus aras : Æthiopem lavas : lapidem elixas : laterem abluis : aranea-

rum telam texis : surdo canis : undas numeras : arenam metiris : ferrum natare doces : aquam in mortario tundis : asinum sub freno currere doces.

Et sequitur æstum.] Idem dicit alia similitudine. Pro *æstum* hebr. est קדים *kadim*, id est, ventus Orientalis, qui urens est et noxius, puta subsolanus, qui collaterales habet duos, scilicet Vulturnum ad Septentrionem, Eurum ad Meridiem. Unde R. David intelligit Euroaustrum. Chald. vertit, *turbinem : Israel*, inquit, *seminat ventum, et metit turbinem.* Quin et S. Hieron. alibi sæpe *kadim* vertit, Notum, sive Austrum; imo Genes. 41. 6. vertit, *uredinem. Kadim* ergo significat omnem ventum urentem, ipsamque uredinem et æstum, quem LXX vertunt καυσωνα, qui febres, inflammationes, aliosque morbos causare, frugesque adurere et consumere solet; sic enim vertunt Septuag. *Spiritus malus* (id est voluntas mala, ait Theodor.) *persecutus est* καυσωνα, id est æstum. *Israel*, inquit Cyrill. *appetivit causonem, cum posset se sub meam umbram recipere. Causonem*, id est, *æstum, vocat calamitates incendentes et inflammantes dolore.* Causon, inquit Aristot. morbus est, quo pars extima corporis levicula febri calet, intima tamen ferventissimo calore æstuant. Et ab Hippocrate *causon* vocatur febris, quam ardentem et tertianam exquisitam vocamus. Et Celsus lib. 2. c. 8 : *Febrem*, inquit, *ardentem quam Græci* καυσωδην *vocant, subitus horror exoluit.* Sic sæpe in animi morbis, ait Delrio adagio 958, æstus venis alitur, et in anima immane incendium est luxuriæ, avaritiæ, vel iræ, vix se foris prodens, sed suo tempore lethale foventi, et in publicam tandem urbis et reipubl. erumpens conflagrationem.

Talis est hæresis, præsertim Calvini, quæ suos asseclas zelotas facit erroris, atque quasi causon occulte serpens, in publicum tandem civitatis, vel provinciæ grassatur incendium, uti in Gallia, Scotia, Belgio, aliisque regnis hoc seculo vidimus. Hoc est quod ait S. Hieronymus : *Secundum tropologiam omnes hæretici pessimo dæmonum spiritu continentur, de quo Ephes.* 6 : *Adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Et immundus spiritus cum exierit ab homine, et requiem non invenerit, septem alios spiritus nequiores se sibi copulat, et pristinam revertitur ad domum. Spiritu ergo pessimo sequuntur* καυσωνα, *id est ariditatem, sive ventum urentem, qui contrarius est floribus, et germinantia cuncta* (virtutum opera) *disperdit : tota die inania vacuaque sectatur; nec proprio errore contentus est, sed multos discipulos, imo comites suæ vanitatis errorisque multiplicat. Fœdus quoque facit cum Assyriis, quorum princeps est sensus magnus, ut quæcumque finxerit, sapienter simulasse videatur ea sapientia quæ destruitur à Deo.* Hinc et Theophyl. et ex eo Leo Castrius, per causonem accipit zelum Judæorum contra Christum. Hoc allegoricum est, non litterale, ut ipsi volunt.

Tota die mendacium et vastitatem multiplicat.] q. d. Israel jugiter concinnat res et spes fallaces, quæ eis vastitatis et excidii erunt causa. S. Hieron. hæc refert ad Manahem regem Israel, qui tributo emebat opem Assyriorum, 4. Reg. 15. 19. Melius Lyranus et alii referunt ad Hosee ultimum regem Israel : hic enim primo fœdus iniit cum Assyriis, deinde contra eos imploravit opem Sua regis Ægypti, missis ei muneribus, 4. Reg. 17. 4. Porro Lyranus hæc ita apte distribuit : *Ephraim*, ait, *pascit ventum*, tribuendo tributa Assyrio : *sequitur æstum*, dum opem petit ab Ægyptio : *mendacium multiplicat*, dum fœdus cum Assyrio abrumpit, negans ei pactum tributum : *et vastitatem;* hanc enim illi attulit violatio et negatio tributi.

Et oleum in Ægyptum ferebat.] Sub oleo per synecdochen cæteras fruges et munera intellige, quæ Israelitæ mittebant regi Ægypti, ut ejus favorem et opem contra Salmanasar sibi conciliarent. Ita S. Hieron. Chald. Arias et alii : *oleum* præ cæteris notat, quia illo excellebat Samaria (uti Romæ excellit oleum Tybure allatum), carebat Ægyptus.

2. Judicium ergo Domini cum Juda. *Judicium*, id est, justa querela, justa expostulatio; hebr. est ריב *rib*, id est lis, disceptatio, accusatio judiciaria. q. d. Quia Juda secutus est Israelem in apostasia à Deo et cultura vitulorum, idcirco litem ei intentat Deus, reumque impietatis in judicio peragit. Et visitatio super Jacob.] Per *Jacob* accipe Israel, sive decem Tribus, q. d. Deus litem intentat Judæ, sed Israeli visitationem, id est certam punitionem, quo eum visitet, id est puniat et plectat : uterque enim est reus idololatriæ, sed Israel magis. Ita Lyran. Vatabl. Arias, licet S. Hieron. Theodor. Hugo et alii per *Jacob* accipiant Judam, ut idem dicatur et repetatur alio nomine. Porro Lyranus τὸ *cum Juda* exponit *pro Juda*, q. d. Litigat Dominus pro Juda contra Jacob, ut ex pœna qua plectetur Jacob, sapiat Judas, nec ejus scelera imitetur, sed resipiscat. Melius Arias, q. d. Litigat Dominus cum Juda, eumque objurgat, ne miretur Jacob, qui longe gravius peccavit, quod à Deo visitetur et plectatur. Optime, q. d. Judicium sive litem intento Judæ, quia ejus scelus necdum liquidum est, quia necdum publicum et commune : eget ergo inquisitione et examine, antequam sententiam in eum pronuntiem eumque condemnem et plectam. *Visitationem* vero, id est condemnationem, supplicium et excidium intento Jacob, quia ejus scelus est clarum, universale et inexcusabile.

Similem differentiam et gradationem ponit Christus inter judicium et visitationem, puta gehennam, dum hanc et illud diversis iræ gradibus, quasi pœnam commensam assignat. *Qui*, inquit, *irascitur fratri suo, reus erit judicio : qui autem dixerit fratri, raca, reus erit concilio : qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis*, Matth. 5. 22. Similis gradatio fuit in trina voce Doctoris Parisiensis defuncti, qui in vita vulgo habitus sanctus, in exsequiis, cum ad illam lectionem ventum esset : *Responde mihi, quantas habeo iniquitates et peccata?* è feretro exsurgens primo die exclamavit : *Justo Dei judicio accusatus sum.* Secundo die : *Justo Dei judicio judicatus sum.* Tertio die : *Justo Dei judicio condemnatus sum.* Qua voce perculsus S. Bruno cum sociis, mundo rebusque omnibus valedicens, in eremum secessit, et ordinem Carthusiensem instituit.

3. In utero supplantavit (Jacob) fratrem suum Esau.] Jacob enim nascens tenebat plantas Esau : quo significabat Deus se Jacobum præeligere et prædiligere, ac prælaturum Esau primogenito, quodque Jacob prærepturus esset Esau jus primogenituræ et patris benedictionem, itaque eum supplantaret, indeque vocandus esset Jacob, id est supplantator. Vide dicta Gen.

25. 25. Ita S. Hieron. Theodoret. et Chald. qui ita vertit : *Nonne de Jacob patre vestro antequam natus esset prædictum est, quod major evaderet fratre suo?* Commemorat hic Propheta beneficia Jacobo olim in utero, ante omne meritum ex mera Dei gratia præstita : itemque Jacobi sanctitatem, ut Israelitæ posteri ejus patrem imitentur, Deoque serviant, et gratias agant. Hæc enim præelectio Jacob, qua à Deo prælatus est Esau fratri, magis ad posteros ejus spectabat, puta ad Israelitas, quos Deus præelegit et prætulit Idumæis posteris Esau. Nam alioqui Esau dum viveret, potentior et ditior fuit Jacobo.

Et in fortitudine sua directus est cum angelo.] *Directus*, id est, feliciter luctatus est cum angelo, quia, ut vertunt Septuag. et Chald. *prævaluit angelo* vicem Dei gerenti. Unde angelus hic in Hebræo vocatur *Elohim*, indeque Jacob vocatus est Israel, id est dominans Deo, Genes. 32. 28. Vide ibi dicta. Hinc et Tigurina versio habet : *Prævaluit Deo, prævaluit, inquam, angelo.* Verum hebr. ישר *iascar*, proprie significat *directus est*, indeque congrue sequitur : *Et invaluit*, id est prævaluit, *ad angelum*, id est angelo, vel contra angelum : licet in Hebræo hæc verba transposita sint. Est hoc secundum Dei erga Jacobum et Jacobæos insigne beneficium. Nota : *Dirigi* in Scriptura est prospere agere, ut Psalm. 139. 12 : *Vir linguosus non dirigetur in terra*, et sæpe alibi. *Directus est* ergo Jacob cum angelo, id est prospere egit, recte ei successit lucta cum angelo, quia vicit. Rectius forsan, *directus est cum angelo*, id est non succubuit angelo, sed recto et imperterrito vultu et pectore aggressus est eum, latus lateri quasi commiscens, ac fortiter stringens, juxta illud Poetæ:

Hæsit pede pes, densusque viro vir.

Et invaluit, id est, superior evasit et vicit, ut vertit Chald. nam angelus quasi victus dixit Genes. 32. 26 : *Dimitte me.* Et Jacob arctius eum stringens respondit : *Non dimittam te*, etc.

In voce *directus* alludit a d nomen *Israel*, quod deduci potest dicique quasi ישר אל *iescar el*, id est rectus Dei, vel cum Deo, vel apud Deum, etsi hæc non fuerit nominis origo, nec proprium etymon. Israel ergo dicitur hic directus, vel dirigens se cum Deo; quia non quomodolibet, sed recto et imperterrito vultu ac pectore adorsus est angelum, eumque luctando vicit ut per hoc significaretur eum intrepidum fore contra Esau et omnes hostes, eosque superaturum. Hinc Sap. 10. 10. de eo dicitur : *Certamen forte dedit illi ut vinceret.* Ita Anton. Fernand. visione 2. in præfatione, et visione 22. sect. 2. Unde Syrus vertit : *Et potuit fortitudine angeli* (ut angelus) *fortitudine congressus est cum angelo;* Arabicus Alexand. *Et corroboratus est in angelo;* Arabicus Antiochen. *Restitit angelo, et potuit,* id est prævaluit.

Flevit et rogavit eum,] puta angelum, q. d. Jacob timens fratrem suum Esau contra se venientem cum quadringentis armatis, luctans cum angelo, supplex et flens petiit ab eo benedictionem, ut hoc fratris periculum ope angeli evaderet. Hæc de lacrymis et precibus Jacob in Genesi non habentur expressa, sed hic ea supplet Osee quasi ex traditione, vel ex revelatione Dei accepta. Ita S. Hieron. Theodor. Haymo et Hugo. Unde Aquila, Theodot. et Symmach. vertunt : *flevit et deprecatus est me,* quasi Deus loquatur. Aliter R. Salomon, et ex eo Lyran. et Vatabl. ipsi enim hæc de angelo, non de Jacob accipiunt. q. d. Flevit angelus, et suppliciter rogavit Jacobum, qui eum luctando tenebat, ut sineret se abire, quia aurora ascendebat. Verum prior expositio est verior: flendi enim occasio erat in Jacobo, non in angelo. Jacob enim nolebat eum dimittere, nisi sibi benediceret, flensque petebat hanc ejus benedictionem : poterat ergo angelus ei benedicere, itaque dimisisset eum Jacob, ac liber abiisset angelus, uti de facto data ei benedictione ab eo dimissus liber abiit.

In Bethel invenit eum,] puta Jacob angelum, vel etiam angelus Jacobum. Eòdem enim res redit : significatur enim reciprocatio occurrentium, puta mutuus occursus Jacobi et angeli.

Est hoc tertium Dei in Jacob et Jacobæos beneficium, quod scilicet Deus Jacobo, ob fratris iram profugo et misero, apparuerit scalæ innixus, eum consolans et confortans ; indeque locus vocatus est Bethel, id est domus Dei, dicente Jacobo : *Vere non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli,* Genes. 28. 13. et sequent. Qua visione significabat Deus se Jacobi et posterorum ejus Deum fore, tutorem et provisorem in omnibus adversis, æque ac prosperis ; seque Jacobo, id est posteris ejus, terram illam lacte et melle manantem daturum in hæreditatem. Ita S. Hieron. Theodor. Haymo, Albert. Hugo, Lyran. Dionys. et alii.

Nota primo. Pro *invenit eum,* hebr. est ימצאנו *imtsaennu :* pro quo Aquila, Symmach. et Theodotion, aliis punctis legentes ימצאנו *iimtsanu*, vertunt : *invenit nos*, scilicet non in persona nostra, sed in persona patris nostri Jacob, in cujus lumbis continebamur, dum ei in Bethel apparuit Deus. Septuag. vero, legentes ימצאני *iimtsauni*, vertunt *in domo on* (id est idoli et vitulorum, puta in Bethaven : hæc enim est Bethel, uti jam sæpius dixi) *invenerunt me.* Perperam Lyranus legit : *inveniemus eum.*

Nota secundo. Jacob bis invenit et vidit Deum, puta angelum Dei vicarium in Bethel. Primo enim vidit eum scalæ innixum, uti jam dixi. Secundo, dum è Mesopotamia rediens cum tota familia, jussu Dei ascendit in Bethel, ibique erigens altare, se suosque omnes obstrinxit ad jugiter colendum Deum, ac proinde à Deo accepit promissionem terræ Chanaan, et magnæ longæque posteritatis, audivitque : *Cresce et multiplicare*, Genes. 35. De hac secunda apparitione hic vel maxime agitur. Sequitur enim :

Et ibi locutus est nobiscum,] scilicet Deus per angelum, promittens nobis in patre nostro Jacob Chananæam, et posteritatem jam dictam.

Aliter Vatabl. ex Chaldæo, q. d. *Ibi locutus est* Deus *nobiscum*, id est mecum (puta cum Osee Propheta) et cum Amos, jubens nobis ut prædicatione nostra invitaremus populum Israel ad pœnitentiam. Nam Amos, cap. 7. 12, dixit Amasias pseudosacerdos Bethel ad Prophetam Amos: *Gradere, fuge in terram Juda : in Bethel non adjicias ultra ut prophetes, quia sanctificatio regis est.*

5. Et Dominus Deus exercituum, Dominus memoriale ejus.] Hebr. est : *Et Jehova Elohim* (id est Deus) *exercituum ; Jehova* (inquam) *est memoria*, vel *memoriale ejus.* Est hic multiplex sensus, isque congruus et illustris. Primo, q. d. Deus in Bethel locutus est nobiscum, invitans

et jubens ut eum coleremus : sed videte, ô Israelitæ, ne ab idololatris decipiamini ; ne, inquam, erretis in Deo falso (quales pseudoprophetæ et Gentiles multos vobis obtrudunt, mihique per fraudem supponunt ; uti diabolus pro Deo, perinde ac simia pro homine se supponit, seque Deum ementitur) pro vero colendo. Ecce dico et repeto, nomen meum proprium est Jehova : Deum ergo colite, qui est Jehova, id est ipsum Ens, et esse tam suum quàm creaturarum omnium, puta qui est plenitudo entis, creator rerum omnium, pelagus essentiæ, sapientiæ, gloriæ, omnisque boni immensum. Alludit ad Exodi 3. 14 : *Qui est* (id est Jehova) *misit me ad vos*, etc. *hoc nomen mihi est in æternum, et hoc memoriale meum in generationem et generationem*. q. d. O Israelitæ, ne colatis Apin Ægyptium pro Deo : iste enim est vitulus, non Deus ; sed colite me, qui sum Jehova, id est, *sum qui sum*, vel *qui est*, fuit et erit. Hoc nomen mihi est æternum : hoc ergo nomine meî memoramini, mihique invocate. Ita Chald. Arias et Lyran. Secundo, q. d. Deus qui Jacob prætulit Esau, aliaque beneficia ei et posteris præstitit, non est Baal, sed Jehova ; hoc est nomen et memoriale ejus, quo coli et nominari vult. Ita à Castro.

Tertio, q. d. Jacob Deum verum, puta Jehova, semper in mente et memoria quasi præsentem habebat, vel actu, vel virtute. Ergo et tu, ô Israel, patrem tuum imitare, jugemque Dei memoriam conserva ; ideoque ad Deum tuum convertere : *Misericordiam et judicium custodi, et spera in Deo tuo semper*. Ita Theodor. et Lyran. Quod ut facilius præstes, voluit Deus nomen suum patri tuo tibique imponere, vocando eum et te Israel, id est, dominans Deo, ut in hoc nomine jugiter Dei memoria apud te perseveraret, nec posses ejus oblivisci, sicut tui nominis non potes oblivisci ; ac proinde quoties patrem tuum vel te nominas, aut nominari audis, memoreris et recorderis *El*, id est Dei tui, qui ita includitur in nomine *Israel*, ut ab eo separari nequeat ; quàm ergo *El* includitur in *Israel*, tam Deum in te tuaque mente include, ut ab eo nunquam oculos vel mentem avertas. Ita S. Hieron. et Haymo : licet enim hîc in Hebræo nomen Dei sit *Jehova*, non *El*, tamen reipsa *Jehova* idem est quod *El*.

Moraliter hîc disce quàm Dei jugiter memorari debeamus, utpote qui nobis est præsentissimus ubique et intimus, magis quàm anima et spiritus vitalis, quo respiramus et vivimus. Ipse enim est in quo vivimus, movemur et sumus. Ipse est qui halitum nostrum manu sua continet. Ipse est qui mortem et vitam nostram tam præsentem quàm æternam in potestate habet, à quo pendemus ut radii à sole, ut umbra à corpore, qui semper nos aspicit, semper in nobis operatur ; denique est omnia in omnibus. Præclare S. August. Epist. 3. ad Fortunatianum : *Deus*, ait, *totus oculus est, totus manus est, totus pes est. Totus oculus est, quia omnia videt ; totus manus est, quia omnia operatur ; totus pes est, quia ubique est*. Quocirca idem in Soliq. cap. 13. enumeratis perennibus Dei beneficiis : *Hæc*, ait, *et multa alia beneficia fecisti mihi, Domine Deus meus, vita animæ meæ, de quibus dulce esset mihi semper loqui, semper cogitare, semper tibi gratias agere, ut possim te pro omnibus bonis tuis laudare et amare*. Idem, lib. 1. de Verbis Domini, serm. 6 : *Sicut*, ait, *vita corporis anima est, sic vita animæ Deus. Sicut exspirat corpus, cum animam emittit ; ita exspirat anima, cum Deum amittit*. Merito ergo Psaltes, Psalm. 76. 4 : *Memor*, ait, *fui Dei et delectatus sum*. Causam delectationis dat S. Bernard. tractat. de Diligendo Deo, dicens : *Justum quippe est ut quos præsentia non delectant, præsto eis sit memoria futurorum ; et qui de rerum fluentium qualibet affluentia despiciunt consolari, recordatio illos delectet æternitatis. Et hæc est generatio quærentium Dominum. Dei ergo quærentibus et suspirantibus præsentiam, præsto interim et dulcis memoria est, non tamen qua satientur, sed qua magis esuriant unde satientur*. Hoc sapiebat Isaias c. 26. 8 : *Domine, nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te*. Et Jerem. Thren. 3. 26 : *Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea*. Vide ibi dicta.

6. Et (id est idcirco) TU AD DEUM TUUM CONVERTERIS, id est convertaris, vel convertere. Est hebræa enallage ; ponitur enim futurum pro imperativo, q. d. Tu ergo, ô Israel, ad Deum patris tui Jacob ab idolis redi et convertere, quasi genuina Jacobi proles, hæresque pacti ab eo cum Deo initi.

JUDICIUM, id est justitiam, CUSTODI.] Transit enim à Deo ad proximum, ut ex honore et amore Dei id jubentis, proximo suum jus, æque ac misericordiam debitam præstet ; veram enim fidem cultumque Dei sequitur fides, id est, fidelitas erga proximum ; sicut ex adverso infidelitatem in Deum, sequitur infidelitas et injustitia in proximum. Unde subdit :

7. CHANAAN, IN MANU EJUS STATERA DOLOSA.] Hoc est, ut Syrus : *Statera dolosa* (Arabicus, *statera oppressionum*) *est in manu Chanaan*. Hebræi enim repetunt relativum, ponuntque cum suo antecedente, q. d. Ephraim est Chanaan, id est, mercator fraudulentus ; in manu enim ejus est statera dolosa et injusta. Nota hîc Ephraim, id est Israel, sive decem Tribus, ut sequitur, vocari *Chanaan* per catachresin : primo, quia Israelitæ impii erant ut Chananæi, ut potius filii Chanaan, quàm Jacob viderentur. Sic ait Daniel, cap. 13. 56, seni Susannæ castitati insidianti : *Semen Chanaan, et non Juda*. Et Ezech. cap. 16. 3 : *Radix tua et generatio tua de terra Chanaan*. Sic Isaias, cap. 1. 10, Scribis et Judæis ait : *Audite verbum Domini, principes Sodomorum*. Ita S. Hieron. Cyrill. Theodor. Rupert. Hugo, Dionys. Emmanuel et Mariana ; secundo, quia *Chanaan* hebraice significat mercatorem, uti vertit hîc Leo Hebræus, Chald. Pagnin. Lyran. et Arias. Unde Proverb. 31. 24. dicitur : *Cingulum tradidit Chananæo*, id est mercatori. Chananæi enim terreni et avari, ob maris viciniam mercaturæ, et in ea fraudibus, dolis, furtis et rapinis vacabant ; inde hebr. כנעני *kenaani*, id est Chananæus, significat mercatorem. Alludit ergo Osee hîc ad dolos et fraudes mercatoris, q. d. Jacob pater tuus ob sanctitatem meruit vocari Israel, id est, dominans Deo ; tu vero, ô Ephraim, non mereris hoc nomen, sed potius vocandus es Chanaan ; quia habes mores Chananæorum, et quia defraudas proximos in pondere, uti facit mercator, præsertim Chananæus, qui dolosa statera defraudat ementes, utens majori pondere dum merces emit, mi-

nori dum eas vendit. Unde Chaldæus vertit : *Ne sitis sicut mercatores, in quorum manibus sunt bilances dolosæ, rapinæ studentes ;* sicut ergo servi vocantur *Phryges*, fures *Lacones*, gulosi et deliciosi *Sybaritæ*, infames *Ambrones ;* ita impii et injusti mercatores vocantur *Chananæi*, quorum unicum est studium decipere, et quæstu injusto ditescere, ideoque bilances habent fallaces, sive, ut ait Sapiens Proverb. 20. 10 : *Pondus et pondus, mensuram et mensuram*, id est, duplicia pondera, duplices mensuras. Tales etiamnum multi sunt inter Judæos, qui meri luctiones nil nisi fœnerari norunt, quos proinde in spiritu prævidens Propheta, merito Chananæos stateræ dolosæ vocavit ; adeo ut si institorem avarum et fraudulentum pingere velis, pingas Judæum instar Chananæi, cum bilance et ponderibus injustis.

Tales pariter sunt non pauci mercatores, qui toti lucro inhiant. Fieri enim nequit quin hujusmodi ex tanta lucri aviditate sæpe extra metas juris et justitiæ ferantur. Quocirca de talibus ait S. Chrysostom. hom. 38. in Matth. et habetur cap. 11. *Ejiciens*, distinct. 88 : *Ejiciens Dominus vendentes et ementes de templo, significavit quod mercator nunquam potest Deo placere ; et ideo nullus Christianus debet esse mercator.* Loquitur enim de lucrionibus qui finem ultimum summumque bonum in lucro constituunt, parati peccare mortaliter ut lucrentur, uti exponit S. Thomas 2. 2. quæst. 77. art. 7, quique fraudibus et perjuriis negotiationem exercent, uti exponit noster Lessius lib. 2. de Justitia cap. 21. dub. 1. Sic Thales Milesius assidue in ore habuisse fertur : *Noli ditari nequiter ; lucrum enim fraude partum, damnum est, non lucrum.* Ita Laert. lib. 1. de Vitis Philos. cap. 1. Chilon Lacedæmonius dicere solebat : *Damnum turpi lucro præferendum est ; illud enim semel dolet, hoc autem semper.* Jactura facta sarciri facile potest addita industria, infamia autem ex lucro iniquo contracta nunquam apud viros bonos diluitur ; et sic lucrum scelere partum, damnum est, non lucrum. Ita Laert. lib. 1. cap. 4. Antiphanes dictitabat *usuram quæstumque breves habere delicias, longam autem calamitatem.* Agesilaus fœneratorum chirographa publice in foro combussit, dicens *nunquam se puriorem ignem vidisse.* Ita Plutarch. in Lacon. Alfonsus rex Aragon. teste Panorm. in ejus Vita, *fœnus* non aliud esse dixit, quàm *animæ funus.* Musonius : *Jupiter*, inquit, *non fœneratur, multo minus fœnerat*, q. d. Deus non accipit ad usuram, multo minus dat. Divinius Psaltes psalm. 70. 81. ait : *Quoniam non cognovi litteraturam* (hebr. ספרות *siphrot*, id est ciphras, numeros, ut vertit Symmach. et Rabbini, ac Septuag. γραμματειας, vel, ut S. August. Arnob. et Chrysost. legunt πραγματειας, id est *negotiationem*, uti habet Roman. Psalterium) *introibo in potentias Domini.* Vide ibi S. August. qui et in Psalm. 132 : *Lucrum*, ait, *fecisti, sed ut lucrum faceres Deum offendisti ; acquisivisti aurum, fidem perdidisti. De arca gaudes, de corde non plangis ? plus perdidisti quàm acquisivisti, et perdidisti quod nec naufragio tibi potuisset auferri.* Et inferius : *Ille habet aurum, qui novit uti auro ; qui autem auro uti non novit, habetur et non habet, possidetur, et non possidet. Estote domini auri et non servi auri, quia et aurum Deus fecit, et te super aurum ipse fecit. Aurum fecit ad subsidium tuum, te ad imaginem suam. Vide quod super te est, et calca quod infra te est. Quid ergo acquisivisti ? Tolle tecum ad inferos quod acquisivisti. Cor tuum inane fidei ad pœnas exit, quod plenum fide ad coronam exiret.*

Mercator ergo hoc lucri studium temperet, et moderetur timore Dei, et desiderio opum majorum et cœlestium, aureamque illam Sapientis sententiam menti inscribat : *Melius est parum cum timore Domini, quàm thesauri magni et insatiabiles*, Proverb. 15. 16. Et : *Melius est parum cum justitia, quàm multi fructus cum iniquitate*, Proverb. 16. 8 ; secundo, jugiter audiat sibi intonantem Apostolum : *Divitibus hujus seculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo* (*qui præstat nobis abunde omnia ad fruendum*) *bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam*, 1. Timoth. 6. 17 ; tertio, crebro ruminet illud Job, cap. 20. 25, de divite impio et iniquo : *Divitias quas devoravit evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus.* Et quod vulgo dicimus et cernimus :

De male quæsitis non gaudet tertius hæres.

Denique illud Christi : *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te ; quæ autem parasti, cujus erunt?* Luc. 12. 10.

Tropolog. Primo Chananæus est hæreticus, Chanaan quippe, ait S. Hieron. interpretari potest *quasi moventes.* Et nota quòd dixerit *quasi moventes*, et non, *moventes. Moventes* sunt eos, quos deceperint ; *quasi moventes sunt* eos, quos movere tentaverint ; sed quia fundati sunt supra petram, nullo possunt turbine concuti, nec pedum suorum mutare vestigium. In istiusmodi Chananæi manu, id est operibus, est *statera dolosa* et iniqua ; quidquid enim hæreticus loquitur, Dei justitiam non habet, et plenum est doli et fraudum. Hinc et eques equusque niger Apocal. 6. 5, denotans hæresim, *habebat stateram in manu.* Vide ibi dicta.

Secundo, statera dolosa est prava intentio, ambitio et cupido primatus. Audi Theodor. *Tu, ô Ephraim, imitans malitiam Chanaan, iniquam mentis stateram habes. Justitiam semper vilipendis, iniquam potentiam exoptas, in divitiis elato spiritu es, et plurimum tibi arrogas in earum rationibus perscribendis.* Et Prosperum p. 2. de Prædict. cap. 24. qui admonens reges et principes : *Ipsi*, inquit, *caveant qui has accipiunt potestates, si cupiditate dominantis, nec consulentis affectu suscipiunt ; si ministrari eligunt, ac non potius ministrare, quod Dominus per seipsum, et per Prophetam Osee increpat dicens : Chanaan in manu ejus statera injustitiæ, dominationem enim elegit. Et in Evangelio ipse : Qui voluerit major esse in vobis, erit vester servus ; sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.*

Tertio, Rupert. *Statera dolosa*, inquit, *est malitiosa terrenæ cupiditatis duplicitas.*

Quarto, statera dolosa ipsa malitia, et propositum deliberatum peccandi. Hoc enim, ait Ruffin. *cum suspensis ab utraque parte ponderibus nefanda committat, dicitur peccasse sub trutina, de quo David psalm. 61. 10. Verumtamen mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum. Cum ergo sit præcipuum hujusmodi munus ingenii, ut quid obire debeat,*

quid vitare, perpendiculo rationis et momentis collationis examinet, profanatus populus veritatem in mendacio detinens, admovit quidem stateram negotiis, sed dolosam, melioribus videlicet deteriora præponens, et noxiis magis quàm utilibus acquiescens.

CALUMNIAM DILEXIT.] Leo Hebr. *Gaudet vim facere;* Septuag. καταδυναστεύειν ἠγάπησεν, id est, *opprimere per potentiam dilexit.*

8. ET DIXIT EPHRAIM : VERUMTAMEN DIVES EFFECTUS SUM, INVENI IDOLUM MIHI.] *Idolum* vocat suas opes et divitias, q. d. Obstrepunt mihi Prophetæ, meque ob stateras dolosas culpant et arguunt; at ego has voces non moror, sed ut garritus graculorum despicio; habeo enim penes me idolum, id est Deum fortissimum (puta Mammonam, id est divitias, quas mea unius industria mihi peperi) quo præsente, neminem timeo, quia omnibus bonis abundo. Ita S. Hieronymus.

Nota : Pro *idolum* hebr. est און *on*, quod proprie significat iniquitatem et *rapinam*, ut vertit Chald. aut *vim* et *robur*, ut vertit Arias et Vatabl. Porro Lyran. et Pagnin. vertunt, *divitias*, scilicet inique partas; Septuag. *requiem :* opes enim avaro sunt primo, idolum; secundo, rapina; tertio, omne ejus robur; quarto, ejus divitiæ; quinto, omnis ejus spes et requies; sed futilis, fallax et evanida. Ex Chaldæo aliqui sic vertunt et explicant : *Inveni vim mihi*, scilicet pecuniam, quæ quasi dominus mihi vim inferat, meque violenter opprimat. Ita S. Greg. Nazianz. orat. 24. initio : *Aurum*, inquit, *est occultus tyrannus, per quem multa sursum deorsumque velut in talorum ludo jactantur.* Quæ verba sic explicat Elias Cretensis : *Tyrannum vocat, quod auri cupidis vim afferre, eosque velut tyrannide opprimere possit; invisibilem vero, propterea quod tacens, minimeque conspectum avaros subjiciat, ab eisque quæ decreverit, per vim abducat.*

OMNES LABORES MEI NON INVENIENT MIHI INIQUITATEM QUAM PECCAVI,] q. d. Non poterit inveniri in meis negotiis, contractibus, ponderibus (esto scrutetur ea quisquis volet) ulla injustitia qua peccaverim. Nota hîc vocem divitum, quos cæcavit cupiditas et avaritia, qui Deo suo, puta Mammona, et opibus superbientes et tumidi omnia justa et licita sibi putant. Uni enim intendunt lucro; hoc eorum idolum est, hoc eorum jus, sive per fas, sive per nefas illud conquirant. Ita Arias et Vatablus.

Tales etiamnum sunt inter Christianos, qui cum jugiter usurarios, aliosque illicitos contractus ineant, nullum tamen sibi movent scrupulum, imo in confessione sacramentali etiam hac de re rogati respondent, se nullos nisi licitos inivisse. Ita in lucro et avaritia occalluerunt et obsurduerunt.

Secundo, lucra mea *non invenient iniquitatem*, id est judicem, qui ea iniquitatis et injustitiæ damnare audeat; quia enim dives sum et potens, nullum judicem timeo, aut si quem timeam, muneribus oculos ejus excæcabo; ego enim nullius, omnes mea ope indigent, q. d. Non refert quomodo habeam opes, dummodo habeam. Ita S. Hieron. et Albert.

Tertio, Septuag. passive et contrarie vertunt : *Omnes labores ejus non invenientur ei, propter iniquitates quibus peccavit*, q. d. Male parta cito dilabuntur; et Chald. *Omnes divitiæ vestræ non permanebunt vobis in die retributionis peccatorum*, juxta illud Psalm. 75. 6 : *Nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.*

Huic versioni nostram accommodat Lyran. quasi sic correctio Prophetæ, q. d. Vos, ô divites, divitiis vestris velut idolo confiditis et præfiditis; attamen scitote ex me, quod ipsæ, quamtumvis labore vestro partæ, non *invenient* vobis *iniquitatem*, id est, expiationem iniquitatis.

9. ET EGO DOMINUS DEUS TUUS EX TERRA ÆGYPTI,] q. d. Ex eo tempore quo ex Ægypto te eduxi, fui jugis tuî custos, dux, Deus, pater.

ADHUC TE SEDERE FACIAM IN TABERNACULIS,] q. d. Exspectabo an pœnitere velis, ac proinde differam pœnam captivitatis, quam tuis sceleribus decrevi, faciamque te in tuis sedibus et urbibus lætum habitare, et idcirco lætam festivitatem Scenopegiæ, ea de causa olim institutam Levit. 23. 39. quotannis de more celebrare, sicut hactenus illam celebrasti. Ita S. Hieron. Quare minus recte Theodor. hæc accipit ut minas, ac contrarie exponit, q. d. Quia immemor es liberationis tuæ, qua te eduxi ex Ægypto, è domo tua expellam te in Assyriam, ubi quasi exsul in tabernaculis habitabis, ac mœrens recordaberis Paschatis, quo te ex Ægypto exsultantem eduxi, aliarumque festivitatum, quas in patria festive celebrare solebas.

Secundo, Albert. et à Castro hæc referunt ad reditum è captivitate Babylonica; ex ea enim multi Israelitæ cum Judæis mixti redierunt, q. d. O Israel, ibis in captivitatem ob tua scelera; at faciam ut inde redeas, tuncque in memoriam reditus et transitus felicis per desertum, celebrabis festum tabernaculorum, sicut olim illud celebrasti in memoriam exitus ex Ægypto, et transitus per desertum, quando scilicet Deus ipsos quadraginta annos te, duce columna ignis et nubis, per horridam solitudinem deduxit usque in Chanaan.

Allegor. q. d. Tempore Christi faciam te habitare in tabernaculis, id est in Ecclesiis, primo militantibus in terra, deinde triumphantibus in cœlo, ubi continuas et perennes ages festivitates, longe lætiores, quàm olim egisti celebrando Pascha, Pentecosten, Scenopegiam, etc. Ita Lyran. et Clarius, qui putant hunc esse sensum litteralem.

10. ET LOCUTUS SUM SUPER (id est, *ad*, sicut vertunt Septuag. Vatablus et alii) PROPHETAS, ut te ad pœnitentiam, et consequenter ad festivitatem hanc tabernaculorum invitarent, ideoque VISIONES, prophetias et correptiones tibi ingerendas, eis MULTIPLICAVI, ET IN MANU PROPHETARUM ASSIMILATUS SUM,] q. d. Per Prophetarum facta et verba varias formas et similitudines assumpsi, nunc monendo, nunc minando, nunc blandiendo. Rursum assimilavi me nunc pastori, nunc aurigæ, nunc patri, nunc regi, nunc sponso, etc. Denique jussi Prophetis, ut varias figuras et similitudines induerent, quibus te permoverent ad emendationem. Sic Osee, c. 1, jussi ut suo matrimonio assimilaret me sponso, ambienti sponsam fornicariam. Ita S. Hieron. Theodot. Lyran. et alii.

Nota hebraismum : *In manu Prophetarum*, id est per Prophetas, quasi per meum organum et instrumentum; manus enim est organum organorum, ait Aristot. *In manu* ergo, id est mi-

nisterio, opera, sermonibus *Prophetarum assimilatus sum*, q. d. Quis ego sim et qualis, quid velim, quid exigam, ex Prophetarum dictis et factis cognosci potest; Prophetæ enim suis me actionibus gestisque, æque ac verbis repræsentarunt; ac meæ non tantum mentis voluntatisque, sed et indolis ac ingenii quamdam quasi similitudinem et imaginem oculis hominum subjecerunt. Ita Pineda l. 7. de Rebus Salom. c. 23. Emmanuel et Mariana hìc. Sic legatus repræsentat suum principem, Apostolus Christum.

Allegor. q. d. Ego Christus meam incarnationem, humanitatem, passionem, etc., variis Prophetarum figuris adumbravi, assimilavi, et repræsentavi. Ita S. Chrysost. hom. 58. in Gen. *Tunc*, ait, *quoniam initium et principia erant, in figura unicuique illorum apparebat, sicut ipse per alium Prophetam dicit : Ego visiones multiplicavi, etc. ; quando autem dignatus est Dominus humanam formam suscipere, et primitias nostras recipere, non putativam tantum, neque apparentem, sed veram carnem induit.* Sic de Cyro ait Deus Isaiæ 54. 4 : *Assimilavi te, et non cognovisti me*, q. d. Feci te similem Christo, ejusque typum; sicut enim tu Judæos Babylone liberabis, ita Christus homines inferno liberabit; sed tu hoc non cognoscis. Hoc est quod ait Paulus Hebr. 1. 1 : *Multifariam multisque modis olim loquens Deus patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in filio;* ubi pro *multisque modis*, græce est πολυτροπως, id est, multis modis, formis, figuris, similitudinibus.

11. Si Galaad idolum, ergo frustra erant in Galgal bobus immolantes.] Nota : *Galaad* erat urbs et regio trans Jordanem pertinens ad decem Tribus, puta ad Ruben et Gad; unde primo occurrit Assyriis invadentibus terram Israel, et ab eis expugnata est, 4. Reg. 15. 29. Galgal vero cis Jordanem erat, et spectabat ad tribum Juda, ait S. Hieron. Porro tam Galaad fuit celebris idolis, ut patet cap. 6. v. 9, quàm Galgal, ut patet cap. 9. v. 15. Sermo est ad duas Tribus, puta ad Judam, q. d. Vos, ô duæ Tribus, agnoscitis Galaaditarum vitulos esse idolum, id est, rem vanam, numen fictum et pictum, ideoque iniquum et impium (hoc enim significat און *aven*), eaque de causa vidistis aras illius dirui ab Assyriis, vertique in acervos lapidum, terramque ejus desolari, ac desolatam aratro et sulcis subigi. Cur ergo simile idolum, puta vitulos, sive boves frustra colitis, iisque immolatis in Galgal? Idcirco enim terra vestra in similes acervos lapidum redigetur ac desolabitur, et aratro sulcisque à bobus subigetur. Ita S. Hieron. Lyran. Clarius et alii. Unde ex Hebræo expressius sic verti potest cum Vatablo : *Si in Galaad iniquitas*, vel *vanitas*, puta idolum iniquum et vanum, *fuit, utique vani facti sunt*, id est, idcirco in vanum abierunt, excisi sunt et evanuerunt; cur *in Galgal bobus* (vel boves) *sacrificarunt?* Hoc est *judicium Juda*, de quo dicit v. 2 : *Judicium ergo Domini cum Juda, et visitatio super Jacob*, q. d. Si Galaaditis idolum non profuit, sed obfuit, pariter et tibi, ô Juda, idolum in Galgalis non proderit, sed oberit. In Hebræo est nervosa paronomasia in vocibus און *aven*, און *on*, et עון *avon*. Respicit enim ad v. 8, q. d. *Dixit Ephraim : Dives effectus sum, inveni idolum;* hebr. *on : Omnes labores mei non invenient iniquitatem*, hebr. *avon*. Huic respondet hìc Galaad esse *aven*, id est iniquitatem, vanitatem et *idolum*, ideoque laborem et dolorem, idque probat ex eo quod ejus aræ in acervos et sulcos redactæ sint. Videtur ergo hæc prophetia edita ab Osee post vastatam ab Assyriis urbem Galaad in tribu Gad, antequam ab eisdem vastarentur Samaria et Galgala, quæ erant trans Jordanem, cum cis eum esset tribus Gad et Galaad. Ita Sanchez.

Secundo, pro *ergo*, hebr. est אך *ach*, id est certe, utique, ergo, verumtamen, *tamen*, uti legunt Biblia Plantin. et Haymo, qui proinde exponit, q. d. Si Galaad, id est Israel, colit idolum, ei ex parte condonandum est, quia templo et altari Dei caret; tibi tamen, ô Juda, colenti eadem idola in Galgalis, condonandum non est; quia tu possides Dei templum, altare, sacerdotes, scribas, etc.

Tertio, alii, q. d. Si vultis idola colere, ite in Galaad; ibi enim est sedes idololatriæ, nolite ergo ea colere in Galgalis; quia hic locus pertinet ad Judam, et consequenter ad Deum, Deique templum.

Nam et altaria eorum quasi acervi super sulcos agri,] q. d. Ne mihi negetis idolum Galaaditis fuisse vanum, frustraneum et noxium; en appello ipsa altaria idolorum. Hæc enim redacta sunt in acervos et terram arabilem, uti jam dixi. Aliter Clarius, q. d. Miseri ubique acervos lapideos colligunt, ut ex eis altaria idolis construant, et diis terminalibus immolent, relicto Deo vero. Prior sensus est verus et genuinus. Sic enim in terris saxosis, qualis est Judæa, solent eximi saxa, ut possint arari et sulcari, quod rustici vocant exossare agros; saxa enim sunt in agris, quod ossa in homine. Sic Persius satyra ult. ait :

Exossatus ager juxta est.

12. Fugit Jacob in regionem Syriæ.] *Fugit*, scilicet à facie Esau fratris sui, indignantis ob erepta sibi ab eo primogenita, Genes. 28. Redit Propheta ad ostendendam Dei providentiam et curam, quam habuit de Jacob patre Israelitarum, et per consequens de ipsismet Israelitis, ut demonstret eorum ingratitudinem, utque eos ad Deum redamandum rursumque colendum revocet.

Servivit Israel in uxorem, q. d. Jacob pro uxore Rachel servivit Laban septem annis : et in uxorem, id est pro uxore altera, scilicet Lia, servavit,] id est, custodivit et pavit oves Laban. Hìc enim *servavit* legendum cum Hebr. Septuag. et Rom. non *servivit*, uti paulo ante.

Sensus est, q. d. Deus sua providentia effecit ut Jacob serviens Laban ditaretur, tam in ovibus, quam uxoribus ac prolibus, puta duodecim Patriarchis, ex quibus vos prognati estis. Nota hebraismum : Hæbræi enim per *beth*, id est *in*, significant pretium; dicunt enim : Emi domum in argento, id est argento : Comparavi mihi opes in labore, id est labore : Servivi in uxore, id est pro uxore; hoc ergo est *beth* pretii, vel *in uxorem*, id est ad, propter uxorem sibi comparandam.

13. In Propheta, id est per Prophetam, puta Mosen, eduxit Dominus Israel de Ægypto, et in Propheta (per eumdem Mosen) servatus est,] à Pharaone aliisque hostibus.

14. Quocirca ad iracundiam me provocavit Ephraim (id est Israel), quia tot beneficiis meis ingratus me spernit, et vitulos adorat, in

AMARITUDINIBUS SUIS,] id est, in peccatis suis, præsertim idololatriæ, quæ mihi amaritudinem, id est dolorem et bilem, movent. Loquitur anthropopathώs. Nota hîc peccata et idola vocari *amaritudines* Dei : quia maxime Deum offendunt, adeo ut, si dolor, mœror, anxietas, imo mors et interitus in Deum cadere possent; hæc non aliunde, nec alia sagitta, quàm peccato ei obvenirent.

SANGUIS EJUS SUPER EUM VENIET.] *Sanguis* in Scriptura vocatur homicidium, et metonymice pœna homicidii, uti hîc, q. d. Occidetur ut reus, ac pœna suæ necis et sui interitus ipsi obveniet, ipsique imputabitur.

ET OPPROBRIUM EJUS, id est pœnam opprobrii, RESTITUET EI DOMINUS SUUS,] scilicet pro opprobrio quo ipse Deum affecit, adimens ei divinitatem, eamque sacrilege transcribens idolis. Deus enim peccatum nullum, præsertim tam enorme, sinit inultum. Nam ut ait S. August. in Ps. 44 : *Peccatum puniturus est* (Deus), *quia virga directionis est virga regni ipsius. Puniendum est peccatum : si puniendum non esset, nec peccatum esset. Præveni illum : non vis ut ipse puniat? tu puni.* Et mox : *Puniendum ergo erit aut à te, aut ab ipso. Tu agnosce, ut ille ignoscat.* Idem in Psalm. 58. *Quid est*, inquit, *operantem æquitatem? quia hoc in te odisti quod et odit ille, ut incipiat placere Deo, dum hoc in te punis quod displicet Deo. Nam non potest impunitum relinqui peccatum, quia verum est : Non miserearis omnium qui operantur iniquitatem.* Idem in Psalm. 50. explicans illud : *Ecce enim veritatem dilexisti*, id est, inquit, *impunita peccata eorum, etiam quibus ignoscis, non reliquisti : veritatem dilexisti, sic misericordiam prærogasti, ut servares et veritatem. Ignoscis confitenti, ignoscis, sed seipsum punienti. Ita servatur misericordia et veritas : misericordia, quia homo liberatur : veritas, quia peccatum punitur.* Vide eumdem, epist. 122. ad Victorianum, ubi docet Deum nemini peccanti, ne sancto quidem, parcere; ideoque permisisse Barbaris Italiam et Hispaniam invadentibus affligere etiam sanctos viros, et violare sacras virgines.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

ISRAELI MINATUR EXCIDIUM, EO QUOD HOMINES IMMOLAVERIT VITULIS, UT DISPERGATUR, ET EVANESCAT QUASI NUBES, ROS, GLUMA ET FUMUS : QUIA DEUS INVADET EUM QUASI LEÆNA, PARDUS, ET URSA RAPTIS CATULIS. ERGO PERDITIO TUA, ID EST EX TE, EST ISRAEL : IN ME VERO AUXILIUM TUUM. SECUNDO, V. 14. AVOLAT AD CHRISTUM, DOCETQUE QUOD CHRISTUS MORIENS EOS OMNESQUE CREDENTES A MORTE LIBERABIT, ET EX INFERNO EDUCET : ERIT ENIM QUASI VENTUS URENS, QUI PER IGNEM CONFLAGRATIONIS PERDENS MUNDUM IMPIUM IN DIE JUDICII, QUIQUE FORTEM PRO MERITIS DIVIDET ET RETRIBUET.

1. LOQUENTE Ephraim, horror invasit Israel, et deliquit in Baal, et mortuus est.
2. Et nunc addiderunt ad peccandum : feceruntque sibi conflatile de argento
suo quasi similitudinem idolorum, factura artificum totum est : his ipsi di-
cunt : Immolate homines vitulos adorantes. 3. Idcirco erunt quasi nubes
matutina, et sicut ros matutinus præteriens, sicut pulvis turbine raptus ex
area, et sicut fumus de fumario. 4. Ego autem Dominus Deus tuus ex
terra Ægypti : et Deum absque me nescies, et salvator non est præter me.
5. Ego cognovi te in deserto, in terra solitudinis. 6. Juxta pascua sua adimpleti sunt, et sa-
turati sunt : et levaverunt cor suum, et obliti sunt mei. 7. Et ego ero eis quasi leæna, sicut
pardus in via Assyriorum. 8. Occurram eis quasi ursa raptis catulis, et dirumpam interiora jeco-
ris eorum : et consumam eos ibi quasi leo, bestia agri scindet eos. 9. Perditio tua Israel : tan-
tummodo in me auxilium tuum. 10. Ubi est rex tuus? maxime nunc salvet te in omnibus urbibus
tuis, et judices tui, de quibus dixisti : Da mihi regem et principes. 11. Dabo tibi regem in
furore meo, et auferam in indignatione mea. 12. Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum
peccatum ejus. 13. Dolores parturientis venient ei : ipse filius non sapiens, nunc enim non stabit
in contritione filiorum. 14. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos : ero mors
tua, ó mors, morsus tuus ero, inferne : consolatio abscondita est ab oculis meis. 15. Quia ipse
inter fratres dividet; adducet urentem ventum Dominus de deserto ascendentem, et siccabit
venas ejus, et desolabit fontem ejus, et ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis.

1. Loquente Ephraim, *Ephraim* vocat Jeroboam, qui ortus fuit ex tribu Ephraim, primusque ex ea creatus est rex Israelis, q. d. Dum loqui cœpit Jeroboam Ephraimita, ac incitare plebem ad idola, puta ad vitulos aureos colendos, horror, vel, ut Symmach. et Theodotion, *tremor*, invasit Israel, ut regi idololatræ resistere non auderet, sed ejus metu quasi tremore perculsus, Baal, id est idola, puta vitulos aureos ab eo propositos, coleret: itaque mortuus est,] tam ipse, quam rex ejus, id est captivitati, et morti temporali fuit addictus, ac multo magis spiritualem animæ mortem incurrit, perdens eum qui dicit: *Ego sum vita*, Joan. 14. 6. juxta illud Ezech. 18. 20: *Anima quæ peccaverit ipsa morietur.* Ita S. Hieron. Rupert. Hugo, Lyran. Emmanuel et Mariana. Ad litteram Baasa occidit Nadab filium Jeroboam, ejusque stirpem evertit, ac regnum ad se transtulit, 3. Reg. 15. 29. Aliter Arias: *horrorem* enim accipit aversionem à Roboam, quam populo impressit Jeroboam, proponens ei illius tyrannidem, et tributorum immanitatem; itaque à populo, aversante Roboam, creatus est rex Jeroboam.

Secundo, pro *invasit*, hebr. est נשא *nasa*, quod inter alia significat *extulit, alienavit.* Unde Chald. et Vatabl. sic vertunt et explicant: Olim cum ipse Ephraim Deum coleret, tremebant omnes dum ipse loqueretur, tuncque extulit caput factusque est rex; sed postquam deflexit ad Baal, mortem incurrit, vitaque et regno privatus est. Per *Ephraim* intellige Jeroboam, vel ipsammet tribum regiam: tribus enim Ephraim in Jeroboam et posteris, regnum in cæteras tribus obtinuit.

2. Et nunc addiderunt ad peccandum, q. d. Insuper peccata peccatis, idola idolis addunt et accumulant: nam fecerunt sibi conflatile (conflaverunt idolum) de argento suo, vel auro, aliove metallo, quasi similitudinem idolorum.] Hebr. *juxta intelligentiam*, vel *conceptionem suam idolorum*, sive quam habebant de idolis, hoc est, prout cuique in mentem venit, prout quisque phantasia sua concepit, prout cuique visum fuit, vel libuit effingere aut formare hoc vel illud idolum, tali vel tali specie, forma et figura; quod clare Noster vertit, *similitudinem idolorum.* Hæc enim eorum mentis conceptio, vel idea non erat aliud quàm idea et similitudo idolorum. Unde subdit:

Factura artificum totum est,] q. d. Idolum nil habet numinis, vel divini, sed totum est artificis idea conceptum, et ejusdem manu fabricatum; dum ergo idolum adoras, ideam et phantasiam fabri adoras: illius enim est opus et imago, nec aliunde quam ex hac ejus officina prodiit: sicut enim artifex mente prius concipit ideam domus quam fabricare cogitat, ac deinde juxta eam domum construit et fabricat; ita et idoloplastes, sive artifex idoli, prius format sibi ideam idoli in mente, ut verbi gratia talem habeat mensuram, talem vultum, tales oculos, talem situm, etc. ac deinde juxta eam illud ex argento vel auro conflat et efformat. Hebr. ergo תבונה *tebuna* proprie intelligentiam significat, non ideam, à rad. בן *ban*, id est intellexit; sed in re, intelligentia architecti, artificis et fabri non est aliud quàm exemplar et idea rei ædificandæ et fabricandæ, quam Hebræi proprie תבנית *tabnit* vocant, à rad. בנה *bana*, id est ædificavit.

Hinc patet, magis subtiliter quàm solide et genuine, aliquos per *similitudinem idolorum* accipere *imagines idolorum*, q. d. Quanta est Israelitarum vanitas et stultitia, quod non tantum ipsa idola, sed et eorum effigies ac imagines expingant et exsculpant, easque colant quasi deos!

His ipsi dicunt: Immolate homines vitulos adorantes.] Vox *homines* est accusativi casus, non vocativi. Patet ex Hebr. זבחי אדם *zobeche adam;* et ex Septuag. θύσατε ἀνθρώπους, id est *immolate homines*, v. g. filios quasi victimas, vituli enim defecerunt. Sensus est, q. d. De idolis dicunt idololatræ, præsertim eorum sacerdotes: Vos, ô Israelitæ, qui vitulos aureos Jeroboam adoratis, immolate eis non tantum oves et boves, sed et homines; quia id faciunt Gentes, et quia id fecit Abraham, immolans Isaac filium suum, Genes. 22. Sed vera causa erat, quia dæmon sitit cruorem humanum, eorumque necem sibi deposcit. Est nervosa antithesis inter vitulos et homines, q. d. Quanta stupiditas est vitulis immolare homines, cum vituli quasi bestiæ homini servire debeant, non homo vitulis? Ita S. Hieron. Cyrill. Hugo et alii. Aliqui tamen ut Lyran. Pagnin. Vatabl. et Arias τὸ homines accipiunt in vocativo, q. d. Vos, ô homines, immolate victimas vitulis aureis, eos adorantes.

Nota: Pro *adorantes*, Hebr. est ישקון *iissakun*, id est *osculantes.* Unde Vatab. vertit: *Vos, ô homines, qui sacrificatis vitulis, osculamini eos.* Solebant enim idololatræ, in signum venerationis et adorationis, osculari idolum, aut si id non possent, manum propriam loco idoli. Hoc est quod ait Job cap. 31. 27: *Si vidi solem cum fulgeret, etc. et osculatus sum manum meam*, hoc est, si solem fulgentem adoravi osculando manum meam. Et Ezech. 8. 17: *Ecce applicant manum ad nares suas*, quasi adorantes et osculantes Deum, cui ramus hic sacer erat. Vide ibi dicta. Hinc *adoro* idem est quod ad ora applico, scilicet manum osculando. Ita Plinius lib. 28. cap. 2.

3. Idcirco erunt quasi nubes matutina.] Culpæ intentat pœnam excidii, eamque celerem, acrem et plenam, quam proinde quatuor parabolis explicat et exaggerat. Prima est: *Erunt*, inquit (scilicet Israelitæ qui vitulos adorarunt), *quasi nubes matutina*, quæ cito à sole oriente dissoluta, vel dispulsa interit.

Secunda, sicut *ros matutinus præteriens*, quem scilicet sol matutinus statim sorbet, siccat et aufert.

Tertia, *sicut pulvis turbine raptus ex area:* pulverem intellige, non arenæ, nec terræ, sed palearum frumenti triturati, puta glumam et quisquilias palearum (has enim significat hebr. מוץ *mots*) quas ventus turbinis rapit ex area, et huc illucque difflat. Pari enim modo Israelitæ, excisa Samaria, ex ea quasi area sua abrepti sunt ab Assyriis in captivitatem, indeque quaquaversum dispersi.

Quarta, *sicut fumus de fumario*, puta de fumibulo, vel camino, exit et propellitur; qui statim tenuos vanescit in auras: ita è Samaria expellentur Israelitæ in Assyriam. Pro *fumario* hebr. est ארבה *arubba;* quod Aquila, *cataractam;* Symmach. *foramen*, Theodot. καπνοδόχου,

id est fumibulum, vertit. Cataractam autem proprie vocat foramen in pariete fabricatum, per quod fumus egreditur, ait S. Hieron. Verum Septuag. aliis punctis legentes ארבה *arbe*, vertunt, *locustam*; quod explicans S. Hieron. Audiat, ait, Ephraim se ἀτμῷ, id est vapori, sive auræ et spiritui, comparari, qui ita tenuis de ore locustæ egreditur, ut non sentiatur.

4. Ego autem Dominus Deus tuus fui continuo ex terra Ægypti, q. d. Ex olitano tempore, quo ex Ægypto te per tot portenta eduxi, jugem tui curam gessi, te protexi, alui, prosperavi quasi Deus, imo pater tuus. Quocirca dixi, et mandavi tibi vicissim id quod sequitur, scilicet: Deum absque, id est præter, me nescies, q. d. Non agnosces, nec coles, alium Deum quam me: et salvator non est præter me.] Hebr. *vau*, significans *et*, est causale. *Et* ergo, id est *quia*, q. d. Coles me, quia redemptor et salvator tibi non est alius quam ego, qui ex Ægypto aliisque hostibus te salvavi et liberavi. Ita Cyrill. Theodor. Lyran. et alii.

5. Ego cognovi, practice, id est amavi, benefeci, rexi et direxi, te in deserto.] Ita S. Hier. Unde Septuag. vertunt: *Ego te pavi in solitudine*, nempe dans manna de cœlo quotidie. Vere Psaltes psal. 22. 1: *Dominus*, ait, *regit me* (hebr. *pascit me*, vel *est pastor meus*), *et nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit*.

6. Juxta pascua sua adimpleti sunt,] q. d. Cum tam largiter et miraculose eos per manna, coturnices, et aquam de petra pascerem in deserto aridissimo, ac si in pascuis uberrimis eos collocassem, ipsi saturi mihi recalcitrarunt. Ita Chald. itaque impleverunt illud Mosis de se vaticinium: *Incrassatus est dilectus et recalcitravit, incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum*, Deuter. 32. 15. Ita S. Hieron. Chald. Hugo, Lyran. et alii.

7. Et, id est idcirco, q. d. Quia ipsi mihi, se tam affluenter pascenti, ingrati et rebelles fuerunt, idcirco ero iis quasi leæna.] Deum vindicem acrem et terribilem, ac consequenter Assyrios, quibus ad hanc vindictam usus est Deus, comparat primo, leænæ, quæ sævior est leone, præsertim dum catulos nutrit; secundo, pardis *in via Assyriorum*, qui scilicet solent grassari in deserto, per quod ex Judæa et Samaria itur in Assyriam. Notat captivitatem per Assyrios factam: Assyrii enim quasi pardi, per hoc desertum Israelitas vexando, onerando, et verberando quasi mancipia, deduxerunt in Assyriam. Hebr. est אשור *Assur*, id est Assyrius: verum Chald. Rabbini, Clarius, Arias Pagnin. et Vatablus pro Assur legunt אשור *asur*, id est aspiciam, accingar ad prædam, insidiabor, à rad. שור *sur*, id est aspexit, insidiatus est. Unde vertunt: *Sicut pardus ad viam aspiciam, et insidiabor eis*, ut eos depræder et dilaniem.

8. Tertio: Occurram eis quasi ursa raptis catulis] sæviens in raptorem, et consequenter in obvios quosque. Mira est sævitia ursæ raptis catulis: quia mirus illius in eos amor. Ursa enim catulos informes gignit, eosque deinde lambendo sensim format et perficit, quod non faciunt alia animalia. Unde B. Isidorus Pelusiota, discipulus S. Chrysostomi, lib. 3. epist. 267. legit: *Occurram eis ut ursa anxia*, aitque hoc simili significari vim Dei ultricem.

Tropol. si tantus est ursæ amor in fœtus informes, tantusque furor in eum qui illos sibi eripit; quantus est amor Dei in suos fideles et filios, quantusque furor in eos, qui illos malo exemplo, vel pravis consiliis, illecebris, etc. à Deo avertunt, et in venerem aliaque scelera pelliciunt? Sane in tales sæviet Deus magis, quam ursa in raptorem catulorum. Vide de ursæ in catulos studio Plinium, lib. 8. cap. 36. et Ælian. lib. 2. cap. 19.

Et dirumpam interiora jecoris eorum.] Hebr. Chald. et Septuag. *Dirumpam clausuram cordis eorum*; Leo Hebr. *Lacerabo pertinax cor eorum*. Alludit ad leones aliasque feras, quæ solent captæ prædæ corpus scindere et findere usque ad cor, ipsumque cor primo devorare. Porro hebr. לב *leb*, id est cor, in Scriptura per synecdochen significat interiora omnia, puta jecur, præcordia, aliaque viscera. Itaque noster Interpres maluit vertere *jecoris* quam *cordis*, quia jecur est sedes amoris et concupiscentiæ; ac proinde juste à Deo punitur, et dirumpitur. Hac de causa in hymno sabbati, ad matutinas Horas, orat Ecclesia:

> Lumbos jecurque morbidum
> Adure igni congruo.

q. d. Concupiscentiam adure, quæ in lumbis et jecore maxime residet.

Ita sentiunt quoque et loquuntur Philosophi et Poetæ, ut Plato et Horat. lib. 1. Ode 25. cum ait:

> Cum tibi flagrans amor et libido
> Sæviet circa jecur ulcerosum.

Et lib. 4. Ode 1. ad Venerem:

> Si torrere jecur quæris idoneum.

Et lib. 1. Epist. 18:

> Non ancilla tuum jecur ulceret.

Rursum dirumpet Deus jecur, id est vitam, felicitatem et gloriam Israelitarum; horum enim symbolum est jecur, ut dixi Thren. 2. 8.

Et consumam eos ibi sicut leo bestia agri scindet eos.] *Ibi*, scilicet *in via Assyriorum*, ipsaque Assyria. Ita S. Hieron. Lyran. et Vatabl. Aliter Arias: *Ibi*, inquit, *id est in corde*, q. d. Sicut leo cor prædæ petit et vorat, adipemque et sanguinem circa cor diffusum exsugit, cætera vero membra permittit ursis, lupis, aliisque bestiis devoranda: ita ego corda Israelitarum immissis assiduis curis, mœroribus, anxietatibus et terroribus exedam et consumam: sed bestia agri, id est, Assyrii reliquas corporis partes scindent et laniabunt. Hæc expositio apposita est, æque ac erudita.

Moraliter, Deus credentibus et pœnitentibus est mater, aitque: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos*, Matth. 11. 28. *Incredulis vero et nolentibus agere pœnitentiam, panther, pardus, ursa, et leo efficitur*, ait S. Hieron.

9. Perditio tua, Israel, tantummodo in me auxilium tuum.] *Tua*, id est ex te, tuisque peccatis et demeritis tibi obvenit, q. d. Tu, ô Israel, tibi es causa perditionis, id est captivitatis et excidii, non ego: quia in me non est perditio, sed auxilium tuum: nullus enim est qui tibi auxiliari possit et velit nisi ego. Tu vadis te perditum, ego non nisi tibi auxiliari, teque salvare opto et conor. Hinc Leo Hebr. Pagnin. et Vatabl. pro שחת *sçachet*, id est perdere, perditio, le-

gentes שחת *sçichet*, id est perdidit, excidit, delevit, vertunt, *perdidit te* vitulus tuus, quem, me relicto, coluisti, *sed in me auxilium tuum. Perditio* ergo hîc non significat peccatum et culpam, sed peccati pœnam et excidium : hoc enim significat Hebr. *sçachet*. Ita Sept. S. Hier. Lyran. Vatabl. à Castro, Mariana et alii. Sensus ergo est, q. d. Tu, ô Israel, semper tua rebellione, idolis et sceleribus ascivisti tibi clades, ruinas, et mille calamitates : ego ex adverso, quantum in me est, curavi et curo tuam salutem mittendo Prophetas, qui te ad pœnitentiam, qua clades imminentes evaderes, hortarentur : tibi ergo tuum excidium imputa, non mihi; esto enim tandem occursurus sim tibi per Assyrios quasi leo, pardus, et ursa sæviens; tamen tu ad hoc me cogis tua obstinatione et impœnitentia, quæ tanta est, ut ipsa volenti mihi tuî misereri et parcere, quasi invito flagellum quo castigeris extorqueat. Hinc Chald. vertit : *Cum vos depravatis opera vestra, ô domus Israel, dominantur in vos populi : sed quoties conversi estis ad legem meam, verbum meum fuit vobis præsidio*; Syrus vero : *Corrupi* (perdidi) *te, Israel; quis adjurabit te?* Arabicus Alexand. *In perditione tua, ô Israel, quis est qui te adjuvet?* Arabicus Antioch. *Corrumpent te* (hostes, v. g. Assyrii), *quis est qui te adjuvet?*

Ubi nota : Vox *tantummodo* licet expresse non sit in Hebræo, tamen per antithesin intelligitur, duoque significat. Prius, Israelem nec ab Assyrio, nec ab Ægyptio, nec ab Hosee rege suo, nec ab ullo alio sperare debere auxilium, nisi tantum à Deo. Posterius, Dei tantum esse auxiliari, non perdere, q. d. Sicut tibi proprium est te perdere, ita Dei proprium est tibi auxiliari, teque salvare : per accidens enim ei est, et quasi alienum ab eo, si ob peccata cogatur te punire. Ita noster Emmanuel Sa.

Secundo, S. Hieron. ex Hebræo hunc quoque dat sensum : *Dispereas, Israel, quia nihil tibi reliquum est, nisi ut mea solum clementia conserveris.*

Tertio, Septuag. vertunt : *Corruptioni tuæ, Israel, quis auxiliabitur?* id est captivitati tuæ, *et ultimæ servituti quis eorum, quos tibi præsules æstimasti, poterit ferre auxilium?* ait S. Hieron. Unde sequitur : *Ubi est rex tuus?*

Loquitur Propheta de perditione et auxilio primo corporeo et temporali, deinde spiritali et æterno. Hoc enim illo longe gravius, maximique momenti est. Unde sequitur perditionem, reprobationem, obdurationem et damnationem non esse proprie et per se ex Deo perdente, reprobante, obdurante et damnante; sed ex homine peccante, seque in peccatis usque ad finem vitæ obdurante. Ex adverso prædestinationem, vocationem et gratiam non esse ex præviis prædestinatorum meritis; sed ex Deo prædestinante, vocante, et gratia sua præveniente. Hæc enim sunt auxilium Dei. Ita Theologi 1. p. q. 23.

Quocirca licet in prædestinatis non sit causa vel ratio cur prædestinentur, tamen in non prædestinatis est ratio seu causa cur non prædestinentur. Si enim Deus, ex seipso motus, aliquos excluderet à beneficio prædestinationis, ipse esset prima causa perditionis illorum, cum certum sit perituros qui non sunt prædestinati, ait Gregorius de Valentia 1. p. quæst. 23. puncto 4. disp. 1.

Est ergo hæc sententia : *Perditio tua ex te, Israel, tantummodo in me auxilium tuum*, generalis et universalis, quam sic quasi per partes et parallela explices :

Captivitas tua, Israel, ex te : redemptio tua ex me.
Interitus tuus ex te : salus tua ex me.
Mors tua ex te : vita tua ex me.
Malum tuum ex te : bonum tuum ex me.
Reprobatio tua ex te : prædestinatio tua ex me, qui semper ad ostium cordis sto et misericorditer pulso.
Derelictio tua ex te : vocatio tua ex me.
Miseria tua ex te : felicitas tua ex me.
Damnatio tua ex te : salvatio et beatificatio tua ex me.

Nam, ut ait S. August. in Sententiis, num. 311 : *Multa bona facit Deus in homine, quæ non facit homo : nulla vero facit homo, quæ Deus non facit ut faciat homo.*

Quod ergo nonnulli Doctores sic exponunt : *perditio*, id est, peccatum et culpa tua, qua te perdis, ô homo reprobe, est ex te tuaque mala voluntate : perditio vero id est reprobatio et permissio peccati, ex qua infallibiliter sequitur peccatum et damnatio, est ex Deo reprobante : Hæc, inquam, expositio, huic loco est impertinens : quia perditio, uti ostendi, hîc pœnam significat, non culpam. Est et falsa, ut videtur : prima enim permissio primi peccati hominis in Deo, non est effectus reprobationis, nec à Deo reprobante : sed est effectus communis providentiæ, qua Deus causas secundas et liberas permittit suæ libertati, ut libere bene faciant aut male, prout voluerint; hoc enim exigit hominis libertas, et suavis divinæ providentiæ dispositio. Nam reprobatio non est causa peccati, sed potius ejus effectus. Deus enim neminem reprobat ideo, ut peccet; sed omnem reprobum ideo reprobat, quia peccavit et reproba gessit; ideoque se reprobum et damnatione dignum effecit. Reprobatio enim est actus justitiæ vindicativæ, quæ necessario peccatum vindicandum et puniendum, quasi objectum proprium præsupponit, non facit, nec causat. Vide dicta cap. 11. v. 8. et 9.

Præclare S. Bernard. serm. 8. in natali Domini : *Recte*, inquit, *Deus, non pater judiciorum vel ultionum dicitur, sed pater misericordiarum, eo quod miserendi causam et originem sumat ex proprio, judicandi vel ulciscendi magis ex nostro.* Et S. August. sententia 379. *Neminem*, ait, *Deus ad peccandum cogit : prævidet tamen omnes qui propria voluntate peccabunt. Cur ergo non vindicet justus, quæ fieri non cogit præscius? Sicut enim nemo memoria sua cogit facta esse quæ prætereunt, sic Deus præscientia sua non cogit facienda quæ futura sunt. Et sicut homo quædam quæ fecit meminit, nec tamen omnia quæ meminit fecit; ita Deus omnia quorum ipse auctor est præscit, nec tamen omnium quæ præscit ipse auctor est : quorum autem non est auctor malus, justus est ultor.* Clarius idem, epist. 106 : *Si Deus*, inquit, *quemquam immeritum damnare creditur, immunis ab iniquitate non creditur.* Et lib. de Bono persever. cap. 8 : *Qui liberatur, gratiam diligat : qui non liberatur, debitum agnoscat;* et cap. 11 ; *Investigabilis ergo est misericordia Dei, qua cujus vult miseretur, nullis ejus præcedentibus meritis; et investigabilis veritas* (id est justitia) *qua quem vult indurat, ejus quidem præ-*

cedentibus meritis; sed cum eo cujus miseretur plerumque communibus. Et epist. 105 : *Quærimus causam prædestinationis, nec invenimus : reprobationis autem causam quærimus, et invenimus. Nam quibus Deus misericordiam non impertit, ut non impertiatur merentur.* Et lib. 1. ad Simplician. quæst. 2 : *Ille cui subvenit, et ille quem deserit, ex eadem massa sunt peccatorum. Et quamvis debeat uterque supplicium, ab uno tamen exigitur, alteri donatur.* Ibidem asserit Esau odio habitum à Deo propter peccata. Cum ergo reprobatio sit odium; Deus autem nihil odiat in homine nisi peccata, ut ait S. August. epist. 105, sequitur Deum neminem reprobare nisi propter peccata.

S. Aug. sequitur S. Prosper ad capitula Gallor. in sententia super c. 7. ubi dicit : *Gratia Dei non prius eos* (reprobos) *deseruit, quam ab eis desereretur. Et quia hoc ipsos voluntaria facturos defectione prævidit, ideo in prædestinationis electione illos non habuit.* Utrumque secutus S. Fulg. l. 1. ad Monimum : *Quæso,* inquit, *Monime charissime, ut hunc locum Apostoli diligenter attendas. Notum namque est iram Dei dici non posse, nisi ubi creditur hominis iniquitas præcessisse.* Deus enim, cum reprobat, dicitur ab Apostolo velle *ostendere iram*, Rom. 9. 22. Idem docent Scotus, Herveus, Cajetan. Ferrariensis, Joannes Major, Silvester, Domin. Soto, et alii quos citat et sequitur Lud. Molina 1. par. q. 23. art. 4. et 5. disp. 3. Vasquez, Bellarm. Suarez et Gregor. de Valentia ibid. Hi omnes asserunt Deum neminem reprobare nisi ob ejus peccata, in quibus vitam finit.

Tropolog. *perditio tua Israel,* non hostium, non infecti aeris, non concursus siderum, non virium accensi ignis, non armorum, non ducum, non hostium, nec exercituum validissimorum : hæc enim omnia imbellia et evanida forent, nec te perdere possent, nisi tu tuis peccatis iram Dei in te concitares, eamque in tuî perditionem lacesseres et evocares; tibi ergo eam ascribe, tibi imputa, non hosti. Idem dicat quælibet respubl. civitas et anima peccatrix, quæ suis sceleribus Dei vindictam sibi accersit, suosque hostes in suum exitium concitat et armat.

Rursum idem S. Aug. lib. 2. de Peccat. mer. et remiss. cap. 5. pulchra similitudine idipsum explicat. Sicut, inquit, corporis oculus non adjuvatur à lumine, si oculum claudas, aut si eum à luce avertas; ita si avertas à Deo, qui lumen est quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, aut si claudas mentis oculos, incurres in laqueos dæmonum, et peribis; si vero te convertas ad Deum, ille tuam mentem illustrabit, et te ad se convertet. Itaque, ô Israel, tua perditio ex te est, quia te avertis à Deo; salus tua tantummodo ex me, quia conversio ad Deum ex peccato à Deo incipiat necesse est. Hinc D. Thom. 1. 2. q. 112. a. 3. ad 2. sic explicat : *Defectus gratiæ prima causa est ex nobis; sed collationis gratiæ prima causa est à Deo, secundum illud Osee : Perditio tua ex te, Israel, tantummodo in me auxilium tuum.*

Simili schemate de excidio Trojæ cecinit Poeta :

> Non tibi Tyndaridæ facies invisa Lacenæ,
> Culpatusve Paris; verum inclementia Divûm
> Has evertit opes.

10. Ubi est rex tuus? Maxime nunc salvet te,] q. d. Reges, quos tibi petivisti et creasti, non possunt te ab instante Assyriorum excidio eripere et salvare; sed ego solus quem tu negligis et spernis. Probat id quod dixit v. præcedenti : *Tantummodo in me auxilium tuum,* q. d. Reges et principes tui non possunt tibi in hac clade auxiliari; disce ergo ipsa experientia quod ego solus tibi opitulari possim.

Pro *ubi* hebr. est אהי *ehi*, quod Septuag. Chald. Noster, Leo Heb. et alii vertunt, *ubi.* Aliqui tamen vertunt *ero,* quasi *ehi* sit futurum ab היה *haia,* id est *fuit,* ut sensus sit : *Ero rex tuus nunc,* q. d. Nunc regam et frenabo te quasi equum rebellem et indomitum. Verum huic versioni repugnant sequentia : *Salvet te,* etc. quæ de rege, non de Deo, accipienda esse liquet.

Et judices (consiliarii et principes, ut sequitur) tui de quibus dixisti, 1. Reg. 8. 5. Da mihi regem et principes.] Hinc videtur quod populus petens regem à Samuele (qui ei annuens jussu Dei, dedit Saulem) simul ab eo petierit judices, quasi regis consiliarios; licet hoc in historia lib. Regum non exprimatur.

11. Dabo tibi regem in furore meo.] *Dabo,* id est, dedi tibi Saulem, iratus quod regem alium à me peteres; item Joroboam, cæterosque reges Israel, quos proinde mox abstuli, eo quod impie viverent. Simili modo brevi auferam ultimum regem Hosee pariter impium, et in eo ac cum eo regnum tuum evertam. Vere S. Aug. in Sent. sententia 252 ; *Deus,* ait, *cum male aliquid poscitur, dando irascitur, non dando miseretur.*

Unde S. Hieron. et Lyran. sic explicant : Dedi tibi Saulem primum regem in furore, et ultimum regem Sedeciam auferam pariter in furore. Aut potius, dedi Jeroboam primum regem tuum, ô Israel, in furore (de eo enim hîc agitur, non de Sedecia et Juda), et auferam ultimum regem tuum Hosee in furore.

Nota : Jeroboam cæterosque reges sequentes Israeli dedit Deus in ira, quia offensus peccatis populi, voluit eum abjicere à Jerusalem, temploque ac regno suo, quod erat in Juda; unde in pœnam peccatorum ejus, dedit ei reges qui schisma facerent à Juda et Deo, populumque ad vitulos aureos abducerent.

Probat quod dixit, Israelem à regibus suis non debere exspectare tutelam contra Assyrios et salutem; quia, inquit, ego reges hosce dedi Israeli, non ex amore, sed ex ira, ac proinde pariter auferam eos cum regno et populo ex ira. Quocirca ipsi non tam sunt sceptrum, quam flagellum Dei; quia sunt virga, qua Deus non regat gregem suum, sed castiget hostes suos. Vere dixit Livius l. 9 : *Imperia male parta, male gesta, male retenta obruuntur.* Hoc est quod ait Job c. 34. 30 : *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Quæ verba explicans S. Gregor. lib. 25 Moral. 14. docet subditos non debere conqueri de regum et principum vitiis, sed de suis propriis, quia ob ea Deus iniquos eis dat principes : *Culpam ergo,* inquit, *proprii magis accuset operis, quàm injustitiam gubernantis. Scriptum namque est : Dabo reges in furore meo. Quid ergo illos nobis præesse despicimus, quorum super nos regimina ex Domini furore suscipimus?* Unde concludit : *Sic ergo secundum merita subditorum, tribuuntur personæ regentium. Sic pro qualitatibus subditorum, disponuntur acta regentium, ut sæpe pro malo gregis etiam vere boni, delinquat vita pastoris.* Idem lib. 6. epist. 7 : *Ita,* ait, *sibi*

regentium merita connectuntur et plebium, ut, sæpe ex culpa præcedentium deterior fiat vita subjectorum, et sæpe ex merito plebium delinquat vita pastorum. Probat id exemplo Davidis : *Ille enim Deo attestante laudatus, ille supernorum mysteriorum conscius, tumore repente elationis inflatus, populum numerando peccavit, et tamen vindictam populus David peccante suscepit.* Cur hoc? *quia videlicet secundùm meritum plebium, disponuntur corda regentium.* Unde infert subditos maxime debere orare tam pro regibus, quam pro toto populi cœtu. Sic Deus Judæis et improbis, in fine mundi, dabit Antichristum regem in furore suo, uti docet ibidem S. Gregor. imo S. Paulus, *eo quod charitatem veritatis,* inquit, *non receperunt, ut salvi fierent; ideo mittet illis operationem erroris, ut credant mendacio,* 2. Thess. 2. 10. q.d. Quia Judæi noluerunt recipere Christum veracem, ideo mittet eis Deus Antichristum mendacem. Scelera ergo impiorum, quæ in fine mundi erunt maxima, parturient quasi Antichristum, eumque à Deo regem extorquebunt.

Præclare Plutarch. lib. de Sera numinis vindicta cap. 4. docet impios principes et tyrannos dari à Deo, quasi carnifices, ad sumendum de impio populo pœnas; sicut enim fel hyænæ utile est ad morbos sanandos, sic et sævitia tyranni, vel magistratus, valet ad expurganda vitia populi : *Tale medicamentum,* inquit, *Agrigentinis fuit Phalaris, Marius Romanis, Orthagoras Myro, Clisthenes Sycioniis.* Hinc Theognides, cum videret urbem fastu et luxu tumentem :

> Uterum, *inquit*, fert civitas hæc; timeo autem ne pariat
> Virum correctorem malæ insolentiæ vestræ.

Anastas. Nicenus q. 15. in Script. duo illustria refert exempla. Primum, cnm Phocas, inquit, Imp. quasi tyrannus sæviret in innocentes, Monachus quidam sæpe cum Deo expostulabat: *Cur, Domine, eum fecisti Imperatorem?* Cui responsum est cœlitus : *Quoniam non inveni pejorem.* Secundum : Monachus quidam hypocrita, sed scelestus, angeli monitu creatus Thebaidis corruptissimæ Episcopus, cum ex sacro honore insolesceret, audivit ab angelo : *Cur superbis, ô infelix? non es creatus Episcopus, quod dignus sacerdotio sis, sed quod civitas talis digna erat Episcopo.* Quin et S. Ambr. in Apolog. David agens de ejus lapsu: *Regum,* ait, *lapsus pœna populorum est; sicut enim eorum virtute servamur, ita etiam errore periclitamur.* Porro inter alia peccata, quæ impios principes merentur, Deumque ad eos dandum provocant, excellit contemptus sacerdotum et sacrorum : hunc enim Deus tyrannide principum castigat, inquit S. Cyprian. epist. 67. ad Rogatianum, idque probat exemplo Samuelis. Huic enim dixit Deus : *Non te spreverunt, sed me, atque ut hoc ulcisceretur, excitavit eis Saul regem, qui eos injuriis gravibus affligeret et per omnes contumelias et pœnas superbum populum calcaret et premeret; ut contemptus sacerdos, de superbo populo ultione divina vindicaretur.*

12. Colligata est iniquitas Ephraim, q. d. Scelus Israel repositum et reconditum est in scrinio memoriæ meæ, uti pecunia in arca et loculis colligatur et reconditur: colligatur, inquam, ne excidat, ideoque in mente mea absconditum est peccatum ejus,] quia in ea reservatur ad tempus ultionis, quod brevi aderit, ut puniatur. Ita Chald. S. Hieron. Theod. Vatabl. et alii. Alludit ad Deut. 32. 34 : *Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis?*

Tropol. nonnulli hæc referunt ad fideles, qui ex verecundia aut superbia nolunt Confessario sua peccata confiteri; et ad Religiosos, qui nolunt Superiori detegere suam conscientiam, animæque infirmitates et malas inclinationes. In his enim colligata est lingua, et consequenter iniquitas; sicut enim morbus ægri curari nequit, nisi ipse eum detegat medico; ita nec vitia animi; quibus hoc proprium est, ut sola humilitate confessionis et charitate, consolatione et instructione Patris spiritualis, vel sanentur, vel mitigentur, uti docet Cassianus, Vitæ Patrum, ipsaque experientia. Unde sequitur : *Dolores parturientis venient ei;* quo enim diutius quis silet peccatum, eo difficilius illud pandit et expellit; sicut puella quæ fœtum mortuum utero gestat, quo diutius eum tacet et dissimulat, eo difficilius parturiet; quia in dies magis is corrumpitur, ut à matrice et virtute pariendi ejici nequeat. Audi Cassian. Collat. 2. cap. 10 : *Illico ut patefacta fuerit cogitatio maligna, marcescit, et antequam discretionis judicium proferatur, serpens teterrimus velut è tenebroso et subterraneo specu, confessionis virtute protractus ad lucem, et traductus quodam modo, ac dehonestatus abscedit. Tamdiu enim suggestiones ejus noxiæ dominantur in nobis, quamdiu celantur in corde.* Confirmat deinde idipsum exemplo Serapionis, qui solitus furari panem ad famem satiandam, furtum confitens, mox tentatione et fame omni liberatus est. Vide et Dorotheum, serm. 5. Huc spectat illud psal. 31. v. 3 : *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea.* Et Eccl. 4. 24 : *Pro anima tua ne confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gratiam et gloriam.* Et S. Aug. lib. de Decem chordis : *Melior est modica amaritudo in faucibus, quàm æternus cruciatus in visceribus.*

13. Dolores parturientis venient ei, etc. nunc enim non stabit in contritione filiorum,] q. d. Israel dolebit ut parturiens, dum cernet filios suos ab Assyriis occidi et conteri. Pro *in contritione filiorum,* Pagnin. et Vatabl. vertunt : *In confractione fœtuum,* id est in ipso partu, et partus angustiis; per confractionem enim intelligit angustias uteri materni, ab effectu, eo quod fœtus illic confringantur, q. d. Gravissimas de Israele sumam pœnas, et tamen non resipiscet; nam est tanquam fœtus insipiens, qui non conatur statim egredi ex angustiis uteri materni et prodire in lucem; sed illic diu moratur in confractione. Tam stolidi sunt peccatores, qui, cum sint sæpe in extremis angustiis, in illis hærent, ab iisque confringuntur et conteruntur, nec ad pœnitentiam et ad Deum recurrunt : quod si facerent, mox ab iis se expedirent; à Deo enim liberarentur. Aliter Rupert. et Arias, q. d. Ephraim non agnoscit suam culpam et scelus, *dicitque : Cuncti labores non invenient mihi iniquitatem;* facit ergo sicut stolida puella, quæ cum fornicata sit, scelus occultat; sed dum ei partus angustiæ obveniunt, illud cum summo dedecore et dolore prodit : nam non stabit in contritione filiorum, id est, tantos in pariendo cruciatus, et contritiones patietur, ut sustinere et dissimulare nequeat; sed se parere vultu et voce prodat, imo proclamet. Pari modo accidet Israeli in excidio; tanta enim erit ejus clades et dolor, ut

omnes agnoscant ejus scelus fuisse enorme, ob quod adeo punitur; licet illud nunc neget et occultet. Ita Rupert. Arias et Sanchez quem vide.

Tropolog. sicut puella fœtum, sic peccator peccatum concipit cum modica et brevissima voluptate; sed illud parturit et parit cum magno et longo dolore, præsenti et æterno. Vide S. Hieron. hîc ad v. 15.

14. DE MANU MORTIS LIBERABO EOS.] Chald. vertit in præterito, *liberavi eos*, q. d. Hactenus sæpius Israelitas pœnitentes, et me invocantes liberavi ab hostibus, morte et excidio : at jam impœnitentes mihique rebelles tradam hostibus et morti : imo ipse ero eis mors, ut sequitur. Verum Hebr. Septuag. et alii passim legunt in futuro : *Liberabo et redimam*; secundo, Leo Hebræus et Clarius subaudiunt conditionalem voculam *si*, vertuntque per subjunctivum, q. d. Si populus Israel esset filius sapiens, et resipisceret à peccatis, ac ad me rediret, de faucibus inferni et mortis liberarem eum : at quia manet insipiens et impœnitens, morti à me tradetur. Ubi nota. Pro *mortis*, hebr. est שאול *sçeol*, id est *inferni*, ut vertit Syrus, sed eòdem res redit : quia hæc duo tunc erant conjuncta. Nam ante resurrectionem Christi, qui ibant in mortem, ibant pariter in infernum.

Verum nec Hebr. nec Septuag. nec Chald. nec alii habent voculam *si*, sed legunt absolute : *Liberabo et redimam*. Hæc ergo est vera et genuina lectio.

Quæres quis ejus sit sensus, et de qua liberatione hîc agatur? Primo Ruffinus hæc accipit de liberatione urbis Hierosolymæ è manu Sennacherib eam obsidentis, quæ facta est per angelum cædentem 185 millia Assyriorum, 4. Reg. 19. 35. Verum illa fuit liberatio Judæ et Hierosolymæ; hîc vero agitur de liberatione Ephraim, id est decem Tribuum, ut patet v. 1.

Melius Theodor. et à Castro censent hîc agi de liberatione è captivitate Babylonica : licet enim ea primario fuerit Judæorum, tamen secundario fuit quoque Israelitarum : multi enim ex iis miscentes se Judæis, cum iis è captivitate in Judæam redierunt. In captivitate enim erant quasi in morte et in inferno, erantque ibi morituri et in infernum descensuri, nisi Deus inde eos liberasset. Typice autem agi hîc de liberatione et redemptione Christi, qui moriens et resurgens Patres è limbo et morte liberavit, vitæque restituit. Simili schemate Ezechiel c. 37. 1. per ossium aridorum vivificationem, repræsentat liberationem Judæorum è captivitate, et typice resurrectionem mortuorum.

Verum alii passim hæc non typice, sed ad litteram accipiunt de Christo, qui sua resurrectione Patres inferno et morte liberavit, secumque resurgere fecit; ac in fine mundi omnes pariter à morte ad vitam revocabit in universali resurrectione. Tunc enim perfecte hoc oraculum implebit Christus, qui inchoate illud implevit in sua resurrectione : in ea enim nos simul cum eo quasi resurreximus per fidem et spem. Ita censent S. Hieron. Haymo, Hugo, Rupert. Lyran. Vatabl. Arias, Ribera et alii passim hîc, et S. August. serm. 157. de Tempor. Euseb. l. 4. Demonstrat. c. 12. S. Gregor. hom. 22. in Evang. et veteres Rabbini apud Galatin. lib. 8. cap. 21. ubi refert verba R. Mosis Hadarsan, dicentis : *Ibat mecum Messias filius David, quousque perveni ad portas gehennæ; cumque viderent captivi, qui in gehenna erant, tamen Messiæ, gavisi sunt eum recipere dicentes : Hic educet nos de his tenebris, sicut dictum est Osee* 13 : *De manu inferi redimam eos, de morte liberabo eos.* Probatur hæc sententia, primo, quia ita de Christo hæc explicat Apost. 1. Cor. 15. 54. dicens : *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem* (in communi resurrectione), *tunc fiet sermo qui scriptus est : Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus?* Ubi manifeste citat verba Osee hoc loco, uti mox plenius dicam ; secundo, quia id arguunt ipsa verba sequentia : *Ero mors tua, ô mors; morsus tuus ero, inferne :* quæ umbratice tantum, et tenuiter admodum conveniunt Cyro Judæos è Babylone liberanti ; proprie vero competunt Christo victori et triumphatori mortis et inferni, ut liquet ex ipsis verbis, et passim docent Patres et Interpretes, adeo ut hic videatur communis esse fidelium et Ecclesiæ sensus, cui contradicere est nefas ; tertio, quia Israelitæ, de quibus hîc agi nonnulli censent, è captivitate Assyriaca nunquam sunt liberati, sed in ea manserunt. Ergo de iis dici nequit : *Liberabo et redimam eos;* licet enim aliqui cum Judæis è Babylone redierint, tamen id per accidens fuit, illique fuere perpauci. Hæc autem sententia et promissio : *De manu mortis liberabo eos*, est generalis et universalis : ergo omnes spectat, et ad paucos arctanda non est.

Dico ergo Prophetam hîc de more ab Israelitis sui temporis avolare ad Christum : solent enim Prophetæ tristibus læta subjungere, ne populi animos in desperationem adigant, sed ad spem meliorem erigant. Illa autem læta sunt, liberatio et redemptio facienda per Christum. Cum enim hîc Propheta plenum Israelis prædixisset excidium, quæ erat res tristissima, et extremæ desperationis occasio, ut hoc leniat, consolatione melioris sortis, utque hoc quasi fel melle jucunditatis dulcoret, subdit eos non tantum è captivitate, sed et à morte ac inferno liberandos per Christum ; Christum enim eos, si in ipsum credant, æque ac alios omnes sibi credentes à morte et inferno liberaturum.

Fateor tamen alludi hîc ad liberationem è captivitate Babylonica, juxta sensum ex Theodoreto paulo ante allatum : ita tamen ut in ea non sistat Propheta, sed eam obiter tantum, quasi umbram perstringat et prætervolet, ac mentis suæ aciem scopumque figat in Christo, quem unum ad litteram significare intendit. Simili modo Isaias à Cyro avolat ad Christum, dicens cap. 45. vers. 8 : *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum.* Vide can. 4. et 5. quos præfixi Prophetis majoribus.

ERO MORS TUA, Ô MORS ; MORSUS TUUS ERO, INFERNE.] Rupert. lib. 6. in Joannem post medium, *morsum*, passive accipit pro cibo qui mordetur et comeditur, ac talem fuisse Christum, qui descendens ad inferos, seipso pavit, creavit, et vivificavit Patres in limbo : *Quem*, inquit, *agnum in cruce torridum, illa sacratissima vespera simul omnes in inferno positi velociter comederunt, impleta prophetia quæ dicit : O mors, ero mors tua ; morsus tuus, inquit, ero, inferne : quem, inquam, agnum mortui in inferno comederunt, nos eumdem manducamus* (in Eucharistia) *ut in æternum vivamus.* Verum hoc mysticum est, non litterale, nec genuinum. Potius

enim morsus hic active capitur, æque ac mors, quo scilicet Christus momordit infernum, æque ac mori fecit mortem, eamque moriendo occidit. Hoc enim significat vox Hebræa, ut mox dicam. Unde et pro *morsus*, Septuag. vertunt *aculeus*, per quem Rupert. rursum hîc et 1. Cor. 15. accipit divinitatem Christi. Ait enim: *Libera eos à morte. Sed quomodo id fiet? Mordebis me, ô inferne, et ut hamum devorabis; sed postea hamo divinitatis meæ disrumpam ventrem tuum, et exibo, ac simul exibunt Patres. Christus est de quo ait Job, c. 40. 23: An extrahere poteris Leviathan hamo?* Hoc accommodatitium est et elegans: nam ad litteram stimulus hic est mortis, non Christi; vertunt enim Septuag.: *Ubi est, mors, stimulus tuus?* Ergo quoad sensum litteralem, Theodor. et à Castro per mortem et infernum accipiunt captivitatem Babylonicam, q. d. E Babylone, quasi è faucibus mortis et inferni, Israelitas liberabo; itaque ipsis quasi mortem interficiam, et infernum destruam. Chaldæus contrarie vertit: *Erit*, inquit, *verbum meum contra eos in necem, et verbum meum ad disperdendum*, q. d. Verbo et jussu meo per Assyrios occidam Israelitas, trudamque in infernum. Huc accedit Clarius; vertit enim: *Ero pestes tuæ ad mortem, ero excidium tuum ad sepulcrum*, q. d. Consumam te, ô Israel, usque ad internecionem, usque ad mortem et sepulcrum.

Verum ex definitione Ecclesiæ, et Concilii Tridentini sess. 4. sancientis Vulgatam versionem esse genuinam S. Scripturam, de fide certum est hanc hujus loci esse sententiam: *Ero mors tua, ô mors; ero morsus tuus, ô inferne;* sic enim habet Vulgata versio. Certum pariter est de Christo victore mortis et inferni hîc esse sermonem, uti paulo ante probavi. Mors enim et infernus significant regnum mortis et inferni, quo mors per Adæ peccatum in orbem inducta, omnibus ejus posteris dominabatur, uti docet Apostolus Rom. 9. 12. et sequentibus, ac in omnes mortuos jus et imperium exercebat, eosque inferno, quasi asseclæ et carcerario suo, dedebat et mancipabat usque ad Christi adventum. Est prosopopœia: mors enim et infernus hîc quasi duæ personæ, et duo reges inducuntur late dominantes, quos regno et vita spoliavit Christus è morte et inferno resurgens, ac de utroque triumphavit: mortem quidem, quia post resurrectionem mors nulla erit; infernum vero, quia post eamdem nullum amplius poterit capere et devorare.

Hinc resurrectionis Christi et nostræ symbolum est primo, phœnix, qui fertur emori, resurgere et juvenescere: moriendo ergo occidit mortem, et suscitat vitam. Unde illud Job 29. 18. dixit: *In nidulo meo moriar, et sicut palma* (Tertull. lib. de Resurrect. cap. 13. Vatabl. R. Salomon et alii vertunt, *et sicut phœnix*) *multiplicabo dies.* Hic enim longævus est, et in nidulo moritur.

Secundo, sicut hydrus crocodilum interficit, sic Christum mortem et tartarum. Audi B. Petrum Damiani lib. 2. epist. 18. ad Cardin.: *Hydrus*, ait, *animal est habitans in gurgitibus fluminum, crocodilis feraliter inimicum. Hic itaque cum viderit crocodilum aperto ore in crepidine fluminis dormientem, provolvitur in limo luti, ut faucibus illius lubrico corpore facilius possit illabi. Tunc in os crocodili dormientis perniciter insilit, quem ille desuscitatus repente deglutit. Hydrus vero viscera ejus cuncta dilaniat, donec eo jam prorsus exstincto, de cadavere illius vivus et victor erumpat. Quid hic crocodilus, nisi figuram tenet mortis et tartari? Quid hydrus, nisi victoriam innuit Salvatoris? Limo ergo hydrus, obvolvitur, dum Redemptor noster humanæ carnis luto vestitur. Hic ventrem ingreditur crocodili, quia Dominus claustra penetravit inferni. Hic demolitur intima viscerum, et Dominus mortis evertit imperium. Ille, corroso ac penetrato cadavere, post victoriam redit, quia Salvator noster postquam infernum moriendo momordit, cum triumphali de sepulcro gloria resurrexit. Unde morti per Prophetam victor insultat: Ubi est, inquit, ô mors, victoria tua? Ubi est stimulus tuus? Et iterum: O mors, ero mors tua: morsus tuus ero, inferne.*

Citat hunc Osee locum S. Paulus 1. Cor. 15. 54. sed ex versione Sept. hoc modo: *Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus?* Unde patet hîc duplicem esse ex Hebræo versionem, utramque canonicam: tam enim nostra hîc in Osee, quàm Septuag. quos sequitur Paulus, est canonica.

Ubi nota primo: Hebræum אהי *ehi* significat *ero*, uti vertit Noster hîc v. 14; secundo, ut R. Jona, *ehi* per metathesin sumitur pro איה *aiie*, id est *ubi*, uti vertunt Septuag. et Paulus 1. Cor. 15. v. 55. et ita τὸ *ehi* vertit Noster, Septuag. et Chald. hîc v. 10.

Nota secundo: Pro *mors tua*, hebr. est דבריך *devarecha:* quod si à דבר *dever* deducas, significat *pestes tuæ*, q. d. O mors, ero plenissima pestis et mors tua; et, ut Symmachus vertit: *Ero plaga tua.* Sin à דבר *davar*, id est verbum, deducas, significat: *Ubi verba tua*, vel *sermones tui?* ut vertit Aquila et V. editio. Septuag. vertunt δίκη, hoc est, causa; pro quo Paulus hîc habet νῖκος, id est victoria. Unde putant aliqui Paulum apud Sept. legisse νῖκος, vel νίκη, pro δίκη, sed omnia vetera exemplaria Septuag. interpretum, teste Hieronymo, habent δίκη, id est causa. Melius ergo dicemus Apostolum immutasse verba, non sensum, cum pro *causa* posuit, *victoriam:* Græcum enim δίκη quatuor significat. Primo, causam forensem, et, ut Hier. in Osee 13. vertit, contentionem, q. d. Ubi est, ô mors, causa tua contentiosa, qua in Dei judicio homines ob peccatum mortis reos peragebas et vincebas? Secundo, significat δίκη sententiam, q. d. Ubi est, ô mors, sententia tua? scilicet omnes tibi, id est morti, adjudicati sunt. Tertio, significat jus, q. d. Ubi est jus quod olim habebas in omnes? Quarto, significat pœnam, q. d. Ubi est pœna illa durissima qua homines puniebas et perdebas? et hoc quartum alludit ad Hebræum *dever*, id est pestis; priora tria alludunt ad *davar*, id est, verbum. Ex quibus patet in re causam idem esse quod victoriam.

Nota tertio: Pro *morsus tuus* hebr. est קטבך *katavcha*, quod Symmachus occursum vertit, Theodotion et V. editio plagam et conclusionem, Septuag. κέντρον, id est stimulus, aculeus, quo scilicet mors homines confodiebat et occidebat. Proprie *katavcha* significat excisionem, qua Christus mortem omnia succidentem succidit. Hoc enim est *katob*, scilicet evulsio, excisio, excidium, seu exitium, hoc est, lues subito evellens et exscindens: qualis est febris valida, pestis, apoplexia, quæ subito mortem

affert, ipsaque mors subitanea, quæ hominem avellit et exscindit.

Noster apte vertit *morsum*. Ubi adverte : *morsus* hîc tam passive, quàm active sumi potest, q. d. Ego Christus mordebor à te, ô mors, et ô inferne ; sed ita ut à te morsus te vicissim mordeam, ita ut à te quasi absorptus viscera tua disrumpam, itaque fideles electos educam è ventre tuo.

Nota quarto : Pro *inferne*, ut habent Hebræa, et Noster, et Græca, 1. Cor. 15. 55. πού σου, ᾅδη, τὸ νῖκος, *ubi est, ô inferne, victoria tua?* Interpres Noster hîc vertit : *Ubi est, mors, victoria tua ?* Eodem sensu : infernus enim et mors significant statum mortuorum : omnes olim ante Christum post mortem in limbum descendebant. Sic Act. 2. 24. et alibi, Græcum θανάτου, id est *mortis*, Noster Interpres vertit *inferni*. Eòdem ergo redit versio Septuag. quam sequitur Paulus, cum nostra et Hebræo. Sensus ergo est : Ubi est, mors, victoria et stimulus tuus, quo soles homines occidere, eisque dominari? q. d. Periit, confractus est à Christo, qui est mors tua, ô mors, et morsu suo te, ô inferne, disrupit et absorpsit.

Ubi adverte : hoc cœptum est impleri cum Christus resurrexit, et animas sanctorum è limbo reduxit, sicque ex inferis quasi morsu hanc partem abstulit. Ita Anselm. et Origen. hom. 22. in Evangelia, et August. serm. 137. de Tempore : perfecte autem implebitur in communi resurrectione, ut docet Apostolus. Pulchre S. Hieron. in Epitaphio Nepotiani ad Heliodorum, mortem alloquens, illique cum Paulo insultans : *Qui*, inquit, *per Osee quondam tibi rigidus minabatur : Ero mors tua, ô mors, ero morsus tuus, inferne, illius morte tu mortua es, illius morte nos vivimus? devorasti, et devorata es, dumque assumpti corporis Christi sollicitaris illecebra, et avidis faucibus prædam putas, interiora tua adunco dente* (vel, ut alii legunt, *unco*) *confossa sunt. Gratias tibi, Christe Salvator, tua agimus creatura, quod tam potentem adversarium nostrum, dum occideres, occidisti.*

Denique Syrus secutus Septuag. vertit : *Ubi est igitur victoria tua, ô mors? aut ubi est aculeus tuus, inferne?* Et Arabicus Alexand. : *Ubinam scientia tua, ô mors, et ubi spina tua?* puta stimulus tuus. Et Arabicus Antioch. : *Ubi est causa tua* (lis tua, jus tuum), *ô mors? Et ubi telum* (vel gladius) *tuum, ô inferne?*

Audi S. August. serm. 137. de Tempore, et ex eo S. Gregor. hom. 22. in Evang. : *Ero*, ait, *mors tua, ô mors, ero morsus tuus, inferne; id namque quod occidimus, agimus ut penitus non sit : ex eo enim quod mordemus, partem abstrahimus, partemque relinquimus. Quia ergo in electis suis funditus occidit mortem, mors mortis exstitit : quia vero ex inferno partem abstulit, et partem reliquit, non occidit funditus, sed momordit infernum. Ait ergo : Ero mors tua, ô mors, ac si aperte dicat : Quia in electis meis te funditus perimo, ero mors tua. Ero morsus tuus, inferne, quia, sublatis eis, te ex parte transfigo.* Celebrant veteres robur, victorias et triumphos Achillis, Herculis, Samsonis, Alexandri, Julii Cæsaris, et similium, quibus nemo in hac vita resistere valuit : sed hi omnes à morte victi sunt, et ad inferos descenderunt. Solus Christus domitor est mortis et inferni. Unde ait ipse Apocal. 1. 18 : *Habeo claves mortis et inferni.* Et cap. 20. 13 : *Mors et infernus dederunt* (Christo judici) *mortuos suos. Et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis.* Itaque in die judicii mors et infernus in triumphum ducentur à Christo ; ejusque currum triumphalem sequentur, juxta illud Habac. 3. 4 : *Ante faciem ejus ibit mors. Egredietur diabolus ante pedes ejus.* Insuper fecit Christus ut non tantum ipse, sed et omnes ejus milites et sequaces infernum et mortem vindicant de iisque triumphent.

Præclare S. Bernard. serm. 26. in Cantic. describens mortem lætam et felicem Gerardi fratris sui : *Non*, inquit, *dubium quin ad illos ieris, quos circa medium extremæ noctis tuæ invitabas ad laudem, cum in vultu et voce exsultationis subito erupisti in illud Davidicum, stupentibus qui assistebant : Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis. Jam tibi, frater mi, nocte adhuc media diescebat, nox sicut dies illuminabatur. Prorsus illa nox illuminatio tua in deliciis tuis. Accitus sum ego ad id miraculi, videre exsultantem in morte hominem, et insultantem morti : Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus? Jam non est stimulus, sed jubilus. Jam cantando moritur homo, et moriendo cantat. Usurparis ad lætitiam mater mœroris, usurparis ad gloriam gloriæ inimica, usurparis ad introitum regni porta inferi, et fovea perditionis ad inventionem salutis, idque ab homine peccatore.* Causam subdit : *Juste nimirum, quia tu inique in hominem innocentem et justum potestatem temeraria usurpasti. Mortua es, ô mors, et perforata hamo quem incauta glutisti, cujus illa vox est in Propheta : O mors, ero mors tua, morsus tuus ero, inferne. Illo, inquam, hamo perforata, transeuntibus per medium tuî fidelibus, latum lætumque exitum pandis ad vitam. Gerardus te non formidat, larvalis effigies. Gerardus per medias fauces tuas transit ad patriam, non modo securus, sed et lætabundus et laudans.*

Ita S. Vincentius, Laurentius, Sebastianus, aliique Martyres tortoribus, tormentis et morti per Christi gratiam et robur insultarunt. Ita SS. Confessores, Anachoretæ, Religiosi in morte exsultarunt, et etiamnum exsultant : quia mortem moriendo superant, et ad beatam immortalitatem transeunt : uti multis demonstrat noster Hieron. Platus l. 1. de Bono status religiosi cap. 31. Neque Religiosi tantum, sed et fideles quique. Hinc illæ eorum voces : *Mors Christianis ludus est. Maturus ævi est, qui pro Christo potest mori. Vita mihi in tædio, mors in desiderio. Vita mihi non eripitur, sed in melius commutatur. Nunc mori desino, et vivere incipio.* In hac enim vita *propter te*, ô Domine, *mortificamur tota die.* S. Cyprianus audiens sententiam mortis : *Gratias*, inquit, *ago Deo omnipotenti, qui me à vinculis hujus corporis dignatur absolvere.* Idem, epist. 1. ad Cornelium, laudans ejus et populi Rom. in fidei confessione constantiam : *Intellexit adversarius*, inquit, *milites Christi vinci non posse, mori posse, et hoc ipso invictos esse, quia mori non timent.* Nam, ut ait S. Bernard. tractat. de Natura et dignitate divini amoris cap. 15 : *Hunc transitum ad vitam miseri infideles mortem appellant, fidelis autem quid, nisi Pascha? quia moritur mundo, ut perfecte vivat Deo : ingreditur locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.*

Denique ex hoc loco, et ex 1. Petr. 3. 19. ubi dicitur Christus prædicasse inferis, Origenes et nonnulli alii opinati sunt Christum ali-

quando omnes damnatos ex inferno liberaturum, ac consequenter omnes damnatos aliquando salvandos. Ita censuit Marcion, Christum in suo ad inferos descensu omnes animas damnatas liberasse, uti referunt Iren. lib. 1. cap. 29. et Epiph. hær. 24. Sic multi putant animam Trajani Imp. precibus S. Gregorii ex inferno fuisse liberatam. Et in nonnullis Patrum historiis (teste Niceta in orat. 42. Nazianzeni) refertur Platonem apparuisse cuidam Christiano, qui ei sæpe maledicebat, ac dixisse : *Ego quidem peccatorem me esse non inficior; verum cum Christus in infernum descendit, nemo ante me ad fidem accessit.* Verum hæc apocrypha sunt, fabulosa et hæretica, uti docet Bellarm. l. 2. de Purgat. c. 8. Suarez 3. p. qu.52. art. 8. disp. 33. sect. 3. et alii.

Christus ergo descendens ad inferos, solum Patres è limbo, et animas purgatas. vel purgantes è Purgatorio liberavit. Pie enim multi censent Christum triumphatorem in suo descensu ad inferos, omnibus in Purgatorio existentibus dedisse jubileum, et primas indulgentias, nimirum plenariam culparum ac pœnarum remissionem. Sic enim solent reges, cum alicubi inaugurantur, reos omnes è carceribus liberare. Hoc enim decet beneficentiam et magnificentiam novi principis, ut felix sit regni auspicium, utque opinionem clementiæ sibi conciliet. Unde S. Gregor. l. 13. Moral. 20. asserit Christum descendendo ad inferos liberasse omnes electos. Et S. August. ser. 137. de Temp. *De electis suis*, inquit, *nullum apud inferos reliquit.* Et S. Anselm. in Elucidario : *Omnes absolvit, et in gloriam duxit rex gloriæ*, juxta illud Isaiæ 49. 9 : *Dices his qui vincti sunt : Exite; et his qui in tenebris sunt : Revelamini.* Huc quoque inclinat Marsil. in 3. q. 13. art. 2. dub. 3. Major in 3. dist. 22. Gabriel ibid. dub. ult. Dom. Soto in 4. dist. 45. q. 1. art. 1. Gerson Alphabeto 83. lit. P. dicens Christum forte Purgatorium evacuasse : licet D. Thom. 3. p. quæst. 52. art. 8. et ibid. Suarez suspicentur Christum non omnes Purgatorio liberasse, sed aliquibus tantum hanc gratiam indulsisse, nimirum illis solis, qui ad illam magis dispositi erant, v. g. qui singularem aliquam perfectionem fidei ac devotionis erga Christum, vel passionem, aut gloriam ejus habuerunt dum viverent. Durius est quod censent Durand. in 3. d. 22. q. 4. Richard. ibid. art. 3. q. d. Abul. paradoxo 5. c. 118. Christum nil penitus indulsisse animabus Purgatorii, sed tantum illam liberasse, quæ jam omne debitum pœnæ exsolverant.

Mystice, S. Augustin. lib. 83. quæst. quæst. 70, et epist. 57. ad Dardanum, per mortem accipit concupiscentiam, sive fomitem peccati : hæc enim concupiscit et contendit contra spiritum : hanc enim mortem, inquit ipse, peccato meruimus. Hæc mors et contentio auferetur in resurrectione et gloria cœlesti : nulla enim erit contentio inter carnem et spiritum, cum mortale hoc induerit immortalitatem : *Mortem*, inquit, *significari arbitror hoc loco carnalem consuetudinem, quæ resistit bonæ voluntati delectatione bonorum temporalium fruendorum. Non enim diceretur : Ubi est contentio tua? si non restitisset et repugnasset. Ipsius contentio etiam illo loco describitur : Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. Hæc enim sibi invicem resistunt et adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis. Fit ergo per sanctificationem perfectam, ut omnis carnalis appetitus spiritui nostro illuminato et vivificato, id est, bonæ voluntati subjiciatur. Hanc autem mortem meruimus.* Et mox : *Ergo aculeus mortis peccatum est, quia peccato facta est delectatio, quæ jam possit resistere bonæ voluntati, et cum dolore cohiberi : quam delectationem, quia in defectu est animæ deterioris effectæ, jure mortem vocamus. Tunc itaque absorpta erit mors in victoriam, cum per sanctificationem in omni parte hominis perfectam delectatione spiritualium delectatio carnalis obruitur.*

Consolatio abscondita est (hebr. *abscondit se*) ab oculis meis.] Ita Hebr. Septuag. at alii passim. Perperam ergo Chald. et Theodot. vertunt, *ab oculis ipsorum*, puta Israelitarum cum exscindentur, q. d. Auferam ab illis omnem consolationem, auferendo meam præsentiam et majestatem, et consequenter omne bonum ab eis. Jam *abscondita est*, id est, brevi certoque abscondetur.

Rursum pro *consolatio*, hebr. est נחם *nocham*, quod tria significat consolationem, commiserationem, et pœnitentiam. *Consolationem* vertit Noster et Septuag. ac recentiores, ut R. David, et ex eo Leo Hebr. Pagnin. et Arias vertunt, *pœnitudinem*, q. d. Abscondetur, id est, non veniet in conspectum meum pœnitudo, hoc est, non mutabo sententiam meam de Israelis excidio pœnitentia ductus, ut sæpe hactenus feci, sed sine ulla commiseratione certo et obfirmate eum disperdam. Verum quomodo hæc cohærent cum consolatione summa, quæ præcessit : *Ero mors tua, ô mors; morsus tuus ero, inferne*? Rursum hæc ad Christum spectant, non ad Israelem, uti paulo ante demonstravi.

Dico ergo, sensus est quem dat S. Hieron. : *Dum video et considero*, inquit, *duram mortis necessitatem (eo quod nullus sit hominum qui vivat, et non moriatur) non valeo consolari; quidquid mente concepero, dolorem meum non potest mitigare, cernentis charissima inter se nomina morte sejungi : ipse*, inquit, *infernus inter fratres dividit*, q. d. Dum contemplor omnes homines mori, et ad infernum descendere, dum video mortem omnia depasci, et fratres à fratribus separare, valde contristor : sed me consolor, dum ad Christum mortis domitorem oculos reflecto. Ille enim id quod promisit : *Ero mors tua, ô mors; morsus tuus ero, inferne;* sine dubio reipsa præstabit. Huc accedit Lyranus, qui hanc accipit quasi vocem à morte per Christum suscitandorum, sed anxiorum, eo quod nesciant suam sortem, an scilicet in die judicii inter electos ad dexteram, an inter reprobos ad sinistram collocandi sint, donec Christus judex inter fratres dividat, et cuique suam mortem, locum et mercedem pro meritis attribuat. Hæc expositio huic loco congrua est et apposita.

15. Quia ipse inter fratres dividet.] *Ipse*, scilicet *infernus*, non captivitatis Assyriacæ, ut vult Theodoret. et Arias, q. d. Quia Ephraim fecit schisma, et divisit se à fratribus, puta à duabus Tribubus, idcirco adducet Deus ventum urentem, puta Salmanasar, qui eum in captivitate dividat et dispergat, sed infernus proprie dictus; hic enim dividit fratres vivos à mortuis, quos absorbet : ipsos etiam mortuos dividit, dum unus hoc loco, alius alio in inferno pro operum diversitate collocatur. Ita S. Hieron. et

Haymo. Aliter Lyran. Ipse, inquit, scilicet Christus, dividet in judicio homines justos ab injustis, puta electos à reprobis.

Nota : Pro *dividet*, uti vertunt Noster et Septuag. legentes in Hebr. יפריד *iaphrid*, jam in Hebræo legitur יפריא *iaphri*, id est multiplicabit, crescet, fructificabit; unde deducitur nomen Ephraim, id est frugifer, crescens, multiplicans. Inde enim Joseph filium sibi natum vocavit Ephraim, dicens : *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ*, puta in Ægypto, in qua fui incarceratus, pauper et miser, Gen. 41. 52. Quam nomenclaturam confirmans et extendens Jacob, pater Joseph, benedicens Ephraim dixit : *Semen illius crescat in gentes*, Genes. 48. 19. Alludit ergo *iaphri* ad *Ephraim*, de quo est sermo, q. d. Ephraim juxta etymon suum erat Ephraim, id est frugifer : crevit enim et germinavit in multam sobolem, juxta benedictiones avi sui Jacob, quamdiu in cultu et lege Dei stetit : at quia jam ab eo descivit, adducam ventum urentem, qui omnia hæc ejus germina arefaciat. Ita Clarius et Pagnin. Aut, ut Chald. *Quia*, inquit, *multiplicaverunt opera corrupta, ideo adducam regem fortem*, puta Salmanasar, qui eos puniat et perdat. Melius Vatabl. et alii hoc de Christo accipiunt, q. d. Christus est Ephraim, qui *iaphri*, id est, multiplicabit electos suos in die judicii, tum numero, tum gloria; uti in hac vita multiplicavit eos gratia, meritis et virtutibus. Optime de inferno accipias, hunc enim demonstrat pronomen *ipse*, q. d. Quia infernus in immensum crevit, itaque dilatavit os suum, ut majorem hominum partem absumpserit, idcirco adducet urentem ventum Dominus, etc.

ADDUCET URENTEM VENTUM DOMINUS.] Per *ventum urentem* Theodoretus accipit Cyrum, Arias et Clarius Salmanasar; hic enim Israelitarum, ille Babyloniorum terram, venasque opum, omniaque desiderabilia et pretiosa quasi ventus urens siccavit, perdidit et rapuit.

Verum dico *ventum urentem* esse Christum, q. d. Quia infernus fratres à fratribus divisit, idcirco Deus pater Christum quasi Austrum urentem in orbem induxit, cum eum de inculto hujus mundi deserto, æque ac de inarato B. Virginis utero, quasi de deserto suscitavit, ut venas mortis, puta peccata quibus ad mortem et infernum, quasi ad communem plenumque malorum fontem tendimus, siccaret et aboleret, ipsumque fontem, puta mortem et infernum, desolaret, ac diriperet animas SS. Patrum et Sanctorum, quas mors et infernus, ut supellectilem maxime pretiosam et desiderabilem, in thesauris suis habebat, et arcte retinebat. Ita S. Cyrill. Hieron. Rupert. Haymo et alii.

Rursum non incongrue Lyran. et Vatabl. per *ventum urentem* accipiunt ignem conflagrationis mundi, quem Christus quasi administrum præmittet, ut omnes mortis et inferni venas, puta peccata et peccatores, omnemque mundi concupiscentiam perdat et comburat. Hic enim ignis admixtum habebit ventum, quo propelletur per omnes mundi partes, ut universa quaquaversum consumat. Ad Christum enim hæc omnia spectant, ad eum enim avolare cœpit vers. 14. de eoque loqui pergit usque ad finem capitis. Hisce enim omnibus describit Christi de morte et inferno victoriam, spolia et triumphum, ita tamen ut alludat ad Cyri, vel Salmanasar victorias, spolia et triumphos. Sicut enim hi impios perdiderunt, ita et Christus; et sicut Cyrus pios Babylone, ita Christus credentes in se à morte et inferno liberavit. Quare accommodatitium est, non litterale, quod S. Hippolytus Episcopus et Martyr tract. de Consummat. mundi, initio, per ventum hunc urentem intelligit Antichristum : *Ecquis*, inquit, *alius ventus uredinis à deserto, quàm Antichristus, qui temporibus suis deleturus est et desiccaturus venas aquarum, et fructus arborum, propterea quod homines amplexuri sunt opera ejus ? Itaque delebit eos, ipsique servient in impuritate ipsius.*

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRÆDICIT SAMARIÆ EXCIDIUM, EO QUOD TOTI ISRAELI FUERIT DUX IDOLOLATRIÆ. HORTATUR AD POENITENTIAM, EIQUE FORMULAM POENITENTIÆ, CONFESSIONIS ET DEPRECATIONIS PRÆSCRIBIT, QUA POSTEA USI SUNT ISRAELITÆ CONVERSI AD CHRISTUM, QUIBUS PROINDE VERS. 5. VENIAM OMNEMQUE DEI GRATIAM ET BENEDICTIONEM POLLICETUR, QUAM VARIIS PROMISSIS ET PARABOLIS EXPLICAT ET EXAGGERAT; VERSU ENIM 5. AVOLAT AD CHRISTUM, INDEQUE USQUE AD FINEM CAPITIS FELICITATEM ISRAELIS, ID EST, POPULI FIDELIS ET CHRISTIANI, AMPLE FUSEQUE DESCRIBIT.

1. PEREAT Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum : in gla-
dio pereant, parvuli eorum elidantur, et fœtæ ejus discindantur. 2. Con-
vertere, Israel, ad Dominum Deum tuum : quoniam corruisti in iniquitate
tua. 3. Tollite vobiscum verba, et convertimini ad Dominum : et dicite
ei : Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum; et reddemus vitulos labiorum
nostrorum. 4. Assur non salvabit nos, super equum non ascendemus, nec
dicemus ultra : Dii nostri opera manuum nostrarum : quia ejus, qui in
te est, misereberis pupilli. 5. Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee : quia aversus
est furor meus ab eis. 6. Ero quasi ros, Israel germinabit sicut lilium, et erumpet radix ejus
ut Libani. 7. Ibunt rami ejus, et erit quasi oliva gloria ejus, et odor ejus ut Libani. 8. Conver-
tentur sedentes in umbra ejus; vivent tritico, et germinabunt quasi vinea : memoriale ejus sicut
vinum Libani. 9. Ephraim quid mihi ultra idola ? ego exaudiam, et dirigam eum ego ut abietem
virentem : ex me fructus tuus inventus est. 10. Quis sapiens, et intelliget ista ? intelligens, et
sciet hæc ? quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis : prævaricatores vero corruent in
eis.

1. PEREAT SAMARIA.] Τὸ *pereat* potest proprie accipi ut optativum, quasi Propheta conformans se voluntati Dei vindicis, ex zelo justitiæ justæque vindictæ ad sarciendum Dei honorem à Samaria violatum, optet ut ipsa dispereat. Melius tamen accipias optativum pro futuro, scilicet *pereat*, pro *peribit*, ut sit propheticum. Ita Hebr. et Septuag. Sic et alibi optationes extremorum malorum in viris sanctis, pro prophetiis et prædictionibus eorumdem accipiuntur, ut psal. 68. 29 : *Deleantur*, id est delebuntur, *de libro viventium, et cum justis non scribantur*, id est non scribentur. Sensus ergo est, q. d. Prima peccavit Samaria inducendo vitulos aureos, prima ergo et ultima puniatur : prima in suis contribulibus, quos videbit ab Assyriis jugulari et vastari; postrema in seipsa, cum ab iisdem ipsa ejusque populus jugulabitur et vastabitur, itaque disperibit.

Pro *pereat* hebr. est תאשם *tesçam*, quod et desolari sive perire, et peccare significat, quia sæpe peccatum est causa desolationis et perditionis. Unde Chald. vertit : *Peccati rea est Samaria;* Leo Hebr. et Pagnin. *delinquet*, vel peccabit, id est peccavit, Samaria. Utrumque sensum nexuit Symmach. dum vertit, *pœnitebit*, id est, pœnam peccati luet *Samaria*, ideoque proprie pœnitebit eam peccati, sed sero.

QUONIAM AD AMARITUDINEM CONCITAVIT (Leo Hebr. *exacerbavit*) DEUM SUUM.] Septuag. οτι αντηςη προς τον θεον, *quia restitit contra Deum*. Mira ergo est peccati acerbitas, utpote quæ Deum benignissimum et dulcissimum amaricet et exacerbet.

PARVULI EORUM ELIDANTUR,] id est elidentur, ut habent Hebr. puta ad saxa et muros, itaque occidentur.

ET FOETÆ, id est, matres gravidæ et prægnantes. Ita Hebr. Septuag. et Chald. EJUS DISCINDANTUR,] id est, discindentur unà cum fœtu quem utero gestant. Utrumque notat extremam iram, furorem et sævitiam barbaram hostium Assyriorum, ac consequenter gravissimum scelus Samariæ, quod hanc in se Dei iram concitavit. Quocirca Elisæus prædicens Azaeli quod futurus esset rex Syriæ, quodque parvulos Israelis elideret, et prægnantes divideret, conturbatus est usque ad suffusionem vultus et flevit, 4. Reg. 8. v. 11. Ita accidisse re ipsa Samariæ certum est ex hoc oraculo, etiamsi in libris Regum id non narretur.

2. CONVERTERE, ISRAEL, AD DOMINUM.] Nota hic

alternantes Dei et Prophetæ affectus. A minis enim subito transeunt ad blanditias, ut ostendant pietatem et clementiam Dei, quæ minatur non ut perdat, sed ut corrigat, salvet et ad se reducat Israelem.

Moral. nota hìc veram et plenam conversionem esse, qua mens à venere, vino, aliisque cupediis, quas prius adamabat, aversa, tota convertitur ad Deum, illique tota copulatur et adhæret: Conversio, ait Albert. et ex eo Sanchez hìc, est mutatio situs, ut quæ sinistra sunt, dextra fiant; et contra sinistra, quæ dextra fuerant; quæ anteriora, posteriora; quæ superiora, inferiora. Ad quem locum et gradum nisi pervenerit qui sibi in pœnitentiæ nomine gratulatur, sane ad Dominum usque non perveniet. Avarus dextras, anteriores et superiores habuit opes terrenas et caducas; sinistras, posteriores et inferiores habuit opes spirituales et cœlestes; necesse est ut harum situm et ordinem convertat, si Deo perplacere velit, ut scilicet ad dextram, ante et superiori loco constituat opes cœlestes; ad sinistram vero posterius et inferiori loco terrestres. Unde S. Gregor. in lib. 1. Reg. cap. 7. lib. 3: *Perfecte*, inquit, *convertitur, qui quod semel prave egerat, plangit, quod rursum plangat, ultra non repetit.* Et S. Aug. serm. 3. in Domin. 1. Quadrag. docet illum non esse conversum, qui priorum vulnerum cicatrices aperit et resauciat. Idem lib. 8. de Gen. ad litter. c. 12: *Tota*, inquit, *hominis actio bona est, converti ad eum à quo factus est, et ab eo justus, pius, sapiens, beatusque semper fieri, non fieri et recedere, sicut à corporis medico sanari et abire.* Cum enim quis sanatus est, recedit à medico, et manet sanus: cum vero quis à peccato sanatur, et convertitur ad Deum, debet semper illi adhærere, ac dicere: *Mihi autem adhærere Deo bonum est; quia ejus præsentia justificatur, et illuminatur, et beatificatur, operante et custodiente Deo, dum obedienti subjectoque dominatur*, etc. *eo autem absente, continuo tenebratur.* S. Bernard. serm. 1. de S. Paulo, eum statuit exemplar perfectæ conversionis: *Hæc plane fratres*, inquit, *perfectæ conversionis est forma. Paratum, inquit, cor meum Deus, paratum cor meum. Domine, quid me vis facere? O verbum breve, sed plenum, sed vivum, sed efficax, sed dignum omni acceptione! Quàm pauci inveniuntur in hac perfectæ obedientiæ forma, qui suam ita abjecerint voluntatem, ut ne ipsum quidem cor proprium habeant, sed quid Dominus velit, omni hora requirant, dicentes sine intermissione: Domine, quid me vis facere? Sic enim decet, sic omnino dignum est, non meam à te, sed à me tuam quæri et fieri voluntatem.*

Corruisti in iniquitate tua,] q. d. per, et propter iniquitatem tuam corruisti in tot ærumnas.

3. Tollite vobiscum verba, scilicet mollia et lacrymosa, æque ac pia et sancta, quasi dona et munera gratissima, quæ Dei irati et exacerbati cor mulceant, leniant et ad misericordiam inflectant, puta verba humilitatis, pœnitentiæ, confessionis, deprecationis et laudis Dei, nimirum dicite ei: Omnem aufer iniquitatem,] pœnitet nos peccasse, condona ergo, et condonando aufer, quæsumus, iniquitatem nostram.

Et accipe bonum,] tam animum nostrum, quàm verbum, q. d. Accipe cor nostrum contritum, accipe bonum pœnitentiæ et deprecationis nostræ.

Secundo, *accipe bonum*, id est, effice ut malitia et iniquitate nostra sublata, per te bono gratiæ tuæ cum vita et salute donemur, ut sic deinceps bona nostra tum opera, tum sacrificia, nosque totos quasi tibi deditos, tuosque in gratiarum actionem accipias. Unde Chald. vertit: *Accipe nos jam bonos*, et tibi devotos, simul et bona opesque quas tacite à te petimus, ut ea tibi reddamus, tuque ea à nobis in sacrificium, vel oblationem eucharisticam accipias. *Accipe* ergo, id est *da bonum*, quod vicissim à nobis accipias. Est metalepsis: ad blandiendum enim artificiosi mendici dicunt. Accipe, non Da, q. d. Da non tam nobis, quàm tibi; quia nos illud tibi reddemus, tuque illud rursum à nobis in oblationem et gratiarum actionem accipies. Simili schemate dicitur psalm. 67. 19: *Ascendisti in altum*, etc. *accepisti dona in hominibus; accepisti*, id est *dedisti*, mittens Spiritum Sanctum ejusque dona in Apostolos in Pentecoste, rursus ab eis illa accepturus per laudem et eucharistiam, uti explicat Apostolus Ephes. 4. 8. Vide ibi dicta. Est ergo antithesis, q. d. *Aufer iniquitatem*, et pro ea *accipe bonum*, id est confer gratiam, da justitiam. Rursum aufer iniquitates, pœnas et mala ob eam nobis inflicta, vel infligenda, et pro eis confer bonum, puta tuum favorem, beneficentiam, omniaque bona, tum corporalia, tum spiritualia, quæ tuis amicis conferre soles, uti patribus nostris nobisque olim, dum te coleremus, ea contulisti.

Et reddemus vitulos labiorum nostrorum.] Hìc explicat quod dixit: *Accipe bonum;* bonum enim hoc, aut boni hujus effectus et fructus sunt vituli, id est hostiæ, labiorum, puta Dei laudes et gratiarum actiones, quas pro venia bonisque à te acceptis, labiis nostris tibi offeremus loco vitulorum. Ita S. Hieron. Chald. Vatabl. Arias et alii, vel, ut alii, reddemus tibi vitulos, quos tibi labiis nostris vovimus et oblaturos promisimus. Ridicule hæc accipiunt Judæi, q. d. Cum ob vastatum templum non possimus Deo offerre vitulos veros et reales, offerimus ei vitulos labiales, puta lectionem Levitici de sacrificiis in Synagogis, itaque satisfacimus Deo et legi, uti prædixit Osee. Septuag. vertunt, *fructus labiorum.* Hebr. enim פרים, si punctes פרים *parim*, significat vitulos; si פרים *periim*, significat fructus. Huc allusit Apost. Hebr. 13. 15. cum ait: *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructus labiorum confitentium nomini ejus;* vox enim *id est*, significat eum aliò, scilicet huc, alludere. Præscribit hìc Propheta Israeli, et cuivis pœnitenti formulam confessionis, pœnitentiæ et deprecationis, nimirum, ut dicant Deo, primo: *Omnem aufer iniquitatem;* secundo: *Accipe bonum;* tertio: *Reddemus Vitulos labiorum nostrorum;* quarto, *Assur*, etc. Hac utamur in culpis et cladibus tum privatis, tum publicis. Unde S. Ambros. epist. 28. ad Theodosium, per vitulos labiorum accipit confessionem peccatorum. *Erant*, inquit, *tunc* (tempore Davidis) *sacrificia pro delictis; hæc nunc sunt sacrificia pœnitentiæ*, qua quasi cultro occidimus priores iniquitates et cupiditates, hominemque veterem cum dolore et pudore, ut novus homo incipiat vivere Deo, legi et virtuti.

4. Assur non salvabit nos,] q. d. Posthac non

confidemus Assyriorum potentiæ, nec equitatui et equis Gentium, præsertim Ægyptiorum, uti hactenus fecimus, Isaiæ 31. 1. Spem salutis non in hominibus, nec in Gentibus, sed in te, Domine, collocabimus. Ita S. Hieron. Cyrill. Chald. et alii. Ægyptii enim valebant equorum copia et robore; unde ex Ægypto equos accivit Salomon, 2. Paral. 1. 16. Porro equitatus et equorum copia vetita fuit Judæis, eorumque regibus Deuter. 17. 16; tum ne illis præfiderent et superbirent, tum ne equorum emendorum causa in Ægyptum redirent, itaque sensim in Ægyptiorum idololatriam et vitia relaberentur. Vide dicta Deut. 17. et Isaiæ 2. 8.

QUIA EJUS, QUI IN TE EST, MISEREBERIS PUPILLI,] q. d. Misereberis, ô Domine, Israelis, qui quasi sine patre et matre, ac ab omnibus derelictus, quasi pupillus *est in te*, id est, tuus est, ac tuæ curæ relictus et creditus, ideoque in te uno omnes spes suas reponit: *Tibi enim derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.* Sic 1. Petri 5. 2. dicitur: *Pascite qui in vobis est*, id est qui vobis creditus, et vestræ quasi pastorum curæ commissus est, *gregem Domini.* Ita S. Hier. Theod. Cyrill. et alii.

Secundo, pupillus *est in te*, ô Domine, per memoriam, miserationem et curam: sicut enim objectum amatum est in amante per amorem; ita miser, v. g. pupillus, est in Deo miserante per misericordiam. Hebræa enim habent: *Quia in te est miseratio pupilli;* Septuag. *in te misereberis pupilli*, q. d. In te tuisque visceribus, ô Domine, intimam et visceralem compassionem, miserationem et misericordiam habet pupillus; hoc enim significat ירחם יתום *ierucham iatom.* Hæc ergo est ingens consolatio pupillorum et miserorum, quod in Deo, Deique memoria, miseratione et providentia, quasi in Dei visceribus sint, in eaque securi vivant et habitent, juxta illud psalm. 90. 1: *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.* Hucusque formula precationis Israelis pœnitentis. Huic occurrit benignus Dominus ac respondet:

5. SANABO CONTRITIONES EORUM.] Hebr. שובתם *mesçubatam*, id est, aversionem eorum, puta apostasiam, qua à me ad idola desciverunt. *Sanabo*, inquam, cum pœnitebunt, dicentque: *Omnem aufer iniquitatem*, etc. uti præcessit: quod fiet umbratice et typice, cum è captivitate dimittentur per Cyrum, inquit Ruffinus; plane vero et plene fiet per Christum, q. d. Per Christum evangelizantem sanare incipiam, et sub finem mundi per eumdem judicantem et beantem perfecte sanabo contritiones, id est vulnera, Israelitarum, quæ ex contritione vel confractione fieri solent, vulnera, inquam, animæ puta aversionem à Christo et Deo. Faciam enim ut videant suas ærumnas esse pœnas aversionis suæ à me, indeque pœnitentes convertantur ad me, Christumque meum Salvatorem et Messiam suum agnoscant. Sequentia enim sublimiora sunt, quàm ut Cyro conveniant. Ergo ad Christum transit hic de more Propheta, suaque oracula concludit læto de Christo ejusque redemptione nuntio. Ita S. Hieron. Cyrill. Theodor. Haymo, Vatabl. et alii passim. *Diligam eos spontanee*, puta sine eorum meritis, gratuite et ex mera benevolentia. Hebr. est נדבה *nedava*, id est, animo liberali, regio, magnifico. Unde Leo Hebr. vertit, *liberalissime.*

6. ERO QUASI ROS ISRAEL, etc.] Syrus: *Ero quasi ros Israeli, et germinabit quasi lilium;* Arabicus uterque: *Ero quasi ros Israeli, germinabit autem ut rosa*, q. d. Sicut ros herbas leniter humectat et fecundat, ita ego lege, doctrina et gratia mea suaviter irrorans Israeli, eum virtutibus et bonis operibus fecundabo. Ita S. Hieron. Theod. et Vatabl. Hinc Ægyptii, ait Horus Apollo. l. 1. hierogl. 35. doctrinam indicantes cœlum pingebant rorem fundens, innuentes quod, sicut ros mollit herbas, non saxa, sic doctrina molliat et imbuat dociles, non stupidos, duros et indociles.

Secundo, q. d. Sicut ros è cœlo in terram noctu occulte descendit, ita ego Christus, qui sum filius Dei, è cœlo in uterum Virginis Israeliticæ occulte descendam, ex eaque carnem assumam, ut Israelem salvem: perinde ac ros in vellus Gedeonis descendit, significans Gedeonem liberaturum Israelitas de oppressione Madianitarum, Judic. 6. 37. Hoc est quod ait Isaias c. 45. 8: *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum; aperiatur terra, et germinet salvatorem.* Ita Rupert. Lyran. et veteres Rabbini apud Galatin. lib. 3. c. 17. et lib. 9. cap. 11. Cur Christus comparetur rori et irrorationi varias rationes et analogias assignavi, Isaiæ 45. 8.

Tertio, aliqui per rorem accipiunt Eucharistiam, in quam Christus silenter et latenter instar roris illabitur, germinatque lilia virginitatis, de quibus mox; præsertim quia manna, quod fuit expressus typus Eucharistiæ, erat quasi ros concretus et conglaciatus. Imo Hebræi tradunt cum manna depluisse rorem, qui manna tegeret, sicut species panis in Eucharistia tegunt velantque corpus Christi, de quo plura dixi Exodi 16. v. 13. et sequent. Est ergo hic proportio analogica primi ad secundum, qualis est tertii ad quartum. Sicut enim se habet ros ad terram cui illabitur, eam fecundando; sic se habet divinitas, sive Verbum ad humanitatem tum Christi, cui per gratiam unionis hypostaticæ; tum nostram, cui per gratiam creatam et Eucharistiam illabitur, eam omnibus donis et bonis operibus fecundans.

GERMINABIT, Leo Hebr. *florebit*, SICUT LILIUM,] q. d. Israel, rore gratiæ meæ irroratus, crescet et florebit ut lilium: Primo, amplitudine et propagine. Sicut enim lilium mirifice crescit seque propagat; ita Israel, id est populus fidelis, per Christum et Apostolos toto orbe propagatus est. Secundo, candore castitatis et puritatis vitæ. Tertio, odore et fragrantia bonæ famæ. Ita Cyrill. et Theoph. Lilium, inquit, odoris fragrantiam habet, magnitudinem non habet, q. d. Sic vir doctus et sanctus quo humilior est, eo majorem virtutis et sapientiæ exhalat fragrantiam. Quarto, admirabili splendore virtutum; nam, ut ait Theodor. *Admirationem concitat lilii splendor.* Et Theoph. *Cum*, ait, *in Ecclesia videris aliquem bene vivere, et luce virtutum coram hominibus splendere, illum vocato lilium.* Quinto, sicut lilium folia sursum erigit, etiam inter nimbos et grandines; ita Israel, id est, sanctus, cor in cœlum ad Deum erectum habet tam in adversis, quàm in prosperis. Ita Hebræi apud Galat. lib. 3. c. 17. Israel ergo, id est fidelis et justus, similis est Christo, qui, ut ait S. Hieron. Cant. 2. 1: *Ego flos campi, et lilium convallium; sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Sicut enim Christus in

mundi hujus campo quasi lilium æstibus et imbribus laborum, persecutionum et dolorum, in medio spinarum, id est Judæorum, expositus fuit, inquit S. Ambr. lib. de instit. virg. c. 14; ita et justus. Sexto, lilium symbolum est spei. Hinc in Rom. Imperat. nummis ab altera parte visitur Deus, dextera lilium protendens, cum hac inscriptione, *spes publica*, vel *spes Augusta*, vel *spes R. P.* teste Pierio hierogl. 55. Unde et Virgil. significans spem de Marcello conceptam, sic de eo canit 6. Æneid.

> Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos
> In tantum spe tollet avos.

Et mox:

> Tu Marcellus eris: manibus date lilia plenis.

Sicut enim lilium convallium expositum est radiis solis corporei, ab iisque exspectat et haurit spiritum, vitam, decorem, et omne bonum; illis enim vegetatur et vivificatur; ita et vir bonus, præsertim si sit excellens, radiis divinæ providentiæ jugiter irradiatur, iisque alitur et augescit; ideo ab iis omne bonum sperat, et postulat. Septimo, Gregor. Nyssenus homil. 4. in Cant. et S. Ambros. lib. 1. de Virgin. *Lilium*, inquiunt, *inter spinas significat, castitatem et virtutem spiritalium nequitiarum sentibus obsideri; unde nemo fructum referat, nisi qui cautus incedat.* Idem Ambros. lib. 3. de Virgin. explicans illud: *Lilium inter spinas: Nonne*, ait, *inter asperitates laborum contritionesque animorum boni flos odoris assurgit? quia contrito corde Deus placatur.* Vide S. Bernard. serm. 48. in Cant. ubi inter cætera ait: *O candens lilium, ô tener et delicate flos! increduli et subversores sunt tecum; vide quomodo caute ambules. Plenus est mundus spinis, in terra sunt, in aere sunt, in carne tua sunt; versari in his, et minime lædi, divinæ potentiæ est, non virtutis tuæ.* Idem serm. 70. in Cant. *Quot*, ait, *virtutes, tot lilia. Hinc Christus se lilium appellavit, quod totus versetur in liliis; et omnia quæ ipsius sunt, lilia sunt; conceptio, ortus, conversatio, eloquia, miracula, sacramenta, passio, mors, resurrectio, ascensio; quid horum non candidum, et non suavissime redolens? Porro ortum candidavit incorrupta virginitas matris, conversationem innocentia vitæ, eloquia veritas, miracula puritas cordis, sacramenta pietatis arcanum, passionem patiendi voluntas, mortem libertas non moriendi, resurrectionem fortitudo, ascensionem exhibitio promissionum.*

Et erumpet radix ejus ut Libani,] id est jaciet Israel et fidelis radices suas ita profundas, ut cedri aliæque arbores Libani, quæ cum sint excelsæ et vastæ, ac ventorum flatibus agitentur, profunde jaciunt radices, nimirum quantum in auras consurgunt vertice, tantum radicem in ima demergunt, ut nulla tempestate quatiantur, sed stabili mole diu consistant, ait S. Hier. q. d. Pari modo Israel in Dei præsidio tutus firmusque per multa, imo omnia secula consistet, nec ullo hostium vel adversæ fortunæ vento loco suo demoveri poterit. Ita S. Hieron. Vatabl. et Chald. qui ita vertit: *Habitabunt in robore terræ suæ, sicut arbor Libani quæ diffundit suam propaginem.*

Secundo, Libanus hebr. significat *thus*. Unde de thure sic explicat Cyrill. *Erit Israel sic tutus et firmus, uti est thuris planta, quæ alte jacit radices; talis est mens credentium, qui non moventur ventorum impulsu.* Talis fuit, et est constantia Martyrum.

Tertio, Sanchez radicem metonymice sumit pro germine è radice pullulante, quomodo Christus vocatur *radix David*, id est, germen è Davide quasi radice prognatum, Isaiæ 11. et Apocal. 22. Germen enim proprie erumpere dicitur, non radix, quæ sub terra se abscondit. Germen autem hoc Libano familiare esse cedrum, quæ est arbor procera et firma, ideoque immortalitatis et æternitatis symbolum. Unde Persius: *Et cedro digna locutus;* quin et Plinius libr. 16. 40. cedrum et cupressum vocat *arbores æternas*, eo quod vetustatem et cariem non sentiant. Sensus ergo erit, q. d. Israel pene emortuus revirescet ut germen cedri, ut ejus adinstar in magnam celsitudinem et gloriam, eamque æternam excrescat. Verum primus sensus videtur genuinus: Primo, quia Hebræa et Septuag. habent, *mittet*, vel *projiciet radices suas;* mittere autem vel jacere radices, est profunde eas in terra quaquaversum spargere et firmare. Secundo, quia si radices proprie accipias, habebis hîc causam propriam ejus quod sequitur: *Ibunt rami ejus; ibunt*, id est, spargent sese longe lateque. Nam quantum arbor deorsum in profundum et latum mittit radices, tantum sursum in altum et latum spargit ramos, juxta illud Virg. 4. Æneid. de quercu:

> Ipsa hæret scopulis, et quantum vertice ad auras
> Æthereas, tantum radice ad tartara tendit.

Tertio, quia ita seipsum in Comment. interpretatur S. Hieron. ipse enim est auctor versionis Vulgatæ. Unde huic sensui non obstat vox *erumpet*, quia radix non tantum in germina, sed et in fibras suas erumpere dicitur; cum enim ipsa quæ prius videbatur arida et emortua, vim vitalem et vegetantem in se latentem foras emittit, et in fibras, quibus se in terra spargat et figat, exerit, erumpere dicitur.

7. Ibunt, id est, promovebunt se, crescent, diffundent se, rami ejus.] Per ramos accipit sobolem et liberos, præsertim spirituales, q. d. Israel magnam habebit sobolem filiorum, puta fidelium, quos ad Deum convertet, æque ac virtutum et bonorum operum. Unde Chald. vertit: *Israelitæ crescent filiis et filiabus.*

Et erit quasi oliva gloria ejus, q. d. Erit Israel fecundus, speciosus et gloriosus instar olivæ frondibus, et fructibus undique circumdatæ et quasi coronatæ; hæc enim est gloria oleæ. Hoc est quod dicitur psalm. 127: *Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.*

Nota Ecclesiam et sanctum quemlibet vocari *olivam*, ob fecunditatem bonorum operum, ob præstantem charitatem, misericordiam, lenitatem et splendorem virtutum, horum enim symbolum est oleum. Sic de Elia et Henoch dicitur Apoc. 11. 4: *Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes.* Et Jeremiæ 11. 16. de Israele dicitur: *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum.* Vide ibi dicta. Addit Martin. de Roa lib. 4. Sing. c. 6. olivam pacis, deditionis et obedientiæ esse symbolum: ramos enim olivæ victoribus prætendunt dedititii, uti fecerunt Judæi Christo, dum in die palmarum quasi rex, victor et triumphator ingressus est

Jerusalem ; sicque explicat illud psal. 127 : *Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ*, q. d. Filii tui tibi se submittent, eruntque obedientes, atque inter se non rixabuntur ; sed concordes erunt et pacifici quasi olivæ novellæ. Chald. vertit : *Splendor eorum sicut splendor candelabri sanctitatis.* Candelabrum enim templi habebat lucernas septem ardentes oleo olivarum.

Et odor ejus ut Libani.] Per *Libanum* montem, vel etiam thus accipe : לבונה *lebona* enim hebr. vocatur thus ; inde mons thure, cedro, pino, aliisque resinosis et odoriferis arboribus abundans, vocatus est Libanus. Hinc Chald. vertit : *Odor eorum velut odor incensi aromatum.* Et Cyrill. *Odor*, inquit, *ejus ut thuris, odoris optimi est. Idcirco lex Mosis eum sacravit Deo. Odoratus itaque est fructus electorum et vocatorum.* Et Theophyl. *Significatur*, ait, *eum qui seipsum offert Deo mente et spiritu orans, instar Libani fragrantiam suavis odoris habere.*

8. Convertentur sedentes in umbra ejus,] q. d. E captivitate revertentur Israelitæ, ut sedeant plane securi, stabiles et fortunati in umbra, id est tutela, Christi. Ita Chald. S. Hieron. Rupert. Lyran. et alii passim. Pronomen enim *ejus*, respicit Christum ; ipse enim est dux Israelis, id est, populi fidelis : de Christo enim continuo agit hîc Propheta à v. 5. usque ad finem capitis.

Aliter à Castro : *Ejus*, inquit, id est Israelis, q. d. Qui sedent in umbra Israelis, id est, qui se conjungunt Ecclesiæ et populo fideli, *convertentur* à vita carnali ad Christum, ejusque mores puros et sanctos induent.

Aliter et Arias : *Ejus*, inquit, id est Libani, q. d. Fideles convertentur ut sedeant semper sub umbra Libani, ejusque suavissimo odore recreentur.

Vivent tritico,] q. d. Israelitæ, id est, fideles tempore Christi abundabunt annona spirituali, qua affluenter et deliciose pascant recreentque animas ; annona, inquam, tum verbi Dei ; ut ait Chald. S. Hieron. et Theodor. tum Eucharistiæ, ut ait Emmanuel. Hæc enim panem cœlestem, puta corpus Christi vivificum manducandum nobis exhibet sub specie panis triticei, et sanguinem ejusdem potandum præbet sub specie vini, de quo hîc subditur : *Germinabunt quasi vinea, memoriale ejus sicut vinum Libani.* Hoc est *frumentum electorum*, de quo Zachar. 9. 17. et panis vitæ, de quo Christus Joan. 6. 50 : *Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducet non moriatur.* Et v. 59 : *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Ita Haymo, Albert. et Lyran. Hinc et Sept. vertunt, *bibent* (vel, ut Romani codices Caraffæ legunt, *vivent*) *et inebriabuntur* (licet Complut. legant ςτηριχθησονται, id est firmabuntur, vel *confortabuntur*) *tritico.* Triticum enim bibitur in potu ex eo confecto, puta in cerevisia, qua Transalpini ut vino deliciantur et inebriantur. Triticum ergo eis est cibus et potus, æque ac Eucharistia fidelibus. Unde S. Hieron. exponens Septuag. *Bibent et inebriabuntur tritico,* hoc est, ait, *rerum omnium abundantia. Quod autem ebrietas hic non eversionem mentis, sed copiam rerum omnium significet, versiculus ille declarat dicens : Visitasti terram, et inebriasti eam*, psal. 64. *et Joseph convivium, in quo inebriasse dicitur fratres suos,* Gen. 43 : *Et Dominus loquens ad Apostolos : Comedite, amici mei, et bibite, et inebriamini fratres*, Cant. 5 : *Sive quia Dominus noster ipse est frumentum, et vinea, quicumque crediderit in eo, inebriari dicitur. Denique sequitur : Et efflorebit quasi vinea, memoriale ejus sicut vinum Libani.* Eucharistiæ ergo effectus unus è multis est, ut ex ea fideles fiant spiritualiter ebrii, juxta illud psal. 22 : *Calix tuus inebrians quàm præclarus est!* Et psal. 35 : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ;* ubi S. Aug. : *Hoc calice,* ait, *inebriati erant Martyres, quando ad passionem euntes, suos non agnoscebant. Quid tam ebrium, quàm non agnoscere uxorem flentem, non filios, non parentes? Nolite mirari, ebrii erant. Ubi ebrii erant? Videte, acceperunt calicem unde inebriarentur.* Idem in psal. 103. ad v. 15 : *Et vinum lætificet cor hominis. Videbitur*, inquit, *ista ebrietas in operibus vestris, videbitur in sancto amore justitiæ, videbitur postremo in alienatione mentis vestræ, sed à terrenis in cœlum.*

Quin et Rabbini ex hoc similibusque locis agnoscunt Messiam mutationem quamdam miram in frumento facturum, puta transsubstantiationem panis in corpus suum ; hocque prædici ps. 71. 16 : *Erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus ejus : firmamentum* enim idem est quod panis cor hominis confirmans. Nam hebr. est פסת בר *pissat bar*, quod Burgensis vertit, *placentula frumenti* ; R. Emmanuel, *vola,* id est manus plena, *frumenti :* proprie *pissat bar* est particula, libum, vel pugillus frumenti. S. Hier. vertit : *Erit memoriale triticum;* Chald. *Erit substantificus panis ;* Jonathan clare : *Erit placenta tritici in vertice sacerdotum.* Denique veteres Rabbini verba hæc Psaltis exponunt de sacrificio panis delicatissimo, tempore Messiæ offerendo et comedendo. Leo Hebræus hîc pro, *vivent frumento,* vertit, *reviviscent ut frumenta;* quod Vatab. exponit, q. d. Fideles Christi gratia fortissime ferent afflictiones et persecutiones, iisque quasi vivificabuntur, uti triticum fert frigora hiemis, ex iisque vegetius et copiosius resurgit. Tribulationes ergo non enecant, sed vivificant fideles, eosque in vita spirituali corroborant, ut magnum in ea faciant incrementum, æque ac fructum in proximis. Unde Arabicus Antiochen. vertit : *Et vivent et permanebunt sine peccato, et permanebit memoria ejus sicut vitis, et sicut ligna* (arbores) *Libani, quæ sunt Ephraim : quid illi est cum idolis ? Et ego qui corroboro eum velut arbores platani uberis*, quæ scilicet ramis et frondibus luxuriat. Et Arabicus Alexandrinus : *Et vivent et saturabuntur de tritico, et germinabit quasi vinea, et erit sicut incensum.* Denique de hoc vino quod germinat virgines, æque ac de frumento juvenum, sive electorum, plura dicam Zachar. 9. 17.

Germinabunt quasi vinea], q. d. Fideles latissime, uberrime, felicissime instar vineæ felicis et fertilis propagabunt se ad hanc, non upupæ, sed cycneam Dei vocem et promissionem. Nam upupa, ait Horus Apollo l. 2. hierol. 88, canens ante tempus vitium, magnam vini bonitatem et copiam prænuntiat. Unde Ægyptii, præsagium copiæ vini significantes, pingebant upupam.

Memoriale ejus, hebr. זכרו *zichro*, id est *memoria ejus*, sicut vinum Libani.] Ita Syrus, q. d. Memoria et commemoratio Israelis erit gratissima et suavissima, uti erat vinum cre-

scens in Libano. Nam hoc præstantissimum fuisse, æque ac odoratissimum ex afflatu arborum odoratarum, quibus abundabat Libanus, docent Geographi terræ sanctæ. Audi Burchardum in Antilibano : *Antilibanus, ait, distat ab illa civitate* (Sidone) *per leucam et dimidiam, et ibi habetur vinum delicatissimum, de quo dicit Propheta* (Osee hoc loco) : *Memoriale tuum ut vinum Libani.* Quocirca Arabicus Alexandr. vertit : *Et erit sicut incensum;* vinum ergo Libani est vinum incensi, puta odoratum sicut thus vel incensum : *Libanus* enim hebr. significat thus, vel incensum. Unde R. David ex libro Asaph medici docet vinum Libani fuisse vinum *cos*, id est colore, odore, sapore, imo et vi medica excelluisse. Certe Byblus urbs est ad Libanum sita, quæ nomen dedit Byblino vino, quod ab Hesiodo, Achæo, Theocrito et aliis celebratur. Denique Patres Societ. nostræ oriundi è Libano, puta Maronitæ, Romæ mihi asseverarunt vinum Libani etiamnum esse valde generosum et præstans, ideoque vim suam per multos annos conservare. Adhæc, botros et uvas, è quibus exprimitur, esse ingentes, similes illis quas exploratores è terra sancta in vecte extulerunt, Num. 13. 14. Idem suadet situs loci : Libanus enim est in regione calida, frugifera, montosa et vitifera. Bacchus enim amat colles calidos. Quocirca Theodor. sic explicat : *Israelitæ similiter ut vinum odoratum in Libano cultum, virtutis fragrantiam possidebunt; atque illinc manantem bonam existimationem quasi fructum percipient.* Et S. Cyrillus : *Talis, inquit, est omnis Christi sermo et doctrina,* item vitæ ejus mysteria et Sacramenta, præsertim Eucharistiæ, quæ sub specie panis et vini corpus et sanguinem Christi nobis exhibet. Hæc enim est memoria, et memoriale juge Christi, de quo Psaltes psal. 110. 4 : *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se;* et Christus ipse : *Hoc facite in meam commemorationem,* Matth. 26. 26. *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis,* ait Paulus 1. Corinth. 11. 26. Sic de Josiæ piissimi regis fama dicitur Eccli. 49. 1 : *Memoria Josiæ in compositione odoris facta opus pigmentarii. In omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria, et ut musica in convivio vini.*

Aliter aliqui apud S. Hieron. nam per *vinum Libani* accipiunt vinum thure conditum. Verum hoc insuave est. Aliter et Chald. S. Hieron. et Haymo; nam per vinum Libani accipiunt vinum templi, quod sacrificiis adhibebatur ut libamen, diciturque Libani, quia ex uvis Libani confectum. Unde Chald. vertit : *Erit memoriale bonitatis eorum fructificans et indeficiens, juxta ac memoria tubarum clangoris super vino veteri, quod libari solet in domo sanctuarii.* Primus sensus uti simplex et planus, ita et germanus est; cui adde alium valde appositum, quem tradit Sanchez, nimirum vinum Libani vocari vinum aromatibus Libani conditum, ideoque odoratum. Libanus enim adeo odoratis guttis, herbis et aromatibus abundat, ut pro ipsis odoribus usurpetur. Tale est vinum myrrhatum, foliatum, nardinum. Addit Sanchez vinum condiri solitum non solum ad suavitatem gustus, et ad salubritatem corporis, sed etiam ad vim odoris et unguenti. Sic vinum in quo spica Cilissa, id est crocus, incoquitur, pro unguento pretioso spargebatur in theatris. Sic ait Martial. in Amphith. epigr. 3 :

Et Cilices nimbis hîc maduere suis.

Nimbi enim Cilicum sunt vina, quæ sibi odorem ex croci coctione traxerunt. Sensus ergo est, q. d. Israelis nuper apud omnes gentes exosi, jam ad Deum conversi tam grata erit memoria, ejusque nomen et commemoratio tantam audientibus suavitatem inhalabit, quantam inhalat vinum aromate Libani conditum, sive unguentum fragrantissimum.

9. Ephraim (supple, tot à Christo affectus beneficiis dicet, ut habent Hebræa et Chald.) quid mihi ultra idola?] quid mihi cum idolis? abeant in malam crucem : mihi deinceps solus Deus pastor et director erit, Christus amor meus. Septuag. vertunt : *Ephraim, quid ultra et idolis?* Huc allusit Apostolus 2. Corinth. 6. 15 : *Quæ conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? vos enim estis templum Dei vivi.*

Aliter S. Hieron. et Albert. accipiunt hæc verba; scilicet, non ut Israelis, sed ut Dei, q. d. Quid mihi, ô Ephraim, objectas idola? vides esse idola, id est, res umbraticas et vanas; ea ergo desere, me unum sequere et cole.

Ego exaudiam et dirigam eum (Ephraim, sive Israelem), ego ut abietem (Arabicus, *ut platanum*) virentem.] Abies enim semper viret, nec hieme folia amittit, ut docet Plin. lib. 16. 21, q. d. Ut abies arbor enodis, procera, semper virens, recta, semper directe in altum ascendit; ita ego Israelem virtutibus semper virentem dirigam in cœlum ad me, et ad vitam beatam. Ita Rupert. Abies, inquit Plinius lib. 16. 10, *è cunctis amplissima est, et femina etiam prolixior* (est enim abies mas et femina) *materia mollior viliorque, arbore rotundior, folio pinnato densa, ut imbres non trasmittat, atque hilarior in totum.* Talis est et Israel, id est fidelis, quem Deus facit virere semper, densari, et hilarescere gratia et virtutibus. Ita S. Hieron.

Septuag. pro *abies* vertunt, *juniperus.* Hebr. enim ברוש *berosç,* et abietem, et juniperum, et cupressum significat. Vertunt ergo : *Ego sicut juniperus condensa cooperiens.* Juniperus enim, ait Cyrill. adeo frondibus densatur, ut nec solis radios, nec imbres, quantumvis vehementes, transmittat : sic et Deus Christusque fidelibus suis in omni tentatione et tribulatione densam præstat umbram et protectionem : licet enim Virgil. juniperi umbram vocet *gravem,* nimirum dormienti sub ea; eadem tamen suavis est et tuta confugienti, ut imbrem vitet vel æstum, ait Delrio adagio 965. Addit Theodoret. *Juniperus, inquit, semper viridis existit, nec putrescit, et coma redimitur aculeata. His ostendit, quod omni studio te curabo, ab omnique pernicie tutum efficiam, et invadentem quasi quibusdam aculeis perterrefaciam.* Aculeos hosce, sive spinas aliter interpretatur Theophyl. nimirum Deum esse spinam, quia suis fidelibus, qui secundùm Deum cupiunt vivere, imperat vitam asperam, quæ eos pungat et compungat ex consideratione judicii extremi.

Ex me fructus tuus inventus est,] q. d. Dixi quod faciam te pulchrum et virentem ut abietem; et ne putes te frondosum tantum fore, non fructiferum, uti est abies, addo me insuper fructus bonorum operum, gratiæ et gloriæ

tibi daturum. Eris ergo abies frondibus, vitis et oliva fructibus. Ita Chald. S. Hieron. Lyran. et alii.

Moraliter, fidelis in verbis et præceptis sanctis sit abies, sed simul in operibus et fructibus sit oliva. Ita Jesus erat potens in opere et sermone. Cur? quia ejus verba et dicta erant facta: quod docebat verbo, monstrabat exemplo. Phocion, teste Plutarcho in ejus Vita, dicentes et docentes bona, sed non facientes, aiebat similes esse cupressis, quæ cum sint sublimes et pulchræ, nullum tamen edunt fructum. Ita hîc Osee ait eos similes esse abieti virenti.

10. QUIS SAPIENS, ET INTELLIGET ISTA?] scilicet oracula mea: illa enim profunda et remota sunt à sensu hominum carnalium et impiorum, solisque justis pervia. Ita S. Hieron. et Rupert. Aut potius *ista*, scilicet mysteria et promissa Christi, q. d. Quàm pauci erunt Judæi qui hæc Christi, qui est via, veritas et vita, mysteria credant, sapiant, ament et faciant!

QUIA RECTÆ sunt VIÆ DOMINI, rectaque ducunt in altum ad Deum rectissimum: unde à solis rectis cognosci terique possunt. Soli enim JUSTI AMBULABUNT IN EIS: sed depressæ et curvæ in terras animæ, ac cœlestium inanes, quales sunt Judæorum, has sapere et ingredi nequeunt, quin vero impingent et CORRUENT IN EIS,] præsertim cum detrudentur ruentque in gehennam, eo quod eas agnoscere noluerint, nec per eas ambularint.

Secundo, ex Hebræo sic verti potest cum Leone Hebræo, Vatabl. Lyrano et Aria: *Si quis sapiens est intelligat ista; si quis prudens, cognoscat ea, quod rectæ sint viæ Domini, et justi in eis ambulabunt, prævaricatores vero corruent in eis*, q. d. Qui sapiens est, intelligit et videt justa esse opera et judicia Domini, tam circa justos, quàm injustos; dum illos dirigit, fovet et præmiat, hos negligit, rejicit et punit: justum enim est quidquid à Deo fit. Unde justi qui soli sapiunt, ambulant, id est, observant vias Domini, laudantque Deum in omnibus operibus suis: peccatores vero insipientes eas negligunt, spernunt, vituperant, ideoque corruent in eis.

Censet Alcazar ad hæc Osee verba alludere S. Joannem Apocal. 5. 2. ubi ait: *Et vidi angelum fortem prædicantem voce magna: Quis est dignus aperire librum, et solvere signacula ejus?* imo censet hunc angelum fortem esse ipsummet Osee, de qua re quid sentiendum sit dixi in Proœmio.

Moraliter: Pauci sunt qui viam in cœlum, iterque ad beatitudinem cognoscant et capessant. Merito ingemuit Moses: *Gens absque consilio est, et sine prudentia. Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent!* Deuter. 32. 28. Et Christus: *Intrate per angustam portam, quia lata porta et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, et multi intrant per eam. Quàm angusta porta, et arcta via est quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam!* Matth. 7. 13. *Sequamur ergo, Domine Jesu te, per te, ad te; quia tu es via, veritas et vita: via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio*, ait S. Bernard. serm. 2. de Ascensione.

Porro sapientum, puta fidelium, qui Christum sequuntur, felicitatem hîc quatuordecim partim promissis, partim phrasibus et parabolis graphice depingit, omnibusque spectandam et amplectendam proponit Propheta. Nam primo, iis promittit v. 5: *Sanabo contritiones eorum;* secundo: *Diligam eos spontanee;* tertio: *Ero quasi ros;* quarto: *Israel germinabit sicut lilium;* quinto: *Erumpet radix ejus ut Libani;* sexto: *Ibunt rami ejus;* septimo: *Erit quasi oliva gloria ejus;* octavo: *Odor ejus erit ut Libani;* nono: *Convertentur sedentes in umbra ejus;* decimo: *Vivent tritico;* undecimo: *Germinabunt quasi vinea;* duodecimo: *Memoriale ejus sicut vinum Libani;* decimo tertio: *Ego exaudiam, et dirigam eum, ego ut abietem virentem;* decimo quarto: *Ex me fructus tuus inventus est.*

O stulti ergo filii Adæ, utquid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? utquid instar chamæleontis aere de aura inani vos pascitis? ô stolidi, utquid caduca solidis, exilia immensis, terrena cœlestibus, humana divinis, momentanea æternis anteponitis? utquid creaturam Creatori, amasiam Christo, Mammonam Deo antefertis; utquid vilissima, brevissima et fœdissima voluptate sempiternos gehennæ ignes, dolores et angores emitis? Pœnitebit vos, et in æternum pœnitebit; sed sero, et frustra. Sapite dum licet, operamini dum lux est, capessite gratiam dum offertur; ne cum fatuis virginibus in morte eam cum lacrymis requiratis, nec inveniatis; ne cum iis nuptiis cœlestibus exclusi, audiatis à Christo: *Nescio vos. Suspicite in cœlum*, despicite in tartara, Deum vindicem cogitate. Vivite

ÆTERNITATI.

Appende mille annos contra Æternitatem, imo millia millium; quid appendis cum infinito quantumcumque finitum? ait S. Aug. in psalm. 36.

COMMENTARIA

IN

JOELEM PROPHETAM

ARGUMENTUM.

Joel, ait Epiphan. lib. de Vita et obitu Prophet. natus est in agro Bethor, de Tribu Ruben; sic et Dorotheus in vita Joelis, nisi quod agrum nuncupat Bethomeron in Ruben. R. Salomon putat Joelem fuisse filium Samuelis Prophetæ, qui unxit Davidem in regem; eo quod ejus filius vocetur Joel à Josepho, 6. Antiq. 3. Sed alius est iste Joel à nostro; noster enim eo longe posterior fuit tempore, ut mox patebit. Censent nonnulli Joelem æque ac Osee, prophetasse tam contra decem, quàm contra duas Tribus, puta tam contra Samariam, quàm contra Judam. Ita S. Hieron. ex sententia Hebræorum epist. 103. ad Paulinum: *Joel*, ait, *filius Phatuel describit terram duodecim* (licet Albertus legat duarum) *Tribuum eruca, brucho, locusta, rubigine vastante corruptam, et post eversionem prioris populi effusum iri Spiritum Sanctum super servos Dei et ancillas, id est, super centum viginti credentium nomina, et effusum iri in cœnaculo Sion.* Ita et Theod. Remigius, R. Salomon, Lyran. Vatabl. et alii recentiores Hebræi, qui putant Joelem vixisse, et prophetasse cum Elisæo sub Joram rege, ideoque cap. 1. prophetare famem, quæ illo tempore tam Samariam, quàm Judam afflixit, ut patet 4. Reg. 6. 25.

Verum melius idem S. Hieron. præfat. in Joelem, censet Joelem solis duabus Tribubus, Judæ scilicet et Benjamin, prophetasse. *Quomodo*, inquit, *in Osee Propheta sub nomine Ephraim ad decem Tribus confertur vaticinium, quæ vel Samaria, vel Israel sæpe nominatur; sic in Joel omne quod dicitur, ad tribum Juda et ad Jerusalem pertinere credendum est, et nullam omnino Israelis, id est decem Tribuum, in hoc fieri mentionem.* Ita et Epiphan. lib. de Vita Prophetarum, in Joele, Hugo, Albertus, Haymo, Ribera, Dionys. à Castro, Sanchez et alii; et patet ex verbis Joelis, cap. 1. 13: *Plangite, sacerdotes, ululate, ministri altaris;* et cap. 2. v. 1. 15. et 17: *Canite tuba in Sion. Inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes, etc.* Altare enim erat in Jerusalem, non alibi.

Porro Joel prophetavit eodem pene tempore quo Osee, sub Ozia, Joatham, Achaz et Ezechia regibus Juda, ait S. Hieron. Cyrill. Theod. Ruffin. et S. August. lib. 18. Civit. 27. licet Hebræi in Seder Olam, et ex eis R. David, Genebrard. in Chronol. Arias et à Castro hîc putent eum prophetasse sub Manasse, ac consequenter post excidium Samariæ et decem Tribuum: hoc enim contigit anno sexto Ezechiæ, qui fuit pater Manassis: idque verisimile fit ex eo, quod Joel solis duabus Tribubus prophetet, non reliquis decem; eo quod illæ jam essent excisæ et abductæ. Rursum ex eo quod Scriptura dicat Deum misisse Prophetas, qui Judææ clades nomine Dei intentarent ob scelera Manassis, 4. Reg. 21. 10. et cap. 23. 26. Videtur ergo ex his fuisse Joel; ipse enim Judææ clades hasce comminatur, æque ac Jeremias cap. 15. 4. qui ob scelera Manassis eas irrogandas diserte asserit. Hæc sententia est valde probabilis; unde in editione Sept. Romana, Joel post Michæam ponitur. Hinc et diem excidii Hierosolymæ ita vive et horrifice depingit, ut quasi instantem, et pene præsentem oculis eum cernere videatur.

Ex dictis sequitur Joelem comminari captivitatem non Assyriacam, qua vastata est Samaria; sed Babylonicam, qua vastata est Jerusalem et Juda à Chaldæis.

Argumentum ergo Joelis est, prædicere Dei vindictam et captivitatem Babylonicam, indeque ejus antitypum judicium extremum, in quo reprobi gehennæ, probi cœlo adjudicabuntur.

Primo ergo, cap. 1. Judæis excidium per Chaldæos comminatur, utque hoc evadant, hortatur omnes ad lamenta et ad pœnitentiam.

Secundo, cap. 2. pergit atrocitatem hujus diei et excidii describere, indeque excitat omnes ad luctum et publicas supplicationes. Deinde pœnitentibus reditum è captivitate et Babylone pollicetur. Adhæc promittit adventum Christi, qui Spiritum Sanctum in suos fideles effundet. Inde transit ad secundum Christi adventum, ejusque signa prævia enarrat.

Tertio, cap. 3. docet Christum in valle Josaphat quasi judicem judicaturum omnes gentes, ac damnaturum impios ad gehennam; pios vero translaturum in cœlestem Jerusalem, cujus delicias, gloriam et felicitatem describit.

Tropol. *Joel* hebr. idem est quod *volens, incipiens*, vel *Domini descensus*: *Phatuel* vero pater ejus, hebr. idem est quod *latitudo*, aut *ostium*, aut *suasio Dei*, vel *aperiens Deus;* ut moraliter significetur quod, qui ostium, suasionem et scientiam habuerit Dei, recte incipit prophetare, ut cum Paulo possit dicere: *Os nostrum patet ad vos, ô Corinthii, cor nostrum dilatatum est;* quia audiebat à Domino: *Dilata os tuum, et implebo illud.* Ipsa enim oris adapertio non in hominis, sed in Dei potestate est, dicente eodem Paulo: *Ostium mihi apertum est magnum et evidens*, 2. Corinth. 6. Ita S. Hieron. qui in cap. 1. Osee ait: *Joel* idem est quod *Dominus Deus;* ut Joel per crasin idem sit quod *Jehova el*, vel *Ja el*, quæ omnia sunt nomina Dei. Denique Joel relatus est inter Sanctos, ac Romano Martyrologio inscriptus legitur 13. Julii.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

JUDÆÆ EXCIDIUM PER ERUCAM, LOCUSTAM, BRUCHUM ET RUBIGINEM, PUTA PER VARIAS HOSTIUM CHALDÆORUM POPULATIONES, PRÆDICIT. HINC V. 13. SACERDOTES ET POPULUM HORTATUR AD POENITENTIAM ET SUPPLICATIONEM, UT IIS DEUM SIBI RECONCILIENT, PLAGASQUE AB EO HIC COMMINATAS AVERTANT.

1. VERBUM Domini, quod factum est ad Joel filium Phatuel. 2. Audite hoc,
senes, et auribus percipite, omnes habitatores terræ : si factum est istud in
diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum. 3. Super hoc filiis vestris
narrate, et filii vestri filiis suis, et filii eorum generationi alteræ. 4. Resi-
duum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et
residuum bruchi comedit rubigo. 5. Expergiscimini, ebrii, et flete, et ulu-
late, omnes qui bibitis vinum in dulcedine : quoniam periit ab ore vestro.
6. Gens enim ascendit super terram meam, fortis et innumerabilis : dentes ejus ut dentes leo-
nis : et molares ejus ut catuli leonis. 7. Posuit vineam meam in desertum, et ficum meam decor-
ticavit : nudans spoliavit eam, et projecit : albi facti sunt rami ejus. 8. Plange quasi virgo accincta
sacco super virum pubertatis suæ. 9. Periit sacrificium et libatio de domo Domini : luxerunt
sacerdotes ministri Domini. 10. Depopulata est regio, luxit humus : quoniam devastatum est
triticum, confusum est vinum, elanguit oleum. 11. Confusi sunt agricolæ, ululaverunt vini-
tores super frumento et hordeo, quia periit messis agri. 12. Vinea confusa est, et ficus elan-
guit, malogranatum, et palma, et malum, et omnia ligna agri aruerunt : quia confusum est
gaudium à filiis hominum. 13. Accingite vos et plangite, sacerdotes, ululate, ministri altaris :
ingredimini, cubate in sacco ministri Dei mei : quoniam interiit de Domo Dei vestri sacrificium et
libatio. 14. Sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate senes, omnes habitatores terræ in
domum Dei vestri, et clamate ad Dominum. 15. A a a, diei : quia prope est dies Domini, et
quasi vastitas à potente veniet. 16. Nunquid non coram oculis vestris alimenta perierunt de domo
Dei nostri, lætitia et exsultatio. 17. Computruerunt jumenta in stercore suo, demolita sunt hor-
rea, dissipatæ sunt apothecæ : quoniam confusum est triticum. 18. Quid ingemuit animal, mugie-
runt greges armenti ? Quia non est pascua eis : sed et greges pecorum disperierunt. 19. Ad te,
Domine, clamabo : quia ignis comedit speciosa deserti, et flamma succendit omnia ligna regionis.
20. Sed et bestiæ agri, quasi area sitiens imbrem, suspexerunt ad te : quoniam exsiccati sunt
fontes aquarum, et ignis devoravit speciosa deserti.

2. AUDITE HOC, SENES.] Initio Propheta hisce verbis sibi attentionem conciliat, quod res (puta clades) graves, novas, et ab hominum, quamtumvis senum, memoria inauditas sit dicturus, quæ tamen Judæos maxime tangant, ut eorum plane intersit hæc nosse, posterisque tradere, ut ipsi hisce patrum suorum flagellis moniti resipiscant, unique Deo toto corde serviant, cujus providentiam et vindictam in parentibus suis aspiciunt, itaque eamdem evadant, ejusque gratiam et beneficentiam sibi concilient.

SI FACTUM EST ISTUD] quod sequitur, quodque mox enarro.

3. SUPER HOC (de hoc) FILIIS VESTRIS NARRATE] juxta præceptum Mosis Exodi 10. 2 : *Narres in auribus filii tui et nepotum tuorum, quoties contriverim Ægyptios, et signa mea fecerim in eis, et sciatis quia ego Dominus ;* et Psaltis psal. 77. 6 : *Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera : filii qui nascentur, et exsurgent, et narrabunt filiis suis : ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur operum Domini, et mandata ejus exquirant.*

4. RESIDUUM ERUCÆ COMEDIT LOCUSTA.] Quatuor hîc pestes et plagas recenset et comminatur. Prima est *eruca ;* Septuag. κάμπη ; Chald. זחלא *zachala,* id est, vermis qui post pluviam nascitur, ac per caules, olera, arborumque folia repit, eaque pigro et lento, sed exitiali morsu arrodit et depascitur. Unde hebr. vocatur גזם *gazam,* id est tonsor, rasor, rosor, ex-

cisor. Sic et *eruca* latine ab eodem erodendo dicitur, ait Isidor. lib. 12. Orig. cap. 5. licet Apuleius erucam ab hærendo dictam velit, quod brassicis, aliisque herbis quas occupat tenaciter adhæreat. Unde Columella lib. 11. de Re rustica cap. 3 : *Erucæ, ait, vel manu colligi debent, vel matutinis temporibus frutices olerum concuti: sic enim dum adhuc torpent nocturno frigore, si deciderint, non iterum amplius in superiorem partem prorepunt.*

Secunda est locusta, quæ erucam superat acrimonia, volatu et numero. Unde hebr. dicitur ארבה *arbe,* id est *plurima,* à rad. רבה *raba,* id est, *multus fuit.* Ita Arias et Pagnin. tanta est enim locustarum copia, ut volando solem cœlumque operiant, cubando vero integras provincias obtegant, ut nil nisi locustas videas; quin et maria volando tegant et transeant, ut unam regionem depastæ, aliam invadant et aliam, singulas ex ordine devorantes. Unde locustarum plaga fuit una ex plagis gravissimis Ægypti, Exodi 10. v. 4. Vide ibi dicta. Quocirca *locusta* dicta est quasi *loca urens*, vel exustulans, inquiunt Grammatici : licet Isidorus et Lyran. ita dictam velint, quod *longis sit pedibus;* Albertus Magnus vero : *Locusta,* inquit, dicitur quasi *loco stans.* Ita Aldrovandus in locusta.

Residuum locustæ comedit bruchus.] Tertia est hæc plaga, puta bruchus, pro quo hebraice est ילק *ielec :* quod septies reperitur in Scriptura, et ubique Noster *bruchum* vertit. Psal. 104. 34 : *Dixit, et venit locusta* (hebr. *arbe*) *et bruchus* (hebr. *ielec*). Jerem. 51. 4 : *Replebo te hominibus quasi brucho ;* et vers. 27 : *Adducite equum quasi bruchum.* Eodem modo vertit hic, et cap. 2. 25. et Nahum 3. 15 : *Devorabit te ut bruchus, congregare ut bruchus, multiplicare ut locusta ;* et v. 16 : *Bruchus expansus est et avolavit.*

Dicitur *ielec*, id est *ligurio*, quod herbas lingat, lambat et rodat : radix enim לקק *lacac,* significat lingere, lambere : unde Aquila, teste S. Hieron. in Nahum cap. 3, vertit *comestor.*

Quæers quid sit *ielec* et *bruchus*? Primo, Suidas et Scaliger exerc. 36 : Bruchus, inquiunt, est καμπη, id est, eruca, quam Lombardi *bruch,* Galli *bruyère* vocant; verum erucam hic Joel distinguit à brucho. Secundo, Ambros. Calepinus ex Sipontino, et nonnulla Lexica Latina et Græca : Bruchus, inquiunt, est vermiculus similis locustæ, herbas erodens, sine alis. Verum Nahum cap. 3. brucho dat alas. Tertio, R. David hic censet bruchum esse animalculum alatum instar crabronis, sed minoris quantitatis, quod arborum folia depopuletur, et in maxima multitudine vastet : unde aliqui putant bruchum esse insectum illud rubea tunica vestitum (quod statis annis humidioribus turmatim enascitur) quam dum expandit, alas ostentat, quibus volat in arbores, earumque folia depascitur : solent id rustici colligere et, fossa facta, sepelire, uti de brucho ait Isaias cap. 33. 4. Verum hoc insectum genus est scarabæi, non bruchi, nec ab ullo classico auctore vocatur bruchus, etiamsi pueri in Gallia bruchum, vel *bruyant* vocent à bombo, quem volando edit, à quo et Flandri eum vocant *prædicantem.*

Dico ergo bruchum esse parvam locustam, sive pullum locustæ; varii sunt enim locustarum gradus, et, ut ita dicam, species, secundum earum ætates et incrementa distinctæ. Primo *locusta* relinquit semen : ex eo nascitur parva locusta instar vermis, qui vocatur *bruchus*, qui, dum crescit et grandescit, ac modicis alis vestitur, vocatur *attacus* vel *attelabus.* Hic rursum, dum increscit corpore et alis, vocatur *ophiomachus,* qui, dum mole corporis et alis perficitur, vocatur *locusta.* Unde apposite ait Propheta : *Residuum locustæ comedit bruchus.* Locustæ enim, cum grandiores sint, grandiora tantum depascuntur, sed post se relinquunt pullos parvos, qui residuum et minima germina quæque usque ad radices stirpitus depascuntur. Id ita esse patet primo, quia Sept. Jerem. 51. 14. et alibi, pro *ielec*, id est brucho, vertunt ακριδας, id est locustas. Secundo, quia omnes physici et classici scriptores dicunt bruchum esse speciem locustæ, vel locustam inchoatam et imperfectam. Unde in Scriptura passim bruchus jungitur cum locusta, quasi proles cum matre. Et Aristot. lib. 5. Histor. animal. cap. 29. bruchum nectit et subjungit locustæ. Sic et S. Hier. in Nahum cap. 3 : *Bruchus, ait, est animal nihil volare valens, ventri tantum studens : attelabus saltans potius quam volans parvis alis : locusta jam perfectas alas habens.* Albert. Magnus lib. 26. de Animal. *Bruchus,* inquit, *est primus partus locustæ, et cum efficitur major, vocatur archilabus* (corrige attelabus); *et quando perficitur, est locusta. Bruchus autem eo quod immobilis est, totum depascitur usque ad radices, nihil viroris relinquens.* Lyranus bruchum et locustam differre scribit sicut perfectum et imperfectum in eadem specie. *Bruchus,* ait Glossa, *vocatur fœtus locustæ antequam alas habeat : deinde cum incipit parum volare, attelabus dicitur : cum vero plene volat, locusta dicitur ; multoque gravior est bruchus quam locusta, vel attelabus, quod jacens in uno loco, radicitus comedit fructus.*

S. Chrys. in illud ps. 104. 34. *Venit locusta et bruchus :* Locusta, inquit, et bruchus non simul existere solent; aut enim præcedens locusta bruchum parit, aut bruchus auctus in locustam tandem evadit. Βρουχος, inquit Varinus, est ειδος ακριδος, παρα τὸ βρυχειν, η τὸ εσθιειν : τὸ αυτο δε και μασαξ καλειται, παρα τὸ μασασθαι : και βρουχος η καμπη, η νεογενης, και απτερος ακρις. *Bruchus,* inquit, *est species locustæ, ita dicta à vorando, quæ et mastax dicitur, à mandendo. Item, bruchus eruca primum nata, et locusta carens alis.* Sic et Hesychius in Lexico ait bruchum esse locustarum speciem, ac Cyprios viridem locustam vocare bruchum, Tarentinos attelabum.

Bruchus ergo dicitur vel à βρυκω, id est comedo, vel à βρυχω, id est dentibus strido et frendeo, vel à βροχω, id est sorbeo, deglutio, voro; inde βρογχος est guttur, quia bruchus non videtur habere aliud quàm guttur et ventrem : pedes enim licet oblongos, graciles tamen habet : unde forte Italorum *broccare* pro vorare; et Germanorum *bruchen,* quod consumere et conficere significat, et Belgarum *brocken*, quod est minutim conscindere, ait Aldrovandus. Hoc etymon verius est quàm illud quod dat Anonymus in psal. 104. dicens : Bruchus dicitur quasi βραχυς, id est brevis et parvus; est enim parvus vermis à locusta generatus. Denique bruchos esse genus locustæ censent Remigius, Pagninus, Forsterus, Marianus (qui illud *gryllum* vocat : gryllus autem est parva locusta cinerei vel grisei coloris) in Lexicis, Cælius lib. 3. cap. 25. Aldrovandus lib. de Insectis in locusta, qui et pag. 414. omnes locustarum species, ac nomi-

natim bruchum depingit, ejusque formam in imagine spectandam exhibet. Accedit Syrus qui vertit *; Quod reliquit locusta non alata* (vermis corrodens frumentum in agro), *comedit locusta volans; et quod reliquit locusta volans, comedit locusta parva* (vel locusta quæ vocatur *separata*) *et quod reliquit locusta separata, comedit sarsur*, quæ etiam est locustæ species, ut mox dicam. Unde patet Syrum per has quatuor Joelis plagas accipere quatuor locustæ species. Syro plane consentit Arabicus uterque.

Dices : Si bruchus est pullus locustæ instar vermis, carens alis, quomodo ergo Jeremias cap. 51. 14. dat ei aculeum eumque vocat aculeatum, et Nahum cap. 3. 16. dat eis alas eumque vocat alatum ?

Resp. nomen bruchi subinde extendi ad alias locustarum species, ac complecti attelabos et ophiomachos. Opponitur enim locustæ : ergo sicut locusta omnem perfectam, ita bruchus omnem imperfectam locustam (quales sunt attaci, attelabi, ophiomachi, qui alati, et pedibus, dentibus et cauda aculeati sunt) significat. Sic agnos, hædos, vitulos subinde vocamus, non tantum pullos recenter natos, sed adultiores etiam et grandiores, puta juvencos anniculos, vel biennes, usque dum generare incipiant: imo Hebræi vaccas novellas dum primo pariunt, vocant עגלות *eglot*, id est vitulas. Id ita esse patet ex S. Hieron. qui est auctor Versionis nostræ : ipse enim scribens in Nahum 3. per *ielec*, quem hic vocat bruchum, accipit attelabum. *Attelabus*, ait, *quem significantius comestorem interpretatus est Aquila, parva locusta est inter locustam et bruchum, et modicis pennis reptans potius quàm volans, semperque subsiliens, et ob hanc causam ubicumque orta fuerit, usque ad pulverem cuncta consumit, quia donec crescant pennæ, abire non potest.* Et mox : *Confertur exsilienti attelabo*, etc. Hinc Aldrovandus, lib. de Insectis, cap. de brucho, p. 406: *Bruchus*, inquit, *S. Scripturæ differt à brucho profanorum, sicut perfectum ab eo quod suam perfectionem necdum est consecutum.* Et Cœlius lib. 3. Variar. lect. 25. docet locustas quaslibet rodentes sata, vocari bruchos, et attacos, et mastacas, uti est apud Nicandrum. Et Quinquarboreus in cap. 4. Amos censet bruchum esse locustæ genus, quod præter numerum et copiam, volatu etiam præstet celeriore, et latius quàm cætera extenditur, pluresque agros celerius conficit et consumit, ideoque à Jeremia vocari aculeatum. Quocirca Chal. hìc pro *ielec*, sive brucho vertit פרחא *pircha*, id est motitans, cursitans, volitans (radix enim פרח *perach* significat motitavit se, volitavit, cursitavit), eo quod huc atque illuc vastando fruges cursitet et subsiliat. Ex dictis patet vocem bruchus significare infimam et minimam speciem locustæ, cum cæteræ omnes species numerantur; cum vero illæ subticentur, pro illis substitui, ut bruchus jam sit attelabus, jam ophiomachus, jam quælibet alia locustarum species. Quocirca cum Jeremias bruchum vocat aculeatum, et Nahum alatum, nomen bruchi extendunt ad attelabum, ophiomachum, aliasque locustæ majoris species, hasce species enarrat Moses Levit. 11. ubi earum esum Hebræis concedit.

Et residuum bruchi comedit rubigo.] Quarta est hæc segetum et germinum pestis et plaga, scilicet rubigo. Hæbr. est חסיל *chasil*, id est perditor, depastor, absumptor, à rad. חסל *chasal*, id est assumpsit, eo quod omnia vastet et perdat, ac nil reliquum faciat. Recentiores, Pagnin. Arias et alii censent esse tertiam locustæ speciem, eamque voracissimam : primam enim vocavit Joel bruchum, secundam *locustam*, tertiam *chasil* : itaque pro *chasil* vertunt *locustam* Septuag. et Noster Isaiæ 33. 4. et 2. Paral. 6. 28. Unde nonnulli per rubiginem hìc accipiunt animal : Rubigo, inquiunt, est vermis qui maxime rorem sequitur. Hinc Aldrovandus in locusta, citans S. Hier. Rubigo, inquit, rorem noxium sequitur, qui cum in folia depluit, sole superveniente animatur et vivit, varieque plantis nocet.

Suffragatur Syrus, qui pro *chasil* vertit *sarsur* : de quo Illustriss. Dominus Sergius Risius, Archiep. Damascenus, natione Syrus, hæc mihi Romæ asseveravit : Sarsur, inquit, est animal in Syria parvulum ut locusta, imo è genere locustarum; sed à locustis vulgaribus differt, quod locustæ interdum, et certis quibusdam annis pro cœli et auræ temperie proveniunt; hoc autem continuum et perpetuum est. Estque duplex : ejus enim unum genus domesticum est, aliud sylvestre. Quatuor prorsus ut locusta pedes habet, et alios duos parvulos quibus cibum ad se trahit et comedit. Colorem habet nigrum et dorsum planum. Differt etiam à locustis; quod sylvestre valde nocet frumento et herbis, non autem arboribus ut locustæ, quæ ficuum et aliarum arborum corticem omnino corrodunt. Permolestum est ob sonum et strepitum, quem ingentem præcipue noctu excitat, præsertim apud aquas in Ægypto, ubi post Nili inundationem una cum ranis procreatur et remanet; adeo ut ibi horum animalium copia fuerit, homines ob eorum strepitum et damna quæ inferunt, habitare nequeant. Aliud ejus genus est domesticum, habitans cum hominibus, quod in trabibus degit, earumque pulvere et excrementis vesci perhibetur, molestum quoque ob rumorem et strepitum.

Verum pro hebr. *chasil*, hìc vertunt *rubigo*, non *locusta*, Septuag. Chaldæus, Vatabl. et alii, æque ac psalm. 78. 4. et alibi. Hæbrea enim nomina, præsertim animalium, arborum, gemmarum, lapidum, etc. sunt amplæ et variæ significationis, nuncque unum, nunc aliud significant. Quocirca *chasil* vertunt nunc locustam, nunc bruchum, nunc rubiginem : rubigo enim non minus quàm locustæ segetes absumit. Porro rubigo, vel robigo Latinis significat vitium segetum, non locustam. Est enim rubigo, sive aurugo, vel ærugo vitium segetum ex corrupto aere, et quasi earum morbus regius, quo scilicet culmi pallescunt in modum auri vel æris, itaque paulatim arescunt et evanescunt. *Rubigo*, inquit Albertus hic, *est ros incensus ab aere defluens, qui primo ad minii colorem, postea in fuliginem convertit segetes marcidas, et in pulverem fœtidum versas ac friabiles.* Agricolæ *nebulam* vocant. Dicitur *rubigo* à rubedine : quia rubras facit segetes, uti et metalla, cum situm contrahunt. Hinc Apuleius lib. 3. Florid. *Profecto*, ait, *ut gladius usu splendescit, situ rubiginatur, ita vox in vagina silentii, condita diutino torpore hebetatur.* Et Plinius lib. 18. 17: *Rubigo maxima segetum pestis, lauri ramis in arvo defixis, transit in earum folia ex arvis.* A rubigine dicta sunt Rubiginalia, id est festi dies et sacra ad amoliendam rubiginem instituta à Gentilibus, qua-

les sunt supplicationes amburbiales in diebus Rogationum apud Christianos, quæ eadem de causa peraguntur. Hinc Plinius lib. 18. 19 : *Rubiginalia*, inquit, *Numa constituit, quæ nunc aguntur ad septimum Calend. Maii : quoniam tunc fere rubigo segetes occupat.* Hæc de littera. Jam

Quæritur quid hæ quatuor plagæ, puta eruca, locusta, bruchus et ærugo significent ;et an litteraliter ut sonant, an symbolice sint accipiendæ.

Multi eas ut sonant accipiunt, ut significet Joel vere ab hisce animalculis ob scelera sua vastatam fuisse Judæam, indeque sterilitatem ac famem ei inductam. Unde censent hic prædici famem septem annorum, quam Elisæus quoque prædixit sub Joram 4. Reg. 8. v. 1. et 2. Hanc enim famem aiunt fuisse inductam per erucas, locustas, bruchos et rubiginem per quatuor annos sibi invicem succedentes, ac insuper durasse tres alios annos, quibus Deus clausit cœlum ne plueret. Ita Remigius, Ruffinus, Lyran. Vatabl. Arias, R. Salomon et alii Rabbini. Theodoret. vero putat prædici hic sterilitatem et famem biennalem, quam prædicit Amos cap. 4. 9. ubi minatur Israelitis aruginem, sive rubiginem et erucas, æque ac Joel hic. Verum Joel diu post Elisæum et Joram prophetavit cum Osee, sub Ozia et posteris ejus, uti dixi in proœmio. Amos autem prophetat Samariæ, id est decem Tribubus, ut patet Amos 1. 1. non duabus, uti facit Joel : nec meminit locustæ et bruchi, quæ nominat Joel. Quare si ad litteram hæc accipias uti sonant, de ipsa eruca, brucho, locusta et rubigine, alio tempore in Judæa illa contigisse necesse est. Multa enim comminantur Prophetæ, quæ omnia re ipsa accidisse credimus, etiamsi illa alibi non narrentur. Unde Joel cap. 2. 24. consolans suos hisce plagis afflictos, spe melioris sortis et fertilitatis : *Implebuntur*, inquit, *areæ frumento, et redundabunt torcularia vino et oleo. Et reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus et rubigo, et eruca, fortitudo mea magna, quam misi in vos, etc.* Ergo vere eis immisit erucas, locustas, bruchum et rubiginem. Adde : hasce et plures alias plagas comminatus est Hebræis Moses Levit. 26. 22. et Deuter. 28. 22, si ipsi Deum desererent eumque offenderent. Ergo cum eum tempore Joelis offenderint, ideoque excisi sint, verisimile est illas plagas Deum eis irrogasse, ac minas suas explesse. Insuper, naturale et ordinarium Dei flagellum est sterilitas et fames invecta per erucas, locustas, bruchos et rubiginem.

Præclare S. Chrysost. hom. *Quod nemo læditur nisi à se ipso : Omne*, inquit, *quod est in rebus, habet aliquid quo corrumpi possit ac lædi : lanam tinea, ovium greges lupus, vinum aceti permutatio, dulcedinem mellis amaritudo corrumpit : lolium segetibus nocet, grando vineam lædit, virgulta ac diversa plantaria locustæ ac bruchi exercitus vastant, et singulis quibusque corporibus variæ morborum species inferunt corruptelam.* Plinius lib. 11. 29. cum ostendisset quàm ingenti copia locustæ vento sublatæ gregatim maria volando tranent : *Tanquam*, inquit, *parum sit maria transisse, immensos tractus permeant, diraque messibus contegunt nube, multa contactu adurentes, omnia vero morsu erodentes, et fores quoque tectorum.* Quanta damna locustæ variis provinciis intulerint, multis exemplis et historiis docet Aldrovandus in locusta pag. 422. et seq. Exstat emblema Alciati cum lemmate : *Nihil reliqui*, hoc carmine explicatum :

> Scilicet hoc deerat post tot mala, denique nostris
> Locustæ ut raperent quidquid inesset agris.
> Vidimus innumeras Euro duce tendere turmas,
> Qualia non Atilæ, castraque Xerxis erant.
> Hæ fœnum, milium, farra omnia consumpserunt :
> Spes et in angusto est, stant nisi vota super.

Hinc Ægyptiis locusta erat hieroglyphicum famis, ait Pierius lib. 28. Porro refert Theodoretus in Philotheo, S. Aphraatem agrum cujusdam supplicis sibi, aspersione aquæ benedictæ ab exercitu locustarum, qui Persidem vastabat, tutatum esse, ita ut eum tangere non auderent. Idem fecisse S. Vincentium Fererium in agro Murisiæ, civitatis in Hispania, testatur auctor vitæ ejus l. 3. sub finem. Sic S. Theodorum prece sua locustas agros populantes enecasse scribit Georgius presbyter in ejus Vita, lib. 2.

Verum esto hæ plagæ ad litteram accipi possint ut sonant, tamen per eas symbolice et potius significantur hostes vastaturi Judæam. Sic enim eas explicat ipse Joel v. 6 : *Gens enim ascendit super terram fortis et innumerabilis, dentes ejus ut dentes leonis.* Et v. 15 : *A a a diei, quia prope est dies domini, et quasi vastitas à potente veniet !* Et cap. 21 : *Venit dies Domini, dies tenebrarum, etc. quasi mane expansum super montes, populus multus et fortis.* Et v. 4 : *Quasi equites sic current, etc.* Ita S. Hier. Theod. Lyr. Hugo, Ribera, Emmanuel, Sanchez et Mariana qui ait : Utrumque, scilicet fames et bellum, hic significatur. Est ergo hic ænigma, sive allegoria et parabola continua, significans hostem hosti successurum, cladem cladi usque ad excidium et internecionem Judæorum. Simile est Isaiæ 24. v. 17 : *Formido et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ. Et erit, qui fugerit à facie formidinis, cadet in foveam, et qui se explicaverit de fovea, tenebitur laqueo.* Et Jerem. 48. 43 : *Pavor, et fovea, et laqueus super te, ô habitator Moab. Qui fugerit à facie pavoris cadet in foveam ; et qui conscenderit de fovea capietur laqueo.* Et c. 15. 2 : *Qui ad mortem*, scilicet destinati sunt à Deo, *ad mortem*, supple ibunt : *et qui ad famem, ad famem ; et qui ad captivitatem, ad captivitatem. Et visitabo super eos quatuor species, dicit Dominus : gladium ad occisionem, et canes ad lacerandum, et volatilia cœli et bestias terræ ad devorandum et dissipandum : et dabo eos in fervorem universis regnis terræ, propter Manassen filium Ezechiæ regis Juda, super omnibus quæ fecit in Jerusalem.* Quo forte alludit hic Joel. Simile est illud Homeri Odyss. ε :

> Tradebat Notus hunc Boreæ quandoque vehendum :
> Nunc rursum Zephyro jactandum tradidit Eurus.

Et Iliad. τ :

> Tristia perpetuo mihi tristibus excipiuntur.

Sic Ausonius in epigram. eleganter hosce vocat *labores* (et dolores) *catenatos*, cum labor ex labore, dolor ex dolore seritur. Hinc adagium : *Malorum panegyris*, quo utitur Pisides apud Suidam : *Omnes*, inquit, *simul malorum ut in panegyre, alios tenebat aliud infortunium.* Huc spectat illud Diogenianum : *Mali thripes, mali rursum ipes*, de duplici ac multiplici malo dici solitum. Thrips enim vermiculus est, qui lignis innascens ea vitiat : ips item cornibus et vitibus

infestus. Et illud Socratis apud Athenæum l. 9: *Malis ter mala eveniunt.* Et illa: *Ilias malorum; thesaurus et lerna malorum; agmen et mare malorum*, cum malum malo velut unda undæ, fluctus fluctui succedit eumque protrudit; quibus utitur Euripides in Ione dicens: *Me miseram, ut ingens panditur thesaurus, ac penus malorum.* Et Eschylus in Supplicibus:

Tantum malorum pelagus aspicio miser,
Unde enatandi nulla spes alluceat.

In hoc pelago volutantur damnati in gehenna. Causa adagii est quod sæpe erucis succedant locustæ, locustis bruchi, brucho erugo, eaque ingentes calamitates afferant, idque agminatim instar exercitus et aciei hostilis. Hinc castra Madian, quæ prostravit Gedeon, comparantur locustis. Judic. 6. 5. uti et Apocal. 9. 1. exercitus dæmonis, in fine mundi afflicturus impios, turmis locustarum assimilatur. Adde locustas, bruchos et erucas non raro præire et prænuntiare hostium adventum, et bellorum strages, ut liquet ex historiis. Inde locusta ab Hesychio, Nicandro, Suida, Theocrito idyl. 10. et aliis vocatur μάντις, id est vates, vel divinatrix et prænuntia, quod semper famem prænuntiet et inferat, sæpe etiam hostium incursus et clades, licet aliam quoque causam det Cælius lib. 30. 22. *Mantis*, inquit, *locustæ genus est, quæ in stipulis enascitur, virens colore, corpore prælongo, pedibus item prælongis, quos et agitat assidue. Aristarchus in commentario Lycurgi scribit locustam hanc si quod inspexerit animal, protinus illi quippiam prædicere mali: unde mantis vocatur, quæ noxii molestique aspectus est: vel dicitur mantis, quod locustis adventantibus præsagium sit ingruentis penuriæ.*

Exempla pauca, sed rara è multis accipe, quæ recenset Aldrovandus pag. 425. Anno, inquit, Domini 1534, locustæ illæ quæ ab Oriente per Illyricum stupendis agminibus in Italiam convolarunt, maximaque passim damna dederunt, Turcarum adventum portendere visæ sunt. Nam et Turca Rhegium occupavit, Romæque trepidatum est, dum Hostiæ subsedisset; Niceam cepit, Christianorum multa millia in servitutem abduxit. Tamberlanes, referente Crantzio, Hierosolymam expugnare statuerat; sed cum bruchi exercitum ejus vexarent, admonitum se interpretatus à Deo, ea re temperavit. Primam expeditionem sacram (ut Sigonius testatur) Hierosolymitanam anno Domini 1096. Claromonte institutam, locustarum repente nata vis tanta præcessit, ut nubium instar solis lucem adimerent. Mirum quod scribit Greg. Turonens. duas acies locustarum per Arvernum atque Lemovicum transeuntes Romaniacum campum ingressas, ibidem prælio inter se conflixisse, ingentemque stragem edidisse, cum Clotarius cum Chranno filio suo esset pugnaturus: quem deinde victum unà cum uxore et filiis comburi jussit.

Sed quinam fuerunt hi hostes vastatores Judææ, quos per erucas, locustas, bruchos et rubiginem denotat et repræsentat Propheta? Hebræi et eos secuti S. Hieron. Rupert. Haymo, Hugo, Lyran. et Dionys. censent hic significari quatuor orbis monarchias sibi invicem succedentes, quæ afflixerunt Judæos: scilicet per erucas significari Assyrios et Babylonios: per locustam Medos et Persas: per bruchos Græcos, ac præsertim Antiochum Epiphanem, contra quem pugnaverunt Machabæi; per rubiginem Romanos. Has enim quatuor monarchias simili modo recenset et depingit Daniel c. 2. et c. 7. per quatuor bestias, ac Zacharias c. 1. et c. 6. per quatuor quadrigas. Verum Persæ et Medi, ut Cyrus et Darius, Judæos non afflixerunt, quin potius è Babylone eos liberarunt: afflixit tamen eos Cambyses, impediens fabricam templi, 1. Esdræ 2. Per rubiginem vero non intelligi Titum et Romanos, qui Hierosolymam exciderunt, patet ex eo quod hisce plagis Propheta c. 2. 18. remedium afferendum dicit à Christo: Christus autem cladem Hierosolymæ per Titum illatam non reparavit, imo eam antecessit ac prædixit.

Secundo, Theodor. per quatuor hasce plagas accipit solos Assyrios et Babylonios, qui Israelitas vastarunt: scilicet per erucam accipit Teglatphalasar, per locustam Salmanasar, per bruchum Sennacherib, per rubiginem Nabuchodonosor. Verum primi duo tantum vastarunt decem Tribus, non duas, de quibus hîc agitur. Joel enim Judæ duntaxat et Jerusalem vaticinatur clademque minatur, uti ostendi in Prooemio, ac ut ibidem dixi, videtur id fecisse sub Manasse, quando jam excisæ erant decem Tribus.

Tertio ergo, aptius et verius S. Hieron. per quatuor hasce plagas accipit Nabuchodonosorem, qui in suis castris habebat varias gentes quasi erucas, locustas et bruchos, quæ populatæ sunt ita Judæam, ut quod una relinquebat, altera raperet vel vastaret. Aut potius, magisque particulatim, apposite et genuine, per quatuor hasce plagas intellige quatuor expeditiones Nabuchodonosoris, quibus sensim magis et magis carpsit Judæam et Jerusalem, donec eam excinderet; nimirum prima fuit anno 1. regni ejus (qui fuit annus 3. Joakim regis Juda), quo ipse instar erucæ terram perrepentis, leviter tantum Judæam rasit et perstrinxit. Nam duntaxat Joakim regem cum Daniele et sociis Babylonem abduxit, Daniel. 1. v. 1. Secunda fuit anno 8. ejusdem (qui fuit 11. et ultimus Joakim), quo turmas suas instar locustarum alatarum et validarum in Judæam immisit, ac summa germina carpsit. Nam regem Joakim rebellantem cepit et occidit, eique substituit filium Joachin, quem post tres menses Babylonem abduxit, surrogans ei patruum Sedeciam. Tertia fuit anno 18. ejusdem, qui fuit 11. Sedeciæ, quo instar bruchi residua germina etiam minima, erosit. Nam totum populum vel occidit, vel cepit, urbem excidit, regem Sedeciam excæcavit, filios ejus necavit, regnumque Judæorum evertit. Quarta fuit, cum post quatuor menses submisit Nabuzardan qui ut rubigo templum incendit, æque ac regiam, domosque principum, omniaque in favillas et cineres convertit.

Huc accedit, imo in re pene eadem est expositio Christoph. à Castro, qui hasce quatuor plagas adaptat quatuor Josiæ filiis, scilicet Joachaz, Joackim, Joachin et Sedeciæ, qui ob scelera Manassis vastati et occisi, vel in captivitatem abducti sunt: nimirum, ut eruca, quæ leviter tangit terram, significet Pharaonem Nechao, qui Joachas abduxit in Ægyptum, relinquens Judæam intactam, imo præficiens illi Joakim, fratrem Joachas; locustæ significent latrunculos Chaldæorum, Syrorum, Moab et Ammon, qui instar locustarum turmatim invaserunt Judæam et Joakim occiderunt: bruchus signi-

licet Nabuchodonosorem, qui post eos quasi pullus locustarum, puta bruchus, cepit Jerusalem, ac Joachin pullum, id est filium, Joakim, avexit in Babylonem; rubigo sit idem Nabuchodonosor, qui post undecim annos rursum Jerusalem cum rege Sedecia cepit, templumque ac palatia combussit, et quasi rubigo in favillas redegit, regnumque et remp. Judæorum funditus evertit.

Allegor. Hugo de S. Victore, scribens in hunc Joelis locum, per quatuor has plagas accipit quatuor persecutiones Ecclesiæ, quarum prima fuit Gentilium imperatorum, Neronis, Domitiani, Decii, Diocletiani, etc. Secunda Arii et hæreticorum, qui elati saliunt in alta quasi locustæ, quæ priori cessanti, per imperium Constantini, mox successit. Tertia malorum Christianorum, qui carnales sunt et ventres ut bruchi. Quarta Saracenorum et Antechristi, quæ quasi rubigo ferro et flamma omnia vastat et vastabit. Unde easdem pene quatuor equis, scilicet primo albo, secundo rufo, tertio nigro, quarto pallido repræsentat S. Joannes Apocal. 6. 2. et sequentibus, ut ibi dixi.

Tropol. plagæ hæ sibi succedentes significant quod unum vitium alteri, imo subinde virtuti ipsi succedat, quodque, uno abeunte, aliud nos oppugnet, ut residuum, quod prius reliquit, posterius depascatur et destruat: nimirum post erucam, quæ toto corpore repens in terra, repræsentat libidinem, superatam vel recedentem, succedit et invadit nos volans locusta, id est vana gloria et superbia. Locusta enim pedibus ambulare nescit, et cum alas vix habeat, volare nititur, ideoque inanes dat saltus. Sic et Lucifer ambiit æqualitatem Dei, ad quam assurgere non potuit, sed corruit. Idem facit superbus. Post hanc sequitur ventrosus bruchus (totum enim ejus corpus pene in ventrem colligitur), id est gula. Post hanc succedit ignea rubigo, quæ quidquid tangit incendit, puta ira et impatientia, cujus flamma omnes virtutum fructus tabescunt. Quare residuum erucæ, id est libidinis, est castitas; residuum locustæ, id est vanæ gloriæ, est humilitas; residuum bruchi, id est gulæ, est sobrietas; residuum rubiginis, id est iræ, est patientia. Residuum ergo erucæ comedit locusta, et locustæ bruchus, et bruchi rubigo: quia sæpe accidit ut è continentia et castitate oriatur inanis gloria, humilitatem sequatur ebrietas et crapula, sobrietatem excipiat ira et impatientia. Ita Hugo loco citato, et S. Greg. lib. 33. Mor. c. 27. Alii per rubiginem vel æruginem accipiunt avaritiam quæ versatur in illis, quæ ærugo et tinea demolitur: ærugo enim aurum et argentum depascitur. Porro primum, puta luxuriam, docuit corrupta natura: secundum, puta superbiam, invenit Lucifer: tertium, scilicet gula, parentes nostros perdidit, Adamum et Evam: quartum gigantes et tyranni à Cain prognati adinvenerunt.

Symbolice, sive physice, S. Hieron. per hæc quatuor accipit quatuor passiones et ægritudines animi, puta gaudium, tristitiam, spem et metum, quæ faciunt quasi quadrigam cursus et subtilitatis vitæ nostræ: mox enim gaudio succedit tristitia, tristitiæ spes, spei metus, hisque quatuor affectionibus, continua successione agitatur et jactatur anima hominis, præsertim mundani et peccatoris.

Eruca repræsentat ægritudinem tristitiæ, locusta gaudium, bruchus metum, rubigo spem. Audi S. Hieron.: *Has perturbationes uno, et nec pleno versiculo illustris Poeta comprehendit: Hi metuunt, cupiuntque (hoc de futuro) dolent, gaudentque (hoc de præsenti); neque auras, inquit, respiciunt, clausi tenebris et carcere cæco. Qui enim perturbationum tenebris obvolvuntur, clarum sapientiæ lumen non valent intueri. Cavendum est igitur ne ægritudo quasi eruca nos comedat, ne locusta vastet in gaudio, huc illucque volitans, et gestiente lætitia per diversa se jactans: ne bruchus, id est, pavor et futurorum metus, radices sapientiæ devoret: ne rubigo et desiderium futurorum res inutiles concupiscat, et nos perferat ad ruinam: sed ut in omnibus quatuor quadrigas, et quatuor cornua, et quatuor equos, rufos, et varios, et albos, et nigros, id est vel adversa, vel prospera, vel ex utroque sociata frenis sapientiæ gubernemus.* Subdit deinde: *Ego reor erucam esse insipientem in animo passionem; quæ tarda est et discurrere non potest, et mora ipsa ac pertinacia ebibit, et exsugit omnem virorem, quam si non occiderimus, in nobis crescit, et avolat, et nunc devorat quidquid attigerit, nunc semesa dimittens pergit ad alia, revertensque ad pristinam sedem bruchus efficitur, ut non solum fruges, et folia, et cortices, sed et ipsam medullam devoret tarditate.* Hisce verbis, ut hoc obiter notem, indicat S. Hier. erucam esse vermiculum, qui crescens fiat bruchus, ac deinde evadat locusta. Sic et alii nonnulli pullum locustæ vocant vermem et erucam.

Audi S. Paulinum epist. 30. quæ est ad Aprum secunda: *Vide*, inquit, *qualiter ista sibi congruant in cordibus nostris monstra vitiorum, qualia in frugibus accidunt vitia monstrorum. Nam (verbi gratia) si quid vetitum concupiscam, et mox abjiciam cogitationem, eruca est in folio sedens, quæ decussa, si abjecero quidem, sed rursus redierit cogitatio, et cœperit abjici, et redire crebrescat, locusta est avolans et revertens. Quod si cœperit immorari, et majus habuerit spatium in comedendo, quàm avolando, bruchus dicitur. Quod si ipse bruchus qui non satis avolat, sed magis sedet, non fuerit abjectus, in rubiginem vertitur: quæ jam penitus inhærescens, ut de stipula, sic de anima nunquam, aut difficile expellitur.*

Qui ergo mentis quietem et celsitudinem ambit, has passiones inter se jugiter conflictantes supprimat et edomet: sic erit imperturbabilis, quietus, excelsus, felix: vide dicta Apocal. 3. v. 21. in fine.

5. EXPERGISCIMINI, EBRII (proprie *à vino*, ut habent Septuag.) ET FLETE QUI BIBITIS VINUM IN DULCEDINE (Chald. *vinum merum;* Pagnin. et Vatabl. *mustum* jam expressum: hoc enim est עסיס *asis*, à rad. עסס *asas*, id est pressit, expressit) QUONIAM PERIIT, hebr. *excisum est*, id est brevi exscindetur, AB ORE VESTRO.]. Per erucas, locustas, bruchos et rubiginem, id est, per Chaldæorum turmas, incursus et populationes, quas Deus vineis agrisque vestris immittet. Ita Chald. Lyran. et Arias.

Tropol. voluptates omnes, æque ac passiones et perturbationes mentem inebriant, id est dementant, recto judicio privant, sopiunt, excæcant, ac insensibilem suique impotem efficiunt, perinde ac ebrietas hæc eadem causare solet in corpore et capite. Ita S. Hier. Remigius, Theod. Albert. Hugo. Audi S. Hier.: *Nulla res ita ine-*

briat, ut animi perturbatio. Est ira quæ justitiam Dei non operatur, et furori proxima, mentis suæ impotentem facit, in tantum ut labia tremant, dentes concrepent, vultus pallore mutetur; recteque illud laudatur Architæ Tarentini, qui cum villico suo esset iratus: Jam te, inquit, occiderem, nisi iratus essem. Quid referam de gaudio et voluptate, et maxime de amore, qui excæcat cordis oculos, et nihil aliud amantem nisi id quod amat, cogitare permittit? An non est dicenda ebrietas, cum propter vile scortum, et ignominiosam corporis partem, animæ libertas in serviles blanditias inclinatur? cum laborem suum alterius facit esse delicias? cum furto, scelere atque perjuriis opes futuræ præparat voluptati, et cum videatur ab omnibus, se æstimat non videri, dummodo potiatur eo quod desiderat. Sed et avaritia excæcat animum ejus cui nihil satis est, et muliebris amor, et dulcium cupido vitiorum. Addit S. Hier. Deum peccatori non raro auferre hæc dulcia, quæ eum deceperant, *Ut*, inquit, *Deum non cognoverunt in prosperis, cognoscant in adversis; et qui divitiis male usi sunt, ad virtutes penuria corrigantur*, imo cogantur. Sicut ergo virtus est animæ sobrietas et sapientia, ita vitium quodlibet est animæ ebrietas et insania, quam causat vinum malitiæ expressum ex uva cupiditatis, quod ei propinat dæmon. Audi et S. Gregor. 33. Mor. c. 27 : *Ebrii vocati sunt, qui mundi hujus amore confusi, mala non sentiunt quæ patiuntur.* Quid est ergo dicere : *Expergiscimini, ebrii, et flete, nisi somnum vestræ insensibilitatis excutite, et in devastatione cordis tot sibi succedentibus vitiorum pestibus, vigilantibus lamentis obviate?*

6. GENS ENIM.] S. Hieron. per *gentem* metaphorice accipit locustas. Simili enim tropo de iis dixit Sapiens Proverb. 30. 25 : *Formicæ populus infirmus, lepusculus plebs invalida.* Et : *Locusta regem non habet, sed egreditur universa per turmas suas.* Et Apoc. 9. vers. 1. et seq. myriades exercitus dæmonis immittendi in impios in fine mundi, vocantur *locustæ.* Sic et Theod. Ruffin. à Castro, Mariana, Emmanuel et alii. Unde c. 2. Joel locustas hasce comparat equis, equitibus et quadrigis : *Quasi aspectus*, ait, *equorum aspectus eorum, et quasi equites sic current*, etc. *Velut populus fortis præparatus ad prælium.* Est ergo hîc continua metaphora, sive allegoria. Nam toto hoc cap. et seq. loquitur de exercitu Chaldæorum Judæam populantium, sub allegoria locustarum, quæ agros vastare solent et omnia obvia, quacumque eunt; *ut, cum locustas legeris, hostes cogites, cum hostes cogitaveris, redeas ad locustas*, ait S. Hieron. Unde consequenter populum Judæorum comparat vineæ et ficui, quas arrodere solent locustæ, juxta illud Isaiæ 4. 7 : *Vinea Domini exercituum domus Israel est, et vir Juda germen ejus delectabile.* Locustæ ergo sunt Chaldæi : ficus et vinea sunt Judæi et Judæa. Hinc et Christus Lucæ 13. 6. Judæorum impiorum excidium significavit per ficum sterilem, quam paterfamilias jussit exscindi : et Jeremias c. 24. per ficus bonas et malas significavit Judæos bonos et malos. Sic Virgil. de formicis ait Georg. 4 :

> It nigrum campis agmen, prædamque per herbas
> Convectat.

DENTES EJUS (gentis, puta locustarum, hoc est Chaldæorum) UT DENTES LEONIS,] q. d. Chaldæi numero innumeri, robore fortissimi, gladiis quasi dentibus omnia lacerabunt et succident, ac si leones essent, et leoninis dentibus prædam avide, celeriter, audacter et crudeliter discerperent. Sic S. Joannes locustis, id est, exercitui dæmonis in fine mundi, qui omnia vastabit, dat dentes leonum, Apocal. 9. v. 8. utique alludens ad has Joelis locustas, quasi præambulas et antitypas.

ET MOLARES (dentes) EJUS, UT CATULI LEONIS.] Ita et Septuag. et Chald. *Catulum* intellige grandiorem et provectum (hunc enim significat hebr. לביים *labim*), qui ut juvenis ferox et robustus, dentibus suis omnia molit, frangit et comminuit. Habet enim dentes acutiores et firmiores, utpote non attritos, sed recentes et integros. Unde Scriptura dentes leunculorum celebrat ut Job. 4. 10 : *Rugitus leonis, et vox leænæ, et dentes catulorum leonum contriti sunt.* Horum enim dentes valentiores et violentiores sunt : nam ob ætatem et continuam prædæ lacerationem leonibus grandævis dentes sæpe comminuuntur, vel excidunt, uti docet noster Pineda ibidem. Notat Theodor. quod, sicut locusta post se ducit bruchos minores et graciliores, et sicut leo post se ducit catulos; sic Chaldæi bellicosi et strenui secum ducunt alias gentes minus fortes, minusque in bello expertas, non minus tamen feroces et noxias, ad vastandam Judæam. Rursum, sicut per dentes, Chaldæorum gladios; sic per molares balistas, arietes, aliasque machinas, quibus concusserunt Hierosolymam, intellige. Ita à Castro.

Tropolog. Rupert. notat per locustas hîc nos doceri, quod etiam infirmi, viles et abjecti, uti sunt locustæ, contra eos quibus Deus irascitur, robusti sint, invicti et sævi, Deo dante illis robur, animos et iras : unde Deum per tales solere contundere fastus arrogantium, uti per locustas, ciniphes, muscas et ranas contudit arrogantiam Pharaonis tempore Mosis. Rursum, detractor vocatur *locusta* : blandus enim et gracilis videtur in narratione lepida, sed habet linguam et dentes leonis, uti docet noster Viegas Apoc. 9. 8. com. 2. sect. 9. Denique de peccato quolibet dicitur Eccli. 21. 3 : *Dentes leonis dentes ejus, interficientes animas hominum.*

ET FICUM MEAM DECORTICAVIT.] Solent locustæ arrodere cortices arborum, qui arborum succum et calorem quasi vestes fovent et continent. Unde iis arrosis vel ablatis, rami quasi tunicis suis exuti, virore deperdito, albi fiunt et exsucci, et arescunt, ac quasi projecti in terram corruunt. Ita S. Hieron. *Ficus* significat sacerdotes et principes, qui in populo Judaico eminebant, sicut ficus in vinea, quique populum S. Script. sapore divino, et legum sanctarum dulcedine, quasi ficus pascebant et recreabant, quos Chaldæi vel vita, vel libertate, vel opibus, quasi corticibus spoliarunt. Ita Ribera.

Tropol. cortex et tegmen virtutum est humilitas, quam si tollas, peribunt omnes. Ita S. Greg. cujus mox verba recitabo.

ET PROJECIT,] tum fructus, cortices et folia, quæ arrosit; tum surculos, et ramos teneriores : hos enim arrodendo succidit et dejicit locusta : ipsamque denique ficum omni sua veste spolians, et arefaciens talem efficit, ut à colono succidi, et in focum projici debeat. Tales fuere Judæis Chaldæi, æque ac Christianis Hunni, Alani, Gothi, Wandali, et etiamnum sunt Turcæ; qui quasi erucæ, bruchi, locustæ,

et rubigo, sibi ordine succedentes, orbem Christianum populati sunt, et etiamnum populantur.

Tropolog. idem in animabus fidelium faciunt dæmones, ait S. Hieron. item hæretici, ut Lutherus, Calvinus: ac lenones, parasiti et morum corruptores. Hi enim omnes pietatis fructus, omnes cæremonias, quasi folia, omnem Sacramentorum efficaciam, quasi corticem arrodunt, omnemque Ecclesiæ, æque ac animæ ornatum, opes, felicitatem et gloriam evertunt et dissipant, eamque faciunt inopem, aridam, desolatam et mortuam, instar ficus et vineæ à locustis erosæ, ac in desertum redactæ.

Rursum, id in bonis operibus facit vana gloria. Audi S. Gregor. 8. Moral. 30: *Insidiantibus spiritibus* (dæmonibus) *Dei vinea in desertum ponitur, cum plena fructibus anima humanæ laudis cupiditate dissipatur. Ficum Dei gens ista decorticat, quia seductam mentem in favoris appetitum rapiens, quo hanc ad ostentationem pertrahit, tegmen* (quasi corticem) *quo vestitur, ei humilitatis tollit, eamque nudans exspoliat,* etc. *Albi facti sunt rami ejus: quia ostensa humanis oculis ejus opera candescunt; de sanctitate nomen sumitur, cum recta actio divulgatur; sed subducto cortice rami arescunt: quia facta arrogantium humanis oculis ostensa, unde placere appetunt, inde siccantur. Mens itaque quæ per jactantiam proditur, decorticata recte ficus vocatur: quia et candida est, per hoc quod cernitur; et siccitati proxima, per hoc quod tegmine corticis nudatur. Intus ergo servanda sunt quæ agimus, si ab interno arbitro vicem recipere nostri operis exspectamus.*

8. PLANGE QUASI VIRGO ACCINCTA SACCO,] q. d. O Jerusalem, dire plange et lamentare, quod à Deo sponso tuo, cui in adolescentia et virginitate tua (scilicet cum primum nascereris in Ægypto) nupsisti, sis deserta, et tradita hostibus Chaldæis, sicut virgo quæ recens nupta fuit, amarissime solet plangere, cum perdit virum suum, cui primo pubes effecta nupserat, quem proinde intime et tenerrime diligebat. Unde Septuag. vertunt, ἄνδρα παρθενικὸν, id est virum virgineum, cui scilicet se virginem in uxorem tradiderat: *Plange,* inquiunt, *super virginem* (id est, præ virgine magis quàm virgo) *præcinctam cilicio, quæ plangit super virum suum virgineum,* quem mors ei abstulit. Ubi adverte hebr. *sac*, id est saccum, Septuag. vertere *cilicium.* Erat enim saccus vestis aspera et lugubris lugentium et pœnitentium, qua utebantur in funere suorum luctus ergo, vel in publica calamitate pœnitentiæ causa, ad Deum propitiandum, ut is cladem averteret. Simili modo Ezech. c. 16. 8. hortatur Synagogam ad pudorem et dolorem, quod Deum sponsum suum dereliquerit, qui eam juvenculam, et miseram ac projectam in Ægypto sibi despondit, ut reginam vestiens subtilibus, armillis, torquibus, ac corona in capite eam coronans. Sic et Jerem. cap. 2. 2: *Recordatus,* ait, *sum tuî, miserans adolescentiam tuam et charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto, in terra quæ non seminatur.* Et c. 3. 4: *Saltem amodo voca me: Pater meus, dux virginitatis meæ tu es.* Porro cubabant in sacco non solum noctu, sed et per diem in gravi calamitate, cum Deo fiebant supplices, ut eum ad commiserationem hoc habitu commoverent. Vide Sanchez. hic.

Tropol. plangat anima quæ per peccatum deseruit Deum, cui in baptismo se desponderat, juxta illud Apostoli 2. Cor. 11. 2: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Hæc enim à Deo vicissim deserta, omni gratiæ et virtutum dulcore et decore spoliata, quasi vinea et ficus comesta à locustis, mancipata et prostituta est dæmoni, qui ea quasi scorto vilissimo abutitur pro sua libidine et tyrannide ad omnem malitiam, injuriam, opprobrium et miseriam. *Anima enim,* inquit Hugo de S. Victore, *est virgo conditione naturæ, virgo privilegio gratiæ, virgo quoque præmio gloriæ. Animam siquidem meretricem facit inordinata concupiscentia: castitatem ei reddit virilis pœnitentia: virginitatem sapiens innocentia. Fornicaria est igitur anima in prostibulo: conjugata in atrio: continens in domo: virgo in thalamo. In primo exponitur concupiscentia: in secundo opera facit pœnitentiæ: in tertio plangens virum, desiderio afficitur justitiæ; in quarto virgineis jucundatur amplexibus et oculis sapientiæ. Fornicaria igitur est anima per concupiscentiæ iniquitatem: casta per continentiæ humilitatem: continens per justitiæ puritatem: virgo per contemplationis sublimitatem. Vir ejus pubertatis Christus est desponsator virginitatis.*

Ita peccatum suum planxit S. Fabiola Romana matrona prænobilis quæ, marito adultero repudiato, alteri nubens, putans id sibi licere, eo mortuo, errorem suum et culpam agnoscens, publicam egit pœnitentiam, ac omnibus suis in pauperes erogatis, seipsam in nosocomio ægrorum ministerio mancipavit. Audi de ea S. Hier. in ejus Epitaphio ad Oceanum: *Quis hoc,* ait, *crederet, ut post mortem secundi viri in se reversa,* etc. *saccum indueret, errorem publice fateretur, et, tota urbe spectante Romana, ante diem Paschæ in basilica quondam Laterani, qui Cæsariano truncatus est gladio, staret in ordine pœnitentium, Episcopo, presbyteris, et omni populo collacrymantibus, sparsum crinem, ora lurida, squalidas manus, sordida colla submitteret?* Et inferius: *Non est confusa Dominum in terris, et ille eam non confundet in cœlo. Aperuit cunctis vulnus suum, et decolorem in corpore cicatricem flens Roma conspexit; descendit de solio deliciarum suarum, et discalceatis pedibus transivit fluenta lacrymarum: sedit super carbones ignis. Faciem, per quam secundo viro placuerat, verberabat: oderat gemmas, linteamina videre non poterat, ornamenta fugiebat.* Et mox: *Omnem censum quem habere poterat* (*erat autem amplissimus, et respondens generi suo*) *dilapidavit ac vendidit, et in pecuniam congregatum in usum pauperum præparavit, et prima nosocomium instituit. Quoties morbo regio et pædore confectos humeris suis ipsa portavit! quoties lavit purulentam vulnerum saniem, quam alius aspicere non valebat! Præbebat cibos propria manu, et spirans cadaver sorbitiunculis irrigabat,* etc. *Angusta misericordiæ ejus Roma fuit. Peragrabat ergo insulas et totum Hetruscum mare, imo Hierosolymam navigavit, etc.* Quare merito S. Hieron. eam nuncupat: *Laudem Christianorum, miraculum Gentilium, luctum pauperum, solatium Monachorum.*

Quin et S. Paula post conversionem in Bethlehem commigrans, ita delicias vitæ prioris castigavit et planxit, ut jejuniis, lacrymis, aliisque pœnis pene se conficeret. *Mollia,* ait S. Hieron.

in ejus Vita, *etiam in gravissima febre lectuli strata non habuit, sed super durissimam humum stratis ciliciolis quiescebat; si tamen illa quies dicenda est, quæ jugibus pene orationibus dies noctesque jungebat, illud implens de psalterio: Lavabo per singulas noctes lectum meum, et lacrymis meis stratum meum rigabo: in qua fontes crederes lacrymarum: ita levia plangebat peccata, ut illam gravissimorum criminum crederes ream. Cumque à nobis crebrius moneretur, ut parceret oculis, ut eos servaret Evangelicæ lectioni, aiebat: Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso et stibio sæpe depinxi; affligendum corpus, quod multis vacavit deliciis: longus risus perpeti compensandus est fletu; mollia linteamina asperitate cilicii commutanda: quæ viro, et seculo placui, nunc Christo placere desidero.* Vere S. Gregor. hom. 10. in Ezech.: *In sanctorum vita cognoscimus*, inquit, *quid in Scriptura legere debeamus.*

9. Periit sacrificium et libatio de domo Domini.] Pro *sacrificium* hebr. est מנחה *mincha*, id est, sacrificium ex farre vel pane, de quo Levit. 2. *Libatio* erat oblatio libaminis, puta vini et olei, quo sacrificia tum farrea, tum carnea condiebantur, q. d. Quia locustæ, puta Chaldæi, vastarunt agros, vineas et oliveta Judæorum, hinc periit frumentum, vinum et oleum, quod Domino de more sacrificaretur et libaretur. Quocirca *luxerunt sacerdotes*, tum quia periit cultus et oblatio Dei in templo; tum quia deficientibus oblationibus quibus vivunt (nec enim aliam habent hæreditatem), non habent unde se sustentent. Ita S. Hieron. Theod. Ribera, à Castro et alii.

10. Confusum est vinum.] Est prosopopœia, q. d. Erubuit vinum et quasi pudore suffusum est, videns se non respondere votis et laboribus vinitorum, nec spei à se datæ. Unde Septuag. vertunt: *Aruit vinum, aruerunt vites.* Hebræum enim הוביש *hobisç* proprie est præteritum *hiphil* à rad. יבש *iabasç*, id est aruit: sed quia ordines verborum imperfectorum apud Hebræos sæpe commutantur, hinc *hobisç* potest deduci à בוש *bosç*, id est confusus est, pudefactus est. Adde, si legas aliis punctis הובש *hubasç*, proprie significabit: *Confusum est gaudium*, hoc est, periit, defecit, ut jam dixi.

13. Accingite vos, scilicet saccis, sive ciliciis, ut dixit v. 8. et plangite, sacerdotes]. Vestrum enim est pro populo Deum propitiare planctu, precibus et pœnitentiis.

14. Sanctificate jejunium.] Nota: *Sanctificare* Hebræis proprie est segregare ab usibus profanis, et addicere sacris, q. d. Vos, ô sacerdotes et pontifices, ac principes, segregate, designate et indicite tempus aptum jejunio, illudque cum toto populo pure et sancte obite, et celebrate, ut placetis Deum peccatis vestris offensum. Ita Theodor. Arias et alii. Unde Chald. vertit: *Decernite jejunium*; Vatablus: *Indicite jejunium*; Tertull. libr. de Jejuniis, c. 16: *Sancite jejunium.*

Secundo, S. Hieron. Haymo, Hugo et Lyran. *Sanctificate*, inquiunt, id est sanctum facite, et condite jejunium per eleemosynas, preces, aliaque pia opera, ut v. g. quod jejunando subtrahitis ventri, detis pauperibus. Unde S. Gregor. homil. 16. in Evang.: *Jejunium*, ait, *sanctificare, est adjunctis bonis aliis dignam Deo abstinentiam carnis ostendere. Cesset ira, sopiantur jurgia. Incassum enim caro atteritur, si à pravis voluptatibus animus non refrenatur, cum per Prophetam Dominus dicat: Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra.* Et superius: *Illud ergo jejunium Deus approbat, quod ad ejus oculos manus eleemosynarum levat, quod cum proximi dilectione agitur, quod cum pietate conditur. Hoc ergo quod tibi subtrahis, alteri largire, ut unde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur.*

Vocate coetum.] Symmach. *synodum*; Aquila, *diem collectæ*, scilicet populi, quod fiebat in die festo, ut in die octava Paschæ, et festi Tabernaculorum. Unde dies hæc octava vocabatur hebr. עצרה *atsara*, id est cœtus, sive collecta populi. Septuag. κηρύξατε θεραπείαν, id est, *prædicate curationem*, id est, jejunium quo curantur peccata, ait S. Hieron. aut potius *curationem*, id est, orationem et supplicationem publicam, qua curetur Dei cultus, invocatio et propitiatio: θεραπεία enim significat famulatum, obsequium, cultum. Unde S. Dionys. Eccles. hierar. cap. 10. monachos vocat θεραπευτάς, id est cultores et famulos, qui jugiter assistunt et obsequuntur Deo. Quocirca Tertull. lib. de Jejuniis, c. 16. vertit: *Prædicate officia curantia Deum*, additque: *Unde, et qui in idolis comendis, et in hac re* (alii melius legunt, *in aris*) *ornandis, et ad singulas horas salutandis adulantur, curationem facere dicuntur.* Curatio ergo idem est quod cultura, et curator idem quod cultor. Sic Parochi vocantur à vulgo Curati, vel Curatores, quia curant cultum Dei geruntque curam Ecclesiæ et Parochianorum. Ita ex Platone Leo Castrius hic, et Pamelius in Tertull. Sic apud Gentiles, ait Tertull. *Cum stupet cœlum, et aret annus, nudipedalia denuntiantur: magistratus purpuras ponunt, fasces retro avertunt, preces indigitant, hostias instaurant.*

15. A a a diei!] q. d. Væ diei quo Jerusalem vastabitur à Chaldæis! væ Hierosolymis, væ Judæis in illo die! Hebr. est unica dictio dissyllaba אהה *ahah*, quæ est interjectio dolentis et desperantis. Noster vertit unica dictione, sed trisyllaba, *A a a*, tum quia hæc apud Latinos et Europæos est vox et suspirium summe afflicti: tum quia Hebræa aspiratio *h* sæpe per *a* vertitur, ut docet S. Hier. in Tradit. Hebr. in Genesim: sic enim pro Hebr. *Aharon* vertunt, Aaron, pro *Habel* Abel, pro *Halleluia* Alleluia.

Jam quia in Hebræo *ahah* duplex est H, et secundum est mappicatum in ventre, ac forte, quod proinde sonare et audiri debet, ita ut *ahah* licet vox sit dissyllaba, virtute tamen sit trisyllaba; hinc enim per duplex A Noster vertit, cui adde primum A in *ahah*, habebis triplex *a a a.* Quocirca Septuag. trinam pariter pro *ahah* habent vocem, ac ter repetunt, οἴμοι, οἴμοι, οἴμοι, id est, *oime, oime, oime*, vel *hei mihi, hei mihi, hei mihi in diem!* Syrus et Arabicus uterque, *heu, heu huic diei, quia proximus est dies Domini, et direptio à Deo veniet!* q. d. O tristem diem excidii, qui nobis imminet! Hinc Hugo de S. Victore per tria *a a a* putat significari trinam calamitatem et cladem Judæis à Deo per Chaldæos infligendam: *Tria siquidem*, inquit, *Babylonicæ captivitatis fuerunt infortunia: templi scilicet eversio, urbis destructio, populi transmigratio, q. d. A civitas destruetur, sed miserere civitatis sanctificationis tuæ; A templum evertetur: sed audi, Domine, orationem quam servi tui orant coram te hodie, ut sint oculi tui aperti super domum hanc die ac*

nocte. A populus tuus in captivitatem ducetur; sed miserere, Domine, plebi tuæ super quam invocatum est nomen tuum.

Allegor. Idem pathetice et eleganter refert hæc ad ruinam Judæorum tempore Christi, et ad excidium eorum per Titum et Romanos, ob repudiatum, imo occisum ab eis Christum, q. d. *A veniet qui avertet iniquitatem à Jacob, et eripiet jugum ab Israel. A et non est ei species, neque decor, et vidimus eum, et non erat ei aspectus. A et quasi absconditus vultus ejus et despectus : unde nec reputavimus eum, et putavimus eum quasi leprosum, et percussum à Deo et humiliatum. A quia vidimus, et non cognovimus. A quia audivimus, et contempsimus. A quia operantem bona accepimus, et pro nobis orantem interfecimus. Audivimus verba, accepimus beneficia, vidimus miracula, sed A verba contempsimus : A beneficiis ingrati fuimus : A miraculis detraximus. Audivimus docentem in monte; sed A surda aure transivimus : inde dolor. Vidimus eum turbas pascentem; sed A non curavimus : inde mœror. Vidimus eum pendentem in cruce; sed A contempsimus : et inde terror. Audivimus doctrinam, accepimus vitam, vidimus mortem. Doctrina illius nostram cæcitatem illuminavit : A cui non obtemperavimus. Vita ejus nostram informavit. A quam non recepimus. Mors ejus mortem nostram captivavit : A quam contempsimus, imo quam fecimus.* Idem concionator facile accommodet animæ quæ damnanda est in judicio, tum particulari, tum universali.

Symbol. et Tropol. idem : *A a a, quia sunt mala quoque tria* Judæorum, æque ac quorumlibet peccatorum : *Ignorantia, concupiscentia et miseria. Legis naturalis prævaricatio attulit ignorantiam; legis scriptæ transgressio inordinatam propagavit concupiscentiam; prophetiæ contemptus ministravit miseriam. A prævaricata est lex naturalis : inde dolor; sed vindicatum est in ea captivitate Ægyptiaca. A prævaricata est lex scripta : inde mœror, sed vindicatum est in ea captivitate Assyriaca. A contemnitur prophetia : inde terror; sed et hoc disponis vindicare captivitate Babylonica. A incidimus in miseriam quam vindicasti. A decidimus in concupiscentiam quam punisti. A incidimus in miseriam horrendam quam disposuisti.* Unde causam doloris fusius explicans Joel subdit, aitque Synagogam, æque ac animam, peccando perdidisse omnes suas opes et delicias : *Periit*, inquit, *sacrificium, id est, mortificatio carnis; et libatio, id est, fletus compunctionis; et regio, id est, serenitas conscientiæ : humus, humilitas cognitionis propriæ : triticum, amor justitiæ : vinum, fervor sapientiæ : oleum, odor misericordiæ : ficus, dulcedo contemplationis, et æternorum suavitas : hordeum, abjectio pœnitentiæ : agricolæ, tum efficaces concionatores et pastores, tum gemitus et motus confessionis : vinitores, desideria compunctionis et suspiria contemplationis : palma, contemptus terrenorum : malogranatum, tum charitas unionis fraternæ, tum ardor et sitis præmiorum : malum simplex : boni affectus : ligna alia, cæterarum virtutum sunt desideria : vel potius opera et profectus. His amissis, confusum est gaudium quibus possessis, ordinatum et gloriosum disponitur præmium.*

QUIA PROPE EST DIES DOMINI, puta dies judicii, et vindictæ Domini, quam in Jerusalem exeret per Chaldæos, ET QUASI VASTITAS A POTENTE VENIET.] Hebr. est pulchra et nervosa paronomasia כשוד משדי *kescod misscaadai*, id est, quasi vastitas potens à vastante potente veniet; *scadai* enim est nomen Dei, et Deum vel misericordem, vel potentem et vastantem significat, uti dixi Genes. 17. 1.

16. CORAM OCULIS VESTRIS. Ita et Septuag. licet Hebr. et Chald. habeant : *Coram oculis nostris*; sed eòdem redit sensus, q. d. Vobis et nobis spectantibus, vastabitur Judæa, ideoque ALIMENTA, scilicet sacerdotum, puta sacrificia et oblationes, PERIERUNT, id est, peribunt, DE DOMO (templo) DEI NOSTRI, ac consequenter peribit, LÆTITIA ET EXSULTATIO,] qua in festis et sacrificiis exsultare solebant Deumque festive colere psalmis, hymnis, organis, tympanis, etc.

17. COMPUTRUERUNT JUMENTA IN STERCORE SUO,] q. d. Hæc Chaldæorum strages non tantum homines, sed et jumenta affliget. Nam illa ob metum hostium Jerusalem obsidentium, educi non poterunt ad pascua, sed in stabulis et stercore suo, deficiente herba et fœno, fame morientur, contabescent et computrescent. Ita Remigius, Lyran. Albert. Ribera et à Castro. Pro *computruerunt* hebr. est עבשו *abesçu*, quod verbum hic tantum reperitur. Septuag. vertunt : *Subsultaverunt vitulæ in præsepibus suis*, non præ lascivia, sed præ fame corruentes, pedesque ad terram allidentes, ait Theod. Arabicus Antioch. *Vox animalium super præsepibus, et non saltant animalia, et greges boum plorant præ carentia pabuli.* Arabicus Alexandr. *Non gustant animalia, et armenta boum boant præ defectu pascuorum.* Syrus : *Dormierunt vitulæ jejunæ* (incœnatæ) *in præsepibus suis.* Melius Noster R. Jonathan, R. David et Aben Ezra vertunt : *computruerunt*, id est, putredine corrupta sunt.

Pro *jumenta* hebr. est פרדות *perudot*, aut potius aliis punctis פִּרְדוֹת *pirdot*, id est *mulæ*, à rad. פרד *parad*, id est, divisit, separavit; muli enim à patre et matre, puta ab equo et asina, specie distinguuntur, nec enim sunt equi, nec asini, sed tertia species, puta mulæ. Sub mulis, qui frequentes erant apud Judæos (adeo ut filii regum iis uterentur, ut patet 2. Reg. 13. 29.) equos, asinos, boves cæteraque jumenta per synecdochen intellige. Septuag. vertunt, *vituli*; Chald. vertit, *dolia. Computruerunt*, inquit, *dolia vini sub operculis suis*; Tigurina vertit, *semina* sparsa et sata in agro. *Computruerunt*, inquit, *semina dispersa subter glebas suas*, ac proinde ex tali semente nulla sperari poterat messis.

Tropol. in stercore et fœtoribus libidinis suæ computrescunt luxuriosi, inquit Remigius, Albert. et Hugo ac S. Gregor. 24. Moral. cap. 6. vel juxta aliam editionem, 8 : *Jumenta*, ait, *in stercore suo computrescere, est carnales homines in fœtore luxuriæ vitam finire. Non enim esse homines, sed jumenta declarantur, de quibus per Prophetam* (Jeremiam c. 5.) *dicitur : Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat. Et de quibus Propheta alius* (Ezechiel c. 23.) *dicit : Ut carnes asinorum carnes eorum, et fluxus equorum fluxus eorum.* Idem ad verbum habet Rupert. censetque id impletum in Jasone, aliisque apostatis, 2. Machab. 4. æque ac hoc ævo in Luthero, Calvino, Petro Martyre, Bucero, aliisque ab Ordine ad nuptias transvolantibus, completum vidimus. Et S. Bernard. ser. 10. in psal. 90 : *Quomodo*, ait, *dicunt nobis carnales homines : Crudelis est vita vestra, non parcitis carni vestræ? Esto non parcamus semini, in quo ei magis parcere poteramus? Annon*

melius est illi renovari et multiplicari in agro, quàm in horreo putrefieri? Heu computruerunt jumenta in stercore suo, sic vos parcitis carni vestræ? Simus nos crudeles interim non parcendo, at vos plane parcendo crudeliores; si quidem etiam nunc caro nostra requiescit in spe; videritis vos ipsi quid ignominiæ interim vestra sustineat, quid miseriæ eam maneat in futurum.

Denique S. Hieron. *Computrescit,* inquit, *in stercore cujus Deus venter est, et qui dicit: Manducemus et bibamus, cras enim moriemur.* Sicut enim luxuriosus in morbo Gallico; ita gulosus in phlegmonibus, vomitu et sordibus suis putrescit, et sic accipi potest versio Chaldæi: *Computruerunt dolia vini,* id est, ebriosi et gulosi ventripotentes, utpote quorum venter dolium est. Ita Delrio adagio 679.

Demolita sunt (vastata vel combusta à Chaldæis horrea.

Dissipatæ sunt apothecæ,] q. d. Apothecæ in quibus grana et annona recondebantur, eversæ sunt ab hoste, vel collapsæ ex incuria colonorum, eo quod non haberent frumenta quæ in illis reponerent, ac consequenter nec sumptus ad earum sarta tecta restauranda: *Quoniam confusum est* (exaruit, periit, ut dixi v. 10.) *triticum.*

18. Quia non est pascua eis.] Veteres Latini usurparunt *pascuum* in genere neutro, et in plurali *pascua* substantive; sed adjective vocabant silvam, vel regionem pascuam, æque ac agrum pascuum, et rura pascua. Hinc vox *pascua* adjectiva, scilicet regio, vel terra, transiit in substantivum. Script. enim tam usurpat pascua pascuæ in singulari, quam pascua pascuorum in plurali, ut psalm. 22. 2: *In loco pascuæ ibi me collocavit.* Job 39. 11: *Montes pascuæ suæ.* 1. Paral. 4. 40: *Inveneruntque pascuas uberrimas.* Psal. 78. 13: *Oves pascuæ tuæ.* Isaiæ 37. 27: *Gramen pascuæ.* Ezech. 38. 18: *Reliquias pascuarum.* Denique Anton. Nebrissensis in Dictionario notat tam dici pascua pascuæ, quàm pascua pascuorum. Desinant ergo novantes nostrum Interpretem quasi illatinum suggillare, eique barbarismum impingere.

19. Ad te, Domine, clamabo.] In tantis tamque immedicabilibus malis unum superest confugium, ut scilicet tuam, ô Domine, opem implorem; tu enim solus potes et soles extremis malis mederi, cum à tuis toto corde invocaris.

Quia ignis succensus ab homine comedit speciosa deserti,] q. d. Chaldæi succenderunt speciosas villas, hortos, arbores, segetes, etc. Judæorum. Ita S. Hieron. Theod. Ribera et alii.

Causam doloris et planctus, ait Hugo de sancto Victor. *subdit magna detrimenta. Detrimenta vero sunt hæc, putredo fœtida jumentorum, anxietas animalium, interitus pecorum, demolitio horreorum, apothecarum dissipatio, pascuæ inanitio, quorum causa hæc est, speciosorum combustio, lignorum succensio, fontium exsiccatio.*

Mystice idem: quatuor sunt *speciosa deserti,* puta bona spiritualia Ecclesiæ et animæ sanctæ, quæ ipsa peccando deperdit, scilicet, *præcepta, exercitia, virtutes, charismata. Præcepta sunt ad sanitatem: exercitia ad fortitudinem: virtutes ad formam: charismata ad audaciam. Lætitia est de transitoriis: exsultatio de æternis. Hæc autem alimenta, quæ sunt exsultatio et lætitia, perierunt de domo Dei, id est, de Ecclesia; quia præcepta calcantur, virtutes contemnuntur, exercitia perierunt, charismata recesserunt.*

20. Sed et bestiæ agri,] q. d. Non solus ego, nec soli homines, sed et bestiæ esurientes et sitientes, uti solet area sicca imbrem sitire, v. g. oves suo balatu, boves et vaccæ mugitu, asini ruditu, etc. ad te, ô Domine, suspiciunt et vociferantur, diversis, ait Ruffin. faucium sonis, velut dissona consonantia, et musico concentu, taciteque opem tuam implorant, postulantes à te in tanta fame et siti pabulum et potum; fontes enim *exsiccati sunt* à Chaldæis, qui eos vel obturaverunt, vel rivos eorum interruperunt et averterunt, ne in urbem influerent. Ita S. Hieronym. Theodor. Lyran.

Tropol. Rupert. Homines, ait, brutis similes sunt, qui ingemiscere nesciunt, nisi pro penuria cibi, nullum habentes dolorem de peccatis suis, et solum esse miserum sive dolendum reputantes, si ventri quippiam desit.

Rursum Hugo de S. Victore: *Jumenta,* ait, *sunt luxuriosi: armenta, curiosi: pecora, gulosi: animalia, petulantes et cupidi: bestiæ, simplices et idiotæ: horrea, authentica eloquia: apothecæ, expositorum volumina: pascua, passiones sanctorum et gesta: stercora sunt vitia et peccata: fontes aquarum, doctores populorum: ignis, cupiditas: flamma, luxuria.*

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit horrorem diei excidii Jerusalem per Chaldæos, et sub ejus typo allegorice horrorem diei judicii describere et comminari. Inde v. 12. hortatur omnes ad poenitentiam et planctum, ut Deum sibi reconcilient, itaque has ejus minas evadant. Tertio, v. 18. poenitentibus promittit salutem per Cyrum et multo magis per Christum Doctorem justitiæ, per quem effundet Spiritum sanctum in fideles. Denique v. 30. dat signa prævia judicio et Judici Christo.

1. Canite tuba in Sion, ululate in monte sancto meo: conturbentur omnes
habitatores terræ; quia venit dies Domini, quia prope est. 2. Dies tene-
brarum et caliginis, dies nubis et turbinis: quasi mane expansum super mon-
tes populus multus et fortis: similis ei non fuit à principio, et post eum non
erit usque in annos generationis et generationis. 3. Ante faciem ejus ignis
vorans, et post eum exurens flamma: quasi hortus voluptatis terra coram
eo, et post eum solitudo deserti, neque est qui effugiat eum. 4. Quasi as-
pectus equorum, aspectus eorum: et quasi equites sic current. 5. Sicut sonitus quadrigarum
super capita montium exsilient, sicut sonitus flammæ ignis devorantis stipulam, velut populus
fortis præparatus ad prælium. 6. A facie ejus cruciabuntur populi: omnes vultus redigentur in
ollam. 7. Sicut fortes current, quasi viri bellatores ascendent murum: viri in viis suis gradien-
tur, et non declinabunt à semitis suis. 8. Unusquisque fratrem suum non coarctabit, singuli in
calle suo ambulabunt: sed et per fenestras cadent, et non demolientur. 9. Urbem ingredientur,
in muro current: domos conscendent, per fenestras intrabunt quasi fur. 10. A facie ejus con-
tremuit terra: moti sunt cœli: sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem
suum. 11. Et Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui: quia multa sunt nimis cas-
tra ejus, quia fortia et facientia verbum ejus: magnus enim dies Domini, et terribilis valde: et
quis sustinebit eum? 12. Nunc ergo dicit Dominus: Convertimini ad me in toto corde vestro,
in jejunio, et in fletu, et in planctu. 13. Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra,
et convertimini ad Dominum Deum vestrum: quia benignus et misericors est, patiens et multæ
misericordiæ, et præstabilis super malitia. 14. Quis scit si convertatur, et ignoscat, et relin-
quat post se benedictionem, sacrificium et libamen Domino Deo vestro? 15. Canite tuba in
Sion, sanctificate jejunium, vocate cœtum. 16. Congregate populum, sanctificate Ecclesiam,
coadunate senes, congregate parvulos, et sugentes ubera: egrediatur sponsus de cubili suo, et
sponsa de thalamo suo. 17. Inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes ministri Domini, et
dicent: Parce, Domine, parce populo tuo: et ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut
dominentur eis nationes. Quare dicunt in populis: Ubi est Deus eorum? 18. Zelatus est Domi-
nus terram suam, et pepercit populo suo. 19. Et respondit Dominus, et dixit populo suo:
Ecce ego mittam vobis frumentum, et vinum, et oleum, et replebimini eis: et non dabo vos ultra
opprobrium in Gentibus. 20. Et eum, qui ab Aquilone est, procul faciam à vobis, et expellam
eum in terram inviam et desertam: faciem ejus contra mare Orientale, et extremum ejus ad
mare novissimum: et ascendet fœtor ejus, et ascendet putredo ejus, quia superbe egit.
21. Noli timere, terra, exsulta et lætare: quoniam magnificavit Dominus ut faceret. 22. Nolite
timere animalia regionis: quia germinaverunt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum
suum, ficus et vinea dederunt virtutem suam. 23. Et filii Sion, exsultate, et lætamini in Domino
Deo vestro: quia dedit vobis doctorem justitiæ, et descendere faciet ad vos imbrem matutinum
et serotinum, sicut in principio. 24. Et implebuntur areæ frumento, et redundabunt torcularia

vino et oleo. 25. Et reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, et rubigo, et eruca: fortitudo mea magna, quam misi in vos. 26. Et comedetis vescentes, et saturabimini: et laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit mirabilia vobiscum: et non confundetur populus meus in sempiternum. 27. Et scietis quia in medio Israel ego sum, et ego Dominus Deus vester, et non est amplius: et non confundetur populus meus in æternum. 28. Et erit post hæc; effundam spiritum meum super omnem carnem; et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ; senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt. 29. Sed et super servos meos et ancillas in diebus illis effundam spiritum meum. 30. Et dabo prodigia in cœlo, et in terra sanguinem, et ignem, et vaporem fumi. 31. Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem: antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. 32. Et erit: omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit; quia in monte Sion, et in Jerusalem erit salvatio, sicut dixit Dominus, et in residuis, quos Dominus vocaverit.

1. ULULATE,] non tam voce, quàm buccina: hebr. enim est תריעו *tariu*, id est, *taratantara insonate;* Tigurina: *Classicum canite*, scilicet triste et horrisonum, quale solet cani in adventu hostium, in prælio, in strage et excidio, q. d. En adventat hostis, adest Chaldæus, instat urbi obsidio et vastitas; personate ergo tubis, tum ut ad arma, tum potius ut ad Deum in templum omnes confugiant, Deique opem implorent et impetrent; ac ibi habeant aut asylum, aut sepulcrum.

IN MONTE SANCTO MEO,] in templo et arce montis Sion.

CONTURBENTUR (Tigurina, *contremiscant*) OMNES HABITATORES TERRÆ] nostræ, puta Judææ; ac tremuli et consternati Dei auxilium unanimes una voce omnes inclament.

1 et 2. QUIA VENIT DIES DOMINI, puta dies judicii et vindictæ Domini, quam Dominus in Judæos exercebit per Chaldæos. Uude hæc dies à Joele mox vocatur DIES TENEBRARUM ET CALIGINIS, DIES NUBIS ET TURBINIS,] id est, summe funesta, tristis, nubila et calamitosa, in qua præ mœrore Judæi caligabunt oculis, ut videatur meridies eis esse caligo, omniaque videantur sibi videre tenebrosa et atra. Sicut enim lux est symbolum, et causa lætitiæ et prosperitatis; ita tenebræ sunt symbolum tristitiæ, adversitatis, et carceris ac captivitatis. Ad litteram ergo loquitur de die excidii Jerusalem; tropol. de die mortis, judicii et excidii orbis, cum Archangelus canet tuba novissima, 1. Corinth. 15. 52. Ita S. Hieron. Theodor. Albert. Hugo, Arias, Ribera et alii.

2. QUASI MANE,] q. d. Uti mane quaquaversum se spargit aurora, et prima lux solis, qui statim ut oritur omnia suis radiis illustrat, omniaque sua luce occupat; ita populus multus et fortis, nimirum locustæ hæ, de quibus dixi cap. 1. 4. puta Chaldæorum agmina, celerrime omnes Judææ montes occupabunt. Persistit enim in parabola et allegoria locustarum: *Hoc autem*, inquit S. Hieron. *de locustis dicitur, ut de hostibus intelligatur; ut dum locustas legimus, Babylonios cogitemus.* Ita et Theodor. Remig. Hugo, Clarius et alii; et patet ex sequent. ubi eos comparat equis et equitibus. Hisce enim similes sunt locustæ, non Chaldæi, qui non similes, sed ipsimet erant equites.

Aliter Arias, q. d. Sicut mane luce oriente et occupante montes, tenebræ coguntur in valles; ita venientibus Chaldæis montesque occupantibus, tenebræ calamitatis et vastitatis cogentur in Judæam et in Jerusalem. Illi ergo erit *dies tenebrarum et caliginis*, ut præcessit; cum Chaldæis aliisque gentibus erit mane lucidum, lætum et felix.

SIMILIS EI NON FUIT A PRINCIPIO, ET POST EUM NON ERIT USQUE AD ANNOS GENERATIONIS ET GENERATIONIS, q. d. Per duas, vel per multas generationes et secula, nullus hostis nocentior fuit, aut erit Judææ, quàm Chaldæi. Nam post plura secula, Romanos sub Tito et Vespasiano magis illi nocuisse, planeque eam evertisse et desolasse liquet ex Josepho et ex moderna Judæorum per totum orbem dispersione. Ita Theodor.

3. ANTE FACIEM EJUS IGNIS VORANS,] q. d. Quidquid attigerit hic populus locustarum, puta Chaldæorum, idipsum totum ipse quasi flamma vorax consumet, ita ut ignem manibus præferre, eoque omnia afflare et concremare videatur, adeo ut omnia in solitudinem redigat, et post se non nisi carbones et cineres relinquat. Ita S. Hier. Est catachresis.

Aliter Sanchez: Ignis hic, inquit, est is qui præferebatur regibus et castris Chaldæorum, quasi comes et dux viæ; ignem enim ut Deum colebant Chaldæi. Ignis ergo erat eis quasi militare signum, minans et portendens incendia, cædes et strages. Idem à Chaldæis, iis eversis, acceperunt Persarum reges, quibus prælatum fuisse ignem docet Xenophon lib. 8. Cyripædiæ, Curt. lib. 3. et alii. Sic et Holoferni præferebantur lampades ardentes et ignitæ, Judith. 10. 17. juxta Septuag. Hunc ergo hujus loci sensum dat: Præcedet castra hostilia in Judæam properantia ignis vorax, proprium insigne Chaldæorum; subsequetur alius quem sparget hostis, ut Judæam, quæ prius erat hortus voluptatis, comburat et desolet. Simili modo et causa vidit Jeremias cap. 1. ollam accensam, qua portendebatur adventus Chaldæorum, qui omnia ferro et flammis erant vastaturi. S. Gregor. Nazianz. orat. 15. ex Septuag. sic legit: *Anteriora ejus, hortus voluptatis; posteriora autem, campus exterminii;* sicque explicat: *Joel*, inquit, *hisce verbis deplorat terræ corruptionem, et famis cruciatum, tragice pristinæ pulchritudini posteriorem deformitatem opponens*, q. d. Terra, quæ prius erat florida et frugifera, postea effecta est arida et squalida, ac quasi exterminata.

4. QUASI ASPECTUS EQUORUM, ASPECTUS EORUM,] q. d. Hæc castra locustarum, quæ repræsentant Chaldæorum agmina, erunt similia equis et

equitibus. Ita S. Hier. Locusta enim speciem habet equi armati, et equitis cataphracti; unde italice vocatur *cavalleta*, id est equulus. Huc alludit S. Joan. in suis locustis futuris sub finem mundi Apoc. 9. 7: *Similitudines*, ait, *locustarum similes equis paratis in prælium;* et v. 9: *Et habebant loricas ferreas, et vox alarum earum sicut vox curruum, equorum multorum currentium in bellum.*

5. SICUT SONITUS (strepitus et crepitus) FLAMMÆ IGNIS DEVORANTIS STIPULAM,] quasi dicat: Sicut flamma stipulam allambens et succendens strepit et crepat; sic strepent hæ locustæ, id est Chaldæi, cum arva Judææ instar stipularum arrodent et adurent.

6. OMNES VULTUS REDIGENTUR IN OLLAM.] Chald. *Nigrescent quasi ollæ*, scilicet præ timore et pavore. Timor enim sanguinem reducit ad cor, ut illi quasi arci in periculo consulat; unde extremæ partes velut exanimes et exsangues pallescunt, mox, metu ingravescente, nigrescunt. Levis enim metus pallorem; gravis, uti est mortis, nigredinem inducit, ut facies, inquit Ruffinus, *futuræ mortis lurido vestiantur: hinc non solum pallescent, sed etiam penitus atrabuntur* (sic enim lego cum Delrio adagio 969, non *attrahentur*). Sic Isaias cap. 13. 6. de Babyloniorum clade ait: *Facies combustæ facies eorum*, id est, nigrescunt pavore et mœrore; sicut enim lætitia vultus fit serenus et splendidus, ita tristitia et metu fuscatur et obnubilatur, ait S. Hier. et Theoph. Secundo, Theodor. hæc refert ad famem, quasi ad causam, q. d. Præ fame fient luridi et atri; item solis ardore, cum in Chaldæa quasi mancipia cogentur laborare in luto, et aliis sordidis ministeriis, ait Sanchez, præsertim cum fient ollarii, cacabarii, ferrarii, furnarii, carbonarii; qui quàm atri sint videre est in fodinis Leodiensibus.

Tropol. hic est typus, hic color decolor, hæc species, hæc facies peccatorum omnium coram Deo et Angelis ejus.

7. ASCENDENT MURUM] Chaldæi. Nota: In parabolis miscetur res cum parabola; unde quædam dicuntur in iis quæ magis proprie rei quàm parabolæ ipsi conveniunt. Tale est hîc, ascendere muros Jerusalem, et per eos in urbem obsessam irrumpere, quod magis Chaldæis, quàm locustis eorum antitypis, convenit. Talia sunt et quæ sequuntur: *Urbem ingredientur, in muro current, in domos conscendent;* et v. 11: *Multa sunt nimis castra ejus, quia fortia, viri in viis suis gradientur. Viri*, id est, singuli quasi viri fortes more exercitus, in acie et ordine suo procedent. Hebr. enim *vir* duo significat: primo *vir*, id est unusquisque; secundo, *vir*, id est, fortis et virilis.

Ita locusta: *Egredietur universa per turmas suas*, ait Sapiens Proverb. 30. 27: *Hoc nuper*, inquit S. Hier. *in hac provincia* (Judæa) *vidimus. Cum enim locustarum agmina venerint; et aerem qui inter cœlum et terram est occuparint, tanto ordine et dispositione jubentis Dei volitant, ut instar tesserularum, quæ in pavimentis artificis figuntur manu suum locum teneant, et ne puncto quidem, ut ita dicam, ungue transverso declinent ad alteram.* Hoc est quod subdit Joel: *Unusquisque fratrem suum non coarctabit, singuli in calle suo ambulabunt;* Syrus: *Singuli in semita sua ibunt, de pondere* (gravitate) *judicii sui cadent, et non ascendent ad summum.* Per has locustarum acies, ordinatam Chaldæorum aciem intellige.

8. SED ET PER FENESTRAS CADENT:] *Nihil enim locustis invium est, cum et agros et sata, et urbes et domos, et cubiculorum secreta penetrent*, ait S. Hier. uti fecerunt locustæ à Mose immissæ in Pharaonem et Ægyptios, Exodi 10. 14. Notat Chaldæorum impetum, impudentiam et audaciam; quod quasi locustæ per fenestras, portis clausis, in domos Judæorum irruituri sint.

ET NON DEMOLIENTUR] passive, id est non lædentur, non sauciabunt se in hoc saltu per fenestras, q. d. Molem corporis sui armis gravati ad humum non allident, de mole et robore suo nihil hoc casu decerpent. Hoc signo notat eorum dexteritatem et exercitationem in pugnando, saltando, etc., æque ac audaciam, qua in ipsos hostium gladios intrepidi irruent; quin et illæsi, ex usu et habitu saliendi et digladiandi. Ita Sanchez. Posset quis suspicari, pro *demolientur*, legendum esse *demorientur*, id est, vulnerabuntur adeo ut moriantur. Hoc enim significat hebr. יבצעו *iibtsau.* Verum codices Latini, etiam antiquissimi, quos Romæ inspexi, constanter legunt *demolientur*, id est destruentur, et, ut Septuag. apud S. Hieron. *consumentur;* idque latinum est, non barbarum. Veteres enim active dicebant demolio, demolivi, pro destruo, destruxi; ac consequenter passive demolior, demolitus sum, pro destruor, destructus sum. Sic cap. 1. 17. dicitur: *Demolita*, id est destructa, *sunt horrea.* Ita Alphenus in lib. *Qui insulam*, in prin. ff. *Dominus*, ait, *insulæ, quia ædificia vitium facere diceret, demolierat eam.* Et Ulpianus in lib. *Quid tamen*, §. 1. ff. Quibus modis ususfructus amitt. *Si demolitis*, ait, *ædibus testator alias novas restituerit;* et: *Ædificium demolitum*, in lib. *Qui insulam*, in prin. ff. locat. Sensus ergo est, q. d. Audaces Chaldæi prædæ avidi, clausis ostiis, per fenestras irrumpent in domos, et non demolientur, id est, non concidentur, non lædentur, vel à se suisque armis in hoc saltu, vel ab incolarum, puta Judæorum, se suasque domos defendentium, gladiis; tam enim fortes et dexteri erunt, ut saliendo in arma sua non impingant; tam terribiles, ut Judæi eos invadere non audeant, sed in latebras se abdant.

Nota: Pro *fenetras* hebr. est שלח *scelach*, id est, immissio et emissio, puta fenestra, per quam lux et aer in domum emittitur, sordes vero in plateam emittuntur et ejiciuntur. Rursum, *scelach* significat missile, puta telum, vel jaculum. Unde Septuag. vertunt: *In jaculis cadent, et non consumentur;* Pagnin. et Vatablus: *Super gladium dejicient se, et non sauciabuntur*, q. d. Chaldæi irruent in gladios Judæorum, iisque non lædentur, sed eos sternent, suisque ipsorum gladiis eos confodient. Rursum, pro *demolientur* hebr. est יבצער *iibtsau*, quod significat vulnerare, item esse avarum, ambire pecuniam. Unde Chald. vertit: *Ad locum ad quem missi sunt vadunt trucidantes, et non recipient pecuniam*, q. d. Chald. vitam Judæis eripient, nec aurum ab eis pro lytro oblatum recipient. Arias et Tigurina vertunt: *Lucro non inhiant.* Sic et tropol. dæmones animas quærunt, non aurum. Denique disce hîc avaritiam apposite hebr. vocari בצע *betsa*, id est vulnus; quia lædit et vulnerat proximum per usuras, fraudes, iniquos contractus, etc. Nam, ut ait Philosophus: *Pecunia est anima et sanguis mortalibus.*

10. A FACIE EJUS (populi, de quo v. 2.) CON-

TREMUIT TERRA, MOTI SUNT COELI.] Est poetica hyperbole, in qua partim alludit Propheta ad locustas, partim ad Chaldæos, per eas significatos, q. d. Tanta tamque numerosa et densa erit hæc locusta, id est, exercitus Chaldæorum; tantus pariter erit ejus horror et pavor in Judæis, ut ipsis hoc metu perculsis et attonitis, per locustas hasce quasi nubes, perque pulverem ab eis excitatum, sol et luna obvelari et obtenebrari videantur (solent enim agmina locustarum ita densari subinde, ut dum volant expansis alis, solem cœlumque obtegant), quin et præ horisono tubarum clangore, tympanorum et tormentorum sonitu, equorum fremitu et cursu ungularum ad saxa collisione, militum clamore et furore, *cœlum ruere*, *terra fluctuare videatur*, ait S. Hieron. Remig. Albert. Hugo, Ribera et alii. Simili modo Isaias cap. 13. 10 et 13. ait in excidio Babylonis solem, lunam et stellas retraxisse suum lumen, cœlum fuisse turbatum, et terram motam de loco suo. Sic Psaltes psalm. 17. poetice pingit Deum descendentem ad vindictam impiorum, quasi cœlos, aera, terram, totamque mundi machinam quatientem, et, ut Poeta ait: *Qui nutu concutit orbem.* Vide can. 32. in Prophet. majores.

Secundo, Theodor. et Arias hæc non hyperbolice, sed proprie accipiunt. Censent enim Deum ante exercitum Chaldæorum præmisisse procellas, fulgura et tonitrua ad percellendum Judæos. Hisce enim cœlum, id est aer totus, æque ac terra commovetur et quatitur, juxta illud Virgilii, Æneid. 4:

Tonitru cœlum omne ciebo.

Rursum procellis hisce sol cœlumque obducitur et obtenebratur. Unde sequitur:

11. ET STELLÆ RETRAXERUNT SPLENDOREM SUUM;] Syrus et Arabicus uterque: *Occidit lumen* (fulgor) *stellarum.*

ET, id est quia, DOMINUS DEDIT VOCEM ANTE FACIEM EXERCITUS SUI,] id est, ante exercitum suum, puta ante Chaldæos. Vox enim Dei est tonitru, ut patet psalm. 28. 2. et seq. Alludit ad vocem ducis, qui suos milites ad instans prælium ingenti animo et voce cohortatur et acuit, q. d. Deus quasi dux belli milites suos, puta Chaldæos venientes in Judæam, per tonitru animabit ad bellum; Judæos vero per idem percellet et perterrefaciet, quia ejus benignam vocem et invitationem ad pœnitentiam audire noluerunt, ejusque legatos, puta Prophetas, contempserunt; tonitru ergo Dei audient et sentient, qui ejus blandiloquia audierunt et spreverunt. Nota: Chaldæi hîc vocantur milites et exercitus Dei, quia quasi lictores fuerunt justitiæ et vindictæ divinæ exercitæ in Judæos aliasque gentes. Licet enim ipsi dominandi libidine, et spoliis ditandi se cupidine Judæos Gentesque tyrannice invaserint, ac proinde ad hoc directe à Deo excitari et positive immitti non potuerint; Deus tamen hanc eorum tyrannidem, libidinem et cupidinem directe permittere decrevit, reque ipsa permisit ad hoc, ut per eam Judæorum Gentiumque luxum, idololatriam, aliaque peccata castigaret. Vide can. 36. in majores Prophetas.

Allegorice, hæc veriora et majora erunt in die mortis, et magis in die judicii, cujus hîc viva imago datur in excidio Hierosolymæ per Chaldæos. Itaque hæc dies erit tenebrarum et caliginis, qua locustæ, id est, dæmones innumeri armati peccatis nostris quæ in vita commisimus, animam invadent, percellent, lancinabunt, et in extremas anxietates redigent, ut terra, aer ac cœlum nimis ei angustum videatur.

12. CONVERTIMINI AD ME, qui aversi eratis à me, et conversi ad varias illicesque vestras cupidines: CONVERTIMINI, inquam, IN TOTO CORDE,] tota mente, tota anima, toto spiritu, toto affectu. Ego enim cordis et mentis sum creator et dominus, ideoque totum illud mihi dedi, imo reddi volo, nec patior ex eo partem aliquam quæ idolis, veneri aut ventri detur mihi suffurari. Vide S. Gregor. lib. 7. Moral. c. 12. ad illud Jobi: *Involutæ sunt semitæ gressuum eorum*, ubi docet peccatores sæpe facere bona proposita, sed, occurrente tentatione, illico ad sua vitia relabi, quia cor non mutant, nec serio et ex toto corde se ad Deum convertunt: *Esse quippe humiles*, inquit, *sed tamen sine despectu; esse contenti propriis, sed sine necessitate; esse casti, sed sine maceratione corporis; esse patientes, sed sine contumeliis volunt: cumque adipisci virtutes quærunt, sed labores virtutum fugiunt, quid aliud quàm exhibere belli certamina in campo nesciunt, et triumphare in urbibus de bello concupiscunt?* Cum ex adverso, ut ait S. Bernardus, humiliatio sit via ad humilitatem, passio ad patientiam, mortificatio ad castitatem, jejunium ad abstinentiam. Vera ergo conversio fit per solidum, serium et efficax voluntatis propositum de mutanda vita, si illud crebro innovetur, et in opus conferatur: *Aversio à Deo*, inquit Hugo de S. Victore, *fit tribus modis: vanitate mundi, voluptate suî, curiositate proximi. At conversio fit confessione oris, compunctione mentis, mortificatione carnis; ut scilicet in ore veritas, in mente puritas, in carne pudica sit sobrietas.* Porro internam hanc cordis conversionem, et compunctionem ostendite *in jejunio* quo puniatis peccata carnis et gulæ: *Et in fletu et in planctu*, quo non tantum lacrymis profusis defleatis, sed et cum gemitibus, suspiriis, tunsione pectoris, complosione manuum, etc., ploretis et plangatis pristina scelera et cæcitatem vestram, ac ingratitudinem et injurias mihi illatas.

Recte enim Tertull. lib. de Pœnit. cap. 9. pœnitentibus hosce actus et gestus ex prisco Ecclesiæ more præscribit: *Exhomologesis*, inquit, *prosternendi et humilificandi hominis disciplina est, conversionem injungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu ac victu mandat, sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare; cæterum pastum et potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causa; plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, et mugire dies noctesque ad Dominum.* Idem, lib. 3. contra Marc. cap. 18, ait afflictos *in rebus attonitis, genibus positis et manibus cædentibus pectus, et facie humi voluntate orationem commendare debere.*

Convertimini ergo *ad me in toto corde*, ut scilicet omnes affectiones in unum Deum referatis. Audi S. Bern. serm. 2. de Quadrag. *Attende solerter quid diligas, quid metuas; unde gaudeas, aut contristeris; et sub habitu religionis animum secularem, sub pannis conversionis invenies cor perversum. Totum enim cor in his quatuor affectionibus est, et de his accipiendum puto quod dicitur, ut in toto corde tuo convertaris ad Domi-*

num. Convertatur proinde amor tuus, ut nihil omnino diligas nisi ipsum, aut certe propter ipsum. Convertatur etiam ad ipsum timor tuus, quia perversus est timor omnis, quo metuis aliquid præter eum, aut non propter eum, sic et gaudium tuum et tristitia æque convertatur ad ipsum. Hoc autem ita fiet, si non nisi secundùm eum doleas, aut læteris.

13. SCINDITE CORDA VESTRA.] Solebant enim Judæi in blasphemia et simili atroci scelere, æque ac in gravi luctu scindere vestimenta à capite usque ad pectus, ait Arias, ut hac scissione ostenderent internum animi dolorem et displicentiam. Sed in multis hæc scissio erat mera cæremonia, hærens tantum in veste, nec ex corde promanans. Jubet ergo Deus hîc cor scindi, potius quàm vestem.

QUIA BENIGNUS,] quinque epithetis declarat immensam Dei pietatem et clementiam erga peccatores pœnitentes. Primum est, quod in eos sit *benignus*, hebr. חנון *channun*, id est misericors, gratiosus, benignus; secundum est, quod in eos sit *misericors*, hebr. רחום *rachum*, id est miserator visceralis, sive commiserans ex intimis visceribus; tertium est, quod sit *patiens*, hebr. ארך אפים *erech appaim*, hoc est *longis*, id est latis, *naribus*, hoc est longanimis, patiens, tardus ad vindictam, facilis ad veniam. Qui enim latas habent nares, tarde irascuntur et cito placantur, quia iræ fumos naribus efflant: ex adverso קצר אפים *ketsar appaim*, id est, *angustis naribus*, significat facilem ad iram, et tardum ad veniam; quia iræ spiritus et fumos efflare nequit, sed reservat, et in corde menteque continet, uti dixi Exodi 34. 6; quartum est: *Multæ misericordiæ*, hebr. est, *multus pietate* et bonitate; quintum, *præstabilis*, id est, placabilis et pœnitens, *super malitia*, id est, afflictione et punitione, quam comminatus est peccatoribus, ut scilicet, pœnitente homine, pœniteat et Deum, nec minarum decreta iis infligat, sed ea revocet et aboleat. Ita Hebr. Chald. S. Hieron. et alii. Hebr. enim est נחם *nicham*, id est *pœnitens super malitia*, ut vertunt Septuag. et Vatabl. *Deus*, ait Hugo Victor. *Benignus est, quia iram inimicorum vertit in mansuetudinem; misericors, quia sævitiam in pietatem; patiens, quia contemptum in compunctionem; multus misericordia, quia odium in dilectionem; præstabilis super malitia, quia barathrum desperationis in gratiam provehit contemplationis.* Unde Arabicus vertit: *Multæ misericordiæ potentia ejus, et gratia ejus et avertens malum;* Syrus: *Convertens malitiam.*

Nota hîc rursum latinitatem, imo elegantiam nostri Interpretis. Nam *præstabilis super malitia* latine ad verbum idem est quod præstans, vel qui præstat, excellit et eminet malitiæ, hoc est iræ et vindictæ; qui major et melior est malitia, nec sinit se ab ea vinci aut regi, sed eam ipse ut dominus vincit et regit. Ita Ribera. Ira enim est quasi fera tigris, et quasi indomabilis leæna; quis enim hominum furens ira et cholera, eam domet et regat? Ira ergo dominatur irato, eique habenas rationis et imperii excutit, imo vero eum quasi mancipium sibi servire et obsequi facit. Unde Poeta:

> Ira furor brevis est.

Et Cicero Tuscul. 4: *An*, ait, *est quicquam similius insaniæ, quàm ira? Quam bene Ennius initium dixit insaniæ, color, vox, oculi, spiritus, impotentia dictorum atque factorum, quam partem habent sanitatis? Quid Achille Homerico fœdius? Quid Agamemnone in jurgio? nam Ajacem quidem ira ad furorem mortemque perduxit.* Deus autem tam potens, tam sanctus, tam mansuetus est, ut iræ et vindictæ suæ ad nutum imperet; tam præstans et excellens est ejus bonitas, ut omnem malitiam culpæ, quàm pœnæ peccatoribus decretæ, omnem vindictæ cupidinem, omnem puniendi sententiam in eos latam, si pœniteant, mox revocet et deleat. Unde Hebr. *nicham* verti potest, *consolabilis super malitia*, q. d. Deus malitiam, id est, iram et vindictam, quantumvis trucem, amarissimam et acerbissimam consolari, flectere et dulcorare potest, imo ipsam iram vertere in consolationem et benevolentiam summam. Quanta esset vis et dulcedo mellis, quod fel, imo mare felleum dulcoraret! Longe major est vis bonitatis Dei, dulcorantis omnem malitiam et amaritudinem. Hanc sibi proponant irati, in eaque quasi abysso iras suas mergant et sepeliant.

Porro *præstabilis* Latinis idem esse quod præstans, excellens, eximium, patet ex Cicerone libr. de Amicitia, ubi ait: *Nihil amicitia præstabilius esse putetis;* et lib. 2. de Natura deorum: *Nihil melius mundo, nihil præstabilius, nihil pulchrius;* et lib. 2. de Orat. *Sumendæ autem res* (oratori) *erunt aut magnitudine præstabiles, aut novitate primæ, aut genere ipso singulares. Neque enim parvæ, neque usitatæ, neque vulgares admiratione, aut omnino laude dignæ videri solent;* et Gellius: *Chilo*, ait, *præstabilis homo sapientiæ.* Sic Deus *præstabilis*, id est præcellentis, eminentis et transcendentis, est misericordiæ, quæ oritur partim ex ejus celsitudine et magnitudine animi immensa. Verum enim est illud Ovidii lib. 3. Tristium, eleg. 5:

> Quo quisque est major, magis est placabilis iræ,
> Et faciles motus mens generosa capit.
> Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni,
> Pugna suum finem, cum jacet hostis, habet.
> At lupus et turpes instant morientibus ursi,
> Et quæcumque minor nobilitate fera est.

Partim ex ejus infinita bonitate. Boni enim viri proprium est, ait Plato, opus suum non destruere, sed perficere; perficitur autem pœnitentia ex parte destructi, et remissione ex parte Dei. Quod videns Moses inter alia arcana sibi ostensa in Sina, dum Deum corpore vestitum à tergo intueretur, exclamavit: *Dominator Domine Deus, misericors et clemens, patiens et multæ miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam in millia*, id est, in mille generationes, etc., *qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus in tertiam et quartam generationem.* Quantum ergo mille excedit quatuor, tantum bonitas et clementia Dei excedit justitiam. Hoc est quod Ecclesia profitetur dicens: *Deus cui proprium est misereri semper et parcere.* Vide dicta Exodi 34. 6.

Moral. fidelis hæc Dei sui, ad cujus imaginem creatus et per Christum recreatus est, attributa jugiter consideret, eaque imitari, induere, et moribus exprimere studeat. Scripsit S. Thomas hac de re opusc. 62. quod inscribitur: *De divinis moribus*, quo docet quomodo quindecim attributa Dei æmulari debeamus, itaque fieri divini. Primum, inquit, est immutabilitas. *Apud* Deum

enim *non est mutatio, nec vicissitudinis obumbratio*, Jac. 3; et ideo immutabilia sunt opera ejus secundùm essentiam, scilicet angelus, anima, cœlum et quatuor elementa; mutat quidem multa in mundo, sed omnis hæc mutatio est in creaturis, non in Creatore, seculares assidue mutantur, et constantes sunt in sua inconstantia; sancti vero tendunt jugiter ad mentis constantiam, ut nec adversis fracti, nec prosperis illecti à via recta deflectant; insuper eumdem semper in statu incessum, omnique conversione vitæ piæ tenorem servant. Secundum, omne bonum Deo placet, omne malum displicet; ita et sanctis placet omne bonum semper et ubique, et in qualibet creatura, omnibusque bonum, id est, gloriam Dei et salutem proximi impugnantibus fortiter resistunt, multo magis, omni malo, id est, peccato. Tertium, Deus prævidet et providet omnia, ita sancti prævident tentationes, contra easque se muniunt; item novissima, puta mortem, judicium, itaque suis rebus et saluti æternæ prospiciunt. Quartum, Deus patiens est, quin et solem suum oriri facit super bonos et malos, ac pluit super justos et injustos; ita et sanctorum propria virtus est patientia, qua inimicos non tantum tolerant, sed et amant, eosque benefactis obruere et amicos reddere student. Rursum, patienter sustinent tot scelera, tot rapinas, tot oppressiones, tot strages et clades publicas et privatas, quæ in hoc mundo fiunt; sicut Deus eadem sustinet. Hoc enim commendat omnipotentiam Dei : non enim est magnæ potentiæ iniquum in foveam inferni demergere; sed misericordiam suam parcendo maxime et miserendo manifestare. Quintum, Deus est justus, adeo ut quantum est ex parte ipsius, nullus ex alterius malitia recipiat detrimentum. Nihil enim nocet S. Michaeli casus Luciferi, nec Judæ malitia Petri charitatem imminuit : secus faciunt mundani, qui unius, v. g. Religiosi aut clerici peccatum, in totum ordinem et statum Ecclesiasticum refundunt, at sancti Dei justitiam imitantur. Sextum, Deus est rectus, nihil facit ex privato amore vel odio, nunquam propter justitiam misericordiam deserit, nec propter misericordiam justitiam derelinquit; idem facere student sancti. Septimum, Deus est liberalis, et communicat ex suo quicquid communicabile est, et jam iis qui id non petunt, imo negligunt et contemnunt. Ita Angelis communicavit suam beatitudinem, Apostolis suam potestatem ligandi et solvendi, Prophetis suam præscientiam, Doctoribus suam sapientiam, Martyribus suam fortitudinem, Confessoribus suam constantiam inter læta et tristia, virginibus suam puritatem, ac specialim Mosi suam mansuetudinem, Josepho suam providentiam, Eliæ suum zelum, Samsoni suum robur, Salomoni suam prudentiam, Davidi suam misericordiam, B. Petro suam charitatem, S. Joanni suam castitatem, S. Paulo suam magnanimitatem : sic et sancti oculos habent ad videndum pro aliis, aures ad audiendum confessiones, os ad prædicandum, pedes ad ambulandum, cor ad meditandum pro aliorum salute. Octavum, Deus est placabilis : nam pœnitentibus ita offensas etiam gravissimas condonat, ut nunquam illarum recordetur, eosque ita diligit, imo magis quàm ante; ita et sancti injuriæ obliviscuntur, familiaritatem suam lædentibus non subtrahunt, imo omnia probra condonant, et pro exprobrantibus orant. Nonum, Deus est benignus iis qui eum gravissime offenderunt, imo suis irrisoribus et crucifixoribus, quos gratia sua prævenit, vocavitque ad pœnitentiam, gratiam et gloriam; ita nihil facit Deo sic similem, ait S. Chrysost. atque malignis et lædentibus esse benignum et clementem, cum sit cumulus perfectionis inimicos diligere, et pro ipsis orare, uti fecit Christus in cruce. Rursum, Deus à nemine exigit quidquam supra vires in pœnitentiis, jejuniis, orationibus, eleemosynis omnique disciplina; sed paucis lacrymis et gemitu, imo corde dolente et contrito contentus, omnia scelera indulget : sic sanctus neminem gravat super vires, sed tantum exigit id quod facile præstare potest. Decimum, Deus est verax in dictis et promissis, ut patet in oraculis hisce Prophetarum : ita sanctus verax et fidelis est, tum Deo in fide, cultu, obedientia ac votis; tum proximo in omnibus dictis et factis, quia *qui veritatem odit, odit Christum;* et, ut ait S. Chrysost. *Veritatis proditor est non tantum ille qui mentitur, sed etiam qui libere veritatem non pronuntiat aut defendit, cum opus est.* Undecimum, Deus non est acceptor personarum, ut divites et potentes præferat pauperibus et miseris, imo hos illis anteponit et evehit, uti evexit Davidem, Saulem, Gedeonem, Josue, etc. ad regnum et principatum, et in donis gratiæ non respicit naturæ dotes, atque in donis gloriæ nil nisi merita intuetur; denique æqualis est ei cura de omnibus; ita et sanctus tam amat et curat pauperes quàm divites, tam peregrinos quàm cives, tam, imo magis, afflictos quàm felices; nam æque omnes juvare, et ad salutem dirigere satagit. Duodecimum, Deus nulla re turbatur, sed in omnibus rebus et eventis est æquanimis : ita sanctus vitat omnem turbationem; quia modica, vel potius nulla gratia quiescere potest in anima turbata. Hinc maledicta et malefacta proximorum dissimulat, et cum Davide quasi surdus ea non audit, et quasi cæcus ea non videt; quia totus in Deo Deique voluntate et dilectione defixus est et conquiescit. Decimum tertium, Deus non quærit commodum suum, sed et in omni opere creationis, conservationis, gubernationis, redemptionis, etc. spectat bonum hominum et creaturarum : sic et sanctus non quærit quæ sua sunt, sed pure Dei gloriam, et proximorum utilitatem in omnibus actibus suis procurat; quia quanto magis et purius Deum respicimus, et quanto minus nostram, magisque proximi utilitatem attendimus, tanto acceptabilius est Deo, et tanto universitati fructuosius est opus nostrum. Decimum quartum, Deus omnia bene et perfecte facit in operibus naturæ, æque ac gratiæ, sive sit ventus, sive pluvia, sive calor, sive frigus, sive sterilitas, sive ubertas, etc. pro illo tempore nil melius fieri potest, quia immensa sua sapientia singula perfecte suo tempore operatur : sic et sanctus studet esse in singulis operibus suis perfectus, quia tota salus ejus et omnis laus Dei, ac universitatis utilitas ex uno opere penderet; et quasi nunquam ad illud esset reversurus, neque aliud opus incepturus, unde in eo conquiescit, donec illud absolvat et compleat. Qui enim cupit avetque absolvere, ideoque festinat, ut ad aliud se transferat, minuit affectum et conatum operis, lassescit, et facile ab incœpto desistit. Decimum quintum, Deus non

punit bis idipsum : idem facit sanctus, qui in hoc, et in reliquis universis studet se per omnia conformare sanctissimæ Dei voluntati. Hæc summatim, quæ fuse D. Thomas opuscul. 62.

14. Quis scit si convertatur? Ita vertunt et Septuag. Vatabl. et alii passim; licet enim τὸ *si* non sit in Hebræo, tamen de more ex phrasi Hebræa subintelligitur. Vox *si* significat dubitationem Prophetæ de venia Judæis, etiam pœnitentibus apud Deum impetranda; licet enim certo sciret Deum pœnitentibus semper remittere offensam, id est, culpam et pœnam æternam; tamen sciebat pariter Deum non semper pœnitentibus remittere pœnam temporalem, qualis hìc erat excidium Judææ per Chaldæos à se decretum et comminatum. De illa ergo dubitans Propheta, ait : *Quis scit si convertatur, et ignoscat?* id est, an forte ignoscat, q. d. Spero eum ignosciturum, at asserere et promittere non audeo. Simili modo Deus Davidi pœnitenti culpam homicidii et adulterii remisit, non pœnam; nam eum punivit morte filii, et privatione regni in persecutione Absalonis, 2. Regum 12. 10. Ita S. Hieron. Theod. Ruffin. Rupert. et alii. Chald. ex Hebræo, omisso *si*, vertit assertive et paraphrastice hoc modo : *Qui scit apud se esse peccata, discedat ab eis, et misericordia applicabitur ei; et quicumque pœnitentiam egerit, remittentur ei peccata sua, et recipiet benedictiones ac consolationes, et erit ejus oratio sicut viri qui offert oblationes et libamina in domo sanctuarii Domini.*

Et ignoscat,] ונחם *venicham*, id est *et pœniteat*, hoc est, revocet sententiam, non vastando Judæam per Chaldæos, uti decreverat.

Et relinquat post se benedictionem.] Est prosopopœia : loquitur enim de Deo, quasi de homine offenso, qui pœnitentia amici à quo offensus est placatus, iram et offensam ponens, ad amicum redit blandus et serenus, imo cum munusculis et donis, quæ deinde abiens illi relinquit, tanquam symbola amicitiæ redintegratæ, q. d. Simili modo Deus vobis, ô Judæi, relinquet benedictionem, id est, frugum et bonorum omnium copiam, ex qua illi in gratiarum actionem *sacrificium et libamen* crebro et large offerre possitis. Paulo aliter τὸ *post se* explicat Christoph. à Castro, q. d. Post suam vindictam, puta post 70 annos captivitatis Babylonicæ.

15. Canite tuba in Sion,] ut sono tubæ omnes convocetis ad publicam supplicationem et litaniam ad tantam cladem avertendam. Judæi enim ad populum convocandum utebantur tubis, ex præscripto Dei Num. 10. 1. non campanis : hæ enim proprie sunt Christianorum, et initio quidem fuerunt minores, sed pace Ecclesiæ reddita per Constantinum, paulatim grandiores factæ, nomen autem campanarum acceperunt à loco, ubi primo majores factæ sunt, nempe à civitate Nola in Campania; unde et minores campanulæ, dicuntur Nolæ. Ita Ration. divin. offic. lib. 1. cap. 4. n. 1. Cardinal. Baron. tom. 1. anno Christi 58. Judocus Lorichius in Thesaur. Theolog. verbo *Campana.*

Ex hoc loco refellitur Lutherus, et eum secuti Magdeburgenses, centuria 3. cap. 10. in Tertull. qui processiones et litanias publicas referunt ad Montani hæretici cæremonias, et Tertulliani errores. Nam illas hoc loco Deus indici jubet per Prophetam, uti et Josue cap. 6. 4. ubi per illas corruerunt muri Jericho. Easdem indixit David 1. Paral. 13. 2. et Josaphat 2. Paral. 20. 21; imo eas sanxit Christus suo facto et exemplo, dum publica populi processione ingressus est Hierosolymam in die palmarum, Matth. 21. 8. Ita Gregor. magnus in publica lue et peste publicas litanias indixit, quibus aversa est ira Dei et plaga, ut ipse testatur l. 11. Epist. 2. Et Carolus Magnus Imper. l. 6. legum c. 74 : *Litania*, inquit, *major more Romano septimo Calend. Maii celebretur.* Eamdem sanxit Concilium Monguntinum habitum anno Christi 813. cap. 33. Ita anno 36. imperii Theodosii Imper. cum Constantinopolis terræ motu quateretur, totus populus supplicans inclamavit : *Kyrie, eleison*, ac puer raptus in cœlum jussus est Episcopo et populo nuntiare, ut litanias facerent, dicerentque : *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis.* Proclus ergo Episcopus, hac suscepta litania, præcepit populo sic facere, et statim terræ motus cessavit, inquit Paulus Diaconus lib. 14. Var. hist. Plura vide apud Judocum Coccium in Thesauro Cathol. p. 2. lib. 3. a. 7. Vere S. Leo serm. 3. de jejunio septimi mensis, cap. 3 : *Plenissima*, ait, *peccatorum obtinetur abolitio, quando totius Ecclesiæ una est oratio, et una confessio; si enim duorum vel trium sanctorum pio consensui, omnia quæ poposcerit, Dominus præstanda promittit, quid negabitur multorum millium plebi unam observantiam pariter exsequenti, et per unum spiritum concorditer supplicanti?* Et Tertull. in Apologetico : Publica, ait, omnium oratione, *quasi manu facta expostulamus, et vim facimus Deo. Sed hæc vis grata est Deo.*

Sanctificate jejunium (indicite sanctum jejunium. Vide dicta cap. 1. v. 14), vocate coetum.] Mystice S. Bernard. ser. 4. de jejunio Quadrag. *Sint*, ait, *jejunio nostro, ut facile cœlos penetret, duæ alæ, orationis scilicet et justitiæ*, ut reddas fratri unitatem et pacem quam debes. Unde ait : *Vocate cœtum. Quid est enim cœtum vocare? Unitatem servare, diligere pacem, fraternitatem amare. Superbus ille Pharisæus jejunium habuit, jejunium sanctificavit, qui nimirum et jejunavit bis in sabbato, et gratias egit Deo, sed non vocavit cœtum, dicens : Non sum sicut cæteri hominum, ideoque ala una nitens jejunium ejus, non pervenit in cœlum. Vos ergo charissimi lavate manus vestras in sanguine peccatoris, et omnino solliciti estote ut alas duas habeat jejunium vestrum, sanctimoniam scilicet, et pacem, sine qua nemo videbit Deum; sanctificate jejunium, ut pura intentio et devota oratio divinæ illud offerat Majestati. Vocate cœtum, ut congruat unitati; laudate Dominum in tympano et choro, ut concors sit mortificatio carnis.*

16. Sanctificate ecclesiam,] q. d. Facite qua monendo, qua exhortando, qua minando, qua sanctæ vitæ exemplo præeundo, ut totus ecclesiæ populus se Deo suo sanctum præstet, itaque ejus offensam placet, eumque sibi reconciliet. Ita S. Hieron.

Coadunate senes,] q. d. Congregate omnis ætatis, ordinis et sexus homines, ut omnes clament in cœlum, flagitentque misericordiam, eamque communi omnium voce, quasi armata manu, à Deo extorqueant. Nominat præ cæteris *senes*, quia hi effœta ætate solent esse puriores à vitiis carnis, et ob affectam debilemque vale-

tudinem proniores ad preces et vota. Item *parvulos et sugentes ubera,* ut hi innocentes suo miserabili vagitu aures Dei pulsent flectantque ad misericordiam. Sic de parvulis ab Herode occisis ait S. August. serm. 1. de Innocentibus : *Miserebatur lamentatio matrum, et ad cœlum transibat oblatio parvulorum,* Deum concilians matribus totique Judææ. Sic pullos corvorum lamentabili crocitatione, quasi naturali prece, poscere cibum à Deo docet Psaltes psal. 146. 9 : *Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum.* Et leunculos suo rugitu : *Catuli leonum,* inquit, *rugientes ut rapiant, et quærant à Deo escam sibi,* psal. 103. 21. Et v. 27. de omnibus animalibus ait : *Omnia à te exspectant, ut des illis escam in tempore.* Hæ enim sunt quasi naturales animalium obsecrationes, quibus tacite ab auctore naturæ postulant cibum et potum sibi congruum. Unde Deus illorum conditor eas audit et exaudit, dum cuique escam providet et largitur. Adde parvulos hos suo ploratu excitare parentes et vicinos, ut ferventius orent et plorent.

Egrediatur sponsus,] q. d. Sponsi et sponsæ complexibus et voluptate thalami abstineant, ac dent se pœnitentiæ et lacrymis, adeantque ecclesiam, ut una voce omnes vociferentur in cœlum, flagitantes veniam. Docet hic Propheta, tempore publicæ calamitatis, pœnitentiæ et supplicationis, conjugibus abstinendum conjugio, ut melius se dent orationi, quod et docet Apost. 1. Cor. 7. 5. Et Rituale Romanum jubet ut Pastores hac de re moneant conjuges, dum eos matrimonio conjungunt. Ita Nicolaus I. in respons. ad quæst. Bulgar. cap. 50. scribit ut toto tempore Quadragesimæ, utpote orationis et jejunii, usu conjugii abstineant. Ita Noe eo abstinuit toto tempore diluvii, degens in arca, idque volente Deo, uti ex S. Ambros. dixi Gen. 8. 16.

Symbol. Hugo Victor. *Sponsus,* inquit, id est sapiens, *egrediatur de cubili suo, id est, de studio sapientiæ; et sponsa de thalamo suo, id est, de privilegio descendat contemplativæ gratiæ, et squalorem subeant pœnitentiæ, obtentu quærendæ veniæ.*

17. Inter vestibulum et altare.] Nota ex l. 3. Regum 6. templum Judæorum proprie tantum duas continuisse partes, scilicet Sanctum, et Sanctum sanctorum ; sed ante se habuisse vestibulum, sive porticum, quam Aquila vertit : πρόδρομον, quasi præviam templo. Hebr. vocatur אולם *ulam,* id est, colligatum et connexum templo; Symmachus vertit : προπύλαιον, q. d. *Antefores, proforium,* idque duplici de causa; prior, ad dignitatem basilicæ et ad majestatem incolarum. Hac enim de causa palatis addi solent vestibula, ut docet Vitruvius lib. 6. c. 8. Sic Romæ ante basilicam S. Petri, S. Laurentii, S. Clementis, S. Crucis, etc. videmus vestibula, sive porticus suis columnis subnixas. Posterior, ad adventantium stationem. Unde Macrobius, l. 6. cap. 8, *vestibulum* dici putat quasi *ve stabulum,* vel *ve statio; ve* autem tum intensionem significat, tum munitionem. Nam *vetus* dicitur ab ætatis magnitudine, quasi ve, id est magna ætas; *vehemens* quasi vi mentis instructum. *Vecors* autem et *vesanus* privationem significant sanitatis et cordis. Ergo locum ante fores relictum dici putant vestibulum à stationis excessu, quia in eo diu stabant adventantes, domus dominum salutaturi, exspectantes audientiam. Et Gellius, lib. 16. cap. 1, vestibulum dici putat, quasi venientium statio : Servius vero, quod januam vestiat; vel quod Vestæ consecratum esset. Unde nubentes puellæ limen non tangunt. Hinc Lucanus, l. 2:

Translata vetuit contingere limina planta.

Porro vestibulum hoc templi ad magnificentiam habebat in altitudine 120 cubitos, uti docet Villalpando lib. 3. de Templo, c. 46. Erat ergo instar ingentis turris, unde in ejus pinnaculo, hoc est culmine, statuit diabolus Christum, eum tentans et dicens : *Mitte te deorsum,* q. d. Si tu es filius Dei, ergo hoc tuum est templum: mitte ergo te deorsum, ut illæsum te sistas inter vestibulum et atrium sacerdotum; illique æque ac laici, hoc miraculum videntes, te ut templi dominum, Deique filium agnoscant et colant. Ita Franc. Lucas in Matth. 4. Nam ante hoc templi vestibulum, erat atrium sacerdotum sub dio, et in eo erat altare holocaustorum, post hoc atrium sacerdotum sequebatur atrium extimum laicorum, quod ab atrio sacerdotum dividebatur muro trium cubitorum altitudinis, teste Josepho lib. 8. Antiq. 2; ita ut populus spectare posset sacerdotes, holocausta, cæteraque quæ fiebant in atrio sacerdotum, non autem illud ingredi.

Jubet ergo hic Propheta sacerdotibus, ut inter templi vestibulum et altare holocaustorum, id est in atrio suo, sed proxime ad vestibulum et templum, supplices orent et plorent; idque primo, quia decebat eos proxime ad templum, in tanta populi necessitate supplicare; secundo, ut populus eos spectare posset, et eorum exemplo accendi ad communes preces et comploratio-nes. Ita S. Hieronym. Lyran. Ribera, à Castro, Vilalpando et alii. Tertio, quia sacerdotes prius sacrificabant, et per victimas pro peccato et holocausta parabant sibi aditum ad Deum, ut deinde accedentes ad vestibulum templi, sua vota precesque Deo supplices offerrent. Quare tropol. significabatur accedenti ad orationem præmittendam esse mortificationem : altare enim holocaustorum symbolum erat mortificationis, templum orationis.

Denique in hoc loco à Joele hic designato occisus est et martyr occubuit Zacharias Propheta, de quo Christus Matth. 23. vers. 25. ait : *Usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare;* quod hic dicitur : *Inter vestibulum et altare.* Vestibulum enim templo erat connexum, et quasi pars extima templi ; quare nomine templi comprehendit illud Christus. *Plorabunt,* id est prostrati, cinereque et sacco operti plorent et dicant : *Parce, Domine.* Hebræi enim sæpe futurum capiunt pro imperativo vel subjunctivo. Ita S. Hieronymus.

Nota hic sacerdotum esse flere et plorare peccata populi. Ita olim pii sacerdotes fluebant lacrymis in sacrificio. Hac de causa sudario utebantur, ut etiam nunc utuntur. Audi Amalarium l. 3. de Eccl. Offic. c. 24 : *Propter effusionem lacrymarum tergendam fertur sudarium, ut in Martyrologio Bedæ legitur* 19. *Julii, quod Pater noster Arsenius propter redundationem lacrymarum tergendam, semper sudarium in sinu vel in manu habuerit. In manu sinistra portatur, ut ostendatur in temporali vita tædium nos pati su-*

perflui humoris, hoc est, carnalis delectationis. Porro Beda in Collectan. agens de vestibus sacerdotum tom. 3. hoc sudarium vocat mappulam, sive amapham, ita dictam à mundando sudore et humore; eamque ait sacerdotem gestare in sinistra. Unde videtur quod mappula hæc fuerit manipulus : nam et manipulus videtur dici quasi manus mappula; quodque in locum mappulæ, deficiente devotione et lacrymis sacerdotum, successerit noster manipulus. Quocirca Amalarius inter vestes sacerdotis non nominat manipulum, sed ejus loco ponit sudarium. Hinc et sacerdos induens manipulum ait : *Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris, ut cum exsultatione recipiam mercedem laboris.* Manipulus ergo eum moneat compunctionis, devotionis et lacrymarum priscorum sacerdotum.

NE DES HÆREDITATEM TUAM (populum tuum, de quo dixisti : *Pars autem Domini populus ejus, Jacob funiculus hæreditatis ejus,* Deut. 32. 9 ; et : *Eritis mihi in peculium de cunctis populis,* Exodi 19. v. 5.) IN OPPROBRIUM, UT DOMINENTUR EIS NATIONES] Chaldæi.

QUARE DICUNT (id est dicent ; Septuag. *ne dicant*) : UBI EST DEUS EORUM?] q. d. Si nos tradis Chaldæis, gentes et nos, et te, ô Domine, subsannabunt et blasphemabunt dicentes : Deus Hebræorum suos Judæos deseruit, quia infirmus eos contra Chaldæos tutari non valuit; aut, si valuit, immisericors et crudelis noluit. Averte hæc probra à te, à nomine tuo glorioso.

18. ZELATUS EST (zelabitur, id est, amore et zelo prosequetur) DOMINUS TERRAM SUAM, Judæam, ET PEPERCIT, id est parcet, POPULO SUO,] cum Cyrum flectet, ut eos è Babylone in Judæam liberos dimittat, scilicet postquam eos captivitate septuaginta annorum punierit, in eaque contritos, pœnitentes sibique supplicantes, uti præcessit, audierit. Consolatur de more Propheta suos post minas et supplicia. Vide canon. 12. Ita S. Hieron. et alii passim. Unde Arabicus vertit : *Zelatus est Dominus terræ, et pepercit populo suo.*

Tropol. vide hîc fructum contritionis et pœnitentiæ, quæ Deum non tantum ad misericordiam et amorem, sed et ad zelum parcendi, et tuendi pœnitentes excitat et accendit. Quare merito exclamat hîc Hugo Victor. *O fructuosa et virilis pœnitentia! O virago amplectenda, mediatrix peccatorum fidelissima! O secunda naufragii tabula! O refugium pauperum, miserorum auxilium! exsulum spes, debilium fomes, lumen cæcorum, petulantium virga, vitiorum sera, virtutum apotheca! quæ sola judicem flectis, conditorem arguis. Omnipotentem sternis, dum vinceris vincis, dum cruciaris crucias, dum vulneras sanas, dum salubriter succumbis gloriose triumphas. Tu sola, cæteris silentibus, thronum gratiæ audacter conscendis.* Probat id et illustrat exemplis : *David,* inquit, *manu ducens reconcilias, Petrum restituis, Paulum illuminas, Publicanum sumptum de telonio Apostolorum fidenter inseris choro, Mariam de prostibulo levas in æthera, et jungis Christo : Latronem affixum patibulo adhuc vernantem sanguine inseris paradiso. Quid plura? Tui juris est cœlestis curia.* Et mox per antitheta, mala culpæ inflicta cap. 1. 10. bonis (quæ sequuntur vers. 22.) pœnitentiæ opponens, et emendans : *Contra terræ vastitatem,* inquit, *ipsius opponit ubertatem, contra famem saturitatem, contra opprobrium gloriæ securitatem, contra crudelitatem et incursionem hostium, ipsorum fœtorem et interitum, contra sterilitatem fructuum, et arborum ariditatem, ipsorum germina et ubertatem, contra famem verbi et sitim doctrinæ fontem vitæ inducit, et doctorem justitiæ, contra tristia gaudium, contra confusionem solatium, contra convicium gloriam, contra mortem vitam, contra cinerem coronam.*

19. RESPONDIT DOMINUS, per me Joelem hoc loco : ECCE EGO MITTAM VOBIS FRUMENTUM,] quod abstuli per erucam, locustam, brochum et rubiginem, c. 1. 4.

ET NON DABO VOS ULTRA OPPROBRIUM.] *Ultra,* id est in longum tempus, puta hoc seculo, vel quamdiu durabit vestri memoria. Sic τὸ *non ultra,* non perpetuum, sed longum, et immemoriale tempus significat, 3. Regum 10. 10. 4. Reg. 6. 23. et alibi.

20. ET EUM QUI AB AQUILONE EST (Aquilonarem tyrannum) PROCUL FACIAM A VOBIS.]

Quæres, quisnam hic Aquilonaris? S. Hieron. Theodor. Remigius, Albertus et Hugo accipiunt Sennacherib, quem Dominus longe fecit à Jerusalem : quia dum eam obsideret, angelus Domini una nocte percussit centum octoginta quinque millia militum, itaque eum fugere compulit. 4. Reg. 19. 35.

Verum Joel tota prophetia agit de vastitate Judæis immittente, non à Sennacherib, sed à Nabuchodonosor et Chaldæis, uti jam sæpius dixi. Hic enim veniens ab Aquilone, id est, è Chaldæa, cepit et vastavit Jerusalem, ac Judæos in captivitatem Babylonem abduxit. Unde Jerem. cap. 1. 14. comminans ejus cladem, eumdem vocat Aquilonem : *Ab Aquilone,* inquit, *pandetur malum super omnes habitatores terræ.* Hunc Deus procul fecit et abegit à Judæis, dum ejus filium, vel nepotem Balsasarem cum urbe Babylone, totoque regno per Cyrum evertit. Quocirca Chaldæi, qui tum in Judæa degebant, illique præsidebant, ut patet Jerem. 40. 10. audita hac Balsasaris domini sui clade, perterriti fugerunt in invias solitudines, partim versus mare Mortuum, situm ad Orientem Judææ, partim versus mare Mediterraneum situm ad Occidentem ejusdem, multique ex illis à Judæis et Persis cæsi sunt, ita ut occisorum fœtor et putredo aerem compleret; sicque punita est eorum superbia et tyrannis, qua populum Dei superbe opprimebant. Ita Theodor. et à Castro.

Secundo, S. Hieron. et alii multi mox citandi per hunc venientem ab Aquilone melius et plenius intelligunt Holofernem, qui missu alterius Nabuchodonosoris regnantis in Ninive Judæos Babylone reversos invasit, sed eversus et cæsus est à Judith. De eo enim dicitur : *Venit Assur ex montibus ab Aquilone, in multitudine fortitudinis suæ,* Judith. 16. 5. Cæso enim Holoferne, milites Assyrii fugerunt in invia, dispersique sunt versus mare Occidentale et Orientale. Judæa enim ab Occasu habet mare Mediterraneum, quod hîc novissimum dicitur, ab Oriente vero habet mare Galilææ, quod et Genezareth et Tiberiadis dicitur; è regione cujus erat Bethulia, ubi fugati sunt Assyrii, q. d. Exercitum immensum Holofernis, qui videbatur pertingere à mari Galilææ usque ad mare Mediterraneum, quaquaversum in omnem mundi plagam dispergam. Probatur hæc explicatio ex

eo quod post reditum populi è Babylone in Judæam, in eaque pacem et copiam frugum, Deus promittit hanc de tyranno ab Aquilone venturo victoriam : at nec in Scriptura, nec apud Josephum, alium tunc ex Aquilone venisse legimus, nisi Holofernem. Adde : huic magis congruit, quod hic dicitur de fuga militum ad mare Galilææ et Mediterraneum, quàm Nabuchodonosori et Chaldæis. Ita Ribera. Licet enim Pererius in cap. 1. Danielis, Genebr. l. 2. Chronol. Canus lib. 11. de Locis cap. 6. à Castro. hic. Serarius in c. 1. Judith et nonnulli alii putent historiam Judith contigisse ante captivitatem Babylonicam sub Manasse rege Juda; tamen Suidas v. *Judith*, et Julius Africanus apud eumdem, S. August. lib. 18. de Civit. 26. Euseb. in Chron. Beda de Tempor. Rabanus, Hugo Card. Dion. in Judith cap. 1. Gerardus Mercator in Chronol. Ribera et alii multi putant post eam contigisse, regnante vel Cambyse, vel Dario Hystaspis, vel ejus filio Xerxe, de quo plura dixi in libro Judith.

Alleg. Aquilonaris hic tyrannus est diabolus, qui quasi Boreas frigus, id est, acediam et torporem, mentibus hominum immittit, hiememque virtutum et bonorum operum inducit: sed hunc fugavit Christus, qui quasi Auster, calorem et fervorem mentibus Apostolorum et fidelium aspiravit. Unde de eo dicitur Cant. 4. 16 : *Surge* (transi, abi) *Aquilo, et veni, Auster : perfla hortum meum, et fluant aromata illius*, puta aromata virtutum, ait ibidem Theodor. et Nissenus. Unde Richard. de S. Victore ibidem addit : *Per Aquilonem enim colliguntur aquæ ne fluant; inde dictus est Aquilo quasi aquas ligans.* Hinc et *Deus ab Austro veniet*, ait Habacuc cap. 3. 3. Porro Hugo Victor. singula ita adaptat : Is qui ab Aquilone est *apostata angelus, qui per incarnationem Christi, per verbum fidei, per gratiam baptismi expulsus est in terram inviam, id est, in ariditatem Gentilis et Judaici populi.* Unde Christus : *Cum*, ait, *immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiem*, Matth. 12. 43. Pergit Hugo : *Mare Orientale sunt electi, novissimum reprobi, facies intentio, extremum inclusio, vel mare Orientale sunt primitiæ electionis Gentium, novissimum crudelitas Judæorum : fœtor ejus est mors Antichristi : putredo super eum, sententia judicii.* Unde de his ait Isaias cap. ult. v. ult. : *Egredientur* (beati) *et videbunt cadavera virorum qui prævaricati sunt in me ; vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur : et erunt usque ad satietatem visionis omni carni.* Vide ibi dicta. Arabicus uterque vertit : *Occidentalem* (vel *Occidentem*) *expellam à vobis.* Sub Aquilone enim intelligitur ei vicinus Occidens, in quem tendunt reprobi : diabolus enim eos trahit in occasum ; sicut sub Austro intelligitur ei vicinus Oriens, in quem tendunt sancti et Beati.

Moraliter : *Terra est reproba anima; invia est, quia sine visitatione Angelorum : deserta, quia sine fructu virtutum, et semine morum : dæmonis expulsio est peccati confessio : mare Occidentale est mens per compunctionem amara, per devotionem contemplationis Oriens facta : mare novissimum est mens fœtore conscientiæ amara, desperatione veniæ absorpta : facies ejus, astuta intentio nocendi : extremum ejus, furor et insania triumphandi : fœtor est odium peccati, putredo contemptus mundi.* Hucusque Hugo.

MARE ORIENTALE.] *Mare Orientale* est mare Galilææ, vel potius mare Mortuum, sive lacus Asphaltites, in quem versa est Sodoma et Pentapolis, dum cœlesti igne conflagravit, quod proinde vocatur mare salsissimum, et ponitur limes Judææ, sive terræ Judæis promissæ ab Oriente, Num. 34. 3. Sicut ibid. v. 9. limes ejusdem ab Occidente ponitur mare magnum, sive Mediterraneum. Ita S. Hieron. Albert. Lyran. Minus recte ergo aliqui per *Mare Orientale* accipiunt Oceanum. Hic enim non tangit Judæam, atque tam versus Meridiem aliasque mundi plagas, quàm versus Orientem porrigitur.

Loquitur hic jugiter Propheta de exercitu Assyriorum, vel Chaldæorum sub allegoria locustarum, atque alludit ad plagam locustarum, Ægypto à Mose inflictam. Has enim, orante Pharaone, tollens Moses, induxit ventum occidentalem, puta Zephyrum, qui *arreptam locustam projecit in mare Rubrum*, Exodi 10. 19. Simili enim modo Deus Assyrios dispersit ex Judæa, ut fugerent versus ejus limites, puta versus mare Mortuum, et ad mare Mediterraneum in exteras regiones.

ASCENDET PUTREDO EJUS.] Hebr. צחנתו *tsachanato*, quod S. Hieron. Tigur. et alii vertunt, *putredo ejus;* Septuag. vertunt, βρομος αυτου, quod Romani vertunt pariter, *putredo ejus.* Sed Complut. vertunt, *sonitus ejus :* quia βρομος et putredinem sive fœtorem putidum, et sonitum sive crepitum, fremitum et mugitum significat. Hic tamen potius putredinem et fœtorem vertas : hunc enim significat hebr. *tsachanato*, ut vertit S. Hieron. Tigur. et alii.

21. NOLI TIMERE, TERRA] Judææ scilicet; Judææ enim, id est, ejus incolis, puta Judæis post reditum è Babylone promittit bona quælibet temporalia, eaque per antithesin malis singulis, quæ iisdem comminatus est cap. 1. vers. 4. et seq. opponit. Ita S. Hieron. Theodor. Hugo et alii. Mystice sub hisce temporalibus intelligit bona spiritualia per Christum danda, ad quæ sensim assurgit : *Omnibus*, ait S. Hieron. *quibus supra comminatus fuerat, nunc contraria pollicetur, et lætis tristia mitigat, et lacrymas vertit in risum.*

QUONIAM MAGNIFICAVIT DOMINUS UT FACERET.] Hoc est, magnifice Deus tecum fecit, id est faciet : magnifica tecum facturus est, magna tua rerum damna majore copia et magnificentia sarciet, imo obruet. Est hebraismus : repetitur enim τὸ *ut faceret*, quod continetur in voce *magnificavit.*

22. NOLITE TIMERE, ANIMALIA REGIONIS, præ fame et defectu pascuorum squalentia et tabescentia, ut dixit cap. 1. vers. ult. QUONIAM GERMINAVERUNT SPECIOSA DESERTI,] q. d. Post reditum è Babylone faciam ut germinent loca amœna, antea desolata et deserta, faciam ut prata, imo et steriles ericæ proferant pinguia pascua, et agri lætas segetes, quibus vos, ô animalia, pascamini et impinguemini.

FICUS ET VINEA DEDERUNT VIRTUTEM SUAM,] id est, fructum vigoris sui, ait Chald. puta vigorosas, sapidas et succulentas uvas et ficus. Est metonymia : ponitur enim causa pro effectu, *virtus*, sive vigor pro fructu vegeto et vigoroso.

23. ET FILII SION, EXSULTATE ET LÆTAMINI IN DOMINO DEO VESTRO.] Qui licet omnium sit communis Dominus, tamen proprie se vestrum

duntaxat Deum ostendit, dando vobis tanta et tam magnifica dona, ac si vester tantum esset pater, provisor et procurator; cæteras vero gentes præ vobis negligeret. Porro *Sion*, non carnalem, sed spiritualem hìc accipit. *Filii* ergo *Sion* sunt omnes filii Ecclesiæ Christi, omnes fideles et Christiani. Ad Christum enim salit et avolat Propheta: hic enim est Doctor justitiæ, ut jam dicam. Solent enim Prophetæ à solutione captivitatis Babylonicæ, et libertate data per Cyrum quasi à typo salire ad antitypum, puta ad solutionem captivitatis humanæ è potestate diaboli; et libertatem filiorum Dei datam per Christum.

Quia dedit vobis doctorem justitiæ.] Pro *doctorem* Hebr. est מורה *more*, quod aliqui vertunt *pluviam*, sicque hunc locum transferunt: *Quia dedit vobis pluviam propter justitiam.* Unde apposite sequitur: *Et descendere faciet ad vos imbrem matutinum et serotinum.* Favet versio Septuag. *Quoniam dedit vobis escas* (triticum ex pluvia fecundante agros) *in justitiam*, q. d. Post reditum è Babylone dabit vobis Deus pluviam, indeque messem et annonam copiosam, in præmium vestræ pietatis et justitiæ, utque studiosius ei serviatis in justitia. Ita S. Hieronym. et Theodor. Hinc et Syrus, et Arabicus uterque vertit: *Dedit vobis cibum justitiæ.*

Verum melius *more* vertas *doctorem*. Primo, quia ita vertit S. Hieron. Chald. Vatabl. Clarius, Arias et passim alii. Secundo, quia de pluvia mox subdit: *Et descendere faciet ad vos imbrem;* ergo hìc *more* non imbrem, sed doctorem significat: alioqui esset tautologia, et idem bis diceretur. Tertio, quia hebr. est. *Dedit vobis more ad justitiam*, quod proprie de doctore accipi debet, non de pluvia: nec enim pluvia, sed doctor datur ad docendam justitiam. Quarto, quia *more* semper alibi à Nostro, Septuag. et aliis vertitur doctor, aut legislator: pluvia enim hebr. non *more*, sed יורה *iore* vocatur. Ita Psalm. 83. 8: *Etenim benedictionem dabit legislator*, Hebr. *more;* licet R. David ibi vertat: *Piscinas operiet pluvia.* Isaiæ 30. 20: *Et non faciet avolare doctorem tuum*, Hebr. מורך *morecha.* Et alibi passim. Unde à *more* dicitur Syrum *mara* (unde *maranata*, id est, *Dominus noster venit*), Arabicum *mir*, id est magister, dominus: unde *maria* idem est quod magistra, domina. Alludit tamen *more* ad תורה *thora*, id est lex, et ad יורה *iore*, id est pluvia: quia Hebræi doctrinam vocant *rorem* vel *pluviam*, eo quod illam doctor instar pluviæ suaviter, sensim et guttatim instillet auribus et mentibus discipulorum, easque sapientia irriget, lætificet et fecundet. Unde Moses Deuter. 32. 2: *Concrescat*, ait, *ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stillæ super gramina.* Quocirca in Hebr. hìc est pulchra paronomasia inter *more*, id est doctorem, *iore*, id est pluviam, et יורד *iored*, id est descendere faciet, q. d. Deus dabit vobis *more*, id est doctorem, qui *iored*, id est descendere faciet, et quasi è cœlo stillabit in vos *iore*, id est, pluviam cœlestis doctrinæ. Sic Isaias Christum comparat rori è cœlis descendenti et terram irroranti, c. 45. 8: *Rorate*, ait, *cœli desuper, et nubes pluant justum.* Vide ibi dicta.

Quæres, quisnam hic *doctor justitiæ?* Rabbini, quos sequitur Ruffinus, asserunt esse Ezechiam regem qui populum excitavit ad pietatem Deique cultum, 2. Paral. 30. Ideoque Jerusalem ab obsidione Sennacherib liberavit. Alii volunt esse Josiam, pium pariter regem, qui aras idolorum evertit. Verum hìc non agitur de Sennacherib, sed de Nabuchodonosore, vel Holoferne: hunc enim doctorem promittit post captivitatem Babylonicam, ut dixi vers. 20. Adde: hic augustus titulus *Doctor justitiæ* in Scripturis non datur Ezechiæ, Josiæ aut Prophetis, sed soli Messiæ, ut patet Isaiæ 30. 20. et cap. 55. 4: *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus;* quo hìc alludit Joel, præsertim quia hic doctor in Hebræo habet articulum, et vocatur המורה *hammore*, id est, ille eximius et singularis orbis doctor, puta Doctor doctorum et Prophetarum omnium, quem singuli avide exspectamus, utpote à Prophetis omnibus promissum. Unde Jeremias cap. 23. 6. loquens de Messia: *Hoc*, ait, *est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* Et Daniel cap. 9. 24: *Ut adducatur justitia sempiterna, et ungatur Sanctus sanctorum*, puta Christus. Tertio, quia sequentia vers. 28: *Effundam spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri: et dabo prodigia in cœlo, etc. Sol convertetur in tenebras: et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis*, ad nullum nisi ad Christum pertinent.

Iisdem rationibus confutatur sententia recentiorum Rabbinorum, quos sequuntur Lyran. Hugo et Dionys. qui per *doctorem* accipiunt doctores, id est, Prophetas Judæorum post captivitatem Babylonicam, quales fuerunt Zacharias, Aggæus et Malachias: fateor tamen ad eos alludi, eosque quasi obiter perstringi (alludit enim Joel ad felicitatem populi Babylone redeuntis, cui dedit Deus frugum copiam. Unde subdit: *Et implebuntur areæ frumento. Et reddam vobis annos quos comedit locusta*); sed ita ut acies Prophetæ primario et directe figatur, finiatur et expleatur in Christo: sicut Moses Deut. 18. 18. promisit post se Prophetam, id est, Prophetas, et inter eos unum eximium et singularem, puta Christum; Christus enim est unus noster Magister et Rabbi per excellentiam, ut ipse ait Matth. 23. 8. Ita Remig. Rupert. Haymo, Albert. Arias, Vatabl. Ribera, à Castro et alii.

Et descendere faciet Dominus ad vos imbrem matutinum et serotinum.] Apud Prophetas *imber matutinus* vocatur, qui in autumno depluit, cum sementis fit in Judæa, ut illius grana solvantur, et radices figant in terra. *Serotinus*, qui maturescente segete, descendit in Aprili aut Martio. Ita Chaldæus, Rabbini et passim Interpretes. In Judæa enim calida et sicca regione, tota æstate, id est, à Maio usque ad Octobrem, per quinque menses non pluit, sed sudum jugiter et serenum est cœlum, tam nocte quam die: unde noctu in tectis sub dio dormiunt, uti à viris gravibus qui ibi habitarunt accepi. Quocirca duplex ibidem est tempus pluviæ, prius post æstatem cum jaciuntur semina, illudque dicitur mane, sive matutinum respectu segetis, quæ tunc è terra erumpit, uti mane in aurora exsurgit sol: posterius, ante æstatem, quod segetes incrassat et maturat, illudque dicitur serotinum respectu matutini jam dicti. Segetes enim suum quasi habent diem, cujus aurora est germen et germinatio: vespera, seges et messis, cum scilicet in horrea conduntur.

Nota : Per hunc imbrem significat messem, et fruges temporales copiose dandas Judæis post reditum è Babylone. Ita S. Hieron. Theodor. Remig. Albert. Hugo et Lyran. Verum sub his tropice et metaphorice, longe magis intendit significare fruges, et bona spiritualia danda per Christum, q. d. Christus doctor justitiæ talem vobis doctrinam et tantam ubertatem bonorum spiritualium dabit, qualis et quanta olim in veteri testamento, imbre illo matutino et serotino adumbrabatur. Ita Rupert. Haymo, Arias, Ribera, à Castro et alii. Id ita esse patet ex rationibus paulo ante allatis, et ex eo quod hæc bona promittat *in æternum;* æterna autem sunt bona spiritualia Christi, non temporalia Judæorum. Quocirca imber matutinus est prædicatio prima, sive doctrina, illustratio et gratia præveniens, quæ primo peccatorem convertit, facitque justum : serotinus, est illustratio, et gratia consequens, quæ justum in justitia promovet, et ad perfectionem deducit, ac præsertim est donum perseverantiæ; hoc enim justum ad gratiam consummatam, id est, ad gloriam et beatitudinem cœlestem perducit. Ita S. Hieron. Arias, à Castro et alii.

Symbol. imber matutinus fuit vetus testamentum, quod prima pietatis semina pullulare fecit : serotinus est novum, quod veteris semina maturavit, et ad messem virtutum perduxit. Ita S. Hieron. et Haymo.

Rursum Rupert. Matutinus, ait, imber fuit prædicatio Evangelii facta Judæis à Christo et Apostolis : serotinus erit, quæ fiet ab Elia et Henoch in fine mundi, cum omnis Israel salvus fiet.

24. Et implebuntur areæ frumento.] Perstringit obiter fertilitatem Judææ post reditum è Babylone, sed per hanc intelligit præcipue copiam charismatum et virtutum datam agris, et areis, ac olivetis et vinetis, id est, Ecclesiis particularibus per Christum. Porro *torcularia,* in quibus exprimitur vinum et oleum, sunt tum gymnasia, monasteria, collegia, aliaque asceteria : tum persecutiones et tribulationes, quibus vinum sapientiæ et fortitudinis; ac oleum consolationis divinæ exprimitur et hauritur.

Tropolog. *Torcularia,* ait Hugo Victor. *sunt ipsa corda inter spem et timorem posita, constantiam superius, patientiam inferius habentia : constantiam in tentatione, patientiam in tribulatione. Constantia siquidem premit, et desuper arcet; patientia inferius jacet, et pondus sustinet. Inter hæc duo mens sancta quasi in torculari posita premitur, defæcatur, eliquatur. Premitur flagellis, defæcatur vitiis, eliquatur ab otiis. Premitur à calamitate, defæcatur ab iniquitate, eliquatur à vanitate. Hinc namque elicitur gemitus puræ confessionis : hinc fluunt lacrymæ anxiæ compunctionis : hinc manant suspiria jucundæ devotionis : hinc liquefiunt desideria suavissimæ dilectionis : hinc eliciuntur stillicidia limpidissimæ contemplationis. Frumentum est perfectio justitiæ; vinum claritas spiritualis intelligentiæ, oleum suavitas purissimæ conscientiæ.*

25. Et reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus, etc.] q. d. Præteritam inopiam, quam vobis intulerunt Chaldæi, tum litterales, tum potius mystici, id est, dæmones et vitia, compensabo gratiarum et opum cœlestium ubertate. Unde Chald. vertit : *Reddam vobis annos bonos pro annis quibus vexarunt vos populi, gentes et reges;* Chaldæi enim fuerunt *fortitudo mea magna;* Hebr. et Chald. *exercitus meus robustus.* Alludit ad id quod de locustis significantibus castra Chaldæorum dixit vers. 11 : *Dominus dedit vocem ante faciem exercitus sui; quia multa sunt nimis castra ejus, quia fortia, et facientia verbum ejus.*

Porro, per locustas et Chaldæos intelligit exercitum spiritualium hostium, q. d. Ego Deus tentationes, peccata, dæmones, carnem et mundum, quasi hostes et prædones vestros immisi in vos (eo sensu et modo quo dixi can. 27. in Prophetas majores) ad puniendam vestram superbiam, aliaque peccata priora. Hi vastarunt agros Ecclesiarum et animarum vestrarum, ac depasti sunt omne germen virtutum et bonorum operum. At jam idem ego placatus et reconciliatus vobis, omnia hæc damna sarciam, vobisque pristinam bonorum cœlestium copiam restituam, imo majori fœnore cumulabo, ut dicatis cum Psalte psalm. 89. 15 : *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.*

Tropol. significatur hîc vis pœnitentiæ, quæ lapso, sed pœnitenti, omnes priores virtutes, omnia priora merita restituit, ut docet S. Hier. hîc, ac S. Thom. et Theologi tract. de Pœnitentia, ideoque facit ut homo lapsus semper ad majorem gratiam resurgat : præter enim gratiam præteritam, quam omnem reducit, addit insuper propriam, tum virtuti, tum Sacramento pœnitentiæ commensam. Vide Franc. Suar. opusc. 5. de Reditu bonorum operum, ubi disp. 2. sect. 3. cum Joan. Majore, Gabriele, Ockam, Medina et Henrico à Gandavo docet hunc reditum fieri vi pœnitentiæ non in altera vita, uti censuit Scotus et Durandus; sed in præsenti, adeoque in eodem pœnitentiæ instanti; nec tantum per actus pœnitentiæ prioribus virtutum actibus intensiores, uti censuit D. Thomas et Paludanus, sed etiam per actus ejusdem remissiores.

Symbol. Hugo Victor. *In adventu,* ait, *Christi redduntur nobis anni quos præfata pestis devoraverat; quia in eo nobis contra locustam veram, id est, contra fastum, dedit humilitatem, dicens : Discite à me quia mitis sum et humilis corde : contra bruchum, id est, gulam, perfectam sobrietatem, dicens : Videte ne graventur corda vestra crapula, et ebrietate, et curis hujus vitæ : contra rubiginem, id est, iram, perfectam patientiam, dicens : Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi et alteram : contra erucam, id est, luxuriam, perfectam castitatem, dicens : Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris. Locustam igitur exterminavit, dicens : Beati pauperes spiritu : beati qui lugent. Bruchum, dicens : Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam : beati misericordes. Rubiginem, dicens : Beati pacifici : beati mites. Erucam, dicens : Beati mundo corde.* Vides hîc quatuor hæc animalia et pestes octo beatitudines depasci, easque reduci per Christum et per pœnitentiam.

26. Et comedetis vescentes, et saturabimini : et laudabitis nomen Domini.] Ille enim dedit vobis escam, eamque talem, tamque succulentam et copiosam, ut vos abunde saturaret, fortesque, vegetos et alacres efficeret.

Moral. disce hîc fruges, escas, omniaque bona

naturalia, et multo magis supernaturalia, esse dona Dei, eorumque laudem et gloriam non nostro labori, sed Deo, ejusque beneficentiæ adscribendam. Qui secus facit, Deo quod suum est suffuratur, et se Dei donis indignum facit, iisque spoliari meretur. Deus enim est zelotes suæ gloriæ, utpote quæ ei omni jure debetur; unde ait ipse : *Gloriam meam alteri non dabo*, Isaiæ 48. 11. Quocirca S. Franciscus hoc mire suis inculcabat, ac inter alia illud documentum dabat : *Quando*, inquit, *servus Dei orans visitatur, divinitus dicere debet : Istam consolationem mihi peccatori et indigno de cœlo misisti, Domine, et ego illam tuæ committo custodiæ, quia thesauri tui me sentio esse latronem*, dum ejus laudem et gloriam tibi suffuror, et mihi ascribo. Ita S. Bonav. in ejus Vita, cap. 10.

28. ET ERIT POST HÆC : EFFUNDAM SPIRITUM.] Hebræi hinc inchoant novum caput. Jam iidem, et ex iis Ruffinus, sicut per doctorem justitiæ vers. 23. acceperunt Ezechiam; ita spiritum à Deo effusum censent in ejus nuntios, quos ipse misit per totam Judæam, ut omnes ad avitam fidem Deique cultum revocaret : S. Petrum vero in concione sua, Actor. 2, tantum hæc accommodasse suo tempori, eo quod illi quoque congruerent; ac Ruffinus audaces vocat eos qui contrarium censent. Sed audacior est hæc ejus censura, utpote repugnans SS. Patribus et Interpretibus pene omnibus, ipsique S. Petro Act. 2. 17.

Alii sicut per doctorem accipiunt doctores, puta Prophetas qui fuerunt post reditum è Babylone, v. g. Aggæum, Zachariam, Malachiam; ita per eosdem ardenter concionantes, putant effusum spiritum pietatis in populum. Verum cum superius probatum sit doctorem justitiæ intelligi Christum, sequitur ad illius tempora hæc pertinere, præsertim quia nunquam aliàs effusum Spiritum S. legimus. Adde, pro *Et erit post hæc*, S. Petrus Act. 2. vertit : *Et erit in diebus novissimis*, puta in diebus Messiæ. Illius enim ætas, lex et tempus in Script. vocatur *novissimum* : quia illi nulla alia lex, religio vel Ecclesia succedet. De fide ergo est hæc ad litteram non de Ezechia, Aggæo, aut quovis alio, sed de Christo esse intelligenda. Ita enim definit Vigilius Papa in Concil. Romano contra Theodor. Mopsuestenum, uti dixi in procemio.

Ait ergo et promittit dicens : *Post hæc*, id est, post Christum doctorem, ejusque mortem, et ascensum in cœlum, ego Deus effundam Spiritum Sanctum in Pentecoste, ac deinceps, primo Ecclesiæ seculo visibiliter in Apostolos, et Christi discipulos; sequentibus vero seculis, invisibiliter eumdem effundam in omnes, quotquot per baptismum in Christo renascentur, ejusque Ecclesiæ incorporabuntur. De Pentecoste enim hunc locum explicat S. Petrus Actor. 2. 17. quem sequuntur omnes Patres et Interpretes orthodoxi, ut S. Hieron. Cyrill. Theodor. Remig. Rupert. Albert. Haymo, Lyran. Hugo uterque, scilicet Cardinalis, et Victorinus, Dionys. Vatabl. Arias, Clarius, Ribera, à Castro hic, Chrysost. Œcum. et alii in Act. 2. Didymus et Ambros. lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 7. Justin. contra Tryph. Hilar. lib. 8. de Trinit. et alii. Quin et Rabbini, ut Chald. R. Salomon, R. David, R. Jesua apud Lyran. et Galat. lib. 8. cap. ult. et alii hanc missionem Spiritus Sancti ad tempus Messiæ referunt. Porro cum ait : *Effundam*, loquitur idem qui dixit : *Mittam doctorem justitiæ*, scilicet Deus Pater; esto ipse simul cum Filio uti spirat, ita et mittat Spiritum Sanctum. Ita Chrysost. in Act. 2. Hinc Cyrill. Hierosol. catech. 17. censuit hic loqui Christum, cui, inquit, Pater omnia dedit in manus, ac potestatem dandi Spiritum S. quem non ad mensuram accepit.

Nota : Vox *effundam* significat ubertatem et copiam donorum Spiritus Sancti, tum gratum facientium, ut gratiæ, charitatis, fortitudinis, aliarumque virtutum, tum gratis datorum, ut prophetiæ, etc. effundendam in Apostolos et fideles. Unde in Scriptura hæc effusio vocatur *baptismus*, ut Matth. 3. 11. ait Joannes Baptista de Christo : *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni*, q. d. Ipse vos replebit Spiritu Sancto, in eumque ejusque ignem quasi immerget, ut homo immergitur in aquam, dum baptizatur. Et Christus ascensurus in cœlum Act. 1. 5. ait : *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto, non post multos hos dies.* Quocirca pro *effundam*, Arabicus Antioch. vertit : *Inundare faciam spiritum meum super universos homines*; et Arab. Alexand. *Inundabo de spiritu meo super omnes homines.* Sicut ergo flumen, vel mare turgidum exundat in agros, ita Spiritus Sanctus in homines. Ita S. Chrysost. et Theoph. Act. 2. Audi Hugonem Vict. *Christus*, ait, *spiritum suum effudit, non Mosi abstulit, nec Eliæ rapuit, sed suum largiter distribuit.*

Nota τὸ *effudit. Primo enim fudit, secundo infudit, tertio effudit. Fudit in paradiso, infudit in deserto, effudit in cœnaculo. In paradiso legem dando naturæ; in deserto præcepta et cæremonias legis scriptæ; in cœnaculo plenitudinem gratiæ. Fudit ergo primo, rigando aream naturæ; secundo, infudit torrentem doctrinæ; tertio, effudit fluvium gratiæ*, q. d. *In exordio mundi rigavi aridam naturam; in squalore deserti Mosi in sinum stillavi legis doctrinam; in plenitudine temporis ubertatem gratiæ effundam.* Et paulo post necessariam docet fuisse hanc effusionem : *Tria namque*, inquit, *erant hominis mala : ignorantia boni, concupiscentia mali, malitia impœnitendi. Venit ergo Filius, Sapientia Dei et virtus; missus est Paraclitus, benignitas ipsius. Sapientia fusa nævum sustulit ignorantiæ; virtus infusa sordes purgavit concupiscentiæ; effusio Spiritus mundavit fæces malitiæ, siquidem sapientia illuminavit, virtus sanavit, benignitas sedavit. Quod Psalmista prævidens ait : secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Amplius lava me, Domine, ab iniquitate mea, et à peccato meo munda me*, q. d. *Dele fundendo, lava infundendo, munda effundendo; fundendo sapientiam ab oculis dele ignorantiam; infundendo virtutem ab intimis lava concupiscentiam; effundendo benignitatem à toto corpore extermina malitiam.*

Nota secundo : Pro *effundam spiritum meum*, S. Petrus Actor. 2. 17. ait : *Effundam de spiritu meo*, ubi particula, *de*, significat hanc communicationem gratiæ et donorum Dei provenire à Spiritu Sancto, tanquam patre luminum. Rursum Spiritum Sanctum partiri inter fideles sua dona, ut uni det gratiam docendi, alteri exhortandi, alteri miraculorum, etc. uti docet Apostolus Roman. 12. 6.

Nota tertio : Didymus et S. Ambros. lib. de

Spiritu Sancto, ex hoc loco probant Spiritum Sanctum esse Deum; quia, inquiunt, non dicitur effundi à Deo, nisi quod de ipso participale est. Angelus enim non dicitur effundi; quia cum sit creatura, non est participabilis. Licet enim charitas, donaque Spiritus Sancti, dicantur effundi quoque à Deo; tamen nulla substantia, vel persona (qualis est Spiritus Sanctus) dicitur effundi in animam mentemque, ita ut eam possideat, illuminet, sanctificet, satiet et impleat, nisi Deus: solus enim Deus menti illabi potest, eamque docere, ignire, implere, flectere et movere quocumque vult; hoc enim nequit angelus. Ubi nota, cum anima fit justa et sancta, aut justior et sanctior, non tantum gratia et charitas, vel ejus incrementum, sed ipse Spiritus Sanctus, adeoque tota Trinitas realiter per sanctificationem menti nostræ illabitur, in eaque inhabitat quasi in throno et templo suo; perinde ac Verbum, assumens humanam naturam, eidem illapsum est personaliter, ita ut in illa habitaret plenitudo divinitatis corporaliter, ut ait Apost. Coloss. 2. 9. Hoc est quod ait Christus Joan. 14. 23: *Si quis diligit me, sermones meos servabit, et Pater meus diliget eum; et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Sicut ergo Beatis Deus realiter est præsens, cum illis suam essentiam per visionem beatificam, et lumen gloriæ ostendit, eamque eis fruendam et possidendam communicat: sic et idem ipse est in anima sancta, ac proinde in ea suam gratiam, charitatem, aliaque dona divina diffundit; perinde ac sol ubi oritur, mox suam lucem, radios et calorem spargit. Posita ergo ultima dispositione ad justitiam, v. g. contritione, statim subintrat in animam quasi in templum suum, Spiritus Sanctus totaque S. Trinitas, eam sanctificans, sibique quasi dedicans et consecrans; ac deinde eodem instanti temporis, sed posterius natura, eidem suam charitatem et gratiam communicat. Hoc significat τὸ *ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Est enim hæc summa Dei unio cum anima sancta, qua nulla puræ creaturæ major dari potest; nam per eam fimus divinæ consortes naturæ, ut ait S. Petrus epist. 2. cap. 1. 4. Vide hìc, ô Christiane, dignitatem sanctitatis ad quam vocatus es, eamque omni studio consectare, conserva et adauge.

Denique Nazianzen. orat. 49. sub finem, probat Spiritum Sanctum mitti à Filio de propria ipsius substantia, ex hoc loco: *Effundam de spiritu meo;* et ex illo Joan. 16: *De meo accipiet et annuntiabit vobis: Ex eo utique,* inquit, *quod est Filius, quia et filius de eo, quod Pater, est,* q. d. Spiritus ex eo quod à Filio accipit, annuntiabit; sicut Filius annuntiat Spiritui Sancto, ex eo quod accepit à Patre.

Super omnem carnem,] id est, super omnem hominem; per synecdochen enim pars capitur pro toto, caro pro homine, ut cum dicitur: *Verbum caro factum est; caro,* id est homo; poterat dicere pariter: Verbum anima, id est, animatus homo factum est; sed maluit dicere, *caro;* tum ut significaret summam dignationem Verbi, qua, ut ait S. Aug. ep. 120. c. 4, se humiliavit ad nostram carnem, quæ inter omnes animalium carnes miserrima est et infirmissima; tum quia morbus noster, puta concupiscentia, residet in carne; hanc autem curare venit cœlestis Medicus, puta Christus, æque ac Spiritus Sanctus; unde Græcis σαρκωσις vocatur incarnatio, et, ut Tertull. ait lib. de Carne Christi cap. 1. incorporatio, id est, vivificatio carnis corruptæ, ait S. Thom. tum denique, quia per eam pro corde lapideo et duro, accepimus cor carneum, id est molle, flexile, obediens, 2. Corinth. 3. 3. Sensus ergo est, q. d. Super omnem hominem Christo credentem, cujuscumque ætatis, sexus et status sit, effundam Spiritum Sanctum in Pentecoste, et deinceps. Simpliciter itaque et plane capitur vox *omnem;* loquitur enim de fidelibus tantum, credentibus et obedientibus Christo. Quocirca arctius nonnulli vocem *omnem* accipiunt, non pro singulis generum, q. d. Effundam spiritum super omne hominum genus, puta super aliquos viros, aliquas feminas; aliquos juvenes, aliquos senes, aliquos servos, aliquos nobiles; non autem super omnes, id est singulos. Nam super singulos discipulos suos effudit, et effundit jugiter Christus Spiritum Sanctum.

Nota: Sicut Joel et Prophetæ solis Judæis proprie et directe promittunt doctorem justitiæ, puta Messiam; ita iisdem solis Joel hìc promittit Spiritum Sanctum. Ita Chrysost. Actor. 2. Unde sequitur: *Et prophetabunt filii vestri.* Verum quia ex misericordia Dei Gentes ascitæ sunt per fidem in familiam Abrahæ, puta in Ecclesiam et congregationem fidelium; hinc pariter benedictionum et promissionum Abrahæ à Deo factarum (inter quas prima est effusio Spiritus Sancti, justificatio et adoptio) sunt participes et hæredes, uti docet Apostolus Rom. 9. 10 et 11. Et hoc significat τὸ *super omnem carnem.* Quocirca in Cornelium Centurionem aliosque credentes ex Gentibus effusus est Spiritus Sanctus specie visibili, æque ac in Apostolos et Judæos, ut patet Act. 10. 44. Ita S. Hieron. Theodor. Albert. Lyran. et alii passim.

Moral. Spiritus Sanctus ostendit suam munificentiam animumque regium, dum in omnes indifferenter beneficus et liberalis est, nec privatos habet amores et amicitias, sicque omnem excludit æmulationem et invidiam, ait Chrys. in Actor. 2.

Et prophetabunt filii vestri,] tum proprie futura prædicendo, uti fecerunt Apostoli, B. Virgo Luc. 1. 46. Zacharias, Anna et Elizabeth Luc 2. 38. Philippus Actor. 21. 9. Agabus ibid. v. 10. S. Joan. in Apocalypsi, et alii in primitiva Ecclesia. Vide Bozium lib. 6. de Signis Ecclesiæ cap. 12. tum ex Spiritus Sancti afflatu loquendo, et celebrando variis linguis Deum, quod Actor. 2. 11. dicitur: *Audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.* Prophetare enim in Script. ample capitur pro docere, exhortari, orare, canere Dei laudes, miracula facere, etc. uti dixi 1. Cor. 14. initio capitis; sub prophetia ergo hìc donum linguarum aliaque Spiritus Sancti charismata intellige.

Senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt.] *Somnia* intellige divina et à Deo immissa, ideoque rerum arcanarum, vel futurarum præsaga, qualia fuerunt Pharaonis Genes. cap. 40 et 41. et Nabuchodonosoris Daniel. cap. 2. et 4. Pari modo *visiones* accipe divinas et propheticas. Apposite senibus ætate fessis, et in somnum propensis tribuit somnia; juvenibus vero excitatis et vigilibus visiones, quæ in vigilia hominibus à Deo immittuntur. Deus enim sæpe se suaque oracula at-

temperat conditioni hominum, et cuique pro suo statu et gradu accommode et opportune apparet; alioqui et senex Joannes in Apocalypsi multas habuit visiones, et Paulus juvenis somnia, ut patet Actor. 16. 9. Per *visiones* ergo et *somnia*, quaslibet revelationes et prophetias accipe. Addit D. Thom. 2. 2. quæst. 174. art. 3. quod, licet visio quæ fit vigilanti in se sit perfectior somnio, quod fit dormienti; tamen quando in visione solum videtur species et imago prognostica futurorum, nec auditur vox aut verbum illam explicans, quæ audiri solet in somnio (juxta illud Mosis Num. 12. 6 : *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum*), tunc somnium divinum est perfectius quàm visio. Unde Moral. aliqui per *filios* ac *filias* accipiunt incipientes in fide et virtute; per *juvenes*, proficientes; per *senes*, perfectos. Primi prophetant, dum bona indole dant spem frugis; secundi vident, dum meditando et orando clarius divina hauriunt; tertii somniant ob passiones sedatas, mentemque pacatam. Hos tres gradus distinguit S. Joan. epist. 1. cap. 2. 12. primisque assignat condonationem peccatorum, secundis victoriam in agone, tertiis Dei cognitionem : *Scribo*, ait, *vobis, filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen ejus; scribo vobis, adolescentes et juvenes, quoniam fortes estis, et verbum Dei manet in vobis; scribo vobis, quoniam cognovistis eum qui ab initio est.* De visione plura dixi can. 1. in Proph. major. De somnio Genes. 40. et Dan. 2.

29. Sed et super servos meos et ancillas, etc. effundam spiritum meum.] Hebr. Chald. et Septuag. *Et etiam super servos et ancillas effundam de spiritu meo*, q. d. Non tantum super vos, ô Judæi, sed et super servos et ancillas vestras, æque ac meas, effundam spiritum meum. Ne quis enim putet solos heros et dominos Spiritum Sanctum accepturos, addit illius participes fore quoque servos et ancillas. Nullum enim quantumvis vilem et abjectum aspernatur Spiritus Sanctus; non enim est personarum acceptio apud Deum, Rom. 2. sed omnes promiscue ad gratiam et salutem vocat: omnibus enim dedit animam æque nobilem, puta rationalem ad imaginem suî creatam, eamque ad suam gratiam, gloriam et felicitatem ab æterno destinavit. Ita Hebræi, Cyril. Hierosol. catechesi 17. Ruffinus, et à Castro. Alii per servos et ancillas accipiunt gentes; Judæi enim in lege veteri erant quasi filii Dei, Gentes quasi servi; sed per Christum in filios sunt adoptati. Ita Rupert. Ribera et alii.

Moral. illustris et perhonorificus titulus est, *Servus Dei;* servire enim Deo regnare est. Hinc Psaltes psalm. 115. 16 : *O Domine, quia ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.* Sic Abraham Genes. 26. 24. vocat se servum Dei. Ita vocatur et Moses Num. 12. 7. Job cap. 1. 8. Quin et Christus Isaiæ cap. 48. 3. Sic *Abdias* hebr. idem est quod *servus Dei*, quo nomine vocatur unus è duodecim Prophetis. Sic Paulus initio epistolarum hoc titulo gloriatur : *Paulus servus Jesu Christi.* Sic B. Virgo vocat se ancillam Dei : *Ecce*, ait, *ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*, Lucæ 1. Et B. Agatha Præsidi sibi objectanti: Cur tu, cum sis nobilis, servilem vivis Christianorum vitam ? respondit : *Christianorum humilitas et servitus longe præstat regum opibus et superbia.* Denique B. Damasus epist. 2. ad Stephanum, S. Gregorius et alii deinceps Pontifices hoc titulo : *Servus servorum Dei*, humilitatem, imo dignitatem suam significant.

30. Et dabo prodigia.] Prodigium est id quod porro dicit, id est futura prædicit, ait Cicero l. 1. de Divin. et ex eo S. August. l. 21. Civit. 8 : *Signum quo significatur aliud; illudque in magnis est, et in cœlo; hoc in parvis, et in terris*, ait Hugo Card. Origenes vero in Joan. τέρατα, ait, id est prodigia, *vocantur, quæ præter opinionem sunt, et humanam consuetudinem excedunt :* σημεῖα, id est signa, *quæ aliquid significant*, et, ut Ammon, ait in Catena Græc. in Joannem : *Quando non fit aliquid præter naturam.* Verum sæpe hæc duo confunduntur, idemque significant. Jam quoad sensum, Rabbini, qui hæc referunt ad Ezechiam, censent prodigia hæc revera uti sonant accidisse in cœlo et terra, cum Angelus percussit castra Sennacherib, etsi in libris Regum id non narretur. Verum hæc prodigia sunt Judæorum commenta et figmenta : nec enim Script. nec Josephus, nec Josippus, nec quis alius, tunc prodigia aliqua in cœlo exstitisse commemorat.

Secundo, Catholici nonnulli putant hæc prodigia contigisse; primo : in Christi nativitate, cum stella apparuit Magis, et Angeli cecinerunt: *Gloria in excelsis Deo.* Secundo, in Christi resurrectione, cum Angeli fulgurantes perculerunt milites custodes sepulcri Christi, ac consolati sunt Magdalenam ejusque comites. Tertio, in passione Christi, cum sol universali eclipsi toto orbe obscuratus est, terra contremuit, lapides scissi sunt, monumenta aperta, etc. tunc enim è latere Christi mortui lancea militis aperto, exivit sanguis et aqua, quæ ignem charitatis in discipulis et fidelibus accenderunt, idque ante diem resurrectionis Christi, qui Judæis fuit horribilis. Ita S. Hieron. Remig. Hugo. Quarto, in Pentecoste; tunc enim Spiritus Sanctus in igne et linguis igneis apparuit et insedit Apostolis. Ita S. Hieron. Et videtur favere S. Petrus Actor. 2. 17. ubi agens de missione Spiritus S. in Pentecoste, allegat hæc prodigia Joelis : ergo illa circa tempus Pentecostes videntur edita, puta tempore passionis et resurrectionis Christi. Hæc expositio probabilis est, sed incompleta; tunc enim cœperunt hæc prodigia, sed complebuntur sub diem judicii, uti mox dicam.

Tertio, S. Chrysost. et Œcum. hæc prodigia patrata putant paulo ante excidium Hierosolymæ per Titum; hic enim dies fuit Judæis horribilis. Tunc enim plurimus Judæorum fusus est sanguis, urbs et templum igne combusta in fumum et vaporem abierunt. Et P. Prado in Ezech. 10. 2 : *Dabo*, inquit, *Hierosolymæ tria supplicia*, scilicet, *sanguinem, et ignem, et vaporem fumi, id est, cædem civium, et ædificiorum incendium, et quod gravius est, veritatis ignorationem, excæcationemque oculorum, quæ eadem tria in Ps.* 68. 25. *Judæis vaticinatus est Christus : Furor iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta, obscurentur oculi eorum ne videant.* Hanc autem cladem soli Christiani evaserunt, invocantes nomen Domini; quia divinitus præmoniti de urbe exscindenda, ex illa fuga se proripuerunt in alias regiones et urbes, uti docet Euseb. l. 3. hist. c. 5.

Quarto et genuine, certum est hîc agi de signis et prodigiis quæ præibunt diem judicii ex-

tremi; hic enim erit dies magnus et horribilis. Et de eo hic agi patet ex sequentibus initio c. 3. cui hæc connectenda sunt (imo Hebræi hæc referunt ad caput 3. ut dixi v. 28): *Quia ecce in diebus illis*, etc. *congregabo omnes gentes, et deducam illas in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis.* Hoc autem fiet in die judicii. Porro ante diem judicii prodigia existent quæ prædixit Christus Matth. 24. 29. et Luc. 21. 25. dicens: *Erunt signa in sole, et luna, et stellis; nam sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo.* Rursum luna videbitur sanguinea, Isaiæ 24. 23; item mare videbitur sanguineum, Apocal. 8. 8. Multus etiam fidelium ab Antichristo, et tandem ipsius Antichristi, ejusque exercitus Gog et Magog sanguis effundetur. Ignis erit fulgurum et stellarum cadentium de cœlo: rursum ignis conflagrationis mundi, quo omnia mundana in fumum et vaporem abibunt. Unde Syrus et Arabicus fumum à vapore distinguunt, et quatuor prodigia assignant; vertunt enim: *Dabo sanguinem, et ignem, et vaporem, et fumum.* Vapor enim est exhalatio subtilior et albior, fumus vero densior et nigrior. Hæc signa prædicta sunt à S. Joanne Apocal. cap. 8 et 9. Ita Theodor. Rupert. Lyran. Vatabl. Arias, Ribera, à Castro hîc, S. Chrys. et Œcum. in Actor. 2. Tertul. l. 4. contra Marc. 39. Origen. tract. 30. in Matth. S. Thom. in cap. 24. Matth. et alii passim. Quin et S. Hieron. huc tandem inclinat, censetque hæc signa magis ad diem judicii quàm ad passionem Christi esse referenda. Causam horum signorum dat sanctus Chrysost. in Matth. 24: *Moriente, ait, patrefamilias domus turbatur, familia plangit, et nigris se vestimentis induit; sic humano genere, propter quod facta sunt, circa finem constituto, cœli mysteria lugent et, candore posito, tenebris induuntur.*

Dices: Quomodo ergo S. Petrus hæc prodigia refert ad Pentecosten Act. 2. Resp. S. Petrus recenset ea, non quasi tunc contigerint, sed hoc sensu, q. d. Ne miremini, ô Judæi, hæc Spiritus Sancti et linguarum ignearum prodigia, quæ cernitis in hac Pentecoste; videbitis enim majora dari à Christo in vindictam infidelium in fine mundi, q. d. Aut ergo nunc in Christum credite, aut terribilem ejus manum et vindictam tunc exspectate. Ideo enim Propheta post doctorem Christum et effusionem Spiritus Sancti statim subjungit hæc prodigia futura in fine mundi, ut significet post Christi legem, nullam aliam esse exspectandam, ideoque illam ab omnibus qui salvi esse velint, capessendam. Ita Ribera. Adde hæc prodigia inchoari cœpisse tempore Christi: nam in ejus passione obscuratus est sol et luna, in Pentecoste et deinceps Spiritus S. in specie ignis apparuit, etc. perfecte vero et complete fient in fine mundi, q. d. Joel: O Judæi, cum veniet Christus, licet humilis et pauper, eum recipite; quia ipse effundet Spiritum Sanctum in vos, dabitque prodigia benefica credentibus, malefica et horrifica incredulis, eaque inchoabit vivens, sed perficiet in fine mundi, quando pro igne Spiritus Sancti, quem increduli respuerunt, dabit eis ignem conflagrationis mundi, indeque flammas gehennæ. Simili modo Jacob benedicens filiis suis ante mortem Gen. 49. quædam prædicit quæ paulo post, quædam quæ post longum tempus sub Christo evenerunt, quædam in fine mundi eventura.

Symbol. Hugo Victor. *Sol, ait, est Christus, Luna Ecclesia: Sol in tenebras versus, Christus cruci affixus. Unde de cæcitate Judæorum Jeremias loquens Thren.* 3: *Dabis, inquit, eis, Domine, scutum cordis laborem tuum. Luna versa in sanguinem, Ecclesia est Christi imitans passionem. Sanguis professionem designat Martyrum; ignis chorum virginum ardore dilectionis æstuantium. Vapor est frequens et devota compunctio continentium. Dies magnus et horribilis, dies est passionis et resurrectionis: magnus fidelibus, horribilis non credentibus, horribilis iis qui dixerunt: Sanguis ejus super nos et super filios nostros: magnus iis qui dixerunt: Vere filius Dei erat hic. Aliter: Sol in tenebras versus, Christus est in cordibus electorum in articulo mortis obscuratus. Unde et dixerunt: Nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus Israel. Luna in sanguinem versa, Synagoga est Christi passione cæcata.* Deinde per sanguinem accipit Judæorum stragem sub Tito; per ignem, incendium urbis et templi: per vaporem, Judæorum per maria et insulas relegationem.

Tropolog. *Visio est propria cognitio suî, somnium excessus animi, prophetia contemplatio sponsi, cœlum animus, terra caro: vel cœlum contemplativi, terra activi: vapor compunctio mentis, sanguis mortificatio carnis, ignis fervor dilectionis. Sol versus in tenebras, animus est in suî confusus cognitione. Luna in sanguinem, caro in suî mortificationem.* Hucusque Hugo. Et inferius: *Post data in cœlo prodigia, post lucem propriæ cognitionis, post fumum devotæ compunctionis, post sanguinem justæ mortificationis, post ignem perfectæ dilectionis, sola restat suavitas contemplationis.* Hæc est invocatio nominis Dei, de qua sequitur: *Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Hæc Hugo.

31. Antequam veniat dies Domini.] Dies hujus vitæ sunt nostri, quibus agimus quod lubet: ille dies erit Domini, id est judicis, quo aliorum dierum nostrorum omnium rationes exiget, juxta illud Psal. 74. 3: *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* Sic dies singuli hebdomadæ sunt scholarium, sed sabbatum est dies magistri: quo rationem profectus et modestiæ à singulis exigit, et negligentes petulantesque flagellat.

Magnus.] Magnus erit dies judicii, quia primo finem dabit orbi, sceleri, merito et demerito; secundo, quia erit horizon temporis et æternitatis; hanc enim ab illo dividet et disterminabit. Nam hic dies erit ultimus temporis et primus æternitatis; tertio, quia magna in eo fient, nimirum Christus cum omnibus Angelis descendet in vallem Josaphat, ibique in magnifico throno sedebit judex: omnes homines qui unquam fuerunt, sunt et erunt, coram eo judicandi sistentur: omnium cogitata, dicta et facta exactissime discutientur; de omnibus feretur sententia absoluta, et irrevocabilis per omnem æternitatem: sancti cœlo, impii inferno addicentur: statuetur chaos magnum et medium, quod in æternum hos ab illis secludet, ut impii nunquam Sanctos, nunquam cœlum, nunquam Deum visuri sint; sed carcere æterno conclusi igni cremabuntur, quamdiu cœlum erit cœlum, quamdiu Deus erit Deus. Sic Osee 1. 4. vocatur *magnus dies Jezrahel.* Sic apud Romanos *magnus dies* vocabatur, qui dabat victoriam, belloque aut gravibus malis finem imponebat, ut docet

Corn. Tacitus in Vita Agricolæ, et Turnebus l. 1. Advers. c. 24.

Et horribilis.] Hebr. est נורא *nora*, quod primo proprie deductum à radice ירא *iare*, id est timuit, significat tremendum, terribilem; et per catachresin mirabilem, gloriosum, augustum et reverendum ob summam potestatem, æquitatem, majestatem et gloriam. Hinc Chald. vertit דחילא *dechila*, id est formidabilis; secundo, *nora* deduci potest à ראה *raa*, id est vidit, ut *raa* mutuetur tempora à *iara* : sæpe enim ordines verborum imperfectorum apud Hebræos inter se commutantur, ut unus ab alio suam inflexionem desumat, et tunc *nora* significat illustrem et manifestum. Unde Septuag. vertunt επιφανες, id est clarus, conspicuus. Eos sequitur S. Petrus Actor. 2. dicens : *Antequam veniat dies Domini magnus et manifestus.* Erit enim in die illa lux magna, et magna claritas Christi gloriosi omniumque ejus Angelorum et Sanctorum. Et : *Ignis in conspectu ejus exardescet*, Psal. 49. 2; quæ omnia reis et damnandis extremum horrorem incutient. Videbunt enim se suaque in tanta luce latere non posse : videbunt se oculos et manus Judicis nusquam evasuros, videbunt excusationi, simulationi, fraudi, appellationi nullum fore locum : videbunt gehennæ incendia flammantia sibi parata et decreta in æternum, seque certissime in illa præcipitandos.

Pathetice S. Basil. in illud Psal. 33 : *Venite, filii, timorem Domini docebo vos*, horrorem hujus diei describit, aitque : *Cum te appetitus invaserit peccandi, velim cogites horribile illud et intolerabile Christi tribunal, in quo præsidebit judex in alto et excelso throno, astabit autem omnis creatura ad gloriosum ejus conspectum contremiscens. Adducendi etiam nos sumus singuli, eorum quæ in vita gessimus rationem reddituri. Mox illis qui multa mala in vita perpetrarunt, terribiles quidam et deformes assistent Angeli, igneos vultus præ se ferentes, atque ignem sperantes, noctique vultu similes, propter mœrorem et odium in humanum genus. Ad hæc cogita profundum barathrum, et inextricabiles tenebras, et ignem carentem splendore, urendique vim habentem, sed privatum lumine; deinde vermium genus venenum emittens, et carnem vorans, inexplebiliter esuriens, neque unquam saturitatem sentiens, atque intolerabiles dolores corrosione ipsa infigens. Postremo, quod supplicium omnium gravissimum est, considera opprobrium illud et confusionem sempiternam. Hæc time, et hoc timore instructus, animam à peccatorum concupiscentia, tanquam freno quodam reprime.*

Hujus horribilis diei schema et vivam hypotyposin dedit Deus in judicio Udonis, Antistitis Magdeburgensis. Cum enim ille impure et scandalose viveret, cœlitus ad eum missa est vox :

Da finem ludo, quia lusisti, satis Udo.

Eaque tertio ab eo audita. Verum cum ille, licet ad horam perculsus, mox ad suas veneres rediret, citatus est ad tribunal Dei. Nam S. Mauricius evaginatum tenens gladium, in Ecclesia sua (cujus Udo erat Antistes) valenter exclamavit : *Omnes sancti quorum reliquiæ hîc habentur, surgite et venite ad judicium Dei.* Mox maxima et præfulgida apparuit utriusque sexus multitudo: Christus sole splendidior, stipatus B. Virgine, et duodecim Apostolis, regali solio consedit, jussitque Udonem adduci. Raptus ille è lecto adductus est. Accusavit eum S. Mauricius, conclamarunt omnes : *Reus est mortis.* Tulit ergo Christus in eum sententiam mortis, quam exsecutus S. Mauricius eum decollavit. Vidit hæc Canonicus quidam : simulque alius conspexit animam ejus à dæmonibus ad gehennæ incendia abripi, ibique maledicere diei nativitatis suæ suisque amasiis; ac mane clericis venientibus ad Ecclesiam, Udonem in suo sanguine tabefactum ostendit. Porro cruor Udonis etiamnum adeo indelebiliter adhæret pavimento, ut quasi de essentia marmoris esse videatur. Cumque creantur novi Antistites, ibidem oraturi prosternunt se, ut videntes Udonis sanguinem, sibi caveant ne forte pereant sicut ille. Rem gestam fuse et graphice narrant Nauclerus volum. 2. gener. 34. noster Canisius lib. 5. Marial. cap. 20. Fulgos. lib. 9. cap. 12. et alii.

Simile judicii schema, imo exemplum reale exstat in Chrysaorio, cujus horribilem judicii sui visionem et mortem enarrat S. Gregor. hom. 12. in Evang. et in Aulico Coenredi regis Merciorum, apud Bedam lib. 5. Hist. Angl. cap. 14. et in visione Mauricii Imper. qui ob peccata citatus ad Dei tribunal, petiit in hac Vita potius puniri, quàm in futura, idque obtinuit : unde à Phoca et imperio et vita cum uxore et prolibus est spoliatus, uti narrat Eutropius lib. 17. Zonaras l. 3. Nicephor. l. 18. cap. 40. Et in visione Petri Telonarii, qui avarus et immisericors vidit se sisti judici Christo, omniaque peccata in unam lancem reponi, in alteram vero unam dumtaxat eleemosynam suam, qua à manibus dæmonum liberatus, audivit : *Recedens adde huic pani, et operare.* Quare vitam et mores mutans, totum se dedit operibus misericordiæ et charitatis, uti narratur in vita S. Joannis Eleemosynarii. Quin et S. Hieron. raptus ad tribunal Christi, audivit : *Ciceronianus es, non Christianus;* ideoque acriter vapulavit, uti ipse refert epist. ad Eustochium, quæ incipit : *Audi, filia.* Ecce ut vita Sanctorum est commentarius legis scriptæ, imo ipsa est lex viva, suis moribus edicens quid formidare et fugere, quid amare et prosequi debeamus. Graphice quoque hunc judicii diem describit Daniel c. 7. et S. Joan. Apoc. 1. et Christus Matth. c. 24. et 25. et S. Petrus epist. 1. cap. 3.

Pathetice etiam S. Hieronym. ad Heliodor. : *Tunc*, ait, *ad vocem tubæ pavebit terra cum populis, tu gaudebis. Judicaturo Domino lugubre mundus immugiet, et tribus ad tribum pectora ferient. Potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt. Adducetur cum suis stultus Plato discipulis : Aristotelis argumenta non proderunt. Tunc tu rusticanus et pauper exsultabis, et dices : Ecce judex, qui involutus pannis in præsepio vagiit*, etc. S. Chrysost. in cap. 24. et 25. Matth. : *In illo*, ait, *die, nihil est quod respondeamus, ubi cœlum, terra, aer, aqua et totus mundus stabit adversum nos in testimonium peccatorum nostrorum : et si omnia taceant, ipsæ cogitationes nostræ, et ipsa opera specialiter stabunt ante oculos nostros ante Deum accusantes.*

S. Bern. serm. de Virginibus : *Merito*, ait, *dies illa dies iræ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis prædicatur, in qua :*

Judicii signum tellus sudore madescet :

in qua

Decidet è cœlis ignisque et sulphuris amnis,
Tartareumque chaos monstrabit terra dehiscens.

Ignis enim ante Dominum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus, quos tunc instar Sodomitarum inveniet nudos et intectos. Et paulo ante : *Canet tuba, ad cujus clangorem timebit mundus. Fragor igitur tubæ illius, dum tubabit Angelus, dum expergiscentur homines, tartara etiam tenebrosa concutiet. Audient miseri qui ibi sunt, audient tunc qui nunc audiunt et facere nolunt : Exite obviam ei : quando Dominus advocabit cœlum desursum et terram, discernere volens populum suum ante se, et prudentes virgines ab infatuatis separare. Advocabit cœlum desursum, ut virtutes illæ cœlorum de suis sedibus moveantur, et omnes Angeli cum eo ad judicandum congregentur. Tunc plangent se omnes Tribus terræ. Tunc dicent montibus : Cadite super nos; et collibus : Operite nos.* Idem in Cant. : *Veniet dies illa, in qua plus valebunt pura corda, quàm astuta verba, conscientia bona, quàm marsupia plena : quoniam quidem judex non falletur verbis, nec flectetur donis.*

S. Anselmus, l. de Similitud. : *A dextris*, ait, *erunt peccata accusantia, à sinistris infinita dæmonia, subtus horrendum chaos inferni, desuper judex iratus, foris mundus ardens, intus conscientia urens. Ibi vix justus salvabitur. Heu! miser peccator, sic deprehensus quò fugies? latere enim erit impossibile, apparere intolerabile.* Quàm sapiunt, qui hunc diem semper præ oculis habent, et ad illum se suasque actiones componunt, ut nihil dicant vel faciant, quod in illo die eis periculum salutis creare possit, quodque justam Dei censuram et vindictam subeat! Nil, ait S. Ambros. in Offic. *est quod magis proficiam ad vitam honestam, quàm ut credamus eum judicem futurum, quem et occulta non fallunt, et indecora offendunt, et honesta delectant.* Ita S. Hieron. : *Sive comedo*, inquit, *sive bibo, sive aliud facio, semper tuba illa insonat auribus meis : Surgite, mortui, venite ad judicium.* Hoc est quod Christus serio præmonuit, Luc. 21. 36 : *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt* (in die judicii) *et stare ante filium hominis.* Hac de causa indictæ fuerunt olim nocturnæ vigiliæ et preces, quod Christus ad judicium media nocte venturus crederetur, juxta illud Matth. 25. 6 : *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obviam ei*, inquit S. Hieron. et Hilarius ibidem, et Lactant. lib. 7. c. 19. Vide dicta Apoc. 6. in fine. Quocirca S. Bern. epist. ultima hanc regulam vitæ sanctæ præfigit : *Talis studeas vivere, qualis affectas in extremo judicio inveniri.*

32. Et erit : Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit,] q. d. In die judicii, ab hoc ejus terrore, et horribili tot reorum et damnandorum sententia, liberabuntur, evadent (hoc enim significat Hebr. פלט *palat*) et salvabuntur veri Dei cultores, qui scilicet in hac vita Deum puro corde, in vera fide, spe et charitate coluerint, invocarint, prædicarint et celebrarint. Hæc enim omnia significat vox *vocare*, vel *invocare* apud Hebræos, nimirum omnem tam internum, quàm externum Dei cultum, publicamque veræ fidei et religionis professionem in ejus Ecclesia. Ecclesia enim dicta est Hebr. מקרא *micra*, à קרא *cara*, id est vocavit : græce ἐκκλησία, ab ἐκκαλεῖν, id est, à vocando et invocando; quod à Deo vocata sit ad sincerum et publicum ejus cultum et invocationem. Unde de ea subdit : *Quia in monte Sion*, etc. Porro nomen Domini est ipse Dominus, quem per nomen invocamus. Rursum, est ipse Christus, qui est nomen, id est, notio et definitio, Patris, ait Cyrill. lib. 11. in Joan. cap. 20.

Symbol. nomen Dei est ejus virtus, gloria, potentia omnisque perfectio. Hinc Psal. 8. 2. dicitur : *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum*, id est, tua sapientia, potentia, clementia, etc. *in universa terra!* Et B. Virgo canit : *Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus ;* in incarnatione enim Verbi omnis Dei sanctitas, virtus et perfectio eluxit.

Moral. disce hîc quàm Deo grata sit suî invocatio, quàmque invocantibus adsit, opem et salutem afferat. Causa est, quod invocans Deum fateatur suam miseriam et impotentiam, Dei vero gloriam et omnipotentiam, utpote à qua auxilium sperat et flagitat. Sibi ergo honori ducit Deus, quod quis ad se in tribulatione confugiat, et sua magis uti velit, quàm aliena ope et misericordia, juxta illud Ps. 49 : *Invoca me in die tribulationis, eruam te et honorificabis me;* quia qui Deum invocat, fidem et spem in eo collocat, eumque quasi facit Deum suum. Unde Martialis, l. 8. epigram. 24, docet Deos non tam fieri ab idoloplastis, quàm à cultoribus eos invocantibus :

Qui fingit sacros auro vel marmore vultus,
Non facit ille Deos ; qui rogat, ille facit.

Hinc passim in Psalmis Psaltes Deum invocat, eumque in afflictione invocari jubet. Nam Deus ipsa promittit Jer. 33. 3 : *Clama ad me, et exaudiam te.*

Quia in monte Sion et in Jerusalem erit salvatio.] Per *Sion* et *Jerusalem* intelligit Ecclesiam, quam Christus primo erexit in Sion et Jerusalem, q. d. Qui fidem et pietatem Ecclesiæ, quam Christus docuit in Judæa et Jerusalem, sectati fuerint, hi salvabuntur. Ita S. Hier. Theodor. Rupert. Lyran. Arias et alii. Alludit ad Isaiæ 4. 3 : *Et erit omnis qui relictus fuerit in Sion, et residuus in Jerusalem, sanctus vocabitur, omnis scriptus ad vitam in Jerusalem.* Vide ibi dicta. Unde subdit Joel : *Sicut dixit Dominus*, scilicet tum mihi hîc, tum Isaiæ c. 4. et c. 2. 2. tum aliis Prophetis.

Et in residuis.] Repete, *erit salvatio*, q. d. In die judicii soli salvabuntur qui in Sion, id est, in Ecclesia, Deum invocarint, sancteque coluerint, item *residui*, id est, reliquiæ Judæorum, quæ in fine mundi à Deo vocatæ et electæ, Christo et Ecclesiæ aggregabuntur, itaque salvæ fient, uti docet Apostolus Rom. 11. 26. Secundo, à Castro explicat, q. d. Qui superioribus seculis Deum invocantes in Christi gratia obierint, hi in die judicii salvabuntur : insuper residui, id est, ii qui in persecutione Antichristi, cæteris cadentibus, fortes steterint in fide et professione Christi, itaque superstites remanserint tantæ fidelium cladi et ruinæ.

Nota : Pro *residuis* Hebr. est בשרידים *basseridim*, quod Rabbini nonnulli, teste S. Hier. putant esse nomen loci, puta montis vel urbis, q. d. Cladem istius diei effugient qui profugerunt in Sion, in Jerusalem, aut in Seridim.

Septuag. legerunt בשרים *bassçurim*, id est, *evangelizati, quos Dominus vocavit,* uti legunt codices Romani : licet Theodor. legat *evangelizantes*, vel *annuntiantes* active, et S. Hieron. *evangelizans*, vel *annuntians* in singulari, quod sic explicat : *Hos residuos Dominus vocavit, sive evangelizavit eos quos vocavit : sic enim Septuag. interpretati sunt.* Omnes enim salvandi vel sunt evangelizantes, vel evangelizati; nemoque nisi per Evangelium Christi salvatur. Hoc enim *virtus Dei est in salutem omni credenti,* ut ait Apost. Rom. 1. 16.

Simile huic loco est, quod pathetice proclamat Isaias c. 1. 9 : *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen* (residuos et reliquias aliquas, qui proseminarent et propagarent stirpem Israel) *quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus.* Ita S. Hieron.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describit diem judicii, poenam reproborum, et gloriam electorum. Primo ergo docet Christum in valle Josaphat judicaturum Tyrios, Sidonios aliasque gentes, quæ Judæos et fideles afflixerunt, impieque vixerunt. Secundo, v. 15. mittit Christus Angelos cum falcibus, qui demetant omnes gentes, easque adducant in vallem concisionis, ubi Christo contra eas irato et rugiente, sol, luna et stellæ obscurabuntur, ac coeli et terra movebuntur. Tertio, v. 17. docet Jerusalem coelestem tunc fore sanctam, felicem et gloriosam in æternum : Stillabunt, inquit, montes dulcedinem, et colles fluent lacte, etc. Ita passim Interpretes. Quare minus recte Mariana, in fine capitis, suspicatur hoc capite describi ad litteram stragem castrorum Sennacherib factam ab Angelo, 4. Reg. 19. 35; hanc enim factam esse prope Jerusalem in valle Josaphat, ac sub ejus typo depingi cladem impiorum in die judicii. Fateor tamen ad stragem Sennacherib hic alludi, eamque allusive perstringi.

1. Quia ecce in diebus illis, et in tempore illo, cum convertero captivitatem
Juda et Jerusalem. 2. Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem
Josaphat, et disceptabo cum eis ibi super populo meo, et hæreditate mea
Israel, quos disperserunt in nationibus, et terram meam diviserunt. 3. Et
super populum meum miserunt sortem : et posuerunt puerum in prostibulo,
et puellam vendiderunt pro vino ut biberent. 4. Verum quid mihi et vobis
Tyrus et Sidon, et omnis terminus Palæstinorum ? numquid ultionem vos
reddetis mihi ? et si ulciscimini vos contra me, cito velociter reddam vicissitudinem vobis super
caput vestrum. 5. Argentum enim meum et aurum tulistis : et desiderabilia mea et pulcherrima
intulistis in delubra vestra. 6. Et filios Juda, et filios Jerusalem vendidistis filiis Græcorum,
ut longe faceretis eos de finibus suis. 7. Ecce ego suscitabo eos de loco, in quo vendidistis eos :
et convertam retributionem vestram in caput vestrum. 8. Et vendam filios vestros, et filias vestras in manibus filiorum Juda, et venundabunt eos Sabæis genti longinquæ, quia Dominus
locutus est. 9. Clamate hoc in gentibus, sanctificate bellum, suscitate robustos; accedant, ascendant omnes viri bellatores. 10. Concidite aratra vestra in gladios et ligones vestros in lanceas. Infirmus dicat : Quia fortis ego sum. 11. Erumpite, et venite, omnes gentes de circuitu,
et congregamini : ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos. 12. Consurgant, et ascendant
gentes in vallem Josaphat, quia ibi sedebo ut judicem omnes gentes in circuitu. 13. Mittite
falces, quoniam maturavit messis : venite, et descendite; quia plenum est torcular, exuberant
torcularia; quia multiplicata est malitia eorum. 14. Populi populi in valle concisionis; quia
juxta est dies Domini in valle concisionis. 15. Sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum. 16. Et Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam; et
movebuntur cœli et terra : et Dominus spes populi sui, et fortitudo filiorum Israel. 17. Et
scietis quia ego Dominus Deus vester, habitans in Sion monte sancto meo, et erit Jerusalem

sancta, et alieni non transibunt per eam amplius. 18. Et erit in die illa, stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte, et per omnes rivos Juda ibunt aquæ : et fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum. 19. Ægyptus in desolationem erit, et Idumæa in desertum perditionis : pro eo quod inique egerint in filios Juda, et effuderint sanguinem innocentem in terra sua. 20. Et Judæa in æternum habitabitur, et Jerusalem in generationem et generationem. 21. Et mundabo sanguinem eorum, quem non mundaveram : et Dominus commorabitur in Sion.

1. QUIA ECCE IN DIEBUS ILLIS.] In die extremi judicii, de quo præcessit in fine cap. præced. *Cum convertero captivitatem Juda*, non Babylonicam, sed ea longe acerbiorem, eaque tantum adumbratam, scilicet captivitatem peccati et cæcitatis, qua Judæi tenentur captivi, et obcæcati sub jugo legis Mosaicæ, quam pertinacissime retinent; quod fiet in fine mundi, q. d. Postquam Judæos in fine mundi à Judaismo convertero ad Christianismum, et à servitute Judaica traduxero ad libertatem Evangelii, ad sortem, inquam, et gloriam filiorum Dei, *congregabo omnes gentes* ad judicium extremum. Ita S. Hieron. Rupert. et alii mox citandi.

2. ET DEDUCAM EAS IN VALLEM JOSAPHAT.] Quæres primo : Quando, et ubi id factum? Primo, aliqui Rabbini censent hîc significari victoriam, quam Josaphat rex Juda consecutus est de Ammonitis, Moabitis et Idumæis, cum illi ipsi mutua se cæde trucidarent; idque in valle Josaphat, id est, judicii et vindictæ divinæ, quam poposcit Josaphat 2. Paral. 20. 12. dicens : *Ergo non judicabis eos?* Verum hæc vallis longe distabat à Jerusalem, eratque in Asasonthamar, quæ est Engaddi, uti ibi dicitur vers. 3. Et licet v. 26. vocetur Vallis illa *benedictionis*, nusquam tamen ab historicis, vel chorographis vocatur Vallis Josaphat. Adde, hæc victoria diu præcessit tempora Joelis, qui de futuro tempore vaticinatur hîc contra Tyrios, Sidonios et Ægyptios, non contra Ammonitas, Moabitas et Idumæos. Insuper sub Josaphat nulla fuit captivitas Juda, imo Juda tunc erat hostibus suis dominans, et formidabilis. Iisdem rationibus refelluntur alii, qui hæc intelligunt de clade Sennacherib, cum Angelus cecidit in ejus castris 185 millia, 4. Reg. 19. Fateor tamen hîc alludi ad hanc vallem et victoriam Josaphat, q. d. Impii judicabuntur et damnabuntur à Christo et Sanctis ejus in valle Josaphat, sicut Moabitæ cæsi sunt à Josaphat in sua valle, hujus antitypa. Unde et in valle Josaphat, aliàs amœnissima, erat Tophet et gehenna, ubi cremabant filios idolo Moloch : quæ proinde erat viva imago inferni, et damnatorum, qui igne æterno cruciantur, ad quem à Christo in eadem valle damnabuntur. Ita Sanchez.

Secundo, Cyril. et Theodor. hæc referunt ad tempora Esdræ et Nehemiæ : tunc enim Judæi redierunt è captivitate Babylonica. Verum tunc nullæ gentes hostiles à Judæis cæsæ sunt in valle Josaphat. Porro toto cœlo errant Judæi moderni, qui hæc accipiunt de captivitate et clade Romana, qua ipsi à Tito et Vespasiano vastati sunt, quasi hîc eis promittatur ejus solutio et liberatio, cæsis Romanis, Gog et Magog in valle Josaphat. Nam hæc non fuit captivitas, sed excidium gentis, durabitque usque ad finem mundi, ut prædixit Daniel cap. 9. 26. Unde ipsi eamdem tunc patiuntur per 1600 annos, nec affulget, vel unquam affulsit eis ulla spes restaurationis. Adde nullam hîc Romanorum fieri mentionem, sed Tyri, Sidonis et Ægypti.

Tertio, Christiani aliqui hæc referunt ad tempora persecutorum Ecclesiæ, puta Neronis, Decii, Diocletiani, etc. à quibus liberavit eos Christus per Constantinum. Verum tunc gentes omnes congregatas in vallem Josaphat, ibique cæsas nusquam legimus.

Dico ergo : Certum est hæc spectare ad diem judicii; de eo enim egit in fine cap. præced. cui hæc proxime subjicit Propheta, dicens : *Quia ecce in diebus illis et in tempore illo*, utique jam paulo ante à me designato, puta judicii extremi. Tunc enim omnes omnino gentes congregabit Deus, et judicabit in valle Josaphat : nunquam enim aliàs Deus congregavit omnes gentes toto orbe dispersas. Ita S. Hieron. Rupert. Remigius, Haymo, Lyran. Vatabl. Clarius, Ribera, à Castro et alii passim; quin et veteres Hebræi, quos citat S. Hieron. et Galat. lib. 12. cap. 1.

Quæres, secundo, quænam et ubinam sit vallis Josaphat, in quam congregabuntur omnes homines, et ad quam è cœlo descendet Christus judex, ut in eo omnium judicium peragat? Aliqui censent nomen *Josaphat* hîc non esse proprium, sed appellativum, significans *Domini judicium;* ac proinde non designare certum locum aut vallem, sed indefinite significare locum judicii, quisquis ille sit futurus. Unde vers. 14. vocatur hæc vallis *concisionis*, quod in ea Deus concidet gentes. Ita Chaldæus, vertit enim : *Congregabo omnes gentes in vallem divisionis judicii.* Et S. Hieron. hîc, et epist. 142. ad Damasum, ait gentes congregandas ad vallem judicii Domini, hoc est in judicium Domini profundum : græcum enim κατάξω idem est quod *deorsum ducam.* S. Hieronymum sequuntur Haymo et Albertus. Alii censent vallem Josaphat certam esse vallem, sed adhuc innominatam et incognitam, quæ ab eventu, puta à judicio Christi in ea peragendo, nominanda sit Vallis Josaphat, id est, judicii Dei : Josaphat enim idem est quod יהיה שפט *iie scaphat*, id est, *erit judicium*, scilicet tali loco quem Deus novit et decrevit. Sic locus in quo sedebit Antichristus, vocatur, id est vocabitur, *Apadno*, id est, palatium regale, Daniel. 11. 45. Sic locus in quo cædentur reges sub finem mundi, Apoc. 16. 16, vocatur, id est, vocandus dicitur, *Armagedon*, id est, anathema excidii, sive plenum excidium. Sic locus in quo cædetur Gog Ezech. 39. 11. nominatur, id est, nominandus prædicitur, Polyandrium, vel *vallis multitudinis Gog.* Ita Rupert. Arias et Clarius.

Verum melius, magisque genuine cum Syro, Arabico utroque et aliis, nomen Josaphat hîc accipias ut proprium. Est enim vallis Josaphat sita inter Jerusalem et montem Oliveti, quam

perluit torrens Cedron : *Ubi hortus erat, in quo Judas proditor tradidit Salvatorem*, ait S. Hier. in Jeremiæ 31. Ita V. Beda, Borchardus, Saligniacus, Adrichomius, et alii in Descriptione terræ sanctæ. *Vallis Josaphat*, ait Adrichom. *quæ et vallis Cedron, et vallis montium vocatur, vallis est lata et profunda, inter Jerusalem et montem Oliveti interjecta, totam ab Oriente cingens urbem, quam torrens Cedron transiens suis aquis egregie fecundat. In hac valle pii ac religiosi reges Juda Asa, Ezechias et Josias templi combusserunt idola, eorumque cineres in torrentem Cedron projecerunt. Hæc vallis communis totius civitatis erat cœmeterium, ubi vulgus et ignobiles sepeliebantur : extra urbem enim Judæis sepeliri mos erat : ibique nunc Turcæ sepeliuntur. In hac quoque valle die illa cunctis mortalibus tremenda omnes undique homines ad extremum judicium sunt congregandi, ut à Christo judice recipiant debita pro meritis præmia quisque suis. Unde et vallis concisionis appellatur, quod ibi mali à bonis separabuntur. Tempore quo Christiani Palæstinam potiebantur, erat hîc Abbatia quædam, in qua Domina Melisendis regina Jerusalem sepulta est.* In valle ergo Josaphat erat villa Gethsemani, et hortus, in quo Christus orans sudansque sanguinem, proditus à Juda, captus est à Judæis; et in eadem sepulta est B. Virgo Maria, ut notat Adrichom. Porro vallis hæc nomen accepit à Josaphat rege, quod eam ipse insigni titulo et fabrica, v. g. arcu triumphali post victoriam de Ammonitis et Idumæis, ornarit : vel quod in ea mausolæum illi erectum sit, pulchra pyramide insignitum, ut tradunt Beda et Saligniacus : licet enim Josaphat sepultus sit in Sion, uti dicitur 2. Paral. 21. 1; tamen mausolæum illi erigi potuit in hac valle, in quod forte ejus ossa translata sunt.

Hæc sententia probatur primo, ex eo quod Septuag. Noster et alii retinent nomen hebræum *Josaphat* quasi proprium. Et sane qui hebraice sciunt, ex ipsa compositione et terminatione norunt Josaphat esse nomen proprium, æque ac Josias, Joannes, Josue, etc. Secundo, quia in hac valle Josaphat, Ezechias et Josias idololatras et Idola combusserunt, in typum, quod Christus in eadem judicaturus esset infideles et impios, eosque in ignem gehennæ detrusurus. Tertio, quia in eadem valle erat cœmeterium Jerusalem : ergo par est ut ibidem resurgant Hierosolymitæ, id est, fideles Ecclesiæ cives judicandi à Christo. Rursum in valle Josaphat erat gehenna, in qua cremabant infantes idolo Moloch : ergo par est ut illi ibidem à Christo damnentur ad gehennam ignis æterni. Addit S. Thomas in Isaiæ 30. 33. Hebræos opinari ibidem esse fauces inferni, sive quædam infernalis incendii spiracula, qualia nonnulli opinantur esse in Ætna, olla Vulcania, Vesuvio, Hecla et similibus montibus qui flammas vomunt. Judicium afferunt, quod ibi duæ palmæ jugiter fument, uti fumat Ætna. Verum hujus rei fides sit penes ipsos : apud Latinos enim nil tale legi. Quarto, quia vallem Josaphat esse juxta Jerusalem patet ex eo quod v. 16. subdit Joel : *Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam.* Confirmatur, quia Jerusalem censetur esse medium terræ, in quo Deus ut ait Psaltes psalm. 73. 12. salutem operatus est per passionem, mortem et ascensionem Christi : ergo decet ut ibidem Sancti fructum sanguinis et passionis ejus, ac gloriam ascensionis participent. Quinto, quia Christus Hierosolymis vixit, docuit, miracula fecit, judicatus et occisus est : ac in monte Oliveti, qui huic valli imminet, gloriam et majestatem suam ascendens in cœlum ostendit, ibique Angeli eum rediturum ad judicium prædixerunt, Actor. 1. 11, dicentes: *Hic Jesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Ergo decet et convenit ut in eadem judicet incredulos et inobedientes sibi, qui tantæ ejus charitati, redemptioni, doctrinæ et miraculis, quibus doctrinam suam cœlestem esse, seque à Deo missum Messiam et Salvatorem probavit, credere et obedire noluerunt. Justum enim est ut ibi Christus suæ gloriæ majestatem ostendat, ubi summam ignominiam sustinuit; utque ibi judicet, ubi judicatus est, et vindictam sumat de suis persecutoribus, aliisque omnibus qui suo sanguine uti noluerunt. Ita S. Hilar. can. 25. in Matth. *Congregantibus*, ait, *Angelis conventum futurum in loco passionis ostendit ; et digne illic claritatis adventus exspectabitur, ubi nobis gloriam æternitatis passione corporeæ humilitatis operatus est.* Ita et Remigius, Lyran. Vatabl. Emmanuel, Mariana hîc, D. Thomas et Albert. in cap. 24. et 25. Matth. D. Soto, Paludanus, et passim alii Scholastici in 4. d. 47. aut 48. ac nominatim Suarez 3. p. q. 57. art. 6. disp. 53. sect. 3.

Porro Christus judex non descendet in ipsam vallem Josaphat : sic enim à tot hominum millionibus judicandis videri non posset, sed in aerem huic valli et monti Oliveti incumbentem, et vicinum. Sedebit enim in nube lucida et gloriosa. Assidebit ei Virgo Mater, quæ in hac valle sepulta est et resurrexit : item Apostoli et viri Apostolici. In valle vero locisque ei vicinis consistent homines judicandi, circumstantibus Angelis : sed electi et beati rapientur in nubibus obviam Christo in aera, ut ait Apost. 2. Thessal. 4. 16.

Et disceptabo cum eis ibi.] Hebr. *Et judicabo*, id est, *judicio contendam cum eis*, ut vertit Syrus; Arabicus: *Et dijudicabo eas ibi pro populo meo.* Alludit per paronomasiam in voce נשפטי *nispatti*, id est *judicabor*, hoc est, disceptabo, ad nomen *Josaphat*, quod hebr. significat *Domini judicium*, q. d. In valle Josaphat, id est, judicii Domini, ego Christus, quasi Deus et judex, judicio contendam cum omnibus gentibus, omnesque infideles et impios sceleris convincam et condemnabo, quod scilicet meam redemptionem vel non crediderint, vel neglexerint, et aspernati sint. Atque inter cætera argumenta hoc proferam : Ecce ego resurgens à morte ex hoc monte Oliveti, publice coram Apostolis plurimisque Discipulis in cœlum conscendi, ut ostenderem me è cœlis venisse, indeque à Patre æterno missum, ejus legem et doctrinam cœlestem vobis tradidisse, ac per vera miracula confirmasse : ideoque eò me, peracto legationis et redemptionis officio, à Patre revocari et regredi, ac consequenter vitam meam fuisse innocentem et cœlestem, nec mortem crucis me meis peccatis promeritum, sed pro vestris eamdem amplexum sponte subiisse. Cur ergo mihi non credidistis ? cur meam redemptionem et salutem non acceptastis? cur meæ legi non paruistis? Sane nihil habetis causæ, quod vestræ incredulitati et in-

obedientiæ prætendatis; inexcusabiles estis: convincit vos vestra ipsorum mens et ratio, judicat et condemnat vos vestrum ipsorum judicium, vestra ipsorum sententia, vestra conscientia vos reos et ingratos, mortem et gehennam promeritos; me vero æquum, misericordem et pium esse proclamat. Christus ergo supra vallem Josaphat in throno judiciario considens disceptabit, et indignans rugiensque dicet impiis in valle consistentibus, et pavidis: Ecce ego in hoc ipso loco pro vobis laboravi, et atrocia passus sum; ecce hîc in Gethsemani pro vobis sudavi aquam et sanguinem, proditus et captus sum, ligatus quasi latro, tractusque per Cedron in urbem: ecce juxta hanc vallem in domo Caiphæ, ac mox in domo Pilati, pro vobis judicatus et damnatus ad mortem, flagellatus, spinis coronatus, colaphis cæsus, irrisus et consputus sum: ecce hîc totam urbem circumductus crucem bajulans tandem in Calvariæ monte pro vobis crucifixus sum: ecce hîc nudus inter cœlum et terram suspensus, distensis manibus, pedibus, totoque corpore memetipsum pro vobis in victimam Deo Patri obtuli. Testis es, Pilate, testis Anna, testis Caipha, testis Juda, testes pontifices, testes Judæi, qui hoc ipso loco contra me contentis vocibus clamastis: *Reus est mortis: crucifigatur, crucifigatur.* Meministi, Pilate, quod quasi reus hîc steterim coram tuo tribunali, et sententiam mortis à te acceperim; cum tamen tu innocentem me scires, diceresque: *Innocens ego sum à sanguine justi hujus.* Meministi, Caipha; meministis, pontifices, quod in concilio à vobis adjuratus: *Dic nobis si tu es Christus filius Dei vivi,* responderim: *Tu dixisti; verumtamen dico vobis: Amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli.* Mihi tamen non credidistis, imo subsannastis, et quasi blasphemum condemnastis et crucifixistis. Ecce nunc dies illa quam vobis prædixi et intentavi: ecce nunc sors mea cum vestra commutata: judices sedistis, steti ego reus: nunc rei vos, judex ego. Nunc videtis me eum esse quem dixi, Messiam filium Dei, orbis dominum et judicem: quomodo vos in me sceleratas manus immittere, quomodo sacrilege filium Dei blasphemare et occidere ausi fuistis? Cernite manus quas fodistis, pedes quos perforastis: cernite sacra stigmata, quæ corpori meo impressistis. Hæc vos judicant, hæc contra vos clamant, hæc condemnant. Ite ergo, sacrilegi, ite, deicidæ, cum Lucifero in ignem æternum. Et vos, ô infideles, ô Turcæ, ô pravi Christiani, hæc scivistis, vel scire potuistis et debuistis; et tamen neglexistis, sprevistis meos labores, sudores, dolores: sanguinem testamenti pollutum duxistis: maluistis sequi vestras concupiscentias, quàm me, meamque doctrinam et legem: delicias, opes, honores momentaneos æternæ saluti à me promissæ prætulistis, gehennæ incendia minitantem me contempsistis. Ecce nunc videtis quem contempseritis: nunc cernitis minas meas non fuisse vanas, sed veras; promissa mea non vana, sed certa: nunc cernitis vanas et fallaces fuisse vestras amasias, divitias, dignitates: nunc cernitis vos in earum amore fuisse stultos et insensatos: nunc gemitis et plangitis, nunc pectora tunditis; sed sero et frustra. Ite ergo, improbi, ite, ingrati, ite, increduli, ite, insensati, ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus à constitutione mundi.

Vos vero, ô Apostoli, qui me hoc in loco damnari, flagellari, crucifigi, occidi vidistis, et tamen in me credidistis, me secuti estis usque ad mortem et crucem: vos pariter, ô viri Religiosi et Apostolici, qui meam paupertatem, humilitatem, mundi contemptum et crucem amplexi estis; quique meam fidem, doctrinam et religionem toto orbe propagastis: vos denique, ô fideles, qui me redemptorem vestrum credidistis, sperastis, amastis, coluistis, qui per omnia meæ legi paruistis, qui Christianam, meque dignam vitam egistis; qui sobrie, pie et juste in hoc seculo vixistis exspectantes beatam spem, et hunc meum adventum gloriæ magni Dei: Venite, ô dilecti et electi, venite, ô benedicti Patris mei, possidete regnum cœlorum vobis paratum ante secula, ab omni æternitate. Et ibunt illi in ignem æternum, justi autem in vitam æternam. Beatus qui hæc jugiter cogitat, prævidet et providet. Similem exprobrationem Christi judicis ad impios habet S. August. serm. 67. de Temp. qui est de die judicii.

Hæc cogitabat S. Pelagia pœnitens, quæ à vanitate mundi conversa per B. Nonnum Episcopum Heliopoleos, perpetuæ pœnitentiæ se addixit, ad eamque delegit hunc locum. Nam in monte Oliveti tugurium erexit, ex quo in vallem Josaphat despectus est, ut jugem Christi patientis, æque ac judicis venturi imaginem sibi ob oculos poneret. Ita habet ejus Vita 8. Octob. et Adrichom. in Descript. terræ sanctæ.

Ad hanc quoque vallem B. Xaverius citavit Præfectum Malacæ, qui, cupidine auri victus, iter ejus in Sinas, ac consequenter Sinarum conversionem impediebat: *Ego,* inquit, *nunquam posthac illum, neque ille me visurus est in hac vita, nisi cum apud summum illum Judicem in valle Josaphat eum accusaturus sum, quod improbissima turpissimaque cupiditate occæcatus, tantam animarum impedierit messem.* Ita Tursell. in ejus Vita, lib. 5. cap. 7. Ad eamdem nos oraculo Joelis citat hîc Deus, reipsa citaturus per Archangelum, cum ille tubali voce omnes è monumentis evocabit ad tribunal Christi.

Pathetice S. Cyrillus orat. de animæ excessu, quam fuse recitat noster Raderus in Viridario Sanctorum, pag. 186: *Metuo,* inquit, *mortem, quoniam acerba mihi est. Metuo gehennam, quoniam æterna est. Metuo tartarum* (ita vocat gehennam frigoris et glaciei, qua æque ac igne torqueri damnatos in inferno multi censent, moti illo Jobi cap. 24. vers. 19: *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium.* Ita ibidem Philippus presbyter, S. Thomas, Titelm. Stunica et alii), *quoniam nihil habet caloris. Metuo vermem veneniferum, quoniam æternus est. Metuo Angelos judicio præficiendos, quoniam immisericordes sunt. Metuo, cum cogito illius diei terribile, et muneribus inexpugnabile concilium, tribunal horribile, judicium incorruptum. Metuo flumen ignis ante tribunal illud fluens, vehementissimaque flamma torrens, et acutos enses. Metuo severissimas pœnas. Metuo supplicium finem non habens. Metuo tetram illam caliginem. Metuo profundas tenebras. Metuo infracta vincula, stridorem dentium, fletum inconsolabilem. Metuo inevitabiles probationes. Nihil enim accusationibus eget judex ille, neque testibus, neque demonstrationibus, neque*

probationibus, sed quæcumque fecimus, diximus, decrevimus, ea in medium adfert ob oculos nocentium. Tum nullus est qui adsit et pœnis eripiat, non pater, non mater, non filius, non filia, non amicus, non defensor, non pecuniarum largitio, non divitiarum abundantia, non potentiæ fastus: quin hæc omnia cineris ritu in pulverem abeunt, solusque reus ex suis factis absolventem aut condemnantem sustinet sententiam. Et inferius: *Tunc ubi hujus mundi jactantia? ubi inanis gloria? ubi apparatus? ubi reges? ubi ornatus? ubi pecuniæ? ubi nobilitas? ubi delectatio? ubi corporis virilitas? ubi falsa illa et inutilis mulierum pulchritudo? ubi tunc vestimentorum comptus? ubi qui cum tympanis et cithara vinum potant? ubi theatra? ubi venationes?* Et post nonnulla: *Acerbum est in igne esse, et clamare, neque subveniri. Insuperabiles fauces, immensus gurges, ubi inclusus quis et detentus evadere aut aufugere nequeat: insuperabilis custodiæ murus, immites custodes, tenebricosus carcer, tetri Æthiopes, infracta vincula, inconvulsæ catenæ, diri ferique flammæ illius ministri, graves illæ quæ ad supplicium adhibentur scuticæ, firmi ungues et infracti, duri nervi, turbida pix atque torrens, fœtens sulphur, ignea illa cubicula: inexstincta pyra, putidus virosusque vermis: inexorabile concilium, invictus gratia judex, inexcusabilis defensio: notis compuncti magnatum vultus, exoleti optimates, mendici reges, imperiti sapientes, fatui oratores, dementes divites: non auditæ falsæ scribentium assentationes; manifestæ malitiosorum versutiæ, perspicuæ fraudatorum calliditates: væ improbis! Profani, scelerati et impuri sunt in conspectu Dei: væ contumacibus, contentiosis et turbulentis! væ perjuris! væ helluonibus, quorum Deus venter est!*

3. Super populo meo et hæreditate mea Israel.] *Populum* suum, sive *Israel*, vocat suos fideles et sanctos. Horum enim typus erat populus Israel, olim à Deo electus, fidelis et sanctus: illique in ejus à Deo et Christo apostatantis locum subrogati et adoptati sunt, ut docet Apost. Rom. 9. 8; nam ut idem ait Galat. 6. 16: *Quicumque hanc regulam* (Christi et Evangelii quod ego prædico) *secuti fuerint, pax super illos, et misericordia, et super Israel Dei.* Vox *et* significat *id est*, q. d. *Pax sit super illos*, id est, super Israelitas: quia illi sunt veri Israelitæ, non carne, sed fide et spiritu: sequuntur enim fidem et virtutem Israelis, Isaaci et Abrahæ. Horum ergo dispersionem, id est persecutiones et exsilia se vindicaturum hìc dicit Deus. Sensus ergo est, q. d. In valle Josaphat disceptabo cum infidelibus et impiis, qui populum meum Israel, id est, fideles meos, et pios, verosque Dei cultores afflixerunt, eosque condemnabo et puniam æterna morte.

Et terram meam (populi mei, ideoque meam, illo ejecto, inter se) diviserunt.] Persistit in typo et allegoria vastationis et excidii Judææ per Chaldæos; sed per hoc intelligit expilationes et injurias fidelibus irrogatas. Sic enim Turcæ Christianorum prædia et provincias invaserunt, occuparunt, diviserunt: sic Angli etiamnum Orthodoxorum bona confiscant, et per mulctas exhauriunt, uti olim fecerunt Nero, Decius, Diocletianus, etc. quibus recte competit id quod sequitur:

Et super populum meum miserunt sortem,] sortito inter se dispertientes tam ipsum, quam ipsius bona, uti milites Christi crucifixi vestimenta, eo inspectante, sortito inter se diviserunt: quæ ingens fuit contumelia et afflictio. Alludit ad sortem quam jecit Aman super Judæos de die et mense, quo eos trucidare destinabat, Esther 3. 7. Arguit Gentium turbam *super tribus*, ait Hugo Victor. *de avaritia, de luxuria, de gula. De avaritia, quia super populum Domini sortem misit. De luxuria, quia puerum prostituit. De gula, quia pro vino puellam vendidit.*

Tropol. *Dæmones terram Domini, id est fidelem animam, vitiis dividunt; superque populum virtutum, peccatorum sortem mittunt. Tunc puerum, id est puritatem mentis, prostituunt illicitis desideriis. Tunc puellam, id est cordis innocentiam, vendunt pro vino, id est lætitia temporali et terreno delectamento.* Hucusque Hugo.

Et posuerunt puerum in prostibulo,] q. d. Pueros populi mei posuerunt in lupanari, ut scilicet ex eorum corpore exposito pæderastis ad innaturalem et exsecrandam libidinem, lucrum et quæstum facerent; sic et puellas vendiderunt partim ad libidinem, partim ad servitium, ut ex earum pretio vinum emerent, eoque gulam suam explerent. Unde Hebræa ad verbum habent: *Dederunt puerum in meretricem*, vel pro meretrice, quam S. Hieron. vertere et vocare solet *prostibulum*. Unde in Comment. hìc ait: *Posuerunt puerum in prostibulum*, hoc est, prostituerunt puerum lenonibus quasi scortum masculum, *ut eum virilem cogerent mutare naturam*, uti fecit Jason 2. Machab. 4. 9. Sic et Theodor. Remig. Rupert. Hugo et Vatabl. Quocirca Arabicus uterque vertit: *Commutaverunt pueros in mercedem meretricum*, scilicet meretricibus substituendo pueros meritorios, ex quibus captarent turpem mercedem, qualis solet dari meretricibus. Syrus vero vertit: *Dederunt pueros in mercedem adulterarum*, ut eis servirent quasi famuli. Noster recte vertit, *in prostibulum. Prostibulum* enim latine non tantum lupanar, sed et meretricem significat. Audi Plautum in Aulul. *Bellum et pudicum vero prostibulum populi.* Eadem dicebatur prostibula feminine. Audi Festum: *Alicariæ meretrices appellabantur, in campis solitæ ante pistrina alicariorum versari quæstus gratia; sicut hæ quæ ante stabula sedebant, dicebantur prostibula.*

Secundo, Septuag. vertunt: *Puerum dederunt meretricibus*; scilicet pro pretio corporis earum sibi prostituti, q. d. Tam vili æstimarunt pueros Judæorum, ut eos loco pretii darent meretricibus pro usu corporis earum, sive pro mercede meretricandi. Ita Chald. Lyran. Pagnin. Clarius, Arias et à Castro. Huic sensui favet hebr. בזונה *bazzona*, id est, pro meretrice, sicut mox de puellis ait, eas venditas ביין *beiain*, id est, *pro vino*; utrobique enim est *beth* pretii.

Tertio, Hieron. Prado in Ezech. 16. 15: *Posuerunt puerum in prostibulo*, hoc est, inquit, ad edulia in caupona prostituta, ut vendantur hospitibus emenda et comparanda, q. d. Dederunt in pretium esculentorum puerum Judæum captivum, æque ac pro vino dederunt in pretium puellam Judæam. Hebr. enim זונה *zona*, id est prostibulum, significat proprie cauponam, quæ prostituit edulia, vel merces, vel operas suas, vel etiam corpus, et tum vocatur *meretrix*. Verum latinum *prostibulum* nunquam cauponam, nec esculenta venum prostituta significat. Primus ergo sensus est ge-

nuinus, eumque exigit nostra Versio latina; deinde secundus, qui valde congruit textui Hebræo. Pauca hîc, sed enormia in innocentes pueros et puellas scelera, in die judicii judicanda et punienda recenset Propheta, atque per synecdochen sub his quævis alia subintelligit. Ita Lyranus.

4. Verum quid mihi et vobis Tyrus et Sidon, et omnis terminus Palæstinorum?] Phrasis illa: *Quid mihi et vobis est?* aversantis, indignantis, abjicientis, reprobantis et condemnantis est, quod adversus ipsum Deum bella movere, odiaque et simultates exercere præsumpserint, cum populum Dei persequebantur. Nam, ut ait S. Hieron. *Qui populum Dei persequitur, ipsum Deum persequitur, cujus est populus.* Unde Christus Saulo ait: *Quid me persequeris? Ego sum Jesus, quem tu persequeris*, Actor. 9. 4. Jam Haymo, Rupert. Arias, Vatabl. et Ribera censent Tyrum, Sidonem et Palæstinos hîc ad litteram capi metaphorice, pro quibusvis impiis: ac, vice versa, per Judæos significari omnes pios et sanctos. *Tyrus* enim hebr. idem est quod coarctatio, et Tyrii idem quod coarctantes, angustiantes, affligentes; Sidonii, idem quod venantes, scilicet ad mortem: Philisthini, idem quod conspergentes cinere, id est, luctum afferentes, ut notat S. Hieron. Alii, et melius, hæc proprie accipiunt; sicut enim Joel ex multis sceleribus in die judicii judicandis, pauca tantum per modum exempli paulo ante recensuit, ex his cætera omnia synecdochice subintelligens; ita et hîc ex omnibus gentibus tum judicandis per modum exempli producit paucas et fama, et vicinia, et scelere apud Judæos insigniores, atque ex his cæteras omnes partim per synecdochen, partim per metaphoram intelligendas relinquit. Tyrii enim, Sidonii et Philisthini fuere acres, et pene perpetui, populi Dei, puta Judæorum, hostes, in eosque sæpe crudeliter desævierunt spoliando, occidendo et vendendo eos Græcis, id est, gentibus Asianis. Unde contra eos tonant Prophetæ uno ore, et excidium per Chaldæos eis intentant, ut Isaias cap. 14. 29. et toto cap. 23. Jeremias toto c. 47. Ezechiel toto cap. 27. et 28. Eadem de causa Joel hîc eisdem idem per Chaldæos temporale excidium (sed obiter perstringendo id tantum) ac multo magis æternum in die judicii, puta condemnationem et gehennam, intentat. Ita S. Hieron. Theodor. Remig. Lyran. Ribera et alii. Miscet ergo Joel litteram allegoriæ: quia mistim loquitur de hostibus Judæorum sui temporis, et de hostibus fidelium et sanctorum quovis ævo. Sic Isaias cap. 14. miscet casum Baltasaris cum casu Luciferi; et Ezech. c. 28. miscet casum regis Tyri cum casu Cherubini. Vid. can. 4. et 52. in Prophetas majores.

Quare minus recte aliqui hæc referunt ad Tyrios, Sidonios et Palæstinos, qui tempore Titi et Romanorum Judæos afflixerunt; alii ad eos qui Christianos et nascentem Ecclesiam Christi in Judæa persecuti sunt: præsertim cum non legamus Tyrios, sed Judæos ipsos persecutos fuisse Christum et Christianos. Sensus ergo est ad litteram, q. d. Quid mihi vobiscum est, ô Tyrii, Sidonii et Palæstini, qui acerbi et continui fuistis hostes populi mei (Judæorum) ac consequenter meî ipsius, qui populi hujus mei tutor sum et Deus? Num ultionem de me, quod sæpe per Judæos vos ceciderim, sumere vultis hoc ipso, quod cum me non possitis, populum meum opprimitis, ejusque aurum et opes diripitis, templum meum spoliatis, ut delubra Beli et idolorum vestrorum ornetis, ac Judæos quasi mancipia venditis Græcis, id est gentilibus, uti fecit Nicanor 2. Machab. 8. 14. Sed agite, ecce ego vicissim ulciscar me, et hasce populi meî injurias, ac talionem vobis rependam: suscitabo enim et liberabo populum meum de manu vestra, faciamque ut ille vestrî dominetur, et vicissim filios vestros vendat Sabæis, qui sunt prædones notissimi, ut patet Job 1. 15; licet enim hoc reipsa factum alibi non narret Script. hîc tamen futurum prædicit, unde factum esse, non dubium: sic enim multa à Prophetis prædicta, facta non legimus, et tamen facta non dubitamus. Credimus enim oracula eorum fuisse vera, ac proinde reipsa impleta. Vide can. 41. in Prophetas majores. Ita Theodor. Remig. Lyran.

Hic est sensus primus et quasi fundamentalis, sed sub hoc alium magis præcipuum intendit Propheta: nimirum per hæc Tyriorum, Sidoniorum et Palæstinorum scelera, et eorumdem punitionem, significat similia crimina tum Turcarum et Saracenorum in Christianos, tum quorumvis impiorum qui pios persequuntur, quos Deus in die judicii, cum suos fideles et pios à morte suscitabit ad vitam, et in libertatem gloriæ filiorum Dei asseret, puniet, et vendet Sabæis, id est, tradet cruciandos dæmonibus. Hisce enim Sabæi moribus et nomine erant similes. Sabæi enim per *scin* significat hebr. captivitatem, uti vertunt hîc Septuag. et captivantes, quales sunt dæmones. Unde et Arabicus Alexand. vertit: *Venundabunt eos in captivitate, captivitatem* (captivos abducendos) *ad gentem remotam.* Ita Rupert. Clarius, Arias, Vatabl. Ribera et à Castro. Rursum Sabæi per *sin* hebr. significat epulantes, saturos, à rad. שבע *saba*, id est saturatus est; vel potantes et ebrios, à rad. שאב *scaab*, id est potavit, ut sit metathesis. Dæmones enim laniabunt impios in gehenna, eorumque carnibus, sanguine et pœnis se pascent, et quasi inebriabunt. De judicio enim extremo agit hîc Propheta in præcedentibus, æque ac in sequentibus: unde symbolice per Tyrios, Sidonios et Palæstinos notantur hîc tres, id est omnes, classes impiorum. Tyrus enim superba, et instar arcis in mari eminens, notat superbos: Sidon mercaturæ debita, venansque opes, notat avaros: Palæstini, id est cadentes, notant carnales, qui quasi porci corruunt in ventrem et venerem, ac volutantur in cœno gulæ et libidinis. Nam, ut ait S. Joann. epist. 1. cap. 2. 16: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum* (avaritia, sive cupiditas auri et argenti) *et superbia vitæ.* Hos Deus ejusque Sancti judicabunt et damnabunt in die judicii, juxta illud psal. 149: *Exsultabunt sancti in gloria, etc. gladii ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis: ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis, ut faciant in eis judicium conscriptum; gloria hæc est omnibus sanctis ejus.*

Et omnis terminus Palæstinorum.] Ita et Tigurina, et alii passim, q. d. Et omnes fines omnesque regiones Palæstinorum. Verum Septuag. hebr. גלילות *gelilot* retinuerunt quasi

nomen proprium, verteruntque: *Et omnis Galilæa alienigenarum*, id est, Philisthinorum. Mirum hoc: nam nulla Galilæa fuit in Philisthæa; unde in Hebræo non est alienigenarum, sed Palæstinorum. Audi S. Hieron. *Pro Galilæa in Hebræo scriptum est gelilot, quod Aquila,* θινας; *Symmachus, terminos transtulit:* θινας *autem, id est, tumulum arenarum, referamus ad littora Palæstinæ, non ad Galilæam Philisthiim, quæ omnino nulla est.* Quare credo Septuag. qui id sciebant, voluisse retinere hebr. nomen *gelilot*, ut Galilæa sit nomen appellativum, non proprium, significans fines, terminos: hi enim hebr. vocantur *gelilot*, indeque regio Galilæa nomen accepit, puta à revolutionibus et molibus arenarum, quibus disterminatur; quia enim mari adjacet, hinc ab eo se dividit, et tutatur congestis in littore arenarum tumulis: radix enim גלל *galal* significat volvere, convolvere. Ita Andreas Masius in Josue 13. vers. 2. Ubi pariter Noster vertit: *Omnis Galilæa Philisthiim et Gessuri*; Septuag. vero, Chald. et Rabbini vertunt: *Omnes limites* vel *littora Philisthinorum et Gessuri.*

8. Sabæis.] Sic et Aquila et Symmachus, licet Septuag. vertant, *in captivitatem*, שבי *scebi* enim hebr. est captivitas. Sabæi autem sunt vel Æthiopes, vel Arabes Arabiæ Felicis, de quibus Poeta: *Centumque Sabæo thure calent aræ.* Duplex enim est Saba, una in Æthiopia, altera in Arabia: utraque longinqua, longeque distans à Judæa, uti docte docet P. Pineda l. 5. de Rebus Salom. c. 6. num. 3. et 4; unde Preto Joannes Imperator Abyssinorum hoc titulo gloriatur: *Dominus Sabaim* (id est utriusque Sabææ, et utrorumque Sabæorum) *et successor Reginæ Saba*, quæ cum muneribus venit ad Salomonem, 3. Reg. 10. Porro *Judæi*, inquit S. Hier. *promittunt sibi, imo somniant, quod in ultimo tempore congregentur à Domino, et reducantur in Jerusalem. Nec hac felicitate contenti, ipsum Deum suis manibus Romanorum filios et filias asserunt tradituros, ut vendant eos Judæi non Persis, et Æthiopibus, et cæteris nationibus, quæ vicinæ sunt; sed Sabæis, genti longissimæ: quia Dominus locutus sit, et populi sui ulciscatur injuriam. Hæc illi, et nostri judaizantes* (Chiliastæ) *qui mille annorum regnum in Judæa sibi finibus pollicentur, et auream Jerusalem et victimarum sanguinem, et filios ac nepotes et delicias incredibiles, et portas gemmarum varietate distinctas* (de quibus Apoc. c. 21.) *Nos autem dicamus quod et suscitavit Dominus post adventum suum et quotidie suscitat, et suscitaturus est eos quos varius error eduxerat de finibus suis; pulchreque: Suscitabo*, ait, *quasi jacentes et corruentes, ut qui jacebant in hæresi, stent in Ecclesia, reddens hæreticis quod fecerant, ut filios eorum et filias, quos in mysticis et carnalibus erudierant, tradat in manus filiorum Juda, id est, in manibus eorum qui Ecclesiarum principes exstiterunt, ut ad meliora conversi, Ecclesiasticis dogmatibus incipiant esse subjecti.* Hoc tropologicum est: nam ad litteram agit Joel de impiis, quos in die judicii æternæ servituti et carceri Deus mancipabit.

9. Clamate hæc in Gentibus, proclamate hæc voce præconis apud Gentes: sanctificate: Tigurina, *indicite;* Chald. *præparate*, bellum.] Est catachresis: quia enim festa futura solebant apud Judæos sanctificari, id est, indici et præconis voce publicari, ut ad ea quasi sancta populus se sancte compararet, hinc sanctificare idem est quod indicere et proclamare. Vide dicta Jeremiæ 6. 4; unde Theodor. *Sanctificate bellum*, hoc est, inquit, *excitate pugnatores et segregate ad bellum: quoniam enim sanctus seipsum à sceleribus segregat, hinc omne quod segregatur ad aliquid, vocat sanctificare.*

Tropol. Hugo Victor. *Sanctificare bellum, est bellum sanctitate donare; nonne bellum sanctificatur, ubi virtus triumphat, et vitium necatur?*

Nota hæc per ironiam dici, q. d. Defendite vos, ô Tyrii, aliæque quælibet gentes, quantum potestis; at non evadetis judicium meum, manum meam, vindictam meam, quam exercebo in vos tum per Chaldæos, tum potius per Christum et Angelos in die judicii. Ita S. Hier. Lyran. Clarius et Vatabl. Addit Arias omnes impios, quasi classico evocatos, ruituros in bellum contra Christum et Sanctos, ac properaturos in vallem Josaphat, itaque instar furentium ruituros in suum exitium, quod ibidem eis inferet Christus. Verum hoc parum est verisimile: nam morientur omnes ante judicium, ac classicum Archangeli audient: *Surgite, mortui, venite ad judicium;* scient ergo se evocari ad judicium, non ad bellum. Minus etiam verisimile est quod censent Rupert. et Hugo, hæc dici concionatoribus, ut bellum indicant peccatis et peccatoribus; aut viris sanctis, ut contra impios parent arma, de iisque se ulciscantur. Patet enim ex seq. hæc ad impios in fine mundi ironice dici. Unde sequitur:

Ascendant,] prodeant in prælium, acies suas explicent, arma viresque suas ostentent.

10. Concidite aratra vestra in gladios.] Hæc phrasis significat bellandi cupidinem, æque ac necessitatem extremam, tantam scilicet, ut opus sit ex aratris fabricare gladios, quibus pro vita pugnetur, etiam à languidis et infirmis. Hoc est enim quod subdit: Infirmus dicat: Quia fortis ego sum,] q. d. Infirmus in tanta necessitate infirmitatem excutiat, vires et arma suscitet: agitur enim de ejus et omnium aliorum capite et salute. Ex adverso Isaias c. 2. 4, significans pacem summam à Christo nascente orbi afferendam, ait: *Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces.* Simili phrasi tempus belli exprimit Virgil. 1. Georg.

Et curvæ rigidum falces curvantur in ensem.

Et Ovidius, lib. 1. Fastor.

Sarcula cessabant, versique in pila ligones:
Factaque de rastri pondere cassis erat.

Et Martialis, lib. 14. epigr. 34. cujus titulus: *Falx ex ense:*

Pax me certa ducis placidos conflavit in usus.
Agricolæ nunc sum, militis ante fui.

Sic S. Paulum gladium persecutionis vertisse in vomerem Evangelii, cum ex lupo factus est agnus, docet Tertul. contra Gnosticos cap. 1. 3: *Paulus Apostolus*, inquit, *de persecutore, qui prius Ecclesiæ sanguinem fudit, postea gladium stylo mutans, et convertens machæram in aratrum: lupus rapax Benjamin, deinde afferens etiam ipse escam.*

Tropol. Hugo Victor. *Quid*, ait, *sunt aratra, nisi membra mortificata? Quid est aratra in gladios concidere, nisi membra mortificata pro cura fidei, pro virtute verbi neci frequenter opponere?*

Ligones sunt variæ mentis compunctiones : lanceæ sunt severæ comminationes. Quid est autem ligones in lanceas concidere, nisi è varia mentis compunctione ardorem fidei, virtutem verbi, vim sententiarum concipere? Gladius est, de præsenti virilis conceptio : lancea, de futuris salubris comminatio. Unde sequitur :

11. Ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos,] q. d. Quantumcumque, ô gentes, sitis armatæ, quantumlibet fortes et pugnaces, tamen in valle Josaphat cædemini à Domino, occumbetis, et in tartara detrudemini. Dicit *robustos tuos,* non vestros, quia loquitur collective toti gentium populo, tanquam uni. Omnes enim hi Dei hostes, et impii unus censentur reproborum cœtus, unus damnatorum populus. Sic sæpe alibi Script. de iisdem loquitur nunc in plurali, respiciens singulos, qui sunt plures; nunc in singulari, respiciens populum, qui est unus.

Pro *occumbere faciet* hebr. est הנחת *hanchat*, id est, descendere fecit, hoc est, faciet : prophetice enim præteritum capitur pro futuro. Unde Tigurina versio habet : *Ibi sternet Dominus heroes tuos.* Sic et Chald. et Pagnin. Rursum *hanchat* potest accipi ut imperativus. Unde Vatabl. vertit et explicat : *Descendere fac, ô Domine, fortes tuos, ut scilicet contra gentes pro Ecclesia tua dimicent ;* vel *descendere facies è cœlis Angelos tuos fortes*, juxta illud Judic. 5. 20 : *De cœlis dimicatum est contra eos.*

Septuag. aliter hæc accipiunt; vertunt enim : *Mansuetus sit pugnator,* q. d. Fac, ô Domine, ut tui bellatores descendant de sua ferocia, ponant animos et iras, sintque mansueti, ut vindictam clementia temperent : forte etiam pro *hanchat* legerunt הנעה *haane,* id est, humilia, humiles fac et mites.

Nota : Loquitur Joel et Prophetæ de die judicii quasi de die prælii, quo Christus confliget et proteret reprobos, utpote hostes suos, calcans eos quasi in torculari, et concidens eos in valle concisionis. Idem Christi prælium describitur Apoc. 19. v. 11. Sapient. 5. 18. Isaiæ 66. v. 15. et 24.

12. Consurgant et ascendant gentes in vallem Josaphat.] Sunt verba Christi omnes gentes evocantis et citantis ad suum tribunal, q. d. Gentes, ubilibet mortuæ et sepultæ, à morte et è sepulcro resurgant, pergantque in vallem Josaphat : *Quia ibi sedebo ut judicem omnes gentes.* Ita S. Hieron. Rupert. Remig. Lyran. Hugo, Vatablus et alii. Dicit, *ascendant :* Primo, quia ascendere Hebræis idem est quod ire, pergere; secundo, quia Jerusalem sita est loco alto, ut aliunde venientes eò scandere oporteat : alioqui ex ipsa Jerusalem in vallem Josaphat descenditur, non ascenditur. Tertio, quia tribunalia judicum solent esse loco sublimi et conspicuo, ut eò euntibus scandendum sit : sic Christi tribunal erit loco edito super vallem Josaphat, ut gentes ad illud euntes recte ascendere dicantur. Quarto, ascendere Hebræis est verbum militare et forense. Milites enim dicuntur ascendere in prælium, cum pergunt contra hostem, cum eoque confligunt; ascendere enim significat aggredi rem arduam, ad quam animos erigere, viresque excitare et acuere opus : tale autem est prælium, vel militare, vel judiciale, puta quo reus cum testibus et judice disceptat, et quasi confligit pro se suoque capite.

13. Mittite falces.] Loquitur hic Christus ad Apostolos aliosque qui secum sessuri sunt judices in die judicii, ut impios condemnent. Ita S. Hieron. et Remig. vel potius ad Angelos, qui demetent homines in fine mundi, ac mox eosdem resuscitabunt, et ducent ad tribunal Christi, ab eoque damnatos detrudent in tartara, q. d. Vos, ô Angeli, demetite omnes homines viventes, ut moriantur : *quoniam maturavit,* id est, matura est, *messis*, id est, quia completus est electorum omniumque hominum numerus, ac mundi secula à Deo præstituta jam evoluta sunt; ac proinde Deus illis finem imponere decrevit. Ita Rupert. Haymo, Lyran. et Vatabl. Proprie autem impiorum maturitas significat tempus eorum post felicem vitam decursam, cum nimirum illa in omni voluptate et turpitudine usque ad maturam ætatem est transacta : tunc enim maturitas est tam ætatis quam iniquitatis, quasi segetis quæ poscit manum et falcem messoris, ut in tartaro, velut horreo condantur. Huc allusit Christus Matth. 13. 39 : *Messis*, ait, *consummatio seculi est : messores autem angeli sunt.* Et mox v. 41 : *Mittet filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis.* Huc quoque allusit S. Joannes Apoc. 14. 15. ubi vidi tres angelos cum falcibus demetentes messem, et vindemiantes botros terræ. Ibidem P. Alcazar censet primum angelum, qui v. 15. dicit : *Mitte falcem tuam et mete, quia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terræ,* ad litteram esse Joelem, qui hîc idem dicit quod angelus ille Joannis : secundum, qui v. 17. vindemiat botros terræ, esse Mosen, qui est typus sapientiæ : tertium v. 18 qui secundum admonet ut botros vindemiet, esse Eliam qui est typus zeli : hæc enim demessio et vindemia terræ erit opus summæ Dei sapientiæ, æque ac zeli.

Porro addit Alcazar Joelem, æque ac Joannem, messi jungere vindemiam hoc sensu, q. d. Vos, ô messores, id est, prædicatores Evangelici, strenue prædicando insistite messi Dei colligendæ; neque enim vobis laborantibus et sudantibus deerit vini copia et affluentia, quæ vos reficiat et soletur. Nam cum vos totos in messem Domini impendetis, Dominus vicissim vindemiæ curam suscipiet, imo messem vestram illico in vineam maturam convertet, et ex ea exprimet mustum delicatissimum. Nihil enim est quod prædicatores ita recreet, nullum vinum sapidius, quàm copiosa seges et fructus prædicationis ipsorum. Dum enim vident tot converti, adeo sanctos evadere, imo Martyres fieri, bibunt vinum consolationis suavissimum. Verum hic sensus nec est litteralis, ut patet, sed potius litterali, qui est de damnatione reproborum, adversus et oppositus : ac consequenter nec est mysticus. Hic enim fundari debet in litterali, eique congrue et ex æquo respondere, ut ei naturaliter insertus, et quasi innatus videatur.

Venite et descendite, quia plenum est torcular] botris et uvis : in illud ergo vos, ô Angeli, descendite, ut hasce uvas prematis et calcetis, uti habent Sept. Torcular hoc, sive prælum plenum uvis, id est impiis, premendis et conculcandis, erit gehenna, sive infernus. Unde Chald. vertit : *Conculcate interfectos.* Nota metaphoram : *calcare* enim *torcular*, in Scriptura significat ulcisci, et acres pœnas de reo sumere; quia sicuti torculari vinum, ita

vindicta et supplicio sanguis, anima et vita exprimitur. Sic Thren. 1. v. 15. dicitur: *Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Juda.* Et Isaiæ 63. 3: *Torcular calcavi solus, etc. calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea.* Et Apoc. 19. 15: *Ipse*, Christus, *reget eas* (gentes infideles et impias) *in virga ferrea, et ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.* Vide ibi dicta.

14. POPULI POPULI, hoc est plurimi populi, scilicet erunt, IN VALLE CONCISIONIS, id est, Josaphat, ubi concidentur, id est, perdentur impii, juxta illud Ps. 128: *Dominus justus concidet cervices peccatorum.* Ita S. Hier. q. d. O quot populi, quot turbæ, ô quot gentes concidentur in valle Josaphat! Ita Vatabl. Unde Septuag. vertunt: *Sonitus auditi sunt in valle judicii.* Hebr. enim המונים *hamonim* significat tumultus et strepitus turbarum et populi multi. Unde Syrus vertit: *Murmur* (fremitus (*clamoris in profundo cœtuum* (in valle congregationis populi); Arabicus: *Hic est tumultus casuum, quorum incursus in valle Josaphat.*

Nota: Hebr. חרוץ *charuts*, primo, verti potest *concisionis.* Ita vertunt Aquila, Symmach. quinta editio et Noster.

Secundo, *charuts* verti potest, *tribulationis, triturationis*, vel tribulæ, sive trahæ ferratæ et dentatæ, instar serræ ad serrandum, quâ grana ex aristis quasi serrando excutiuntur, triturantur et à paleis separantur. Unde Tigurina vertunt: *Turbæ, turbæ conveniunt in valle excussionis;* alii: *in valle serrationis;* Chaldæus: *in valle divisionis judicii;* alii: *in valle concisionis*, id est, *separationis*, in qua scilicet boni à malis, triticum à palea, agni ab hædis separabuntur. Ita Remigius et Lyran. Ubi nota. Congrue respondet hæc tribula passiva impiorum tribulæ activæ eorumdem, qua ipsi tribularunt in hac vita pios et justos. Justum est enim ut tribulationem injustam, quam aliis intulerunt, ipsi sentiant et subeant. Rursum, tribula hæc apte respondet torculari, de quo præcessit. Tunc enim excutienda est, æque ac exprimenda omnis impiorum felicitas, et humor pristinæ felicitati, ait P. Pineda in Job 24. v. 24.

Tertio, Vatabl. Vallis, ait, dicitur *charuts*, id est, concisionis, vel decisionis, id est, *judicii definiti, determinati, et concisi.* Unde Sept. et Theodotion vertunt: δικης και της κρισεως, id est, *causæ et judicii.* Rursum vallis *concisionis*, id est, decurtationis et abbreviationis, ut vertit Syrus hîc et Noster Isaiæ 10. v. 23, est vallis in qua concisus, curtus, brevis et exiguus conflabitur Beatorum numerus. Ubi nota. Pulchra est antithesis inter gentium omnium immensam multitudinem, et concisionem sive abbreviationem: amputatis enim, resectis et rejectis impiis, quorum infinitus est numerus, colliget Deus brevem quamdam justorum et electorum summam et numerum, juxta illud Isaiæ 10. v. 23: *Consummationem et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ:* sicut in tritura, rejectis paleis, pauca restant tritici grana.

Quarto, vallis *charuts* verti potest: *vallis excisionis, consumptionis, excidii*, scilicet impiorum.

Quinto, *charuts* significat aurum concisum, vel confusum, aut potius præcisum, discretum et separatum, id est, expurgatissimum, quod obrizum vocant. Sicut ergo Romæ Vaticanus vocatur mons aureus, quia in eo crucifixus est S. Petrus Apostolorum princeps: ita vallis Josaphat vocari potest vallis aurea, tum quia sanctis et electis erit aurea et felicissima, æque ac reprobis ferrea et infelicissima: tum quia excoctis in judicio sordibus peccatorum, purum aurum remanebit, inquit ex Hebræis S. Hieron. tum quia in judicio, Christi justitia, et Sanctorum charitas et gloria fulgebit ut aurum.

Sexto, *charuts*, id est, concisus, vel præcisus vocatur vir acutus, sollicitus, acer et strenuus. Vallis ergo *charuts* verti potest primo, *vallis acuta* vel aspera, nimirum reprobis, uti apud Lovanium est *Asper collis*, ita dictus ab ascensu arduo olim et prærupto, in quo visitur imago miraculosa B. Virginis, quæ inde Aspericollensis nuncupatur. Secundo: *Vallis sollicitorum et anxiorum*, ubi scilicet impii dicent montibus: *Cadite super nos; et collibus: Operite nos.* Tertio, *Vallis acrium, fortium et strenuorum*, ubi scilicet sancti Apostoli, virgines et Martyres, qui fortiter usque ad mortem pro virtute laborarunt et certarunt, à Christo judice coronabuntur. Ita P. Pineda in Salomon. prævio l. 4. c. 18. Ubi nota: Hebræi non habent verba composita, sed ea per simplex significant, v. g. חרץ *charats* significat cædere cum suis compositis, puta concidere, excidere, præcidere, succidere, etc. Hinc tanta ex Hebræo sensuum varietas, et versionum multiplicitas, quæ magnam conceptuum rerumque copiam concionatoribus subministrat, uti patet hîc in *charuts.*

15. SOL ET LUNA OBTENEBRATI SUNT] in die judicii tam calamitoso et horribili; non enim agit hîc de signis judicio præviis: de his enim egit c. 2. 30. sed de ipso judicio, cum ad illud omnes cogentur in vallem Josaphat. Nota hyperbolicam hypallagen crebram apud Prophetas, qua dicunt solem, lunam et stellas obscurandas esse, cum significare volunt magnitudinem et atrocitatem afflictionis, timoris et horroris, q. d. Dies ille (judicii) tantæ calamitatis erit ut hominibus ex illa attonitis et consternatis, ac ad vultum irati judicis expavescentibus, sol, luna et stellæ deficere et obscurari videantur. Mœstis enim et pavidis omnia videntur tristia, mœsta et atra. Similis phrasis est Isaiæ 13. 10. Amos 8. 9. et alibi. Vide can. 32. in Isaiam. Ita S. Hier. Remig. et Rupert.

Addunt aliqui revera in die judicii obscurandum esse solem, lunam et stellas, ut judici creatori suo se conforment, ejusque iram et indignationem partim induant, partim excipiant, eo quod impiis in suis sceleribus luxerint et servierint, ideoque verecundentur, et quasi sibi timentes à vultu irati judicis se abscondant. Ita S. Hieron. Aut quia tanta erit claritas Christi aliorumque corporum beatorum, ut suo fulgore offuscent lucem solis et stellarum. Ita Remig. et Lyran.

Alii apud Origen. tract 30. in Matth. censent solem et stellas obscurandas à fumo, qui prodibit ex igne conflagrationis mundi. Alii ex defectu nutrimenti; censent enim, sicut lucerna alitur oleo, sic et solem et stellas vapore, similive re ali, eoque deficiente exstingui; sed hoc refellunt Physici.

Symbol. Origen. ibidem: *Sicut*, inquit, *in dispensatione crucis* (dum Christus in cruce pende-

ret) *sole deficiente, tenebræ factæ sunt super universam terram: sic signo* (cruce) *filii hominis apparente in cœlo in die judicii, deficiet solis lumen, et lunæ, et stellarum, quasi consumptum à multa virtute signi illius.*

Allegor. Haymo: Sol, ait, est Christus, luna B. Virgo, stellæ Sancti, qui lucem, id est, serenitatem et favorem vultus sui, retrahunt à reprobis. Ex adverso Origen. loco citato: Sol, ait, mundi hujus est diabolus, luna est Ecclesia malignantium, stellæ sunt pseudoprophetæ et hæretici, quasi stellæ cadent de cœlo, id est, de sua dignitate et gradu excident in die judicii, quando sententiam damnationis à Christo accipient.

Tropol. Hugo Victor. *Sol*, ait, *est mundi Philosophia: luna secularis potentia; stellæ cæteræ potestates subditæ. Sol ergo et luna in Josaphat, id est, in humilitate judicii obtenebrati sunt: quia ex quo sapientes hujus mundi, potentes hujus seculi ad fidei claritatem accesserunt, statim sui erroris tenebras agnoverunt. Stellæ vero retraxerunt splendorem suum; quia dum discipulos Christi in causa fidei contemptum arripere mundi, et abjectionem sui agonemque sitire martyrii; dum eos fulgentes signis, ornatos prodigiis gloriosos miraculis prospexerunt, mox ab elatione conversi, à dignitate terrena prostrati, humilitatem Christi sectati, colla fidei subdiderunt.*

16. Dominus de Sion rugiet.] Christus judex impiis terribilis, tamquam leo de tribu Juda Apoc. 5. 5. rugiet de Sion, uti leo rugit, cum è specula speculatur et prospicit hostem, q. d. Christus judex sedens in aere super vallem Josaphat, ut supra Sion et Jerusalem (hæc enim vicina sunt et contigua), spirans iras et ignes in impios quasi leo, fulmen, id est sententiam æternæ damnationis, horribili voce, et quasi rugitu in eosdem pronuntiabit et intorquebit, adeo ut hac voce cœli et terra concuti et tremere videantur, sicut ad rugitum leonis tremit tota domus. Est hyperbole. Ita Lyranus.

Mystice Rupert. De Sion et de Jerusalem, id est, inquit, de medio Angelorum et hominum beatorum, quibus in die judicii cingetur, Christus rugiet in impios. Minus recte Arias vertit: *Pro Sion et pro Jerusalem*, id est, pro vindicanda Ecclesia sua suisque electis rugiet Christus contra sceleratos, qui eam afflixerunt.

Et movebuntur cœli et terra.] Censent aliqui cœlos et terram, totumque orbem quasi conturbatum et indignantem ad passionem sui creatoris, in Christi cruce et morte fuisse concussum, et è suo centro convulsum, parique modo concutiendum et convellendum, cum Christus judex ejus sedebit in valle Josaphat. Pugnabit enim cum illo orbis terrarum contra insensatos, Sapient. 5. 21. Prius probant ex Matth. 27. v. 51. ubi dicitur quod, Christo pendente in cruce, non tantum petræ scissæ, et monumenta aperta, sed et terra (utique tota, puta globus ipse terræ) mota sit. Terra enim suo motu, et quasi sensu significabat Christum qui patiebatur esse Deum, eumque terram conquassare, terramque ob tantum scelus in Dominum suum admissum hominibus quasi indignari, in eosque vindicem insurgere.

Mystice significabatur nova terra et novus mundus fidelium, per Christum instituendus. Insuper commovenda fore per hanc Christi necem, terrea et saxea hominum corda ad pœnitentiam. Utrumque probant ex illo Job 9. 6: *Qui commovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutiuntur.* Ita censet Didymus in catena Græcorum Job 1. 9. et favet ibidem Philippus Presbyter, et Hugo Victor. hîc qui ait: *Vox Christi tam excelsa erit atque terribilis, ut cœlorum cardines et terrarum fundamenta quatiantur.*

Secundo, movebitur terra, quia dehiscet et absorbebit reprobos, mittetque in tartara; movebitur et cœlum, quia sinu suo excipiet beatos, eisque quasi applaudet. Ita Lyranus.

Tertio, *movebuntur cœli*, id est, cœlites, puta Beati, ad exsultandum et jubilandum, cum à Christo judice audient: *Venite, benedicti patris mei, et terra*, id est reprobi terrigenæ et terræ filii, ad tundendum pectora, vellendum crines, complodendum manus et brachia, cum ab eodem rugiente audient: *Ite, maledicti, in ignem æternum.* Ita Remigius et Haymo.

Et Dominus spes populi sui,] q. d. In illa die (judicii) rugiente Christo contremiscent cœli et terra; populus autem ejus, puta verus Israel, non carnalis, sed spiritualis, hoc est, fideles et sancti, securi et confidentes stabunt; nam confident in Deo suo, ab eoque sperabunt salutem, gloriam et regnum æternum; sperabunt, et obtinebunt: Deus enim erit *spes*, id est, complementum spei, sive adimplens et complens spem ipsorum. Idem erit eis *fortitudo*, corroborans eorum mentes et corpora, faciensque ea immortalia, æterna et gloriosa. Hoc est quod ait Sapiens c. 5. 1: *Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt.*

17. Et scietis quia ego Dominus Deus vester, habitans in Sion.] Promittit hîc Deus Sioni et Hierosolymæ ingentia et multiplicia bona, quæ Judæi carnales carnalia exspectant in adventu sui Messiæ. Accedunt judaizantes Chiliastæ, qui ex hoc loco et ex Apoc. 20. 4. putarunt post resurrectionem et diem judicii, sanctos hîc in terra, puta in Jerusalem, cum Christo victuros in omnibus carnis deliciis, et in omni felicitate terrena per mille annos, quibus exactis eos rapiendos in cœlum ad æternam gloriam, uti dixi Apoc. 20. Verum hîc agi de Sione spirituali, non carnali, id est, de Ecclesia et electis Dei, non de Synagoga et Judæis, deque spiritualibus ejus bonis, non carnalibus, patet primo ex eo quod hæc futura sint in fine mundi, cum scilicet Christus in valle Josaphat judicabit omnes omnium seculorum gentes, uti dixit v. 1. 2. 12. Unde v. 13. jubet mitti falces, quibus omnes gentes dementantur. Quocirca, ut ait, sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum, et movebuntur cœli et terra. Quæ omnia significant hæc futura in fine, commotione et mutatione totius mundi. Frustra ergo Judæi hæc in hoc mundo et in hac vita exspectant.

Secundo, quia Dan. c. 9. 26. prædixit eversionem Hierosolymæ et templi factam à Tito et Romanis fore perpetuam et duraturam usque ad finem mundi; ergo hæc non spectant ad Sionis et Jerusalem terrestris restaurationem.

Tertio, quia certum est multa hîc non posse, nisi absurdissime, ad litteram carnaliter, uti sonant, accipi, sed accipienda esse mystice. Talia sunt v. 18: *Stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte, et per omnes rivos Juda ibunt aquæ, et fons de domo Domini egredietur et irrigabit torrentem spinarum, etc.* Quarto, quia v. 20.

ait: *Judæa in æternum habitabitur, et Jerusalem in generatione et generationem;* ergo agit de Judæa et Jerusalem cœlesti, non terrestri: illa enim æterna erit, cum hæc sit temporalis.

Secunda sententia est S. Hier. Remig. Rupert. Hugon. et Vatabli, qui hæc omnia usque ad finem capitis referunt ad primitivam Ecclesiam, et ad charismata Spiritus Sancti in Pentecoste, de qua dixit c. 2. 28: *Effundam spiritum meum super omnem carnem. Montes* ergo, inquit Vatabl. *sunt Apostoli eorumque successores; mustum, verbum Dei et doctrina Evangelica: itidem et lac; sed vinum robustis, lac parvulis datur*, q. d. *Apostoli assidue docebunt Evangelium. Alvei et rivi sunt Ecclesiæ particulares: aqua viva, verbum Dei; fons aquæ vivæ, copia prædicationis Evangelicæ et inexhausta illa doctrina Evangelii, unde animæ fidelium irrigantur: domus Dei Ecclesia. Egredietur autem opera prædicatorum. Torrens, Ecclesia: settim, genus cedri electi, quod ut cedrus nescit corruptionem: ita fideles vivent vita æterna. Ægyptus et Idumæa, omnes nationes quæ non receperunt Christum, quæ gratiis illis erunt vacuæ: Juda et Jerusalem, Ecclesia militans, in qua fideles sunt viri Judæi vere confitentes Deum*, q. d. *Licet Ecclesia à multis opprimatur, tamen manebit invicta. Et mundabo fonte baptismatis, vel sanguine Christi, sanguinem electorum, quem non mundaveram ante passionem Christi.*

Verum etsi hæc inchoate facta sint, et fiant in Ecclesia militante, tamen plene et perfecte fient in triumphante; de ea enim proprie agit Propheta. Omnia enim hæc consequenter et connexa erunt cum die judicii, quod fiet in valle Josaphat, de quo egit toto cap. hucusque. Subjungit ergo congruo ordine judicio et damnationi impiorum gloriam piorum et electorum, quam ipsi à Christo judice in illa die accipient, ejusque copiam et magnificentiam per varias metaphoras describit. Idem rursum confirmatur ex eo quod S. Joannes alludens, imo citans et interpretans Joelem, iisdem pene verbis describat cœlestem Jerusalem, cap. 21. uti patebit ex parallelis utriusque, quæ mox combinabo. Ita explicant Remigius, Haymo, Rupert. Hugo, Lyran. Ribera, à Castro et alii.

De hac ergo cœlesti Jerusalem, sive cœtu Beatorum triumphante dicit Joel primo, quod ejus cives, puta beati, scient, id est sentient, videbunt et gustabunt, quod in ea, et in illis ipsis, habitet Deus per gratiam et gloriam, illisque ibidem suas opes, felicitatem et magnificentiam ostendat et communicet, itaque eos beet, et ineffabili gaudio repleat. Hoc est quod huc alludens, totidem, imo pluribus verbis de eadem ait S. Joannes Apoc. 21. 3: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.*

Secundo, quod sit mons sanctus quia sublimis est ejus felicitas, æque ac sanctitas, quod S. Joannes Apoc. 21. 10. ait: *Et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum.*

Tertio, quod sit Jerusalem sancta; quod sanctus Joannes ibidem ait: *Et ostendit mihi civitatem sanctam, Jerusalem descendentem de cœlo à Deo.* Dicitur *Jerusalem*, id est, visio pacis; quia in visione Dei Beati fruentur pace summa, amplissima et æterna, puta bonorum omnium affluentia: hanc enim Hebræis significat pax. Dicitur sancta, quia in cœlesti Ecclesia non est macula vel ruga, ut ait Apost. Ephes. 5. 27; sed plena puritas, plena integritas, perfecta sanctitas. Unde de ea subdit: *Et alieni non transibunt per eam amplius.* Alludit ad alienigenas, puta Tyrios, Sydonios, Philisthæos, Chaldæos, Romanos, qui profanarunt et vastarunt Jerusalem, q. d. Pari modo Ecclesiam militantem polluerunt, vexarunt et afflixerunt Pagani, Saraceni, hæretici, impii; sed eam translatam in cœlum, et triumphantem non polluent, nec affligent amplius. Huic parallelum est quod Joannes Apoc. 21. 27: *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens.* Tropol. Hugo Victor. *Jerusalem*, ait, *id est Ecclesia, est sancta, in Sacramentis, in præceptis, in judiciis, in consiliis, in promissis. Sacramenta siquidem ejus sunt sine fæce, præcepta sine mole, judicia sine lite, consilia sine zelo, promissa sine fuco fallaciæ, sine zelo invidiæ, sine lite controversiæ, sine mole angariæ, sine fæce concupiscentiæ. Est ergo sancta, cujus est contemplativus intellectus, cœlestis affectus, spiritualis sensus, angelicus actus.*

Quarto, quod in ea *stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte, et per omnes rivos Juda ibunt aquæ, et fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum.* Huic respondet quod ait Joannes Apocal. 22. 1: *Et ostendit mihi fluvium aquæ vitæ splendidum tanquam crystallum procedentem de sede Dei et agni; et ex utraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem gentium.*

Quinto: *Et Judæa in æternum habitabitur, et Jerusalem in generatione et generationem.* Huic æquipollet id quod ait Joannes cap. 21. 16: *Civitas in quadro posita est;* et vers. 18: *Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide;* et c. 22. 5: *Nox ultra non erit, etc. quoniam Dominus illuminabit eam, et regnabunt in secula seculorum.*

18. Stillabunt montes dulcedinem,] q. d. Tunc in montibus illis cœlestibus, puta in Sione cœlesti, quæ sita est et fundata in montibus tum cœli empyrei, tum æternitatis et divinitatis SS. Trinitatis, implebitur illud toties de terra sancta lacte et melle manante promissum, ac decantatum; hoc est, tunc Beatis in cœlo vita erit jucundissima, omnibus bonis et deliciis affluens, et omnes *rivi Juda*, id est, omnes potentiæ, omnes vires, omnes sensus, omnia ora, omnes linguæ Sanctorum Deo confitentium et laudantium (hos enim hebr. significat Juda) manabunt, scilicet perennibus aquis laudis, gratiarum actionis et jubili, æque ac voluptatum et bonorum omnium.

Symbolice, à Castro per *montes* accipit tres personas divinas, quæ creatis omnibus totoque mundo eminent, quasi divini montes. Ex his enim omne genus suavitatis profluet in terram illam viventium, qua inebriabuntur omnes Beati, et colles beatorum spirituum fluent candidissimum lac cognitionis, et puritatis angelicæ, atque per omnes rivos, puta per cæteros beatos homines, fluent aquæ gaudiorum, quia omnes affluent Dei possessione et fruitione. Hoc est quod ait Psaltes psal. 35. 9: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente* (non scypho, non poculo, sed torrente) *voluptatis tuæ potabis eos.* Torrens, ait ibidem S. August. tum impetum, tum copiam voluptatis significat: *Quo-*

niam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.

Tropolog. Hugo Victor. *Montes, ait, sunt contemplationum sublimia, colles innocentiæ opera: rivi pœnitentiæ exercitia, dulcedo est perfecta dilectio, lac est sancta devotio, aqua devota compunctio; in illa ergo die, hoc est, in illa unionis felicitate, sponsa per gaudium contemplationis dulcedinem accipit perfectæ dilectionis; à qua descendens, et ad seipsam rediens affluit lacte devotionis: unde sese præ amore supernorum crucians, immergitur aquis compunctionis, indeque egrediens per pœnitentiam exercetur asperam. Post hæc ad innocentiæ trahitur opera, demum ad contemplationis avolat fastigia, dicens: Quid enim mihi est in cœlo, et à te quid volui super terram?*

Et fons de domo Domini (de throno Dei) egredietur.] Fons hic, sive, ut S. Joan. Apoc. 22. 1. vocat, fluvius procedens de sede Dei et agni, est profluvium bonorum, quod Deus emanat et effundit in Beatos per suî visionem beatificam, uti dixi Apoc. 22.

Et irrigabit torrentem spinarum.] Nota primo. Pro *torrentem* hebr. est נחל *nachal*, quod significat vallem angustam, indeque torrentem, qui per eam decurrere solet. Unde *torrens* hìc metonymice pro valle tali capitur, et Symmach. vertit, *vallem;* sed maluit Interpres vertere *torrentem* quàm vallem, ut persistat in metaphora fontis, et ejus exuberantiam ostendat. Nam, ut ait S. Bernard. in Meditation. cap. 4: *In torrente illius voluptatis nihil ultra appetet cumulata satietas, tanta erit felicitas. Ibi siquidem erit cumulus felicitatis, supereminens gloria, et superabundans.*

Secundo, pro *spinarum* hebr. et chald. est *Settim*, illudque quasi nomen proprium in latina Versione retinent Lyranus et Vatablus, item Syrus et Arabicus uterque; sed Theodot. Symmachus et Noster vertunt, *spinarum;* Septuag. *funiculorum;* Nazianz. orat. 40. in S. Baptisma, *juncorum.* Audi S. Hieron. *Septuag. transtulerunt torrentem funiculorum, id est,* χειμαρρον των χοινων, *quod aut funiculum significat, aut juxta Ægyptios mensuram certi itineris. In Nilo enim solent naves funibus trahere certa habentes spatia, quæ appellant funiculos, ut labori defessorum recentia trahentium colla succedant.* Torrens ergo funiculorum est torrens hæreditarius, quem scilicet funiculis dimetiuntur, et inter hæredes, puta cœli cives, dividunt. Porro *Settim* locus est trans lacum Asphaltitem in Moab, sex milliaribus distans à Liviade urbe, ubi filii Israel fornicati sunt, coluerunique Beelphegor, ideoque à Deo cæsi sunt, Num. 25. 1. Ibi arbores nascentes à loco dictæ sunt *settim*, erantque hæc ligna settim imputribilia, et, ut vertunt Septuag. Exodi 25. 5, ασηπτα. Unde Hebræi censent ea fuisse optimum cedrorum genus. Erant enim levissima, fortissima, solidissima, pulcherrima, et tam graves arbores, ut latissima ex illis tabulata cæderentur, ait S. Hieron. quocirca ex illis facta erat arca testamenti, tabernaculum, ejusque vasa, uti dixi Exodi 25. 5. Noster hìc et Isaiæ 41. 10. *settim* vertit *spinam*, non quod spina sit, sed quod spinæ albæ colore et foliis sit similis. Minus ergo verisimile est quod censet Lyran. *Settim* esse *Cettim*, id est Græciam, unde egressus dicitur Alexander Magnus 1. Machab. 1. 1; nam *Settim* per *samech*, *Cettim* per *caph* scribitur, et longissime distat à Jerusalem. Nec placet quod ex R. Saadia scribit Arias, torrentem Settim esse torrentem, qui in Jordanem influit juxta urbem Settim. Nemo enim chorographorum hujus torrentis, vel urbis meminit.

Ex dictis patet hæc omnia non carnaliter, ut sonant, sed mystice esse accipienda; nec enim ullus unquam fuit, vel erit fons, qui de Jerusalem egrediatur, et tanto terrarum tractu transmisso effundat se in campestria Moab, ubi est torrens et vallis Settim. Vallis ergo Settim, æque ac arca et tabernaculum, facta ex lignis Settim, significant locum Beatorum in cœlo empyreo, quem Deus in sua amœnitate, deliciis et pulchritudine in æternum conservabit; quia jugiter velut fons perennis in illum, æque ac incolas ejus, puta in Beatorum animas et corpora influet perpetuum virorem omnis gratiæ et gloriæ, ut fiant settim, id est immortalia et imputribilia, ac candicantia ut spinæ; instar fluvii irrigantis et fecundantis paradisum, qui perennem ei virorem et fructus amœnissimos afferebat, Genes. 2. 6. Ita Rupert. Lyranus, Ribera, Emmanuel et alii. Vide dicta Apocal. 22. 1. et 2.

Alleg. S. Hieron. in apolog. ad Pammachium pro lib. adversus Jovin. in fine: *Christus, inquit, virgo, mater virginis nostri, virgo perpetua, mater et virgo, etc. Hortus conclusus, fons signatus, de quo fonte ille fluvius manat juxta Joel, qui irrigat torrentem vel funium, vel spinarum; funium peccatorum, quibus ante alligabamur: spinarum, quæ suffocant sementem patrisfamilias* B. Virgo ergo est fons, ex quo manavit fluvius, id est, Christus irrigans torrentem funium et spinarum, id est, peccatorum et vitiorum nostrorum.

Hinc mystice Nazianz. loco citato, per hunc fontem accipit baptismum; S. Hieron. hìc gratiam Spiritus Sancti, quæ à Deo promanans, ex terra cordis spinas vitiorum evellit, et pro eis virtutes quasi arbores fructiferas inserit, ut spinas nostras ait S. Hieron. *Et vitia atque peccata quæ nullam frugem habuere justitiæ, commutent in Domini novalia, et ariditatem nostram rigent aquis largissimis, et pro spinis et vepribus flores virtutum multiplices germinemus, et in eo loco ubi quondam fornicatus est Israel, et initiatus est Beelphegor* (deo obscenitatis) *lilia castitatis, et rosæ pudoris ac virginitatis exuberent.* Sic et Remigius, Hugo, Arias.

Unde Hugo Victor. Torrens, ait, spinarum est impetus, fervor et crudelitas gentium. Porro fons de domo egressus torrentem spinarum rigavit, quando per Apostolos et eorum successores Evangelica doctrina Gentilem populum à crudelitate convertit, fide initiavit, et ad baptismi gratiam perduxit.

Quæres cur *Settim* significet locum Beatorum? Resp. primo, quia in Settim fuit ultima mansio Hebræorum in deserto, Num. 33. 49. ubi Settim vocatur Abelsatim, ex qua proxime ingressi sunt Hebræi in terram promissam. Unde in eam ex Settim exploratores misit Josue cap. 2. 1. Sicut ergo terra promissa typus erat cœli, sic et ei vicinum Settim.

Secundo, quia in Settim, ut patet Num. 25. 1, Israel benedictus fuit à Deo per Balaam, magnificis multisque benedictionibus, quæ recensentur Num. 23 et 24, qui fuit typus, simili mo-

do Sanctos in cœlis benedicendos à Deo omni benedictione cœlesti.

Tertio, quia Balaam Num. 24. 5. inter alias benedictiones, quas Deo afflatus Israeli imprecatur, affert hanc : *Quàm pulchra tabernacula tua Jacob, et tentoria tua Israel, ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas! Fluet aqua de situla ejus, et semen illius erit in aquas multas.* Quæ optime conveniunt mystico Israeli et Settim, id est, cœlitibus et cœlo, eoque videtur hîc alludere Joel, dum ait : *Per omnes rivos Judæ ibunt aquæ, et fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum,* hebr. *settim.* S. Gregentius Archiepisc. Thephrensis disputat. cum Herbano Judæo, tom. 4. Biblioth. SS. Patrum legit : *Torrentem juncorum;* et per *fontem* hunc accipit *inenarrabile illud gaudium et lætitiam inexplicabilem, et fruitionem, et odoris suavitatem Spiritus Sancti, quæ ex ipso præpotente Deo ineffabiliter et perenniter manat, et rigabit sanctorum agmina, et cor ipsorum tremenda illa et incomparabili suavitate implebit.* Hæc comparantur juncis; quia sicut junci, utpote sicci et fungosi, sitiunt et bibunt aquam copiosam; ita Sancti sitiunt et bibunt pelagus divinæ voluptatis, juxta illud : *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

Quarto, ligna settim imputribilia significant corpora Beatorum impassibilia. Rursum, sicut arca et tabernaculum compacta erant ex tabulis settim ; sic Ecclesia cœlestis compaginabitur ex sanctis et electis Dei : arca enim existens in Sancto sanctorum, habens super se propitiatorium quasi thronum Dei, et utrimque Cherubinos, Ecclesiæ cœlestis typum gessit.

Quinto, in Settim Phinees suo zelo occidens fornicantes, placavit Deum, expiavit scelus populi, et maledictionem plagamque ei à Deo immissam vertit in benedictionem, Num. 25. 7. Ita Christi zelus, quo abolevit peccatum, et ab eo suos expiavit, in cœlo settim, id est spinas mortalitatis, et maledictionem laborum et dolorum, à Deo Adæ et posteris inflictam Genes. 3. 18, convertet in benedictionem gaudiorum et bonorum omnium.

Sexto, in Settim Balaam dixit et prædixit de Israele : *Orietur stella ex Jacob.* Stella est Christus, qui licet corporaliter ortus et natus sit ex Jacobæis, sive Israelitis in Bethlehem, tamen spiritualiter et gloriose orietur ex eis, imo præ eis post resurrectionem, quasi sol in cœlo, illuminans et beans omnes veros Israelitas : stellæ enim proprius locus est cœlum, non terra.

Denique juxta Settim, puta in Cades, Moses è petra elicuit fontem aquarum decurrentem per solitudinem, forte per Settim, Numer. 20. 11. Rursum, Num. 21. 16. Deus dedit Mosi et Hebræis puteum aquarum, cui ipsi accinuerunt : *Ascendat puteus, puteus quem foderunt principes, et paraverunt duces multitudinis in datore legis et in baculis suis.* Ad hæc loca et aquas hasce videtur alludere hîc Joel in hisce rivis Juda, et fonte Dei irrigante Settim; præsertim quia Chaldæus et alii censent petram illam Moysis, ejusque fontem aquarum comitatam fuisse Hebræos per Settim, aliaque deserti loca, illudque velle Apostolum, 1. Cor. 10. 4. cum ait : *Bibebant autem de spirituali consequente eos petra.* Vide dicta Num. 21. v. 19. Pari enim modo fons ille aquarum viventium ubique comitabitur Beatos in cœlo empyreo.

19. Ægyptus in desolationem erit, et Idumæa in desertum perditionis.] Nominat *Ægyptum*, quia ipsa superstitionis et idololatriæ fuit inventrix et magistra, ideoque Judæis et animo infesta, et exemplo ac vicinia sua noxia, utpote pelliciens eos ad suum Apim : hunc enim Jeroboam expressit vitulis aureis, quos in Dan et Bethel erexit, populoque quasi numina adorandos proposuit. Nominat *Idumæam,* quia perpetuo fuit æmula et hostis populo Dei, scilicet Judæorum. Unde Edom vel Idumæa hebr. idem est quod terrena et cruenta : Misraim, id est, Ægyptus, idem est quod angustians, coarctans, tribulans, ait S. Hieronym. sed sub his per synecdochen cæteras gentes idololatras, infideles et impias intelligit, q. d. Ægyptii, Idumæi et eis in impietate similes cæteræ gentes perdentur, earumque regiones tot peccatis pollutæ desolabuntur, atque ipsi ibunt in tartara in die judicii, cum Judæi, id est, fideles confitentes et laudantes Deum, salvabuntur ibuntque in Sion cœlestem.

20. Judæa in æternum habitabitur.] Patet hoc de terrena Judæa, ut volunt Judæi, non intelligi. Nam hæc in fine mundi pariter suum habebit finem, et quia S. Script. promittit Judæis, æque ac aliis gentibus, post hanc vitam, et post resurrectionem in fine mundi regnum æternum et gloriosum in cœlis. Ergo necesse est hæc accipere de Judæa et Jerusalem cœlesti, uti pluribus ostendi vers. 17. Cœlum ergo empyreum dicitur Judæa, id est, confessio et laus Dei, quia in eo jugiter Sancti Deum laudant laudabuntque in æternum; et ut ait Tobias cap. 13. 22 : *Per vicos ejus alleluia cantabitur.* Et Psaltes psalm. 83. 5 : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Hoc enim est otiosum eorum negotium, et negotiosum otium.

Idem cœlum, vel potius pars et civitas cœli, in qua simul quasi cives degent Beati, fruentes Deo et Christo, vocatur Jerusalem, id est, visio pacis, id est, possessio bonorum omnium, totiusque æternitatis, quin et ipsius Dei ac sanctissimæ Trinitatis; hæc enim erit sors et hæreditas æterna Sanctorum. Ibi enim Deus erit omnia in omnibus, juxta illud Sapientis :

Te cernere finis,
Principium, rector, dux, semita, terminus idem.

Tropol. Hugo Victor. *Judæa*, inquit, *et Jerusalem in æternum habitabuntur; Judæa confessio, Jerusalem dicitur pacis visio. Mens enim devota et perfecta, vel ad suî descendens cognitionem delicta confitetur Deo per humilitatem compunctionis, vel ad Dei ascendens cognitionem, per gratiam contemplationis sublimatur ad visionem pacis; et tunc in voce exsultationis et confessionis sonus in ea fit epulantis : nunquam fidelis anima deserit Judæam, quia vel compuncta confitetur scelera, vel devota gratias agit propter gratiæ munera, vel sublimata eructat hymnum recipiens præmia.*

21. Et mundabo sanguinem eorum, quem (male Complutens. legunt *quos*) non mundaveram.] Rabbini, ut R. Abraham et R. Kimchi, ex Hebræo sic vertunt et explicant, *et mundabo,* id est, spoliabo Ægyptios suis opibus; easque dabo Judæis in adventu Messiæ : at *sanguinem eo-*

rum (ab eis injuste in Judæa effusum) *non mundabo*, q. d. Non condonabo eis cædes et strages Judæis illatas, sed ob eas illos morte puniam. Verum hiulca et torta est hæc versio et explicatio. Nam *τὸ sanguinem eorum* pertinet ad *mundabo*, quod præcessit, non ad *non mundabo*, quod sequitur. Ergo supplendum est in Hebr. de more relativum אשר *ascer*, id est *quem*, sicque cum nostro vertendum: *Et mundabo sanguinem eorum* (puta Judæorum et Hierosolymitanorum, de quibus proxime fuit sermo, id est, fidelium et electorum meorum), *quem non mundavi.*

Jam tripliciter id exponi potest. Primo, q. d. Sanguinem, id est homicidia, et quævis alia scelera (horum enim symbolum in Script. est sanguis) quæ ante passionem Christi, et ante adventum Spiritus Sancti non mundavi, eo adveniente in Pentecoste emundabo: lustrationes enim et cæremoniæ veteris testamenti corpus tantum abluebant, et conscientiam non emundabant, Hebr. 9. 9. Ita S. Hieron. et Arias, qui putant Joelem redire ad effusionem Spiritus Sancti, de qua dixit cap. 2. 28. aut, ut Haymo, q. d. Peccata quæ electi in hac vita perpetrarunt, nec plene emendarunt, ego in morte, vel post mortem in Purgatorio expiabo, ut mundati cœlum ingredi possint. Aut, ut Ribera, q. d. Auferam peccata, et pœnam sanguinis Christi et Apostolorum à Judæis, quem ipsi olim sibi imprecati sunt, dicentes: *Sanguis ejus super nos et super filios nostros*; nam sub diem judicii convertentur Judæi ad Christum.

Secundo, et melius Lyran. et Dionys. *Mundabo*, id est, mundum declarabo sanguinem servorum meorum, ab Ægyptiis et Idumæis, aliisque tyrannis quasi immundum, et reum damnatum et effusum, quod antea non declaravi. Hebr. enim נקה *nicka* significat mundare, innocentem declarare, absolvere et eximere. Unde Marinus in Lexico hunc locum ita vertit: *Absolvam sanguinem quem non absolveram*; Syrus et Arabicus uterque: *Ulciscar sanguinem eorum, et non parcam*; qui enim non absolvit reum, ei non parcit, si sit judex, uti hic est.

Tertio et genuine, q. d. In die judicii *mundabo*, id est, ulciscar sanguinem fidelium meorum, injuste ab Ægyptiis aliisque impiis effusum, quem antea non sum ultus: quo facto *Dominus*, Christus, *commorabitur*, et gloriose cum suis fidelibus regnabit perpetim *in Sion* cœlesti. Unde Chald. Septuag. Syrus et Arabicus uterque pro *mundabo* vertunt, *vindicabo*. Hanc enim vindictam petunt animæ Sanctorum dicentes: *Usquequo, Domine, sanctus et verus, non judicas et vindicas sanguinem nostrum*, Apocal. 6. 10. Ita S. Hieron. Theodor. Remig. Hugo et à Castro. Plane enim respicit ad sanguinem de quo paulo ante dixit: *Pro eo quod inique egerint* (Ægyptii et Idumæi) *in filios Juda, et effuderint sanguinem innocentem in terra sua.* Nec mireris *mundare sanguinem* significare vindicare sanguinem. Nam phrasi Script. terra, recipiens sanguinem innocentem et injuste effusum, eo ipso censetur pollui fierique immunda, à qua pollutione et immunditie mundatur et expiatur, dum à judice et vindice puniuntur et plectuntur homicidæ qui eum effuderunt, ut patet psalm. 105. 39: *Infecta est terra in sanguinibus.* Jerem. 2. 24: *In alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum*, q. d. Ob sanguinem fusum immunda es, ergo per vindictam emundabo te. Sic Salomon ait Banaiæ 3. Regum 2. 31: *Amovebis sanguinem innocentem qui effusus est à Joab, à me, et à domo patris mei; amovebis*, vindicando ejus homicidia, quibus occidit Abner et Amasam, eumque pari modo occidendo. Ezech. 7. 23: *Terra plena est judicio*, id est reatu, *sanguinum.* Isaiæ 26. 2: *Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum, et revelabit terra sanguinem suum, et non operiet ultra interfectos suos*; ad quem locum videtur alludere hîc Joel: idem enim dicit. Hac de causa jubebat Deus Judæis ut, invento cadavere alicujus occisi, magistratus urbis vicinæ pro expiatione terræ offerret vitulam, Deuter. 21. 3. Vide ibi dicta. Clarissime vero Ezechiel cap. 24. 6: *Væ*, ait, *civitati sanguinum! etc. Sanguis enim ejus in medio ejus est, super limpidissimam petram effudit illum, etc. ut superinducerem indignationem meam, et vindicta ulciscerer, dedi sanguinem ejus super petram limpidissimam, ne operiretur.* Quod explicans vers. 13: *Immunditia*, ait, *tua execrabilis, quia mundare te volui, et non es mundata à sordibus tuis; sed nec mundaberis prius, donec quiescere faciam indignationem meam in te*, donec scilicet vindictam exeram in te; vindicta ergo sanguinis et scelerum est eorumdem emundatio et expurgatio.

Dices: Hoc sensu potius mundatur terra, quàm sanguis innocentium in terram effusus. Respond. utrumque mundari. Nam sicut terra excipiens sanguinem injuste effusum censetur polluta, ita pariter sanguis ipse injusta et impia hac suî effusione censetur violatus, maculatus et pollutus, tum quia vis ei facta est, et injuria ac læsio illata: tum quia maculam nominis et famæ apud homines incurrit; damnatus enim et effusus est quasi noxius et reus: unde talem eum homines æstimarunt. Jam per vindictam utraque hæc macula tollitur; nam et injuria talione sarcitur, et infamia tollitur vindicta, qua declaratur ejus innocentia hoc ipso, quo Deus juste eum vindicat. Hac enim vindicta Deus declarat nocentes esse eos qui eum effuderunt, ac consequenter ipsum fuisse innocentem, et injuste ab eis effusum.

Notent hoc principes et judices, scilicet se, dum puniunt homicidas et sontes, emundare sanguinem innocentium qui clamat vindictam in cœlum, ac simul expiare terram suam eo pollutam, ejusque vindictam divinam à suo capite et domo avertere. Ad hæc se, innocentibus occisis, quasi Manibus justa persolvere et parentare; ac divinæ justitiæ et vindictæ placabilem et gratissimam hostiam offerre. Denique se imitari, imo prævenire judicium rigidum Christi, quo omnes omnino sontes plectet in valle Josaphat. Porro cogitent se non tantum sanguinem fusum, sed et fundendum emundare; dum enim homicidas plectunt, terrent maleficos, eorumque audaciam, iras et rixas frenant, itaque multas multorum cædes inhibent. Nam, ut ait Apostolus: *Magistratus non sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit*, Rom. 13. 4. Meminerint oraculi divini intentati Achab regi: *Quia dimisisti virum dignum morte* (Benadad regem Syriæ, homicidam et hostem Israelis) *de manu*

tua, erit anima tua pro anima ejus, et populus tuus pro populo ejus, 3. Reg. 20. 42. Quippe, ut ait Seneca : *Delictorum impunitas homines audaciores facit ad malum;* et ut Cicero lib. 3. Offic. *Impunitas peccandi maxima est illecebra;* veterem enim ferendo injuriam, invitas novam. Quocirca Socrates apud Platonem lib. 2. de Legibus asserit *civitates optime gubernari, cum injusti dant pœnas.* Idem dixit Solon, teste Cicerone, ad Brutum : Theophrastus apud Stobæum cap. 41, rogatus quidnam vitam humanam conservaret ; respondit : *Beneficentia, honor et pœna.* Lycurgus apud Ciceronem, loco citato, censet Spartam omnesque resp. stare pœna et præmio. Quin et Democritus duos tantum Deos credidit, pœnam et beneficium, ait Plin. lib. 2. cap. 17. Modestius Pius IV. Pontif. emblema habuit laurum et virgam, hoc lemmate : *Pœna et præmium.* Denique Sapiens cap. 14. 7 : *Benedictum*, ait, *est lignum, per quod fit justitia.*

COMMENTARIA

IN

AMOS PROPHETAM.

ARGUMENTUM.

S. Epiph. in vita Amos, et Clemens Alexand. lib. 1. Strom. censent Amos fuisse patrem Isaiæ; ipse enim c. 1. 1. vocat se filium Amos. Verum hunc Amos alium esse ab Amos patre Isaiæ docent S. Hieron. S. Basilius in c. 1. Isaiæ, S. Augus. 18. Civit. cap. 27, Isidorus in vita Amos et alii. *Amos Propheta*, inquit S. Hieronym. *non est ipse quem patrem Isaiæ Prophetæ legimus. Ille enim* אמוץ *amots scribitur per primam litteram aleph et ultimam tsade, et interpretatur fortis atque robustus ; hic vero* עמוס *amos per ain et samech, et interpretatur populus avulsus ;* et mox : *Fuit de oppido Thecue, quod sex millibus ad Meridianam plagam abest à sancta Bethlehem, quæ mundi genuit Salvatorem, et ultra nullus est viculus, ne agrestes quidem casæ et furnorum similes, quas Afri appellant mapalia. Tanta est eremi vastitas, quæ usque ad mare Rubrum, Persarumque et Æthiopum, atque Indorum terminos dilatatur. Et quia humi arido atque arenoso nihil omnino frugum gignitur, cuncta sunt plena pastoribus, ut sterilitatem terræ compensent pecorum multitudine. Ex hoc numero pastorum et Amos Propheta fuit, imperitus sermone, sed non sapientia. Idem enim qui per omnes Prophetas, in eo Spiritus sanctus loquebatur:* Ita S. Hieronymus. De solo arido dissentit S. Cyrill. qui censet Thecue fuisse irriguam, ideoque compascuam : *In qua,* ait, *gentes quàm plurimæ pascunt pecudes ; est enim propter amplitudinem, irrigationem, herbarumque diversitatem, ad ovium greges alendos percommoda.* Fuit ergo Amos rusticus et armentarius, indeque à Spiritu Sancto qui humiles exaltat, evectus ad prophetiam, æque ac David, et alii quos recenset Nazianzen. orat. 25. et S. Gregor. homil. 30. in Evang. Hinc crebro sumit similitudines à rure. Fabulantur R. Salomon et R. David terram Thecue, utpote olivarum fertilem, progenuisse viros sapientes; regiones enim oleis abundantes gignere viros sapientes, ideoque Amos locum originis nominare Thecue, ut inde liqueat ejus sapientia. Verum hæc eorum de more fabella est, forte à Gentilibus hausta, qui Minervam, quæ Dea est sapientiæ, faciunt olivæ inventricem, juxta illud Virgil. Georg. 1 :

> Adsis, ô Tegææ pater, oleæque Minerva
> Inventrix.

In hoc deserto Thecue, ubi vixit Amos, vitam egerunt postmodum multi miræ sanctitatis monachi, qui à Saracenis sunt interfecti, uti narrat Cassian. Collat. 6. c. 1.

Amos apud Septuag. et in codice Vaticano secundus est inter duodecim minores Prophetas, et proxime sequitur Osee; illi enim fuit coævus, cum eoque prophetavit: cœpit enim prophetare anno 25. Oziæ, uti ostendam cap. 1. v. 1. Verum Hebræi, æque ac Latini, ponunt tertium ; secundum enim collocant Joel.

Argumentum Amos est: directe prophetat ad Israel, id est, ad decem Tribus ; sed obiter quoque ad Judam aliasque gentes : utrique captivitatem prænuntiat, Israeli Assyriacam, Judæ Babylonicam. Incusat Israelis scelera, ac nominatim immisericordiam, quod fratres egenos ope et opibus non adjuverit, sed vendiderit et oppresserit; ac tandem more Prophetarum læta tristibus subjungens, promissione Messiæ, qui libertatem, pacem, felicitatem, et quasi aureum seculum sit allaturus, Israelitas consolatur.

Prophetam Amos luculenter citat S. Stephanus disputans contra Judæos, Actor. 7. 42. Isidorus in vita Amos scribit eum prophetasse sub Amasia rege Juda, ab eoque percussum, et ab ejus filio Ozia vecte transfixum et occisum. Verum lapsus est memoria, et deceptus identitate nominum Amasiæ et Oziæ. Nam hic Amasias, percussor Amos, non fuit rex, sed sacerdos idolorum in Bethel, ut patet Amos 7. 10. Idipsum patet ex chronologia : Amos enim cœpit prophetare, non sub Amasia rege, sed sub filio ejus Ozia, ut ipse ait cap. 1. 1. Ita Epiphan. in vita Amos, Rom. Martyrol. 31. Martii, Torniellus in Annal. anno mundi 3208 et alii passim. Amos, inquit Adrichom. in Descriptione terræ sanctæ, in Bethel prophetans contra Israelem, vecte per tempora transfixus, in Thecua ex dolore exspiravit, cujus sepulcrum ibi adhuc ostendebatur ætate S. Hieron. uti ipse scribit hìc cap. 1. et in Jerem. cap. 6. et in Locis Hebr. Sed audi ipsum S. Hieron. *Amos aliquantulum exorsus est prophetare antequam Isaias* (unde et Eusebius in Chronico, Amos æque ac Osee, præponit Isaiæ) *maxime autem contra decem Tribus locutus est, pauca de duabus interserens. Hunc ablatum de numero pastorum misit Dominus, ut in Samaria prophetaret, quem Amasias sacerdos* (vitulorum in Bethel) *frequenter in plagis affixit ; tandem filius ejus Osee vecte per tempora transfixit. Post hæc semivivus in terram suam devectus, post aliquot dies dolore vulneris exspiravit, sepultusque est cum patribus suis.*

Eadem habentur in Romano Martyrolog. 31. Martii, ubi Amos Sanctorum Catalogo quasi Martyr ascriptus legitur, Thecuæque sepultus dicitur. Eadem habent Isidorus, Dorotheus, ac

Epiphan. in vita Amos, qui et causam martyrii addit : *Quod ipsum* (Osee) *de insidiis duarum juvencarum ex auro suggillasset*, puta, quod eum ob cultum vitulorum aureorum, quibus seducebat populum, increpasset. Arias censet Amos per biennium duntaxat prophetasse, scilicet quod præcessit terræ motum, et lepram Oziæ regis, ob quam regno est amotus, de quo c. 1. v. 1; idque valde probabile esse censet Sanchez. Verum incertum est an illi duo anni c. 1. v. 1. tantum initium prophetiæ Amos, an totam ejus prophetiam spectent.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Damasco ob tria et quatuor scelera, præsertim eo quod sævierit in Judæos, excidium intentat. Idem facit Gazæ v. 6. et Tyro v. 9. et Idumææ v. 11. et Ammonitis v. 13.

1. Verba Amos, qui fuit in pastoribus de Thecue : quæ vidit super Israel in
diebus Oziæ regis Juda, et in diebus Jeroboam filii Joas regis Israel, ante
duos annos terræ motus. 2. Et dixit : Dominus de Sion rugiet, et de Je-
rusalem dabit vocem suam : et luxerunt speciosa pastorum, et exsiccatus
est vertex Carmeli. 3. Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Damas-
ci, et super quatuor non convertam eum : eo quod trituraverint in plaustris
ferreis Galaad. 4. Et mittam ignem in domum Azael, et devorabit domos
Benadad. 5. Et conteram vectem Damasci, et disperdam habitatorem de campo idoli, et tenen-
tem sceptrum de domo voluptatis; et transferetur populus Syriæ Cyrenem, dicit Dominus.
6. Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Gazæ, et super quatuor non convertam eum;
eo quod transtulerint captivitatem perfectam, ut concluderent eam in Idumæa. 7. Et mittam
ignem in murum Gazæ, et devoravit ædes ejus. 8. Et disperdam habitatorem de Azoto, et te-
nentem sceptrum de Ascalone; et convertam manum meam super Accaron : et peribunt reliqui
Philisthinorum, dicit Dominus Deus. 9. Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Tyri, et
super quatuor non convertam eum : eo quod concluserint captivitatem perfectam in Idumæa, et
non sint recordati fœderis fratrum. 10. Et mittam ignem in murum Tyri, et devorabit ædes
ejus. 11. Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Edom, et super quatuor non convertam
eum : eo quod persecutus sit in gladio fratrem suum, et violaverit misericordiam ejus, et tenue-
rit ultra furorem suum, et indignationem suam servaverit usque in finem. 12. Mittam ignem in
Theman : et devorabit ædes Bosræ. 13. Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus filiorum
Ammon, et super quatuor non convertam eum : eo quod dissecuerit prægnantes Galaad, ad
dilatandum terminum suum. 14. Et succendam ignem in muro Rabba ? et devorabit ædes ejus
in ululatu in die belli, et in turbine in die commotionis. 15. Et ibit Melchom in captivitatem,
ipse, et principes ejus simul, dicit Dominus.

1. In pastoribus.] Ita legunt Roman. Chald. Symmachus et V. editio, q. d. Amos fuit unus è pastoribus Thecue. Minus recte Aquila vertit ἐν ποιμνοτρόφοις, id est, in pastoralibus (et ita legunt Biblia Plantini, ac textus S. Hieron. in Comment.) quia tunc subaudire et supplere oportet substantivum *locis*, vel *opilionibus*. Septuag. retinent nomen Hebraicum, quasi proprium loci, vertuntque : *Qui facti sunt in Accarim*, quia pro ד legerunt ר, puta pro נקדים *nokedim*, נקרים *naccarim*. Unde in Septuag. pro *Accarim* legendum videtur *naccarim*. Quare perperam Theodot. et alii legunt *Cariathiarim*; Complut. *Accarpi*. Putant aliqui Amos non fuisse pastorem, sed mercatorem gregibus divitem, qui sub se plures haberet suorum gregum pastores, qualis fuit Abraham, Job, et Mesa rex Moab 4. Reg. 3. 4, qui in Hebræo vocatur נוקד *noked*, æque ac vocatur Amos hoc loco. Verum idipsum refellit Amos c. 7. 14. dicens : *Armentarius ego sum vellicans sycomoros, et tulit me Dominus, cum sequerer gregem;* fuit ergo Amos bubulcus, vel, ut S. Hieron. ait, opilio. Uterque hebr. vocatur *noked* (unde *nekoda* Esdræ c. 2. v. 48, id est *Nicodemus*, ait Marinus in Lexico), id est punctator, inustor, hoc est, armentarius

et pastor, qui pecudes suas propriis notis, punctis vel maculis inurit, ut eas ab alienis secernat, omnibusque constet eas esse suas. Radix enim נקוד *nakod* significat punctum, stigma, maculam, quæ pecudi inuritur vel imprimitur. Unde S. Isidorus in vita Amos : *Amos*, inquit, *pastor et rusticus, etc.*

Moral. disce hîc quod infirma mundi eligat Deus, ut confundat fortia; virtus enim Dei in nostra infirmitate perficitur, 1. Cor. 12. 9. Spiritus enim sanctus tam potens est, ut inopes, ignorantes et miseros evehat ad summam scientiam, dignitatem et gradum. Audi S. Gregor. hom. 30. in Evang. *Ecce*, ait, *David, Amos, Danielem, Petrum, Paulum, Matthæum intueor, et sanctus iste Spiritus qualis sit artifex, considerare volo, sed in ipsa mea consideratione deficio. Implet namque citharœdum puerum, et psalmistam facit. Implet pastorem armentarium sycomoros vellicantem, et Prophetam facit. Implet abstinentem puerum, et judicem senum facit. Implet piscatorem, et prædicatorem facit. Implet persecutorem, et doctorem Gentium facit. Implet publicanum, et Evangelistam facit. O qualis est artifex iste Spiritus! nulla ad dicendum mora agitur in omne quod voluerit. Mox enim ut tetigerit mentem, docet; solumque tetigisse docuisse est. Nam humanum animum subito ut illustrat, immutat, abnegat hoc repente quod erat, et habet repente quod non erat.*

De Thecue.] Urbs erat Judææ, ex qua oriunda fuit mulier sapiens et diserta, quam Joab misit ad Davidem, ut Absaloni reditum ab exsilio impetraret, quæ inde dicta est Thecuitis, 2. Reg. 14. 4. *Thecua*, inquit Adrichom. in Descript. terræ sanctæ, *civitas est in monte sita, uberrimis abundat pascuis, distat à Bethlehem milliaribus* (leucis, quarum quæque continet tria millia passuum; distabat enim à Bethlehem sex millibus passuum, uti initio dixi ex S. Hieron.) *duobus. Hanc Roboam munivit ædificiis, de hac fuit Amos pastor.* Ait Guilliel. Tyrius lib. 8. belli sacri, cap. 1 et 15, *etiam fuisse domicilium Prophetæ Habacuc. Est autem nunc Thecua vicus, ait S. Hieron. in nono ab Ælia milliario, contra Meridionalem plagam.*

Mystice, *Thecua* hebr. idem est quod clangor tubæ, vel buccinæ; quia, ut ait S. Hieron. *verba Amos, quo tempore populus Israel avulsus erat à Domino, et aureis vitulis serviebat, sive avulsus à regno stirpis David, clara voce cecinerunt instar clangentis tubæ.* Amos enim hîc classicum canit Chaldæis ad invadendum et puniendum Israelem; unde et nomine suo prophetat. Amos enim idem est quod populus avulsus, ut quoties Israelitæ eum nominarent, meminissent se esse Amos, id est, populum à Deo et à Davidis domo avulsum.

Quæ vidit (quæ revelatione divina accepit: hæc enim revelatio et prophetia vocatur *visio*, vel verbum Domini, de quo plura Isaiæ 1. 1.) super Israel.] Potest verti *contra Israel;* sed melius *super Israel*, quia Amos non tantum adversa, sed et prospera Israeli prænuntiat : *Primus Osee*, ait S. Hieron. *prophetat ad decem Tribus, quæ appellantur Ephraim, Samaria, domus Joseph, et Israel. Secundus Joel ad Jerusalem et duas Tribus, nullam omnino Israelis faciens mentionem. Tertius Amos nequaquam ad Jerusalem, quæ regebatur à Tribu Juda, sed ad Israel et in Samaria prædicat.* Idipsum patet ex cap. 7. 10. ubi dicitur : *Misit Amasias sacerdos Bethel ad Jeroboam regem Israel, dicens : Rebellavit contra te Amos in medio domus Israel, non potest terra sustinere universos sermones ejus. Hæc enim dicit Amos : In gladio morietur Jeroboam, et Israel captivus migrabit de terra sua. Et dixit Amasias ad Amos : Qui vides, gradere, fuge in terram Juda, et comede ibi panem, et prophetabis ibi, et in Bethel non adjicies ultra ut prophetes.* Obiter tamen Amos etiam de aliis gentibus, ac de Juda quasi per contentionem et oppositionem prophetat; cum illis enim confert, componit, et opponit Israelem.

In diebus Oziæ regis Juda,] qui alio nomine Azarias dicitur : *Quando*, inquit S. Hieron. *apud Assyrios regnabat Sardanapalus, de quo insignis orator. Turpior, ait, vitiis quàm nomine; et apud Latinos Procas Sylvius, cui Amulius, expulso Numitore germano, successit in regnum; quo interfecto, congregata pastorum et latronum manu, Romulus sui nominis condidit civitatem.* Ergo sub initia Romæ prophetavit hæc Amos. Porro Ozias dictus est Azarias, id est, auxilium Dei; quia adjuvit eum Deus, ut occiso à rebellibus patre, regnum paternum occuparet, et victorias illustres contra Philisthinos, Arabes et Ammonitas obtineret, uti narratur 2. Paral. 26. vers. 7. et 16. Dictus est Ozias, id est fortitudo Dei, eadem de causa, vel quia, ut ait S. Hieron. fortitudine Dei percussus fuit lepra, cum usurpans sacerdotium obtulit incensum.

Et in diebus Jeroboam.] Hic Jeroboam non est filius Nabath, qui peccare fecit Israel, erectis vitulis aureis; sed filius Joas, filii Joatham, filii Jehu, ac consequenter pronepos ejusdem Jehu, sub quo prophetarunt Osee, Joel et Amos, ait S. Hieron.

Nota ex 3. Reg. 14. 23. Jeroboam cœpit regnare anno 15. Amasiæ patris Oziæ, et regnavit 41 annis, Amasias vero regnavit 29 annis; desiit ergo Amasias regnare et vivere anno 15. Jeroboam. Successit Amasiæ filius Ozias; sed quia puer erat trium duntaxat annorum, per tutores administratum est regnum per 13 annos, usque ad annum 27. Jeroboam : illo enim anno per se regnare cœpit Ozias, vel Azarias, cum jam 16 esset annorum, et regnavit deinceps 52 annis, uti dicitur 4. Reg. 15. 1. Unde sequitur ultimis 14 annis, quibus in Israel regnavit Jeroboam, regnasse in Juda Oziam; sic ut ultimi anni 14. Jeroboam coincidant cum annis primis 14 regni Oziæ, quibus necesse est prophetasse Amos. Ita Arias et Ribera hîc. Melius alii, ut Torniellus in Annal. Cajet. in 4. Reg. 15. et à Castro hîc negant hoc interregnum inter Amasiam et Oziam, censentque eumdem annum Jeroboam nunc vocari 15, nunc 27; quia scilicet annus hic erat decimus quintus ab eo tempore, quo ipse post mortem patris solus regnavit; idem erat vigesimus septimus, sed ab eo tempore quo, vivente adhuc patre, ab eo creatus rex, cum eo regnare cœperat; quo fit ut hi 27 anni inchoandi sint ab anno 4. Joas, patris Jeroboam, quo ipse à patre regni consors factus, cum eo regnavit 11 annis. Ex qua sententia sequitur Jeroboam cum Ozia regnasse non tantum 14, sed 27 annis, uti fusius dixi Isaiæ 7. 8; unde et Amos, regnantibus Ozia et Jeroboam, prophetavit hoc anno 25. Oziæ, puta duobus annis ante terræ motum, qui contigit anno 27. Oziæ, uti jam ostendam. Favet Eusebius in Chronico, dum ad annum 17. Oziæ, et

sequentes annotat : *Prophetabant apud Hebræos Osee, Amos, Isaias, Joel et Jonas Prophetæ.*

ANTE DUOS ANNOS TERRÆ MOTUS.] Hujus terræ motus meminit et Zachar. c. 14. 5. dicens : *Fugietis sicut fugistis à facie terræ motus in diebus Oziæ regis Juda.*

Quæres : Quis, quando et qua de causa fuit hic terræ motus? Primo, Lyran. secutus R. Salomonem, et Arias censent esse illum de quo in visione Isaiæ cap. 6, cum scilicet ipse vidit Deum sedentem in throno, et Seraphinos illi acclamantes *Sanctus*, dicitur : *Et commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantium, et domus repleta est fumo.* Verum obstat primo, quod hæc fuerit visio imaginaria, Isaiæ menti objecta, non autem realis terræ motus; secundo, quod hæc fuerit imaginaria concussio templi et cœli (in templo enim cœlesti residebat Deus) non terræ; tertio, quod illa visio contigerit anno quinquagesimo secundo Oziæ, quo ipse mortuus est, ut ait Isaias; tunc autem non regnabat, nec vivebat Jeroboam, utpote qui mortuus sit anno 14. vel potius 27. Oziæ, uti paulo ante ostendi. Respondet Lyran. visionem illam Isaiæ contigisse eo anno quo mortuus est Ozias morte, non naturali, sed civili, scilicet cum percussus lepra ob usurpatum officium sacerdotale, templo, et hominum convictu regnoque ejectus est, ac pro eo filius ejus Joathan regni administrationem suscepit. Unde Chald. vertit : *In anno quo percussus est Ozias.* Verum τὸ *mortuus*, ad litteram mortem naturalem non civilem significat, uti cæteri omnes Interpretes docent; qui proinde communiter censent visionem illam Isaiæ exhibitam fuisse anno 52. et ultimo Oziæ.

Dico ergo hunc terræ motum contigisse anno 27. Oziæ, ac consequenter Amos hæc prophetantem biennio ante terræ motum, prophetasse ea anno 25. Oziæ. Unde ab hoc anno 25. Oziæ, et ab hac prophetia Amos, Isaias cap. 7. 8. computat 65 annos, post quos regnum Israelis evertendum prædicit. Nam præcise 65 anni fluxerunt ab anno 25. Oziæ, usque ad annum 6. Ezechiæ, quo ab Assyriis eversa est Samaria et regnum Israel, uti ostendi Isaiæ 7. 8. Hæc sententia est communis Doctorum et Interpretum, puta Hebræorum, S. Hieronymi, Cyrilli, Remigii, Procopii, Ruperti, Hugonis, Lyrani, Clarii et aliorum. Accedit fere Torniellus et alii Chronologi, qui hunc terræ motum censent contigisse anno 25. Oziæ, ac consequenter Amos biennio ante, puta anno 23. Oziæ, cœpisse prophetare.

Porro iidem omnes, excepto Torniello, et uno alterove, secuti Josephum lib. 9. Antiq. 11. addunt hunc terræ motum contigisse ob fastum Oziæ regis, quo ipse victoriis et secundis rebus inflatus, arrogavit sibi munus sacerdotale, obtulitque incensum in altari thymiamatis. Hunc enim regis fastum Deus tribus plagis, æque ac portentis punivit, ait Josephus. Nam primo, mox ut rex sacerdotibus, prohibentibus eum aditu altaris, minatus est mortem : *Ecce ibi terra vehementer concutitur ;* secundo : *Fisso superne templo, radiis solis os regis ferit, quod è vestigio lepra contactum est;* tertio : *Eodem terræ motu ante urbem, in loco qui dicitur Eroge, dimidium montis ad Occidentem vergentis revulsum, per quatuor stadia volutum, objectu demum Orientalis montis constitit, obstructa via publica, et oppressis ruina hortis regiis.* Hæc Josephus, et alii jam citati ex ipso. Vide hîc obiter quàm acriter Deus superbos, præsertim sacrilegos et sacra invadentes, puniat. Accessit quarta plaga, quod rex lepra tactus templo et regno ejectus, usque ad mortem vitam privatam et separatam, juxta legem egerit; quocirca regnum administravit filius ejus Joathan. Hæc Script. et Josephus.

Censent ergo Auctores citati anno 27. Oziæ eum adolevisse incensum, ideoque percussum lepra, et terræ motu perculsum, è templo et regia secessisse, ac vixisse privatum per annos 25, puta ad annum 52 quo mortuus est, successitque ei filius Joathan, qui tum erat 25 annorum. Unde sequitur Joathan natum esse eodem anno 27, quo Ozias pater percussus est lepra. Quare necesse est dicere Oziam per optimates deinceps regnum administrasse, donec Joathan adolesceret et regeret; quod quia nusquam legimus : hinc aliqui de tota hac re dubitant, putantque hunc terræ motum ad peccatum et lepram Oziæ non pertinere, sed alio tempore, aliaque de causa accidisse, præsertim quia Josephus loco citato innuit Oziam pauco duntaxat tempore fuisse leprosum. Ait enim : *Et cum aliquandiu privatus extra urbem vixisset, filio Joathamo remp. administrante, mœrore tandem confectus obiit anno ætatis sexagesimo tertio, regni quinquagesimo secundo.* Unde Torniellus in Annal. censet Oziam lepra percussum anno 48 regni sui, cum jam Joathan filius ejus 16 esset annorum, ut pro eo regnum administrare posset. Favet tamen priori sententiæ tot Auctorum jam dictæ, quod ipsa apposite combinet et conciliet Amos cum Isaia cap. 7. 8, ex eaque liquet Amos hæc prophetasse 65 annis ante excidium Samariæ, puta anno 25. Oziæ. Favet etiam quod Script. 2. Paral. 26. vers. 16. et 21. indicet Oziam, citius lepra percussum, longiore tempore leprosum vixisse. Ait enim vers. 16 : *Cum roboratus esset* (quod factum est victoriis, quas contra Philisthinos, Arabes et Ammonitas primis viginti quinque, ut videtur, annis obtinuit, ut ibidem dicitur vers. 6. et seq.) *elevatum est cor ejus in interitum suum, et neglexit Dominum Deum suum, ingressusque templum Domini adolere voluit incensum ;* et vers. 21 : *Fuit igitur Ozias rex leprosus usque ad diem mortis suæ, et habitavit in domo separata plenus lepra, ob quam ejectus fuerat de domo Domini;* ubi verba *usque ad diem mortis ;* et, *habitavit ;* et, *ejectus fuerat,* indicant diutinam fuisse ejus lepram et separationem. Favet tertio, quod videatur Deus insolescentem jam Oziam voluisse præmonere per Isaiam et Amos, ne imitaretur scelera et sacrilegia regum Israel, qui per se et sacerdotes à se constitutos offerebant incensum suis diis, puta vitulis aureis in Dan et Bethel, 3. Reg. 13. 1. et 33; alioqui sciret se regno ejiciendum, sicut ob idem peccatum post 65 annos exscindendum erat regnum Israel cum suo rege. Vicissim, ut reges Israel visa post biennium punitione et ejectione Oziæ ob usurpatum sacerdotium, conjicerent sibi idem eventurum, verasque esse prophetias et comminationes excidii, quas Amos et Isaias eis intentarunt. Atque hæc videtur esse causa, cur Amos et Isaias tam præcise tempus suæ prophetiæ consignent ; Amos dicendo : *Ante duos annos terræ motus ;* Isaias : *Adhuc sexaginta anni, et desinet Ephraim esse populus.* Favet quarto, quod de alio terræ

motu, et diverso ab hoc Oziæ, nec in Script. nec apud Josephum, Josippum, Eusebium, aliosque Historicos quidquam legamus. Ergo non videtur fuisse alius quàm hîc Oziæ.

Denique Amos, uti nomine suo (Amos enim hebr. idem est quod *populus avulsus*, ut dixi) ita et hoc terræ motu significat motum animorum Israelis, quo ipse avellens se à Deo et a regno David, schisma et divortium fecerat, erigens colensque vitulos aureos, eaque de causa, tunc, uti et aliàs sæpe, hunc terræ motum Deus immisit, ut simul minaretur terræ et populo, ejusque exsilium et excidium portenderet. Ita anno Domini 458. Antiochia, cum Nestorii schisma et hæresim amplexa est, ingenti terræ motu conquassata est, uti narrat ex Marcellino Baronius. Eodem Pontica regio ob Eutychetis hæresim concussa est anno Domini 499, ut idem narrat ex Theodoro Collectan. lib. 2. Ob eamdem hæresim anno Domini 518 in Dardania assiduo terræ motu viginti quatuor castella uno momento collapsa sunt, et ex iis duo cum omnibus, alia cum multis habitatoribus demersa; ac paulo post eodem anno Anastasius Imper. Eutychianus fulmine à Deo ictus interiit. Ita Marcellin. in Chronico. Ita cum S. Joannes Chrysost. in exsilium pulsus est, Constantinopolis terræ motu contremuit, quo cubilis imperatorii pars collapsa est. Unde territus Imperator, misso notario, eum revocavit ut plane constiterit *propter justum suum Dominum commovisse terram*, ait Pallad. in Dial. et Theodoretus lib. 5. cap. 33. Hucusque titulus Prophetæ, nunc orditur suam prophetiam, aitque :

De Sion rugiet,] quasi dicat : Deus verus, cujus in Sione (non autem in Dan et Bethel, uti vos, ô Israelitæ, imo idololatræ, falso præsumitis) est templum, solium et oraculum ex propitiatorio à Cherubinis sustentato ; hic, inquam, Deus potens et acer sui templi, cultusque et sanctitatis vindex, per me, perque Osee, Isaiam, aliosque Prophetas, ex Sione et Judæa à se missos, instar leonis rugiet, dum horribilem vastationis et excidii sententiam contra impios Israelitas, aliasque vicinas gentes, ob varia earum scelera per nos proferet et proclamabit. Simili sensu ait Isaias cap. 31. vers. 4 : *Quomodo si rugiat leo et catulus leonis super prædam suam, etc. sic descendet Dominus exercituum ut prælietur super montem Sion.* Et vers. 9 : *Dixit Dominus, cujus ignis est in Sion, et caminus ejus in Jerusalem*, quasi dicat : Deus qui in Sione residet, ibique igne sacro et sacrificiis colitur, inde quasi leo rugiens exsiliet gravis ultor in hostes suos, puta in impios, qui ejus cultum et numen vel idololatria, vel aliis sceleribus violarunt. Ita S. Hieron.

Luxerunt (id est lugebunt) speciosa pastorum,] scilicet pascua ; per quæ metaphorice intelligit speciosas urbes et palatia, æque ac agros et prata Judææ, q. d. Sicut, leone rugiente, aufugiunt pastores cum gregibus, ideoque pascua deserta ac desolata lugere et squalere videntur, ita, Deo rugiente et per Chaldæos sæviente contra Israelitas aliasque gentes, omnes eorum speciosæ urbes et domus, æque ac agri et campi vastabuntur et desolabuntur, cæsis, vel abductis eorum incolis et cultoribus, ita ut mœrere et lugere videantur. Sicut enim metaphorice agri et prata ridere dicuntur, dum florent; ita et lugere, cum desolantur. Ita Remig. Hugo et Vatablus, ac S. Hieron. qui notat Amos, utpote pastorem, apposite uti metaphoris desumptis à pascuis : *Naturale est*, inquit, *ut omnes artifices suæ artis loquantur exemplis, et unusquisque in quo trivit ætatem, illius similitudinem proferat, v. g. Qui nauta est et gubernator, tristitiam suam comparat tempestati, damnum naufragium vocat, inimicos suos ventos contrarios appellat. Rursum, prosperitatem et lætitiam auroram placidissimam et secundos nominat ventos, tranquilla maria et æquora. E regione miles quidquid dixerit, scutum, gladium, loricam, galeam, lanceam, arcum, sagittam, mortem, vulnus et victoriam sonat. In ore Philosophorum semper Socrates, Plato et Aristoteles, Oratores, Gracchos et Catones, Tullios et Hortensios in cœlum laudibus ferunt, etc. Sic et Amos qui pastor fuit, non in locis cultis, sed in lata eremi vastitate, in qua versatur leonum ferocitas, et interfectio pecorum, artis suæ usus est sermonibus ; ut vocem Domini terribilem, rugitum leonum et fremitum nominaret, eversionem Israeliticarum urbium pastorum solitudini, et ariditati montium comparans.* Hoc est quod vulgo dicitur :

Navita de ventis, de bobus narrat arator.

Et Eccl. 38. 26 : *Qui tenet aratrum, et qui gloriatur in jaculo, stimulo boves agitat, et conversatur in operibus eorum, et enarratio ejus in filiis taurorum, etc.* Denique Arabicus Antioch. vertit : *Contristati sunt pastores gregum;* Arabicus Alexandr. *Lugent pascua pastores, quia exsiccatum est caput Carmeli.*

Exsiccatus est vertex Carmeli.] *Duo*, ait S. Hieronym. *sunt montes hoc nomine. Alter, in quo fuit Nabal Carmelus, maritus Abigail ad Australem plagam*, 1. Reg. 25. *Alter juxta Ptolemaidem, quæ prius vocabatur Acho, mari imminens, in quo Elias Propheta flexis genibus pluvias impetravit. Si ergo de Carmelo dicit in quo habitavit Nabal, magis pastorum gregibus convenit; quia est juxta solitudinem. Sin autem de illo qui vicinus est littori, ad reges, et ad superbiam pertinet regni Israel, quos imminente captivitate instar montium desertorum dicit esse vastandos.* Uterlibet ergo Carmelus hic accipi potest, et uterque fertilis in proverbium abiit, estque symbolum fertilitatis, abundantiæ et lætitiæ. Unde lingua Punica, sive Arabica, quæ Hebrææ vicina est, adhuc hodie in Bætica, amœnissimæ et pulcherrimæ villæ vocantur *Carmenes*, ait Delrio adagio 970. Commodius tamen accipias de priore, qui pascuorum et pastorum erat ; ab eo enim Amos, utpote pastor, pastoritiam duxit similitudinem. Sensus ergo est quasi dicat : Israelis, et vicinarum gentium Carmeli, id est, villæ, agri, vineæ, pascua, opes, copia et gaudium disperdentur per Chaldæos. Rursum, in voce *vertex* notantur reges regumque arces, palatia, horti et villæ ; et symbolice potentia, imperium et gloria destruenda à Babyloniis. Unde Chald. vertit : *Desolabuntur habitacula regum, et desertum fiet præsidium arcium illorum.* Accedit Theodor. qui per *verticem* accepit tum Jerusalem, quæ erat caput et vertex Judææ, tum Samariam, quæ erat vertex Israelis, sive decem Tribuum, Isaiæ 7. 8 et 9. Denique Albert. et Hugo censent hîc ad litteram prædici siccitatem, sterilitatem et famem Israeli et gentibus impiis immittendam et infligendam à Deo.

Porro *Carmelus* hic non tantum notat agros et opes Judææ, sed et aliarum gentium ; omnis

enim ager et locus fertilis, dives et speciosus, proverbialiter vocatur *Carmelus.* Id ita esse patet ex sequentibus; nam hanc propositionem: *Dominus de Sion rugiet, etc. et luxerunt speciosa pastorum, et exsiccatus est vertex Carmeli*, initio quasi thema propositum, sic in sequentibus explicat, de Damasco vers. 4. dicens: *Et mittam ignem in domum Azael, et devorabit domos Benadad.* Speciosa ergo pastorum, et vertex Carmeli Damasci, sunt domus Azael et Benadad. Et de Gaza vers. 7: *Mittam ignem in murum Gazæ, et devorabit ædes ejus.* Speciosa ergo pastorum, et vertex Carmeli Gazæ, sunt murus et ædes ejus. Et de Tyro vers. 10: *Mittam ignem in murum Tyri, et devorabit ædes ejus.* Speciosa ergo et Carmelus Tyri sunt murus et ædes ejus. Idem de Idumæa dicit vers. 12. et de Ammon vers. 14. et de Moab. cap. 2. vers. 2. et de Juda cap. 2. vers. 5. et de Israel cap. 2. vers. 6. 13. et 15.

3. HÆC DICIT DOMINUS: SUPER TRIBUS SCELERIBUS (perperam Arabicus Antioch. vertit, *regionibus*, vel *climatibus*) DAMASCI, ET SUPER QUATUOR NON CONVERTAM EUM.] Incipit Amos à minis, quas Deus gentibus Israeli inimicis intentat, eo quod Israelem afflixerint. Primo, ut ex hostium suorum vindicta sciat Israel se Deo suo curæ et cordi esse; secundo, ut ex pœna infidelium, puta Damascenorum, Gazensium, Tyriorum, Idumæorum, Ammonitarum et Moabitarum, suam, puta fidelium, æstimet. *Si* enim *in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* ait Christus Lucæ 23. 31.

Quæres primo: Quid sibi vult τὸ *super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor?*

Vatablus, Clarius, Emmanuel et Mariana per tria et quatuor accipiunt septem, id est, plurima scelera Damasci, q. d. Damascus nullum facit finem peccandi, sed jugiter scelera sceleribus accumulat; si tantum bis aut ter peccasset, pepercissem illi; nunc quia non cessat, sed alia aliis jugiter addit, non parcam ei. Septenarius enim in Script. symbolum est multitudinis et universitatis, ex eo quod septem diebus Deus omnia crearit, Gen. 1. et septem diebus hebdomadæ jugiter recurrentibus decurrant omnes dies omniaque tempora. Sic dicitur Ecclesiastæ 11. 2: *Da partem septem, nec non et octo*, id est, omnibus indigentibus distribue partes panum et eleemosynarum. Proverb. 24. 16: *Septies*, id est frequenter, *in die cadit justus.* Zachar. 3. 9: *Super lapidem unum septem oculi*, id est, multæ excubiæ. 1. Reg. 2. 5: *Donec sterilis peperit septem*, id est, multos filios. Psalm. 118. 164: *Septies in die laudem dixi tibi.* Hic sensus videtur planus; tria enim et quatuor faciunt septem, præsertim quia repetit τὸ *super*, dicens: *Et super quatuor;* ergo hæc quatuor scelera alia sunt à tribus quæ præcesserunt; si alia, ergo juncta tribus prioribus faciunt septem. Melius alii censent hîc quatuor tantum Damasci scelera denotari; τὸ enim *quatuor* id est quod *quartum*, ut vertit Syrus et Arabicus; Hebræi enim sæpe numeros cardinales sumunt pro ordinalibus. Exempla sunt in hac eadem voce Proverb. 30. 15: *Tria sunt insaturabilia, et quartum* (hebr. וארבע *vearba*, id est, *et quatuor*) *quod nunquam dicit: Sufficit.* Et vers. 18: *Tria sunt difficilia mihi, et quartum* (hebr. *vearba*, id est, *et quatuor*) *penitus ignoro.* Similia sunt vers. 21. et 29. Porro hac phrasi utuntur ad auxesin, ut significent quarti eminentiam super tribus quæ præcesserunt. Ita S. Hieron. Theodor. Remig. Haymo, Hugo, Lyranus et alii. Simile est illud Virgilii, ecloga 3:

> Triste lupus stabulis, maturis frugibus imber,
> Arboribus venti, nobis Amaryllidis iræ.

q. d. Quartum et ultimum, puta iræ Amaryllidis nobis sunt tristissimæ. Et Theocritus idyl. lib. 8. ex quo more suo id mutuatus est Virgil. *Arboribus metuendum malum tempestas, aquis cœnum, avibus laqueus, feris agrestibus retia; viro autem teneræ virginis amor*, q. d. Virginis amor præ cæteris omnibus viro metuendus est; quia illi eripit cor et mentem. Tale est illud Proverb. 30. 16: *Tria sunt insaturabilia, et quartum quod nunquam dicit: Sufficit; infernus, et os vulvæ, et terra quæ non satiatur aqua; ignis vero nunquam dicit: Sufficit*, q. d. Ignis omnium maxime est insaturabilis. Et Proverb. 6: *Sex sunt quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus*, puta *eum qui seminat inter fratres discordias*, q. d. Hunc maxime odit Deus.

Sensus ergo est, q. d. Super tribus sceleribus Damasci, et maxime super quarto irascor, nec parcam, sed puniam illam; quodnam sit hoc quartum explicat dicens: *Eo quod trituraverint in plaustris ferreis Galaad.* Similiter explicat quartum scelus Gazæ vers. 6. et quartum Tyri vers. 9. et quartum Idumææ vers. 11. et quartum Ammon vers. 13. et quartum Moab cap. 2. 1.

Quæres, secundo, quænam sint hæc quatuor scelera Damasci? Rursum, an hic numerus scelerum sumendus sit definite, an indefinite? Definite accipiunt Rupertus, Albertus, Lyranus, Dion. Palacius et Arias, qui censent tria scelera esse idololatriam, incestum, homicidium: Albertus vero, esse rapinam, mulctam et gladium, quibus Damasceni persecuti sunt et afflixerunt Israelitas. Quartum vero exprimit Propheta dicens: *Eo quod trituraverint in plaustris ferreis Galaad.* Verum tria priora non exprimit Propheta; quocirca illa ex cerebro Interpretum conficta videntur.

Dico ergo tria et quatuor hîc indefinite sumi, et significari plurima scelera Damascenorum; quæ ipsi perpetrarunt sub Asael rege, tum contra Hebræos, tum contra alias gentes, 4. Reg. 8. Ternarius enim familiaris est S. Scripturæ, et primus est numerus multitudinis; hinc ejus est symbolum: *Tria enim sunt omnia, et ipsum ter in omnem partem se effundit*, ait Aristot. lib. 1. de Cœlo, cap. 1. Intellige *omnia*, non sola, sed prima; nec enim unitas, nec duo, faciunt omnia, sed mox ut sunt tria, si ea singula adsint, dicimus adesse omnia. Unde S. Chrysost. hom. 41. in Matth. explicans illud cap. 13. 33: *In farinæ satis tribus:* Tria, inquit, sata sunt multa. Quando vero ternario unitas additur, ut fiat quaternarius, tunc maxima multitudo, quæ communem et ordinariam superat, significatur. Sic Virgil.

> O terque quaterque beati,

id est plurimum beati, imo beatissimi. Et Seneca in Hippolyto: *O terque quaterque prospero fato dati.* Hinc et Deus vocatur *ter maximus, ter felix, ter sanctus.* Causa et origo hujus rei et phrasis est, increatus ternarius, puta ipsa Sanctissima Trinitas; hæc enim est sanctissima, fe-

licissima, maxima, ac omnia, imo infinita bona in se complectitur, eaque ternariis à se creatis communicat, ideoque mentibus hominum, etiam Gentilium S. Trinitatem ignorantium, inseruit hanc augustam de ternario opinionem, ut cum Arist. lib. 1. de Cœlo cap. 1. censerent ternarium esse principium multitudinis, eoque in arcanis uterentur, quasi sacratiore, quod vehementior atque efficacior ad omnia putaretur, uti ait Plin. lib. 18. cap. 3. et Macrob. lib. 1. Satur. cap. 6. Hinc priscis ternio absolutissimus et sacer erat, adeo ut quidquid ter dictum aut factum esset, id ratum et efficax haberetur. Hinc et Galli per *tres*, id est ter, significant superlativum, puta summum et maximum in suo genere, ut *tres-bon*, id est optimus; *tres-sage*, id est sapientissimus, *tres-riche*, id est ditissimus, etc. Insuper *ternarius ad quascumque controversias dirimendas maxime idoneus est, ut qui principium, medium et finem in se contineat*, ait Dion. Halicar. lib. 3. Quocirca Plutarch. tract. de Pythag. discip. tradit unitatem à Pythagoræis Apollinem nuncupari, dyada (id est dualitatem) litem et audaciam, triada justitiam et virtutem, quæ est medium duorum vitiorum. In ternario enim, aiebant, ipsum unum est medium, quasi centrum et numen, quo æqua distributio regitur, et ad quod quasi finem refertur; hinc ternarius est quasi circulus, et complexio omnium; in ternario enim est principium, medium et finis; unde et tria sunt omnia. Et prisci Theologi ut designarent principium, medium et finem referenda esse in Deum, tria in sacrificiis offerebant. Et tria posita sunt à Philosophis in cultu Dei; adoratio propter reverentiam; thus ob distributionem suavissimæ cognitionis divinæ, et cœlestium ac terrestrium virtutum; hymnus secundùm Pythagoram, propter concentum cœli. Hinc Nicomachus: *Ter, ait, libant, et ter sacrificant, qui vota sua petunt à Deo consummari.* Theocritus idyl. 2:

> Ter libo, ter et hæc pronuntio mystica verba.

Virgil. 4. Georg. de sacrif. Oceani:

> Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam:
> Ter flamma ad summum tecti subjecta reluxit.

Ovid. 3. Fast.

> Ter caput irrorat, ter tollit ad æthera palmas.

Idem dicunt alii passim. Seraphini ter clamant: *Sanctus, sanctus, sanctus*, Isaiæ 6.

Tres sunt virtutes Theologicæ, quibus Deum colimus: fides, spes, charitas. Tres partes pœnitentiæ, quibus eum conciliamus: contritio, confessio, satisfactio. Tria opera bona, quibus eum demeremur: oratio, jejunium, eleemosyna. Arithmetica docet ternarium in qualibet re inveniri. Mundus enim est triplex: scilicet angelicus, corporeus, humanus. Anima tres habet potentias: intellectum, memoriam, voluntatem. Tres sunt Angelorum hierarchiæ, et in singulis tres ordines. Tria eorum officia: purgare, illuminare, perficere. Triplex eorum cognitio: matutina, quæ est in Verbo; vespertina, quæ est rerum in se; meridiana, quæ est aperta Dei visio. Castitas triplex: virginalis, vidualis, conjugalis. Cœlum triplex: empyreum, sidereum, aereum. In sole sunt tria: substantia, radius et lumen; sic in Deo, qui est Sol increatus, sunt tres personæ, Pater, Filius et Spiritus Sanctus. In omni re sunt tria: essentia, virtus, operatio; vel entitas, species, ordo. In compositis est materia, forma et unio. Tres sunt aeris regiones: infima, media, summa. In arbore et planta sunt tria: folia, flores, fructus. Ita in rebus omnibus SS. Trinitas suî vestigia posuit, ex quibus eam agnosceremus et contemplaremur. Tres in homine sunt spiritus: animalis, vitalis, naturalis. Tres animæ vegetativæ operationis: nutritio, augmentatio, generatio. Bonum est triplex: utile, delectabile, honestum. Tres rerum sunt ordines: naturæ, gratiæ, gloriæ. Tres præcipuæ corporis partes: venter, cor, cerebrum. Tres causæ artificiales et artificum: efficiens, formalis, finalis. Philosophia triplex: Ethica, Physica, Mathematica. Syllogismi tres sunt propositiones: Major, Minor, Conclusio. Triplex lex: naturæ, Mosis, Christi. Tres temporis differentiæ et partes: præteritum, præsens, futurum. Locus triplex: summus, medius, infimus. Triangulus tres habet angulos, æque ac lineas. Anguli sunt tres: rectus, acutus, obtusus. Quantitas corporis trina est: longitudo, latitudo, crassities. Denique omnia in ternario, puta in mensura, numero et pondere creavit et disposuit Deus, Sap. 11. v. 21. Hæc et plura Petrus Bongus lib. de Numeror. mysteriis, in ternario. Hisce ergo de causis ternarius symbolum est multitudinis, plenitudinis, perfectionis, universitatis.

Itaque sensus hujus loci est, ait S. Hieronym. q. d. *Exspectavi multo tempore, ut Damasceni de suis sceleribus agerent pœnitentiam, et ideo nolui punire peccantes, ut aliquando conversi reciperent sanitatem; verum quia tertio et quarto eadem faciunt, cogor mutare sententiam, et plagis corrigere delinquentes.* Sic et Theodor. *Quod vero*, inquit, *super tribus et super quatuor, multitudinem significat, hoc est, ut subdit, infinitas iniquitates.* Sic et Ribera, Delrio adagio 971, aliique supra citati. Hic sensus appositus est, planeque genuinus videretur, si Propheta dixisset (*super tribus et quatuor sceleribus*); sic enim dicimus: *O terque quaterque beati.* Verum quia tribus non jungit quatuor, sed potius, quatuor à tribus separat et disjungit, dicens: *Et super quatuor*; hinc magis genuinus videtur sensus, quem quæst. 1. indicavi, nimirum ut *quatuor* sumatur pro *quarto*, sensusque sit: Quia Damascus tria, id est plurima, perpetravit scelera, nec his contenta addidit quartum, præ cæteris omnibus insigne et enorme, hac de causa indigna plane est venia, ideoque non parcam, sed plectam eam. Aut ut à Castro, q. d. Cum semel, iterum et tertio pepercerim Damascenis, quarto enormi sceleri, quod cæteris addiderunt, nequaquam parcam, sed puniam. Quartum hoc scelus est, quod subdit: *Eo quod trituraverint in plaustris ferreis Galaad.* Cur enim inter tot scelera hoc unum exprimit et subdit Propheta, nisi quia hoc quartum erat, et enorme? Idem facit, idemque ut quartum scelus Gazæ, Tyri, Edom, Ammon et Moab nominat, et taxat vers. 6. 9. 11. 13. et cap. 2. 1. Cum enim post *quatuor*, id est quartum scelus, hoc unum subjiciat, plane significat illud ipsum esse quartum. Omnino enim enorme, cæteraque omnia superans erat hoc scelus, quod inaudita crudelitate plaustris ferreis triturarent Israelitas, puta Galaaditas.

Tropolog. S. Hieron. *Primum*, ait, *peccatum est cogitasse quæ mala sunt; secundum, cogitationibus perversis acquievisse; tertium, quod mente decreveris, opere complesse; quartum, post peccatum non agere pœnitentiam, et in suo sibi complacere delicto. Hoc faciunt omnes hæretici, qui non solum cogitant et faciunt mala; sed doctrina sua quosque simplices decipiunt, et in morem Damascenorum, qui interpretantur sanguinem bibentes, eorum quos deceperint sanguinem bibunt.* Et Rupert. *Primum*, ait, *scelus est voluntas perversa, et tunc peccator moritur interius; secundum, voluntatem opere complevisse, et hoc facto mortuus est peccator, et foras elatus; sed adhuc suscitari potest, sicut illum juvenem Dominus suscitavit, qui per portam civitatis mortuus efferebatur. Tertium scelus est, opus in consuetudinem vertisse; et tunc peccator mortuus et sepultus est; sed adhuc ad vitam suscitari potest, sicut Lazarum sepultum jam quatriduanum et fœtentem Dominus suscitavit; quartum scelus est, in suo sibi peccato complacere, Deoque ad pœnitentiam revocanti, et legi ejus redarguenti superbiæ spiritu resistere. Hoc scelus diabolicum est: est enim cor impœnitens, et rebellio, ac defensio scelerum*, ideoque plane venia indignum et pene irremissibile.

Denique Hebræi nonnulli, quos sequitur Georgius Venetus in problem. S. Script. tom. 5. n. 114, censent Amos hîc significare, quod difficile convertantur ii qui quater vel pluries in idem peccatum corruunt, q. d. Super tribus sceleribus convertam eos, super quarto autem non convertam; sed ipsos sibi suisque sceleribus et consuetudini voluntariæ derelinquam. Hoc tropologicum pariter est, non litterale, ut ipsi censent.

Non convertam eum.] Aliqui codices legunt *eam*, scilicet Damascum; sed Romana, Hebr. et Interpretes passim legunt *eum*, scilicet populum: hunc enim Damascus significat; metonymice enim ponitur continens pro contento, civitas pro civibus et incolis. Hebraice est לא אשיבנו *lo ascibennu*, id est, non faciam reverti eum, non reducam eum; Vatabl. *Non revocabo eum*, scilicet furorem meum, sed effundam et complebo eum in Damasco; Septuag. *Non aversabor eos*, id est, non avertam faciem meam, inquit Theodor. à Damascenis, sed iratus firmiter illam convertam ad eos, ut iras meas in eos effundam. Unde Arab. subinde vertit: *Non revertar ab eis.* Cum enim Deus scelera alicujus ulciscitur, dicitur firmare in eum vultum suum; ex adverso David petens veniam et gratiam Dei, ait: *Averte faciem tuam à peccatis meis*, psalm. 50. 11. Verum quia nulla furoris, nec faciei Dei præcessit mentio, hinc secundo et genuine, *non convertam eum* (Damascum, id est, Damasci populum) scilicet ad me, seu ad veniam et misericordiam meam; sed eum in suis sceleribus, æque ac ira et vindicta mea, derelinquam. Unde Chald. et Pagninus vertunt: *Non parcam ei*, sed acriter puniam. Ita S. Hieron. Albertus et Hugo. Hinc Syrus vertit: *Non retraham, non reverti faciam ab eis*; Arabicus Antioch. *Non ero pœnitens super eo*; vel *non convertam eum in locum suum*, q. d. E captivitate non reducam eum in solum patrium. Huc pertinet expositio Sanchez, q. d. *Non convertam eum*, id est, non revocabo eum à morte, quæ ex judicio et decreto Dei tam certo ei eveniet, ut judicari debeat jam advenisse. Videtur ergo jam esse mortuus, quia certæ morti destinatus; ab hac ego eum non convertam, id est non reducam, non liberabo.

Tertio, Arias *ascibennu* vertit: *retribuam ei*, hoc est, scelera ejus ulciscar, sicque per interrogationem legit, et explicat: Numquid ob tria et quatuor, id est plurima, scelera non retribuam ei? omnino retribuam, et plectam eum. Arabicus Alexandrinus vertit nove: *Super tribus et super quatuor sceleribus Damasci non sum tristitia affectus*, q. d. Peccata me non affligunt, sed ipsum peccantem. Melius idem cap. 2. 1: *Non differam, non prolongabo*, scilicet vindictam.

Impertinens est Ruperti expositio: *Non convertam eum*, scilicet verticem Carmeli, ad pristinum suum virorem et fertilitatem. Erronea est R. Salomonis, qui ex hoc loco contendit tribus tantum vicibus peccatorem pœnitentem à Deo recipi, quarto non recipi. Quin et Theologi nonnulli peccatorem quandoque adeo graviter et sæpe peccare censent, ut in pœnam Deus deneget illi auxilium sufficiens ad pœnitendum; quo fit ut pœnitere et converti nequeat. Id autem fieri, cum implevit mensuram peccatorum à Deo determinatam, de qua accipiunt illud Matth. 23. 22: *Et vos implete mensuram patrum vestrorum.* Verum hoc de copioso et efficaci auxilio verum est, de sufficienti falsum; sic enim peccator non esset amplius viator, sed cum damnatis quasi damnatus, utpote privatus auxilio necessario ad salutem, sine quo impossibile est eum salvari, et necesse damnari.

Moraliter disce hîc gravem Dei esse punitionem, cum ipse peccatores non convertit, nec à peccatis revocat, sed in iis derelinquit et obdurat, uti obduravit Pharaonem; tunc enim ruunt in interitum præsentem, et æternum, uti contigit Pharaoni Exodi 7. 3. Vide ibi dicta. *Impunitas incuriæ soboles, insolentiæ mater, radix impudentiæ, transgressionum nutrix*, ait S. Bern. lib. 3. de Consid. cap. 5.

Eo quod trituraverint in plaustris ferreis Galaad.] Quartum et summum hoc est scelus Damasci, ideoque irremissibile quoad vindictam; et hoc enim Deus Damascum destinavit gladio et excidio Assyriorum, q. d. Damascus, tria, id est plurima, scelera perpetravit; ea dissimulavi, iisque adhuc pepercissem. Verum quia quartum addidit, tam crudele et horrendum; hinc ulterius non parcam, sed ultor exsurgam, in eumque desæviam, uti ipse sæviit in Israelem. Certa ergo eum manet ultio, certum excidium. Nota: Perpetua à tempore Josue fuere bella inter Syros, quorum caput erat Damascus, et Israelitas, tum ob viciniam, tum ob disparitatem fidei et morum. Syri ergo sæpe afflixerunt Israelem, dissimulante Deo; sed intoleranda fuit afflictio, qua eos plaustris ferreis triturarunt, quam proinde Deus dissimulare et decoquere non potuit. Hæc afflictio contigit sub Azael rege Syriæ, illamque ei flens prædixit Eliseus, cum ei regnum promitteret: *Scio*, inquit, *quæ facturus sis filiis Israel mala; civitates eorum munitas igne succendes, et juvenes eorum interficies gladio, et parvulos eorum elides, et prægnantes divides*, 4. Regum. 8. 12; itaque factum esse patet ibid. cap. 13. v. 3: *Attriverat*, inquit, *eos rex Syriæ*; et vers. 7: *Interfecerat eos rex Syriæ, et redegerat quasi pulverem in trituram areæ.* Unde

perspicuum est, ait Theodor. *quod Damasceni in aream quamdam mulieres Israelitides projicientes, rotis ferralis tanquam spicas crudeliter triturabant.*

IN PLAUSTRIS FERREIS.] Hebr. חרוץ *charuts* significat traham, sive tribulam, qua super segetem circumacta grana ex ea excutiuntur, teruntur et triturantur; unde et *tribula* à terendo dicta videtur. Radix enim חרץ *charats* significat stringere, excutere, concidere, excidere; Hebræi enim triturabant plaustris ferratis et dentatis, quasi tribulis. Hoc, ait S. Hieron. est genus plaustri, quod rotis subter ferreis atque dentatis volvitur, ut, excussis frumentis, stipulam in area conterat et comminuat. Unde Septuag. vertunt : *Secuerunt in serris ferreis ;* Symmach. *in rotis ferreis*; Tigur. *in rastris ferreis;* alii : *in carpentis ferratis;* Vatabl. *in tribulis ferreis.*

Aliqui hæc metaphorice accipiunt, ut hac phrasi tantum significetur acerbitas afflictionis, qua Azael afflixit Israelitas, ut eos *instar tribularum frumentum in areis triturantium, jugularet atque contereret,* inquit S. Hieron. et Clarius. Verum alii passim idipsum proprie accipiunt: tum quia idipsum Azaeli prædixit Elizeus loco citato; tum quia enormis hìc sævitia significatur, et punitur; tum quia olim victores victos, præsertim infideles, sævos et barbaros ita mulctabant. Sic David Ammonitas, eo quod legatos à se missos violassent et subsannassent, *serravit, et circumegit super eos ferrata carpenta, divisitque cultris, et traduxit in typo laterum,* 2. Regum 12. 13.

Moral. disce hìc quàm crudelitas Deo et hominibus sit exosa, quàmque Deus par pari referat, ut crudelis sit in crudeles, imo eos simili quod aliis intulerunt tormento occumbere cogat; quia crudelitas hæc justitia est, justaque vindicta. Hac de causa hìc per Amos, æque ac per Isaiam cap. 14. 29. et seq. Jeremiam cap. 47. et seq. Ezech. cap. 25. et seq. aliosque Prophetas Philisthinis, Idumæis, Tyriis, aliisque gentibus acerrima supplicia intentat, eo quod sævierint in Israelem populum Dei. Quocirca Aristoteles ad Alexand. hoc ei dat documentum: *Parce effunde humanum sanguinem; quia hoc illius est, qui novit secreta cordium.* Periander Apud Auson.

Multis terribilis caveto multos.

Cassiodorus in Ps. 10 : *Quid prodest crudelibus persequi, quos vident persecutionibus semper augeri?* Exosa et explosa fuit uxor Hannibalis, ipseque Hannibal, qui inspecta humani sanguinis fossa, pulchrum in ea spectaculum dixerunt. Ita Fulg. l. 9. c. 11. Crudeli Syllæ dixit Q. Catulus : *Cum quibus tandem victuri sumus, si in bello armatos, in pace inermes occidimus?* Ita Eutrop. in Sylla. Augustus Cæsar, audito Herodis infanticidio : *Mallem*, ait, *Herodis porcus esse, quàm filius;* porcos enim non mactabant Judæi. Ita Macrob. l. 2. Saturn. c. 4. Neroniana vox est : *Me mortuo terra misceatur incendio.* Ita Dion. Nicæus in vita Neronis. Quocirca mater Neronis Agrippina, cum ejus jussu occideretur, Centurioni ferreum stringenti ventrem ostendens, clamabat : *Hunc percute : hic est ferro fodiendus, qui portentum istud genuit.* Ita Sueton. in Nerone. Hi sunt Phalarides, Mezentii, Maximini, Timones, Diocletiani. C. Caligula frequenter exclamare solebat : *Utinam universus populus Roman. unicam cervicem haberet!* scilicet ad eam uno ictu amputandum. Ita Eutrop. Ejusdem fuit hæc vox : *Mementote mihi omnia in omnes licere.* Vitellius, occiso Othone cum suis, dum ejus asseclæ tabem cadaverum abhorrerent, dixit *optime olere occisum hostem, et melius civem.* Sed hic tandem religatis post tergum manibus, injecto cervicibus laqueo, veste discissa, seminudus in forum tractus inter ludibria, tandem apud scalas Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus confectusque est, indeque unco in Tiberim tractus. Ita Fulgos. lib. 9. c. 11. Sic misere periit Deo vindice, imo se occidit Nero. Sic et misere perierunt Caligula, Maximianus, Diocletianus, Hannibal, Herodes. Vere Thales Milesius, rogatus quid difficile unquam vidisset, respondit : tyrannum senem. Quocirca Phalaris tyrannus dicere solebat : *Ego qui expertus utrumque sum, tyrannidi malim subesse quàm præesse. Subditus enim aliorum malorum securus, unum tyrannum metuit : tyrannus autem et eos qui foris insidiantur, et illos per quos servatur.* Ita Stobæus ser. 47. Quidam tyrannycidam optans, Bruti statuæ subscripsit : *Utinam viveres!* quod opera Bruti Tarquinius ex urbe pulsus esset. Et Cæsaris statuæ hos versus subscripserunt :

Brutus quia reges ejecit, primus consul factùs est :
Hic quia consules ejecit, rex postremus factus est.

Nec multo post Cæsar à senatoribus viginti tribus vulneribus in curia confossus est. Mithridates una epistola octoginta millia Romanorum in Asia, per urbes negotiandi causa dispersa, interemit; tantamque provinciam injusto, sed non inulto, sanguine respersit. Nam à Romanis in eas angustias redactus est, ut veneno mortem sibi consciverit. Quocirca ipse cum maximo cruciatu, veneno repugnantem (ex longo ejus usu) spiritum suum tandem succumbere coegit. Sanctus Cyprianus tract. de Oratione Domin. ait homines superare bestias crudelitate : leones enim pepercerunt Danieli in lacu, in quem eum conjecerant Medi; et cum Achab persequeretur Eliam, paverunt eum corvi, 3. Reg. 17 : *O humanæ malitiæ*, ait, *detestanda crudelitas ! feræ parcunt, aves pascunt, et homines insidiantur et sæviunt.* Idem ad Demetrianum sub Decio et cum Decio ac Valeriano, persecutorem Christianorum : *Innoxios*, inquit, *justos*, *Deo charos domo privas, patrimonio spolias, catenis premis, carcere includis, bestiis, gladio, ignibus punis. Nec saltem contentus es dolorum nostrorum compendio, et simplici ac veloci brevitate pœnarum, admoves laniandis corporibus longa tormenta, multiplicas lacerandis visceribus numerosa supplicia; nec feritas, neque immanitas tua usitatis potest contenta esse tormentis : excogitat novas pœnas ingeniosa crudelitas. Quæ hæc est insatiabilis carnificinæ rabies? quæ inexplebilis libido sæviendi?* Sed et Decio vices rependit Deus, effecitque ut à Gothis acie victus, fugiens cum equo in paludem inciderit, à qua absorptus nunquam postea comparuit. Valerianum vero Sapori Persarum regi captivum tradidit, qui conscensurus equum eo pro scabello utebatur. Denique septem illi Machabæi fratres, crudeliter ab Antiocho excruciati et frixi, eidem quasi leones insultarunt, et crudelem æque necem ei quasi Prophetæ intentarunt, 2. Machab. 7. inter quos mini-

mus natu v. 31 : *Tu vero*, ait, *qui inventor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei.* Et mox : *Tu autem, ô scelesle, et omnium hominum flagitiosissime, noli extolli vanis spebus, in servos ejus inflammatus; nondum enim omnipotentis Dei, et omnia inspicientis judicium effugisti; nam fratres mei, modico nunc dolore sustentato, sub testamento æternæ vitæ effecti sunt; tu vero judicio Dei justas superbiæ tuæ pœnas exsolves.* Verus fuit vates : nam Antiochus paulo post acerrimo viscerum dolore, et fœtore intolerabili excruciatus, corrosus à vermibus, blasphemam animam dæmoni exhalavit, 2. Machab. 9.

4. Et mittam ignem im domum Azael,] puta in familiam et posteros Azael. Jam enim Azael mortuus erat, et regnabat filius ejus Benadad, de quo sequitur, ut patet 4. Reg. 13. 22. et seq. Ignem intellige, tum proprie dictum; solent enim victores, dum urbes rebelles capiunt et exscindunt, ferro flammaque in eas grassari : tum acres pœnas et efficaces strages, ac excidium gentis et regni. Hoc enim in Script. per catachresin significat *ignis*, qui omnia depascitur et in cineres redigit. Porro hæc strages Damasci facta est à Teglathphalasar rege Assyriorum, qui vocatus ab Achaz rege Juda, presso et pene oppresso à Rasin rege Syriæ, et à Phacee rege Israel, in auxilium, Damascum obsedit, cepit, excidit, Rasin occidit, Damasci cives transtulit Cyrenem, ut patet 4. Regum 15. 5. Ita S. Hier. Theod. Remig. Lyran. Arias et alii. Nominat Azael, quia is vixit, et afflixit Israelem paulo ante tempora Amos, puta sub Joachas, avo Jeroboam sub quo prophetavit Amos. Porro Deus non punivit Damascum et Azaelem statim, sed de more exspectavit, ut posteri implerent mensuram peccatorum à se vindictæ præstitutam, quod factum est tempore Rasin : unde tunc et filios, et patres in filiis punivit et evertit.

Et devorabit domos (palatia) Benadad.] Benadad hic fuit filius Azaelis, 4. Reg. 13. 24. ac proinde diversus à Benadad, qui pugnavit contra Samariam tempore Achab 3. Reg. 10. 1; illum enim occidit Azael, ejusque regnum occupavit, 4. Reg. 8. 7. et seq. Porro illo tempore multi reges Syriæ vocati sunt Benadad. Adad enim, sive Adarexer, fuit primus rex Syriæ, quem devicit David 2. Reg. 8. Ab hoc successores dicti sunt Benadad, id est filius, vel hæres et successor Adad. Jam strages hæc facta est, non sub Benadad filio Azaelis, sed sub nepote ejus Rasin, ut jam dixi.

5. Et conteram vectem Damasci.] *Vectem*, id est portas : hæ enim vectibus obserari solent. Rursum *vectem*, id est robur, ut vertit Chald. (robur enim portarum est in vectibus : hinc vectis typus est roboris), puta duces, milites, arma, animos, punitiones, annonam, quibus quasi vectibus se communierant, et invictos putabant Damasceni : sed nil horum Deo, per Assyrios oppugnanti eos, resistere valuit, imo omnia ab eo contrita, illico prolapsa corruerunt.

Et disperdam habitatorem de campo idoli.] Damascus, eique adjacens planities, vocatur hic *campus*, isque *idoli;* quia idolis abundans, iisque addictissima, inquit S. Hieron. et Theodor. Tigurina et Arias vertunt : *De valle vanitatis.* Talis et fuit Damascus : quæ vanitati dedita, ideoque, Deo puniente, excisa et evanescens, toti orbi vanitatis speculum dedit. Septuag. et Theodot. retinent vocem hebræam, vertuntque *de domo On;* Symmach. et V. editio, *de domo iniquitatis;* Aquila, *de domo inutili.* Eadem Damascus vox vocatur *domus voluptatis*, id est deliciis affluens : in qua sceptrum tenebat rex Rasin, quando ea, illo occiso, ab Assyriis eversa est. Pro *voluptatis* hebr. est עדן *eden :* unde græcum ἡδονη, id est voluptas. Hinc pro *eden* Septuag. vertere solent ἡδονη; hoc tamen loco vertunt, *Charran :* quia Eden regio, in qua situs erat paradisus terrestris, fuit in Mesopotamia et locis vicinis, in quibus sunt Charræ urbs Parthorum, ubi cæsus est Crassus Romanus, ut ostendi Gen. 2. v. 8. Porro Theodor. idipsum sic exponit, q. d. Non solum Damascum, sed et accolas omnes, et eos qui ex Charran eò habitatum commigrarunt, captivos efficiam. Complut. retinent *Eden*, sed corrupte legunt *Adan;* vel, ut Villalpando in c. 27. Ezech. 23. legit *Adam;* eo quod Eden fuerit locus Adami; ipse enim à Deo in Eden collocatus est. Hinc et Syrus vertit, *in domo Adon.* Porro Damasci regio et ditio non longe abest à Mesopotamia, in qua fuit Eden et paradisus terrestris. Rursum ipsa Damascus urbs et regio amœna est et fertilis : quocirca et ipsa suam habuit Eden urbem, vel regionem, ad quam hîc alludit Amos. Unde de hac Damascena Eden loqui Ezech. c. 27. 23. et Isaiam c. 37. 11. censet Marinus in Lexico, et alii nonnulli. Alludit ergo Amos ad Eden paradisi, et ad Adam, quem nonnulli à Deo creatum censent in Damasceno agro, ex terra rubea, indeque dictum Adam. Adam enim, vel Edom, hebr. idem est quod rubeus, vel rufus, de quo dixi Genes. 2. v. 7. q. d. Sicut Adamum ob peccata expuli ex Eden paradisi, sic Damascenos ob scelera expellam ex sua Eden, id est loco voluptatis. Addunt alii in Damasco occisum esse Abelem à Cain, indeque nomen accepisse : Damascus enim hebr. idem est quod *sanguinem bibens* (ait S. Hier. in c. 27. Ezech.) scilicet Abelis. Ita Sanchez. Sic etiamnum hodie Deus gentes suis regionibus, et privatos suis ditionibus opulentis, et viridariis, ac paradisis deliciosis expellit ob eorum crimina, præsertim illis ipsis locis commissa, uti vidimus in Belgio. Denique Arabicus vertit : *Et concidam elationem* (fastum) *de virtute* (robore) *ejus.*

Et transferetur populus Syriæ Cyrenem.] Duæ urbes dictæ fuerunt hebr. קיר *kir*, et latine Cyrene. Prima fuit in Libya, à qua denominata est regio Cyrenaica, ait S. Hieron. et Strabo l. 17. De hac ait Lucas Actor. 2. 10 : *Et partes Lybiæ quæ est circa Cyrenem.* Secunda fuit in Media. Hîc agitur non de prima, ut censuit S. Hieron. Remig. et Hugo, sed de secunda; hæc enim Assyriis erat subjecta et vicina : unde eò Syros, expugnata Damasco, transtulerunt Assyrii, 4. Reg. 16. 9; idque deserte asserit Joseph, dicens l. 9. 13 : *Teglathphalasar Damascenos* (à se victos et expugnatos) *in superiorem Mediam destinavit.*

Dicta est Cyrene ab Hebræo et Chaldæo (lingua enim Assyria et Chaldæa vicinæ sunt, et dialecti duntaxat linguæ Hebrææ) *kir*, id est paries, murus; quod egregie murata et munita esset quasi arx et propugnaculum regionis. Id ita esse patet ex Isaiæ 16. 7. ubi tertia *kir*, sive Cyrene in Moab, hebr. vocatur קיר חרשת *kir charesçet*, id est, habens muros latericios. Unde Noster vertit : *Muros cocti lateris.* Vide ibi dicta.

Sept. pro Cyrene vertunt, ἐπικλητος, id est nominatus : *Transferetur*, inquiunt, *populus Syriæ nominatus;* quia hebr. קיר *kir*, id est Cyrenem, acceperunt non ut proprium urbis, sed ut appellativum : rursum *kir* censuerunt idem esse quod קרא *kira* per *aleph*, id est vocatio, nominatio. Ita S. Hieron. Verum *kira* est femininum, non masculinum. Melius ergo Noster et alii vertunt ut proprium, *Cyrenem.*

6. Super tribus sceleribus Gazæ.] A minis et onere Damasci transit ad minas et onus Gazæ et Philisthinorum, ob tria, id est plurima, eorum scelera, et quatuor, id est quartum, scilicet quod *transtulerint captivitatem perfectam*, de quo mox. Phrasim hanc jam explicui in onere Damasci, v. 3. Porro Philisthæa quinque habuit urbes et satrapias, totidem satrapis, sive principibus subjectas. Urbium nomina sunt, Geth, ex qua natus est Goliath, quem occidit David; Accaron, Azotus, Ascalon et Gaza, quæ Judæis fuerunt infensissimæ, et perenne cum eis bellum gesserunt. Dicitur *Gazá* hebr. עזה *hazza*, vel *Gaza* (hebræum enim *ain* quia gutturale, imo pectorale, solet sæpe verti per *g*, ut patet in Gomor, Gomorrha, Phegor, in quibus pro *g*. hebr. est *ain*), id est fortis à munitione. Ita sanctus Hieron. et alii. Errat ergo Pomponius Mela l. 1. de Situ orbis, c. 11, dum ait huic urbi inditum esse nomen persicum, dicique Gazam, id est ærarium; gaza enim persice pecuniam opesque significat, eo quod Cambyses, inquit, cum Ægyptum invaderet et spoliaret, in Gazam belli opes contulerit. Nam tempore Amos, imo Mosis et Abrahæ, qui longe præcesserunt Cambysen, hæc urbs vocabatur Gaza, ut patet Genesis 10. 19. et Deuteronomii 2. 23. Illud ergo etymon Gazæ, quod affert Mela, verum esse potest de Gaza Mediæ (hæc enim Persis erat vicina) de qua Ptolem. lib. 6. c. 2. aut Æthiopiæ, de qua Ptolem. l. 4. c. 7. non Palæstinæ, ut ipse habet. Gaza postea dicta est Gazara.

Contra Gazam et Philisthæos prophetat quoque Jeremias c. 47, eisque excidium per Chaldæos intentat. Vide ibi dicta.

Tropol. S. Hieron. *Gaza*, inquit, hebr. idem est quod fortitudo, vel imperium. *Edom* est rufus, sanguinarius et terrenus. *Azotus*, vel, ut hebr. *asdod*, idem est quod ignis uberis, sive patrui. *Ascalon* idem est quod ignis homicida, sive appensa et ponderata. *Accaron* idem est quod στερεωσις, id est sterilitas; et εκριζωσις, id est eradicatio. Hisce omnibus significantur Judæi (æque ac hæretici) qui persecuti sunt fideles. Hi enim dicuntur Gazæi; quia fortitudinem scientiæ suæ, et imperium sibi repromittunt. Vocantur Azotus; quia ubera Synagogæ jam non lacte, sed igne sunt plena; et quæ mentitur ignem habere se patrui, ejus universa generatio ignibus deputanda est. Vocantur Ascalon; sicut enim ignis Domini salvos faciet eos, quorum corda penetraverit; sic ignis iste qui de cœlo decidit quasi fulgur, qui succendit diaboli sagittas, quoscumque afflaverit interficiet. Vocantur Accaron; quia steriles sunt et eradicati, juxta illud Osee 9 : *Quid dabis eis? Da eis vulvam sterilem, et ubera arentia.* Vocantur Geth, id est torcular, scilicet diaboli. Vocantur Philisthiim, id est cadentes populo : cum enim inebriati fuerint corruent, et in suo vomitu volutabuntur. Hucusque S. Hieron. Pressius Rupert. *Gaza*, ait, *sonat fortitudinem, et Judæorum designat rebellionem adversus veritatem. Azotus interpretatur ignis uberis, sive patrui; et ardentem in illis significat invidiam patris eorum diaboli, quæ exuberat in eis. Ascalon interpretatur ignis homicida, et homicidialem illorum furorem designat. Accaron, sterilitas, et inopiam illorum, quia fructum spiritus fugiunt, et paleam litteræ sectantur, significat. Philisthiim, potione cadentes, et illorum vere ebriosum hoc nomine intelligimus scandalum, juxta illud ps.* 68: *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributionem, et in scandalum : Obscurentur oculi eorum ne videant*, etc.

Eo quod transtulerint (Gazenses et Philisthæi) captivitatem perfectam, id est, plenam et absolutam, ita ut vix unum Judæum reliquerint, quem non captivum abduxerint; ut concluderent eam in Idumæa.] Vatabl. *et tradiderint eam ipsi Edom*, q. d. Philisthini omnes pene Judæos abduxerunt, eosque vendiderunt Idumæis infensissimis Judæorum hostibus, ut ibi velut æterno carcere clauderentur; sine ulla spe liberationis et libertatis, ibique agerent vitam servilem et asperam in sordidis, duris et continuis laboribus, seminudi, famelici, afflicti, oppressi. Hæc enim est perfecta captivitas. Ita S. Hieron. Theodor. Remig. Hugo, Lyran. Arias, Ribera, Sanchez et alii. Quando hanc captivitatem ex Judæa abduxerint Philisthæi, nec ex Script. nec ex Josepho liquet. Nam quod Remigius et Hugo putant eam contigisse in excidio Samariæ et decem Tribuum : alii, in excidio Jerusalem et Judææ per Chaldæos : alii, tempore Achaz 2. Paral. 28. v. 17 et 18, falluntur. Hæc enim omnia contigerunt post tempora Amos; ipse enim prophetavit sub Ozia, qui fuit avus Achaz : captivitas autem hæc ejus prophetiam antecessit, eratque jam præterita, uti ipse hic ait. Pro *perfectam* hebr. est שלמה *scelema*, id est perfecta, ut vertunt Noster, Aquila, Symmach. et Theodot. Verum Septuag. aliis punctis legentes שלמה *scelomo*, vertunt *Salomonis*. Jam captivitas Salomonis est captivitas Judæorum, qui fuerunt populus et posteri Salomonis : à rege enim tam præclaro et illustri, splendorem et claritatem populi demonstrat, inquit Theodor.

7. Et mittam ignem in murum Gazæ.] *Ignem*, id est cladem et stragem, vel etiam ignem proprie dictum. Minatur Gazæ et Philisthinis excidium per Nabuchodonosor. Hic enim Philisthæos vastavit, ut patet Jerem. 25. 20. et c. 47. v. 4. vide dicta illis locis.

Super tribus sceleribus Tyri. A Philisthæis transit ad Tyrios, eisque præter tria, id est plurima, scelera, idem quartum de Judæis in captivitatem abductis objicit, pœnamque eamdem subjicit et intentat : non convertam eum,] scilicet ad gratiam et veniam, q. d. Non parcam Tyro, sed *mittam ignem* in eam. Eadem scelera, idemque excidium per Chaldæos intentat Tyro Isaias c. 23. Ezechiel c. 27. Jeremias c. 47. 4. Vide dicta illis locis.

Eo quod concluserint captivitatem perfectam in Idumæa.] Hebr. לאדום *leedom*, id est *ipsi Edom*, q. d. Quia captivarunt omnes Judæos, eosque vendiderunt Idumæis, qui nati sunt hostes Judæorum, æque ac Philisthini; cum quibus aliisque vicinis gentibus conspirarunt in excidium Israelitarum, juxta illud psal. 82. 2 : *Adversus te testamentum disposuerunt tabernacula Idumæorum, et Israelitæ, et Gebal, et Ammon, et Amalec, et alienigenæ* (Philisthini) *cum habitantibus Ty-*

rum. Ita S. Hieron. Theodor. Lyran. Hugo et alii. Porro quando hanc captivitatem intulerint Judæis Tyrii, ignoratur, uti de Philisthinis dixi v. 6. Albert. et Vatabl. censent eam illis intulisse, quando illi fugientes è Judæa, ob invasionem Assyriorum et Chaldæorum, in Tyrum, quasi in asylum, à Tyriis capti et venditi sunt Idumæis. Remigius vero et Arias censent Judæos mercium causa venientes Tyriis comprehensos venditosque fuisse. Theodor. autem: *Externi*, inquit, *Judæ tribui vicini, continenter cum hac bellum gerentes, quos capiebant non aliis quàm Idumæis vendebant, qui illorum inimici et maximi hostes erant.*

9. Et non sunt recordati foederis fratrum,] quod scilicet Hiram rex Tyri pepigit cum Salomone rege Judæorum: illud enim tantum tamquearctum fuit, ut se invicem fratres nominarent, ut patet 3. Reg. cap. 5 et 9. Ita S. Hieron. Theodor. Hugo et Lyranus.

Aliter Vatabl. *fœderis fratrum*, id est, quod debuerat esse inter fratres, puta inter Jacob et Esau, eorumque posteros Israelitas et Idumæos, q. d. Tyrii inter fratres excitarunt odia, nimirum Idumæos concitarunt contra Judæos, dum eis Judæos quasi servos vendiderunt, Hoc scelus est ingens, mihique displicens, ideoque excidio Tyri illud puniam et vindicabo.

10. Mittam ignem in murum Tyri.] *Ignis* synecdochice, vel catachresticως quamvis pœnam, stragem et calamitatem significat, uti dixi v. 4. Hæc vastatio Tyri facta est per Nabuchodonosorem, qui post tredecim annorum obsidionem, eam expugnavit et vastavit, uti docet Ezechiel c. 29. 18. et Jeremias c. 27. 3. et c. 47. 4. Vide ibi dicta. Ita S. Hieron. Remig. Hugo, Lyran. et alii passim.

11. Super tribus sceleribus Edom.] A Tyriis transit ad Idumæos, idemque scelus persecutionis Judæorum in iis culpat et plectit. Cœpit enim hoc dissidium ab ipso Esau, qui ob erepta sibi primogenita à Jacobo, eum internecino odio persecutus est: unde factum ut odium fratrum servaretur in posteris, ait S. Hieron. nam illud cum semine propagarunt, non tam ipse, quàm nepotes ejus in posteros: quod tam acre et continuum fuit, ut psal. 136. 7. Numer. 20. 18. et alibi, acerbe de eo querantur prophetæ. Porro, quàm hoc scelus Deo displicuerit, declarat hic ipse dicens: *Quod persecutus sit in gladio fratrem suum* (alludit ad Gen. 24. 41. et magis ad Num. 20. 18. ubi Idumæi armati Israelitas ex Ægypto tendentes in Chanaan transitu prohibuerunt), *et violaverit misericordiam ejus;* Tigurina: *Corrupit viscera miserationis suæ*, quibus scilicet debebat fratrem suum prosequi, ejusque afflicti misereri. Septuag. *quod violaverit* μετρην, id est *matricem*, sive vulvam matris (Hebr. enim רחם *rechem*, et vulvam, et misericordiam significat, ait S. Hieron.) *in terris.* Jacob enim et Esau fuerunt gemini, et ex eadem Rebeccæ matrice eodem tempore prodierunt: unde inter se dissidentes videntur vulvam matris, ipsamque matrem violasse et lacerasse. Quocirca Romana editio Septuag. habet, *quod violaverit* μητερα, id est *matrem;* et Symmachus: *Quod violaverit viscera propria, ut oblivisceretur germanitatis, et obduraret viscera misericordiæ, fratremque se esse nesciret, et contemneret vulvam Rebeccæ, quæ uno partu geminos edidisset infantes*, ait S. Hieron. Et mox tropologice Idumæos, id est terrenos et sanguinarios, ait esse Judæos, qui persecuti sunt fratres, id est Christum, Apostolos et Christianos. *Hi enim violaverunt misericordiam ac jura naturæ, oblitique sunt matris suæ Rebeccæ, quæ interpretatur patientia, et simul eos generavit in Christo, et dummodo nos interficiant, volunt igne comburi.* Denique Arabicus vertit: *Et esurire fecerunt anxios in terra eorum, et furtim rapuerunt testimonium debitum animis eorum.*

Moral. nota hîc quàm displiceat Deo fratrum discordia, lites et bella, quàmque severe illa puniat et vindicet. Arctissima enim in fratribus sanguinis conjunctio, jure naturæ, divino et humano, summam postulat concordiam et amorem. *Frater* enim dicitur, quasi *fere alter*, ait Gellius lib. 13. Et Cicero lib. 3. ep. 7: *Fratris*, ait, *officium est, erga fratrem ceu fere alterum affici.* Hinc Sallustius in Jugurtha: *Quis*, ait, *amicior quàm frater fratri? aut quem alienum fidum invenies, si tuis hostis fueris?* Quocirca Antisthenes *fratres concordes* dicebat *omni pariete esse fortiores.* Ita Laert. lib. 6. c. 1. Et Sapiens Prov. 18. 19: *Frater*, inquit, *qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma.* Cain fratrem Abel occidens, à Deo maledictus, tremulus, vagus fuit et profugus, Gen. 4. 14. Et Ismael, quia persecutus est fratrem Isaac, jussu Dei ab Abrahamo domo pulsus et exhæredatus est. *Ismael*, ait S. August. l. 1. de Unico baptismo, et habetur dist. 56. can. *Ismael, ut separaretur à populo Dei, non obfuit mater ancilla, Agar; sed fraterna discordia.* Pygmalion rex Tyri, quia Sichæum patruelem occidit, ut ejus opibus potiretur, orbis fuit probrum, de quo Virgil. 1. Æneid.

> Pygmalion scelere ante alios immanior omnes,
> Quos inter medius venit furor. Ille Sichæum
> Impius ante aras, atque auri cæcus amore,
> Clam ferro incautum superat.

Romulus Remum fratrem occidit, itaque, ut ait Lucan. 1. Pharsal.

> Fraterno primum maduerunt sanguine muri.

Quocirca Horat. Epod. 7:

> Acerba, *ait*, fata Romanos agunt,
> Scelusque fraternæ necis,
> Ut immerentis fluxit in terram Remi,
> Sacer nepotibus cruor.

Antiochus Epiphanes Demetrium, fratris Seleuci filium, regno paterno exclusit: hinc inter utriusque posteros, continua per ducentos annos fuerunt bella, altero alterum vicissim obtruncante, et pro eo regnante. Audi Plutarch. tract. de Fraterno amore: *Antiochi, Seleuci, Gryphi, Cyziceni, cum non didicissent secundo à fratribus esse loco, sed purpuras ac diademata appeterent, seipsos invicem ipsamque adeo Græciam multis calamitatibus oppleverunt.*

Jugurtha rex Numidarum, perfide fratres regno spoliavit, ideoque à Mario Consule cæsus, captusque Romæ in carcere necatus est, ut patet ex Sallustio in Bello Jugurthino.

Vere Petrarcha Dial. 83: *Ut ferme nullus amor æquior fraterno, sic nullum, ubi inceperit, iniquius odium, nulla acrior invidia. Sic paritas incitat animos, atque incendit, cum cedendi pudor et amor excellentiæ ardentior, quo incunabulo-*

rum recordatio, *et quæcumque benevolentiam paritura viderentur*, *ubi semel à recto calle deflexum est*, *odium et contemptum pariunt*. Et Aristot. lib. 7. Polit. 7 : *Fratrum contentiones et iræ sunt acerbissimæ ; et qui se nimium amant*, *hi se nimium oderunt*. Caracalla Imp. occidit fratrem Getam : ad mitigandam invidiam parricidii, suasit ei Bassianus præfectus ut fratrem Getam appellaret divum : *Sit*, inquit, *divus*, *dum non sit vivus*, et sic fratrem in divos retulit : *Ita regnandi cupiditas nescit jura pietatis*, inquit Spartian. Quocirca, Deo vindice, pari modo à Martiali Tribuno Caracalla obtruncatus est, cum paulo ante ei in somnis apparuisset pater cum gladio, dicens : *Ut tu fratrem tuum interfecisti*, *ita ego te interficiam*. Ita Dion. Cassius lib. 78. Histor. Romanæ.

Ex adverso, amor fraternus Dei et hominum gratiam conciliat. Cyrus apud Xenophont. lib 8 : *Qui*, inquit, *ex eodem semine sunt orti*, *et nutriti ab eadem matre*, *et in eadem domo adoleverunt*, *ab eisdem parentibus amati*, *eamdem matrem eumdemque patrem appellant ; quomodo hi non sint omnium inter se conjunctissimi?* Tales inter Ethnicos fuere Agamemnon et Menelaus, Eumenes et Attalus, Ariamenes et Xerxes, Craterus et Antigonus, Cassander et Pirilaus, Castor et Pollux, ait Plutarch. loco citato : *Dulcior*, ait S. Chrysost. *ante Deum est oratio*, *non quam necessitas transmittit*, *sed quam charitas fraternitatis commendat*.

Hierocles, libr. de Fraterno amore : *Sicut oculi*, inquit, *manusque*, *si animæ et mentis per se compotes fierent*, *reliquas partes omni studio curarent*, *propter intercedentem ipsis communionem ; quoniam ne ipsæ quidem functionem suam recte administrare possunt citra præsentiam aliarum partium ; ita nobis etiam qui homines sumus*, *et animam nos habere fatemur*, *omnibus viribus annitendum est ut fratribus decenter utamur. Magis enim quàm partes corporis ad auxilium mutuum fratres compositi esse videntur*, q. d. Fratres quodam modo corporis tui partes sunt, sicut oculi tui, pedes, manus, etc. ; eos ergo dilige et juva, uti pes juvat manum, manus pedem. Intaphernis uxor, Dario permittente ut unum ex suis eligeret, cujus vitam sibi deposceret, fratrem elegit. Rege admirante, et causam sciscitante : *Alius*, inquit, *maritus*, *alii liberi*, *si Deus volet*, *possunt contingere ; alium fratrem*, *parentibus vita functis*, *non est quod sperem*. Ita Plutarch. loco citato, qui et addit : *Sicut*, inquit, *minores numeri additi majoribus eos multiplicant*, *et vicissim multiplicantur ipsi ; sic frater obsequens fratri evecto ad honores auget illius dignitatem*, *et vicissim ornatur illius splendore*.

Porro Joseph Abbas apud Cassian. collat. 16. cap. 6 : Fraterni, ait, amoris primum fundamentum est, superbiam mundi contemptui habere ; injustum enim est ut supellex vilissima pretiosissimæ rei, puta dilectioni fratris, præferatur ; secundum, ut unusquisque suas resecet voluntates, ne se sapientem et consultum esse judicans, suis malit, quàm fratris definitionibus obedire ; tertium, ut sciat omnia, etiam quæ utilia ac necessaria æstimat, postponenda bono charitatis et pacis ; quartum, ut credat nec justis, nec injustis de causis penitus irascendum ; quintum, ut adversus se iracundiam fratris, etiam sine ratione conceptam, eo modo quo suam, curare desideret, sciens æqualiter ibi perniciosam esse alterius tristitiam, ac si adversus alium ipse moveatur, nisi eam, quantum in se est, de fratris etiam mente depulerit. Ita Pimenius Abbas in Vitis Patr. lib. 7. cap. 42. jussit fratribus ut idolum lacesserent injuriis ; cumque idolum nulla injuria moveretur, ait : *Fratres ecce septem sumus ; si vultis ergo pariter manere*, *ut lucrum animæ faciamus*, *sit idolum istud nobis in exemplum*, *ne*, *quando injuriatur aliquis*, *irascatur ; ne*, *quando ab eo venia petitur*, *glorietur aut extollatur : quod si non ita vultis*, *unusquisque vadat quò vult*. Præclare S. Hieron. lib. 1. in Thren. cap. 3 : *Ille vere et non ex parte perfectus est*, *qui et in eremo squalorem solitudinis*, *et in cœnobio infirmitates fratrum æquali magnanimitate sustentat*. Fratrum ergo et sororum concordia suavissimum edit concentum in auribus Dei et hominum, adeoque sorores concordes sunt quasi Musæ. Nam ob benevolentiam et amorem sororium, Musæ quasi ομου ουσαι, id est, simul semper degentes, nuncupantur, ait Plutarch. loco citato.

Tales Musæ divini consensus et concentus fuerunt SS. Fides, Spes et Charitas, tres filiæ S. Sophiæ ; quæ tam sanguine, quàm sanctitate ac martyrio sorores, sicut in vita dilexerunt se, ita et in morte non sunt separatæ, quam gloriosam pro Christo obierunt die prima Augusti. Tales SS. Ruffina et Secunda die 10. Julii : tales SS. Nymphodora, Menadora et Metrodora sorores, virgines et Martyres sub Maximiano 10. Septembris ; tales S. Tarsilla et Æmiliana materteræ S. Gregorii, de quibus ipse homil. 28. in Evang. Tales S. Pulcheria, Placilla, Arcadia et Marina, sorores Theodosii Imp. quas S. Pulcheria in aula quasi in cœnobio educavit, secumque virginitatem Deo consecrare docuit. Ita Cedrenus, Zonaras et alii, atque ex his noster Raderus in aula Theodosii ; ut merito Patres omnes in Conc. Chalcedonensi, Pulcheriæ jam Augustæ, uno ore acclamarint : *Nova Helena*, *munimen orthodoxorum*, *et gloria Ecclesiarum !* Tales Musæ et Musici cœlestes fuere S. Joannes et Paulus sub Juliano Apostata, quos eadem fides et passio vere fecit esse germanos ; tales S. Basilius et S. Gregor. Nyssenus, tales S. Gregorius Thaumaturgus et Athenagoras ; tales SS. Gregorius Nazianzenus et Cæsarius cum S. Gorgonia, tales septem fratres Machabæi 2. Machab. 7, tales septem filii S. Felicitatis, et totidem S. Symphorosæ, quos ardens charitas et in vita et in morte conjunxit, ac simul omnes eadem martyrii laurea decoravit ; tales Godefridus Bullonius et Balduinus ejus frater, qui conjunctis animis et armis terram sanctam recuperarunt, primique Hierosolymæ reges coronati sunt ; tales Judas, Jonathas et Simon Machabæi, qui conspirantes, paucis copiis, sed unitis, numerosos Antiochi exercitus profligarunt. Funiculus triplex difficile rumpitur. Nota est Sciluri historia.

Et tenuerit ultra furorem suum.] Hebr. ויטרף *iitroph*, id est *et rapuerit*, id est, instar animalis rapacis sævierit, ait Vatablus. Septuag. vertunt : *Et rapuit in testimonium horrorem suum*, *et impetum suum custodivit in victoriam*, id est, ut S. Hieron. legit, *in æternum ;* hebr. enim לנצח *lanetsach*, id est *in victoriam*, idem est quod *in finem*, ut patet in inscriptione Psalm. 4. 5. 6. 8. Complut. legunt εις νεικος, id est *in contentionem*, pro εις νικην, id est *in victoriam*. Rursum pro לעד

laad, id est, *ultra*, vel *in secula*, ut vertit Syrus, vel *in æternum;* Septuag. et Arabicus legerunt לעד *laed*, id est *in testimonium.* Noster optime *iitroph* vertit, *tenuerit;* quia rapere ultra furorem suum. Hebræis idem est, quod eum servare et retinere, nimirum ex furore rapere, sævire et lacerare prædam, vel hostem; vel rapere furorem ultra metas humanitatis, et inhumaniter sævire. Unde Marinus in Lexico vertit: *Eo quod lacerarit in æternum furore suo.* Denique hebr. אפו *appo*, et furorem, ut vertit Noster, et horrorem, ut vertunt Septuag. significat; atque עברתו *ebra*, tam indignationem, ut vertit Noster, quàm impetum, ut vertunt Septuag. denotat. Ita S. Hieron.

12. Mittam ignem] per Chaldæos et Nabuchodonosorem, ut patet Jerem. cap. 25. 27. et Ezech. 27.

Theman.] Urbs est et regio Idumææ, cujus rex fuit Eliphaz amicus Job, qui inde dictus est Themanites; distat à Petra urbe Arabiæ quinque millibus passuum. In hac urbe viguit studium Sapientiæ, ut patet Baruch 3. 22. Tempore S. Hieronymi villa erat. Ita ipse in Locis Hebr. Borchardus, Bredemb. et alii in Descript. terræ sanctæ.

Bosra.] Urbs est in Idumæa, non longe à Theman, ita dicta à firmissima munitione, vel arce. *Bosra* enim hebr. idem est quod munita. Est alia Bosra in Arabia, et tertia in Moab. Est synecdoche; à parte enim præcipua, totam Idumæam intelligit.

13. Super tribus sceleribus filiorum Ammon.] Ab Idumæis transit ad Ammonitas, eodem stylo et censura. Ammon fuit filius Lot nothus ex ejus incestu cum filia; inde prognati dicti sunt filii Ammon, vel Ammonitæ; habitarunt in Arabia; metropolis eorum erat Rabba, quæ postea dicta est Philadelphia. Ita S. Hier. et Theodor.

Eo quod dissecuerit prægnantes (Syrus et Arabicus, *ventres prægnantium;* Arabicus vero Antioch. *Quia serris ferreis secabant prægnantes*) Galaad.] Ne scilicet ex matribus gravidis filii nascerentur, qui terram occuparent; sed, hæredibus atque incolis deficientibus, ipsi terram eorum invaderent et occuparent. Unde sequitur: *Ad dilatandum terminos suos.* Idem avaritiæ crimen, et cupidinem dilatandi suos terminos, objicit Ammonitis Jeremias cap. 49. 1: *Numquid*, ait, *non filii sunt Israel, aut hæres non est ei? cur igitur hæreditate possedit rex eorum Gad, et populus ejus in urbibus ejus habitavit?* Ita Theodor. Remig. Hugo et Lyran. ac S. Hier. qui censet Ammonitas dissecuisse prægnantes Israel eo tempore, quo regnabat Saul, cum scilicet Naas rex Ammon vastavit Jabes Galaad, 1. Reg. 11; licet ibi dissectionis prægnantium non fiat mentio. Nota: Pro *prægnantes*, hebr. est הרות *harot;* quod si ab הרה *hara*, id est concepit, deducas, significat *prægnantes;* si ab הר *har*, id est mons, significat *montes.* Unde Arias, Vatablus et Pagnin. vertunt: *Eo quod dissecuerunt montes Galaad*, ut scilicet ditionem tramontanam Galaaditarum suæ conjungerent; verum Septuag. Chald. Noster, Tigurina et alii jam citati vertunt *prægnantes.* Hoc enim est quartum enorme scelus, ob quod Ammonitæ à Deo excidio destinantur. Dividere autem montes non est enorme scelus; sed dividere, sive secare prægnantes, uti fecit Azael rex Syriæ Israelitis gravidis, 4. Reg. 15. 16.

Symbol. Villalpando in Ezech. 24. 14: Prægnantes, ait, vocantur civitates munitæ et populosæ; has enim merito prægnantibus compares, utpote populis plenas.

Tropolog. S. Gregor. 3. p. Pastor. cap. 25: *Galaad*, inquit, *id est, acervus testimonii, est Ecclesia, quæ ore cunctorum fidelium de Deo quæ vera sunt testatur. Prægnantes autem Galaad vocantur animæ, quæ intellectum verbi ex divino amore concipiunt, et si ad perfectum tempus veniant, conceptam animæ intelligentiam, boni operis ostensione paritaræ sunt. Terminum vero suum dilatare, est opinionis suæ nomen extendere. Secuerunt ergo prægnantes Galaad, ad dilatandum terminum suum; quia nimirum hæretici mentes fidelium, quæ jam aliquid de veritatis intellectu conceperant, perversa prædicatione perimunt, et scientiæ sibi nomen extendunt; parvulorum quippe corda jam de verbi conceptione gravida, erroris gladio scindunt, et quasi doctrinæ sibi nomen faciunt.* Sic et S. Hieronymus: *Prægnantes*, ait, *sunt animæ credentium, quæ in principio fidei possunt dicere: A timore tuo, Domine, concepimus et parturivimus, etc.* Nolent hæc illi qui pusillos scandalizant, atque eos qui parturiunt meliorem vitam, seducunt, et partum spiritualem impediunt. Hi enim sunt homicidæ, non corporum, sed animarum; ac ut tales horrende à Deo punientur, qui hanc animarum à se creatarum et redemptarum ruinam ita sentit, sicut sentit mater dolorem, cum ejus disrumpuntur viscera, ut fœtus tradatur lacerandus canibus. Ipse enim de suis ait: *Qui portamini à meo utero, qui gestamini à mea vulva*, Isaiæ. 46. 3.

14. In ululatu in die belli. Ululatum tum tubarum, tum militum confligentium, ac victorum et occisorum, æque ac vincentium intellige. Hinc Tigurina vertit: *In classico in die belli;* Vatabl. *In vociferatione*, quæ scilicet fit sub conflictum. Et in turbine.] Tigur. *in tempestate*, id est, in valido impetu, in horribili incursu hostium. Hunc enim comparat turbini, qui rapit et ventilat paleas, æque ac hostes hi ventilaturi erant Ammonitas. Hostes hi fuere Chaldæi, ut patet Ezech. 21. 20. Jerem. 27. 6. Ita S. Hieron. Theodor. Remig. Hugo et alii. Postea rursum vastati sunt Ammonitæ sub Antiocho à Juda Machabæo, 1. Machab. 5. 6.

Ubi nota ex Josepho: Nabuchodonosor anno 28 regni sui, qui fuit undecimus Sedeciæ regis Juda, cepit et vastavit Jerusalem; deinde quinto anno post, puta anno regni sui 23, vastavit Ammonitas, Moabitas, Idumæos, cœpitque obsidere Tyrum, quam post 13 annos expugnavit, anno regni sui 35, uti ostendi Daniel. c. 2. initio.

15. Et ibit Melchom in captivitatem.] Melchom, sive Melech, vel Moloch, erat idolum Ammonitarum, speciem habens regis, puta Jovis. Unde *Melchom* hebr. idem est quod *rex eorum*, ut vertit Chald. et Vatabl. Quis fuerit Melchom, an Jupiter, an Saturnus, dixi Levit. 18. 21. Septuag. in Vaticano, et apud S. Hieron. habent: *Et ibunt reges eorum in captivitatem, principes eorum, et sacerdotes eorum simul.* Hæc de littera; nunc tropologiam totius capitis accipe.

Per hasce septem gentes, quæ persecutæ sunt Judam, id est, animam et populum fidelem, significantur septem vitia capitalia, puta primo, per Damascum (quæ hebr. idem est quod san-

guinis saccus, vel sanguinem potans) gula et gulosi, qui toti in carne et sanguine volutantur; secundo, per Gazam, avaritia et avari, quorum totum robur est in gaza, id est, in auro et argento. Idem significat *Ascalon*, id est, ut vertit S. Hier. in Nomin. Hebr. in Acta : *Ignis insanus*, ubi corrige, *ignis infamis ;* אש *esç* enim est *ignis*, קלון *calon* est *infamia*. Idem significat *Accaron*, id est, *sterilitas*) hanc enim parit avaritia), vel *eradicatio* (male in S. Hier. in Nom. Hebr. in Josue legitur, *eruditio*) *tristitiæ*, ait S. Hieron. hic; tertio, per Tyrum, superbia et superbi : Tyrus enim superba in mari eminebat quasi arx; quarto, per Edom, id est sanguinarium, ira et iracundi, qui in verba, verbera et cædes prorumpunt; quinto, per Ammon, libido et libidinosi : Ammon enim ex incestu Lot cum filia natus est; sexto, per Moab, de quo cap. sequenti v. 1. invidia et invidi; Moab enim idem est quod *de patre*, quia ipse patris sui ex filia fuit filius, simul et nepos; ac consequenter Lot ei fuit tam avus, quàm pater. Sic invidi fratres excludunt, eorumque locum, opes et nomen sibi arrogant, perinde ac nepotes non raro excludunt patruos, imo fratres et parentes suos ab avita hæreditate; septimo, Israel sunt acedia et acedi, qui ex pigritia ad paupertatem redacti, vendunt pro argento justum, et pauperem pro calceamentis, uti de iis dicetur cap. 2. vers. 6.

Cujusque horum quatuor scelera sunt, quatuor gradus vitii cujusque; scilicet primus est, peccatum voluntatis; secundus, operationis; tertius, consuetudinis; quartus, gloriationis, uti dixi vers. 3. ex S. Hieron. et Ruperto. Hosce omnes Deus disperdet in die judicii, mittetque in ignem gehennæ, eo quod pios persecuti sint; et fœdus fratrum ruperint, suscitando bellum inter carnem et spiritum, imo faciendo ut caro incarceraret et opprimeret spiritum, cui quasi frater, imo quasi servus obsequi et servire debuerat.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ob tria et quatuor scelera Moab v. 1. et Judæ v. 4. et Israelis v. 6. cladem et excidium intentat, ac deinceps Israeli pergit exprobrare ingratitudinem, eo quod cum Chananæam, expulsis Chananæis, dono a Deo acceperit, insuper Prophetas et Nazaræos, iis tamen ingrate contra Deum Deique jussum abusus sit. Unde minans subdit v. 13 : Ecce ego stridebo subter vos, etc.

1. Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Moab, et super quatuor non
convertam eum : eo quod incenderit ossa regis Idumææ usque ad cinerem.
2. Et mittam ignem in Moab, et devorabit ædes Carioth : et morietur in
sonitu Moab, in clangore tubæ. 3. Et disperdam judicem de medio ejus, et
omnes principes ejus interficiam cum eo, dicit Dominus. 4. Hæc dicit Do-
minus : Super tribus sceleribus Juda, et super quatuor non convertam eum,
eo quod abjecerit legem Domini, et mandata ejus non custodierit; dece-
perunt enim eos idola sua, post quæ abierant patres eorum. 5. Et mittam ignem in Juda, et
devorabit ædes Jerusalem. 6. Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Israel, et super
quatuor non convertam eum : pro eo quod vendiderit pro argento justum, et pauperem pro cal-
ceamentis. 7. Qui conterunt super pulverem terræ capita pauperum, et viam humilium decli-
nant : et filius ac pater ejus ierunt ad puellam, ut violarent nomen sanctum meum. 8. Et super
vestimentis pignoratis accubuerunt juxta omne altare, et vinum damnatorum bibebant in domo
Dei sui. 9. Ego autem exterminavi Amorrhæum à facie eorum : cujus altitudo, cedrorum alti-
tudo ejus, et fortis ipse quasi quercus; et contrivi fructum ejus desuper, et radices ejus subter.
10. Ego sum, qui ascendere vos feci de terra Ægypti, et duxi vos in deserto quadraginta annis,
ut possideretis terram Amorrhæi. 11. Et suscitavi de filiis vestris in prophetas, et de juvenibus
vestris Nazaræos : numquid non ita est, filii Israel, dicit Dominus? 12. Et propinabitis Nazaræis
vinum : et prophetis mandabitis, dicentes : Ne prophetetis. 13. Ecce ego stridebo subter vos,
sicut stridet plaustrum onustum fœno. 14. Et peribit fuga à veloce, et fortis non obtinebit
virtutem suam, et robustus non salvabit animam suam. 15. Et tenens arcum non stabit, et
velox pedibus suis non salvabitur, et ascensor equi non salvabit animam suam. 16. Et robustus
corde inter fortes nudus fugiet in illa die, dicit Dominus.

1. Super tribus sceleribus Moab.] Cap. 1. quatuor gentium quatuor scelera arguit, eisque punitionem meritam intentavit; nunc hoc capite tres alias gentes subnectit, puta Moab, Israel et Juda, iisque singulis eodem schemate totidem scelera objicit, et similem pœnam comminatur.

Eo quod incenderit (Moab) ossa regis Idumææ.] R. David, Clarius et Arias censent hunc regem fuisse filium regis Idumææ, qui à Mesa rege Moab in conflictu captus eo tempore, quo Mesa pugnabat contra Josaphat regem Juda, et contra regem Edom regemque Israel; quem tandem Mesa à tribus hisce regibus obsessus, et ad extrema redactus, ex ira et desperatione mactavit et obtulit diis suis, eumque quasi catharma et piaculum cum ossibus concremavit, et in cineres redegit, in conspectu patris urbem obsidentis; quo facto, pater, puta rex Edom, indignans regi Israel, quod eum ad hoc bellum excitasset, quo in conspectu suo filius mactabatur et cremabatur, fœdus abrupit et domum rediit, idque censent significari illis verbis 4. Reg. 3. 27: *Accipiensque* (rex Moab) *filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum*; ubi τὸ *filium suum*, exponunt *filium ejus*, scilicet regis Edom: Hebr. enim *vau*, quæ est nota pronominis affixi, tam eum, quàm suum significat. Verum Sept. Chald. Hebræi, S. Hier. Ruffin. Rupert. Lyran. Abulensis, Burgensis, Cajetan. Vatabl. Pagnin. quin et Philo Biblius, vetus Phœnicum historicus apud Euseb. lib. 4. Præpar. Evangel. ac Josephus lib. 9. Antiq. c. 3. tradunt regem Moab 4. Reg. 3. immolasse filium suum, id est proprium, non alienum puta regis Edom. Cur id fecerit, varias causas afferunt Abulens. 4. Reg. 3. et Perer. tom. 3. in Genes. cap. 22. num. 98. Melius ergo Hebræi, S. Hier. Ruffinus, Remigius, Albert. Hugo, Lyran. et Pererius loco jam citato, Ribera et à Castro censent hunc fuisse ipsummet regem Idumææ, qui cum Josaphat et Joram pugnavit contra Moabitas, eosque obsidens in tantam desperationem coegit, ut rex Moab filium proprium diis suis immolaret, ut eorum opem in tanta necessitate imploraret et impetraret. Quocirca Moabitas tanto in regem Idumææ odio exarsisse, ut ejus postea mortui et sepulti ossa effoderint, cremarint et redegerint in cineres. Addunt aliqui Moabitas ex his cineribus calcem fecisse, eaque domos suas oblinivisse, ut perenne odium in regem Edom testarentur. Unde Chald. vertit: *Eo quod combusserit ossa regis Idumææ, et oblinierit eis quasi calce domum suam.* Et hebr. לשיד *lassid*, tam *in calcem*, quàm *in cineres*, verti potest. Unde et Syrus vertit: *Eo quod incenderit ossa regis Idumææ usque ad calcem*, vel *cinerem*. Quo præcise tempore et anno id fecerint Moabitæ non narrat Scriptura, nec Josephus; sufficit ex hoc loco Amos constare id contigisse, et tempore Amos fuisse rem omnibus notam et celebrem; erant enim crebra bella inter regem Moab et Edom, ob viciniam et confinia; et in aliquo horum victor Moab hanc injuriam et ignominiam intulit regi Edom.

Porro minatur hîc Deus se Moabitarum odia et crudelitatem in ossa regis Edom exercitam puniturum, ut ostendat se non tantum Judæorum, sed et aliarum gentium esse Deum creatorem, provisorem et vindicem, ut quasi talis ab omnibus agnoscatur, timeatur et colatur. Porro inhumanum est et probrosum valde exhumare mortuos, et illorum insultare cineribus; tum quia honor sepulcri sunt ultima justa naturæ, quæ defunctis decrevit vivorum pietas apud omnes pene gentes; tum quia hoc est cum mortuis dimicare, et eos rursus quasi interficere; tum quia animæ fit injuria, cum ejus corpus inhonoratur. Unde Gentiles sepulcra dicabant et sæpe inscribebant: *Diis manibus.* Hinc pessime apud omnes audivit Cambyses, teste Herodoto lib. 3, qui Amasis regis Ægypti jam defuncti effodit cadaver, illudque flagris cædi, vellicari et stimulis pungi jussit. Crudelis Sylla C. Marii ossa effossa dispersit; quod ne sibi jure talionis fieret, jussit se post mortem cremari. Idem eamdem ob causam secuti sunt Romani, ut docet Plin. lib. 7. cap. 54. Quin et Scythæ cætera despicientes, cum Darius eis metum vel inertiam exprobraret, quod bellum declinarent, responderunt ipsum cogniturum animos et vires Scytharum, cum ad parentum suorum sepulcra venissent; pro iis enim se usque ad mortem præliaturos. Ita Valer. lib. 5. cap. 4. Hac de causa Deus impio Jeroboam, aliisque regibus Israel idololatris, quasi pœnam extremam minatur, quod ossa eorum sepulcris eruta projicienda sint canibus, Jerem. 8. 1. et Baruch. 2. 24.

Hinc moraliter disce quantum nefas sit mortuorum famam lacerare; fama enim pluris est quàm ossa; ossa laniant canes, famam detractores; canini ergo sunt, et crudeliores canibus. Ita Sanchez.

2. Mittam ignem in Moab,] per Nabuchodonosorem, qui quasi flagellum gentium omnium in manu Dei, quinto anno post excisam Hierosolymam percussit et vastavit tam Moabitas, quàm Ammonitas, teste Josepho, lib. 10. Antiq. cap. 11.

Et devorabit ædes Carioth.] Aliqui *Carioth* accipiunt ut nomen, non proprium, sed appellativum, vertuntque, *urbes*; קריה *kiria* enim in singulari est urbs, inde *carioth* in plurali vocantur urbes. Unde Septuag. vertunt: *Fundamenta urbium suarum disperdet*; sic et Chaldæus.

Melius Noster, Tigurina et alii *Carioth* accipiunt ut nomen proprium urbis et metropolis Moab. Sic enim accipit Jeremias cap. 48. 21. Forte urbs hæc ab amplitudine dicta est *Carioth*, eo quod urbes plures in se complecteretur, uti Praga, Cracovia, Leodium, Parisii, tres imo plures in se continent.

Et morietur in sonitu Moab.] Tigurina, *in fremitu*, q. d. In strepitu horrisono expugnationis urbis Carioth et cæterarum Moabitidarum occidentur et morientur Moabitæ. Ita Vatabl. unde explicans addit: *In clangore tubæ*, q. d. Tubis clangentibus, armis personantibus et, hostibus vociferantibus, cædentur Moabitæ magno terrore et horrore.

4. Super tribus sceleribus Juda.] A Gentibus transit ad Judam (id est, ad duas Tribus, Judam et Benjamin), qui gentium idololatriam et scelera imitatus est, imo superavit, ideoque ei excidium per eumdem Nabuchodonosorem et Chaldæos comminatur.

Tropol. S. Hieron. *Avarus*, inquit, *aurum, gulosus ventrem, libidinosus penem et Beelphegor colit; lasciva mulier, quæ cum sit in deliciis, mortua est, adorat venerias voluptates.* Hæc sunt idola Judæ, id est, fidelium et Christianorum.

6. Super tribus sceleribus Israel.] A Juda

transit ad Israel, id est, ad decem reliquas Tribus, quarum caput erat Samaria; easque pariter arguit et plectit ob tria, id est multa, scelera et ob quatuor, id est quartum, quod est crudelitas et oppressio pauperum, nimirum: *Eo quod vendiderit pro argento justum et pauperem.*

R. Samuel Marochianus, tractat. de Adventu Messiæ, cap. 6. et ex eo Galatin. lib. 4. c. 24. et Adrianus Finus, lib. 6. Flagelli Judæorum, cap. 47, censent quartum scelus fuisse, quod Christum, qui justus fuit per excellentiam et antonomasiam, vendiderint triginta argenteis: primum, inquiunt, scelus fuit, quod vendiderint Joseph, Genes. 37. 28. propter quod puniti sunt captivitate Ægyptiaca; secundum, quod Davidem, et in eo Christum spreverint, dicentes: *Non est nobis pars in David*, atque adoraverint vitulos aureos, propter quod puniti sunt captivitate Assyriaca; tertium, quod filios suos immolarint Moloch et idolis, ac Prophetas eos arguentes occiderint, propter quod puniti sunt captivitate Babylonica; quartum, quod Christum vendiderint et occiderint, propter quod plane excisi, et desolatione semper duratura vastati sunt à Tito et Romanis. Verum obstat quod Christus non ab Israele, utpote jam abducto in Assyriam, sed à Juda venditus et occisus sit; quocirca potius Judæ, quàm Israeli hoc scelus ascribendum fuisset. Adde quod tempore Christi nec Judæi, nec Israelitæ coluerunt idola, quæ hìc v. 4. in Juda arguit Propheta. Ad litteram ergo loquitur de quolibet justo et paupere, ab Israelitis injuste vendito et oppresso; sed quia inter hos excelluit Christus, quem Prophetæ habent pro scopo, hinc ad Christum quoque videtur acies Prophetæ finaliter dirigi. Primo enim Prophetæ taxant scelera sui seculi, deinde sub iis taxant similia posterorum crimina, maxime committenda tempore Christi contra ipsum Christum: Prophetæ enim omnibus temporibus scripserunt hæc oracula. Unde et inter septem gentium scelera, Amos hoc ponit ultimum, quasi maximum: tale enim est venditio et occisio Christi; præsertim quia non legimus Israelitas, alio tempore quàm Christi, vendidisse justum et pauperem vere et proprie. Porro hoc fuit scelus tam Israelis, quàm Judæ, quia post vastatam ab Assyriis Samariam, Israelitæ cladi superstites fugerunt Hierosolymam, et cum Juda commixti coaluerunt in unam gentem. Nam ab olim, puta à Patriarcha Jacob, Israel et Juda, id est, decem Tribus et duæ, fuerunt quasi fratres; quocirca scelera hìc Israeli ascripta ad Judam quoque pertinent. Quartum enim scelus Damasci, et cæterarum gentium, hìc assignatur crudelitas; ergo eadem Judæ quoque assignanda videtur; cumque in oraculo Judæ v. 4. illa non inveniatur, ex onere Israelis hoc versu mutuanda est. Id clarius patebit cap. 3. v. 1. ubi S. Hieron. et alii passim per filios Israel intelligunt tam duas, quàm decem Tribus: Israeli tamen potius, quàm Judæ ascribit eam Amos; quia ipse directe et proprie à Deo missus fuit ad Israelem, non ad Judam, ac prophetavit in Samaria et Bethel, non in Judæa et Hierosolyma; unde in sequentibus pergit prophetare contra Israelem. Israelis ergo onus ultimo ponit, illudque aggravat, ut de eo continua serie prophetet.

Sensus ergo est, q. d. Quartum et gravissimum scelus Israelis est: *Quod vendiderit pro argento justum*, id est, justam justorum, puta pauperum innocentium, causam et substantiam, ut eam in judicio adjudicaret divitibus, propter pecunias et munera accepta ab eis qui illos illorumque bona injuste invadebant, et à judice sibi dari deposcebant. Venditio ergo hæc justorum, tempore Amos, non fuit ipsorummet justorum, ut censuit Remig. hoc enim eos fecisse nusquam legimus, sed prædiorum et opum eorumdem, qua scilicet donis judici oblatis pervertebant judicium, ac emebant ab eo sententiam injustam, per quam ipse eis adjudicabat bona pauperum. ita Chald. S. Hieron. Albert. Lyran. Clarius, Arias, Vatabl. Ribera et à Castro. Proprie vero quartum hoc scelus Judæ et Israelis est: *Quod vendiderit*, id est, venditurus sit *pro argento*, puta pro triginta argenteis, *justum*, scilicet Christum, qui antonomastice est justus, quia Sanctus sanctorum. Christo enim proprie singula hæc verba competunt, et non alteri; et ad Christum, quasi ad scopum et amorem suum, data vel levi occasione et similitudine, subito avolare solent Prophetæ. Est ergo hic duplex sensus, isque litteralis; vel potius prior de justis quibuslibet tempore Amos litteralis, posterior de Christo allegoricus. Denique Arabicus vertit: *Eo quod posuerunt contra veritatem pro argento et vestimentis*, q. d. Quia veritatem et justitiam vendiderunt argento et calceamentis, hoc est, vilissimo pretio.

Et pauperem pro calceamentis.] Hebr. est duale נעלים nahalaim, id est, pro duobus calceis, sive pro pari calceorum. Perperam R. Salomon, et ex eo Lyranus vertit, *pro clausuris*, q. d. Sepem qua pauper claudebat agrum, cogebat dives dirui; ut ejus agrum invaderet, et suo, qui vicinus erat, copularet. Nam Septuag. Chald. et alii passim *nahalaim* vertunt calceos: Remigius proprie id accipit, censetque Israelitas vendidisse pauperes in servos vicinis gentibus, vel ipsis etiam Israelitis, idque vilissimo pretio, puta pro pari calceamentorum. Hoc scelus in Jure vocatur *plagium*, quo scilicet homo liber rapitur venditurque in mancipium; quod proinde lege divina morte punitur, Exodi 21. 15: *Qui furatus fuerit hominem, et vendiderit eum, convictus noxæ morte moriatur.* Lege vero civili, puta lege Flavia, punitur verberibus et plagis, à quibus reus dictus est plagiarius; et crimen plagium. Verum hoc jam refutavi, neque verisimile est hominem liberum ab eis tam vili pretio, puta duobus calceis, venditum fuisse.

Melius ergo alii censent pauperem hìc dici venditum, eo quod ejus jus, causa et substantia sit vendita. Sic enim vulgo dicimus hominem vendi, dum in judicio vel extra judicium ejus status vel jura venduntur. Ita S. Hieron. Clarius, Vatabl. Arias et alii paulo ante citati. Nota adagium, *pro calceamentis*, id est, exiguo et vili pretio. Sic vulgo etiamnum dicitur: Non pluris eum facio quàm meos calceos: tanti eum æstimo, quanti veteres calceos: pro calceis istud dabo. Ita S. Hieron. Sic Christus à Judæis venditus est vili pretio, puta triginta argenteis, qui totidem florenos Brabanticos, ut aliqui; vel, ut alii, dimidiam eorum partem, puta quindecim flor. Brabant. conficiunt; florenus Brabanticus continet quatuor Julios: quindecim ergo floreni faciunt sexaginta Julios, puta quinque aureos. Annon hoc vile pretium, quo Dominus universorum æstimatus et venditus est?

Minus recte Theodor. sic exponit, q. d. Judices, advocati et procuratores ita affligebant pauperes causam suam agentes, ut cum non haberent quod pro stipendio eis solverent, sordida avaritia et tyrannide calceos eis exuerent et raperent. Et Clarius, q. d. Dives, invadens agrum pauperis, cogebat illum renuntiare juri suo extracto calceo, juxta morem Israelitarum, qui narratur Ruth. 4. 7. Denique Arabicus vertit : *Fecerunt pauperem loco calceamentorum*, hoc est, vili æstimarunt, non pluris fecerunt quàm veteres calceos, ut vulgo dicitur.

7. QUI CONTERUNT SUPER PULVEREM TERRÆ CAPITA PAUPERUM,] q. d. Deprimunt pauperes in judicio, ut causa cadant; quin et extra judicium eosdem dejiciunt et conculcant, æque ac conculcatur mancipium, vel bestia, quæ in pulverem dejicitur, ibique caput et capillos opplet luto et pulvere, ut videatur tota esse pulverulenta. Ita S. Hieron. Nota divitum fastum et sævitiam in pauperes. Nam, ut recte advertit P. Pineda l. 6. de Rebus Salomon. cap. 20. num. 14, apud insolentissimos divites Israelis res non erat insolens, ut obvios pauperes pro libidine pessundarent, et injecto opprimerent pede, ac tantum non suffocarent, animamque extorquerent. Unde Septuag. vertunt : *Conculcabant super pulverem terræ, et pugnis percutiebant in capite mendicum;* Vatabl. vero et Tigurina : *Anhelabant super pulverem terræ in caput tenuium*, q. d. Desiderant opprimere pauperes, quos libenter vident projici in terram et luto oppleri; Chald. *Qui contemnunt quasi pulverem terræ caput mendicorum;* alii : *Qui absorbent quasi pulverem terræ caput pauperum;* hebr. enim שאף *sçaaph* significat respirare, attrahere, anhelare, optare, inhiare, absorbere. Ita Pagnin. Marinus, Forsterus, et alii in Lexicis.

ET VIAM HUMILIUM DECLINANT,] q. d. *Viam*, id est jus, rem et causam pauperum in judicio ob munera subvertunt, litemque et victoriam diviti munera danti transcribunt. Ita Theodor. Vatablus et Arias. Unde Chald. vertit : *Et jus obscuriorum pervertunt.* Secundo, generalius, q. d. *Viam*, id est, consilia, instituta, conatus pauperum subvertunt, eosque cogunt incœpto desistere, illisque sua potentia et iniquitate omnis boni aditum et viam præcludunt. Tertio, simplicius, et magis connexe ad præcedentia : *Viam humilium*, id est, humiles et pauperes viatores, ut sit hypallage, *declinant*, id est, dejiciunt, et in terram prosternunt, ac conculcant. Hoc enim apte respondet priori hemistichio, quo dixit : *Qui conterunt super pulverem terræ capita pauperum.* Solent enim Hebræi, in rhythmis præsertim et carminibus, posteriori hemistichio idem aut quasi idem dicere, quod dixerant priori. Simile est Job 24. 3 : *Subverterunt pauperum viam, et oppresserunt pariter mansuetos terræ.* Ubi vide P. Pinedam, qui decem expositiones illius æque ac hujus loci affert. Aliter S. Hieron. q. d. *In tantum elevantur superbia, ut nolint cum humilibus ambulare vel agere;* et Lyranus, q. d. Cum in via occurrunt pauperi, ex fastu cogunt eum sibi cedere, et de via declinare. Mystice Albertus, q. d. Pauperum bona diripiunt, itaque cogunt eos vel per impatientiam, vel per indigentiam à via virtutis et justitiæ declinare ad furta, aliaque scelera, ut victum sibi comparent. Primus sensus est litteralis et genuinus : *Via* enim in Script. sæpe rem, negotium, jus et causam significat.

Nolent hæc judices et advocati, qui pauperes opprimunt, cum ex juramento eos tueri, imo ex officio causam eorum gratis agere teneantur. Audiant fulmen Dei Deuteron. 27. 19 : *Maledictus qui pervertit judicium advenæ, et pupilli, et viduæ. Et dicet omnis populus : Amen.* Recte S. Ambros. in sermon. *Juste advocato dicitur : Redde quod accepisti, quoniam contra veritatem fecisti, iniquitati adfuisti, judicem fefellisti, justam causam oppressisti, de falsitate vicisti.* Cassiod. in psalm. 73 : *Hi*, ait, *sunt in conviviis scurræ, in exactionibus harpyiæ, ad fallendum vulpes, ad superbiendum tauri, ad consumendum minotauri. Hi sunt, quorum si nares afflaverit cujusquam rubiginosi aura marsupii, confestim videbis illic oculos Argi, et manus Briarei, et Sphyngarum ungues, et perjuria Laomedontis, Ulyssis argutias, Sinonis fallacias, fidem Polymnestoris, et pietatem pigri Leonis adhiberi.* Et Alanus, lib. de Conquestione naturæ : *Si quis armatus est pecunia, tanquam loricis argenteis, torrentis impetum Tulliani, fulgur incursus Hectorei, robur virtutis Herculeæ, versipelles Ulyssis vilipendit astutias. In tantum enim habendi fames incanduit, ut Dialecticæ muta sit subtilitas, Rhetoricæ languescat civilitas, ubi nummorum perorat pluralitas. Nummus vincit, nummus regnat, nummus imperat universis.* Hæc de rabulis litigiosis, avaris et iniquis : veri enim advocati juris tutores, pauperum patroni, novi Ivones sunt.

ET FILIUS AC PATER EJUS IERUNT AD PUELLAM, *eamdem*, ut habent Septuag. Notat Israelitarum incestum, quod filius socru, id est, uxore patris, vel potius pater nuru, id est, uxore filii abuteretur, inquit S. Hieron. Remig. Hugo et Lyran. aut certe eamdem puellam et meretricem haberet uterque pro concubina : itaque VIOLARENT NOMEN SANCTUM DEI,] exponendo illud infamiæ et ludibrio, Gentibus dicentibus : Ecce quàm spurci et obsceni sunt Israelitæ; quàm spurca ergo eorum fidès et religio sit oportet : et qualis eorum Deus, qui ista tolerat, nec punit! Hujus blasphemiæ causam dabant suo incestu Israelitæ.

8. ET SUPER VESTIMENTIS PIGNORATIS ACCUBUERUNT JUXTA OMNE ALTARE.] Israelitæ cœnaturi, vel convivaturi non sedebant ad mensam, sed juxta eam discumbebant, id est, jacebant in lectulis, qui inde cœnatorii dicebantur. Ita discubuit in lectulo Christus in domo Simonis leprosi, cum à tergo ei Magdalena pedes lacrymis suis lavit. Taxat ergo eos quod immolantes victimas vitulis aureis in Dan et Bethel, ex iisque deinde juxta altare epulantes, discumberent in lectulis et vestibus, quas à pauperibus præsertim nolentibus edere hosce vitulos, vi extorserant, quasi pignora pro debitis : aut quod iis divenditis ex pretio victimam et epulum instruerent : unde ad illud accumbentes, censebantur ad vestes pauperum pignoratas discumbere, et super iis epulari; cum tamen Deus jussisset pignus pauperi ante noctem reddi, Deuter. 24. 12. Ita Hebræi, et ex eis S. Hieron. Lyran. et Vatabl. Peccabant ergo dupliciter. Primo, quod has vestes eriperent pauperi; secundo, quod iis colerent idola. Ita Sanchez.

Aliter Septuag. qui per accubitum intelligunt concubitum ; *Vestimenta*, inquiunt, *eorum li-*

gantes funibus, περιπετάσματα, id est, *velamina, faciebant adhærentia altari*, ut nemo eos ibi in idolio concumbentes et fornicantes videret. Sic enim Beelphegor colebant fornicando juxta ejus idolum et altare, ut patet Num. 25. 1. Ita Septuag. explicat S. Hieron. et Theodor. Unde Syrus et Arabicus vertunt : *Colligaverunt vestimenta sua funibus, et fecerunt incessus coram templo meo, et biberunt vinum cum lusu in domo deorum suorum.*

Denique Clarius censet eos dormiendo in vestibus hisce in pignus acceptis captasse oraculum, uti Græci dormientes in pelle arietis Jovi immolati, captabant ejus responsum, teste Herodoto lib. 8. Talia fuerunt lectisternia Gentilium in fano Serapidis, Æsculapii, Podalyrii et aliorum, quibus incubantes somnia captabant, de quibus P. Delrio Disquisit. Magic. l. 4. cap. 3. quæst. 6. Huc accedit explicatio Martini de Roa lib. 2. Singul. cap. 9, qui per vestes pigneratas accipit sacras, quibus se suis diis devovebant et consecrabant. Erant hæ vestes, inquit, quæ quasi pignus devotionis, aut initiationis, diis consecrabantur; aut quæ ipsi initiati devotique tanquam insigne ejus numinis, cui sese dicaverant, gestabant. Sic ait Cicero Philip. 14 : *Mars ipse ex acie fortissimum quemque pignerari solet*, id est, tanquam suum, sibique devotum et debitum usurpare. Et Suet. in Claudio, cap. 10 : *Primus Cæsarum*, inquit, *fidem militis etiam præmio pigneratus*, id est, quasi pignore sibi obligans. Et Seneca, lib. 3. de Benef. cap. 4 : *Nemo non victuram in animo suo memoriam dixit, nemo non deditum se et devotum professus est, et si quod aliud humilius verbum, quo se oppigneraret, invenit*, id est, quod se illi consecratum aut devotum significaret. Simili modo erant hæ vestes diis eorum oppigneratæ, per easque seipsos diis suis oppignerabant et devovebant. Subdit tamen Roa pignora hìc potius judicialia significari, quæ Jurisperitis ea dicuntur, in quorum possessionem quis à judice mittitur : sive quæ aliquo jure cuipiam adjudicata attributaque sunt, esto injuste, uti hìc fiebat. Ergo vestis pignerata non est aliud quàm vestis damnatorum, uti vinum etiam damnatorum, de quo sequitur:

Et vinum damnatorum (quos per calumniam et vim damnarant ad spolium, vel ad mortem. Unde Septuag. vertunt : *Vinum de calumniis bibebant*; Chald. *Bibebant vinum rapinæ*, utique expressum ex oppressione et conculcatione pauperum) bibebant in domo Dei sui,] q. d. Pauperes, præsertim Dei veri cultores, nec in Dan et Bethel, sed in Jerusalem sacrificantes, calumniis et falsis testibus circumventos damnabant, bonisque mulctabant, ex quibus instituebant symposia, seque inebriabant in suis idoliis, quasi hac idololatria, calumnia, rapina et ebrietate deos suos honoraturi, et Deum verum Judæorum offensuri. Ita S. Hieron. Theodor. Lyran. et Vatabl. Paulo aliter P. Prado in Ezech. 23. 31. Bibebant, ait, vinum damnatorum, id est, vinum generosum, delicatum, pretiosum, quale propinari solet damnatis à familiaribus et amicis, ut animosius tolerent cruciatus, et supremum mortis agonem; quasi sola gula et ebrietas hìc eis improperetur. Verum prior sensus simplicior, plenior et nervosior est. Simile scelus impiis improperat Job c. 24. 6 : *Agrum*, ait, *non suum demetunt, et vineam ejus quem vi oppresserunt vindemiant*, uti fecit Achab in agro Naboth, 3. Reg. 21. Porro ex damnatorum bonis olim diis sacrificari consuevisse docet Servius in illud Æneid. 4 :

Simul Divum templis indicit honorem.

Indici, inquit, *dicuntur, quia paupertas majorum ex collatione sacrificabat, aut certe de bonis damnatorum; unde et supplicia dicuntur.* Ac D. Isidorus, lib. 6. ex Festo : *Supplicationes*, ait, *quæ sunt de bonis passorum supplicia.* Hinc etiam sacer homo, sacra bona, et sacrum pro exsecrando sumptum, quia sacræ res de bonis exsecrandorum fiebant. Audi rursum Isidorum, et ex eo Martinum de Roa, lib. 2. Singular. cap. 9 : *Supplicium proprie dicitur, non qui quoquo modo punitur, sed ita damnatur, ut bona ejus consecrentur, et in publicum redigantur. Nam supplicia dicebantur supplicamenta, et supplicium dicitur de cujus damnatione delibatur aliquid Deo : unde et supplicare.* Vinum ergo damnatorum est, quod ex damnatorum mulcta et supplicio comparabatur ; ex quo diis sacrificare, ac proinde convivari etiam peracto sacrificio veteres consuevere.

9. Ego autem exterminavi Amorrhæum,] q. d. Ego, duce Josue, Chananæa expuli Amorrhæos, aliasque sex gentes ejus incolas, eamque dedi vobis, ô Israelitæ : hæccine ergo mihi rependitis ? Recenset beneficia eis præstita, ut eorum ingratitudinem et apostasiam acrius arguat. Nominat Amorrhæos præ cæteris : quia hi tam statura et robore, quàm sævitia et scelere superabant cæteros Chananæos : inde dicti sunt Amorrhæi hebr. id est, loquentes, sive famosi et frequenti sermone celebrati, ait S. Hieronym. Unde subdit :

Cujus altitudo cedrorum, altitudo ejus,] q. d. Amorrhæi alti et proceri erant instar cedri, q. d. Erant gigantes. Est hyperbole : et hebraismo redundat pronomen ejus. Simile est illud Virg.

Abietibus juvenes patriis et montibus æquos.

Et fortis ipse (populus Amorrhæus) quasi quercus.] De qua Seneca in Herc. Oetæo:

Gemit illa multo vulnere impresso minax,
Frangitque cuneos, resilit excussus chalybs:
Vulnusque ferrum patitur, et truncum fugit.

Sic Lucan. lib. 1. Pompeium assimilat quercui: hæc enim est fortitudinis symbolum, ait Pierius hierog. 51. Sic et Philo, ait S. Hier. Esau vocat δρυινον, id est, quercinum, roboreum, quasi ex quercu excisum : imo Festus à robore, id est quercus, robur dictum putat. Sensus ergo est, ait Ruffinus, q. d. *Silvam Gentium longa jam ætate prævalidam, ita celsis verticibus comminantem, et profundis radicibus innitentem, sedulus quasi castrorum metator excidii, ne habitationis levia saltem impedimenta sentirent. Quidquid ergo roboris fuerat, stirpitus amputavi.*

Et contrivi fructum ejus desuper, et radices ejus subter,] q. d. Penitus hunc populum everti, instar cedri, cujus tam sursum rami quàm deorsum radices succinduntur. Perstat enim in metaphora et similitudine cedri. Porro per ramos et radices accipi possunt filii et patres. Deus enim volens gentem et stirpem tam impiam radicitus delere, jusserat Mosi et Josue, ut Chananæos, omnes etiam pueros

et infantes, occiderent, itaque omne eorum semen abolerent, Deut. 7. 2. Josue 6. 21. Sapient. 12. 11. ubi Chananæi vocantur *semen maledictum.* Ita Theodor. Remig. et Arias.

11. Et suscitavi de filiis vestris in Prophetas,] q. d. Filios vestros implevi spiritu prophetiæ, fecique Prophetas, eaque ratione tam filios vestros, quàm vos in filiis evexi et honoravi.

Et de juvenibus vestris Nazaræos.] Repete *suscitavi.* Nazaræi erant quasi Religiosi legis veteris, qui, ut Deo melius vacarent, ex voto abstinebant vino, et gestabant cæsariem intonsam, ideoque dicti sunt Nazaræi, id est, separati à mundo, et addicti Deo. Unde et Nazianz. orat. in laudem S. Basilii, Religiosos nostros vocat Nazaræos. Vide dicta Num. 6. Nota hîc Nazaræatum, id est, statum Religionis, et vocationem ad eam, vitamque in ea, esse opus Dei, quod nec nisi Deo auctore, suscipi, nec nisi eo adjutore, retineri potest. Insuper eamdem esse magnum Dei donum quo Deus honorat familias, eisque benedicit, dum filios earum in eum sibi, quasi in suam familiam, adsciscit, eosque facit quasi aulicos aulæ suæ cœlestis, ut merito parentes hoc Dei donum in filiis impedire et evertere non debeant, nisi Deo ingrati esse, eique resistere velint; sed potius de eo sibi gratulari, Deoque gratias agere, ac filios eo impellere, eosque Deo eorum creatori offerre, imo reddere, uti docent S. Basil. in Ascet. S. Chrysost. 3. Contra vituper. vitæ monast. S. Ambr. lib. 1. de Virg. S. Bern. epist. 111. Vide P. Platum lib. 3. de Bono status Religiosi cap. 35. et lib 2. cap. 12. 13. 14. 15. 16. et 19.

12. Et propinabatis eis vinum.] Ita legunt omnes codices Latini, Græci et Hebræi, in præterito. Unde in Romanis vitio typographico irrepsisse videtur : *Propinabitis et mandabitis*, in futuro. Taxat enim præterita eorum scelera, nimirum quod Nazaræis contra votum et professionem eorum, propinarint vinum, et Prophetis à Deo missis ad prophetandum mandarint, dixerintque:*Ne prophetetis*, itaque Nazaræis et Prophetis, ipsique Deo eorum datori non tantum ingrati, sed et hostiliter obluctati fuerint. Qua de causa iratus eis vindictam et excidium horribile comminatur. Notent hæc ii qui Clericos et Religiosos ad sua vota et instituta violanda invitant et sollicitant. Audiant fulmen Dei quod sequitur : *Ecce ego stridebo, etc.*

Ex hoc loco, ait S. Hieron. *Hæresin suam Tatianus Encratitarum princeps statuere nititur, vinum asserens non bibendum; cum et lege præceptum sit ne Nazaræi bibant vinum; et nunc accusentur à Propheta, qui propinent Nazaræis vinum.* Eamdem ante sexennium renovavit fanaticus quidam in Hollandia, docens Christianis abstinendum esse vino et carne, quod hisce vescens nequeat servare castitatem : sed explosus ab œnopolis et lanionibus, ac à magistratu flagellatus, et in exsilium pulsus, insaniæ suæ pœnas dedit.

13. Ecce ego stridebo subter (male quidam codices legunt, *super :* hebr. enim est תחת *tachat*, id est, *subter;* et græce υποκατω, id est, *subtus*) vos.] Pro *stridebo* hebr. est מעיק *meic*, quod primo Chald. vertit active : *Ecce ego adduco super vos angustiam, et angustiis afficiet vos, in loco vestro, sicut angustiis premitur plaustrum onustum manipulis;* dum scilicet manipuli fœni vel segetum laxi ab auriga comprimuntur et stringuntur, ut currus capiat multos, itaque justum onus suscipiat. Verum Hebr. Græci et Latini codices legunt, *subter vos*, non, *super vos*, ut dixi. Secundo ergo, alii sic vertunt : *Coarctationem*, vel *compressionem facio subter vos*, id est, coarctabo et angustiabo vos undique, subtus et supra, sicut auriga densat et coarctat manipulos in curru, tam inferiores, quàm superiores, q. d. Multiplicabo et densabo angustias vobis circumquaque, sicut stringuntur et densantur segetes in curru, præsertim imæ, quæ subtus sunt, ut aliis fiat locus, pluresque super eos possint injici. Unde Emmanuel et Mariana ex Chald. sic exponunt : *Stridebo*, id est, obsidione vos premam, sicut plaustrum premitur et coarctatur plenum manipulis. Hinc et Arabicus Alexand. vertit : *Ego devolvam vos ut plaustrum volvens.* Tertio et optime vertit Noster, cui consentit Tigurina, quæ sic habet : *En ego onustus nimium premor, strideoque sub vobis, perinde ac plaustrum onustum manipulis premitur ac gemit;* quod explicans Vatabl. *Conqueritur*, inquit, *Deus de Israelitis, quod eum onerent peccatis et sceleribus suis : hinc sequitur quod et Deus eos in angustias ducturus sit, è quibus eluctari non possint.* Et R. Abraham : *Non est robur, ut feram vos; sed gemo sub onere*, juxta illud Isaiæ cap. 1. 14 : *Laboravi sustinens.* Et c. 43. 24 : *Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.*

Optime S. Hieronym. *Idcirco*, inquit, *sicut plaustrum stipulæ, vel fœni onere prægravatum, stridore et sonitu longe exululat; sic ego peccata vestra ultra non sustinens, et quasi stipulam tradens incendio, clamabo et dicam : Peribit fuga à veloce, etc.* Hinc Syrus vertit : *Ecce ego anxius* (compressus) *sum* (ero) *super vos, uti comprimitur* (angitur) *plaustrum plenum spicis.* Et Arabicus Antioch. *Ego deflectar ne sim vester judex, eo modo quo volvitur plaustrum plenum arundinibus.*

Vox ergo *stridebo* tria significat. Primo, Deum quasi gravatum mole peccatorum Israelitarum sub iis gemere : unde ait, *subter vos.* Secundo, indignari et stridere, ac diras omnes impiis cum excidio intentare ; stridor enim est is qui sequitur : *Peribit fuga à veloce, etc.* Tertio, *stridebo*, id est, stridere faciam, premam, et affligam vos ut strideatis. Hebr. enim מעיק *meic* est conjugationis *hiphil*, ac proinde plane activum. Unde Chald. et alii vertunt, *coarctabo vos*, nimirum per Salmanasar et Assyrios, qui obsidebunt et vastabunt Samariam. Quocirca Ribera recte sic exponit : *Stridebo subter vos*, id est, *in terra vestra audiri faciam magnum stridorem, et molestissimum auribus vestris sonum;* puta clamorem hostium vincentium et exsultantium, ululatum vero vestrorum civium occumbentium, vel captivorum. Ergo τὸ *stridebo*, non tam est vox et stridor Dei sub onere gementis, quàm indignantis, vindicantis et punientis. Gemitus enim in Deo non est signum animi fracti, aut imbecilli; sed infensi, sese intendentis, et excitantis ad plagam. Aliter enim gemit qui gravius portat onus quàm vires ferant; aliter gladiator aut lignator, qui tunc gemunt, cum se ad firmitatem et conatum intendunt : ille ut hostem feriat, hic ut quercum securi dejiciat. Sed in Deo videre est utrumque, et gemitum ac stridorem ex fastidio, et ex offensione suspi-

rium, quo se Dominus excitat ad anhelatam plagam, ait Sanchez. Rursum *stridebo* significat Deum hîc comparari plaustro, non tam quatenus ipse hostes instar plaustri onusti premit et calcat, uti putant Abenezra, Lyran. et Palacius, quàm quatenus instar plaustri fœno onusti, quod ex fœni levitate nunc in hanc, nunc in illam partem inclinando conquassatur, fremit et stridet. Ubi nota strepitum hostium, armorum, præliorum et bellicæ vastitatis, recte comparari stridori plaustri, quod re levi, puta fœno, vel stipula onustum magis stridet, quàm si lapidibus oneretur : lapides enim magis premunt, stringunt, onerant, ideoque firmiter degravant plaustrum, ejusque succussionem et stridorem impediunt : contrarium per omnia facit fœnum. Simul apposite voluptates peccatorum recte comparantur rebus levibus et vilibus, puta fœno et stipulæ, quæ statim marcescunt, arescunt, à vento rapiuntur, igne consumuntur : pari enim modo voluptates transeunt, marcescunt, et igne gehennæ comburuntur. Rursum pro *fœno* hebr. est עמיר *amir*, id est manipulus, id est manipuli, quibus significatur multitudo peccatorum : *Hoc est fœnum*, ait S. Hieronymus, *de quo Propheta psalm.* 128 : *Fiant sicut fœnum ædificiorum, quod priusquam evellatur exaruit. Et : Omnis caro fœnum : stipula autem illa est, super cujus incendio flebiliter Propheta Mich. cap.* 7. *complorat dicens : Heu mihi! quia factus sum sicut qui colligit stipulam in messe, etc. Hoc est fœnum, et stipula, de quo et Apostolus loquitur* 1. *Corinth.* 3 : *Ligna, fœnum, stipula uniuscujusque opus manifestum fiet ; quoniam in die Domini in igne revelabitur.* Quocirca aliqui apud Vatabl. sic vertunt : *Ecce ego gemere faciam* (vos) *sub vobis, id est, in locis vestris,* vel *stridere vos faciam*, scilicet sub onere tribulationum. *Meic* enim significat ita aliquid premere, arctare, gravare tot ponderibus et angustiis, ut res pressa et oppressa sub iis gemat et strideat instar plaustri nimis onusti. Et τὸ *sub vobis*, vel *subter vos*, Hæbræis idem est quod *in loco vestro*, ut patet Exodi 16. 29. Habacuc. 3. 16. et alibi. Ita S. Hieron. Remig. Hugo, Lyran. et alii. Consentiunt Septuag. qui vertunt : *Ecce ego volvo* (angustias et tribulationes) *subter vos* (in loco vestro), *sicut volvitur plaustrum plenum stipula ;* ita ut eas fugere et effugere non possitis. Unde subdit : *Et peribit fuga à veloce, etc.* Ita Theodor. et S. Hieron. *Volvere,* inquit, *se subter eos sicut plaustrum comminatur Deus, fœno vel stipula prægravatum, ut quia frumentum non habent quod in horrea condatur, fœnum eorum et stipula incendio concremetur.* Simili modo *stridula plaustra* dixit Ovid. lib. 3. Trist. eleg. 12. et Virgil. l. 8. Æneid. *Striduntque caminis stricturæ chalybum.* Et 4. Georg.

Stridere opes utero et ruptis effervere costis.

Et Æneid. 1 :

Cardo foribus stridebat ahenis.

Moral. S. Greg. lib. 32. Moral. cap. 6 : *Ecce ego stridebo subter vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno ; quia enim fœnum est vita carnalium, sicut scriptum est : Omnis caro fœnum, in eo quod Dominus vitam carnalium patitur, more plaustri fœnum se portare testatur. Cui sub fœni onere stridere, est pondera et iniquitates peccantium cum querela tolerare.* Addit Ruffinus : Queritur, ait, Deus, quia diu peccantem populum sustinebat, se oneratum instar plaustri, sed cui onus vilis materiæ contigisset, q. d. *Si plaustrum onustum haberet aliquam discernendi facultatem, indignantius sine dubio strideret si vilia, quàm si pretiosa portaret : sic et Deus noster majorem se sarcinam pronuntiat experiri, eorum peccata tolerando, in quibus nihil queat de pretiosis studiis reperire, sed qui omnes ad vile fœnum, quod facile ignibus consumitur, accesserunt.* Et Rupert. Fœni, ait, similitudine utitur, quia plaustrum fœni tardius progreditur, et ideo velocius comprehenditur ab insequente, et celerrime incendio absumitur.

Allegor. Christus stridebit contra reprobos in die judicii dicens : *Ite, maledicti, in ignem æternum ;* ibique instar ferri in igne, jugi folium flatu succenso, stridentis, stridere eos faciet ; nam, ut ait Matth. 8. 12 : *Ibi erit fletus et stridor dentium.*

14. Et peribit fuga a veloce.] Hæc verba accipi possunt dupliciter. Primo, quasi pendentia à verbo *stridebo*, quod præcessit, quasi stridor, vox et rugitus Dei contra impios Israelitas, sit hic : *Peribit* (pereat) *fuga à veloce.* Secundo, quasi non pendeant à verbo *stridebo*, sed hujus stridoris Dei sint fructus et effectus, q. d. Cum stridebit Deus contra Israel, omnes communi clade involvet, à qua proinde velox eripere se non poterit velocitate sua, nec miles fortis bellica sua fortitudine, vel agilitate, etc. ut vitam suam tueatur et servet. Id ita accidisse Israeli et Samariæ, cum eam vastavit Salmanasar, patet 4. Reg. 17. et 18. et 2. Paral. 5. Porro S. Hier. (et ex eo Remig. Albert. et Hugo) scribit Rabbinos singula hæc adaptare singulis regibus Israel, à primo Jeroboam usque ad ultimum Hosee, hoc modo : *Peribit*, inquit, *fuga à veloci, quem Hebræi Jeroboam filium Nabath intelligunt, qui prius in Ægyptum fugerat*, persequente eum Salomone 3. Reg. 11. *Et fortis non obtinebit virtutem suam, fortem Baasam interpretantur, qui fuit ad bella promptissimus. Et robustus non salvabit animam suam, hunc Amri sentiunt. Et tenens arcum non stabit, sive sustinebit, de Jehu filio Namsi, qui Joram regem Israel sagitta percussit, dictum putant. Et velox pedibus suis non salvabitur, Manahem intelligunt, qui frustra festinans, regi Assyriorum dona direxit. Et ascensor equi non salvabit animam suam, hunc Phacee filium Romeliæ interpretantur, qui juncto Aram, id est Syro, sub rege Achaz, Judææ multa vastavit. Et robustus corde, nudus fugiet in die illa : solus Hosee, qui ultimus rex decem Tribuum fuit, et errantem populum ad Dei cultum revocare conatus est, quasi nudus egreditur de incendio ; nudum autem vocat, quia sub ipso decem Tribus captæ sunt.* Ita Hebræi apud S. Hieron.

Verum priora ex his jam erant præterita : hîc autem intentatur Israeli futura clades extrema, ejusque excidium, quod cœpit à Phul tempore Manahem, ac perfectum est à Salmanasar tempore Hosee 4. Reg. 15. 19. et 4. Reg. 18. 9.

15. Tenens arcum non stabit,] q. d. Sagittarii Israelitarum, qui eminus jaciendo sagittas pugnant, non consistent contra adversarios, puta Assyrios. Ita Vatablus.

16. Robustus corde inter fortes nudus fugiet.] Tigurina : *Qui inter heroes magnanimus est, nudus aufugiet in die illa*, puta projecto

clypeo et ense, inermis, q. d. Viri fortes tam corpore, quàm animo, non sustinebunt impetum Assyriorum; sed cadent animis et, projectis armis, terga vertentes aufugient. Hinc Septuag. vertunt: *Fortis non inveniet cor suum in potentatibus;* S. Hieron. legit: *Inter potentes nudus fugiet.* Ad litteram agitur de Israelitis fugientibus Assyrios, ut patet ex præced. Quare minus recte Isidor. Pelus. l. 1. ep. 53. ad litteram censet hic agi de passione Christi, et per *nudum* intelligi adolescentem, qui *sindone coopertus ad nudum*, *carnificum Domini sævitiam, relicta ipsis sindone, effugit.* Mystice censet notari hic viros religiosos, qui se terrenis nudant, ut leves et expediti à mortalium fæce, ad eam vitam quæ ab interitu remota est, quasi additis alis evolent.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prophetat Israelem Assyriis, et Deo, quasi leoni rugienti, et aucupi in prædam dandum. Secundo, v. 9. advocat Philisthinos et Ægyptios, ut videant scelera, indeque stragem Israelis, quæ tanta erit, ut ex ea vix duo vel tres, iique miseri et ægri evadant; sed tam ipse, quam ejus idola et aræ, ac palatia domusque eburneæ diruantur.

1. Audite verbum quod locutus est Dominus super vos, filii Israel; super
omnem cognationem, quam eduxi de terra Ægypti, dicens: 2. Tantummodo
vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ: idcirco visitabo super vos
omnes iniquitates vestras. 3. Numquid ambulabunt duo pariter, nisi conve-
nerit eis? 4. Numquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædam? numquid
dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit?
5. Numquid cadet avis in laqueum terræ absque aucupe? numquid auferetur
laqueus de terra, antequam quid ceperit? 6. Si clanget tuba in civitate, et populus non
expavescet? si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit? 7. Quia non facit Dominus
Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas. 8. Leo rugiet, quis non
timebit? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit? 9. Auditum facite in ædibus Azoti,
et in ædibus terræ Ægypti; et dicite: Congregamini super montes Samariæ, et videte
insanias multas in medio ejus, et calumniam patientes in penetralibus ejus. 10. Et nescierunt
facere rectum, dicit Dominus, thesaurizantes iniquitatem et rapinas in ædibus suis. 11. Prop-
terea hæc dicit Dominus Deus: Tribulabitur, et circuietur terra; et detrahetur ex te fortitudo
tua, et diripientur ædes tuæ. 12. Hæc dicit Dominus: Quomodo si eruat pastor de ore
leonis duo crura, aut extremum auriculæ; sic eruentur filii Israel, qui habitant in Samaria in
plaga lectuli, et in Damasci grabato. 13. Audite, et contestamini in domo Jacob, dicit Domi-
nus Deus exercituum. 14. Quia in die cum visitare cœpero prævaricationes Israel, super
eum visitabo, et super altaria Bethel: et amputabuntur cornua altaris, et cadent in terram.
15. Et percutiam domum hiemalem cum domo æstiva; et peribunt domus eburneæ, et dissipa-
buntur ædes multæ, dicit Dominus.

1. Filii Israel.] S. Hieron. Remig. Hugo, Lyr. et alii per *filios Israel* accipiunt omnes duodecim Tribus, ac consequenter et Judam, eo quod sequatur: *Super omnem cognationem quam eduxi de terra Ægypti.* Verum ex seq. v. 12. et 14. liquet Prophetam proprie loqui Israeli, id est Samariæ et decem Tribubus, ita tamen ut sermonem mox dilatet et intendat quoque ad Judam, q. d. Vos, ô Israelitæ, quin et tu, ô Juda, adeoque omnes quos Deus eduxit ex Ægypto, qui cognati estis, uti sanguine, ita et scelere, futuri et similes in pœna strageque, audite ex ore meo Dei iras, minas et onus quod vobis imponit. Ita Theodor. Albert. Arias et alii.

2. Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ, q. d. Vos, ô Israelitæ, solos ex omnibus gentibus *elegi*, ut vertit Chald. mihi in populum, in familiares et amicos, imo in filios, ut vos quasi pater alerem, tuerer, proveherem et exaltarem. Subaudi cum Chaldæo, Vatablo et aliis: Cur ego à me ad vitulos aureos defecistis? *Idcirco visitabo* (puniam) *super vos omnes iniquitates vestras.*

Secundo, *cognovi*, id est curavi, et curo vos, resque vestras per peculiarem providentiam qua vobis legem dedi, tot miracula et bona contuli, pœnas et præmia proposui, rexi et direxi, imo rego et dirigo, ideoque bene agentibus mihique obedientibus prospera omnia, male vero facientibus adversa immitto, ut vos quasi pater

castigem, eoque quasi freno vos infrenem, et per viam virtutis ad me reducam, cum alias gentes præ vobis non cognoscere, id est non curare et negligere videar, easque ut alienas à me dimittam sequi desideria cordis sui, in futuro acerrima et æterna pœna eas puniturus. Magnum enim indicium animi vere paterni, et de filiorum commodis solliciti est, admovere aut ægrotanti cauterium, aut pigritanti aculeos, aut erranti flagellum, ait Sanchez.

3. Numquid ambularunt duo pariter, nisi convenerit eis?] Septuag. *Nisi cognoverint se;* Aquila : *Nisi constituerint inter se.* Quæres : Quorsum dicitur, et quid significat hoc adagium, et quinque quæ sequuntur usque ad vers. 6, et quinam sunt duo simul ambulantes? Respondent primo Theodoret. Remig. et à Castro in paraphrasi, hosce duos esse Deum et Assyrios, q. d. Deus et Assyrii pariter ambulant, perguntque ad vestrum excidium, ô Israelitæ : Deus enim est qui Assyrios in vos immittit, ut scelera vestra puniat. Idem censent significari sequentibus quinque adagiis : putant enim omnia eò spectare, ut significent nonnisi Deo vindicante hostes immitti, sicut duo non ambulant simul, nisi prius inter eos convenerit, et sicut leo non rugit nisi capta præda, et sicut auceps non aufert laqueum, nisi capta ave, et ita de cæteris ; nihil enim eorum fit, nisi posita conditione ; sic nihil fit in cladibus et excidiis, nisi annuente et puniente Deo. Probant quia Deus hæc adagia concludens, eorumque scopum et sententiam indicans, subdit v. 6 : *Si erit malum in civitate quod non fecerit Dominus?* q. d. Hæc duo pariter parique passu ambulant, Dominus et malum, sive numen et providentia, Deus et vindicta, puta castigatio impiorum : quia nec est Deus sine providentia, sive numen sine vindicta impiorum : nec aliqua eorum vindicta exercetur sine Deo et numine. Hic sensus sublimis est et moribus congruens.

Secundo, Arias censet hos duos esse Juda et Israel, sive duas Tribus et decem; rursum, esse Nabuchodonosor et Salmanasar, q. d. Juda et Israel schismate à se videntur divisi, sed tamen in idololatria et scelere consentiunt, et pariter ambulant ad colenda eadem idola. Idcirco pariter contra eos ambulabunt Nabuchodonosor et Salmanasar : ille ut Judam, hic ut Israelem puniat et perdat. Deus enim utrumque immittet et diriget ad idem utriusque excidium.

Tertio, Hugo, Lyran. et Vatabl. per duos hos simul ambulantes accipiunt Deum et prophetam, v. g. Amos, q. d. ait Vatabl. *Sicut duo nunquam aliquò simul proficisci solent ob aliquod negotium, nisi prius de eo conveniat inter ipsos : sic Prophetæ per quos prædicam me visitaturum iniquitates vestras, uti jam dixi, non accedent ad vos ut hæc annuntient, nisi maxime illis mecum conveniat, ut de hoc vos admoneant. Hac enim similitudine voluit ostendere præstantiam prophetiæ, magnumque esse inter Deum et Prophetas consensum. Unde paulo post v. 7. seipsum declarat his verbis : Quia non facit Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas.*

Quarto et congruentius, magisque genuine Rupert. Clarius et Ribera censent hos duos simul ambulantes esse Deum et populum Israel, q. d. Ego Deus ambulavi simul cum Israele, olim pio et obsequente, cum scilicet eum quasi manu tenens eduxi ex Ægypto, et per desertum perduxi in Chanaan : quia tunc ipse mecum conveniebat, sinebat se à me regi, meumque ductum et legem libens sequebatur. At nunc, me relicto, ambulat cum diis alienis. Quocirca ego pariter non ambulabo cum eo, quod ipse cum idolis convenit, non mecum ; sed potius contra eum ut hostis incedam, uti minatus sum Levit. 26. 24 ; puta ambulabo cum eo, uti carnifex cum reo quem ducit ad furcam ; sicut leo ambulat cum præda quam discerpsit, auceps cum ave quam cepit; venator instructus laqueo cum fera quam illaqueavit. Rugiam enim in eum quasi in prædam meam, et per Amos aliosque Prophetas, certum et inevitabile ei per Assyrios exitium prædicam et intentabo.

Ut hæc expositio explicetur et probetur, suppono quod, sicut in fabulis et apologis (v. g. Æsopi) sunt tres partes, scilicet μυθος, προμυθιον et επιμυθιον, id est fabula, profabulatio et affabulatio : profabulatio est ipsa prælibatio et quasi prologus, significans in quos et quorsum dicatur fabula; affabulatio est epilogus fabulæ, significans quid ex ea discere, quem fructum capere debeamus : ita pariter in adagiis, ænigmatibus et parabolis sint tres partes, puta parabola ipsa, proparabola et postparabola. Proparabola est ipse prologus parabolæ, indicans ejus finem et scopum, qualis est illa Lucæ 14. 7 : *Dicebat autem ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent,* q. d. Scopus Christi in parabola sequenti, quæ est de invitatis, est taxare ambitiosos, qui primas cathedras et discubitus primos ambiunt : postparabola est conclusio parabolæ, significans ejus usum et fructum, qualis est ibidem v. 11 : *Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur.*

Hoc supposito, dico horum sex adagiorum sive parabolarum sensum venandum esse ex proparabola, sive prologo qui immediate præcessit; et ex postparabola, quæ immediate postea subjungitur. Prologus autem hic est : *Audite verbum quod locutus est Dominus super vos, filii Israel, super omnem cognationem quam eduxi de terra Ægypti, dicens : Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ;* et maxime id quod mox sequitur, et immediate adagia hæc præcedit, nimirum : *Idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras,* q. d. Puniam vestra in me scelera, eo quod, cum ego eduxerim vos ex Ægypto et vobiscum jugiter quasi pater ambulaverim : vos tamen superbe et ingrate vertentes mihi dorsum, me spreto, ambulaveritis cum idolis et vitulis aureis. Postparabola est v. 6 : *Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit? quia non facit Dominus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas. Leo rugiet, quis non timebit? Deus locutus est, quis non prophetabit?* q. d. Uti in proparabola dixi, ita in postparabola dico et repeto me, non alium, mala et clades vobis intentare per Prophetas, eaque mox reipsa per Assyrios inflicturum, ut in vos rugiam et sæviam, sicut leo in prædam, eo quod tanquam hostes contra me incesseritis, ambulantes cum idolis qui sunt jurati mihi inimici. Ecce hîc videmus clare tam prologum quàm conclusionem parabolæ significare, eò spectare parabolas hasce, ut per eas indicet Deus se olim cum Israele ambulasse quasi patrem cum filio, eo quod recte illi cum eo conveniret : at jam post ejus apostasiam, schisma et idololatriam, se ami-

eam illam præsentiam, et paternam curam opemque ab eo ablaturum, et contra eum incessurum, ac per Prophetas suos, strages et exitium ei intentaturum, illudque mox illaturum per Assyrios. Ergo hic est horum sex adagiorum et parabolarum scopus et sensus.

Ubi nota. Duo hîc in postparabola significat Deus: Prius, nihil mali immitti civitati, v. g. Samariæ, nisi à Deo; secundum, illud ipsum malum se ei non infligere, nisi prius ipsam de eo præmoneat per Prophetas, ut vitam corrigat et malum evadat; utque sciat malum, cum id ei obvenerit, non aliunde quàm à Deo vindice, qui illud ei per Prophetas comminatus est, obvenire. Propheta enim hîc vult fidem et auctoritatem, æque ac certitudinem conciliare suæ prophetiæ ac minis, quæ ex Deo Israeli intentabit: auctoritatem, dicendo Deum non facturum quidpiam mali Samariæ, nisi illud prius sibi revelarit et per se prænuntiarit: certitudinem, dicendo hæc sua minacia oracula esse sibi à Deo revelata, esseque minas et verba ipsius Dei, qui est prima veritas, fallique aut fallere nequit. Credant ergo Israelitæ has non esse minas verbales et inanes, sed reales et efficaces, utpote Dei irati et sævientis instar leonis. Quocirca hîc se Propheta non constituit alterum, vel secundum à Deo, sed quasi eumdem cum Deo, scilicet ut Dei os et tubam, quæ clangat et rugiat contra Israel, qui est alter, vel secundus à Deo. Duo ergo ambulantes hîc sunt, Deus per Prophetam minans, et Israel minas hasce Dei excipiens. Jam secundùm hæc, reliqua quinque adagia sigillatim explicanda et adaptanda sunt. Secundum ergo est quod sequitur: *Numquid rugiet leo?* etc. Ita S. Hieron. Emman. Mariana et alii.

Allegor. S. Hieron. Non possunt duo, puta Gentiles et Judæi, ambulare simul, nisi convenerint in una fide unoque capite Christo. Quod si discordia separentur, statim eos leo rugiens et auceps diabolus invadet et capiet.

Tropolog. Rupert. Non potest Deus ambulare cum peccatore, si ille peccatum defendat: *Nos duo sumus*, inquit, *ego qui arguo vel corripio, Deus, et Israel qui corripitur; nimirum non convenit nobis quia me corripientem Deum correptus Israel non audit. In hoc nobis animus disconvenit: quia ego arguo, ille se defendit.* Et S. August. in psalm. 75: *Quamdiu*, inquit, *non confiteris peccata tua, quodammodo rixaris cum Deo. Quomodo enim non cum illo litigas, qui quod illi displicet laudas? Psalmi vox est dicentis: Incipite Domino in confessione. Quid est: Incipite Domino in confessione? Incipite adjungi Deo. Quomodo? Ut hoc vobis displiceat, quod et illi displicet. Displicet illi vita tua mala: si placeat tibi, disjungeris ab illo; si displiceat tibi, per confessionem illi conjungeris.*

4. Numquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædam?] Leo est Deus, præda est Israel, rugitus sunt minæ Prophetarum, Israeli excidium per Assyrios ex Dei jussu intentantium, q. d. Sicut leo famelicus rugit, dum in unguibus, vel etiam in oculis habet prædam: rugit, inquam, ut iras et animos excitet, ad feram quam prædari vult invadendam; aut, si eam ceperit, ad eam contra lupos, ursos aliasque feras et homines tutandam, ne sibi eripiatur: ita Deus rugit, indignatur et minatur per me aliosque Prophetas, vobis, ô Israelitæ, quos jam invadit per Assyrios, quosque quasi jam captos in manu habet, et proximæ cladi et captivitati destinat. Sicut enim leo nunquam rugit, quin prædam capiat, laceret et devoret: ita Deus non minatur obstinatis pœnas, quin protinus illas eis infligat, eosque cædat et mactet, uti vos, ô Israelitæ, mactabit per Salmanasar. Nota ex Arist. Plinio et aliis mox citandis. Leo solet rugire bis: primo, cum famet, et quærit videtque prædam; secundo, cum eam capit: tum enim partim ira ne sibi eripiatur, partim fame et ingluvie frendens et murmurans rugit. Leo enim gulosus est et helluatur, ita ut partes integras ossaque deglutiat, antequam dentibus ea comminuat. Unde ita se infarcit, ut repletus ad biduum vel triduum non esuriat, nec comedat ordinarie nisi alternis diebus, puta semel in biduo, uti docet Aristot. lib. 8. Hist. anim. c. 5. Plinius lib. 8. cap. 16. et Ælian. lib. 4. Hist. anim. cap. 33. Hinc et ex ingluvie hac, halitus ejus gravis est et fœtet: *Animæ leonis virus grave*, ait Plinius lib 11. cap. 33. Simili modo rugiit Deus tum ante excidium Israelis per Prophetas ei minando; tum in excidio Israelem per Assyrios concidendo, nec permittendo ut Ægyptii aliive eum sibi eriperent. Magis tamen hîc Propheta loqui videtur de rugitu leonis ante prædam: suas enim prophetias minaces per Amos, Osee et alios editas de futuro et instante excidio, Deus hîc comparat rugitui leonis. Adde: major et horribilior est rugitus leonis, cum videt hostem, ut eum invadat et prædetur, quàm dum eum capit et devorat. Porro dicitur tunc eam habere, tum quia eam habet oculis suis propositam, tum quia in spe certa eam habet. Sequitur tertium adagium secundo simile:

Numquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit?] Tigurina: *Num catulus leonis vocem suam edit egressus de lustro, cum nihil prædæ cepit?* Repetitione hac Propheta Dei potentiam et oraculi certitudinem astruit, q. d. Si præda salvari nequit à leone et à catulo leonis rugiente, quis vestrûm, ô Israelitæ, evadet manus Dei irati? Leoni subjungit catulos; quia, utpote petulci et latrante semper stomacho famelici rugiunt magis, juxta illud ps. 103.2: *Catuli leonum rugientes, ut rapiant et quærant à Deo escam sibi.* Unde in Script. ira Dei, æque ac hostium acer insultus, comparatur rugitui leunculorum, ut Isaiæ 31. 4: *Quomodo si rugiat leo et catulus leonis super prædam suam*, etc. *sic descendet Dominus ut prælietur.*

5. Numquid cadet avis in laqueum terræ absque aucupe] qui avi laqueum posuit? q. d. Non: sicut ergo avis non capitur laqueo nisi ab aucupe, ita et vos capiemini ab Assyriis, non alio id agente, quàm Deo qui Assyrios quasi laqueum vobis posuit. Hebr. מוקש *mokes* significat illaqueatorem, puta aucupem, ut vertunt Septuag. Noster et alii. Potest secundo cum Vatablo verti *offendiculum*, q. d. Sicut avis non cadit in laqueum sine offendiculo, id est, quin eo capiatur et stranguletur; sic nec vos cadetis in manus Dei et Assyriorum, quin ab eis capiamini et strangulemini. Verum quia illud significatur proxima parabola, hinc ut sit gradatio, simplicius Noster et Septuag. vertunt, *absque aucupe.* Sequitur ergo quartum adagium tertio connexum:

Numquid auferetur laqueus de terra, antequam quid ceperit?] q. d. Sicut laqueus à venatore non tollitur, nisi eo avem vel feram illa-

queaverit et ceperit, sic nec ego tollam expansum rete meum, puta Assyrios è Samaria, donec eam ceperint et vastarint, sed quasi auceps continuo assistam et intendam iis, quasi meis laqueis, nec desistam donec vos capiant et jugulent. Excludit omnia effugia impiorum et incredulorum, qui hæc ejus oracula vel elevabant, vel eludebant dicendo : Minæ hæ sunt solitæ Prophetarum, sed minæ duntaxat, sicut parentes pueris ostentant virgam, non ut feriant, sed ut minis eos percellant : veniet Assyrius, ostentabit se Samariæ; sed non audebit urbem tam potentem et munitam aggredi : nobis ergo intactis et illæsis domum redibit. Hæc effugia et has elusiones minarum et oraculorum suorum succidit hìc Deus, certoque denuntiat Assyrium non recessurum à Samaria, donec eam capiat, sicut venator non tollit laqueum, donec eo avem constrinxerit. Nota minas Prophetarum et prædicatorum hìc comparari rugitui leonis, reti aucupis et clangori tubæ v. 6. Vere Nicetas in vita Alexii Comn. *Laqueos*, ait, *et retia divinæ providentiæ nemo evadere potest*, uti eosdem evadere nequivit Pharao, Diocletianus, Maximianus, Julianus Apostata, Valens Imper. aliique similes. Similem laqueum Judæis intentat David psal. 68. 23 : *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributiones et in scandalum.* Hæc est divinæ justitiæ venatio : sicut enim principes viri apros luposque, ita Dei vindicta venatur tyrannos et impios. Sic de Sedecia ait Deus Ezech. 12. v. 13 : *Extendam rete meum super eum, et capietur in sagena mea*, per Chaldæos. Sequitur adagium quintum :

Si clanget tuba in civitate, et populus non expavescet? q. d. Sicut tuba tempore belli personante, et classico perstrepente, ac significante hostem adesse, paranda esse arma et aciem, fieri nequit quin populus metu hostis et cladis, ac horrore clangoris bellici percellatur; sic multo magis vos, ô Israelitæ, deberetis pavere et percelli ad voces hasce meas, quibus ex Deo classicum cano, ac hostem, ignem et flammam vobis prædico et intento. Clangor ergo tubæ est prophetia : clangens est Deus : tuba est os Prophetæ : hostis est Assyrius : civitas Samaria : populus, Israelitæ metu percellendi et exanimandi.

6. Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit?] Hìc est postparabola, sive conclusio et applicatio parabolarum præcedentium. q. d. Quinque parabolæ quas jam recensui, significant malum, id est, afflictionem et cladem extremam afferendam Samariæ per Assyrios, non ab alio, quam à Deo à quo apostatarunt, quemque irritarunt, præponendo ei vitulos aureos. Cum ergo hæc clades vobis, ô Israelitæ, advenerit, certo scitote à me illam vobis inferri : ideo enim ego solus illam per Prophetas vobis prædico et comminor, quia solus illam vobis infligam, non Baal, non Chamos, non quis alius inanium deorum. Unde explicans subdit : *Quia non facit Dominus*, etc.

Moral. disce hìc rapinarum, incendiorum, stragum et calamitatum omnium, tum publicarum, tum privatarum, quæ impiis et peccatoribus infliguntur, Deum esse auctorem : Deus enim, gubernator universi, judex est et vindex omnium. Recte Plutarch. in Moral. *Ut amnes*, ait, *quidam repente se condunt sub terram*, *nihilominus eò perferuntur quò tendunt : ita numinum iræ, licet occultæ, tamen in extremas calamitates auferunt aliquando nocentes*, etiam dum non cogitant *ultorem post caput esse Deum.* Et Horat.

> Raro antecedentem scelestum,
> Deseruit pede pœna claudo.

Et Jerem. Thren. 3. 37 : *Quis est qui dixit ut fieret, Domino non jubente? Ex ore Altissimi non egredientur nec mala nec bona? Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis?* vide ibi dicta. Et cap 18. 11 : *Ecce ego fingo contra vos malum.* Et Isaiæ c. 45. 7 : *Ego Dominus, et non est alter formans lucem, et creans tenebras ; faciens pacem, et creans malum.* Vide S. Basil. hom. *Quod Deus non est auctor malorum*, ubi ostendit proprie nihil malum esse nisi peccatum, cujus auctor est voluntas creata, non Deus : cætera vero mala pœnæ, quæ vocantur, bona esse, non mala, præsertim quia per ea Deus interficit peccatum, et vivere facit justitiam, aut potius facit hominem mori peccato, ut vivat justitiæ. *Quantum enim*, ait, *exterior homo noster corrumpitur, tantum interior renovatur. Non igitur alium interficit, et alium vivificat ; sed eumdem per ea quæ interficit vivificat. Caro igitur percutitur, ut anima sanetur. Peccatum perimitur, ut justitia vivat.*

7. Quia non facit Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas.] Τὸ *quia* potest accipi pro *verumtamen*, efficacius tamen accipias proprie, ut causale ejus quod præcessit, q. d. Non est malum in civitate quod non faciat Dominus : quia ipse omnia mala civitati eventura prius revelat Prophetis, et per eos illa se civitati mox inflicturum comminatur: ergo cum mox illa civitati infligantur, ipse est, non alius, qui ea civitati quasi judex et ultor infligit, uti comminatus est. Porro Deus hanc cladem civitati Samariæ, non inferret, nisi vobis, ô Samaritæ per Prophetas præmonitis, idque duas ob causas. Prior est, ne causari possitis vos nunquam fuisse reprehensos. Posterior, ut certi sitis eam ob scelera vestra vobis infligi, Deumque eorum vindicem ejus esse auctorem. Qua re Propheta declarat tum dignitatem, tum necessitatem sui muneris, puta prophetiæ, utpote à Deo accepti, ut scilicet ipse esset quasi legatus Dei ad Israel, et inter eos internuntius, sequester et mediator : tum misericors Dei consilium, uti mox ostendam.

Quocirca nota : *Verbum* metonymice significat rem, puta cladem verbo significatam et prædictam. Unde mox idem vocat *secretum suum*, et ut Theodot. *consilium suum*, puta arcanum ejus decretum de clade hac inferenda. Septuag. vertunt, παιδείαν, id est, eruditionem, vel potius, ut S. Hieron. vertit, *correctionem suam* : quo significatur minas et plagas Dei non proficisci ex odio, sed ex amore paterno erga homines. Sicut enim pater corripit et castigat filium quem diligit, ut eum erudiat; sic et Deus peccatorem. Quapropter castigationem hanc invitus, et quasi coactus infert, ideoque ut eam pœnitendo evadant homines, prius per prophetas et prædicatores eam comminatur et prænuntiat, quæ omnia miram Dei clementiam significant, ait S. Hieron. Ita ante diluvium præmonuit peccatores per Noe, qui ea de causa centum annis arcam fabricavit, ut per centum annos homines sciscitantes fabricæ hujus causam, monerentur de instante diluvio, illud-

que pœnitendo averterent et evaderent, uti excidium evaserunt Ninivitæ præmoniti à Jona. Sic per Moysen nullam Ægypto plagam inflixit, nisi prius per eumdem de ea Pharaonem et Ægyptios præmoneret, ut patet Exodi cap. 7. 8. et 9. Sic clades per Syros, Ammonitas, Madianitas et Philisthæos, quæ narrantur in libris Judicum, Hebræis non intulit, nisi iis præmonitis per Josue cap. 24. perque Deboram Judic. 4. 4. et alios Prophetas. Sic excidium per Titum et Romanos Judæis non irrogavit, nisi iis præmonitis per Christum Lucæ 19. 42. et Apostolos. Sic cladem extremam orbi non inferet, nisi iis præmissis Prophetis et Angelis, qui septem tubis insonantes eamdem toto orbe proclamabunt, Apocal. c. 16. v. 1.

8. Leo rugiet, quis non timebit? q. d. Quanto magis Deus rugiens et comminans ab omnibus timendus est? Unde partim explicans, partim inferens subjungit: Deus locutus est, quis non prophetabit?] Hæc enim propositio prioris est parallela partim explicatio, partim illatio et conclusio, q. d. Si, leone rugiente, omnes timent; ergo multo magis, Deo fremente, omnes timeant oportet; ac imprimis nos Prophetæ, qui primi hunc Dei in nobis loquentis rugitum audimus, illius metu percellimur; ideoque trepidi tacere non possumus, sed prophetamus et inclamamus omnibus, ut sibi caveant et prospiciant, ne ejus præda fiant et ab eo discerpantur; præsertim quia ideo in nobis loquitur et rugit, ut nos eumdem rugitum prophetando aliis promamus et exprimamus, q. d. Cum Deus nos Prophetas mittat jubeatque prophetare, silere non possumus. ita S. Hieron. Emmanuel, Mariana et alii. Amolitur aliud incredulorum Israelitarum effugium, vel potius improperium. Improperabant enim jugiter Prophetis, quod ipsi tristia semper prophetantes Israeli, viderentur de ejus clade gaudere, eique insultare. Respondet Amos se invitum hæc prophetare, cogique à Deo, nec posse se illi resistere. Deo enim loquente, mandante et mittente Prophetam, quis non prophetet? quis silere, quis Dei imperium detrectare audeat? Deus enim est quasi leo rugiens, qui Prophetam inobedientem, æque ac populum rebellem discerpat: sicut per leonem discerpsit Prophetam illum in re modica inobedientem, scilicet quod contra jussum Dei cibum sumpsisset in Bethel, deceptus licet ab alio Propheta, qui Deum jussum suum revocasse asserebat, 3. Reg. 13. 24. Sensus ergo est, q. d. Minæ meæ non sunt meæ, sed Dei: rugitus meus non est meus, sed Dei: Deus enim quasi leo rugit in mente nostra, et inde in ore nostro, ut vos percellat: ne ergo nobis hæc tristia oracula imputetis. Deo enim loquente per mentem et os nostrum, tacere non audemus, nec possumus. Rursum si leo fame, vel, catulis raptis, fremens et rugiens è saltu incurrat in urbem, quis eum eminus videns, non inclamet omnibus: Fugite, leo fremens imminet, prospicite vobis? quin ergo ego Amos videns Deum iratum in Samariam incurrere, ut eam disperdat, omnibus inclamem, ut sibi caveant? Hoc est quod Deus Ezechieli edixit cap. 3. 27: *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel*, etc. *si dicente me ad impium: Morte morieris, non annuntiaveris ei*, etc. *sanguinem ejus de manu tua requiram.*

Simile fuit responsum S. Aphraatis Eremitæ. Cum enim ipse egressus eremo Arianis grassantibus resisteret, ac Valentem Imp. de arianismo et persecutione Orthodoxorum increparet; Valens autem ei objiceret: Quid tu, monache, qui vitam solitariam profiteris, silentio et quiete relicta, urbem et forum ingrederis? respondit: Si virgo, in thalamo abscondita, videret quempiam faces domui injicientem, nonne à domo prosiliret, et inclamaret: Incendium, incendium, ut se suosque ab eo liberaret? Ne ergo me reprehendas, qui quietem reliquerim; sed teipsum reprehende, qui hanc flammam in domum Dei injeceris, et non me, qui conor exstinguere, ideoque omnibus inclamo ut caveant à te, et à tua hæresi, qua quasi igne Ecclesiam Dei succendere conaris. Ita refert Theodor. in Philotheo, cap. 8. Pari modo Amos obstrepentibus sibi Israelitis: Quid tu minaris nobis? armentarius es, non Propheta: quid nos flagellas? vade ad tua pascua, flagella tuos boves, respondet: *Leo rugiet, quis non timebit? Deus locutus est, quis non prophetabit.* Hoc est quod in eadem causa Judæis respondit Jerem. cap. 9. v. 20: *Factus est*, ait, *mihi sermo Domini in opprobrium et in derisum tota die.* Et mox: *Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, et defeci ferre non sustinens.* Et cap. 6. 10: *Cui loquar? Et quem contestabor ut audiat? ecce incircumcisæ aures eorum*, etc. *Idcirco furore Domini plenus sum, laboravi sustinens.*

Quis non timebit?] Vere S. August. in sententiis, numer. 77: *Omnia quæ timentur, rationabiliter declinantur: Deus sic timendus est, ut ab ipso ad ipsum confugiatur*, scilicet ab ipso irato ad ipsum clementem et placidum.

9. Auditum facite in ædibus Azoti.] Advocat Deus vicinas gentes, puta Azotios et Ægyptios, in Samariam. Primo, ut, visis eorum sceleribus ac punitione, testes sint, uti beneficiorum multiplicium et insignium Israelitis, tum in exitu ex Ægypto, tum in deserto, tum in Chananæa à Deo collatorum; ita et vindictæ mox ab eodem exercendæ in eumdem, utpote ingratum. Secundo, ut magis doleant Israelitæ, videntes se gentibus hostilibus in probrum et ludibrium exponi, quodque hostes clades ipsorum videant et rideant, gaudeantque de eorum strage et excidio, juxta illud psal. 136. 7: *Memor esto, Domine, filiorum Edom in die* (excidii) *Jerusalem: qui dicunt: Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Porro hoc schemate et artificio conatur Deus Israelitas ad se revocare, dum oculis eorum objicit infamiam et probra, quæ laturi sunt à gentibus, si in apostasia pergant, ideoque à Deo per Assyrios vastentur.

Per Azotios, cæteros Philisthinos accipe. Est synecdoche. Ita S. Hieron. Rupert. Hugo, Lyran. Arias et alii. Miratur, et merito, S. Hieron. apud Septuag. pro Azotiis legi *in Assyriis*: videtur mendum librariorum.

Super montes Samariæ.] Hi montes imminent Samariæ, quæ fuit urbs ab Amri rege ædificata in monte Somer, indeque et urbs, et ab ea, utpote metropoli, tota regio dicta est Samaria: eam postea Herodes Ascalonita nominavit Sebasten, id est, Augustam, in honorem Augusti Cæsaris: perinde ut nunc vocatur Augusta Vindelicorum, Augusta Trevirorum, etc. Herodes enim eam à fundamentis instaurans, firmissimo muro per viginti stadia circumdedit, et in ejus medio templum maximum sesquistadii magnitudine, modis omnibus ornatissimum Augusto

Cæsari dedicavit, et Sebasten nuncupavit. Ita Joseph, lib. 15. Antiq. cap. 10. et ex eo Adrichom. in Samaria.

Et videte insanias multas in medio ejus.] Hebr. מהומות *mehumot*, id est, *tumultus* et conturbationes ingentes, ut vertit Chald. Hinc Septuag. vertunt, *admirabilia*, quæ scilicet admiraturi erant Philisthini et Ægyptii, ad spectaculum hoc à Deo evocati.

Jam per *tumultus*, Arias accipit tumultus civium Samariæ, cum ea capta ab Assyriis, cives turmatim fugientes se invicem obtriverunt, et ab instantibus Assyriis obtriti sunt. Melius de culpa quàm de pœna hæc accipias. Unde Noster vertit, *insanias*, scilicet in colendis vitulis aureis, ait S. Hieron. Rupert. Hugo et Lyran. aut *insanias*, id est, insanos tumultus et seditiones, quibus se invicem obtruncarunt. Ita Theodor. Unde Vatabl. vertit : *confractiones multas;* has enim significat Hebr. *mehumot*. Hinc et sequitur : *Et calumniam patientes*, vel, ut Vatabl. *oppressos per vim et calumniam*, supple et repete, *videte*.

Tropol. insaniæ sunt figmenta hæreticorum, ait S. Hieron. *dum unusquisque fingit quod voluerit, et adorat figmentum suum : ut Marcion bonum Deum et otiosum : ut Valentinus* αιωνας *triginta, et extremum Christum, quem appellat* εκτρωμα, *id est, abortivum : ut Basilides, qui omnipotentem Deum portentoso nomine appellat* αβραξας, *et eumdem secundùm Græcas litteras, et annui cursus numerum, dicit in solis circulo contineri.* Talia sunt hodie Calvini et Lutheri placita ; hominem carere libero arbitrio, opera bona nil mereri, fidem solam justificare, omnia opera sanctorum esse concupiscentia et peccato contaminata, Deum esse auctorem omnium operum, tam malorum, quàm bonorum ; Christum in cruce quasi desperasse, et pertulisse pœnas damnatorum, vota castitatis Deo nuncupata esse impossibilia, nec servanda, Deum præcepisse legem impossibilem. An non hæ insaniæ lymphaticorum, quibus nihil insanius vidit hæc ætas ?

10. Thesaurizantes iniquitatem,] iniquas opes, scilicet partas per vim, calumniam, furta, etc. Unde Vatabl. vertit: *Hi sunt qui thesaurizant rapinam et prædam in palatiis suis*, congregant opes per fas et nefas, ut dicitur.

Et rapinas;] Septuag. *et miseriam;* Syrus, *et pressuram*, angustiam. Unde videntur ipsi hæc de pœna Samariæ accipere, cum potius de culpa accipienda videantur, uti dixi.

11. Próptérea hæc dicit Dominus puniens tuas rapinas et scelera : Tribulabitur et circuietur (id est, cingetur obsidione, et circumcirca obsidebitur ab Assyriis) terra,] ne quis effugiat. Tigurina vertit : *Angustiæ tibi erunt, idque undique in terra.* Quod explicans Vatabl. *Hostis*, ait, *venturus est, et in circuitu terræ hujus castrametabitur, ne quis possit effugere.* Loquitur hîc Propheta tanquam attonitus magnitudine tribulationis et stragis futuræ, quam quasi præsentem spiritu prophetico intuebatur : propterea utitur locutionibus concisis, multaque subticet et subaudit, ut admirationem et terrorem incutiat audientibus. Mirum est Septuag. hæc de Tyro accipere, eo quod Hebr. צור *tsor* significet angustias, et petram angustam, indeque Tyrum in petra conditam. Vertunt enim : *Tyrus, et in circuitu terra tua deserta erit.* Agitur enim hîc de clade Samariæ, non Tyri. Melius ergo Symmach. *tsor* vertit πολιορκιαν, id est, obsidionem ; et Theodotion, *fortitudinem.*

Detrahetur ex te fortitudo tua;] Tigurina : *Dejiciet à te robur tuum, et diripientur palatia tua ;* Vatabl. *Hostis auferet tibi opes tuas, in quibus tuum belli robur consistit*, q. d. Assyrii rapient tuas opes, quas per vim, dolum et calumniam congessisti.

12. Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, etc.] Per *pastorem*, Deum ; per *leonem*, hostem; per *crura* et extremum auriculæ, paucitatem Israelis ab hoste servandam intellige, q. d. Sicut pastor leoni rapienti et discerpenti ovem, aut bovem, aliquam ex eo partem, sed parvam et ad esum inutilem, v. g. duo crura, quæ leo non curat, eripit; sic aliqui Israelitæ, sed pauci, iique infirmi, pauperes et viles ab hac eorum strage et captivitate eruentur, ii scilicet, quos Assyrii contemnent, et ut quisquilias fæcesque plebis relinquent in Samaria ad colendum agros et vineas. Ita Theodor. Clarius, Arias et Vatabl. Ecce Amos, utpote pastor, crebro à re pastoritia sibi familiari petit similitudines.

Aliter, imo contrarie S. Hieron. censet enim hæc ironice per sarcasmum dici, q. d. Israelitæ præfisi robori Samariæ, et auxiliis Damasci, id est Syrorum, putant quod eruent et expedient se de manibus Assyriorum, sicut pastor ope canum de ore leonis extorquet et eripit duo crura, etc. sed errant et falluntur. Verum prior sensus, uti communior, ita simplicior est et verior : Deus enim, post commendatam justitiam, commendat hîc suam misericordiam, eaque illam temperat, q. d. Non omnes omnino peribunt : nam aliqui servabuntur, licet pauci. Porro per crura et ossa significat eos nudos ac spoliatos, vita vix salva, stragi communi eripiendos.

Rursum censet Theodoret. duo hæc crura à pastore eripi, ut iis fidem faciat hero, pecus à leone esse laniatum, non à se venditum, aut furto sublatum.

Symbol. notat Rupertus duo crura et extremum auriculæ ad hoc reservari, ut ex iis constet quale fuerit pecus devoratum, an ovis, an bos, an equus : sic videlicet ex parvis Judæorum reliquiis, colligi quales fuerint ipsi ante peccatum, et ante Christum, atque illas ipsas fidem Christianorum confirmare, dum testimonium legis et Prophetarum nobis circumferunt, ex quibus Christum salutis auctorem cognoscimus eumdemque Gentilibus demonstramus per Judæorum, fidei nostræ hostium, libros et monumenta.

Tropol. S. Hieron. hæc applicat doctoribus et prædicatoribus : *In crure*, ait, *via ostenditur doctrinarum, in aure sacramenta dictorum. Unde Apostoli absque calceamentis et ulla mortui animalis pellicula jubentur incedere*, Matth. 10. *Et ad credentes dicitur : Qui habet aures audiendi audiat*, Lucæ 8. In corporis ergo totius strage auris eripienda est, qua monita salutis audiamus ; et crura, quibus in illis et juxta illa ambulemus et conversemur. Unde Stephanus Cantuariensis in Sylva allegor. per duo crura accipit continentiam mentis et corporis, per extremum vero auriculæ perseverantiam in obedientia : crura vero restringit et applicat Prælatis : *Sic enim*, inquit, *cum multi sint Prælati, major*

pars peribit, et consumetur à leone, scilicet diabolo, et parvæ reliquiæ salvæ fient per illum pastorem qui dicit : Ego sum pastor bonus.

In plaga lecculi,] id est, in latere vel angulo lecti. Sic enim quatuor plagæ mundi vocantur quatuor ejus latera. Nam hebr. est פארת מתה *peath mitta,* id est, in angulo, latere, vel extremitate lecti : in angulo enim utrimque corpus fulcitur ; hinc melius et plenius in eo quiescit. Huc facit illud Thomæ à Kempis : *In omnibus requiem quæsivi, et non inveni, nisi in angello cum libello.* Porro plaga vox est desumpta à Græcis : hi enim πλαγια vocant latera et angulos transversos. Rursum plagæ et plagulæ tapetes græce dicuntur, latine stragula. Unde Varro de Vita populi Rom. *Eburneis lectis et plagis sigillatis.* Et Livius, l. 9. in bello Maced. *Luxuriæ,* ait, *peregrinæ origo ab exercitu Asiatico advecta in urbem : ii primum lectos æratos, vestem stragulam, pretiosam, plagulas, et alia textilia*, etc. *Romam advexerunt.* Nec hoc longe abit ab Hebræo *pea,* id est, angulus, extremitas : stragula enim sunt angulata, et in angulis signata et plagulis insignita. Sensus est, q. d. Pauci Israelitæ, ut dixi, habitantes in Samaria, in eaque secure quasi in suavi lecti stragulo, vel angulo quiescentes eruentur à clade Assyriorum. Samariam vocat plagam, vel angulum lectuli, eo quod instar lecti elevata esset et montosa, æque ac mollis, deliciosa, opulenta, indeque culta et populosa, ut videretur esse angulus et arx decem Tribuum. Unde in ea fidenter quasi in lectulo quiescebant, non timentes Assyrios. Ita S. Hieron. et alii. Adde, per *plagam* accipi potest clima, situs et regio Samariæ : hæc enim Hebræi vocant *pea,* id est, angulum terræ. Rursum, proprie Samaria sita erat in angulo respectu Judææ et montium Samariæ urbi imminentium, ut patet in tabula ejus chorographica, quam exhibet Adrichomius post paginam 24.

Jam primo, Chald. sic vertit et explicat : *Eruentur qui habitant in Samaria, in fortitudine potestatis, et in Damasco innitentes,* q. d. Eruentur qui confidunt Samariæ munitioni, et opi Damascenorum ac Syrorum, in qua pariter quasi in grabato quiescunt et securi dormiunt.

Secundo, Lyran. per *plagam lectuli* accipit Jerusalem, in qua erat templum, in quo quasi in lecto requiescebat Deus, q. d. Salvabuntur pauci ex Israel, scilicet ii, qui profugerint in Jerusalem ad alas Dei et Ezechiæ regis, vel in Damascum ad alas Syrorum.

Tertio, Vatabl. q. d. Cladem Assyriacam pauci effugient, scilicet ii duntaxat, qui post lectum in angulo se absconderint : aut ægroti, qui in lectis decumbentes sua ægritudine movebunt Assyrios, ut iis parcant, q. d. Assyrii parcent solis miseris, qui adeo pauperes erunt, ut bini vel terni in lecto aut non tam in lecto, quàm in parte et angulo lecti requiescere cogantur.

Quarto, Septuag. pro : *In plaga lecti et Damasci grabato,* vertunt, *contra tribum, et in Damasco, ut juxta tropologiam referamus tribum* (Hebr. enim מטה *mitta* lectum, sed, si legas alio puncto מטה *matte,* virgam et tribum significat) *ad Judam, et Damascum ad vocationem Gentium, de quibus unus grex factus est Domini : cujus sæpe oves leonum feritas laniat, de quorum faucibus vix duo crura, aut extremum auferturauriculæ,* ait S. Hieron.

Quinto, probabiliter P. Prado in Ezech. 24. 40. hæc accipit de lectulis mensalibus, q. d. Qui habitant (quiescunt) *in Samaria in plaga lectuli,* id est, qui primos habent discubitus in lectis stratisque inter convivas. Nam pro *plaga* hebr. est *in angulo lecti,* id est, in capite, in loco primario. De quibus rursum dicit c. 6. 4 : *Qui dormitis* (cubatis) *in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris.*

Ex his omnibus maxime genuina videtur tertia explicatio : tum quia vox *plaga,* vel angulus *lectuli,* ac vox *grabato,* significant hæc ad pauperes et ægros pertinere. Hi enim jacent in grabatis et angulis : tum quia hi recte comparantur cum duobus cruribus, et extrema auricula, leoni ereptis ; alioqui enim non constabit similitudo Prophetæ, ejusque vis et nervus, nisi his duo crura et extremum auriculæ adaptes. Sensus ergo totius hujus versiculi est hic : Sicut pastor de vervece aut vitulo à leone devorato eripit, servatque duo crura, aut extremum auriculæ, ab illo carnibus jam satiato, utpote ossea et insipida neglecta, ut ea ad herum deferat, quo demonstret vitulum non à se subductum, sed à leone laniatum : ita ex tota Samaria quasi è corpore politico, duo vel tres, id est, pauci duntaxat cladi illius eripientur, iique viles et inutiles, puta pauperes macie confecti, ut sola crura ossea habere videantur ; et ægri, qui bini vel terni in ejusdem lecti et grabati lateribus decumbant, sive in Samaria, sive in Damasco. Ita à Castro. Quocirca forte idcirco Interpres pro hebr. *pea,* id est, angulus, vertit *plaga,* quæ et latus, et vulnus morbumque significat, ut innueret eos in latere lectuli decumbere et vulnere et morbo, q. d. Salvabuntur ii, qui ex plaga vulneris et morbi decumbunt in plaga, id est, in latere et angulo, lectuli. Proprie plagæ, vel plagulæ sunt commissuræ, sive assumenta, quæ tapetibus, casulis, stragulis, lectis, vestibus attexuntur vel assuuntur ; pretiosæ (uti sunt effigies aureæ et gemmeæ in casulis) à divitibus ornatus et splendoris ergo ; rudes et viles à pauperibus necessitatis causa. Laceris enim stragulis, lectis et vestibus pauperes assuunt partes, puta plagulas, ut rupturam sarciant, præsertim ad angulos : ibi enim facilius ob affrictum parietis, aliarumque rerum, franguntur. Plaga ergo lectuli est angulus lectuli pauperis, assumento resarciti, et, ut S. Franciscus dicere solet, rappeciati. Pauperes enim lectos habent non integros, sed plagulis tum majoribus, tum minoribus consarcinatos instar centonum. Quare dormire in plaga lectuli, idem est quod dormire in centone, aut potius in assumento et latere centonis, ita ut in altero lecti latere dormiat alius, vel plures. Sensus ergo est, q. d. In Samariæ excidio salvabuntur soli pauperes et miseri, qui in centonibus gregatim ob paupertatem dormiunt.

Et in Damasci grabato.] Sicut Samariam *lectum,* sic Damascum vocat *grabatum :* quia Israelitæ vexati ab Assyriis, miseri et afflicti confugiebant Damascum, ibique quasi ægri in lecto secure quiescebant, seque recreabant. Damascus ergo iis afflictis, fessis et ægris erat quasi lectus. Ita S. Hieron. Rupert. Remig. Hugo et alii. *Ut quomodo qui fessus est refocillatur in lectulo, sic illi fractas vires vicinæ gentis* (Damasci) *auxilio roborarent,* ait S. Hieron.

Perperam Recentiores, ut R. David, Pagnin. et alii, hebr. דמשק *dammesçec*, id est Damasci, accipiunt non ut proprium, sed ut appellativum; quasi compositum ex ד *de*, et משק *mesçec*: *mesçec* autem significat tibiam vel crus. Unde vertunt, *in crure*, id est, pede vel sponsa lecti; aut, ut Arias: *in lecto mobili et agitabili*, ut ejus agitatione ægro somnus concilietur, uti matres agitant cunas infantium, ut hoc motu ipsi somnum concipiant. Unde ipse exponit, q. d. Assyrii iis solis parcent, qui ex gravi longaque infirmitate decumbentes in lectulis, seipsos movere, et ab una parte in aliam convertere non poterunt, sed instar puerorum moveri et converti ab aliis debeant. Perperam inquam: nam Hebr. non est *mesçec*, sed *dammesçec*, quod non aliud quàm Damascum significat, uti vertunt Septuag. Chald. Noster et alii. Adde ד *de* Hebræis non esse articulum, nec solere præfigi nominibus.

Tropol. lectus avari est mammona, lectus superbi honor, lectus gulosi mensa opipara, lectus luxuriosi cubilia et impudicitiæ, lectus acedi torpor et somnus. Nam *sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo*, Proverb. 26. 14. Hi lecti varios habent angulos et stragula mollia, quæ quisque sibi fingit, captat et adaptat.

13. Audite,] vos, ô populi, ait S. Hieron. vel potius, vos, ô Prophetæ, cladem ad quam non ego, sed Deus per os meum destinat domum Jacob, id est, posteros Jacobi sive Israelis, puta decem Tribus earumque aras et delubra, in quibus colunt vitulos aureos in Dan et Bethel. Ita Albert. Hugo, Arias et Vatabl. Unde Septuag. habent: *Sacerdotes audite.* Sed recte notat S. Hier. *Puto*, inquit, *Septuag. ipsum verbum posuisse, quod quidam non intelligentes, pro* ארש *aresç legerunt* ἱερεῖς, *id est sacerdotes. Ares* enim noster Interpres et alii ad versum præcedentem referunt, vertuntque *lectulum;* sed Septuag. huc referunt, retinentque ut nomen proprium.

Et contestamini,] id est, contestando Deum, eumque in testem vocando prædicite et prædicate instans eis exitium, nisi ab idolis et sceleribus resipiscant.

15. Et percutiam domum hiemalem cum domo æstiva.] Ita et Aquila, Symmach. et Theodor. Verum Septuag. vertunt: *Domum pinnatam, eo quod ostiola habeat per fenestras, et quasi pinnas ad magnitudinem frigoris repellendam,* ait S. Hieron. quia hac re significari putat Israelitas deliciosos *tantarum fuisse opum, ut duplices haberent domos, hiemales et æstivas, quarum aliæ* (hiemales) *versæ essent ad Aquilonem, aliæ* (æstivæ) *ad Austrum, ut pro varietate temporum, frigoris et caloris cœlique temperiem providerent.* Sic Jerem. 36. 22. Joakim dicitur fuisse in domo hiemali mense nono. Ita in Belgio domos æstivas in villis ad delicias comparatas, ob luxum in iis admissum, per bella hæc destruxit et rasit Deus.

Mystice idem S. Hieron. *Domus*, ait, *hiemalis erat regnum Israel, in qua frigus erat religionis et cultus Dei, variique ventorum turbines et sæva tempestas: et domus æstiva, Juda et Jerusalem, in qua erat templum, et offerebantur holocausta mane et vespere, et vigebat calor religionis.*

Et peribunt domus eburneæ.] *Legimus Achab regem Israel tantis fluxisse deliciis, ut domum sibi eburneam fecerit*, 3. Reg. 22. 39. ait S. Hieron. non quod fecerit eam ex ebore solido: unde enim tantum eboris habuisset? sed quod illam ebore incrustarit; hæc enim vocatur *domus eburnea*, teste Plinio lib. 16. 43. Vide Sanchez.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Minatur Deus Israelitis, quod Assyrii levabunt eos in contis, et reliquias eorum in ollis ferventibus. Deinde ob impura et sacrilega eorum sacrificia ait se eos percussisse sex plagis, scilicet fame, siccitate, vento urente, aurugine, eruca, peste: denique pene eos subvertisse sicut Sodomam, eos tamen hisce plagis nihil meliores effectos, nec rediisse ad se. Quocirca dira et extrema quæque illis intentat additque: Præparare in occursum Dei tui, qui creat montes, ventos, nebulas, etc.

1. Audite verbum hoc, vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis egenis, et confringitis pauperes; quæ dicitis dominis vestris: Afferte, et bibemus. 2. Juravit Dominus Deus in sancto suo: quia ecce dies venient super vos, et levabunt vos in contis, et reliquias vestras in ollis ferventibus. 3. Et per aperturas exibitis altera contra alteram, et projiciemini in Armon, dicit Dominus. 4. Venite ad Bethel, et impie agite, ad Galgalam, et multiplicate prævaricationem: et afferte mane victimas vestras, tribus diebus decimas vestras. 5. Et sacrificate de fermentato laudem, et vocate voluntarias oblationes, et annuntiate: sic enim voluistis, filii Israel, dicit Dominus Deus. 6. Unde et ego dedi vobis stuporem dentium in cunctis urbibus vestris, et indigentiam panum in omnibus

locis vestris : et non estis reversi ad me, dicit Dominus. 7. Ego quoque prohibui à vobis imbrem, cum adhuc tres menses superessent usque ad messem : et plui super unam civitatem, et super alteram civitatem non plui : pars una compluta est : et pars super quam non plui, aruit. 8. Et venerunt duæ et tres civitates ad unam civitatem ut biberent aquam, et non sunt satiatæ : et non redistis ad me, dicit Dominus. 9. Percussi vos in vento urente, et in aurugine, multitudinem hortorum vestrorum et vinearum vestrarum : oliveta vestra et ficeta vestra comedit eruca : et non redistis ad me, dicit Dominus. 10. Misi in vos mortem in via Ægypti, percussi in gladio juvenes vestros, usque ad captivitatem equorum vestrorum : et ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras : et non redistis ad me, dicit Dominus. 11. Subverti vos, sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorrham, et facti estis quasi torris raptus ab incendio : et non redistis ad me, dicit Dominus. 12. Quapropter hæc faciam tibi, Israel ; postquam autem hæc fecero tibi, præparare in occursum Dei tui, Israel. 13. Quia ecce formans montes, et creans ventum, et annuntians homini eloquium suum, faciens matutinam nebulam, et gradiens super excelsa terræ, Dominus Deus exercituum nomen ejus.

1. Audite verbum hoc, vaccæ pingues.] Hebr. *vaccæ Basan.* Ita Septuag. Theodotion, Aquila et Hebræi passim. Verum quia regio Basan, pascuis opima, pingues alebat boves et vaccas, ut patet Deuter. 32. 14; hinc recte vertit Noster, *vaccæ pingues;* et Symmach. *boves saginatæ;* alii, *vaccæ lascivientes.* Jam Theod. per *vaccas* accipit mulieres Samariæ lascivas, rapaces et imperiosas. *Vaccas*, inquit, *Basanitides, mulieres vocat luxu et voluptatibus diffluentes. Ejusmodi enim erant vaccæ Basanitides, ob pabuli copiam exsultantes. Unde fiebat ut bona tenuiorum in rem suam converterent* (uti vaccæ depascebantur prata Basan) *atque viris quibus ex divina lege subditæ erant, imperare non vererentur, in ordinemque eos redigi juberent : qualis fuit Jezabel, viro* (Achab) *tanquam mancipio utens.* Sic et Lyran. Arias et Vatab. Est enim vacca muliebris ingenii, petulantiæ et salacitatis symbolum. Unde Ælianus lib. 4. cap. 45. scribit in Ægypto vaccam, simul et Venerem religiose coli, eo quod vacca affinitatem et convenientiam cum dea habere existimetur : quin et vacca Veneri in Ægypto immolabatur, ait Girald. in Syntag. nam, ut ait Columella lib. 6. 24, vaccæ *post vernam pinguedinem gestientes, et pabuli nimietate exhilaratæ lasciviunt.* Insuper *vacca, quamvis plena fœtu, non expletur libidine.* Quocirca Amos hìc describere videtur familias et domus impiorum, quæ sunt *sicut congregatio taurorum in vaccis populorum*, psal. 67. 31.

Melius S. Hieron. Ruffin. Rupert. Albertus, Glossa, Hugo, Clarius et alii censent hæc tam, imo magis ad viros, quàm ad mulieres Samariæ spectare : viri enim quia effeminati, lascivi et impudentes, vocantur *vaccæ*, vel vitulæ populorum, psal. 67. v. 31. Osee 10. 11. et alibi. Id patet ex sequentibus : *Ecce dies venient super nos*, scilicet viri. Hebr. enim חם *chem* masculinum viros notat : *vaccas* ergo *Basan* vocat opulentos (unde Chald. vertit, *divites substantiarum)* et principes Samariæ, qui bona pauperum depascebantur ; tum quia gulæ et ventri erant dediti, tum quia saginæ et mactationi destinabantur. Audi S. Hieronym. *Loquitur ad principes Israel, et optimates quosque decem Tribuum, qui deliciis ac rapinis vacabant, ut audiant sermonem Dei, et non aratores boves, sed vaccas pingues de armento se esse noverint, sive quæ nutriantur in pascuis Basan, quæ sunt loca herbarum fertilissima, ac per hoc significat eos non agriculturæ, sed immolationi et esui præparatos.*

Porro, cur hi vocentur *vaccæ Basan*, tres causas adfert Ruffinus. Prima, quod gloria ipsorum ignominia erat terminanda. *Basan* enim hebr. confusionem et ignominiam significat. Secunda, quod vox eorum humana in vaccinam, puta in mugitum, præ dolore erat commutanda. Tertia, quia Deus eorum erat venter, ac jugibus vacabant conviviis et symposiis, ideoque, ut ait Psaltes : *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* Quartam adde, quod vaccas, puta vitulos aureos, quasi deos coluerint. Unde Rupertus per *vaccas Basan* accipit sacerdotes Bethel, qui visibiliter substrati vitulis quos colebant, erant instar vaccarum ; invisibiliter vero suas animas tauris infernalibus, id est dæmonibus, prostituebant. Hi enim dicebant principibus : Date nobis victimas et oblationes, quas comedamus et bibamus ; nos vicissim vos vestraque peccata expiabimus apud Deum, et excusabimus apud populum.

Tropol. S. Hieron. *Vaccæ Basan* sunt hæretici veneri et gulæ addicti, uti fuit Lutherus, Calvinus, Bucerus, etc. Item divites et nobiles insolentes et rapaces, qui ex aliorum, præsertim pauperum bonis se ditant, iisque luxuriantur.

Quæ dicitis Dominis (puta regibus et principibus) vestris : Afferte, et bibemus,] q. d. Afferte spolia pauperum, ut inde vobiscum epulemur et compotemus ; vel, ut S. Hieron. *Date nobis, et bibemus, id est, jubete tantum, et nos cuncta vastabimus,* id est, *diripiemus,* inquit Chald. ut lictores, vel ut ebrii absorbebimus. Nam *voce: Bibemus, ebrietatem eorum significat in vino atque luxuria, quæ statum mentis evertunt*, ait S. Hieronymus.

Tropol. idem dicunt iniqui advocati et procuratores judicibus ; consiliarii, scabini et prætores principibus et magistratibus, æque impiis. Hi enim quasi harpyiæ inhiant bonis populi, in eaque involantes illa inter se distribuunt, atque ex iis opipara convivia et symposia instruunt. Hoc scelus enorme, uti rempubl. evertit, ita horrendam certamque Dei iram et vindictam provocat. Unde subdit :

2. Juravit Dominus Deus in sancto suo.] Hebr. בקדשו *becodsço;* id est, *in sanctitate sua*, hoc est, per sanctitatem suam : Hebr. enim *beth*, id est *in*, est nota jurantis. Ita Chald. Symmach. et passim Hebræi, q. d. Juravit Deus per semetip-

sum : ipse enim est summa et increata justitia et sanctitas, quam vos, ô judices et principes, in terra imitari et tueri debebatis, nunc autem eamdem violastis et evertistis. Quocirca hæc Dei sanctitas jurat se hujus violationis, et, ut ita dicam, sacrilegii, acerrimum fore vindicem. Ita S. Hieron. Remig. Rupert. et alii, qui insuper tres alios afferunt sensus. Primus est, juravit Deus per sanctitatem, id est, per sanctum templum suum; secundus, per filium suum sanctum ; tertius, per sanctos Prophetas. Unde Septuag. vertunt : *Juravit Dominus per sanctos suos.* Verum quod initio dixi litterale est et genuinum.

Quia ecce dies venient super vos, et levabunt vos in contis.] Septuag. Syrus et Arabicus, *in armis ;* Symmach. *in clypeis*, melius Theodot. *in hastis*, q. d. Instant dies, quibus Assyrii vos, ô Samaritæ, contis et hastis suis configent. Unde Tigurina vertit : *Auferet vos lanceis. Servat vaccarum metaphoram*, ait S. Hieron. *ut quas esse pingues dixerat vaccas, earum carnes narrat in contis vel scutis esse portandas.* Forte etiam alludit ad morem militum, puta ad feros sævosque victores, qui capita cæsorum in lanceis gestant quasi in triumphum, uti faciunt Turcæ. Contus enim vocatur sudes et hasta longior, vel pertica oblonga nautarum, qua ipsi navem protrudunt et dirigunt. Unde Virgil. 5. Æneid.

Et acuta cuspide conti.

Et reliquias vestras in ollis ferventibus.] Arabicus : *in ollis ardentibus;* Syrus : *in olla venatoris;* Hebr. בסירות דוגה *besirot duga*, id est, in ollis piscium, quas scilicet piscatores servant plenas ferventi aqua, uti pisces recentes, quos è mari extrahunt, illico coquantur, q. d. *Sicut lebes ferventissimus minutos pisces pariter involvit, ita et vaccæ Basan absque ullo ordine captivitatis miseriis opprimentur*, ait S. Hieron. Aut pressius et concinnius, q. d. Sicut laniones capita boum et vaccarum à se mactatarum longis contis et perticis ostentant, ut inde populus cognoscat qualis quantaque vacca sit mactata, et ad ejus carnes emendum accurrat; reliquias vero, puta hepar, stomachum, intestina conjicit coquitque in ollis ferventibus : ita et milites Assyrii capita, id est optimates Samariæ à se occisos, vel captos ostentabunt, ut ex iis aliæ gentes conjiciant qualis quantusque fuerit Samariæ populus, quantaque de iis strages et victoria : reliquias vero, puta milites civesque, qui in arces, urbes domosque munitas, aut in caveas et speluncas confugient, in illis ipsis quasi pisces in ollis ferventibus comburent. Ita Lyran. et Dionys. *Sicut enim Jerusalem*, ait S. Hieron. *habens clausos populos et obsessos, assimilatur ollæ ferventi et plenæ carnium.* Ezech. 24. 2 : *Sic et urbes Samariæ ollis ferventibus comparantur, quæ fame et pestilentia clausos populos exire compellant, et ire in captivitatem.* Addit à Castro, q. d. Corpora eorum dilacerata, et in frusta concisa in ferventes ollas injicient, uti fecit Antiochus Epiphanes Machabæis, 2. Machab. 7.

Aliter Rupert. et Remig. q. d. Assyrii Samaritas confuse sine ullo ordine in Assyriacam captivitatem quasi in ollam conjicient.

Secundo, hebr. *besirot duga* Pagnin. Vatabl. et Clarius exponunt, *in hamis piscatoriis*, q. d. Sicut piscatores hamis pisces extrahunt ex mari, ita Assyrii suis armis vos extrahent ex Samaria, abducentque in Assyriam.

Tertio, Chald. vertit : *Elevabunt vos in clypeis, et filias vestras in scaphis*, vel navibus piscatoriis, q. d. Per naves quæ excavantur et orbiculantur instar clypeorum, è Samaria avehent et ablegabunt vos in Cyprum, aliasque remotas insulas.

Quarto, R. Abraham et R. David pro *ollis* vertunt, *spinis;* has enim quoque significat hebr. *siroth*. Jam *spinis*, id est hamis; vel *spinis*, id est contis, et lanceis acutis instar spinarum, ut more hebræo idem dicat hemisticho posteriore quod dixit priore, vel *spinis*, id est flagellis ; ex spinis enim tyranni faciebant flagella, quæ quia suis aculeis carnes pungebant, lacerabant et discerpebant, vocabantur *scorpiones*, quos Roboam tyrannus minatus est populo, dicens : *Pater meus cecidit vos flagellis, ego cædam vos scorpionibus*, 3. Reg. 12. 14.

Quinto, Arias pro *in contis* vertit, *in frigoribus*, sensumque dat, q. d. Assyrii vos, ô Samaritæ, quasi vaccas æstate lascivientes transferent in regiones frigidas et algentes, ubi pro cibis non aliud habeatis quàm viles pisciculos, qui olim mancipiis dabantur in escam.

Denique Septuag. vertunt : *Tollent vos in armis, et eos qui vobiscum sunt in ollas ferventes pestilentes ;* εμπυροι enim ferventes significat; pro quo aliqui legunt, ερημοι, id est desolati, vel desolatores; Complut. εμποροι, id est mercatores. Unde sic habent : *Tollent vos in armis et eos qui vobiscum sunt in lebetes negotiatores pestilentes.*

3. Et per aperturas (muri Samariæ, qui ab Assyriis eam obsidentibus arietibus diruetur et aperietur) exibitis altera contra alteram,] id est, una cum altera, vel una post alteram, hoc est singuli, vel simul bini et terni, vel vicissim et ordine suo exibunt captivi abducti ab Assyriis : ita S. Hieron. Unde Chald. vertit : *Confringent super vos muros, et educent vos quasi mulieres, singuli ante se.* Dicit : *Altera contra alteram*, id est, alter contra alterum; quia persistit in nomenclatura vaccarum, qua eos vocavit vers. 1; solent enim vaccæ gregatim educi per portas, ita ut binæ, ternæ et quaternæ simul egrediantur, aliæ pari ordine et turma sequantur. Aliter alii, q. d. *Altera*, scilicet *vacca, egredietur contra alteram*, scilicet aperturam muri, q. d. Quælibet egredietur per aperturam sibi oppositam, quo significat multas fore muri rupturas ; sicuti de muris Jericho circumcirca corruentibus, ait Josue cap. 6. 5 : *Muri funditus corruent, ingredienturque singuli per locum contra quem steterint.* Unde Vatablus vertit : *Egrediemini unaquæque ante se, id est, per rupturam quæ primo vobis occurret.* Sic et Clarius et Arias.

Et projiciemini in Armon,] q. d. Assyrii abducent vos in Armeniam, quæ adjacet Assyriæ. Ita S. Hieron. Chaldæus, Symmach. Remig. Rupert. Hugo et Clarius. Hebr. est ההרמונה *haharmona*, quod primo Noster et alii jam dicti vertunt, *in Armon*, vel *in Armoniam*. Hæc enim ab Aram filio *Sem*, primo incola, dicta est *Aram*, vel *Harmon;* littera enim *aleph* sæpe cum *he* commutatur; secundo, alii, *Harmona* per diastolen dividunt. Unde Theodotion vertit, *in montem* (*hor* enim hebr. significat montem) *Mona ;* Aquila, Syrus et Arabicus, *in montem Armona;*

Septuag. *in montem Remnam*, vel ut Theodor. legit, *Armana*, q. d. Abducemini in montes Armeniæ, hæc enim montosa est; unde in ejus montibus primum quievit et subsedit arca Noe, Genes. 8. 4; imo à montibus dictam esse hebraice Aram, sive Armeniam, q. d. Altam, excelsam censent viri docti: eo quod cæteris provinciis omnibus excelsior et montosior sit. Ult. editio vertit, *in montem excelsum*.

Tertio, Recentiores, R. David, Vatabl. Arias, à Castro, Marinus et Pagninus Harmon vel Armon accipiunt ut nomen, non proprium, sed appellativum, significans palatium, domum excelsam, arcem; hebr. enim רם *ram*, altum, celsum significat; unde Abram vocatus est quasi *Ab*, id est pater, *ram*, id est excelsus. Sensus est, q. d. Assyrius Samariam expugnando, obviosque trucidando, vel capiendo, reliquos vestrùm stringet et coget confugere, et conjicere se in arces munitas, sed frustra; nam et illas expugnabit, vosque capiet et trucidabit. Aliter Pagnin. vertit enim: *Dejicietis palatium*, scilicet regis muro adhærens, ut per illud manus instantis Assyrii effugiatis.

Tropolog. Vaccæ Basan, id est hæretici, projiciuntur à dæmone in montes Armeniæ, id est superbiæ; omnis enim hæreticus est superbus, quia suum judicium præfert toti Ecclesiæ. Hinc Remnam idem est quod visio alicujus, ait S. Hieron. quia hæretici non omnia Ecclesiæ dogmata carpunt; *sed partis alicujus scientiam sibi promittunt, ut projiciantur, eo quod scire se credunt;* sui enim ingenii et judicii lima politula limare volunt fidem et Ecclesiam.

4. Venite.] Est sarcasmus, id est, hostilis irrisio, q. d. Agite, sacrilegi, vitulamini cum vitulis vestris in Bethel, cum idolis in Galgalis; satiate vos eorum victimis, ingurgitate vos vestris idolothytis; at scitote vos ibidem ab Assyriis mactandos, quasi victimas Deo ultori. Ita S. Hieron. Quocirca hunc sarcasmum candide explicant Chald. et Septuag. dum assertive et increpando vertunt: *Ingressi estis in Bethel, et inique egistis in Galgala, multiplicastis impie agere.*

Afferte mane victimas vestras,] q. d. Juge sacrificium agni, quod ex lege solebatis mane et vespere offerre Deo vero Hierosolymis, nunc vitulatores illud ipsum mane offerte vitulis vestris. Ita Clarius, Arias, Vatablus et alii. Quodnam et quale fuerit hoc juge sacrificium dixi Exodi 29. 38. Secundo, S. Hieron. putat per *mane* significari aviditatem, celeritatem et multitudinem sacrificiorum, q. d. Agite quod agitis, pergite summo mane ex ardore idololatrandi offerre victimas, ut, aliis et aliis supervenientibus, ante vesperam omnia absolvere possitis, ne dies citius vos deficiat quàm sacrificia et scelera vestra. Addit S. Hieron. *mane* notare victimas pridie immolatas, et contra legem servatas in posterum mane, q. d. Vos ex lege Levit. 7. 15. debebatis victimas eodem die comedere quo eas immolastis; at nunc contra legem vel ex avaritia, vel ex crapula, quia scilicet tot victimas eodem die vorare non potestis, servatis multas eorum reliquias in mane sequentis diei; nam et mox taxat eos, quod contra legem fermentum offerrent in sacrificio.

Tribus diebus decimas vestras.] Septuag. *tertio die*, vel, ut habet codex Vatican. *in triduum decimas vestras*, q. d. Vos contra legem Levit. 7. 17. servatis victimas in tertium diem. Ita S. Hieron. Remig. et Hugo. Verum lex illa Levit. vetat tantum victimas servari, non decimas, de quibus hic agitur.

Secundo, Arias, Vatabl. et Pagnin. vertunt: *Afferte ad tertium dierum*, id est tertio die, hoc est, tertio anno decimas idolis vestris, juxta legem Deuter. 14. 29. Nam *dies* apud Hebr. sæpe significat annum, ut Genes. 24. 1: *Erat Abraham senex, dierumque* (id est annorum) *multorum.* Verum illa lex Deuter. non jubet afferri ad templum, sed tantum domi suæ servari decimas, easque tertio anno distribui in Levitas, peregrinos, pupillos et viduas, uti fecit Tobias cap. 1. 7: *Ita ut in tertio anno proselytis et advenis ministraret omnem decimationem.*

Dico ergo proprie hîc tres dies accipi. Jusserat enim Deus Hebræis, Exod. 23. vers. 14. et 19, ut tribus diebus, sive festis præcipuis per annum, puta in die Paschalis, Pentecostes et festi tabernaculorum, adirent templum sacrificii et orationis causa; et tunc partim ad iter, partim ad oblationes et epulum sacrum (quo cum Levitis ex victimis suis pacificis epulaturi erant coram Domino, id est, in templo coram arca et Sancto sanctorum in quo residebat Deus) ferebant secum unam decimam suarum frugum et opum, quem ad hoc separare jubentur Deuter. 14. 22; itaque fecit Tobias, ut patet cap. 1. 6 et 7. Idem fecisse Israelitas in Bethel, quasi simias Judæorum, docet hîc Propheta, q. d. Agite, ter in anno, sive tribus præcipue festis afferte decimas in Bethel vitulis, quas olim afferre solebatis Deo in Jerusalem. Ita Rupert. Lyran. à Castro et alii.

5. Et sacrificate de fermentato laudem.] *Laudem*, id est, *sacrificium laudis*, ut vertit Tigurina, seu *gratiarum actionis.* Unde Aquila vertit, *eucharistiam.* Hoc enim à fine vocatur hebraice תודה *toda*, id est confessio, laus, gratiarum actio. Est ironia et sarcasmus, irridet enim eorum sacrificia fermentata, ideoque impura; nam Judæorum erant azyma et pura, idque ex præscripto Dei Levit. 2. 11. et cap. 7. 12. et ita S. Hieron. Rupert. Lyran. et Hugo. Quare imperite Græci nonnulli hunc locum citant, ut contra Latinos probent Eucharistiam celebrandam esse in pane fermentato, non azymo. Nam Amos non laudat, sed culpat et damnat hîc sacrificium fermentatum.

Nota. Nihil fermentatum inferri poterat altari; poterant tamen panes fermentati afferri tanquam donaria pro sacerdotibus, ut ipsi illis vescerentur, uti ostendi Levit. 7. 13. Quare minus recte Vatabl. et Arias censent in sacrificio laudis potuisse offerri fermentum; hoc enim diserte vetatur Levit. 2. 11.

Mystice fermentum est symbolum corruptionis et malitiæ, 1. Corinth. 5. v. 6; unde Chald. vertit: *Colligunt ex rapina sacrificium laudis. Quia de fermentato laudem immolat, qui Deo de rapina sacrificium parat*, ait S. Greg. hom. 22. in Evang.

Et vocate, celebrate, proclamate, et deprædicate vestras victimas, quasi liberales, spontaneas et voluntarias oblationes,] sed frustra. Nam Deus eas, uti impuras et idololatricas, abominatur. Ita S. Hieron. Rupert. Remig. et Hugo; secundo, *vocate*, id est, ut Vatabl. *indicite, voluntaria sacrificia* et oblationes, æque ac festa vitulorum, atque in iis convocate po-

pulum, ut voluntarias oblationes iis offerat, ut fecit Aaron in fabricatione et dedicatione vituli aurei, Exodi 32. 2 : *Tollite*, ait, *inaures aureas de uxorum, filiorumque et filiarum vestrarum auribus, et afferte ad me. Fecitque populus quod jusserat, deferens inaures ad Aaron. Quas cum ille accepisset, etc. fecit ex eis vitulum aureum.* Ita homines in rebus divinis parci et avari sunt, sed in iis quæ spectant pompam, aut ventrem, puta in obsequio mundi et diaboli, profusi sunt, suasque opes libenter et liberaliter exhauriunt. Unde Arias vertit : *Vota nuncupate;* Pagnin. *Vocate ad solemnitatem, voluntaria congregari facite.* Nam à קראו *kiru*, id est vocate, dicta est מקרא *micra*, id est convocatio, et cœtus populi; indeque solemnitas et festum. In festo enim convocabant *micra*, id est, Ecclesiam et cœtum populi, ad celebrandam solemnitatem, et ad offerendum victimas ac alias quaslibet oblationes.

6. Unde et ego dedi vobis stuporem dentium (perperam Arabicus vertit, *benedictionem*) in cunctis urbibus vestris.] Ita et Chald. et Septuag. *Stuporem dentium* intellige ex fame ; subdit enim quasi explicando : *Et indigentiam panum in omnibus locis vestris.* Nam longa fames, uti hebetat sopitque appetitum ; ita pariter contrahit gingivas, itaque hebetat, et stupefacit dentes. Ita Ruffin. Unde hebr. נקיון *nikion* significat vacuitatem (ut dentes vacui sint à cibo) et *munditiem dentium*, uti vertunt Aquila, Symmach. Theodotion, S. Hieron. Arias, Vatablus, Pagnin. Marinus et alii. Cum enim in fame et penuria dentes non habent quod mordeant et mandant, innocentes sunt et mundi; indeque arescentibus et contrahentibus se gingivis et nervis hebetantur, constipantur et obstupescunt, æque ac oculi deficientibus spiritibus caligant et obstupescunt; idcirco Noster et Septuag. vertunt : *stuporem dentium.* Est metalepsis, nisi malis esse onomatopœiam, ut vox *nikion* suo sono repræsentet sonum et stridorem dentium stupentium. Sensus est, q. d. Quia vos me privatis sacrificiis mihi debitis, ego pariter privabo vos pane et cibo necessario ad vitam, faciamque ut dentes vestri ex fame et ex comestione fructuum immaturorum, qui acerbi sunt et pontici, obstupescant. Nota, *dedi*, scilicet proprie in præterito; sæpius enim Deus per Eliam et Elisæum Israelitis, ob idola et scelera intentavit et induxit siccitatem, indeque famem, ut patet 3. Reg. 17. et 4. Reg. 6. 25. Ita S. Hieron. Theodor. Rupert. Hugo et Lyran. licet Vatabl. et Clarius prophetice accipiant *dedi* pro *dabo*, quasi Deus hîc comminetur famem futuram. Plenus foret sensus, si *dedi* ample acciperes pro *do*, *dedi* et *dabo*, q. d. Ob idola et scelera vestra sæpius vobis induxi famem, et etiamnum induco, ac in posterum inducam, tum per me cohibendo pluvias, tum per hostes, præsertim Assyrios, populando urbes et agros Samariæ. Verum primum sensum exposcit id quod post hanc plagam aliasque quatuor sequentes singulis versibus subdit : *Et non redistis ad me.* Et illud vers. 12 : *Quapropter hæc faciam tibi, Israel;* quæ verba significant famem hanc aliasque plagas fuisse præteritas, non futuras.

Nota, quod ait : *Stuporem dentium in cunctis urbibus*, significat communem et publicam fore hanc cladem et famem, ut non tam singuli, quàm urbes integræ à se alienari et obstupescere videantur. Est enim stupor alienatio quædam vel mentis, vel sensuum, quod scilicet sensus constipentur. Sic ait Livius lib. 5 : *Privatos deinde luctus stupefecit publicus pavor, postquam hostes adesse nuntiatum est.*

7. Ego quoque prohibui a vobis imbrem, cum adhuc tres menses superessent.] Extraordinaria et miraculosa fuit hæc siccitatis et sterilitatis plaga, utpote qua una pars urbis innocens et pia fuerit compluta, non altera, quæ erat nocens et impia. Similiter ager heri justi fuerit complutus, cum vicinus heri injusti pluviam non senserit, idque ad hoc ut omnibus manifesto pateret hoc discrimen Dei vindicis esse opus. Sic discriminavit Deus agros Gessen, ubi erant Hebræi, ut non sentirent plagas, quas cæteris agris Ægypti infligebat Moses, Exodi 8. v. 22. Simile contigisse Græcii per merita et preces S. Francisci, in ejus Vita cap. 8. commemorat S. Bonavent. Cum enim lupi et grandines agros vastarent, S. Franciscus dixit ad indigenas : *Ad honorem et laudem omnipotentis Dei fidejubeo vobis, quod pestilentia hæc omnis abscedet, et respiciens vos Dominus multiplicabit in temporalibus bonis, si mihi credentes, misereamini vestrî, ut vestra confessione præmissa, dignos faciatis pœnitentiæ fructus. Iterum hoc annuntio vobis quod, si beneficiis ingrati ad vomitum conversi fueritis, innovabitur plaga, duplicabitur pœna, majori in vos ira desæviet. Ab illa utique hora, pœnitentiam ad exhortationem ipsius agentibus illis, cessaverunt clades. Imo quod majus est, si quando vicinorum arva grando pervaderet, istorum terminis appropinquans, terminabatur ibidem, aut in partem aliam divertebat.* Porro in Palæstina tantus est ardor et siccitas, ut, si desit pluvia, hominibus et bestiis siti pereundum sit. *In his locis*, ait S. Hieron. *præter parvos fontes omnes cisternarum aquæ sunt; et si imbres divina ira suspenderit, majus sitis quàm famis periculum est.*

Quando hæc sterilitas Amos contigerit ignoratur. Nam quod alii ad famem quæ contigit tempore Eliæ, alii ad eam quæ tempore Elisæi, hæc referunt, non satis congrue id fieri videtur: nam illa siccitas et fames Eliæ, uti et illa Elisæi, fuit universalis et æqua omnibus, sine discriminatione nocentum et innocentum; hæc autem discriminabat noxios ab innoxiis. Rursum illa Eliæ fuit trium annorum, Elisæi etiam diutina exstitit; hæc vero Amos fuit trium duntaxat mensium, illorum scilicet, qui præibant messem. Cœpit ergo hæc siccitas in fine Aprilis, quando incipere solebat in Judæa pluvia serotina, maxime necessaria. Hæc enim faciebat ut germina crescerent, et culmi evaderent in spicas, spicæque turgentes conciperent grana, et parerent triticum quod sine hac pluvia exaruisset, et in fronde sola, sine granis et fructu desiisset. Erat ergo hæc pluvia serotina in Aprile, messis; sicut matutina in Octobri, erat seminis, scilicet ad semina sataque riganda, ut radices figerent in terra. Ita S. Hieron.

Notent hîc agrorum domini et coloni siccitatem et sterilitatem agris immitti peculiari Dei providentia et vindicta. Cum ergo eam sentiunt, ad Deum per pœnitentiam precesque recurrant, uti faciunt coloni Hispani, qui tempore siccitatis publicas processiones et diverberationes agricolarum indicunt; itaque sæpe plu-

viam à Deo reconciliato eliciunt, imo quasi vi facta extorquent.

Tropolog. S. Gregor. hom. 10. in Ezech. Dominus, ait, pluit super unam civitatis partem, non super aliam, cum facit ut una pars populi prædicationis verbique Dei semina excipiat, non alia. Rursum pars una ejusdem agri compluitur, non alia, cum aliqui unum vitium edomant, non aliud, v. g. gulam, sed non iram; aut patientes sunt, sed avari remanent; aut casti sunt, sed superbi, etc.

9. Percussi vos in vento urente.] Tres hîc nominat agrorum plagas, ventum urentem, auruginem, et erucam germina depascentem, quæ æque ut siccitas, sterilitatem et famem afferunt. Ventus urens, vel uredo, est Eurus æstuans, qui suo æstu, omnem succum aristarum et germinum desiccat et adurit; vel Boreas qui suo acerrimo frigore, nebula et pruina pariter segetes adurit et arefacit. Unde dicitur frigus urens. Audi Poetam :

> Illigat æquoream immodici vi frigoris undam,
> Et prata algenti mordet adusta gelu.

Quocirca Theodot. Symmach. et Aquila vertunt ἀνεμοφθορίαν, id est, corruptionem à vento, vel aerem corruptum; à Plinio lib. 18. cap. 28. vocatur carbunculus in vitibus, eo quod illæ uredinis quasi carbone exustæ videantur; in segetibus ab eodem vocatur *rubigo*, à rubore quem culmis indit; à Theophrasto libr. 4. dicitur *ærugo*, quod colorem quasi æneum segetibus afflet. Pagnin. et Vatabl. vertunt, *ariditas*, ab effectu, quem segeti inducit. Secunda plaga est aurugo, quæ proprie vitium est, et quasi morbus regius segetum, cum scilicet culmi ex nimio humore (unde hebr. vocatur ירקון *ierakon*, quasi virescens) marcescunt, et pallescunt in modum auri vel æris; unde et ærugo ac rubigo dicitur; marcidæ vero arescunt et evanescunt. Hinc à Theodotione vocatur ὠχρίασις, id est, pallor; ab Aquila, Symmacho, et Septuag. ἴκτερος, id est, morbus regius; hic enim color est in ictericis. Unde, vice versa, morbus regius, vel ictericus, à Cornelio Celso et Apuleio vocatur *aurugo*, à colore auri quem in homine producit. Et quia idem color ex timore oritur, hinc Jerem. 30. 6. dicitur : *Conversæ sunt universæ facies* (Israelitarum ex nimio pavore) *in auruginem*. Ubi nota : *Ierakon*, id est, aurugo, vel ærugo, aut rubigo proprie oritur ex humore, quo marcescunt segetes; quia tamen idem color, eademque corruptio et arefactio segetum oritur ex uredine et æstu (licet Plinius loco citato contendat ex solo frigore oriri), hinc pariter uredo interdum vocatur aurugo, ærugo et rubigo, uti paulo ante dixi. Tertia plaga est eruca, de qua dixi Joelis, 1. 4.

10. Misi in vos mortem in via Ægypti.] Quinta est hæc plaga, sed hominibus inflicta, scilicet *pestis*, ut habent Hebr. et Chald. quam Noster vocat *mortem*, quia pestis certam mortem affert. Adde hebr. דבר *deber*, id est pestis, per catachresin significare famem, gladium, et quidquid instar pestis exitiale est et mortiferum.

Quæres : Quænam et quando contigit hæc plaga? S. Hieron. Theodor. Rupertus, Hugo, Lyranus et alii putant contigisse Israelitis illis qui mittebantur ad Ægyptios, ut ab iis poscerent opem contra Assyrios; Vatabl. et Arias illis, qui cum milite præsidiario ibant in Ægyptum, ut ibi coemerent frumenta ad levandam famem Samariæ. Hos enim in itinere partim peste, partim à latronibus occisos, ac cadavera eorum insepulta et putida fœtorem exhalasse, qui post longam priorum moram, aliorum in eorum locum submissorum nares offenderit. Verisimilius Ribera et à Castro hæc referunt ad cladem quam Joachaz rex Israel accepit à rege Syriæ, quæ tanta fuit, ut ex toto Israelis exercitu non superfuerint nisi quinquaginta equites, 4. Reg. 13. 7. Tunc enim partim aer corruptus et æstuans, partim ex tot cæsorum cadaveribus orta putredo, fœtorem et pestem superstitibus afflavit.

Dices : Hæc clades contigit in Samaria, non in via Ægypti. Respond. Verum id est; quocirca subintelligenda videtur more Hebræo particula *sicut*, sicque vertendum cum Chaldæo: *Misi in vos pestilentiam* (Arabicus : *Percussi vos febribus et malis insipientibus*, incognitis), *sicut in via Ægypti;* scilicet cum in deserto patres vestros ex Ægypto tendentes in Chanaan, ob eorum murmura, peste aliisque plagis punivi et occidi, v. g. cum misi serpentes ignitos, qui ardorem pestiferum morsu suo eis inferrent, Num. 21. 6. Adde forte hoc prælium et hanc stragem contigisse in via, qua ex Samaria tendebant in Ægyptum; sicut enim nunc strata et trita est via Romana, via Mediolanensis, via Parisina : sic tunc celebris et publica erat via Ægypti, ut patet Jerem. 2. vers. 18. Isaiæ 10. 24; unde eam in tabulis chorographicis terræ sanctæ depingit Adrichom. et alii.

Denique per hebraismum בדרך *bederech*, id est, *in via*, exponi potest per כדרך *kederech*, id est, *instar viæ, secundùm viàm*, hoc est, secundùm rationem, modum et morem Ægypti, q. d. Puniam te peste ea ratione et acerbitate, qua punivi Ægyptios per Mosen; quinta enim plaga Ægypti fuit pestis adeo gravis, ut per eam occisi sint omnes equi, asini, cameli, omniaque animantia quæ erant in tota Ægypto, ut patet Exod. 9. vers. 3. 6. Sic *bederech*, id est, in via, accipitur pro *kedereth*, id est, secundùm viam, id est, morem, Isaiæ 10. v. 25. et 26 : *Suscitabit*, ait, *super eum Dominus exercituum flagellum juxta plagam Madian in Petra Oreb, et virgam suam super mare, et levabit eam in via Ægypti*, id est secundùm viam Ægypti, hoc est, secundùm modum quo per virgam Mosis percussit Ægyptum eique decem plagas inflixit, simili modo percutiet Sennacherib et Assyrios, per Angelum occidens una nocte 185 millia in eorum castris.

Usque ad captivitatem (Chald. et Septuag. *cum captivitate*) equorum vestrorum.] Videtur, ut dixi, alludere ad tempora Joachaz, quando Israelitæ à Syris ita attriti sunt, ut solum eis superessent quinquaginta equites, 4. Regum 13.

Ascendere feci putredinem.] Hebraice enim באש *beosç* significat putredinem et fœtorem; sed Septuag. aliis punctis legentes באש *beesç*, id est, *in igne*, vertunt : *Adduxi in igne castra vestra*. Ita Complut, licet Romana legant, *eduxi*.

11. Subverti vos.] Primo, per Teglathphalasar regem Assyriorum, inquit Arias, qui cepit et evertit omnes urbes Israelis, una excepta Samaria, 4. Reg. 15. 29. Id enim factum est sub annum 52. Oziæ, sive Azariæ regis Juda, ut di-

citur ibid. v. 27. Amos autem cœpit prophetare anno 25. Oziæ, uti dixi in Procemio; facile ergo fieri potuit ut idem superstes sub annum 52. Oziæ, post cladem Israeli à Teglathphalasar illatam, hæc proloqueretur; Prophetæ enim per plurimos annos prophetarunt, ut Isaias annos 96, Jeremias annos 45, Daniel annos 76.

Secundo, per Syros, qui tum aliàs, tum maxime tempore Joachaz, uti jam dixi, ita attriverunt Israel, ut pene everterint eum instar Sodomæ, paucis duntaxat evadentibus et reliquis. Id ita esse patet ex prophetia Jonæ, quæ refertur 4. Reg. 14. vers. 26: *Vidit*, ait, *Dominus afflictionem Israel amaram nimis, et quod consumpti essent usque ad clausos carcere et extremos, et non esset qui auxiliaretur Israeli. Nec locutus est Dominus, ut deleret nomen Israel de sub cœlo, sed salvavit eos in manu Jeroboam filii Joas, qui restituit terminos Israel ab introitu Emath usque ad mare solitudinis.* Quod enim hæc prophetia Jonæ ad tempora Joachaz maxime spectet, non ad alia aliorum regum, ut volunt aliqui, patet ex serie et gestis regum Israel. Nam Jehu, qui regnum Israel familiæ Achab ademit, et ad se transtulit, fuit bello potens et felix, sub eoque floruit regnum Israel. Successit ei Joachaz, sub quo à Syris attritum est, ut dixi. Joachaz successit filius Joas, cui Elisæus per trinam sagittæ percussionem prædixit trinam victoriam contra Syros, quam re ipsa Joas adeptus est, ut patet 4. Reg. 13. vers. 18. et 25. Sub Joas ergo floruit pariter regnum Israel. Joas successit filius Jeroboam, qui cœpit regnare ante Oziam regem Juda, et cum eo regnavit 14 ultimis vitæ suæ annis, de quo prædicit Jonas, quod ipse restituet collapsum statum Israel cunctis diebus Joachaz, idque diserte ait Script. 4. Reg. 13. 22: *Igitur Hazael rex Syriæ afflixit Israel cunctis diebus Joachaz.*

Denique Albertus hæc accipit prophetice de futuro, q. d. *Subverti*, id est, subvertam Israel per Salmanasar; hic enim anno sexto Ezechiæ cepit Samariam, et regnum Israel plane evertit. Sic et Rupert. qui accipit hæc de excidio Jerusalem, tum per Chaldæos, tum per Titum et Romanos. Verum patet ex dictis hæc proprie pertinere ad Israel, id est, ad decem Tribus; posse tamen extendi ad Judam et Jerusalem non nego. Prophetæ enim qui Judæ prophetarunt directe, indirecte quoque respexerunt Israel, et vice versa. Rursum hæc non ad futurum, sed ad præteritum tempus spectare, patet ex eo quod subdit Amos: *Et non redistis ad me. Quapropter hæc faciam tibi, Israel.* Quod enim Rupert. respondet, hæc omnia præterita exponenda esse in actu inchoato, vel destinato, hoc modo: *Percussi, misi in vos mortem, subverti, etc.* hoc est, percutere, mittere in mortem, subvertere vos decrevi, et per Prophetas comminatus sum, sed tamen vos has minas non curastis, nec redistis ad me; quocirca hæc faciam tibi, Israel. Hæc, inquam, expositio dura et contorta videtur in tam multis præteritis, quæ omnia actionem realem, non destinationem, vel minas significant. Quapropter S. Hieron. Remig. Lyran. Clarius, Dionys. Ribera, à Castro et alii passim hæc præterita proprie ut sonant accipiunt.

Sicut subvertit Deus Sodomam,] q. d. Sicut ego subverti Sodomam. Loquitur Deus more Hebræo de seipso in tertia persona, honoris causa, uti faciunt Germani. Sic dicitur Gen. 19. 24: *Pluit Dominus à Domino sulphur et ignem super Sodomam*, id est, pluit à seipso; licet Euseb. lib. 5. Demonstr. cap. 23. censeat Patrem hîc loqui de Filio, q. d. Ego Pater subverti Israel, sicut Filius meus subvertit Sodomam. Sic multi exponunt illud Genes. 19: *Pluit Dominus à Domino*, q. d. Pluit Filius à Patre. Vide ibi dicta.

Quasi torris,] q. d. Pene eversi et ad internecionem consumpti estis, instar Sodomæ; sed Deus miserens vestri, volensque servare reliquias seminis et gentis vestræ, manum suam hostesque cohibuit, et paucos hac clade eripuit, sicut ex incendio eripitur torris aliquis ambustus et fumigans.

12. Quapropter, quia scilicet sex plagis jam recensitis, puta fame, siccitate, vento urente, aurugine, eruca, peste, quas tibi inflixi, non resipuisti, nec redisti ad me; sed iis instar Pharaonis magis obduruisti; hæc faciam tibi, Israel.] *Hæc*, scilicet, quæ initio capitis comminatus sum, nimirum: *Levabunt vos in contis, et reliquias vestras in ollis ferventibus, et projiciemini in Armon.* Ita à Castro. Verum hæc minora videntur plagis quas jam inflixit, dicens: *Subverti vos sicut subvertit Deus Sodomam, etc.* Hic autem graviorem plagam se inflicturum minatur, eo quod præteritas omnes contempserint. Quocirca nervosius et efficacius alii: Hæc, inquiunt, scilicet dirissima et atrocissima quæ indignans mente concepi, nec eloqui præ horrore possum. Loquitur enim anthropopathῶs, et ad pathos per aposiopesin verba minasque incidit, uti Virgil. Æneid. 1:

> Quos ego (*scilicet acerrime puniam;*) sed (*nunc*) motos præstat componere fluctus.

Ita solent Hebræi in juramentis, maxime comminatoriis et exsecratoriis, uti hac formula: *Hæc faciat mihi Deus, et hæc mihi addat*, nec exprimunt quænam sibi addi vel fieri imprecentur, quasi non audeant illa nominare præ timore et detestatione, utpote mala horrenda et atrocia. Simili euphemismo, id est, bona ominatione, maledictionem et blasphemiam significant voce contraria, eamque vocant *benedictionem*, ut Job 2. 9. et 3. Reg. 21. 10.

Postquam autem hæc (has atroces plagas quas mente concepi) fecero (facere et infligere cœpero: significatur enim hîc actus inchoatus) tibi, præparare in occursum Dei tui, Israel,] q. d. Si præteritæ plagæ tibi leves videntur, si hos contemnis satellites, si cum peditibus pugnare dedignaris; en ego formans montes et creans ventos, etc. te invadam quasi eques cataphractus, vires exeram, hastas telaque mea omnia in te contorquebo: obfirma pectus, clypeum apta, oppone te mihi, mecum manus consere, ictum dexteræ meæ declina aut sustine, si potes. Est sarcasmus. Unde Symmachus et Aquila vertunt: *Cum hoc fecero, præparare ut adverseris Deo tuo.* Ita Albertus, Arias, à Castro et Prado in Ezechiel. c. 5. v. 8.

Ita suo Jovi occurrit vecors C. Caligula Imp. qui iratus cœlo, quod turbidius suis pantomimis et spectaculis officeret, Jovem ad pugnam provocavit, imo ad duellum internecinum, illud Homeri exclamans: *Aut tolle me, aut ego te.*

Secundo, alii iique plurimi contrarie hæc accipiunt, quasi Deus hîc Israelem eversum, ne plane desperet, consoletur invitetque ut per

pœnitentiam et conversionem se præparet ad Deum (Deique clementiam et gratiam) præsertim post aliquot secula nasciturum in Bethlehem : eò enim censent assurgere Amos more prophetico. Unde in sequentibus Dei omnipotentiam et magnificentiam graphice describit, ne ejus in carne paupertatem et humilitatem despiciat Israel, uti fecit. Quocirca Septuag. Syrus et Arabicus uterque vertunt : *Verum tamen quia sic faciam, præparare ut invoces Deum tuum Israel.* Et in sequentibus, pro : *Annuntians homini eloquium suum*, vertunt : *Annuntians in homines Christum suum;* et Chald. *Præpara*, ait, *te ut suscipias doctrinam legis Dei tui, Israel.* q. d. Præpara te, ut Deum carnem factum, in assumpta humanitate venientem toto mentis affectu excipias. Ita S. Hieron. Remig. Albert. Hugo, Vatabl. et Lyran. qui putant hanc prophetiam complendam in fine mundi : tunc enim omnis Israel convertetur ad Christum, et salvus fiet, ut ait Apost. Rom. 11. Perperam ergo Theodoret. hæc refert ad Cyrum, qui Judæos Babylone liberavit. Agitur enim hìc non de Judæis, sed de Israelitis in Assyriam abductis, quos inde nec Cyrus, nec quis alius unquam liberavit. Prior sensus videtur litteralis et genuinus : posterior, quia plurimorum, probabilis et accommodus est, ac vel ut litteralis, vel ut mysticus admittendus est, uti mox ostendam ; ut sit antiphrasis, q. d. Occurre et resiste Deo irato et vindici, si vales, sed quia id non vales, occurre ei ut salvatori humili et mansueto, venienti in carnem ut te redimat et salvet. Aut, ut S. Hieron. q. d. *Feci ut te corrigerem quæ præteritus sermo descripsit : et quia noluisti reverti ad me, faciam tibi quæ meo continentur arcano. Occidisti servos meos quos ad te miseram, mittam novissime filium meum : tu autem juxta consuetudinem tuam, qua semper voluntati Dei restitisti, præpara te ut contradicas et adverseris Deo tuo, juxta illud quod scriptum est : Ecce hic positus est in ruinam et in resurrectionem multorum, et in signum cui contradicetur. Loquitur non præcipiendo, sed prædicendo, quasi arguens et increpans, ut saltem correptus non faciat quod prædictum est.* Huic sententiæ favet vox *postquam*, pro qua hebr. est עקב *ekeb*, id est, finis, vel merces : merces enim est finis operis et operantis. Unde ex Hebræo sic vertas, *in fine*, vel, ut Aquila, *postea;* vel, ut Theodot. *Novissime occurre ei.* In fine enim seculorum incarnatus est Christus, et in fine mundi eidem occurret Israel. Aut sic : *pro mercede*, qua ego te ut filium flagellavi, totque flagellis conatus sum te ad me reducere, pro hac, inquam, mea in te paterna cura, loco mercedis hoc saltem mihi da, ut, cum in carnem veniam, mihi occurras, meque ut tuum Messiam recipias. Unde Ecclesia in officio Ecclesiastico hisce Amos verbis suos excitat, ut Christo occurrant. Causam subdit Propheta, immensam ejus majestatem et potestatem : *Quia*, inquit, ecce *ipse est formans montes*, etc. Quod tropol. exponens S. Hier. *Excelsus*, ait, *in excelsis est Dominus, et non habitat in humilibus qui excelsus est ; sed creator montium ascendit in montes, in his qui municipatum habent in cœlestibus, et in carne ambulantes non vivunt secundùm carnem, sed secundùm spiritum.* Septuag. vertunt, *firmans tonitruum*, ne scilicet orbem conquasset, uti suo fragore minari videtur.

13. Creans ventum.] Hebr. רוח *ruach* significat spiritum, animam, ventum. Unde primo, Chald. Septuag. et S. Hier. in comment. vertunt, *creans spiritum*, quod Macedoniani hæretici negantes divinitatem Spiritus sancti avide arripiebant, indeque probabant Spiritum sanctum non esse Deum, sed creaturam Dei : quos refutant S. Athanas. epistola ad Serapionem, S. Basil. libr. 3. contra Eunomium, S. Hieron. hìc, et S. Ambros. l. 2. de Spiritu sancto, cap. 7; non enim agitur hìc de Spiritu sancto et cœlesti, sed de spiritu sublunari et corporeo : jungitur enim nebulæ, montibus, etc. Secundo, S. Hieron. Rupert. et Remig. vertunt, *creans animam;* vel, ut Arias, *creans spiritus* et animos militares, id est, indens militibus audaciam et virtutem bellicam. Tertio, Arabicus Alexandr. vertit : *Ego sum qui formavi tonitruum, et creavi spiritum;* Arabicus vero Antioch. *Et reduco in homines spiritum*, halitum.

Verum optime Noster et Tertull. libr. contra Hermog. cap. 32. ac Clarius, Vatabl. Pagnin. aliique Recentiores vertunt, *creans ventum.* Recte enim venti junguntur montibus, nebulis, etc. aliisque creatis sublunaribus, quæ cum homini obviæ sint et admirabiles, ostendunt ei Dei creatoris potentiam et magnificentiam, præsertim venti, qui, cum eorum natura sit invisibilis, et tamen sensibilis, origo incognita, motus item varius, sed status et pro loco ac tempore fixus, recte demonstrant se à Deo creari, regi, mutari ad ejus nutum. Unde Deus dicitur insidere et inequitare ventis psal. 17. 11 : *Ascendit super Cherubim, et volavit super pennas ventorum.* Et ventus turbinis vehebat Deum sedentem in solio cherubico, Ezech. 1. 4. Quocirca angeli comparantur ventis, psalm. 103. 4 : *Qui facis angelos tuos spiritus* (subtiles, celeres et fortes ut ventos) *et ministros tuos ignem urentem.* Hinc et Deus dicitur ventos educere de thesauris suis Jerem. 10. 12, ac proinde ex iis Job cap. 28. v. 25. ostendit Dei potentiam : *Qui*, inquit, *fecit ventis pondus, et aquas appendit in mensura.* Hinc et Sancti invitant ventos, ut opus magnificum Dei, ad laudandum Creatorem suum tam potentem, ut Psaltes psalm. 148. 8 : *Laudate Dominum de cœlis*, etc. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.* Nam, ut ait Seneca libr. 5. Natur. quæst. cap. 18 : *Inter cætera providentiæ opera, hoc quoque aliquis ut dignum admiratione suspexerit. Non enim ex una causa ventos aut invenit, aut per diversa disposuit. Primum, ut aera non sinerent pigrescere, sed assidua vexatione utilem redderent, vitalemque terris. Deinde ut imbres terris subministrarent, iidemque nimios compescerent. Nam modo adducunt nubes, modo deducunt, ut per totum orbem pluviæ dividi possent. In Italiam Auster impellit, Aquilo in Africam rejicit. Etesiæ non patiuntur apud nos nubes consistere : iidem totam Indiam et Æthiopiam continuis per id tempus aquis irrigant.* Et Plinius, lib. 2. c. 47 : *Omnes venti vicibus suis spirant majori ex parte, aut ut contrarius desinenti incipiat*, etc. *Sol et auget et comprimit flatus, auget exoriens occidensque, comprimit meridianus æstivis temporibus. Itaque medio diei aut noctis plerumque sopiuntur, quia aut nimio frigore aut æstu solvuntur*, etc.

Annuntians homini eloquium suum.] Hebr. מה שיחו *ma sicho*, id est, quænam sit meditatio, cogitatio, consilium, eloquium, opus suum; שיח *siach* enim significat meditationem, et rem meditatam, gravem et seriam, quam ore

proloquimur et opere perficimus: ita vertunt Aquila, Symmach. Theodot. Chaldæus et passim Hebræi. Soli Septuag. verbi similitudine et ambiguitate decepti, ait S. Hier. nimirum pro מה שיחו *ma sicho*, legentes משיחו *mescicho*, id est, Messiam vel Christum ejus, verterunt: *Annuntians in homines Christum suum*; per quem licet Theodot. accipiat Cyrum, omnes tamen alii accipiunt Christum Dominum. Ita S. Athanas. lib. de Fide unit. et Trinit. Didymus lib. 2. de Spiritu sancto, Tertull. loco citato, Basil. l. 4. contra Eunom. Ambr. lib. 2. de Spiritu sancto c. 7, August. lib. 18. Civit. 2, imo Concil. Sardicense apud Socrat. lib. 2. c. 20. Quare non est credibile Septuag. hîc esse deceptos, sed consilio ita vertisse; vel quia in Codicibus Hebræis tunc erat duplex lectio, una *mescicho*, altera *ma sicho;* vel quia per *ma sicho* intellexerunt significari *mescicho*. Messias enim sive Christus est Patris meditatio, conceptio, dictio, eloquium et opus summum, immensum, increatum, ac divinum.

Est hîc ergo duplex versio, est et duplex sensus; sed prior posteriori subordinatus. Prior: *Annuntians homini eloquium suum,* q. d. Deus per Prophetas annuntiat hominibus sua consilia, decreta et eloquia. Ita S. Hieron. Remig. Rupert. Hugo et Lyran. Quocirca Syrus vertit: *Ostendens hominibus quid sit gloria* (laus) *sua;* et Arabicus: *Mittens laudantem* (præcinentem) *in hominibus.* Quis enim Dei consilia et gloriam agnitam non laudet?

Posset quoque verti, ait S. Hieron. *Annuntians homini eloquium ejus (* quia Hebræi idem habent pronomen reciprocum et absolutum. Nam per *vau* cum *cholen* significant tam *ejus* quàm *suum*) q. d. Deus novit secretas hominis cogitationes, quid scilicet animo meditetur et destinet, imo illas ipsi, si bonæ sint vel indifferentes, ingerit et suggerit, easque ipsi per internam inspirationem; vel aliis per Prophetas enuntiare et eloqui potest. Ita Arias et Vatablus.

Posterior est: *Annuntians homini eloquium suum,* puta Christum, qui est unicus Patris conceptus, unicum verbum, quo omnia dicit, creat, mandat et gubernat: hoc enim Dei verbum et eloquium cætera omnia complectitur. Simile est Deuter. 18. 18. ubi Moses Prophetam, id est, Prophetas alios post se à Deo dandos promittit; sed inter eos unum eximium et principem, qui antonomastice vocetur Propheta, puta Christus. Sensus ergo est, q. d. Deus Pater annuntiat per nos Prophetas, se ad homines missurum in carnem Verbum suum, ut hominibus ejus voluntatem, legem, salutem, gratiam et gloriam revelet, eamque illis reipsa conferat et impertiatur. Quocirca vos, ô Israelitæ, huic Messiæ vestro venienti occurrite, in eum credite, sperate, illum amate, colite, sectamini; ipsi obedite: ita ipse vos ab ira Dei, à peccato, à morte, à gehenna, ab omni hoste liberabit. Ipse vos Dei amicos, filios et hæredes, ac beatos in æternum efficiet. Solent enim Prophetæ omnium captivitatum et miseriarum finem et liberatorem statuere Christum. Unde cum multas clades multaque tristia prædixerunt, omnia hæc mitigant et dulcorant promittendo Christum: Christus enim est finis et scopus legis et Prophetarum. Confirmatur, quia pro *eloquium suum*, Aquila vertit, την ομιλιαν αυτου; Symmach. το φωνημα αυτου; Theodot. τον λογον αυτου, id est, sermonem et verbum ejus. Atque ex hoc loco et similibus videtur S. Joannes sumpsisse nomen λογος, quo jugiter vocat Christum, dicens: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Ubi pro *Verbum*, græce est λογος; non quod vocem λογος S. Joannes acceperit à Theodotione, qui duobus seculis S. Joanne fuit posterior: sed quod Hebr. שיח *siach* idem sit quod λογος, ideoque Theodot. vertit λογος. Denique Theophanes Nicænus in Symbolo novi et veteris Testamenti, quem citat Turrianus lib. 2. de Hierar. ordin. c. 1. ex versione Septuag. censet hîc esse prophetiam de Transfiguratione Christi. *Ecce*, inquit Amos, *firmans tonitru* (id est creans nubem ex cujus collisu erumpit tonitru) *et creans spiritum*, sive *ventum*, ex cujus verberatione, cum intentione significandi, existit vox de qua subdit: *Et annuntians hominibus Christum suum*, scilicet cum vox Patris de nube intonuit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite,* Matth. 17. 5.

Faciens matutinam nebulam.] Ita proprie sonant Hebræa, quæ tamen alii varie vertunt. Primo, Septuag. addentes *et*, vertunt: *Faciens mane et nebulam;* secundo, Pagnin. *Qui facit auroram et tenebras*, id est, diem et noctem, læta et tristia; tertio, Tigurina: *Qui auroram facit caligine*; quarto, Clarius: *Qui facit auroram ex caligine*, id est, ex tenebris noctis, ut scilicet nocti succedat aurora et dies; quinto alii ex adverso: *Qui facit ex aurora caliginem,* id est, diem mutat in noctem, prospera in adversa; sexto, Arabicus vertit: *Creavi abyssum primo, et ascendi super altitudinem terræ, et mittens laudantem* (præcinentem) *in hominibus;* septimo, mystice Chaldæus: *Qui præparat lumen justis quasi lumen auroræ, et præparat tenebras impiis.* Porro matutina nebula ostendit magnam Dei potentiam et sapientiam. Primo, quia hæc nebulam post noctes serenas subito in aurora producit per solem orientem, qui vapores et exhalationes è terra educens et elevans, iis quasi nebula tegit aerem. Secundo, quia mane nebula maxima est et latissima, velatque, vestit et ornat totum horizontem instar tapetis. Tertio, quia hæc nebula cingit et fasciat solem orientem, uti infans dum oritur et nascitur, fasciatur linteolis. Sic enim de prima nebula, primisque tenebris recens creatum mundum et mare involventibus, loquitur Job 38. 9: *Cum ponerem nubem vestimentum ejus, et caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem.* Ubi Auctor Catenæ: *Sicut*, inquit, *infanti panni sunt perquam commodi, sic etiam mari nubes ac nebulæ.* Quarto, quia hæc nebula Deum, quasi cum sole mane orientem, velat, ut homines eum intueri nequeant: sed eum ut invisibilem suspiciant et revereantur. Sic Virgil. lib. Æneid. ait de Ænea et Achate heroibus:

> At Venus obscuro gradientes aere sepsit,
> Et multo nebulæ circum Dea fudit amictu.

Quinto, quia hæc nebula est roscida et fecunda. Producit enim manna et rorem, quo herbæ et sata irrorantur et impinguantur. Insuper calorem et halitum vitalem terræ et terrestribus omnibus affert. Hinc experimur *nebulas nec æstate, nec maximo frigore existere: rores neque gelu, neque ardoribus, neque ventis, nisi serena nocte*, ait Plin. lib. 2. cap. 60. Quo

circa ex nebula Dei magnificentiam celebrat Jerem. cap. 10. 13 : *Elevat*, ait, *nebulas ab extremitatibus terræ.* Psalm. 147. 26 : *Qui dat nivem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit.* Eccl. 24. 6 : *Ego* (Sapientia) *sicut nebula texi omnem terram.* Et cap. 43. 15 : *Aperti sunt thesauri, et evolaverunt nebulæ sicut aves.* Et c. 50. de Simeone pontif. dicitur : *Quasi stella matutina in medio nebulæ.*

GRADIENS SUPER EXCELSA TERRÆ,] puta super montes altissimos, et petras rupesque hominibus invias et inaccessas, q. d. Deus omnia terrena, quantumvis celsa et inaccessa, majestate sua pervadit et transcendit, suaque providentia continet et gubernat, ita ut ventos et turbines ciere, nebulas hostibus suis superbis et impiis offundere, montes transferre, et in valles dejicere possit, q. d. Deus est qui montes, ventos, fulgura, tonitrua, omnesque res sublunares, æque ac cœlestes producit, temperat, regit. Unde omnes creaturæ sunt exercitus Dei, qui illi ad nutum obediunt, semperque ei præsto sunt, ut ad ejus nutum ferantur, ejusque inimicos et impios invadant et sternant. Ita S. Hieron. Albertus, Clarius et alii. Audi S. Hieron. *Præpara te, inquit, in occursum Dei tui, ut venientem ad te Dominum tota aviditate suscipias. Iste est qui firmat tonitruum, sive montes confirmat : ad cujus vocem cœlorum cardines, et terræ fundamenta quatiuntur. Iste est qui creat spiritum.* Quocirca Timæus Pythagoricus Deum vocat *mundum exemplarem.* Sicut enim mundus suo complexu omnia cingit et stringit, sic et Deus. Ipse enim est maxima universalisque natura, ubique præsens, omnia videns audiensque, cuncta continens, nullius vero ambitu contenta. Ipse est mundus increatus sapientiæ, sanctitatis, intelligentiæ, vitæ, rationum, formarum, causa, fons, creator et rector cæterorum omnium. Quocirca Ægyptii, ait Eusebius lib. 3. de Præpar. Evangel. cap. 3, Deum, quem ipsi *Eneph* vocant, pingunt humana forma, colore cæruleo, zonam tenentem et sceptrum, ac pennam gerentem in capite, ovum insuper ab ore producentem. Testa enim ovi, cœli omnia cingentis imaginem exhibet : vitellus, ignis : spiritus qui sunt in ovo, aëris : albumen, aquæ: terræ porro symbolum sunt partes magis concretæ. Addit Euseb. aliud Dei hieroglyphicum. Illud est, homo complicatos habens pedes, vestem talarem, eamque auream, pilam capite sustinens, quo mundi forma, immobilis constitutio, rotunditas, et stellarum varietas significatur, eaque omnia regi à Deo sustentarique, et in Dei cognitionem mentes hominum perducere. Nam ex ventis, nebulis, montibus, aliisque creatis Deus agnoscitur ; quasi ex ungue leo, quasi ex linea Apelles, quasi ex voce choraulis, quasi ex carmine poeta. Unde S. August. epist. 28. docet mundum hunc esse Dei carmen et canticum. *Si homo*, inquit, *carminis artifex novit quas quibus moras vocibus tribuat, ut illud quod canitur succedentibus ac decedentibus sonis, pulcherrime currat ac transeat : quanto magis Deus, nulla in naturis nascentibus et occidentibus temporum spatia, quæ tanquam syllabæ ac verba ad particulas hujus seculi pertinent, in hoc labentium rerum quasi mirabili cantico, vel brevius, vel productius quàm modulatio præcognita et præfinita deposcit, præterire permittit ?* Insuper S. Dionys. Cælest. Hieron. cap. 15. docet Deum designari per ventum, propter naturalem vim movendi atque animandi, et celerem insuperabilemque discessum, ac nobilium principiorum et finium incognitas et invisibiles latebras. Pari modo, Euseb. loco citato docet Ægyptios, ut Dei providentiam significarent, pinxisse solem radiis circumfusum in navi, quæ adverso flumine rapiebatur remis velisque incitata, ac deportabatur à substernente se crocodilo. Sic enim Deus quasi gubernator regit hanc mundi navim, omniaque in eo animalia et inanima, quantumvis fera, horrenda et vasta, edomat ac regit. Rursum Deus princeps temporum est quasi sol, qui ut ait Lucan. lib. 12 :

> Tempora dividit ævi ;
> Mutat nocte diem, radiisque potentibus astra
> Ire vetat, cursusque vagos statione moratur.

Denique S. Paulinus natali 9. S. Felicis :

> Est naturæ opifex Deus omnis et artis ; in omni
> Fons opere, et finis, faciens bona, factaque servans.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRÆDICIT ET PLANGIT SAMARIÆ VASTITATEM EXTREMAM ET ÆTERNAM, INFLIGENDAM A DEO TERRIBILI, QUI FACIT ARCTURUM ET ORIONEM, AC SUBRIDET VASTITATEM SUPER ROBUSTUM, OB EJUS SCELERA, PRÆSERTIM OB RAPINAS ET OPPRESSIONES PAUPERUM. DEINDE V. 14. HORTATUR EAM AD POENITENTIAM. NAM V. 21. ASSERIT SE EJUS VICTIMAS ET CÆREMONIAS EXTERNAS NON CURARE, IMO DETESTARI.

1. AUDITE verbum istud quod ego levo super vos planctum : Domus Israel
cecidit, et non adjiciet ut resurgat. 2. Virgo Israel projecta est in terram
suam, non est qui suscitet eam. 3. Quia hæc dicit Dominus Deus : Urbs
de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centum : et de qua egre-
diebantur centum, relinquentur in ea decem in domo Israel. 4. Quia hæc
dicit Dominus domui Israel : Quærite me et vivetis. 5. Et nolite quærere
Bethel, et in Galgalam nolite intrare, et in Bersabee non transibitis : quia
Galgala captiva ducetur, et Bethel erit inutilis. 6. Quærite Dominum, et vivite : ne forte com-
buratur ut ignis domus Joseph, et devorabit, et non erit qui exstinguat Bethel. 7. Qui conver-
titis in absinthium judicium, et justitiam in terra relinquitis. 8. Facientem Arcturum et Orio-
nem, et convertentem in mane tenebras, et diem in noctem mutantem : qui vocat aquas maris,
et effundit eas super faciem terræ : Dominus nomen est ejus. 9. Qui subridet vastitatem super
robustum, et depopulationem super potentem affert. 10. Odio habuerunt corripientem in porta,
et loquentem perfecte, abominati sunt. 11. Idcirco pro eo quod diripiebatis pauperem, et præ-
dam electam tollebatis ab eo : domos quadro lapide ædificabitis, et non habitabitis in eis : vineas
plantabitis amantissimas, et non bibetis vinum earum. 12. Quia cognovi multa scelera vestra,
et fortia peccata vestra : hostes justi accipientes munus, et pauperes deprimentes in porta.
13. Ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est. 14. Quærite bonum, et non
malum ut vivatis : et erit Dominus Deus exercituum vobiscum, sicut dixistis. 15. Odite malum,
et diligite bonum, et constituite in porta judicium : si forte misereatur Dominus Deus exercituum
reliquiis Joseph. 16. Propterea hæc dicit Dominus Deus exercituum dominator : In omnibus
plateis planctus; et in cunctis, quæ foris sunt, dicetur: Væ, væ! et vocabunt agricolam ad luctum,
et ad planctum eos qui sciunt plangere. 17. Et in omnibus vineis erit planctus, quia pertransibo
in medio tui, dicit Dominus. 18. Væ desiderantibus diem Domini ! ad quid eam vobis ? dies
Domini ista, tenebræ, et non lux. 19. Quomodo si fugiat vir à facie leonis, et occurrat ei
ursus, et ingrediatur domum, et innitatur manu sua super parietem, et mordeat eum coluber.
20. Numquid non tenebræ dies Domini, et non lux : et caligo, et non splendor in ea ? 21. Odi
et projeci festivitates vestras : et non capiam odorem cœtuum vestrorum. 22. Quod si obtuleritis
mihi holocautomata, et munera vestra, non suscipiam : et vota pinguium vestrorum non respi-
ciam. 23. Aufer à me tumultum carminum tuorum : et cantica lyræ tuæ non audiam. 24. Et
revelabitur quasi aqua judicium, et justitia quasi torrens fortis. 25. Numquid hostias et sacri-
ficium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel ? 26. Et portastis taberna-
culum Moloch vestro, et imaginem idolorum vestrorum, sidus Dei vestri, quæ fecistis vobis.
27. Et migrare vos faciam trans Damascum, dicit Dominus, Deus exercituum nomen ejus.

1. AUDITE VERBUM ISTUD, QUOD EGO LEVO SUPER VOS (Chald. et Septuag. *Assumo contra vos*) PLANCTUM.] Est appositio, q. d. Audite verbum, id est, planctum et lamentum, sive lugubre carmen quod ego pango et plango de instante excidio vestro, ô cives Samariæ. Unde Tigurina

clare vertit : *Audite sermonem istum, ô domus Israel, quem de vobis sumo, lugubre scilicet carmen;* alii : *Audite verbum quod ego levo super vos in planctum et lamentum.* Propheta ergo prævidens suorum cladem, commiserans et ingemiscens edit hoc lugubre carmen, quo publice miseram Samariæ sortem jam imminentem deplorat. Simile carmen et lamentum de Tyro, ejusque rege et civibus excisis canit Ezechiel cap. 27. 2. et de Ægypto ac Pharaone eversis cap. 32. v. 2. ac de Babylone et Balsasare à Cyro vastatis Isaias c. 14. 4. ac de Hierosolymæ excidio Jeremias in Threnis. Porro lugubre hoc carmen, et quasi epitaphium Samariæ, est id quod mox subdit Propheta dicens : *Domus Israel cecidit, etc.*

Domus Israel cecidit.] Ita et Septuag. S. Hier. in Comment. Remig. Lyran. et alii. Licet enim Hebr. בית *beth*, id est domus, sit masculinum; נפלה *naphela* vero, id est *cecidit*, sit femininum, tamen in re et sensu est concordantia : nam per *beth*, id est, domum Israel, intelligit עדה *eda*, id est synagogam, et congregationem populi, quæ est feminini generis, et recte concordat cum feminino *naphela*, id est cecidit. Comparat enim hic domum, id est populum Israel, feminæ, puta virgini afflictæ et prostratæ ; immerito ergo Massoretæ et Chaldæus Hebræa aliter dispungentes, nimirum ponentes hypocolon post τὸ *domus Israel*, ita legunt : *Audite verbum istud, quod ego levo super vos, planctum domus Israel : Cecidit, et non adjiciet ut resurgat virgo Israel.* Sed quomodocumque dispungas et legas, eòdem redit sensus.

Cecidit,] id est, cadet prostrata in terra sua ab Assyriis Samaria ejusque regnum, adeo ut nunquam resurgat et reflorescat. Decem enim Tribus, quarum fuit hoc regnum, abductæ in Assyriam, nunquam inde redierunt.

2. Virgo Israel] Solent Hebræi urbes et regna, ob speciem, opes et gloriam vocare *virgines.* Hinc Jerusalem vocatur *virgo filia Sion;* et de Babylone ait Isaias cap. 47. v. 1 : *Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylon.* Sic Ægyptus vocatur *virgo* et *filia*, Jerem. 46. 11. Virgo ergo Israel est Samaria, ejusque regnum speciosum et opimum, quod defloratum et vastatum ab Assyriis, simile fuit virgini regiæ olim ornatæ, nunc spoliatæ, violatæ, prostratæ et conculcatæ. Secundo, vocatur *virgo*, quia intacta à jugo hostis : nunquam enim antea Samaria ab Assyriis, aliisve gentibus subacta fuerat; sed ejus regnum et respubl. instar virginis liberum et illibatum efflorescebat. Ita Ruffinus, Clarius et Arias.

Addit S. Hieron. et Theodor. Samariam olim fuisse virginem, id est, puram in cultu Dei, cum in suis patribus Deum verum coluit. Sed hoc accipi debet de priscis patribus, qui schisma, quo divisum et erectum est regnum Israel, præcesserunt. Nam cum schismate, adeoque cum regno Israel cœpit ejus impietas et idololatria vitulorum aureorum, quos erexit primus Israelis rex Jeroboam.

Projecta est in terram suam.] Hebr. נטשה *nittesça*, quod Tigurina vertit : *Afflicta est ad terram suam;* Vatabl. *Derelinquetur in terra sua;* Pagnin. et alii proprie : *Dimissa est in terra sua.* q. d. Cecidit virgo Israel, tamque valido ictu ab Assyriis prostrata est, non qualitercumque, sed usque in imam terram, ut jaceat humi toto corpore prona, plane afflicta, projecta est quasi desperata, ab omnibus derelicta dimissaque, sine ulla ope et spe resurgendi : quia nec ipsa, utpote conquassata et confracta, se erigere poterit; nec rex Ægypti, ait Theodor. aut quis alius : tanta est ejus clades, adeo attrita, membris luxata, et diffracta est, ut nemo eam sibi restituere possit ; perinde ac olla testacea allisa ad petram, dissilit et diffringitur, ut à nullo figulo redintegrari queat. Unde sequitur :

Non est qui suscitet eam.] Alludit ad medicos, qui videntes quem ex turri lapsum et omnibus membris confractum, ut curari et sibi restitui nequeat, eum ut desperatum humi jacentem dimittunt et derelinquunt. Physice alludit ad virginem, quæ si lapsa et corrupta libidine virginitatem amisit, suscitari nequit, ut decus virginitatis recuperet. Unde S. Hieron. ad Eustoch. de custodia virginit. *Cave,* inquit, *quæso, ne quando de te dicat Deus : Virgo Israel cecidit, et non est qui suscitet eam. Audenter loquar. Cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam : valet quidem liberare de pœna, sed non vult coronare corruptam.* Rursum τὸ *suam*, auget cladem, et movet commiserationem, q. d. Projecta est, et afflicta in terra, non aliena et hostili, quod minus mirum et miserandum est; sed in sua, quam unice amabat, et à qua vicissim quasi à matre et nutrice amabatur et alebatur : sicuti res miseranda est, si filia occidatur in sinu matris.

3. Urbs, de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centum,] q. d. Tot cladibus afficientur Israelitæ ab Assyriis, tum in obsidione triennali Samariæ, 4. Reg. 18. 10 ; tum ante et post eam, ut gladio, fame et peste plerique omnes absumantur, ita ut mille redigantur ad centum, et centum ad decem, adeoque ex tanto Israelitarum numero vix decimus quisque tantæ stragi superstes sit. Ita Remigius, Hugo, Arias et alii. Idem Judæ comminatur Isaias, c. 6. 11 : *Et dixi,* ait, *Usquequo, Domine? Et dixit : Donec desolentur civitates absque habitatore, et domus sine homine,* etc. *Et adhuc in ea decimatio, et convertetur,* id est, rursum erit in deprædationem et ostensionem, uti ibidem explicat S. Hieron.

Tropol. ex Origen. homil. 8. in Josue, Ribera : Urbs, ait, est cujusque anima, quæ ædificatur à Domino ex lapidibus vivis, id est, ex virtutibus variis, de qua quisque sanctus pugnando ejicit peccatores, id est, cogitationes et cupiditates pravas : ac contra eas sanctificat bellum, hoc est, iis sancto suî odio mortificatis, sanctum se efficit corpore et spiritu, ut mereatur venire in conspectum Dei viventis, et pro palma victoriæ virtutis merito coronari à Christo. Egrediebantur olim ex anima hac fervida, quæ Deo adhærebat, mille, id est omnium, virtutum opera, quasi milites strenui cum diabolo et vitiis pugnaturi : at postea, cum cupiditate rerum terrenarum capta, fervorem hunc remittit, profert centum, numerum decuplo minorem ; et si prius centum educebat, decem in ea relinquuntur : quia hæc remissio et declinatio animæ, non unius alicujus, sed omnium virtutum opera minuit, et omnibus modis efficit imperfectiora, idque sensim magis et magis, ut tandem plane ab iis cesset, totaque à dæmone et vitiis opprimatur et possi-

deatur, itaque in extremam ruinam et interitum abeat.

In domo Israel.] *Domum* vocat familiam, id est remp. et Synagogam Israel, in qua multæ erant urbes, oppida et pagi.

4. Quia hæc dicit Dominus : Quærite me, et vivetis.] *Quia* ponitur pro *igitur*, q. d. Hoc quod jam dictum est, accidet domui Israel propter idololatriam: agite igitur pœnitentiam, relinquite idola, et quærite Dominum. Nam hebr. כִּי *ki*, id est, *quia*, ponitur pro *igitur*, *quocirca*, vel *veruменimvero : ki* enim Hebræis sæpe tantum est initium et exordium orationis. Post minas enim Deus hîc invitat Israelem ad pœnitentiam, ut minus territus resipiscat. Paulo aliter Vatabl. nam pro *quia*, vertit, *sic enim* dixit Dominus (quærite me) volens scilicet revocare ab idololatria, propter quam multa mala illi eventura erant, nisi resipisceret et quæreret Dominum.

5. Nolite quærere Bethel,] ut colatis vitulos aureos, quos in Bethel erexit Jeroboam.

Et in Bersabee non transibitis.] *Bersabee* urbs erat ultima terræ sanctæ, ejusque terminus ad Meridiem, sicut Dan erat ejusdem terminus ad Septentrionem (unde de tota terra sancta dicitur : *A Dan usque ad Bersabee*) ; ita dicta à juramento et fœdere quod ibidem juxta puteum Abraham iniit cum Abimelech, dando ei septem agnas : בְּאֵר *beer* enim hebr. est puteus; שֶׁבַע *saba* per *sin* juramentum, per *scin* septem significat. *Bersabee* ergo idem est quod puteus juramenti, vel puteus septem, scilicet agnarum. Vide dicta Gen. 21. 31.

Pertinebat hæc urbs ad Tribum Simeonis, sed quia Simeonis sors erat exigua, eaque intra sortem Tribus Judæ continebatur, hinc Josue 15. 28. Bersabee ponitur inter urbes Juda. Hîc multo tempore habitarunt Abraham, Isaac et Jacob : unde et vocatur oppidum Isaac. Tempore S. Hieron. erat vicus grandis, in eoque erat præsidium Romanorum, et Vicus salutaris vocabatur : nunc Gibelina nuncupatur. Ita Adrichom. in Descript. terræ sanctæ. Porro in Bersabee posita erant idola, æque ac in Bethel et Galgalis, ut patet 4. Reg. 23. 8. Unde Jubet hîc Propheta ne eò transeant, ad colenda scilicet idola. Quia enim Abraham in Bersabee oratorium Deo statuerat, in quo eum invocaverat, Genes. 21. 33. Hinc posteri ejus ibidem altare statuerunt, at non Deo, sed suis idolis. Ita S. Hieron. Theodor. Remig. Hugo, Lyranus et alii. Unus Arias aliter explicat, q. d. Ne colatis idola in Bethel et Galgalis : ita fiet, ut non abducamini in captivitatem, nec per Bersabee transeatis in Assyriam. Verum sic potius dixisset : *Et in Dan non transibitis.* Nam per Dan, utpote Aquilonarem, ibatur in Assyriam; per Bersabee vero, utpote Meridionalem, ibatur in Ægyptum.

Quia Galgala captiva ducetur.] *Galgala* erat civitas duarum Tribuum, puta fortis Juda; sed vicina decem Tribubus, et cum iis excisa. In Hebræo est elegans agnominatio : *Galgal galo iigale*, id est volubilitas volvendo volvetur, vel rota rotando rotabitur, vel migratio migrando migrabit, *Galgal* enim dicitur à גלל *galal*, id est volvit, devolvit, migravit. Unde Tigurina vertit : *Galgal transmigrans transmigrabit;* Pagnin. *Gilgal demigrando demigrabit.*

Et Bethel erit inutilis.] Septuag. et Syrus : *Bethel erit quasi non sit;* Hebr. *Bethel erit in Aven*, q. d. *Bethel fiet Bethaven*, id est, domus fortis fiet domus vanitatis, inanitatis (*inanis et vacua*, ut vertit Arabicus) et nihili, vel domus Dei fiet domus iniquitatis, et doloris luctusque.

Tropol. per peccatum anima quæ erat Bethel, id est, domus et templum Dei, fit Bethaven, id est, domus scelerum et diaboli. Rursum, domus cœli fit domus gehennæ, ut in ea ardeat in æternum. Hoc videt et sentit anima peccatrix in hora mortis, quando opes, honores et deliciæ, quibus illecta Deum offendit, vertentur ei in nauseam, opprobrium, miseriam, et tormentum æternum.

6. Quærite Dominum, et vivite,] id est, et vivetis, vel ut vivatis. Ita Vatabl. et Pagnin.

Ne forte comburatur, id est, ardeat et deflagret, ut ignis domus Joseph, et devorabit vicina, et non erit qui exstinguat Bethel.] hoc est, ignem immissum à Deo in Bethel, ut patet ex Hebræo et Græco. Pagnin. et Vatabl. vertunt : *Ne forte diffindat ut ignis domum Joseph :* diffindat, inquit Vatabl. id est, perrumpat et disperdat. Ignis enim validissima quæque perrumpit et consumit. Per *Joseph* intelligit Ephraim, qui fuit filius Joseph ; per Ephraim autem intelligit decem Tribus : quia Jeroboam primus earum rex, et regni conditor, fuit ex Tribu Ephraim. Ita S. Hieron. Remig. Albert. Hugo et Vatabl. Israel ergo nunc vocatur Ephraim, nunc Joseph, nunc Jacob, nunc Samaria.

7. Qui convertitis in absinthium judicium.] Cohærent hæc cum initio versus præcedentis, q. d. Quærite Dominum vos, ô Israelitæ, qui ab eo aversi convertitis judicium, ejusque suavitatem et dulcedinem in absinthii amaritudinem. Ita Rupert. Aliter Vatabl. connectit enim hæc cum verbo *devorabit*, q. d. Ignis hic devorabit vos, qui convertitis judicium in absinthium. Jam *judicium* primo, accipe proprie dictum. Sæpe enim Prophetæ culpant Israelem, quod perverteret judicium adjudicando causam nocentibus, utpote amicis vel divitibus et dantibus munera ; atque innocentes, quia pauperes vel inimici, condemnando, quibus proinde æquitas et consolatio, quam quærebant ex judicio, vertebatur in amaritudinem injustitiæ et condemnationis, quæ illis acerba et amara erat instar absinthii. Ita Rupert. Hugo et Lyran. Unde explicando subdit Amos : *Et justitiam in terra relinquitis;* Tigurina : *Justitiam in terra affligitis;* Vatabl. *In terra jacere sinitis.*

Secundo, S. Hieron. *judicium* generatim accipit pro justitia et sanctitate, puta pro debito et officio virtutis, quod quisque Deo et proximo præstare debet. Sic sæpe Psaltes psalm. 118. ait se fecisse judicium, id est, quod æquum est, debitum et gratum Deo, q. d. Vos qui convertitis virtutem in vitium, justam et sanctam vitam in peccati amaritudinem, eaque quasi absinthio potatis Deum. Hinc peccata in Scriptura vocantur *amaritudines*, quia amaricant, exacerbant, offendunt et ad iram concitant Deum. Ita ait Osee cap. 12. 14 : *Ad iracundiam provocavit me Ephraim in amaritudinibus suis.* Rursum peccatum per catachresin vocatur, fel, toxicum, absinthium : Primo, quia animam vellicat, lædit, occidit ; secundo, quia qui peccat, Deo quasi fel propinat ; tertio, quia modicum mel et voluptas peccati æternum fel et dolores amarissimos peccatori accersit. Hinc ait Moses

Deuter. 32. 32 : *Uva eorum uva fellis, et botri amarissimi. Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.* Et S. Petrus ad Simonem Magum, Acto r. 8. 23 : *In felle amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse.*

Huc pertinet expositio Ariæ, qui per judicium accepit legem Dei. Hæc enim Ps. 118. et alibi sæpe vocatur *judicium*, quia secundùm eam judicandum est quid sit bonum, quid malum, q. d. Vos legem Dei, quæ suavior est melle et favo, Ps. 18. 11, ob vestras pravas concupiscentias et consuetudines, abominamini ; quia æstimatis eam amaram et absinthium, illamque ut talem apud alios depingitis et traducitis, itaque eos ab illa ad scelera vestra abducitis.

Tertio, Septuag. hæc referunt ad Deum ; sic enim vertunt : *Quærite Dominum, et vivite,* etc. *qui facit in excelso judicium, et justitiam in terra posuit,* q. d. Quærite Deum, timentes justum æque ac rigidum ejus, utpote acerrimi vindicis judicium. Et Arabicus : *Dominus faciens judicium in altissimis, et ipse est qui fundavit justitiam in terra, et operatur omne, et parat illud.*

Et justitiam in terra relinquitis.] *Justitia* idem est quod *judicium*, de quo jam dixi : Hebræi enim versu posteriore explicant priorem. Aliter S. Hieron. Lyran. et Ribera. Hi enim per *justitiam* accipiunt Deum, qui est justitia essentialis et increata, q. d. Vos adoratis injusta et sordida idola, relinquitis vero, imo in terra quasi jacentem contemnitis et conculcatis ipsam justitiam, id est, Deum justissimum et omnipotentem, utpote *facientem Arcturum et Orionem,* etc. unde et Chald. vertit : *Desierunt timore à facie Domini, qui facit Arcturum, etc.* Sed prior sensus, uti simplicior et communior, ita germanior est.

8. Facientem Arcturum.] Ribera ex Remigio hæc connectit cum verbo *relinquitis* : illud enim hìc repetit, q. d. Relinquitis justitiam, quin et ipsum Deum facientem Arcturum. Unde Syrus vertit : *Dereliquerunt illum qui facit Arcturum et Orionem.* Rursum plane hæc referas ad vers. 6 : *Quærite Dominum,* q. d. Quærite Deum creatorem, gubernatorem, judicem et vindicem, æque ac remuneratorem omnium ; utpote qui facit Arcturum, Orionem, etc. cætera enim hìc intermedia, quasi per parenthesim interjiciuntur. Sensus est, q. d. Quærite Deum, non idola : solus enim Deus creat, gubernat, judicat, vindicat, præmiat universa, non idola ; unde Sept. vertunt : *Qui facit omnia et transformat.* Ita S. Hieron. Vatabl. et Lyran. Quocirca si illum quæsieritis, vivetis, etiam in mediis periculis et hostibus, securi et incolumes : ille enim potens est dare suis vitam, salutem et omne bonum : sin autem, moriemini, et ab hoste Assyrio exscindemini : Deus enim immittet ignem in domum Joseph, ut dixi v. 6 ; ipse enim facit Arcturum, Orionem, cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt et fiunt.

Arcturum.] Ita hebr. כימה *kima* Arcturum vertunt Septuag. Job, c. 9. 9, Pagnin. Vatabl. Arias hìc. Secundo Symmachus et Theodotion vertunt, *Pleiadas,* sive *Vergilias,* quæ sunt septem stellæ in cauda Arietis, aut potius in Tauro; et ita vertit Noster Job 38. 31. Tertio, Tigurina vertit, *Cynosuram*, id est, ursam minorem. Quarto, Arabicus et alii vertunt, *succulas,* quæ sunt in capite Tauri, et à Græcis vocantur Hyadæ ab υειν, id est pluere, eo quod pluvias concitent. Aliter vertunt : Hebræa enim nomina arborum, animalium, stellarum plures earum species significant. Porro *Arcturus* est ursa minor, puta septem stellæ quæ sitæ sunt juxta polum Arcticum, ideoque circa eas volvitur axis cœli, nobisque semper apparent et nunquam occidunt, inquit Albertus. Verius Arcturus est stella ingens in sidere Bootæ, sive bubulci post caudam majoris ursæ, indeque vocatur Arcturus, q. d. Ursæ cauda : αρκτος enim est ursa, αυρα cauda. Oritur Arcturus die 5. Septembris, ait Columella l. 2. cap. 4. suoque ortu, æque ac occasu, grandines et procellas ingentes concitat, ait Plinius lib. 2. cap. 39. Unde Virgil. 1. Æneid.

> Unde imber, et ignes,
> Arcturum pluviasque Hyadas geminosque Triones.

Et Horat. lib. 3. Carm.

> Stella micans radiis Arcturus nomine claro.

Et Cicero, l. 2. de Natura deorum, ait eam sitam subter præcordia Bootis, qui et Arctophilax, id est, custos ursæ dicitur, quia eam sequitur quasi custos. Unde Cicero ibid.

> Arctophylax vulgo qui dicitur esse Bootes,
> Quod quasi temone adjunctam præ se quatit Arctum.

Et Ovid. 3. Fast.

> Sive est Arctophylax, sive est piger ille Bootes.

Horum omnium situs clare patet inspicienti globum astronomicum : in eo pingitur Arcturus ut clara stella inter femora Bootis, sive Arctophylacis, qui sequitur ursam majorem, sive plaustrum ut vulgus vocat, eo quod septem ejus stellæ formam plaustri vel currus exhibeant. Porro Arcturus acer est et vehemens in ciendis procellis. Unde Plautus in Rudent.

> Arcturus signum sum omnium quàm acerrimum :
> Vehemens sum exoriens, occidens vehementior.

Quocirca Plinius vim ordinariam majorem et quasi divinam in concitandis tempestatibus in Arcturo agnoscit, lib. 18. 28. Et hoc innuit hìc Propheta dicens : Deus est *qui facit Arcturum*, hoc est, qui vim tantam jaculandi nimbos, grandines, fulgetra ei indit, quantam quotannis cernimus et experimur. Jampridem enim Deus fecit, id est creavit, Arcturum, puta ab origine mundi : quare Propheta cum ait hìc, *facientem Arcturum* in præsenti, non videtur de præterita ejus creatione loqui.

Et Oriona.] Sic et Syrus et alii passim. Arabicus vero vertit : *Geminos. Orion* sidus est Meridionale ante taurum constans 28 stellis, et pingitur in globo astronomico quasi vir pede insistens lepori, inter Hyades et Syrium, sive canem majorem. Dictus est græce Orion, απο του ορινειν, id est turbare, eo quod ejus ortu oritur pariter hiems, et quia oriens nimbis et procellis aerem terramque turbat. Inde hebraice dicitur כסיל *kesil*, id est inconstans, eo quod inconstans sit in micando, et inconstantiam auræ, puta serenitatis et tempestatis adducat : nascitur nono mense, puta Novembri, qui inde hebr. dicitur *kasleu*. In Novembri enim magna est cœli inconstantia et intemperies, quam significat

et inducit *kesil,* id est Orion. Unde Virgil. 1. Æneid.

Cum subito assurgens fluctu nimbosus Orion.

Hinc Poetæ fabulati sunt Orionem vel Urionem filium esse Neptuni, itaque dictum ab urina Jovis. Plautus Jugulam vocat, quod sit quasi armatorum gladius, stellarum fulgore (unde Noster Isaiæ 13. 10. Hebr. *kesil* vertit, *splendor*) terribilis. Idcirco ab Ovidio libr. 4. Fastor. Orion vocatur *ensifer.* Hic si fulget, serenitatem; si obscuratur, tempestatem denotat. Quocirca Horat. lib. 1. Carm.

Notus, *inquit*, devexi rapidus comes Orionis.

Devexum vocat, quia in devexa cœli parte, id est in occasu positus : comitem vero ejus Notum facit, quia tempestatem et ventos secum fert Orion.

Sub Arcturo et Orione per synecdochen, reliquas stellas et astra omnia accipe. Unde Symmachus pro *Orione* vertit, *stellas ;* Theodotion, *vesperum,* qui secum stellas omnes abducit, ut idem hìc dicatur quod Psalm. 146. 4 : *Qui facit multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat.* Quamobrem Septuag. hìc vertunt : *Omnia faciens et fabricans.*

Quæres cur hæc duo astra præ cæteris nominet Propheta? Resp. primo S. Hieron. quia hæc duo sunt celebriora et nobis notiora ; secundo, quia grandines, procellæ, etc. ab horridis sideribus exeunt, velut Arcturo, Orione et Hædis, ait Plinius lib. 18. 28. Hæc ergo sidera cientia tempestates, iræ Dei sunt symbola : iram autem et vindictam hìc Israelitis minatur Deus. Ita Ribera et Pineda in Job 9. 9, quæ sane ratio huic loco valde congruit; tertio, quia Orion præcipuum est sidus Meridionale, Arcturus præcipuum Septentrionale : sub his ergo duobus omnia, puta tam Meridionalia, quàm Septentrionalia comprehendit.

Addunt aliqui hæc duo juvare ad producendos flores et fructus vernos. Unde Job. 38. v. 31. pro eo quod nos legimus : *Numquid conjungere valebis micantes stellas Pleiadas* (hebr. *kima*) *aut gyrum Arcturi* (hebr. *kesil*) *poteris dissipare?* Sic transfert Pagninus : *Numquid ligare poteris manibus tuis fructus delicatos Vergiliarum, vel serotinos fructus Orionis aperire facies* ? Et Tigurina : *Num prohibebis delicias Pleiadum, aut contractiones Orionis aperies ?*

Quarto, Christ. à Castro : Videntur, inquit, posse his duobus præcipuis sideribus æstatis et hiemis significari quatuor anni tempora : nam ver æstati adjungitur, hiemi autumnus, q. d. Qui facit quatuor anni tempora ; sicut mox adjicit : *Qui facit noctem et hiemem.* Qui enim adeo facile tempora commutat ex ortu siderum, æque facile è periculis eruet, et sortes infestas in felices faustasque commutabit, et captivitatem instantem avertet.

Tropolog. S. Gregor. lib. 9. Moral. cap. 6 : *Arcturus*, inquit, *semper versatur, et nunquam mergitur ; sic et Ecclesia persecutiones iniquorum sine cessatione tolerat, sed tamen usque ad mundi terminum sine defectu perdurat. Arcturus dum versatur, erigitur : quia tunc S. Ecclesia valentius in veritate reficitur, cum ardentius pro veritate fatigatur. Quid post Arcturum per Oriones, nisi Martyres designantur? Ex Orionibus igitur hiems inhorruit, quia, clarescente sanctorum constantia, frigida mens infidelium ad tempestatem se persecutionis excitavit. Orionas ergo cœlum edidit, cum S. Ecclesia Martyres misit. Qui dum loqui rudibus recta ausi sunt, omne pondus ex frigoris adversitate pertulerunt.* Subdit deinde: Post Oriones sequuntur Hyades, id est doctores, qui post Martyres doctrinæ suæ pluvia rigarunt Ecclesiam : nam post tria secula Martyrum, sub Constantino cœpit quartum seculum Doctorum.

Convertentem in mane tenebras,] q. d. Qui tenebras noctis convertit in mane et lucem auroræ, qua noctem convertit in diem, ac vicissim *diem in noctem mutat.* Unde Pagninus vertit : *Est qui convertit in mane umbram mortis, et diem in noctem tenebrescere facit;* Tigurina : *Qui tenebras mortis,* id est mortiferas, *convertit in lucem matutinam, et diem nocte obtenebrat.* Nota : Tenebræ noctis hebr. vocantur צלמות *tsalmavet,* id est umbra mortis, hoc est, maximæ et densissimæ, æque ac horribiles, uti est umbra mortis, in sepulcris et in inferno. Syrus: *Convertit in mane umbram mortis,* id est umbras tristissimas, et tenebras densissimas.

Porro hæc umbra et tenebræ symbolice denotant ingentia pericula, ait Theodor. clades et ærumnas, q. d. Deus consolationem in desolationem, risum in luctum, prospera in adversa, securitatem in timores, plausum in planctum commutat, et, vice versa, desolationem in consolationem, etc. prout ei libuerit, et prout merentur vel demerentur homines. Ita Chæremon Abbas apud Cassian. collat. 12. c. 12. hunc Amos locum explicat de mira mutatione cordium, quam facit sua gratia potens æque ac misericors Deus. *Quis,* inquit, *plane non miretur opera Dei, ac toto proclamet affectu : Quia ego cognovi quod magnus est Dominus ; cum se vel alium quempiam ex rapacissimo liberalem, ex prodigo continentem, ex superbo humilem, ex delicato ac tenero squalidum hirtumque perspexerit, et egestate atque angustia præsentium rerum etiam voluntarie perfruentem ? Ista sunt prodigia quæ posuit Deus super terram, quæ Propheta considerans, ad admirationem eorum cunctos populos advocat, dicens : Venite et videte opera Dei, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad fines terræ : arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni. Quod enim majus potest esse prodigium, quàm sub momento brevissimo ex rapacissimis publicanis Apostolos fieri, ex persecutoribus truculentis Evangelii prædicatores patientissimos reddi, ita ut eam quam persequebantur fidem, etiam effusione sui sanguinis propagarent ? Ista sunt opera Dei quæ se quotidie unà cum Patre operari Filius protestatur, dicens : Pater meus usque modo operatur, et ego operor, Joan. 5. De istis operibus B. David in spiritu canens : Benedictus, inquit, Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna solus, Ps. 71. De istis et Amos Propheta : Qui facit, inquit, omnia, et convertit ea, et transmutat in matutinum umbram mortis. Hæc nempe est mutatio dexteræ Excelsi.*

Rursum Cassianus, collat. 15. cap. 8, hasce mutationes mentium miraculis præfert, dicens : *Et revera majus miraculum est, de propria carne fomitem eradicare luxuriæ, quàm expellere immundos spiritus de corporibus alienis. Et magnificentius signum est, virtute patientiæ truculentos motus iracundiæ cohibere, quàm aeris potestatibus imperare : plusque est exclusisse edacissimos*

de corde proprio tristitiæ morbos, quàm valetudines alterius febresque corporeas expulisse. Postremo multis modis præclarior virtus sublimiorque profectus est, animæ propriæ curare languores, quàm corporis alieni. Causam dat : *Quanto enim hæc sublimior carne est, tanto præstantior ejus est salus ; quantoque pretiosioris excellentiorisque est substantiæ, tanto gravioris ac perniciosioris est et ruinæ.* Notent hoc qui in animabus convertendis desudant : sciant se tot miracula patrare quot animas convertunt, imo quot vitia exstirpant ; eaque non corporalia et transitoria, sed spiritualia et in omne ævum in cœlis ad perenne trophæum mansura.

Qui vocat aquas maris, q. d. Qui calore solis evocat et attollit in aerem vapores ex aquis maris, eosque resolvit in pluviam ; itaque effundit eas (aquas) super faciem terræ : Dominus nomen ejus.] Pro *Dominus* hebr. est *Jehova*, id est, *qui est*, vel το ων, qui est ipsum esse, tum suum formale, tum causale rerum omnium, puta qui est plenitudo, universitas et complexus entis, essentiæ et existentiæ; qui est Oceanus essendi, et immensum pelagus existendi. Suspicatur Sanchez, Amos, utpote rusticum, alludere ad rusticorum opinionem, licet falsam, quæ censet Iridem bibere et haurire aquas è mari, de qua Rhodigin. lib. 22. c. 29.

Tropol. *S. Paulus*, ait S. Hieron. *quasi turbo violentus, et sæva tempestas, et tumentis maris gurges persequebatur et opprimere nitebatur Ecclesiam Dei. Qui vocatus à Domino, effusus est super faciem universæ terræ, ut prædicaret Evangelium de Hierosolymis usque ad Illyricum*, etc. *ut usque ad Hispanias tenderet, et à mari Rubro, imo ab Oceano usque ad Oceanum curreret, imitans Dominum suum, et solem, de quo legimus : A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus ; ut ante eum deficeret terra, quàm studium prædicandi.*

9. Qui subridet vastitatem super robustum.] Hebr. est מבליג *mablig*, quod primo Septuag. vertunt : *Qui dividit contritionem super fortitudinem*, id est, qui varias contritiones quasi divisas et dissectas jaculatur in fortes et potentes, ut eos sternat ; quique, ut explicat Theod. facile infirmos corroborat, et robustos infirmat et conterit; secundo, Chald. Vatabl. et Arias: *Qui fortificat debiles, eosque facit prævalere robustis et fortibus ;* tertio, Lyran. : *Qui contemnit vastationem à robusto factam, et depopulationem*, id est populi stragem, et *abductionem è regno potenti facit;* quarto, Pagninus: *Qui roborat vastatorem super populum robustum;* quinto, Tigurina : *Qui contorquet vastatorem super fortem ;* sexto, Arabicus : *Exaltans humilem super fortem, et infirmum super magnificantem se;* et Syrus : *Qui præficit vilem* (abjectum) *forti et humilem super excelsum* (elevatum) *elevat.* Hæ omnes interpretationes eodem tendunt, scilicet significant Deum esse qui dat robur et victoriam cui vult, ac sæpe infirmos roborare, ut prævaleant fortibus. Sic Tropologice ait S. Hieron. : *Fortitudo corporis imbecillitas animæ est : rursum animæ fortitudo imbecillitas corporis est.*

Noster eodem fere sensu, sed nervosius magisque proprie, cum Aquila vertit : *Qui subridet*, id est, subridendo comminatur et immittit vastitatem. Iræ enim magnitudo subinde subridendo ostenditur, aut potius ab heroibus per risum dissimulatur, uti patet ex illo Virgil. Æneid. 10 :

> Ad quem subridens mista Mezentius ira :
> Nunc morere.

Ita Deus omnem humanam potentiam sibi adversam subridet, id est, subridendo despicit, deridet et sternit. Risu ergo ostendit eam minorem esse sua ira, et indignam cui succenseat et irascatur; uti leo canes, lupos, ursos non dignatur sua ira; sed si ei obsistant, quasi ludens et ridens eos discerpit. Sic Deus ludens in orbe terrarum deridet fastum homuncionum, et subridens mactat impios ; cum per homines debiles et infirmos, resque viles eos contundit, uti Pharaonem contudit per ranas, locustas, ciniphes et muscas. Hic est ludus, hic risus Dei omnipotentis. Hinc à Castro ita explicat : *Qui subridet*, etc. id est, qui solet quasi per risum exstimulare debilem quemque in robustissimum, ut eum devastet. Et Mariana : Deus, ait, *subridet*, id est, videtur ludere in nostris malis. Et Emmanuel : *Subridet*, id est ridendo, vel deridendo facile immittit *vastitatem*. Sic de struthione ait Job c. 39. 18 : *Deridet equum et ascensorem ejus.* Et de Leviathan cap. 41. 20 : *Quasi stipulam æstimabit malleum, et deridebit vibrantem hastam.* Et Psaltes de Deo ait Psalm. 2. 4 : *Qui habitat in cœlis irridebit eos.* Et Psal. 36. 13 : *Dominus autem irridebit eum.* Et Prov. 1. 26 : *Ego quoque in interitu vestro ridebo.* Pulchre vero Sapiens, cap. 12. 15, cum dixisset impios Chananæos impie et insipienter instar infantium insensatorum vixisse, subdit : *Propter hoc tanquam pueris insensatis judicium in derisum dedistis*, q. d. Velut puerilibus et ridiculis pœnis (puta per vespas et crabrones) eos quasi pueros, graviter tamen et acriter punivisti : ubi in Græco pulchra est paronomasia inter παισιν et εμπαιγμον, q. d. Ridiculos ridicule irrisisti; pueros pueriliter lusisti et castigasti. Hoc est quod ait Claud. 2. in Eutrop. : *Subrisit crudele pater.* Sic felis subridet murem quem cepit, id est, subridens devorat : nam antequam devorat, cum eo quasi ridens gesticulatur et ludit. Sic est risus Sardonicus, risus equinus, risus caninus : equi enim et canes dum ringunt et mordere parant, dentes nudant quasi ridentes. Sic Jupiter, inquit Hesiodus, iratus Prometheo, quod ignem è cœlo furatus in terram detulisset, risit risum subamarulentum. Dioscorides l. 6. inter venena prodidit herbam, quæ latine ranunculus, græce batrachion dicitur, et à regione in qua copiosius provenit, Sardoa, vel Sardonia nuncupatur, si potetur, vel comedatur, mentem adimere, labiisque contractis risus speciem præbere. Atque inde proverbium de Sardonio risu. Strabo, l. 11. Geographiæ, scribit in Cambysene, quæ flumen Alazonium accolit, aranearum genus quoddam nasci, quod alios ridendo cogat emori, alios flendo, desiderio suorum. Quin et Aristot. l. 3. de Partibus animalium, ait, ictu etiam trajecta præcordia in præliis, risum attulisse subinde, idque accidere calore quem moveat vulnus. Jam vero *Ridere de hoste risus est suavissimus*, ait Sophocles in tragœdia cui titulus : *Ajax flagellifer.* Ita lætatur non tantum Deus, sed et justus, cum videt vindictam peccatorum.

Porro Hebr. מבליג *mablig* significare *qui subridet*, patet ex Aquila, qui vertit μειδιων, id est

subridens; et ex S. Hieron. dum ait : *Proprie* μειδιαμα *dicitur, quod nos subrisionem possumus appellare, quando quis irascitur, et apertis paululum labiis subridere se simulat, ut iræ ostendat magnitudinem.* Idem in caput Jerem. 8. 18. Hebr. ait : מבליגית *mabligit est* μειδιαμα, *quod nos interpretari possumus rictum oris dolore contracti, et habentis risus similitudinem, qualis est risus caninus et Sardonicus.* Jam quis non videt magis credendum Aquilæ et S. Hieron. quàm modernis indoctis et infidelibus Rabbinis?

10. ODIO HABUERUNT CORRIPIENTEM (Prophetam) IN PORTA.] Prophetæ enim prædicabant in publicis plateis, et magis in portis, tum ob confluxum hominum, tum quia in portis sedebant judices, procuratores et advocati iniqui, pervertentes judicia et causas pauperum, quos redarguebat Amos aliique Prophetæ. Judæi enim sua tribunalia et judicia exercebant in portis, quia ad eos libere et facile convenire et confluere poterant, tam alienigenæ quàm indigenæ, tam coloni quàm cives. Ita sanxit Moses Deuter. 21. 19 : *Ducent*, inquit, *reum ad seniores civitatis et ad portam judicii.* Ita in portis prophetavit et prædicavit Jeremias c. 17. 17. et Esdras lib. 2. c. 8. 2. Ita S. Hier. Theodor. Lyran. Vatabl. et alii passim. In portis ergo erat quasi forum, tum civile rerum venalium, tum judiciale causarum forensium. Unde Tigurina vertit, *in foro.* Audi S. Gregor. 21. Moral. 15 : *Mos apud veteres fuit, ut ad portam sederent seniores, qui certantium jurgia judiciaria examinatione discernerent; quatenus urbem in qua concorditer oportet vivere, discordes minime intrarent. Unde et per Prophetam dicitur : Constituite in porta judicium.* Quocirca subdit portam subinde capi pro judicio quod exercebatur in porta, ut cum Job ait : *Cum viderem me in porta superiorem : in porta,* id est in judicio.

LOQUENTEM PERFECTE ABOMINATI SUNT.] *Perfecte,* id est, perfectum et sanctum sermonem, ut vertunt Sept. et Symmach. ac *immaculatum,* ut vertit Theodotion; Tigurina : *loquentem integra.* Est periphrasis Prophetæ.

DIRIPIEBATIS PAUPEREM.] Septuag. : *Pugno percutiebatis pauperem*; alii : *Sprevistis,* confudistis et pudore affecistis; Pagnin. : *Onerastis pauperem;* proprie Tigurina : *Conculcastis tenuem,* ut scilicet diriperetis et spoliaretis. Hebr. enim בושכ *bosçes* potest deduci à radice בוש *bosç,* id est confundere, pudefacere; et à radice בוס *bos* per *samech*, id est spernere, calcare, conculcare, polluere, inquinare, diripere. Porro *bosç* vicinum est alluditque ad בז *baz,* id est spoliare, prædari, diripere.

ET PRÆDAM ELECTAM.] Septuag. *munera electa,* q. d. Judices aliique potentes extorquebant à pauperibus dona, non vulgaria, sed selecta et pretiosa. Clarius, Pagnin. Vatabl. Arias et R. David vertunt : *Et onus frumenti ab eo accepistis,* puta vi aut dolo extorsistis; onus intellige equi, vel hominis, quantum scilicet equus vel homo bajulus portare potest. Hebr. enim בר *bar,* et *electum,* et *frumentum* significat. Hinc justam et congruam ejus pœnam subjungit dicens :

DOMOS QUADRO LAPIDE ÆDIFICABITIS, ET NON HABITABITIS IN EIS : VINEAS PLANTABITIS AMANTISSIMAS, ET NON BIBETIS VINUM EARUM.] Justa enim vindicta est, ut qui rapuit aliena, perdat sua. Æquum est ut qui ex rapina domos et vineas comparat vel acquirit, eas non possideat, iis non gaudeat, earum usu et gustu non fruatur, uti sæpe raptoribus et injustis justo Dei judicio accidere videmus.

12. QUIA COGNOVI MULTA SCELERA VESTRA, ET FORTIA PECCATA VESTRA.] *Fortia,* id est, gravia, grandia, crudelia, adeo ut meam clementiam vincant, ligent et quasi obruant, illique justam vindictam et flagellum è manu extorqueant.

HOSTES JUSTI (id est justorum, supple eratis; Tigurina, *constringentes;* Vatabl. *affligentes justum*) ACCIPIENTES MUNUS, ut reum nocentem ob munera absolveretis, et innocentem impotentem ad ea dandum condemnaretis. Pro *munus,* Septuag. Symmach. et Theodot. vertunt, ἀλλάγματα, id est commutationes. Porro ἄλλαγμα juxta idioma Scripturæ *pretium* dicitur, ait S. Hier. ET PAUPERES DEPRIMENTES (Septuag. *declinantes;* Symmachus, *opprimentes*) IN PORTA), id est, in judicio quod fiebat in portis.

13. IDEO PRUDENS IN TEMPORE ILLO TACEBIT, QUIA TEMPUS MALUM EST.] Tigurina : *Idcirco prudens hoc tempore silere cogitur; quandoquidem periculosum est,* q. d. Propter injustitiam judicum et imprudentiam hominum hujus temporis odientium veritatem, tacent tum ipsi oppressi, feruntque in silentio suas injurias et rapinas; ne si clament aut conquerantur, gravius affligantur, inquit Arias; tum Prophetæ : irridentur enim eorum minæ et monita, nec illa monitio cederet ad emendationem, sed ad incrementum rapinarum et peccatorum. Ita Remig. Albert. Lyran. et Vatabl. Ita V. Beda lib. 3. Hist. Anglic. cap. 19. narrat S. Furseum raptum ad tribunal Christi, accusatum à dæmonibus, inter alia dicentibus : *Scriptum est : Nisi annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus requiram de manu tua. Hic non annuntiavit digne peccantibus pœnitentiam;* verum angelum sanctum pro eo respondisse : *De hoc tempore scriptum est : Prudens in tempore illo tacebit, quia tempus pessimum est; quando enim auditores despiciunt verbum, lingua etiam doctoris præpeditur, dum videt quod audita prædicatio despicitur.* Subdit Beda : *In omni contradictione dæmonum prævalida nimis exstitit pugna, donec, judice Domino, triumphantibus ejus Angelis, contritis devictisque adversariis, immensa claritate vir sanctus circumfusus est, sanctorum Angelorum choris concinentibus. Nullus labor durus videri debet, nullum longum tempus, quo gloria æternitatis acquiritur.*

Secundo, magisque apposite S. Hieronym. et Theodoret. q. d. Idcirco, scilicet ob tot rapinas et scelera quæ jam recensui, prudens in tempore illo captivitatis Assyriacæ, videns Israelitas adeo horrende à Deo puniri, non conqueretur, quia tempus malum est, quo scilicet Deus decrevit impios plectere et perdere; sed tacebit, probans et laudans justum Dei judicium, et impiorum judicium; de hoc enim agit, ut patet ex præcedentibus. Nam alioqui Amos aliique Prophetæ non tacebant, sed acriter reprehendebant sceleratos, eisque dira quæque minabantur; esto scelesti ea contemnerent et riderent.

Tertio, nove Joannes Alba Electorum c. 23. sic explicat : *In tempore illo prudens tacebit,* q. d. Sapientes et principes populi ad silentium redigentur et obmutescent, ac præ malorum pondere profunda silentia servabunt. Sic dicitur 1. Reg. 2. 9 : *Impii in tenebris conticescent,* hoc

est, præ malis obmutescent. Et de Tyro evertenda ait Ezech. c. 27. 32 : *Quæ est ut Tyrus quæ obmutuit?* id est obmutescet. Et Sap. 10. 21 : *Sapientia aperuit os mutorum.* Mutos vocat afflictos Hebræos, et ob Ægyptiam servitutem obmutescentes : vehemens enim dolor loquelam adimit. Horum Deus ora aperuit, cum dolorem ademit : et illos exhilaravit liberando ex Ægypto ; tunc enim eruperunt in hymnos laudesque Dei, ac cecinerunt : *Cantemus Domino ; gloriose enim magnificatus est : equum et ascensorem projecit in mare*, Exod. 15.

14. SICUT DIXISTI,] scilicet apud vos ipsos, id est, sicut desiderastis. Nil enim aliud optabant quàm Deum manere secum in terra quam eis dederat: eo enim manente, mansuri erant et ipsi : eo abeunte, ipsi quoque abituri erant in captivitatem. Ita Lyran. et Clarius. Secundo, q. d. Præstate quod promisistis, scilicet vos quæsituros bonum, non malum, ad hoc, ut Dominus sit vobiscum : agite quæ dixistis, et facta verbis consentiant, ut mores malos in bonos convertatis, quibus Deum vobis concilietis. Ita Theodor. Prior sensus simplicior, secundus plenior est.

15. CONSTITUITE IN PORTA JUDICIUM,] scilicet justum, hoc est justos judices, qui munera non accipiant, sed pauperes et innocentes tueantur.

SI FORTE MISEREATUR DOMINUS RELIQUIIS JOSEPH,] id est regno Israel, cujus institutor fuit Jeroboam, ortus ex Ephraim filio Joseph.

16. IN OMNIBUS PLATEIS ERIT PLANCTUS, ET IN CUNCTIS QUÆ FORIS SUNT (puta *in cunctis vicis*, ut vertit Vatabl. et Arias, pagis et villis) DICETUR : VÆ, VÆ!] Hebr. הו־הו *hoho*, id est heu, heu! quæ vox est gementis et plangentis stragem Samariæ. Ita S. Hieron.

VOCABUNT AGRICOLAM AD LUCTUM ET AD PLANCTUM EOS QUI SCIUNT PLANGERE,] puta planctores et planctrices, sive præficas, qui ad funus mortui vocabantur, ut eum voce, et gestu, et tibiæ sonitu plangerent, de quibus dixi Jerem. 9. 11. q. d. Tanta erit clades ut omnes plangant, et urbani et rusticani : hi naturaliter, more rusticano, illi ex arte et usu civili.

17. QUIA TRANSIBO IN MEDIO TUI,] quasi fulgur momento omnia pervadens, percellens et sternens. Unde Aquila vertit ἀνυπερθεσιαν, quasi citam et curationis minime capacem calamitatem, ait S. Hieron.

18. VÆ DESIDERANTIBUS DIEM DOMINI !] S. Hier. Rupert. et Hugo hæc intelligunt de Judæis æque ac Israelitis : Arias de solis Judæis. Nam c. seq. v. 1. nominat Sionem quæ erat urbs et arx Judæorum, ac hic v. 22. agit de victimis Deo vero oblatis : hæ autem offerebantur in Judæa, non in Israele. Sensus ergo est, ait S. Hieron. q. d. Dicunt impudentes Judæi et Samaritæ : Veniat dies prædicta à Prophetis, veniat intentata captivis, dummodo quod ponitur per Prophetas, etiam restitutionis tempus consequatur. Non est enim tantum mali in captivitatis injuria, quantum boni in his quæ post captivitatem Dominus pollicetur. Quibus Propheta respondet eos falli et falsa præstolari ; nam post 70 annos captivitatis graviores clades eis obventuras. Cum enim jugum Chaldæorum evaseritis, inquit, incidetis in ursum, id est Cyrum et Darium, à quo eruti occurretis colubro, id est Alexandro Magno et Antiocho Epiphani. Verum ad Israelitas solos hactenus fuit sermo, hique vocantur v. 15. reliquiæ Joseph : hi etiam habuerunt sua altaria Deo vero dicata, quæ destruxit Achab et Jezabel, uti plangit Elias 3. Reg. 19. 10. Loquitur ergo Israelitis qui irridebant minas captivitatis et excidii, quas eis intentabant Prophetæ, dicentes : *Manda, remanda ; exspecta, reexspecta*, Isaiæ 28. 10. Sensus ergo est, q. d. Vos, ô Israelitæ, irridetis nostra oracula, et irrisorie dicitis : Ubi est dies Domini? ubi est dies et vindictæ et excidii, quam ad ravim inclamant et intentant nobis Prophetæ? veniat, veniat. Nam ad hanc diem et vocem jam pridem occalluerunt aures nostræ : dies enim illa semper nobis objicitur et nunquam venit. Quare minas hasce ut inanes spernimus ; diem illum venturum non credimus nec timemus. Et si veniat, non adeo horribilis erat, atque abibit uti venit ; nec Deus populum suum derelinquet, sed paulo post restituet et restaurabit, uti vos, ô Prophetæ, promittitis. Quibus respondet Propheta diem Domini fore terribilem, foreque diem nubis, caliginis et tenebrarum, id est plenam miseriarum, tristitiæ et ærumnarum, ac omnia infausta et acerba allaturam. Ita Theodor. Lyran. et Vatabl.

19. QUOMODO SI FUGIAT VIR A FACIE LEONIS.] Sensus est : Dies illa periculum ex periculo, cladem ex clade feret, perinde ac si quis leonem fugiens incidat in ursum, et ursum fugiens in domum, ibi mordeatur à colubro, q. d. In die illa omnia ubique erunt plena periculis et stragibus : nec foris, nec domi quis tutus erit : foris enim grassantur leones et ursi, domi in parietinis et foraminibus latent angues. Rursum minori periculo et malo succedet majus, sicut sævior est ursus leone : leo enim supplicibus parcit et mortuis, ursus nulli, quin et cadavera invadit et laniat. Addit à Castro per leonem intelligi Teglathphalasar, cui successit ursus sævior, scilicet Salmanasar, excurrens et populans agros Samariæ : ursum excepit nocentior coluber, id est idem Salmanasar Samariam evertens regnumque Israel exscindens.

Alleg. Rupert. hæc refert ad duplicem Christi adventum : Leo, inquit, est Christus resurgens ut leo de tribu Juda, à cujus facie fugerunt Judæi : sed in eumdem incident quasi in ursum, cum secundo veniet ut judex orbis, quando Judæi conabuntur se tueri et abscondere in maceria et parietinis, hoc est in lege Mosis jam pridem ruente et abolita : sed ibi comprehendet eos coluber, id est Antichristus tyrannorum omnium sævissimus, de quo dixit Jacob Genes. 49 : *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita.* Sic enim de Deo ait Jerem. Thren. 3. 10 : *Ursus insidians factus est mihi, leo in absconditis.*

Tropolog. S. Hieron. Diabolus, ait, est leo, ursus, coluber : puta leo in hac vita, ursus in morte, coluber in gehenna : ibi enim damnatos mordet et cruciat ut aspis. Rursum Clarius : Væ, ait, illis qui desiderant diem Domini, id est diem mortis, ut præsentis vitæ mala evadant! nam incident in ursum, id est in terribile Christi judicium ; et in colubrum, id est in gehennam, ubi ab uno dæmone et tortore incident in alium et alium jugiter.

Denique hæc recte Epicuræis, politicis et atheis adaptes, qui hic voluptuantur, ventrique et veneri indulgent, ideoque sibi persuadere conantur animam hominis esse mortalem, et in morte cum corpore interituram. Hi enim non timent mortem, sed saturi et oppleti eam optant ut in ea quiescant. Verum in morte incident in

ursum et colubrum, id est in dæmones, qui ostendent eis animam esse immortalem, dum eam rapient ad æterna tormenta. Ibi agnoscent suam stoliditatem, cum dæmones eis objicient testimonium ipsius animæ, dicentque : Si nolebas credere S. Script. Ecclesiæ, consensui SS. Patrum et Sapientum, qui omnes uno ore credunt et docent animam esse immortalem, debebas saltem credere animæ tuæ quæ testatur se liberam, rationalem, creatam ad imaginem Dei, Deumque fore suum judicem et vindicem, præsertim iis qui omnem hanc vitam in voluptatibus et sceleribus transegerunt. Ubi? nisi in altera vita, eaque æterna. Id clamavit, id jugiter occlamavit tibi conscientia tua. Clamorem ejus surditate tua sopire voluisti, ac exstinguere non potuisti : semper tibi hæsit scrupulus, semper dubitatio, semper metus. Quid si anima sit immortalis ? quid mihi post hanc vitam accidet ? quas scelerum pœnas dabo ? Stolide, in dubio tanto, ex quo sciebas æternitatem tuam pendere, eamque vel beatissimam, vel miserrimam, cur non tutiorem, cur non securiorem partem elegisti? Si dubites an via sit obsessa latronibus, aliam capessis, licet longiorem et difficiliorem. Cur idem non fecisti in hoc cæco animæ bivio? Hoc dilemma (quo nuper politicus quidam moriens convictus et conversus est) te sapientiam et prudentiam docere debebat : Vel est numen et vindex Deus post hanc vitam, vel non est. Si non est, attamen si id credidero, non mihi nocebit, imo proderit : inducet enim me ad vitam honestam et homine dignam; si est, et ego illud non credidero, imo negavero, quas ejus iras, quæ tormenta ab eo ob hanc perfidiam et blasphemiam exspectare me oportet? Potius ergo illud credam et confitebor; cum illud credere nocere nequeat; non credere autem gravissimos cruciatus mihi accersere possit. Rursum, vel sunt præmia bonorum et supplicia malorum, uti ipsa ratio dictat, post hanc vitam, vel non sunt. Si non sunt, ea tamen credere, sperare et timere non oberit, imo proderit ad omnem virtutem : si sunt, et ego ea non credens turpiter et scelerate vixerim, utique suppliciis hisce æternis mancipabor; longe ergo satius et prudentius est ea credere quàm non credere. Vide Tertull. de Testimonio animæ.

20. Numquid non tenebræ dies Domini et non lux?] Tenebræ symbolum sunt adversitatis, calamitatis et mœroris : lux vero prosperitatis, felicitatis et gaudii, q. d. Utquid contemnitis, imo irridendo provocatis et desideratis diem vindictæ Domini? Nescitis illam diem vobis fore tenebrosam, id est ærumnosam maxime et luctuosam, in qua bonis, libertate et vita spoliabimini? In qua occidet vobis sol hujus lucis, omnisque consolationis et boni, ac nox una perpetua vobis erit dormienda, in qua nullus erit splendor, sed umbra mortis et æterna caligo, mœror et desolatio.

21. Odi et projeci festivitates vestras.] Est prolepsis. Occurrit enim tacitæ objectioni, q. d. Vos confidentes in templo ejusque sacrificiis, dicitis et ingeminatis : Templum Domini, templum Domini est apud nos. Deus non sinet suum templum ab hostibus everti, nec populum se tot victimis colentem, ab iisdem capi et trucidari. Quibus Deus respondet : Frustra hæc jactatis, frustra in hisce confiditis. Nam ego odi sacrificia et festa vestra; odore et nidore eorum, dum cremantur, æque ac thymiamatis incensique vestri, non capior, imo offendor : quia ab hostibus meis, impiis et sceleratis mihi offeruntur, juxta illud Isaiæ 1. 13 : *Incensum abominatio est mihi ; calendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea : facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens.* Illa enim sacrificia valebant tantum et placebant Deo ex opere operantis, non ex opere operato, uti placet sacrificium legis novæ. Vide ibi dicta.

22. Et vota.] Septuag. vertunt, *et salutares*, scilicet hostias, puta pacificas, quæ pro pace et salute domus vel populi offerebantur, vel sponte, vel ex voto ; unde Noster vertit : *Vota pinguium vestrorum.* Hoc significat hebr. מריאכם *meriechem* : sed Sept. legentes aliis punctis מריאכם *marechem*, vertunt επιφανειας, id est apparitionis, vel præsentiæ vestræ, q. d. Hostias ad quas offerendas vos Deo præsentes in templo sistitis, non respiciam.

Aufer a me tumultum (Septuaginta, *sonitum* ; S. Justinus contra Tryphon. *multitudinem*) carminum tuorum.] Canebant Judæi psalmos Davidis et cantica in templo in laudem Dei; sed Deus ea hic fastidit, vocatque *tumultum carminum* : Primo, quia eadem canebant idolis; secundo, quia non prodibant ex interna devotione, sed ex usu et vanitate; tertio, quia erant hominum impiorum : ita S. Hieron. quarto, quia inconditis et confusis vocibus tumultuarie boabant, vel ululabant. Unde Syrus vertit : *Transfer à me vocem jubilationis tuæ.*

Cantica lyræ tuæ non audiam.] Septuag. *Psalmum organorum tuorum non audiam.* Psalmos enim et cantica partim canebant voce, partim instrumentis musicis, puta lyra, psalterio, organo; etc. Putabant crassi Judæi se sua deliria lyrando tegere, se suavi concentu aures Dei irati mulcere eumque quasi incantare, uti incantantur cervi et serpentes. Hinc Ægyptii hominem adulatione deceptum significabant per cervum cum tibicine, ait Horus lib. 2 hierogl. 87. Hujus enim concentu capitur cervus, et facile in venatorum manus incidit. Simili modo Circe voluptuaria incantavit socios Ulyssis, eosque in porcos et bestias convertit, uti fabulantur poetæ : sed Ulysses iis aures clausit, inde incantari non potuit. Verum errabant : Deus enim canticis cordis, non oris capitur.

Videant hic choraules et cantores Christiani ne in psalmodia ex festinatione versus præcipitent, præmordeant, cum altero choro commisceant et confundant, ne audiant à Deo : *Aufer à me tumultum carminum tuorum.* Videant pariter ne totam psallendi devotionem collocent in voce canora, in subtilitate modulandi, in agilitate tonos minuendi, etc. dum instar avium minuriunt, ut curiosorum aures titillent, ad se rapiant et ab oratione avocent; ne audiant à Deo : *Cantica lyræ tuæ non audiam.* Pro quo Arabicus vertit : *Ne distinctionem* (varietatem, flexus et gyros) *faciatis mihi in vocibus laudum vestrarum.* Quocirca discant illud Apostoli : *Psallam spiritu, psallam et mente.* Et illud S. Augustini et S. Athanasii quem citat S. August l. 10. Confess. cap. 32 : *Tutius*, ait, *mihi videtur, quod de Alexandrino Episcopo Athanasio sæpe mihi dictum commemini, qui tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem psalmi, ut pronuntianti vicinior esset, quàm canenti.* Et mox : *Commoveor non cantu, sed rebus quæ cantantur, cum*

liquida voce et convenientissima modulatione cantantur, magnam instituti hujus utilitatem agnosco, ut per oblectamenta aurium, infirmior animus in affectum pietatis assurgat. Tamen cum mihi accidit ut me amplius cantus, quàm res quæ canitur, moveat, pœnaliter me peccare confiteor, et tunc mallem non audire cantantem. Idem in ps. 30. concione, initio, docet psallenti induendos esse psalmi cujusque affectus. *Si orat psalmus*, inquit, *orate; et si gemit, gemite: et si gratulatur, gaudete; et si timet, timete. Omnia enim quæ conscripta sunt, speculum nostrum sunt.* Idem in psalm. 42. initio : *Ejus* (Christi) *vocem in omnibus psalmis, vel psallentem, vel gementem, vel lætantem in spe, vel suspirantem in re, notissimam jam et familiarissimam habere debemus, tanquam nostram.* Idem in psalm. 119 : *Quàm multi*, inquit, *sonant voce et corde muti sunt! et quàm multi tacent labiis, et clamant affectu! quia ad cor hominis aures Dei : sicut aures corporales ad os hominis, sic cor hominis ad aures Dei. Multi clauso ore exaudiuntur, et multi in magnis clamoribus non exaudiuntur. Affectibus orare debemus et dicere : Multum peregrinata est anima mea ; cum his qui oderunt pacem eram pacificus.* Hoc est quod Psaltes ait psalm. 46. v. 2. et 7 : *Jubilate*, ait, *Deo in voce exsultationis. Psallite Deo nostro, psallite; psallite regi nostro, psallite. Quoniam rex omnis terræ Deus : psallite sapienter;* S. August. legit : *Psallite intelligenter.* Quod explicans S. Bernard. serm. 7. in Cant. *Attendite*, ait, *principes vestros* (Angelos) *cum statis ad orandum vel psallendum, et state cum reverentia et disciplina; et gloriamini, quia Angeli vestri quotidie vident faciem Patris. Usurpemus officium, quorum sortimur consortium. Dicamus eis : Psallite Deo nostro, psallite atque audiamus eos vicissim respondentes : Psallite regi nostro, psallite. Laudem ergo cum cœli cantoribus in commune dicentes, utpote cives sanctorum et domestici Dei, psallite sapienter. Cibus in ore, psalmus in corde sapit*, etc. *Mel in cera, devotio littera est, alioquin littera occidit, si absque spiritus condimento glutieris. Si autem cum Apostolo psallas spiritu, psallas et mente, cognosces et tu de illius veritate sermonis quem dixit Jesus : Verba quæ locutus sum vobis spiritus et vita sunt.* Idem de modo bene vivendi ad sororem, c. 52 : *Hoc*, ait, *tracta in mente, quod cantas in voce. Mens tua cum voce concordet, non aliud cogites, aliud cantes.* Et mox : *Psalmorum decantatio significat perpetuam laudem Dei in æterna gaudia, sicut scriptum est : Beati qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te. Quicumque fideliter et intenta mente psalmos decantat, quodam modo Angelis Dei sociatur. Quomodo? Quia homo illum pro modulo suo laudat in terris, quem Angeli sine intermissione adorant et glorificant in cœlis.* Et inferius : *Sacrificium laudis honorificabit me, inquit, et illic iter quo ostendam illi salutare Dei. Ac si apertius diceret : In psalmis est iter laudis, quo ad æternam laudem pervenire possis.*

24. Et revelabitur quasi aqua judicium.] *Et*, id est *idcirco*, scilicet ob scelera vestra jam recensita, impiaque vestra sacrificia et carmina, revelabitur et profluet à Deo judicium, id est supplicium; quod ipse ex improviso in vos immittet, sicut revelatur et profluit aqua è fonte occluso et obturato, si is aperiatur, et multo magis ex torrente in valle aggeribus coarctato, si his increscat et exundet : tunc enim prata et campos obruit et sepelit.

Pro *revelabitur* hebr. est יגל *iiggal :* quod si à radice גרה *gala* deducatur ut sit futurum niphal per apocopen, *iiggal* pro יגלה *iiggale*, tunc significat *revelabitur :* sin autem deducas à radice גלל *galal*, et per crasin גל *gal*, tunc significat *volvet, convolvet, obruet.* Unde Sept. vertunt : *Volvetur sicut aqua judicium, et justitia sicut torrens invius;* Pagninus : *Volvet se sicut aqua judicium*, etc. R. David : *Judicium ultionis meæ quasi moles aquarum inundantium affluet et revolvetur ad vos*, q. d. Ira et vindicta mea instar torrentis furioso impetu exundantis vos involvet, obruet et auferet. Secundo, Tigurina, Arias et Vatabl. vertunt per optativum, vocemque *et* capiunt adversative pro *sed.* Unde sic vertunt : *Sed profluat*, vel *devolvat se, aquæ instar, judicium, et justitia ceu torrens vehemens*, q. d. Corrigite vestra judicia iniqua et oppressiones pauperum, quas paulo ante reprehendi v. 7, neque iis amplius indulgete : sed ex adverso colite judicium et justitiam pauperes et innocentes protegendo : quod si feceritis, me vobis reconciliabitis, minasque à me intentatas evadetis. Verum priorem sensum exigit Versio nostra, Septuag. et Chaldæi : omnia enim hæc pœnam et vindictam inculcant.

25. Numquid hostias et sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis?] Quibus peregrinati estis in deserto, q. d. Non.

Quæres quomodo hoc sit verum? Respondent S. Hieron. Albert. Rupert. Hugo hic, et S. Chrysost. et Beda in Actor. 7. Judæos primo anno quo in paschate, puta in Martio, egressi sunt ex Ægypto, adorasse vitulum aureum 4. mense, puta 24. die Junii : et ab illo tempore non sacrificasse Deo vero sponte sua, sed coactos à Deo et Mose. Verum obstat quod mox eos adorationis vituli pœnituerit, Deoque reconciliati sint ; unde Deus cum eis fœdus iniit, ac tabernaculum sibi dedicari jussit anno 2. ab exitu ex Ægypto, mense 1 ; in qua dedicatione Hebræi multas victimas sponte obtulerunt Deo, ut patet Exodi 40. Levit. 9. et 10. Num. 7. Secundo ergo melius respondent alii Hæbræos post hanc dedicationem tabernaculi, et consecrationem Aaronis et filiorum ejus in sacerdotes, nunquam vel raro obtulisse Deo solemne sacrificium in deserto, sicut in eodem non fuerunt circumcisi, ut patet Josue 5. 7; quia versabantur in continua peregrinatione, nec certi erant de statione ad unum diem ; quia mox ut movebatur ab angelo columna nubis incubans tabernaculo, debebant movere castra et proficisci : unde deinceps post c. 10. Levitici, toto reliquo Levitico, Numeris et Deuteronomio nusquam legimus eos sacrificasse. Ita Lyran. Vatabl. Arias et alii. Adde Hebræos in deserto proclives fuisse in murmura, ac crebro contra Deum et Mosem rebellasse, atque ad idola quæ recenter in Ægypto coluerant rediisse.

Nota : Vocantur hic quadraginta anni, cum fuerint tantum 38 et aliquot menses. Nam 2. anno ab egressu ex Ægypto erectum est tabernaculum, et in eo obtulerunt victimas; deinceps vero nullas, vel raras : hi ergo duo anni ex quadraginta subtrahendi sunt. Solet enim Script. integros numeros consignare, etiamsi illis aliquid desit, vel supersit. Sic vocantur septuaginta discipuli Christi, cum fuerint 72. Sic Judic. 9.

5. dicitur Abimelech occidisse septuaginta fratres, filios Gedeonis, cum fuerint tantum sexaginta novem; nam unus, puta Joathan, fuga elapsus evasit.

26. Et portastis tabernaculum Moloch (*Deo*, uti aliqui codices legunt) vestro.] Hebr. נשאתם *nesatem*, id est elevastis, erexistis, sustulistis in humeros vestros. S. Stephan. Actor 7. legit, *suscepistis*. Pro *tabernaculum* hebr. est סכות *siccut*, quod Chald. et Vatabl. censent esse nomen idoli; unde vertunt: *Portastis Siccut regem vestrum;* Arias vero ex R. Jona: *Portastis*, vel *sustinuistis auscultationem regis vestri*. Theodotion vertit, *visionem*. Verum *siccut* incognitum est nomen, nec alibi reperitur. Pro *siccut* ergo alio puncto legendum סכות *succot*, id est tabernacula: ita Sept. Symmach. Noster Tigurina et Aquila, quia vertit συσκιασμους, id est umbracula. Quin et S. Stephanus, Actor. 7. 43, legit *tabernaculum*. Denique pro *Moloch* hebr. est מלככם *malkekem*, id est regis vestri, vel regi vestro, ut vertunt Symmach. Theodotion et Tigurina, puta Moloch. *Moloch* enim idem erat qui *Melchom*, ut vertit hîc Aquila, et *Melech*, id est rex summus hominumque Deûmque, puta Jupiter, sive Deus Ammonitarum. Quis fuerit Moloch dixi Levit. 18. 21.

Quæres: Quando Israelitæ portarunt tabernaculum Moloch, eumque coluerunt? Lyran. Vatabl. Arias et à Castro hæc prophetice accipiunt quasi futura: *Portastis*, inquiunt, id est *portabitis*, q. d. Transferam vos trans Damascum in Assyriam, ibique Assyrii cogent vos captivos humeris portare Moloch, aliaque idola vestra per ludibrium, quod illi Dii vani sint, qui vos à clade Assyriorum tutari non potuerint. Aut *portastis*, id est, portabitis et luetis supplicium excidii et captivitatis, propter tabernaculum et idolum Moloch quod erexistis. Verum hic sensus durus est: tam enim Hebræa quàm Septuag. Chald. et alii omnes vertunt, *portastis* in præterito: τὸ enim *portastis* pertinet ad 40 annos in deserto, qui præcesserunt, q. d. Quadraginta annis in deserto sacrificastis non mihi, sed Moloch et idolis. Ita explicat S. Stephanus Actor 7. 41: *Et vitulum*, inquit, *fecerunt in diebus illis, et obtulerunt hostiam simulacro, etc. Convertit autem Deus et tradidit eos servire militiæ cœli* (stellis), *sicut scriptum est in libro Prophetarum* (in Amos hoc loco): *Numquid victimas et hostias obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel? Et suscepistis tabernaculum Moloch.* Ubi vocula, *et*, adversativa est, capiturque pro *sed*, q. d. Non meum, sed Moloch tabernaculum et cultum suscepistis. Alii, ut Lyran. censent Hebræos coluisse Moloch, non in deserto, sed in terra sancta, uti fecit Salomon 2. Reg. 11. 5. Verum hoc huic loco non convenire patet iisdem rationibus jam allatis. Quare alii passim, ut S. Hier. Theodor. Remig. Rupert. et alii censent Hebræos in deserto coluisse Moloch. Œcumen. in Actor. 7. putat eos coluisse Moloch tunc, quando Moses cum Deo agebat in monte Sina: tunc enim conflarunt vitulum aureum, Exodi 32. Verum quia id accidit paulo post egressum ex Ægypto, cum necdum attigerant fines Ammonitarum, quorum Deus et idolum erat Moloch; hinc verius videtur quod ait Ribera, id eos fecisse Num 25. 1, dum fornicantes cum filiabus Moab coluerunt Beelphegor. Nam Josephus, lib. 4. Antiq. 6, ait eos tunc non unum, sed multos deos coluisse: et Ammonitæ vicini erant et cognati Moabitis: quocirca hi ab illis acceperunt idolum et cultum Moloch. Nec Moses id impedire potuit, sicut impedire non valuit cultum Beelphegor in populo furente, et principibus populo consentientibus, imo illi in scelere præeuntibus, ut habetur Num. 25. 4. Licet ergo id Moses in Pentateucho non scripserit, tamen id revera contigisse patet ex Amos et ex Stephano, qui vel traditione majorum, vel revelatione Dei id acceperunt.

Sensus ergo est, q. d. Jam inde ab initio synagogæ, vos, ô Israelitæ, coluistis idola in deserto, et exinde nunquam ab eorum cultu plane recessistis. Ergo ego Deus detestor sacrificia vestra, etiam mihi oblata: quia me cum Moloch et idolis componitis et colitis. Quare exscindam vos, uti minatus sum vers. 1. traducamque per Damascum in Assyriam. Nota τὸ *portastis;* Judæi enim, more Gentium, solemni pompa in tabernaculo secum circumferebant Moloch Deum suum, religionis et protectionis ergo, quasi viæ suæ comitem et ducem; sicut per desertum portarunt arcam et propitiatorium, in quo quasi throno residebat Deus. Sic Gentes per viam secum duxisse tutelares deos docet Servius in illud Æneid. 6:

Errantesque Deos agitataque numina Trojæ.

Sic Rachel, furata idola patris sui, ea secum duxit in Chanaan, Genes. 31. 34. Jacob vero de Deo ait: *Socius fuit itineris mei*, Genes. 35. 3.

Et imaginem idolorum vestrorum.] Pro *imaginem* hebr. est כיון *kiun*, quod retinuerunt in sua versione Aquila, Symmach. et Chaldæus. Quin et Syrus: *Portastis*, inquit, *tabernaculum Malchum, et Keuon similitudinem* (imaginem, simulacrum, idolum) *vestrum sidus quod fecistis vobis Deum*. R. David. Pagnin. et Vatabl. vertunt, *placentam*, quam suis idolis offerebant; Theodotion vertit, ἀμαυρωσιν, id est obscuritatem; Noster recte vertit, *imaginem*, vel statuam affabre apparatam, concinnatam et erectam ad cultum. Radix enim כון *kon* significat parare, concinnare, firmare, erigere; Septuag. vertunt: *Sidus Dei vestri Rempham*, vel potius, ut Romani codices legunt, *Rephan*. Septuag. sequitur S. Stephanus, Actor. 7.

Quæres: Unde Septuag. acceperunt τὸ *Rephan*, quod non est in Hebræo, nec in ullo Interprete? Theodor. Ribera et à Castro censent eos τὸ *Rephan* de suo addidisse, ut nomen idoli exprimerent. Verum dico Septuaginta hebræum *Kiun* vertisse *Rephan*. Id enim expresse asserit S. Hieron. *Pro eo*, inquit, *quod in Septuag. legitur* Ραιφαν, *Aquila et Symmachus ipsum Hebraicum transferentes, posuerunt Kion*. Et patet; nam hebræo *Kiun*, apud Septuag. non est vox alia quæ respondeat, nisi *Rephan*. Ubi adverte Septuag. et ex eis S. Stephanum legisse hebræas voces inverso ordine, ac nonnullas transposuisse. Sic enim legerunt: *Cocab elohechem Kiun tsalmechem ascer ascitim*, id est, *sidus Dei vestri Kiun* (pro quo ipsi vertunt *Rephan*) *figuras eorum quas fecistis*. Jam vero in Hebræo legitur: *Kiun tsalmechem cocab elohechem ascer ascitim*, id est, *Kiun* (quod Noster vertit *imaginem*) *figurarum*, vel *idolorum vestrorum, sidus deorum vestrorum, quos*, vel *quæ fecistis*. Sed qua ratione Septuag. pro *Kiun* verterunt *Rephan?* Respondet primo

Christ. à Castro, id eos fecisse, quia idolum et sidus quod hebr. vocabatur *Kiun*, græce vocabatur ραιφαν à ραιφασσω, id est, pure et caste vivo, eo quod pure luceret ; sive à ραφη, id est sutura, eo quod sidus hoc positum esset in idoli calvaria, ea parte, qua ipsa suturam habet et commissuram : aut vocari ρεμφαν à ρεμφος, id est rostrum aut os, eo quod sidus hoc in ore idoli positum esset. Verum obstat quod Repha, vel Rempham non videatur esse græca vox, sed hebræa, aut arabica, vel persica. Nam S. Stephanus loquens Hebræis hebraice, non græce, Actor. 7. vocat illud *Rephan*, aut potius significat ab illis ipsis vocari et invocari *Rephan*. Ait enim : *Sidus Dei vestri Rephan*, q. d. Vos Deum vestrum vocatis Rephan. Illi autem loquebantur hebraice, non græce ; nec cum Græcis ullam adhuc communicationem habuerant.

Secundo, ergo verisimilius nonnulli hebraice periti respondent *Kkiun* idem esse quod *Rephan :* Septuag. enim pro כיון *Kiun*, aliis punctis legisse כיון *Keuan :* et deinde mutatione unius litteræ similis in similem, puta כ in ר pro *Keuan* legisse *Rephan :* aut certe errore librariorum et descriptorum id factum esse, ut pro *k* scripserint *r*. Ita Auctor Thesauri Hebraici, Drusus et Forsterus in Lexico ; et aliqui similes, in fide licet heterodoxi. Favet huic conjecturæ, quod simili modo Nahum. 1. 6. pro eadem littera כ Septuag. legerunt ר, nimirum pro כאש *kaesç*, id est sicut ignis, alio puncto legerunt ראש *rosç*, id est caput, princeps; unde vertunt αρχας, id est principatus. Sic pro Achan legunt Achar, pro Abimelech Achimelech, pro Casdin Chaldæi, ubi litteram *s* in *l* transmutant, perinde ac Latini, dum pro οδυσσευς, vertunt dicuntque : Ulysses. Sic alibi crebræ sunt similes litterarum metatheses. Sic hoc loco pro *Rephan*, Arabicus Alexand. vertit : *Bacham simulacrum quod fecistis vobis.* Verum obstat huic sententiæ, quod omnes codices Hebræi habeant *Kiun*, non *Rephan ;* ex adverso omnes codices Græci et Latini Actor. 7. constanter habeant *Rephan*, non *Keuan*, aut *Kiun*. Non ergo est verisimile solos Septuag. legisse in uno hebræo codice *Rephan* pro *Keuan ;* aut descriptores pro *Keuan* in Septuag. descripsisse *Rephan*, præsertim cum tota Ecclesia in Vulgata editione Actor. 7. constanter legat *Rephan*, quasi hæc vera et genuina sit lectio. Accedit quod in Hebræo apud Amos hoc loco non sic *Keuan*, sed *Kiun*, uti legit S. Hieronym. Aquila, Symmach. et alii passim ; *Kiun* autem procul abest à *Rephan*.

Dico ergo cum Leone Castrio Apologet. lib. 6. *Kiun* et *Keuan* idem esse quod *Rephan*, eo quod hoc idolum primitus nominatum et cultum ab Ismaelitis et Persis (uti passim Interpretes confitentur, et Rabbini tradunt) eorum lingua dictum sit *Kiuan*, vel *Keuan*, quam vocem ut barbaram cum non intelligerent Hebræi, levi unius litteræ commutatione, sua lingua vocarunt illud *Rephan*, id est gigantem : quomodo Syri Deum vocant gigantem seculorum, quia ipse ut gigas omnia mundi, æque ac temporum spatia, sua immensitate et æternitate ambit et complectitur ; aut certe *Rephan*, id est sanatorem, q. d. Hic est qui nos sanat et salvat. Unde ab eadem hebræa radice vocatur angelus Raphael, q. d. Medicina, vel sanatio Dei. Aliqui codices pro *Rephan* legunt *Rompha*, quod hebr. dicitur רומפה *rumpe*, idemque est quod *celsitudo oris*. Forte idolum hoc habebat magnum altumque os, uti habent pleraque idola prisca quæ dabant oracula. Talia enim vidi in Vaticano, ac tale est celebre illud quod juxta Ecclesiam S. Mariæ in Schola Græca, sive in Cosmedin, Romæ visitur, et vulgo vocatur *Bocca della verita*, id est os, vel oraculum veritatis. Porro licet vulgus Hebræorum nomen barbarum *Keuan* verterit vocaritque hebraice *Rephan, Rempham* et *Rompha*, doctiores tamen Hebræi retinuerunt originale *Keuan* quoad litteras, et levi punctorum sive vocalium mutatione, hebræa voce vocarunt illud *Kiun :* ita enim habet hic Amos, Aquila et Symmachus. Nam *Kiun* deducitur à radice כון *kun*, quod significat paravit, aptavit, rectus fuit, direxit, verificavit, certificavit, firmavit, perfecit, decrevit. Unde *Kiun* idem est quod paratus, aptatus, erectus, perfectus, dans vera, certa et firma oracula ac decreta.

Quæres secundo : Quis fuit hic *Rephan ?* Girald. in Syntagmat. lib. de Hercule, censet Repham significare gigantem, ab Hebr. *Rapha*, qui fuit pater gigantum. Unde Hebr. gigantes dicti sunt *Raphaim :* Repham ergo esse nomen Herculis ; qui etiam à Gentilibus dictus sit hebræa voce *Con*, vel *Conen*, id est stator, vel erectus, excelsus ; ita ut Hercules dictus sit *Kon*, vel *Kiun*, et *Rapha*, sicut Jupiter dictus est stator. Secundo, Hebræi recentiores censent esse Saturnum : quia is ab Arabibus et Persis vocatur *Kiuan* quod idem videtur esse cum *Keuan* et *Rephan*. Tertio, Ribera censet fuisse Jovem, qui habuerit stellam in vertice. Quarto, alii volunt fuisse Martem. Quinto, verisimilius S. Hieron. Remig. Albert. Beda, Lyran. et alii censent esse stellam Veneris, quæ mane præiens solem vocatur Lucifer, vespere sequens solem vocatur Hesperus. Probatur idipsum ex eo quod hanc stellam quasi cœli reginam coluerint olim Syri, teste S. Hieron. in vita S. Hilarionis, et etiamnum colunt Saraceni : quin et Giraldus Syntagm. 13. ex Æliano et aliis docet Venerem Uraniam, id est cœlestem, quæ non videtur alia esse quàm Lucifer, cultam fuisse ab Ægyptiis, Phœnicibus et Assyriis. Huc eos pellexit splendor et fulgor Luciferi, quem ita depingit Ovidius :

> Ecce vigil nitido patefecit ab ortu
> Purpureas aurora faces, et plena rosarum
> Atria, diffugiunt stellæ, quarum agmina cogit
> Lucifer, et cœli statione novissimus exit.

Porro Lucifer dictus videtur *Kiun*, vel *Keuan*, à rad. כוה *cava*, id est ardere, urere : quia habet speciem ignis. Unde Poeta :

> Hespere, qui luces cœlo jucundior ignis.

Unde pro *Keuan* Arabicus vertit, *Bacham*, quod est nomen arboris cortice rubeo, quale est lignum quod vulgo Brasilicum dicitur, quasi ex ea fabricarint idolum. Color enim rubeus est ardens et igneus, ideoque refert ardorem stellæ Veneris. Aut dicitur *Kiun*, à radice כון *kun*, id est dirigere, præparare, quod solem vesperi sequens, mane vero præcedens, illum quasi dirigat, illique viam præparet. Luciferum ergo videntur coluisse Hebræi peregrinantes in deserto, tanquam ducem itineris, instar columnæ ignis et nubis : quia Lucifer auroræ, solis et diei dux est : solem enim adducit. Theodotion,

et ex eo OEcumen. Actor. 7. *Keuan* vel *Rephan* vertit, *obscuritatem*, q. d. Vos, ô Hebræi, lucem à stella hac Luciferi, quasi à Deo et idolo vestro, petitis, qui non est lux, sed tenebrosus et nocturnus ipsaque obscuritas; ac proinde lumine suo ad viam vobis præire nequit, sed vos obscurat et excæcat, et in avia inviaque abducit. Porro verisimile est idololatras hosce Luciferum figurasse quasi hominem excelsum et fulgidum, eique affixisse in fronte aut vertice stellam Luciferi; sicuti Romani statuæ Julii Cæsaris stellam in vertice appingebant, teste Suetonio in vita ejus cap. 88. et Plinio lib. 2. 25. Unde Horat. lib. 1. ode 12:

> Micat inter omnes
> Julium sidus, velut inter ignes
> Luna minores.

Et Virgil. eclog. 9:

> Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum,
> Astrum quo segetes gauderent frugibus.

Hinc patet *Rephan* vel *Remphan* alium fuisse à Moloch: nam Lucifer, sive sidus Veneris, aliud fuit à Moloch: uterque ergo fuit Deus Gentium et Hebræorum, uti hîc dicitur. Quare minus recte censent aliqui, ut Beda, Lyran. et Glossa, Rempham fuisse sidus, et stellam quæ affixa fuerit fronti, vel vertici Moloch. Non improbabiliter tamen Sanchez hîc et Actor. 7. censet Moloch esse Solem, Rempham Luciferum. Hinc stella, ait, Luciferi posita erat in fronte Moloch; quia Lucifer Solem orientem antecedit: Sol enim est Moloch, id est rex stellarum. Hinc et Judæi cum Moloch filios suos consecrarent, eos per ignem traducebant, quia Solis igneam esse naturam putabant. Quocirca reges Persarum, censentes Solem esse Deum, Solis nomen sibi aut imaginem assumebant, quasi dii quidam terrestres. Ita Sapor, ut tradit Marcellinus lib. 7, scripsit ad Constantium Imp. *Rex regum Sapor, particeps siderum, et frater Solis et Lunæ, Constantio fratri salutem.* Hac quoque de causa ignem sibi præferri curabant, cujus speciem habet stella Luciferi. Ita Q. Curtius l. 3. et Rodiginus lib. 8. c. 2. tradunt in castris regum Persarum, super tabernaculum regis conspicuam omnibus promicare Solis imaginem crystallino inclusam globo, et illi ignem prælucere: quia enim Solem Persæ et Chaldæi colebant, hinc et ignem pro Deo coluere, utpote qui viva sit Solis imago. Hæc Sanchez.

Tropol. Repham, id est Luciferum, colunt superbi, qui excellere, suamque lucem, id est doctrinam et sapientiam, ostentare satagunt, qui ambiunt honores et prælaturas mox perituras. Hi enim Luciferiani ex Lucifero fient Hesperi, ex ortu ibunt in occasum, ex summo in imum, à luce in tenebras, uti facit stella quæ vocatur Lucifer; atque à cœlo in gehennam, sicuti contigit Lucifero angelo superbo. Hinc Lucifer variæ fortunæ et sortis, ac inconstantiæ, æque ac calamitatis est symbolum, uti dixi Isaiæ 14. 12. ad illa verba: *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris?* Omnis ergo mundi honor et gloria, est stella cadens: splendet enim ad modicum ut Lucifer, sed mox occidit ut Hesperus, idque occasu æterno, et in omne ævum duraturo. Vere S. August. in illud Psalm. 89: *Dies nostri sicut aranea meditabuntur. Aranea*, ait, *texit tota die, et labor grandis est, sed effectus nullus; sic vita hominum: possessiones quærimus, divitias appetimus, procreamus filios, in regna sustollimur, et omnia facimus; et non intelligimus quod araneæ telam teximus*, et interim æternæ felicitatis, ad quam creati et vocati sumus, obliviscimur. Ita Heliogabalus Imp. ait Lamprid. in ejus vita, jubebat sibi deferri millena pondo aranearum, proposito præmio, diciturque collegisse decem millia pondo, dicens, et hinc conjiciendum, quàm magna esset Roma. Quàm multi hodie sunt Heliogabali, quàm multi aranearum venatores, qui non aliud quàm opes et honores, id est aranearum telas, aucupantur!

27. Et migrare vos faciam trans Damascum,] in Assyriam: eò enim ab Assyriis ex Samaria traductæ sunt decem Tribus, ut patet 4. Reg. 17. 6. Ita S. Hieron. Theodor. Remigius, Hugo Arias et alii.

Dices: Quomodo S. Stephanus, Actor. 7. 43. citans hunc locum, ait: *Et transferam vos trans Babylonem?* alia enim est Babylon, alia Damascus. Respondet ibidem OEcumen. et Cajetan. Damascum hîc sumi non pro urbe, sed pro regione et ditione Damascena, quæ se extendebat usque ad Babylonem. Verùm hoc non videtur verum: quia circum Babylonem quaquaversum late dominabantur Babylonii Monarchæ, non Damasceni. Rursum sanctus Stephanus non ait: *Transferam vos Babylonem*, sed *trans Babylonem*; Damasceni autem nunquam trans Babylonem dominati sunt. Resp. ergo S. Stephanum citare Amos non quoad verba, sed quoad sensum et rem. Nam reipsa decem Tribus abductæ trans Damascum in Babylonem; etiam trans Babylonem in Mediam, Persiam, aliasque regiones traductæ et dispersæ sunt. Salmanasar enim *Transtulit Israel in Assyrios, posuitque eos in Hala et in Habor, juxta fluvium Gozam in civitatibus Medorum*, 4. Reg. 17. 6. Unde Tobias cap. 1. 16. invisit suos contribules captivos in Rages, civitate Medorum. Idem docet Joseph. lib. 9. Antiq. cap. ult. et lib. 11. c. 5. Ita S. Hieron. Beda, Rupert. Ribera, à Castro et alii. Porro S. Stephanus id ex se, non ex Septuag. dixit; Septuag. enim hîc habent ut Noster: *Trans Damascum*, non *trans Babylonem*.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

CARPIT DEUS OPTIMATES, QUI EX RAPINIS PAUPERUM LASCIVIEBANT IN STRATIS, BIBEBANT VINUM IN PHIALIS, ETC. ET NIL PATIEBANTUR SUPER CONTRITIONE JOSEPH (POPULI.) QUOCIRCA V. 8. JURAT PER ANIMAM SUAM, QUOD ILLOS FUNDITUS PERDET ET MACTABIT.

1. VÆ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ, optimates
capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel! 2. Transite in
Chalane, et videte, et ite inde in Emath magnam : et descendite in Geth
Palæstinorum, et ad optima quæque regna horum : si latior terminus
eorum termino vestro est. 3. Qui separati estis in diem malum : et appro-
pinquatis solio iniquitatis. 4. Qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis
in stratis vestris : qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio ar-
menti. 5. Qui canitis ad vocem psalterii : sicut David putaverunt se habere vasa cantici. 6. Bi-
bentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti, et nihil patiebantur super contritione
Joseph. 7. Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium; et auferetur factio lasci-
vientium. 8. Juravit Dominus Deus in anima sua, dicit Dominus Deus exercituum : Detestor
ego superbiam Jacob, et domos ejus odi, et tradam civitatem cum habitatoribus suis. 9. Quod
si reliqui fuerint decem viri in domo una, et ipsi morientur. 10. Et tollet eum propinquus
suus, et comburet eum, ut efferat ossa de domo : et dicet ei qui in penetralibus domus est :
Numquid adhuc est penes te ? 11. Et respondebit : Finis est. Et dicet ei : Tace, et non recor-
deris nominis Domini. 12. Quia ecce Dominus mandabit, et percutiet domum majorem ruinis,
et domum minorem scissionibus. 13. Numquid currere queunt in petris equi : aut arari potest in
bubalis, quoniam convertistis in amaritudinem judicium, et fructum justitiæ in absinthium ?
14. Qui lætamini in nihilo : qui dicitis : Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis
cornua ? 15. Ecce enim suscitabo super vos, domus Israel, dicit Dominus Deus exercituum,
gentem : et conteret vos ab introitu Emath usque ad torrentem deserti.

1. VÆ QUI OPULENTI ESTIS IN SION!] Hinc Arias putat Prophetam hîc ab Israele divertere sermonem ad Judam : hic enim erat incola Sionis et Jerusalem. Unde ipse sic vertit : *Væ opulentis in Sion, et* (id est sicut) *confidentibus in monte Samariæ!* q. d. Sionitis idem væ imminet, quod hucusque intentavi Samaritis. Vox enim, *et*, quando duo similia nectit et jungit, est nota comparationis, idemque valet quod *sicut*, ut patet in Proverbiis, singulis sæpe versibus.

Ex adverso Theodor. ex Septuag. putat hîc sermonem esse ad solos Samaritas. Sic enim vertunt Septuag. *Væ spernentibus Sion*, id est Samaritis, qui despiciunt templum Dei in Sion, ut extollant sua fana in Dan et Bethel! Verum media hîc via incedendum, ut utrumque jungamus. Propheta enim hic directe et primario pergit, uti cœpit, loqui Samaritis; secundario tamen compellat quoque Sionitas et Judæos. Id enim clare significat, cùm ait : *Væ qui opulenti estis in Sion, et confidentibus in monte Samariæ!* Et quia vers. 6 et 8. vocat eos Joseph et Jacob, quibus nominibus proprie significantur Samaritæ. Denique clare vers. 15 : *Ecce*, inquit, *suscitabo super vos, domus Israel, etc.* Proprie ergo Israelem, id est Samaritas, hæc spectant, comitanter tamen ad Judæos quoque qui Israelis erant fratres tam scelere, quam sanguine; ideoque fratres pariter futuri in pœna et excidio, minas suas extendit Propheta, ut illos ab idololatria Israelis per ejus cladem et stragem imminentem avertat. Unde Chald. vers. 12. sic habet : *Percutiet regnum magnum Israel percussione forti, et regnum minus Juda plaga remissiori.* Ita S. Hieron. Remig. Hugo, Lyranus et Vatablus.

Nota : Pro *opulenti*, hebr. est השאננים *hasçaanannim*, id est fertiles, divites, abundantes, securi. Unde S. Justinus contra Tryphon. vertit : *Væ qui deliciis affluitis in Sion!* Pagnin. *Væ quietis in Sion!* Vatabl. *Væ tranquillis*, id est, vitam degentibns in summo otio! Radix enim שאן *sçaan* videtur conflata ex ש אין *sçe en*, id est *qui nihil*, scilicet timent, nihil curant, nihil agunt. Rursum, quibus nihil deest, sed in summa pace et rerum affluentia securam, tranquillam, otiosam et delicatam agunt vitam. Unde R. David vertit : *Væ divitibus qui sunt quieti, qui fidunt*

quod nihil eis mali continget! Sçaanan ergo est dives, qui secure et deliciose quiescit in suis opibus. Alii *: Væ insolentibus!* ex divitiis enim et deliciis homines insolescunt, instar vitulorum in pascuis lascivientium. Hoc spectasse videntur Septuag. Syrus et Arabicus, qui vertunt: *Væ spernentibus!* insolentes enim fastum induunt, aliosque spernunt. Aut certe hebr. *hassçaannim* derivarunt à rad. אין *ain*, et per crasin *en*, id est *non*, *nihil*, ut littera *scin* non sit radicalis, sed servilis, idem valens quod שאר *asçer*, id est *qui*, quasi *hassçaanannim* sint *annihilantes*, id est nihil facientes, qui non æstimant et nihil faciunt suos vicinos et fratres. Hoc enim innuit græcum ἐξουδενοῦσιν, quod pariter ab οὐδεν, id est *nullus*, *nihil*, derivatur, q. d. Qui alios annullant, nullos putant, nihil pendunt. Nisi quis suspicetur Septuag. pro duplici *nun* legisse litteram *teth*, cujus character est quasi duplex *nun*, puto pro השאננים *hassçaanannim*, legisse השאטים *hassçoatim*, id est spernentes. Radix enim שאת *sçaat* proprie significat, spernere, despicere, contemnere, diripere.

Huc allusit Christus Lucæ 6. 24. dicens : *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram! væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis!*

Optimates.] Hebr. נקובי *nekube*, id est *perforati*, hoc est, nominati, famosi, celebres, quos vulgo dicimus currere per linguas et ora hominum, uti sunt optimates et principes.

Capita populorum.] Hebr. ראשית *rescit* significat principium, primitiva, primitias, præcipua, id est, duces et capita gentium, id est populorum, puta decem Tribuum Israel, q. d. Ad vos, ô optimates, qui estis capita Israelis, mihi est sermo. Ita S. Hieron. Aut *Gentium*, id est, Gentilium, quia inter eos eminebat Israel, ejusque optimates, tanquam populus à Deo electus, Deique quasi primogenitus. Unde Arias vertit : *Notatissimi primitiæ gentium*; Tigurina : *Celebratissimi primitiarum gentium.* Alii hæc referunt non ad optimates, sed ad montes Sionis et Samariæ, q. d. Væ opulentis habitantibus in montibus Sionis et Samariæ! qui montes nominati et famosi fuerunt ab olim, puta *ab initio gentium*, ut vertit Pagnin. vel, ut Vatabl. *à primitiis gentium*, q. d. Montes isti nominati sunt à gentibus nobilissimis : in Sion enim et in Samaria habitarunt Chananæi, Amorrhæi, Jebusæi, aliæque gentes usque ad septem, antiquitate et robore celebres, q. d. Ego Deus dedi vobis, ô Hebræi, montes hosce inclytos, expulique propter vos priores incolas robustos et celebres ; cur ergo iis contra me ad luxum, lasciviam et idololatriam superbe et ingrate abusi estis? Huic sensui favent sequentia, ubi Sion et Samariam confert et præfert Chalanne, Emath, Geth, aliisque insignibus Gentium urbibus.

Tertio, Chald. vertit : *Væ opulentis, etc. qui imponunt nomen filiis suis secundùm nomen filiorum gentium!* quasi hîc taxentur Judæi, quod filiis suis imponunt nomina Gentilia gentium vicinarum, puta Ægyptiorum, Tyriorum, Moabitarum, etc. cum quibus commercia et fœdera inibant. Quod notent Christiani, qui suis filiis malunt Gentilium, quàm Christianorum nomina indere. Quarto, Syrus vertit : *Sejuncti* (designati) *sunt in capita gentium;* Arabicus Antioch. *Depasti sunt cum capitibus populorum;* Arabicus Alexand. *Dilexerunt capita populorum; capita*, id est, primas dignitates et officia. Quinto, nove vertunt Septuag. in codice Complut. *vindemiavi principatus*, vel *principes gentium*, q. d. Sustuli principes Chananæos ex Sion et Samaria, ut vos, ô optimates Hebræorum, iis surrogarem. Unde in codice Romano, et apud Justin. contra Tryphon. legitur : *Vindemiarunt* Israelitæ *primitias*, vel *principatus*, id est, principes *Gentium*, *et ingressi sunt ipsi*, supple in eorum locum et gradum : forte pro נקובי *nekube*, legerunt נקבתי *nakabti*, id est perforavi, gladio trajeci, occidi ; vel נקמתי *nakamti*, id est, vindicavi, punivi ; pro quo Septuag. vertunt, *vindemiavi*, eo quod agatur hîc de montibus Sion et Samariæ vitiferis, in quorum vindemia hi principes opulenti luxuriabantur, q. d. Vindemiabo vos sicut vos vindemiastis vineas Samariæ, in iisque vino et ventri indulsistis : *Et confiditis in monte Samariæ.* Ita Hebræa, Syrus et alii passim. Quare male vertit Arabicus : *Qui confidunt in sideribus cœli.*

Ingredientes pompatice domum Israel.] Domum vocat cœtum, congregationem, sive populum Israel adunatum. Pro *pompatice* hebr. est להם *lachem*, id est, sibi, vel ad seipsos. Tanto enim satellitio et pompa incedebant, tanto fastu et ostentatione pedes figebant, tanto studio per famulos turbam submovebant, solique cum suis plateas occupabant, ut, reliquis contemptis, viderentur sibi soli ingredi et incedere ; uti videmus et hodie nonnullos potentes, et nonnullas matronas etiam vulgares, ita pompatice tanto syrmate incedere, ut ipsæ solæ pompæ, imo pavones et pappi esse videantur. Hinc vocavit eos *capita gentium*, quod Gentilium principum quibus successerant, fastum, præsertim in incessu, imitarentur et referrent. Ita Remig. Rupert. et S. Hieronym. qui et addit : *Ut tumorem animi corpus ostendat, et pomparum ferculis similes esse videantur*; de quibus ita præcipit Cicero, lib. 1. Offic. *Cavendum est ne tarditatibus utamur in gressu mollioribus, ut pomparum ferculis similes esse videamur.* Recentiores vertunt : *Et ingressa est ad eos domus Israel.* Ita Pagnin. Tigurina, Vatabl. Rursum Chald. *Quibus innititur domus Israel;* aut, *et putant quod jungatur ad eos domus Israel;* Arabicus : *Ingressi sunt cum parte* (secta) *Israelis;* Syrus : *Captivaverunt sibi filios Israelis.* Verum nostra Versio, uti clarior et simplicior, ita germanior et nervosior est. Nam idem in incessu pompatico vitium apud Israelitas et Israelitides taxat Isaias cap. 3. 16 : *Pro eo*, ait, *quod elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant, et plaudebant, ambulabant pedibus suis, et composito gradu incedebant; decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, etc.* vide ibi dicta. Præclare Solon dicebat *magnam curam incessus habendam.* Ex incessu enim colligitur animus : præceps arguit præcipitem, nimium lentus ignavum, pompaticus arrogantem. Ita Laert. lib. 1. cap. 4. Imo Sapiens Eccli. 19. 27. tres indices animi assignat, vestitum, risum et incessum : *Amictus corporis*, inquit, *et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo.* Quocirca Maximus Tyrius, oratione. 4, ita virtutem pingit : *Decora*, ait, *aspectu, incessu quieta : sermone musica, oculis placidis et clementibus.*

2. Transite (perperam Arias vertit, *transibitis*) in Chalanne,] id est, in Babyloniam captivi, et in Antiochiam, et in Geth urbem Palæstinorum. Nusquam enim Judæos Antiochiam, vel

Geth abductos legimus. Chalanne autem celebris potensque fuit civitas juxta Babylonem, condita à Nemrod Genes. 10. 10. Quæ postea, aucta à Parthis, ad exhauriendam Babylonem et Seleuciam, dicta est Ctesiphon, factaque regni metropolis. Vide Plinium lib. 6. cap. 26. Sensus est, q. d. Transite, ô Hebræi, in Chalanne, Emath et Geth, urbes maximas et potentissimas, atque videbitis quod ipsæ non sint majores, fertiliores et meliores terminis et regione vestra, quam ex meo dono possidetis. Advertite ergo quàm me spernendo et idola colendo, ac peccata peccatis cumulando, in me ingrati et inhumani sitis, qui vobis dedi terram hanc, qua nulla est feracior nec præstantior. Ita S. Hieronym. Theodor. Lyran. Vatabl. et alii.

In Emath magna.] *Emath*, quæ et Hemath, Amath, Hammath, hebr. *Chamath* dicitur, civitas fuit potens, ita dicta, ait Joseph. 1. Antiq. c. 7. à conditore Amath vel Amathæo, qui hebr. *Chamati* vocatur, fuitque filius Chanaan, filii Cham, Genes. 10. 18. Porro duplex erat Emath, ait S. Hieron. Ribera et alii; una major, quæ hic vocatur Magna, atque ab Antiocho conditore dicta est Antiochia, fuitque caput Syriæ. Altera minor, quæ ab Antiocho Epiphane dicta est Epiphania, et Reblata, juxta Emesam, ubi à Nabuchodonosore excæcatus fuit Sedecias, 4. Reg. 25. 6. Unde Epiphaniam inter Apamiam et Palmyram, versus Mesopotamiam ponit Ortelius in Theatro orbis. *Hemath magna*, ait S. Hieron. *quæ nunc Antiochia nominatur. Magnam autem vocat ad distinctionem minoris Hemath, quæ appellatur Epiphania. Unde usque hodie pergentibus Mesopotamiam prima mansio vocatur Emmas, corrupto quidem vocabulo, sed pristini nominis vestigia retinens : cujus regio appellatur Reblata, in qua præsente Nabuchodonosor regis Judææ Sedeciæ interfecti sunt filii, et oculi illius excæcati.* Et in locis Hebr. *Emath*, ait, *Damasci civitas, quam oppugnavit rex Assyriorum, etc. Diximus de hac et supra, quod nobis videretur hanc esse Epiphaniam juxta Emesam, quæ usque hodie Syro sermone sic dicitur.* Nota quod ait, *nobis videretur;* non ergo certo id asserit, sed dubitanter et conjectando. Favet huic opinioni, quod etiamnum exstet urbs insignis nomine Emath, inter Tripolim et Aleppo, uti Romæ accepi à Reverendissimo D. Archiepiscopo Damasceno Maronita, et aliis qui recenter Syriam perlustrarunt, quæ sane Emath eodem pene sita est loco, quo fuit veterum Epiphania, ut patet ex tabulis cosmographicis.

Secundo, alii ex adverso probabilius censent Script. tantum unam ponere Emath, scilicet Antiochiam, sitam post Libanum, ad Orontem fluvium in Syria Damasci (unde nunquam nominat Emath minorem) in qua primum S. Petrus Cathedram collocavit, atque discipuli primitus vocati sunt Christiani. Hæc ab Amos, volente ex ejus magnitudine ostendere magnitudinem Hierosolymæ et Samariæ, dicta est *magna*, non respectu alterius minoris, sed quia amplissima fuit, adeo ut Strabo lib. 16. tradat eam fuisse tetrapolim, hoc est suo ambitu complexam quatuor civitates. Primam, inquit, Antigonus filius Philippi construxerat; alteram multitudo habitatorum; tertiam Seleucus Callinicus; quartam Antiochus Epiphanes, à quo Epiphania, sicut et Antiochia dicta est. Unde liquet eamdem civitatem nunc vocari Antiochiam, nunc Epiphaniam, nunc Reblata. Hinc Aquila hic vertit, *Epiphaniam*. Sic et Joseph. 1. Antiq. 7. et à Castro hic. Quin et S. Hieron. in Locis Hebr. videtur dicere Rabbath magnam, id est Antiochiam, esse Epiphaniam, quamquam conciso et confuse loquitur. Juxta hanc sententiam, omnia quæ in Script. de Emath dicuntur, accipienda sunt de Antiochia. Antiochia igitur fuit terminus terræ sanctæ ad Septentrionem; unde ejus longitudo in Script. ab introitu Emath (Antiochiæ) usque ad torrentem, seu rivum Ægypti censetur. Hinc eò usque pervenerunt exploratores terræ sanctæ missi à Mose, num. 13. 22. Insuper Thou rex Emath, missis muneribus, pacem à Davide petiit et impetravit, 2. Reg. 8. 9; sed Salomon Emmath, id est Antiochiam, expugnavit, et ejectis inde Chananæis restauravit valideque communivit, 2. Paral. 8. 3. Obtinuerunt deinde eam Syri; sed Jeroboam rex Israel tempore Amasiæ regis Juda, Jonæ Prophetæ verbis excitatus, eamdem recuperavit et Israeli restituit. Deinde expugnavit eam Sennacherib, 4. Reg. 18. 24. Hinc ejus mentio crebra fit in Isaia, Jeremia, Ezechiele et Zacharia. Tenuit eam Nabuchodonosor, in eaque resedit, dum castra ejus obsiderent Hyerosolymam, 4. Reg. 23. 33. et c. 25. 21. Postea ab Alexandro Magno occupata, et ab Antiocho illustrata sedesque regni facta, dicta est Antiochia. Ibidem Jonathas Machabæus contra Demetrium castrametatus fuit, 1. Mach. 12. 25. Demum Romani, ac tandem Sarraceni eamdem sui juris fecerunt, uti etiamnum Turcis subjacet.

Objicit huic sententiæ Andreas Masius, exactus locorum terræ sanctæ indagator, scribens in Josue 19. 35. quod Emath à Zacharia c. 9. 2. et Jeremia c. 49. 23. ponatur intra ditionem et terminos Damasci : Antiochia autem duobus gradibus cum dimidio, Epiphania vero sesquigradu altior Damasco collocetur à Ptolomæo; quousque non videtur se extendisse ditio et regnum Damasci : ergo Emath non videtur esse Antiochia, nec Epiphania, sed tertia aliqua urbs post Sephaniam infra Jordanis ortum. Nam ibi ponitur Rebla (quæ dicitur fuisse in Emath Jeremiæ 39. 5.) Num. 34. 11. eaque vicina erat Nephthalitis, quibus in sortem cecidit Emath Josue 19. v. 35. Huic opinioni favet Ortelius, qui in priscæ Chananææ descriptione ponit Chamath, sive Emath, juxta Libanum et Sephaniam, inter Tyrum et Cæsaream Philippi : idem facit Adrichom. in Descript. terræ sanctæ. Videtur id valde probabile; nam Emath hæc fuit in tribu Nephthalim, cujus sors non videtur se extendisse usque ad Antiochiam. Unde Marinus in Lexico, Emath Nephthaliam diversam ponit ab Emath vulgata et communi, ex eaque prognatos dicit Cinæos, ut liquet 2. Paral. 2. 55. ubi dicitur : *Hi sunt Cinæi qui venerunt de calore patris;* Hebr. *de Chamath* vel *Emath*. Verum Masii ratio non plane convicit; nam ditio Damasci, æque ac Israelis, primitus longe admodum sese extendit, scilicet usque ad Euphratem, ut patet Josue 14. Deut. 11. 24. Imo non desunt qui censeant Damasci fines se extendisse usque ad Babylonem, ideoque pro eo quod ait Amos c. 5. 27 : *Transferam vos trans Damascum*, S. Stephanum Actor. 7. dum citat verba Amos, dicere : *Transferam vos trans Babylonem.* Damascus enim totius Syriæ erat caput et domina. Magis urget ratio Marini quod sors Nephthalim non videatur se extendisse usque ad Antiochiam. Sic enim longe superasset sortes aliarum Tribuum. Rur-

sum, quod ex Stephano lib. de Urbibus, constet plures urbes (facile decem) dictas esse Antiochias, quatuor vero Epiphanias, sed in diversis provinciis. Ergo pariter plures videntur fuisse Emath. Denique maxime urget quod Josue 1. v. 4. Deuter. 12. 24. pro Emath, terminus terræ sanctæ ponatur Libanus, imo, ut Septuag. vertunt, Antilibanus à quo ulterius progrediendo Antiochia distat itinere quinque dierum. Quis credat ultra Libanum tanto spatio se extendisse fines Israelis, imo unius tribus Nephthalim? huic enim Emath attribuitur Josue 19. 35. Quocirca nulli chorographi terræ sanctæ in ejus descriptione ponunt Antiochiam quasi ejus terminum, sed Libanum, et juxta eum Emath, ut patet ex tabulis Adrichomii, Ortelii et aliorum. Emath ergo, quæ ponitur terminus terræ sanctæ ad Aquilonem, fuit vicina Libano, nec longe à Damasco: cui ex adverso ad Meridiem, terminus ejusdem terræ sanctæ ponitur desertum, scilicet Arabiæ per quod transierunt Hebræi venientes ex Ægypto in Chanaan, ac præcise torrens Rinocoluræ: sicut ad Orientem terminus ejusdem ponitur Euphrates: ad Occidentem mare Mediterraneum. Tertio ergo hæc sententia chorographorum valde probabilis est. Sed quiquid de ea sit, consentiunt omnes hîc apud Amos per Emath magnam intelligi Antiochiam ad Orontem, illustrem et potentiam Syriæ urbem, quæ et Epidaphnis dicta est, à suburbano et vicino fonte Daphnes, lauris et amœnitate inclyto. Hæc dicta est hebr. *Chamath* et *Chamma*, id est sol, quod quasi sol inter urbes Orientis effulgeret, uti postea effulsit in Christianismo, cum S. Petrus in eadem primò cathedram Pontificiam collocavit.

Et ad optima quæque regna horum.] Septuag. *et ad optimas*, scilicet civitates, *de regnis istis*, q. d. Ite et lustrate optimas urbes Syriæ, et videbitis Samariam et Sion iis præstare. Unde Arias, Pagnin. et Vatabl. vertunt: *Si meliora sunt regna horum regnis vestris?*

Mystice, Israel sunt fideles et sancti; hi præ cæteris gentibus latiores habent terminos, eosque optimos: quia non exigui temporis limitibus, terræque puncto, ut impii et mundani, sed immensis æternitatis cœlique spatiis spes suas finesque felicitatis suæ, metiuntur, ita ut fidenter impiis dicere possint: *Si terminus vester latior termino nostro est.* Et illud Zachar. 4. 10: *Quis* vestrûm *despexit dies parvos* hujus ævi momentanei? Et illud Job 24. v. 24: *Elevati sunt ad modicum, et non subsistent, et humiliabuntur sicut omnia, et auferentur.* Et illud Psal. 36. 35: *Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani; et transivi, et ecce non erat; et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus.* Impii vero regerant piis et sanctis illud Baruch. 3. 24: *O Israel, quàm magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus! Magnus est et non habet finem, excelsus et immensus.* Ipsi vero gementes suam sortem defleant, eo quod stulte parva magnis, brevia æternis, terrena cœlestibus prætulerint, dicantque illud Sap. 5. 8: *Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt enim omnia illa tanquam umbra, et tanquam nuntius præcurrens, et tanquam navis*, etc. Quàm sapit qui cum Magdalena audit illud Christi: *Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea in æternum!*

3. Qui separati estis in diem malum,] scilicet captivitatis et excidii, q. d. A Deo ob scelera vestra, quasi anathemata separati, et dicati estis mactationi et excidio. Secundo, efficacius hebr. מנדים *menaddim*, vertas active, *separantes* vos ad diem malum, q. d. Ipsimet vos separatis, et devovetis excidio, minas Prophetarum contemnitis, et ultro in scelera ruitis, ob quæ quasi oves à Deo mactabimini; unde Septuag. vertunt: *Venientes*, vel *qui venitis ad diem malum.* Ita S. Hieron. Albert. Hugo et alii. Tertio, Chald. Clarius, Vatablus et Rabbini vertunt: *Separantes diem malum*, id est, qui à vobis separatis, et amoliri conamini diem excidii, quem Prophetæ intentant, ut liberius peccetis, dicentes illos falli, vel de futuris et longinquis seculis loqui. Unde Tigurina vertit: *Qui in longinquum rejicitis diem malum;* Pagnin. *Qui longinquum putant diem malum.* Nam ut ait Aristot. 2. Rethor. c. 5: *Quæ longinqua sunt, non metuuntur; sciunt enim omnes fore ut moriantur, sed quia id prope esse non putant, ideo nullam curam suscipiunt.*

Et appropinquatis solio iniquitatis.] *Solium iniquitatis*, quod inducet Israelitis diem malum, est regnum, tyrannis et solium imperii Assyriorum, qua Israelitas judicabunt, id est, vindicabunt, capient et punient, quasi submissi judices et vindices à Deo ad ulciscendam idololatriam aliaque scelera in Deum commissa, q. d. Vestris continuis sceleribus accersitis Assyrios, et acceleratis vestrum excidium. Sic tropologice peccatores qui peccata peccatis cumulant, appropinquant solio Luciferi et inferno. Ita S. Hieron. Albert. Hugo, Lyran. et S. August. lib. 4. de Doctr. Christ. c. 7, ubi ex hoc loco Amos ostendit quanta in S. Script. sit eloquentia, nervus et vis dicendi.

Secundo, Chald. Rabbini, Pagnin. Clarius et Vatablus jam citati sic vertunt et exponunt per antithesin: Separatis et amovetis à vobis diem malum excidii, solium autem violentiæ et injustitiæ (quo injuste judicatis, pauperesque opprimitis et spoliatis) prope adducitis, q. d. Vultis amovere à vobis pœnam, et interim acceditis ad culpam, cum non possitis à vobis amoliri pœnam nisi prius amoliamini culpam.

Tertio, alii moraliter sic exponunt: Separatis à vobis diem malum, puta diem laboris, ideoque accersitis solium iniquitatis, q. d. Non vultis laborare, otiosi estis et pigri, ideoque vos ditare vultis ex iniquitate, injustitia et rapina pauperum, ut eorum bonis otiose lasciviatis et luxuriemini, ut sequitur.

4. Qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris.] Ad lasciviam libidinis hæc referunt S. Hier. Theodoret. Remig. Hugo, Lyran. et S. August. lib. 4. de Doctr. Christ. c. 7, q. d. Væ vobis, lascivi et libidinosi! unde pro *lascivitis*, Vatabl. et Pagnin. vertunt; *Indecore se distendentes in stratis suis;* Chald. *Qui submergunt se in stratis suis.* Secundo et aptius ad tricliniorum et mensarum luxum, puta ad pretiosos tapetes et stragula, quibus vestiebant cubicula et triclinia, et ad pretiosos toros et lectulos, in quibus molliter jacentes more gentis accumbebant mensæ, hæc referunt R. David, Arias, à Castro et Prado in Ezech. cap. 23. 41. Taxantur enim hîc optimates et judices Israelis, quod ex rapinis pauperum luxu diffluerent, ac splendida et opipara instruerent convivia. Unde sequitur: *Qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem psal-*

terii, etc. bibentes vinum in phialis. Epulæ enim et cantilenæ triclinio et mensæ adhibentur, non cubili et veneri. Quocirca Septuag. hic vertunt: *Qui affluitis deliciis in stratis vestris.* Ex Hebræo sic vertas : *Qui cubatis in toris eboris, et superfluitis in lectulis vestris,* quasi dicat: Qui superbo et superfluo apparatu et ornatu condecoratis lectulos vestros. Rursum, superfluis ferculis et deliciis instruitis mensas, iisque distenditis ventres vestros : quod est peccatum luxus et gulæ, æque ac lasciviæ. Unde Noster vertit : *lascivitis;* sicut enim vituli bene pasti sunt petulci, et lasciviunt saltitando, cornutando, erecta cauda cursitando : ita et convivæ bene saginati petulantes sunt, et quasi asoti lasciviunt indecoris verbis et gestibus. Unde Apostolus Ephes. 5. vers. 18 : *Nolite,* ait, *inebriari vino in quo est luxuria*, græce ἀσωτία, id est lascivia, qualis exercetur in saltationibus, choreis, psalteriis, etc. item in pretiosis unguentis, coronis, balneis, tum præviis convivio, tum illud comitantibus et sequentibus. Uterque hic sensus huic loco congruit, et posterior priori subordinatur, in eumque desinit : nam ex mensis itur ad cubilia, ex gula in venerem : venter enim mero æstuans despumat in libidinem.

Porro lecti mensales dicti sunt *lecti* à legendis herbis et stramentis, ex quibus olim fiebant, ait Varro. Iidem dicti sunt *tori* à tortis herbis, quæ accumbentium humeris supponebantur, ait Isidor. lib. 2. Etymol. et Servius in illud lib. 5. Æneid.

Proximus ut viridante toro consederat herbæ.

Inde triclinium dictum à tribus lectis, in quibus veteres epulabantur. Insuper triclinia fieri, insterni, et ornari solita ebore, auro et argento, docet illud lib. Esther cap. 1. vers. 6. in convivio Assueri : *Lectuli quoque aurei et argentei super pavimentum, smaragdino et pario stratum lapide, dispositi erant.* Idem docet Plinius lib. 33. cap. 11. et Varro lib. 8. et Horat. lib. 2. satyr. 6. dum ita canit :

Rubro ubi cocco
Tincta super lectos canderet vestis eburnos.

Qui comeditis agnum de grege,] de grege selectum, ut pinguiorem et meliorem cæteris.

Et vitulos de medio armenti] selectos, pingues et saginatos. Hebr. *Et vitulum de medio saginarii*, id est, de loco saginæ, in quo saginantur et impinguantur. Is locus vitulis grandioribus sunt pascua; unde Noster 1. Reg. 28. 24. vertit : *vitulum pascualem.* Vitulis vero tenerioribus est stabulum, in quo, utpote loco obscuro et quieto (tam enim quies quàm obscuritas facit ad concoctionem, ruminationem et impinguationem animalium) lacte, præsertim materno, saginantur et incrassantur.

5. Qui canitis ad vocem psalterii.] Septuag. ἐπικρατοῦντες, id est, *prævalentes* (S. Hieronym. legit ἐπικροτοῦντες, id est, *concrepantes*) *ad vocem organorum;* Hebr. הפרטים *happoretim*, id est, qui *particularizant ad os nabli*, id est, qui propria et particularia cantica concinunt, eaque varia juxta varium concentum nabli. Ita Pagnin. et Vatabl. Vel, ut R. David, à Castro, qui vocem variis incisionibus, minutionibus, tonis, inflexionibus et modulationibus incidunt, et variant instar philomelæ, minurientes. Taxat nimiam mollitiem et delicias musices in conviviis optimatum Israelis, qui huic suæ musicæ prætexebant exemplum David. Unde subdit;

Sicut David putaverunt se habere vasa cantici,] id est, instrumenta musica, quasi dicat: Luxum suæ musices convivalis excusant exemplo Davidis; sed perperam : nam ille eam adhibuit ad Dei laudes, eamque gravem ; hi vero ea molli et lasciva abutuntur ad gulam et luxuriam. Ita S. Hieron. Mirum est Septuag. vertere : *Sicut stantia putaverunt, et non sicut fugientia,* q. d. Putarunt has delicias fore stabiles, cum sint fugaces et evanidæ. Aurea est hæc gnome, quam urgens et exaggerans S. Chrysost. hom. 1. in Genes. *Et hæc,* ait, *cum experientia didicerint, quasi stantia arbitrati sunt et manentia, et non quasi fugientia, hoc est, avolantia, et ne ad momentum quidem permanentia. Talia enim sunt humana omnia, et carnalia, nondum recte advenerunt, et avolarunt : tale quiddam sunt deliciæ; et tale quiddam humana gloria et potentia; tale quiddam divitiæ; tale quiddam universa hujus vitæ prosperitas, nihil firmum habens, nihil subsistens, nihil fixum; sed magis quàm fluminum fluenta prætercurrit, nudosque ac solos relinquit eos qui illis inhiant. Atqui spiritualia sunt firma, immobilia, vicissitudinem non accipientia, ad omne seculum se extendentia. Quantæ igitur fuerit dementiæ nutantia cum immobilibus commutare, temporaria cum his quæ in seculum duratura sunt, perpetuo manentia cum his quæ avolant; et ea quæ nobis illic grave supplicium paritura sunt, cum his quæ in futuro seculo felicitatem summam afferunt?*

Nota : Veteres Hebræos et Gentiles in conviviis ad recreationem convivarum adhibebant musicam, et vocum et instrumentorum, quam si moderata sit et honesta, laudat Eccles. c. 32. vers. 1. 2. 4 ; loquens enim de symposiarcha, sive moderatore convivii : *Non impedias,* ait, *musicam. Gemmula carbunculi in ornamento auri, et* (sic est, sic ornat convivium) *comparatio*, id est concentus, *musicorum in convivio vini. Sicut in fabricatione auri* (in aureo annulo, v. g.) *signum,* id est sigillum et pala, *est smaragdi : sic numerus,* id est numerosa harmonia, *musicorum in jucundo et moderato vino.* Et cap. 40. 20: *Vinum et musica lætificant cor, et super utraque dilectio sapientiæ. Tibia et psalterium suavem faciunt melodiam : super utraque lingua suavis.* Idem usus fuit tempore Christi; unde Lucæ. 15. 25. senior filius *audivit symphoniam et chorum*, quibus pater celebrabat convivium ob filii junioris reditum. Verum Prophetæ subinde hanc musicam carpunt, vel ob excessum, vel ob intemperantiam, vel quod canerent cantica inhonesta vel irrisoria : aut quod ita iis vacarent, ut negligerent curam reipubl. et justitiæ, imo ea adornarent et instruerent ex rapinis pauperum. Ita Isaias, cap. 5. 11 : *Væ,* ait, *qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, etc. Cithara, et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris;* ut suavius et plenius vos inebrietis. Psalm. 68. 13 : *In me psallebant qui bibebant vinum*, id est, in me dictabant carmina : ego eram eorum cantilena, risus et fabula. Quocirca Apostolus Christianos monet de sua agape et convivio Eucharistico : *Nolite,* ait, *inebriari vino, in quo est luxuria; sed implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in hymnis et canticis spiritualibus*, Ephes 3. 18. Idem mos apud Gentiles. Unde Athen. lib. 14. de Cœnis sapien-

tum, docet lege et more majorum sancitum esse ut in conviviis canerentur deorum hymni, idque voce communi, omnibus pœana canentibus, ait Clemens lib. 2. Pædag. 4. Quin et convivis tradebatur lyra, quam juxta propinationes resignabant alternatim et transverse : unde ob obliquam et transversam hanc lyræ circumlationem, carmina illa dicebantur σκολιά, id est obliqua, de quibus Athenæus libr. 8. et lib. 15.

6. BIBENTES VINUM IN PHIALIS.] Septuag. *vinum defæcatum.* Hoc enim bibitur ab opulentis in phialis aureis, aut vitreis, ut præstans et limpidum; Tigurina : *Qui bibunt vinum in pateris;* Vatabl. *in vasis amplis et magnis*, q. d. Vinipotentes qui ingentes pateras et crateres exhauriunt.

ET OPTIMO UNGUENTO DELIBUTI.] Chald. *Excellentia pretiosorum unguentorum unguntur;* hebraice est, *capite unguentorum*, id est, præcipuo aromate et unguento, v. g. balsamo, de quo Juvenal. satyra 2 :

Hirsuto spirant opobalsama collo.

Ex capite enim defluebant in faciem et collum. Veteres in conviviis adhibebant unguenta, tum ad voluptatem, tum ad sanitatem; eo quod cerebrum natura frigidum et concretum, suo fraganti odore, calore et lenitate resolvant et recreent, inquit ex Aristot. Plutarch. lib. de Iside, et Massarius apud Athenæum : *O felix*, inquit, *an non nosti sensus nostros qui sunt in cerebro, excitari suavibus odoribus, et puriores suavioresque effici, sicut Alexis ait : sanitatis maximam partem bonos odores cerebro conciliare?* Hinc illud Psalm. 103. 13 : *Ut exhilaret faciem in oleo.* Et Psalm. 22. 5 : *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me : impinguasti in oleo caput meum.* Ita Magdalena effudit unguentum super caput Christi discumbentis Matth. 26. 7. Et Christus Matth. 6. 17 : *Tu autem*, ait, *cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava*, q. d. Ut tuum jejunium dissimules et tegas, adhibe unctionem et lotionem in convivio adhiberi solitam, quasi ex eo prodeas. Denique Ecclesiastes cap. 9. 8 : *Omnia*, ait, *tempore sint vestimenta tua candida ; et oleum de capite tuo non deficiat*, q. d. Indulge balneis et conviviis : nam vestes candidæ et oleum symbola sunt balnearum et compotationum, eo quod à balneis exeuntes albis vestibus induebantur, quas cœnatorias Romani vocabant, quod cum ipsis in cœna mensæ accumberet. Ita Philo, lib. de Vita rustica, tradit Judæos in festis convivia albatos celebrare solitos. Idem de Romanis tradit Horat. lib. 2. satyr. 2 :

Ille repotia, natales, aliosve dierum
Festos albatus celebret.

Iisdem de causis coronabant capita convivarum coronis rosaceis, myrteis, aliisque floribus et herbis odoriferis, simul ad hoc, ut cerebrum iis confortatum minus læderetur vino, magisque resisteret ebrietati. Ita Ovid. Fast. lib. 5 :

Tempora sutilibus pinguntur tecta coronis,
Et latet injecta splendida mensa rosa.

Rosa enim, odoris sui prodiga, citissime evaporatur : emittit enim odoris fluxum, indeque rosa à Græcis ῥόδος vocatur, q. d. Fluens odor, ait Plutarch. lib. 3. Sympos. cap. 3. qui et addit : *Quo fit ut etiam celerrime marcescat : naturalem enim habet vim refrigerandi, aspectu igneum aliquid ostentans. Nam in superficie ejus tenuis efflorescit calor, eo à frigore expulsus.* Hic calor profusi odoris est causa. Unde voluptuarii dicunt Sapient. 2. 7 : *Vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non prætereat nos flos temporis : coronemus nos rosis antequam marcescant.* Vide Plutarch. 3. Sympos. probl. 1. Athen. lib. 5, Plinium lib. 21. cap. 3. Merito nimias in hisce delicias carpit hic Propheta : quia effeminant animos viriles, adiguntque ad dolos, rapinas, aliaque scelera. Quocirca Epaminondas dux Thebanorum, à quodam ad cœnam invitatus, cum bellariorum, obsoniorum et unguentorum mirum apparatum invenisset, subito recessit dicens : *Ego te sacrificare, non lascivire putabam.* Ita Brusson. lib. 2. cap. 2. Et Cicero in Pisonem, de Gabinio : *Erant compti capilli, et madentes cincinnorum fimbriæ.* Et Tibullus, l. 3. eleg. 7 : *Jamdudum Syrio madefactus tempora nardo.* Hinc videtur quod Hebræi, æque ac Romani, incesserint nudo capite; alioqui enim indecore illud perfusum fuisset unguento. Ita Sanchez.

ET NIHIL PATIEBANTUR SUPER CONTRITIONE JOSEPH.] Tigurina : *Neque illis dolet quod Joseph*, id est regnum Israel, *atteritur*, q. d. Non compatiebantur calamitati et paupertati multorum popularium suorum inter decem Tribus, quæ hic à suorum regum patre et patriarcha vocantur Joseph : nimirum hi optimates Israel ex rapinis pauperum se ditantes, convivantes, et lascivientes, ærumnas populi tum privatas, tum publicas non curabant, ac præsertim instans illi Dei judicium et excidium, Assyriorum, per sana consilia, per pœnitentiam et emendationem vitæ, per preces, per leges pias et sanctas non conabantur ab eo avertere et amoliri. Ita S. Hieron. Theodor. Lyran. Emmanuel, Mariana et Vatabl. Addit S. August. lib. 4. de Doct. Christ. cap. 7. *Joseph* pro quovis fratre et proximo hic poni : quia in fratribus, inquit, Joseph est celebris, vel in malis quæ pendit, vel in bonis quæ rependit.

Moraliter hic innuitur quod voluptatis filia propria et genuina sit immisericordia, juxta illud Prov. 12. v. 10 : *Novit justus jumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia.* Ita Sodomitæ ex deliciis crudeles evaserunt, juxta illud Ezech. 16. 49 : *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, etc. superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius et filiarum ejus : et* (unde] *manum egeno et pauperi non porrigebant;* quia putabant suo ventri, id est gurgiti voluptatum, decessurum id quod in eos expendissent. Ex adverso piorum et sanctorum nota et virtus est misericordia. Unde sanctus hebr. vocatur חסיד *chasid*, id est misericors, et eleemosyna solet vocari *justitia*, id est sanctitas, ut psalm. 111. vers. 9 : *Dispersit, dedit pauperibus, justitia* (id est misericordia, eleemosyna) *ejus manet in seculum seculi.* Vide S. Chrysostom. concione 1. de Lazaro.

Ita videmus id quod deplorat hic Amos etiamnum subinde fieri, nimirum optimates et magistratus qui sua quærunt, suo genio indulgent, suis commodis student, ærarium in convivia expendunt, dies in epulis transigunt, rem pauperum et populi negligere, jura habere venalia, muneribus justitiam vendere, pauperes opprimere, atque, ut verbo dicam, remp. perdere,

imo hosti, si is eam emere velit, prodere. Ita olim de Roma luxu diffluente dixit Jugurtha, ait Brusson. lib. 1. cap. 1 : *O urbem venalem, et cito perituram, si emptorem invenerit!* Nam, ut ait Pythagoras apud Laert. lib. 7. 1, in civitates primo deliciæ irrepunt, mox saturitas, deinde violentia, denique excidium. Quocirca Sapiens Proverb. 31. 4 : *Noli*, ait, *regibus, ô Lamuel, noli regibus dare vinum ; quia nullum secretum est ubi regnat ebrietas : et ne forte bibant, et obliviscantur judiciorum, et mutent causam filiorum pauperis.* Et Eccles. 10. 16 : *Væ tibi, terra cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt. Beata terra cujus rex nobilis est, et cujus principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, et non ad luxuriam.* Huic enim dediti, tam temperantiam et castitatem, quàm famam perdunt, vitamque abbreviant, et mortem accelerant.

7. QUAPROPTER MIGRABUNT IN CAPITE TRANSMIGRANTIUM,] q. d. Optimates Israel inter primos capientur ab Assyriis; ipsi, quasi hirci gregis duces, ducent agmen captivorum euntium in Assyriam. Ita S. Hieron.

ET AUFERETUR FACTIO LASCIVIENTIUM :] *factionem* vocat cœtum optimatum, qui in scelere, puta in rapinis, conviviis, luxu et lascivia, simul convivantes et compotantes conspirabant, q. d. Ipsi factiones et symposia instituunt ; sed ego Deus illas dissolvam et dissipabo. Septuag. vertunt, *hinnitum : Et auferetur*, inquiunt, *hinnitus ex Ephraim.* Est metaphora ab equis : sicut enim equi avena bene pasti et saginati hinniunt et lasciviunt, ita et hi optimates. Hebr. est מרזח *mirzach*, quod proprie significat convivium funebre in exsequiis mortui, q. d. Vestra convivia sunt funebria : quia ex rapinis pauperum quos emaciatis, itaque occiditis, ea instituitis. Unde Tigurina vertit : *Tunc recedet convivium luxuriosorum ;* Syrus : *Auferetur gaudium à principibus eorum ;* Arabicus : *Auferetur varietas* (ornatus et variegatæ vestes) *ab equitibus ;* Vatabl. et Pagnin. *Tunc appropinquabit luctus extensorum*, id est, eorum qui se extendere solebant in lectis eburneis, ut dixit vers. 4. Hebr. enim סור *sur* significat et recedere, et accedere. Hebræi enim verbum simplex usurpant pro omnibus compositis, eo quod iis careant.

Politice hîc nota, ut factio et rebellio gentis tollatur, tollendos esse optimates : hi enim factionis sunt capita et duces. Id probe norat Tarquinius Superbus, qui nuntio dubiæ fidei ad filium nullas dedit litteras, sed, eo in hortum adducto, summa papaverum capita baculo decussit ; quo facto nuntiato, filius intellexit quid pater vellet, nimirum præcipi sibi ut capita et optimates Gabinorum sibi resistentium demeteret, hoc est, vel occideret, vel in exsilium relegaret. Ita refert Livius, decad. 1. lib. 2. Valer. Maxim. lib. 7. cap. 4. Plinius, lib. 17. cap. 4. et 8. Idem suasit Thrasybulus Milesiorum tyrannus Periandro Corinthiorum tyranno, qui eum per nuntium rogarat quid facto opus esset ut securus regnaret ? Respondit enim ipso facto : nam nuntio in messem maturam adducto, summas frumenti aristas baculo decussit : ex quo cognovit Periander principum capita tollenda, si tyrannide potiri vellet. Ita narrant Arist. l. 3. Polit. cap. 9. et lib. 5. cap. 10. et Laertius in Periandro.

8. JURAVIT DOMINUS DEUS IN ANIMA SUA,] per animam et vitam suam, dicendo : *Vigo ego*, id est, juro per vitam meam.

DETESTOR EGO SUPERBIAM JACOB (Israelis), ET DOMOS EJUS ODI.] *Domos*, scilicet magnificas et superbas, quas ex usuris et rapinis ædificant, cum patres ejus, Abraham, Isaac et Jacob in casis et tentoriis habitarint, quasi exsules et peregrini in terra, ac cives cœli. Unde hebr. est ארמנות *armanoth*, id est, palatia. Ita Chaldæus. Ita Deus superbas domos Joakim regis detestatur Jerem. 22. 13. dicens : *Væ qui ædificat domum suam in injustitia, et cœnacula sua non in judicio! Qui dicit : Ædificabo mihi domum latam, et cœnacula spatiosa ; qui aperit sibi fenestras, et facit laquearia cedrina, pingitque sinopide!* Hinc ei pœnam intentans vers. 19 : *Sepultura*, ait, *asini sepelietur, putrefactus et projectus extra portas Jerusalem.* Et Isaias cap. 5. 8 : *Væ qui conjungitis domum ad domum ! numquid vos soli habitabitis in medio terræ?* Vide ibi dicta.

ET TRADAM CIVITATEM CUM HABITATORIBUS SUIS.] Hebr. *Tradam urbem et plenitudinem ejus*, hoc est, Assyriis tradam Samariam et incolas ejus. Hi enim vocantur ejus plenitudo, quia eam suo numero et turba implent et replent. Per civitatem enim intelligi Samariam probat Theodor. ex eo quod agat de decem Tribubus : has enim vocat Ephraim, Jacob et Joseph ; harum autem caput et metropolis erat Samaria. Ita et S. Hieron. Remig. et Hugo, qui tamen secundo, per *civitatem* accipiunt Jerusalem, quæ erat caput Jacob, id est duodecim, et postea duarum Tribuum. Censent ergo excidium Jerusalem per Chaldæos, ac deinde per Titum et Romanos hîc denotari. Utramque expositionem conciliabis, si cum Lyrano dicas per civitatem synecdochice hîc accipi civitates quaslibet Hebræorum. Porro directe loquitur Propheta de Samaria et decem Tribubus, indirecte et comitanter de Jerusalem et Judæis, uti dixi initio capitis.

9. QUOD SI RELIQUI FUERINT DECEM VIRI IN DOMO UNA, ET IPSI MORIENTUR,] q. d. Si qui Israelitæ in domo aliqua absconditi manus Assyriorum effugerint, aut ab eis ut pauperes, viles vel ægri derelicti fuerint, hi quoque in eadem domo peste aut fame morientur.

10. ET TOLLET EUM, id est, unumquemque eorum (ita Septuag.) qui scilicet peste et fame mortui sunt, PROPINQUUS (Pagnin. et Vatablus, *patruus*) SUUS,] ut comburat nepotis vel cognati sui cadaver, ossaque reliqua sepeliat. Hæc enim erant justa funebria, quæ propinqui cognatis defunctis persolvebant, tam apud Hebræos, quàm apud Romanos.

ET COMBURET EUM.] Hebraice ומשרפו *umesarepho*, id est, *et comburens eum : saraph* enim sive per *samech*, sive per *sin* scribatur (hæ enim duæ litteræ æquipollent), significat comburere. Unde angeli vocantur Seraphim, id est, incendentes : quia Dei amore ardent, aliosque accendunt. Hinc Tigurina vertit, *vespillo* : hujus enim erat cadaver curare, et more gentis comburere ac tumulare. Et Chald. *Tollet eum ab incendio propinquus ejus ad efferendum.* Imperite ergo Rabbini recentiores quos sequitur Pagnin. et Vatabl. vertunt, *avunculus ejus.* Porro combusta fuisse mortuorum Israelitarum cadavera patet ex eo quod subdit : *Ut efferat ossa* reliqua ex combustione cadaveris ; ex quo patet Israelitas ad vitandum cadaverum fœtorem, putrefactio-

nem, tabem et luem, ne scilicet illa pestem vivis afflarent, ea combussisse. Idem fecisse Romanos norunt qui Romam viderunt : Romæ enim in priscis sepulcris passim ingentes urnas testaceas conspicimus, in quibus cadaverum combustorum cineres servabantur. Græcos quoque cremasse defunctorum cadavera docent Thucydides libr. 2. et Lucianus libr. de Luctu : *Græcus*, ait, *exurit, Persa defodit*. Porro fuerunt hac de re diversæ sapientium sententiæ. Nam ut ait Servius in lib. 11. Æneid. *Heraclitus, qui vult omnia igne constare, dicit debere corpore in ignem resolvi; Thales vero, qui confirmat omnia ex humore procreari, dicit obruenda corpora, ut possint humore resolvi.* Rursum Varro, lib. de Sepultura : *Heraclides*, ait, *Ponticus plus sapit, qui præcepit ut comburerent, quàm Democritus, qui ut melle servarent* (quasi resurrectura et rursum victura) : *Quem si vulgus secutus esset, peream, si centum denariis calicem mulsi emere possemus.* Insuper Servius in lib. 3. Æneid. Romanos crematione funerum usos esse docet : *Romani*, ait, *contra faciebant comburentes cadavera, ut statim anima in generalitatem, id est, in suam rediret naturam.* Et Ovid. lib. 1. Trist. eleg. 4 :

> Spiritus hic vacuas prius extenuandus in auras
> Ibit, et in tepido deseret ossa rogo.

Et Silius Italic. lib. 10. in funere Pauli, ubi et causam assignat :

> Hæc Libys : atque recens crepitantibus undique flammis,
> Æthereas anima exsultans evasit in auras.

Causam aliam dat Quintilian. declam. 10 : *Dixerunt*, inquit, *animam flammei vigoris impetum perennitatemque non ex nostro igne sumentem, sed quò sidera volant, et quò sacri torquentur axes, inde venire, unde omnium rerum auctorem parentemque spiritum ducimus, nec interire, nec solvi, nec ullo mortalitatis affici fato, sed quoties humani pectoris carcerem effregerit, et exonerata membris mortalibus levi se igne lustraverit, petere sedes inter astra.* Christiani hanc cremationem sustulerunt tum ut Dei sententiæ in Adam ejusque posteros latæ Genes. 3. magis se conformarent : *Pulvis es, et in pulverem reverteris;* tum ut naturam sequerentur, quæ sponte corpora defuncta in elementa sua resolvit : tum maxime ut fidem et spem resurrectionis superstitibus ingererent. Ideo enim cadavera terræ commendabant quasi depositum, quod in die resurrectionis ea repetiturus sit Deus, ut resuscitet et vivificet. Idem fecisse Judæos fideles verique Dei cultores patet Genes. 50. 3. et 25. Josue 8. 29. 3. Reg. 13. 22. Tobiæ 1. 22. Josue 29. 43. Excipio funera regum, quæ publica pompa cum aromatibus honoris causa cremabantur. Israelitæ vero etiam plebeiorum ossa cremabant, vel quia idololatræ gentium idololatrarum ritus sequebantur : vel quia in communi lue et peste, eamdem reprimere igneque purgare, ne in superstites proserperet, conabantur. Cadavera ergo cum tabe et peste comburebant. Post cremationem faciebant ossilegium : cognati enim et amici ossa cremati colligebant; in æneam, auream, argenteam vel marmoream urnam recondebant magna cura et cæremonia. Docet hoc Virgil. Æneid. 6 :

> Ossaque lecta cado jecit Corinæus aheno.

Quin et suorum conjugum, fratrum, filiorum, parentum, si alibi defuncti essent, ossa in patriam revehebant. Unde Ovid. in Scythia moriturus, ita de suis ossibus præcipit, lib. 3. Trist. eleg. 3 :

> Ossa tamen facito parva referantur in urna :
> Sic ego non etiam mortuus exsul ero.

Ritum hujus ossilegii describit Tibullus lib. 3. eleg. 20. Primo enim docet lecta fuisse ab amicis et propinquis.

> Ergo ego cum tenuem fuero mutatus in umbram, *etc.*
> Mœreat hæc genero, lugeat illa viro.
> Pars quæ sola mei superabit corporis, ossa,
> Incinctæ nigra candida veste legant.

Ubi secundo docet collectores ossium fuisse incinctos, id est, soluta fluxaque veste more mulierum ; et atratos, hoc est, nigra veste indutos. Insuper prius manus abluisse, dum ait : *Perfusæque pias ante liquore manus.* Tertio, in ossa collecta lac et vinum infudisse, ac deinde in linteo ea ventilasse, ut humor vini infusi exsugeretur. Subdit enim :

> Et primum annoso spargant collecta Lyæo :
> Mox etiam niveo fundere lacte parent.

(ut aptentur circulo lacteo, ad quem heroum animas post mortem deduci censebant Romani, teste Cicer. in Somn. Scip.)

> Post hæc carbaseis humorem tollere ventis,
> Atque in marmorea ponere sicca domo.

Quarto, in ossa immisisse odores et aromata, ac denique lacrymas :

> Illic quas mittit dives Panchaia merces,
> Eoique Arabes, dives et Assyria.
> Et nostri memores lacrymæ fundantur eodem.
> Sic ego componi versus in ossa velim.

Sexto, matres et cognatæ ossa prius in sinum colligebant, quàm ea in urnam inferrent. Docet id Tibullus, l. 1. eleg. 3 :

> Abstineas, mors atra, precor : non hic mihi mater,
> Quæ legat in mœstos ossa perusta sinus.

Et Seneca Consol. ad Helviam, c. 11 : *Modo in eumdem sinum ex quo tres nepotes emiseras, ossa trium nepotum recepisti.*

Porro Augusti ossa, ait Sueton. in ejus Vita c. 100, legerunt primores equestris ordinis, tunicati et discincti, pedibusque nudis. Hoc ultimum reverentiæ Augusti datum : nam nudipedes fuisse aliorum ossium collectores non legimus. Hæc Gentiles Gentilibus! quid jam faciant Christiani Christianorum, imo Sanctorum et Martyrum, ossibus et reliquiis ? quo honore ea prosequentur ?

10. Et dicet, scilicet propinquus, qui quasi vespillo, sive pollinctor è domo mortuaria sibi cognatorum extulit ossa ad sepulturam : *dicet*, inquam, cum à sepultura redierit, ET QUI IN PENETRALIBUS, id est, incolæ DOMUS mortuariæ suos defunctos lugenti : NUMQUID ADHUC EST PENES TE, aliquis mortuus, cujus ossa efferam et sepeliam? ET RESPONDEBIT incola domus : FINIS EST,] q. d. Omnes mortui elati sunt, nemo restat præter me, qui meam orbitatem et solitudinem lugeo. Unde Syrus vertit, *et dicet illi : Non est, quoniam perierunt, pro eo quod recordationem non facerent in nomine Domini.*

11. Et dicet ei : Tace, et non recorderis nominis Domini.] Quæres, quis dicet? an incola domus, an propinquus vespillo? Et cur? Primo, Chald. Dicet, inquit, propinquus incolæ domus lamentati suos defunctos : *Tace*, noli flere; defunctus enim tuus juste à Deo morte punitus est, quia Deum non colebat, Deique nominis oblitus, eum non invocabat. Sic enim vertit : *Remove* lacrymas et lamenta, *quia dum vita fruebatur* (cognatus tuus defunctus), *non fundebat preces in nomine Domini;* secundo, S. Hieron. et Vatabl. Solebant, inquit, in lamentis et ærumnis, v. g. in funeribus nominare et invocare nomen Domini; Israelitæ vero adeo erant idolis addicti, ut nec in funere vellent Deum verum nominare et invocare; tertio, Lyran. Sanchez et Ribera censent esse verba incolæ domus, qui ex impatientia dicat propinquo eum solanti, et ut Dei opem invocet suadenti : Noli mihi refricare nomen Domini, ipse enim horum funerum et malorum omnium mihi est auctor. Ita ex impatientia delirant impii, cum, si saperent in tribulatione ad Deum recurrerent, et omne suum refugium in eo collocarent. Imo Gentiles in afflictione suis diis, quasi ejus auctoribus maledicebant, uti etiamnum faciunt Sinæ et Japones, qui deos suos flagellant. Sic Æneas ob mortuam uxorem Æneid. 2 :

Quem non incusavi amens, hominumque Deûmque?

Sapienter enim Seneca, lib. 8, declamat : *Diligentius*, ait, *dii coluntur irati.* Ita sapuit Job à Deo tot flagellis exercitus, cum dixit cap. 23. 3 : *Quis mihi tribuat, ut cognoscam et inveniam illum, et veniam usque ad solium ejus?* quarto, alii censent ex desperatione dici, q. d. Ne mihi nomines Deum, eumque invocare suadeas : perimus enim, actum est de nobis, nec ipsa salus si velit, nos servare possit; quinto, Ruffinus censet dici ex omine et terrore. Adeo enim malis à Deo inflictis perculsi erant, ut vel Deum nominare non auderent, formidantes ne, si vel eum nominarent, novam ab eo cladem et quasi novum fulmen exciperent. Unde Arabicus vertit : *Tacete, ut non nominetis in nomine* (nomen) *Domini;* sexto, Arias et à Castro censent esse verba Amos, qui hoc epiphonemate ærumnas hasce extremas concludat, q. d. Dicet propinquus incolæ domus lugenti suorum funera : Tace, ne fleveris : *Et ne recorderis*, id est, nam tunc recordari non licebit, *nominis Domini.* Tunc enim tanta omnes obruet calamitas et afflictio, ut non lubeat, nec liceat Deum nominare et invocare. Sic sæpe justo Dei judicio accidit peccatoribus, qui vitam in deliciis transigunt, et pœnitentiam in mortem differunt, ut in morte tot curis, doloribus et angoribus opprimantur, ut Dei et salutis suæ obliviscantur. Omnes pene hi sensus probabiles sunt; secundus tamen, tertius et quartus planiores sunt. Porro contrarie vertit Pagninus : *Nos enim sumus assueti commemorare nomen Domini*, q. d. Vespillo solabitur incolam domus dicendo : Noli flere, sed de more invoca nomen Domini.

12. Quia ecce Dominus mandavit (id est ordinavit, disposuit, decrevit, ac sicut decrevit, sic et exsequetur, atque] percutiet domum majorem ruinis, et domum minorem scissionibus.] Τὸ *quia* recte cohæret cum sensu tertio Lyrani jam dato. Verum generalius referri potest ad omnia præcedentia, q. d. Tantæ clades et strages iminent tam Sioni quàm Samariæ, quas à v. 1. hucusque recensui, quia Dominus justus injuriarum suarum vindex *percutiet domum majorem*, id est regnum decem Tribuum ac Samariam, *ruinis*, id est, pleno interitu et perpetua captivitate, ut plane corruat et pereat regnum Israel instar testæ casu diffractæ, quæ reparari et redintegrari nequit. *Domum minorem* vero, id est regnum Sionis et Judæ, *percutiet scissionibus*, id est, rupturas et scissuras ex eo auferet; partem ejus scilicet occidendo, partem captivando; sed has scissuras sarciet et restituet per Esdram et Nehemiam, cum, annuente Cyro, captivos ex Babylone in Judæam remittet. Ita S. Hier. Chald. Remig. Rupertus, Hugo, Lyranus, Ribera et alii. Unde Chald. vertit : *Et percutit regnum magnum percussione forti, regnum vero minus plaga remissiori.*

Nota : Pro *ruinis* Pagnin. et Vatabl. vertunt, *rimis*, vel fissuris, quasi hìc Deus minetur Samariæ terræ motum, quo domus tam magnæ quàm parvæ findendæ, et rimas acturæ sint. Hebr. est רסיסין *resisin*, quod Marinus, Forsterus et à Castro vertunt, *stillis*, vel *distillationibus*, quæ causant rimas et fissuras in domo, juxta illud Cant. 5. 1 : *Caput meum plenum est rore, et cincinni mei resisin*, id est, distillationibus, et *guttis noctium.* Sensus est, ait à Castro, q. d. Deus per Assyrios percutiet et subvertet omnes domos Samariæ, tam majores, quæ multis constant habitatoribus, sigillatim illos interimendo, quàm minores, quæ minus possunt resistere, simul et semel eas confringendo. Verum primus sensus jam datus, uti communior, ita verior et certior est. Unde hebr. *resisin* non tantum complutiones et distillationes, sed et fracturas et contritiones validas significat : ita enim vertunt Septuag. Chald. et Noster. Alludit enim רסיסין *resisin* per *samech* ad רציצין *retsitsin* per *tsade*, quod proprie fracturas et contritiones significat, omnium Hebræorum consensu. Adde hìc non agi de unius Samariæ et decem Tribuum, sed et de duarum, id est omnium duodecim Tribuum excidio. Hoc enim significant illa verba v. 15 : *Et conteret vos ab introitu Emath usque ad torrentem deserti.* Hic enim limes et terminus ponitur non decem, sed duodecim Tribuum, adeoque totius terræ promissæ, uti dixi v. 2. Ita S. Hieron. Porro causam tanti utriusque gentis excidii subdit, ejus scelera, quod scilicet justitiæ, rerumque naturam et ordinem perverterit et subverterit : ideo enim lege talionis mereri, ut et ipsa utraque subvertatur et intereat. Ait ergo :

13. Numquid currere queunt in petris equi, aut arari potest in bubalis?] Hebr. est : *Num current in petra equi? num arabit* (arator) *in bobus?* scilicet feris et indomitis, puta bubalis, ursis, bisontibus; unde Noster vertit, *in bubalis.* Nam aliis bobus cicuribus et domesticis tam aratur, quàm equis. Porro bubali olim tempore Amos, præsertim in Judæa, feri erant et indomiti, ut jugum et aratrum excuterent. Unde Martial. lib. 1 :

Illi cessit atrox bubalus atque bison.

Jam vero in Italia videmus eos eatenus cicurari, ut subjugales fiant, jugumque cursus admittant, et aratris serviant. Sensus est, q. d. Sicut impossibile est ut in petris currant equi, et arent jugumque suscipiant bubali indomiti :

ita impossibile est vos currere in via mandatorum Domini, quæ vobis dura et saxea videtur; aut subire jugum legis Dei: quia vos estis quasi bubali indomiti, jugum omne excutientes. Ita libertas libertate perit. Qui enim renuit servire Deo, cui servire regnare est, serviet suis concupiscentiis, suæque præfractæ voluntati et diabolo, quæ gravissima est servitus. Quocirca Christus, repudiatis Judæis jugi Evangelici impatientibus, quasi bubalis, elegit Gentes quasi boves cicures et domitos, dixitque illis: *Tollite jugum meum super vos*, qui proinde vomere Evangelicæ doctrinæ et vitæ terram infidelium proscindentes, fructum regno Dei operati sunt, magnamque animarum messem collegerunt. Ita Rupertus qui putat ab Amos hîc prædici Judæorum, quasi bubalorum, reprobationem: Gentium vero, quasi cicurum, electionem.

Secundo, Recentiores passim repetunt τὸ *in petris*, sicque facile ad quosvis boves hæc adaptant, hoc modo: *Numquid current in petra equi? numquid arabit arans bobus in petra?* q. d. Vos, ô Israelitæ, perinde agitis, ac si in rupe quis equum ad cursum, aut bubalum vel bovem ad arandum incitaret, hoc est, agitis omnia ordine inverso et præpostero. Sicut enim ista naturæ repugnent, ita vos agitis repugnantia naturæ, rationi et Deo: quia judicium, id est justitiam, quæ naturæ, Deo et rationi consona, dulcis est et placet, vertistis in peccati absinthium et amaritudinem, quæ naturæ, Deo et rationi dissona, amara est et exsecranda. Ita Pagninus et Vatabl. Rursum: *Sicut non solent equi currere in petris, neque agricolæ arare in petrosis locis, cum nullus inde fructus sit sperandus; sic ex tam impœnitenti vita vestra, nequaquam felicitas erit speranda*, inquit Clarius. Unde Syrus vertit: *Numquid currant supra petram equi, aut trahunt in ea aratrum*, vel *vomerem?*

Insuper contra naturam est equi, inquit Palacius, *currere super rupe, et contra naturam bovis est arare super eadem rupe; itidem contra naturam judicis est currere et arare super injustitia. Si enim velint bos aut equus currere, vel arare super petra, frangent crura, et pectora lacerabunt.* Parœmia hæc ergo tria significat: Primo, Israelitas in sua injusta et prava vita præpostere laborare; secundo, inutilem laborem eumque molestum suscipere, ac rem impossibilem tentare. Sic ait Poeta:

Non profecturis littora bobus aras.

Tertio, laborem hunc non tantum fore inutilem eis, sed et noxium ac exitialem. Hic sensus facilis est et planus, ac valde Hebræo consonat. Simile proverbium est: *Fronti ocream, tibiæ galeam applicas.*

Huc pertinet expositio Sanchez, qui censet esse amplificationem ab impossibili. Cum enim quid inexspectatum aut valde absurdum fieri videmus, dicimus in rerum natura nihil fore jam impossibile factu, quasi dicat: Cum video quod Israel Deum dulcissimum amaricarit, et converterit in sal et absinthium, quod videbatur impossibile, dico jam naturam rerum inverti, ut deinceps equi cursuri sint in petris, bubali araturi, quod hactenus credebam esse impossibile. Sic Ovidius videns se proditum ab amico intimo, quod putabat esse impossibile, ait jam nihil impossibile esse judicandum. Sic enim canit lib. 1. Trist. eleg. 7:

Terra feret stellas, cœlum findetur aratro,
Unda dabit flammas, et dabit ignis aquas.
Omnia naturæ præpostera legibus ibunt,
Parsque suum mundi nulla tenebit iter.
Omnia jam fient, fieri quæ posse negabam;
Et nihil est, de quo non sit habenda fides.
Hæc ego vaticinor, quia sum deceptus ab illo,
Laturum misero quem mihi rebar opem.

Et pastor ille videns Nisam Nympham speciosam nupsisse Mopso stolido, apud Virgil. ecloga 8:

Mopso Nisa datur; quid non speremus amantes?
Jungentur jam gryphes equis, ævoque sequenti
Cum canibus timidæ venient ad pocula damæ.

Porro idem pressius hæc applicat Israeli, q. d. Non est, ô Israelitæ, quod putetis civitates vestras esse inexpugnabiles ab hoste, sicut petræ sunt inarabiles ab equis et bubalis: quia cum vos sceleribus vestris rerum naturam immutaveritis, et Deum suavissimum in fel converteritis; pariter ipse soli locique vestri naturam immutabit, facietque ut equi hostiles in petris vestris currere, easque subjugare, ac in iis bubali arare possint. Hæc expositio videtur concinna et plausibilis.

Tertio, S. Hieron. quem sequuntur Remig. Albert. et Hugo, censet Israelem ruinis, Judam scissionibus comparari; quia scissa domus sarciri potest, ruinæ vero debent reædificari, restaurari nequeunt: ruinas Israelis comparari equis, qui nequeunt in petris currere; scissiones Judæ comparari bubalis, qui silvestres boves sunt, et tam indomiti, ut jugum cervicibus non recipiant, et propter feritatem nolint arare, q. d. Vos, ô Israelitæ, stolidiores, duriores et deteriores estis equis et bubalis. *Cum enim hi naturam suam mutare non possint, vos mutastis naturam Dei, ut dulcem amaram faceretis, et fructum justitiæ ejus in absinthium verteretis, quæ est herba amarissima.* Hæc expositio mutationem naturæ et repugnantiam non in Israelitis eorumque moribus, sed in Deo constituit, quod scilicet Israelitæ suis sceleribus irritando Dei naturam, quæ est ipsa clementia, eam quasi commutarint in severitatem et vindictam acerrimam.

Quarto, Ruffinus: Certum est, inquit, quod nec bubalus juga portet, nec per saxa equus sponte incedat; vos autem, qui vos et juga discussisse, et frena rupisse gaudentes, videbamini vobis esse equi in luxuria, in virtute et libertate bubali, rebus probate quod spebus hausistis, id est, quod nullis subjaceatis imperiis. Quod cum utique in contrarium cadit, atque ad arbitrium hostium, perque itinera asperrima ingredimini, ac graves labores confracta cervice toleratis, confiteamini necesse nec equos vos esse, nec bubalos, nec quidquam præsidii ac virium ad opes vestras comparasse. Sensus ergo Ruffini hic est: O Israelitæ, jactabatis vos esse liberos, quasi equos salaces et effrenes, qui non in petris, sed in campis quò volunt currunt: et bubalos indomitos, qui jugum aratri excutiunt. At ego jugum captivitatis per Assyrios vestro collo imposui, cogoque incedere et currere per petras et rupes, quasi mancipia in Babylonem. Ergo non estis qui effrenes, sed frenati; non bubali indomiti, sed

domiti et capistrati. Verum hæc expositio multa subaudit et supplet, quæ in textu non habentur. Quocirca prima et secunda expositio magis planæ sunt et genuinæ.

Quinto, Septuag. hæc omnia de equis, non de bubalis accipiunt. Vertunt enim : *Si persequentur in petris equi, si tacebunt ad feminas?* Hebr. enim יחריש *iacharos*, et arare, ut vertit Noster, et tacere, ut vertunt Septuag. significat. Rursum ipsi pro בבקרים *babbekarim*, id est, in bobus, videntur legisse בנקבים *bannekebim*, id est, in feminis, ad feminas : utrobique enim Hebraicæ litteræ sunt similes. Alludunt ad id quod v. 7. verterunt : *Auferetur hinnitus equorum ex Ephraim*, pro quo Noster vertit : *Auferetur factio lascivientium.* Porro versionis Sept. hunc sensum dat Theodoretus : Sicut equi ad equas quas prospexerunt non tacent, sed adhinniunt ; sic hostes Assyrii in vos, ô Israelitæ, expeditissimo impetu et clamore, quasi hinnientes ad prædam, irruent et grassabuntur. Tropol. S. Hieron. per equos accipit dæmones, qui formidant viros, insaniunt in feminas, id est, homines molles et effeminatos. *Quando*, ait, *virilem viderint animum et Dei fortitudine roboratum, non audent accedere; quando vero effeminatam mentem unguentis ac deliciis enervatam, et in muliebrem versam mollitiem, statim insaniunt, et se tenere non possunt, et gestiunt ad libidinem.* Unde Arabicus vertit : *Qui currere nimis faciunt equos in tædio, ut sileant* (quiescant) *à feminis.*

Convertistis in amaritudinem judicium, et fructum justitiæ in absinthium.] *Judicium* et *justitia* primo, hîc proprie accipi possunt, q. d. Pervertitis jura et justitiam in judiciis, absolvendo divites nocentes ob munera, et pauperes innocentes condemnando. Hoc enim taxavit c. 4. 1 ; secundo, generatim pro eo quod æquum et justum est, q. d. Pro æquo facitis iniqua, pro justo injusta et impia, pro honesto inhonesta, puta pro virtute vitia et scelera.

14. Qui lætamini in nihili.]Hebr. *in non verbo*, id est, *in non re*, in nihilo, *in* eo quod *non est aliquid*, ut vertit Pagnin. Sed Symmach. ἀλόγως, id est, frustra, absque ratione et causa, q. d. Qui exsultatis in vestris idolis, quæ sunt res nihili, aut in vanis fluxisque opibus et voluptatibus, ac præsertim in potentia hujus seculi vestroque robore ac viribus, dicentes :

Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua ?] id est, vires, animos et robur, quibus remp. tueamur et hostes invadamus. Ita superbi vires quas à Deo acceperunt, imo quas non habent, sibi arrogant. Humilius et verius Psaltes ps. 43. 6 : *In te*, ait, *inimicos nostros ventilabimus cornu, et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis*, in nos. Est metaphora à tauris, quorum audacia et robur est in cornibus. Unde tauro rhinocerotem comparans Martial. in Amphith. sic ait:

> Namque gravem gemino cornu sic extulit ursum,
> Jactat ut impositas taurus ad astra pilas.

Sic Horatius ait vinum addere cornua, id est, animos viresque, timido et pauperi. Nam l. 3. ode 21. alloquens amphoram :

> Tu, *ait*, spem reducis mentibus anxiis
> Viresque et addis cornua pauperi.

Sic Plautus ait : *Cornutam bestiam petis*, id est, lacessis animosum et paratum ulcisci. Et Moses Deuter. 33. 17. de Joseph ait : *Cornua rhinocerotis cornua illius : in illis ventilabit gentes usque ad terminos terræ.* Porro, quia opes dant animos viresque, suntque quasi cornua divitum ; hinc per *cornua* aliqui cum Chaldæo hîc intelligunt substantiam et divitias.

Tropol. peccator lætatur in nihili, id est, in rebus frivolis et evanidis. Hinc peccatum vocatur *nihil :* Primo, quia ipsum est res nihil, id est, vana, et nullius pretii vel momenti ; secundo, quia cito voluptas ejus transit et evanescit. Unde Psaltes ps. 75. 6 : *Et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis ;* tertio, quia peccatum peccatorem ducit ad nihil, id est, ad interitum et mortem, tum præsentem, tum æternam ; quarto, peccatum est nihil in genere moris et virtutis, quod est bonum morale : peccatum enim non est bonum, sed malum morale ; quinto, quia peccatum est privatio boni : privatio autem non est ens positivum, sed negativum, puta nihil ; sexto, quia peccatum privat Deo, qui est omnia et omnium opifex, sine quo factum est nihil : cum ergo peccatum et peccator sit sine Deo, sequitur ipsum esse nihil in genere moris. Audi S. August. in Soliloq. c. 3. et 4 : *Nihil est mors ; nam per ipsam ad nihilum tendimus, dum nos nihil facere per peccatum non formidamus. Et juste quidem hoc, Domine : nam digna factis recipimus, dum ad nihilum devenimus tanquam aqua decurrens ; quia sine te factum est nihil, et nos faciendo nihil, facti sumus nihil : quia sine te sumus nihil, per quem facta sunt omnia, sine quo factum est nihil. Væ mihi misero toties annihilato ! quia tu verbum per quod facta sunt omnia, et ego sine te, sine quo factum est nihil.* Et cap. 5 : *Miser factus sum, et ad nihilum redactus sum, et nescivi ; quia tu es veritas, et ego non eram tecum. Ad nihilum duxerunt me iniquitates : quia tu es Verbum per quod facta sunt omnia, sine quo factum est nihil : et ideo sine te factus sum nihil : quia est nihil, quod ad nihilum ducit. Quæcumque per Verbum facta sunt, valde bona sunt. Quare bona sunt ? quia omnia per Verbum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quia nihil bonum sine summo bono est ; sed malum est, ubi non est illud bonum quod utique nihil est : quia nihil aliud est malum, quàm privatio boni : sicut nihil aliud est cæcitas, quàm privatio luminis. Malum ergo nihil est, quia factum non est : sed qualiter malum est, si factum non est ? Quia malum privatio boni est, per quod factum bonum est : esse ergo sine Verbo, malum est : quod esse non est : quia sine ipso nihil est. Separari ergo à Verbo, est esse sine via, sine veritate, sine vita ; et ideo sine ipso nihil, et ideo malum ; quia separatur à Verbo, per quod facta sunt omnia valde bona. Separari autem à Verbo per quod omnia facta sunt, nihil aliud est quàm deficere, et à facto transire in defectum : quia sine ipso est nihil. Quoties ergo à bono devias, à Verbo te separas : quia ipsum est bonum : et ideo nihil efficeris, quia sine Verbo es, sine quo factum est nihil.* Et paulo post : *Si ergo nihil fui, cum sine te fui, quasi nihil fui, et velut idolum quod nihil est, quod quidem aures habet, et non audit : nares habet, et non odoratur ; oculos habet, et non videt.* Sic Ezechiel de Tyro peccatrice ait cap. 36 : *Ad nihilum deducta es, et non eris in perpetuum.* Et de ejus rege superbo cap. 28. 20 : *Nihil factus es, et non eris in perpetuum.* Et Apost. Galat. 6.

3 : *Si quis*, ait, *existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit*. Septimo, proprie et physice peccatum est nihil; quia adhæret et lætatur in creaturis, easque opponit et anteponit Creatori : creaturæ autem si cum Creatore comparentur, sunt umbræ rerum, non veræ res, ideoque sunt nihil, Dei enim essentia et nomen est : *Ego sum qui sum*, q. d. Ego sum qui solus habeo verum, plenum, solidum, æternum et immensum esse ; creaturæ vero à me participant umbram tantum hujus veri esse, quia esse ipsarum tam est exile, diminutum, breve, fugax, instabile et caducum, ut si cum meo esse compareutur, potius dicendæ sint non esse, quàm esse. Consequenter creaturæ sicut non habent verum esse; sic nec habent verum bonum, sed umbram tantum boni : ens enim et bonum convertuntur ; quale ergo et quantum est esse, tale et tantum est bonum, quod intima entis est proprietas. Hinc Christus : *Quid*, inquit, *me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus*, Luc. 18. 19. q. d. Tu censes me esse merum hominem, non Deum ; noli ergo me vocare bonum ; quia vera bonitas, sicut et vera entitas, non homini, sed soli competit Deo. Hinc et Philosophi docent Deum in nullo esse prædicamento; quia prædicamenta sunt series rerum duntaxat creatarum. Deus ergo hæc omnia transcendens, solus unum verumque substantiæ rerumque omnium prædicamentum constituit, cujus respectu nostra prædicamenta, omnesque res eis contentæ, sunt tantum umbræ, imo nihil. Quod dixi de bono, idem dico de veritate, sapientia, potentia, justitia, sanctitate, aliisque attributis. Hæc enim in Deo habent verum esse, in creaturis umbram essendi duntaxat. Quocirca Deus in Script. vocatur *solus sapiens*, Rom. 16. 17 ; *solus potens*, 1. Timoth. 6. 15; *solus immortalis*, ibidem v. 16 ; *solus Dominus*, Isaiæ 37. 20; *solus bonus, solus præstans, solus justus*, 2. Machab. 1. 24 ; *solus pius*, Apoc. 15. 4 ; *solus gloriosus*, 1. Corinth. 1. 17 ; quia ipse solus habet veram, plenam, increatam et immensam sapientiam, potentiam, bonitatem, etc. Peccator ergo, quia in creaturis delectatur, non in Creatore, hinc delectatur in umbra, in nihil, non in ente vero: sed quia hæ umbræ creaturarum in hujus vitæ caligine homini cæco magnæ apparent, perinde ut, occidente sole, magnæ altæque cadunt de montibus umbræ ; hinc umbras hasce ipse admiratur et sectatur instar canis Æsopici, qui, visa umbra carnis in aqua, eam invasit (utpote quæ major carne apparebat in aqua), itaque carnem amisit, nec umbram obtinuit. Eia, Domine, aspiret dies tuæ claritatis æternæ, et inclinentur umbræ hujus caliginis, vanitatis et mortalitatis. Eia, Domine, dispelle tenebras nostras, illumina oculos nostros, ut non umbras honorum, opum et deliciarum, quæ quasi præstigiæ in terra aciem mentis nostræ perstringunt, sed ipsos veros honores, opes et delicias, quas in cœlis diligentibus te abscondisti et præparasti ab æterno, fixo obtutu intueamur, amemus et ambiamus. Amen.

Nota : Peccatum hebr. vocatur און *aven*, quod multa significat, scilicet mendacium, vanitatem, iniquitatem, laborem, fatigationem, afflictionem, idolum, nihil et nihilum. Hæc enim omnia in se revera habet, imo reipsa est peccatum. Rursum און *aven* per crasin est און *on*, id est, dolor, nimirum peccatum in se contrahit paritque omnem dolorem. Insuper און *aven* per crasin est אין vel אין, id est, *en* vel *ain*, hoc est *non*, sive negatio entis omnisque boni. Hoc enim est peccatum, uti jam ostendi. *Aven* ergo est *benoni*, hoc est, peccatum est filius, imo et pater doloris.

15. Gentem,] Assyrios, qui vastent Samariam; et Chaldæos, qui vastent Jerusalem, itaque totam Chananæam : hujus enim terminus Aquilonaris est Emath, Meridionalis est torrens Ægypti, puta rivus ex Nilo derivatus de eremo veniens, qui Judæam dividit ab Ægypto, et inter Rinocoluram et Pelusium in mare influit. Unde alibi sæpe vocatur torrens Ægypti, aliquando torrens deserti, aliquando fluvius turbidus, id est Nilus, quia ex eo oritur et profluit. Ita S. Hieron. Remig. Rup. Hugo, Lyran. et Arias. Alii tamen, ut Theod. Vatabl. à Castro per gentes solos Assyrios accipiunt; censent enim hîc agi tantum de Samariæ et decem Tribuum excidio, atque alludi ad robur et potentiam Jeroboam regis Israel, sub quo prophetavit Amos. Hisce enim verbis obterit ejus animos et vires, de quibus dicitur 4. Regum 14. 18 : *Reliqua autem sermonum Jeroboam, et fortitudo ejus qua præliatus est, et quomodo restituit Damascum et Emath Judæ in Israel, nonne hæc scripta sunt*, etc. Et v. 25 : *Ipse restituit terminos Israel ab introitu Emath usque ad mare solitudinis*. Huic præfidentiæ et robori Jeroboam et Israelis opponit se Deus per Amos, dicens totidem verbis, sed antistrophis : Ecce ego adducam Assyrios qui vastent Israel, ab Emath usque ad mare solitudinis, imo ulterius usque ad rivum Ægypti, et tunc videbunt quàm infirma fuerit eorum firmitas, quàm inane robur, quàm vana et falsa prævidentia, cum eorum virtus in debilitatem, gloria in contumeliam, jactantia in gemitus et lamenta transibit. Utraque sententia ita concilianda est, ut dicamus Prophetam primario agere contra Samariam et decem Tribus, secundario contra Jerusalem et Judæos, uti initio capitis ostendi. Quænam sit Emath dixi v. 2.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Videt Amos primo, locustam depascentem terram Israel. Secundo, ignem in illam immittit, sed utramque plagam deprecans precibus suis avertit. Videt tertio, Deum deponere trullam suæ curæ et providentiæ, qua incrustare et conservare solebat murum Israelis, indeque Israelem ruere in interitum. Rursum vers. 10. Amasias accusat Amos apud Jeroboam, quasi seditiosum, eique suadet ut in Bethel non prophetet; sed redeat in Jerusalem. Cui respondet Amos se non esse Prophetam, sed armentarium, a Deo tamen jussum prophetare in Bethel : quod cum impedire velit Amasias, ex Deo intentat illi uxoris stuprum, liberorum necem, expilationem, exsilium, totique Israeli captivitatem et excidium.

1. Hæc ostendit mihi Dominus Deus, et ecce fictor locustæ in principio germi-
nantium serotini imbris, et ecce serotinus post tonsionem regis. 2. Et fac-
tum est : cum consummasset comedere herbam terræ, dixi : Domine, Deus
propitius esto, obsecro : quis suscitabit Jacob, quia parvulus est ? 3. Miser-
tus est Dominus super hoc : Non erit, dixit Dominus. 4. Hæc ostendit mihi
Dominus Deus : et ecce vocabat judicium ad ignem Dominus Deus : et
devoravit abyssum multam, et comedit simul partem. 5. Et dixi : Domine
Deus, quiesce, obsecro : quis suscitabit Jacob, quia parvulus est ? 6. Misertus est Dominus
super hoc ; sed et istud non erit, dixit Dominus Deus. 7. Hæc ostendit mihi Dominus : et ecce
Dominus stans super murum litum, et in manu ejus trulla cæmentarii. 8. Et dixit Dominus
ad me : quid tu vides, Amos ? Et dixi : Trullam cæmentarii. Et dixit Dominus : Ecce ego po-
nam trullam in medio populi mei Israel : non adjiciam ultra superinducere eum. 9. Et demo-
lientur excelsa idoli, et sanctificationes Israel desolabuntur : et consurgam super domum
Jeroboam in gladio. 10. Et misit Amasias sacerdos Bethel ad Jeroboam regem Israel, dicens :
Rebellavit contra te Amos in medio domus Israel : non poterit terra sustinere universos ser-
mones ejus. 11. Hæc enim dicit Amos : In gladio morietur Jeroboam, et Israel captivus migra-
bit de terra sua. 12. Et dixit Amasias ad Amos : Qui vides, gradere, fuge in terram Juda ;
et comede ibi panem, et prophetabis ibi. 13. Et in Bethel non adjicies ultra ut prophetes : quia
sanctificatio regis est, et domus regni est. 14. Responditque Amos, et dixit ad Amasiam : Non
sum propheta, et non sum filius prophetæ ; sed armentarius ego sum vellicans sycomoros.
15. Et tulit me Dominus cum sequerer gregem ; et dixit Dominus ad me : Vade, propheta ad
populum meum Israel. 16. Et nunc audi verbum Domini : Tu dicis : Non prophetabis super
Israel, et non stillabis super domum idoli. 17. Propter hoc hæc dicit Dominus : Uxor tua in
civitate fornicabitur, et filii tui, et filiæ tuæ in gladio cadent, et humus tua funiculo metietur :
et tu in terra polluta morieris : et Israel captivus migrabit de terra sua.

1. Ecce fictor locustæ.] *Fictor*, id est figulus, plastes et formator locustarum : hoc enim significat hebr. יוצר *iotser*. Alii legerunt aliis punctis יצר *ietser*, id est figmentum, plasma. Unde Chald. vertit : *Ecce creatio locustarum;* Septuag. : *Ecce fœtus locustarum;* Tigurina : *Ecce examen locustarum*, q. d. Vidi Deum quasi plasten, fingere et formare ingens examen locustarum, ipsumque examen ab eo jam formatum et productum invadere terram Israel. Solus Arias vertit : *Fingens exactores.*

Porro hebr. גבי *gobe* significat locustas, eo quod elevent et exaltent pedes, à rad. גבה *gaba*, id est exaltavit : *gobe* ergo, q. d. Gibbosi (et ut Itali dicunt, *gobi*) cruribus. Jam *gobim* plurale, in regimine habet *gobe*. Est enim hic quasi regimen genitivi, nimirum, *locustæ in principio*, id est, locustæ principii, hoc est,

primi temporis germinantis; tunc enim locustæ teneram herbam et germen, quo mire delectantur, depascentes, ingens satis campisque damnum inferunt. Nota: Prophetæ non tantum per verba, puta per locutionem internam, excipiebant et audiebant oracula Dei, sed subinde etiam videbant ideas, vel species quasdam oculis, aut potius imaginationi suæ objectas, per quas quasi per symbola edocebantur à Deo de futuris rerum eventis. Hæ enim species significabant, et symbolice repræsentabant res futuras, vel arcanas. Sic Jeremias, c. 1. 11. et 13, vidit virgam vigilantem, et ollam succensam, per quæ significabatur Nabuchodonosor, qui quasi virga percussurus, et quasi olla accensa combusturus erat Hierosolymam. Sic Ezechiel, cap. 1, vidit currum cherubicum, quasi solium gloriosum judicis et vindicis Dei. Sic Isaias, cap. 7. 20, vidit novaculam acutam, quæ repræsentabat Assyrios, qui quasi novacula rasuri erant terram Israel. Pari modo Amos hîc vidit fictorem quemdam et plasten, qui agmina locustarum fingeret et formaret, uti figulus fingit vasa vel animalia ex luto. Jam fictor hic est Deus, qui omnium animalium rerumque est creator et plasmator: hoc enim significat hebr. יצר *iotser*. Hic ergo examina locustarum, id est, innumeros milites Assyrios, producit, et per turmas educit, ut terram decem Tribuum depascantur et devastent. Locusta enim habet speciem militis armati, volentis insilire in hostem. Similes locustas vidit Joel c. 1. 4. et 5, Joannes Apoc. c. 9. 1. et 2. ubi multa de iis dixi, quæ proinde hîc non repetam. Porro Lyran. Clarius, Vatabl. et Arias locustas hîc proprie accipiunt, quasi Deus famem et sterilitatem, ex frumenti corrosione futura à locustis, minetur Israeli, hoc non est improbabile: sub his tamen potius symbolice intelligit Assyrios, qui populum corroserunt, id est, occiderunt, vel captivarunt. Unde Propheta, ejus clade ingemiscens, ait v. 2: *Domine Deus, propitius esto, obsecro: quis suscitabit Jacob, quia parvulus est?* id est, ad paucitatem redactus. Ita S. Hieron. Theodor. Remig. Rupert. Haymo, Dion. et alii passim.

Moral. Nota τὸ *fictor* significare Deum artem et curam suam intendere in locustis efformandis, sicut figulus omnem cogitationem et industriam adhibet in excogitando et effingendo vase figulino. In hisce enim animalculis elucet ars et potentia divina: *Nec in ullo magis quàm in his tota natura est*, ait Plinius lib. 11. cap. 2. Nimirum locusta, apis, musca, etc. si naturam, organa, membraque omnia spectes, magnum mirumque est Dei opus et artificium: sin usum consideres, multo est majus. Nam Deus, quasi mirus artifex, locustas et muscas ita fingit et format, ut per eas domet tyrannos et reges potentissimos (uti Pharaonem) ac gravissima eis inferat supplicia. Hoc est quod ait per Jeremiam c. 18. 11: *Ecce ego fingo contra vos malum, et cogito contra vos cogitationem: fingo*, id est, excogito et formo ita apposite, ut malum et pœna ad amussim culpæ vestræ respondeat, eamque suo modo et modulo adæquet: sicut judex excogitat supplicium sceleri latronis congruum et commensum. Vide Tertullian. lib. 2. contra Marc. cap. 24. Sciant ergo coloni, sciant cives, cum grando uvas percutit, cum aurugo segetes afflat, cum tonitru et fulmen agros siderant, cum locustæ, erucæ, bruchi, etc. sata depascuntur, ea à Deo immitti: Deus enim horum omnium est factor et fictor. Quocirca ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum faciunt verbum ejus, ut ad ejus nutum feriant peccatores. Itaque procellis hisce et creaturis non indignentur mortales, uti faciunt stolidi canes, qui lapidem quo appetiti sunt insectantur et mordent, non hominem jacientem: sed ad creatorem et vindicem, qui eas fingit et format, oculos convertant: ab eo veniam et indulgentiam scelerum humili confessione efflagitent. Qui enim ipsi obstrepit et obmurmurat, majorem in se ejus iram provocat: *Nam cum culpa sua feriri se denegat, quid aliud quàm justitiam ferientis accusat?* ait S. Gregor. lib. 32. Moral. cap. 5. Cogitet ergo illud S. Pauli Rom. 9. 20: *Numquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic?*

In principio germinantium serotini imbris,] id est, in principio veris, cum omnia germinare solent per imbrem serotinum, id est, vernum. Hebr. est: *In principio cum ascenderet serotinus*, scilicet imber vernus, qui prima educit et crescere facit germina. Matutinus enim imber Hebræis est, qui mane, id est, tempore sementis, depluit in Octobri, ut semina riget, solvat et radicet in terra. Serotinus est, qui sero, id est, tempore aristarum et messis, depluit in vere ut aristas granis impleat, fecundet et maturet. Aut potius hunc serotinum explicat, dum subdit: *Et ecce serotinus post tonsionem regis*, q. d. Serotinum imbrem intelligo eum qui, postquam prima herba et gramina luxuriantia detonsa essent pro fœno, ad alendos equos regios, depluit, facitque ut detonsa herba repullularet et recresceret, ac in culmos spicasque evaderet. Sensus est, q. d. Deus has locustas, id est, Assyrios, finxit et emisit in terram Israel tempore verno, id est, illo quo res Israeliticæ à cladibus respirare, vernare, prosperari et in segetem ingentem crescere incipiebant, adeo ut Israelitæ regi Assyriorum monarchæ tam potenti rebellare auderent. Ita S. Hieron. Pro *serotinus*, hebr. est לקש *lekesç* quod proprie significat imbrem serotinum: hunc enim significat מלקש *malcosç*, uti omnes Hebræi fatentur, quod ab eadem radice descendit, imo idem est cum *lekesç*. Pagnin. tamen *lekesç* vertit: *Herba serotina*. Tigurina: *Herba renascens et repullulans:* per quam Vatabl. accipit fœnum autumnale, sive *cordum*, puta herbam quæ in pratis, postquam illa falce demessa sunt, succrescere solet, estque apprime commoda ovibus, sicut vice versa fœnum vernum commodum est equis, q. d. Locusta hæc involavit in fœnum autumnale, quo pasci solent oves, illudque depasta magnam famem et cladem intulit ovibus. Alii, ut Clarius, melius per herbam serotinam accipiunt, non autumnalem, sed vernam: eam nimirum, quæ post primam graminis luxuriem et copiam resecta ad alimentum equorum regiorum mox repullulavit, ac in spicas et culmos succrevit: et sic hæc versio cum nostra in idem redit. Sensus enim est, q. d. Deus finxit locustas in principio germinationis, quæ post demessionem in pabulum equorum regiorum factam, rursum imbre serotino repullulavit in culmos; ac tunc illam invadens locusta radicitus depasta est.

Allegor. S. Cyrill. in Zachar. cap. 10. et S. Hieron. in Job 28. pluvia matutina fuit lex vetus data per Mosen, qua semina jacta per patres legis naturæ germinabant : serotina vero est lex nova data per Christum, qua semina legis veteris germinantia maturuerunt, et ad perfectionem perducta sunt.

Et ecce serotinus post tonsionem regis.] Ita legendum cum Romanis, non : *Post tonsorem gregis*, uti legunt nonnulli : sicque explicant, q. d. Locustæ hæ de more eo tempore enatæ sunt, quo depluente imbre serotino segetes (quas depascuntur) succreverunt, et quo pariter tonderi solent oves, scilicet sub æquinoctium vernum, *in quo oves neque frigus, si lanam detraxeris; neque æstum, si nondum detonderis, sentiant*, ait Columella lib. 7. cap. 4. Verum legendum est, *post tonsionem regis*, non *gregis*. Hoc enim significat Hebræum אחר גזי המלך *achar ghizzi hammelech*. Secundo, Septuag. pro ז legentes affine ג, scilicet pro גזי *ghizzi*, גג *gog*, vertunt : *Et ecce bruchus unus Gog rex*, vel, ut Complut. : *In Gog regem*, nam pro אחר *achar*, id est, post, legerunt אחד *achad*, id est, *unus*, atque *lekesc*, quod prius verterant *serotinus*, æque ac Noster et alii, hîc vertunt *bruchus* : forte pro *lekesç*, legerunt לקק *lekec*, id est, ligurio, qui omnia lambit et lingit, qualis est bruchus. Videntur ergo Septuag. bruchi innumerabilem multitudinem, Gog genti sævissimæ comparasse, quæ terram Judæam vastatura describitur, ait S. Hieron. Septuag. sequitur Arabicus Antioch. qui vertit : *Ostendit mihi Dominus, et* (quod) *ipse veniens cum pullis* (parvulis) *locustæ, adveniens, currens. Et hæc est quæ ivit in terram Og regis Basan, ad comedendum herbam ejus.* Et vicinius Arabicus Alexand. *Locusta congregata est, et effervet* (ebullit) *de valle prima in principio hiemis, et ignis venit in fine æstatis : et ipse est Gog rex.* Tertio, Aquila pro *ghizzi* perperam legens עזה *aza*, id est, *Gaza*, vertit : *Ecce serotinus post Gazæ regem.* Quarto, S. Hier. in comment. vertit : *Ecce post serotinum tonsor* (sive *tonsura*) *regis*, sicque explicat : *Ostendit*, inquit, *Dominus Sennacherib regem Assyriorum cum infinita exercitus multitudine, instar locustæ universa tondentis, esse venturum in principio imbris serotini, quando cuncta virent, et cunctarum rerum abundantiam pollicentur. Has autem locustas, quæ primo vere volitabant, bruchus innumerabilis sequebatur, qui veniebat post imbrem serotinum, et appellabatur tonsor, vel tonsura regis, eo quod universa vastaverit. Hanc tonsorem Isaias cap.* 7. 20. *acutam novaculam vocat : et statim explicat vocatque regem Assyriorum : novacula igitur et tonsor regis, exercitus Chaldæorum est, qui in modum bruchi universa populatus est.* Locusta ergo est Sennacherib cum suis agminibus : post quem sequitur bruchus, id est, Nabuchodonosor cum suis, qui relicta à Sennacherib vastavit. Ita et Theodor. Remigius, Haymo, Albert. et Hugo. Aliter Rupertus et Ribera : Locusta, aiunt, est Salmanasar, qui decem Tribus vastavit : bruchus est Sennacherib, qui duas Tribus afflixit; sed, orante Ezechia rege, per angelum cæsa sunt ejus castra.

Verum hæc omnia proprie ad decem, non ad duas Tribus spectare colligitur primo, ex eo quod in Bethel, quæ erat decem Tribuum, prophetabat Amos. Unde v. 13. ab Amasia inde jubetur egredi, et pergere ad duas Tribus. Secundo, quia v. 9. in tertia plaga comminatur regi Jeroboam et Israeli excidium : ergo prima vel secunda plaga nequeunt referri ad Sennacherib, qui duas Tribus post excidium Jeroboam et Israelis afflixit. Tertio, quia duas priores hasce plagas à se intentatas Deus placatus precibus Amos suspendit et remisit. Constat autem cladem à Salmanasar et Nabuchodonosor reipsa Judæis fuisse inflictam, non autem suspensam, eamque fuisse integram et extremam; nam Salmanasar decem Tribus, Nabuchodonosor duas evertit et abduxit. Denique in Hebr. et Latinis codicibus non habetur : *Et ecce post serotinum tonsor regis*, ut legit S. Hieron. sed vice versa τὸ *post* transponitur, diciturque : *Et ecce serotinus post tonsionem regis.* Quæ verba sensum S. Hieron. non admittunt, sed elidunt : significant enim serotinum imbrem non ante, sed post detonsam et demessam à ministris regis, pro ejus equis herbam, eam fecisse repullulare, ac tum in eam involasse locustam, ut eam depasceret, eo sensu quem jam subjungo.

Dico ergo hæc tantum ad decem Tribus spectare : illarum enim tres clades ab Assyriis inflictas, sibi ordine succedentes, totidem visionibus prævidit ac prædicit hîc Propheta. Unde ter repetit : *Hæc ostendit mihi Dominus.* Prima, quam hîc describit, inflicta fuit à Phul, qui primus è regibus Assyriorum Israelem invasit. Huic ergo singulæ hujus prophetiæ et visionis partes ex æquo respondet. Propheta eas concise enarrat, aut potius convolvit. Accipe eas explicatas et adaptatas. Vidit Amos primo, herbam primo germinantem et luxuriantem : illa significabat res Israelis efflorescentes. Secundo, vidit eam tonderi et demeti à rege : hic est Benadad rex Syriæ, qui valde afflixit Israelem, ejusque opes totondit, et demessuit. Tertio : *Vidit serotinum post tonsionem regis*, hoc est, vidit herbam à rege Benadad demessam, per imbrem serotinum, id est, subsequentem, repullulare et reflorescere. Id factum tempore Amos per Jeroboam filium Joas regem Israel, qui suo robore et armis res Israelis afflictas restituit, ut patet 4. Regum 14. 25. Inde quarto, vidit Amos in herbam repullulantem involare locustas à Deo formatas, eamque depasci. Id factum per Phul regem Assyriorum, qui regnum Israelis restauratum et restitutum à Jeroboam invasit magno exercitu, regnante in Israele Manahem, sub finem regni Oziæ regis Juda. Quinto, Amos prævidens hanc locustarum, id est Assyriorum, irruptionem, precatur Deum ut cladem hanc ab Israele avertat; precatur et impetrat : *Misertus enim Dominus super hoc, dixit : Non erit.* Id ita contigisse patet : nam Manahem ex tributo quinquaginta siclorum singulis capitibus indicto, dedit Phul mille talenta argenti, quibus acceptis, Phul *reversus est, nec moratus in terra*, ut dicitur 4. Reg. 15. 20. Ita à Castro quoad rem, licet in modo non tam explicate, nec tam adæquate.

2. Et factum est cum consummasset (locusta) comedere herbam terræ.] *Cum consummasset*, id est, cœpisset consummare : significatur enim actus inchoatus, non perfectus. Sic dicitur Luc. c. 2. 21 : *Postquam consummati* (id est, cœpti sunt consummari) *dies octo*, id est, die octavo. Sensus est, q. d. Cum in visione vidis-

sem locustarum agmen incipere depascere terram Israel, adeo ut videretur eam omnino depasturum, et intellexissem à Deo per hoc significari, quod exercitus Phul et Assyriorum plane expilaturus et vastaturus esset terram Israel, DIXI ego Amos, tantam Israelis vastitatem futuram prævidens, et ingemiscens : DOMINE DEUS, PROPITIUS ESTO, OBSECRO, miserere Israelis tui ita affligendi et atterendi, ejusque expilationem et stragem tantam averte. Causam subdit : QUIS SUSCITABIT JACOB, QUIA PARVULUS EST?] *parvulus*. scilicet primo, numero, id est, paucus; secundo, robore, quia infirmus et invalidus; tertio, opibus, quia pauper et miser. Sensus est : Quis eriget Jacob, id est, Israelem, si permittas Phul eum atterere, exhaurire et accidere? q. d. Nisi avertas, ô Domine, hasce strages Phul, populus Israel ab eo ita accidetur et minuetur, ita fiet parvulus, id est, paucus et modicus, ut instaurari nequeat, sed intereat et pereat. Ita S. Hieron. Dicit, *parvulus est*, non quod jam esset : nam jam Israel per vires et arma Jeroboam recreverat; sed *est* ponitur pro *erit*. Dicit tamen, *est*, quia in symbolo locustarum terram depascentium, jam eum parvulum, id est, certo expilandum et atterendum videbat Amos.

3. MISERTUS DOMINUS, DIXIT : NON ERIT] hæc plaga locustarum quam vidisti, q. d. Ego exoratus tuis et aliorum Prophetarum precibus, plagam hanc à me comminatam revoco, faciamque ut non veniat locusta, id est Phul, qui vastet terram Israel. Ita contigit : quia vastationem imminentem avertit et redemit Manahem rex Israel, dando Phul mille talenta argenti, uti superius dixi. Hîc verum est illud Themistoclis apud Plutarch. in Apophtheg. *Periissemus, pueri, nisi periissemus*. Perditus enim ad Deum confugiens, ab eo salutem et omne bonum impetrat; uti impetravit Themistocles exsul et profugus à Xerxe rege Persarum, nuper hoste suo, cum ejus opem implorans, ab eo magnis donis ornatus et ditatus est. Ita hîc perditio Israelis prævisa à Propheta movit eum ad ardentes preces, quibus illi veniam opemque ac dona Dei conciliavit.

4. HÆC OSTENDIT MIHI DOMINUS. Hæc est secunda ostensio Dei, et visio Prophetæ, qua vidit Deum judicem mittere ignem in terram Israel, qui prius abyssum, id est, molem magnam aquarum, absumpsit; deinde partem terræ selectam; ac pari modo reliqua omnia combussisset, nisi Amos precibus suis iram ignemque Dei stitisset et repressisset. Hoc est enim quod ait : ET ECCE VOCABAT JUDICIUM AD IGNEM DOMINUS] Arabicus : *Vocavit in justitia ignem*; Syrus: *Vocavit ad judicandum in igne*, per ignem. Sic et Septuag. Est prosopopœia; tribuit enim Deus hîc judicio personam quasi judicis, aut lictoris, quasi dicat : Deus judicium, id est, sententiam suæ condemnationis et ultionis quasi justum vindicem mittet ad ignem, quasi ad tormentum, ut scilicet ignem excitet, eoque consumat terram Israel, et devoret *abyssum multam*; Tigurina, *abyssum profundam*; Pagnin. *voraginem magnam*, id est populi, domorum et opum immensitatem; *et partem*, id est, portionem selectam et hæreditariam. Unde et Chald. vertit, *hæreditatem*, q. d. Deus sæpius variis suppliciis corripuit Israelitas; at cum vidit illos non resipiscere, decrevit tandem rem ad ignem reducere, et obduratos concremare. Ita Emmanuel, Mariana et alii.

Secundo, Hebr. לריב *larib* sic verti potest cum Tigurina et Aria : *Et ecce vocans ad litem*, vel *ad jurgium in igne Dominus*, q. d. Deus juridice citavit, et in jus ad suum tribunal vocavit terram Israel, provocans ad ignem; atque illi litem intendit, ut ageret eam ream ignis, et ad incendium damnaret. Tertio, Vatabl. vertit : *Et ecce vocabat Dominus ad litigandum cum igne*, q. d. Vocabat Dominus ad sese Angelos ministros justitiæ suæ, ut judicio suo damnatos plecterent igne, hoc est incendio magno abyssum multam, id est, multam terræ regionem, et partem, scilicet regiorum pratorum, absumerent.

Quæres : Quodnam fuit hoc judicium ignis? Resp. Lyran. et Vatabl. Deum immisisse in terram Israel ignem proprie dictum, aut, ut alii, ingentem solis ardorem : qui abyssum, id est, mare Galilææ siccaret, ac magnam frugum fructuumque partem torreret et perderet. Tale fuit incendium quod sub Phaethonte rege contigit tempore Mosis, uti notat Euseb. in Chron. de quo multa fingunt et fabulantur Poetæ.

Audi Ciceronem, lib. 2. Officior. *Phaethonti*, inquit, *filio Sol facturum se esse dixit quicquid optasset; optavit ut in currum patris tolleretur : sublatus est; atque is, antequam constitit, ictu fulminis deflagravit. Quanto melius fuerat in hoc promissum patris non esse servatum?* Hinc dictus est Phaethon ἀπὸ τοῦ φάους, id est, à luce, et αἴθω, id est, uro, ait Servius in illud Æneid. 5 :

> Auroram Phaethontis equi jam luce vehebant.

Et Ovid. 2. Metamorph. fuse fabulam enarrans ait :

> Tunc vero Phaethon cunctis è partibus orbem
> Aspicit accensum, nec tantos sustinet æstus :
> Et mox arbitrio volucrum raptatur equorum.
> Sanguine tum credunt in corpora summa vocato
> Æthiopum populos nigrum traxisse colorem.
> Tum facta est Libye raptis humoribus æstu
> Arida.
> Arsit et Euphrates, Babylonius arsit Orontes.
> Æstuat Alphæus, ripæ Sperchiades ardent :
> Quodque suo Tagus amne vehit, fluit ignibus aurum.

Et inferius Jovem fulmine afflantem Phaetontem ita pingit :

> Intonat, et dextra libratum fulmen ab aure
> Misit in aurigam, pariterque animaque rotisque
> Exuit, et sævis compescuit ignibus ignes.
> At Phaethon rutilos flamma populante capillos
> Volvitur in præceps, longoque per aera tractu
> Fertur.

Hoc est quod pater ei prædixerat :

> Phaeton, pœnam pro munere poscis.

Secundo, Arias per *ignem* accipit pestem, quam ait Deum immisisse Israeli, quæ abyssum, id est, magnam populi multitudinem, et partem optimatum et principum absumpserit.

Tertio, S. Hier. Remig. Rupert. Hugo et Ribera censent post cladem decem Tribuum prima visione Amos præsignificatam, hac secunda ejus visione præsignificari cladem duarum Tribuum, et excidium ac incendium Hierosolymæ infligendum à Nabuchodonosore et Chaldæis.

Nam cap. præcedenti, v. 1. et 12, significavit Amos se non tantum contra Samariam et decem Tribus, sed etiam contra Sionem et duas Tribus prophetare. Hæ enim devorarunt abyssum, id est, ingentem populi multitudinem et opum, quæ erat Hierosolymæ (ipsa enim erat quasi abyssus et oceanus hominum) ac partem, id est, templum : hoc enim erat pars et hæreditas Dei, æque ac urbis sanctæ. Sed huic expositioni obstat primo, quod hoc capite directe contra decem Tribus, non contra duas vaticinetur Amos, ubi ostendi v. 1. Secundo, quod Amos orans hanc cladem precibus suis averterit : constat autem eum non avertisse excidium Hierosolymæ. Hoc enim de facto contigit, urbique reipsa inflictum est. Dices : Amos suis precibus impetravit ut hoc excidium sarciretur, scilicet ut Judæi post 70 annos Babylone redeuntes restaurarent Jerusalem. Resp. id non sufficit. Nam Deus, flexus precibus Amos, dixit : *Sed et istud non erit;* quæ verba significant plagæ non restaurationem, sed omnimodam cessationem et revocationem, q. d. Plaga hæc à me comminata non eveniet, retinebo eam, ignem quem comminatus sum, non immittam.

Quarto ergo et genuine, judicium hoc ignis in Israelem exercuit Deus per Teglatphalasar regem Assyriorum, qui post Phul quasi ignis ingenti ardore et ferocia invasit Israelitas, atque abyssum multam, id est, innumeram turbam populi, puta tribus Ruben, et Gad, ac dimidiam tribum Manasse humiliore loco trans Jordanem, quasi in abysso sitas, insuper partem illam insignem Israelis cis Jordanem positam, puta tribus Nephtalim, Aser et Zabulon, abduxit in Assyrios, 4. Reg. 15. 29. qui reliquas omnes pariter abduxisset, ac Samariam cum regno Israel evertisset, ni Deus flexus precibus Amos ejus ardorem inhibuisset, ac reliquias Israelis conservasset. Ita à Castro.

Mystice, Christus judex vocabit judicium ad ignem, id est, ignem ad judicium per hypallagen, ut ignis quasi lictor ipsi in die judicii assistat, et damnatos ab ipso comprehendat et convolvat in tartara, juxta illud psal. 96. 3 : *Ignis ante ipsum præcedet et inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Et psalm. 49. 3 : *Ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida.*

Audi S. Gregor. 33. Moral. c. 6 : *Judicium,* ait, *ad ignem vocatur, cum justitiæ sententia ad pœnam jam æternæ concremationis ostenditur. Et multam abyssum devorat, quia iniquas atque incomprehensibiles hominum mentes concremat, quæ nunc se hominibus etiam sub signorum miraculis occultant. Pars autem domus Domini comeditur, quia illos quoque gehenna devorat, qui nunc quasi in sanctis actibus de electorum numero se esse gloriantur.*

7. Hæc ostendit mihi Dominus.] Est hæc tertia hujus capitis visio, qua propheta videt Deum quasi cæmentarium stare cum trulla in manu, qua murum Israelis oblinere et incrustare solebat, pertæsum jam scelerum Israelis, deponere trullam, ut significet se curam et tutelam Israelis, qua eum suis legibus, fide et cultu quasi muris, quos sua ope et defensione quasi trulla et calce oblinere et roborare solebat, ob ejusdem idololatriam et crimina deponere et abjicere; itaque eum resignare et tradere Assyriis, qui eum ferro flammaque vastent. Ita S. Hieron, Remig. Haymo, Hugo, Lyran. Ribera, Fernandius in vision. c. 32. et alii. Ubi nota maxime Dei iræ pœnæque signum esse, cum ipse à republ. vel ab anima cujusque abit, eam deserit et derelinquit : hoc enim ipso tradit eam hostibus, utpote quibus illa sine Dei auxilio resistere nequit.

Super murum litum,] ideoque pulchrum aspectu, et firmum robore. Hinc et Aquila, ait S. Hieron. vertit ἀλειφωσιν, id est stagnaturam, vel inunctionem, aut illituram, qua murus stagnatur. id est inungitur, illinitur, incrustatur à cæmentario per trullam. Theodotion vertit τηκόμενον, id est tabescentem. Hinc et Rupertus putat Amos hic prædicere excidium Hierosolymæ per Titum et Romanos. Verum obstat quod sequitur : *Et demolientur excelsa idoli.* Tempore enim Titi, Judæi non coluerunt idola. Agit ergo Amos de excidio Samariæ, post quinquaginta circiter annos futuro sub Hosee, anno sexto Ezechiæ regis Juda.

Nota : Murus litus est qui calce illinitur et incrustatur, non tantum ut sit elegantior, sed etiam idque magis ut perseveret firmior contra nimbos et procellas. Muri enim male illiti procellis quassantur, finduntur, et tandem in ruinam eunt, juxta illud Ezech. 13. 11 : *Dic ad eos qui liniunt absque temperatura, quod casurus sit : erit enim imber inundans.* Trulla est instrumentum quo fabri lapides in fabrica componunt ac calcem è vase hauriunt, et muro injiciunt illinuntque. Murus ergo illitus trulla Dei significat Israelem, dum à Deo oblinebatur et incrustabatur, id est tegebatur, roborabatur et protegebatur, stetisse integrum et invictum contra omnes hostium insultus. Porro trulla in manu Dei stantis super, id est, juxta, prope (sic enim dicitur Lucæ 4. 38. *Stans super,* id est juxta, *illam, imperavit febri*) murum, significat pervigilem jugemque Dei in tuendo Israele curam ac providentiam. Sicut enim cæmentarius cum trulla astat parieti, ex quo pluvia calcem dejicit, ut damna ruinasque omnes impacta trulla sarciat : ita pariter Israeli ab olim hucusque astitit Deus ; sed jam offensus, et quasi desperans de restauratione tam ruinosi muri, id est Israelis, ponit abjicitque trullam suæ curæ et protectionis, sinitque eum ruere in interitum. Unde ait : *Non adjiciam ultra superinducere,* superlinere trulla et incrustare. Hebr. *Non adjiciam ut pertranseam eum,* scilicet eum oblinendo, sarciendo et roborando, q. d. Non pertransibo illum impune, sed puniam et occidam eum. Sic enim ait c. 8. 5 : *Non adjiciam ultra ut pertranseam eum.* Deus enim sua clementia, condonatione et gratia, quasi calce oblinit tegitque peccata, juxta illud psal. 31. 1 : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata ;* Hebr. *Beati dimissi prævaricatione, et tecti,* vel *operti peccato.* Cum vero Deus calcem et trullam ponit, sinit peccata cum peccatoribus quasi operta et hiantia, ut pateant pluviæ et nimbis, id est, divinæ vindictæ ab hostibus, à quibus dejiciuntur et aguntur in ruinam. Ita hic Deus ponens trullam Israelis, hoc ipso eum tradidit Assyriis. Significatur ergo hac depositione trullæ, ultima Israelis derelictio et strages, ac extremum excidium illi infligendum à Salmanasar anno 6. Ezechiæ regis Juda. Unde symbolice Clarius per trullam et calcem accipit flagella et clades Israeli impactas à Deo, ut resipisceret,

et rectus in fide cultuque Dei consisteret. Has jam deponit Deus, quia eum obduratum et impœnitentem statuit omnino deserere, et hostili ferro ignique tradere et resignare.

Secundo, pro *trulla* hebr. אנך *anac*, quod hic tantum reperitur. Rabbini et hebraizantes moderni vertunt, *perpendiculum plumbeum*, vel stanneum, aut *normam* et *amussim*, ad quam fabri ædificare solent, ut recta, æqualis et commensa sit fabrica et muri. Ita R. David, Lyran. Pagnin. Arias, Vatabl. Unde vertunt: *Ecce Dominus stans super murum perpendiculi, et in manu ejus perpendiculum;* vel, ut Tigurina: *Ecce Dominus constitit super murum ad normam exstructam, et habebat normam in manu sua.* Quod eodem sensu, quem jam de trulla dedi, accipi potest, q. d. Dominus ponit, id est deponit, perpendiculum, ad quod ædificare et restaurare solebat murum Israelis, hoc est, Dominus deponit reip. et regni Israelis curam, sinitque illud ruere. Alii tamen, ut Vatabl. et Arias, per perpendiculum accipiunt Dei judicium, et justæ vindictæ mensuram, quasi dicat: Deus pro circulo et curvatura suæ misericordiæ, applicuit Israeli perpendiculum suæ justitiæ, ut eum ex æquo pro sceleribus puniat, ut deinceps non misericorditer ei parcat, sed juste eum plectat. Unde Chald. vertit: *Ecce Dominus consistit super murum judicii, et coram illo erat judicium. Et dixit Dominus: Quid tu vides, Amos? et respondi: judicium. Dixit ergo Dominus ad me: Ecce ego judicium exercebo in medio populi mei Israel, non addam ultra ut dimittam eis.*

Tertio, Symmach. Syrus et Septuag. pro *trulla* hebr. *anach* vertunt, *adamantem.* Aiunt enim: *Et stabat super murum adamantinum, et in manu ejus adamas. Et dixit Dominus ad me: Ecce ego impono adamantem in medio populi mei Israel.* Hebr. enim *anach* nonnulli deducunt à radice נכה *nacha*, id est, percussit, ut *anach* sit idem quod *percussor*, qui scilicet alia omnia percutit et confringit, ac à nullo alio percutitur et confringitur, qualis est adamas. Hinc adamas symbolum est duri judicii, ac rigidæ, irrevocabilis et inevitabilis vindictæ, æque ac perpendiculum, de quo jam dixi. Idem significat sartago ferrea, quam vidit Ezechiel cap. 4. 3, scilicet firmum Dei decretum evertendi Jerusalem. Hoc enim opponit hic Israeli in sceleribus suis obfirmato et obdurato. Unde Arabicus Alexandrinus vertit: *Ostendit quasi hominem stantem super arcem de lapide adamantino, et in manu ejus lapis ex eo; et ego projicio hunc lapidem in medio populi mei Israel, et non addam requirere eum et peribit subsannatio.* Quare mirum est Arabicum Antiochenum pro adamante vertere *legem*, sensumque dare contrarium. Sic enim vertit: *Et ecce ipse murus stans super respicientes. Et dixit mihi Dominus: Quid est hoc quod vidisti? Et dixi: Est lex. Et dixit Dominus mihi: Ecce ego confirmo legem in medio populi Israel, et non adjiciam declinare ab eo.*

Sensus ergo est, q. d. Etiamsi animus, æque ac murus Israelis et Samariæ, sit durissimus et adamantinus, ego tamen ut adamas longe durior et fortior, eum confringam et conteram. Significat ergo adamas cuilibet potentiæ etiam adamantinæ oppositam Dei omnipotentiam, et vindictam quovis adamante fortiorem, juxta illud Zachar. 7. 12: *Et cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem et verba, etc. Et facta est indignatio magna à Domino exercituum, etc. Et dispersi eos per omnia regna quæ nesciunt, et terra desolata est.* Ita Fernandez in vision. c. 33. Simili modo Ezechiel, cap 3. 7, cum audisset à Deo: *Domus Israel attrita fronte et duro corde est,* audit illico: *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum: ut adamantem et ut silicem dedi faciem tuam.* Malo enim nodo malus quærendus est cuneus, et mens ac facies adamantino malleo contundenda est. Ita Theodor. Rursum, adamas significat rigidos, et ad misericordiam inflexiles sævosque Assyrios: hos enim imposuit Deus Israeli quasi malleos adamantinos, ut eum contunderent. Sic Ovid. l. 4. Metamorph. dicit inferni aditus clausos esse adamante, vel, ut Virgil. 6. Æneid. columnis adamantinis, et Statius l. 7. regias Martis fores obserat adamante: ac Horatius Marti dat loricam adamantinam, id est, invictam et omnia vincentem. Vide quæ de adamante dixi Ezech. 3. 9.

Audi S. Hieron. hic ex Xenocrate: *Adamas,* ait, *sui nominis lapis est, quem nos indomitum possumus appellare, eo quod,* primo, *nulli cedat materiæ, ne ferro quidem. Nam si ponatur super incudem, et gravi ictu feriatur mallei, antea incus et malleus vulnus accipiunt, quàm adamas conteratur.* Secundo, *Cum ignis omnia domet, et universa metalla consumat, reddit adamantem duriorem, ut ne parvulum quidem angulum vis nimii ardoris obtundat.* Tertio, *Vidi et in auro adamantem magnitudine milii, cumque vicinum consumatur aurum longo usu ac nimia vetustate, solus adamas non atteritur.* Quarto, *Nulla lima imminui potest, sed è contrario limam terit, et quidquid atterit lineis sulcat.* Quinto, *Hic lapis durissimus et indomabilis solo hircorum cruore dissolvitur, et missus in calidum sanguinem perdit fortitudinem suam* (hoc tamen alii negant, ut dixi Ezech. 3.) Sexto, *Est autem parvus et indecorus, ferrugineum habens colorem, et splendorem crystalli.* Septimo, *Quatuor adamantis genera describuntur. Primus est Indicus; secundus, Arabicus; tertius, Macedonicus; quartus, Cyprius, pro qualitate regionum plus vel minus duritiem possidentes.* Octavo, *Dicitur quoque in electri similitudinem venena deprehendere, et maleficis resistere artibus.* Deinde hæc symbolice applicans Christo: *Talis,* ait, *est Dominus et Salvator, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, etc. factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. De quo Isaias scribit c.* 53: *Non est species illi, neque decor; vidimus eum, et non erat pulchritudo: despectum et novissimum hominum, virum dolorum, et scientem ferre infirmitatem. Hic stat super murum adamantinum, id est super Sanctos et Apostolos suos, quibus donavit ut et ipsi adamantes vocarentur, et à nullo superati dicerent: Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Petrus quoque qui erat fortissimus adamas, portæ inferorum non prævaluerunt adversus eum* (hac de causa Pontifices romani ge-

stant crucem ex adamante, ut moneantur crucis Christi et S. Petri, ac utriusque fortitudinis adamantinæ, eamque imitentur). *Hic vir et Dominus qui stat super murum adamantinum, habet in manu sua adamantem; quia nisi Dei teneatur manu, et illius valletur auxilio, omnem perdit fortitudinem, dicente Domino in Evang.* Joan. 10. *Nemo potest rapere de manu patris mei. Et in tantum robustus est, ut dicatur ad eum: Si transieris per ignem, flamma non comburet te,* Isaiæ 43. *Quantoque magis tentationibus cæditur, tanto fortior fit, et pro nomine salvatoris inter flagella lætatur. Cumque à nullo superari queat, solo mortiferæ libidinis calore dissolvitur. Hæc enim sanguinis hircorum et ipsius hirci dicitur esse natura, ut sit ad libidinem calidissimus, et quod ignis edomare nequeat, solus illius dissolvat cruor. Ponit ergo Dominus hujusmodi adamantem in medio populi sui Israel, etc. ut omnia hæreticorum mysteria, domumque Jeroboam, qui primus populum Dei separavit, percutiat gladio atque subvertat.*

Hactenus S. Hieron. quem secutus Viegas in cap. 19. Apoc. comment. 1. sect. 2. Adamas, ait, est Christus in manu Patris; murus adamantinus est Ecclesia, super quam est Christus. Pater ergo Christum quasi adamantem in medio Gentium ac principum misit, quem tamen nulla potentia frangere unquam potuit; quam invictam fortitudinem ipse muro adamantino, id est, Ecclesiæ suæ communicavit, dicens S. Petro Ecclesiæ capiti: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* Matth. 16. 18.

9. Et demolientur (passive et active, id est destruentur et destruent, Assyrii) excelsa idoli.] *Excelsa*, intellige fana et altaria idolis dicata, in quibus eis sacrificabant. Hebr. *excelsa Isaac; Isaac*, id est Israelis, sive populi Israel, qui ab Isaac et Jacob prognatus est. Ita Vatabl. vel, ut Clarius et R. David, dicuntur *excelsa Isaac*, quod in iis ad similitudinem et memoriam Isaac à patre Abrahamo immolati, filios suos idolis, uti Moloch immolarent et concremarent. Melius Septuag. Arabicus et Syrus *excelsa Isaac* vertunt, *altaria risus*, vel derisionis (Isaac enim hebr. risum significat, et à risu nomen accepit: quia nascens risum et gaudium ingens sterilibus parentibus attulit) id est, ridicula et deridenda, hoc est, *excelsa idoli*, ut vertit Noster. Idola enim hebr. vocantur *aven*, id est res vanæ, leviculæ, ludicræ; et *elilim*, id est deiculi, sive dii leviculi et ridiculi. Sic Jerem. c. 10. 15. idolum vocat *opus risu dignum*. Et cap. 51. 18: *Vana*, ait, *sunt opera* (sculptilia idolorum) *et risu digna.* Quid enim magis ridiculum quàm inanime idolum ex ligno, ære vel auro manu hominis efformatum, æstimare et colere ut Deum, ut Numen, quod omnia cognoscat, creet et gubernet? Vide Baruch, toto cap. 6. Aliter Theodor. censet enim *aras risus* dici, quod idololatræ apud eas conviviis, hilaritati, risibus, cantibus et lusibus vacarent, juxta illud Exodi 32. 6: *Sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere.*

Et sanctificationes Israel desolabuntur.] *Sanctificationes*, hebr. מקדשי *micdesce*, id est, *sanctuaria*, puta templa vitulis aureis in Dan et Bethel aliisque urbibus consecrata: quæ enim paulo ante vocavit *excelsa idoli* ab objecto, hìc à subjecto vocat *sanctuaria Israel*. Ita Lyran. Vatabl. Arias et alii; licet Septuag. vertant *sacrificia*, Chald. *sacra*. Remig. Hugo et à Castro intelligunt ipsa idola, puta ipsos vitulos aureos. Verum hebr. *micdesce* proprie significat *sanctuaria*, id est templa. Significat ergo Assyrios combusturos templa vitulorum et idolorum Israelis, in quibus Deum ad iram et æmulationem provocaverat.

Et consurgam super domum Jeroboam in gladio,] q. d. Trucidabo posteros Jeroboam, ejusque stirpem regiam exscindam. Jeroboam hic non est filius Nabat, auctor regni, schismatis et idololatriæ; sed alter eodem nomine, filius Joas, nepos Jehu, pater Zachariæ. Id ita contigisse patet; nam Zacharias, filius Jeroboam, occisus est à Sellum, qui regnum ab ejus familia ad suam translulit, 4. Reg. 15. 13. uti Jehu ejus pro avo interminatus erat Deus, 4. Reg. 10. 30. Ita S. Hieron. Remig. Albert. Lyran. et alii. Quare minus recte, et nimis ample Theodor. per *domum Jeroboam* accipit totum regnum Israel, q. d. Regnum Israel cum suo rege Hosee exscindam per Salmanasar, anno 6. Ezechiæ regis Juda. Nam Hosee, ultimus rex Israel, non fuit è domo et stirpe Jeroboam. Hæc enim jam succisa erat in ultimo ex ea, rege Zacharia.

10. Et misit Amasias sacerdos Bethel ad Jeroboam.] Amasias pontifex idolorum, puta vitulorum aureorum in Bethel, timens ne populus Israel oraculis et minis Amos perculsus idola abjiceret, et cultum veri Dei amplecteretur, itaque sibi oblationes et victimæ vitulis offerri solitæ decederent, ipseque pontificatu, forte etiam vita, privaretur; tanquam pseudopontifex et pseudopropheta, hac de causa accusat Prophetam Amos apud Jeroboam regem, tanquam seditiosum et regni perturbatorem, quasi qui populum à Jeroboam avocare, et ad sceptrum Juda traducere et revocare moliretur. Ita faciunt hodie hæretici et politici in Anglia, Hollandia, Bohemia, etc. qui Catholicos et sacerdotes insectantur, eosque apud Magistratus accusant et calumniantur, eosque perduellionis agunt, quasi qui prætextu religionis reges et principes solio suo deturbare, aliosque reges et principes Catholicos inducere moliantur, et ad id plebem sollicitent. *Rebellavit*, inquiunt, *contra te* novus hic *Amos*, et in Septuag. συςροφας, id est, *congregationes et conjurationes facit contra te:* omnes enim congregationes ad verbum Dei, et ad Missæ sacrificium, æstimant esse conjurationes contra magistratum et statum politicum.

11. Hæc enim dicit Amos: In gladio morietur Jeroboam.] Mentitur pseudopropheta. Non enim dixerat Amos: *In gladio morietur Jeroboam;* sed, *Consurgam super domum Jeroboam in gladio*, scilicet occidendo, non ipsum Jeroboam, sed ejus filium Zachariam, ut dixi v. 9.

12. Et dixit Amasias ad Amos.] Cum videret Amasias pseudopropheta regem Jeroboam suis criminationibus contra Amos non moveri, eumque ut Prophetam habere ac revereri, aggreditur ipsummet Amos, leni oratione et adulatione suadens ei ut, relicta Bethel, transeat in Judam: Noli, ait, mihi hanc facere injuriam, cum ego tibi non sim injurius; noli invadere parochiam et diœcesim meam, ego non invado tuam; noli populum meum à me avocare, ego non avoco tuum. Ego Pontifex et Propheta sum in Israel et Bethel: tu ex Thecua urbe Judæ oriundus Ju-

dæus es; vade ergo ad tuos Thecuitas, age Prophetam in Juda; nil tibi cum meis Bethelitis. Hoc est quod sequitur:

QUI VIDES, id est, ô videns, ô Propheta Amos, FUGE IN TERRAM JUDA,] q. d. Ego tanquam amicus tibi amico suadeo fugam, quia in Bethel et Israel, utpote urbe et regione idolorum, rex ipse cæterique omnes idololatræ tibi parant insidias, necemque machinantur. In Juda vero securus eris, ac in pretio et honore habeberis, utpote Propheta Domini.

COMEDE ERGO IBI PANEM,] id est, ibi exerce munus prædicandi, ex eoque alimoniam et lucrum capta, uti ego capto in Bethel, q. d. Quiete et laute ibi vive ex tua prophetia, ac sine me pariter in Bethel pacifice et splendide vivere ex meo sacerdotio, oblationibus et victimis idolorum; nec mihi hanc offam tam pinguem è faucibus eripias. Ita S. Hieron. Remig. et Lyran. Addit Arias, q. d. Fuge in terram Juda, ut ibi habeas panem, ac evadas famem quam Israeli obventuram vaticinatus es.

13. ET IN BETHEL NON ADJICIES ULTRA UT PROPHETES, QUIA SANCTIFICATIO, hebr. מִקְדָּשׁ *micdasç*, id est, sanctuarium, REGIS EST, ET DOMUS REGNI EST,] q. d. Bethel est locus sanctus dicatus vitulis aureis, in quo rex habet suum palatium, æque ac templum et basilicam, in quo eosdem colit, quod est quasi domus sacra et fanum totius regni, ad quod orationis et sacrificii causa confluunt omnes Israelitæ ex toto regno decem Tribuum. Bethel ergo est locus sacer, quem rex suis idolis sibique segregavit et sanctificavit. Si igitur videat ipse et populus te contra illud illiusque Deos vaticinari, plane metuendum est ne capiat et occidat te. Quare consule tibi, et migra ex Bethel in Judam. Ita Remig. Albertus et Arias. Nota: Templa à regibus in palatio, vel juxta palatium, aut alibi, pro toto regno regio sumptu et magnificentia ædificata, dictæ sunt basilicæ, q. d. Regales, scilicet domus et delubra; βασιλεὺς enim Græcis est rex. Ita Constantinus Romæ palatium suum Lateranum in templum convertit, indeque vocata est basilica Lateranensis et Constantiniana.

Secundo, Bethel erat sanctuarium regis, quia à Jeroboam filio Nabat, primo rege Israel, in Bethel erecti sunt vituli aurei, eisque templum erectum 3. Reg. 12. 32. Ita Lyran. et Arias.

Aliter S. Hieron. per regem enim accipit Deum, puta Baal, sive Jovem, qui est *Rex hominumque Deûmque*, q. d. Bethel regi, id est Baal, est sacra et dicata, ne ergo in illam Deum Juda, utpote alienum et contrarium, concionando inducas.

14. RESPONDITQUE AMOS, etc. NON SUM PROPHETA.] Septuag. *Non eram Propheta*, scilicet ex arte, instituto et professione mea, q. d. Officium meum non est prophetare, sed pascere armenta: Dominus tamen ab iis me abripuit, ut hæc vobis prophetem et annuntiem, quo peracto, rursum rediturus sum ad mea armenta. Alii enim prophetæ, sive prædicatores, à puero vel à Deo, vel à parentibus, vel ab aliis Prophetis et prædicatoribus instituebantur et docebantur prophetare, id est prædicare. Amos vero à nullo fuerat institutus, nullas ejusmodi scholas frequentarat; sed ab armentis subito raptus est à Deo, factusque Propheta: ita S. Hieron. Albert. et Arias. Aliter S. Greg. lib. 2. Moral. cap. 41. Remigius et Hugo: putant enim eo tempore quo dixit hæc Amos, recessisse ab eo spiritum prophetiæ, ut vere dixerit Amos: *Non sum Propheta*, id est, nunc non habeo, non sentio spiritum prophetiæ. Hic enim spiritus per intervalla Prophetas corripiebat, docebat, movebatque ad prophetandum: non enim erat permanens et stabilis, sed transiens et abiens. Verum de hoc non agitur hîc: nec enim Amasias postulabat ab Amos, ne hoc instanti, sed ut deinceps nunquam amplius prophetaret in Bethel contra vitulos aureos. Prior ergo sensus genuinus est, cui adde secundo: *Non sum Propheta*, q. d. Ex arte prophetandi non vivo, non aucupor lucrum, ut tu facis, Amasia, quia vivo ex meis armentis. Ita Sanchez. Tertio, alii, q. d. *Non sum Propheta*, vestitu et habitu, quia vestitum meum rusticanum ut rusticus retineo. Prophetæ enim proprium habebant habitum, puta saccum et cilicium, Zachar. 13. 4.

SED ARMENTARIUS EGO SUM,] puta pastor boum, camelorum, mulorum, equorum et similium majorum animalium. Hæc enim vocantur armenta, quia idonea sunt ad opus armorum, ait Festus: vel, ut Valla, ab arando, quasi aramenta, indeque per crasin armenta. Unde Aquila, Symmachus et Theodotion vertunt, βουκόλος, id est, ut Arias, *bubulcus*; unde Bucolia vocantur carmina ruralia pastorum apud Virgilium. Hoc enim proprie significat hebr. בוקר *boker*, à rad. בקר *bacar*, id est bos, q. d. boum custos. Secundo, Septuag. vertunt αἰπόλος, id est, *caprarius*, sive pastor caprarum: S. Hieron. *opilio*, id est, *pastor ovium*, ut vertit Arabicus qui addit: *et agricola*. Nam mox ait Amos: *Et tulit me Dominus cum sequerer gregem*, hebr. הצאן *hatson*, id est oves, vel capras. Grex enim proprie est ovium, caprarum, porcorum, et similium minorum animalium. Ita S. Cyrill. præfat. in Amos: *Amos*, ait, *fuit opilio, pastoritiis moribus et institutis educatus*. Et Nazianzen. orat. 25: *Quid ait Amos: nonne caprarius erat, morosque carpebat, cum Prophetæ illi delegatum est munus?* Hinc patet Amos et bubulcum fuisse, et caprarium, et opilionem. Nec id mirum: solent enim bobus et vaccis immisceri capræ et oves, cum iisque ire ad campos pabulatum. Unde Ovid. 4. Metam.

> Mille greges illic, totidemque armenta per herbas
> Pascebant.

Et Virgil. 3. Georg.

> Hæc satis armentis; superat pars altera curæ,
> Lanigeros agitare greges hirtasque capellas.

Porro officio Amos apte respondet ejus nomen: radix enim עמס *amas* significat onerare: inde Amos, ait S. Hieron. epist. ad Paulinum, idem est quod *onustus*, scilicet gregibus; vel *onerans* et exonerans, scilicet boves et armenta.

Moral. disce hîc Deum eligere infirma et stulta mundi, ut in eis ostendat suam sapientiam et potentiam, ac per ea confundat sapientes et potentes mundi. Ita elegit pauperes, rudes et viles Apostolos, per quos fidei suæ totum subegit orbem. Ita S. Joannes Baptista secutus humilitatem et verba Amos, negavit se esse Prophetam, dicens se meram esse vocem: *Ego*, inquit, *vox clamantis in deserto: parate viam Domini*, Matth. 3. 3. Quocirca à Christo meruit vocari plusquam Propheta, lucerna ardens et lucens, hominibus major, par Angelis, imo Angelus, Matth. 11. v. 9. 10. 11.

Pulchre S. August. ser. 59. de Verbis Domini : *Veni, ait, tu pauper, nihil habes, nihil nosti? sequere me, tam largo fonti vas inane admovendum est.* Et S. Hieron. Quia, ait, Amos humiliavit se dicens : Non sum Propheta, sed armentarius, hinc meruit illico spiritu Prophetico donari contra ipsum Amasiam, cui dura ex Deo supplicia libere intentavit. Hîc verum est istud Psal. 8. 3: *Ex ore infantium et lactentium* (rusticorum et rudium instar infantium) *perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et ultorem.*

Vellicans sycomoros.] Sic et Theodot. et Septuag. Id tripliciter accipi potest. Primo, q. d. *Vellicans*, id est, vellendo evellens et decerpens folia sycomororum, easque defrondans, ut earum frondibus pascam mea pecora. Ita Remig. Albert. et Hugo. Tria, inquit Servius in 1. Æneid. sunt frondatorum genera : *Frondator, qui arbores amputat, et qui è frondibus manipulos facit hiemis tempore, animalibus ad pastum offerendos; et qui manibus vitium folia avellit, quo ardor solis uvam maturiorem reddat.* Secundo, *vellicans*, id est, avellens et colligens ipsos fructus sycomororum, puta ipsa sycomora, ut iis vescar. Ita Pagnin. et Tigurin. Unde aliqui hebr. בולס *boles* vertunt, *comportator*, *collector* sycomororum, quasi *boles* per metathesin idem sit quod סובל *sobel*, id est portans, comportans. Hîc Aquila vertit, ερευνων συκομορους, id est, scrutans sycomoros; Symmach. εχων συκαμινους, id est, sycamina, vel sycomoros. Tertio et proprie, *vellicans*, id est, unguibus ferreis incidens et scalpens sycomora; et, ut Hesychius ait, *pungens*, ut matura fiant: sycomora enim, quia dura æque ac amara admodum sunt, incidi scalpique solent, ut à sole penetrentur, maturescant et dulcescant, teste Theophrasto, Atheneo et Dioscoride, l. 1. c. 144; alioqui à culicibus corrumpuntur, ait S. Hieron. idque ad hoc, ut iis vescantur tum boves mei, inquit Vatabl. tum ego ipse, q. d. Ego non propheto spe panis et lucri, ut tu facis, ô Amasia, sed sycomoris agrestibus contentus victito. Hæc mihi ad victum sufficiunt; quocirca mensis et bursis alienis non inhio, ut tu.

Sycomoros.] *Sycomorus*, vel inverse *morosycus*, aut feminine *sycomorea*, dicta est à συκη, id est, ficus, et μορος, id est, morus, eo quod arbor hæc ficui similis sit fructu, moro vero foliis; aut à μωρος per ωmega, id est, fatuus, q. d. ficus fatua, quod insipidi et fatui saporis sit. A Plinio lib. 13. 7. vocatur *ficus Ægyptia*, quod in Ægypto sola reperiatur, inquit ipse, sed fallitur. Nam, ut alia taceam, frequens erat hæc arbor in Judæa, ut patet ex hoc loco et aliis : crebra enim hujus mentio est in Script. Porro sycomorum ex Galeno, Dioscoride, Theophrasto, Celso, Plinio, ita describit Ruellius l. 1. de Stirpib. c. 79 : *Est arbor amplissima ficus similitudine, largo succo, foliis moro quàm proximis. Fructus ex argumento gustus ignavi cognomines, ternos, aut quaternos anno fundit, eosque non ramis ut ficus, sed caudice ipso gerit, similes caprificis, dulcioresque grossulis, hoc est, primitivis in fico pomis, sine granis interioribus. Nec maturescunt aliter quàm scalpendo ferreis unguibus, magno proventu eorum in Caria et Rhodo; locisque prorsus parum tritici feracibus, populis in annonæ caritate pro pane frumentoque satisfaciunt. Tam restibilis pomi ejus ubertas et copia est. Pomum ventri quidem amicum, sed minimam præbet alimoniam.* Hebr. vocatur שקם *sekem*, in plurali *sekamim* : inde Septuag. et Theodot. vertunt συκαμινος, et Latini sycaminus. Porro S. Hieron. censet per *sekem* hoc loco Amos non significare sycomorum, sed mora quæ in rubis crescunt: *Nobis*, ait, *(quia solitudo in qua morabatur Amos,* Thecue, *nullam hujuscemodi gignit arborem) magis videtur rubos dicere, qui afferunt mora, ac pastorum famem et penuriam consolantur.* Verum omnes alii, quin et ipse S. Hieron. alibi passim hebr. *sekem* vertit morum, vel sycomorum. Videtur ergo quod Thecue tempore Amos abundarit sycomoris, sed iis vel excisis, vel arefactis caruerit tempore S. Hieronymi. Sic regionum natura et feracitas variis temporum mutationibus, aut culturæ defectu perit et immutatur. Olim Libanus cedris abundabat, nunc iis pene caret. Olim Judæa erat terra lacte et melle manans, nunc lapidosa est et sterilis. Asia minor olim paradisus erat, nunc sub Turca multis in locis inculta squalet; quinimo vulgare dictum est : Quocumque pedem infert Turca eòdem sterilitatem inducit, utpote agricolis ob ejus tyrannidem diffugientibus.

Porro sycomorum, vel sycaminum Syriæ, ita mihi Romæ descripsit Illustriss. Dominus Sergius Risius, Archiep. Damascenus, oculatus testis : Arbor, inquit, hæc in Syria frequens, magna est et lata, sed moderatæ altitudinis, instar nucis non nimis altæ, dissimilis tamen foliis et cortice. Nam folia habet parva et rotunda; corticem planum et pene expolitum, in album colorem vergentem : fructus fert plurimos quidem, sed admodum parvos, qui mespilum forma et magnitudine referunt, verguntque in rubedinem : dulces sunt, sed non adeo ut ficus. Dicitur autem hæc arbor *gemmayz*, indigna quæ in vineis aut hortis inter cæteras habeatur, eo quod ingratos et insuaves fructus producens, inutiliter sua magnitudine terram meliorum feracem occupet : quare in plateis ut plurimum, vel ad viam consistere solet, vulgo subjecta, ut quisque ex ejus fructibus, utpote abjectis, et nullius decoris, saporis aut pretii colligat quantum libuerit. Hinc in proverbium abiit ut de arbore, æque ac homine inutili, vel non in loco, qui ei convenit, commorante dicatur : *Est ut gemmayz in horto;* rhamnus inter quercus : anser inter olores. Hac de causa qui ejus fructus colligunt, tenues, egeni et viles habentur. Quocirca paupertatem suam, humilemque conditionem et statum sponte confitetur hîc humilis, sanctus et à Deo electus Propheta, dicendo se ex eorum numero et ordine esse, qui sycomoros colligunt, iisque victitant; ut inde eluceat mira Dei opt. max. qui ignobilia et infirma mundi eligit, ut confundat gloriosa et fortia, bonitas et magnificentia, quæ eum ex imo in summum evexit, et ex pastore ac bubulco Prophetam illustrem effecit.

Ex dictis liquet primo, sycomorum aliam esse arborem à caprifico : distinguit enim eas Dioscorides et Ruellius verbis jam citatis; illa tamen huic est similis. Unde Theoph. et Euthym. Luc. 19. 1. pro sycomoro legunt caprificum. Secundo, sycomorum in penultima scribi tam per omicron, quam per ωmega, ideoque eam habere in carmine communem, id est, brevem et longam; brevem, quia morus arbor à Græcis plerisque scribitur per omicron; longam, tum quia μωρος, id est, fatuus, scribitur per ωmega; tum

quia morus arbor græce scribitur quoque per ω mega in lexicis Hesychii, Henrici Stephani, Joannis Scapulæ, æque ac à S. Luca c. 19. 1; unde Poeta :

Cornaque et in duris hærentia mora rubetis.

Et patet ex etymo; dicta est enim arbor morus per antiphrasin, quasi minime μωρος, id est fatua; nam ut ait Plinius lib. 16. 25, morus arborum est prudentissima, quia lædi se à frigore non sinit : unde non nisi plane exacto frigore germen emittit; sed cum germinare incipit, in tantum germinatio erumpit, ut una nocte peragat etiam cum strepitu. Alii sycomorum dictam volunt à ficu et mora, eo quod si unum pomum ex ea decerpas, illico alterum sine mora protuberet : tantæ enim est fecunditatis, ut uno anno septies fructus ferat. Verum hoc etymon Latinum est, nec convenit Græco μορος, vel μωρος.

Symbolice, sycomorus est crux Christi, ejusque doctrina, quæ gentibus et terrenis hominibus videtur fatua : sycomorus enim respondet arbori scientiæ boni et mali Adamo vetitæ : hæc enim à multis putatur fuisse συκη, id est ficus. Ita Theoph. et Beda in Luc. 19. 1. Porro Amos et viri sancti hanc sycomorum, id est, crucem, crucisque doctrinam vellicare, id est, mente et meditatione scalpere, et profunde expendere, ruminare et penetrare debent; quo magis id faciunt, eo magis ejus dulcedinem et arcana mysteria penetrant et gustant; præsertim cum simul vellicant affines sycomoros, id est, expendunt et minutim inspiciunt corpora Martyrum à tyrannis vellicata, id est, scalpris, pectinibus, cultris incisa, laniata et lancinata. Hujus rei symbolo Zachæus, cupiens videre Christum, ascendit in arborem sycomorum, Lucæ 19. 1. uti ibidem notat Ambrosius.

16. Non stillabis super Domum idoli,] q. d. Ne, ô Amos, prophetes amplius in et contra Bethel, quæ olim fuit Bethel, id est, domus Dei, nunc à regibus nostris facta est Bethaven (ut tu, ô Amos, eam nuncupas) id est, domus idoli, puta vitulorum aureorum. Nota : Vox *stillare* Prophetis est frequens, et metaphorice significat effundere sensim, sive verba, sive res, easque vel bonas et beneficas, vel malas et pœnosas. Doctor enim et concionator, quando cum rudibus vel duris agit, debet stillare, non profundere suum sermonem. Si enim profundat, perdet : si stillet, sensim eos imbuet et emolliet. Verum est illud vulgi :

Stilla cavat lapidem, non vi, sed sæpe cadendo :
Sic homo fit doctus, non vi, sed sæpe studendo.

Id sciebat Moses, qui docens rudes et duros Hebræos, Deut. 32. 2 : *Concrescat*, ait, *ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stillæ super gramina.* Id imitantur sapientes ludimagistri, qui pueros sensim lenteque docent : sicut enim vasa angusti oris stillando sensim implentur, effundendo vero parum vel nihil liquoris hauriunt, ita et ingenia puerorum.

Huc spectat exemplum memorabile S. Isidori Hispalensis Archiepiscopi, qui floruit tempore S. Gregorii Magni Rom. Pontificis, fuitque frater S. Leandri (cui S. Gregor. libros Moralium dedicavit) ipsique in Archiepiscopatu Hispalensi successit. Hic enim in juventute à parentibus applicitus studiis, cùm ingenio tardiore parum in iis proficeret, etsi ingenti labore iis incumberet, cogitavit iis relictis alteri rei se dedere. Cumque hæc cogitans staret juxta puteum, vidit et consideravit in ejus limbo, licet lapideo, sulcos, quos funes sitularum, longo earum attractu, in lapide sensim effecerant. Idipsum sibi applicans: Si funes, inquit, longo usu possunt excavare lapidem, quidni longo studio potero duritiem ingenii emollire, illique scientiam et doctrinam imprimere ? Resumptis ergo ingenti animo libris, continua lectione et meditatione tantum in iis profecit, ut sui seculi vir doctissimus in sacris æque ac profanis litteris, quin et in linguis, Latina, Græca et Hebraica, evaserit, nec illo ævo haberet sibi parem; cui proinde Hispania et doctrinam, et seminaria, in quibus S. Ildefonsus, S. Braulius aliique Prælati sancti æque ac eruditi, fuerunt et educati et instructi, debet. Ita habet ejus Vita apud P. Ribadeneiram et alios, die 4. Aprilis.

Secundo, vox *stilla* significat minas et pœnas præsentes, quas intentant sceleratis Israelitis Prophetæ, esse tantum guttam si comparentur cum pœnis inferni, ubi imber est et torrens, imo Oceanus ignis ardentis pice et sulphure, qui jugiter cremat, volvit et revolvit damnatos, juxta illud Job 26. 14 : *Cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* Hìc ergo est stilla et sibilus, in inferno erit mare et tronitru iræ Dei.

17. Propter hoc hæc dicit Dominus : Uxor tua in civitate fornicabitur,] q. d. Quia tu, ô Amasia, ob quæstum et lucra tua populum ad fornicationem spiritualem, id est, ad idololatriam, impellis, mihique eam impugnanti resistis, idcirco congrue et justæ punieris hac ignominia et indignatione, ut videas, licet fremens et frendens, uxorem tuam in civitate te relicto fornicari et adulterari, vel cum amasiis suis, ut vult Arias, vel cum hostibus tuis, puta Assyriis, à quibus capta urbe violabitur. Ita S. Hieronym. Theodor. Remig. et Hugo. Unde S. Hieron. ex Symmacho vertit, πορνευθησεται, id est, *sustinebit fornicationem.*

Hæc prima Amasiæ est pœna de qua S. Hieron. *Grandis*, ait, *dolor incredibilisque ignominia, quando maritus in media civitate uxoris injuriam prohibere non potest. Non est tantus dolor in filia constuprata, quantus in uxore polluta : maritus enim libentius audit uxorem interfici, quàm pollui.* Secunda est filiorum strages : *Filii tui*, ait, *et filiæ tuæ in gladio cadent.* Tertia est spoliatio et bonorum privatio : *Humus*, ait, *tua funiculo metietur*, q. d. Assyrii et Cuthæi, invadentes et occupantes Samariam et Bethel, tuos fundos agrosque funiculo inter se dimetientur et divident. Olim enim funiculis pro virgis mensoriis utebantur, ad mensurandam et dividendam terram. Hinc funiculus in Script. significat sortem hæreditariam, sive portionem quæ cuique in hæreditatis divisione sortito obtingit, ut psal. 15. 6: *Funes ceciderunt mihi in præclaris*, quod more suo, posteriore hemistichio explicat dicens : *Etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Deuter. 32. 9 : *Jacob funiculus hæreditatis ejus*, q. d. Jacobæi, sive Israelitæ sunt sors et hæreditas Domini. Josue 17. 5 : *Ceciderunt funiculi* (id est sortes) *Manasse decem.* Et v. 14 : *Dedisti mihi possessionem sortis et funiculi unius.* Et c. 19. v. 9: *In possessione et funiculo Juda.* Et v. 29 : *De funi-*

culo *Achziba*. Quarta est : *Tu in terra polluta* (idololatria, infidelitate et sceleribus , puta in Assyria, ad quam captivus duceris) *morieris*. Quinta, non tantum tu, sed et totus *Israel*, quem tu decipis, et in idololatriam sceleraque adigis, *captivus migrabit de terra sua* in Assyriam. Ita S. Hieron. Cyrillus, Theodoret. Remig. Rupert. Haymo, Hugo et alii.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

VIDET AMOS UNCINUM POMORUM, UT SIGNIFICET QUOD, SICUT UNCINO POMA EX ARBORE CARPUNTUR, ITA ISRAELITAS AB ASSYRIIS FORE CARPENDOS, ET ABDUCENDOS IN ASSYRIAM. CAUSAM DAT V. 4. QUOD PAUPERES OPPRESSERINT, EISQUE NIMIS CARE ET FRAUDULENTER FRUMENTA VENDIDERINT, UTENTES MENSURIS DOLOSIS. UNDE V. 9. TAM ATROX EORUM FORE EXCIDIUM PRÆDICIT, UT SOL OBTENEBRESCAT, OMNESQUE SACCUM ET CALVITIUM SIBI INDUCANT. DENIQUE V. 11. FAMEM EXTREMAM TUM CORPORALEM, TUM SPIRITALEM EIS INTENTAT.

1. HÆC ostendit mihi Dominus Deus, et ecce uncinus pomorum. 2. Et dixit :
Quid tu vides, Amos ? Et dixi : Uncinum pomorum. Et dixit Dominus ad
me : Venit finis super populum meum Israel; non adjiciam ultra ut per-
transeam eum. 3. Et stridebunt cardines templi in die illa, dicit Dominus
Deus : multi morientur, in omni loco projicietur silentium. 4. Audite hoc
qui conteritis pauperem, et deficere facitis egenos terræ, 5. dicentes :
Quando transibit mensis, et venundabimus merces, et sabbatum, et ape-
riemus frumentum : ut imminuamus mensuram, et augeamus siclum, et supponamus stateras
dolosas. 6. Ut possideamus in argento egenos, et pauperes pro calceamentis, et quisquilias
frumenti vendamus ? 7. Juravit Dominus in superbiam Jacob : Si oblitus fuero usque ad finem
omnia opera eorum. 8. Numquid super isto non commovebitur terra, et lugebit omnis habi-
tator ejus : et ascendet quasi fluvius universus, et ejicietur, et defluet quasi rivus Ægypti ?
9. Et erit in die illa, dicit Dominus Deus; occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram
in die luminis. 10. Et convertam festivitates vestras in luctum, et omnia cantica vestra in planc-
tum : et inducam super omne dorsum vestrum saccum, et super omne caput calvitium : et po-
nam eam quasi luctum unigeniti, et novissima ejus quasi diem amarum. 11. Ecce dies veniunt,
dicit Dominus : et mittam famem in terram; non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi
verbum Domini. 12. Et commovebuntur à mari usque ad mare, et ab Aquilone usque ad Orien-
tem : circuibunt quærentes verbum Domini, et non invenient. 13. In die illa deficient virgines
pulchræ, et adolescentes in siti. 14. Qui jurant in delicto Samariæ, et dicunt : Vivit Deus tuus
Dan; et vivit via Bersabee; et cadent, et non resurgent ultra.

1. HÆC OSTENDIT MIHI DOMINUS,] q. d. Post tot visiones et minas, Deus hanc quoque uncini pomorum addidit, ut tot comminationibus quasi ictibus repetitis dura Hebræorum corda molliret et flecteret. Sic de Pharaone et Ægyptiis quos obduratos Deus mersit in mari Rubro, ait Psaltes psal. 17. 15 : *Fulgura multiplicavit, et conturbavit eos.*

ECCE UNCINUS POMORUM.] Hebr. כלוב קיץ *kelub kaits*, quod Chald. Rabbini, Pagnin. et Tigurina vertunt, *canistrum*, vel *corbem æstatis*, hoc est *fructuum æstivorum*, qui scilicet in æstate maturantur et maturi colliguntur. Syrus, *ecce signum finis;* legit enim קץ *kets*, id est *finis;* Arabicus vertit, *vasa venationis*, et mox, *sagittam venationis*, vel capturæ.

Melius Noster vertit, *uncinum pomorum*. Primo, quia agitur hic de instrumento quo poma attrahuntur et capiuntur : hoc autem est uncinus, non corbis : per uncinum enim significantur hastæ et arma Assyriorum. Secundo, quia hebr. *kelub* significat instrumentum venatorium et attractorium : deducitur enim à כלב *keleb*, id est canis, quia sicut canis venatur et capit leporem aliasque feras, sic *kelub* venatur capitque poma : uterque enim longus est, gracilis, et acuto rostro rictuque. Tertio, quia Septuag. vertunt *vas*, id est instrumentum, *aucupis* Et Jerem. 5. v. 27. tam Septuag. quàm Noster vertunt, *decipulam*, quia decipiuntur et capiuntur aves. Quarto, quia uncinus pomorum

multis in locis comprehendit et includit corbem, non vero econtra corbis comprehendit uncinum. *Uncinus* enim *pomorum* est uncus, puta fustis ab uno latere incurvus et hamatus, alligatus, vel appensus corbi, quo hortulani attrahunt ramos, ut poma decerpant et injiciant in corbem; aut quo corbem ad ramos suspendunt ut ex iis lecta poma in illum inferant. Vidit ergo Amos uncinum, eique adjunctum corbem, ad colligendum poma. Per poma intellige quoque ficus, pyra, cerasa, pruna: omnes enim fructus, præsertim qui molliori sunt cortice, vocantur *poma*. Quinimo Plin. lib. 15. cap. 22. etiam nuces pomorum genere comprehendit.

Symbolice, uncinus hìc significat Dei iram et vindictam, qua Deus tempus captivitatis populi Israel accelerabat, et quasi attrahebat, ut Israelitæ quasi poma ex sua regione decerperentur et caperentur ab Assyriis; quorum proinde arma bellica quibus Israelitas in potestatem redegerunt, recte quoque per uncinum intelliguntur. Unde explicans uncinum subdit: *Venit finis Israel*. Ita S. Hieron. *Est*, inquit, *sensus: Sicut uncino rami arborum detrahuntur ad poma carpenda, ita ego proximum captivitatis tempus attraxi*. Unde hebr. *kelub* per metathesin alludit ad כבל *kebel*, id est, compes vel catena ferrea, qua Israelitæ captivi constringendi erant. Poma in æstate matura symbolum sunt captivitatis opportunæ et punitionis tempestivæ, q. d. Jam arbor Israelitica maturos dat fructus, scilicet ficus pessimas (quales vidit Jeremias in Juda, cap. 24. 1.); restat ergo ut colligantur et conterantur. Sic Apoc. 14. 15. ait Angelus unus alteri: *Mitte falcem tuam, quoniam aruit messis terræ*, id est, quoniam adest tempus maturum et opportunum puniendi impios, utpote cum ipsi mensuram peccatorum suorum jam impleverint. Hoc est quod ait Ezechiel cap. 7. 6: *Venit finis; evigilavit adversum te*, id est, maturo et opportuno tempore surrexit: quasi fructus æstivi qui in æstate maturi sunt, sic maturavit tuum exitium, sic finis adest tibi: colliges enim fructum arboris quam plantasti, et frugem quam seminasti metes.

Alludit uncinus ad uncum, quo olim vincti trahebantur, vel etiam feriebantur rei, et hostes prælio victi captique. Unde Juvenalis de Seiano à Tiberio Imp. capitis damnato satyr. 10. ait:

> Impactus Seianus ducitur unco.

Et Cicero, Philip. 1: *Uncus impactus est fugitivo illi, qui C. Marii nomen invaserat*. Idem pro C. Rabirio: *Nos à verberibus, ab unco, à crucis denique terroribus neque res gestæ, neque acta ætas, neque nostri honores vindicabunt*. Et Horat. lib. 1. Carn. ode. 35. ad Fortunam:

> Te semper anteit sæva necessitas,
> Clavos trabales, et cuneos manu
> Gestans ahena, nec severus
> Uncus abest, liquidumque plumbum.

Lampridius in Commodo scribit ipsi mortuo acclamatum à populo: *Qui senatum occidit, et templa spoliavit, unco trahatur*. Et Suetonius in Vitellio scribit eum, post mortem, unco tractum in Tiberim; hoc summum erat probrum. Insuper unco suspendebantur reorum, æque ac Martyrum, corpora, uti in Actis S. Sebastiani legimus, corpus ejus inventum in cloaca pendens ex unco. Adhæc Martyres uncis perinde ac ungulis lacerabantur; uti legimus in Actis S. Platonis et Pontiani Martyrum. Vide Gallonium de cruciatibus Martyrum. Significat ergo uncinus, quod Israelitæ quasi captivi et damnati, unco ab Assyriis trahendi sint vel ad necem, vel in captivitatem. Secundo, uncino solent colligi paucula poma, quæ in arbore post excussionem sunt reliqua in ramis altioribus: uncinus ergo significat hìc Israelitas, post varias clades et strages Syrorum et Assyriorum reliquos, ad extremum ultimo plenoque excidio urbis et gentis vastandos, etiam illos qui in locis editis, munitis vel abstrusis, remotis et inaccessis degebant, à Salmanasar anno sexto Ezechiæ. Ita Lyran. Emmanuel, Mariana et alii. Unde Chald. vertit: *Ecce vas plenum extremis æstatis fructibus*, q. d. Sicut collectis uvis extremisque agri vel vineæ fructibus, deseritur ager, vel vinea, fructusque in vase collecti domum asportantur; ita desolabitur Samaria, civesque ejus universi in Assyriam abducentur.

Idem significant Septuag. sed alia metaphora, caveæ scilicet, vel retis et aucupis: vertunt enim, *ecce vas*, id est instrumentum, *aucupis*, puta rete, cavea, vel bacilli visco infecti, ut ei se implicent aves. Auceps est Salmanasar, rete sunt ejus castra et arma, quibus illaqueavit, cepit et abduxit Israelitas. Audi Theodoretum: *Visio*, ait, *hæc celerem et expeditam venationem Israel significat; sicut enim aves visco facile capiuntur, sic Assyriis populus apprehendetur*.

Tropolog. Rupert. Uncinus, inquit, est avaritia: rami et poma sunt divites, eorumque opes; pomum quippe res levis est, maximeque pueros mulcet: viris autem et maxime sanis, pro minimo est. Sic nimirum bona præsentis seculi levia sunt, et eos quidem qui sensu parvuli sunt nimis oblectant; sapientibus autem qui cœlestia sapiunt, contemptibilia sunt. Hinc primus homo cupiditatis crimen per quod periit, non per aurum, neque per argentum, sed per exiguum pomum commisit. Addit Rupert. Sicut hortulanus uncino sensim sine strepitu, ramum quò vult crebro motu contorquet, donec poma decerpat; sic avarus, fur et fraudulentus mille habet capiendi et attrahendi artes, quibus innectit et aduncat opes aliorum, adeo occulte et dolose, ut ipsi sua damna nisi depauperati, seroque gementes, non sentiant, juxta illud ps. 10. 9: *Insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua; insidiatur ut rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum. In laqueo suo humiliabit eum, inclinabit se et cadet, cum dominatus fuerit pauperum*.

Mystice Ribera: Uncinus, inquit, est mors, quæ ramos et poma, id est, omnes hominis dotes, virtutes et vitia, quamvis recondita attrahit, ut à Deo carpantur, et suis locis singula collocentur. Distinctius Fernandius, visione 28: Mors, inquit, variis uncinis, id est, variis morborum et casuum generibus, attrahit ramos, in quibus plura sunt poma, id est familias, in quibus plura sunt capita, eaque robusta et valentia, quæ à morte videntur remotissima.

Vita enim humana recte comparatur pomis. Primo, quia, sicut poma cito in gemmas erumpunt, crescunt, maturescunt, carpuntur: ita et homines. Secundo, sicut è pomis alia ma-

tura, alia immatura sponte decidunt, alia in arbore putrescunt, alia rubent; sed si aperias, vermibus plena et corrosa invenies : alia manu carpuntur, alia baculo et vi decutiuntur : ita hominum alii in ætate virili; alii in juvenili naturali morte decedunt, alii in putri senectute, alii exterius rubent ut rosæ, sed intus sordibus et morbis scatent; alii in lecto, alii in bello, pugna, etc. violenta morte occumbunt. Hinc ait S. Job 9. 26 : *Dies mei pertransierunt quasi naves poma portantes;* hæ enim naves celerius aguntur cæteris, ne poma quæ cito putrescunt, corrumpantur antequam ad portum, ubi vendenda sunt, appellant. Ita celerrime transit ævum nostrum.

Tertio, Varro lib. 1. de Re rustica cap. 35. pomum dictum esse censet, eo quod potu indigeat : *Poma*, inquit, *quæ insita erunt siccitatibus, aquam addi quotidie vesperi : à quo, quod indigent potu, poma dicta esse possunt.* Ita vita hominum potu non tantum indiget, sed et abundat, ac deliciatur maxime.

Quarto, pomum Persicum in Perside, ob frigus veneni vim habere dicitur, eaque de causa in Italiam transmissum, ut incolis noceret; verum mutato solo, mutavit naturam, et salubre repertum est, ut ait Columella :

Pomis quæ barbara Persis
Miserat, ut fama est, patriis armata venenis :
At nunc expositi parvo discrimine lethi,
Ambrosios præbent succos oblita nocendi.

Ita voluptas vitæ humanæ in se, et in solo quasi nativo, venenata est : at, si solum mutet, et in campum virtutis transplantetur, vitium ponit, et pro morte vitam et salutem affert.

Quinto, pomum rotundum gerit speciem orbis, qui rotundus est; et vitæ humanæ, quæ gyrat et in orbem semper recurrit. Quocirca anno Domini 1013, cum Henricus Imp. recens creatus Romam ingrederetur, Benedictus Papa cum Clero et Senatu ei obviam processit, eique insigne imperii obtulit : pomum id erat aureum, circumcirca pretiosissimis gemmis distinctum, aurea cruce desuper eminente, ut dum illud respiceret, cogitaret se sic debere imperare in mundo, ut illum crucis Christi vexillo subderet. Accipit pomum Imperator, ac manu tractans : *Nullis*, ait, *melius hoc pomum cernere et possidere congruit, quàm illis qui pomis mundi calcatis crucem Christi sequuntur;* ac proinde illico misit illud ad Cluniacense monasterium in Gallia. Ita Glaber, et Baron. anno Christi 1013. Sic in bulla aurea Caroli IV. cap. 22. traditur et sancitur ut in processione solemni, postquam creatus est Imperator, ante illum deferat ensem Dux Saxoniæ, sceptrum Marchio Brandeburgensis, pomum Comes Palatinus; pomum, quia sphæricum, repræsentat orbem. Unde Chronicum Hirsaug. in inauguratione Comitis Hollandiæ, tradit Imperatori inaugurato globum aureum in manum dari his verbis, quæ profert Palatinus Rheni : *Accipe globum sphæricum, ut omnes nationes Romano Imperio subjicias, et Augustus gloriosus appellari valeas.* Se ergo, suumque cor in manu Dei statuat Imperator, ut cum mundo gestet, regatque illum Deus : ac simul meminerit orbis imperium parvum esse et exile instar pomi et globi, si cum cœlesti regno comparetur. Ad illud ergo anhelet, seque et suos omnes transferre satagat. Sapienter S. Franciscus Xaverius lib. 2. epist. 5. Joanni III. Lusitaniæ regi (ac in eo cæteris Principibus et Prælatis) hoc saluberrimum dat consilium, ut quotidie per quadrantem horæ divinam illam sententiam meditando : *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* germanam ejus intelligentiam à Deo petat, cum sensu animi interiore conjunctam; et simul omnium suarum precationum illam velit esse clausulam : *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, etc.* Quoniam propius, inquit, quàm ille existimat, adest hora, qua illum Rex regum, et Dominus dominantium ad rationem reddendam evocaturus est, illud intonans : *Redde rationem villicationis tuæ.* Verus fuit vates : nam paulo post rex vita functus est.

Sexto, pomo sæpe venenum homini propinatur, aut alio modo mors affertur. Mirum hac de re exemplum narrat Cardan. de rerum variet. lib. 12. cap. 56. Cum, inquit, Kemethus, rex Scotorum, Eruthlinthum Fenellæ filium occidisset : tum etiam Malconum Druffum regem et affinem Fenellæ, illa statuam mira arte fabricari jussit, in cujus manu pomum aureum gemmis refertum erat; quod quicumque tetigisset, statim multis jaculis è pomo prosilientibus confodiebatur : eo Regem nihil suspicantem invitatum in Festicarii oppido occidit. Ita voluptas hujus vitæ blandum est, sed exitiale pomum, quod inani quodam fulgore perstringit et illectat eorum oculos quos decepturum et necaturum est : *Equo ne credite, Teucri.* Ita Nicol. Causinus, lib. 11. Parab. histor. cap. 5. Rursum si offeras puero pomum et simul aureum, puer pomum eliget præ aureo; quia pomi specie capitur, auri pretium non novit. Annon ergo bis pueri senes, qui voluptatem virtuti, id est mala bonis, terrena cœlestibus, caduca æternis, fallacia veris anteponunt? Vere pomum hoc illecebrosum est, diciturque malum. Quamobrem apud Martial. lib. 13. nuces pineæ ita viatorem affantur :

Poma sumus Cybeles, procul hinc discede, viator,
Ne cadat in miserum nostra ruina caput.

Præclare S. Bernard. tract. de Gradib. humilit. *Serpens Evæ, ait, porrigit pomum, et surripit paradisum. Hauris virus peritura, et perituros paritura. Perit salus, non destitit partus. Nascimur, morimur, ideoque nascimur morituri, quia prius morimur nascituri. Propterea grave jugum super omnes filios tuos usque in hodiernum diem.*

Septimo, est et alia pomi cum homine analogia, consideratione et commiseratione digna. Vides arborem florentem et floribus comptam, imo onustam; adverte ex quinquaginta floribus quibuslibet, vix unus in pomum maturum evadet; antequam enim gemmescant, plurimi vel vento decussi, vel æstu arefacti, vel à vermibus arrosi, vel humore deficiente marcescentes decident : ex iis vero qui gemmescent, plurimi pariter, antequam in poma maturescant, similibus casibus in terram corruent. Ita prorsus ex quinquaginta infantibus qui nascuntur, vix unus in virum evadit; sed alii in infantia, alii in pueritia, alii in adolescentia moriuntur. Quis non lugeat, quis non gemat miseram hanc hominum sortem? Sapienter

Philosophus ille : *Brevis*, ait, *vita prohibet suscipere longas spes, vel ad eas aspirare.*

Octavo, inter arbores *infirmissima est malus, maximeque quæ dulcis est*, ait Plinius lib. 17. 24. qui et addit : *Ægrotant aliquando et poma ipsa per se sine arbore, si necessariis temporibus imbres, aut tepores, vel afflatus defuere, aut contra abundavere : decidunt enim aut deteriora fiunt.* Idem, lib. 17. cap. 2 : *Si*, ait, *cum defloruere protinus sequantur imbres, in totum poma depereunt, adeo ut amygdala et pyri, etiamsi omnino nubilum fuit austrinusve flatus, amittant fœtus.* Pari modo quid inter animalia infirmius homine? qui catharro, id est guttula aquæ, suffocatur, æstu uritur, aura infecta pestem haurit, qui plurimis, imo innumerabilibus, et sæpe novis, ac medicis ignotis morbis laborat. In solo hominis oculo morbos centum numerat et nominat Galenus lib. qui inscribitur *Introductio*, seu *Medicus*, cap. de Oculorum affectibus. Vere S. Job hæc expertus, hominem describens cap. 14. 1 : *Homo*, ait, *natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis; qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet.* Flos pomi mox ut effloruit, flavescit; pomum si decortices, aut scindas, antequam illud ori admoveas, illico cultrum nigrore inficit, vigorem perdit, marcescere incipit : ita et juvenis ætate florenti et vultu roseo, mox deflorescit, pallescit, senescit. *Quasi uvas in deserto inveni Israel, quasi prima poma ficulneæ in cacumine ejus vidi patres eorum*, ait Deus Osee 9. 10. Annon ergo cœtus hominum est uncinus et corbis pomorum? Quotidie ex arbore aliqua aut cadunt, aut leguntur poma, donec omnia in corbem inferantur : quotidie aliqui hominum vita hac decedunt, et in cœtum mortuorum transcribuntur, donec omnes ad unum sensim, sed brevi temporis spatio, in eumdem transferantur. Quocirca Cæsar à Ripa in Iconographia, mortem pingit cum falce, et uncino pomorum, ex hoc loco Amos : quia sicut falce omnia demetit, ita uncino omnia carpit, instar pomilegii et pomicarpii. Ite nunc, juvenes; florete, gaudete, exsultate, dicite : Nos poma natamus, cras mergendi, cras morituri.

Hæc considerans Cicero, Gentilis licet, sapienter censet animum ab omni voluptate caduca et terrena avocandum, atque in stabili et cœlesti defigendum. *Alte*, inquit ipse in Somn. Scipion. *spectare si voles, atque hanc sedem et æternam domum contueri, neque sermonibus vulgi dederis te, nec in præmiis humanis spem posueris rerum tuarum : suis te illecebris oportet ipsa virtus trahat ad rerum decus. Vestra quæ dicitur vita, mors est.* Idem, Quæst. 4. Academ. *Cogitantes superiora atque cœlestia, hæc nostra ut exigua et minima contemnamus.* Et Tuscul. 1 : *Confer nostram longissimam ætatem cum æternitate, et brevissima reperietur ; tunc erimus beati, cum corporibus relictis cupiditatum et æmulationum erimus expertes.* Et in Catone majore : *Ex ipsa vita discedimus tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo : commorandi enim nobis natura diversorium, non habitandi, dedit. Quis est quamvis sit adolescens, cui sit exploratum se ad vesperum esse victurum? O dii boni, quid est in hominis vita diu? Mihi ne diuturnum quidem quidquam videtur, in quo est aliquid extremum. Cum enim id advenit, tum illud, quod præteriit, effluxit, tantum remanet quod virtute et recte factis sis consecutus. Horæ quidem cedunt, et dies, et menses, et anni, nec præteritum tempus unquam revertitur, nec quid sequatur sciri potest.* Rursum Tusculan. 1 : *Duæ sunt viæ, ut ait Socrates, duplicesque cursus animorum è corpore excedentium. Nam qui se humanis vitiis contaminarunt, et se totos libidinibus dediderunt, iis demum quoddam iter est seclusum à concilio Deorum : qui autem se integros castosque servarunt, quibusque fuit minima cum corporibus contagio, suntque in corporibus humanis vitam imitati Deorum, his ad illos, à quibus sunt profecti, facilis patet reditus.* Quid jam dicat, quid faciat Christianus?

2. VENIT FINIS SUPER POPULUM MEUM ISRAEL.] *Finis*, id est, excidium Israeli à me decretum et præfinitum. In Hebræo pulchra est paronomasia inter קיץ *kaits*, id est poma æstatis, et קץ *kets*, id est finis. Radix enim est קוץ *kots*, quæ significat compungi, angustiari, affligi : inde קוץ *kots* significat spinam pungentem ; et קיץ *kaits* significat æstatem, qua sol pungit, urit et maturat fructus, q. d. Uncinus hic *kaits*, id est pomorum æstivorum, uret te, ô Israel, ut sol æstivus; et punget te ut *kots*, id est spina; ac denique tibi *kets*, id est finem et exitium, adducet. Quocirca הקיץ *hekits*, id est, evigilavit et maturavit pravum tuum *kaits*, id est pomum æstivum ; et tua *kots*, id est spina, et tuus *kets*, id est finis, ut ait Ezech. cap. 7. 6.

NON ADJICIAM ULTRA UT PERTRANSEAM EUM,] ut dissimulem peccata ejus, ut eum sontem prætercam et impunitum relinquam, uti pertransit prætor, cum scelera et sceleratos videns præterit et dissimulat, q. d. Tanta sunt crimina Israelis, ut non possim ulterius connivere, non possim tacere et parcere : sed illa suî enormitate et multitudine, quasi clamore jugi et valido cogant me ad ea vindicandum. Ita S. Hieron. Theodor. Rupert. et alii.

3. STRIDEBUNT CARDINES TEMPLI IN DIE ILLA.] Ita vertunt quoque Tigurina et Pagnin. q. d. Stridebunt cardines templi, cum hostes vi januas ejus perrumpent, ut illud spolient et vastent. Rursum stridebunt ex crepitu postium conflagrantium, cum templum ab hostibus incendetur. Ita Theodoret. Arabicus : *Cadent altaria templi in die illa ;* quia scilicet Israelitæ templum idolis et sceleribus contaminarunt. Stridebunt ergo ejus cardines, cum illos illisus aries, aut mallei hostiles frangent, aut revellent; cumque per illos agmina hostium in templum irrumpent. Aliter quoque Sanchez : Signum, ait, belli priscis erat, templi portas perfringere, juxta illud Æneid. 7 :

> Sunt geminæ belli portæ, formidine Martis.
> Has ubi certa sedet patribus sententia pugnæ, *etc.*
> Insignis reserat stridentia limina consul.

Verum hic mos fuit Romanorum, non Hebræorum. Adde agi hîc de excidio urbis et templi, non de belli signo. Ad verbum Hebræa vertas : *Ululabunt cantica templi*, id est, cantica templi vertentur in ululatus ; Syrus : *Corruent laudationes* (cantica, fama et gloria) *templi.* Secundo, Lyran. vertit : *Stridebunt cardines palatii*, scilicet regis et optimatum, cum hostes illorum palatia irrumpent. Tertio, Chald. vertit : *Ululabunt vice canticorum carmina palatii*, sive palatiorum, in quibus festivæ cantiones et musica

instrumenta personare solebant; et Vatabl. *Ululabunt cantica palatii.* Per *cantica* lætitiam intelligit, q. d. Cantica principum et potentum vertentur in ululatum et mœrorem. Noster cum Septuag. et aliis jam citatis melius vertit, *cardines templi :* quia hebr. היכל *hechal* proprie augustum et potens templum, sive basilicam significat, à rad. יכול *iachol*, id est potuit, prævaluit, q. d. Basilica potens, cæterisque sua magnificentia prævalens. Quarto, Septuag. vertunt : *Ululabunt laquearia templi*, q. d. Tantus erit clamor hostium et cæsorum ab iis in templo, ut totum templum ululatu compleatur, ipsaque laquearia vices ululantium instar echo reverberantia, ululare videantur. Sic et nostram versionem explicat, et cum Septuag. conciliat S. Hieron. *Stridebunt*, inquit, *cardines templi, sive laquearia. Hoc autem* ὑπερβολικῶς *accipiendum est, quod tam grave malorum pondus incumbat, ut ipsi quoque portarum cardines et excelsa laquearia ululent, et incredibilem sentiant vastitatem.* Unde patet, licet hebr. שירות *sciroth* passim alibi significet *cantica*, hîc tamen significare *cardines* et *laquearia* (ita enim vertunt Septuag. et S. Hieron. qui Hebraicæ linguæ erant peritissimi), forte per onomatopœiam : vox enim *sciroth* refert et exprimit sonum cardinum stridentium, qui ipsorum quasi est cantus. Adde : à rad. שור *scur*, quæ recta intendere, extendere, canere, multaque alia significat, deducitur nomen שור *sçor*, id est murus, et ædificium ex quo prospicitur, vel quod procurrit et foras extenditur : inde *sciroth* vocantur laquearia, quæ per totum templum superne extenduntur, quæque in totum templum prospiciunt.

Quæres de quo templo loquatur hîc Amos? An de Hierosolymitano Dei, an de Bethelino idolorum? De Hierosolymitano accipiunt S. Hieron. Theodoret. et Rupert. Alii, et planius, accipiunt de eo quod erat in Bethel dicatum vitulis aureis. In Bethel enim degebat et prophetabat contra vitulos aureos Amos, ut patet cap. 7. vers. 13; unde hîc v. 2. celerem ei finem comminatur, qui et ei obvenit; cum Jerusalem multo tardius vastata sit. Sicut ergo Judæi suum templum in Jerusalem vocabant *hechal*, id est basilicam; ita eorum æmuli Samaritæ suum fanum in Bethel pariter nuncupabant *hechal*. Id ita esse patet ex v. 7: *Juravit Dominus in superbiam Jacob.* Jacob enim vocantur decem Tribus, non duæ. Et ex v. 14. *Qui jurant in delicto Samariæ, et dicunt : Vivit Deus tuus Dan.* Unde liquet hæc dici contra Samaritas, eorumque deos collocatos in terminis regni, puta in Dan et Bethel. Ita Ruffinus, Lyran. Clarius, Arias et à Castro.

Multi morientur.] Hebr. *Multiplicabitur cadaver*, id est, multa erunt cadavera, multi occidentur, *in omni loco projiciet tace*, id est silentium, q. d. *Multi morientur, et captis habitatoribus vel occisis, in omni loco projicietur silentium*, ait S. Hieron. hoc est, summam vastitatem inducam, omniaque plena populo redigam in solitudinem. Est metalepsis : silentium enim ponitur pro strage et desolatione : ex occisione enim et strage sequetur desolatio, ex desolatione solitudo, ex solitudine silentium. Unde Septuag. vertunt : *In omni loco injiciam silentium.* Sic modo ait S. Hieron. *In toto orbe terrarum provectum est silentium Judæorum : ubicumque fuerint, mussitant potius quàm loquuntur;* oppressi licet, mutire et hiscere non audent. Secundo, contrarie vertit et explicat Lyran. nimirum accipiendo *beth*, id est, *in*, pro *min*, id est, *à*, *ab*, sic vertit : *Ab omni loco projicietur silentium;* quia in omni loco erit clamor, tam hostium occidentium, quàm incolarum occisorum. Tertio, Vatabl. sic vertit : *Multiplicabitur cadaver in omni loco* (qui) *projiciet* (dicet) *tace.* q. d. Pollinctor qui curam habet projiciendi cadavera in sepulcrum, agnoscendo justam Dei vindictam in tanta Israelitarum strage, dicet socio suo : Tace, noli conqueri de Domino Deo, quod tot nobis det funera : quia juste hæc patimur propter idololatriam et peccata nostra. Verum hîc multa supplenda sunt, quæ non habentur in textu. Quarto, Tigurina vertit : *Multa cadavera* (hostis) *prosternet in omni loco, idque silentio.* Quinto, Arias, hæc aliter dispungens, et ad Amasiam sacerdotem idolorum referens, sic vertit et explicat : Adeo multa erunt cadavera, ut in omni loco projiciantur insepulta ; at tu, ô Amasia, quia hisce meis oraculis et minis non credis, tace, et tacens exspecta rei eventum : videbis enim hæc omnia compleri, et tunc sero credes vel invitus. Verum primus sensus planus et genuinus est. Simili modo regio umbræ mortis, id est, status et locus defunctorum, in quo summa est vastitas et horror, vocatur *terra* silentum, et hebr. *duma*, id est *silentium.* Nam, ut ait Ovid. 5. Fastor.

Mox etiam lemures animas dixere silentum.

Et Virgil. 6. Æneid.

Dî quibus imperium est animarum, umbræque silentes,
Et Chaos, et Phlegeton, loca nocte silentia late.

Et inferius :

Quæsitor Minos urnam movet, ille silentum
Conciliumque vocat, vitasque et crimina discit.

Moral. disce hîc strepitum et tumultum Israelitarum congrue puniri contrario, solitudine et silentio. Sicut enim medicorum in morbis axioma et praxis est, contraria contrariis curari; ita et judex Deus contraria scelera contrariis suppliciis curat, nimirum superbiam depressione, gulam fame, libidinem morbis et doloribus, acediam laboribus et sudoribus, tumultum desolatione. Quia enim Israelitæ magno strepitu, pompa, turba et tumultu celebrabant festa idolorum, puta vitulorum aureorum, eodemque invadebant et vastabant bona pauperum, ut dicitur v. 4. et 5; hinc pariter Deus congrue mulctat eos omnium rerum spoliatione, strage et vastitate. Simili modo apud Christianos, urbes et provincias in quibus magnus fuit rerum hominumque luxus, merciumque, usurarum et fraudum turba, punit deprædatione et desolatione. Pari ratione et jure Monasteria et Ordines, in quibus abjecto silentio viguit dissolutio, garrulitas, detractio, murmuratio, invidia, etc. punit silentio, sinendo ea ab hæreticis vastari, comburi et redigi in solitudinem. Exempla sunt in Gallia, Germania, Belgio, Anglia, in qua sola sub Henrico VIII, teste Sandero,

Millia dena unus templorum sustulit annus.

In cæteris provinciis similiter plurima Monasteria funditus eversa videmus, atque in nonnulllis causa publica fuit omnibusque nota, ni-

mirum silentii et disciplinæ Religiosæ abjectio, vitaque Monachorum licentiosa, et plus quàm sæcularis. Dicat ergo talibus Deus : Quia vos projecistis disciplinam et silentium, ego silentio, quod vim à vobis patitur, succurram, illudque in omni loco restituam, imo projiciam, redigendo omnia in cineres camposque silentes.

5. QUANDO TRANSIBIT MENSIS. Ita Roman. Hebr. et Septuag. Male ergo Remig, Rupertus, Hugo et Lyranus legunt, *messis :* ET VENUNDABIMUS MERCES (Septuag. *et negotiabimur*) ET *quando transibit* (ita Syrus) SABBATUM, ET APERIEMUS FRUMENTUM.] Syrus, *horrea. Mensis* et *sabbatum* tripliciter accipi possunt : Primo synecdochice pro quolibet tempore generatim. Hebræi enim tempus omne mensurabant et dividebant per menses et sabbata. Secundo, magis particulatim mensis, hebr. *chodes*, vocabatur neomenia, id est, prima dies cujuslibet mensis : et sabbatum proprie erat septima dies hebdomadæ. Tertio, specialissime, mensis sacer erat mensis septimus, puta September, quo post collectas fruges totum pene mensem sacrum festumque agebant, uti dixi Levit. 23. 23. et sequent. ac proinde idem mensis erat sabbatum, non dierum, sed mensium : quia erat septimus mensis, isque festus. Juxta primam mensis et sabbati acceptionem, primus hujus loci sensus erit hic : Quolibet mense et sabbato, id est, quolibet tempore, quo vos, ô avari frumentipolæ, videtis frumentum vilis esse pretii, illud reconditis, ut tempus hoc transeat, et succedat post tempus copiæ tempus inopiæ, quo illud carius vendatis. Ita à Castro et Vatablus.

Juxta secundam acceptionem sensus secundus erit hic : Ita inhiatis lucro, ut doleatis advenire festum neomeniæ et sabbati, ac optetis illa cito transire, ut illis transactis illico ad mercimonia et lucra vestra redeatis, ac de more vestro care vendatis frumentum. Ita S. Hieron. Theodor. Ruffin. Remig. Lyran. et Ribera. Ubi nota avarorum mercatorum vota, qui nil nisi merces, mercatus et lucra somniant, quibus proinde omnis res divina est longa, adeoque Missa dimidiæ horæ sæpe nimis est prolixa. Addit Sanchez : Calendas, inquit, sive primum mensis diem avide exspectabant avari mercatores ; quia tunc pecunias dabant fœnori, et fœnebres exigebant usuras, ut patet ex Plutarcho lib. de Non fœnerando, et ex Horatio lib. 1. Satyra 3; unde tunc debitorum, qui fœnus solvere non poterant, pignora vendebant, vel bona invadebant. Huc refertur expositio Chaldæi et Pauli Burgensis, qui per mensem accipiunt non quemvis, sed embolismalem, qui scilicet tertio quoque anno quasi decimus tertius, aliis duodecim anni mensibus addebatur ab Hebræis ad hoc, ut annum suum lunarem æquarent solari, ut dixi Exodi 12. v. 2, q. d. Quando transierit annus ille tertius longior, post quem ob additum mensem solet citius frumentum deficere, et clarius vendi, nos illud care vendemus. Rursum Chald. Burgensis, Albert. et Arias sabbatum accipunt non dierum, nec mensium, sed annorum, puta annum septimum remissionis, qui totus erat sacer et sabbatum, id est, festus. q. d. Quando transierit annus septimus quo serere non licet, unde sequitur frumenti penuria, tunc care illud vendemus ; quasi hoc Propheta dixerit instante vel præsente anno septimo et sabbatico, taxans abusus avarorum qui illo abutebantur ad turpia sua lucra.

Juxta tertiam acceptionem tertius sensus erit hic : Quando transierit tempus messis, quo ob copiam vilius solet esse frumentum ; pariter et mensis septimus, quo feriantur Judæi, ac liberaliter fruges suas consumunt, mense octavo et sequentibus, cum frumentum jam deficere incipit, nos illud pretio caro ad libitum vendemus. Hunc sensum afferunt quoque Remig. Albert. Rupert. Lyran. et Hugo. Favet huic expositioni articulus hebraicus *he* additus voci *chodes*, qui certum mensem, eumque cæteris illustriorem significat, qui sane alius esse nequit quàm mensis septimus. Rursum favet rei natura : post mensem enim septimum carius erat frumentum, idque ordinarie quolibet anno. Non enim videtur loqui Propheta de anno septimo, vel simili extraordinario et rarius occurrente. Denique posset quis opinari per mensem hîc significari mensem messis, quo scilicet metebant novas fruges, puta Maium, vel Junium : ac per sabbatum significari festum Pentecostes, quo ex messe primos panes quasi primitias Deo offerebant. Sabbatum enim Hebræis erat quintuplex. Primum dierum, puta septima dies hebdomadæ. Secundum hebdomadum, puta septem hebdomades numeratæ à Paschate, quæ conficiunt quadraginta novem dies, quibus expletis sequens dies quinquagesima erat Pentecoste. Tertium, mensium, puta septimus mensis, de quo jam dixi. Quartum, annorum, puta annus septimus remissionis, qui proinde vocabatur sabbaticus, eratque festus. Quintum, hebdomadis annorum : septem enim hebdomades, sive septenarii annorum, faciunt quadraginta novem annos, post quos annus sequens quinquagesimus erat jubilæus, et totus sabbatum, id est festum. Verum quia statim à messe et Pentecoste erat copia frumenti, ac proinde illud vilis erat pretii; hinc aliud tempus hi avari mercatores hîc notare videntur, videlicet post septimum mensem, quando jam illud deficere, ejusque pretium carius effici incipiebat.

ET APERIEMUS FRUMENTUM,] aperiemus granaria tempore copiæ clausa, ut tempore penuriæ promamus, careque pro libito nostro vendamus frumentum. Porro quàm hoc Deo sit invisum docet ipse hoc loco, dum mox multas gravesque talibus pœnas intentat. Deum imitentur principes et magistratus, ut hosce monopolas, quasi mures tritici corrasores, imo corrosores, famem publicam afferentes capiant et plectant. Ita fecit B. Carolus Comes Flandriæ : cum enim Lambertus Stratensis, frater Bertolfi Præpositi S. Donatiani, decimas in multos annos redimisset, plenaque horrea haberet, atque ingruente annonæ caritate ea egenis communicare nollet, jussit B. Carolus ejus horrea effringi, triticique vim ingentem egentibus gratis admetiri. Qua de causa à monopolis ei in templo oranti sacrilege mors violenta illata est, ipseque justitiæ æque ac annonæ publicæ tutor pro muneris sui fortiter obiti merito martyrii palmam tulit. Ita habet ejus Vita nuper à Belgis edita, et Æmil. l. 5. Celebris et sancta hujus facti memoria etiamnum Brugis Flandrorum perdurat, ubi locus, in quo Comes occisus, mihi olim ostensus est.

Narrat Procopius lib. 3. Joannem præfectum prætorio Belisarii, bello Wandalico nauticum panem, ne bis coctus pondere levior reddere-

tur, adhuc crudum ad publici balnei fornacem assari fecisse, ne quid ponderi decederet : at vix Methonem pervenisse, cum panes dissolvi cœpere, et militibus per modios distributi gravissimos morbos invexere. Ita unius avaritia totum exercitum afflixit, et pene perdidit. Ad hosce avaros Tantali fabulam ingeniose transfert Horat. lib. 1. Serm. satyra 1. qui

> Congestis undique saccis
> Indormit inhians, et tanquam parcere sacris
> Cogitur, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

Porro Deus justo judicio avaros penuria punit, facitque ut frumentum quod avare asservant, à muribus corrodatur, vel tempestate aut naufragio mergatur, vel ab hostibus diripiatur, vel alio casu pereat.

Memorabile est quod in Vita S. Paulini legimus, eum Christi imitatione et amore opes amplissimas in pauperes erogasse, et ex ditissimo factum pauperrimum. Cum quadam die pauper ab eo stipem peteret, dixit B. Terasiæ olim conjugi, nunc sorori suæ (cum ea enim vivebat in continentia) ut eam illi daret. Respondit Terasia se non habere nisi unicum panem. Jussit tamen Paulinus illum dari. Terasia timens ne in prandio non haberet quod apponeret Paulino, panem non dedit, sed servavit. *Interea*, inquit Gregor. Turon. lib. de Gloria Confess. cap. 107, *advenerunt quidam dicentes se missos à dominis suis, ut illi annonæ ac vini deferrent speciem; sed pro hoc se moratos, quod orta tempestas unam eis cum tritico abstulerit navim. Tunc vir Dei conversus ad mulierem ait : Intellige te illi pauperi unum panem fuisse furatum, et ideo hanc navim esse mersam.* Ex adverso dum idem Paulinus, jam Nolæ Episcopus, adeo liberalis esset, ut cum fruges omnes erogasset in pauperes, tandem seipsum pro filio viduæ redimendo servituti manciparet, paulo post Dei nutu à rege Wandalorum agnitus cum suis civibus omnibus, atque onustis frumento navibus Nolam est remissus : *sicque factum est ut qui se in servitium solum tradiderat, cum multis à servitio ad libertatem rediret, illum videlicet imitatus, qui formam servi assumpsit, ne nos essemus servi peccati. Cujus sequens vestigia Paulinus, ad tempus voluntarie servus factus est solus, ut esset postmodum liber cum multis*, ait S. Gregorius lib. 3. Dialog. 1.

Simile est quod narrat Leontius in Vita S. Joannis Eleemosynarii, de mercatore quodam opulento, cujus fruges et merces naufragio perierunt, qui cum hoc suum infortunium lamentans narraret S. Joanni, audivit ab eo : *Scias hoc tibi nulla alia de causa accidisse, nisi quod hæc navis non juste, non honeste à te esset acquisita.* Jussit ergo ei dari unam ex navibus Ecclesiæ, onustam viginti millibus modiorum frumenti : cum qua felicissime navigans mercator, appulit in Britanniam fame tunc laborantem, ubi moderato pretio vendens frumentum, Britannorum indigentiæ dum consulit, ipse ditatus est. Hoc est quod ait Sapiens Prov. 11. 24 : *Alii dividunt propria, et ditiores fiunt ; alii rapiunt non sua, et semper in egestate sunt. Anima quæ benedicit impinguabitur, et qui inebriat, ipse inebriabitur. Qui abscondit frumenta maledicetur in populis, benedictio autem super caput vendentium.* Et S. Paulus 1. Corinth. 9. vers. 6 : *Qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus* (benefice, largiter, copiose) *de benedictionibus et metet.* Vide ibi dicta.

Quocirca graviter et acriter monopolas insectans S. Ambros. lib. 3. Offic. cap. 6 : *Cur*, ait, *ad fraudem convertis naturæ indulgentiam, quæ copiosas dat fruges? Cur invides usibus hominum publicos partus? Cur populis minuis abundantiam? Cur affectas inopiam? Cur optari facis à pauperibus sterilitatem? Cum enim non sentiant beneficia fecunditatis, te auctionante pretium, te condente frumentum, optant potius nihil nasci, quàm te de fame publica negotiari.* Et mox : *Latrocinium hoc, an fœnus appellem? Captantur tanquam latrocinii tempora, quibus in viscera hominum durus insidiator obrepas. Lucrum tuum damnum publicum est. Joseph sanctus omnibus aperuit horrea, non clausit. Recte Salomon* (Proverb. 11.) *Qui continet, inquit, frumentum, relinquet illud nationibus, non hæredibus : quoniam avaritiæ emolumentum ad successorum jura non pervenit. Quod non legitime acquiritur, quasi ventis quibusdam, ita extraneis diripientibus dissipatur.*

Ut imminuamus mensuram, et augeamus siclum.] Pro *mensuram* hebr. est *epha*, quæ erat certa, usitata et communis mensura, sub qua omnes alias per synecdochen intelligit. Porro *epha* erat decima pars cori : corus autem continebat 30 modios Italicos : ergo epha continebat tres modios Italicos, et sex Hispanicos (modius enim Italicus duplus est ad Hispanicum.) Quocirca epha Hebræum idem erat quod medimnus Atticus, teste Josepho lib. 10. Antiq. 12. Rursum satum erat tertia pars epha, puta modius unus Italicus. Vide ea quæ dixi de mensuris in fine Pentateuchi. Notat non tantum avaritiam, qua carissime vendebant, sed etiam dolum et fraudem mercatorum, quo in vendendo mensuram minuebant, id est, mensura æquo minori rem quam vendebant emptoribus admetiebantur ; è contrario vero augebant *siclum*, supponendo scilicet stateras dolosas, ut sequitur, quarum videlicet lanx altera, in qua apponendus erat siclus (ut videretur an justi esset ponderis) quem ementes pro merce empta solvebant, esset depressior et gravior, ita ut siclus alioqui justi ponderis, his dolosis stateris appensus, justo levior videretur, ac per consequens illi drachmas aliquas argenti vel auri, ementes adjicere deberent. Ita Clarius, Ribera, Arias et à Castro. Olim enim omnis pecunia, præsertim cum rudis esset, nec signata, semper ponderabatur, et ad pondus annumerabatur, atque pro pondere majori vel minori suum habebat pretium majus vel minus, ut patet Genes. 23. 16. Jerem. 32. 9. Isaiæ. 55. 2.

Secundo, S. Hieron. et Vatabl. per *siclum* accipiunt, non monetam, sed pondus. Siclus enim hebr. idem est quod pondus, q. d. *Augeamus siclum*, hoc est, cum ememus merces, majori æquo siclo, id est pondere, eas ponderemus ; cum vero easdem aliis vendemus, minori æque pondere easdem appendamus. Unde Vatabl. vertit : *Diminuamus modium, et augeamus pondus, et pervertamus bilancem dolosam ;* huncque dat sensum : *Vendamus triticum nostrum mensura æquo minori, et pervertendo supponamus bilancem dolosam*, q. d. *In his quæ mensura vendi solent, ut modio, utemur mensura æquo minori : in his vero quæ accipiemus, majori æquo pondere utemur.*

Tertio, Remig. et Lyran. sic exponunt: *Augeamus siclum*, id est, augeamus pretium frumenti, q. d. Conspiremus in pretium justo majus, ut nemo nostrûm infra illud minoris vendat, ita ut cogantur emptores omnes pretio illo injusto à nobis taxato merces nostras emere, quod vitium vocatur *monopolium*, de quo vide P. Lessium de Justitia et jure, lib. 2. cap. 21. de emptione dub. 21.

Quarto, Mariana explicat, q. d. Post venditum frumentum et receptam pecuniam augeamus siclum, id est sicli pretium, ut sic crescat pretium pecuniæ, opesque nostræ.

Nota : *Siclus* hebr. idem est quod pondus, à rad. שקל *sçakal*, id est appendit, ponderavit. Sic græce siclus dicitur ςατηρ à ςαθμος, id est libra, pondus, statera. Siclus enim erat nummus vulgaris, communis et usitatus, pondere quatuor drachmarum, sive semunciæ, quo non tantum pecunia, sed et metalla, adeoque res quaslibet ponderabant. Valebat ergo siclus quatuor Julios, sive quatuor regales Hispanicos : Julius enim, æque ac regalis, pendit drachmam argenti. Erat et siclus æreus et aureus, ejusdem ponderis, sed pro materia majoris vel minoris pretii. Vide quæ de siclo dixi Exodi 30. 13.

6. Ut possideamus in argento (id est argento, pretio argenti. Hebr. enim *beth*, id est *in*, est nota pretii) egenos, et pauperes pro calceamentis,] q. d. Ut hisce nostris artibus et fraudibus redigamus pauperes ad extremam inopiam, qua cogantur se vendere nobis in mancipia, itaque possideamus eos, ut nobis quasi jumenta serviant, idque parvo pretio, imo pro pari calceamentorum.

Et quisquilias frumenti vendamus] pro puro frumento. Nota hîc avarorum mercatorum varias artes et dolos, quibus alios expilant et se ditant. Primus est, quod carissime merces suas divendant. Secundus, quod minuant mensuras. Tertius, quod augeant siclum, id est pondus. Quartus, quod supponant stateras dolosas. Quintus, quod cogant pauperes non tantum sua, sed et seipsos vendere pro calceamentis. Sextus, quod frumentum mixtum paleis, cicere, avena, arena, etc. vendant pro puro frumento. Unde Arabicus vertit : *Vendemus vasorum purgationes*, id est, quod post sublatum frumentum scopis aream purgando, convertitur et congeritur. Hinc ira Dei excita detonat in eos, aitque :

7. Juravit Dominus in superbiam Jacob,] id est, contra superbiam Israelis, qua superbe dominatur pauperibus, eosque deprædatur. Ita Septuag. S. Hieron. Theodor. Remig. Hugo, Lyran. et alii. Hebr. pro *superbiam* est גאון *gheon*, id est magnificentia, celsitudo, arrogantia. Unde Chald. vertit : *Juravit Dominus qui dedit magnitudinem Jacob*; Pagnin. *Juravit Dominus per celsitudinem suam notam in Jacob*; Arias et Tigurina : *Juravit Dominus per excellentiam ipsius Jacob*, q. d. Juravit per templum, quod erat gloria, præstantia, magnificentia, et quasi superbia Jacob. Sic ait Isaias cap. 60. 15 : *Ponam te in superbiam*, id est, in magnificentiam et gloriam, *seculorum*. Ita Vatabl. et Prado in Ezech. cap. 7. vers. 24. explicans illud : *Et quiescere faciam superbiam potentium*. Templum, inquit, vocat superbiam potentium, id est, arcem potentissimam, superbissimam, magnificentissimam et celsissimam. Prima versio et sensus nostri Interpretis, uti Hebræo congruentior, ita et nervosior est.

Si oblitus fuero.] Vox *si* est nota jurantis, et signum juramenti exsecratorii apud Hebræos, q. d. Juravit Deus dicens : Juro per me meamque veritatem, quod non obliviscar hæc opera et scelera Israelis, sed ea acriter puniam, adeo ut si eorum oblitus fuero, non habear verax, non habear Deus. Vox ergo *si* in juramento vel improprie capitur pro *non*, vel proprie si subaudias exsecrationem, v. g. hanc : Non habear Deus. Hanc enim Hebræi per euphemismum tam horroris, quàm boni ominis causa subticent, et subaudiendam relinquunt.

Usque ad finem,] in perpetuum.

8. Numquid super isto non commovebitur terra,] scilicet vastitate, ut diripiatur et vastetur ? Unde Chald. vertit : *Desolabitur terra.* Secundo, hebr. est תרגז *tirgaz*, id est *contremiscet*, ut vertit Tigurina ; Pagnin. *movebit se*, q. d. Tanta sunt scelera Israelis, tantæque ob ea illi clades imminent, ut merito terra hæc audiens, sustinens et sentiens, quasi terrore et stupore perculsa contremiscere, omnesque incolæ plangere et ejulare debeant. Est prosopopœia : ad pathos enim terræ insensili sensum, indignationem, horrorem et tremorem attribuit. Omnes enim creaturæ sensu naturali sentiunt vocem et nutum sui Creatoris, multoque magis ejusdem offensam et iram.

Et ascendet quasi fluvius universus, et defluet quasi rivus Ægypti.] Aliqui, ut à Castro, per rivum accipiunt torrentem deserti, qui Judæam disterminat à deserto et ab Ægypto, de quo dixi cap. 6. vers. 15, q. d. Sicut hic torrens in mare defluit, et amplius non apparet, aquis ejus à mari haustis; ita Israelitæ haurientur ab Assyriis, ab eisque abducentur et dispergentur, ut amplius non appareant. Ita à Castro, qui et citat pro hac expositione S. Hier. et alios : sed in S. Hieron. idipsum non reperi ; atque ille torrens deserti, torrens est et vocatur, non fluvius. Adde : rivus Ægypti non alius est quàm Nilus, vel rivus Nili ; unde Septuag. pro *rivus* vertunt, *fluvius* Ægypti.

Melius ergo Clarius, Arias, Vatabl. et alii passim per *fluvium* intelligunt Nilum : hic enim paulo post vocatur rivus Ægypti, præsertim quia Nilus in septem rivos se dividit, quibus per totidem ostia in mare defluit. Apposite autem adducit Nilum, potius quàm alios fluvios : quia Nilus quotannis exundans, et restagnans, oblimat fertilemque facit Ægyptum (non enim pluit in Ægypto, sed vice pluviæ est Nilus exæstuans). Unde messis Ægypti dicitur esse in Nilo, quasi in causa, juxta illud Isaiæ 23. 3 : *In aquis multis semen Nili, messis fluminis fruges ejus, et facta est negotiatio gentium.* Adde : Israelitæ mercatores frumentum emebant ex Ægypto ; Ægyptus enim ita fertilis erat, ut esset horreum Romanorum, imo totius Orientis, q. d. Quia vos, ô Israelitæ, frumentum Niliacum in Ægypto vili pretio emptum reconditis, ut care vendatis, quin et illud mixtis quisquiliis vitiatis, et injustis mensuris dolose divenditis ; hac de causa ego adducam exercitum Assyriorum, qui instar Nili copia sua inundabit Israelem, eumque cum suo frumento et opibus evertet, et transferet in Assyriam. Alludit ergo ad ascensum, id est, incrementum Nili intumescentis et exundantis,

qui deinde statim detumescit et subsidit, ac partim absorbetur à terra, partim refluit in suum alveum, et ex eo in mare delabitur, q. d. Pari modo ascendente exercitu Assyrio in terram Israel, vos pariter ascendetis, et ab eis in magnam turbam conglobabimini, et conglobati turmatim expellemini in Assyrios, ibique dispergemini et absorbebimini, ut inter numerosissimam gentem dispersi, vix ulli esse appareatis. Unde Chald. vertit : *Irruet in eam rex cum exercitu suo maximo sicut aquæ fluvii, et eluet eam omnem, expelletque habitatores ejus ut fluvius Ægypti;* alii active vertunt : *Et transcendit* (Assyrius) *sicut fluvius universam illam* (terram Israel) *et deprimetur tanquam fluvio Ægypti,* q. d. Sicut terra Ægypti obruitur Nilo, sic terra Israel obruetur et opprimetur ab Assyriis. Rursum, sicut Nilus exundans everrit totam Ægyptum, sic Assyrii everrent omnes fruges et opes Israel. Secundo, Vatabl. vertit : *Et ascendet tanquam amnis universa ipsa* (terra Israel), *et pelletur* (loco suo) *et absorbebitur sicut fluvius Ægypti,* sicque explicat, q. d. Terra Israel tota operietur aquis, et vertetur tota quasi in amnem : per aquam et amnem significat omnes clades et calamitates quibus illa quasi aquis obruenda erat ab ira et vindicta divina.

Tertio, Clarius explicat, q. d. Sicut Nilus evomit ea quæ ipsi innatant, sic terra Israel evomet ex se Israelitas, projicietque eos in Assyriam.

Nota τὸ *ascendet*, scilicet non *habitator*, sed *terra :* hebr. enim עלתה *aletha*, cum sit femininum, respicit terram : terra ergo Israel ascendet, ejicietur et defluet : *terra*, id est incolæ, fruges et opes terræ ascendent, id est, in cumulum redigentur, ut auferantur ab Assyriis hostibus et prædatoribus.

Hinc consequenter τὸ *universus*, supple non *habitator*, sed *fluvius*, q. d. Sicut fluvius universus, id est totus, in Ægypto collectus ascendit et in altum assurgit; ita pariter totus cumulus Israelis abducendi ab Assyriis ingens erit, et in magnam summam ascendet. Jam in Hebr. legitur כלה *culla*, id est, *omnis illa*, scilicet terra Israel, ascendet : sed noster Interpres aliis punctis legit כלה *cala*, id est completus, perfectus, universus, scilicet fluvius ascendet. Sic etiam legerunt Septuag. vertunt enim : *Et ascendet quasi flumen consummatio, et descendet quasi fluvius Ægypti; consummatio*, id est, tota et consummata multitudo, æque ac substantia Israelis, quod mystice, vel potius accommodatitie electis et reprobis adaptat S. Hieronym. *Ut qui egerit*, inquit, *pœnitentiam, ascendat cum fluvio scandente; qui autem perseveraverit in delictis, descendat sicut fluvius Ægypti, et ingressus mare absorbeatur, ac per hoc ostendit superbiam Jacob, contra quam jurat Dominus æternis suppliciis devorandam.*

Denique pro *defluet* hebr. est נשקה *niskea*, id est, demergatur in profundum, absorbeatur, eat in abyssum. Ubi nota pro נשקה legendum נשקעה, uti legendum docent Masoretæ; littera ergo *ain* suppressa est vel vitio scriptorum, vel studio ab ipso Propheta, ut omnimodam demersionem innueret, inquit Marinus in Lexico. Radix enim est שקע per *ain*, id est profundari, demergi, ad ima trahi; non שקה per *he*, id est irrigari, potari : sic enim dicendum fuisset נשקעה *nisketa* in genere feminino, eo quod ארץ *erets*, id est terra, sit nomen femininum. Israel ergo ibit in abyssum perinde ac Babylon, de qua dicit Jeremias cap. 51. v. 63. et ex eo S. Joannes Apoc. 18. 21 : *Et sustulit unus angelus fortis lapidem quasi molarem magnam, et misit in mare dicens : Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, et ultra jam non invenietur.* Postremo Syrus hoc loco vertit : *Ascendet quasi fluvius finis ejus, et repellet* (opprimet) *et descendet sicut fluvius Ægypti;* Arabicus Alexand. *Ascendet quasi fluvius, et descendet quasi Nilus Ægypti;* Arabicus Antiochen. *Et adveniet finis ejus quasi fluvius, et defluet, et ejicietur quasi fluvius Ægypti.*

9. Occidet sol in meridie,] non quod revera sol Israelitis occidet et abscondetur; sed quod nimio pavore et mœrore consternatis occidere et abscondi videatur. Pavor enim et mœror caliginem oculis, æque ac menti inducit ut mœrentes in meridie videantur sibi versari in tenebris, nec lucem solis conspicere. Hoc est enim quod explicans subdit : *Et tenebrescere faciam terram in die luminis.* Ita S. Hieron. Theodor. et S. Chrysost. hom. 2. ad populum, ubi idipsum Antiochenis suo illo tempore contigisse asseverat, eo quod ipsi ob violatam Theodosii Imper. imaginem pavidi et anxii, in horas singulas ab ejus ira laqueos, furcas et ignes exspectarent.

Secundo, symbolice : *Occidet sol in meridie*, id est, in summa prosperitate et felicitate Israelis maxima ei accidet calamitas et captivitas, ut sit parabolica catachresis : sol enim et lux sunt causa et symbolum lætitiæ et prosperitatis, æque ac tenebræ calamitatis et tristitiæ. Ita Remig. Rupert. Hugo, Lyran. et S. Greg. l. 5. Moral. cap. 1. Rursum sol, id est mens et ratio, occidit irato et peccatori : quia tenebræ iræ et perturbationum animam ejus occupant, ut velut in nocte cæca positus, non videat quid agere debeat. Ita Cassianus, l. 8. de Institutis renunc. c. 9.

Allegor. hæc de occasu et eclipsi solis, quæ per miraculum facta est in passione Christi, qua sol quasi pullulatus incessit, et luxit necem sui Creatoris, exponunt S. Hieron. Ruffin. Rupert. hic, et Euseb. lib. 10. de Demonstr. c. 6. S. August. l. quæst. ex utroque Testamento quæst. 15. Cyrillus cateches. 13. Tertull. l. 4. contra Marc. c. 42. S. Cypr. l. 2. ad Quirinum c. 23. Isidor. lib. de Passione Domini, c. 45.

10. Et inducam super omne dorsum vestrum saccum, etc.] Efficiam ut omnes Israelitæ induant saccum, et capita radant, eaque decalvent : saccus enim et calvitium apud Judæos signa erant lugentium, et luctus maximi, ut patet Jerem. 6. 26.

Et ponam eam quasi luctum unigeniti,] q. d. Affligam terram Israel gravissime, itaque faciam ut acerbissime lugeat; mortuo enim filio unigenito parentes, et maxime mater luget inconsolabiliter.

Et novissima ejus (ponam) quasi diem amarum,] q. d. Efficiam ut novissima et ultima Israelis sint luctuosissima et amarissima. Tropol. cogitet hoc peccator, dum voluptuatur, quod scilicet Deus in hora mortis omnes delicias in dolores et angores convertet. Vere Pythagoras : *Omnium, ait, malorum maximum est voluptas, qua tanquam clavo ac fibula anima nectitur.*

11. MITTAM FAMEM IN TERRAM; NON FAMEM PANIS, NEQUE SITIM AQUÆ, SED AUDIENDI VERBUM DOMINI,] q. d. Efficiam ut tempore obsidionis et pugnationis Samariæ, ita affligantur, angantur, inopesque sint mentis et consilii Israelitæ, ut Prophetas quos jam contemnunt, toto orbe perquirant, ut ex iis sciscitentur, et audiant tum oracula de obsidionis exitu, tum consilia ad eam evadendam: an videlicet, quando et quomodo sint liberandi.

Tropolog. S. Basil. homil. de Laudibus jejunii in fine, citans hæc Amos verba: *Non famem panis, sed famem audiendi verbum Dei*, subdit: *Quam ideo immisit justus judex, quod perspiceret eorum mentem verorum dogmatum penuria macrescere, externum vero hominem supra modum pinguescere, et obesum fieri.* Sæpe enim Deus divites et gulones punit fame et penuria cibi spiritalis, ut qui pinguescunt corpore, macrescant et emoriantur in spiritu; sicut ex adverso pauperes et abstinentes ditat et impinguat sua doctrina et gratia. Rursum hinc docet S. Gregor. 30. Moral. 35: *Sæpe*, inquit, *doctori verbum pro gratia tribuitur auditoris, et sæpe propter culpam auditoris subtrahitur sermo doctori*, ut Ezechieli, cui ait Deus cap. 3. 26: *Linguam tuam faciam adhærere palato tuo, et eris mutus, quia domus exasperans est.*

12. ET COMMOVEBUNTUR A MARI, etc.] q. d. Calamitate jam dicta, et fame, id est, desiderio audiendi oracula commoti Israelitæ, vel mittent legatos in omnes terræ angulos, ut à mari Galilææ usque ad mare Mediterraneum Prophetam aliquem perquirant, qui hæc eis enuntiet; fiet enim eis juxta illud psal. 73. 9: *Signa nostra non vidimus, jam non est Propheta, et nos non cognoscet amplius.* Ita Chald. Lyran. et alii; secundo, S. Hieronym. Remig. Hugo et Arias hæc sensu, vel litterali, vel allegorico extendunt ad desolationem extremam Judæorum, quam etiamnum ob occisum Christum patiuntur et patientur usque ad finem mundi. Amos enim licet directe prophetet contra decem Tribus, indirecte tamen et comitanter prophetat quoque contra duas, puta contra Judam et Benjamin. Sicut enim Judas in scelere, sic et in vastitate similis fuit Israeli fratri suo. Hujus ergo excidium illius fuit typus et præambulum.

Audi S. Hieron. totum hunc locum Christo et Judæis adaptantem: *Possumus hunc locum et in Domini passione intelligere, quando sol hora sexta retraxit radios suos, et pendentem in cruce Dominum suum spectare non ausus est: quando tenebris cuncta complentibus, festivitates eorum et cantica, Vespasiano Titoque superantibus, in planctum luctumque mutata sunt: quando lacrymarum, et pœnitudinis, et ciliciorum repleta sunt omnia; et capita habuere calvitium, quæ prius Nazaræorum decorata cæsarie comam Domino nutriebant. Tunc primogenitus filius Dei populus Israel, qui in unigenitum et vere filium Dei miserat manum, æterno luctui traditus est. Nunc ergo illis habentibus tenebras qui repulerunt solem justitiæ, nos qui sedebamus in tenebris et in umbra mortis, vidimus lucem magnam, et illorum universa festivitas ad Ecclesiæ translata est mysteria.* Et post pauca: *Illi dormierunt in meretricis Synagogæ genibus, et diabolo tondente derasi, virtutem capitis perdiderunt, amittentes cum robore oculos*, instar Samsonis. Et inferius: *Ablata est ab eis lex, et Prophetæ æterno conticuere silentio: moventur à mari ad mare, et ab Oceano Britannico usque ad Oceanum Atlanticum, id est, ab Occidente ad Meridiem, et ab Aquilone usque ad Orientem toto orbe peregrini* (et vagi) *verbum Dei non valent invenire.* Et mox famem verbi Dei explicans: *Quibus*, inquit, *ingerimus famem esse prædictam intelligentiæ spiritualis, in qua Christus cernitur, passio Domini et resurrectio reperitur. Circumeunt orbem, et quærunt verbum Domini, et non inveniunt; quia Verbum Domini negaverunt, quod factum est in manibus omnium Prophetarum, quod in principio apud Patrem erat, quod caro factum est et habitavit in nobis.*

13. IN DIE ILLA DEFICIENT VIRGINES PULCHRÆ, ET ADOLESCENTES IN SITI,] q. d. Non tantum spiritualis, sed et corporalis fames et sitis eis obveniet: hac enim tabescent virgines innuptæ, æque ac juvenes, ita ut, iis enectis, nulla posteritatis sit spes, sed tota quasi gens intereat. Unde Chald. vertit: *In illo tempore deliquium patietur cœtus Israel.* Ita Theodoret. Albert. Lyr. et Clarius.

Mystice, S. Hieronym. *Deficient*, ait, *virgines, quia verbum Domini non invenient. Ex quo intelligimus, quando doctrina non fuerit in Ecclesia, perire pudicitiam, castitatem mori, abire virtutes: quia non comederunt verbum Domini, quod qui comederit, saginatus ejus cibo audiet per Salomonem: Justus comedens saturat animam suam, animæ autem impiorum esurient*, Proverb. 13.

14. QUI JURANT IN DELICTO SAMARIÆ,] q. d. Ideo virgines, adolescentes et Israelitæ omnes punientur fame, siti et morte; quia adorant, colunt et jurant per vitulum aureum, quem Jeroboam erexit, et collocavit in Dan quasi Deum Samariæ, eumque opponunt et anteponunt Dei verbo.

ET VIVIT VIA BERSABEE.] Nota Israelitas non tantum per vitulos suos in Bersabee erectos jurasse, sed etiam per viam qua ad eos ibatur in Bersabee, quasi hæc sancta esset à sancto idolo, q. d. Punientur qui jurant per vitam viæ, qua itur in Bersabee. Non quod via hæc viveret, sed vitam vel metaphoricam, vel metonymicam intelligunt. Metaphoricam, q. d. Vivat, id est floreat, teratur et frequentetur jugiter via Bersabee. Sic enim ex adverso viæ dicuntur mortuæ, vel lugere, cum neglectæ et desertæ jacent, juxta illud Thren. 1. 4: *Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant, ad solemnitatem.* Metonymicam, q. d. Vivat vitulus aureus Deus noster, ad quem ducit via tendens in Bersabee: vivat vitulus, cujus colendi causa tam longam inimus viam, ut à domo nostra eamus ad fines Israelis: ibi enim sita erat Bersabee. Ita Albertus et Lyran. Jurant per hanc viam, quia in illa multa erant sacella et aræ idolis erecta (eo quod illis in locis diu versatus fuisset Abraham Patriarcha) quæ peregrinantes adibant. Id patet 4. Reg. 23. v. 8. ubi Josias dicitur contaminasse *excelsa, ubi sacrificabant sacerdotes de Gabaa usque Bersabee.* Addit Vatabl. significari hic idololatrarum studium, qui sanctitatem constituebant in longitudine itineris, ideoque ab uno termino Judææ peregrinabantur usque ad alterum, puta à Dan usque in Bersabee, q. d. Vivit vigetque peregrinatio quæ incipit à Bersabee, et desinit in Dan. In Dan enim et Bersabee quasi in duobus regni sui limitibus vitulos aureos collocavit Jeroboam, quasi tutelares Israelis

Deos. Arabicus vertit: *Jurant in indulgentia Samariæ, et dicunt quod Dan est Deus tuus et Bersabee.* Vide hic insanum idololatrandi studium, quo non tantum idolo, vel templo, sed et viæ bene precantur, imo per illam quasi numen jurant.

CADENT (ob hanc idololatriam) ET NON RESURGENT ULTRA,] q. d. Omnino et irreparabiliter corruent et peribunt. Ita contigit: nam decem Tribus, excisa Samaria, abductæ in Assyrios nunquam inde redierunt.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

VIDET AMOS DEUM STANTEM SUPER ALTARE, ET JUBENTEM ANGELO UT, PERCUSSO CARDINE, ILLUD EVERTAT, OB AVARITIAM ET SCELERA POPULI, QUEM SE PERQUISITURUM ET PERDITURUM ASSERIT, ETIAMSI IS SE IN COELO, ABYSSO, VEL INFERNO ABSCONDERET. SECUNDO, V. 7. COMPARAT ISRAELITAS ÆTHIOPIBUS, SYRIS ET PALÆSTINIS, TAM IN CULPA, QUAM IN POENA EXCIDII ET DISPERSIONIS. TERTIO, V. 11. SE EOS PER CHRISTUM RESTAURATURUM PROMITTIT, DATURUMQUE COPIAM FRUMENTI ET VINI, ADEO UT MONTES STILLENT DULCEDINEM.

1. VIDI Dominum stantem super altare, et dixit: Percute cardinem, et commoveantur superliminaria; avaritia enim in capite omnium, et novissimum eorum in gladio interficiam: non erit fuga eis. Fugient, et non salvabitur ex eis qui fugerit.
2. Si descenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos: et si ascenderint usque in cœlum, inde detraham eos.
3. Et si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos; et si celaverint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti, et mordebit eos.
4. Et si abierint in captivitatem coram inimicis suis, ibi mandabo gladio, et occidet eos: et ponam oculos meos super eos in malum, et non in bonum.
5. Et Dominus Deus exercituum, qui tangit terram, et tabescet: et lugebunt omnes habitantes in ea; et ascendet sicut rivus omnis, et defluet sicut fluvius Ægypti.
6. Qui ædificat in cœlo ascensionem suam, et fasciculum suum super terram fundavit; qui vocat aquas maris, et effundit eas super faciem terræ, Dominus nomen ejus.
7. Numquid non ut filii Æthiopum vos estis mihi, filii Israel, ait Dominus? numquid non Israel ascendere feci de terra Ægypti: et Palæstinos de Cappadocia, et Syros de Cyrene?
8. Ecce oculi Domini Dei super regnum peccans, et conteram illud à facie terræ: verumtamen conterens non conteram domum Jacob, dicit Dominus.
9. Ecce enim mandabo ego, et concutiam in omnibus gentibus domum Israel; sicut concutitur triticum in cribro: et non cadet lapillus super terram.
10. In gladio morientur omnes peccatores populi mei, qui dicunt: Non appropinquabit, et non veniet super nos malum.
11. In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit: et reædificabo aperturas murorum ejus, et ea quæ corruerant, instaurabo: et reædificabo illud sicut in diebus antiquis.
12. Ut possideant reliquias Idumææ; et omnes nationes, eo quod invocatum sit nomen meum super eos, dicit Dominus faciens hæc.
13. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: et comprehendet arator messorem, et calcator uvæ mittentem semen: et stillabunt montes dulcedinem, et omnes colles culti erunt.
14. Et convertam captivitatem populi mei Israel: et ædificabunt civitates desertas, et inhabitabunt: et plantabunt vineas, et bibent vinum earum: et facient hortos, et comedent fructus eorum.
15. Et plantabo eos super humum suam: et non evellam eos ultra de terra sua, quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus.

1. VIDI DOMINUM STANTEM SUPER ALTARE.] S. Hieron. Theodor. Remig. Hugo, Lyran. Arias, Vatabl. et Ribera censent Amos hic prophetare excidium duarum Tribuum et templi Hierosolymitani per Chaldæos. Probant, quia ejus restitutio, quæ facta est per Esdram et Nehemiam, promittitur v. 11. Favet Chald. qui non verbotenus, sed paraphrastice ita vertit: *Vidi gloriam Domini conscendentis à Cherub, qui mansit super altare; nisi populus domus Israel converta-*

tur ad legem, exstinguetur candelabrum, occidetur rex Josias, et destruetur domus Dei, puta templum, *et dissipabuntur atria, et vasa domus sanctuarii in captivitatem ibunt.*

Probabilius est quod censent Ruffinus, Clarius et à Castro, Prophetam hîc pergere prophetare contra decem Tribus, ac consequenter hîc prædicere excidium altaris et templi idololatrici, quod ipsæ sibi erexerant in Bethel. Probatur primo, quia ad decem Tribus proprie missus fuit Amos in Bethel, ut patet cap. 7. 13; secundo, quia c. 8. egit contra decem Tribus: ergo et hoc c. 9. Nam nihil est quod significet eum divertere sermonem à decem Tribubus ad duas, imo eum continuare sermonem ad decem Tribus, patet ex v. 5. qui idem est cum v. 8. cap. 8; tertio, quia v. 8. et 9. ait se loqui de domo Jacob et Israel: sic autem post schisma Jeroboam vocantur decem Tribus, non duæ, præsertim quia addit: *Concutiam in omnibus gentibus domum Israel.* Hoc autem verum est de decem Tribubus, non de duabus. Decem enim traductæ in Assyriam, Mediam et Persidem, inde per omnes gentes sparsæ sunt, teste Josepho: duæ autem traductæ in Babylonem, ibi manserunt, indeque post septuaginta annos sub Cyro reductæ sunt in Judæam. Ad argumentum prioris sententiæ respondebitur, v. 11.

Quæres: Quomodo vidit hæc Amos, an oculis corporis, an mentis? Corpoream fuisse visionem censent Albert. Arias et Euseb. 1. de Demonstr. cap. 18, ac proinde censent angelum in corpore assumpto reipsa concussisse cardines templi, idque oculis corporeis vidisse Prophetam.

Verius est hanc visionem fuisse imaginariam, non corpoream, tum quia tales fuerunt communiter visiones Prophetarum: tum quia si visio hæc spectat templum Hierosolymitanum, ut multi volunt, non potuit hæc oculis corporeis videre Amos, utpote qui longe ab eo aberat, agebatque in Bethel: tum quia non est verisimile Deum hîc assumpsisse corpus humanum, in eoque visum ab Amos, præsertim cum id non fecerit Isaiæ cap. 6. 1, ubi visus fuit ab Isaia oculis mentis, non corporis, sedere in throno excelso; nec Ezech. c. 1. 26. ubi visus fuit ab Ezechiele oculis pariter mentis insidere currui Cherubico. Sane si Deus voluisset videri oculis corporeis, id potius concessisset Isaiæ et Ezechieli, quorum visiones fuerunt augustissimæ, quàm Amos Prophetæ rusticano.

Super altare,] vel thymiamatis, quod erat in Sancto sanctorum, ubi erat sedes et thronus Dei, ut vult Arias: vel holocaustorum, quod erat in atrio ante Sanctum, ut volunt Lyran. et Vatabl. Samaritæ enim, æmuli Judæorum, templum simile Hierosolymitano, ac consequenter simile atrium, Sanctum et Sanctum sanctorum, atque similia altaria thymiamatis et holocaustorum in Samaria, Dan et Bethel erexerunt. Porro de altari Bethel potius quàm Dan aut Samariæ hîc agit; liquet ex eo quod in Bethel vaticinabatur Amos, utpote loco Samaritis sacratissimo, tum quod Jacob Patriarcha in eodem sacrificasset, et vidisset Deum scalæ innixum, ideoque locum vocasset Bethel, id est domus Dei: tum quod Jeroboam primus Israelis rex, schismatis et novæ religionis auctor, in Bethel non tantum altare vitulis aureis dedicasset, sed et ipse sua manu iisdem in eodem sacerdotis officio functus incensum adolevisset, ut patet 3. Reg. 11. 33; tum quod Jacobi et Jeroboami æmuli et asseclæ posteri eorum, reges Israelis, in Bethel sacrificantes, ibi quasi commune regni sui fanum statuissent; unde ab eis Bethel vocabatur: *Sanctificatio regis, et domus regni,* uti dixi c. 7. 18. In Bethel ergo, quasi in publico Israelis idolio, visus est prophetæ Deus templo et altari ultor insistere, ac jubere illud exscindi, unà cum idololatria et idololatrico Israelis regno. Unde apposite visus est hîc Deus stans, quasi instans operi, scilicet subversioni altaris et templi.

Et dixit Dominus, vel Prophetæ Amos, ut opinatur S. Hieron. et Remig. vel potius angelo sibi assistenti, quasi voluntatis et operis sui administro, ut censent idem S. Hieron. Remigius, Ruffinus, Theodoret. et alii. Per angelos enim solet Deus ulcisci et plectere hostes suos. Angelo ergo dixit: Percute cardinem,] scilicet templi, ut hac percussione symbolica et imaginaria menti Amos objecta, repræsentes et significes quod Assyrii templum à cardine et ab imis fundamentis convulsuri et subversuri sint, unà cum impio ejus cultu et cultoribus Israelitis. Ita S. Hieron. Emmanuel, Mariana, et alii jam citati. Unde Septuag. vertunt: *Percute propitiatorium;* Arabicus Antioch.: *Percute pavimentum;* Arabicus Alexand.: *Percute Rationale Pontificis;* Hebr. est: *Percute* הכפתור *haccaphtor*, quod Tigurina vertit, *limen;* Pagnin. et Vatabl. *superliminare*, scilicet portæ templi. Proprie *caphtor* significat pomum (ut vertit Syrus) et sphærulam: et quia hæc sculpi solebant in liminibus, hinc significat limen. Noster hîc vertit *cardinem*, non limen, vel superliminare, quia ab eo distinguitur. Sequitur enim: *Et commoveantur superliminaria;* hæc enim commoveri nequeunt, nisi commoto cardine æque ac limine, cui superne quasi insistunt. Cardo ergo dicitur *caphtor*, quia habet figuram sphærulæ, et quia sua vertebra tegitur. Radix enim כפר *caphar* significat tegere, involvere, operire. Jubet ergo Deus angelo, ut percutiat tam limen portæ templi, quàm cardinem liminis in quo ostium volvebatur, id est, aperiebatur et claudebatur, ut significet portam templi, ipsumque templum, ac ingredientes in illud percutiendos et subvertendos ab Assyriis. Cardo enim est basis et fulcrum rei quam sustinet: unde cardo dicitur quasi cor januæ, quo scilicet illa movetur, ait Severius in illud Æneid. 1: *Foribus cardo stridebat ahenis.* Hinc Romani coluerunt deam Cardineam, quæ cardinibus præesset. Ita Seneca in Hippol. Jovi ait: *Celerique polum cardine versas.* Verius S. Anna mater Samuelis, 1. Reg. 2. 8: *Domini*, ait, *sunt cardines terræ.* Et Sapiens Proverb. 8. 26: *Adhuc terram non fecerat, et flumina et cardines orbis terræ.* Porro in cardine notatur stridor et horror convulsi et ruentis templi, juxta illud Statii Thebaid. 1:

> Venti transversa frementes
> Confligunt axemque emoto à cardine vellunt.

Et Virgil. Æneid. 6:

> Tum demum horrisono stridentes cardine sacræ
> Panduntur portæ.

Ita in passione Christi terram universali terræ motum concussam, et à cardinibus fuisse con-

vulsam censent Didymus in Catena Græcorum in Job. c. 9. et alii. Pari modo multi censent totum orbem in die judicii concutiendum et è cardinibus convellendum, idque significare illis verbis Christi Matth. 24. 29 : *Et virtutes cœlorum commovebuntur.* Et Job. 9. 6 : *Qui commovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutiuntur.* Vide dicta Apoc. 6. in fine.

ET COMMOVEANTUR SUPERLIMINARIA.] Syrus, *limina;* Hebr. ספים *sippim*, quod David et ex eo Pagn. vertit : *Et contremiscent postes ;* Tigur. : *Et commoveantur postes*, puta laterales, quos architecti vocant *antas.* Sed eòdem redit sensus : concusso enim et convulso limine et cardine ab angelo, necesse erat tam postes quàm superliminaria, quæ postibus incumbebant, concuti et commoveri, imo ruere. Significatur enim hic ruina portæ et templi. Unde Arabicus vertit : *Commovebuntur portæ extrinsecæ.* Angelus enim tam valide quassavit cardines et portam, ut totus murus, ac consequenter totum templum illi incumbens ruere videretur. Arias et Euseb. l. 1. de Demonstr. cap. 18. censent hæc realiter esse peracta, ac realem fuisse hunc terræ motum, esseque illum cujus meminit Amos, c. 1. 1. ubi ex eo numerat et consignat annum suæ prophetiæ. Verum ex dictis liquet aliam fuisse hanc concussionem ab illo terræ motu : illi enim fuit realis ; hæc vero fuit imaginaria.

AVARITIA (Syrus, *dolus*) IN CAPITE OMNIUM.] Causam excidii templi, urbis et totius Israelis assignat avaritiam. Pro *avaritia* hebr. est בצעם *betsaam*, id est, *avaritia eorum.* Radix בצע *batsa* proprie significat lædere et vulnerare. Hebræi enim usuram et avaritiam vocant *vulnus :* quia tanquam gladius hominem vulnerat, et ipsius sanguinem exsugit. Pari modo, usuram vocant נשך *nesçech*, id est morsum : quia mordet et lædit proximum : sicut Latini *fœnus* vocant quasi funus. Hinc secundo, Septuag. Heb. *betsaam* accipientes non ut nomen, sed ut verbum Imperativi *kal*, vertunt : *Disseca in capita omnium. Disseca*, scilicet tum gladio hostili, tum frustis postium et superliminarium ex percussione angeli dissilientibus : unde alii legunt *disjice*, q. d. Dissilientia frusta postium disjice in capita eorum, iisque ea disseca. Quocirca Tigurina vertit : *Universorum capitibus vulnus inflige ;* Arias accipit ut nomen, sed pari modo vertit : *Concisio eorum in capite omnium* ; tertio, Vatabl. *betsaam* accipiens ut verbum præteriti temporis, vertit : *In frusta concidit eos* (nempe qui sunt) *in capite omnium*, id est, qui præsunt aliis omnibus. Hoc pertinet ad sacerdotes et magistratus : hos enim concidet Deus, vel angelus vice Dei : loquitur enim Deus, vel angelus de se in tertia persona. Hinc Pagninus pro *betsaam* legens in Benoni בוצעם *botseam*, vertit in prima persona : *In frusta concidant eos, in capite omnes ipsos.* Hic sensus priori subordinatur hoc modo, q. d. Quia ipsi sua avaritia, puta suis usuris et fraudibus, vulnerarunt et conciderunt pauperes, idcirco pariter ipsi vulnerabuntur et concidentur ab hostibus. Hinc aliqui vertunt : *Avaritia in capita omnium*, scilicet recidet, meritaque ab eis supplicia exiget : quæ versio valde consonat cum verbis præcedentibus et sequentibus. Unde Arabicus vertit : *Percute caput uniuscujusque, et reliqui eorum gladio interficientur.*

Porro avaritia dicitur esse *in capite omnium*, quia omnibus dominatur, omnes possidet : omnes enim caput, sensus, curasque omnes eò intendunt, ut iniquis lucris se ditent, juxta illud Jerem. 6. 13 : *A minore usque ad majorem omnes avaritiæ student.* Avarus enim dicitur quasi avidus, quod immensas opes aveat. Unde P. Nigidius apud Gellium, lib. 10. cap. 5 : *Avarus*, inquit, *appellatur, qui avidus æris est ; sed in ea copula, E, littera detrita est.* Item *locupletem ait dictum, qui pleraque loca, hoc est, qui multas possessiones tenet.* Sic Threnor. c. 1. 5. dicitur : *Facti sunt hostes ejus in capite*, id est, hostes dominati sunt Hierosolymæ. Avaritia ergo est *in capite*, non in calce ; quia caput, id est phantasiam animumque, occupat, itaque illi est infixa ut vix evelli possit ; quia tenet arcem mentis, indeque quasi regina, imo quasi dea omnibus cogitationibus, sensibus, potentiis, membris et actibus imperat tanquam mancipiis, cogitque ea sibi servire, suum regnum propagare, lucra ubique captare, opes sine termino coacervare. Hinc rursum ipsa est *in capite*, id est, est capitalis, et quasi caput avari, illi per omnia dominans, sicut caput dominatur toti corpori. Quocirca S. Paulus avaritiam nuncupat idolorum servitutem, id est idololatriam, Ephes. 5. 5. Avarus enim in mente gerit idolum quod adorat, scilicet pecuniam et Plutum. Hoc idolum est ipsi numen et Deus, cui se substernit totumque se mancipat. Ita videmus avaros nil somniare, nil cogitare, nil loqui, nil tractare nisi lucra, nisi *affer, affer*, Proverb. 30. 15. Annon ergo avaritia est in capite avari? Secundo, Lyran. Avaritia, ait, est in capite, id est in regibus, ducibus et sacerdotibus populi. Quàm enim hi dediti fuerint avaritiæ patet tum ex Prophetis, tum ex Christo Matth. 15. 5. et c. 23. v. 14. et 23, qui acriter eorum avaritiam incusant. Sic et modernos Judæos quoslibet totos usuris et lucris intentos videmus. Porro sacerdotum avaritiam hic proprie taxari patet ex v. 1 : *Vidi Dominum stantem super altare, et dixit : Percute cardinem.*

Notat fontem omnis mali, scilicet avaritiam, indeque manantes fraudes et dolos. Nam, ut ait Apost. 1. Timoth. 6. 10 : *Radix omnium malorum est cupiditas.* Unde Sapiens Eccl. 10 : *Avaro*, inquit, *nihil est scelestius.* Porro hæc avaritia à summis manabat ad infimos ; perinde ut vitia Principum et Prælatorum manant ad subditos. Simili modo B. Petrus Damiani, lib. 2. epist. 2. ad S. R. E. Cardinales, et S. Bernard. de Consid. ad Eugenium Pontif. et in Declamationibus, docent omnia mala Ecclesiæ provenire ex avaritia ; hancque valde foveri et augeri cupiditate Ecclesiasticorum et Prælatorum. Idque verum esse luce clarius vidi, dum agerem in provinciis transalpinis. Quis enim laicus credat Pastori ex Evangelio concionanti bona terrena esse contemnenda, et cœlestia ambienda, si terrena ab eodem aliisque Prælatis ita appeti, tam studiose congeri et conservari cernat? Qua fronte Prælatus audebit suos hortari ad liberalitatem et eleemosynam, si ipse avare suas opes recondat, et in pauperes sit immitis et immisericors? Quis non inhiet divitiis, prædiis, officiis congerendis, si Ecclesiasticos videat beneficiis, pensionibus, redditibus, domibus, prædiis coacervandis totos intendere? Clericus es, cur sortem non in cœlo, sed in terra quæris ? quo ore impudenter et mendaciter quotidie Deo, qui cor tuum avarum et terræ inhians intuetur, dicis :

Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi? Annon merito objiciet laicus Ecclesiastico : Deus Levitis voluit esse sors et hæreditas, terram vero inter laicos; puta inter cæteras undecim Tribus, distribuit. Nostra ergo est terra, tu cœlum et Deum quære: nobis laborandum est, ut opes comparemus, quibus nos, uxores, filios, filias, famulos et ancillas alamus; tu qui solus es, cujus Deus est sors, eaque sufficiens et liberalis, cur plura semper appetis? ut quid studes ditandis adeo nepotibus et cognatis ex patrimonio Christi? Itane res sacras Ecclesiæ adimis, easque laicis tibi propinquis, carnalis et infidelis Domini dispensator impendis? Annon hoc furtum, imo sacrilegium? ait S. Bernard. Sanxit olim S. Urban. Pontifex et Martyr, anno Domini 233, qui S. Cæciliam pluresque alios docuit, et animavit ad martyrium, ne bona Ecclesiæ in laicorum usus impendantur, idque sub gravi pœna : *Quia*, inquit, *hæc bona sunt oblationes fidelium, pretia peccatorum, et patrimonium pauperum*, ut habetur 17. q. 4. cap. *Attendendum.* Idem sanxerunt alii Pontifices. Unde S. Hieronym. ad Pammach. *Pars*, inquit, *sacrilegii est, rem pauperum dare non pauperibus.* Res enim pauperum sunt res et bona Christi crucifixi. Quocirca omnes Doctores censent esse peccatum mortale, si quis Ecclesiasticus opes, quas ex beneficio suo percepit, relinquat cognatis laicis, iisque eos locupletet. Cur ergo tu immodice, ait Doctor sapiens, beneficia beneficiis accumulas, pensiones pensionibus, itaque Ecclesiam ministris suis defraudas, ut paucos, eosque indignos habeat? cur patrimonium pauperum devoras, ut amicos dites? Itane demens es, ut animam tuam propter amicos damnare, et æternis gehennæ incendiis addicere velis? stulte, hac nocte animam tuam dæmones repetent à te, et quæ parasti cujus erunt? Amici quos ditasti te ex inferno non liberabunt: imo pro gratiis sannas et maledictiones tibi in inferno rependent, quod eis per opes fueris causa luxus, scelerum, indeque damnationis ejusdem. Evigilate, Prælati, aperite oculos, Ecclesiastici. Ne vos amor stolidus cognatorum infatuet, ut sero gematis in æternum, dicatisque : Heu, quàm fui fatuus, quàm insensatus, qui non pro me, sed pro alio ditando, animam meam vendidi, occidi, perdidi! Heu me! nepotes mei, cognati mei traxerunt me ad tartara. *Frater non redimit, redimet homo? non dabit Deo placationem pro anima sua.* Deo nemo fucum suis ratiunculis efficiet. Quo major es, eo majus das scandalum : quo potentior, eo potentius tormenta patieris: quia hæreditate possedisti sanctuarium Dei ; imo fecisti ut gentes, ut laici venirent in hæreditatem Dei, et hæreditate possiderent sanctuarium ejus : ideoque tam Catholicos, quàm hæreticos à fide et salute avertisti, eosque sanctum Christi et Ecclesiæ ejus Christianæ nomen blasphemare fecisti. Aspice ex alto sponsam tuam, ô Christe! maculam hanc è veste ejus, imo tua, emunda. Utinam vel sanguine meo illam eluas! quàm libens occumbam, ut ipsa suo nitori et decori cœlesti restituatur! Mitte è cœlis Angelum qui rursum percutiat cardines templi. Mitte novum Jeremiam qui iterum intonet illud cap. 6. 12 : *Extendam manum meam super habitantes terram, dicit Dominus. A minore quippe usque ad majorem omnes student avaritiæ: et à Propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum.*

Moral. disce quantum malum sit avaritia, quæ, cum omnibus dominetur, omnes vulnerat, atque tam animæ avari, quàm corpori proximi lethale sæpe vulnus infligit. Narrat Sabellicus lib. 7, Enneade 9, Calipham Mahometanorum pontificem, inter auri acervos volutatum fame interiisse. Cum enim Halao Tartarorum regis frater occupasset Babylonem, omnemque populum trucidasset, Caliphas, qui magnum thesaurum congesserat, comprehensus, cumulo auri sui impositus, et per multos dies asservatus, inedia, vel sane pretiosa fame consumptus est. Sic et C. Caligulam pecuniæ avidissimum, inter immensos aureorum thesauros volutari solitum scribit Sueton. in ejus Vita, cap. 43, qui iis non diu gavisus, paulo post miserabili nece occubuit. Avaritiæ symbolum est serpens græce dictus dipsas, quod inexstinguibilem sitim morsu suo excitet. Dipsas, ait Lucian. lib. de Dipsade, est serpens non adeo magnus, viperæ similis, violento ictu, veneno crasso, qui dolores inducit intolerabiles. Ardores enim immittit inexstinguibiles, et putredines, ac totum corpus adurit incendio. Insuper qui ab illa icti fuerint, clamant perinde atque illi qui in ignem conjecti sunt : quo plus bibunt, eo plus sitiunt; nec sitim exstinxeris, etiamsi totum Nilum aut Danubium epotandum præstiteris. Ita et Ælian. lib. 6. de Animal. cap. 51. Dipsas est avaritia, quæ inexplebili opum siti, æque ac curis, doloribus, periculis et cædibus avaros incendit. Nam

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Multo concitatior est avaritia in magnarum opum congestu collocata, ut flammæ infinito acrior vis est, quo ex majore incendio emicuit, ait Seneca lib. 2. de Benef. cap. 27. Tales fuerunt Æneanes, qui ex oraculo persuadebant fore ut patriam terram amitterent, si particulam aliquam largirentur, ut ait Plutarch. in Quæst. Græcan. c. 14. Et illi de quibus Arnobius, l. 2. contra Gentes : *Exercent*, ait, *avidum atque injustissimum fænus, et è miserorum sanguine supputandi se augent insania : millibus possessionum semper producunt fines, et quamvis provincias totas rus faciant unum, pro arbore una, pro sulco forum litibus terunt : cum amicis, fratribus inexpiabiles suscipiunt simultates.* Vere Cyprian. epist. 2 : *Nec intelligit miser avarus*, inquit, *speciosa sibi esse supplicia, auro se alligatum teneri, possideri magis, quàm possidere divitias atque opes. O detestabilis cæcitas mentium, et cupiditatis insanæ profunda caligo! cum exonerare se possit et levare ponderibus, pergit magis fortunis augentibus incubare, pergit cumulis pertinaciter adhærere.*

Quocirca Patres omnes acriter avaritiam et avaros insectantur, ac imprimis S. August. cujus hæc de ea sunt axiomata. Primum : Avaritia duriora jubet quàm Christus. *Quid vis*, inquit, in Psalm. 12. 8, *ab avaritia possideri? dura jubet, levia jubeo : onus ejus grave, sarcina mea levis est. Jubet avaritia ut mare transeas, et obtemperas. Jubet ut te ventis procellisque committas. Jubeo ego ut ante ostium tuum ex eo quod habes des pauperi. Piger es ad faciendum ante te opus bonum, et strenuus es ad transeundum mare : quia avaritia imperat, servis; quia Deus jubet, odisti.* Secundum in Psalm. 30. conc. 3 : *Dico*

avaro, quare invocas Deum? ut det tibi lucrum. Lucrum ergo invocas, non Deum. Ministrum lucri tui facis Deum. Viluit tibi Deus. Deus si ad te veniat sine auro et argento, non vis illum. Quid ergo tibi de his quæ fecit Deus sufficit, cui Deus ipse non sufficit? Tertium in Psalm. 38: *Vide, ô avare, ne forte dum colligis, colligaris; ne forte cum vis esse prædo minoris, sis præda majoris. Non enim sentis te esse in mari, nec cernis minores pisces à majoribus devorari. Dic mihi, thesaurizas, cui congregabis ea? Dicturus es: Filiis meis servo. Hæc est vox pietatis, excusatiò iniquitatis. Servas transiturus transituris, imo vero transiens transeuntibus. Scis eum possessurum cui servas, aut si nondum natus est, scis nasciturum? Servas filiis, incertum est an futuris, an possessuris: nec reponis thesaurum ubi reponendus est: Thesaurizate vobis thesaurum in cœlo.* Quartum in Psalm. 137: *Avaris etiam ipsa fecunditas* filiorum (quæ cæteris felicior est) *molesta est. Timent enim ne pauperes relinquantur, qui multi nasci potuerunt.* Quintum, Auctor serm. ad Fratres in eremo, qui exstat tomo 10. S. August. serm. 48: *O homo,* ait, *an ignoras quod radix omnium malorum avaritia est, et servitus idololatriæ, mater usuræ, genitrix simoniæ, fomes culpæ, æternæ pœnæ via, nutrix gehennæ? O avaritia abyssus insatiabilis! Omnia in homine senescunt vitia, sola avaritia juvenescit.* Deinde subdit quàm fatuum sit filiis vel nepotibus thesaurizare, qui eos in morte deserunt. *O admirabilis infidelitas! ecce maritus dilectus ab uxore dilecta relinquitur, filius à matre projicitur, et pater à filiis, et filii à patre sub terra reconduntur. Solus ille dimittitur, et quilibet ad propria revertitur, et cito oblivioni traditus tanquam mortuus à corde.* Et sub finem: *Memorare novissima tua, quia conceptus es in culpa, natus in pœna, vivens in miseria, et necessario morieris in angustia.* Sextum, lib. de Conflictu virtut. et vitior. cap. 16: *Avaritiæ morbus nunquam melius compescitur, nisi cum dies mortis sine fine meditatur, cum qualis post modicum in sepulcro futurus sit homo considerat. Hoc certe fixum manebat in illius* (S. Job cap. 15.) *corde qui dicebat: Homo putredo, et filius hominis vermis. Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc. Et Apostolus: Nihil intulimus in hunc mundum, sed nec auferre quid possumus.* Septimum, lib. de Salutar. documen. cap. 30: *Avarus vir inferno est similis. Infernus enim quantoscumque devoraverit, nunquam dicit: Satis est; sic etsi omnes thesauri confluxerunt in avarum, nunquam satiabitur.*

S. Ambrosii hæc de avaritia axiomata sunt. Primum, lib. 1. in Lucam sub finem: *Est ærugo mentis, cum secularium sordibus cupiditatum religiosæ acies intentionis obducitur, aut fidei puritas decoloratur nube perfidiæ.* Secundum, lib. 2. Offic. cap. 21: *Avaritia est veluti quædam bonorum ariditas officiorum.* Tertium, serm. in Domin. 8. post Pentecost. docet avarum esse similem insanienti, eumque semper aurum cogitare, omniaque in aurum convertere, ac gratius aurum intueri quàm solem. Unde concludit: *Caveamus exemplum divitis istius, qui dum præsentes divitias concludit, et de futuris sollicitudinem gerit, divitiis pariter abreptus, et vita protrahitur ad tribunal horrificum, in quo accusatrix quidem ejus assistit ipsa illa, quæ et totius ejus vitæ comes exstitit, avaritia; defensor vero et intercessor nusquam ullus apparet.* Quartum, serm. 13: *Qui pecuniam appetit, fidem perdit: qui aurum redigit, gratiam prodigit. Avaritia enim cæcitas est, errorem religionis inducit. Cæca, inquam, est avaritia, sed diversis fraudum oculata ingeniis: non videt quæ divinitatis sunt, sed cogitat quæ cupiditatis sunt.* Quintum in Ps. 38: *Fides militat Deo, avaritia tentatori* (diabolo.) Sextum, lib. 1. Offic. cap. 49: *Sæpe quod avarus summa congesserit sollicitudine, præcipiti effusione dilapidat hæres luxuriosus, et diu quæsita turpis helluo, præsentium cæcus, futuri improvidus, quadam absorbet voragine.*

Ut cæteros prætercam, S. Isidorus Pelusiota, S. Chrysostomi discipulus, monachorum Pelusiaci montis in Ægypto Abbas, doctrina et sanctitate illustris, sub Theodosio Juniore anno Domini 440, epistola 233, egregie docet quantum vulnus capiti totique homini infligat avaritia, dum eum tantum non mutilat, et truncat oculis, auribus, pedibus, etc. Primo enim graphice eam comparat hydræ, quæ ventrem habet inexplebilem, et Briareo centum manibus armato, ac Scyllæ, quæ omnia sorbet: *Deinde feminæ, belluina,* ait, *forma præditæ, ignemque spiranti, ac sexcentas viperas crinium loco in capite habenti, perpetuo sibilantes ac mortiferum venenum evomentes; sexcentis item manus unguibus abundantes, quarum opera alios lacerat, alios sagittis impetit, ab aliis pecunias extorquet. Ac denique sexcenta ora. Neque enim minatur duntaxat, aut calumnias struit; verum etiam adulatur, ac servilem in modum alloquitur, et pejerat, turpisque quæstus causa innumeras occasiones excogitat.* Mox ejus oculos depingit: *Oculos habet, non ut naturæ consentaneum est cernentes, aut quemquam verentes, non amicum, non fratrem, non cognatum, non benefactorem; verum asperum quiddam et acre, atque crudele et inhumanum, igneumque obtuentes.* Paulo post aures et pedes ita describit: *Aures usque adeo septas et obturatas habet, ut nec supplices preces, nec gemitus, nec fletus, nec vituperationes audiat. Tantum vero abest ut pennas habeat* (*quæ saturitatem designant*), *ut ne pedes quidem ipsi vir ullus cordatus tribuere queat. Neque enim ingredi, atque ab eo qui captus est secedere potest; verum manus in omnes immittens, ferro quovis ac plumbo gravior insidet, ut omnia accipiat et omnes expilet, nunquam autem expleatur; verum eorum quæ accipit multitudinem, fomitis et incitamenti materiam habeat, rerumque acceptarum finem accipiendarum initium efficiat.* Unde concludit: *Ecquis igitur acerrimo hujusmodi et inexplebili furore, atque innumera peccata et maledicta, et dedecora et intemperantias ac petulantias nobis conflante capiatur? Ecquis animum inducat, tum in hac vita misere vivere, ut dies noctesque velut flagris quibusdam laceretur, nec requiem ullam aut somnum sentiat; et in futura suppliciorum atque cruciatuum initium accipere. Quid autem initium dico? Hic enim eos quos ceperit, tyranno quovis acerbius torquet et excruciat, imo graviorem eis pœnam infert quàm ii luant, qui ad metalla damnati sunt; nam illis, confecto opere, somno ac quiete frui licet; his autem ea somni quoque portum velut aggesta terra obstruens, noctu quoque sæva illa et inhumana edicta proponit. Est ergo bellua terra, ignem spirans, oculis auribusque capta, exsecranda, Deo invisa, implacabilis et crudelis.*

ET NOVISSIMUM EORUM IN GLADIO INTERFICIAM.]

Novissimum, id est, ultimum, aut abjectissimum et vilissimum, q. d. Omnes Israelitas usque ad ultimum et vilissimum gladio occidam. Loquitur enim de infinita multitudine quæ in Samaria, vel, ut alii volunt, in Jerusalem obsessa, et paulo post expugnanda, erat trucidanda. Est hyperbole : *omnes*, id est, plerosque omnes ; nonnullos enim evasisse, et cladi fuisse superstites constat ; sed ii respectu cœlorum fuere perpauci.

2. Si descenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos.] Pro *descenderint*, Hebr. est יחתרו *iachteru*, quod Septuag. passive vertunt : *Si defodiantur in infernum*, Paguin. et Vatablus active : *Si foderint in inferno*, q. d. Si Israelitæ scrobem aut foveam foderint in inferno, ut in ea se abscondant à conspectu meo, inde extraham eos ad supplicium. Similiter : *Si ascenderint usque in cœlum, inde detraham eos.* Est hyperbole : per foveam enim inferni accipit foveam profundissimam, adeo ut videatur usque ad infernum descendere ; per cœlum intelligit montes altissimos, qui suo vertice cœlum tangere videntur. Ita S. Hieron. Chald. Lyranus et Arias. Aut certe proprie accipit cœlum et infernum, q. d. Si fieri posset ut in infernum descenderent, aut in cœlum ascenderent, inde tamen per Assyrios detraham eos. Ita Vatablus. Simili modo S. Job immensitatem et omnipotentiam Dei, quam nemo evadere potest, describit cap. 11. 8 : *Excelsior*, ait, *cœlo est, quid facies ? profundior inferno, et unde cognosces ? Longior terra mensura ejus, et latior mari.* Et Psaltes psalm. 138. 7 : *Quò ibo à spiritu tuo, et quò à facie tua fugiam ? si ascendero in cœlum, tu illic es ; si descendero in infernum, ades ; si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris ; etenim illuc manus tua deducet me.* Ita manu sua claudit homines et creaturas omnes, qui tribus digitis appendit molem terræ, et montes palmo ponderat.

3. Et si absconditi fuerint in vertice Carmeli.] Duo erant Carmeli montes, unus in Judæa, ubi versati sunt Nabal et David, 1. Reg. 25. 2; alter in Israel, imminens mari Mediterraneo, ubi versatus est, et latuit fugiens à facie Jezabel Elias, Elisæus et filii Prophetarum. De eo videtur hîc agi, quia fit hîc mentio maris, et quia in Israel et contra Israel vaticinatur Amos.

Et si celaverint, id est, celare conati fuerint (revera enim nemo celari potest) se ab oculis meis in profundo maris, in insulis maris Mediterranei, ibi mandabo serpenti,] id est, hominibus feris et serpentinis, ut eos trucident, inquit Chald. et Arias. Sic Attila Hunnorum rege vastante Italiam, direptisque Aquileia, Ticino et Mediolano, cum infestus pergeret Romam, quam utique cepisset, nisi occurrens S. Leo eum avertisset, multi ex Italia, ut Hunnorum manus evaderent, profugerunt ad mare, puta ad insulas et æstuaria barbaris inaccessa, ibique urbem adventantium, puta Venetorum, condiderunt anno Domini 452, qui fuit Leonis Pontif. primi 13, Valentiniani Imp. 28, Marciani 3. Atque hæc est nobilis Venetiarum urbis et Reipubl. origo. Ita Baron. anno Christi 452.

Secundo, simplicius S. Hieronym. Theodor. Albert. et alii proprie accipiunt hîc profundum maris pro ipso fundo maris, ut vertit Vatablus. Quamobrem Pagninus transfert : *In pavimento maris* ; hoc enim proprie hebr. significat בקרקע *karka*, scilicet pavimentum, fundum, solum : deducitur enim per metathesin à rad. רקע *raka*, id est firmavit, extendit, solidavit. Unde *rakia* vocatur firmamentum. Quocirca Septuag. vertunt : *Si mersi fuerint ex oculis meis in fundamenta maris*, q. d. Etiamsi se mergant in fundum maris, ut ibi ab oculis et ira mea se abscondant, ibi tamen videbo eos. Est hyperbole.

Et mandabo serpenti.] Septuag. *draconi*, hoc est pisci alicui ingenti et horrido, v. g. ceto, ut mordeat et devoret eum : *mandabo*, id est, dabo illi hunc instinctum, et hanc phantasiam mordendi et devorandi ; bruta enim hunc phantasiæ instinctum sequuntur quasi legem naturæ sibi à Deo inditam. Sic ceto dedit instinctum ut absorberet Jonam, cap. 2. v. 1, ad quem hîc alludi censet S. Hieron. Simili modo Deus dicitur mandare pesti, fami, gladio, cum ea exerit et immittit provinciis vel urbibus.

Tropol. S. Gregor. in Psalm. 7. Pœnitent. *Quid est*, ait, *celari in profundo maris, nisi in altitudine delitescere desperationis ? Celat vero se qui non confitetur peccata sua ; non confitetur autem qui desperat de misericordia Dei, vel certe ille se ab oculis Dei celat, qui à mandatis ejus avertitur. Oculi enim Domini spiritus Dei, qui legem, id est mandata, dedit. Qui ergo se ab oculis Dei in profundo desperationis celaverint, potestatem accipit diabolus ut eos mordeat, et ut in ventrem eos suæ malitiæ inducat. Ipse est enim serpens cui dictum est : Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.*

4. Et si abierint in captivitatem coram inimicis suis, ibi mandabo gladio, et occidet eos,] q. d. Quod si non fuerint occisi in Samaria, faciam ut occidantur in Assyria à suis hostibus, puta ab Assyriis. Sic Romani captivos aliarum gentium, quos Romam ducebant in triumphum, post triumphum jugulabant. Secundo, Arias et à Castro *gladium* per catachresim accipiunt pro misera et ærumnosa vita et servitute, quam acturi erant Israelitæ in Assyria : servitus enim in Jure æquiparatur morti, vocaturque *mors civilis* : nam Israelitas in Assyria occisos non legimus. Verum multa à Prophetis prædicta sunt, quæ expleta non dubitamus, etsi in historiis id scriptum non legamus. Prior ergo sensus uti litteralior, ita genuinior et communior, puta S. Hieron. Remig. Albert. Lyrani et Vatabli.

Et ponam oculos meos super eos in malum, et non in bonum,] q. d. Ubique eis malefaciam, ubique affligam et puniam, donec perdam eos. Ita Vatabl. Nota : Negatio illa, *et non in bonum*, magnam auxesim continet, q. d. Nil boni, sed omne malum eis afferam et infligam.

5. Et Dominus Deus exercituum, qui tangit terram, et tabescet.] Arias, *et sterilescit*, sive fit sterilis ; Tigur. *et liquescit* ; Pagnin. *et defluit* ; Septuag. *et commovet eam* ; quia, ut ait S. Hieron. concutiet fundamenta terræ. Hebr. תמוג *tamog* proprie significat *resolvi, liquescere*, ut cera ad ignem, nix ad solem in aquam resolvitur et liquescit, q. d. Ne vanas Dei minas putetis, scitote eum tam esse terribilem, quàm omnipotentem ; ipse enim solo attactu virtutis suæ, imo solo nutu facere potest, facitque interdum ut terram tabescat et consumatur, uti dum dedit legem in Sina, mons Sina fumo et igne tabescere videbatur, Exodi 19 et 20, juxta illud : *Qui tangit montes et fumigant* ; aut facit ut terra in aquam mergatur, vel vertatur et diffluat, uti fecit in diluvio tempore Noe, et in

mari Rubro, dum per illud sicco alveo traduxit Hebræos; insequentem vero Pharaonem et Ægyptios redeuntibus aquis involvit et obruit. Sic sæpe insulas et continentem mari mergit, et in mare convertit. Simili modo, esto non eodem, Samariam per Assyrios vastabit, consumet, et quasi tabescere faciet. Hoc est quod dicitur Psalm. 17. 8 : *Commota est et contremuit terra, fundamenta montium conturbata sunt et commota sunt, quoniam iratus est eis*; et v. 16 : *Et apparuerunt fontes aquarum, revelata sunt fundamenta orbis terrarum ab increpatione tua, Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ*; et Isaiæ 64. v. 1 : *Utinam dirumperes cœlos, et descenderes! à facie tua montes defluerent, sicut exustio ignis tabescerent, aquæ arderent igni.*

6. ET ASCENDET SICUT RIVUS.] Hunc versum iterat et repetit ex c. 8. 22. ubi eum explicui.

QUI ÆDIFICAT IN COELO ASCENSIONEM SUAM.] Hebr. מעלותיו *maalotau*, id est, *ascensiones* (ita Syrus) *suas*; Vatabl. *gradus suos*, q. d. Qui fecit cœlum quod multis sphæris constat quæ certum ordinem habent inter se, ac velut gradus, per quos ascenditur gradatim usque ad cœlum summum et empyreum. Probat omnipotentiam et sapientiam Dei ex rebus creatis, ac præsertim ex cœlis. Unde Pagnin. *Qui ædificat in cœlo sphæras ejus, et elementa tria ejus super terram fundavit*; Arabicus Alexandrinus : *Qui ædificavit cœlum et superiora, qui firmavit pactum suum super terram*. Secundo, ascensio, vel ascensiones, vocatur altissimum Dei palatium in cœlo, ad quod multis ascensionibus scandendum est. Unde Chald. vertit : *Qui collocavit in excelso majestatem gloriæ suæ*. Ita Theodoret. Lyran. Arias, Mariana et alii. Hinc et Arabicus Antiochen. vertit : *Qui ædificat cœlum quasi tabernaculum, et præparatio ejus in terra dirigitur*. Est metonymia : ponitur enim ascensio pro suî termino, puta cœlo, in quod ascenditur. Sic sæpe actio capitur pro loco, in quo actio exercetur; ut oratio pro oratorio, in quo oratur; cœnatio pro cœnaculo, in quo cœnatur; deambulatio pro ambulacro, in quo ambulatur. Sic congregatio, quies, Ecclesia, mansio, habitatio locum significant illis actionibus destinatum. Ita Sanchez.

Mystice, R. Haccados apud Galatin. lib. 7. cap. 15 : *Via*, ait, *aquilæ in cœlis, est rex Messias, qui post passionem suam ascendet in cœlum, sicut dictum est Amos cap. 9 : Qui ædificat in cœlo ascensionem suam*. Unde et Tertull. lib. 4. contra Marc. c. 34. sic legit et explicat : *Ad quam* (resurrectionis promissionem) *ascensum suum Christus ædificat in cœlum, secundùm Amos : utique suis : ubi est et locus æternus, de quo Isaias : Quis annuntiabit vobis locum æternum, nisi scilicet Christus incedens in justitia?* Isaiæ 33.

Tropolog. S. Hieron. Remig. et Hugo per *ascensiones* accipiunt viros sanctos, quorum conversatio in cœlis est, quique eò ascensiones in corde suo disponunt, ut ait Psaltes psalm. 83. vers. 6, euntque de virtute in virtutem, donec videant Deum deorum in Sion. *Deus*, ait S. Hieron. *quotidie credentes de terris ad cœlum levat, ut in illis conscendat : Ascendit Dominus in cœlum cum Enoch : ascendit cum Elia : ascendit cum Moyse, cujus sepulturæ locus, quia in cœlum ascenderat, in terra non potuit inveniri : ascendit cum Paulo in tertium cœlum.*

ET FASCICULUM (Syrus vertit, *promissionem*; Arabicus Alexand. *pactum*; Arabicus Antioch. *præparationem*) SUUM SUPER TERRAM FUNDAVIT.] Primo, Lyran. Clarius et Vatabl. *Fasciculum*, inquiunt, vocat colligationem trium elementorum, puta ignis, aeris et aquæ, quæ in terra quasi basi et centro fundata sunt. Unde Pagnin. vertit : *Et elementa tria ejus super terram fundavit*. Hæc enim opponit ascensionibus, id est, sphæris cœlestibus, q. d. Sicut Deus ædificavit magnas multasque, et tot stellis illustres sphæras in cœlo; ita pariter in terra fundavit tria rerum omnium sublunarium elementa, ex quibus cætera omnia fabricavit, eaque apta serie, ordine et nexu compaginavit, et quasi in unum fasciculum colligavit. Hic sensus videtur genuinus : celebrat enim Dei magnificentiam ex fabrica cœli et terræ. Unde et sequitur : *Qui vocat aquas maris, et effundit eas* (vel per exundationem ex hoc suo alveo, vel per pluviam ex nubium fasciculo) *super faciem terræ*. Ipse enim *ligat aquas in nubibus suis*, quasi in fasciculo, *ut non erumpant pariter deorsum*, Job 26. 8. Secundo, Sanchez per *fasciculum* intelligit scabellum; in scabello enim est colligatio, vel lignorum et asserum, vel tomentorum et pannorum, puta cum scabellum est pulvinar, quod pedibus principum substerni solet instar scabelli, q. d. Dei sedes et thronus est cœlum, scabellum vero est terra, et omnia quæ super eam sunt.

Tertio, alii per *fasciculum* intelligunt legem multiplicem, qua Deus homines quasi colligat et coercet; ac, si eam violent, in ergastulo alligat et constringit.

Verum primus sensus est genuinus. Hebr. enim אגדה *aggudda* proprie significat aggregationem, turbam, turmam, congregationem, colligationem, facem, conglobationem, globum, ut patet 2. Reg. 2. 25; quod ultimum huic loco optime congruit. Mundum enim sublunarem vocat conglobationem, vel globum elementarem, sicut à Mathematicis idem vocatur globus vel sphæra terrestris. Hic ergo globus vocatur *fasciculus*. Primo, ob rerum aggregationem : quia sicut fasciculus ex multis lignis, floribus, vel herbis componitur; ita et globus hic terrestris ex multis elementis, mixtis et compositis conflatur. In eo enim sunt variæ species herbarum, arborum, plantarum, animalium, avium, piscium, lapidum, gemmarum, etc. mixtorum enim innumeræ sunt species. Simili modo de damnatis ait Isaias cap. 24. 22 : *Congregabuntur in congregatione unius fascis* (instar fascis) *in lacum*. Secundo, globus hic vocatur *fasciculus*, ob rerum tam variarum, tam disparium, tam inæqualium, tam contrariarum et inter se pugnantium conjunctionem, et amicam consociationem. Deus enim sphæram hanc ex tam variis et contrariis apte colligavit, sicut fascis ex lignis tortuosis, rubis et spinis à perito bajulo apte colligatur. Tertio, fasciculus significat unam esse mundi inferioris congregationem et rempubl. in qua res diversissimæ et plurimæ quasi in fasciculo alligatæ et congregatæ sunt à Deo. Unde rursum fasciculus significat Dei providentiam et curam, qua mundum hunc quasi suum fasciculum in hac unione et colligatione tuetur et conservat, ne elementum unum destruat contrarium, ne lupi devorent omnes oves, ne ignis omnia comburat, etc. Quarto, vocatur diminutive *fasciculus*, non fascis : quia in ma-

nibus Dei, qui, ut ait Isaias, tribus digitis appendit molem terræ, est instar exigui fasciculi. Quinto, quia ob sui elegantiam, in oculis et naribus Dei est quasi fasciculus aromatum vel florum. Unde fasciculus subinde idem est quod olfactoriolum. Ita Cicero 3. Tuscul. *Fasciculum*, ait, *ad nares admovebis, incendes odores, et sertis redimiri jubebis et rosa.* Et sponsa Cant. 1: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* Sexto, fasciculus significat singularum rerum et specierum inter se aptum ordinem et collocationem, ut quasi in fasce unaquæque suo loco apposite et congrue ordinata et collocata esse videatur; in hoc enim ordine elucet mira Dei ordinatoris sapientia et providentia. Narrat Gellius, lib. 5. cap. 3, Protagoram ex bajulo per fasciculum factum esse philosophum. Cum enim ipse in agro caudices ligni plurimos valde concinne colligasset in unum fasciculum, eumque humeris portaret, occurrit ei Democritus philosophus: *Videt eum cum illo genere oneris tam impedito, ac tam incoibili facile atque expedite incendentem. Et prope accedit, et juncturam posituramque ligni scite periteque factam considerat; petitque ut paulum acquiescat. Quod ubi Protagoras, uti erat petitum fecit; atque itidem Democritus acervum illum et quasi orbem caudicum brevi vinculo compressum ratione quadam quasi geometrica librari continerique animadvertit, interrogavit quis id lignum ita composuisset. Et cum ille à se compositum dixisset, desideravit uti solveret, ac denuo in modum eumdem collocaret. At postquam ille solvit, ac similiter composuit, tum Democritus animi aciem solertiamque hominis non docti demiratus: Mi adolescens, inquit, cum ingenium bene faciendi habeas, sunt majora melioraque quæ facere mecum possis. Abduxitque eum statim, secumque habuit, et sumptum ministravit, et philosophias docuit, et esse eum fecit, quantus postea fuit.* Si in Protagoræ fasciculo coordinationem lignorum, concinnitatem et ingenium mirabatur Democritus, quis non miretur in hoc Dei fasciculo et globo sublunari adeo concinnam et sapientem tot generum, tot specierum, tot individuorum diversissimorum, imo inter se pugnantium dispositionem, connexionem et ordinem? Quis non exclamet cum Sapiente, cap. 11. 21. et cum Apostolo, Rom. 11: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!* quàm apposite *omnia in mensura, numero et pondere disposuisti!* imo in uno quasi fasciculo colligasti!

Mystice, *fasciculus* hic est Ecclesia cœtusque fidelium Israelitarum, quos Deus fasciculo legis, æque ac providentiæ suæ fortiter colligatos, in terra Chanaan collocavit et formavit, uti pepigit et promisit. Unde Chald. vertit: *Et Ecclesiam suam in terra decoravit.* Ita Ruffin. Hugo et Dionysius.

Anagog. *fasciculus* hic est sanctorum et electorum, vinculo charitatis in terra, et vinculo prædestinationis in mente Dei colligatus, de quo in Evangelio: *Ne timeas, grex parvule, quia complacuit patri meo habitare in te*, inquit S. Hier. qui et de eo ita loqui pergit: *Fasciculus una Domini religione constrictus est; unde et ipsa religio à religando, et in fascem Domini vinciendo nomen accepit.* Septuag. vertunt: *Repromissionem suam fundat super terram, ut omnes illius repromissiones, quas* (de Christo et Christianis) *SS. Prophetæ suo ore cecinerunt, fundentur in terra, etc. ut quotidie peccato mortui, et vitiorum funibus alligati* (instar Lazari à Christo suscitati) *de sepulcro scelerum suorum jubeantur exire: quotidie sanguinis opera constringantur, etc.* Sic 1. Reg. 25. 29. Abigail ait David: *Erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viventium; porro inimicoram tuorum anima rotabitur in impetu et circulo fundæ*, q. d. Diutissime et securissime vives: hostes vero tui ruent in interitum, nam res recondita in ligamine, quo ligantur vitæ, seu vivi, ad hoc reconditur, ut servetur inter vivos; quod vero ponitur in funda, ad hoc ponitur, ut funda illud ejaculetur, ait ibidem Cajetan. Anagogice id ipsum de electis et reprobis exponunt ibidem Eucherius et Angelomus. Fasciculus, inquiunt, viventium est numerus prædestinatorum, idque primo, quia, ut ait Eucher. fasciculus astringitur ut conservetur, pari modo electi afflictionibus constringuntur, ut Deo fidem servent: reprobi vero, qui laxius vivunt, quasi lapides fundæ à Deo abjiciuntur. Secundo, quia, ut ait idem Eucher. sicut fasciculus vinculo colligatur, ita sanctorum cœtus eadem fide et spe, eodemque charitatis nexu constringitur, et uno eodemque Dei præsidio undique vallatur. Tertio, quia, sicut fasciculus florum in manu ad oblectationem gestatur, ita electos omnes Deus in manu sua gestat, et virtutum odore qui ex illis continuo efflatur, mire delectatur. Quarto, quia sicut fasciculus non nisi ex certis iisque selectis floribus conficitur; ita electorum numerus ex certis, iisque selectis, ac charitate omnique virtute præstantibus constituitur.

Qui vocat aquas maris.] Tigurina, *qui evocat ad se aquas maris*, scilicet resolvendo aquas per calorem solis in vaporem, eumque ad se sursum elevando in mediam aeris regionem: ubi facit eum concrescere in nubem, et nubem vi solis resolvit in pluviam, quam effundit super terram. Ita S. Hieron. Theodor. Hugo, Lyran. et Vatabl. Solus Arias hæc accipit de exundatione maris, qua vicinam terram obruit. Symbolice Chald. per aquas accipit turmas Assyriorum, quasi Deus hic Israeli minetur eorum adventum.

7. Numquid non ut filii Æthiopum vos estis mihi, filii Israel?] Primo, Chald. vertit: *Numquid non ut filii dilecti reputati estis vos coram me?* Videntur enim Æthiopes Judæis ob coloris differentiam et singularitatem, quasi quid rarum et mirabile fuisse in pretio et in deliciis, uti etiamnum principes in suis aulis alunt Æthiopem, vel Pygmæum ad delicias, et ad ostentationem. Unde et Num. 11. 1. uxor Mosis Æthopissa, à Chaldæo vocatur uxor pulchra: nisi dicas esse antiphrasin, pulchra, id est, atra et deformis. Et vice versa, Æthiops, id est, minime Æthiops et niger, sed candidus et speciosus. Unde sic ex Hebræo vertas: *Numquid sicut filii Æthiopum vos mihi estis, ô filii Israel?* q. d. Minime: nam Æthiopes sunt atri, deformes, invisi; vos vero mihi estis candidi, formosi, gratiosi et dilecti. Porro hanc dilectionem, æque ac versum sic explicat Arias, q. d. Æthiopes sunt symbolum servitutis: ab olim enim à Noe servituti sunt addicti, cum dixit Genes. 9. 25: *Maledictus puer Chanaan, servus servorum erit fratribus suis;* à Cham enim ortus est Chanaan, et frater ejus Chus, qui fuit pater Æthiopum, qui inde Hebr. vocantur *Chusim* Genes. 10. 6. Vos

ergo, ô Israelitæ, fuistis quasi Æthiopes, cum ab Ægyptiis aliisque gentibus dura servitute premeremini, sed ego vos diligens ea vos liberavi mihique ascivi. Æquum ergo est ut me redametis, mihique quasi liberatori et Domino vestro serviatis.

Secundo et aptius, Syrus et Arabicus hæc assertive accipiunt, quasi dicat: Vos, ô Israelitæ, similes estis Æthiopibus; quia sicut Æthiopes ex Ægypto traduxi in Æthiopiam (hæc enim sita est ultra Ægyptum, illique adjacens et quasi subjecta est) : ita et vos ex Ægypto traduxi in Chanaan. Unde explicans mox subdit : *Numquid non Israel ascendere feci de terra Ægypti?* Huic etiam consonat quod præcessit : *Et fasciculum suum super terram fundavit*, q. d. Deus Israelem quasi suum fasciculum et peculium ex Ægypto traduxit in Chanaan, ibique eum stabilivit et fundavit. Item illud vers. 5 : *Et defluet sicut fluvius Ægypti.* Persistit enim in comparatione Nili et Ægypti, q. d. Nolite gloriari quod patrem habeatis Abraham, qui proximiores parentes habetis Ægyptios. Ibi enim nati sunt Moses, ejusque coævi patres vestri, quos ex Ægypto traduxi in Chanaan, perinde ac Æthiopes ex eadem traduxi in Æthiopiam : vos ergo estis congeneres, et quasi fratres Æthiopum, tum origine et genere, tum moribus. Estis enim atri, deformes, indurati, et immutabiles in sceleribus vestris, ut non tam Abraham, quàm Æthiopum fratres et filii esse videamini, ideoque vos à me abjiciam tradamque Assyriis. Simili modo ait Jerem. cap. 13. 23 : *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, et vos poteritis benefacere, cum didiceritis male.* Et Ezech. 16. vers. 3 : *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa.* Unde S. Hieron. *In omnibus*, ait, *Script. Æthiopes dicuntur qui penitus in vitia demersi sunt.* Ita S. Chrysost. hom. 11. in Matth. Lyran. Pagnin. Vatabl. et Ribera. Huc spectant vulgata adagia : *Æthiopem lavas*, id est, tentas rem frustraneam et impossibilem ; Æthiops enim quantavis lotione, quantovis lixuvio non albescit. *Æthiopem ex vultu judico :* Æthiops enim nigrore vultus, intortis capillis, labris tumentibus, dentium candore præ se fert patriam suam; nam vestem mutare potest Æthiops, faciem non potest. Hinc epigramma Luciani :

> Abluis Æthiopem frustra, quin desinis artem ?
> Haud unquam efficies nox sit ut atra dies.

Monebat Pythagoras ne gustaremus de his quibus nigra est cauda, quo vetabat cum iis versari qui nigri essent morum improbitate. Thren. 4. v. 4 : *Candidiores Nazaræi ejus nive, candidiores lacte*, nimirum cum pure vivebant; cum caste Deum colebant; at cum pure et inceste, *denigrata est super carbones facies eorum.* Porro licet quævis improbitas vocetur *nigredo*, tamen proprie ita vocatur detractio, qua quis alienam famam, et suam conscientiam denigrat : quocirca *niger* vocatur invidus, detractor, calumniator. Ita in titulo psalm. 7. Saul Davidis insectator vocatur Chus, id est, Æthiops. Et Horat. satyra 4. l. 1 :

> Absentem qui rodit amicum, *etc.*
> Hic niger est; hunc tu, Romane, caveto.

Hinc vulgare Proverbium : *Albus, an ater sis nescio.* Et :

> Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Candor enim candidi animi, nigror maligni est symbolum. Addit S. Hieron. Remig. Rupert. et à Castro Deum hìc significare suam potestatem et ultionem in gentibus transferendis et evertendis, q. d. Vos, ô Israelitæ, non superiores, ut jactatis, sed pares per omnia estis aliis gentibus. Nam æque ac Æthiopes, Palæstini et Syri à me creati, pari jure mihi subditi estis. Unde pari providentia, qua illas gentes in suis provinciis collocavi, collocavi et vos in Chananæa : atque pari justitia, qua illas ex iisdem ob scelera expuli et contrivi, etiam vos è Samaria expellam et conteram. Unde subdit : *Ecce oculi Dei super regnum peccans, et conteram illud à facie terræ.* Porro quomodo et quando Æthiopes à Deo expulsi aut contriti sint, non liquet. Aliqui referunt hoc ad bellum quod Moses nomine Pharaonis gessit contra Æthiopes, quo eos subegit, uti narrat Joseph, l. 2. Antiq. c. 5. Verum historia hæc dubia est, quæ solo nititur Josepho ; atque idem addit, illo bello, Mosen non contrivisse Æthiopes, sed ad pacem coegisse, ac ducta regis Æthiopum filia in uxorem, amicum, imo generum ex ea recessisse.

Alii probabilius id referunt ad Asa regem Juda, qui millionem Æthiopum cum suo duce Zara cecidit, 2. Paralip. 14. v. 9. et 13. Verum hi cæsi sunt extra Æthiopiam, nec Asa Æthiopes coegit mutare sedes, aut ex Æthiopia in aliam regionem traduxit. Hæ ergo historiæ notæ erant tempore Amos: unde ipse de iis quasi tunc publicis loquitur; forte etiam conscriptæ fuerunt in Chronicis illius ævi, quæ jam non exstant. Nam multi libri sacri, æque ac profani per tot annorum centurias, totque urbium et bibliothecarum exustiones aut vastationes, perierunt.

Et Palæstinos de Cappadocia.] Cappadoces, hebr. כפתרים *caphtorim*, occuparunt Palæstinam, exclusis ab ea Hevæis primis incolis, uti narratur Deuteronom. 2. 19. et Jerem. 47. 7. Vide ea quæ utrobique dixi. Et Syros de Cyrene,] q. d. Cyrenenses venientes ex *Kir*, urbe et regione Assyriæ (uti dixi cap. 1. vers. 5; male ergo Theodor. censet *Kir* esse Haran, sive Charras urbem Parthorum, in quam ex Ur, urbe Chaldæorum, Deus traduxit Abraham cum Thare, Genes. 11. 27.) transtuli in Syriam Damasci, quæ prius ab Aram filio Sem, vocabatur *Aram;* à novis vero hisce incolis venientibus ex *Kir*, dicta est *Kiria*, indeque, ut nonnulli putant, euphoniæ causa *Syria*, sicut postea vice versa, cum Teglatphalasar expugnavit Damascum, ex ea rursum transtulit Syros in Mediam et Assyriam, puta in Kir, ex qua olim venerant. Sensus est, q. d. Ne blandiamini vobis, ô Israelitæ, de mea in vos cura et providentia, qua vos olim eduxi de Ægypto et collocavi in Chanaan. Nam pari modo Cappadoces collocavi in Palæstina, Kirenses in Syria ; et tamen illos ob sua scelera Palæstina per vos expuli, hos Syria per Teglatphalasar expellam. Scitote ergo me idem vobis facturum, ni scelera vestra castigetis, vitamque et mores emendetis. Nominat Palæstinos et Syros, quia his contermini tam situ quàm moribus erant Israelitæ ; unde tacite eos taxat: Syri enim male audiebant olim ob morum mollitiem. Unde proverbium : *Cum non sis Syrus, ne syrissa*, id est, ne sumas personam parum decoram, aut, cum sis ingenuus, ne moribus agas servum et barbarum. Est acutus jocus ex amphibolia verbi συρίζω, quod significat syris-

sare et fistula canere. Et Cicero, l. 2. ad Q. fratrem : *Nos*, ait, *ita philologi sumus, ut vel cum fabris habitare possimus. Habemus hanc Philosophiam non ab Hymetto, sed ab area* (aliqui legunt hara) *Syra*, id est, à rusticana simplicitate.

8. Verumtamen conterens non conteram,] q. d. Plane et omnino non conteram Israelem, sed reliquias ex eo servabo et salvabo.

9. Sicut concutitur triticum in cribro.] Romæ enim et alibi in Italia cribrant frumentum, cribroque pro vanno utuntur. Idem videntur fecisse Israelitæ, uti hîc indicat Amos, q. d. Sicut cum frumenta ventilantur in vanna, ut vertit Tigurina, vel cribrantur in cribro, paleæ vel avolant, vel per foramina cribri decidunt in pavimentum, lapilli vero et grana remanent in cribro; ita electi et probi ex Israel servabuntur, cæteri improbi peribunt. Unde Theodor. *Nec vero secus*, ait, *quàm agricola à quisquiliis et purgamentis frumentum secernit, ego etiam salute dignos servabo, reliquos necandos tradam.* Metaphora cribri, ait S. Hieron. significatur ipsa terra Israel, cujus margines Deus magnitudine sua utraque manu tenens, quasi cribrum huc illucque concutiet, ut paleis ac sordibus peccatorum concussis, id est, labore et calamitate exagitatis, et in terram cadentibus, ac gladio morientibus, purum frumentum remaneat, quod in horrea condatur. Quocirca cum subdit Amos :

Et non cadet lapillus super terram.] Per lapillum intelligit *granum*, ut vertunt alii : quia granum est durum instar scrupuli et lapilli. Est catachresis; unde hebr. צרור *tseror* significat fasciculum et sacculum; ac metonymice res quæ in fasciculum colligi, aut in sacculum colligari solent, qualia sunt grana, item lapilli pretiosi aut pulchri, margaritæ, nummi aurei, argentei, etc. Radix enim צרר *tsarar* significat stringere, arctare, premere. Unde *tseror* est res arcta, stricta, pressa, quæ in sacco vel loculo stringi, densari et arctari solet, qualis est triticum. Unde Septuag. vertunt συςρεμμα, id est convolutio, globus, coagmentum, compactile, puta *granum* majusculum conglobatum et compactum, ut vertit interpres Complut.

Alii tamen *lapillum* hîc proprie capiunt, idque varie. Primo, Rupert. censet hîc agi de cribro, non frumentario, sed murario, quo lapides à pulveribus secernuntur: hoc refellit Ribera. Secundo, Palacius lapillis censet significari improbos, qui per cribri foramina nequeant evadere manum et vindictam Dei, et ideo manu ejusdem sint è cribro ejiciendi, id est, ab hostibus occidendi, vel captivandi; ac consequenter per triticum significari probos. Sed hoc recte refellit Delrio adagio 981. Nam triticum per foramina cribri descendere et secerni non solet; nisi per triticum non grana, sed farinam accipias; hæc enim à suis folliculis et glumis cribro transmissa secernitur.

Tertio, Ruffinus censet purgantes triticum illi jungere lapillos in cribro : *Ad hoc*, inquit, *ut vim concussui addant illisi, et nihil de quisquiliis remanere patiantur.* Symbolice vero : *Nomine lapillorum eorum indicat firmitatem, qui malis haud facile corrumpantur exemplis, ut illis temporibus Prophetas et alios justos fuisse legimus, qui cum reliquum vulgus, ut ligna ac stipulæ deperirent, illi velut solidi, perque hoc pretiosi lapides, permanebant, super quos merito Ecclesia fundaretur.* Ita et Sanchez. Quarto, Ribera putat Prophetam de more hîc duas metaphoras jungere, scilicet unam tritici, alteram lapillorum, atque à cribri et frumenti similitudine transire ad rem significatam, puta ad domum Israel, de qua immediate ante dixit : *Concutiam in omnibus gentibus domum Israel*, ideoque nominare lapillos ; lapides enim apti, imo necessarii sunt ad domum Israel reædificandam. Verum primus sensus quem dedi uti simplicior, ita germanior est, eumque exigit versio Septuag. Aliter Joannes Alba Electorum, c. 61 : Lapilli, inquit, sive lapides parvi sunt infimæ sortis homines, pauperes, plebeii, totumque ignobile vulgus, q. d. Universus populus ducetur captivus; ac proinde non in terra sua, sed in captivitate morietur. Solet enim inter homines loco infelicitatis haberi, quod quis extra patriam moriatur, præsertim in captivitate. Explicat enim id quod præcessit : *Concutiam in omnibus gentibus domum Israel.* Verum hæc phrasis nusquam eo sensu sumitur, præsertim quia Amos non ait : Super terram suam, vel super terram Israel, sed absolute *super terram*, quod tam de terra Assyriæ quàm Israelis accipi potest. Constat autem Israelem in terra Assyriæ cecidisse et mortuum esse.

11. In die illa (Chald. *in tempore illo*) suscitabo (Septuag. *resuscitabo;* S. Jacobus Act. 15, *reædificabo;* Syrus, *erigam*, scilicet firmiter et stabiliter) tabernaculum David, quod cecidit.] Aliqui hanc suscitationem factam esse censent ab Ezechia, qui post abductas ab Assyriis decem Tribus anno sexto regni sui, earum reliquias profugas excepit, et in veri Dei cultu veraque Ecclesia confirmavit, 4. Reg. 18. et 19. Alii, ut Ruffin. et Chrysost. homil. 33. in Acta, eam factam censent esse ab Esdra et Zorobabel, qui, Cyro annuente, Judæos è Babylone reduxerunt in Jerusalem, ibique eorum Rempubl. et Ecclesiam restituerunt. Verum hi à vero sensu aberrant, nam exilis fuit utraque hæc suscitatio ; ea autem quæ hîc promittitur, ampla fuit et augusta. Ait enim : *Reædificabo illud sicut in diebus antiquis, ut possideant reliquias Idumææ et omnes nationes.* Quando, quæso, Ezechias aut Zorobabel possedit omnes nationes ? Rursum, quando factum est istud : *Et stillabunt montes dulcedinem, et omnes colles culti erunt ?* Adde Zorobabelem tantum reduxisse duas Tribus, æque ac Ezechias duabus fere tantum imperavit: hîc autem promittitur Israelis, id est decem Tribuum, instauratio. Respondeo ergo hanc promissionem ad Christum spectare, per eumque expletam esse. Id ita esse clare patet ex oratione S. Jacobi, qui Actor. 15. 16. in Concil. Hierosol. hæc verba Amos de Christo et Gentium ad Christum conversione interpretatur. S. Jacobum sequuntur omnes Interpretes Orthodoxi. Quocirca idipsum sub anathemate definivit Vigilius Papa. Cum enim hæc Amos verba Theodorus Mopsuestenus sic explicaret : *Hoc loco*, inquit, *reditum è Babylone prædicit, quando Zorobabel ex stirpe David regem habuerunt ; Jacobus vero in Actis Apostol. hunc locum ad Christum translulit, in quo res est ad exitum verum perducta;* hanc ejus explicationem sub anathemate damnavit Vigilius Papa in Concilio Romano, quod habetur in Bibliotheca Vaticana, et ex ea transcripsit P. Turrianus super lib. 2. Const. Apost. cap. 5, eo quod locum, qui primario et in sensu litterali seu historico in Actis exponitur de Christo, asserat intelligen-

dum esse in primo et litterali sensu de Zorobabele; in secundo, et per translationem de Christo, ubi, ut alia omittam, manifeste Theodorus errat, cum Zorobabel facit regem, qui tantum dux fuit populi è Babylone redeuntis. Pari modo idem Theodorus censebat oracula omnia, quæ ad litteram de Christo edita sunt, historice ad Davidem, Ezechiam, Zorobabelem et Judæos spectare; sed ex accommodatione, et ex rei eventu ab Apostolis et Evangelistis duntaxat adaptari Christo. Hoc est quod sub anathemate damnat Vigilius, et ante eum damnarat Synodus generalis quinta, quæ fuit Constantinopolitana secunda, ut patet ex ejus actione quinta, et ex Leontio, qui vixit tempore Justiniani Imper. et Theodori errores recenset. Vide dicta in Prœmio notat. 5. Propheta ergo hic de more, post expositam Dei ultionem, et desolationem Israelis, ejus restaurationem et consolationem per Christum afferendam subjungit.

Tabernaculum ergo Davidis proprie et formaliter non significat Ecclesiam (nec enim David fuit Ecclesiæ sacerdos, aut pontifex, sed regnum Davidis, puta domum ejus regiam, palatium et thronum regium. Orientales enim olim in tabernaculis ex ramis, corio aut tabulis constructis degebant; inde quævis domus aut palatium vocatur *tabernaculum*, præsertim quia hebr. סכה *succa* ad verbum idem est quod opertorium, velamentum, tegumentum, tectum, à rad. סכך *sucach*, id est, velavit, operuit, texit; quod tam domui et palatio quàm tabernaculo congruit. Tabernaculum vero proprie hebr. dicitur אהל *ohel*, id est, tentorium extensum et expansum à rad. אהל *ahal*, id est, extendit, expandit. Vocat id tabernaculum potius quàm palatium, tum quia David in assiduis bellis exercitus communiter in tabernaculis castrensibus degebat; tum ut significet regnum hoc Davidis mobile fuisse et temporaneum: Christi vero regnum ei successurum fore immobile et æternum. Hoc enim promisit Angelus B. Virgini, dicens Lucæ 1. 32: *Regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis;* tum quia alludit ad tabernaculum Mosis in deserto, quod præerat, et quasi dirigebat omnia castra Hebræorum, quæ circa ipsum disposita erant: unde erat typus Ecclesiæ peregrinantis et militantis, q. d. Sicut olim tabernaculum, et cum illo Moses et Hebræi per desertum peregrinati sunt, perrexeruntque in terram promissam; ita Ecclesia Christi per desertum hujus vitæ peregrinatur tenditque in cœlum. Est ergo ipsa tabernaculum Davidis, id est, Christi et Christianorum, Hebr. 13. 14.

Quocirca materialiter et reipsa regnum hoc Christi est Ecclesia; quia regnum hoc Christi spirituale est et Ecclesiasticum, quo nimirum Christus credentibus per fidem et gratiam dominatur. Itaque cum dicit: *Suscitabo tabernaculum David*, reipsa dicit, suscitabo Ecclesiam, sive cœtum populi fidelis, cui olim dominatus est David. Porro regnum hoc Davidis, æque ac Ecclesia fidelium, per varias rupturas cecidit, scilicet primo, cum Jeroboam decem Tribus à regno Davidis et ab Ecclesia cultuque Dei ad se et ad vitulos aureos traduxit. Secundo, cum Israelitæ à Syris, Philistinis, Ægyptiis, aliisque gentibus multoties fuerunt attriti. Tertio, cum decem Tribus in Assyriam, duæ in Babylonem fuerunt abductæ. Quarto, cum Antiochus Epiphanes ejusque posteri, tempore Machabæorum posteros Davidis afflixerunt. Quinto, cum Herodes, sub quo natus est Christus, stirpem Davidis regiam quasi exstinxit, totumque regnum ad se, puta ad alienigenam, transtulit. *In die* ergo *illa*, id est, in tempore illo quo per tot ruinas, ac tandem per tyrannidem Herodis, regnum Davidis plane cadet et corruet, Deus, qui in rebus deploratis succurrere solet, mittet Messiam sive Christum, qui in tabernaculum hoc, quasi in propriam domum et in regnum avitum Davidis patris sui, jure hæreditario succedet, illudque restituet, imo augustius reddet, non dominio et dominatione temporali, sed spirituali, quæ sublimior et divinior est. Christus enim tam Judæos quàm Israelitas in suum regnum suamque Ecclesiam ascivit et cooptavit, ac vice incredulorum, qui in illud ascribi noluerunt, surrogavit et adoptavit omnes gentes ex toto mundo; itaque fecit ut hoc regnum amplissimum totum orbem complecteretur, ut à Christo omnes vocentur Christiani, et profiteantur se Christi subditos et discipulos. Gentes ergo loco Judæorum huic Davidis tabernaculo, quasi vivi lapides, inædificatæ sunt et, ut ait Apostolus Rom. 11. 17, in hanc Davidis Deique oleam insertæ sunt. Ita S. Hieron. Remig. Hugo, Lyran. Vatabl. Arias, Ribera, à Castro et alii passim.

Alleg. tabernaculum David est corpus Christi à Judæis occisum per varias rupturas, id est, vulnera ei inflicta, quod Deus tertio die à morte ad vitam gloriosum suscitavit, de quo Christus ait: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus suscitabo illud*, Joan. v. 2. 19. Christus enim vocatur David, quia Davidis filius et hæres. Ita Theodor. et Cyrill. lib. 4. in Joannem cap. 35. Imo Rabbini apud Galat. lib. 8. cap. 22. ubi R. Nahaman hunc locum sic legit: *Suscitabo casulam David dejectam*, id est, corpus Christi crucifixum resuscitabo, ex eoque probat Messiam moriturum, ideoque eum ab Hebræis vocari *Barnephili*, id est *filium caducum*, asseverat. Hinc consequenter S. Chrysost. hom. 16. in Joannem, per tabernaculum David accipit naturam humanam peccato Adæ collapsam, quam Christus assumens reparavit et restauravit.

Ex dictis patet perperam Judæos hoc loco et similibus abuti, ut probent Messiam necdum venisse, sed venturum, ut temporale Davidis regnum restituat, ac Judæos in illud quasi primores regni asciscat. Nam, ut alia taceam, primo Amos hic proprie non agit de Judæis, sed de Israelitis, id est, decem Tribubus (has enim v. 8. 9. et 14. vocavit domum Jacob et domum Israel), eisque post cladem restitutionem promittit, ut regno Davidis, à quo per schisma exciderunt, rursum inserantur et uniantur. Frustra ergo hæc sibi attribuunt Judæi moderni. Cumque constet Israelem nunquam ex captivitate Assyriaca rediisse, aut rediturum, æque ac Judæi è captivitate Titi et Romanorum per 1600 annos nunquam redierunt, nec redibunt, sequitur hæc de mystico Israelis reditu, puta de Gentium in Christum credentium, qui sunt Israelitæ secundùm spiritum, non secundùm carnem, ut ait Apostol. Rom. 9. v. 8, conversione et salute intelligenda esse, uti fusius probavi Danielis, c. v. 44. et Daniel. 9. v. 24. Idem rursus patet ex eo quod Deus similem restaurationem promittat Sodomitis, Assyriis, Ægyptiis, Ammon et Moab, qualem promittit hic et alibi Israe-

litis; atqui illa non fuit temporalis, sed spiritalis per Christum; ergo talis quoque fuit Israelitarum. Major liquet Ezech. 16. v. 55 : *Et soror, ait, tua Sodoma, et filiæ ejus revertentur ad antiquitatem suam*, id est ad antiquam suam sedem, opes et gloriam. Constat autem Sodomam et vicinas urbes cœlesti incendio cum omnibus suis incolis conflagrasse. Ergo hæc Sodomæ restitutio mystice accipienda est, non ad litteram ut sonat. Idem de Samaria promittit ibidem Ezechiel; constat autem Samaritas ad litteram ex Assyriaca captivitate non rediisse : ergo Samariæ hæc restitutio spiritualis per Christum, non litteralis et temporalis accipienda est. Idem Assyriis et Ægyptiis, æque ac Israelitis promittit Isaias c. 19. 24 : *In die illa erit Israel tertius Ægyptio et Assyrio, benedictio in medio terræ*. Hoc ad litteram ut sonat falsum est, nec admittent, aut patientur Judæi sibi associari, et æquari Ægyptios et Assyrios. Ergo mystice id accipi debet. Idem Moabitis promittit Jeremias, c. 48. 47 : *Et convertam captivitatem Moab in novissimis diebus, ait Dominus*. Et Ammonitis, cap. 49. v. 6 : *Et post hæc reverti faciam captivos filiorum Ammon, ait Dominus*. Ad litteram autem nec Moabitæ, nec Ammonitæ è Babylone redierunt. Ergo reditus hic mysticus est, puta conversio ad Deum per Christum. Ergo pariter talis reditus et restauratio Israelis intelligenda est. Simile est templum quod promittit Ezechiel, c. 40 et seq. scilicet magis mysticum quàm litterale. Unde c. 47. v. 1. 8. 9. vidit ex eo egredi aquas, et sensim in fluvium ingentem crescere, cujus rivulo sanabantur et dulcorabantur aquæ maris Mortui, quod in Scriptura vocatur salsissimum : quæ omnia mystice accipienda esse manifestum est. Disce hinc canonem moremque Prophetarum; nimirum solent ipsi post tristia læta subjungere, post desolationem consolationem, post excidia et ruinas gentium, earumdem restitutionem per Christum. Ipse enim est Messias, puta salus, consolatio, gaudium et desiderium cunctarum gentium, Aggæi 2. 8.

Secundo assero hoc Christi regnum non tantum esse spirituale, sed et temporale. Christus enim per Imperatores, Reges et Principes Christianos dominatur et imperat etiam civiliter toti orbi Christiano. Denique in die judicii ipse hoc regnum suum tam spirituale quàm corporale perficiet facietque gloriosum, ut toti cœlo et terræ cum suis fidelibus dominetur in æternum, tumque plenissime hæc et similes prophetiæ implebuntur.

Et ræædificabo aperturas murorum ejus.] Hebr. גדרתי *gadarti*, id est *sepiam*, ut vertit Pagnin. *instaurabo*, ut Vatabl. *sæpe circumdabo*, ut Tigurina, q. d. Sarciam hiatus et aperturas murorum Davidis et Israelis; nimirum Deus instauravit ruinas Israelis : easque sarcivit multitudine Gentium credentium Christo, quæ in locum Judæorum et Samaritarum incredulorum successerunt; sicut dæmonibus labentibus è cœlo surrogavit homines, iisque instauravit ruinas cœlestis Jerusalem. De fide enim, vocatione et electione Gentium hunc locum explicat S. Jacob, Actor 15. 16. Censet Ribera hanc prophetiam impletam esse post excidium templi et urbis Hierosolymæ factum à Tito : tunc enim Judæis in sua cæcitate persistentibus, et per totum orbem dispersis, eorum loco Gentes in Ecclesiam esse ascitas. Verum S. Jacobus Actor. 15. suo tempore, id est, mox à passione Christi, cum Paulus et Barnabas primi evangelizantes Gentibus multos ex iis converterunt, impletam, id est, impleri cœptam, asserit. Adde non agi hîc de Juda et Hierosolyma, templique et urbis excidio et ruina per Titum, præsertim quia Christus templum hoc, jam tum Judaicum, sibique è diametro oppositum et resistens, non restauravit, sed vetus Davidis regnum et Ecclesiam legitimam. Fateor tamen post excidium Hierosolymæ plenius hanc prophetiam impletam esse : tunc enim S. Joannes, qui unus ex Apostolis superstes vivebat, ac viri Apostolici relictis Judæis, utpote jam eversis et dispersis, converterunt se ad prædicandum Gentibus.

Sicut in diebus antiquis,] sicut in diebus Davidis et Salomonis. Davidem enim nominavit paulo ante : et tunc maxime floruit, imo cœpit gloria regni Israelis. Ita Remig. Sic antiqua secula vocabantur *aurea*, in quibus cum virtute florebat resp. de quibus Virgil. 6. Æneid.

> Hìc genus antiquum, Teucri pulcherrima proles,
> Magnanimi Heroes, nati melioribus annis.

12. Ut possideant reliquiæ Idumææ,] q. d. Ut, sicut David subjugavit Idumæos cæterasque vicinas gentes, 2. Reg. 8. 14. Psal. 59. v. 10. et 11. ubi dicitur : *In Idumæam extendam calceamentum meum*, id est, possessionem captam Idumææ : hæc enim olim capiebatur immissione calceamenti in rem possidendam : ita Christus per Apostolos virosque Apostolicos, Episcopos et Presbyteros subjuget sibi suæque fidei, et subjugatas possideat easdem gentes, imo totum mundum. Nominat Idumæos, quia sicut Esau internecino odio persecutus est Jacobum fratrem suum, ita et posteri ejus Idumæi persecuti sunt posteros ejus, puta Jacobæos et Israelitas, eorumque fuere hostes jurati et infensissimi, q. d. Idumæi sub Christo et per Christum ponent hæc avita odia, et cum Israelitis conspirabunt in unum Christi jugum et regnum. Rursum nominat *reliquias Idumææ*; tum quia litteraliter David per Joab, cæsis plerisque Idumæis, eorum tantum reliquias servavit et subjugavit, ut patet 3. Reg. 11. v. 14. Ac rursum paulo ante tempora Amos, cum Idumæa Judæis rebellaret, sibique proprium regem constitueret, Amasias rex Juda eamdem rursum subegerat, itaque ceciderat, ut ejus tantum reliquiæ remanerent, 4. Reg. 14. 7. ; tum quia parabolice sicut reliquias Israelis, sic et reliquias Idumææ aliarumque Gentium, puta eas quæ crediderunt prædicationi Apostolorum, servavit Christus, cæteris manentibus incredulis, et ob infidelitatem pereuntibus : paucos enim ad Christum converterunt Apostoli, si comparentur cum illis qui non fuerunt conversi, et perstiterunt in infidelitate. Ita S. Hier. et alii. Nota : Septuag. quos sequitur S. Jacobus Actor 15. hunc locum non verbotenus, sed paraphrastice vertunt hoc modo : *Ut quærant me reliqui hominum*. Per Idumæos enim Propheta synecdochice quaslibet gentes et homines, præsertim à Christo alienissimas intelligit. Unde se explicans addit : *Et omnes gentes*; hæ enim in regnum Christi ascitæ sunt, cum illum requisierunt : nemo enim, nisi volens et postulans, in regnum Christi cooptatur. Quare quærere regnum Christi, idem est quod illud possidere et ab eo possideri. Unde ex Hebræo verti potest : *Ut possideant*, scilicet regnum hoc Davidis, id est Christi, *reliquiæ Idumææ et omnes gentes*. Qui enim possi-

detur à Christo, vicissim possidet Christum ejusque regnum. Addunt aliqui hebr. אדום *Edom* significare Idumæam; Sept. vero aliis punctis legisse אדם *Adam*, id est homo, ideoque vertere: *Ut quærant me reliqui hominum.* Verum Septuag. utpote quos sequitur S. Jacobus et S. Lucas, veram et genuinam hìc secuti sunt tam lectionem quàm scriptionem. Ea autem habet *Edom*, id est, Idumæa; non *Adam*, id est, homo, præsertim quia exprimitur littera *vau*, quæ est in voce *Edom*, non vero in voce *Adàm*. Propheta enim uti concionando pronuntiavit, ita concionem et prophetiam suam exarando, scripsit *Edom*, non *Adam*. Aliter Ribera: Judæa, inquit, id est, laudans et confitens olim Deum, post occisum à se Christum, facta est Idumæa, id est, terrena et cruenta (Edom enim hebr. significat terrenum ac rufum, rubrum, cruentum) sanguine Christi quem occidit; et hanc (Judæam) per cæteros hominum significarunt Septuag. Sed hoc uti obscurius, ita et alienius arctiusque videtur, uti fatetur ipse Ribera in Abdiam, num. 6. Idumea ergo hìc proprie capitur, ac præ cæteris nominatur; quia uti natura loci (utpote sita in rupe et monte) ac gentis robore erat munitissima; sic ad suscipiendum Christum, utpote è Judæis sibi inimicissimis prognatum, erat difficillima, cujus rei typo David invasurus eam, psal. 59. 11. ait: *Quis deducet me in civitatem munitam? Quis deducet me usque in Idumæam?* Et respondet: *Nonne tu, Deus?* q. d. Non meis, sed Dei viribus id fiet. Id verius fuit in Idumæorum conversione ad Christum. Unde Amos pariter hìc subdit: *Dicit Dominus faciens hæc;* Syrus, *omnia hæc.*

Eo quod invocatum sit nomen meum super eos,] q. d. Eo quod vocemini populus Dei, cœtus et Ecclesia Christi, puta Christiani ac vicissim Christus vocetur vester Deus, Dominus et Pater, quæ ingens est gloria, æque ac tutela et præsidium in omni re, ut merito de hoc nomine tam nobili vobis gratulari, Deo gratias agere, et apud Gentes gloriari possitis. Habetis enim nomen Dei, tanquam res propria illius, et cujus ipse proprie est dominus, quæque est ejus peculium ipsique tota dicata.

Alii active exponunt, q. d. Eo quod invocetis, id est, publice colatis, celebretis, et prædicetis nomen Domini. Hic sensus sequitur ex priori: ideo enim vocantur Ecclesia Dei, quia Deum colunt et celebrant. Proprie tamen hæc phrasis priorem sensum significat, ut patet Isaiæ 4. v. 1: *Apprehendent septem mulieres virum unum dicentes: Tantummodo invocetur nomen tuum super nos*, q. d. Non aliud à te petimus, quàm ut tu sis et voceris noster maritus, nosque simus et vocemur tuæ uxores, de cætero nos ipsæ nos alemus et vestiemus. Et Genes. 48. v. 16, ait Jacob de nepotibus suis Ephraim et Manasse: *Invocetur super eos nomen meum*, id est, vocentur filii mei, et constituant duas Tribus in Israel, uti constituunt cæteri filiī mei, sicut de facto Ephraim et Manasse suam quisque Tribum constituit, eamque ex nomine suo vocavit et denominavit, ut patet ex versu 5. ibid.

13. Et comprehendet arator messorem,] q. d. Tanta erit fertilitas frugum, ut duret messis usque ad tempus arandi, et vindemia usque ad sementem sive tempus seminandi, illudque occupet: non sufficies frugibus demetendis, sed novæ sementis tempus urgebit te manum aratro admovere, et copia uvarum ac vini adiget te uvis colligendis et prælo exprimendis vacare, etiam tunc cum premet te tempus serendi. Audi Ruffinum, qui hìc finit suum comment. in minores Prophetas: *Frugum quoque vos faciam ubertate gaudere, ita ut toto anno colligenda suppeditent, et ad vindemiæ tempus messis nimium opima procedat, vindemiam sementis excipiat, secundùm illud Psal.* 64. 12: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* Coronam vocat continuationem illam fructuum toto anno, quæ annum undique quasi cingit et coronat, quæque homines continuo occupat ad eos colligendos et fruendos. Nota hæc typice et figurate dici; nam ad litteram vult dicere tantam fore copiam bonorum spiritualium tempore Evangelii, ut ea capere et explicare non possimus; tantam fore animarum conversionem, ut nullum permittant agricolis, id est, Apostolis et presbyteris quietis tempus, sed ipsi agrum hunc Domini, puta Ecclesiam, assidue excolere debeant, nunc arando, nunc metendo, nunc vindemiando spiritualiter et mystice, puta nunc docendo et monendo, nunc baptizando, nunc reconciliando, nunc perfectiori statui consecrando, etc. Ita S. Hieron. Rupert. Hugo, Lyran. Vatabl. Ribera et alii. Audi S. Hieron.: *Sic*, ait, *sibi invicem cuncta succedent, ut nulla dies sit absque frumento, vino et gaudio. In illo tempore plenis torcularibus uva calcabitur, et de Christi ac Martyrum sanguine rubentia musta fundentur, et hujuscemodi calcator erit seminarium sermonis Dei, ut sanguis eorum magis clamet in mundo, quàm clamavit sanguis Abel justi. Quicumque autem merito virtutum suarum ad montana conscenderit, melle sudabit, imo stillabit dulcedinem sermonis Dei, de quo scriptum est: Gustate et videte quàm suavis est Dominus. Et: Quàm dulcia eloquia tua gutturi meo super mel et favum ori meo! Et qui infra montes, imo secundi à montibus fuerint* (*quos sponsus transilit Cantic.* 2. *et appellat colles*) *consiti erunt, et imitabuntur paradisum Dei, ut omnia in illis poma pendeant doctrinarum.*

Idipsum clare cernere fuit, et etiamnum est in Apostolis et viris Apostolicis, ut S. Paulo, S. Vincentio Fererio, S. Antonio de Padua, S. Xaverio et aliis, qui serendo verbum Dei cum sanctitate, miraculis et efficacia concionandi ita commoverunt populos fideles et infideles, ut cum tempus adesset messis, id est, eos inserendi Ecclesiæ, puta baptizandi, confirmandi, absolvendi, etc. aliæ gentes urbesque vicinæ inaudientes de hisce viris divinis, eorumque virtute et fructu, certatim eos ambirent, cogerentque ut pari modo apud se sererent verbum salutis, illicoque ad se transirent. Perperam ergo Judæi hæc ad litteram, ut sonant, exspectant sub suo Messia. Perperam quoque Theodor. hæc plane ad litteram impleta censet in reditu è captivitate Babylonica, cum potius contrarium Judæis tunc acciderit, puta sterilitas frumenti et vini, ut patet Aggæi 1. v. 6. Adde de Israelitis hìc agi, non de Judæis, uti ostendi initio capitis. Denique Judæis non convenit illud v. 15: *Et plantabo eos super humum suam, et non evellam eos ultra de terra sua.* Nam Judæi per Titum è Judæa evulsi sunt, manebuntque usque ad finem mundi, uti prædixit Daniel cap. 9. v. ultimo.

Stillabunt montes dulcedinem, succum dul-

cem, puta mustum : hoc enim significat hebr. עסיס *asis :* ET OMNES COLLES CULTI ERUNT.] Septuag. *consiti erunt*, scilicet, vineis et oleis : nam *Bacchus amat colles.* Hebr. est תתמוגגנה *titmogagna,* liquescent, id est, præ copia diffluent oleo et vino, aut lacte et melle, ex abundantia apum et pecorum, ut videantur, ait Ruffinus, effluere vina de rupibus, mella de montibus. Montes sunt Apostoli et viri Apostolici, qui stillarunt mustum dulcissimum Evangelicæ doctrinæ, gratiæ, charitatis, lætitiæ, omniumque donorum Spiritus Sancti; colles sunt concionatores, qui idem mustum, aut lac, id est suavitatem doctrinæ, effuderunt. Aut montes sunt Ecclesiæ magnæ et generales; colles, parvæ et particulares. Aut montes sunt homines gradu aut virtute eminentes; colles sunt parvi et plebeii, q. d. Omnes tam parvi, quàm magni, affluent doctrina et gratia Evangelica. Alludit ad montes vinetis et olivetis luxuriantes olim in Judæa, æque ac ad hortos quibus gaudebant et abundabant Syri. Syria, inquit Plinius, lib. 20. cap. 5, *in hortis operosissima; inde quoque Græcis proverbium : Multa Syrorum olera.*

14. ET CONVERTAM CAPTIVITATEM,] q. d. Reducam populum meum Israel, id est, fidelem credentem Christo, ex captivitate Salmanasar, id est diaboli et peccati, ut ædificent civitates, id est Ecclesias, in quibus plantent vineas et hortos, id est, cœtus fidelium, ac corda piorum virtutibus et gratiis consita, quæ dabunt fructus et vinum operum suavissimorum et sanctissimorum. Hæc enim mystice debere accipi, non ad litteram, patet ex eo quod Israel, id est, decem Tribus è captivitate Assyria nunquam redierint, nec redituræ sint. Est ergo continua metaphora, petita ab iis qui è captivitate redeunt in patriam. Hi enim solent ædificare urbes, plantare vineas et hortos.

15. ET PLANTABO EOS SUPER HUMUM,] puta in Ecclesia, quæ fundata est super petram, et cui portæ inferi non prævalebunt, Matth. 16. 18. Plenius id fiet in Ecclesia triumphante in cœlo. Ita S. Hieron. Albertus, Ribera, à Castro, et alii. Et hoc fiet, quia Dominus Deus tuus, qui est omnipotens, id *dicit* et promittit, *cujus promissio lex naturæ est*, ait S. Hieron. puta firma et inviolabilis est, uti est lex naturæ.

Tropol. anima fidelis et sancta est tabernaculum Davidis, id est, domus et templum Christi, juxta illud 2. Cor. 6. 16: *Vos estis templum Dei vivi*, in quo pavimentum est humilitas, penuarium timor judiciorum Dei, tectum charitas, caminus oratio, parietes quatuor virtutes cardinales, fortitudo, justitia, temperantia et prudentia. Si tectum stillet, id est, soluta vel laxata sit charitas; si caminus, id est oratio, corruerit; si pavimentum confractum sit, id est, humilitas convulsa; si parietes, id est virtutes cardinales, rimas vel ruinas egerint, illico singula hæc sarcienda et restauranda sunt, ne, sensim crescentibus rupturis et ruinis, tandem tota domus corruat, juxta illud Sap. 10. 18 : *In pigritiis* (in tarda et pigra restauratione unius tabulæ, unius tegulæ, unius clavi) *humiliabitur* (corruet) *contignatio, et in infirmitate manuum perstillabit domus.*

Secundo, anima sancta est vinea Domini, ob multas analogias quas recensui, Ezech. 15. Ita S. Bernard. serm. 63. in Cant. : *Viro*, ait, *sapienti sua vita vinea est, sua mens, sua conscientia. Nil quippe incultum desertumve in se sapiens derelinquet : stultus non ita. Cuncta apud eum neglecta invenies, cuncta jacentia, cuncta inculta et sordida.* Et inferius : *Bona vinea justus cui virtus vitis, cui actio palmes, cui vinum testimonium conscientiæ, cui lingua torcular expressionis. Vides apud sapientem vacare nihil : sermo, cogitatio, conversatio, et si quid aliud est ex eo, quidni totum Dei agricultura, Dei ædificatio est, et vinea Domini sabaoth?*

Quod ergo facit vinitor in vinea, hoc faciat cultor animæ in anima. Vinitor vites plantat, aggerat, rigat, ligat, putat, sarrit, ablaqueat, defrondat, vindemiat, torculari premit ut vinum exprimat. Eadem mystice faciat, qui vineam animæ suæ vel alienæ excolit, quales omnes fideles esse debent. Hinc Christus, Matth. 20. 1, singulis horis misit operarios in vineam suam. Et sponsa, Cant. 1. 5, ait: *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi.* Essentia ergo animæ est quasi vinea plantata in terra hujus corporis, cujus potentiæ, puta intellectus, voluntas, memoria, etc. sunt quasi vites, quarum vinum sunt opera charitatis misericordiæ : vites hæ alligandæ sunt palo crucis, cujus pedi foveam facimus, dum mortem instare cogitamus, et foveam sepulturæ meditamur. Servanda est hæc vinea ab apro exterminatore de sylva, Psal. 79. 14, id est de vitio obscenæ voluptatis, quod omnia bona exterminat : et à singulari fero, id est, à vitio superbiæ, quod singularem hominem facit : et à vulpe astutæ adulationis, et à lupo voracitatis, et à cane detractionis. Rursum rogandus est Dominus, ut mittat pluviam doctrinæ suæ, et calorem gratiæ suæ, et stercora, id est, memoriam mortis filii sui et SS. Martyrum, quibus hæc vinea ad fructum ferendum excitetur et impinguetur. Flores et folia sunt sancta desideria, et pia colloquia, ac bene ædificantes sermones, quibus anima quasi vinea revirescit, ac producit lacrymas compunctionis, et suavem virtutis odorem emittit, juxta illud Cantic. 2. 13 : *Vineæ florentes dederunt odorem suum ;* ac tandem edit et producit uvas maturissimas et dulcissimas bonorum operum et virtutum omnium. Porro notandum quod scribit S. Bernard. serm. 60. in Cant. : *Aiunt*, inquit, *florescentibus vineis, omne reptile venenatum cedere loco, nec ullatenus novorum ferre odorem florum. Quod volo attendant novitii nostri, et fiducialiter agant cogitantes qualem spiritum acceperint, cujus primitias dæmones non sustinent. Si sic novitius fervor, quid erit absoluta perfectio?* Et mox : *Cæterum si vineæ animæ flos, opus; odor, opinio est; fructus quid? martyrium. Et vere fructus vitis, sanguis est Martyrum.*

Tertio, anima est hortus, imo paradisus Domini, juxta illud Cant. 4. 12 : *Hortus conclusus soror mea sponsa. Emissiones tuæ, paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus, Cypri cum nardo,* etc. *Surge, Aquilo, et veni, Auster, et perfla hortum meum, et fluant aromata illius.* Et c. 5. 1 : *Veniat dilectus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum.* Et c. 6. 1 : *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, et lilia colligat.* Eccli. 24. 42. ait Sapientia : *Rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fructum.* Num. 24. 6. Balaam videns agmina Israelis exclamat : *Quàm pulchra tabernacula tua Jacob,*

tentoria tua, Israel, ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas! Quod ergo facit hortulanus in horto ut eum excolat, hoc fidelis faciat in anima, ut in ea plantet nardum humilitatis, lilia castitatis, malogranata charitatis, heliotropium resignationis, qua suam voluntatem cum divina conformet, cedrum spei et contemplationis, quercum constantiæ, hyacinthum cœlestium cogitationum et desideriorum, amaranthum crucis, thus orationis, myrrham mortificationis, rosas odoratas bonæ ædificationis et exempli, palmam contemptus mundi, humanæ laudis et vituperii, etc. Quoties ergo elicis vel exerces actum, præsertim heroicum, humilitatis, charitatis, mortificationis, resignationis, etc. toties illustrem nardum, speciosum malogranatum, insignem myrrham, præstans heliotropium, etc. offers Deo, eoque Dei hortum et paradisum quasi nova planta, quasi illustri flore et fructu exornas, ut ei cum sponsa fidenter dicas : *In portis nostris omnia poma : nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi*, Cantic. 7. 13.



COMMENTARIA

IN

ABDIAM PROPHETAM.

ARGUMENTUM.

Dorotheus, Episcopus Tyri, qui sub Constantino Magno vixit, et sub Juliano Apostata grandævus annorum 107 inter tormenta Martyr obiit, lib. de Vita et morte Prophetarum: *Abdias*, inquit, *iste ex terra Sichem agro Bethacaram, fuit discipulus Eliæ, et cum illius nomine multa passus esset, servatus est. Tertius fuerat ex quinquagenariis, cui Elias pepercerat, descenderatque ad Ochoziam; ac ministerio regis sui postea relicto, prophetiæ gratiam acquisivit, mortuusque est, ac sepultus cum patribus suis.* Eadem habet S. Epiphan. in Vita Abdiæ. Audi et S. Hieron. hic: *Hunc* (Abdiam) *aiunt esse Hebræum qui sub rege Samariæ Achab, et impiissima Jezabel*, 3. Reg. 18. 12, *pavit centum Prophetas in specubus, qui non curvaverunt genu Baal. Hic igitur, quia centum Prophetas aluerat, accepit gratiam prophetalem, et de duce exercitus fit dux Ecclesiæ.* Additque: *Sepulcrum ejus usque hodie in Sebaste* (ubi et Eliseus et Joannes Baptista sepulti sunt) *venerationi habetur, quæ olim Samaria dicebatur. Hunc Herodes in honorem Augusti Cæsaris, Græco sermone vocavit Sebasten*, id est Augustam. Ubi nota S. Hieron. non dicere hoc ex se, sed ex Hebræorum sententia: ex qua sequitur Abdiam vixisse et prophetasse tempore Eliæ, sub Achab rege Israel et Josaphat rege Juda; et fuisse primum omnium Prophetarum qui sua oracula scripserunt. Hanc Hebræorum sententiam sequuntur, vel potius citant S. Doroth. S. Epiphan. S. Isidor. Euseb. in Chronico (sed mendose mendo librariorum, ait S. August. lib. 18. Civit. cap. 31.) Clemens Alexand. 1. Strom. Rupert. Hugo, Lyranus, Sanchez et à Castro in Proœmio lib. 4. c. 3. Addit ex Hebræis Mariana Abdiam hunc esse tertium pentacontarchum, quem Ochozias misit accitum Eliam; cui supplici Elias pepercit, 4. Reg. 1. 13. Inde enim videtur renuntiasse aulæ, adhæsisse Eliæ, totumque se Deo tradidisse, ac idcirco donum prophetiæ assecutus. Imo nonnulli censent Abdiam esse Obdiam, quem Josaphat rex misit, 2. Paral. 17. 7. cum Michæa et aliis, ut docerent in civitatibus Juda. Unde Septuag. ibi pro *Obdiam* legunt, *Abdiam*. Verum ille Obdias dicitur fuisse princeps, non Propheta: unde alius fuisse videtur ab hoc nostro Abdia.

Totum ergo fundamentum hujus opinionis, nimirum quod Abdias fuerit pentacontarchus Achab regis Israel, nititur traditione Hebræorum. Hæc autem traditio incerta est et dubia. Nam R. David et R. Abraham dicunt non constare quo tempore prophetarit Abdias.

Probabilius ergo alii censent Abdiam longe posterius vixisse et prophetasse, nimirum sub Joathan, Achaz et Ezechia regibus Juda, ac fuisse coævum Osee, Joeli, Amos et Michææ Prophetis, uti asserit S. Hier. initio comment. in Osee, Theodor. Cyrill. hic, Ribera in Proœmio, præludio 2, et alii. Probatur hæc sententia primo, quia Osee communiter ponitur primus Prophetarum, juxta illud: *Principium loquendi Domino in Osee*, c. 1. 2. Osee autem cœpit prophetare sub Ozia et Joathan, ut ibidem dicitur. Ergo Abdias non fuit primus, nec sub Josaphat, sed sub Joathan prophetavit. Secundo, quia Abdias ait v. 1: *Audivimus à Domino*, scilicet, ego et Isaias, c. 21. et Amos, c. 1. 11, stragem Idumææ. Ergo Abdias non antecessit Isaiam et Amos, sed eis fuit contemporaneus. Tertio, si Abdias Propheta fuisset pentacontarchus Achab regis, utique hoc non tacuisset Script. nec Josephus, dum historiam illam Achab et Abdiæ fuse enarrant. Quarto, si Abdias sub Josaphat prophetasset, prædixisset cladem Idumææ viciniorem, nimirum factam ab Amasia rege Juda, 4. Reg. 14. 17. Jam autem eam non prædicit, sed illam duntaxat quæ facta est à Chaldæis. Ergo post Amasiam, sub Joathan prophetavit; præsertim cum non multo ante tempora Josaphat, Idumæi vastati et subacti sint à Davide, 3. Reg. 11. 15, ut non eguerint Propheta, novoque excidio. Quinto, quia prophetia Amos eadem pene est cum prophetia Jeremiæ contra Idumæos, c. 49. 24. Ergo sub tempora, non Eliæ, sed Jeremiæ prophetasse videtur. Sexto, quia à tempore Eliæ et Josaphat usque ad excidium Judææ et Idumææ per Chaldæos, fluxerunt 300 anni. Quis credat Abdiam, omissis aliis vicinioribus cladibus, prophetasse excidium Idumææ post trecentos annos futurum? Deus ergo videtur Idumæos per Davidem, Amasiam et alios castigare voluisse: verum cum eos hisce flagellis emendari non videret, per Abdiam intentavit eis plenum ultimumque per Chaldæos excidium. Porro causam excidii assignat eamdem quam Amos et Jeremias, nimirum odium inveteratum et internecinum Idumæorum contra Judæos, adeo ut ab hostibus profugos occiderint, vel spoliarint, imo Chaldæos in expugnatione Hierosolymæ opibus armisque adjuverint. Quocirca eis idem ab eisdem Chaldæis exitium jure talionis intentat: Judæis vero reditum è Babylone, et felicitatem tum temporalem, tum spiritualem sub Christo pollicetur. Ita S. Hieron. Theodor. Remigius, Rupertus, Albert. Vatablus,

Hugo et alii. Id ita accidisse patet : nam Nabuchodonosor anno quinto post excisam Jerusalem, qui fuit annus regni ejus 23, invasit et vastavit Idumæam, uti narrat Josephus libr. 10. Antiquit. cap. 11. Rursum Idumæos adjuvisse Chaldæos in excidio Jerusalem, ideoque excisos esse patet 3. Esdræ 4. 45 : *Et tu*, ait, *vovisti ædificare templum quod incenderunt Idumæi, quando exterminata est Judæa à Chaldæis.* Et psalm. 136. 7 : *Memor esto, ô Domine, filiorum Edom in die Jerusalem, qui dicunt : Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Addit R. Salomon Abdiam fuisse Idumæum, ideoque ad Idumæos missum, ut scelera suæ gentis liberius argueret : *Dicunt*, inquit, *Rabbini Abdiam proselytum esse Idumæum. Dixit ergo Dominus : Ex ipsis adducam adversus eos. Veniet Abdias, qui vixit inter duos impios, Achab et Jezabel, neque imitatus est mores eorum, et sumet pœnas de impio Esau, qui vixit inter duos justos, Isaac et Rebeccam, et non est imitatus opera eorum.* Idem tradit R. David hîc, qui proinde Abdiæ applicat illud Hebræorum adagium : *Ipsummet cochleare quod artifex exsculpsit, comburit os ipsius acri sinapi;* quod dicere solent in artifices, qui ex opere suo damnum aut molestiam capiunt. Sic enim Abdias cum esset Idumæus et Propheta, tamen Idumæorum, hoc est gentis suæ, prædixit excidium; unde ex suo artificio, puta ex prophetia, videtur damnum passus.

Verum S. Dorotheus, Epiphan. et alii initio citati tradunt Abdiam fuisse Judæum, puta Sichimitam, sicut et cæteri Prophetæ fuere Judæi. Scribit S. Hieron. in epitaphio S. Paulæ, ipsam in Samaria, sive Sebaste visisse sepulcrum Elisei, Abdiæ et Joannis Baptistæ, *ubi multis*, inquit, *intremuit consternata mirabilibus : namque cernebat variis dæmones rugire cruciatibus, et ante sepulcra sanctorum ululare homines more luporum* (notent hoc nostri Hagiomachi) *vocibus latrare canum, fremere leonum, sibilare serpentum, mugire taurorum; alios rotare caput, et post tergum terram vertice tangere, suspensisque pede feminis vestes defluere in faciem.* Ascriptus est Abdias catalogo Sanctorum die 19. Nov.

Porro *Abdias* hebr. idem est quod *servus Dei*, ut nomine repræsentet Christum, qui formam servi induit, Deique servus vocatur Isaiæ 42. 1, ait S. Hier. qui et in Prooemio asserit se juvenem ante triginta annos scripsisse in Abdiam, eumque mystice exposuisse ; quod redarguit, eo quod primo tradi debeat sensus litteralis Prophetæ, eique deinde congrue inædificari sensus mysticus : *Infans*, ait, *eram, necdum scribere noveram, titubabat manus, tremebant articuli. Nunc ut nihil aliud profecerim, saltem Socraticum illud habeo : Scio quod nescio.* Et mox : *Libere profitebor, et illud fuisse puerilis ingenii, et hoc maturæ senectutis.*

Rursum omnium Prophetarum brevissimus est Abdias et minimus, *versuum supputatione, non sensuum*, ait S. Hieron. et ex eo Ribera. Homines, inquit, pusilli ita ingenio et arte præstant, ut locus proverbio datus sit, ανους ο μακρος, id est amens qui longus. Aristot. in Physiognom. *Parvi valde acuti sunt*, inquit, *motu enim sanguinis parvum locum continente, motiones quoque valde velociter accedunt ad sapere. Qui autem sunt valde magni, tardi : motu enim sanguinis magnum locum continente, motus tarde accedunt ad sapere.* Ex quo recte Eccles. cap. 11 : *Non laudes virum in specie sua, neque spernas hominem in visu suo. Brevis in volatilibus est apis, et initium dulcoris habet fructus illius.* Quid de bombycibus, quid de muscis et apibus dicam ? Sane S. August. lib. de Duabus animabus contra Manichæos, cap. 3. et 4, non dubitat asserere muscam præstantiorem esse sole : quia animam, vitam, motum, organaque omnia viventium habet, quibus caret sol. Ita res parvæ plus vitæ et vigoris habent quàm magnæ. Quid remoram recenseam, qui, cum sit parvus pisciculus, ingentes naves valido vento actas sistit et remoratur, si se eis applicet et affligat ? Ita Deus excelsus in rebus parvis suam virtutem, sapientiam et magnitudinem ostendit. Abdias, inquit Hugo de S. Victore (qui in Abdiam scripsit more suo acute et argute, sed mystice) *sermone simplex, et sensu multiplex : rarus in verbis, sed copiosus in sententiis, juxta illud* Eccli. 20 : *Sapiens verbis innotescit paucis. Prophetiam suam litteraliter adversus Idumæam dirigit, allegorice contra mundum, tropologice contra carnem stylum suum acuit. Salvatoris typum gerens, ipsius adventum subtiliter introducit per quem mundus destruitur, per quem caro atteritur, per quem libertas redditur.* Quocirca merito Isidor. lib. Allegor. S. Script. : *Abdias*, inquit, *id est servus Domini, inter omnes Prophetas brevior numero verborum, sed gratia mysteriorum æqualis.* Unde Abdiam ad verbum pene imitatur Jeremias cap. 49. 24. et sequentibus.

CAPUT UNICUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

IDUMÆORUM SUPERBIAM ARGUIT, QUOD IN RUPE SITI PUTARENT SE INVINCIBILES : UNDE EX EA SE ILLOS PER CHALDÆOS DETRACTURUM MINATUR. SECUNDO, V. 10. EXCIDII EJUS CAUSAM ASSIGNAT, QUOD IN FRATRES SUOS JUDÆOS, AB HOSTIBUS AFFLICTOS, INHUMANI FUERINT ET CRUDELES. TERTIO, V. 17. SIONIDIS, ID EST JUDÆIS, E BABYLONE REDITUM ET IMPERIUM POLLICETUR, NIMIRUM QUOD PER MACHABÆOS IDUMÆIS, PHILISTHÆIS, VICINISQUE GENTIBUS, AC MULTO MAGIS PER CHRISTUM IISDEM TOTIQUE AUSTRALI PLAGÆ DOMINABUNTUR.

1. Visio Abdiæ. Hæc dicit Dominus Deus ad Edom : Auditum audivimus à
Domino, et legatum ad gentes misit. Surgite, et consurgamus adversus
eum in prælium. 2. Ecce parvulum dedi te in Gentibus : contemptibilis tu
es valde. 3. Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petrarum,
exaltantem solium tuum : qui dicis in corde tuo : Quis detrahet me in ter-
ram ? 4. Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum
tuum : inde detraham te, dicit Dominus. 5. Si fures introissent ad te, si
latrones per noctem, quomodo conticuisses ? nonne furati essent sufficientia sibi ? si vindemia-
tores introissent ad te, numquid saltem racemum reliquissent tibi ? 6. Quomodo scrutati sunt
Esau, investigaverunt abscondita ejus ? 7. Usque ad terminum emiserunt te : omnes viri fœderis
tui illuserunt tibi : invaluerunt adversum te viri pacis tuæ : qui comedunt tecum, ponent insidias
subter te : non est prudentia in eo. 8. Numquid non in die illa, dicit Dominus, perdam sapien-
tes de Idumæa, et prudentiam de monte Esau ? 9. Et timebunt fortes tui à Meridie, ut intereat
vir de monte Esau. 10. Propter interfectionem, et propter iniquitatem in fratrem tuum Jacob,
operiet te confusio, et peribis in æternum. 11. In die cum stares adversus eum, quando capie-
bant alieni exercitum ejus, et extranei ingrediebantur portas ejus, et super Jerusalem mittebant
sortem : tu quoque eras quasi unus ex eis. 12. Et non despicies in die fratris tui, in die pere-
grinationis ejus : et non lætaberis super filios Juda in die perditionis eorum : et non magnificabis
os tuum in die angustiæ. 13. Neque ingredieris portam populi mei in die ruinæ eorum : neque
despicies et tu in malis ejus in die vastitatis illius : et non emitteris adversus exercitum ejus in
die vastitatis illius. 14. Neque stabis in exitibus ut interficias eos qui fugerint : et non concludes
reliquos ejus in die tribulationis. 15. Quoniam juxta est dies Domini super omnes gentes : sicut
fecisti fiet tibi : retributionem tuam convertet in caput tuum. 16. Quomodo enim bibistis super
montem sanctum meum, bibent omnes gentes jugiter : et bibent, et absorbebunt, et erunt
quasi non sint. 17. Et in monte Sion erit salvatio, et erit sanctus : et possidebit domus Jacob
eos qui se possederant. 18. Et erit domus Jacob ignis et domus Joseph flamma, et domus Esau
stipula : et succendentur in eis, et devorabunt eos : et non erunt reliquiæ domus Esau, quia Do-
minus locutus est. 19. Et hæreditabunt hi qui ad Austrum sunt, montem Esau, et qui in
campestribus Philisthiim : et possidebunt regionem Ephraim, et regionem Samariæ : et Benjamin
possidebit Galaad. 20. Et transmigratio exercitus hujus filiorum Israel, omnia loca Chananæorum
usque ad Sareptam : et transmigratio Jerusalem, quæ in Bosphoro est, possidebit civitates Aus-
tri. 21. Et ascendent salvatores in montem Sion judicare montem Esau : et erit Domino regnum.

1. VISIO ABDIÆ.] *Visio* vocatur prophetia, *videns* Propheta. Eamdem mox vocat *auditum*. Causas dedi Isaiæ 1. 1.

HÆC DICIT DOMINUS DEUS AD EDOM.] Hebr. *leedòm*, id est, *de Edom*, vel *ad Edom*. Esau, frater Jacobi gemellus, dictus est Edom, quia rufus ; et Seir, quia pilosus : hinc posteri ejus, puta populus Idumæus ab eo prognatus, voca-

tur pariter Edom, et Seir. Porro Hebræi tam antiqui, teste S. Hieron. quàm moderni, ut R. David, R. Salomon et similes, constanter asseverant Idumæos esse Romanos : Primo, quia *Edom*, et per aphæresim *Duma*, est Roma, si litteram ד in vicinam ר commutes ; secundo, quia tradunt ipsi, hoc est fingunt, Julium Cæsarem primum Rom. Imp. fuisse Idumæum. Addunt alii Æneam fuisse Idumæum, atque ex Idumæa venisse in Ægyptum, inde in Libyam, inde Carthaginem, inde in Italiam, ibique Albam, ex qua prognata est Roma, condidisse. Ita refert Arias. Origo hujus opinionis, id est fabulæ, fuisse videtur excidium, quod Judæi passi sunt à Tito et Romanis; inde enim Romanos quasi hostes infensissimos vocarunt novos Idumæos. Consequenter, cum fideles et Christiani vocentur Romani, à suo capite Romano Pontifice, et Romana Ecclesia, quæ matrix est omnium Ecclesiarum ; hinc Judæi per Idumæos accipiunt Christianos, quos ex odio Christi infensissimos pariter hostes suos æstimant. Quare quæcumque contra Idumæos ab Abdia aliisque Prophetis dicuntur, censent dici contra Christianos, ac proinde exspectant suum Messiam, qui hoc imperium Romanorum, id est Christi et Christianorum, evertat, ac Judaismum restituat, Judæosque opibus et honoribus quasi alter Salomon ditet et exaltet. Ita refert Burgensis hîc, et Galatin. lib. 4. cap. 18. Atque hæc est causa immanis odii in Christianos, quod eis quasi innatum videtur. Verum hoc eorum somnium (uti vocat S. Hieron.) confutant omnes historiæ Græcorum, Latinorum, et omnium Gentium, quæ Romam à Romulo Italo et Albano conditam, Julium Cæsarem ex familia Julia Romana prognatum, Æneam Trojanum fuisse, non Idumæum, asserunt. Porro quantum Alba et Roma distent ab Idumæa sciunt omnes. Ridiculum vero est quod *Duma* transforment in *Roma*. Litteræ enim *resç* et *daleth*, licet charactere sint similes, sono tamen et sensu sunt dissimillimæ. Perinde ergo faciunt, atque si *Cyrum* transformes in *Irum*, *medicum* in *mendicum*, *matres* in *mares*, ac (quod in metathesi earumdem litterarum *r* et *d* plane simile est) si *Medum* in *merum*, *modum* in *morum*, *sedes* in *seres* transmutes. Longe facilius et pronius Idumæos transformes in Judæos, præsertim cum hi illorum sint fratres ; utrique enim prognati ex Jacob et Esau fratribus, atque sede et regione sint vicinissimi. Quocirca Judæos mystice vere esse Idumæos jam ostendam.

Ad litteram ergo hîc, non Romanos, non Italos, sed Idumæos, id est, posteros Esau, degentes in montibus Idumææ juxta Judæam, Ammonitidem et Moabitidem, accipe.

Mystice, Idumæi sunt infideles hostes populi fidelis, puta Judæi, Pagani, Hæretici. Sicut enim Jacob fidelium, sic Esau et Idumæi infidelium sunt typus, uti docet Apostolus Rom. 9. 7. et 13. Ita Euseb. lib. 5. Demonstrat. cap. 24. Theodor. Rupert. S. Hieron. qui et ex etymo nominis analogiam affert : *Idumæa*, inquit, *terrena interpretatur, et propter colorem rubrum, cruenta quoque intelligi potest. Idcirco Salvator reportans ad Patrem de mundo victoriam, quando Angeli conclamabant : Aperite portas, principes, vestras, et introibit rex gloriæ, et in Isaia stupentes interrogabant : Quis est iste qui ascendit de Edom fulgida veste de Bosor? hic formosus in stola candida, etc. ipse loquitur in triumpho, exponens palmas crucis suæ : Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum.*

Tropol. idem S. Hieron. : *Sunt*, ait, *qui Idumæam ad carnem referunt, et adversus illius pugnam animam æstimant provocari, ut mortificantes membra nostra super terram, fornicationem, immunditiam, passionem, æternam in Christo victoriam consequamur.* Nam fratres Jacob et Esau, assidue inter se luctantes, sunt anima et caro. Caro enim concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, Galat. 5. 17.

Rursum, Hugo de S. Victore : *Edom*, ait, *est terrenus, Esau sanguineus, Seir pilosus : sanguineus peccatis, pilosus negotiis, terrenus curis : sanguineus mundus utique in idololatris, pilosus in hæreticis, terrenus in carnalibus et pseudo-christianis.* Et inferius ad v. 17 : *Jacob ter luctatus est cum Esau fratre suo, semel cum angelo. Primo in utero, secundo de lentis edulio, tertio de benedictionis paternæ oraculo. Noster Jacob, id est luctator Christus, ter jam luctatus dicitur contra diabolum, quarto luctaturus pro certo creditur. Primo in utero, secundo in patibulo, tertio in sepulcro, quarto in extremo judicio contra agmen hædorum et semen pessimum. In utero immunitate peccati, in patibulo acquisitione gloriæ et honore regni, in sepulcro immortalitate vitæ et gloria triumphi, in judicio jure victoriæ et rigore justitiæ.* Et mox : *Primo luctatus est pro te, ut tu diaboli fastum et ejus regna vinceres ; secundo, ut mundi luxum et gloriam superares ; tertio, ut carnis concupiscentiam et petulantiam sensuum expelleres : ultimam vero faciet luctam, ut, præfatis omnibus spretis, victor possideas gloriæ coronam.*

Auditum.] Nota primò hæc esse verba non Dei, sed Prophetæ, ut patet Jerem. 49. 14, ubi eadem verba ex Amos usurpat sibique applicat. Unde sequitur hîc esse hyperbaton, id est, inversum ordinem. Nec enim hæc verba cohærent cum proxime præcedentibus. Sic ergo totus hîc versus ordinandus est : *Visio Abdiæ ad Edom. Auditum audivimus, et legatum ad gentes misit. Surgite, et consurgamus adversus eum in prælium. Hæc dicit Dominus Deus : Ecce parvulum dedi te in gentibus*, etc. Verba enim Dei sunt hæc : *Ecce parvulum dedi te.* Verba autem Prophetæ sunt : *Auditum audivimus*, etc. Aut certe hæc verba : *Auditum audivimus*, etc. parenthesi intercipienda sunt, q. d. *Hæc dicit Dominus*, idque scimus, quia *auditum audivimus* ab eo. Ita Vatabl. idque expeditius et planius videtur ; secundo, *auditus* metonymice ponitur pro re audita. Unde Chald. vertit, *nuntium ;* Tigurina, *rumorem ;* Vatabl. *famam ;* tertio, non dicit : *Audivi*, sed *Audivimus*, q. d. Non ego solus, sed multi Prophetæ mecum hæc Dei contra Idumæos decreta audiverunt, vel mox audient, puta Isaias c. 21. 11, Amos c. 1. 11, Joel c. 3. 19, Jeremias c. 49. 7, Ezechiel c. 15. 31. Ita S. Hier. Remig. Albert. Hugo, Lyran. Clarius et Arias. Septuag. tamen vertunt in singulari : *Auditum audivi à Domino*, et sic habet Jerem. c. 49. 14. Unde Hugo putat, *audivimus* plurale, poni pro singulari, *audivi*. Sensus est, q. d. Audivimus à Deo hoc nuntium, vel Deus nobis annuntiavit se misisse legatum ad gentes, qui eis diceret : Surgite, armate vos ad bellum, ut, conjunctis viribus et armis, Idumæos invadamus et vastemus, τὸ enim *surgite*, non est vox gentium se

invicem excitantium ad bellum, uti volunt Arias et Vatabl. sed est vox legati, sive Dei, qui per legatum gentes excitat, ut secum consurgant in prælium contra Idumæos. Ita S. Hieronym. Theodor. Remig. et Lyran. idque patet ex ipsa serie narrationis et verborum contextu.

Legatum ad gentes misit.] Quæres quis hic legatus? Albertus et Arias censent fuisse legatos quos Nabuchodonosor misit ad gentes vicinas sibique subditas, ut, conjunctis armis, invaderent Idumæam; secundo, Hugo, Dionys. et à Castro censent fuisse angelum, sive bonum, sive malum, à Deo missum ad Chaldæos, ut eos concitaret ad excidium Idumæorum, juxta illud psal. 77. 49 : *Immissiones per angelos malos;* tertio, simplicius et planius dicemus esse catachresin, qua ipsa motio et concitatio Dei vocetur *legatus*, q. d. Deus concitavit Chaldæos ad bellum Idumæis inferendum, perinde ac si legatum ad eos misisset. Ita Lyran. Ribera et alii. Id ita esse colligitur ex simili loco Isaiæ 5. 26 : *Et elevabit*, ait, *signum in nationibus, et sibilabit ad eum de finibus terræ ; et ecce festinus velociter veniet.* Et c. 7. v. 18 : *Sibilabit Dominus muscæ quæ est in extremo fluminum Ægypti, et api quæ est in terra Assur.* Ubi hæc evocatio Dei, et concitatio Ægyptiorum et Assyriorum ad bellum, vocatur *sibilus*, quo evocantur et concitantur muscæ et apes. Vide ibi dicta. Verum quia hic sibilus, hæc motio et concitatio Dei fieri solet per Angelos, hinc non male per legatum accipies Angelos, juxta secundam expositionem. Pari modo Nisus, pugnandi avidus, dixit ad Euryalum :

> Diine hunc ardorem mentibus indunt
> Euryale, an sua cuique Deus fit dira cupido ?

Porro qua ratione Deus concitet reges, etiam tyrannos ad bellum, ut vindictam suam per eos, licet injustos, in gentes impias exerceat, dixi canone 36. et 37. quos præfixi Isaiæ.

Allegor. hic legatus est Christus, magni consilii angelus, qui prælio vicit Edom, id est mundum, carnem, diabolum : et ad se, æque ac ad hocce suum bellum, vocavit Gentes. Unde de vocatione Gentium hunc locum accipit Euseb. lib. 5. Demonstr. 24; ita quoque S. Hier. Remig. Rupert. Hugo Cardin. et Hugo Victor. *Legatus iste*, ait Hugo Victor. *tria secum attulit : lucem, unguentum, panem. Lucem cæcis, unguentum ægrotis, panem famelicis. Lucem exposuit in monte, panem in cœnaculo, unguentum in crucis patibulo; Christus namque mundum illuminavit, pulsa ignorantia : ipse eum satiavit, ordinata concupiscentia : idem ipsum in melius commutavit, exterminata miseria. Unde ipse in Evangelio : Ego sum, ait, via, veritas et vita ; via illuminando, veritas sanando, vita felicitando : primum contra ignorantiam, secundum contra concupiscentiam, tertium contra miseriam.* Et inferius docet legatum hunc loqui cæteris personis SS. Trinitatis, ac dicere : *Surgite, et consurgamus adversus eum in prælium*, q. d. *Surgat Pater hostem Filio potenter prosternendo, ego surgam sapienter nescium docendo. Pater vincula solvat humanæ captivitatis : Filius tenebras illustret humanæ cæcitatis : Spiritus munera suggerat et desideria charitatis.*

2. Ecce parvulum dedi te.] Hæc verba pertinent ad : *Hæc dicit Dominus Deus ad Edom.* Hic enim incipit prophetiæ et vox Dei contra Edom, uti paulo ante ostendi. Vatablus, Lyranus et Hugo præteritum *dedi* exponunt prophetice per futurum *dabo*, q. d. Ob superbiam puniam te, ô Edom, teque de fastigio gloriæ et magnitudinis tuæ dejiciam, faciamque parvulum. Verum melius S. Hieron. Theodor. Remig. Hugo, Arias, Pagninus et alii proprie accipiunt τὸ *dedi*. Exaggerat enim fastum Idumææ, quod, cum parvulus formatus sit à Deo, caput usque ad sidera erigere velit, quasi dicat : Feci te parvulum, tum numero, id est, paucum : tum opibus, id est, pauperem : tum robore, id est, invalidum et infirmum, ut vertit Chaldæus. Idumæi enim erant sicuti nostri Alpini, habitantes in monte et petra Seir : quare exigui erant, inopes et imbecilles. Unde sequitur :

Contemptibilis tu es valde.] Septuag. : *Inhonoratus tu valde ;* Tigurina : *Vehementer despectus*, id est despicabilis, *es tu;* Arabicus : *Ecce parvulus appares in gentibus, et tu vilis es valde.*

3. Superbia cordis tui extulit te.] Chaldæus, Tigurina et alii vertunt : *Superbia cordis tui decepit te;* et sic vertit Noster Jerem. 49. 16, quia hebr. נשא *nasa*, si punctum ponas in dextro cornu ש, significat decipere ; si in sinistro, significat efferre, extollere. Utrumque verum : nam superbia extulit, et pariter decepit eum : sperantem enim sublimia duxit ad præcipitia. Porro superbiæ causa erat quam subdit : *Habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum*, q. d. Superbis, ô Edom, de tuo robore, quia habitas in rupe prærupta et inaccessa, quasi ob eam sis tutus ab hostium incursu et inexpugnabilis : sed erras; Chaldæi enim, Deo duce, in rupem hanc conscendent, teque inde dejicient. Pro *in scissuris*, hebr. est בחגוי *bechagve*, quod Septuag. vertunt, *in foraminibus;* Pagnin. *in munitionibus;* Tigurina, *in cavernis ;* R. David, *in gyro et circulo*, puta in vertice rupis, ejusque rotunda circumferentia : *chagve* enim potest deduci à חוג *chug*, id est circulus. Rursum pro *exaltantem*, hebr. est מרום *merum*, id est, *celsitudine habitationis tuæ*, ut vertit Pagnin. Septuag. tamen vertunt ut Noster, *exaltantem.* Unde videntur legisse מרים *merim*, quod est *benoni hiphil.* Sensus est, q. d. habitas, ô Edom, in locis abruptis, editis et inaccessis, ibique exaltas solium, id est sedem, vel, ut Chald. et Septuag. *habitaculum tuum ;* ideoque superbis, putans te esse invictum et insuperabilem. Ita S. Hieron. Simili modo superbiebat Arimazes, qui in Sogdiana regione rupem inaccessam cum triginta armatorum millibus insidens, rogatus ab Alexandro Magno ut sese dederet, eum irrisit, rogavitque *an Alexander volare posset ?* Cui Alexander : *Faciam*, inquit, *proxima nocte ut credas Macedones volare posse.* Igitur trecentos juvenes fortissimos ingentibus promissis excitatos, noctu per prærupta saxa et invia à tergo rupis verticem clam incredibili nisu ausuque conscendere jussit, ac per eos, insciis hostibus, rupem occupavit, et Arimazem cruci affixit. Ita Q. Curtius, lib. 7. de gestis Alexandri.

4. Si exaltatus fueris ut aquila.] Syrus : *Si te exaltaveris ut aquilæ;* Arabicus : *Si exaltatus fueris ad aquilam*, quæ in altissimis et inaccessis rupibus montibusque nidificat, juxta illud Job cap. 37. v. 28 : *Elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum : in petris manet, et in præruptis silicibus commoratur.* Plinius, lib. 10. v. 3.

hanc aquilæ speciem vocat melænaeton : *Magnitudine minimam, colore nigricantem, viribus præcipuam. Sola,* ait, *sine clangore, sine murmuratione conversatur in montibus.* Sunt enim aliæ aquilarum species, quæ amant sylvas et littora locaque plena, ibique nidulantur, teste Aristot. lib. 9. de Animal. c. 32. Hinc Pindarus aquilam vocat reginam volucrum, delphinum piscium. Et Athenienses, ait Aristoph. accepere oraculum, se fore aquilas urbium.

Mystice, aquilæ, inquit Hugo Victor. sunt Philosophi et Sophistæ, dum cordis oculos ad solem justitiæ erigunt, dum aciem mentis in ipsum veritatis radium irreverberate figunt. Sed aquila inde statim retrahitur : quia post acceptam veritatis insitam notitiam, elationis merito Philosophus et Sophista ad errorum caliginem revertuntur. Hinc Apostolus Roman. 1 : *Quicum cognovissent,* inquit, *Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt ; sed evanuerunt in cogitationibus suis.* Ita et hodie aquilas, id est, viros doctos et sapientes ob superbiam è cœlo, id est ex Ecclesia, vel certe è statu perfectionis, detrahi videmus, et ruere in abyssum. Utinam docti illud doctoris Gentium intimis medullis infigant : *Scientia inflat, charitas ædificat !* Et illud : *Noli altum sapere, sed time.* Parvus enim, imo nullus, coram Deo est vir doctus sed superbus. Magnus, imo maximus, coram Deo est, qui tam humilis est quàm doctus, in quo humilitas cum doctrina certat, quales fuere S. Aug. S. Thomas, S. Bonaventura et alii.

Et si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.] Est hyperbole, q. d. Etiamsi, ô Edom, in altissimis montibus, ubi sunt Olympus, Atlas, etc. imo in ipso cœlo sedem figas, aut figere tibi videare, inde detraham te.

Nota : Apposite urbes rupibus impositas vocat *nidos.* Sic Paulus Æmilius dixit *arces* esse *nidos tyrannorum :* unde ipse illas è Græcia sustulit. Sic Cicero 1. de Orat. Ithacam in scopulis quasi nidum affixam dixit.

Symbol. Rupertus hæc adaptat iis qui stemmatibus majorum quasi petris, unde excisi sunt, gloriantur. Hi enim et similes videntur sibi cæteros homines longe superare, et inter sidera habitare. Talis fuit demens jactantia Thrasonis illius, Lysimachi inquam, qui cum loca ad Thraciam vergentia obtinuisset, ingenti fastu dixit : *Nunc demum Byzantii ad me veniunt, postquam lancea cœlum attigi.* Ibi hominem false irridens Pasides Byzantius : *Recedamus,* ait, *ne ille lanceæ mucrone cœlum perforet,* uti refert Plutarch. in Fortun. Alexand. lib. 2. Sic fastu turgidus Atreus in Thyeste apud Senecam intonat :

Æqualis astris gradior, et cunctos super,
Altum superbo vertice attingens polum.
Dimitto superos, summa votorum attigi.
O me cœlitum excelsissimum,
Regumque regem, vota transcendi mea.

Eadem phrasi utitur Ovidius :

Quo conjuge felix,
Et diis chara ferar, et sidera vertice tangam.

Et Horat. lib. 1. Carm.

Quod si me lyricis vatibus inseris,
Sublimi feriam sidera vertice.

Moral. nota quantus sit superbia et superborum fastus, nimirum ut putent se in cœlum in solium Dei posse conscendere, illudque invadere. Idcirco Deo, quasi rivales et æmuli gloriæ ejus, maxime sunt exosi et invisi. Hinc de iis ait Job. cap. 20. 6 : *Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur.* Ita supremus angelus, ejusque antitypus Nabuchodonosor, vel Balsasar rex Babylonis, superbiens dixit : *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum;* sed illico audivit : *Detracta est ad inferos superbia tua ; subtus te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes,* Isaiæ 14. 11. et 13. Vide ibi dicta.

Annon Origenes, Tertullianus, Pelagius, etc. fuerunt quasi stellæ Ecclesiæ, et astra cœli, et tamen ob superbiam ceciderunt in abyssum ? quis non expavescat, quis non in imum se abjiciat et humiliet? Hoc est quod in fine mundi circa insignes viros diabolum per Antichristum facturum prædicit S. Joannes Apocal. 12. 4, dum ait : *Cauda ejus* (draconis) *trahebat tertiam partem stellarum,* id est, illustrium Sanctorum. Et Apocal. vers. 10 : *Cecidit de cœlo stella magna ardens velut facula.* Quod Ticonius apud S. Aug. tom. 9. mystice exponens sic ait : *De Ecclesia dicit cecidisse homines superbos et impios ; magnam vero stellam dixit, quia personæ malorum, et potestatem vel divitias habentium.* Nam, ut ait S. August. in psal. 146. (explicans illum versum: *Qui numerat multitudinem stellarum*) : *Sunt stellæ quædam lumina in Ecclesia consolantia noctem nostram, de quibus Apostolus dicit Philip. 2 : In quibus apparetis tanquam luminaria in mundo : illas stellas numerat Deus; omnes secum regnaturos,* etc. *numeratos habet.* Idem, in Soliloquiis tom. 9. cap. 28, electos et impios ob sua scelera reprobandos comparat stellis, illos fixis, hos cadentibus, de iisque ait : *Attamen mors peccatorum pessima, illorum, inquam, quos, antequam faceres cœlum et terram, secundùm abyssum multam judiciorum tuorum occultorum, semper autem justorum, præscivisti ad mortem æternam : quorum dinumeratio nominum et meritorum pravorum apud te est, qui numerum arenæ maris dinumerasti, et dimensus es profundum abyssi : quos reliquisti in immunditiis suis, quibus omnia cooperantur in malum, et ipsa etiam oratio vertitur in peccatum, ut si etiam usque ad cœlos ascenderint, et caput eorum nubes tetigerit, et inter sidera cœli collocaverint nidum suum, quasi sterquilinium in fine perdentur.* Unde exclamat : *Magna sunt hæc judicia tua, Domine Deus,* etc. *quod cum considero, contremiscunt omnia ossa mea : quoniam non securatur homo vivens super terram ; ut serviamus tibi pie et caste cunctis diebus vitæ nostræ in timore, et exsultemus tibi cum tremore.* Causam subdit : *Vidimus enim multos ascendisse primitus quodam modo usque ad cœlos, et inter sidera nidum suum collocasse, postmodum autem cecidisse usque ad abyssos, et animas eorum in malis obstupuisse. Vidimus stellas de cœlo cecidisse ab impetu ferientis caudæ draconis, et eos qui jacebant in pulvere terræ, à facie sublevantis manus tuæ, Domine, mirabiliter ascendisse. Vidimus vivos morientes, et mortuos à morte surgentes, et eos qui inter filios Dei ambulabant in medio lapidum ignitorum, quasi lutum ad nihilum defluxisse.* Radicem tanti mali subdit : *Quare autem ista omnia, nisi quia in montem illum ascenderunt, in quem primus ascendit angelus, et descendit*

diabolus? Mos enim est Dei, ut quo quis altius se erigit, eo profundius eum deprimat, quia superbiam exsecratur, juxta illud Isaiæ 23. v. 9: *Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret omnem superbiam, et in ignominiam deduceret omnes inclytos terræ.* Et: *Deposuit potentes de sede,* Luc. 1. 52. Viderunt idipsum Gentiles: unde Æsopus rogatus quid faceret Deus: *Superbos,* inquit, *humiliat, et humiles exaltat.* Quasi hoc unum proprium sit Dei opus. Et Seneca in Hercule Furent.

Dominare tumidus, spiritus altos gere,
Sequitur superbos ultor à tergo Deus.

Idem in Thyeste:

Vos quibus rector maris atque terræ,
Jus dedit magnum necis atque vitæ,
Ponite inflatos tumidosque vultus.
Quidquid à vobis minor extimescit,
Major hoc vobis dominus minatur.
Omne sub regno graviore regnum est.
Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem.
Nemo confidat nimium secundis.

Quocirca sapienter Artabanus monet Xerxem regem apud Herod. lib. 7: *Vides,* ait, *ut animalia prægrandia fulmine ferit, neque cogitationibus insolescere sinit Deus; quæ vero parvula sunt, ne tantillum quidem vellicat? Vides ut in maxima ædificia et arbores ejusmodi semper tela contorqueat? Amat enim Deus incidere omnia quæ eminent. Neminem enim sinit magni quippiam de se sentire, præter seipsum.* Denique S. Hieron. ad Eustochium de custodia virgin. *Cecidit,* inquit, *Lucifer, qui mane oriebatur, et ille qui in paradiso deliciarum nutritus est meruit audire: Si exaltatus fueris ut aquila, inde detraham te, dicit Dominus. Dixerat enim in corde suo: Super sidera cœli ponam sedem meam, et similis ero Altissimo. Unde quotidie ad eos, qui per scalam Jacob somniantis descendunt, loquitur Deus: Ego dixi: Dii estis, et filii Altissimi omnes. Vos autem sicut homines moriemini, et tanquam unus de principibus cadetis.*

Mystice R. Haccados apud Galatin. lib. 7. cap. 15: *Via,* ait, *aquilæ in cœlis est rex Messias, qui post passionem suam ascendet in cœlum, sicut dictum est Amos cap. 9: Qui ædificat in cœlo ascensionem suam.*

5. Si fures introissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses?] Pro *conticuisses,* hebr. est נדמית *nidmeta,* à rad. דמה *dama,* quod tria significat, scilicet assimilari, succidi, et conticescere. Unde, primo, Arias vertit: *Quomodo assimilatus esses,* hoc est, cui similis relictus esses? utique viro dispoliato et depauperato. Secundo, Pagnin. et Tigurin. vertunt: *Quomodo esses excisus?* q. d. Quomodo tuis rebus et opibus privatus esses? Aliter à Castro, contrarie enim exponit hoc modo: Anne omnino excisus esses? minime: nam fures hi tantum sufficientia sibi furati essent, cætera tibi reliquissent. Tertio, Noster vertit: *Quomodo conticuisses?* et Chaldæus: *Quomodo soporatus esses?* id est, instar soporati, vel soporem fingentis præ metu conticuisses? Sensus est, si fures, vel latrones nocturni magna manu invasissent tuas ædes, omnino conticuisses. Ita enim solent timidi, vel viribus impares tacere præ metu, ne, si clament, à furibus et latronibus occidantur, q. d. Quanto magis conticesces et obmutesces ex pavore, cum te Chaldæi numerosissimi, validissimi et infensissimi invadent et spoliabunt; nec tantum opes, sed et vitam auferent. Ita S. Hieron.

Physice hic nota: Metus, quia spiritus et sanguinem revocat ad cor in pavore confirmandum, hinc et pallorem extimis partibus, linguæque silentium inducit. Ita Aristotel. in Physiognomic. docet vocem fortem signum esse fortis, remissam autem et imbecillem timidi. Idem, lib. 4. Ethic. cap. 3: *Magnanimi,* ait, *motus tardus esse debet, et vox gravis, et locutio tarda: contraria sunt in pusillanimi et timido.* Metus enim acuit, stringit ligatque os, linguam, mentem, memoriam, animam totumque hominem. *Metus,* inquit Solinus Polyhist. cap. 7, *memoriam perimit.* Id videmus in scrupulosis, qui umbras peccatorum timent, atque ex hoc timore, fluctuante imaginatione et memoria, sæpe non meminerunt eorum quæ egerunt, vel confessi sunt, imo obliviscuntur se esse confessos; nec recordantur circumstantiarum, quæ eos in opere perpetrato vel in totum, vel ex parte majori à peccato excusabant: quia peccatum et peccati metum duntaxat præ oculis habent, qui metus apprehensionem ita validam vivamque efficit, ut videantur se peccatum videre ubi non est, seque illud perpetrasse quod nunquam cogitarunt. Ut ergo scrupulos superent, opus securim ponant ad radicem, ac metum per contrariam audaciam ex consilio viri prudentis succidant.

Secundo, in furibus notat clanculariam et timidam rapinam, q. d. Fures clanculum inscios et imparatos invadunt et diripiunt: at Chaldæi non ita, palam et aperto marte te invadent, ô Edom: præscies eorum adventum, parabis te, adventantes et insilientes videbis et senties, nec poteris iis resistere, imo nec fuga elabi vel evadere. Ita Vatablus.

Nonne furati essent sufficientia sibi?] Est nova antithesis, q. d. Fures non omnia rapiunt, sed ea duntaxat quæ sibi sufficiunt, cætera suis heris et locis relinquunt: at Chaldæi omnia tua abripient. Id declarat alia similitudine, vel potius antithesi vindemiatorum, dicens:

Si vindemiatores introissent ad te, numquid saltem racemum reliquissent tibi?] Utique sub foliis latentes hinc inde racemos plures de more reliquissent: at Chaldæi scrutabuntur et diripient omnes et omnia, nihil relinquent. Est hyperbole: *Nihil,* id est, paucissima, vix quidquam. Erunt ergo exactissimi racematores, æque ac vindemiatores tui, ô Edom. Unde sequitur:

6. Quomodo scrutati sunt Esau, investigaverunt abscondita ejus?] q. d. Quàm operose et exacte Chaldæi scrutabuntur omnia arcana et thesauros Idumæorum, eaque diripient! Pagnin. et Tigurina vertunt: *Quomodo pervestigata sunt ea quæ sunt Esau, et thesauri ejus perquisiti?* q. d. Hoc factum est non tam humana solertia et voluntate, quàm divina, ut scilicet omnia quæ erant Idumæorum, etiam thesauri quos absconderant, exactissimo scrutinio à Chaldæis perquisita et inventa sint. Ostendit Chaldæos non fortuito, non sua sponte et motu proprio, sed Dei voluntate venturos et de Idumæis vindictam sumpturos, ideoque exactam et acrem fore hanc vindictam, utpote divinam potius quàm humanam.

7. Usque ad terminum emiserunt te omnes viri foederis tui,] q. d. Non tantum Chaldæi hostes tui te vastabunt, sed et gentes vicinæ tibi amicæ et confœderatæ, v. g. Ammonitæ, Moabitæ, etc. se jungent cum Chaldæis hostibus tuis, tibique illudent, ac te è terra tua ejicient usque ad fines ejusdem, imo usque in terram Chaldæorum. Ita Chaldæus, S. Hieron. Remig. Albert. Hugo, Vatabl. Clarius et alii passim, q. d. O Idumæi, prodemini ab amicis vestris.

Aliter à Castro : censet enim hæc ad tempora Josaphat regis Juda, sub quo vixisse putat Abdiam, pertinere, quando nimirum Ammonitæ et Moabitæ confœderati Idumæis invaserunt Josaphat et Judam, sed Deo pro Josaphat et Juda pugnante, ac vertente insidias eorum in ipsosmet, Ammonitæ et Moabitæ insurgentes in Idumæos eos conciderunt, ac deinde versi in seipsos mutuis concidere vulneribus, uti narratur 2. Paral. 20, q. d. Si, ô Idumæi, vestra prudentia non potuistis avertere insidias Ammon et Moab amicorum vestrorum, quomodo avertetis extremam hostium stragem? Verum in Proœmio docui Abdiam diu post Josaphat vixisse et prophetasse : non ergo agit de clade illius temporis; eò tamen alludit, illamque Idumæis refricat, q. d. Mementote, ô Idumæi, quid vobis fecerint Ammon et Moab amici vestri cum quibus pacem et fœdus sanciebatis tempore Josaphat : idem enim vobis facient tempore Chaldæorum, cum iisque vos vastabunt et illudent.

Illuserunt tibi.] Septuag. *Restiterunt tibi;* Pagnin. Tigurina et Vatablus : *Seducent te, et prævalebunt contra te viri pacis tuæ, id est, qui tecum pacem inierant.*

Qui comedunt tecum, ponent insidias subter te.] Sic et Septuag. sed Pagninus vertit : *Panem tuum comedentes ponent languorem subter te;* Tigurina : *Panis tuus sub te vulnus ponet,* hoc est, ut Vatablus : *Viri panis tui inflixerunt vulnus clam te,* id est, tibi imprudenti, nihil tale cogitanti, eo quod existimares illos esse fideles, q. d. Qui tecum panem edebant domestici et familiares, sive stipendiarii tui, fraudulenter et proditorie inflixerunt tibi vulnus.

Non est prudentia in eo,] scilicet populo Idumææ. Est enallage personæ Hebraica : transit enim à secunda ad tertiam. Dicit enim *in eo,* pro *in te,* q. d. Nescis, ô Edom, cavere tua pericula, nescis tibi consulere : quocirca venies in potestatem hostium proditione amicorum, tuaque improvidentia, æque ac pravis consiliis. Ita Vatablus. Sic Deus infatuavit consilium, Achitophel, 2. Reg. 17. 14. Est enim consilium et prudentia, ejusque intellectus et acceptatio, ingens donum Dei.

8. Numquid non in die illa, dicit Dominus, perdam sapientes de Idumæa?] q. d. Adimam illis consilium et mentem, privabo eos ratione et prudentia, ut nec imminentes hostes præsentiant aut præcaveant, nec præsentes avertere aut effugere possint, sed in eorum manus incidant. Apud Idumæos enim olim viguit sapientia, ut patet ex Eliphaz Themanite, et aliis amicis Job, qui fuerunt Idumæi : Theman enim fuit primaria urbs Idumææ, ita dicta à Theman filio Eliphas, filii Esau, Genes, 36. 11.

9. Et timebunt fortes tui a Meridie (Chald. *habitantes ad Meridiem,* ideoque remotiores à Chaldæis, qui venient ex adversa plaga, scilicet ex Aquilone, q. d. Timebunt fortes tui, etiam ii qui remotissimi sunt ab hoste) ut intereat vir, id est, multitudo virorum fortium, de monte Esau,] id est, de Idumæa quæ in montibus sita est, quam primus parens tuus Esau incoluit.

Ex Hebræo verti potest ad litteram cum Septuag. *Pavebunt bellatores tui de Theman;* et cum Pagnino et Tigurina : *Formidabunt fortes tui, ô Theman urbs Idumææ, eo quod occisione exscindetur quisque è monte Esau.* Verum, quia *Theman* Hebræis et proprium est nomen, significans urbem, et appellativum significans Austrum et Meridiem, hinc Noster et Chald. vertunt : *Timebunt fortes tui à Meridie.* Quod tamen eòdem redit : nam urbs Theman sita erat ad Meridiem. Nota hîc modum quo Deus evertit reges, regna, resp. et urbes, cum eas punire vult : nimirum aufert à regibus et magistratibus prudentiam; à civibus et militibus animos, audaciam et robur ad resistendum; utroque enim pollebant Idumæi, æque ac pater Esau : utrumque eis abstulit Deus, veniente hoste Chaldæo. Hoc est quod Isaias comminatur Hierosolymæ, cap. 3. 1 : *Dominus exercituum auferet à Jerusalem et à Juda validum, et fortem, etc. consiliarium et sapientem.*

10. Propter interfectionem, et propter iniquitatem in fratrem tuum Jacob.] Tigurina : *Propter vim et injuriam* (hæc enim significat hebr. חמס *chamas*) *qua affecisti fratrem tuum Jacob* (Jacobæos, puta Judæos) *obteget te pudor.* Vim et interfectionem intelligit, specialim eam qua Idumæi junxerunt se Chaldæis, cumque eisque expugnarunt et vastarunt Jerusalem, ut dixi in Proœmio.

Operiet te confusio,] cum te videbis ab iisdem Chaldæis, quos adjuveras, pari modo vastari, nudari, spoliari, occidi. Vox *operiet*, significat Idumæos plane et circumquaque confusione quasi veste cingendos et operiendos, juxta illud psalm. 108. 19 : *Induantur qui detrahunt mihi pudore, et operiantur sicut diploide confusione sua.* Est metalepsis : ponitur enim confusio pro excidio : ex excidio enim secuta est spoliatio, ex spoliatione nuditas, ex nuditate opprobrium et irrisio hostium, ex opprobrio confusio. Hoc est quod Idumæis intentat Jerem. 25. 9 : *Ponam eos in stuporem, et in sibilum, et in solitudines sempiternas.*

Et peribis in æternum.] Hoc est quod iisdem ait Ezechiel, cap. 35. 9 : *In solitudines sempiternas tradam te, et civitates tuæ non habitabuntur.* Est hyperbole : *æternum* enim vocat longum et immemorabile tempus. Nam Idumæos vastatos à Chaldæis non plane, nec in omne ævum periisse patet v. 18, ubi Judæi dicuntur combusturi Idumæos; et ex 2. Machab. 10. v. 16, ubi Judas Machabæus dicitur subegisse Idumæos; ac postea Tito obsidente Jerusalem, Idumæi tulerunt opem Judæis, teste Josepho lib. 7. Belli, cap. 15. Denique Daniel. c. 11. 41. dicitur quod Edom evadet manus Antichristi : durabit ergo usque ad Antichristum et finem mundi.

11. In die cum stares adversus eum, cum, ô Edom, stares armatus contra Israelem et Jerusalem, quando capiebant alieni (Chaldæi) exercitum ejus, et extranei ingrediebantur portas ejus (capta Hierosolyma), et super Jerusalem (id est, super spoliis et civibus quos ceperant in Jerusalem) mittebant sortem : tu quoque eras quasi unus ex eis,] q. d. Tu pari

modo quo Chaldæi invadebas, spoliabas, capiebas, vastabas Judæos et cives Hierosolymæ. Nota : Hæc præterita accipienda sunt prophetice pro futuris ; *stares* pro stabis ; *capiebant* pro capient ; *ingrediebantur* pro ingredientur ; *mittebant* pro mittent ; *eras* pro eris. Abdias enim præcessit excidium Jerusalem, illudque hîc prædicit, quodque in eo Idumæi adjuturi sint Chaldæos.

12. ET NON DESPICIES IN DIE FRATRIS TUI.] Septuag. omnia hæc futura usque ad v. 15. vertunt per imperativum : *Et non despicias diem fratris tui in die alienorum, et non læteris super filios Juda in die perditionis eorum, et non magna loquaris in die angustiæ eorum, etc. neque stabis in egressibus eorum, ut perdas qui salvantur ex eis, neque concludes fugientes ex eis in die tribulationis.* Quæ verba clara sunt : jubent enim Idumæis, ut more suo Judæis amplius non adversentur, nec insidientur, nec de eorum clade gaudeant, nec iis insultent. Sic et S. Cyrillus et Tigurina. Hoc est quod monet Sapiens, Prov. 24. 18 : *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruina ejus ne exsultet cor tuum, ne forte videat Dominus et displiceat ei, et auferat ab illo iram suam.*

Secundo, alii hæc futura vertunt per præteritum : *non despicies*, id est, despicere non debueras : *non lætaberis*, id est, lætari non debueras ; *non magnificabis*, id est, magnificare os tuum non debueras, etc. contra fratres tuos Judæos. Hic sensus valde congruit Hebræis et hebraismo : Hebræi enim futurum sæpe per debitum exponunt, ut Genes. 20. 9. dicit Abimelech Abrahæ in Hebræo : *Quæ non fient*, id est, quæ fieri non debent, *fecisti nobis*. Rursum hic sensus apte congruit præcedentibus ; præcedit enim : *Tu quoque eras quasi unus ex eis*, cui recte subnectit : *Et non despicies*, id est, cum tamen fratrem tuum despicere non debuisses, etc. Ita Pagnin. Arias, Vatablus et Prado in Ezech. 25. v. 13. Idipsum voluit Chaldæus, qui licet verbotenus contrarie vertat, nimirum affirmative, cum Hebræa et Noster legant negative, tamen reipsa eumdem sensum reddit. Sic enim habet : *Et quia vidisti diem fratris tui, diem confractionis ejus, et quia lætatus es super filios Juda in die interitus eorum, etc.* q. d. Videre cum voluptate diem excidii Hierosolymæ, in eaque lætari non debueras, et tamen vidisti, et lætatus es : idcirco pariter et tu punieris et exscinderis.

Tertio, propriissime et planissime hæc omnia futura quasi minas et oracula, uti sonant, accipias : toto enim hoc cap. Abdias minatur excidium Idumæis. Quocirca hæc verba : *Et non despicies, etc.* non connectuntur proxime præcedentibus, sed paulo remotioribus, nimirum iis : *Peribis in æternum*, q. d. Exscinderis et peribis, ô Idumæe, tuncque amplius non despicies, ut soles, Judæos, nec in eorum clade lætaberis, sed tuî ipsius clade occupatus et obrutus ejulabis, et lugebis inconsolabiliter. Ita S. Hieron. Theodor. Rupert. Hugo, Lyranus et à Castro. Hunc sensum exigit versio Latina, quæ omnia hæc per futurum vertit, non per præteritum, et sequentia. Sequitur enim : *Quoniam juxta est dies Domini : sicut fecisti fiet tibi*, q. d. Vastaberis, nec amplius Judæorum, sed tuis ipsius malis occupaberis et ingemisces : quia instat tibi dies Domini, puta dies ultionis et excidii per Chaldæos. Nota : cum ait, *non despicies*, despicere hîc non significat contemnere, sed deorsum aspicere. Hebr. enim est אל תרא *al there*, id est non inspicies, non aspicies cum voluptate et gaudio, q. d. Cum eris excisa et prostrata, ô Idumæa, non amplius è rupe tua cum voluptate despicies humi jacentem Jerusalem, uti antea eamdem despiciebas. Sic consistens in vertice montis despicit in valles, ait Ovidius 11. Metamorph. Et Cicero de Arusp. resp. *Tollam altius tectum, non ut ego te despiciam, sed ne tu aspicias urbem eam quam delere voluisti.* Et Plautus in Cistel. *Ad terram aspice et despice, oculis investiga.* Et in Milit. *Me despexisse ad te per impluvium tuum fateor.* Sic Deus ex alto despicit agones et ærumnas nostras, dum nostrî miseretur et succurrit.

IN DIE PEREGRINATIONIS EJUS,] quo scilicet Judas excisus et exsul peregrinari cœpit apud exteros et alienos. Unde Septuag. vertunt : *In die alienorum ;* Tigur. *In die quo aliena ei acciderunt ;* Pagnin. *In die qua alienatus est.* Hebr. enim נכרו *nochro* proprie idem est quod *in die alienationis*, id est, exsilii et peregrinationis, *ejus.*

NON MAGNIFICABIS OS TUUM,] q. d. Excisa non amplius magna, id est superba, arrogantia et acerba loqueris Judæis, non amplius arroganter eis insultabis, dicendo : *Exinanite, exinanite* (Jerusalem) *usque ad fundamentum in ea*, psal. 136. Sic magnificare sumitur pro insultare, psalm. 11. vers. 4. et 5. et psalm. 54. 13 ; solent enim insultantes magnificare, id est dilatare os, diducere labra, quin in linguam exerere.

13. NEQUE INGREDIERIS PORTAM,] ut cum Chaldæis spolies et occidas cives Jerusalem.

NEQUE DESPICIES ET TU IN MALIS EJUS,] id est, non aspicies cum voluptate malum et calamitatem Judææ : ita Vatablus et Pagninus. Est hebraismus, puta *beth* contactus. Hebræi enim dicunt *aspicere in malis*, pro *aspicere mala.*

ET NON EMITTERIS,] scilicet à Chaldæis, ut partem exercitus Judæorum, vel venientem Hierosolymæ in subsidium, vel ex ea jam capta fugientem persequaris et comprehendas. Ita Septuag. Aliter vertit Chald. scilicet : *Non emittes*, vel non extendes, *manum tuam ad ejus opes in die excidii ejus*, ut eas rapias. Sic et Pagnin. et Vatabl.

14. NEQUE STABIS IN EXITIBUS,] scilicet in diverticulis viarum, id est, ut Chald. Vatabl. et Pagnin. *in bivio*, q. d. Deinceps non stabis in angulis et diverticulis, ut interficias Judæos stragem hostium fugientes ; non operieris eos amplius in biviis, ut interimas residuos, qui ex ipsis manus Chaldæorum evaserint, uti faciunt latrones.

ET NON CONCLUDES RELIQUOS,] residuos afflictos et anxios non capies, non arctabis amplius, uti olim fecisti. Pagninus et Vatablus : *Non trades hosti superstites ejus in die afflictionis.*

15. QUONIAM JUXTA EST DIES DOMINI SUPER OMNES GENTES.] S. Dorotheus in Vita Abdiæ, citans hæc ejus verba, sic exponit : *Dictum hoc est*, inquit, *superficie tenus* (ad litteram) *contra Scythas, id est, contra Gog et Magog ; certius autem et magis proprie Domino Christo convenit ; nam paulo post subjungit : Erit autem salus in monte Sion.* Verum nulla hîc Scytharum, Gog vel Magog est mentio ; nec hi everterunt Idumæam ; imo Idumæa eorum manus evadet tempore Antichristi, ut ait Daniel cap. 11. 41. Ad litteram ergo *diem Domini* vocat, diem vindictæ

et excidii Idumæis, aliisque gentibus, Judæorum hostibus, à Deo per Chaldæos infligendi, ut patet Jerem. cap. 25. 15. et cap. 27. vers. 6. Ita S. Hieron. Cyrillus, Theod. Hugo, Lyranus et alii passim. Alleg. dies Domini est dies judicii, quo Christus Idumæos, id est impios, mundanos et carnales damnabit et detrudet in tartara.

SICUT FECISTI, FIET TIBI : sicut afflixisti Judæos, ita affligeris et vastaberis tu à Chaldæis : RETRIBUTIONEM TUAM, quod Judæis fratribus tuis retribuisti, scilicet, pro amore odium, cædes et spoliationem, retribuam tibi, et CONVERTAM IN CAPUT TUUM.] Justum enim est, ait Rhadamantus apud Aristot. 5. Ethic. ut quod quis injuste aliis intulit, idem subeat et patiatur, juxta illud psal. 136. 8 : *Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.* Nota hebraismum : convertere, vel retribuere retributionem, idem est quod retribuere talionem, reddere par pari. Addit *in caput*, quia sicut caput est causa culpæ, ita et *noxa caput sequitur* : caput enim, utpote in quo vigent omnes sensus, mens et tota anima, maxime sentit totius corporis noxam et pœnam. Rursum, quia maxima pœna est quæ capiti ipsi tam sensibili infligitur. Insuper ait : *Sicut fecisti, fiet tibi*, pro : Sicut fecistis, sic fiet vobis, scilicet, ô gentes universæ, uti præcessit; tum quia tritum tunc erat proverbium. *Sicut fecisti, fiet tibi*, quod tam singulis in singulari, quàm multis et omnibus in plurali applicari et explicari potest; tum quia inter gentes hostiles quæ afflixerunt Judæos, prima et acerbissima fuit Idumæa. Ad illam ergo dirigit sermonem, sed sub ea quasi sub capite cæteras intelligit. Ita S. Hieron. Unde explicans subdit :

16. QUOMODO ENIM BIBISTIS (ita legendum cum Hebr. et Romanis, licet Septuag. et quidam Latini legant, *bibisti*) SUPER MONTEM SANCTUM MEUM, BIBENT OMNES GENTES JUGITER.] *Bibere* in Script. dupliciter, id est contrarie sumitur. Primo enim bibitur calix vini suavis, cum quis exsultat, convivatur, et dies festos agit. Secundo, bibitur calix vini amari, aut fellis et iræ Dei, cum quis ob scelera à Deo ærumnis et suppliciis afficitur. Sic dicuntur peccatores bibere calicem furoris Dei. Jam primo, aliqui, tam *bibistis*, quàm *bibent*, in malum accipiunt. Unde Tigurina sic vertit : *Sicut vos qui estis in monte sancto meo bibistis, sic bibent omnes gentes*, q. d. Sicut vos, ô Judæi, bibistis calicem iræ Dei, sic bibent omnes gentes, ut vastentur à Nabuchodonosore; sicut vos ab eodem vastati estis, quod Rupert. tropologice applicans probis et improbis, fidelibus et infidelibus, sic explicat, q. d. Sicut pii bibunt calicem tribulationis, sic multo magis bibent impii eumdem sibi propinatum à Deo, præsertim in die judicii. Simili modo explicat Theod. sed de Idumæis, non de Judæis, q. d. Sicut vos, ô Idumæi, bibistis calicem afflictionis propinatum à Deo per Chaldæos, *super*, id est *propter*, *montem sanctum meum*, quia scilicet Sionem vastastis, et Judæos afflixistis; sic pariter eumdem bibent cæteræ gentes, quæ pari modo quo vos, Judæos afflixerunt.

Secundo, alii tam *bibistis*, quàm *bibent*, in bonum, scilicet ut lætitiam significent, accipiunt, q. d. Sicut vos, ô Idumæi, bibistis, id est bibendo, convivia et festa agitando, lætati estis super, id est, propter expugnatum à Chaldæis montem Sion : sic super vos bibent, id est, bibendo exsultabunt omnes gentes quæ erunt in Chaldæorum exercitu, cum iisque vos spoliabunt, vestrasque opes devorabunt, et absorbebunt sanguinem vestrum, atque *ad extremum in cunctos veniente cruciatu ipsæ quoque erunt quasi non sint*, ait S. Hieron. Chald. Cyrill. Haymo, Albert. Hugo, Lyran. Explicat enim illud quod dixit : *Sicut fecisti, fiet tibi;* idque jugiter, scilicet, donec penitus te absorbeant et consumant. Idumæi enim primo vastati sunt à Chaldæis, deinde à Juda Machabæo, 2. Machab. 10. 16; iterum omnino domiti sunt ab Hyrcano Simonis (qui fuit Judæ Machabæi frater) filio, teste Josepho lib. 11. Antiq. 17. Idque usque ad Judæorum excidium per Titum, quando Idumæi junxerunt se Romanis, et more suo se ulti vastarunt Judæos, teste Josippo Gorionide, lib. 4. Hist. c. 4. Demum ab aliis et aliis principibus ita attriti sunt, ut jam ne Idumæorum quidem nomen supersit.

Tertio, alii aptius *bibistis* in bonum, *bibent* vero in malum accipiunt, q. d. Sicut vos, ô Idumæi, bibistis, id est, bibendo et epulando exsultastis cum Chaldæis aliisque gentibus super clade Sionis; sic pariter omnes gentes, inter quas vos eritis primi et præcipui, bibent et absorbebunt tum calicem iræ Dei, eis propinatum à Deo, tum calicem sanguinis mutui. Invicem enim se trucidabunt, donec omnes pereant, ita ut non sint amplius. Nam Idumæos succiderunt Chaldæi, Chaldæos Persæ, Persas Græci, Græcos Romani. Et sic in omnibus verum erit vulgare proverbium ; *Sicut fecisti, fiet tibi.* Ita quoque S. Hieron. Remig. Haymo et alii. Favent sequentia : Gentibus enim exscindendis opponit Judæos ab iis afflictos, iisque promittit restaurationem et salutem, dicens : *Et in Sion erit salvatio.* Nam *bibent* non in bonum, uti censet secunda expositio, sed in malum accipi, patet ex eo quod subdit : *Bibent et absorbebunt, et erunt quasi non sint*, q. d. Bibent calicem iræ Dei, quo consumentur ita ut non sint. Unde Septuag. Complut. habent *absorbebuntur*, licet alii codices ut S. Hieron. habeant *absorbebunt;* alii, *ascendent;* alii, *descendent, et erunt sicut non existentes.* Denique sic Abdiam explicat Jerem. c. 25. 15 : *Sume*, ait, *calicem vini furoris hujus de manu mea, et propinabis de illo cunctis gentibus : et bibent et turbabuntur, et insanient à facie gladii.* Et c. 49. v. 12. agens de his ipsis Idumæis, et calice ab eis bibendo : *Ecce*, ait, *quibus non erat judicium ut biberent calicem, bibentes bibent, et tu quasi innocens relinqueris? non eris innocens, sed bibens bibes.* Ludit in voce bibendi, ob causam moralem, quam mox afferam; sicut ludit Apostolus in voce peccatum, dicens : *De peccato damnavit peccatum*, Rom. 8. 3. et 2. Corinth. 5. 21 : *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Rursum, per enallagen mutat personam secundam in tertiam, puta *bibistis* in *bibent*, ut significet Idumæos præcipue bibisse, sed tamen cum eis bibituras omnes gentes, uti initio thematis proposuit v. 15.

Moraliter disce hìc peccatorem qui bibit calicem voluptatis, bibiturum calicem afflictionis et ultionis Dei. Idem enim calix voluptatis et mellis, in fæces fellis et tribulationis desinit, juxta illud psal. 74. 9 : *Calix in manu Domini vini meri plenus misto. Et inclinavit ex hoc in hoc : verumtamen fæx ejus non est exinanita, bibent omnes*

peccatores terræ. Scribit Herodot. lib. 4. et Athen. lib. 11. fluvium Hypanim è fontibus, quinque dierum via, exilem profluere ac dulcem; deinde post aliorum quatuor dierum iter, perquam amarum. Talis est voluptas, tale ejus γλυκύπικρον, id est, *dulce-amarum. Amores et deliciæ celeriter deflorescunt, et in omnibus rebus, voluptatibus maximis fastidium finitimum est,* ait Cicero pro Cælio. Et Boetius, lib. 3. metro 7 :

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit fruentes,
Apiumque par volantum,
Ubi grata mella fudit,
Fugit, et nimis tenaci
Ferit icta corda morsu.

Ita lege Dei æterna sancitum est ut illicita voluptas pariat tædia, angores, fastidia, et ultricis conscientiæ furias, quasi præclarum sui relinquat auctoramentum; insuper supplicia et flagella, quibus eam Deus castigat in hoc seculo et in futuro, juxta illud Apocal. 18. 7 : *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Vide ibi dicta. Ita Venus venusta apparet oculis, sed venenat animum : virtus vero quo minus carneos captat oculos, hoc magis animis est illex, sed sapiens, sincera et sancta.

Erunt quasi non sint,] quasi non fuerint. Unde Pagninus et Tigurina clarius vertunt : *Erunt quasi non fuissent,* ac si nunquam in rerum natura exstitissent.

17. Et in monte Sion erit salvatio.] Est hîc usque ad finem capitis duplex expositio extrema, una alteri ex diametro opposita. Prior hæc omnia ad litteram accipit de felicitate temporali Judæorum è Babylone redeuntium, eaque partim sub Zorobabel et Esdra, partim sub Machabæis per quingentos annos, qui ab hoc reditu usque ad Christum interfluxerunt, impletaque esse censet. Ita S. Cyrill. Remig. Hugo et alii. Accedunt Chald. R. Salomon et R. David, qui hæc ad litteram corporaliter implenda esse censent à suo Messia venturo in fine mundi. Posterior ex adverso, hæc temporaliter in Judæis adimpleta esse negat; quare hæc omnia accipit Symbolice et parabolice de redemptione et felicitate spirituali quam attulit Christus. Ita S. August. lib. 18. Civit. 31. Rupert. Lyran. Clarius, Arias et Vatabl. Verum media sententia, quæ utramque extremam jam dictam conciliat, unit et includit, vera est, nimirum hæc ad litteram accipienda esse de sospitate et prosperitate quæ Judæis à Deo obtigit post reditum è Babylone. Idipsum enim sequentia fuse et plane exigunt; tunc enim inchoata est hæc Judæorum de Moabitis, Ammonitis et Idumæis victoria. Mystice vero et plene per hanc prosperitatem temporalem, adumbrari et significari Christi et Evangelii victoriam, qua Ammonitas, Moabitas, Idumæos, omnesque gentes sibi ac Deo subjecit; tunc enim plena fuit hæc victoria, planeque adimpleta quæ hîc prædicuntur. Solent enim Prophetæ à typo ad antitypum avolare, puta à Zorobabel ad Christum, in eumque desinere; ac in eo, felici vaticinio et quasi Evangelio prophetias suas terminare. Ita S. Hieron. Theodor. Rupert. Haymo, Lyran. Burg. Hugo et alii passim. Vide can. 5. et 6. quos præfixi Isaiæ.

Anagog. significatur hîc salus, felicitas, gloria et triumphus danda electis in Sione cœlesti. Ait ergo Abdias : *Et in monte Sion;* Septuag. *In monte autem Sion erit salvatio;* Tigurin. et Vatabl. *At in monte Sion erit evasio,* id est, reliquiæ evadent et servabuntur, q. d. Cum Idumæi aliæque gentes bibent calicem iræ Dei, et à Chaldæis plane vastabuntur, tunc ex adverso populus Dei, puta Judæi et Sionidæ, qui eumdem calicem gustarunt, sed non exhauserunt usque ad fæces, salvabuntur. Nam è Babylone post 70 annorum captivitatis reduces patriæ, pristinæ libertati et felicitati à Deo restituentur.

Mystice vero et plene, idem à Christo in Sion prædicante è captivitate majori, puta peccati, diaboli et inferni, liberabuntur, omnique gratia et gloria donabuntur. Ita Auctores jam citati. Christus enim in Sion Ecclesiam novam instituit, ad eamque vocavit omnes gentes, mittens ad eas Apostolos, qui eas fidei, gratiæ et salutis à se partæ participes effecerunt.

Et erit sanctus,] scilicet mons Sion, ob templum in eo reædificandum; vel *sanctus,* scilicet Deus, erit habitans in monte et templo Sion. Hebr. est : *Et in monte Sion erit evasio,* id est salus, *et sanctitas.* Jam *sanctitas* vel proprie accipi potest, vel figurate pro templo : templum enim hebr. vocant קֹדֶשׁ *kodesç,* id est, sanctitas, quia sanctissimum est, utpote in quo Dei sanctitas habitat, et colitur per sancta sacrificia, Sacramenta, vota, preces, etc. Unde Septuag. vertunt : *Et erit sanctum.* Hinc prior pars templi vocabatur Sanctum, posterior Sanctum sanctorum. Sensus ergo est, q. d. Mons Sion erit, primo, sanctus ob sanctum templum cultumque Dei in eo restaurandum à Zorobabel et Esdra; secundo, sanctior erit, cum Christus in eo prædicabit; tertio, sanctissimus erit, cum Christus in eo effundet Spiritum Sanctum in Apostolos, qui hanc sanctitatem transfundent in totum orbem, ait Theodor.

Et possidebit domus Jacob eos qui se possederant.] *Domus Jacob* sunt familia, stirps et posteri Jacob, puta duæ Tribus Babylone redeuntes. Rursum hebr. מוֹרָשֵׁיהֶם *morescehem,* primo, significat *hæreditates suas,* q. d. Judæi redibunt ad suas possessiones quas ante captivitatem habuerant in Judæa. Ita Pagnin. et Vatabl. Secundo, significat *possessores suos,* id est, *eos qui se possederant.* Ita Noster, Septuag. et Chald. q. d. Judæi possessiones suas, quas Idumæi aliæque gentes invaserant et occuparant, dum ipsi abducerentur in Babylonem, recipient, exclusis Idumæis aliisque invasoribus et injustis possessoribus. Ita narrat Joseph. lib. 11. Antiq. 4. Darium Hystaspis, qui Cambysi filio Cyri in regno Persarum successit, dedisse Judæis facultatem reædificandi templi, ac mandasse Idumæis, Samaritis et Syris, ut agros Judæorum quos occuparant, ipsis quasi avitis possessoribus restituerent. Nec tantum Judæi sua receperunt, sed et aliena, puta ditiones Idumæorum et vicinarum gentium, hostium suorum, invaserunt et occuparunt. Qui enim invadit aliena, meretur perdere sua. Id factum à Juda Machabæo 2. Machab. 10. 16. et ab ejus nepote Hyrcano, qui Idumæos omnino perdomuit et subjugavit. Ita S. Hieron. Theod. Remig. et alii. Mystice, plenius et perfectius id factum à Christo et Apostolis, qui è Sione egressi Idumæos omnesque gentes veræ Sioni, id est, Ecclesiæ et Christo, subjecerunt. Ita Lyran. Arias, Vatablus.

18. Et erit domus Jacob ignis, et domus Jo-

SEPH FLAMMA, ET DOMUS ESAU STIPULA.] *Domus Jacob* sunt duæ Tribus, ut dixi: *Domus Joseph* sunt decem Tribus Israel; harum enim caput fuit Ephraim prognatus ex Joseph, q. d. Duæ Tribus, puta Juda et Benjamin, cum illis qui è decem Tribubus vel ante captivitatem, vel post eam se Judæ junxerunt, et in eamdem rempubl. ac Ecclesiam cum eo in Jerusalem et Judæa conspirarunt, invadent Idumæam eamque succendent, aut sibi subdent, sicut ignis sibi subdit stipulam. Factum id litteraliter à Juda Machabæo, et Hyrcano, qui Idumæos ad circumcisionem compulit fecitque Judæos, teste Josepho l. 13. Antiq. c. 17. Unde, obsessa Jerusalem à Tito, viginti millia Idumæorum in Judæorum auxilium venerunt, ait Joseph. lib. 4. Belli, c. 6. Ita S. Hieron. Theodor. Remig. et alii. Mystice, id factum ab Apostolis, qui igne charitatis Christi combusserunt infidelitatem, vitia et Idola Idumæorum, ut peccatis mortui, justitiæ et Deo viverent. Ita Lyran. Arias, Vatabl. et alii.

ET SUCCENDENTUR (*domus Esau*, id est, Idumæi) IN EIS, puta per flammam Joseph et ignem Jacob; ET DEVORABUNT, Jacobitæ et Josephitæ, EOS,] scilicet Esauitas et Idumæos.

ET NON ERUNT RELIQUIÆ (id est, *residuus*, ut vertunt Aquila et Theodotion; vel, *effugiens*, ut Symmach.) DOMUS ESAU.] Septuag. vertunt: *Non erit* πυροφορος *domui Esau:* πυροφορος, id est frumentarius, qui frumenta suggerat, qui habeat curam annonæ advehendæ et admetiendæ; unde Lucilius, qui Magni Pompeii magnus fuit avunculus, lib. 9. Satyr.

> Frumentarius est, modium hic secum atque rutellum
> Unà adfert.

Rutellum vel rutrum dicitur à radendo, ait Nonius, quod frumentum modium superans abradat. Alii, ait S. Hieron. legunt πυρφορος, id est ignifer, qui gestare possit igniculum, idque longe verius est. Alludit enim ad id quod præcessit: *Erit domus Jacob ignis*, q. d. Domus Esau non feret, non sustinebit ignem domus Jacob, sed ei succumbet et comburetur.

Quæres, primo, quis sit hic πυροφορος, vel πυρφορος (hæc enim duo idem sunt), id est, ignifer? Primo, aliqui πυροφορον accipiunt pro milite valido, qui ignes spirat, et ignes tectis hostium injicit. Ignis nomine, ait Theodor. vis ac robur intelligitur, q. d. Nulla vis Idumæis relinquetur.

Secundo, à Castro sic exponit: *Non erit ignifer*, id est, superstes Idumææ, qui posteris vitæ generisque lampada tradat. In Script. enim generis propagatio vocatur Lucerna: quia sicut lucerna ignem et lumen, sic generatio familiam conservat. Unde istud: *Ut remaneat lucerna* (id est posteritas) *David*, 3. Reg. 11. 36. ubi est elegans allusio ad priscum ritum λαμπαδουχειν, quo solebant in Promethei (hunc enim dictitant ignem è cœlis suffuratum, eumdem in terras detulisse) ludis cursores defatigati, lampadem recentibus sibi vicissim succedentibus in manus dare, quasi symbolum humanæ propagationis, juxta illud Lucretii:

> Et quasi cursores vitaï lampada tradunt.

Quod imitatus Plato libr. 6. de Legibus, scribit cives oportere liberis generandis atque educandis operam dare, ut vitam quam ipsi à majoribus acceperunt, vicissim quasi tædam ardentem posteris tradant. Quare Græci forte à Prometheo hoc proverbium sumpserunt: *Non est pyrophorus*, id est, nullus est superstes, ne Prometheus quidem ignifer. Pyrophorus enim est Prometheus, qui solus diluvium Deucalionis evasit, ideoque igne cœlesti genus humanum quasi alter Noe restaurasse fertur, vel potius fingitur. Si enim hic pyrophorus periisset, periisset plane genus humanum.

Tertio et genuine, Luisius Legionensis, et ex eo Delrio, adagio 984, per pyrophorum accipiunt priscum antesignanum et legatum castrorum, quem ita depingit Alexand. ab Alexand. lib. 5. Genial. cap. 3: *Prævaluit Græcorum mos, ut quoties procinctæ acies congredi parant, ante prima signa staret vates, laureos ferens ramos et corollas; cui Pyrophoro dixere nomen, quoniam lampada præferret, quem violare summum habebatur nefas, quod legati munere fungeretur.* Accepit hoc Alexand. à Suida voce πυρφορος, qui et addit, vates hosce πυρφορους fuisse sacerdotes, ideoque inviolabiles, indeque manasse proverbium: *Ne* πυρφορος, id est *ignifer, quidem superfuit*, quo utebantur Græci æque ac Latini, dum crudelem aliquam stragem, in qua omnes ad unum cæsi essent, significare vellent. Ita et Pollux et Hesychius: *Pyrphorus*, inquit, *qui fert ignem, et solus servabatur in bello.* Quin et Philo Judæus, libr. 1. de Vita Mosis, tantam Ægyptiorum in mari Rubro fuisse stragem ait, *ut nec reliquus esset cladi vel ignifer, qui eam nuntiaret.* Huc accedit S. Hieronym. qui πυρφορος interpretatur, *frumentarius. Eos enim*, inquit, *quos nunc agentes in rebus vel veredarios appellant, veteres frumentarios nominabant*, q. d. Ne πυροφορος, id est frumentarius, puta veredarius, hoc est nuntius, tantæ Idumæorum cladi supererit. Nam is vel ab hoste dedita opera relinqui solet ad eam nuntiandam. Quocumque alludatur, certum est per πυροφορον significari residuum et superstitem, ut notat Theod. quia id significat hebr. שריד *sarid*, itaque vertunt Aquila, Symmach. Theodor. omnesque Interpretes.

Quæres secundo, an, quando et quomodo reliquiæ omnes Idumæorum perierint? Respondent aliqui sensim omnes periisse, licet quando perierint non constet. Periisse enim liquet ex eo quod jam ne Idumæorum quidem nomen supersit: gens ergo periit, licet ex ea pauci aliqui, iique pauperes et imbecilles, remanserint. Verum obstat quod Abdias significet à Judæis perdendos esse Idumæos, ita ut ne unus quidem eorum supersit. Hoc autem falsum esse videtur: nam cum Judæi excisi sunt à Tito, supererant Idumæi, imo venerunt in auxilium Judæorum, uti paulo ante dixi. Postquam autem Judæi excisi sunt à Tito, non potuerunt delere Idumæos. Resp. ergo reliquias Idumæorum periisse, quia Idumæi subacti ab Hyrcano ad unum omnes circumcisi sunt; itaque desierunt esse Idumæi, et cœperunt esse Judæi. Hoc est quod paulo ante dixit: *Possidebit domus Jacob eos qui se possederant;* et vers. 21: *Et ascendent salvatores in montem Sion judicare domum Esau: et erit Domino regnum.* Ubi plane significat non perituros posteros Esau, sed judicandos, id est regendos, à Sionidis et Judæis, ita ut fiant Judæi et regnum Dei. Mystice vero, Idumæi conversi ab Apostolis et viris Apostolicis desierunt esse Idumæi, et cœperunt esse Christiani.

Denique si qui noluerint, vel adhuc nolint converti, hi aut perierunt, aut peribunt in die judicii, cum Christus omnes infideles exterminabit et relegabit ad tartara.

Dices: Daniel, c. 11. 41, asserit Idumæos fore tempore Antichristi, et ab ejus tyrannide fore immunes. Resp. Idumæos vocat incolas ejus montis et rupis, quem olim incoluerunt Idumæi, qui jam sunt alia gens, aliudque nomen obtinent. Hi enim ob rupes et montes inaccessi, evadent castra et furorem Antichristi.

19. Et hæreditabunt hi, puta domus Jacob et Joseph, id est Judæi, eos qui ad Austrum sunt, puta montem Esau, etc.] Unde clare vertit Tigurina et Vatabl. *Occupabunt* domus Jacob et Joseph, *Austrum, nempe montem Esau.* Nam Judæa ad Austrum habet Idumæam; ad Occidentem, Philisthæam; ad Aquilonem, Samariam et Galilæam; ad Orientem, Galaad, Moab et Ammon. Unde vers. 20. de Jerusalem dicitur: *Possidebit civitates Austri.* Verum melius cum Nostro, Pagnino et Septuag. vertas: *Auster,* id est, *qui ad Austrum sunt, possidebunt montem Esau; et campestria,* id est, *qui in campestribus habitant, possidebunt Philisthinos.* Hunc esse sensum patet, si quis intueatur Hebræa. *Sepheta* enim est nomen proprium regionis campestris Judææ, ut patet ex tabulis Adrichom. quam recte Campaniam verteris. Unde et Tigurina posteriori parte huc inflectit; vertit enim: *Et declives campi* (id est campestria) possidebunt *Palæstinos.* Rursum hunc sensum exigit id quod sequitur: *Et Benjamin possidebit Galaad.* Ergo Auster, vel ad Austrum, non sunt Idumæi, sed Judæi. Hi dicuntur esse ad Austrum, non respectu Idumæorum: horum enim respectu sunt ad Aquilonem; sed respectu Benjamin et aliorum Judæorum. Sensus ergo est, q. d. Judæi illi qui præ aliis magis ad Austrum vergunt, ideoque eorum respectu Australes vocari possunt, hi possidebunt Idumæam, utpote Australem pariter, ideoque sibi viciniorem: Judæi vero qui Sepheta, id est, campestrem regionem incolunt, puta eam, quæ est circa Eleutheropolim, vel eam quæ est circa Lyddam et Emaus, id est, circa Diospolim et Nicopolim, possidebunt urbes et agros Philisthinorum: utpote sibi viciniores, puta Gazam, Ascalonem, Accaron, Geth et Azotum: insuper tribum Ephraim, et reliquam Samariam, quæ illis ab Oriente vicina sunt. Tribus vero *Benjamin possidebit Galaad:* illi enim vicina est Galaaditis. Ita S. Hieron. Ribera et alii. Sensus ergo est, q. d. Judæi redeuntes è Babylone possidebunt circumcirca ad quatuor mundi plagas regiones vicinas hostium suorum, easque inter se congrue pro situ et vicinitate loci distribuent: unde et Ezechiel eisdem illas distribuit, cap. 47. Id ex parte et inchoate impletum est per Machabæos, Judam Simonem, Jonathan, Hyrcanum, et Alexandrum Hircani filium. Hi enim subegerunt Idumæos, item Philisthinos, puta Azotum et Gazam, sive Gaduram; 1. Machab. 5. 65. et 68. et 2. Machab. 10. 16. 32. et seq. Item sortem tribus Ephraim, adeoque totam Samariam, quam Hyrcanus Simonis filius omnino subegit, exciso templo in monte Garizim Hierosolymæ æmulo, teste Josepho lib. 13. Antiq. cap. 17. et 18. Item Galaaditem, 1. Mach. 5. 36; item omnes ditiones Chananæorum usque ad Sareptam, quæ est inter Tyrum et Sidonem, hoc est, urbes omnes maritimas Palæstinorum usque ad Sidonem, nimirum Jamniam, Joppen, Dor, Cæsaream, Ptolemaida, Tyrum ipsamque Sareptam, ut patet ex Josepho, 13. Antiq. 23. et ex Josippo, lib. 4. 12. Unde et postea Augustus Cæsar, occupata Judæa, hæc omnia: anquam Judææ subjecta dedit Herodi Ascalonitæ, eoque mortuo illa in quatuor tetrarchias divisit, tradiditque filiis ejus, quos tetrarchas constituit, Luc. 3. 1. Verum quia Machabæi hæc loca subjecerunt quidem, sed non occuparunt (nec enim in his locis habitarunt Judæi, sed Philisthæi, Samaritæ, Idumæi, etc.); quod tamen fore hîc significat Abdias, dicens: *Et hæreditabunt et possidebunt;* hinc secundo, plenius id impletum est mystice ab Apostolis, qui, fundata Ecclesia in Judæa, inde exeuntes ad vicinos Samaritas, Idumæos, Philisthæos aliosque populos, omnes illi subjecerunt. Ita Lyran. Arias, Vatabl. et à Castro in paraphrasi: Apostoli, inquit, virique Apostolici distribuent sibi omnem circum regionem, quam Evangelico bello Christo subjiciant, et qui ad Meridiem exierint, perlustrabunt Idumæam; qui ad Occidentem, terram omnem Philisthæorum; qui ad Septentrionem, Galilæam et Samariam; at qui ad Ortum, possidebunt Christo Galaaditas et Arabes: nominatim vero *Benjamin,* id est S. Paulus ortus ex tribu Benjamin, *possidebit Galaad:* quia ipse convertit Arabiam, cujus pars est Galaad: nam, ut ipse ait Galat. 1. 17: *Abii in Arabiam,* ut ibi ex vocatione et officio meo de more prædicarem, Arabesque facerem Christianos.

20. Transmigratio exercitus hujus filiorum Israel,] q. d. Exercitus, vel turma et multitudo hæc Israelitarum transmigrans, hoc est, quæ olim è Judæa captiva à Chaldæis abducta transmigravit in Babylonem, tandem inde feliciter et gloriose rediens, possidebit omnia loca Chananæorum, puta totam illam plagam maritimam quæ excurrit usque ad Sareptam] Sidoniorum: quare plura possidebit post captivitatem quam ante eam possederat. Ita S. Hieron. Cyril. Theodor. Haymo et Hugo. Pro *Sareptam* hebr. est צרפת *Tsarphath,* per quod Hebræi, R. Salomon, R. David, Lyran. Clarius, Pagnin. Arias, Vatabl. et alii accipiunt Franciam: hanc enim esse Sareptam Galliarum, sicut illa Judaica, in qua vixit Elias, dicta fuit Sarepta Sidoniorum, quia erat prope Sidonem; forte ex eo quod hi Sareptani ex se coloniam duxerunt in Galliam, sicut Tyrii duxerunt Carthaginem et Tartessum in Hispania; aut ex sylvis et officinis conflatoriis æris, ferri, laterum, etc. quibus Gallia abundarit. Inde enim dictam volunt Sareptam Sidoniorum: radix enim צרף *tsaraph* significat accendere, conflare: aut aliunde. Nil enim certi hac de re afferri potest. Sic per Chananæos, R. David, Arias et alii accipiunt Alemannos: Chananæos enim, postquam ex Chananæa per Josue et Israelitas ejecti, per varias gentes, puta Africam, Illyricum, et Germaniam dispersi sunt, dictos esse Alemannos. Alemannus enim germanice idem est quod omnis vir, omnis gens, q. d. Prædicatores Evangelici Christo subjicient Africam, Illyricum, Germaniam, omnesque Chananæos, id est, gentes idololatras et impias, usque ad Gallias, ad quas venit S. Magdalena, Martha, Lazarus, Maximinus, Martialis et alii, qui eas ad Christum converterunt. Perperam Judæi hæc exspectant corporaliter à suo Messia,

nimirum ut omnes hasce regiones eis subjiciat, quin et Galliam et Hispaniam, adeo ut Judæi toti pene orbi dominentur.

Et transmigratio Jerusalem quæ in Bosphoro est, possidebit civitates Austri, q. d. Hierosolymitani qui è Judæa transmigrarunt in Bosphorum, reversi in patriam, possidebunt urbes Australes, puta civitates suas, nimirum Judææ, quæ respectu Babylonis et vicinarum regionum est Australis. Nota : Pro *Bosphoro* hebr. est ספרד *Sepharad,* quod ut nomen proprium retinuerunt Aquila, Symmach. et Theodot. et, ut videtur, Septuag. vertunt enim, *Ephrata.* Suspicor cum Ribera in Septuag. legendum, *Spharata :* sic enim habent Hebræa, et sic verterunt alii jam citati. Lyranus vult esse locum in Babylonia. Noster autem Hebræus, ait S. Hieron. dixit Bosphorum vocari *Sepharad*, forte à סוף *soph,* id est terminus, et רד *rad,* id est descensus, vel ארץ *erets,* id est terræ. Bosphorus enim est terminus Græciæ, Thraciæ, aliarumque terrarum. Aut certe à *soph,* id est terminus, *pered*, id est divisionis, quia dividit duo maria et duas continentes oppositas, adeoque Asiam ab Europa discludit. Unde et S. Hieron. addit *Sepharad* assyriace significare universaliter terminum. Adde : Hebr. בספרד *bispharad,* si consonantes spectes, idem pene est quod *Bosphorus.* Nam *beth* in *bispharad* potest accipi ut radicale, non ut servile significans *in.* Hinc et chaldaice *sephara* idem est quod terminus, limes, portus, statio ; arabice vero est transitus, sive trajectus : ספר *saphar* enim arabice idem est quod transiit, trajecit, navigavit. Unde et Melitenses (qui multas habent voces mutuatas à Syris et Arabibus) *sepharad* vocant trajectum sive tranationem boum ; et *sepharbeim* vocant tranationem animalium : indeque nonnulli viri docti putant *Sepharvaim* fuisse urbem juxta Bosphorum, ita dictam à tranatione animalium per illas maris angustias, quam expugnavit Sennacherib, Isaiæ 36. 19. Porro Bosphorus est angustum mare, quod à bobus tranari potest, ait Plinius lib. 6. cap. 1. Ita dictus, quod sit του βοος πορεια, id est, bovis iter et via. Bosphorus est duplex, unus in Propontide, qui Chalcedonem à Constantinopoli brevi freto dividit : hic Thracius cognominatur; alter in introitu Mæotidis paludis, qui à populis accolis Cimmerius dicitur, de quo Ovid.

Bosphorus et Tanais superant Scythiæque paludes.

De Thracio hìc agi videtur, eousque enim relegatos et dispersos fuisse Judæorum captivos in captivitate Babylonica docet S. Hieron. hìc, et in Zachar. cap. 10. Hebræi, Emmanuel, et Mariana, qui tamen censet Judæos in Bosphorum relegatos ab Adriano Imper. non à Chaldæis. Alii tamen viri docti censent hìc agi de Bosphoro Cimmerio ; in eo enim dominabantur Assyrii, indeque colligebant milites. Pontici enim et Cimmerii, ex climate frigido et aspero, erant homines duri et asperi, ideoque in bellis sævi et acres. Unde Diodorus Siculus, lib. 3. c. 7, ait Sardanapalum prævidentem excidium ex oraculo dicente, Niniven tunc capiendam cum fluvius urbi hostis fieret (tunc enim Tigris imbribus excrescens muros Ninives dejecerat ad stadia viginti) tres filios amandasse cum magna auri copia in Paphlagoniam ad Cottum Præsidem, ducum omnium sibi acceptissimum. Paphlagonia autem vergit ad Bosphorum et Pontum ; quocirca Strabo hoc regnum vocat Bosphoranum. Eò ergo multos Judæorum ab Assyriis et Babyloniis relegatos censent, qui in aspera regione ab asperis incolis dura patiebantur. Ibi enim est Cerberion mons et oppidum, Cocytus, Phlegethon et Tartarus ; quocirca Homerus inferni sedem collocat apud Cimmerios, sive ob perpetuas tenebras, sive ob metallorum frequentes fodinas, sive ob valles opacissimas et hiberno soli inaccessas ; adeo ut Gentiles censerent illic esse inferni ostium. Sicque accipiunt illud Isaiæ 28. 15 : *Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum*, puta cum Cimmeriis et regno Bosphorano, scilicet cum Assyriis regnantibus in Ponto et Bosphoro. A tam sæva ergo et horrida captivitate Judæos liberandos prædicit Abdias ; ac per hoc repræsentat nos à morte et inferno liberandos per Christum : ut, sicut Judæi ab Aquilone rigidissimo translati sunt ad Austrum calore suavissimum ; ita à peccato, acedia et vitiis per Christum transferamur ad auram et flatum suavissimum Spiritus Sancti, quæ nos amore Dei et virtutis faciat ardentes. Huc facit illud Tibulli lib. 3. eleg. 5 :

Elysios olim liceat cognoscere campos,
Lethæamque ratem, Cimmeriosque lacus,

Infernos scilicet et caliginosos. Et istud Lucani :

Sic stat iners Scythicas astringens Bosphorus undas.

Porro Plinius, lib. 2. cap. 15, asserit Bosphori Cimmerii latitudinem esse mille quingentorum passuum. Regni Bosphorani rex postmodum fuit Mithridates, eo spoliatus à Romanis.

Sensus ergo est, Judæi qui in captivitate Babylonica in Bosphorum translati sunt, inde cum cæteris Judæis è Babylone redeuntibus revertentur, et possidebunt civitates Austri, puta Judææ patriæ suæ, quæ Australis est.

Porro Hebræi, Chald. Syrus, Arabicus uterque, Josippus filius Gorionis, lib. 3. Histor. cap. 15. et lib. 5. cap. 25, R. Salomon, R. David, Lyran. Clar. Pagn. Arias, Vatabl. Burgensis, à Castro, Emmanuel, Mariana et alii multi per *Sepharad* accipiunt Hispaniam ; et ita Rabbini ubicumque sint, Hispaniam vocant *Sepharad.* Hispania enim à Geographis et Poetis priscis ponitur ultima pars orbis ; unde juxta Compostellam locus est, qui dicitur *fines terræ.* Bosphorus ergo Hispanicus sunt Gades, sive fretum Herculeum, vulgo *strictum Gibraltar*, ubi sunt columnæ Herculis, qui eas sibi posuit quasi fines suæ profectionis suarumque victoriarum ; unde eas superans Carolus V, mittendo classes in Americam, hoc sibi symbolum sumpsit : *Plus ultra*, q. d. Superavi Herculem ejusque columnas et terminos. Accedit, quod multi censeant Hispanos oriundos ex Thubal, et Ibelis, vel Iberis habitantibus juxta Bosphorum et Pontum Euxinum, indeque vocatos Iberos, uti dixi Genes. 10. 2. Favet nomen *Sperida* quo Græci, ait Arias, Hispaniam appellant : *Sperida*, enim, si litteras consonantes, quas solas considerant Hebræi, spectes, idem est quod *Sepharad ;* licet Græci Hispaniam vocent σπεριδα et Hesperiam, eo quod Occidentalis sit regio; forte à Græco σπεριδα Hebræi Hispaniam vocarunt *Sepharad :* Græcis enim vicini erant Phœnices et Judæi. Audi rem miram ex Josepho, lib. 1. contra Appion. *Nam*

Gallos et Hispanos usque adeo ignorarunt scriptores, etc., ut Hispanos qui tantam occiduæ terræ partem incolunt, urbem unam esse putaverint, eo quod illæ gentes nullum haberent cum cæteris commercium. Rursum favet huic sententiæ quod Josephus, lib. 11. Antiq. cap. 11, ex Megasthene asserit Nubuchodonosorem post excisam Jerusalem subjugasse Hispaniam; videtur ergo plures Judæorum eò transtulisse. Juxta hanc sententiam sensus erit, q. d. Judæi in Hispaniam traducti, inde cum cæteris Babylone redeuntibus sub Cyro revertentur in civitates Austri, puta in Judæam.

Mystice, q. d. Apostoli è Judæa in Hispaniam excurrent, atque ab Australi regione Gadium et provinciæ Bæticæ, in alias Hispaniæ provincias, indeque in Africam, imo in Brasiliam, Americam, Æthiopiam (hæ enim omnes sunt ad Austrum) trajicient, eosque omnes Christo subjicient, uti fecit S. Jacobus, S. Paulus, eorumque successores. Magna enim gloria Ecclesiæ, æque ac Hispanorum et Lusitanorum est, novi orbis, puta Indiarum Occidentalium et Orientalium, subjugatio et conversio. Ita præter alios Acosta, lib. 1. Indicæ Histor. cap. 15, ubi ait decere ut in Script. tantæ rei, puta Americæ, conversio exstet.

Impugnant hanc sententiam fuse Sanchez et Ribera (licet qui hujus compendium confecit, eam tueatur.) Primo, quia recentiores Hebræi tantum Hispaniam vocant *Sepharad.* Responderi potest Chaldæum Interpretem esse veterem, item Josippum, eosque à veterioribus id accepisse. Secundo, quia S. Hieron. *Sepharad* vertit Bosphorum, non Hispaniam, non Gades. Respond. Bosphorus græce nomen commune est, et in genere maris angustias quæ à bobus tranari possunt significat; latine maris angustiæ inter duas continentes vocantur Porthmos, sicut ex adverso terra angusta inter duo maria, vocatur Isthmus. Sicut ergo est Bosphorus Thracius, et alter Cimmerius, ita est et Hispanicus, puta Gades, æque ac Indicus in freto Magellanico, et Arabicus et Persicus in sinu Arabico et Persico. Rursum Hebr. *Sepharad* assyriace teste S. Hieron. in genere terminum significat; fieri autem potest ut hoc nomen genericum appropriatum sit Hispaniæ; quia ipsa ab Occidente est finis et limes Europæ, post illam enim adeoque post Gades sequitur Oceanus. Sensus ergo est, q. d. Judæi qui per omnes terminos, adeoque usque ad Bosphorum dispersi sunt, ad Austrum, id est in Judæam, redibunt. Ita S. Hieron.

Mystice, Apostoli et viri Apostolici in terminis regionum, ut in Bosphoro Thracio, Cimmerio, Hispanico, etc., constituti, inde pergent ad provincias Australes, easque nomine Christi possidebunt. Christi enim salus et Evangelium à Chananæa per Meridiem cæterasque plagas usque in Galliam, Germaniam, Hispaniam, Africam, Americam transmigravit, totumque orbem pervasit.

Porro *Sepharad* peregrinum, puta Assyriacum, esse nomen inde colligi potest, quod Hebrææ radices sint trilitteræ; quadrilitteræ ergo, uti est *Sepharad*, sunt peregrinæ et ex alia lingua ascitæ; vel certe ex duabus radicibus Hebræis conflatæ sunt et compositæ. Id notant peritiores Hebræi. Rursum Hebræa nomina sunt communia multis, et plura significant. *Sepharad* ergo Bosphorum Thracium, Cimmerium, Magellanicum et Gaditanum, indeque Hispaniam significat. Ipsa enim est terminus (quem significat *Sepharad*) continens, quia majori parte mari, tum Mediterraneo, tum Oceano cingitur. Et esto, post tempora Abdiæ ac Christi Hispania à Judæis vocata esset *Sepharad*, tamen quia ab omnibus omnino Judæis præteritorum seculorum (quos novimus) ita vocatur, credendum est ad eam quoque respexisse Abdiam; quia non tantum hominibus sui ævi, sed nostri, sua scripsit oracula. Sic Isaias, cap. 49. 12, prædixit conversionem Sinarum, eosque hebraice vocat *Sinim*, esto ævo Isaiæ non haberent hoc nomen, sed nostro, quo ejus prophetiam expleri cernimus, ut ibi dixi.

Dices: Abdias prophetat hîc de solis Judæis, illi autem in Hispania pauci numero ad Christum fuerunt conversi; reliqui in judaismo manserunt; unde à Ferdinando et Isabella Hispania excedere sunt jussi. Resp. ad litteram permulti Judæi per vastationem Judææ in Hispanias aliasque oras dispersi, sub Cyro et Machabæis in Judæam redierunt. Mystice multi quoque ex iis ad Christum sunt conversi. Multi enim ab Adriano Imp. Judæa expulsi profugerunt in Hispanias. Imo Lucius Dexter, cui Hieron. inscribit tractat. de Scriptor. Eccl. in Chronico nuper edito, tradit Judæos Hispanos, cum inaudissent de prodigiis Christi et Apostolorum, misisse legatum ad eos, qui aliquos ex iis in Hispaniam mitti deposceret; unde mox missum esse S. Jacobum, quem solis Judæis in Hispania prædicasse censet quoque Baron. et alii; qua de re plura dicam Actor. 12. Denique Judæi et Israelitæ non carnales, sed spiritales hîc intelliguntur, puta credentes in Christum. Hi enim sunt veri Israelitæ, filii Abrahæ, et promissorum Dei hæredes, ut docet Apostol. Rom. 9. 6. et seq.

Tropol. Hugo de S. Victore per septem hasce gentes accipit septem vitia capitalia, quæ Jacob, id est fidelis luctator, habitans in Sion, id est, in specula mentis, supplantat tum in se, tum in aliis per septem virtutes contrarias, et per septem dona Spiritus Sancti, ac per septem petitiones orationis Dominicæ, septemque primas beatitudines: primo, ergo Esau et Idumæi odio Judæorum flagrantes, denotant iram. Hanc supplantant ii *qui ad Austrum sunt*, puta qui vento calido et spiritu charitatis dilatati et accensi, omnes angustias omneque frigus odii et iracundiæ suffocant; secundo, Philisthiim, id est, conspersi cinere, vel ruentes potu (à radice נפל *naphal*, id est cedit, et à שתה *sata*, id est bibit, teste Pagnino in Interpr. nom. Hebr.) denotant gulam et gulosos. Hanc supplantant qui *in campestribus* frugalitatis, temperantiæ et continentiæ degunt, ac oleribus et leguminibus compestribus, potius quàm carnibus et deliciis urbanis vescuntur. Iidem, tertio, subigunt et possident *Ephraim*, id est superbiam; et quarto, *Samariam*, id est invidiam; Ephraim enim dedit reges superbos Israeli, Samaritæ invidi fuerunt et æmuli Judæorum; quinto, *Benjamin*, id est filius dexteræ, puta strenuitas, diligentia et fortitudo: *Possidebit Galaad*, id est, subjugabit acediam; Galaad enim idem est quod acervus testimonii, ubi et Laban fessus destitit persequi filias suas, ac recessit à Jacob; sexto, *transmigratio Israel*, id est fideles, qui in terra peregrinos se æstimant, ac migrant in cœlum ut vi-

deant Deum, eique dominentur, possident omnia loca Chananæorum et Sareptæ, id est, omnes avaritiæ artes et species subigunt. Chananæus enim idem est quod mercator, cujus propria est avaritia : Sarepta idem est quod conflatorium, in quo scilicet conflatur aurum et argentum. Septimo, *transmigratio Jerusalem, quæ est* in Sepharad, sive *Bosphoro*, id est fideles, qui debellatis animi perturbationibus ad visionem pacis aspirant et transmigrant, ideoque à carnis deliciis longissime recedunt, sensusque omnes coarctant, et per bovinos labores edomant, hi, inquam, possidebunt civitates Austri, id est, omnes libidinis et carnalis concupiscentiæ æstus suppriment et exstinguent; itaque quasi salvatores, victores et triumphatores de Idumæis cæterisque hostibus devictis, gloriose ascendent in montem Sion, id est in cœlum, ibique cum Deo regnum felicitatis æternæ inibunt, quod hîc per gratiam, suîque et vitiorum victoriam inchoarunt. Nota vocem *exercitus*, cum ait : *Transmigratio exercitus hujus filiorum Israel;* exercitus enim dicitur multitudo militum, eo quod exercendo fit melior. Ita Vegetius, lib. 2. de Re milit. : *Numerus*, inquit, *militum exercitatur; unde et re ipsa ab opere exercitus nomen accepit, ut ei nunquam liceret oblivisci quod vocabatur.* Ita olim Romani (uti etiamnum strenui duces) milites suos, præsertim tirones, perpetuo in armis omnique labore et austeritate castrensi exercebant. Audi Ciceronem, Tuscul. 2 : *Nostri exercitus primum unde nomen habent vides; deinde qui labor, quantus agminis, ferre plus dimidiati mensis cibaria, ferre si quid ad usum velint, ferre vallum; nam scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant quàm humeros, lacertos, manus; arma enim membra militis esse dicunt, quæ quidem ita geruntur apte, ut, si usus foret, abjectis oneribus, expeditis armis ut membris pugnare possint. Quid exercitatio legionum? quid ille cursus? clamor, quanti laboris est? Ex hoc ille animus in prœliis paratus ad vulnera. Adduc pari modo inexercitatum militem, mulier videbitur.* Exercitatos hosce imitentur milites et pugiles Christi, ut non uno die, mense, vel anno, sed jugiter per omnem vitam arma tractent, corpus duris vigiliis, jejuniis, laboribus; animum piis orationibus, meditationibus, studiis, lectionibus exerceant. Ita fient fortes et invicti; ita adversarios superabunt, ita adversa omnia sibi subdent et servire cogent. Hoc unum faciebant olim Anachoretæ, qui inde Ascetæ, id est exercitatores, sunt appellati. Idem faciunt nunc Cœnobitæ et Religiosi.

Rursum exercitus significat multitudinem : *Exercitum*, inquit Ulpianus, *dicimus non unam cohortem, neque unam alam, sed numeros multos militum.* Unde Virgil. Æneid. lib. 11 :

> Jam omnis campis exercitus ibat apertis
> Dives equûm, dives pictai vestis et auri.

Ita miles Christi omnes sensus, omnes animæ potentias, omnes mentis dotes et vires in aciem educat, eosque numerosissimis hostibus opponat : *Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem; sed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiæ, etc.* Ephes. 6. 12. Vide quæ ibidem de panoplia militis Christiani annotavi.

21. ASCENDENT, q. d. Exsurgent et venient in Sion, puta in Jerusalem, SALVATORES, id est propugnatores, Judæorum; quales erant Othoniel, Gedeon, Samson tempore Judicum; JUDICARE, ut judicent, id est coerceant et subjiciant, MONTEM ESAU,] puta Idumæam. Tales fuere Judas, Simon, Hyrcanus, Alexander, Aristobulus Assamonæi, ut superius dixi. *Judicare* enim sæpe idem est quod vindicare. Hinc in lib. Judicum Judices vocantur vindices populi Israel.

Mystice, salvatores sunt Christus et Apostoli, qui Israelis hostes, puta Idumæos, aliasque gentes expugnata idololatria et infidelitate subegerunt Christo et Sioni, id est, Ecclesiæ Christianæ. Ita Clarius, Vatabl. et alii, ac S. August. lib. 18. de Civit. cap. 31. Hi exierunt de Sion, id est de specula, orationis scilicet, in qua spiritu Dei animati, igneis verbis quasi telis sauciarunt, ac Dei amore accenderunt horridos Esauitas, id est, infideles et peccatores.

ET TUNC ERIT DOMINO REGNUM,] q. d. Tunc Dominus in hoc suo populo, et per eum aliis omnibus imperabit, atque ab eis subditis vicissim agnoscetur et coletur. Hoc inchoate verum fuit in Machabæis, plene in Ecclesia Christi militante, plenissimum erit in triumphante : *Cum subjecta fuerint illi* (Christo) *omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit Patri, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus,* ait Apostolus 1. Corinth. 15. 28. Ita S. Hieronym. et Hugo. Minus recte Septuag. Aquila et Theodot. pro *salvatores* vertunt, *salvati*. Hebr. enim מושיעים *mosciim* est activum, et significat salvatores, non salvatos; illorum enim est judicare, non horum.

Moral. disce hîc primo, Deum semper vindictam clementia temperare, imo superare, ac in eam desinere; hanc enim ostendit in Idumæos hostes suos, dum eos facit suum populum et regnum. Idem imitentur reges et principes. Hujus rei hieroglyphicum in Antonini Pii priscis nummis videre est, fulmen in thoro collocatum. Inveniuntur alii, in quibus aquila fulmini insidet, cui ramus olivæ est additus. Hoc in suo symbolo Carolus V. Imp. usurpavit. Aquila signat imperium, fulmen vindictam, oliva clementiam; ut significet Imperatorem vindictam clementia et ratione moderari debere, nec nisi consulto eam torquere. Quærit Seneca Natur. quæst. lib. 2. cap. 63 : *Quare*, inquit, *id fulmen quod solus Jupiter mittit placabile est, perniciosum vero id de quo deliberavit, et quod aliis quoque diis auctoribus misit?* ac respondet : *Quia Jovem, id est regem, prodesse solum oportet, nocere autem non nisi cùm pluribus visum est.* Discant hoc Prælati et Principes, ut fulmen non suo animo indulgentes, sed prudentum consilio obsequentes, ac pene inviti vibrent in noxios.

Rursum disce hîc summam felicitatem hominis esse, si fiat Dei regnum, si Deus in eo ejusque anima regnet, idque primo, quia Deus est rex æquissimus et benignissimus, ac proinde summa æquitate et suavitate imperat; secus est de tyrannis, quales sunt dæmon, mundus et caro, qui iniqua et durissima imperiose et tyrannice jubent animæ quam possident. De dæmone patet in magis et sagis, quibus imperat

neces suorum vicinorum, cognatorum et parentum, ac ni pareant, verberat eos maleque mulctat, et tractat ut sua mancipia. De mundo liquet : quid enim non imperat mundus ambitioso, ut honores ; avaro, ut opes consequatur ? quas adulationes, quæ obsequia, quas vigilias, quas curas, quos metus, quas invidias, quas simonias, quas fraudes, quas usuras ? De carne manifestum est in gulosis et libidinosis, quibus caro fœdissima quæque imperat, quibus sæpe febres, luem veneream, morbosque et cruciatus acerbissimos, ipsamque mortem sibi conciliant. Ex adverso de Dei et Christi regno cecinit Psaltes psalm. 44. 3 : *Speciosus forma præ filiis hominum diffusa est gratia in labiis tuis;* et v. 5 : *Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede et regna ;* et v. 7 : *Virga directionis* (recta, æqua), *virga regni tui; dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem;* et psalm. 71. 2 : *Judicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio. Suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam, etc.* ; et Isaias cap. 11. 4 : *Judicabit in justitia pauperes, et arguet pro mansuetis terræ;* et cap. 42. 3 : *Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non exstinguet, in veritate educet judicium.* Secundo, quia regnum hoc Dei consistit in gratia et virtutibus, puta fide, spe, charitate, etc., quæ sunt dona nobilissima animæ à Deo communicata, ut iis dirigatur ad Dei obsequium summumque suum bonum. Regit enim mentem Deus, cum ei inspirat suî, id est summi boni, cognitionem, amorem, desiderium, cultum, unionem, etc. Jam quid melius quàm cognoscere primam veritatem? quid beatius quàm amare summam bonitatem ? quid dignius quàm colere immensam majestatem ? tertio, quia hoc regnum dirigitur non ad Dei regentis, sed ad animæ quæ regitur utilitatem, eamque maximam, nimirum, ut sancte pieque vivendo mereatur gloriam et regnum cœleste, in quo Deum omniaque Dei bona possideat in æternum. Hinc Apostolus Coloss. 1. 12 : *Gratias*, ait, *agentes Deo, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ.* Quarto, quia regnum hoc subditos non facit viles, sed nobiles, imo reges, juxta illud Apoc. 5. 10 : *Fecisti nos Deo nostro regnum* (reges) *et sacerdotes, et regnabimus super terram;* et 1. Petr. 2. 9 : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* Annon rex est, qui suis cupiditatibus et passionibus per Dei gratiam imperat ? qui superbiam humilitate, avaritiam liberalitate, iram clementia, gulam temperantia, libidinem castitate coercet, frenat, regit ? Annon rex est, qui per rationem, prudentiam, continentiam memoriæ, voluntati, appetitui concupiscibili et irascibili, phantasiæ, oculis, auribus, linguæ, ori, cæterisque potentiis et membris sapienter æque ac fortiter dominatur ? Quare merito quotidie à Christo jubemur orare : *Adveniat regnum tuum.* Ubi vere S. Cyprian. *Qui*, inquit, *renuntiavit jam seculo, major est et honoribus ejus et regno ; et ideo qui se Deo et Christo dedicat, non terrena, sed cœlestia regna desiderat*, imo *Deum ipsum*, quia in illo regnaturi sumus. Et S. Ambr. lib. 6. de Sacram. cap. 5 : *Si Deus in nobis regnat, locum habere adversarius non potest. Culpa non regnat, peccatum non regnat, sed regnat virtus, regnat pudicitia, regnat devotio.* Ergo, ô Domine, esto rex noster, legifer noster, regna in nobis, offerimus tibi animas nostras, omnesque ejus potentias, dotes et limites, nos ipsi eas regere non possumus : ut eas tyranni mundus, caro et dæmon regant, non volumus ; tu, qui eas creasti, et tuo sanguine redemisti, illas ipsas ut tuum peculium, ut tuum regnum rege, qui solus regis sapienter, clementer, potenter æque ac utiliter et feliciter. Sensit hoc rex ille inclytus, qui dicebat psalm. 22. 1 : *Dominus regit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit.* Et Apostolus, qui suis hoc unum apprecatur : *Dominus autem diriget corda vestra in charitate et patientia Christi*, 2. Thessal. 3. 5. Eia, Domine, rege cor nostrum, ut nemini obsequatur, nulli se tradat nisi tibi, ut à nemine nisi à te, tuaque charitate et patientia nobis aspirata dirigatur ad ardua quæque tuî amore suscipienda, et dura omnia constanter toleranda. Rege pariter linguam nostram, ut non nisi tuas laudes loquatur ; rege manus, ut quæcumque tibi placita sunt tractent et peragant ; rege pedes, ut inoffenso gressu ad omne bonum ferantur. Ad te cum sponsa in Canticis suspiramus et clamamus : *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia. Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Hoc unicum est animæ nostræ desiderium, hæc summa votorum nostrorum, ut regnes in nobis per gratiam, et facias nos venire ad regnum tuum cœleste, ubi est visio tuî manifesta, tuî dilectio perfecta, tuî societas beata, tuî fruitio sempiterna ; ut in ultimo illo et decretorio mundi die, qui erit horizon æternitatis beatæ et miseræ, dispescens electos à reprobis in omne ævum, à te exsultantes audire mereamur : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi, in quo nobis obtinget certa securitas, secura tranquillitas, tranquilla jucunditas, felix æternitas, æterna felicitas, ubi est amor perfectus, timor nullus, dies æternus, alacer motus, et unus omnium spiritus*, ait S. August. in Meditat. cap. ult.

COMMENTARIA

IN

JONAM PROPHETAM.

ARGUMENTUM.

Sanctus Hieron. epist. ad Paulinum : *Jonas*, ait, *columba pulcherrima naufragio suo passionem Domini præfigurans, mundum ad pœnitentiam revocat; et sub nomine Ninivæ Gentibus salutem nuntiat.* Quæres: Quis, qualis et quando fuit Jonas? Hebræi nonnulli, quos sequitur S. Dorotheus in Vita Jonæ, asserunt Jonam esse filium viduæ, quem mortuum Elias vitæ restituit, qui factus Propheta missusque in Niniven, postea, assumpta matre, fugit in Assyriam; cogitabat enim : Hoc pacto tollam probrum meum quod falso contra Niniven prophetando acquisivi : *Dedit prodigia super Jerusalem ac totam terram, lapidem videlicet miserabiliter clamantem quod finis appropinquet, et quando ab omnibus gentibus Jerusalem calcaretur, quod tunc civitas illa abolenda esset.* Hucusque Dorotheus. Idem per omnia, excepto lapide clamante, habet S. Epiphan. in Vita Jonæ. Audi et S. Isid. in Jona : *Jonas columba et dolens, filius Amathi de Geth civitate ad Gentium præconium mittitur, missus contemnit, contemnens fugit, fugiens dormit, propter quem periclitabatur navis, sed sors dormientes reperit. Tradunt Hebræi hunc esse filium viduæ, quem à mortuis Elias suscitavit : cujus sepulcrum in quadam urbium Geth in viculo demonstratur, qui est in secundo milliario Sephorim, itinere quo pergitur Tyberiadem.* Addunt Hebræi in Seder Olam, et ex iis Mariana, Jonam fuisse illum adolescentem, quem Eliseus misit ut ungeret Jehu in regem, 4. Regum 9. 1, quique laudavit Jehu ob excisam domum Achab, 4. Reg. 10. 30. Adjungunt alii patrem Jonæ fuisse Abdiam Prophetam : hunc enim fuisse maritum viduæ Sareptanæ.

Verum quod hi Auctores censent Jonam fuisse filium viduæ Sareptanæ, ac consequenter vixisse tempore Eliæ, falsum est, et iisdem rationibus refellitur, quibus initio Abdiæ probavi Abdiam non vixisse tempore Eliæ, et Achab regis Israel. Adde Jonam hunc vixisse tempore Jeroboam, qui regnavit in Israel eo tempore, quo in Juda regnabat Ozias, sive Azarias; sic enim habetur 4. Reg. 14. 25 : *Ipse* (Jeroboam) *restituit terminos Israel ab introitu Emath non procul à Damasco, usque ad mare solitudinis* (id est lacus Asphaltites) *juxta sermonem Domini Dei Israel, quem locutus est per servum suum Jonam, filium Amathi Prophetam, qui erat de Geth, quæ est in Hopher.* Hunc enim Jonam esse nostrum Prophetam patet; tum quia idem utrobique nominatur ejus pater Amathi, eadem patria Geth : tum quia id asserunt Joseph. lib. 9. Antiq. c. 11, S. Hier. Theophyl. et passim alii hic. Ubi obiter nota Prophetas non scripsisse omnes suas prophetias, vel, si scripserint, aliquas periisse. Hæc enim prophetia Jonæ de vastatione Damasci et Emath, deque restitutione terminorum Israel facienda per Jeroboam, in libro Jonæ non exstat. Rursum ex verbis jam citatis liquet Jonam oriundum fuisse ex Geth. Hæc autem Geth fuit urbs, non illa Philisthinorum (Jonas enim Hebræus fuit, non Philisthæus), licet id senserint Epiphan. Doroth. et Rupert. sed illa quæ est in Opher, pertinens ad tribum Zabulon, de qua S. Hieronym. in Prologo : *Geth*, inquit, *in secundo Sephorim milliario, quæ hodie appellatur Diocæsarea, euntibus Tyberiadem haud grandis est viculus, ubi et sepulcrum ejus ostenditur. Quamquam alii juxta Diospolim, id est Liddam, eum et natum et conditum velint, non intelligentes, hoc quod additur Opher, ad distinctionem aliarum Geth urbium pertinere, quæ juxta Eleutheropolim, sive Diospolim hodie quoque monstratur.* Fuit ergo Jonas Zabulonites, puta Gethæus, non Sareptanus : ergo nec filius viduæ Sareptanæ.

Jonas itaque tempore Abdiæ et præcedentium Prophetarum, scilicet Osee, Joel et Amos sub Jeroboam, Azaria et posteris eorum prophetavit. Ita tradunt Hebræi, S. Hier. Theoph. Euseb. in Chron. Clemens Alex. 1. Strom. S. August. 18. Civit. 27. Abulens. in lib. 4. Reg. c. 9. q. 3. et alii. Porro prophetavit Jonas non prioribus annis regni Jeroboam, quibus regnavit cum Amasia rege Juda, uti opinatur à Castro libr. 4. Procemii, cap. 3; sed posterioribus, quibus ipse regnavit cum Azaria filio Amasiæ. Nam sub Jeroboam et Ozia, vel Azaria, qui quinquaginta duobus annis regnavit, cœpit prophetare Osee, ut patet Osee 1. 1. qui fuit primus omnium Prophetarum.

Hinc sequitur Jonam prophetasse paulo ante initia urbis Romæ, puta regnante Sardanapalo, quem Gentilium Historici ponunt ultimum regem Assyriorum. Sardanapalus enim vixit tempore Jeroboam regis Israel, et Oziæ regis Judæ, quo tempore Procas Sylvius avus Romuli regnabat in Latio, teste Eusebio in Chron. S. Aug. lib. 18. Civit. 21. et S. Hieron. initio Comment. in Amos, de quo plura c. 3. v. 5. Ex hac chronologia magna lux oritur prophetiæ Jonæ. Ex ea enim videmus causam, cur Deus præter morem Prophetam Hebræum miserit ad Ninivitas Gentiles, et valde remotos. Nimirum causa fuit, quod eo tempore Ninivitarum mores erant corruptissimi et flagitiosissimi, ita ut clamarent in

cœlum, poscerentque vindictam et fulmen, quod Deus hìc eis per Jonam intentat. Id ita fuisse discimus ex eorum rege Sardanapalo : nam *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Sardanapalus enim fuit mollissimus et effeminatissimus, quem Arbaces Medis præpositus, inquit Justin. l. 1, *invenit inter scortorum greges purpuram colo nentem, et muliebri habitu, cum mollitie corporis et oculorum lascivia omnes feminas anteiret, pensa inter virgines partientem. Quibus visis, indignatus tali feminæ tantum virorum subjectum, ad socios refert quid viderit, negat se ei parere posse, qui se feminam malit esse quàm virum. Fit igitur conjuratio : bellum Sardanapalo infertur; quo ille audito, non ut vir regnum defensurus, sed ut metu mortis mulieres solent, primo latebras circumspicit, mox deinde cum paucis et incompositis in bellum progreditur, victus in regiam se recipit, et exstructa pyra, se et divitias in incendium mittit, hoc solo imitatus virum.* Inde à Græcis dictus est Sardanapalus, id est, morio : proprium enim ejus Assyriacum nomen erat Tonosconcoleros, teste Eusebio in Chron. et aliis. Hinc et Sardanapali nomen in proverbium abiit, significatque hominem mollissimum et effeminatissimum. Ita Aristophanes in Avibus : *Quis*, ait, *hic Sardanapalus ?* Moriens ipse hoc sibi epitaphium condidit :

Ede, bibe, ludè, post mortem nulla voluptas.

Et :

Cum te mortalem noris, præsentibus exple
Deliciis animum, post mortem nulla voluptas.

Vel, ut Cic. 3. Tuscul. : *Quomodo*, inquit, *jucunda vita potest esse, à qua absit prudentia, absit moderatio ? Ex quo Sardanapali opulentissimi Syriæ regis error agnoscitur qui incidi jussit in busto :*

Hæc habeo quæ edi, quæque exsaturata libido
Hausit, at illa jacent multa et præclara relicta.

Quid aliud, inquit Arist. *in bovis, non in regis sepulcro inscriberes? Hæc habere se mortuum dicit, quæ ne vivus quidem diutius habebat quàm fruebatur.* Hinc Juvenal. satyr. 3 :

Et venere, et cœnis, et plumis Sardanapali.

Regem imitati cives opulenti, ventri et veneri se pariter dediderunt, indeque in omnia scelera prolapsi sunt, ut mererentur è cœlo siderari, vel à terra dehiscente sorberi. Mittitur ergo à Deo clementissimo Jonas, qui scelera hæc arguat, et imminens exitium comminetur. Jonas, onus hoc detrectans, fugit in Tharsis : sequitur eum à tergo Deus, procellam in mari excitat : nautæ jaciunt sortes, indicant Jonam fluctuum causam. Mittitur ille in mare æstuans, sorbetur à ceto; in ventre ceti Deum invocat, exauditur, liberatur, die tertio à ceto in littus evomitur. Sapit Jonas, Deo obediens vadit in Niniven, contenta voce clamat : *Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur.* Percelluntur Ninivitæ, resipiscunt, pœnitentiam agunt in cinere et sacco. Placatus Deus minas revocat, urbi parcit. Indignatur Jonas sua oracula non impleri, sed Deus per hederam et vermem docet eum, clementiæ esse pœnitentibus parcere.

Nota : Postmodum Ninivitæ ad ingenium et scelera sua redierunt; unde post Jonam missus est ad eos Nahum, qui iterum excidium eis intentaret, quod reipsa eis inflictum est, uti dicam Nahum 2. Hoc est quod Tobias moriens cap. 14. 12. filiis suis mandat, ut fugiant ex Ninive : *Video enim*, inquit, *quia iniquitas ejus finem dabit ei.* Ubi Septuag. uti recitat S. Hier. hìc in prologo, vertunt : *Fili, ecce senui, et in eo sum ut revertar de vita mea : tolle filios tuos, et vade in Mediam, fili. Scio enim quæ locutus est Jonas Propheta de Ninive, quoniam subvertetur.* Unde patet ad pœnitentiam Ninivitarum, Dei de eorum excidio sententiam non fuisse plane abolitam, sed suspensam duntaxat : ipsis enim ad scelera sua redeuntibus, Deus laxavit manum suam, sententiam revocavit, et exitium à Jona comminatum eis inflixit.

Allegor. Jonas unus ex omnibus Prophetis, missus ad Gentes, atque à ceto absorptus, et tertio die restitutus, expressus fuit typus Christi Gentes vocantis, patientis et resurgentis, ut patet Matth. 12. 40; de quo plura inferius, c. 2. 11. Unde S. Augustin. 18. Civit. 30 : *Jonas*, ait, *non tam sermone, quàm sua quadam passione prophetavit, profecto apertius quàm si ejus mortem et resurrectionem voce clamaret.*

Denique Jonas, vitæ sanctitate illustris, catalogo Sanctorum ascriptus est in Martyrol. die 21. Septemb. Idipsum patet ex visione, qua præter morem Prophetarum et veteris testamenti Sanctorum, quasi Sanctus sancto monacho ex hac vita emigranti apparuit. Recenset eam S. Greg. l. 4. Dial. c. 34 : *Quidam*, ait, *noster Religiosus vir vitæ valde laudabilis ; cum ante hoc quadriennium moreretur*, etc. *in hora exitus sui Jonam Prophetam, Ezechielem quoque et Danielem cœpit aspicere, eosque dominos suos ex nomine clamare : quos dum ad se venisse diceret, et, depressis luminibus, eis reverentiæ obsequium præberet, ex carne eductus est.* Porro Jonam cum Christo resurrexisse inter sanctos Prophetas, qui fuerunt testes resurrectionis Christi, ac cum eo in anima et corpore gloriosum ascendisse in cœlum, probabiliter censent nonnulli ; de quo plura c. 2. sub finem.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deus mittit Jonam ad Ninivitas ; ille fugit in Tharsis, Deus eum insequitur, ventum et procellam in mari excitat : nautæ jaciunt sortes ut causam, puta reum, deprehendant ; sors indicat Jonam, ille fugæ culpam agnoscit, aitque : Tollite me et mittite in mare, et cessabit mare a vobis. Mittitur in mare, et mox procella sistitur.

1. Et factum est verbum Domini ad Jonam filium Amathi, dicens : 2. Surge,
et vade in Niniven, civitatem grandem, et prædica in ea : quia ascendit
malitia ejus coram me. 3. Et surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis à facie
Domini, et descendit in Joppen, et invenit navem euntem in Tharsis, et
dedit naulum ejus, et descendit in eam ut iret cum eis in Tharsis à facie
Domini. 4. Dominus autem misit ventum magnum in mare : et facta est
tempestas magna in mari, et navis periclitabatur conteri. 5. Et timuerunt
nautæ, et clamaverunt viri ad Deum suum, et miserunt vasa, quæ erant in navi, in mare, ut
alleviaretur ab eis : et Jonas descendit ad interiora navis, et dormiebat sopore gravi. 6. Et
accessit ad eum gubernator, et dixit ei : Quid tu sopore deprimeris ? surge, invoca Deum
tuum, si forte recogitet Deus de nobis, et non pereamus. 7. Et dixit vir ad collegam suum :
Venite, et mittamus sortes, et sciamus quare hoc malum sit nobis. Et miserunt sortes : et ceci-
dit sors super Jonam. 8. Et dixerunt ad eum : Indica nobis cujus causa malum istud sit nobis :
quod est opus tuum ? quæ terra tua, et quò vadis ? vel ex quo populo es tu ? 9. Et dixit ad
eos : Hebræus ego sum, et Dominum Deum cœli ego timeo, qui fecit mare et aridam. 10. Et
timuerunt viri timore magno, et dixerunt ad eum : Quid hoc fecisti ? (cognoverunt enim viri
quod à facie Domini fugeret, quia indicaverat eis.) 11. Et dixerunt ad eum : Quid faciemus
tibi, et cessabit mare à nobis ? quia mare ibat, et intumescebat. 12. Et dixit ad eos : Tollite
me, et mittite in mare, et cessabit mare à vobis : scio enim ego quoniam propter me tempestas
hæc grandis venit super vos. 13. Et remigabant viri ut reverterentur ad aridam, et non vale-
bant : quia mare ibat, et intumescebat super eos. 14. Et clamaverunt ad Dominum, et dixe-
runt : Quæsumus, Domine, ne pereamus in anima viri istius, et ne des super nos sanguinem
innocentem : quia tu, Domine, sicut voluisti, fecisti. 15. Et tulerunt Jonam, et miserunt in
mare, et stetit mare à fervore suo. 16. Et timuerunt viri timore magno Dominum, et immo-
laverunt hostias Domino, et voverunt vota.

1. Et factum est.] Vocula *et* non habet hic vim copulæ ; nihil enim præcessit quod sequentibus copulet ; sed more Hebræo dat narrationi et libro initium, ejusque est index. Hinc Ezechiel quoque sic incipit : *Et factum est.* Vide ibi dicta.

Verbum.] Chald. : *Verbum prophetiæ Domini.* Prophetia enim nunc dicitur *visio,* nunc *verbum Domini,* ut dixi Isaiæ 1. 1.

Ad Jonam filium Amathi.] Ex hoc loco probare contendunt Hebræi, Jonam fuisse filium viduæ Sareptanæ ; quia, inquiunt, fuit filius Amathi, id est veritatis, eo quod mater, eo resuscitato, ad Eliam eum suscitantem dixerit : *Nunc in isto cognovi quoniam vir Dei es tu, et verbum Domini in ore tuo verum est,* 3. Regum 17. 24. Verum hæc frivola sunt. Clarum enim est ad litteram non matrem, sed patrem Jonæ nominatum fuisse Amathi.

Allegor. Jonas est Christus, qui est filius Amathi, id est veritatis ; quia ipse Verbum est Patris et Sapientia genita ; Deus enim veritas est, ait S. Hieronym. Hujus Jonæ filius est S. Petrus (fuit enim ipse Bar-Jonæ), cujus proinde veritas et fides nunquam deficit, uti pro eo Patrem oravit et impetravit Christus, Luc. 22. 32.

2. Surge, et vade in Niniven.] *Ninive* Hebr. primo, idem est quod pulchra, speciosa, à rad. נוה *nave*, id est species, pulchritudo. Ita S. Hieron. et Pagnin. in Interpret. nom. Hebr. secundo, idem est quod habitata, frequens, plena populis et domibus ; à rad. נוה *nava*,

id est habitavit. Ita Pagnin. ibidem. Tertio, præcise et genuine Ninive dicta est quasi Nini נִינְוֵה *nave*, id est Nini habitatio, Nini regia, Nini civitas. Ita Serarius in Judith. cap. 1. quæst. 6. Unde et Ninive quandoque vocatur *Ninus*, quandoque *Nina*. Porro Ninive fuit urbs potentissima, in qua prima Assyriorum monarchia sedem suam fixit, tenuitque mille annos et amplius. Sita est non ad Euphratem, uti scribit Diodor. lib. 2, sed ad Tigrim fluvium, uti asserit Ptolemæus lib. 6. cap. 1, Plinius lib. 6. cap. 13, Herod. 2. et alii passim. Conditam esse ab Assur filio Sem, filii Noe censet Joseph. lib. 1. Antiq. cap. 7. et S. Hieron. in locis Hebr. idque probant ex illo Genes. 10. 11: *Ex illa terra egressus est Assur, et ædificavit Niniven.* Verum ibidem ostendi per *Assur* intelligi Ninum, qui fuit conditor regni Assyriorum. Ninus ergo ædificavit, et ex nomine suo nominavit Niniven. Ita docet Euseb. in Chron. Beda in Genes. quæst. 69, Strabo l. 16, S. August. 16. Civit. 3, Diodor. lib. 2. et alii. Quanta et quàm ampla fuerit Ninive ostendam cap. 3. Porro mittit Deus Jonam in Niniven, ut ostendat se Deum esse non tantum Judæorum, sed et Gentium, earumque curam habere et providentiam, etiamsi corruptissimæ sint et pessimæ. Jonas enim hîc mittitur in Niniven quasi in novam Sodomam: *In condemnationem Israel*, ait S. Hieron. *Jonas ad Gentes mittitur, quod Ninive agente pœnitentiam illi in malitia perseverent.*

Allegor. S. Hieron. *Christus est Jonas, hoc est columba, sive dolens; vel quia Spiritus Sanctus in specie columbæ descendit et mansit in eo; vel quia nostris doluit ipse vulneribus, et flevit super Jerusalem. Et livore ejus sanati sumus. Vere filius veritatis mittitur ad Niniven pulchram, id est mundum, quo nihil pulchrius oculis carneis aspicimus: unde et apud Græcos κόσμος (mundus) ab ornatu nomen accepit; ut, quia Israel contempsit, totus Gentium mundus exaudiat. Et hoc propterea, quia ascenderit malitia ejus coram Domino. Cum enim Deus quasi quamdam pulcherrimam domum servituro sibi homini exstruxerit, depravatus est homo propria voluntate, etc. et exstructa turre superbiæ, meretur ad se descendentem filium Dei; ut per pœnitentiæ ruinam conscendat ad cælum, qui per tumorem superbiæ non potuit.* Rursum Christus misit S. Petrum et Apostolos quasi suos Jonas in mundum: sicut enim Jonas homo abjectus et ignotus convertit Niniven urbem potentissimam et maximam; ita Apostoli piscatores converterunt totum orbem.

Prædica in ea,] non pœnitentiam, ut vult Arias, sed excidium, nimirum: *Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur;* putabat enim Jonas hanc prophetiam esse absolutam, non comminatoriam. Unde videns eam fuisse comminatoriam, Deum Ninivitis pœnitentibus parcere, indoluit cap. 4. 2.

Quia ascendit malitia,] q. d. Scelera Ninivæ tanta tamque publica et impudentia sunt, ut vindictam clament in cœlum, ut flagellum mihi extorqueant, ut silere, ut dissimulare ultra non possim. Sic dicitur Genes. 19. 20: *Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis.* Ita S. Hier. Theoph. Remig. Vatabl. et alii. Punctim, sed nervose S. Gregor. 3. part. pastor. c. 32: *Peccatum cum voce*, inquit, *est culpa cum actione; peccatum cum clamore, est culpa cum libertate.* Et S. August. in Enchiridio, cap. 80: *Peccata*, ait, *quamvis magna et horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse creduntur; usque adeo, ut non solum non occultanda, verum etiam jam prædicanda ac diffamanda videantur.*

3. Ut fugeret.]

Quò fugis, Encelade? quascumque accesseris oras
Sub Jove semper eris.

Credidit et cecinit Ethnicus Poeta, 4. Trist.

Nil adeo validum est, adamas licet alliget illud,
Ut maneat rapido firmius igne Jovis.
Nil ita sublime est, supraque pericula tendit,
Non sit ut inferius suppositumque Deo.

Tu, ô Jona fidelis, imo Propheta, idipsum ignorasti? Deine omnipotentis oculos et manus te effugere posse credidisti? non credo. Quid ergo fugis Deum? numquid non crebro in templo psallentes Levitas audisti? *Quò ibo à spiritu tuo, et quò à facie tua fugiam? si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua*, Psalm. 138. 7.

Pulchre S. Chrysost. hom. de Jona, docet Jonam fugientem esse typum peccatorum, qui quasi ebrii non advertunt quò eant, ubi pedem figant, sed cupiditatem sequentes propria præcipitantur insania.

Censet Nazianzen. in Apolog. et S. Hieron. causam fugæ Jonæ fuisse pietatem nimiam in gentem suam, ne ea periret; prophetico enim spiritu Jonam cognovisse tunc Israelitas perituros, cum Gentes credidissent: *Eo quod pœnitentia Gentium ruina sit Judæorum*, ait S. Hier. *Idcirco amator patriæ suæ non tam saluti invidet Ninivæ, quàm non vult perire populum suum.* Et mox: *Dolet se solum electum, qui mitteretur ad Assyrios inimicos Israel, et ad civitatem hostium maximam, ubi idololatria, ubi ignoratio Dei. Et, quod his majus est, timebat ne per occasionem prædicationis suæ illis conversis ad pœnitentiam, Israel penitus relinqueretur.* Hinc secundo, Lyr. et Clarius censent Jonam extimuisse potentiam et magnificentiam urbis et regis Ninivæ, ejusque hostilitatem contra Judæos, qualis ipse erat. Tertio, veram et genuinam fugæ suæ causam dat ipse Jonas, cap. 4. 2: *Numquid*, ait, *non hoc est verbum meum, cum adhuc essem in terra mea? Propter hoc præoccupavi ut fugerem in Tharsis. Scio enim quia tu Deus clemens et misericors es, patiens et multæ miserationis, et ignoscens super malitia.* Fugit ergo, quia præsumebat Ninivitas ad hasce Dei minas à se proclamandas pœnitentiam acturos, et Deum pœnitentibus parciturum, itaque se quasi falsum prophetam irridendum fore. Ecce quibus umbris vane vanus conturbatur homo. Quid times, ô Jona, nomen mendacis, cum Deus idipsum non timeat? In eum hoc probrum recidet, non in te: ille enim est legans, tu legatus. Mendax non est qui minatur pœnam, si per minas mutanti vitam parcat. Hæc enim conditio mutat statum rei, ideoque excipitur. Quod enim minatur Deus dicitque: *Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur*, intellige, si in sceleribus suis persistat, si vitam non mutet. Ideo enim minatur Deus, ut peccatores minis territi vitam corrigant, itaque pœnam comminatam evadant:

Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini et vivite, Ezech. 18. 32. Jonam sequuntur concionatores, honoris sui, non divini, studiosi, qui auram popularem aucupantur, qui ingenii sui theatrum, facundiæ suæ laudem venantur.

In tharsis.] Nota à Tharsis nepote Japhet, Genes. 10. 4, ortos esse Cilices; indeque Tharsus Ciliciæ urbs nomen accepit. Porro quia Tharsenses et Cilices tunc maris erant domini, et navibus opibusque potentes; hinc omnia vicina loca, mareque vicinum dictum est *Tharsis.* Inde extensa vocis significatione per synecdochen, puta ex parte maris Tharsensis totum reliquum mare Mediterraneum, imo quodvis vastum mare, præsertim Carthaginiensium (qui navigatione fuerunt celebres), ac tandem ipse Oceanus dictus est *Tharsis.* Hinc et chrysolithus (gemma), quia coloris est marini, dictus est *Tharsis,* uti ex S. Hieron. Josepho et aliis docui Isaiæ 2. 16.

Quæres quid hìc significet *Tharsis?* Primo, S. Hieronym. Chald. Ribera et alii per *Tharsis* accipiunt mare. Jonas enim pavidus, fugitivus et vagus, non certum locum, sed quemlibet obvium fugæ suæ destinabat, ideoque fugit ad mare; tantum enim faciem Domini effugere satagebat. *Non,* inquit S. Hieron. *Propheta ad certum fugere cupiebat locum, sed mare ingrediens quocumque pergere festinabat: et magis hoc convenit fugitivo et timido, non locum fugæ otiose eligere, sed primam occasionem arripere navigandi.* Et mox: *Postquam illum* (Deum) *sensit in fluctibus, confitetur et dicit: Hebræus ego sum, et Dominum cœli timeo, qui fecit mare et aridam. Si autem ipse fecit mare et aridam, cur aridam relinquens, arbitraris te conditorem maris in mari posse vitare?* Nimirum volebat Jonas longissime fugere à facie Domini, hinc fugit ad mare; qui enim ad mare et ad transmarinas regiones navigant, videntur cœlum et terram omniaque elementa mutare, et in novum orbem trajicere. Hic sensus erat Judæorum: unde remotissimas regiones vocabant *mare* et *insulas.* Hinc Psaltes, significans remotissimas gentes venturas ad Christum, dicit: *Reges Tharsis* (id est maris) *et insulæ munera offerent,* Ps. 71. 10; et Isaias, c. 66. 19: *Mittam ex iis qui salvati fuerint, ad gentes,* etc. *ad insulas longe.* Addit S. Hieron.: *Simulque instruitur* (Jonas) *per salutem conversionemque nautarum, etiam tantam multitudinem Ninivæ simili posse conversione salvari.* Alleg. de Christo: *Possumus dicere quod dimiserit domum et patriam suam, et assumpta carne quodam modo de cœlestibus fugerit, veneritque in Tharsis, id est in mare hujus seculi, secundùm illud* Psal. 103: *Hoc mare magnum et spatiosum manibus.* Anagogice idem S. Hieron.: *Tharsis,* ait, *interpretatur contemplatio gaudii: veniens ad Joppen Propheta, quæ et ipsa speciosam sonat, ire festinat ad gaudium, et quietis beatitudine perfruens totum se tradere theoriæ: melius esse arbitrans pulchritudine et varietate scientiæ perfrui, quàm per occasionem salutis gentium cæterarum, perire populum de quo Christus in carne generandus sit.*

Secundo, Theodor. et Theophyl. per *Tharsis* intelligunt Carthaginem. Sic et Vatab. Per *Tharsis,* ait, intellige Tunetum, vel Carthaginem, urbes Africæ. A Tuneto enim facilis est navigatio in Joppen, et vice versa à Joppe Tunetum. Sic et Mariana per *Tharsis* accipit Carthaginem, aut Tunetum, quæ etiam arabice *Tharsis* vocatur. Rursum P. Pineda, lib. 4. de Rebus Salomonis cap. 15. in fine, per *Tharsis* accipit Tartessum, et Bæticam, censetque Jonam voluisse fugere in Hispaniam, idque multis conjecturis probare contendit.

Tertio, verius alii per *Tharsis* accipiunt Tharsum urbem Ciliciæ, ipsamque Ciliciam. Unde Tigurina vertit, *Tharsum.* Probatur primo, quia Tharsis primo, et proprie significat Tharsum et Ciliciam, uti paulo ante dixi. Secundo, quia qui volunt transfretare mare, necessario sibi aliquem locum in confuso, quò transferantur, proponunt, dicuntque sibi, v. g. Volo transfretare in Italiam, vel in Africam, vel in Indiam. Nemo enim in mare habitare vult aut potest. Ergo et Jonas ivit ad mare, ut tenderet Tharsum, vel certe in Ciliciam in confuso, nullam certam urbem animo destinans. Tertio, id significant verba Scripturæ: *Invenit navem euntem in Tharsis.* Navis enim non ibat ad mare, quia erat in ipso mari, sed per mare ibat in Tharsum. Rursum: *Descendit in eam ut iret cum eis* (nautis) *in Tharsis;* nautæ autem in certum locum, puta Tharsum, ire et navigare destinabant: ergo et Jonas qui idem destinabat, et eòdem tendebat quò nautæ. Quarto, quia si mare voluisset significare Propheta, clare dixisset: Fugit ימה *iamma*, id est, ad mare: *iam* enim significat proprie mare, non aliud. *Tharsis* autem ambiguum est, et proprie Tharsum, improprie mare significat. Ita censent Josephus lib. 9. Antiq. can. 11, Rheticius Augustod. apud S. Hieron. epist. 134. ad Marcell. Tertull. lib. de Fuga, cap. 10, Abulensis, Lyran. à Castro, Villalpando in Ezech. 27. 12. et alii. Dices: Quomodo ergo vers. 8. nautæ rogant Jonam: *Quò vadis?* Respond. Id rogant, quia certum et ultimatum terminum profectionis Jonæ ab eo discere volunt, ut sciant quò et quorsum vadat: sciebant enim eum ire secum in Ciliciam, et forte Tharsum; sed nesciebant quò ultimate, et cujus rei gratia tenderet. Tantum enim quærunt hoc, ut cognoscant viri statum, quis, qualis sit, quò tendat, quid agat, quid destinet. Id patet ex verbis nautarum: *Quod est opus tuum? quæ terra tua, et quò vadis, vel ex quo populo es tu?* q. d. Quò tendis? quid in hoc itinere agere cogitas? quem scopum tibi destinas? Hoc enim in curribus et navibus à sese invicem percunctari solent vectores.

A facie Domini,] q. d. Ut à loco ubi ei locutus erat Dominus, ubi ei suam præsentiam exhibuerat, fugeret in remotissimas regiones, non quasi putaret Jonas se ibi Deum latere posse: erat enim Propheta; sciebat ergo Deum esse ubique, et omniscium: sed quod speraret Deum se ita profugum et renitentem ex remotissimis illis regionibus non revocaturum, nec remissurum in Niniven. Ubi nota: Facies Dei dicitur esse ibi ubi Deus hominibus se et suam præsentiam, vel loquendo, vel miracula faciendo, vel opera divinæ vindictæ aut clementiæ patrando, exhibet. Sic dicitur psalm. 67. 2: *Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum à facie ejus. Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.* Et psalm. 95. 9: *Commoveatur à facie ejus universa terra.* Et psalm. 96. 5: *Montes fluxerunt à facie Domini,* cum ipse præsens eos concussit.

Et psalm. 113. 7 : *A facie Domini mota est terra, à facie Dei Jacob*, cum ipse dans legem in Sina, montem ingenti terræ motu quassavit.

Rursum, quia Deus in templo pontifici et sacerdotibus, atque in Judæa fidelibus, præsertim Prophetis, suam præsentiam exhibere solebat; hinc facies, id est præsentia, Dei dicitur esse in Judæa, et in templo. Unde ait Psaltes psalm. 41. 3 : *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* in templo scilicet, ante Sanctum sanctorum, in quo super arcam, Cherubim et propitiatorium, quasi in throno residet Deus. Sic 1. Regum 1. vers. 22, Anna ait Elcanæ de Samuele puero : *Non vadam ad templum donec ablactetur infans, et ducam eum, ut appareat ante conspectum Domini, et maneat ibi jugiter;* et cap. 2. 18 : *Samuel autem ministrabat ante faciem Domini*, id est, in templo ante Sanctum sanctorum. Sic in Levitico cap. 1. 5. cap. 3. 1. cap. 4. 4. cap. 6. 7. cap. 8. 28, et crebro alibi dicitur sacerdos stare, vel sacrificare *coram Domino*, hebr. *liphne*, id est, *ante faciem Domini*, puta in altari ante Sanctum et Sanctum sanctorum : fugit ergo Jonas *à facie Domini*, id est, è Judæa in Tharsis, quia in Judæa et templo Deus censebatur peculiari modo esse præsens per singularem suî cultum, providentiam et opem, qua gentem suam respiciebat et dirigebat; ac per oracula, quæ fere dabat Prophetis in Judæa, raro extra Judæam. Ita Hebræi, Theodor. Lyran. Vatabl. Mariana et alii. Addit S. Cyrillus : *Censebant aliqui potentiam et imperium Dei solis Judææ finibus circumscribi, et in ipsam quasi compactum, ab aliis regionibus excludi, etc. Opinor hunc B. Prophetam, tale quippiam secum cogitantem, à Judæa ad urbes Græciæ discessisse.* Verum quis hoc credat de fideli erudito, imo Propheta?

Moral. disce hîc eum qui fugit à facie Dei vocantis et blandientis, incidere in faciem Dei indignantis et ulciscentis. Ita Jonas, fugiens Deum vocantem, incidit in cetum devorantem. *Jonas*, inquit S. Gregor. lib. 6. Moral. cap. 12, *in culpa deprehenditur, in profundum mergitur, ceto sorbente repente devoratur, atque illuc gestante bellua pervenit, quò ire sponte contempsit. Ecce fugitivum Dei tempestas invenit, sors ligat, mare suscipit, bellua includit; et qui Auctori suo obedire renititur, ad locum quò missus fuerat, suo reus carcere portatur. Comprehendit ergo Dominus sapientes in astutia eorum, quando et hoc in usum suæ voluntatis redigit, per quod voluntas humana sibi contradicit.* Jonas, sibi persuadens durum esse Dei imperium, fugit à Deo, qui sibi obedientium est tuta certaque salus, et credidit se ventis sævientibus; mari instar Lunæ, à qua regitur, instabili; fluctibus in cœlum sæpe sese attollentibus; nautis infidelibus, qui eum in mare projecerunt; navi, quæ quatuor digitis è mari eminet, et à submersione morteque non amplius distat, juxta illud Poetæ :

> I nunc, et ventis animam committe, dolato
> Confisus ligno, digitis à morte remotus
> Quatuor :

tot enim limbus navis mari eminet. Idem facit stultus stolidusque peccator : relinquens enim Creatorem, spes suas figit in creaturis, in quibus nil nisi inquietum, turbulentum, periculosum invenit, ac cetos et monstra, quæ eum devorent. Ita Sanchez.

Ex adverso sapienter monet S. August. in psal. 70 : *Qui vult*, ait, *fugere Deum iratum, fugiat ad placatum.* Ex Jona ergo docemur quemque debere obedire Deo vocanti, ejusque vocationem capessere, idque ad quod vocat amplecti et exsequi : Dei enim est creaturas omnes, præsertim homines, regere et dirigere ad fines suos, iis viis et mediis, quibus ipsi placuerit. Deus etiam omnium est dominus, homines vero ejus servi sunt : illi ergo vocanti obedire debent, multo promptius et alacrius, quàm famuli principi vocanti obsequuntur : si quis enim id renueret, princeps eum illico domo sua exturbaret. Quidni idem facere jure suo possit, et de facto non raro faciat Deus? Est enim hæc fuga, inobedientia et resistentia, Dei contemptus, injuria et vilipensio, quam ipse ulcisci solet, vel in hac vita, vel in futura. Exstat emblema Alciati, ordine 17 : *Qua dii vocant eundum :*

> In trivio mons est lapidum; supereminet illi
> Trunca Dei effigies, pectore facta tenus.
> Mercurii est igitur tumulus : suspende, viator,
> Serta Deo, rectum qui tibi monstrat iter.
> Omnes in trivio sumus, atque hoc tramite vitæ
> Fallimur, ostendat ni Deus ipse viam.

Hinc celebris Biantis gnome : *Sequere Deum*, ne te persequatur Deus. Nam, ut ait Seneca in Hercul. Fur.

> Sequitur superbos ultor à tergo Deus.

Et in Thyeste :

> Res Deus nostras celeri citatas
> Turbine versat.

Et Ovid. lib. 8. Metamorph.

> Immensa est, finemque potentia cœli
> Non habet, et quidquid superi voluere, peractum est.

Idem lib. 10:

> Cedunt Jovis omnia regno.

Et lib. 5. Trist.

> Plus valet humanis viribus ira Dei.

Ita Abraham Deum vocantem ex Ur Chaldæorum secutus est in Chanaan, nesciens quò iret, ideoque tot benedictiones et temporales et spirituales à Deo accepit, Genes. 12. 1. Hebr. 11. 8. Ita Moses, Deum vocantem secutus, petiit à Pharaone missionem populi; ideoque tot signa et portenta patravit, ac tandem Pharaonem cum toto exercitu mersit in mari Rubro. Idem fecerunt Josue, Gedeon, Samson, David, Isaias, Daniel, Osee aliique Prophetæ. Ita in lege nova, Christus secutus est Patrem vocantem ad prædicandum, et moriendum pro salute hominum. Ita Apostoli, Christum vocantem ad labores et martyria secuti, facti sunt principes Ecclesiæ militantis et triumphantis.

Legimus in Vita S. Athan. quod, cum S. Alex. Episc. Alex. animam ageret, successorem declararit S. Athanasium. Ille hoc subodoratus fugit ut Jonas : vocavit eum Alexander aliquoties, at ille tacuit et se abscondit. Tum Alexander : *Fugis*, ait, *Athanasi*, *at non effugies.* Clerus enim et populus vim intulit S. Athanasio, eumque munus Episcopale suscipere coegit : qui videns tandem hanc Dei esse voluntatem, illi obsecutus munus suscepit, ideoque contra

Arianos columna, et hyperaspistes toties Ecclesiæ à Deo effectus est.

Tota ergo sapientia, tota felicitas, totum bonum hominis in eo situm est, ut per preces, considerationes, eleemosynas, jejunia, etc. exquirat quid Deus à se fieri velit, in quo statu, gradu, officio, opere velit sibi ab eo serviri; ac cognita Dei voluntate, illico eam exsequatur, illudque unicum et evidens signum est prædestinationis divinæ, sequi Deum vocantem; sicut ex adverso signum et causa reprobationis est, nolle Deum, sed suas inclinationes, voluntates et cupidines sequi. Hoc est enim quod ait Christus, Joan. 20. 27: *Oves meæ vocem meam audiunt* (ac consequenter hædi et reprobi eamdem non audiunt, id est, ei non obediunt), *et ego cognosco eas, et sequuntur me, et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.* Quocirca qui sapit, et cui sua salus curæ est, hoc jugiter optet, hoc unum oret, ut Deus eum dirigat iis viis, occupationibus, negotiis et mediis, quibus prædestinavit eum ad æternam salutem deducere, quibusque præscivit eum certo et infallibiliter ad illam perventurum. Hæ enim viæ, à Deo cuilibet præparatæ et præordinatæ, securæ sunt et certæ; ac proinde nec peccati habent scandalum, nec salutis periculum, quod habent cæteræ quas homines, sine duce Deo, sibi velut sapientes præscribere et inire volunt: uti Jonas hic, fugiens Deum, perdidit patriam, templum, Deum, Ecclesiam, et pene vitam; dum pro solida terra æstuans mare, pro altari sacro profanum Tharsis elegit et accepit. Hoc est quod de Jacob, et quolibet sequente Deum dicitur Sap. 10. 10. Hæc (sapientia et providentia divina) *justum deduxit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam sanctorum, honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius.* Et vers. 17. de Hebræis quos per desertum duxit in terram promissam: *Reddidit justis mercedem laborum suorum, et deduxit illos in via mirabili* (iter præiens per columnam ignis et nubis), *et fuit illis in velamento diei, et in luce stellarum per noctem, transtulit illos per mare Rubrum, etc.*

Descendit] ex montibus Zabulon (erat enim Jonas Zabulonites, in quibus sita est Nazareth, de quibus Guliel. Tyrius l. 21. Belli sacri, c. 26. Inter hos montes unus est Thabor, in quo transfiguratus est Christus: vel *descendit,* id est abiit, profectus est, venit.

In Joppen.] Portus est celebris totius Judææ. Hebr. vocatur *Japho* (unde hodie *Jaffa* dicitur) *ad quem,* ait S. Hieron. *Hiram, rex Tyri, ligna de Libano ratibus transferebat, quæ Jerusalem terreno itinere perveherentur. Hic locus est, in quo usque hodie saxa monstrantur in littore, in quibus Andromeda religata Persei quondam sit liberata præsidio.* Rursum Adrichom. in Descript. terræ sanctæ: *Joppe,* ait, *quæ Japho dicitur, id est, pulchritudo aut decor, urbs antiquissima à Japhet filio Noe ante diluvium condita; sita ad mare in edito promontorio* (*ex quo Jerusalem conspici potest*) *littore saxoso, alto et arduo, arce ac manibus munita valde. Portus autem impetuosissimus est, ob id ad excursus piraticos commodus: in quem usum, tempore Machabæorum, sæpe est occupatus. In hac S. Petrus Tabitam à morte suscitavit, Act.* 9. 10, *ibique legatos à Cornelio Centurione accepit, didicitque per visum non solis Judæis, sed et Gentibus evangelizandam esse fidem Christi. Cinxit eam anno Domini* 1250. *Ludovicus, Francorum rex, turribus et muris, in eamque peregrinantes in terram sanctam primum appellunt.* Arbitratur Sanchez sane probabiliter Poetas et Historicos Gentilium, ex historia Jonæ fugientis in Joppen, ibique à ceto sorpti, sed à Deo liberati, sumpsisse fabulam Andromedæ. Eam enim in Joppe alligatam fuisse saxo, ut à marina bellua voraretur, sed liberatam à Perseo belluam occidente, tradit non solum Ovidius 4. Metamorph. sed et Plinius lib. 5. c. 13, Solinus c. 13. Polyhist. Mela lib. 1. cap. 11. et alii. Simili modo ex diluvio Noe finxerunt diluvium Deucalionis, ait S. Justin. in Apol. contra Gentes. Sic Herculem non alium fuisse quàm Samsonem censet S. August. lib. 18. Civit. 19. Hinc ille fatalis crinis, in quo regni sors et stabilitas sita erat, quem filia Scylla dormienti patri Niso sustulit, et cum ea regnum ereptum patri ad Minoem patris et patriæ hostem detulit. Origenes, lib. 4. contra Celsum, asserit Platonem fabulas suas de hortis et campis Elysiis, de formatione hominis, de serpente, quas tradit in Symposio, ex Genesi Mosis mutuatum esse. Clemens Alex. libr. 2. Stromat. docet quod Minos, legislator Græcorum, quem dicunt novem annis cum Jove familiariter esse versatum, non alius sit quàm Moses, qui in Sina cum Deo colloquens, ab eo legem accepit. Sic Noe finxerunt esse Janum bicipitem, qui duo vidit secula, et quasi duos mundos; eumdem transformarunt in Bacchum, eo quod vitem et vinum invenisset. Ex Lucifero è cœlis dejecto, formarunt Aten à Jove cœlo depulsam, quæ res humanas turbaret et everteret.

Et dedit naulum ejus] navis, q. d. Dedit pretium nautis pro usu navis qua vehebatur, puta solvit stipendium vecturæ, *quasi transfretare posset à Deo,* inquit Tertull. lib. de Fuga c. 10. ubi perperam ex fuga Jonæ, è qua retraxit eum Deus, probat non licere fideli fugere in persecutione. Aliud enim est fugere Deum, quod fecit Jonas; aliud fugere tyrannum et persecutorem, quod fecerunt Apostoli et Martyres.

4. Dominus autem misit ventum magnum in mare, et facta est tempestas.] Ecce quomodo comprehendit Deus se fugientes in fuga, sapientes in suis consiliis, peccatores in suis conceptibus et peccatis, eosque ad se retrahit et reverti cogit. Putabat Jonas in mari invenire quietem, et ecce comprehendit eum tempestas à Deo immissa adeo valida, ut dicat Script.: *Et navis periclitabatur conteri,* ex allisione ad fluctus confringi, et ut Septuag. διαλυθῆναι, id est *dissolvi;* Pagninus: *Et navis putabatur conteri,* conterenda; Tigurina: *Ita ut cogitare quispiam posset navem esse conterendam;* Hebr. ad verbum est: *Et navis illa cogitabat conteri,* id est, qui ea nave vehebantur putabant se statim facturos naufragium. Ita Vatablus. Huc spectat illud Poetæ:

> Pallasne exurere classem
> Argivum, atque ipsos potuit submergere ponto,
> Unius ob noxam, et furias Ajacis Oilei?

5. Et clamaverunt viri ad Deum suum,] q. d. Quisque invocavit Deum suum. Erant enim in navi de more homines diversarum regionum et religionum, puta ex variis gentibus quæ varios

habebant deos; quisque ergo suum suæque gentis Deum in tanto periculo inclamavit. Nota hebraismum : איש *isch*, id est *vir*, capitur pro *quisque*, et distributionem significat.

Tropol. notat S. Hieron. non tantum Jonam puniri, sed et nautas, eo quod Jonam recepissent. Sic et hodie qui apostatas à fide vel Ordine receptant, cum iis pariter puniuntur. Disce hic quàm noxia sit peccatorum societas. Sic S. Ambr. serm. de Cathedra S. Petri docet Apostolos jactatos fuisse tempestate propter Judam : *Tranquillitas*, ait, *est, ubi solus Petrus navigat; tempestas, ubi Judas adjungitur : licet esset Petrus firmus suis meritis, perturbatur tamen criminibus proditoris. Unius igitur delicto cunctorum merita quassabantur*. Atque hinc tam crebra sunt naufragia, ob peccata vectorum, præsertim quæ in navi committuntur.

Et miserunt vasa, puta merces et onera quæ erant in vasis, in mare,] ad navem alleviandam. Hebr. : *Ut alleviaretur ab eis*. Hoc est quod ait Poeta : *Decidere jactu cœpit cum ventis*. Vere Chrysost. hom. 1. de Pœnit. *Nautæ*, ait, *jactum fecerunt, navis vero nequaquam alleviabatur*. Quare? *quia nihil tam onerosum et grave, quàm peccatum et inobedientia*.

Et Jonas descendit ad interiora navis, quasi ad locum secretiorem et tutiorem : et dormiebat sopore gravi,] partim ex fatigatione itineris, quod fecerat veniendo ex Zabulon in Joppen, partim et magis ex animi dejectione et mœrore. Sensit enim Jonas remorsus conscientiæ de fuga sua, quasi Deus illum persequeretur, puniret et comprehenderet : unde ut hos remorsus evaderet et sopiret, dedit se sopori. Mala enim conscientia parit mœrorem, mœror somnum : somnus enim mœrorem sepelit, cum ejus cogitationem et sensum adimit. Hinc Apostoli, Christo eunte ad passionem, præ tristitia sopore correpti sunt, Matth. 26. Ita S. Hier. Theodor. Theophyl. et Hugo. Audi S. Hieron. *Conscius erat fugæ et peccati quo Domini præcepta neglexerat, et tempestatem ignorantibus contra se sævire cernebat, ideo descendit ad interiora navis, et tristis absconditur, ne quasi Dei vindices fluctus adversum se videret intumescere*. Tropol. idem : *Sopor*, ait, *Jonæ gravissimus, hominem significat erroris sopore torpentem, cui non suffecerat fugere à facie Dei, nisi quadam vecordia mens illius obruta ignoraret iracundiam Dei, et quasi securus dormiret, et profundissimum somnum roncha nare sonaret*. Peccator ergo veternum dormit, imo lethargum : hunc enim illi peccatum inducit. Unde Christus illi inclamet oportet : *Lazare, veni foras*.

Allegor. Somnus Jonæ repræsentat somnum Christi in navi, orta tempestate, à quo excitatus ventis imperavit et mari, Matth. 8. Ubi S. Hier. *Hujus signi typum*, inquit, *in Jona legimus, quando cæteris periclitantibus ipse securus est, et dormit, et suscitatur, et imperio ac sacramento passionis suæ liberat suscitantes*. Licet enim Jonas, qua homo fugiens Deum, typus esset peccatoris; tamen idem qua Propheta, tam actis quàm verbis typum gerebat Christi.

7. Mittamus sortes.] Notant S. Hieron. Theodor. Remig. et Lyranus nautas misisse sortes, quia videbant maris periti tantam tamque repentinam in malacia marique quieto tempestatem non esse naturalem, sed subito à Deo immissam sine præviis signis, præter cursum et ordinem ventorum, siderum, temporis, aliarumque causarum secundarum et naturalium; alioqui enim ad sortes non venissent, si causas naturales esse cognovissent.

Unde moraliter ex Jona hìc discant nautæ et vectores, procellas sæpe à Deo immitti ob scelera quæ in navi sunt, aut antea facta sunt. Ita Bias, navigans cum sceleratis, dum periclitarentur in summa maris tempestate, aliis deos implorantibus, ait : *Silete, ne vos hìc navigare sentiant dii*, ut refert Laert. l. 1. cap. 6. Idem cum pessimis navigans incidit in piratas. Dicentibus illis : *Peribimus, si agnoscamur. At ego*, inquit, *nisi agnoscamur, peribo*. Quocirca Plato asserebat *fugiendum esse mare, perinde ac improbitatis magistrum*.

Notat, secundo, S. Thom. 2. 2. q. 95. a. 8. triplicem esse sortem. Prima est divisoria. Hæc licita est, et adhibenda quotiescumque non apparet ratio, cur alter alteri in re aliqua vel utili, vel difficili debeat præferri. Sic fratres hæreditates dividunt sorte; sic milites invadunt oppidum jacta sorte, quæ gens vel acies primo invadere debeat. Sic princeps in rebellione, cum multi sunt rei capitis, dat sortem, ut in quos sors ceciderit plectantur in exemplum reip. cæteris parcat. Huc spectat contractus sortium, qualis est in lusu aleæ. Sic S. August. epist. 180. scribit sorte eligendum sacerdotem, qui tempore pestis vel persecutionis in urbe maneat, et fidelibus res sacras et Sacramenta conferat, scilicet si cætera sint paria, vel aliter res hæc non possit commode decidi. Unde in beneficiis Ecclesiasticis illicita est sors; hæc enim non sorte, sed maxime idoneis sunt danda. Similis est ratio officiorum secularium ; unde et Aristot. lib. 1. Ethicor. carpit Athenienses, eo quod magistratus sorte crearent.

Secunda est consultoria, qua per sortem inquiritur divinum consilium, ut sciatur quid in negotio obscuro sit agendum ; nam si eventus à casu exspectetur, sors hæc divisoria erit, potius quàm consultoria, uti patet in exemplis jam datis; nemo enim casum consulit. Consultoria illicita est : pertinet enim ad tentationem Dei, nisi Deus inspiret (aut aliis mediis humanis deficientibus necessitas cogat suadeatque invocato suppliciter Deo) illa utendum, seque illam directurum, et per illam voluntatem suam declaraturum; uti factum est, cum Saul in regem sorte electus est, 1. Reg. 10. 20. et Matthias in Apostolum, Act. 1. 26. Plura vide apud P. Lessium, lib. 2. c. 43. de superstitione, dub. 9. et Delrio de Magia tractat. de divinat. ex sortibus.

Tertia sors est divinatoria, qua inquiritur cognitio veritatis futuræ, vel præsentis, sed arcanæ et occultæ, qualis fuit hæc, qua quærebatur causa, et reus hujus procellæ et tempestatis. Hæc pariter illicita est, ni Deus inspiret ea utendum, et per eam rem futuram vel arcanam indicare velit; uti indicavit furtum Achan per sortem, Josue 7. 14. Unde sortes hæ, sive sortilegia, æque ac aliæ divinationes et incantationes damnantur c. 1. de *sortilegiis*, et 25. quæst. 5. cap. *Sortes*. Cum enim hìc occulta veritas non quæratur, nec accipiatur à Deo, sequitur eam quæri et accipi à dæmone. Ubi dupliciter peccatur : Primo, quod ineatur commercium cum dæmone, isque quasi doctor consulatur qui mendax est et pater mendacii.

Secundo, quod in futuris tribuatur dæmoni prænotio futurorum, quæ soli Deo est propria: unde dæmon tunc tacito quodam pacto et consensu invocatur, tum ut fortes regat, et per eas quid futurum sit præsignificet; tum ut effectum præsignatum reipsa compleri procuret. Sic apud Suetonium et alios legimus sortes Domitiano Cæsari interitum denuntiasse; Alexandro Severo autem nil tale speranti imperium: sorte enim illi hi versus Virgilii 6. Æneid. exierunt:

Tu regere imperio populos, Romane, memento.

Talis fuit Pythagorica sors antiquissima, per quam victoria, vita, mors, fausti infaustique eventus divinabantur per numerum nominum. Ille enim cujus nomen habebat litteras plures majorisque numeri indices, prædicebatur fore victor; victus vero ille, cujus nomen pauciores litteras et minoris numeri indices continebat. Sic Patroclum ab Hectore vincendum, et Hectorem ab Achille superandum, numeris nominibus eorum inclusis divinatum est, uti canit Terentius, imo quod mirum est, id ipsum habetur apud V. Bedam tract. de Divinat. mortis et vitæ, qui habetur in fine 2. tom. operum illius, ubi hac de re multa et mira, non credenda, nec practicanda, utpote vana et superstitiosa, recensentur. Quare solerter advertendum est hunc tractatum non esse V. Bedæ, sed Petosyris (Gentilis astromantis, ut videtur) qui eum conscripsit et misit ad Necepsum regem Ægypti, ut habet ejus inscriptio. Forte hic tractatus inventus fuit in scrinio Bedæ; unde illi ab operum ejus compilatore adscriptus et assutus est.

Nota tertio, licet sors hæc nautarum fuerit superstitiosa, uti jam dixi, Deus tamen illam, licet malam, disposuit et ordinavit in bonum; ita enim eam temperavit et direxit, ut Jonas reus deprehenderetur, et culpam agnosceret, ac ad Deum rediret. Ideo enim excitavit tempestatem, ut jacta à nautis sorte Jonas quasi ejus causa et reus caperetur. Simili modo direxit sortes, vel potius omen superstitiosum, quod captabant Philisthæi 1. Reg. 6. 9. dicentes: Si vaccæ arcam Domini vehentes ascendant contra Bethsames, Deus Hebræorum hanc morborum plagam nobis inflixit; sin autem minime, sciemus quia casu accidit. Fecit enim Deus ut vaccæ tenderent versus Bethsames, quo facto, crediderunt Philisthæi non casu, sed à Deo sibi plagam immissam. Simili modo, c. 28. 15, cum Saul consuleret Pythonissam, fecit Deus ut in ejus præstigiis compareret Samuel, et Sauli interitum instantem prædiceret. Causam dat S. Chrys. hom. 3. in epist. ad Titum, quod Deus sortilegos et sacrilegos voluerit suis sortibus et ominibus revincere, eaque in ipsorum caput retorquere, imo ipsorum accusatores constituere. *Deus*, inquit, *eos* (Philisthæos) *suo ore corripuit atque redarguit. Hoc ipsum et in Pythonissa muliere dicendum est; quia enim fidem adhibebat, idcirco per hanc Saul audire fecit quod se comprehensura essent mala.* Et S. Hier. *Fugitivus* (Jonas) *sorte deprehenditur non viribus sortium et maxime sortibus Ethnicorum, sed voluntate ejus qui sortes regebat incertas.*

Porro sortibus et sortilegiis etiamnum crebro utuntur nautæ infideles et Ethnici. Testimonio sit S. Franc. Xaverius, qui describens iter suum Japonicum epist. prima quam ex Japone dedit ad Socios Goam, anno Domini 1548. 3. Nonas Novembr. quæ habetur l. 3. epist. ejus ordine quinta: *Molestissime ferebamus*, inquit, *quod navicularius et nautæ sortibus dæmonem identidem consulerent, utrum ex usu esset in Japoniam pergere, necne; et simul exquirerent an secunda navigatione cursum tenere possemus, et sortes modo lætæ, modo tristes edebantur.* Ac post multa de iisdem, cum narrasset navarchi filiam in mare jactatione navis excussam ac submersam, subdit: *Inde Barbari ad idolum sacrificiis placandum versi, diem noctemque totam mactandis avibus apponendisque idolo epulis consumpserunt.* Disce hîc sortibus jungi solere sacrificia ad conciliandum idolum, id est, dæmonem qui consulitur et rogatur ut per sortes respondeat. Pergit Xaverius: *Tum navarcho cur filia sua interisset sortibus percontanti, sors editur: si Emmanuel noster in sentina perisset, ejus filiam nequaquam fuisse perituram. Videtis perfecto quanto in periculo versaremur, quorum vita ex diaboli sortibus penderet, ejusque satellitum voluntate.* Remediis deinde hisce usum se scribit. *Sæpius à Deo precatus sum, etc., ut communi hosti illarum superstitionum auctori graviores constitueret cruciatus, quoties navarchum ad sortes ducendas atque ad se pro Deo colendum impelleret.* Et paulo post: *Certissimum præsidium est, ut contra hostem magno præsentique sis animo, tibi penitus diffidens et fretus Deo, ut videlicet in illo spes omnes ac vires tuas locatas habeas, ac nullo modo committas, ut tali ac tanto defensore ac patrono timere, ac de victoria dubitare videaris. Sæpius enim mihi minitans denuntiabat venisse tempus ulciscendi doloris sui. Verum cum nihil ille nocere cuiquam possit, nisi quoad Deus ipse permittat, magis eo tempore Dei diffidentia timenda est, quàm impetus inimici.* Additque Deum permittere diabolo, ut tentet timidos et diffidentes, non autem animosos et fidentes Deo, quibus omnem vim sortium et dæmonis infringit, easque ita dirigit ut suæ gloriæ et suorum commodis serviant.

Et cecidit sors super Jonam.] Syrus: *Et ascendit sors Jonæ*, v. g. chartula, nomine Jonæ inscripta, primo educta est ex urna. Sic alleg. milites sorte diviserunt vestem Christi, ait S. Augustin. lib. 4. de Symbol. ad catechum. c. 6.

Indica nobis cujus causa malum istud sit nobis? cur vento et procellis hisce jactemur, et tantum-non obruamur? Quod est opus tuum? Quæ terra tua? q. d. Indica nobis quod operis agas, de qua terra, de quo populo proficiscaris, quò abire festines? *Notanda brevitas*, inquit S. Hier. *quam admirari in Virgilio solebamus:*

Juvenes quæ causa subegit
Ignotas tentare vias? quò tenditis, inquit,
Quod genus? unde domo? pacemne huc fertis, an arma?

Interrogatur persona, regio, iter, civitas, ut ex his cognoscatur et causa discriminis, puta periculi. Dicunt ergo: *Quod est opus tuum?* exercesne usuras, rapinas, magiam, aut similem artem illicitam, qua tibi numen infestum reddideris? esne sacrilegus, atheus, magus, prædo, fenerator, etc. *Quæ terra tua? unde venis?* q. d. Venisne ex scelerata aliqua regione, cui Dii marini ventique aut cœlum ipsum, aut sidera pertinaciter infesta sint, atque ita tu divino erga regionem tuam odio laboras? An populi tui fato vexaris, cui cœlum adversam navigationem et

difficillimas tempestates semper paret? An vero tu patriam tuam diis charam improbe deseruisti, vel nefarie violasti, aut prodidisti, cujus sceleris pœnas à te superi exigunt? *Ex quo populo tu es*, ut ejus populi crimine, aut fortuna, aut odio tu primum, et nos deinde tuî causa affligamur? Omnis enim hæc nautarum inquisitio eò spectat, ut Jonam ingenti aliquo scelere aut privato aut publico obligatum esse suspicentur; sive illud sit Jonæ, sive patriæ et populi, quod ea tempestas ulciscatur. Ita Arias.

9. Et dixit ad eos : Hebræus ego sum,] q. d. Genere et gente Judæus sum, non Gentilis. Hebræi nomen, inquit Arias, impositum est familiæ suæ à Semo Noe filio, cum ipsa, trajecto Euphrate fluvio, novas sedes sibi quæsivit. Unde de eo dicitur Gen. 10. 21 : *De Sem quoque nati sunt patre omnium filiorum Heber.* Secundo, alii ab Heber patre Phaleg, cujus tempore facta est divisio linguarum, cum in ejus familia remansit usus linguæ Hebrææ, Hebræos dictos esse censent. Verum non omnes posteri Heber et multo minus Sem, dicti sunt Hebræi, sed tantum ii qui per Abraham descendunt. Tertio, ergo melius alii censent Abrahamum dictum esse Hebræum, id est transitorem, eo quod è Chaldæa, transito Euphrate, in Chananæam commigrarit: unde primo omnium illi hoc nomen tributum est, Genes. 14. v. 13. Ab Abraham ergo posteri vocati sunt Hebræi æque ac Abrahæi. Fuit hoc nomen olim gloriosum; unde Apostolus 2. Corinth. 11. 22 : *Hebræi sunt, et ego : Israelitæ sunt, et ego : semen Abrahæ sunt, et ego.* Christus enim fuit Hebræus, B. Virgo et Apostoli, primique Christiani fuerunt Hebræi.

Tropol. Arias : Jonas confessus est se esse Hebræum, id est prætereuntem, id est transgressorem legis et voluntatis divinæ. Rursum Hebræum, id est peregrinum et viatorem, qui continuo tendit ad mortem, et per mortem ad immortalitatem. Chald. et Septuag. pro ר legentes ד, puta pro עִבְרִי *ibri*, id est Hebræus, legentes עבדי, *abdi*, vertunt: *Servus Domini ego sum.*

Et Dominum Deum coeli.] Pro *Deum* hebr. est tetragrammaton *Jehova*, q. d. Ego non idola, sed ipsum verum Deum Hebræorum Hebræus timeo,] id est colo. Nota : In Script. cultus Dei vocatur *timor; et timere Deum*, est eum colere : tum quia *primus in orbe Deos fecit timor;* tum quia summa Dei majestas maxime à nobis timorem et reverentiam exigit. *Filius honorat patrem, et servus dominum suum : si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi timor meus?* Malach. 1. 6. Timor enim non servilis, sed filialis includit amorem et reverentiam Dei, quasi summi Domini et patris nostri.

10. Qui fecit mare et aridam,] qui est Deus verus et solus, utpote universi creator, et dominus cœli, maris et terræ; qui proinde hanc tempestatem et procellam è cœlo, aeri, mari et terræ induxit; potensque est nos mari mergere, æque ac terra dehiscente nos absorbere : eam autem induxit ob meam inobedientiam et fugam. Hanc enim eis indicasse Jonam, patet ex eo quod sequitur : *Cognoverunt enim viri quod à facie Domini fugeret, quia indicaverat eis.* Illa enim verba huc spectant. Unde et sequitur :

Et timuerunt viri timore magno,] tum quod Dei potentiam et vindictam à Jona expositam pertimescerent, præsertim quod quisque sibi conscius esset se eam sæpius offendisse et irritasse; tum quod non tam metuerent, quàm oculis cernerent, quod Deus hic tam potens et offensus, Jonam fugientem insequeretur, eumque in navi sua comprehenderet : verebantur ergo ne et ipsi quasi receptatores Jonæ, cum eo pariter à Deo comprehenderentur, punirentur et mergerentur. Sic enim dum prætor furem et latronem insequitur, domumque quam fur ingressus est invadit, hospes et omnes qui in domo sunt metu percelluntur, ne simul cum fure à prætore quasi socii et complices capiantur et plectantur. Multo enim magis idipsum timendum est apud Deum, qui subinde etiam in populo innoxio peccata aliquorum occulta punit et ulciscitur : uti furtum occultum Achan punivit in toto populo Hebræorum inscio et innoxio, permittens eum cædi à Chananæis, quia *anathema in medio tuî est Israel* (sic et in te, ô navis et nautæ, puta Jonas), Josue cap. 7. v. 13. Ita S. Hieron. *Historiæ*, inquit, *ordo præposterus est. Quia enim poterat dici : Nulla causa timoris fuit ex eo quod eis confessus est dicens: Hebræus ego sum; et Dominum Deum cœli timeo, qui fecit mare et aridam; statim subnectitur, quod idcirco timuerunt, quia eis indicaverat se Domini fugere conspectum, et ejus non fecisse præcepta. Denique causantur, et dicunt : Quid hoc fecisti? id est, si times Deum, cur fugis? si tantæ potentiæ prædicas quem colis, quomodo te putas posse evadere?* Et rursum : *Timent autem timore magno, quod intelligunt sanctum et sanctæ gentis virum; de Joppe quippe solventes funem, Hebrææ gentis noverant privilegium, et tamen fugitivum celare non possunt. Magnus est qui fugit, sed major ille qui quærit: non audent tradere, celare non possunt.*

Et dixerunt ad eum : Quid faciemus tibi?] *Rogant*, inquit S. Hieron. *ut ipse remedio sit, qui auctor peccati fuerat: si culpa est quod te suscepimus, quid facere possumus ne Dominus irascatur? quid faciemus tibi? hoc est, interficiemus te? sed cultorem Domini servabimus? sed Deum fugis; nostrum est præbere manus quid fieri jubeas; tuum est imperare, quo facto quiescat mare, quod nunc iram suo tumore testatur.*

11. Et cessabit mare,] id est ut cesset. Est hebraismus.

Quia mare ibat et intumescebat,] *ut ostenderet ultionem Creatoris se differre non posse*, ait S. Hieron. et S. Chrysost. de Jona : Sicut, inquit, servus fidelis videns mancipium fugere, insequitur, nec quiescit donec illud apprehendat, reducat, et præsentet domino : sic et mare fugientem Jonam persequitur, nec cessat donec eum capiat, et Deo dedat.

12. Et dixit ad eos : Tollite me, et mittite in mare.] Nota hîc primo, Jonæ charitatem magnanimam, qua, ne alii pereant : item pœnitentiam, qua ut Deo offenso satisfaciat, ipse solus perire cupit. Ita S. Hier. Secundo, Jonam hæc dixisse ex instinctu Dei, quo sciebat Deum velle ut quasi piaculum et lustramentum mitteretur in mare; ideo enim à Deo tempestatem hanc esse excitatam. Hoc est enim quod ait : *Scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc, etc.* Alioqui enim nisi Deus eum ut fugitivum ita sibi dedi poposcisset, nec nautæ potuissent eum mergere, nec ipse nautis potestatem se mergendi et occidendi dare. Porro volebat Deus Jonam in mari mergi, quia fugiens Deum ad mare confugerat; mare tibi, ô Jona, fuit in votis, mare pariter sit tibi tortor : in quo enim quis

peccat, in eo et punitur. Alleg. tamen causa potior fuit scilicet ut repræsentaret Christi passionem et resurrectionem de qua mox plura.

Audi S. Chrysost. hom. 5. ad Pop. *Jonas fugiebat terram, et Dei iram non effugiebat. Fugiebat terram, et in mare tempestatem induxit; nec tantum nullum ex fuga bonum nactus est, sed etiam eos qui se susceperant in extremum periculum adduxit: ut discas quod, sicut in peccatis viventi neque navigium prodest, sic peccato exutum neque mare perdit, neque bestiæ consumunt: verum et animal, et elementum incolume depositum Deo reddiderunt, et per omnia discebat Propheta esse mansuetus et humanus, et neque stultis nautis, neque feris undis, neque bestiis crudelior esse. Rediit ergo, prædicavit, minatus est, persuasit, salvavit. Propterea ipsum non statim de navigio ad urbem perduxit, sed nautæ mari tradiderunt, mare ceto, cetus Deo, Deus Ninivitis, et per longum circuitum profugum reduxit.* Vide sequentia, ubi pulchre docet peccatori non fugiendum esse à Deo, quia effugere est impossibile, sed mutandos esse mores pravos; hi enim vulneri causam dederunt.

Hoc Jonæ exemplum imitatus est S. Gregor. Nazianz. cum enim in Concilio Constantinopol. orta esset dissensio inter Episcopos Ægyptios et Orientales, illis electionem Gregorii in Patriarcham Constant. impugnantibus, his defendentibus; ipse Synodum ingressus, cohortatus est omnes ad pacem, ejusque causa quasi alterum Jonam devovere se mari, et patriarchatui renuntiare liberaliter obtulit, quod et ingenue præstitit. Audi eum in carm. de Vita sua :

Ego vero Jonæ facinus excelsum æmulor :
Me pro salute do lubens nostræ ratis,
Licet excitati turbinis causa haud siem :
Nos sorte captos mergite insano mari.
Nos hospitalis cetus excipiet : sit hoc.
Concordiæ vobis initium ; latitudinis
Locus hic vocetur, splendidior hic surget mihi.

Alludit ad similem cessionem puteorum, quam Geraritis fecit Isaac Genes. 26. v. 22, qui proinde tertium puteum pacificum vocavit *latitudo.*

Alleg. S. Hieron. *Apostoli*, ait, *deserentes in passione Christum, quodammodo in fluctus præcipitabant. Iste Jonas dicit : Scio quia propter me tempestas grandis est super vos, quia me vident venti vobiscum ire in Tharsis, id est, ad contemplationem lætitiæ navigare, ut vos perducam ad gaudium, ut ubi ego sum et Pater, ibi et vos sitis. Idcirco sæviunt, idcirco mundus fremit, me cupit devorare mors, ut vos pariter occidat, et non intelligit quia velut in hamo escam capit, ut mea morte moriatur. Tollite me et mittite in mare, tempestas quæ propter me sævit contra vos, me moriente, sedabitur.*

13. Et remigabant viri, ut reverterentur ad aridam.) Nota hic pietatem nautarum : nam, ne Jonam, licet id indicantem et se offerentem, mergant, petunt littus in quod eum exponant; itaque et ipsi, et sibi consulant. Propterea, ait S. Hieron. *nitebantur reverti ad terram et effugere discrimen, ne sanguinem funderent; magis volentes perire quàm perdere.* Verum cum vident se fluctus obluctantes non posse vincere, sed ab iis vinci, agique rem de omnium vita, satius ducunt unum Jonam perire, quàm omnes. Mittunt ergo eum in mare, sed antequam id faciant, veniam à Deo precantur. Dicunt ergo :

14. Quæsumus, Domine, ne pereamus in anima viri istius; *in*, id est, ut Sept. propter animam, id est vitam, Jonæ, quem mergimus et perdimus; sed inviti, coacti, et ab ipso quem perdimus jussi. Unde explicando subdunt : et ne des super nos sanguinem innocentem,] q. d. Ne imputes nobis quod istum innocentem conjecerimus in mare : licet enim nobis sit innocens, nostrûmque neminem læserit, tibi tamen est nocens : tu enim per sortes eum sontem declarasti.

15. Et tulerunt Jonam, et miserunt in mare.] *Non dixit*, inquit S. Hier. *Arripuerunt; non ait : Invaserunt; sed Tulerunt, quasi cum obsequio et honore portantes miserunt in mare non repugnantem, sed præbentem manus ipsorum voluntati.* Addit Arias ex Eleazaro quid memorabile : *In Eleazari*, inquit, *antiquissimi divinorum librorum Interpretis tractatu, qui circa ætatem Christi scripsisse dicitur, quintum hoc periculum à viris illis factum traditur, quo divinum de ea re consilium diligentius exquireretur. Nam post privatas deorum invocationes, post jacturam factam, post eductas sortes, post orationem et deprecationem communiter susceptam, illud postremum sæpius tentaverunt, ut sublatum Jonam in mare usque ad collum demitterent, rursusque ad sese in navim reciperent; evenisse vero ait, ut quoties demissus esset, mare conquiesceret; cum autem receptus, rursum fremere et intumescere sentiretur : quo signo divinæ voluntatis certiores facti, Jonam tantum in mare conjectum penitus demisere.* Nautarum sollicitudo in liberando Jona facit idipsum probabile et credibile.

Et stetit mare a fervore suo,] cessavit à suo æstu, tumore et fluctibus : *Quia invenerat quem quærebat*, inquit S. Hieron. *velut si quis persequatur fugitivum, et concito pergat gradu, postquam fuerit consecutus, desistit currere, et stat ac tenet quem apprehenderit : ita et mare quod absente Jona irascebatur, in visceribus suis desideratum tenens gaudet et confovet, et ex gaudio tranquillitas redit.* Sic alleg. inquit, Christo in mare passionis projecto, stetit fervor idololatriæ omnisque erroris, rediit tranquillitas fidei, orbis pax, secura omnia, et Gentium conversio ad Deum : sicut ergo Jonæ submersio navis est relevatio; ita Christi interitus mundi est salus.

Nota : Licet cesset ventus, *sed tamen à vento qui fuit, unda furit :* ita hic post ventum furebat mare, donec injiceretur Jonas; quo injecto, illico quievit, ut indicaret tempestatem hanc divinitus excitatam pariter et sedatam, propter unicum Jonam.

16. Et timuerunt viri timore magno Dominum,] q. d. Hoc maris æstuantis et illico sedati miraculo nautæ Deum illius auctorem cognoverunt, scilicet Deum Jonæ et Hebræorum esse verum Deum, ad ejusque fidem, timorem et cultum conversi sunt. Ita Hugo, Lyranus et Arias.

Et immolaverunt hostias, non tantum spirituales precum et gratiarum actionis, uti censet S. Hieron. sed etiam corporales : mox enim post Jonam in mare missum, appulerunt ad littus, ibique hostias Deo Hebræorum immolarunt. Insuper voverunt vota,] offerenda in templo Hebræorum Hierosolymæ, juxta legem et ritus quos à Scribis ibidem erant perquisituri : nec enim à Jona jam misso in mare eos discere poterant. Ita Theophyl. et Hugo. Quare non du-

bium omnes hosce nautas hoc miraculum, Deumque ejus auctorem deinceps ubivis locorum prædicasse et celebrasse. Hinc aliquis suspicari posset nautas hos Deum Hebræorum colentes suscepisse judaismum, et factos esse proselytos.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

JONAS MISSUS IN MARE SORBETUR A CETO; IBI PULCHRO CARMINE DEUM INVOCAT ET LAUDAT; CUJUS PROINDE JUSSU TERTIO DIE EVOMITUR IN ARIDAM.

1. Et præparavit Dominus piscem grandem ut deglutiret Jonam : et erat Jonas
in ventre piscis tribus diebus, et tribus noctibus. 2. Et oravit Jonas ad
Dominum Deum suum de ventre piscis. 3. Et dixit : Clamavi de tribula-
tione mea ad Dominum, et exaudivit me : de ventre inferi clamavi, et
exaudisti vocem meam. 4. Et projecisti me in profundum in corde maris,
et flumen circumdedit me : omnes gurgites tui, et fluctus tui super me
transierunt. 5. Et ego dixi : Abjectus sum à conspectu oculorum tuorum :
verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum. 6. Circumdederunt me aquæ usque ad
animam : abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum. 7. Ad extrema montium descendi :
terræ vectes concluserunt me in æternum ; et sublevabis de corruptione vitam meam, Domine
Deus meus. 8. Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum : ut veniat ad te
oratio mea ad templum sanctum tuum. 9. Qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam
derelinquunt. 10. Ego autem in voce laudis immolabo tibi, quæcumque vovi, reddam pro salute
Domino. 11. Et dixit Dominus pisci, et evomuit Jonam in aridam.

1. ET PRÆPARAVIT DOMINUS PISCEM,] q. d. Fecit Deus ut piscis quasi satelles suæ vindictæ, æque ac clementiæ præsto adesset juxta navim, qui Jonam exciperet et devoraret ut vindex, et servaret ut custos. Jonas ergo, non diu natans, sed statim ex navi in piscem, ejusque ventrem, æque ac Christus ex cruce illico in sepulcrum descendit, inquit S. August. epistol. 49. in fine. Hinc Septuag. vertunt : *Et præcepit Deus ceto magno, et devoravit Jonam.* Hebræi enim præceptum vocant omnem ordinationem, dispositionem, providentiam. Pulchre S. Chrysostom. in psalm. 96: *Dominus regnavit*, etc. docet feras et belluas Deo et Sanctis servire, quodque Jonas existens in ventre ceti eum gubernabat, ut pergeret, non quò ipse, sed quò Jonas volebat, scilicet in aridam vers. 11. *Sic*, ait, *Jonæ cetus triduo subjugalis fuit, et quò intus gubernans, non quò ipse volebat ducens : quis pastor ita agnas suas placavit, ut Daniel efferos leones? quis rex tam pernices Indos habet, quàm Elias corvos? quis discipulum absque murmure ita hospitalitatem exercere docuit, ut Jonas cetum in mari? quorum armorum exercitus regem suum ita illæsum servavit, et alienigenas ab impetu coercuit, ut Chaldaicus caminus Chaldæos cives urbis excussit, et Hebræos servavit?*

PISCEM GRANDEM ;] Septuag. quos sequitur S. Matth. c. 12. 40, *cetum.* Nota : ceti nomen commune est ad balænas, physeteres, orcas, pristas, lamias, thinnos, omnesque pisces prægrandes, et cetaceos. Cetus enim, ut ex Aristot. docet Aldrovandus, lib. 3. de Piscibus, c. 32, proprie vocatur omne genus piscium, quod absque ovificatione vivos excludit fœtus, et vere respirat vero respirationis instrumento, pulmone, inquam, præditum, imo à Galeno et vulgo quilibet pisces prægrandes cetis accensentur; non quod ceti sint, sed quod ad eorum magnitudinem excrescant. Unde licet carcharias, de quo mox, pulmonem non habeat, atque ova intra se concipiat, sed ita ut ea intra se vivificet, vivosque fœtus excludat; à Galeno tamen, Æliano et Oppiano inter cete recensetur.

Licet ergo vulgus putet piscem hunc qui glutivit Jonam fuisse balænam, negant tamen id Rondeletius lib. 13. de Piscibus cap. 12, et Ulysses Aldrovandus lib. 3. de Piscibus cap. 32, et ex iis Pineda lib. 4. de Rebus Salom. cap. 12, à Castro hîc et alii ; eo quod balæna arctiori sit gutture et ventriculo, nec facile hominem integrum et illæsum glutire et continere possit. Quod intellige de parvis et communibus balænis : nam majores sunt instar montium, quæ facile homines et boves integros glutiunt. Censent ergo ipsi piscem hunc fuisse illum, qui Carcharias, et Canis, atque ab Italis et Nicandro aliisque vocatur *lamia,* qui ingens est, voracissimus et anthropophagus, rictumque oris et guttur habet immane, prout ea depingit, et in imagine spectanda exhibet Aldrovandus, l. 3. de Piscibus, c. 32, pag. 381. Carcharias enim, sive Canis, est galeonum omnium maximus, magnitudine thinnos ipsos vincens, et in tantum ali-

quando excrescens, ait Rondeletius, ut currui impositus, vix à duobus equis vehi possit; quare evisceratus et in frusta dissectus, duobus aliquando curribus imponendus fuit. Addit Rondeletius vidisse se mediocrem, qui mille libras ponderabat; Nicenses vero sibi testatos esse refert Gillius, sese istiusmodi piscem ad quatuor millia librarum accedentem cepisse, et in ejusdem ventre solidum hominem reperisse; simileque quid Massilienses sibi narrasse, comprehendisse, inquam, se Canem, in quo loricatum hominem invenissent. Vidit insuper Rondeletius in Santonico littore alium, cujus os et gula tanta erant vastitate, ut hominem etiam obesum commode capere potuisset: imo vero si os canis marini ita hians conservetur, reliquo corpore contecto, canes terrestres illud ingredi, et ventriculum subire ut piscium reliquias devorent. Hac de causa carcharias à nonnullis vocatur *lamia* παρα του λαιμου, id est à gula et gutture, eo quod magnum et quasi immane guttur habeat, sitque voracissimus. A qua ingluvie similiter lamiæ vocantur maleficæ illæ, quæ pueros et juvenes ad se sua forma alliciunt, allectosque devorant; quod, ut aiunt, Menippo Lucio contigisset, nisi gravis et prudentis viri consilium ab amore juvenem deterruisset dicendo, οφιν θαλπεις, και σε οφις, id est, *serpentem foves, et te serpens*, quod percommode de eo dicitur, qui id amat, fovet, amplectitur, quod tandem certum ei exitium est allaturum, uti non raro amasiis contingit. Hæc Rondeletius et Aldrovandus, qui proinde opinantur piscem qui Jonam devoravit, fuisse carchariam sive lamiam; qui licet proprie non sit cetus, cetum tamen dici ea phrasi qua quivis vastus et immanis piscis vocatur *cetus*. In eo tamen dissentit Aldrovandus à Rondeletio, quod Rondeletius censeat lamiam hanc eamdem esse cum lamia Aristot. lib. 5. histor. Animal. c. 5. et Plinii l. 9. c. 24; Aldrovandus vero id neget, eo quod lamiam Aristoteles et Plinius ponant planam, et planis piscibus cartilagineis annumerent, qualis non est lamia hæc vasta et immanis, quæ ab Aristotele κυων, id est canis, nuncupatur, à Theophr. l. 4. hist. Plant. c. 8, Columella et aliis vocatur Carcharias, quod voracissimus impudensque sit fur, quodque dentibus plurimum valeat, eosque acutos et pectinatos habeat; καρχαρος enim acutum asperumque significat: unde καρχαροδοντα animalia, quibus acuti pectinatimque conjuncti dentes sunt, Aristoteli nuncupantur. Vere S. August. cap. 49. q. 6. agens de ore ceti, qui deglutivit Jonam: *Quis*, ait, *non conjiciat quanto hiatu patebat os illud, quod velut janua speluncæ illius fuit?* Vide ibidem August. hanc Jonæ historiam defendentem contra Porphyrium, eam ut fabulosam irridentem.

Alleg. S. Ambr. in psalm. 43: Jonas, ait, est Christus, *cui propterea missus est in mare, ut exciperetur et devoraretur à ceto, quo intra alvum ceti positus ejus interiora vacuaret, de quo ceto hoc dictum sit, audi Job dicentem c. 3: Qui habet, inquit, magnum cetum captivum reddere. Quis iste est? utique cognoscis, cum legis quod Dominus noster Jesus Christus captivam duxerit captivitatem; devicto enim adversario et inimico, nos qui captivi eramus, cœpimus libertatem possidere per Christum.*

Symbol. S. Hier. ad Heliodorum, in Epitaphio Nepotiani, hæc accommodat morti, quæ fideles absorbet quidem, sed instar Jonæ quasi vivos retinet, ob spem resurrectionis, qua brevi redivivi surgent. *Devorasti*, inquit, *Jonam, sed in utero tuo vivus fuit*, juxta illud Osee 13. 14: *Ero mors tua, ô mors.* Denique miraculum hoc devorationis et ejectionis Jonæ factum est non tam propter Jonam, quàm propter Ninivitas, ut illi per hoc miraculum Jonæ crederent: allegorice propter Christum et Christianos, de quo plura cap. 3. 5.

Et erat Jonas in ventre piscis.] Multa hìc miracula: Primum, quod venter piscis calidissimus Jonam non consumpserit et in chilum converterit; secundum, quod Jonas ibidem vivere et respirare, aeremque frigidum attrahere potuerit; tertium, quod odor, qui in ventre ceti est olidissimus et intolerabilis, Jonam non exanimarit, quin potius eum commode tulerit; quartum, quod in hoc angustissimo et incommodissimo carcere, non tantum animæ, sed et mentis compos fuerit, spirituque Dei afflatus insigne et pium carmen Deo cecinerit. Dei ergo hoc fuit opus, qui simili modo conclusum in materno ventre fœtum, tot mensibus sine cibo aut potu, sine egestionis, sine frigidæ respirationis usu continet. Ita Theophil. Quam rem licet frequentem merito admirans David: *In te*, inquit, *projectus sum ex utero: de ventre matris meæ Deus meus es tu,* psal. 21. 11. Qui ergo tres pueros in fornace Babylonia illæsos, idem Jonam in ventre ceti intactum servavit. Ita S. Hieronymus.

Ex Jona Gentiles videntur sumpsisse fabulam sui Herculis. Finxerunt enim quod Hercules à balæna sit devoratus, et ex ea incolumis redierit, nisi quod depilatus fuerit ob internam belluæ caliditatem. Ita Theophyl. Et Lycophron, in tragœdia Herculis, tradit Herculem cum rediret ex Colchide cum Argonautis, invento vellere aureo, tempestatem passum, et in mare lapsum à pisce devoratum fuisse, ac post triduum salvum ex eo in mare projectum. Arbitror eum hoc ex Josepho lib. 9. Antiq. 11. sumpsisse, qui scribit Jonam à ceto evomitum in Ponto Euxino. Hoc enim videtur Lycophron ad Herculis personam transtulisse: nam navigatio Argonautarum fuit in Ponto Euxino. Ita Salmeron, tom 8. tract. 17.

Allegor. Theophil. Jonas est Christus, navis synagoga Judæorum, navarchus Moses, nautæ Prophetæ, mare afflictiones nostris peccatis debitæ, sors voluntas Patris æterni, venter ceti sunt secreta mortis, sepulcri et inferni in quibus triduo fuit Christus, et post triduum inde resurgens Gentibus pœnitentiam et Evangelium salutis annuntiavit per Apostolos; tunc venti, id est, inspirationes et tentationes validissimæ dæmonum, sedati sunt; procellæ voluptatum maris, id est seculi hujus, prostratæ sunt; pax et tranquillitas corporibus æque ac animis fidelium reddita, dicente Christo: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Hinc et Jonas hebr. idem est quod columba, vel q. d. יהוה יונה *Iehova ione*, id est Deus laborans.

Tribus diebus.] Causas hujus ternarii assignavi Osee 6. 3.

2. Et oravit Jonas ad Dominum.] Angustiæ Jonam ad Deum redire eumque invocare compulerunt. Ita Deus suos redigit ad arcta, ut eum invocent, et invocantibus illico adest et opitulatur.

Vulgo dicitur : *Qui nescit orare, eat ad mare;* qui enim in eo navigant, dum non nisi cœlum et pontum vident, ventosque et fluctus qui ad sidera videntur elevari, et mox in abyssum subsidere, ut videantur jamjam mergendi, et ad ima maris descensuri, illico discunt opem numinis et cœlitum omnium implorare. Præclare Nyssen. in exposit. Orat. Domin. Oratio Jonæ, inquit, cetum domum effecit, ut in ventre ceti commode quasi in domo degeret et oraret.

Miratur Tertull. lib. de Oratione, cap. 14 : *Quomodo*, ait, *oratio Jonæ de ventre ceti per tantæ bestiæ viscera, ab ipsis abyssis, per tantam æquoris molem ad cœlum potuit evadere?* Hæc nimirum est vis orationis, hæc vis Dei, qui ubique præsens audit supplicum preces.

3. Et dixit.] Est hoc Jonæ carmen lyricum, inquit Arias, tricolon tetrastrophon, simile illi Horatiano lib. 1 ode 36.

> Et thure et fidibus juvat
> Placare, et vituli sanguine debito
> Custodes Numidæ Deos.

Nisi quod quartus versus brevior est in hunc modum :

> Angustis nimium mihi rebus,
> Te Dominum carmine supplici
> Imis de barathris voco, et
> Audiens vocem.

Clamavi de tribulatione mea.] Jonas cum projiceretur in mare, tanto suî periculo excitatus illico cœpit orare, et clamare saltem mente ad Dominum; sed statim devoratus à ceto, vidensque se in ejus ventre, multo magis clamare perrexit. Unde S. Hier. ait quod Jonas *ex quo in mare præcipitatus vidit cetum, et tantam corporis molem, et immanes rictus aperto se ore sorbere, Domini recordatus sit et clamaverit.* Fabulatur hìc more suo R. Salomon, Jonam primo devoratum à ceto mare, et quia ibi satis ample et laxe degebat, non clamasse ad Dominum; Deum ergo jussisse ceto masculo ut Jonam evomeret in cetum feminam, puta in balænam fœtu plenam et gravidam, in qua cum Jonas arctari se sentiret, cœperit clamare. Probat idipsum, quia v. 1. piscis hic vocatur masculine דג *dag* : ergo erat cetus mas, vers. vero 3. ubi dicitur : *Et oravit Jonas ad Dominum Deum suum de ventre piscis*, hebr. est femininum דגה *daga*, id est piscis femina. Verum errat fabula : nam unum et eumdem fuisse piscem qui sorbuit Jonam, et in quo Jonas clamavit, et qui eum post orationem evomuit, patet ex v. ult. ubi piscis evomens Jonam in littus vocatur *dag* masculine, non *daga* feminine. *Dag* ergo piscem tam feminam quàm marem significat; perinde ut Latinæ voces piscis, avis, ovis, camelus, equus, asinus, bos, vitulus, etc. tam feminam quàm marem significant : sic vicissim femininum *daga* quoslibet pisces, tam mares quàm feminas significat, ut patet Isaiæ 50. 2. Num. 11. 5. Ezech. 29. 4. Genes. 1. 26. Exodi 7. 20. Ezech. 47. 9. Sic Latinæ voces simia, mustela, vulpes, aquila, pica, columba, etc. licet femininæ sint, tamen tam mares quàm feminas suæ speciei significant.

Tropol. S. Greg. in psal. 6. Pœnit. *De profundis clamavi ad te, Domine : Clamavit*, inquit, *Jonas ad Deum de ventre ceti, de altitudine maris, de profundo inobedientiæ; et ad aures Dei oratio illius pervenit, qui eum eruit à fluctibus, eripuit à bestia, absolvit à culpa. Clamet et peccator, quem à Deo recedentem cupiditatum tempestas contrivit, quem malignus hostis absorbuit, quem præsentis seculi fluctus involvit, agnoscat se esse in profundo, ut ad Deum sua perveniat oratio.*

Et exaudivit me.] Nota : Jonas missus in mare oransque Dominum, illico sensit præsentem ejus opem, qua à mari, æque ac à ceto illæsus servabatur in ejus ventre. Unde ex instinctu Dei certus de sua salute gratias agit Deo, carmenque hoc magis eucharisticum quàm eucheticum canit Deo liberatori.

De ventre inferi,] puta de ventre ceti, quem hyperbolice vocat *infernum*, ob magnitudinem, profunditatem et obscuritatem.

4. In corde maris,] in medio, sive profundissimo mari; illud enim amant et incolunt ceti, utpote vastissimi : quod enim est in animali cor, hoc in mari est profunditas, in terra centrum. Unde Christus, Matth. 12. 40, post mortem dicitur fuisse tribus diebus in corde terræ, id est in limbo Patrum, qui est circa infernum et circa centrum mundi. Ita S. Hieron. *Sicut cor*, inquit, *in medio est animalis, ita infernus in medio terræ esse perhibetur.*

Flumen.] Septuag. *flumina*, non quod cetus hic per flumen aliquod in mare influens transierit, cujus influentis sonitum in ventre ceti audierit Jonas, ut Arias et aliqui alii volunt; sed *flumina* vocat ipsos fluctus et aquarum affluentiam : ceto enim jam in mare se immergente, jam emergente, copia aquarum instar fluminum resonantium undique in mare influebat, audiente Jona, inquit Theoph. Albert. et à Castro. Ipse enim cursus et fluctus aquarum subinde vocatur *flumen*, ut apud Martialem lib. 1 :

> Et qui prima bibit deprensi flumina Nili.

Alii per flumen accipiunt mare, ut sit miosis. Sic Aristot. in Meteor. Nubes vocat flumen aereum, sive oceanum per aera fluitantem.

Nota : Hoc Jonæ carmen valde affine est verbis et sententiis psalmi 68. Davidis, et ex eo bona ex parte depromptum videtur. Quod enim ibi dicitur. v. 4 : *Laboravi clamans*, Jonas ait : *Clamavi de tribulatione mea.* Ibi, vers. 2. dicitur : *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia;* Jonas ait : *Projecisti me in profundum in corde maris.* Ibi, vers. 3. dicitur : *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me;* Jonas ait : *Omnes gurgites tui et fluctus tui super me transierunt*, quem versum mutuatus est ex psal. 41. 8. Ibi David dicit vers. 1 : *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.* Hic Jonas ait : *Circumdederunt me aquæ usque ad animam, abyssus vallavit me.* Quocirca tam David quàm Jonas typum gessit Christi patientis, ejusque angustias, preces, vota et gemitus in se expressit.

Omnes gurgites tui.] Pagninus : *Omnes undæ tuæ;* Septuag. *Omnes elevationes tuæ;* Hebræi, משבריך *misbarecha*, id est, *omnes contritiones tuæ*, puta omnes fluctus tui, qui naves et homines in iis navigantes conterunt et confringunt. Accipe commode τὸ *omnes*, scilicet quos tu, ô Domine, hìc propter me excitasti; alios enim alibi excitatos non sentiebat Jonas.

5. Ego dixi : Abjectus sum,] q. d. In tam miserabili statu constitutus, videbar mihi initio à te derelictus, depositus et perditus : at nunc per revelationem quam mihi suggeris, nimirum

quod ex alvo ceti brevi in terram salvus evadam, in spem certam erectus, animos resumo, tibi gratias quantas mens mea capere nunc potest, ago, majoresque agam in templo Hierosolymitano, ad quod me iterum ejus rei gratia destino et voveo. Ita S. Hier. Remig. Hugo et Clarius. Minus recte Arias et Vatablus per *templum* accipiunt cœlum; hoc enim anagogicum est, non litterale: nec enim Jonas putabat se moriturum et per mortem iturum in cœlum, utpote qui certus erat se salvum exiturum è ventre ceti; unde non dubium est eum in Judæam rediisse et templum visisse, ut in eo Deo gratias ageret pro tam miraculosa liberatione, votaque à se in ventre ceti nuncupata persolveret.

6. Circumdederunt me aquæ usque ad animam.] Septuag. *Circumfusa est mihi aqua usque ad animam*, q. d. Aquæ me ita undique circumdabant, ut viderentur penetraturæ totum corpus meum et pervasuræ per oculos et nares in caput, per os in stomachum omniaque intestina, per poros in singula membra, ita ut viderentur perventuræ usque ad ipsam animam, eamque mersuræ et oppressuræ, ni Deus eas cohibuisset, animamque meam servasset: cetus enim assidue hauriebat aquas, eisque implebat stomachum, quæ Jonam in eo degentem undique circumdabant, et tantum non submergebant. Unde Vatablus exponit, *usque ad animam*, id est usque ad separationem animæ, id est, *usque ad mortem*, ut vertit Chald. q. d. Periclitatus sum extreme de vita, cum essem in aquis maris; putabam enim me aquis vel mergendum, vel certe suffocandum, utpote aere ad respirandum necessario privatus in ventre ceti calidissimo, et aquis oppleto.

Abyssus vallavit me.] Pagnin. *Vorago circumdedit me. Abyssus* enim vocatur aqua carens fundo, id est, vastissima et profundissima, quale est mare. Idem dicit, et aquarum circumdantium vastitatem aliis aliisque exaggerat. Aliter à Castro: Abyssus, inquit, est maris profundum, puta fundus, q. d. Usque ad maris pavimentum dimisit me. Verum hebr. תהום *tehom* proprie significat non fundum, sed abyssum jam dictam.

Pelagus operuit caput.] Pro *pelagus* hebr. est סוף *suph*, quod proprie significat finem et terminum; inde juncum, caricem, arundinem, algam quæ in extremitate maris et fluminum nasci solet, et quia his abundat mare Rubrum, quod simul est terminus tum maris, tum Ægypti et Arabiæ: hinc illud hebr. vocatur *mare suph*. Ex triplici hoc significato triplex nascitur versio. Prima: *Finis colligatus erat capiti meo*, id est, mors et exitium imminebat capiti meo. Secunda: *Alga alligata erat capiti meo*. Ita Pagnin. vel: *Carectum implicitum erat capiti meo*. Ita Tigurina, vel: *Juncetum erat fascia capiti meo*. Ita alii, q. d. Cetus me secum implicabat juncis et calamis qui in summo, et algis quæ in imo maris nascuntur; aut cetus devorabat algam, quæ descendens in ejus stomachum, me caputque meum implicabat. Plinius enim, lib. 13. cap. 25, docet in mari non tantum esse frutices et arbores, sed et prata ac sylvas. Tertio, Rabbini vertunt: *Mare Rubrum implicavit caput meum*. Unde censent ipsi Jonam, qui in Joppe devoratus fuit à ceto, ab eo vectum et ejectum fuisse in mari Rubro, ad hoc ut Jonas vicinior esset Ninivæ, ad quam mittebatur à Deo. Audi R. Salomonem: *Ostensum est Prophetæ mare caricosum, et quomodo transiissent Israelitæ per medium ejus. Erant enim pisci illi septem oculi, qui Jonæ totidem fenestrarum usum præbuerunt, et per illos contemplabatur et videbat quidquid erat in mari.* Voluit enim Deus Jonam afflictum et pene desperantem hac ratione consolari, et in certam opis Dei spem erigere. Verum hæc est fabula: sic enim cetus spatio tridui (quo Jonas fuit in ejus ventre) debuisset tranare totum mare Mediterraneum, à Joppe usque ad Gades, inde circuire totam Africam: inde promontorium Bonæ Spei, inde Mozambiquem, Quiloam, Melindem, Zocotoram; ac tandem tendere Adenum, ubi incipit sinus Arabicus, sive mare Rubrum, quod est iter dimidii anni et amplius. Respondet P. Pineda, qui sententiam Rabbinorum sequitur, et multis conjecturis tuetur, lib. 4. de rebus Salom. c. 12, pisces carcharias, sive tuberones esse velocissimos. Verum nulla velocitas est tanta, quæ tantum iter triduo conficiat. Dico ergo mare Phœnicium et Tyrium, quod est juxta Joppen, vocari mare *suph*, id est Rubrum, sive Erythræum, quia Phœnices ipsi dicebantur Erythræi, eo quod orti et prognati essent ab accolis maris Rubri, uti dixi Isaiæ 23. v. 16. Imo vox *Phœnices* non aliud significat quàm rubros, ait Strabo. Adde juxta secundam expositionem, qua *suph* idem est quod alga, juncus, carectum, metonymice quodvis mare finitum et limitatum vocari *suph*; quia est algosum, juncosum, carectosum, et quia est finitum: *suph* enim finem significat. Ita Pineda, lib. 3. de Rebus Salom. c. 10. et alii. Unde Chald. vertit: *Mare carectosum suspensum erat capiti meo.*

Porro pro *operuit*, hebr. est חבוש *chabus*, quod duo significat: primo, *alligatum est*, et sic proprie competit algæ vel junco; secundo, *impositum est*, et sic competit proprie pelago. Unde Noster recte sensum expressit, dum vertit: *Pelagus operuit caput meum*, q. d. Sub undis versor, undæ undique me tegunt et operiunt; nec tantum undæ, sed et ipse pontus quantus quantus est; ipsum pelagus vastum et quasi immensum capiti meo impendet, illudque tegit et operit.

7. Ad extrema montium descendi,] hebraice בקצבי *bekitsbe*, id est, ad fissuras, vel incisuras montium. Ita Septuag. et Tigurina, id est, ad extrema, ad fines montium. Ita Noster, Pagnin. et Vatabl. Fissuræ enim montium sunt fines et extrema montium, quæ in mari *promontoria* vocantur, q. d. Cetus hic natando vexit et duxit me ad rupes, montes et promontoria, eorumque fissuras et cavernas. Loca enim montosa ambiunt ceti, ibique fere morantur, quia ibi mare est profundius. Ita Theodor. Theophyl. et Vatabl. littus enim Joppe (unde Jonas solverat) ex utroque latere habet prominentes rupes saxaque ingentia, quæ, cum de imo mari surgant, in mare excurrunt tamen, ait Hegesippus lib. 3. Excidii Hierosol. cap. 20. Hic ergo Jonas projectus in mare descendit in abyssum, ex qua erumpunt scopuli jam dicti, qui naufragio omnem enatandi et evadendi viam præcludunt, illique vocantur hic à Jona *extrema montium*, sive rupium, ac mox *vectes*, sive repagula, tum maris quod claudunt et quasi obserant, tum hominum, ne enatare et in terram ac libertatem exire possint. Ita Sanchez.

Terræ vectes concluserunt me in æternum.]

Quæ paulo ante vocavit *extrema montium*, hic vocat *vectes terræ;* hisce enim rupibus, montibus et cavernis, velut vectibus concludebatur Jonas, ne è ceto et mari emergere possit in æternum, nisi scilicet Dei potentia inde per miraculum eum eduxisset. Unde Septuag. vertunt : *Intravit caput meum in scissuras montium, descendi in terram cujus vectes retinacula sempiterna.* Ecce quò descendit Jonas; ecce unde Dei ope ascendit. Hîc verum est istud : *abyssus* mei casus, descensus, miseriæ, *abyssum* tuæ, ô Domine, sublimitatis, celsitudinis, potentiæ, misericordiæ et gloriæ *invocat.* Idem dicat qui tribulationibus premitur et pene obruitur. Quo enim major est tribulatio, eo vicinior est Deus ad liberandum si invocetur, juxta illud Psaltis: *Tibi derelictus est pauper.* Sic Regularium claustra, ait Sanchez, quæ secularibus videntur esse carceres mortis, Religiosis perfugium sunt et portus, in quibus ipsi quasi in arca Noe securi, seculares in æstu ac salo naufragantes aspiciunt.

Et sublevabis,] q. d. Licet ego in abyssum descenderim ibi corrumpendus et moriturus, tu tamen, Domine, inde me educes et liberabis, faciesque ne moriar, sed salvus exsurgam.

Allegorice hæc omnia verissima sunt in Christo, eique hæc omnia adaptare perfacile est. Ita S. Hieron.

8. Cum angustiaretur in me anima mea.] Chald. *Cum deliquio laboraret in me anima mea.* Videtur ergo Jonæ angor et angustia tanta fuisse, ut eum ad animæ deliquium deduxerit.

Allegor. Jonas, ait S. Hieron. repræsentat hîc angustias et orationem Christi in horto, dum diceret : *Tristis est anima mea usque ad mortem: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.*

Ut veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum,] in cœlum, q. d. Admisisti orationem meam ad te in cœlum, eam exaudisti; unde et me liberasti.

9. Qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam derelinquunt.] Primo, Arias et aliqui alii pro הבלי *hable*, id est *vanitates*, legentes חבלי *chable*, id est *funes*, ac חסד *chesed*, quod Noster vertit, *misericordiam*, vertentes, *pietatem* (utrumque enim significat), id est impietatem per antiphrasin; sic tranferunt: *Qui custodiunt funes vanitatis, pietatem suam sacrilegam derelinquent,* quod sic exponunt, q. d. Nautæ et Ninivitæ aliique Gentiles colentes vana idola, ubi intellexerint miraculum hoc Dei Hebræorum, quo me in ceto liberavit, relinquent suam impietatem et idololatriam, colentque Deum verum Jonæ et Hebræorum.

Secundo, Theodor. exponit, q. d. *Nautæ idololatræ, misericordiæ suæ obliti, me in mare projecerunt.* Verum ex dictis cap. 1. liquet nautas fuisse pios et misericordes in Jonam, eumque invitos et non nisi jubente Deo et Jona misisse in mare.

Tertio, S. Hieron. Rupert. et Vatablus, q. d. Qui custodiunt vanitates, id est, qui colunt idola, *misericordiam*, id est, Deum à quo misericordiam et omne bonum exspectare debent, à se avertunt, mortemque et omne malum sibi conciliant. Unde generalius iidem per *vanitates* accipiunt vanas et illicitas cupiditates, quæ nihil habent veræ et solidæ voluptatis aut fructus, q. d. Peccatores qui vanas suas cupedias quasi res pretiosissimas adamant et colunt (hoc enim innuit vox *custodiunt*), hi *misericordiam suam derelinquunt*, id est, in se sunt immisericordes et crudeles, quia mortem et exitium sibi accersunt. Hic sensus sapidus est et appositus : videtur enim generalis esse sententia et gnome. Unde S. Hieron. *Cerne*, ait, *magnanimitatem Prophetæ in profundo maris : in ventre tantæ bestiæ æterna nocte coopertus, non cogitat de periculo suo, sed de natura rerum generali sententia philosophatur : Misericordiam, inquit, suam derelinquunt. Licet offensa sit misericordia, quam nos possumus ipsum intelligere Deum (misericors enim et miserator Dominus, patiens et multæ misericordiæ), tamen eos qui custodiunt vanitates non reliquit, non detestatur, sed exspectat ut redeant. Illi vero stantem misericordiam, et ultro se offerentem sponte propria derelinquunt.* Huc accedit P. Pineda, qui l. 8. de Rebus Salom. c. 1. n. 29. sic explicat, q. d. Ab idolorum mendacium et vanissimorum cultoribus nihil boni exspectandum, quippe postulant beneficia à mortuis, et deserunt ipsum bonorum fontem et largitorem Deum.

Quarto, proprie et genuine alludit ad nautas suos infideles, eorumque sortes et idola : eos enim post missionem Jonæ in mare, et tempestatis cessationem agnovisse Deum Hebræorum, ad eumque esse conversos ignorabat Jonas agens in ventre ceti. Unde de iis quasi in sua idololatria persistentibus ac similibus ait : *Qui custodiunt vanitates, misericordiam suam derelinquunt,* q. d. Nautæ et similes idololatræ qui colunt vanas suas sortes et idola, liberati à tempestate et naufragio, ac misericordiam consecuti à Deo vero, illam non agnoscent, nec ei acceptam referent, aut gratias agent, sed ingrati in sua infidelitate et impietate persistent : unde gratiam et misericordiam Dei tum præsentem, tum æternam à se avertent. Ego vero jam ex Dei ope et revelatione certus de misericordia et liberatione mihi præstanda, eam agnosco; gratias ago Deo meo, ideoque mox ut liberatus fuero, et in patriam rediero, in voce laudis immolabo illi victimas pacificas, votaque quæ concepi illi reddam pleno mentis orisque jubilo : itaque eamdem Dei misericordiam ad nova semper beneficia mihi conferenda tum in hac vita, tum in futura, alliciam et provocabo; prout nunc in ventre ceti eam invocans allexi et conciliavi. Ita Hebr. (quos sequitur Emmanuel et Mariana) ex quibus aliqui sic vertunt : *Qui custodiunt vanitates, non recordantur beneficiorum tanquam ingrati;* et Chald. qui vertit : *Non instar gentium idololatrarum, quæ quo ex loco conferatur illis beneficium nesciunt : at ego in laudem confessionis offeram oblationem meam coram te.* Hinc rursum apte ex Hebr. verti potest : *Qui custodiunt vanitates frustra, pietatem suam derelinquunt*, q. d. Qui suas sortes, sua idola, suas veneres frustra et in vanum colunt, hi impii et ingrati sunt in Deum à quo vitam, spiritum omneque bonum acceperunt et accipiunt. Hunc sensum postulat antithesis Jonæ, quæ sequitur:

10. Ego autem in voce laudis, id est, laudando te, immolabo tibi,] q. d. Idololatræ obliviscuntur Dei, à quo tot bona percipiunt; at ego non obliviscar, sed Eucharisticas preces et victimas illi offeram, atque quasi naufragus, et ex horribili naufragio ejectus, *uvida suspendam vestimenta* (quasi anathema) *potenti maris Deo.*

Pro salute Domino.] Ita et Septuag. Verum Pagnin. et Vatabl. vertunt : *Ita salus Domino*, id

est, ad Dominum spectat, q. d. Nullus præter Dominum salvare potest, uti ipse solus in ventre ceti me servat et salvat.

11. Et dixit (mandavit, ordinavit) Dominus pisci, et evomuit Jonam in aridam.] Censent nonnulli, ut Sulpitius, lib. Hist. in Jona, et insinuat S. Gregor. lib. 6. Mor. c. 12. verbis citatis cap. 1. 3, cetum evomuisse Jonam ad littora Ninivæ. Verum hoc repugnat chorographiæ, ex qua liquet Niniven abesse à mari centum leucis et amplius. Secundo, Josephus, lib. 9. Antiq. 11. et ex eo Clarius tradunt Jonam à ceto evomitum in Ponto Euxino, cui adjacet Constantinopolis. Verum et hoc incredibile videtur; nam spatio tridui quo Jonas fuit in ventre ceti, non potuit cetus tanta terrarum mariumque spatia peragrare. A Joppe enim usque ad Pontum Euxinum, interjacet tota Asia Minor: debuisset ergo cetus tranare totum mare Mediterraneum; inde omnes Cycladas; inde totum mare Ægeum, sive Archipelagum; inde Propontidem longam et anfractuosam; inde Bosphorum Thracium, ac sic ingredi Pontum Euxinum, quod iter nec tribus diebus, nec tribus septimanis, nec tribus mensibus confici potest. Longius abest à Joppe mare Rubrum, in quod ejectum Jonam Rabbini putant, sed falso, ut dixi v. 6.

Dico ergo Jonam ejectum juxta Joppen (unde solverat) in littus Phœniciæ et Syriæ, indeque terrestri itinere redisse in vicinam Judæam adiisseque templum in Jerusalem, ibique gratias Deo egisse, et vota sua persolvisse. Hoc enim tantum beneficium et miraculum ante omnia fieri poscebat. Rursus decebat eum ex terra sancta mitti et pergere in Niniven, non ex Ponto Euxino, ad hoc ut constaret eum esse Prophetam Dei veri, cujus solium æque ac Prophetæ erant in Jerusalem. Adde: ex Judæa in Niniven facilior et planior erat via; sola enim Mesopotamia interjacens transeunda erat; hæc autem plana est: ex Ponto vero Euxino transeundi erant montes ardui Armeniæ et Amanus, estque iter trecentarum leucarum usque ad Niniven. Ita Mariana et alii.

Allegor. Jonas absorptus à ceto, et tertio die sibi et terræ redditus, expressius quàm ullus Propheta, non verbo, sed facto repræsentavit passionem et resurrectionem Christi. Quocirca Christus eamdem probat et confirmat ex hoc Jonæ oraculo, Matth. 12. v. 40. Unde S. Hieron. *Quod autem*, inquit, *scribitur: Evomuit*, εμφαντικώτερον *debemus accipere, quod ex imis vitalibus mortis victrix vita processerit.*

Audi S. August. singula adaptantem, lib. 4. de Symbolo ad Catech. c. 6: *Missus Jonas ad civitatem Niniven ut ejus finem prædicaret, missus est Christus à Patre ut finem mundi omnibus demonstraret. Fugit Jonas in Tharsis à facie Domini, fuga Jonæ velox transitus Christi, de quo dicit Propheta: Exsultavit ut gigas ad currendam viam. Ascendit navem Propheta fugiens, lignum Christus ascendit per mare hujus seculi transiens. Irruit tempestas magna in mari; perturbatio maris, perfidia Judæorum. Data est sors ut Propheta fugitivus in mare mitteretur; sors data est super Christi vestimenta, ut unitas omni mundo prædicaretur. Projectus est è navi in mare Jonas, mors Christi in cordibus Gentium collocata est. Susceptus est à bestia Propheta custodiendus, non comedendus; audi hîc ipsius vocem Christi per sanctum David: Non derelinquens animam meam apud inferos, nec dabit sanctum tuum videre corruptionem. In ventre bestiæ marinæ positus oravit Jonas; sanctus in inferno Christus descendens mortuos suscitavit. Tertio die Propheta littori incolumis est redditus, die tertia Christus de sepulcro surgens super cœlos est exaltatus. Ad prædicationem Jonæ Prophetæ per pœnitentiam salvata est civitas, per Christi prædicationem sancta Jerusalem redempta est civitas.*

Eleganter quoque Eusebius Emissenus hom. 2. de Pascha, pag. 261, vel quisquis est auctor; nam homilias istas non esse Eusebii Emisseni Syri satis liquet ex stylo, qui non Syram, sed Latinam redolet phrasin, imo elegantiam. Baronius in Annot. ad Martyr. Rom. die 16. Novemb. opinatur esse Eucharii Lugdunensis, Bellarm. lib. de Script. Eccles. tribuit Fausto Regiensi, alii Cæsario, alii Maximo Taurinensi: Galesin. in Martyr. notat. 24. April. ascribit Eusebio Gallo. Certe ex ipsis homiliis liquet Auctorem fuisse Gallum ex monasterio Lirinensi, qui postea videtur creatus Episcopus. Hic ergo Auctor sic ait: *Jonas, iram Domini prædicaturus, ad magnam Ninivitarum destinatur urbem, dicturus: Post quadraginta dies, et Ninive subvertetur. Et Christus ad mundi mittitur civitatem, ut diem salutis et præfinitum judicii tempus adnuntiet. Jonas navem expetit, Christus Ecclesiam. Jonas fluctibus agitatur, et Christus mundi turbinibus exercetur. Nisi Jonas perditum detur, naufragæ navis periculum non sedatur; sic et non liberatur Ecclesia, nisi Christi morte salvetur. Nautæ, dimissuri Jonam, tamen verentur et dicunt: Domine, ne des super nos sanguinem innocentem; nonne nobis videtur nautarum imprecatio, Pilati esse confessio, qui tradit Christum, et tamen lavat manus suas, et dicit: Mundus ego sum à sanguine justi hujus? Quàm congrue per personam Gentilem fides Gentium prædicatur! Dicit itaque Jonas in oratione sua: Tolle igitur, Domine, animam meam, quia melior est mihi mors, quàm vita. Dicat hoc rebus Dominus noster Jesus Christus: Quia melior est mihi mors quàm vita, id est, vivens unam Judæorum gentem utpote incredulam salvare non potui: moriar ut universus mundus una morte salvetur.* Cætera deinde accommodans ita prosequitur: *Jonam cetus piscis excepit immersum, sed non contigit devoratum, et quem malitia hominum perdidit, bestia esuriens custodivit; plenus visceribus famem patitur, et in prædam quam absorbuit nil sibi licere miratur. Quis est iste qui intra avidos rictus assumi potest, consumi non potest? Cibus est, corruptio non est; traditur perditionis profundo, et servatur ipsius mortis obsequio. Quis est iste qui vastissimos sinus periculorum tutus ingreditur, et sub altitudine conclusus immensa atque mortifera, vitali aere pascitur, et demissus in alienam rerum naturam, in vitæ exsilio cum vita peregrinatur, in absolutione et conservatione gentis unius, et in Deo reconciliatione reparandi seculi gloriam naufragus præfert, et mortis suæ superstes, annuntiat venturam mundi salutem? Puto quod hic est Dominus noster Jesus Christus, quem sæva mors inexplebilis bellua in escam rapuit, et prædam suam captiva contremuit; contremuit, inquam nam etsi noverat crucifixum, tamen quem non meminerat reum, non poterat tenere damnatum: quia culpam non facit pœna, sed causa. Quasi solitum cibum perditum in mundi origine hominem devorabit; sed magnam esse cibi ipsius dignitatem præfocata cognovit. Atque ideo divinus sermo com-*

memorat : Et præcepit Dominus pisci, et evomuit Jonam in aridam. Præcepit ergo bestiæ, præcepit morti semper esurienti, præcepit abyssis et inferno, ut mundo restituant Salvatorem. Evomuit autem hoc debemus accipere, quod ex imis visceribus mortis victrix vita remeaverit, atque eum ex imis præcordiis inferni perditio exulcerata reddiderit. Vide et Petrum Chrysologum Archiep. Ravennatem serm. 37. qui totus est de Jona et Christo.

Tropol. S. Chrysost. hom. 25. de amore proximi, tom. 4, ex facto Jonæ docet Prophetam, id est, prædicatorem et virum Apostolicum, non debere quærere suum honorem, suam quietem, sua commoda, sed Dei gloriam, et salutem animarum, cum suo incommodo et periculo: Deus enim illi aderit, eumque à periculo non tantum salvum, sed et gloriosum quasi multorum salvatorem, educet. Jonas enim, fugiens periculum prædicationis et salutis animarum, incidit in propriæ vitæ periculum, utpote jactatus in mare. Idem vero, in navi commune periculum in se suscipiens, et se et navim salvavit. Fugit ergo ut homo, periculo vero sese obtulit ut Propheta, ait Chrysost. Idem cogitent et faciant qui vel à Deo, vel à Superiore mittuntur ad prædicandum hæreticis, Indis, Barbaris, ad audiendum confessiones, præsertim feminarum. Qua de re exstat illustre exemplum apud Palladium in Lausiaca c. 35. de Abbate Elia, qui, cùm trecentis monialibus præesset, ideoque sentiret stimulum carnis, præfectura earum se abdicavit; sed à tribus angelis eum in visione castrantibus jussus eam resumere, deinceps per quadraginta annos earum curam gessit cum tanta quiete et castitate, ut nunquam libidinis tentationem senserit. Nostræ Societatis fundator S. Ignatius dicebat : *Si Deus mihi optionem daret vel illico moriendi, et eundi ad cœlum, vel adhuc vivendi, et ejus gloriam promovendi, sed cum meæ salutis incertitudine et periculo; eligerem adhuc vivere et Dei gloriam promovere; quia non dubito quin Deus omne hoc periculum, quod ejus amore despicio, in se susciperet, illudque mihi longe magis assecuraret.* S. Xaverius in Mauricas insulas proficiscens, cum amici ei hoc iter dissuaderent, proponerentque pericula æstus, famis, barbarorum incolarum, qui ferro et veneno sæviebant, etiam in suos; respondit longe magis periculum sibi creari, si Deo ad eas vocanti non obediret. Profectus ergo, in una urbe Tolo 25 hominum millia Christo adjunxit, tantaque animi lætitia perfruitus est, ut inde scribens dicat : *Hæc omnia pericula et labores unius Dei causa sponte suscepti, thesauri sunt divinis maximisque gaudiis refertissimi, ut hæ insulæ imprimis appositæ ad oculorum aciem ex jucundissima lacrymarum ubertate perdendam esse videantur. Equidem nunquam me tot, tantis, ac tam continuis animi voluptatibus circumfluere memini, prorsus ut omnem laborum et ærumnarum sensum obruant.* Nimirum sentiebat illud psal. 93. 22 : *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Et illud psal. 22. 4 : *Nam etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Ita refert in ejus Vita Tursellin. l. 3. c. 2 et 3. Ratio est prima, quia cum Deus aliquem vocat ad officium, vel statum, cujus institutum est vacare saluti proximorum, simul dat gratiam et media ad hunc finem non tantum necessaria, sed et commoda ac opportuna. Hoc enim poscit ejus providentiæ suavis et exacta dispositio. Ita sponsam, id est Ecclesiæ viros primarios, vocat Cant. 2 : *Surge, propera, amica mea.* Quò? *haud dubie ad lucra animarum*, ait S. Bernard. serm. 57 et 58. in Cant. Iis enim sponsus dicit id quod Absalon suis servis ait : *Nolite timere, ego enim sum qui præcipio vobis*, 2. Reg. 13. 28. Hoc sciebat S. Paulus, qui proinde intrepidus inserebat se periculis dicens : *Sufficientia nostra ex Deo est, qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti*, 2. Corinth. 3. 5. Potens est enim Deus nos omni periculo eripere, uti eripuit Davidem psal. 5. 13 : *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos;* et S. Paulum 2. Cor. 1. 4, et Danielem de lacu leonum, et tres pueros de fornace Babylonia, et Jonam de ventre ceti.

Secunda, quia majus à Deo judice nobis instat periculum, si ejus vocationem fugiamus, uti fecit Jonas; si ejus talentis nobis concreditis ad ejus voluntatem et gloriam non utamur. Nota est parabola servi defodientis talentum, qui damnatus à Domino audivit : *De ore tuo te judico, serve nequam, etc. quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam?* Lucæ 19. 22. de quo vide S. August. l. de Fide et oper. c. 17. Huc facit illud S. Ambrosii lib. 1. Offic. c. 3 : *Videamus ne reddamus rationem pro otioso silentio. Est enim et negotiosum silentium*, uti fuit in Susanna silenter Deum invocante, Daniel. 13. 35 : *Et est silentium otiosum*, uti est eorum qui tenentur loqui, docere, corripere, exhortari alios. Sicut ergo libertas libertate perit, quies quiete, otium otio; ita ex adverso periculum non nisi periculo propulsatur, ac pax inter hostes non nisi bello paratur, et otium negotio.

Evomuit.] Hæc vox significat Jonam ita gravasse, arctasse, impedisse respirationem, et afflixisse ventrem ceti, ut coegerit eum evomere, sicut stomachus cibum noxium à quo lancinatur et affligitur, cum violentia rejiciens evomit. Ita Christus descendens in mortem et infernum ita ea afflixit, ut non tantum coegerit ea se removere, sed etiam ut ea occiderit, perinde ac ichneumon per os intrans in ventrem crocodili, eum erodit et occidit, teste Plinio lib. 8. c. 25. Hoc est quod ait Osee 13. 14 : *Ero mors tua, ô mors; morsus tuus ero, inferne.*

Ex hoc loco censent nonnulli Jonam fuisse unum è Sanctis qui resurrexerunt cum Christo, ac cum eo tam in corpore quàm in anima gloriosi ascenderunt in cœlum, Matth. 27. 52. Si enim Adam, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Moses, David, Job resurrexerunt; ergo et Jonas. Nam ipse præ cæteris solus resurrectionem Christi tertio die futuram prophetavit, et reipsa repræsentavit, dum tertio die è ventre ceti, quasi è sepulcro redivivus surrexit. Ipse ergo aptissimus erat testis resurrectionis Christi, poteratque dicere Judæis : Ego sum Jonas, qui olim resurrectionem Christi prædixi, ac proinde missus sum à Deo ut idipsum jam peractum esse tester. Testor itaque hunc esse Christum à me prænuntiatum, eumque vere tertio die à morte suscitatum esse, sicut ego tertio die è ventre ceti suscitatus sum, ut hanc ejus suscitationem præfigurarem. Ita Pineda in Job, c. 19. 26. ubi ex illis verbis Job : *Et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum salvatorem meum*, probabiliter colligit Job resurrexisse cum Christo. Hic enim est Jesus, id est salvator, quem se visurum prædicit,

ob meritum tot tantarumque afflictionum, quibus Christum patientem repræsentavit.

Anagog. ex Jona è ceto redivivo probat resurrectionem corporum S. Irenæus, l. 5. contra hæres. c. 5. et l. 3. c. 22, ubi simul ex eodem ostendit magnificentiam Dei per fici in infirmitate et obedientia hominis: *Sicut enim*, inquit, *patienter sustinuit absorberi Jonam à ceto, non ut absorberetur et in totum periret, sed ut evomitus magis subigeretur Deo, et plus glorificaret Deum, qui insperabilem salutem ei donasset; et firmam pœnitentiam faceret inimicis ut converterentur ad Dominum, qui eos liberaret à morte, conterritos ab eo signo quod factum erat circa Jonam, quemadmodum Script. de his dicit: Et reversi sunt unusquisque à via sua mala, etc. Sic ab initio patiens Deus hominem absorberi à magno ceto, qui fuit auctor prævaricationis, non ut absorptus in totum periret, sed præstruens et præparans ad inventionem salutis, quæ facta est à Verbo per signum Jonæ his qui eamdem cum Jona de Deo sententiam habuerunt, et confessi fuerunt et dixerunt: Servus Domini ego sum, et Dominum Deum cœli ego colo; ut insperabilem homo à Deo percipiens salutem, resurgat à mortuis et clarificet Deum, etc.* Et inferius: *Hæc ergo fuit magnanimitas Dei, ut per omnia pertransiens homo, et morum agnitionem percipiens, dehinc veniens ad resurrectionem, et experimento discens unde liberatus est, semper gratus existat Domino. Cognoscat autem semetipsum, quoniam mortalis et infirmus est; intelligat autem et Dominum, quoniam in tantum immortalis et potens est, et ut mortali immortalitatem, et temporali æternitatem donet.* Sic et Tertull. lib. de Resurrect. carnis, c. 58, eamdem probat exemplo Jonæ, qui vixit in alvo ceti: *In quo*, inquit, *naufragia digerebantur;* et trium puerorum, qui in fornace Babylonia ab igne manserunt illæsi; atque Eliæ et Enoch: *Qui*, ait, *necdum resurrectione dispuncti, quia nec morte functi; et hoc ipso jam æternitatis candidati, ab omni vitio, et ab omni damno, et ab omni injuria et contumelia immunitatem carnis ediscunt, cuinam fidei testimonium signant, nisi qua credi oportet hæc futuræ integritatis esse documenta?* Quocirca Jonæ in ceto sepulto, indeque resurgenti similis fuit S. Maternus, S. Petri discipulus, qui ab eo missus cum S. Euchario et Valerio Trevirim ad evangelizandum, in ipso itinere Helli apud Selestadium febri valida correptus defunctus est. Socii ad S. Petrum regressi ab eo baculum acceperunt, quem S. Materno quadragesimo die à morte applicantes, eum resuscitarunt; ac postea ipse totidem annis supervixit, fuitque Apostolus et Episcopus Trevirensium et Coloniensium, quot diebus jacuerat in sepulcro, puta quadraginta. Ita habet ejus Vita, et Chronica Leodiensium, et Otho Frising. l. 3. Chron. c. 15, qui tamen pro diebus 40 ponit 33. Sicut ergo Jonas è ceto ejectus 40 diebus Ninivitis, ita S. Maternus resurgens 40 annis prædicavit Trevirensibus, aliisque Germanis et Gallis pœnitentiam.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

JONAS PRÆDICAT: ADHUC QUADRAGINTA DIES, ET NINIVE SUBVERTETUR. NINIVITÆ CUM SUO REGE AGUNT POENITENTIAM IN JEJUNIO, CILICIO ET CINERE. HINC DEUS EIS PARCIT.

1. ET factum est verbum Domini ad Jonam secundo dicens: 2. Surge, et vade in Niniven civitatem magnam; et prædica in ea prædicationem, quam ego loquor ad te. 3. Et surrexit Jonas, et abiit in Niniven juxta verbum Domini: et Ninive erat civitas magna itinere trium dierum. 4. Et cœpit Jonas introire in civitatem itinere diei unius, et clamavit et dixit: Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur. 5. Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum: et prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis à majore usque ad minorem. 6. Et pervenit verbum ad regem Ninive: et surrexit de solio suo, et abjecit vestimentum suum à se, et indutus est sacco, et sedit in cinere. 7. Et clamavit, et dixit in Ninive ex ore regis et principum ejus, dicens: Homines, et jumenta, et boves, et pecora non gustent quidquam: nec pascantur, et aquam non bibant. 8. Et operiantur saccis homines, et jumenta, et clament ad Dominum in fortitudine, et convertatur vir à via sua mala, et ab iniquitate, quæ est in manibus eorum. 9. Quis scit si convertatur et ignoscat Deus: et revertatur à furore iræ suæ, et non peribimus? 10. Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala: et misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat ut faceret eis, et non fecit.

1. ET FACTUM EST VERBUM DOMINI AD JONAM SECUNDO.] Videtur Jonas è ceto liberatus statim adiisse Jerusalem et templum, ut vota sua Deo solveret: simul sperabat Deum hac sua pœna

et pœnitentia contentum fore, nec amplius ursurum ut pergeret in Niniven; cum ecce secundo Deus eum mittit, aitque:

2. SURGE, ET VADE IN NINIVEN, ET PRÆDICA PRÆDICATIONEM (minas excidii) QUAM EGO LOQUOR;] Septuag. *locutus sum*, c. 1. 2.

Allegor. sicut Jonas è celo quasi resurgens prædicavit Ninivitis, ita Christus post resurrectionem suam per Apostolos prædicavit Gentibus. Ita S. August. cujus verba recitavi c. 2. v. 11.

3. ET NINIVE ERAT CIVITAS MAGNA.] Hebr. et Septuag. *magna Deo;* Chald. *magna coram Domino*, id est revera magna, et *magna valde*, ut vertit Pagnin. magnum enim est, non quod hominibus qui parva mirantur, sed quod Deo Opt. max. magnum videtur; ideoque Deus tanti Niniven ejusque salutem fecit, ut ea de causa eò miserit Jonam, et pœnitenti pepercerit, uti ipse ait c. 4. 11. Ita Theodor. Errat suidas verbo *Semiramis*, ubi ait Niniven eamdem esse urbem cum Babylone. Ninive enim fuit regia Assyriorum, adjacens Tigri; Babylon Chaldæorum, adjacens Euphrati. S. Hieron. vertit: *Ninive erat magna Dei*, id est maxima. Quæ enim Dei sunt, maxima sunt: sic vocantur cedri et montes Dei, id est maximi et altissimi. Aliter à Castro. *Dei*, inquit, id est divina, hoc est omnibus numeris absoluta, sicut Deo nihil deest, isque absolutus et perfectus quaquaversum est.

ITINERE TRIUM DIERUM.] Ita et Syrus, et Arabicus uterque. Primo, S. Hieron. Haymo et Remigius id accipiunt de circuitu Ninives. Erat enim, inquit S. Hieron. *tanti ambitus ut vix trium dierum posset itinere circumiri.* Secundo, q. d. Itinere tridui opus erat ad hoc, ut quis omnes ejus vicos et plateas perambularet. Unde ex Hebr. verti potest: *Ninive erat trium dierum perambulationis.* Ita Theophyl. Lyran. Vatab. et alii. Verum hoc exilius videtur, quàm ut ob id Ninive vocetur civitas magna Dei, cum etiamnum multæ sint urbes non adeo magnæ, quæ tot habent flexus et reflexus; tot plateas, vicos, fora, templa, circos, montes, etc. ut si quis omnia hæc lustrare velit, facile triduum impendat.

Hinc tertio, Sanchez et alii censent Niniven, puta urbem cum suburbiis, quæ utrimque longissima esse solent in magnis urbibus, fuisse tantam, ut ad eam ab uno extremo ad aliud directa via pervadendam, opus fuerit itinere tridui. Hoc enim plane significant hæc verba: *Ninive erat civitas magna, itinere trium dierum*, scilicet eundo ab uno extremo per medium ad aliud extremum. Unde et *cœpit Jonas introire in civitatem itinere diei unius.* Nota τὸ *cœpit introire*, scilicet in directum, non per flexus et reflexus viarum, multo minus per circuitum murorum; non enim in muris, sed in plateis urbis prædicabat Jonas. Fuit enim Ninive major Babylone, cæterisque urbibus omnibus quæ ante, vel post eam conditæ sunt, ait Ptolem. et Strabo, ideoque vocatur *civitas magna Dei.* Hinc et Diodorus Sicul. l. 3. c. 1. ait eam, cum à Nino primum condita est, habuisse in circuitu stadia 480, id est, milliaria 60, quæ conficiunt leucas Gallicas 20; muros altos fuisse 100 pedibus, et adeo latos, ut tres currus simul per eos incedere possent. Si tempore primæ conditionis suæ habuit in ambitu leucas viginti, quot habuit post centum, ducentos, trecentos annos, quibus semper accrevit Monarchis orbis in ea residentibus? Demus habuisse viginti circiter leucas in directo transitu, habuerit iter tridui: pedestre enim iter diurnum est septem leucarum. Adde nonnullas fuisse urbes, quæ longæ erant iter tridui: ergo magis id tribuendum Ninivæ, quæ fuit maxima. Antecedens patet primo in Roma, *cujus muros Aurelianus*, inquit Vopiscus in ejus Vita, *sic ampliavit ut quinquaginta prope millia murorum ejus ambitus teneant.* Si circumferentia murorum Romæ erat quinquaginta milliarium (milliare faciunt mille passus); ergo diameter, quæ est quasi tertia pars circumferentiæ, erat septemdecim circiter milliarium: ergo longitudo (hæc enim est diameter) Romæ, à porta in portam per medium urbis, erat septemdecim milliarium, id est sex fere leucarum, quod est fere iter unius diei. Jam adde suburbia, quæ utrimque tanta, imo majora erant, habebis Romam cum suburbiis iter tridui et amplius complexam esse. Certe Plinius de Roma ait, *exspatiantia tecta multas urbes addidisse, Tybur* (quod Roma distat pene octodecim milliaribus, id est sex leucis), *Ocriculum, Ariciam.* Rursum *Nero*, ait Sueton. *ostia tenus mœnia promovere, atque inde fossa mare veteri urbi inducere* destinarat, etsi non perfecit: Ostia à Roma distat quindecim milliaribus. Insuper Dionys. de suo ævo scribit *omnia loca circa urbem habitata sine mœnibus esse, in quæ si quis intuens magnitudinem Romæ exquirere velit, frustra eum laboraturum, et hæsurum ubi desinat urbs, ubi incipiat. Adeo suburbana*, inquit, *ipsi urbi adhærent et innexa sunt, et speciem immensæ longitudinis exhibent spectanti.* Sume vel suburbia via Flaminia Ocriculum usque, iter est integræ diei; sume ex adversa parte via Appia versus Neapolim, tantumdem, imo amplius (illa enim via ob Campaniæ delicias erat habitatissima, ut patet ex via Appia silice ingenti strata Neapolim usque), facile in Roma et suburbiis invenies iter tridui. Quocirca à suburbiis tam late patentibus, denominatæ videntur Suburbicariæ regiones; ita enim vocabantur omnes quæ vicinæ Romæ, intra centesimum ab ea milliare continebantur, uti erudite docet noster Sirmondus lib. de hac re, p. 1, cap. 5. Hinc Lucanus asserit Romam

> Populis victisque frequentem
> Gentibus, et generis, coeat si turba, capacem
> Humani.

Et alius:

> Una domus urbs est, urbs oppida pluria claudit.

Lampridius scribit Heliogabalum servis imperasse ut omnes araneas colligerent in urbe, atque eos collegisse ad decem millia pondo, additque Heliogabalum subjecisse: *Vel hinc intelligendum quàm magna Roma esset.* Rursum Lipsius, lib. 3. de Magnit. Rom. c. 3, clare probat Romæ fuisse facile quatuor milliones hominum, ut paulatim Italia deserta esset, cum, ut queritur Varro, multi mallent *manus movere in theatro, quàm in aratro.* Idem Lipsius, lib. 2. c. 7. ex lapide Ancyrano, docet sub Augusto censa esse *civium Romanorum capita quadragies centum millia*, id est quatuor milliones, et insuper *sexaginta millia.* Sub Claudio vero Tacitus et alii accensent *sexagies novies centena*,

et sexaginta quatuor millia, id est pene septem milliones. Cogita quanta fuerit urbs, quæ tot capiebat incolas, cum Mediolanum, Neapolis, Venetiæ, aliæque amplæ urbes vix contineant tertiam millionis partem, puta trecenta millia civium.

Secundo, urbs Tartariæ, quæ *Quinzai* dicitur, complectitur iter trium dierum, et multo amplius. Nam id asserit M. Paulus Venetus oculatus testis lib. 2. de Rebus Orient. c. 64, et ex eo Ortelius in Theatro orbis in Tartaria: *Scribit*, inquit, *M. Paulus, quem circa annum Domini* 1260. *ibidem habitasse constat, Quinzai centena milliaria in gyro comprehendere. Idem Odericus asserit. Pontes lapideos habet duodecim millia, eosque tam altos, ut naves magnæ erecto malo subter eos transeant. Magnus Cham ibi stativum præsidium triginta millium habet, urbs admodum magnifica est et amœna: inde nomen quoque adepta est, cum Quinzai cœli civitas interpretetur.* Idem, et ex eo Lipsius loco citato scribit Quinzai famosum continere sexcenta millia familiarum. Idem M. Paulus, cap. sequenti, ait tributum quod ex regno Quinzai annuatim magno Cham penditur, ascendere, sale tamen excepto, ad quindecim millia millium aureorum, atque sexcenta millia, quæ summa immanis est et inaudita.

Minor est Chambalu, id est regia, vel sedes Cham, id est, principis (sic enim Tartari suum principem et imperatorem vocant) quæ, ut scribit M. Paulus lib. 2. de Rebus Orient. cap. 10. 24 milliaria Italica in ambitu habet. Alii dant ei 20, alii 32. Noster Nicol. Trigautius lib. 4. de Rebus Sinar. c. 3. et l. 5. c. 12. validis conjecturis contendit Chambalu esse Pechinum, quæ est regia regis Sinarum, et Cataium esse regnum Sinarum.

Tertio, Babylon, inquit Diodorus lib. 2. Biblioth. cap. 4, in circuitu habebat stadia 360, id est, milliaria Italica 45, leucas Gallicas quindecim. Altera Babylon in Ægypto, sive Memphis, quæ nunc Cayrus dicitur, Lutetiam Parisiorum quinquies magnitudine superat, inquit Ortelius, et per Nili ripas latissime diffunditur, adeo ut Selymus Turcarum Imperator eam à suis licet expugnatam, anno Domini 1516, ingredi non sit ausus. De eadem scribit Aristot. in Polit. l. 3. c. 2. quod, cum expugnata esset, hostesque primam urbis partem obtinerent, illi qui ex alia parte urbis habitabant, tertio die nescierint urbem esse captam.

Thebæ in Ægypto, testibus Homero, Plinio, Strabone, Pomponio et aliis, centum portas, vel, ut alii volunt, centum aulas habuerunt: totidem olim principum domos, solitæque singulæ, cum opus erat, decem armatorum millia effundere. Celebratur et Moscua à magnitudine et multitudine domorum. Sigismundus Liber scribit earum numerum fuisse 41500. Celebrantur et Parisii, ubi suburbiorum hodiernæ ruinæ octo leucarum ambitum superant. In America magnitudine excellunt urbes Temixtitan et Panama.

Quod si cui iter tridui in unius urbis Ninive diametro longitudinis nimium videtur, is adjungat aliam diametrum latitudinis, quæ priorem secat, et cum ea facit quasi crucem. Magnitudo enim urbis Romæ, v. g. ex duabus lineis diametralibus sese intersecantibus, petenda videtur; una esset quæ duceretur à Vaticano, et terminaretur in porta Pia, qua itur ad S. Agnetem; altera duceretur à porta *del popolo*, et terminaretur in porta *Capena*, qua itur ad S. Sebastianum. Id congruentius de Ninive dicatur, eo quod ipsa non rotunda fuerit, sed quadrangula, ac proinde ex duabus diametris sese ad angulos rectos intersecantibus, quarum extremæ terminantur in quatuor quadrati angulis, ejus magnitudo, id est longitudo et latitudo, dimetienda videatur. Sane Aristot. 3. Polit. c. 2. indicat aliquas urbes adeo esse magnas, ut non tam urbes, quàm regiones muris circumdatæ dici debeant.

Mystice, Ninive continens iter trium dierum repræsentat tres mundi partes, Asiam, Africam, Europam, quas noster Jonas, id est Christus, per se et per Apostolos obeundo, ad pœnitentiam et salutem convertit.

Tropol. vide quanta sit mutabilitas et vanitas rerum humanarum. Ecce Ninive olim maxima, ditissima et superbissima urbs! jam adeo sepulta jacet, ut quæratur quo loco exstiterit. Quare Niniven veterem vix invenies, nec nisi rura et rudera: *Et campos ubi Troja fuit.* R. P. Joannes Antonius Marietti, qui ante quinquennium missu Summi Pontificis Syriam et Mesopotamiam obivit, Romæ mihi narravit se fuisse in civitate adjacente Tigri, nomine *Mussal*, quam indigenæ dicebant esse Niniven, indeque non procul ostendebant sepulcrum Jonæ (quod magno Christianorum undique confluentium concursu et devotione visitari asserebant) adeo longum et latum, ut ex eo colligere liceat Jonam pene fuisse gigantem. Insuper ingentes ibi cerni murorum reliquias, veteris amplitudinis indices. Porro urbem à Christianis, Turcis atque Arabibus incoli, Armenos tamen ita ob rebellionem Turca attenuavit, ut urbs jam et mœnibus careat, et ex quinque domibus vix duæ vel tres inhabitentur. Fieri potest ut veteri Ninive diruta, juxta eam nova sit condita, dictaque Mussal; uti Hierosolymæ, Tyro, Tusculo, quin et Romæ ex parte contigit, quamquam ignoremus an vetus et certa sit illa indigenarum Mussal traditio. Sane sepulcrum Jonæ non in Ninive, ut ipsi asserunt, sed in Palæstina exstare docent Epiphan. Doroth. et Isidor. in vita Jonæ, uti dixi in Prooemio; nisi dicas Ninivitas hoc sepulcrum Jonæ, licet alibi defuncto et sepulto, erexisse quasi mausolæum, ad perpetuam tanti viri memoriam. Sed esto Mussal sit eadem urbs cum Ninive veteri, nihil illa habet veteris ejus magnitudinis et magnificentiæ. Idem est de Babylone, de Tani, de Ecbatanis, aliisque potentissimis olim urbibus. Sic transit gloria mundi, sic transeunt urbes, sic transeunt reges, sic transeunt homines. Platina in Felice II. Pontif. refert Constantium filium Constantini magni Imper. dum post susceptum imperium cum triumpho Romam aureo carpento ingrederetur, cives obviam factos veneratum esse, ac dictitasse illud Cyneæ Pyrrhi legati verum esse: *Tot se videre reges in urbe Roma quot cives;* visis deinde palatiis, Pantheo, templis, columnis, aquæ-ductibus, arcubus triumphalibus, etc. obstupuisse, ac tandem dixisse *naturam vires omnes in urbem effudisse.* Mox Hormisdam architectum suum interrogasse quid de Roma sentiret, qui id tantum sibi placere respondit, *quod didicisset Romæ æque mori homines ac alibi*, ut Philoso-

phum decebat locutus. Vere Seneca : *Æquat omnes cinis; impares nascimur, pares morimur.* Quocirca sapienter monet S. Chrysost. hom. 32. in epist. ad Hebr. in morali, ut ædes ædificemus non in terris mox casuras, sed in cœlis in æternum duraturas : *Nemo, inquit, in civitate quæ casura est sanæ mentis ædificat. Non ædificemus in hoc mundo; post paululum enim casurus est, et cuncta perditum ibunt. Et quid dico quod mundus casurus est? Nos ipsi ante ruinam ejus peribimus, et tormenta sæva patiemur,* etc.

4. Cœpit Jonas introire civitatem itinere diei unius.] *Jonas,* inquit S. Hieron. *præcepti et superioris naufragii memor, viam trium dierum, unius diei festinatione complevit.* Quod dictum S. Hieron. dupliciter accipi potest. Primo, q. d. Jonas distans à Ninive itinere trium dierum, ut Deo celerrime obediret, totum hoc iter uno die peregit, eodemque die quo ex loco ubi eum cetus evomuit discessit, pervenit, appulitque Niniven. Secundo, q. d. Jonas adeo festinanter obivit concionando totam Niniven, ut uno die eam peragrarit, cum alii ad id exigant triduum. Verum neuter sensus huic loco congruit. Non prior, quia littus Phœnicium, ubi à ceto ejectus est Jonas, distat à Ninive trecentis leucis : quod iter est ut minimum triginta dierum. Si cum Josepho dicas eum ejectum in Pontum Euxinum, respondeo : Hic Pontus à Ninive distat centum triginta leucis, idque per arduos montes ; ergo ab ea distat itinere tredecim dierum ut minimum. Non posterior, tum quia dicitur : *Cœpit introire civitatem ;* ergo ipse tunc vias ejus non complevit, nec peragravit, sed peragrare cœpit ; tum quia juxta illam expositionem dicendum fuisset : Jonas peragravit civitatem die uno. Jam vero non hoc, sed oppositum dicitur, scilicet : *Cœpit Jonas introire civitatem itinere diei unius.* Quocirca aliam meliorem interpretationem subdit S. Hieron. dicens : *Quamquam sint qui ita simpliciter intelligant, quod in tertia tantum urbis parte prædicaverit, et ad reliquam confestim prædicationis sermo pervenerit.* Sensus ergo est, q. d. Jonas ingressus est primam urbis partem, quæ uno die poterat pertransiri : Jonas tertiam urbis partem prædicans obivit, ejusque vicos et plateas concionando lustravit. Ita Remig. Albert. Hugo, Lyran. Accedunt Theodor. Vatabl. Arias et à Castro. Verum hi censent Jonam non recta via processisse, sed per flexus platearum gyrasse, vicosque obliquos obeundo circumcirca prædicasse.

Adhuc quadraginta dies.] Ita Hebr. Chald. Aquila, Symmach. et Theodotion. Quare versio Septuag. quos sequitur Orig. Chrysost. et alii Græci, atque Arabicus Alexandrinus, depravata est. Habet enim : *Adhuc tres dies ;* forte librarii τεσσαρακοντα, id est quadraginta, scripserunt per abbreviationem ; unde alii describentes legerunt scripseruntque τρεις, id est tres. Aut per ciphras, puta per litteras, scripserunt μ, quæ index est quadraginta, et eroso, vel minus apparente altero ejus apiculo, pro μ legerunt γ gamma, quæ index est trium : præsertim quia præcessit mentio trium dierum (hoc enim erat iter Ninive) quos confusione specierum, vel trajectione oculorum putarunt descriptores esse eosdem cum hisce diebus prædicationis Jonæ. Magna enim scriptorum aliquorum est ignorantia, magna aliorum oscitantia, magna aliorum in tantis voluminibus describendis fatigatio, ut facile unum pro alio supponant et scribant, uti egomet in dies experior. Aliqui censent Jonam per singulos dies minuisse numerum ; nimirum primo die prædicationis suæ dixisse : Adhuc quadraginta dies; secundo : Adhuc triginta novem dies ; tertio : Adhuc triginta octo dies, et ita consequenter, donec perveniret ad tres ultimos, tuncque dixisse : *Adhuc tres dies,* etc. scilicet : *Exspectabo vos, nam sitis pœnitentiam acturi,* ait Isidorus Pelus. lib. 4. epist. 149, idque ex traditione scivisse Septuag. et hîc exprimere voluisse. Verum hæc conjectura dissonat à textu, qui constanter habet : *Adhuc quadraginta dies;* et incerta est, nec admodum probabilis. Non enim videntur Ninivitæ usque ad ultimos tres dies distulisse pœnitentiam. Quocirca prudenter Theodor. *Credibile est,* inquit, *etiam Septuaginta concordem aliis posuisse numerum* (quadraginta), *sed qui initio scripserunt errasse in hoc, ac deinceps in omnia exemplaria permanasse errorem.* Porro S. August. lib. 18. de Civit. c. 44. censet genuinam lectionem esse : *Adhuc quadraginta dies;* Septuag. vero vertisse : *Adhuc tres dies,* ut mysterium quod hîc latet de Christo significarent : *Sive,* inquit, *per quadraginta dies, sive per triduum, idem ipse significatus est Christus, per quadraginta scilicet, quia tot dies peregit cum discipulis suis post resurrectionem suam, et ascendit in cœlum : per triduum vero, quia die tertio resurrexit, q. d. In quadraginta diebus ipsum quære, in quo et triduum poteris invenire : illud in ascensione, hoc in ejus resurrectione reperies : quorum unum per Jonam Prophetam, alterum per Septuaginta Interpretum prophetiam, tamen unus atque idem Spiritus dixit.* Hac forte de causa S. Justinus contra Tryph. utramque lectionem junxit et commiscuit. Legit enim : *Adhuc quadraginta tres dies,* etc.

Allegor. Jonas est Christus, Ninivitæ sunt Judæi. Ninive est Jerusalem, quæ quadragesimo anno à prædicatione Christi eversa est à Tito et Romanis. ita Euseb. in Chron.

Mystice, numerus quadragenarius est symbolum pœnitentiæ, de quo subtiliter philosophatur S. August. l. 2. de Doctr. Christ. cap. 16. Hinc S. Gregor. in inguinaria lue et mortalitate Romana, qua exstinctus est Pelagius Papa, cui Gregorius in Pontificatu successit, hortatus est populum ad pœnitentiam exemplo Jonæ et Ninivitarum, publicasque litanias, easque septemplices indixit; quibus placatus Deus pestem stitit. Angelus enim stans in mole Adriani (ubi etiamnum ejus locus et imago visitur, indeque moles hæc vocatur Castellum S. Angeli) evaginatum gladium, quo cives feriebat, visus est in vaginam recondere; ac quacumque in processione inferebatur imago B. Virginis, aer crassus, pestilens et flammeus videbatur dissipari, purgari et serenari. Exhortationem ejus ad verbum refert Joannes Diaconus in ejus Vita lib. 1. cap. 40, ubi inter multa ait : *Veternosas namque Ninivitarum culpas triduana pœnitentia abstersit. Mutemus igitur corda; citius ad precem judex flectitur, si à pravitate sua petitor corrigatur. Proinde cum contritione et correctis operibus crastina die ad septiformem litaniam devota cum lacrymis mente veniamus; qui simul omnes peccavimus, simul omnes mala quæ feci-*

mus deploremus, ut districtus judex dum culpas nostras nos punisse considerat, ipse à sententia propositæ damnationis parcat. Rursum S. Petrus, ex Ordine S. Dominici, eminens prædicator et Martyr anno Domini 1252. Aprilis die vigesima nona, qua Ecclesia in Officio divino ejus festum celebrat, in suis concionibus jugiter hoc thema proponebat : *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur,* iisque tanto ardore et spiritu populum incendebat, ut omnes passim pœnitentiam agerent, eamque publicam. Dicebat enim : Tu, ô Mediolanum, tu, ô Parma, tu, ô Cremona, es altera Ninive; si non agas pœnitentiam tuorum scelerum, illico videbis tuam ruinam : flagellum Dei imminet tibi; converte te ad Deum, et age pœnitentiam. Docet ergo hîc Jonas, et ex eo S. Greg. et S. Petrus Martyr, concionatores populo debere proponere minas et terrores iræ Dei, mortis, judicii, gehennæ, iisque acriter urgere peccatores ad pœnitentiam et odium peccati, ut eas evadant, Deumque sibi concilient. Hi enim sunt mallei conterentes petras. Alii oratores sunt quasi musici, quia aures duntaxat mulcent et scalpunt.

Et Ninive subvertetur,] cum regno et monarchia Assyriorum, quæ transferetur ad Nabuchodonosor et Assuerum, ut habent Septuag. Tobiæ 14. 6, id est ad Babylonios et Medos, uti patebit Nahum 2. 8; unde Joseph. l. 9. Antiq. 11: *Jonas,* ait, *in medio civitatis prædicavit, quia post brevissimum tempus Asiæ principatum perderent.* Nota : Hæc Jonæ prophetia fuit comminatoria et conditionata, q. d. Ninive subvertetur, nisi pœnitentiam egerit, nisi mutet mores, itaque impetret à Deo hanc excidii sententiam tolli aut suspendi; sicut de facto ejus non sublationem, sed suspensionem impetravit, uti dixi in Proœmio. Ita Orig. hom. 1. de pœnitent. S. Hieron. hîc, S. Gregor. 19. Moral. 18, S. Thomas, 1. p. q. 19. art. 7. et alii. Aliter respondet S. Gaudentius tract. 3. ad Neophitos : *Adhuc, triduum, et Ninive evertetur.* Verum, inquit, prædixit : *nam eversa est iniquitas ejus, quia pœnituit. Sicut distat cœlum à terra, dicit Deus hominibus, ita distant sensus mei à sensibus vestris, et cogitationes meæ à cogitationibus vestris,* Isaiæ 55. Sensus ergo est : Ninive, non urbs, sed ejus iniquitas subvertetur, ut sit alia piaque Ninive. Verum hoc tropologicum est, non litterale. Sic anno Domini 396, Arcadio Imper. ait S. August. de excidio urbis, c. 6 : *Constantinopoli volens Deus terrere civitatem, et terrendo emendare, terrendo convertere, terrendo mundare, terrendo mutare, servo cuidam suo fideli viro militari venit in revelatione, et dixit ei civitatem venturo de cœlo igne perituram, eumque admonuit ut Episcopo diceret : dictum est : Non contempsit Episcopus, et allocutus est populum. Conversa est civitas in luctum pœnitentiæ, quemadmodum quondam illa antiqua Ninive,* etc. Narrat deinde quomodo per pœnitentiam hasce minas evaserit.

5. Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum,] id est Deo. Nota : Hebræis credere in Deo, vel credere in Deum, idem est quod credere Deo; uti recte observavit Ribera. Unde hebr. באלהים ויאמינו *iaaminu belohim*, tribus modis, sed idem significantibus vertas, scilicet : primo, *crediderunt in Deum;* secundo, *crediderunt in Deo;* tertio, *crediderunt Deo.* Est enim *beth* contactus, quo utuntur Hebræi, ut dicant tangere in manu, id est tangere manum : Credere in Deo, vel Deum, id est credere Deo. Latinis tamen credere in Deum efficacius est, et plus significat, quàm credere Deo; nimirum non tantum fidem, sed et spem ac fiduciam omnem cum amore conjunctam collocare in Deo; se resque suas curæ Dei committere, sua omnia in fidem Dei resignare, salutem suam Deo credere. Ita hîc Ninivitæ, credentes prædicationi Jonæ, crediderunt per fidem Deum Hebræorum, quem prædicabat Jonas, esse verum Deum, ac proinde vera esse hæc Jonæ oracula, vereque evertendam Niniven, nisi pœnitentiam agerent. Consequenter sperarunt in Deum, quod eos ad pœnitentiam admitteret, et pœnitentibus parceret, eosque in gratiam reciperet; nisi enim hanc spem habuissent, nunquam tam arduam pœnitentiam suscepissent.

Quæres : Quo argumento moti sunt Ninivitæ ut crederent Jonæ? Imprudens enim et temerarius est, qui sine ratione et fundamento credit aliquem esse Prophetam, vel hoc illudve esse oraculum Dei, præsertim in re tam gravi et inaudita, qualis erat excidium Ninive urbis et monarchiæ; unde Apostoli fecerunt miracula aliaque signa, sine quibus Gentes non tenebantur, imo prudenter non potuissent eis credere. Resp. Ninivitæ moti sunt ad credendum Jonæ per miraculum devorationis et liberationis è ventre ceti, quod Jonas eis proposuit, quodque per nautas jam sparsum erat per totum Orientem. Hoc est quod ait Christus, Lucæ 11. 30 : *Sicut fuit Jonas signum Ninivitis, ita erit et filius hominis generationi isti.* Hoc enim signum clare eis demonstrabat Jonam à Deo ad eos mitti, simulque monebat et terrebat eos ne, si Jonæ non crederent, æque imo magis punirentur quàm Jonas, atque ab aqua vel terra absorberentur. Accessit interna Dei illuminatio et inspiratio, quæ animos illorum commovit ad credendum. Juvit gravitas, prudentia, pietas, abstinentia et sanctitas Jonæ, quæ plane ostendebant Jonam non esse fatuum, non levem, non mendacem; sed virum serium, prudentem, pium ac fide dignum.

Et prædicaverunt (indixerunt) jejunium,] per magistratum, imo per regem, ut videtur; rex enim hoc jejunium Ninivæ indixit v. 7, nec alius toti Ninivæ hoc indicere poterat nisi rex. Est ergo hîc hysterologia. Prius enim pervenit oraculum hoc Jonæ ad regem, uti sequitur v. 6. quàm indictum sit jejunium, uti ait hîc v. 5; sed voluit Script. prædicationi Jonæ subnectere obedientiam, totumque opus Ninivitarum, scilicet quod crediderint et pœnitentiam egerint in jejunio et cilicio; ac deinde pergere ad regem, et enarrare ejus sensum et gesta de quo subdit :

6. Et pervenit,] id est, quia pervenerat : dat enim causam publici jejunii et pœnitentiæ Ninivitarum, quod nimirum rex inaudiens oraculum minax Jonæ, edictum jejunii et pœnitentiæ proposuerit et promulgarit per totam urbem.

Quæres : Quis fuit hic rex? Respondeo : Probabile est fuisse Sardanapalum, quem Diodorus, Justinus et alii Gentiles Historici ponunt ultimum monarcham Assyriorum, à quo monarchia translata sit ad Medos per Arbacem Mediæ Præfectum. Ita à Castro et Torniellus in Annalibus, anno mundi 3215, et alii. Favet S. Hieron. in cap. 1. Amos v. 1, ubi explicans titulum Amos, quo se dicit prophetasse in die-

bus Oziæ regis Juda, et Jeroboam regis Israel, *quando*, inquit, *apud Assyrios* urbesque Ciliciæ regnabat Sardanapalus, de quo insignis Orator : *Turpior*, inquit, *vitiis quàm nomine; et apud Latinos Procas Silvius, cui Amulius expulso Numitore successit in regnum; quo interfecto, congregata pastorum manu, Romulus sui nominis condidit civitatem.* Ergo Amos, ac consequenter Jonas (fuerunt enim coævi) prophetavit tempore Oziæ, Jeroboam et Sardanapali (hi enim fuerunt pariter coævi). Rursum Jonam prophetasse tempore Jeroboam, ac consequenter Sardanapali, clare dicitur 4. Reg. 14. 25. Favet et S. August. lib. 18. Civitat. 27. ubi docet prophetasse Jonam, Amos et Osee sub finem imperii Assyriorum, scilicet eo ruente, cum Roma condi inciperet; quia eorum prophetiæ de Christo patiente, et resuscitato, Romanis et Gentibus ad Christum convertendis scribebantur. Favet et Euseb. in Chronico, qui Jonam consignat sub tempus Sardanapali. Dices : Eusebius dicit Sardanapalum regnasse 20 annis, et vigesimum ultimumque ejus annum consignat anno sexto Oziæ regis Juda, qui fuit annus 18. Jeroboam regis Israel; postea vero anno 17. Oziæ qui fuit 29. Jeroboam, Arbacis vero in Media regnantis 11. ita scribit : *Prophetabant apud Hebræos Osee, Amos, Isaias et Jonas Prophetæ.* Ergo 11 annis post mortem Sardanapali prophetavit Jonas; non ergo prophetavit, Sardanapalo regnante. Resp. nego consequentiam. Nam τὸ *prophetabant*, non significat initium prophetiæ (non enim hi quatuor cœperunt eodem anno, puta 17. Oziæ prophetare), sed confuse tempus quo florebant hi Prophetæ, q. d. Sub hoc tempus, puta ante et post annum 17. Oziæ, prophetarunt Osee, Amos, Isaias et Jonas. Cum enim constet eos multis annis prophetasse, et de anno certo quo singuli cœperint non constet, recte Eusebius in genere et confuse ait hoc tempore eos prophetasse, id est floruisse. Cum enim in chronologia consignatur tempus quo quis Propheta, Doctor vel Episcopus floruit, non consignatur annus primus quo cœpit, vel ultimus quo finiit; sed potius medius : in medio enim ætatis prophetiæ et doctoratus solent florere homines, tum gratia, tum sapientia, tum auctoritate.

Confirmatur hæc sententia primo, quia passim Chronologi Sardanapalum dicunt fuisse coævum Jeroboam, sub quo prophetavit Jonas. Excipio unum Genebrardum, qui censet Sardanapalum fuisse eum qui in Scriptura vocatur *Asarhaddon*, fuitque filius Sennacherib, post quem in Scriptura nemo ponitur rex Assyriorum. Asarhaddon enim regnavit diu post Oziam et Jeroboam, sub Ezechia et Manasse. Verum hæc sententia Genebrardi ab aliis Chronologis passim rejicitur; secundo, quia iidem consentiunt in Sardanapalo periisse monarchiam Ninives et Assyriorum, et post eam ponunt regnum Arbacis et Medorum; Jonas autem missus fuit in Niniven, cum illa opibus et regno floreret : ergo non post Sardanapalum, sed eo regnante; tertio, quia Sardanapalus fuit luxuriosissimus, et diffluxit luxu ac vitiis, regem suum secuta est Ninive : hæc ergo sunt vitia ob quæ excidium ei intentat Jonas; quarto, quia licet paulo post Sardanapalum ex Scriptura constet Ninivæ restitutum fuisse regnum, ac in ea regnasse Phul, Teglatphalasar, Salmanasar, Sennacherib et Asarhaddon; tamen hi non regnarunt cum Ozia et Jeroboam, sub quibus prophetavit Jonas, sed post eos. Rursum in strage Sardanapali et translatione monarchiæ, sat videtur fuisse punita Ninive, ut non opus fuerit post illam eò mittere Jonam. Insuper Jonam missum esse ante ejus stragem patet, quia missus est ut eam comminaretur et prædiceret quasi futuram. Ex dictis colligitur quod Sardanapalus, audiens Jonæ oracula et minas, conversus sit, egeritque pœnitentiam cum suis Ninivitis, sed eo redeunte paulo post ad solitas delicias et vitia, ad eadem redierint et Ninivitæ, uti facere solent concubinarii aliique vitiis assueti. Unde tunc Deus excitavit Arbacem, qui Sardanapalum et Niniven invaderet, eumque cogeret ad palatii suîque incendium, ac monarchiam transferret ad Medos; de quo dixi in Proœmio.

Et surrexit (rex, puta Sardanapalus) de solio suo, et abjecit vestimentum suum a se (Tigurina, *paludamentum*, puta vestem imperatoriam, diadema, sceptrum, aliaque insignia regalia), et indutus est sacco (cilicio), et sedit in cinere.] Nota hîc pœnitentiæ habitum et opera non esse nudam resipiscentiam, ut vult Calvin. sed gemitum, saccum, cinerem, jejunium. Ita Tertull. Cyprianus, Chrysost. S. August. Pacianus tract. de Pœnitentia.

Præclare S. Ambros. enarrans hanc Jonæ historiam in fine tomi 2 : Rex Ninives, inquit, *hostes virtute superabat, Deum autem humilitate vincebat. Sapiens, inquam, rex, qui pro salute civium peccatorem se magis confitetur esse quàm regem. Obliviscitur enim se regem esse, ubi Deum regem omnium pertimescit; nec potentiæ suæ meminit, ubi potentiam divinitatis agnoscit. Mira res; dum se regem hominum esse non meminit, rex incipit esse justitiæ. Religiosus igitur princeps non perdidit imperium, sed mutavit. Principatum enim ante militaris disciplinæ tenuit, nunc cœlestium disciplinarum obtinet principatum;* et inferius : *Ut tota civitas jejunaret, famem sibi rex primus indixit; et solus omnium causa prior cœpit esurire quàm miles. Necesse enim erat ut qui potentior cunctis fuerat, devotior fieret universis.*

7. Et clamavit et dixit, supple præco. Ita Vatablus; vel, *clamavit et dixit*, id est proclamari fecit et edici, ex ore regis,] id est suo. Est hebraismus. Unde Chald. vertit : *Atque per præconem proclamare jussit, ac dicere per Niniven ex regis et principum ejus decreto.* Sic et Pagnin.

Homines, et jumenta, et boves, et pecora non gustent quidquam.] Causam dat S. Chrysost. hom. 3. ad Pop. *Et bruta jejunant, et equi, et muli sacco vestiuntur. Etiam, inquit : sicut enim divite aliquo mortuo, non servos solos et ancillas, sed et equos domestici sacco vestientes, et agasonibus tradentes ad sepulcrum sequi jubent, calamitatis magnitudinem ostentantes, et omnes ad misericordiam allicientes; sic et in civitate illa* (Ninive) *mori periclitante, et brutam naturam sacco circumtexerunt, et jejunii jugo subjecerunt. Non licet brutis sermone Dei iram discere, discant famis quæ à Deo infligitur plaga; etenim si dirueretur, inquit, civitas, non tantum nostri inhabitantium, sed et horum una esset sepultura. Pœnæ igitur partem habere debentia, et jejunii partem captant.* Alteram deinde dat causam : Cum, inquit, essent confusione pleni, nec quidquam haberent excusationis, *ad bruta confugiunt, et illorum mortem deplorantes, ex his supplicatio-*

nem faciunt miserabilem et luctuosam, ipsorum perditionem proponentes. Et S. Ambros. sub finem tom. 2: *Non enim*, inquit, *sufficiebat ad placandum Deum peccantium satisfactio, nisi seniorum quoque peccata parvulorum innocentia deploraret, et fletibus alienis delicta sua juventus ablueret.*

Nota: Verisimile est hoc rigidum jejunium Ninivitarum, ad aliquot dies, v. g. tres, ut sentit S. Chrysost. hom. 1. de pœnitentia, durasse, ita ut per triduum nec homo, nec pecus quidquam cibi aut potus gustaret; deinde continuarunt hoc jejunium ad quadraginta dies, sed ita ut suo tempore, v. g. vespere, aliquid panis et aquæ sumerent ad sustentandam naturam; alioqui enim non potuissent naturaliter sine cibo et potu prorogare vitam ad quadraginta dies; saccus vero, clamor et preces eorum perennarunt ad quadraginta dies.

Simili modo anno Domini 1124, Christiani in terra Sancta à Sarracenis circumsessi, exemplo Ninivitarum jejunium solemne etiam pueris infantibus et pecoribus indixerunt, itaque miraculosam à Deo de iis adepti sunt victoriam. Nam cum tria Christianorum millia, Patriarcha præferente crucem, et abbate Cluniacensi lanceam qua transfixum est latus Christi, in aciem prodirent contra 40 Saracenorum millia; splendor de cœlo in Saracenos illapsus eos ita enervavit, ut passim fugientes cæderentur, non solum à viris, sed etiam à pueris et feminis. Perierunt in prælio septem millia (submersi in aquis quinque millia; omnes vero Christiani, incolumes reversi, epinicium Deo cecinerunt. Ita ex Roberto Sigeberti Card. Baron. anno 1124.

8. Et clament in fortitudine,] fortiter, contenta voce: Misericordia, misericordia, miserere nostri, Deus, secundùm magnam misericordiam tuam. Ita clamabant homines. Jumenta vero pro fame boabant, mugiebant, resonabant quisque sua voce in cœlum. Hæc communis hominum et jumentorum comploratio Dei iram stitit, et ad misericordiam inflexit. Graphice eam depingit S. Basil. hom. 8. in avaros, quæ inscribitur: *In fame et squalore;* et hom. 4. de pœnit. Sic Virgil. ecloga 5. ait in morte Julii Cæsaris quem Daphnim vocat, jejunasse oves, boves cæteraque animalia, ac lugubri ejulatu ejus necem plorasse. Quin et addit:

Daphni, tuum Pœnos etiam ingemuisse leones
Interitum, montesque feri sylvæque loquuntur.

Simili modo Alexandrum luxisse mortem Hephæstionis, et Thebanos mortem Pelopide, tradit Plutarch. in ejus Vita.

Et convertatur vir a via sua mala.] S. Chrys. hom. 3. ad Pop.: *Videamus*, ait, *quid inevitabilem illam iram solverit; num jejunium solum et saccus? nequaquam, sed totius vitæ mutatio; quoniam conversus est quisque à viis suis malis, pœnituit mali quod dixerat facere ipsis Dominus. Honor enim jejunii non ciborum est abstinentia, sed peccatorum fuga. Jejunas? Demonstra mihi per ipsa opera? Qualia, inquis, opera? Si pauperem videris, miserere; si inimicum videris, conciliare; si amicum laudabiliter agentem videris, ne invideas; si mulierem videris speciosam, prætereas. Non enim os tantum jejunet, sed et oculus, et auditus, et pedes, et manus, et omnia corporis nostri membra. Jejunent manus, à rapina et avaritia mundæ; jejunent pedes, ad illicita spectacula cursum reprimentes; jejunent oculi, discentes nunquam formosis obtutibus insilire, nec alienas curiose pulchritudines spectare; cibus enim oculorum est spectatio; jejunet et auris, aurium autem jejunium est detractiones et calumnias non suscipere; jejunet quoque os à verbis turpibus et convicio. Quæ enim utilitas, cùm avibus quidem et piscibus abstineamus, fratres vero mordeamus et comedamus? detrahens fraternas carnes comedit, etc.*

Ex hoc loco videtur quod Ninivitæ (saltem multi) vere fuerint contriti, ideoque hac pœnitentia justificati et salvati, quicumque in justitia usque ad finem vitæ perstiterunt. Nam crediderunt in Deum verum, elicuerunt actus spei, timoris, doloris; austeram et inauditam, eamque publicam egerunt pœnitentiam; imo primus rex ipse, posita regia veste, saccum induit, et cinere se conspersit; quæ utique ingentis interni doloris et contritionis erant indicia, et, quod maximum est pœnitentiæ signum, actusque nobilissimus, conversi sunt à vita pristina lasciva et scelerata ad castam et sanctam. Unde Deus hæc eorum pœnitentiæ opera probavit, et acceptavit; eisque pœnam condonavit, simul et culpam, ut videtur. Ita S. Chrysost. hom. Quod nemo læditur nisi à seipso: *Ninivitæ*, ait, *conversi sunt ad timorem Dei, abjectisque continuo prioris vitæ malis, ad virtutem se et justitiam per pœnitentiam contulerunt, tam fideli satisfactione, ut divinitus jam promulgatam sententiam revocarent.* Et lib. 1. de Orando Deum: *Primi*, ait, *occurrunt Ninivitæ, quos clarum est deprecationis præsidio plurimorum scelerum, quibus divinam iram in se provocarant, remissionem accepisse. Simul enim atque illos cepit deprecandi studium, justos reddidit; ac civitatem, quæ jam assueverat lasciviæ, malitiæ, breviter, vitam exlegem et impiam vivere, statim correxit; nimirum potentius diutina peccandi consuetudine, cum civitatem illam cœlestibus legibus implesset, pariter secum trahebat temperantiam, mansuetudinem, humanitatem, curamque pauperum. Sane si quis tunc ingressus fuisset civitatem Ninivitarum, qui prius eamdem probe novisset, nequaquam agnovisset eam; adeo repente à turpissima vita, ad pietatem resilierat.* Quare licet aliqui opinentur Ninivitas fuisse tantum attritos, tamen contrarium verius est, fuisse etiam contritos; nec tantum ex timore pœnæ, sed etiam ex amore justitiæ hanc pœnitentiam subiisse. Idem confirmatur ex eo quod Scriptura et Patres, maxime S. Chrysost. passim peccatoribus proponunt exemplum Ninivitarum, tanquam illustrissimum speculum pœnitentiæ. Unde Christus Matth. 12. 41: *Viri Ninivitæ*, ait, *surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam; quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Et ecce plus quàm Jonas hic.* Hinc S. Gregor. in Psalm. 7. pœnit. *Pœnitentia*, ait, *est unum de perfectis donis descendentibus à Patre luminum.* Et Tertull. lib. contra Psychic. cap. 16. celebrat *Niniviticam justitiam;* quanquam verior lectio Pammelii habeat: *Niniviticum justitium*, id est, cessationem ab omni cibi et potus genere cum Ethnicis, qui, uti antea dixit: *Annuo ritu saccis velantur, et cinere conspergitantur.* Idem docet S. Ambros. serm. 28. qui habitus est in Dominica 1. Quadragesimæ, et S. Ephrem serm. de Jona. Idem diserte docet Andreas Vega lib. 13. de Justific. cap. 5: *Ninive*, ait, *ut verisimile est, multos habuit qui ab accepta gratia aliquando ex-*

ciderunt, *et tamen subito ad prædicationem Jonæ Deum agnovit*, *et per pœnitentiam non solum interminatæ mortis periculum evasit*, *sed et*, *ut Chrysost. asserit*, *vitæ incognitæ coronam accepit*, *faciliusque est*, *ut August. ait* (lib. de Pœnit. med. cap. 5.) *evacuata comminatio Prophetæ*, *quàm humiliatio pœnitentiæ.* Idem docent alii, et insinuat S. Thom. 3. p. q. 84. art. 7. ad 1. Favet Conc. Trident. sess. 14. cap. 4; cum enim agens de Attritione dixisset : *Et quamvis sine Sacramento per se ad justitiam perducere peccatorem nequeat*, *tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit ;* mox idipsum probat exemplo Ninivitarum, aitque : *Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ*, *ad Jonæ prædicationem plenam terroribus*, *pœnitentiam egerunt*, *et misericordiam à Deo impetrarunt ;* scilicet Dei gratiam per pœnitentiam, sive contritionem ; nec enim tunc institutum erat Sacramentum pœnitentiæ, quod postea in lege nova Christus instituit, q. d. Sicut Ninivitæ per timorem disposuerunt se ad virtutem pœnitentiæ et contritionis, qua Dei misericordiam et gratiam impetrarunt ; ita Christiani peccatores per timorem et attritionem se disponunt ad Sacramentum pœnitentiæ quo peccatorum veniam et Dei gratiam consequuntur.

Ex dictis nota quanta sit vis pœnitentiæ, quæ tantæ urbis tot tantaque scelera abolevit, Dei iram placavit, flagellum ei extorsit, imo ejus gratiam et justitiam impetravit, atque Ninivitas ex filiis gehennæ, fecit filios cœli ; ex mancipiis diaboli, fecit amicos Dei ; ex injustis, impiis, infidelibus, sceleratis, fecit justos, pios, fideles, sanctos. Ita S. Chrysost. Tertull. Ambros. August. et alii tract. de Pœnit. Audi S. Ambros. lib. de Pœnit. cap. 6 : *Ninivitæ indicunt sibi necessarium perituri jejunium*, *in ipsis corporibus animas humilitatis flagello castigant*, *induunt pro veste cilicium*, *et pro unguentis cinere se aspergunt ; ac prostrati humo pulverem lambunt. Mortem suam lacrymis funerant*, *et vitam plangimoniis prosequuntur ; reatum suum gemitibus publicant*, *et actuum suorum pandunt arcana facinora. Omnis ætas et sexus indiscrete lugubribus se aptat officiis*, *depositus omnis cultus*, *dejectus ornatus*, *negata quoque sunt ipsis alimenta lactentibus ; et ætas necdum propriis peccatis infecta*, *onera sustinuit aliena ; cibum suum mutum pecus esurivit. Unus audiebatur per mœnia civitatis ejulatus disparium naturarum*, *et per omnia tecta flebilia resonabant lamenta plangentium*, *et*, *ut semel dixerim*, *terra mugitus confitentium sustinebat*, *sed et astra ipsa voce pœnitentiæ personabant. Impletum est quod scriptum est Eccli.* 35. 21 : *Oratio humiliantis se nubes penetravit ; denique sic placavit offensum Deum*, *sic mitem fecit rigidum*, *sic demulsit iratum*, *etc.* Præclare S. Bernard. serm. de S. Andrea, pœnitentiam vocat *ultricem vitiorum*, *altricem virtutum.* Idem, ser. 71. in Cant. *Cibus ejus* (Christi) *pœnitentia mea*, *et cibus ejus*, *salus mea*, *cibus ego ipse. Mandor cum arguor*, *glutior cum instituor*, *decoquor cum immutor*, *digeror cum transformor*, *unior cum conformor.* Idem, serm. 2. in Vigil. Nativit. *Exsultare fecimus Angelos*, *quando conversi sumus ad pœnitentiam. Currite*, *fratres*, *currite ; non soli Angeli*, *sed et ipse Angelorum vos creator exspectat.* Idem, serm. 30. in Cant. *Lacrymæ pœnitentium vinum sunt Angelorum.* Plura si cupis, vide quæ annotavi 2. Corinth. 7. 11.

9. Quis scit si convertatur :] τὸ *si* non est in Hebræo, sed subintelligitur ; unde, eo omisso, Chald. et Arias sic vertunt : *Qui scit quod in manibus suis culpæ sint*, *convertatur ab eis*, *et misertum erit super eum à facie Domini ;* quasi hic pœnitenti certa spes detur veniæ, imo certitudo misericordiæ consequendæ. Verum melius Noster, Septuag. Pagnin. Vatabl. et alii subaudiunt *si*, quasi Ninivitæ incerti sint de venia, de eaque dubitent, et hæreant inter spem et metum suspensi ; planius enim et usitatius est in Hebræo ad illud : *Quis scit*, subaudire et supplere unam voculam *si*, quàm multas hasce : *Quod in manibus suis culpæ sint.* Adde hebr. מי *mi* esse interrogativum, et significare *quis*, non *qui ; qui* enim significatur per *he* demonstrativum.

Dubitant Ninivitæ de remissione, non culpæ, sed pœnæ, q. d. Quis scit si per pœnitentiam nostram Deus placetur, revocetque sententiam de evertenda Ninive ? Simili modo Deus condonavit adulterium Davidi, sed punivit eum morte filii ex eo geniti, 2. Reg. 12. 19. Unde Franc. Suarez, tom. 4. de Pœnit. disp. 37. sect. 9, ex his Jonæ verbis et similibus Joel. 2. 14. docet neminem, quantumvis justus sit, posse satisfacere de condigno pro pœna accidentali seu extraordinaria, qualis erat hic eversio Ninive ; imo nec posse aliquid facere, quo infallibiliter talis pœnæ remissionem consequatur. Unde S. August. in psalm. 50 : *De incerto*, ait, *pœnitentiam egerunt*, *et certam misericordiam meruerunt.* Et S. Hieron. *Ideo*, ait, *ambiguum ponitur*, *ut*, *dum homines dubii sunt de salute*, *fortius pœnitentiam agant*, *et magis ad misericordiam provocent Dominum.*

Secundo, alii hanc dubitationem extendunt ad remissionem culpæ ; licet enim certissimæ sint promissiones Dei, quibus pœnitentibus promisit veniam ; tamen incertum est an homo impleat conditionem, quam exigit promissio ; puta, quod sit sufficienter dispositus ad gratiam ; nimirum quod sit vere contritus ex amore Dei, non attritus tantum ex timore pœnarum. Ita Gregor. de Valentia, 2. 2. tract. de Gratia, disp. 8. q. 4. et Card. Bellarm. lib. 3. de Justific. cap. 6.

Et ignoscat Deus.] Hebr. *Et pœnitentiam agat*, vel, *pœnitudine ducatur Deus.* Ita Septuag. Pagninus et Vatablus. Hinc veteres hæretici, ut Marcion, Manes et alii, censebant Deum veteris testamenti non fuisse verum, nec perfectum, utpote in quem cadat dolor et pœnitentia. Objiciebat ergo Marcion : *Culpandus est Deus*, *qui justitiæ utique non pœnitendæ pœnitentiam gessit.* Resp. Tertull. lib. 2. contra Marc. cap. 24. aliam esse pœnitentiam hominum, aliam Dei : *In Deo enim nihil aliud intelligitur quàm conversio sententiæ prioris*, *quæ etiam sine reprehensione possit admitti in homine*, *ne dum in Deo*, *cujus omnis sententia caret culpa*, *quam pro rerum variantium se occursu fieri ostendimus.*

Pulchre S. Chrysost. hom. 1. de Pœnitentia, docet in Deo vere non esse pœnitentiam, quia non vult, nec optat nobis malum ; sed tantum minatur, ne cogatur illud infligere : *Cujus*, inquit, *rei gratia quæ facturus es mala prædicis? Ut non faciam quæ prædico. Propterea et gehennam minatus est*, *quo gehennam non inducat. Terreant vos verba*, *ne facta conturbent.* Ibidem ostendit quanta fuerit vis fervoris pœnitentiæ Ninivitarum : *Qui*, inquit, *tribus diebus tantum*

peccatorum iram solvere valuerunt; et quanta clementia Dei, *trium dierum pœnitentia contenti pro tot peccatis. Qui enim proposito excitato fervet, atque multa cum solertia pœnitentiam ostendit, brevi temporis momento longævi temporis peccata delere poterit.* Ubi adverte Chrysostomum opinari Ninivitas, statim ad prædicationem Jonæ, pœnitentiam egisse. Cum ergo Jonas prædicaret : *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur,* sequitur eos per 40 dies pœnitentiam egisse. Verum quia Chrysost. legit : *Adhuc tres dies, et Ninive subvertetur ;* hinc censet eos tantum per tres dies pœnituisse. Idem, hom. in Psalm. 7: Homines, inquit, puta hostes, minantur supplicium et reipsa infligunt : *At non sic Deus, sed contra omnino, et prædicit et differt, et verbis terret, et nihil non facit, ut quæ minatur non afferat. Hoc etiam fecit in Ninivitis. Nam ille quoque arcum tetendit, et gladium vibravit, et jacula paravit, et ictum non inflixit. Annon tibi videntur Prophetæ verba esse arcus, et telum, et gladius acutus, quando dicit : Adhuc tres dies, et Ninive subvertetur? sed telum non emisit; non ideo enim erat apparatum ut emitteretur, sed ut reponeretur.*

10. Et misertus est Deus super malitiam.] *Malitiam,* id est afflictionem ; Hebr. *Pœnituit eum super malo quod illis inferre decreverat,* q. d. Revocavit sententiam punitionis et excidii latam in eos ; quia videns pœnitentiam, eorum misertus est. Tropolog. Abbas Joseph apud Cassianum, collat. 17. c. 25, hoc exemplo Dei, inquit, *edocemur non debere nos obstinate in nostris definitionibus perdurare, sed comminationem ex necessitate propositam clementi miseratione mollire.* Ut subditis peccantibus, si culpam agnoscant, et veniam petant, parcamus; sicut Ninivitis pepercit Deus.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dolet Jonas Ninivitis contra oraculum suum parci : hinc Deus eum, per umbram hederæ vermemque eam corrodentem, corripit et erudit.

1. Et afflictus est Jonas afflictione magna, et iratus est : 2. et oravit ad Dominum, et dixit : Obsecro, Domine, numquid non hoc est verbum meum, cum adhuc essem in terra mea ? propter hoc præoccupavi ut fugerem in Tharsis : scio enim quia tu Deus clemens et misericors es, patiens et multæ miserationis, et ignoscens super malitia. 3. Et nunc, Domine, tolle quæso animam meam à me : quia melior est mihi mors quàm vita. 4. Et dixit Dominus : Putasne bene irasceris tu ? 5. Et egressus est Jonas de civitate, et sedit contra Orientem civitatis : et fecit sibimet umbraculum ibi, et sedebat subter illud in umbra, donec videret quid accideret civitati. 6. Et præparavit Dominus Deus hederam, et ascendit super caput Jonæ, ut esset umbra super caput ejus, et protegeret eum (laboraverat enim), et lætatus est Jonas super hedera, lætitia magna. 7. Et paravit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum : et percussit hederam, et exaruit. 8. Et cum ortus fuisset sol, præcepit Dominus vento calido et urenti : et percussit sol super caput Jonæ, et æstuabat ; et petivit animæ suæ ut moreretur, et dixit : Melius est mihi mori, quàm vivere. 9. Et dixit Dominus ad Jonam : Putasne bene irasceris tu super hedera ? Et dixit : Bene irascor ego usque ad mortem. 10. Et dixit Dominus : Tu doles super hederam, in qua non laborasti, neque fecisti ut cresceret : quæ sub una nocte nata est, et sub una nocte periit. 11. Et ego non parcam Ninive civitati magnæ, in qua sunt plus quàm centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram et sinistram suam, et jumenta multa ?

1. Et afflictus est Jonas,] cum, elapsis quadraginta diebus, vidit oraculum suum frustrari, et Niniven non subverti, uti ipsa prædixerat. Afflictionis causam varii variam dant : Primo, S. Hieron. et Remig. censent eum afflictum ex amore populi sui, eo quod sciret Gentium salutem fore ruinam Israel. Cum ergo Deum videret misericordiam exhibere Ninivitis, censebat eam subtrahendam à Judæis, iramque Dei illis imminere; et ea de causa tantopere indoluit. Secundo, Arias censet eum indoluisse parcitum Assyriis, eo quod sciret per eos puniendos et vastandos Israelitas. Verum hoc gratis dicitur. Tertio, Vatabl. censet eum doluisse quod Judæi, incitati tot minis Prophetarum, tam duri essent ad pœnitentiam, cum Ninivitæ ad eam tam essent faciles, ut uno ejus oraculo compuncti, totos sese dederent jejunio, sacco et cineri. Verum aliam causam dat Jonas.

Dico ergo eum afflictum fuisse, eo quod vi-

deret Deum parcere Ninivitis pœnitentibus, ac consequenter suum oraculum, quo eam evertendam prædixerat, reddi vanum et falsum, ideoque timeret se irridendum, et habendum falsum Prophetam. Nimius ergo et indiscretus amor honoris proprii fuit causa hujus afflictionis, impatientiæ et iræ Jonæ. Unde optat mori, potius quàm cum ignominia vivere, inquit Theodor. Ita et Theoph. Albertus, Clarius, Dionys. et alii. Ita et S. Ephrem. serm. de Jona, qui Ninivitas ita Jonam consolantes inducit: *Noli contristari, ô Jona, sed gaude, quia novam vitam agimus; per te enim bona invenimus, per te universorum Deum agnovimus. Non es mentitus, ne timeas: subversa enim nostra est malitia, et exaltata fides in manu tua. Nam Angelos in excelsis gaudio perfundens, merito ipse super terram in eo gloriari et exsultare debes; quia Deus de nobis gaudet in cœlis.*

Nota: Optat Jonas rem justam. Unde non peccat mortaliter: optat enim ut Ninivitæ ob peccata præterita puniantur, utque sententia Dei in eos lata non revocetur, esto pœniteant; sic enim judex latronem ob furta suspendit, esto eum pœniteat. Sed quia id optat indiscreto zelo, et vano fine, nimirum ut honori suo consulat cum tanto Ninivitarum damno, peccat venialiter. Hæc ita se habere patet ex verbis Jonæ, et ex verbis Dei eum redarguentis, vers. 11. cum ait: *Et ego non parcam Ninive, civitati magnæ, in qua sunt plus quàm centum viginti millia hominum?*

Moraliter disce quàm perversus sit zelus indiscretus, quàmque displiceat Deo. Jonas enim cogitare debebat, seque consolari quod magis hic ageretur honor Dei, qui miserat Jonam, quàm suus; ac Deo curæ fore honorem suum, ne haberetur mendax. Rursum cogitare debebat oracula Dei minacia solere esse conditionata, ideoque præmitti à Deo, ut homines inducant ad pœnitentiam, itaque eis parcat. Mutatis enim rebus et personis, mutatur decretum et sententia Dei. Quocirca hæc mutatio non est in Deo Deique decreto; sed in ipsis reis et peccatoribus. Sententia enim Dei est hæc: Moriatur peccator, si videlicet in peccato persistat; quod si non persistat, sed pœniteat, non moriatur, sed vivat, Ezech. 18. 32. Discretius et pientius Michæas, c. 2. 11, cum certum exitium prædiceret impiis, indolens eorumque vitam suo honori præponens: *Utinam*, ait, *non essem vir habens spiritum* (propheticum),*et mendacium potius loquerer!* Verum Jonas, passione actus, hæc non considerabat; sed uni honori suo intentus, uti solent homines sui nominis studiosi: *Numquid non hoc est verbum meum*, inquit, *cum adhuc essem in terra mea? propter hoc prævoccupavi ut fugerem in Tharsis. Scio enim quia tu Deus clemens et misericors es, patiens et multæ miserationis, et ignoscens super malitia;* Chald. *Sententiam revocans, quo minus malum infligas.* Scis hoc, ô Jona! cur ergo idem non facis? cur iram clementia non temperas? cur Deum tuum non imitaris? cur clemens, id est divinus esse non vis? Hinc liquet Jonam et Prophetas non habuisse spiritum propheticum, quasi habitum permanentem; sed subinde ab eo desertos fuisse, sibique relictos, ut pateret eos esse homines cæteris similes; tumque actos spiritu naturali et humano, non divino, quædam egisse et dixisse à charitate, æquitate et veritate aliena, uti fecit hîc Jonas.

Simili indiscreto zelo laborabant Jacobus et Joannes Apostoli, Luc. 9. 54, cum Samaritis indignantes eo quod repulissent Christum, dixerunt: *Domine, vis dicimus ut ignis descendat de cœlo, et consumat illos?* Quocirca reprimens eos Christus: *Nescitis*, ait, *cujus spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Simili zelo laborabat S. Carpus, cujus hac de re visionem longam, sed memorabilem recenset S. Dionys. epist. 8. ad Demophilum. Simili laborabat Acacius Episcopus in Concil. Nicæno, qui cum duriorem se præberet in recipiendis ad pœnitentiam iis qui à fide aberraverant, audivit à Constantino Imper. *O Acaci, scalam à terra in cœlum constitue, solusque per illam in cœlum conscende.* Ita refert Histor. Eccles. p. 2. cap. 4. Alius in casu simili à viro sancto audivit: *Si hic errans tibi stetisset tuo sanguine, uti stetit Christo, reciperes eum et colligeres, nec sineres eum extra Ecclesiæ caulam luporum prædæ exponi.* Saniorem magisque discretum et pium zelum habuit Apostolus erga Judæos persecutores suos, dum pro iis optabat fieri anathema à Christo, Rom. 9. 1. Et Moses orans pro populo qui vitulum aureum adoraverat, dicensque: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti*, Exod. 32. 32. Et Joseph fratres à quibus venditus erat, cum lacrymis deosculans, alensque per omnem vitam, Genes. 45. 1.

5. Et egressus est Jonas.] Putat à Castro esse hysterologiam, hæcque verba ponenda recto ordine cap. 3. ante v. 6. Censet enim Jonam, finita prædicatione quasi obita legatione, illico egressum de civitate, ac in tugurio exspectasse quadragesimum diem, ut spectaret rei exitum, uti hîc dicitur. Ita et Theodoret. Lyran. et Dionys. Verum dico nullam esse hîc hysterologiam, Jonamque non ante, sed post quadragesimum diem post continuam pœnitentiam Ninivitarum, afflictum et dolentem, eo quod oraculum suum de eversione Ninives non compleretur, egressum urbe, ibique pleniorem rei exitum exspectasse; ut videret an omnino, an ex parte tantum sententiam suam revocaret Deus: sperabat enim Deum saltem aliquam cladem eis inflicturum. Verum cum vidit omnino Deum eis parcere, murmurans fecit, dixit, et audivit ea quæ hîc enarrantur. Patent hæc ex ipso contextu, et serie narrationis, et ex versu. 10, ubi reprehenditur Jonas à Deo, eo quod doleret Deum parcere urbi: ergo egressus est post quadragesimum diem, cum videret Deum urbi non infligere mala, quæ comminatus erat, non ante: nam ante nesciebat an Deus parciturus esset urbi, imo putabat eum non parciturum.

6. Hederam,] quæ umbraculo à Jona erecto se copularet, eique umbram novam et majorem adderet. Adde hederam non solum adversus solis æstum umbraculum præbere, sed et capitis gravedinem ex æstu et lassitudine contractam (unde ait: *Laboraverat enim*) discutiendi vim habere; qua de causa et convivæ vino æstuantes olim hedera coronabantur, ut capitis gravedinem, soporem, æstumque discuterent. Hinc apud Gentiles hedera sacra erat Baccho, ut patet 2. Machab. 6. 7. Septuag. Syrus, Arabicus uterque et Pagnin. vertunt, *cucurbitam:* cucurbita enim, quia frigida est et ampla, habet folia.

magnam facit umbram, eamque frigidam. Quocirca cum S. Hieron. vertente, *hederam*, expostulavit S. August. epist. 10. ad S. Hieron. eo quod nonnulli ob novationem hanc obstreperent, et in Ecclesia tumultuarentur; imo Calvinus S. Hieronymum infidæ versionis et imposturæ palam arguit: *Et Canthelius*, ait S. Hieron. *dudum Romæ dicitur me accusasse sacrilegii, quod pro cucurbita hederam transtulerim.* Resp. S. Hieron. Aquilam quoque, Symmachum et Theodor. vertisse, *hederam.* Nam hebr. esse *kikaion*, quæ syre et punice *kikeia*, et *elkeroa* (unde et Talmudici, teste R. David, *kikaion* dicunt esse id quod arabice vocatur *alkarua*) dicitur, estque genus virgulti in Palæstina, lata habens folia in modum pampini, et umbram densissimam, quod suo trunco se sustinet et citissime sese dilatat, præsertim in locis arenosis, mirumque in modum, si sementem in terram jeceris, cito confotum crescit in arborem, et intra paucos dies quam herbam videras arbusculam suspicis. Hoc cum græce et latine nomen non habeat, Nos, ait S. Hieron. Symmachum, Aquilam et Theodot. secuti, novo nomine vertimus, *hederam* (ne, si hebræum nomen *kikaion* posuissemus, lector bestias Indiæ, vel montes Bæotios, aut nescio quid monstri et portenti imaginaretur), idque congrue: quia *kikaion* celerrime proserpit atque obtegit et obumbrat, uti hedera. Adde, ex Theophrasto lib. 3. cap. 18. et ex Mathiolo in Dioscor. lib. 2. cap. 175, hederæ speciem unam esse majori folio, quæ non serpit, sed per se consistit, crescitque in arborem; uti facit *kikaion*. Sic *pisces* vocamus lupos, canes, equos marinos: quia lupis, canibus, equis terrestribus sunt similes. Eadem de causa Septuag. *kikaion* verterunt *cucurbitam*, novum ei indentes nomen; quia proserpit, et obumbrat, et sana est ut cucurbita; de qua vulgare est proverbium: *Sanior est cucurbita;* esto vere *kikaion* non sit cucurbita, nec hedera nostra. Quare divinant, vel potius errant, R. David, et ex eo Arias et Rabbinizantes, qui *kikaion* censent esse id quod Græci *kiki* vocant, nos ricinum, sive palmam vel manum Christi, ob foliorum articulationem, quæ foliis latis est, et ad umbram appositis. Ricinum enim est herba venenata, consequenter et umbra ejus. Quis credat Deum Prophetæ suo præparasse ad umbram herbam venenatam, cum ei ad manum essent tot aliæ salutiferæ? Denique nomina herbarum, lapidum, arborum, animalium apud Hebræos communia sunt diversis multisque speciebus. Quare *kikaion*, ait Ribera et Sanchez, commune est arbustis quæ brevi crescunt, et frondes producunt accommodas ad faciendam umbram: unde Noster vertit, *hederam;* Septuag. cucurbitam; alii, cucumerem; alii, platanum, etc.

Symbolice, hedera symbolum est vanitatis mundi, omnisque rei et spei mundanæ. De hac enim hedera vers. 10. in Hebr. dicitur: *Filia noctis erat, et filia noctis periit*, id est, una nocte nata est, una etiam nocte periit. Annon filia noctis est honor, pompa, deliciæ et divitiæ mundi, quæ una nocte obveniunt, una nocte durant; imo sæpe eadem nocte transeunt et pereunt? sicut vermis hederam subito erosit, sic sæpe morbus, mors, odia, calumniæ, rapinæ, etc. bona mundi auferunt. Putas te quiescere secure in tuis opibus? falleris: sub umbra hederæ quiescis, vermis adversæ fortunæ hederam hanc erodet; et tua umbra, tua spes vana et umbratica evanescet. Hinc Deus uti Jonæ; ita et divitibus, honoratis, etc. sæpe hanc umbram subducit et aufert: ut videant homines spes omnes esse inanes, quas extra Deum in bonis hisce suis collocant. Vide quæ de pomo et verme ei innascenti dixi Amos 8. 1.

Rursum hedera proprie dicta arctissimo complexu arbores sibi implicat et vincit, ac vinciendo enecat: hoc idem faciunt amantibus voluptates, et sæpe amasiæ. Quocirca olim Romæ Flamini Diali nefas erat tangere hederam, atque adeo ne nominare quidem fas erat: ut significarent quanta puritas et castitas, æque ac libertas deceat sacerdotem. Nam amare, æque ac rebus terrenis animum implicare, mera servitus est. Inde proverbium: *Lascivis hederis ambitiosior.* Hinc et hedera dicitur quod hæreat, quodque sequatur quidquid proximum est. Hedera, ait Festus, dicta quod hæreat, vel quod edita petat, vel quia id cui adhæserit edat, quæ in tutela Liberi patris putabatur esse: quia ut ille juvenis semper, ita hæc viret: vel quia ita omnia, sicut ille mentes hominum illigat. Vinum ergo, honor et cupediæ, quæ mentem illigant, sunt hedera, ideoque inimica homini: sicut *Hedera*, inquit Plinius lib. 16. cap. 34, *inimica est arbori, satisque omnibus, sepulcraque ac muros rumpens, serpentium frigori gratissima, ut mirum sit ullum honorem habitum ei.*

Simile est de cucurbita, ut vertunt Septuag. ejusque umbra, de qua audi Theophyl. *Cucurbitæ*, ait, *umbra est gloria hujus mundi: quæ quasi flos fœni nos refrigerat in afflictionum æstu; ideoque à nobis expetitur: sed ferit eam vermis matutinus, scilicet conscientia nostra remordens, et peccatorum nobis sensum exhibens. Ipsa enim quasi sensibilis tinea ossium cordisque ob oculos nobis ponens scelera, docensque nos gravibus pœnis dignos, ferit cupiditatem gloriæ, illudque Prophetæ persuadet: Iram Domini sustinebo, quoniam peccavi ipsi. Et paulo post: Eo quod peccavi, flagris cæsus sum.*

LABORAVERAT ENIM] Jonas æstu corporis, circumeundo et prædicando ardente sole et magis æstu ac dolore animi, quod videret suum oraculum irritari.

7. PARAVIT DEUS VERMEM.] Syrus et Arabicus uterque: *Præcepit Deus vermi; præcepit*, id est ordinavit, disposuit, incitavit, impulit: instinctus enim naturalis in Script. vocatur *præceptum.* Per *vermem* accipe vel erucam, ut Theoph. vel teredinem, ut Arias; vel potius aliquem alium extraordinarium, nostris mordaciorem et voraciorem. Nam hunc vermem non fuisse ordinarium patet, ex eo quod subito hederam eroserit in aurora, ita ut illa exaruerit et deciderit, antequam sol incalesceret, et feriret caput Jonæ: hoc autem facere tam cito nequit vermis unus naturalis et ordinarius. Ubi nota: Pro *ascensu diluculi*, Chald. clare vertit: *sub ascensum auroræ*, scilicet diei sequentis diem præcedentem ejusque noctem, qua nata erat hedera.

Allegor. S. Hieron. et S. August. epist. 49. quæst. 6: Jonas, id est vetus testamentum, habuit umbraculum hederæ, id est promissiones terrenas, quæ erant umbræ futurorum in lege nova; has succidit Christus, qui est ipsa veritas, atque absque ullo semine oritur, et dicit: *Ego sum*

vermis, et non homo, Psalm. 21. qui inscribitur: *Pro susceptione matutina. Vermis,* inquit S. August. est Christus, *propter humilitatem carnis, fortassis etiam propter Virginis partum. Nam hoc animal plerumque de carne, vel de quacumque re terrena sine ullo concubitu nascitur. Matutinus est, quia diluculo resurrexit.* Jonas, succisa hedera, dolet; sic Judæi, succisa lege Mosis, lugent, imo Christo et Christianis indignantur.

Rursum symbolice, S. Hieron. Sunt, inquit, qui vermem et ventum urentem Romanos intelligant duces qui, post resurrectionem Christi, Israel penitus deleverunt.

8. PRÆCEPIT DOMINUS VENTO CALIDO.] Hebr. *vento* קדים *kadim,* id est Orientali, puta Euro, qui calidus est, urens et torrens. Ita Pagnin. et Tigurina.

ET ÆSTUABAT.] Tigurina : *Et pene exanimatus est æstu;* ingens enim æstus fuerit oportet, qui eum impulerit petere ut moreretur. Unde Septuag. vertunt : *Et angustiabatur et relinquebatur anima sua,* uti habent Complut. et Regia ; licet Romana habeant : *Et angustiabatur, et tæduit eum animæ suæ;* Chald. *Et erat deliquium animi patiens,* Tropol. sicut hedera quæ umbram faciebat Jonæ, corrosa à verme, sol æstuans percussit caput Jonæ ; ita et tuis, ô homo, viribus à morbo aut senio arrosis, mors te percutiet.

9. BENE IRASCOR EGO USQUE AD MORTEM.] *Bene,* id est *valde;* aut potius, *juste et merito.* Unde vertit Pagninus: *Vehemens mihi ira est usque ad mortem:* Tigurina : *Justa est ira mea, ut etiam mori cupiam;* Septuag. *Valde contristatus sum ego usque ad mortem.* Sicut enim vehemens tristitia Christum adegit, ut diceret : *Tristis est anima mea usque ad mortem,* q. d. Tristitia tanta est, ut pene me exanimet et vitam mihi adimat: sic et vehemens ira homines adigit, ut optent amentque mori ; præsertim si eis obsistatur. ut difficultatem ob quam irascuntur amoliri non possint : tunc enim vehemens ira vehementem parit tristitiam, mœrorem et desperationem.

Dolet Jonas de umbra hederæ, sic multi dolent et contendunt *de umbra asini,* ut vulgo dicitur, id est, de re parvi vel nullius momenti. Fabulam ex qua natum est hoc proverbium narrat Aristophanes in Vespis, et Plutarch. in Vita Demosthenis. Meminit et Apuleius, lib. de Asino aureo. Demosthenes, inquiunt, cum judices parum haberet attentos, ut eos attentos redderet, narravit fabulam, dicens : Quidam conduxerat asinum, quo Athenis veheretur Megaram ; in itinere ardente sole meridie non habens aliud umbraculum, depositis clitellis sub asino sedens, ejus umbra semet obtegebat. Cæterum id agaso non sinebat: hominem inde depellens, clamansque asinum esse locatum, non asini umbram. Alter item ex adverso tendebat, asseverans etiam asini umbram conductam esse. A rixa ventum ad verbera, inde ad jus et tribunal. Hæc locutus Demosthenes, repente descendit, et discessit. Revocatus à judicibus ut reliquum fabulæ enarraret, ait : *Itane de asini umbra libet audire, viri vero de vita periclitantis causam audire gravamini?*

10. TU DOLES SUPER HEDERAM, IN QUA NON LABORASTI,] q. d. Si adeo doles ob hederam vilem herbam, quæ cito nascitur, et cito perit, succisam ; quanto magis unà mecum dolere et pœnitere debes de interitu tantæ urbis, totque centenorum millium animarum, quot sunt in Ninive, eisque pœnitentibus misereri, et parcere? Sic hodie non desunt nobiles, qui magis dolent in morte equi, quàm famuli ; imo qui famulos enecant in cultura agrorum, ovium, avium, maluntque perdere hominem, quàm falconem, equum, vel accipitrem.

Pulchre S. Ephrem, serm. de Jona : *Cucurbita tibi nunc loco magistri efficitur, ex qua sapientiam et prudentiam addisce, ac quanta sit vis divinæ clementiæ. Tu parcis cucurbitæ, et ego civitati. Tugurium tuum sit speculum civitatis. Tugurium abjectum quæris, et orbem funditus evertis? ubi rectum judicium tuum, ô Jona? cucurbitam civitate potiorem ducis? Super vili cucurbita commiserationis affectum ostendis, et in civitatem durissimum ac severissimum te exhibes?* Et paulo post historiam Jonæ ita prosequitur: *Congregatique resipiscentes adorabant eum, ac munera cum decimis suis offerebant. Aperuit rex thesauros, et obtulit ipsi dona valde honorifica; uno omnium ore celebratus est Jonas, ingressusque in curru regio consedit.* Deinde subdit regem misisse viros qui Jonam in Jerusalem honorifice reducerent, et per hospitia commode tractarent; quos ipse appropinquans Jerusalem, osculo et amplexu salutans, dataque illis benedictione, domum remiserit : noluisse enim permittere, ut ipsi licet multum rogantes, urbem sanctam ingrederentur, ne viderent idola et scandala gentis suæ.

QUÆ SUB UNA NOCTE NATA EST, ET SUB UNA NOCTE PERIIT.] Hebr. *Quæ filia noctis erat, et filia noctis periit,* id est, quæ una nocte orta est, et una nocte periit. Ita Vatabl. et Pagnin. Clare Chald. *Quæ in hac nocte fuit, sed nocte altera periit.* Prima enim nocte nata fuit hedera, quæ sequente die, cum arderet sol, Jonam ab æstu sua umbra protexit; sequenti nocte finiente, puta in aurora, vermis jussu Dei erosit hederam. Unde sol oriens afflixit Jonam, ut æstuaret, cuperetque mori. Bidui ergo spatio hæc peracta sunt.

11. CENTUM VIGINTI MILLIA HOMINUM.] Hebr. *duodecim* רבו *ribbo,* id est *dena millia,* id est 120 millia : duodecies enim decem faciunt centum viginti. Ita Septuag. Pagnin. Tigurina quæ vertit, *duodecim myriades :* myrias enim continet decem millia; alioqui si sumas myriadem pro millione, falsum erit. Quis enim credat in Ninive fuisse duodecim milliones infantium? millio enim continet decies centena millia.

QUI NESCIUNT QUID SIT INTER DEXTERAM ET SINISTRAM,] id est bonum et malum. Est proverbium. Phrasis hæc petita est à pueris : *Qui nesciunt utrum dextera an sinistra valentior, et usui cuilibet aptior sit ; quia nondum experti sunt: æqualiter enim adhuc pro tempore, quia nuper de vulva prodierunt, utrumque brachiolum, utraque manus omnino imbecillis est,* ait Rupertus qui mystice id adaptat iis qui nesciunt quid inter Dei veritatem et hominum mendacium intersit.

Ex hoc loco Theologi, ac nominatim Gabriel Vasquez, 3. p. q. 68. a. 8. disp. 254. cap. 3, recte confutat Lutheranos, qui docent nos justificari præcise per fidem ex opere operantis, non per Sacramenta ex opere operato : Sacramenta ergo ad hoc tantum adhiberi, ut fidem recipientis excitent, qua justificetur : ac proinde parvulos,

qui in baptismo purgantur à peccato originali ac justificantur, elicere actum fidei qua justificentur, sicùt elicuit S. Joannes Baptista in utero matris, Lucæ 1. 44. Hoc enim dogma non tantum est contra omnem experientiam, sed etiam contra Scripturam hoc loco, quæ docet parvulos nescire quid sit inter dexteram et sinistram, id est, non discernere inter bonum et malum. Si enim haberent fidem, utique discernerent inter bonum et malum. Fides enim discernit virtutes à vitiis, æterna à temporalibus, Deum à creaturis. Nam ut ait Apostolus. Hebr. 11. 1: *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.* Quocirca hoc Lutheri dogma adeo stolidum visum fuit Anabaptistis, ut ipsi maluerint docere parvulos non esse baptizandos; sed exspectandum dum adolescant, et, rationis compotes, actum fidei qua justificentur eliciant, potius quàm admitterent parvulos ratione uti. Ecce in quas angustias, in quæ absurda hæresis agit Novantes. Quare S. August. lib. 1. de Pec. mer. cap. 35. ridet quosdam Pelagianos, qui in infantibus actualia peccata esse dicebant. Experimur enim, inquit, eos adeo usu mentis destitutos esse, ut nec ubi sint sentiant, et juxta se jacentibus mammis magis possint esurientes flere quàm sugere: quippe qui nec mammas quidem ipsas, nec aliud aliquid norint. Quomodo Deum agnoscant, qui nec mammas, nec matrem agnoscunt?

Moral. disce hìc quàm Deus clementior sit homine etiam sancto, quàmque satius sit confugere ad Dei, quàm ad hominum tribunal. Si Jonas in causa Ninivitarum fuisset judex, tulisset in omnes, licet pœnitentes, ob præterita scelera sententiam mortis, eo quod hanc tulisset Deus ante eorum pœnitentiam; verum Deus contrariam fert sententiam, qua eos ob pœnitentiam à morte absolvit. Ita David proposita ei à Nathan optione gladii, famis et pestis, elegit pestem, dicens: *Melius est ut incidam in manus Domini (multæ enim misericordiæ ejus sunt) quàm in manus hominum*, 2. Reg. 24. 14. Errat ergo Seneca, lib. 2. de Clementia, cap. 5, dicens *misericordiam vitium esse pusillanimi, ad speciem alienorum malorum succidentis.* Verius Aristot. lib. 2. Rhetoric. cap. 8: *Sapiens*, ait, *misericors est, insipiens immisericors et inverecundus.* Hoc est quod profitetur Ecclesia in Collecta Dominicæ decimæ post Pentecosten: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas, multiplica super nos misericordiam tuam, ut ad tua promissa currentes, cœlestium bonorum facias esse consortes.* Unde Biblia Gothica hìc in fine Jonæ addunt, eumque hac sententia concludunt: *Sed parcam et miserebor eis, quoniam magnum est nomen meum.*

Rursum Deus hìc docet Jonam nosque omnes, conformare nos voluntati divinæ per omnia, ut cum opus aliquod jubet, illico alacriter et fortiter illud inchoemus et prosequamur; cum vero ab eo cessare jubet, vel illud fructu et effectu suo frustratur, illico tranquilla mente cessemus, et patienter feramus opus et laborem nostrum suo destitui fine et fructu. Quid enim quærimus, nisi facere voluntatem Dei, eique per omnia nos conformare? At voluntas Dei jam est, ut opus inchoatum relinquas, imo destruas; ergo illi acquiescere: alioqui non Dei voluntati, sed tuæ phantasiæ et cupiditati servis. Atque hac in re consistit animæ sanctæ perfectio, ut in omnibus actibus et eventibus, tam adversis quàm prosperis, plena resignatione humillime et integerrime quisque se Deo resignet, ac quidquid evenerit acquiescat, et tranquilla, imo jucunda mente de Dei manu accipiat; denique gaudeat hac in re Dei voluntatem impleri, dicatque cum S. Job: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Ita Abraham jussus immolare filium, strinxit in eum gladium; at ubi sensit se revocari ab angelo jussu Dei, illico gladium in vaginam reposuit; ac sicut non fuit contristatus, cum accepit à Deo mandatum immolandi filium: sic nec gavisus est, cum Deum hoc mandatum revocantem, et filio parcentem audivit, quorum utrumque fuit actus magni et heroici animi, totum se Deo tradentis, ideoque ad omnia indifferentis et parati. Sic S. Ludovicus inspiratione Dei trajecit in terram sanctam, ut illam Deo et Ecclesiæ restitueret: at omni hoc sui conatus fructu frustratus, imo captus, tranquille conquievit in Dei beneplacito. Utique hæc tranquillitas acquiescendi par, imo major fuit magnanimitate tanti operis et expeditionis. S. Franciscus Dei instinctu profectus in Ægyptum ut Soldanum converteret, aut ab eo martyrii laurea donaretur, cum neutrum succederet, tranquillus rediit, totum se Dei voluntati resignans. Idem fecere alii Sancti. Quocirca S. Ignatius fundator Societatis nostræ, ita suam in Dei voluntatem transtulerat, ut diceret: *Si casu aliquo Societas à me inchoata, et tantis laboribus promota dissolveretur aut interiret, post mediam horam in oratione positam, nullam ex illa re, qua nulla mihi tristior accidere posset, molestiam, Deo adjuvante, caperem.* Sancti ergo sinunt se gyrari et regyrari à voluntate Dei, sicut equus gyratur et regyratur à sessore.

COMMENTARIA

IN

MICHÆAM PROPHETAM.

ARGUMENTUM.

Michæas, ait S. Hieron. ad Paulinum, *de Morasthi, cohæres Christi, vastationem annuntiat filiæ latronis, et obsidionem ponit contra eam, quia maxillam percusserit judicis Israel.* De eodem sic scribit S. Epiph. in ejus Vita : *Michæas Marathides Propheta, de tribu Ephraim oriundus, cum plurima designasset Achab regi Juda, ab ejusdem filio cui nomen Joram, præcipitatus occubuit; eo quod de iniquitatibus suis primogenitorumque suorum, quas perpetraverat, redarguisset. Is mortis carcere liberatus, in Marathi propria terra plane solitarius tumulum juxta polyandrium sortitus est. Est quidem monumentum ipsius usque in hodiernum tempus nobilissimum.* Eadem habet Dorothæus in Vita Michææ. Sentiunt ergo hi auctores Michæam hunc vixisse tempore Achab et Jezabelis.

Verum nota : Primo, alius est Michæas à Michæa filio Jemla, qui prædixit stragem et necem Achab, 3. Reg. 21. 14; quem Euseb. in Chron. ait cœpisse prophetare anno quinto Josaphat (licet aliqui in Eusebio pro *Michæas* censeant legendum, *Elias*) : nam ille vixit sub Achab et Josaphat; hic vero noster sub Joathan et Achaz: hic ergo illo fuit posterior ducentis, vel centum quinquaginta annis. Rursum ille in Israel, hic in Juda vitam egit. Prophetavit Michæas sub Joathan, Achaz et Ezechia, uti ipse ait c. 1. 1; ergo non sub Josia, ut habet Isidorus : nam inter Joathan et Josiam fluxerunt anni centum viginti.

Nota secundo : Hic Michæas oriundus fuit de Morasthi, qui fuit viculus in tribu Juda juxta Eleutheropolim ad Orientem ejus. Chaldæus, Clarius, Arias et Vatablus putant esse eumdem cum Maresa. A Maresa enim vel Moreset deductum videtur Hebræum nomen patronymicum Morasthi, id est Morasthites, quod hîc Michææ attribuitur. Verum S. Hieron. docet Morasthi nomen esse loci distincti à Maresa. Unde ipse in Epitaphio Paulæ scribit suo tempore ibidem exstitisse sepulcrum Michææ, illudque conversum fuisse in Ecclesiam, quam S. Paula invisit religionis ergo. Sic et Adrichomius, et alii in Descriptione terræ sanctæ; sic et Remigius, Haymo, Rupertus, Hugo et Lyranus hîc. Fuit ergo Michæas oriundus ex tribu Juda, non Ephraim, uti censuit Epiphan. Isidorus et Dorotheus in Synopsi; unde c. 1. 9. ait : *Venit usque ad Judam, tetigit portam populi mei usque ad Jerusalem.* De Maresa vero quasi de peregrina dicit v. 15 : *Adhuc hæredem adducam tibi, quæ habitas in Maresa.*

Michæas Martyr occubuit occisus gladio, ait Theoph. unde Sanctorum catalogo ascriptus in Martyrologio legitur die 15. Januarii. Ibi enim sic legimus : *In Judæa SS. Habacuc et Michææ Prophetarum, quorum corpora sub Theodosio Seniore divina revelatione reperta sunt.* Revelationem hanc narrat Sozomenus lib. 7. c. ult. Cassiodor. in Hist. Tripart. l. 1, c. 49, Niceph. l. 12. c. 48. Audi Sozomenum : *Atqui non sola hæc religionem cohonestabant, verum et Habacuc, et post eum non longo intervallo Michæas, inter Prophetas primi, circa hoc tempus apparuerunt. Amborum autem corpora per divinam in somnis visionem indicata sunt Sebenno, tum temporis Eleutheropolis Episcopo. Erat autem nomen ejus civitatis Cala, quæ antea Cila vocabatur, in qua repertus fuit Habacuc. At Baratsatia locus est circiter decem stadiis ab ea civitate distans, in quo Michææ sepulcrum erat, quod monumentum fidele vocabant indigenæ, ignari quid dicerent, Nephasa neemana* (id est animam fidelem, vel corpus fidele : anima enim metonymice sumitur pro corpore, etiam mortuo, puta pro cadavere ; ut in Levit. ostendi) *lingua patria appellantes.*

Argumentum Michææ est, taxare idololatriam, vitiaque ex ea nata, ac præsertim oppressionem pauperum tam Samariæ, quàm Jerusalem; puta tam decem Tribuum, quàm duarum. Et quia Samaria idololatriæ vitulorum initium dedit, eamque communicavit Judæ sub Achaz impio rege, hinc primo excidium Samariæ per Assyrios, deinde excidium Hierosolymæ per Chaldæos comminatur, stragemque et captivitatem populi, præsertim principum tam laicorum quàm Ecclesiasticorum, qui in scelere duces fuere populo, prænuntiat. Post hæc tristia, de more læta subjungit, eosdemque consolatur, promittens lætum reditum è Babylone per Cyrum et lætiorem ex peccato, morte et gehenna regressum ad gratiam, vitam et Ecclesiam tum militantem, tum triumphantem per Christum, quem in Bethlehem nasciturum prædicit. Nota : Michæas in stylo et spiritu similis est Isaiæ, ejusque quasi æmulus; unde et eumdem subinde ad verbum citat, ut patebit c. 4. 1. et c. 5. 1. Vide can. 6. in Proœmio.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

DENUNTIAT EXCIDIUM PRIMO, SAMARIÆ, QUIA ILLA FUIT PRIMA ET PRINCEPS IDOLOLATRIÆ, CUJUS OPES QUASI MERCEDES MERETRICIS, ID EST IDOLOLATRIÆ, AD MERETRICES, ID EST AD ASSYRIOS PARITER IDOLOLATRAS, REVERSURAS PRÆDICIT. NOMINAT AUTEM ALIQUOT EJUS URBES, SCILICET APHRA, SAPPIR, SAANAN, CUM EA VASTANDAS, IN QUARUM ETYMO ELEGANTER LUDIT, UTI OSTENDAM. V. 10. ET SEQ. DEINDE V. 12. IDEM EXCIDIUM PRÆDICIT JUDÆ, QUÆ IN IDOLOLATRIA IMITATA EST SAMARIAM; AC NOMINATIM LACHIS, QUÆ PRIMA URBIUM JUDA, SUSCEPIT IDOLA ISRAEL, AC BETHAETSEL, MAROTH, MARESA ET ODOLLAM.

1. VERBUM Domini, quod factum est ad Michæam Morasthiten, in diebus Joa-
than, Achaz et Ezechiæ, regum Juda: quod vidit super Samariam et
Jerusalem. 2. Audite, populi omnes, et attendat terra, et plenitudo ejus,
et sit Dominus Deus vobis in testem, Dominus de templo sancto suo.
3. Quia ecce Dominus egredietur de loco suo: et descendet, et calcabit
super excelsa terræ. 4. Et consumentur montes subtus eum: et valles
scindentur sicut cera à facie ignis, et sicut aquæ, quæ decurrunt in præ-
ceps. 5. In scelere Jacob omne istud, et in peccatis domus Israel: quod scelus Jacob? nonne Sama-
ria? et quæ excelsa Judæ? nonne Jerusalem? 6. Et ponam Samariam quasi acervum lapidum
in agro, cum plantatur vinea: et detraham in vallem lapides ejus, et fundamenta ejus revelabo.
7. Et omnia sculptilia ejus concidentur, et omnes mercedes ejus comburentur igne, et omnia
idola ejus ponam in perditionem: quia de mercedibus meretricis congregata sunt, et usque ad
mercedem meretricis revertentur. 8. Super hoc plangam, et ululabo: vadam spoliatus, et nu-
dus: faciam planctum velut draconum, et luctum quasi struthionum. 9. Quia desperata est
plaga ejus, quia venit usque ad Judam, tetigit portam populi mei usque ad Jerusalem. 10. In
Geth nolite annuntiare, lacrymis ne ploretis, in domo Pulveris pulvere vos conspergite. 11. Et
transite vobis, habitatio Pulchra, confusa ignominia; non est egressa quæ habitat in exitu:
planctum Domus vicina accipiet ex vobis, quæ stetit sibimet. 12. Quia infirmata est in bonum,
quæ habitat in amaritudinibus: quia descendit malum à Domino in portam Jerusalem. 13. Tu-
multus quadrigæ stuporis habitanti Lachis: principium peccati est filiæ Sion, quia in te inventa
sunt scelera Israel. 14. Propterea dabit emissarios super hæreditatem Geth: domus mendacii
in deceptionem regibus Israel. 15. Adhuc hæredem adducam tibi, quæ habitas in Maresa: us-
que ad Odollam veniet gloria Israel. 16. Decalvare, et tondere super filios deliciarum tuarum:
dilata calvitium tuum sicut aquila; quoniam captivi ducti sunt ex te.

1. AD MICHÆAM.] Michæas hebraice dicitur *Micha*, id est *pauper*, quia pauperem Christum rure in Bethlehem nasciturum prædixit et adumbravit. Verum quia *Micha* per crasin idem esse potest quod *Michiahu* (ut patet 2. Paralip. c. 18: 8.) id est, *quis sicut ille?* ac idem quod *Michaia*, et *Michiahu* (ut patet 2. Regum 22. 12. Jud. 17. 1. et 2. Paral. 13. 2. in Hebræo), ut significet idem quod *Michael*, id est, *quis sicuti Deus?* Morasthi, id est *hæræditas mea*. Hinc Noster, Septuag. et alii eum vocant non *Micha*, sed Michæam. Quocirca S. Ambros. enarrat. 1. in Michæam, quæ exstat in fin. tom. 2. operum ejus: *Michæas*, inquit, *significat, quis à Deo; vel, ut alibi invenimus, quis iste? Morasthi filius hæres. Quis autem hæres, nisi filius Dei, qui ait: Omnia mihi tradita sunt à Patre. Et cum ipse esset hæres, voluit nos esse cohæredes. Merito quis iste? non è populo unus, sed electus ad gratiam Dei in quo loquitur Spiritus Sanctus.*

IN DIEBUS JOATHAN, ACHAZ ET EZECHIÆ.] Hinc patet Michæam paulo post Osee, Joel, Abdiam et Jonam cœpisse prophetare; sed cum iis perrexisse obire idem munus. Nam illi cœperunt sub Ozia, qui fuit pater Joathan. Joathan fuit pius rex, æque ac Ezechias; impius vero et idololatra fuit Achaz. Quocirca Michæam reveritus est, ejusque oraculis licet liberis et minacibus

compunctus fuit Ezechias, uti narrat Jeremias c. 26. 17. et seq. Joathan regnavit annis 16, totidem Achaz; Ezechias vero annis 29. Quare si omnibus hisce annis prophetavit Michæas, sequitur eum prophetasse annos 61. Verum ignoratur an cœperit primo anno Joathan, et an finierit ultimo Ezechiæ. Hinc utrimque demendo aliquot annos, conjectat Arias eum quinquaginta plus minus annis prophetasse.

Quod vidit.] *Quod*, scilicet *verbum*. Prophetia enim nunc vocatur *visio*, nunc *verbum* : quia Prophetæ eum oculis mentis videbant, et auribus mentis eamdem à Deo loquente audiebant. Mens enim suas habet aures et oculos, sed mentales, non corporales. Quocirca in mente idem est audire, quod videre, scilicet cognoscere et intelligere : hinc prophetia mentalis nunc vocatur *verbum*, nunc *visio*, nunc dicitur *audiri*, nunc *videri*. De quo plura dixi, Isaiæ 1. 1.

2. Audite, populi omnes, et attendat terra,] Hebræorum scilicet; hisce enim solis loquitur. Imitatur Isaiam, qui simili modo et patho orditur : *Audite, cœli, et auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est.* Pari modo, stylus Michææ similis est stylo Isaiæ : uterque enim elegans est, acer, concisus, patheticus. *Terra*, id est terræ hujus incolæ. Unde explicans subdit :

Et plenitudo ejus.] *Et* significat *id est : plenitudo* sunt cives et indigenæ ; hi enim urbes et pagos terræ implent ; unde Septuag. vertunt : *Et omnes qui in ea.*

Et sit Dominus Deus vobis in testem,] q. d. Dominus sit testis, quod scilicet ego secundùm officium et munus prophetiæ et prædicationis mihi à Deo commissum, vos moneam et corripiam de vestris idolis et sceleribus, cladenque et excidium nomine Dei prædicam et intentem, q. d. Si superbi, rebelles et obstinati non pareatis hisce meis monitis et minis, ideoque pereatis, testor Deum me vos hac de re præmonuisse, ac proinde vos non mea, sed vestra culpa et obstinatione inexcusabiles perire ; ut non mihi, sed vobis excidium vestrum ascribere debeatis. Hinc Chald. vertit : *Sit verbum Domini Dei contra vos in testem.*

Aliter S. Hieron. Theodor. Haymo et Lyranus, q. d. Testor Deum hanc meam prophetiam non esse meam, sed Dei ; quod scilicet ego hæc non fingam, sed à Deo audierim. Aliter quoque Rupert. q. d. Testis sit Deus, quod ipse sua pacta vobiscum inita servarit, vos vero eadem violaveritis ; itaque culpa perditionis vestræ non Deo, sed vobis sit ascribenda. Verum prima expositio est genuina, ut patet consideranti antecedentia et sequentia. Ante enim citavit populum, ad audiendam Dei de ipsorum sceleribus sententiam : hic ergo Deum in testem vocat, quod illam sententiam eis indicarit et prænuntiarit, ne causentur se non fuisse præmonitos. Sententiam Dei subdit dicens : *Quia ecce Dominus egredietur*, etc. *et calcabit super excelsa terræ, etc.*

Dominus de templo sancto suo,] q. d. Dominus qui in cœlo quasi in templo suo augustus, omnique cultu adorandus residet, indeque contemplatur terram, omniaque hominum opera ; ipse sit vobis mihique testis, quod hæc ejus oracula et decreta vobis enuntiarim.

3. Quia ecce Dominus egredietur de loco suo.] Hic incipit sententia et oraculum Dei, editum per Michæam. Anthropopathôs dicitur Deus egredi et descendere de cœlo, cum in aere vel terra suum brachium et potentiam ostendit, ac mira novaque operatur : Deus enim quoad substantiam invisibilis est, tantumque videtur per operationem. Sicut ergo Angelus dicitur egredi aliquò, cum ibi operatur (imo S. Thom. censet Angelos non esse in loco, nisi per operationem; quod tamen alii merito, et cum ratione negant : Angelus enim etiamsi nihil operetur, est in certo et definito loco per substantiam suam) sic et Deus. Præsertim vero dicitur egredi, quasi judex et vindex ad cognoscenda, judicanda et punienda gentium hominumque scelera : et quasi dux et antesignanus Assyriorum et Chaldæorum, similiumque gentium, quas Judæis aliisque populis immittit, ad hanc suam sententiam et vindictam exsequendam. Graphice hunc Dei quasi bellatoris in aciem contra hostes egressum poetica hypotyposi depingit Psaltes psalm. 17. 10 : *Inclinavit*, inquit, *cœlos, et descendit, et caligo sub pedibus ejus. Et ascendit super Cherubim et volavit, volavit super pennas ventorum. Et intonuit de cœlo Dominus*, etc. *Et misit sagittas suas, et dissipavit eos ; fulgura multiplicavit, et conturbavit eos.* Hinc Ezechiel, c. 1, vidit Deum curru vectum et stipatum Cherubinis ad bellum procedere, puta ad excidium Jerusalem.

Aliter Rupertus : *Egredietur*, ait, *Dominus de loco suo ;* quia relinquet templum et Judæam, eamque cedet Chaldæis. Sic Ezechiel vidit eumdem templo egredi, c. 3. 12; et in templo paulo ante adventum Titi audita est vox : *Migremus hinc*, teste Josepho lib. 7. Belli cap. 12. Sic Gentiles, obsidentes urbem aliquam, ex ea certo carmine evocabant Deos tutelares, ut ad se transirent, credentes alioqui urbem capi non posse, teste Macrobio, l. 3. c. 9. Hinc Virgilius :

> Excessere omnes adytis, arisque relictis
> Dii, quibus imperium hoc steterat :

Significans jam actum esse de Troja, Æneid. 2. Verum hoc mysticum est, non litterale, nec genuinum.

Symbolice S. Hieron. Hugo et Lyran. Deus, inquiunt, egreditur de loco suo, cum punit et castigat ; Dei enim proprium est misereri et parcere. Locus ergo et solium Dei est clementia. Cum ergo peccatis irritatus irascitur et flagellat, videtur de loco suo egredi, ac personam clementiæ deponere ; imo naturam suam benignam exuere, et alienam, puta rigidam et sævam, induere. Hoc est quod de Deo ait Isaias c. 28. 21 : *Sicut in valle quæ est in Gabaon, irascetur ; ut faciat opus suum, alienum opus ejus ; ut operetur opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo*, q. d. Opus vindictæ est peregrinum et alienum à Dei natura, quæ est ipsa benignitas et clementia, sed ad hoc opus quasi cogunt Deum impii per sua scelera.

Et calcabit super excelsa terræ,] hoc est, calcabit excelsos et potentes, puta optimates Israel : hi enim metaphorice vocantur *excelsa terræ et montes ;* sicut ex adverso plebem vocat *valles*, dicens :

4. Et consumentur (hebr. נמסו *namassu*, id est colliquescent et dissolventur. Ita Tigurina et Pagnin.) montes subtus eum, Deum scilicet, q. d. Deo calcante montes, id est potentes, illi sub eo instar montium fulmine ictorum liquescent, dissolventur et consumentur. Et valles, id est plebeii, scindentur (Pagnin. *scindent se*

Septuag. *tabescent*, id est, liquescent et consumentur), SICUT CERA scinditur et finditur, tabescit et liquescit, A FACIE, ab ardore, IGNIS; ET SICUT AQUÆ QUÆ DECURRUNT IN PRÆCEPS.] Ita tam divites et potentes, quàm pauperes et plebeii in Israel defluent, transibunt et ibunt in ruinam, juxta illud 2. Reg. 14. 14: *Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* Est hæc sententia, ratio mulieris Thecuitis, qua persuadet Davidi ut Absaloni condonet cædem occisi fratris Amnon, q. d. Vita hominum fluxa est: Amnon esto non esset occisus, sed vivus, æque debuisset brevi mori; et Absalon brevi morietur; noli ergo, ô David, exigere vindictam, quam natura ipsa brevi illi irrogabit. Quam enim, ô rex, de filio tuo ultionem quæris? mortemne? At jam moritur: omnes enim quotquot homines sumus, quasi flumina præcipiti cursu devolvimur in mare mortis, quæ nobis est domus æternitatis. Aut potius, quasi pluvia dilabimur in terram, ab eaque sorbemur, ut nil ex ea remaneat, quod redire aut colligi possit; scilicet naturaliter. Comparat enim vitam nostram aquæ, non fluminis pertranseuntis, sed pluviæ dilabentis, et evanescentis in terram.

Tropolog. cum Deus suæ gratiæ, illuminationis et amoris illapsu descendit in animam, illico ipsa instar ceræ liquefactæ resolvitur, lacrymatur, inardescit, mansuescit, totamque se Deo resignat. Tunc consumuntur montes superbiæ, ambitionis, omnisque vanitatis; æque ac valles pusillanimitatis, timoris, torporis, acediæ. Ita David Psal. 21: *Factum est*, inquit, *cor meum tanquam cera liquescens.* Et Isaias, c. 64. 1: *Utinam*, ait, *dirumperes cœlos, et descenderes! à facie tua montes defluerent, sicut exustio ignis tabescerent.* Pulchre S. Gregor. in illud Cant. 1: *Osculetur me osculo. Cum*, ait, *ejus* (sponsi) *osculum sentio; subita mutatione me derelinquo, et in ejus similitudinem illico liquefacta transformor.*

5. IN SCELERE (ob scelus) JACOB, id est, Jacobæorum, puta Judæorum, OMNE ISTUD exitium quod jam dixi, eis irrogabitur; ET IN PECCATIS, id est ob peccata, DOMUS ISRAEL.] Nonnulli censent *Jacob* hìc idem esse quod *Israel;* Jacob enim patriarcha luctans cum angelo, eique prævalens, vocatus est Israel, id est, *prævalens Deo*, puta angelo, Dei vicario. Ad rythmum ergo, et ad elegantiam carminis, æque ac ad auxesin, idem aliis verbis, inquiunt, Michæas nomine Dei repetit et inculcat, q. d. Scelera hæc Judæorum me exacerbant et provocant ad vindictam, quia sunt scelera Jacob, id est, posterorum Jacob, quem ita extuli, ut cum esset junior, Esau vero frater ejus esset senior, ipsum tamen seniori prætulerim et præelegerim, ejusque familiam mihi in populum et Ecclesiam asciverim. Nec tantum sunt scelera Jacob, sed et Israel, id est, posterorum Israelis, quem hac gratia dignatus sum, ut in lucta cum angelo, ipsum angelo potentiorem effecerim; ideoque vocarim eum Israel, id est, dominantem Deo. Hæc enim beneficia, Jacobo patriarchæ collata, valde adaugent posterorum ejus à Deo apostasiam et ingratitudinem. *Jacob* ergo et *Israel* significant hìc de more decem Tribus à Jacobo prognatas et proseminatas, quæ idololatriæ fuere duces. Ita Remig. Lyran. et Vatabl. aut certe, ut Albert. et Arias: *Jacob* sunt duodecim Tribus, *Israel* decem, q. d. Omnes duodecim Tribus peccarunt idololatria, sed maxime decem, quæ duas reliquas infecerunt; illas ergo primo, deinde duas puniam. Secundo, et aptius, *Jacob* hìc significat decem tribus, *Israel* duas: Jacob enim prius et commune fuit nomen primi patriarchæ decem Tribuum: Israel vero posterius et excellentius ejusdem fuit nomen, quod ab angelo, dum eum vinceret, adeptus est. *Israel* enim idem est quod dominans Deo: hinc significat duas Tribus, quæ habebant urbem sanctam, templum et cultum Dei, ipsumque Deum intra se; unde ei quasi dominari videbantur. Sensus ergo est, q. d. Non tantum Jacob, id est, decem Tribus, sed et Israel, id est, duæ, puta Juda et Benjamin, quibus me meaque in peculium et quasi in dominium tradidi, à me deseiverunt: ergo tam has, quàm illas puniam. Id ita esse patet ex explicatione quam subdit Propheta, dicens: *Quod scelus Jacob*, id est, decem Tribuum? *nonne Samaria*? q. d. Samaria, quæ est metropolis decem Tribuum, fuit origo et causa sceleris, id est idololatriæ, cæteris urbibus decem Tribuum, *et quæ excelsa Juda*, id est, duarum Tribuum? *nonne Jerusalem*? Ecce quos immeditate ante vocavit *Israel*, hìc vocat *Judam*: Judas autem significat duas Tribus: illæ ergo hìc vocantur *Israel*, et opponuntur Jacob, id est, Samariæ et decem Tribubus, q. d. Jerusalem quæ erat sedes regis, templi et Dei, eo derelicto, in excelsis montibus ædificavit altaria et sacella idolorum (quæ proinde pariter Excelsa vocantur), eòque ad sacrificia cultumque idolorum invitavit omnes populares suos Judæos, quod indignissimum est, summeque mihi injurium, ac longe magis quàm idololatria Samariæ utpote quæ carebat templo et Deo. Ita Theodor. Rupert. Ribera, à Castro et alii.

QUOD SCELUS JACOB, etc. Hebr. pro *quod*, est מי *mi*, id est, *quis.* Unde Vatabl. Arias, Clarius et Pagnin. vertunt: *Quis fuit causa transgressionis Jacob? nonne Someron*, id est Samaria? *Et quis fuit causa excelsorum Juda? nonne Jerusalem*? Vox *quis* notat reges et principes tam decem, quàm duarum Tribuum, toti populo fuisse causam idololatriæ. Sic enim Jeroboam, primus rex decem Tribuum, easdem idola, puta vitulos aureos, colere compulit. Sic et duas Tribus ad eadem colenda induxit Achaz, Manasses, et ante eos Salomon, q. d. Reges et principes, qui debebant populo esse duces religionis et sanctitatis, eidem se duces præbuerunt idololatriæ et impietatis; dum in urbe regia, quò totus populus confluebat, erexerunt idola, eaque publice coluerunt, et populum ad eadem colenda verbo et exemplo pellexerunt. Unde Chald. vertit: *Ubinam scelus patrarunt domus Jacob? nonne in Samaria? et ubi peccaverunt domus Juda? nonne in Jerusalem?*

Ita hoc seculo in Anglia, Transylvania, Dania, Suecia, aliisque regnis et rebuspubl. vidimus causam schismatis et hæresis totius regni fuisse ipsos reges et principes à fide apostatantes, et hæresin profitentes. Ex adverso Italiam, Hispaniam, Franciam, etc., in vera fide persistere, quia semper principes habuerunt Catholicos et orthodoxos. A rege ergo pendet regni fides, vel infidelitas, pietas vel impietas, salus vel damnatio. Notent hoc principes, sciantque pii se magnam in cœlis gloriam et coronam, eo quod suis subditis causa fuerint salutis, adep-

turos; impii vero in gehenna se non tantum sua, sed et omnia subditorum scelera, quorum causa exstiterunt, luituros. Hoc est quod graviter iisdem inculcat sapiens, c. 6. 6: *Horrende et cito apparebit vobis* (Deus judex et vindex), *quoniam judicium durissimum his qui præsunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur, etc. fortioribus autem fortior instat cruciatio.*

6. Et ponam Samariam quasi acervum lapidum, etc. Primo, Samariæ, utpote idololatriæ principi, pœnam intentat; deinde Jerusalem, quæ Samariam in scelere secuta est. Dicit ergo se Samariam urbem muris, domibus et palatiis magnificam, iis succensis et dejectis, redacturum quoad domos quidem et palatia in acervum lapidum; urbem vero ipsam in agrum sive campum, è quo colliguntur lapides in acervum, ut in eo plantari possit vinea. Cum enim aliquo in loco vinea plantatur, prius ex eodem lapides elapidari, id est, ejici et extra eum in cumulum colligi, solent, ne vites et vitium germinationem impediant. Apposite Samariam dicit vertendam in vineam, quia ipsa sita erat in monte vitifero, ac, antequam ædificaretur in urbem, fuerat vinea: in montibus enim ob reverberationem radiorum solis plantari solent vineæ, juxta illud: *Bacchus amat colles.* Sensus ergo est, q. d. Evertam Samariam adeo, ut ipse locus sive mons vitibus conseratur, fiatque vinea; ipsa vero superba Samariæ ædificia et muros per Chaldæos detraham, et evertam usque ad fundamenta, adeo ut eorum lapides dejiciantur et devolvantur in vallem subjectam, ibique in acervum accumulentur. Ita Theodor. Chald. Vatabl. Arias et alii. Simili modo de Jerusalem, sed plana et campestri à Chaldæis evertenda, ait Michæas c. 3. 12: *Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa sylvarum.*

Duo ergo hìc significat Propheta: Primo, Samariam diruendam usque ad lapidum acervum; deinde secundo, hos lapides dejiciendos in convallem urbi subjectam, ut in ipsa urbe et monte jam elapidato plantentur vineæ. Id ita esse patet ex Hebræo textu, qui sic habet: *Et ponam Samariam in acervum agri, in plantationem vineæ, et impellam in vallem lapides ejus,* q. d. Efficiam ut ædes Samariæ corruant, fiantque acervus lapidum, qui ejiciantur in vallem, ad hoc ut vineæ plantentur in loco et monte, ubi nunc est Samaria. Ita Pagnin. Vatabl. Arias et alii; quin et Septuag. *Ponam*, inquiunt, *Samariam in pomorum custodiam, in agro et plantatione vineæ;* et Chald. *Ponam Samariam in acervos agrorum, domum desertam, in plantationes vineæ.* Id ita factum esse ex hoc loco liquet, licet id in libris Regum non enarretur; insinuatur tamen. Nam 4. Reg. 17. 24. dicitur quod rex Assyriorum de Babylone traduxerit Cuthæos: *Et collocavit eos*, ait, *in civitatibus Samariæ pro filiis Israel, qui possederunt Samariam, et habitaverunt in urbibus ejus.* Ubi nota. Non dicit: *Habitaverunt* in civitate, sed, *in civitatibus Samariæ, et possederunt Samariam*, q. d. Cuthæi non tam habitarunt in urbe Samariæ, utpote jam eversa, et in agrum redacta, quàm in civitatibus ei olim subjectis. Fateor tamen aliquos vel ut cives, vel ut colonas habitasse in loco urbis: nam et postea urbs ipsa reædificata est, utpote quam Hyrcanus postea diu obsedit, et tandem expugnavit soloque æquavit, teste Josepho lib. 13. Antiq. 17.

Secundo, alii, præcise sumentes verba nostræ Latinæ versionis, putant Prophetam his verbis non duo jam dicta, sed unum duntaxat; prius scilicet, quod Samaria redigenda sit in acervum lapidum, significare, ut sensus sit, q. d. Efficiam ut ex tanta urbe non maneat nisi acervus lapidum, similis illi qui fit ex vinea elapidata: nam cum plantatur vinea, locum elapidamus, et lapides extra illam in locum aliquem ejicimus, et coacervamus temere congestos: quæ structura (ut ait Rupert.) cum cæmento et calce careat, infirma est; nec lapis hæret lapidi: quare convenit optimæ Samariæ, quæ semper dissensit à Sione, et ipsa quoque intestinis dissidiis æstuans, gaudebat mutatione, et interfectione regum suorum, inquit Delrio adagio 986. Sic fere et S. Hieron. Remig. Hugo, Lyran. Ribera. Hic sensus verus est, sed partialis tantum: prior ergo plenus est et perfectus, cumque exigunt Hebræa, Chald. et Septuag. quibus facile est Latinam versionem, exponendo eo modo quem paulo ante recensui, adaptare.

Nota: Pro *acervum lapidum*, Septuag. vertunt ὀπωροφυλάκιον, id est, pomorum custodiam: *Ponam*, inquiunt, *Samariam in pomorum custodiam*, id est, redigam eam in tugurium, quod in pomariis ex arundinibus vel stramine aut sarmentis erigi solet, ut in eo custos vigilet et excubet, ne fures poma fructusque furentur; quod proinde, fructibus collectis, evertitur vel comburitur, q. d. Pari modo per Assyrios Samariam magnificam et splendidam redigam quasi in antrum custodis, ut de amplissima urbe parvum tuguriolum vix remaneat, ait S. Hieron. ad Suniam et Fretellam in correct. Psalmorum; quod deinde, omnibus civibus et spoliis collectis et eductis, per eosdem evertam et comburam.

Fundamenta ejus revelabo,] diruendo scilicet muros et ædes Samariæ usque ad fundamenta: tunc enim necesse est fundamenta detegi et revelari. Est metalepsis.

7. Et omnia sculptilia (idola quæ nunc fingi, nunc dolari, nunc malleari, malleoque efformari, nunc fundi, nunc pingi, nunc sculpi solebant, idque sæpius: unde vocantur *sculptilia*) ejus concidentur] ab Assyriis, tum ut rapiant aurum, argentum, æs, etc. ex quo conflata vel sculpta sunt idola: tum quia Gentiles hostium suorum Deos, pariter hostes suos æstimabant, et ut hostes concidebant.

Et omnes mercedes ejus comburentur igne.] Nota: Idololatriam vocat, fornicationem; idololatras, meretrices; amasios, ipsa idola; merces seu quæstus ex meretricio sunt fruges, opes et commoda; puta copia tritici, vini, lactis, mellis, etc., quæ Samaritæ aliique idololatræ se à suis idolis percipere jactabant; aut quæ ex commercio et amicitia Chaldæorum et aliarum gentium idololatrarum percipiebant, juxta illud Osee 2. v. 4: *Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi et aquas meas, lanam meam, etc.* Et v. 12: *Corrumpam vineam ejus, et ficum ejus, de quibus dixit: Mercedes hæ meæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei.* Sensus ergo est, q. d. *Omnes*, id est, pleræque omnes (nam aliquæ igni superstites remanserunt) mercedes, id est, fruges et opes quas vel ab idolis, vel ab idololatris recipiebat meretrix, id est, idolorum cultrix Samaria, com-

burentur ab ejus hostibus Assyriis. Ita S. Hieron. Remig. Hugo et Lyranus. Rursum *comburentur igne*, partim proprio, partim metaphorico, hoc est, diripientur, auferentur, perdentur. Igne enim in Script. significatur omnis vastitas, et supplicii acerbitas. Unde sequitur : *Ad mercedes meretricis revertentur.* Ita Sanchez.

Minus congrue Theodoret. Vatablus, Arias et Clarius per *mercedes* accipiunt oblationes, et dona ab idololatris oblata idolis, ad ea vel fabricanda, vel vestienda et ornanda. Mercedes enim solent dari meretricibus ab amasiis, non vice versa amasiis à meretricibus. Meretrices autem hîc sunt idololatræ, amasii vero ipsa idola ; nisi quis dicat tantam fuisse impudicitiam harum meretricum, ut ipsæ pretium sceleris amasiis darent, non acciperent. Hoc est enim quod Hierosolymæ improperat Ezechiel, c. 16. 33 : *Omnibus meretricibus dantur mercedes, tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis, et dona donabas eis ut intrarent ad te undique ad fornicandum*, id est idololatrandum, *tecum.* Verum hoc inusitatum fuit et insolitum, ideoque illud exprimit Ezechiel ; hîc vero cum id non exprimat Michæas, locum habere non videtur : *mercedes* ergo solitas ipse intelligit, quas scilicet meretrices accipiunt ab amasiis, id est, idololatræ à suis idolis ; non vero eas quas iis dant.

QUIA DE MERCEDIBUS MERETRICIS CONGREGATA SUNT (non idola, sed bona et opes Samariæ. Unde Hebr. Septuag. Pagn. et Vatabl. habent : *Quia de mercede meretricis congregavit ea quæ habet*, puta suas opes), ET, id est *idcirco*, AD MERCEDEM MERETRICIS REVERTENTUR,] q. d. Quia Samaria meretrix, id est, cultrix idolorum, putat se ab iis pro hocce suo cultu recepisse suas fruges et opes, idcirco efficiam ut illæ pariter ad meretrices, id est, ad Assyrios idolorum cultores, ut vertit Chaldæus, qui vastabunt Samariam, transferantur et redeant, qui eas uti idololatriæ mercedes, suis idolis acceptas referant et consecrent.

Alludit, primo, ad priscas meretrices, quæ primitias turpis sui lucri Veneri, meretricum deæ et principi, consecrabant, uti de Babyloniis docent Herod. lib. 1. et Clemens Alexandrinus Adhort. ad Gentes; de Cypriis Arnobius lib. 5. contra Gentes; de Phœnicibus S. August. lib. 3. Civit. cap. 10. *Tres*, ait, *Veneres : una Virginum, quæ etiam Vesta est ; alia conjugatarum; alia meretricum, cui etiam Phœnices donum dabant de prostitutione filiarum, antequam jungerent eas viris.* Idem docet Baruch, cap. 6. vers. 42. et 43. Rursum olim deorum et templorum donaria meretricibus fuisse data docet ibidem Baruch, vers. 10 : *Dant*, inquit, *et ex ipso* (auro Deorum) *prostitutis, et meretrices ornant ; et iterum cum receperint illud à meretricibus, ornant deos suos.* Idem docet Ezechiel, cap. 23. 42: *Posuerunt*, ait, *armillas in manibus eorum, et coronas speciosas in capitibus eorum.* Idem testatur Athenæus, lib. 13. cap. 28. Porro non solum mercedes meretricum olim Diis oblatas fuisse, sed etiam ex iis idola Deosque esse fabricatos testatur Arnobius, lib. 6. contra Gentes. Vide hîc idololatrarum et dæmonum obscenitatem et turpitudinem. Recte enim Tertul. lib. de Habitu mulieris : *Nullius*, ait, *rei turpis merces decora est.*

Alludit, secundo, ad opes meretricum ex meretricatu collectas, ex quibus illæ nunquam ditescunt, sed semper manent misellæ et pauperes ; vel quia sunt prodigæ in epulis et vestitu, resque suas turpiter partas in luxu consumunt; vel quia illas iisdem spoliant amasii, vel aliæ meretrices : omnes enim sua quærunt lucra, idque subinde per fas et nefas ; præsertim luxuriosi, qui jam justitiam et conscientiam prodegerunt; vel quia morientes suis filiabus, aut cognatis quasi hæredibus, quæ pariter meretrices sunt, bona turpiter parta relinquunt. Dicit ergo : Sicut bona meretricum vadunt ad meretrices; ita bona Samariæ meretricis, id est idololatræ, ibunt ad meretricem Niniven, quia Assyrii idololatræ spoliabunt Samaritas pariter idololatras suis bonis.

Hîc verum est proverbium : *Male parta, male dilabuntur.* Et illud : *Salis onus unde venerat, illuc abiit ;* quod adagium natum est ab eventu. Negotiator enim quidam navem onustam sale vehebat : nautis dormientibus influxu aquæ marinæ sentina vehementer adaucta, et salem universum solvit ac corrupit, et navem ipsam demersit; itaque sal, quod ex aqua marina natum fuerat, in eamdem denuo liquefactum rediit. Vere Hesiodus monet : *Ne male lucreris, mala lucra æqualia damnis.* Discant hoc ab Ethnico Christiani lucrum non esse quod jactura bonæ mentis comparatur; neque quidquam esse utile, quod non sit honestum : *Dispendio enim est fraude quæsitum lucrum. Et turpe lucrum adducit infortunium.* Atque ut ait Pindarus in Isthmiis : *Quod præter justum dulce est, exitum habet amarissimum.*

Rursum τὸ *ad mercedem meretricis revertentur*, duo significat : Primum, turpia lucra lucrantibus esse inutilia, et ab iis ad alios transire; secundum, eadem carere omni decore et dignitate, nec ad usus honestos impendi, sed à turpibus ad æque turpes et infames, puta à meretricibus ad meretrices, traduci.

Quocirca hæc lucra à suo templo ejusque oblationibus quasi eo indigna repulit Deus, Deut. 23. 18 : *Non offeres*, inquit, *mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui; quia abominatio est utrumque apud Dominum Deum tuum.* Idem fuit sensus Gentilium Romanorum. Cum enim Flora (ex cujus nomine etiamnum Romæ campus Floræ nuncupatur) nobilis meretrix ex arte meretricia magnas opes comparasset, ac populum Romanum scripsisset hæredem ea lege, ut ejus dies natalis quotannis celebraretur editione ludorum, quos appellant Floralia, Senatui id turpe et flagitiosum visum est. Quocirca ut pudendæ rei quædam dignitas quasi velum daretur, finxerunt Floram esse deam quæ floribus præsit, eamque oportere placari, ut arbores, vites, frugesque bene prospereque florescerent. Ita Varo, lib. 1. de Re rustica, cap. 23. et Plinius, lib. 18, cap. 29.

8. SUPER HOC PLANGAM ET ULULABO, VADAM SPOLIATUS ET NUDUS,] ut hoc habitu lamentabili et desperabundo, tum tester intimum dolorem animi quem concipio ex vastatione Samariæ; tum reipsa significem et repræsentem quod Samaritæ simili modo ab hostibus Assyriis spoliandi sint, ac nudi vel seminudi ducendi sint in captivitatem : eadem de causa Isaias incessit nudus et discalceatus per Jerusalem, uti dixi Isaiæ cap. 20; tum denique ut indicem plagam Samariæ fore maximam, quæ usque ad portas Jerusalem perveniat, uti mox dicam. Quocirca Septuag. et Chald. hæc vertentes per tertiam

personam, ipsi Samariæ attribuunt : quia ejus personam induit hìc Propheta. Sic enim habent Septuag. *Propter hoc planget* (Samaria) *et lamentabitur, ibit discalceata et nuda : faciet planctum quasi draconum, et luctum quasi filiarum Sirenum.* Ita S. Hieron. Remig. Albert. Lyran. Arias, Vatabl. et alii. Addunt aliqui, *spoliatus*, scilicet tam mente quàm veste, q. d. Tanta erit clades Samariæ, tantumque eam apprehendo et pondero, ut videar emotæ mentis, et mente captus; ideoque veste me spolio, et quasi insanus huc illucque discurro plorans et ejulans. Denique S. Hieron. putat hæc dici ex persona Dei, quasi ejus vicem hìc subeat Propheta, ostendatque quàm Deus doleat de populi sui clade, quàmque invitus eam immittat vel permittat : quod sane miram Dei clementiam et charitatem anthropopathωs significat et commendat. Verum verius et magis genuinum est hæc ex ipsius Michææ persona dici, uti paulo ante explicui.

Nudus,] puta discissis vestibus, uti fiebat in luctu, lacer, posita veste extima et honorata. Sic pannosum et lacerum vocamus *nudum* per auxesin, quia est seminudus.

Faciam planctum velut draconum.] Tradunt Physici, ait S. Hieronym. dracones certare et duellare cum elephantis, et, si ab iis vincantur, terribili sono personare. Draco enim, cum sit calidissimus, sitit elephantis sanguinem qui frigidissimus est, soletque æstu torrente, cum tantæ sit magnitudinis, totum ejus sanguinem ebibere, si eum vincat : unde fit elephantes ab eis ebibi, siccatosque concidere, qui ruentes dracones sanguine jam ebrios et turgidos, mole sua opprimunt, coguntque hostes suos secum emori, tumque dracones magnas et lamentabiles voces emittunt. Ita Solin. cap. 38. Polyhist. et Plinius lib. 8. cap. 11. Et hoc est quod ait hìc Propheta : *Faciam planctum quasi draconum.* Ita S. Hieron. Remig. et Rupert. Addit Rupertus hac phrasi significari planctum inutilem, quem scilicet etsi Samaritæ audiant, nemo tamen misericordia tangatur; sicut nullus condolet draconi plangenti. Ex adverso Palacius, citans Albertum, Solinum et Plinium, scribit voces has draconum tantas esse, tamque vicinos consternare, ut qui illas audiunt, emoriantur. Verum hoc fabulosum videtur.

Et luctum quasi struthionum.] Hebr. *quasi filiarum struthionis;* struthiones enim feminæ magis quàm mares clamosæ, magis quoque lugubrem edunt vocem, præsertim cum pullos alunt et perdunt. Tigurina, *ut juvenes struthiones.* Pulli enim struthionum quasi à parente derelicti, imo contempti, ut ait Job cap. 39. 14. et Jeremias Thr. 4. 3, miserabiliter ejulant, uti faciunt et pulli corvorum à parentibus nido ejecti, de quibus psal. 146. 9 : *Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum.* Rursum scribit Ælianus, lib. 24. cap. 7. 19. et 20, struthionem feminam valde amantem esse pullorum, ac habere carnes præ mare gustui suaviores; quocirca venatores, ut eam capiant, solere circa nidum ferrea hastilia defigere, quibus in nidum transilire volens, mater sese induit, occiditur et capitur; tumque flebiliter stridet et luget : unde struthio hebr. vocatur יענה *iaana* à luctu, à rad. ענה *ana,* id est, afflictus est, oppressus est, indoluit, ingemuit.

Dices : Si struthio est adeo filiorum amans, quomodo ergo hìc, et Thren. 4. 3, vocatur *in eos crudelis ?* Respondent aliqui patrem esse crudelem, matrem vero benignam in filios. Melius alii respondent matrem vocari *crudelem :* Primo, quod ova quæ posuit, incubando non fovet; tum quia, ut ait Plinius lib. 10. cap. 54, in pectore et ventre calva est et implumis : sine plumis autem nequit fovere, calefacere et vivificare ova; ergo ea soli et arenæ calefacienda relinquit : unde Dei providentia in calidissimis tantum regionibus, Syria scilicet et Arabia, struthiones inveniuntur; tum ne mole corporis ova frangat : est enim magnitudine cameli, atque altitudine, collo et cruribus camelum refert; unde struthio *camelus* vocatur, inquit Diodorus Siculus lib. 3. Secundo, quia pullos non pascit, eo quod natura aliter providerit : id enim expresse ait Job, cap. 39. 14. et Thren. cap. 4. 3; alia tamen amoris materni signa pullis exhibet. Ita ex Æliano, Plinio, Oppiano, Olympiodoro et aliis, Pineda in Job cap. 39. Denique Franc. Valesius, Sacræ Philos. cap. 55, asserit illa quæ Ælianus et alii Gentiles scribunt de struthionum amore erga pullos, esse fabulosa et falsa; quia repugnant S. Scripturæ locis jam citatis, quibus in eos dicitur esse crudeles.

Perperam R. David vertit : *Faciam luctum quasi filiarum ulularum.* Hebr. enim יענה *iaana* nusquam ululas, sed struthiones significat. Septuag. vertunt : *Faciam luctum quasi filiarum Sirenum.* Alludunt ad fabulam Sirenum, ait Theodor. Fingunt enim Poetæ Sirenes partim virgines fuisse, partim volucres, Acheloi fluminis et Calliopes Musæ filias. Harum una voce, altera tibiis, alia lyra canebat; et primo juxta Pelorum, postea in Caphareis insulis habitaverunt, quæ illectos suo cantu in naufragia deducebant. Secundùm veritatem meretrices fuerunt, quæ transeuntes illiciebant ad suî amorem, et amore captos spoliabant : unde fictæ sunt illis inferre naufragium, quia eos deducebant ad egestatem, ut bonorum, et sanitatis, sæpe etiam vitæ, naufragium facerent : has Ulysses contemnendo, et aures obturando ne eorum cantu illiceretur, deduxit ad mortem. Ita Servius in illud Æneid. 5:

> Jamque adeo scopulos Sirenum advecta subibat,
> Difficiles quondam multorumque ossibus albos.

Unde Siren vel Sirena dicta est ab ειρειν, quod comedere et retinere significat; vel à σειρα, id est, catena, eo quod Sirenes fuerint vinculum et catena libidinis. Quocirca S. Hieron. mystice per Sirenes earumque cantum accipit hæreticos eorumque eloquia : *Dulcia enim sunt*, ait, *hæreticorum carmina, et dulci voce populum decipientia ; nec potest eorum cantica præterire, nisi qui obturaverit aurem suam, et quasi surdus evaserit*, uti fecit sapiens Ulysses.

Dices : Hic erat cantus Sirenum, non luctus. Resp. Sirenes, æque ac præficæ, ita sciebant canere, ita sciebant et lugere ac plangere : sicut etiamnum meretrices norunt artem utramque, et amasios subinde magis plangendo, quàm canendo detinent, ne se deserant, et amores inchoatos abrumpant. Propheta ergo, ex affectu in cives suos, se quasi transformat in Sirenem; ut eis nunc blandiendo, et suavissime concinendo; nunc miserabiliter lugendo et lamentando in animos eorum influat, eosque moveat ad pœnitentiam. Qui enim animas vult conver-

tere, Siren sit oportet instar S. Pauli dicentis : *Filioli mei quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis ; vellem autem esse apud vos modo, et mutare vocem meam, quoniam confundor in vobis*, Galat. 4. 19. Aliter S. Cyrillus : ipse enim per Sirenes accipit passeres marinos, vel philomelas, quæ, raptis ovis vel pullis, lugubre melos fundunt, cum aliàs suavissime canant instar Sirenum.

9. QUIA DESPERATA EST PLAGA EJUS : Samariæ (*plagam* vocat stragem illatam ab Assyriis, indeque nascentem famem et pestilentiam) QUIA VENIT USQUE AD JUDAM, TETIGIT PORTAM POPULI MEI USQUE AD JERUSALEM.] Nam excisa Samaria anno 6. Ezechiæ à Salmanasar rege Assyriorum, mox anno 14. Ezechiæ, Sennacherib qui successit Salmanasari, ut proserpens et ulterius progrediens, venit in Judæam, multasque urbes cepit, ipsamque Jerusalem obsedit, sed ibidem ab Angelo cæsus est, 4. Reg. 18. et 19. Ita S. Hier. et Theodor.

10. IN GETH NOLITE ANNUNTIARE, LACRYMIS NE PLORETIS,] ne scilicet Gethæi aliique Philisthini hostes vestri videant vestram cladem et dolorem; indeque lætentur et exsultent. Sic David, occiso Saule, ait : *Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis; ne forte lætentur filiæ Philisthiim, ne exsultent filiæ incircumcisorum*, 2. Regum 1. vers. 20. Septuag. vertunt : *Qui in Geth, nolite magnificare : qui in Bachim, nolite reædificare ex domo derisum.* Retinent enim Hebr. *Bachim*, quasi nomen proprium; quod cæteri omnes interpretes transferunt *fletum*, ait S. Hieron. Pro *Bachim* perperam, ut videtur, Theodor. et alii legunt *Enakim*, quasi Gethæi ex Enac gigante sint procreati: unde Goliath quem occidit David, gigas fuit et Gethæus.

IN DOMO PULVERIS PULVERE VOS CONSPERGITE.] Pro *pulveris*, hebr. est עפרה *aphra*, quod dupliciter potest accipi : Primo, ut appellativum significans pulverem ; secundo, ut proprium nomen urbis in tribu Benjamin, Josue 18. v. 23. vel alterius in tribu Manasse, quæ latine dicitur *Ephra* (Hebr. enim *Ephra* idem est quod *Aphra*) fuitque civitas Gedeonis, in qua ipse habitavit et sepultus est, ubi et accepit signum victoriæ contra Madian in vellere, Judic. 6. 11. Utroque modo hìc accipi potest : Primo, appellative, q. d. O Samaria cum urbibus tibi subjectis, tu jam non tam Samaria, id est custodia, vocanda es, quàm *Aphra*, id est pulvis ; quia brevi ab Assyriis in cinerem et pulverem redigeris : luge ergo, et pulvere te consperge. Ecce in spiritu video te in pulverem redactam; inter ruinas ergo pulveris pulvere te involve : vos ergo, ô Samaritæ, nolite plangere vestram cladem apud Gethæos aliosque Philisthinos, qui vos irridebunt, sed domi privatim pulvere domorum vestrarum in pulverem redactarum vos aspergite; quia reipsa vel inviti earum pulvere, dum dejicientur, mox aspergemini. Ita ex Septuag. et Chaldæo S. Hieron. Theodor. Remig. Albert. Lyranus, Emmanuel et alii ; unde Septuag. vertunt : *Terra aspergite derisum vestrum*, licet alii legant, *in derisum;* Syrus, *in domibus collectionis residui* (id est in areis, ubi residuum tritici cum paleis et terræ pulvere miscetur) *conspergite vos pulvere*, q. d. In areis arenis vos conspergite.

Secundo, *Aphra*, id est pulvis, hìc ut nomen urbis Samariæ subjectæ proprium accipiunt Hebræi, S. Hieron. in textu Commentarii, Arias, Clarius, Vatabl. Mariana et Pagnin. qui vertunt : *Propter domos Aphra in pulvere voluta*, vel *involve teipsam.* Hebr. enim *palas* significat volutare, involvere. Unde et Biblia Latina Rom. τὸ *Pulveris*, uti et sequens, *Pulchra*, scribunt littera majuscula, quasi nomen proprium; ut sensus sit, q. d. Non est, ô Samaritæ, quod in Geth ad plangendum abeatis, ite potius ad vestram urbem *Aphra :* illa juxta nomen suum monebit vos luctus et pulveris, eumque vobis suggeret, ut illo vos conspergatis. In Aphra ergo aphra, id est pulverem, vobis injicite; imo pulvere vos obruite, quia Aphra æque ac Samaria pulvere ab hostibus obruenda, imo in pulverem convertenda est. Simili paronomasia apposite quis diceret : O Lutetia, ob peccata tua et clades tibi imminentes, luto te asperge. O Lima in America, limo te conspurca. O Sinæ, cinere vos opplete. O Africa, in area arenam tuam tibi affrica. Nota pro *consperge*, in Hebr. est duplex lectio. Alii enim legunt התפלשי *hitpallasi*, id est conspergere, vel consperge te. Alii legunt התפלשתי *hitpallasti*, id est conspersi me, involvi me pulvere, ut Propheta sustineat hìc typum Christi, qui in domo pulveris, id est utero Virginis, pulveri nostro se involvit, ait Mariana. Unde

Allegorice, Christus in domo pulveris, puta in terra, in utero Virginis, pulvere mortalitatis nostræ se conspersit; imo pulverem hunc induit, quasi pœnitentiam pro peccatis nostris acturus. Nam domus pulveris est terra, in qua ob peccatum Adæ ad mortem damnati degimus: item corpus hoc mortale, eadem de causa brevi in pulverem redigendum. Adhæc Ecclesia, quæ quasi domus pœnitentiæ in die Cinerum pulvere nos aspergit, ut nos nostræ sortis et mortis memores reddat, et à carnalibus deliciis avocatos ad cœlestia transferat. Tunc ergo recte dicat concionator fidelibus : In die et in domo cineris et pulveris, cinere et pulvere vos aspergite. Hinc

Tropolog. ô Adam adama, id est, ô homo humo, in aphra, id est in terra, ob peccata te asperge; nam terra et humus es, et in terram reverteris. Pulvis et umbra sumus. Memento, homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris. Quia ergo in terra et pulvere degis, ubi, ut ait S. Leo serm. 4. de Quadrag. *Necesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere;* hinc in Quadrag. imo singulis hebdomadibus, imo quotidie vespere dum vadis cubitum in incertum, nesciens an sequens mane sis visurus, sed ipsa nocte suffocandus et moriturus, uti multis contigit, et etiamnum contingit, conscientiam examinans, quasi coram judice illa nocte compariturus, pulvere te consperge. Imitare Davidem dicentem : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo*, Psal. 66. Et : *Quia cinerem tanquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam, à facie iræ et indignationis tuæ, quia elevans allisisti me*, Psalm. 101. 10. Imitare amicos Job, qui videntes ejus afflictionem : *Exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum in cœlum. Et sederunt cum eo in terra septem diebus et septem noctibus*, Job 2. v. 12. Imitare Jeremiam dicentem, Thren. 3. v. 16 : *Fregit ad numerum dentes meos, cibavit me cinere;* et v. 29 : *Ponet in pulvere*

os suum, si forte sit spes; et cap. 2. 10 : *Sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Sion, consperserunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis, abjecerunt in terram capita sua virgines Jerusalem.*

11. Et transite vobis (hebr. *transi vobis*, id est tibi, tuisque civibus, id est vobis. Est enallage numeri : et τὸ *vobis* vel elegantiæ, vel emphasis causa ad majus pathos additur) habitatio pulchra.] Hebr. *habitatrix Sappir.* Τὸ *sappir*, æque ut Aphra, accipi potest dupliciter : Primo, quasi appellativum, significans pulchra, ut sit epitheton Samariæ. Hæc enim in amœno monte sita, exterius pulcherrimos hortos et campos, interius pulcherrima palatia, domos, turres, plateas et muros suos, uti caudam suam ocellatam circumspicit pavo, circumspiciebat, q. d. Vos, ô Samaritæ, transite (id est brevi transibitis) captivi in terram hostilem ; vos inquam, ô habitatrix Sappir, id est pulchræ ; hoc est, vos, ô incolæ pulchræ et elegantis Samariæ. Ita S. Hieron. Theodor. Remigius, Rupertus et alii. Unde Chaldæus vertit : *Transite vobis qui habitatis in pulchritudine, discoopertis verendis nudi et pudefacti;* Arabicus : *Fac tibi habitationem pulchram;* Syrus : *Fac tibi, habitatrix, quod pulchrum est, quod sit pulchrum.*

Secundo, *Sappir*, ut nomen proprium urbis accipiunt Clarius, Pagnin. Mariana et Vatablus ; unde vertunt : *Transi*, id est, abi cum tua metropoli in captivitatem, *quæ habitas in Sappir*, jam non *sappir*, id est pulchra, sed fœda et nuda, ideoque *confusa ignominia*, q. d. Jactabas, ô urbs Sappir, te pulchram et sapphirinam, et ecce tota conspurcata es, et lutea. Sic ex adverso gloriabatur Augustus Cæsar, teste Suetonio, *quod invenisset Romam lateritiam, et relinqueret marmoream.* Sic primariis Italiæ urbibus singulis singula hæc dantur elogia : *Fiorenza bella, Venetia ricca, Neapoli gentile, Milano grande, Bologna grassa, Ferrara civile, Genoa altiera, Perugia sanguigna, Mantoa gloriosa, Rimini buona, Luca industriosa, Roma santa.* Florentia ergo est *Sappir*, id est, bella et pulchra. Sic Carolus V. de Belgio dicere solebat opes suas esse in Flandria, delicias in Brabantia, nobilitatem in Hannonia, vires in Arthesia. Et de Brabantiæ urbibus : Mechlinia pulchra, Antverpia dives, Lovanium sapiens, Bruxella nobilis; *Sappir* ergo idem significat quod Ninive. id est speciosa et pulchra. Sic in Belgio et alibi sunt urbes, quæ vocantur Bella. Dicas ergo, ô Sappir jam cum tuis sororibus, id est Samariæ civitatibus, vastata ab Assyriis, cum Noemi illa olim pulchra : *Ne vocetis me Noemi, id est pulchram; sed vocate me Mara, id est amaram, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens*, Ruth. 1. 20. Idem dicat Belgium, Hungaria, Bohemia, etc. Idem dicat anima olim casta et templum Dei, nunc incesta et prostibulum diaboli. Porro sicut filia Sion dicitur ipsa arx et urbs Sion, ob pulchritudinem; ita habitatrix Sappir, vocatur ipsa urbs Sappir, puta populus et resp. habitans in Sappir : de populo enim ob pulchritudinem loquitur Propheta quasi de femina.

Quæres : Quænam urbs est *Sappir?* nam hoc nomen alibi non invenitur. Resp. *Sappir* (ut patet ex radice et scriptura Hebraica) idem esse quod Saphora, vel Saphorme, vel Sephoris, vel Sephoron (hæc enim omnia sunt idem) quæ Hegesippo et S. Hieron. est Diocæsarea. De qua sic Adrichom. in Descript. terræ sanctæ : *Urbs est opulenta et totius Galilææ maxima, in meditullio regionis tutissimo loco sita ; arce, portis, mœnibus, murisque firmissimis munita, et habens circa se vicos plurimos.* (Annon hæc erat Sappir pulchra?) *Natalis, ut putatur, locus B. Joachim atque Annæ, Deiparæ Virginis parentum. Hanc Gabinius unam ex Judæorum curiis esse voluit : eamdem Varus cepit, et venditis sub hasta incolis, incendio absumpsit : Herodes autem totius gentis caput et defensaculum fecit. Videtur quondam Cathedralem habuisse Ecclesiam. Nam Tyrius in Catalogo Pontificum Suffraganeorum Antiochenæ Ecclesiæ, inter Episcopatus Seleuciæ Diocæsaream secundo nominat loco.*

Non est egressa quæ habitat in exitu.] Hebr. *quæ habitat in Saanan.* Rursum *Saanan* accipi potest vel ut nomen proprium urbis, ut sit eadem cum *Sanan*, quæ fuit urbs tribus Judæ, Josue cap. 15. 37; vel potius eadem cum Sennim, vel Saananim, vel Sannanim, quæ fuit urbs in tribu Nephthalim, subjecta Samariæ, ut patet Josue 19. 33, Judic. 4. 11. Ita Septuag. Chald. Vatablus, Pagnin. Emmanuel, Mariana et Clarius. Unde et Biblia Plantina τὸ *In exitu* scribunt majuscula *I*, quasi sit nomen proprium; vel ut appellativum. *Saanan* enim hebr. significat exitum, à rad. יצא *iatsa*, id est exivit; vel à radice צען *tsaan*, id est translatus est : litteræ enim *ain* et *aleph* quia gutturales, subinde commutantur. Symmachus vertit, *abundantiam;* sic enim habet : *Non est egressa* in captivitatem, *quæ habitat in abundantia*, quasi צאנן *tsanan* per *tsade*, sit idem quod שאנן *saanan* per *schin*. Unde Interpretes utrumque vertunt, *Saanan;* nam *tsade* et *schin* sunt litteræ commutabiles. Unde צחק *tsachac* idem est quod שחק *sachac*, id est risit. Septuaginta pro *Saanan* habent *Sennaar*, mendose ut videtur; nisi dicas *Sennaar*, id est *Babylonem*, ab eis vocari *Saanan*, quia opibus, luxu et pompis abundabat. Si accipias *Saanan* ut appellativum, sensus erit : O Samaria, quæ habitas in *saanan*, id est, in rerum omnium copia et abundantia, ideoque insolescis et protervis. Rursum in *saanan*, id est, in exitu, id est, in fine terræ sanctæ, q. d. Quæ es limes Chananææ, proxima hostibus, primaque Assyriis venientibus occurris, repete verbum *transite* quod præcessit, vel, ut hebr. est, *transi*, q. d. Transi in captivitatem, tam tu, ô habitatio Sappir, id est pulchra, quàm tu, ô habitatio Saanan, id est in exitu, quæ hactenus non est egressa, nec transiit in captivitatem : sed jam eò egredietur et transibit, vel certe, ut S. Hier. *Non est*, inquit, *egressa, quæ habitat in exitu vel in abundantia* (puta Samaria) *propria voluntate, sed vi ducta est in Assyrios.* Sensus est : Ne putes, ô Samaria, te captam à Teglatphalasar, qui 4. Reg. 15. 29. aliquos ex te cepit, quasi tunc omnem pœnam tuis sceleribus debitam persolveris, nihilque amplius tibi luendum restet. Si id putas, falleris : nam ille te tantum rasit superficietenus, non vero te abduxit : necdum ergo egressa es, egredi debes, et abducenda es in Assyrios tota, ita ut nemo ex te, vel vix ullus in Samaria supersit. Ita S. Hieron. Remig. et Lyran. Aliter Rupertus et Arias : ipsi enim hæc accipiunt de Jerusalem, non de Samaria, q. d. O Jerusalem, quæ habitas in *saanan*, id est in copia et luxu rerum omnium, ita secura ut etiam visa clade vicinæ Samariæ, ad

eam vel levandam, vel plangendam, vel consolandam non exieris, sed domi voluptatibus indulgens et immersa manseris, putans eas tibi fore firmas et perpetuas, nec aliquem te ab iis posse abducere et avellere : tu, inquam, ô Jerusalem, egredere pariter in Babylonem, ac disce tuam copiam non fuisse *saanan*, id est securam et firmam, sed te habitasse in *saanan*, id est in exitu, id est in via qua abduceris in Babylonem vicinam hosti, vicinam captivitati.

Si, secundo, *Saanan* accipias ut nomen proprium, similis erit sensus illi quem jam dedi, q. d. O Saanan, civitas felix, hactenus fuisti saanan, id est abundans opibus et luxu, sed non fuisti saanan, id est egressa ; jam quasi *Saanan* egredieris cum tua matre et metropoli Samaria, ex patria in exsilium, ex libertate in servitutem, ex copia ad inopiam, ex vita ad mortem. Unde Chald. vertit : *Non exierunt salvi de habitatoribus Saanan*. Perperam Syrus pro *Saanan* legit, *Taneos ;* unde vertit : *Confusa non fuisti, habitatrix Taneos*, id est Ægypti, cujus olim metropolis erat Tanis, ps. 77. 12. Porro Pagnin. Vatabl. et alii hæc referunt ad sequentia, vertuntque hoc modo: *Non est egressa habitatrix Saanan ad planctum Bethaetsel* urbis vicinæ; sed jam egredietur ad captivitatem et ad planctum non alienum, sed suum. Melius Noster et Septuag. et Chald. hæc dividunt, et medio hypocolo dispungunt. Unde sequitur :

PLANCTUM DOMUS VICINA (ita Romana : male ergo aliqui legunt, *vicinæ*) ACCIPIET EX VOBIS, QUÆ (male ergo aliqui legunt, *qui*) STETIT SIBIMET.] Pro *domus vicina* Hebr. est *Bethaetsel*, quod æque ut præcedentia accipi potest dupliciter : Primo, ut nomen proprium loci, qui videtur vicinus fuisse urbi *Saanan* jam dictæ, uti censent Theodor. Pagnin. Vatablus, Arias, Mariana et alii. Sensus est, q. d. Urbs Bethaetsel, quæ est vicina urbi Saanan, ex ejus vastatione planctum accipiet, quia mox et ipsa vastabitur ; ipsa, inquam, *quæ stetit sibimet*, vel in se ipsa, id est confidens suæ munitioni suisque viribus, diutius restitit eam obsidenti ; unde hostis eam capiens gravius eam affliget, ut damna tam longæ obsidionis sarciat et compenset. Est synecdoche : ex parte enim intelligit totum, puta ex una urbe Bethaetsel totam provinciam Judææ. Unde

Secundo, *Bethaetsel* accipi potest ut appellativum, significans idem quod *domus vicina*, et sic per eam intelligi potest Judæa, sive duæ Tribus, præsertim Jerusalem, q. d. Judæa et Jerusalem, quæ est domus vicina Samariæ, uti ex Samaria ob vicinitatem accepit idololatriam et culpam, ita et pœnam ac excidium ab eadem accipiet. Jerusalem, inquam, quæ paulo ante *stetit sibi*, hebr. עמדתו *emdato*, id est in subsistentia sua, q. d. Quæ in suo statu et robore, et, ut Chald. vertit : *Elegantia* stetit integra et intacta ab Assyriis. constans et invicta, dum verum Deum colebat, ab eoque protegebatur, cum tu, ô Samaria, declinans ad idola, excidisti à tuo statu, et abducta es ab Assyriis. Hoc est quod dixit v. 9 : *Desperata est plaga ejus*, Samariæ, *quia venit usque ad Judam;* et rursum dicet v. 12 : *Descendit malum à Domino in portam Jerusalem*. Ita S. Hieron. cum suis sequacibus, Ribera et alii. Transit enim Propheta à clade Samariæ ad cladem Jerusalem, quæ Samariæ erat vicina et affinis, ac quasi soror. Aliter recentiores, qui novam cudunt versionem ; et varii varie ; uti fit, dum à Vulgata recedunt, ut lector in iis nil certi et solidi inveniat, sed animo semper vagetur et fluctuet. Porro planctus et stragis hujus causam assignat Chald. dum paraphrastice ita vertit : *Planctum vobis edite cum amaritudine, ob interfectos fortium vestrorum in domo profunda, propter domos desiderabiles vestras, quas violenter abstulistis, hanc ad illam adjungentes ; ideo elegantia terræ vestræ tolletur à vobis*. Vide Isaiæ 5. 8.

12. QUIA INFIRMATA EST IN BONUM,] id est, ad bonum, scilicet tum pietatis et virtutis, tum inde consequentis prosperitatis et præmii, q. d. Privata est bonis tam gratiæ, quàm naturæ et facultatum.

QUÆ HABITAT IN AMARITUDINIBUS ;] Septuag. *Quæ habitat in doloribus;* Hebr. *Quæ habitat in Maroth. Maroth* est nomen urbis in Judæa, teste S. Hieron. Forte illa quæ in tribu Juda ponitur, Josue 15. v. 58, et *Mareth* vocatur. Fuit et alia urbs *Mara* in tribu Manasse, apud quam Damasceni quondam castra metati sunt ; de qua Tyrius, lib. 15. Belli sacri, cap. 8. et Adrichom. in Manasse. Rursum *Maroth* hebr. significat *amaritudines*. Unde Noster vertit : *In amaritudinibus* majuscula *I*, ut significaret esse nomen proprium ; sed ita ut ejus vis et energia consistat in appellativo, quod significat amaritudines. Perinde ac Leodii celebris est pons *Amaricour*, id est amari cordis, ita dictus quod in eo cæsi sint cives à Carolo Audace, cum ipse per illum in urbem irrumpens, eam ferro flammaque vastavit. Hic ergo est Eburonum Maroth. Itaque sensus est, q. d. Tu, ô Maroth urbs, et tu, ô Juda, Maroth urbis possessor et dominus, qui sub Ezechia rege pio, in bono pietatis æque ac prosperitatis, puta in pace et rerum omnium affluentia felix lætusque vivebas, inde sensim ad vitia et idola dilapsus, amisisti cum bono pietatis bonum prosperitatis ; et acquisivisti malum amaritudinis et adversitatis (Hinc Theodor. legit: *Quis cœpit afferre dolores ei, quæ habitare solita est in bonis*)? quocirca jure vocari potest *habitans in Maroth*, id est in amaritudinibus, hoc est in peccatis, quibus Deum et conscientiam amaricasti (unde Symmachus vertit : *Habitatio ad amaritudinem provocans*), atque in pœnis et suppliciis, quæ corpus animumque tuum affligunt et amaricant.

Ex dictis patet, primo, Prophetam per elegantiam alludere ad urbes Judææ dictas Maroth et Bethaetsel, æque ac paulo ante allusit ad Aphra, Sappir et Sanaan urbes Samariæ; hæ enim cum sua metropoli passæ et vastatæ sunt; sed per illas intelligere totam provinciam, per synecdochen. Simili enim modo Isaias, c. 15. 2. et seq. describens vastationem provinciæ Moab, dicit vastatas esse Medaba, Luith, Eleale, Segor, Nemrim, Gallim, Dibon, etc. quæ sunt urbes Moab. Sic Jeremias, c. 46. 14, prædicens vastationem Ægypti, dicit vastandam Memphim, Taphnim, Magdalum, aliasque urbes Ægypti.

Patet, secundo, hæc nomina *Aphra, Sappir, Saanan, Bethaetsel, Maroth*, esse propria urbium, sed Prophetam urgere horum nominum significata ad elegantiam et energiam ; rursum hæc nomina propria urbium adaptari toti provinciæ in qua sunt, puta Samariæ, vel Judææ, sive Jerusalem. Sensus ergo plenus totius hujus loci à versu 11. usque ad vers. 13. hic est, q. d. Tu, ô urbs, quæ vocaris Aphra, id est pulvis, juxta nomen tuum pulvere te conspergere ; tu, ô urbs, quæ vocaris Sappir, id est

pulchra, transi ad squalorem captivitatis; tu, ô urbs, quæ vocaris Saanan, id est abundans vel egrediens, egredere in captivitatem. Pari modo tu, ô Samaria regio, quæ hasce et plures urbes complecteris, tu, inquam, es Aphra, id est pulvis; quia in pulverem mox ab Assyriis redigenda, in pulvere ergo te voluta: tu pariter, ô Samaria, es Sappir, id est pulchra; sed deformanda et captivanda ab hoste; tu denique es Saanan, id est abundans et egressura ad hostes. Hæc de Samaria, sequentia spectant Judæam et Jerusalem. Tu ergo, ô urbs, quæ vocaris *Bethaetsel*, id est domus vicina urbi Saanan, planctum ex ejus vastatione accipies; nam tua res agitur, paries cum proximus ardet. Tu quoque, ô urbs, quæ vocaris *Marohl*, id est amaritudines, dira et amara patieris ab hoste; quia ipse te tuaque omnia enervabit et infirmabit. Pari modo, ô Judæa et Jerusalem, quæ hasce urbes Bethaetsel et Maroth sub tuo dominio complecteris, tu es Bethaetsel, id est domus vicina Samariæ; unde ex ejus vastatione vastationem et planctum accipies. Insuper tu es *Maroth*, quia amaras infirmitates et strages experieris. Summa ergo omnium sit, q. d. Tu, ô Samaria, cum tuis urbibus, ac deinde tu, Judæa, cum tuis ab hoste vastabimini; clades enim Samariæ ad vicinam Judæam dimanabit. Patet ex sequentibus.

Tropol. *Aphra* est mors, quæ nos in pulverem resolvit; *Saanan*, id est exitus, est judicium, quod nos egredi facit, vel ad *Maroth*, id est amaram gehennam, vel ad *Sappir*, id est pulchrum cœlum, vel ad *Bethaetsel*, id est Purgatorium. Hoc enim est domus vicina quoad locum gehennæ, quoad statum et merita cœlo. Hæc sunt quinque novissima cuique jugiter meditanda, quæ proinde Propheta hîc cuique ob oculos ponit, cujus verba facile est singulis applicare.

Quia descendit malum a Domino in portam Jerusalem.] Nam, ut ait S. Hieron. Sennacherib Assyrius, vastata Samaria, venit etiam ad Jerusalem, misitque Rabsacen qui Hierosolymitis insultaret, 4. Reg. 18. 17, Isaiæ 36. 2.

13. Tumultus quadrigæ stuporis habitanti Lachis,] q. d. Quadrigæ Sennacherib suo numero, cursu, strepitu, ac armorum, rotarum, ungularum et equorum collisione tumultuantes, primo invadent Lachis urbem Judææ, ejusque habitatores, ac eis stuporem ob nimium timorem et terrorem incutient. Causa est, quod Lachis *fuerit principium;* Septuag. *Princeps peccati filiæ Sion;* id est, quod Lachis prima in Juda susceperit cultum Baalim, id est idololatriam Israelis, id est decem Tribuum, cæterasque Judææ urbes eadem infecerit et corruperit. Hinc et prima pœnas dabit, primaque capietur à Sennacherib. Id ita factum esse liquet 4. Reg. 18, ubi Sennacherib dicitur ex Lachis, quasi jam à se occupata, misisse Rabsacen in Jerusalem, ut ejus deditionem peteret.

Aliter vertunt Chald. Pagnin. Vatabl. et Arias, nimirum: *Junge currum ad equos velocissimos* (vel *ad dromades*, qui sunt cameli volocissimi, indeque græce dicti sunt dromades, id est cursores) *habitatrix Lachis*, q. d. Fuga vobis consulite, fugite volocissime quadrigis vestris velocissimis, ô habitatores Lachis; quia instat vobis hostis Sennacherib. Lachis enim erat urbs florentissima, equorum atque curruum copia et exercitatione nobilis, in quam ob vicinitatem et commercium, atque exercitationis stadium, idololatriæ cultus primum ab Israelitis delatus, inde totam Judæam corruperat. Est ironia et tacita irrisio, q. d. Tua, ô Lachis, maxima et celeberrima equorum et quadrigarum frequentia, tua illa admiranda et stupenda exercitatio, et in arte equos quadrigasque agitandi dexteritas, nil tibi proderit ad hoc ut Assyrio resistas; quare suadeo ut ea utaris ad fugam, sed nec hæc tibi proderit: non enim effugies; nam Assyrius te, licet volocissime fugientem, comprehendet. Unde Chald. vertit: *Aptate quadrigas, projicite vos super veredos, qui habitatis Lachis.*

In Hebræo est pulchra paronomasia inter רכב *recheb*, id est quadriga, et רכש *reches*, id est *dromedarius*, quod Noster vertit, *stuporis;* et *Lachis*, id est ambulans ad Æthiopem, q. d. Tu, ô Lachis, juxta nomen tuum ambulas ad Æthiopes, id est, ad idola fuliginosa et atra, atrosque dæmones quos colis; ambulas, inquam, placido et lento gressu: idcirco jam non eris *Lachis*, sed *rachis* sive *reches*, id est, dromas stupende velox; et *recheb*, id est quadriga: quia instar quadrigæ et dromadis velocissime conaberis fugere Assyrium: sed cogeris captiva celerrime currere in Assyriam.

Sic tropol. qui lenti perstant in peccatis, cogentur præcipites abire in supplicium et in gehennam, ait à Castro.

14. Propterea dabit emissarios (Chald. et Vatabl. vertunt, *munera*) super hæreditatem Geth.] Hoc loco significari videtur (licet id alibi non legamus) quod cives Lachis adventante Sennacherib, timentes ejus obsidionem et excidium, coacti miserint emissarios, id est legatos, cum militum comitatu et muneribus, ad Geth urbem Philisthinorum potentem, aliàs hostilem, qui ab ea peterent opem, sed frustra. Nam, ut sequitur, Maresa et Geth sunt *domus* Achzib, id est *mendacii, in deceptionem regibus Israel;* quia nimirum utraque mendaciter promittens opem, eamque promissam non præstans, sed fallens, decepit, uti aliàs sæpe reges Israel, ita nunc Judæos et cives Lachis.

Nota: Pro *super hæreditatem Geth*, hebraice est *super*, vel *ad Maresa Geth*. Unde videtur quod *Maresa* fuerit nomen proprium urbis subjunctæ Geth et Gethæis. Ita R. David, Pagninus et Vatablus; nam de ea subdit: *Adhuc hæredem adducam tibi, quæ habitas in Maresa;* et quia *Maresa* hebr. significat hæreditatem, hinc Noster vertit, *hæreditatem*, ob allusionem quam mox explicabo. Urbs enim Maresa pertinebat ad Geth, ejusque erat quasi hæreditas. Sensus ergo est, q. d. Lachis mittet legatos ad sibi vicinam Maresa, quæ est hæreditas et civitas Geth, ut ab ea opem petat contra Sennacherib.

Secundo, et melius S. Hieron. et Ribera, q. d. Sennacherib ex Lachis mittet emissarios, id est milites volones et velites, in Maresa, id est in hæreditates, agros et oppida Geth, ut ea depopulentur: eo quod ipsi nunc, uti aliàs sæpe, instigarunt Israelitas, et cives Lachis, ad resistendum Assyriis, promittendo eis opem, quam non præstiterunt: ideoque fuerunt, et sunt domus mendacii. Unde sequitur:

Domus (hebr. בתי *batte*, id est *domus* in plurali: unde Plantin. legunt *domos* in accusativo, ut sit appositio, q. d. Super Maresa et Geth, super domos, inquam, mendacii: tales enim sunt Maresa et Geth) mendacii in deceptionem filiis Israel:] scilicet fuerunt urbs Maresa

et Geth, uti jam exposui. Hebr. est, *domus* אכזיב לאכזב *achzib leaczab*, id est, domus mendacii ad mendacium, id est, deceptionem regibus Israel.

Nota : *Aczib* fuit nomen proprium urbis in tribu Juda, Josue 15. 44. Unde de ea hîc agi putant Chald. Vatabl. et Pagnin. Sic enim vertit Chald. : *Domus Aczib tradentur populis propter peccata, quibus venerati sunt idola reges Israel;* Pagninus : *Domus Aczib erunt in mendacium regibus Israel.* Quod Vatablus sic exponit, q. d. Ædes urbis munitissimæ, quæ erat in tribu Juda, nomine Aczib, quæ erat instar arcium, fallent reges Israel, et frustrabuntur spe sua, q. d. Reges Israel, id est reges Juda, frustrabuntur spe sua, cum descendent in Aczib, ut illic sint tuti contra hostes : quia civitas illa non poterit resistere hostibus; sed Aczib vere erit Aczib, id est mendacium, et mendax præsidium. Fuit et alia urbs nomine Achseph, vel Acziba, postea Ecdippa dicta, maritima et potens, non longe à Tyro, quàm initio filii Aser expugnare non potuerunt, ut patet Judic. 1. 31. Verum melius S. Hieron. et alii censent Maresa et Geth hîc vocari *domus Aczib*, id est mendacii, quia fidem datam Israelitis fefellerunt; cum allusione tamen Aczib urbis, quæ vere hoc nomine exstabat in Juda, q. d. Domus Aczib, id est mendacii, hoc est mendax et fallax, non jam erit urbs Judæ, quæ vocatur Aczib, sed erit Maresa et Geth. Sic Isaias Jerusalem vocat Sodomam, ob mores Sodomiticos, cap. 1. 10 : *Audite*, ait, *verbum Domini, principes Sodomorum*, etc. Sic sæpe Ezechiel et Prophetæ Judæos vocant Chetæos, Chananæos, Amorrhæos, etc. De Maresa enim hîc agi patet ex eo quod mox sequitur. Unde Syrus vertit : *Domus vanitatis factæ sunt in vanitatem regibus Israel;* Arabicus : *Domus deceptionis* (erroris) *factæ sunt deceptio regibus Israel.*

15. ADHUC HÆREDEM ADDUCAM TIBI QUÆ HABITAS IN MARESA.] Michæas hoc cap. plenus est allusionibus : in nominibus enim urbium propriis, eleganter, false et acute alludit ad eorum significata : qua de causa Noster non ipsa nomina propria Hebraica, sed eorum significata ponit. Sensus ergo est, q. d. Tu, ô Maresa urbs, juxta nomen tuum fuisti hæreditas dives tua, æque ac Gethæorum principum tuorum. At nunc alium hæredem tibi adducam, qui tua occupet et hæreditet, scilicet hostem Assyrium; ut jam sis Maresa, id est hæreditas, non tua, nec Gethæorum, sed Assyriorum; eo quod tu Israelitas incitaveris, et vana spe lactaveris ad resistendum Assyriis. In Hebræo pulchra est paronomasia : *Adducam* יורש ל מורשה *iores le Maresa*, id est, adducam hæredem ad suam hæreditatem. Porro Maresa hæc non fuit Michææ patria, uti aliqui opinantur; nam Maresa hæc fuit in Geth Philisthinorum, Michæas autem fuit Judæus : nisi dicas hanc Maresa esse illam quæ tribui Judæ fuit assignata à Josue, cap. 15. vers. 44, sed quam Gethæi per vim possederint, et Judæ eripuerint. Verum S. Hieron. et alii dicunt patriam Michææ fuisse Morasthi distinctam à Maresa, uti dixi in Procœmio. Ludit Michæas in voce, æque ac in re Maresa, id est hæreditas; sicut in eadem ludit Horatius l. 2. satyr. 2 :

> Nos expulit ille :
> Illum aut nequities, aut vafri inscitia juris;
> Postremum expellet certe vivacior hæres.

Unde tropolog. *domus Achzib*, id est *mendacii*, est mundus, et omnis mundana hæreditas, præsertim inique, vel per vim, aut fraudem acquisita : hæc enim est Maresa Geth, id est hæreditas torcularis, quo scilicet potentes premunt et opprimunt plebem et pauperes, sed postea sentient eam esse Achzib, id est domum mendacii. Quibus merito intonat Psaltes : *Filii hominum, usquequo gravi corde? utquid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* Ita hæretici, pressi à Catholicis, implorant opem Turcarum, sed postea sentiunt eam esse Achzib, id est mendacium; quia post victoriam Turca eos sibi subigit, eisque jugum Turcicum imponit; uti Budæ et Hungariæ avorum memoria accidisse scimus. Ita sagæ, magi, aliique desperatæ fortunæ dæmonem invocant, sed invocant Achzib, id est mendacium. Nam dæmon ab eis animam et corpus extorquet, eosque in solidum mancipat. Ita multi sectantur aulam, ut honores et opes assequantur, sed post multos labores spe sua frustrati, deplorant se servisse tot annis in vanum domui Achzib. Filii hominum, utquid toties hoc mendacium experti, non sapitis? *Utquid* adhuc *diligitis vanitatem, et quæritis mendacium*? Spes omnes tuas reponis in Principe, in Prælato, in amico; moritur ille, vel tibi offenditur ob rem levem, ecce spes tua effusa in terram : ecce spes tua est Achzib, id est mendacium. Confidis in filiis, quod familiæ tuæ erunt bases et columnæ; sed mox hunc rapit bellum, illum pestis, tertium furca, quartum hospitale, quintus degener est et rebellis : ecce confusus est in domo Achzib. Juvenis es in flore ætatis, superbis, robur tuum perenne putas, spondes tibi annos Nestoreos; sed inopinato febris te invadit, debilitat, decolorat, ut fias imago mortis : ecce juventus tua, robur tuum est Achzib, est mendacium. Abundas opibus, dicisque cum divite illo Evangelico : *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Sed audi vocem Altitonantis : *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te; quæ autem parasti cujus erunt* ? Luc. 12. vers. 19. An non hæ sunt opes, hæ domus Achzib? An non hæc est hæreditas mendacii? Vere Sapiens Eccli. 34. 1 : *Vana spes, et mendacium viro insensato, et somnia extollunt imprudentes.* Quid enim sunt omnes res et spes mortalium, nisi somnia vigilantium? ut ait ex Platone Philo : *Quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum; sic et qui attendit ad visa mendacia.* Et Psaltes psalm. 61. 10 : *Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum,* quasi dicat : Ipsi sunt quasi filii vanitatis, et per consequens sunt vanitas in idipsum, id est, omnes simul. Unde Hebr. et Chaldæus habent : *Filii hominum in statera si ascendant, ipsi pariter leviores sunt statera;* S. Hieron. vertit : *Verumtamen vanitas filii Adam, mendacium filii viri, in stateris dolosis fraudulenter agunt simul;* Theodotion : *Vapor sunt filii hominum, mendacium filii viri, ut momentum stateræ,* quod mox sursum, mox deorsum inclinatur et fertur, ait Theodor. q. d. Ita nihil stabile est in rebus humanis, sed omnia instabilia et pendula, perpetua agitatione motuque librantur : promittunt quidem stabilitatem et constantiam, sed mentiuntur : *Omnis* enim *homo mendax,* omnis pariter res et spes humana est mendax.

Vere S. August. lib. de Cognitione veræ vitæ, cap. 25, tom. 9 : *Totus*, inquit, *hic mundus instar brevissimi puncti intra Deum collocatur ; serenissima autem lux majestatis ejus extra undiqueversum in immensum diffunditur.* Idem in Psalm. 36. conc. 1 : *Molendinum*, inquit, *puto dictum mundum istum, quia rota quadam temporum volvitur, et amatores suos conterit.* Sapienter vero æque ac pathetice Auctor. serm. ad Fratres in eremo, serm. 31 : *O munde proditor*, ait, *cuncta bona promittis, sed cuncta mala profers : promittis vitam, sed donas mortem; promittis gaudium, sed largiris mœrorem; promittis quietem, sed ecce turbatio ; promittis florem, sed cito vanescit ; promittis stare, sed cito recedis.* Et paulo ante : *Væ, qui tibi credit ; beatus qui tibi resistit ; sed beatior qui à te illæsus recedit.* Et inferius : *Dicant omnes, loquantur cuncti, surgat venerabilis pater Adam cum omnibus filiis suis, et uno ore loquantur, utrum in hac vita gaudium habuerint sine dolore, pacem sine discordia, quietem sine metu, sanitatem sine infirmitate, lumen sine tenebris, panem sine dolore, risum sine fletu.* Et mox : *O munde immunde, in te habitare, et non dolere, impossibile est. In te sperare, et non timere, vanum est. In te tua amare, et non periclitari, vanum est. O fratres mei, nolite ergo eum diligere, quoniam transit, et concupiscentia ejus. Sed ecce mundus transit, et nos turbat, et amatur ; fallit et fidelis reputatur : occidit, et velut vita desideratur. O munde immunde, mella tua et dulcedo tua asperitatem habent, jucunditatem falsam; certum dolorem, incertam lætitiam ; durum laborem, timidam quietem ; rem plenam miseriæ, et spem beatitudinis inanem.* Annon ergo mundus est domus Achzib, sedes mendacii ? Annon ipse reipsa clamat אכזיב *achzib*, id est, mentior et mentiar, decipio et decipiam ? Utquid ergo mendaci, et talem se profitenti creditis et fiditis ?

USQUE AD ODOLLAM VENIET GLORIA ISRAEL.] *Odolla* quæ et *Adulla* et *Adolla* dicitur, urbs fuit antiqua, magna et regia, cujus regem occidit Josue, c. 12. 15. Hanc postea ædificiis munivit Jonathas, atque in hac sabbatum egit Judas Machabæus, 2. Machab. 12. Est, ait S. Hieron. in Locis Hebr. usque hodie vicus parvus ad Orientem Eleutheropoleos. Juxta urbem est spelunca Odollam, in qua latuit David fugiens Saulem, ibique collegit quadringentos viros, quorum factus est princeps, 1. Reg. 22. 1. et 2. Reg. 23. 13. Ita Adrichom. in Descript. terræ sanctæ. Jam sensus à variis hic varius datur. Primo, q. d. Assyrius vastabit capietque omnia, usque ad Odollam, quæ est urbs magnifica, et quasi gloria Israel. Sic Judith victrici, ob occisum ab eo Holofernem, acclamavit pontifex et populus : *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri*, Judith 15. 10 ; secundo, alii per *gloriam Israel* intelligunt Assyrium, qui Israelis opes et gloriam occupavit et hæreditavit : sicut enim eum paulo ante ironice vocavit hæredem Maresa, sic eumdem nunc vocat gloriam Israel. Unde Pagnin. et Vatabl. sic vertunt : *Hæres gloriæ Israel* (puta Assyrius) *veniet usque ad Odollam.* Tertio, S. Hieron. cum suis *gloriam* accipit per antiphrasin et sarcasmum, pro dedecore, q. d. Dedecus Israelis, quod illi inferet Assyrius vastator, perveniet usque ad Odollam. Quarto, hebr. כבוד *cabod* non tantum gloriam significat, sed et gravitatem. Unde verti potest : *Gravitas*, id est gravis afflictio, *Israelis perveniet usque ad Odollam.* Ita Lyran. et Arias. Quinto, planius proprie potest capi *gloria Israel*, q. d. Assyrius sensim progrediendo capiet omnes pene urbes Israelis et Judæ, ita ut perveniat ad Odollam, quæ erat in finibus Juda; et consequenter regnum, ditio et gloria Israel quasi propulsa et fugata ab Assyrio, perveniet sistetque in Odollam urbe olim gloriosa : quare illa, ab eodem capta, quasi exstinguetur ; et corruet gloria Israel, juxta illud Poetæ :

Fuimus Troes, fuit Ilium, et ingens
Gloria Teucrorum.

Hinc, cæso Israele et capta arca, uxor Phinees pontificis gravida, ex dolore enixa filium, vocavit eum *Ichabod*, id est, *ubi gloria?* dicens : *Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei*, 1. Reg. 4. v. 20. Ita Propheta hîc per vastitatem urbis magnificæ Odollam, quæ pene erat extrema in Juda, cæterarum omnium præcedentium et interjacentium urbium vastitatem significat ; ita ut in Odollam statura et casura sit ditio et gloria Israelis. Alludit ad etymon *Odollam*, vel, ut hebr. est, *Hadulam. Hadulam* enim hebr. significat, *ornamentum usque ad eos*, scilicet perveniet : vel *transitus* aut *præda*, scilicet Assyriorum, *usque ad eos*, scilicet perveniet. Ita Pagnin. in Interpret. nomin. Hebr. Denique perperam pro *Odollam* legit *olam*, id est seculum ; unde vertit : *Usque in seculum efferet gloriam Israelis;* et Arabicus : *In seculum exaltabitur gloria Israelis.*

16. DECALVARE.] Non tu, ô Jerusalem, ut vult Theodor. hanc enim capere nequivit Sennacherib de quo hîc agitur, imo ipse ibidem cæsus est ab angelo; sed vel tu, ô Odollam, et tu, ô Maresa, ut censet Vatablus ; vel tu, ô Israel, ut censet Arias ; vel potius tu, ô Samaria, quæ uti sceleris, ita et excidii Judæ fuisti dux et choragus, uti hoc capite docui : *decalvare* enim in Hebr. est feminini generis; ergo femininum nomen Samariæ, non masculinum Israelis respicit. Ita S. Hieron. et Rupertus. Unde Septuag. aliter hæc dispungentes, clare vertunt : *Gloria filiæ Israel decalvare et detondere super filios delicatos tuos.* Hoc est quod dixit initio cap. v. 5 : *Quod scelus Jacob, nonne Samaria* ? Sicut ergo cepit hoc caput in Samaria, ita et in eadem claudit. Dicit ergo : Tu, ô Samaria, et consequenter tu, ô Judæa, decalvare et tondere in signum extremi luctus. Hujus enim apud Judæos, et etiam apud Gentiles signum erat calvitium et depilatio. Sic enim Job afflictus caput totondit, c. 1. v. 20. Idem patet Jerem. 7. 29, et cap. 47. v. 5, et Ezech. 27. 31. Nam, ut ait Ovidius :

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,
Et sine fronde frutex, et sine crine caput.

Decalvare ergo, ô Samaria, in signum insignis mœroris, desolationis, excidii, et, ut Theodor. ait, rejectionis, qua Deus rejiciet et reprobabit filios deliciarum tuarum, id est, filios qui tibi sunt in deliciis, et, ut Septuag. vertunt, *filios delicatos tuos*, eosque tradet hosti Assyrio vel occidendos, vel captivandos. Ita S. Hieronym. Remig. Rupert. Hugo, Lyran. Clarius et Palacius. Unde secundo, consequenter innuit ipsos filios, puta Israelitas et Judæos, ab Assyriis decalvandos et detondendos quasi mancipia. Hoc enim bello captis et servis facere solent victores

et Domini. Unde de Scipionibus dictum : *Sub quorum titulis Africa tonsa jacet.* Quocirca Chald. vertit : *Evelle tibi capillos, et projice super filios deliciarum tuarum : sicut aquila, cujus alæ delapsæ sunt, sic adauge calvitium in capite tuo causa filiorum tuorum*, q. d. Fac tibi magnum calvitium, sicut aquila dum senescit plane deglabratur, ut ostendas ingentem luctum et mœrorem.

Dilata calvitium tuum sicut aquila; Syrus et Arabicus: *Multiplica calvitium tuum sicut aquila;* quia sicut aquila plumas, ita tu populum filiosque tuos amittes ; unde sequitur : Quoniam captivi ducti sunt ex te.] Tertio, Theodor. Aquilæ, inquit, non tantum decor, sed et celeritas ac robur consistit in pennis; cum enim ei defluunt pennæ, adeo infirma est et timida, ut sese abscondat, nec venari possit vel audeat, sed aliorum potius prædæ sit exposita. Sic ergo et Samaria nuda armis et militibus, quasi implumis aquila, quæ neque robur habet, neque effugium, Assyriorum prædæ exponetur. Quarto, Sanchez censet hîc alludi ad Gentilium, quos secuti sunt Israelitæ, morem, qui solebant in suorum funere cæsariem tondere, eamque in defuncti sepulcrum inferre, itaque ei parentare. Sic Homerus, Iliade 23, ait ab Achille comam in Patrocli rogum conjectam. Et Catullus in Argonautis :

In cinerem canos solvent à vertice crines.

Et Seneca in Phædra, actu 5, scena 1 :

Placemus umbras ; capitis exuvias cape,
Laceræque frontis accipe abscissam comam.

Idem diserte docet Dionys. Halicarn. in funere Virginiæ. Sensus ergo est, q. d. Omnes tui cives et filii, ô Samaria, evellentur aut à natali, aut à vitali solo; omnes morientur vel civiliter, vel naturaliter, hoc est, omnes vel interibunt, vel capientur ab Assyriis. Illis ergo parenta, tuosque crines in eorum rogum injice. Verum cum illi sint innumeri, et tui capilli pauci, ut singulis hoc ritu parentes, oportet ut quidquid in toto corpore capillorum est, ad ipsas usque radices evellas ; sicut quidquid est in aquila plumarum, cum ipsis etiam radicibus effluit, dum illarum profluvium et calvitium subit. Huc accedunt alii, qui censent hîc notari et puniri idololatriam crinium, q. d. Tu, ô Maresa, tuos tuorumque filiorum et filiarum capillos idolis obtulisti, idcirco decalvaberis, ut in quo peccasti, in eo et puniaris. Idololatras enim capillos capitis et barbæ resectos consecrasse suis diis docet Alexander ab Alexand. lib. 5. Genial. cap. 18. et ibi Tiraquellus. Et de Ægyptiis testatur Diodorus Siculus, libr. 2. cap. 4, *pro pueris morbo affectis vota concepisse, ut si Deus voto adesset, defectum capillum dedicarent.* Et Virgil. 4. Æneid.

Hunc ego Diti
Sacrum jussa fero, teque isto corpore solvo.
Sic ait, et dextra crinem secat.

Et Euripides in Bacchidib. : *Sacer capillus est, Deo ipsum nutrio.* Et Papin. lib. 2 : *Virgineas libare comas.* Idem testatur Tertull. libr. de Anima, et Censorinus lib. de Die natali, in Prooemio. Plutarchus in Theseo narrat eum ex more recepto, cum ex pueris excessisset, Delphos abiisse, ut comæ primitias Apollinis sacraret. Suetonius in Nerone, cap. 12, ait Neronem ex aurea pyxide barbam consecrasse Jovi Capitolino. Gentiles velut simiæ hoc, ut et multa alia, acceperunt à Judæis, quorum Nazaræi crinem suum vovebant, sacrabant et comburebant Deo, uti dixi Numer. 6.

Primus sensus uti planior, ita et germanior est. Comparat Israelem aquilæ potius quàm aliis avibus : quia cum homo solo capite decalvetur, aquila toto corpore depilatur, cum senescit : unde tunc juvenescit rursum, cum novæ ei plumæ pro veteribus succrescunt; de qua re multa dixi Isaiæ 40. 31. Audi S. Gregor. hom. 18. in Ezech. in fine : *Contigit*, ait, *ei* (Romæ à Longobardis, tempore S. Gregorii, obsessæ) *quod de Judæa novimus per Prophetam prædictum : Dilata calvitium tuum sicut aquila. Calvitium quippe homini in solo capite fieri solet, calvitium vero aquilæ in toto corpore : quia cum valde senuerit, plumæ ejus ac pennæ ex omnibus membris illius cadunt. Calvitium ergo suum sicut aquila dilatat, quia plumas perdidit quæ populum amisit. Alarum quoque pennæ ceciderunt, cum quibus ad prædam volare consueverat : quia omnes potentes exstincti sunt, per quos aliena rapiebat. Hæc autem de Romanæ urbis contritione dicimus, in cunctis facta mundi civitatibus scimus. Alia enim loca clade desolata sunt, alia gladio consumpta, alia fame cruciata, alia terræ hiatibus absorpta. Despiciamus ergo ex toto animo hoc præsens seculum, vel exstinctum : finiamus mundi desideria saltem cum mundi fine. Imitemur bonorum facta, quæ possumus.* Quidam apud Clarium vertit : *Projice in altum abrasos capillos tuos, quantum subvolare solet aquila,* id est, maxime et acerbissime luge. Sed Hebr. vox קרח *carach* significat decalvare, non projicere in altum.

Alii censent aquilam, uti et hominem, solo capite decalvari : calvitium enim proprie est capitis, depilatio vero corporis. Cum enim aquila senescit, plumas tam in capite, quàm in corpore amittit ; unde tunc in capite decalvatur, in corpore depilatur. Verum de calvitio capitis aquilæ, nihil præ aliis avibus singulare apud Plinium, Ælianum, Aristot. Aldrovandum et alios legimus; sed depilationem totius corporis aquilæ celebrant omnes. Decalvare ergo hîc idem est quod depilare. Unde ait : *Dilata calvitium tuum*, ut scilicet à capite per totum corpus extendatur.

Tropol. aquila pennas veteres dimittens, seque decalvans et depilans, et mox novas assumens, symbolum est pœnitentiæ et pœnitentium, qui calvitium pœnitentiæ, id est luctum, signaque luctus assumunt, ac veteres pravos mores deponunt, novamque virtutis vitam ineunt. Ita ex S. Hier. Aldovrandus in Aquila pag. 69; imo Psaltes psal. 102. 5 : *Renovabitur ut aquilæ juventus tua,* nimirum *veterem hominem deponens, novum autem qui in Creatoris agnitionem renovatur, assumens*, ait ibidem S. Chrys. Sicut enim aquila omnes pennas veteres deponit, totoque corpore se deplumat, ut ubique novas assumet, totumque corpus renovet; ita peccator et pœnitens omnes mores pristinos deponere, novosque assumere debet, ut fiat alter novusque homo. Hoc verum, sed rarum pœnitentiæ est schema.

Symbol. Samaria, et quivis peccator per peccatum decalvatur, id est, omni decore et gloria

virtutum et gratiarum spoliatur. Ita S. Hieron. Unde perdit Odollam, id est ornamentum eorum; et Maresa, id est hæreditatem gratiæ Dei et regni cœlestis; et Samariam, id est custodiam Angelorum; et qui antea erat Israel, id est dominans Deo, fit mancipium diaboli.

Anagog. Rupert. Hac, ait, similitudine aquilæ deplumantis se, ut novas pennas assumat, continetur tacita promissio alterius sobolis melioris; Samariæ quidem ad litteram, fidelium vero et sanctorum mystice, præsertim per resurrectionem et gloriam cœlestem.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recenset oppressiones pauperum, aliasque injurias proximis illatas ab Israelitis : ideoque eis captivitatem comminatur, non ex odio, sed ex amore et compassione. Unde v. 11 : Utinam, ait, non essem vir habens spiritum, et mendacium potius loquerer! Quocirca, v. 12, tristibus læta subjungens, promittit Christum, qui eos è captivitate in unum Ecclesiæ ovile, quasi pastor colligat.

Theodor. putat Prophetam hic vaticinari duabus tantum Tribubus : Rupertus vero, Vatabl. et a Castro, decem duntaxat. Verius est eum primo decem, deinde duabus Tribubus hæc edicere, uti censet Arias. Probatur primo, quia caput hoc simile est priori, et ab eo continuo filo deducitur, connectitur, et pendet. Ergo sicut ibi primo egit contra decem, deinde consequenter vel comitanter contra duas Tribus; ita agit et hic. Secundo, quia v. 12. et cap. 3. 1. alloquitur tam Jacob, quam Israel. Ergo sicut cap. 1. 5. per Jacob intellexit decem Tribus, per Israel duas, ita et hic. Tertio, quia v. 12. ait Christum congregaturum in suum ovile tam Jacob, quam Israel. Atqui Christus congregavit tam decem Tribus, quam duas : ergo. Quarto, quia non tantum hic agi de decem Tribubus, sed et de duabus, patet clare cap. 3. 10. ubi ait : Qui ædificatis Sion in sanguinibus, et Jerusalem in iniquitate. Et v. 12 : Propter hoc causa vestri, Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit.

1. Væ qui cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris : in luce
matutina faciunt illud, quoniam contra Deum est manus eorum. 2. Et
concupierunt agros, et violenter tulerunt, et rapuerunt domos, et calum-
niabantur virum, et domum ejus : virum, et hæreditatem ejus. 3. Idcirco
hæc dicit Dominus : Ecce ego cogito super familiam istam malum : unde
non auferetis colla vestra, et non ambulabitis superbi, quoniam tempus
pessimum est. 4. In die illa sumetur super vos parabola, et cantabitur can-
ticum cum suavitate, dicentium : De populatione vastati sumus; pars populi mei commutata est :
quomodo recedet à me, cum revertatur, qui regiones nostras dividat? 5. Propter hoc non erit
tibi mittens funiculum sortis in cœtu Domini. 6. Ne loquamini loquentes : Non stillabit super
istos, non comprehendet confusio. 7. Dicit domus Jacob : Numquid abbreviatus est spiritus
Domini, aut tales sunt cogitationes ejus? Nonne verba mea bona sunt cum eo qui recte gra-
ditur? 8. Et econtrario populus meus in adversarium consurrexit : desuper tunica pallium sus-
tulistis : et eos qui transibant simpliciter convertistis in bellum. 9. Mulieres populi mei ejecistis
de domo deliciarum suarum : à parvulis earum tulistis laudem meam in perpetuum. 10. Surgite,
et ite, quia non habetis hic requiem : propter immunditiam ejus corrumpetur putredine pessima.
11. Utinam non essem vir habens spiritum, et mendacium potius loquerer! stillabo tibi in vi-
num et in ebrietatem : et erit super quem stillatur populus iste. 12. Congregatione congregabo
Jacob totum te : in unum conducam reliquias Israel, pariter ponam illum quasi gregem in ovili,
quasi pecus in medio caularum, tumultuabuntur à multitudine hominum. 13. Ascendet enim
pandens iter ante eos : divident, et transibunt portam, et ingredientur per eam : et transibit
rex eorum coram eis, et Dominus in capite eorum.

1. VÆ QUI COGITATIS INUTILE!] Hebr. און aven, id est *vanitatem* vel *iniquitatem*. Ita Pagn. et Vatabl. Chald. *rapinam*; Syrus, *fraudem*; Arabicus, *ignorantiam*, insipientiam. Agit enim de injuriis proximo illatis. Sicut enim c. 1. descripsit peccata Israel in Deum, ita hic ejusdem scelera in proximum commissa recenset. Est Liptote, sive Imminutio, figura Rhetorica, qua modestiæ causa minus dicitur, et majus intelligitur; ut cum ait Poeta: *Quem non virtutis egentem* (id est, quem virtute pollentem et abundantem) *abstulit atra dies*. Sic idola in Scriptura vocantur *vana*, quia in se vana falsaque sunt numina; at non vanam, sed veram afferunt noxam: puta culpam et pœnam. Septuag. pro הוי *hoi*, id est væ, aliis punctis, et per metathesin litteræ *vau* cum *iod*, legerunt היו *haiu*, id est, *facti sunt cogitantes labores*, id est peccata et scelera: peccatum enim parit laborem et dolorem tam præsentem, quàm futurum.

ET OPERAMINI MALUM IN CUBILIBUS VESTRIS, q. d. Noctu in lectis excogitatis et machinamini scelera, puta fraudes et oppressiones pauperum, quæ summo mane avide et festinanter expletis. Hoc est enim quod sequitur: IN LUCE MATUTINA FACIUNT ILLUD.] *Faciunt*, id est facitis. Est enallage personæ: sed ait *faciunt*, quasi ob rei indignitatem avertens faciem et sermonem ab eis: unde de eis quasi alienis et hostibus, in tertia persona loquitur.

QUONIAM CONTRA DEUM EST MANUS EORUM.] *Manus*, id est, consilium, machinatio, operatio, et executio quæ fit manu. Nota: Hebr. אל *el* significat fortitudinem, et inde Deum, quia ipse est fortissimus. Unde ex Hebræo sic verti potest: *Quoniam ad fortitudinem manus eorum*, id est, quia manus eorum sunt fortes, sive *quia viribus pollent*, ut vertit Tigurina, atque *quia facultas in manibus eorum ad opprimendum*, ut vertit Pagnin. Sic et Chald. Clarius et Arias, q. d. Machinantur injurias proximis, easque reipsa inferunt, quia sunt potentes, nec quis valet eis resistere. Unde S. Hieron. *Non consideratis*, ait, *quod adversus Dominum fortis est manus vestra?* Tertio, Septuag. totum hunc locum sic transferunt: *Facti sunt cogitantes labores, et operantes mala in cubilibus suis, et simul cum die* (mox ut dies illucescebat) *consummabant ea, quia non levaverunt ad Dominum manus suas.*

Ubi nota quanta sit vis orationis, et quanta mala ex ejus omissione et neglectu sequantur. Hi enim Israelitæ omnes fraudes et rapinas machinabantur et perficiebant, eo quod non levarent manus suas ad Dominum, ut vertunt Septuag. Si enim eas levassent, partim recordatione Dei et judiciorum ejus deterriti, à scelerum molitione destitissent; partim Deus ab eis invocatus gratia sua eos prævenisset, qua eos avocasset à malo, et incitasset ad bonum. Idem reipsa experimur in magnis peccatoribus; scilicet eos oblivisci orationis et Dei, uti de senibus illis Susannæ pudicitiæ insidiantibus dicitur Daniel 13. 9: *Everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum.* Et Psaltes psalm. 13. cum vers. 1. dixisset de impiis: *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis, etc. omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, etc. contritio et infelicitas in viis eorum, etc.* Causam horum malorum et scelerum subdit, v. 5. dicens: *Dominum non invocaverunt.* Ex adverso ipse Psaltes jugiter orat Deum, ut ab eo in suis cogitationibus et operibus dirigatur, ne in aliquod peccatum labatur: *Perfice*, inquit, *gressus meos ut non moveantur vestigia mea*, Psal. 16. 5. *Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua, et doce me, quia tu es Deus salvator meus*, Psal. 24. 4. *Legem pone mihi, Domine, in via tua, et dirige me in semitam rectam, propter inimicos meos*, Psal. 26. 11. Idipsum facit sæpe alibi, et toto Psal. 118. qui est de custodia legis Dei. Et S. Paulus, 2. Corinth. 13. 7: *Oramus*, ait, *Deum, ut nihil mali faciatis.* Scribit Cassianus, collat. 10. c. 9, servos Dei in initio cujusque operis solere implorare opem Dei, ut illud recte, sine peccato, et cum virtute obeant, ac dicere: *Deus in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina*, prout Ecclesia orat initio Horarum singularum; quæ et ad Primam initio diei ita precatur: *Domine, Deus omnipotens, qui ad principium hujus diei nos pervenire fecisti, tua nos hodie salva virtute, ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam justitiam faciendam, nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera.* Experientia docuit Confessores, pro fide Christi captos à tyrannis, in ea fortes perstitisse, factosque Martyres quotquot jugi orationi se dediderunt; cecidisse vero eos qui orare, et Dei opem invocare neglexerunt. Idem vidimus et videmus in aliis tentationibus quibuslibet. Idem experimur in nobis ipsis. Hujus rei symbolo legitur in libris Machab. quod Judas Machabæus, qui tot tamque nobiles victorias de Antiocho obtinuit, semper ante singula prælia ferventes ad Deum preces fuderit, excepto ultimo in quo confossus occubuit, quia tunc orasse non legitur. Quotidie ergo oremus cum S. Ambrosio et S. Augustino in hymno: *Te Deum laudamus: Dignare, Domine, die isto sine peccato nos custodire.*

2. RAPUERUNT DOMOS,] concupierunt domos æque ac agros proximi, easque rapuerunt vi vel fraude, ut concupiscentiam suam explerent.

ET CALUMNIABANTUR VIRUM,] per calumniam opprimebant, accusantes eum falso, ut ei bona, vel etiam vitam eriperent: hoc enim est hebr. עשק *asac.* Unde Tigurina vertit, *vim inferunt cuique;* Pagnin. *oppresserunt virum;* Septuag. *diripuerunt virum.*

3. ET NON AMBULABITIS SUPERBI.] Chald. et Septuag. *erecti*, q. d. Deprimam erectam et superbam eorum cervicem, reddam eos humiles et dejectos, ut colla tumida submittant, cervices altas inclinent.

QUONIAM TEMPUS PESSIMUM, id est, maxime calamitosum, EST,] id est, erit, q. d. Inducam eis maximas clades, quæ cervices eorum superbas contundant et frangant. Sic dicitur Matth. 6. 34: *Sufficit diei malitia*, id est, afflictio et calamitas, *sua.* Sic ex adverso Hebræi vocant *bonum*, id quod prosperum est et jucundum, ut: *Ecce quàm bonum et quàm jucundum habitare fratres in unum*, Psalm. 132. v. 1. Ad hunc Michææ locum allusit Apostolus Ephes. 5. 16. dicens: *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.*

4. IN DIE ILLA SUMETUR SUPER VOS PARABOLA,] puta nænia, id est, lamentum funebre et carmen lugubre, vulgo et passim cantandum. Sic

parabola vel lamentum vocatur nænia excidii Babylonis, Isaiæ 14. 4. et Tyri, Ezech. 27. 2. et Ægypti, Ezech. 32. 2. Ratio est quia uti parabolæ, ita et næniæ adhiberi solent similitudines, gnomæ, metaphoræ, similesque figuræ et schemata, quæ in carmine adhibentur. Adhæc sunt res tritæ, quæ vulgo in omnium ore versantur; hæ enim Hebræis vocantur parabolæ, vel proverbia.

Et cantabitur canticum cum suavitate.] Hebræi : *Et lamentabitur lamentum lamenti*, id est lamentum summum, sive maxime lugubre. Ita Pagnin. Vatablus et alii. Dices : Cur ergo Noster et Septuag. vertunt, *canticum cum suavitate;* et Arias, *lamentum cum solamine?* Resp. quia quando Hebræi idem nomen iterant in genitivo, significant quid in eo genere eximium, pulcherrimum et summum, ut, Rex regum, id est summus Rex : Canticum canticorum, id est, canticum pulcherrimum. Sic hìc lamentum lamenti est eximium et pulcherrimum lamentum : præsertim quia omnis cantus, etiamsi lugubris et lamentabilis, hoc ipso quo cantus, suavis est, auresque et mentem delectat : quinimo non tantum melancholici, sed et viri pii compunctioni dediti, magis delectantur carmine et musica funebri, quàm festiva et exsultante. Hac de causa veteres in funere adhibebant lamentatores et lamentatrices, canentes tibiis, ut tibiarum sono et voce, licet lugubri, lenirent dolorem parentum et cognatorum, qui proinde ita voces suas frangebant et flectebant, ut modulatione sua lenirent mœrorem. Ita et hoc lamento insigni lenitur mœror Hierosolymæ vastatæ, eique licet mœrenti, suavitatem aliquam præfica ingerit, eamque consolatione tali loco congrua demulcet.

Aliter Ribera : Hebr. inquit, נהיה *nihia*, id est, lamenti vel lamentationis, à radice נהה *naha*, id est, lamentatus est, deduci potest à radice הוה *hava*, quod significat frangere, conterere, q. d. Frangetur, id est, fracta, incisa et molli voce, hoc est cum suavitate, canetur hoc lamentum. Melius *nihia* deducas ab היה *haia*, id est fuit : ut *nihia* idem sit quod factum, completum, concinnum, elegans, ideoque demulcens, delectans et suave.

Aliter Remig. Albert. Lyran. et Hugo; censent enim hoc lamentum assumendum non ab ipsis Israelitis, sed ab eorum hostibus Assyriis, qui imitantes et replicantes hoc Israelitarum lamentum, canent per irrisionem cum suavitate idipsum, quod Israelitæ canent cum luctu. Verum alii simplicius censent Prophetam hoc lamentum assignare non Assyriis, sed ipsis Israelitis vastatis, puta canendum ab eorum præficis et lamentatoribus publicis, qui lamentis præerant, ad publicum civium in tanta clade solamen. Hoc enim significant ipsa verba lamenti, quæ sunt primæ personæ : *Depopulatione vastati sumus.*

Depopulatione vastati sumus; Hebr. *Vastando vastati sumus*, id est, ut Pagnin. *Penitus vastati sumus*, pars populi mei commutata est.] Sunt verba Synagogæ, puta Samariæ et Hierosolymæ, q. d. Pars populi Israelitici translata est à Salmanasar in Assyriam, æque ac pars populi Judaici translata est à Nabuchodonosore in Babylonem. Secundo, *pars*, id est sors et hæreditas populi mei, puta agri Samariæ, ab Israelitis translati sunt ad Cuthæos et Assyrios, æque ac agri Judææ occupati sunt à Chaldæis, 4. Reg. 17. et c. 25.

Quomodo recedet a me, cum revertatur qui regiones nostras dividat?] q. d. Persuadebant nobis pseudoprophetæ et adulatores, nosque credebamus quod, cum Salmanasar populatus esset agros Samariæ paucis abductis, nosque illi promitteremus tributum, amplius ad nos non rediret, foretque nobis pax : sed ecce redit et obsidet Samariam, eamque capit, omnesque Israelitas abducit, ac in eorum locum ex Assyria in Samariam adducit Cuthæos, qui agros eorum possideant, quasi incolæ perpetui futuri, ut nulla nobis ad nostra redeundi supersit spes. Idem dicunt Judæi de Nabuchodonosore : sperabamus eum occiso Joakim, et capto Joachim, indictoque nobis tributo, non rediturum : sed ecce redit, capit Jerusalem, excæcat Sedeciam, filios ejus obtruncat, cives omnes abducit, agros nostros alienis distribuit; nihil ergo spei nobis superest. Huc accedit expositio S. Hieronymi, Remigii, Haymonis et aliorum, qui hæc de Sennacherib exponunt, quasi dicat : Cum Sennacherib recederet ab obsidione Jerusalem, ut occurreret Tharacæ regi Æthiopum, nos Judæi sperabamus eum amplius non rediturum : sed ecce redit, Jerusalem obsidet, agrosque nostros suis dividit.

Paulo aliter vertit Pagnin. *Quomodo*, inquit, *removit à nobis quos sperabamus nobis restitui? agros nostros hostis divisit sibi.* Et Vatabl. *Quomodo abstulit à me, cum restituturus videretur* (nobis) *agros nostros? divisit*, supple nostros agros aliis, q. d. Fallimur spe nostra, sperabamus agros nostros nobis restituendos, et ecce in eos hostes nostri possessores inducuntur.

5. Propter hoc non erit tibi.] Verba sunt Prophetæ ad Samariam, vel potius Samariæ et Judææ ad seipsam. Sic enim lugentes ex patho seipsos subinde quasi alienos alloquuntur, q. d. Posthac terram tuam, ô Samaria et Judæa, inter tuos cives funiculo non divides, uti antea facere solebas, quia scilicet privaberis omni tua possessione, hoc est, posthac ego Samaria et Judæa meis filiis terram non dividam, quia ea omnino privabor. Hìc finitur lamentum et nænia.

6. Ne loquamini loquentes, etc.] Hebr. *Ne stilletis stillabunt*, quod Vatabl. vertit : *Ne stilletis his qui stillare solent*, id est Prophetis, propterea *non stillabunt* posthac *istis :* sicque exponit, Dicere solent Prophetis : Ne loquamini, hoc est, nolite prophetare et vaticinari nobis, q. d. Vos veris Prophetis silentium imponitis, et propterea privabimini Prophetis et prophetia. Verum melius Noster, Symmach. et alii veteres vertunt : *Ne stilletis stillantes*, vel stillando. Nam futurum Hebræi subinde usurpant pro participio, ut Osee 12. 11. hebr. est : *Si Galaad idolum, ergo frustra fuerunt in Galgal, bobus immolaverunt*, id est immolantes, ut vertit Noster et alii. Et cap. 13. 3 : *Immolate homines, vitulos adorabunt*, id est adorantes, ut vertunt Septuag. Noster et alii. Jam per *stillare* Septuag. intelligunt plorare et lacrymari : oculorum enim stillæ sunt lacrymæ. Unde vertunt : *Ne lacrymemini lacrymas.* Verum apud Hebræos, præsertim Prophetas, *stillare* idem est quod loqui, prophetare, concionari, uti sæpe monui. Nam, ut ait S. Hieron. *Eloquium ab eo quod fluat, et ad aures perveniat audientium in similitudinem plu-*

viæ descendentis, stillationem vocat, præsertim quia grave est, minax et onerosum : stillæ enim cum pondere, impetu, nimbo et grandine sæpe decidunt. S. Hier. Remig. et alii censent hæc esse verba Prophetæ ad populum, q. d. Nolite dicere, ô Judæi, id quod soletis ; Prophetæ prædicunt et comminantur nobis mala, at nos eis non credimus : non enim stillabit, id est non ruet, super nos calamitas ista.

Verum, quia non ait : *Non stillabit* super nos, sed *super istos*, hinc alii probabilius censent esse verba alterius Prophetæ, vel viri sapientis ad Michæam similesque Prophetas, q. d. Nolite, ô Michæa, ô Amos, ô Joel, etc. prophetare Israelitis, quia ipsi non credunt : unde vestrum eloquium non stillabit super istos, id est, non instillabit illis pia monita : non enim *comprehendet* illos confusio, dolor aut pœnitentia, q. d. Sunt obstinati et incorrigibiles. Quocirca Chald. vertit : *Ne prophetetis prophetiam, neque doceatis populum istum ; nam non admittunt confusionem*, q. d. Frustra eos monetis; nam perfricuerunt frontem, et in suis sceleribus sunt impudentes. Unde sequitur :

7. Dicit domus Jacob. Pro *dicit* heb. est האמור *heamur*, id est, *hoc est dictum domus Jacob : he* enim demonstrativum significat *hoc*. Ita Noster. Nam dum Prophetæ eis exitium minantur, obstrepunt dicuntque : Numquid abbreviatus est spiritus Domini ? q. d. Numquid arctatus et angustiatus (hoc enim significat hebr. קצר *katsar*) est spiritus misericordiæ Dei, ut nos qui sumus populus ejus perdere velit ? numquid tales sunt cogitationes ejus,] quales enuntiant nobis Prophetæ, tristes scilicet et exitiales, et non potius benigne et pacifice ? juxta illud quod ipse ait per Jeremiam, cap. 29. 11 : *Cogito super vos*, ait Dominus, *cogitationes pacis et non afflictionis*. Ita S. Hieron. Haymo, Remig. et alii.

Secundo, alii *he* in *heamur* accipiunt non ut demonstrativum, sed ut interrogativum vel admirativum. Unde vertunt : *O dicta domus Jacob!* Ita Pagnin. vel : *Annon dictum est à domo Jacob?* Ita Tigurina, q. d. Itane, ô Jacobitæ, id est, Israelitæ, dicitis Prophetis : Ne stilletis, id est, prophetetis nobis mala, uti præcessit? *Annon abbreviatus est spiritus Domini?* q. d. Etiamsi illis Prophetis claudatis ora, et silentium imponatis, annon possum alios acriores eorum loco suscitare et submittere, qui duriora nuntient? *Annon hæc sunt opera ejus?* q. d. Nonne hæc oracula minacia non sunt Prophetarum, sed ipsius spiritus Domini, qui per os eorum loquitur, q. d. Contenditis et pugnatis, ô Israelitæ, non contra Prophetas, sed contra Deum, novam gigantomachiam contra Deum instituitis. Videte ergo ne ut gigantes à Deo fulmine adigamini in Abyssum. Durum enim est vobis contra stimulum calcitrare. Ita Vatablus. Verum prior sensus est genuinus; nam τὸ *dicit domus Jacob* non ad præcedentia, sed ad sequentia spectat. Quæ ergo sequuntur : *Numquid abbreviatus est spiritus Domini?* sunt verba non Dei, sed populi Israel, cui respondet Deus dicens :

Nonne verba mea bona sunt cum eo qui recte graditur ?] Sunt verba et responsio Dei. Nota *bona*, id est benigna, clementia, jucunda. Sic dicitur psalm. 7. 21 : *Quàm bonus Israel Deus his qui recto sunt corde ! bonus*, id est, suavis et beneficus ; et Michææ 7. 4 : *Qui optimus*, id est, benignissimus et mansuetissimus, *in eis est, quasi paliurus, et qui rectus* (id est, placens, gratus, jucundus, placidus) *quasi spina de sepe.* Israelitæ Prophetis minantibus Dei vindictam obstrepebant et objiciebant Dei clementiam et bonitatem erga populum suum. Hisce respondet hîc Deus se bonum et clementem esse, sed bonis et rectis ; malum vero et rigidum malis et impiis, quales erant Israelitæ, q. d. Vos à me et Prophetis exposcitis verba bona, id est oracula fausta et læta : sed respondeo hæc à me dari bonis, mihique obedientibus ; his enim ea ex promisso meo debentur. Vos autem pravi estis, mihique rebelles ; ergo nonnisi oracula rebellibus digna, puta tristia et minacia, à me exspectate. Unde subdit :

8. Et econtrario populus meus in adversarium consurrexit.] Pro *econtrario* hebr. est אתמול *etmul*, quod primo, significat *heri*, *paulo ante*. Unde Septuag. Symmach. Pagnin. Vatabl. Clarius et alii vertunt, *heri*, vel ante *unum diem*, id est paulo ante, jam recenter, *populus meus hostis in morem insurrexit*, tum contra me meamque legem, tum contra proximum. Unde Pagnin. vertit : *Quasi inimicus alter contra alterum stetit*, scilicet eum tunica et pallio spolians, ut sequitur, q. d. Qui heri erat populus meus, hodie mihi rebellis, contra me æque ac contra proximum suum consurgit. Ita Vatablus.

Secundo, *etmul* potest esse conflatum ex *et*, id est, *ex*; et מול *mul*, id est *contra*, q. d. Econtra, ex adverso, ut sit sensus, q. d. Ego bonus sum bonis et rectis, mihique consentientibus : vos vero, Israelitæ non estis tales : sed contra me et proximos vestros quasi hostes consurgitis. Quid mirum ergo si vos mali malum, id est maleficum, me, non bonum et beneficum, experiamini? Ita S. Hieron. Remig. Hugo et alii. Quocirca Septuag. vertunt : *Et antea populus meus in inimicitia restitit contra pacem suam.* Pax enim omne bonum significat et complectitur.

In adversarium consurrexit.] S. Hieron. *Tyrannica adversum me arma corripuit.* Idololatræ ergo et peccatores sunt tyranni et rebelles qui contra Deum pugnant.

Desuper tunica pallium sustulistis.] Primo, Chald. aliter hæc accipit, scilicet ut significent non culpam, sed pœnam Israelis. Sic enim totum hunc locum vertit : *Ob scelera hosti traditi sunt, è regione eorum populi stantes possident eos : pecuniam eorum pretiosam ab eis tollunt, transeuntes per terram eorum confidenter convertuntur in eos, velut bello confractos.* Secundo, Arias, q.d. Heri populus meus mihi fidelis et obediens, in hostes suos potens insurrexit, eosque protrivit : at nunc, cum à me ad idola et scelera descivit, mea ope et robore destitutus, factus est ignavissimus, timidissimus et imbecillimus, adeo ut, si prospiciat vestem è regione, quam viator quispiam baculo (ut fit) suspensam ferat, ex vano hostium metu militare id signum esse putans, trepide fugiat, etiam abjecto pallio, ut celerius fugam capessat. Verum planus est sensus quem reddidit Noster, q. d. Vos, ô Israelitæ, adeo rapinis fuistis addicti, ut obvio viatori raperetis pallium, id est extimam vestem, cum intimam tunicam corpori ejus nimis astrictam rapere non possetis : itaque coegistis eum publice seminudum, ut rusticanum hominem indecore incedere. Idcirco spoliabunt et nuda-

bunt vos Assyrii, tum quia vos spoliastis alios, tum quia opes vestræ non sunt vestræ, sed prædæ et rapinæ pauperum : à vobis ergo quasi injustis possessoribus, avolabunt ad Assyrios.

Tropol. S. Hieron. hæc refert ad eos qui simplices pervertunt, eosque gratia et virtutibus despoliant, pelliciendo eos in hæresim, libidinem, furta, etc.

ET EOS QUI TRANSIBANT SIMPLICITER, innoxie et consequenter fidentes, et nihil mali timentes, ut habent Hebræa : hos, inquam, CONVERTISTIS IN BELLUM,] id est, bello et rapina appetistis, quasi hostes invasistis, pugnis contudistis, contumeliis vexastis, vestibus rebusque suis spoliastis, quasi prædones et grassatores viarum publicarum.

9. MULIERES POPULI MEI EJECISTIS DE DOMO DELICIARUM SUARUM.] Primo, q. d. Occidistis, vel expulistis, vel in carcerem trusistis maritos populi mei, id est plebeiorum et pauperum : nec hoc contenti, uxores eorum expulistis suis ædibus, in quibus cum maritis in amore, pace et suavitate conjugali, quasi in domo deliciarum vivebant, ut ædes earum et prædia occuparetis. Ita Lyran. Arias et Vatabl. Porro pauperes vocat *populum suum*, quia, ut ait Psaltes psal. 9. 35 : *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.* Et Christus, Matth. 25. 40 : *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Sic Achab, occiso Naboth, invasit vineam Naboth, ex eaque uxorem ejus jam viduam exturbavit, 3. Reg. 21. 16.

Aliter S. Hieron. q. d. Vestris sceleribus causa fuistis, cur matronæ honestæ et divites domibus suis, in quibus delicate vivebant, extractæ, ab Assyriis ducerentur in captivitatem. Aliter et Vatabl. q. d. Sollicitando uxores ad adulterium, vel de eo illas calumniando, aut suspectas faciendo, concitastis maritos, ut eas quasi adulteras domo expellerent, itaque à parvulis earum abstulistis laudem, id est decus et gloriam; quia fecistis ut filii earum essent viles et abjecti, aut nothi et spurii : coegistis enim illas, à maritis expulsas, alias domos et viros adire, hoc est, ut verbo dicam, coegistis illas adulterari. Nota : Pro *tulisti laudem meam in perpetuum*, S. Gregor. Nazianz. orat. 7. ex Septuag. (qui pro הדרי *hadarai* legerunt הרי *hare*, id est montes) legit, *appropinquate montibus æternis*, sicque explicat : Jubet, inquit, ut pastores gregem ad montes et edita loca impellant, ut scilicet fidelibus ostendant viam arduæ virtutis et perfectionis. Unde Syrus vertit : *Et à parvulis eorum accipietis gloriam in seculum;* Arabicus : *Induentur gloria in æternum.*

A PARVULIS EARUM TULISTIS LAUDEM MEAM IN PERPETUUM.] Laudassent enim me parvuli, si à parentibus in conjugali amore honeste fuissent educati, eorumque hæredes effecti. At à vobis et parentibus orbati, et bonis spoliati, gemunt, fremunt, vobis maledicunt, clamantque vindictam in cœlum. Ita Albertus et Arias. Secundo, tulistis ab eis meam laudem, tum quia eos à matribus avulsos honesta piaque educatione privastis, et in idololatria vestra educastis; tum quia eos ad paupertatem adegistis, ob quam ad omnia scelera, vestramque voluntatem et libidinem eos inflexistis. Tertio, *laudem*, id est gloriam; et Tigurina, *honorem*, q. d. Fecistis eos mihi et sibi viles et inglorios, separando eos à parentibus, et matres à patribus : bona enim matrimonii quibus Deus glorificatur, olim erant duo, scilicet proles et fides conjugalis; nunc in lege nova sunt tria, scilicet proles, fides et Sacramentum. Vos hæc omnia hac separatione evertistis : evertistis ergo omnem meam in matrimonio gloriam, præsertim quia spoliando filios bonis paternis, fecistis ne ipsi matrimonium inire, et stirpem paternam propagare possent. Hæc enim fuisset mea, æque ac ipsorum laus et gloria; unde Chald. vertit : *Ab ipsis filios tollentes, translata est gloria eorum, quam dixerunt in æternum permansuram.*

10. SURGITE ET ITE, q. d. Ob has rapinas et scelera vestra, ô Israelitæ, abite in captivitatem Assyriacam, et vos, ô Judæi, in Babylonicam : QUIA NON HABETIS HIC REQUIEM, q. d. Vos inquieti et turbulenti terram hanc, id est terræ incolas, vexatis; hinc pariter non habebitis in ea quietem, sed Assyrius vexabit vos et abducet : PROPTER IMMUNDITIAM EJUS, scilicet terræ qua vos eam polluistis, CORRUMPETUR PUTREDINE PESSIMA,] id est sanguine et tabe cadaverum vestrorum inficietur, et vastitate extrema vastabitur, q. d. Quia vos terram hanc vestris sordibus et sceleribus fœdastis, hinc illa evomet vos, tradetque vos mactandos Assyriis, ut vestro sanguine imbuta, per justam vindictam quasi eluat sordes quibus illam contaminastis, eique quasi vim intulistis. Terra enim hæc sancta non potest sustinere vos tam pollutos et inultos. Unde Pagnin. vertit : *Surgite et ite, quia non est hæc civitas requies; et quia est immunda, corrumpet eam et corruptione valde forti;* et Chald. : *Surgite et migrate, siquidem non est hæc terra domus requiei impiis, ut eam polluatis, perdite agitis, ut eam efficiatis immundam, contra eam consociamini.* Hebr. enim חבל *chabal* significat et corrumpi, et colligari, indeque consociari. Unde et Tigurina pro *corruptione valde forti*, vertit, *et funis nimium intentus :* חבל *chebel* enim est funis, quo res colligamus et consociamus.

11. UTINAM NON ESSEM VIR HABENS SPIRITUM, ET MENDACIUM POTIUS LOQUERER !] Ex Hebræo varie verti potest. Primo, Tigurina : *Si vir essem spiritum* (ventum, vanitatem) *sequens, et mendacium concinnans, prophetaremque tibi de vino et sicera, Propheta essem pro hoc populo*, q. d. Si loquerer placentia et voluptuaria de indulgendo genio, ventri et veneri, uti fecit Lutherus ejusque asseclæ, essem Propheta gratus huic populo. Huc accedit Chald. : *Pro eo quod aberrarunt post pseudoprophetas, qui eis spiritu mendaci prophetabant, quique illos vino et ebrietati assuefaciebant, erit perfecto sicut didicerunt post pseudoprophetas aberrare, sic exsulabit in terram mendaciorum populus istius generationis.* Respicit ad v. 6, q. d. Populus iste deliciis assuetus odit veros prophetas qui severa edicunt : amat falsos, qui epicurea vaticinantur. Quia ergo amat mendaces et mendacia, eat in Assyriam, quæ est terra mendaciorum, id est idolorum et falsorum prophetarum, ibique mendaciis suis, uti chamæleon vento, se pascat.

Secundo, Pagnin. *Si fuerit quispiam qui ambulet per viam venti, et mendacium mentitus fuerit, dicendo : Stillabo tibi pro vino et sechar*, q. d. Si quis surgat pseudopropheta, qui non populi, sed suum quærat lucrum, stillans, id est docens, ut vinum et siceram pro mercede doctrinæ suæ conquirat, hic nimirum à populo isto stolido acceptabitur et coletur ut Propheta.

Tertio, et genuine vertit Noster : *Utinam non essem vir habens spiritum!* etc. q. d. Utinam non haberem spiritum propheticum ! utinam, quæ prophetizo de clade et exitio Israelis, non sint prophetiæ à Deo revelatæ ; sed mendacia mihi à vano timoris et pusillanimitatis spiritu metuque suggesta ! Sic vulgo dicimus : Utinam decipiar ! utinam sim falsus vates! Sic ait Lucanus :

> Dii facta secundent,
> Et fibris sit nulla fides, sed conditor artis
> Finxerit ista Tages.

Nota : Non optat Michæas formaliter mentiri ; hoc enim optare, est peccatum ; sed materialiter tantum, hoc est, optat duntaxat ut mendacium, id est falsum sit, seu ut reipsa non eveniat id quod prædicit; ac consequenter ut id quod prædicit, non prædicat ex spiritu Dei, sed ex spiritu suo, puta humano vani timoris. Id dicit ex amore, quia optat suos cives perdurare, et non exscindi, nec perdi ab Assyriis ; quod tamen ipse ex Deo eis comminabatur. Ita S. Hieron. Remig. Haymo, Hugo et Lyran. Nota : Pro *vir habens spiritum*, hebr. est *vir vadens spiritu*, id est qui agitur vertigine, qui non habet spiritum stabilem et certum, sed vagum, mobilem, incertum, inconstantem, ut modo verum videat, modo falsum, etiam circa unum idemque : quo fit ut quod asseruit, illico revocet et neget, q. d. Utinam hac in re actus spiritu vago et erratico, vagarer, deciperer et errarem, mihique liceret revocare oraculum excidii Israelis, quod edidi ! Posset verti : *Utinam essem vir vadens vento!* vel, ut Pagnin. et Tigurina, *ambulans per viam venti*, id est impulsus vento vanitatis vanique timoris, erroris et mendacii (sic Flandri de jactabundo et mendace dicunt : Ventosus est, spirat ventum), ut vano timore actus metuam, augurer et enuntiem excidium Israelis, quod re ipsa non eveniet. Sic enim melancholici, pusillanimes et timidi omnia tristia de se et aliis suspicantur et ominantur. Tales enim tristes cogitationes, suspiciones et metus parit humor melancholicus, frigidus et ater : sicut ex adverso complexio sanguinea, calida et spiritosa parit cogitationes et ominationes bonas, lætas, animosas, uti videre est in iis qui sanguinei et joviales sunt.

Stillabo tibi in vinum et in ebrietatem,] id est in vinum inebrians. Est hendyadis. Sensus est, q. d. Vellem non habere spiritum prophetiæ, tibi, ô Israel, minacem et tristem : sed tamen eo vel invitus corripior, cogorque verum stillare, id est enuntiare; scilicet imminentia tibi plurima mala, et clades acerbissimas, quæ instar vini te inebriabunt et implebunt usque ad guttur. Alludit ad symposiarcham, sive præfectum convivii, qui cuique convivæ suum admetiebatur et miscebat calicem, stillans in eum tantum vini et tantum aquæ, quantum ejus ætati, complexioni et stomacho congruere videbat, q. d. Ego Michæas tibi, ô Israel, sum quasi symposiarcha, aut potius symposiarchæ, id est Dei, minister et pincerna. Paro ergo calicem iræ et furoris, in eumque stillo vinum acre et merum, puta strages et funera, ut eum tibi jussu Dei hauriendum et ebibendum propinem. Ecce hæc omnia unico verbo complectitur Propheta, quia concisus est, et plenus affectibus. Pathos ergo animi, ejusque alternantes affectus, concise et hiulce exprimit ; uti solent facere vehementer dolentes, amantes, vel irascentes, qui nunc sperant, nunc desperant, nunc blandiuntur, nunc minantur, nunc lugent, nunc rident, nunc verba incidunt, nunc supprimunt ; nunc ex hoc in aliud, sine ordine et connexiòne saliunt.

Et erit super quem stillatur populus iste,] q. d. In hunc populum Israelis cadent hæ Dei meæque stillæ ; puta hæ minarum prophetiæ. Israel est cui vinum hoc furoris stillo et instillo ; ipse est qui calicem hunc stillarum, id est pœnarum, Dei exhauriet, eoque inebriabitur, usque ad stuporem et amentiam.

12. Congregatione congregabo Jacob totum te.] Variæ sunt hujus loci expositiones. Primo, Theodor. et Vatabl. ut hæc connectant præcedentibus, dicunt hic exponi calicem et vinum iræ Dei, quod stillandum in Israelitas, jam dixit : calicem enim hunc esse obsidionem et excidium Samariæ et Hierosolymæ, q. d. Efficiam ut, cogente hoste Assyrio et Chaldæo, quasi oves congregemini in urbes vestras munitas, quas ille obsessurus est : ibi præ multitudine, pavore et angustia tumultuabimini. Capient Assyrii Samariam, Chaldæi Jerusalem : fugiet primus rex Sedecias, perrumpens murum horti regii, sequentur eum sui, sed Dominus imminebit capiti eorum, ut eos tradat Chaldæis. Vide historiam 4. Reg. 25. Imbellem ergo Israelem comparat ovibus, urbes obsessas caulis ovium, strepitum obsessorum strepitui ovium inclusarum ; hostes opponuntur pastoribus, hostes includunt Israelem in urbibus obsessis. Verum obstat quod Prophetæ verba non tristia sint, sed læta, promittantque Israelis è captivitate liberationem, congregationem et instaurationem.

Secundo, melius alii hæc referunt ad Ezechiam obsessum in Jerusalem à Sennacherib. Tunc enim omnes Judæi in urbem confugerunt, et congregati sunt quasi oves magna trepidatione et tumultu; sed angelus, percutiens castra Sennacherib, ascendit ante eos iter pandens : nam mox apertis portis Judæi egressi sunt, et ante eos Ezechias, Deo duce, ut viderent stragem Assyriorum, eorumque spolia diriperent, ac Deum gratiarum actione et laudibus celebrarent.

Tertio, optime hæc accipias de reditu Judæorum è Babylone. Paulo ante enim prædixit excidium et captivitatem eorum, nunc de more tristibus læta subjungens, dicit se eos inde liberaturum, q. d. Post 70 annos, Judæos quasi oves in unum collectas reducam in suum ovile, puta in Judæam, magno eorum concursu, et consequenter tumultu. Pastor earum, dux, et quasi rex Zorobabel pandet iter ante eos, ducetque eos per portam Babylonis in Jerusalem : ac Dominus in capite omnium quasi ductor præibit. Verum quia tunc soli Judæi, non Israelitæ, nisi perpauci ; rursum non omnes Judæi congregati sunt, nec redierunt, sed multi manserunt in Babylone, et alii per varias regiones dispersi vagabantur : insuper quia Zorobabel non fuit rex, hinc inchoata et imperfecta duntaxat fuit hæc Israelis liberatio et congregatio.

Quocirca cogimur dicere hæc plane et plene referenda esse ad Christum. Licet enim alludat ad Zorobabel et Judæos illius ævi, eosque obiter quasi perstringat, tamen mens et scopus

Prophetæ ulterius porrigitur, altius assurgit, ac fertur in Christum, per quem hæc prophetia perfecte adimpleta est : in Christum enim oracula sua terminare solent Prophetæ. Sensus ergo est, q. d. Ne nimis vos dejiciam tot minis et cladibus, quas vobis intento, ô Israelitæ, agite, sperate quandoque meliora. Nam Deus post vindictam promet suam misericordiam, vosque Babylone reducet, et congregabit per Zorobabel; ac multo magis vos, puta veros Israelitas non tantum carne, sed et fide ac spiritu, ut ait Apostol. Rom. 9. 8, congregabit per Christum qui, Evangelium prædicans, multos è vobis convertet, ac quasi oves in suam Ecclesiam congregabit; atque in fine mundi totum Israelem, omnesque Judæos magno concursu, strepitu et tumultu convertet : tuncque ex Judæis et gentibus omnibus fiet unum ovile, et unus pastor; puta una Ecclesia sub uno pastore Christo. Ita S. Hieron. Remig. Rupert. Haymo, Hugo, Lyran. Clarius, Arias, Ribera et alii. Christus enim quasi dux et rex ascendit, ante eos pandens iter, et aperiens portas tum carceris, tum urbis; ex carcere enim nos educit, et inducit in urbem, puta Ecclesiam, per baptismum et gratiam suam; ac ipse Deus in capite omnium præcedens tam Christi, quàm agminis hujus totius fuit choragus et ductor.

Anagog. Lyran. et veteres Hebræi apud Galatin. lib. 8. de Arcan. fidei, cap. 23, hæc referunt ad regressum Christi è limbo. Christus enim resurgens secum eduxit animas Patrum, quasi gregem selectum, quæ in limbo quasi oves in caula detinebantur. Ipse ergo eis pandit iter, et aperuit januas mortis et inferni, cum eas ad vitam et naturæ et gloriæ, in terram, et inde in cœlum, gradiens ante eos quasi triumphator, traduxit. Idem faciet omnibus electis in die judicii, cum è valle Josaphat eos quasi antesignanus secum ducet in cœlum, quasi in ovile Dei : ubi omnes magnis vocibus, instar turbæ magnæ gloriose et canore perstrepentis et tumultuantis, Deum laudabunt in omnes æternitates, uti docet S. Joan. Apoc. 7. 9. Ita S. Hieron. Remig. et Haymo.

Ponam illum quasi gregem in ovili.] Hebr. *in* בצרה *botsra*, quæ erat metropolis Idumææ, abundans ovibus : ita Pagnin. et Vatabl. Porro *Botsra* hebr. id est munita, idem est quod græcum ῥώμη, et latinum *Valentia*. Significat ergo Romam, inquit Arias, quæ primitus latine vocata est *Valentia*, à valore et robore, uti testatur Solinus Polyhist. cap. 2. quasi prædicat Michæas, Romanam Ecclesiam fore commune ovile ovium Christi, puta fidelium, ac in ea sedem fore summi Pastoris, scilicet Pontificis. Verum Septuag. Chaldæus et Noster aliis punctis legerunt בצרה *baatsara*, id est *in tribulatione*, ut vertunt Septuag. ut sciant fideles se vocatos esse ad ovile Christi, quasi ad domum tribulationis et crucis. Melius Chald. et Noster vertunt, *in ovili :* Hebr. enim צרה *tsara* significat septum arctum et angustum, in quo greges ovium densantur et coarctantur. Unde explicans subdit : *Quasi pecus in medio caularum.* Nota : *caulas* vocat particulares Ecclesias, in quibus à *multitudine*, id est ob nimiam multitudinem et turbam fidelium, ait fore strepitum et tumultum. Hic enim in multitudine ex copia nasci solet.

Ascendet enim pandens iter ante eos, quia ut sequitur : *Transibit rex eorum coram eis*, scilicet quasi antesignanus et ductor. Pro *pandens* hebr. est פרץ *porets*, id est *fractor*, ita Pagnin. et *perruptor*, ita Tigurina; qui scilicet portas serasque carceris perrumpat, perfringat et aperiat, itaque incarceratis pandat iter ad egressum, qui suum hunc *porets*, id est primum perfractorem carceris, sequentes, pariter eumdem divident, hebr. פרצו *poretsu*, id est perrumpent et perfringent, itaque transibunt portam carceris, et ingredientur per eam] in Sion; puta in communem fidelium urbem ac libertatem. Unde hebr. est *egredientes per eam*, et ita legunt Biblia Regia Latina. Alludit enim ad captivitatem et carcerem Babylonicum, q. d. Zorobabel perfringet carcerem Babylonicum, vosque eum sequentes pariter eumdem perrumpetis, et ex eo læti exibitis in Sion; multo verius antitypus Zorobabel, id est Christus, è captivitate et carcere diaboli, infidelitatis et peccati vos liberans vi meritoque crucis suæ, eumdem perfringet, vosque per gratiam ejus corroborati et evocati eumdem perfringetis, et gratulabundi exibitis in Sion spiritualem, id est in Ecclesiam, quæ est civitas libera, sancta et felix Dei viventis. Verissime autem et plenissime Christus è terra primus ascendet in cœlum, indeque mittet Spiritum Sanctum qui fideles suos in cœlum vocet, dirigat et deducat : qua vocatione et spe excitati multi ad ipsum convertentur, ut præcessit : hinc consequenter fideles patriarchæ in limbo, quasi in carcere conclusi et detenti, à Christo visitati et evocati, eo præeunte murum et portam limbi et inferorum perrumpentes, in Jerusalem, ac deinde in cœlum evadent. Denique fideles et sancti omnes in morte et resurrectione Christo duce perrumpentes corporis et mortalitatis hujus carcerem, in die judicii cum Christo et post Christum in cœlum ascendent. Ipse enim quasi rex transibit et præibit ante eos, et Dominus Deus erit in capite eorum, id est, erit omnium primus, dux et princeps, omnesque adjuvabit, roborabit et elevabit, ut secum ad astra in cœlum empyreum conscendant.

Moral. vox *porets*, id est effractor, significat viam in Ecclesiam et cœlum esse clausam et multis seris et obstaculis obstructam, eaque ascendenti esse perfringenda, juxta illud Christi : *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*, Matth. 11. 12. Et : *Non veni pacem mittere, sed gladium ; veni enim separare hominem adversus patrem, et filiam adversus matrem suam*, etc. Matth. 10. 34. Et : *Si quis non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus*, Lucæ 14. 26. Verum Christus primus effractor iter præit, sternit seras, panditque viam, ac suis asseclis vires easdem effringendi, pervadendi et evadendi subministrat; ut nemo animo cadere, sed in certam spem libertatis et salutis assurgere debeat, modo Christum sequi velit. Hoc est quod gratulans et exsultans canit Habacuc cap. 3. 19 : *Deus Dominus fortitudo mea, et ponet pedes meos quasi cervorum, et super excelsa mea deducet me victor, in psalmis canentem.* Et Isaias, c. 49. 8 : *Dedi te in fœdus populi mei, etc. ut diceres his qui vincti sunt : Exite ; et his qui in tenebris : Revelamini.* Et Psaltes, psalm. 115. 17 :

Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.

Volenti ergo è carcere peccati et diaboli, in libertatem filiorum Dei egredi, rumpendæ sunt seræ carnis et mundi, frangendæ catenæ et funes malarum passionum et consuetudinum, quibus quasi vinculis peccatores colligantur et constringuntur. Ligabat S. Paulum amor legis patriæ et judaismi, sed Christo illucescente, hoc ligamen quasi stramineum rupit et difflavit. Ligabat S. Magdalenam amor mundi, sed icta amore Christi, illum ut lini stupam discussit. Ligabat S. Augustinum amasia, sed Christo aspirante, quasi telam araneæ hanc catenam disrupit. Audi eum, lib. 9. Confess. cap. 1: *Quàm suave,* inquit, *mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum! et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas à me, vera tu et summa suavitas, ejiciebas, et intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni et sanguini: omni luce clarior, sed omni secreto interior; omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. Jam liber erat animus meus à curis mordacibus ambiendi, et acquirendi, et volutandi, atque scalpendi scabiem libidinum, et garriebam tibi claritati meæ, et divitiis meis, et saluti meæ Domino Deo meo.*

Qui ergo à malis habitibus, ab amicis, à sociis, à carne ligari te sentis, esto *porets*, esto effractor, difficultates ne metuas; Christus seras perfringet; viam complanabit, iter pandet: perinde ac angelus S. Petro in carcerem ab Herode compacto aperiens portas, et seras diffringens, iter pandit ad exitum, ut Petro nil aliud faciendum fuerit, quàm angelum sequi, Actorum 12. 9; ita et tibi nil aliud faciendum, quàm ut Christum invoces assidue, eumque ducem animose sequare. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? Tibi à Deo dici puta, quod Cyro dicit, Isaiæ 45. 1: *Subjiciam ante faciem ejus gentes, et dorsa regum vertam, et aperiam coram eo januas, et portæ non claudentur. Ego ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo: portas æreas conteram; et vectes ferreos confringam. Et dabo tibi thesauros absconditos, et arcana secretorum.* Talis *porets*, id est perfractor, fuit S. Paulus, qui ubique obices Evangelii fortiter disjecit, ac Gentium omnium antesignanus, eis iter ad Ecclesiam pandit. Unde ipse gloriatur 2. Cor. 10. 4: *Arma,* inquit, *militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Tales *poretsim* fuere omnes Apostoli, omnes prisci monachi et Anachoretæ, quorum totum studium erat edomare animi passiones, corpusque inediæ, frigori, æstui omnique labori et pœnitentiæ assuefacere: unde Ascetæ, id est Exercitatores, sunt nuncupati. Tales fuere fundatores Ordinum, S. Antonius, S. Benedictus, S. Bernardus, S. Dominicus, S. Franciscus, S. Dominicus Loricatus, et ex nostris S. Ignatius et S. Franciscus Xaverius, qui mira spiritus vi orbem divino igne accenderunt, eoque obstacula omnia statuerunt, ut suis asseclis cæterisque cunctis iter in cœlum panderent et præirent.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit Prophetare contra Israelitas et Judæos, imo a v. 10. et deinceps duntaxat contra Judam et Jerusalem prophetat. Ait enim v. 10: Qui ædificatis Sion in sanguinibus, et Jerusalem in iniquitate. Et v. 12: Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit. Vide dicta initio cap. 2. et dicenda v. 12. Primo, ergo taxat optimates, tam laicos, quam Ecclesiasticos; puta principes sacerdotum, quod jura pervertant, et plebem opprimant. Deinde v. 5. incusat pseudoprophetas, qui adulabantur populo, et vaticinabantur fausta, sed falsa, quæstus causa. Idcirco ego, ait, repletus sum fortitudine spiritus Domini, ut annuntiem Jacob scelus suum, et Israel peccatum suum, ac tandem Hierosolymæ et templo excidium comminatur.

1. Et dixi: Audite, principes Jacob, et duces domus Israel: Numquid non vestrum est scire judicium. 2. Qui odio habetis bonum, et diligitis malum: qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, et carnem eorum desuper ossibus eorum. 3. Qui comederunt carnem populi mei, et pellem eorum desuper excoriaverunt: et ossa eorum confregerunt, et conciderunt sicut in lebete, et quasi carnem in medio ollæ. 4. Tunc clamabunt ad Dominum, et non exaudiet eos: et abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adinventionibus suis. 5. Hæc dicit Dominus super Prophetas, qui seducunt

populum meum : qui mordent dentibus suis, et prædicant pacem : et si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium. 6. Propterea nox vobis pro visione erit, et tenebræ vobis pro divinatione, et occumbet sol super Prophetas, et obtenebrabitur super eos dies. 7. Et confundentur qui vident visiones, et confundentur divini : et operient omnes vultus suos, quia non est responsum Dei. 8. Verumtamen ego repletus sum fortitudine spiritus Domini, judicio et virtute : ut annuntiem Jacob scelus suum, et Israel peccatum suum. 9. Audite hoc, principes domus Jacob, et Judices domus Israel : quia abominamini judicium, et omnia recta pervertitis. 10. Quia ædificatis Sion in sanguinibus, et Jerusalem in iniquitate. 11. Principes ejus in muneribus judicabant, et sacerdotes ejus in mercede docebant, et Prophetæ ejus in pecunia divinabant; et super Dominum requiescebant, dicentes : Numquid non Dominus in medio nostrûm ? non venient super nos mala. 12. Propter hoc causa vestri, Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa sylvarum.

1. AUDITE, PRINCIPES JACOB, ET DUCES DOMUS ISRAEL,] id est principes decem, et duces duarum Tribuum : per Jacob enim decem Tribus, per Israel Judam et Benjamin significat, uti dixi cap. 2. initio. Septuag. pro *principes* vertunt, ἀρχαὶ, quod Vaticana vertunt, *principia;* melius Regia, *principatus.*

NUMQUID NON VESTRUM EST SCIRE JUDICIUM ?] *scire* tum speculative, tum potius practice, ut reipsa faciatis judicium, id est id quod justum est, ac lege Dei præscriptum et præceptum, præsertim circa justitiam, et jura proximis debita, ut v. g. cuique tribuatis quod suum est, pauperes non opprimatis, et eos qui opprimunt castigetis. Ita Theodor. Lyran. Arias et alii.

2. QUI ODIO HABETIS BONUM, ET DILIGITIS MALUM.] Voces *bonum* et *malum*, tam in genere masculino, quàm neutro accipi possunt : quia enim hi principes diligebant malitiam, et odiebant bonitatem; hinc consequenter diligebant malos, et odiebant bonos viros et cives. Simile enim amat sibi simile, et odit dissimile. Rursum virtus vel vitium non amantur in abstracto, sed in concreto; puta in suo subjecto, scilicet in homine bono vel malo. Vere S. Prosper epigram. 32 :

> Impia pars mundi parti est infesta piorum,
> Nec tolerare potest dissimiles animos.
> Ridens nolentes opibus præsentibus uti, etc.

Hoc est quod vulgo dicitur : *Asinus asino pulcher, et sus sui; graculus assidet graculo, et garrulus garrulo; cicada cicadæ chara, formica formicæ; fur furem cognoscit, ut lupus lupum.* Ita hodie videmus multos odisse viros religiosos, quia ipsi irreligiosi sunt, et occulte impudica aliaque scelera perpetrant, quæ naturaliter in ipsis generant antipathiam et aversionem à viris castis et sanctis; præsertim qui eadem carpunt et insectantur. Hujus rei magnam in multis habeo experientiam.

QUI VIOLENTER TOLLITIS PELLES EORUM (scilicet Jacob et Israel, quos nominavit v. 1, id est, Samaritarum et Judæorum) DESUPER EIS, ET CARNEM EORUM DESUPER OSSIBUS EORUM.] Est hîc metaphora continua, sive allegoria. Reges enim et principes in Scriptura vocantur Pastores, sicut Homerus Agamemnona regem Græcorum, passim vocat ποιμένα λαῶν, id est pastorem populorum : quia quod pastor præstat ovibus, hoc rex præstare debet subditis; scilicet pascere, dirigere, tueri à feris et lupis, ac vivere ex lacte et lana ovium. Nam ut Tiberius Cæsar, teste Suetonio in ejus Vita, aiebat : *Boni pastoris est pecus tondere, non deglubere,* non carnem et ossa concidere : quia scilicet principes non debent subditos expilare, nec eorum bona diripere, aut nimiis tributis et oneribus, quasi sanguisugæ exsugere, ut eos ad maciem et paupertatem redigant. Sic enim non tantum subditis nocent, sed et sibi ipsis. Macies enim ovis est macies pastoris; et paupertas subditi est paupertas principis. Merito ergo idipsum principibus Israel et Juda improperat hîc Michæas. Unde Chald. clare tropum hunc explicans, ita vertit : *Rapientes facultates populi mei, et pecuniam eorum pretiosam auferentes, et reliquias eorum consumentes, et comminuentes sicut comminuuntur membra intra ollam, et particulæ carnium intra lebetem.*

Per *pellem* ergo, *carnem* et *ossa* significat substantiam, id est facultates plebis, quas diripiebant, et inter se dividebant optimates, ut eas in pompis, luxu, epulis et conviviis prodige absumerent. Hoc enim significat id quod subdit : *Et conciderunt sicut in lebete, et quasi carnem in medio ollæ.* Quare minus genuinum, et magis symbolicum videtur, quod S. Hieron. Haymo, Remigius et Hugo per *ollam* et *lebetem* accipiunt Jerusalem, in qua pauperes quasi in olla à potentioribus concidebantur et coquebantur. Olla enim, quod est instrumentum culinæ, significat epulas et convivia, quæ in ollis coquuntur et apparantur. Nota catachresin, qua facultates vocat *pellem, carnem* et *ossa;* quia, sicut ex his constat et vivit homo, sic et ex facultatibus suis. Ex his enim victum, id est cibum et consequenter sanguinem, carnem, pellem, et ossa sibi comparat homo. Unde Græcis βίος vocatur tam victus, quàm vita; quia ex victu vita subsistit. *Pecunia,* inquit Ethicus, *est hominis anima, sanguis et vita :* qui ergo eam aufert pauperi, vitam aufert. Rursum in pelle, carne et ossibus est climax, sive gradatio : minus enim est hominem excoriare, plus ejus carnem resecare et comedere, plurimum et maximum eum usque ad ossa vorare; imo exossare, et ossa comminuere, ut medullam exsugás. Sensus ergo est, q. d. Optimates Israelis et Judæ bona ejus rapiunt adeo avare et rapaciter, ut non tantum eum excoriare, sed et excarnificare, imo usque ad ossa devorare, quin et exossare videantur. Hoc est quod iisdem exprobrat Ezechiel, cap. 34. 2 : *Væ pastoribus Israel,* etc. *lac comedebatis, et lanis operie-*

bamini, et quod crassum erat occidebatis : gregem autem meum non pascebatis.

Tropolog. hæretici et seductores qui alios pelliciunt ad hæresim, libidinem, furta, homicidia, aliaque scelera, eosdem pelle sua excoriant, carne spoliant et exossant. *Pellis* enim est exterior virtus, et decor in compositione vultus, incessus, motuumque et membrorum : breviter, pellis est modestia. Item cæremoniæ externæ, quas damnant et exstirpant hæretici. *Carnes* sunt virtutes internæ, sed teneriores et molliores, ut eleemosyna, temperantia, justitia. *Ossa* sunt virtutes duriores ac fortiores, ut pœnitentia, mortificatio, contemptus mundi, martyrium. Ita S. Gregor. in psalm. 1. pœnitent. explicans v. 2 : *Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea*, id est, inquit, *virtutes animæ obscuratæ sunt, et extenuatæ virtutes simul conturbatæ sunt* (per peccatum, ad quod illicit tentator et seductor) : *charitas enim confunditur, humilitas impingitur, fortitudo dejicitur, castitas impugnatur. Per ossa virtutes accipimus, per quas nimirum animam sustentamus : sicut enim in ossibus est fortitudo corporum, ita in virtutibus robur invenitur animarum.* Qui ergo hasce virtutes proximo eripit, qui v. g. eum ad peccatum immodestiæ inducit, eum excoriat : qui vero eum ad gulam et avaritiam pertrahit, eum excarnificat : qui denique virum sanctum et Religiosum pellicit ad violationem votorum, ad abnegationem suæ professionis, vel etiam fidei, hic eum exossat.

4. Tunc (cum scilicet ultio Dei, quam ego hìc eis continue intento, eos invadet) CLAMABUNT AD DOMINUM, sed frustra; nam NON EXAUDIET EOS,] qui ipsi eum per me hæc præmonentem audire noluerunt.

ET ABSCONDET FACIEM SUAM AB EIS.] *Faciem*, id est favorem, curam, providentiam, opem, præsentiam et beneficentiam suam (horum enim symbolum est facies) eis subtrahet. Sicut enim peccator avertit faciem suam à Deo, illique inobediens et rebellis tergum obvertit : ita vicissim Deus illi afflicto, et se invocanti, faciem, id est gratiam et auxilium suum, subtrahit; ac dorsum derelictionis, oblivionis et reprobationis ostendit. Quæ ingens est pœna, juxta illud Proverb. 1. vers. 24 : *Quia vocavi, et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret : Ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo, cum vobis id quod timebatis evenerit, etc.*

5. HÆC DICIT DOMINUS SUPER PROPHETAS (id est, ad te, vel contra pseudoprophetas) QUI SEDUCUNT POPULUM MEUM,] adulando illi in peccatis, promittendo impunitatem, vaticinando omnia eis fore prospera et felicia.

QUI MORDENT DENTIBUS SUIS, id est, frendent in me aliosque veros Prophetas, qui bellum minamur Israeli, cum illi pacem et prospera eidem promittant. Ita R. David et Lyran. Aut, ut Albert. et Hugo, qui frendent et minantur tristia quæque iis qui nulla sibi largiuntur munera : iis vero qui ea largiuntur, PRÆDICANT PACEM,] id est omnia prospera. Secundo, Theod. Vatabl. et Clarius : *Qui mordent dentibus*, quasi blandientes et adulantes iis qui dant munera ; unde iis pacem et prospera prædicant. Sic enim canes, asini et equi eos qui se continuo nutriunt, mordent dentibus, id est mordere se simulant, quasi familiariter adulantes, et petentes ab eis pabulum quod mordeant. Tertio, et genuine, q. d. Qui dum *mordent dentibus*, id est, vorant ea quæ sibi à largientibus donata sunt, iis vaticinantur et *prædicant pacem ;* omnia scilicet fausta et secunda eis obventura.

Ex adverso : SI QUIS NON DEDERIT IN ORE EORUM quod mordeant et vorent, SANCTIFICANT SUPER EUM PRÆLIUM,] id est, edicunt et indicunt illi bellum : tum quia hostes omniaque adversa ipsi comminantur, tanquam impio, qui se pios et sanctos Dei Prophetas neglexerint et spreverint; tum quia suscitant illi lites et bella, dicendo : Iste homo impius est, et hostis Prophetarum ac servorum Dei ; avarus est, inhumanus, et dignus qui urbe exturbetur, vexetur, spolietur, etc. uti faciunt mendici celebres et validi, sed impotentis animi et impatientis, de quibus proinde merito dicitur : *Etiam mendicus suo loco potest plurimum.* Ita S. Hieron. Remig. Arias et alii. Unde Chald. vertit : *Qui offert eis convivium carnis, huic pacem vaticinantur ; et qui nihil eis offert, contra hunc excitant*, vel *instruunt bellum.* Sanctificare enim bellum, est sanctum sancti Dei bellum contra impios vel instruere, vel edicere et prædicare per sanctos Prophetas. Vide dicta Jerem. 6. 4.

6. PROPTEREA NOX VOBIS PRO VISIONE ERIT, ET TENEBRÆ VOBIS PRO DIVINATIONE.] Nota pulchram antithesin pœnæ ad culpam, quæ culpæ ex æquo opposita congrue illam plectit et punit. Sensus enim est, q. d. Vos, ô pseudoprophetæ, Israeli adulantes in peccatis, eique pacem promittentes; vobis visi estis videre diem et lucem, id est veritatem et prosperitatem : at ego dico et assevero visionem vestram esse noctem et caliginem, id est, esse errorem et mendacium, ac propterea puniam vos nocte atra et horrenda, id est terribili clade, excidio et captivitate ; adeo ut vobis præ angore, pavore et mœrore sol in meridie occumbere, dies obtenebrari videatur : tuncque confundemini ; quia patebit ex ipso eventu oracula vestra fuisse mendacia, et mendaces adulationes : quocirca præ pudore tegetis ora et vultus, quæ hæc oracula falsa ediderunt : *Quia non est responsum Dei*, q. d. Reipsa apparebit vestras prophetias non fuisse responsa Dei, sed diaboli, aut cerebri vestri vani et mendacis commenta et figmenta. Lux enim partim veritatis, partim lætitiæ et felicitatis ; nox partim falsitatis et mendacii, partim cladis et calamitatis est symbolum. Ita S. Cyrill. Theodoret. Hieron. Haymo, Remig. et alii. Vide dicta Amos 8. 9 : *Occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis.*

7. OPERIENT OMNES VULTUS SUOS.] Hebr. et Chald. *Involvent labrum suum*, id est labia sua mendacia, quibus falsa oracula prolocuti sunt : nam, ut præcessit, *confundentur* et erubescent vehementer, cum deprehensa fuerit eorum fraus et falsitas ; ac præ erubescentia impudens paulo ante os et vultum suum manu et pallio oppositis obvelabunt. Ita S. Hier. Clarius. Vatabl. Palacius Ribera et alii. Arias vertit : *Involvent mystacem suum.* Pseudoprophetæ enim incedebant comptuli, et ad labra mystaces alebant, quasi sponsi Penelopes ; quales etiamnum videre est Ministros verbi non Christi, sed Calvini. Septuag. quoad rem eodem sensu, sed quoad verba contrarie vertunt: Aperient omnes labra sua contra eos. Sic enim verbotenus habent : *Exsecrabuntur eos omnes*, quasi hebr. עמרה *ala* significet et ope-

rire et aperire : verba enim hebræa sæpe duo contraria significant.

Aliter explicat Delrio adagio 992 : *Operient*, inquit, *vultus suos*, tanquam rei morti addicti et damnati. his enim solebat velari facies, uti factum est Aman, Esther 7. 9. et Susannæ, Danielis 13. 32. et Ezechieli, cap. 12. 6. et Christo, Matth. 26. vers. 66 et 67. Hinc illa Romanorum olim infausta vox et sententia : *Caput obnubito, infelici arbori suspendito.* Hic sensus est eruditus et probabilis; prior tamen uti germanior, ita probabilior est : iteratum enim verbum *confundentur*, indicat hîc de pudore potius quàm de morte agi.

8. Verumtamen ego repletus sum fortitudine spiritus Domini judicio et virtute.] Opponit se pseudoprophetis, q. d. Illi adulantur vobis, et mollia faustaque vaticinantur : at ego repletus sum spiritu Dei forti, id est duro, minaci et acri; ut scilicet libere, intrepide, acriter et constanter prædicem Dei judicium et virtutem, sive potentiam, id est, justam et potentem ejus ultionem, quam per Assyrios et Chaldæos in vos, ô Israelitæ et Judæi, exercebit. Nota hîc tres dotes vero Prophetæ, Doctori et Prædicatori necessarias, totidem vitiis pseudoprophetæ oppositas. Prima est *fortitudo*, qua nec blanditiis et muneribus capiatur, nec minis et pœnis cedat, sed libere et constanter carpat scelera, etiam potentum, eisque Dei iram et vindictam intentet. Hæc opponitur pseudoprophetarum partim timiditati, qua placentiam prædicant, timentes divitum et potentum offensam ; partim cupiditati, qua ob munera iisdem prospera vaticinantur. Secunda, est *judicium*, quo tum vera à falsis secernunt, ut non nisi vera et certa prædicent : tum majora peccata à minoribus discernunt, ut illa acrius, hæc lenius suggillent; tum prudenter et discrete quoslibet monent et docent pro cujusque indole, captu et conditione : tum denique quasi à Deo constituti et inspirati judicium, id est sententiam damnationis et excidii, in impios pronuntiant. Hæc opponitur pseudoprophetarum mendaciis, indiscretioni et adulationi. Tertia, est *virtus*, puta robur animi et efficacia sermonis, cui nullus resistere possit. Hæc opponitur pseudoprophetarum pusillanimitati, et vanæ garrulæque blandiloquentiæ. Verum sciant Prophetæ has dotes non esse suas, sed esse spiritus Dei, ab eoque sibi aspirari. Talis fuit spiritus Eliæ invictus, acer et igneus, de quo Eccles. cap. 48. vers. 1 et 6 : *Surrexit Elias quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat : verbo Domini continuit cœlum, et dejecit de cœlo ignem ter. Qui dejecisti reges ad perniciem, et confregisti facile potentiam ipsorum.* Talis fuit Isaias, cap. 58. vers. 1 : *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum.* Talis fuit Jeremias, cap. 6. 11 : *Idcirco furore Domini plenus sum, laboravi sustinens, etc.* Et v. 27 : *Probatorem dedi te in populo meo robustum, etc. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos.* Talis Joan. Baptista dicens Matth. 3. 7 : *Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira?* Talis Paulus, qui disputans de castitate, justitia et judicio ipsum Felicem Præsidem, licet infidelem et impium, perculit et tremefecit, Actor. 24. 25. Tales Apostoli, qui, recepto Spiritu Sancto, in spiritu vehementi contriverunt naves et reges Tharsis, ut videre est in Actis Apostolorum. Tales erunt Elias et Henoch in fine mundi, certantes contra Antichristum, de quibus dicitur Apoc. 11. 5 : *Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, et devorabit inimicos eorum.*

10. Qui ædificatis Sion in sanguinibus.] Ita et Syrus, et Arabicus. Transit Propheta à duodecim Tribubus ad solas duas. Verisimile enim est illum ea quæ præcesserunt, sæpius tum decem Tribubus, tum duabus concionando enuntiasse; ac tandem cum decem Tribus abductæ essent in Assyriam, solis duabus quæ remanserant eadem inculcasse. Sensus ergo est, q. d. Vos ô Judæi, magnificas domos et palatia in Jerusalem exstruitis, et omni supellectile pretiosa instruitis, exsugendo facultates, labores, et sanguinem pauperum per iniqua tributa, judicia, usuras, fraudes, oppressiones, etc. juxta illud Eccli. 34. 25 : *Panis egentium vita pauperum est : qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum.* Ita S. Hieron. Remig. Albert. Haymo et alii. Nam sic inique spoliati, non raro fame et miseriis, aut mœrore et indignatione moriuntur. Unde Chald. vertit : *Condentes domus suas in Sion cum sanguine effuso.* Tales sunt qui bona hospitalium, orphanorum, viduarum, monachorum, aliaque quibus pupilli, senes, ægroti, pauperes, etc. ali debebant, in suos usus convertunt; qui, ut hìc dicitur, non tantum fures sunt, sed et latrones ac homicidæ pauperum. Hoc est quod in Joakim rege Juda redarguit Jeremias, cap. 22. 13 : *Væ*, ait, *qui ædificat domum suam in injustitia, et cœnacula sua non in judicio! amicum suum opprimet frustra, et mercedem ejus non reddet ei.* Vide ibi dicta.

Nota : Hæc prophetia, ut patet Jerem. 26. 18. edita est à Michæa sub Ezechia rege, qui contra Assyrios munivit muros Jerusalem, ideoque domos muris vicinas, quæ solent esse pauperum, destruxit, ne hostis eas occuparet, et ut ex earum lapidibus et materia muros instauraret. Hoc est enim quod ait Isaias, cap. 22. 10 : *Et destruxistis domos ad muniendum murum.* Unde suspicatur Sanchez hìc taxari Ezechiæ principes, et præfectos publicorum operum, quod domos has pauperum destruxerint, nec eis pretium ex publico ærario persolverint. Alias enim, imminente obsidione, domos muris vicinas, quæ urbi periculum creant, demoliri licet.

Moral. tyranni ditiones, dominia et regna sua ædificant et adaugent per cædes, rapinas et bella injusta. Ita Theophyl. in Habacuc 2. 12. Rursum tales sunt principes, qui fisci reditus per iniqua vectigalia, quasi per rapinas amplificant. Quocirca B. Isidor. Pelusiota, l. 1. epist. 37, hæc Michææ verba recte adaptat et intorquet Eusebio Episcopo, qui Ecclesiam in Pelusio ex oppressionibus pauperum ædificabat. Tertio, tales sunt judices, qui ex iniquis mulctis mœnia et ædificia pulchra construunt, qui corrupti muneribus reos absolvunt, et innocentes condemnant. Quarto, qui officia et beneficia in consanguineos indignos, aut in peccatorum communione conjunctos, et administros libidinum et cupiditatum, conferunt. Ita Adrianus VI. Pont. neminem ex cognatis honoribus vel opibus extulit, dictitans *nolle se ædificare Sion in sanguinibus;* quo dicto factoque magnam sibi sanctitatis opinionem conciliavit, præsertim accedente mira animi humilis modestia et continen-

tia. Qua de causa ejus sepulcro Romæ inscriptum legimus : *Adrianus VI hic situs est, qui nihil sibi infelicius in vita, quàm quod imperaret, duxit. Quocirca*, inquit Onuphrius, *patruelis sui filium, Senæ Etruscæ in gymnasio litteris operam navantem, quod Romam nequaquam vocatus, intermissis stadiis repente venerat, confestim meritorio equo impositum remisit; animi levitatem identidem objectans, et severe admonens, ut ab se modestiæ et temperantiæ exemplum opportune sumeret. Alios quoque, nec remoto affinitatis gradu necessarios, qui spe fortunæ celsioris è Germania pedibus Romam venerant, mirum in modum increpavit, donatisque singulis sagis laneis et frugi viatico, pedibus similiter in patriam redire jussit. Quarum rerum testimonio superiorum Pontificum aliquorum profusam erga propinquos liberalitatem, uti gravem et Reipub. perniciosam, detestari erat solitus. Simile quidam fertur etiam de Clemente Pontifice ejus nominis quarto, qui et ipse interpellatus ab amicis, ut consanguineo cuidam suo tria habenti beneficia, plura adhuc tribueret, respondens : Non, inquit, carni et sanguini obtemperabo*, *sed potius Deo ; nec dignus Petri successor est, qui plus cognationi, quàm Christo tribuit.* Hucusque Onuphrius in Vita Adriani VI. Quinto, qui, quasi spiritualis lucri gratia, in suspectas domos ingrederentur, aut liberius cum impudicis loquerentur. Sexto, qui religionis prætextu parentes extrema laborantes indigentia desererent, quibus usui esse possent : aut filiis suaderent ut eleemosynas, quibus egeni parentes juvandi erant, in templa potius materiata, et in sacerdotes converterent; quos Christus reprehendit, Matth. 15. 5. Ita Delrio, adagio 993.

11. Principes ejus in muneribus (id est pro muneribus, propter munera) judicabant, et sacerdotes ejus in (id est pro) mercede docebant, et Prophetæ ejus in (id est pro) pecunia divinabant.] Pro *in* enim Hebr. est *beth* pretii, significans pro, propter. Carpit principes quod in judicio duplicem injustitiam committerent : primo, vendendo sententiam ; secundo, pervertendo eam, et sontem absolvendo, insontem damnando propter munera. Secundo, carpit doctores legis, quod sacram doctrinam legis divinæ venderent pecunia, quod est simonia : uti docent Theologi, ac nominatim noster Lessius tract. de Simonia, dubit. 2. initio, et dubit. 13. dicto 3 et 4. Tertio, carpit pseudoprophetas, quod oracula venderent auro, quod pariter erat simonia, non in re ipsa (quia hæc oracula non erant sacra, imo nec vera; quia non suggesta à Deo, sed ficta ex cerebro), sed in ipsorum opinione, et æstimatione vulgi, qui hæc oracula vera et divina esse censebant. Ecce, hisce modis ædificabant Sion in sanguinibus, et Jerusalem in iniquitate, uti præcessit. Hæc enim verba illa priora, quasi thesin per hypothesin, et per exempla explicant.

Et super Dominum requiescebant.] Hebr. ישענו *iissaenu*, id est, Domino innitebantur, sicut æger vel senex innititur et incumbit baculo suo. Ita Chald. Pagnin. et Tigurin. q. d. Hi pseudoprophetæ cum sint seductores, et pleni sceleribus, tamen quasi pii et sancti essent, secure quiescunt in Dei cura et providentia, dicentes : Jerusalem est urbs sancta, nos sumus populus Dei, juxta illud Jerem. 7. 4 : *Templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* Ergo Deus noster nos tuebitur, nec sinet urbem et templum suum everti, ac populum suum tradi hostibus. Ita S. Hieron. Cyrill. Theodor. Lyran. Clarius et alii. Ingens hæc est impiorum impudentia et præsumptio, quod cum Deum gravissime offendant, sperent tamen, imo non dubitent se ab eo, imminente hoste vel periculo, protectum iri.

12. Propter hoc, causa vestri (quia scilicet vos ædificatis Sion in sanguinibus, et Jerusalem in iniquitate, uti dixi vers. 10. Hinc ut in eo puniamini, in quo peccastis, atque ut pœna sternat culpam (Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit,] q. d. Chaldæi diruent magnificas domos, quas in Jerusalem ex rapinis pauperum ædificastis, ita ut ex iis non supersint nisi rudera et acervi lapidum, atque urbs ipsa desoletur et complanetur, fiatque ager aratro arabilis. Sion proprie significat superiorem urbis partem, in qua erat templum, et arx David : Jerusalem vero erat inferior, et major pars urbis, monti et arci Sion subjecta ; sæpe tamen per synecdochen tota urbs Jerusalem vocatur *Sion.*

Arabitur,] q. d. Sion à Chaldæis funditus vastabitur, ac disjectis muris et domibus, fiet quasi campus et ager arabilis. Nota : Sicut moris erat apud veteres ut urbem ædificaturi, ejus ambitum circumducto aratro sulcando delinearent et circumscriberent, ibique eam muro et fossa cingerent et communirent; unde locum ex quo terram foderant, *fossam* vocabant. Hinc Virgilius :

Interea Æneas urbem designat aratro.

Ita vicissim hostes captam à se urbem plane eversuri et annihilaturi, eversis muris et ædibus aratrum urbi inducebant : hoc enim erat ex urbe pagum et agrum efficere. Hinc Modestinus in lib. *Si ususfructus*, 21. ff. quibus modis ususfructus amittatur : *Si*, ait, *ususfructus civitati legetur, et aratrum in ea ducatur, ut passa est Carthago, civitas esse desinit; ideoque quasi morte desinit habere usumfructum.* Et Horatius, libr. 1. ode 16 :

Imprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.

Et Virgil.

Et campos ubi Troja fuit.

Et Isidor. lib. 75. cap. 1 : *Urbs*, ait, *aratro conditur, aratro vertitur.* Hinc urbs dicta est ab urvo, id est ab aratri curvatura, quam urbi circumducebant : unde urvare vel urbare, idem erat quod aratro definire, ait Pompon. Jurecons. Primitus enim locis editis fossam ducere, et vallo circumdare ad suî tutelam cœperunt, et sic urbes oppidaque inchoarunt. Hinc Varro ait urbem dici, quod aratro sit præfinita, et mœnia quasi munia ; et murum à munitione ; et oppidum, quod muniatur opis causa. Antiqui enim junctis bobus, tauro et vacca Hetrusco ritu, in condendis urbibus interiore aratro circumagebant sulcum, intra quem urbem ædificarent. Hoc faciebant religionis causa die auspicato, ut urbs fossa muroque munita felix esset. Hinc Poeta :

Apta dies legitur qua mœnia signet aratro.

Et mons templi in excelsa sylvarum,] q. d. Mons Sion in quo ædificatum est templum, eo cæterisque ædibus incensis ita desolabitur, ut videatur esse quasi rupes ruderum; sicut in sylvis montium in vertice eminent juga et rupes, quasi excelsa et culmen sylvæ, ita S. Hieronym. Chald. Remig. et Arias. Secundo, q. d. In monte Sion, everso templo, succrescent arbores, ut mons sylvescat, fiatque sylva. Ita Theodor. Lyran. et Vatabl.

Nota : Hæc Michææ prophetia à senibus Israel citatur, Jeremiæ 26.18, ut ea defendant Jeremiam similia prophetantem, eumque à morte liberent. Ibidem illa dicitur edita sub Ezechia rege, scilicet postquam decem Tribus anno sexto ejusdem abductæ sunt in Assyriam. Unde omissa Samaria, utpote jam eversa, solam Jerusalem hîc et deinceps usque ad finem prophetiæ compellat et alloquitur Michæas. Porro ibidem iidem senes dicunt hanc Michææ prophetiam non esse adimpletam, eo quod populus ea perculsus pœnitentiam egerit, atque impetrarit à Deo veniam, et sententiæ de exscindenda urbe abolitionem. Ita putabant ipsi, sed falso. Nam sententia hæc Dei non fuit abolita, sed suspensa duntaxat, et dilata usque ad tempora Jeremiæ, qui rursus eamdem revocavit et renovavit, cap. 25. 11, dicens : *Erit universa terra hæc in solitudinem et in stuporem, et servient omnes gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis.* Et cap. 26. 9 : *Sicut Silo erit domus hæc, et urbs ista desolabitur, eo quod non sit habitator.* Itaque factum est anno 11. Sedeciæ, quo Nabuchodonosor regnum Juda cum urbe et templo evertit. Michæam enim minari ad litteram excidium Chaldæorum, non Romanorum (uti censuit Euseb. lib. 8. Demonstr. cap. 8. motus ea ratione, quod tunc tantum eversa sit Jerusalem, eo quod ædificata sit in sanguinibus, uti ait hic Michæas vers. 10. puta in sanguine et nece Christi, sed perperam; nam ob sanguinem Christi non ædificata, sed destructa est Jerusalem à Tito) patet tum ex Jeremia locis jam citatis, tum ex eo quod Michææ tempore instabat Judæis clades per Chaldæos, non per Romanos. Typice tamen et allegorice hæc spectant ad eorum excidium per Titum et Romanos : horum enim prodromi, et quasi antitypi fuere Chaldæi : Romani enim perfecerunt id quod inchoarunt Chaldæi, dum plenum et extremum exitium Hierosolymæ et reipubl. Judæorum intulerunt.

Tropolog. Jerusalem est anima sancta, et Deo per gratiam dicata et consecrata : hæc evertitur per peccatum mortale, fitque acervus lapidum et ruderum, id est passionum et vitiorum omnium indigesta congeries, quæ antea fuerat constructa ex gemmis, iisque circumdata et quasi coronata, de quibus Apoc. 21. 9. Gemmæ sunt dotes et virtutes, Sion est mens et ratio (quæ in homine est id quod in urbe est arx, quodque in Jerusalem erat Sion, id est specula) quæ antea providebat et disponebat opera virtutum, jam post peccatum quasi ager aratur à diabolo, ut ferat zizania, vepres, aconita et venena peccatorum et scandalorum; templum est spiritus, qui antea Deo adhærens juges ipsi orationis, meditationis et laudis offerebat hostias, jam post peccatum fit sylva densa inutilibus et noxiis arboribus, id est cogitationibus et curis, in qua versantur feræ, id est dæmones, qui ibidem bestiales et ferinos suos mores introducunt, imo ex homine bestiam, ex templo idolum, ex angelo dæmonem efficiunt. Hanc animæ tristem commutationem et cladem totis Threnis describit et plangit Jeremias, ubi inter cætera ait cap. 2. vers. 5 et 6 : *Præcipitavit Israel, præcipitavit omnia mœnia ejus, dissipavit munitiones ejus. Et dissipavit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum, etc.* Et Psaltes, psalm. 78. 1 : *Deus, venerunt Gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.* Similia habet Isaias cap. 1. 7. et sequent.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædixit Michæas cap. præcedenti v. ultimo, montem Sion et templi vastandum a Chaldæis; nunc ut de more tristibus læta subjungat, ut suos consoletur, docet eumdem restituendum, imo super omnes montes erigendum per Christum, quia scilicet in Sion Christus inchoabit Ecclesiam suam divinam et cœlestem, ad quam velut arcem et speculam excelsam ex toto orbe confluent turmatim omnes gentes, quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. Porro in Ecclesia non fore bellum, sed summam pacem prænuntiat. Et regnabit, inquit Dominus, in monte Sion, ex hoc nunc et usque in æternum: Et veniet potestas prima regnum filiæ Jerusalem. Hinc secundo, v. 10. consolatur Judæos, qui captivi ituri erant in Babylonem, quod brevi inde sint liberandi a Deo, qui hostes eorum Chaldæos conteret, et Sioni robur pristinum restituet.

Nota: Priorem et majorem hujus capitis partem mutuatus videtur Michæas ex Isaia c. 2, ubi eadem pene ad verbum habentur. Nam Isaias facile quadraginta annis ante Michæam idipsum prædixisse videtur. Id colligimus ex eo quod priora quinque capita Isaias dictasse videtur sub Ozia rege. Nam 6. cap. sic incipit: In anno quo mortuus est Ozias. Cum ergo visionem sexti capitis habuerit anno ultimo Oziæ, videtur visiones præcedentium capitum quinque sub prioribus ejusdem regis annis a Deo accepisse; Michæas autem hæc prophetavit sub Ezechia, qui fuit pronepos Oziæ, uti dixi cap. præced. v. ultimo. Nam inter Oziam et Ezechiam intercesserunt Joathan, qui 16 annis; et Achaz, qui totidem regnavit. Adde aliquot annos Oziæ et Ezechiæ (Michæas enim post excidium Samariæ, quod anno 6. Ezechiæ contigit, hæc vaticinatus est), habebis annos 40 et amplius, quibus Isaias hoc suum cap. 2. oraculum ante hocce Michææ accepit et edidit. Quia ergo hæc explicui Isaiæ c. 2, ea hic non repetam; sed breviter caput hoc percurram. Lector consulat ea quæ notavi in Isaia.

1. Et erit: In novissimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice
montium, et sublimis super colles: et fluent ad eum populi. 2. Et prope-
rabunt gentes multæ, et dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini,
et ad domum Dei Jacob, et docebit nos de viis suis, et ibimus in semitis
ejus: quia de Sion egredietur lex, et verbum Domini de Jerusalem. 3. Et
judicabit inter populos multos, et corripiet gentes fortes usque in longin-
quum: et concident gladios suos in vomeres, et hastas suas in ligones: non
sumet gens adversus gentem gladium: et non discent ultra belligerare. 4. Et sedebit vir
subtus vitem suam, et subtus ficum suam, et non erit qui deterreat: quia os Domini exerci-
tuum locutum est. 5. Quia omnes populi ambulabunt unusquisque in nomine Dei sui: nos
autem ambulabimus in nomine Domini Dei nostri in æternum et ultra. 6. In die illa, dicit
Dominus, congregabo claudicantem: et eam, quam ejeceram, colligam; et quam afflixeram.
7. Et ponam claudicantem in reliquias: et eam, quæ laboraverat, in gentem robustam:
et regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc et usque in æternum. 8. Et tu
turris gregis nebulosa filiæ Sion usque ad te veniet: et veniet potestas prima, regnum filiæ Jeru-
salem. 9. Nunc quare mœrore contraheris? numquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus
periit, quia comprehendit te dolor sicut parturientem? 10. Dole, et satage, filia Sion,
quasi parturiens: quia nunc egredieris de civitate, et habitabis in regione, et venies usque

ad Babylonem : ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum. 11. Et nunc congregatæ sunt super te gentes multæ, quæ dicunt : Lapidetur ; et aspiciat in Sion oculus noster. 12. Ipsi autem non cognoverunt cogitationes Domini, et non intellexerunt consilium ejus : quia congregavit eos quasi fœnum areæ. 13. Surge, et tritura, filia Sion : quia cornu tuum ponam ferreum, et ungulas tuas ponam æreas : et comminues populos multos, et interficies Domino rapinas eorum, et fortitudinem eorum Domino universæ terræ.

1. Et erit : In novissimo dierum.] Dixi, Isaiæ 2. ex communi Patrum sententia, tempus Messiæ vocari *novissimum*, hebr. אחרית *acharit*, id est sequens, posterum, consequens, succedens ; quia illi nulla alia lex, nulla alia Ecclesia, nulla alia religio, sacrificia et Sacramenta succedent, sicut illud succedit veteri legi et Synagogæ, Sacramentis et sacrificiis Mosaicis ; hæc successerunt legi et statui naturæ. Rursum idem Messiæ tempus Sioni et Judæis est novissimum, quia cœpit in eorum excidio, cum ipsi à Tito et Romanis plane excisi et eversi sunt, quod excidium durabit usque ad finem mundi, uti prædixit Daniel cap. 9. v. ult. Perperam ergo Judæi ex hoc loco exspectant suum Messiam, qui in fine mundi, quasi alter Salomon, ipsis Jerusalem, templum et regnum pristinum restituturus sit.

Perperam quoque nonnulli Catholici apud Theodoret. hæc adimpleta censent in reditu Judæorum è Babylone. Alii sub Ezechia rege pio, qui restituit et auxit cultum Dei in Sion, mittens legatos per totam Judæam, qui dicerent : *Venite ad sanctuarium Domini, quod præparavit in æternum*, 2. Paralip. cap. 30. 8. 2. Nam quæ hic dicuntur, longe augustiora sunt, quàm ut conveniant Ezechiæ, Cyro, Esdræ, etc. Adde : Ezechias legatos istos misit anno primo regni sui, ut patet 2. Paral. 29. et ex Josepho lib. 9. Antiq. cap. 3. Michæas autem hæc prædixit post annum sextum Ezechiæ, uti dixi cap. præced. v. ult. non prædicit autem id quod jam factum, sed quod adhuc futurum erat. De fide ergo est hunc locum ad litteram intelligendum esse de tempore Christi, et Ecclesiæ ac legis Evangelicæ. Ita enim interpretantur omnes Patres, quos citavi Isaiæ 2. et fuse citat hic Christ. à Castro.

Erit mons domus Domini,] id est, domus Domini in monte ædificata ; quæ non est alia quàm Ecclesia Christi, inchoata et fundata in monte Sion. Est hypallage ; sic enim mons templi vocatur Templum montis Sion, Isaiæ 30. 29 : *Qui pergit*, inquit, *cum tibia ut intret in montem*, id est in templum, *Domini, ad fortem Israel.* Similia sunt psalm. 47. 2. psalm. 73. 2. et alibi. Secundo, proprie : *Mons domus Domini* est ipse mons Sion, in quo uti olim Salomon corporale templum, ita Christus suum spirituale et antitypum, puta Ecclesiam, inchoavit et ædificavit. Promittit enim Propheta montis et templi per Chaldæos eversi, restitutionem et restaurationem per Christum. Hic sensus cum priore concurrit, et eòdem redit.

Præparatus.] Hebr. נכון *nachon*, id est primo, fundatus, firmatus, solidatus, ut nullæ vires, imo nec inferorum portæ eum evertere possint ; secundo, *nachon*, id est, verus et certus ; quia Ecclesia nil docet falsum, sed est firmamentum et columna veritatis, 1. Timoth. 3. 15 ; tertio, *nachon*, id est rectus, erectus, qui nihil habet curvi et torti : Ecclesia enim rectam virtutis et salutis viam docet, mentemque recta in cœlum ad Deum erigit et dirigit ; quarto, *nachon*, id est præparatus, dispositus, ordinatus ; quia in Ecclesia omnia sunt rite et decenter ordinata, atque per Ecclesiam militantem fideles præparantur et ordinantur ad triumphantem, puta à gratia ad gloriam, à terra ad cœlum, à merito ad præmium. Denique *nachon* idem est quod integer, perfectus, directus, ordinatus, ideoque incedens prospere, felix et fortunatus.

In vertice montium,] q. d. Mons hic, puta Ecclesia Christi, transcendet omnes leges, scholas, doctrinas, instructiones, religiones, Synagogas Judæorum et Philosophorum, quæ inter homines videbantur eminere quasi montes, adeoque quidquid sub sole celsum est et sublime, superabit, imo calcabit, et subjiciet sibi. Mons hic notat arduam et cœlestem esse doctrinam et vitam Christi et Ecclesiæ.

Et fluent ad eum populi,] turmatim instar fluvii. Unde Justin. contra Tryphon. legit : *Et flumen ponent in eo populi*, q. d. Ad Ecclesiam concurrent omnes gentes, passibus non corporis, sed mentis et spiritus. Miraculum est si aquæ è valle ascendant, et fluant in montem : ita miraculum est, quod gentes terrenæ ascendant in Ecclesiam, cujus doctrina et vita montosa est, ardua et cœlestis ; nimirum id efficit gratia Christi potens et alta, utpote è cœlo demissa. Sicut ergo aquæ è fontibus deductæ per canales in vallem, in valle exsiliunt et ascendunt pene ad altitudinem suæ originis ; ita aquæ hæ cœlestis gratiæ derivatæ in valles, id est, in corda hominum, ea secum exsilire faciunt in cœlum, vitamque cœlestem inire et amplecti. Huc spectat illud Euripidis in Medea : *Sursum sacrorum fluviorum feruntur fontes.*

2. Et dicent : Venite, ascendamus ad montem Domini, q. d. Gentes, visis et auditis miraculis, innocentia, sanctitate et doctrina cœlesti Apostolorum et fidelium, hortabuntur se invicem dicendo : Eia, ascendamus ad Ecclesiam, illi ascribamur ; ipsa enim est mons, et Sion templumque Dei, ibi nos docebit de viis suis, id est, vias suas (est hebraismus), et ibimus, id est, ambulabimus gressibus mentis, non corporis, in semitis ejus,] q. d. Deus in Ecclesia docebit nos voluntatem suam suasque leges ; dabitque gratiam, ut eas voluntate et opere expleamus : hoc enim est ire vel ambulare in viis et semitis Dei. Unde Septuag. apud S. Hieron. vertunt : *Ostendet nobis viam suam ;* S. Justin. contra Tryphon. *Illuminabunt nos*, scilicet gentes et populi multi.

Quia de Sion egredietur lex,] puta lex gratiæ et Evangelii Christi : Apostoli enim, recepto Spiritu Sancto in Sion die Pentecostes, inde egressi in varias provincias, legem Christi omnibus gentibus prædicarunt. Hæc verba possunt accipi, vel ut gentium se invicem adhortantium

ad Ecclesiam, q. d. Ascendamus ad Sion, id est, ad Ecclesiam natam in Sion; quia inde prodit et prodibit lex gratiæ et salutis, vel ut Prophetæ Michææ, q. d. Ideo fluent omnes gentes ad Sion, quia videbunt non aliam esse legem et fidem veram, quàm eam quæ prodit ex Sion, quæ scilicet annuntiatur ab Apostolis prodeuntibus ex Sion, uti ego Michæas prædico et assevero. Ita Lyranus et Arias.

3. Et judicabit,] scilicet verbum Domini, vel potius (quod tamen eòdem redit) ipse Deus Jacob, de quo v. 2. per verbum et Evangelium suum, q. d. Deus per Evangelium populos inter se antea dissidentes componet, eis jus dicet, lites omnes dirimet, ut positis odiis et dissensionibus, omnes in eadem Ecclesia, communi spiritu fidei et charitatis conspirent, habitent, vivantque concorditer et jucunde quasi fratres; secundo, aliter Vatablus, q. d. *Judicabit*, scilicet mons domus Domini, id est Ecclesia, q. d. Si quandò aliquod dubium in fide, vel difficultas in religione acciderit, Ecclesia ea solvet et componet; utpote quæ à Spiritu Sancto recta, falli non potest; tertio, à Castro, q. d. *Judicabit*, id est, verbum et Evangelium Dei judicium exercebit inter multas opiniones, quas habent omnes populi de vita bene et beate instituenda; nimirum damnando et reprobando falsas et stultas, quales sunt de sectanda avaritia, gloria, ambitione, ultione suî, deliciis ac pompis hujus vitæ; ac veras eruendo, probando, et docendo de modestia, humilitate, concordia, charitate mutua, pace, paupertate et similibus, easque hominum mentibus ingerendo et instillando.

Usque in longinquum,] q. d. Judicabit populos longe lateque toto orbe dispersos; et ut Tigurina vertit, *procul dissitos;* aliter Chald. *in longinquum*, scilicet tempus, puta *in perpetuum.*

Et concident gladios suos in vomeres,] q. d. Deus per Christum et Apostolos judicabit et componet omnes lites, inducetque legem pacis, concordiæ, amoris; itaque quantum est ex parte sua, vi gratiæ et Evangelii sui, tollet omnia dissidia et bella; ut gentes arma bellica deponant, imo mutent in instrumenta pacis; puta in aratra et ligones, quibus in pace colitur terra. Atque ut hoc ortu suo portenderet, natus est Christus sub Augusto Cæsare, cùm, domitis vel occisis tyrannis omnibus, sub eo jam monarcha, Jano clauso, mundus plena pace frueretur. Ita S. Cyril. Clarius, Arias et alii. Vide dicta Isaiæ 2. 4. et Joelis. 3. 10.

4. Sedebit vir subtus vineam suam, et subtus ficum suam.] Est Hebræa phrasis, parabolice significans quietissimam securitatem, quam attulit lex Christi, utpote lex charitatis, concordiæ et pacis; ita ut secure et jucunde sine hostis metu in suis domibus et prædiis fideles degere, suisque rebus, ficubus et uvis frui possint; quasi sedentes sub arbore otiose, ficus et fructus in os cadentes exciperent.

5. Quia omnes populi ambulabunt, unusquisque in nomine Dei sui: nos autem ambulabimus in nomine Domini in æternum et ultra,] q. d. Licet cæteri populi infideles colant suos deos, varii varios; fideles tamen et Christiani, qualis sum ego Michæas, meîque similes, unanimiter et constanter unum verum Deum ac Dominum colemus, ipsi soli serviemus toto corde et mente; ipsi qui solus servare potest confisi, secure vivemus in pace, sine metu hostium etiam, et in æternum et ultra, id est, in omnem omnino æternitatem. Est hyperbole; æternitas enim quia immensa, superat omnem hominis conceptum, ideo addit τὸ *et ultra*, q. d. Durabit hæc pax per omnia secula, per omnem æternitatem, quam mente concipere possumus; et ultra, si quid ultra sit; sicut revera ultra conceptum nostrum quem formamus de æternitate, supersunt immensa secula. Nos enim concipimus æternitatem, quasi millia et milliones annorum plurimos; at post hos superest æternitas. Nota τὸ *nos*: Michæas enim licet Judæus, et filius veteris testamenti, tamen prævisione sua, fide, spe, animo et voto jungit se filiis novi testamenti et Christianis, quasi fratribus suis, ex eodem parente Christo, ac fide gratiaque Christi genitis; cum tamen non visurus esset Christum et Christianos, nec eorum tempore victurus. Sancti enim veteris testamenti, ob fidem in Christum venturum, pertinuerunt ad novum testamentum; quia ab eo, puta à Christo, in præscientia et prædestinatione Dei futuro, omnem suam gratiam et justitiam hauserunt, uti docte docet S. August. lib. 3. contra duas epist. Pelag. cap. 4: *Hi* (Christiani servili metu legem servantes), inquit, *ad vetus pertinent testamentum, quod in servitutem generat; quia facit eos carnalis timor et cupiditas servos, non Evangelica fides, spes et charitas liberos; sub gratia vero positi, quos vivificat spiritus, et fide ista faciunt, quæ per dilectionem operatur in spe bonorum non temporalium, sed æternorum, præcipue credentes in mediatorem, per quem sibi non dubitant et spiritum gratiæ subministrari, ut bene ista faciant*, *et ignosci posse cum peccant. Hi pertinent ad testamentum novum, filii promissionis et regenerati à Deo patre et libera matre. Hujus generis fuerunt antiqui omnes justi, et ipse Moyses testamenti minister veteris, hæres novi; quia ex fide qua nos vivimus, una eademque vixerunt; incarnationem, passionem, resurrectionemque Christi credentes futuram, quam nos credimus factam.*

6. In die illa] Messiæ, Ecclesiæ, Evangelii, gratiæ et novi testamenti. De illa enim egit ab initio capitis hucusque. Ita S. Hieron. Haymo, Rupert. Hugo, Lyran. Vatabl. et alii passim.

Congregabo claudicantem, et eam quam ejeceram colligam.] Theodor. per claudicantem et ejectam accipit gentilitatem, q. d. Per Christum colligam populum Gentilem, hucusque à Deo neglectum, abjectum, et claudicantem in fide et religione; quia nunc instinctu naturæ coluit unum Deum creatorem cœli et terræ, nunc vana superstitione et traditione avorum coluit idola. Verum de Gentium vocatione egit Propheta v. 2. Hìc ergo suam gentem consolatur, agitque de vocatione Synagogæ et Judæorum, quorum rex constitutus est Christus, regnare incipiens in monte Sion.

Dico ergo claudicantem et ejectam vocari hìc Synagogam Judæorum; tum quia illa claudicavit in fide, modo colendo Deum, modo idola, juxta illud Eliæ ad ejusdem filios: *Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum, si autem Baal, sequimini illum*, 3. Reg. 18. 21. Eò enim alludit Michæas; tum quia claudicavit præ fatigatione itineris eundo in captivitatem nunc Babylonicam, nunc Persicam, nunc Græcam sub Antiocho. Unde vocatur ejecta, dispersa et vagabunda per omnes gen-

tes : ita Vatablus. Claudicans ergo per metalepsin idem est quod fatigata, dolens, ærumnosa, afflicta. Unde explicans subdit : *Et quam afflixeram, consolabor.* Ita Chald. vertit enim : *Congregabo translatos, et dispersos colligam, et illos quibus malefeci propter peccata populi mei.* Hæc ergo prophetia cœpta est impleri tempore Christi, qui è Judæis Apostolos, primosque fideles in Ecclesiam suam collegit ; in dies autem perfectius impletur, dum variis in locis plures Judæi in Ecclesiam congregantur ; perfectissime autem implebitur in fine mundi, cum omnis Israel salvus fiet, uti intellexit S. Justin. dialogo contra Tryphonem.

7. Et ponam claudicantem in reliquias,] id est, in posteritatem, q. d. Faciam ut Synagoga conversa ad Christum, factaque fidelis, sit fecunda, et multos producat Deos filios, et magnam sobolem. Unde explicans subdit :

Et eam quæ laboraverat, eundo in captivitatem et dispersionem (id est, ut Tigurina, *et procul propulsam*) in gentem robustam,] tum numero, tum fortitudine. Tales fuerunt Apostoli è Judæis prognati, aliique similes viri Apostoli, orbis doctores et domitores. Ita Vatabl. Arias et alii. Hinc sequitur:

Et regnabit Dominus (Christus) super eos in monte Sion,] puta in Ecclesia, quæ cœpit in Sion ; Ecclesia, inquam, tum militante, tum triumphante, *ex hoc nunc, et usque in æternum.* Audi S. Hieron. : *In gentem robustam, in nomen videlicet Christianum, quod non gladius, non ignes, non tormenta superabunt. Vide fidem et passionem Martyrum, et de robusta gente non ambiges.*

8. Et tu turris gregis nebulosa filiæ Sion usque ad te veniet : et veniet potestas prima.] Nota primo : *Turris gregis* in Scriptura vocatur locus ille in quo Jacob pavit greges, Genes. 31. 21 ; nec enim alium locum hoc nomine appellatum in Script. vel apud Josephum, aut chorographos terræ sanctæ legimus. Ita S. Hieron. Remig. Haymo, Rupert. Lyran. et alii passim. Audi ex iis Adrichomium in Descriptione terræ sanctæ : *Turris gregis hebr. ader, sive eder, campus est uberrimus pascuis, et grandibus olivis refertus ; distat passibus fere mille à Bethlehem, ubi Jacob patriarcha fixit tabernaculum, et pavit greges suos ; ibique eo habitante, Ruben patris thorum violavit. Atque hoc ipso in loco pastores, ut prædixerat Propheta Michæas, nocte vigilantes super gregem suum, viderunt et audierunt Angelos canentes : Gloria in excelsis Deo. Ubi postea templum erectum est SS. Angelorum à B. Helena. Atque adeo sacellum hîc erectum est in tantæ rei memoriam medio in agro.* Addunt Haymo, Remigius et Beda, l. de Locis sanctis c. 8, pastores hosce numero fuisse tres.

Quare licet Hebræi, teste S. Hieron. in Tradition. Hebr. in Genes. cap. 35, opinentur turrim gregis fuisse in Jerusalem, eo loco in quo postea ædificatum est templum ; tamen ipse S. Hieron. ibidem, et in Epitaphio S. Paulæ, et in Locis Hebr. et alibi, ac passim Interpretes et Chorographi docent turrim gregis fuisse juxta Bethlehem, ibique Angelos pastoribus gregem suum pascentibus nuntiasse Christi ortum. Dicta est *gregis*, inquit S. Hieron. in Tradit. Gen. 35, *ubi vel Angelorum grex in ortu Domini cecinit, vel Jacob pecora sua pavit, loco nomen imponens ; vel, quod verius est, quodam vaticinio futurum jam mysterium monstrabatur ;* quod scilicet angelus ibidem pastoribus gregem pascentibus evangelizaret Christi nativitatem. Ad litteram turris hæc dicta est *gregis*, ante Jacob, ut videtur ; eo quod pastores juxta illam, utpote loco compascuo, solerent pascere greges, atque noctu ad caulas quæ in turri, vel juxta turrim erant, sese cum gregibus stabulatum recipere, uti notarunt P. Salmeron et Barradius in Lucæ cap. 2.

Secundo, pro *nebulosa* hebr. est *Ophel*, quæ erat turris excelsa in Sion, juxta atrium templi, quam ita ex Josepho describit Adrichom. : *Ophel, quam Josephus Ophlam nominat, erat turris enormi altitudine, quasi nubi caput inserens ; atque arx munita firmo muro cincta, templo propinqua ; extra murum tamen qui habitationem sacerdotum claudebat. In hujus muro Joathan rex multa construxit, atque Manasses eousque urbis muros reparavit. In hac habitabant Nathinæi. In hanc fugiens Manahem tyrannus captus est et occisus. Hanc tandem Titi milites combusserunt.*

Ab altitudine dicta est *Ophel*, id est tenebræ, caligo, nubilum ; quod usque ad nubes erigeret caput, et in contemplando ejus culmine oculi caligarent. Ita S. Hieron. in Isaiæ 32. vers. 14. Quare minus recte aliqui censent turrim nebulosam vocari turrim Psephina, quæ octoangularis erat, erecta super rupem excelsam, septuaginta cubitos alta, inter Septentrionalem et Occidentalem urbis murum, ex qua sereno cœlo Arabia, mare, et fines Chananææ conspici poterant, quam Titus expugnavit, teste Josepho lib. 6. Belli, cap. 2. 5 et 6; nam in Hebr. hîc non est Psephina, sed Ophel. Denique pro *Ophel* Septuag. vertunt αὐχμώδης, quod quadrupliciter verti potest : primo, caliginosus et opacus ; secundo, squalens : hæc duo habet sanctus Hieron. ; tertio, aridus ; quarto, sitiens vel siticulosus : quæ enim arida sunt, sunt pariter squalentia, siticulosa et opaca.

Symbolice, Ophel significat celsitudinem et caliginem in qua habitat Deus ; ad hanc enim accedere et erigere se conatur Sion, id est Ecclesia, et anima fidelis. Deus enim *habitat lucem inaccessibilem*, 1. Timoth. 6. 16. Præclare S. Dionys. Epist. 5. ad Dorotheum : *Caligo, ait, divina est inaccessibilis, in qua habitare dicitur Deus ; hæc est invisibilis, propter eximiam claritatem ; et inaccessibilis, propter immensam luminis copiam.*

Quæres : Si turris Eder erat extra Jerusalem juxta Bethlehem, Ophel vero erat in Jerusalem, quomodo una eademque turris vocatur hîc *gregis*, et *nebulosa* sive *Ophel ?* Resp. metaphorice et metonymice Sion, sive Jerusalem, vocari hîc *turrim gregis*. Ita enim vocari hîc Sionem patet primo, ex eo quod eam nuncupans subdit : *Filia Sion.* Sic enim cum Roman. Symmacho (qui clare vertit, *ipsa est filia Sion*) et Septuag. legendum in nominativo *filia*, non *filiæ* in genitivo ; secundo, quia in Jerusalem erat Ophel. Hæc autem turris gregis erat turris Ophel, uti ait Michæas ; tertio, quia in Sion erat porta (et consequenter turris super portam de more erecta) quæ vocabatur *gregis*, per quam greges ovium offerendi in templo, ex turri Eder sive gregis, ubi pabulabantur, inducebantur in Sion et templum. Unde juxta portam gregis, erat forum pecuarium, et probatica piscina, in qua curabantur infirmi, Joan. 5. 2.

Dicta est probatica, ἀπο των προβατων, id est ab ovibus. Probatica ergo idem est quod pecuaria vel ovina, eo quod ad illam oves, quotidie mane et vespere immolandæ in templo congregabantur, in eaque abluebantur. Denique de Sione et Jerusalem hîc agi patet ex sequentibus. Jerusalem ergo vocatur *turris gregis*, tum quia vicina erat Bethlehem, et turri gregis, illique ut metropolis imperabat; tum quia alto loco in montibus sita, et ad illam confluebat grex, id est, numerositas Judæorum ad templum; tum proprie, quia in Sion erat porta et turris gregis, obversa turri Eder, sive gregis, per quam ex Eder oves in Sion et templum inferebantur. Eadem vocatur *nebulosa*, ob altitudinem turris Ophel, aliarumque similium, quæ in suî culmine nubes et nebulas de more colligebant, atque è terra contuentibus, ob nimiam altitudinem caligantibus oculis, nebulosæ videbantur. Unde probabiliter suspicatur Vilalpando, tom. 3. p. lib. 3. cap. 7, *turrim gregis* hîc præcise vocari portam gregis; portam enim vocari *turrim*, quia alta erat et munita, ut arx vel turris esse videretur. Porta hæc dicitur *filia Sion*, quia subjecta erat templo exstructo in monte Sion. Dicitur *gregis*, tum quod per eam greges offerendi inducerentur in templum, tum quod ante hanc portam esset vallis Josaphat tendens ad montem Oliveti, quem, utpote pascuis uberrimam, Jacob Patriarcha suis pecoribus pascendis elegit. Hæc porta à Josepho, lib. 6. Belli c. 6, vocatur *Genat*, quam Salomon magnificentissimis ædificiis ac propugnaculis exornavit. Hæc Vilalpando, et hoc videntur voluisse Hebræi paulo ante citati, quos sequitur Emmanuel, Mariana et alii.

Quæres, secundo, quisnam hujus loci sit sensus, et quando turri gregis, id est Jerusalem, data sit potestas, sive, ut vertit Tigurina, dominium, regnum et imperium? Primo, Theodoretus sic explicat, q. d. Nabuchodonosor veniet ad te, ô turris, id est, ô templum, quod in vinea, id est, in urbe Jerusalem, quæ ob peccata est atra et nebulosa, quasi turris eminens, ut te sternat et comburat. Verum hoc triste et funestum est, non lætum et festivum oraculum, quale hîc edit Michæas.

Secundo, S. Hieron. intelligit de Cyro et reditu è Babylone, q. d. Veniet Cyrus, qui te, ô Jerusalem, id est, vos Judæi, è Babylone per Zorobabel liberet, et in patriam remittat. Verum licet eò alludat Propheta, ut patet v. 10, tamen altius et majus quid spectat.

Dico ergo turrim gregis et Ophel, sive Jerusalem et Sion, esse Ecclesiam Christi, quæ cœpit in Sion, in quam grex fidelium congregatur, quasi in turrim Ophel, id est, in locum altum et munitum, vergentem in cœlum, ideoque obscurum et nebulosum; doctrina enim Ecclesiæ, quia cœlestis est et divina, de Deo trino et uno, de Verbo incarnato, de prædestinatione et reprobatione, etc., est obscura et nebulosa. Eadem vocatur *filia*, quia Deo dilecta ut filia, et *Sion*, id est specula, quia nunc contemplatur Deum in ænigmate per fidem et spem, brevi eumdem contemplatura reipsa, facie ad faciem. Michæas ergo regiam Christi, puta Jerusalem, id est Ecclesiam, vocat *turrim*, ob altitudinem vitæ et doctrinæ; atque ob munitionem, speculam et tutelam, qua suos fideles tuetur et propugnat. Vocat *gregis*, quia alludit ad Davidem, qui fuit pastor gregis, indeque primus evocatus est ad regnum Sionis; et quia ejus antitypus et successor Christus, rex novæ Sionis, id est Ecclesiæ, ejusdem potius fuit pastor, quàm rex. Unde ipse nomine pastoris delectatur: *Ego*, ait Joan. 10. 11, *sum pastor bonus, bonus pastor animam dat pro ovibus suis;* et v. 14: *Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ.* Hinc vetustissimæ imagines Christi, quas etiamnum Romæ in antiquis templis videmus, Christum quasi pastorem oves pascentem, aut ovem perditam humeris bajulantem, et ad caulam reducentem depingunt.

Tropolog. Ecclesiam vocat *turrim gregis*, ut significet Præsules Ecclesiæ, Christi vicarios, non debere ut reges dominari in cleris, sed ut pastores pascere gregem Domini. Hoc est quod ait et sancit S. Petrus, primus à Christo summusque Ecclesiæ Præsul: *Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundùm Deum; neque turpis lucri gratia, sed voluntarie; neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis, ex animo. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam*, 1. Petri 5. 2.

Sensns ergo hujus loci est, q. d. Dixi v. 7. quod Dominus regnabit super eos (Judæos fideles) in monte Sion in æternum; quia tu, ô Sion, quæ es turris gregis et Ophel, id est arx sublimis, invicta et inexpugnabilis, accipies hoc regnum: *Usque ad te veniet, et veniet potestas prima*, q. d. Veniet, veniet, inquam, ad te prisca et avita potestas, et regnum quod habuisti sub Davide et Salomone, puta *regnum filiæ Jerusalem*, hoc est, regnum Hierosolymæ: sicut enim David gloriose et potenter regnavit in Sion; ita ibidem Christus, filius Davidis et hæres, regnum idem capesset: at non temporale, sed spirituale; ibique regnum Ecclesiæ suæ inchoabit quod deinde proferet et propagabit per Apostolos in universum orbem, juxta id quod promisit Gabriel matri eum concipienti: *Dabit illi Dominus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum*, Lucæ 1. v. 32. Et David rex in typo et persona Christi: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus prædicans præceptum ejus*, Psal. 6. 2. Ita Clarius, Vatabl. Arias, Ribera, à Castro et alii. Huc accedunt S. Hieron. et Lyran. qui per *turrim gregis filiæ Sion* (uti ipsi legunt) accipiunt templum, quo grex, id est populus Domini, confluebat; et in quo greges ovium Deo mactabantur, hoc vocatur *Ophel*, id est nebulosum, quod ad nubes usque altitudine sua pertingeret, vel quod fumum victimarum quasi nebulam jugiter exhalaret; vel quod umbris et figuris quasi nebulis plenum esset, q. d. O turris nebulosa filiæ Sion, id est, ô templum Hierosolymorum, usque ad te veniet; veniet, inquam, prima potestas, id est, primum et avitum illud Davidis imperium; non in umbra, sed in veritate: Christus enim triumphator ingredietur in te, qui est regum summus, cujusque David rex umbra tantum fuit et typus. Respicit introitum solemnem Christi in Jerusalem die palmarum, quando asello vectus cum pompa et triumpho, urbem et templum quasi Messias est ingressus, et inauguratus acclamante turba: *Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini: benedictum quod venit regnum patris nostri David*, Marci 11. v. 10. Christus enim per portam gregis (quæ hic vocatur *turris* ob celsi-

tudinem, ait Vilalpando supra) quasi agnus paschalis in paschate immolandus, invectus est in urbem, uti colligitur ex Luca, c. 19. 37, cum ait: *Et cum appropinquaret jam ad descensum montis Oliveti*, etc. Ex monte ergo Oliveti per vallem Josaphat venit ad portam gregis, eaque ingressus est in urbem. Et hoc videtur hîc significare Michæas, inquit Vilalpando. Idipsum clare significat versio Chaldæi, qui paraphrastice per turrim gregis accipit Christum, qui in Ecclesia inter fideles quasi turris eminet; correlativa enim sunt et inseparabilia, pastor et grex, rex et regnum, Christus et Ecclesia. Sic ergo utrumque nectens vertit: *Tu autem, ô Messia*, vel, *Christe Israelis, qui absconditus es propter peccata cœtus Sion, tibi venturum est regnum, sed et dominatio prisca adveniet regno cœtus Jerusalem.* Christus enim est turris, quia Verbum Patris, de quo dicitur Sap. 18. 16: *Usque ad cœlum attingebat, stans in terra.* Erat enim verus Deus æque ac homo, jungens in se deitatem humanitati, et cœlum terræ, Angelos hominibus. Hinc et dicitur *nebulosa*, id est abscondita in præsepio, carne et cruce: Deus enim *posuit tenebras latibulum suum*, Psal. 17. 25. Idcirco incognita fuit Judæis. Erat *turris gregis*, quia sicut turris urbem, cives et oves; ita Christus Christianos protegit et tuetur. Ipse denique regnum suum consignavit Hierosolymæ, id est Ecclesiæ suæ. Unde et Syrus et Arabicus vertunt: *Tu autem turris* (Arabicus, *arx*) *pastor nebulosæ filiæ Sion, tempus tuum advenit.*

Denique Haymo, Remig. Beda in Luc. 2, Baronius an. 1. Christi, et alii censent Michæam hîc alludere ad pastores Eder, quibus angelus primo nuntiavit Christi ortum: ideo enim nominat turrim Eder, id est gregis et pastorum. Unde id clare explicans cap. seq. v. 2. ait: *Et tu Bethlehem* (juxta quam erat turris Eder) *Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel*, etc. Itaque hujus loci hunc dant sensum, q. d. Tu, ô turris Eder rusticana, vilis et pastoritia, caput attolle, gaude et exsulta: quia primo ad te veniet nuntius cœlestis, puta angelus annuntians Christi regis ortum, cujus potestas prima et regnum incipiet in Jerusalem, indeque propagabitur per totum orbem. Quocirca eris jam turris non tantum gregis, sed et Ophel, id est celsæ caliginis: quia in te excelso Olympi vertice descendet spirituum et musicorum cœlestium multitudo, concinens: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Tropolog. *filia Sion* est anima quæ speculatur cœlestia et divina: Sion enim hebr. significat *speculam*. Unde in ipsa est turris, id est prudentia et providentia, æque ac robur et munimen, quibus suum gregem, id est omnes animæ potentias, sensus et actiones, omnesque corporis motus moderatur, regit, tuetur et roborat. In ipsa est Ophel, id est caligo, puta orationis et contemplationis, qua cum Mose Exodi 19. 9. intrat in caliginem, in qua habitat Deus; ibique cum eo colloquitur, uti solitum facere S. Bernardum legimus in ejus Vita. Rursum est Ophel, id est αυχμωδης, ut vertunt Septuag. id est primo arida, quia humores pravos concupiscentiæ per jejunia et mortificationes desiccat; secundo, squalens, per luctum et pœnitentiam, ob exsilium in quo degit; tertio, sitiens, scilicet Deum, et aquam gratiæ salientis in vitam æternam. Complutensia legunt αυχμωδους in genitivo, id est, caliginosæ, aridæ, squalidæ et sitientis, ut referatur ad *gregis*. Juxta quam versionem hæc quatuor simili sensu jam dicto de anima, ad potentias, sensus, motusque ejusdem (hi enim sunt ejus grex) accommodari facile possunt. Ad hanc venit potestas prima, puta primum regnum filiæ Jerusalem. Primum enim maximumque regnum animæ est, quo in ipsa regnante Christo rege, eamque regente, ipsa pariter à Christo regnum accipit, fitque regina: nam regnat et dominatur æquo jure, primo sibi, suisque potentiis et motibus; deinde rebus externis, quas omnes sibi subjicit; ac tertio, proximis, quorum cura ei commissa est. Dum enim Deo vacans, primo sibi suisque actibus pie sancteque imperat, facile cæteris omnibus præesse et imperare discit; itaque fit Jerusalem, id est, visio et possessio pacis: jugi enim pace et serenitate conscientiæ fruitur. Hinc Philosophus ille, licet Gentilis: *Rex*, inquit, *eris, si teipsum rexeris. Rex eris, si cupiditatibus et passionibus tuis imperes. Rex eris, si regas iram, gulam, libidinem.* Alexander Magnus alios rexit, seipsum regere nescivit, rexit eum ira et cupido: unde non rex, sed iræ fuit servus et mancipium ambitionis. Verius mendicus ille apud Taulerum se regem esse dixit, quod nihil appeteret in hoc mundo, quodque suam voluntatem Dei voluntati in omnibus conformaret, ideoque sibi rebusque omnibus dominans perpetua pace et lætitia animi frueretur. Historiam fuse enarravi, Rom. 12. 1.

Anagog. quidam, ait S. Hieronym. hæc accipiunt de Jerusalem cœlesti, quæ cum sit *mater sanctorum, tamdiu quasi Ophel squalet, quamdiu filii sui non reducuntur ad eam, ut rex et consiliarius non sit in ea: et dolores sicut parturientem apprehendant eam, quod frustra peperit, videns tantos filios interfectos.*

9. Nunc quare mœrore contraheris.] Hebr. nervosius: *Nunc quare vociferaris vociferationem?* id est, cur ingenti voce ejulas et ploras? Redit ad Sionem, id est, ad Judæos sui temporis. Unde vocula, *nunc*, et tempus præsens significat, simulque est nota illationis, idem valens quod *ergo*. Itaque *nunc* idem est quod *nunc ergo*, q. d. Nunc ergo, ô Sion, cur mœres ob instantem captivitatem; cum tam felix et augustum Christi regnum exspectes? Esto enim eas ad modicum tempus in Babylonem, esto Sedecia rege tuo, principibus et consiliariis orberis; tamen inde brevi te reducam, faciamque ut rex tuus potentissimus, æque ac consiliarius sapientissimus, propediem tibi sit ipse Christus, Rex regum et Dominus dominantium; ipse te omni captivitate, omni mœrore, omni ærumna liberabit; ipse te consolabitur, ditabit, honorificabit, ut nil deinceps metuere debeas, nil amplius sperare aut desiderare possis.

Allegorice, hæc et sequentia usque ad finem capitis adaptari possunt Ecclesiæ primitivæ (hujus enim typus fuit Synagoga Judæorum) primitus et deinceps à tyrannis afflictæ, et pene oppressæ: imo de ea ad litteram accipiunt Rupert. Albert. Lyran. et Vatabl. q. d. Post adventum Christi affligentur Christiani, unde habebunt ansam gemendi; sed tamen sumant animos, quia non destituentur ope divina: nam rex eis aderit Christus, et consiliarius Spiritus Sanctus.

Aliter, imo contrarie, hæc accipit S. Hieron,

et Theodoret. q. d. Qua de causa, ô Sion, mœres? utique ob instantem captivitatem. Sed unde illa tibi obveniet? An quod destituta sis rege et consiliariis? at habes Ezechiam, Josiam, Sedeciam, aliosque reges, eorumque principes et consiliarios. Disce ergo hoc malum non aliunde tibi accidere, sed tua culpa, tuo vitio : quia nimirum tuis idolis et sceleribus Dei iram et vindictam in te concitasti. Verum hic est sarcasmus et hostilis irrisio potius quàm paterna consolatio, quam toto hoc cap. Sioni suggerit et ingerit Propheta.

Tropol. S. Ambros. hìc : *Cur*, inquit, *comprehenderunt te dolores ut parturientis, ut parturires iniquitates, et pareres injustitias? nullus enim major est dolor, quàm is qui peccati mucrone vulnerat conscientiam : neque ullum gravius est onus, quàm peccatorum sarcina et pondus flagitiorum. Deprimit animam, curvat usque ad terram, ne se erigere possit. Gravia, fili, gravia nimis delictorum sunt pondera. Denique illa in Evangelio* (Lucæ 13.) *mulier quæ curvata erat, speciem prætendens animæ laborantis, à Christo potuit solo erigi.*

10. Dole, et satage, filia Sion.] Satagere est esse anxium, anxie distorqueri difficultate alicujus rei conficiendæ, vel evadendæ. Pro *satage* hebr. est גוחי *gochi*, quod varie vertitur; Septuag. *Dole et viriliter age ;* Chald. *Dole et contremisce;* Pagnin. *Dole et ingemisce;* Tigurina : *Dole, et gemitum ede*, q. d. O Sion, permitto ut doleas et ingemiscas, ac de facto dolebis et ingemisces : habebis enim justum argumentum et causam doloris et gemitus, scilicet excidium et captivitatem Babylonicam.

Quia nunc egredieris de civitate, de Jerusalem, et habitabis in regione; Hebr. et Chald. *in agro;* Septuag. *in campo*, q. d. Non in urbe sub tecto, sed in agro sub dio, quasi profuga et captiva deges : et venies usque ad Babylonem. Sed age, resume animos, spera meliora : nam post modicum tempus, puta post 70 annos, ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus.] Primo, inchoate per Cyrum et Zorobabel; secundo, plene per Christum. Audi S. Cyrillum juxta Septuag. *Dole igitur, et viriliter age, filia Sion*, ait : *O bona filia, patiens esto ad dolores, obdura ad molestias, appropinqua ad partum. Sed enim non penitus consolatione destitutam relinquit : addit enim in patriam sedem iri revocatum.* Sic Æneas socios naufragos spe melioris sortis consolatur Æneid. 1 :

Per varios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas
Ostendunt : illic fas regna resurgere Trojæ :
Durate, et vosmet rebus servate secundis.

Tropolog. S. Hieron. *intelligit*, inquit, *animam propter peccatum de Ecclesia pulsam, et inimico et ultori contraditam in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat, exire de civitate quam spiritus impetus lætificat, habitare non in monte ubi prius fuerat, sed in campo in quo Assyriorum vagatur exercitus, et esse in confusione vitiorum suorum, et postquam habuerit compedes, et traxerit molam, et farinam Babylonis fecerit, in semet reversam dicere : Quanti mercenarii patris mei saturantur panibus, et ego hìc fame pereo ; et ad paternam domum postea revertentem suscipi à clementissimo patre, et redimi de manu durissimi domini.*

11. Et nunc congregatæ sunt super te gentes.] Tò *nunc* iterum aliam et viciniorem Hierosolymæ calamitatem significat, q. d. Dixi, ô Sion, te iturам in Babylonem; sed antequam eò vadas, alia tibi instat clades à Sennacherib, qui multas contra te gentes congregabit, puta 185 millia, quæ dicent : Lapidetur, id est, lapidibus obruatur, et aspiciat in Sion oculus noster,] id est, oculus noster aspiciat cum voluptate Sionis ruinam, eaque se pascat, illamque irrideat et subsannet : solemus enim aspicere et oculos intendere in ea quæ diligimus, despicere vero et avertere oculos ab iis quæ odimus vel contendimus. Unde vulgo dicitur : *Ubi oculus, ibi amor; ubi manus, ibi dolor.* Hinc *aspicere* sumitur quandoque pro oblectari, ut psal. 65. 18 : *Iniquitatem si aspexi in corde meo.* Ita S. Hieron. Remig. Haymo et alii.

Nota : Pro *lapidetur* hebr. est תחנף *techenaph*, quod Septuag. vertunt, *insultabimus*, vel, ut S. Hieronym. legit, *insultemus;* alii, *insultemus et gaudeamus ;* Chald. *impie aget ;* Pagninus, *peccavit ;* Tigurina, *hypocrita fuit*, simulando se piam, cum esset impia; castam, cum esset incesta ; deicolam, cum esset idololatra. Arias, *superstitietur*, id est, ut superstitiosa, et novorum deorum cultrix puniatur, expietur et lapidetur. Proprie *techenaph* vertas : *Impia est, et ut impia plectatur.* Alludit *techenaph* per metathesin ad תנאף *tinaph*, id est adultera est, et ut adultera puniatur et lapidetur : lapidatio enim erat pœna adulterii apud Judæos, q. d. Sion, relicto Deo sponso suo, coluit idola, cum iisque fornicata et adulterata est; ergo ut adulteram eam lapidibus obruamus, demoliamur eam ; et in acervum lapidum redigamus, eoque illam sepeliamus.

Allegor. Nero, Decius aliique tyranni dicebant de Ecclesia Christi : *Lapidetur*, id est pereat et exscindatur; sed id reipsa, Deo illam tutante, efficere non potuerunt. Ita S. Hieronym. Haymo, Rupert. Hugo et alii. Idem etiamnum dicunt hæretici de eadem. Idem de sanctis Religionibus, monasteriis, collegiis, adeoque de viris religiosis et zelosis dicunt iidem, imo et perversi Catholici, Lapidetur, evertatur talis Religiosorum domus, Dominicani, Franciscani, Jesuitæ expellantur et lapidentur ; sed, Deo eos tutante et consolante, fit id quod sequitur : *Congregavit eos quasi fœnum areæ. Surge, et tritura, filia Sion; quia cornu tuum ponam ferreum, etc.*

12. Ipsi autem non cognoverunt cogitationes Domini,] quibus statuit Sionem hisce persecutionibus probare, purgare et illustrare ; non perdere, et evertere : persecutores vero ejus, puta castra Sennacherib, cædere et dispergere.

Quia congregavit eos quasi fœnum areæ,] q. d. Congregavit eos in Judæa, quasi frumenti manipulos in area, ut ibi ab angelo et à Judæis triturentur, id est cædantur, calcentur, spolientur. Angelus enim cecidit 185 millia ex castris Sennacherib. Nota *fœnum* hìc non significare herbam pratorum demessam et siccatam, quæ proprie fœnum dicitur; sed capi pro frumento spicato, puta pro manipulis tritici : hoc enim solum in area trituratur, uti de hoc fœno subdit dicens : *Surge, et tritura, filia Sion.* Unde Septuag. vertunt : *Quasi manipuli areæ;* Chald. Pagnin. et Tigurina vertunt : *Quasi manipuli ad aream*, ut in ea triturentur, eorumque grana excutiantur, quæ in horrea condantur. Hos enim significat hebr. עמיר *amir.*

13. Surge, et tritura, filia Sion : quia cornu tuum ponam ferreum, et ungulas tuas ponam

ÆREAS, ET COMMINUES POPULOS MULTOS.] Nota: In Palæstina, uti et in Italia, Canaria, aliisque multis provinciis manipuli et segetes triturantur non ligneis flagellis, uti fit in Germania; sed ungulis boum, vel serratis carpentis, quæ super segetes circumagunt; itaque calcando eas terunt, et grana ex aristis exprimunt. Similia carpenta subinde super hostes stratos agebant victores, eosque quasi triturabant; ut fecit David Ammonitis, 2. Reg. 12. 31. Dicit ergo Deus se *cornu* et *ungulas æreas*, id est animos, robur et vires, Sioni redditurum, ut suos hostes calcet, premat et trituret. Factum hoc primo, sub Ezechia, quando cæcis per angelum Assyriis, Judæi eorum castra invaserunt, occuparunt et spoliarunt; secundo, sub Juda, Jonatha, Simone et Hyrcano Machabæis, qui quasi cornua fuerunt, quibus Judas ventilavit omnes vicinas gentes, ut patet ex libris Machab. ut in iis impletum sit illud Deut. 33. 17: *Cornua rhinocerotis cornua illius, in ipsis ventilabit gentes usque ad terminos terræ.* Ad Machabæorum enim gloriosa bella et victorias hæc referunt Dionys. Ribera et alii. Mystice id plane adimpletum est in Christo ejusque Sione spirituali, id est Ecclesia, quæ robore prædicationis suæ sibi subegit omnes gentes, eorumque idola et profana fana contrivit. Ita S. Hieron. Remig. Rupert. Albert. Lyran. Clarius et alii.

ET INTERFICIES DOMINO RAPINAS EORUM,] q. d. Immolabis Domino boves aliasque victimas quas victrix ab hostibus rapuisti. Id fecisse Ezechiam et Judæos ex spoliis Assyriorum docet Joseph. lib. 10. Antiq. c. 3. Idem fecisse Machabæos liquet ex eorum actis. Idem seculis omnibus fecit et facit Ecclesia Christi. Pro *interficies* hebr. est והחרמתי *vehacharamti* (Noster et Sept. videntur legisse והחרמת *vehacharamta;* vertunt enim in secunda persona, *et interficies,* sed eòdem redit sensus; Deus enim per Judæos victimas hasce interfecit), id est *faciam cherem*, id est anathema, hoc est, *anathematizabo*, exscindam et consumam, *rapinas eorum Domino*, id est mihi, q. d. Devovebo hostes tuos cum suis opibus mihi meæque vindictæ: quasi victimas meas addicam eos neci, faciam eos anathema, partim per angelum occidentem, partim per tuos cives, ô Sion, præsertim Machabæos, sicut feci Jericho, Josue 6. 16. et Chananæis, Numer. 21. v. 2. Vide quæ ibi dixi de voto *cherem*, sive anathematis.

Nota: Pro *rapinas eorum* hebr. est בצעם *bitsam*, quod Septuag. vertunt, *multitudinem eorum;* Chald. *facultates eorum;* Symmach. *lucrum eorum;* Theodoret. *dona* vel *munera eorum;* Tigurina, *opes eorum;* Pagnin. *desiderium*, id est opes desiderabiles, *eorum;* Noster, *rapinas eorum*, quas scilicet Assyrii è Judæa rapuerunt, tuque iterum eis eripuisti, quasi justas et reduces justi belli rapinas.

ET FORTITUDINEM EORUM.] Hebr. חילם *chelam*, id est substantiam et opes: hæ enim sunt divitum robur et fortitudo, juxta illud Proverb. 18. 11: *Substantia divitis, urbs roboris ejus, et quasi murus validus circumdans eum.* Hæ rursum sunt nervus belli, ut ait Cicero. Alii per *fortitudinem* accipiunt milites et arma: arma enim hostium bello capta Judæi, æque ac Christiani et Gentiles suspendere solent Deo, ut illi victoriam acceptam referant: uti David suspendit in templo gladium quo obtruncavit Goliath, 1. Reg. 21. 9. Idem fecisse Gentiles docet Virgil. 7. Æneid.

> Multaque præterea sacris in postibus arma:
> Captivi pendent currus, curvæque secures,
> Et cristæ capitum, et portarum ingentia claustra,
> Spiculaque clypeique ereptaque rostra carinis.

Hoc est quod prædixit Isaias, c. 6. v. 5: *Fortitudo gentium venerit tibi;* et v. 11: *Ut afferatur ad te fortitudo gentium, et reges earum adducantur.*

Tropol. docemur hìc omnem victoriam de hostibus tam corporalibus, quàm spiritualibus, ascribendam esse Deo auctori; uti fecit Moyses et Josue, victo Amalech, erigens altare hoc titulo: *Dominus exaltatio mea*, Exodi 17. v. 15; ideoque omnia desideria et desiderabilia nostra ipsi esse mactanda et offerenda.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Vastata filia latronis, prædicit Christum nasciturum in Bethlehem, qui Israel pascat in fortitudine Domini, et magnificetur usque ad terminos terræ. Deinde v. 5. ait quod Christus erit pax, cum venerit Assyrius in terram nostram; tunc enim eum conteret. Tertio, v. 7. prædicit quod reliquiæ Jacob, id est Apostoli et primi Christiani, erunt quasi ros Domini, irrigantes mentes hominum: easque efficaciter instar leonis, rapientes sibique et Deo subjugantes. Denique v. 10. asserit quod Deus tunc auferet maleficia, divinationes, lucos, omniaque arma et præsidia in quibus infideles confidebant.

1. Nunc vastaberis, filia latronis: obsidionem posuerunt super nos, in virga percutient maxillam judicis Israel. 2. Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis. 3. Propter hoc dabit eos usque ad tempus, in quo parturiens pariet: et reliquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Israel. 4. Et stabit, et pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui: et convertentur, quia nunc magnificabitur usque ad terminos terræ. 5. Et erit iste pax, cum venerit Assyrius in terram nostram, et quando calcaverit in domibus nostris: et suscitabimus super eum septem pastores, et octo primates homines. 6. Et pascent terram Assur in gladio, et terram Nemrod in lanceis ejus, et liberabit ab Assur, cum venerit in terram nostram, et cum calcaverit in finibus nostris. 7. Et erunt reliquiæ Jacob in medio populorum multorum quasi ros à Domino, et quasi stillæ super herbam, quæ non exspectat virum, et non præstolatur filios hominum. 8. Et erunt reliquiæ Jacob in Gentibus in medio populorum multorum, quasi leo in jumentis sylvarum, et quasi catulus leonis in gregibus pecorum, qui cum transierit, et conculcaverit, et ceperit, non est qui eruat. 9. Exaltabitur manus tua super hostes tuos, et omnes inimici tui interibunt. 10. Et erit in die illa, dicit Dominus: Auferam equos tuos de medio tuî, et dispergam quadrigas tuas. 11. Et perdam civitates terræ tuæ, et destruam omnes munitiones tuas, et auferam maleficia de manu tua, et divinationes non erunt in te. 12. Et perire faciam sculptilia tua, et statuas tuas de medio tuî; et non adorabis ultra opera manuum tuarum. 13. Et evellam lucos tuos de medio tuî, et conteram civitates tuas. 14. Et faciam in furore et indignatione ultionem in omnibus gentibus, quæ non audierunt.

1. Nunc vastaberis, filia latronis.] Hebr. est elegans paronomasia; *hitgodedi bat gedud*, q. d. Nunc vastaberis, filia vastatoris; nunc prædaberis, filia prædatoris, aut, ut alii: *Nunc concideris, filia concisionis;* aut, ut Tigurina: *Nunc cingeris turmis, filia turmæ.* Nota primo, *hitgodedi* est conjugationis *hitpael*, quæ partim activa est, partim passiva; et communiter significat actionem reflexam, qua agens agit in seipsum, ita ut idem sit agens et patiens, q. d. Vastabis et concides teipsam, vel vastaberis et concideris à teipsa, id est tua culpa, tuo demerito; puta ob tua scelera peribis. Quocirca *hitgodedi* non tantum passive, uti jam vidimus, sed et active verti potest. Unde Syrus vertit: *Nunc exibis cum turma, filia turmarum fortium;* Arabicus: *Nunc egredieris cum exercitibus;* Pagnin. *Nunc militabis, filia militis,* alii: *Nunc congregabis te per turmas, filia turmæ;* alii: *Nunc educes exercitus, filia exercitus;* alii: *Nunc concides, filia concisionis;* Arias: *Collige cœtum tuum, filia cœtus;* alii: *Martem et Martia castra instrue, filia Martis.* Porro *filia latronis* idem est quod latro, latrociniis dedita; sicut, filius hominis idem est quod homo, filius ovium idem quod ovis, filia capræ idem est quod capella.

Nota secundo גדוד *gedud* significare congregationem, cœtum, turbam, turmam, exercitum; unde in libris Regum, turmæ Syrorum excurrentes et prædantes terram Israel vocantur *gedudim;* Noster vertit vocatque *latrunculos*, id est volones, prædones, quos Belgæ vocant bzybuz

ters. Itidem hîc vertit, *filia latronis,* uti et verterunt Aquila, Symmach. Theodot. et quinta Editio. Hinc et Lia quintum suum filium vocavit *Gad,* quasi *gedud,* id est turmam filiorum, q. d. Tot jam genui filios, ut ex eis aciem instruere possim, Genes. 30. 8. Ita Chald. et Aquila ibidem. *Gedud* ergo est turma velitum, sive excursio et irruptio militum levis armaturæ ad prædandum et latrocinandum; item exercitus qui omnia populatur, quales fuerunt Assyriorum, Persarum, Græcorum, Romanorum : de quibus S. August. vere dixit, 1. de Civit. cap. 4 : *Remota justitia, quid sunt regna nisi magna latrocinia? quia et ipsa latrocinia quid sunt nisi parva regna?* Et pirata captus ab Alexandro Magno, rogatus cur piraticam exerceret, respondit : Ego idem facio quod tu : *Ego sum parvus, tu magnus es orbis prædo; sed quia id ego exiguo navigio facio, Latro vocor; quia tu magna classe, Imperator,* ut ibidem refert S. August. Tertio, pro *judicis Israel,* uti habent Hebr. et Latina, vertunt Septuag. *tribus Israel;* Chald. *judicum Israel,* per enallagen accipientes singulare pro plurali.

Quæres : Quænam est hæc filia latronis? sunt quatuor sententiæ : Prima est, esse Babylonem; secunda, esse Damascum; tertia, esse Jerusalem; quarta, esse Niniven et Assyriam. Nam primo, de Babylone accipi potest, vel active, q. d. Congrega turmas latronum, id est, militum et prædonum tuorum, ô Babylon, ut obsideas nos Hierosolymitas, et percutias maxillam judicis, id est regis Israel, puta Sedeciæ, eumque regno et oculis prives atque excæces; vel passive, q. d. Brevi à Cyro vastaberis, ô Babylon, quia fuisti filia latronis, id est, latro et latrociniis dedita, ac ut talis obsedisti et vastasti nos, atque regem nostrum Sedeciam in maxilla percussisti, imo exoculasti. Favet huic sententiæ quod cap. præced. v. 10. meminerit Babylonis, ejusque prædationis. Consolans enim Judæos à Babyloniis capiendos : *Dole, inquit, et satage, filia Sion quasi parturiens; quia nunc egredieris, etc. et venies usque ad Babylonem, ibi liberaberis,* scilicet per Cyrum. Hoc est quod hîc dicit : *Nunc vastaberis, filia latronis,* id est Babylonis, scilicet per Cyrum; verba ergo hæc illorum cap. 4. v. 10. videntur antistropha.

Secundo, *filia gedud,* id est *latronis,* accipi potest Damascus et Syria : inde enim frequentes *gedudim,* id est latrunculi, excurrerunt in terram Israel, eamque latrocinando vastarunt, ut patet ex libris Regum. Vox enim *gedud,* id est latronis, videtur respicere ad illos *gedudim,* recensitos in libris Regum. Accedit quod Syris et Damascenis, ob hasce prædationes, excidium minetur Isaias c. 7. 7, atque mox subjungat lætum oraculum de Emmanuele rege Judæis nascituro, dicens v. 14 : *Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Ad Isaiam autem de more alludit hîc Michæas qui hîc videtur idem oraculum, quod Isaias c. 7. edere. Nam vastationi filiæ latronis subjungit lætum oraculum de Christo rege, in Bethlehem nascituro, perinde ac facit Isaias. Sensus ergo est, q. d. Vastaberis, ô filia latronis, ô Damasce, latro et prædo Israelis; quia obsedisti Judæos, eorumque principes sæpe in maxillam, id est ignominiose, percussisti : vastaberis autem per Salmanasar Assyrium, quem Emmanuel vindex noster, antequam nascatur homo, in te immittet, uti prædicit Isaias loco jam citato. Hic sensus accommodus videtur : Michæas enim Isaiæ sæpe est antistrophus. Sed obstat quod hactenus Michæas nullam Damasci fecerit mentionem; fateor tamen ad illam et ad Isaiam hîc alludi, uti mox plenius dicam.

Tertio, *filia latronis* accipi potest Jerusalem, q. d. Tu, ô Jerusalem, quæ mihi olim eras chara, quasi filia Sion; nunc vero facta es filia latronis, quia opprimis et expilas pauperes; tu, inquam, ob hæc latrocinia tua vastaberis à Chaldæis, qui te obsidebunt, et Sedeciam aliosque tuos judices et principes percutient in maxilla, id est ignominiose tractabunt et vexabunt, uti dixi c. 4. v. 10. et cap. 3. v. ult. Atque hæc oppressio tua durabit usque ad Christum. Post Chaldæos enim Græci, ac præsertim Antiochus Epiphanes, post Antiochum Pompeius et Romani te pessumdabunt, donec Christus tuus rex, Messias et liberator nascatur in Bethlehem, qui te redimet, omneque jugum et hominum et dæmonum à cervicibus tuis excutiet. Ita Remigius, Haymo, Albertus et Clarius.

Quarto et genuine, *filia latronis,* hebr. *gehud,* id est turmæ et exercitus, vocatur hîc Assyria, puta cœtus Assyriorum, et castra Sennacherib, qui quasi latro populatus est Judæam, et obsedit Jerusalem atque ignominiose tractavit judicem, id est principem Israel, puta regem Ezechiam, ac si eum in maxillam percussisset. Rabsaces enim missus à Sennacherib, non tantum conviciatus est Ezechiæ, sed et ejus Deum blasphemavit, ut patet Isaiæ 36. Quocirca audit hîc à Deo vindice : *Vastaberis,* atque hanc vastationem mox ipsi inflixit, mittens Angelum qui cecidit 185 millia militum in castris ejus. Percussio enim maxillæ abiit in proverbium, nec aliud significat quàm gravem ignominiam, ingensque probrum. Forte etiam revera Sennacherib legatos Ezechiæ, vel principes Israel à se captos percussit probrose in maxilla, esto Scriptura id non dicat : quia eos sua fecit mancipia, quibus in facie inuri solent stigmata, tum ignominiæ causa, tum ut à liberis secernantur ne aufugiant. Ita fecisse Caium Imp. nobilibus Romanis, quos ad metalla, vel ad bestias damnavit; qui proinde dicti sunt Inscripti, Litterati, Stigmatici : testis est Suetonius in Vita Caii, c. 27.

Probatur hæc expositio, primo : nam hic versus connectitur et pertinet ad caput præcedens, ut patet ex verbo *nunc,* idque docent Albertus, Lyranus, Pagninus et alii; imo Pagninus hunc versum ponit ultimum capitis quarti, caput vero quintum inchoat, à v. sequent. *Et tu Bethlehem Ephrata, etc.* Atqui cap. præcedenti vers. 11. usque ad finem capitis egit de Sennacherib et castris Assyriorum, prædantibus Judæam, et obsidentibus Jerusalem, deque ejus cæde et spoliatione per Ezechiam et Judæos, qui ejus prædas et manubias in gratiarum actionem oblaturi erant Deo. Ergo cum hæc verba illis immediate connectantur et subjungantur, sequitur de ejusdem Sennacherib vastatione et clade hîc agi; secundo, quia alludit Michæas partim ad Isaiæ 7, uti dixi in expositione secunda; sed quos Isaias dixit de Syris, hoc Michæas dicit de Assyriis; utrique enim erant vicini et congeneres; utrique prædones Israelis; partim ad Isaiæ 10. 5 : *Væ Assur virga furoris mei!* quia scilicet ipsa est filia latronis, per quam furorem meum in Israel exercebo, eumque

castigabo; sed ita ut castigatione peracta, virgam in ignem projiciam, et Assyrios simili vastationi, quam Israeli intulerunt, addicam. Et ad Isaiæ cap. 33. 1, ubi de eodem Sennacherib ejusque castris ab Angelo cædendis, simili schemate et paronomasia, imo iisdem pene verbis quibus utitur Michæas hîc, ait Isaias: *Væ qui prædaris! nonne et ipse prædaberis?* q. d. Væ tibi, Sennacherib, quia, sicut prædatus es Judæam, ita et tu præda eris Ezechiæ et Judæis : *Et qui spernis*, non tantum Ezechiam, sed et Deum : *Nonne et ipse sperneris*, non tantum à Judæis, sed à filiis tuis, qui te obtruncabunt? *Cum consummaveris deprædationem, deprædaberis; cum fatigatus desieris contemnere, contemneris;* tertio, quia Jerusalem, etiam cum audit tristia et minacia à Deo, solet vocari Jerusalem vel Sion, non filia latronis; sed ita vocatur Assyria, ut patet ex verbis Isaiæ jam citatis; quarto, quia de Assyriis mox subdit Michæas, v. 5 : *Et erit iste pax, cum venerit Assyrius* in terram nostram. Et v. 6 : *Et pascent terram Assur in gladio, et terram Nemrod in lanceis ejus; et liberabit ab Assur, cum venerit in terram nostram.* Quæ verba plane alludunt ad adventum et cladem Sennacherib, suntque antistropha et exegetica ejus quod hic dicit : *Nunc vastaberis, filia latronis.*

Alleg. filia latronis est Jerusalem, quæ occidit Prophetas, ipsumque Christum, eumque reipsa alapis in maxilla percussit : quocirca obsidebitur et vastabitur à Tito et Romanis, qui proinde talionem illi reddent, ejusque judices et principes percutient in maxilla, et ignominiose quasi servos et mancipia tractabunt, mulctabunt, vendent, occident. Unde et Christus Jerusalem et templum vocat Speluncam latronum : *Domus,* inquit, *mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum,* Matth. 21. 13. Ita S. Hier. Remig. Rupert. Hugo, Lyran. Clarius, Vatabl. et alii; imo ipsi censent hunc esse sensum litteralem hujus loci. Audi S. Hieron. : *Pollicitus quidem tibi sum, ô filia Sion, quod venturum sit tempus, quo cornu tuum ponam ferreum; et ungulas tuas æreas, et comminuta dæmonum multitudine, offeras quidquid illi ante possederant Domino universæ terræ: sed quia hoc tunc futurum est, quando subintraverit Gentium plenitudo et omnis Israel salvatus fuerit, nunc interim pro meritis tuis vastare, sive, ut in Hebræo habetur, concidere. Nequaquam enim juxta Apostolum vocaris circumcisio, sed concisio; nec te appello filiam meam, sed latronis, cui hebraice dicitur gedud, id est, diaboli ad prædandum semper accincti. Fecisti enim domum meam speluncam latronum, repugnasti adversum me, et filii tui obsidionem posuerunt super me, et super Filium et Spiritum meum. An non contumelia Trinitatis est, quando in virga et calamo, te faciente, percussere Romani caput Judicis Israel dicentes : Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit? sive quando unus de ministris tuis percussit eum in maxillam, dicens : Sic respondes Pontifici?* Huic expositioni favent Septuag. dum vertunt : *Nunc obstruetur filia obstructione, angustiam posuit super nos; in virga percutient super maxillam tribus Israel,* q. d. Titus arctissime obsidebit Jerusalem, eamque obstruet et angustiabit, capiet, et percutiet in maxilla, sicut ipsa percussit Christum. Ita S. Hieron.

Symbolice, Arias per *filiam latronis* accipit gentilitatem, puta Romam aliasque Gentilium urbes, quæ Christum et Apostolos sub Nerone, Decio, Diocletiano, etc. sunt persecutæ; sed à Constantino filia latronis, id est gentilitas hæc, in Christianos latrocinans, eosque martyriis afficiens vastabitur et evertetur, ipsaque Roma Ethnica peribit, fietque nova Roma Christiana, imo Roma olim caput gentilismi fiet caput Christianismi. Sic et Hebræi ac Vatabl. per *filiam latronis* accipiunt Romam, cujus primi incolæ fuere latrones, qui eam fecerunt maleficorum asylum. Unde Juvenal. satyra 8 :

> Ut longe repetas longeque revolvas
> Nomen, ab infami gentem deducis asylo,
> Majorum primus quisquis fuit ille tuorum,
> Aut pastor fuit, aut illud quod dicere nolo.

2. Et tu Bethlehem Ephrata.] Est hæc illustris prophetia de Christo. Solus enim Michæas prædixit Christum in Bethlehem nasciturum, ex eoque Scribæ et Magi eum in Bethlehem quæsiverunt, agnoverunt et adorarunt, Matth. 2. 6. Sed quomodo à filia latronis, quasi ex abrupto transit Propheta ad Bethlehem? quomodo hic versus cum priori cohæret et connectitur? Vatabl. sic connectit, opponit, inquit, Jerusalem Bethlehem, q. d. Tu, Jerusalem, quia filia latronis, ob latrocinia tua celebris et famosa, punieris et vastaberis : in Bethlehem autem viculo obscuro nasciturus est Christus. Præstantior ergo est Bethlehem, quàm sis tu, ô Jerusalem, urbs regia et superba.

Verum dico Michæam imitari Isaiam : sicut enim Isaias, cap. 7, prædicit Judæos liberandos de manu latronum Syriæ et Assyriæ per Emmanuelem; ita idem hîc dicit Michæas, q. d. Vastabitur cœtus Sennacherib, puta castra Assyriorum, at non viribus tuis, ô Jerusalem, ô Ezechia, sed viribus Christi nascituri in Bethlehem. Ita Theodor. quia enim Sennacherib totam Judæam, ac consequenter ipsam Bethlehem populaturus est, solaque restabit Jerusalem, quam obsidebit : hinc ob Christum in Bethlehem nasciturum, ejusque prævisa merita, Deus mittet angelum qui eum cædet, eo quod Judæam, ac nominatim Bethlehem, quæ futura est patria Christi, violarit et spoliarit. Simili modo Isaias à Cyro avolat ad Christum, cap. 45. 8, dicens : *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum.* Rursum sub Assyriis solet Scriptura quosvis tyrannos accipere antonomastice, uti dixi Isaiæ c. 7. 17, q. d. Assyrii, Persæ, Græci, Romani, aliique tyranni te, ô Jerusalem, oppriment, donec Christus nascatur in Bethlehem, qui ab omnibus te liberabit. Denique mystice Assyrii significant dæmones, q. d. Ut ab Assyriis spiritualibus, id est à dæmonibus, peccatis, morte et inferno nos liberet Christus, nascetur in Bethlehem. Hoc est quod subdit Michæas, v. 3 : *Propter hoc dabit eos usque ad tempus, in quo parturiens pariet; et reliquiæ fratrum ejus convertentur, etc.* q. d. Idcirco Deus permittet Israelem affligi ab Assyriis, id est tyrannis quibuslibet, donec in Bethlehem parturiat Christum, qui Assyrios conteret, et reliquias è captivitate reducat, ac ad se convertat; ut in Christo ostendat suam misericordiam, æque ac potentiam.

Ludit per paronomasiam Michæas in vocibus *bat gelud*, id est filia latronis, quæ percussit judicem Israel בלחי *ballechi*, id est in maxilla, eamque opponit בית לחם *bet lechem*, id est

Bethlehem, quæ est domus et filia panis, q. d. Ninive per suos Assyrios prædans et latrocinans percussit Ezechiam et Judæos; et allegor. Jerusalem percussit Christum et Christianos in maxilla ; at Bethlehem non erit prædo, nec latro, sed potius benefica copiosum dabit panem, ac Christum ipsum , qui reget Israel, non ut prædo et tyrannus, sed ut rex mitis et liberalis, qui suos fideles liberabit à filia latronis, eisque dabit panem vitæ tam præsentis, quàm æternæ.

Nota : Bethlehem hoc nomine nuncupata est partim à fertilitate loci , uti dixi Genes. 35. 19. *Bethlehem* enim hebr. idem est quod domus panis, id est locus ferax frumenti, ex quo conficitur panis, æque ac vini. Nam, ut scribit Adrichom. in Descriptione terræ sanctæ : *Bethlehem sita est in monte mediocriter alto, situ ipso arcto et oblongo. Terra subjecta rerum omnium copia multum præstat, vini potissimum, ut comparandum non sit quod ex aliis Palæstinæ locis affertur. Iter vero quod Hierosolyma euntibus Bethlehem est, usque adeo suî amœnitate, arboribus, hortis, odoratis herbis transeuntes delectat, ut, si ad tam præclaram naturæ faciem cœlestis aliqua et digna Christiano meditatio accedat, non jam in terris sibi esse videatur, sed in paradiso Christi nativitatem et incunabula præsentibus oculis contueri.* Partim vero dicitur Bethlehem à suo principe, qui vocatus est Bethlehem, nomenqne suum urbi à se vel erectæ et conditæ, vel illustratæ aut dedit, aut datum confirmavit. Fuit enim Bethlehem filius Salma, filii Caleb, filii Hur, filii Juda, ut patet 1. Paral. 2. v. 51. et 54. et c. 4. v. 4. Ita Lyran. Dionys. Hugo et Abulens. ibidem, qui in illa verba 1. Paral. 2. 51 : *Salma Patris Bethlehem : Iste,* inquit, *fuit princeps urbis Bethlehem Judæ , quæ prius vocabatur Ephrata,* Genes. 35. 19. Et Hugo : *A quo,* inquit, *dicta est Bethlehem in tribu Juda, è qua natus est Christus.* Sic et à Castro hîc. Hinc et 1. Esdræ 2. 21. filii Bethlehem, quasi patriarchæ, ingenti numero computantur , videlicet centum viginti tres ; et 2. Esdræ 7. 26 : *Filii Bethlehem,* inquit, *et Netupha centum octoginta octo.* Quocirca tempore Mosis necdum hæc urbs vocabatur Bethlehem, quia necdum Moses, aut Bethlehem in eam, aut in terram sanctam erant ingressi. Quod ergo Genes. 35. vers. 19. nominatur Bethlehem, id non à Mose qui auctor est Genesis, sed à viris Synagogæ, qui scripta Mosis digesserunt et ediderunt, factum videtur post tempora Mosis et Bethlehem. De qua re dixi plura in Proœmio Geneseos.

Porro Bethlehem distabat à Jerusalem sex milliaribus, sive sex millibus passuum, hoc est duabus leucis Gallicis, ad Meridiem. A Nazareth vero, ubi nuntiante Gabriele Archangelo conceptus et incarnatus est Christus, et ex qua B. Virgo venit in Bethlehem paritura Christum, distabat 30 leucis Gallicis, puta itinere tridui. Ita Chorographi. Scribit Ven. Beda , lib. de Locis sanctis cap. 8, Borchardus, Adrichom. et alii in Orientali angulo Bethlehem esse rupem ipsi muro adjacentem, ab hominum turba et oculis semotam , in qua quoddam velut naturale semiantrum est, quo quasi stabulo pro pecoribus utebantur, cujus exterior pars nativitatis Christi fuisse dicitur locus, interior Domini præsepe nominatur. Unde S. Hieron. Origenes et alii dicunt Christum natum in specu et spelunca ; ut scilicet abditissimum mysterium abdito in loco ederetur, et ut doceret nos contemnere aulas et pompas mundi. Verum S. Helena hanc speluncam magnificentissima basilica superexstructa decoravit, de qua mox plura. Ex dictis apparet speluncam hanc non in ipsa urbe Bethlehem sitam fuisse, sed foris in agro suburbano, juxta muros urbis, idque diserte docet Euseb. lib. 7. Demonstrat. Evang. c. 5. et ex eo Baron. Unde sequitur Christum non in urbe natum, sed rure quasi rusticanum puerum, ut eo quasi suo cive gratulari sibi possint rustici, ideoque cum eo dicere :

> Nobis rura placent, Pallas quas condidit arces
> Ipsa colat.

Adde Christum rure natum, hoc ipso quo in Bethlehem est natus : hæc enim, respectu Jerusalem et aliarum Judææ urbium, erat quasi ruralis vicus et pagus, uti mox ostendam. Denique ex hac rupe miraculose scaturivisse fontem aquarum, ea ipsa nocte qua natus est Christus, eumque usque ad sua tempora perdurasse scribit Beda loco citato, et ex eo Baronius.

Ephrata.] Bethlehem dicta est prius *Ephrata,* partim à fertilitate terræ jam dicta , à rad. פרה *para,* id est fructificavit, sicut ab eadem radice Joseph filium suum vocavit *Ephraim,* dicens : *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ,* Genes. 41. 52 ; partim ab Ephrata uxore Caleb, ex qua Bethlehem natus est primogenitus ; nam Caleb ex aliis uxoribus alios habuit primogenitos. Ita Abulens. in 1. Paral. c. 2. et c. 4. Et patet 1. Paral. 2. 19. ubi dicitur : *Cumque mortua fuisset Azuba* (uxor prior Caleb), *accepit Caleb uxorem Ephrata, quæ peperit ei Hur.* Rursum v. 50 : *Hi erant filii Caleb, filii Hur, primogeniti Ephrata, Sobal pater Cariathiarim, Salma pater Bethlehem.* Ephrata ergo fuit abavia Bethlehem : genuit enim Hur , qui fuit proavus Bethlehem. Hur enim genuit Caleb, Caleb genuit Salma, Salma genuit Bethlehem. Rabanus , quem citat Hugo in 1. Paral. cap. 2. et cap. 4 , censet Ephratam fuisse Mariam sororem Mosis , quæ, postquam percussa est lepra Num. 12, dicta sit Ephrata, id est furorem vidit, hoc est, iram Dei experimento cognovit. Hæc , inquit, peperit Hur, qui cum Aarone sustentabat manus Mosis orantis pro victoria , pugnante Josue contra Amalec, Exodi 17. Ex adverso S. Hier. ex Josepho censet Caleb ex Ephrata suscepisse Hur; Hur autem fuisse maritum Mariæ sororis Mosis, ac consequenter Ephrata fuisse socrum Mariæ. Verum alii negant utrumque, censentque Mariam mansisse virginem. Ita S. Ambros. Nyssenus et Aponius, quos citavi Exodi 15. 20.

Bethlehem ergo cognominatur *Ephrata,* q. d. Bethlehem ædificata in solo fertili, in quo habitavit Ephrata uxor Caleb, vel certe ejus posteri. Dicta est quoque Bethlehem Judæ, ad distinctionem alterius Bethlehem quæ erat in tribu Zabulon, Josue 19. 10. Tertio, dicta est Bethlehem Caleb, qui fuit maritus Ephrata. Nam 1. Paral. 2. 24. in Hebr. habetur : *Et post mortem Hesron in Caleb Ephrata.* Quarto, dicta est civitas David, quia in ea natus est David. Ab Ephrata dicti sunt Ephratæi. Sic David, 1. Reg. 17. 12, vocatur *filius Ephratæi de Bethlehem Juda,* ac Machalon et Chelion filii Noemi vocantur *Ephratæi de Bethlehem Juda*, Ruth 1. 2. Unde videtur quod tota illa regio fertilis vocata sit Ephrata,

in qua urbs ædificata dicta est Bethlehem Ephrata, vel Judæ.

Mystice, aliter S. Hieron. *Ephrata*, inquit, quæ interpretatur furor, significat Herodis insaniam, qui ibidem furens odio in Christum, propter eum omnes occidit infantes. Mox tamen S. Hieron. *Ephrata* quoque interpretatur fertilem, ut respondeat Bethlehem, id est domui panis. Priorem interpretationem sequitur S. Ambros. enarr. 1. in Michæam, sub finem tom. 2. Alloquens enim peccatorem : *Nemo*, inquit, *de remedio diffidat ; ecce tibi ubi domus furorem videntis erat, ibi domus panis est : ubi crudelitas, ibi pietas : ubi pœna innocentium, ibi universorum redemptio, sicut scriptum est : Et tu, Bethlehem domus Ephrata, non es minima inter principes Juda ; ex te enim exibit princeps in Israel. Bethlehem domus panis est, Ephrata domus furorem videntis. In Bethlehem natus est de Maria Christus: eadem autem Bethlehem quæ Ephrata. In domo igitur furoris generatus est Christus, et ideo jam non domus furoris, sed domus panis : quia panem recepit eum, qui descendit de cœlo. Domus autem furorem videntis Ephrata, quia illic Herodes, dum Christum requirit, perimi statuit infantulos. Sed jam nemo timeat, quia requies illa quam quærebat David, audita est in Ephrata, inventa est in campis sylvæ. Tunc adhuc sylva erat nationum congregatio ; sed posteaquam in Christum credidit, fructuosa facta est : quia benedicti ventris fructum recepit.* Subdit deinde aliam analogiam : *Mortua est ergo Rachel parturiens, quia jam tunc quasi patriarchæ uxor furorem Herodis videbat, qui nec minusculæ ætati pepercit. Simulque in Ephrata peperit Benjamin specie superiorem, mysterio posteriorem, Paulum scilicet, qui antequam generaretur non minimos dolores matri præstitit, cujus filios persequebatur. Et illic mortua et sepulta est, ut nos commortui et consepulti cum Christo, in Ecclesia resurgamus. Inde enim alia interpretatione vel fecundata, vel fructibus repleta Ephrata significatur. Et in paucioribus est, quia pauci sunt qui intrant in domum panis per angustam viam. Et non est in paucioribus, id est de proficientibus, quæ Christum non agnovit. Nec minima est, quæ est domus benedictionis, et divinæ gratiæ receptaculum : et in eo minima, cui is qui aliquid confert, Christo videtur deferre. Et qui appetit Ecclesiam, Christum appetit. In quovis minimo enim Christus aut læditur, aut honoratur, secundùm quod ipse ait : Quod enim uni horum minimorum fecistis, mihi fecistis.*

Parvulus es.] Hebr. צעיר *tsair*, id est parvus, adolescentulus es ; Septuag. *minima es.* Dices : S. Matth. c. 2. 6. contrarie vertit, scilicet, *nequaquam minima es.* Primo, Osiander Lutheranus *tsair* transfert *parum ;* unde vertit : *Heus tu Bethlehem Ephrata, parum es ut tu sis inter chiliadas Juda.* Quod idem in re est cum eo quod habet S. Matth. *Nequaquam minima es in principibus Juda.* Verum errat ; nam *tsair* est nomen, non adverbium, et parvum significat, non parum ; secundo, Clarius, Mariana et Jansen. in Matth. 2. legunt per interrogationem : *Parvulus es in millibus Juda ?* q. d. Nequaquam ; et ita legunt Biblia Gothica S. Isidori. Verum Biblia Romana et alia Latina carent hac nota interrogationis. Dico ergo hîc apud Michæam tacite adversativam particulam *sed* ex nexu sermonis subintelligi, æque ac eadem subintelligitur Psal. 118. v. 141. et 157. et alibi, q. d. O Bethlehem, minima quidem es, si muros, si domos, si cives, si ambitum, si celebritatem consideres ; sed tamen nequaquam minima es, si principes à te vel datos, vel dandos spectes : dedisti enim Davidem, dabis Christum. Id significant Hebr. quæ ad verbum sic habent : *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es ad essendum in millibus Juda;* attamen *ex te mihi egredietur ad essendum dominator in Israel,* q. d. Parvula es quoad locum ; minor enim es quàm ut computeris et adæqueris aliis magnis civitatibus Juda ; verum quoad dominatorem à te dandum, non es parva, sed magna. Unde Tigurina et Vatabl. vertunt : *Parvula quidem es inter chiliarchias Juda ; ex te autem prodibit mihi, qui dominator sit in Israel.* Ita S. Hieron. Theodor. Remig. Albert. Lyran. Arias et alii passim. Et S. Nazianz. orat. 19 : *Nulla res*, ait, *prohibuit quominus Bethlehem simul et parva civitas esset, et totius terræ metropolis : utpote Christi parens et nutrix.* Unde Arabicus Antiochenus vertit : *Et tu Bethlehem urbs* (vicus), *parva non eris in millibus Juda ; quia ex te egredietur dominator super Israel ;* et Arabicus Alexand. *Et tu, Bethlehem Ephrata, non humilis in millibus Juda ; quia ex te egredietur caput super Israel, et dies ejus inde à diebus æternis ;* et Syrus : *Tu autem Bethlehem Ephrata, parvula es quæ sis* (ut sis) *in millibus Juda ; ex te egredietur dominator qui erit* (ut sit) *super Israel, et egressus ejus à principio à diebus seculi : nunc tradet eos usque ad tempus quo pariet pariens.* Et Prudentius in hymno Epiphan.

O sola magnarum urbium
Major Bethlehem, cui contigit
Ducem salutis cœlitus
Incorporatum gignere,
Quem stella, quæ solis rotam
Vincit decore ac lumine,
Venisse terris nuntiat,
Cum carne terrestri Deum.

Porro quod aliqui apud S. Hieronymum dicunt S. Matthæum memoria lapsum, ut pro *minima es*, scripserit, *nequaquam minima es*, impium est dicere : nec enim S. Matthæus ex se hæc scripsit, sed ex dictamine et instinctu Spiritus Sancti. Probabilius est Septuag. quos sequi solent Evangelistæ, vertisse, *nequaquam minime es,* eosque secutum esse S. Matthæum. Nam ita ex Septuag. legunt Theodor. Origen. l. 1. contra Celsum, Cyprian. 2. Testimon. c. 12. Euseb. l. 6. Demonst. c. 15. Ambros. 5. epist. 1. Aug. l. 18. de Civit. c. 30, licet Biblia Regia, Complut. Vatican. et S. Hieron. in Septuag. legant, *minima es.*

Bethlehem urbs vocatur hîc *parvulus* masculine, non *parvula.* Quæres cur : Primo, Jansen. in Matth. 2. respondet subintelligi *vicum*, q. d. Et tu, Bethlehem, qui parvulus es vicus : vicus enim hebraice masculine vocatur פלך *pelech*, vel שוק *scuc*, vel חוץ *chuts.* Alii intelligunt, *populus;* ex populo enim Bethlehem natus est Christus. Sic *Israel* et *Juda* passim apud Prophetas sumuntur masculine, quia intelligitur עם *am*, id est populus. Tertio, Ribera censet causam esse, quod Hebræi per metaphoram urbes vocent *homines ;* unde vocatur *filia Sion, filia Babylonis, etc.* Verum urbes solent comparari feminis, non viris ; quia pulchræ sunt, ornatæ et pomposæ ut matronæ, vel filiæ splendidæ vestitæ. Cur ergo Bethlehem hîc

comparatur viro, vel juveni, et vocatur *tsair*, id est parvus ? Respondeo, quia respicit ad virum Bethlehem, qui urbis Bethlehem conditor fuit, vel princeps, uti jam ostendi. Itaque metonymice loquitur de urbe, in nomine et persona sui principis; quia eam comparat cum millibus, et principibus Juda. Hinc quia Judas vir erat, tribusque Juda à virili robore et imperio celebris, idcirco Bethlehem, quæ erat tribus Juda, inducit quasi juvenem fortem, qui comparetur et certet cum aliis viris suæ tribus, puta cum principibus Juda, q. d. O Bethlehem princeps urbis Bethlehem, nequaquam minimus es in principibus Juda : quia ex tua urbe Bethlehem, tuisque posteris, nascetur Christus. Est metonymia : princeps enim capitur pro urbe, quam incolit et regit. Similis est illa Virgilii : *Jam proximus ardet Ucalegon*, id est Ucalegontis domus. Hæc expositio confirmatur primo, ex Septuag. και συ οικος του Βηθλεεμ του Εφρατα, id est, *et tu domus Bethlehemi filii Ephratæ*. Ubi articulus του masculinus indicat virum Bethlehem, qui nomen dedit urbi Bethlehem. Sic Ninive à Nino conditore vocatur sæpe Ninus. Secundo, ex simili loco Josue 14. 15. ubi de Hebron, quæ prius vocabatur *Cariat Arbe*, id est civitas Arbe gigantis, dicitur : *Adam maximus ibi inter Enacim situs est ;* pro quo Septuag. vertunt : *Metropolis urbium Enacim ipsa ;* ubi Cariat Arbe urbs vocatur *Adam*, id est homo maximus, id est metropolis urbium, quas occupabant Enacim, sive gigantes, ut vertunt Septuag. Quia enim gigantes erant viri magni et bellicosi, hinc pariter urbs et metropolis eorum vocatur nomine *Adam*, et viri, non feminæ. Sic hìc Bethlehem, quia virilis fuit, et summos viros protulit, nimirum Bethlehem, Jesse, Davidem et præsertim Christum; hinc comparatur viro, non feminæ. Hoc est enim quod subdit : *Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel*, vir utique, non femina, quem proinde decet à te quasi à viro progigni. Addit Sanchez Bethlehem addi epithetum masculinum, quia etymo et terminatione est masculinum, esto significatione sit femininum. Conflatur enim ex *bet* et *lechem*, id est *domus panis*, quæ Hebræis sunt nomina masculina. Sic Toletum, Lovanium, Leodium, Gandavum, terminatione sunt neutra ; Parisii, Burgi, masculina. Sic Ovidius Lesbum, et Virgil. Abydum usurpat masculine. Ovidius, 11. Metam.

Et Mitylenæi tentantur littora Lesbi.

Virgil. 1. Georg.

Pontus et ostriferi fauces tentantur Abydi.

Symbol. parvitatem et magnitudinem Bethlehem, et pueri Bethlehemitici Christi Domini, in se repræsentavit Michæas : fuit enim ipse reipsa magnus Propheta, sed nomine parvus. Hebr. enim *Micha*, id est Michæas, decurtatum et abbreviatum est ex *Michaia*, vel *Michaiahu*. Unde Pagnin. in Nomin. Hebr. censet Michæam Prophetam, qui Achab regi mortem intentavit, ab eo per contemptum vocari *Micha* (sic enim est in Hebræo 3. Regum 22. 8) pro *Michaiahu :* hoc enim fuit proprium et plenum ejus nomen. Simili modo Judæi pro *Iescua*, vel *Iehoscua*, decurtate ad vilipendium et contemptum nostri Christi, hebr. scribunt *Iesu*. Sic Gen. 23. 16. Ephron, postquam vendidit sepulcrum, vocatur *Ephran*, dempta littera *vau*. Et Jerem. c. 22. 24. impius rex Jechonias diminute vocatur *Conias* in Hebræo : sicuti Flandri viles homines, qui vocantur *Ioannes*, decurtate et per contemptum vocant *Hennen ; et Sebastianos, Bastiaen ; Antonios, Tonen*. Sic et Itali, Hispani, Galli aliæque gentes. Hinc *Micha* hebr. idem est quod *quis tu?* idem scilicet quod *Matthias*, qui ultimus et posthumus, ideoque minimus fuit Apostolorum. *Matthias* enim idem est quod מי אתה *mi atta*, id est *quis tu?* Idem significat מיך *micha*. Nam *atta*, id est *tu*, cum est affixum, uti hìc est, mutatur in *cha*. Michæas ergo inter Prophetas fuit, quod Matthias inter Apostolos. Scio alia quoque horum nominum esse etyma et significata : sed illa ad rem præsentem non faciunt.

In millibus Juda.] Ex Hebræo et Chaldæo duplex potest esse sensus. Prior, parvulus es, id est minor es, quàm ut numerari debeas in millibus Juda. Posterior, adeo parvus es, ut non inter civitates illustres Juda quæ paucæ sunt, sed inter millia viculorum et pagorum, qui sunt in Juda, recensendus sis. Ita Arias. Verum prior sensus magis convenit Hebræo, præsertim quia per antithesin Bethlehem opponit millibus Juda. Ita S. Hieron. Haymo, Remig. Rupert. Hugo, Lyran. Dionys. Clarius et alii.

Nota : Pro *millibus* hebr. est אלפים *alaphim*, quod primo, millia significat; secundo, principes; unde S. Matth. cap. 2. habet : *In principibus Juda;* tertio, chiliarchias. Juxta primum significatum sensus erit : O Bethlehem, vix parvus es viculus, et minor quàm ut inter civitates Juda magnas et celebres, quæ multis civium millibus abundant, caput efferas aut computeris ; sed esto multitudine sis minima, dignitate tamen es maxima : quia gignes Christum. Ita S. Hieron. et alii jam citati. Juxta secundum, sensus erit, q. d. O Bethlehem, parva es, imo minima, si spatium tuum spectes, inter principes, scilicet urbes, vel etiam homines Juda : minima enim es et loco, et proventu principum præteritorum ; quia paucos Judæ dedisti principes : at nequaquam minima es inter principes Juda, si dominatorem ex te egressurum, puta Messiam, consideres. Juxta tertium, sensus erit : O Bethlehem, si cives tuos numeres, parva es inter chiliarchias Juda ; imo tribunum sive chiliarcham, qui mille civibus præsit, non mereris, eo quod vix mille cives numeres : sed tamen nequaquam parva es, si Christum ex te nasciturum intueare. Hic enim non tantum erit chiliarcha ; sed omnium Israelitarum, imo omnium hominum et Angelorum Dominus. Nota : Populus Israel à Mose distributus erat in chiliadas, ut patet Exodi 18. 25; sicut modo castra distribuuntur in chiliadas, ut quælibet chilias contineat mille milites, quibus præsit chiliarcha sive tribunus. Urbes ergo Israelis distributæ erant per chiliades, id est per cœtus et tribus, quarum quælibet continebat mille cives. Hinc Gedeon, Judic. 6. 75, ait angelo in Hebr. אלפי *alphi*, id est, *chilias mea tenuissima* omnium chiliadum quæ sunt *in Manasse*. *Chilias*, id est tribus millenaria, cui familia mea accensetur. Unde Noster clare vertit : *Ecce familia mea infirma est in Manasse.*

Ex te mihi egredietur.] Nota : Aliqui τὸ *mihi*

referunt ad Michæam, eo quod ipse versu præcedenti dixerit: *Posuerunt super nos, etc.* Unde videtur ipse in sua suorumque persona loqui, q. d. Mihi Michææ meæque genti, adeoque toti mundo nascetur Christus. Ita à Castro. Verum sic potius dixisset, *nobis*, quomodo dixit Isaias cap. 9. 6: *Parvulus natus est nobis.* Quare melius Remigius, Haymo, Albert. Vatabl. et alii *τὸ mihi* referunt ad Deum et ad Patrem æternum. In ejus enim persona loquitur Propheta: subintelliguntur ergo hæc verba, quæ de more suis oraculis præfigere solent Prophetæ; aut, si non præfigunt, ea subintelligunt: *Hæc dicit Dominus*, q. d. Hæc dicit Dominus: Ex te, ô Bethlehem egredietur Christus mihi, id est ad meum obsequium, laudem et gloriam; ut scilicet meum nomen in Israel, imo in toto orbe celebret, omnesque gentes mihi subjiciat et reconciliet. Rursum ut *mihi*, id est pro me, et vice mea dominator sit et rector in Israel; ut scilicet pro me instituat et regat meam Ecclesiam fidelium. Sic ait Apostolus Rom. 1. 3: *Qui factus est ei ex semine David secundùm carnem.* Dices: v. 4. loquitur Michæas de Deo in tertia persona; ergo hîc non loquitur de eo in prima, dicens, *mihi.* Resp. In Prophetis crebræ sunt enallagæ et mutationes personarum; loquuntur enim instar dialogismi: in dialogis autem aliæ et aliæ introducuntur personæ.

Præclare Nazianz. orat. 38. in Christi nativitatem sic orditur: *Christus gignitur: glorificate. Christus è cœlis: obviam prodite. Christus in terra: subvehimini: Cantate Domino, omnis terra. Atque ut hæc duo in unum contraham, lætentur cœli, et exsultet terra propter cœlestem, ac postea terrestrem. Christus in carne: tremore et gaudio exsultate; tremore, propter peccatum; gaudio, propter spem. Christus ex Virgine: mulieres, virginitatem colite, ut Christi matres sitis. Quis eum, qui à principio est, non adorat? Quis eum, qui postremus est, non laudat ac celebrat?* Et inferius. *Clamat Joannes: Parate viam Domini: ego quoque diei hujus vim ac potentiam clamabo: Carnis expers incarnatur: Verbum crassescit: invisibilis cernitur: intactilis tangitur: tempore vacans initium sumit: Dei filius hominis filius efficitur. Jesus Christus heri, et hodie, idem et in secula. Judæi offendantur, Græci derideant, hæretici linguæ prurigine afficiantur. Tum credent, cum in cœlum ascendentem viderint: quod si ne tum quidem, at certe cum è cœlo descendentem, atque ut judicem sedentem.* Ac recensitis mundi tenebris, vitiis et ærumnis, subdit: *Quæ quoniam majus auxilium requirebant, majus etiam acceperunt. Hoc autem erat ipse Dei filius, ille seculis antiquior, ille invisibilis, ille incomprehensibilis, ille incorporeus, ille ex principio principium, illud ex lumine lumen, ille fons vitæ et immortalitatis, illa Archetypi expressio, illud immotum sigillum, illa per omnia similis imago, ille Patris terminus et ratio: ille, inquam, ad imaginem suam se confert, et carnem ob carnem gerit, et cum intellectuali anima propter animam meam jungitur, ut simile per simile repurget. Atque humana omnia excepto peccato suscipit, conceptus quidem ex Virgine animo et corpore à Spiritu præpurgata (nam et procreationem honore affici, et virginitatem præferri oportebat): progressus autem Deus cum humanitate, unum ex duobus inter se contrariis, carne nimirum et spiritu, quorum alterum deificavit, alterum deificatum est. O novam mixtionem! O admirandam temperationem! Qui est, fit: qui creatus non est, creatur: qui nullo loco contineri potest, per interventum animæ intellectualis, inter divinitatem et carnis crassitiem continetur. Qui locupletes alios ditat, paupertate afficitur: carnis enim meæ paupertatem subit, ut ego divinitatis ipsius opes consequar. Qui plenus est, exinanitur: sua enim gloria ad breve tempus exinanitur, ut ego plenitudinis ipsius particeps efficiar. Quænam hæ bonitatis divitiæ? quodnam me circumstat mysterium? Divinam imaginem accepi, nec custodivi: ille carnis meæ particeps fit, ut et imagini salutem, et carni immortalitatem afferat: secundum consortium nobiscum init, et quidem priori longe admirabilius. Tum enim id quod præstantius erat, nobis impertiit: at nunc ipse ejus quod deterius est particeps efficitur. Hoc priori illo divinius: hoc apud cordatos et prudentes viros multo sublimius.* Ac deinde ostendit non indignam, sed dignam fuisse Verbo hanc suî demissionem, tum ut homines in imum delapsos elevaret, tum ut quasi medicus immensa misericordia ad ægrum curandum descenderet, tum ut nobis optimum *ad sublimitatem iter humilitatem ostenderet. Quia propter humi inclinatam animam*, inquit, *se dejicit, ut ob peccatum deorsum vergentem cæcum erigat: nisi quis forte eo nomine medicum accuset, quod ad morbum se inclinet, fœtoremque sustineat, ut sanitatem ægrotis donet; atque eum etiam qui humanitatis et commiserationis affectu permotus in foveam seipsum demittit, ut prolapsum jumentum juxta legis præscriptum servet.* Idem in Sententiis: *Patris Verbum*, ait, *est homo noster, ut hujusmodi mixtione Deum hominibus misceat. Unus utrimque Deus est, hactenus homo effectus, ut me ex mortali Deum efficiat.*

Qui sit dominator in Israel.] Primo, Judæi apud Lyran. per hunc *dominatorem* accipiunt Ezechiam; sed perperam. Ezechias enim natus est rex in regia urbe, puta in Jerusalem, non in Bethlehem. Adde: jam natus erat Ezechias, cum hunc dominatorem nasciturum prædixit Michæas. Sub Ezechia enim habuit oraculum, uti dixi initio capitis, et cap. 3. 8.

Secundo, Theodorus Mopsuestenus hæreticus cum suis discipulis et asseclis quos multos habuit, per *dominatorem* hunc accipiebat Zorobabel; sed æque perverse. Nam Zorobabel natus fuit in Babylone, non in Bethlehem; indeque hebr. dictus est *Zorobabel*, quasi בבל זרע *babel zera*, id est *semen*, hoc est filius, *Babylonis*; nam Jechonias in Babylone genuit Salatiel, Salatiel genuit Zorobabel (Matth. 1. 12), qui post 70 annos captivitatis, Judæos è Babylone in Judæam, permittente Cyro, reduxit. Adde: Zorobabel non fuit dominator, id est rex, in Israel; multo minus egressus ejus fuit à diebus æternitatis. Quocirca hanc explicationem cum aliis ejusdem similibus, ut Judaicam et erroneam damnat Concil. Constantinopol. generale, ordine quintum, act. 2. et Concil. Roman. sub Vigilio, uti dixi in Prooemio.

Dico ergo: certum est de fide *dominatorem* hunc esse Christum. Ita Orthodoxi omnes Græci, Latini et Hebræi apud Galat. lib. 4. cap. 13; unde et Chald. expresse vertit: *Ex te coram me prodibit Christus.* Sic et olim nascente Christo, rogati Scribæ à Magis et Herode ubi Christus nasceretur, responderunt: *In Bethlehem Judæ. Sic*

enim scriptum est per Prophetam (Michæam hoc loco) : *Et tu, Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda ; ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel*, Matth. 2. 6. Et rursum. *Nonne Scriptura dicit : Quia ex semine David, et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus?* Joan. 7. 42. Unde patet communem sensum olim Synagogæ fuisse, et nunc esse Ecclesiæ, quod hic locus intelligendus sit de Christo : nullus enim alius Propheta prædixit locum nativitatis Christi fore Bethlehem, nisi Michæas hîc.

Adde quod S. Matthæus et Lucas Evangelistæ, dum referunt hoc Scribarum responsum de Christo nascituro in Bethlehem, illud ipsum approbant, imo ideo referunt, ut doceant impletum fuisse in Christo illud signum Messiæ, quod inter Judæos communi omnium confessione erat receptum, eo quod in Scriptura esset expressum, ut solerter advertit Franc. Suarez 3. p. q. 35. disp. 14. sect. 3.

Nota : Illustre hoc oraculum, ex quo Magi cognoverunt locum nativitatis Christi, ipsumque Christum, editum fuit à Michæa sub Ezechia rege, post vastatam Samariam, antequam Jerusalem obsideretur à Sennacherib, ut patet ex dictis v. 10. et cap. 3. 10. Editum est ergo sub annum 9, vel 10. Ezechiæ : nam excidium Samariæ contigit anno 6. Ezechiæ, obsidio Jerusalem per Senacherib anno 14. Ezechiæ : intermedio autem tempore editum est hoc oraculum. Unde sequitur Michæam illud edidisse circiter viginti duobus annis post illud Isaiæ, de eodem Christi ortu vaticinium cap. 7. 14 : *Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Hoc enim edidit Isaias anno 4. Achaz, ut ibidem ostendi : Achaz autem regnavit 16 annis. Huic successit filius Ezechias, cujus circiter anno 10. hæc vaticinatus est Michæas. Quare cum Isaias hoc suum oraculum de Christo ediderit anno mundi 3207, ante Christum vero anno 742, sequitur Michæam suum hoc de Christo in Bethlehem nascituro oraculum edidisse anno mundi circiter 3229, ante Christum vero anno 720. Sub quod tempus floruit Sibylla Erythræa, cujus de Christi nativitate, judicio et resurrectione versus recenset S. August. lib. 18. de Civit. cap. 23.

Nota secundo : Ex Bethlehem prodierunt plures principes et viri illustres. Primus fuit Abessan judex, id est princeps, Israelis, qui habuit triginta filios et totidem filias, Judic. 12. 8. Secundus, Elimelech maritus Noemi; cujus filio nupsit Ruth, et eo mortuo nupsit Booz ; ex quo genuit Obed patrem Jesse ; ex quo natus est David, ut patet ex libro Ruth. Tertius, David rex, à quo tota familia regum Israel et Juda descendit, usque ad ultimum regem Sedeciam. Fuit ergo Bethlehem totius regiæ et Davidicæ stirpis seminarium, et communis patria : cum par esset eam, quæ Regem cœlorum editura erat, jam ante se probare tot heroibus, illisque e præludere, ut tandem vel hominum judicio digna hæc patria censeretur, quæ extremo virtutis opere edito, aliquid super heroes et homines omnes, puta ipsum Dei filium, mundo exhiberet adorandum. Insuper Samuel in Bethlehem Davidem fratrum minimum unxit in regem, 1. Reg. 16. Hinc Bethlehem vocatur *civitas David.* Hinc et Roboam Davidis ex Salomone nepos Bethlehem instauravit, novisque domibus et muris exædificavit, 2. Paral. 11. 6.

Quæres : Cur in Bethlehem, potius quàm Romæ, vel Hierosolymæ, vel alio in loco nasci voluit Christus? Resp. primo, ut Bethlehem demonstraret Christum esse filium Davidis Bethlehemitæ, cui à Deo promissus fuerat, ac proinde ipsum esse verum Messiam. Hanc causam indicat S. Lucas, cap. 2. dicens : *Eo quod esset de domo et familia David.* Secundo, ut in loco humili nascens, magis ostenderet potestatem suam, qua ad regnum se provexit, juxta illud 1. Cor. 1 : *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, et ignobilia mundi, etc.* Tertio, quia Bethlehem erat via in Jerusalem : decuit autem Christum in via et peregrinatione nasci, quia, ut ait S. Gregor. *Per humanitatem quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur.* Quarto, ut hac sua paupere et humili nativitate mereretur nobis sublimem nativitatem per gratiam et gloriam, celsumque locum in cœlis; atque *per egestatem suam nobis multas mansiones in domo Patris sui præpararet*, ait Ven. Beda in Lucæ cap. 2.

Tropolog. primo, quia, uti Christus humilitatem et paupertatem elegit et docuit, ac superbiam et fastum confutavit; ita humilem et pauperem patriam, puta Bethlehem, similemque nascendi modum elegit. Unde S. Leo, serm. 1. de Epiph. *Qui*, ait, *servi susceperat formam, Bethlehem prælegit nativitati, Hierosolymam passioni.* Christus ergo nascens, ex præsepio quasi è cathedra, non voce, sed facto concionatur et clamat : Filii hominum, utquid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? discite à me palatia, opes, delicias, fastum, pompas mundi contemnere : nam vanitas vanitatum sunt, et omnia vanitas. Discite à me quia pauper sum, et humilis corde : discite cor figere in cœlo, ambire opes et honores cœlestes. Sedebat in celso imperii Romani culmine et throno Augustus, jacebat in humili stabulo Christus : at celsior in stabulo Christus, quàm in culmine imperii Augustus. Unde S. Bernard. serm. 3. de Nativit. Aut Christus, inquit, fallitur, aut mundus errat (etenim diversa ac repugnantia docent), sed divinam falli impossibile est Sapientiam : errat ergo mundus, errant omnes mundi sectatores, juxta illud Psalmi : *Dixi, semper hi errant corde.* Et S. August. serm. 18. de Tempore, qui est de Nativit. *Omnis*, ait, *hujus nativitatis schola, humilitatis est officina.* Secundo, Bethlehem hebr. significat domum panis : repræsentat ergo Christum, qui mundi est panis, et manna de cœlo descendens. Ita S. Hieron. Audi S. Gregor. homil. 8. in Evangel. *Bene in Bethlehem nascitur Christus. Ipse est enim qui ait : Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendit. Item locus in quo Dominus nascitur, domus panis antea vocatus est : quia futurum erat ut ille per materiam carnis appareret, qui electorum mentes interna satietate reficeret.* Bethlehem ergo fuit Ephrata, id est frugifera, et totius terræ horreum : quia ab ea totus orbis panem, non septem annorum, uti Ægyptii à Joseph, Genes. 41. v. 36. et 55, sed vitæ æternæ, qui est Christus, accepit.

De Homeri natali solo certant septem nobiles Græciæ urbes, singulæque cum sibi civem arrogare conantur : quàm ergo gloriosa Bethlehem, quæ omnium consensu et confessione,

toti orbi dedit Messiam, puta Deum hominem natum! in qua Christus in mundum prodiens, primo lucem, cœlum et solum hoc aspexit: utique Bethlehem omnes regias, omnes metropoles, omnia orbis emporia nobilitate, æque ac sanctitate vincit. Longe enim magis eam sua nativitate celebravit Christus, quàm Aristoteles suam Stagiram, Cato Tusculum, Cicero suos Arpinates.

Quocirca Patres miris laudibus et encomiis Bethlehem celebrant. Hæc ad se ex Occidente traxit S. Hieronymum, S. Paulam, S. Eustochium, et innumeras nobilium matronarum ac virorum turmas, quæ Bethlehem Romæ prætulerunt, ibique ad præsepe Christi vivere et mori delegerunt; qua de causa S. Paula ibidem tria feminarum, quibus ipsa præerat, monasteria; et unum virorum, cui præerat S. Hieronymus, exædificavit. Audi S. Hieron. de S. Paula, in ejus Vita: *Atque in Bethlehem ingressa, et in specum Salvatoris introiens, postquam vidit sacrum Virginis diversorium et stabulum in quo agnovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui, ut illud impleretur quod in eodem Propheta scriptum est: Beatus qui seminat super aquas, ubi bos et asinus calcant; me audiente, jurabat cernere se oculis fidei infantem pannis involutum, vagientem in præsepi, Dominum Magos adorantes, stellam fulgentem desuper, matrem virginem, nutricium sedulum, pastores nocte venientes, ut viderent Verbum quod factum erat, et jam tunc Evangelistæ Joannis principium dedicarent: In principio erat Verbum, et Verbum caro factum est, parvulos interfectos, Herodem sævientem, Joseph et Mariam fugientes in Ægyptum, mixtisque gaudio lacrymis loquebatur: Salve, Bethlehem, domus panis, in qua natus est ille panis, qui de cœlo descendit: salve, Ephrata regio uberrima, atque* καρποφορε, *cujus fertilitas Deus est.* Citat deinde hoc Michææ oraculum: *De te quondam Michæas vaticinatus est: Et tu Bethlehem domus Ephrata, non minima es in millibus Juda. Ex te mihi egredietur qui sit princeps in Israel, et egressus ejus ab initio à diebus æternitatis. Propterea dabis eos usque ad tempus parientis. Pariet, et reliquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Israel. In te enim natus est princeps, qui ante luciferum genitus est, cujus de Patre nativitas omnem excedit ætatem. Et tamdiu in te Davidici generis origo permansit, donec virgo pareret.* Et inferius: *Bene David jurabat, bene vota faciebat dicens: Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei, si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem, et requiem temporibus meis; donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob. Et statim quid desideraret exposuit, atque oculis prophetalibus, quem nos venisse, jam credimus, ille venturum esse cernebat: Ecce audivimus eum in Ephrata, invenimus eum in campis sylvæ: quippe sermo Hebraicus* (hebr. enim est *vau cholem*, id est *ejus* masculine) *ut te docente didici, non Mariam matrem Domini, hoc est* αυτην, *sed ipsum, id est* αυτον, *significat. Unde loquitur confidenter: Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus. Et ego misera atque peccatrix, digna sum judicata deosculari præsepe in quo Dominus parvulus vagiit: orare in spelunca, in qua virgo puerpera Dominum fudit infantem? Hæc requies mea, quia Domini mei patria est: hîc habitabo, quoniam Salvator elegit eam. Paravi lucernam Christo meo, anima mea illi vivet, et semen meum serviet ipsi. Haud procul inde descendit ad turrim Eder, id est gregis, juxta quam Jacob pavit greges suos, et pastores nocte vigilantes audire meruerunt: Gloria in excelsis Deo, et super terram pax hominibus bonæ voluntatis; dumque servant oves, invenerunt agnum Dei, puro et mundissimo vellere, quod in ariditate totius terræ cœlesti rore complutum est: et cujus sanguis tulit peccata mundi, et exterminatorem Ægypti litus in postibus fugavit.* Idem S. Hieron. nomine S. Paulæ et Eustochii, S. Marcellam in Bethlehem invitans epist. 17: *Quo sermone*, ait, *qua voce speluncam tibi possumus Salvatoris exponere? Et illud præsepe, in quo infantulus vagiit, silentio magis quàm infimo sermone honorandum est. Ubi sunt latæ porticus? ubi aurata laquearia? ubi domus miserorum pœnis et damnatorum labore vestitæ? ubi instar palatii opibus privatorum exstructæ basilicæ, ut vile corpusculum hominis pretiosius inambulet, et quasi mundo quidquam possit esse ornatius, tecta magis sua velint aspicere, quàm cœlum? Ecce in hoc parvo terræ foramine cœlorum conditor natus est: hîc involutus pannis, hîc visus à Pastoribus, hîc demonstratus à stella, hîc adoratus à Magis. Et hic puto locus sanctior est Tarpeia rupe, quæ de cœlo sæpius fulminata, ostendit quod Domino displiceret. Et tunc comitante Christo, cum per Silo, et Bethel, et cætera loca, in quibus Ecclesiæ quasi quædam victoriarum Domini sunt erecta vexilla, ad nostram speluncam redierimus; canemus jugiter, crebro flebimus, indesinenter orabimus, et vulneratæ jaculo Salvatoris in commune dicemus: Inveni quem quæsivit anima mea, tenebo eum, et non dimittam illum.* Vide eumdem, epist. 18. ad eamdem Marcellam.

Porro in Bethlehem mortua et sepulta est S. Paula, cum ibidem sancte et religiose vixisset viginti annos, cui S. Hieronym. hoc epitaphium posuit:

> Scipio quam genuit, Pauli fudere parentes;
> Gracchorum soboles, Agamemnonis inclyta proles,
> Hoc jacet in tumulo, Paulam dixere priores,
> Eustochii genitrix, Romani prima senatus:
> Pauperiem Christi, et Bethlemitica rura secuta.

Audi S. Cyprian. tract. de Nativitate Christi: *Veniunt in Bethlehem; quem prædixit Gabriel, invenitur Emmanuel: civitas parva, domus paupercula, supellex exigua; nulla domus ambitio, nisi reclinatorium in stabulo: mater in fœno, filius in præsepio. Tale elegit fabricator mundi hospitium, hujusmodi habuit delicias sacræ Virginis puerperium. Panniculi pro purpura, pro bysso in ornatu regio laciniæ congeruntur: genitrix est obstetrix, et devotam dilectæ soboli exhibet clientelam; attrectat, amplectitur, jungit oscula, porrigit mammam, totum negotium plenum gaudio: nullus dolus, nulla naturæ contumelia in puerperio. Pedissequas substantia familiaris non patitur, mancipiorum obsequia sumptus tenuis, et inops mensa excludit.*

Porro in Bethlehem apparuit stetitque stella apparens Magis, qui ejus indicio ibidem Christum agnoverunt, ac ibidem eum adorantes, eidem

> Aurum, thus, myrrham, regique hominique Deoque
> Dona ferunt,

ut canit Juvencus. Quocirca Prudentius in Carm. de Epiphania ita eamdem celebrat:

O sola magnarum urbium
Major Bethlehem, cui contigit
Ducem salutis cœlitus
Incorporatum gignere.
Quem stella, quæ solis rotam
Vincit decore ac lumine,
Venisse terris nuntiat,
Cum carne terrestri Deum, etc.

Bethlehem ergo est *mundi oriens*, et *orbis metropolis*, ut ait Nazianz. orat. 19. ac domus panis, in qua Christus panis è cœlo oritur. Unde merito ad eam suspirans S. Chrysost. in cap. 2. Lucæ: *O si mihi*, ait, *liceret videre præsepe illud, in quo jacuit Christus.*

Scribit S. Hieronym. ad Paulinum, Adrianum Imper. Bethlehem profanasse, erecto ibidem Adonidis simulacro; *ut in specu, ubi quondam Christus parvulus vagiit, Veneris amasius plangeretur.* Stetit ibi Adonis per 180 annos usque ad Constantinum Imper. quando S. Helena ejus mater, everso Adonide, magnificam Ecclesiam super ipsam specum exstruxit, et super ipsum præsepe in quo Agnus Dei reclinatus est, erexit altare, in quo idem jugiter Deo offerretur; qui ibidem pro salute hominum primum mundo illuxerat. Sed et Constantinus eamdem specum regalibus ornamentis ex auro et argento, atque variis aulæis exornavit; ita ut basilica hæc mundi esset miraculum, nec in orbe quippiam ei esset simile. Nam excelsa est admodum et amplissima, cujus tota superior concameratio quatuor ex marmore columnarum ordinibus, et magnitudine et multitudine admirandis constat. Quilibet enim ordo habebat quinquaginta columnas, singulari artificio, pretio et sumptu, super ipsas columnas navis Ecclesiæ eminet opere vermiculato, quæ omnes veteris testamenti historias exhibebat, ab exordio mundi usque ad Christum, miro artificio et colorum varietate distincta. Parietes tabulis ex alabastro pretiosissimis sunt incrustati; quarum ea erat opulentia et pulchritudo, ut Sultanus Ægypti eas sacrilege auferre, iisque palatium suum in Cayro exornare conatus sit, sed ingenti serpente miraculose ex pariete prodeunte, tabulasque ipsas mordente deterritus à scelere destitit; quocirca ipsi etiam Turcæ et Saraceni reverenter hoc templum frequentant. Pavimentum totum est ex marmore. Ad locum autem dulcissimæ nativitatis Christi, à templo in capellam descenditur decem gradibus, locum vel ipso cœlo augustiorem, et æterna memoria omnibus fidelibus venerandum. Hic locus tegitur mensa marmorea et candida, in qua et Sacrum peragitur. Cæterum lapidis illa pars in qua Christus dicitur natus, et præsepis pars in quam fuit reclinatus, non vestiuntur marmore, sed nude patent ad peregrinorum adorationem et osculum. Lapis, in quem reclinavit Maria, et cui flexis genibus insedit, similitudinem habet stellæ. Est autem tota hæc capella sumptuoso opere ex marmore et auro exornata. Neque longe à templo abest locus circumcisionis. Ad Orientem quantum jactus est lapidis, monumenta visuntur S. Paulæ et Eustochii. Hæc et plura Saligniacus, Borchardus, Bredemb. et ex iis Adrichom. in Descript. terræ sanctæ. Eadem mihi affirmarunt Romæ viri graves, qui recenter Bethlehem et loca sancta visitarunt.

Merito ergo S. Bernard. serm. 1. in Vigilia Nativit. *O Bethlehem parva*, inquit, *sed jam magnificata à Domino. Magnificavit te, qui factus est in te parvus ex magno. Quæ tibi civitas, si audiat, non invideat pretiosum illud stabulum, et illius præsepii gloriam? In universa siquidem terra jam celebre est nomen tuum, et beatam te dicunt omnes generationes; ubique gloriosa dicuntur de te, civitas Dei, ubique psallitur: Quia homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.* Et S. Gregor. Nazianz. orat. 38: *Descriptionem*, inquit, *reverere, propter quam in cœlis ipse describeris: et nativitatem, ob quam nativitatis vinculis solutus es: et parvam illam Bethlehem honora, quæ te in paradisum reduxit: et præsepe adora, honora præsepe, quia cum rationis expers esses, à Verbo nutritus es. Cognosce, ut bos, possessorem tuum* (*Isaias te admonet*) *et ut asinus præsepe Domini tui; sive mundus sis et Judæus, sive immundus Ethnicæque partis.* Idem Arianis sibi objectantibus ignobilem patriam et familiam respondet, orat. 25, *unum idemque cœlum omnibus esse commune, unam eamdemque terram et parentis et sepulcri habere rationem, ex qua sumpti sumus, et ad quam revertemur, nulla jam re alii alios superantes. Deum rusticitatis meæ patronum nactus, cum Bethlehem collocabor, cum præsepi vilipendar.* Et inferius: *Magnis omnibus et excelsis viris patria una est superna Jerusalem, in quam conversationem nostram recondimus. Terrenæ autem hæ patriæ, et hæc generum discrimina, brevis hujus et caducæ vitæ nostræ, ac scenæ ludi sunt. Quam enim quisque terram sive per tyrannidem, sive per calamitatem ante occupaverit, ea patria dicitur, cujus omnes æque hospites et advenæ sumus, quantumlibet vocum appellatione ludamus.*

Tropol. hanc Bethlehem nobis ob oculos ponamus, nosque in ea esse imaginemur, ibique mentis oculis intueamur nascentem Christum, dum in templo nocte Nativitatis Domini hoc mysterium recolimus; imo dum quotidie in sacrificio Missæ idem nobis repræsentatur. Vere enim et sapienter scripsit noster Thomas Theodidactus, libr. 4. de Imitatione Christi, cap. 2: *Ita magnum, novum et jucundum tibi videri debet, cum celebras, aut Missam audis, ac si eodem die Christus, primum in uterum Virginis descendens, homo factus esset; aut in cruce pendens, pro salute hominum pateretur et moreretur.* Templum ergo repræsentat Bethlehem, altare præsepium, hostia Christum nascentem, corporale pannos et fascias, Deiparam sacerdos, Joseph et pastores Christiani astantes. Ita fecit S. Franciscus, mira devotione in typica sua Bethlehem et præsepio dissuavians cum parvulo de Bethlehem. Audi S. Bonavent. in Vita ejus, cap. 10: *Contigit autem anno tertio ante obitum suum, ut memoriam nativitatis pueri Jesu, ad devotionem excitandam apud castrum Græcii disponeret agere, cum quanto majori solemnitate valeret. Ne vero hoc levitati posset adscribi, à Summo Pontifice petita et obtenta licentia fecit præparari præsepium, apportari fœnum, bovem et asinum ad locum adduci. Advocantur Fratres, adveniunt populi; personat sylva voces, et venerabilis illa nox luminibus copiosis et claris, laudibusque sonoris et consonis, et splendens efficitur et solemnis. Stabat vir Dei coram præsepia pietate repletus, respersus lacrymis, et gaudio superfusus. Celebrantur Missarum solemnia super præsepe, Le-*

vita Christi Francisco sacrum Evangelium decantante. Prædicat deinde populo circumstanti de nativitate regis pauperis, quem cum nominare vellet, puerum de Bethlehem præ amoris teneritudine nuncupabat. Miles autem quidam virtuosus et verax, qui propter Christi amorem seculari relicta militia, viro Dei magna fuit familiaritate conjunctus, Dominus Joannes de Græcio, se vidisse asseruit puerulum quemdam valde formosum in illo præsepio dormientem, quem B. Pater Franciscus, ambobus complexans brachiis, excitare videbatur à somno. Addit S. Bonavent. fœnum hoc præsepii à populo reservatum, multos brutorum morbos sanasse et pestes dispulisse.

Denique S. Bernard. serm. 1. in Vigilia Nativ. docet nos fieri Bethlehem, si Christum devote suscipiamus vel per fidem, vel per Eucharistiam : *Bethlehem quippe,* ait, *domum panis, Juda sonat confessionem. Tu ergo si divini verbi pabulo repleas animam tuam, fideliterque, etsi non digna, certe quanta potes devotione suscipias panem illum qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo, Dominicum videlicet corpus Jesu, ut veterem utrem corporis tui nova illa resurrectionis caro reficiat et sustineat, quatenus novum quod intus est vinum, hoc solidatum glutino, valeat continere : si denique ex fide vivas, et nequaquam gemere oporteat, quia oblitus sis comedere panem tuum; Bethlehem factus es, dignus plane susceptione Dominica, si tamen confessio non defuerit. Sic proinde Judæa sanctificatio tua : confessionem et decorem induere, quam maxime stolam in ministris suis Christus appretiat.*

EGRESSUS EJUS AB INITIO A DIEBUS ÆTERNITATIS.] *Egressus* est numeri pluralis; hebr. enim est מוצאות *motsaoth,* id est egressiones. Unde Septuag. vertunt, ἔξοδοι ; Vatabl. *emanationes ejus.* Rursum pro *ab initio à diebus æternitatis,* Hebr. et Septuag. habent, *ab initio à diebus seculi.* Hinc triplex est hîc Interpretum explicatio juxta triplicem Christi egressionem. Prima enim est temporalis; secunda est æterna; tertia partim temporalis, partim æterna. Primo, ergo Rabbini recentiores, qui negant Christi æternitatem et divinitatem, egressiones has sic exponunt, q. d. Christus non tantum egredietur cum nascetur in Bethlehem, sed jam inde à Davide, ab Abraham, imo ab Adam egressus, et quasi natus est: tum quia ex iis descendit, et in eorum lumbis ac virtute generativa latebat et continebatur; quomodo Apostolus Hebr. 7. 9. ait Levi, antequam nasceretur, decimatum esse in lumbis Abrahæ; tum quia eos quasi duces suos præmisit qui populum suum Israel in cultu Dei erudirent et continerent; eumque contra hostes infideles tuerentur et propugnarent. Huc accedit expositio S. Cyrilli, qui egressiones in plurali dici censet, quia Christus homo bis egressus est : Primo, cum venit in mundum per incarnationem; secundo, cum post mortem è mundo egressus est, et ascendit in cœlum. Utramque significat ipse Joan. 16. 28 : *Exivi à Patre, et venit in mundum ; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem :* utraque est à diebus æternitatis; quia utraque ab æterno decreta et prædestinata est à Deo. Huc pertinet aliorum explicatio, qui per egressiones accipiunt varias Christi hominis expeditiones et excursiones, quas contra diabolum pro salute hominum suscepit. Prima fuit, qua humanitatem nostram induit. Secunda, qua Magos et pastores ad se traxit et convertit. Tertia, qua peragrans Judæam et Galilæam, multos in corpore et anima salvavit. Quarta, qua in crucem pro redemptione hominum ascendit. Quinta, qua resurgens ad vitam rediit, mortemque destruxit. Sexta, qua ascendens in cœlum illud nobis patefecit, indeque misit Spiritum Sanctum. Hæ omnes expeditiones fuerunt à diebus æternitatis, quia ab æterno decretæ.

Secundo, Arias et à Castro hîc, quibus favet S. Hieron. ac R. Haccados apud Galat. libr. 4. c. 13, per egressiones has accipiunt duas Christi nativitates; puta temporalem ex Virgine in Bethlehem, et æternam ex Deo Patre in cœlis. Unde R. Haccados per τὸ *ab initio,* id est ab æterno, putat notari æternam Christi generationem; sed per τὸ *à diebus seculi,* temporalem, qua nimirum ab initio mundi in lumbis Adæ creatus, et quasi natus est. Ex adverso, melius alii per τὸ *ab initio* accipiunt temporalem Christi apparitionem, non tantum qua apparuit in carne, sed etiam qua visus est patribus, quibus promissus est; et Prophetis, per quorum ora ipse, utpote Verbum Dei, locutus est : sed per τὸ *à diebus æternitatis,* accipiunt æternam ejusdem à Patre generationem.

Tertio, alii hæc accipiunt de sola æterna Christi à Patre emanatione et nativitate. Hæc expositio est certa et communis Patrum et Doctorum, ideoque amplectenda. Probatur primo, quia de temporali Christi nativitate paulo ante dixit Propheta : *Ex te* (ô Bethlehem) *mihi egredietur, qui sit dominator in Israel.* Ergo cum addit : *Et egressus ejus ab initio à diebus æternitatis,* agit de æterna, q. d. Christus egredietur et nascetur in Bethlehem; at, ne putes eum tantum hominem fore, tuncque primo egressurum, cum homo apparebit in Bethlehem, addo et dico jam ante ab æterno eum egressum esse ex Patre, cum ab eo genitus est Deus, Patri coævus et consubstantialis. Cur enim temporalem egressionem repeteret hîc Propheta, cum tam clare eam ante expresserit?

Secundo, τὸ *à diebus æternitatis* plane significat hîc de æterna Christi generatione agi, non de temporali. Dices : Hebr. est *à diebus* עולם *olam,* id est *seculi.* Resp. *Olam* sive seculum absconditum, à rad. עלם *alam,* id est abscondit, hebr. significat æternitatem, quæ omnibus abscondita est et impenetrabilis, cum scribitur per *vau,* sicut hîc scribitur, uti docent Rabbini, nisi addatur particula aliqua restringens, quæ cogat illud explicare et interpretari tempus longissimum. Hîc autem nihil tale additur, imo additur τὸ *ab initio,* quod junctum cum *diebus olam,* planam plenamque significat æternitatem, uti mox ostendam. Unde Chald. vertit: *Cujus nomen dictum est ab æternitate, à diebus seculi;* Tigurina, sive Leo Hebræus : *Exitus ejus à seculo, à diebus æternis.* Ita et Rabbini apud Galatin. loco citato. Denique omnes Orthodoxi fatentur hîc de vera æternitate agi; licet aliqui æternitatem prædestinationis, non generationis intelligant, sed perperam. Nam egredi non est prædestinari, sed emanare, gigni, nasci, ut cum paulo ante dixit : *Ex te mihi egredietur,* id est nascetur, *qui sit dominator in Israel.* Dices : Apoc. 13. 8, Agnus, id est Christus, dicitur occisus ab origine mundi, non realiter, sed per Dei præscientiam et prædestinationem; ergo similiter hîc τὸ *egressus* exponi potest non rea-

liter, sed in Dei prædestinatione. Resp. nego consequentiam; verba enim Scripturæ proprie accipienda sunt, non improprie, nisi quæ necessitas aut contradictio cogat, uti hîc nihil cogit: in Apocal. autem cogit. Nam Agnus, qui realiter non erat, nec exstabat ab origine mundi, non poterat tunc realiter occidi (quod enim non est, occidi nequit); ergo occisio hæc non actualis, sed mentalis, puta præscita et prædestinata à Deo, intelligi debet. Hîc autem nil est tale; ergo realis egressus et nativitas, non mentalis et prædestinata, intelligenda est.

Tertio, Christum in Bethlehem natum esse Deum, ideoque æternum, patet ex cap. 4. 1: *Erit mons domus Domini paratus in vertice montium*, puta Sion, id est Ecclesia Christi. Nam pro τῷ *Domini* hebr. est *Jehova*, quod non alium quàm Deum verum significat, ejusque nomen est proprium. Et vers. 2: *Venite, ascendamus ad montem Domini*, hebr. *Jehova. Quia de Sion exibit lex, et verbum* (Evangelium) *Domini*, hebr. *Jehova*, puta Christi, *de Jerusalem.* Et vers. 7: *Et regnabit Dominus*, hebr. *Jehova*, puta Christus, *super eos ex hoc nunc et usque in æternum.* Idem patet Isaiæ 9. 6, ubi parvulus nasciturus nobis, puta Christus, vocatur *Deus, fortis, pater futuri seculi*, hebr. *pater æternitatis;* et cap. 7. 14. vocatur *Emmanuel*, id est, nobiscum Deus.

Quarto, ita interpretantur Patres et Orthodoxi passim, Theodor. Haymo, Remig. Rupert. Albert. Hugo, Lyran. Dionys. Clarius, Vatablus, Ribera hîc, Cyrill. hom. 4. contra Nestorium, Chrysostom. in libr. *Quod Christus sit Deus*, Origenes libr. 1. contra Celsum, Euseb. lib. 2. Demonstr. cap. 2, S. Athanasius, et alii passim contra Arianos.

Dices: Si de sola æterna emanatione et generatione Christi hîc agitur, cur ergo Propheta eam vocat *egressus* vel exitus in plurali? Respondet primo Ribera, causam esse quod Hebræi soleant res maximas et præstantissimas compellare pluraliter, ut rei magnitudinem et præstantiam significent, quod, licet una sit, æquipolleat tamen pluribus. Sic Deum vocant *Elohim* in plurali; sic *adonim*, id est domini, significat Dominum; sic elephas vocatur *behemoth*, id est bestia, quod mole sua et robore multas bestias æquet, imo superet. Quia ergo nativitas æterna Christi maxima est et divina, omnesque creatas nativitates eminenter continet; hinc ab Hebræis vocatur *egressus*, id est nativitates, in plurali. Secundo, aliam causam dat Vatabl. *Plurali*, inquit, *utitur, quia Christus semper procedit à Patre jugi manatione et processione, heri, hodie et olim*, q. d. *Christus erit verus homo, verusque Deus, et coæternus Patri;* quia ergo jugiter ab æterno Christus à Patre gignitur, hinc ejus generatio vocatur *generationes:* nam quolibet instanti generatur, et omnibus generationibus creaturarum coexistit; sicuti fontis emanationem vocamus *scaturigines*, quia jugiter aquam scaturit. Hinc patet æternitas, et consequenter vera Deitas Christi. Negabant utramque Ariani, quorum, teste S. Athanasio multis in locis, hoc erat axioma: *Erat aliquando* (tempus vel duratio) *quando non erat Christus.* Respondet Franciscus David, novorum Arianorum choragus, in disput. Albana, in actis diei tertiæ: *Vocabulum*, inquit, *diebus additum, explicat mentem Prophetæ. Dies enim tunc cœperunt, quando creatus est mundus. Et illi primi dies dicuntur æterni, propter continuam successionem: sicut sæpius Scriptura loquitur, et ideo cum facta tunc quoque sit de Christo futuro promissio, dicitur fuisse egressus ejus à diebus æternitatis.* Verum obstat quod, licet *in æternum* in Scriptura significet aliquando longum tempus continuum, non infinitum; tamen *æternitas*, et hebr. עולם *olam*, junctum cum מקדם *mickedem*, semper immensam durationem significat. Secundo, *egressus ejus* non est promissio de eo nascituro, sed nativitas ejus, ut cum dicitur hîc: *Ex te mihi egredietur* (id est nascetur) *dux:* aliud enim est egredi hominem, aliud egredi verbum vel sermonem: illud significat nasci, hoc prophetare et promittere. Nec obstat quod vocetur *dies æternitatis;* dies enim hîc ponitur pro duratione, ut cum Daniel. 7. 9. Deus pater vocatur *antiquus dierum*, id est æternus.

Dices: Quomodo ergo ait: *Egressus ejus ab initio?* æternitas enim non habet initium. Resp. Script. *initium* vocat id quod erat ante tempora, hoc autem erat æternitas. Unde explicans subdit: *A diebus æternitatis.* Loquitur enim accommode ad conceptum hominum, qui cum volunt dicere aliquid fuisse ab æterno, dicunt illud fuisse ante omnia, ab initio. Sic Proverb. 8. ait Sapientia increata: *Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Et Ecclesiast. cap. 24. 14. ait æterna Dei Sapientia: *Ab initio, et ante secula creata sum*, id est ab æterno. Sic et Isaiæ 43. 13. ait Deus: *Ab initio ego ipse*, q. d. Ab æterno ego sum, qui sum. Porro hanc Michææ sententiam: *Et egressus ejus à diebus æternitatis*, sic clare per trimembrem sententiam explicat S. Joan. c. 1. 1: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*, q. d. Ab æterno, et, ut ita dicam, à principio æternitatis. Verbum egressum et genitum est à mente Patris; ac proinde erat apud eum, et in ejus mente, ac consequenter ipsum erat Deus: quia quidquid est in mente Dei et in Deo, est Deus. Hinc et Christus, à Judæis rogatus quis esset, respondit: *Principium, qui et loquor vobis*, Joan 8. 25; græce κατ' αρχην, q. d. Ego sum ante Abraham à principio, id est ab æterno; Deus de Deo, qui et idipsum vobis proloquor. Idemque, Apocal. 21. 6, ait: *Ego sum α et ω, initium et finis.*

Præclare Nazianz. *Deus et erat semper, et est, et erit; vel, ut rectius loquar, semper est. Nam Erat et Erit nostri temporis fluxæque naturæ segmenta sunt. Ille autem semper est, atque hoc modo se ipsum nominat, cum in monte Mosi oraculum dedit. Universum enim id quod est, in se complectitur, nec principium habens, nec finem habiturum, velut pelagus quoddam essentiæ immensum et interminatum, omnem tum temporis, tum naturæ cognitionem superans: mente sola adumbratus is, et quidem perexigue ac perobscure, non ex his quæ in ipso sunt, sed quæ circa ipsum: alia ex alio collecta specie ad unum quoddam veritatis simulacrum: priusquam teneatur effugiens, et priusquam intellectu percipiatur seipsum fuga proripiens: tantum principem nostri partem, eamque à vitiorum labe purgatam collustrans, quantum oculorum aciem fulguris celeritas minime consistentis. Hoc autem mea quidem sententia idcirco fit, ut, quatenus comprehendi potest, nos ad*

se trahat (quod enim percipi omnino nequit, id nec sperat quisquam, nec assequi conatur), quatenus autem capi non potest, admirationem suî excitet, atque ex ipsa admiratione vehementius expetatur, appetitus purget, purgans autem divinos efficiat, talesque cum redditi sint, cum iis jam velut cum familiaribus consuetudinem habeat (metuo ne hoc audacius à me dictum videri possit) Deus diis unitus et cognitus, ac tantum fortasse, quantum jam eos, qui ipsi noti sunt, cognoscit.

A DIEBUS ÆTERNITATIS.] id est ab omni æternitate. Est catachresis : æternitas enim proprie cum sit duratio constans, indivisibilis, tota simul, ideoque ab intrinseco carens successione, principio et fine; idcirco non dividitur per dies, menses et annos, qui illi successive coexistunt : hinc ab omnibus, qui omnia sua mensurant per differentias sui temporis, dantur æternitati dies, menses et anni. Sic dicitur Psal. 76. 6 : *Cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui.* Sic in Officio divino, tempore Paschali, de Martyribus canimus : *Lux perpetua lucebit Sanctis tuis, Domine, et æternitas temporum.* Quod desumptum est ex lib. 4. Esdræ, cap. 2. 35. ubi sic dicitur : *Parati estote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit vobis per æternitatem temporis. Fugite umbram seculi, etc.* Sicut enim immensitas Dei totam Dei magnitudinem, quæ absque termino quaquaversum super cœlos in immensum diffunditur, colligit in punctum; ut non minus habeat in puncto loci, quàm in spatio infinito : ita æternitas durationem, et quasi ætatem Dei, quæ infinito tempori coextenditur, colligit in momentum : ita ut totam possideat in instanti, sive in puncto. Sicut enim se habet immensitas ad punctum loci, ita æternitas se habet ad punctum temporis. Dicit ergo Michæas Christum in tempore nasciturum in Bethlehem, esse æternum, ideoque Deum, q. d. Ideo Christus nascetur in nostro tempore, ut nobis communicet suam æternitatem : ideo fiet homo, ut nobis communicet suam deitatem, nosque faciat Deos. Ait enim : *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes,* Psal. 81. 6. Unde S. Greg. hom. 8. in Evang. *Quid,* ait, *est quod nascituro Domino mundus describitur, nisi hoc quod aperte monstratur, quia ille apparebat in carne, qui electos suos adscriberet in æternitate? quod contra de reprobis per Prophetam dicitur : Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur.* Ideo ergo Christus natus est tempori, ut nos vivamus æternitati; ideo egressus est à diebus æternitatis ad dies temporis, ut nos à tempore regrederemur ad dies æternitatis.

Nota : Duratio est triplex, tempus, ævum, æternitas; tempus habet suum finem, æque ac principium : ævum habet principium, sed caret fine; æternitas nec habet finem, nec principium. Rursum sicut ævum est intrinseca mensura vitæ Angelorum, et tempus vitæ hominum : ita æternitas est intrinseca mensura vitæ et existentiæ divinæ, ac consequenter generationis Verbi, et spirationis Spiritus Sancti, ut docet D. Th. 1. p. q. 10. a. 4. et ibi P. Salas. Origo et quasi ratio æternitatis est immutabilitas Dei. Unde S. August. l. de Natura boni adversus Manich. c. 39 : *Illa,* inquit, *vera est æternitas, quæ est vera immortalitas; hæc est illa summa incommutabilitas, quam solus Deus habet.* Et mox : *Cujus solius immortalitas, ipsa est vera æternitas.* Idem, l. 4. de Trinit. c. 18 : *In quantum,* ait, *mutabiles sumus, in tantum ab æternitate distamus.* Et inferius : *Vera autem immortalitas, vera incorruptibilitas; vera incommutabilitas, ipsa est æternitas.* Et S. Dionys. de Divin. nom. c. 9 : *Idem vero,* inquit, *supersubstantialiter æternum, est invertibile, in seipso manens semper secundùm eadem, et eodem se habens modo.* Et Psaltes Psal. 101 : *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Porro æternitatem S. Anselmus ita definit in Menol. cap. 24 : *Vera æternitas est interminabilis vita, tota simul existens.* Et Richard. Victor. l. 2. de Trinitate, cap. 4 : *Quid aliud est æternitas, quàm diuturnitas sine initio et fine, et carens omni mutabilitate?* Alii : *Æternitas est duratio immensurabilis.* Optime Boetius, lib. 5. de Consolat. prosa ult. *Æternitas est interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio.* Hinc æternitas ambit omnia tempora et temporalia, eorumque est fons et origo. Audi S. Dionysium de Divinis nominib. cap. 10 : *Antiquus dierum Deus prædicatur, quod ipse sit omnium et seculum, et tempus; et ante dies, et ante seculum, et tempus.* Idem, cap. 5 : *Ipse,* ait, *est ævum ævorum, existens ante omne ævum.* Et paulo ante : *Ipse est principium et mensura ævorum et temporum.* Ex dictis sequitur æternitatem esse propriam durationem Dei, puta Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; Angelos autem et homines participare eam per suam æviternitatem, quæ habet principium, at non finem. Nam per eam in æternum vivent, fruentur Deo, eruntque beati : licet vulgus per catachresin hanc æviternitatem vocet quoque *æternitatem*, scilicet creatam et participatam : quia Beati erunt beati tam diu, quamdiu Deus erit beatus; imo quamdiu Deus erit Deus, quamdiu durabit ejus æternitas. O æternitas, quanta es! quàm immensa! quàm pretiosa! quàm beata! et tamen quàm raro versaris in mentibus hominum! quàm pauci te tuumque pondus æstimant! nulli te penetrant, pauci ponderant! Sapienter S. Greg. lib. 6. epist. 190 : *Si bona,* ait, *quærimus, illa diligamus, quæ sine fine habebimus. Si autem mala pertimescimus, illa timeamus quæ à reprobis sine fine tolerantur.* Et Cicero, Tuscul. 4 : *Quid,* inquit, *ei videatur magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis totiusque mundi nota sit magnitudo?* Et S. Antonius discipulis suis hoc axioma tradebat : *Hoc,* ait, *sit primum cunctis in commune mandatum, nullum in arrepti propositi vigore lassescere; sed quasi incipientem augere semper debere quod cœperit, præsertim cum humanæ vitæ spatia, æternitati comparata, brevissima sint. Promissio vitæ sempiternæ vili pretio comparatur. Scriptum est enim : Dies vitæ nostræ septuaginta anni : quando ergo octoginta aut centum annos laborantes in Dei opere vixerimus, non pari tempore regnaturi sumus in futuro; sed pro annis, omnium nobis seculorum regna tribuentur : non terram hæreditabimus, sed cœlum.* Ita S. Athanas. in Vita S. Anton.

3. PROPTER HOC DABIT EOS USQUE AD TEMPUS, IN QUO PARTURIENS PARIET.] Τὸ *dabit* dupliciter, imo contrarie accipi potest : Primo, *dabit,* scilicet hosti, gladio, similive tribulationi, q. d. Objiciet eos hostibus, et calamitatibus sinet eos affligi; secundo, *dabit,* id est conservabit eos in vita, ut habitent in terra sua. Jam varii varie hæc exponunt. Punctum difficultatis consistit in eo, quodnam vocetur *tempus, in quo parturiens pariet.* Primo, aliqui esse censent tempus libera-

tionis è captivitate Babylonica, et libertatis sub Cyro, q. d. Quia latrones de quibus v. 1, hoc est tyranni et prædones Assyrii atque Chaldæi, Israelem ob ejus scelera affligent et captivabunt; hinc Deus dabit, id est, permittet eos in Israelem grassari usque ad Cyrum, quando, eo laxante captivitatem, Synagoga parturiens pariet, id est, præ gaudio et festinatione producet et adunabit turbam ingentem suorum filiorum et civium, cum jubilo è Babylone in Judæam redeuntium. Verum hîc nulla Babylonis facta est mentio, sed tantum Christi : Christum enim et præcedentia et sequentia omnia spectant.

Secundo, alii distinguunt tempus parturitionis à tempore pariendi; tempus pariendi Synagogæ, censent esse illud quo peperit Christum : tempus parturitionis, quo cruciatibus afflicta et oppressa est à Tito et Romanis, q. d. Propter hoc, quia scilicet filia latronis, id est Jerusalem, percussura et occisura est Christum, inquit Rupert. idcirco Deus dabit permanere Synagogam et Judæos, usque ad tempus quo pariet Christum Salvatorem, et mox per Titum eam affliget, ut crucietur quasi parturiens; et in hac dolorum parturitione enecetur et exspiret. Unde Chald. vertit : *Propterea tradentur* Judæi Romanis, *quando parturiens pariet.* Idem Chald. sic explicat illud Isaiæ 66. 7 : *Antequam parturiret, peperit; antequam veniret partus, peperit masculum,* q. d. *Antequam veniat ei angustia, salvabitur ; et antequam veniant ei dolores partus, revelabitur rex Messias,* q. d. Antequam veniat Titus angustians Judæos, veniet et nascetur Christus Salvator. Sic et veteres Hebræi apud Galat. l. 4. c. 11. Quin et S. Hieron. sic explicat : Stabit judaismus, donec Ecclesia pariat filios Christo ; donec scilicet gentilitas, quæ antea sterilis fuerat, credens in Christum multos ad eum convertat, qui in locum Judæorum, quasi populus et filii Dei succedant.

Tertio, alii accipiunt tempus Ecclesiæ nascentis, quando ipsa multos filios peperit Deo et Christo, juxta oraculum Isaiæ cap. 54. 1, q. d. Propter hoc, quia scilicet ex Israele et Judæis nasciturus est Christus in Bethlehem, idcirco Deus dabit, id est, sinet eos in Judæa vivere, ac differet ultionem suæ mortis, hoc est, destructionem Jerusalem per Titum, aliquantisper; donec scilicet Ecclesia Christi nascens multos è Judæis filios pariat Christo; id est, donec ipsa crescat et confortetur, ut sese conservare et spargere possit per omnes gentes : quo facto Judæam et Judæos per Titum evertet. Ita Lyran. Vatabl. et Dionys.

Quarto et genuine : *Tempus quo parturiens*, vel ut Hebr. est *pariens pariet*, est tempus quo Deipara peperit Christum in Bethlehem : illa enim vocatur *pariens* et *mater* antonomastice; quia partus ejus fuit nobilissimus, ideoque cœlo et terræ optatissimus, et hoc significat illa geminatio *pariens ;* vel, ut Noster vertit, *parturiens pariet :* τὸ enim parturiens non significat dolorem, sed vehemens desiderium, gaudium et accelerationem partus, uti dixi in illud Isaiæ 66. 7 : *Antequam parturiret, peperit.* Ad Isaiam enim more suo alludit hîc Michæas. Sensus ergo est, q. d. Propter hoc, quia scilicet in Bethlehem nascetur Christus, quem Deus decrevit et statuit salvatorem et dominatorem Israelis, idcirco dabit eos, id est, permittet Israelem et Judæos affligi ab Assyriis, Chaldæis et Græcis ; donec Deipara pariat Christum. Hic enim erit redemptor et salvator Israelis, omniumque gentium. Ita S. Hieron. Haymo, Rem. Hugo hîc, et Euseb. l. 7. Demonstrat. c. 2. Huc pertinet aliorum expositio quæ talis est : Durabit successive Synagogæ afflictio, et captivitas Babylonica, Græca et Romana, donec ipsa pariat Christum : hic enim ab omni servitute eam liberabit. Nota : Script. de Israele quasi de populo loqui solet, nunc singulariter, quia populus collective est unus et singularis : nunc pluraliter, quia in populo plures sunt homines et capita. Ita facit hîc Michæas. Rursum de Israele nunc loquitur masculine, quasi de populo ; nunc feminine, quasi de Ecclesia et Synagoga. Unde ait : *Parturiens pariet* quasi mater.

Symbolice, sensus est, q. d. Propter hoc, quod scilicet Deus statuit Christum in Bethlehem nasciturum, efficere salvatorem mundi ; hinc dabit, id est, sinet Israelem sub lege affligi, ut ipse cognoscat ex lege tum peccatum, tum legis infirmitatem ad tollendum peccatum, et ad sanandam concupiscentiam, ut Israel, idipsum agnoscens, magnis votis exoptet Christum, ejusque gratiam quæ concupiscentiam domet, et peccatum aboleat. Ideo enim distulit Deus Christum per quatuor annorum millia, usque ad virginis partum, ut interim mundus agnosceret suæ animæ peccata et vulnera, æque ac naturæ et legis infirmitatem, ac instanter medicum, puta Christum, requireret, uti docet Apostolus Rom. 3. 20. et seq. Ita S. Hieron. Theodor. Remigius, Hugo et alii.

Alleg. Arias : Sinet Christus, inquit, Israelem, id est Ecclesiam suam, puta Apostolos et discipulos, aliquousque à Judæis affligi, donec ipsa quasi ex partu egrediens in Pentecoste, Spiritus Sancti roboretur adventu, ut numero et viribus adaucta, se diffundere possit per omnes gentes.

Et reliquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Israel.] *Ejus*, scilicet dominatoris Israel, nascituri in Bethlehem, puta Christi, q. d. Reliquiæ, id est pauci Judæorum, qui sunt fratres Christi secundùm carnem, convertentur ad filios Israel, id est, ad Patriarchas et Prophetas : ut scilicet Patriarcharum et Prophetarum in Christum fidem, pietatem et sanctitatem amplectantur et æmulentur, juxta illud ps. 44. 17 : *Pro patribus nati sunt tibi filii.* Aut *filii Israel* sunt Apostoli, q. d. Quando Ecclesia parturiens pariet Christum et Apostolos, tunc fratres Christi, puta Judæi è captivitate reliqui, convertentur ad filios Israel, id est Apostolos, eorumque et fidelium cœtui aggregabuntur. Anagogice, q. d. In fine mundi, cum plenitudo Gentium intraverit in Ecclesiam, tunc reliquiæ Judæorum per Eliam et Henoch convertentur, tuncque omnis Israel salvus fiet. Ita S. Hieron. Haymo, Remigius et Hugo. *Elias enim (qui interpretatur Deus Dominus) convertet cor patrum ad filios et cor filiorum ad patres, et novissimus populus jungetur antiquo, ut vere filii Abraham appellentur, cum in eum crediderint, quem vidit Abraham et lætatus est*, ait S. Hieron.

4. Et stabit,] scilicet dominator Israel, puta Christus natus in Bethlehem ex parente Virgine Deipara, de quo v. 2, et 3. Alludit ad pastores qui, dum gregem pascunt, stant innixi suæ furcæ sive baculo pastorali, tum ut oves omnes præ oculis habeant, videantque ne quæ aberret, vel à grege se separet; tum ut circumlustrent num

qua ex parte lupus, vel alia fera, in gregem incursurus adventet, q. d. Pari modo Christus, quasi pastor fidelium, iis semper aderit, eos circumspiciet, pascet protegetque ab omni dæmonum hostiumque incursu. Ita S. Hier. Remig. Hugo et Vatabl. Hoc est quod Christus promisit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi*, Matth. 28. 20. Nota : Vox *stabit* significat Christi pastoris et regis primo, curam et providentiam Ecclesiæ; secundo, vigiliam in ea pascenda; tertio, constantiam. Unde Vatabl. recte sic exponit, *stabit et pascet*, id est perpetuo pascet fideles, perpetuo regnavit in Ecclesia. Non enim transibit ab ea, uti transiit à Judæis ad gentes; sed jugiter cum fidelibus stabit et manebit.

Anagogice, q. d. Christus post resurrectionem conscendet in cœlum, ibique *stabit* à dextris Patris, quasi triumphator et dominator; ut Ecclesiam regat, tueatur et propugnet. Quocirca S. Stephanus in agone martyrii cum Judæis decertans : *Ecce*, inquit, *video cœlos apertos, et filium hominis stantem à dextris Dei*, Actor. 7. 55. Ita Rupertus. Unde sequitur :

Pascet in fortitudine Domini,] q. d. Christus pastor reget fideles quasi oves suas, fortitudine non humana, sed divina ; tum increata, quam ut Dei Filius à Deo Patre unam eamdemque cum eo accepit ; tum creata, quam ut homo à Deo communicatam participat : quo fiet ut nulli lupi vel feræ illi prævalere, aut gregem ejus diripere vel dissipare queant; quin certo illas ad vitam æternam perducat, juxta illud quod ipse ait : *Oves meæ vocem meam audiunt, etc. et non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est, et nemo potest rapere de manu patris mei. Ego et Pater unum sumus*, Joan. 10. 27.

In sublimitate nominis Domini Dei sui,] id est sublimiter, potenter et magnifice pascet Christus suos fideles, prout decet majestatem nominis divini, quod ipse in pascendo ubique præferet, ut probet se esse Deum, et à Deo Patre missum: pascet, inquam, sublimiter et gloriose, quasi in ea re gloria nominis et honoris sui divini ageretur; ita ut omnes videntes Christi regimen illustre, quo eminenter pascet oves suas, laudent et celebrent magnificum Dei nomen, q. d. Gubernabit Christus Ecclesiam quasi pastor, cum ea potentia et gloria, qualis et quanta decet eum qui de nomine Patris æterni appellatur Patris æterni Legatus, imo Filius. Hoc est quod ait Joannes, c. 1. 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre*, id est, qualis decebat unigenitum Dei filium. Et Isaias, c. 60 15 : *Ponam te in superbiam seculorum ;* ubi pro *superbiam*, hebr. est eadem vox גאון *geon*, quam Interpres hoc loco *sublimitatem* vertit. Porro ita sublimiter pascit Christus suos, dando eis tum sublimem Evangelii doctrinam, tum gratiam potentem, qualem præ cæteris habuerunt Martyres ad superandos ignes, gladios, feras, omniaque tormenta ; tum protectionem certam et continuam, tum miracula stupenda et inaudita, qualia fecit Christus et Apostoli.

Nota : *Nomen Dei*, quo Christus suos pascit, varia significat. Nam, primo, *nomen Dei* est honor, fama et gloria Dei, uti jam dixi. Secundo, *nomen Dei* significat potentiam et opem Dei. Sic Christus pro iisdem orans, Joan. 17. 11. ait : *Pater, serva eos in nomine tuo*, id est, tua virtute et potentia. Tertio, *nomen* significat professionem et invocationem nominis, q. d. Christus pascet suos fideles sublimiter, quia profitebitur se id facere in nomine Patris sui, quod profitebitur, prædicabit et invocabit. Quarto, *nomen Dei* est ipse Deus metonymice; sic dicimur sanctificare, laudare, celebrare nomen Dei, id est ipsum Deum. Sic Christus jussit Apostolos baptizare fideles *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, hoc est, in fide, professione et invocatione unius deitatis et sanctissimæ Trinitatis, q. d. *In nomine*, id est, invocato et appellato nomine, et per consequens persona, divinitate, virtute, auxilio, energia et gratia *Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, Matth. 28.

Et convertentur,] q. d. Christus per se et Apostolos pascens, id est, docens et instruens homines, convertet eos ad se et ad Deum. Legit Interpres, uti et Chald. ישבו *iescubu*, id est, *convertentur;* alii aliis punctis cum Septuag. et Symmach. legunt ישבו *iascebu*, id est sedebunt, manebunt, habitabunt quiete et pacifice, quasi sedentes domi in pace, ut alludat ad c. 4. 4 : *Sedebit vir subtus vineam suam, et subtus ficum suam*, q. d. Sub Christo pastore et rege, fideles ad eum conversi vivent in summa pace. Ita S. Hieron. Lyran. Pagnin. Vatabl. et alii.

Quia nunc magnificabitur] Christus pastor sublimis. Τὸ *nunc* significat tempus præsens non Michææ, sed Christo : de Christo enim continue agit, q. d. Videor mihi oculis spiritus instar Abrahæ videre diem illum gloriosum, quo Christus ex Virgine natus pascet fideles magnifice. Unde admirans et exsultans exclamo *nunc*, scilicet præsente, pascente et regente Christo : Magnificabitur Christus et nomen Dei, *usque ad terminos terræ*. Τὸ *quia* non causam, sed effectum et sequelam significat, q. d. Unde sequetur ut magnificetur nomen Dei et Christi toto orbe. Aut certe encliticum est, et per pleonasmum ornatus tantum gratia additur. Sic enim Hebræi addere, et sententiæ illustri præfigere solent כי *ki*, id est quia. Secundo, simplicius τὸ *nunc* referri potest ad tempus Michææ, q. d. Christus dum nascetur homo, pascet suos fideles in fortitudine Domini : quia ecce nunc, antequam natus est homo, primos et prævios potestatis suæ radios (uti emittit sol antequam oriatur, in aurora) spargit, et magnificari incipit, usque ad terminos terræ. Nam mox Assyrium Sennacherib in Judæa conteret per Angelum, uti sequitur. Atque idcirco dixit quod Christus egressus sit à diebus æternitatis : quia enim Christus est æternus, hinc quovis seculo se ostendit per miracula et opera heroica, quæ in tutelam et commodum Israelis, populi sui, operatus est.

5. Iste pax.] Quæres quis sit *iste?* Aliqui intelligunt Ezechiam, qui cum suis orans impetravit à Deo pacem Judææ, cæsis per Angelum hostibus, puta Assyriis. Ita Theodor. Alii accipiunt Cyrum, qui libertatem et pacem dedit Judæis. Ita Lyranus. Alii Judam Machabæum cum fratribus, qui suis victoriis pacem dederunt patriæ. Favet huic Judæ paraphrasis Chaldaica. Verum cum nullius horum præcesserit mentio, sed solius Christi dominatoris Israel, in Bethlehem nascituri, de eoque continuus sit sermo : dico quod *iste* sit Christus, cum allusione tamen ad Ezechiam, Cyrum et Judam. Sensus ergo est, q. d. Christus erit pax non formalis, sed causalis, id est, dabit pacem suæ Ecclesiæ suisque fide-

libus : pacem, inquam, trinam et plenam, scilicet pacem cum Deo, pacem cum conscientia, pacem cum proximis : atque hujus pacis dabit præludium, initium et typum, dando hoc Michææ tempore Ezechiam, et paulo post Cyrum et Judam Machabæum, qui Israeli victoriam contra Assyrios, indeque pacem concilient. Dices : Solus Ezechias pugnavit contra Sennacherib et Assyrios, non Cyrus, non Judas ; sed Cyrus pugnavit contra Babylonem et Chaldæos, Judas contra Antiochum et Græcos. Resp. primo, sub Assyriis Chaldæos comprehendi : nam monarchia ab Assyriis translata est ad Chaldæos; unde tunc Chaldæi tam dominabantur Ninivæ et Assyriæ, quàm Babyloni et Chaldææ. Et sic Cyrus dicitur vicisse Assyrios, quia vicit Chaldæos. Hinc et Assur vocatur hìc *terra Nemrod*, quia Nemrod primus orbis rex et tyrannus dominabatur Assyriæ; principium tamen et sedem imperii posuit in Babylone : unde Nemrod auctor fuit turris Babel ædificandæ, uti dixi Genes. 10. v. 8. 9. et 10. Nominat Michæas Assyrios, potius quàm Chaldæos; quia ejus tempore dominabatur Sennacherib et Assyrii, insultantes Ezechiæ et Judæis : unde illos proprie et primario hìc respicit. Secùndo, quia Nemrod, primus tyrannus orbis, fuit rex Assyriorum ; indeque Assyrii primi fuerunt monarchæ et celebres tyranni : hinc per sequentia secula mansit hoc nomen, ut Assyrii vocarentur quivis potentes tyranni, sive Græci essent, sive Persæ, sive Romani, uti ostendi Isaiæ 7. 17. Sic Judas Machabæus vicit Assyrios, quia vicit Antiochum et Græcos tyrannos. Hinc tertio, Assyrii significant quoslibet hostes Ecclesiæ, quales sunt infideles Saraceni, hæretici; item dæmones : omnes enim hosce tyrannos profligat Christus, itaque pacem Ecclesiæ conciliat, sed inchoatam in Ecclesia præsente : hæc enim cum sit militans, sine bellis et luctis esse nequit : perfectam vero dabit in cœlo, ubi post bella et victorias erit Ecclesia in plena pace, gaudio et felicitate jugiter triumphans. Ita de Christo hunc locum accipiunt S. Hier. Haymo, Rupert. Albert. Hugo, Arias, Clarius, Ribera et alii passim.

Moral. disce hìc Christum esse pacem nostram. Unde ejus typus fuit Salomon rex uti nomine, ita reipsa pacificus. Ad hunc Michææ locum alludens Paulus, vocat Christum pacem Judæorum et Gentium, dicens : *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum; et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua, etc. ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem; et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso*, Ephes. 2. 14. Vide ibi dicta. Vis ergo pacem cum Deo, cum anima, cum proximis? Christum, qui est pax nostra, adi : pacem à pace posce; Christum in mente tua defige, et pacem defixisti. Ipse enim est princeps pacis, æque ac pater futuri seculi, uti eum compellat Isaias, c. 9. 6. Rursum, vis indicium, ex quo certo scias an Christus in anima tua habitet? adverte an habeas pacem in conscientia. Si habes, utique ibidem adest et dominatur auctor et rex pacis. Si non habes, utique Christus abest; quia sicut sol sine luce, ignis sine calore, rex sine regno : ita Christus sine pace esse nequit; nam in pace factus est locus ejus, psal 75. 3. Hoc est quod inculcat Apostolus : *Pax Christi exsultet in cordibus vestris*, Col. 3. 15. Vide quæ ibid. et Isaiæ 2. 4. annotavi.

Cum venerit Assyrius.] Alludit de more ad Isaiæ cap. 36 ; nam per *Assyrium* proprie intelligit Sennacherib, tempore Ezechiæ imminentem Hierosolymæ, quem Christus occidit per Angelum, itaque pacem dedit urbi et regi Ezechiæ. Consequenter tamen sub *Assyrio* intelligit Nabuchodonosorem, Antiochum, Pompeium, Neronem, Decium, aliosque Israelis et Ecclesiæ hostes et persecutores, uti jam dixi. Hosce enim omnes debellavit, et in dies debilitat Christus, pro fidelibus suis decertans.

Suscitabimus super eum septem pastores, et octo primates homines,] Hebr. *hominis*, et ita in Latinis legendum censet Ribera. Unde et Syrus vertit, *octo principes hominum;* Arabicus, *octo primates* vel *præfectos hominum.* Verum Biblia Latina Regia, Vaticana et alia omnia legunt, *homines :* nam *primates hominis*, id est hominum, sunt *primates homines;* Chald. *septem reges et octo principes hominum;* Symmach. *septem pastores, et octo christos hominum : christos*, id est reges et principes : hi enim sunt christi, id est olei effusione (hanc enim significat hebr. נסך *nosech*) uncti in sua creatione et inauguratione. Et Septuag. *Consurgent super eum pastores, et octo morsus hominum.* Legerunt נשכי *nesiche* per *schin :* נשך *nasach* enim per *schin* significat mordere. Verum alii passim legunt נסיכי *nesiche* per *samech*, et tum significat principes. Sensus tamen eòdem redit. Nam per morsus Septuag. intelligunt principes et duces, qui mordeant et subigant Assyrium, uti leones mordendo subigunt sibi feras quaslibet. Nota : *Pastores* iidem sunt qui *primates*, puta principes, q. d. Contra Assyrium excitabimus septem, imo octo, id est multos, imo plurimos principes, qui ei resistant, eumque debellent. Septenarius enim numerus in Scriptura symbolum est multitudinis : quod si addatur octonarius, magnam et ingentem multitudinem significat; ut cum dicitur Eccles. 11. 2 : *Da partem septem, nec non et octo.* Sensus est, q. d. Panum et opum tuarum partes eroga liberaliter in pauperes, ac dato eleemosynam septem, id est multis, nec non et octo, id est multo pluribus indigentibus, q. d. Da quot quantisque potes. Alludit ad reges Assyriorum et Persarum, qui penes se habebant septem principes, quasi summos consiliarios et administros in gubernatione regni, qui instar septem Angelorum principum, per quos Deus Ecclesiam orbemque regit, de quibus Job 12. 15. et Apocal. 1. 4. instituti videntur, uti dixi Apocal. 1. 4. Sic Jerem. 39. 3. nominantur septem, imo octo principes Nabuchodonosor, qui ejus aulæ et castris præfecti, obsederunt et expugnarunt Hierosolymam, scilicet *Neregel, Sereser, Semegarnabu, Sarsachim, Rabsares, Neregel, Sereser et Rebmag.* Sic de Assuero, marito Esther, dicitur c. 1. 14 : *Erant autem primi et proximi* (Assuero regi) *Charsena, et Sethar, et Admatha, et Tharsis, et Mares, et Marsana, et Mamuchan, septem duces Persarum atque Medorum, qui videbant faciem regis, et primi post eum residere soliti erant.* Ex hisce septem fuit Darius Hystaspis, qui, occisis Magis, deficiente stirpe Cyri in Cambyse, hinnitu equi electus est rex Persarum.

Sensus est primo, q. d. Nunc ecce magnificabitur Christus dominator Israel. Nam cum veniet Sennacherib Assyrius, ut obsideat et capiat Jerusalem, nos Israelitæ adunati cum Ezechia rege nostro, Christi invocatione, ope et jussu

excitabimus S. Michaelem cum sex suis sociis Archangelis, qui sunt principes aulæ cœlestis, et tutores Synagogæ fidelium, ut per Angelum octavum à se submissum cædant castra Sennacherib. Hi enim sunt septem pastores, et octo primates hominum, ut habent Hebræa. Rursum excitabimus Eliacim, Sobna, Joahe, et alios plures aulæ Ezechiæ principes, qui Sennacherib ejusque legato Rabsaci generose resistant, et cæsis per Angelum ejus castris, illa dispolient et diripiant. Secundo, q. d. Cum venerit Assyrius, id est Nabuchodonosor, ait Lyran. imperans tam Assyriis quàm Babyloniis, et ceperit Jerusalem, ac Judæos in Babylonem abduxerit, nos Israelitæ suscitabimus Prophetas, aliosque viros sanctos, quales erunt Daniel, Jeremias, Ezechiel, Esdras, Nehemias, Zorobabel, Jesus filius Josedec, etc. qui invocando Christum prosternent Assyrium, id est Balsasarem, filium Nabuchodonosoris. Christus enim excitavit Cyrum, qui per suos septem principes et reges Balsasarem occidit, Babylonem cepit, et Judæos inde liberavit. Septem hosce principes et reges Cyri (ad quos hîc alludit Michæas) nominat Xenophon lib. 5. Cyripædiæ. Eorum nomina sunt hæc: Embas rex Armeniæ, Antuchas Hyrcaniæ, Damatas Cadusiorum, Thambrodas Saccarum, Tigranes, ac Gadatas et Gobrias, qui duo Balsasarem occiderunt. Tertio, q. d. Cum venerit Assyrius, id est, Antiochus Epiphanes tyrannus, vastans Judæam, nostris precibus per Christum excitabimus, hoc est, Christus à nobis invocatus excitabit suos prodromos et prævios duces, qui Antiochum profligent, et Judæos liberent; nimirum Machabæos septem, et plures, puta Matathiam, Judam, Jonatham, Simonem, Joannem, Hyrcanum, Alexandrum, etc. Denique Christo nato cum venerit Assyrius, id est tyrannus Nero, Adrianus, Aurelianus, Decius, etc. Item Arius, Nestorius, Pelagius, Eutyches, aliique Heresiarchæ Ecclesiam pessumdantes, Christus excitabit septem et octo, id est multos principes tum Ecclesiasticos, tum seculares, qui illis resistant, illosque debellent et prosternant. Tales fuere SS. Petrus et Paulus certantes cum Simone Mago et Nerone, eosque debellantes; S. Joannes et S. Clemens cum Domitiano; S. Ignatius et S. Dionysius cum Trajano; S. Cornelius et S. Cyprianus cum Gallo et Volusiano. Tales rursum fuerunt Constantinus, qui Diocletianum et Maximianum summos Ecclesiæ persecutores ad restim adegit, ac Ecclesiæ pacem et imperium consignavit; Theodosius, Arcadius, Honorius, Marcianus, et sequentes Imper. Christiani, qui per se suis armis, per Episcopos vero anathemate et censuris Ecclesiasticis perculerunt Nestorium, Eutychetem, Pelagium, et similes hæreticos in Concilio Nicæno, Ephesino, Chalcedonensi, Constantinopolitano, etc. Ita fere S. Hieron. Rupert. Hugo et alii. Dicit, *suscitabimus*, quia Israelitæ, id est fideles, eligunt et creant sibi principes tum Ecclesiasticos, puta Episcopos per Clerum: tum seculares, puta Reges et Imperatores, per semetipsos.

Mystice S. Hieron. per pastores et primates septem accipit Sanctos veteris, per octo sanctos novi testamenti. Rupertus vero eos sigillatim sic enumerat. Septem, inquit, pastores fidelium fuerunt Abel, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Moses et David: octo vero primates fuerunt octo judices, id est, principes et salvatores Israel, scilicet Josue, Caleb, Othoniel, Aoth, Barach, Gedeon, Jephte et Samson. Verum hi diu ante Michæam vixerunt; Michæas autem hosce pastores et primates in futurum promittit. Ait enim: *Suscitabimus*, etc. Mystice quoque S. Ambros. in Genesim ad Horontianum enarrat. 2. sic explicat: *Septem pastores*, inquit, *legis præcepta sunt, quibus grex adhuc quasi irrationabilis in virga Moysis per desertum ductus et gubernatus est. Octo morsus hominum, mandata Evangelii, et Dominici oris alloquia. Corde enim creditur ad justitiam, ore confessio fit ad salutem. Boni morsus, per quos æternæ vitæ munus gustavimus, peccatorum remissionem in Christi corpore devorantes. In veteri testamento amarus morsus est mortis, propterea dictum est: Devoravit mors prævalens. In novo testamento suavis morsus est vitæ, quæ mortem absorbuit: Propterea Apostolus ait: Devorata est mors in victoria sua. Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, aculeus tuus.*

6. Et pascent terram Assur in gladio, et terram Nemrod in lanceis suis.] *Terra Assur* est Ninive et Assyria, ita dicta à primo ejus incola Assur, filio Sem. *Terra Nemrod* est Babylon: ibi enim Nemrod tyrannus regnare cœpit, uti superius dixi. Sensus est, q. d. Cyrus pascet, id est reget, et debellabit suis gladiis et lanceis Assyriam et Babylonem. Rursum cum Assyrius Sennacherib venerit in terram nostram, debellabunt eum Isaias, Ezechias, etc. per angelum. Porro Christus natus, per suos Apostolos et successores, armis spiritualibus debellabit reges et principes Assyriorum, Græcorum, Romanorum, etc. eosque convertet et subiget, adeo ut ipsi jam conversi pascant quoque, id est regant, tueantur, et propagent Ecclesiam, uti fecit Constantinus et posteri.

Nota: Pro *pascent*, etc. *terram Nemrod in lanceis suis*, Septuag. vertunt, *in fovea ejus;* quod explicans mystice S. Hieron. *Nemrod*, ait, *interpretatur tentatio descendens: gigantis enim et venatoris, et superbientis contra Dominum terra, non est in montibus, sed in foveis. Redacta est ergo terra Nemrod in foveis suis: qui enim fodit foveam, incidet in eam.* Et mox: *Quod autem*, Symmachus ait, *et pascent terram Assur in gladio, et regionem Nemrod intra portas ejus; hoc sentiendum est, quod in domo sua alligetur fortis, et vulneretur adversarius. Et juxta Aquilam et quintam Editionem, sicis et lanceis septem pastorum et octo christorum hominum confodiatur.*

7. Et erunt reliquiæ Jacob,] q. d. Apostoli et similes credentes Christo, licet pauci et quasi reliquiæ Judæorum, erunt quasi imber et ros optatissimus, qui divina sua doctrina et vitæ sanctitate fecundabunt terram, id est homines terrenos: terram, inquam, quæ non exspectat virum, id est manum et opera hominis, scilicet irrigantis, sed Dei et gratiæ cœlestis, q. d. Deus sua cœlesti luce et gratia ad prædicationem Apostolorum illabens mentibus auditorum, easque placide et suaviter irrorans, faciet eas fecundas virtutibus et bonis operibus. Ita S. Hier. *Ardebant enim*, inquit, *ignitis diaboli jaculis corda populorum: Et omnes gentes adulterantes à Deo habebant corda quasi clibanus igne succensus. Unde ros à Domino cadens factus est sanitas infirmorum*, uti factus est tribus pueris in fornace Babylonia, Dan. 3.

Quasi stillæ super herbam.] Sic et Aquila, Theodor. et Chald. qui habet: *Sicut guttæ imbris*

serotini super herbam. Quare mirum est Septuag. vertere: *Sicut agni super gramen*, præsertim cum non ovium, sed roris mentio præcesserit; est tamen apta similitudo: Apostoli enim agnina sua innocentia, candore, modestia et puritate illapsi sunt in mentibus hominum, sicut agni illabuntur gramini. Unde Christus: *Ecce*, inquit, *ego mitto vos sicut oves in medio luporum*, Matth. 10. 16.

8. QUASI LEO IN JUMENTIS,] quasi leo inter bestias, q. d. Apostoli quasi leones potentissime subjicient Evangelio quosvis infideles, ut nemo eis possit resistere: in infidelitate vero sua obstinatos, minis et miraculosis suis plagis percellent, uti Paulus exsecavit Elymam magum, ac Petrus Simonem volantem in terram dejiciens, ejus crura confregit. Rore significatur suavitas, leone robur et efficacia Apostolorum Evangelii et gratiæ Christi. Hoc est enim optimum regimen, quo suavitas cum fortitudine et efficacia miscetur. Eo enim utitur Dei providentia in regimine mundi, quæ *attingit à fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*, Sapient. 8. 1. Ita S. Hieron. Theodor. Haymo, Rupert. Lyran. Vatabl. et alii. Alludit et obiter quasi perstringit Judam et Machabæos, qui quasi leones subjugarunt hostes Israelis. De Juda enim dicitur 1. Machab. 3. 4: *Similis factus est Leoni in operibus suis, et sicut catulus leonis rugiens in venatione.* Et de Machab. lib. 2. c. 11: *Leonum more impetu irruentes in hostes prostraverunt; nam leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum*, Proverb. 30. 30. Audi Silium Italicum lib. 12, Paulum Consulem leoni comparantem:

Paulus ut adversam videt increbrescere pugnam,
Ceu fera quæ telis circumcingentibus ultro
Assilit in ferrum, et per vulnera colligit hostem,
In medio fert arma globos.

Ita in infideles insiliit S. Paulus, Apostoli virique Apostolici, ut S. Xaverius, Gaspar Barzæus, Josephus Anchieta, aliique leones Christiani hujus ævi.

9. EXALTABITUR MANUS TUA,] scilicet ô Christe, ô dominator Israel. Respicit enim ad v. 2. et 4. ubi dixit: *Et pascet in fortitudine Domini, etc. quia nunc magnificabitur usque ad terminos terræ.* Ita S. Hieron. Remig. Rupert. Hugo et Vatablus. Secundo, *tua*, scilicet, ô Jacob, ô Israel. Ita Theodor. Rupert. Lyran. et Arias, q. d. Manus tua, ô Israel, tempore Christi exaltabitur super hostes tuos, scilicet Gentiles et infideles. Hos enim Apostoli ex te nasciturі, tuique filii occident, ut intereant non corpore, sed mente et vita; scilicet quoad infidelitatem et vitam pristinam, quam in Dei ignorantia et sceleribus egerunt. Occident ergo in eis impietatem, libidinem, ebrietatem, etc. facientque ut vivat in eis pietas, castitas, sobrietas, etc. Ita S. Hieron. Quæ victoria longe major et nobilior est, quàm si omnes trucidarent. Quid enim mirabilius, quid generosius quàm inimicos occidere, eosque facere amicos; infideles occidere, et facere fideles; impios pios, incestos castos, ebrios sobrios? etc. Hic sensus planior est. Nam de Jacob immediate præcessit: *Et erunt reliquiæ Jacob in Gentibus*, etc. Et de eodem sequitur: *Auferam equos tuos de medio tuî.* Hic tamen sensus cum priori coincidit. Exaltatio enim Christi est exaltatio Israelis, id est Ecclesiæ, et vice versa.

10. AUFERAM EQUOS TUOS DE MEDIO TUI.] Pergit loqui de Jacob, id est, Apostolis et fidelibus sparsis per Gentes, easque ad Christum convertentibus; hoc est, de Ecclesia Christi, quæ cœpit ex Judæis, crevit ex Gentibus. Unde de Gentibus maxime hîc loquitur, quæ de idololatria et gentilitate convertendæ erat ad Christum et Ecclesiam; nec enim Judæi tempore Christi, imo nec post reditum è Babylone, publice idola coluerunt. Sensus est, q. d. O Jacob, id est, ô Ecclesia, quæ orta es ex Jacob, sed maxime propagata es per Gentes, auferam tibi omnia præsidia; omnia arma, omnes arces et munitiones, quibus antea Christum fidemque Christi oppugnabas, vel illi resistebas; ac nominatim auferam maleficia, divinationes, oracula, idola, eorumque fana et urbes. Hæc enim infideles opponebant fidei et Ecclesiæ, iisque quasi arietibus Ecclesiam impetebant. Hinc secundo, auferam tibi hæc arma, quia dabo tibi plenam pacem, confidentiam et securitatem in Christo, quo nixus secure in eo ejusque præsidio conquiesces, nec confides in armis pristinis, aliisque humanis auxiliis; utpote quæ imbellia et invalida expertus contemnes. Hoc est quod dixit c. 4. 5: *Concident gladios suos in vomeres, et hastas suas in ligones. Et sedebit vir subtus ficum suam.* Tertio, auferam tibi arma, quia faciam ut armis non propages tuos limites, sed cœlesti doctrina, mansuetudine, sanctitate, patientia, morte et martyrio. Ita Arias, Vatabl. et Lyranus.

Mystice S. Hieron. *O Israel*, inquit, *interficiam equos tuos de medio tuî, id est, de principali cordis tui lascivientes impetus, et equorum more ruptis vinculis proruentes; et currus tuos, quibus tibi in vitiis placebas, et peccata peccatis consocians, quasi triumphans in quadrigis ferebaris.*

11. ET AUFERAM MALEFICIA.] Hebr. et Chald. *Succidam maleficos de manu tua;* Chald. *de medio tuî, et præstigiatores non erunt tibi;* succisis enim maleficis et præstigiatoribus, succiduntur maleficia et præstigiæ; sicut succisis hæreticis Ministris et libris, succiditur hæresis. Hebr. malefici vocantur מכשפים *mecassephim*, divini מעוננים *meonenim.* Unde Tigurina vertit, *astrologi. Meonenim* ad verbum sunt oculatores, id est, observatores vel temporum, vel somniorum, vel astrorum, vel avium, aut præstigiatores, qui oculos perstringunt et ludificant, uti dixit Levit. 19. 26; hi enim frequentes erant apud Judæos. Unde Juvenalis, Satyra 6:

Qualiacumque voles, Judæi somnia vendunt.

ET DIVINATIONES NON ERUNT IN TE.] Christus enim deorum, id est dæmonum, oracula sustulit, non tantum apud Christianos, sed et iisdem apud Gentiles silentium imposuit; unde Plutarch. librum edidit de Oraculorum silentio. Et Juvenalis, qui coævus fuit Apostolis, Satyr. 6. asserit Astrologos et Chaldæos à Gentilibus consuli, eo quod dæmones obmutuerint:

Chaldæis sed major erit fiducia; quidquid
Dixerit Astrologus, credant à fonte relatum
Hammonis; quoniam Delphis oracula cessant,
Et genus humanum damnat caligo futuri.

13. ET EVELLAM LUCOS,] in quibus Gentiles erigebant sua idola et fana, ibique celebrabant sacrilega sua sacrificia, festa et convivia. Lucus est nemus arboribus densum; dictus Lucus, non quod ibi sint lumina religionis causa, ut aliqui

volunt, sed per antiphrasin, quod minime luceat; sicut bellum dicitur, quasi minime bellum et bonum. Lucus enim non erat cæduus, religionis, id est superstitionis, causa; nec enim licebat ejus arbores cædere; qui potius manu consitus, religiosus erat, atque vel alicui Deo, vel alicujus hominis cineribus consecratus. Lucus ergo erat sacer. Unde Virgil. 1. Æneid.

Lucus in urbe fuit media, lætissimus umbra.

Ubi Servius: Ubicumque, ait Virgil. lucum ponit, sequitur etiam consecratio, ut:

Luco tum forte parentis
Pilumni, Turnus sacrata in valle sedebat.

Heroum enim animæ dicebantur lucos incolere. Unde Virgil. Æneid. 6:

Nulli certa domus, lucis habitamus opacis.

Hinc Deus lucos, ut superstitiosos et idololatricos, succidi jussit Deuter. 12. 3. et Exodi 34. 13.

Et conteram civitates tuas.] Hebr. עריים arim et civitates et hostes significat. Unde Chald. Arias, Pagnin. et Vatabl. vertunt: *Conteram hostes tuos;* Septuag. tamen, Noster, Tigurina et alii vertunt, *conteram*, vel disperdam *civitates tuas*, idololatricas scilicet, in quibus sunt idola et luci, uti præcessit; quæque idolis sunt consecratæ, uti Dan et Bethel consecratæ erant vitulis aureis, Delphi Apollini, Heliopolis Soli. Aliæ ergo sunt hæ civitates ab illis, de quibus dixit v. 11: *Et perdam civitates terræ tuæ;* ibi enim per *civitates* intelligit munitiones et arces, quibus præsidebant Gentiles, q. d. Auferam tibi munitiones, arma, omniaque præsidia humana, quibus confidere soles, ut uni Deo fidere et inniti discas. Hîc vero civitates diis vel idolis consecratas intelligit. Porro contrivit Deus civitates, cum per Apostolos effecit ut desinerent esse Gentiles, et inciperent esse Christianæ, ut jam viverent Christo; quæ antea vixerant Veneri, Jovi et Baccho, uti dixi v. 9. Pulchre et S. Hieron. *Disperdam*, ait, *civitates terræ tuæ. Non enim ædificasti urbem, quam lætificat impetus fluminis Dei, psalm. 35. et quæ in montibus sita est, et cælestem Jerusalem; sed quam ædificaverat Cain, Genes. 4. Unde et dicuntur civitates terræ, operibus terrenis exstructæ.*

Et faciam in furore et in indignatione ultionem in omnibus gentibus, quæ non audierunt.] Chald. *quæ non receperunt doctrinam legis*, q. d. Eos qui audire, id est, credere et obedire noluerint Evangelio, ulciscar et puniam. Ita Judæos Christi contemptores et homicidas ultus est et ad internecionem delevit per Titum et Vespasianum. Idem fecit subinde variis gentibus, quæ prædicatores Evangelii exploserunt et occiderunt; sed omnibus idipsum faciet in die judicii: *In flamma ignis dantis vindictam iis qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi*, ut ait Apost. 2. Thessal. 1. 8.

Porro Judæi hæc omnia à v. 5. hucusque referunt ad suum Messiam, quem ipsi exspectant in fine mundi; postquam septem quos fingunt et quos volunt pastores, et octo principes homines Assyrium vicerint; tunc enim veniente Christo, Judæos fore in benedictione, robore et gloria, ut quasi leones omnes gentes sternant et subigant. Verum *respondeat carneus Israel*, ait S. Hieron. *quæ tunc de Israel idola auferentur, quæ modo non colit? qui succidentur luci, quos non habet? quæ urbes subruentur, quæ olim subrutæ sunt? qui tollentur arioli, quos cum non habeat, nec habere se glorietur, tamen tanto tempore derelicta est filia Sion, et sedet sine altari, et sine sacerdotibus; et aliis fruges eorum comedentibus, ipsi siccis faucibus, sibi futura promittunt, quæ nesciunt.*

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Redit Propheta a Bethlehem, Christo et apostolis ad sua tempora; ac cum Judæis sui ævi, pathetice nomine Dei disceptat et expostulat : Popule meus, inquit, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi ? Deinde beneficia multa et grandia eis a se collata recenset, ut ostendat eorum summam ingratitudinem, quod a Deo ad idola et scelera desciverint. Mox v. 6. iis postulantibus qua ratione Deum sibi reconciliare possint, respondet v. 8. dicens : Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : utique facere judicium et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo. Tertio, v. 9. horribilem Dei vocem et minas eis intentat, ob eorum iniquas mensuras et pondera, similesque fraudes et dolos, quibus expilabant pauperes : quapropter minatur eis egestatem, excidium, captivitatem et opprobrium. S. Hier. Remig. et Hugo putant Prophetam hæc loqui ad Israel, id est ad decem Tribus, quia v. 16. meminit Amri et Achab regum Israel. Melius Theodor. Vatabl. et Arias censent hæc dici Judæis, sive duabus Tribubus. Videtur enim hæc Propheta vaticinatus sub Ezechia, post excidium decem Tribuum, uti dixi c. 3. 12, cum solæ duæ Tribus in Judæa remanebant.

1. Audite quæ Dominus loquitur : Surge, contende judicio adversum montes, et
audiant colles vocem tuam. 2. Audiant montes judicium Domini, et fortia
fundamenta terræ : quia judicium Domini cum populo suo, et cum Israel
dijudicabitur. 3. Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi ?
responde mihi. 4. Quia eduxi te de terra Ægypti, et de domo servientium
liberavi te : et misi ante faciem tuam Moysen, et Aaron, et Mariam ? 5. Po-
pule meus, memento quæso quid cogitaverit Balach rex Moab ; et quid res-
ponderit ei Balaam filius Beor de Setim usque ad Galgalam, ut cognosceres justitias Domini.
6. Quid dignum offeram Domino ? curvabo genu Deo excelso ? numquid offeram ei holocauto-
mata ,et vitulos anniculos ? 7. Numquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in
multis millibus hircorum pinguium ? numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fruc-
tum ventris mei pro peccato animæ meæ ? 8. Judicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, et quid Do-
minus requirat à te : Utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare
cum Deo tuo. 9. Vox Domini ad civitatem clamat, et salus erit timentibus nomen tuum : Audite,
Tribus, et quis approbabit illud ? 10. Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis, et men-
sura minor iræ plena. 11. Numquid justificabo stateram impiam, et saccelli pondera dolosa ?
12. In quibus divites ejus repleti sunt iniquitate, et habitantes in ea loquebantur mendacium,
et lingua eorum fraudulenta in ore eorum. 13. Et ego ergo cœpi percutere te perditione super
peccatis tuis. 14. Tu comedes, et non saturaberis : et humiliatio tua in medio tui : et apprehen-
des, et non salvabis : et quos salvaveris, in gladium dabo. 15. Tu seminabis, et non metes :
tu calcabis olivam, et non ungeris oleo, et mustum, et non bibes vinum. 16. Et custodisti
præcepta Amri, et omne opus domus Achab, et ambulasti in voluntatibus eorum, ut darem te
in perditionem, et habitantes in ea in sibilum : et opprobrium populi mei portabitis.

1. Audite, ô Judæi, ô Hierosolymitæ, quæ Dominus loquitur ad me Michæam, ut eadem vobis referam et annuntiem. Dicit ergo mihi Deus:

Surge, contende.] Jubet hîc Deus Michææ ut suo nomine contendat et disceptet cum Judæis, eosque de sceleribus arguat. Paret jubenti Deo

Propheta v. 2. dicens : *Audiant montes judicium Domini.* Simili modo contendit Deus cum Israele per Jerem. c. 2. 9. dicens : *Propterea adhuc judicio contendam vobiscum, ait Dominus, et cum filiis vestris disceptabo. Transite ad insulas Cethim,* etc. *et videte si factum est hujuscemodi.*

Contende judicio adversum montes, et audiant colles vocem tuam.] Hebr. *Litiga cum montibus;* Septuag. *Judicare ad montes;* Pagninus : *Ostende judicium montibus.* Unde à Castro censet hìc citari montes tanquam testes, non tanquam reos; rei enim sunt Israelitæ. Verum melius Noster vertit : *Contende judicio adversum montes;* tum quia hebr. ריב *rib,* quando construitur cum את *eth,* quod Latini vertunt, litigare cum aliquo, Hebræis, æque ac Latinis, idem est quod litigare adversus aliquem; tum quia sic majus est orationis pondus et energia, uti jam ostendam. Citantur ergo hìc montes ut rei, eo quod in montibus erecta fuerint et culta idola : licet enim proprie populus sit reus, tamen quia is durus et rebellis nolebat audire Prophetas, et per eos litem et judicium Domini, hinc ad pathos citantur montes, in quibus populus peccaverat, q. d. Vos, ô montes insensibiles, magis sensati estis quàm sensibiles Israelitæ; vos enim sentitis vocem et jussum Dei creatoris vestri, eique obeditis; quem illi non sentiunt. Vos ergo cito, ut incolas vestros, qui rei sunt, repræsentetis; ut ipsi per vos audiant et cognoscant justam meam litem, actionem et querelam, seque reos fateantur, pœniteant, et veniam petant. Est prosopopœia : *montes* enim hìc inducuntur quasi personæ vivæ et rationales; quia ipsi per aras et idola, perque victimarum sanguinem, ossa et cineres quæ in ipsis exstabant, muta sed clara voce loquebantur Judæorum idololatriam et scelera, ac consequenter justam Dei contra eos esse actionem et expostulationem. In hac ergo lite Deus est actor, Judæi cum montibus totaque Judæa sunt rei, præco est Michæas, judices sunt Angeli et homines; imo ipsimet rei, qui audita tam justa Dei beneficentissimi querela, non possunt non ipsi causam adjudicare, et seipsos ingratitudinis condemnare. Ita Theodor. Arias et Clarius. Simili prosopopœia terram Judæorum citat et inclamat Jerem. c. 22. 29 : *Terra,* ait, *terra, terra, audi sermonem Domini.* Et Isaias, c. 1. 2, citat cœlos et terram : *Audite,* inquit, *cœli, et auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est.*

Symbolice, per *montes* et *colles* Propheta intelligit principes et magistratus, qui in populo eminebant, sicut montes in terra, de quibus Habacuc, c. 3. 6 : *Dissolvit Gentes, et contriti sunt montes seculi;* et Psal. 71. 3 : *Suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam.* Iidem sunt *fundamenta terræ;* quia populum sustentant quasi fundamenta. Quocirca rex græce dicitur βασιλευς, quod sit quasi basis populi; et hebr. *adon,* id est dominus, dicitur ab אדן *eden,* id est basis. Ita S. Hieron. Haymo, Remig. Lyran. et Vatablus. Huc pertinet versio Chaldæi, qui per *montes* intelligit patres, per *colles* matres Judæorum : *Contende,* inquit, *cum patribus, et audiant matres vocem tuam.* Unde S. Hieron. per *montes* accipit Abraham, Isaac, Jacob, et viros sanctos, qui posteris debuerant esse regula vitæ, et stimulus virtutis, ut appareat quàm hi ab illis fuerint degeneres, quos in hoc judicio parentum pietas et religio condemnant. Quocirca viri sapientes docent nihil esse quod magis desidiam excutiat, stimulumque det ad omnem virtutem, quàm sibi jugiter ob oculos ponere viros sanctos, præsertim sui status et Ordinis, qui strenuam Deo et virtuti navarunt operam. Id quisque experitur in se, scilicet cum patrum, vel Sanctorum quos colit et amat, heroica facta recogitat, mirifice se ad eadem imitanda excitari : *A bove majori discit arare minor.* Aureum est hac de re præceptum Senecæ, lib. 1. epist. 11 : *Aliquis vir bonus eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus, et omnia tanquam illo vidente faciamus. Hoc, mi Lucili, Epicurus præcepit, custodem nobis et pædagogum dedit; nec immerito. Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. Aliquem habeat animus quem vereatur, cujus auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat. O felicem illum, qui non actus tantum, sed etiam cogitatus emendat! O felicem, qui sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoque ejus se componat atque ordinet! Qui sic aliquem vereri potest, cito erit verendus. Elige itaque Catonem; si hic videtur tibi nimis rigidus, elige remissioris animi virum Lælium; elige eum cujus tibi placuit et vita, et oratio : et ipsius animum ante te ferens et vultum, illum semper tibi ostende, vel custodem, vel exemplum. Opus est, inquam, aliquo ad quem mores nostri seipsi erigant. Nisi ad regulam, prava non corriges.* Ita P. Scipio Africanus jugiter sibi ob oculos ad imitandum proponebat Cyrum Xenophontis, Julius Cæsar Alexandrum Magnum, Selymus Turcarum Imp. Julium Cæsarem. Plato Socratem adeo imitatus est, ut passim, etiam ab Aristotele, vocetur junior Socrates. Nam, ut ait Arist. lib. 9. Ethic. *Accipere virtutes virtuosorum beatissima est vita.* Et Plutarch. in Moral. *Sicut,* ait, *qui se comunt, adhibent speculum; sic gesturus negotium, proponat sibi laudatorum virorum exempla.* Et rursum : *Adversus omnes animi perturbationes, exempla quædam optimorum virorum habenda sunt in promptu.* Denique S. Basil. epist. ad Gregor. de vita solit. Sicut, ait, pictores sæpe inspiciunt exemplaria, ut ea expingant; sic qui studet perfectioni virtutis, debet ad vitas Sanctorum, quasi ad simulacra vita et actione prædita, sæpe animi oculos convertere. Quocirca utilissimum est crebro vitas Sanctorum lectitare. Id fecit S. Dominicus, S. Thomas Aquinas, et alii; ac imprimis S. Ignatius, qui earum lectione à militari vita conversus ad sanctam et spiritualem, fundator Societatis nostræ effectus est.

Mystice S. Hieron. per *montes* accipit Angelos è cœlis ad nostram custodiam deputatos, quasi illi citentur à Deo, ut hominum sibi commissorum, et scelerum quæ ipsi commiserunt, rationem reddant. Verum hoc cum grano salis accipiendum; scilicet ut citentur non tanquam rei, sed tanquam testes operum, quæ homines ipsorum clientes patrarunt. Nam alioqui id sapit errorem Origenis, qui censebat Angelos in hominum custodia mereri et demereri, ut, si bene eos custodierint, à Deo præmientur; si male, puniantur et in gehennam trudantur : ideoque adhuc non esse beatos, sed de sua salute et beatitudine incertos. Similis fuit error Magistri sent. in 2. dist. 11. lit. D. E. et G, ubi docet Angelos per custodiam hominum sedu-

lam, usque ad diem judicii crescere in merito et præmio beatitudinis, non tantum accidentalis, sed et essentialis : quem ibidem refutant omnes Scholastici.

2. Audiant montes judicium Domini :] *judicium* hisce duobus versibus sumitur pro lite judiciali et actione forensi. Unde Tigurina vertit: *Audite, montes, actionem,* id est, ut Vatabl. disceptationem, rixam, controversiam, *Domini :* hæc enim in judicio ab actore agitur coram judice, reo se defendente.

Et fortia fundamenta terræ.] Sept. *Et valles fundamenta terræ.* Sic et Chald. *Et radices,* inquit, *fundamentorum terræ.* Valles enim imæ sunt, quasi montium et terræ radices et fundamenta ; atque Judæi non tantum in montibus, sed et in vallibus habebant suos lucos et idola : tam ergo valles, quàm montes suis sacrilegis sacrificiis contaminabant; unde valles æque ac montes, quasi reæ citantur hìc à Deo. Secundo, per epexegesin *et* posset accipi pro *id est*, q. d. Audite, montes qui fortiter fundati estis in terra, ideoque estis quasi robusta terræ fundamenta. Montes enim quia excelsi, fortia habent in terra fundamenta : perinde ac turres quo celsiores sunt, eo fortiora exigunt fundamenta. Ita Vatabl. Addit à Castro montibus et collibus quasi fundamentis, id est fulcris, terram fulciri. Unde Arias censet eos hìc à Deo citari, potius quàm cœlum et terram ; quia non modo cœlum, quod natura sua est mobile, sed et terram ipsam in medio orbis contentam et permanentem, montes stabilitate et firmitudine vincunt, utpote qui robore, vallo et situ suo terram, ne vel ventorum impetu, vel caloris vi, vel aquarum inundatione dissipetur, contineant. Itaque montes magnæ in rerum natura virtutis et constantiæ nomen obtinent, sicut scriptum est Psal. 64 : *Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia.* Citat ergo hìc Deus montes eorumque fundamenta, id est radices; hisce enim quasi fundamentis ipsi innituntur, ut significet fortem et constantem suam potentiam et beneficentiam, uti in montes, ita et in eorum accolas Judæos, qua tamen ipsi contra Deum abusi sunt ad cultum idolorum : quocirca pariter fortem et constantem hìc eis litem intentat, eo sensu quem paragrapho præcedenti assignavi.

Quia judicium Domini cum populo suo,] id est, ut Tigurina : *Quia lis est Domino cum populo suo,* qui montes eorumque fundamenta accolit, et sceleribus suis polluit, q. d. Paratus est Deus et intentus, ut lite disceptet cum populo suo.

Et cum Israel dijudicabitur,] id est, judicio contendet et disceptabit. Ita Vatablus ; unde Pagninus vertit : *Et cum Israel disputare vult,* non speculative, uti disputamus in scholis, sed criminaliter, uti disputatur in tribunali. Sic Job pro sua innocentia disputabat cum amicis, et cum Deo ; atque amicos vicit, sed à Deo victus est : *Disputare cum Deo cupio,* inquit ipse, c. 13. 3; sed post disputationem, victus et confusus ait, c. 42. 3 : *Insipienter locutus sum, et quæ ultra modum excederent scientiam meam;* nimirum quod ausus sim Deum ad disputationem provocare, eique dicere : *Audi, et ego loquar; interrogabo te, et responde mihi;* unde pœnitens subdit v. 6 : *Idcirco,* inquit, *ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere.* Ita quisque in hora mortis, puta in judicio particulari, disputabit defendetque theses de anima, non specifica, sed individua et sua ; argumentantes erunt dæmones, imo Deus ipse. Studeat ergo quisque bene non speculari, sed vivere, ut argumentis et objectionibus omnibus, quæ de vita bene vel male transacta proponentur, satisfacere possit. Sapienter noster Thomas, lib. 1. de Imit. Christi, c. 3 : *Certe,* ait, *adveniente die judicii non quæretur à nobis quid legimus, sed quid fecimus ; nec quàm bene diximus, sed quàm religiose viximus.* Tunc enim Christus Dominus magistrorum Magister, omnium lectiones audiet, omnes examinabit, cum omnibus disputabit de moribus et vita cujusque. Ita Climachus, in Gradu timoris, refert disputationem Stephani viri sancti cum dæmonibus in agone mortis, in qua aliquando respondebat, aliquando victus succumbebat, ut ingentem horrorem astantibus incuteret. S. Hieron. epist. ad Eustochium, narrat se, cum magis Ciceroni quàm S. Scripturæ addictus esset, raptum ad Christi tribunal, ibique examinatum ab eo ac diverberatum.

3. Popule meus, quid feci tibi?] Hìc incipit judicium, id est lis, actio et accusatio Domini, eaque nervosa et pathetica. Jam primo, Arias hæc legit per notam admirationis, sicque explicat, q. d. Popule meus, quot quantaque bona feci tibi? quanta beneficia in te contuli? quomodo ergo eorum oblivisci, iisque ingratus existere potuisti? Secundo Chaldæus vertit : *Quid boni dixi me facturum tibi, quod non fecerim?* Tertio, alii passim sic explicant. q. d. Quid mali feci tibi? quare te offendi? quam occasionem desciscendi à me tibi dedi? Sequitur enim : Aut quid molestus fui tibi.] Pro quo S. Hieron. in Comment. vertit : *Quo labore te pressi?* Pagninus : *In quo laborare feci te?* Vatabl. *Quanam re fatigavi te,* vel feci te deficere? Chald. *Quam infirmitatem gravem multiplicavi super te?* Proprie enim, ut patet ex sequentibus, respicit miraculum illud ingens et continuum, quo Deus Hebræos quadraginta annis per desertum deduxit sanos et vegetos, ita ut labore itineris non fatigarentur, nullique inter eos essent infirmi vel ægri, juxta illud psalm. 104. 37 : *Et non erat in Tribubus eorum infirmus.* Et Deut. 8. 4. ait Moyses Hebræis : *Vestimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit; et pes tuus non est subtritus : en quadragesimus annus est.* Ita explicat S. Hieron. Remig. Rupertus, Lyranus, Hugo, Dionysius et alii.

Secundo tamen, generatim hæc verba, ut sonant, accipi possunt de qualibet molestia, q. d. Qua in re te afflixi? qua in re tibi molestiam exhibui? An quod in deserto pro cæpis Ægypti, tibi manna plui? at manna non amarum erat, sed gratum et sapidum, habens omnem saporis suavitatem, Sapient. 16. 20 ; erat enim panis cœli et Angelorum, psal. 77. 25. An quod ex Ægypto in desertum te eduxi, et pro domibus in tentoriis, vel potius sub dio habitare te feci? at columna nubis te ab imbre, æstu, omnique aeris intemperie protexi, mitiusque te tractavi, quàm si in aula Pharaonis habitasses? An quod leges tot, tamque varias per Mosem tibi dederim? at qui manna te alui, jure meo potui et leges dare, juxta vetus dictum : *Cum paveris, impera.* Rursum hasce leges exigebat tua pronitas in superstitiones, idololatrias et novitates quaslibet, quæ hisce legibus detinenda, occupanda et frenanda erat; eæque longe suaviores sunt legibus idolorum et Gentium, uti tu expertus es, cum ex earum præscripto filios et

filias tuas idolo Moloch concremasti, etc. Unde Syrus vertit : *Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te* (Arabicus : *Persecutus sum te*), *demonstra mihi;* Arabicus : *Argue me.* Hinc et sequitur:

4. QUIA EDUXI TE DE TERRA ÆGYPTI ?] Nota hæc cum Roman. legenda esse per interrogationem, q. d. Estne hoc quod mihi objicis quasi te afflixerim, quod scilicet te eduxi è terra et servitute Ægypti ? nec enim video aliud quid mihi possis objicere, nisi hoc aliaque similia beneficia, quæ exinde continua et plurima in te contuli : nihil enim mali tibi irrogavi. Esto enim permiserim quandoque te affligi à Philisthæis, Idumæis, aliisque gentibus; tamen id non feci nisi provocatus à te, ad tua scelera castiganda et cohibenda. Hoc ergo bonum tuum fuit, non malum ; ac proinde ego id permisi non ex odio, sed ex amore tuì. Est mycterismus, sive tacita subsannatio. Vide canon. 7. in Procemio operis.

DE DOMO SERVIENTIUM LIBERAVI TE.] Hebr. *De domo servorum;* Sept. et Chald. *De domo servitutis:* ita vocatur Ægyptus; quia talis fuit Hebræis, qui quasi mancipia Ægyptiorum serviebant eis in latere et luto, Exodi 1. et sequent. Addit Arias et Vatabl. Ægyptum vocari Domum servitutis, ex eo quod Ægyptii fuerint servi ; utpote servituti addicti à Noe maledicente filio suo Cham : *Servus servorum erit fratribus suis*, Gen. 9. v. 15. Nam filius Cham fuit Mesraim primus Ægypti incola, paterque et nomenclator Ægyptiorum : nam Ægyptus hebr. vocatur Misraim, q. d. In Ægypto serviebas non nobilibus, non dominis, non ingenuis; sed servis, et olim à primo parente suo Noe servitute damnatis, quibus servire vilissima erat servitus : quanta ergo fuit vilitas, tanta fuit mea in te clementia, cum ex ea te eduxi.

ET MISI ANTE FACIEM TUAM MOYSEN, AARON ET MARIAM ? Hi tres fuere duces et directores Hebræorum egredientium ex Ægypto, per quos Hebræi ingentia acceperunt beneficia. Nam à Mose per desertum deducti, gubernati, et cibo cœlesti pasti sunt : ab Aarone, per sacrificia, lustrationes, expiationes, preces et vota expiati, Deoque reconciliati sunt : à Maria prophetiam, doctrinam et gubernationem feminarum acceperunt. Unde Chald. vertit : *Misi ante te tres Prophetas Mosen, Aaron et Mariam; Mosen ad docendum judiciorum traditionem, Aaron ad expiandum populum, Mariam ad eruditionem feminarum.* Ita S. Hieron. Haymo, Remig. Lyranus et Hugo.

Alleg. Moses repræsentat principatum et legislationem Christi in Evangelio; Aaron ejusdem pontificatum et sacerdotium ; Maria B. Mariam Christiparam et Deiparam. Sicut ergo summum beneficium Judæis à Deo datum assignat hìc Michæas, quod dederit eis Mosen, Aaronem et Mariam ; ita summum Christianorum, totiusque orbis et seculorum omnium beneficium à Deo datum, est Christus et Maria. Sicut enim bonum domus amplæ consistit in strenuo patrefamilias, et sedula matrefamilias ; ita bonum Ecclesiæ consistit in Christo et Maria : quam proinde S. Leo serm. 1. de pass. salutiferam Virginem nuncupat. Et S. Germanus Patriarcha Constantinopol. in orat. de Deipara : Sicut, inquit, continua respiratio non solum est signum vitæ, sed etiam causa ; sic sanctissimum Mariæ nomen, quod in Dei servorum ore assidue versatur, simul argumentum est quod vere vita vivant ; simul etiam hanc ipsam vitam efficit et conservat, omnemque eis lætitiam et opem ad omnia impartitur. Deus ergo in peregrinatione et navigatione hujus vitæ tam obscura et periculosa, dedit nobis Mariam, quasi stellam maris et cynosuram ; quæ iter nostrum dirigat, et ad portum salutis perducat. Et S. Bernard. hom. 2. super Missus est : *Si insurgant*, ait, *venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum; respice stellam, voca Mariam : si jactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, respice stellam, voca Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde ; et ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens, non devias; ipsam rogans, non desperas; ipsam cogitans, non erras : ipsa tenente, non corruis : ipsa protegente, non metuis : ipsa duce, non fatigaris : ipsa propitia, pervenis.* Idem, ser. 1. in Nativit. B. Mariæ : *Altius*, inquit, *intuemini quanto devotionis affectu à nobis Mariam voluerit honorari : ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quæ ascendit deliciis affluens. Hortus plane deliciarum, quem non modo afflaverit veniens, sed et perflaverit superveniens Auster ille divinus; ut undique fluant et effluant aromata ejus, charismata scilicet gratiarum. Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, ubi dies? tolle Mariam, hanc maris stellam; maris utique magni et spatiosi, quid nisi caligo involvens, et umbra mortis, ac densissimæ tenebræ, relinquuntur? Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam hanc veneremur : quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam.*

Quocirca Ecclesia in Parasceve hæc omnia apposite et pathetice Christo adaptat, eaque usurpavit et canit in adoratione et deosculatione crucis; ut quisque Christum crucifixum deosculans putet sibi hæc à Christo dici, quæ ad litteram Judæis dicta sunt : non enim tam Judæi quàm quisque suis peccatis Christum flagellavit, spinis coronavit, et crucifixit. Audi carmen, imo improperium et threnos Christi in cruce petitos ex hoc loco Michææ, et ex Jerem. 11. 16. qui corda saxea emolliant, solvantque in lacrymas; singula enim beneficia Christi, singulis Judæorum in eum maleficiis directe opponunt, ideoque totidem improperia ingratis in faciem ingerunt. Præcentores præeunt singula, chorus deinde totus vice Christi proclamat, iteratque jugiter et inculcat Trisagion ? et : *Popule meus, quid feci tibi*, etc. Sic ergo inchoant bini præcentores : *Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi. Quia eduxi te de terra Ægypti, parasti crucem Salvatori tuo.* Chorus alternatim resp. Αγιος ο Θεος, *sanctus Deus :* Αγιος ισχυρος, *sanctus fortis :* Αγιος αθανατος ελεησον ημας, *sanctus immortalis, miserere nobis.* Rursum præcentores : *Quia eduxi te per desertum quadraginta annis, et manna cibavi te, et introduxi te in terram satis opimam.* Chorus respondet : Αγιος ο Θεος, *sanctus Deus*, etc. Præcentores iterum : *Quid ultra debui facere tibi, et non feci? Ego quidem plantavi te vineam meam speciosissimam, et tu facta es mihi nimis amara; aceto namque sitim meam potasti, et lancea perforasti latus Salvatori tuo.* Chorus respondet :

Ἅγιος ὁ Θεὸς, etc. Urgent præcentores : *Ego propter te flagellavi Ægyptum cum primogenitis suis, et tu me flagellatum tradidisti.* Chorus respondet : *Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi.* Pergunt præcentores : *Ego eduxi te de Ægypto, demerso Pharaone in mare Rubrum, et tu me tradidisti principibus sacerdotum.* Chorus respondet : *Popule meus, quid feci tibi,* etc. Prosequuntur querelam præcentores : *Ego ante te aperui mare, et tu aperuisti lancea latus meum.* Chorus respondet : *Popule meus, quid feci tibi ?* Instant præcentores : *Ego ante te præivi in columna nubis, et tu me duxisti ad prætorium Pilati.* Chorus respondet : *Popule meus,* etc. Rursum præcentores : *Ego te pavi manna per desertum, et tu me cecidisti alapis et flagellis.* Chorus respondet : *Popule meus,* etc. Iterum præcentores : *Ego te potavi aqua salutis de petra, et tu me potasti felle et aceto.* Chorus respondet : *Popule meus,* etc. Adhæc præcentores : *Ego propter te Chananæorum reges percussi, et tu percussisti arundine caput meum.* Chorus respondet : *Popule meus,* etc. Denique præcentores : *Ego te exaltavi magna virtute, et tu suspendisti me in patibulo crucis.* Chorus respondet : *Popule meus, quid feci tibi?* etc. Ac mox una voce conclamant : *Crucem tuam adoramus, Domine, et sanctam resurrectionem tuam laudamus, et glorificamus. Ecce enim propter lignum venit gaudium in universo mundo.* Quocirca S. Ambros. in psal. 50. ad illud : *Et vincas cum judicaris*, urgens hæc Michææ verba : *Singula,* ait, *in conspectu tuo locat beneficia sua, ut tanquam de his judices quæ servare debueras, quo magis reus fias, qui divinis non potueris stare beneficiis. Quid feci, inquit, tibi? Tanquam reum se constituit, et te judicem. Aut quid contristavi te? Offensi vultus non abnuit crimen, si tu Deo es contristatus auctore. Aut quid molestus tibi fui? Interpellationis injuriam confitetur, si molestior æstimata est : addit beneficia, quorum gratiam non erubuit, qui existebat ingratus.* Hinc collige quàm justa et gravis erit querela Dei in die judicii contra impios, qui vocantem aspernati sunt, et tot ejus beneficiis tanta maleficia reddiderunt. Similis expostulatio acris, reprobis à Christo judice intentanda in die judicii, exstat apud S. August. (vel quisquis est auctor; non enim videtur esse S. August.) tract. de Vanitate seculi, cap. 3. tom. 9.

Popule meus, memento quid cogitaverit] (hebr. יָעַץ *iaats*, id est, consultarit cum suis principibus, et maxime cum Balaam ariolo, quærens ab eo consilium modumque quo te interimeret et perderet) Balach rex Moab, et quid (consultus ab eo) responderit et Balaam filius Beor, de Setim usque ad Galgalam.] Pro *Setim* Septuag. vertunt σχινων, id est *lentiscis :* perperam enim in iis legitur σχοινων, id est *funiculis*, ait S. Hieron. Refricat hìc historiam Balac vocantis Balaam, ut malediceret Israeli castrametanti in Setim, Num. 22. et sequent. Ex Setim Josue, c. 2. 1, misit exploratores in Jericho, ac mox transmisso Jordane, eam obsedit et cepit : Setim enim à Jordane distabat septem milliaribus Italicis cum dimidio, id est, duabus leucis Gallicis cum dimidia ; transito Jordane, Josue perrexit in Chananæa ad sex milliaria, id est duas leucas; et prima castra fixit in loco quem vocavit Galgala, id est devolutio, amotio, scilicet præputii et opprobrii Ægyptiorum. Ibi enim circumcidit Hebræos, itaque eos à vita et moribus Ægyptiorum incircumcisorum per circumcisionem amovit, ac in novam gentem legemque, et Ecclesiam sanctam Dei transtulit, Josue 5. 9. Sed quæritur quid sibi velit τὸ *à Setim usque ad Galgalam?*

Primo, aliqui sic exponunt, q. d. Balac petiit à Balaam, ut malediceret castris Israelis, quæ à Setim protendebantur usque ad Galgalam. Ita Remig. Rupertus et Lyran. Verum hoc falsum est. Nam, ut dixi, castra Israel tunc erant in Setim, et distabant à Jordane septem, à Galgala tredecim milliaribus; ac post mortem Mosis, Josue castra traduxit è Setim per Jordanem in Galgalam.

Secundo, S. Hieron. et Haymo exponunt, q. d. Memento, ô Israel, quanta mala contra me sis operatus à tempore quo fornicatus es, et coluisti Beelphegor in Setim, usque ad tempus quo Saul creatus est rex in Galgalis : et ex adverso quot quantaque ego in te bona contulerim; et videbis quàm ego in te beneficus, tu in me maleficus et ingratus fueris. Verum hic sensus nimis remotus est : agitur enim hìc de tempore Mosis, non Saulis.

Tertio, Chald. Vatabl. Arias et Clarius repetunt verbum *memento,* et sic exponunt, q. d. Memento, ô Israel, quanta cura, quot miraculis et portentis ego ex Setim perduxerim te in Galgalam, puta in ipsam Chananæam. Nam, ut alia taceam, miraculose fidi Jordanem, ejusque aquas suspendi et stiti, ut tu per medium ejus alveum sicco pede transires in Galgalam. Verum hæc sententia multa subaudit et supplet, quæ non habentur in textu; nimirum hæc omnia : *Memento quot miraculis te perduxerim.*

Quarto, ego dico plane et simpliciter cum Ribera hæc verba : *De Setim usque ad Galgalam*, connexa esse cum præcedentibus, et ab iis pendere, ut patet ex textu Hebraico, Græco et Latino. Unde sensus est, q. d. Memento quid responderit, quàmque malum consilium Balac regi dederit Balaam, nimirum cum videret se Israeli maledicere non posse, cogique à Deo ad benedicendum, suasit Balac regi ut puellas Moabitides et Madianitides speciosas, quasi vendituras cibos Israeli, in castra submitteret, quæ eum ad fornicationem, et per eam ad idololatriam sollicitarent; sic enim fore ut Israel, deserens Deum, ab eo cujus ope invictus erat vicissim desereretur, itaque à Balac superari et cædi posset. Vide dicta Num. 25. v. 1. et Apocal. 2. 14.

Dices : Hoc consilium dedit Balaam in Setim tantum, non usque ad Galgalam. Nam antequam ex Setim Hebræi pergerent in Galgalam, jussu Dei Josue indixit bellum Madianitis, in quo omnes cum feminis, quæ hoc scandalum Israeli dederant, ipsumque Balaam scandali auctorem occidit, ut patet Num. 31. v. 2. 8. 15. Resp. Verum est Balaam et Madianitides fuisse occisas Israele morante in Setim ; sed tamen ante hoc bellum et cædem, Balaam suasit Balac regi ut puellas tentatrices jam dictas, non tantum in Setim, sed continue à Setim usque ad Galgalam, Israeli submitteret, scilicet usque ad terminos regni sui, donec Israel ex Moab introiret confinem Chananæam, primaque castra figeret in Galgala. Id enim expresse hìc dicitur : volebat enim impius Balaam assecurare regnum Moab

Balac regi, planeque populum Israel perdere; unde longum et continuum voluit esse hoc mulierum scandalum. Metuebat enim ne, si in Setim tantum illud objiceret Israeli, pauci ex eo caperentur; aut, si multi, per Mosen compescerentur, et cogerentur per pœnitentiam cum Deo in gratiam redire, itaque Deus iis reconciliatus, culpam hanc in Balac et Balaam retorqueret, uti fecit : quare suasit ut scandalum hoc daretur continuum à Setim usque ad Galgalam, ut ita continue peccarent Israelitæ, et pœnitere non possent. Idem facit diabolus, dum hominem, post fornicationem unam, invitat ad secundam; post secundam, ad tertiam, quartam, et tandem ad continuum concubinatum; ex quo ob vim et nexum consuetudinis, vix se concubinarii extricare possunt, et de facto paucissimi se extricant. Verum hoc exitiale Balaam consilium discussit Deus per Mosen, suspendendo principes, et occidendo ex populo ob hoc peccatum 24 millia, Num. 25. 9. Nam ut Poeta ait :

Immedicabile vulnus
Ense recidendum, ne pars sincera trahatur.

Ut cognosceres justitias Domini,] id est misericordias Domini, ait S. Hieron. quàm scilicet ergo in te, licet fornicantem, clemens, misericors et beneficus fuerim. Secundo et germanius, *justitias* vocat fidelia promissa et fidelitatem Dei, q. d. Ut cognosceres quàm promissa mea, quibus pollicitus sum te perducere in Chanaan, sint certa et stabilia; quàmque ego in iis servandis et præstandis sim fidelis. Ita Theodor. et Lyran. Tertio, *justitiæ* possunt hìc proprie capi, nimirum pro justa vindicta fornicantium, et justa præmiatione innocentium vel pœnitentium : Deus enim justitiam exercuit in Setim, quando fornicantes occidit, pœnitentes vero vel innocentes servavit, et salvos perduxit in Galgalam, ac nominatim Phinees sacerdoti, qui fornicantes occidit, consignavit pontificatum perpetuum. Vide dicta Numer. 25. 13. Quocirca minus apte Vatablus sic exponit, q. d. Ut cognosceres quàm sit justa mea actio et querela de te.

6. Quid dignum offeram Domino?] Sunt verba populi, puta Israelis pœnitentis. Illum enim hìc loquentem inducit Propheta, et quasi per dialogismum interrogantem quid Deo offerre debeat, ut ei placeat; illumque placet et sibi reconciliet. Id facit, ut interrogationi respondens doceat populum, quid Deo præstare debeat; uti de facto respondens docet v. 8. Ait ergo populus : *Quid dignum offeram Domino? etc.* Septuag. *In quo apprehendam Dominum? suscipiam Deum excelsum?* Chald. *In quo serviam coram Domino? me submittam Deo, cujus in cœlis altissima residet majestas?* Hebr. ad verbum habent: *In quo præoccupabo Dominum, curvabo me Deo celsitudinis?* Tigurina : *Qua re occurram Domino? incurvusne incedam coram Deo excelso?* q. d. Quid offeram Domino, ut ejus gratiam promerear? offeramne holocausta et victimas? Respondet Propheta : Minime : hæc enim peccata non expiant, nec per se placent Domino; sed ita demum placebunt, si offerantur cum fide, humilitate, contritione, amore, et reverentia summæ majestatis, quam peccatis vestris inhonorastis et offendistis. Nota τὸ *curvabo*, q. d. Sufficitne Deo curvare genu, uti faciunt jam nonnulli nobiles et aulici, qui unum duntaxat curvant genu dum orant, aliud erigunt, quasi Deo, ni det quod petunt, restituri, aut gladiis postulaturi, quod precibus impetrare nequeunt.

7. Aut in multis millibus hircorum pinguium.] Hebr. *In multis millibus torrentium olei*, vel *vallium pinguedinis*; Chald. *In myriadibus torrentium olei*; Tigurina : *Numquid placent Deo mille torrentes olei*; Noster cum Septuag. vertunt, *hircos*, vel *capras pingues*. Petes cur? Respond. aliqui primo, quia per valles pingues metonymice et hyperbolice intelliguntur hirci et capræ, quæ illas depascendo, impinguantur, quasi dicas : Numquid offeram Deo valles plenas ovibus pinguissimis? sed quid hæc sunt coram Deo immenso et altissimo?

Secundo, simplicius et planius repetas τὸ *arietum*, quod præcessit; aut potius, ne idem repetas, repete quid simile; puta *hircorum* cum Septuag. et Nostro, q. d. In multis millibus *hircorum*, similiumve pecudum *vallium pinguedinis*, id est, quæ pascuntur in vallibus et pascuis pinguibus, ideoque sunt pingues et ipsæ. Ex adjunctis enim patet hoc substantivum debere suppleri. Præcessit enim : *Numquid offeram ei holocautomata et vitulos anniculos? Numquid placari potest Dominus in millibus arietum?* Ergo pariter hìc arietes vel hirci subaudiri debent. Aliter Clarius et Arias. Nam per torrentes olei accipiunt sacrificium, mincha, id est panis et similæ : hoc enim oleo mixtum et conditum offerebatur Deo.

Numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo?] Numquid Deus à me poscit piaculum et victimam filii, uti ab Abrahamo poposcit jugulationem Isaaci? aut potius sicut Saturnus, Moloch, aliique dii Gentium, quos coluimus, poscunt victimas humanas, filios scilicet et filias, Jerem. 19. 5.

8. Indicabo;] hebr. הגיד *higgid*, id est indicavit, annuntiavit. Unde Chald. et Tertull. lib. 4. contra Marc. c. 36. per interrogationem ita vertunt : *Num annuntiabit tibi, homo, quid bonum sit*, q. d. Minime; sed Dei est idipsum annuntiare. Alii sine interrogatione assertive vertunt : *Annuntiabit tibi, homo, quid bonum sit;* homo hic est Moses, Prophetæ, ac nominatim Michæas. Ita Pagnin. Vatabl. et alii. Unde Septuag. vertunt : *Annuntiatum est tibi, homo, quid bonum sit*, scilicet in lege et Prophetis. Ita Theodoret. Noster pro הגיד *higgid* in præterito, legit alio puncto הַגִּיד *haggid* in infinitivo : infinitivus enim sæpe ponitur pro futuro apud Hebræos, æque ac apud Græcos et Italos : aut forte pro *haggid* legit אגיד *aggid*, id est indicabo? Denique si malis legendum cum aliis *higgid*, id est annuntiavit; subaudi, Deus per me Michæam, quod idem est cum eo quod vertit Interpres : *Indicabo tibi, ô homo.* Hic respondet Propheta populo interroganti: Quid offeram Domino? qua re placabo Deum?

Et quid Dominus requirat a te : utique facere judicium.] Hebr. et Chald. *Et quid Dominus requirit à te, nisi ut facias judicium?* Quæres quodnam sit hoc judicium. Primo, S. Hieronym. Haymo, Remigius et Dionysius, per *judicium* accipiunt discretionem et prudentiam, q. d. Quid Deus poscit à te, nisi ut omnia agas discrete et prudenter, juxta præscriptum legis? Unde Vatablus putat hìc significari tria, et omnia fidelis et Christiani hominis officia, quibus ipse totidem respectibus et debitis suis satisfacit : debet enim recte se gerere et componere erga seipsum, erga proximum, et erga Deum.

Judicium recte componit hominem erga seipsum, misericordia erga proximum, sollicitudo erga Deum : sibi ipsi enim homo debet judicium, ut omnia cum ratione et prudentia agat : proximo misericordiam; Deo sollicitam cum eo ambulationem. Ita S. Bernard. serm. 57. in Cantic. in tribus ponit plenam hominis perfectionem, *ut*, inquit, *sit placens Deo, cautus sibi, utilis proximo.*

Secundo, Theodor. Lyranus et Arias per *judicium* accipiunt justitiam, q. d. Quid Deus requirit à te, nisi ut nulli facias injuriam, sed cuique tribuas quod ex jure et justitia ei debes ?

Tertio, magis apposite et genuine Rupert. per *judicium* accipit satisfactionem pœnitentiæ, q. d. Quid Deus requirit à te, ô peccator, nisi ut prævenias Dei judicium, teque judices antequam ipse te judicet et condemnet, uti jubet Apostolus 1. Corinth. 11. 31 ; Deus enim non quærit oves et boves, sed cor contritum et humiliatum. Age ergo, conscende tribunal rationis tuæ, eò cita voluptatem tuam quasi ream, ejus actus et peccata examina, judica, condemna, ac meritum supplicium et pœnitentiam ei inflige ; ita fiet ut reconcilies tibi Deum offensum, præsertim si huic judicio addas misericordiam et eleemosynam in pauperes. Eleemosyna enim pœnitentiæ dat alas, eamque tollit in cœlum, ait S. Chrysost. hom. 5. de Pœnitent. ac justitiam per pœnitentiam acceptam conservat et adauget. Unde S. August. explicans hæc Michææ verba, serm. 136. de Temp. *Quærebas*, inquit, *quid offerres pro te? offer te ; quid enim Dominus quærit à te, nisi te? Quia in omni creatura terrena nihil melius fecit te. Quærit te à te, quia tu perdideras te.* Ita Æschines, ait Seneca lib. 1. de Benef. c. 8; cum pauper nil haberet quod daret Socrati suo magistro, donavit seipsum, dicens : Alii multum tibi dederunt, sed plus sibi reliquerunt; ego vero nihil mihi reservo. Cui Socrates: *Quidni tu mihi magnum munus dederis, nisi forte parvo te æstimas*? Pergit S. Aug. *Si autem facias quod jussit, invenit in te judicium et justitiam : Judicium primo in teipso, justitiam ad proximum tibi. Quomodo judicium in teipso? Ut displiceas tibi quod eras, et possis esse quod non eras. Judicium, inquam, de te ipso in teipso, sine acceptione personæ tuæ, ut non parcas peccatis tuis, nec ideo tibi placeant, quia tu facis. Nec te laudes in bonis tuis, et Deum accuses in malis tuis. Hoc enim est perversum judicium, et ideo nec judicium, sed vitium.* Et mox : *Vis ergo facere rectum judicium ? corrige præpostera, et rectum erit. Quid est corrige? Deum lauda in bonis tuis, te accusa in malis tuis, etc.* q. d. Puni voluptatem peccati dolore contritionis, gemitibus et voluntariis pœnis : puni superbiam culpæ humilitate et pudore confessionis, qua non tantum homini, sed et sacerdoti illa verecunde et dolenter confiteare.

Quarto, magis ample et plenissime, per *judicium* accipe omne debitum virtutis; puta quidquid debemus proximo, nobis et Deo, sive id debeamus ex justitia, sive ex pœnitentia, sive ex religione, sive ex gratitudine, sive ex charitate, sive ex qua alia virtute; judicium enim opponitur misericordiæ. Sicut ergo misericordia significat opera liberalia charitatis, aliarumque virtutum indebita; ita judicium significat ea quæ debita sunt. Quocirca Scriptura per *judicium* et *misericordiam* solet significare et complecti omne virtutis officium, omneque opus bonum : omne enim vel debitum est, vel indebitum : si debitum, est judicium ; si indebitum, est misericordia. Ita Psal. 100. 1 : *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine;* Psal. 60. 8 : *Misericordiam et veritatem ejus quis requiret ?* Psal. 83. 12 : *Misericordiam et veritatem diligit Deus;* Psal. 84. 11 : *Misericordia et veritas obviaverunt sibi ; veritas* enim idem est quod judicium sive justitia. Unde explicans subdit : *Justitia et pax osculatæ sunt, veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit. Etenim Dominus dabit benignitatem.* Sicut ergo Psaltes omne officium hominis, Psalm. 36. 27, hisce duobus præceptis concludit : *Declina à malo, et fac bonum;* ita Michæas hìc idem totidem, scilicet judicio et misericordia, complectitur, q. d. Si vis reconciliare tibi Deum, eique per omnia placere, fac opera virtutis tam lege præcepta, quàm consulta, puta libera et voluntaria. Favent huic expositioni ea quæ sequuntur : nam mox v. 10. opponet judicio et misericordiæ à se requisitis, injustitiam et immisericordiam Judæorum ; puta iniquas eorum mensuras, fraudes et dolos, q. d. Deus à vobis, ô Judæi, requirit primo, judicium, quia vos ex injustitia corrogatis opes et thesauros per fas et nefas ; secundo, misericordiam, quia vos immisericordes inique opprimitis pauperes ; tertio, sollicitudinem ambulandi cum Deo, quia vos sollicite ambulatis in præceptis Amri, cum ejus Baalim et idolis, uti audiemus v. 16.

Et sollicitum ambulare cum Deo tuo;] Septuag. *Ut paratus sis ambulare cum Domino Deo tuo ;* Syrus : *Ut sis paratus ad eundum post Deum tuum;* Arabicus Alexandrinus : *Ut sis sequens Dominum Deum tuum;* Arabicus Antiochenus : *Sis paratus ut ambules per vestigia Dei tui ;* Chald. *Ut sis humilis ad ambulandum in timore Dei tui;* Theodot. *Et cave diligenter, ut ambules cum Deo tuo ;* Tertullian. lib. 4. contra Marcion. c. 36 : *Et paratum esse sequi Dominum Deum tuum;* quinta Editio : *Sollicite agere;* Tigurina : *Et submissum ambulare cum Deo Tuo;* Pagnin. *Et humiliare te, et ambulare cum Deo tuo.* Hebr. enim צנע *tsana*, uti voce, ita significatione affine est cum כנע *cana*, id est curavit, et per metathesin cum צען *tsaan*, id est volutatus est in terra, vel loco humili : ac denotat provolutionem, demissionem, modestiam, verecundiam et humiliationem animi solliciti, qui ex humilitate et sollicitudine se curvat, contrahit, involvit, et quasi abscondit, ac significat agere tum humiliter et submisse, ut vertit Chald. Vatabl. Pagninus et alii recentiores : tum prompte et sollicite, ut vertit S. Hieronymus, Theodot. Septuag. et quinta Editio. *Tsana* enim etiam alludit ad צנים *tsinnim*, id est spinæ ; et צנינים *tseninim*, id est sudor et lanceæ. Sicut enim hæ corpus aculeo suo, ita sollicitudo suo angore mentem exstimulat ad exacte ambulandum. Sicut ergo pueri ingenui verecunde, submisse, reverenter et sollicite agunt cum parentibus, discipuli cum præceptoribus, famuli cum Pontifice, cum rege, cum principe, dum omnes eorum inclinationes et nutus observant accurate, ut eos illico exsequantur non ambulando, sed currendo, et quasi volando; ac curant ne vel in puncto errent, vel hilum faciant quod regi displiceat : ita prorsus nos solliciti, submissi et supplices ambulare debemus cum Deo. Hoc est quod ait Apostolus Hebr. 12. 28 : *Serviamus placentes Deo cum metu*

græce μετ' αἰδοῦς, id est *cum pudore*) *et reverentia.* Sensus ergo Prophetæ est, q. d. O Hierosolymitæ, ô fideles, sollicite ambulate cum Deo quem offendistis, ut eum vobis reconcilietis supplices et pœnitentes, ejusque gratiam recuperetis, ac recuperatam sollicite conservetis. A Dei enim gratia, salus et omne bonum; ab ejus offensa, gehenna et omnia mala vobis exspectanda sunt.

Porro stimuli ad hanc sollicitam cum Deo ambulationem, sunt varii. Primus, si cogites quàm augusta, sublimis et tremenda sit Dei majestas, in cujus conspectu columnæ cœli, Seraphim et Cherubim contremiscunt; rursum quàm ipsa sollicita sit tuî. Nam, ut ait S. August. in Meditat. cap. 10 : *Nil aliud agit Deus, nisi ut meæ saluti provideat; et ideo totum ad meî custodiam occupatum video, quasi omnium oblitus sit, et mihi soli vacare velit : semper præsentem mihi se exhibet Deus, semper paratum offert, quocumque me verto, me non deserit : ubicumque fuero, non recedit : quidquid egero, pariter assistit ; et cunctis tandem actionibus meis perpetuus inspector ; et, quantum ad bonitatem suam pertinet, quasi individuus cooperator assistit.* Et alibi : *Deus,* ait, *unumquemque nostrûm sic curat, quasi solum curet.* Verius et plenius id experiuntur Sancti, præsertim qui se totos Dei obsequio dedunt et consecrant. Unde sponsa Canticor. 2 : *Dilectus,* inquit, *meus mihi,* scilicet totus intendit, *et ego illi,* supple tota intendo, uti explicat S. Bernard. serm. 68. in Cantic. qui et admirans hanc Dei dignationem, exclamat : *O quid audet cor purum, et conscientia bona, et fides non ficta! Mihi,* inquit, *intendit. Itane huic intenta est illa majestas, cui gubernatio pariter et administratio universitatis incumbit? et cura seculorum ad sola transfertur negotia, imo otia, amoris et desiderii hujus? Ita plane.* Et mox : *Ergo providentiam* (Dei) *cæteris creaturis non negamus : curam sponsa vindicat sibi,* juxta illud S. Petri epist. 1. c. 5 : *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Et illud Psalm. 39 : *Dominus sollicitus est meî.* Et paulo post : *Ille mihi, et ego illi. Ille mihi, quia benignus et misericors est : ego illi, quia non sum ingrata. Ille mihi gratiam ex gratia, ego illi gratiam pro gratia. Ille meæ liberationi, ego illius honori. Ille saluti meæ, ego illius voluntati. Ille mihi et non alteri, quoniam una sum columba ejus; ego illi, et non alteri.* Idem, serm. 2. de Pentecoste : *Vides,* ait, *quàm verum dixerit ille qui dixit : Dominus sollicitus est meî. Pater, ut servum redimat, Filio non parcit; Filius seipsum libentissime tradit : Spiritum Sanctum uterque mittit; et ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. O duri, et indurati, et obdurati filii Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amor, qui pro vilibus sarcinulis tam pretiosas merces expendit!* Et mox : *Quid ergo à te quærit, qui tanta sollicitudine te quæsivit, nisi te sollicitum ambulare cum Deo tuo? Hanc sollicitudinem non facit nisi Spiritus Sanctus, qui scrutatur profunda pectorum nostrorum, discretor cogitationum et intentionum cordis : qui nec minimam paleam intra cordis quod possidet habitaculum patitur residere, sed statim igne subtilissimæ circumspectionis exurit, Spiritus dulcis et suavis.*

Secundus, si cogites quàm exacte et sollicite illa majestas à nobis, utpote vermiculis, sibi serviri velit; quàm accurate velit sua jussa à nobis servari : *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis,* ait Psaltes Psal. 118. 4. Nam, ut ait S. Aug. epist. 58. ad Bonifacium : *Docuit eos sollicitudo, quos negligentes securitas fecerat.*

Tertius, si cogites peccata tua præterita, ac periculum præsentium et futurorum : *De propitiato peccato noli esse sine metu,* ait Eccles. cap. 5. 5. In præsenti et futuro inter spinas et sentes curarum et molestiarum incedis et incedes ; sollicite ergo fige pedem, ne pungaris vel offendas : *Cum metu et tremore vestram salutem operamini,* ait Apostolus Philip. 2. 12. Vide ibi dicta.

Quartus, si cogites te hîc in agone versari, ac habere hostes acerrimos, qui te ubique observant, ut supplantent, et à Deo avertant; unde S. Hieronymus ad Eustoch. de custod. virgin. *Nolo,* ait, *tibi venire superbiam de proposito* (virginitatis); *onusta incedis auro, latro tibi vitandus est : stadium est hæc vita mortalibus : hîc contendimus, ut alibi coronemur. Nemo inter serpentes et scorpiones securus ingreditur. Et inebriatus est, inquit Dominus, gladius meus in cœlo, et tu pacem arbitraris in terra, quæ tribulos generat et spinas, quam serpens comedit? Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus et potestates mundi, etc. Magnis inimicorum circumdamur agminibus, et hostium plena sunt omnia : caro fragilis et cinis futura post modicum, pugnat sola cum pluribus. Cum autem fuerit dissoluta, et venerit princeps mundi hujus, et invenerit in ea nihil, tunc secura audies per Prophetam : Non timebis à timore nocturno, etc.* Oportet ergo te sollicite ambulare cum Deo tuo, *ut nunquam securus sis, ut omni observantia custodias cor tuum, ut consideres quoniam in medio laqueorum ambules, et sub murorum pinnis ingrediaris, ut illud quotidie mediteris : Juxta iter scandalum posuerunt mihi,* ait idem S. Hieron. lib. 2. contra Pelag.

Quintus, si cogites omne bonum tuum à Deo pendere, teque esse Dei mendicum. Sicut ergo Venetiis, et alibi, quicumque ambiunt officium aliquod, Senatores omnes euntes in curiam prensant, seque iis nudo capite, genua totumque corpus profunde curvando, orando et obsecrando, supplices commendant; et sicut mendici contrahendo scapulas humillime supplicant et emendicant stipem; ita prorsus et multo magis nos docet supplices ambulare cum Deo, eumque humillima sollicitudine prensare, ut ab eo in tot malis, opem, gratiam et salutem æternam adipiscamur. Præclare S. Cyprianus, tract. de Zelo in fine : *Cogita,* ait, *sub oculis Dei nos stare, spectante ac judicante ipso conversationis ac vitæ nostræ curricula decurrere; pervenire nos tunc demum posse ut eum videre contingat, si ipsum nunc videntem delectemus actibus nostris, si nos dignos gratia ejus et indulgentia præbeamus, si placituri semper in regno in hoc mundo ante placeamus.* Et S. Hieron. in Epitaph. Fabiolæ : *Celata,* ait, *virtus et conscientiæ tuta secreto, Deum solum judicem respicit.*

Sextus, si cogites illud Mosis Deut. 4. 24. et S. Pauli Hebr. 12. 29 : *Deus noster ignis consumens est;* vidisti quanta cura et sollicitudine auri fabri liquant aurum, ferrarii ferrum, ærarii æs, ac præsertim ii qui fundunt campanas et tormenta bellica : si enim minimum aberrent,

ab igne vel metallo liquato afflantur et enecantur. Magis sollicite cum Deo versandum est, ne igne et fulmine nos afflet, et deturbet in tartara. Qui ambulat cum leone, licet ejus sit ductor et nutritor, sollicite omnes ejus motus et nutus observat, ne eum offendat, ut ipse ira correptus comitem suum laniet. Deus est leo : *Leo rugiet, quis non timebit?* ait Amos, c. 3. 8.

Ita sollicitus cum Deo ambulabat Job, dicens cap. 9. 28 : *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti ;* et cap. 31. 23 : *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus ejus ferre non potui.* Et Tobias moriens, hoc quasi testamentum dat filio cap. 4. 6 : *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, et cave ne aliquando peccato consentias, et prætermittas præcepta Domini Dei nostri;* et David Psal. 118. v. 10 : *In toto corde meo exquisivi te;* et v. 57 : *Portio mea, Domine, dixi, custodire legem tuam;* et v. 123 : *Oculi mei defecerunt in salutare tuum, et in eloquium justitiæ tuæ;* et v. 168 : *Servavi mandata tua, et testimonia tua ; quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.*

Hanc sollicitudinem timendi et serviendi Deo Moses moriturus inculcat Hebræis toto Deuteronomio, ac maxime in cygnæo illo cantico, cap. 32. Quin et S. Paulus 1. Corinth. 9. 16 : *Væ mihi est,* inquit, *si non evangelizavero!* Et v. 24 : *Nescitis quod ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium ; sic currite ut comprehendatis. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum : sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

Ita S. Cæcilia sollicite ambulabat cum Angelo suo custode, et cum Deo; tota vacans orationi, jejunio, cilicio ac conversioni animarum. Unde Valerianum sponsum, Tiburtium, Maximum et alios plurimos non tantum Christianos, sed et Martyres effecit, ac victimas Deo obtulit, ut merito de ea canat Ecclesia : *Cæcilia tibi, Domine, quasi apis argumentosa deservit.* Sicut ergo apes sollicitæ sunt ut colligant fundantque mel et ceram, ita Cæcilia sollicita fuit, ut suam aliorumque animas Deo offerret. Illam imitentur Christiani, qui solliciti cum Deo ambulare satagunt.

Ita B. Aloisius Gonzaga sollicite ambulavit cum Deo, dum in aulis regum et principum variorum degens, illæsum se ab omni crimine conservavit, ita ut per omnem vitam nunquam mortaliter, vix venialiter peccare sit visus : dum adeo sensibus suis invigilavit, corpusque maceravit, ut nunquam stimulos carnis senserit : dum in oratione ita attente et reverenter versatus est, ut nullam distractionem senserit. Quocirca miranti Cardinali Bellarmino, ac qui id fieri posset roganti respondit *mirari se potius qua ratione aliquis in oratione distrahi posset, dum cogitat se in præsentia tantæ majestatis consistere, ac cum Deo colloqui.* Ita habet ejus Vita, quam stricte examinantes Auditores Rotæ in Processu Canonizationis ejusdem, eidem titulum *Angelici* indidere, quod quasi Angelus coram Deo jugiter versaretur.

Jam vero hæc sollicitudo ambulandi cum Deo, non ad solos Religiosos vel Ecclesiasticos, sed et ad laicos, conjugatus, omnesque homines pertinet. Nec enim in sola oratione et collocutione cum Deo, sed in omni prorsus actione requiritur : nimirum ut omnia opera nostra, etiam corporalia et secularia, quantumvis levia et parvi momenti, faciamus sollicite, exacte et perfecte, juxta legem et voluntatem Dei, ut illi placeamus magis, magisque eum oblectemus. Hoc est quod jubet Eccles. cap. 33. 23 : *In omnibus,* inquit, *operibus tuis præcellens esto.* Deo enim gratior est actio in se levior et vilior, facta excellenter, quàm excellens in se, facta mediocriter, vel obiter et leviter. Deus enim non considerat quantum, sed ex quanto, nec quid facias, sed ex quanta virtute id facias.

Quocirca in omni opere, etiam minimo, sollicitos nos esse oportet, ut illud faciamus quàm optime, ut Deo sit gratissimum. Modum id faciendi assignat noster Ludov. de Ponte, tom. 2. de Perfect. tract. 4. cap. 15, ubi regulas quasdam perfecte vivendi in quolibet statu et officio, valde utiles et practicas assignat ; nimirum si cuilibet operi, etiam vili, addamus sex alas Seraphim Isaiæ 6. 2, quibus à terra exaltetur in cœlum. Prima ala est memoria præsentiæ Dei ubique existentis, et quid cogites, loquaris, aut facias attendentis, imo inspicientis. Secunda, pura majoris gloriæ Dei intentio; studendo in omnibus quæ facis illi placere ejusque divinam voluntatem sollicite semper exsequi, eo quod sit summe bonus ipsaque bonitas per essentiam. Tertia, oratio quæ tuis operibus det initium, eaque comitetur petendo divinum auxilium, ut cum ea cura et perfectione quam ipse præcipit et consulit, ea exsequaris. Quarta, fiducia in Deum, à quo omne bonum tuum dependet, de cujus omnipotentia speres, quod adjuvabit tuam imbecillitatem : de ejus misericordia, quod compatietur tuæ miseriæ; de fidelitate, quod in tuis tentationibus et periculis te proteget ; de providentia, quod te in omnibus viis tuis deducet, et hinc duæ ultimæ alæ oriuntur, nimirum : Quinta, fortitudo scilicet in arduis rebus aggrediendis, abjecto omni difficultatem metu : Sexta, perseverantia usque ad finem operum inchoatorum, tolerando patienter occurrentes quascumque molestias. Nam, ut Isaias ait c. 40. 31 : *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem,* recentem scilicet, aliamque præstantiorem induentes : *Assument pennas sicut aquilæ,* ut spiritu volent, suaque opera à terra ad cœlum extollant : *Current, et non laborabunt,* propter delectationem qua Deus illorum corda dilatat, juxta illud Psaltis Psal. 118. 32 : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum, ambulabunt, et non deficient ;* sed perseverabunt in sollicitudine, et operibus obsequii ejus, donec gloriæ coronam obtineant.

Ambulare cum Deo tuo,] id est, Deo per omnia adhærere, eum ubique præ oculis habere, illius jussa, voluntatem et nutum exacte observare et explere, illi per omnia placere et satisfacere. Sic Henoch et Noe quasi fideles servi, imo amici et filii, dicuntur ambulasse cum Deo, Genes. c. 5. 22. et c. 6. 9. Vide ibi dicta. Præclare Seneca in Sapiente, et libr. de Tranquil. *Si,* inquit, *hominem videris interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter adversa felicem, in mediis tempestatibus placidum, ex superiore loco homines videntem, ex æquo Deos, non subibit te veneratio ejus? Nonne dices : Ista res major est altiorque, quàm ut credi similis huic, in quo est corpusculo, possit?* Hoc acquirit homo orando et conversando cum Deo. Quocirca hoc debet esse opus, hæc

occupatio jugis viri religiosi, et tendentis ad perfectionem, nimirum familiarem esse Deo, cum eoque ambulare. Audi S. Dionysium de Eccles. Hierarc. cap. 6 : *Religiosi est unum ipsum ambire, et ad sacram monadem cogi*, juxta illud Christi : *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium, Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Hinc Climachus, cap. 1 : *Monachus*, ait, *est qui semper habet spiritum elevatum in Deum, et orat in omni loco, tempore et negotio.* Et S. Chrysostom. libr. 1. de Orando Deum : *Oratio*, ait, *est anima et spiritus vitæ religiosæ et perfectæ.* Et S. Bonavent. opusc. de Perfectione vitæ, cap. 5, docet Religiosum non frequentantem orationem, gestare animam mortuam in corpore vivente; aut esse sicut corpus sine anima, habens id quod externum est in religione, absque eo quod internum est. Idem : *Languida*, ait, *et infirma est religio, quæ non multum habet orationis.* Quin et Jamblicus Philosoph. Protrept. c. 1 : *Sapere*, ait, *et contemplari virtutis est opus.* Idem c. 3 : *Dei cognitio* (et contemplatio) *est perfecta felicitas.* Et Livius, Dec. 1. l. 5 : *Omnia*, ait, *prospera eveniunt sequentibus deos, adversa spernentibus.* Et Seneca, epist. 103 : *Magnus*, ait, *et generosus est humanus animus, nullos sibi poni nisi communes cum diis terminos patitur.*

9. Vox Domini ad civitatem clamat :] vel ad Samariam, uti vult Remigius et Hugo; vel potius ad Jerusalem : de ea enim continuo agit à cap. 3. v. 9. usque ad finem libri, uti ibi dixi. Ita S. Hieronym. Haymo, Rupert. Vatabl. et alii, q. d. Deus per me Michæam aliosque Prophetas iterum iterumque clamat adversus Jerusalem, eique ob scelera minatur excidium et incendium. Videtur enim hìc Propheta novam ordiri, vel potius veterem innovare litem Dei contra Jerusalem, ejusque rapinas et injustitias in proximos accusare et plectere. Unde Hebræi hìc inchoant novum caput. Ita S. Hieronym. Theod. et alii jam citati. Pro *civitate* hebr. est לעיר *lair;* pro quo aliqui legunt להעיר *lehair*, id est *ad excitandum*, q. d. Deus tubali voce per me inclamat, ut torpentes et dormientes Judæos à somno peccatorum excitet, et ad sollicitudinem ambulandi cum Deo incitet.

Et salus erit timentibus nomen tuum,] q. d. Hæc est vox Domini qua clamat ad Jerusalem : Salvi erunt qui Deum timuerint, cæteri enim peribunt. Aut simplicius, ut sint verba Prophetæ, quasi per dialogismum interloquentis, et populo commendantis vocem Dei, ut populus eam avide audiat et excipiat, q. d. O Hierosolymitæ, audite hanc vocem Dei quam subjungam : qui enim eam audierint, indeque Deum timuerint et coluerint, hi salvabuntur; cæteri omnes fame, gladio et bello peribunt. Legit Interpres תשעה יראי *tescua ierae*, et recte : nam sic quoque legerunt Septuag. vertunt enim : *Et salvavit timentes nomen ejus ;* hæcque versio congruum habet sensum. Jam legunt תושיה יראה *tuscia iire*, id est, *sapientia videbit nomen tuum*, id est, ut Tigurina et Vatabl. *Qui sapientia et ratione præditus est, videbit nomen tuum*, q. d. Clamant quidem Prophetæ; at soli sapientes recipiunt prædicationem eorum, vel habent rationem honoris nominis Dei. Chaldæus medius est, nam legit *tuscia* cum recentioribus, et *ierae* cum Septuag. et S. Hieron. Unde vertit : Sapientes, sive *doctores timent nomen Domini.*

Audite, Tribus, et (id est, *sed*) quis approbabit illud?] *Tribus* hebr. est singularis numeri, q. d. Audite, ô viri Tribus Juda, vocem Dei clamantis per me; sed quis eam approbabit, q. d. Scio fore paucos qui illam approbabunt et exsequentur, ut faciant quod dicam et vociferabor nomine Dei. Ita S. Hieron. Aut, ut Rupert. q. d Audite, ô Tribus, opus vestrum quod nunc in judicio Dei arguitur, quod nemo probus approbabit, vel nemo nisi improbus approbabit : cum adhuc domus vestræ plenæ sint rapinis, dolis et fraudibus, ideoque clament vestrum opus esse pessimum. Pro *Tribus* hebr. est מטה *matte*, quod proprie virgam vel sceptrum, inde, per metaphoram Tribum significat : quia sicut ex una arbore multæ virgæ exscinduntur; sic ex uno patriarcha multæ Tribus progenerantur et descendunt, uti ex Jacob prognatæ sunt duodecim Tribus Israel : aut quia quælibet Tribus suum habebat sceptrum. Unde Tigurina vertit : *Audite virgam, et qui eam decernit*, q. d. Videte quæ flagella vobis immineant, et à quo, puta Deo terribili et omnipotente. Ita Vatabl. Vox *matte*, id est *Tribus*, in singulari significat sermonem esse ad unam Tribum, puta ad Juda et Jerusalem, non ad Samariam et decem Tribus, uti vult Rupert. et alii.

10. Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis.] Pro *ignis* in Hebr. est triplex lectio. Primo enim aliqui legunt האיש *hais*, id est, *estne vir.* Unde vertunt : *Estne adhuc* (post tot Dei voces et minas) *vir, qui in domo impia retinere audeat thesauros iniquitatis?* Secundo, alii legunt היש *haies*, id est, *estne.* Unde vertunt : *Adhuc est domus impii? thesauri et mensuræ iniquitatis?* Ita Chald. aut, ut Tigurina et Pagnin. *Annon adhuc est thesaurus impius in domo impii?* Tertio, alii legunt האש *haes*, id est, *ignis.* Ita Noster, Septuag. et alii, q. d. Judæi post tot Dei per Prophetas clamores, minas et monita, adhuc retinent opes et thesauros injuste partos; qui proinde eis erunt *ignis*, id est, in ultionem et pœnam eorum vertentur, ut concrementur domus plenæ opibus injuste partis, à Chaldæis incendentibus Jerusalem. Simili modo adhuc in domo impii est *mensura* justo *minor*, ideoque *iræ plena ;* quia quod illi in pondere deest, hoc supplebitur et implebitur ira et vindicta Dei. Sæpe Prophetæ arguunt Judæos de stateris dolosis et mensuris injustis, imo duplicibus : nimirum quod, cum quid emerent, illud mensurarent mensura æquo majore; cum venderent, idipsum mensurarent mensura justo minore : quod vitium etiamnum apud institores, præsertim tenuiores, crebrum est.

Nota : Hæ mensuræ injustæ et thesauri iniqui inde comparati per appositionem vocantur hìc *ignis;* quia prodeunt ex igne cupiditatis, puta ex animo avarorum lucri cupido, ut per fas et nefas ditescant: ac desinent in ignem ultionis, puta in acrem Dei vindictam ignemque gehennæ, juxta illud Isaiæ 51. 11 : *Ecce vos omnes accendentes ignem accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis.* Vide ibi dicta. Rursum aliqui legunt hæc per interrogationem, q. d. Hane ignis cupiditatis (puta thesauri iniquitatis et mensura minor) contra quem nos Prophetæ toties detonavimus, quemque minis nostris exstinximus, rursum accenditur, reviviscit, et inardescit? Verum Romana, Plantina et alia correctiora Biblia legunt asser-

tive sine interrogatione. Denique hos thesauros et mensuras iniquitatis opponit judicio, id est justitiæ et misericordiæ, quæ duo ab eis requisivit Deus v. 8. Unde Syrus vertit : *Adhuc ignis in domo impii, et* (id est, scilicet) *repositoria iniquitatis, et mensura parva fraudis;* et Arabicus : *Numquid non species* (pulchritudo) *hujus civitatis in ignem? quia congregavit sibi repositoria de iniquitate, et oppressione in agris.*

11. Numquid justificabo stateram impiam et sacculi (sacculi, in quo continentur et circumferuntur) pondera dolosa,] q. d. Egone Deus, qui sum justissimus, *justificabo*, id est, justam habebo et declarabo, aut certe dissimulabo et impunitam relinquam stateram injustam, q. d. Minime : est metonymia; per stateram enim intelligit ipsos mercatores, qui injusta statera appendunt suas merces. Unde Sept. clare vertunt : *Si justificabitur in statera iniquus?* et Chald. *Numquid justi habebuntur in stateris iniquitatis, et in sacculo in quo sunt pondera majora et minima?* Et Tigurina pro hebr. אזכה *azacce*, id est, justificabo, legens aliis punctis אזכה *azucce*, vertit : *Numquid* (ego mercator) *mundus ero* et innocens coram Deo *cum bilance iniqua, et cum sacculo in quo sunt lapides fraudulenti?* q. d. Non. Nam id severe vetuit Deus, Deuter. 25. 13. dicens : *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus et minus.*

12. Loquebantur mendacium,] asserentes bilances et mensuras suas esse æquas et justas, cum essent iniquæ et injustæ : item merces esse incorruptas, recentes et sine vitio, cum essent corruptæ, antiquæ et vitiosæ : *Veritas* enim *paupertatem, mendacium divitias parit*, ait S. Hier. Quocirca :

13 et 14. Ego coepi percutere te, et pergam, acri perditione et plaga. Hebr. *Ego infirmavi et ægrotare te feci;* Tigurina : *Ego te infirmabo*, vel ægrotum te reddam, *cædendo et devastando propter peccata tua*, q. d. Puniam te penuria et fame, ex qua morbum contrahas et ægrotes. Nam tu comedes, et non saturaberis,] q. d. In obsidione et captivitate ita parce comedes, ut non satureris. Est hæc congrua pœna, ut qui malis artibus locupletati sunt, depauperentur, fameant, mendicent, ægrotent.

Et humiliatio tua in medio tui.] Primo, q. d. Afflictio tua, ô Jerusalem, erit intra te, cum obsideberis ab hoste Chaldæo. Ita Lyran. Rursum in medio opum et deliciarum tuarum, cum tibi videberis esse felix, fies repente miserrima; nam capieris et spoliaberis ab hoste. Ita Arias.

Secundo, q. d. *Humiliatio*, id est, causa et culpa humiliationis et afflictionis tuæ, est intra te, nimirum peccata et scelera tua, q. d. Tuas ærumnas tibi tuisque sceleribus imputa, non hostibus. Hoc est quod ait Osee, c. 13. 9 : *Perditio tua, Israel, tantummodo in me auxilium tuum.*

Tertio, valde congrue et connexe Chald. Hebr. Pagnin. et Vatabl. hæc referunt ad præcedentia, ut his omnibus significetur fames, macies, squalor, indeque sterilitas et orbitas filiorum. Unde vertunt : *Comedes, et non saturaberis; depressio erit in medio tuî*, id est, venter tuus olim cibo tumidus et turgidus, præ fame et inanitate deprimetur, seque contrahet et coarctabit : inde fiet quod apprehendet, supple semen tuum, uxor tua, id est, suscepto semine concipiet, nec enitetur vivum, sed abortiet : *Quod si enixa fuerit, tradam gladio* hostium, q. d. Ex fame sequetur debilitas virtutis generativæ, ex ea abortus ; quod si qui tibi filii nati fuerint, illos tradam necandos Chaldæis.

Tropol. S. Bernard. epist. 87 : *Humilitas*, ait, *ad quam utique ducit humiliatio, totius est spiritualis fabricæ fundamentum. Siquidem humiliatio via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis.*

15. Tu seminabis, et non metes;] sed Chaldæi hostes tui demetent tuam messem, tuasque vineas vindemiabunt, et oliveta excutient; atque oleum et mustum quod expressisti, vel in vineis, vel in urbe diripient, q. d. Sicut proximos tuos fraudasti labore proprio, ita et tuo fraudaberis. Ita Vatabl. Hîc verum est illud Chilonis : *Lucrum scelere partum damnum est, non lucrum.* Ita Laert. lib. 1. c. 4. Et illud Diogenis : *Quid sunt divitiæ? fortunæ vomitus.* Testis est Stobæus, serm. 91. Impius enim evomet opes injuste partas : hæ enim stomachum, id est, conscientiam ejus, ita onerant, ut eas evomere cogatur, juxta illud Job 20. 25 : *Divitias quas devoravit evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus.* Nota : Solent Prophetæ per arationem, sementem, messem significare rerum omnium affluentiam. Nam, ut sapienter ait Xenophon in Œconom. *Artium cæterarum parens et nutrix est agricultura; quando bene agitur cum ea, omnes aliæ artes vigent*, multique sunt qui eas excitant et urgent.

16. Et custodisti præcepta Amri.] Amri fuit rex impius Israel, pater Achab, qui cum filio idololatriam antea sæpe in regibus impiis à Deo succisam renovavit et amplificavit in Samaria, 3. Reg. 16. Unde S. Hieronym. ejusque asseclæ opinantur hîc Prophetam loqui decem Tribubus: harum enim rex erat Amri. Verum dico eum loqui duabus tantum, puta Judæis. Sensus enim est, q. d. Tu, ô Jerusalem, quæ per templum Deo vero eras consecrata, non Dei tui, sed impii Amri impiis de idololatria præceptis sponte te subdidisti, adeoque impie et scelerate vixisti, ac si fuisses non in Sion sub Davide ejusque posteris, sed in Samaria sub Amri, Achab et Jezabele impiissimis regibus : *opus* enim *domus*, id est familiæ, *Achab*, erat idololatria, impietas, cædes Prophetarum, expilatio fidelium, aliaque scelera. Ita Theodor. Nota : Pro *Amri* Septuag. legerunt עמי *ammi*, id est, populi mei. Unde vertunt : *Et dissipabuntur legitima populi mei. Legitima* vocant leges et præcepta, uti habent Hebr. Noster, Chald. et alii. Romani tamen codices Septuag. legunt : *Et custodisti justificationes Zambri;* sed vera lectio est *Amri*, ut patet ex Hebræo et Latinis.

Ambulasti in voluntatibus eorum.] Ita Hebr. Chald. Septuag. Roman. Plantin. et alia passim. Male ergo quidam legunt, *in voluptatibus*. Sensus est, q. d. Fecisti quæ volita et placita erant Amri, Achab, aliisque impiis et idololatris regibus Israel. Opponit hoc sollicitudini ambulandi cum Deo, quam ab eo requisivit v. 8, q. d. Ego postulavi à te ut sollicite ambulares cum Deo tuo ; at tu sollicite ambulas cum Amri, ejusque Baalim et idolis.

Ut darem te in perditionem (*ut* consequentiam significat, non finem intentum, q. d. Inde consequetur, ô Jerusalem, ut disperdam te) et habitantes in ea, in te, ô Jerusalem, in si-

BILUM. Et enallage personæ; transit enim à secunda ad tertiam, quasi indignans et avertens ab ea faciem et sermonem, q. d. Cives divites et potentes Hierosolymæ, ob idololatriam et scelera dabo in sibilum. Unde nova enallage ad primam personam redit, dicens: ET OPPROBRIUM POPULI MEI PORTABITIS,] q. d. Vos, ô divites, vos, ô principes, hîc alloquor, qui populo fuistis ductores et incentores idololatriæ et scelerum; vobis excidii et captivitatis populi mei probrum et ignominia imputabitur; vosque idcirco omnes et indigenæ et exteri exsecrabuntur, ac subsannabunt dicentes: Juste et meritissimo principes Judæorum à Chaldæis spoliantur, necantur, probris afficiuntur; quia ipsi spoliarunt, necarunt, probris affecerunt pauperes; et quia suis impiis consiliis et criminibus populum, urbem et regnum perdiderunt. Ita S. Hier. Lyranus, Clarius et alii. Nota: *Opprobrium populi* vocatur probrum excidii, captivitatis et subsannationis, quod Judæi patiebantur à Chaldæis aliisque gentibus, præsertim vicinis et hostilibus, quodque Moses eis comminatus erat Deuter. 28. v. 36. et Levitici 26. 32.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

QUERITUR MICHÆAS SE FRUSTRA CONCIONANDO LABORASSE, EO QUOD VIX ULLUM REPERIAT, QUI MORES PRAVOS IN MELIUS COMMUTARIT; QUOCIRCA V. 4. COMMINATUR EXCIDIUM, ET CAPTIVITATEM BABYLONICAM: DEINDE V. 11. EX EA LIBERATIONEM, PACEM ET FELICITATEM; TUM PER CYRUM, TUM MAGIS PER CHRISTUM PROMITTIT, IDEOQUE V. 18. IN DIVINÆ CLEMENTIÆ ET BENEFICENTIÆ LAUDEM ET DOXOLOGIAM ERUMPIT.

1. VÆ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ!
non est botrus ad comedendum, præcoquas ficus desideravit anima mea.
2. Periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est: omnes in san-
guine insidiantur, vir fratrem suum ad mortem venatur. 3. Malum manuum
suarum dicunt bonum: princeps postulat, et judex in reddendo est: et
magnus locutus est desiderium animæ suæ, et conturbaverunt eam. 4. Qui
optimus in eis est, quasi paliurus: et qui rectus, quasi spina de sepe. Dies spe-
culationis tuæ, visitatio tua venit: nunc erit vastitas eorum. 5. Nolite credere amico, et nolite con-
fidere in duce: ab ea, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. 6. Quia filius contumeliam
facit patri, et filia consurgit adversus matrem suam, nurus adversus socrum suam: et inimici hominis
domestici ejus. 7. Ego autem ad Dominum aspiciam, exspectabo Deum salvatorem meum: audiet
me Deus meus. 8. Ne læteris, inimica mea, super me, quia cecidi: consurgam, cum sedero in te-
nebris, Dominus lux mea est. 9. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam
judicet, et faciat judicium meum: educet me in lucem, videbo justitiam ejus. 10. Et aspiciet
inimica mea, et operietur confusione, quæ dicit ad me: Ubi est Dominus Deus tuus? Oculi mei
videbunt in eam: nunc erit in conculcationem ut lutum platearum. 11. Dies, ut ædificentur
maceriæ tuæ: in die illa longe fiet lex. 12. In die illa et usque ad te veniet de Assur, et usque
ad civitates munitas, et à civitatibus munitis usque ad flumen, et ad mare de mari, et ad montem
de monte. 13. Et terra erit in desolationem propter habitatores suos, et propter fructum
cogitationum eorum. 14. Pasce populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ, habitantes
solos in saltu, in medio Carmeli: pascentur Basan et Galaad juxta dies antiquos. 15. Secundùm
dies egressionis tuæ de terra Ægypti ostendam ei mirabilia. 16. Videbunt gentes, et confundentur
super omni fortitudine sua: ponent manum super os, aures eorum surdæ erunt. 17. Lingent
pulverem sicut serpentes, velut reptilia terræ perturbabuntur in ædibus suis: Dominum Deum
nostrum formidabunt, et timebunt te. 18. Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, et
transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? non immittet ultra furorem suum, quoniam volens
misericordiam est. 19. Revertetur, et miserebitur nostri: deponet iniquitates nostras, et pro-
jiciet in profundum maris omnia peccata nostra. 20. Dabis veritatem Jacob, misericordiam
Abraham: quæ jurasti patribus nostris à diebus antiquis.

1. Væ mihi !] Hebr. est הללי לי *allai li*, id est heu mihi ! est enim vox gementis, non minantis, q. d. O me miserum! Deplorat enim Propheta, aut potius Spiritus Sanctus per Prophetam, raritatem virorum proborum, eamque suam æstimat miseriam. Porro hanc raritatem comparat paucis racemis, qui à vindemiantibus in vinea relinqui solent.

Quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ,] id est post vindemiam. Hebræa jam ad verbum habent : *Quia fui sicut collectiones* (fructuum) *æstatis, sicut racemationes vindemiæ.* Quod Syrus, Arabicus, Septuaginta, Chald. et alii sic exponunt : *Quia factus sum sicut qui congregat stipulam in messe, et sicut* (qui colligit) *racemos in vindemia;* ut sit duplex similitudo, nimirum ut Deus comparet se primo, spicilego, qui post messem spicilegium facit, paucasque spicas à messore relictas colligit; secundo, racematori, qui paucas uvas post vindemiam reliquas decerpit. Verum hi multa supplent, quæ non habentur in Hebræo. Adde in Hebræo, uti jam legunt, Deum comparari non collectori, sed ipsi collectioni fructuum, quod sane minus congrue dici videtur. Quocirca melius Noster pro אספי *aspe*, id est collectiones, legens aliis punctis אספי *osephi*, vertit, *colligens*, vel *qui colligit*. *Osephi* enim est *benoni*, sive participium *cal*, habens annexum *iod* paragogicum. Rursum pro קיץ *kaits*, id est æstas, vertit, *autumnus*, quia tempus fructuum est in autumno, et sic fructus autumnales vocantur *fructus æstatis;* tunc enim annum distinguimus in duas partes, scilicet æstatem, et hiemem, ac sub æstate partem autumni priorem, et veris posteriorem, cum aura est calidior, comprehendimus; sub hieme vero partem autumni posteriorem, et veris priorem, utpote frigidiorem, complectimur. Docte ergo pro *haits* vertit, *in autumno*, intelligendo præpositionem ב, id est *in*, quam Hebræi subintelligere solent, ut קיץ *kaits* ponatur pro בקיץ *becaits*. Vertit ergo unico tenore unicaque similitudine: *Quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ.* Unde apposite non de spicis, sed de uvis solis sequitur : *Non est botrus ad comedendum*, q. d. Racemando vineam, quæsivi uvas et ne quidem unum botrum inveni quem comederem. Jam symbolice per uvas et botros intelligit viros fideles, justos et sanctos, eorumque pia et sancta opera ; hi enim ex vinea, id est ex Ecclesia ; et ex vite, id est Christo, quasi uvæ Deo sapidissimæ procreantur. Sic sponsa Cant. 1. 14. ait : *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Et cap. 7. 7. vicissim sponsus ait sponsæ : *Statura tua assimilata est palmæ, et ubera tua botris.* Causas et analogias hujus vitis et uvæ recensui Ezech. 15. in fine. Quocircà Chaldæus vertit : *Væ mihi! quia fui, quando deficiebant boni, tempore quo perierunt misericordes de terra; ecce sicut fructus æstivales, sicut racemi post vindemiam. Non est vir qui habeat opera bona, bonos tamen appetit anima mea*, q. d. Ego Michæas fui quasi pauper racemator ; hic enim post vindemiam sperat se saltem aliquos racemos, qui vindemiantes fugerunt, in vinea inventurum, eosque quærit et invenit ; ita et ego speravi paucos saltem Judæos meis concionibus, monitis et minis convertendos ; sed *non est botrus*, id est, non unum, vel vix unum, qui se converterit, vitamque mutarit, invenio ; quocirca gemo, et ploro : *Væ mihi!* hei mihi ! oleum et operam perdidi. Allegorice, idem accidit Christo prædicanti : paucos enim ex Judæis tota vita sua convertit. Unde ipse ad sua tempora alleg. refert v. 6. Michææ, citans eum Matth. 10. 35. de quo mox.

Ubi nota grave pathos Dei et Christi, cùm diabolo tribuunt vineæ, id est Ecclesiæ, vindemiam, utpote qui uvas omnes colligat, ideoque plena habeat torcularia uvis et vino ; sibi vero ascribunt racemationem, utpote qui paucos à diabolo relictos, quia ejus oculos manusque fugerunt, colligant : maxima enim pars hominum diabolo servit, ejusque fit esca et præda ; unde ab eo premetur, et calcabitur in torculari inferni, exigua vero cedit Christo ; multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Diabolo ergo cedunt illi magni botri et plurimi, ut vindemiatori ; Christo non nisi reliquiæ, pauci et pauperculi, sicut racematori, quasi dicat : Christo non superest botrus, et vix pauculi acini ; nam acini et granula pauca botri nomen non merentur : botri enim illi magni et pingues vulpium partes facti sunt. Unde Arabicus vertit : *Extremitatem* (extremam partem) *desideravit anima mea.* Hoc est quod dolet Isaias, cap. 24. 13 : *Quomodo si paucæ olivæ quæ remanserunt, et racemi cum fuerit finita vindemia.* Quocirca tropol. doctor et concionator si post multos docendi et concionandi labores et annos, paucos convertat, non miretur, non est melior Michæa, non Christo. Sorte ergo illorum contentus sit, et à Deo plenam, imo pleniorem exspectet mercedem ; Deus enim non fructum, sed laborem remunerat ; qui sine fructu major et molestior est, eaque ratione majus præmium meretur.

Non est botrus ad comedendum,] id est, aptus ut comedatur ; quia si qui sunt, vel immaturi sunt, vel acerbi, vel ex imbre corrupti et putridi. Ita Michæas aliquos invenit Judæos in speciem bonos, et suis concionibus auscultantes ; sed interna malitia et superstitione acerbos, vel gula et libidine putidos, uti Lyranus et Rupertus explicant.

Præcoquas ficus (hebr. בכורה *biccura*, id est *primitiva*, vel *primos fructus*) desideravit anima mea.] Sed per *primitiva* Hebræi intelligunt ficus, ut recte notavit Vatablus ; non quod in Palæstina ficus sint omnium fructuum primi, uti aliqui putarunt; priores enim sunt pruna, etc. æque ac in Italia, uti mihi Romæ asseruerunt Palæstini et Hierosolymitæ. R. P. Melchior ab Helmont Belga, Franciscanus, qui diu Hierosolymis in suo Conventu habitavit, Romæ mihi affirmavit primos illius terræ fructus illi esse proprios, et vocari *muze*, eosque gustu similes esse ficubus, sed ficubus esse longiores ; qui si scindantur, crucem ostentare ; atque indigenas tradere illum fuisse fructum vetitum, quem comedit Eva. Dicuntur ergo præcoquæ quod solæ ficus sint biferæ ; priores enim fructus dant in æstate, puta in Julio, et hi vocantur *biccura*, id est primitivi, sive præcoqui ; posteriores in Septembri. Porro ficus præcoquæ sapidiores sunt; sunt enim ficuum et ficulneæ quasi flos, atque avidius expetuntur ob novitatem, uti dixi Jerem. 24. 2. Quare mirum est S. Hieron. in Comment. *biccura* vertere, grossos, sive ficus immaturas, q. d. Deus : *Ego non inveniens panem præ famis magnitudine, quisquilias et furfures requisivi.* Hic enim ipse in textu *biccura* vertit :

Ficus præcoquas, quæ sane maturæ et gustui suaves sunt. Et ita *biccura* vertunt alii passim. Sensus ergo est, q. d. Ego Michæas quasi famelicus, post tot conciones et labores, desideravi vel in autumno ficus præcoquas: licet enim aliis sint præcoces in æstate; ego tamen, vel in autumno (mihi enim nullæ in æstate maturuerunt) pauculis maturis contentus ero, id est, paucorum saltem desidero conversionem et salutem, quantumvis seram et tardam, ut hæc saltem labori meo reddatur merces et consolatio; at ne hoc quidem consequi potui.

Moral. quàm avide præ omnibus fructibus expetimus ficus præcoquas, tam avide Deus expetit peccatorum conversionem, et tam avide eamdem expetat concionator, quasi alter Michæas.

Porro Symbol. ficus præcoquæ, inquit Arias, fuerunt primi patres et Patriarchæ, puta Abraham, Isaac, Jacob, Moses, etc., qui uti primi fideles, ita Deo suavissimi, et sua pietate ac sanctitate gratissimi exstiterunt. Optat ergo Michæas ut redeat aureum Patriarcharum seculum, ut redeat prima et prisca avorum fides, pietas, integritas. Simili modo optat Poeta Juvenalis, satyra 13:

> Hos utinam inter
> Heroas notum tellus me prima tulisset!

Nam, ut canit Horat. lib. 3. od. 6:

> Damnosa quid non imminuit dies?
> Ætas parentum pejor avis, tulit
> Nos nequiores, mox daturos
> Progeniem vitiosiorem.

2. PERIIT SANCTUS.] Hebr. חסיד *chasid*, id est, *pius*; Chald. *misericors*; Septuag. *reverens*; Tigurina, *benignus*; Vatabl. *sanctus*.

ET RECTUS.] Septuag. pro *schin* legentes *sin*, puta pro ישר *iascar*, legentes ישר *iasar* (*sin* enim æquipollet litteræ *samech*) vertunt: *Et corrigens in hominibus non est*, q. d. Non est censor, qui hominum vitia castiget et corrigat. Sic Ovidius, lib. 1. Metamorph. queritur cum aureo seculo periisse fidem, pietatem, virtutem, ac successisse ferreum et æneum seculum, quo in virtutum

> Subiere locum fraudesque dolique
> Insidiæque et vis, et amor sceleratus habendi.

OMNES IN SANGUINE,] Hebr. *sanguini*, id est, vitæ proximi) INSIDIANTUR; unde Chaldæus: *Omnes parant insidias sanguinis justi effundendi causa.* Quocirca explicans subdit: VIR, id est, unusquisque, FRATREM SUUM AD MORTEM VENATUR,] sicut auceps venatur avem ut eam occidat. Hebr. et Chald. *Vir venatur fratrem suum ad cherem*, id est, *ad exterminium*, ut eum quasi anathema disperdat et exterminet; Pagnin. et Vatabl. vertunt: *Venatur reti*, ut eum illaqueet; sicut auceps illaqueat volucrem. Verum hebr. *cherem* proprie et communiter significat exterminium, non rete, nisi abusive, ut patet Habacuc 1. 17.

3. MALUM MANUUM SUARUM DICUNT BONUM, hoc est, opera mala quæ manibus operantur, dicunt esse bona, q. d. Non solum faciunt mala, sed et defendunt, dicuntque esse bona. Ita S. Hieron. Secundo, Septuag. vertunt: *In malum manus suas præparant*, q. d. *Cuncti manus levant ad malum, ut etiam qui malum facere non potuerit, tamen dum manus præparat, voluntate delinquat*, ait S. Hieron. Tertio, R. David apposite et connexe ad sequentia vertit: *Manus suas conjungunt ad malum, ut illud bene faciant*, id est, ut illud perficiant et ad effectum perducant. Unde Tigurina vertit: *Ad malum manuum suarum diligenter sunt intenti*, et strenui; quia nimirum ad illud idoneos sibi socios, et potentes administros asciscunt, cum eisque simul in malum, quod mente destinarunt, conspirant. Nam PRINCEPS POSTULAT à judice sibi adjudicari iniqua tributa, bona, vel vitam innocentium, similemve rem impiam vel injustam. ET JUDEX IN REDDENDO EST, q. d. Judex reddit quod princeps injuste petit; reddit, inquam, spe mercedis, vel paris judicii, aut gratiæ, quam à principe exspectat: *Ut præstent sceleribus suis mutuum favorem, et in alterius crimine se defendant*, ait S. Hieron. Unde ex Hebræo vertas: *Judex pro retributione*, scilicet judicat; hoc est, ut Chald. vertit: *Princeps postulat, et judex dicit: Fac pro me, et retribuam tibi.* Denique MAGNUS, hoc est aliquis ex magnatibus vel Rabbinis, LOCUTUS EST DESIDERIUM (hebr. הות *haffat*, id est, corruptelam et pravitatem. Ita Vatabl.) ANIMÆ SUÆ, puta si rogetur de hac principis postulatione, et iniquo judicis ei rem injuste adjudicantis judicio, non respondet secundùm justitiam, legem et voluntatem Dei; sed secundùm suam adulationem, ambitionem et avaritiam; nimirum approbat et defendit iniquam, tam postulationem principis, quàm judicis sententiam, ut eorum gratiam ineat, aut rapinæ sit particeps. Unde Pagninus vertit: *Et magnus loquitur: Afferte munera:* ET hac ratione CONTURBAVERUNT (Chald. *Depravarunt*) EAM] *vel urbem, vel veritatem, sive terram de qua dixit* v. 2: *Periit justus de terra*, inquit S. Hieron. Hebr. magis apposite et significanter dicitur ויעבתוה *vaieabtuba*, id est, condensarunt, implicuerunt, intricarunt, sicut funem reddiderunt *eam*, scilicet, *haffat*, id est, corruptelam; nimirum triplici ore, puta principis, judicis et magnatis, quasi triplici fune eam triplicantes et corroborantes, ut ostendant bonum esse, quod malum est; æquum esse, quod iniquum est, juxta illud: *Funiculus triplex difficile rumpitur.* Radix enim עבת *abat* significat implectere funes, vel frondes; inde enim עבות *abot* vocantur funes, quia implexi. Hoc est quod ait Isaias, cap. 5. 18: *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum!* Ad Isaiam enim more suo alludit hic Michæas. Ita Lyran. Vatabl. Marinus in Lexico, et alii recentiores. Paulo aliter hunc locum explicat Pineda in Job 22. v. 8. num. 6. quasi Michæas hic taxet principes, qui aulæ harpyiis, id est, suis familiaribus et adulatoribus omnia indulgent et concedunt cum noxa reipubl. et pauperum. Sic ergo exponit: Princeps (vir princeps et magnus coram suo rege et judice supremo) *postulat* (à rege), *et judex* (supremus) *in reddendo* (facile annuendo, et concedendo nulla sufficiente causæ et rei postulatæ cognitione) *est; et magnus* (primates et regi familiares) *locutus est desiderium animæ suæ* (quod appetunt, hoc petunt; quod vero petunt, dicto citius obtinent) *et conturbaverunt eam*, rempubl. videlicet pungendo et lacerando pauperes, eorumque sanguinem exsugendo. Unde sequitur: *Qui optimus in eis est, quasi paliurus; et qui rectus, quasi spina de sepe.* Verum, quia communiter princeps est major judice,

hinc prior expositio planior videtur. Apposite Belgæ, hosce socios in facinore conternantes, vocant *Vandregisilos.* Nomen enim *Vandregisilus* conflatum est ex hisce tribus Flandricis vocibus, van de dry gesellen, hoc est, è tribus sociis unus, uti annotavit Hutterus, et alii in Originib. Flandr.

Transit hic Propheta à cædibus et sceleribus populi ad scelera magnatum, qualia etiam hoc ævo non raro conspicimus; filii enim hujus seculi sapientes sunt ut faciant malum; ideoque tot consiliis et sociis, vel fautoribus potentibus, quasi funibus illud illigant, ut nemo illud evertere, nemo eis resistere possit; sed qui habitat in cœlis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos, uti pulchre in sequentibus ostendit Michæas. Ita Jezabel regina curavit innocentem Naboth à judicibus condemnari et lapidari, ut ejus vineam occuparet et traderet marito Achab: approbarunt hanc necem et prædam optimates Samariæ; sed illico in vindictam prosiliit vigil Dei oculus, eique per Eliam fulmen maledictionis inflixit. Quocirca Jezabel paulo post à Jehu regno et vita spoliata in eodem agro, quem Naboth ademerat, devorata est à canibus, 3. Reg. 21. 23.

Præclare S. Gregor. hom. 9. in Ezech. *Tolerandi*, inquit, *ubique sunt proximi, quia Abel fieri non valet, quem Cain malitia non exercet. Unum vero est, potentia, qua vitari societas malorum debeat; ne, si fortasse corrigi non valent, ad imitationem trahant, et cum ipsi sua malitia non mutantur, eos qui sibi conjuncti fuerint pervertant.* Et S. Isidor. libr. 2. Soliloq. *Ante ignem*, inquit, *consistens, etiamsi ferreus sis, aliquando dissolveris; proximus periculo diu tutus non erit: sæpe familiaritas implicavit, sæpe occasionem peccandi dedit, sæpe quod voluntas non potuit, assiduitas superavit;* et mox: *Melius est habere malorum odium, quàm consortium; sicut bona multa habet communis vita sanctorum, sic plurima mala societas affert malorum.* Ita in utramque partem magna est vis societatis. Quocirca sapienter Cassiodor. lib. 2. Epist. *Ipsi quoque homini*, inquit, *duplices manus, socias aures, oculos geminos divina tribuerunt, ut robustius peragere tur officium, quod duorum fuerat societate complendum.* Et Hugo, lib. 3. de Anima: *Amabilis socius*, inquit, *omnibus est officiosus, et nulli onerosus; quia devotus ad Deum, benignus ad proximum, sobrius ad mundum; Domini servus, proximi socius, mundi dominus, superiora habet ad gaudium, æqualia ad consortium, inferiora ad servitium.*

4. Qui optimus in eis est, quasi paliurus.] Septuag. *quasi tinea comedens.* Sensus est, q. d. Qui inter hosce optimates injustos et rapaces videtur optimus, id est minus malus, si cum cæteris rapacioribus comparetur; is tamen quasi paliurus spinosus et asper pungit, vulneratque proximos. Paliurus enim est genus spinæ asperæ et acutæ, quod vulgo agrifolium dicitur, de quo Virgil. eclog. 5:

> Carduus et spinis surgit paliurus acutis.

Et qui rectus, quasi spina de sepe, q. d. Qui inter eos videtur cæteris rectior et æquior, id est minus iniquus, is tamen distortus est, pungit læditque ut spina. Conjicite ergo quales, quàm mordaces et noxii debeant esse cæteri, qui his pejores, et præsertim qui inter eos pessimi et nocentissimi sunt. Rursum sicut spina rapit lanam ovium, ovesque lacerat; ita hi substantiam simplicium rapiunt, simplicesque lacerant, ait R. David. Hebr. habent: *Rectus eorum præ sepe*, scilicet spinosus est et pungit. Unde Pagnin. vertit: *Rectus eorum asperior est maceriis spinarum;* et Tigurina: *Qui rectus sepe ex spinis contexta spinosior*, id est, acutior et nocentior est; Syrus et Arabicus Antiochenus: *Contempserunt bona sua, quasi frustum panni corruptum à tinea;* Arabicus vero Alexand. *Ego disperdam bona eorum velut tinea* (vel caries) *quæ comedit et repit in trabibus, sicut dies insidiarum.*

Secundo, magis presse et congrue: *Qui optimus*, id est benignissimus et mansuetissimus, est inter eos; hic tamen acer *est* in pungendo, *quasi paliurus: et qui rectus*, id est placens, gratus, jucundus, placidus, videtur inter ipsos; hic tamen pungit et affligit *quasi spina.* Sic sæpe *bonus* sumitur pro suavi et miti, uti Psalm. 72. 1: *Quàm bonus Israel Deus! bonus*, id est suavis, benignus, beneficus, *his qui recto sunt corde*, qui Deo cor æquum, placidum, blandum et amicum exhibent. Deus enim rectis est rectus, bonis bonus, placidis placidus, benignis benignus; ex adverso acribus est acer, sævis sævus, crudelibus crudelis, uti canit David Psalm. 17. 26 et 27.

Dies speculationis tuæ, visitatio tua venit.] Hebr. מצפיך *metsappecha*, id est, *speculatorum tuorum.* Unde Tigurina clare vertit: *Dies speculatorum tuorum, visitationisque tuæ venit;* quod explicans Vatabl. Brevi, inquit, aderit dies, quo falsi tui speculatores, id est Prophetæ, prædixerunt tibi fore omnia felicia; sed falso: nam ille dies erit visitationis, id est punitionis, tuæ, quo scilicet Deus sumet de te pœnas, teque per Chaldæos exscindet. Et Chald. *Dies mala in qua bonum exspectabas, dies visitationis malitiæ tuæ pervenit*, id est, adest et instat. Loquitur de excidio non Samariæ, uti censet S. Hieron. Remig. et Hugo; sed Jerusalem, ut patet ex sequentibus, ubi promittit liberationem è captivitate; hæc enim contigit Hierosolymitis in Babylonem, non Samaritis in Assyriam abductis.

Nunc erit vastitas eorum.] Pro *vastitas* hebr. est מבוכה *mebucha*, quod Septuag. et Syrus vertunt, *fletus*, à rad. בכה *bacha*, id est flevit; Pagnin. *desolatio;* alii, *obsidio;* Marinus, *confusio;* alii, *distractio;* proprie Chald. et Vatabl. *perplexitas;* hanc enim quasi pœnam appositam opponit colligationi et conspirationi eorum in malum, de qua dixit v. 3: *Conturbaverunt eam:* Hebr. *implicarunt eam*, q. d. Princeps, judex et magnates colludentes, et conspirantes in rapinas et expilationes tenuiorum, ita suum hoc scelus corroborarunt, et tribus quasi funibus implicuerunt, ut inextricabile videatur, nullusque ei resistere, vel evadere valeat; quocirca ego distraham hosce eorum funes, ac vicissim implicabo illos fune, non triplici, sed centuplici Chaldæorum undique eos obsidentium et circumvallantium, ut eorum laqueos et manus effugere nequeant; sed ita sint perplexi, ut nesciant quò se vertant, quod consilium capiant, quò fugiant. Multo magis tropol. perplectet eos Deus in hora mortis, et in die judicii, cum præ pavore et angore dicent montibus: *Cadite super nos; et collibus: Operite nos*, Apocal. 6. 16.

5. Nolite credere amico (hebr. רע *rea*, id est *socio;* respicit enim ad societatem qua princeps, judex et magnates conspirant in rapinis, cam-

que dissolvere et plectere pergit) ET NOLITE CONFIDERE IN DUCE : AB EA, QUÆ DORMIT IN SINU TUO, CUSTODI CLAUSTRA ORIS TUI.] Varii varie hunc versum explicant, et textui adaptant : primo, S. Hieron. Remig. Hugo et Lyran. Hæc referunt ad pseudo-prophetas, q. d. Nolite iis credere, quia, si inter homines, vel genere, vel fœdere conjunctos, quales sunt amici, duces, conjuges, nurus, rara est fides, uti experientia testatur ; quanto magis rara erit fides in pseudoprophetis, qui somnia fingunt, ut adulentur, et emungant bursas populorum suorum.

Secundo, alii melius generatim hæc verba accipiunt, ut taxent infidelitatem hominum illius ævi, q. d. Hoc tempore tanta est hominum perfidia, ut nec socius socio, nec uxor marito, nec subditus duci, nec socrus nurui credere possit; quia ipsi domestici hominis sunt ejus inimici. Sapienter ergo agit, qui omnes suspectos habet, nemini fidem commodat, nemini se credit; sed ipse sibi consulit et prospicit. Hoc est quod eodem ævo deplorat Jerem. c. 9. 4 : *Unusquisque*, ait, *se à proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam, quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet, etc.* Cui plane similia sunt verba Michææ, quæ sequuntur : *Quia filius contumeliam facit patri, et filia consurgit adversus matrem suam.* Quæ si plane ut sonant capiantur, non aliud quàm malitiam et perfidiam illius seculi significant. Hic ergo sensus uti simplicior et planior, ita et germanior videtur ; explicat enim et exaggerat id quod dixit v. 2 : *Periit sanctus de terra, etc. Vir fratrem suum ad mortem venatur.* Et illud v. 3 : *Qui optimus in eis est, quasi paliurus, etc.* Et hoc sensu videtur hæc Michææ verba citare Christus Matth. 10. 34, de quo mox plura. Atque hic sensus, utpote generalis, cæteros omnes, præsertim tertium, quem jam assignabo, complectitur. Tale pariter ferreum mundi hominumqne seculum describit Ovid. 1. Metamorph.

> Vivitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus,
> Non socer à genero, fratrum quoque gratia rara est ;
> Imminet exitio vir conjugis, illa mariti ;
> Lurida terribiles miscent aconita novercæ ;
> Filius ante diem patrios inquirit in annos ;
> Victa jacet pietas, et virgo cædet madentes
> Ultima cœlestum terras Astræa reliquit.

Porro signanter et sapienter ait : *Ab ea quæ dormit in sinu tuo*, id est ab uxore, ut vertit Chald. (sic enim dicitur Deut. 15. 6 : *Uxor quæ est in sinu tuo.* Et c. 28. 24 : *Uxori quæ cubat in sinu tuo*) *custodi claustra oris tui*, id est, ne uxori credas, ne ei reveles tua secreta : os enim est quasi ostium, quod sensa pectoris instar otii claudit silendo, vel aperit loquendo ; unde sua habet claustra et seras, scilicet labia et dentes, quibus natura nos monet ut iis os et linguam clausa teneamus, præsertim coram femininis. Nam mulier est inconstans et garrula : *Varium et mutabile semper femina*, ait Virgil. Ita Dalila Samsonem prodidit, cum ipse ei revelasset suam fortitudinem sitam esse in coma, Jud. 13. Ita Jezabel perdidit Achab, cum ei revelasset causam suæ tristitiæ esse cupidinem vineæ Nabot, 3. Reg. cap. 15. et 16. Quocirca Cato, teste Plutarc. de tribus dolebat : Primo, quod in hac vita tam incerta, vel uno die intestatus mansisset; secundo, quod eò mari et navigio profectus esset, quò poterat ire terra et pedes ; tertio, quod secretum suum revelasset mulieri. Vere Antiphanes apud Stobæum :

> Quid ais ? cum latere velis aliquod negotium, mulieri
> Ipsum aperies ? at quid interest, sive mulieri,
> Sive omnibus in foro præconibus narrare ?

Vide Plutarch. l. de Garrulitate. Prudenter Seneca : *Alium silere quod voles, primus sile.* Et Valer. Max. lib. 6. cap. 11 : *Taciturnitas optimum atque tutissimum rerum administrandum est vinculum.* Vide S. August. lib. 19. Civit. cap. 5. ubi tractans hunc Michææ locum, eum duabus Gentilium sententiis illustrat. Una est Terentii in Adelphis : *Duxi uxorem, quam ibi miseriam vidi?* imo, quam ibi miseriam non vidi ? Et in Eunucho : *In amore hæc omnia insunt vitia, injuriæ, suspiciones, inimicitiæ, induciæ, bellum, pax rursum : nonne res humanas ubique impleverunt?* Altera est Cicer. lib. de Amicitia : *Nullæ sunt occultiores insidiæ, quàm eæ quæ latent in simulatione officii, aut in aliquo necessitudinis nomine. Nam eum qui palam est adversarius, facile cavere possis.*

Huc pertinet expositio Ariæ, quæ partialis est : qui putat hìc significari subditis et popularibus cavenda esse commercia cum principibus, q. d. Nolite, ô populares, miscere vos rebus principum, ut vel amicitiam cum eis ineatis vel inimicitiam ostendatis detrahendo eis, et facta eorum carpendo apud vestros amicos, uxores, filios, etc. quia hi audita non silebunt, sed partim ex garrulitate, partim ex malevolentia, qua vobis irati et offensi nocere cupiunt, narrabunt ea aliis, et hi aliis et aliis, ita ut ad aures principum perveniant, qui se vindicabunt et vos acriter punient, juxta illud Eccl. 10. 20 : *In cogitatione tua regi ne detrahas, et in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti ; quia et aves cœli portabunt vocem tuam, et qui habet pennas annuntiabit sententiam.*

Tertio, alii censent hæc spectare et explicare acerbitatem visitationis, id est punitionis et vastitatis, vel, ut hebr. est, perplexitatis Judæorum, maxime optimatum, in excidio Hierosolymæ per Chaldæos, de qua proxime præcessit, q. d. Tanta erit calamitas, tanta fames, tanta angustia, tanta perplexitas civium, præsertim optimatum, qui pauperes suis consiliis et conspirationibus implicuerunt et diripuerunt, in obsidione Hierosolymæ, ut quisque pro se uno sollicitus sit, et neminem alium, ne amicum quidem, ducem, uxorem, aut nurum curet, imo nulli fidat suæ vitæ subsidia, vel fugæ consilia; sed panem quem habet ab iis abscondat, ut eo solus ipse vesci, et vitam suam sustentare possit ; latebras, vel vias et modos effugiendi manus Chaldæorum, quos ipse invenerit vel excogitarit, silentio premat et sibi servet, ne ab amico vel uxore sibi præripiantur. Ita Theodor. à Castro, Ribera et alii. Unde sequitur :

QUIA in tanta fame, perturbatione et angustia FILIUS CONTUMELIAM FACIT, id est faciet, PATRI, ut cum eo litiget et pugnet pro pane, eumque illi eripiat; ET FILIA CONSURGIT, id est, consurget, ADVERSUM MATREM SUAM, simili de causa : ET INIMICI HOMINIS, id est cujusvis, ut vertit Chald. DOMESTICI EJUS,] supple erunt; quia domestici passim inter se contendent et pugnabunt pro pane, latibulo, similive re ad vitam, in tanto periculo tuendam necessaria.

6. Alleg. Hæc discordia et pugna Judæorum corporalis, id est, ob bona corporalia, repræsentabat discordiam et pugnam spiritualem (id est, ob fidem, et bona spiritualia) fidelium et infidelium, puta persecutionem infidelium etiam parentum, fratrum et cognatorum contra Christianos, sive Judæos, sive Gentiles tempore Christi et legis novæ, maxime quando propter ipsos incurrebant periculum famæ, bonorum et dignitatum, vel etiam vitæ. Et hoc sensu citat hæc Michææ verba Christus Matth. 10. 34: *Non veni*, inquit, *pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filium adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam, et inimici hominis domestici ejus*, q. d. Veni mittere separationem et dissidium inter fratres et parentes, in re simile illi quod prædixit Judæis Michæas; sed dissimile in causa. Illud enim Judæorum fuit ob malitiam eorum; vel, ut alii volunt, ob obsidionem Chaldæorum, in qua adeo fame, peste et gladio vexati sunt, ut etiam frater fratri, filius patri, filia matri, panem, domum, arcem ad se salvandum præriperet: hoc vero meum et Christianorum, erit propter fidem, pietatem, et cultum Dei ex parte fidelium; sed propter malitiam pariter ex parte infidelium. Veni ego mittere gladium, id est, separationem et discordiam in fide et religione, ut scilicet fideles meos proprie per fidem separem ab infidelibus: hi vero, inde occasione jurgandi accepta, separent se à fidelibus sua infidelitate, odio et persecutione, qua eos bonis et vita mulctent. Et hoc posterius maxime intendit Christus, illudque magis respondet menti Michææ, ex quo hoc mutuatus est Christus: *Veni enim separare hominem adversus patrem suum, etc. et inimici hominis domestici ejus. Quia eveniet*, ait S. Chrysost. orat. contra Judæos, *ut in eadem domo unus sit fidelis, alter infidelis, et pater filium velit trahere ad impietatem. Hoc prædicens ait: Adeo vincet potestas Evangelii, ut filii quoque contemnant parentes suos, filiæ matres et parentes liberos, imo ut animam et omnia pro pietate exponant.* Unde subdit Christus: *Qui amat patrem, aut matrem, plus quàm me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus: crucem*, ut scilicet paratus sit pro me, meaque fide et obsequio, ferre verbera, opprobria, et mortem etiam durissimam et ignominiosissimam, qualis est crucis: *Quia sicut summam vobis attuli beatitudinem, sic singularem obedientiam et affectionem à vobis postulo, ut in acie mea sitis leones*, ait S. Chrysost. Idem S. Chrysost. hom. 36. in Matth.: *Inimici hominis sunt, qui in domo ejus sunt. His verbis*, inquit, *Propheta omnibus rebus, superiorem conatur facere eum, qui dicta ejus esset suscepturus. Nec enim mori, sed male mori malum est. Ideo dicebat: Ignem veni mittere in terram: quibus verbis vult significare magnitudinem ac ardorem charitatis quam flagitat. Nam quoniam ipse nos mirum in modum dilexit, ideo singulari à nobis quoque charitate diligi desiderat.* Non ergo Christus abutitur verbis Michææ, uti quidam interpretes asseruerunt; sed recte ea suo ævo suoque argumento applicat, q. d. Nunc per Evangelii mei prædicationem fiet dissidium fratrum et parentum tale, quale olim prædixit Michæas: etsi aliam, et pientiorem ob causam. Quocirca nunc pariter licet usurpare celebrem hanc sententiam Michææ, quæ in commune proverbium abiit: *Et inimici hominis domestici ejus.* Est enim hæc generalis sententia et gnome, quæ usum habet in omni loco, materia et tempore, quando de meo et tuo in eadem domo vel cœtu agitur et litigatur: tunc enim quisque pro se, suaque re et commoditate pugnans inimicos habet non extraneos, sed domesticos, qui illud eripere sibique vendicare satagunt. Quocirca Anagog. hæc gnome verissima est in gehenna, ubi summi inimici sunt, qui in hac vita fuerunt summi amici, puta parentes, fratres, domestici et socii in scelere, ob quod ad gehennam damnati sunt. Hi enim quasi canes in se invicem ringunt, maledicunt, et improperant dicendo: Maledictus sis, pater, qui me lascivientem non castigasti, sed in scelere educasti, ut fierem fomes gehennæ. Maledictus sis, frater, qui me ad scorta et crapulam verbo et exemplo invitasti. Maledicta sis, uxor, quæ me ad opes per fas et nefas corrogandas sollicitasti. Maledictæ sitis, filiæ: quia propter vos ornandas et ditandas ego injuste bona aliena occupavi, fœnera et injusta lucra captavi, ob quæ nunc uror igne æterno.

7. Ego autem ad Dominum aspiciam.] In tantis malis sanum dat consilium, æque ac exemplum. q. d. In tanta Judæorum tum calamitate et obsidione, de qua dixi v. 5. tum malitia et perfidia, qua frater fratrem, pater filium prodet et perdet; ego Michæas, meique similes sancti et sapientes, non ad parentes et amicos, utpote perfidos, sed ad Deum intentis oculis mentis magis, quàm corporis aspiciemus, illum unum invocantes, illi nos commendantes, ab illo solo opem et liberationem è tantis malis poscentes et expectantes, juxta illud sanissimum Josaphat pii et prudentis regis in rebus afflictis, et pene perditis consilium: *In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos: sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te*, 2. Paralip. 20. 12. Deus enim in rebus deploratis unicum est perfugium et asylum, ac in illis gaudet opitulari, ut ostendat summam suam potentiam et beneficentiam, præsertim in eos, qui id credunt, sperant et postulant. Quocirca tunc summe vitanda est diffidentia et desperatio, ac maxime excitanda certa in Deum spes et fiducia; quæ si adsit, certo Dei opem, etiam per miraculum eliciet, uti contigit Lot obsesso à Sodomitis, Genes. 19. Mosi et Hebræis à Phraraone, Exod. 14. Judith et Betuliæ obsessæ ab Holoferne, Davidi obsesso à Saule, 1. Reg. 23. 27. Machabæis obsessis ab Antiocho; Ezechiæ obsesso à Sennacherib, Isaiæ 38. 14. Hoc est quod vulgo dicitur: *Deus ex machina*, scilicet ex insperato apparens et opitulans.

Expectabo Deum salvatorem meum, scilicet ad litteram Deum, qui me, meique similes tum à Chaldæis, tum à perfidis Judæis liberet. Alleg. Expectabo Christum, qui a diaboli captivitate, omniumque impiorum insultu nos liberabit. Hinc Christus vocatus est, Jesus, id est, salvator mundi. Loquitur Michæas ad litteram in persona Jerusalem (id est, civium ejus fidelium et piorum) à Chaldæis obsessæ, vastatæ, abductæ in Babylonem, uti notat S. Hieron. Theodor. Rupert. Hugo, Lyran. et alii; quæ enim sequuntur constat esse verba Jerusalem. Ait enim:

8. NE LÆTERIS INIMICA MEA SUPER ME, QUIA CECIDI.] Jerusalem *inimicam* suam vocat, non Romam, ut volunt Judæi; sed vel Babylonem vastatricem suam, ut vult S. Hieron. Remig. Vatabl. et alii; vel potius Idumæam: Babylon enim omnium gentium, sed Idumæa propria et avita fuit Judæorum inimica, quæ proinde in ejus excidio gavisa est et applausit: unde omnes pene Prophetæ hoc illi improperant, ideoque ei simile excidium comminantur, uti facit Abdias tota sua prophetia. Quare v. 12; *Non despicies*, inquit, *in die fratris tui, et non lætaberis super filios Juda in die perditionis eorum, etc. Quoniam juxta est dies Domini super omnes gentes: sicut fecisti, fiet tibi, retributionem tuam convertet in caput tuum.* Et Psaltes Psalm. 136. 7: *Memor esto, Domine, filiorum Edom in die Jerusalem, qui dicunt: Exinanite, exinanite usque in fundamentum in ea.* Similia habet Jerem. c. 49. 12. Amos cap. 1. 11. et alii. Sensus ergo est, q. d. Ne læteris in mei excidio, ô inimica mea, ô æmula Idumæa: licet enim ceciderim, tamen post 70. annos rursum Deus per Cyrum me eriget, et restaurabit: tunc CONSURGAM CUM SEDERO IN TENEBRIS, puta in tenebroso carcere Babylonio; quia DOMINUS LUX MEA EST] non formalis, sed causalis; hoc est, Deus me sedentem in tenebris captivitatis *illuminabit*, ut vertunt Septuag. et Chaldæus, lucique, id est lætitiæ, libertati et felicitati, et quasi vitæ (horum enim symbolum est lux, sicut ex adverso tenebræ symbolum sunt tristitiæ, captivitatis, adversitatis et mortis) restituet. Sic in tenebris, id est, ærumnis, constitutus David ad Deum, quasi ad lucem, respiciens ait: *Dominus illuminatio mea, et salus mea: quem timebo? Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo?* Psalm. 26. 1.

Moral. S. Ambros. in Psalm. 37. ad illud: *Quoniam in te, Domine, speravi,* citans hæc Michææ verba: *Non est*, inquit, *gravis infirmitatis ruina, si non sit etiam voluntatis studium. Habe voluntatem surgendi, præsto est qui faciat ut resurgas.* Et paulo ante: *Quia etsi peccavi, tu peccatum dimittis; etsi ego cecidi, tu resuscitas; ne habeant unde exultare possint, qui peccatis lætantur alienis. Plus enim acquisivimus, qui plus peccavimus: quia beatiores facit tua gratia, quàm nostra innocentia.* Audiant hoc peccatores pœnitentes, audiant et gaudeant.

9. IRAM DOMINI PORTABO, QUONIAM PECCAVI EI.] *Iram*, qua scilicet me Jerusalem per Chaldæos castigat, vastat, et in Babylonem abducit, q. d. Ego Jerusalem portabo iram, id est, sustinebo pœnam excidii, ex ira Dei mihi inflictam. Loquitur enim Michæas in persona Jerusalem, id est, civium ejus piorum et fidelium, qui in ejus excidio bonis et libertate spoliabantur. Unde patet viros pios et sanctos portare iram Dei, dum pro peccatis suis puniuntur. Hinc sequitur, Deum, licet peccatori pœnitenti condonet iram, id est, culpam, non tamen illico condonare omnem iram, id est, pœnam, ut volunt hæretici. Est enim duplex ira Dei: prima est odium, quo peccatorem odit, quasi hostem suum, eique vult summum malum et perniciem, dum eum destinat gehennæ: hæc tollitur per pœnitentiam, qua peccatori reconciliatur: cum eoque in gratiam redit. Secunda ira est, qua pœnitentem, licet reconciliatum, non vult relinquere impunitum, sed ob peccata præterita ei vult malum aliquod, puta castigationem; dum eum destinat morbo, fami, spoliationi, captivitati, etc. Hanc portat Michæas, et Sancti.

Dices: Per pœnitentiam tollitur omnis offensa ex animo Dei, ita ut amplius peccatori non sit offensus; sed ei peccatum plane condonet, eique omnino reconcilietur. Ergo pariter tollitur omnis ira. Respondeo ad antecedens, duplex est offensa, sicut et ira. Prior offensa vel offensio, est ipsa inimicitia et hostilitas: hæc omnis tollitur per pœnitentiam. Posterior offensa est voluntas castigandi et puniendi aliqua pœna temporali voluptatem, quam percepit peccator in actu peccati. Hæc residet et remanet in animo Dei, donec peccator eam luat, vel Deus eam condonet; sicut David condonavit offensam priorem Absaloni, dum eum, licet fratricidam, in gratiam recepit, non tamen posteriorem; nam dixit: *Faciem meam non videat*, 2. Reg. 14. 24. Ex parte ergo adhuc ei offensus fuit, quia noluit eum videre. Ita David ipse portavit hanc iram et offensam Dei; nam cum correptus à Nathan de suo adulterio et homicidio pœniteret, diceretque: *Peccavi Domino*, illico ab eo audivit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris. Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc filius, qui natus est tibi, morte morietur*, 2. Reg. 12. 13. Quocirca David, licet jam sciret remissum sibi esse peccatum quoad culpam, tamen adhuc iram, id est, vindictam et pœnam Dei deprecatur dicens: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Psal. 6. 1: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Amplius lava me ab iniquitate mea*, Psal. 50. 1. q. d. Lavisti me abstergendo omnem iram et pœnam. Porro hanc Dei castigationem recte dici iram, vereque procedere ex ira et animo irato Dei, hoc argumento demonstrat Gregor. de Valentia tract. de Satisfactione contra hæret. cap. 3. Irasci, inquit, vel esse infensum alicui, est velle ei evenire aliquod malum. Atqui Deus vult ut pœnitenti, licet sibi reconciliato, hoc malum pœnæ temporalis obtingat, imo illud positive ei immittit et infligit, dum eum castigat. Ergo hoc ipso aliquo modo illi irascitur, estque adeo adhuc in Deo erga illum offensa, pro qua debeat et possit compensatio fieri. Unde Syrus et Arabicus pro *iram*, vertunt: *Plagam Domini portabo.*

Moraliter. Idipsum dicunt pœnitentes, cum à Deo morbo, paupertate, persecutione, aliisque ærumnis, ac præsertim tentatione illius concupiscentiæ, cui olim consenserunt, recurrente, affliguntur: *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei.* Tollam nolens grabatum meum, in quo volens jacui, et ambulabo. Ita S. Maria Ægyptica tot annis passa est acres tentationes libidinis, quot in ea vixerat, puta septemdecim. Ita S. Machabæi martyria sua peccatis suis ex humilitate asscribunt, 2. Machab. 7. Novi viros Religiosos, qui quoties adversi quid eis accidit, subito dicunt: Mea culpa, hæc meæ culpæ justa est pœna. Ita Mauricius Imp. videns in conspectu suo quinque filios necari à Phoca Imp. exclamabat: *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum.* Restiterat enim olim S. Gregorio Pontifici in juribus Ecclesiæ, ideoque hac pœna à Deo mulctatus est, imo eamdem ipse expetiit,

ut futuram et æternam redimeret. Ita ex Theophane Baron. anno Domini 602.

Ægrotis hæc applicat S. Basilius in Regulis fusius explicatis, interrogat. 55 : *Morbi*, inquit, *sæpe peccatorum flagella sunt, quibus nihil aliud agitur, nisi ut vitam in melius commutemus, etc. Quare qui ejusmodi sunt, hi, omissis medicorum auxiliis, invectas sibi acerbitates ferre silentio debent, quandocumque se peccasse animadverterint; atque illum imitari, qui dixit : Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei; necnon vitæ suæ prava studia emendare, et dignos pœnitentiæ fructus edere.*

Donec causam meam judicet, et vindicet : licet enim ego juste puniar respectu Dei, cui peccavi, tamen injuste hæc patior à Chaldæis, et Idumæis, quibus nihil nocui, quique nullum in me, meumque excidium et direptionem jus habent. Chaldæi enim nullum justum belli titulum habuerunt, quo juste et licite possent Judæos invadere et vastare. Porro judicabit et vindicabit causam meam Deus, cum educet me in lucem, putà in libertatem è carcere Babylonio; nam tunc videbo justitiam ejus, justam scilicet vindictam, qua par pari reddet Chaldæis, dum eos vastabit per Cyrum, sicut ipsi nos vastarunt; atque Idumæis, dum eos à Chaldæis pariter in captivitatem abductos, in ea relinquet, nec in patriam reducet, uti reducet me. Rursum dum eos per Judam aliosque Machabæos, mihi meæque legi subjugabit, 1. Machab. 5. 3. Tunc ergo inimica mea, id est hostilis Babylon ; vel potius æmula et invida Idumæa, aspiciet, cum mœrore et pudore suas clades et ærumnas, et operietur confusione, quæ mihi insultans nunc dicit ad me : Ubi est Dominus deus tuus? Liberet te ab hoc excidio. Videbit enim meam libertatem et felicitatem sub Cyro ; unde tunc rumpetur invidia. Nam oculi mei videbunt in eam, q. d. Ego in alto Sionis et felicitatis culmine rursum constituta, despiciam Idumæam humi jacentem, afflictam, et pene exanimem, dicamque : Nunc erit in conculcationem ut lutum platearum,] quæ me superbe olim despexit, irrisit et afflixit. Nam paulo post cladem Hierosolymæ conculcarunt Idumæam Chaldæi, et postea Machabæi.

11. Dies, ut ædificentur maceriæ tuæ.] Primo, Theodor. pergit hæc de Idumæa accipere, q. d. Veniet tibi, ô Edom, dies obsidionis Chaldæorum, qua macerias et murorum ruinas instaurabis, ut iis te tuearis, et Chaldæis resistas : sed frustra ; nam muros vel disjicient, vel transcendent Chaldæi, teque capient et diripient.

Secundo, S. Hier. uti præcedentia, ita et hæc accipit de Babylone, q. d. Veniet tibi, ô Babylon dies, quo te obsidebunt Cyrus et Darius, ac consequenter quo cogaris instaurare tuos muros. Sed frustra : nam capiet et vastabit te Cyrus : *In illa die longe fiet lex*, q. d. Deinceps non pones leges et jura Cyro et Persis, sed ab eis accipies.

Tertio, et germane, cum eodem S. Hieron. Chaldæo, Remig. Rupert. Hugone, Clario, Ribera, et aliis hæc accipe de Jerusalem, ejusque restauratione per Esdram et Nehemiam, q. d. Brevi, ô Jerusalem excisa, et in Babylonem abducta, veniet tibi dies læta et felix, qua à Cyro laxata, et remissa in solum patrium, maceriam, id est ruinas, et parietes ædificiorum tuorum ex incendio reliquos restaures.

In die illa longe fiet lex.] Hoc est, *jussio imperiosa*, ut vertit Theodotion. et Symmach. Chaldæorum scilicet, qui tibi tyrannice imperabant, q. d. Non eris amplius imperio, legibus et edictis Chaldæorum subjecta. Unde Tigurina vertit : *Dies est ut reficiantur spes tuæ*, ab hostibus dirutæ, *quo die decretum procul erit ;* Pagninus vero : *Die illa qua ædificabit Dominus macerias tuas, elongabitur tributum*, q. d. Non pendes amplius tributum quod Chaldæis pendere solebas.

12. In die illa (libertatis et reditus è Babylone in patriam) et usque ad te veniet de Assur, ita legendum cum Roman. Hebræis et Græcis, non, *ad te veniet Assur*, uti legunt multi. Sensus est, q. d. In die illa restaurationis tuæ, ô Jerusalem, non tantum liberaberis ab hoste, ejusque jugo, lege et imperio ; sed etiam captivi tui sparsi per Assyriam, Mediam, Persidem, etc. inde ad te redibunt, et ad alias suas Judææ civitates munitas, quin et ex iis spargent se usque ad flumen suum, scilicet Jordanem, ait S. Hier. vel potius usque ad Euphratem, Jordanis enim non fuit limes, sed potius medium terræ sanctæ ; limes vero ei à Deo statutus ad Orientem fuit Euphrates, Josue 1. 4. Ita Chaldæus, et Vatab. et ab uno mari diffundes tuos cives usque ad mare alterum, putà à mari Galilææ, quod est Orientale, usque ad mare Mediterraneum, quod est Occidentale ; atque ab uno monte usque ad alium, putà à monte Libano, qui terminus est Judææ ad Septentrionem, usque ad montem Idumææ, qui terminus est ejusdem ad Meridiem, ita Theodor. q. d. Spargeris, ô Jerusalem, ô Synagoga, per totam tuam terram et ditionem olim tibi à Deo assignatam, quaquaversum ad omnes ejus mundi plagas. Notat enim hic quatuor terminos et limites terræ sanctæ Judæis promissæ : ejus enim terminus ab Oriente, est mare Galilææ, sive Tiberiadis : ad Occidentem, mare Mediterraneum : ad Septemtrionem, Libanus : ad Meridiem, montes Idumææ. Ad montem de monte.] Pro eo hebr. est הר ההר *har haar*, quod Pagnin. et Vatabl. vertunt : *Usque ad Hor montem*. Verum Hor mons nusquam ponitur terminus terræ sanctæ, ac longe ab ea distat, situsque est in Arabia. Rursum Vatabl. hæc omnia accipit de Chaldæis, eorumque victoriis, q. d. Hæc afflictio Chaldæorum perveniet usque ad terram sanctam : ipsi enim vastabunt omnia ab Assyria usque ad civitates munitas Ægypti, et usque ad Judæam ejusque limites. Verum ad Hierosolymæ rustaurationem hæc spectare, patet ex v. 11 : *Dies, ut ædificentur maceriæ tuæ*, ô Jerusalem. Eadem enim cum illa est dies hæc, in qua cives ejus ab Assur profugos, ad Jerusalem redituros prædicit. Idem patet ex v. 14. et seq. Insuper à Castro, per *montem de monte* accipit montem montium, putà montem Sion, qui situs est in medio montium, ejusque eminet quasi rex et princeps. Tertio, aliqui Recentiores τὸ *ad montem de monte*, sic exponunt, q. d. A monte Carmelo, usque ad montem Libanum. Verum nec Sion, nec Carmelus fuerunt limites terræ sanctæ : sed potius in meditullio ejus siti sunt. Quare prior sensus, quem initio assignavi, genuinus est. Quod enim aliqui per Assur accipiunt Sennacherib, sicque exponunt, q. d. Veniet tibi, ô Je-

rusalem, dies obsidionis et vastationis Sennacherib, qui conculcabit legem Dei, terramque sanctam : capiet enim omnes civitates Judææ munitas, unde, tota terra erit in desolationem. Hic inquam, sensus minus congruus est, nam ut alia taceam, de Sennacherib, ejusque strage jam pridem egit c. 2. v. 13.

13. ET TERRA ERIT IN DESOLATIONEM, *Terra*, non Judæa, sed ei inimica et hostilis, è qua Judæi liberati à Cyro redibunt læti et felices in Jerusalem, eamque restaurabunt, q. d. Cum Jerusalem restaurabitur, tunc Babylon, quæ eam vastavit, desolabitur à Cyro, PROPTER HABITATORES SUOS, propter impios Chaldæos, qui populum Dei fidelem et pium afflixerunt; ET PROPTER FRUCTUM COGITATIONUM EORUM,] putà propter perversa eorum opera : hæc enim sunt fructus et effectus cogitationum et machinationum pravarum, q. d. Babylon ob tyrannidem et scelera sua vastabitur.

14. PASCE POPULUM TUUM IN VIRGA TUA. Sunt hæc verba oratio Prophetæ, quibus Michæas Deum obsecrat, ut virga sua pastorali, id est, providentia sua paterna, suoque sceptro, quod dedit tribui Juda, et Davidis posteris, ut censet Theodor. putà per Zorobabel, ejusque posteros pascat regatque Judæos, qui sunt Dei populus, hæreditas et Ecclesia HABITANTES SOLOS IN SALTU, id est, qui cum soli, et omni ope destituti, quasi in saltu inter feras, scilicet inter Gentiles et idololatras Babylonios captivi tenentur. Ita Vatabl. et Dionys. Aut, qui separati à Gentibus soli te colunt, tecumque quasi cum suo pastore versantur, uti solæ sunt oves in saltu cum suo pastore. Ita Theodor. et Clarius.

Alleg. S. Hieron. Haymo, Remig. Rupert. Hugo et Arias, censent hæc esse verba Patris æterni ad Christum Filium, q. d. Ego te, ô fili, jam incarnatum pastorem meum constituo, jubeoque ut pascas oves meas, putà fideles Christianos baculo pastorali, putà potestate Evangelica, quam summam tibi trado. Hinc Christus abiens in cœlum, hanc potestatem totidem verbis in S. Petrum resignavit, eumque in hoc pastorali officio vicarium constituit dicens : *Pasce oves meas*, Joan. 21. 17.

IN MEDIO CARMELI.] Refer hæc verba, non ad *pascentur*, quod sequitur, nec ad *habitantes*, quod præcedit, sed remotius ad *pasce*. Ita Rom. q. d. Eia, Domine, redeant Judæi ad Carmelum, suosque agros et urbes, ibique eos pasce, quasi in Carmelo, id est large et affluenter. Carmelus enim, ut pote mons fertilis, ob opima gregum pascua, fertilitatis et abundantiæ est symbolum. Aut efficacius, q. d. O Domine, pasce tuos Judæos in Babylone, quasi in horrido et spinoso saltu constitutos, pasce, inquam, eos ibi ita secure et largiter, ac si essent in Carmelo patrio, herbido et luxurianti : fac ut Babylon eis sit Carmelus, sicut fecisti, ut tribus pueris fornax Babylonia esset hortus rorulentus, imo paradisus, Daniel. 3. 50. Ita Deus S. Tiburtio Martyri prunas ardentes vertit in rosas; et S. Laurentio ignem in rorem et refrigerium; quin et S. Cæciliæ, S. Agneti, S. Luciæ, aliisque S. Virginibus et Martyribus tormenta in gaudia, eculeos in epulas, cruces in delicias commutavit. Tanta est Dei nostri vis et potentia, tanta bonitas, tanta dulcedo in suos fideles et filios. Priori sensui paulo magis favet id quod sequitur.

PASCENTUR (Judæi, cum eos è Babylone reduxeris in Judæam) BASAN ET GALAAD, qui sunt montes pingues, et pecorum divites, *Basan*, id est, in Basan, q. d. Sicut oves in Basan et Galaad pascuntur et pinguescunt, sic et Judæi ibidem iisdem ovibus omnique rerum copia à Deo pascentur, JUXTA DIES ANTIQUOS,] id est, olim sub Davide et Salomone sicut ibidem pascebantur. Aut *pascentur*, id est, depascentur *Basan et Galaad*, et cæteros fertilissimos Judææ montes et agros, hoc est, pingues Judææ fruges, proventus et fructus colligent et comedent. Perstat in metaphora pastoris, ovium, et pascuorum : Deum enim comparavit pastori, Judæos ovibus, Judæam pascuis Carmeli, Basan et Galaad : hæc enim depascuntur oves.

15. SECUNDUM DIES EGRESSIONIS TUÆ DE TERRA ÆGYPTI,] q. d. Sicut Judæos ex Ægypto per tot plagas et portenta à Mose edita miraculose eduxi; ita pariter eorum posteros ex Babylone per multa mira, imo miracula educam. Nam primo, conciliabo eis Cyrum et Darium idololatras, ut eos, Babylone liberent. Secundo, in itinere et reditu eis adero, ut parvuli, fæminæ, senes, et debiles, sine noxa læti et alacres illud, licet longum et molestum conficiant, uti confecerunt patres eorum in deserto, cum ex Ægypto pergerent in Chanaan. Tertio, cum in Judæam appulerint, gentes vicinas, hostiles et invidas frænabo, ne eis nocere, neve fabricam Jerusalem et templi impedire queant. Hæc enim ita contigisse patet 1. Esdræ 4. et 5. et Baruch. 5. Ita Theodor. Lyran. et Vatabl.

Allegor. Christus multo magis admiranda fecit, quàm Moses vel Esdras, in liberatione hominum è captivitate diaboli; nam, ut taceam mira incarnationis, nativitatis, prædicationis, transfigurationis, passionis, resurrectionis, ascensionis, missionis Spiritus Sancti mysteria, et miracula ab eo, dum viveret, patrata; post mortem per paucos Apostolos abjectos et pauperes, prostravit omnem potentiam et sapientiam mundi, imo inferni et dæmonum, regesque ac sapientes, totumque orbem suæ cruci salutiferæ subjecit. Ita S. Hieron. Haymo, Albert. Rupert. et alii. Unde sequitur :

16. VIDEBUNT GENTES, ET CONFUNDENTUR SUPER OMNI FORTITUDINE SUA,] quia scilicet per eam non potuerunt nocere Hebræis, nec postea vincere Christianos. Videbunt enim longe majorem fortitudinem et robur à Deo datum Hebræis, et Apostolis ac Christianis, quo ipsi invicti omnia vincent, adeo ut etiam per mortes et martyria superent tyrannos, multosque ex eis ad Christi fidem convertant. Nam, ut ait Tertul. *Sanguis Martyrum est semen Christianorum*. Et, ut ait S. Gregor. *Grana singula, dum cadunt, multiplicata resurgunt*. Et ut S. Leo serm. de S. Petro et Paulo : *Ecclesia persecutionibus non minuitur, sed augetur*. Sic et cujusque in ea fidelis *crescit adversis agitata virtus*, quæ alioqui sine adversario marcescit.

PONENT MANUM SUPER OS,] q. d. Præ confusione, consternatione et admiratione tantorum mirabilium, obmutescent et obstupescent, ut mutire non audeant.

AURES EORUM SURDÆ ERUNT,] q. d. Pari modo obsurdescent, ut quasi attoniti perdant usum oris et aurium, ut nec loqui nec audire queant. Secundo, quasi præ invidiâ et dolore obturabunt aures, ne audiant hæc mirabilia, prospe-

rosque successus Hebræorum in Jerusalem, et postea Christianorum in lege Evangelica : hæc enim cruciabunt Gentes idololatras, et invidas, eruntque quasi sudes in oculis, et quasi tonitru in auribus eorum.

17. LINGENT PULVEREM SICUT SERPENTES.] Est catachresis, significans summam subjectionem Gentium sub victoribus Judæis, qualis eis contigit sub Juda, Jonatha, et posteris eorum, ut patet ex libris Machab. q. d. Adeo Idumæi, Ammonitæ, Moabitæ, aliæque vicinæ gentes, olim hostiles, percellentur metu Judæ, Jonathæ et Judæorum, ut coram eis supplices se in terram prosternant, et more Gentium fronte humum feriant, itaque ore terram tangere et lambere videantur. Idem alleg. verius fuit in Christo et Apostolis : de his enim ait Psaltes psalm. 71. 9. *Coram illo procident Æthiopes, et inimici ejus terram lingent.* Et Isaias cap. 49. 23. *Vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent.* Vide ibi dicta. Ita S. Hieron. Sic navis dicitur oram lambere vel lingere, cum juxta littus navigat; et fluvius lambere terram, quam alluit; et flamma lambere ea quæ attingit vel afflat. Sic Virgil. 2. Æneid. Visa est, inquit, *Iuli*

Lambere flamma comas, et circum tempora pasci.

Alludit ad serpentes, qui proprie terram lingunt et comedunt, juxta illud Genes. 3. *Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.*

VELUT REPTILIA TERRÆ PERTURBABUNTUR IN ÆDIBUS SUIS.] Aliqui legunt *proturbabuntur.* Ita Haymo, Remig. et veteres codices; quod aliqui sic explicant, q. d. Sicut nonnullæ terræ, uti Melitensis ex benedictione S. Pauli; Hibernica, ex benedictione S. Patricii; Ebusitana in Balearibus, teste Solino Polyhist. cap. 26. et terra sigillata, qua vulgo Medici utuntur, non patitur venena, nec serpentes; sed eos fugat ac propulsat : ita Judæi è Babylone redeuntes in Judæam, propulsabunt Gentes, quæ eam occupaverant, cogentque eas sibi avitum locum et terram cedere. Verum legendum cum Romanis *perturbabuntur,* id est, sacro quodam horrore et reverentia, tam Dei, quam populi ejus fidelis, putà Judæorum, et alleg. Apostolorum et Christianorum, percellentur. hebr. enim est ירגזו *iirgezu,* id est, *contremiscent.* Unde Septuag. vertunt : *Turbabuntur in conclusionibus suis;* Chald. *Commovebuntur de ædibus suis;* Tigurina et Vatablus : *Contremiscent in clausuris suis,* id est, in Urbibus in quibus clausi erunt præ timore, q. d. Sicut serpentes et reptilia ad hominis aspectum expavescunt, ac pavida se in sua antra et cavernas abdunt : ita Gentes expavescent et venerabuntur Judæos Babylone redeuntes, et allegor. multoque magis Apostolos sanctosque Christianos. Unde sequitur : *Dominum Deum nostrum formidabunt.* Addit Sanchez alludi ad cervos, qui halitu suo serpentes è cavernis extrahunt: *Elephantorum anima serpentes extrahit, cervorum item urit,* ait Plinius lib. 11. cap. 53. Unde et cervus dicitur ελαφος, απο του ελειν οφεις, id est, ab extrahendo serpentes, q. d. Tam facile Machabæi suos hostes è latibulis extrahent, quam facile cervi solo anhelitu è cavernis educunt serpentes. Alleg. Id verius de Apostolis, gentes barbaras è suis antris suaque barbarie ad humanitatem sanctitatemque convertentibus.

DOMINUM DEUM NOSTRUM FORMIDABUNT.] Ita legendum cum Romanis, Hebr. et Septuag. non *desiderabunt,* uti legunt Plantin. et alia pleraque Biblia. Hebr. est: *Ante Dominum Deum nostrum pavebunt.* Ita Tigurina; vel, ut Pagnin. *A Domino Deo nostro formidabunt.* Hic metus et formido signum est tum pavoris, tum reverentiæ. In Scriptura enim metus Dei, idem est quod reverentia Dei; et timere Deum, idem est quod revereri Deum. Alludit ad Chaldæos, Persas, aliasque gentes ad judaismum conversas sub Cyro, 1. Esdræ 6. 21. et sub Esther cap. 8. 17.

ET TIMEBUNT TE,] ô Israel, ô popule fidelis, ô Ecclesia.

18. QUIS DEUS SIMILIS TUI?] Sunt verba, non gentium perculsarum, et formidantium Deum Israel, sed Prophetæ, qui ex tanta Dei in populum suum clementia et liberalitate, qua Judæos Babylone liberatos sospitavit et provexit, in doxologiam Deique laudem gratulabundus erumpit. Ita Theodor. Lyran. et Vatabl. Ac simul Alleg. vaticinatur de Christo, Christique redemptione. Unde Chald. v. 19. vertit : *Revertetur verbum ejus ut misereatur nostri,* q. d. Verbum Dei incarnabitur, itaque ad nos revertetur, ut nos redimat. Ita S. Hieron. Remig. Rupert. Hugo, et alii plerique hoc de Christo exponunt. Christus enim est, qui aufert iniquitates nostras, et projicit in profundum maris omnia peccata nostra. Nimirum ipse est veritas Jacob, et misericordia Abrahæ promissa.

QUI AUFERS INIQUITATEM, ET TRANSIS, id est, præteris, dissimulas, condonas; Septuag. *Transcendis;* Chald. *Missa facis.* Vatabl. *Oblivisceris et sub pedibus ponis* (hebr. enim est : *Transis super peccatum,* scilicet illud calcando, delendo et obterendo) PECCATUM RELIQUIARUM HÆREDITATIS TUÆ,] id est, peccatum Israelis, sive populi è captivitate relicti et reliqui. Per peccatum, tum culpam intellige : multi enim Judæorum, malo captivitatis afflicti, resipuerunt, et pœnitentiam egerunt cum Daniele. cap. 9. tum pœnam culpæ, putà captivitatem Babylonicam : hanc enim abstulit Deus, dum Judæos in libertatem asseruit.

NON IMMITTET ULTRA FUROREM SUUM.] Qualem immisit per Chaldæos; supple, nisi Judæi ad sua scelera redierint, uti de facto redierunt quocirca majorem furorem in eos immisit, dum eos per Titum et Romanos plane excidit et delevit. Quocirca hæc allegorice veriora sunt in Christo et Christianis.

19. DEPONET (hebr. יכבוש *iichbos,* id est, subjugabit, sub pedibus ponet, conculcabit) INIQUITATES NOSTRAS.] Ita Vatabl. Septuag. *submerget;* Chald. : *Subjiciet iniquitates nostras suæ misericordiæ.* Hæc enim quasi longe major peccatis omnibus dominatur, eaque dominando condonat et abolet.

ET PROJICIET IN PROFUNDUM MARIS OMNIA PECCATA NOSTRA.] Est catachresis, q. d. Faciet Deus ut omnino aboleatur peccatum, nec amplius sit, vel exstet. Sic enim aboletur, quod in fundum maris demergitur. Unde illud Horat. lib. 1. Carm. 1.

Sive flamma, seu mari libet Adriano.

Mos quoque fuit Judæis, ut quæcumque abominanda essent, dira nefastaque, in mare falsum quod proximum erat, putà in lacum Asphaltitem, demergerent. Ita ex Rabbinis in Misnaioth Arias. Sic Indi peccata sua scripto exarata, vel alio

symbolo expressa in flumen jactant, ut illud ea deferat ad mare, ubi æterna premantur oblivione. Testis est Noster Acosta lib. 5. de Novo orbe cap. 25. Proprie vero Propheta alludit ad demersionem Pharaonis in mare Rubrum, quæ fuit typus baptismi sanguine Christi rubricati, quo merguntur Ægyptii, id est, peccata. Unde alleg. Theodor. et Rupert. Per *profundum maris* accipiunt hic baptismum, q. d. Mergam peccata vestra in baptismo, sicut Pharaonem cum suis mersi in mari. Ita quoque explicat S. Basil. hom. 1. in psalm. 28. Unde S. Augustinus conc. 1. in psalm 113. docet *sicut Ægyptios in mari rubro, ita delicta nostra in Baptismo esse demersa et extincta.* Quod nota contra Hæreticos nostros, qui putant peccata baptismo tantum tegi et occultari per justitiam Christi nobis imputatam, quasi per pallium, sed reipsa manere, et vivere in anima per concupiscentiam illi inhærentem. Contrarium enim ait hic Propheta, et contrarium accidit Pharaoni et Ægyptiis : ipsi enim aquis maris, non tecti et occultati, sed occisi et extincti fuerunt : ergo simili modo in Baptismo, et aliis Sacramentis, peccata non absconduntur, sed vere delentur et extinguuntur.

20. DABIS VERITATEM JACOB (hebr. *leiaacob*, id est, *Jacobo*) MISERICORDIAM (Arabicus *gratiam*) ABRAHAM (hebr. *leabraham*, id est, *Abrahamo*, ita et Syrus (præstando scilicet ea, QUÆ JURASTI PATRIBUS NOSTRIS, Abrahamo, Isaaco, Jacobo, Mosi, Davidi, etc. A DIEBUS ANTIQUIS,] q. d. Vere et fideliter implebis in Jacobo, id est, in Jacobi posteris, puta Judæis, ea quæ misericorditer Abrahæ, Jacobo, aliisque patribus promisisti, tum de Judæorum cura, protectione et liberatione è captivitate, v. g. Babylonica, tum maxime de Christo ex eorum semine nascituro, quod scilicet ille nos à peccatis malisque omnibus liberaret, omnique gratia, salute, felicitate et gloria simpiterna donaret. Hæc enim est promissio facta Abrahæ, Genes. 22. v. 18. ubi dicitur : *Benedicentur in semine tuo*, puta in Christo ex te nascituro, uti explicat Apostolus Galat. 3. v. 16. *omnes gentes*, indeque dictus est Abraham, quasi אב רב המון *ab rab hamon*, id est, pater magnæ multitudinis, puta pater multarum gentium, quæ scilicet fidem Abrahæ imitantur, creduntque in Christum, Abrahæ filium. Nota. Promissionem Dei vocat *misericordiam*; quia gratis et ex mera misericordia Deus bona jam dicta promisit Abrahæ, et quia gentes, non ex merito, sed ex misericordia eadem, puta gratiam, justitiam et salutem Christi participant. Eamdem vocat *veritatem*, id est fidelitatem ; quia fidelissime à Deo erat adimplenda, uti jam adimpleta est. Ita S. Hieron. Theodor. Remig. Rupert. Lyran. Sed cur *misericordiam* tribuit Abrahæ, *veritatem* Jacob ? Resp. primo subtiliter S. Hier. et Hebræi, quia prima promissio Dei facta Abrahæ, fuit non ex ejus merito, nec ex debito, sed ex misericordia ; posita autem hac promissione, facta est veritas, id est, ex fidelitate debita. Quod ergo erat gratia Abrahamo, factum est veritas, sive fides, et debitum nepoti ejus, puta Jacobo et Jacobæis. Itaque promissa Dei, maxime Christus est misericordia Dei ; quia à Deo misericorditer promissus est et datus orbi. Idem quoque est veritas, quia in eo fideliter implevit Deus omnia, deditque bona cuncta quæ promisit. Hoc est, quod de eo ejusque adventus causa, canit Zacharias Lucæ 1. 72 : *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari testamenti,* (promissionis et pacti) *sui sancti :* quod testamentum est magnum illud *jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis.* In Christo enim omnes promissiones, et magnificæ pollicitationes Patriarchis et Prophetis factæ, finiuntur et adimplentur. Meminit Abrahæ et Jacob, non Isaac ; tum quia Isaac medius inter Abraham et Jacob, in iis includitur et subintelligitur, tum quia clariores promissiones factæ sunt Abrahæ et Jacob quàm Isaaco, tum denique quia promissiones factæ Isaaco, in solum Jacobum omnesque ejus posteros descenderunt : ab iis enim exclusus fuit Esau, alter, isque primogenitus Isaaci filius.

Secundo, solidius et verius, Jacobo tribuit *veritatem*, Abrahæ *misericordiam*, quia per Jacob intelligit posteros ejus, qui ab eo quasi proximo parente Jacobæi et Israelitæ, imo Jacob et Israel (Jacob enim alio nomine dictus est Israel) proprio nomine sunt appellati. Atque hac de causa Jacobum præponit Abrahæ, quia per Jacob intelligit posteros ejus : hi enim proprie ab eo dicti sunt Jacobæi et Israelitæ, non ab Abraham avo Abrahæi. Nam hæ promissiones exhibitæ et completæ sunt, non in ipso Jacobo, sed diu in posteris ejus. Ita Theodor. Albert. Vatabl. et à Castro. Sensus ergo est, q. d. Dabis veritatem, id est, fideliter implebis in Jacob, id est, in Jacobæis, ea quæ misericorditer primitus Abrahæ Patriarchæ et avo eorum promisisti, maxime de Christo, Christique redemptione et salute.

Mystice, Jacob refert et repræsentat Judæos, quasi proprius eorum parens, quibus proprie Deus fecit hæc promissa de Christo : unde eis tribuitur veritas, id est, fidelitas promissionum. Abraham repræsentat Gentes, inde enim dictus est Abraham, q. d. Pater multarum gentium. Gentes autem ex gratia admissæ et asscitæ sunt ad hæc promissa Christi : unde eis tribuitur eorumdem misericordia, juxta illud Pauli Rom. 15. v. 8 : *Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis*, id est, circumcisorum, puta Judæorum, *propter veritatem Dei ac confirmandas promissiones patrum ; Gentes autem super misericordia honorare Deum.* Ita S. Hieron. Haymo, Remig. et Rupert.

Moral. disce hic quantum beneficium sit peccatorum remissio, quantasque pro eo Deo gratias agere debeamus. Sicut enim summum malorum omnium est peccatum, ita summum bonorum omnium est ejus remissio. Peccatum enim gravissime offendit immensam illam majestatem, bonitatem et sanctitatem divinam, estque quasi quoddam deicidium, imo vere et proprie fuit christicidium ; nullo enim pretio, nisi sanguine et morte Christi, elui et expiari potuit, de quo plura dixi Jer. 2. initio capitis. Adde, hæc remissio non fit, nisi per gratiam Dei animæ infusam, per quam simus filii et hæredes Dei, adeoque, ut ait S. Petrus, epist. 2. c. 1. 4. confortes divinæ naturæ. Hoc est quod ait Michæas : *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem ? etc.* Majus enim opus Dei est justificatio impii, quàm creatio cœli et terræ, uti ex S. August. demonstrat D. Thom. 1. 2. q. 113. a. 9. Porro Deus non tantum peccatum, quod est quasi hostis perniciosissimus animam invadens et occupans, ab ea aufert et expellit; sed et ab ea ita elongat,

ut illud in profundum maris projiciat, ut ait hic Propheta : imo in die judicii projiciet illud cum omnibus peccatoribus in abyssum inferni. Hæc est veritas Jacobo et misericordia Abrahæ promissa, de qua Zacharias, Luc. 1. 77 : *Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum : per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos, oriens ex alto. Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Et v. 74 : *Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris.* Quocirca omnes Sancti pœnitentes mire hoc Dei beneficium in se celebrarunt. S. Petrus quotidie audiens galli cantum, memor suæ negationis Christi, resolvebatur in lacrymas; ideoque totum se ejus prædicationi, amori et obsequio, usque ad mortem crucis devovit. Unde epist. 1. c. 2. 9. de hac gratia exsultans et Gentilibus congratulans : *Vos*, ait, *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. Qui aliquando populus, nunc autem populus Dei : qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.* S. Paulus ita suam conversionem admiratur, itaque de ea sibi gratulatur, ut in has voces erumpat : *Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum, sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam. Regi autem seculorum, immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria in secula seculorum. Amen.* Lege totum c. 1. ad Ephes. in quo hoc beneficium remissionis obstupescit, et profundis sensibus verbisque eructat. S. Magdalena de remissione accepta à Christo certa, totam vitam in eremo, in lacrymis, gratiarum actione, amore et contemplatione transegit, usurpans illud Cant. 1. 12 : *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commemorabitur; fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* S. Maria Ægyptiaca pœnitens simili modo 47. annos in solitudine consumpsit, jugiter habens illud in mente : *Misericordias Domini in æternum cantabo. Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti. Trahe me post te : curremus in odorem unguentorum tuorum. Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam donec introducam illum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ.* Hosce imitentur, qui aliquando peccarunt, præsertim mortaliter et graviter; ideoque Deo in humilitate, pœnitentia, gratiarum actione, amore et fervore, præsertim ut animas proximorum è peccati abysso extrahant, Deoque pro compensatione offerant, tota vita læti alacresque deserviant.

COMMENTARIA

IN

NAHUM PROPHETAM.

ARGUMENTUM.

JONAS contra Niniven prædicans, eique excidium post quadraginta dies intentans, eamdem ad pœnitentiam convertit; per quam ipsa Jonæ minas et excidium evasit et avertit. Verum postea ad ingenium, ac ad scelera et tyrannidem suam rediens, Dei iram rursum in se concitavit, præsertim cum tyrannice alias gentes, ac nominatim Israelitas, puta decem tribus, invasit et excidit. Quocirca post Jonam submisit Deus Nahum, qui Jonæ minas contra Niniven renovaret et revocaret. Porro Niniven non esse excisam ob primam in scelera recidivam, quæ post actam, prædicante Jona, pœnitentiam mox subsecuta est, fuse probat Ribera cap. 2. n. 5. et sequent. quem sequitur Torniellus anno mundi 3321. Sed ob aliam longe posteriorem prævaricationem. Nam propter illum priorem Ninivitarum sub Sardanapalo relapsum, Deus illico punivit eos; dum permisit eos ab Arbace Medo et Beloso Babylonio subjugari. Hi enim ceperunt Niniven, et Sardanapalum ad mortem sibi consciscendam compulerunt. Verum Ninive ab Arbace vastata postea refloruit, pluresque habuit reges potentissimos, nimirum Phul, Teglatphalasar, Salmanasar, Sennacherib et Asarhaddon, qui Israelitas vexarunt et oppresserunt, ut patet ex lib. 4. Regum; ac sub iis ad pristina scelera et tyrannidem rediit. Quocirca Dei vindictam et excidium ei, totique Assyriæ (hujus enim metropolis erat Ninive) rursum comminatur hic Nahum; qui quasi novus Jonas novum proclamans supplicium, hasce minas ei intentavit post abductas decem tribus in Assyriam, quod contigit anno 6. Ezechiæ. Unde liquet eum prophetasse post annum sextum Ezechiæ; sed ante annum ejus decimum quartum, quo Sennacherib rex Assyriorum invasit Judæam, et Jerusalem obsedit: nam hunc ejus adventum, et Jerusalem ac Ezechiæ ab eo liberationem prædicit hìc Nahum. Ita S. Hieron. hìc in proœmio, Theod. Theoph. Remig. Haymo, Albertus, Hugo, Ribera, à Castro et alii passim. Audi S. Hieron. *Post Jonam*, inquit, *Michæas ponitur et post Michæam Nahum, qui interpretatur consolator; jam enim decem tribus ab Assyriis deductæ fuerant in captivitatem sub Ezechia rege Juda, sub quo etiam nunc in consolationem populi transmigrati adversus Niniven visio cernitur. Nec erat parva consolatio, tam his* (Israelitis, sive decem tribubus) *qui jam Assyriis serviebant, quam reliquis qui sub Ezechia de tribu Juda et Benjamin ab iisdem hostibus obsidebantur, ut audirent Assyrios quoque à Chaldæis esse capiendos.* Hinc rursum sequitur, ab initio prophetiæ Jonæ usque ad Nahum fluxisse annos circiter 90. Perperam ergo Hebræi in Seder-olam, et ex iis Vatabl. Arias et Genebrard. in Chronol. numerant tantum 40. quia putant Nahum, Joelem et Habacuc, prophetasse sub Manasse, filio Ezechiæ, sed ejus, utpote improbi, nomen tacuisse. Nam Jonas, ut ostendi in ejus proœmio, cœpit prophetare tempore Jeroboam, et Sardanapali, sub initium regni Oziæ regis Juda: quare cum Ozias regnarit 52. annis, deinde Joathan filius ejus annis 16. post Joathan Achaz annis 16. post Achas successerit Ezechias, cujus anno sexto, vel paulo post prophetavit Nahum; si colligas hos omnes annos, conficies 90. quos dixi. Torniellus anno mundi 3321. censet Nahum cœpisse prophetare uno anno antequam Sennacherib obsideret Jerusalem, puta anno 13. Ezechiæ: nam anno ejus 14. Sennacherib obsedit Jerusalem. Quod si verum est, sequitur inter Nahum et initium Jonæ fluxisse annos 79. Porro prophetia hæc Nahum impleta est, ac Ninive cum regno Assyriorum eversa, sub annum 5. post excidium Jerusalem factum à Chaldæis, ut ostendam c. 2. initio. Quare ab hac Nahum prophetia, usque ad ejus complementum, puta usque ad excidium Ninives, fluxerunt anni circiter 138. Cœpit enim Nahum sub annum sextum Ezechiæ, qui deinde adhuc 23. (nam universim regnavit annis 29.) annis regnavit: successit ei filius Manasses, qui regnavit annis 55. huic successit Amon annis duobus: huic Josias annis 31. huic Joakim annis 11. huic Sedecias annis 11. sub quo anno 11, excisa est Jerusalem à Chaldæis, ac deinde post annos 5. ab eisdem eversa est Ninive. Adde hos annos, habebis 138. quos dixi. Ex dictis sequitur errare Clementem Alex. qui lib. 1. Stromatum censet Nahum prophetasse post Ezechielem, puta post annum 5. transmigrationis Joachin in Babylonem. Minus recte quoque Josephus lib. 9. Antiq. 11, scribit Nahum cœpisse prophetare sub Joathan, qui fuit avus Ezechiæ.

De Nahum ita scribit S. Epiphan. in Vita ejus: *Nahum natus erat ab Elkesi trans Jordanem fluvium, versus Begabar, de tribu Simeon. Hic est Propheta ille, qui post Jonam ostentum ac prodigium dedit super Ninive, quod ab aquis dulcibus, igneque terreno olim vastaretur. Id quod tandem contigit, quippe eam terræ motu undique ambiente, mox etiam aqua de solitudine superveniens superiores omnes urbis locos occupavit. Expiravit vero Nahum animam in pace, et in Begabar, se-*

dibus ille suis placidis in morte quiescit. Verum de hoc ostento, quod scilicet Ninive aquis dulcibus igne et terræ motu evertetur, nihil expresse apud Nahum, vel apud Josephum legimus. Eadem tamen habet Dorotheus in vita Nahum, qui et modum addit : *Nam stagnum*, inquit, *quo civitas illa* (Ninive) *circumdata erat, facto terræ motu, submersit eam, ac perdidit; et ignis è solitudine ortus superiorem illius partem consumpsit.* Et aliquid tale insinuat Nahum cap. 1. v. 4. et cap. 2. v. 13. et cap. 3. v. 15. uti ibi dicam. Ibidem Dorotheus asserit Nahum de resurrectione prophetasse cap. 1. v. 15.

Tropolog. et Anagog. S. Hieron. *Sciendum est*, inquit, (*quoniam Ninive de Hebræo speciosam sonat; speciosus autem hic mundus dicitur. Unde et apud Græcos* Κοσμος *ab ornatu nomen accepit*) *quidquid nunc adversus Niniven dicitur, dè mundo figuraliter prædicari. Quam ob causam assumptio, quam Septuag. interpretantur* λημμα, *et Aquila* αρμα *apud Hebræos* משא *massa ponitur, id est, grave onus, eo quod eam adversus quam videtur premat, nec sinat elevare cervicem.* Et mox : *De consummatione itaque mundi, secundum anagogen, ô Paula et Eustochium, in consolationem Sanctorum prophetia texitur, ut quæcumque in mundo vident, quasi prætereuntia et caduca contemnant, et præparent se ad judicii diem, ubi ultor adversus veros Assyrios futurus Dominus est.* Idem epistola ad Paulinum : *Nahum*, inquit, *consolator orbis increpat civitatem sanguinum, et post eversionem illius loquitur : Ecce super montes pedes evangelizantis, et annunciantis pacem.* *Nahum* enim vel hebr. *Nachum*, deducitur à rad. נחם *nacham*, id est, consolatus est. Nahum ergo idem est quod Noë, id est consolator, per apocopen. De Noë enim dicitur Genes. 5. 29. *Vocavitque nomen ejus Noë, dicens; iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum in terra cui maledixit Dominus.* Vide ibi dicta. Rursum quia *nacham in piel*, significat pœnitere; hinc *Nahum* verti quoque potest *pœnitens.* Unde Pagninus in Nominibus Hebr. *Nahum*, inquit, *idem est, quod consolator, aut pœnitens, aut consolationem vel pœnitentiam adeptus; aut consolatio vel pœnitentia.* Sicut enim Nahum pios Israelitas spe opis divinæ consolatur; ita impios Ninivitas terrore minarum percellit, adigitque ad pœnitentiam. Idem faciat concionator.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Duplicem Propheta huic capiti totique prophetiæ præfigit titulum. Prior est, onus Ninive, quia Ninivitis post Jonæ prædicationem, et poenitentiam, in pristina scelera relapsis, comminatur excidium a v. 1. usque ad v. 7. Posterior : liber visionis; quia a v. 7. usque ad finem capitis consolatur Israelitas, Assyriorum et Sennacherib hostis sui strage et internecione.

1. Onus Ninive : Liber visionis Nahum Elcesæi. 2. Deus æmulator, et ulciscens Dominus : ulciscens Dominus, et habens furorem : ulciscens Dominus in hostes suos et irascens ipse inimicis suis. 3. Dominus patiens, et magnus fortitudine, et mundans non faciet innocentem. Dominus in tempestate et turbine viæ ejus, et nebulæ pulvis pedum ejus. 4. Increpans mare, et exsiccans illud; et omnia flumina ad desertum deducens. Infirmatus est Basan, et Carmelus : et flos Libani elanguit. 5. Montes commoti sunt ab eo, et colles desolati sunt : et contremuit terra à facie ejus, et orbis, et omnes habitantes in eo. 6. Ante faciem indignationis ejus quis stabit ? Et quis resistet in ira furoris ejus, indignatio ejus effusa est ut ignis : et petræ dissolutæ sunt ab eo 7. Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis : et sciens sperantes in se. 8. Et in diluvio prætereunte, consummationem faciet loci ejus : et inimicos ejus persequentur tenebræ. 9. Quid cogitatis contra Dominum ? consummationem ipse faciet : non consurget duplex tribulatio. 10. Quia sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium : consumentur quasi stipula ariditate plena. 11. Ex te exibit cogitans contra Dominum malitiam : mente pertractans prævaricationem. 12. Hæc dicit Dominus : Si perfecti fuerint, et ita plures; sic quoque attondentur, et pertransibit : afflixi te, et non affligam te ultra. 13. Et nunc conteram virgam ejus de dorso tuo, et vincula tua disrumpam. 14. Et præcipiet super te Dominus, non seminabitur ex nomine tuo amplius : de domo Dei tui interficiam sculptile et conflatile, ponam sepulchrum

tuum, quia inhonoratus es. 15. Ecce super montes pedes evangelizantis, et annunciantis pacem : celebra Juda festivitates tuas, et redde vota tua : quia non adjiciet ultra ut pertranseat in te Belial : universus interiit.

1. ONUS NINIVE.] *Onus*, id est, prophetia onerosa et calamitosa, quæ quasi grave onus et jugum imponitur collo Ninives, quasi vaccæ lascivientis, ut illam ducat ad lanienam, Deo mactet et victimet. Unde Chald. vertit, *onus calicis maledictionis.* Vide quæ de voce *onus* dixi Isaiæ 13. 1. Pro *onus* Septuag. vertunt, λῆμμα id est, assumptio, putà, onus quod assumitur; quod aliter et varie explicat Theoph. Primo ad litteram, q. d. Assumpta, elevata, et *arrepta mens mea à spiritu, prævidit quæ Ninivæ essent obventura.* Secundo, *videtur* lemma *appellare iram Dei cum zelo, ex eo quod fortior apprehendit imbecilliorem, ut dilaniet.* q. d. Deus assumet et apprehendet Niniven, sicut accipiter apprehendit turturem, ut discerpat. Tertio mystice et alleg. *Ninive est ipsa caro quam assumpsit Christus, ut condemnaret peccatum in carne. Eadem est* liber visionis; *quia Christus est lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum,* Quarto, tropol. lemma Ninives est assumptio peccatorum ad Christi gratiam, justitiam et salutem. *Vide autem quod primum, lemma Ninive, deinde* liber visionis *dixerit. Nisi enim quis vitia spoliet, et sub jugum mittat, ad librum visionis, qui est contemplatio, non perveniet.* Hæc Theophyl. Quinto, poëtice Sanchez : Lemma, inquit, est titulus, vel Summarium epigrammatis, vel emblematis, uti Martialis l. 14. suis epigrammatibus præfigit titulos, quos vocat lemmata, causamque dat;

Lemmata si quæris cur sint adscripta, docebo;
Ut si malueris, lemmata sola legas.

Sic sensus erit, q. d. Libri visionis Nahum argumentum totum est contra Niniven.

LIBER.] Solebant Prophetæ viva voce prophetare et concionari, ac deinde eadem in libro conscribere, ut ab auditoribus relegi et repeti, atque à posteris legi possent : hac de causa vocatur hîc liber. Addit Arias, librum more Hebræo vocari epistolam, qua hoc oraculum scripsit Nahum, misitque ad Ninivitas; nec enim ipse eos adiit, uti fecit Jonas.

VISIONIS NAHUM.] Visionem aliqui interpretati suntexstasin; unde Montanus hæresiarcha, tempore Tertull. docuit, Prophetas in exstasi locutos, ita ut nescirent quid dicerent, siculi faciunt energumeni à dæmone correpti, uti refert Epiphan. hæres. 48. Sed hic est error, quem Epiph. S. Hieron. S. Basil. S. Chrysost. et alii passim impugnant. Audi S. Basil. præfat. in Isaiam : *Sunt*, ait, *qui dicant eos* (Prophetas) *extra se raptos prophetare, humana mente à Spiritu absorpta, verum id abhorret à professione divinæ præsentiæ, ut amentem reddat, qui à Numine corripitur.* Et mox : *Qui consonum est, ut quis ex sapientiæ Spiritu simillimus insano reddatur? quin potius neque lumen cæcitatem parit, verum videndi vim à natura insitam expergefacit.* Et rursum respondens objectioni : *Porro, si quoniam Isaac in ingressu filii sui extra se raptus fuit; et quoniam David dixit in excessu suo* (omnis homo mendax) *ob id fingunt Sanctos extra se rapi; intelligunt admirationem ac stuporem appellatum esse raptum.* Et S. Hieron. præfat in Isaiam : *Neque vero*, ait, *ut Montanus cum insanis feminis* (Prisca et Maximilla, prophetissis ejus) *somnia Prophetæ, in exstasi sunt locuti, ut nescirent quid loquerentur; et cum alios erudirent, ipsi ignorarent quid dicerent, de quibus Apostolus dicit : Nescientes quid loquantur; sed juxta Salomonem (sapiens intelligit quæ profert de ore suo in labiis suis portabit scientiam) etiam ipsi sciebant quid dicerent. Si enim sapientes erant Prophetæ, quod negare non possumus, quomodo, instar brutorum animalium, quid dicerent ignorabant?* Et S. Chrys. hom. 29. in 1. ad Corinth. *Hoc vatis*, ait, *proprium est mente commoveri, et necessario compelli, et trahi tanquam furiis percitum : Propheta autem non ejusmodi est, sed sobria mente, et modesta, et firma, quæ loquitur omnia novit ut decet.*

Visio ergo Prophetarum, non fuit extasis arreptitia, sed intelligentia mentalis qua videbant, id est, intelligebant, ea quæ sibi à Deo ostendebantur et revelabantur, uti dixi Isaiæ 1. 1. Porro prophetiam suam Nahum vocat tum onus, tum visionem, quia illa fuit onerosa Ninivitis, eademque fuit visio consolatoria Israelitis, eos enim consolatur ex Ninives et Sennacherib strage.

ELCESÆI,] oriundi ex Elcese viculo Galilæa, de quo S. Hieronym. in procemio : *Quidam*, ait, *putant, Helkesæum patrem esse Nahum, et secundum hebræam traditionem etiam ipsum Prophetam fuisse, cum Helkesai usque hodie in Galilæa viculus sit, parvus quidem, et vix ruinis veterum ædificiorum indicans vestigia; sed tamen notus Judæis, et mihi quoque à circumducente monstratus.* Ita quoque Epiph. in vita Nahum, Chald. Theoph. Remig. Lyran. Hugo, Ribera, à Castro et alii passim. Quare minus recte nonnulli cum Vatablo censent, Nahum à familia cognominatum esse Elcesæum. Porro symbolice Elcesæus hebr. idem est quod serotinus, tardus (unde ab eadem radice derivatum nomen לקש *lekes*, vel מלקוש *malcos* significat pluviam serotinam) quare apposite denotat serotinam et tardam Dei vindictam exercendam in Niniven, quam post Jonam Nahum, quasi serotinus ei denuntiat. Deus enim tardus est ad puniendum, sed tarditatem supplicii gravitate compensat, juxta illud veterum : *Dii laneos habent pedes, sed ferreas manus.* Quocirca Arias censet Jonæ oraculum fuisse quasi pluviam temporaneam, quæ segetes germinare facit : Nahum vero prophetiam esse quasi pluviam serotinam quæ messem maturat; imminentem enim cladem et demessionem gentis et regni Ninivitis denunciat.

2. DEUS ÆMULATOR, ET ULCISCENS DOMINUS.] Hebr. *Deus* (vel *fortis*, hîc enim est אל *el*) *zelotes, et ultor est Jehova;* Syrius : *Deus zelator et ultor*, q. d. Jehova est Deus zelotes, qui ingenti zelo tuetur fideles suos, æque ac justitiam et pietatem; ideoque infideles et tyrannos, qui fideles et insontes vexant et opprimunt, acriter punit, et ulciscitur. Zelus enim ipsius non fert fidem et justitiam ab impiis calcari, aut eorum injurias manere inultas et impunitas. Quocirca ipse, ut zelotes, gravi vindicta vos, ô Assyrii

et Ninivitæ, plectet, eo quod populum ipsi fidelem, puta Israelitas, sæpius invaseritis et vastaveritis. Itaque zelus duos, eosque contrarios actus complectitur. Prior, est ingens amor et cura tuendi rem amatam, puta populum suum; posterior, ingens ira et cupido puniendi eos, qui populum à se amatum lædere et affligere ausi sunt. Unde pro *Deus zelotes*, Tigurina vertit: *Deus inique ferens injurias;* Chald. *Deus judex*. Judicis enim est tueri justos et justitiam, ac punire injustos, eorumque injurias. Zelotes ergo idem est quod vehemens ardensque amator suorum, et ultor hostium. Unde τὸ *ulciscens* tertio hìc repetit Propheta; ut significet Deum acerrimum esse ultorem, et acerrime puniturum Ninivitas, eo quod post monitionem Jonæ relapsi sint in pristina scelera, ac tertio, id est sæpius, invaserint et expilarint populum Dei. Vide hìc et mirare zelum et zelotypiam, ut ita dicam, Dei nostri in suos fideles et filios, quos cum flagellavit, illico in flagella ipsa indignationem suam convertit; ideoque in hostes ejus acer vindex insurgit, illisque vehementer irascitur; perinde ac pater flagellans filium peccantem, percussi filii dolorem multo magis commiseratione sentit, quam filius ipse vapulando sentiat; unde mox furorem suum in virgam convertens, ipsam confringit, in frusta concidit et abjicit, moxque totus lacrymis perfusus, corruens in collum plangentis filii, inter dulces amplexus, mœrori ac dolori lætis gratissimisque pollicitationibus medetur. Ita facit hìc Deus Israeli, quare blandiens illi vers. 12. ait: *Afflixi te, et non affligam te ultra.* Denique Deus est zelotes, quia solus ab Ecclesia, et ab anima sancta amari vult, nec in amore ullum patitur rivalem.

Habens furorem.] Hebr. בעל חמה *baal chema*, id est, vir iræ, vel dominus furoris, id est, habens furorem; *baal* enim, id est, dominus rei alicujus vocatur is, qui illam habet et possidet. Sic maritus vocatur *baal*, id est, dominus uxoris, hoc est, habens vel possidens uxorem, q. d. Putatis, ô Ninivitæ, Deum carere ira, quia tamdiu scelera vestra dissimulavit, et impunita reliquit? Fallimini: nam in se habet colligitque ingentem furorem, quem totum suo tempore, instar torrentis ignei, in vos effundet. Apis, dum mel fundit, aculeum retrahit et occultat; at is qui hoc mel rapere conetur, mox in eum aculeum distringit; ita et Deus suis fundit mella donorum, impiis vero reservat aculeum suppliciorum. Id patet in beatis et damnatis. Quanta enim est felicitas et gloria beatorum, tanta est infelicitas et miseria damnatorum; hi enim bibunt vel amarissimum iræ, æque ac illi mel dulcissimum gratiæ et amoris Dei.

Mystice, Deus dicitur dominus iræ et furoris; quia illi dominatur. Homines irati et furibundi, impotes sui, reguntur ab ira et furore; at Deus ab illis non regitur, sed ea ad nutum regit, ponit, exserit, moderatur, perinde ut pastor regit ovem.

Irascens ipse inimicis suis.] Hebr. נוטר *noter*, id est, custodiens, scilicet memoriam offensarum, earumque vindictam, et ulciscendi cupidinem. Unde Pagnin. vertit: *Iram reservans inimicis suis;* Tigurina: *Injuriarum memor adversus hostes suos;* Septuag: *Tollens ipse inimicos suos*, idque *in ira vehementi*, ut ait Chald. Deus ergo in mente sua colligit, et quasi in thesauro recondit iram, ut eam suo tempore in impios totam effundat, ait Mariana.

3. Dominus patiens.] Hebr. *Jehova longis*, id est latis, *naribus*, id est, *tardus ad iram*, ut vertit Vatabl. et *longanimis*, ut vertunt Septuag. Unde Chald. vertit: *Dominus longe propellit iram;* Arabicus: *Dominus prolongans*, tolerans, patiens. Qui enim longas, id est, magnas et latas, habent nares, fumos iræ et bilis facile efflant et expirant, ideoque sunt longanimes; qui vero arctas habent, difficilius illos efflant, ideoque sunt cholerici, uti dixi, Exodi 32. v. 28, q. d. Deus, licet habeat iram et furorem, tamen longanimiter sustinet vos, vestraque scelera, ô Ninivitæ, quia exspectat ut recipiscatis. Ita Athenodorus Philosophus Cæsari Augusto valedicens, hoc ei, velut aureum et divinum, dedit documentum: *Iratus nihil dicas, vel facias, priusquam* 24. *Græcorum litteras percurreris.* Ita Sueton. in Augusto.

Et magnus fortitudine.] Vatabl. *Pollens viribus;* Arabicus: *Fortitudo ejus maxima;* alii: *Magnus virtute*, vel potentia, q. d. Deus non ducitur ira et animi impotentia, sed iram potest cohibere apud se quamdiu vult; et tamen punit suo tempore. *Deus*, ait S. Hieron. *magnanimitatis suæ fortudine iniquitates eorum* (Ninivitarum) *sustinuit, provocans eos ad pœnitentiam.* Deus enim ita excelso fortique est animo, ut neque offensionibus irritetur, nec repulsis frangatur; nec quantavis scelerum multitudine, vel magnitudine vincatur, ut furibundus prosiliat ad vindictam, sed novit potestque iram suam sustinere, ut, si recipiscant homines, misereatur et parcat; si obstinati sint, exspectet tempus opportunum quo eos plectat, totumque furorem tanto tempore collectum uno impetu in eos effundat. Quanta enim fuit Dei patientia in exspectando, tanta erit ejus potentia et furor vindicando, juxta illud S. Pauli Rom. 2. 4: *An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis? Ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*, id est, adducere conatur: *Secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei.* Quæ verba explicans S. Augustinus lib. 1. contra adversarios legis et Proph. *Ille*, inquit, *auget longanimitatem, et tu auges iniquitatem. Erit illius thesaurus in sempiterna misericordia, sed in eos qui non contempserunt misericordiam: tuus autem thesaurus in ira invenietur, et quod ponis quotidie per modicum, ingentem postea massam inventurus es. Tu minutim imponis, sed postea cumulum invenies. Noli attendere minuta peccata tua quotidiana: de minutissimis enim guttis flumina implentur.* Unde et subdit Nahum:

Et mundans non faciet innocentem,] q. d. Nullo modo Deus vos, ô Ninivitæ, mundos et innocentes, tacendo, patiendo, et dissimulando declarabit; sed potius nocentissimos esse suo tempore puniendo ostendet. Hinc Chald. vertit, *dimittet pœnitentibus, non pœnitentibus vero non dimittet;* Tigurina, *pollens viribus, at neutiquam impunita scelera dimittens;* Vatabl. *absolvendo non absolvet:* absolvere enim est non punire, ac reipsa declarare reum esse purum et innocentem, q. d. Etiamsi Deus non statim puniat improbos, non tamen idcirco absolvit; sed tandem de illis pœnas sumet. Unde Syrus vertit: *Et justificando non justificat;* Arabicus Antiochenus: *Et mundans non mundat;* Arabicus Alexandrinus:

Et mundus sine mundatione. Alludit Nahum ad Moysen, qui eadem epitheta dat Deo, Exod. 35. 28. et Num. 14. 18. Vide ibi dicta. Theoph. duas alias hujus loci versiones affert. Prior est : *sine noxa existens non est citra noxam*, q. d. Deus, cum sit sine noxa et labe, punit tamen noxios, eisque noxam meritam infert. Posterior : *Innoxium sine noxa non dimittit*, q. d. In communi clade, et Ninives excidio perdet innoxios cum noxiis, quia communem omnibus perniciem afferet.

Mystice S. Hieron. hæc omnia in bonam partem accipiens : *Deus patiens est*, inquit, *qui sustentat omnes ruentes et erigit elisos : qui sanat tribulatos corde, et alligat contritiones eorum. Et magna virtus ejus : solvens inimicitias in carne, et nocentem non faciens innocentem; cum etiam qui nimium sibi applaudet, argutus fuerit quod non mertio proprio, sed Dei misericordia sit salvatus. Licet enim dicat : Ecce ego tot annos servio tibi, et nunqnam præceptum tuum præterivi, tamen quoniam bonus est Dominus omnibus, et misericordia illius super omnia opera ejus; et omnes peccaverunt, et indigent gloria Dei, justificatus ab eo gratis audiet : An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Atque ita fiet, ut in eo quod arguit et ignoscit, nullum innoxium abire patiatur.*

Moral. Nota patientiam esse veram potentiam. Deus enim ideo est magnus fortitudine, quia est patiens. Vere poëta :

> Fortior est qui se, quam qui fortissima vincit
> Mœnia

Et alius :

> Latius regnes avidum domando
> Spiritum, quam si Lybiam remotis
> Gadibus jungas, et uterque Pœnus
> Serviat uni.

Quin et Sapiens Proverb. 16. 32. *Melior*, ait, *est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.* Et Psaltes psal. 7. 12. *Deus judex justus fortis et patiens.* Et Ecclesiast. cap. 7. 9. *Melior est patiens arrogante.* Rationem dat Sapiens, Proverb. 14. 29. dicens : *Qui patiens est, multa gubernatur prudentia :* prudentia enim est magistra et mater fortitudinis. Quin et Cicero : *Animum*, inquit, *vincere, iracundiam cohibere, etc. hæc qui faciat, non ego eum summis viris comparo, sed simillimum Deo judico.*

Dominus in tempestate et turbine viæ ejus,] q. d. Viæ Domini sunt in tempestate et turbine. Est hebraismus. Hebræi enim per pleonasmum, exprimunt relativum cum suo antecedente, puta *Dominus* et *ejus*, cum Latini alterutrum omittant. Unde Tigurin. Vatabl. et Pagnin. vertunt : *Domini via per turbinem et procellam est*, quod explicans Vatabl. : *Quando*, inquit, *Dominus statuit affligere aliquem, affligit vehementer et cito;* tempestas enim vehementiam habet, turbo celeritatem, quæ in instanti secum omnia convolvit et rapit. Nota hîc poeticam catachresin, qua graphice Dei robur, pugna et vindicta describitur, quasi venientis, et in Assyrios hostes suos irruentis cum magno impetu et fragore. Similis est psalm. 17. v. 10. et seq. Unde Propheta eamdem mox comparat exercitui magno, qui properans pulverem pedibus excitat, eoque aerem obscurat, juxta illud Virgil. Æneid. 9 :

> Hîc subitam nigro glomerari pulvere nubem
> Prospiciunt Teucri et tenebras insurgere campis ;
> Primus ab adversa conclamat mole Caicus,
> Quis globus, ô cives, caligine volvitur atra ?
> Hostis adest.

Ait enim : *Et nebulæ pulvis pedum ejus*, id est, ut Pagnin. : *Et tenebræ ut pulvis pedum ejus erunt.* Hæc ergo phrasis et parabola symbolice significat : primo, magnam potentiam, iram et furorem Dei in invadenda Ninive et Assyriis ; secundo, Deum non raro in hostes suos immittere procellas, ventos et turbines, quibus eos proterit ; uti anno 1572, in pugna navali Christianorum cum Turcis ad Naupactum, ventum adversum Christianis subito convertit, fecitque adversum Turcis, et propitium Christianis, quæ fuit causa illustris victoriæ, quam ope B. Virginis tunc obtinuerunt Christiani, idem fecit Theodosio Imp. pugnanti contra Eugenium Tyrannum. Quod admirans Claudianus exclamat in Panegyr. Theodosii :

> O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
> Æolus armatas hiemes, etc., revolutaque tela
> Vertit in auctores, et turbine reppulit hastas.

Idem fecit Phraoni et Ægyptiis in mari rubro, uti dixi Exodi 14. quo hîc alludit Nahum ; tertio hæc phrasis significat innumeras copias Medorum et Chaldæorum, per quas Deus magno impetu invasit et vastavit Niniven ; hæ enim copiæ vere pulverem ingentem pedibus suis, equis et curribus excitarunt. Unde Chald. vertit : *Dominus in turbine et spiritu ducem se præbet, ac nubem caliginis subjecit coram se.* Hinc de equitatu Nabuchodonosor ait Ezechiel cap. 26. v. 10 : *Inundatione equorum ejus operiet te pulvis eorum ;* quarto, vox *nebulæ*, inquit Arias, symbolice significat Deum hostes suos ita circumvallare et percellere, omnesque evadendi exitus præcludere, ut ipsi velut densa nebularum et tenebrarum caligine præoccupati, nequaquam sibi cavere, aut salutem fuga quærere, nedum obsistere ac repugnare valeant. Nam Deus velut rerum omnium dominus, ad manum habet montes, ventos, mare, flumina, grandines, fulmina plurima et potentissima, quæ quasi milites Dei ad ejus nutum excubant, et in hostes insiliunt, juxta illud psalm. 148. 8 : *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.* Hinc vocatur Deus sabaoth, id est, exercituum, tam angelicorum, quàm hominum et creaturarum omnium.

Alleg. hæc veriora erunt in die judicii, quando, ut ait Sapiens cap. 5. 18 : *Armabit creaturam ad ultionem inimicorum, etc., et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Ibunt directe immissiones fulgurum, et tanquam à bene curvato arcu nubium exterminabuntur, et ad certum locum insilient. Et à petrosa* (πετροβόλου, id est, petras jaciente) *ira plenæ mittentur grandines. Excandescet in illos aqua maris, et flumina concurrent duriter. Contra illos stabit spiritus virtutis, et tanquam turbo venti dividet illos.* Quàm sapiunt qui hæc meditando prævidentes, peccata cavent, sancteque vivunt, ut fugere valeant à ventura hac Dei ira !

Scripsit Julianus Archiepiscopus Toletanus commentarium moralem et elegantem in Nahum, qui existat tom. 2. Biblioth. SS. Patrum,

ubi hunc locum tropol. sic explicat : *Quatuor*, inquit, *sunt animæ tempestates, et quatuor turbines ipsius. Prima est vitiorum, secunda negotiorum, tertia tentationum, quarta utilium affectionum. Prima ergo est iræ, secunda miseriæ, tertia justitiæ, quarta gratiæ. Prima virtutum grandinat florem, secunda conscientiæ pessundat honorem, tertia contemplationis suavissimum fugat odorem, quarta ad cœlestium provehit ardenter amorem. Prima est à diabolo, secunda à mundo, tertia à miseriæ debito, quarta à Deo. Prima religionis annihilat sanctitatem, secunda conscientiæ turbat serenitatem, tertia divinissimi odoris fugat suavitatem, quarta ad angelicam sublimat puritatem. Prima ergo est divinæ indignationis, secunda dispensationis, tertia probationis, quarta dilectionis.* Deinde singulis remedia vel usum ita subjicit : *Viæ primæ sunt, pura confessio et virilis pœnitentia ; secundæ, mundi contemptus et vita solitaria ; tertiæ, devota compunctio et mentis innocentia ; quartæ, purificati silentium animi et sponsi lætitia. Sed quia in tempestate, non in tempestatibus Domini vias esse Propheta asserit, de quarta, ut datur intelligi, specialiter loquitur, de qua lib. 3. Reg.* 19. v. 11. *Ait enim : Elias stabat in ostio speluncæ, et ecce spiritus Domini transiens subvertens montes et conterens petras ; non in spiritu Dominus, et post spiritum commotio, non in commotione Dominus, et post commotionem ignis ; non in igne Dominus, et post ignem sibilus auræ tenuis ; ibi Dominus. Per spiritum transeuntem designatur animi tempestas, amara scilicet, sed utilis peccatorum contritio. Per commotionem, devota mentis compunctio. Per ignem fervens et ordinata dilectio. Per silentium, beatæ contemplationis secretissima infusio.* Pari modo inferius quatuor turbines animæ recenset : primus est, subita justorum oppressio, quam sequitur tempestas primò vitiorum, secundo suppliciorum ; secundus est, sollicitudinum et negotiorum incursio, cui succedit diluvium criminum ; tertius est, tentationum invasio, quam sequitur tranquillitas conscientiæ et gratia donorum ; quartus est, repentina et vehemens ex diversis causis animi commotio, quam sequitur tempestas justorum affectuum, cui succedit ordinatæ dilectionis amœnitas, et contemplationis divinæ jucunda serenitas. Hucusque Julianus.

Et nebulæ pulvis pedum ejus,] q. d. Suis militum copiis incedendo Deus nubem pulveris concitat, uti jam dixi.

Tropol. Julianus Archiep. Toletan. loco jam citato : *Pedes*, inquit, *Domini* (puta Apostoli et homines sancti) *pulvis sunt, per humilitatem conscientiæ ; nebulæ, per obscuritatem eloquentiæ. Pulvis sunt, humilia de se sentiendo ; nebulæ, arcana cœlestia velamine litteræ tegendo; humiles vita, obscuri doctrina. Pulvis sunt, ut placeant ; nebulæ, ne margaritas porcis præbeant. Unde in psalmo legitur : Posuit tenebras latibulum suum, quia sub litteræ Prophetarum velamine opertus diu latuit. De his pedibus ait Isaias : Quàm pulchri super montes pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona ! Et alibi. Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina ejus. Isti ergo pedes Domini fuerunt, qui eum prædicando per universum mundum detulerunt, Petrus Romæ per Italiam, Andreas per Achaiam, Joannes per Asiam, etc. Paulus per totum orbem, sed quia officium prædicationis vix potest diu exhiberi sine nævo, ideo pulvis inesse dicitur pedibus, quia fermentum gloriæ pauxillum adhæret moribus. At quoniam compunctionis mox fervente fugatur lumine, pulvis evanescit in morem nebulæ.*

4. Increpans mare, et exsiccans illud.] Ex Hebræo primo, in præterito vertit Pagnin. : *Qui increpavit mare, et exsiccavit illud* ; puta mare Rubrum, ut transirent Hebræi, Exodi 14 ; secundo, plenius Tigurina vertit : *Qui statim ut increpitat mare, arefacit ipsum, omnesque fluvios exsiccat.* Verba enim Increpat et Exsiccat sunt modi potentialis, sumunturque δυνητικῶς uti crebro sumuntur futura apud Hebræos. Significant enim omnipotentiam Dei, qua, solo verbo, potest sistere maria, et siccare flumina quantumvis vastissima, uti siccavit Jordanem, transeunte Josue et Hebræis. Increpans ergo, vel, ut Sept. comminans, idem est, quod more increpantis et comminantis imperans mari, illudque dividens, vel exsiccans, prout ei libuerit. Alludit ad divisionem maris rubri ; de qua psalm. 105. 9 : *Increpuit mare rubrum et exsiccatum est, et deduxit eos* (Hebræos) *in abyssis, sicut in deserto.* Sic Christus *exurgens comminatus est vento, et dixit mari, Obmutesce ;* quo dicto sedavit fluctus, mareque effecit tranquillum, Marci 4. v. 39. Ita Albertus, Hugo, Arias, Ribera et alii. Simili schemate Isaias cap. 40. 12. Dei potentiam et magnificentiam graphice describit : *Quis*, inquit, *mensus est pugillo aquas, et cœlos palmo ponderavit ? Quis appendit tribus digitis molem terræ, et liberavit in pondere montes, et colles in statera, etc. Ecce gentes quasi stilla situlæ, et quasi momentum stateræ reputatæ sunt. Ecce insulæ quasi pulvis exiguus. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo. Qui sedet super gyrum terræ, et habitatores ejus sunt quasi locustæ.*

Tropol. *Mare,* ait Theophyl. *est amaritudo hujus vitæ, quam insipientes nos ceu flumina appetimus. Hanc Dominus exsiccavit, ac quod in eo potioni accommodum videbatur, oblitteravit ; instituens nos quod in mundo afflictionem nos ferre oporteat. Si enim jugum ejus tulerimus, inveniemus requiem animabus nostris. Præterea si quisquam in tentationibus fuerit, in mari est, et in fluminibus. Ad eum ergo tentato confugiendum est, qui interminatur mari, amnesque exsiccat.*

Infirmatus est Basan et Carmelus,] q. d. Fertilissimi montes et regiones, quales sunt Basan, Carmelus et Libanus, fient steriles, flaccescent et quasi emorientur, quando Deus volet ; ipse enim est creator et conservator, et summus omnium dominus ; uti de facto contigit tempore Eliæ, quando per triennium inhibita fuit pluvia, ideoque ex defectu aquæ omnes montes et campi exaruerunt. Unde liquet quantum Dei donum sit pluvia ; experiuntur et sentiunt idipsum agricolæ. Symbolice Basan, Carmelus et Libanus notant fertilitatem et opes Ninives ; mare et flumina copiam civium et incolarum, quæ omnia Deus in ejus excidio arefecit et sustulit. Alludit ad Tigrin fluvium, cui adjacet Ninive ; hic enim urbem ab hoste tutari nequivit, sed potius cum ea, quasi infirmatus, et desolatus est. Addit Theophyl. Aiunt, inquit, Basanitim regionem fertilissimam æque ac Carmelum, à gentibus habitatam fuisse pugnacibus et morosis ; attamen eas Deus evertit, ac Israelem eo introduxit ; quocirca non est fidei absonum, Deum etiam Niniven subversurum.

Sic et Cyrill. Rursum vide hìc eminens Dei in omnia imperium. Vere Poeta :

Poli , soli , sali , omnium
Regnator æviternus.

Et Virgil. lib. 1. Æneid. :

O qui res hominum Deùmque
Æternis regis imperiis , et fulmine terres.

Idem Deum vocat *Cœloque Ereboque potentem*, et :

Nimborumque simul tempestatumque potentem.

Et lib. 4. Æneid. Deorum , inquit :

Regnator, cœlum et terras qui numine torquet.

Alleg. : *Diminuta est Basanitis et Carmelus , quando Judæi ob crucifixum abs se gloriæ Dominum, traditi sunt Romanis. Deinde per Basanitim , in moribus et operibus versans Resp. per Carmelum vero dogmatum altitudo indicatur ; quæ cum multa essent, diminuta sunt in concisum et consummatum sermonem Evangelii summatim collecta. Libanus quoque, id est, Græcorum sapientia , infatuata est. Concussi sunt autem et in cruce montes , ac natura nostra terrea ante hac existens , sublimata est , ad superna iter faciens , ac profectionem ad cœlos instituens ; omnes juxta in ipsa commorantes terrenæ cogitationes , divinæ adeoque cœlestes factæ sunt. In cruce quoque revera petræ sensibus objectæ, scissæ sunt ; item petræ , id est , dura et saxea hominum corda , verbo Evangelii accepto , contrita sunt. Rursum in diluvio, id est , in baptismo quo Christus baptizatus est , obruit hostes suos , id est, dæmones.* Hucusque Theophyl.

5. Montes commoti sunt ,] q. d. Montes loco movebuntur, et terra contremiscet, quoties et quandocumque Deus id volet, omnia enim hæc verba sunt modi potentialis ; ac demonstrant Dei summum robur et potentiam, quod proinde merito Ninivitæ, omnesque impii formidare debeant. Unde Tigurina vertit : *Montes ab eo contremiscunt, et colles sese resolvunt* (vel colliquescunt. Alludit ad liquefactionem nivis , quæ montes tegit , et ita postea liquescit, ut videantur quasi dissolvi et colliquescere montes , inquit Vatablus :) *Terra se proripit ex ejus conspectu, et totus orbis una cum degentibus in eo.* Pro *proripit*, Vatabl. vertit, *flagrat* , id est, ignem concipit , exuritur, censetque hoc accidisse in Sodoma, q. d. Deus solo verbo est auctor incendiorum, quæ aliquando apparent in montibus, v. g. Ætna , Vesuvio , Hecla , etc. Vel immittit tantum æstum , ut colles et terra ardere videantur , uti accidit in incendio Phaethontis. Unde Chald. vertit : *Montes commoti sunt à conspectu ejus , et disrupti sunt , ac vastata* (Septuag. *contracta est ;* Aquila ἔφριξε , id est, *horruit*) *est terra ab ejus præsentia , nec non orbis , et omnes qui habitant in eo , quando se patefecit cum misericordia , ut daret legem populo suo ; sic commotus est mundus à conspectu ejus.* Videtur enim alludere ad terræ motum Sina montis , cum in eo Mosi et Hebræis data est lex, Exodi 19. 18. Ex dictis recte infert Nahum :

6. Ante faciem indignationis ejus quis stabit,] q. d. Cum tanta sit potentia , æque ac ira Dei , quis vestrum , ô Ninivitæ , vel cæterorum hominum coram illo subsistere , nedum ei obsistere poterit ?

Indignatio ejus effusa est ut ignis , et petræ dissolutæ sunt ab eo], Septuag. : *Furor ejus consumit principatus , et petræ contritæ sunt ab eo ;* Aquila : *Furor ejus* συνεχωνεύθη , id est, *conflatus est;* Symmach. et Theodot. ἔσταξεν , id est, *stillavit*, q. d. Sicut ignis ardentissimus dissolvit et liquat petras , ferrum , æs, omniaque quantumvis durissima ; ita ira et vindicta Dei, hostes licet potentissimos , omniaque licet firmissima dissolvit , frangit, conterit , uti vos , ô Ninivitæ , brevi experiemini. Nam *effusa est*, id est , jamjam certo effundetur in vos hic ignis furoris et vindictæ Dei. Alludit ad fornaces conflatorias et metallicas , in quibus conflatur æs, ferrum , plumbum , etc. , quæ igne ardentissimo liquata ita ignescunt, ut ; cum pertusa fornace in fossam vicinam defluunt , videantur esse torrens et fluvius igneus, quæ petras et saxa quælibet obvia in momento incendit et absumit , uti oculis meis vidi in Ardenna. Sane videbar mihi in illis vivam incendiorum gehennæ effigiem intueri. Adeo horrendus est hic ignis, talis est ira Dei. Quis ergo sapiens eam ruminans , non percellatur ? Quis non caveat peccata , ne iis illam in se concitet , ne corpus et animam hisce incendiis ultro objiciat ? Merito exclamas et proclamas omnibus impiis (sed heu ! pauci audiunt ,] ô Isaia cap. 33. 14 : *Conterriti sunt in Sion peccatores , possedit tremor hypocritas. Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis ?*

Secundo , Sanchez : Ignis Dei indignantis , inquit, est fulgur et fulmina. Hæc enim sunt arma Dei , quæ in inimicorum suorum caput ejaculatur. Habac. 3. 11 : *In luce sagittarum tuarum , ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ.* Psalm. 17. 15 : *Misit sagittas suas et dissipavit eos* , hoc est, ut explicans subdit : *Fulgura multiplicavit et conturbavit eos.* Sic fulmine et grandine Deus sideravit Sisaram Judic. 5. 20 : *De cœlo dimicatum est contra eos : stellæ manentes in ordine et cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt.* Sic et Virgil. Æneid. 1 :

Intonuere poli , et crebris micat ignibus æther ,
Præsentemque viris intentant omnia mortem.

Et Æneid. 8.

Namque improviso vibratus ab æthere fulgor ,
Cum sonitu venit , et ruere omnia visa repente.

7. Bonus Dominus.] Solent Prophetæ , quasi concionatores industrii et eximii , post minas consolari , et læta tristibus subjungere , ne peccatores desperent ; sed pœnitentes spem veniæ et salutis concipiant. Ita hìc Nahum , postquam graphice depinxit iram et furorem Dei in infideles , injustos et impios Ninivitas , hìc vicissim Dei clementiam et bonitatem in fideles et pios Israelitas et Judæos demonstrat ; indeque apposite vocatur Nahum , id est, consolator. Consolatur enim hìc Ezechiam et Judæos obsessos à Sennacherib rege Assyriorum , prædicens ejus stragem , et Hierosolymæ liberationem , ac Ninives hostilis excidium ; qua re pariter consolatur Israelitas, sive decem tribus, paulo ante à Salmanasar , cui successit Sennacherib , vastatos , et in Assyriam abductos. Consolatio enim est afflictis , videre quod Deus ipsorum injurias ulciscatur , et de persecutoribus ac vastatoribus pœ-

nas sumat, eosque pariter lege talionis persequatur et vastet. Ostendi enim in prooemio : Nahum prophetasse inter annum sextum regni Ezechiæ, quo vastata est Samaria, et decimum quartum, quo obsessa est Jerusalem à Sennacherib ; quod fuit interstitium octo annorum. Ergo in hoc interstitio et paulo ante obsidionem Jerusalem, ejus eventum felicem ; puta solutionem et liberationem, prædicit hîc Nahum. Itaque ait : *Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis ;* Septuag. χρηστος, id est, *utilis, suavis, beneficus, Dominus expectantibus eum in die tribulationis;* Chald. *Bonus est Dominus Israeli, ut innitatur ei tempore angustiæ ;* Pagnin. : *Bonus Dominus fortitudo in die angustiæ*, q. d. Deus suis in tribulatione fortem, validam et efficacem afferre solet opem. Optime Tigurina et Vatabl. : *Benignus mitis et clemens* (hæc enim omnia significat hebr. טוב *tob*) *est Dominus* (servis suis fidelibus) *præsidium temporibus difficillimis.* Hebr. enim מעוז *maoz* significat fortitudinem, locum fortem, arcem, præsidium, munitionem. Unde Antichristi Deus vocatur *Maozim*, q. d. Deus fortitudinum, vel Mars, ut vertit Pagnin. Daniel. 11. 38. Mars ergo noster, arx nostra, asylum nostrum, idque invictum in omni tribulatione est Deus.

Et sciens sperantes in se.] Septuag. : *Cognoscens timentes se* Scientia hæc est practica et efficax, non speculativa et otiosa, q. d. Deus cognoscit, id est, approbat, amat, protegit, propugnat eos, qui spem suam in eo collocant ; uti mox proteget et propugnabit Ezechiam et Judæos contra Sennacherib. Sic ait Deus Moysi : *Novi te ex nomine, et invenisti gratiam coram me ;* Exodi 33. v. 12. Sic de electis et beandis ait Apostolus : *Cognovit Dominus qui sunt ejus*, 2. Timoth. 2. v. 19. De reprobis vero et æterna pœna plectendis ait Christus : *Numquam novi vos, discedite à me qui operamini iniquitatem*, Matth. 7. 23.

8. Et in diluvio prætereunte, consummationem faciet loci ejus.] Primo, Rupert. et Lyran. per diluvium accipiunt castra numerosa Sennacherib, quæ instar diluvii inundaverunt et opleverunt Judæam, uti docet Isaias cap. 8. v. 7, q. d. Exercitus Assyriorum erit quasi diluvium Judæam obruens, sed præteriens et cito transiens. Nam Deus *faciet consummationem loci ejus*, scilicet tribulationis et captivitatis, ait S. Hieron. hoc est, Deus faciet, ut cito illa consummetur, finiatur et cesset, nec amplius illa ejusque locus reperiatur. Verum duriuscule consummatio loci attribuitur consummationi tribulationis, aliud enim est locus, aliud loci tribulatio.

Secundo, S. Hier. Remig. et Hugo, diluvium accipiunt passive, pro ipsa vastitate illata Samariæ, et decem tribubus ab Assyriis, quæ præteriit, cum Deus consummavit locum ejus, exscindendo scilicet Niniven.

Tertio et genuine, diluvium hîc vocatur exercitus Medorum et Babyloniorum, qui, instar diluvii, ingenti turba, celeritate et impetu invaserunt Assyrios, eorumque locum, puta regiam Niniven vastarunt. Hæc enim fuit consummatio, et excidium urbis et regni Assyriorum, q.d. Deus vos, ô Assyrii, funditus quasi quadam eluvione hostium perdet, obruetque vestram Niniven, Medorum et Chaldæorum copiis et insultibus ; ac cives illius tenebris, id est, omni calamitate et clade, persequetur. Ita Theodor. Clarius, Arias, Vatabl. et à Castro. Hunc esse sensum patet intuenti Hebræa ; nam מקומה *mekoma* significat *locum ejus* feminine, puta Ninives, utpote contra quam totum hoc oraculum dirigitur ; est enim hoc *onus Ninive*, ut dixit in prologo v. 1. Favet id quod narrat Diodorus Sicul. lib. 3. Histor. Nimirum ad excidium Ninives, confluxisse ex Babyloniis, Persis, Medis, Arabibus et Bactrianis super quadringenta hominum millia. Hoc enim fuit diluvium non aquarum, sed hominum et militum. Addit Arias, hoc diluvio significari inundationem Tigris, qua obruta fuit Ninive ; sicut ex adverso Babylon capta est à Cyro, divertendo Euphratem, qui Babylonem interluit, in alias fossas, et per siccum ejus alveum milites immittendo in urbem, uti ex Xenophonte et aliis ostendi Daniel. 5. v. 30. et Jerem. 50. v. 38. Hanc enim Tigris in Niniven exundationem significare videtur Propheta hoc loco, et cap. 2. v. 6. dicens : *Portæ fluviorum apertæ sunt, et templum ad solum dirutum ;* et v. 8 : *Ninive quasi piscina aquarum, aquæ ejus ; ipsi vero fugerunt*, q. d. Deus nimbos coget in Tigrim, ut is exæstuet, et cataclysmo Niniven obruat. Ejusdem inundationis clarus est testis Diodor. Sicul. lib. 5. Hist. : *Erat*, inquit, *responsum progenitoribus datum, nunquam Ninam* (Niniven ; hæc enim à conditore dicta est Ninus et Nina) *capi posse, nisi cum fluvius urbi hostis fieret. Quod nunquam futurum ratus* (rex Ninives) *spem ceperat obsidionis traducendæ, et simul futura auxilia exspectabat. Cum duobus annis obsidio perseverasset per summum otium obsessorum, tertio continuis imbribus excrescens super modum fluvius, cum partem urbis inundasset, muros dejecit ad stadia viginti. Hîc rex existimans tempus oraculi advenisse, desperata salute, ne in hostium potestatem perveniret, pyram in regia ingentem exstruxit, seque cremandum una cum suis in ignem injecit. Hostes audita regis morte, urbem per eam, quæ, ab oraculo prædicta erat, muri partem ingressi, Arbacem regia stola indutum regem appellarunt.* Hæc Diodorus, cui consentiunt S. Epiphan. et Doroth. in vita Nahum, qui Niniven aquarum eluvione perditam asseverant, uti dixi in prooemio, quæ omnia huic loco mire consentiunt, quo Deus Ninivæ comminatur excidium per tempestatem, turbinem, nimbos et ventos, quibus exundans Tigris urbis muros dejecit. Tantum hoc interest, quod Diodorus id contigisse asserat sub Sardanapalo, ejusque hoste Arbace Medo, qui coævi fuerunt Oziæ regi Juda, ac multis annis præcesserunt Prophetam Nahum ; sed fieri potest ut in persona et tempore errarit Diodorus. Nam Justinus lib. 1. Herod. l. 1. Orosius l. 1. c. 19. et alii in excidio Ninives sub Sardanapalo, nullius exundationis meminerunt. Sic enim videmus, in rebus priscis sæpe facta ipsa apud auctores constare ; personas et tempora certa non constare. Factum enim ipsis relictis monumentis et signis indicari potest, personæ vero et tempora ob fluxam seculorum et gentium naturam, ob minus attentam diligentiam, ob variam linguarum et sermonum, ac dominationis mutationem, inverti ac turbari facile possunt ; ex divinis autem Scripturis temporum vera ratio petenda est, inquit Arias.

Denique diluvium hoc accipi posset cladis et

stragis Assyriorum, puta militum occisorum; qua una nocte ab Angelo in castris Sennacherib cæsa sunt 185 millia; tunc enim Deus consummationem fecit loci ejus, id est, loci castrorum Sennacherib, quando hunc locum replevit cadaveribus militum, qui illo in loco castra metabantur. Hunc enim locum juxta Jerusalem pro castris suis cepit et occupavit Ninive, id est, Ninivitæ et Assyrii, cum suo rege Sennacherib. De Sennacherib enim, uti cœpit, ita pergit agere in sequentibus; quia tunc cœpta est Ninivitarum et Assyriorum clades, quæ postea plane consummata et completa est in excidio Ninives per Medos et Chaldæos, de quo cap. 2. 1.

Tropolog. Disce hìc quàm celer sit regnorum, regum, opum, deliciarum, honorum, totiusque mundi fluxus, transitus, interitus. Ecce tibi Tigris, qui per naves merces omnes advehebat Niniven, intumescens illam ipsam obruit, et hosti invadendam tradidit. Ecce tibi inclyta illa Babylon, quam ditabat, roborabat et ornabat Euphrates, per illum ipsum in alias fossas derivatum à Cyro, capta et eversa est. Vere æque ac pulchre S. August. mystice explicans illud Psalm. 136: *Super flumina Babylonis, illic sedimus, et flevimus dum recordaremur tui Sion. Flumina*, ait, *Babylonis, sunt omnia quæ hîc amantur et transeunt. Nescio quis amavit v. g. agriculturam, ipsam exercere, inde ditescere, imo occupare animum, inde percipere voluptatem; attendat exitum et videat, illud quod amavit non esse fundamentum Jerusalem, sed fluvium Babylonis, etc. Advocatum esse*, inquit, *res magna est, potentissima eloquentia in omnibus habere susceptos, pendentes ex lingua diserti patroni sui, et ex ejus ore sperantes, vel damna, vel lucra, vel mortem, vel vitam, vel perniciem, vel salutem. Nescis quò te miseris. Alius et iste fluvius Babylonis est, et quod multum sonat, strepitus aquæ saxa percutit. Attende quia fluit; percutit, attende quia labitur; et si attendas quia fluit et labitur, cave, quia trahit.* Idem ostendit de navigatione et mercatura, utramque scilicet esse fluvium Babylonis, utriusque lucra cito transire et præterlabi: *Uno*, inquit, *naufragio nudus exibis, et recte te planges in flumine Babylonis, quia noluisti sedere et flere super flumina Babylonis. Alii ergo cives sanctæ Jerusalem; intelligentes captivitatem suam attendunt humana vota, et diversas hominum cupiditates hac atque illac rapientes, trahentes, impellentes in mare, vident hæc, et non se mittunt in flumina Babylonis, sed sedent super flumina Babylonis;* et mox: *O sancta Sion, ubi totum stat et nihil fluit! Quare dimisimus conditorem tuum et societatem tuam? Ecce inter fluentia et labentia constituti; vix quisquam raptus à flumine, si tenere lignum potuerit, evadet. Sedeamus super flumina Babylonis, non infra flumina Babylonis; talis sit humilitas nostra, ut nos non merget. Sede super flumina, noli in flumine, noli sub flumine;* et inferius: *Sedebit autem, et plorabit, si recordatus fuerit Sion. O pax illa quam videbimus apud Deum! O pax illa et sancta æqualitas Angelorum! O illa visio et spectaculum pulchrum! Ecce in Babylonia pulchra sunt quæ tenent; non te teneant, non te decipiant. Aliud est solatium captivorum, aliud gaudium liberorum. Super flumina Babylonis, illic sedimus, et flevimus cum recordaremur Sion.* Mens ergo nostra, ut sapiat, ut firma felixque consistat, super flumina hæc se erigat, et in stabili æternitate, in Sione, inquam, cœlesti, se ipsa defigat.

Secundo, S. Bernard. serm. de B. Maria pag. 395: *Triplex*, inquit, *est diluvium, unum iniquitatum; aliud adversitatum hujus vitæ; tertium calamitatum gehennæ. De primo per Nahum dicitur: In diluvio pretereunte consummationem faciet, ac si diceretur: Si diluvium vitiorum super hos cœperit abundare, nolite de illis desperare; quia super quos inundare permitto injustitiam, super illos faciam abundare gratiam. Hinc illud Michææ 4: Venies usque Babylonem, et ibi liberaberis. Et illud Isaiæ 54: Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te. Consummationem ergo Deus faciet prææunte diluvio; quia de profundo vitiorum viriliter erigit; quos ponit in virtutum culmine, etc.*

9. Quid cogitatis contra Dominum?] Aliqui putant sermonem esse ad Judæos pavidos ob adventum et obsidionem Sennacherib, q. d. Quid vos, ô Judæi, modicæ fidei, diffiditis Deo, quasi ipse vos è manu Sennacherib liberare non possit, aut non velit? Itaque cogitatis eum vel non esse satis potentem, vel non satis providum et clementem, ad protegendam suam urbem, suumque populum? Verum melius alii passim censent sermonem esse ad Assyrios, q. d. Quid vos, ô Assyrii, cogitatis mala contra Dominum, id est, contra Domini plebem, urbem et templum, ut scilicet obsideatis et evertatis Jerusalem et Judæos, itaque mala malis cumuletis? Exscidistis enim Samariam, et pari modo vultis exscindere Jerusalem: sed Deus malitiam vestram inhibebit, nec permittet secundo affligi et exscindi Israelem. Unde sequitur: *Non consurget duplex tribulatio.* Ita Hebræi, S. Hieron. Remig. Haymo et Lyran. Aut, q. d. Quid vos, ô Assyrii, cogitatis domino ulciscenti resistere, vosque in Castris Sennacherib per Angelum, ac Niniven per Chaldæos oppugnanti et evertenti, objectis vallis et militibus opponere? Impingitis enim in fortem, et contra stimulum calcitratis: nam *consummationem ipse faciet*, ipse vos consumet et disperdet. Hæc enim est eadem consummatio cum illa, de qua paulo ante dixit: *Consummationem faciet loci ejus*, scilicet Ninives. Ita Theodoret. Theophylact. Clarius, Arias et Vatablus. Alludit ad Isaiæ 10. vers. 23: *Consummationem enim et abreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.* Vide ibi dicta.

Non consurget duplex tribulatio,] Chaldæus, *Non consurget domui Israel duplex angustia;* Arabicus: *Non consurget altera vice in nocumento;* Syrus: *Non stabit* (surget) *duabus vicibus tribulatio*, q. d. Unam angustiam passus est Israel in excidio Samariæ, et decem tribuum per Salmanasar: quare non patietur Deus clementissimus secundam ei inferri à Sennacherib, ut duas ejus tribus reliquas et Jerusalem exscindat. Ita Hebræus quem citat S. Hieron. Secundo, alii, q. d. Deus ita fortiter una vice per Angelum cædet et atteret castra Sennacherib, ut secundo ea percutere et plagam iterare non sit opus: quia extremis suppliciis ea afficiet, et primo ictu ea disperdet et consumet. Ita Vatablus.

Tertio, alii, q. d. Deus unica irruptione Chaldæorum subvertet Niniven; ut secunda non sit opus. Simili enim phrasi ait Abisai de Saule: *Nunc ergo perfodiam eum lancea in terra, semel,*

et secundo opus non erit, 1. Reg. 26. 8. Explicat enim consummationem quæ præcessit, q. d. Consummabo stragem et excidium Ninives una percussione, ut secundo eam ferire non debeam. Ita à Castro. Sic ait Virgil. Æneid. 11 :

Procubuit moriens, et humum semel ore momordit.

Et Ovid. epist. 5 :

Nulla reparabilis arte
Læsa pudicitia est, deperit illa semel.

Omnes hi sensus probabiles sunt; primus tamen, quem tradit quoque S. Cyrill. et Theoph. magis videtur congruus et appositus, magisque respondet communi tropologiæ, quam mox afferam ; illique magis favent Hebræa, quæ ad verbum habent : *Non exsurget duabus vicibus tribulatio.* Tribulatio enim pertinet ad populum Dei ; consummatio ad infideles et impios Ninivitas. Unde Septuag. vertunt : *Non vindicabit bis in idipsum in tribulatione. In idipsum*, id est idipsum, vel ob idipsum, scilicet crimen vel delictum. Theodotio : *Non consurget secunda tribulatio;* Symmach. *Non sustinebunt impetum secundæ angustiæ;* Pagnin. *Non consurget bis angustia.* Et sic se explicare videtur Nahum v. 12. dicens : *Afflixi te, et non affligam te ultra. Et nunc conteram virgam ejus de dorso tuo.* Sat enim Israel per Assyrios punitus videbatur vastatione Samariæ, et decem Tribuum, ut Hierosolymæ et Judæis parcendum esset; Judæi enim, sive duæ Tribus, in decem Tribuum, utpote fratrum suorum, excidio, sat pœnarum dederunt Assyrio. Hinc ex versione Septuag. manavit Theologorum axioma : *Deus non punit bis idipsum*, quando nimirum ita punivit, ut pœna adæquarit culpam; si enim non adæquarit, sed illa sit inferior et minor, juste iterare et augere potest plagas, donec culpam adæquent.

Unde tropol. S. Hieron. et Remig. sic explicant, q. d. Quos Deus punit in hac vita, eos secundo non puniet in futura. Audi S. Hieron. *Quid contra Dominum cogitatis? Ipse qui creavit mundum, et consummationem ejus faciet. Quod si vobis videtur crudelis, rigidus et cruentus, quod in diluvio genus delevit humanum; super Sodomam et Gomorrham ignem et sulphurem pluit; Ægyptios submersit fluctibus ; Israelitarum cadavera prostravit in eremo: scitote eum ideo ad præsens reddidisse supplicia, ne in æternum puniret. Non vindicabit Dominus bis idipsum in tribulatione. Ergo qui puniti sunt, postea non punientur. Receperunt ergo et qui in diluvio perierant, et Sodomitæ, et Ægyptii, et Israelitæ in solitudine mala sua in vita sua.* Ubi videtur sentire S. Hieron. Sodomitas, Pharaonem et Ægyptios hìc punitos, ne punirentur in inferno? sed contrarium verius est ; occisi enim sunt à Deo in flagranti delicto, puta Sodomitæ in invasione domus Lot, ut hospitibus Angelis turpiter abuterentur: Pharao et Ægyptii in tyrannica persecutione Mosis et Hebræorum ; mortui ergo in peccato descenderunt in tartara, uti dixi Gen. 19. et Exodi 14. Quærit deinde S. Hieron. *si fidelis deprehensus in adulterio decolletur, quid de eo postea fiat? Aut enim punietur, et falsum est hoc quod dicitur : Non vindicabit Dominus bis in idipsum in tribulatione. Aut punietur, et optandum est adulteris ut in præsentiarum brevi et cita pœna cruciatus frustrentur æternos.* Ac resp. *Deum, ut omnium rerum, ita et suppliciorum quoque scire mensuras, et non præveniri sententia judicis ; nec illi in peccatorem exercendæ dehinc pœnæ auferri potestatem : et magnum peccatum magnis diuturnisque elui cruciatibus ; si quis autem punitus sit* (satis et adæquate ad mensuram culpæ) *ut ille in lege qui Israelitis maledixerat, et qui in sabbato ligna collegerat, tales postea non puniri ; quia culpa levis præsenti supplicio compensata sit*, q. d. Adulter decollatur; quia peccato suo læsit Rempub. eique dedit scandalum : decollatione ergo luit offensam in Rempubl. Idem tamen offendit Deum ; unde necesse est ut pariter hanc offensam luat contritione, confessione, et satisfactione, vel satispassione (v. g. offerendo Deo decollationem in satisfactionem adulterii) adæquata culpæ : quod si moriatur impœnitens, aut satisfactio hæc non sit adæquata, Deus eam adæquabit in inferno, vel in purgatorio. Adde: adulterium ejus punitur decollatione, non vero ejus obstinatio et impœnitentia: illam ergo luere debet in inferno. Quare imperite hæretici hoc loco abutuntur contra satisfactionem, dum sic argumentantur:Christus luit omnia peccata nostra, illaque Deus in ipso abunde punivit ; ergo non punit illa in nobis, nec exigit à nobis pœnas temporarias, quibus pro illis satisfaciamus divinæ justitiæ; imperite, inquam : tum quia Christi satisfactio altioris est ordinis, quàm sit nostra. Est enim generalis pro culpa totius generis humani ; nostra vero est particularis, pro propriis culpis. Jam sicut causa universalis, v. g. sol, non tollit efficientiam causarum particularium, v. g. hominis ut generet hominem, sed potius cum illis operatur, et earum cooperationem exigit, ita ut sine illis non operaretur; ita pariter Christi satisfactio generalis nostram particularem requirit, nec sine illa operatur. Hoc ergo axioma : *Deus non punit bis idipsum ;* intellige in eodem rerum ordine : nam in diverso sæpe bis punit. Hinc pro peccato Adæ, et culpa generis humani non aliam exigit satisfactionem, quam Christi ; quia illa generalis fuit culpæ generali adæquata : pro culpis vero particularibus, particulares singulorum exigit satisfactiones. Tum quia Christi satisfactio nil prodest, nisi nobis eam applicemus : applicare autem eam debemus per nostram cooperationem et satisfactionem. Id enim voluit et ordinavit Christus, uti docent Scripturæ et Ecclesia.

Tropol. puniamus hìc peccata nostra voluntaria pœnitentia ; ita Deus non puniet ea in futuro. *Neque enim bis in idipsum judicat Deus, sed impœnitentes ipse judicat et damnat ; pœnitentes vero, quia à seipsis suscipit judicatos, absolvit, neque judicio quod pœnitentiæ humanæ severitas protulit, aliquid justitia cœlestis apponit*, ait S. Cyprian. serm. de Passione Christi. Nam de impœnitentibus ait Jerem. c. 17. v. 18 : *Duplici contritione contere eos, idque quia eorum contritio hìc cœpta, illic* (in gehenna) *perficitur, ut incorrectis unum flagellum sit quod temporaliter incipit, sed in æternis suppliciis consummatur; quatenus eis qui omnino corrigi renuunt, jam præsentium flagellorum percussio, sequentium sit initium tormentorum*, ait S. Greg. l. 18. Moral. c. 13. Ita Mauritius Imp. oravit peccata sua puniri in hac vita, ut non puniretur in futura; oravit et impetravit : unde ipse cum filiis à Phoca Imp. interemptus est. Hinc S. Fulgentius orabat : *Domine, da hìc patientiam, et illic indulgentiam*, uti habet ejus Vita. Et S. August. *Hìc ure*, inquit,

hic seca, ut in futuro parcas. Quin et Habacuc c. 3. 16 : *Ingrediatur,* ait, *putredo in ossibus meis, et subter me scateat ut requiescam in die tribulationis, ut ascendam ad populum accinctum nostrum.* Idem optarunt et obtinuerunt septem fratres Machabæi excruciati ab Antiocho, 2. Machab. 7. Nam ut ait S. Paulus, 1. Cor. 11. 32 : *Dum judicamur,* id est, punimur in hoc mundo, *à Domino corripimur , ut non cum hoc mundo damnemur.* Hoc sapiebat Abbas Olympius, qui rogatus quomodo assidue degens in spelunca, ibi ingentes toleraret æstus et culicum morsus , respondit: *Ideo ista tolero, ut futuris cruciatibus liberer; ideo ciniphes patior, ut immortalem effugiam vermem ; sic et æstum patior, ut æternum ignem evadam; hæc enim temporalia sunt, illa finem nullum habent,* uti refert Sophron. in Prato spirit. c. 141. Qui et c. 142. narrat fratrem quemdam victum ab acedia audisse ab Abbate Alexandro : *Si in cella tua sollicite cogitares regnum cœlorum, et cruciatum æternum, in cella tua acediam non sentires.*

10. Quia sicut spinæ.] Clare vertit Pagnin, *Quia venient usque ad spinas complexas, et cum inebriati fuerunt ebrii, consumentur sicut stipula ariditate plena ;* et Tigurina : *Nam planissime ritu veprium implicitarum , cum fuerint comessando referti, absumentur ceu culmus ad plenum torridus.* Siquidem, ut ait S. Hieron. dum in terra Juda sunt Assyrii cum Sennacherib obsidentes Jerusalem, et quasi spinæ sese invicem densis agminibus complectuntur , potantes, lætantes et gaudentes, ab Angelo cæduntur et consumuntur. Ita et Ninive capta est, dum cives præfidentes suis muris et munitionibus, hostemque obsidentem contemnentes, vacarent conviviis et symposiis, uti tradit Diodor. Sicul. lib. 3. Ita capta est et Babylon convivante rege Balsasare, Daniel. 5. 1. Assyrios comparat spinis ; quia ipsi ut spinæ pungebant et affligebant populum Dei, ideoque à Medis et Chaldæis quasi spinis, pari modo pungendi et affligendi erant. Rursum *convivium,* id est, cœtum convivarum, sive convivas, puta Assyrios convivantes et compotantes, comparat spinis; quia sicut spina spinæ implexa est, ita conviva convivæ assidet, ac mutuo manus conserunt et implicant, dum ultro citroque calices et fercula transmittunt. Rursum convivia conviviis, ut spinæ spinis implicantur, dum invitati invitantes rursum invitant: itaque convivia eunt in orbem, suntque assidua.

Moral. convivæ vocantur *spinæ,* quia sæpe absentes sua maledicentia, conviciis et scommatibus pungunt et lacerant. Vitium enim dicacitatis et detractionis frequens est in conviviis : lingua enim innatans vino solvitur, promitque et eructat quidquid habet in corde, imo quidquid in buccam venit. Quare M. Varro censuit convivarum numerum incipere oportere à Gratiarum numero, et progredi ad Musarum, id est, proficisci à tribus, et consistere in novem ; ut, cum paucissimi convivæ sunt, non pauciores sint quàm tres ; cum plurimi, non plures quàm novem : si enim plures sint, turbam efficient dicacem et turbulentam. Alii septem duntaxat mensæ adhibendos judicarunt. Unde Proverbium : *Septem convivium, novem convicium.* Porro convivii proprietatem præclare describit Cicero, lib. de Senectute : *Bene ,* inquit, *majores accubationem epularem amicorum , quia vitæ conjunctionem haberet, convivium nominaverunt.* Huic autem repugnat turba in dissidia et convicia prona ; conviviones , inquam, imo combibiones. Contra hos consultò S. August. hos versus mensæ suæ adscripsit, qui convivarum jugiter oculos ferirent, oraque à detractione compescerent :

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

Ita Possidon. in Vita S. August. Porro in Hebræo est elegans paronomasia inter סבובים *sebubim,* id est, qui complectuntur ; סבאם *sobam.* id est convivium, vel ebrietas eorum ; et סובאים *sobeim,* id est ebrii, q. d. Ebrietas ebrios stringit et colligat, sicut aculeis suis colligantur spinæ, ut sese invicem complectantur; hinc pariter Deus eos quasi in fasciculo stringet et colligabit, eisque ignem subjiciet, quo quasi stipula aridissima subito stridore conflagrabunt et consumentur. Ita Angelus cædens castra Sennacherib ignem pestiferum in ea immisit, uti tradunt Hebræi, de quo dixi Isaiæ 10. v. 16. Ita pariter Medi et Chaldæi Niniven convivantem ferro flammaque vastarunt.

Denique Septuag. aliter vertunt, nimirum : *Quia usque ad fundamenta sua in pavimentum redigentur, et quasi smilax planta implicata comedentur, et quasi stipula exsiccabitur.* Ita habet editio Regia; sed Romana sic : *Quia usque ad fundamentum suum redigetur in vepres, et quasi volvola circumdata comedetur, et quasi stipula ariditate plena.* Smilax enim dicitur *volvola* , quod instar hederæ se arboribus circumvolvat. Smilax enim est herba spinosa, densis geniculata caulibus, fruticosa ramis, folio hederaceo, flore candido olente lilium. Duæ ejus sunt species : Prior est smilax aspera, sive hedera Cilicia ; altera smilax levis. Vide Dioscor. lib. 4. c. 143 et 144, Theophr. lib. 3. hist. Plant. c. ult. Smilax levis est convolvolus major ; nam minor est helxine cissampelos, inquit Dioscor. Smilax notat corymbos et coronas quibus deliciosi convivæ se coronabant, uti dixi Amos 6. v. 6; illæ enim fiebant ex smilace, et similibus herbis ac floribus. Audi Plinium, lib. 24. c. 10 : *Smilax quoque, qui et nicophoros cognominatur, similitudinem hederæ habet tenuioribus foliis, coronam ex eo factam impari foliorum numero, aiunt capitis doloribus mederi. Quidam duo genera smilacis dixere : Alterum immortalitati proximum in convallibus opacis, scandens arbores comantibus acinorum corymbis, contra venenata omnia efficacissimis, in tantum ut acinorum succo infantibus sæpe instillato, nulla postea venena nocitura sint. Alterum genus culta amare, et in his gigni, nullius effectus.* Assyrii ergo comparantur smilaci, arbores scandenti ; quia ad altiora semper conscendentes devorati sunt à Medis et Chaldæis. Tropol. smilaces sunt, qui charitatem et benevolentiam simulant, ac interim perniciem moliuntur, ait Theoph.

11. Ex te exibit,] q. d. Causa tuæ cladis et excidii, ô Ninive, erit Sennacherib rex tuus, qui ex te exibit in aciem contra Dominum, id est, contra Domini urbem Hierosolymam et templum, ut ea disperdat. Volet ergo quasi cum Domino bellum gerere, instar gigantum et Titanum cum Jove certantium ; sed hæc gigantomachia caro illi stabit : nam cæsus et confusus à Deo, profugus redibit in terram suam, ibique à filiis occidetur : ita Theod. Theoph. Clarius, Vatabl. Arias et Chald. qui vertit : *Ex Ninive egres-*

sus est rex, qui cogitavit contra populum Domini mala. Vide blasphemiam Rabsacis, quem Sennacherib misit ad Judæos, qua jactat Deum non posse eos è manu sua eripere, Isaiæ 36. 20. Quocirca:

12. HÆC DICIT DOMINUS, puniens tantum Assyriorum fastum et blasphemiam: SI PERFECTI FUERINT, etc.] q. d. Licet copiis, robore, opibus præstetis, et numero sitis plures, imo plurimi; tamen attondebit vos Angelus pertransiens et feriens. *Attondentur* ergo, id est attondebuntur (sic enim multa verba secundæ conjugationis usurpantur et conjugantur in tertia, uti pro ferveo dicitur fervo, pro fulgeo fulgo, pro sedeo sido) hoc est, more capillorum facillime et omnino ab Angelo resecabuntur, et in terram dejicientur; et *pertransibit,* scilicet rex eorum Sennacherib, ut fugiat in suam Assyriam: vel *pertransibit,* id est evanescet, exercitus, roburque Sennacherib. Ita S. Hier. Remig. Albert. Hugo, Lyran. et alii. Aliter Theod. Rupert. Arias et Vatabl. accipiunt enim de Ninive, q. d. Etiamsi Ninivitæ summa pace et rerum copia fruantur, tamen eorum copia, imperium et gloria transibit ad Medos et Chaldæos. Ubi nota: Pro *perfecti* hebr. est שלמים *scelemim,* quod verti potest primo, pacifici. Ita Vatabl. indeque concordes et unanimes ad resistendum hosti. Secundo, integri. Ita Tigurina. Tertio, perfecti. Ita Noster. Quarto, in pace, id est, prosperitate et rerum abundantia. Ita Chald. et Pagnin. Hæc omnia eòdem redeunt: significant enim Assyrios integros et perfectos fuisse copiis, opibus et viribus. Unde Pagnin. vertit: *Sic dixit Dominus: Num erunt in pace? Et vere multi sunt, et vere excidentur, et transibunt. Et afflixi te per eos, non affligam te ultra te.*

AFFLIXI TE (ô Israel, ô Jerusalem, per Sennacherib et Assyrios) ET NON AFFLIGAM TE ULTRA,] scilicet per Assyrios; nam per Chaldæos postea ob nova scelera excisa est Jerusalem. Vide dicta Joel. 2. 38. Pronomen enim *te* refert Jerusalem, non Niniven, uti docent S. Hieron. Remig. Haymo, Rupert, Lyran. Arias, Vatabl. Ribera et alii. Nam sequitur:

13. CONTERAM VIRGAM EJUS (scilicet Sennacherib: hebr. enim est affixum sive pronomen masculinum) DE DORSO TUO.] *Virgam* vocat vim et tyrannidem, qua Judæos affligebat, obsidebat et quasi vinctos tenebat. Unde Chald. vertit: *Frangam jugum Gentium de collo vestro, et vincula vestra præcidam;* et Pagnin. *Conteram jugum ejus à te, et vincula tua* (quibus te constrinxit) *dirumpam.* Hebræum enim מטה *matte,* id est virga, si alio puncto legas מוטה *mota,* significat jugum, catenas et vincula. Symbol. Theophyl. virga Sennacherib, ait, sunt peccata, et tentationes diaboli, quæ conterit gratia Christi. Eadem sunt semen diaboli, quod suffocat Christus. Unde de eo sequitur: *Non seminabitur ex nomine tuo amplius.* Hæc sunt zizania, de quibus Christus Matth. 13. 27.

14. ET PRÆCIPIET SUPER TE DOMINUS. *Præcipiet,* id est, decernet et sanciet id quod sequitur: NON SEMINABITUR, id est, ut non seminetur, EX NOMINE TUO AMPLIUS,] hoc est, ut nemo deinceps gignatur ex te qui nomen tuum et stirpem propaget, voceturque filius tuus, et sit rex Assyriorum. Nam paulo post fugiens Sennacherib in Assyriam, in templo Dei sui à filiis est interfectus. Unde filium deinceps generare nequivit. Successit ei quidem in regno filius Asarhaddon jam pridem genitus; sed et hic paucis annis regnavit, nec sobolem in regno reliquit. In eo ergo defecit stirps regia Sennacherib. Ita S. Hieron. Remig. Albert. Hugo, Lyran. Clarius, Vatabl. Ribera et alii. Aliter Theodor. et Theoph. q. d. In excidio Ninives desinet augustum illud nomen Nini et Assyriorum; eorum enim monarchia transferetur ad Babylonios. Unde deinceps Assyrii vocabuntur Babylonii, quia Babyloniis rerum dominis erunt subditi: sicut postea utrique vocati sunt Græci et Romani, cum ab Alexandro et Romanis fuerunt subacti. Aliter quoque Sanchez, q. d. Nomine Sennacherib non amplius seminabuntur agri, quorum fructus in regium ejus horreum comportentur; quia ipse brevi spoliabitur imperio et vita. Regis enim nomine fieri dicitur, quod ejus imperio, æque ac commodo fit, non alterius. Sic ait Plautus in Mercatore:

Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi eidem metis.
Tibi denique iste pariet lætitiam labor.

Moral. disce hîc justum judicium Dei, quo talionem rependit tyrannis, v. g. Assyriis, ut qui aliena invaserant, perdant sua, imo intereant cum sua stirpe et nomine. Unde Chald. vertit: *Non erit amplius memoria nominis tui.* Hoc est, quod Jeremias cap. 22. 30. intentat Joachin, sive Jechoniæ tyranno: *Scribe,* inquit, *virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur; nec enim erit de semine ejus vir qui sedeat super solium David.* In Jechonia enim defecit stirps regia Davidis, adeoque regnum Juda: licet enim Jechonias genuerit Salathiel, tamen hîc nunquam fuit rex, sed in captivitate Babylonica natus et mortuus, reliquit filium Zorobabel, qui Judæos Babylone reduxit in Judæam; sed regis jus et titulum nunquam est adeptus. Simili pœna punitus est tyrannus Nabuchodonosor, vel potius Balsasar, de quo ait Isaias c. 14. 20: *Non vocabitur in æternum semen pessimorum.*

DE DOMO DEI TUI INTERFICIAM SCULPTILE ET CONFLATILE.] Hæc jungenda sunt cum Hebr. Chald. Septuag. et Romanis, licet Biblia Regia, S. Hieron. Remig. Haymo, Lyran. et Clarius aliter dispungunt, nimirum sic: *De* (id est *in*) *domo Dei tui interficiam,* scilicet, ô Sennacherib, *sculptile et conflatile ponam sepulcrum tuum.* Verum Hebr. Septuag. et Chald. tollunt hanc dispunctionem, omniaque hæc connectunt. Interficiam ergo, id est excidam, tollam, disperdam, exterminabo tua sculptilia, id est tua idola, tuos deos. Unde Septuag. vertunt: *Ex domo Domini Dei tui disperdam sculptilia et conflatilia;* et Chald. *De domo idolorum tuorum delebo simulacrum et conflatile;* quia ut sequitur, et ut expresse habet Chald. et Pagnin. *Ibi ponam sepulcrum tuum,* q. d. Profanabitur templum Dei tui Nesroch cæde tua, præsertim tam immani et parricidiali, qua tu rex et monarcha à propriis filiis in ipso templo occideris, ibique inhumatus jacebis, 4. Reg. 19. 37; quo fiet ut idola pariter profanata censeantur, atque ut profana vel abjiciantur, vel efferantur et confringantur, q. d. *Inde punieris unde sperabas auxilium. Erit sculptile et conflatile sepulcrum tuum, ut inter aras et pulvinaria adorantis idola, sanguis nefarius effundatur,* ait S. Hieron. Templum ergo jam non erit templum deorum, sed sepulcrum tuum, id est, regis à filiis mactati. Sic Lucan. ait lib. 7:

Cælo tegitur qui non habet urnam. Sic mare est sepulcrum naufragorum. *Quia inhonoratus est ;* quia scilicet ob cœlestem in Judæa exercitus tui stragem, turpemque tuam ex ea fugam, contemptus à tuis civibus et filiis in templo occideris ; ibique instar idoli confracti et projecti, sanguine et tabe manans, insepultus projicieris, idque in justam pœnam et vindictam ; quia scilicet tu sacrilege inhonorasti, contempsisti, et blasphemasti Deum Israel.

Posset secundo, sic exponi, q. d. Per Medos et Chaldæos in excidio Ninives exscindam, diripiam, et disperdam pariter tua sculptilia, tua idola, in quibus tu, ô Sennacherib, frustra tuas spes collocasti : insuper ibidem ponam sepulcrum tuum, quia tu illa honorans, me inhonorasti. Minus recte S. Cyril. hæc refert ad Josiam, qui in Judæa delubra idolorum subvertit, 4. Regum 23. Agitur enim hîc de templo Ninives, non Judææ. Nota : Pro *quia inhonoratus es,* Septuag. vertunt, *quia velox es ;* Chald. *quia hoc perfacile est coram me.* Hebr. enim קל *cal* significat primo, levem ; secundo, velocem ; tertio, facilem ; quarto, vilem et inhonoratum : homines enim leves sunt viles et abjecti.

15. ECCE SUPER MONTES PEDES EVANGELIZANTIS.] Ita quoque Syrus vertit, et Arabicus uterque, q. d. Cæso Sennacherib, statim cursores et veredarii id ipsum ubique divulgabunt. Unde Ezechias et primores Judæorum hoc evangelium, id est lætum nuntium, per suos cursores et præcones, more gentis suæ, in montibus proclamabunt, ut à populis circumquaque in vallibus habitantibus, quàm longissime dato tubæ signo exaudiantur. Clamabunt ergo, dicentque : CELEBRA, JUDA, FESTIVITATES TUAS, antea ob obsidionem intermissas, ET REDDE VOTA TUA,] quæ pollicitus es Deo, cum in Jerusalem obsidereris à Sennacherib, ut ab eo te liberaret. Ita S. Hieron. Theodor. Theophyl. Haymo et Lyran. Ubi adverte minus verum videri quod S. Hieron. Haymo et Hugo censent, scilicet, per festivitates intelligi solemne illud Pascha institutum, et restitutum ab Ezechia, 2. Paral. 30. 3 et 15. Nam illud diu ante adventum Sennacherib, sub initium regni sui instituit Ezechias, ut patet 2. Paralip. 29. v. 3. Septuag. quos sequitur S. Cyril. Theoph. et S. Hug. 18. Civit. 31. ita dispungunt et legunt: *Quia veloces ecce super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem.* Atque idipsam allegorice referunt ad Apostolos evangelizantes pacem et gratiam Christi; ut alludat Nahum ad Isaiæ 52. 7 : *Quàm pulchri super montes pedes evangelizantis et prædicantis pacem!*

Mystice S. August. *Hæc, ait, ad novum testamentum pertinent, quorum dies festi ita spiritualiter innovantur, ut in vetustatem transire non possint. Porro per Evangelium exterminata sculptilia et conflatilia, id est, idola deorum falsorum, et oblivioni tanquam sepulturæ tradita, jam videmus. Et hanc etiam hac in re prophetiam completam esse cognoscimus.* Et S. Hieron. *Si quando,* inquit, *gravissima persecutio fuerit, qualis sub Valeriano, et Decio, et Maximiano* (hi enim sunt nostri Assyrii et Sennacheribi), *et Domini ultio apparuerit in adversariis ejus* (uti apparuit in strage Valeriani, Decii et Maximiani), *dicamus ad Ecclesiam : Celebra, Juda, festivitates tuas, et redde vota tua.* Sic tropol. anima fidelis Evangelii assecla, quieta et sancta celebrat sua festa, exsultans, et jubilans Deo in laude et gratiarum actione, in psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus, uti monet Apostolus Ephes. 5. 19.

Unde apte hæc referas ad renovationem spiritus et votorum, quam Religiosi faciunt, ac præsertim Societatis nostræ bis quotannis. Hæc enim est solemnitas ingens, eisque propria : atque in ea redduntur, id est renovantur et instaurantur, vota, ut, si quid ex voto obedientiæ decerpserit propria voluntas, ex voto paupertatis propria commoditas, ex voto castitatis incauta curiositas, id totum abducetur, ut vota primævæ integritati et sanctitati restituantur, imo puriora, integriora et ardentiora evadant. Unde fiet quod sequitur : *Non adjiciet ultra, ut pertranseat in te Belial,* ut scilicet vitium cui subjectus fueras, tibi amplius dominetur ; sed illud perfecte vincas et mortifices. In his enim tribus perfecta renovatio consistit, nimirum primo, ut Juda, id est, vir religiosus confitens et laudans Deum, celebret suas festivitates, hoc est feriatus et liber à terra rebusque mundanis, arctius se totum Deo addicat et consecret, juxta illud Isaiæ 58. 13 : *Si averteris à sabbato pedem tuum, facere voluntatem meam in die sancto meo, et vocaveris sabbatum delicatum, et sanctum Domino gloriosum, etc. tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob patris tui.* Secundo, ut reddamus vota Deo, reddamus, inquam, ea prima et integra, taliaque qualia fuere, cum primum ea Deo vovimus. Tertio, ut ultra Belial in nobis non pertranseat : *Belial,* id est, *sine jugo,* vel *vetustum,* est innatus cuique defectus, et vitium principale, à quo cætera oriuntur ; v. g. in uno vitium principale est ambitio, in alio gula, in tertio acedia, in quarto pusillanimitas. Renovatio in eo consistit, ut hoc vitium quisque ita mortificet, ut amplius non dominetur, sed si quando mentem pulset, statim supprimatur et resecetur ; ita ut vitium sit in ejus potestate et dominio, ut illud ad libitum frenare et regere possit. Qui hæc præstat, fit homo novus, cœlestis et divinus ; ac ut ait Nazianz. *in suis actionibus exsplendescit :* quia terrena fastidiens, mente in cœlo versatur, vivitque in continua Dei laude, amore et jubilo, vitamque agit sanctam, apostolicam, angelicam, seraphicam, adeoque jam præludium habet vitæ beatæ, eamque orditur et inchoat, brevi eamdem consummaturus in cœlo.

QUIA NON ADJICIET ULTRA UT PERTRANSEAT IN TE BELIAL.] *Belial* dicitur quasi בלי עול *beli ol,* id est sine jugo ; hinc *Belial* significat inobedientiam, impietatem, apostasiam : ac secundo, ipsos inobedientes, impios, apostatas, qui jugum legis, vel fidei, vel professionis excutiunt ; quorum quia princeps et caput est diabolus, hinc tertio, *Belial* significat diabolum. Unde pro *Belial* Tigurina vertit : *Deo et hominibus infestus.* Hinc in Scriptura homines valde impii et scelerati vocantur *filii Belial.* Vide dicta 2. Cor. 6. 15. Hic ergo impium et theomachum Sennacherib cum suo exercitu vocat *Belial,* q. d. Impius Sennacherib non amplius suis copiis te, ô Judæa et Jerusalem, obsidebit et affliget ; quia universus interiit, cæsus ab Angelo. Ita S. Hieron. Hugo, Vatabl. Alii per *Belial* accipiunt Assyrium, id est Assyrios, ut singulare ponatur pro plurali, q. d. Periit Ninive, et imperium Assyriorum : translatum est enim ad Chaldæos. Ita Theodor. Remig. et Albert. Porro Septuag. vertunt : *Non apponent*

ultra ut pertranseant in vetustatem. Consumptum est, consummatum est : ascendit insufflans in faciem tuam, eruens de tribulatione; vel, ut S. Chrysost. legit in lib. decem homil. Romæ impresso : *Non adjicient ultra venire ad vetustatem. Consummata sunt, sublata sunt. Ascendit enim è terra insufflans in faciem tuam, et eximens è tribulatione.* Quæ ita interpretatur, q. d. *Vetera consummata et sublata sunt : nova facta sunt omnia.* Videntur Septuag. *Belial* derivare à rad. בלה *bala*, id est inveterascere, consumi; ut *belial*, sive *beli ol*, sit idem quod *vetustas jugi* et servitutis.

Hoc anagog. de renovatione Ecclesiæ futura in fine mundi ita explicat S. Hieron. *O Juda* (ô Ecclesia, ô fidelis, ô sancte et electe), *redde vota tua, quia nequaquam ultra pertransient inimici qui te adducent in vetustatem, hoc est, qui te volunt imaginem portare veteris hominis. Quoniam quod vetus est senescet, et quod senescit perditioni proximum est. Completus est mundus, consumptus est adversarius : venit tibi Christus, qui prius insufflaverat in faciem tuam; cum te de limo fingeret, et post resurrectionem quoque insufflans in faciem Apostolorum ait : Accipite Spiritum Sanctum, ipse est qui te liberat de tribulatione. Vastata enim Ninive et transeunte mundo, tribulatio quoque pertransiet.*

Allegor. hic Belial, puta Sennacherib hostis populi Dei, est diabolus, peccatum et mors, inquit S. Cyril. et Theoph. quem prostravit et fugavit Christus, cujus ira et furor contra eum graphice describitur hic vers. 2. 3. et 6. Quocirca eo fuso et fugato tranquille agit Ecclesia, ac sine timore et periculo celebrat suas festivitates.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PERGIT VATICINARI OBSIDIONEM ET EXCIDIUM NINIVES PER MEDOS ET CHALDÆOS, QUORUM ARMA, CASTRA, ET MILITES FEROCES, CELERES ET TERRIBILES INSTAR FULGURIS GRAPHICE DESCRIBIT. DEINDE V. 8. NINIVES DESOLATIONEM, SPOLIATIONEM, PAVOREM ET CONSTERNATIONEM DEPINGIT; CAUSAMQUE ADDIT ET INCULCAT, QUOD FUERIT CUBILE LEONUM, ID EST, TYRANNORUM ET PRÆDONUM.

1. ASCENDIT qui dispergat coram te, qui custodiat obsidionem : contemplare viam, conforta lumbos, robora virtutem valde. 2. Quia reddidit Dominus superbiam Jacob, sicut superbiam Israel : quia vastatores dissipaverunt eos, et propagines eorum corruperunt. 3. Clypeus fortium ejus ignitus, viri exercitus in coccineis : igneæ habenæ currus in die præparationis ejus, et agitatores consopiti sunt. 4. In itineribus conturbati sunt : quadrigæ collisæ sunt in plateis : aspectus eorum quasi lampades, quasi fulgura discurrentia. 5. Recordabitur fortium suorum, ruunt in itineribus suis : velociter ascendent muros ejus, et præparabitur umbraculum. 6. Portæ fluviorum apertæ sunt, et templum ad solum dirutum. 7. Et miles captivus abductus est : et ancillæ ejus minabantur gementes ut columbæ, murmurantes in cordibus suis. 8. Et Ninive quasi piscina aquarum aquæ ejus : ipsi vero fugerunt : state, state, et non est qui revertatur. 9. Diripite argentum, diripite aurum : et non est finis divitiarum ex omnibus vasis desiderabilibus. 10. Dissipata est, et scissa, et dilacerata : et cor tabescens, et dissolutio geniculorum, et defectio in cunctis renibus : et facies omnium eorum sicut nigredo ollæ. 11. Ubi est habitaculum leonum, et pascua catulorum leonum, ad quam ivit leo ut ingrederetur illuc, catulus leonis, et non est qui exterreat ? 12. Leo cepit sufficienter catulis suis, et necavit leænis suis : et implevit præda speluncas suas, et cubile suum rapina. 13. Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, et succendam usque ad fumum quadrigas tuas, et leunculos tuos comedet gladius : et exterminabo de terra prædam tuam, et non audietur ultra vox nuntiorum tuorum.

1. ASCENDIT QUI DISPERGAT CORAM TE, QUI CUSTODIAT OBSIDIONEM.] Syrus et Arabicus, *custodiens custodiam*, id est, agens excubias. Quæres primo : De qua obsidione agit hic Nahum, an Hierosolymæ, an Ninives? De Hierosolyma agi censent Chald. Theodor. Theoph. et Vatablus qui vertit et applicat sic : *Ascendit*, id est, instar vaporis ascendit in auras, abiit, evanuit et per-

in *dispersor* vel dissipator, id est Sennacherib, qui dispersit filios tuos, ô Jerusalem, teque obsedit. Videtur enim Nahum prosequi cladem Sennacherib, de qua egit in fine capitis præcedentis. Unde Septuag. vertunt : *Ascendit insufflans in faciem tuam, eruens de tribulatione,* q. d. inquit Theodor. Deus in te, ô Jerusalem, obsessam et pene enectam insufflavit spiritum vitæ et salutis, fecitque ut revivisceres, quando exsufflavit et occidit castra Sennacherib, quæ te obsidebant et enecabant : sicut olim formans Adamum insufflavit in eum spiritum vitæ, fecitque eum in animam viventem, ut scilicet esset animal et homo vivens. Favent sequentia, in quibus agit de Israele dicens : *Quia reddidit Dominus superbiam Jacob, sicut superbiam Israel,* q. d. Deus postquam per Sennacherib sat castigavit superbiam Israelis et Judæ, projecit virgam in ignem, hoc est, ipsum Sennacherib cum suis interemit. Huc pertinet expositio Ariæ, quæ talis est : Ne superbias, ô Jerusalem, eo quod evaseris manus Sennacherib; nam si in scelera recidas, ascendet contra te Nabuchodonosor, qui tuam superbiam puniet, teque obsidebit et vastabit, uti de facto contigit.

Secundo, melius alii passim accipiunt hæc de odsidione et excidio Ninives; tum quia tota prophetia Nahum est *onus Ninive,* ut habet ejus titulus, non Hierosolymæ; tum quia expresse de ea se explicans vers. 8. ait : *Et Ninive quasi piscina, etc.* Ita Hebræi, S. Hieron. Remig. Albert. Hugo, Lyran. Clarius, Ribera, à Castro et alii. Sensus ergo est, q. d. Contra te, ô Ninive, *ascendit,* id est, brevi ascendet hostis, qui *coram te,* id est, in tuis oculis, te spectante et gemente, *dispergat,* hebr. מֵפִיץ *mephits,* id est confringat, conterat, dissipet, disperdat tuos agros, villas, munitiones, opes, incolas et accolas, *quique custodiat obsidionem,* id est, qui arctissime te obsideat, arctet, et observet quasi custos, ne qua via elabaris, et ejus manus evadas; nec desistet, donec te expugnet et capiat. Nam ut sapienter ait Livius lib. 5 : *Obsidio ejus urbis quam cito capere velis, et urgenda et premenda.* Item : *Cum obstinato hoste obstinate pugnandum,* ait idem lib. 10. Hinc Proverbium : *Hectorem imitaris, ab Ilio nunquam recedis.*

Quæres secundo : Quando, et à quo obsessa et capta est Ninive? Primo, Diodorus Siculus lib. 3, Justin. lib. 1, Megasthenes, Eusebius, Orosius et alii Chronologi et Historici passim docent Niniven expugnatam ab Arbace Medo, et Beloso Babylonio, qui Sardanapalum regem Ninives coegerunt ad sui necem, ut scilicet insiliret in pyram à se accensam : hunc enim fuisse ultimum regem vel monarcham Assyriorum, in eoque illam desiisse, ac translatam esse ad Medos et Chaldæos. Porro Eusebius in Chron. S. Hieron. initio Comment. in Amos, S. August. lib. 18. Civit. cap. 21, Orosius et alii passim tradunt Sardanapalum vixisse tempore Oziæ regis Juda, quo tempore Procas Sylvius avus Romuli rex erat Latinorum, regnabatque in Alba. Verum hæc duo non satis consentiunt cum S. Scriptura; nam constat post Oziam sub ejus pronepote Ezechia vixisse Salmanasar, Sennacherib et Asarhaddon, qui erant reges Assyriorum, regnabantque in Ninive, erantque potentissimi : nisi dicas in Sardanapalo eversam esse Niniven, et monarchiam Assyriorum; postea tamen refloruisse Niniven, eique restitutum esse regnum, licet non monarchiam. Nam quod aliqui, volentes Historicos profanos cum S. Scriptura conciliare, respondent cum Eusebio et Megasthene, Salmanasar, Sennacherib et Asarhaddon fuisse reges Assyriorum, id est Babyloniorum, qui ad se monarchiam Assyriorum jam transtulerant, Assyriisque à se devictis dominabantur; hoc, inquam, dici nequit. Nam eodem tempore Babyloniis dominabatur Merodach Baladan, quo Asarhaddon Assyriis, ut patet 4. Reg. 20. vers. 12. collato cum cap. 19. v. ult. Ergo illo tempore diversi erant, propriique reges Assyriorum, æque ac Babyloniorum. Ut ut est, de excidio Ninives sub Sardanapalo, si eum ponas coævum Oziæ, loqui nequit Nahum, utpote eo longe posterior; illud ergo pertinet ad tempora Jonæ, uti dixi in ejus Proœmio.

Secundo, Hebræi censent Niniven vastatam esse sub initium regni Manassis, qui Ezechiæ patri in regno Juda successit, ideoque Manassen ductum captivum in Babylonem, non in Niniven; eo quod Ninive jam esset eversa, uti ex Suida refert Geneb. lib. 1. Chronol. qui et addit Sardanapalum, per crasin, eumdem esse et nomine et persona cum Asarhaddon. Asarhaddon enim regnavit sub tempora Manassis, videturque fuisse ultimus rex Assyriorum : nam post eum nemo alius in Scriptura nominatur. Cumque profani Historici asserant ultimum regem Assyriorum fuisse Sardanapalum, videtur quod hic non fuerit alius, quàm Asarhaddon, qui vixit sub Manasse; ac consequenter tum desiisse imperium Assyriorum, et Niniven esse eversam. Verum huic sententiæ refragantur Eusebius, S. Hieronym. S. August. et alii Græci ac Latini passim, qui docent Sardanapalum diu ante Manassen vixisse sub Ozia rege Juda, uti jam dixi.

Tertio, S. Cyril. et Theophyl. censent Niniven eversam esse à Cyro et Persis. Sed hi videntur confundere Assyrios cum Babyloniis, et Niniven cum Babylone : Babylonem enim evertit Cyrus, non Niniven. Sic Historici sæpe sub Assyriis comprehendunt Babylonios, et vice versa, ut cum numerant quatuor celebres veterum monarchias, Assyriorum, Persarum, Græcorum et Romanorum, sub Assyriis comprehendunt Babylonios.

Dico ergo Niniven captam et eversam esse à Medis et Chaldæis, puta à Cyaxare rege Medorum, et à Nabuchodonosore rege Babyloniorum. Cyaxares hic fuit filius Phraortis, et pater Astyagis; Astyages autem fuit avus maternus Cyri. Probatur hæc sententia primo, quia id diserte asserunt Septuag. Tobiæ 14. v. ult. Tobias enim senior moriens ibidem vers. 5. monet filium Tobiam juniorem, ut secedat ex Ninive, eo quod ob scelera sua illi immineat excidium intentatum à Jona. Addunt Septuag. in fine capitis, Tobiam juniorem ante mortem audisse hoc excidium, dicuntque : *Et mortuus est* (Tobias junior) *annorum centum viginti septem in Ecbatanis Mediæ. Et audivit, priusquam ipse moreretur, perditionem Ninive, quam captivarunt Nabuchodonosor et Assuerus,* vel, ut Romana legunt, *Assyeros,* id est Cyaxares. Nomen enim Cyaxares, vel Kyaxares, conflatum est ex prænomine *Ky,* id est princeps; et *Axares,* qui idem est cum Hebræo et Chaldæo Achasueros, id est Assuerus, uti docet Scaliger de Emendat.

temp. in Assuero, et Serarius in Tobiæ. cap. 14. quæst. 4. In utroque enim nomine sunt eædem litteræ consonantes, quas solas attendunt Hebræi et Chaldæi, etiamsi puncta sive vocales varientur. Secundo, quia communis sententia Chronologorum et Historicorum est, Nabuchodonosorem fuisse conditorem monarchiæ Babyloniorum, eamque ab Assyriis et Ninive in Babylonem transtulisse : hoc autem facere non potuit, nisi, capta et vastata Ninive, imperium ei adimeret. Tertio, Herodot. lib. 1. diserte docet Niniven eversam esse à Cyaxare. Cum enim narrasset Phraortem oppugnasse Niniven, sed frustra ; ibi enim cum copiis interiisse, subdit Cyaxaren Phraortis filium, ut patris necem ulcisceretur, Niniven obsedisse ; sed cum interim Scythæ Mediam invasissent, Asiæque imperium occupassent (quod tenuerunt per 28 annos), Cyaxarem obsidionem solvisse, ac cum Scythis bella gessisse, donec post 28 annos eos superavit et expulit : quo facto Niniven rursus aggressus, expugnavit. Idem docet Euseb. in Chronico, et S. Hieron. hîc, et Præfat. in Jonam : *Et revera*, inquit, *quantum ad historias tam Hebræas, quàm Græcas pertinet, et maxime Herodotum, legimus Niniven regnante apud Hebræos Josia, et Astyage* (regnante cum patre Cyaxare) *rege Medorum, fuisse subversam.* Porro Cyaxares expugnavit Niniven, adjutus à genero suo Nabuchodonosore ; hac enim de causa ei filiam suam despondit, nomine Nitocrin. Hæc est illa Nitocris famosa, quæ in Babylone curavit fieri hortos pensiles, qui orbis fuere miraculum ; de quibus Curtius lib. 5. et Joseph. lib. 10. Antiq. 13. Ejusdem opera heroica celebrat Herod. lib. 1, ubi et addit illam sibi sepulcrum exstruxisse, eique hæc inscripsisse : *Si cui regum Babylonis post me futurorum fuerit pecuniæ penuria, aperto sepulcro, tollat quantumcumque libuerit, pecuniæ duntaxat indigens, aliter ne aperiat.* Aperuit illud Darius, sed pro pecuniis hanc sententiam reperit : *Nisi pecunia esses inexplebilis, et turpis lucri cupidus, haud aperuisses urnas defunctorum.* Denique hæc est sententia Hebræorum in Seder Olam, Theodor. Rupert. Lyrani, Riberæ, à Castro, Adrichomii in chronol. anni mundi 3237, Serarii in cap. 14, Tobiæ et aliorum.

Quæres, tertio, quando Cyaxares et Nabuchodonosor expugnarint Niniven, an ante, an post excidium Hierosolymæ, quod illi intulit Nabuchodonosor anno 18. regni sui, qui fuit annus Sedeciæ regis Juda undecimus et ultimus. Aliqui censent Niniven expugnatam esse ante Jerusalem. Ita Euseb. in Chronico dicit expugnatam Niniven inchoate anno 28. Josiæ, et complete anno 4. Joakim filii Josiæ. Eusebium sequitur Beda lib. de Sex ætatibus mundi, ubi tradit Script. numerare annos Nabuchodonosoris ab anno 4. Joakim, quia ex eo ipse non solum Chaldæis et Judæis, sed etiam Assyriis et Ægyptiis cœpit dominari. Accedit Christ. à Castro, qui censet Niniven expugnatam anno 1. Nabuchodonosoris.

Rursum moderni quidem Chronologi manuscripti censent Cyaxaren anno regni sui 35. qui Josiæ regis Juda, inquiunt, fuit 13. et Nabuchodonosoris senioris primus, expugnasse Niniven. Hîc Nabuchodonosor senior à Beroso, Eusebio, Josepho Scaligero, Cardin. Bellarmino et aliis vocatur Nabonassar, vel Nabopolassar, qui regnavit 21 annis, fuitque pater Nabuchodonosoris junioris, qui evertit Jerusalem aliasque gentes : unde à rerum gestarum gloria cognominatus est Magnus, de quo passim loquitur Scriptura in lib. 4. Reg. cap. 24. et 25. et in Jeremia, Ezechiele, Daniele aliisque Prophetis. Ab hujus ergo patre, æque ac à Cyaxare dicunt hi eversam esse Niniven. Probant id primo, quia Herodotus indicat Cyaxaren fuisse coævum Psammiticho, regi Ægypti, qui fuit proavus Apries, sive Ephree. Nam Psammiticho, qui 54 annis regnavit, successit filius Nechao, qui Josiam regem Juda occidit : Nechaoni successit filius Psammis, qui fuit pater Pharaonis Apries, sive Ephree, uti narrant Herod. et Diodorus Siculus. Ephree autem regno spoliatus fuit à Nabuchodonosore juniore, uti docet Jerem. cap. 44. vers. 30. Ergo Cyaxares, expugnans Niniven, non videtur fuisse coævus Nabuchodonosori juniori, utpote quem aliquot generationibus antecessit ; sed seniori. Secundo, quia Eusebius et S. Hier. paulo ante citati docent Niniven eversam à Cyaxare, vel Astyage sub Josia rege Juda : ergo ante excidium Jerusalem : hoc enim contigit sub Sedecia filio Josiæ. Tertio, quia Septuag. jam citati docent Tobiam juniorem ante mortem audisse excidium N納ives : hic autem Tobias puer, scilicet sex vel septem circiter annorum, cum patre in excidio Samariæ et regni Israel abductus fuit à Salmanasar in Assyriam, anno 6. Ezechiæ regis Juda, atque in Media mortuus est anno ætatis 99, ut habent Latina Biblia, Tobiæ 14. 16. Deme septem pueritiæ ejus annos, qui ejus abductionem et annum 6. Ezechiæ præcesserunt, ab eoque computa sequentes annos usque ad 13. Josiæ, invenies 99. Ita ut Tobias hîc videatur mortuus anno 13. Josiæ jam dicto. Quarto, Joseph. lib. 9. Antiq. cap. 11. docet Nahum prophetasse sub Joathan patre Achaz, additque : *Evenerunt autem omnia quæ de Ninive prædicta erant post centum quindecim annos.* Atqui annus 13. Josiæ est 115. ab anno ultimo Joathan : ergo hoc anno 13. Josiæ videtur eversa Ninive. Atque hæc videtur fuisse virga vigilans omnium gentium dorso imminens, quam anno 13. Josiæ vidit Jeremias cap. 1. 2 ; scilicet virga hæc fuit Nabuchodonosor senior, qui anno 13. Josiæ evertit Niniven, cœpitque in alias gentes grassari.

Verum obstat huic sententiæ, primo, quod hi auctores in suo synchronismo, sive combinatione temporum, cogantur 70 annos captivitati Babylonicæ ordiri ab anno 13. Josiæ ; in hunc enim dicunt incidisse annum 35. Cyaxaris, quo ipse Niniven evertit, qui deinde adhuc regnavit quinque annis (universim enim regnavit annis 40). Successit ei filius Astyages per annos 38 ; Astyagi successit nepos Cyrus, ut patet Dan. 13. 65. Cyrus autem sensim crescens viribus et victoriis, tandem anno 27. regni sui aggressus Babylonem, eam cepit, factusque est monarcha, ac tum solvit Judæos in Babylone captivos. Adde annos 5 Cyaxaris, 38 Astyagis, 27 Cyri, habebis annos 70 captivitatis : illi enim finiuntur anno 27. Cyri. Unde necessario sequitur annos 70 captivitatis Babylonicæ inchoandos esse ab anno 13. Josiæ, qui, ut ipsi aiunt, fuit 35. Cyaxaris. Hoc autem passim refutant Chronologi, qui multo tardius hos 70 annos inchoant, et à 13. Josiæ usque ad 27. Cyri longe plures quàm 70 numerant. Adde sub

Josia fuisse felicem Hierosolymam; ejus vero captivitates cœpisse sub Joakim et Sedecia filiis Josiæ. Secundo, Euseb. in Chronico, et alii dicunt Cyaxaren cœpisse regnare anno 15. Josiæ; non ergo potuit evertere Niniven anno 13. Josiæ; utpote cum nondum esset rex. Tertio, quia Nahum, cap. 3. vers. 7. et 8, significat Niniven evertendam esse post eversionem Alexandriæ: Alexandria autem eversa est post Jerusalem. Nam ut docet Joseph. 10. Antiq. 11. et Ezechiel cap. 29. 17, Nabuchodonosor junior post vastatam Jerusalem anno quinto invasit et occupavit Ægyptum, cujus metropolis est Alexandria. Quarto, favet Jeremias, qui cap. 25. 26. inter gentes et reges superandos à Nabuchodonosore juniore, nominat reges Aquilonis: inter hos enim vicinissimus ipsi et Babyloni erat rex Ninives et Assyriorum. Unde Judith 16. 5. dicitur: *Venit Assur ex montibus ab Aquilone.* Rursum Jerem. c. 50. 18: *Ecce*, inquit, *visitabo regem Babylonis, et terram ejus sicut visitavi regem Assur;* significans non diu post Niniven pari modo evertendam Babylonem, scilicet post 54 annos: tot enim sunt ab anno 24. Nabuchodonosoris junioris, sive Magni, quo ipse Niniven evertit, usque ad 27. Cyri, quo ipse cepit Babylonem, eaque eversa fecit se monarcham.

Videtur ergo quod Nabuchodonosor Magnus sensim crescens armis et victoriis, excisa Jerusalem, tandem anno regni sui 23. invaserit Ægyptum: qua occupata, anno 24. ausus est tentare arcem monarchiæ, puta Niniven, adjutus à Cyaxare, eaque capta monarchiam ex Ninive transtulit Babylonem, seque ejus primum fecit monarcham. Unde ab hoc anno, utpote primo monarchiæ, annos ejus numerat Daniel cap. 2. vers. 1, ut ibi dixi. Ita censet Ribera, Serarius in Tobiæ 14. quæst. 4. et Torniellus anno mundi 3452, qui et addit Niniven sæpius captam esse. Nam ipsa rebellans identidem Chaldæis, utpote jugi impatiens, quæ cæteris dominari assueta erat, primo capta est ab Arbace Medo, cum ei rex esset Sardanapalus, paulo post prædicationem Jonæ ante tempora Nahum. Secundo, capta est sub Asarhaddon filio Sennacherib à Merodach Baladan, rege Babylonis. Unde post Asarhaddon in Scriptura nulli amplius nominantur reges Assyriorum; sed Babyloniorum duntaxat. Hinc Asarhaddon devictum esse à Merodach Baladan, sub annum 27. Ezechiæ regis Juda, censent Joseph. lib. Antiq. cap. 3. Bellarm. Genebrard. et Torniellus in Chron. anno mundi 3335, qui et anno mundi 3384. seriem regem Babylonis illius ævi ita recenset. Nabonassar regnavit annis 26, deinde Merodach Baladan annis 52, post hunc Ben Merodach annis 24; mox Nabolassar (sive Nabuchodonosor senior) annis 21, denique Nabuchodonosor junior annis 44. Tertio, capta et subacta est plene et plane Ninive à Cyaxare et Nabuchodonosore juniore, anno regni ejus 24. Denique post reditum Judæorum è captivitate Babylonica, tempore Xerxis, ut vult Ribera, vel Artaxerxis, ut alii, alius in Ninive regnavit Nabuchodonosor, qui in Judæam misit Holofernem, quem occidit Judith, cap. 1. 5. Vide ut Deus premat urbes superbas et superbos, idque toties quoties cervices et cornua erigunt.

Ad primum argumentum prioris sententiæ respondeo Cyaxarem, incipientem regnare in fine regni Psammitichi, potuisse facile pertingere ad tempora Ephree, qui Psammitichi fuit pronepos: Cyaxares enim regnavit annis 40. Certum vero est eum fuisse coævum Nabuchodonosori juniori; hic enim cœpit regnare anno 3. Joakim filii Josiæ, Daniel. 1. 1. Cyaxares autem regnare cœpit anno 15. Josiæ, qui 31 annis regnavit. Unde sequitur Cyaxarem 18 annis tantum regnasse ante Nabuchodonosorem, et cum eo regnasse annis 22; universim enim regnavit annis 40.

Ad secundum, respondeo Euseb. et S. Hieron. confuse loqui de tempore excidii Ninives, illudque sub Josia consignare; quia Cyaxares cœpit obsidere Niniven sub Josia; sed invadentibus Mediam Scythis, obsidionem intermisit per 28 annos, uti paulo ante dixi: post quos cum Nabuchodonosore juniore obsidionem resumens et instaurans, Niniven cepit, et vastavit anno jam dicto. Hinc S. Hieron. ait eam vastatam sub Astyage, quando nimirum Cyaxares senescens Astyagem filium regni consortem, imo moderatorem effecerat; quod utique non fuit sub Josia, sed diu post.

Hinc rursum Eusebius non satis sibi constat. Nam initium regni Cyaxaris consignat anno 15. Josiæ, expugnationem vero Ninives anno 28. Josiæ, et rursum quarto Joakim. Unde sequitur eum expugnasse Niniven anno regni sui 13, vel certe 20, cum ex adverso ex Herodoto constet 28 annos ut minimum elapsos, inter initium regni ejus, et obsidionis Ninives, usque ad ejus expugnationem.

Ad tertium, resp. Septuag. dare Tobiæ juniori non tantum annos 99, ut habent Latina Biblia, sed 127; quos si numeres, pertinges ad annum excidii Ninives à me paulo ante designatum. Adde aliquos, ut Serarium, hos 99 annos computare à morte patris; quibus adde annos 63 quibus cum patre in captivitate vixit, ac facito eum fuisse duorum tantum annorum, cum in captivitatem venit; conficies eum universim vixisse 164 annos, ita ut pertigerit ad annum 24. Nabuchodonosor, quo eversa est Ninive.

Ad quartum, respondetur Josephum dicere hanc prophetiam Nahum impletam post 115 annos, quia tunc cœpit impleri; tunc enim cœpit Cyaxares obsidere Niniven: perfecte autem completa est post 28 annos Cyaxaris, uti jam ostendi. Adde Josephum errare, dum dicit Nahum cœpisse prophetare sub Joathan: cœpit enim sub ejus nepote Ezechia, uti dixi in Proœmio.

Denique facilis erit synchronismus illorum temporum, si Cyaxari, cui Eusebius dat tantum 32 annos regni, addas decem ex annis Astyagis filii ejus, qui patre sene regnum administrabat, eaque de causa hi anni dantur ab Historicis Astyagi, non Cyaxari; ideoque S. Hier. præfatione in Jonam ait Niniven expugnatam ab Astyage, non à Cyaxare: nam additis Cyaxari 10 annis, annus 42. Cyaxaris incidet in annum 24. Nabuchodonosoris junioris, sive magni, quo ipse, vastata Ægypto, cum copiis Cyaxaris expugnavit Niniven. Successit deinde Cyaxari filius Astyages, qui solus regnavit 28 annis, ac deinde Cyrus, qui 27. anno regni sui solvit captivitatem Babylonicam, quæ jam 70 annis duraverat; hos enim 70 annos invenies, si eos inchoes ab anno 11. et ultimo Joakim, qui fuit

Cyaxaris 27; adde enim reliquos Cyaxaris annos 15, Astyagis 28, Cyri 27, habebis annos 70 quos quærimus. Ex dictis sequitur imperium Ninives et Assyriorum stetisse annis 1440; tot enim fluxerunt ab anno primo Nini conditoris Ninives, qui 43 annis præcessit nativitatem Abrahæ (nam anno 43. Nini natus est Abraham, ait Euseb. in Chron.) usque ad annum 24. Nabuchodonosoris, quo eversa est Ninive. Ita Ribera. Hæc de chronologia adeo vetusta, ideoque incerta et obscura, dicta sufficiant.

CONTEMPLARE (ô Ninive) VIAM] qua adventant Medi et Chaldæi magnis agminibus, ut te obsideant et perdant. Ita enim solent cives obsidendi curiose et anxie intueri vias, per quas adventant castra hostium, urbem obsessura. Via ergo ponitur pro viatoribus, puta hostibus, metonymice.

CONFORTA LUMBOS,] q. d. Quidquid habes virium collige, ut hostibus resistas. Vires enim hominis magna ex parte sitæ sunt in lumbis; unde infirmi vocantur *elumbes*; et cum hominem vel animal debilitare volumus, lumbos illi infringimus. Ita Plautus in Amphit. *Si me*, inquit, *irritassis, hodie lumbifragium hinc auferes*, q. d. Si me irrites, infringam tibi lumbos. Ex adverso de muliere forti ait Sapiens Prov. 31. 17: *Accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum.* Porro confortantur lumbi, si manu, cingulo, similive vinculo stringantur. Unde Septuag. vertunt: *Tene lumbos, viriliter age.*

ROBORA VIRTUTEM VALDE.] *Virtutem*, id est vires; Hebr. *Fortifica robur valde*; Septuag. *Roborare vehementer*; Chald. *Corrobora vires valde*; Tigurina: *Omnibus modis instrue copias*; hæ enim sunt vires urbium, puta civium et militum copiæ.

Tropol. S. Hieron. *Tria*, ait, *præcipiuntur Judæ*, id est Ecclesiæ, et animæ fideli: *Primum, ut contempletur viam, et iter per quod ambulaturus est diligenter aspiciat, juxta illud Jerem.* 6: *State in viis, et interrogate semitas æternas, et videte quæ sit via bona, et ambulate in ea, ut, cum steterimus in viis multis, veniamus ad eam viam quæ dicit: Ego sum via. Deinde dicitur ei ut teneat lumbum, id est, ut post electionem vitæ, mortificet corpus suum et servituti subjiciat, ne quasi rex et magister aliis prædicans, ipse reprobus inveniatur, quod virtus diaboli vel maxime sit in lumbis, Job.* 40. 11. *Et quod Joannes zona pellicea cingitur, Matth.* 3. *Et quod à Salvatore discipulis imperatur: Sint lumbi vestri præcincti, Luc.* 12. *Et Apostolus Ephes.* 6: *State ergo succincti lumbos vestros in veritate; licet enim* ἀσκησις *plurimum præstet, et vitæ continentia super mortificatione lumborum, tamen nihil eos ita mortificat, ut cognitio veritatis. Unde dicitur: Accingite lumbos vestros in veritate. Si enim veritas est Christus, qui tota in Christo mente credidit, lumbos suos mortificavit in Christo. Tertio præcipitur: Confortare virtute nimis. Elegisti, inquit, viam, tenuisti lumbum; assume virtutem, ut possis pugnare cum hostibus. Et ne forte diffidas, datur tibi causa cur speres. Avertit, inquit, Dominus contumeliam Jacob, quam scilicet solebat Jacob aliis facere. Non enim tantæ virtutis est ab aliis factam injuriam sustinere, quantæ gratiæ Domini est placidum, mitem atque tranquillum injuriam facere non posse. Israel ergo, id est, sensus vel vir videns Deum, et semper de Deo cogitans, facere nescit injuriam.*

2. QUIA REDDIDIT DOMINUS SUPERBIAM JACOB SICUT SUPERBIAM ISRAEL.] Pro *superbiam* hebr. est גאון *geon*, quod et superbiam, et magnificentiam gloriamque significat. Unde Chald. Vatabl. et Arias vertunt: *Revocabit magnificentiam Jacob, juxta majestatem Israel*, id est, juxta pristinam dignitatem, q. d. Restituet Dominus per Cyrum Israeli pristinam majestatem et gloriam, quam obscuraverat Assyrius et Babylonius spoliando Judæos omnibus bonis, eosque captivos ducendo in Babylonem. Jacob enim et Israel videtur accipi pro eodem, scilicet pro Judæis. Sic Isaias c. 60. v. 15. ait: *Ponam te in superbiam*, id est, magnificentiam et gloriam, *seculorum*. Et c. 61. 6: *In gloria eorum superbietis*, id est gloriabimini. Sic et Virgilius, 1. Æneid.

Hinc populum late regem, belloque superbum,
Venturum excidio Libyæ.

Et lib. 3:

Barbarico vectes auro spoliisque superbi,

id est magnifici. Unde Syrus vertit: *Quia restituit* (reducit: vox enim Syra proprie dicitur de re, quæ in captivitatem, prædam vel perditionem redacta, pristino statui restituitur) *honorem vel gloriam Jacobi, sicut honorem vel gloriam Israelis.* Sic et Arabicus Antioch. Verummelius alii passim *superbiam* hìc proprie accipiunt, idque duplici sensu: Prior est, ut superbia Jacob et Israel capiatur passive, pro ea quam ab Assyriis passus est Jacob et Israel. Sic Deus vocatur noster amor, timor, spes, patientia, passive et objective, scilicet qui à nobis amatur, timetur, speratur, propter quem patimur, q. d. Obsideberis et vastaberis, ô Ninive, quia Deus ulcisci destinat superbiam, quam rex tuus Sennacherib, tuique Assyrii exercuerunt in Jacob, id est in Judæos, insultando illis per Rabsacen; æque ac superbiam, quam iidem exercuerunt in Israel, id est, in Samariam et decem Tribus, vastando illas per Salmanasar. Ita S. Hieron. Remig. Hugo, Lyran. imo et Sept. vertunt enim: *Avertit Dominus contumeliam Jacob, sicut contumeliam Israel.*

Posterior est, ut superbia Jacob et Israel proprie et active capiatur pro fastu Judæorum et Israelitarum, quo tumentes et turgidi sibi vivere voluerunt, Deo subesse et obsequi noluerunt, q. d. Reddam in caput Ninives, puniamque et exscindam ejus superbiam; quia *reddidi*, id est reddam et puniam, superbiam Jacob, id est Hierosolymæ et Judæorum, exscindendo eos per Nabuchodonosor et Chaldæos, sicut reddidi, punivi et excidi Israelem sive decem Tribus per Salmanasar et Assyrios. Si enim non parco populo meo fideli, multo minus parcam hostibus meis, puta infidelibus Assyriis; sed sicut illius superbas cervices per Chaldæos contudi, ita et horum contundam; præsertim quia ipsi huic populo meo injurii fuerunt, atque ad hoc tantum ipsos, ipsorumque injurias ad tempus permisi et toleravi, ut per eas castigarem populum meum: at nunc eo satis superque castigato, Assyriis castigatoribus ultra non indigeo; castigabo ergo et ipsos, ac virgam, ut vulgo dicitur, in ignem conjiciam. Ita Clarius et Arias. Hunc esse sensum probatur primo, quia juxta cum proprie accipitur superbia Jacobi et Israe-

lis. Secundo, quia eum exigunt sequentia : *Quia vastatores*, puta Chaldæi, *dissipaverunt eos.* Chaldæorum enim mox clypeos, arma, vires, ardorem, vim et impetum fuse describit à v. 3. usque ad 8. Unde Arabicus Alexandr. vertit : *Quia Dominus contempsit Jacob secundùm contemptum Israel.*

Quia vastatores dissipaverunt eos.] Primo, S. Hieron. Haymo, Hugo, Lyran. Arias et Vatabl. per *vastatores* intelligunt Assyrios, q. d. Assyrii vastarunt et dissiparunt Israelem, id est Samariam et decem Tribus, per regem suum Salmanasar ; et Jacob, id est Jerusalem et Judam, per Sennacherib. Secundo et melius, per *vastatores* cum Theodor. et Theophyl. accipias Chaldæos, qui uti Hierosolymam et Judæos, ita pariter Niniven et Assyrios vastarunt et spoliarunt. In Hebræo est pulchra paronomasia כי בקקום בוקקים *ky becacum bokekim*, id est, *quia evacuaverunt eos evacuantes bonis*, ut vertit Pagnin. et Tigurina : *Direptores diripuerunt eos ;* et ut Vatablus : *Spoliatores spoliaverunt eos.* Sequitur :

Et propagines eorum corruperunt,] q. d. Sicut, vel hostes vastantes vineam, singulas vites, earumque propagines evellunt, disjiciunt et corrumpunt; ita Chaldæi vastantes Niniven, æque ac Hierosolymam, singulas ejus familias, imo singulos ejus cives et incolas disperdent et corrumpent, vel occidendo eos, vel in captivitatem abducendo. Nota : Propagines urbium, v. g. Ninives, primo, accipi possunt suburbia, pagi et oppida, quæ à metropoli derivantur et dependent, eamque ornant, sicut propagines, sive palmites vitem. Ita Chald. et Arias. Secundo, Tribus et familiæ. Ita Albert. et Hugo. Tertio, filii et nepotes. Quarto, messes et opes, quas de anno in annum accumulabant Israelitæ : Assyrii enim singulis pene annis invadebant terram Israel, eamque suis bonis quæ accumularat, spoliabant. Has vocat propagines corruptas, inquit Vatabl. Verum jam dixi hæc de Chaldæis Niniven, æque ac Jerusalem expilantibus, non de Assyriis accipienda esse. Ninivitarum ergo, æque ac Judæorum messes et opes, vocat eorum propagines, quas identidem invasit et carpsit Nabuchodonosor. Unde de eo subdit :

3. Clypeus fortium ejus ignitus.] De Chaldæis nunc loquitur in plurali, dicens : *Vastatores dissipaverunt eos ;* nunc in singulari, dicens : *Clypeus*, id est clypei : quia exercitus est unus collective, sed multus distributive; multos enim continet milites, sicut cives multi faciunt unam civitatem, et multæ familiæ unum populum, ac multæ gentes unum regnum et imperium. Respicit ad initium capitis : *Ascendit qui dispergat coram te. Ascendit*, scilicet Nabuchodonosor, ejusque exercitus. Unde de eo, utpote singulari, singulariter hic ait : *Clypeus fortium ejus ignitus*, q. d. Chaldæi et Medi vastatores tui, ô Ninive, clypeos habent ex auro vel aurichalco, qui solis repercussu rubei et igniti videntur, ideoque terribiles sunt et formidabiles, juxta illud Virgilii Æneid. 10 :

> Terribilem cristis galeam, flammasque vomentem.
> Ardet apex capiti, cristisque à vertice flamma.
> Funditur, et vastos umbo vomit aureus ignes.

Hebr. enim est : *Clypeus fortium ejus* מאדם *meaddam ;* id est *rubeus*, ut vertit Chald. vel, ut Pagnin. *rubefactus ;* Tigurina : *Parma heroum illius rubet* instar ignis vel fulguris ; Syrus : *Clypei gigantum* (fortes) *eorum rubescunt, et viri gigantes* (fortium) *ludunt lampadibus ignis* (ignitis) *et in curribus in die qua præparantur ;* Arabicus : *Clypei gigantum eorum rubescentes emicant, et viri gigantes contristant ignem ;* Septuag. aliis punctis legentes מאדם *meadam*, id est ex homine, vertunt : *Arma potentiæ ejus ex hominibus*, nimirum quia *viri exercitus in coccineis*, ut sequitur. Graphice Propheta hìc depingit clypeos, arma, robur, animos et impetus Chaldæorum, ut iis percellat Niniven et Assyrios. Primo ergo primam eorum aciem clypeis instructam hìc depingit, q. d. Primipili Chaldæorum clypeis et parmis aureis instructi castra præibunt, ut iis omnia hostium tela et jacula excipiant : nobiles ergo erunt et generosi. Quocirca generose et strenue te, ô Ninive, oppugnabunt : non fugient ut plebeii et gregarii milites; hoc enim æstimabunt sibi esse dedecus : sed malent occumbere quàm fugere, ut suum decus et gloriam tueantur. Ita Hispani hoc bellicum celebrant axioma : *Capitaneus, qui venatur famam et gloriam, oportet ut parvi faciat vitam.* Inde secundo, secundam aciem describit dicens :

Viri exercitus in coccineis,] q. d. Milites Chaldæorum erunt nobiles, ideoque vestientur chlamidibus coccineis : coccus enim erat nobilium, imo regum vestis, uti dixi Thren. 4. 5. ad illud : *Quinutriebantur in croceis*, hebr. *in coccineis*. Unde Tigurina vertit : *Viri militares purpurati sunt ;* Pagnin. *Viri exercitus induti vestibus vermiculatis.* Color hic coccineus, utpote sanguineus, repræsentat Chaldæorum feritatem, quod sanguinolenti sint futuri, multumque in Ninive sanguinem fusuri. Ita Remig. Albertus et Arias. Quocirca S. Joannes magnum illum et horribilem exercitum, qui in fine mundi occidet tertiam partem hominum, vidit habentem loricas igneas, hyacinthinas et sulphureas, Apoc. 9. 17. Ita Romani, conflicturi cum hoste, signum prælii exponebant in prætorio tunicam russam, sive coccineam, quin et eadem induebantur milites, indeque *russati* dicebantur, uti ex Plutarcho in Fabio et in Bruto, item ex Isidoro docet Lipsius lib. 4. de Militia Romana, cap. 12. Idem fecere subinde Græci. Nam Plutarch. agens de pugna Antiochi cum Cleomene : *Quiescere*, inquit, *quosdam jussit, donec à rege sublata esset punicea vestis super sarissam extensa.* Et Homerus Iliade θ. agens de Agamemnone suos ad pugnam vocante: *Purpuream endo manu valida tollens sibi vestem.* Quocirca et milites in galeis cristas gestabant rubras, sive puniceas, appositas utique sanguineo Marti. Hinc Virgil. Æneid. 9 : *Cristaque tegit galea aurea rubra.* Et iterum : *Purpurei cristis juvenes.* Diodorus, lib. 6, idem Hispanos factitasse docet : *Circum capita*, inquit, *galeas æreas ponunt, puniceis ornatas cristis.* De Cyri exercitu Xenophon lib. 6. Pædiæ Cyri : *Universus*, inquit, *exercitus ære fulgurabat, puniceoque florebat ornatu.* Causam dat noster Martin. de Roa lib. 1. Singul. c. 2, ut scilicet sanguis, si quis ex impresso vulnere esset expressus, absorberetur à cocco : tum illi confidentius, et sine pavore dimicarent. Hoc verius in sanguine Christi, qui nostra est purpura et coccinea vestis, ait S. Ambros. in Psalm. 118. serm. 17. Hic enim animas tingit, ex iisque quasi ebibit sanguinem peccatorum. *Lavit* enim *nos à pec-*

catis nostris in sanguine suo. Rursum hic nos accendit ad acriter præliandum cum dæmone, carne et mundo. Nil enim ita acuit animos in hostem, quàm acceptæ injuriæ species oculis objecta. Hæc enim dolorem oculis affert, animo iracundiam : quæ duæ in bello faces. Addit secundam c. 3, scilicet Gentiles credidisse quod coccinea vestis tutos præstaret in præliis et periculis. Unde et olim pueris Christianis funiculus coccineus ex collo suspendebatur, ad avertendum fascinum, et quævis discrimina, uti recenset et redarguit S. Chrys. homil. 12. in cap. 4. epist. 1. ad Cor. Ægyptii quoque quotannis omnes arbores, pecora et alia multa rubrica illinebant adversus incendium, et alia incommoda, teste Epiphanio hæres. 18; quam superstitionem videntur hausisse, ex eo quod filii Israel servati sint ab Angelo percutiente, illinendo postes sanguine agni Paschalis, Exodi 12. Tertiam dat lib. 4. cap. 7, quod coccineus color, sive purpureus, ad ignem accedat, igneique animi sit index et stimulus : unde purpureum cum dicis, purum urentem, puta ignem, dicere videris. Purpureum igitur et rosæ colorem præ se fert, et ignis splendorem. Unde ignis à Poetis vocatur purpureus, et purpura ignea. Symbolicam dat ibidem c. 8, quod qui in pugnam descendunt, pro anima dimicent, quæ consistit in sanguine, quem repræsentat coccus sive purpura. Unde Virgil. 11. Æneid.

Purpuream vomit ille animam.

Hic ergo color maxime animos facit, in hostesque commovet, quos scimus cruorem expetere, aut etiam effudisse.

Tropol. coccinei milites Christi sunt Martyres, qui sanguine suo purpurantur, eumque sanguini Christi libentes, imo gaudentes rependunt: qua de causa Cardinales purpura vestiuntur, ut ostendant se paratos pro Christo et Ecclesia sanguinem fundere, uti dixi Ezech. 16. 10. Coccinei quoque sunt fideles charitate flagrantes, juxta illud de sponsa Cant. 4. 3 : *Sicut vitta coccinea labia tua,* scilicet *ut sermo semper charitate ardeat, passione agni et sponsi rubeat, qui semper debet esse in corde, semper in ore, candidus et rubicundus, dulcis Jesus,* ait S. Bern. de passione Domini, cap. 31. Tertio, igneos eorum currus ita describit :

Igneæ habenæ currus in die præparationis ejus.] *Igneæ,* id est aureæ, quæ radiante sole, fulgidæ et ignitæ videbuntur, uti ante de clypeis dixi. *Jam in ardentibus,* loris et habenis, ait S. Hieron. *velocitatem præparantium significat, et quasi* ἐπὶ σκηνῆς *præparantium se ad prælium pompa narratur.*

Nota : Chaldæi, æque ac Romani olim nobiles et milites, toti erant in armis; ac si equites essent, in frenis et equis adornandis. Audi Juvenal. Satyr. 11 :

Argenti quod erat solis fulgebat in armis.
Magnorum artificum frangebat pocula miles,
Ut phaleris gauderet equus.

Et Virgil. Æneid. 4. de Ænea :

Atque illi stellatus jaspide fulva
Ensis erat.

Et libr. 7. de equis quos Latinus rex Æneæ donavit :

Teucris jubet ordine duci
Instratos ostro alipedes, pictisque tapetis.
Aurea pectoribus demissa monilia pendent.
Tecti auro fulvum mandunt sub dentibus aurum.

Pro *habenæ,* ut vertit Noster et Septuag. hebr. est פלדות *peladoth,* quod per metathesin positum pro לפידות *lappidoth,* id est lampades, tedæ, faces accipiunt Chald. Tigurina, Vatabl. Pagn. et Rabbini; unde vertunt : *Currus expeditionis ejus tempore erunt velut ignis lampadarum,* vel facum, q. d. Currus falcati ipsius Nabuchodonosoris venientis oppugnatum Jerusalem, videbuntur quasi ignei, vel circumdati igne, qui excitabitur ferro rotarum celerrime agitatarum, alliso ad saxa et silices. Hac phrasi indicat violentiam et velocitatem, rapidumque cursum, et quasi volatum currum. Addunt aliqui curribus hisce annexas fuisse faces et tedas ardentes, quibus obvios et obvia comburerent, perinde ac iisdem annexæ erant falces (ex quibus *falcati* vocantur) ad omnia resecandum et demetendum. Unde Chald. vertit : *Igni faces curruum eorum apparatæ sunt.* Hinc et de iisdem subditur : *Aspectus earum quasi lampadarum, quasi fulgura discurrentia.*

Et agitatores consopiti sunt.] Syrus : *Equites validi obstupescunt,* q. d. Medi et Chaldæi, curruum et equorum agitatores peritissimi et fortissimi, ebrietate consopiti (ita nimirum ut sopiant apprehensionem et metum prælii, non sensus et animos præliandi; sed eos potius vino acuant et accendant, uti fit in semiebriis) intrepide contra Ninivitas in prælia et arma ruent. Ita hodie videmus Cozakos, Hollandos, Hibernos, aliasque nonnullas gentes pugnaturas, vino adusto se opplere, ut audaces ignescere, et ignem spirare videantur, itaque interritos in hostes et enses ruere. Huc pertinet expositio Sanchez, q. d. Chaldæi in gradiendo et pugnando adeo erunt ardentes et præcipites, ut furor illis et vinum omnino mentem et consilium eripuisse videatur. Pro *agitatores* hebr. est ברושים *beroscim,* id est abietes. Unde Vatabl. et Arias vertunt : *Abietes,* id est, *lanceæ et hastæ Chaldæorum abiegnæ, veneno infectæ sunt,* ut omnes perderent; Pagnin. et *abietes tremuerunt,* id est duces Assyriorum, qui sunt instar abietum, in Ninive tremore correpti sunt, dum viderent currus et equites igneos Chaldæorum, se invadentes. Verum Noster vertit, *agitatores ;* et Septuag, *equites,* qui in curribus stantes celsi erant, duri et fortes, quasi abietes. Sic enim Pharao erectus et gloriosus comparatur abieti, cedro et platano Ezech. 31. 8. Forte pro ברושים *beroscim* legunt בראשם *berascam,* id est, in capite eorum, puta duces et doctores curruum, hoc est eorum aurigæ et agitatores. Unde Chald. vertit, *magnates:* Hi enim sunt quasi aurigæ currus politici, id est Reipubl. Unde Eliæ dicitur : *Pater mi, currus Israel et auriga ejus,* 4. Reg. 2. 12. Rursum pro *consopiti sunt,* hebraice est הורעלו *horalu,* quod derivatur à רעל *raal,* id est venenum mortiferum, tremor, sopor; item mitra, vel corona tremula. Quocirca *horalu* primo verti potest, *consopiti sunt,* ut vertit Noster; secundo, *mitrati* vel *coronati sunt,* quasi nobiles nobilium curruum agitatores et præsides. Unde Chald. vertit : *Et magnates eorum coruscant vestibus coloratis;* tertio, *veneno infecti sunt ;* quarto, *tremuerunt,* vel conturbabuntur. Unde Septuag. vertunt : *Equites eorum tumul-*

tuabuntur, q. d. Equites et aurigæ præ numero, festinatione, violentia et impetu in viis nimis sibi angustis occurrentes tumultuabuntur, ita ut quadrigas inter se collidant. Hinc videtur quod hæc, æque ac præcedentia et sequentia, ad Chaldæos Niniven obsidentes spectent, non ad Assyrios obsessos; nam Chaldæorum quadrigas bellicas, uti cœpit, ita pergit in sequentibus depingere.

Ad Assyrios tamen hæc refert S. Hieronym. Theodor. Theophil. Remig. Hugo, Lyranus, Ribera et à Castro, quasi dicat : Velociter ad vastandam Niniven venient Chaldæi, cum Assyrii equites antea in agitandis equis egregii et celebres, vel crapula, vel desidia, vel pavore fuerint consopiti. Hi enim proprie dicuntur consopiti : cum Chaldæi potius agiles essent, vigiles et acres ad prælium. Et hoc proprie significat hebræum *horalu*, id est soporati sunt, contremuerunt, consternati sunt, ac si venenum mortiferum bibissent. Quocirca hic sensus de Assyriis planior et germanior videtur. Nec obstat quod ante et post de Chaldæis agat Nahum; quia solent Prophetæ personas sæpe mutare, et ab una ad aliam, quæ cum priorem litem vel rem habet, transire; idque silenter et tacito nomine. Sic hîc currus et bellatores Chaldæos ex eo celebrat, quod ad eorum præsentiam, vim et impetum Assyrii, alias in equorum et curruum agitatione et aurigatione illustres et famosi, corruerint, ac quasi exanimes obstupuerint, et consopiti sint. Unde de iisdem ait v. 13 : *Succendam usque ad fumum quadrigas tuas.*

4. In itineribus conturbati sunt.] Assyrii scilicet agitatores equorum et curruum, de quibus immediate ante locutus est Nahum. Hi enim desperantes de salute, more amentium discurrebant per urbem, scilicet Niniven, à Chaldæis obsessam. Ita Theod. Theophil. Vatablus et à Castro. Melius S. Hieron. Remig. Rupert. Hugo, Lyran. et Arias hæc referunt ad Chaldæos : horum enim currus bellicos vim et impetum describit, hosque paulo post comparat fulguribus, q. d. Chaldæorum currus et quadrigæ tanto numero et impetu discurrent per plateas Ninives. ut sese invicem conturbent et collidant, ac collisione scintillas flammasque excitent. Unde adeo erunt terribiles, celeres et violenti, ut quasi lampades igneæ, hoc est ignis et fulgura discurrentia, esse videantur ; *ut ante visu adversarios terreant, quàm mucrone prosternant*, ait S. Hieron. Pro *conturbati sunt* hebr. est יתהוללו *iitholelu*, quod Pagnin. proprie vertit, *insanient*, id est instar insanorum discurrent, inquit Vatab. Chald. *perstrepunt ;* Septuag. *confunduntur ;* Tigurin. *tumultuabuntur.* Sic de Cneio et Publio Scipionibus dixit Poeta : *Duo fulmina belli Scipiadæ.* Sic et Cherubini, milites Dei, ibant et revertebantur, in similitudinem fulguris coruscantis, Ezech. 1. 14. Vide ibi dicta. In fulgure notatur splendor velocitati conjunctus, qui oculos perstringit, et animum vehementer percellit : hinc fulgur in Script. symbolum est terroris, et rei formidabilis. Chaldæi ergo comparantur fulguribus discurrentibus imitatione splendoris, celeritatis et efficaciæ ad terrendum penetrandumque, propter cataphracti equitis Babylonici et Persici, quem Heliodorus l. 9. Histor. Æthiop. describit rutilantia arma, et præpetem cursum. Ita Cyprianus Monachus Cisterciensis in hunc locum, et Delrio adagio 997. Denique galeæ Chaldæorum aureæ solis repercussu fulgurabant; forte etiam in iis fulgetra depingebant, ut magis terribiles et fulminei viderentur, juxta illud Statii lib. 3 : *Fulmine cristatum galeæ jubar.* Secundo, *aspectus eorum*, scilicet Chaldæorum, erit minax, ardens, fulgureus, ut ex oculis emicet furor et ardor sæviendi. Sic de Verre ait Cicero : *Ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat.* Et Seneca in Œdip.

> Ardent minaces igne truculento genæ,
> Oculique vix se sedibus retinent suis.

Et Virgil. 10. Æneid.

> His agitur furiis, totoque ardentis ab ore
> Scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis.

Ita Sanchez.

Tropolog. hæc omnia facile est adaptare Lucifero. Hic enim est noster Nabuchodonosor, hostisque fulmineus, cujus jacula ignita, ut ait Apostolus Ephes. 6. 16, sunt ardentes tentationes et concupiscentiæ, quas in carne nostra suscitat. Hujus milites sunt dæmones innumeri, qui quasi fulgura discurrunt, ut homines perdant : eorum enim odio et invidia flagrant, ideoque in ipsorum perniciem conjurant. Quocirca S. Petrus, epist. 1. c. 5. 8 : *Sobrii*, inquit, *estote, et vigilate ; quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide.* Et S. Paulus Ephes. 6. 11 : *Induite*, ait, *vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli ; quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus.* Vide ibi dicta, et dicenda hîc cap. 3. v. 4.

5. Recordabitur fortium ejus.] Hic versus et ad obsessos Ninivitas, et ad obsidentes Chaldæos pertinere potest. Si ad obsessos, sensus erit, q. d. Ninive ejusque rex recolet et recensebit omnes suos fortissimos duces et milites, eosque mittet ad muros, ut eos propugnent, qui ad eos tanta vi et numero procurrent, ut in viis, præsertim angustis, sese invicem protrudentes et impingentes, corruant : inde ascendent muros, ibique construent umbracula, vel, ut Septuag. *propugnacula*, vel ut Chald. *turres*, quibus se contra invadentes Chaldæos, vel etiam contra aeris injurias tueantur, ut longam obsidionem sustinere possint. Ita S. Hieronym. Theodoret. Theophyl. Remig. Rupert. Lyran. Hugo, Clarius, à Castro et Ribera. Si ad obsidentes, sensus erit, q. d. Hostis Cyaxares et Nabuchodonosor suos fortes milites in te, ô Ninive, immittent tanta copia et impetu, ut præ festinatione et turba corruant, dum muros tuos conscendent et invadent; dumque præparabunt et admovebunt *umbraculum*, id est testudinem, qua per arietem immissum et impulsum in muros, eos quatient et dejicient. Qui enim agebant arietem, delitescebant sub testudine, suffodientes muros urbium. Ita Vatablus et R. David. Erat enim testudo machina bellica hac forma : materia tabulatis erat contexta, et coriis cilicinis, aut centonibus, et aliis quæ difficulter comburi possunt, contecta. Hæc intrinsecus habebat trabem, quæ unco præfigebatur ferreo, et *falx* vocabatur ab eo quod incurvata esset, et de muro extraheret lapides. Retro enim ducebatur trabs funiculis

suspensa (quæ aries dicebatur), ut reducta impetuosius feriret : ideoque et testudo dicta à similitudine reptilis, quod caput nunc exerat, nunc reducat. Reptile autem hoc vocatur *testudo*, à testa qua se contegit et includit, ait Varro. Hinc Silius lib. 1:

> Tandem condensis arctæ testudinis armis,
> Subducto Pœni vallo, cæcaque latebra,
> Pandunt prolapsam suffossis mœnibus urbem.

Hæc testudo dicebatur arietaria, eo quod arietem contineret, et vibraret in mœnia. Ita Procopius, l. 1. de Bello Gothico, et noster Valtrinus lib. 5. de Re militari, c. 6. Erat enim alia testudo militaris, facilis et vulgaris, nimirum continuata à militibus condensatis, scutorum super caput elevatorum series, curvata in formam testudinis, qua tecti illæsi à jaculis hostium subibant muros, eosque vel suffodiebant, vel scandebant. Testudo enim erat quasi scala, qua milites invadentes urbem elevabantur, et conscendebant arces et mœnia.

Mystice, testudo nostra est providentia Dei, ejusque fides, spes et confidentia: hæc enim nos protegit, et illæsos ab omni hoste et periculo conservat; imo arietes et tela in hostes nostros contorquet, quibus eos prosternit. Unde Psaltes psal. 90 : *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.* Lege psalmum, qui totus est de hac re. In hac testudine sedens David, fidenter proclamat psal. 26. 1 : *Dominus illuminatio mea, et salus mea; quem timebo? Dominus protector vitæ meæ; à quo trepidabo? si consistant adversum me castra, non timebit cor meum : si exsurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.*

6. Portæ fluviorum apertæ sunt,] q. d. Portæ Ninives, quæ ducunt ad Tigrim, ejus eluvione et hostium irruptione apertæ sunt. Ita Clarius, Vatabl. Dionys. et Chald. qui vertit : *Fontes fluviorum excisi sunt.* Unde mox Niniven vocat Propheta *piscinam aquarum.* Vide quæ de hac Tigris in Niniven exundatione dixi c. 1. 8. Symbolice, portæ Ninives vocantur *portæ fluviorum*, id est populorum, quia immensam infundebant civium copiam. Sic Apocal. 17. 15, aquæ multæ vocantur *populi multi.* Unde Septuag. vertunt : *Portæ civitatum apertæ sunt :* civitates enim abundant populo. Ita S. Hieronym. Theodoret. Theophil. Rupert. Remig. et Lyran. Secundo, Sanchez per fluvios metaphorice accipit copias Chaldæorum, quæ muris Ninives quasi aggeribus cohibitæ, iis vi perruptis, urbem inundarunt et vastarunt.

Et templum ad solum dirutum est.] Templum scilicet Nesroch, opibus et fama celebre, ait Lyran. in quo Sennacherib adorans à filiis suis occisus est. Hebr. est היכל *hechal*, id est basilica, palatium, domus augusta, templum. Unde Septuag. vertunt : *Regalia*, id est regiæ ædes, *conciderunt;* Chald. *Rex in palatio suo contremuit ;* Tigurina ; *Palatium dissolutum est.* Eòdem res redit. Nam in palatiis reges habebant sua deorum tutelarium templa, uti Romani in Capitolio habebant templum Jovis Capitolini, Trojani in arce habebant templum Palladis, ejusque imaginem, quam Palladium nuncupabant. Idem fecit Constantinus Imper. cum in Laterano palatio suo ædificavit basilicam Lateranensem. Idem etiamnum faciunt reges et principes, uti videre est in eorum aulis.

7. Et miles captivus abductus est.] Legit interpres הצב *hatsab*, id est stans, consistens, puta miles statarius et præsidiarius pro vallo in statione consistens, ut Niniven contra Chaldæos propugnaret, à Chaldæis captus et abductus est. Ita S. Hieronym. Rupert. Remig. Haymo et Lyran. Secundo, *hatsab* idem est quod statio, substantia, subsistentia. Unde Septuag. vertunt : *Et substantia revelata est*, q. d. Chaldæi diripuerunt substantiam et opes Ninives. Jam pro *hatsab*, alio puncto legunt passive in *hophal*, הצב *hutsab*, id est statuta, constituta, scilicet vel arx; unde Arias et Tigurina vertunt : *Et munitio ejus firmissima denudata est atque sublata ;* vel uxor regis, sive regina quæ astare solet regi ; unde Chald. vertit : *Et regina, quæ sedebat assistens, in captivitatem abiit; et ancillæ ejus abductæ post eam incedebant gementes, sicut columbæ.* Ita Hebræi. Unde Pagnin. hebræum nomen *hutsab* quasi proprium reginæ retinuit, vertitque : *Et Hutsab regina captiva ducta est, currum jussa est ascendere.*

Et ancillæ ejus minabantur,] q. d. Virgines et matronæ Ninives, olim nobiles, nunc captivæ, quasi ancillæ et mancipia, imo quasi pecudes, minantur à Chaldæis, trahunturque in servitutem, quæ eorum pavore ejulare non audent : sed quasi columbæ secreto gemunt, et murmurant in corde. Symbolice S. Hieron. Rupert. et Remig. per ancillas accipiunt oppida, quæ Ninive metropoli erant subjecta, eique quasi ancillæ serviebant, quæ omnia cepit, vastavit et captivavit Nabuchodonosor. Aliter Sanchez, qui hæc arctat ad milites custodes templi, de quo proxime præcessit; ac consequenter per ancillas accipit feminas religiosas quæ se templo dicarant, ut Dei sui cultum, sacra et nitorem curarent. Sic apud Judæos sacris Priapi turpissimis dicatæ erant feminæ, quibus præerat mater regis Asa, 3. Reg. 15. 13. Sic apud Babylonios, Cyprios, Phœnices, etc. erant feminæ Veneri dicatæ, ut ostendi Baruch. 6. 42. Verum obstat quod pro *ejus* hebr. sit pronomen femininum, quod utique Niniven, non templum, refert et respicit, uti recte advertit ipse Sanchez, qui proinde tandem hanc expositionem deserit.

8. Et Ninive quasi piscina aquarum aquæ ejus.] Legit Interpres מימי *meme* geminate, id est *aquæ;* sic et Septuag. jam legunt מימי *mime*, id est, *à diebus*, scilicet antiquis, id est ab olim, supple fuit. Ita Chald. Hebræi, Vatabl. Pagnin. et Syrus qui vertit : *Ninive quasi lacus* (stagnum) *est aquarum, et inter aquas est.* Sic et Arabicus. Per aquas ad litteram intelliguntur fluctus Tigris, qui Niniven inundabant, ut viderentur esse piscina, vel palus, q. d. Tigris non est tutatus Niniven, sed potius eam obruit, et tradidit hosti: Tigris enim, vel, ut alii, Euphrates (Tigri enim adjacet Ninive, sed nec longe ab ea aberat Euphrates; unde in agros Ninives stagnare poterat) magnis ac diuturnis imbribus tumens, effractis cataractis effusus Niniven inundavit. Cum pluviis conjurarunt Austri in adversas Aquilonaris Caucasi nives, quibus liquefactis exuberans amnis, Ninives muros stravit, stagnavit urbem, templum ac regiam evertit. Addunt alii ex Herodoto l. 1. et Diodoro Siculo l. 3. Niniven loco humido et paludoso sitam fuisse, ideoque procreasse cives debiles, languidos et lentos, qui urbem tutari non valerent. Symbolice, Ninive erat piscina aquarum, id est plena aquis, id est

populis. Urbem enim comparat piscinæ, cives aquis; sicut ergo piscina abundat aquis, ita Ninive incolis, q. d. Ninive aluit turbam hominum, sed imbellem et inutilem : nam obsidente eam Chaldæo, inclamavit opem et tutelam eorum; *ipsi vero fugerunt*, ac licet ipsa vociferans ad ravim, iterumque eos à fuga revocaret, et vociferatur : *State, state,* ut me defendatis, et resistatis Chaldæo; frustra tamen id fecit : nam *non est qui revertatur* à fuga, ut hosti frontem opponat, et pro muris consistat ac dimicet. Ita S. Hieron. Theodor. Theophyl. Remig. Hugo, Lyran. et Vatabl. Denique aquæ significant copiam opum, quæ in Niniven influebant, sicut aquæ in piscinam influunt. Unde de iis subdit : *Diripite argentum, diripite aurum, et non est finis divitiarum.* Ita Rupert. et Vatabl.

State, state.] Sunt verba Ninives, id est principum Ninives, qui suis fugientibus inclamant, ut stent, et resistant hosti, ut jam dixi : licet alii censeant esse verba Chaldæorum, irridentium et provocantium Ninivitas ad conflictum, ac de more dicentium : *State, state,* ac nobiscum confligite.

Diripite argentum.] Est vox Medorum et Chaldæorum, qui fugientibus Assyriis, capta Ninive, invicem cohortantur ad ejus expilationem, ut prædam ex ea diripiant et efferant. Vides hîc quàm crebro mutentur personæ : nunc enim loquitur Ninive, nunc Chaldæi, nunc Propheta, nunc Deus. Est enim quasi dialogismus. Ita Vatabl. licet alii censeant esse hîc vocem Prophetæ ad Chaldæos, qua eos hortetur ut Niniven à civibus fugientibus desertam expilent. Ita Dionys. Vatabl. et Ariás. Alii denique censent esse vocem Ninives, se suasque opes à civibus desertas dedentis Chaldæo, q. d. O Chaldæi, rapite aurum meorum civium ignavorum, quia ipsi illud retinere et possidere non merentur, nec valent, aut possunt. Causam, vel potius illecebram hujus expilationis assignant Chaldæi, dum subdunt :

Et non est finis divitiarum.] Hebr. enim *vau*, id est *et*, capitur pro *quia*, q. d. Eia, socii, agite, rapite aurum, vasa et opes, quas Ninive ab aliis gentibus rapuit, et in se coacervavit : quia vasa hæc et opes sunt pulcherrimæ et pretiosissimæ, æque ac plurimæ et innumeræ; ideoque summe desiderabiles. Hebr. additur כבוד *cabod*, id est gloria, vel pondus et onus. Unde Septuag. vertunt : *Aggravata sunt super omnia vasa concupiscentiæ suæ*, id est, ut Tigurina vertit : *Onusta est rebus quibusque charissimis;* quanto enim plus habebat auri, quod grave est, *tanto magis ipsa aggravabatur, quæ gravia diligebat*, ait S. Hieronym. *Unde et iniquitas*, Zachar. 5, *super talentum plumbi sedet : et Ægyptii, qui erant peccatis graves, demersi sunt in mare ut plumbum. Et ex persona peccatoris dicitur* Psal. 37 : *Sicut onus grave gravatæ sunt super me;* Vatabl. vero vertit : *Gloria major omni supellectile desiderabili*, id est, supellex pretiosa (hanc enim vocat gloriam) est major, sive pretiosior omni re desiderabili, q. d. *Supellex ejus pretiosior est omni alia supellectile*, quantumvis pretiosa et concupiscibili, ut vertit Pagnin. In Ninive verum fuit illud Eccles. 5. 12 : *Est et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole : divitiæ conservatæ in malum domini sui.* Unde

Moral. disce hîc quàm aurum sit vanum et indignum cui homo cor apponat; imo noxium, utpote quod hostes allexerit ad excidium Ninives, ut scilicet ejus aurum raperent. Quocirca Babytaceni aurum oderant, illudque abjiciebant, imo sepeliebant, ne cui esset noxæ. Audi memorabile quod de iis scribit Solinus Polyhist. cap. 36 : *A Susis*, ait, *Babytace oppidum centum triginta quinque millibus passuum distat, in quo mortales universi odio auri coemunt hoc genus metalli, et abjiciunt in terrarum profunda, ne polluti ejus usu, avaritia corrumpant æquitatem.* Idem totidem pene verbis de iisdem scribit Plinius l. 6. cap. 27, qui et lib. 33. cap. 1 : *Utinam,* ait, *posset è vita in totum abdicari aurum, sacra fames, ut celeberrimi-auctores dixere, proscissum conviciis ab optimis quibusque, et ad perniciem vitæ repertum : quantum feliciore ævo, cum res ipsæ permutatæ inter se, sicut et Trojanis temporibus factum, Homero credi convenit.* Et mox : *Pessimum vitæ scelus fecit, qui annulum primus induit.* Additque Romanos olim annulo usos, non aureo, sed ferreo; idque etiamnum factitare Lacedæmones. Et inferius : *Romæ,* ait, *non fuit aurum, nisi exiguum, longo tempore. Certe cum à Gallis capta urbe pax emeretur, non plus quàm mille pondo effici potuere.* Idem, lib. 33. c. 3 : *Servius rex,* inquit, *primus signavit æs* (nam ante rudi ære utebantur); *signatum est nota pecudum: unde et pecunia appellata. Argentum signatum est anno Urbis D. octogesimo quinto, Q. Fabio Cons. quinque annis ante primum bellum Punicum. Aureus nummus post annum sexagesimum secundum percussus est, quàm argenteus.* Et mox : *A nummo, prima est origo avaritiæ excogitata. Rex Mithridates Aquilio duci capto aurum in os infudit. Hæc parit habendi cupido. Pudet intuentem tantum nomina ista, quæ subinde nova Græco sermone excogitantur, expresso argenteis vasis auro, aut incluso, quibus deliciis veneunt tam aurea quàm aurata, cum sciamus interdixisse castris suis Spartacum, ne quis aurum haberet aut argentum. Tanto plus animi fuit fugitivis nostris.* Simile de Medis scribit Isaias, c. 13. 17 : *Ecce,* inquit, *suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint.* Argute Philosophus ille, interrogatus *cur palleret aurum*, respondit : *Ex metu; quia omnes ei insidiantur.* Præclare S. Bernardus, serm. 4. in Adventu : *Filii Adam*, ait, *genus avarum et ambitiosum, audite : Quid vobis cum terrenis divitiis, et gloria temporali, quæ nec veræ nec vestræ sunt ? aurum et argentum nonne terra est rubra et alba, quam solus hominum error facit* (*aut magis reputat*) *pretiosam. Denique si vestra sunt hæc, tollite ea vobiscum. Sed homo cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus. Veræ ergo divitiæ non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscientia portat, ut in perpetuum dives fiat.*

Scribit B. Thomas Morus in Utopia, republ. felici, aurum non æstimari. Sic enim ait lib. 2. Utopiæ : *Aurum argentumque à nullo pluris æstimatur, quàm rerum ipsarum natura meretur, qua quis non videt quàm longe infra ferrum sunt? ut sine quo non magis quàm absque igni atque aqua vivere mortales queant, cum interim auro argentoque nullum usum, quo non facile careamus, natura tribuerit, nisi hominum stultitia pretium raritati fecisset.* Subdit deinde eos, ut suis contemptum auri injiciant, in ejus contumeliam, ex auro matulas et sordidissima vasa conficere, item catenas et crassas compedes,

quibus servos coercent : *Postremo,* inquit, *quoscumque aliquod crimen infames facit, ab horum auribus annuli dependent aurei, digitos aurum cingit, aurea torques ambit collum, et caput denique auro vincitur. Margaritis et gemmis ornant infantulos, qui, ubi plusculum accrevit ætatis, cum animadvertunt ejusmodi nugis non nisi pueros uti, nullo parentum monitu, sed suomet ipsorum pudore deponunt.* Subdit deinde facetam narrationem de legatis aliarum gentium in Utopiam ingressis, quorum gemmatæ aureæque vestes, torques, annuli, etc. : *Apud Utopienses aut servorum supplicia, aut infamium dedecora, aut puerorum nugamenta fuere. Quocirca infimum quemque pro dominis reverenter salutantes, legatos ipsos ex aurearum catenarum usu pro servis habitos, sine ullo prorsus honore prætermiserunt. Quin pueros quoque vidisses, qui gemmas ac margaritas abjecerant, ubi in legatorum pileis affixas conspexerunt, compellare matrem ac latus fodere: En mater, quam magnus nebulo margaritis adhuc et gemmulis utitur, ac si esset parvulus! At parens serio etiam illa : Tace, inquit, fili; est opinor quisquam de morionibus legatorum.* Causam subjicit : *Mirantur illi siquidem quemquam esse mortalium, quem exiguæ gemmulæ aut lapilli dubius oblectet fulgor; cui quidem stellam aliquam, atque ipsum denique solem liceat intueri; aut quemquam tam insanum esse, ut nobilior ipse sibi ob tenuioris lanæ filum videatur; siquidem hanc ipsam ovis olim gestavit, nec aliud tamen interim quàm ovis fuit. Mirantur item aurum suapte natura tam inutile, nunc ubique gentium æstimari tanti, ut homo ipse, per quem, atque adeo in cujus usum id pretii obtinuit, minoris multo quàm aurum ipsum æstimetur; usque adeo ut plumbeus quispiam, et cui non plus ingenii sit quàm stipiti, nec minus etiam improbus quàm stultus, multos tamen, et sapientes et bonos viros in servitute habeat, ob id duntaxat, quod ei magnus contigit aureorum numismatum cumulus; quem si fortuna, aut aliqua legum stropha ab hero illo ad abjectissimum totius familiæ suæ nebulonem transtulerit, fit ut paulo post in famuli sui famulitium concedat, velut appendix additamentum numismatum.* Hæc Morus non μωρὸς sed σοφὸς, ideoque Angliæ Cancellarius et Martyr, in sua illa Republ. non Platonica, sed Christiana. Si Utopiæ indigenæ tam vili æstimant aurum, multo magis Uraniæ cœlique cives illud et cæteras opes pro luto habent, inquit S. Theofridus in Epitaph. sanct. lib. 2. c. 4. Soli cives Babylonis et Ægypti qui ex luto et paleis civitates exstruunt, illud in pretio et deliciis habent. Quid enim sunt uniones, nisi excrementa concharum? quid gemmæ? nisi lapides minores et subtiliores? quid purpura, nisi sanguis fœdi pisciculi? quid coccus, nisi sanguis vermiculi? quid byssus, nisi fila et tela bombycum, horridorum, inquam, vermium? Sapienter Venantius Fortunatus : *Pauper in angusto regnat, habendo Deum.* Et S. Paulinus, Nolæ Episcopus, captus à Wandalis : *Domine,* ait, *non excrucier propter aurum et argentum; ubi enim mea omnia sint tu nosti,* uti refert S. Augustin. lib. 1. de Civitat. 10.

10. Dissipata est (Ninive à Medis et Chaldæis) et scissa, et dilacerata.] In Hebræo est elegans et nervosa paronomasia ומבוקה ומבלקה בוקה *buka umebuka umebulaka*, id est, *vacuitas, et evacuatio, et laceratio* est illi, q. d. Plane opibus et incolis suis evacuata est Ninive, ac muris et domibus dilacerata. Ita Tigurin. Vatabl. Pagnin. Hinc Septuag. vertunt : *Concussio, et excussio, et ebullitio;* Chald. *Direpta, expilata, et aperta est porta inimico.* Porro ebullitio græce ἐκβρασμὸς dicitur, ait S. Hieronym. cum quod intrinsecus latebat, erumpit in faciem. Unde papulæ quoque, quæ post ægrotationem nascuntur in labiis, dicuntur ἐκβράσματα, et sanitatis videtur indicium. Hoc ergo quasi remedium adhibetur Ninivæ ægrotanti, ut malum internum latens in vitalibus, foras ebulliat, ut excutiatur, vexetur et affligatur crebro. Non solum autem hoc remedium datur, sed et cordis confractio, et dissolutio genuum, ut durum et lapideum Ninives cor fractum emolliatur, et rigida genua quæ prius Deo non curvabantur, dissolvantur et flectantur Deo, ac in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum. Hæc S. Hieronymus.

Cor tabescens.] Hebr. *Cor liquefactum.* Ita Chald. Pagnin. et Vatabl. Sicut enim cera admota igni liquescit et tabescit; ita et cor admotum vehementi angustiæ, dolori et pavori velut liquescens tabescit, concidit, et quasi confringitur, ut vertunt Septuag. Hæc spectant ad cives, sicut priora ad ipsam civitatem. Porro ex hoc cordis deliquio, quasi ex fontis obstructione, naturaliter sequitur primo : *Dissolutio geniculorum;* Tigurina : *Tremor genuum;* Pagnin. et Vatabl. *Collisio genuum;* corde enim fatiscente, fatiscunt spiritus vitales et animales, qui à corde ad genua transmittuntur, ut ea roborent ad sustinendum corpus, et ad ambulandum : subductis autem, vel languescentibus spiritibus genua languescunt et tremunt, et inter se colliduntur ex trepidatione. Secundo, sequitur *defectio in cunctis renibus;* Tigurina, *ægritudo in omnium lumbis.* In renibus ergo, id est in lumbis duobus, quibus subsunt duo renes. Lumbi enim carnei sunt, et quinque vertebras sacræ spinæ inferne utrimque complectuntur, à qua spina nervi, musculi et spiritus motivi per ejus medullam derivantur ad totum corpus. Si vertebræ hæ dissolvantur, aut lædantur, et contrahantur, aut impediantur, uti fit in timore et pavore, elumbis et infirmus fit homo. Ita Ribera. Hinc in renibus et lumbis consistit magna pars virium et roboris hominis, uti dixi v. 1. Tertio, sequitur : *Et facies omnium eorum sicut nigredo ollæ;* Hebr. *Contraxerunt ollam*, id est, ut Tigurina : *Ollæ speciem,* colorem et fuliginem; Chald. *Omnes vultus operientur nigredine, instar ollæ denigratæ;* Septuag. *sicut adustio ollæ;* facies enim, destituta cordis influxu et spiritibus, expallescit et nigrescit, uti videre est in iis qui suffocantur, vel suspenduntur, vide dicta Joelis 2. 6. Mystice, Rupert. Olla atra, inquit, est diabolus, et omnes qui in eo spem reponunt, qui tandem similes fient illi quem coluerunt, dum in ollam vulcaniam, puta in gehennam, detrudentur, fientque aterrimi tam corpore, quàm mente.

11. Ubi est habitaculum leonum?] Tigurina : *Ubi est lustrum leonum*? id est, ubi est Ninive, quæ erat quasi spelunca leonum, id est regia prædonum et tyrannorum, q. d. Deserta est, eversa est, periit, interiit. Reges Assyriorum comparat leonibus; Niniven lustro; filios, et principes eorum leunculis, ob eorum fortitudinem, crudelitatem et rapacitatem. Ipsi enim quasi leones venabantur et expilabant omnes gentes, earumque opes et prædas convehebant

in Niniven, ibique eas inter filios, uxores et principes distribuebant, ut patet 4. Reg. 19. 11. Ita S. Hieronym. Remig. Haymo, Theoph. Lyran. Clarius, Arias et Vatabl. Sic Ezechiel, c. 19. 1. et sequent. Jerusalem vocat leænam; leunculos vero vocat reges ejus juvenes, puta Joachas, Joakim, Joachin et Sedeciam filios Josiæ. Sic Jerem. c. 4. 7. Nabuchodonosorem vocat leonem : *Ascendit*, inquit, *leo de cubili suo, et prædo gentium se levavit ; egressus est de loco suo, ut ponat terram tuam in solitudinem.* Est sarcasmos, vel potius emphatica admiratio. Irridet enim, vel potius miratur, et aliis admirandum proponit horrendum excidium inclytæ illius Ninives, et tyrannorum ejus, ut illius exemplo percellantur, caveantque à fastu et spolio leonino, utpote ob quem excisam audiunt videntque Niniven. Simili schemate ait Baruch. cap. 3. 16 : *Ubi sunt principes gentium, et qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram? qui in avibus cæli ludunt? qui argentum thesaurizant et aurum? etc. Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt, et alii eorum loco surrexerunt.* Et Isaias de Babylone c. 14. 4 : *Quomodo cessavit exactor, quievit tributum? Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cædentem populos in indignatione plaga insanabili, subjicientem in furore gentes, persequentem crudeliter* (nonne hæc fuit spelunca leonum)? *Conquievit et siluit omnis terra, gavisa est et exsultavit*, dum vidit exscindi à Cyro Babylonem, virgam suam tyrannicam. Pari modo Nivive hìc vocatur *habitaculum leonum, et pascua catulorum leonum*, id est sedes tyrannorum, eorumque filiorum : *pascua* enim est nomen femininum singularis numeri, uti ostendi Joel. 1. 18. Unde ea subdit :

Ad quam (scilicet pascuam catulorum leonum, puta ad Niniven ivit leo ut ingrederetur illuc catulus, id est catuli, leonis, et non est qui exterreat,] q. d. Ubi est illa dives et speciosa Ninive, in qua quasi in pascuis uberrimis pascebant se reges eorumque filii spoliis et prædis, quas diripuerant ab omnibus provinciis et gentibus? Ubi sunt ejus reges et tyranni, eorumque filii et principes, qui quasi leones et leonum catuli in Ninive, quasi in spelæo inexpugnabili, suis viribus et opibus præfidentes securi degebant, ut nemo eos invadere auderet, nemo terrorem aut metum eis inculere valeret? q. d. Excisa est, periit, evanuit; fuit Ilium et ingens gloria Teucrorum; fuit Nina et ingens gloria Niniadum. Ita Theodor. Theophyl. Lyranus, Clarius, Arias et Vatablus. Ex adverso tamen S. Hieron. cum suis asseclis, Remigio, Haymone et aliis, per leonem intelligit Nabuchodonosorem, qui quasi leo invasit leones Assyrios, eorumque lustrum, scilicet Niniven, adeo valide et horrende, ut nemo eum deterrere, nemo se ei opponere auderet. Verum omnia præcedentia et sequentia spectant ad Assyrios, non ad Chaldæos. Taceo quod leones non soleant alios leones, eorumque lustra invadere et prædari, sed tauros, boves, equos, aliasque bestias et feras specie à se distinctas : secus est de lupis; lupus enim in fame lupum devorat. Unde adagium : *Homo homini lupus.* Quare prior sensus germanior videtur.

Moraliter, vide hìc celeres et miserabiles tyrannorum, regum et regnorum ortus et occasus. Ubi est gloria illa Ninives? ubi superba Babylon? ubi illa inclyta Roma? Præclare Ovid. l. 15. Metamorph.

Nunc humilis veteres tantummodo Troja ruinas,
Et pro divitiis tumulos ostendit avorum.
Clara fuit Sparte : magnæ viguere Mycenæ,
Vile solum Sparte est; altæ cecidere Mycenæ.
OEdipodioniæ quid sunt nisi nomina Thebæ?
Quid Pandioniæ restant, nisi nomen Athenæ?

12. Leo cepit sufficienter catulis suis pascendis, et necavit leænis suis.] Tigurina, *strangulavit;* Pagnin. *suffocavit leænis suis.* Solent enim leones strangulare animalia, eaque discerpere et distribuere suis catulis et leænis. Leo est rex Assyriorum, catuli sunt filii, leænæ sunt uxores et concubinæ, quos ex spoliis gentium ditabat et ornabat rex. Ita Cicero, actione 5. in Verrem, asserit *solere Barbaros reges Persarum et Syrorum* (sub quibus Assyrios et Chaldæos intellige) *plures uxores habere, iis autem uxoribus civitates attribuere hoc modo : Hæc civitas mulieri in redimiculum præbeat, hæc in collum, hæc in crines. Ita populos habent universos non solum conscios libidinis suæ, verum etiam administros.* Sic Antiochus rex Syriæ duas illustres civitates donavit concubinæ suæ, 2. Machab. 4. 30.

13. Ecce ego ad te :] ô spelunca leonum, ô Ninive! veniam, ut te per Chaldæós debellem, puniam et evertam. Unde Tigurina vertit : *En me tibi hostem, dicit Dominus.*

Et succendam usque ad fumum quadrigas tuas.] Pagnin. et Vatabl. *Succendam igne fumante*, id est igne fumo permixto, *quadrigas ejus*, id est tuas; est enallage personæ, q. d. Niniven ejusque quadrigas succendam, omniaque in fumum et flammam convertam. Alludit ad venatores, qui ad spelæa leonum et ferarum struunt ignes, fumumque ingentem excitant, quo cogunt feras, earumque catulos ne fumo suffocentur egredi, atque egressos venabulis excipiunt et confodiunt. Ita Theodoret. et Theophil. Addunt Doroth. et Epiphan. in Vita Nahum, ignem hunc de terra et solitudine ortum, invasisse et concremasse Niniven, uti dixi in Proœmio. Septuag. pro כ legentes ei affine ב puta pro רכבה *richba*, id est quadrigas ejus, legentes רבבה *ribba*, vertunt : *Succendam in fumo multitudinem tuam;* radix enim רבב *rabab*, vel *rab* significat multiplicari et esse multum. Unde *rab* et *rabbi*, id est multus, hoc est magnus, scilicet Doctor, vel Prælatus.

Exterminabo de terra prædam tuam.] Tigurina : *Lacerationem avertam à terra*, q. d. Non prædaberis ultra. Ita Vatablus.

Et non audietur ultra vox nuntiorum tuorum,] quos, ô Ninive, mittere solebas ad urbes, postulans ab eis vel deditionem, uti misisti Rabsacen Hierosolymam, qui eam regi Sennacherib dedi efflagitavit, Isaiæ 36. 2. Ita S. Hieronym. et Theophyl. Vel tributa ab eis pendi solita, aut nova onera quæ eis imponebas, quibus eas expilabas. Ita Remig. Albert. et Hugo. Septuag. pro מלאכיך *malachecha*, id est *nuncios tuos*, aliis punctis legentes מלאכיך *malachecha*, id est *opera tua*, vertunt : *Non audientur ultra opera tua.*

Symbolice, incendium et excidium Ninives repræsentat incendium et excidium mundi sub diem judicii, quod sub nomine Babylonis mystice describit S. Joannes Apoc. 17 : *Mundus* enim hic, ut aiebat Philosophus, *non est aliud quàm*

forum impostorum, scrinium dolorum, schola vanitatis, lustrum tyrannorum, spelæum latronum et iniquorum, in quo potentes diripiunt pauperes et simplices. Sicut ergo Ninive punita fuit incendio, sic et mundus igne conflagrationis expiabitur, juxta illud : *Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus,* psal. 96. 3. Illo ergo igne comburentur omnes leones et leunculi, id est omnes tyranni, raptores et iniqui, omnesque eorum nuntii, quadrigæ, et pompæ, ac imprimis eorum dux et princeps Antichristus, inquit S. Hieronymus.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PERGIT CURRUS, EQUITES, MICANTES GLADIOS, FULGURANTES HASTAS CHALDÆORUM DESCRIBERE, QUIBUS CONFICIENT NINIVEN MERETRICEM, OB EJUS CÆDES, RAPINAS ET MALEFICIA. DEINDE V. 8. CONFERT EAM CUM ALEXANDRIA, IN FREQUENTIA, ROBORE, OPIBUS, AITQUE : SICUT ILLA CAPTA EST A CHALDÆIS, ITA CAPIERIS ET TU, O NINIVE. DENIQUE V. 12. DOCET QUOD DEUS OMNES EJUS MUNITIONES DEBILITABIT ET DISJICIET, QUODQUE DUCES EJUS ET MILITES ERUNT IGNAVI, IMBELLES ET PAVIDI QUASI MULIERES; QUODQUE MERCATORES ET MERCES AB EA AVOLABUNT, SICUT BRUCHUS ET LOCUSTÆ, INCALESCENTE SOLE, AVOLANT.

1. VÆ civitas sanguinum, universa mendacii dilaceratione plena ! non recedet à
te rapina. 2. Vox flagelli, et vox impetus rotæ, et equi frementis, et qua-
drigæ ferventis, et equitis ascendentis : 3. et micantis gladii, et fulgu-
rantis hastæ, et multitudinis interfectæ, et gravis ruinæ : nec est finis
cadaverum, et corruent in corporibus suis. 4. Propter multitudinem forni-
cationum meretricis speciosæ, et gratæ, et habentis maleficia, quæ vendidit
gentes in fornicationibus suis, et familias in maleficiis suis : 5. Ecce ego
ad te, dicit Dominus exercituum, et revelabo pudenda tua in facie tua, et ostendam gentibus
nuditatem tuam, et regnis ignominiam tuam. 6. Et projiciam super te abominationes, et contu-
meliis te afficiam, et ponam te in exemplum. 7. Et erit : Omnis, qui viderit te, resiliet à te, et
dicet : Vastata est Ninive : quis commovebit super te caput ? unde quæram consolatorem tibi ?
8. Numquid melior es Alexandria populorum, quæ habitat in fluminibus? aquæ in circuitu ejus ?
cujus divitiæ, mare : aquæ, muri ejus. 9. Æthiopia fortitudo ejus, et Ægyptus, et non est
finis : Africa et Libyes fuerunt in auxilio tuo. 10. Sed et ipsa in transmigrationem ducta est in
captivitatem : parvuli ejus elisi sunt in capite omnium viarum, et super inclytos ejus miserunt
sortem, et omnes optimates ejus confixi sunt in compedibus. 11. Et tu ergo inebriaberis, et eris
despecta : et tu quæres auxilium ab inimico. 12. Omnes munitiones tuæ sicut ficus cum grossis
suis : si concussæ fuerint, cadent in os comedentis. 13. Ecce populus tuus mulieres in medio
tui : inimicis tuis adapertione pandentur portæ terræ tuæ, devorabit ignis vectes tuos. 14. Aquam
propter obsidionem hauri tibi, exstrue munitiones tuas : intra in lutum, et calca, subigens tene
laterem. 15. Ibi comedet te ignis : peribis gladio, devorabit te ut bruchus : congregare ut
bruchus, multiplicare ut locusta. 16. Plures fecisti negotiationes tuas quàm stellæ sint cœli : bru-
chus expansus est, et avolavit. 17. Custodes tui quasi locustæ : et parvuli tui quasi locustæ locus-
tarum, quæ considunt in sedibus in die frigoris : sol ortus est, et avolaverunt, et non est cognitus
locus earum ubi fuerint. 18. Dormitaverunt pastores tui, rex Assur : sepelientur principes tui :
latitavit populus tuus in montibus, et non est qui congreget. 19. Non est obscura contritio tua,
pessima est plaga tua : omnes qui audierunt auditionem tuam, compresserunt manum super te :
quia super quem non transiit malitia tua semper ?

1. VÆ, scilicet tibi, ô CIVITAS SANGUINUM,] ô Ninive sanguinaria, quæ omnium gentium sanguinem fudisti, ut eas tibi subjiceres ! Unde Chald. vertit : *Væ civitati sanguinum!* Ita Theoph.

Haymo. Rupert. Hugo et Lyran. Posset, secundo, vox *sanguinum* accipi pro *scelerum*, q. d. Væ tibi, ô civitas scelerata, omnibus criminibus plena et cooperta! quia enim sanguinis effusio, puta homicidium, gravissimum est scelus in proximum, hinc quodlibet enorme crimen vocatur *sanguis*, id est sanguinis effusio, per synecdochen, qua pars pro toto; vel per catachresin, qua simile pro simili ponitur. Unde Syrus et Arabicus vertunt: *Væ civitati sanguinum, quæ tota est mendacium, et plena iniquitate!* Dat causas excidii Ninives, cur scilicet Deus ab ea transtulerit monarchiam in Babylonem. Prima est, cædes injustæ, eæque plurimæ. Secunda, quod sit *universa mendacii*, id est, ut Septuag. *tota mendax;* Tigurina: *In universum plena mendacio*, q. d. *In Ninive nulla est veritas, sed omne mendacium*, ait S. Hieron. quia regnat in ea omnis dolus et fraus. Tertia, quod sit *dilaceratione plena*, id est, plena rapina et laceratione prædarum. Unde vertit Aquila, *excervicatione plena;* Symmachus, ἀποτομίας, id est, *crudelitate* vel *severitate plena. In altera ejus editione*, ait S. Hieron. *reperi* μελοκοπίας πλήρης, *id est, sectionibus carnium et frustis per membra concisis plena; denique statim subjecit: Ubi indesinens præda est*, q. d. Ninive repleta est rapinis, sicut lustra leonum plena sunt membris et ossibus animalium ab eis laceratorum et devoratorum. Hisce enim comparavit Niniven, cap. 2. 11. ubi eam vocavit *habitaculum leonum*. Subdit S. Hieron. *Porro Hebræus* (S. Hieron. in Hebræa lingua magister) פרק *perec, gubernaculum, id est* κυβερνησμον, *interpretatus est, ut ostenderet et urbem fuisse regalem, et velut in navi cunctarum gentium tenuisse gubernaculum.*

Symbolice, Ninive speciosa est, et speciosus hic mundus, qui græce κοσμος à specie et ornatu dicitur. Hic enim totus in maligno positus, plenus est, pleniorque erit in fine, sub diem judicii (ideoque tunc evertetur et concremabitur) sanguinibus, id est cædibus et sceleribus, æque ac mendaciis, dolis et fraudibus; item calumniis, rapinis, omnique violentia qua proximorum vel famam vel bona, vel corpus vitamque dilacerat. Ita S. Hieronymus.

NON RECEDET (id est, nunquam recedet) A TE RAPINA,] q. d. Ninive tota est rapinis intenta; futura enim Hebræorum sæpe actionis continuationem, morem, consuetudinem et perpetuitatem significant.

2. VOX FLAGELLI.] S. Hieron. cum Remigio, Alberto, aliisque suis asseclis pergit hæc accipere de Ninive et Assyriis, quasi hìc eorum currus, equites, arma describat Propheta, quibus vim inferebant aliis gentibus, easque prædabantur et lacerabant. Melius Theodor. Theophil. et Vatabl. hæc accipiunt de Chaldæis, qui flagellarunt et castigarunt prædationes, cædes et rapinas Ninives. Est ergo hìc hypotyposis, sive viva belli à Chaldæis Ninive inferendi imago et repræsentatio, q. d. Videor jam cominus videre et audire flagella aurigarum in curribus Chaldæorum hostilibus rotarum cursus et impetus, equites equosque frementes; item micantes eorum gladios, et fulgurantes hastas, quibus ipsi ingentem multitudinem Ninivitarum interficient, ipsisque gravem ruinam, id est multitudinem cadaverum afferent. Nota: *Gravis* hìc ponitur pro magno, id est multo; est enallage: ponitur enim qualitas pro quantitate, et quantitas continua pro discreta; puta gravis pro magno, et magnum pro multo. Sic Antiochus dicitur intrasse Ægyptum in multitudine gravi, id est numerosa et copiosa, 1. Machab. 1. 18. Sic Deus in Ægyptum per Mosem misit muscam gravissimam, id est plurimam, Exodi 8. v. 24. Vide ibi dicta. Rursum quadrigas vocat ferventes et ardentes, ob celeritatem et impetum, quo ipsæ ipsarumque rotæ adeo motu et collisione lapidum incalescunt, ut ardere videantur, quin et vere scintillas igne mque emittant. Similem curribus fervorem dat Virgil. 3. Georg.

> Illi instant verbere torto,
> Et proni dant lora, volat vi fervidus axis,
> Jamque humiles, jamque elati sublime videntur
> Aera per vacuum ferri, atque assurgere in auras.

Tropolog. Ninive est anima peccatrix, plena sanguinibus, id est sceleribus; hæc est tota mendacii, quia nullum in se locum relinquit Deo, qui veritas est; sed fallacibus opinionibus imbuta, et diaboli præstigiis delusa, corpus et rem solidam putat esse opes, delicias, et honores, quæ tantum sunt umbræ. Hæc dilacerat famam et bona proximorum, quin et alios à via Dei avertit, et bona eorum opera diripit, nec ab hac rapina recedit. Huic imminent multa mala. Primum est, *vox flagelli*, id est conscientiæ intus mentem flagellantis, de quo Juven. satyra 13:

> Evasisse putes, quos diræ conscia culpæ
> Mens habet attonitos, et surdo verbere cædit;
> Occultum quatiente animo tortore flagellum?

Ita Ribera.

3. CORRUENT (Ninivitæ et Assyrii) IN CORPORIBUS SUIS,] id est inter corpora et cadavera suorum. Ita Chald. Unde Tigurina vertit: *Ruent per sua corpora*. Paulo aliter vertunt Pagnin. et Vatablus: *Impingent* (scilicet Chaldæi) *in corpora eorum*, scilicet Assyriorum occisorum, q. d. Tanta erit strages Ninivitarum, tanta multitudo cadaverum, ut viam tum Assyriis fugientibus, tum Chaldæis insequentibus intercludant, atque utrique in ea impingant et corruant.

4. PROPTER MULTITUDINEM FORNICATIONUM MERETRICIS SPECIOSÆ.] Fornicatio apud Prophetas significat idololatriam; idolum enim est quasi adulter; Ninive est quasi meretrix speciosa, q. d. Ruent Assyrii propter multitudinem idololatriæ Ninives, quæ et re et nomine speciosam sonat, ideoque ob suas speciosas opes, delicias et pompas omnibus erat grata, q. d. ait S. Hieron. Ruet Ninive, quia totius orbis sibi subjecti coluit idola et maleficia magica: quia tota magiæ, superstitioni et idololatriæ fuit dedita, ad eamque pellexit, imo coegit omnes gentes. Unde sequitur:

QUÆ VENDIDIT GENTES IN FORNICATIONIBUS SUIS,] q. d. Ninive tradidit alias gentes et populos suis hostibus, puta Chaldæis; quia ipsa eos docuit suas idololatrias et maleficia, puta incantationes magicas et superstitiones, ob quæ à Deo traditi sunt Chaldæis. Ideo enim Deus immisit Chaldæos quasi lictores in omnes gentes, ut earum idololatriam et scelera punirent, ut patet Jerem. 25. 17.

Nota: Tò *vendidit* significat primo, Niniven instar reginæ, sed meretricis, alias gentes sibi subditas, nunc vi, nunc illecebris, nunc mendaciis, aliisque artibus meretriciis coegisse ad sua idola et scelera. Ita S. Hieron. Theodor.

Rupert. Hugo et Lyran. Secundo, eam gentes in servitutem redegisse, iisque abusam esse quasi mancipiis, utpote quæ illas vendidit hosti, dum eas coegit secum prodire in aciem contra Chaldæos; itaque ipsas quasi oves, gladiis Chaldæorum secum mactandas objecit. Ita Theophil. Hic verum est illud Poetæ :

Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.

Addit Cyrillus et Theophil. fornicationem hic vocari *magiam*, per quam gentes et tribus vendebant, dicentes : Date nobis mercedem et pretium, ac nos exsecrabimur gentes vobis hostiles, itaque faciemus ut vobis resistere nequeant, easque facile expugnetis, uti fecit Balaam ariolus Balac regi Moab, Numer. 22. et 23. Tertio, in Scriptura Achab 3. Reg. 21. 25. et alii dicuntur venditi vel venumdati ut facerent malum; quia scilicet traditi sunt quasi servi in potestatem peccati et diaboli, ut ad ejus nutum agerentur quasi mancipia in omne scelus : traditi, inquam, directe à se suisque heris et dominis; indirecte à Deo permittente, et puniente priora eorum scelera.

Et familias, id est populos, in maleficiis suis.] *Maleficia* vocat veneficia, ut vertunt Septuag. opes, pompas, delicias, incantationes, philtra, puta illecebras, quibus Ninive quasi meretrix omnes ad suî amorem et suorum deorum cultum alliciebat. Hæc enim significat hebr. כשפים *kesaphim*.

Symbol. S. Hieron. Ninive, inquit, est mundus illecebrosus, habens maleficia; Septuag. *dux maleficiorum*, id est incantationum et illecebrarum, quibus homines dementat : *Vox flagellorum auditur in mundo, quia multæ sunt tribulationes justorum, quibus flagellantur, clamitant, et doloris magnitudinem flebili voce testantur. Quando alius dæmone, alius ira, quæ furori similis est, alius libidine, odio, invidia, superbia, corripiuntur, flagellum in eis Assyrii regis sonat. Sed et in corporis malis, flagellum diaboli intelligimus, de quo ad justum dicitur, psal.* 90 : *Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Quando videmus hunc morbo regio computruisse et superesse cadaveri suo : alium intercuti aqua et tumenti natare corpore, crescentibusque membris formam pristini hominis decrescere : illum purulentias quasdam, et vulnerati damna pulmonis egerere : istum humore in lapides desiccato, urinæ amaritudinem, et vesicæ tormenta sentire; non dubitemus dicere vocem flagellorum esse Ninive.*

Hæc S. Hieron. qui et subdit : *Et vox commotionis rotarum, dum huc atque illuc genus raptatur humanum, et incertis per cuncta discursibus, ubi periculum, ubi salus sit ignoramus; de qua rota et Ezech.* 1. 16. *et psal.* 76. *legimus : Vox tonitrui tui in rota. Habet et Ninive equum persequentem, puta diabolum, de quo Job* 39 : *De longe odoratur bellum. Quadrigæ, et quatuor earum equi sunt quatuor perturbationes, de quibus Maro : Hi cupiunt metuuntque, dolent gaudentque. His equis, et hac quadriga Ninive cuncta perturbat. Et quomodo quatuor, quibus pugnamus et tegimur, sunt scuta virtutum : prudentia, justitia, temperantia, fortitudo; ita è contrario quatuor vitia sunt : stultitia, iniquitas, luxuria, formido, quibus ab hoste percutimur. Quarum singulæ pullulantes habent in se ac multiplices species sagittarum, quibus inferuntur vulnera, imo vulnerati usque ad inferna demerguntur. Nec est finis gentibus ejus. Malitia ejus finem non habet, et quantæ species peccatorum, tot gentes sunt Ninive, qua infirmabantur in corporibus suis à multitudine fornicationis. Nec mirabitur Niniven scortorum jam esse gratissimam, qui tantam hominum multitudinem cum ea viderit fornicari, et maleficiis illius, et quibusdam incantationibus ad amorem ejus pene cunctos trahi. Hæc vendidit gentes in fornicationibus suis, quæ tollunt membra Christi et faciunt membra meretricis : idque facit tribus maleficiis suis. Facit enim amare eas quæ odisse debuerant, et detestari quæ amare debebant; ut cum deceptæ fuerint, etiam alios malefica arte supplantent.* Unde huc alludens S. Joannes Apoc. 17. v. 3, Babylonem suam (quæ typus est mundi) quasi alteram Niniven schemate reginæ, sed meretricis ita depingit : *Vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, et cornua decem. Et mulier erat circumdata purpura, et coccino, et inaurata auro, et lapide pretioso, et margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione, et immunditia fornicationis ejus. Et in fronte ejus scriptum : Mysterium Babylon magna, mater fornicationum, et abominationum terræ. Et vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, et de sanguine martyrum Jesu.* Vide ibi dicta.

Præclare S. Bernard. epist. 103 : *Væ*, ait, *væ! vapor est ad modicum parens, quod æternæ felicitatis aditum intercludit. Quousque tu tantæ gloriæ præfers fœnum, quod hodie est et cras in clibanum mittitur : carnem dico, et ejus gloriam : Siquidem omnis caro fœnum est, et omnis gloria ejus tanquam flos fœni. Si sapis, si habes cor, si tecum est lumen oculorum tuorum, desine jam ea sequi, quæ et assequi miserum est. Beatus qui post illam non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant.* Et epist. 107 : *Diu*, ait, *ista in te mundus habere non poterit, et te quippe ipsum brevi non habiturus. Nam breves dies hominis sunt. Mundus quidem cum suis concupiscentiis transit; sed te prius emittit quàm ipse pertransit. Qui te sine fine delectat amor mox finiendus.*

5. Ecce ego ad te,] ô Ninive, armatus et furibundus in Chaldæis venio, ut te quasi scortum infame spoliem, denudem, castigem, totique orbi ridendam et exsibilandam proponam. Unde Tigurina vertit : *En me tibi hostem, inquit Dominus exercituum.*

Revelabo pudenda tua in facie tua.] Tigurina, Pagnin. et Vatabl. *Revelabo fimbrias tuas*, vel limbos tuos, hoc est, spoliabo te tuis fimbriis, et vestibus speciosis et pretiosis per Chaldæos, ut omnibus spoliata et nudata à cunctis ridearis et subsanneris; dum cuncti præter nuditatem et paupertatem, etiam occultas tuas sordes, vomicas et carcinomata, quas syrmate et veste aurata tegebas (hæc enim vocat *pudenda*, quia ob ea pudefiebat), id est occultas suas spurcitias, vitia et fœditates, propalam conspicient. Perstat enim in metaphora meretricis. Unde explicans subdit :

5. et 6. Ostendam gentibus nuditatem tuam, et regnis ignominiam tuam. Et projiciam super te abominationes,] id est, tibi imponam, ostendam, et propalabo omnia tua abominanda scelera; quo fiet ut omnes certatim te abominentur, et diris mille devoveant : tam acris enim

vindicta Dei, qua te puniet et evertet, omnibus ostendet te rapacissimam et sceleratissimam tyrannam fuisse. Unde sequitur : *Et contumeliis te afficient*, uti meretrices publice in circulo expositas, vel ad uncum alligatas omnes subsannant, in easque fæces, lutum et stercora jaciunt : itaque *Ponam te in exemplum;* Tigurina : *Faciam te spectaculum;* Pagnin. *Ponam te inquinamentum;* Chald. *Ponam te exsecrandam, et ponam te fœdissimam oculis omnium videntium te.*

Moral. magna Dei est gratia, cum peccatori revelat suam turpitudinem, ac voluptatis illicitæ, v. g. meretricis, sordes. Sicut enim exterius et publice meretrice nihil videtur speciosius et elegantius ; sic interius et domi nihil putidius, sordidius, vilius, miserius, pauperius, adeo ut adolescentes qui in illas ita pomposas rapiuntur, visis earum internis sordibus, nauseent, et eas abominentur. Tale est peccatum et peccatrix anima, puta est quasi ornata meretrix, et sepulcrum dealbatum ; exterius nitens, interius putens et fœtens ; exterius Venus, interius anus ; exterius formosa ut Lais, interius deformis ut Thais ; publice splendidior Cyro, domi pauperior Iro, vix habens panem atrum quem mandat, ut ait Terentius in Eunucho. Audivi ab aulicis principis cujusdam feminæ luxuriose viventis, corpus ejus tantum fœtorem exhalasse, ut intolerabilis videretur, nec tam corpus quàm triduanum cadaver esse diceres.

7. Omnis qui viderit te, resiliet a te.] Pagnin. *elongabunt se à te;* Tigurina, *refugiet à te, et dicet : Vastata est Ninive;* Chald. *expilata est Ninive;* Septuag. *Qui viderit te, descendet à te, et dicet : Misera est Ninive.* Simili modo in excidio Babylonis dicitur Apoc. 18. 15 : *Mercatores horum, qui divites facti sunt, ab ea longe stabunt propter timorem tormentorum ejus, flentes ac lugentes, et dicentes : Væ, væ civitas illa magna, quæ amicta erat bysso, et purpura, et cocco ! etc. quoniam una hora destitutæ sunt tantæ divitiæ.* Sic de Tyro ait Ezech. cap. 26. 17 : *Quomodo peristi, quæ habitas in mari, urbs inclyta? etc. Nunc stupebunt naves in die pavoris tui, et turbabuntur insulæ in mari, eo quod nullus egrediatur ex te.* Et cap. 27. 28. describit nautas et mercatores ejulantes in vastitate Tyri.

Tropol. S. Hieron. *Quamdiu*, ait, *terrena honoramus, et putamus esse sublimia, velut in quodam superbiæ culmine sumus, et miramur pulchritudinem Ninive*, id est mundi. *Cum autem consideraverimus naturam ejus, et omnia corporalia bona, quasi humilia despexerimus, subjicientes nos potentiæ manus Dei, tunc miserebimur Ninive, et omnia terrena bona digna planctu judicabimus, dicemusque : Misera Ninive, quanti tuis laqueis irretiti sunt? quantos alligatos laqueis tuis tenes? quis putas resiliet à te, et descendet de superbia tua, et te miseram judicabit?* q. d. Pauci sunt, sed sapientes et oculati, qui id judicant. Ninive ergo est speciosa uxor, speciosi filii et filiæ, speciosa famulorum pompa, speciosæ opes, speciosæ dignitates, quæ multos sua specie capiunt et dementant. Verum prudentes, qui considerant earum brevitatem, instabilitatem, fugacitatem, curas, molestias, angores, pericula, vident hanc speciem esse fucatam et larvatam : illico enim præterit figura hujus mundi, ut ait Apostolus. Quocirca ea despiciunt, dicuntque : *O quantum est in rebus inane !* atque ad speciem mundi cœlestis, quæ semper durat, ac divina est et beata, anhelant.

Exemplum insigne hac in re præbuit S. Eucherius Lugdun. Episc. anno Domini 440, qui, ut habet Ado in Martyrol. die 16. Novemb. cum esset senator ingenio, opibus, eloquentia, scientia, dignitate prænobilis, haberetque conjugem illustrem et opulentam, ex eaque speciosos liberos, plures mares, et feminas, hæc omnia contempsit, suosque omnes eadem contemnere docuit. Nam universis relictis, secessit in monasterium Lirinense ; inde in solitudinem, ibique in spelunca totum se jejuniis et orationibus addixit, donec sede Episcopali Lugduni vacante, angeli monitu designatus est Lugdunensis Episcopus. Quare à Clero et populo ad hoc munus requisitus, cum ipse illud omnino abnueret et excuteret, vi è spelunca extractus, vinctusque ductus in urbem, in cathedra Episcopali violenter collocatus est, quam mira fide, sanctitate et doctrina administravit. Exstant etiamnum doctæ ejus lucubrationes in Genesim, libros Regum, etc. quas filiis suis Veranio et Salonio dedicavit. Hos enim à puero in monasterio educari curavit, qui deinde pariter ex monasterio, ob illustrem virtutem et sapientiam, ad episcopatum evocati sunt. Uxor vero ejus, nomine Galla, in speluncam mariti, cum ipse ad episcopatum raperetur, secessit, eique in vitæ, æque ac loci rigore successit : nam ibidem totam se pœnitentiæ et orationi consecravit. Filiæ vero Consortia et Tullia, patrem et matrem imitatæ, virginitatem Deo voverunt, atque non tantum virginitatis gratia, sed et signorum gloria claruerunt, æque ac pater, nimirum ipse S. Eucherius, qui inter alia miracula in Alpibus incidens in hominem membris contractum, ac jussu S. Cæsarii Arelatensis Episcopi (ut habetur in ejus Vita) porrigens ei manum, eumdem elevans, sanitati membrisque restituit. Ita Baron. anno Christi 441. et 463. Unde Claudian. in l. 2. de Statu animæ, agens de S. Eucherio : qui, inquit, *viridis ævi, maturi animi, terræ despuens, cœli appetens, humilis spiritu, arduus merito, ingenio subtilissimus, scientia plenus, eloquii profluus, magnorum sui seculi Pontificum longe maximus, editis in rem fidei multi jugis variorum operum voluminibus, ad populum quoque super statu animæ concionatus est.* Quisquis ergo sapis cum S. Eucherio despue terræ, astra appete, solum despice, cœlum suspice, vana licet speciosa contemne, vera et æterna sectare, terrenis cunctis despuendo dicito : Phy, phy terra ! quomodo sordes mihi, cum cœlum aspicio ?

Quis commovebit super te caput.] Septuag. *Quis gemet eam?* Chald. Pagnin. et Vatabl. *Quis condolebit tibi?* quia sicut antea nullius fuisti miserta, sic jam nullus miserebitur tuî. Tigurina : *Quis ejus gratia iter suscipiet?* ut ei opituletur. Hebr. ad verbum est : *Quis movebit ei*, vel *pro ea?* scilicet pedes, vel potius caput : commotio enim capitis super afflicto signum est condolentiæ et compassionis, Job 16. 5. Jerem. 18. 16. et alibi.

Unde quæram consolatorem tibi ?] q. d. Nusquam invenietur, qui te consoletur, quia invisa es omnibus, ideoque omnes experti tuam

tyrannidem gaudebunt de tuo casu et ruina. Ita Vatablus.

8. Numquid melior es Alexandria populorum,] id est populosa, quæ multos habet populos, quæ abundat multitudine et turbis. Ita Pagnin. Vatabl. Mariana, et alii : hoc enim significat hebr. אמון *amon;* positum enim est pro המון *hamon.* Rursum *Amon* est cognomen Alexandriæ, eo quod ipsa sita fuerit in regione Ammonia, non longe à fano Jovis Ammonii. Vide dicta Jerem. 46. 10. Unde Syrus vertit : *Numquid melior es Jovon Amon* (id est Alexandria, quæ etiam Amon aquarum dicitur. Ita Lexica Syriaca) *quæ sedet in fluminibus?* Quare alienius vertit Arabicus Antiochenus : *Numquid tu melior es quàm* (exitio) *Moab?* et Alexand. *Para tibi sortem de civitatibus Horod*, id est Scytharum, *aut sortem de Tammuz, quæ habitat in fluminibus.* Nisi dicas Alexandriam dici Tammuz à suo idolo, eo quod coluerit Tammuz, id est Adonidem amasium Veneris; quod creditu est facile : fuit enim hæc urbs opibus et deliciis, indeque luxu et luxuria diffluens. Sensus est : Numquid, ô Ninive, tu melior, id est major, fortior, populosior, potentior es Alexandria populosissima et fortissima? utpote quæ ab una parte Nilo, ab altera lacu Mareotico, à tertia mari, à quarta incommeabili solitudine cingitur, ut docet Joseph. lib. 2. Belli c. 16. Vide ejus situm et descriptionem apud Abrahamum Ortelium in Theatro urbium, q. d. Si Alexandria, quæ et situ loci, et civium multitudine videtur munitissima, inaccessa et inexpugnabilis, expugnabitur tamen et capietur; non est quod tu, ô Ninive, tuo robori prælidas ; nam pari modo expugnaberis capierisque et tu. Ita S. Hieron. Theodor. Rupert. Remig. Hugo , Lyranus et alii.

Nota primo : Urbs hæc tempore Nahum et Jeremiæ dicta est *No,* ut habet textus Hebræus, quæ postea, scilicet post annos 200, nimirum anno 320. ante nativitatem Christi, restaurata et amplificata ab Alexandro Magno, ex eo dicta est Alexandria, uti docet Plinius lib. 5. 10, Solinus c. 35 , Strabo lib. 14. et alii. Prædicit hìc Nahum, uti et Jerem. c. 46. 10, eam evertendam à Nabuchodonosore; quod licet aliqui, ut à Castro, factum censeant ante excidium Jerusalem, nimirum anno 1. Nabuchodonosoris; tamen longe verius est id factum esse post excidium Jerusalem, anno 23. vel 24. Nabuchodonosoris, uti ostendi c. 2. v. 1, idque satis significat hìc Nahum.

Nota secundo : Urbs hæc fuit Ægypti celeberrima, opulentissima, munitissima et populosissima. Unde Alexander Magnus eamdem ad effigiem chlamydis Macedonicæ, ait Plinius lib. 5. 10. orbe gyrato, spatio septemdecim dierum, ut Justinus testatur lib. 11, exstructis muris, qui se extenderent ad sex millia passuum, magnifice restituit, Urbs fuit omnium post Romam maxima (unde hìc cum Ninive comparatur, quam maximam fuisse docet Jonas c. 3. 3.) longa stadiis triginta, lata decem, ambitu ipso complectens passuum millia quindecim. Addit Q. Curt. lib. 4. de Gestis Alexandri : *Fama est,* inquit, *cum rex urbis futuris muris polentam, ut Macedonum mos est, destinasset, avium greges advolasse, et polenta esse pastas ; cumque id omen pro tristi à plerisque esset acceptum, respondisse vates magnam illam urbem advenarum frequentiam culturam, multisque eam terris alimenta præbituram.* Portum enim habet optimum, cui ad dexteram objecta Pharus insula, turrim maximam sustinet, ad trecenta usque stadia navigantibus igne lucentem. Quocirca cum Romanis paruit, pendebat plus tributorum singulis mensibus, quàm Hierosolyma toto anno, et præter pecuniam, annonam quatuor mensium plebi Romanæ ministrabat. Alexandria ergo, quam Strabo libr. 14. urbem potentem et populosam nominat, Alexandri Magni opus (nomen et bustum, emporium erat totius Ægypti vetustissimum, loco ad mercimonia opportuno situm, nimirum ad littus nostri maris, juxta Canobicum Nili ostium, in Africam vergens. Urbs olim magnifica, superbissimis ædificiis, tam publicis quàm privatis. Quam deinde ob cultum divinum isthic florentem, plebisque sanctimoniam, paradisum Domini veteres nuncuparunt; sicut et Antiochiam Theopolim. Quocirca Augustus Cæsar, post devictum Antonium Alexandriam veniens, et fundatoris corpus reverenter aspiciens, triplici de causa se eamdem, licet hostilem, et Antonio faventem conservasse, palam est fassus : scilicet ob Alexandri memoriam, pulchritudinem urbis, et propter Arrium Philosophum, qui in Universitate Alexandrina Professor, magno apud Augustinum in honore fuit. In ea enim fuit Musæum Serapium et Isæum, à Musis, Serapi et Iside denominatum. S. Marcus tandem Evangelista à S. Petro eò missus , Alexandrinos fide et religione Christiana imbuit per 20 annos, et pro ea ibidem Martyr occubuit. Insuper ipse Alexandriæ Ecclesiasticam scholam instituit, cui doctissimi semper et sanctissimi viri præfuerunt, ut Pantenus ; deinde Origenes, qui arcem Philosophiæ et eloquentiæ occupans, ibidem in Sacra Scriptura sua hexapla et octapla , ac in eam commentaria illustria exaravit. Origeni successit Heraclas; huic Dionysius, Athenodorus, Malchion, Didymus, S. Athanasius, Cyrill. Theophilus, etc. Hìc S. Hieron. S. Basilius, S. Gregor. Nazianzenus, aliique præstantissimi viri eruditi sunt. Celebris fuit et hìc scriptis Philo Judæus. Quantum hìc floruerit Mathesis docet Cicero lib. 1. de Divinat. De magnifica et omnium disciplinarum libris instructissima Bibliotheca Alexandrina, in qua erant quadraginta millia librorum, quam Aristoteles primum instituit, testis est Strabo l. 13. hanc Ptolemæus Philadelphus, secundus ab Alexandro Magno Ægypti rex, mire auxit libris ex Græcia, præsertim Athenis et Rhodo petitis, teste Athenæo lib. 1. c. 17 ; sed maxime sacris Bibliis, in Græcum translatis à Septuag. interpretibus, quos ipse ab Eleazaro pontifice postulavit. Hæc ergo versio Septuaginta Interpr. facta et cusa est Alexandriæ. Ita Euseb. l. 8. de Præp. c. 1, Joseph. l. 12. Antiq. c. 2, Clem. Alex. l. 1. Strom. et alii. Denique Alexandrina fuit S. Catharina, quæ ibidem decollata , lac pro sanguine fudisse fertur. Merito ergo Nahum Alexandriam confert cum Ninive tum in magnitudine, tum in frequentia, tum in robore, tum in clade excidii.

Nota tertio : Pro *Alexandria populorum* hebraice est מנא אמון *minno amon;* sed Septuag. aliis punctis legentes מנא *mana* (unde *mina* et *mna*) *Amon*, vertunt, *pars Ammon.* Sic enim habent, *apta chordam pars Ammon.* Per *Ammon* aliqui Ammonitas Moabitis vicinos accipiunt.

Melius accipias Ammonitidem Ægypti, juxta quam sita erat Alexandria, q. d. O Ammonitis regio, ô Alexandria, vastaberis : apta ergo chordas tuæ lyræ, ut canas tibi lyricum et funebre carmen. Ita S. Hieron. qui et aliter explicat, nimirum de Ninive, q. d. *O Ninive, inordinatum et incompositum tuum, et in diversa discrepans in chordarum similitudinem apta, ut fiat harmonia, et vocalis in laudes Dei concentus ; quia nihil tibi proderit species et magnitudo tua, quæ præcipua habere te credis, nisi te aptaveris ad canendum. Considera enim omnem partem sortis filiorum Ammon, et quæcumque æstimantur possidere bona, quomodo eos non defenderint, ne irent in captivitatem :* sic nec tua te defendent. Verum priorem sensum præfert S. Hieron. et merito : non enim agitur hîc de filiis Lot, Ammon et Moab, sed de Ammone Ægypti.

Nota quarto : Pro *Alexandria populorum*, verti potest, *Alexandria tumultus*, uti vertit Noster Jerem. 46. 25. Utrumque enim significat Amon, vel Hamon, quia populus adducit turbam, turba parit tumultum, tumultus seditionem, seditio stragem et exitium. Prudenter Livius, lib. 2 : *Opulentis*, ait, *civitatibus venenum seditio, magna imperia mortalia reddidit.* Hinc rursum sapienter monet Thucydides, libr. 4 : *Curandum est*, inquit, *vicinis populis, ut pax inter vicinos populos colatur*, ne eorum tumultus et bellum, tumultum et bellum vicinis afflet et afferat. Hac de causa urbes et regiones populosæ, ut sese in pace conservent, oportet ut foras ad bellum, vel ad novas colonias sæpe multos ex illis emittant, præsertim otiosos, inquietos, acres et pugnaces. Ita de Hispanis scribit Justin. l. 44 : *Hispani*, ait, *bellum quàm otium malunt ; si extraneus deest, domi hostem quærunt.* Et Carolus V. Imper. dixisse fertur Francisco Valesio Galliarum regi ; *Tui Franci et mei Hispani adeo sunt fervidi et ardentes, ut si bellum nulli moveant, illud suo inferant principi.* Quocirca acute vir sapiens pronuntiavit : *Gallia ut sana sit et sese in pace conservet, necesse est ut quolibet decennio sanguinem mittat.* Quin et S. Catharina Senensis hac de causa suasit Gregorio Undecimo et Urbano Sexto Pontif. bellum sanctum inferendum Saracenis et Turcis ; cumque ei objiceret Pontifex id intempestivum esse ob intestinas discordias et bella, respondit illa efficax remedium ad sopiendas hasce discordias fore bellum Turcicum : in eo enim Christianos posituros privatas lites, et communibus animis contra communem fidei hostem libenter ituros. Insuper in illud emissuros homines otiosos et pugnaces, et his emissis pacem domi fore. Sapiens utique consilium, quod utinam caperent et practicarent Reip. et Ecclesiæ Principes! nam domi ditiones suas pacarent, et alienas infidelium sibi et Ecclesiæ acquirerent. Id de S. Catharina Senensi refert Ambros. Catharinus in ejus Vita. Pari modo tumultus populorum perdidit Alexandriam : quod ut significet Nahum, argute vocat eam Alexandriam Amon, id est populorum et tumultus. Alexandrini enim aliique Orientales calidi sunt et callidi : calor facit eos mobiles, mutabiles, biliosos, pugnaces : calliditas facit vafros, subtiles, dolosos, industrios ad machinandum tumultus et bella.

Quæ habitat in fluminibus.] Quia Alexandria ab ortu et occasu cingitur Nilo, qui in varios se dividens urbem interluit, multasque in ea facit insulas.

Aquæ in circuitu ejus.] Vatablus : *Aquis est circumflua ;* quia ab Oriente et Occidente Nilo, à Septentrione mari, à Meridie lacu Mareotico vallatur. Unde *aquæ* sunt *mari ejus : cujus divitiæ mare;* quia per mare omnis generis merces, eo quasi ad Orientis, imo orbis, emporium comportantur. Scribunt Osorius, Maffeius, libr. 1. de Rebus Indic. et alii, antequam Lusitani navigarent in Indiam, et Goa merces Indicas deveherent Ulyssiponem, omnes illas ex India solitas advehi Alexandriam, et ex ea devehi Venetias, indeque distribui per Europam. Pro *divitiæ* hebr. est חיל *chel*, quod robur æque ac opes significat. Unde Chald. vertit : *Cujus murus est mare ;* Pagnin. *Cujus antemurale est mare;* Tigurina : *Cujus propugnaculum est mare ;* Septuag. vero *chel* derivantes à חול *chol*, id est incipere vertunt : *Cujus principium est mare.* Hinc patet Alexandriam aquis et situ fuisse munitissimam. Nam, ut ait Josephus lib. 2. de bello, cap. 16 : *Munitur undique aut incommeabili solitudine, aut importuoso mari, aut fluminibus, aut cœnosis paludibus.* Et Solinus Polyhist. c. 35 : *Alexandria insidioso accessu aditur, fallacibus vadis, cæco mari, tribusque tantum canalibus admittit navigantes.* Et S. Cyrill. ejus Patriarcha : *Alexandria*, ait, *super alias Ægypti urbes plurimum excellebat, tuta à prædonibus, et securum perfugium, quod aquis undique ambiatur; et versus Aquilonem mari alluatur, versus Austrum vero latam et longam, et velut alterum mare, paludem, inquam, Mareotidem, habeat : munita sit insuper aliis fluminibus, et lacubus cingatur.*

9. Æthiopia fortitudo ejus.] Æthiopia enim, sive Abyssia, vicina est et adjacens Alexandriæ : unde vocatur Æthiopia sub Ægypto. Alexandria ergo facile ex Æthiopia auxiliares copias ad se evocabat, et facilius ex vicinissima Ægypto.

Et non est finis,] scilicet militum et copiarum, quas ex vicinis gentibus sibi confœderatis ad se accersebat. Nam et

Africa et Libyes fuerunt in auxilio tuo,] q. d. Auxiliarem habebas totam Africam, et maxime viciniorem ejus partem, scilicet Libyam. In voce *tuo*, est enallage personæ Hebræis usitata. Transit enim à tertia persona ad secundam. Aliter Vatabl. q. d. Æthiopia et Ægyptus erant auxilio Alexandriæ, sicut tibi, ô Ninive, auxiliabantur Africa et Libya. Verum Africa et Libya vicinæ sunt Alexandriæ, remotæ vero admodum à Ninive : unde proclive et facile erat Alexandrinis inde evocare auxilia, non vero Ninivitis.

10. Sed et ipsa (Alexandria) ducta est in captivitatem.] Hinc Clarius et Arias censent Alexandriam jam vastatam fuisse, cum hæc scriberet Nahum. Verum ex Jeremia, c. 46. 10, constat eam vastatam à Nabuchodonosore, qui diu post Nahum vixit. Est ergo enallage temporis prophetica ; ponitur enim præteritum pro futuro, *ducta est*, id est ducetur, *in captivitatem.*

Allegor. Alexandria populorum est Ecclesia ex omnibus populis collecta, quæ, ut inquit S. Hieron. *habitat super omnes Prophetas, et habet doctores in circuitu suo, quorum de ventre manant flumina : cujus initium est mare,* id est lex quæ amara est, nisi ligno crucis Christi dulco-

retur: *Quæ habet Æthiopiam in fortitudine ; Æthiopia quippe præveniet manus ejus Deo : et Ægyptum, in quam Dominus venit in nube levi ; et Libyes, qui antea habitabant in arentibus, et postea facti sunt in auxilio ejus. Et hæc ergo, si non se attenderit, et omni diligentia custodierit cor suum, captiva ducetur, et planget filios suos. Et tu ergo, Ninive, homines videlicet infideles, homines mundo inhærentes, senties supplicia, et consorpieris calice meo, cum illi quoque biberint, qui de mea parte fuerant, et suo vitio corruerunt.*

Parvuli ejus elisi sunt,] allisi sunt ad saxa à Chaldæis, quod summæ crudelitatis æque ac miseriæ est argumentum.

Et super inclytos ejus miserunt sortem,] q. d. Chaldæi super viros nobiles et primores Alexandrinos à se captos sortem jecerunt, atque eos quasi mancipia sortito inter se distribuerunt.

Et omnes optimates ejus confixi (Septuag. *alligati ;* Tigurina, *vincti*) sunt in compedibus.

11. Et tu ergo, ô Ninive, pari modo quo Alexandria, inebriaberis calice iræ Dei, ut puniaris et vasteris; et eris despecta,] adeo ut etiam ab inimicis, quos antea despexeras, cogaris opem poscere. Pro *despecta* Chald. vertit, *pessumdata;* Pagnin. *abscondita ;* Tigurina, *obscurata,* q. d. Abscondes te præ metu et trepidatione : vel, ut alii, tolleris de medio, ita ut non appareas; quia desines esse in rerum natura. Ita Vatablus.

12. Omnes munitiones tuæ sicut ficus cum grossis suis.] Duplices sunt in ficubus grossi : priores sunt primæ ficus, quæ proinde *flores ficulneæ* vocantur, utpote primo maturæ et sapidissimæ ; posteriores sunt ficus immaturæ, quæ in hieme per se decidunt. De prioribus hîc agitur, q. d. Sicut grossi, id est, primæ ficus præcoces et maturæ (has enim significat hebr. בכורים *biccurim*), vento cum sua arbore concussæ, facile ex ea decidunt in os comedentis, id est, hominis sub ficu hiantis, ut ficus decidentes excipiat et comedat; ita tuæ munitiones, ô Ninive, concussæ à Chaldæis, illico corruent, et in os, id est, in manus et potestatem eorum, cadent. Hoc sensu ficus hîc arborem significat, non fructum. Ita Chald. S. Hieron. Haymo, Rupert. et alii passim. Secundo, et melius, Vatabl. à Castro et alii per ficus accipiunt non arbores, sed fructus, q. d. Sicut ficus posteriores cum prioribus, sive præcocibus, quæ *grossi* vocantur, vento agitatæ decidunt in os comedentis ; ita cadent muri et propugnacula Ninives in manus Chaldæorum, idque facile et sine labore ; non enim arbores, sed fructus ficuum cadunt in os comedentis. Unde Syrus vertit : *Sicut ficus temporaneæ* (primitivæ) *quæ cum factæ* (maturæ) *fuerint, cadunt in os comedentis ;* Arabicus Antiochenus : *Sicut ficus pulchræ, quæ cum maturæ fuerint, cadunt de ore eas comedentis ;* Arabicus Alexandrinus : *Omnes habitationes tuæ tumentes quasi arbores ficuum, in quibus remanet residuum, quæ cum fuerint concussæ, cecidit quod in eis est comedenti illud.*

Ita tropol. animæ peccatorum sunt quasi ficus et grossi, quæ cadunt in os diaboli, ait Theoph. uti in ejus os cecidit Adam comedens pomum vetitum, quod videtur fuisse ficus. Sic pariter anagogice in die judicii, inquit Rupert. *quando manifeste veniet Deus noster, et non silebit ; quando ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida ;* magno terræ motu cadent munitiones totius orbis, quantæcumque vel qualescumque tam spirituales, quàm materiales possunt intelligi, et illæ quarum primus structor fuit Cain, et illæ quas contra veritatem exstruit spiritus erroris, omnes cadent in os devorantis inferni, glutientes abyssi gehennalis incendii.

13. Ecce populus tuus mulieres,] id est, quasi mulieres imbelles, effeminatus fuit, ô Ninive. Unde Chald. vertit : *Ecce populus tuus imbecillis est instar mulierum, in medio tuî ;* quia ob ejus ignaviam et metum *inimicis, etc. pandentur portæ;* Vatabl. *aperient se portæ*, scilicet sponte sua, ut sit hyperbole. Tropol. S. Hieron. *Ninive,* inquit, *id est, homines seculares ita passionibus enervati sunt, et viribus elanguerunt, ut imbecillitati mulierum compareniur. Nihil enim in animabus suis forte, nihil robustum possident et virile. Unde inimici, prævalentes adversus eos, aperuerunt omnes sensus eorum, et per corporales januas introgressi sunt ; quia dissolutis manibus, id est operibus voluptatis, quidquid in te habueras roboris perdidisti.*

Devorabit ignis vectes tuos.] Ignem proprie accipio, de quo dixi c. 2. v. 13. Aliter Vatabl. q. d. Vectes tui, qui aliàs solent esse ferrei et fortissimi, ad insultus Chaldæorum non resistent, sed illico dissilient, ut videantur igne consumi.

14. Aquam propter obsidionem hauri tibi,] q. d. Instat tibi, ô Ninive, obsidio; ad eam ergo te para, aquam et annonam compara : erit enim longa et diuturna obsidio. Urbes quædam carent puteis; unde per aquæductus forinsecus ex fontibus vel fluminibus, aquas in cisternas excipiunt et conservant, uti fit Brugis Flandrorum; quin et Romæ plerique aqua non puteali, sed fontana per aquæductus invecta utuntur. Talis videtur fuisse Ninive. Unde monet Propheta ut ante obsidionem de aqua sibi provideat. Unde Syrus vertit : *Aquas in tribulatione* (obsidione) *hauri tibi ;* Arabicus : *Aquam in angustia hauri tibi.*

Intra in lutum,] hoc est, ut S. Hieron. subigendo argillam lateres confice, quibus ruinas murorum obstruas; sed frustra id facies, quia ibi et in isto opere igne et ferro te vastabunt Chaldæi. Tropol. S. Hieron. Corpus, inquit, nostrum est lutum et later, *quia quasi terra, et paleis, et aqua, ita carnibus, sanguine, venis, nervis, ossibusque compactum est, q. d. Quia semel, ô anima, ingressa es lutum, et clausa corpore, sustine injuriam et necessitates corporis, et conculcare ab inimicis, et omnia ad conficiendam carnem, quæ pœnitentia digna sunt, patere. Semel enim assumens lutum et paleas, et manibus hujus seculi negotiis involuta, debes per injuriam sponte calcari. Et tamen noli salutem penitus desperare : esto confidens, et corpus, id est laterem tuum, propter assumptum sermonem, quasi aquam in servitutem redige, et subjice tibi, ut domineris lateri tuo, ne vivax te gehennæ flamma consumat.*

15. Peribis gladio, devorabit te ut bruchus,] q. d. Sicut bruchus omnia germina absumit, ita gladius hostilis omnia civium tuorum agmina perdet, et, ut ait S. Hieron. *Quidquid in te virens videbatur, et naturæ bono sponte germinans, avaro dente consumet, et quasi bruchus volatu*

perdito, et gravatus pondere suo, ita et tu gravata onere peccatorum detraheris in terram.

Congregare ergo ut bruchus, multiplicare ut locusta,] q. d. Contrahe et collige numerum militum maximum, quantus esse solet numerus bruchorum et locustarum, si ita velis et possis. Sed frustra : nam nullæ copiæ te tutari valebunt ; certo enim peribis. Est ironia. Bruchus est species locustæ, de qua dixi Joel. 1. 4.

16. Plures fecisti negotiationes tuas quam sint stellæ coeli : bruchus expansus est, et avolavit,] q. d. Plurimas collegisti merces et opes, sed istæ omnes ut bruchus cito à te avolabunt ad Chaldæos, à quibus diripientur. Vatabl. *Plures habuisti mercatores, quàm sint stellæ cœli: ipsi autem erunt sicut bruchus, qui ubi omnia depastus est avolat*, q. d. Mercatores tui, ô Ninive, mox ut famam belli et obsidionis audierint, aufugient cum suis mercibus et opibus, instar bruchi deficiente germine avolantis. Sic et à Castro et Pagnin. qui vertit : *Bruchus grassatus est, et avolavit.* Hoc est quod ait Sophar Job c. 20. 5 : *Quod laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritæ instar puncti. Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, et qui eum viderant dicent : Ubi est ? velut somnium avolans non invenietur, transiet sicut visio nocturna.* Sic quoque accipi potest illud Sapientis Prov. 23. 5 : *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere* (scilicet juste et licite, q. d. quas habere vel retinere est nefas) ; *quia facient sibi pennas quasi aquilæ, et volabunt in cœlum :* sicut aves captæ ab aucupe, dum patet exitus, illico ab eo quasi injusto et tyranno avolant ; simili enim modo opes ab injustis possessoribus, quasi captivæ violenter detinentur : unde ut ab hac captivitate in libertatem se asserant, serviantque Deo et justis propter quos creatæ sunt, ad eos advolant, uti docet Sapiens Proverb. 28. 8.

17. Custodes tui quasi locustæ,] q. d. Duces et milites, qui te, ô Ninive, custodiebant, erunt quasi locustæ, quæ rectore carentes, in periculo huc illucque discurrunt, quæque nocturno frigore torpidæ, oriente sole incalescentes, avolant ; ita et ignavi tui milites, accedente Chaldæo, quasi igne percussi et perculsi diffugient. Nota : *Custos* Hebræis vocatur præfectus, rex, dominus ; hujus enim est custodire et tueri sibi subditos. Sic Job, c. 7. 20, Deum vocat custodem, id est regem et dominum, hominum. Sic Jeremias, c. 4. 17, custodes vocat reges gentium, qui venturi erant contra Jerusalem. Pro *custodes*, hebr. est *minnezaraich*, quod derivatur à נזר *nezer*, id est corona, diadema, coma, separatio, consecratio, nazaræatus. Unde Vatablus vertit : *Coronati tui*, id est, ut Pagnin. *magnates et principes tui ;* Chald. *Laminæ tuæ flammificant sicut locustæ laminæ*, scilicet coronarum et diadematum, quibus hi principes decorabantur. Alii : *Nazaræi tui;* alii : *Separati et consecrati tui.* Principes enim, sicut et sacerdotes, dignitate, æque ac corona et veste, à plebe erant separati. Tigurina : *Comatuli tui locustas referunt*, q. d. Principes tui erant comati, ipsaque coma et cæsarie, velut corona et diademate, ab aliis fuerunt quasi dignitate separati. Coma enim et cæsaries in viro est quasi corona dignitatis. Hinc Nazaræi apud Hebræos à vulgo separati erant, et quasi consecrati Deo per comam quam alebant : coma ergo erat insigne honoris et dignitatis.

Et parvuli tui quasi locustæ locustarum.] *Parvuli*, id est inferiores et gregarii milites, omnis generis et gentis. Hos enim significat hebr. טפסר *tapsar*, quos proinde Septuag. vocant *commixtos*, scilicet ex varia hominum sorte et gente. Ita S. Hieron. Hi enim, quia sunt parvi, et plurimi variique, recte comparantur locustis, uti iisdem comparantur ea de causa Madianitæ Judic. 6. 5. Alii *tapsar* censent compositum ex טף *taph*, id est parvus, et סר *sar*, id est princeps. Unde Chald. vertit, *duces tui ;* Pagnin. *principes tui ;* Vatabl. *optimates tui;* Tigurina, *ingenui tui;* Arabicus Antioch. *amati tui ;* Arabicus Alexand. *populus tuus;* Syrus vero, *Nazaræi* (continentes, casti) *tui quasi locusta inhærens*, vel *infixa sepi.*

Melius *tapsar* exponas *parvus principis*, scilicet servus et miles. Ita Noster et Septuag. Porro *locusta locustarum* est locusta non magna et prægrandis, ut vult à Castro, sicut Canticum canticorum est magnum et insigne præ cæteris canticum ; sed parva, puta proles et soboles locustæ, scilicet attelabus, ut vertunt Septuag. et Tigurina. Unde S. Hieron. sic explicat, q. d. *Sicut locustæ et bruchus, et paria genimina locustarum quæ vocantur attelabi, sole incalescente, avolant, nec reperiuntur ; sic tu, ô Ninive, dispergeris et fugies. Natura enim locustarum est, ut in frigore torpentes, per calorem volitent. Porro attelabus, quem significantius comessorem interpretatus est Aquila, parva locusta est inter locustam et bruchum, et modicis pennis reptans potius quàm volans, semperque subsiliens, et ob hanc causam ubicumque orta fuerit, usque ad pulverem cuncta consumit ; quia donec crescant pennæ, abire non potest.* Vide de locustis et attelabis ea quæ notavi Joel. 1. v. 4. Ubi nota hebraismum : Hebræi enim cum volunt significare animal tenerum, et recens natum, ei adjungunt nomen matris, quasi ipsum adhuc matrem sectetur, ab eaque lactetur vel alatur. Sic vocantur agni ovium, id est agni teneri, sequentes oves matres suas. Sic Alexander vocatur hircus caprarum, id est, hœdus capram matrem sequens, quia erat juvenis, Daniel. 8. v. 5. Sic catulus leænæ vocatur leunculus leænam matrem comitans. Sic Samson ait Judic. 15. 16 : *In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum*, id est, aselli lactentis et sequentis asinam matrem suam, *delevi eos et percussi mille viros.* Fortis enim viri est, per rem parvam magna facere, uti Samson per mandibulam aselli occidit mille Philisthæos.

Non est cognitus locus earum,] hoc est, ipsæ locustæ non sunt cognitæ, nec inventæ in loco suo, quia perierunt. Est hypallage. Vide dicta cap. 1. 18.

18. Dormitaverunt pastores (principes et duces) tui rex Assur,] ô rex Ninives. Significat desidiam ducum causam fuisse, cur à Chaldæis caperetur Ninive, ac proinde ipsos duces à Chaldæis esse occisos, et plebem dispersam. Hoc est enim quod subdit : *Sepelientur principes tui*, primo vino, deinde humo, q. d. Chaldæi invadent Niniven somno vinoque sepultam, itaque sepultos occident, et in fossis sepelient. Septuag. vertunt : *Consopivit fortes tuos*, scilicet rex tuus, ô Ninive, sicut Balsasar mero consopivit optimates ; quos proinde Cyrus, capta Babylone, eadem nocte oppressit et occidit, Daniel. c. 5. 1. et sequent. Quod Tropolog. S. Hieron. expli-

cat de diabolo : hic enim est rex Ninives, id est mundi : *Semper enim*, inquit, *diaboli studium est vigilantes animas consopire. Denique et in passione Domini Apostolorum oculos gravi sopore premit, quos Salvator suscitans ait : Vigilate et orate ne intretis in tentationem. Et rursum : Quod vobis dico, omnibus dico : Vigilate. Hinc quos ille suavi et pernicioso carmine Sirenarum illexerit ad dormiendum, excitat sermo divinus, et dicit : Surge qui dormis, et illuminabit te Christus*, Ephes. 5. Unde idem anagog. dicet Christus in excidio Ninives, id est in fine mundi, cum homines ob peccatum somno mortis consopitos resuscitabit, facietque resurgere ad vitam beatam.

LATITAVIT POPULUS TUUS IN MONTIBUS.] Chald. Tigurina et Pagnin. *Dispersus est populus tuus per montes*, scilicet fugiens Chaldæos, ac in montibus et speluncis ab eis se abscondens.

19. NON EST OBSCURA CONTRITIO TUA,] q. d. Clades et strages tua, ô Ninive, tuum, inquam, excidium non est secretum, sed publicum totique orbi conspicuum. Septuag. vertunt : *Non est sanitas contritionis tuæ*, id est plagæ et vulneris tibi à Chaldæis inflicti. Chald. *Non est qui doleat sibi de fractione tua*, q. d. Non est qui tibi tuæquæ plagæ condoleat. Pagnin. *Non est curatio fracturæ tuæ;* Tigurina : *Neque leve est vulnus tuum, sed acerba plaga tua;* Vatabl. *Non erit curatio fracturæ tuæ, doloris plena erit plaga tua*, id est, fractura tua nulla curatione curari poterit : vulnus quod accipies à Chaldæis erit plenum doloris.

OMNES QUI AUDIERUNT AUDITIONEM TUAM; hoc est, rumorem et famam de tua calamitate et excidio. Est metonymia : ponitur enim actus pro objecto, scilicet auditio pro re audita, puta pro nuntio et fama : COMPRESSERUNT MANUM SUPER TE,] id est, ut Chald. *Complos erunt super te manibus lætantes*, quia *tua malitia* et tyrannis, per tributa, onera, aliasque exactiones et oppressiones *transiit* per universos, omnesque jugiter vexavit, q. d. Quia alios semper afflixisti, idcirco nunc pari modo affliget te Deus per Chaldæos, omnesque gaudebunt et laudabunt justum Dei in te judicium.

Symbol. et Tropol. omnia quæ hisce tribus capitibus de Ninive, ejusque pompa, opibus, viribus, gloria, illecebris, fuco, fraudibus, vanitate et excidio dicta sunt à Propheta, facile est, mutato tantum nomine Ninives in nomen mundi, adaptare mundo, ejusque pompæ, opibus, gloriæ vanitati et interitui, quæ in dies oculis nostris cernimus, et plene cernemus in ejus fine, puta in die judicii. Quocirca sapienter monet S. Joann. 1. epist. 2. 15 : *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt; qui diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* Et rursum : *Mundus transit et concupiscentia ejus.* Ubi S. August. *Quid vis?* inquit, *utrum amare temporalia et transire cum tempore, an Christum amare et in æternum vivere.* Idem, epist. 36 : *Vincula*, ait, *hujus mundi asperitatem habent veram, jucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem.* S. Ambros. lib. de Virgin. *Discite*, ait, *in hoc mundo super mundum esse. Si corpus geritis, volitet in vobis ales interior.* S. Chrysost. hom. 77. in Matth. *Cur perforato dolio aquam ingeris? Nihil enim aliud est pro præsentibus istis laborare, quàm flammam decerpere, quàm pugnis aera cædere. Certe frustra curris ; vanitas enim omnia.* S. Gregor. hom. in Evangel. *Despiciamus*, ait, *cuncta præsentia. Nulla sunt etenim quæ transire possunt. Turpe sit diligere, quod constat citius perire. Non nos terrenarum rerum amor superet, non superbia, non ira dilaniet, non luxuria polluat, non invidia consumat.* Et hom. 5 : *Ipsæ ruinæ ejus prædicant quod amandus non est. Si enim ruinam suî domus quassata minaretur, quisquis in illa habitaret, fugeret : et qui stantem dilexerat, recedere quantocius à cadente festinaret. Si igitur mundus cadit, et nos eum amando amplectimur, opprimi volumus potius quàm habitare; quia nulla nos ratio à ruina illius separat, quos ejus passionibus amor ligat.* S. Bernardus passim mundum vocat stabulum, viam peccatorum, carcerem, atrium diaboli, noctem, plenum spinis, crucem, infidum, amantem nihil, vento vanitatis impulsum, inimicum Deo. *Impellit*, ait ipse serm. 85. in Cant. *omnes, sed solos evertit amicos suos, id est consentaneos sibi. Nolo esse amicus mundi, ne cadam. Nam qui vult esse hujus mundi amicus, inimicus Dei constituitur, quo utique nullus gravior casus.* Idem, serm. 9. in Cœna Domini : *Amor*, ait, *mundi totum mundum quærit, et nunquam satiatur. Imo cum plus habet, plus cupit semper habere. Amor Dei unum cupit semper habere solum, illo contentus est, nil aliud jam possidere præoptat. Amor Dei nil aliud quærit, nisi solum Deum.* Idem, serm. de Miseria humana : *Vide, miser homo, quia totum est vanitas, totum stultitia, totum dementia quidquid facis in hoc mundo, præter id solum quod in Deum, et propter Deum, et ad honorem Dei facis. Et mundum diligis, et Deum relinquis : mundum qui diligit, semper est in angustia; mundo vivere mors est; mundo anima mortua vivet. Dum vivis in carne, morere mundo, ut post mortem carnis Deo vivere incipias*, ait ipse epist. 105. Idem in meditat. *Dic mihi*, ait, *ubi sunt amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiscum fuerunt? nihil ex eis remansit nisi cineres et vermes. Attende diligenter qui sunt et fuerunt, sicut tu comederunt et biberunt, riserunt, duxerunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descenderunt. Hic caro eorum vermibus, illic anima eorum ignibus deputatur, donec rursus infelici collegio colligati, sempiternis ignibus involvantur. Qui socii fuerunt in vitiis, socii erunt in pœnis : una namque pœna illos implicat, quos unus amor in crimine ligat.* Boetius, lib. 2. de Consol. metro 3:

Rara si constat sua forma mundo,
Si tantas variat vices,
Crede fortunis hominum caducis,
Bonis crede fugacibus.
Constat æterna positumque lege est,
Ut constet genitum nihil.

Quin et Cicero, Tuscul. 4 : *Quid*, ait, *videatur ei magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis totiusque mundi nota sit magnitudo?* Et Seneca : *Doce*, inquit, *leve esse et vanum hoc quod apud homines felicitas dicitur; unam illi syllabam facillime accedere.* Syllaba hæc est, *fel* : felicitas enim terrena, ejusque mel facile in fel vertitur, aut est, *in :* felicitas enim facile fit infelicitas. Et Plinius in Panegyr. Trajani : *Habet*, ait, *has vices conditio mortalium, ut adversa ex secundis, secunda ex adversis nascantur.*

Hæc cogitabat, hæc sapiebat aulicus ille Cæsaris, qui, lecta vita S. Antonii, conversus ad socium : *Dic, ait, quæso te, omnibus laboribus nostris quò ambimus pervenire. Quid quærimus? cujus rei causa militamus? Majorne esse poterit spes nostra in palatio quàm ut imperatoris amici simus? et ibi quid non fragile plenumque periculis? et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? et quandiu istud erit. Amicus autem Dei si esse voluero, ecce nunc fio.* Et mox : *Ego jam me abrupi ab illa spe nostra, et Deo servire statui; et hoc ex hora hac, hoc in loco aggredior. Te si piget imitari, noli adversari. Respondit ille se adhærere socio tantæ mercedis, tantæque militiæ.* Ambo ergo valedicentes aulæ et mundo, ibidem Dei obsequio se manciparunt. *Et ambo habebant sponsas, quæ postea quàm hoc audierunt, dicaverunt etiam ipsæ virginitatem tibi, ô Domine.* Ita S. August. lib. 8. Confess. cap. 6.

Hæc sapiebat S. Romula, quæ mundum calcans, totamque se dedicans Deo, morjens à duobus Angelorum choris psallentibus deducta est in cœlum. De qua proinde S. Greg. hom. 40. in Evang. ita exclamat : *O vos qui in hoc mundo divites aut esse creditis, aut estis, conferte, si potestis, falsas divitias vestras veris divitiis Romulæ. Vos in hujus mundi via, omnia amissuri possidetis; illa nihil quæsivit in itinere, et omnia invenit in perventione. Vos lætam vitam ducitis, tristem mortem timetis; illa tristem vitam pertulit, ad lætam mortem pervenit. Vos ad tempus quæritis obsequium hominum ; illa despecta ab hominibus invenit socios choros Angelorum. Discite ergo, fratres, temporalia cuncta despicere; discite honorem transeuntem contemnere, æternam gloriam amare.*

COMMENTARIA

IN

HABACUC PROPHETAM.

ARGUMENTUM.

SANCTUS Hieron. in Prologo : *Habacuc*, inquit, *vel ex eo quod amabilis Domini est, vocatur amplexatio, vel quod in certamen et luctum, et (ut ita dicam) amplexum cum Deo congreditur, amplexantis, id est luctantis, sortitus est nomen* (Habacuc enim deducitur à חבק *chabac*, vel *habac*, id est amplexari, complecti, stringere). *Nullus enim tam audaci voce ausus est Deum ad disceptationem justitiæ provocare, et dicere: Cur in rebus humanis et in mundi istius politia tanta rerum versatur iniquitas?* Idem in Prologo galeato, qui Bibliis præfigitur : *Habacuc*, ait, *luctator fortis et rigidus, stat super custodiam suam, et figit gradum super munitionem suam, ut Christum in cruce contempletur, et dicat : Operuit cœlos gloria ejus, et laudis ejus plena est terra. Splendor ejus ut lux erit, cornua in manibus ejus : ibi abscondita est fortitudo ejus.*

Chaldæus Paraphrastes tradit Habacuc fuisse filium Sunamitidis defunctum, quem Helisæus vitæ restituit, 4. Reg. 5. 36. Verum obstat ratio temporum : nam Helisæus floruit sub Josaphat ; Habacuc vero diu post, sub Manasse. Isidorus et Epiphan. in Vita Habacuc tradunt eum fuisse oriundum ex Tribu Simeon, ex agro Bithicucar, vel, ut Epiphan. nominat, Bexzochar. Hebræi in Seder Olam censent Nahum, Joelem et Habacuc prophetasse sub Manasse, eum vero non nominasse ob ejus impietatem et scelera. Verum Proœmio in Nahum ostendi prophetasse post excidium Samariæ, quod contigit anno 6. Ezechiæ, et ante obsidionem Hierosolymæ factam à Sennacherib, quæ contigit anno 14. Ezechiæ. Ergo inter annum 6. et 14. Ezechiæ prophetavit Nahum, quare sub idem tempus videtur prophetasse Habacuc. Ita Ribera in Proœmio. Communior tamen sententia est Habacuc ante Sophoniam et Jeremiam, paulo post Nahum prophetasse sub Manasse. Ita Hebræi, Guevara, à Castro. Vatabl. Clarius, Arias et alii. Videtur ergo Habacuc unus fuisse è Prophetis illis quos Deus misit ad Manassen, ut eum de impietatibus suis arguerent, 4. Reg. 21. 10.

Putant aliqui, ut S. Hieron. Remig. Albert. Hugo et Lyran. Habacuc post excidium Hierosolymæ, directe et ex professo prophetare excidium Babylonis et Chaldæorum, sicut Nahum, qui eum præcessit, prophetavit excidium Ninives et Chaldæorum. Verum dico : ex professo Habacuc tollit onus contra Juda et Jerusalem, eorumque excidium per Chaldæos, consequenter tamen Chaldæorum quoque per Cyrum et Persas interitum prædicit. Solent enim Prophetæ tristibus læta subjungere, et post minas consolari. Ita hìc Habacuc, ut soletur Judæos à Chaldæis vastandos et in Babylonem abducendos, prædicit Chaldæos pariter post 70 annos à Cyro perdendos, tumque Judæos è Babylone liberandos et in patriam redituros. Ita S. Gregor. Nazianz. orat. 1. Apolog. et ibi Elias Cret. S. Chrysost. lib. 2. de Providentia, Theod. Theoph. Guevara. Porro à Cyro liberatore, exemplo Isaiæ c. 45. 8, assurgit ad Christum redemptorem, eique c. 3. carmen insigne pangit, quo ejus natalem, vitam, passionem, resurrectionem, secundum adventum ad judicium, quo impios damnabit, pios beabit, graphice depingit et celebrat. Nam liberatio Judæorum è Babylone fuit typus liberationis hominum è servitute peccati, diaboli et inferni. Judæa enim, sive terra promissa typus est cœlestis patriæ, Chaldæi dæmonum, Judæi humani generis ; Jesus filius Josedec, Zorobabel, Esdras et Cyrus Babylonis destructor vindexque Judæorum, figuram gesserunt Christi, Regis et Pontificis, Redemptoris nostri. Hinc sequitur hunc Habacuc ante excidium Hierosolymæ prophetasse, ac consequenter non esse eumdem cum Habacuc, qui per aerem raptus ab Angelo, et ex Judæa traductus in Babylonem, ibi prandium tulit Danieli, cap. 14. 32, conjecto in lacum leonum, uti censet S. Hieron. in Prologo non tam ex sua quàm ex Hebræorum sententia. Ille enim Habacuc fuit diu post excidium Hierosolymæ, cum jam Judæi in Babylone degerent captivi : hic autem Noster fuit ante excidium ; nam illud prophetat dicens c. 1. 6 : *Ecce ego suscitabo Chaldæos gentem amaram et velocem, ambulantem super latitudinem terræ, ut possideat tabernacula non sua, etc.* Adde Danielem conjectum esse in lacum leonum sub Evilmerodach, qui patri Nabuchodonosori in regnum successit : Nabuchodonosor autem 44 annis regnavit, et ante eum Josias regnavit in Juda 31 annis, ante eum Amon annis duobus, ante Amon Manasses annis 55, ante Manassen Ezechias annis 29. Pone Habacuc cœpisse prophetare sub finem regni Ezechiæ, vel, ut Hebræi, sub Manasse, tumque eum fuisse 30 annorum (nam ante trigesimum annum apud Hebræos ordinarie nemini docere, aut prophetare licebat), atque adde annos regum jam recensitos, colliges Habacuc longe superasse annum centesimum, si unus idemque fuit Noster hic cum illo Danielis. Hoc autem non videtur probabile, nimirum quod vir ea ætate decrepitus prandium ferret messoribus. Quare sicut duo fuerunt Michææ Prophe-

tæ et duo Abdiæ, uti dixi in eorum Prooemiis, ita et duo fuerunt Prophetæ habentes idem nomen Habacuc.

Denique Habacuc Sanctorum catalogo inscriptus legitur die 15. januarii, ubi hæc de eo habentur : *In Judæa Sanctorum Habacuc et Michææ Prophetarum, quorum corpora sub Theodosio seniore divina revelatione reperta sunt.*

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

QUERITUR HABACUC DE JUDÆORUM PRAVITATE, QUOD SCILICET NULLUS APUD EOS JURI ET RATIONI SIT LOCUS, SED IMPUNE DOMINETUR OPUM HONORISQUE CUPIDO, IDEOQUE INJUSTUS PRÆVALEAT ADVERSUS JUSTUM, ET EGREDIATUR JUDICIUM PERVERSUM. CUI RESPONDET DEUS V. 5. SE HANC PRAVITATEM PUNITURUM PER CHALDÆOS, EAMQUE JUDÆÆ EXCIDIO VINDICATURUM. QUOCIRCA MIRE CHALDÆORUM POTENTIAM, CELERITATEM, INDUSTRIAM, FEROCITATEM ET CRUDELITATEM EXAGGERAT. HIS MINIS TERRITUS HABACUC V. 12. DEUM PRECATUR, UT SUUM POPULUM QUASI FILIUM VIRGA CORRIPIAT, NON GLADIO INTERIMAT ET PERDAT, EO QUOD MINORA SINT PECCATA JUDÆORUM SCELERIBUS CHALDÆORUM; NE, DUM LEVIORA ILLORUM EXPURGAT, GRAVIORA HORUM SINAT PERPETRARI.

1. ONUS, quod vidit Habacuc Propheta. 2. Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies ? vociferabor ad te vim patiens, et non salvabis ? 3. Quare ostendisti mihi iniquitatem et laborem, videre prædam et injustitiam contra me ? et factum est judicium, et contradictio potentior. 4. Propter hoc lacerata est lex, et non pervenit usque ad finem judicium : quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur judicium perversum. 5. Aspicite in gentibus, et videte : admiramini, et obstupescite ; quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cum narrabitur. 6. Quia ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram et velocem, ambulantem super latitudinem terræ, ut possideat tabernacula non sua. 7. Horribilis, et terribilis est : ex semetipsa judicium, et onus ejus egredietur. 8. Leviores pardis equi ejus, et velociores lupis vespertinis ; et diffundentur equites ejus : equites namque ejus de longe venient, volabunt quasi aquila festinans ad comedendum. 9. Omnes ad prædam venient, facies eorum ventus urens : et congregabit quasi arenam, captivitatem. 10. Et ipse de regibus triumphabit, et tyranni ridiculi ejus erunt : ipse super omnem munitionem ridebit, et comportabit aggerem, et capiet eam. 11. Tunc mutabitur spiritus, et pertransibit et corruet, hæc est fortitudo ejus dei sui. 12. Numquid non tu à principio, Domine Deus meus, sancte meus, et non moriemur ? Domine, in judicium posuisti eum : et fortem, ut corriperes, fundasti eum. 13. Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris : quare respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio justiorem se ? 14. Et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem. 15. Totum in hamo sublevavit, traxit illud in sagena sua, et congregavit in rete suum, super hoc lætabitur et exsultabit. 16. Propterea immolabit sagenæ suæ, et sacrificabit reti suo : quia in ipsis incrassata est pars ejus, et cibus ejus electus. 17. Propter hoc ergo expandit sagenam suam, semper interficere Gentes non parcet.

1. ONUS, QUOD VIDIT HABACUC.] Pro *onus* Sept. vertunt, λῆμμα, id est *assumptio*, qua scilicet Deus gratia prophetica mentem Habacuc corripiens, et à rebus humanis abstrahens, rapiebat ad res divinas et futuras contemplandas, inquit Theodoret. quem S. Petrus apud S. Clementem in libr. Recognit. Sextum sensum appellat. *Est*, inquit, *et alius sextus sensus, id est prænoscendi : isti enim quinque sensus scientiæ capaces sunt, sextus autem præscientiæ, quem habuerunt Prophetæ.* Porro *onus* est onerosa et minax prophetia. Vide dicta Nahum 1. 1.

2. USQUEQUO, DOMINE.] Aliqui censent Prophetam prævidisse excidium Hierosolymæ mox futurum per Chaldæos, pro eoque avertendo ardenter et crebro orasse ; cumque videret se non exaudiri, sed immotam excidii manere sententiam, de eo hìc queri apud Deum, non ex impatientia,

sed ex dolore et commiseratione suæ gentis. Ita Vatablus et Ribera. Imo S. Hieron. Remig. Albert. Hugo et Lyran. censent Prophetam hæc dixisse post vastatam Jerusalem, ac queri quod Deus permiserit eam ab infidelibus et impiis Chaldæis ita vastari.

Melius S. Chrys. Nazianz. Theodor. Theoph. Guevara et à Castro, quos citavi in Prooemio, censent Prophetam conqueri de pravitate morum sui ævi suique populi, quod scilicet, cum Deum sæpe precatus esset ut eam inhiberet ac frenaret, non fuisset exauditus, sed potius scelera ipsa augeri et multiplicari cerneret. Hoc enim clare verba significant, cum subdit: *Lacerata est lex; quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur judicium perversum.* Loquitur ergo non de tyrannide et violentia Chaldæorum qui erant exleges, sed de perversitate Judæorum, qui legem quam à Deo acceperant, violabant opprimendo justos, eorumque causas et judicia pervertendo. Unde Septuag. vertunt: *Contra me factum est judicium, et judex accipit.* Queritur itaque de populo Judaico, quod, cum is sit fidelis et à Deo electus, tamen vi, rapina et sceleribus sit plenus, atque se discruciat, eo quod Deus eum ab his non expurget et liberet. Quocirca respondet ei Deus v. 5. se hæc scelera puniturum et expiaturum per Chaldæos. Ait ergo: *Usquequo, Domine, clamabo,* ut cessare facias has rapinas et scelera in populo tuo, *et non exaudies?* Hoc est, et non exaudis me continuo clamantem.

Vociferabor ad te vim patiens.] Hebr. *Vociferabor ad te* חמס *chamas*, id est iniquitas, q.d. Videns assidue tot rapinas et injurias, ad singulas clamo *chamas*, dicoque: En, Domine, *chamas*, en *chamas*, en nova vis, en nova rapina et novum scelus. Singula enim populi mei scelera ita me affligunt, ut ab iis vim pati videar. Unde Chald. vertit: *Clamito in conspectu tuo, numquid est, Domine, apud te servandi potestas?* q. d. Video in tuo meoque populo nullam esse Dei reverentiam, nullum hominum pudorem aut timorem, sed eos perfricta fronte injurias et iniquitates perpetrare, calcare divina et humana jura, opulentos et potentes affligere et opprimere inopes et innocentes, ac eorum bona nunc vi, nunc fraude corradere; quin et arte vel armis, magistratus et clavum Reipubl. invadere ac summa rerum potiri. Vides eadem tu, ô Domine, cur ergo taces? cur dissimulas? cur tantis malis non mederis? itane dormit tua providentia, tua vindicta, ut insontes opprimi, sontes dominari sinas? Vim patior ego, affligor et crucior, nec ferre sustineo: zelus enim domus tuæ comedit me. Vim pateris et tu: quomodo eam sustines? videris tyrannis et impiis vel non posse, vel nolle defendere et salvare innocentes. Luget enim Habacuc, et Prophetæ probi et zelosi, non tantum ipsos læsos, et injuriam passos, sed etiam (imo magis) ipsos lædentes et injurios: nam, ut ait Aristot. *Minor est injuria injuriam pati; major injuria est injuriam inferre.* Et Socrates apud Platonem in Gorgia: *Qui injuriatur*, ait, *injustusque est, omnino est ante alios miser; miserior autem si injuriarum pœnam nunquam luat; minus vero miser si luat, suppliciumque justum diis hominibusque reportet.* Et Cato dicebat se malle pro collato beneficio nullam reportare gratiam quàm pro perpetrato maleficio non dare pœnam: significans nil esse periculosius in impunitate, quæ semper ad deteriora invitat, uti refert Plutarch. in Apoph. Rom. Luget ergo Habacuc, queriturque cur injustitia prævaleat adversum justitiam, et injustos impune grassetur: *Et hoc dicit,* ait S. Hieron. in Prologo, *præ mentis angustia nesciens aurum in igne conflari, et tres pueros de camino ignis puriores exisse quàm intraverant. Sed et hoc generaliter accipere possumus, quod ex persona humanæ impatientiæ loquatur, ut in querulam vocem et plenam doloris erumpat, dicens: Quare respicis contemptores, et taces conculcante impio justiorem se? Hæc autem loquitur, nesciens judicia Dei investigabilia, et profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ ejus, quod non ita videat Deus ut videt homo: homo tantum præsentia respicit; Deus futura et æterna cognoscit. Et Quomodo si ægrotus et æstuans febribus aquam frigidam postulet, et dicat ad medicum: Vim patior, crucior, uror, exanimor; usquequo, medice, clamabo, et non exaudies? et respondeat ei sapientissimus ac clementissimus medicus: Scio quo tempore dare debeam quod postulas, et non misereor modo, quia misericordia ista crudelitas est, et voluntas tua contra te petit. Ita et Deus noster, sciens clementiæ suæ pondera atque mensuras, interdum non exaudit clamantem, ut eum probet, et magis provocet eum ad rogandum, et quasi igne excoctum justiorem et puriorem faciat.* Hucusque S. Hieron.

3. Quare ostendisti mihi iniquitatem?] Aliqui vim ponunt in voce *ostendisti*, quasi hæc connectat sequentia præcedentibus, q. d. Tam iratus es populo tuo, ut non satis habeas precibus et clamoribus meis non annuere: vis etiam mihi os obstruere, ne clamem; ne forte quæ tua bonitas et clementia est, furorem tuum avertas. Nam cum mihi tot tantaque populi scelera ostendis, et ante oculos proponis, quasi frenum et vincula mihi in labia injicis. Quis enim cum tantam populi iniquitatem cernat, atque injurias, quibus nomen tuum sanctum affecit, et afficere pergit, audeat se pro eo deprecatorem interponere, aut etiam aspectum tuum subire? Visne igitur populum istum nemine intercedente delere? Ita Mart. de Roa lib. 1. Singul. cap. 2. Secundo et simplicius, *ostendisti*, id est exhibuisti, hoc est exhiberi et fieri permisisti, q. d. Cur permittis, cur fieri sinis tantam iniquitatem, quæ oculis meis ostensa et exhibita, dire me cruciat?

Et laborem.] Labor hic tum passive accipi potest pro dolore et molestia patientium vim et injurias impiorum. Unde Septuag. vertunt: *Quare mihi ostendisti labores et dolores afflictorum?* Hi enim mihi compassionem movent, suique similem dolorem. Tum potius active pro afflictione quam nocentes innocentibus inferunt. Unde Chald. vertit: *Conspicio operantes laborem falsitatis.* q. d. Quare video impios affligentes pios? tuum enim, ô Domine, est de eis pœnas sumere. Ita Vatabl. et Pagnin. qui pro *laborem* vertunt, *perversitatem.* Vis enim et injuria, adeoque quodvis peccatum in Scriptura vocatur עמל *amal*, id est labor: tum quia cum labore incipit et agitur, atque in laborem et dolorem desinit. Quot enim quantosque labores et dolores subit avarus, currens per terras et maria ad Indos usque, ut opes congerat? luxuriosus, ut libidinem; gulosus, ut gulam; iracundus, ut iram et vindictam expleat? Sane modicam voluptatem magno labore emunt, quæ deinde in æter-

nos labores et tormenta vertitur. Tum quia aliis quos vel affligit, vel scandalizat, dolorem et laborem infligit. Labor enim agentis et injuriantis, labor quoque est patientis et injuriam sustinentis : hæc enim sunt connexa et correlativa. Tum denique, quia Prophetis et viris sanctis pro Deo et justitia zelantibus, ingentem concitat dolorem injuria tam activa injuriantis, quàm passiva sustinentis. Unde laborem hunc suum explicans Habacuc, subdit :

VIDERE PRÆDAM ET INJUSTITIAM, hebr. *chamas*, id est vim, violentiam, injuriam, oppressionem, CONTRA ME,] id est, coram me, ut habent Hebr. et Chald. q. d. me vidente, gemente et renitente. Sic peccatum vocatur labor, vel dolor, Psal. 7. 15 : *Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem, et peperit iniquitatem.* Psal. 9. vers. 27 : *Cujus maledictione os plenum est, et amaritudine, et dolo, et sub lingua ejus labor et dolor.* Psalm. 54. 11 : *Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas, et labor in medio ejus et injustitia.* Psal. 139. 10 : *Labor labiorum ipsorum operiet eos*, q. d. Suis fraudibus et dolosis labiis capientur, doli in caput eorum recident. Eccles. 10. 15 : *Labor stultorum affliget eos.* Isaiæ 59. 4 : *Conceperunt dolorem, et pepererunt iniquitatem.* Hoc est quod in die judicii improbi gementes dicent : *Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles ; viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis?* Sapient. 5. 7. Labor enim magnus impiorum desinit in majorem, imo æternum dolorem: labor vero piorum parvus desinit in immensum et æternum gaudium.

ET FACTUM EST JUDICIUM ET CONTRADICTIO POTENTIOR.] Hebr. *Et fiet ut lis et contentio exaltetur*, vel exaltet se, ut scilicet fiat potentior, et aliis prævaleat. Pro *judicium* enim hebr. est ריב *rib*, id est litigium, jurgium, hoc est, ut explicans subdit, *contradictio ;* Pagnin. *contentio*, q.d. Perversi, qui lites et jurgia serunt urgentque, potentiores sunt justis, simplicibus et quietis, eosque in judicio et jurgio supplantant et expilant. Unde Chald. vertit : *Direptores et raptores coram me sunt, atque contentione et superbia ipsi prævalent.* Sic sæpe videmus superbos et impudentes contentione et jurgio obtinere quod jure et ratione assequi nequeunt : quia viri graves et modesti nolunt cum iis rixari, nolunt eorum importunis clamoribus sibi caput obtundi. Unde ut ab iis se liberent, dant eis quod postulant. Vatabl. vertit : *Quare est qui suscipiat rixam et contentionem?* subaudi contra me.

4. PROPTER HOC LACERATA EST LEX.] Septuag. *dissipata est lex ;* Vatabl. *debilitata est lex ;* Chald. *languescit lex ;* Tigurina : *Idcirco lex non viget ;* tum quia iniqui sua potentia leges et jura, judicia et judices pervertunt : ita S. Hieron. Theodor. Hugo et Lyran. tum quia pii videntes impios sua impietate prævalere, in studio legis et pietatis languescunt, atque in impiorum partem et sortem inclinant. Ita Clarius, Arias et alii. Sic ait Seneca in Hercule Furente :

> Jus est in armis, opprimit leges timor.

Et Ennius :

> Tollitur è medio sapientia, vi geritur res.
> Non ex jure manu consertum, sed mage ferro
> Rem repetunt.

ET NON PERVENIT USQUE AD FINEM JUDICIUM.] Ita et Septuag. q. d. Propter hanc iniquorum potentiam et perversitatem, judicium non potest assequi suum finem, qui est, ut justitia in lite evincat et dominetur, injustitia vero et violentia vincantur et proscribantur, ut justi defendantur, injusti puniantur : ut juste et pacifice vivatur, imperante lege et justitia. Judicii enim finis est justitia, ait S. Ambros. serm. 16. in psal. 118. Tigurina vertit : *Nec habet efficacem exsecutionem judicium ;* quia eam suis muneribus, suaque vi et potentia impediunt et invertunt potentes et iniqui. Secundo, aliter exponit Clarius, Arias et Vatabl. q. d. Propterea homines impii lacerant violantque legem, quia putant quod ad eos non perveniet judicium, id est, justa ultio et vindicta Dei, usque ad finem, id est in æternum ; quod scilicet Deus nunquam eos puniet, vel quod nullus sit, sed casu omnia regantur ; vel quod non curet res humanas, vel quod dæmoni alicui perverso eas regendas tradiderit. Tertio, pro *ad finem* hebr. est לנצח *lanetsach*, quod verti potest, *ad victoriam.* Unde clare sic vertas : *Et non pervenit judicium*, scilicet justum, *ad victoriam ;* quia ab injustitia exundante, puta ab injustis potentibus, vincitur et obruitur. Primus sensus est genuinus, eumque exposcit Latina versio et Septuag.

QUIA IMPIUS PRÆVALET ADVERSUS JUSTUM. Hebr. *Quia impius circumdat instar coronæ* (id est, ut Tigurina, *circumvenit*, arctat, opprimit) *justum*, PROPTEREA EGREDITUR JUDICIUM PERVERSUM,] q. d. Quia impii opprimunt pios, propterea pervertuntur judices et judicia, ut iniquas ferant sententias in favorem iniquorum, et noxam justorum. Idem repetit et inculcat. Aliter Vatabl. q. d. Quia homines vident impios prævalere piis, propterea perverse putant judicium Dei esse injustum, hoc est, Deum non curare justos, nec punire injustos ob causas paulo ante dictas. Loquitur non de Nabuchodonosore opprimente Judæos, ut vult S. Hieron. ejusque asseclæ ; sed de Hierosolymitis et Judæis opprimentibus suos cives simplices et pauperes. Ita Theodor. Theophil. et alii superius citati. Hìc finitur querela Prophetæ, de impiorum tyrannide et dominio in pios cum Deo expostulantis : sequitur Dei ad eam responsio.

Moral. disce hìc non scrutari, sed admirari arcanum judiciorum Dei, quo pios opprimi, impios prosperari et dominari permittit. Hoc enim multi scrutari volentes, nec penetrare valentes, eò prolapsi sunt ut dubitarent de Dei providentia, an scilicet esset Numen aliquod universo præsidens, an Deus curaret res hominum, an vero circa cardines cœli perambulans, eas negligeret, et velut indignas se despiceret. Ita Ovid. l. 3. Amor. eleg. 8 :

> Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso,
> Sollicitor nullos esse putare deos.
> Vive pius, moriere pius ; cole sacra, colentem
> Mors gravis à templis in cava busta trahet.

Tales sunt et illi apud Juvenalem, satyra 3 :

> Sunt qui in fortunæ jam casibus omnia ponunt,
> Et nullo credunt mundum rectore moveri,
> Natura volvente vices et lucis et anni.

Cato, inquit Plutarch. in ejus Vita, cùm Pompeio res infeliciter succederent, et ad Cæsarem inclinaret victoria, dicebat *in rebus divinis mul-*

tum esse caliginis, quod Pompeio præter jus agenti fuissent omnia prospera, causam Reip. tuenti nihil succederet. Audi Lucan. lib. 1. Pharsal.

Nec quidquam jam ferre potest, Cæsarve priorem
Pompeiusve parem : quis injustius induit arma
Scire nefas, magno se judice quisque tuetur,
Victrix causa diis placuit, sed victa Catoni.

Et Claudian. lib. 1. in Ruffin.

Sed cum res hominum tanta caligine volvi
Aspicerem, lætosque diu florere nocentes,
Vexarique pios rursus labefacta cadebat
Religio, causæque viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo quod semina currere motu
Affirmat, magnumque novas per inane figuras
Fortuna, non arte regi, quæ numina sensu
Ambiguo, vel nulla putat, vel nescia nostri.

Subdit deinde, et ex casu Ruffini sapientior factus mentem corrigit :

Abstulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum,
Absolvitque deos : jam non ad culmina rerum
Injustos crevisse queror : tolluntur in altum,
Ut lapsu graviore ruant.

Socrates, rogatus *quid bonis viris molestum esset*, respondit: *Malorum prosperitas.* Ita in Melissa Anton. et Maxim. serm. de fortuna bona et mala. Et Publius : *Felix*, ait, *improbitas optimorum est calamitas.* Quin et fideles sapientes et Sancti hac impiorum prosperitate et potentia offensi sunt, ut David psal. 72. 2 : *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei: quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns, etc.* Et Job, c. 21. v. 7. et sequent. *Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis? Semen eorum permanet, etc.* Et Jeremias, cap. 12. 1 : *Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui prævaricantur et inique agunt? etc.* Similia sunt Malachiæ 3. 13. et Eccles. 7. 16.

Porro causæ ob quas Deus has impiorum in pios injurias et scelera permittit, præter secretas quas Deus in mente sua servat, manifestæ et ab eo revelatæ nobis sunt variæ. Prima, ut ostendat suam longanimitatem, impassibilitatem et celsitudinem, scilicet se his sceleribus non tangi, non pungi, non affligi, non turbari; sed in serenissima gloria longe super jura et injurias mortalium eminere. Sicut enim sol, cloacas illuminans, earum sordibus non fœdatur : sic nec Deus impiorum, quos alit, sceleribus inquinatur aut tangitur. *Sicut lux à nullo illustratur, sed se ipsa ostendit : sic Deus, qui nullis hominum operibus illustrari* (uti nec offuscari) *potest, divina sua essentia seipsum solus illustrat*, ait Philo lib. 1. de Monarchia. Rursum S. Anselm. lib. Cur Deus homo: *Deum*, ait, *impossibile est honorem suum perdere. Aut enim peccator solvit sponte quod debet, aut Deus ab invito accipit. Sicut autem homo peccando rapit quod Dei est, ita Deus puniendo aufert quod hominis est.*

Secunda, ut piis det materiam patientiæ, constantiæ et virtutis, dum eos sinit per impios vexari, affligi, cruciari. Quocirca Seneca, lib. de Providentia : *Nihil*, ait, *infelicius eo cui nihil accidit adversi : quia male judicaverunt dii de ipso.* Et rursum : *Illos merito dixeris miseros, qui nimia felicitate torpescunt quos velut in mari lento tranquillitas iners detinet.* Diodorus Philosoph. apud Anton. et Maxim. serm. de fortuna bona et mala, felicioris ingenii esse dicebat infortunia cum dexteritate ferre, quàm ingentem prosperitatem regere prudentia. Nam ut ait Epictetus in Enchirid. *Stultus prosperitatis, tanquam ebrietatis voluptate nimium fruens, stultior efficitur.* Præclarius S. August. lib 4. de Civit. c. 3 : *Justis*, ait, *quidquid malorum ab iniquis dominis irrogatur, non est pœna criminis, sed virtutis examen. Proinde bonus etiamsi serviat, liber est; malus autem etsi regnet, servus est : nec unius hominis, sed, quod gravius est, tot dominorum, quot vitiorum.* Idem, lib. 13. cap. 4 : *Nunc*, ait, *majore et mirabiliore gratia Salvatoris, in usus justitiæ, peccati pœna conversa est. Tunc enim dictum est homini : Morieris, si peccaveris; nunc dicitur Martyri : Morieris, ne pecces.* Rursum impii sunt virga et flagellum Dei, quibus quasi pater filiorum suorum peccata castigat et emendat, uti per Alanos, Wandalos et Gothos punivit peccata Christianorum : qua de re multa scribit Salvianus libris 8. de Providentia. Sic de Sennacherib dicitur Isaiæ 10. 5 : *Virga furoris mei Assur.* Sic Attila rex Hunnorum dicebat se esse flagellum Dei. Sic Nabuchodonosor fuit virga vigilans, vel, ut alii vertunt, vigilantis, scilicet Dei, Jerem. 1. 11.

Tertia, quia Deus impios longa et divina patientia ad pœnitentiam exspectat, ideoque eos castigat remorsu conscientiæ, quæ non parva scelerum et pœna. Nam ut ait Pythagoras apud Stobæum, serm. 24 : *Vir malus plus mali patitur afflictus conscientia, quàm ille qui in corpore castigatur, et flagris cæditur.* Sicut ergo puer virgis cæditur, ut vitium emendet; ita et impius à conscientia flagellatur, ut mentem mutet moresque corrigat. Quod si pœnitere nolint, tandem eos adeo graviter punit, ut tarditatem supplicii gravitate compenset. Recte Zonaras, l. 3 : *Etiamsi*, ait, *providentia tardus invadat injurios, concessu pœnitentiæ spatio; tamen nisi à malitia discesserint, lento gradu eos assequitur, et pœnas exigit.* Et Virgil. 1. Æneid. *At sperate deos memores fandi atque nefandi.* Divinius vero Apost. Roman. 2. 4 : *Ignoras*, inquit, *quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* id est adducere conatur : *secundùm autem duritiem tuam et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ.*

Quarta, ut ostendat omnes hujus mundi opes, pompas, prosperitates velut res parvi momenti esse contemnendas : ideo enim eas sæpe dat suis hostibus, negat vero suis amicis. Vere S. August. in cap. 27. S. Matth. *Si haberes*, ait, *sapientiam Salomonis, si pulchritudinem Absalonis, si fortitudinem Samsonis, si longævitatem Henoch, si divitias Crœsi, si felicitatem Octaviani : quid prosunt hæc, cum tandem caro datur vermibus, et anima dæmonibus, cum divite sine fine crucianda.* Idem in psalm. 36 : *Fumus*, ait, *à loco ignis erumpens in altum extollitur, et ipsa elatione in globum magnum intumescit; sed quanto fuerit globus ille grandior, tanto fit vanior : sic impius quo magis exaltatur, tanto citius deficit.* Et Constant. Manasses Annal. pag. 160 : *Prosperitas*, ait, *est similis gravi plumbo ; si hominem robustum non nanciscatur qui oneri ferendo par sit, pronum in terram præcipitat et proterit.* Et Sallust. in Catilin. *Secundæ res sapientum animos fatigant.* Et Tacitus, lib. 1 : *Secundæ res acrioribus stimulis animum explorant ; quia miseriæ tolerantur, felicitate corrumpimur.* Hinc Menander: *Miser*, ait, *est improbus, felix licet.* Et Publius :

Cito improborum læta in perniciem cadunt. Et Ausonius : *Felix criminibus nullus erit diu.* Psaltes : *Vide*, ait, *impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani : et transivit, et ecce non erat : quæsivi eum, et non est inventus locus ejus*, psal. 36. 35.

Quinta, ut permittat impios suæ libertati, ostendatque quanta sit vis concupiscentiæ ex lapsu Adami contractæ, utpote quæ homines in tot rapinas, violentias et scelera, magis injurianti quàm injuriato nocitura, adigit : utque ex eo mortales agnoscant suam insipientiam, infirmitatem et miseriam, ac Christi redemptoris sapientiam et gratiam requirant et efflagitent.

Præclare S. Athanas. serm. de Passione Domini : *Sicut*, ait, *si quis serpentem apprehendat manu, dumque conatur in alterum projicere, prorsus ipse mordetur : aut si quis ignem manu tenens, dum vult hostem lædere, non intelligit quod ipse prorsus exuritur; sic malitia militat adversus eos qui ipsa utuntur, magisque lædit eos à quibus habetur, quàm eos in quos intenditur.* Idem eadem ignis, et alia foveæ et veneni similitudine docet et declarat S. August. in psalm. 34. Quin et Seneca : *Illud venenum*, inquit, *quod serpentes sine sua pernicie continent, in alienam effundunt : at malitia maximam sui veneni partem bibit ipsa.* Peccatum enim est dulce venenum quod amaram peccatori necem affert. Peccatum est acerbissimum vulnus naturæ. Peccatum est maxima febris, pestis et mors animæ. Peccatum est infensissimus hominis hostis, qui eum à Deo segregat, et diabolo in servitutem mancipat. *Omnes* (iniquitates) *quasi quibusdam compedibus nos premunt, et peccatorum nos retibus ligare contendit*, ait S. August. serm. 175. de Temp. Idem, serm. 139 : *Malorum omnium nostrorum causa peccatum est.*

Sexta, ut ostendat præsens tempus esse operandi bene vel male merendi, vel demerendi. Sequens vero fore judicii, præmiorum et pœnarum, quo omnia perversa hominum judicia reformabit, corriget et æquitati restituet, juxta illud : *Cum accepero tempus* (judicii), *ego justitias judicabo.* Unde S. August. in psalm. 7 : *Nemo*, ait, *gratuletur homini qui prosperatur in vita sua, cujus peccatis deest ultor, et adest laudator. Major hîc ira Domini est ; irritavit enim Dominum peccator, ut ista patiatur, id est, ut correctionis flagella non patiatur.* Et S. Gregor. lib. 5. Moral. *Deus*, ait, *nonnulla percutit, et nonnulla inulta derelinquit. Quia si nulla resecaret, quis Deum res humanas curare crederet? et rursus si hæc cuncta percuteret, extremum judicium unde restaret?* Dixit vir sapiens tantam esse gloriam quæ sanctos et patientes manet, ut mirum sit omnes dæmones et homines impios, quin et saxa et elementa, contra eos non insurgere, eosque affligere et excruciare, quo tantam gloriam promereantur ; ex adverso tantas esse pœnas quæ impios manent, ut mirum sit eos maximis deliciis non abundare, omniaque eis in mel et rosas non converti, ut aliqua voluptatula tantum gehennæ pondus pensetur. Sicut enim non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in sanctis ; ita non sunt condignæ voluptates et pompæ hujus seculi ad futuram gehennam, quæ revelabitur in impiis et damnatis. Vir ergo prudens potius condolebit præsenti eorum felicitati, quàm invidebit.

5. Aspicite in gentibus,] id est, *aspicite gentes*, ut vertit Chaldæus : Hebræi enim verba contactus, vel adhæsionis, sive corporalis, sive spiritualis, qualis est aspectus, construunt cum *beth*, id est *in*, regente ablativum, vel accusativum. Hîc respondet Deus expostulationi Habacuc, cur sinat impios Judæos prævalere piis. Respondet enim se non diu id permissurum, sed mox ipsos per Chaldæos puniturum : atque hoc est onus quod vidit, quodque prophetiæ suæ velut titulum præfigit Habacuc.

Quæres : Quænam hæ gentes quas aspici jubet? Primo, S. Hieron. cum suis, censens hæc dicta esse post excisam Jerusalem ad consolationem Judæorum, gentes accipit Moabitas, Ammonitas, Ægyptios, aliasque quas subegit Nabuchodonosor, q. d. Ne miremini, ô Judæi, vos excisos à Chaldæis, quia ab iisdem excisæ sunt aliæ gentes omnes vobis vicinæ, quæ robore, numero et gloria vobis longe erant superiores. Secundo et genuine gentes hæ sunt Chaldæi : hi enim sunt onus quod Judæis sceleratis intentat Deus, q. d. Ne queraris, ô Habacuc, de Judæorum improbitate, quasi eam impunitam dimittam : illico enim eam puniam. En aspice gentes et agmina Chaldæorum, quæ adduco ad exscindendam impiam Judæam. Ita Auctores citati vers. 2. Unde has gentes explicans subdit : *Quia ecce ego suscitabo Chaldæos gentem amaram, etc.*

Nota : Pro *in gentibus* hebr. est בגוים *baggoim*, et ita legerunt Aquila, Symmach. Theod. Chaldæus et Noster, qui omnes vertunt, *in gentibus.* Verum Septuaginta legunt בגדים *bogedim*, nimirum vice ו legentes affine ד ; *bogedim* autem significat *contemptores* et prævaricatores, vel, ut alii apud S. Hieron. vertunt, *calumniatores*, vel declinantes. Septuag. sequitur S. Paulus Act. 13. 41. dicens : *Videte ergo ne superveniat vobis quod dictum est in Prophetis : Vide te contempores, et admiramini, et disperdimini.* Quæres : Utra lectio est hîc genuina et canonica? Resp. Ribera et alii veram lectionem esse *baggoim*, id est, *in gentibus ;* quia ita legit Noster, Aquila, et alii plerique jam citati ; lectionem tamen Septuag. puta *bogedim*, esto minus sit ad litteram, tamen cum sensu verborum propheticorum congruere ; quia ex antecedentibus et sequentibus liquet hæc dici contemptoribus, puta Judæis, qui jura Deique leges contemnebant. Verum hæc responsio non satisfacit : quia ex ea sequitur Septuag. et S. Paulum secutos esse non veram, sed falsam lectionem S. Scripturæ : nam pro *baggoim*, quæ vera est lectio, legerunt *bogedim ;* unde consequens est eorum versionem non esse genuinam, nec canonicam ; imo esse distortam et corruptam. Nam pro *in gentibus*, ut habet textus Scripturæ, ipsi supposuerunt *contemptores.* Addunt alii alia, sed nodum non extricant, imo magis intricant. Secundo, alii respondent gentes hîc idem esse quod contempores, q. d. *Videte in gentibus*, id est videte gentes, puta Judæos, qui instar gentium contemnunt jus et fas. Hæc responsio esset commoda, si τὸ *contemptores* esset accusativi casus : jam autem est nominativi, ut patet ex græco καταφρονηταί. Hinc tertio, melius respondeas Scripturam Hebræam fuisse variam, vel certe ambiguam, idque ex intentione Spi-

ritus sancti volentis utramque translationem, scilicet nostram et LXX. significare et stabilire, nimirum ut littera ד esset ambigua : si enim caput habeat brevius, est ו ; si longius, est ד. Unde per ו legi poterat *baggoim*, per ד *bogedim*, aliis et aliis punctis. Aut certe Prophetam utramque lectionem posuisse, nimirum ut in textu poneret unam sine vocalibus (hæ enim olim in textu Hebræo non fuerunt) ad marginem alteram, significans utrolibet modo legi posse. Unde v. 13. *τὸ bogedim* est in Hebræo. Sic enim Hebræi in Scriptura habent suum *keri* et *ketif*, quo multis in locis textus Hebraici aliter scribunt, aliter legunt : nimirum scribunt in textu lectionem tritam, sed veram et genuinam notant in margine. Idem faciunt subinde Scriptores Græci et Latini : cum voces sunt similes, unaque tantum vel altera littera differentes, quarum utraque præsenti loco congruit, et quælibet suam habet vim et energiam. Tale est illud Ciceronis : *Semper hic erro*. Et Satyrici : *Iste mendicus*, significantis medicum esse mendicum. Sic Gen. 47. 31. Jacob dicitur adorasse מתה, quod Noster legens מתה *mitta*, id est lectulum, vertit : *Conversus ad lectuli caput;* Septuag. vero, et ex iis S. Paulus Hebr. 11. 21. aliis punctis legentes מתה *matte*, id est virgam; vertunt : *Adoravit fastigium virgæ ejus*, scilicet Josephi : utraque ergo lectio et versio est canonica, ut ostendi Hebr. 11. Sic Proverb. 3. vers. 12. Noster legens כאב *keab*, id est *sicut pater*, vertit : *Quasi pater in filio complacet sibi*. Septuag. vero, et ex iis S. Paulus Hebr. 12. 6. aliis punctis legentes כאב *kieb*, id est, *affligit, flagellat*, vertunt : *Flagellat autem omnem filium quem recipit*. Utraque ergo lectio et versio est canonica.

Dices, hisce locis tantum mutari puncta, sed easdem manere consonantes, quas solas Hebræi æstimant; hic vero in *baggoim* et *bogedim*, mutari ipsas consonantes, scilicet *vau* in *dalet*. Resp. primo, æque magna est mutatio, sive vocales, sive consonantes mutes ; nam inter *mitta* et *matte* tanta pronunciationis et significationis est differentia, quanta est inter *lectum* et *virgam ;* inter *kieb* et *keab* tanta, quanta est inter *flagellat* et *sicut pater ;* secundo, Osee 13. 14. Noster legit אהי *ehi*, id est, *ero;* unde vertit : *Ero mors tua, ô mors ;* Septuag. vero et ex iis S. Paulus 1. Corinth. 15. 55. legunt mutatis, id est transpositis, consonantibus איה *aiie*, id est, *ubi*, unde vertunt : *Ubi est mors victoria tua?* Et tamen utraque lectio et versio est canonica. Sic Isaiæ 8. 9. Noster legit רעו *rou*, per *res*, id est *congregamini* ; Septuag. vero legentes דעו *deu*, per *dalet*, vertunt, *scitote*. Sic Isaiæ 3. 12 : *Mulieres dominatæ sunt eis*, pro נשים *nascim*, id est *mulieres ;* Septuag. et Aquila legunt נגשים *nogescim*, id est *exactores*, fœneratores. Sic Thren. 2. 7. Noster legit נאץ *niets*, id est sprevit, *Maledixit sanctificationi suæ ;* Septuag. vero legentes נאר *nier*, vertunt : *Excussit, ejecit sanctificationem suam*. Plura citat Leo Castrius Prolegom. in Isaiam, cap. 23 et 24. Ubi et addit, cum in Hebræo duplex est lectio, utramque lectionem admiranda præ se ferre mysteria, ideoque ex ubertate Spiritus Sancti factum esse, ut multis locis de industria sit duplex lectio, ut duplex sit sensus, et duplex resereretur mysterium. Adjicit. S. August. lib. 18. de Civit. cap. 44. Septuag. non ex se suoque cerebro, sed ex instinctu Spiritus Sancti, aliter quædam vertisse quàm sint in Hebræo. Nam scribens de loco Jonæ Prophetæ, quem Septuag. sic vertunt : *Post triduum Ninive subvertetur ;* cum hebraice sic legatur : *Post quadraginta dies Ninive subvertetur*, subdit hic duo mysteria esse significata à Spiritu sancto, alterum per Septuag. alterum hebraice per Jonam Prophetam (unde sentire videtur, quod et alii viri graves senserunt, ipsos Septuag. habuisse assistentiam Spiritus sancti, ex ejusque inspiratione scripsisse, ac proinde ipsos fuisse quasi Prophetas et Scriptores hagiographos) nimirum Septuag. significasse, quod Christus post triduum resurgeret ; Hebræa vero, quod post 40. dies ascenderet in cœlum : *In* 40. inquit, *diebus ipsum quære, in quo et triduum poteris invenire ; illud in ascensione, hoc in ejus resurrectione reperies*. Idem habet lib. 1. quæst. in Genes. cap. 169. Sic hic pro *in gentibus*, Septuag. vertunt, *contemptores*, quia more suo respiciunt tempora Christi et perstringunt Judæos, qui futuri erant contemptores Christi et Evangelii, idque accepta occasione ex vicinitate vocum Hebræarum *baggoim* et *bogedim* ; præsertim quia *baggoim* sic exponi potest, ut sit idem quod *bagedim* in nominativo, nimirum si sic interpreteris : *Aspicite*, ô Judæi, qui estis *baggoim*, id est, in gentibus, hoc est instar gentium, *bogedim*, id est, *contemptores* Dei et hominum. Quare si utramque lectionem admittas, utramque valde apposite sic ordinabis ; *aspicite bogedim*, id est *contemptores*, *baggoim*, id est *in gentibus*, hoc est, qui inter gentes et instar gentium, imo præ gentibus contemnitis jura et jussa Dei. Aut potius, q. d. Aspicite, ô Judæi contemptores Dei, in gentibus, id est, gentes, puta Chaldæos, qui vos Judæa exturbabunt ; item gentes quæ tempore Christi vos ex Ecclesia, et benedictione ac hæreditate Abrahæ, puta fide, salute et electione Dei expellent. Itaque versionis Septuag. et S. Pauli hic est sensus. Accusat Propheta Judæos impios, jus et fas pervertentes, audaciæ et contemptus in Dominum, ait S. Hieronym. quod ausi sint Dei contemnere majestatem, quasi ipsa non curaret suas leges, nec earum violatores esset punitura ; ita enim libere grassati sunt in alios, ac si nulla esset providentia, nullum numen, quod insontium injurias vindicaret, q. d. Vos, ô Judæi, qui estis contemptores Dei et hominum, aspicite opus horrendum vindictæ, quo ego hunc vestrum contemptum castigabo. Adducam enim Chaldæos, qui funditus vos cum Hierosolyma exscindent. Porro S. Paulus idipsum recte adaptavit Judæis sui ævi, Christo incredulis ejusque contemptoribus, quia Judæi prisci contemptores Prophetarum, fuerunt typus Judæorum spernentium Christum ; unde et excidium illorum per Chaldæos, præfiguravit excidium horum per Titum et Romanos. Hoc est quod eis intentat Paulus dicens : *Videte ergo ne superveniat vobis quod dictum est in Prophetis : Videte, contemptores, et admiramini et disperdimini ; quia opus ego operor in diebus vestris, opus quod non credetis, si quis enarraverit vobis*, q. d. Videte, ô Judæi, ne contemnatis Christum et Evangelium, quod ego vobis annuncio. Si enim illud spreveritis, spernet pariter vos Deus, uti sprevit patres vestros. Abjiciet enim et reprobabit vos, vestrumque regnum, templum et gentem delebit per Romanos, sicut delevit majores vestros per

Chaldæos ; atque loco vestri subrogabit gentes, easque sibi adoptabit in filios et hæredes, ut, vobis expulsis, illæ sint ejus populus et Ecclesia, quasi veri Israelitæ et filii Abrahæ per fidem.

Admiramini et obstupescite.] Hebraice התמהו תמהו *hittammehu temahu*, id est, ut Pagnin. *admiramini*, *admiramini*, hoc est, valde admiramini et obstupescite; geminatio enim ejusdem verbi apud Hebræos significat actionis vehementiam, et gradum quasi superlativum. Septuag. et ex iis S. Paulus vertunt : *Admiramini et disperdimini*, quia pro ה legerunt ח scilicet pro תמהו *temahu* legerunt תמחו *timchu*, vel *temachu*, id est delemini, *disperdimini*. *Timchu* enim est futurum *cal*, à rad. מחה *macha*, id est delevit, disperdidit. Vides hìc rursum duplicem lectionem et versionem, plane diversam ; nimirum *temahu*, id est *admiramini ;* et *timchu*, id est *disperdimini ;* utramque canonicam. Jam *disperdimini*, id est disperdemini et delebimini, tum vos à Chaldæis, tum posteri vestri à Tito et Romanis.

Opus.] Scilicet excidii et vastitatis Hierosolymæ et templi, ac captivitatis Judæorum in Babylone, patrandum per Nabuchodonosorem et Chaldæos. Unde explicans subdit : *Ecce ego suscitabo Chaldæos.* Quod allegorice typus et præludium erat excidii Hierosolymæ faciendi per Romanos, atque vastitatis spiritalis, id est, excæcationis et reprobationis Judæorum futuræ tempore Christi, uti docet S. Paulus Actor. 13. 41. Addit Leo Castrius l. 5. Apologetici num. 147. per Chaldæos ad litteram accipi Romanos, vastatores Judæorum tempore Christi ; quia, inquit, de Romanis hunc locum explicat S. Paulus Actor. 13. Verum hoc parum est probabile. Nam S. Paulus et alii Apostoli non raro citant Prophetas in sensu, non litterali, sed allegorico.

Factum est,] id est mox fiet. Loquitur prophetice, nimirum de futuro per præteritum, ob futuri certitudinem, ac si jam factum esset.

Quod nemo credet cum narrabitur.] Hebr. et Septuag. : *Quod non credetis si enarretur*, vel, si quis enarraverit, scilicet antequam fiat. Nam cum fiet idipsum, non tantum credetis, sed et oculis spectabitis. Nimirum Judæi non poterant credere, templum Dei et civitatem sanctam, à Deo ipso tradendam infidelibus et impiis Chaldæis, ab eisque funditus evertendam et concremandam. Hoc enim eis tam insolens et inopinabile videbatur, ut omnem superaret fidem, imo cœlum citius ruiturum crederent. Hinc illæ eorum voces obstrepuere minis Prophetarum : *Templum Domini, templum Domini, templum Domini est*, Jerem. 7. 4.

6. Quia ecce ego suscitabo Chaldæos,] *suscitabo*, scilicet indirecte et objective, nimirum addendo Chaldæis animos, arma, socios ; vosque, ô Judæi, iis denudando, ita ut ipsi certa spe vos vestraque devorent ; atque idipsum directe ordinando ad justam vestram punitionem, meritumque supplicium. Vide canon. 35 et 36. quos præfixi Prophetis majoribus. Verbum *suscitabo* habet emphasim, q. d. Chaldæi vacant quieti, otio somnoque indulgent, non cogitant de Judæa invadenda ; ecce ego eos ab hoc otio et somno suscitabo ; injiciam enim eis cogitationem de Judææ opibus, sceleribus meam iram provocantibus, imbecillitate ad resistendum, aliisque similibus, quæ Chaldæos excitabunt ad eam bello appetendam.

Gentem amaram,] id est trucem et ferocem, quæ suis armis perambulat et circumit, sibique subigit latitudinem totius terræ, puta omnium regionum in circuitu sibi adjacentium, ut eas non tantum spolient, sed et stabiliter *possideant*, quasi *tabernacula*, olim *non sua*, jam vero sua, utpote bello capta. Vere dixit Poeta :

Improbos adversus improbos armat improbitas.

7. Terribilis.] Septuag. *Illustris ;* utrumque enim significat hebr. נורא *nora*. Nam si à rad. ראה *raa*, id est *vidit*, deducas, idem est quod *visibilis*, conspicua, illustris ; sin à rad. ירא *iare*, id est *timuit*, derives, idem est quod *terribilis*, ut vertit Tigurina.

Ex semetipsa judicium et onus ejus egredietur.] Pro *onus* hebr. est שאתו *seet*, quod primo Symmach. vertit δογμα, id est decretum ; Chald. *sententiam definitam ;* secundo, Vatabl. excellentiam et *magnificentiam*, q. d. Gloria et magnitudo imperii, quam consequetur, ab ipsa egredietur, non ab externo ; hoc est, orbis imperium obtinebit gens Chaldæa propria virtute, non alienis opibus et viribus ; tertio, Noster cum Septuag. melius vertit *onus*, vel pondus ; hoc enim proprie significat *seet*, vel משא *massa*, à rad. נשא *nasa*, id est tulit, portavit. Jam S. Hieron. Remig. et Lyran. hoc onus passive accipiunt, q. d. Chaldæi parant sibi judicium et onus, puta Dei vindictam et excidium, quod ipsi portabunt. Nam sicut alios onerant suis cladibus, tributis, durisque oneribus ; ita pariter iisdem onerabuntur à Cyro, qui Babylonem subjugabit. Melius Theodor. Theophil. et Hugo hoc onus active accipiunt, quod scilicet Chaldæi aliis gentibus à se victis imponunt. Agitur enim hìc de eorum robore, imperio et victoriis. Unde Symmach. vertit : *Ipsa sibi judicabit, et decretum suum exsequetur*, q. d. Chaldæi jus omne ponunt in armis ; non ratione, non legibus ducuntur ; sed pro sua dominandi libidine et tyrannide decernunt de aliis gentibus quod volunt, et quod statuerunt illico exsequuntur, illudque quasi onus grave eis imponunt. *Judicium* ergo vocat decretum Chaldæorum de aliis gentibus vastandis, spoliandis, occidendis ; *onus* vero, hujus decreti exsecutionem. Unde S. Hieron. sic quoque exponit, q. d. Chaldæi *judicium*, id est judices ; et *onus*, id est oneratores, puta exactores aliis gentibus imponunt ex suo cœtu, qui eas suis exactionibus et tributis onerent et expilent. Sensus ergo est, *judicium*, quo scilicet Chaldæa gentes alias damnat, punit et exscindit, aliis vero miseretur et parcit ; et *onus* sive jugum, quo gentes vexat : *Ex semetipsa egredietur*, id est, ex sola ejus voluntate, non ratione, sed mera libidine orietur. Sic dicunt Judæi rebelles Jeremiæ cap. 44. 27 : *Faciemus omne verbum quod egredietur de ore nostro*, id est, faciemus quidquid nobis libuerit, non tibi, non Deo. Similis phrasis est Matth. 4. 4. Deuter. 8. 3. et alibi. Hinc quarto, *seet* verti potest *exactio*, vel *tributum*, q. d. Gens Chaldæa ex seipsa suoque populo constituet judices et exactores, non ex aliis populis, qui gentibus à se subactis præsint, ab eisque tributa exigant ; sicut Romani passim per provincias constituebant præsides, prætores, proconsules et procuratores ex sua gente, puta Romanos et Italos ; suis enim magis fidebant quàm exteris.

8. Leviores pardis equi ejus.] Pardus animal

est sævum et maculosum, cujus femina pardalis et panthera nuncupatur, de quo Plinius l. 10. 73. scribit: *Insidiant in eadem Africa pardi condensa arbore, occultatique ejus ramis in prætereuntia desiliunt, atque è volucrum sede grassantur.* Ita pardos in Brasilia ex arboribus desilire in milites lusitanos prætereuntes, eosque discerpere, narrarunt mihi Romæ Patres nostri, qui in Brasilia multo tempore vixerunt. Hinc à Claudiano pardi vocantur *fulminei*; quia instar fulminis ex alto in subjecta irruunt. Ita Alexander macedo, qui belli fuit fulmen (quem proinde Apelles pinxit manu tenentem fulgur perstringens orbem; quia celerrime et potentissime eum pervasit et subjugavit) Daniel. c. 7. 6. comparatur pardo, uti ibidem fusius explicui. Ubi politice et moraliter nota: In præliis rebusque quibuslibet conficiendis, multum facit celeritas, quod mature consultaveris, velociter exsequaris. Unde Alexander, rogatus qua ratione orbis imperium obtinuisset, respondit: *Nihil cunctando*, id est, celeritate, qua velut fulgur omnia perstrinxit et pessundedit. Sic Julius Cæsar, cum Pharnacem primo congressu vicisset, inquit Plutarch. in Apophth. amicis scripsit: *Veni, vidi, vici.* Quod Carolus V. Imper. parta de Germanis hæreticis velocissima victoria, pientius sic usurpavit: *Veni, vidi, vicit Deus*; summam rei gestæ celeritatem indicans.

Velociores lupis vespertinis.] Pro *velociores*, hebr. est חדו *chaddu*, id est *acutiores* (unde Arabicus Antiochenus vertit: *Surdi acutius quàm muscæ mellis*; sed parergως: nec enim de surdis et muscis, sed pardis et lupis hic agitur); tum dentibus, et appetitu, ad prædam discindendam et dilacerandam; unde Tigurina vertit, *avidiores*; tum pedibus et cursu. Unde Noster cum Septuag. optime vertit, *velociores*. Est metaphora ab acutis gladiis, qui leviter et velociter transire solent per rem quam secant, inquit Vatabl. aut potius à sagittis acutis, quæ celeriter aerem secant et transvolant.

Quæres quinam sint lupi vespertini? Multi cum Gesnero in Hyæna, putant esse certam luporum speciem, quæ sub vesperam magis sit famelica, ideoque tunc magis prædetur et sæviat. Guevara censet esse hyænas. Duplex, inquit, est luporum genus: alterum quod vulgo lupus, alterum quod hyæna vocatur: illud sub auroram, utpote digestione jam peracta, famere incipiens; hoc noctu rapinas exercet, eo quod oculos habeat hebetes et cæcutientes, ideoque melius noctu quàm diu cernat:

> Quippe dies illi nox est, atrasque tenebras
> Consequitur passim, lucem pertæsa coruscam.

ait Oppian. lib. 3. de Venatione. Hyæna enim crudelior est, voracior et astutior (unde et in mille colores transit, si credimus Plinio, l. 11. c. 37.) lupo, canumque implacabilis hostis. Vomitus quoque humanos mentitur, ut canes alliciat; falsisque singultibus sollicitatos devorat. Molitur homini etiam insidias, sequiturque stabula pastorum, et auditu assiduo addiscit eorum vocamen, quod exprimere possit imitatione vocis humanæ, ut in hominem astu accitum nocte sæviat. Adeo enim carnis hominum est avida, ut vel sepulcra effodiat, eruatque cadavera. Ita Plinius lib. 6. cap. 30. Solinus Polyhist. c. 40. et alii. Septuag. et Arabicus Alexandrinus pro ערב *ereb*, id est vespera, aliis punctis legentes ערב *arab*, vertunt, *lupos Arabiæ*, id est, lupos prædones et latrones. Arabes enim latrociniis erant infames: inde Arabs sumitur pro prædone, sicut Chananæus pro mercatore, Bœotus pro hebeti, Chaldæus pro ariolo, ait Delrio. Nam, ut ait Aristot. lib. de Mirandis naturæ audit. est in Arabia hyænarum quoddam genus, quod cum belluam vel hominem prævideri, eos obtumescere facit, ac sic in vestigio hærere, ut corpora movere nequeant. Sic et Ælianus et Solinus Polyhist. cap. 40. scribunt hyænas habere vim soporiferam, qua canes et homines torpidos, stupidos et elingues faciant; itaque eos capere et suffocare. Idem habet Herodotus lib. 4. et Plinius lib. 6. cap. 30. Hinc Cælius lib. 29. cap. 6. scribit hyænæ pellem non tangi fulmine. Quin et Horus Apollo in Hierogl. Si quis, inquit, hyænæ pellem sibi circum ponat, intrepide per medios hostes transibit illæsus (malim hoc credere, quàm experiri. Certe Poloni equites ut hostes percellant, luporum exuvias induunt et ostentant.) Proinde Ægyptiis hieroglyphicum intrepiditatis et constantiæ, in calamitatibus, erat hyænæ pellis. Eamdem valere contra latratus et morsus canum, etiam rabidorum, tradunt Plinius et Oppianus. Et tamen hyænæ cor maximum est; ut et reliquis timidis, puta muribus, lepori, asino, cervo, pantheræ, mustelæ, ait Aristot. et Plinius lib. 11. cap. 37. Hyænam alternis annis mutare sexum, esseque marem et feminam, tradunt Oppianus, Plinius lib. 8. cap. 30. Horus et alii, sed id commentitium esse censet Aristoteles lib. 6. Histor. Anim. c. 32. Porro Habacuc recte equos Chaldæorum comparat hyænis: quia hyænæ jubas habent ut equi, sed seta duriore longioreque, et per totum dorsum porrecta.

Huic sententiæ unum obstat, quod scilicet hyænæ non sint lupi, sed species animalis à lupis diversa. Respondet Guevara hyænas quoque luporum nomine censeri. Probat ex Oppiano l. 3. de Venatione, cujus versus Græcos ita latine reddidit Joannes Bodinus:

> Nunc duo, Diva, refer genera exitiosa luporum,
> Serratis armata ferentes dentibus arma:
> Nempe ovium mactatores (*lupos communes*) cæcas quoque hyænas.

Verum, ut recte advertit Ribera, τὸ *luporum* non est in Græco. Oppianus ergo tantum vult dicere in Æthiopia extrema duo esse genera ferarum quæ serratos habeant dentes, scilicet lupum et hyænam. Dici tamen posset pro Guevara, hyænas, esto proprie non sint lupi, ad eos tamen referri. Unde Gesnerus in lupo, inter feras lupo congeneres numerat hyænas, lynces (qui et lupi canarii vocantur) pantheres, lycaones, et thoes, qui ex hyæna et lupo generantur. Est enim hyæna lupo similis, ait Philoponus, et ex eo Niphus. Et Aristot. l. 6. Histor. Animal. c. 32: *Hyæna, ait, colore lupi prope est, sed hirsutior, et juba per totum dorsum prædita est.* Quocirca Arabes hyænam vocant *alzabo*, quod idem est cum Hebræo זאב *zeeb*, id est lupus; *al* enim est articulus, quem Arabes passim nominibus præponunt. Multa namque lupo et hyænæ communia sunt, scilicet primo, magnitudo; secundo, color; tertio, voracitas; quarto, insidiæ, quas aliis animalibus moliuntur: ille gregibus ovium et caprarum, hæc canibus et homini quandoque; quinto, dentes utrisque serrati, ge-

nitalia utrisque similia; sexto, utrique noctu vagantur cibi causa, lupus urgente fame, hyæna necessario fere, quia acrius noctu videt, interdiu hallucinatur, uti feles. Hæc omnia ex Æliano, Plinio, Arist. Oppiano et Solino tradit Gesnerus in lupo et in hyæna : ex quibus probabiliter censet lupos vespertinos esse hyænas.

Secundo, alii passim hîc lupos proprie dictos accipiunt, iisque censent comparari Chaldæos equites. Lupi enim generosi, feroces et insidiosi sunt, ait Aristot. Unde Isidorus lib. 12. Origin. c. 2. censet *lupos* vocari quasi *leopos*, eo quod, quasi leonibus, in pedibus illis sit virtus; nam quidquid pedibus presserint, enecant. Insuper lupi voracissimi sunt, et pene insatiabiles : vorant potius, quàm comedant: pilos et ossa glutiunt, eaque integra rursus alvo reddunt. Jam τὸ *vespertini*, est epithetum commune luporum: hi enim vespere et noctu grassantur. Unde Virg. Georg. 1 : *Per noctem resonare lupis ululantibus urbes.* Hinc et lupus græce dicitur λυκος, id est lucens. Nam oculi ejus, æque ac capræ, splendent, et lucem noctu jaculantur, ait Plinius l. 11. c. 37. Lupi ergo cognominantur vespertini, quia per diem ob metum venatorum, in antris quiescunt jejuni; unde vespere noctuque fame rabidi ad prædam egrediuntur, et obvia quæque lacerant vorantque. Ita S. Hieron. Alii insuper edaciores, noctu consumpta præda vespertina, mane rursum ad prædam egrediuntur, dicique possunt lupi matutini. Porro quanta sit luporum noctu ferocitas, graphice describit Virg. Æneid. lib. 9 :

> Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili,
> Cum fremit ad caulas, ventos perpessus et imbres,
> Nocte super media, tuti sub matribus agni
> Balatum exercent : ille asper et improbus ira
> Sævit in absentes : collecta fatigat edendi
> Ex longo rabies, et siccæ sanguine fauces.

Vespere ergo lupus acutissimus est, audacissimus et sævissimus, utpote qui non tantum famem, sed et crudelitatem suam exsatiare velit. Unde noctu multa milliaria conficit, ac ubi ad ovile aliamve prædam pervenit, omnia loca circumit, omnes aditus tentat, undique procurrit, omnia circumspicit, ut irrumpat et præda potiatur. Hinc Jerem. c. 5. 6. lupum vespertinum, vocat lupum ad vesperam, scilicet sævientem et grassantem : et Oppian. l. 1. de Venat. lupum vocat νυκτιπορον, id est noctu ambulonem.

Hæc omnia allegorice facile est adaptare diabolo, et tropologice gulæ et improbitati : utriusque enim symbolum, imago et exemplum est lupus vespertinus. Nam et diabolus nocturnus est, et in tenebris perambulat, psal. 90. vers. 5 et 6. Unde in Completorio monet Ecclesia, canitque illud S. Petri : *Fratres, sobrii estote et vigilate; quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Vespere enim sollicitat homines ad crapulam, venerem, rixas, cædes; unde Poeta :

> Nox et amor, vinumque nihil moderabile suadent;
> Illa pudore caret, Liber amorque metu.

Accedit, quod diabolus sæpe in lupum se et magos suos transformet; tales enim sunt lycanthropi, puta homines qui per magiam ope dæmonis se in speciem, æque ac ferociam luporum transmutant, ovesque et homines invadunt et dilaniant, de quibus multa Delrio in Magicis. Inde et Gentiles per lupos contra veneficia remedia præstari opinati sunt. Unde Plinius l. 28. c. 10 : *Veneficiis*, ait, *rostrum lupi inveteratum resistere aiunt, ob idque villarum portis præfigunt. Hoc idem præstare et pellis è cervice solida existimatur; quippe tanta est vis animalis, prælerea quæ retulimus, ut vestigia ejus calcata equis afferant torporem.* Hinc et lupus hominem raucum vel elinguem reddere vulgo creditur, si primus eum inspiciat. Unde illud Virgil. eclog. 9 :

> Vox quoque Mærim
> Jam fugit ipsa; lupi Mærim videre priores.

Ubi id clare docet Servius, et Isidor. l. 12. Orig. c. 2. qui et addit : *Unde et subito tacenti dicitur : Lupus in fabula. Certe si se prius visum senserit, deponet feritatis audaciam.* Et Plinius l. 8. c. 22 : *In Italia quoque creditur*, ait, *luporum visus esse noxius, vocemque homini, quem priores contemplentur, adimere ad præsens.* Sic diabolus fauces peccatori, injecto pudore metuque claudit, ne peccatum confiteatur, et veniam, opemve, aut consilium mali sui quærat. Insuper diabolus instar hyænæ et lupi, cadaveribus et mortibus hominum pascitur; canibus, id est prædicatoribus, insidiatur, ut iis eversis vel amotis, oves diripiat. Hinc et eorum voces imitatur, dum se transfigurat in Angelum lucis. Multos enim sapientes decipit specie boni, qua suas fraudes obtegit. Lupi ergo vespertini tropol. sunt dæmones, ait S. Hieron. Item rapaces Prælati et Judices. Adhæc hæretici : hos enim lupis comparat Christus Matth. 7. 15. qui ovium pellibus induti incautos decipiunt, et specie veri, tenebras offundunt. Hinc et sub vesperam suos cœtus celebrare solent. Hæretici enim quasi lupi famelici et hiantes caulas Ecclesiæ circumeunt, ut fideles ex iis avellant et perdant, atque Arabum more latrociniis et cædibus Catholicorum ditiones et regna depopulantur, uti nostro ævo in Anglia, Scotia, Hollandia, Francia, Hungaria, etc. eos factitasse vidimus.

VOLABUNT QUASI AQUILA,] quæ rapax et ferox, ex alto in leporem aliamve prædam festina involat cum impetu *instar tormenti*, id est bombardæ dum globum ejaculatur, ait Isidor. l. 12. c. 7. Alludit ad aquilas, quas Chaldæi in vexillis præferebant, æque ac postea Romani : unde signifer aciei erat et vocabatur aquilifer. Audi Ovidium l. 5. Fastor.

> Signa decus belli Parthus Romana tenebat,
> Romanæque aquilæ signifer hostis erat.

Et Lucan. l. 1 :

> Ut notæ fulsere aquilæ, Romanaque signa.

Hinc Ezechiel c. 9. et Jeremias sæpe Nabuchodonosorem et Chaldæos vocant aquilas. Nota. In pardis Chaldæorum indicat sævitiam, in lupis voracitatem, in aquilis rapacitatem. Quocirca eosdem Jeremias c. 5. 6. comparat leoni, pardo et lupo : *Idcirco*, inquit, *percussit eos* (Judæos) *leo de silva, lupus ad vesperam vastavit eos, pardus vigilans super civitates eorum.*

Porro apposite equites et equos Chaldæorum comparat pardo, lupo, aquilis; quia equi bellici pernicitate veloces sunt, et animositate feroces, vincendi consuetudine ferociores evadunt; gaudent sanguine effuso, ac lituis tubisque auditis

exsultant, ut ait Job cap. 39. 21. et Virgil. lib. 3. Georg.

Si qua sonum procul arma dedere,
Stare loco nescit, micat auribus, et tremit artus,
Collectumque premens volvit sub naribus ignem.

Additque cæteris præstare equos Chaldæorum :

Armenii Siculis, Parthique Euphratis ad undas
Præstant.

Idem clarius docet Oppianus, dicens :

Qui habitant virides Euphratis ad undas,
Magnanimis utuntur equis in bella leonum,
Lumina glauca vibrant, et magnum in pectore robur
Efferat audaces animos ad fervida bella.
Accedit levitas cursus, quodque ora leonis
Intrepide perferre valent, vocesque superbas :
Cum reliqui fremitus nequeant tolerare minaces.

9. OMNES AD PRÆDAM VENIENT.] Tigurina : *Quisquis eorum ad hoc venit, ut vim inferat;* Vatabl. *Omnes venient ad rapinam,* ut scilicet Judæos expilent; Pagnin. *Tota gens propter rapinam veniet.*

Moral. S. August. in psal. 123 : *Ideo,* inquit, *quærit te raptor major, quia invenit minorem : ideo te quærit major aquila, quia prior cepisti leporem : præda tibi fuit minor, præda eris majori.*

FACIES EORUM VENTUS URENS.] Intellige notam similitudinis *sicut*, vel *instar*, q. d. Chaldæi instar venti urentis, vel auruginis omnia arefacient et vastabunt. Pagnin. vertit : *Ex adverso facierum suarum venient ad Orientem;* Chald. *Aspectus eorum persimilis est vento vehementi, qui colligit quasi arenam captivitatem;* Tigurina : *Quidquid faciebus eorum objicitur flaccidum fit, ut si uredo exussisset;* Vatablus : *Aspectus*, vel *oppositio facierum eorum erit tanquam ventus Orientalis.* Hic ventus in terra sancta est vehementissimus. Sensus est, q. d. Impressio Chaldæorum adventantium erit intolerabilis, ut in Judæa est ventus Orientalis. Sic Genuæ, et in nonnullis Italiæ locis procellosus est ventus turbinis, qui à Græcis vocatur ecnephias, quod è nube erumpat; adeo ut stabula cum equis in altum elevet, transferat, elidat, uti mihi Romæ viri graves oculati testes affirmarunt.

ET CONGREGABIT QUASI ARENAM, CAPTIVITATEM,] q. d. Sicut ventus in Judæa congregat arenas, sic Chaldæi ex eadem congregabunt captivos. Ita Chald. et Tigurina. Innuit plurimos fore captivos, uti plurima est arena. Est metonymia; nam abstractum ponitur pro concreto, captivitas pro captivis. Sic Christus ascendens cum triumpho in cœlum, dicitur captivam duxisse captivitatem, id est captivos duxisse sanctos, quos è captivitate diaboli erutos, suos fecit, meliori jam sorte captivos, utpote qua eos in libertatem filiorum Dei asseruit, Ephes. 4. 8. Nota : De Chaldæis nunc loquitur in plurali, dicens : *Diffundentur, volabunt, venient;* nunc in singulari, dicens: *Congregabit, triumphabit, comportabit,* intelligens exercitum, vel certe ducem regemque eorum, puta Nabuchodonosorem. Hæc omnia tropologice facile est adaptare diabolo, cujus minister et flagellum fuit Nabuchodonosor: ipse enim sævit ut pardus, lupus et aquila, plurimosque capit, et in abyssum demergit ludens et ridens.

10. ET IPSE,] scilicet Nabuchodonosor, gentis Chaldææ princeps. Nota : Scriptura mistim nunc de gente, nunc de ejus principe loquitur. Hæc enim politice sunt unum, puta unus exercitus, unum imperium, quod totum pendet à suo principe, sicut totum corpus pendet à capite. Hoc verum est in bellis, ubi victoriæ causa est animosus, vigil et sagax Imperator. Unde celebre est illud : *Fortior est exercitus cervorum duce leone, quàm leonum duce cervo.*

TYRANNI RIDICULI EJUS ERUNT,] q. d. Reges et principes ludibrio habebit Nabuchodonosor, faciet eos suos moriones, equisones; imo scabella pedum; uti Sapores fecit Aureliano Cæsari, et Tamberlanes Bajazeti Turcarum Imperatori. Ita S. Hieron. secundo, *ridiculi,* vel, ut hebr. *risus ejus erunt :* quia ipse potentissimus, deridebit eorum arma et copias. Unde explicans subdit :

IPSE SUPER OMNEM MUNITIONEM RIDEBIT,] q. d. Ipse munitiones quasvis despiciet, quasi ridens et ludens eas expugnabit. Ita Theodor. Vatabl. et Arias. Significanter vertunt Septuag. *Tyranni erunt ejus* παίγνια, id est ludibria, quomodo Zeno imp. prælio victus dixit : *Dei ludibrium est homo.* Syrus et Arabicus : *Ipse reges deridebit, et principes subsannabit.*

COMPORTABIT AGGEREM, ET CAPIET EAM.] *Agger* dicitur aggerata, id est congesta, terra, juxta illud Virgil. Æneid. 9. *Et fossas aggere complent.* Ubi Servius : *Agger,* ait, *est cujuslibet rei coacervatio, unde fossæ aut valles repleri possunt.* Significat Habacuc maxime aggerem, quem per tredecim annos comportarunt Chaldæi circa Tyrum, ut mare, quod illam cingebat, implerent, itaque ex insula facerent continentem, quam pedibus invadere et expugnare possent, uti tandem fecerunt, de quo dixi Ezech. 29. 18. Rursum solent duces, cum metantur castra, ea cingere et munire contra insultus hostium aggere, id est vallo, et fossa instar civitatis. Unde Virgil. 7. Æneid.

Primusque in littore sedes
Castrorum in morem pinnis atque aggere cingit.

Insuper solent per aggeres obsidere et oppugnare urbes. Unde Cicero epist. ad Catonem lib. 13 : *Vallo et fossa circumdedi : sex castellis castrisque maximis sepsi : aggere, vineis, turribus oppugnavi.* Sic Virg. 6. Æneid. Alpes vocat aggeres, id est muros et munimenta, Italiæ. Hebr. pro *aggerem* est עפר *aphar*, id est pulverem, quod Christ. à Castro sic exponit, q. d. Nabuchodonosor faciet altissimos aggeres ex pulvere, ut ejus inspersione, flatu oppositi venti facta, oculos, nares et fauces repugnantium offundat, et enecet; qua arte Sertorium expugnasse Charatinos, narrat Plutar. in ejus vita. Quocirca axioma est bellicum, *duci captandum esse solem et ventum,* ut utrumque habeat sibi secundum, et hosti adversum. Verum nostra versio melior est, et communem castrorum aggerem significat : hic enim fit è terra, pulvere, saxis, lignis omnique re. Adde, Hebræos *aphar*, id est pulverem, vocare quamlibet terram. Unde Adam dicitur factus è pulvere, id est è terra, juxta illud Gen. 3. 19: *Pulvis es, et in pulverem reverteris.*

11. TUNC MUTABITUR SPIRITUS,] q. d. Nabuchodonosor elatus tot victoriis, se non capiet, sed spiritus altos sumet, putans se esse numen quoddam invictum, ideoque adorari volet in statua aurea, quam eriget, et omnes adorare compellet, Daniel. 3. 1. Quocirca, Deo ulcis-

cente, mulabitur spiritus ejus humanus in belluinum, ut ex homine fiat quasi bos, ideoque regno expellatur, transeat et corruat, ac quasi quadrupes in silvis cum feris vitam agat. Daniel. 4. 30. ita S. Hieronym. Albert. et Lyran. Simili modo ob tot victorias, tantamque monarchiam, mutabitur spiritus gentis Chaldææ in superbiam et fastum, ideoque pertransibit ejus imperium, et corruet in Balthasare, exscindendum à Cyro et Persis, inquit Arias et Vatabl. Unde Chaldæus vertit : *Propter elationem spiritus ejus translatum est regnum* : aliter Septuag. *Tunc mutabit spiritum, et pertransiet et propitiabitur. Hæc est fortitudo Dei mei.* Quod Theodor. sic explicat, q. d. Cum Deus sat castigarit Judæos per Chaldæos, tunc iram commutabit in misericordiam, ac misericors erit, et acerbitates leniet, scilicet cum Cyrum liberatorem adducet, cui robur invictum, indeque victorias præclarissimas dabit.

Et corruet.] Hebr אשם *ascam*, id est, primo, *delinquet;* secundo, *delictum expiabit*, per metonymiam, qua delictum et peccatum in Levitico, sæpe significat hostiam pro peccato. Unde Sept. vertunt, *propitiabitur;* tertio, אשם *ascam*, hebr. sæpe ponitur pro vicino שמם *scamam*, id est deficere, desolari, corruere : cognatæ enim sunt culpa et pœna, sive delictum et desolatio : hæc enim individuus illius est comes, perinde ut carnifex est rei, quem ducit ad supplicium. Unde Noster recte cum Aquila et Symmacho, pro *delinquet* vertit, *deficiet*, corruet, præsertim quia defectus et ruina est delectum et peccatum, non moris et vitii, sed naturæ. Ex tribus hisce significatis triplex hîc oritur versio et interpretatio. Primo enim Chald. vertit : *Deliquit et peccavit, eo quod multiplicavit gloriam Deo suo;* quia scilicet impense coluit suos deos, non Deum verum. Secundo, Septuag. *Tunc mutabit spiritum, et pertransiet, et propitiabitur. Hæc est fortitudo Dei mei*, q. d. ait S. Hieron. Deus ultione Judæorum per Chaldæos peracta, mutabit spiritum iræ in spiritum misericordiæ : unde pertransibit eos, nec ulterius puniet, sed sat punitis propitiabitur. Tertio, optime Noster vertit, *et deficiet*, vel corruet, juxta sensum paulo ante assignatum. Sic enim *ascam*, id est delinquere, sæpe significat deficere ; ut : *Et non delinquent*, id est, non deficient ; *omnes qui sperant in eo*, Psalm. 33. 23. Simile est Ezech. 6. 6. in Hebræo, Joelis 1. 18. et alibi.

Hæc est fortitudo ejus dei sui,] quam scilicet jactat esse Dei sui, quam Deo suo acceptam refert, q. d. Tam imbellis, modica et brevis est fortitudo, victoriæ et triumphi Nabuchodonosoris, quos ipse Deo suo, puta Belo, adscribit. Nam, ut paulo ante dixi, hæc omnis illico in Balthasare corruet, occidente eum Cyro. Est ironia, et sarcasmus, sive hostilis irrisio. Aliter à Castro, q. d. Nabuchodonosor victoriis elatus superbiet, et in id scelus corruet, ut veri Dei oblitus, tribuat virtuti Dei sui Beli partas victorias. Septuag. vertunt : *Hæc est fortitudo Deo meo*, quod sic explicat Theodor. Propheta, inquit, obstupescens ad Dei misericordiam, ex ira commutatam in Cyro liberatore Judæorum, exclamat : Hæc est fortitudo Dei mei. Tibi soli, Domine, adest potestas et puniendi pro abitrio, et commutandi ultionem in misericordiam. Verum Hebr. habent, *Dei ejus*, et Chald. *idoli sui.* Quare nostra versio et explicatio est germanior. Unde et Syrus vertit : *Devincetur virtus ejus cum Deo suo;* Arabicus : *Obediet virtus ejus Deo*, non suo ficto, sed vero Israelis.

12. Nunquid non tu a principio, Domine.] Propheta post prophetiam de Chaldæorum robore et tyrannide, ac Judæorum per eos excidio, hîc de eo dolens et ingemiscens, convertit se ad orationem, Deumque obsecrat ut tantam Judæorum stragem avertat, nec sinat minas hasce impleri, sed populo suo misereatur et parcat, q. d. Tu, Domine, es Deus noster, tu sancte à nobis coleris in sancto templo tuo. Tu es sanctus ille noster antiquus, qui patres nostros dilexisti, et elegisti semen eorum post eos. Tu es qui sanctum fœdus cum ipsis inivisti, sancteque promisisti te fore eorum et posterorum Deum. Tu nos tibi in populum sanctificasti, et ab aliis gentibus infidelibus et impiis, quasi tuum peculium segregasti, nosque sancta tua lege, prophetis, sacrificiis, miraculis, beneficiisque plurimis decorasti, ac tibi et tuæ sanctitati arctissime obstrinxisti : non ergo patieris nos ab impiis Chaldæis vastari : quare te, uti speramus et obsecramus, tutante, *non moriemur*, ut illi minantur. Aliter Joan. Alba Electorum cap. 64 : *Nunquid non tu à principio? A* ponitur inquit, pro *ante*, q. d. Tu es ante omne rerum principium, tu es æternus. Et quia Æternum Hebræis significat quod magnum est in genere suo, hinc esse à principio, vel esse æternum, significat esse potentissimum. Potest et æternum accipi pro misericorde, q. d. Nunquid non, ô Domine, tu es summe potens et misericors? Utique. Ostende ergo in nos miseros et pene consumptos tuam omnipotentiam et misericordiam, quam semper à principio hucusque in nos et patres nostros ostendisti. Hæc Alba, qui et addit : sic et sanctus magnum, regem, potentemque significat ; et sanctum, id quod magnum est et excellens.

Nota primo : Dicit, *non moriemur*, assertive, non autem, *non moriamur*, optative, esto idipsum obsecret ; ad efficaciam orationis, ut scilicet certam spem, et quasi fidem non moriendi significet, eaque constringat Deum, ne eos mori sinat. Quis enim speravit in Deum, et confusus est? Nam, ut ait S. Bernard. serm. 3. de Annuntiat. Domin. *Deus oleum misericordiæ ponit in vase fiduciæ.* Expeditius dicemus repetendam esse vocem *nunquid* quæ præcessit, q. d. Nunquid non moriemur, cum te habeamus Deum protectorem sanctum et æternum? Syrus Vaticanus pro, *non moriemur*, habet, *sine lege;* Arabicus, *sine similitudine.* Sic enim vertit Syrus : *Quoniam tu es à principio, Domine, Deus meus sanctus, sine lege aliqua*, hoc est, nulla lege, nullo decreto, nulla determinatione, nullo fato constringeris.

Nota secundo : Pro לא נמות *lo namut*, id est non moriemur, aliqui codices legunt לא תמות *lo tamut*, id est non morieris, q. d. Tu Domine, uti sanctus, ita es et immortalis : quare non permittas nos mori, et à Chaldæis occidi : illi enim, æque ac illorum dii, ut impii, ita et mortales, infirmi et corruptibiles sunt, ac à te corrumpentur, mortique præsenti et æternæ addicentur. Unde Chald. vertit : *Tu Deus judex verus super omnes creaturas tuas, et sanctus in operibus tuis: verbum tuum in secula permanet, Domine*, q. d. Conserva nos, uti promisisti, fidelis et stabilis es, fac ergo nos stabiles : immortalis es,

ne ergo sinas nos mori, sed fac nos tui similes, et quasi immortales.

Nota tertio, quadruplicem antithesim. Opponit enim Deum idolis et hominibus : primo, quod Deus sit *à principio*, puta ab æterno, q. d. Deus æternus est, idola et Chaldæi temporanei sunt, modicoque tempore duraturi ; secundo, Deus est omnium creator et dominus, idola et Chaldæi creaturæ sunt et servi ; tertio, ipse est Deus immensus, immortalis, omnipotens, etc. illi sunt hominum plasmata exigua, caduca, infirma ; quarto, Deus est sanctus, ipsaque per essentiam sanctitas summa et perfectissima ; illi impuri sunt et scelerati, q. d. Destrue ergo, ô Domine, idola et Chaldæos, tot nominibus tibi è diametro oppositos et inimicos. Porro ad majus pathos, majoremque affectum et obsecrationem, ut gratiam à Deo eblandiatur, vocat eum *Deus meus ; sancte meus*, non, noster : tum quia Propheta hìc loquitur in persona populi, qui collective est unus et singularis ; personam enim populi in se suscipit et induit, utpote unus et primarius è populo, ut in se, et secum totum populum supplicem Deo constituat, itaque tot capitum numero armatas preces Deo offerat, veniamque extorqueat ; tum quia Deus cujusque fidelis et justi, tam est Deus, id est pater, provisor, custos, amicus, etc. ac si ejus solius esset Deus. Sic ait S. August. lib. 3. Confess. cap. 11 : *O tu bone omnipotens, qui sic unumquemque nostrûm curas, ac si solum cures ; et sic omnes, tanquam singulos.* Et S. Paulus ait Christum esse suum : *Qui*, inquit, *dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* Galat. 2. 20.

DOMINE, IN JUDICIUM POSUISTI EUM.] Est concessio, q. d. Fatemur te, Domine, misisse Nabuchodonosorem *in judicium*, id est, in justam vindictam, ut scilicet per eum, quasi per virgam, castigares peccata nostra et aliarum gentium, ideoque eum fortem effecisti.

FUNDASTI,] firmasti et roborasti Nabuchodonosorem tot opibus, viribus, copiis, imperiis, victoriis.

13. MUNDI SUNT OCULI TUI, NE VIDEAS MALUM.] *Videas*, id est, approbes et faveas. Est catachresis ; quæ enim approbamus, quæque nobis placent et grata sunt, ea continue et læte aspicimus ; quæ vero odiosa et ingrata sunt, ab his oculos avertimus. Unde Virgil.

Diva solo fixos oculos aversa tenebat.

Et vulgo dicitur : *Ubi oculus, ibi amor ; ubi manus, ibi dolor.* Sensus est, q. d. Tui oculi, tuaque mens mundissima et justissima est ; quare malum, id est, peccatum et injuriam, æquis et benignis oculis aspicere et videre nequis, ut illi faveas, et pro illo pugnes. Cur ergo respicis super Chaldæos iniqua agentes, violentos et injurios, ac permittis ut ipsi nos devorent ? Esto enim simus peccatores et injusti : Chaldæis tamen, utpote idololatris et tyrannis, meliores et justiores sumus. Sufficiat ergo, Domine, quod peccata nostra per eos leviter castiges ; at ne sinas nos per eos exscindi et disperdi. Sic enim videberis favere tyrannis et idololatris contra tuos fideles et cultores ; ac idololatræ jactabunt te favere eorum tyrannidi et idololatriæ ; aut certe te non posse, vel non velle, auxiliari populo tibi devoto.

Nota : Propheta hìc non obmurmurat Deo, ut blasphemat Calvin. sed ex dolore libere queritur, deprecatur, et amice expostulat cum Deo, quod velit Judæos punire et vastare per Chaldæos Judæis pejores. Sic improborum prosperitatem indolet et admiratur David Psalm. 72. 12. Jeremias cap. 12. 1. Job cap. 21. 7. Aliter respondet S. Hier. hæc dici à Propheta : *Non quod ipse sic sentiat, sed quod impatientiam humanam in sua persona exprimat ; sicut frequenter videmus Apostolum varias hominum in se recipere sententias et nunc dicere : Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati ;* Rom. 7. *Et quasi insipiens sit : Fratres ego non arbitror me comprehendisse. Ac rursum quasi perfectus sit : Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus;* Philip. 3. Et : *Hæc autem, fratres, transfiguravi in me et Apollo propter vos, ut in nobis discatis, etc.*

MUNDI SUNT OCULI TUI, NE VIDEAS MALUM.] Cum enim sis ipsa munditia et sanctitas, extreme odis omne peccatum, ideoque : *Perdes omnes qui operantur iniquitatem*, Psalm. 5. Nam sicut lux adversatur tenebris, easque naturaliter aversatur et odit, ac pulchritudo turpitudini, et puritas maculis sordibusque, et rectitudo obliquitati, et vita morti et bonitas malitiæ, ita et sanctitas aversatur et exsecratur omne peccatum. Quare sicuti Deus necessario sanctitatem amat infinito amore, ita necessario peccatum perfectum et mortale odit infinito odio. Cujus odii signa dat multa. Nam primo, ob peccatum mortale privat hominem infinito bono, nimirum possessione ipsius Dei ; secundo, quia ob illud infligit peccatori infinitum cruciatum et opprobrium, nimirum incendia æterna gehennæ ; tertio, quia, etiamsi quis haberet merita infinita, ea tamen omnia aboleret Deus ob unum peccatum lethale ; quarto, quia filium suum ad delendum peccatum, infinitam humiliationem et afflictionem subire voluit. Talis enim fuit ejus incarnatio et mors, quia, ut ait Apostolus : *Semetipsum exinanivit*, id est, ex omni fecit se quasi inane et nihil, Philip. 2. Deum æmulantur Sancti, qui proinde immense oderunt peccatum, tam in se, quàm in aliis ; ideoque omni modo satagunt ut illud aboleatur, dum suo zelo justos in justitia conservant, peccatores à peccato ad justitiam traducunt.

Porro sanctitas consistit in conformitate cum lege æterna, quæ est in mente Dei. Is enim perfectus et sanctus est, cujus voluntas et opera exacte conformantur legi æternæ, puta menti et voluntati Dei. Voluntas enim Dei cum reipsa sit eadem cum mente et intellectu suo, ideoque necessario et essentialiter legi æternæ conformis sit, et ex æquo respondeat ; hinc pariter ipsa est mensura et regula omnis sanctitatis ; et quia hæc conformitas in Deo est infinita, hinc pariter infinita est ejus sanctitas. Quare secundo, sanctitas consistit in amore et conjunctione cum Deo, qui est origo et plenitudo sanctitatis. Sanctitas ergo est amor Dei : *Sanctitas* enim *est omnimoda puritas*, ait S. Dionys. cap. 12. de Divin. nom. Jam sicut impuritas nascitur ex contactu inferiorum, puta ex amore et adhæsione ad epulas, veneres, honores vanos, aliaque bona terrena et infima ; ita puritas oritur ex contactu superiorum, puta ex amore et adhæsione ad Deum, resque divinas et cælestes. Purus ergo et sanctus est, qui toto affectu adhæret Deo ; et quo magis omnem affectum in Deum

transfert, eo indies fit sanctior, dum singula cogitata, volita et opera sua dirigit ad Deum, ut indies magis magisque ei appropinquet. Sic enim imitatur Deum, de quo dicitur Psalm. 144 : *Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis;* sequiturque ejus præceptum: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* Levit. 11.

14. Et faciès homines quasi pisces] primo, q. d. Cur permittis, ô Domine, ut, sicut piscator piscatur pisces, nemine eos tuente; sic Nabuchodonosor expiscetur, capiat et expilet omnes gentes. Hæ enim illi sunt pisces. Ita Rupert. et Vatabl. Ubi nota insignem allegoriam: Piscator Dei est Nabuchodonosor, hamus sunt doli ejus et technæ; sagenæ et retia sunt arma, milites et aperta violentia; pisces sunt Judæi aliæque gentes, quas ut pisces (qui nullius sunt domini, nec habent ducem aut protectorem, sed fiunt primo occupantis, puta piscatoris, qui eos ex aquis expiscatur et trahit) ita sibi subjugat, calcat et occidit, quasi revera pisces et reptilia essent, non homines. Hinc et per portam piscium Chaldæi irruperunt in urbem, uti dicam Sophoniæ 1. v. 10; secundo, magis genuine et nervose, q. d. Cur permittis, ô Domine, ut, sicut pisces majores et fortiores, puta balænæ, lupi, polypi, devorant minores: ita homines potentiores et tyranni, v. g. Chaldæi, devorent eos qui sunt imbecilliores; ut inter homines, æque ac inter pisces, non dominetur justitia, sed robur, vis et tyrannis, illeque sit dominus, qui viribus prævalet? Ita S. Hieron. Theodor. Remig. et Theophil. Hinc illud Polybii proverbium vulgo usurpatum: *Pisces majores glutiunt minores.* Præclare S. Basil. hom. 7. Hexam. *Major pars piscium*, ait, *liguriunt alter alterum, et minor apud illos esca majoris est. Et si evenerit ut is qui minorem superaverat, alterius præda fiat, ambo tum simul deglutiuntur, et una ultimi piscis immersi ventrem ingrediuntur. Quid igitur nos homines aliud agimus, cum vim inferimus inferioribus?*

Symbol. apposite Propheta homines comparat piscibus, ob multas analogias. Prima est: Sicut Deus creavit cœtum hominum, sic et cœtum piscium; pisces multi, multi et homines. Piscium valde variæ sunt species; varii pariter ordines, gradus, complexiones, linguæ, familiæ et gentes sunt hominum; mare est mundus piscium, terra est mundus hominum. Omnes enim animalium species quæ sunt in terra, proportionaliter sunt et in mari, ut porci, canes, equi, vituli, quin et homines marini, uti multis exemplis Tritonum, Nereidum et Sirenum docet Plinius lib. 9. cap. 5. et Olaus Magnus lib. de Gentib. Septentr. Insuper *plurima pars piscium est gregatilis, nec ullus grex caret duce*, ait Aristot. lib. 8. de Hist. Animal. cap. 13. Sic et homines suas habent resp. et regna, et in omnibus suis est dux et princeps.

Secunda: Homines in mundo variis tentationum et mutationum æstibus jactantur, uti pisces in mari; ac sicut hi in illis ludunt, ita et homines ludunt in suis, atque in utrisque ludit sapientia et potentia Dei. Prov. 8. 30.

Tertia: Pisces sunt aquei et humore luxuriant: ita et in hominibus plerisque, præsertim in hieme prædominatur pituita, qua proinde et senes fere omnes, et juvenes permulti moriuntur, ac catharro suffocantur. Quocirca Philosophus definiens hominem: *Homo*, inquit, *est fortunæ lusus, inconstantiæ imago, corruptionis speculum, temporis spolium, mancipium mortis, viator transiens, Dei ludibrium; reliquum, pituita et bilis.*

Quarta: Pisces sicut ex aqua generantur, ita in eadem vivunt (nam extra illam moriuntur) ex eaque aluntur et nutriuntur, uti docet Rondeletius lib. 1. de Piscib. cap. 13. licet enim aqua maris sit salsa, ac proinde inepta nutritioni, utpote cujus alimentum est succus dulcis; tamen in mediis undis salsis permultus humor dulcis continetur, admistusque est, quem pisces in alimentum familiare transmutant; quam ob causam crebro in Pontum migrare solent, et ibi pinguescere, quod illud mare dulcibus aquis copiose alluatur, uti docet Aristot. lib. 8. Histor. Animal. cap. 13. Et c. 2. in mari esse dulcem liquorem, probat ex aquæ percolatione. Si enim ex cera vas tenue finxeris, idque funiculo appensum in aquam demiseris die ac nocte una, humoris dulcis copiam intra se colliget. Rursus nautæ, et qui arentia maris littora incolunt, aquarum dulcium copia destituti, puteis vix tres cubitos altis ad littus effossis, suavem dulcemque liquorem ex mari deducunt qui per arenam transcolatus à salsugine separatur. Nec mirum pisces aqua ali; quia sola aeris inspiratione plurima animalia vivunt. Astomos scribit Plinius lib. 7. cap. 2. halitu tantum et odore, quem naribus trahunt, vivere. Sed hoc fabulosum forte; tamen ab aliis, qui Plinio vetustiores fuerunt, litteris proditum est, vires in animi consternatione et syncope, admotis odoratis maxime refici et instaurari. Romæ annos quadraginta sacerdotem quemdam sola aeris inspiratione vixisse, ex Leonis Pont. Max. et multorum Principum custodia, et Hermolai Barbari historia fideque certissimum est. Puellam ante annos tres in Gallia Narbonensi omnes audivimus, vidimus multi; et Spiræ in Germania aliam à viris doctis accepimus, quæ multos annos nullo alio præter aerem cibo potuque, vitam salubriter traduxit. Aliam etiam nos vidimus, quæ etiamnum hodie vivit, eodem victus genere ad decimum ætatis annum pervenisse, tandem grandem factam nupsisse, et felicem prolem sustulisse. Si aer subtilis homines, multo magis aqua crassior pisces nutrire potest. Hucusque Rondeletius. Eadem exempla sacerdotis et puellarum narrat probatque noster Delrio, l. 2. Magic. quæst. 21. Sed inediæ causam ascribit complexioni phlegmaticæ, puta humori phlegmatico crudo, lento et viscoso, quo alitus sit calor naturalis; idque verosimilius videtur. In eo ergo pisces sunt similes hominibus, quod utrique humore nutriantur et vivant, sive is aereus sit, sive aqueus. Aer enim et aqua sunt elementa vicina et symbola; aer enim est aqua subtilior, et aqua est aer crassior. Elementa enim nostra non habent primævam puritatem et simplicitatem, in qua condita sunt, sed multis exhalationibus, vaporibus, rebusque terrestribus permixta sunt, ac proinde alimenta viventium esse possunt, vimque ea alendi habent. Sane terra vivunt alunturque plantæ, serpentes et reptilia.

Quinta: Majores pisces minores devorant, ita et homines, juxta illud: *Homo homini lupus.* Rursum, sicut cetus pisces pene omnes absorbet, etiam maximos: sic et diabolus, qui, quasi balæna in mari hujus seculi, animas quaslibet,

etiam regum et principum, quin et Sanctorum, prædatur, juxta illud Psalm. 103. 26 : *Draco iste quem formasti ad illudendum ei.* Audi Aristot. lib. 9. Histor. Animal. cap. 2 : *Ineunt prælium pisces majores contra minores ; major enim quisque et robustior minorem inferioremque devorat.* Idem lib. 8. cap. 2 : *Alter*, inquit, *alterum sui generis edit, excepto mugile, sed maxime congri.*

Sexta. Pisces sunt muti : sic et homines coram Deo, quantumvis sapientes et sancti, quasi pisciculi obmutescunt, eoque arguente ponunt cum S. Job, cap. 39. 34, manum super os suum : ac in die judicii coram Christo judice, omnes quasi pisces conticescent, 1. Reg. 2. 9. Matth. 25. 46.

Septima. Piscibus juxta caput sunt binæ pinnæ, quasi binæ pennarum alæ, quibus velut remis mare sulcant : sic et homini bina sunt brachia, quibus omnia operatur. Insuper piscis cauda, quasi temone et clavo, navis suæ gressum dirigit; unde à natatu piscium didicerunt homines fabricare naves, iisque sulcare maria. Est enim piscis quasi navis natans et velificans in mari, uti de nautulo pisce et concha ait Plinius lib. 9. cap. 29. 30 et 33; ita et homines pedibus se quocumque volunt promovent. Rursum sicut aves aliquæ sunt semipisces, quia volant in aere, et natant in aqua, ut merguli, anates, fulicæ; ita vicissim sunt pisces, qui sunt semiaves, quia habent ingentes pinnas, quasi pennas, quibus volant super aquas instar avium, qualem vidi Romæ in Bibliotheca Ducis de Altheimps. Symbol. aves sunt Angeli, qui in æthere versantur, et ad Deum evolant: pisces sunt homines, qui in mari hujus seculi volutantur. Sicut ergo Angeli sunt semihomines, dum corpus assumunt, et cum hominibus colloquuntur; ita vicissim homines sunt semiangeli, dum pennis per contemplationem elevati, ad Deum evolant.

Octava. Pisces ventre incubant aquis; ita, et multi homines incubant aqueis voluptatibus. *Quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt*, Philip. 3. 19. Hac de causa Christus factus homo, factus est piscis hujus seculi, ut ex aqueis et terreis hominibus quasi piscibus, faceret æthereos et cœlestes. Quocirca Christi nomen fuit ιχθυς, id est piscis, ut patet ex acrostichi Sibyllæ, cujus primæ litteræ combinatæ hæc verba præferebant, Ιησους Χριστος θεου υιος σωτηρ, id est, Jesus Christus Dei filius, Salvator : quarum vocum græcanicarum litteras initiales si jungas, habebis ιχθυς. Acrostichin hanc recenset Euseb. lib. 4. de Vita Constantini. Hinc et Christus piscatores elegit, fecitque Apostolos, quos *cum retibus fidei ad mare hujus seculi paucissimos misit, atque ita ex omni genere tam multos pisces, et tanto mirabiliores, quanto rariores, etiam ipsos philosophos cepit*, ait S. August. lib. 22. Civit. c. 5. Et de verbis Domini in Evangel. secundùm Joannem, serm. 59: *Leguntur*, ait, *modo verba piscatorum, et colla subduntur oratorum.*

Præclare S. Chrysost. serm. de S. Andrea, qui exstat apud Surium die 30. Novembr. Apostoli, inquit, piscatores fuerunt, sed *illorum instrumenta nova et inusitata fuerunt. Nam pro arundine prædicatione utuntur, pro funiculo memoria, pro hamo potentia, pro esca miraculis, pro petra cœlis, ex quibus hujusmodi piscationem exercent: pro scapha habent altare ; pro piscibus reges etiam ipsos capiunt ? pro sagena Evangelium expandunt: pro arte divinam gratiam adhibent ; pro mari vitam humanam tractant; pro retibus cruce, velut sagena quadam, uti solent. Quis unquam vidit à mortuis piscatoribus viventes homines, tanquam pisces, capi? O magnam crucifixi potentiam, ô divinæ dignitatis præstantiam, ô Apostolorum summa beneficia ! Nihil tale in vita esse potest, quale est Apostolicæ gratiæ fastigium.*

Nona. Piscis sale eget ne putrescat ; sic et homo prudentia. Rursum, piscis primùm à capite putrescit et fœtet; sic et homo à ratione et voluntate, qua se sinit à cupiditate vinci et corrumpi. Sicut enim molles sunt pisces, sic effeminati et homines ; hinc utrique escis et illecebris quasi laqueis capiuntur. Pari modo monasteria, collegia, Ordines, resp. à capite vitium et ruinam trahunt. Quamdiu enim habent bonos et vigiles acresque rectores, magistratus, principes, vigent, et sarta tecta consistunt; sed ubi pravos, vel inertes et remissos accipiunt, omnis disciplinæ rigor, ac consequenter reipublicæ vigor, integritas et dignitas, instar salis aqua liquefacti, dissolvitur et evanescit.

Decima. Pisces *vagantur et oberrant, maxime qui carne aluntur*, ait Aristot. lib. 9. Histor. Animal. c. 37. Ita oberrant et homines, præsertim lucri et voluptatum cupidi. Rursum idem lib. 8. c. 12 : *Ut homines*, inquit, *alii domicilia hieme repetunt, alii qui amplioris provinciæ principes sunt, sedem pro tempore mutant, ut moram æstate, locis frigidis, hieme tepidis trahant, etc. Sic et pisces per hiemem ex alto in littora, teporis gratia veniunt : contra æstate ex littore in altum, vitantes æstum, discedunt*

Undecima. *Pisces pinnulas habent, ut nantes : pedibus carent, ut non pedestres, sed aquatiles.* Homo vero quia terrestris est, pedester est : *Pedum enim additio utilis ad motum, qui in pedo, hoc est solo agatur : unde et nomen inditum pedibus est*, ait Aristot. lib. 4. de Part. Animal. cap. 13.

Duodecima. Pisces nonnulli respirant et dormiunt, ut homo. Audi Aristot. lib. 6. Histor. Animal. c. 12 : *Spirant, quæ fistulam habent omnia, et recipiunt aerem : haud enim carent pulmone. Et quidem visus est delphinus dormire rostro emerso ac stertere.* Idem docet Plinius lib. 9. c. 7, idque probat ex piscium in æstate anhelatione, oscitatione, et bullantium aquarum sufflatione.

Decima tertia. Pisces senescunt ut homines. Ita Aristot. lib. 8. Histor. Animal. cap. ult. *Vitiant*, ait, *senectute pisces : et quidem thunni vel ad rem salsamentariam, senes improbi sunt; multum enim carnis absumitur : quod idem in cæteris piscibus evenit. Declaratur eorum senectus duritie magnitudineque squamarum. Jam captus est thunnus senex, cujus pondus erat ad talenta quindecim, et caudæ intervallum ad quinque et cubita palmum.*

Decima quarta. Homines plures et frequentes habent dentes, ac primores acutos ad cibi scissionem et masticationem : ita et pisces multos habent dentes, eosque acutos et serratos. Unde Aristot. lib. 3. de Partib. Animal. c. 1 : *Pisces*, ait, *omnes serratis sunt dentibus, uno excepto qui scarus vocatur : complures etiam dentes in lingua habent, et in palato. Cujus rei causa est, quod, cum mersi in aqua degant, humorem cum cibo admittant, eumque expuant quamprimum necesse est ; non enim in molendo commorari possunt, quando humor in ventrem interrumpit ; idcirco omnes acuit*

et frequentes undique sunt; videlicet ut præmultitudine in minuta secent, quæ attritu subigere nequeunt. Adunci præterea sunt, quoniam robur fere totum piscium in dentibus situm est.

Decima quinta. Homines laborant morbis, ita et pisces; à pestilentia tamen immunes sunt. Ita Aristot. lib. 8. Histor. Animal. cap. 19: *Morbus*, ait, *pestilens nullus incidere piscibus universis videtur, etc. ægrotare tamen et ipsi putantur; et quidem piscatores pro morbi indicio capiunt; cum aliquot extenuatos languentibus similes, et colore immutatos inter multos pingues ac validos ejusdem generis ceperint.* Addit idem paulo superius æstivos imbres commodiores esse piscibus, et hiemem sereniorem: *Ad summum prope dixerim*, inquit, *cum bene hominibus annus cedit; tunc et piscibus feliciter degere contingit.* Porro pisces cum ægrotant, apio viridi sanari tradit Plinius l. 20. c. 11; idem magnum piscium in medicinis hominum esse usum docet lib. 32. c. 5.

Decima sexta. Pisces habent cor ejusque situm similem homini. Audi Arist. lib. 3. de Part. Animal. cap. 4: *Cor*, ait, *cæteris animalibus in medio pectore est, homini tantum paulo vergit ad lævam, ut ejus partis refrigerationem moderetur et compenset: omnium enim animalium maxime homo refrigeratam habet partem sinistram. In piscibus etiam cor similem situm tenet. Solis his cordis mucro ad caput spectat, cum ea pars prior sit: eodem enim agitur motus.* Rursum pisces generant ut homines; habent enim sexum distinctum, alii mares sunt, alii feminæ; ac feminarum ova non perficiuntur ad generationem sine mare, uti fit in gallinis et avibus, teste eodem Arist. l. 6. Histor. Anim. c. 11. et lib. 4. c. ult. ubi docet pisces feminas majores esse maribus, sed ad cibum mares præstantiores esse feminis, excepto siluro, asserit idem libr. 8. cap. 19.

Decima septima. Piscium omne genus vorax et gulosum est, teste Aristot. lib. 3. de Part. Animal. cap. 14; item prolificum et fecundum, abundant enim humore: sic et homines in gulam et venerem propensi sunt. Rursum, piscibus *oculi sunt lubrici, propter circumfusi humoris crassamentum*, ait Aristot. lib. 2. cap. 13; sic et hominibus. Unde multi merito gemunt, dicuntque illud Thren. 3. 51: *Oculus meus deprædatus est animam meam.* Et v. 48: *Divisiones aquarum deduxit oculus meus in contritione filiæ populi mei.*

Decima octava. Pisces habent memoriam, et vitam agunt rationi humanæ vicinam. Id negarunt nonnulli; sed certissimum esse, et experientia se didicisse testatur S. August. lib. 3. de Genes. ad lit. cap. 8: *Nam fons*, inquit, *Bullensium regionum fere plenus est piscium. Solent autem homines desuper intuentes eis aliquid jacere, quod sibi vel prœripiant confluentes, vel inter se diripiant concertantes. Quo pastu assuefacti, deambulantibus super oram fontis hominibus, ipsi quoque cum eis congregatim natando eunt et redeunt, exspectantes ut aliquid jactent, quorum præsentiam sentiunt. Non ergo nulla memoria, vel sensus tardior animæ inest piscibus.* Idipsum ego subinde in stagnis piscium expertus sum. Quocirca idem in Joan. tract. 123: *Viderunt*, inquit, *prunas positas, et piscem superpositum, et panem. Piscis assus, Christus est passus. Ipse est panis, qui de cœlo descendit. Pisces dicuntur homines.* Hinc prisci homines temperantes et casti vescebantur, non carne; sed pisce, utpote digestu facili, et refrigerante tam calorem naturalem, quàm æstum iræ ac libidinis; testis est Athen. de Cœnis sapientum, lib. 3. 4 et 8. Vicissim, ut ait idem lib. 7: *Piscis quivis humana carne delectatur.* Augurium, piscium recenset Plinius lib. 9. cap. 16: *Siculo*, ait, *bello ambulante in littore Augusto, piscis è mari ad pedes ejus exsiliit; quo argumento vates respondere Neptunum patrem adoptantem eum sibi, Sexto Pompeio repudiato. Tanta erat navalis rei gloria, sub pedibus Cæsaris futuros, qui maria tempore illo tenerent.* Idem cap. 42. mira habet de astutia piscium, ut pinnæ, torpedinis, rhombi, pastinace, etc. Idem, cap. 53, refert quosdam pisces vixisse sexaginta annos, quæ est ætas hominum. Idem, lib. 10. cap. 45, ait vitulos marinos multosque alios pisces cicurari et mitescere. Et cap. 70. ait in piscinis Cæsaris quosdam per nomen evocatos illico adnatare. Idem, lib. 9. c. 8, ex Mæcenate narrat delphinos è manu hominum vesci, pueros dorso excipere et vectare, eosque amare, adeo ut cum iis morientibus emoriantur.

Decima nona. S. August. in Psal. 64: *Mare*, inquit, *in figura dicitur seculum hoc salsedine amarum, procellis turbulentum, ubi homines cupiditatibus perversis et pravis facti sunt velut pisces se invicem devorantes. Attendite mare malum, mare fluctibus sævum. Attendite quibus hominibus plenum sit. Quis optat hæreditatem, nisi morte alterius? Quis optat lucrum, nisi damno alterius? Quàm multi aliorum dejectione cupiunt sublimari! Quàm multi, ut emant, optant alios vendere res suas? Quomodo se invicem opprimunt, et qui possunt devorant? Et cum devoraverint unus piscis major minorem, devoratur et ipse à majore. O piscis male prædam de parvo, præda efficieris magno.*

Denique S. Bernard. serm. de B. Maria, pag. 394. triplicem assignat hominum piscinam et triplices pisces: *Primum*, inquit, *diluvium est vitiorum, secundum tribulationum, tertium miseriæ et tenebrarum. Primum est peccati, secundum mundi, tertium inferni. Pisces primi sunt oblectamenta, secundi iniqua tentamenta, tertii perpetua tormenta. Hinc in Evang. de bonis piscantibus, vitia calcantibus, tentamenta superantibus, æterna tormenta vitantibus, dicitur: Elegerunt bonos in vasis suis, malos autem foras miserunt*, Matth. 13. v. 47. Unde liquet ipsos reprobos et damnatos esse pisces qui natant, jactantur et æstuant in stagno ardente igne et sulphure, Apocal. 21. 8. Longe major hominum pars, imo maxima, et pene innumera, in hoc stagno volutatur et ardet. Eia, Domine, numquid facies homines quasi pisces maris? atque utinam essent pisces maris! utinam à ceto devorarentur! jam autem sunt pisces, imo folles et fomenta gehennæ, præda et laniena diaboli, imo multorum millium et millionum dæmonum: ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur. Eia, Domine, numquid sines ut dilatet infernus animam suam, et aperiat os suum absque ullo termino, ut absorbeat tot gentes et populos, quorum non est numerus instar arenæ maris? Parce, Domine, parce creaturis tuis, quas ad tuî imaginem creasti, quas quasi stellas cœlo destinasti, quas pretioso sanguine Unigeniti tui redemisti. Obstrue hoc immane os tartari, ne tot animas glutiat. Emitte spiritum tuum in nos, ut

hujus flammantis stagni meditatione et horrore concussi peccata vitemus, concupiscentiæ resistamus, pœnitentiæ nos dedamus, ac vitam sanctam tanquam viam in cœlum capessamus; ut in illud transferri, ibique quasi pisces cœlestes in fluvio paradisi Apocal. 22. 1, puta in te tuîque visione, fruitione et gaudiis sempiternis, natare mereamur. Amen.

Et quasi reptile non habens principem.] Reptile est animal quod non incedit pedibus, sed ventre serpit repitque, uti faciunt serpentes, vermes, lumbrici, aut certe quod adeo exiguos habet pedes, ut iis non tam incedere, quàm repere videatur, uti habet lacerta, mustela, mus, talpa, etc. Hæc sunt reptilia terræ : nam reptilia maris et fluminum sunt pisces. Porro Propheta, ut Deo repræsentet hominum injurias, afflictiones et ærumnas, eos non tantum comparat piscibus, sed et reptilibus, quæ piscibus infirmiora sunt, et injuriæ magis obnoxia. Nam primo, pisces in maris vel fluminum vastitate aut profundo abscondere se possunt à piscatoribus et piscibus voracibus ; at reptilia in terra degunt, et exigua habent antra, in quibus statim deprehenduntur et capiuntur; secundo, pisces multi, nimirum qui gregatim incedunt, uti haleces, delphini, mugiles, suum habent ducem, etsi suî similem, imbellem, invalidum et improvidum : at reptilia nullum habent ducem, sed solitaria repunt, omniumque prædæ exponuntur; tertio, pisces nando hostem effugere, et quasi avolare possunt : at reptilia, quia repunt, tardigrada sunt adeoque fuga elabi nequeunt. Sensus ergo est, q. d. Cur permittis, ô Domine, ut Judæi et gentes calcentur, proterantur et enecentur à Chaldæis, sicut reptilia (v. g. ranæ, lumbrici, limaces, quæ non habent principem qui eos ab injuria tueatur) calcantur et proteruntur à viatoribus, vel à reptilibus potentioribus, v. g. serpentibus. Hæc enim, inquit Theophilus, *ob naturæ suæ amaritiem, neque duces habent, ceu exortia mixturæ et societatis, et mutuo inter se odio sævientia. Nam animantia sub duce constituta mansuetiora sunt, contubernii et societatis amantem, ac gregis et armenti sequacem naturam et indolem per hoc indicantia.* Unde per hæc tropol. accipit homines brutos et mutos, feros et serpentinos, qui in sese invicem grassantur.

Tropolog. rursum vide hîc quàm misera sit hominum conditio : homines enim sunt quasi reptilia. Unde Jesbaam, id est, sedens in cathedra, primus fortium Davidis, vocatur : *Tenerrimus ligni vermiculus*, 2. Reg. 23. 8. Idque primo, quia homo dum nascitur, est quasi reptile; manibus enim et pedibus repit super terram. Hinc illud ænigma sphyngis de homine : *Mane quadrupes, meridie bipes, vesperi tripes.* Homo enim mane, id est in infantia dum nascitur, quasi quadrupedes manibus et pedibus innititur : deinde in juventute incedit bipes : vespere, id est in senio, graditur tripes : quia præter binos pedes adciscit tertium ; puta Scipionem cui insistit.

Secundo, quia plerique homines manibus, pedibus totoque corpore, quin et mente repunt in terra : nam nil cogitant nisi terrena, omnis eorum labor et occupatio est in terra, multi quoque in ventrem projecti, nil nisi eum terrenis deliciis implere et sarcire satagunt.

Tertio, quod proprie hîc spectat Propheta, quia homines, æque ac reptilia, potentiorum injuriæ et prædæ expositi sunt. Turcæ, Tartari, Indique reges educunt in aciem trecenta et quingenta hominum millia, eaque hostibus instar pulicum pro se mactanda objiciunt. Annon hi sunt reptilia coram suis regibus, æque ac coram hostibus ? Servi et mancipia ad aurifodinas et metalla damnati; coloni agris herorum colendis addicti ; servi et opifices terrenis vilibusque dominorum imperiis et ministeriis deputati, nonne sunt quasi reptilia terræ ?

Denique Guevara probabiliter per reptile accipit pisces maris, qui non habent principem, scilicet potentem eos tutantem, et à rapinis vindicantem, ut sit epanaphora Prophetæ usitata : nam sequentia omnia spectant pisces, et piscatorem cui hîc comparat Nabuchodonosorem. Sic pisces vocantur *reptilia*, Psal. 103. 25 : *Hoc mare magnum et spatiosum manibus ; illic reptilia quorum non est numerus.* Sic sensus erit, q. d. Itane, Domine, nos fideles barbaro Chaldæo quasi pisces, qui non sunt nisi vilia et misera reptilia maris, expiscandos et devorandos trades ? Itane nos, qui sumus tuum peculium tuaque hæreditas, immani tyranno quasi lautum piscium epulum objicies ? Itane Israelem dilectum tuum, ferissimæ huic bestiæ glutiendum appones, ut eam tam pretiosa esca sagines ? Absit, Domine, absit. Sic Pii II. Pontificis gnome erat : *Litigatores sunt aves, forum area, judex rete, advocati aucupes. Quocirca dignitatibus viri dandi sunt, non dignitates hominibus. Grave est Pontificis onus ; sed beatus, qui id bene fert.*

15. Totum,] puta totam piscium prædam, totum piscabile, nimirum omnes pisces, hoc est, omnes gentes expiscatus est magnus hic piscator, scilicet Nabuchodonosor suo hamo, sagena et reti. Vox *totum* notat insatiabilem ejus avaritiam et rapacitatem, ob quam dum totum rapuit, totum perdidit, juxta illud S. Cypriani, l. 5. epist. 2 : *Dum insatiabiles multum volumus, totum perdimus.* Et illud : *Camelus desiderans cornua, etiam aures perdidit.* Verissimum est ergo illud paradoxum : *In dubiis, dimidium plus est toto.* De quo Hesiodus : *Stolidi*, ait, *ignorant quanto plus dimidium sit toto.* Fit enim sæpe ut qui plus cupide appetit, etiam id quod habet amittat. Videre id est in litigantibus, qui dum totum cupiunt, sæpe totum perdunt, vel per sententiam judicis, vel per immanes sumptus quos in litem insumunt, juxta illud Eccles. 4. 6 : *Melior est pugillus cum requie, quàm plena utraque manus cum labore et afflictione animi.* Et illud Proverb. 15. 16 : *Melius est parum cum timore Domini, quàm thesauri magni et insatiabiles.* Et cap. 16. 8 : *Melius est parum cum justitia, quàm multi fructus cum iniquitate.* Et Eccli. 14. 9 : *Insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis : non satiabitur donec consumat arefaciens animam suam.* Vere Philosophus : *Omnis virtus est mediocritas.* Et dives est, animus suis contentus, sibique sufficiens : pauper, qui plura cupit. Pittacus, cùm Mitylenæi ei multa offerrent, pauca tantum accepit, dicens : *Parva munera sunt divina, quibus nemo invidet : locupletia, solent non esse propria.* Ita Probus in Thrasybulo.

In hamo sublevavit.] Hamus est instrumentum aduncum cui esca appenditur ; quam dum glutiunt pisces, unco se induunt et infigunt, itaque hamo à piscatore ducuntur et extrahuntur, Unde hamata munera vocantur, quæ ita dantur.

ut majora ad se alliciant, et, ut vulgo dicitur: Pisciculo piscem capiunt; dant enim parva, ut magna recipiant. Sagena est rete, sed minus, v. g. quod unus piscator utraque manu expandere, ac rursum elevare et attrahere potest. Rete est majus. Quare per hamum, sagenam et rete significatur instrumentum piscationis parvum, majus et maximum. Per omnia hæc intelligit vires et copias Nabuchodonosoris, quibus gentes capiebat et quasi expiscabatur. Totus enim ejus exercitus erat primo, quasi hamus unus in manu Nabuchodonosoris, utpote totus ab eo dependens, in ejusque potestate et manu positus; idem tamen ob innumeros milites, cohortes et turmas, erat quasi ingens sagena et rete, ex plurimis filis et ocellis contextum. Secundo, quia ipse parvas urbes parvis copiis quasi hamo, magnas magnis quasi sagena et reti capiebat. Ita S. Hieron. Tertio, per hæc tria alludit ad tres expeditiones, quas in Judæam fecit Nabuchodonosor. Nam primo, anno regni sui 3. invasit eam; sed paucos, puta Danielem cum sociis, abduxit; Daniel. 1. 1; tunc ergo quasi hamo piscatus est. Secundo, anno regni sui 8. rediit, et Joakim regem occidit, filiumque ejus Joachin, sive Jechoniam cum multis aliis captivos in Babylonem abduxit, hæc ergo fuit piscatio per sagenam. Tertio, anno regni sui 18. Jerusalem cepit et evertit, Sedeciam regem exoculavit, filios ejus aliosque principes occidit, cæteros omnes in Babylonem transtulit, 4. Reg. 25. Hæc ergo piscatio fuit per rete, qua uti totam Judæam, ita et reliquas gentes conclusit, evertit, comprehendit. Denique Ribera per hamum accipit dolos et tegnas, per sagenas et retia apertam violentiam Nabuchodonosoris. Hamus enim, utpote exiguus, occultior est retibus, et occultius piscem expiscatur.

Nota. Sagena Græcis est genus retis piscatorii: Latini *verriculum* vocant, eo quod pisces è mari vel flumine quasi everrat, et in se, suî scilicet angulum, congreget, de qua Manilius l. 5:

Excipitur vasta circumvallata sagena.

Unde explicans subdit: *Et congregavit in rete suum.* Dum enim sagena à piscatoribus per mare vel fluvium trahitur, illudque verrit, pisces eam fugientes congregantur in retia arctata et angulata, certis locis disposita, ad quæ eos propellit sagena. Per hamum ergo, sagenam et rete, quibus piscatores impedicant et illaqueant pisces, significat omnes artes, copias et machinas; tum minores, tum majores, quibus Nabuchodonosor usus est ad debellandas et capiendas omnes gentes. Unde Delrio, adagio 1000: Hamo, inquit, sigillatim captis oppidis videntur cives sublevari, sagena vero attrahi simul tota gens in captivitatem abducta. Secundo, per hamum, utpote parvum et occultum, accipi possunt ejus technæ, doli et stratagemata; per sagenam et rete publicum, aperta vis et prælia. Tertio, alii per sagenam et rete accipiunt idola, puta Belum, cui victorias suas adscribebat Chaldæus. Unde subdit: *Propterea immolabit sagenæ suæ, et sacrificabit reti suo,* puta Belo. Ita Remig. et Lyran. Quarto, S. Hieron. et Remig. ita hæc tria discriminant: *Ut piscator quod hamo non potuit, reti comprehendat, et quod evaserit rete, sagenis latioribus circumdetur; ita Nabuchodonosor quod minoribus copiis vincere non potuit, majoribus debellavit, adeo ut cuncta vastarit, et universum hominum genus prædam fecerit.* Paulo aliter Chaldæus: *Omnes,* inquit, *similes sunt piscatori, qui cum ceperit piscem, hamo colligit eum in sagena sua, et projicit eum in rete suum.* Apposite Nabuchodonosorem comparat piscatori, quia ipse regnabat in Babylone, quæ adjacet Tigri et Euphrati: exercitum ejus sagenæ, quia Judæos et gentes quasi pisces circumdedit, evertit et cepit. Præclare Sapiens Eccles. 9. 12: *Nescit,* inquit, *homo finem suum; sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur: sic capiuntur homines tempore malo, cùm eis extemplo supervenerit.*

16. Propterea immolabit sagenæ suæ.] Per sagenam S. Hieron. et alii intelligunt deum Chaldæorum, cui ipsi victorias suas acceptas ferebant, eique in gratiarum actionem immolabant: deum autem hunc esse Belum. Guevara vero censet deam hanc esse Dercetem, Semiramidis reginæ matrem, quam Syri fabulantur in piscem esse conversam: quocirca eam pingebant facie mulieris, quoad cætera effigie piscis, eique insigne templum ad Ascalonem juxta lacum piscibus plenum statuerunt. Hanc proinde Plinius Atargatim prodigiosam vocavit; erat enim monstrum conflatum ex muliere et pisce. Athenæus auctor est atargatim syriace dictam ab *atar,* id est sine, et *gatis,* id est piscis, q. d. Sine piscibus; eo quod piscium abstinentia coleretur. Sunt qui putant Dagon deum Palæstinorum, de quo 1. Reg. 5. 4, eumdem esse cum Dercete; nam Dagon hebr. piscem significat, et piscis formam habebat. Ita ex Diodoro, Xenophonte, Plinio, Cicerone, et Ovidio Guevara qui proinde censet hîc esse metonymiam; nam sagenam ac rete pro piscibus usurpari. Cujusmodi est illud Virgilii: *Nunc pateras libate Jovi,* id est, vinum contentum in pateris. Porro piscem, puta Dercetem, præ aliis Chaldæorum diis hîc nominari hac ratione, q. d. Nabuchodonosor suas victorias acceptas referet, non tantum regi Belo, sed et mutis piscibus (puta Derceti) eisque sacrificabit; quod quàm stultum sit, quis non videt? Quomodo enim pisces imbelles alios defendant, qui se à piscatoribus defendere nequeunt, quin quoties libuerit, eorum sagena et reti capiantur? Vide ergo, ô Domine, hanc ejus stolidam impietatem, ac tuæ injuriæ et divinitatis zelotes eam ulciscere, nosque tibi devotos è manibus et unguibus ejus libera. Hæc Guevara. Verum quia Dercete erat Syrorum dea, non Chaldæorum (horum enim idolum erat Bel); et quia sagenam hanc explicans Propheta subdit: *Propter hoc ergo expandit sagenam suam;* non autem expandit deam suam, sed suas copias: hinc melius magisque genuine per sagenam accipias industriam militarem, arma, vires et exercitus Nabuchodonosoris, quibus ipse acceptas ferebat suas victorias, q. d. Mea virtute bellica tot peperi triumphos; illa ergo mihi Deus est, alium non agnosco. Unde Chald. vertit: *Propterea sacrificat armis suis, et adolet aromata retiaculo suo.* Sic Mezentius ait apud Virgil. 10. Æneid.

Dextra mihi Deus, et telum quod missile libro.

Tales etiamnum videmus principes politicos et atheos. Et Antiochus, vel potius Antichristus, colet Deum Moazim, id est fortitudinem, puta vires suas bellicas, Daniel. 11. 38. Ita Ribera, Emmanuel Sà, Mariana et alii. Aliter hæc explicat Joan. Alba Electorum, cap. 65. nimirum:

Sagenæ suæ, et reti suo, inquit, positum est pro, *de sagena sua, et de reti suo,* q. d. Immolat, scilicet diis suis, illis offert sacrificia de sagena et reti suo, id est, de spoliis gentium, quas expiscatus est, id est, vastavit et spoliavit. Verum hic multa supplendo evertit versionem Vulgatam: immolare enim reti est reti ipsi sacrificare, non diis de reti. Quis enim aliter hanc phrasin intelligat?

Quia in ipsis incrassata est pars ejus,] q. d. Pingues lautasque epulas, scilicet omnium gentium selectas opes, quasi partem sortemque suam, sibi hac sua sagena et reti comparavit. Unde iis inescatus, non cessat eam ulterius semper expandere, ut plura regna capiat, et imperium suum longe lateque propaget. Hoc est quod ait: *Et cibus ejus electus.* Tropolog. S. Theophilus Alexand. epist. 2. Paschali: *Cibus,* inquit, *diaboli, negatores Dei sunt, Habacuc loquente, Escæ ejus electæ: cibus autem omniùm impiorum exsecrabilis ipse diabolus, Prophetæ vaticinio concrepante: Dedisti eum escam populis Æthiopum.*

Nota: Caute hîc sub finem capitis legendus est S. Hieron. videtur enim negare Deum habere cognitionem et providentiam piscium, culicum et rerum minutarum; qui est error manifestus: Deus enim curat et pascit passeres, lilia, fœnum, etc. uti ait Christus Matth. 6. 26. et 30. et Matth. 10. 29. Quare ab eo purgandus est S. Hieron. duplici titulo: priore, quod loquatur de cognitione non qualibet, sed ea duntaxat, quam Deus de novo, novis piscibus et culicibus nascentibus, acquirat, uti nos acquirimus. Hæc enim temporalis est; unde non est in Deo: Deus enim ab æterno, simul et semel omnia futura cognovit. Posteriore, quod velit dicere Deum ex parte effectus non tantam habere providentiam et curam piscium, quantam habet hominum, quibus majora dat auxilia et beneficia, ac præsertim majorem constituit custodiam Angelorum: quisque enim homo habet Angelum custodem, non autem quilibet piscis. Id velle S. Hieronymum colligitur ex ipsis ejus verbis, dum ait: *Cæterum absurdum est ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat* (ut scilicet experiendo et numerando discat, quasi ante nescisset; hoc enim dedecet ejus majestatem: nam alioqui omnis scientia æterna eum maxime decet, illique est propria, aut potius, *ut sciat,* id est, ut scire curet et satagat, ut peculiari intuitu advertat, ut scientiam oculumque suum attentus et sollicitus iis affigat, sicut affigit homini) *per momenta singula, quot nascantur culices, quotve moriantur, quæ cimicum, et pulicum, et muscarum in terra sit multitudo, quanti pisces in aqua natent, et qui de minoribus majorum prædæ cedere debeant. Non simus tam fatui adulatores Dei, ut, dum potentiam ejus ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eamdem rationabilium quàm irrationabilium providentiam esse dicentes. Ex quo liber ille apocryphus stultitiæ condemnandus est, in quo scriptum est, quemdam Angelum, nomine Tyri, præesse reptilibus; et in hanc similitudinem piscibus quoque, et arboribus, et bestiis universis proprios in custodiam Angelos assignatos.* Ecce hoc est quod intendit S. Hieronymus, scilicet singulos pisces non habere Angelos custodes, aliaque singularia Dei auxilia, quæ habent homines; quo sensu dixit Apostolus 1. Corinth. 9. 9: *Numquid de bobus cura est Deo?* Nam alioqui generalem Dei scientiam et providentiam se extendere ad pisces omnesque creaturas, etiam minutissimas, paulo ante diserte astruit S. Hieronym. uti et in cap. 10. S. Matth. explicans illud: *Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadit super terram sine Patre vestro? Est sensus,* inquit, *si parva animalia et vilia absque Deo auctore non decidunt, et in omnibus est providentia, et quæ in his peritura sunt, sine Dei voluntate non pereunt; vos qui æterni estis, non debetis timere quod absque Dei vivatis providentia.* Tantum ergo hîc negat S. Hieronymus scientiam et providentiam muscarum et piscium in Deo de novo acquisitam, aut potius tam singularem quam habet de hominibus, quasi singulis momentis occupari debeat Deus in pervestigandis, curandis, alendis muscis et piscibus; sicut pastor occupatur in lustrandis et pascendis suis ovibus. Hæc enim scientia et cura indigna est Deo; perinde ac Domitiano Imp. indignum fuit occupari per horas integras numerandis et captandis muscis, neglectis rebus Imperii. Unde proverbium: *Ne musca quidem,* teste Suetonio in ejus Vita. Sufficit enim ad hæc curanda generalis Dei providentia, conservando scilicet et continuando currui universi et naturæ primitus ab eo institutæ; ex eo enim sequitur culicum numerus et series.

17. Propter hoc ergo expandit sagenam suam.] Chald. *Numquid* (hebraice enim est *he* interrogativum) *propterea mittet exercitus suos* (hi ergo sunt ejus sagena) *ut perpetuo consumat gentes, idque sine ulla misericordia?* q. d. Omnino eas mittet, ita S. Hieron. Theodor. Theoph. Remig. Albert. et Hugo. Aliter Clarius, Vatabl. et Arias. q. d. Numquid quia istas expilationes et victorias tribuit viribus suis, permittendus est à te, ô Domine, pergere in hac sua superbia, et expilatione ac strage gentium? q. d. Minime tempus est ut eum deprimas, coerceas et castiges.

Nota: Pro *expandit* hebr. est יריק *iaric,* id est *evacuabit.* Solent enim piscatores retia piscibus plena evacuare, ac deinde ea rursum ad capturam expandere. Ita Nabuchodonosor, unam urbem gentemque debellans, ejus opes evacuabat mittebatque Babylonem; ac rursum aliam gentem suo exercitu invadebat, eamdem simili modo evacuaturus et expiscaturus, id est expilaturus. Est ergo metalepsis: ex antecedenti enim intelligitur consequens, puta ex evacuatione expansio, ex spoliatione unius gentis invasio et spolium alterius.

Moraliter disce hîc quanta sit vis ambitionis et avaritiæ: hæc enim tyrannos in tot rapinas et prælia impulit. Præclare Seneca, epist. 94. sub finem: *Agebat,* ait, *infelicem Alexandrum furor aliena devastandi, et ad ignota mittebat. An tu putas sanum, qui à Græciæ primum cladibus, in qua eruditus est, incipit; qui quod cuique optimum est, eripuit? Lacedæmona servire jubet, Athenas tacere. Non contentus tot civitatum strage, quas aut vicerat Philippus, aut emerat, et alias alio loco projicit, et toto orbe arma circumfert: nec subsistit unquam lassa crudelitas; immanium ferarum modo, quæ plus quàm exigit fames, mordent. Jam in unum regnum multa regna conjecit; jam Græci Persæque eumdem timent; jam etiam à Dario liberæ nationes jugum accipiunt. Idem tamen ultra Oceanum solemque*

indignatur ab Herculis Liberique vestigiis victoriam flectere; ipsi naturæ vim parat. Non ille ire vult, sed non potest stare : non aliter quàm in præceps dejecta pondera, quibus eundi finis est, jacuisse. Deinde ab Alexandro transit ad Pompeium, Cæsarem et Marium : *Nec Cneio quidem Pompeio externa inire bella aut domestica, virtus aut ratio suadebat ; sed insanus amore magnitudinis falsæ, modo in Hispaniam et Sertoriana arma, modo ad colligendos piratas, ac maria pacanda vadebat. Hæ prætexebantur causæ, ad continuandam potentiam. Quid illum in Africam? quid in Septentrionem? quid in Mithridatem et Armeniam, et omnes Asiæ angulos traxit? Infinita scilicet cupido crescendi, cum sibi uni parum magnus videretur. Quid C. Cæsarem in sua fata pariter ac publica immisit? gloria et ambitio, et nullus supra cæteros eminendi modus. Unum ante se ferre non potuit, cum Resp. supra se duos ferret. Quid tu C. Marium semel consulem (unum enim consulatum accepit, cæteros rapuit), cum Theutonos Cimbrosque concideret, cum Jugurtham per Africæ deserta sequeretur, tot pericula putas appetisse; virtutis instinctu? Marius exercitum, Marium ducebat ambitio. Isti cum omnia concuterent, concutiebantur turbinum more, qui rapta convolvunt, sed ipsi ante volvuntur, et ob hoc majore impetu incurrunt; quia nullum illis sui regimen est. Ideoque cum multis fuerint mali pestiferam illam vim, qua plerisque nocuerunt, ipsi quoque sentiunt. Non est quod credas quemquam fieri aliena infelicitate felicem.*

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Habacuc, cap. præcedenti, audiens a Deo Chaldæos excisuros Jerusalem ob ejus scelera, indoluit, excidiumque deprecatus est v. 12, conquerens non decere ut fidelibus dominentur infideles, eosque disperdant. Hic querelæ ejus occurrit Deus, dans novum lætumque oraculum de Chaldæorum excidio. Respondet ergo se Chaldæos, postquam per eos punierit Judæos aliasque gentes, illico perditurum, ac puniturum eorum tyrannidem, quam in populum Dei exercuerunt. Unde v. 6. pangens Nabuchodonosori carmen lugubre, multiplex væ ejus arrogantiæ, avaritiæ et rapinis intentat. Denique v. 18. docet eum frustra in suo Deo Belo confidere, cum is non sit nisi simulacrum mutum, pictum et fictum : Dominus autem, inquit, in templo sancto suo, sileat a facie ejus omnis terra.

1. Super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem : et con-
templabor, ut videam quid dicatur mihi et quid respondeam ad arguentem
me. 2. Et respondit mihi Dominus, et dixit : Scribe visum, et explana
eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum. 3. Quia adhuc visus pro-
cul, et apparebit in finem, et non mentietur ; si moram fecerit, exspecta
illum, quia veniens veniet, et non tardabit. 4. Ecce qui incredulus est,
non erit recta anima ejus in semetipso : justus autem in fide sua vivet.
5. Et quomodo vinum potantem decipit : sic erit vir superbus, et non decorabitur : qui dilatavit
quasi infernus animam suam : et ipse quasi mors, et non adimpletur : et congregabit ad se
omnes gentes, et coacervabit ad se omnes populos. 6. Numquid non omnes isti super eum para-
bolam sument, et loquelam ænigmatum ejus ; et dicetur : Væ ei qui multiplicat non sua ! usque-
quo et aggravat contra se densum lutum ? 7. Numquid non repente consurgent qui mordeant
te : et suscitabuntur lacerantes te, et eris in rapinam eis ? 8. Quia tu spoliasti gentes multas,
spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis, propter sanguinem hominis, et iniquitatem
terræ civitatis, et omnium habitantium in ea. 9. Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ,
ut sit in excelso nidus ejus, et liberari se putat de manu mali ! 10. Cogitasti confusionem domui
tuæ, concidisti populos multos, et peccavit anima tua. 11. Quia lapis de pariete clamabit : et
lignum, quod inter juncturas ædificiorum est, respondebit : 12. Væ qui ædificat civitatem in
sanguinibus, et præparat urbem in iniquitate ! 13. Numquid non hæc sunt à Domino exerci-
tuum ? Laborabunt enim populi in multo igne, et gentes in vacuum, et deficient. 14. Quia
replebitur terra, ut cognoscant gloriam Domini, quasi aquæ operientes mare. 15. Væ qui

potum dat amico suo, mittens fel suum, et inebrians ut aspiciat nuditatem ejus! 16. Repletus es ignominia pro gloria: bibe tu quoque, et consopire: circumdabit te calix dexteræ Domini, et vomitus ignominiæ super gloriam tuam. 17. Quia iniquitas Libani operiet te, et vastitas animalium deterrebit eos de sanguinibus hominum, et iniquitate terræ, et civitatis, et omnium habitantium in ea. 18. Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus, conflatile, et imaginem falsam? quia speravit in figmento fictor ejus, ut faceret simulacra muta. 19. Væ qui dicit ligno: Expergiscere: Surge, lapidi tacenti: numquid ipse docere poterit? Ecce iste coopertus est auro et argento: et omnis spiritus non est in visceribus ejus. 20. Dominus autem in templo sancto suo: sileat à facie ejus omnis terra.

1. Super custodiam meam stabo.] Symmachus: *Quasi custos super speculam stabo;* Chald. *Super vigiliam meam sto paratus*, q. d. Ego quasi excubitor, stabo vigil in excubiis meis, nimirum: *Figam gradum super munitionem meam;* hoc enim idem est quod: *Super custodiam meam stabo.* Pro *munitionem* hebr. est מצור *matsor*, quod Theodotion vertit, *gyrum;* Aquila, *circinum;* Symmachus, *conclusum;* Septuag. *petram;* quæ omnia eòdem recidunt. *Matsor* enim proprie significat arcem, vel locum natura arteve munitum, murisque per gyrum cinctum et conclusum, in quo milites excubant, in turriculis, vel propugnaculis, ne hostis in ea irrepat et occupet. Est metaphora à militibus et vigilibus qui in statione sua excubant; ut partem munitionis vel munium sibi commissam vigilanter et attente custodiant, q. d. Ego Habacuc strenuus ero et attentus in officio meo, perinde ac si mihi commissa esset munitio aliqua servanda; instar excubitoris in statione mea, puta in circulo excubiarum mearum, vigil consistam, ut inde speculer oculis, et auribus attendam quid querelæ meæ et deprecationi de Chaldæorum in Judæos tyrannide, sive per visum, sive per vocem respondeat Deus. Unde S. Hieron. sic explicat: *Stabo*, inquit, *in specula mea, id est in prophetiæ meæ sublimitate, et videbo, post captivitatem populi, et eversionem civitatis et templi, et deinceps, quid sequatur; vel certe ita: Custodiam omni diligentia cor meum, et stabo super Christum petram.* Sed hoc posterius mysticum est, non litterale. Denique Arabicus vertit: *Stabo, et gradatim incedam super saxum*, uti faciunt excubitores, ut pellant frigus, et tempus fallant.

Mystice, *custodia* primo, est secretum et secessus, in quo animæ silenti et collectæ loquitur Deus. Audi Cyrillum: *In exercitatione et consuetudine mea excubabo, animum rursum purgabo, curis mundanis exsolvam, sursum quodam modo volabo, ut in petram, hoc est, in stabilitatem quamdam, et velut in sublimi sitam securitatem cogitationum. Illic ceu ex jugo montis speculabor per intellectum, quæ Deus mihi locutus fuerit.* Et S. Bernard. Homil. in hæc verba Habacuc: *Et nos ergo fratres, obsecro, super custodiam nostram stemus, quoniam tempus militiæ est. Neque in sterquilinio hujus miseri corporis, sed in corde, ubi Christus habitat; in judicio et consilio rationis sit conversatio nostra: ita sane ut non in ipsa habeamus fiduciam, aut fragili innitamur custodiæ; sed figamus gradum in munitione firmissimæ petræ, Christo totis viribus innitentes, sicut scriptum est: Qui statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos.*

Secundo, *custodia* est status, gradus et officium, in quo vel per se, vel per Superiores nos posuit Deus, ut eum custodiamus et exerceamus. Ibi loquitur, ibi operatur: extra eum silet et quiescit. Qui ergo vult Deum audire, in statu suo maneat, alium non ambiat: officium, in quo eum posuit obedientia, non deserat; sed strenue et constanter illud obeat. Ita Sanchez.

Et quid respondeam ad arguentem, id est arguenti, me.] Ex Hebræo sic primo, vertunt Theodor. Theophil. Pagnin. et Vatabl. *Et quid respondeam ad disceptationem meam*, vel *ad argumentum meum: meum*, id est, mihi propositum ab improbis, qui putant Deum non habere curam rerum humanarum, eo quod prosperet et fortunet impios, q. d. Exspectabo responsum Dei, ut ex eo respondeam improbis, qui ejus providentiam suo hoc argumento impugnant et accusant.

Secundo, Chald. sic vertit: *Quid respondebitur ad deprecationem meam.* Unde à Castro sic exponit, q. d. Ut audiam quid respondeat Deus ad meam humilem et mitem expostulationem, seu argumentationem, et ex animo sincero prodeuntem correptionem. Verum Hebr. Septuag. et Noster habent: *Quid respondeam,* scilicet ego, non *quid respondeat*, scilicet Deus.

Tertio et genuine, Noster vertit: *Quid respondeam ad arguentem me*, hoc est quid respondeam Deo, qui, ut præsagit mihi animus, me arguet, quod questus sum de ejus providentia, qua sinit impios Chaldæos vastare Jerusalem. Sed ego illico cogitabo quid Deo arguenti respondeam et replicem. Unde Hebr. est: *Quid respondeam correptioni*, vel *redargutioni meæ*, q. d. Scio quod Deus meam libertatem redarguet; sed ego redargutioni huic meæ modeste replicabo quod mens suggeret: gestit enim animus dolens et æger de hac impiorum felicitate disserere et disputare. Simili modo Job afflictus disputavit cum Deo, cap. 13. 3. Sicut ergo miles et excubitor, obsessus ab hoste, cum eo de munitionis deditione disputat argumentis, vel verborum et rationum, vel verberum et telorum; ita Philosophus et Theologus argumentans et disputans cum altero de aliqua quæstione, v. g. de Dei providentia, de impiorum felicitate, etc. intendit et excubat ut audiat, quid suo argumento ab eo qui thesin defendit, respondeatur; ut illico responsionem ejus novo argumento impugnet. Ardet enim ejus animus ad disserendum, et ad confligendum argumentis, non bellicis, sed scholasticis. Ita ardet hic Propheta disserere cum Deo, eique arguenti replicare. Ita S. Hieronymus, Albertus et Lyranus. Porro notat S. Hieronymus aitque: *Eleganter autem, et*

miro sensu humanam describit impatientiam, quam in disceptationibus semper habere consuevimus, ut antequam nobis ex adverso aliquis respondeat, et sciamus in quo nos arguerit, ad respondendum paremur. Ex quo ostenditur responsionem non rationis esse, sed contentionis. Si enim esset ratio, responsio debuerat exspectari; et sic videri utrum respondere deberet, an consentire rationabili responsioni. Quare Deus benignissimus, molli et consolatoria sua responsione, frangit hunc Prophetæ disputandi ardorem, adeo ut ipse, ea partim confusus, partim consolatione plenus, non habeat quod replicet, sed obmutescat, imo cap. seq. in hymnum et doxologiam Dei erumpat.

2. Scribe visum, id est rem visam, puta prævisam prophetiam, quam tibi nunc revelo et ostendo de Chaldæorum interitu, et Judæorum è Babylone liberatione. Scribe, inquam, tum pro præsentibus, tum potius pro posteris, quos hæc res tanget : illi enim ituri sunt in Babylonem, indeque redituri; ut ex hoc tuo oraculo id resciant, indeque consolationem et certam reditus spem concipiant : ideoque ut omnibus hoc innotescat, jubeo illud scribi, non in libro, qui claudi et seponi solet; sed in tabulis apertis et expansis, quæ publice cuilibet ad legendum proponuntur. Unde subdit : Explana eum (scilicet *visum*) super tabulas, ut percurrat, qui legerit eum,] ut scilicet legens eum, facillime percurrere et perlegere possit; Vatabl. *Clare explicat eam* (visionem) *in tabulis, ut festinato et expedite pergat, qui eam legerit;* Septuag. *Scribe visionem manifeste in buxum, ut currat qui legit ea.* Olim enim non erat cognitio nec usus chartæ vel pergameni; sed scribebant in tabulis ligneis, præsertim è buxo, quia buxus mollis est, et facile characteres recipit. Ægyptii deinde tempore Alexandri Magni scribere cœperunt, teste Plinio lib. 13. cap. 11. in tabulis, vel phylluris arboris, quæ ibi frequens est vocaturque *papyrus;* indeque charta nostra quæ fit è linteis contusis (quia eumdem, imo commodiorem scribendi usum præbet) vocatur *papyrus :* nam papyro veterum successit, uti dixi Exodi 2. 5. Porro in hisce tabulis scribebant, vel nudis, vel cera obductis. In nudis incidebant characteres. Ita Beda in Collectaneis et floribus, ait titulum crucis Christi buxo fuisse inscriptum; itaque revera esse meis oculis conspexi. Vidi enim sæpius titulum crucis, qui à S. Helena Hierosolymis Romam translatus, repositus est in Ecclesia S. Crucis in Jerusalem. Titulus hic est tabella lignea, in qua nuda incisæ sunt litteræ, quæ quia tabulæ sunt concolores, et quia vetustate extritæ, hinc clare discerni legique nequeunt : unde in alia tabella eædem à Romanis olim descriptæ et expressæ sunt, ut legi possint. Sæpius tamen tabulas has cera obducebant, ac stylo in cera complanata scribebant. Unde Propertius :

> Non illas fixum charas effecerat aurum,
> Vulgari buxo sordida cera fuit.

Hisce stylis pueri et discipuli S. Cassiani Martyris, ipsum præceptorem suum, longa et horrenda morte enecarunt, uti legimus in ejus Vita. Plura de hac re vide apud Guevaram.

3. Qui adhuc visus procul.] Hebr. *Quia adhuc visio in tempus.* Dat causam Deus cur jubeat hunc visum, id est visionem, in tabulis scribi : *Quia,* inquit, *procul est,* q. d. Post multa tempora eveniet. Scribe ergo eam ad memoriam, ut posteri eam legentes ejus expletionem fidenter exspectent : quia esto differatur, certo tamen *apparebit in finem,* hebr. יפח *iapheach*, id est afflabit, aspirabit, anhelabit in finem, ut scilicet cito finiatur et compleatur, per rei prophetatæ eventum, existentiam et apparitionem, se ostendet in fine, id est, tandem tempore à Deo præstituto adveniente, reipsa explebitur.

Quæres : Quis hic visus? quæ prophetia? quem tangit, de quo agit? Aliqui putant ad litteram hìc esse prophetiam de Christo, q. d. Veniet Christus, qui in die judicii injuriantes Chaldæos puniet et damnabit; fideles vero injuriam passos æterna gloria remunerabit. Ita S. Hieron. Theophil. Remig. Rupertus, Clarius et Ribera. Probant, quia S. Paulus citans hunc locum, eum intelligit de Christo, Rom. 1. 17. et Hebr. 10. 38. Verum dico prophetiam hanc ad litteram loqui de Nabuchodonosoris et Babylonici imperii eversione per Cyrum, ac Judæorum è Babylone liberatione. Id ita esse patet ex antecedentibus et sequentibus. Respondet enim Deus Prophetæ querelæ de Chaldæorum in Judæos tyrannide, et prosperitate; eumque consolatur, promittens celerem ejus finem, quem proinde ipse è sua prophetiæ specula, quasi excubitor prospectat et prænuntiat. Ita Cyrill. Theodor. Albert. Arias, Vatabl. et à Castro. Allegor. tamen loquitur de adventu Christi, qui mysticam Babylonem, id est, regnum diaboli confusione plenum, evertens, ex eo veros spirituales Israelitas, id est, fideles et Christianos, eruit in primo suo adventu in carnem; et complete eosdem eruet in secundo suo adventu ad judicium. Id patet ex eo quod Apostolus locis jam citatis hæc accipiat de Christo. Idem innuit τὸ *veniens veniet.* Solet enim Christus, qui venturus est, à Prophetis dici ὁ ἐρχόμενος, id est veniens, ut vertunt Septuag.

Si moram fecerit exspecta illum, scilicet visum, id est, visionem et prophetiam : quia veniens veniet, quia certo implebitur, et non tardabit,] ultra tempus suum sibique à Deo præstitutum, licet Judæis afflictis et impatientibus tardare videatur : captivis enim in Babylone mora 70 annorum videbatur longissima et tardissima : Hæc ergo mora Judæis erat prolixa et sera; Deo vero erat exigua et velox : mille enim anni in conspectu ejus, sunt quasi dies hesterna quæ pertransiit. Aliter Sanchez, q. d. *Exspecta illum,* hoc est, time Nabuchodonosorem, qui brevi veniet puniturus improbos Judæos, qui, ut tu, ô Habacuc, quereris, violenter opprimunt pauperes. Nabuchodonosor enim ulciscens oppressionem pauperum, fuit typus Christi, æque ac Cyrus ulciscens impios Chaldæos qui opprimebant Judæos. Sic exspectare, non desiderare, sed timere significat. Psalm. 68. vers. 21 : *Improperium exspectavit cor meum et miseriam.* Et Æneid. 1 :

> At sperate Deos memores fandi atque nefandi.
> Sperate,

id est timete. Et lib. 4 :

> Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.

Verum non videtur hoc ad mentem Prophetæ, qui de Nabuchodonosore queritur quasi de ty-

ranno, et oppressore tam piorum quàm impiorum Judæorum, ideoque ejus adventum deprecatur. Hic enim nequit esse typus Christi redemptoris, uti fuit Cyrus liberator Judæorum è Babylone. Consolatur enim hic Deus Prophetam promittendo Cyrum, qui populum Dei captivitate Babylonica; et allegorice Christum, qui eumdem captivitate diabolica liberet; eumque jubet exspectari, quia veniens veniet, ut hac fide et spe vivat, ac se suosque à Nabuchodonosore affligendos sustentet.

4. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus.] Pro *incredulus* hebr. est עפלה *uppela*, id est obtenebratus, arctus, angustus, diffidens, incredulus, impatiens, contentiosus, superbus, præsumptuosus, rebellis : hæc enim vitia omnia inter se connexa sunt, unumque sequitur ex alio. Unde Tigurina vertit : *Ecce arrogantis et fastuosi animus non est in se rectus;* Pagnin. *Viri superbi non est recta anima in eo.* Quod Vatabl. exponit de Nabuchodonosore, hoc modo, q. d. Nabuchodonosor qui non rectam, sed perversam habet animam et mentem, victorias suas non Deo, sed sibi tribuit, in iisque exsultat et superbit : at justus qui rectam habet animam, et recte secundùm Deum vivit, est humilis, non arrogans; quia Deo humiliter omnia bona adscribit, non sibi. Rectam enim habere animam, est recte sentire de Deo, rectam de Deo habere fidem. Opponit enim incredulum, qui non habet animam rectam, fideli et justo, qui in fide sua vivit, q. d. Fidelis fidenter et recte vivit, in sua recta opinione et fide, quam de Deo conceptam habet : infidelis autem et incredulus pravam de Deo habet opinionem et fidem; unde in ea recte et confidenter vivere nequit. Secundo, R. Moses, quem sequitur Christ. à Castro, hæc exponit de Sedecia et Jechonia sic, q. d. Sedecias aliique Judæi increduli, qui jubente Deo per Jeremiam cap. 24. noluerunt se dedere Nabuchodonosori, perversi sunt et peribunt. At Jechonias ejusque asseclæ fideles et justi, qui Dei oraculo obedientes dediderunt se eidem, credentes et sperantes ex ejusdem oraculi promissione, suo tempore liberationem, vitam et felicitatem, in hac sua fide vivent felices et fortunati : quia bona quæ crediderunt, et sperarunt ex Deo, eis obvenient. Unde R. Moses hebr. *uppela*, vertit : *Abscondit se in arce* עפל *ophel*, quæ erat arx celsa et munita in Jerusalem, q. d. Sedecias cum suis posuit se in Jerusalem, quasi in arce et turri Ophel à Chaldæis inexpugnabili, nec credidit aut speravit in Deo; idcirco peribit. At Jechonias pro turri et arce, pro suo Ophel, habuit Deum, Deique oraculum : cui quia obedivit, idcirco vivet sospes et felix. Verum hic sensus arctior videtur; præsertim quia de Sedecia et Jechonia nulla hic fit mentio.

Tertio, ergo genuine et adæquate sensus est, q. d. Qui hisce meis oraculis de Judæorum è Babylone liberatione per Cyrum, et alleg. de hominum liberatione per Christum, incredulus est, ideoque injustus et impius, hic non habet animam rectam, ideoque displicet Deo, ut vertunt Septuag. et ex iis S. Paulus Hebr. 10. 38. ac consequenter vera, recta, pacata, felicique vita fidei, spei, gratiæ et gloriæ non vivet; tum quia me habet infensum; tum quia in hominibus rebusque creatis, spem suam æque ac metum reponit : quocirca nunc à spe, nunc à metu huc illucque agitabitur, vitamque aget fluctuantem, ærumnosam et infelicem. At vero fidelis et justus, qui credit Deo et meis hisce ex Deo prophetiis, de liberatore Cyro, et alleg. de Salvatore Christo; hic vivet vita recta, sancta et felici, quia in Deo, qui vera est vita, ejusque promissis defixus, illi charus, cordi et curæ erit. Unde vertit : *Ecce impii dicunt in corde suo: Non erunt hæc omnia*, quæ per Habacuc prædicit et promittit Deus; *sed justi in veritate ejus*, puta in fide et fidelitate Dei, *firmabuntur*. Et Symmach. *Justus autem per fidem suam propriam vivet*. Ita S. Hieron. Remig. Rupert. Hugo et Lyranus.

Nota : Hebr. *uppela* est femininum ; Noster tamen vertit masculine *incredulus ;* quia Hebræi sæpe utuntur enallage generum, unumque genus ponunt pro alio, præsertim cum aliud sequitur ; esto illud proprie id quod præcedit non referat, nec respiciat. Adde, ad verbum, servando genus hebræum, illudque concordando, sic vertas : *Non erit recta anima ejus, cujus est incredula ;* vel impatiens et superba.

Nota secundo antithesin ; opponit enim incredulum credenti et justo, quod ille non habeat animam rectam, hic vero habeat ; puta in fide sua vivat. Unde sequitur animam hic metonymice capi pro vita, q. d. Incredulus habet animam, id est vitam, non rectam, sed distortam, anxiam, miseram et infelicem ; justus autem in fide et spe sua agit vitam rectam, puta lætam, quietam, sanctam et felicem. Rectitudo ergo animæ est justi vita, quæ in duobus consistit.

Primo, in constanti tolerantia adversitatum et afflictionum, v. g. captivitatis Babylonicæ, ad quam directe hic respicit Propheta ; proprie enim vult significare Judæos, qui constanter eam tolerabunt, suscipientes eam de manu Dei, pro pœnitentia suorum peccatorum, ac longanimiter, sed certo exspectantes ejus finem post 70 annos, juxta promissa Dei : rectam habituros animam, id est, in captivitate vitam acturos patientem, tranquillam, serenam ; cum alii in eadem impatientes, et diffidentes se unquam ex ea liberandos, habebunt animam distortam, pravam et miseram ; vitamque vivent infelicem, mille enim rumoribus, mille timoribus, tristitiis, angoribus, desperationibus jugiter huc illucque jactabuntur, eo quod non credant nec fidant Deo ejusque Prophetis, ut Habacuc promittenti hanc liberationem. Fideles enim per fidem et spem promissæ liberationis, ærumnas omnes fortiter tolerant et superant ; hæc enim fides et spes mentem corroborat ad omnia tristia fortiter sustinenda, uti docet Apostolus toto c. 11. ad Hebræos : *Fides*, inquit, *est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei. Fide Henoch translatus est, etc. Qui* (heroes veteris testamenti) *per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, lapidati sunt, secti sunt, etc.*

Secundo, rectitudo animæ, justique vita est sublimior, nimirum divina ; qua anima fidelis, per fidem et spem sustinens captivitatem, et tribulationes à Deo immissas, credens, et sperans, quod Deus uti promisit ex iis liberationem, ita et certo eam præstabit suo tempore, grata est, placetque Deo, utpote patiens et resignata in Dei voluntatem, ideoque deiformis

et sancta ; cum ex adverso incredulus et diffidens Deo, per hanc suam diffidentiam, displiceat ei pecce tque, et idcirco mereatur in sua tribulatione, diffidentia ac desperatione relinqui, imo novis tam in hac vita, quàm in futura afflictionibus puniri. Hoc ita esse patet ex versione Septuag. *Si subtraxerit*, inquit, *se*, *non complacebit anima mea in eo*, *justus autem ex fide mea vivet.* Ita passim interpretes. Idem patet ex Apostolo Roman. 1. 17. et Hebr. 10. 38. ubi docet justum ex fide vivere, id est justificari. Vide ibi dicta.

Ubi nota : Septuag. pro ו legentes י, puta pro באמונתו *beemunato*, id est *in fide sua*, uti legunt Hebr. Aquila, Symmach. et Theodot. legentes באמונתי *beemunati*, vertunt, *in fide mea ;* sed eòdem redit sensus. Eadem enim est fides nostra, quæ Dei ; fides enim est nostra, subjective ; eadem est Dei, objective ; pro objecto enim habet Deum. Ratio enim formalis credendi in fide, est prima et increata Dei veritas, quæ falli aut fallere nequit. Ideo enim certo credimus ea quæ Prophetæ prædixerunt, esse vera, et reipsa eventura ; quia Deus, qui est ipsissima veritas, ea per Prophetas nobis revelavit et promisit.

Anagog. rectitudo animæ justique vita perficitur in cœlo, ubi ob meritum tolerantiæ, fidei et spei, donabitur gloria æterna, quæ plenam animæ, et potentiis omnibus dabit rectitudinem, vitamque cœlestem jucundissimam et beatissimam.

Moral. Disce hìc quanta sit virtus fidei et spei, quæ omnia adversa superat, facitque animam rectam, eique dat vitam serenam, lætam et divinam. Viderunt id per umbram Gentiles. Unde Bias, rogatus *quid esset dulce hominibus*, respondit : *Spes.* Ita spes suscitat colonos, ut constanter sustineant labores arandi, fodiendi, occandi, serendi, sarriendi, etc., exspectatione messis. Ita victoriæ et spoliorum spes acuit milites ad fortiter pugnandum, ad verbera et vulnera omnia generose excipienda. Alexander Macedo, apud Granicum cum copiis Darii conflicturus, hortabatur Macedones ut affatim pranderent, quasi postridie ex hostium commeatu cœnaturi. Nimirum victoriam certa spe præceperat, et vicissim spes hæc accendebat milites ad dimicationem, ut ea victoriam pararent. Idem in bellum profectus, cum regias opes in duces et milites distribuisset, roganti Perdiccæ : *Quid tibi nunc rex superest ? Spes*, inquit. Tum Perdicca : *Hæc nobis commilitonibus tuis futura est communis ;* quare prædium, quod ipsi designarat Alexander, recusavit : *Tanta erat fiducia bene successuram expeditionem*, ait Plutarchus in Alexandro. Divinius Jacob Patriarcha : *Salutare tuum*, inquit, *exspectabo, Domine;* Genes. 49. et Job cap. 13 : *Etiamsi me occiderit*, *in ipso sperabo;* Sapiens Proverb. 3. 5 : *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo ;* et cap. 16 : *Qui sperat in Domino*, *beatus est ;* Eccles. cap. 2 : *Qui timetis Dominum*, *sperate in illum*, *et in oblectationem veniet vobis misericordia ;* et cap. 11 : *Confide in Domino*, *et mane in loco tuo ; facile est in oculis Dei*, *subito honestare pauperem ;* Jerem. cap. 17 : *Benedictus vir qui confidit in Domino*, *et erit Dominus fiducia ejus ;* Thren. 3 : *Pars mea Dominus*, *dixit anima mea*, *propterea exspectabo eum. Bonus est Dominus sperantibus in illum*, *animæ quærenti illum ;* Michæas cap. 7 : *Ego ad Dominum aspiciam*, *exspectabo Deum salvatorem meum*, *audiet me Deus meus ;* S. Paulus Rom. 8 : *Spe salvi facti sumus ;* et cap. 12 : *Spe gaudentes*, Psalm. 31 : *Sperantem in Domino misericordia circumdabit*, Proverb. 28 : *Qui sperat in Domino salvabitur*, Isaiæ 57 : *Qui fiduciam habet meî*, *hæreditabit terram ;* Psalm. 26 : *In Domino sperans*, *non infirmabor ;* audi et Patres. S. August. in psal. 3 : *Vita vere mortalis*, *spes est vitæ immortalis ;* S. Gregor. *Spes in æternitatem animum erigit*, *et idcirco nulla mala exterius*, *quæ tolerat*, *sentit ;* S. Bernard. serm. 9. in Psalm. *Qui habitat: Tu es, Domine, spes mea, quidquid agendum, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid operandum*, *tu es*, *Domine*, *spes mea ; hæc una mihi omnium promissionum causa*, *hæc tota ratio meæ exspectationis. Prætendat alter meritum*, *etc. mihi autem adhærere Deo bonum est*, *et ponere in Domino Deo spem meam ;* et rursum : *Si insurgant adversum me prælia*, *si sæviat mundus*, *si fremat malignus*, *si ipsa caro adversus spiritum concupiscat*, *in te ego sperabo. Ut quid cunctamur omnino abjicere spes miseras*, *vanas*, *inutiles*, *seductorias ; et huic uni*, *tam solidæ quàm perfectæ : tam beatæ spei*, *tota devotione animi*, *toto fervore spei inhærere ?* Idem serm. 10 : *Tu es patientia mea*, *si tribulatio infertur per te sperabo*, *tu es spes mea ; si præmia promittantur*, *per te obtinebo ; si insurgat hostis, non nisi in te sperabo.*

S. Carolus Borromæus reformaturus congregationem quamdam, cum à suis moneretur ut eam non adiret, in ea enim illi insidias necemque parari, respondit : *Ergone Deus in mundo est pro nihilo ? imo vero ibo : Deus cujus causam ago*, *tutabitur me ; quod si nolit*, *lubens pro eo occumbam.* Quocirca hoc fidei et spei suæ præmium à Deo tulit, ut ibidem sclopo appetitus, glans ferrea vestem penetrarit, sed in cute hæserit, quasi vi divina repulsa, ne in corpus Sancti penetraret. S. Joannes Silentiarius irruente Alamundaro Saracenorum rege, cum fugerent cæteri, è cella sua egredi noluit, dicens : *Si Deus meî curam non habet*, *ut quid vivo ?* Unde in meritum hujus suæ confidentiæ, Deus leonem submisit, qui jugiter ei assistens, ipsum contra barbaros tutatus est. S. P. Ignatius fundator Societatis nostræ solebat dicere : *Nescitis quantas vires habeat spes in Deum.* Vires hasce ipse assidue expertus est, cum unius Dei ope fretus, Societatem per orbem adeo feliciter sparsit. Nimirum didicerat illud S. Petri epist. 1. cap. 5. et ex eo S. Bernard. serm. 5. in Vigilia Nativitat. *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum*, *ipsi enim cura est de vobis. Nam sibi quidem ipsi fidere, non fidei, sed perfidiæ est ; nec confidentiæ*, *diffidentiæ magis, in semetipso habere fiduciam. Is vero fidelis est*, *qui nec sibi credit*, *nec in se sperat factus sibi tanquam vas perditum ; sed sic perdens animam suam*, *ut in vitam æternam custodiat eam. Porro id quidem sola facit humilitas cordis*, *ut non sibi fidelis anima innitatur*, *sed deserens semetipsam ascendat jam de deserto*, *innixa super dilectum suum*, *atque adeo deliciis affluens.*

Vis et gnomas Gentilium Sapientum ? Appian. lib. 2. de Bello civili : *Nihil*, ait, *est efficacius spe*, *ad sublevandam hominum lassitudinem ;* Thucid. lib. 7 : *Ut plurimum spes maxima præbet maximam audaciam et promptitudinem ad inva-*

dendum. L. Florus lib. 4. cap. 8 : *Magnæ indolis est, sperare semper ;* Cicero in Catilinam : *Sola spes hominem in miseriis consolari solet ;* Seneca in Epist. *Spes est ultimum adversarum rerum solatium ; memoriæ minimum quisque tribuit , spei plurimum ;* Seneca in Medea : *Qui nil potest sperare , desperet nihil.* Ovidius lib. 1. de Ponto eleg. 7 :

> Hæc dea (*spes*) cum fugerent sceleratas numina terras ,
> In Diis invisa sola remansit humo.
> Hæc facit ut vivat fossor , quoque compede vinctus ,
> Liberaque à ferro crura futura putet.

Tibullus eleg. 2 :

> Jam mala finissem letho , sed credula vitam
> Spes fovet , et melius cras fore semper ait.
> Spes alit agricolas , spes sulcis credit aratis
> Semina , quæ magno fœnore reddat ager.

Denique præclare Laurent. Justin. lib. de Ligno vitæ, cap. 2 : *Spes est quasi columna , quæ totum spirituale ædificium sustentat , qua deficiente ædificium corruit , ac in barathrum desperationis concidit. Est etiam anchora animæ , eam servans ne à procellis tentationum irrumpatur , de qua Apostolus : Firmissimum solatium habeamus , qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ , tutam ac firmam.*

5. Et quomodo.] Hebr. אף כי *aph ki ,* quod Lyran. Arias et Vatabl. vertunt, *quanto magis,* huncque dant sensum , q. d. Si superbus et incredulus Nabuchodonosor , qui non Deo , sed sibi suisque idolis , suas victorias ascribit , vivet vitam non rectam et beatam , sed distortam et miseram ; quanto magis vir vinosus , æque ac superbus et incredulus , puta ejus filius Balsasar , de suo statu , felicitate , et culmine regio corruet? Verum Noster vertit melius : *Et quomodo.* Transit enim Propheta à Judæis incredulis ad Nabuchodonosorem , eorum virgam et flagellum. Hunc ergo comparat ebrio ; tum quia omnes gentes , quasi vinum intemperanter hauriebat , eorumque spoliis se ingurgitabat ; tum quia in modum ebrii bacchantis , non recta incedebat rationis via , sed libidine dominandi ; æstuque cupiditatum in quæque devia gressus obliquans , nunc hos , nunc illos invadebat et trucidabat. Sed hoc vino , quod initio ei sapidissimum erat et jucundissimum , postea deceptus est instar ebrii ; quia imperio et mente privatus , omne hoc vinum removere coactus est , dum omnibus spoliatus , relegatus est ad bestias ; quare quasi ebrius omnibus fabula ac ludibrium effectus est , ut falsas parabolas , dicteria , et scommata in eum certatim torquerent ; ac tandem in filio Balsasare regnum , vitam et animam perdidit. Ita S. Hieron. Theophil. Remig. et Hugo. Pari modo ambitio , avaritia , gula , cæteræque cupiditates , quasi vinum inebriant animos hominum , faciuntque ut quasi mente capti , ruant in suam perniciem et exitium ; vinum enim ambitionis v. g. quo magis hauritur , eo magis hominem dementat , ut ex fastu faciat multa insulsa et stulta , per quæ dignitate et gradu suo excidit. Porro quomodo vinum decipiat potentem , graphice describit Lucretius :

> Cum vini , *inquit* , vis penetravit
> Acris , et in venas discessit diditus ardor ,
> Consequitur gravitas membrorum , præpediuntur
> Crura vacillanti , tardescit lingua , madet mens ,
> Nant oculi , clamor , singultus , jurgia gliscunt.

Quocirca Sapiens Proverb. 23. 29 : *Cui* , ait , *væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ ? cui sine causa vulnera ? cui suffusio oculorum ? nonne his qui commorantur in vino , et student calicibus epotandis ? Ne intuearis vinum quando flavescit , cum splenduerit in vitro color ejus ; ingreditur blande , sed in novissimo mordebit ut coluber , et sicut regulus venena diffundet.* Ita Chremes apud Terentium à vino se deceptum queritur : *At at* , inquit, *data hercle verba mihi sunt ; vicit vinum, quod bibi. At dum accubabam , quàm mihi videbar publice sobrius ; postquam surrexi neque pes, neque mens , satis suum officium facit.* Ita prorsus omnis mundi pompa , omnes opes , omnes illecebræ , primo quidem blanda suî specie , pulchroque quasi vultu omnes ad se alliciunt ; ac mox tot curis , tot periculis , tot molestiis , tot invidiis et æmulationibus , tot infortuniis et calamitatibus eos jactant, raptant et exagitant , ut tandem ad scopulos allidant , confringant et disperdant. Ita Guevara.

Qui dilatavit quasi infernus animam suam.] Vox *dilatavit*, et vox *animam*, magnam denotant aviditatem. Anima enim idem est quod animæ aviditas, sitis, cupiditas. Sicut paulo ante Nabuchodonosorem comparavit ebrio, vino ambitionis tumenti et turgido, indeque vomenti , impingenti et corruenti ; ita hîc eumdem comparat inferno, quia ejus ambitio et avaritia erat insatiabilis : nam omnia glutiens, nunquam satiabatur, sed quo plura rapiebat, eo plura rapere gestiebat, eratque quasi cerberus insatiabiliter cava guttura pandens. Hinc inferni præses à Gentilibus vocatus est Pluto, quod mortuorum sit dives , ait Lucian. πλουτος enim Græcis, sunt divitiæ. Hinc et infernus dictus est Orcus , ab urgendo; quod in interitum omnia urgeat et præcipitet, ait Festus. Tertio, comparat eumdem morti, quæ omnibus dominatur, omnesque devorat. Sicut enim mors non satiatur mortuis, sed quo plures emori coegit, eo plures occidere satagit : ita et Nabuchodonosor non satiabatur gentibus et regnis ; sed quo plures debellarat et mactarat, eo plures subjugare et mactare anhelabat. Porro Guevara censet, hîc et alibi, infernum et mortem esse idem, infernum enim sumi pro ipsa morte defunctorum regina ; quia mortem, inquit, veteres Plutonis nomine notarunt, et eumdem Jovem infernum nuncuparunt. Idem probat ex eo quod Scriptura sæpe infernum cum morte conjungat et combinet. Verum S. Hieron. Theodor. Theophil. Lyran. Clarius , Vatabl. Ribera, à Castro et alii passim, infernum à morte distinguunt, duasque hîc comparationes fieri censent. Nam et profani hæc tria, mors, infernus , Pluto, distinguunt : licet enim infernum Jovem vocent Summanum, quasi summum deorum Manium, tanquam inferni præsidem ; non tamen ipsum inferni locum, vocant Jovem aut Plutonem. Jam, si infernus et mors in Scriptura combinantur, ergo bina sunt, non unum. Reginam dicis mortem, conjugio junge cum Plutone rege, et fac Proserpinam. Rex enim et regina, idem esse nequeunt, ait Delrio adagio 1002. Denique mire hæc verba explicat Joannes Alba Electorum, c. 27 : *Infernus*, inquit, capitur pro morte, et mors pro hoste mortem inferente.

Infernum ergo vocat hostem. *Anima* vocantur nobiles et principes populi. *Dilatare* per antiphrasin significat coarctare, id est affligere, vexare, perdere. *Suam* dixit pro *ejus* : utrumque enim significat hebræum pronomen. Sensus ergo est, q. d. Hostis coarctabit et vastabit animam, id est principes populi Israelitici, vel hostis dilatabit os suum, ut animam, id est principes Israel, devoret. Verum hæc violenta et paradoxa sunt.

Moral. Nota hìc cupiditatem, quo magis ei indulgetur, eo magis in immensum crescere, instar ebrietatis, inferni et mortis. Cupiditas enim est quasi ignis, cui quo plus lignorum injicis, eo magis crescit et inardescit. *Sic crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.* Cupiditas ergo est, quasi ardens febris, quæ quo plus bibit, eo plus sitit. Cupiditas est quasi fera, puta leo, lupus, pardus, tigris, quæ quo plus prædatur, eo magis efferatur, magisque ad prædandum accenditur. Cupiditas est charybdis et vorago inexplebilis; unde Philosophus ventrem gulosi, vocabat vitæ charybdim.

6. Nunquid non omnes isti super eum parabolam sument, et loquelam ænigmatum ejus ?] *Parabolam* vocat, carmen funebre de strage Nabuchodonosoris, qui imperium perdidit in filio Balsasare. Hebræi enim omnem sententiam insignem, acutam et illustrem, quale est hoc carmen, vocant parabolam, proverbium vel ænigma, præsertim cum in ea miscentur vera proverbia, parabola, vel ænigmata, uti hìc fit. Simile carmen de eodem pepigit Isaias c. 14. 4. Sensus est, q. d. Nonne Balsasar cæsus à Cyro fiet fabula et dicterium omnibus gentibus, ut in eum hoc, vel simili carmine, imo scommate, ludant et subsannent?

Et dicetur : Væ ei qui multiplicat non sua ! usquequo et aggravat contra se densum lutum?] Nota primo, *aggravat*, id est multiplicat : sic sæpe alibi, gravis idem est quod multus, ut patet Exodi 8. 28. Psal. 34. 18. 1. Machab. 1. 18. Est enallage quantitatis continuæ pro discreta ; vel metalepsis : quæ enim multa sunt, eadem et gravia sunt, hominemque aggravant et degravant. Unde Syrus vertit : *Aggravat contra se nubem luti;* Arabicus : *Quousque crescet supra te nubes luti?*

Secundo, per *lutum* Guevara accipit ceroma, quod ex oleo fiebat et luto, eratque unguentum, quo se athletæ in palæstra certaturi perungebant : tum ut fortiores essent, tum ut lubrici, manus antagonistæ fallere et elabi possent, q. d. Væ Nabuchodonosori, væ Balsasari! ô infelix, quàm tristis eum manet exitus! ut quid alienis opibus, quasi multo ceromate, instar pugilis, ut fortior et potentior sit ad comparandos exercitus et bella, se superlinit? Frustra et noxie id facit. Nam hoc ceroma eum aggravabit, quasi densum lutum in perniciem suam : nam invitabit Cyrum et Persas ad eum invadendum et dispoliandum. Porro ceroma vocari lutum patet ex illo Persii : *Crassisque lutatus amomis;* et illo Martialis :

> Ne lutet immundum nitidos ceroma capillos,
> Hac poteris madidas condere pelle comas.

Simpliciter tamen vulgare platearum hìc lutum accipi potest. Nam opes vocantur densum lutum, primo ob earum vilitatem. Quid enim *sunt aurum et argentum? Nonne terra rubra et alba, quam solus hominum error facit* (*aut magis reputat*) *pretiosam?* Ait S. Bernard. serm. 4. de Adventu : *Quid sunt gemmæ, nisi lapides terræ? quid byssus, nisi vermium, puta bombycum, fila? quid uniones, nisi excrementa concharum?*

Secundo, quia has opes Nabuchodonosor densabat, ut ex iis copias roburque suum conflaret; sed revera iis sibi perniciem et exitum conflavit. Unde Septuag. vertunt : *Usquequo aggravat torquem suam graviter?* q. d. Nabuchodonosor densat aurum, ut ex eo suisque faciat torques aureas; sed hæ torques erunt eis laquei et catenæ graves, quibus eos captivos vinciet, illaqueabunt et suffocabunt Medi et Persæ. Aliter Theodoret. per torquem enim accipit onus tributorum et vectigalium, quod gentibus à se devictis imponebat, et in dies aggravabat Nabuchodonosor.

Tertio, tropolog. opes sunt densum lutum : quia congregatæ ex rapinis, usuris, fraudibus, animam conspurcant, aggravant, et detrahunt in gehennam. Unde Chald. vertit : *Væ qui multiplicat divitias non suas! usquequo aggregaturus es in te gravitatem peccatorum?* Et Remig. *Opes,* ait, *sunt densum lutum, quia sinceritatem mentis confundunt, et gravissimo pondere iniquitatis mentem premunt.* Et S. Gregor. 3. p. Pastor c. 21: *Avaro*, ait, *contra se densum lutum aggravare, est terrena lucra eum pondere peccati cumulare.* Idem lib. 34. Moral. cap. 13 : *Per lutum*, ait, *terrenarum rerum multiplicitas figuratur, sicut per Habacuc dicitur : Væ ei qui multiplicat non sua! usquequo aggravat contra se densum lutum? denso enim luto se aggravat, qui per avaritiam terrena multiplicans, peccati sui se oppressione coangustat. Rursum luti nomine, doctrina sordidum sapiens designatur, sicut per eumdem Prophetam dicitur cap. 3 : Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum ; ac si diceret : Aperuisti iter prædicatoribus tuis, inter doctrinas hujus seculi, sordida et terrena sapientes. Per lutum quoque desiderium sordidæ voluptatis exprimitur, sicut Psalmista deprecans ait psalm.* 68 : *Eripe me de luto, ut non inhæream. Luto quippe inhærere, est sordidis desideriis concupiscentiæ carnalis inquinari.* Quocirca sapienter alibi monet S. Bernardus : *Nolite*, ait, *amare ea quæ amata inquinant, possessa onerant, amissa cruciant.* Simili modo Crates Philosophus, videns adolescentem vino et carne incrassari : *O miser,* inquit, *desine adversus temetipsum carcerem munire,* ait Maximus ser. 27. *Omnis enim hæc pinguedo quid est aliud quàm densum lutum, quo se aggravat, quoque quasi carceri animam suam arctius includit et incarcerat gulosus.*

7. Numquid non repente consurgent qui mordeant te ?] Puta Cyrus et Persæ, inquit S. Hier. Theophil. Remig. Lyranus et alii passim. Nota. Persas comparat canibus aut feris alias feras insectantibus et mordentibus. Canis enim cum canem, et fera cum feram præda potitam videt, mox eam adoritur, cum ea rixatur, ringit, mordet, lancinat, donec ei adeptam prædam adimat; ita Persæ cum Chaldæis de præda rixati sunt, eamque illis extorserunt.

Tropol. mordentes sunt vermes qui cadavera Balsasaris et Chaldæorum depasti sunt ; hosce enim vermes Balsasari intentavit Isaias cap. 14. 11. dicens : *Subtus te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes.* Ita Clarius et Vatablus.

8. QUIA TU SPOLIASTI GENTES MULTAS, SPOLIABUNT TE OMNES, etc. PROPTER SANGUINEM HOMINIS, id est hominum. Ita Septuag. et Chald. ET PROPTER INIQUITATEM TERRÆ CIVITATIS, ET OMNIUM HABITANTIUM IN EA,] q. d. Quia tu multorum sanguinem effudisti, et inique terram Judææ, urbemque Jerusalem, et incolas ejus vastasti, idcirco vastaberis et tu. Ita S. Hier. Remig. Rupert. Hugo, Lyran. Jerusalem enim erat quasi civitas et metropolis orbis, *gaudium universæ terræ*, Thren. 2. 15. uti postea fuit Roma, de qua Virgil.

Tantum inter alias caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Secundo, vox *terræ*, generatim ut sonat, accipi potest, et *civitatis*, id est civitatum : Babylon enim et Nabuchodonosor, non tantum Judæam et Jerusalem, sed et totam terram, plurimasque ejus civitates oppressit, ideoque oppressa est et ipsa. Ita Theodor. et Theophil.

9. VÆ QUI CONGREGAT AVARITIAM MALAM DOMUI SUÆ !] *Avaritiam malam* vocat opes male partas, puta per vim et rapinam extortas. Unde Chald. vertit, *divitias iniquas et impias.* Secundo, *malam*, id est exitialem, *domui suæ*. Unde Tigurina vertit : *Væ inhianti lucro, idque malo domus suæ !* q. d. Nabuchodonosor rapit opes gentium, ut iis domum sibi construat, in qua quasi in nido secure et molliter conquiescat : sed revera eas colligit in malum et excidium domus suæ. Nam propter hanc rapinam puniet eum Deus, et domum ex rapinis ædificatam disturbabit. Rursum prædæ ejus congestæ in hanc domum irritabunt Cyrum et Persas, ad eam invadendam, ut prædas hasce prædentur. Porro per domum intelligit, tum palatium, quod quasi arcem magnificentissimam, æque ac munitissimam ædificavit Nabuchodonosor, ut in ea nomen suum et familiam stirpemque æternaret; tum ipsam Babylonem, de qua ipse superbiens ait Daniel 4. v. 27: *Nonne hæc est Babylon, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis, et in gloria decoris mei?* Nam præter ædificia ab eo vel ædificata, vel magnificentius restaurata, *tres murorum ambitus intra urbem exstruxit, et totidem foris circumdedit, omnes è coctilibus laterculis. Cumque memorabilibus operibus urbem munivisset, et portas in templorum modum ornasset, paternæ regiæ contiguam aliam exstruxit regiam, cujus substructiones, et reliquam magnificentiam forte supervacaneum esset dicere*, ait Joseph. libr. 10. Antiq. cap. 11. Denique tropol. S. Hieron. *Mala avaritia*, ait, dicitur ad distinctionem bonæ, ut sit bona avaritia doctoris Ecclesiastici, qui nunquam satiatur multitudine sectatorum; et quanto plures habuerit discipulos, tanto magis ad doctrinæ studium concitatur.

UT SIT IN EXCELSO NIDUS EJUS, ET LIBERARI SE PUTAT DE MANU MALI.] Alludit ad aquilam, cui comparavit Nabuchodonosorem c. 1. 8. q. d. Sicut aquila in excelso ponit nidum, ut se et pullos ab hominibus et feris rapacibus tutetur et liberet, ideoque eò prædam omnem convehit, ut et illa tuto sit loco : sic Nabuchodonosor suam arcem posuit in Babylone; ut ea se suosque contra omnes reges tueretur, ideoque eò prædas omnium gentium congessit. Sed errat; nam ex celso hoc nido præcipitabit eum celsior Deus. Sic Romanus ille dicebat : *Arces esse nidos tyrannorum.*

11. QUI LAPIS DE PARIETE CLAMABIT.] Est adagium significans crimen et injuriam publicam et enormem, quæ celari nequeat, q. d. Tua tyrannis et violentia tanta est, tamque manifesta, ut, etsi homines tacerent, tamen lapides ipsi et ligna, etiam abdita in juncturis, quæ rapuisti, vel rapta pecunia emisti, ad palatia tua et muros in Babylone erigendos, cum illa à Cyro capientur, incendentur et vastabuntur, velut pari aut alterno concentu, coram Deo et toto mundo palam testatura et clamatura sint, te improbum esse raptorem et tyrannum; itaque tibi conviciabuntur et insultabunt, ac Dei vindictam omnesque diras hostiliter imprecabuntur; eo quod illis vim intuleris, auferendo ea è loco suo : naturali enim appetitu desiderabunt et quasi clamabunt, poscentes justitiam à Deo, ut suo loco restituantur. Est prosopopœia, similis illi Isaiæ 14. 7 : *Abietes quoque lætatæ sunt super te, et cedri Libani.* Et cap. 33. 9 : *Luxit et elanguit terra, confusus est Libanus.* Inducit enim Propheta quasi in comœdiam lapides et ligna Babylonis, instar chori alternis concinentia, et proclamantia tyrannidem Nabuchodonosoris, ejusque stragi et cladi insultantia, ac dicentia :

12. VÆ QUI ÆDIFICAT CIVITATEM (Babylonem) IN SANGUINIBUS !] id est, ex pecunia parta cædibus; item ex oppressionibus pauperum, quos cogit in hoc opere sudare et laborare, in eoque spiritus et sanguinem suum exhaurire. Ita Chald. Albert. Hugo, Vatablus et alii. Unde Arabicus vertit : *Quia lapis de pariete clamabit in sanguine, et loquetur paxillus*, vel *palus de trabe.*

Paulo aliter S. Hieron. *Lapides*, inquit, *parietum qui à te destructi sunt, et ligna eorum quos subvertisti, tuam ferociam clamitabunt.* Simili schemate ait Christus Matth. 22 : *Si isti* (infantes clamantes, hosanna filio David) *tacuerint, lapides clamabunt.* Sic et Sallustius : *Saguntini*, inquit, *fide atque ærumnis inclyti, per mortalium studium majores quàm opibus : quippe quibus etiam tum semiruta mœnia, domus intectæ, parietesque templorum ambusti, manus punicas ostentabant.* Simile quid et Tullius ad Cæsarem pro Marcello : *Parietes medius fidius, C. Cæsar, hujus curiæ tibi gratias agere gestiunt, quod brevi tempore futura sit illa auctoritas in his majorum suorum, et suis sedibus.* Subdit deinde S. Hieron. *Porro quod nos interpretati sumus : Et lignum quod inter juncturas ædificiorum est, respondebit, pro quo Septuag. posuerunt* κάνθαρος, *id est, scarabæus ex ligno loquetur ea* (q. d. Vermis è ligno et tigno, cum suo tigno clamabit tuam injustitiam, sibique vim esse factam) *manifestius more suo transtulit Symmach.* σύνδεσμος, *id est, junctura ædificii lignea loquetur ea. Sic et Theodotion, et quinta editio. Quod enim hebr. dicitu* כפיס *caphis, lignum significat quod ad continendos parietes in medio structuræ ponitur, et vulgo apud Græcos* ἱμάντωσις *appellatur. Aquila vertit : Massa de ligno respondebit. Reperi et aliam editionem : Quia lapis de pariete clamavit quasi vermis in ligno loquens; et alteram : Lapis enim de pariete vociferabitur, et* σκώληξ *de ligno loquetur ea :* σκώληξ idem est quod vermis, v. g. teredo qui ligno innascitur. Vastatis enim domibus, trabes et tigna in terram corruentia corrumpuntur et putrescunt, generantque teredines et alios vermes, qui reipsa vim domibus illatam, indeque earum ruinam et interitum testantur et clamitant. Ita Cyrill. et Theophil.

qui et addit, forte Septuag. contextum trabium culmina sustinentium *cantharos* nominasse, quia ipsæ sibi superpositum tectum fuerunt. Probabiliter quoque conjectat Delrio adagio 1003. Aquilam vertisse μασσα, απο μασασθαι, quod Homero significat *prehendere.* Nam hujusmodi lignum prehendit parietes; et forte à forma reflexa σκωληξ dicitur : quia σκωληκοειδης vermis speciem exhibet; sicut et sagittæ vocantur *scorpiones;* et machinæ *arietes* vel *testudines;* ac capita trabium in fabricis exstantia et prominentia, vocantur *canes.* Sic enim concilientur omnes veterum versiones, ut eòdem recidant.

Allegor. S. Hieron. *Scio, ait, quemdam de fratribus lapidem qui de pariete clamaverit, intellexisse Dominum Salvatorem; et scarabæum de ligno loquentem, latronem qui Dominum blasphemaverit : quod licet pie possit intelligi, tamen quomodo cum universo prophetiæ contextu possit aptari, non invenio.*

Tropol. lapides et tigna templorum et monasteriorum in die judicii clamabunt contra hæreticos, qui ea demoliti sunt, vel exusserunt : clamabunt, inquam, eos esse sacrilegos, ac vindictam à Deo exposcent; quod Dei solium violarint, quod sacerdotes et Religiosos Dei servos suis domiciliis spoliarint, quod Dei laudes et cultum sustulerint. Ita in Anglia sub Henrico VIII. schismatis auctore.

Millia dena unus templorum sustulit annus.

Rursum eadem clamabunt contra sacerdotes et Religiosos, qui indigne et irreligiose in locis tam sanctis Deoque consecratis vixerint, scandalumque fidelibus dederint, ac dicent illud Isaiæ 26. 10 : *In terra Sanctorum iniqua gessit, et* (idcirco) *non videbit gloriam Domini.* Sic clamavit lapis et paries contra Balsasarem, sacrilege in eo profanantem vasa templi, in iisque potantem, cum manum vindicem intentantem ei exitium ex se emisit, quæ ei mortis sententiam dictaret : *Mane, tekel, phares,* Daniel. 5. 25.

Et præparat urbem (Babylonem) in iniquitate.] *Præparat*, id est, ut Tigurina, *instaurat;* Vatabl. *fulcit;* alii, *erigit*, ædificat, firmat, concinnat, ornat ex rapinis, et ex sudore pauperum : hæc omnia enim significat hebr. כונן *konen*, quod Noster vertere solet, *præparat.* Hinc Proverb. 8. v. 27. dicitur : *Quando præparabat*, id est formabat, fundabat, *cœlos, aderam.* Sic Isaiæ 2. 2. dicitur : *Præparatus*, id est fundatus, erectus, ornatus, *mons domus Domini*, puta Sion, id est Ecclesia Christi. Vide ibi dicta. Nabuchodonosor enim præter alia : *Tres murorum ambitus intra urbem* (Babylonem) *exstruxit, et totidem foris circumdedit omnes è coctilibus laterculis,* ait Joseph. lib. 10. c. 11. Vide dicta Daniel. 4. 27.

13. Nunquid non hæc sunt a Domino exercituum?] *Hæc* scilicet quæ contra te, ô Nabuchodonosor, vaticinor. q. d. Has clades et strages quas tibi intento, non ex me, sed ex Dei ore et decreto tibi intento : ex Deo, inquam, qui est Dominus exercituum, non humanorum dumtaxat, uti es tu, sed angelicorum etiam, et creaturarum omnium. Hæ enim omnes illi militant, et ad nutum ejus feruntur in impios. Ita S. Hieron. Aliter Theodor. et Theoph. q. d. An non à Deo reposcetur ratio tuæ vitæ anteactæ? puta tuæ tyrannidis, qua gentes et urbes igne concremasti, cum illæ frustra tibi resisterent, quia à copiis tuis oppressæ succumbebant.

Laborabunt enim populi in multo igne,] quo scilicet, à Cyro et Persis succendetur Babylon, ut eum restinguant : sed in vacuum et frustra. Nam omni suo labore eum sistere, vel sopire non poterunt; sed potius fessi et fracti *deficient.* Secundo, Chald. *Nunquid, ait, non plagæ vehementes venient à facie Domini exercituum, et labor gentium robustarum tanquam ignis, et regna in vacuum laborabunt?* q. d. Laborant Chaldæi ut prædas et opes coacervent; sed laborant in ignem, quia igni, quo comburetur à Cyro Babylon, materiam luculentam præparant. Ergo hi labores eorum cadent in vanum et deficient : quia ab igne consumentur. Ita : *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator*, ut ait Psaltes. Ita Vatablus et à Castro.

14. Quia replebitur terra, ut cognoscant gloriam Domini, quasi aquæ operientes mare.] Ita et Syrus, et Arabicus, q. d. Frustra laborabunt Chaldæi in restinguendo incendio : quia replebitur terra eorum igne et incendiariis, puta Medis et Persis hostibus, qui innumera sua turba Babylonem operient, imo in vicinas gentes effundent se, et exundabunt, sicut aquæ maris alveum replent et operiunt. Hebr. *sicut aquæ operiunt super mare*, id est, supra maris alveum et littora, in vicinos agros exuberant et exundant. Atque ex hac tam plena et terribili vindicta, cognoscent omnes gentes gloriam Domini, qui tyrannos hosce punit et opprimit. Ita S. Hieron. Remig. Albert. et Lyran. Secundo, Theophil. q. d. Sicut aqua copiosa inundans et superbulliens, in omnem hinc inde locum quaquaversum effunditur; sic fama hujus vindictæ et excidii Babylonis, indeque cognitio Numinis Deique ultoris, replebit terram, et super cunctas gentes fundetur, ut omnes gloriam, id est, gloriosam Dei justitiam et potentiam agnoscant, celebrent et paveant. Juxta hunc sensum hebr. *ki*, id est *quia*, non causam, sed effectum et consecutionem significat, uti et alibi sæpe. Potest tamen proprie sumi, ut significet causam finalem. Ideo enim Deus Babylonem punivit, quia intendebat per hanc punitionem toti orbi patefacere suam justitiam et gloriam.

15. Væ qui potum dat amico suo, mittens fel suum, et inebrians ut aspiciat nuditatem ejus!] Pro *fel suum* hebr. est חמתך *chamatecha*, quod primo verti potest, *utrem tuum.* Ita Pagnin. et Vatabl. Secundo, *furorem tuum*, vel suum. Ita Aquila et Symmach. vel *subversionem turbidam.* Ita Septuag. vel *effusionem tuam.* Ita Theodot. vel ut alii, *amentiam tuam :* vel *venenum tuum ;* vel *fel tuum*, aut *suum*, per enallagen personæ. Ita Noster, Syrus et Arabicus vertunt : *Væ qui potat amicum fæce* (vel turbido) *furoris sui.* Jam varii varium hic dant sensum. Primo, Hebræi et ex eis S. Hieron. Lyran. Hugo et S. Thom. tradunt quod Nabuchodonosor, in die solemnis epuli et publici convivii, jusserit Sedeciæ regi Juda à se capto propinari καθαρτικον, id est, potionem quæ alvum laxaret, cumque illa operaretur et ventrem solveret, jussisse ut in locum convivii introduceretur, ut ante omnium principum oculos sordes emittens irrideretur; qua ex re, inquiunt, tanto pudore affectus est,

ut in carcerem reductus præ tristitia sit mortuus : hocque esse quod hìc in Nabuchodonosore redarguit Habacuc. Adduntque id Chaldæis in conviviis usitatum fuisse, ut aliorum se crapula, nuditate ac fœditate, quasi pars esset splendidæ mensæ, oblectarent. Huc spectat quod Hebræi scribunt in Seder Olam, c. 28 : *Interiit*, inquiunt, *Sedecias, et de ipso hunc instituerunt planctum : Heu qui mortuus est rex Sedecias, bibens fæces omnium ætatum!* Quod Genebrard. in Chronol. sic exponit, q. d. Qui luit peccata omnium superiorum ætatum. Verum hoc, ut fabellam Rabbinicam, ridet hìc S. Hieron. præsertim cum nil tale habeat Scriptura, nec Joseph. l. 10. Antiq. 11. ubi significat Sedeciam naturali morte defunctum, à Nabuchodonosore honorifice fuisse sepultum.

Secundo, Theophil. Clarius, Vatabl. et Abul. in cap. 25. lib. 4. Reg. quæst. 38. censent hìc argui Nabuchodonosorem, eo quod Sedeciam, aliosque principes à se captos inebriarit, hoc fine ut ebrii et vino æstuantes discinderent tunicas (femoralibus enim non utebantur Hebræi et Chaldæi) suas, itaque verenda nudarent, ut hac ratione et probro eos illuderet, omnibusque convivis ridendos proponeret, uti Noe ebrius illusus est à filio Cham, Genes. 9. v. 21. quo hìc alluditur.

Tertio et genuine, q. d. Væ Nabuchodonosori ejusque asseclis, qui fel suum, id est suam bilem et amaritudinem, ac, ut Aquila, *furorem suum* usque ad ebrietatem propinat, etiam amicis sibi regibus ! hoc est, qui eos crudeli tyrannide divexat, donec eos regno, opibus, honore, ipsa denique libertate pudende, et ad irrisionem dispoliet atque denudet. Væ, inquam, ei ! nam lege talionis simili modo ipse ab aliis nudabitur, parique ignominia et irrisione mulctabitur. Est metaphora ab ebrio, qui ex ebrietate et æstu nudari solet, ideoque rideri, uti jam de Noe dixi. Ita S. Hieron. Remig. Theodor. Hugo et Ribera.

Aliqui hunc versum 15. sic legunt : *Væ qui dat potum proximo suo subversionem turbidam, et inebrians eum ! væ qui errare facit cæcum in via!* Ita B. Oresiesis discipulus S. Pachomii in Instruct. monast. cujus meminit S. Hier. lib. de Script. Eccles. quæque exstat in appendice Bibliot. SS. Patrum ; ubi ipse hanc sententiam applicat iis qui subditos eorumque errata defendunt, cum à præpositis corripiuntur : *Tales enim*, ait, *errant, et alios errare faciunt, dum obedientes transferunt ad superbiam ; et eos qui in dulcedine charitatis poterant ambulare, convertunt in amaritudinem, et subjectos legibus monasterii malis consiliis depravant, faciuntque odisse eum, et contrastari contra illum, qui eos docebat Domini disciplinam, lites serentes inter fratres et discordias, atque pro obedientia contumaciam serunt in cordibus audientium.* Unde Tropol. felle potant amicos suos diaboli, et homines diabolici, quia fellita doctrina mentes hominum interimunt : *Quas enim per vitia carnis et cupiditatem præviderint se supplantare non posse, perversi dogmatis venenoso poculo periment, ne soli in æternis suppliciis crucientur*, ait Apponius lib. 2. in Cantica tomo 1. Biblioth. SS. Patrum.

16. Repletus est ignominia pro gloria : bibe tu quoque, et consopire,] et ex sopore denudare, ut irridearis. Videtur Noster cum Septuag. et Tigurina legisse הרעל *herael*, id est consopite: jam per metathesin legunt הערל *hearel*, id est, denudare præputium. Ita Chald. et Pagnin. Sensus est, q. d. Tu quoque, ô Nabuchodonosor, bibes de calice iræ Dei, inebriaberis vino angoris, perplexitatis, ignominiæ et confusionis : consopieris more ebriorum verenda sua denudantium ; hoc est, vehementer et ad stuporem usque punieris, ita ut omnes tuæ fœditates denudentur, omnibusque ridendæ ostententur : imo illo ita repleberis, ut vomitus ignominiosus sequatur, et effluat super gloriam tuam, ut scilicet vestes tuas gloriosas, omneque tuum decus et gloriam vomendo conspurces, id est, ut turpiter omnia revomas in manus Cyri et Persarum quæ avare deglutieras, et possidebas gloriose. Unde Pagnin. vertit : *Bibe etiam tu, et apparebit præputium tuum : vertet se super te calix dextera Domini, et vomitus ignominiosus veniet super gloriam tuam.*

Symbolice, nota hìc fœditatem deliciarum, gulæ et crapulæ ; utpote quæ illico in vomitus, sordes et excrementa vertantur. Quocirca S. Gregor. Nazianz. orat. 38. ait : *Delicias non esse aliud quàm pretiosum stercus*, pretiosum, quia in pretio est guloso, ab eoque magno labore et pretio comparatum. Nazianzenum magistrum secutus S. Hieron. epist. 13. ad Paulinum : *Qui Christum*, inquit, *desiderat, et illo pane vescitur, non magnopere quærit, de quàm pretiosis cibis stercus conficiat. Quidquid post gulam non sentitur, idem sit tibi quod panis et legumina.* Et Nicetas in orat. 38. Naz. sub finem : *Omnis*, ait, *voluptas quæ nec ex Deo, nec in Deo suscipitur, voluptatis excrementum est.* Id ipsi didicerunt ex S. Paulo, qui Philipp. 3. 8. ait : *Propter quem* (Christum) *omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Quamobrem recte S. Eucherius epist. ad Valerianum : *Anne aliquis*, inquit, *ex illa Aristippi schola veritatem videbit, qui ingenio suo à suibus aut pecore nihil differt, cum beatitudinem in corporis voluptate constituat, cui Deus venter est, et gloria in pudendis ejus?* Hinc et illud Horatii : *Epicuri de grege porcus.*

Circumdabit te calix dexteræ Domini.] Alludit primo, ad calicem convivas circumdantem, id est, circumeuntem in orbem convivii, q. d. Calix vindictæ Dei ab eo propinatus est Judæis, Moabitis, Ægyptiis, aliisque gentibus : tandem et Chaldæis, eorumque regi propinabitur, ut fæces ejus exhauriat, utque eum inebriet, æstuare et vomere cogat. Hoc enim diserte ait Jerem. c. 25. 17. Simile est Threnor. 4. 21. et ps. 4. 21. Ita Theophil. et Sanchez.

Secundo et nervosius, alludit ad potores, qui cum aliquem vinipotentem inebriare, ac mente, mensa et scammo dejicere volunt, undique eum calicibus propinando impetunt et cingunt, donec eum obruant vino somnoque, ut se nudare, et vomere cogatur. Ita Deus calicibus iræ et vindictæ suæ, puta Persis et Medis, undique cinxit Chaldæos, ut eis ad fauces obruti, et ad stuporem amentiamque adacti fuerint. Porro ne quis Italus hoc calicum certamen acre magis quàm telorum, eorumque bacchicam, imo bestialem obsidionem miretur, sciatque quàm nonnulli sint bibaces et vinipotentes, audiat illud Martial. lib. 9. epigram. 74:

Nunc mihi dic quis erit, cui te Calathisse Deorum
Sex jubeo cyathos fundere? Cæsar erit.

Et Ovidium 3. Fastor.

> Invenies illic qui Nestoris ebibat annos,

puta qui bibat tot cyathos, quot Nestor habuit annos, scilicet trecentos, vel, ut alii, nonaginta. Et Horat. lib. 3. ode 21 :

> Reges dicuntur magnis urgere culullis :
> Et torquere mero quos perspexisse laborant.

Et Juvenal. satyra 6 :

> Tanquam alta in dolia longus
> Deciderit serpens, bibe.

17. Iniquitas Libani,] id est, in Libano à te exercita. *Libanum* vocat Judæam et Jerusalem : tum quia Libanus erat terminus, et initium Judææ versus Septentrionem : tum quia Jerusalem domorum et turrium multitudine et sublimitate referebat Libanum cedris, cypressis aliisque proceris arboribus densum, ex iisque ædificata erat. Ita Theod. Theoph. Vatabl. Arias et Clarius ; imo S. Hieron. Chald. Remig. Hugo, Lyran. et Ribera putant Libanum vocari templum : quia illud ex cedris Libani erat constructum, et quia Libanus dicitur à candore nivium, quibus operitur (Libanus enim hebr. idem est quod candidus) ; sic et templum ob candorem lapidum, mons quidam niveus videbatur, teste Josepho lib. 6. Belli. c. 6. Sensus est, q. d. Iniquitas et violentia tua, ô Nabuchodonosor, qua Judæam vastasti, Jerusalem exscidisti, ipsumque Dei templum exussisti, obruet et perdet te, ut pari modo tua Babylon, cum tuo filio Balsasare et Persis et Medis vastetur, exscindatur, exuratur. Hîc verum est illud vulgo tritum : *Ipsus se lædit, alium qui lædere quærit.*

Et vastitas animalium deterrebit eos.] Hebr. *Vastitas jumentorum*, id est ferarum, *terrebit*, vel *conteret eas*, scilicet feras. Noster vertit, *eos;* quia animalia, id est feras, vocat tum Chaldæos, qui quasi pardi, ursi et leones Libanum, id est Judæam, vastarunt. Ita Arias et Vatabl. tum Medos et Persas, qui quasi feræ in feras, id est in Chaldæos, grassati sunt. Ita Theodoret. et Theophil. Sensus est, q. d. Quia Chaldæis truculenter quasi feræ vastarunt Hierosolymam, idcirco vicissim truculenter à Medis et Persis quasi feris percellentur, vastabuntur et conterentur.

De sanguinibus (id est, propter sanguinem hominum copiosum quem fudisti) et iniquitate terræ et civitatis,] id est propter iniquitatem, vim et expilationem terræ Judææ et civitatis sanctæ Jerusalem, q. d. Quia diripuisti et desolasti Judæam et Jerusalem, omnesque habitantes in ea, idcirco pari sorte et jure tu quoque diripieris et desolaberis à Cyro et Persis. Ita Chald. et alii passim.

18. Quid prodest sculptile ? Clare Septuag. *Quid prodest sculptili, quod sculpserunt illud? formaverunt illud conflatile, imaginationem falsam : quia confidit fictor in figmento suo,* q. d. Quid sibi et vobis, ô Chaldæi, tunc (cum exscindemini à Cyro) proderunt sculptilia, id est idola vestra, in quibus gloriamini, quasi per ea invicti sitis, omniumque prædis et victoriis clari? Quia sculpsit illud fictor suus?] Scilicet idoloplastes sculpsit fecitque hoc idolum sculptile, lima illud sculpendo : aliud vero (nec enim unum idemque idolum est sculptile et conflatile, sed hoc sculpitur, illud conflatur : subaudiendum est hîc ergo verbum fecit, vel conflavit *conflatile.* Ita Vatabl.) fecit conflatile, in fornace illud liquando et conflando ; quæ non sunt aliud, quàm imago falsa Dei, ac numen mendax, omnis divinitatis, providentiæ, consilii, doctrinæ, imo et vitæ expers, bruta et muta, q. d. Sculptili nil prodest elegans sculptura sculptoris, nec conflatili artificiosa conflatio conflatoris : non enim ipse omni sua arte potuit formare Deum, aut lapidi quem in idolum sculpsit, vel metallo quod in idolum conflavit, animam et mentem, multo minus deitatem indere, vel inspirare : frustra ergo in eo confidit, frustra illud invocat dicens : Expergiscere, et pugna pro me : frustra illi robur et victoria ascribit, tam ipse, quàm ejus asseclæ idolicolæ : idque ad oculum patebit, cum idola vestra, ô Chaldæi, vobiscum à Persis diripientur et diffringentur. Nota. Pro *simulacra muta*, in Hebr. est elegans paronomasia אלילים אלמים *elilim illemim*, id est deiculi elingues et mutuli. Septuag. εἰδωλα κωφα, id est idola muta. Quocirca idolis hisce Deum verum opponens, hoc epiphonemate caput concludit : *Dominus autem in templo sancto suo : sileat à facie ejus omnis terra.*

19. Væ qui dicit ligno : Expergiscere, et surge !] Gentiles enim quia sciebant Jovem, Saturnum, Vulcanum, Apollinem, Venerem, etc. fuisse homines, quos majores eorum in deos retulerant ; hinc censebant etiamnum eos habere corpora, quæ quiete et somno pascantur et egeant, ac subinde dormire, ideoque à somno debere excitari, more regum et principum. Hinc oraturi, præsertìm mane, deos inclamando excitabant, ut preces suas audirent. Audi Arnobium lib. 7 : *Quid sibi volunt excitationes illæ, quas canitis matutini collatis ad tibiam vocibus? Obdormiscunt enim superi, remeare ut ad vigilias debeant.* Hinc Elias 3. Reg. 18. 27. irridens sacerdotes Baal, ait : *Clamate voce majori : Deus enim est*, etc. *certe dormit, ut excitetur.* Lactant, lib. 6 : *Mactant*, inquit, *hostias Deo, tanquam esurienti : profundunt vina, tanquam sitienti : accedunt lumina, velut in tenebris agenti.* Martialis de Iside : *Nuntiat octavam Phariæ sua turba juvencæ*, puta Isidi, quæ formam habebat vitulæ. Apuleius lib. 11. de eadem : *Inchoatæ lucis salutationibus, religiosi primam nuntiantes horam perstrepunt.* Seneca apud S. August. lib. 6. de Civ. c. 10. ridens hanc suorum stultitiam : *Alius*, inquit, *numina Deo subjicit, alius horas Jovi nuntiat, alius lictor est, alius unctor. Sunt quæ Junoni ac Minervæ capillos disponant : sunt quæ speculum teneant*, etc.

20. Dominus autem in templo sancto suo,] q. d. Deus non est ex auro sculpto vel conflato, in tempore ab artifice formatus, ideoque non habitat in idolo sculptili vel conflatili ; quod in terra, puta in suis delubris, locant idololatræ ; sed in cœlo, quod est ejus solium et templum, gloriosus habitat ab omni ævo ; est enim αὐτοθεος et æternus. E cœlo ergo aspicit et prospicit, moderatur et dirigit ad nutum res hominum. Quocirca *sileat à facie ejus omnis terra. Sileat*, præ reverentia, pavore, admiratione et stupore. Unde Septuag. *Revereatur eum omnis terra.* Syrus : *Commoveatur*, vel *contremiscat coram eo;* Arabicus : *Timeat ante eum universa terra.* Silere enim in Script. per metalepsin sæpe significat timere, revereri, obstupescere ; ut

Sophon. 1. 7 : *Silete à facie Domini Dei, quia juxta est dies Domini.* 1. Machab. 1. 3 : *Et siluit terra in conspectu ejus,* Alexandri Magni; quia ejus armis et victoriis perterrita conticuit, sicut mures silent coram fele, oves coram lupo, aves coram accipitre. Rursum Theodor. et Theoph. templum hîc intelligunt Hierosolymitanum. In eo enim, non in idoliis, residebat, et præsens suis aderat Deus : multo magis jam in lege nova, in templis præsens adest, et corporaliter in S. Eucharistia inhabitat Christus. Quocirca merito S. Francisc. epist. exhort. ad sacerdotes sui Ordinis, quæ habetur tom. 5. Biblioth. SS. Patrum in fine : *Magna,* ait, *miseria, et miseranda infirmitas, quando ipsum* Christum in Eucharistia) *præsentem habetis, et aliquid aliud in toto mundo curatis. Totus homo paveat, totus mundus contremiscat, et cœlum exsultet, quando super altare in manibus sacerdotis est Christus, filius Dei vivi.* Et Noster Thomas θεοδίδακτος, ideoque doctor irrefragabilis, libr. 4. de Imitat. Christi, cap. 3 : *O mira circa nos tuæ pietatis dignatio, quod tu Domine Deus, creator et vivificator omnium spirituum, ad pauperculam dignaris venire animam, et cum tota divinitate tua ac humanitate, ejus impinguare esuriem,* etc. *Sileant à facie tua, dulcissime dilecte mi, cœlum et terra, et omnis ornatus eorum; quoniam quidquid laudis habent ac decoris, ex dignatione tuæ est largitatis; nec ad decorem tui pervenient nominis, cujus sapientiæ non est numerus?* Quocirca in Liturgia S. Jacobi, lectores hisce vocibus populum ad reverentiam excitant : *Sileat omnis humana ac mortalis caro, stetque cum metu et tremore, ac nihil terrestre apud seipsam cogitet. Rex enim regnantium, et Dominus dominantium Christus Deus noster progreditur, ut immoletur, ac detur in cibum fidelibus. Ipsum autem antecedunt Angelorum chori cum omni imperio et potentia.* Hæc sibi fixe impresserat B. Aloysius Gonzaga, ideoque nullam unquam in oratione, et præsertim in sancta communione mentis evagationem patiebatur. Qua de re rogatus à Cardin. Bellarmino, qui id fieri posset, respondit : *Mirari se aliter fieri posset. Quis enim,* inquit, *sibi persuadens se cum divina majestate colloqui, ab eaque videri et compellari possit ad alia vilia et exilia oculos animumque convertere?* Ita habet ejus Vita, et processus Canonizationis.

Porro tanta est Dei majestas, tanta potestas, tanta justitia et vindicta, ut eam expertus Nabuchodonosor, cum in bestiam versus, sibi postea est restitutus, pleno ore eamdem celebrarit : *Quia potestas ejus,* inquit, *sempiterna, et regnum ejus in generationem et generationem; et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt,* etc. Daniel. 4. 31. Idem fecit impius Antiochus, sed sero, dum vindicem Dei manum sensit, qua infelicem animam exhalavit. Cum enim percussus à Deo fœtorem suum ferre non posset, exclamavit : *Justum est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire,* 2. Machab. 9. 12.

Significat ergo hîc Propheta tantam esse Numinis majestatem, ut eam potius casto profundoque silentio, ut ait S. Dionys. lib. de Mystica Theolog. quàm exili nostro præconio venerari debeamus. Omnium enim hominum et Angelorum mentes, voces et linguæ deficiunt in ea contemplanda, colenda et celebranda. Quocirca Ecclesiasticus, c. 43. 29 : *Multa,* ait, *dicemus, et deficiemus in verbis,* q. d. Licet multa dixerimus, deficiemus tamen ab ejus operibus (multo magis ab ipso) pro dignitate celebrandis. *Consummatio autem sermonum ipse est in omnibus,* q. d. Finis et summa verborum sit, quod Deus est in omnibus, vel, ut Græca habent, αυτος εςι τὸ παν, id est, *ipse est omnia;* quia ipse rerum omnium est principium, medium et finis; ipse est omnium causa, finalis, conservans et efficiens : ipse est qui creatis omnibus dedit, et jugiter dat suum esse, ac substantifico suo influxu perpetim illud fovet. Si enim ad momentum laxaret manum suam, illico omnia in nihilum suum, ex quo ab eo educta sunt, corruerent, et velut umbra perirent. Nihil enim est solidi, vel in corporibus, vel spiritibus, nisi quatenus virtus Dei intrinsecus ea continet et constringit, ne velut aqua diffluant, vel instar fumi dissipentur, vel ut somnium quoddam et phantasmata inane evanescant. Quocirca subdit Ecclesiasticus : *Gloriantes ad quid valebimus?* q. d. Quantulum est, quod nos possumus eam glorificare? nullam enim ei gloriam nostra glorificatione addere possumus, uti nec gloriam ejus immensam digne celebrare. *Ipse enim omnipotens super omnia opera sua. Terribilis Dominus et magnus vehementer, et mirabilis potentia ipsius. Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis; supervalebit* (excellet, transcendet omnem glorificationem) *enim adhuc, et admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis : Major est enim omni laude. Exaltantes eum replemini virtute* (vi, spiritu, robore, q. d. Exserite et expromite omnes vires et voces vestras) *ne laboretis; non enim comprehendetis. Quis videbit eum, et enarrabit? et quis magnificabit eum sicut est ab initio?* Hac de causa regius Propheta psal. 64. 1. canit : *Te decet hymnus Deus in Sion;* Hebr. *Tibi tacet laus Deus in Sion,* q. d. Tua opera sunt tanta, et multo magis tanta est majestas tua, ut ejus respectu laus nostra omnis nihil sit, videaturque merum esse silentium. Ita Chald. et S. Hieronym. ibidem. Unde Zacharias, c. 2. 13 : *Sileat,* ait, *omnis caro à facie Domini; quia consurrexit de habitaculo sancto suo.* Quin et S. Joannes Apocal. 8. 1 : *Factum est,* inquit, *silentium in cœlo.* Si cœlites silent et obtupescunt ad Dei gloriam, quidni sileant et obstupescant mortales?

Ratio est, primo : quia essentia Dei est augustissima, sacratissima, sublimissima, et immensa quaquaversum, ideoque in immensum omnem creaturarum intellectum, conceptum et vocem transcendit; ut omnis nostra laus non sit aliud, quàm vox graculorum et pipionum : deitas enim est oceanus essentiæ, majestatis et immensitatis. Hinc Deus hebraice vocatur *Jehova,* id est *qui est,* et ipse se nuncupat : *Ego sum qui sum* Exodi 3. Ab hoc oceano singulæ creaturæ guttam, vel stillam unam essentiæ hauriunt. Rursum, Deus est sol quidam immensus claritatis et gloriæ, à quo singuli homines et Angeli radiolum unum lucis et vitæ emendicant. Quare merito S. Gregor. Nazianz. orat. in Natalitia de Deo loquens ait : *Universum esse in seipso, nunquam inceptum, nunquam desiturum complexus continet, tanquam infinitum quoddam et interminatum essentiæ pelagus.* Et S. Dionys. lib. de Mystica Theolog. totus in eo est, ut ostendat Deum in immensum excedere omnem essentiam, omnemque intellectum et cognitionem

propter suam *superessentialem infinitatem*. Unde ipse crebro Deum vocat υπερουσιον ουσιαν, id est, superessentialem essentiam. Idem lib. de Divinis nomin. c. 13 : *Nihil*, ait, *eorum quæ sunt, aut eorum quæ alicui existentium sunt cognita, explicat arcanum illud omnem rationem et intellectum superans, superessentialiter super omnia superexistentis superdeitatis*. Et c. 4 : *In ipso est omne principium, exemplare, finale, efficiens, formale, elementare; et simpliciter omne principium, omnis connexio, omnis terminus*. Hinc *lucem inhabitat inaccessibilem*, 1. Timoth. 6. 16. et tamen in ipso vivimus, movemur et sumus. Ipse enim est quidam fundus et fundamentum rerum omnium, cui universa innixa recumbunt, ut ait S. Dionys. lib. de Divinis nomin. c. 10. Quocirca Job, c. 11. 7 : *Forsitan*, inquit, *vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies? Excelsior cœlo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces? Longior terra mensura ejus, et latior mari*. Sileant ergo à facie tua, ô Rex majestatis, elementa et cœli. Sileant arbores, herbæ, flores, plantæ, prata, campi. Sileant aves, pisces, jumenta et feræ. Sileant homines, Angeli, et creaturæ omnes : quia coram te omnes in unum collectæ non amplius sunt, quàm momentum stateræ, et gutta roris antelucani, quam illico sorbet sol oriens, Sapient. 11. 23; quàm stilla situlæ, quàm pulvis exiguus, quàm locustæ, quàm inane et nihilum, Isaiæ 40. v. 15. 17 et 22; quàm pulvis et cinis, Genes. 18. 27.

Secunda ratio est, quod, sicut in Deo augustissima est essentia et majestas; sic pariter augustissima in eo est sanctitas, augustissima sapientia, augustissima providentia, augustissima omnipotentia, augustissima misericordia, augustissima justitia, augustissimæ perfectiones cæteræ, eæque infinitæ. Deus enim in se formaliter, vel eminenter, continet omnes perfectiones creaturarum omnium quæ fuerunt, sunt et erunt; ac insuper infinitas alias creaturis incommunicabiles. Sicut enim est oceanus essentiæ, sic est et oceanus perfectionum. Formaliter Deus in se continet perfectiones creaturarum absolutas, uti sunt vis intelligendi, volendi, operandi, aliæque spiritales. Eminenter continet perfectiones creaturarum mixtas, quæ videlicet cum aliqua imperfectione conjunctæ sunt, quales sunt calor, color, odor, sapor, sonus, aliæque corporales. Quocirca Eccles. c. 43. 29. ait : αυτος εςι παν, *ipse est* τὸ *omne*. Unde Gentiles Deum vocabant τὸ παν, id est universum, teste Eugubino lib. 3. Perennis Philosoph. cap. 8. Fingitur à Poetis Pan cum Amore Deo luctatus, et ab eo victus : quia omnia vincit amor; quin et Deum ipsum. Hic enim ab amore se vinci passus est, tum aliàs, tum maxime cum Verbum caro factum est, ut nobis fieret frater, imo redemptor et pater. Hinc illud oraculum : *Magnus Pan mortuus est*, cum in Christi morte defecerunt oracula deorum, cujus meminit Plutarchus, lib. de Oraculorum defectu. Quin et Deus ad Mosen : *Ego*, inquit, *ostendam omne bonum tibi*, Exodi 33. 19. Et Apostolus Roman. 11. 33 : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* etc. *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia; ipsi gloria in secula. Amen*. Quocirca eleganter S. Cyprianus, lib. *Quod idola non sunt dii*: *Mundi*, ait, *unus est rector, qui universa quæ sunt verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest, visu clarior est; nec comprehendi, tactu purior est; nec æstimari, sensu major est; et ideo sic eum digne æstimamus, dum inæstimabilem dicimus*.

Tertia ratio est, quod Deus uti in essentia, ita et in hisce suis attributis omnibus singulis, sit positive infinitus. Habet enim infinitam sanctitatem, infinitam potentiam, infinitam sapientiam, et ita de cæteris; in hisce ergo omnibus et singulis, est infinitus et immensus. Rursum Deus in infinitum transcendit non tantum omnes res creatas, earumque perfectiones et dotes, sed et omnes res possibiles et imaginabiles, quæ sunt infinitæ; transcendit, inquam, eas omnes, non uno, non centum, non mille gradibus, sed mille millenis millionibus, imo in infinitum. Cogita enim sapientiam, potentiam, bonitatem, etc. quantam potes, eamque majorem semper et crescentem in infinitum; cum omnia hæc cogitaveris, scito quod universa hæc tua, omniumque hominum et Angelorum cogitata, Dei sapientia, potentia, bonitas, etc. transcendat in infinitum; scito quod necdum ad primum deitatis punctum pertigeris; sed ab illo distes in infinitum. Sileant ergo in conspectu majestatis tuæ, Domine, omnes mentes, omnes linguæ, omnes conceptus, omnes voces Seraphicæ et Cherubicæ, velentque suas facies et pedes, præ pudore et reverentia, Isaiæ 6. 2; quia omni sua acie, omni suo ardore minimum tuæ gloriæ gradum penetrare et comprehendere nequeunt. *Vere magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis*, psal. 144. Et Baruch. c. 3 : *Magnus*, ait, *est, et non habet finem, excelsus et immensus*.

Ex hisce rationibus sequitur immensæ Dei majestati, sanctitati, sapientiæ, etc. immensam deberi reverentiam, cultum et latriam : cumque eam nos homunciones et vermiculi præstare non possimus, debere nos coram ea humiliare et deprimere in abyssum nostri nihili, miseriæ, vilitatis peccatorum, ac cum S. Francisco ex imo corde dicere : Quis tu, Domine? quis ego? tu abyssus essentiæ, sanctitatis, sapientiæ, potentiæ, omnisque boni : ego abyssus nihili, malitiæ, ignorantiæ, infirmitatis, omnisque mali. Abyssus ergo miseriæ meæ invocat abyssum misericordiæ tuæ. Quocirca nostrum hoc debitum exsolvit Christus, offerens se in cruce Deo pro nobis. Ipse enim cum sit Verbum Dei, est hostia infinita, et infiniti pretii, quæ Dei immensitati commensa est, quam proinde nobis testamento reliquit, ut quotidie in Eucharistia eamdem Deo immolemus, itaque debitum Deo cultum et latriam persolvamus.

Secundo, hinc excitamur, ut Deum super omnia summo et sincerissimo, quem præstare possumus, affectu et amore diligamus; quia ipse propter infinitam suam excellentiam, infinite dignus est omni amore, omni bono, omni gloria, omni laude, omni veneratione, omni obedientia et obsequio. Ex hoc amore sequitur ingens et ardens desiderium gloriæ Dei, ac promptitudo animi, ut vires, spiritus, sanguinem et vitam expendamus ad ejus nomen et gloriam ubique celebrandam et promovendam, ut omnes Dei majestatem, æternitatem, immensitatem, sanctitatem, omnipotentiam, misericordiam, justitiam, providentiam cognoscant,

timeant, ament, colant et glorificent in æternum. Deinde ex hoc amore nascitur gaudium mirificum, gratulatio et jubilus, quo gaudemus de tanta Dei majestate et gloria, eique identidem jubilamus dicentes : *Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in secula seculorum. Amen.* Apoc. 7. 12. Sic inchoamus vitam angelicam et beatam. Hoc enim est officium Angelorum et Sanctorum in cœlo: hoc eorum otiosum negotium, et negotiosum otium, ut toto corde, summo gaudio et jubilo Deum perpetim honorent, laudent, glorificent.

Tertio, discimus contemnere omnes mundi illecebras et pompas, totumque cor nostrum in Deo defigere, ac dicere cum Psalte : *Mihi autem adhærere Deo bonum est. Quid enim mihi est in cœlo, et à te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.* Sileant à facie tua omnes opes, omnes honores, omnes voluptates, quæ cæci mortales quasi idola colunt, cum revera non sint nisi imago falsa, et simulacra umbratica solidarum opum, honorum et deliciarum; quia in te solo est verum et omne bonum, omne pulchrum, omne delectabile, omnis dulcedo, omnis quies, omnis consolatio, omnes thesauri, omnis dignitas, omnis majestas, omnis gloria, omnis sapientia, omnis vita, omnis felicitas. Tu pelagus infinitum essentiæ, bonitatis et beatitudinis: omne esse, omne verum, omne bonum in te concludens, et ab æterno eminenter anticipans, tanquam fons totius entitatis. Tu fundamentum possibilium omnium, esse superessentiale omnium quæ sunt et quæ non sunt, sine quo non solum nihil potest esse actu, sed nec potestate, nec ullam habere rationem possibilem, conceptibilem vel intelligibilem. Tu omnium principium, omnium finis, omnium conditor, conservator, promotor; omnium locus; omnium ævum, duratio, ordinatio, connexio, consummatio. In te omne bonum Angelorum, hominum et creaturarum omnium. Deus meus, amor meus et omnia, natem in te quasi pelago, sicut pisces in mari; in immensitate providentiæ, misericordiæ et bonitatis tuæ immergar, inebrier, perdar, absorbear, ibique unà mecum mergam omnes spes et res meas, omnes affectus et amores, omnia desideria et vota.

Denique hinc discimus medium et scalam optimam qua ascendamus ad Deum esse silentium creaturarum. Vir quidam sanctus apud D. Taulerum, pag. 685, rogatus : *Ubi invenisti Deum?* respondit : *Ubi creaturas reliqui.* S. Dionys. lib. de Mystica Theologia, docet duobus modis et viis nos pertingere ad Dei cognitionem: prior est, affirmationis et comparationis, nimirum ascendendo à creaturis ad Creatorem, ac de eo affirmando omnes dotes quas reperimus in creaturis, quod in Deo creatore eædem sint sine comparatione excellentius et perfectius; posterior est, negationis, nimirum negando de Deo omnes res creatas, v. g. dicendo : Deus non est animal, non homo, non cœlum, non Angelus; sed infinities quid præstantius et divinius: atque hoc secundo modo melius et purius Deum cognosci asseverat.

Hac scala S. August. libr. 10. Confess. cap. 6. ascendit ad Deum : *Domine*, inquit, *amo te; sed et cœlum, et terra, et omnia quæ in eis sunt, ecce undique mihi dicunt, ut amem te; nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles. Quid autem amo, cum te amo? non speciem corporis, nec decus temporis, nec candorem lucis, ecce istis amicum oculis, non dulces melodias suavium cantilenarum omnimodarum; non florum, et unguentorum, et aromatum suaveolentiam; non manna et mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus. Non hæc amo, cum amo Deum meum; et tamen amo quamdam lucem, et quamdam vocem, et quemdam odorem, et quemdam cibum, et quemdam amplexum, cum amo Deum meum, lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei; ubi fulget animæ meæ quod non capit locus, et ubi sonat quod non rapit tempus, et ubi olet quod non spargit flatus, et ubi sapit quod non minuit edacitas, et ubi hæret quod non divellit satietas. Hoc est quod amo, cum Deum amo. Et quid est hoc? Interrogavi terram, et dixit : Non sum; et quæcumque in ea sunt, idem confessa sunt. Interrogavi mare, et abyssos, et reptilia animarum viventium; et responderunt : Non sumus Deus tuus, quære super nos. Interrogavi cœlum, solem, lunam, stellas, etc. et exclamaverunt voce magna: Ipse fecit nos. Interrogavi mundi molem de Deo meo, et respondit mihi : Non ego eum, sed ipse me fecit, etc.* Idem, lib. 9. cap. 10, cum matre S. Monica, paulo ante ejus mortem colloquens de vita æterna Sanctorum, quæ est Deus; quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit: *Erigentes*, inquit, *nos ardentiore affectu in idipsum, perambulavimus gradatim cuncta corporalia, et ipsum cœlum, unde sol et stellæ lucent super terram. Et adhuc ascendebamus interius cogitando et loquendo te, et mirando opera tua, et venimus in mentes nostras, et transcendimus eas, ut attingeremus regionem ubertatis indeficientis, ubi pascis Israel in æternum, etc. Dicebamus ergo, si cui sileat tumultus carnis; sileant phantasiæ terræ, et aquarum et aeris, sileant et poli, et ipsa anima sibi sileat, et transeat se, non se cogitando; sileant somnia et imaginariæ revelationes, omnis lingua, et omne signum, et quidquid transeundo fit, si cui sileat omnino : quoniam si quis audiat, dicunt hæc omnia : Non ipsa nos fecimus, sed fecit nos qui manet in æternum. His dictis si jam taceant, et loquatur ipse solus non per ea, sed per seipsum, ut audiamus verbum ejus non per linguam carnis, neque per vocem Angeli, neque per sonitum nubis, neque per ænigma similitudinis; sed ipsum quem in his amamus, ipsum sine his audiamus, sicut nunc extendimus nos, et rapida cogitatione attingimus æternam sapientiam super omnia manentem; si continuetur hoc, et subtrahantur aliæ visiones longe imparis generis, et hæc una rapiat et absorbeat, et recondat in interiora gaudia sua, ut talis sit sempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ cui suspiravimus, nonne hoc est? Intra in gaudium Domini tui? Et istud quando?*

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Multi hoc caput et carmen ad litteram accipiunt de Christo, Christique victoria et redemptione : quia Propheta hic crebro loquitur per verba futuri temporis. Ita videtur sentire S. Hieron. Theodoret. Theophil. Euthym. Haymo, Rupert. Emmanuel, et S. August. lib. 18, de civit. c. 2. 32.

Alii ad litteram hæc accipiunt de Cyro, expugnatore Babylonis et liberatore Judæorum, qui proinde omnia hæc futura accommodant, quasi revera uti sonant, tunc acciderint, idque probant ex Herodoto et Xenophonte. Ita Hugo, Albert. Lyran. et Mariana.

Verum dico ad litteram Prophetam, cum ad suam querelam de Chaldæorum in Judæos tyrannide, imperio et excidio, a Deo accepisset responsum de Babylonis punitione, et Judæorum ex ea liberatione per Cyrum, hoc carmine Deo gratias agere, eumque obsecrare, ut idipsum reipsa exsequatur. Quocirca canit magnalia, plagas et prodigia quæ Deus pro Hebræis patravit, ab exitu eorum ex Ægypto usque ad ingressum in terram Chanaan; ut significet similia Deum pro eisdem patraturum in liberatione ex Babylone, et reductione in Judæam; quæ omnia ascribit meritis Christi Jesu, quem Cyrus typice adumbravit. Ita Chald. Hæbræi, Vatabl. Arias, Jansenius; et tandem fatentur idipsum S. Hieron. Theodor. et Theophil. Id ita esse patet primo, ex cap. 1 et 2. maxime v. 3, atque ex tota connexione prophetiæ hujus. Hic est enim auditus, de quo ait v. 1: Domine, audivi auditionem tuam, et timui. Nam cap. 1 et 2, audiens Chaldæorum in Judæos sævitiam, extimuit et expavit; secundo, quia ea de causa ab initio cap. usque ad v. 24, plurima beneficia Hæbræis in exitu ex Ægypto præstita commemorat, ut similia eis in egressu è Babylone præstanda demonstret, et ad id credendum fidem et spem eorum exacuat; tertio, idipsum clare indicat cum ait v. 16 : Ut ascendam ad populum accinctum nostrum. Denique id significat titulus, oratio pro ignorantiis, id est pro peccatis suis et populi, ne scilicet Deus ob ea, liberationem ejus è Babylone, licet promissam differat, vel omnino revocet et auferat.

In sensu tamen allegorico, qui præcipue hic intenditur a Spiritu sancto, loquitur de Christo, Christique mysteriis et redemptione. Sicut enim Nabuchodonosor tyrannus, et vastator populi Dei gessit typum diaboli; ita Cyrus liberator ejusdem figura fuit Christi redemptoris : et sicut Babylon repræsentat regnum peccati, ita liberatio è Babylone repræsentavit redemptionem Christi qui evertit regnum peccati, hominesque ex ejus et diaboli servitute liberavit. Hac de causa Propheta jam loquitur in præterito, ut significet se ad litteram loqui de Pharaone, Ægypto, et Hebræis præteritis; jam in futuro, ut significet ad litteram similia Judæis eventura per Cyrum, in expugnatione Babylonis. Allegor. vero similia, imo longe majora, omnibus gentibus præstanda per Christum, orbis redemptorem. Hinc nominat Christum et Jesum v. 18 : Exultabo, inquit, in Deo Jesu meo, ejusque nativitatem, miracula et gesta usque ad ultimum ejus judicium, typice percenset. Ita Theophil. Eutym. Rupert. Ribera, Titelman. Jansen. in hoc canticum. Simili modo victorias et beneficia sui temporis ad litteram, quibusallegorice repræsentant victoriam et gratiam Christi, carmine suo celebrant Moses, Exodi 15, Debora Judic. 5, Judith. c. ult. Anna 1. Reg. 2, David psal. 71. et 88.

Ubi nota quia allegoricus sensus hic præcipue est intentus a Spiritu sancto, hinc

quædam interseruntur, quæ magis conveniunt allegoriæ quam litteræ, uti est nomen Jesu; et quod Septuag. v. 2. habent : In medio duorum animalium cognosceris; et v. 5 : Ante faciem ejus ibit mors; et : Egredietur diabolus ante pedes ejus. Simili modo allegoriam litteræ miscet Isaias c. 14, ubi sub typo Luciferi, casum Balsasaris depingit; et Ezechiel c. 28, ubi sub typo Cherubini, ruinam regis Tyri repræsentat.

Ad litteram ergo tres sunt hujus cantici partes. Primo enim Propheta Deum obsecrat, ut opus redemptionis Hebræorum è Babylone promissum reipsa præstet et perficiat. Secundo, a v. 2. ad 16. recolit et celebrat magnalia Dei, edita in eorumdem liberatione ex Ægypto, quo tacite rogat ut similia præstet in eorum liberatione è Babylone. Tertio, v. 16. redit ad v. 1. et ad cladem Babylonis obstupescit : mox gaudet et exsultat in Domino, qui Judæos e Babylone liberabit, eosque quasi cervos veloces et alacres in Judæam reducet.

2. Domine, audivi auditionem tuam, et timui. Domine, opus tuum, in medio
annorum vivifica illud. In medio annorum notum facies: cum iratus fueris, mi-
sericordiæ recordaberis. 3. Deus ab Austro veniet, et sanctus de monte Pha-
ran : Operuit cœlos gloria ejus : et laudis ejus plena est terra. 4. Splendor ejus
ut lux erit : cornua in manibus ejus : Ibi abscondita est fortitudo ejus : 5. Ante
faciem ejus ibit mors : et egredietur diabolus ante pedes ejus. 6. Stetit, et
mensus est terram. Aspexit, et dissolvit Gentes: et contriti sunt montes seculi.
Incurvati sunt colles mundi, ab itineribus æternitatis ejus. 7. Pro iniquitate vidi tentoria Æthio-
piæ, turbabuntur pelles terræ Madian. 8. Numquid in fluminibus iratus es, Domine ? aut in
fluminibus furor tuus ? vel in mari indignatio tua ? Qui ascendes super equos tuos : et quadrigæ
tuæ salvatio. 9. Suscitans suscitabis arcum tuum, juramenta tribubus quæ locutus es. 10. Flu-
vios scindes terræ : viderunt te, et doluerunt montes : gurges aquarum transiit. Dedit abyssus
vocem suam : altitudo manus suas levavit. 11. Sol et luna steterunt in habitaculo suo, in luce
sagittarum tuarum, ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ. 12. In fremitu conculcabis terram :
in furore obstupefacies Gentes. 13. Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo
tuo. Percussisti caput de domo impii : denudasti fundamentum ejus usque ad collum. 14. Male-
dixisti sceptris ejus, capiti bellatorum ejus, venientibus ut turbo ad dispergendum me. Exsultatio
eorum, sicut ejus qui devorat pauperem in abscondito. 15. Viam fecisti in mari equis tuis, in
luto aquarum multarum. 16. Audivi, et conturbatus est venter meus : à voce contremuerunt
labia mea. Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat. Ut requiescam in die tribu-
lationis : ut ascendam ad populum accinctum nostrum. 17. Ficus enim non florebit : et non erit
germen in vineis. Mentietur opus olivæ : et arva non afferent cibum. Abscindetur de ovili pecus :
et non erit armentum in præsepibus. 18. Ego autem in Domino gaudebo : et exsultabo in Deo
Jesu meo. 19. Deus Dominus fortitudo mea : et ponet pedes meos quasi cervorum. Et super
excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.

ORATIO PRO IGNORANTIIS.

1. Pro ignorantiis.] Hebr. est שגינות *sigionot*, quod aliqui, ut R. David, Pagnin. Vatabl. accipiunt pro certo genere cantici, harmoniæ, vel instrumenti musici; unde Septuag. vertunt: *Oratio Habacuc Prophetæ cum cantico;* quia partim est hîc oratio, partim et magis canticum, quo celebrat Dei beneficia præterita, ut impetret futura. Hæc est enim vera ratio orandi et impetrandi, si ejus à quo quid petimus, munificentiam, potentiam, dotes et laudes celebremus. Unde in Scriptura, oratio subinde vocatur *laus*, ut Thren. 2. 19 : *Consurge, lauda* (id est, laudando ora) *in nocte*. Jerem. 11. 14 : *Ne assumas pro eis laudem*, id est, ne ores pro Judæis tam impiis. Hinc et R. Jona, et ex eo Genebrard. *sigionot* vertunt, *gaudium, oblectationem. Oratio*, inquiunt, *Habacuc Prophetæ cum oblectationibus*, qua scilicet se populumque oblectat, commemorando futuram ejus liberationem. Alii, ut R. Juda vertunt : *Oratio pro occupationibus*, puta pro gravibus negotiis, quæ animo versabat, quibusque se occupabat Propheta : Tigurina : *Colloquium*, seu *disputatio Habacuc Prophetæ de rebus perplexis*. Verum melius Noster

vertit: *Pro ignorantiis*; ita enim vertit et Aquila, Symmach. quinta Editio et Chald. Hebræum enim שגה *saga* significat errare, ignorare: inde שגיונה *sigiona* vocatur error, ignoratio, puta delictum et peccatum, tum ex ignorantia commissum, tum quodlibet aliud, etiam voluntarium. Unde Theodot. vertit: *Pro voluntariis*, scilicet delictis. Nam ut ait Aristotel. *Omnis peccans est ignorans.* Et Sapiens: *Errant qui operantur malum*, Prov. 14. 22. Semper enim peccato conjuncta est aliqua ignorantia, puta inconsideratio. Si enim consideraret peccator turpitudinem et damna peccati, Deumque vindicem, cujus iram et tormenta æterna provocat, utique non peccaret.

Jam sensum hic varium dant varii. Primo, Chald. more suo paraphrastice sic vertit: *Oratio quam oravit Habacuc, quando revelatum est ei de longitudine temporis, quam dedit Deus impiis: quod si convertantur ad legem corde perfecto, remittetur eis, eruntque omnia scelera eorum, quæ admiserunt in conspectu ejus, quasi ignorantia.*

Secundo, S. Hieron. Remig. Albertus et Jansenius censent Habacuc hic deprecari veniam suæ ignorantiæ, id est sui peccati, quo ignoranter et temere ausus fuit cum Deo disputare; imo de ejus providentia, qua sinit impios piis dominari, conqueri. Verum in toto hoc carmine nullam hujusce deprecationis veniæ significationem dat Propheta.

Dico ergo: per ignorantias significantur peccata populi, q. d. Oro, Domine, pro peccatis populi, ut illa condones et dissimules, ne propter illa differas opus liberationis nostræ è Babylone, et multo magis allegor. opus incarnationis Christi, et redemptionis generis humani à te promissum.

2. Domine, audivi auditionem tuam.] Est metonymia, nam actus ponitur pro objecto: *auditionem*, id est rem, vel verbum auditum, sive oraculum quod à te audivi; scilicet tantam cladem et vastationem, tum Judæorum per Chaldæos, tum ipsorum deinde Chaldæorum per Medos et Persas: ideoque *timui*, maxime metuens, ne nos in Babylone degentes, utpote captivos, etiam Babylonica clades, et Chaldæorum excidium per Cyrum infligendum pariter involvat, et omnino deleat. Ita S. Hieron. Remig. et Theodor. Porro Septuag. addunt: *Consideravi opera tua, et* ἐξέστην, id est *obstupui*, vel *expavi*, quod allegor. recte S. August. lib. 18. de Civit. 32. refert ad opus incarnationis Christi, quod præ suî novitate, tantæque majestatis exinanitione, non tantum stuporem, sed et sacrum quemdam pavorem et horrorem, ex suî reverentia incutit. *Quid enim*, inquit, *hoc est, nisi præcognitæ, novæ, ac repentinæ salutis hominum ineffabilis admiratio?* Quis enim non stupeat, quis non expavescat, si videat Deum in carne, Deum in cruce? Hoc est magnum pietatis sacramentum, quod obstupescunt Seraphini et Cherubini, quod, ut ait Apostolus 1. Timoth. 3. 16: *Manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis* (quid omnes stupentes illud adorarunt Hebr. 1. 6.) *prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.* Vere S. Bernard. serm. 3. in Vigilia Nativit. *Tria opera, tres mixturas fecit omnipotens illa majestas in assumptione nostræ carnis, ita singulariter mirabilia, et mirabiliter singularia, ut talia nec facta sint, nec facienda sint amplius super terram. Conjuncta quippe sunt ad invicem Deus et homo, mater et virgo, fides et cor humanum. Admirabiles istæ mixturæ, et omni miraculo mirabilius, quomodo tam diversa, tantaque divisa ab invicem potuerint conjungi.* Et infra: *Contraxit se majestas, ut quod melius habebat, videlicet seipsum, limo nostro conjungeret, et in persona una sibi invicem uniretur Deus et limus, majestas et infirmitas, tanta vilitas et sublimitas tanta. Et attende, sicut in illa singulari divinitate trinitas est in personis, unitas in substantia; sic in ista speciali commixtione trinitas est in substantiis, in persona unitas. Verbum enim et anima, et caro, in unam convenere personam; et hæc tria unum; et hoc unum tria, non confusione substantiæ, sed unitate personæ.* Quocirca merito S. August. S. Hier. S. Bernard. S. Franciscus, aliique Sancti, in contemplatione hujus mysterii quasi extra se rapti et attoniti expaverunt et obstupuerunt. Equidem si cum S. Magdalena secedentes et abstracti, non aliud contemplaremur tota vita, quàm hoc, *Verbum caro factum est, Deus homo*, jugiter obstupesceremus; et quò magis ac diutius illud contemplaremur, eo magis in stuporem, imo in exstasim raperemur.

Sane ipsa humanitas Christi in incarnatione, videns se assumi et elevari super omnes cœlos et Angelos, ad thronum majestatis divinæ, obstupuit et expavit: quin et jugiter obstupescit et expavescit, dum videt se in eamdem non tantum sede, sed et hypostasi cum divinitate sedere et subsistere: videt enim se ex creatura elevarì ad Creatorem, ex nihilo fieri omnia, ex homine fieri Deum; idque ex nulla suî dignitate (est enim ipsa tanto honore et bono indigna) vel merito, sed ex mera dignatione Dei, qui eam ex omnibus hominibus, Angelis et creaturis elegit, et ad tantum gloriæ fastigium evexit. Jugiter ergo illa obstupescens suam vilitatem et indignitatem, ac Dei dignationem et gratiam, gratulabunda exclamat: O immensa Dei in me, ô abyssalis, ô incomprehensa bonitas!

Tropol. hæc verba sibi adaptavit S. Leo, cum eligeretur in Pontificem. Sic enim ait serm. 2. de sua Assumptione: *Domine, audivi auditum tuum, et timui: consideravi opera tua et expavi. Quid enim tam insolitum, tam pavendum, quàm labor fragili, sublimitas humili, dignitas non merenti?*

Domine, opus tuum, in medio annorum vivifica illud.] Τὸ *illud* per pleonasmum Hebræum redundat: Hebræi enim repetunt pronomen relativum, vel demonstrativum, illudque jungunt cum suo nomine quod antecessit. Porro *opus* intelligit liberationis Judæorum è Babylone, et mystice redemptionis generis humani è captivitate diaboli et peccati per Christum. Unde Chald. opus hoc interpretatur renovationis mundi et miserationum Dei. Ita S. Hieron. et August. loco citato. Hoc enim vocatur opus Dei antonomastice, sive per excellentiam; quia omnium Dei operum fuit maximum et excellentissimum. Nam in eo uno magis quàm in operibus creationis, conservationis, gubernationis, cæterisque omnibus, Deus generi humano ostendit immensam suam clementiam, sapientiam, potentiam et amorem. Quodque de Bruto dixit Poeta: *Et magnum magni Cæsaris illud opus;* illud longe verius dicas de Verbo incarnato, puta de Christo: *Et magnum magni Numinis illud opus.* Hoc opus, inquam, *in medio annorum*, id est intra

annos, vel annis, scilicet à te præfixis, *vivifica*, id est effice, suscita, adimple. Hebræi enim metaphorice vitam dant rebus inanimis, ut annis, diebus, aeri, fertilitati, sterilitati, captivitati, liberationi, etc. cum enim illa fiunt et vigent, dicuntur hebr. vivificari et vivere.

IN MEDIO ANNORUM.] Varii varie hoc medium explicant. Primo Guevara et Vatabl. *In medio annorum*, inquiunt, hoc est, in medio illorum calamitosorum et infelicium dierum, in quibus Chaldæam, ejusque incolas funditus igne ferroque vastandos Propheta audierat. *In medio* dixit, id est, cum in præcipiti erunt mala, cum ingruent vehementius pericula, cum circumfluentibus undique calamitatum fluctibus nulla emergendi affulgebit spes. In medio enim alicujus rei esse dicitur quandoque id, quod ab ipsa premitur et urgetur maxime, ut circumfuso malorum æstu nullum evadendi pateat effugium. Tale est illud Psalm. 22. *Nam etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Et Psalm. 37 : *Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me.* Orat ergo Habacuc Deum, ut populum sibi peculiarem è mediis calamitatibus Chaldæorum eripiat, et quem tantis hactenus beneficiis affecerit, cuique ut artifices solent, quasi absolutissimo manuum suarum operi, et suum nomen inscripserit, notamque et stigma circumcisionis inusserit, Chaldæorum sævitia interire, aut cum Chaldæis pariter in Babylone à Medis et Persis exscindi delerique penitus non patiatur. Hic sensus valde huic loco congruere videtur. Medium enim sæpe capitur pro summo, ut cum dicimus : In medio tribulationum versor; medio mari jactor; in medio ferarum dego, id est, in summis versor malis, periculis et hostibus. Annus enim, dies et tempus sæpe metonymice sumuntur pro clade insigni et calamitate, quæ tali anno, die et tempore contigit, vel continget. Sic sæpe Prophetæ diem Domini vocant diem ultionis, quo Judæam, vel Babylonem, aut alias urbes et gentes puniet et perdet, ut Sophon. 1. 14 : *Juxta est dies Domini magnus, etc. dies iræ, dies illa, dies tribulationis et angustiæ.* Joel 2. 1 : *Venit dies Domini, etc. dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et turbinis.* Similia sunt Jeremiæ 30. 7. Amos 3. 18.

Secundo, alii ex adverso medium capiunt pro optimo, q. d. Evolutis annis 70 captivitatis calamitosissimæ, in medio, id est, in optimo anno 70 illos annos consequente, opus hoc liberationis nostræ tam exoptatum dabis et præstabis. Sic dicitur Ezech. 5. 5 : *Ista est Jerusalem : in medio*, id est in optimo, *gentium loco posui illam.* Et Isaiæ 38. 9. ait Ezechias : *In dimidio dierum meorum*, id est, in ætate optima et florenti, *vadam ad portas inferi.* Quanquam alii τὸ *dimidio* proprie accipiunt. Erat enim Ezechias tunc 39 annorum, quæ ætas est quasi dimidia vitæ humanæ : integra enim est ea quæ notatur psalm. 89. 10 : *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni; si autem in potentatibus, octoginta.*

Tertio, simplicius alii medium hîc non accipiunt geometrice, sed physice, aut potius vulgariter ex Hebræorum phrasi et usu, quo *In medio annorum* idem est quod intra annos, scilicet præfinitos et destinatos à Deo. Unde Symmachus vertit: *Intra annos reviviscere fac ipsum;* Aquila : *Dum appropinquant anni, vivifica illud;* Septuag. *Cum appropinquaverint anni, cognosceris.* Sic Deus fecit *firmamentum in medio aquarum*, id est, inter aquas superas et inferas, Genes. 1. 6. *et lignum vitæ in medio paradisi*, id est intra paradisum, Genes. 2. 9. et ignem in medio rubi, id est intra rubum, Exodi 3. 2. Dicit autem potius *in medio* quàm in fine annorum, quia optat annos hosce non expleri, sed potius imminui et dimidiari, q. d. Fac, Domine, ut anni 70, quos captivitati nostræ designasti, non ad finem usque decurrant, sed decurtentur et dimidientur.

Quarto, aliqui, ut Albertus, medium hîc geometrice et præcise accipiunt, scilicet medium annorum mundi. Nam liberatio Hebræorum facta est sub annum mundi ter millesimum, puta anno 3419, hoc est pene medium durationis mundi : durabit enim mundus sex millia annorum, ut tradunt Hebræi et Patres, quos citavi Apoc. 20. 6.

Rursum Jansenius dimidium hoc exponit annum 37. transmigrationis Joachin, quo Evilmerodach eum exaltavit, 4. Reg. 15. 27. quod fuit quasi præludium et initium felicitatis et liberationis Hebræorum, quæ perfecta est anno 70. captivitatis : nam 37 sunt pene dimidium 70. Hoc sensu vox *vivifica* in sensu non perfecto, sed inchoato accipienda est, q. d. *Vivifica*, id est, incipe vivificare, et adimplere opus tuum ; inchoa operis tui fabricam, da ejus specimen, quasi auroram futuræ lucis et libertatis.

Allegor. opus incarnationis et redemptionis Christi factum est *in medio annorum*, juxta primum sensum : quia Christus venit calamitosissimo tempore. Fecit enim uti facit sapiens medicus, qui sinit morbum crescere ad summum paroxysmum, ut omnes suas vires exserat et evomat : quo facto, morbo quasi exhausto et enervato, facilem adhibet curationem. Ita Christus permisit ut peccatum et concupiscentia crescerent ad summum per quatuor annorum millia, utque omnem suam malitiam exsererent ac evomerent: quo facto, medicam ei manum suam attulit; cum jam pariter et natura, et lex Mosis omnem vim suam ostendissent, nec tamen potuissent peccato mederi : ac proinde omnes et omnia Christi opem tacite poscerent et inclamarent.

Secundo, idipsum fuit *in medio*, id est in optimo, *annorum ;* quia ipse adduxit aureum jubilæi seculum, juxta illud Apostoli : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* 1. Cor. 6. 2.

Tertio, fuit *in medio annorum*, id est inter annos, vel annis à Deo præfixis et constitutis. Rursum *in medio*, id est in complemento annorum. Medium enim est extremorum centrum, unio, perfectio et complementum. Hinc *in medio annorum*, idem est quod in consummatione annorum, vel ut Apostolus Galat. 4. v. 4. ait *in plenitudine temporum*, cum scilicet plane consummata et impleta essent tempora à Deo tanto operi præstituta. Medium enim extremorum est finis : extrema enim in medio terminantur et finiuntur. Ita S. Hieron. In medio ergo annorum natus est Christus : quia ætas Christi fuit finis seculorum præcedentium miserorum, et initium sequentium felicissimorum. Dicit autem *in dimidio* potius quàm in fine : quia optat hosce annos accelerari, ideoque dimidiari; sicut per preces Danielis et Prophetarum, abbreviatæ et accisæ sunt 70 hebdomades præviæ Christo, uti dixi Daniel. 9. 21.

Quarto, arithmetice *in medio annorum* passus est Christus hoc computu: primo, quia in medio 70 et ultimæ hebdomadis Danielis passus, redemit mundum, Daniel. 9. v. 27. Licet enim Daniel fuerit post Habacuc, tamen hebdomades hæ 70 jam ante Danielem decretæ erant in mente Dei, qui eas hîc confuse et implicite revelavit Habacuc, quas postea diserte expressit Danieli. Secundo, *in medio annorum;* quia Christus passus redemit nos anno ætatis 34, quæ est media vitæ humanæ: hæc enim censetur 70 annis. Tertio, Hebræi ex oraculo Eliæ durationem sive ætatem mundi tradunt fore sex millia annorum, sive ter bina millenaria, quorum prima duo spectant ad legem naturæ, quæ fuit ante diluvium, et post illud usque ad Abraham: secunda, sive media duo ad legem Mosis; tertia, sive ultima duo ad Evangelium et tempus Messiæ ac gratiæ. Jam Christus natus est durante lege Mosis: natus est ergo in medio harum trium ætatum, ac consequenter in medio annorum, id est, seculorum mundi. Ita Francisc. Georgius Venetus in Problem. tomo 3. sect. 4. de Christi adventu, n. 142. Rursum in medio annorum venit Christus: quia tempus Evangelii et gratiæ ejus est medium inter tempus legis et tempus gloriæ, sive inter seculum præsens et futurum. Christus enim fuit quasi horizon temporis et æternitatis: est enim ipse legis temporisque finis, ac principium æternitatis vitæque beatæ. Hinc ab Isaia cap. 9. vocatur *pater futuri seculi.* Denique ne quid omittam, ex his Habacuc verbis nonnulli, uti refert S. Vincentius Fererius epist. ad Benedictum, et Adrianus Finus lib. 5. Flagelli cap. 8. censuerunt Christum in medio durationis mundi tempore assumpsisse carnem, ita ut tot exacte præcesserint anni Christi incarnationem, quot post eam futuri sunt. Idipsum indicavit Virgil. qui ex oraculis Sibyllæ Cumææ Augusto Cæsari (cujus ætate natus est Christus) adulatus, cecinit 3. Georg.

Mox tamen ardentes accingar dicere pugnas
Cæsaris, et nomen fama tot ferre per annos,
Tithoni prima quot abest ab origine Cæsar.

Verum hoc plane incertum, et multis parum probabile videtur; certe ex hoc loco evinci nequit.

Symbolice, Christus est medium, uti SS. Trinitatis, ita et totius universi et seculorum omnium, æque ac redemptionis et felicitatis nostræ mediator. Nam in SS. Trinitate ipse, utpote Filius, est medius inter Patrem et Spiritum sanctum, qui à Patre procedit et generatur, ac genitus cum eo spirat et producit Spiritum sanctum. Secundo, quia ipse est Verbum, quod est idea, per quam creavit Deus omnia; ipse ergo ut Verbum, est nodus, nexus, vinculum, medium et centrum rerum omnium; tertio, in ipso pariter, ut Verbo, creata et ordinata sunt omnia secula et tempora: *Fide* enim *intelligimus aptata esse secula verbo Dei*, ait Apost. Hebr. 11. 3. Quarto, hinc congrue assumpsit naturam humanam, ut esset mediator Dei et hominum. Decebat enim ut persona media in SS. Trinitate humanam naturam assumeret, in eaque fieret mediator; quia et ipsa media est inter cœlum et terram, media inter Deum et cæteras creaturas, utriusque naturam participans, ut per ipsam naturam mediam utraque uniret extrema. Natura enim humana meditullium, et quasi vinculum omnium existit, et cum omnibus partem habens, cum omnibus deliciatur; omnibus enim creaturis cæteris homo vel vescitur, vel oculis, aliove sensu pascitur et fruitur; terra nos sustentat, aqua potat, aer dat respiraculum, ignis calefacit; vescimur plantis, piscibus, animalibus; sole et cœlo illuminamur, ab Angelis erudimur, purgamur, perficimur. Pari modo Christus factus homo deliciatur cum omnibus, et omnes cum eo. Hinc ejus typus fuit arbor vitæ in medio paradisi à Deo collocata, Genes. 2. Quocirca Christus nascens, vivens, moriens, semper capessivit medium. Natus est enim in media nocte, dum quietum silentium continerent omnia, et nox in suo cursu medium iter perageret, Sapient. 18. 14. Natus quoque positus est in medio duorum animalium; asinus infirmior denotat misericordiam; bos fortior, et in arando æquus et fidus hero, denotat justitiam. Hæc enim duo obviare sibi fecit Christus, ideoque nascens in eorum medio stetit. Puer inventus est in templo, in medio Doctorum. Domi fuit medius inter matrem et patrem, puta Mariam et Joseph. Sicut enim medius est in Trinitate increata, sic medius est et in Trinitate creata, quæ est Joseph, Jesus, Maria. Vir in medio fuit Apostolorum: *Ego, inquit, sum in medio vestrûm, tanquam qui ministrat;* ut omnibus videlicet æqua distributione, saltem geometrica, suscepta munera distribueret. Rursum concionando operatus est salutem in medio terræ, Psalm. 73. 12. Moriens pependit in medio duorum latronum, ut jam eorum constitutus judex, redderet utrique debitas vices, juxta utriusque merita, præsagio quodam magni et extremi judicii, in quo medius ad dexteram habebit Sanctos, quos vita æterna præmiabit; ad sinistram reprobos, quos morte æterna mulctabit. In cœlo medium tenet locum; est enim medius inter Patrem et nos, utpote advocatus noster. Ita eum vidit S. Joan. Apoc. 5. 6. quasi agnum in medio throni, in medio quatuor animalium, et in medio seniorum. Hinc eum repræsentavit Isaac immolandus à patre, et risus ac gaudium orbis; Isaac enim medius fuit inter Abraham et Jacob; fuit enim Abrahæ filius, Jacobi pater. Rursum ipse palam profitetur: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, Matth. 18. 20. Quocirca ipse ab æterno decretus, et in tempore factus est verus et optimus mediator inter Deum et hominem, juxta illud Apostoli: *Unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus*, 1. Timoth. 2. 5. Ipse enim factus homo, effectus est vinculum et glutinum, ligans, connectens et uniens hominem cum Deo. Ipse est velut canalis medius, per quem à fonte vivo, puta à Deo, fluunt ad nos aquæ vivæ, et fluenta gratiarum. Ipse est scala Jacob, per quam quasi medium, ab extremo ad extremum, puta è terra in cœlum ad Deum ascendimus. Præclare S. Bernard. serm. 1. de S. Michaele: *Amat*, inquit, *semper media Jesus, diverticula semper et reclinatoria reprobat filius hominis, Dei et hominum mediator. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia.*

Nimirum hisce omnibus significare voluit et commendare auream mediocritatem, quæ nos Deo et hominibus gratos efficit; virtus enim consistit in medio. Item pacem et concordiam;

medium enim est nexus, et quasi pax et concordia extremorum. Hoc est quod ait Matth. 5. 9: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur;* quia ego qui sum filius Dei naturalis, sum pax universi, pacificans omnia quæ in cœlis, et quæ in terris sunt, Colos. 1. 20. Jure ergo nomen filii Dei sortiuntur, qui mediandi pacemque conciliandi officium ipsi proprium intimumque usurpant.

Annorum.] Ita vertunt quoque Aquila, Symmach. Theodotion, Chald. et alii passim; legunt enim in Hebræo שנים *scanim*, quod significat *annos*. Verum Septuag. aliis punctis legentes שנים *scenaim*, id est *duorum;* rursum pro חיהו *chaiiehu*, id est *vivifica illud*, legentes חיות *chaiot*, id est *animalium*, vertunt: *In medio duorum animalium cognosceris;* mox tamen pro *scenaim* legunt *scanim* cum cæteris. Unde subdunt: *Cum appropinquaverint anni, cognosceris*, adduntque per epexegesin: *Cum advenerit tempus, demonstraberis.* Hæc enim verba non sunt in Hebræo; ea tamen in Septuag. legunt codices Vaticani, Complut. Regii, S. Hieronym. Cyrill. Theod. et alii passim. Aliqui tamen censent Sept. in Hebræo legisse ut cæteros, scilicet ut τὸ *Cum appropinquaverint anni, cognosceris*, respondeat illi quod vertit Noster: *In medio annorum vivifica illud*, et τὸ *Cum advenerit tempus, demonstraberis*, respondeat illi quod vertit Noster: *In medio annorum notum facies;* id vero quod præcedit: *In medio duorum animalium cognosceris*, additum sit à Septuag. prophetice et paraphrastice, sicut ab eisdem additum est τὸ *à ligno*, quod non est in Hebræo, nec in Latino, Psalm. 95. 10. Ubi enim illi legunt, *regnavit Deus*, Septuag. addiderunt *à ligno*, scilicet à cruce; crux enim fuit quasi solium regni Christi. Forte in Hebræo fuit duplex lectio, una in textu, altera in margine, quales jam multæ sunt in Hebræo, quas Rabbini vocant *keri uketif;* nimirum ut in textu fuerit: *bekereb scanim chaiiehu*, id est, *in medio annorum vivifica illud;* in margine vero: *Bekereb scenaim chaiot*, id est, *in medio duorum animalium;* et utrumque exprimere voluerint LXX. levi enim mutatione ex *scanim*, fit *scenaim*, ex *chaiiehu chaiot*.

Porro quoad sensum litteralem de Chaldæorum excidio, duo animalia quæ hoc peregerunt, et populum Dei Babylone liberarunt, fuerunt Medi et Persæ, sive Darius et Cyrus. Alludit ad Isaiæ oraculum, cap. 21. 7: *Et vidit currum duorum equitum, ascensorem asini, et ascensorem cameli*, puta Cyrum qui Persis quasi asinis, et Darium qui Medis quasi camelis dominabatur; hi enim everterunt Babylonem. Unde erat oraculum, editum per Nabuchodonosor, ait Euseb. lib. 9. de Præpar. Evang. cap. ultimo: *Veniet Persa mulus, qui vobis, ô Babylonii, afferat servitutem.* Mulus est Cyrus natus matre Meda, quasi camela; et patre Persa, quasi asino. Ita Sanchez.

Quoad sensum vero allegoricum, et præcipuum de Christo, varii varie hanc versionem exponunt: primo, Theophil. per duo animalia accepit duos Cherubim, qui erant super arcam in propitiatorio, Exodi 25. 17, q. d. Typus tuus, ô Christe, erat propitiatorium erectum inter duos Cherubim; ibi per umbram typice fuisti agnitus, imo præcognitus; propitiatorium enim significabat te fore propitiatorem mundi. Secundo, alii per duo animalia accipiunt duo Seraphim, quos vidit Isaias cap. 6. Christo specie humana, quasi incarnato, sedenti in throno acclamare: *Sanctus, sanctus, sanctus*, quasi illa *velantia caput et pedes Domini*, ait sanctus Hieron. *in præsenti tantum seculo volent, et alter ad alterum mysterium inclament Trinitatis, et mittatur unus de Seraphim (quod interpretatur ardens) et veniat in terram, et mundet Prophetæ labia, et dicat: Ignem veni mittere in terram, et quam volo ut ardeat?* Tertio: τὸ *In medio duorum animalium cognosceris, multi putant de Filio intelligi et de Spiritu sancto, eo quod Pater per Filium intelligatur et Spiritum*, ait S. Hieron. Pari modo Filius, qui est medius inter Patrem et Spiritum sanctum, per Patrem à quo gignitur, et per Spiritum sanctum quem producit et spirat, intelligitur. Quarto, duo animalia sunt duo latrones, inter quos crucifixus, agnitus est Christus, ait idem S. Hieron. Quinto, duo animalia sunt duo populi, scilicet Babylonii et Judæi tempore Habacuc, in medio quorum agnitus est Deus, Babylonios evertens, ac Judæos liberans. Rursum tempore Christi agnitus est in medio Judæorum et Gentium. Hisce enim duobus populis se hinc inde cingentibus, intellectus est Salvator et creditus, ait S. Hieron. qui sexto, addit: Sunt qui duo animalia duo intelligant testamenta, novum et vetus, quæ vere animantia sint atque vitalia, quæ spirent, et in quorum medio Dominus cognoscatur. Septimo, Tertul. lib. 4. contra Marcion. cap. 22. per duo animalia accipit Mosem et Eliam inter quos transfiguratus, et ab Apostolis agnitus est Christus, tanquam Messias in monte Thabor. Octavo, et optime: *In medio duorum animalium*, id est, in præsepio inter bovem et asinum, agnosceris, ô Christe, cum in carnem et mundum venies, juxta illud Isaiæ 1. 3: *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui.* Quod Patres, quos ibi citavi, intelligunt de Christo reclinato in præsepio inter bovem et asinum. Ita Ecclesia hunc locum accipit in Officio Nativitatis Christi: *O magnum*, inquit, *mysterium et admirabile Sacramentum, ut animalia viderent Dominum natum jacentem in præsepio!* Et in officio Circumcisionis Domini: *Domine*, ait, *audivi auditum tuum, et timui; consideravi opera tua, et expavi; in medio duorum animalium jacebat in præsepio, et fulgebat in cœlo.* Et S. August. orat. contra Judæos et Paganos cap. 13. afferens quartam, sextam et septimam expositionem, quas jam recitavi, addit: *Dic et tu, Habacuc Propheta, testimonium de Christo. Domine, inquit, audivi auditum tuum, et timui; consideravi opera tua, Deus, et expavi. Quæ opera Dei iste miratus expavit. Nunquid fabricam mundi iste miratus expavit? absit; sed audi quid expavit. In medio, inquit, duorum animalium innotesces opera tua, Deus. Verbum caro factum est: In medio duorum animalium cognosceris; qui quousque descendisti, expavescere me fecisti, quia Verbum, per quod facta sunt omnia, in præsepio jacuisti. Agnovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui. In medio duorum animalium cognosceris.* Ita et Gregor. Nyssen. ac Nazianz. orat. in Christi nativitatem, Cyrillus Hierosol. Catech. 12. S. Hieron. epist. 27. ad Eustoch. S. Paulinus epist. 10. ad Severum, Origenes hom. 13. in Lucam. S. Ambros. in Lucæ cap. 2. v. 7. Quocirca S. Hieron. epist. 18: *Præsepe*, in-

quit, *in quo infantulus vagiit, silentio magis quàm infimo sermone honorandum est.* Porro bovem et asinum non adduxit Joseph, ut volunt Lyran. S. Bonav. et alii, utpote pauper, sed vel herus hospitii, vel quis alius peregrinus, vel pauper indigena. Ita ex S. Chrysost. Sanchez.

Causa litteralis, cur Christus in præsepio, in medio bovis et asini, reclinari voluerit, fuit illa quam dat Evangelista Lucas cap. 2. 7: *Quia non erat ei locus in diversorio;* omnes enim Judæi tunc confluebant ad censum ab Augusto Cæsare indictum, qui quia ditiores, jam occupaverant omnia diversorii loca, vel certe anteverterant Joseph et Mariam, longe ex Nazareth advenientes, jamque totum hospitium præoccuparant. Secessit ergo B. Virgo Christum paritura, diversorio exclusa, in stabulum, seu speluncam stabularem adhærentem diversorio, quod hospitandis jumentis serviebat cauponis diversorii, ejusque hospitium, exilem sibi locum à bestiis mutuata; quæ cum non haberet cunas, reclinavit Christum infantem in præsepio inter fœnum et paleas, ut ibi commodius paulo jaceret, et frigus minus sentiret, præsertim calefactus halitu bovis et asini; ipsa ad præsepe vigilans cum sanctis Angelis et Josepho, divinum mysterium admirantibus et adorantibus. Ita Franciscus Lucas et Toletus in Lucæ cap. 2. Voluit Christus à suî ortu demonstrare veritatem sui dicti Matth. 8. 20: *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Nimirum *propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus*, 2. Corinth. 8. 9. Rursum voluit Christus nasci quasi filius pastoris inter animalia, et poni in præsepio, ut significaret se esse verum pastorem ovium ab Ezechiele prædictum cap. 34. 23; tertio, ut significaret regnum suum non consistere in fastu, palatiis, opibus et pompa, sed in mundi contemptu; nec ignominiæ Christo fore hanc paupertatem, sed gloriæ; imo hoc esse ejus signum et notam propriam. Unde Angelus pastoribus hoc signum nati Messiæ dedit: *Invenietis*, ait, *infantem pannis involutum, et positum in præsepio.* Quocirca clamat stabulum, clamat præsepe, clamant bos et asinus, clamant lacrymæ, clamant panni Christi; et quid? clamant humilitatem, clamant paupertatem Christi, clamant pœnitentiam, clamant austeritatem vitæ, clamant contemptum opum, deliciarum et commodorum mundi, uti pie et eleganter docet S. Bernard. de Nativit. Domini serm. 3 et 6.

Exstat typus paupertatis, et pauperis regni Christi, in quo pingitur Christus recens natus positus in præsepio, jacens in fœno inter bovem et asinum, astantibus et adorantibus S. Maria et Joseph, cum lemmate aureas ejus dictante gnomas: *Hîc disce,* inquit, *ô fidelis anima, plenissima resignatione et abdicatione rerum creatarum, et purificatione affectuum liberam, imperturbabilem, quietam et nudam Deo tuo mentem præsentare, ut nihil habens vera in eo omnia possideas. Est enim vera paupertas* EXPEDITA: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus*, Matth. 19. 21. NUDA: *Quid mihi est in cœlis, et à te quid volui super terram?* Psal. 72. PATIENS: *Patientia pauperum non peribit in finem*, Psal. 9. CONFIDENS: *Tibi derelictus est pauper,* Psal. 34. OPULENTA: *Centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit,* Matth. 19. 29. SECURA: *Ego autem mendicus sum et pauper, Dominus autem sollicitus est meî*, Psal. 39.

Hæc nimirum est concio, quam è præsepio, non verbo, sed facto proclamat Christus, quamque tota vita, adeoque in ipsa morte è patibulo crucis proclamavit, scilicet: Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? vanæ sunt omnes mundi opes, vanæ pompæ, vanæ deliciæ, vani honores; vana contemnite, vera ambite: veræ opes, veræ deliciæ, veri honores sunt in cœlis apud Deum, qui eas mihi, Angelis et Sanctis communicat. Has vobis annuntio, has offero, has promitto. Ego sum sapientia Patris, sum puer sapiens, Verbum infans: scio reprobare malum, et eligere bonum. Mihi ergo credite, non mundo mendaci et fallaci: quæ ego elegi, eligenda docui; quæ contempsi, contemnenda monstravi. Ego sum vita, doceo vos veram vitam cœlestem et divinam consistere in bonorum cœlestium et æternorum amore et desiderio: illam ergo capessite, ideoque fugite vitam animalem et carnalem, quæ ducit ad mortem præsentem et æternam: *Apparuit,* inquit Apost. ad Titum 2. 11, *gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et secularia desideria, sobrie, juste et pie vivamus in hoc seculo, exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei Salvatoris nostri Jesu Christi.* Quisquis ergo sapis, quisquis Christi doctrinam sequeris, quisquis Christianus es, amores omnes rerum terrenarum exue, eosque pone ante præsepe Christi inter bovem et asinum, ac totum cor, totum amorem, omnes spes et res tuas resolute et efficaciter offer Christo Domino, ut cum paupere pauper, cum humili humilis, cum sobrio sobrius, cum spiritali spiritalis, cum cœlesti cœlestis, cum sapiente sapiens, cum felici felix efficiare. Hac enim de causa natus, reclinatus est in præsepio: *Ut, dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur.* Jacebat enim in præsepio, et fulgebat in cœlo: lectus erat fœnum ei, cujus est terra et plenitudo ejus: clauditur hisce cunis ille, qui cœlum et terram implet; alget, et lacrymatur inter bovem et asinum, qui vita, ardor et jubilus est Angelorum. Vere S. Bernard. serm. 4. in Vigilia Nativit. *Pretiosiores*, ait, *panni Salvatoris omni purpura, et gloriosius hoc præsepe auratis regum soliis: ditior denique Christi paupertas cunctis opibus, cunctisque thesauris seculi; quid enim humilitate ditius, quid pretiosius invenitur? qua nimirum regnum cœlorum emitur, et divina gratia acquiritur, sicut scriptum est: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Idem ser. 4. de Nativitate: *Salvator*, inquit, *cujus est aurum pariter et argentum, sacram in corpore suo dedicat paupertatem.* Ergo ut canit Poeta:

> Est stabulum cœlum, sol Christus, lunaque Virgo,
> Bos asinusque suum stigma Bootis habent.

Denique Christus, inter bovem et asinum collocatus, reipsa clamat illud Psaltis Psal. 72. 23: *Ut jumentum factus sum apud te,* ut tibi serviam per omnia et totus, uti jumentum servit hero: jumentum ergo designat summam Christi humilitatem, obedientiam, resignationem, labores, patientiam, ac tandem sacrificium, mortem et martyrium: quod quasi bovem se offerat victimam Deo, juxta illud Jerem. 11. v. 19: *Ego*

quasi agnus mansuetus; ubi Vatabl. Pagninus et alii vertunt : *Ego autem sicut agnus et bos.*

Causa tropologica fuit, quam dat S. Chrysost. hom. 1. in Lucam, dicens : *Quare in præsepio? ut compleretur vaticinium Isaiæ Prophetæ: Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui. Scriptum est in alio loco : Homines et jumenta salvos facies, Domine. Si homo es, panem comede; si animal es, ad præsepe accede.* Et eamdem fere rationem latius persequitur, alias simul insinuans Gregor. Nyssenus orat. de sancta Christi Nativitate, his verbis : *Porro præsepe, rationis atque sermonis expertium animalium domicilium est : in quo Verbum nascitur, ut bos cognosceret possessorem suum, et asinus præsepe domini sui : bos subditus legi, asinus oneribus portandis destinatum animal, quod peccato simulacrorum cultus oneratum atque gravatum est. At brutis quidem conveniens cibus et victus gramen ac fœnum est. Qui producit enim gramen et fœnum pecoribus, inquit Propheta : rationale autem animal pane nutritur. Quamobrem idcirco in præsepio, quod est habitaculum brutorum, is qui de cœlo descendit panis vitæ proponitur, ut etiam bruta, rationali invicem sumpto cibo, rationem adipiscantur. Medius igitur inter bovem et asinum in præsepio utriusque dominus est, ut soluto interstitio sepis, ambos in sese creet in unum novum hominem, et ab hoc grave legis jugum auferat, et illud simulacrorum cultus onere levet.* Huc accedit Sophronius Archiep. Constant. orat. 1. in Christi Natalitia : *Deus,* ait, *in præsepio palam proponitur, nobisque qui et fame tabescimus, et jumentorum more nulla pene ratione ducimur, seipsum ultro in cibum exhibet. Ecquis euchobruto illo alimento tanquam divinis dapibus, divinaque charitate prorsus indigno abjecto, in illius divinitate se non oblectet? vere dixerim : Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Tripudio, pastorumque more exsulto, dum voces ejusmodi plane divinas audio; et ad præsepe, quod Deum excepit, nec non ad cœlestem illam specum toto animi impetu raptus, mysterium quod in ipso latet, coram conspicari, atque hymnum illum : Gloria in excelsis Deo, etc. In recens nati gloriam et honorem depromere ardenter desidero.*

Idipsum typice significavit Job cap. 6. dicens: *Nunquid rugiet onager* (id est asinus silvestris) *cum habuerit herbam, aut mugiet bos, cum ante præsepe plenum steterit?* Onager enim, qui est asinus liber, significat Gentiles exleges ante Christum; bos vero, jugo assuetus, significat Judæos legi subditos : utriusque enim pabulum factus est Christus. Audi S. Gregor. verba Jobi explicantem more suo mystice lib. 7. Moral. cap. 4 : *Herba onagri et fœnum bovis, est hæc ipsa Mediatoris incarnatio, per quam simul gentilitas et Judæa satiatur. Quia enim per Prophetam dicitur : Omnis caro fœnum; universitatis conditor ex nostra substantia carnem sumens, fœnum fieri voluit, ne nostra in perpetuum caro fœnum remaneret. Tunc ergo herbam onager invenit, cum Gentilis populus gratiam divinæ incarnationis accepit. Tunc bos vacuum præsepe non habuit, cum plebi Judaicæ ejus carnem exspectanti lex exhibuit, quem diu prophetatum exspectavit. Unde et natus Dominus in præsepi ponitur, ut videlicet signaretur, quia sancta animalia, quæ jejuna diu apud legem inventa sunt, incarnationis ejus fœno satiarentur. Præsepe enim natus implevit, qui cibum semetipsum mentibus mortalium præbuit, dicens : Qui comedit meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo.* Rursum Christum in præsepio jacens, qui, ut ait S. Fulgent. serm. 1. de Epiphania : *Portatur ut parvulus, adoratur ut Deus; parvulus in præsepio, immensus in cœlo; vilis in pannis, pretiosus in stellis,* fecit se escam et pabulum jumentorum : quia homo per peccatum fecit se jumentum, juxta illud Psal. 48. 21 : *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Nominatim asinus, cum sit animal pigrum, vorax et lascivum, repræsentat acedos, gulosos et lascivos, juxta illud Ezech. 23. 20 : *Quorum carnes sunt ut carnes asinorum.* Bos sua indole refert duros, stupidos, obstinatos, sævos et superbos.

Symbolice, præsepium Christi inter duo animalia repræsentat ea quæ ex S. Hieron. August. et aliis paulo ante recensui, nimirum primo, oraculum inter duos Cherubim : hoc enim erat sedes Dei. Secundo, thronum Dei Isaiæ 6. inter duos Seraphim. Tertio, thronum filii Dei medium inter thronum Patris et thronum Spiritus sancti. Quarto, crucem Christi inter duos latrones. Quinto, Ecclesiam Christi collectam ex Judæis et Gentibus. Sexto, Ecclesiam novi et veteris testamenti. Septimo, tabernaculum gloriæ Christi inter Mosen et Eliam in Thabor.

Hac de causa S. Hieron. Roma in Bethlehem migravit, ut ad præsepe Christi viveret, ad idemque vocavit S. Paulam, Eustochium, aliasque Romanas matronas et virgines nobilissimas. Quapropter præsepe Christi Romam translatum, in Basilica S. Mariæ Majoris conditum magno honore veneramur, æque ac corpus S. Hieronymi, quod congrue juxta illud reconditum est, ut, sicut juxta illud ipse vixit, ita juxta illud mortuus quiescat.

Secundo, aliqui in versione Septuag. pro ζώων accentu penacuto, id est animalium, à ζῶον, id est animal, legunt ζωῶν accentu circumflexo, id est vitarum, à ζωή, id est vita, quod respondet hebr. חייהו *chaiiehu,* quod non tantum verbum est, significans *vivifica illud;* sed et nomen, significans *vitas ejus.* Id secuti Euseb. lib. 6. Demonstr. Evang. c. 15. Theodor. et Theophil. sic vertunt et legunt : *In medio duarum vitarum cognosceris,* scilicet injuriarum ultor et vindex, ait Sanchez: quia in vita Nabuchodonosoris cognosceris vindex impiorum Judæorum; in vita vero Cyri cognosceris ultor impiorum Chaldæorum. Allegor. vero in Christo cognosceris. Primo, in medio vitæ divinæ et humanæ : utramque enim in se complexus est Christus, utpote θεάνθρωπος et ὁμόθεος, id est homo Deus. Ita Gregentius Archiepiscopus Tephrensis disput. cum Herbano Judæo tomo 4. Biblioth. SS. Patrum : *In medio duorum animalium, id est,* inquit, *in medio duarum essentiarum, scilicet divinæ et humanæ, subsistit Christus Deus et homo.* Secundo, in medio vitarum, id est annorum et vitæ, hebr. enim חיים *chaiim,* tantum usitatum est in numero duali: unde in eo et singularem, et dualem, et pluralem vitam significat. Christus enim passus redemit nos anno ætatis et vitæ 34, quæ media est ætas vitæ humanæ. Tertio, in medio vitæ temporalis et æternæ : ab illa enim ad hanc traducit nos Christus, qui nobis factus est via, veritas et vita. Quarto, in medio, id est inter duas vitas, scilicet cœlestem, beatam, et infernalem miseramque in gehenna : utriusque enim arbi-

ter, judex, dominus et distributor est Christus. Unde Arabicus vertit : *Domine, aspexi ad opera tua, territus autem,* vel *conturbatus sum in annis vitæ, et in annis cognosceris.* Ita Euseb. Theodor. Theophil. et alii.

In medio annorum notum facies, id quod sequitur, nimirum, quod, cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.] Misericordiam intelligit liberationem è Babylone, et allegorice redemptionem Christi. Hucusque oratio, id est postulatio, Habacuc : sequitur ejusdem canticum, quo orationem suam stabilit et firmat.

3. Deus ab austro.] Hebr. *Deus de Theman veniet.* Theman enim filius Eliphaz, filii Esau, Gen. 36. 15, nomen dedit regioni Idumææ, ex qua Eliphaz amicus Job, cap. 4. 1, cognominatus fuit Themanites : quia, ut Chaldæus ibidem vertit, fuit *princeps Themanorum.* Inde Idumæa vocatur *Theman,* sicut ab Esau vocatur mons Seir, vel Edom. Esau enim quia pilosus, vocatus est Seir, quia rufus, Edom. Id patet Jerem. 49. 7. et 20. Jam quia Theman et Idumæa erat Judææ ad Austrum, ut patet Josue 11. 16. sicut Libanus ex adverso erat eidem ad Aquilonem ; hinc *Theman* significat Austrum, puta Australem plagam. Sunt qui velint Austrum vocari Theman, id est dextrum, à rad. ימין *iamin,* id est dextera (ut tau initiale in Theman, sit hœmanticum et ascititium, uti est in *talmid,* id est discipulus, et *talmud,* id est doctrina ; hæc enim derivantur à rad. למד *lamad,* id est didicit) eo quod aspicientibus nobis Orientem, Auster dexteræ assistat. Hinc S. Hieron. Psal. 88. 12. ubi Septuag. verterunt : *Aquilonem et mare tu creasti;* quia in Hebræo pro *mare* est *iamin,* id est *dextera,* transtulit : *Aquilonem et dextrum tu creasti : dextrum,* id est, *Austrum :* hic enim opponitur Aquiloni. Dextera ergo mundi pars est Auster, sinistra Aquilo : hinc illa felicitatis et bonorum, hæc infelicitatis et malorum est symbolum. Quocirca Deus et Christus congrue hîc ab Austro et dextro venire dicitur, quia venit ut salutem bonaque omnia afferat, quasi verus Benjamin, id est filius dexteræ fortis, felix, salutifer, ac nos omnes fortificans, fortunans et beans. Auster enim calidus vitam, salutem et omne bonum affert : Aquilo vero frigidus et rigidus, mortem et omne malum. Nam *ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ,* Jerem. 1. 14. Romæ tamen et in Italia Auster est turbidus, noxius et pestifer ; Aquilo vero salutifer. Unde Horat. lib. 2. epist. 2 :

> Non agimur tumidis velis Aquilone secundo :
> Non tamen adversis ætatem ducimus Austris.

Hoc est, nec in summa sumus prosperitate, nec in summa calamitate.

Alludit Habacuc ad Deut. 33. 2 : *Dominus de Sina venit; et de Seir ortus est nobis* (id est ab Austro : tam enim Sina, quàm Seir, sive Theman, erant Australes Judææ), *apparuit de monte Pharan, et cum eo Sanctorum millia.* Loquitur Moses de lege data à Deo sibi in Sina, deque columna ignis et nubis, qua se Deus Hebræis ostendebat, iterque per desertum præibat in Chanaan. Idem beneficium celebrat Psaltes Psal. 67. 8. et Debora Judic. 5. 4. Porro per Austrum intelligit desertum Arabiæ, in quo siti erant montes Sina, Pharan et Seir, sive Idumææ : hæc enim loca omnia erant ad Austrum Judææ. Sensus ergo est, q. d. Deus qui olim patribus nostris exeuntibus ex Ægypto, et peregrinantibus per deserta Arabiæ in nube se ostendit, dum sensim è montibus Seir et Pharan velut emergens, suamque majestatem per columnam ignis et nubis, perque prodigia ostendens, nos deduxit in Sina : ubi cum fulguribus, tonitruis et terræ motu legem dedit, indeque per mille pericula salvos deduxit in Chanaan : idem se suamque præsentiam et opem ostendet nobis in Babylone. Nam ab Austro, puta à Perside et Media, quæ Australes sunt Chaldææ, adducet Cyrum et Darium, qui Babylonem vastent, indeque nos liberent, ut in patriam Deo duce et protectore, per tot hostes et pericula, salvi et incolumes redeamus. Idem Deus manifestissime se ostendet, nobisque facie ad faciem apparebit, cum fiet homo : ille, inquam, qui in montibus Seir, Pharan et Sina olim patribus apparuit, nec postea visus est, sed ibi quasi delituit, ut in plenitudine temporis se clare in Christo revelaret. Unde

Alleg. Sina, ubi data fuit lex vetus, typum gessit Sionis, in qua data est lex nova in Pentecoste; Seir, ubi erectus est æneus serpens, cujus aspectu sanabantur Hebræi morsi à serpentibus, Num. 21. 4. et 6. Typum gessit crucis Christi, cujus fide à morsu omni peccati, concupiscentiæ et diaboli sanamur ; Pharan, ubi à Mose designati 70 judices, impleti sunt Spiritu sancto Numer. 11. 15. Typum gessit missionis Spiritus sancti in Apostolos. Vide dicta Deut. 33. 2.

Hinc rursum S. Hieron. Theodor. et Theoph. hunc locum de incarnatione Christi exponunt, hoc modo : *Dominus ab Austro veniet,* id est, à Bethlehem, quæ ad Austrum est respectu Hierosolymæ : quia in Bethlehem nascetur. Rursum *ab Austro,* id est, ex calore charitatis, nimirum effundens viscera misericordiæ suæ, quibus visitavit nos oriens ex alto. Auster enim ventus est calidus, vitalis et fecundus, qui plantas vegetat fertilesque efficit. Auster ergo, id est charitas, fecit eum incarnari, *de Pharan,* id est, de ore aspicientis : prodiit enim ipse ex ore Altissimi aspicientis et miserantis ærumnas et funera hominum. Unde Septuag. vertunt : *Deus de Theman, veniet et sanctus de monte umbroso et condenso.* Ubi per montem umbrosum et condensum Theophil. et Euthym. accipiunt B. Virginem Deiparam, quæ quasi mons virtutum cæteris Sanctis excelsior, obumbratione Spiritus sancti concepit et peperit Christum, juxta illud Gabrielis promissum : *Virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.* Alii, ut Theodor. accipiunt Hierosolymam et Synagogam, quæ erat sub umbra, id est protectione, Dei, quæque erat umbra et typus claritatis et gloriæ Dei, quam ipse in Christo aperta quasi nube revelavit et expandit.

Symbolice S. August. libr. 18. de Civit. c. 32. per montem umbrosum accipit *Scripturarum altitudinem, quibus,* inquit ipse, *prophetatus est Christus. Multa quippe ibi umbrosa atque condensa sunt, quæ mentem quærentis exerceant. Inde autem venit; cum ibi eum, qui intelligit, invenit.* Et S. Gregor. lib. 33. Moral. cap. 1 : *Deus,* inquit, *à Libano veniet, et sanctus de monte umbroso et condenso. Qui enim venturum se per Testamenti sui paginas spopondit, quasi inde venit, unde velut sub promissione se tenuit. Quod videlicet Testamentum bene mons umbrosus et conden-*

sus dicitur, quia spissis allegoriarum obscuritatibus opacatur.

S. Hieron. vero per montem umbrosum accipit Deum Patrem, qui lucem habitat inaccessibilem, ac majestate sua quasi umbra omnia protegit : ex Patre enim processit, et venit ad nos Filius. Vel cœlum, quod terram obumbrat et tegit, quodque est quasi paradisus arboribus pulcherrimis, id est virtutibus, Angelis et sanctis, umbrosus et densus. Ex cœlo enim descendit ad nos Filius, quasi è monte beatitudinis et gloriæ ad vallem ærumnarum.

Denique Sept. vertunt : *Deus ab Africo veniet, et sanctus de monte umbroso,* quibus verbis abutebantur Donatistæ, quasi Propheta hîc eorum sectam et Ecclesiam denotasset : hæc enim cœpit in Africa, quam ipsi censebant eamdem esse cum Africo. Ridet hoc S. Aug. l. de Pastoribus c. 15. et 16. ubi per Africum accipit Jerusalem, quæ sita est ad Africum ; et per montem umbrosum accipit montem Oliveti : inde enim Christus misit Apostolos ad prædicandum Evangelium per totum orbem. Ita ipse mystice.

Anagog. *Pharan,* id est, *os videntis,* symbolum est cœli, ubi Deus Beatis se videndum et fruendum exhibet. Rursum *Pharan* deduci potest à פאר *peer,* id est decus, gloria, magnificentia, quæ est in cœlo : ubi pariter est locus umbrosus et condensus, puta amœnissimus : ubi quoque Deus sua secreta et occulta judicia, quæ nobis hîc umbrosa et obscura sunt, suis revelabit, ait Rupert.

Nota. In Hebræo additur *selah,* quæ vox tantum in hoc cantico, et in Psalmis reperitur. Unde videtur esse nota cantus et melodiæ, ad vocem vel elevandam, vel producendam, ut scilicet cantores illi versiculo cui additur *selah,* ob rei gravitatem diutius vel contentius canendo insisterent, vel interquiescerent quasi meditabundi : radix enim *sala* significat calcare, urgere, insistere ; *salal* vero attollere, elevare. *Selah* ergo idem est quod contentio et elevatio, scilicet vocis ad excitandos audientes, ut rei quæ canitur, quasi miræ, gravi et sublimi, aut festivæ attendant, illam admirentur, meditentur, illi applaudant, vel ut ovantes, vel ut stupentes, vel ut gratulantes : *selah* enim est nota nunc optantis, nunc affirmantis, applaudentis et confirmantis. Hinc Aquila pro *selah* vertit *semper.* Quinta editio, *jugiter,* vel *in fidem;* Chald. *in seculum,* scilicet *est,* aut *fiat* id quod canitur. Hinc et Hebræi in suis epitaphiis, defunctis apprecantur dicendo : *Sit anima ejus in paradiso. Amen, amen; selah,* id est semper, in omnem æternitatem. Septuag. vero. Symmach. et Theodot. *selah* vertunt διαψαλμα, q. d. Cantilenæ interruptionem, vel potius immutationem, ait S. Hieron. loco citato. Quare errant qui *selah,* id est *semper,* referunt ad sequentia hoc modo : *Semper scindens fluvios terræ.* Nam ut ait S. Hier. epist. 138. ad Marcellam : *Ut solemus nos completis opusculis, ad distinctionem rei alterius sequentis, medium interponere explicit, aut feliciter, aut aliquid ejusmodi; ita et Hebræi, ut quæ scripta sunt roborentur, facere solent, ut dicant, Amen, aut, in sempiternum ; aut scribenda commemorant, ut ponant Selah, aut transacta felicitate protestantur, pacem in ultimo subnotantes.* Et paulo ante : *Ex quo animadvertimus hoc verbum Selah, superiora pariter inferioraque connectere, aut certe docere sempiterna esse quæ dicta sunt.*

Sensus ergo est, q. d. *Deus ab Austro veniet, et sanctus de monte Pharan; Selah,* q. d. Attendite, expendite, stupete, celebrate jugiter hanc Dei excelsi in nos dignationem et beneficentiam, qua ejus majestas nobis se ostendere dignata est, imo nostra se carne vestire, ut nobis fieret frater, redemptor et salvator. Aliqui apud S. Hieron. sic exponunt : *Sela,* q. d. *Ipse qui natus est in Bethlehem, et qui in Sina, id est, in monte Pharan, legem dedit, semper in universis beneficiis, præteritis, præsentibus, et futuris, auctor est et largitor.* Valde probabile est quod S. Chrysost. Nyssen. et alii mox citandi censent, *selah* insinuare insignem aliquem affectum, quo psallens v. g. David, pro movente spiritu afficeretur : qui quia in potestate nostra non est, non in omni Psalmo, neque in omni versu à nobis haberi potest : sed prout Spiritus sanctus movet cor, et affectus hosce ei suggerit : et hanc esse causam cur in Psalmis tam confuse ac citra ullam quam assequamur rationem, *selah* positum inveniatur; alibi vero, ubi illustriores videntur sententiæ, omittatur. Porro *selah* ter hoc cantico repetitur, in Psalmis vero septuagies semel, pro quo Septuag. ubique vertunt διαψαλμα, quod Suidas interpretatur vicissitudinem canendi, alii commutationem metri, alii pausationem spiritus, alii alterius sententiæ exordium, alii rhythmi distinctionem, alii vero cujusdam musicæ varietatis silentium esse dixerunt. Unde liquet *selah* ad verbum non significare *semper,* uti recte probat Burgensis, sed esse dumtaxat notam carminis et musices, ideoque *selah* non transtulit noster Interpres. Sept. vero transtulerunt διαψαλμα. Sed quæ et qualis hæc nota fuerit nemo veterum expresssit. Unde nihil hîc certi afferre possumus. Quocirca Patres et Interpretes in varias hîc abeunt sententias et conjecturas. Nam primo, Marinus in Lexico censet *sela* signum fuisse altioris vocis in cantu, quò cum pervenerant, pulsabant tantum organa, et ob id fere semper, inquit, ponitur in Psalmis illis, quo nomine מזמור *mizmor,* id est cantiones et voce et organo canendæ, prænotantur. Insuper *selah* supplet metri defectum, et carmen explet, sicut Græci in carmine deficiente aliquâ syllaba, vel pede, eum supplent addendo ρα, δε, μεν, γε, aliasque particulas encliticas. Ita ipse.

Secundo, Eugubin. in Psal. 3. ait *selah* esse idem quod certe, profecto, semper, ut vertit S. Hieron. cum vocis exaggeratione; quale est Amen, id est fiat : qui et addit se suspicari Septuag. retinuisse Hebr. *sela,* sed scriptores per imperitiam pro eo posuisse diapsalma. Sed hoc non videtur probabile.

Tertio, Nyssenus in Psal. tract. 2. c. 10. ait διαψαλμα esse cessationem et quietem derepente inter psallendum factam, ad receptionem divinitus Missæ illustrationis. S. Hieron. epist. 136. videtur negare *selah* esse notam silentii : Quia, inquit, ponitur aliquando in fine Psalmorum. Sed ad hoc responderi et dici posset fini unius Psalmi successisse initium alterius : *sela* autem poni in fine Psalmi, ut ubi mens interquiescat, et rei quæ canitur immoretur.

Quarto, alii censent *sĕlah* denotare ab altero choro eumdem versiculum esse canendum. Unde noster Lorinus in Psal. 3. 3. putat *selah* geminationem cantus innuere, à rad. סלל *salal,* id est acervare, aggerere.

Quinto, S. Chrysost. Præfat. in Psalmos : Mutatione facta, inquit, musici carminis, aut rhythmi, vel sententiæ variatione, diapsalma scripserunt Interpretes, uti vir sapientissimus Hippolytus ait.

Sexto, Eusebius in Psal. 4. censet διαψαλμα esse signum cessationis, ut scilicet Spiritu sancto insiliente in alterum Prophetam, prior cessaret et taceret, daretque alteri locum juxta præceptum Apostoli 1. Corinth. 14.

Septimo, Agellius Præfatione in Psalmos in fine, censet hac voce significari mutationem chori totius, cum cantorum Præfectus in medio Psalmi partem reliquam alteri choro canendam tradidisset. Itaque illam in psallendo successionem cantorum, διαψαλμα fuisse appellatam; nam ipsa vox δια interruptionem et vicissitudinem psallentium significat, et simul ubi hæc vicissitudo est, altera in Psalmo ipso quoque sententia succedit; sicuti fit dum, finita una periodo, sequitur altera, et verisimile est novæ sententiæ novum quoque concentum accommodari solitum, ut hæc tria simul omnia in diapsalmate inveniri necesse sit, cantorum scilicet, concentus, et sententiæ mutationem. Omnes hæ sententiæ in eo conveniunt, quod διαψαλμα juxta suî etymon, denotarit mutationem aliquam carminis et cantus. Eamdem ergo denotat *selah;* pro eo enim Septuag. et alii verterunt, διαψαλμα. Porro si ex etymo *selah* conjicere licet, mutatio hæc fiebat vel elevando, vel contendendo, vel continuando vocem. Radix enim *sala* significat aggerare, calcare, insistere : et hoc ipsum significare voluerunt alii Interpretes, dum vertunt *semper,* uti initio dixi. Quocirca Genebrard. in Psal. 3. et alii multi asserunt *selah* signum esse non tantum concentus musici, sed et exclamationis et attentionis, ut mens et cogitatio excitetur ad id quod canitur perpendendum et ponderandum.

Operuit cœlos gloria ejus.] Sept. δυναμις, id est virtus, sive potentia ejus, q. d. Ille gloriosus ab Austro veniens, olim gloriam suam tum in cœlo, tum in terra ostendit, ut merito eam admirantes laudibus celebrarint cœlites et terrigenæ, præsertim Judæi in Sina et deserto, cum viderunt fulgura, tonitrua, ignem, fumum in Sina, quibus gloria Dei cœlum, id est aerem, complere et operire videbatur. Rursum, cum è cœlo eis dedit manna continuum, et coturnices, Exod. 16. item columnam ignis et nubis, aliaque portenta plurima. Ita Chald. Arias, Clarius et Jansen. Simili modo majestas ejus suam gloriam, id est gloriosam potentiam, vindictam et misericordiam, ostendet, cum Babylonem ejusque monarchiam per Cyrum exscindet; nosque ex ejus captivitate liberabit, ait Albert. et Lyran.

Allegor. id factum est in Christi tum nativitate, ait S. Hieron. gloriosa enim Dei sapientia, potentia et bonitas cœlum et terram complevit, cum Verbum caro factum, hominem Deo, et cœlum terræ univit. Unde merito in ea cecinerunt Angeli : *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Tum in ejus gloriosa doctrina, vita et miraculis, ac præsertim in gloriosa ejus resurrectione et ascensione ad cœlum. Ita Theodor. et Theoph. Simili modo Psaltes Psal. 56. 12. Dei immensam gloriam celebrat dicens : *Exaltare super cœlos Deus, et super omnem terram gloria tua.* Et Isaias cap. 6. 3. vidit Seraphinos Deo acclamantes : *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum: plena est omnis terra gloria ejus.* Et Ezechiel c. 1. vidit currum Cherubicum majestatis et gloriæ Dei, quatuor rotis per totum orbem celerrime quaquaversum agitari.

4. Splendor ejus ut lux erit,] q. d. Claritas et splendor Dei in Sina fuit quasi lux solis terram illustrans : apparuit enim in igne maximo. Unde Deut. 32. 2. de eo dicitur : *In dextera ejus ignea lex.* Vide ibi dicta. Ita Chald. et alii jam citati. Allegor. nascente Christo Angelus pastoribus eum annuntiavit, *et claritas Dei circumfulsit illos,* Luc. 2. 9. Similiter omnibus virtutibus splenduit vita, passio, mors et resurrectio Christi, quibus totum orbem illuminavit. Unde S. Aug. l. 18. Civit. c. 32. sic ait : *Splendor ejus ut lux erit, quid est, nisi fama ejus credentes illuminabit?* Chald. vertit : *Porro splendor ejus ut splendor primigenius apparuit.*

Cornua in manibus ejus.] Hebr. *cornua è manu ejus ipsi,* q. d. In manu habet cornua, quæ ipsi sunt robur; ut ea in hostes exserens, illos iis configat? Quæres : Quænam hæc cornua Dei? Primo, Vatabl. Mariana et Jansen. accipiunt cornua, id est radios lucis, quos Deus dans legem Mosi, ei afflavit et quasi affixit in Sina, ut suam potentiam et terribilem vindictam Hebræis ostentaret, ne legem ab eo datam violare auderent; ut Moses hîc vocetur manus, id est, instrumentum et mediator Dei legislatoris, vibrans radios lucis, qui cornua vocantur ob radiorum pyramidalem et tortuosam figuram, qualem habent cornua. Et hinc Poetas Vulcanum, ignis et lucis præsidem, claudum finxisse ait Guevara. Unde Syrus vertit : *Splendor ejus ut lux erit, et in cornibus manuum ejus,* scilicet est ille splendor et lux.

Secundo, alii melius accipiunt radios lucis, quos ex se suisque tabulis legis, quos dabat Mosi et Hebræis, vibrabat Deus. Unde Vatabl. et Pagnin. vertunt : *Splendores de manu ejus fuerunt ei;* et Chald. *Scintillæ à quadriga gloriæ ejus prodierunt.* Tabulæ enim legis ignitæ radios longe ejaculabantur. Unde Deut. 32. 2. vocatur *ignea lex. Cornua* ergo *in manibus ejus,* idem est cum eo quod præcessit : *Splendor ejus ut lux erit.* In hoc enim lucis et splendoris apparatu, quasi in quodam tentorio et umbraculo, Dei majestas, vis et fortitudo latuit, et sese velavit ac abscondit, ut eam videre Judæi non possent, sed admirari et adorare. Igneæ enim tabulæ in manibus Dei, radios pyramidales instar cornuum vibrantes, significabant cornua et arma Dei esse ignem, hoc est esse ignea, efficacissima et penetrantissima, quæ in legis violatores vibraturus esset. Huic expositioni favet versio Syriaca, quam paulo ante recitavi.

Tertio, Guevara per cornua Dei accipit diabolum et mortem. Unde Propheta hæc cornua explicans, inquit, subjicit : *Ante faciem ejus ibit mors, et egredietur diabolus ante pedes ejus,* q. d. Deus per diabolum et mortem, quasi per duo cornua, in Chananæos, pro Judæis pugnans, irruit, eosque occidit, protrivit et expulit. Diabolus enim et mors sunt vasa, id est instrumenta, fortissima interfectionis Deo, ut ait Ezechiel. c. 9. 1. et quasi narthecia fortitudinis ejus.

Quarto, planissime per cornua accipias ro-

bur, vires et arma Dei : horum enim symbola sunt cornua. Alludit enim ad Deut. 33. 17 : *Quasi primogeniti tauri pulchritudo ejus; cornua rhinocerotis cornua illius : in ipsis ventilabit gentes.* Et Psalm. 43. 6 : *In te inimicos nostros ventilabimus cornu.* Hinc tollere cornua, est animo efferri, ut Psal. 74. 5 : *Dixi iniquis : Nolite inique agere; et delinquentibus : Nolite exaltare cornu, nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui adversus Deum iniquitatem.* Simile est illud Poetæ :

Namque in malos acerrimus, parata tollo cornua.

Sensus est, q. d. Deus post datam legem in Sina, ut eam suumque populum tueretur, instar tauri fortis et ferocis assumpsit et exseruit robur suum, vires et arma, quasi fortissima cornua, quibus Angelus Hebræorum dux per desertum instructus, ab eis mortem et dæmonem repulit, eaque in Chananæos immisit, eosque disperdidit, ac pro eis in eorum terra collocavit et substituit Hebræos. Simili modo Deus Chaldæos per Cyrum et Darium, quasi per duo sua cornua, perque eorum arcus, cornuum speciem habentes, configet et disperdet, pro Judæis suis liberandis, inquit Albert. Hugo et Lyran.

Mystice, cornua Christi est crux, seu fortitudo crucis, qua superavit dæmones omnesque hostes, ita ut ante currum suum triumphalem victos in triumphum ducat mortem et diabolum. Hinc Christus factus est nobis cornu salutis, ut canit Zacharias Lucæ 1. 69. Ita S. Hieron. Theophil. Rupert. Haymo, Ribera, Emmanuel hic, et S. August. loco jam citato, Euseb. l. 6. Demonstrat. Evangel. c. 15. S. Cyprian. lib. 2. contra Judæos, c. 21. Cornua ergo crucis fuerunt cornua et arma Christi, quibus confregit suos nostrosque inimicos. Jam licet proprie manus Christi fuerint in cruce ejusque cornibus, tamen vicissim crux ejusque cornua fuerunt in manibus Christi : tum quia clavi crucis fuerunt in manibus Christi : tum quia crucis distensio et cruciatus fuit in manibus Christi : tum quia cornua, id est robur Christi, fuit in manibus ejus crucifixis; hisce enim solvit lytrum pro peccatis nostris, nobisque meruit gratiam et salutem : tum denique per hypallagen Hebræis usitatam, cornua crucis fuerunt in manibus, quia manus fuere in cornibus crucis. Sic calceamenta dicuntur esse in pedibus, id est pedes in calceamentis, Exod. 12. 11. Sic Poeta ait : *Perflavit fistula buccas,* pro *perflavit bucca fistulam.* Unde Arabicus vertit : *In civitate manuum suarum posuit fortitudinem suam in templo.*

Tropol. hæc cornua fuerunt patientia, humilitas, cæteræque virtutes Christi, sed præsertim incensa, invicta, et fortissima ejus charitas, amorque in Deum et homines, quæ eum ad crucem et mortem adegit. Hisce amoris sui telis vulneravit corda primorum Christianorum, præsertim Martyrum, ut S. Stephani, S. Pauli, S. Joannis, S. Ignatii, S. Laurentii, etc. eaque ad se redamandum, ac vitam pro vita reddendam coegit et accendit, ut desiderio insatiabili martyrii et patiendi plurima pro Christo arderent. Unde Septuag. vertunt : *Cornua in manibus ejus, et posuit dilectionem robustam fortitudinis suæ.* Nimirum idcirco, ait S. Hieron. *Deus Pater operuit cœlos gloria, et terram replevit laude, et cornua, id est regnum, posuit in manu filii sui, ut faceret dilectum suum ab hominibus diligi, non leviter, sed in virtute,* id est vehementer et fortiter. Fortis enim sicut mors fuit ejus in nos dilectio, dura sicut infernus æmulatio, quæ proinde fortes et validas amori sui sagittas, utpote igneas, in nos jacit, quibus mentes nostras sauciat et penetrat, ut quasi cervi jaculo amoris ejus confixi, per cruces, per tela, per hostes et ignes post eum curramus, dicentes cum S. Paulo : *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? etc.* Hæc fuerunt cornua S. Stephani, quibus Paulum aliosque confixit et Christo subjugavit. Audi S. Fulgentium, serm. de S. Stephano : *Stephanus ut nominis sui coronam meruisset accipere, charitatem pro armis habebat, et per ipsam ubique vincebat. Per charitatem Dei sævientibus Judæis non cessit : per charitatem proximi, pro lapidantibus intercessit. Per charitatem arguebat errantes, ut corrigerentur : per charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur : charitatis virtute subnixus vicit Saulum crudeliter sævientem, et quem habebat in terra persecutorem, in cœlo meruit habere consortem.*

IBI ABSCONDITA EST FORTITUDO EJUS.] Pagnin. *Ibi fuit absconsio fortitudinis ejus;* Tigurina : *Illic latibulum fortitudinis ejus;* Vatabl. *Ibi fuit revelata et detecta fortitudo ejus, quæ prius erat abscondita. Ibi,* scilicet tum in splendore, tum in cornibus et manibus, id est, potentibus suis operibus per Mosen et Josue editis, Deus latens abscondebat se suamque majestatem et fortitudinem : parique modo eam abscondet in expugnatione Babylonis, et liberatione Judæorum per Cyrum. In Cyro enim erat fortitudo Dei abscondita, ait Albertus. Allegor. in infirmitate humanitatis, passionis et crucis Christi abscondita fuit ejus majestas, divinitas et fortitudo immensa. Unde eam exserens in passione, totam terram ingenti terræ motu concussit, saxa et rupes dissecuit, solem et lunam obscuravit. Septuag. ut dixi, vertunt : *Posuit dilectionem robustam fortitudinis suæ,* id est, *per fortitudinem suam, puta Pater per Filium suum,* inquit Cyrill. in Catena. Aut, ut alii, q. d. Dum Christus natus et passus est pro nobis, ostendit nobis robustum suum amorem. Passus enim est non ex infirmitate, sed ex valida fortique dilectione ; ita ut fortitudo ejus et robur fuerit dilectio, ac vicissim dilectio illi fuerit robur et fortitudo ad omnes labores, dolores et cruces fortiter superandas. Ita Theod. et Theoph. Aut, ut alii, q. d. Posuit dilectionem robustam fortitudinis suæ, hoc est, juxta mensuram immensi amoris, admensus est Deus Pater Filio potentiæ suæ vim, quam tum ad ejus agones, labores et dolores immensos generose sustinendos, tum ad ejus exaltationem et gloriam immensam, in resurrectione et ascensione in cœlum ostendendam adhiberet et exsereret. Ubi enim amor est machina, quanta sperari potest elevatio ponderum, etiam maximorum? Omnis enim ponderis pondus et libramentum est amor. Vere S. August. *Amor meus pondus meum, eò feror quocumque feror. Nam velut amores corporum,* ait idem lib. 11. de Civit. cap. 28, *momenta sunt ponderum, sive deorsum gravitate, sive sursum levitate nitantur. Ita enim corpus pondere, sicut animus amore fertur quocumque fertur.* Et S. Gregor. *Machina mentis est vis amoris, quæ dum hanc à mundo extrahit, in alta sustollit.* Et S. Bernard. *Labor meus vix est*

unius horæ, et, si majoris moræ, non sentio præ amore. Ita Christus amoris pondere superavit omne passionis et crucis pondus, adeo constanter, ut illud præ levitate non videretur sentire. Rursum, pondus amoris quo in eum ferebatur et deprimebatur Pater, tantum erat, ut æternum et divinum gloriæ pondus, quod illi resurgenti et ascendenti dedit, præ ejus amore, et præ Filii meritis, leve et exiguum ei videretur.

5. Ante faciem ejus ibit mors. Hebr. דבר *deber,* id est pestis, et inde consequens mors. Ita Aquila, Symmachus, quinta Editio, Noster, Pagnin. Tigurina, Clarius, Arias et Vatabl. Verum Septuag. et Theodot. aliis punctis legentes דבר *dabar,* id est verbum, vertunt: *Ante faciem ejus ibit Verbum,* quo scilicet jubebit hostes occidi. Loquitur de peste et strage quam Deus immisit Chananæis, qua eos attrivit, ut venientes Hebræi in Chanaan, eam facile occuparent, juxta id quod promiserat per Mosen Exodi 23. 27: *Terrorem meum mittam in præcursum tuum, et occidam omnem populum ad quem ingredieris, etc. mittens crabrones prius, qui fugabunt Hevæum, et Chananæum, et Hethæum, antequam introeas:* idque reipsa Deum præstitisse patet Josue 24. 12. Similes plagas præmisisse Deum in Chaldæos, ut à Cyro facile vincerentur, docet Lyran.

Alleg. Christus sua cruce et morte debellavit mortem et diabolum, eosque quasi ante se in triumphum duxit, uti ducet Apostolus Colos. 2. 15. præsertim, cum per Apostolos diabolum ex templis et idolis, æque ac ex mentibus hominum expulit.

Egredietur diabolus ante pedes ejus.] Pro *diabolus* hebr. רשף *resceph,* quod significat omne id quod instar avis volando adurit, et adurendo volat, ut fulgetra, scintillas, sagittas ignitas: inde significat diabolum, de quo ait Christus Luc. 10. 18: *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Hic enim quasi fulgur in terra omnia afflat, omnia vastat, omnemque quam potest noxam hominibus affert. Quocirca Homerus et Gentiles ex hoc Luciferi casu finxerunt deam Atem, id est noxam, quæ à Jove cœlo deturbata in terra vires suas exserat, omnibusque noceat: illam enim homines universis malis implicare, mentes seducere ac perturbare. Ita Vilalpando Ezech. 28. 23. Vide quæ de *resceph* dixi Deut. 32. 24. Significat ergo Habacuc quod Deus per diabolum et Angelos malos, ut ait Psaltes Psalm. 77. 49, fulgetra, pestes, sagittas igneas, etc. in Chananæos immiserit ante ingressum Hebræorum in Chanaan, quibus eos protrivit et disperdidit. Unde Tigurina vertit: *Faciem ejus antecedit lues, et egressa est deflagratio ad pedes ejus;* Chald. vero: *Ab ejus conspectu emissus est Angelus mortis, et prodiit in flamma ignis verbum ejus;* alius, qui citatur in editione Rom. Septuag. *Ante faciem ejus præcedet ruina, et ad pedes ejus sequentur maxima volatilium;* Syrus et Arabicus Antioch. *Exibit volucris* (avis) *ad pedem ejus,* vel *ad ovile ejus,* vel *ad transmigrationem ejus;* Arabicus Alexand. *Verbum incedet coram eo: egressus est autem in agros; sequentur vero illum volucres.*

Alleg. S. Hieron. hoc refert ad diabolum tentantem Christum in deserto, qui ab eo victus turpiter aufugit. Plenius id referas ad totam vitam et mortem Christi ac Apostolorum: hisce enim sensim prostratus et ejectus è mundi regno est diabolus.

6. Stetit,] non diabolus, sed Deus victor mortis et diaboli, q. d. Deus post longam cum Hebræis peregrinationem per desertum, multaque bella et discrimina, victor ingressus in Chanaan, ibi in tabernaculo et arca fœderis constitit in Galgalis, Josue 4. 19. ac terram promissam per Josue cap. 15. dimensus, æqua sorte distribuit inter duodecim Tribus Israel, cum prius solo quasi aspectu et minaci vultu dissolvisset et perdidisset gentes Chananæorum, eorumque reges et principes, qui giganteo robore, magnitudine et multitudine militum, quasi montes quidam firmi, æterni et inexpugnabiles esse videbantur, ac per multa secula regiones illas invicti possederant: sed æternitas Dei, puta Deus æternus sedens in propitiatorio et arca inter Cherubim, certis, securis et victricibus itineribus deducens populum Israel, per hostes hosce suos victor incedens, eos incurvavit, contrivit atque comminuit. Simili modo Deus, per Cyrum expugnata Babylone, in ea quasi victor constitit, indeque subjectas Babyloni regiones dimensus, inter principes Cyri distribuit, profligatis omnibus qui Chaldæorum partes propugnabant. Ita Albert. Lyran. et Hugo. Unde Syrus vertit: *Ipsius sunt incessiones* (itinera) *quæ à seculo; gressus, et gressuum vestigia;* Arabicus Antioch. *Infirmati sunt colles qui sunt à seculo illi perseverantia quæ est à seculo;* Arabicus Alexand. *Contritæ sunt valles in fortitudine ejus, et laxati sunt colles in perpetuum: egressiones ejus à seculis æternis.*

Alleg. Christus æternus omnes gentes Apostolis dimetiens et distribuens, uti S. Joanni Asiam, S. Matthæo Æthiopiam, S. Andreæ Achaiam, S. Thomæ Indiam, etc. eas omnes sibi suæque fidei subjecit, idque dum cognoscerent et admirarentur itinera æternitatis ejus immensa, quæ ipse hominum causa confecit, ut è cœlo et æternitate ad terram tempusque nostrum, factus homo descenderet: nam *egressus ejus à diebus æternitatis,* ait Michæas cap. 5. 2. Audi S. August. lib. 18. de Civit. c. 32. explicantem versionem Septuag. *Stetit et terra commota est: nisi quod stetit ad subveniendum, et terra commota est ad credendum? Respexit et tabuerunt gentes, hoc est, misertus est et fecit populos pœnitentes. Contriti sunt montes violentia, hoc est, vim facientibus miraculis elatorum contrita est superbia. Defluxerunt colles æternales, hoc est, humiliati sunt ad tempus, ut erigerentur in æternum. Ingressus æternos ejus pro laboribus vidi, hoc est, non sine mercede æternitatis laborem charitatis aspexi.*

Quæres quænam ad litteram sint itinera æternitatis? Primo Vatabl. per hæc itinera intelligit motus orbium cœlestium: hi enim sunt constantes et quasi æterni, q. d. Deus non solum gubernat colles seculi, id est, homines potentes, et mundum hunc inferiorem, sed et itinera æternitatis, id est, mundum superiorem, orbesque et motus cœlestes. Multi enim Gentiles putarunt regna et res humanas à stellis regi, hocque esse fatum. Ex quo, ait Arias, regum et principum fastidiosa insolentia ortum habuit, ut se cæterorum dominos natura et fato esse crederent, et tanquam montes quosdam et colles, cæteris mortalibus se principes cœlesti quodam jure constitutos, quo dementiæ morbo utinam Christiani principes non teneantur! Nuper quidam primarius, rogatus cur tali calculum ad

principatum dedisset, respondit: *Sic erat in fatis.* Cui argute alter: *Imo sic erat in fatuis.* Error hic est certus: nam cœli et stellarum nulla est vis ad regna et imperia, sed ea consignantur ex solo Dei consilio et voluntate, qui pro arbitrio hunc humiliat, illum exaltat, et regna ab uno ad alium transfert: *Domini* enim *sunt cardines terræ, et posuit super eos orbem,* ut canit Anna 1. Reg. 2.

Secundo, Hebr. עולם *olam* significat seculum et mundum. Unde sic plane et clare vertas: *Incurvati sunt à Deo colles olam*, id est, mundi et seculi, quia itinera, id est, successiones et vicissitudines *olam*, id est, mundi et seculi, ejus sunt. Quocirca Chald. vertit: *Potestas seculi illius est*, q. d. Deus incurvat colles, id est, principes solio suo dejicit, aliosque substituit, quia ipse præest mundo et seculo, ejusque itinera, id est, ordinem, gyrationem, motus et vicissitudines moderatur, regit et distribuit ad libitum.

Tertio, *olam* Septuag. et Noster vertunt, *æternitatem;* radix enim עלם *alam* significat abscondere: inde *olam* vocatur æternitas, cujus duratio et finis est absconditus et impenetrabilis: quia æternitas est duratio immensa quæ nullum habet terminum, q. d. Colles olam, id est, æternitatis, puta principes Chananæi, qui jactabant se ab omni ævo et seculo Chananæam possedisse, ac in omne ævum possessuros, incurvati, loco et regno moti, depressi et contriti sunt à Deo, qui illis longe est antiquior, ac prior Chananæam possedit: quia ipsi soli substant itinera æternitatis, id est, omnium temporum et seculorum vicissitudines, volubilitates et series, quæ sub ipsius æternitate per partes, quasi per varias vias et itinera decurrunt, transeunt et perambulant (unde Hebr. הליכות *halichot*, quo Noster vertit, *itinera*, proprie vertas, *per ambulationes* vel *transitus*); ipse enim est rex seculorum, præses temporum, dominus, et, ut Syri loquuntur, *gigas æternitatis.* Unde Pagninus vertit: *Incurvaverunt se colles longi temporis ab itineribus seculi ejus.* Æternitas enim Dei est fons, origo et causa omnium temporum et seculorum: hæc enim ab illa emanant et oriuntur, sicut radius à sole, sicut aqua ex fonte, sicut scintilla ex igne. Quare sicut varii radii vicissim et successive emanant à sole, variæ aquæ ex fonte, variæ scintillæ ex igne; sed idem semper manet constatque sol, idem fons, idem ignis, qui hos radios, has aquas, has scintillas jugiter ejaculatur: ita varii dies, anni, ætates, tempora, omnesque seculorum ordines et vicissitudines ab æternitate Dei emanant; sed ipsa sibi semper eadem, fixa et immota constat æternitas. Ipsa enim est id quod in rota axis, quod in circulo centrum. Sicut enim circa axem volvitur rota, et circa centrum circulus, puta sicut circa centrum terræ gyrant et volvuntur omnes orbes cœlestes et elementares: ita circa æternitatem quasi axem et centrum, rotant et volvuntur omnia tempora, et quæcumque per tempora singula oriuntur, occidunt, veniunt, abeunt; attolluntur, sublata incurvantur et deprimuntur. Hinc Cæsar Ripa in Iconologia, parte 1. pag. 159, pingit divinitatem quasi matronam albis vestitam, habentem in capite flammam ignis, quæ in tres partes æqualiter se dispertit: utraque manu tenet globum è lapide lazuli, utrique insidet flamma. Vestis alba denotat puritatem divinæ essentiæ: flamma ejus amorem et ardorem: sectio in tres partes æquales, Trinitatem personarum: globus sphæricus æternitatem; eamque duplicem, unam quam in se habet, alteram quam Angelis et hominibus beatis in suî fruitione communicat, idque per Christum qui duplicem habet naturam undequaque perfectam, ideoque quasi sphæricam. Hinc rursum Deus ob suam æternitatem omnia tempora complectentem vocatur *ævum ævorum* à S. Dionysio, cap. 5. de Divin. nomin. Et S. Bernard. serm. 80. in Cant. *Tempora*, inquit, *sub ea* (divina et æterna natura) *transeunt, non ei; futura non exspectat, præterita non recordatur, præsentia non experitur.* Itinera ergo æternitatis sunt itinera temporis, puta præteritum, præsens et futurum, quæ sub æternitate decurrunt et transeunt: decurrente enim, et, ut ita dicam, itinerante tempore quolibet, nostro modo concipiendi videtur cum eo pariter decurrere et itinerari æternitas illi connexa et commensa, ut illud propellat, cogatque sequenti et succedenti locum cedere. Alludit ad itinera Hebræorum in deserto per 40 annos, quibus Deus cum illis continue profectus est ad invadendos et debellandos Chananæos: hæc enim itinera, quia tam longa, fuerunt *olam*, id est seculi, et secularis cujusdam æternitatis. Plenius S. August. lib. 1. Confes. cap. 6: *Summus*, inquit, *es, et non mutaris; neque peragitur in te hodiernus dies, et tamen in te peragitur, quia in te sunt et ista omnia: non enim haberent vias transeundi, nisi contineres ea. Et quoniam anni tui non deficient, anni tui hodiernus dies: et quàm multi jam dies nostri et patrum nostrorum per hodiernum tuum transierunt, et ex illo acceperunt modos, et utcumque exstiterunt, et transibunt adhuc alii, et accipient, et utcumque existent. Tu autem idem ipse es, et omnia crastina atque ultra, omnia quæ hesterna et retro, hodie facies, hodie fecisti.*

Denique proprie itinera, vel *deambulationes æternitatis sunt ei*, scilicet Deo, ut habent Hebr. q. d. Deus deambulat, id est degit, versatur, vivit et viget in altis illis suis montibus æternitatis, indeque subjectas hasce valles et colles temporum, regnorum et seculorum despicit, incurvat, immutat, moderatur et dirigit prout ei libuerit. Rursum, ex æternis hisce suis seculis, quæ mente fingimus æternitati ejus coexstitisse, magnis quasi itineribus contendit, id est, plurima et infinita quasi secula transmisit, pervasit et pervenit ad initium temporis, quo mundum creavit, conservat, exornat, gubernat, immutat, atque ad initium synagogæ suæ, ut nimirum expulsis et contritis Chananæis per Josue, in eorum regione collocaret Israelem, in eoque fundaret suam Ecclesiam, suum templum, suum sacerdotium et regnum; quod proprie hîc spectat Habacuc. Quocirca Guevara per *æternitatem* accipit Deum æternum: nullum enim attributum Dei majestatem hominibus magis admirandam et reverendam facit quàm æternitas, q. d. Contriti sunt colles, id est, principes Chanaan, itinerante cum Hebræis, pro eisque depugnante Deo, qui est ipsa æternitas, id est, æterna majestas: quia ubicumque illa in Chanaan itinerans cum eis fixit pedem, ibi sibi suisque Hebræis sedem constituit. Olim enim pedis immissione in agrum vel locum fiebat usucapio, id est, capiebatur loci possessio. Unde illud psalm. 59. 10: *In Idumæam extendam calceamentum meum.*

q. d. Immissione calcei et pedis occupabo et vindicabo mihi Idumæam. Porro ludit Propheta in voce *olam :* nam prius *colles olam* vocat principes mundi, mox itinera æternitatis Dei : quia aliud est *olam* Dei, aliud *olam* hominum et principum. *Olam* Dei est cœlum et æternitas : *olam* hominum est terra et tempus. Sic Apostolus ludit in voce *peccatum*, dicens : *Christus de peccato damnavit peccatum.* Et : *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* 2. Corinth. 5. 21.

Mystice S. Bernard. serm 10. in psalm. *Qui habitat :* Itinera, ait, æternitatis æternique Dei sunt misericordia et veritas. *Ab his itineribus incurvati sunt colles mundi, superbi dæmones, principes mundi hujus, qui viam veritatis et misericordiæ nescierunt. Quid illi et veritati, qui mendax est et pater ejus? quando ille unquam misericors fuit, qui homicida erat ab initio? In hunc ergo modum tumidi illi colles incurvati sunt ab itineribus æternitatis, dum à viis Domini quæ recte sunt, per anfractus suos et distorta, non tam itinera quàm præcipitia corruerunt. Quàm vero prudentius atque utilius alii quidem colles ab his itineribus incurvati et humiliati sunt ad salutem! An non humiliatos jam cernere est colles mundi, dum sublimes quique atque potentes devota subjectione inclinantur ad Dominum, et ejus vestigia adorant? Nunquid non incurvantur, cum ab ipsa sua perniciosa celsitudine vanitatis et crudelitatis, ad humiles semitas convertuntur, misericordiæ et veritatis?*

Moraliter scripsit S. Bonavent. opusculum de septem itineribus æternitatis, quod exstat tom. 2. opusc. ejus, in quo docte et pie more suo docet et describit septem itinera ad egrediendum intrinsecum secretum et æternum, quod est animæ patria, puta ipsum penetrale divinitatis et æternitatis Dei, in quo consistit æterna vita et beatitudo nostra. Primum iter, inquit, est æternorum recta intentio, ut scilicet anima aggrediatur unum æternum intendendo, unum æternum attendendo, unum æternum ingrediendo, in uno æterno permanendo, propter unum æternum, quod est optimum et unum necessarium, et finis quietans et consummans multitudinem omnium desideriorum in unum, quod non auferetur ab eo in æternum, quod Magdalenæ assignavit Christus Lucæ 10. 42. Secundum iter æternitatis est æternorum studiosa meditatio, juxta illud S. Gregor. 4. Moral. 28 : *In solitudine manere, est à secreto cordis terrenorum desideriorum tumultus expellere, et in una intentione æternæ patriæ, in amorem intimæ quietis anhelare.* Tertium iter est æternorum limpida contemplatio (quæ est apex et culmen meditationis) quam ex Richardo ita describit : *Contemplatio est libera mentis perspicacia, in sapientiæ spectacula cum admiratione suspensa*, juxta illud Job 7 : *Suspendium elegit anima mea.* Suspendium illud est extensio mentis in æterna spectacula, ut cum fieri potest nunquam ex intentione voluntatis, sed sola interpellatione necessitatis acies mentis inde flectatur, ut dicit Psalmista : *Oculi mei semper ad Dominum*, psalm. 24. Quartum iter est æternorum charitativa affectio, de qua S. Bernard. serm. 83. in Cant. *Magna res est amor, si ad suum recurrit principium, si suæ origini reducitur, si refusus suo fonti semper ex eo sumit, unde jugiter fluat.* Amor enim transformat amantem in similitudinem amati in quantum potest, non solum quantum ad substantiam, sed et quantum ad operationes arduas et difficiles. Unde S. Gregor. lib. 7. Moral. cap. 6 : *Sancti viri*, inquit, *cum ad desiderium æternitatis anhelant, in tanta altitudine vitæ se sublevant, ut audire jam quæ mundi sunt, grave sibi ac deprimens pondus credant. Valde enim intolerabile æstimant, quidquid id non sonat quod intus amant.* Et inferius cap. 7 : *Et multiplicata charitate majoribus desideriis æstuant, et jam pervenire ad vitam spiritus, etiam per cruciatus corporis anhelant.* Ita Sponsa Cant. 5 : *Adjuro*, ait, *vos, filiæ Jerusalem, ut annuntietis dilecto meo, quia amore langueo*, q. d. Præ magnitudine amoris omnia temporalia sunt mihi fastidium; unde langueo. Languor autem iste causatur ex amore perfecto. O quàm durum est amanti, animum dimidiare cum Christo et mundo! Rursum : *Nihil tam durum et ferreum, quod non igne amoris vincatur*, ait S. August lib. de Moribus Ecclesiæ, cap. 22. Quintum æternitatis iter est æternorum occulta revelatio. Assidua enim revelationum spiritualium ruminatio præbet assiduum cognitionum et exsultationum mentis incrementum : et ex hoc mens excessum æternorum, et ingressum occultorum consequitur. Qui enim ardentius diligunt, profundius conspiciunt, et subtilius discernunt, et evidentius cognoscunt : quanto ergo æterna ardentius amantur, tanto perfectius cognoscuntur. Unde S. Gregor. 18. dicit : *In sanctis fit æternitas, aspiciendo Dei æternitatem.* Sic irradiante menti radio divino, ducitur illa cum Mose in caliginem occulti silentii, in qua revelate et vere apparet Dominus superintellectualiter, ait S. Dionysius, de Myst. Theol. c. 2. Sextum iter est æternorum experimentalis quædam prægustatio, quam habuit Psaltes dicens psalm. 33 : *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus.* Et sponsa Cant. 2 : *Fructus ejus dulcis gutturi meo.* Et c. 5 : *Comedi favum cum melle meo.* Favus, inquit Orig. est cera virginea cellulis distincta, melle repletis. Quid ergo est aliud, *Comedi favum cum melle meo*, nisi manducare corpus virgineæ carnis dulcissima divinitate repletum? et sic per gustum humanitatis pervenitur ad gustum divinitatis, et ideo ad prælibamen æternitatis. Talem prægustum et prælibationem æternæ vitæ multi Sancti senserunt, et sentiunt in pia et ardenti sumptione Eucharistiæ. De hisce loquens S. Gregor. lib. 24. Moral. c. 7 explicans illud Job : *Videbit faciem ejus in jubilo. Plerique*, inquit, *contemplatione quadam retributionis æternæ, etiam prius quàm spolientur carne, hilarescunt, dum in jubilo faciem Dei conspiciunt : quod fit, cum aliquis spiritualem oculum in radio æterni solis figit. Ibi lumen vivens videt : quia jam omni mutabilitatis vicissitudine atque obumbratione calcata, veritati æternitatis inhæret, eisque inhærendo quem cernit, ad similitudinem incommutabilitatis assurgit, atque in semetipsam auctoris sui inconversibilem speciem dum respicit, assumit. Quæ enim ad mutabilitatem per seipsam lapsa est, ad immutabilitatis statum immobilem vivendo formatur.* Septimum iter est æternorum meritoria operatio, sive deiformis, id est, divinæ operationi conformis, actio, mores et vita. *Opera enim illorum sequuntur illos*, Apoc. 14. Sicut, inquit S. Bernard. lib. 5. de Consider. cap. 5, Deus in Seraphim amat ut charitas, in Cherubim noscit ut veritas, in Thronis sedet ut æquitas; oportet etiam ut nos quantum possumus, Deum summum bonum diligamus, ut summam veri-

talem cognoscamus, et ut summam æquitatem in nobis teneamus : et sic erimus bene ordinati quoad Deum, per deiformes operationes, ut ferveamus amore cum Seraphim, luceamus scientia cum Cherubim, spiritales facti judicemus omnia cum Thronis. *Quamvis ergo in usu operis sit temporalitas, tamen in intentione debet esse æternitas*, ait S. Gregor. 22. Mor. 22. Ad hæc ducit nos Christus, qui est via, veritas et vita, qui facit ut nostra conversatio in cœlis sit: ipse enim æternitatis nobis aditum devicta morte reseravit. Hæc et multo plura verbotenus, licet sparsim, S. Bonavent. opusc. citato. Felix, qui hisce itineribus ad beatam æternitatem contendit. Felix, qui celerem temporum et seculorum omnium volubilitatem transcendens, super anni solisque vias se librans, mentem figit in stabili et immobili æternitate. Felix, qui spretis vanis et caducis terræ bonis, jugiter circulantibus, vivit æternis et solidis, vivit æternitati jugiter consistenti.

Simili modo S. August. (vel quisquis est auctor.) tract. de Scala paradisi tom. 9. quatuor hujus scalæ gradus assignat, scilicet lectionem, meditationem, orationem, contemplationem. Lectio enim est iter ad meditationem, meditatio ad orationem, oratio ad contemplationem. *Contemplationis enim*, ait, *adeptio sine oratione, aut rara, aut miraculosa, primus gradus est incipientium, secundus est proficientium, tertius est devotorum, quartus beatorum : lectio sine meditatione arida est : meditatio sine lectione erronea est : oratio sine lectione est tepida : meditatio sine oratione infructuosa, oratio cum devotione contemplationis est acquisitiva.*

7. PRO INIQUITATE VIDI TENTORIA ÆTHIOPIÆ.] Vatabl. *In nihilum redacta vidi tentoria Æthiopum.* Hebr. enim און *aven* et iniquitatem, et nihilum significat. Putant Chald. Arias et Clarius hic celebrari victoriam Othonielis, qua liberavit Hebræos à servitute Chusan Rasathaim regis Mesopotamiæ, Judic. 3. et ad victoriam Gedeonis, quam retulit de Madianitis, Judic. 6 ; quia nominatur hic Madian, et quia in Hebræo est Chusan, non Chus, vel Chusim; quod proprie significat Æthiopiam et Æthiopes. Verum Sept. S. Hieron. et alii Chusan vertunt Æthiopiam : Chusan ergo per paragogen idem est quod Chus, sicut Melchom idem est quod Melech et Moloch. Nam Habacuc hic tantum celebrat miracula Dei patrata à tempore egressus ex Ægypto usque ad ingressum in Chanaan, ut patet ex sequentibus; non autem ea quæ postea in Chanaan per Othonielem et Gedeonem Deus patravit. Porro iidem hic sunt Madianitæ et Æthiopes. Madianitæ enim in Scriptura vocantur Æthiopes, scilicet Orientales, sicut Abyssini sunt Æthiopes Occidentales. Unde uxor Mosis Madianitis vocatur Æthiopissa, Numer. 12. 1. Vide ibi dicta. Sensus ergo est, q. d. Vidi, id est, cognovi et patrum narratione accepi, ac ex Scripturis intellexi quid olim feceris, ô Domine, Æthiopibus, id est Madianitis, *pro iniquitate*, id est, propter scandalum fornicationis et cultus Beelphegor, quod ipsi dederunt filiis Israel, submittendo in eorum castra suas filias, quæ ad utrumque scelus eos pellicerent, Numer. 25. v. 1. Cognovi enim quod eorum pelles, id est tentoria et castra, turbaveris et profligaveris per Josue, occisis eorum principibus, omnibusque masculis, ac Balaam scandali auctore, Numer. 31. Nota enallagen temporis: *turbabuntur*, id est turbata sunt : præcessit enim præteritum *vidi*. Rursum est hendiadis, *vidi et turbabuntur*, id est turbabantur, hoc est, vidi turbari tentoria Madian. Addunt Albert. et Lyran. dici *turbabuntur*, quia simul Propheta respicit futuram victoriam Cyri, q. d. Sicut turbasti Madianitas per Josue, ita turbabis et profligabis eosdem per Cyrum, ob iniquitatem eorum quam commiserunt in filios Israel, adjuvando Chaldæos in expugnatione Hierosolymæ.

Allegor. Æthiopes typi sunt tum dæmonum, tum hominum impiorum : quia hi deformes et atri sunt moribus, uti Æthiopes pelle et cute. Rursum corpora et mentes hominum impiorum non sunt aliud quàm pelles et tentoria Æthiopum, id est dæmonum. Sensus ergo est, q. d. Ego Habacuc in spiritu vidi et prævidi quomodo et quàm acriter Christus, dæmones hominesque impios, qui Ecclesiam et fideles ejus persequuntur, sit castigaturus. Aut q. d. Æthiopes et Madian, id est, *Gentes repente perterritæ nuntio mirabilium tuorum, etiam quæ non sunt in jure Romano, erant in populo Christiano*, ait S. August. l. 18. de Civit. c. 32, ut significetur hic conversio Gentium, etiam barbararum, ad Christum per Apostolorum miracula, prædicationem et vitam cœlestem.

8. NUNQUID IN FLUMINIBUS IRATUS ES ?] *Flumina* vocat fluenta maris Rubri, æque ac Jordanis. Sic Homerus oceanum vocat flumen, dicens : *Oceani fluxum fluvii cum cymba reliquit.* Et Hesiodus : *Oceani fluvii perfecti gnata puella.* Poetice describit Propheta divisionem maris Rubri, Exodi 14. et Jordanis, Josue 3. ut transirent Hebræi : unde metaphorice zelum Dei depingit per iram in mare et flumina, ac vires ejus per currus et pharetras, equos et quadrigas ejus nuncupat nubes et ventos : hinc etiam eodem tropo aquis quasi vim passis, dat dolorem. Sensus ergo est, q. d. Ad salvandum populum tuum Israel, videbaris, ô Domine, irasci et indignari Jordani et mari Rubro, quando pro eo contra Pharaonem aliosque ejus hostes pugnaturus, ascendebas nubes quasi currum bellicum, ac quasi equos agebas tum ventos, tum angelos velocissimos, quibus partim Jordanem et mare dissecuisti, ut panderes iter viamque evadendi populo tuo, partim turbines ac fulmina, quasi arcus tui sagittas ejaculatus in Ægyptios, eos protrivisti, et in mari demersisti, ut suscitares *juramenta*, id est, promissa tua juramento confirmata, quæ Israelitis præstiteras; ideoque *fluvios*, id est, fluenta hæc maris Rubri et Jordanis, *scindes*, id est scidisti, ut *gurges* et abyssus *aquarum* recederet, et contra naturam quasi cum dolore, timore, stupore, sonitu ac fremitu undarum sese collidentium, in mentes, id est, in montium molem et *altitudinem*, utrimque se attollens, et quasi supplex manus in cœlum ad Deum extendens, medium iter præberet Hebræis siccum planumque ad transitum. Simili modo per Cyrum deduces Euphratis alveum in fossas, per eumque jam dessiccatum Persas immittes in Babylonem Euphrati adjacentem, ut eam vastent, et Hebræos ex ea liberent, inquit Albert. et Hugo. Hoc enim stratagemate Cyrum cepisse Babylonem ex Xenophonte docui Daniel. 5. in fine.

Nota : v. 9. in Hebr. additur *sela*, de quo dixi v. 3. q. d. O potentiam, ô victoriam, ô fidelitatem, ô bonitatem Dei, suos per divisionem ma-

ris et fluminum liberantis, stupendam omnique ævo decantandam !

Alleg. aquæ multæ sunt populi multi, Apocal. 17. 15. q. d. Anne gentibus iratus es, Domine? minime, quia eis salvatorem misisti Christum. *Quia*, inquit S. August. loco jam citato, *ascendes super equos tuos, et equitatio tua salus, hoc est, Evangelistæ tui portabunt te, quia reguntur à te: et Evangelium tuum salus est eis qui credunt in te. Fluminibus scindetur terra, hoc est, influentibus sermonibus prædicantium te, aperientur ad confitendum hominum corda, de quibus dictum est: Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra. Quid est: Videbunt te et dolebunt populi? nisi ut lugendo sint beati. Quid est: Dispergens aquas incessu? nisi ambulando in eis qui te usquequaque annuntiant, hac atque illac dispergis fluenta doctrinæ. Quid est: Abyssus dedit vocem suam? An profunditas cordis humani quid ei videretur, expressit?* Apposite Glossa hæc adaptat exaltationi Ecclesiæ sub Constantino Imp. *Gurges aquarum transiit, id est,* inquit, *impetus persecutionum transiit super Christianos usque ad tempora Constantini. Dedit abyssus vocem suam, altitudo manus suas levavit. Per altitudinem intelligitur Constantinus, cui totus orbis erat subjectus: ipse vero manum suam levavit ad protegendam Christianitatem; et tunc abyssus dedit vocem suam, quia Christiani prius in abysso tribulationis positi eruperunt solemniter in Dei laudem. Sol et luna steterunt in habitaculo suo, id est, Christus et B. Virgo patenter honorati fuerunt in ecclesiis, qui prius colebantur in cryptis et locis occultis.*

Tropol. S. Gregor. lib. 8. Moral. cap. 13. legens juxta Septuag. *Dedit abyssus vocem suam ab altitudine phantasiæ suæ, sic explicat: Abyssus quippe phantasiæ altitudinem portat, cum humanus animus immensa cogitatione caliginosus, semetipsum etiam discutiendo non penetrat: sed ab hac altitudine vocem dare est; quia dum se deprehendere non potest, cogitur in admirationem consurgere, ut eo perscrutari non audeat quod super ipsum est, quo incomprehensibilitatem suam ipse cogitans, non valet invenire quod est.*

Anagog. hæc plane, ut sonant, faciet Christus in fine seculi, quando puniet et perdet Antichristum et Antichristianos fluctibus, sonitu maris, amaritudine aquarum, fœtore, putredine, tonitru, pluviis, grandine, fulminibus, ut patet Lucæ 21. v. 25. Apoc. c. 8. et cap. 16; ita ut abyssus et altitudo, id est, inferi et superi, terra et cœlum, totusque orbis pro eo contra impios pugnet et decertet, Sapient. 5. v. 21. ac Dei vindicis vindictam et triumphum, plausu oris et manuum concinat et celebret.

QUADRIGÆ TUÆ SALVATIO.] Equos et quadrigam Dei vocat nubes, quibus quasi inequitans Deus fulgetra et tonitrua jaculabatur in Ægyptios, juxta illud psalm. 103. v. 3: *Qui ponis nubem ascensum tuum,* id est, currum tuum, q. d. Qui nubibus pro vehiculo uteris. Et ps. 76. 18: *Vocem dederunt nubes: etenim sagittæ tuæ transeunt; vox tonitrui tui in rota.* Sic poetæ Jovis potentiam ostentant, cum eum fulminantem, nubicogum, tonantem, ὑψοβρεμέτην, id est, altofrementem vocitant, ut ait Lucianus in Misanthropo. Hinc illud Ovidii :

Illic et nebulas, illic consistere nubes
Jussit, et humanas motura tonitrua mentes.

Et lib. 2. Metamorph.

Ille pater rectorque Deûm, cui dextra trisulcis
Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem.

Alludit in voce *quadrigæ* ad arcam testamenti: huic enim quasi currui bellico gloriæ suæ Cherubinis stipatus insidebat Deus, castra Hebræorum præiens et deducens per mare Rubrum. Licet enim arca respectu duorum Cherubim videretur biga; tamen erat quoque quadriga: tum quia quaternis globulis seu sphærulis, quibus à pavimento elevabatur, quasi quatuor rotis insistebat: tum quia duo Cherubini quaternos et quadriformes, puta quatuor animalium, bovis, leonis, aquilæ et hominis habebant vultus, quasi quatuor insignia virtutum divinarum: tum quia Ezechiel c. 1. eumdem currum gloriæ Dei describens, dat ei quatuor rotas, æque ac quatuor Cherubinos. Unde ad eum alludens Psaltes psalm. 67. v. 18: *Currus,* inquit, *Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in eis in Sina, in sancto,* q. d. Agunt et stipant currum Dei multæ Angelorum phalanges, imo myriades, et Dominus inter eos et super eos inequitans, venit in Sinai, atque mansit in sanctuario. Unde subdit: *Viderunt ingressus tuos, Deus, ingressus Dei mei, et regis mei, qui est in sancto,* puta in sanctuario. Ita Prado in primam visionem Ezech. c. 10. et Pineda de rebus Salomon. lib. 6. c. 1. Cum ergo ait Habacuc: *Ascendes super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio,* sensus est, q. d. Deus non conscendit equum nisi ad salvandum, inquit Guevara. Secundo, nervosius Alcazar in Apocal. c. 6. not. 2. q. d. Dei equi et quadrigæ sunt ipsa hominum salvatio, sive salus; ac si diceret: Deo nulli alii sunt equi, nullæ quadrigæ quas ipse conscendat: nisi hujusmodi opera, quæ ad hominum salutem spectant, in quibus ipse gloriatur, et se hominibus agnoscendum exhibet, juxta illud Zachar. 10. v. 3: *Visitavit Dominus exercituum gregem suum, et posuit domum Juda quasi equum gloriæ suæ in bello.* Quod si objicias, quomodo ergo sequitur: *Ante faciem ejus ibit mors?* Resp. præit mors, ut hostes populi sui occidat, itaque eum salvet.

Symbolice et allegor. S. Ambros. in psal. 40. per equos et equitatum Dei accipit carnem et humanitatem Christi, cui quasi equo et currui insedit et inequitavit divinitas, ut victoriam nobis de peccato et dæmone pareret. *Unde,* ait, *dictum est Habacuc 3: Equitatus tuus salus: quod caro ejus, mundi totius erat susceptura peccatum, ut salus pro exitio, et vita æterna pro morte succederet. Vulneratus ergo est equus solus, non mendax ad salutem. Vulneratus est equus qui totius mundi peccata suscepit, et onera nostra portavit: et non fuit fatigatus. Et ideo fortassis Joanni Evangelistæ Apoc. 19. cœlum apertum, et albus equus demonstratus est, super quem sedebat habens in capite diademata multa, et in femore suo nomen scriptum: Rex regum, et Dominus dominantium, etc. Hic ergo equus est vulneratus, sed non retardatus. Denique cum ipso vulnere de tumulo resurrexit, cucurrit ad cœlum supra omnes Angelos et Archangelos, velocior omni equitatu militiæ cœlestis inventus: supra equos etiam illos igneos quibus Elias raptus est.* Secundo, idem Ambros. in psalm. 118. in fine octonarii quarti, per equos accipit Apostolos: *Ascendisti,* ait, *equos tuos, equitatus tuus sanitas. O Bonorum equorum*

dodecajugum mirabile, quibus frena pacis, habenæ sunt charitatis, constricti inter se concordiæ vinculis, et jugo fidei subjecti, quatuor rotis Evangelii mysterium totius orbis finibus invehentes, bonum aurigam portantes Dei verbum; cujus flagello fugatæ sunt illecebræ seculares, exterminatus mundi istius princeps, justorum cursus impletus est! O rationabilium equorum grande certamen, ó mirandum mysterium, etc. Et mox: *Animarum igitur nostrarum auriga Jesus, qui nos quoque vult ascendere equos nostros, hoc est nostra corpora, et vigilare semper, ne dicatur nobis: Dormitaverunt qui ascenderunt equos.*

Tropol. idem S. Ambros. lib. de Isaac, cap. 8: *Currus,* ait, *est anima; habet equos bonos, vel malos. Boni equi, virtutes sunt animæ: mali equi, passiones sunt corporis. Bonus ergo rector malos equos restringit et revocat, bonos incitat. Boni equi sunt quatuor: prudentia, temperantia, fortitudo, justitia. Mali equi iracundia, concupiscentia, timor, iniquitas. Interdum ipsi equi inter se dissident, et aut iracundia protendit aut timor, et se invicem impediunt, et cursum retardant. At vero boni equi volant, et à terris ad superiora se subrigunt, animamque elevant, maxime si jugum habeant suave, et onus leve dicentis* (Christi). *Ipse rector est qui novit equos proprios gubernare, ut æqualis omnium cursus sit. Velociores prudentia tardat, justitia admonet flagello proprio segniores, temperantia mansuetiores, fortitudo duriores reddit: novit copulare discordes, ne forte currum suum dissipent. Isti sunt equi subjecti fidei jugo, astricti vinculo charitatis, justitiæ frenis, retinaculis sobrietatis,*etc. *Et intelligis illam animam esse pacificam, cui pater Deus Præsul sit, Christus agitator. Hi sunt equi Christi. Ascendit ergo equos suos Christus, ascendit verbum Dei animas pias. Unde cognosce quia et istam ascendit, et perduxit eam ad locum palmæ, quando et dicit ad eam: Quàm pulchra et suavis facta es charitas in deliciis tuis! statura tua similis facta est palmæ. Et ipsa ait,* Cantic. 7: *Dixi, ascendam in palmam. Sed etiam ipsa charitas palma est; ipsa est enim plenitudo victoriæ. Plenitudo enim legis charitas est. Curramus ergo, ut comprehendamus: curramus, ut vincamus.*

11. Sol et luna steterunt in habitaculo suo.] Commemorat miraculum Josue quo stitit solem et lunam, ac consequenter omnes orbes cœlestes, ut prosequeretur victoriam contra Amorrhæos, eosque deleret. Imperans enim iis dixit: *Sol contra Gabaon ne movearis, et luna contra vallem Aialon; steteruntque sol et luna donec ulcisceretur se gens de inimicis suis, stetitque sol in medio cœli, et non festinavit occumbere spatio unius diei,* Josue 10. vers. 12. Ita Chald. Albert. Clarius, Jansen. Emmanuel, Mariana et alii. Aliter Vatabl. censet enim hìc significari plagam nonam Ægyptiorum, quæ fuerunt densissimæ tenebræ per triduum, ita ut sol et luna consistere viderentur, Exodi 10. v. 21. Verum tunc nec sol, nec luna stetit, nec tenebræ hæ à statione solis et lunæ, sed à Deo aerem obscurante productæ sunt.

In luce sagittarum tuarum ibunt (id est ibant, vel iverant; præcessit enim præteritum *steterunt*) in splendore fulgurantis hastæ tuæ.] Sagittas et hastam fulgurantem Dei vocat fulmina, tonitrua, grandines et lapides, quæ Deus tunc è cœlo pro Josue et Hebræis jaculatus est in Amorrhæos. Unde Tertull. l. 4. contra Marcion. c. 39. legit: *Sol et luna constitit in suo ordine; in lucem coruscationes tuæ ibunt in fulgorem: fulgur scutum tuum, in comminatione tua diminues terram.* Sensus est, q. d. Cum sagittis tuis magnis, nempe lapidibus et fulguribus grandini permixtis, hostes Israelitarum prosterneres; tunc ipsi Israelitæ per eorumdem fulgurum ac fulminum lucem illæsi, imo illustrati, inimicos insectabantur. Ita mirabili dispensatione tua factum est, ut hæc tela tua populi tui commodis inservirent, quæ hostibus extremum exitium inferrent. Noctu enim Israelitæ aggredi cœperunt Amorrhæos, ut patet Josue 10. 9. Secundo, planius Aria, qui τὸ *ibunt* refert non ad Israelitas, sed ad solem et lunam, quæ ibant, id est iter suum moderabantur pro jussu et commodo Josue, *in luce,* id est ad lucem, vel ad lucendum sagittis Dei, q. d. Sol et luna, quæ aliàs statum suum iter peragere solent ad totius terræ omniumque gentium usum, illo die iter suum inverterunt et converterunt ad solius Josue usum Deique victoriam; nam steterunt quasi spectantes lucem armorum et fulgurantium hastarum Dei, et simul sua luce ibant cum Hebræis, ipsisque præibant ad persequendum Amorrhæos. Sol enim et luna consistendo cooperata sunt ad hanc pugnam et victoriam. Unde hac sua statione videbantur ire in hostes Hebræorum, eosque cædere et prosternere. Simili schemate et plausu victoriam suam contra Sisaram celebrant Debora et Barac, Judic. 5. v. 20. ut ostendant eam non humanis, sed divinis viribus partam. *De cœlo,* inquiunt, *dimicatum est contra eos; stellæ manentes in ordine et cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt;* quia Hebræis sua luce ad pugnandum et vincendum præluxerunt, hostes vero suo splendore et fulgore quasi fulgure percelluerunt. Unde Plato in Cratylo censet ἀςρα dici quasi αςραπη, id est fulgur; αςραπη autem, eo quod oculos luce illa αναςρεφη, id est convertat. Tertio, Albert. Hugo, Lyran. et Dionys. τὸ *ibunt* proprie accipiunt ut futurum, explicantque de Cyro et Persis, qui post tempora Habacuc nocte concubia, ut patet Daniel. 5. 30. ex improviso adorti Babylonem, ad lucem sagittarum suarum et fulgurantium hastarum, quasi facum prælucentium, iverunt, ingressique sunt urbem, eamque ferro et flamma vastarunt; perinde ac Josue iisdem vastavit Amorrhæos.

Allegor. S. August. l. 18. Civit. c. 32: *Elevatus,* ait, *sol, et luna stetit in ordine suo, hoc est ascendit Christus in cœlum, et ordinata est Ecclesia sub rege suo. In lucem jacula tua ibunt, hoc est, non in occultum, sed in manifestum verba tua mittentur. In splendorem coruscationis armorum tuorum, subaudiendum est, jacula tua ibunt. Dixerat enim suis: Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine. In comminatione minorabis terram, id est, comminando humiliabis homines. Et in furore dejicies gentes: quia eos qui se exaltant, vindicando collides.* Et S. Gregor. lib. 30. Moral. c. 2. per sagittas et jacula, accipit verba prædicantium; per fulgurantes hastas, miracula eorumdem. Hisce enim confixæ, perculsæ et conversæ sunt Gentes ad Christum. Huc accedit Anastasius Sinaita Patriarcha Antiochenus lib. 4. Hexam. tom. 1. Biblioth. SS. Patrum, ubi docet quod, sicut luna post solis occasum oritur, ita post Christi recessum orta sit Ecclesia: *In altum,* ait, *elevatus est sol, hoc est, Christus ascendit in cœlos; et tunc luna stetit in ordine suo, nempe Ec-*

clesia in valido suo statu, in pulchritudine sua, in decore suo, in illuminatione sua, in cursu suo. Recte autem dixit: In ordine suo; prius enim erat inordinata et incomposita, ut quæ esset dedita idololatriæ. Secundo, *sol dominatur æstati, ut qui sit elementum siccum, in typum Christi, qui in fine messis consummationis est exsiccaturus eos qui sunt sub peccato, flumine igneo: luna vero habet gubernationem aquæ et Spiritus Sancti, qui à Christo Ecclesiæ tanquam lunæ donatus est et creditus, ut per ipsam regeneremur, donec prætererit nox hujus seculi, et rursus exortus fuerit sol justitiæ.* Addit deinde crescere fideles crescente Ecclesia, sicut crescunt animalia crescente luna, datque exempla: ibis, inquit, avis infesta serpentibus non videt, nec comedit eo tempore quo luna in cœlo non apparet. Simiæ orbes oculorum dilatantur crescente luna, eaque decrescente minuuntur. Lychnis lapillus crescente luna edit sonum modulatum. Clopias piscis crescente luna albescit, decrescente nigrescit. Simili modo mutationes Ecclesiæ redundant, et transfundunt se in animam cujusque fidelis.

Anagog. idem plane quod verba sonant, faciet Deus in fine seculi, cum solem et lunam obscurabit, ac fulmina vibrabit in hostes, juxta illud Sapient. 5. v. 22: *Ibunt directe emissiones fulgurum, et tanquam à bene curvato arcu nubium exterminabuntur. Et à petrosa ira plenæ mittentur grandines.* Denique tum stabit sol, luna, omnisque cœlorum motus, sistetque in æternum.

Tropol. cum sol, id est Prælatus, se elevat ad vitæ reformationem et perfectionem, tunc ad eamdem elevatur et luna, id est, congregatio illi subdita. Unde S. Bernard. epist. 142. ad Monachos Alpenses: *Bonus*, inquit, *Pater vester atque noster, auctore Deo ad altiorem gradum assumptus est. Faciamus ergo quod dicit Propheta* (Habacuc cap. 3.) *Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo. Sol est ille per quem Alpensis congregatio illustris ubique redditur, tanquam luna per solem. Elevato itaque illo, stemus nos in ordine nostro, quicumque elegimus abjecti esse in domo Dei nostri, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Ordo noster abjectio est, humilitas est, voluntaria paupertas est, obedientia, pax, gaudium in Spiritu sancto. Ordo noster est esse sub magistro, sub Abbate, sub regula, sub disciplina. Ordo noster est studere silentio, exerceri jejuniis, vigiliis, orationibus, opere manuum, et super omnia excellentiorem viam tenere, quæ est charitas. Porro in his omnibus proficere de die in diem, et in ipsis perseverare usque ad ultimum diem. Et hæc quidem assidue vos confidimus actitare. Cæterum unum opus fecistis, et omnes mirantur quod, cum sancti essetis, non reputantes vestram sanctitatem, alienam participare curastis, ut essetis sanctiores:* quia transierant ad strictiorem Ordinem Cisterciensium. Unde subdit: *Quàm læto sinu collegit vos multitudo Cisterciensis, quàm alacri vultu spectavit hoc angelica celsitudo!*

13. Egressus es in salutem populi tui, cum eum liberasti et eduxisti ex Ægypto: in salutem cum Christo tuo] ut populum salvares et educeres per Mosen, quem quasi Christum spiritu tuo unxisti, ut esset dux et propheta populi tui. Simili modo egredieris cum Cyro in aciem contra Babylonem, ut ex ea liberes et educas populum tuum captivum. Hinc Cyrus ab Isaia c. 45. v. 1. vocatur Christus, dum ait: *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro.* Ita Albertus, Hugo, Lyran. et Dionys. Allegor. proprie et potius per Christum Dominum, cujus antitypus fuit Moses, æque ac Cyrus, salvabis populum fidelem, eumque educes ex captivitate diaboli. Unde sexta Editio habet: *Egressus es ut salvares populum per Jesum Christum tuum.* Ita Hebræi, S. Augustinus, l. 18. Civit. 32. S. Hieronym. et alii passim. Quare fraudulenter hunc locum verterunt, imo depravarunt, Symmachus et Theodotion qui, quia erant Ebionitæ, et Christum negabant esse Deum, hinc transtulerunt: *Ut salvares Christum tuum;* non enim Christus hîc dicitur salvatus, sed populus per Christum salvatorem: *Egredi* enim *in salutem populi* cum Christo, est salvare populum per Christum. Perperam quoque Chald. vertit: *Revelatus es ad liberandum populum tuum, ad liberandum Christum tuum,* quasi populus Israel et fidelis vocetur hîc Christus, juxta illud Psalm. 104. v. 15: *Nolite tangere christos meos*, id est Israelitas meos. Verum ibi per *christos* Psaltes intelligit Patriarchas, ut recte annotavit S. Hieronym. et Theodor. puta Abraham, Isaac et Jacob, quos Deus unxerat, id est, sua gratia consecrarat et auctorarat, Prophetas et principes gentis suæ. Unde explicans subdit: *Et in Prophetis meis nolite malignari.* Adde Hebræa hîc non habere: *Ad liberandum Christum tuum*, ut vertit Chald. sed *ad salvandum*, vel liberandum, scilicet populum, *cum Christo*, vel *per Christum tuum;* præpositio enim את *et*, significat *cum*, *per*. Quocirca Hebræa præcise sic sonant: *Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.*

Percussisti, Pagnin. *transfixisti;* Tigurina, *contudisti;* caput de domo impii.] *Caput* intellige Pharaonem, quem Deus percussit mergendo eum in mari Rubro: hic enim caput erat et princeps domus impii Cham, qui fuit nequissimus, et primus regnavit in Ægypto, quæ inde dicta est terra Cham, Psalm. 104. v. 23. et Psalm. 77. v. 51. Alii, ut Albertus et Vatablus, per *caput* intelligunt filium primogenitum Pharaonis, quem morte percussit Deus, Exodi 12. v. 29. Aut *caput*, id est capita, hoc est principes impii Pharaonis. Simili modo percuties Balsasarem, qui est caput in domo impii Nabuchodonosoris, per Cyrum, inquit S. Hieronymus, Hugo et Lyran.

Allegor. Christus percussit diabolum, qui est caput impiorum, ac in fine mundi percutiet Antichristum, qui erit princeps in domo et familia diaboli. Ita S. Hieron.

Denudasti fundamentum ejus usque ad collum.] *Ejus*, scilicet non capitis, sed domus: domus enim habet fundamentum, non caput, q. d. Domum impii Pharaonis, puta familiam regiam, ipsamque Ægyptum, ab imis fundamentis usque ad collum, id est, usque ad summos vertices, detexisti, id est, detegendo diruisti et evertisti per metalepsin, q. d. Totum exercitum Pharaonis à minimo usque ad maximum, in mari Rubro perdidisti, et quasi à terra abrasisti. Caput enim est Pharao, collum sunt principes, fundamenta et ima sunt milites. Combinat duas metaphoras, hominis et domus: nam collum et caput sunt hominis, fundamentum proprium est domus. Hebræi enim hominem, puta filium, vocant *ben*, quasi domum, quam בנה *bana*, id est ædificavit, pater. Si enim homo est microcosmus, multo magis est

μικροοικος, id est parva domus. Et vicissim sicut mundus est quasi magnum quoddam animal, et magnus homo, cujus anima est spiritus Dei, hepar est mare, vesica sunt flumina, oculi sunt fontes, etc. Ita domus, familia et resp. est magnus quidam civilis et politicus homo, cujus caput est paterfamilias, princeps aut rex; collum sunt principes; brachia sunt milites : pedes et ima sunt plebs. Plebs enim est maxime necessaria pars, et quasi hypostasis reipub. cui omnia ejus onera incumbunt. In domo vero particulatim, et quasi physice, caput est tectum, collum sunt juncturæ tecti cum parietibus, corpus sunt ipsi parietes, pedes et plantæ sunt fundamenta. Jam symbolice domus est familia et resp. cujus caput et tectum est pater, princeps vel rex; collum et juncturæ sunt principes; corpus et parietes sunt cives et mercatores, pedes sunt rustici et coloni, è quibus colliguntur milites. Dicit ergo : Tu, ô Domine, fundamentum domus Pharaonis, id est regni Ægypti, denudasti, ut illud funditus quasi à fundamentis dirueres. Qui enim domum evertere volunt, fundamenta nudant, juxta illud quod Babyloni imprecatur Psaltes psal. 136 : *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea,* quasi dicat : Interemisti exercitum Pharaonis cum suis ducibus et principibus, in quo erat fundamentum, id est, robur et fortitudo totius Ægypti. Ita Vatablus. Secundo, Guevara sic explicat, quasi dicat : Maximis opprobriis et ignominiis affecisti, ô Domine, Ægyptum, non secus ac si illius caput rasisses, inferioresque corporis partes (quæ sunt quasi bases et fundamenta) pudendaque ipsa ad collum etiam usque nudasses. *Nudare* enim in Scriptura subinde tondere significat, ut Isaiæ 3. v. 17 : *Decalvavit Dominus verticem filiarum Sion, et crinem earum nudabit.* Alludit ad Isaiæ 7. v. 20 : *In die illa radet Dominus in novacula conducta, in his qui trans flumen sunt, in rege Assyriorum caput, et pilos pedum, et barbam universam.* Quod enim dixit Isaias : *Radet caput,* hoc dixit Habacuc : *Percussisti caput : percussisti,* scilicet nuditate et calvitio. Rursum, per fundamentum possumus intelligere caput. Est enim homo velut arbor inversa, pro radicibus habens capillos, pro ramis manus et pedes. Porro quantum probrum sit rasura et decalvatio, ac depilatio totius hominis, patet ex illo Poetæ :

> Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,
> Et sine fronde frutex, et sine crine caput.

Hæc Guevara. Prior explicatio uti planior, ita et litteræ conformior et germanior est. Denique in Hebræo additur *sela*, quasi nota admirationis et plausus tantæ stragis et victoriæ.

14. Maledixisti sceptris ejus.] Maledicere Dei est malefacere, lædere, occidere, perdere : dicere enim Dei est efficax, idemque quod facere. Per sceptra, vel principes intellige, qui gestabant sceptra quasi insigne principatus : vel metonymice *sceptris*, id est, regnis et provinciis *ejus*, quibus cum sceptro, id est, potestate regia, imperabat Pharao, quasi dicat : Regna et ditiones Pharaonis, omnemque ejus tyrannicam vim et potentiam destruxisti. Olim enim universi principes ac magistratus sceptra gestabant. Sic singulæ Tribus Israel habebant suam virgam, quasi sceptrum, Numer. 17. v. 1. Sic Homerus non tantum Agamemnoni regi, sed et Achilli et Telemacho principibus sua dat sceptra, per quæ jurant : quia divinitatis quippiam sceptra habere veteres existimarunt. Unde Chæronæos legimus ex diis omnibus maxime coluisse sceptrum Agamemnonis. Multis idipsum probat Guevara. Hinc Assuerus Estheri, c. 5. v. 2, porrexit sceptrum quod ipsa osculando venerata est regem. Et c. 8. v. 4. rursum eidem prætendit sceptrum, in signum clementiæ. Idem habetur, c. 4. 11. Quia et Jacob adoravit fastigium virgæ ejus, puta sceptri Josephi, Hebr. 11. 21. Sceptra ergo hîc principes sceptrigeros denotant. Pro *maledixisti* hebr. est נקבת *nakapta*, quod etiam perforare significat. Unde Pagninus vertit : *Perfodisti baculis ejus caput exercituum ejus;* Tigurin. *Perforasti cum baculis suis caput paganorum* (colonorum, qui in pagis et villis habitant) *ejus*, vel, ut Vatabl. *copiarum ejus*, scilicet Ægypti, vel Pharaonis ; hoc est, peremisti eum, perinde ac si propriis telis perforasses capita ejus, q. d. Te auctore periit exercitus Pharaonis, ipsiusmet consilio : nam consuluit Pharao Ægyptiis, ut insequerentur Hebræos in mari Rubro, quod dum faciunt, revolvente se mari mersi sunt. Simili modo Deus maledixit, perfodit et dejecit sceptrum Balsasaris et Chaldæorum per Cyrum.

Allegorice, Christus perforavit et prostravit sceptra Neronis, Decii, Diocletiani, cæterorumque persecutorum Ecclesiæ ; ac pari modo in fine mundi prosternet sceptra Antichristi, Gog. et Magog.

Capiti bellatorum ejus.] *Capiti*, id est capitibus, puta cunctis ducibus bellatorum ejus, videlicet impii Cham, vel Pharaonis, qui fuit caput et princeps domus Ægypti, uti præcessit. Est epanalepsis, sive prioris sententiæ repetitio et expositio ; principes enim, quos vocavit sceptra, id est sceptrigeros, hîc vocat capita, sive duces bellatorum. Quocirca Septuag. vertunt : *Divisisti in stupore capita potentum.* Unde de iis subdit.

Venientibus ut turbo, etc.,] q. d. Dejecisti sceptra, id est sceptrigeros, qui veniebant cum impetu et furore quasi turbo, ad dispergendum me, scilicet Israelem, qui sum populus tuus.

Exsultatio eorum,] scilicet erat, q. d. Exsultabant sceptrigeri duces Ægyptii, quod me conclusum in mari cernerent ; putabant enim ibi me devorare, sicut quis potentes exsultat, cum pauperem quem mactare vel spoliare intendit, in latebris repetit, ubi nemo ei auxilietur.

Nota : Propheta toto hoc carmine adeo celebrat stragem Pharaonis, et liberationem Hebræorum ex Ægypto ; quia illi per omnia similis futura erat strages Chaldæorum, et liberatio Hebræorum ex Babylone, quam proprie ipse spectabat et sperabat ; et utraque similis fuit liberationi hominum è captivitate peccati per Christum, quam ultimo et maxime ipse repræsentare intendebat. Id ita esse patet ex hisce tristrophis antistrophis :

Phrao,	Balsasar,	Diabolus.
Moses,	Cyrus,	Christus.
Ægyptus,	Babylon,	Peccatum.
Servitus,	Captivitas,	Tyrannis.
Mare Rubrum,	Euphrates,	Jordanes.
Hebræi,	Judæi,	Christiani.
Chanaan,	Judæa,	Ecclesia.

Pharao enim tyrannus affligens et persequens

Hebræos, typus fuit Balsasaris captivos detinentis Judæos, et uterque typus fuit diaboli genus humanum opprimentis. Moses, liberator Hebræorum et cæsor Pharaonis, fuit typus Cyri liberatoris Judæorum per cædem Balsasaris, et uterque fuit typus Christi liberatoris fidelium per stragem diaboli. Ægyptus, carcer Hebræorum, fuit typus Babylonis carceris Judæorum; et uterque fuit typus peccati, mortis et inferni, cui quasi carceri mancipati erant homines peccatores. Servitus Ægyptia fuit typus captivitatis Babylonicæ; et utraque typus fuit tyrannidis peccati et concupiscentiæ. Scidit Moses sua virga mare Rubrum, itaque Hebræos liberavit, Ægyptios mersit; ita Cyrus scidit et divisit Euphratem, ac per ejus alveum siccum milites immisit in Babylonem, itaque Chaldæos occidit, Judæos liberavit.

Alleg. Christus in Jordane baptizatur, fluenta baptismi segregans à vulgaribus aquis, per ea suos fideles traducens justificat et salvat. Moses Hebræos ex Ægypto eduxit in Chanaan, Cyrus Judæos è Babylone remisit Hierosolymam, Christus fideles è paganismo et judaismo traduxit ad Ecclesiam, tum militantem, tum triumphantem.

15. Viam fecisti in mari equis tuis,] q. d. Tu, Domine, deducens filios Israel per mare Rubrum, ita secure et gloriose deduxisti eos in conspectu hostium Ægyptiorum, ac si magno equitatu eos vallares et prosequereris. Poetice enim equos et quadrigas Dei, vocat ejus robur et potentiam, quæ plus valebit quàm omnes Pharaonis equi et equites, juxta illud Psalm. 19. 8: *Hi in curribus, et hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri invocabimus.* Proprie per equos hosce significat Angelum in columna ignis et nubis præeuntem castra Hebræorum; hic enim cum Angelis sibi asseclis erat quasi equitatus et comitatus Hebræorum, eos deducens et defendens contra Ægyptios. Unde de eo dicitur Exodi 14. 19: *Tollensque se Angelus Dei qui præcedebat castra Israel, abiit post eos, et cum eo pariter columna nubis priora dimittens, post tergum stetit, inter castra Ægyptiorum et castra Israel.* Idem Angelus paulo post jaculatus tela et fulmina in Ægyptios, eos prostravit. Hoc est enim quod dicitur ibidem v. 24: *Et ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis et nubis, interfecit exercitus eorum, et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum.* Jure ergo hi vocantur equi et equitatus Dei, qui totum Pharaonis equitatum deleverunt. Unde Chald. vertit: *Manifestatus es super mare in quadriga gloriæ tuæ.* Simili modo Deus viam fecit equitibus Cyri in Euphrate, ad invadendam Babylonem.

In luto aquarum multarum.] Alveum maris Rubri immisso vento jam siccarat Deus, ut sicco pede transirent Hebræi; eum tamen vocat *lutum*, quia paulo ante fuerat lutum, vel quia ad latera utrimque aquis cooperta inter quæ transierunt Hebræi, erat lutum plurimum. Pro *luto* hebr. est חמר *chemer*, pro quo Chald. et recentiores aliis punctis legunt חמר *chomer*, id est utrem, vel acervum, unde vertunt: *In acervo aquarum multarum.* Utrimque enim in magnos quasi utres et acervos assurgebant aquæ, in quorum medio sicco pede transierunt Hebræi, juxta illud Psalm. 77. 13: *Interrupit mare, et perduxit eos, et statuit aquas quasi in utre;* Septuag. vertunt: *Superduxisti in mari equos tuos, conturbantes aquas multas.* Radix enim *chamar* significat miscere, turbare, confundere; unde *chemer* significat lutum, vel vinum mixtum et turbidum.

Allegor. Deus Apostolis quasi scidit flumina et maria, dum per hæc eis iter pervium fecit, ut totum orbem evangelizando peregrarent, et subigerent Christo. Unde S. Aug. lib. 18. Civit. 32: *Immisisti, ait, in mari equos tuos, turbantes aquas multas, quæ nihil sunt aliud, quàm populi multi; non enim alii timore converterentur, alii furore persequerentur, nisi omnes turbarentur.*

Tropolog. simili modo per medias calamitates, quasi per medias maris aquas et fluctus, salvos et incolumes suos fideles, cum iis quasi incedens, eosque protegens, deducit et educit Christus, vel, ut S. Gregor. 34. Moral. 13: *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum, ac si diceret: Aperuisti iter prædicatoribus tuis inter doctrinas mundi hujus, sordida et terrena sapientes. Luto quippe inhærere, est sordidis desideriis concupiscentiæ carnalis inquinari.* Idem 31. Moral. cap. 10: *Misisti, ait, in mari equos tuos, conturbantes aquas multas; quietæ quippe aquæ jacuerunt, quia humanæ mentes diu sub vitiorum suorum torpore sopitæ sunt; sed equis Dei mare turbatum est, quia missis sanctis prædicatoribus omne cor quod pestifera securitate torpuit, impulsu salutiferi timoris expavit.*

16. Audivi.] Redit hîc Propheta post carmen et epinicium victoriæ Dei ad v. 1, q. d. Talis quidem fuit victoria Dei contra Pharaonem, talisque erit contra Balsasarem; sed interim dum in statione mea vigil excubo, ut audiam Dei oraculum, uti dixi cap. 2. v. 1, ecce ab eo audivi et audio, ut cœpi dicere v. 1, tantam stragem fore Judæorum per Chaldæos, et Chaldæorum per Cyrum et Persas, ut eam cogitans contremiscam et cohorrescam, nimirum, ut dum eam rumino, cor mihi commoveri et vox tremere videatur. Tristes enim et atroces, etiam hostium, casus naturaliter horrorem incutiunt, et natura quemdam compassionis motum sensumque excitant, uti excitavit casus Babylonis Isaiæ cap. 21. 3. Ita S. Hieron. Hugo, Clarius et alii. Allegor. Theod. q. d. Audivi à te, Domine, quod populus meus Christum sic occisurus, ideoque exscindendus à Tito; quocirca conturbatus sum et contremui; sed me consolor, quod eo tempore non ero superstes, nec tanta mala videbo.

Ingrediatur putredo in ossibus meis,] q. d. Sed quid me hisce stragibus frustra discrucio? Jam enim à Deo absolute decretæ sunt, ideoque inevitabiles. Quid ergo? hoc unum superest quod optem et orem, nimirum, opto, Domine, oroque ut veniant in me omnes tribulationes et ærumnæ, adeo ut ossa mea putrescant, et caro mea instar S. Job pus vomat, et vermibus scateat, dummodo mihi concedas ut requiescam in die tribulationis, id est excidii Babylonis, ut tunc cum Chaldæis non perimar à Persis, sed ex ea jubente Cyro redux ascendam ad populum nostrum, ut illi annumeratus, cum eo et inter eum sospes pergam in avitam patriam. Ipse enim, duce Zorobabele, instructa quasi acie accinctus ad iter, per medios hostes fortis et felix redibit in Judæam. Ita S. Hieron. Hugo et Jansenius. Aut, q. d. Emoriar, Domine, ne videam

hanc tribulationem et captivitatem gentis meæ ; sed in suavi mortis somno quiescens ascendam et transeam ad cœtum Abraham , Isaac , Jacob, Josue, aliorumque virorum sanctorum et fortium è populo meo , qui olim pro gente sua armis cincti , insignes de hostibus victorias retulerunt.

Nota : Hebr. pro יגודנו *iegudennu* , id est *accinget eum* , Nostrum legisse יגודנו *iegudenu* , id est *quem accinget* , vel *qui accingetur nobis*, id est *accinctum nostrum*. Rursum , *iegudenu* non tantum significat accinctum , sed et unitum , collectum , colligatum , congregatum et conjunctum ; inde enim turmæ et congregationes militum vocantur גדודים *gedudim*. Jam fideles et Sancti cum diem suum obirent , dicebantur congregari et colligi ad populum suum , patribusque suis , apponi et copulari , uti de Moyse dicitur Numer. 31. 2. de Josia 3. Paral. 34. 28. Dicebantur autem pii viri colligi , seu colligari in fasciculo viventium , 1. Reg. 25. 29, ut instar odoratissimorum florum fasciculi in æternum essent in manu Domini , Eccli. 39. 17. Ad hunc igitur floridissimum hortum Palæstinæ , fragrantissimis Patriarcharum , Prophetarum , cæterorumque justorum floribus vernantem ; ad hunc Sanctorum populum jam accinctum , id est in fasciculo viventium jam collectum et colligatum , in terra autem promissionis sepultum , se ascensurum lætatur , simulque orat Hababuc , Hebræi populi repræsentans personam. Horum enim summum desiderium Israelitas in captivitate tenuisse credibile est. Sic Jacob desideravit sepeliri , non in Ægypto , sed in Chanaan , ubi parentes , Abraham et Isaac sepulti erant , Genes. 47. v. 29. Sic et Joseph , Genes. 50. 23. Quin et Æneas apud Virgil. Palinuri mortem deplorat , quod longe à suis in peregrino solo sepeliretur :

> O nimium cœlo et pelago confise sereno!
> Nudus in ignota Palinure jacebis arena.

Anhelabant ergo Israelitæ è Babylone redire, et aggregari patribus suis sanctis, qui in Palæstina degebant sepulti , quasi stationarii quidam ac præsidiarii terræ illius milites, quorum subsidio Judæi tot periculis et calamitatibus erepti , tot beneficiis à Deo affecti jugiter exstiterant. Ita Guevara.

Aliter vertit Pagninus , nimirum : *Ingressa est putredo in ossa mea , et in loco meo expavi , qui me putabam requiescere in die angustiæ , quæ erit quando hostis cogitabit ascendere contra populum, ut succidat eum.* Aliter quoque Vatabl. et alii , dum suo more Hebræa concisa varie supplent , et à Vulgato recedunt. Porro Guevara in contrariam prorsus abit sententiam; censet enim hæc verba Prophetæ non indolentis, sed lætantis esse , ac gestientis ex læto oraculo de Chaldæorum excidio et Judæorum libertate. Solet enim vehemens lætitia totum corpus alterare ac commovere , imo evanescentibus spiritibus abire in deliquium ipsamque mortem. Multi enim ex repentino et ingenti gaudio animam exhalarunt, uti pluribus exemplis demonstrat Guevara. Hunc ergo hujus loci dat sensum : Audivi , inquit Habacuc , Babylonem à Cyro exscindendam , et Judæos meos ex ea liberandos ; atque dum mentis auribus tam jucunda nuntia percipio , cor meum et omnia interiora mea tremefacta sunt, ac ad vocem et lætissimum hoc nuntium , præ gaudio contremuerunt labia mea. E cunctis enim membris tremor hæc tria maxime solet invadere , labia , genua et cor. Ad subditas quippe animi perturbationes , sive doloris eæ sint , sive lætitiæ , cor palpitat , concutiuntur labia , et genua pariter collabuntur. *Ventrem* autem hebræa dialecto Propheta pro corde posuit. A corde enim lætitiæ , sicut et mœroris , motus exoritur æque ac in eodem desinit. Quidquid enim à collo usque ad inguina est corporis , *venter* ab Hebræis vocatur. Quod autem sequitur : *Ingrediatur putredo in ossibus meis , et subter me scateat* , periphrasis est mortis , quæ teste Aristotele , putredo quædam est. Is enim in Problem. quærens : *Cur diutius vivant , qui locis calidis suam degunt ætatem ?* Respondet : *An quia natura sunt sicciore ? firmius autem diuturniusque quod siccius est , mors autem putredo quædam est.* Hac mortis periphrasi usus est Job , dicens cap. 13. v. 28 : *Qui quasi putredo consumendus sum.* Et cap. 17. v. 14 : *Putredini dixi : Pater meus es ; mater mea , et soror mea , vermibus.* Et cap. 25. v. 6 : *Homo putredo , et filius hominis vermis.* Et Eccl. cap. 19. v. 3 : *Qui se jungit fornicariis , erit nequam ; putredo et vermes hæreditabunt illum* , id est , cita et præcoci morte occumbet. Inquit igitur Habacuc : Audito tam hilari nuntio tanta lætitia præoccupatus sum , ut et intus totis visceribus , et labiis exterius contremiscerem , parumque abfuerit quin exanimatus putrefierem , et putridus vermibus scaterem ; id est, parum abfuit quin emorerer risu , et tantam lætitiam non sustinens exanimarer. Aut , q. d. Amodo jam ob tam faustum oraculum lætus morior , nuncque profecto tempus est, cum jam alacer et contentus occumbam : post hac licebit utique per me ut ingrediatur putredo in ossibus meis , et subter me scateat. Atque ut dixit Chærea : *Nunc tempus profecto est , cum perpeti me possim interfici.* Verum huic expositioni adversatur id quod sequitur : *Ut requiescam in die tribulationis :* quæ verba significant hæc non esse lætantis , sed dolentis et paventis , ac ex pavore optantis quidlibet perpeti , ut in die tantæ tribulationis ei detur quiescere , ejusque mala et sensum evadere.

Mystice, hæc usurpet , hæc oret quisque fidelis, et cum S. August. dicat : Hic ure, hic seca, Domine, ut in futuro parcas , ut in die judicii requiescere merear, quando mystica Babylon , id est mundus , in quo est confusio tyrannorum superborum et vitiorum omnium , à te disperdetur et in æternam gehennæ miseriam detrudetur : nimirum, ut, cum reprobi dicent montibus-Cadite super nos ; et collibus : Operite nos ; ego: cum Sanctis ascendam ad populum electorum, cum eoque scandam in cœlum, qui in hac vita armis spiritualibus accinctus , fortiter contra peccatum et diabolum dimicavit, ideoque in illa die corona æterna donabitur ; ut sicut hic accinctus fuit gladio ad prælium, ita ibi accinctus sit paludamento et baltheo gloriæ ad triumphum. Ita S. August. in Manuali, cap. 14. tom 9 : *O anima mea*, ait, *si quotidie oporteret nos tormenta perferre , si ipsam gehennam longo tempore tolerare , ut Christum in gloria sua videre possemus , et Sanctis ejus sociari , nonne dignum esset pati omne quod triste est , ut tanti boni tantæque gloriæ participes haberemur ? Insidientur ergo dæmones, parent suas tentationes, frangant corpus jejunia , premant carnem vestimenta , la-*

bores gravent, vigiliæ exsiccent, clamet in me iste, inquietet me ille vel ille, frigus incurvet, conscientia murmuret, calor urat, caput doleat, pectus ardeat, infletur stomachus, pallescat vultus, infirmetur totum corpus, deficiat in dolore vita mea et anni mei in gemitibus, ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis, et ascendam ad populum accinctum nostrum.

Denique S. Gregor. lib. 32. Moral. cap. 10. ex Septuag. legit: *Et introivit tremor in ossa mea, et subtus me turbata est virtus mea:* sicque explicat, q. d. *Non mea virtus est, in qua superius raptus imperturbabilis maneo; sed meæ infirmitatis est, qua interius turbor. Ipse ergo super se imperturbabilis est, ipse sub se perturbabilis: quia super se ascenderat, in quantum rapiebatur ad summa, et sub semetipso erat, in quantum adhuc reliquiàs trahebat in infima. Ipse super se imperturbabilis est, quia in Dei jam contemplationem transierat: ipse sub se perturbabilis, quia sub semetipso adhuc infirmus homo remanebat.*

17. Ficus enim non florebit,] q. d. Tanta erit Babylonis per Cyrum vastitas, tantum incendium, tanta desolatio, ut exarescant ficus vineæ, germina, oves et armenta. Chaldæus paraphrastice et nimis libere, imo violenter et false ita vertit: *Etenim regnum Babel non permanebit, nec exercebit dominium in Israel: trucidabuntur reges Mediæ, et fortes Græciæ non prosperabuntur: delebuntur Romani, nec colligent tributum de Jerusalem.* Quæ verba redolent judaismum: Judæi enim exspectant suum Messiam, qui deleat Romanos; Græcosque, Medos et alias gentes omnes sibi et Judæis subigat.

Mystice S. August. lib. 18. Civit. 32. hæc explicat de sterilitate bonorum spiritualium, quam passi sunt et patiuntur Judæi ob cæsum Christum: *Vidit*, inquit, *eam gentem quæ Christum fuerat occisura, ubertatem copiarum spiritualium perdituram, quas per terrenam fecunditatem more prophetico figuravit. Et quia iram Dei talem propterea passa est illa gens, quia Dei ignorans justitiam, suam voluit constituere, ille continuo: Ego autem, inquit, in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo.*

Mentietur opus olivæ.] Opus olivæ est fructus olivæ, quem producit olea, q. d. Olea non feret olivas, quas frondendo promittebat, itaque fallet herum suum, eique quasi mentietur, dum spondebit fructum quem non præstabit. Unde explicans subdit: *Et arva non afferent cibum.* Sic Horat. *Spem mentita seges.*

18. Ego autem in Domino gaudebo.] Hebr. אעלוה *eelosa*, quod Græci dicunt ἀλαλάζω, Septuag. ἀγαλλιάσομαι, id est exsultabo, jubilabo, canam alala, idque *in Domino*, propter opem et salutem ab eo mihi præstitam. Gaudere in Domino, est de illius in nobis imperio, gubernatione et protectione lætari; quidquid boni ac læti interius aut exterius nobis contingit, illi acceptum ferre, proque acceptis ab eo beneficiis gratias illi cum jucunditate et jubilo rependere. Vide dicta Philip. 4. 4.

Nota τὸ *autem*, quod hæc connectit et opponit præcedentibus, q. d. Hostes et oppressores nostri Chaldæi, in excidio Babylonis erunt in summa miseria, vastitate et desolatione rerum omnium: ego autem cum meis Judæis ex Babylone liberandus et rediturus in patriam, in Domino jam felix gaudebo, qui justam de Chaldæis sumpsit ultionem, nosque ereptos ex eorum servitute et tyrannide, liberos et alacres domum regredi concessit. Ipsum enim mihi hanc salutem, hoc decus, hanc felicitatem parasse, cum gaudio jugiter et gratiarum actione profitebor.

Et exsultabo (Tigurina, *gestiam*) in Deo Jesu meo.] Vatabl. et alii recentiores: *In Deo salute mea*, qui scilicet hanc è Babylone liberationem et salutem mihi attulit: hoc enim significat Hebr. ישעי *iisci*. Sic Deus antonomastice et metonymice dicitur salus, quia salutis omnis fons est et auctor. Psalm. 34. 3: *Dic animæ meæ, salus tua ego sum.* Psalm. 3. 9: *Domini est salus.* Psalm. 37. 23: *Domine Deus salutis meæ.* Psalm. 68. 30: *Salus tua Deus suscepit me.* Verum melius et dulcius, ait S. August. lib. 18. Civit. 32, vertit Noster: *In Deo Jesu meo.* Legit enim pro *iisci*, aliis punctis ישעי *Iescui*: *Iescua* enim est Jesus, *Iescui* est Jesus meus; ut significet teneras amoris delicias, instar S. Francisci jubilantis: *Deus meus, Jesus meus, amor meus et omnia.* Sic quoque videntur legisse Septuaginta, vertunt enim: *In Deo salutari*, id est Salvatore, *meo*: Jesus enim idem est quod salvator; et Chaldæus: *In Deo factore redemptionis meæ;* Syrus: *Et exsultabo in Deo salvatore* (redemptore) *meo;* Arabicus Alexand. *Et exsultabo in Deo salutis meæ;* Arabicus Antioch. *Et gaudebo in Deo Domino dominorum*, jubilando. Habacuc ergo in spiritu prævidens, Josue qui eduxit Hebræos ex Ægypto, et Cyrum qui eosdem è Babylone liberavit, tam re, quàm nomine fuisse typos Jesu Christi, adeoque hanc liberationem et salutem populo Dei attulisse virtute divinitatis et meritis humanitatis Jesu Christi: denique ipsum longe majorem, æternamque redemptionem et salutem nascendo generi humano allaturum; exsultans in spiritu jubilat, nomenque ejus *Jesus*, sexcentis annis ante ortum ejus prophetat et nominat, cum eoque dissuaviatur: quia prævidebat se et nos per eum liberandos ab hostibus omnibus, puta à dæmone, peccato, concupiscentia, carne, mundo, inferno, ac omni gratia, gloria, salute et felicitate cumulandos.

Moraliter, hîc discimus quàm amabile et reverendum sit nomen Jesu, ut in eo jugiter exsultare et gestire debeamus; ac dicere cum S. Bern. *Jesus mel in ore, melos in aure, jubilus in corde.* Nomen enim Jesus significat primo, omnia dona et bona ab eo nobis donari: hæc enim omnia complectitur nostra salus, quam attulit Jesus, id est salvator. Sicut ergo omnes aquæ è sua manant scaturigine et fonte, omnes radii lucis à sole, omnes sinus et brachia maris ab Oceano; ita omnis virtus, omnis gratia et sanctitas in suî principio, medio et fine profluit à Jesu. Jesus est qui omnes sordes peccatorum suo sanguine abluit et abstergit, qui concupiscentiæ ardores sopit, qui consuetudinum malarum vincula rumpit, qui passionum furorem edomat, qui jugum et tyrannidem diaboli confringit, qui libertatem menti restituit, qui animam sua gratia exornat, eamque facit filiam, sponsam et templum Dei, qui conscientiam tranquillat et serenat, qui sensus internos spiritumque acuit et vivificat, qui intellectum rerum divinarum cognitione illuminat, qui voluntatem earumdem desiderio inflammat, qui infir

militatem nostram corroborat, qui in tentatione dat victoriam, et in bello triumphum. Si in desolatione degis, Jesum invoca, consolatorem experiere. Si timores, si scrupuli, si anxietates te stringunt, Jesum invoca; dabit tibi cordis latitudinem et lætitiam. Si cholera te infestat, Jesum invoca, felle passionis, et melle mansuetudinis ejus dulcorabitur. Si paupertas, si morbus, si tribulationes, si hostes te invadunt, Jesum fidenter invoca : *Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si consurgant adversum me castra, non timebit cor meum; si exsurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.* Quocirca viri pii assidue in ore habent nomen Jesu et Mariæ, ad eumque crebro suspirant, dicendo : Jesu, esto omnis actionis meæ dux et director. Jesu, esto mihi in labore adjutor, in dolore medicina, in æstu refrigerium, in morte vita. Jesu bone, in omni actione et passione assiste mihi; redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me. Jesu dulcissime, rape ad te cor meum : esto mihi Jesus, tuî amore me inebria, ut nil cogitem, nil amem, nil desiderem, nisi te. Mi Jesu, in hora mortis adsis mihi, et suscipe spiritum meum, ut arctissimis amoris vinculis tibi uniar, et in æternum te fruar in cœlo.

Secundo, nomen Jesu non tantum significat salvatorem, et salutem quam nobis dedit, sed et modum quo nos salvavit, qui fuit eximius et admirabilis. Non enim uti verbo nos crevit, ita et verbo recreavit et salvavit; sed infirmitates nostras in se suscepit, ut eas in nobis sanaret : peccata nostra sua fecit, luitque in corpore suo acerbissimis pœnis, ut ea in nobis aboleret : mortem nostram in se suscepit, ut morte sua nobis vitam redderet. Cum ergo Jesum dicimus, dicimus Verbum carnem factum, Deum humanatum, qui pro nobis jacuit in præsepio, circumcisus est, laboravit, sudavit, flevit, famem, sitim, æstus, frigora toleravit; qui pro nobis captus, verberatus, consputus, irrisus, flagellatus, spinis coronatus, felle potatus, clavis confixus, crucifixus, occisus est. Hæc omnia significamus, cum Jesum nominamus. Quocirca nomen Jesu, uti summe est hominibus desiderabile, et Angelis venerandum; ita summe dæmonibus est tremendum et horrendum, ut eo audito expavescant et diffugiant. Vide S. Bernard. serm. 15. in Cantica. Jesus ergo sit amor noster, et centrum cordis nostri. Jesus sit spiritus oris nostri, Thren. 4. 20. Jesus sit anima et vita nostra, ut, sicut in illo secundùm Deum vivimus, movemur et sumus, ita illi soli serviamus et placeamus; illi soli loquamur, videamus, ambulemus, operemur et patiamur quidlibet, quantumvis difficile et arduum.

Præclare S. Chrysost. homil. 11. in Epist. 2. ad Corinth. *Cum*, inquit, *per Christum Jesum mortuum vivamus, ei utique, ob quem vivimus, vivere debemus.* Et S. Bernard. serm. de Quadruplici debito, hoc primo loco assignat : *Primo*, inquit, *Christo Jesu debes omnem vitam tuam, quia ipse vitam suam posuit pro tua, et cruciatus amaros sustinuit, ne tu perpetuo sustineres.* Ac post multa in hanc rem, ita concludit : *Cum ergo ei donavero quidquid sum, quidquid possum, nonne istud est sicut est stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum?* Idem, tract. de Dilig. Deo : *Si totum me debeo pro me facto, quid addam jam pro refecto, et refecto hoc modo? Nec enim tam facile refectus, quàm factus : nam qui me semel et tantum dicendo fecit, in reficiendo profecto et dixit multa, et gessit mira, et pertulit dura; nec tantum dura, sed et indigna. In primo opere me mihi dedit, in secundo se; et ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo, et redditus, me pro me debeo, et bis debeo. Quid Deo retribuam pro se? Nam etiamsi me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum?*

19. Deus Dominus fortitudo mea.] Hebr. *Iehova noster elohim*, id est noster provisor, gubernator et rector, est חילי *cheli*, id est, virtus mea, strenuitas mea, vigor meus, exercitus meus, vires meæ, robur meum : *Nullam enim aliam nisi in Christo habebo virtutem, et cunctas legis justitias quisquilias computabo*, ait S. Hieron.

Porro Propheta hîc exsultat et triumphat, non in se, sed in Domino, dicens : *Deus Dominus fortitudo mea.* Sicut enim aeris lumen est sol, nec interest utrum hoc lumen innatum ei sit, an à sole mutuatum, modo ita ei promptum sit et ad manum, ac si ei esset innatum : sic nos Dei et Jesu viribus utimur, ac si essent nostræ, ideoque ipse est fortitudo nostra. Quid autem hæc ejus fortitudo in nobis efficit : *Ponet*, inquit, *pedes meos quasi cervorum*, ut impigre, alacriter et sine fatigatione currant, non solum in infimis et in planitie, sed *super excelsa* et difficilia quæque, idque me non dolente aut gemente, sed *in Psalmis* cum jubilo et gratiarum actione canente. Id videre ad oculum est in novitiis Religionum, quos Deus tanta lætitia, fervore et spiritu cumulat, ut ardua quæque Religionis exercitia alacres capessant, de quibus apposita et illustria exempla recenset P. Platus, l. 3. de Bono status religiosi, c. 16.

Et ponet pedes meos quasi cervorum.] Sub cervis cervas intellige. Nam cervus, bos, equus, ovis, etc. tam feminas quàm mares significant. Nam hebr. est אילות *aialoth*, id est cervarum. Cervæ enim cervis maribus sunt velociores, quia cornibus ut illi, non prægravantur. Mas etiam cum pinguerit, quod valde tempore fructuum fit, nusquam apparet, sed longe secedit, ut qui corpulentiæ suæ gravitate capi se posse facilius sentiat. Adde quod ferarum quadrupedum, ut ait Aristot. cerva maxime prudentia excellere videatur. Quin et Q. Sertorii cervam fatidicam esse Hispani crediderunt, ait Plinius lib. 8. c. 32; tum quia cerva circa semitas parit, quò feræ propter homines minus accedunt : tum quia cum peperit, involucrum primum exedit, mox seselim herbam petit, quam cum ederit, redit ad prolem. Præterea hinnulum quem genuit ducens in stabula, assuefacit quò refugere debeat. Saxum hoc est abruptum, uno aditu : quo loco etiamsi quis invadit, exspectare repugnareque, etiamsi excornis sit, affirmant. Hæc omnia habet Aristotel. lib. 9. Histor. animalium c. 5. et Plinius loco citato. At contra maribus,

> Degener est animus pectusque ignobile cervis.
> Ingens ad fastum cornu, sed inutile pondus.
> Eminet : ut nunquam confligere cornibus ausint.

Per cervas ergo significat Habacuc Judæos Dei ope non tantum celerrime è Babylone in antiqua stabula, et excelsa abruptaque saxa ac montes Palæstinæ redituros; sed etiam bello fore acres et martios, ut finitimis nationibus urbis Jerusa-

lem reædificationem interpellantibus generose resistant, iisque invitis eam restaurent, inquit Guevara.

Tropolog. S. Gregor. lib. 26. Moral. 10 : *Electorum*, ait, *mentes cervi dicuntur, dum quæque quæ in hoc mundo obviantia obsistere sibi conspiciunt, contemplationis saltu transcendunt, et more cervorum despectu terrenarum rerum sensibus, in superna, id est æterna, se evehunt.*

Et super excelsa mea, juga collium et montium Judææ, deducet me, hebr. וידריכני *iadricheni,* id est, calcare me faciet, victor in psalmis canentem,] quibus scilicet læta Deo victori epinicia, laudes et gratiarum actiones cum canticis, organis et jubilo personem et concrepem. Loquitur Habacuc in persona non tam sua, quàm Judæorum, qui festive redituri erant è Babylone. Nam ipse eousque non vixit, nec hunc reditum aut redentium gaudium vidit.

Mystice, S. Hieronym. in Psalm. 17. Deus, ait, dat ponitque nobis pedes quasi cervorum, imo cervarum, cum facit sua consolatione et gratia, qua mentem mulcet, ut omnia mundi excelsa, tam invitamenta, quàm impedimenta et tentamenta, omnia ardua virtutum opera, labores, dolores et cruces, non tantum fortiter, sed et alacriter, lætoque et hilari animo canentes et jubilantes (unde aliqui vertunt : *Super colla inimicorum meorum imponet me*) transiliamus.

Anagogice, per pedes cervorum significatur dos agilitatis, quæ Sanctos agillime per excelsa cœlorum transire, imo transvolare faciet, q. d. Deus peracto judicio, agillime me cum aliis Sanctis sustollet in cœlum, ut ibi illi et Agno juges concinam laudes, quas audivit S. Joannes Apoc. 5. 12. Christo victori mortis, inferni et hostium omnium : *Qui me omnem mundanam solemnitatem contemplatione cœlestium transcendere fecit,* ait S. Hieronym. Qui et addit : *Et ponet pedes meos quasi cervorum, ut calcem super aspidem et basiliscum, etc. Similis enim est fratruelis meus capreæ, aut hinnulo cervorum,* Cant. 2 : *Et quia ipse est cervus, mihi quoque donavit ut cervus essem, sublimis cornibus; findens ungulas, cibos ruminans, et ad odorem meum serpentes fugans, de quo dicitur,* Psal. 28 : *Vox Domini perficientis cervos. Ponet ergo pedes meos inter cæteros cervos suos, et ad cœlestia perducet, ut inter Angelos canam gloriam Domini, et super terram pacem hominibus bonæ voluntatis annuntiem. Canam autem victoriam ejus et triumphum et trophæum crucis.*

Victor,] hebr. למנצח *lamnatseach,* id est *victori,* scilicet canentem me in psalmis. Unde Chald. *Cujus,* ait, *sunt victoriæ et virtutes, proinde coram eo ego fides pulso cum hymno meo;* et Pagnin. *Victori in psalmis meis.* Ita et Tigurina, Vatabl. Guevara, Ribera, Jansenius et alii passim, qui censent legendum *victori* (non *victor*); sic enim legit S. Hieronym. in Commentario, Remigius et alii. Videtur enim Propheta alludere ad psalmum 3. 4. 5. et sequentes, quibus titulus est *lamnatseach,* id est *vincenti,* scilicet Christo. Unde Septuag. vertunt, *in finem,* id est Christo, qui legis et psalmorum est finis et scopus; illi enim psalmi sunt epinicia Christi. Licet Aquila, Theodot. Vatabl. Eugubin. Jansen. Arias, Genebrard. et alii recentiores passim cum Rabbinis censeant *lamnatseach,* id est vincentem, vocari præfectum cantorum : unde addit tam Psaltes, quàm Habacuc hìc in hebr. בנגינות *binginot,* id est *in neginot,* quod genus est musices, vel instrumenti. Quocirca Tigurina vertit : *In excelsis meis incedere me faciet præfecto cantorum in instrumentis meis musicis,* ut scilicet cum præfecto et subpræfecto, eo dirigente concinam psalmos in laudem Domini : vel, q. d. Gratias agam Deo ductori meo, cantando psalmos illos, quibus titulus præfigitur *lamnatseach,* id est *vincenti,* hoc est præfecto cantorum. Hic enim ad litteram intelligitur, cum in titulo psalmi inscribitur *lamnatseach,* per quem allegor. intelligitur Christus. Radix enim נצח *natsach* significat instare, urgere, vincere : inde præfectus, qui dirigit urgetque cantores sibi subjectos, vocatur *menatseach,* id est urgens, vincens, superans : quia ipse in musica et cantu princeps est, cæterosque cantores superat, cantumque ad finem usque perurget et perducit. Vincit ergo ipse et triumphat in musica. Porro quod aliqui censent hoc canticum ab Habacuc inscribi *lamnatseach,* id est præfecto cantorum, illique dicari, ut ipse illud in templo concini curet, sicut David psalmos jam dictos eidem inscribit et destinat ad idipsum, non videtur verum : tum quia sic *lamnatseach* initio cantici ponendum fuisset, ut illud ponit David initio psalmorum, non autem in fine, uti hìc ponitur : tum quia additur *binginotai,* id est in psalmis meis : psalmodiam ergo intelligit suam, non præfecti cantorum.

Verum quia subinde (licet raro et anomale) littera *lamed,* quæ est initio *lamnatseach,* estque articulus et nota dativi casus, servit nominativo, ut sit idem quod *he* demonstrativum; hinc *lamnatseach* verti potest *victor* in nominativo, et ita legit Remig. Haymo, Albert. Hugo, Clarius et alii. Rursum *lamed* sæpe servit accusativo : unde *lamnatseach* verti potest *victoriam,* æque ac victori et victor. Hæc tria hìc apposita sunt et connexa : unde omnia videntur intenta et significata à Spiritu Sancto, q. d. Deus ipse victor fecit me victorem per Jesum Christum, deditque ut Christo victori juges et æternas laudes concinam, ac præsertim illos psalmos qui sunt epinicia Christi, ideoque inscribuntur *lamnatseach.* Ita S. Hieron. Remig. Hic sensus plenus est, omnesque jam dictos complectitur.

Septuag. pro *lamnatseach* legentes לנצח *lanetsach,* id est, ad urgendum vel vincendum, vertunt : *Ut vincam in cantico ejus,* q. d. Ut in laudando Deum, psallendo et gratias agendo cæteros vincam, imo eos urgeam et sollicitem, ut pro me et mecum Deo psallant et jubilent. Unde

Anagogice S. Hieronym. hæc refert ad triumphos et hymnos Beatorum, postquam calcaverint excelsa quæque mundi ; *Tunc,* inquit, *quicumque justus et electione Dei dignus fuerit inventus, loquetur exsultans : Ego autem in Domino exsultabo, gaudebo in Deo salutari meo. Dominus Deus fortitudo mea. Et quasi positus à Deo super consummationem seculi, ut postea ad superiora conscendat, et à Deo educatur ad summum, dicet : Et ponet pedes meos in consummationem, super excelsa imponet me, ut cum ab* ἀγωνοθέτῃ *Jesu, qui primus in agone superavit, præmium fuerit cantantibus positum, ego vincam in carmine ejus, et manus meæ componant citharam et psalterium, et omne organorum genus, scribamque panegyricum triumphanti.* Et Remigius : *Deducet,* ait, *me super excelsa mea. Ipse autem deducet me, quia hæc non mea virtus efficiet, sed ejus gratia. Deducet autem*

me canentem victori, id est Christo triumphatori mortis et diaboli. Deducet ergo me super excelsa, hoc est, ad beatam supernæ civitatis frequentiam, quæ ex Angelis et sanctis hominibus constat, ut illis admixtus atque conjunctus canam victori cum Angelis : Gloria in excelsis Deo.

Moral. disce Prophetas et Sanctos, omnes suas vires, virtutes, victorias et triumphos acceptos referre Deo et Christo. Ita Jephte Judic. 11. 24 : *Nonne*, ait, *quæ possidet Chamos Deus tuus tibi jure debentur? Quæ autem Dominus Deus noster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem.* Ita David benedicens Domino 1. Par. 29. 11 : *Tua*, ait, *est, Domine, magnificentia, et potentia, et gloria atque victoria.* Ita Sapiens Sap. 10 : *Justi*, ait, *tulerunt spolia impiorum, et decantaverunt, Domine, nomen sanctum tuum, et victricem manum tuam laudaverunt pariter.* Ita Moses parta victoria de Pharaone in mari Rubro : *Cantemus*, inquit, *Domino : gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem projecit in mare, etc.* Exodi 15. 1. Et c. 17. 15. victo Amalec *ædificavit Moyses altare, et vocavit nomen ejus, Dominus exaltatio mea.* Ita Judith, cæso Holoferne c. 16. 15, Deo victori hymnum cecinit : *Hymnum cantemus*, ait, *Domino, hymnum novum cantemus Deo nostro. Adonai, Domine, magnus es tu, et præclarus in virtute tua, et quem superare nemo potest. Tibi serviat omnis creatura, etc.* Multo magis Sancti victo diabolo, carne et mundo triumphantes et regnantes cum Christo, illi omne suum robur, victoriam et gloriam ascribunt. Hinc Apocal. 4. 10 : *Procidebant*, ait Joannes, *viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, et adorabant viventem in secula seculorum, et mittebant coronas suas ante thronum, dicentes : Dignus es, Domine, Deus noster accipere gloriam, honorem et virtutem.* Et cap. 15. 2 : *Vidi*, ait, *tanquam mare vitreum, et cantantes canticum Moysi servi Dei, et canticum Agni.*

Porro præclare noster Lessius lib. 12. de Perfect. divin. cap. 19. notat nos Deo nostro debere gratiarum actionem infinitam, nempe infinito tempore in futurum, infinito affectu et significatione gratitudinis, infinita cum animi demissione, infinita mentis devotione, infinito spiritus jubilo, ut cum Habacuc perpetim ei jubilemus : *Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo.* Ratio est, quia beneficia ejus, tum generalia creationis, incarnationis, passionis, Eucharistiæ, etc. tum peculiaria vocationis, justificationis, et infinitorum beneficiorum, tam naturalium, quàm supernaturalium, quæ ab eo continuo gratis ex mera ejus liberalitate accepimus et accipimus; sempiterna sunt, et infinitæ æstimationis, non modo in seipsis, sed etiam ratione modi quo nobis sunt collata, et conferuntur, præsertim quia nos illis infinite quodam modo sumus indigni, atque illa à summa illa et augustissima Dei majestate, quam ne respicere quidem meremur, nobis donantur. Simili modo ob eadem, sed maxime ob Verbum humanatum, puta Jesum Christum, qui nostra caro, noster frater, imo pater et redemptor fieri dignatus est, ideoque tot labores per triginta tres annos pro nobis exantlavit, ac atrocissimam passionem, crucem et mortem pro nobis ultro libensque sustinuit, denique se totum, quantus quantus est, nobis impendit et donavit, ut nobis hanc victoriam, salutem et gloriam pareret (præsertim, quia multi ab eo sunt vocati, sed pauci electi ad illam) debemus illi, totique Sanctissimæ Trinitati infinitam laudem et benedictionem, infinitum amorem et obsequium : tum quia infinito amore, obsequio, benedictione et laude, ob infinitam suam perfectionem, in se dignissimus est : tum quia ejus labores, dolores, amores et beneficia ex parte sua hanc infinitam compensationem postulant, quamvis ex parte creaturæ ea præstari non possit. Mirum est homines cum sancta Magdalena, sancto Francisco, sancto Dominico non rapi in exstasin, dum cogitant et ruminant : *En Deus meus pro me in carne, imo in cruce.*

Infinite itaque in omnibus absumus ab eo quod ipsi est debitum, seu ab eo quod ipse ex natura sua meretur, quodque nos ei debemus, licet solvendo non simus. Ut tamen quod possumus ei reddamus, crebro cum Psalte Psal. 102. ei jubilemus : *Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus. Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis : qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam : qui coronat te in misericordia et miserationibus : qui replet in bonis desiderium tuum.* Et Psal. 88 : *Misericordias Domini in æternum cantabo, in generatione et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.* Insuper, quia eum laudare, eique gratias agere quas debemus, neutiquam sufficimus, invitemus omnes Angelos, omnes Beatos, omnes cœlos, omnes creaturas, terrestres et cœlestes, ut nobiscum, et pro nobis Deo et Jesu Christo, de infinita in nos misericordia gratias agant, eumque laudent et benedicant, ac cum Daniele dicamus: *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate et superexaltate eum in secula. Benedicite, Angeli, Domino. Benedicite, cœli, Domino, etc.* Quin et divino amore ebrii, optemus mille linguas, mille corda, mille animas, mille vitas, mille corpora, quæ in ipsius honorem consumamus et expendamus : imo optemus tantum eum amare et laudare, quantum eum amant et laudant omnes Sancti in cœlo, ac eorum laudes et mentes quasi induamus, ut per eos Deum immense diligamus, colamus, celebremus et glorificemus. Amen.

COMMENTARIA

IN

SOPHONIAM PROPHETAM.

ARGUMENTUM.

SOPHONIAS hebraice idem est quod *speculator Domini.* Radix enim צפה *tsapa* significat speculari : יה *ia* est nomen Dei, puta per crasin idem quod Iehova : vel *absconditus Domini*, à radice צפן *tsaphan*, id est abscondit. Qui enim speculari volunt divina, uti Prophetæ, necesse est ut mentem oculosque avocent à terra, eosque in Deo abscondant : *Sophonias*, ait S. Hieron. ad Paulinum, *speculator et arcanorum Dei cognitor, audit clamorem à Porta piscium, et ejulatum à secunda, et contritionem à collibus. Indicit quoque ululatum habitatoribus Pilæ : quia conticuit omnis populus Chanaan : disperierunt universi qui involuti erant argento.* Idem hîc : *Sophonias,* ait, *Propheta, nomine (ut ita dicam) prophetico, et gloriosa majorum suorum stirpe generatus est. Habuit enim patrem Chusi, avum Godoliam, proavum Amariam, atavum Ezechiam, et talem quadrigam ipse velut extremus auriga complevit. Nomen Sophoniæ alii speculam, alii arcanum Domini transtulerunt. Sive igitur specula, sive absconditum Domini interpretetur, utrumque Prophetæ convenit. Dicitur enim ad Ezechielem : Fili hominis, speculatorem te dedi domui Israel. Iste ergo Propheta, qui erat in specula et in sublimibus constitutus, et noverat mysteria Domini, filius erat Chusi, etc.* Porro S. Epiphan. in vita Sophoniæ : *Sophonias*, ait : *Propheta à monte Sarabatha è Tribu ac prosapia erat Simeon. Is quoque de Hierosolyma prophetavit, nempe quod multo foret satius, si in longum latumque ædificaretur : super consummatione etiam Gentium, nec non et super confusione impiorum, deque adventu Domini. Vitam morte commutavit in apocalypsi Domini; et solitarius in arvo suo funeratus est.* Eadem habet S. Dorotheus et Isidorus in Sophonia. Denique Sophonias Sanctorum catalogo adscriptus legitur in Martyrol. Romano die 3. Decembris.

Prophetavit tempore Josiæ regis Juda, ut ipse ait cap. 1. v. 1, qui fuit rex piissimus, fidemque et cultum veri Dei, eversis excelsis et idolis, in Jerusalem restituit. Eodem tempore prophetavit Jeremias, ut ipse ait c. 1. v. 1. et Holda prophetissa 4. Reg. 22. 14. Tradunt Hebræi, et ex iis Arias, Vatabl. et à Castro. Jeremiam prophetasse publice in plateis, Sophoniam in Synagogis, Holdam in cœtibus mulierum : licet Ribera id ridiculum censeat, et rideat. Præcessit ergo Sophonias Ezechielem et Danielem, qui sub Joachin nepote Josiæ, ut patet ex eorum exordio, prophetarunt. Hinc sequitur Sophoniam prophetasse post vastatam Samariam et captivitatem decem Tribuum (hæ enim in Assyriam abductæ sunt anno sexto Ezechiæ, qui fuit atavus Josiæ), ac consequenter eum vaticinari solis duabus Tribubus reliquis, puta Judæ et Benjamin. Hasce ergo hortatur ad pœnitentiam, præsertim ut relicta idololatria ad Dei cultum redeant : ni id faciant, minatur eis inevitabile excidium per Nabuchodonosorem, æque ac Ammonitis, Moabitis, Æthiopibus et Assyriis. Tandem consolatur eas spe liberationis et reditus è Babylone, ac magis promissione Christi liberatoris, qui per suam incarnationem omnibus gentibus salutem afferet, inquit Theodor. dando Evangelicam legem, in qua tam Gentes, quàm Judæi sancte et feliciter sint victuri usque ad finem mundi diemque judicii, quando Judæi aliique infideles, qui Christum recipere noluerunt, damnabuntur, et æternis gehennæ pœnis addicentur. Censet Ribera Sophoniam prophetasse primis octodecim annis Josiæ : nam anno 18. Josias templum et populum ab idolis emundavit, et Deo reconciliavit, ita ut deinceps populus sub eo non coluerit idola, quæ hîc redarguit Sophonias. Verum hæc ratio non concludit certo. Nam Jeremias cœpit prophetare anno 13. Josiæ, et perrexit continue sub eo detonare contra idola : quia licet ea publice à Josia essent abolita, privatim tamen adhuc à multis retinebantur et colebantur. Ita S. Hieron. Sophonias ergo ex alta revelationis divinæ specula, eminus speculatur diem excidii urbis Jerusalem, et alleg. orbis universi. Unde inclamat diem illam fore tribulationis et angustiæ, diem calamitatis et miseriæ, diem tenebrarum et caliginis, diem nebulæ et turbinis, diem tubæ et clangoris, ut ejus terrore et horrore omnes impellat ad pœnitentiam, lacrymas et preces, æque ac facit Joel, cui similis in stylo et patho est Sophonias; atque Jeremias, cujus quasi compendium et abbreviator est Sophonias, inquit Isidorus. Utrumque imitetur concionator, qui non aures vult scalpere, sed esse malleus Domini conterens petras, saxea inquam peccatorum pectora. Id faciet, si discat esse Sophonias, si in specula cum Deo versetur : ibi enim videbit quis quantusque sit Deus, ac despiciet hoc terræ punctum, et quæcumque in ea punctula sunt despuet.

Præclare Seneca, epist. 41 : *Quemadmodum*, inquit, *solis radii contingunt quidem terram, sed ibi sunt unde mittuntur; sic animus magnus et sacer, et in hoc demissus, ut propius divina nossemus, conversatur quidem nobiscum, sed hæret origini suæ : illinc pendet : illuc spectat ac nititur.*

Præclarius S. Gregor. homil. 11. in Ezechiel.

Cui, inquit, *aliena cura committitur, speculator vocatur, ut in altitudine mentis sedeat, atque vocabulum nominis ex virtute actionis trahat. Non est enim speculator, qui in imo est. Speculator quippe semper in altitudine stat, ut quidquid venturum est, longe prospiciat. Et quisquis populi speculator ponitur, in altum debet stare per vitam, ut possit prodesse per providentiam. Hinc Propheta alius speculatorem admonet dicens : Super montem excelsum ascende tu qui evangelizas Sion*, Isaiæ 48 : *Ut videlicet qui prædicationis locum suscipit, ad altitudinem bonæ transeat actionis, ad excelsa transeat, et eorum qui sibi commissi sunt opera transcendat.*

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRÆDICIT DEUS EXCIDIUM HIEROSOLYMÆ, OB INCOLARUM PECCATA, PER CHALDÆOS QUASI SANCTOS SACERDOTES, QUI IMPIOS JUDÆOS, QUASI HOSTIAM, JUSTITIÆ ET VINDICTÆ SUÆ IMMOLENT. UNDE V. 10. JUDÆORUM CLAMOREM ET ULULATUM DESCRIBIT : QUIA, INQUIT, SCRUTABOR JERUSALEM IN LUCERNIS, ET VISITABO SUPER VIROS DEFIXOS IN FÆCIBUS SUIS. DENIQUE V. 14. ACERBITATEM HUJUS DIEI REPRÆSENTANS AIT HANC DIEM FORE DIEM CALAMITATIS ET MISERIÆ, ÆQUE AC IRÆ ET ZELI DEI, A QUA NEMO SE PER AURUM VEL ARGENTUM REDIMERE POTERIT.

1. VERBUM Domini quod factum est ad Sophoniam filium Chusi, filii Godoliæ,
filii Amariæ, filii Ezechiæ, in diebus Josiæ filii Amon regis Judæ. 2. Con-
gregans congregabo omnia à facie terræ, dicit Dominus. 3. Congregans
hominem et pecus, congregans volatilia cœli et pisces maris : et ruinæ
impiorum erunt : et disperdam homines à facie terræ, dicit Dominus. 4. Et
extendam manum meam super Judam, et super omnes habitantes Jerusa-
lem : et disperdam de loco hoc reliquias Baal, et nomina æditorum cum
sacerdotibus ; 5. et eos qui adorant super tecta militiam cœli, et adorant et jurant in Domino,
et jurant in Melchom. 6. Et qui avertuntur de post tergum Domini, et qui non quæsierunt
Dominum, nec investigaverunt eum. 7. Silete à facie Domini Dei : quia juxta est dies Do-
mini, quia præparavit Dominus hostiam : sanctificavit vocatos suos. 8. Et erit : in die hostiæ
Domini, visitabo super principes, et super filios regis, et super omnes qui induti sunt veste pere-
grina. 9. Et visitabo super omnem, qui arroganter ingreditur super limen in die illa : qui complent
domum Domini Dei sui iniquitati et dolo. 10. Et erit in die illa, dicit Dominus, vox clamoris à
porta piscium, et ululatus à secunda, et contritio magna à collibus. 11. Ululate, habitatores
Pilæ : conticuit omnis populus Chanaan, disperierunt omnes involuti argento. 12. Et erit in
tempore illo : scrutabor Jerusalem in lucernis : et visitabo super viros defixos in fæcibus suis ;
qui dicunt in cordibus suis : Non faciet bene Dominus, et non faciet male. 13. Et erit fortitudo
eorum in direptionem, et domus eorum in desertum : et ædificabunt domos, et non habitabunt :
et plantabunt vineas, et non bibent vinum earum. 14. Juxta est dies Domini magnus, juxta
est et velox nimis : vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. 15. Dies iræ dies illa, dies
tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ
et turbinis. 16. Dies tubæ et clangoris super civitates munitas, et super angulos excelsos. 17. Et
tribulabo homines, et ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt : et effundetur sanguis
eorum sicut humus, et corpora eorum sicut stercora. 18. Sed et argentum eorum, et
aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini : in igne zeli ejus devorabitur omnis
terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram.

1. AD SOPHONIAM FILIUM CHUSI.] *Tradunt Hebræi*, ait S. Hieron. *cujuscumque Prophetæ pater aut avus ponatur in titulo, ipsos quoque Prophetas fuisse. Unde et Amos unus de duodecim Prophetis, qui dixerat: Non sum Propheta, nec filius Prophetæ, sed pastor caprarum vellicans sycomoros, patris nomen in titulo non habet. Hoc si verum est, Sophonias gloriosa majorum suorum*

stirpe generatus est. Deinde symbolice nomina singulorum explicans : *Sophonias, inquit, qui erat in specula et in sublimibus constitutus, et noverat sublimia Domini, filius erat Chusi, qui interpretatur humilitas. Habebat quoque avum Godoliam, qui dicitur magnitudo Domini : et proavum Amariam, qui et ipse vertitur in sermonem Domini : et atavum Ezechiam, qui sonat fortitudo Domini. De fortitudine itaque Domini natus est sermo Domini, et de sermone Domini nata est magnitudo Domini, et de magnitudine nata est humilitas* (viri enim sapientes et sancti quo magis à Deo illuminantur, et tolluntur in altum, eo magis cognoscunt Deum esse omnia, se vero nihil, ideoque magis se sub eo humiliant et deprimunt) *ut, cum pervenerit aliquis ad perfectum dicat : Quia non sum dignus vocari Apostolus. Et illud in Psalmis : Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei.* Hanc Hebræorum traditionem sequuntur Albertus, Haymo, Remig. Lyran. Hugo, Vatabl. Dionys. et alii passim : quia tunc cum propagatione generis fiebat propagatio religionis, ait S. Augustin. et ex eo Albertus. Verum an hæc traditio per omnia vera et certa sit, discussi in Proœmio. Sufficit hoc loco dicere hosce patres et avos Sophoniæ fuisse claros et illustres, undecumque id acciderit, ideoque hîc nominari. Ita Vatablus.

EZECHIÆ.] Rabbini censent hunc esse Ezechiam regem Juda, ita ut ejus abnepos fuerit Sophonias. Verum id impugnat Ribera, à Castro et alii : nam hoc non tacuisset Sophonias, qui ex genere hic sibi auctoritatem conciliat. Adde: Scriptura 4. Reg. 20. 21. et Joseph. l. 10. Antiq. 3. non alium Ezechiæ regis filium assignant, quàm Manassem.

2. CONGREGANS CONGREGABO OMNIA A FACIE TERRÆ,] q. d. Certo et omnino coacervabo et colligam in captivitatem et interitum, tradendo Chaldæis omnes incolas et omnia prædia terræ hujus, scilicet Judææ. Loquitur enim de strage et captivitate Judæ, non aliarum gentium; *omnia* ergo, scilicet homines, pecora, volatilia et pisces maris, uti explicans subjungit. Unde Tigurina vertit : *Conficiendo conficiam omnia;* Vatabl. *Perdendo perdam;* Complut. *Consumens consumam;* alii proprie : *Colligam ut perdam, congregabo ut faciam deficere.* Quocirca Septuag. vertunt : *Defectione deficiet homo et jumenta.* Ubi nota : Defectio, mors, interitus in Script. vocatur *collectio.* Causam dat noster Pineda in c. 34. Job v. 14. n. 5 : Quia, inquit, cum à Deo derivetur omnis vita rerum viventium, quod in illa simplicissima Dei vita unitum est et collectum, hoc per exitum ad creaturas videtur dividi, et dispergi in multa viventia. Rursus, cum vita aufertur viventibus, videtur id quod erat divisum in viventibus atque dispersum, uniri et colligi in suo principio, et vita illa participata revocari ad primam vitam et fontem vivendi. Unde colligere idem est quod disperdere aut perire, eo quod cum vita aufertur viventibus, illaque pereunt, videtur illa ipsa vita congregari et rursus colligi in Deo, ut *spiritus redeat ad Deum qui fecit illum,* Eccl. 12. 7. Rursum res omnes et animantia, excepto homine, cum intereunt, congregantur et redeunt in suam abyssum nihili, ex qua Deus eas creando ad tempus eduxit.

3. VOLATILIA COELI ET PISCES.] Quia, ut ait S. Hieron. *vastatis urbibus, et hominibus interfectis, solitudinem et raritatem bestiarum quoque fieri, et volatilium pisciumque, testis est Illyricus, testis Thracia, testis in quo ortus sum solum, ubi præter cœlum et terram, et crescentes vepres et condensa sylvarum, cuncta perierunt.* Addit Sanchez perire dici ea quorum non est usus, q. d. Vobis, ô Judæi, in Babylone captivis peribunt aves et pisces Judææ, quia eas amplius aucupio capere et expiscari non poteritis.

Symbolice, Albertus per homines accipit cives, per pecus rusticos, per volatile principes et arrogantes, per pisces gulæ et veneri addictos; pisces enim semine et fœtu luxuriant.

ET RUINÆ IMPIORUM ERUNT.] Pro *ruinæ* hebr. est מכשלות *machscheloth,* id est ruinæ, lapsus, offendicula, scandala : per quæ primo, Chald. active accipit idololatriam et scelera, in quæ Judæi prolapsi scandalum aliis gentibus dederunt. Unde vertit : *Conficiam avem cœlorum, et pisces maris, eo quod multiplicatum sit offendiculum impiorum.* Hinc et Vatabl. vertit : *Offendicula invenient improbos,* id est, improbi idololatræ ob suam impietatem dabunt gravissimas pœnas. Alii, *congregabo scandala,* id est idola, *impiorum,* eaque cum impiis traducam in Babylonem. Secundo, alii passive hæc accipiunt. Unde Noster vertit : *Ruinæ impiorum erunt;* et Septuag. *infirmabuntur impii;* alii, *corruent impii.*

4. DISPERDAM] funditus. Hebr. enim est, הכרתי *hichratti,* id est exscindam; Septuag. *auferam;* Chald. *delebo;* Pagnin. *succidam homines de superficie terræ.*

DISPERDAM RELIQUIAS BAAL,] puta reliquias templorum, altarium, idolorum, sacerdotum, cultorum et cultus Baal.

NOMINA ÆDITUORUM CUM SACERDOTIBUS,] q. d. Disperdam æditos et sacerdotes Baal, adeo ut deinceps ne nominentur quidem, nec ulla eorum memoria, nomen aut fama supersit. Sic ait Poeta : *Noli*

Respicere ad fumos, et nomina vana Catonum.

Secundo, *nomina æditorum* sunt ipsi æditui, nomine suo nominati, ut sit metonymia.

Æditus vocatur minister templi Baal, ita dictus, non quasi adolens thus, ut aliqui volunt, sed quasi sacræ ædis tutor, id est curam agens, inquit Festus. Æditor enim idem est quod ædem tueor. Idem dictus est Æditimus, quasi ædis intimus, ait Festus : licet Cicero in Topicis, in *finitimo, legitimo, æditimo,* censeat non plus esse *timum,* quàm in meditullio *tullium,* scilicet utrumque tantum productionem esse nominis. Vide Gellium lib. 12. cap. 10. Lucretius lib. 6. hosce vocat Æditeuentes, quasi ædem tuentes. Sic jam Romæ quodque templum suos habet æditos, quorum officium est templum, ejusque supellectilem, vestes et vasa custodire, mundare, ornare; dare hostias, vinum, ministros, aliaque ad sacrificium necessaria, peregrinos excipere, Martyrum reliquias et monumenta ostendere, etc. Hebr. vocantur כמרים *kemarim,* q. d. Accensores ignis et thuris, thurificatores, à rad. כמר *kamar,* id est accendit, ussit, exarsit. Horum ergo officium fuisse videtur thurificare, et quasi diaconos subservire sacerdoti victimas mactanti. Unde 4. Reg. 23. 5. dicitur : *Delevit Josias kemarim quos posuerunt*

reges Juda ad sacrificandum, hebr. לקטר *lecatter*, id est ad suffumigandum, vel adolendum thus, *in excelso*. Alii, ut Vatabl. et Mariana, volunt dictos *kemarim* quasi exustos, id est atros, ab atro et pullo vestitu. Unde Pagnin. vertit : *Qui nigras induunt vestes*. Hebræorum enim sacerdotes erant candidati : sacrificabant enim tunica linea induti, Exodi 28. v. 40. atque ac Ægyptii, qui inde Linigeri sunt dicti, ut dixi Jerem. 13. Sic et in sacris Eleusinæ Deæ sacerdotes amiciri albis docet Tertull. libr. de Pallio. Ita Sanchez. Alii, quod essent inclusi quasi monachi in Monasteriis. Ita Marinus in Lexico, qui censet *kemarim* esse vocem Chaldaicam. Alii à stigmatibus, quæ in facie et in corpore inusta gestabant. Alii, ab ardore devotionis, quo erant accensi in sacris suis peragendis. Verum primum quod dixi verius videtur. Similes hisce fuerunt apud Gentiles Romæ virgines Vestales, et magis in Cappadocia Magi, dicti Pyrethi, à pyra, id est, igne, eo quod πυρ, id est, ignem sacrum, servarent et foverent, ne quando exstingueretur, cum certis precibus et cæremoniis, uti docet Strabo lib. 15. Quocirca *kemarim* videntur fuisse simii et æmuli æedituorum, quos Deus jusserat servare et fovere noctu diuque ignem sacrum, quo comburendæ erant victimæ, Levit. 6. 12. quo pariter igne quotidie tam mane quàm vespere, thymiama erat incendendum et adolendum Deo, Exodi 30. v. 7. Itaque *kemarim* officium erat, primo, ignem sacrum perpetuo accensum servare et nutrire : indeque rursum vocantur à Prophetis per irrisionem *kemarim*, id est, exusti, fuliginosi et atri, q. d. Carbonarii, qui ab igne et carbonibus denigrati, Æthiopum vel dæmonum habent colorem et formam. Secundo, thus adolere idolis, ut patet 4. Reg. 23. 5. Tertio, subservire sacerdotibus in sacrificiis. Unde à sacerdotibus hîc, quasi eorum ministri et diaconi secernuntur et distinguuntur. Ait enim : *Et nomina æditnorum cum sacerdotibus*, utique non Dei, sed Baal, inquit Remig. Albert. Ribera et alii : licet S. Hier. cum suis asseclis, sacerdotes hîc veros veri Dei accipiat, sed eos dumtaxat qui simul cum Deo colebant idola, quos insectantur Ezechiel c. 8. v. 3. et seq. de quibus 4. Reg. 17. 31. 33. Fateor tamen aliquos ex hisce *kemarim* fuisse sacerdotes : ita enim vertunt hîc Septuag. Adde thurificare, quod erat officium *kemarim*, est quoddam sacrificare. Primum enim veterum sacrificium fuit oblatio et incensio thuris. Unde et thymiama Deo vero, quasi sacrificium bis quotidie adolebatur in altari thymiamatis; quin et in omni sacrificio carneo, puta ovis, capræ et bovis, Hebræi jussu Dei imponebant et adolebant thus, ac per hoc significabant victimam hanc dari et sacrificari Deo, ut patet Levit. 2. v. 1. Videntur ergo hi *kemarim* apud Gentiles fuisse id quod apud Christianos, præsertim Romanos, sunt æditui, qui curam habent templi altarium et sacrorum : inter quos alii sunt Sacerdotes, alii Clerici, quibus præsunt Canonici, quorum caput est Decanus, Præpositus, vel Episcopus. Munia ergo *kemarim* erant, templum custodire, aperire, claudere, purgare, ornare, advenas docere cæremonias et cultum Baal, sive idoli et Dei sui, oblationes excipere, dies festos adornare, choros canentium et choreas salientium ordinare, imo præire more furentium et bacchantium. Unde S. Hieron. *kemarim* vertit fanaticos, quasi enthusiasmo actos, et dæmonis spiritu afflatos. Hinc Oseas cap. 10. v. 5. ait : *Et kemarim ejus qui de illo exsultabant*, uti habent Hebr. Alludit enim vox כמר *kamar*, unde *kemarim*, ad חמר *chamar*, quod significat turbari instar ebrii et insani, vel instar vini fæculenti, mixti et turbidi, indeque bacchari et insanire.

5. ET EOS QUI ADORANT SUPER TECTA,] quæ in Judæa et Syria etiamnum plana sunt, quasi tabulata sub dio, in quibus incolæ ambulant, prandent, cœnant, imo et in æstate noctu dormiunt, uti mihi Romæ viri graves, iique oculati testes narrarunt. Hæc ergo tecta conscendebant Judæi astricolæ, ut ex iis libere et plane contemplarentur et adorarent *militiam cœli*, puta solem, lunam, luciferum, aliasque stellas et astra : quæ quia multa sunt, et ordinata instar exercitus, motuque suo, loco et ordine stato incedunt instar aciei instructæ ; hinc vocantur militia cœli, cujus rex est sol, regina luna, signifer Venus, sive lucifer. Hinc Judæi dicunt Jeremiæ (qui Sophoniæ fuit synchronos et coævus) c. 44. 25 : *Faciamus vota nostra quæ fecimus, ut sacrificemus reginæ cœli* (id est lunæ) *et libemus ei libamina*. Et c. 7. 18 : *Filii colligunt ligna, et patres succendunt ignem, et mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas reginæ cœli*, quibus ipse denuntiat c. 10. 2 : *A signis cœli nolite metuere quæ timent Gentes*, q. d. Nolite colere astra cœli, quæ colunt Gentes. Timere enim in Script. est colere, revereri, adorare. Vide quæ illis locis annotavi. Sic apud Gentiles multi fuerunt cœlicolæ et solicolæ, æstimantes cœlum, solem et sidera ob pulchritudinem, celsitudinem, magnitudinem, influxum, ordinem et splendorem esse animata, esseque numina, quos detestans Job c. 31. 26 : *Si vidi*, ait, *solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare : et lætatum est in abscondito cor meum, et osculatus sum* (id est, adoravi ea, osculando) *manum meam ore meo : quæ est iniquitas maxima et negatio contra Deum altissimum*. Et sapiens c. 13. v. 2. et 3 : *Solem et lunam, rectores orbis terrarum, deos putaverunt : quorum si specie delectati, deos putaverunt, sciant quanto his dominator eorum speciosior est : speciei enim generator hæc omnia constituit*.

ET ADORANT ET JURANT IN DOMINO, ET JURANT IN MELCHOM.] Jurant tam per Melchom, quàm per Deum verum : quia utrumque ut numen colunt et adorant. Juramentum enim est actus latriæ : dum enim juramus per aliquem, hoc ipso confitemur et protestamur ipsum esse primam et increatam (hæc enim sola est infallibilis) veritatem, ideoque esse Deum.

Taxat Judæos, quod cum Deo vero colerent deos gentium vicinarum, puta Melchom Deum Ammonitarum. Ita Theodoret. Remig. Albert. Hugo et Lyran. Nota, τὸ *in Domino*, quatenus refertur ad *jurant*, idem esse quod *per Dominum*: quatenus vero refertur ad *adorant*, idem esse quod *Dominum*. Hebræi enim verba contactus, sive corporalis, sive spiritualis, qualis est adoratio, construunt cum *beth*, id est, *in*, ut credere in Deo, est credere Deo, vel Deum : invocare in nomine Domini, est invocare nomen Domini, etc. Hebr. est, *jurant per Melchom*, id est, regem suum, ita Septuag. Tigurina, Vatabl. et Pagnin. hoc est, jurant per idolum suum, quod pro suo Deo et rege habent, ideoque nuncupant illud

Melech, Meloch, Melchom, Malcam, id est regem suum. Hæc enim omnia unum idemque sunt. Perperam ergo Arias sic exponit, q. d. Qui ut regi suo adulentur, æque per eum, ac per Deum jurant. Nam jurare per regem, est licitum; qui enim per regem jurat, per Deum, qui eum regem constituit, jurat; uti in simili docet Christus Matth. 23. 20. Ita Joseph jurat per salutem Pharaonis, Genes. 42. v. 15. et Thecuitis per salutem Davidis, 2. Reg. 14. 19.

6. Qui avertuntur de post tergum Domini,] puta qui tergum Domini, id est Dominum, sequi nolunt, sed ei tergum obvertunt, hoc est, ab eo recedunt, dum eo aversantur et spernunt. Ita Septuag. unde Chald. *Qui avertuntur retrorsum à cultu Domini;* Pagnin. *Qui retrocedunt ut non eant post Dominum;* Tigur. *Qui à Domino sunt abstracti.*

Qui non quæsierunt Dominum, nec investigaverunt eum.] Moral. Quærunt et investigant Deum. Primo, infideles et ignorantes, qui inquirunt quis et qualis sit Deus. Secundo, peccatores, qui per peccatum Deum Deique gratiam perdiderunt; hi pœnitendo eum requirunt, rogantes ut ad eos et cum eis in gratiam redeat. Tertio, egentes et afflicti, qui à Deo opem, puta lumen, consilium, auxilium, robur, directionem poscunt. Unde Vatabl. vertit: *Neque implorant opem Domini, neque consulunt eum.* Sic et Chald. Sapienter monet Psaltes: *Quærite,* inquit, *Dominum, et confirmamini: quærite faciem ejus semper.*

7. Silete a facie Domini.] Hoc est Septuag. εὐλαβεῖσθε, id est, silentes timete et reveremini Dominum; est metalepsis, vel catachresis: silentium enim reverentiæ, timoris, admirationis et stuporis est indicium, ideoque pro illis hìc ponitur. Ita Theodor. Vide dicta Habacuc 2. v. ult. Unde Syrus et Arabicus uterque vertunt: *Timete à conspectu Domini.* Aliter Albertus et Hugo, q. d. Obmutescite coram Deo vindice; quia adest dies Domini, quo ipse vos exscindet et disperdet. Et Clarius, q. d. Silete, id est silenter exspectate, et mox videbitis iram et vastitatem Domini. Et Chald. *Pereatis,* ait, *funditus omnes impii à conspectu Domini;* quasi silere idem sit quod perire et interire. Mortui enim silent: unde locus mortuorum hebr. vocatur דומה *duma*, id est silentium.

Quia juxta est dies Domini.] Arabicus: *Quia jam prope est dies judicii,* puta dies justitiæ et vindictæ Domini exercendæ in Judæos per Chaldæos. Sic dies judicii vocatur dies Domini, reliqui sunt dies hominum, quibus agunt quod lubet: sicut dies hebdomadæ sunt dies discipulorum, sed sabbatum est dies ludimagistri, quo totius hebdomadæ pensum à discipulis exigit, et diligentes præmiat, negligentes vel petulantes castigat et flagellat.

Quia præparavit Dominus hostiam: sanctificavit vocatos suos.] Est metaphora continua, sive allegoria: stragem enim Judæorum, utpote impiorum, vocat sacrificium, idque publicum et solemne; in quo hostia sunt Judæi mactandi: dies sacrificii est dies excidii Hierosolymæ et templi: sacerdotes sunt Chaldæi, qui hanc victimam Deo et divinæ justitiæ immolant. Unde dicuntur vocati et sanctificati à Deo: quia Deus eos è Chaldæa evocavit, suosque quasi milites, imo ministros et sacerdotes, auctoravit et consecravit, quando eos elegit et destinavit laniones Judæorum, ut eos quasi sanctam victimam divinæ suæ vindictæ offerrent et jugularent. Ita S. Hieron. Theod. Haymo, Lyran. et alii passim, nisi quod Chald. Vatabl. et Clarius, per vocatos intelligunt, non sacerdotes, sed convivas, puta aves et feras, quos Deus ad solemne hoc epulum evocet, ut Judæorum cadavera à Chaldæis cæsa devorent. Unde Arabicus Antioch. vertit: *Paravit victimas Dominus, et notificavit iis qui sunt convivii sui;* clarius vero Arabicus Alex. *Præparavit Dominus mactationem* (id est victimas mactatas ad epulum) *et sanctificavit vocatos;* et Syrus: *Præparavit Dominus victimam,* vel *convivium; et invitavit vocatos suos.* Alludit ad votum חרם *cherem*, seu anathematis, quo res vel pia, vel impia, tota per mortem, vel civilem, vel naturalem, Deo mactanda et sacranda erat, de quo plura dixi Levit. ult. v. 28. et Rom. 9. 9.

Moraliter, disce hìc quàm injustitia et scelera sint Deo invisa, quàmque ex adverso justitia et scelerum vindicta ei sit chara, curæ, honori, voluptati; nimirum perinde ac est sacrificium solemne, vel holocaustum, quod ei tanquam summo rerum domino offertur, et ab eodem in odore suavitatis excipitur: adeo ut reges et tyrannos, licet infideles et impios, qui hanc vindictam peragunt, vocet suos milites, suos sanctificatos, suos sacerdotes. Hinc iisdem per Jeremiam cap. 6. 4. mandat et edicit: *Sanctificate super eum* (contra Jerusalem) *bellum.* Et Isaiæ 13. 3. de Cyro et Persis vastaturis impiam Babylonem, ait: *Ego mandavi sanctificatis meis, et vocavi fortes meos in ira mea.* Quin et Jerem. 48. 10. vindictam hanc impiorum Moabitarum, Chaldæis sub interminatione maledictionis imperat et indicit: *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter.* Quodnam hoc opus? Audi: *Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine.* Ex adverso sapiens c. 14. 7: *Benedictum est lignum,* inquit, *per quod fit justitia.*

8. In die hostiæ Domini (excidii Jerusalem, quando ipsa futura est hostia, mactanda à Chaldæis Domino) visitabo super principes, et super filios regis] Sedeciæ. Nabuchodonosor enim, capta Jerusalem, *jugulavit filios Sedeciæ in oculis ejus: sed et omnes principes Juda occidit,* ut dicitur 4. Reg. 25. 7. Ita Lyran. Arias, Vatabl. et alii. Aliter S. Hier. Theodor. Remig. eorumque sequaces, qui per filios regis accipiunt filios Josiæ, è quibus Joachaz abductus fuit in captivitatem à Pharaone, Joakim à Chaldæis occisus, Sedecias excæcatus, Joachin ductus in Babylonem. Verum diem hostiæ vocat diem excidii, in quo non alius fuit rex Hierosolymæ, quàm Sedecias, cujus filios quasi hostias mactavit Nabuchodonosor: è filiis vero Josiæ nullum fecit hostiam, id est, nullum occidit. Nam Joakim non ab eo, sed à latrunculis, sive prædonibus Chaldæorum occisus est.

Et super omnes qui induti sunt veste peregrina.] Primo, aliqui vestem hìc intelligunt eam qua idololatræ utebantur in cultu idolorum. Unde Judæi, vestem hanc induentes, ipso habitu profitebantur se cultores idolorum, perinde ac qui pileum flavum induit Romæ, profitetur se Judæum, et qui turbantum, Turcam. Quocirca Chald. vertit: *Qui perstrepunt ad cultum idolorum.* Secundo, Hebræi nonnulli putant taxari hìc satellites et ministros principum et nobilium: hi enim solent uti veste varia et diversa à vulgo, in qua gestant insignia sui prin-

cipis. Tertio, Theod. vestem peregrinam exponit, à peregrinis furto vel rapina acceptam, quasi taxet hìc furta et rapinas Judæorum, quibus hospites et peregrinos spoliabant vestibus, iisque se induebant. Quarto, alii vestem peregrinam accipiunt eam quæ est alterius sexus, puta si vir induatur veste muliebri, aut mulier virili : quod est contra honestatem, verecundiam et castitatem, ideoque vetatur à Deo Deut. 22. 5. et à Concilio Gangrensi sub pœna anathematis, ut habetur dist. 30. cap. *Si qua mulier.* Quinto, proprie et genuine, vestem peregrinam vocat eam quæ non erat Judaica, sed gentilitia, puta Ægyptia, Philisthæa, Ammonitis, Tyria, etc. Taxat ergo hìc Judæorum ambitionem, levitatem, curiositatem, quod vestitum novum, peregrinum et gentilitium assumerent, quodque cum vestibus mores et idololatriam Gentium induerent. Ita S. Hieron. Idem fere taxat Ezech. c. 23. v. 12. et 15. et Auctor. l. 2. Machab. c. 4. v. 13.

Moraliter, hìc discant Christiani quàm Deus oderit vestium novitatem et luxum, quàmque eum vindicet et puniat; is enim sapit mollitiem, fastum, levitatem, inconstantiam, defectumque judicii. Unde talibus recte dicas illud Stilponis ad Craterem : δοκεις μοι χρειαν εχειν ιματιου καινου, videris mihi indigere pallio novo, vel pallio et mente : καινου enim junctim significat *novum* ; disjunctim vero και νου significat, *et mente.* Ita Laert. l. 2. c. 12. Q. Curtius lib. ultim. et Plutarch. in Alexandro, culpant eum, quod devictis Persis habitum mutarit, vestemque Persicam induerit. Strabo, vel, ut alii volunt, Plato dixit Aristippo : *Tibi uni et chlamydem, et pannum ferre datum est.* Chlamys vestis est satraparum, pannus mendicorum : ipse enim apud Dionysium saltavit in purpura, interdum vili pallio utebatur. Ita Laert. lib. 2. cap. 8. unde Horat. *Omnis Aristippum decuit color.* Ita hodie sunt chamæleontes, qui omnibus gentibus, locis, sectis, tam in habitu, quàm in fide et moribus se conformant : sed dum singulis concolores fieri cupiunt, universis discolores et difformes fiunt. Phrygiones sunt, qui fucant tam mores, quàm colores, de quibus Prudent. in Hamartigen.

Additur ars ut fila herbis saturata recoctis,
Illudant varias distincto stamine formas.

Et Martialis :

Victa est
Pectine Niliaco jam Babylonis acus.

Diogenes cuidam glorianti quod leonis pelle vestibus incederet : *Non tu desines*, inquit, *virtutis strangula pudefacere ?* indignum judicans quod homo mollis Herculis amictum sibi vindicaret. Ita Laert. l. 6. Idem cum videret juvenem studiosius se ornantem : *Si ad viros*, inquit, ατυχεις, id est, *frustra facis ; si ad feminas*, αδικεις, *injuste agis.* Nam frustra mas se mari ornat, cum inter eos nequeat esse conjugium : inique vero agit, si lenocinio suo insidietur feminæ. Idem divitem quemdam indoctum, sed splendide indutum, χρυσομηλον, id est, ovem aureo vellere amictam nuncupabat. Dæmonax cuidam suam purpuram ostentanti : *Heus tu*, inquit, *hoc ante gestabat ovis, et ovis erat*, significans illum stupidum esse ut ovem, etiamsi purpuram gestaret. Teribazo Artaxerxes rex vestem suam donarat ea lege, ut ea non indueretur : induit tamen ille, muliebribus etiam donis quæ à rege acceperat, insignitam. Tunc rex in risum effusus : *Tibi*, inquit, *ut mulieri aurum, ut insano regium amictum gestandi jus potestatemque concedimus.* Augustus Cæsar, cum pro concione multos videret palliatos, indignabundus : *En*, inquit, *Romanos rerum dominos, gentemque togatam.* Indoluit nimirum, Romanos habitum novare et Græcum pallium assumere. Ejusdem hæc fuit gnome : *Vestitus insignis ac mollis superbiæ vexillum est, nidusque luxuriæ.* Ita Suetonius in ejus Vita. Peregrinam vestem in Ruffino culpavit Claudianus, in Carolo Calvo Franci. Constantissimi olim Germani cum fide vestes mutare cœperunt : *Turpis*, ait Poeta, *Romano Belgicus ore color.* Sic hæc laicos dedecent, multo magis Clericos et Religiosos, in quibus vestium luxum acriter taxat S. Bernard. serm. 23. in Cant. et Apolog. ad Guilielmum Abbatem.

Tropol. vestis peregrina est hæresis, quam assumunt Novantes : *Qui recesserunt à protectione et indumento Dei, et suo errore cooperti sunt*, inquit S. Hier. Mystice idem : *Vestis*, ait, *filiorum regis, et principum indumentum Christus est*, quod assumimus in baptismo, juxta illud Ephes. 4. 24 : *Induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* Et Coloss. 3. 12 : *Induite vos ergo sicut electi Dei, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam.* Peregrina ergo veste diaboli induimur, cum pro misericordia induimus crudelitatem, pro benignitate asperitatem, pro humilitate superbiam, pro modestia fastum, pro patientia impatientiam. Hinc rursum monet Apostolus Rom. 13. 14 : *Induimini Dominum Jesum Christum*; qui enim spretis virtutibus vitia assumit pro Christo Antichristum induit. Peculiariter vero vestis peregrina est hypocrisis. *Quid enim magis est peregrinum, quàm sunt lupis rapacibus vestimenta ovium ? quid magis peregrinum, quàm eum qui intus plenus est iniquitate, foris hominibus justum apparere ?* ait Rupertus.

9. Qui arroganter ingreditur super limen.] Hebr. *Qui saltat super limen*, hoc est, qui tanto fastu et arrogantia ingreditur, ut saltitando et subsultim incedere videatur, præsertim cum gradus templi conscendit : quod Amos culpat dicens cap. 6. 1 : *Væ qui opulentis estis in Sion, ingredientes pompatice domum Israel !* Vide ibi dicta. Taxat principum, nobilium et divitum arrogantiam in ingressu, etiam templi, præsertim cum in templo omnes coram Deo se humiliare debeant, humilitatemque et habitu, et incessu, et prece profiteri. Qui enim templum adeunt, id faciunt, ut humiliter Deum invocent, ejusque opem et gratiam postulent : quare indignum est ibi arrogantiam ostendere, ubi suppliciter venia in culpis, et auxilium in necessitate à Deo flagitatur. Taxat insuper fastum sacerdotum et pontificum, qui dilatatis phylacteriis arroganter in templo, quasi ejus præfecti et præsides incedebant. Unde Septuag. vertunt : *Ulciscar super omnem manifeste, qui in vestibulis.* Sacerdotes enim degebant in suo atrio, proxime templo, quasi in ejus vestibulo. Ita Christus castigat eorumdem, sed ob sacerdotii honorem alio, puta Scribarum et Pharisæorum, nomine, supercilium et fastum, Matth. 2. 3. 5. Hunc sensum

dant S. Hieron. Haymo, Albertus, Hugo et alii; qui secundo, sic quoque explicant, quasi Propheta reprehendat superstitionem Judæorum acceptam à Philisthinis, qui truncato Dagon idolo suo in limine templi; illud deinceps ex reverentia calcare non ausi, transiliebant, 1. Reg. 5. 8. unde Chald. vertit: *Puniam omnes qui ambulant in legibus Palæstinorum.* Verum hoc solos Azotios fecisse legimus quorum Deus erat Dagon, à quibus, uti hostibus, abhorrebant Judæi: unde nusquam reperimus eos coluisse Dagon. Et sane si id fecissent, utique non tacuisset hìc Propheta. Parva enim, imo nulla culpa est transilire limen templi ex reverentia, eo quod quis se reputet indignum qui calcet limen domus Dei; sed longe major culpa est, id facere in honorem Dagon, vel alterius idoli, itaque illud venerari et colere.

Tertio, Chald. Arias, Pagnin. Tigurina et Vatablus ex Hebræo sic vertunt: *Visitabo omnem transilientem limen in die illa, qui implent domum dominorum suorum rapina:* quasi hìc taxet Judæos, præsertim principum et potentum assedas vel ministros, de furto, quod scilicet transiliant limen, tum proximorum, ut eorum bona furentur, tum dominorum suorum, ut ibi furta recondant, tutique sint, et cum illis prædam dividant. Verum tam Septuag. quàm Noster pro *dominorum suorum*, vertunt, *Domini Dei sui.* Culpat ergo principum non tantum arrogantiam, sed et injustitiam, puta rapinas, usuras et fraudes, quodque eas impudenter et quasi sacrilege consecrarent Deo: sacerdotes vero arguit, quod easdem acceptent, imo extorqueant, quodque ipsi pauperum bona specie religionis, quasi illa offerenda sint Deo, dolose et impie expilent et diripiant; suadendo v. g. filiis: Si parentes egentes à vobis quid petant, dicite id esse corban, id est, munus dicatum Deo et sacerdotibus, uti Christus eis improperat Matth. 15. 6. et Matth. 23. 14: *Væ, ait, vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ! quia devoratis domos viduarum, orationes longas orantes,* q. d. Væ vobis, Scribæ, qui emungitis bursas viduarum, vendendo scilicet eis, cum sanctitatis simulatione longas vestras orationes! græce enim est, προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι, id est, occasione longæ orationis, vel prætextu quod multum pro eis oretis. Ita Chrysost. ibidem.

10. Vox clamoris a porta piscium,] scilicet audietur: quia, ut docet Ribera et Vilalpando p. 1. de Apparatu urbis lib. 2. c. 13. per portam piscium primo in urbem Jerusalem irrupsisse videntur Chaldæi, omnesque incolas vel occidisse, vel cepisse, sicut piscator solet in omnes pisces maris impune grassari. Unde Habacuc c. 14. ait: *Et facies homines* (Judæos) *quasi pisces maris,* ut capiantur à piscatore Nabuchodonosor. Et v. 15: *Totum in hamo sublevavit, traxit illud in sagena sua.* Hæc porta dicta est piscium, quod spectaret mare, et inde per eam pisces importarentur. Audi ex S. Hieron. Saligniaco et Borchardo Adrichomium: porta, inquit, piscium juxta turrim David, inter montem Sion et civitatem inferiorem, in valle Mello contra occidentem sita erat. Piscium dicebatur, quod per eam à Joppe et aliis maritimis locis (ac præsertim è mari Galilææ illic ex adverso existente, ait Vilalpando p. 1. lib. 3. c. 9.) quotidie pisces in urbem inferebantur. Hæc aliis nominibus etiam porta David et porta negotiatorum inscribitur: David quidem, quod turri Davidis proxima esset; negotiatorum vero, quod per eam variæ negotiatorum merces à Bethlehem, Hebron, Gaza, Ægypto et Æthiopia inveherentur. Per hanc portam peregrini occidentales urbem ingredi solent. Sic et Vilalpando p. 1. lib. 3. cap. 9. Ubi tamen in eo ab Adrichomio dissentit, quod censeat portam piscium non fuisse ad Occidentem Hierosolymæ, ut vult Adrichom. sed ad Septentrionem; quia, inquit, Chaldæi castra habebant ad Septentrionem; ac per portam piscium irruperunt in urbem, occuparuntque mox portam secundam, quæ scilicet erat in secundo muro, et à Jeremia vocatur porta media. Quæ ratio bene concludit, si verum est Chaldæos per portam piscium ingressos in urbem et in portam secundam, uti insinuat hìc Sophonias. Censet ergo ipse portam piscium fuisse ad Septentrionem urbis, inter portam Ephraim et turrim Hananeel, Bezethæ proximam; et Chaldæos per eam ingressos, quia inhiabant opibus templi, quod illi vicinum erat; Adrichomio tamen astipulatur S. Hieron. et favet 2. Paral. 33. 14. ubi dicitur: *Ædificavit murum extra civitatem David, ad Occidentem Gihon, in convalle ab introitu portæ piscium usque ad Ophel.* Atque ad argumentum Vilalpando responderi posset Chaldæos utraque via irrupisse in Jerusalem, nimirum Aquilonari urbis muro dirupto penetrasse in secundam, et Occidentali porta piscium effracta, irrupisse in vallem Mello, æque ac in civitatem inferiorem, quæ filia Sion dicebatur: utrique enim vicina erat hæc porta, et ad utramque aditum pandebat; ideoque Sophonias utrobique, scilicet tam in porta piscium, quàm in secunda, ululatum fore significat.

Et ululatus a secunda.] Secunda porta dicebatur, quæ erat in secundo muro: Jerusalem enim versus Septentrionem, juxta templum, in tres regiones erat distributa, quarum quæque suum habebat murum in longum porrectum. Primus murus erat vicinus Sion: secundus erat medius splendidissimis portis conspicuus, et in quatuordecim turres divisus, quem Ezechias rex reparavit et firmiorem altioremque fecit, 2. Paral. 32. 5. Tertius erat extimus, quem Agrippa rex non primus ædificavit, ut vult Ribera, sed jam ædificatum publico sumptu permuniit, et latiorem altioremque reddidit. Hic totus solidus erat, et 25 cubitis altus, habebatque nonaginta quadrangulares validas et celsas turres. Ita Josephus l. 6. Belli cap. 6. et 19. Antiq. 7. Fuit ergo ululatus in porta secunda, sive media: quia Chaldæi principes fracto muro tertio et extimo irruperunt in secundum, ejusque portam, quæ secunda sive media dicebatur, eamque ceperunt et insederunt, uti narrat Jeremias cap. 39. 3. Addunt Hebræi, Pagnin. Vatabl. Arias et Clarius in secunda fuisse academiam: unde illic habitabat Holda prophetissa, 4. Reg. 22. 14. Quocirca pro משנה *misne*, id est, secunda, ipsi vertunt, *academia: ululatus,* inquiunt, *magnus ab academia.* Solent enim academici non gladiis, sed calamis assueti, præ aliis metu belli percelli et trepidare, ac irruente hoste vociferari: nimirum non bene conveniunt Musæ quietæ et silentes, cum Marte feroci, et tubis, tympanisque et sclopis, perstrepente. Extimus enim murus Hierosolymæ continebat regionem tertiam urbis, in qua habitabant opifices, merca-

tores et plebs. Secundus continebat regionem secundam, in qua, utpote tutiori et tranquilliori, habitabant nobiles, studiosi, doctores, Rechabitæ et similes. Tertius et intimus continebat Sionis arcem et templum, eisque subjectam civitatem inferiorem, quæ idcirco filia Sion dicebatur. Vide hæc graphice expressa in descriptione et tabula Hierosolymæ, quam exhibet Adrichomius post paginam 144. Lege et nostrum Vilalpandum in Apparatu urbis part. 1. lib. 2. c. 3. et lib. 3. c. 9.

Et contritio magna a collibus,] scilicet Sionis et templi, aliisque similibus, ad quos, utpote munitiores, capta à Chaldæis urbe, ex secunda et extima regione confugerunt Judæi, sed à Chaldæis persequentibus ibidem comprehensi, contriti et trucidati sunt. Ita S. Hieronym. et Theodor.

Tropol. in hora mortis et in die judicii erit planctus, ob peccata quæ per portas, id est, oculos vel aures; ac in collibus, id est, in ratione, mente et voluntate, commisimus. Mors enim ascendit per fenestras, Jerem. 9. 21. Vide ibi dicta. Itaque porta piscium est porta oculorum, de quibus Cant. 7. v. 4: *Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.* Oculi enim ob humorem aqueum et crystallinum videntur esse piscinæ et portæ piscium, per quas scilicet species rerum caducarum et voluptatum in mare hujus seculi volutantium, quasi pisces irrepunt in animam, eamque inficiunt sibique assimilant.

Audi S. Hier. *Prima porta oculorum erit, qua exhibebuntur nobis peccata ante oculos nostros, et omnis pompa et imago antiquorum scelerum et vitiorum atque luxuriæ proferetur in medium. Torquebit igitur eum conscientia, et postquam compunctus clamaverit à prima oculorum porta, ululabit etiam à secunda, quam et aures intelligere possumus. Per hos enim vel maxime sensus, quibus vitia illapsa fuerant, eorum pœna sentietur; quando cernemus quod fecimus, et audientes sermonem totumque ordinem peccatorum, in ululatum compellemur, et conteretur in nobis quidquid fuerit excelsum et propter cæcitatem et surdas aures ignorabatur in nobis.* Secundo, idem paulo inferius: *Vel certe,* ait, *in fine mundi, et in consummatione lugebunt à porta piscium prima, qui suum baptisma non servaverunt: lugebunt à secunda, qui non egerunt pro peccatis dignam pœnitentiam. Et erit magna contritio super colles, qui nec pro peccatis incurvati sunt, ut cervicem suam submitterent, et scelera sua deplorarent. Per has enim duas portas Baptismi et Pœnitentiæ, in Jerusalem, id est, in Ecclesiam Dei, vel introitus, vel reditus est.*

11. Ululate, habitatores pilæ.] Pilæ, id est, mortarii in quo tundimus piper, zinziber et aromata; vel, si majus sit, orizam et frumenta. Audi S. Hieron. *Pila quæ hebraice dicitur* מכתש *machtes, et ab Aquila versa est* εἰς τὸν ὅλμον, *non per brevem syllabam prima legenda est* (ut sit pila lusoria) *ne* σφαῖραν *putemus, sed per productam, ut de pila sciamus dici in qua frumenta tunduntur? vas concavum et medicorum aptum usui, in quo proprie ptisanæ feriri solent.* Unde pila dicta est à pinso, pinsis; quod in ea siccata frumenta pistillo pinsebant ac contundebant, ut ait Cato cap. 14. lib. de Re rustica. Porro Pila hic proprium urbis vel loci est nomen. Unde Pagnin. Hebr. *Machtes*, quasi proprium loci retinuit.

Quæres, quis hic locus, vel urbs? Primo, R. Salomon censet Pilam vocari urbem Tiberiadem, eo quod in valle concava sit sita: portam vero piscium esse Ptolemaidem, quæ mari piscoso adjacet: *Misne,* quod Noster vertit *secundam*, esse *Luz* urbem juxta Jerusalem: colles esse Sephorim. Verum hoc ipse more suo fingit, non probat. Certe de Tiberiade hìc sermo esse nequit, utpote quæ jampridem à Salmanasare vastata erat cum tota Galilæa et Samaria, anno sexto Ezechiæ regis Juda, qui fuit atavus Josiæ, sub quo hæc prophetat Sophonias, uti ipse ait vers. 1.

Secundo, melius Lyran. per pilam intelligit Jerusalem. Totum enim vaticinium hoc est contra Judam et Jerusalem, cui intentat excidium per Chaldæos. Porro Jerusalem dicitur pila, quia erat in meditullio Judææ, ejusque centrum, quo ad forum et nundinas confluebant undequaque Judæi. Simili metaphora Ezechiel cap. 24. 2. Jerusalem vocat ollam, in qua coquuntur carnes, id est, Judæi. Unde et dictionaria Syriaca, *Machtes* vel *Machtose,* exponunt Jerusalem, à rad. *chtase*, quæ significat perturbare, agitare, vexare, vel etiam oppugnare, et bellum gerere, quæ omnia competunt Hierosolymæ. Verum cum vers. 4. Propheta expresse nominarit Jerusalem, quorsum hìc obscure eamdem vocaret pilam? Adde, immediate ante nominavit peculiaria loca Hierosolymæ; puta portam piscium, secundam, et colles: ergo et machtes, sive pila, peculiaris fuit locus ejusdem urbis. Unde

Tertio, per pilam potest accipi civitas inferior Hierosolymæ, quæ in valle concava sita, erat quasi pila, sive mortarium, respectu Sionis aliorumque collium. Hæc enim civitas vicina erat portæ piscium et secundæ. Dicitur pila, tum ratione situs humilis jam dicti; tum quia in ea erat forum aromatariorum, pistorum, coquorum, etc. qui in pila aromata, frumenta, carnes et herbas contundunt. Ita Arias, Vatabl. et Clarius.

Quarto, per pilam accipi potest vorago Mello, quæ et Tyropœon dicta est. Nam, ut docet Joseph. lib. 6. Belli cap. 6. Jerusalem super duos colles erat condita, contrariis frontibus semet inspicientes, interveniente valle discretos, in quam domus creberrimæ desinebant. Et inferius: Vallis autem quæ Tyropœon appellatur, qua diximus superioris civitatis collem dirimi ab inferiore, usque ad Siloam pertinet; ita enim fontem qui dulcis est ac plurimus, vocabamus. Hæc vallis vocatur hìc *pila:* tum ob profunditatem: tum quod in ea contundenti essent Judæi. S. Hieron. eam vocat *vallem Siloe;* Chald. *vallem*, vel *torrentem Cedron;* quia usque ad Siloe et Cedron per portam aquarum excurrebat. Sensus ergo est, q. d. *Quomodo frumenta feriente desuper vecte in pila contunduntur, ita de porta piscium, et de porta secunda, et de collibus proruens in vos decurret exercitus,* vosque contundet et comminuet, inquit S. Hieron. et ex eo Remig. Ribera, Emmanuel et Mariana.

Quinto, Adrichomius in descriptione Jerusalem censet *machtes,* sive pilam proprie esse vallem Cedron. Cedron torrens est inter Jerusalem et montem Oliveti, qui per vallem Josaphat in longum decurrit. Vallis ergo Josaphat est vallis Cedron, quæ posteriore suî parte, qua torrens Cedron juxta fontem et piscinam Siloe per-

labitur; ab eo vallis Siloe nuncupatur. Audi Adrichomium: Vallis Cedron, inquit, lata, profunda et tenebrosa (unde et Cedron dicta est, à rad. קדר *cadar*, id est, niger, ater, obscurus; tenebrosus est) quæ in modum fossæ templum circumibat; ac quod in mortarii similitudinem disposita esset, hebraice Machtes, latine autem Pila vocabatur. Hæc tantæ profunditatis erat, ut de templi tecto ad imum ejus despicientium oculi, non absque vertigine capitis caligarent. In hac mercatores, et omnis generis negotiatores habitabant. In hanc vallem, cum Jacobus frater Domini, primus Hierosolymorum Episcopus, in pinna templi coram omni populo, Jesum Dei Filium ipso festo Paschæ profiteretur, Anani Sadducæi pontificis jussu præcipitatus est, et confractis cruribus, desuper quoque à Scribis et Pharisæis lapidatus, tandem fullonis fuste in cerebrum percussus interiit. Hucusque Adrichom. Hæc sententia probabilis est, eique favet S. Hieron. qui pilam vocat vallem Siloe; et Chald. qui pro pilam vertit: *Torrentem Cedron.* Verum ei obstare videtur, quod torrens Cedron et vallis Siloe fuerint extra urbem: pila autem, ut et porta piscium, et secunda, videantur fuisse intra Jerusalem.

Quare quarta sententia paulo ante recensita videtur probabilior, quæ omnes expositiones conciliat. Accedit quod porta piscium, per quam Chaldæi irruperunt in urbem, ab Adrichomio consignetur directe ad ingressum vallis Mello, sive Tyropœi, ut jure propheta dicat ingentem eò loci fuisse ululatum, utpote in quem primo furorem suum exercuerint Chaldæi. Erat enim vallis hæc latissima, et habitationibus hominum frequentissima, utpote quam Salomon coæquavit et ædificiis ornavit, quæ collapsa instauravit Ezechias, ut patet 3. Reg. 9. 15 et 2. Paralip. 32. 5.

Porro per unam hanc urbis partem, Propheta significat totius urbis ululatum et complorationem. Tota enim Jerusalem, sicut dixit Lyranus, uti fuit pila contundens et occidens Prophetas; ita pariter fuit pila, in qua impios hosce cives et Propheticidas contuderunt et occiderunt Chaldæi: perinde ac eadem postmodum fuit pila contundens Christum et Apostolos, ideoque facta est pila, in qua Titus et Romani eosdem Christicidas contuderunt et enecarunt, uti ei prædixit Christus Luc 19. v. 41. et sequentibus. Unde Septuag. vertunt: *Plangite qui habitatis concisam.* Hebræum enim *machtes* et pilam, et mandibulam dentium significat: quia sicut in pila comminuuntur et conciduntur aromata, ita dentibus conciduntur et comminuuntur cibi. *Machtes* ergo generatim est vas vel instrumentum, quo fit concisio vel contusio, qualis est pila et mandibula. Unde Judæi in Jerusalem quasi in pila contusi, et in eadem quasi mandibula dentibus, id est, gladiis et armis Chaldæorum, concisi et lacerati sunt.

Symbolice, ululet Constantinopolis, ululet Buda, ululet Trapezuntium, ululet quælibet urbs capta à Turca, vel ab hæretico principe; in qua quasi pila Catholicos, ipse contundit.

Tropol. pila est tribulatio, in qua Deus peccatores tundit, ut pœnitentiæ gemitus et lacrymas extundat; sed in multis verum est illud Sapientis Proverb. 27. vers. 22: *Si contuderis stultum in pila, non auferetur ab eo stultitia ejus.* Justi vero et Martyres in ea dicunt, quod Anaxarchus in pila contusus dixit Tyranno: *Tunde, tunde; follem* (corpus) *tundis, Anaxarchum non tundis,* uti refert Philo lib. *Quod omnis probus sit liber.* Et Ovidius in Ibim:

> Aut ut Anaxarchus pila minuaris in alta,
> Jactaque pro solitis frugibus ossa sonent.

Anagog. pila est olla Vulcani, puta gehenna, in qua diaboli tot pistillis reprobos tundunt, quot hîc voluptates illicitas senserunt, vel perpetrarunt; ac præsertim pistilla sunt puncturæ conscientiæ, quæ damnato occlamans et exprobrans, jugiter eum tundit et angit, dicens: Cur infelix te in hanc pilam conjecisti? cur modica voluptate tanta dolorum et angorum pistilla tibi accersivisti? Tundetur illa in æternum, at nunquam pertundetur: tunderis et tu, et contunderis usque ad ossa, usque ad animam; at nullus ictus eam extundet, sed vivam semper et immortalem, ad æternas tunsiones et tormenta servabit. Hujus rei symbolo fingunt Poetæ, cor Promethei ad saxum alligati in Caucaso monte, ab aquila perpetuo tundi et rodi, at nunquam erodi vel extundi, idque in pœnam furti, quo ignem è cœlo furatus, eum in terras detulit, de quo Ovid. 1. Metamorph. Sed cur in hac pila tam horrende tunduntur? Quia in hac vita fuerunt pila gulæ, ventris, veneris et mammonæ, in qua delicias suas, epulas suas, aromata sua, vina sua, sordes suas, opes suas congessit, compressit, contudit et comminuit caro, mundus et diabolus: quia ignave vixerunt, permittentes se à tentationibus, passionibus et vitiis calcari et contundi. Talis enim est pila, quæ ignava sinit se jugiter tundi. Unde Timon Misanthropus Cleanthem ob ingenii tarditatem vocavit ὀλμὸν ἄτολμον, id est, *pistillum retusum, mortarium ignavum.* Inde proverbium: *Pistillo retusior, nudior, calvior:* ima enim pistilli pars adeo retusa et glabra est, ut calvi cranium referre videatur. Pila ergo notat improborum ignaviam resistendi peccatis, et bene operandi; conjecisse eos in pilam et ollam Vulcani.

Conticuit omnis populus Chanaan.] Hebr. additur כי *ki*, id est *quia*, quasi hîc causa reddatur, cur ululaturi sint habitatores pilæ, quia scilicet conticuit omnis populus Chanaan. *Chanaan,* id est mercator, qui mercibus emendis et vendendis vacat, ut faciebant incolæ Chanaan, sive Chananæi. Unde illud Osee 13. vers. 7. *Chanaan in manu tua statera dolosa.* Vide ibi dicta, immo Chald. per Chanaan accipit Chananæos, q.d. Ululate, cives Hierosolymæ, quia cessabunt Chananæi aliique mercatores ad vestrum forum, ad vestram pilam deferre aromata, frumenta, cæterasque merces. Secundo, et melius, כי *ki*, id est *quia*, hîc, ut et alibi sæpe, non est causale, sed encliticum, et ornatus tantum causa additur. Quocirca per Chanaan non Chananæos, sed Judæos accipe. Hi enim à Prophetis vocantur Chananæi, non Hebræi, nec Abrahæi; eo quod non Abrahæ, sed Cham, Chanaan, et posterorum ejus mores imitarentur. Ejus enim quis dicitur filius, quem imitatur et refert. Unde illud Daniel. 13: *Semen Chanaan, et non Juda.* Et Ezech. 16: *Radix tua et generatio tua de terra Chanaan. Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa.* Hinc et Christus ad Judæos: *Vos,* ait, *ex patre diabolo estis,* Joan. 8. Quocirca Chald.

vertit : *Periit populus, cujus opera similia sunt operibus populi terræ Chanaan.* Ita S. Hieronym. Theodor. Haymo et Lyran. Porro in voce *conticuit* est emphasis. Nam *conticuit*, id est, penitus excisa est et periit, ut vertit Chald. ita ut nullius in ea vox, gemitus vel sibilus audiatur : quia omnes vel capti, vel occisi sunt à Chaldæis ; vel si qui sunt reliqui, ita perculsi, afflicti et attoniti sunt, ut præ vehementia doloris, et præ stupore vox illis intercludatur, nec vocem ullam proferre, imo nec hiscere possint.

Disperierunt omnes involuti argento,] puta mercatores et avari, qui non tractant aliud quàm aurum et argentum, ac divites undique opibus cincti et circumsepti, iisque confidentes et superbientes, quasi per eas sint à Chaldæis inexpugnabiles. Ita S. Hieronym. Unde Septuag. vertunt, *elevati argento*. Secundo, *involuti argento* : quia cor suum omnemque affectum dederunt argento, illudque ita ei affixerunt et involverunt, inquit Ribera, ut non tam argentum possidere et regere, quàm ab argento, possideri et regi videantur. Quocirca alii vertunt, *portatores argenti* ; alii, *onera argenti*. Argentum enim est idolum, quod adorat avarus, quod consulit, quod per fas et nefas sequitur, cui per omnia obedit et se quasi servum mancipat. Unde ab eo agitur ad usuras, fraudes, dolos, omniaque scelera. Qua de causa avaritia ab Apostolo vocatur idolorum servitus, græce idololatria, Ephes. 5. v. 5. Dictum est de Aristotele, cum septenos per diem Euripi fluxus et refluxus curiosius scrutari volens, ab eo absorptus est : *Aristoteles non habet Euripum, sed Euripus habet Aristotelem.* Idem verius dicas de avaro : Avarus non habet Euripum pecuniæ, sed hic habet et possidet avarum. Vere Cicero actione 5. in Verrem : *Nihil est tam sanctum, quod non violari ; nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit.* Et Cato apud Gellium : *Fures privatorum in nervo et in compedibus ætatem agunt : fures vero publici in auro atque in purpura.* Denique avari involuti sunt argento : quia cor habent in ære, non in æthere. Cujus rei exemplum ad litteram exstat in vita S. Antonii de Padua. Cum enim ipse in exsequiis cujusdam divitis avari haberet orationem funebrem, dixit : Christus ait : *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Ita dives hic cor suum habet in suo thesauro, ibique illud reliquit. Ite domum ipsius, et in auro ejus invenietis illud. Iverunt, et in auro cor ejus repererunt, uti vir sanctus affirmarat. Plura similia exempla exstant in vitis Sanctorum. Addit Delrio adagio 1005. Sicut infantes qui rebus vilibus, ut nucibus, delectantur, involvuntur fasciis ; ita divites, qui vili terra rubra et alba, id est, auro et argento, delectantur, eo se involvunt : *Eadem involutione ita grossefacti*, inquit Rupertus, *ut nimis difficile sit introire eos in regnum Dei*, juxta illud Christi : *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum Dei.* Marci 10. 25.

Mystice S. Gregor. lib. 18. Moral. 11 : *Quia*, ait, *nonnulli eloquia Dei non interius per exhibitionem, sed exterius per ostensionem habere concupiscunt, idcirco per Prophetam dicitur : Disperierunt omnes involuti argento. Hi nimirum qui eloquio Dei non interiori refectione se replent, sed exteriori ostensione se vestiunt.* Ita ad litteram Clerici et Religiosi, qui habitum pietatis exterius præferunt, si interius cor habeant involutum argento, à gradu suo decidunt et dispereunt. Hac de causa multas Ecclesias, Monasteria et Ordines à primævo sanctitatis splendore decidisse, ideoque vel periisse, vel contempta jacere, vel ab hæreticis et infidelibus eversa vidimus et videmus. Vere dixit vir Sapiens : *Mater genuit filiam, sed filia suffocavit matrem*, nimirum, *filia amplæ dotationis suffocavit matrem devotæ religionis.*

12. Scrutabor Jerusalem in lucernis,] q. d. Efficiam ut Chaldæi, capta Jerusalem, omnes ejus angulos et latebras exacte scrutentur, ne quis Judæorum se abscondens manus eorum evadat. Ita pariter Romani sub Tito scrutati sunt Judæos in cloacis, speluncis et sepulcris, indeque eos extraxerunt ad necem, uti refert Josephus l. 7. Belli c. 17. 26. et 30. et l. 3. c. 14. Ubi se ex iisdem extractum, aut potius sponte egressum, cum Vespasianus ei vitam et libertatem promitteret, eidem se dedidisse narrat. Est adagium. Lucernam enim adhibemus, cum quid exacte scrutari, penitus perspicere volumus. Unde illud vetus dictum quod citat Plutarch. in Præceptis connubialibus : *Sublata lucerna nihil interest inter mulieres*, significans plerasque esse impudicas, vel ad id faciles, si detur facultas tenebrarum et secreti, ubi sine teste peccetur. Quin et Diogenes adhibita interdiu lucerna, rogatus quid faceret, respondit : *Hominem quæro*, teste Laertio in ejus Vita. Seneca, lib. de Vita beata, indicat idipsum solere fieri per superstitionem, si quando denuntiabatur ira Numinis : Cum *laurum*, inquit, *linteatus senex, et medio lucernam die præferens, conclamat iratum aliquem deorum, concurritis et auditis.*

Alleg. id verius erit in die judicii, quando Deus scrutabitur arcana locorum et mentium, ac revelabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, 1. Corinth. 4. tunc enim etiam de minimo verbo otioso, et de subtilissimis cogitationibus rationem à quolibet exiget, ait S. Hieron. Audi S. Bernard. serm. 55. in Cant. explicantem illud Cant. 2 : *Similis est dilectus meus capreæ*, quæ acuti est visus. *Time*, ait, *scrutinium judicis, time oculos capreæ, time illum qui per Prophetam dicit : Et erit in die illa, et ego scrutabor Jerusalem in lucernis. Acuto visu est, nihil inscrutatum relinquit : oculus ejus scrutabitur renes et corda, ipsaque cogitatio hominis confitebitur illi. Quid tutum in Babylone, si in Jerusalem manet scrutinium? Puto enim hoc loco Prophetam Jerusalem nomine designasse illos, qui in hoc seculo vitam ducunt religiosam, mores supernæ illius Jerusalem conversatione honesta et ordinata pro viribus imitantes ; et non veluti hi qui de Babylone sunt, vitam in perturbatione vitiorum scelerumque confusione vastantes. Denique illorum peccata manifesta sunt præcedentia ad judicium, et non egent scrutinio, sed supplicio. Mea autem (qui videor monachus et Hierosolymita) peccata certe occulta sunt, nomine et habitu monachi adumbrata : et idcirco necesse erit subtili ea investigari discussione, et quasi admotis lucernis in lucem prodi, juxta illud psal. 74 : Cum accepero tempus, ego justitias (id est vias justorum) judicabo. Verendum valde, cum ad hoc ventum fuerit, ne sub tam subtili examine multæ nostræ justitiæ (ut putantur) peccata appareant.* Remedium subdit : *Unum est tamen, si*

nos ipsos dijudicaverimus, non utique judicabimur. Mala melioribus curabo corrigere actibus, diluere lacrymis, punire jejuniis cæterisque sanctæ laboribus disciplinæ, etc. Scrutabor ego vias meas et studia mea, quo is qui scrutaturus est Jerusalem in lucernis, nihil inscrutatum in me, sive indiscussum inveniat. Neque enim judicaturus est bis in idipsum. Quis mihi det ita ad liquidum prosequi et persequi universa delicta mea, ut in nullo oporteat vereri oculos capreæ, in nullo ad lumen contingat erubescere lucernarum? Et nunc videor, sed non video. Præsto est oculus cui omnia patent, etsi non patet ipse. Erit quando cognoscam, sicut et cognitus sum.

Quæres quænam sint lucernæ Dei, quibus scrutabitur omnes et omnia in die judicii? Resp. Increata lucerna Dei est ipsa ejus mens, intellectus, perspicacia, scientia, qua omnia penetrat et pervidet clarissime. Nam, ut ait Apostolus: *Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, etc. discretor cogitationum et intentionum cordis. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus*, Hebr. 4. vers. 12. Hinc Ægyptii Deum pingebant hieroglyphice, quasi oculum sceptro insistentem, oculo significantes ejus visionem, scientiam, providentiam, sceptro ejus potentiam, regnum, vindictam et castigationem. *Deus enim*, inquit Plinius l. 2. c. 7, *totus est sensus, totus visus, totus auditus, totus animæ, totus animi, totus suî.* Et ut ait Tertul. lib. de Trinit. *Deus totus est oculus.* Hinc Eccli. 23. v. 27: *Omnia videt oculus illius.* Et vers. 28: *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum Abyssi, et hominum corda, intuentes in absconditas partes.* Quocirca cogita, ô peccator, te hunc oculum effugere non posse, esto abdas te in conclave, in speluncas, in antra: ubique enim hic oculus te videt. Si id scis et cogitas, quomodo in conspectu divini et vindicis hujus oculi peccare, eumque irritare audes?

Creatæ lucernæ Dei sunt variæ. Prima sunt Angeli et dæmones, qui quoad naturam spiritus sunt lucidi et pervigiles, omnia penetrantes, scrutantes et pervidentes, de quibus Psaltes psalm. 103. et Apostolus Hebr. 1. 7: *Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis.* Hi in judicio peccatorem accusabunt, omniaque ejus scelera, etiam occultissima et munitissima, prodent et pandent in tribunali Christi.

Secunda lucerna Dei est ratio et conscientia cujusque, de qua psalm. 4; *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Et Matth. 22: *Lucerna corporis tui est oculus tuus.* Hæc culpam in memoria servat, eamque agnoscet et fatebitur coram judice et toto mundo. Hæc dicet ipsi peccatori: Ego te monui, ego tibi occlamavi: Noli hoc scelus patrare, Deus te videt, Deus te puniet, sed noluisti me audire; me reclamante effrons in conspectu Dei, impudenter, hæc et ista in particulari crimina commisisti: tu nosti, ego testor, negare non potes.

Tertia lucerna est lex et verbum Dei, de qua Psaltes psal. 118. 104: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.* Et Sapiens Proverb. 6. 23: *Mandatum lucerna est, et lex lux.* Et 2. Petri 1. v. 17: *Attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Lex enim deteget iniquitates hominum, quas legi huic contrarias et repugnantes admiserunt, ostendetque quàm iniquæ, impiæque, et à ratione legeque alienæ et abhorrentes fuerint. Audi S. Ambr. in psalm. 118. octonario 18. ad illud: *Ignitum eloquium tuum: Tripliciter*, inquit, *describe tibi ignitum eloquium Dei, vel quod mundat, vel quod accendit, vel quod illuminat audientes. Ideo ait Dominus: Scrutatus sum Jerusalem ad lucernam. Sed neminem in ea vel qui mundaretur, vel qui incenderetur, aut illuminaretur, invenit: ideo eam in tenebris dereliquit.*

Quarta lucerna est sol, luna, stellæ, quæ peccatori dum peccaret, luxerunt et facem præbuerunt; hæ enim testabuntur scelus quod viderunt, cuique lucem præstiterunt. Unde de iis ait Isaias cap. 24. 23: *Erubescet luna, et confundetur sol, cum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion, et in Jerusalem, et in conspectu senum suorum fuerit glorificatus.* Et Joel c. 2. 31: *Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem.*

Quinta lucerna est vita Christi et Sanctorum. Hinc de Joanne Baptista ait Christus: *Ille erat lucerna lucens et ardens*, Joannis 5. 35. Et Philip. 2. 15: *Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* Et de Helia et Henoch ait S. Joannes: *Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes*, Apoc. 11. 4. Tot ergo lucernæ Dei sunt, quot Sancti, imo quot virtutes et exempla Sanctorum; hæc pandent arguentque nequitiam peccatorum. Quocirca cuilibet reprobo dicet Christus judex: En dedi tibi hæc exempla piorum quasi faces, quas sequereris: tu vero maluisti tenebras et opera tenebrarum sequi quàm lumen. Vide quàm tua opera, quàm tua vita difformis sit vitæ S. Pauli, S. Francisci, S. Dominici, etc. Si respondeas: Domine, non potui servare castitatem, quia natura et consuetudine nimis proclivis eram in libidinem; arguet judex: Mentiris. Nam S. Augustinus in libidinem propensissimus eam vicit per meam gratiam; vicit Magdalena; vicit Pelagia; vicerunt alii innumeri: ergo et tu tuam proclivitatem vincere potuisti per eamdem gratiam, quam tibi vel obtuli, vel præparavi, ac reipsa dedissem, si eam humiliter et instanter postulasses, eique strenue fuisses cooperatus. Quis hoc Dei scrutinium non expavescat?

Anagog. lucerna Jerusalem cœlestis est splendidissima et gloriosissima humanitas Christi, quæ non tantum eam scrutabitur, ne quid in eam intret coinquinatum, sed et eamdem miris et æternis splendoribus irradiabit, lætificabit et beabit: de qua Apocal. 21. 23: *Civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus.*

ET VISITABO SUPER MUROS DEFIXOS, id est, totos immersos, agglutinatos, et, ut hebr. est קופאים *kopheim*, id est, coagulatos, vel congelatos, IN FÆCIBUS, id est, in sordidis et spurcis voluptatibus, puta deliciis et divitiis, SUIS.] Unde Chald. vertit: *Animadvertam in viros, qui summa tranquillitate fruuntur divitiis suis.* Est metaphora à vino aspero fæcibus incubante, quod dum immotum in iis persistit, asperitatem suam vitiumque conservat: unde ut eam ponat, fiatque suavius, ab œnopolis ab iis amoveri, et in aliud vas transferri solet. Sic enim Deus Judæos in Jerusalem otio et opibus diffluentes, ut corruptos eorum mores corrigeret, ex ea transtulit in Babylonem. Alludit Sophonias ad Jeremiæ syn-

chroni sui c. 48. 11. ubi de Moab dicit: *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, et requievit in fæcibus suis; nec transfusus est de vase in vas, et in transgressionem non abiit: idcirco permansit gustus ejus in eo, et odor ejus non est immutatus.* Vide ibi dicta. Ita loci et officii mutatio sæpe homines à suis cupediis, moribus et amoribus avellit. Quocirca sapienter in Religionibus inductum est, ut Religiosi subinde ex uno Monasterio vel Collegio in aliud, ex una provincia in aliam transferantur, ut meminerint se hîc non habere manentem civitatem, sed esse advenas et peregrinos, cives vero Sanctorum et domesticos Dei, in eoque mentem amoremque suum defigant.

Qui dicunt in cordibus suis: Non faciet bene Dominus, et non faciet male,] q. d. Qui cogitant et censent quod Deus non habeat providentiam bonorum et malorum, ut hos puniat, illos præmiet; sed omnia casu vel fato eveniant. Fortuna est, inquiunt, vel fatum, quod omnia regit, quod his bona, illis mala irrogat. Est vox politicorum et atheorum: qui enim in fæcibus peccatorum suorum defixi jugiter hærent, tandem fiunt athei. Amor enim voluptatum, et consuetudo peccandi quam nolunt dimittere, impellit eos et excæcat, ut dicant: Non est providentia; quò liberius ablato Numinis metu peccent, et suis amasiis vel cupediis fruantur, juxta illud psal. 13. 1: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.*

13. Et erit fortitudo eorum in direptionem.] Pro *fortitudo* hebr. est חיל *chel*, quod robur, vires, opes, exercitus significat. Unde Chald. vertit: *Erunt divitiæ eorum in spolium;* Pagnin. *Erit substantia eorum in direptionem;* Tigurina: *Diripientur opes illorum.* Hinc et sequitur: *Et domus eorum* (erunt) *in desertum;* Chald. *Domus eorum in prædam;* Pagnin. *Domus eorum in desolationem;* Tigurina: *Domus eorum vastabuntur.* Divites enim omne suum robur ponunt in domibus et opibus, juxta illud Prov. 18. v. 11: *Substantia divitis urbs roboris ejus, et quasi murus validus circumdans eum.* S. Hieron. tamen, Remig. et Haymo per fortitudinem accipiunt exercitum. Audi S. Hieron. *In die mortis et judicii fortitudo eorum in direptionem erit, ut quod male valebat et erigebatur adversus Dominum, infirmum fractumque vertatur ad melius; velut si quis fortitudinem latronis, et piratæ, et furis diripiat, infirmosque eos reddat, prodest illis sua infirmitas; debilitata enim membra, quibus prius non bene utebantur, à malo opere cessabunt.*

14. Juxta est dies Domini magnus,] puta dies vindictæ et excidii Jerusalem, ac captivitatis Babylonicæ.

Allegor. apte S. Hieron. Remig. Vatabl. imo Ecclesia in Officio defunctorum, hæc omnia adaptat diei judicii. Vide dicta Joelis 2. Prope, ait S. Hier. est dies mortis et judicii, *vel propter æternitatem, quia nihil ei longum est; vel propter pœnæ magnitudinem, quia patienti nunquam longe videtur supplicium quod inferendum est; sive, cum exierimus à seculo, et uniuscujusque mors consummationem mundi fecerit; non solum prope erit, sed et velox nimis.*

Vox diei Domini amara,] quia in illa die erit clangor, strepitus, tumultus et comploratio tum Chaldæorum occidentium, tum Judæorum vel occisorum, vel captivorum, amarus et horrendus. Allegor. S. Hieron. jugiter sentiebat sibi insonare vocem ultimæ tubæ. *Sive*, inquit, *bibo, sive comedo, sive dormio, semper tuba illa insonat auribus meis: Surgite, mortui, venite ad judicium.* Sapientes, qui hanc vocem jugiter audiunt et ruminant.

Tribulabitur ibi fortis.] Chald. *Ibi potentes interficientur;* Pagnin. *Clamat ibi fortis;* Tigurina: *Ibi fortis turpiter ejulabit.* Alii mutata distinctione sic exponunt: *Vox diei Domini prope est, ibi fortes vociferabuntur amarum*, id est, ibi audietur vox atrox et horrenda Chaldæorum expugnantium Jerusalem civesque trucidantium; et alleg. Angelorum tuba canentium, orbique excidium et finem adducentium in die judicii.

Dies iræ.] Ad litteram loquitur de die excidii Jerusalem per Chaldæos; allegor. de die judicii. Septuag. *Dies iræ dies illa, dies tribulationis et necessitatis, dies miseriæ et perditionis, dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et nebulæ, dies tubæ et clamoris;* Chald. *Dies afflictionis et angustiæ, dies tumultus et commotionis, dies tenebrarum et caliginis, dies nubilosus et obscurus, dies buccinæ et jubilationis;* Pagnin. *Dies iræ dies illa, dies angustiæ et afflictionis, dies tumultus et desolationis, dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et caliginis, dies tubæ et taratantaræ.* Exaggerationes hæ acerbitatem, horrorem et atrocitatem illius diei significant et repræsentant. Tigurina: *Dies excandescentiæ dies illa, dies angoris et coangustationis, dies desolationis et devastationis, dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et nebulæ, dies buccinæ et classici.* Vide dicta Joel. 2. 2. Meditans et concionator singula hæc diei illius epitheta ruminet, expendat, ponderet et urgeat, v. g. Dies hujus vitæ est dies gratiæ, illa futuræ vitæ et judicii erit dies iræ; quia in illa Deus omnem suam iram per sex annorum (quibus eum jugiter in hoc mundo offenderunt et irritarunt peccatores) millia collectam, totam simul uno impetu quasi torrens effundet in impios; secundo illa dies erit dies tribulationis, quia tribulam omnium afflictionum aget super impium Deus, dicetque: *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum*, Apoc. 18. 7; tertio, erit dies angustiæ, quia ab omni parte arctabuntur reprobi. Si enim aspiciant sursum, videbunt judicem iratum, spirantem fumos. Si deorsum, videbunt flammas gehennæ sibi paratas. Si retro, videbunt voluptates elapsas jam se deserere et cruciare. Si ante, videbunt æternitatem interminam, eamque miserrimam. Si ad latera, videbunt angelos se relinquentes, et dæmones se invadentes. Si intus, videbunt conscientiam se accusantem et flagellantem; quarto, erit dies calamitatis, id est calamitosissima, adeo ut dicant montibus: *Operite nos;* et collibus: *Cadite super nos*, Osee 6. 8. Apoc. 6. 16. Undique enim pœnæ quasi hostes in eos irruent; quinto, erit dies necessitatis, ut vertunt Septuag. quia necessariam et inevitabilem sententiam et condemnationem subibunt, è qua nec homines, nec Angeli, nec B. Virgo eos volet aut poterit liberare; sexto, erit dies perditionis, quia et famam, et vitam, et lætitiam et animam, et omne bonum perdent in æternum; septimo, erit dies tumultus, ut vertit Chald. quia in tanto et pene infinito damnatorum numero, turbaque condensata et constipata, tam in valle Josaphat

quàm in gehenna, horrendus erit strepitus, clamor, ejulatus; horrenda convicia, maledictiones et blasphemiæ, quibus damnati sociis, parentibus, dæmonibus, Angelis, Deoque maledicent; ringent enim contra se invicem quasi canes ex summo dolore et desperatione; octavo, erit dies tenebrarum, quia ibunt in tenebras exteriores, ubi nunquam videbunt solem, lunam, vel ullum lumen; nono, erit dies turbinis: quia quasi mentis impotes vertigine agentur, et ignis stridens quasi turbo aget eos in gyrum, rapietque in tartara; decimo, erit dies tubæ et taratantaræ, ut vertit Pagnin. id est prælii, quo Deus eos profligabit et conficiet. Rursum erit dies tubæ, quia tuba proclamante educentur coram toto mundo ad locum supplicii, ut plectantur in gehenna; undecimo, erit dies desolationis et devastationis, ut vertunt Pagnin. et Tigurina, quia privabuntur omni consolatione et gaudio, ac replebuntur omni mœrore et tristitia; duodecimo, erit dies jubilationis, ut vertit Chald. quia Sancti jubilabunt, et applaudent justitiæ et vindictæ Dei, ipsisque damnatis insultabunt, ac de iis quasi hostibus profligatis triumphum agent. Sap. 5. 1.

DIES NEBULÆ ET TURBINIS.] Tum proprie; Deus enim pugnat adversus impios, ac præsertim in die judicii pugnabit, cogendo et vibrando in eos nebulas, turbines, fulmina, tonitrua, procellas et grandines. Hi enim milites in castris Dei censentur Psalm. 10. 7. Sap. 5. 22. Sic pro Theodosio pugnans contra Eugenium tyrannum, ventos in eum immisit:

> Revolutaque tela
> Vertit in auctores, et turbine reppulit hastas,

Ait Claudian.

Tum symbolice; nebula enim, tempestas et turbo symbolum et imago sunt horrendi prælii, conflictus, stragis, supplicii et vindictæ, ex alto à Deo detonantis et depluentis in impios, eosque grandinantis. Sic Homerus, Iliade 4, Græcorum agmina quasi procellas irruentes in Trojanos depingit:

> Qualem super æquora nubem
> Sæpe videt celso scopuli de vertice pastor,
> Contractam Zephyri flatu, et caligine nimbos
> Densante picea, et sævam minitante procellam.

Et Homerum de more imitans Virgil. Æneid. 12:

> Qualis ubi ad terras abrupto sidere nimbus
> It mare per medium, miseris, heu! præscia longe
> Horrescunt corda agricolis; dabit ille ruinas
> Arboribus stragemque satis, ruet omnia late.
> Ante volant, sonitumque ferunt ad littora venti:
> Talis in adversos ductor Rhœteius hostes
> Agmen agit.

Et Rursum Æneam in medio conflictus quasi turbinis, ita describit:

> Ac velut effusa si quando grandine nimbi
> Præcipitant, omnis campis diffugit arator, *etc.*
> Sic obrutus undique telis
> Æneas, nubem belli dum detonet.

16. SUPER ANGULOS EXCELSOS.] Chald. *Super collibus exaltatis;* Tigurina: *Super turres excelsas;* hæ enim in angulis palatiorum solent exædificari, q. d. Chaldæi turres altissimas celerrime conscendent, occupabunt. Ita Theod. Lyran. Arias et Vatabl.

17. AMBULABUNT UT CÆCI,] præ metu, angore, horrore et stupore. Videtur enim timor et anxietas timidis, anxiis et perplexis eripere lumen, mentem et oculos, ut nesciant quò fugiant, q. d. Judæi erunt attoniti, ut cæcutire videantur, et ambulare tanquam cæci, præsertim quia adimet eis consiliarios et viros sapientes, qui civitatis et civium sunt quasi mens et oculi, uti prædixit Isaias cap. 3. 3.

EFFUNDETUR SANGUIS EORUM SICUT HUMUS.] Tigurina, *ut pulvis*, scilicet contemptus et nullius pretii, qui omnium pedibus calcatur.

CORPORA.] Cadavera Judæorum insepulta projicientur ut stercora, hoc est, sepultura asini sepelientur, uti sub idem hoc tempus Joakim regi comminatus est Jeremias cap. 22. 19.

18. AURUM NON POTERIT LIBERARE EOS,] quia Chaldæi truculenti Judæorum vitam quærent, non aurum.

IN IGNE ZELI EJUS (Domini) DEVORABITUR OMNIS TERRA,] scilicet Judææ; de ea enim agit. *Ignem zeli* vocat iram vindictæ, vel iram vindicem. Ira enim vocatur *ignis*, quia in ira, ebulliente sanguine effervescimus et ignescimus, ut oculis, ore et naribus flammas vomere videamur. Unde illud: *Ignes* vel *iras naribus efflat.* Unde Arabicus Antioch. vertit: *In igne fervoris ejus;* Arabicus Alexand. *In flamma ignis ejus.* Rursum, vindicta vocatur *zelus*, quia hæc in Deo ex ingenti amore nascitur. Alludit enim ad zelum maritorum qui, quia uxores ardenter amant, hinc, si ipsæ adulterentur, et fidem amoremque fallant, acerrime eas puniunt, et sæpe occidunt. Ita Deus, quia populum suum, puta Judæos, ardenter amabat quasi sponsas suas; hinc eos fidem fallentes, et cum idolis adulterantes, amore in indignationem verso gravissime punivit, vastavit et consumpsit usque ad consummationem, id est plene, funditus et consummate. Ita S. Hieron. Loquitur, ut dixi, ad litteram de die excidii Jerusalem per Chaldæos, et à pari, vel simili, de die excidii ejusdem per Titum et Romanos, de quo S. Hieron. *Usque in præsentem*, ait, *diem videas Judæos prohiberi ingredi Jerusalem excepto planctu; et ut ruinam suæ eis flere liceat civitatis, pretio redimunt, ut qui quondam emerant sanguinem Christi, emant lacrymas suas. Videas in die quo capta est à Romanis et diruta Jerusalem, venire populum lugubrem, confluere decrepitas mulierculas, et senes pannis annisque obsitos, in corporibus et in habitu suo iram Domini demonstrantes. Congregatur turba miserorum, et patibulo Domini coruscante, ac radiante* ἀνάστασει *ejus, de Oliveti monte quoque crucis fulgente vexillo, plangere ruinas templi sui populum miserum, et tamen non esse miserabilem, etc. et dubitat aliquis, cum hæc videat, de die tribulationis et angustiæ?*

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

HORTATUR JUDÆOS AD POENITENTIAM, UT EVADANT STRAGEM CHALDÆORUM, QUAM SUBITURÆ SUNT VICINÆ GENTES. UNDE V. 4. GAZÆ, ASCALONI, AZOTO, ACCARON, AMMON, MOAB, AC V. 12. ÆTHIOPIÆ, QUIN ET V. 13. IPSI NINIVÆ ORBIS DOMINÆ EXCIDIUM INTENTAT; SIMUL UT SOLETUR JUDÆOS HORUM POPULORUM, UTPOTE JUDÆIS HOSTILIUM, CLADE ET INTERITU.

1. CONVENITE, congregamini, gens non amabilis : 2. priusquam pariat jussio
quasi pulverem transeuntem diem, antequam veniat super vos ira furoris
Domini, antequam veniat super vos dies indignationis Domini. 3. Quærite
Dominum, omnes mansueti terræ, qui judicium ejus estis operati : quærite
justum, quærite mansuetum : si quomodo abscondamini in die furoris Do-
mini. 4. Quia Gaza destructa erit, et Ascalon in desertum, Azotum in
meridie ejicient, et Accaron eradicabitur. 5. Væ qui habitatis funiculum
maris, gens perditorum ! verbum Domini super vos Chanaan terra Philisthinorum, et disper-
dam te, ita ut non sit inhabitator. 6. Et erit funiculus maris requies pastorum, et caulæ pe-
corum : 7. et erit funiculus ejus, qui remanserit de domo Juda : ibi pascentur, in domibus
Ascalonis ad vesperam requiescent : quia visitabit eos Dominus Deus eorum, et avertet captivi-
tatem eorum. 8. Audivi opprobrium Moab, et blasphemias filiorum Ammon : quæ exprobrave-
runt populo meo, et magnificati sunt super terminos eorum. 9. Propterea vivo ego, dicit Dominus
exercituum Deus Israel, quia Moab ut Sodoma erit, et filii Ammon quasi Gomorrha, siccitas
spinarum, et acervi salis, et desertum usque in æternum : reliquiæ populi mei diripient eos,
et residui gentis meæ possidebunt illos. 10. Hoc eis eveniet pro superbia sua : quia blasphema-
verunt, et magnificati sunt super populum Domini exercituum. 11. Horribilis Dominus super
eos, et attenuabit omnes deos terræ : et adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ Gen-
tium. 12. Sed et vos Æthiopes interfecti gladio meo eritis. 13. Et extendet manum suam super
Aquilonem, et perdet Assur : et ponet speciosam in solitudinem, et in invium, et quasi deser-
tum. 14. Et accubabunt in medio ejus greges, omnes bestiæ gentium : et onocrotalus, et ericius in
liminibus ejus morabuntur : vox cantantis in fenestra, corvus in superliminari, quoniam attenuabo
robur ejus. 15. Hæc est civitas gloriosa habitans in confidentia : quæ dicebat in corde suo :
Ego sum, et extra me non est alia amplius : quomodo facta est in desertum cubile bestiæ ?
omnis qui transit per eam, sibilabit, et movebit manum suam.

1. CONVENITE,] hebr. התקוששו *hitkoscesu*, id est colligite, adunate vos in cœtum, sicut stipulæ et paleæ colliguntur et constringuntur in fasciculos. Unde Septuag. et Chald. vertunt, *congregamini* et συνδέθητε, id est *colligamini:* male enim quidam legunt συνδεήθητε, id est comprecamini, ait Theodor. Hortatur enim populum, ut simul omnes coeant in templum, ibique unanimiter per preces et pœnitentiam communem Deum placent, ac ipsi quasi vim faciant, itaque comminata mala vertant, et flagellum è manu ejus extorqueant, q. d. *Convenite in Ecclesia, sociamini vobis charitate et pace,* ait S. Hieron. nimirum ut, sicut grana in acervos, stipulæ in fasciculos colliguntur, ita vos mutuis et communibus charitatis et pietatis studiis conveniatis in unam religionem, ecclesiam, litaniam et supplicationem, ut hac unione prævaleatis iræ Dei Deumque vobis reconcilietis. Quare minus recte Rabbini, et ex iis Pagnin. Tigurin. et Vatabl. vertunt : *Scrutamini vosipsos, et scrutamini* deinde alios, ut scilicet prius vestram, deinde alienam conscientiam emundetis, et inducatis ad pœnitentiam. Hebr. enim קוש *kos* non significat scrutari conscientiam, sed colligere, acervare, congregare.

Tropol. S. Hier. hæc applicat cuique è seculo migranti, q. d. : *O tu qui seculi negotiis occupatus per diversa discurris, revertere in sanctorum ecclesias, et junge te eorum vitæ et cœtui, quos vides placere Deo; et dissoluta membra animæ tuæ, nec sibi cohærentia, in unam sapientiæ coge compagem; et illius hære complexui, et audi mystice : Confortamini, manus dissolutæ, et ge-*

nua debilia, solidamini. Nec glorieris in bonis carnis, et ejus flore qui præterit. Omnis enim caro fœnum, et omnis ejus gloria quasi flos fœni. Aruit fœnum, et flos decidit; verbum autem Domini manet in æternum. Subdit deinde aliud: *Possumus*, inquit, *hoc capitulo uti pro tempore, si quando viderimus aliquem honoribus seculi deditum, et congregandis divitiis occupatum, ad ecclesiam, vel raro, vel nunquam venire, et dicere ad eum: Congregare et conjungere populo Dei, qui Domini præcepta non audis, antequam gloria tua pertranseat, antequam dies tibi furoris Domini adveniat.*

Gens non amabilis.] Hebr. לא נכסף *lo nichsaph*, id est, ut Pagnin. *Gens non desiderabilis*, q. d. O Judæi, vos estis gens non amore, sed odio Dei digna, Deoque ob peccata invisa et exosa. Unde Septuag. vertunt: *Gens inerudita*, quæ scilicet doctrinam et disciplinam Dei ignorat et respuit; Tigurina: *Gens non desiderans*, scilicet Deum Deique legem; Chald. *Generatio nolens converti ad legem;* Syrus: *Gens non correpta*, non erudita, absque disciplina; Arabicus Antioch. *Gens quæ non probatur*, hoc est, tentatione vel afflictione non examinatur; Arabicus Alexandr. *Gens insipiens*. Est liptote, sive miosis; minus enim dicitur, et majus intelligitur, *non amabilis*, id est, inamabilis, quæ nequit amari, invisa, odiosa. Sic Plautus in Bacch. *Incredibilis, impos animi, inamabilis, illepidus vivo.* Et Virgil. 6. Æneid. de Styge: *Tristique palus inamabilis unda*, id est, palus summe horrida et exosa. Idem 3. Georg.

Quis aut Eurysthea durum,
Aut illaudati nescit Busiridis aras?

illaudati, id est vituperati, infamis et sceleratissimi: Busiris enim hospites suos diis mactabat ad aras, cumque pariter Herculem mactare vellet, ab eo mactatus est. Sic Script. sæpe idolum, vel peccatum, vocat vanum, vel inutile, id est, maxime damnosum et nocentissimum. Secundo, Judæi vocantur: *Gens non amabilis*, quia cæteris gentibus erant invisi, tum ob religionis et fidei differentiam, tum quod cum eis nullum haberent commercium, affinitatem vel conjunctionem, imo eas aversarentur, Ita Pineda, libr. 1. de Rebus Salom. cap. 1.

2. Priusquam pariat jussio, etc.] q. d. Congregamini ad publicas preces et lamenta, antequam Deus jussu suo pariat et producat diem excidii et captivitatis Babylonicæ, qui transibit ut pulvis, hebr. כמוץ *cammots*, id est, ut palea et gluma, hoc est, erit ut turbo qui violenter pulverem et paleas dispergit, ac celerrime transit omnia miscens, obnubilans, diripiens et auferens. Ita S. Hieron. Theodor. Remig. Hugo et Lyran. Verum Septuag. paraphrastice pro pulvere aliam dant similitudinem, nimirum floris: *Antequam*, inquiunt, *sitis sicut flos pertransiens die*, qui scilicet eodem die quo mane oritur, vespere occidit, q. d. Ne sicut flores verni illico defluatis, divina ira quasi turbine vos decutiente, inquit Theodor. Similiter Chald. aliam addit similitudinem umbræ: *Antequam*, inquit, *prodeat in vos edictum domus judicii, et similes sitis glumæ quam perflat ventus, et umbræ quæ transit à conspectu diei*, nimirum *antequam veniat super vos vehemens ira Dei:* illa enim erit implacabilis, nec dabit locum obsecrationi aut pœnitentiæ.

3. Quærite Dominum, omnes mansueti terræ.] q. d. Omnes quidem, sed vos maxime qui estis humiles et mansueti, obsecrando quærite Deum, eumque assiduis gemitibus fatigate, si forte eum toti populo indignantem lenire et placare possitis. Ubi nota nullos posse lenire iram Dei, eamque toti genti propitiare, nisi humiles et mansuetos, qualis fuit Moses. Num. 12. 3. et Exodi 32. 32.

Qui judicium ejus estis operati.] *Judicium*, id est, id quod æquum et justum est, puta id quod lex sancit et præcipit. Sic psalm. 118. sæpe lex Dei vocatur *judicium*. Ita S. Hieron. unde explicans subdit:

Quærite justum, hebr. צדק *tsedec*, id est, *justitiam*, quærite mansuetum,] hebr. ענוה *anava*, id est, *mansuetudinem;* Pagnin. *humilitatem;* alii, *paupertatem*, q. d. Estote justi et mansueti, facite opera justa, idque mansuete, conversatio vestra sit justa, æque ac mitis, modesta, et in omnibus actibus, motibus et moribus composita. Hanc enim morum compositionem facit humilitas et mansuetudo. Ita Theodoretus.

Aliter S. Hieron. Remig. Albertus et Hugo, qui per justitiam et mansuetudinem accipiunt Deum, qui est ipsa increata et immensa justitia et mansuetudo, q. d. Quærite Deum operando judicium, id est opera justa: ipse enim justissimus est, æque ac mansuetissimus. Quocirca, quia justissimus, respiciet opera justa: quia mansuetissimus, pœnitentes in gratiam clementer recipiet. Hæc ergo duo vos abscondent et protegent ab ejus ira et furore.

4. Quia Gaza destructa erit.] Dat causam cur furorem Dei expavescere debeant, ideoque studere ut per opera pœnitentiæ et justitiæ eum à se avertant; quia scilicet tantus erit furor Dei, tantum robur et impetus Chaldæorum, militum ejus, ut ipsi venientes in Judæam, etiam vicinos Philisthinos, qui sæpe Judæis sunt dominati, sint vastaturi, q. d. Multo ergo magis vos, ô Judæi, Chaldæos formidare debetis: vestrum enim ipsi proprie, ita destinante Deo, sunt flagellum: vobis enim ita iratus est Deus, ut non tantum vos, sed et propter vos, vicinas gentes sit vastaturus. Vos enim, quia fideles Deum cognoscentes, imo Deo quasi consecrati magis eum offendistis colendo idola, etc. quàm gentes infideles quæ Deum non cognoverunt. Cum ergo illas puniturus sim, multo magis vos puniam et vastabo. Aliter hæc præcedentibus connectit à Castro, quasi dent causam cur dixerit: *Si quomodo abscondamini in die furoris Domini*, q. d. Vos liberabimini ex illa communi clade et captivitate Babylonica (quia inde redibitis) è qua nulla alia gens se poterit liberare, quia Gaza funditus destruetur. Aut q. d. Dominum precibus et actionibus justis propitiate: forte vos proteget aliqua ratione sibi nota, quam nos ignoramus: fugere enim ad vicinas gentes non licebit, quia Gaza destruetur.

Nota. Quinque erant satrapiæ Philisthinorum, quarum metropoles totidem erant hæ, Gaza, Accaron, Azotus, Ascalon, Geth: in quibus nominibus elegans est paronomasia in Hebræo. Ait enim עזה עזובה *azza azuba*, Gaza erit derelicta, aut, ut latine eam imitemur, Gaza erit vasta, vel vastata: forte etiam alludit ad nomen persicum *gaza*, quod opes significat, q. d. Gaza olim habuit gazam, eamque recondidit: at nunc

ea privabitur, eritque derelicta : imo putant aliqui Gazam nuncupatam à gaza persica ob opulentiam urbis. Verum Gaza hoc nomen habuit tempore Davidis ante regnum Persarum. Quocirca verum etymon Gazæ est hebræum. Hebr. enim vocatur עזה *azza*, id est, fortis : erat enim situ et arte insigniter munita. Pro *Azza* enim Septuag. dixerunt *Gaza*, quia litteram hebræam *ain* sæpe vertunt in G, ut pro *Amora* vertunt *Gomorrha*, pro *omor* vertunt *gomor*.

AZOTUM IN MERIDIE EJICIENT,] q. d. Chaldæi Azotios non clam et furtim, sed palam clara luce, collata acie expugnabunt. Ita S. Hieron. Remig. Albert. et Hugo.

ACCARON ERADICABITUR.] Hebr. est paronomasia עקרון תעקר *Accaron teacker*, q. d. Accaron, quæ hebr. ab eradicando dicitur, estque idem quod eradicatio, à Chaldæis eradicabitur, id est, funditus evertetur.

Moraliter Lyran. Per *Philisthæam*, inquit, quæ *potione cadens* interpretatur, ebrietas bene significatur, ad quam sequitur destructio fortitudinis corporalis. Proverb. 23 : *Cui væ, cujus patri væ, cui rixæ, cui foveæ, cui sine causa vulnera, cui suffossio oculorum? nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis?* et hoc significatur per destructionem Gazæ, quæ fortitudo interpretatur. Secundo, ad ebrietatem sequitur hebetatio discretionis, quæ significatur cum subditur : *Et Ascalon in desertum :* nam *Ascalon* interpretatur *ponderatio ;* actus autem humani debent discretionis judicio ponderari. Tertio, per ebrietatem destruitur amicitia charitatis. 3. Esdræ 2. 22 : *Et non meminerunt, cum biberunt, amicitiam, nec fraternitatem ; sed non multum post sumunt gladios;* et hoc significatur per destructionem Azoti, cum dicitur : *Azotum in meridie ejiciam :* nam communiter circa meridiem incurrunt homines ebrietatem. Quarto, per ebrietatem consumitur snbstantia corporalis. Eccli. 19 : *Operarius ebriosus non locupletabitur ;* et hoc significatur cum dicitur : *Et Accaron eradicabitur : Accaron* enim *pascua gregis* interpretatur; et convenit substantiæ temporali, per quam omnia ad victum pertinentia habentur.

Audivi opprobrium Moab, etc. Hìc describitur destructio quatuor gentium. Primi sunt Moabitæ, qui interpretantur *ex patre ;* ideo significant blasphemos, quibus dicitur Joan. 8 : *Vos ex patre diabolo estis.* Secundi sunt Ammonitæ, qui interpretantur *populi dolorum ;* ideo significant invidos, qui dolent de bonis aliorum. Tertii sunt Æthiopes, qui *tenebrosi* interpretantur, et ideo significant hæreticos, qui tenebris errorum obfuscantur. Quarti sunt Assyrii, qui interpretantur *facturæ vigilantes ;* ideo significant latrones, qui de nocte vigilant ad malefaciendum. Isti vero quatuor hominum modi sunt per divinum judicium, nisi pœniteant, æternaliter condemnandi. Hucusque Lyranus.

5. FUNICULUM MARIS,] id est, partem vel oram maritimam. Est metonymia : quia enim olim funiculis agros et prædia dimetiebantur et dividebant, hinc funiculus significat partem possessionis, sive sortem hæreditariam quæ cuique partito obtingit, ut psal. 15. 6 : *Funes ceciderunt mihi in præclaris*, hoc est, ut explicans subdit : *Etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Sensus est, q. d. Væ vobis Cerethim, qui habitatis circa oram maritimam maris Mediterranei ! nam perdet et vastabit vos Nabuchodonosor.

GENS PERDITORUM.] Hebr. *gens Cerethim.* Jam vox *Cerethim* dupliciter accipi potest. Primo, ut nomen proprium gentis. Ita accipiunt Hebræi, Clarius, Vatabl. Arias, Pagnin. et Septuag. qui vertunt, *accolæ Cretensium.* Cerethim ergo idem sunt quod Cretes et Cretenses.

Secundo, ut appellativum. Unde Aquila, quinta Editio et Theodot. vertunt : *Gens perditionis ;* Noster : *Gens perditorum ;* Tigurina : *Gens vastatrix. Cerethim* enim deducitur à כרת *carat,* quod significat exscindere, occidere, perdere, inde derivantur *Cerethim*, q. d. Perditores, excisores, interfectores, qui omnes et omnia perdunt, occidunt, devastant : erant enim Cerethim gens fera et bellicosa. Ad hoc etymon alludit Sophonias, q. d. O Cerethim, eratis olim Cerethim, id est, perditores et vastatores; jam eritis כרותים *caruthim*, id est, excisi et vastati : olim perdebatis alios, jam vos ipsi perdemini; occident enim vos et exscindent Chaldæi. Unde Symmachus vertit : *Genus exterminatum;* Arias : *Gens interficienda,* quia excidio Chaldæorum destinata.

Quæres : Quænam fuit gens Cerethim? Primo, S. Hieronym. Ribera et Clarius censent Philisthinos omnes vocari Cerethim, id est excisores, quia erant sævi et bellipotentes; unde continua bella gesserunt cum Judæis, eisque sæpe dominati sunt, ut patet ex libr. Judicum et Regum. Sophonias enim videtur mox hosce *Cerethim* vocare *Chanaan* et *Philisthiim.*

Verum dico non omnes Philisthinos, sed certam eorum regionem sitam ad Meridiem, vocari Cerethim. Ita Abulens. in libr. 1. Reg. cap. 30. quæst. 10. Vatabl. Emmanuel, Mariana, Arias, à Castro hìc, et Prado Ezech. 25. sub finem. Id ita esse patet 1. Reg. 30. 14 : *Erupimus,* ait, *ad Australem plagam Cerethi, et contra Judam, et ad meridiem Siceleg*, quod v. 16. explicans ait : *Quæ ceperant de terra Philisthiim et de terra Juda.* Cerethim ergo erant pars terræ Philisthiim meridionalis. Secundo, quia ex hac gente collectæ sunt duæ legiones Davidis prætorianæ et fortissimæ, et, ut Joseph. lib. 7. Antiq. c. 11. ait, corporis regii custodes, qui circa aulam versantur (quales jam apud reges sunt Helvetii). Hæ enim dictæ sunt *Cerethi,* quasi interfectores; et *Phelethi,* quasi liberatores, à robore et virtute bellica: quia regem ejusque asseclas ab omni periculo hostium liberabant, hostesque ejus interficiebant. Unde ad nomen æque ac ad ministerium Cerethi et Phelethi alludere milites *cetratos* et *peltatos,* de quibus Livius 3. decad. lib. 1, suspicatur Pineda, lib. 2. de Rebus Salom. cap. 5. numer. 5. atque à פלט *palat*, id est liberavit, deduci nomen *pelta*, qua protegimur et liberamur ab hostili ictu. Chald. vertit, *sagittarios et fundibularios*, licet ea non sit vocum etymologia, sed muneris eorum et officii notatio. Audi Scripturam 2. Reg. 15. 18, fugiente Davide Absalonem : *Universi servi ejus ambulabant juxta eum, et legiones Cerethi et Phelethi ;* et 1. Paral. 18. 17: *Banaias filius Joiadæ super legiones Cerethi et Phelethi.* R. Kimchi putat hosce milites Davidis fuisse Israelitas; unde Pagnin. in Interpret. nominum propriorum Hebr. censet *Cerethim* dictos quasi accolas Carith torrentis in Tribu Ephraim, ubi Elias pastus fuit à corvis 3. Reg. 17. 5. Verum exteros potius, puta Philisthæos, fuisse indicat Sophonias, et Ezechiel c.

25. 16. ubi eos vocat Palæstinos. Videtur enim David, cum profugit à Saule ad Philisthæos, puta ad Achis regem Geth, inde eos secum adduxisse. Rediens enim ex Geth urbe Philisthæa, adduxit secum sexcentos viros, et Cerethi et Phelethi, quos deinde et fortissimos et fidissimos corporis custodes habuit.

Porro noster Prado loco citato opinatur ab hisce Cerethim, puta ex Philisthæa maritima, nimirum à Phœnicibus hisce Cerethis, vel Cretis, habitatam et nominatam esse Cretam insulam. Creta enim videtur colonia Phœnicum, qui navibus valebant, ideoque vicinas insulas navigando lustrantes, eò deducebant colonias : unde et in Creta portus erat cui nomen Phœnix, Actor. 17. 12. Hinc et Creta dicta est quasi Cureta, ab incolis Curetibus, puta Cerethim. Alii, ut Theodor. ex adverso opinantur Cretenses insulanos coloniam deduxisse in Phœniciam et Philisthæam, ideoque hosce Cerethim ortos esse à Cretensibus. Unde Septuag. vertunt, παροικοι Κρητων, id est, advenæ Cretensium, qui scilicet ex Creta in Philisthæam advenerant : nimirum Septuag. inquit S. Hieron. *pro* גוי *goi, id est gens, legerunt* גר *ger, id est advena* (licet græcum παροικοι non tantum advenas, sed et accolas, vel incolas quoslibet significet, ut sit idem quod Hebr. *goi*). Vide dicta Ezech. 25. 16. Hinc et Cretenses in re nautica excelluerunt, ait Strabo. Unde Proverbium ironicum : *Cretensis mare nescit*, de eo qui id se scire dissimulat quod callet optime. Creta enim, licet sit insula, videtur tamen primitus inhabitata, ob soli bonitatem. Nullum enim in Creta animal noxium est ; optimique vini, quod vulgo Malvasia dicitur, est fertilissima. Unde Virgil. Æneid. 3 :

> Creta Jovis magni medio jacet insula ponto,
> Mons Idæus ubi, et gentis cunabula nostræ,
> Centum urbes habitat magnas, uberrima regna.

Hinc et Jupiter fuit Cretensis, ibique regnavit. Insuper Cretenses olim bellicosos fuisse, æque ac Cerethim, patet tum ex historiis, tum ex veteri epitheto : *Pugnaces* enim *Cressæ* vocantur canes Cretenses, de quibus Seneca in Hippol.

> Teneant acres lora molossos,
> Et pugnaces tendant Cressæ
> Fortia trito vincula collo.

Denique Strabo l. 10. celebrat Cretensium virtutem bellicam, et in alias regiones transmigrationes.

VERBUM DOMINI SUPER VOS CHANAAN (ô Chananæi, qui estis) TERRA PHILISTHINORUM,] q. d. Verbum Domini contra Philisthinos, qui sunt Chananæi : Philisthæa enim erat pars terræ Chanaan, Josue 13. 3. Significat non solos Cerethim, sed omnes omnino Philisthinos vastandos.

6. ET ERIT FUNICULUS MARIS REQUIES PASTORUM, ET CAULÆ PECORUM,] q. d. Ita à Chaldæis vastabuntur Cerethim omnesque Philisthini, qui incolunt oram maritimam, ut terra eorum desolanda sit et vertenda in pabula et stabula pecorum. Septuag. rursum de Creta hæc accipiunt : *Et erit*, inquiunt, *Creta pascua gregis, et ovile pecorum*, quod mystice exponens S. Hieronym. *Cretenses*, ait, *semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri*. Ad Titum 1. *Qui fluctuant et circumferuntur omni vento doctrinæ, in deceptione hominum, in versutia erroris : isti cum debuerint in terra confessionis, id est, in terra habitare Judææ, voluerunt magis advenæ esse Cretensium, qui diversis maris fluctibus hinc inde tunduntur, et sonant ære Corybantino, et sunt juxta Apostolum quasi cymbalum tinniens. Et quia advenæ sunt Cretensium, ideo sermo Dei, hoc est comminatio, fit ad illos. Et dicuntur terra Chanaan semper in fluctu, semper in motu; et terra Allophylorum* (Philisthinorum) ; *alieni enim à Deo in funiculo maris et in Cretæ regione versantur. Fit itaque ad eos sermo Dei, vel in fine mundi, vel quotidie per Ecclesiasticos viros, etc., ut ejiciantur de Creta, et perdantur de pristinis habitationibus suis ; et illa regio, quæ prius gregem perditum continebat, incipiat esse ovile pecorum Christi ; et Judas, id est vera confessio, habitet in funiculis maris*, q. d. *Cretenses, id est infideles, errones et hæretici, qui prius in Creta et in mendacio pascebantur*, fient ovile Christi, ibique ejus veritate et sanctitate pascentur.

7. ET ERIT FUNICULUS EJUS (maris, puta sors et terra Philisthinorum erit illius) QUI REMANSERIT DE DOMO JUDA,] q. d. Judæi reliqui ex captivitate Babylonica redeuntes possidebunt Philisthæam à Chaldæis vastatam, ibique quasi in deserto pascent pecora sua. Factum id sub Machabæis, Simone et Jonatha, qui ceperunt Gazam et Ascalonem, ac Philisthæos subegerunt. Uti ex Theod. et aliis dixi in Abdia sub finem.

Alleg. Apostoli è Jerusalem et Juda prodeuntes Philisthæam converterunt, eamque fecerunt caulam et ovile Christi. Ita Philippus diaconus evangelizando perambulavit Gazam et Azotum, Act. 8 ; unde subdit : *Ibi pascentur in domibus Ascalonis*, id est, *ubi prius diaboli et interfectorum manabat cruor. Ascalon enim interpretatur ignis homicida*, inquit S. Hieron.

QUIA VISITABIT EOS (scilicet Judæos qui remanserint in Babylone) DOMINUS DEUS EORUM, ET AVERTET CAPTIVITATEM EORUM,] quia captivos per Cyrum remittet in Judæam.

8. AUDIVI OPPROBRIUM MOAB (cujus metropolis est Areopolis, id est civitas Martis) ET BLASPHEMIAS FILIORUM AMMON] quorum metropolis est Philadelphia, ait S. Hieron. q. d. Audivi probra et convicia, quæ in vos, ô Judæi, jactarunt Moabitæ et Ammonitæ. Insultarunt enim vobis dum Jerusalem caperetur à Chaldæis, ideo ipsos per eosdem Chaldæos puniam, et pari modo evertam. Ita Chald. Albert. Lyran. Arias et Vatabl. Ubi nota : Pro *blasphemias* hebr. est גדופים *gidduphim*, id est, sannas, probra, convicia, quæ vulgus vocat blasphemias, id est maledicta. S. Hieron. tamen et Theodoret. proprie accipiunt blasphemias, quas scilicet Ammonitæ jactabant in Deum, dicentes : Ecce Deus Judæorum invalidus est, nec potest eos tueri à vi Chaldæorum. Simili modo Rabsaces blasphemavit Deum, Isaiæ 37. v. 10.

ET MAGNIFICATI SUNT (hebr. יגדילו *iagdilu*, id est, *magnificarunt*, active, scilicet tum animos, tum os et linguam) SUPER TERMINOS EORUM,] arroganter scilicet et superbe irridendo Judæos, ac jactando quod terram et terminos eorum à Chaldæis vastatos essent invasuri et occupaturi, uti explicat Ezechiel cap. 35. 12. et Abdias v. 12. Ita S. Hieronym. Albert. Lyran. et Arias. Potest secundo verti, *magnificarunt*, scilicet os, *super terminos suos*, q. d. Ammonitæ magnifica et superba locuti sunt contra populum meum, dum ipse abductus in Babylonem transivit per fines eorum. Ita Vatabl.

9. Propterea vivo ego, dicit Dominus exercituum Deus Israel (puta tutor et vindex Israelis, qui injurias et probra eis ab Ammonitis et Moabitis irrogata puniam et ulciscar), quia Moab ut Sodoma erit, et filii Ammon quasi Gomorrha,] nimirum funditus exscindentur, perinde ac si igne de cœlo siderarentur, uti sideratæ sunt Sodoma et Gomorrha, quibus vicina est regio Moab et Ammon. Simili enim modo ipsæ vindicta cœlesti à Deo per Chaldæos afflabuntur et consumentur. Dico simili, non eodem : nam Deus non pluit ignem et sulphur super Moab, pluit super Sodomam.

(Quocirca erunt) siccitas spinarum,] hoc est, ita desolabuntur, ut nil in eis sit reperire nisi siccas spinas. Pro *siccitas* hebr. est ממשק *mimsac*, quod R. Salomon vertit, *crepitatio;* Chald. *derelictio;* alii, *exitus.* Proprie *mimsac* est *excursio*, id est propagatio spinarum. Radix enim שקק *sakac* significat excurrere : spina enim spinam serit, uti fraga fragum, itaque se propagat, ut brevi per totum campum excurrat, eamque occupet. Septuag. pro ממשק *mimsac* legerunt דמשק *dammesec*, id est Damascus. Unde vertunt : *Damascus derelicta erit*, quasi hîc sit prophetia contra Damascum.

Et acervi salis,] q. d. Terra Moab et Ammon ex inundatione maris Mortui (quod mare Salis in Scriptura vocatur) vicini salsuginosa erit, et consequenter sterilis ; Moab enim vicina erat mari Mortuo, Ammon vero mari Galilææ. Pro *acervi* hebr. est מכרה *michre*, quod Chald. Pagnin. et Vatabl. vertunt, *fossam* vel *fodinam salis.* Sal enim aliud est marinum, quod ex aqua maris decocta coalescit ; aliud terrestre, quod ex terra instar bituminis effoditur, ut fit Salisburgi quod ex sale fossili dives est, ex eoque nomen accepit. Hîc verum est illud psalm. 106. 34 : *Posuit terram fructiferam in salsuginem à malitia inhabitantium in ea.* Idque *in æternum*, vel proprie et absolute, uti hîc censent S. Hieron. et Theodor. vel improprie et accommode, scilicet *in æternum*, id est, ad longum tempus. Nam postea habitata et culta fuit Moabitis æque ac Ammonitis. Arabicus Antioch. vertit : *Erunt sicut Gomorrha, quia jam corrupta est fortitudo* (gloria) *eorum; et perierunt dantes consilium eis, et erit corruptio in seculum ;* Arabicus Alexand. *Gomorrha et Damascus peribit sicut palea manipulorum, et erit perditio eorum in æternum ;* Syrus : *Corrupta* (depravata, adulterata) *est planta* (plantatio) *earum, et periit maluchen*, id est, *pulvis aspersivus earum*, hoc est, nitor, decor et ornatus earum. Hic enim pulvis est cinis cujusdam herbæ, quam Arabes in solitudine colligunt et comburunt, ac in vicinis civitatibus ingenti copia divendunt. Hic enim cinis est quasi sapo quo sericum imbuitur, ut bene coloribus tingatur : eodem utuntur feminæ ad purgationem multarum rerum, quin et suî ipsarum; eo enim se lavant, ut nitidæ et decoræ appareant. Secundo, syrum *meluch* idem est quod hebræum *melach*, id est sal. Unde vertas : *Periit earum sal*, quia scilicet sale aspersa est terra earum, itaque sterilis et arida effecta est; quare tam sal quàm terra sale aspersa periit. Et sic consentit cum Nostro qui vertit : *Moab erit acervi salis*, etc. Tertio, sal quia omnibus cibis miscetur, hinc significat communionem et communicationem, ut notat Andreas Masius in Lexico Syro-Chaldaico Biblior. Reg. pag. 119. Unde vertas : *Nulla erit in Moab communicatio* et hominum frequentia, quia in ea vastata erit solitudo. Omnes hæ versiones eòdem recidunt; significant enim magnam vastitatem et desolationem. Moral. vide hîc vanitatem omnis magnitudinis et magnificentiæ. Cygnea nuper, sed aurea, fuit vox Philippi III. Hispan. Regis in morte : *Nihil juvat regem esse, nisi ut in morte cruciet fuisse.* Audite, principes, audite, Prælati; idem sentietis, idem dicetis in morte quod rex hic præpotens, sapiens et innocentis vitæ.

Reliquiæ populi mei diripient eos,] q. d. Reliquiæ Judæorum Babylone redeuntium diripient Moabitas et Ammonitas. Factum id à Machabæis, puta à Juda 1. Machab. 5. 6. et ab ejus nepote Alexandro, uti docet Joseph. lib. 12. Antiq. c. 11. et lib. 1. Belli c. 3. Allegor. plenius et melius id fecerunt Apostoli, qui Ammon, Moab cæterasque Gentium regiones subegerunt Christo. Ita S. Hieron. qui censet hunc sensum esse litteralem, sed verius est esse allegoricum.

11. Horribilis Dominus super eos.] Chald. Pagn. et Tigur. *terribilis;* hoc enim est hebr. נורא *nora*, à rad. ירא *iare*, id est timuit. Verum Septuag. *nora* vertunt, ἐπιφανής, id est manifestus, à rad. ראה *raa*, id est vidit, q. d. Deus terribilem et manifestam vindictam per Chaldæos, ac deinde per Machabæos, exercebit in Moabitas et Ammonitas, utpote hostes Dei et irrisores Israelis.

Et attenuabit (hebr. רזה *raza*, id est, emaciabit, macie conficiet, inquit Vatabl.) omnes deos terræ,] puta orbis universi. Cœpit hoc impleri per Chaldæos in Ammon et Moab, cum inde idola aurea et argentea diripuerunt, ut censet Hugo : promotum est per Machabæos, qui Ammonitas et Moabitas compulerunt ad judaismum et veri Dei cultum, uti dixi in fine Abdiæ. Verum plane et plene in toto orbe id effectum est per Apostolos tempore Evangelii. Tunc enim peractum est excidium idololatriæ, et vera Dei Christique religio, ubique gentium recepta, toti mundo dominata est. Ita S. Hieron. Theod. Remig. S. August. l. 18. Civit. 33. Euseb. lib. 2. de Demonstr. Evang. cap. 16. et alii passim. Assurgit ergo Propheta à typo ad antitypum, à Judæis ad Christum et Christianos, qui non tantum Moab et Ammon, sed omnes gentes occuparunt, Deique cultu, sublatis idolis, imbuerunt, q. d. Deus hostes suos suique populi, puta Ammon et Moab, eorumque deos dejiciet per Apostolos, facietque ut quæque gens non in sola Jerusalem, uti Judæi, sed ubique terrarum, quælibet in suo loco et regione, Christum Deumque verum colat, invocet et sacrificet. Unde pro *et* hebr. est כי *ki*, id est *quia*, *quoniam ;* quod sæpe habet emphasim, estque nota auxesis, significans idem quod *imo*, *quinimo.* Addit à Castro esse notam admirantis, et significare *quid?* q. d. Dixi Deum subacturum Ammon et Moab. Quid? parum dixi; addo multo majora : Attenuabit et disperdet omnes deos Gentesque per universam terram. Verum exempla nulla produci possunt, quæ hanc significationem evincant : quæ enim ipse profert, potius significant *ki* idem valere quod *imo.*

Omnes insulæ Gentium.] Judæi, uti dixi Isaiæ 49. 1. non solum Cyprum, Cretam, Sici-

liam, sed et Italiam, Galliam, Hispaniam, cæterasque Europæ provincias nuncupabant insulas, quia ipsis trans mare erant sitæ, ita ut ad illas per mare quasi ad insulas tendere et proficisci deberent. Quocirca S. Chrysost. orat. 2. contra Judæos, docet hîc prophetari vocationem Gentium, et propagationem Evangelii per totum orbem, ideoque huc allusisse Apostolum ad Titum c. 2 : *Audi*, inquit, *quo pacto Evangelia et Apostoli cum prophetia concordent. Hic* (Sophonias juxta Septuag.) *dixit : Illucescet Dominus : Apostolus ait : Illuxit gratia Dei salutaris. Hic inquit : Super Gentes ; ille : Super omnes homines. Hic dixit : Abolebit deos Gentium; ille : Erudiens nos ut abnegantes impietatem ac mundanas concupiscentias sobrie, et juste, et pie vivamus.*

Sed et vos Æthiopes interfecti gladio meo eritis.] Hæc non cohærent cum iis quæ proxime præcesserunt de idolorum excidio per totum orbem, sed superius referenda sunt ad v. 9. q. d. Dixi vastandos esse à Chaldæis Ammonitas et Moabitas ; nunc addo dicoque : *Sed et vos Æthiopes* ab iisdem vastabimini. Nabuchodonosor enim, anno quinto post excisam Jerusalem, invasit et subegit Ægyptum eique vicinam Æthiopiam, ut refert Joseph. l. 10. Antiq. 11. l. 1. contra Apion. et Isaias c. 20. 3. et Jerem. c. 25. Addit S. Hieron. Æthiopes postea quoque vastatos esse à Cyro et à Cambyse vastante Ægyptum : Æthiopia enim sita est trans Ægyptum, ex qua venit Regina Saba ad Salomonem, 3. Reg. 10. 1. in qua jam degunt Abyssini, quibus imperat Preto Joannes. Hæc olim infesta fuit Judæis tempore Asa regis Juda, ut patet 2. Paral. 14. 9 ; ideoque punita est et vastata à Chaldæis.

Porro Æthiopia est pars Africæ, estque duplex, una Orientalis, altera Occidentalis. Inde Æthiopes alii vocantur Eoi, alii Hesperii : *Universa gens Ætheria appellata est, deinde Atlantia, mox à Vulcani filio Æthiope Æthiopia*, inquit Plinius l. 6. c. 30; licet alii ita dictam velint ab αἴθω, id est cremo, et ὤψ, id est aspectus, eo quod solis vicinitate torreatur. Unde Æthiopes faciem habent tostam et atram ; sunt enim subjecti zonæ torridæ. De quibus Virgil. Æneid. 4:

Oceani finem juxta solemque cadentem
Ultimus Æthiopum locus est, ubi maximus Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

Perperam ergo Rabbini per *Chusim*, id est Æthiopes, accipiunt ipsosmet Chaldæos, quasi eorum hîc excidium per Cyrum prænuntietur. Æthiopes enim et Chaldæi toto climate et, ut ita dicam, toto cœlo distant et distinguuntur.

Mystice, Æthiopes sunt peccatores qui ardent ira vel concupiscentia, eaque ita torrentur, ut sint aterrimi et incorrigibiles, in quibus verum est illud proverbium : *Æthiopem lavas, Æthiopem dealbas*, juxta illud Jerem. 13. 23 : *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum;* et Amos 5. 7 : *Numquid non ut filii Æthiopum, vos estis mihi filii Israel?* Tales sunt dæmones, qui proinde pinguntur ut Æthiopes, et ut tales apparuerunt S. Antonio, S. Machario aliisque Sanctis; quos proinde Deus gladio oris sui interficiet in die judicii, quando eos damnabit ad mortem æternam. Ita Abbas Theodosius, uti refert Joann. Moschus in Prato spirit. c. 66. vidit Æthiopem ita procerum et altum, ut nubes vertice tangeret, audivitque ab Angelo : *Cum hoc te luctari oportet ; incipe : mox ut cœperis, ego tibi auxiliabor ; eumque sternes et vinces :* fecit, et vicit. Ita Palladius in Lausiaca c. 52. refert de Apollo Abbate, quod cum oraret : *Aufer à me, Domine, arrogantiam, ne forte elatus superbia super fraternitatem, mulcter omni bono opere*, missa sit ad eum vox divina : *Mitte manum tuam super collum tuum, et deinde pones eam, et infodies in arenam. Is autem cum statim manum misisset super collum, apprehendit parvum Æthiopem, et eum infodit in arena clamantem et dicentem : Ego sum dæmon superbiæ.* Ita Moschus in Prato spirit. c. 160 : *Abbas*, ait, *Paulus narravit nobis, cum sederem in cellula*, etc. *ecce per fenestram ingressus est quasi puer Œthiops, et stans coram me saltare cœpit, psallentique mihi dixit : Senex, nonne bene salto? Ego autem nihil respondi. Tum ille : Ecce putas te male senex magnum aliquid agere. Dico tibi, quia et in sexagesimo quinto et sexagesimo sexto psalmo errasti. Tunc surgens ego procubui ad orationem, et ille evanuit.* Ita in Vitis Patrum l. 5. tract. 5. de fornicat. num. 23. narratur de quodam Monacho, quod apparuerit ei dæmon fornicationis specie Æthiopissæ. *Stetit*, ait, *coram ipso velut mulier Æthiopissa, fœtida et turpis aspectu, ita ut fœtorem ejus sufferre non posset, et abjiciebat illam à se. Et illa dicebat ei : Ego sum quæ in cordibus hominum dulcis appareo ; sed propter obedientiam tuam, et laborem quem sustines, non me permisit Deus seducere te, sed innotui tibi fœtorem meum.* Æthiopes tamen, quibus sua placent, suusque color ater videtur pulcher, diabolum pingunt non atrum, sed album ; non Æthiopem, sed Europæum et candidum ; ita et peccatoribus sua placet deformitas, morumque nigredo apparet et bella et elegans.

13. Extendet (scilicet Deus per Chaldæos percutiens Æthiopes) manum suam super Aquilonem,] ut scilicet percutiat quoque Assyrios, et eorum metropolim Niniven ; Assyrii enim siti sunt ad Aquilonem respectu Judææ. De Assyriis enim hîc agi patet ex eo quod explicans subdit Propheta : *Et perdet Assur, et ponet speciosam ;* Hebr. *Niniven.* Ita S. Hieron. Theodor. Remig. Lyran. Vatabl. Ribera et alii. Quare perperam Arias et aliqui alii per Aquilonem accipiunt Babylonem, quasi ejus excidium per Cyrum hîc prænuntietur. Nota : Post Jonam et Nahum, qui prophetarunt excidium Ninives, mittitur hîc Sophonias ut idem prophetet, ut in ore duorum, imo trium, testium stet et confirmetur hoc Dei verbum. Hinc sequitur Niniven eversam esse post regnum Josiæ (sub eo enim vaticinatus est Sophonias) per Nabuchodonosor, uti probavi Nahum. 2. 1.

Ponet speciosam in solitudinem.] Pro *speciosam*, Hebr. Chald. et Septuag. habent *Niniven* quod hebr. significat speciosam. *Speciosam* ergo hîc est nomen proprium, idem significans latine quod hebr. significat *Ninive.* Solet enim Interpres subinde pro nomine proprio ejus significatum reddere, præsertim quando in eo est vis aliqua, v. g. elegans annominatio, comparatio vel antithesis, uti hîc est. Vide canon. primum quem initio præfixi. Sensus enim est, q. d. Ninive olim fuit Ninive, id est, speciosa domibus, palatiis, turribus et mœnibus ; at

nunc Chaldæi hanc ejus speciem et decorem disperdent et desolabunt : adeo ut fiat lustrum ferarum et bestiarum. Unde subdit :

14. ACCUBABUNT IN MEDIO EJUS GREGES, OMNES BESTIÆ GENTIUM,] scilicet vicinarum, quæ eò adducent suos greges et pecora, ut herbidum Ninives solum depascantur. Ita S. Hieron. Theod. Remig. et Lyran. Aliter Clarius, qui per greges et bestias accipit gentes hostiles et sævas, quæ cum Chaldæis confœderatæ expugnarunt Niniven. Verum hoc mysticum esse patet ex sequentibus. Simile est illud Ovidii 1. Heroid.

Semisepulta virûm curvis feriuntur aratris
Ossa, ruinosas occulit herba domos.

ONOCROTALUS.] Est avis similis cygno, ita dicta à sono quem edit : rudit enim instar asini. Nam ονος est asinus, κροταν est sonare : unde κροταλος est sonitus et crepitus. Hebr. dicitur קאת *kaa*, id est, vomens, eo quod in faucibus habeat ingluviem et sinum instar uteri, quo pisciculos cum aqua excipit; sed aquam revomens piscibus vescitur. Unde avis hæc *gutturosa* cognominatur. Audi Plinium lib. 10. c. 47. *Olorum similitudinem onocrotali habent, nec distare existimarentur omnino, nisi faucibus ipsis inesset alterius uteri genus. Huc omnia inexplebile animal congerit, mira ut sit capacitas : mox perfecta rapina, sensim inde in os reddita, in veram alvum ruminantis more refert.* Addit Ælianus pelecanes (sic ipse vocat onocrotalos) conchis se complere, easque cum stomachi calore concoxerint, evomere, atque ita testis jam alvi calore diductis, eligere ex his quæ sunt esculenta. Quapropter onocrotalus immunda est avis, Judæis lege vetita Levit. 11. 18; est enim gulæ et gulosi exemplum, æque ac symbolum. Audi Alciatum in emblemate gulæ, eam ita pingentem.

Gurgulione gruis tumida vir pingitur alvo,
Qui larum, aut manibus gestet onocrotalum.

Septuag. hîc vertunt, *chamæleontem;* sed Levitici 11. 18. et psal. 102. 7. vertunt, *pellecanum ;* quia ut ibi annotat S. Hier. onocrotalus dicitur quoque pellecanus, forte à pelle cana quam habet : est enim instar cygni qui totus est candidus, et quasi canus. Ita et Oppianus in Ixeuticis, onocrotalum vocat pellecanum, et Gesnerus in onocrotalo, recenset speciem onocrotali pellecano congenerem. Porro hoc animal, uti et ericius, quia solitudinis avidum, hinc summam designat desolationem, q. d. Ninive ita à Chaldæis evertetur et desolabitur, ut amplius in ea non habitent homines, sed onocrotali et ericii, aliaque lucifuga et solivaga animalia.

ERICIUS.] Hebr. קפד *kippod*, quod ex litterarum affinitate *cypselos* esse censet Forerius in Isaiæ 34. 11. quæ sunt aves instar hirundinum, rapidissime volantes super paludes, et vocantur apodes, eo quod breves habeant pedes. Rabbini vertunt, *testudinem*, quam Itali vocant *tartarucam;* Tigurina vertit, *castorem*, qui et fiber dicitur, animal amphibium homini inimicum, æque ac crocodilus, de quo Plin. lib. 32. cap. 3. Verum Septuag. S. Hieron. Pagnin. Vatabl. et alii constanter hîc et Isaiæ 34. 11. vertunt, *ericium.* Porro ericius, sive herix, vel hericius, est herinacius, qui græce εχινος, à vulgo porcellus hortensis nuncupatur, animal spinis horridum, quas ad libitum, vel remittit, vel exertat, dum in globum se colligit. Furunculus est pomorum, quæ spinis suis infigens, iis se onerat, et in antrum suum asportat, in quo tota hieme se condit. Unde symbolum est furis et raptoris, qui manus furaces cum solum se videt, exertat, et clepit quidquid potest; sed cum videri se conspicit, eas contrahit et occultat. Audi Plinium lib. 8. cap. 37 : *Præparant hiemi et herinacei cibos, ac volutati supra jacentia poma, affixa spinis, unum, non amplius, tenentes ore portant in cavas arbores. Iidem mutationem Aquilonis in Austrum, condentes se in cubile, præsagiunt : ubi vero sensere venantem, contracto ore pedibusque, ac omni parte inferiore, qua raram et innocuam habent lanuginem, convolvuntur in formam pilæ, ne quid comprehendi possit præter aculeos. In desperatione vero urinam ex se reddunt tabificam, tergori suo spinisque noxiam, propter hoc se capi gnari. Quamobrem exinanita prius urina, venari ars est, et tum præcipua dos tergori aliàs corrupto, fragili, putribus spinis atque deciduis, etiamsi vivat subtractus fuga : ob id non nisi novissima spe maleficio illo perfunditur.* Et mox : *Calidæ aquæ aspersu resolvitur pila, apprehensusque pede altero è posterioribus suspendio ac fame necatur : aliter non est occidere et tergori parcere. Hac cute expoliuntur vestes.*

VOX CANTANTIS IN FENESTRA,] q. d. In fenestris jam desertis et desolatis considebunt canentque aviculæ. Ita Chald. Tigurin. Pagnin. et Vatabl. Alii, q. d. Pro musicis, et aviculis olim suaviter canentibus in fenestra, succedet horridus cantus corvi in superliminari. Verum passim Interpretes vocem cantantis à corvo sejungunt et dispescunt.

CORVUS IN SUPERLIMINARI,] scilicet crocitabit tristi et ferali voce. Hebr. est חורב *choreb*, id est, æstus, siccitas, desolatio, vastitas. Ita Chald. Tigurin. Pagnin. Arias, Vatabl. Secundo, Aquila vertit, *gladius :* quia pro *choreb*, aliis punctis legit חרב *chereb :* gladius enim omnia desolat et devastat. Tertio, Septuag. et S. Hieron. vertunt, *corvus :* quia pro *choreb* per *chet*, legerunt עורב *goreb* per *ain*, aut certe censuerunt *chet* positum pro *ain*. Hæ enim duæ litteræ, cum sint gutturales fortissimæ aspirationis, ideoque sono vicinissimæ, hinc subinde permutantur, uti pariter *aleph* permutatur cum *he*, quia utraque levis est aspirationis.

Moral. corvorum instar *cras, cras,* canunt qui emendationem vitæ, et sana consilia procrastinant, eaque de die in diem differunt, de quibus S. August. serm. 16. de verbis Domini : *Ipsa,* ait, *res est quæ multos occidit, cum dicunt cras, cras, et subito ostium clauditur. Remansit foris cum voce corvina, qui non habuit gemitum columbinum. Cras, cras corvi vox est.* Talibus et Poeta Martial. intonat lib. 1. epigram. 59 :

Cras vives? hodie jam vivere, Posthume, serum est,
Ille sapit, quisquis, Posthume, vixit heri.

Idem lib. 1. epigram. 16 :

Non est, crede mihi, sapientis dicere, Vivam.
Sera nimis vita est crastina, vive hodie.

Et Seneca epist. 12 : *Sic,* ait, *ordinandus est dies omnis, tanquam cogat agmen, et consummet atque expleat vitam, etc. In somnum ituri læti hilaresque dicamus :*

Vixi, et quem dederat cursum fortuna, peregi.

Crastinum si adjecerit Deus, læti recipimus. Ille beatissimus est, et securus suî possessor, qui crastinum sine sollicitudine exspectat. Quisquis dixit: Vixi, quotidie ad lucrum surgit. Fecit hoc S. Marcella, de qua S. Hieron. epist. 16. ad Principiam ejus filiam : *Sic*, ait, *ætatem duxit et vixit, ut semper se crederet esse morituram : sic induta est vestibus, ut meminisset sepulcri, offerens se hostiam rationabilem, vivam, placentem Deo.* Ita S. Antonius moriens suis præscripsit ut quotidie mane cogitent, sibique persuadeant illum diem fore vitæ ultimum : quocirca ita vivant ac si eo die sint morituri, uti refert S. Athanas. in ejus Vita. E Societate nostra P. Joan. Maldonatus editis libris celebris, quotidie quinquies, mortis memoriam, imo præsentiam, sibi ob oculos ponebat, indagabatque nunquid esset in conscientia, quod in hora mortis eum angere et affligere posset; et si quid reperiret, illico illud per confessionem, vel eo modo quo congruebat, tollebat, itaque stabat semper in procinctu quietus et securus, paratus ad mortem. Beatus qui hoc su[s] de morte examen crebro secum obit. Beatus qui vivit tanquam semper moriturus, et studet tanquam semper victurus, ait S. Hieronymus.

Symbol. feralis corvi vox, Cras, cras, strages et funera quæ præsentit quibusque inhiat, non raro portendit futura, vel facta significat, uti hoc loco.

Quoniam attenuabo robur ejus.] Legit Interpres ארזה עזו *arze uzzo*, id est, *emaciabo, attenuabo robur ejus*, puta Ninives. Jam legunt ארזה ערה *arza era*, id est, *cedrum ejus nudabo.* q. d. Destruam per Chaldæos tecta et tabulata Ninives fabricata ex cedro : hinc concident ruentque, quo fiet ut corvi sedeant in superliminari ex ruina reliquo. Ita Chald. Arias, Pagninus, Vatablus et alii. Hebr. enim *arza* tam est nomen, idem cum ארז *erez*, significans cedrum tignumque et tabulatum cedrinum, quàm verbum significans *attenuabo*, à radice רזה *raza*, id est, attenuavit. Rursum pro *erà*, id est, nudabo, Septuag. quoque legerunt עזו *uzzo*, id est, robur ejus, quod ipsi interpretantur *αναρημα*, id est, *altitudo.* Ita Roman. vel ut Complutens. *αναστεμμα*, id est, *coronatio*; vertunt enim, *quia cedrus altitudo*, vel *coronatio ejus.* q. d. Ninive cingebatur domibus cedrinis altissimis et fortissimis, quasi corona : at Chaldæi hanc ei coronam detrahent, et in terram dejicient. Aliter nostrum cum Hebræo textu moderno conciliat Arias, nimirum dicendo robur esse quercum, quæ est species *arze*, id est, cedri. Nam, ut ait Marinus in Lexico : *Cedrorum species multæ sunt*, תאשור *teassur*, *id est*, *buxus*; תרזה *tirza*, *id est*, *ilex*; אלגומים *algumim*; ברוש *beros*, *id est, fraxinus*; ארן *oren, id est, ornus*; ברותים *berothim*, *id est*, *buxus.* Verum prius quod dixi, verius est, ut patet conferenti verba nostri interpretis cum verbis Hebræis.

15. Hæc est civitas gloriosa.] Est exclamatio ad pathos, q. d. Videte ad quas ærumnas devenerit, in quas ruinas corruerit Ninive, civitas illa olim gloriosa et inclyta. Sic ait Virgil. Æneid. 2 : *Fuit Ilium, et ingens gloria Teucrorum.* Sic de eadem Ninive jam vastata admirans Nahum c. 2. v. 18. exclamat : *Ubi est habitaculum leonum, et pascua catulorum leonum?* Sic de Jerusalem excisa obstupescens Jerem. Thren. 2. 15 : *Hæccine*, ait, *est urbs perfecti decoris gaudium universæ terræ.*

Septuag. vertunt : *Αυτη η πολις η φαυλιςρια. Hæc est civitas illa malis dedita, nequam et scelerata*, aut magis proprie, *vilipendens*, ut vertit Interpres Roman. *et subsannatrix.*

Omnis qui transit per eam, sibilabit,] vel subsannando, vel exsibilando Niniven ita humiliatam et vastatam, ut vult S. Hieron. vel potius admirando et obstupescendo tantam cladem et ruinam, ut censet Theodor. Simili modo *movebit manum*, id est, complodet manus, vel eas extendet ostendendo Ninives rudera, sive irridendo et insultando, sive potius obstupescendo et commiserando.

Tropologice, multo magis gemens sibilet manusque complodat, quicumque videt Niniven, id est, Ecclesiam aliquam, congregationem, vel animam olim speciosam virtutibus, quæ erat templum Dei et sedes Angelorum, per peccatum à dæmone vastari, fierique cubile leonum et draconum, præsertim cum eam cœlo destinatam videt damnari et ruere in tartara. Gemens ergo et attonitus dicat cum Isaia cap. 14. v. 11 : *Quomodo cecidisti de cœlo, lucifer, qui mane oriebaris? detracta est ad inferos superbia tua : concidit cadaver tuum ; subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes.* Et cum Baruch cap. 3. v. 10 : *Quid est Israel, quod in terra inimicorum es? inveteratus es in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis, deputatus es cum descendentibus in infernum.* Causam subdit : *Dereliquisti fontem sapientiæ. Nam, si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace sempiterna : disce ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus, ut scias simul ubi sit longiturnitas vitæ et victus, ubi sit lumen oculorum et pax. Ubi sunt principes Gentium, qui dominantur super bestias quæ sunt super terram, qui in avibus cœli ludunt, qui argentum thesaurizant et aurum, in quo confidunt homines, et non est finis acquisitionis eorum? etc. Exterminati sunt et ad inferos descenderunt.* Similia lamenta pathetica habet Ezechiel de ruina regis Tyri cap. 28. 11. de Pharaonis ac Ægyptiorum cap. 32. vers. 18. et seq. et S. Joan. in damnatione Babylonis meretricis, Apocal. 18. 10.

S. Hieron. hæc omnia de Ninive vaticinia accipit de hæreticis et hypocritis : *Qui auditores*, ait, *sunt legis, non factores, quod frustra speciosos se esse jactent, cum habitent in eis greges, vitiorum scilicet multitudo, et bruta animalia corpori servientia, et omnes bestiæ terræ, quæ corda eorum comedunt; et chamæleontes, qui non habent unum colorem, sed diversis peccatis, nunc avaritia, nunc luxuria, nunc crudelitate, nunc libidine, nunc tristitia, nunc exsultatione per momenta mutantur : et ericii in præsepibus eorum, animal spinosum et plenum sentibus, et vulnerans quidquid contigerit. Sed et bestiæ cubabunt in foraminibus, id est in cordibus eorum : et corvi, immundi aves, in portis eorum, vel in ore, vel in auribus, quod aut loquantur semper, aut audiant mala. Post quæ infertur, ideo Ecclesiam hæc passuram fore, vel esse perpessam, quod in superbiam se elevaverit.* Et mox : *Ubi enim prius habitabat Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, et Angeli ejus ministeriis præsidebant; tunc habitabunt bestiæ de quibus Propheta psalm. 73. complorat dicens : Ne tradas bestiis animam confitentem tibi.* Et inferius : *Dicamus per animam de qua Christus re-*

cesserit, et quæ prius templum Dei fuerat, et esse desinit, transire serpentem, et sibilare in ea, et venena suæ malitiæ evomere, et non solum hoc facere, sed opera quoque sua, quæ τροπικῶς *manus vocantur, movere,* juxta illud Proverb. 18 : *Mors et vita in manibus linguæ.*

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

LYRANUS ET ARIAS CENSENT TOTO HOC CAP. AD LITTERAM AGI DE CHRISTO ET CHRISTIANIS, PUTA ACCUSARI SCELERA CHRISTIANORUM, QUÆ CHRISTUS JUDICABIT IN DIE JUDICII, CUM IMPIOS DAMNABIT, PIOS SALVABIT. EX ADVERSO ALII TOTUM HOC CAPUT EXPLICANT DE JUDÆORUM CRIMINIBUS, OB QUÆ PUNITI SUNT CAPTIVITATE BABYLONICA, DEQUE ILLORUM EX EA LIBERATIONE, REDITU ET FELICITATE. VERUM MEDIA INCEDENDUM EST VIA : NIMIRUM INITIO CAPITIS AGIT DE JUDÆIS, SED V. 8. TRANSIT AD CHRISTIANOS, QUOS JUDÆIS IMPIIS DEUS IN ECCLESIA ET BENEDICTIONE ABRAHÆ SURROGABIT, SIBIQUE ASCISCET. ITA S. HIERON. THEODOR. HAYMO, VATABL. ET DIONYS.

DICO ERGO, INITIO CAPITIS ACCUSAT HIEROSOLYMÆ SCELERA, AC PRÆSERTIM RAPINAS PRINCIPUM, JUDICUM INJUSTITIAM, PROPHETARUM VESANA ORACULA ET MENDACIA PROMISSA, SACERDOTUM IMPIETATEM ; QUODQUE IPSA CUM VIDISSET GENTES VICINAS IMPIAS A DEO PUNIRI ET VASTARI, NON TAMEN EARUM EXEMPLO RESIPUERIT. QUAPROPTER V. 8. ILLI ET GENTIBUS VINDICTAM MINATUR, SED DIVINAM, NIMIRUM QUOD DEUS PER CHRISTUM DESTRUET GENTILISMUM ÆQUE AC JUDAISMUM, QUODQUE GENTES OMNES, ETIAM BARBARAS ET REMOTISSIMAS, SUBJUGABIT CHRISTO, EASQUE AB IDOLIS AD DEUM CONVERTET, UT SERVIANT EI HUMERO UNO, ÆQUE AC JUDÆOS, QUI ILLUM RECIPIENT : QUOD MAXIME FIET IN FINE MUNDI, QUANDO CREDENTES IPSI SALVABUNTUR, INCREDULI VERO AB IPSO REPROBABUNTUR, ET IGNI ÆTERNO ADDICENTUR.

1. Væ provocatrix, et redempta civitas, columba ! 2. Non audivit vocem, et
non suscepit disciplinam : in Domino non est confisa, ad Deum suum non
appropinquavit. 3. Principes ejus in medio ejus quasi leones rugientes :
judices ejus lupi vespere non relinquebant in mane. 4. Prophetæ ejus vesa-
ni, viri infideles : sacerdotes ejus polluerunt sanctum, injuste egerunt
contra legem. 5. Dominus justus in medio ejus non faciet iniquitatem :
mane mane judicium suum dabit in lucem, et non abscondetur : nescivit
autem iniquus confusionem. 6. Disperdidi Gentes, et dissipati sunt anguli earum : desertas feci
vias eorum, dum non est qui transeat : desolatæ sunt civitates eorum, non remanente viro,
neque ullo habitatore. 7. Dixi : Attamen timebis me, suscipies disciplinam : et non peribit habi-
taculum ejus, propter omnia in quibus visitavi eam : verumtamen diluculo surgentes corruperunt
omnes cogitationes suas. 8. Quapropter exspecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ
in futurum, quia judicium meum ut congregem Gentes, et colligam regna : et effundam super
eos indignationem meam, omnem iram furoris mei : in igne enim zeli mei devorabitur omnis
terra. 9. Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, et
serviant ei humero uno. 10. Ultra flumina Æthiopiæ, inde supplices mei, filii dispersorum
meorum deferent munus mihi. 11. In die illa non confunderis super cunctis adinventionibus
tuis, quibus prævaricata es in me : quia tunc auferam de medio tui magniloquos superbiæ tuæ,
et non adjicies exaltari amplius in monte sancto meo. 12. Et derelinquam in medio tui populum
pauperem et egenum : et sperabunt in nomine Domini. 13. Reliquiæ Israel non facient iniqui-
tatem, nec loquentur mendacium, et non invenietur in ore eorum lingua dolosa : quoniam ipsi
pascentur, et accubabunt, et non erit qui exterreat. 14. Lauda, filia Sion : jubila, Israel : lætare,
et exsulta in omni corde, filia Jerusalem. 15. Abstulit Dominus judicium tuum, avertit inimicos

tuos : rex Israel Dominus in medio tui, non timebis malum ultra. 16. In die illa dicetur Jerusalem : Noli timere : Sion, non dissolvantur manus tuæ. 17. Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit : gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione sua, exsultabit super te in laude. 18. Nugas, qui à lege recesserant, congregabo, quia ex te erant : ut non ultra habeas super eis opprobrium. 19. Ecce ego interficiam omnes, qui afflixerunt te in tempore illo : et salvabo claudicantem : et eam, quæ ejecta fuerat, congregabo : et ponam eos in laudem : et in nomen, in omni terra confusionis eorum : 20. In tempore illo, quo adducam vos, et in tempore, quo congregabo vos : dabo enim vos in nomen, et in laudem omnibus populis terræ, cum convertero captivitatem vestram coram oculis vestris, dicit Dominus.

1. Væ provocatrix!] Hebr. מוראה *morea*, id est, amaricatrix, quæ scilicet Deum maritum tuum adulterando amaricas, id est, irritas et provocas ad bilem : hæc enim amara est et fellea. Unde Chald. vertit : *Quæ multiplicat iræ provocationem;* Trigurin. *Væ rebellanti!* Radix enim מרה *mara* significat amaricare, amarum facere, offendere, rebellare. Unde Noemi : *Ne*, inquit, *vocetis me Noemi* (*id est pulchram*, *sed vocate me Mara* (*id est amaram*), *quia amaritudine valde replevit me Omnipotens*, Ruth. 1. v. 20. Pagninus et Recentiores non verbotenus, sed rem et sensum reddunt, dum vertunt : *Væ fœdatæ, væ pollutæ!* Nam ideo erat amaricatrix Dei, quia fœdata et polluta sceleribus.

Septuag. vertunt : *Væ illustris!* alii : *Væ monstrosa!* Nam *morea* deducunt à rad. ראה *raa*, id est, vidit, q. d. Væ Hierosolymæ, quæ insignis et monstrosa est sceleribus, puta adulteriis, id est, idololatriis, ideoque Deo sponso suo infida et rebellis, eum ad amaritudinem et iracundiam provocat! Alludit vox *morea* ad montem Moria, id est, visionis, vel illustrem, qui erat Hierosolymis, de quo dixi Genes. 22. vers. 14. q. d. O Jerusalem tempore Abrahæ et Isaac, mihi fidelium et obedientium usque ad mortem, fuisti mons Moria, id est, visionis cœlestis : at nunc infidelis, per inobedientiam et apostasiam facta es *morea*, id est, amara et amaricatrix.

Et redempta.] Ita vertunt quoque Chald. et Septuag. גאל *gaal* enim significat redimere. Recentiores Rabbini, et eos secuti Pagnin. et Tigur. vertunt, *inquinata*, vel *contaminata :* utrumque enim significat *gaal :* alludit enim ad גלל *galal*, id est, volvere, revolvere : inde enim *gaal* significat rem aliò devolutam ad se revolvere, id est, redimere : rursum, rem in sanguine menstruo, stercore, aliave re immunda volutare, volvere et revolvere, hoc est, inquinare et contaminare, uti adultera Jerusalem se in sordibus idololatriæ cum variis diis Gentium volutabat et inquinabat. Nostra versio uti magis propria, ita efficacior et nervosior est. Taxat enim Jerusalem, eamque arguit ingratitudinis, quod, cum à Deo redempta esset ex Ægypto, et liberata à duro jugo et servitute Pharaonis tempore Mosis; æque ac Philistinorum, Ammonitarum, Moabitarum, aliarumque gentium tempore Judicum, Davidis et Salomonis, Deum tamen sua idololatria et peccatis sæpe gravissime ad indignationem concitarit, et indies concitet.

Columba.] Ita Hebræum יונה *iona* vertunt quoque Septuag. et S. Hieron. in Comment. At Chaldæus, Rabbini, et eos secuti Pagninus, Tigur. et Vatablus vertunt, *molestatrix*, quæ pauperes vexat, spoliat, opprimit à rad. ינה *iana*, id est, laborare fecit, afflixit, oppressit. Aptius Noster vertit, *columba :* huic enim Israelem pariter comparavit Osee cap. 7. vers 11. dicens : *Factus est Ephraim quasi columba seducta.* Ita eidem Jerusalem hîc comparat Sophonias, q. d. Jerusalem stolide relinquens Deum verum, et sequens deos inanes Gentium, facta est quasi columba, ut vertit Arabicus Alexandrinus, excors, sine prudentia, sine intellectu, quæ sinit se decipi, ultroque ruit in laqueum et necem. Vide dicta Osee 7. Aliter S. Hieron. Remigius, Albertus et Lyranus, q. d. Jerusalem, quæ olim dum me coleret, erat quasi columba bella, simplex, innocens et candida, nunc desiit esse columba, et facta est quasi corvus teter, malignus, furax et ater. Tertio, Syrus et Arabicus Antioch. vertunt : *Heu civitas nota et redempta, civitas Jonæ*, hoc est Ninive, quæ usque hodie ab Orientalibus vocatur civitas Jonæ, tum quia in ea prophetavit Jonas; tum quia Jona hebraice significat columbam, quam colebant Ninivitæ et Assyrii, eo quod dicerent Semiramidem suam reginam post mortem conversam esse in columbam, uti alibi dixi. Censent ergo ipsi hanc prophetiam dirigi ad Niniven.

2. Non audivit vocem] Dei per me aliosque Prophetas eam invitantis ad pœnitentiam et reconciliationem : sicut columba ab aucupe inescata et seducta non audit vocem et sibilum sui heri, eam revocantis ad columbarium. Ita Chald. Hugo et Vatablus.

In Domino non est confisa.] Hebr. *Non speravit in Domino*, q. d. Jerusalem spes suas non reposuit in Deo, sed in suis opibus, viribus, principibus, populis, sociis, quasi iis esset invicta, et satis munita contra Chaldæos aliosque hostes. Ideo Deus permisit eam ab illis capi et vastari, ut ostenderet inanes fuisse ejus spes, et ut puniret ejus diffidentiam in Deum, Deique neglectum.

Moral. Disce hîc esse gravem Dei injuriam, valdeque eum pungere, si illi non fidamus, spemque nostram ab eo avertamus, et defigamus in creaturis. Hæc enim diffidentia oritur ex defectu fidei, quod scilicet fide viva non credamus Deum esse omnipotentem, summe providum et beneficum, quodque ipse possit et velit nos juvare, si ejus opem imploremus, quodque ipsi præponamus homines, vel alias creaturas, quasi illæ magis vel possint, vel velint nobis opitulari, quæ sane persuasio infidelis est, et contumeliosa Deo. Quocirca Deus eam punire solet, ac facere ut creaturæ in quas speravimus, nos deserant, fallant, imo oppugnent et ever-

tant. Ex adverso prosperat eos qui spes suas in ipso defigunt; quia *nullus speravit in Domino, et confusus est*, Eccles. 2. 11. Quocirca Jeremias cap. 17. 5: *Maledictus*, ait, *homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et à Domino recedit cor ejus. Erit enim quasi myricæ in deserto, et non videbit cum venerit bonum, sed habitabit in siccitate, in deserto, in terra salsuginis et inhabitabili. Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus, etc.* Vide ibi dicta. Ita Psaltes: *In te*, ait, *Domine, speravi, non confundar in æternum.* Ita S. Barbara, virgo fragilis et tenera, cum pectinibus ferreis horrende à carnifice laceraretur, et faculis ardentibus ustularetur, corde et oculis in cœlum defixis, Christum sponsum suum invocans, aiebat: *O bone Jesu, tu vides secretum cordis mei, quod in te solo spem meam defixi: non ergo me deseras; quia sine te sum debilis et infirma, tecum autem sum fortis et robusta. Omnia enim possum in te, qui me confortas.* Eadem fuit spes, vox et oratio in tormentis Martyrum omnium, quæ eos fecit insuperabiles, ac ignibus, leonibus, ungulis et catastis fortiores et celsiores.

Ad Deum suum non appropinquavit,] ut in eum speraret, eum invocaret, illi obediret, illum amaret, qui est summum bonum suum et nostrum. Ita Plato dialogo, qui inscribitur Philebus, non aliud docet, quàm felicitatem in eo versari, ut ad Deum propius accedamus, ab eoque verum bonum hauriamus, itaque fiamus divini et Deo simillimi: accedere autem nos ad Deum, per virtutem. Nam Deus, inquit ipse, est summum bonum, cujus hæ sunt conditiones, ut sit αυταρκης, ικανον, καλον, αρχιτεκτονικον, τελος των οντων, αιρετον, id est, sibi sufficiens, cæterisque omnia suppeditans, perfectum, pulchrum, consentaneo ordine constitutum, rerum omnium finis, ac proinde ab omnibus eligendum et expetendum. Qui ergo à Deo recedit, recedit à bono, accedit ad malum, puta ad peccatum, mortem, diabolum et infernum.

3. Principes.] Quod vers. 1. dixit de toto, puta Jerusalem totam esse corruptam et sceleratam, hìc per partes explicat, incipitque ab ejus capite, puta à primoribus, tum secularibus, tum Ecclesiasticis; ut ostendat quod de suo tempore dixit Isaias cap. 1. vers. 6: *A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas*, etiamnum verum esse. Primo ergo taxat hìc principium crudelitatem, quod quasi leones populum expilarent et devorarent. Ita S. Hieron. Allegor. taxat eorum sequaces et posteros, puta tyrannidem et sævitiam principum et pontificum tempore Christi. Leo enim ferocissimus fuit Herodes Ascalonita, qui immani feritate parvulos omnes à bimatu et infra in Bethlehem occidit propter Christum, quique, ut alia taceam, moriens jussit primores omnes Judæorum occidi, ut Judæi in sua morte gaudere non possent, sed, vellent nollent, plangerent ob suorum stragem, uti refert Joseph. lib. 17. Antiquit. cap. 8. Leones fuerunt Annas, Caiphas et cæteri, qui Christum ad crucem, Apostolos ad verbera et ad mortem adegerunt. Rugierunt enim, cum clamarunt: *Crucifige, crucifige.* Ita Lyranus.

In medio ejus,] q. d. Sicut leo in medio animalium grassatur, rapitque et discerpit nunc hoc, nunc illud, prout ei libuerit; ita principes Hierosolymæ nunc hos, nunc illos cives et pauperes deprædantur.

Judices ejus lupi vespere, non relinquebant in mane.] A principibus descendit ad judices, qui principum in injustitia et rapacitate erant asseclæ, q. d. Sicut lupi lucifugi vespere grassantur, tumque ex diurna inedia, fame rabidi prædantur, prædamque totam devorant; ita ut ne ossa quidem (hoc enim significat Hebræum גרמו *garemu*) relinquant, quæ mane comedant; sed in ipsa nocte qua prædam egerant, eam totam devorant; ita et judices iniqui suis injustis judiciis diripiebant bona pauperum tanta aviditate, ut nihil ex iis reliquum facerent. Ita S. Hieron. per lupos vespertinos accipit malos Prælatos et judices: *Capientes*, inquit, *munera, et vendentes justitiam; et possessiunculas Ecclesiæ, et ea quæ in Dei donaria conferuntur, vertentes in lucrum suum, ut non habeant pauperes quæ mane comedant; qui quasi in nocte et nullo vidente omnia populantur, et cum luporum more cuncta diripiant, ne parvos quidem cibos indigentibus derelinquunt.* Quinam sint lupi vespertini dixi Habacuc 1. vers. 8.

4. Prophetæ ejus vesani.] A magistratu seculi transit ad Ecclesiasticum, puta ad Prophetas et sacerdotes, eorumque in suis muniis infidelitatem et impietatem redarguit; Prophetas, quod sint vesani, id est, spiritu non Dei, sed diaboli, agantur, imo agitentur. Unde Aquila vertit, ενθουσιαζομενοι, id est, enthusiasmo correpti, et furore fanatico perciti; Septuag. πνευματοφοροι, id est, spiritum ferentes, active; vel potius passive πνευματοφοροι accentu in antepenultima, id est, spiritu portati et acti. Hebraice est פוחזים *pochazim*, quod Pagnin. vertit, *contemptibiles*; Tigurina, *leves*; Vatablus, *homines nihili.* Nimirum Prophetæ hi cum essent vilissimi et ignorantissimi, fingebant se furere et agi spiritu prophetico, aut revera ex pacto cum dæmone, ab eo correpti quasi furentes prophetabant, id est, aliena et exotica loquebantur, uti de Sibylla narrat Virgil. lib. 6. Æneid.

Non vultus, non color unus,
Non comptæ mansere comæ; sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, majorque videri,
Nec mortale sonans, afflata est numine quando
Jam propiore Dei.

Et inferius:

Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse Deum, tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.

Proprie *pochazim* significat temerarios et præcipites, qui audacter et temere pro affectu quidvis effutiunt, asseverant, divinant, et jurant; sicut enim פחד *pachad* significat præcipitantiam ex metu aut reverentia; ita ei affine פחז *pachaz*, notat præcipitantiam ex temeritate et audacia. Unde Noster apposite vertit, *vesani;* Syrus vertit: *Prophetæ ejus lascivi, impudici;* Arabicus: *Ninive Prophetæ ejus in spiritu immundo, gens stulta.* Hinc iidem sunt *viri infideles*, Hebr. *Viri prævaricationum*, id est, prævaricatores, inquit Vatabl. Septuag. *Viri contemptores;* Chald. *Viri mendaces;* quia mentiuntur se à Deo mitti, et ejus nomine dicunt, Pax, pax, promittuntque omnia prospera, cum Deus per me, aliosque Prophetas comminetur excidium.

Sacerdotes.] A Prophetis transit ad sacerdo-

tes, in quibus duo culpat. Prius, quod profanent et polluant *sanctum*, puta sanctuarium, sive templum, nimirum sacra et sacrificia indigne tractando, eaque non ad Dei, sed ad suum usum et luxum convertendo, exercendo usuras, simonias, rapinas, sacrilegia; profana ibi tractando, scandalose vivendo. Posterius: *Injuste*, inquit, *egerunt contra legem*; hebr. חמסו *chamesu*, id est, oppresserunt legem, vim attulerunt legi: quia eam audacter transgrediuntur, violant, contaminant, populoque duces et auctores, imo doctores sunt, ut idem faciat; adeo ut legem per suas falsas, et ad lucrum confictas expositiones et traditiones pervertant, uti eis improperat Christus Matth. 5. vers. 21. et cap. 23. 16.

5. Dominus justus in medio ejus non faciet iniquitatem,] q. d. Deus quia æquissimus est judex, æque ac omnisciens, hinc non inique, sed æquissime, licet acerrime, puniet impiam Jerusalem. Quod sit omniscius, probat: quia, inquit, est in medio ejus, q. d. Deus in templo suo residens, circumquaque prospicit Jerusalem, videtque omnia scelera quæ in ea ubilibet perpetrantur: ergo non deest ipsi scientia, nec cognitio criminum, uti nec potestas et æquitas ad ea puniendum et vindicandum. Nota liptoten, sive miosim: *Non faciet iniquitatem*, id est, faciet summam æquitatem quando acriter castigabit tot tantaque scelera, quæ fiunt in sua urbe coram se seque spectante. Ita S. Hieron. Remig. Albert. Arias et Clarius. Accedit et Chald. qui vertit: *Dominus purus dixit se collocaturum majestatem suam in medio ejus: quare coram ipso mendacium non fit*, id est, fieri non debet, q. d. Nemo deberet esse tam effrons et impudens, ut audeat peccare Hierosolymæ, in conspectu et in oculis Dei viventis. Mendacium enim in Scriptura sæpe significat quodlibet peccatum: peccatum enim est mendacium practicum, quod fit contra legem, et contra rectum rationis judicium. Notent hoc sibique applicent Clerici et Religiosi, dicantque: Quomodo audebo peccare in Religione, in templo, ubi Deus residet, ubi omnia circumspicit quasi leo terribilibus oculis, uti loci sancti violatores, suique contemptores discerpat et laceret?

Aliter Vatablus: *In medio ejus*, inquit, q. d. Deus Jerusalem dignatur sua præsentia, sua cura et familiaritate, versatur in medio ejus quasi socius, amicus, imo protector, curator, et pater; quod ergo eam punit, non facit ex odio, sed ex amore, tum ejus, tum justitiæ: quocirca nemo censebit eum facere iniquitatem, dum eam pro meritis acriter castigat. Unde sequitur:

Mane, mane, hoc est citissime, inquit Theod. Rursum, non solum clam, sed palam in matutina et manifesta luce, inquit S. Hieron. Deus judicium suum, id est, justum suum supplicium, quo castigabit Jerusalem, proferet et dabit in lucem.] Secundo, *mane, mane*, id est, quolibet mane, q. d. Deus quotidie, et quasi quolibet mane edit aliquod exemplum sui judicii, quo nunc hunc, illum sceleratum; nunc hanc, nunc illam gentem male mulctat et perdit, illudque *non abscondetur*, Hebr. *non deest*, quin semper aliquod publice edatur ad terrorem impiorum: et tamen *iniquus nescit confusionem*, id est, nescit erubescere; sed audacter et impudenter pergit scelera sceleribus cumulare. Ita Clarius, Arias et Vatabl. Hic sensus satis apte connectit totam sententiam; futura enim apud Hebræos sæpe sumuntur pro præsenti, quando significatur rei continuatio, mos et consuetudo; uti hic *mane, mane judicium suum dabit*, id est, dare et edere solet. Verum quia agitur hic proprie de Jerusalem, cui minatur futurum, sed instans excidium; hinc prior sensus aptior et germanior videtur, juxta quem sequentia ita explica.

Nescivit autem iniquus confusionem,] q. d. Hierosolymitæ sunt tam iniqui et impii, ut non pudeat eos, nec pœniteat scelerum, etiamsi ob ea audiant à Prophetis instare sibi judicium, id est, vindictam Dei, ac videant propter eadem gentes sibi similes à me puniri et disperdi, uti sequitur. Aliter Septuag. Rom. qui hæc ad Deum judicium suum mane proferentem referentes, sic vertunt: *Nescit iniquitatem in exactione, nec in contentione injustitiam.*

6. Disperdidi Gentes.] Per *Gentes* primo, accipi possunt Samaritæ, qui vicini erant Judæis, et jam ob idololatriam excisi erant à Salmanasar, et abducti in Assyriam, q. d. Videte, ô Hierosolymitæ, quid vicinis et fratribus vestris, puta decem Tribubus, contigerit: idem enim vobis continget nisi vitam corrigatis. Nam: *Tunc tua res agitur, paries cum proximus ardet.* Porro vocat eos *gentes*, non Israelitas, tum quia jam ab avita fide, religione, societate et regno Israelis et Davidis per schisma desciverant, fecerantque novam rempubl. et Ecclesiam idololatricam, ut faciunt Gentiles: tum quia jam post excidium commixti erant Gentibus, puta Assyriis in Assyria, et Cuthæis in Samaria. Salmanasar enim sicut Samaritas in Assyriam, ita Assyrios, puta Cuthæos, in Samariam transtulit, eoque modo utramque gentem permiscuit, ut patet 4. Reg. 17.

Secundo, S. Hieron. per *gentes* accipit Judæos, quos vastavit et disperdidit Sennacherib, adeo ut sola Jerusalem ab eo intacta remanserit, Angelo eam, ob pietatem Ezechiæ et preces Isaiæ, tutante, cæsis 185 millibus Assyriorum, Isaiæ 37. 36. Hi pariter vocantur *Gentes*, quia vivebant gentiliter et impie, quasi Gentiles essent, non Judæi. In Scriptura enim Judæi sæpe vocantur nominibus gentium, quarum cultum, mores et vitam imitabantur. Hinc jam vocantur Amorrhæi, jam Cethæi Ezech. 16. 45. jam Sodomitæ et Gomorrhæi, Isaiæ. 1. 10.

Tertio, proprie per gentes possunt accipi Syri, Armeni, Parthi, aliique qui inter Babylonem et Jerusalem interjacent, vel adjacent, quos, utpote viciniores, prius subjugavit Nabuchodonosor, antequam invaderet Judæos, utpote remotiores. Hosce enim omnes Judæis in exemplum proponi voluit Deus, ut eorum strage resipiscerent, et ab idolis sceleribusque ad Deum redirent. Sed frustra, nam, ut præcessit: *Nescivit iniquus*, in iniquitate sua defixus et obduratus, *confusionem.*

Aliter à Castro: nam per gentes accipit Philisthæos, Ammon, Moab, Æthiopes et Assyrios, de quibus cap. præcedenti v. 4. 8. 11. licet enim hi post excidium Jerusalem excisi sint à Chaldæis, tamen Deus eorum, quasi hostium, excidium jam diu ante prædixerat et promiserat Judæis, utpote qui sæpe eorum hostilitatem et direptionem sustinuerant. Sed tunc τὸ *disperdidi*, accipi debet non proprie, sed pro *disperdere decrevi*, disperditurum me prædixi et promisi, q. d. Promisi tibi, ô Jerusalem, me gentes tibi

hostiles perditurum, et destructurum earum imperia, ut qui me per plagas non senseras, saltem per beneficia cognosceres : sed tu hæc promissa, meque pariter ea promittentem, non curasti, imo sprevisti.

ET DISSIPATI SUNT ANGULI EARUM.] *Angulos* vocat arces et munitiones, quæ in limitibus regionum eriguntur quasi antemurale, ad tutelam regionis. Chald. vertit, *palatia.* Tropol. S. Hieronymus : *Puto,* inquit, *quod et superbis prosit detrahi eos de arrogantia sua, et dissipari angiportus et angulos eorum, ut postea recto itinere gradiantur.* Et mox : *Dissipantur ergo itinera superborum, et anguli eorum, ne ambulent in superbia et in pravitate, et urbes eorum quæ male ædificatæ fuerant in arrogantia et superbia, destruuntur ne subsistant, et habeant habitatores pessimos.*

7. DIXI, q. d. Monui Judæos per Jeremiam aliosque Prophetas, ut desisterent ab idolis et sceleribus Gentium, ne similes illis pœnas incurrerent, ac æque ut illæ disperderentur, atque ut timerent et colerent me, ne periret HABITACULUM EJUS,] id est, tuum, puta tua civitas, tuæ domus, templum et muri tui, ô Jerusalem. Hebræi enim crebro utuntur enallage, ut personam secundam in tertiam, et vice versa, commutent, præsertim ad pathos, uti hîc Deus à Judæis, quasi indignans avertit faciem et sermonem, ac de iis, quibus cœperat loqui cominus in secunda persona, jam ob idololatriam evertendis, ideoque quasi alienis, loquitur in tertia persona. Monui, inquam, eos, ut non perirent : quia contentum me fore dixi pœnis, quibus eos *visitavi,* id est, punivi per Salmanasar et Sennacherib : at tantum abest ut hisce meis monitis auscultarent, et mores corrigerent, ut diluculo, id est, sollicite, sine mora, festinanter magis eos corruperint, et pejus egerint. Opus enim quod diluculo fit, cordi et curæ est, fitque sollicite et festinato, utpote ante diem, et ante omnia diei opera, imo diluculo solent disponi et ordinari, æque ac inchoari opera totius diei. Quocirca nervose ait : *Diluculo surgentes corruperunt omnes cogitationes suas ;* Tigurina, *omnia studia sua;* Pagnin. *omnia opera sua :* hæc enim ex cogitatione, destinatione, et dispositione quæ fit diluculo, manant. Ita S. Hieronym. Theodor. Albert. Hugo et Vatabl. Aliter Septuag. qui hæc cum sequentibus jungunt, de quo mox.

8. QUAPROPTER EXSPECTA ME, DICIT DOMINUS, IN DIE RESURRECTIONIS MEÆ IN FUTURUM.] *Exspecta,* scilicet avide, anhela et inhia. Hebræum enim חכה *chaca* significat anhelare et inhiare ad personam, vel rem aliquam, ut eam apprehendat : deducitur enim à חך *chec,* id est, guttur, palatum, quod dum famet, cibo inhiat, uti pulli aperto ore et gutture inhiant escæ quam mater advehit. Pari, imo majori aviditate fideles debent anhelare ad Deum et Christum, eique inhiare : quia ipse solus est cibus, refectio et saties animæ. Rursum, pro in *futurum* hebr. est לעד *lead,* quod Septuag. vertunt, *in testimonium,* à rad. עוד *ud,* id est, testari : unde עד *ed,* id est, testis. Pagnin. vero, Vatabl. et Clarius secuti R. Davidem, vertunt, *ad prædam,* vel *ad spolia,* à rad. עוד *avad,* id est, spoliare, prædari, diripere. Unde vertunt : *Exspectate me, dicit Dominus, ad diem, qua consurgam ad spolia,* vel *ad rapinam,* ut idem sit cum illo Psal. 67. v. 19 : *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.*

Quocirca primo, Chald. Cyrill. et Sanchez hæc exponunt de direptione Babylonis per Cyrum, q. d. Bono animo estote, ô Judæi abducendi in Babylonem, ibi exspectate me. Nam post 70 annos ultor pro vobis consurgam, ac Babylonem per Cyrum evertam et diripiam, vosque inde eripiam, ut deinde unanimes et læti domum redeuntes, omnes me colatis humero uno, et nullus inter vos sit infidelis, vel impius. Verum esto eò alludat, tunc tamen Deus non effudit zelum et spiritum suum in omnes gentes; nec effecit ut omnes colerent eum humero uno : imo paulo post Judæi ab Antiocho afflicti, ac tandem à Tito et Romanis sunt eversi. Quamobrem Judæi hæc exspectant à suo Messia venturo; sed perperam et incassum.

Ergo communis sententia Græcorum et Latinorum, quin et Hebræorum, est, hæc tam augusta promissa ad tempora Christi pertinere, ab eoque esse completa in primo adventu, et plenius complenda in secundo. Salit ergo hîc Propheta de more ad Christum, et tempus legis novæ. In Christo enim, qui finis est legis et Prophetarum, Sophonias, Abdias, aliique Prophetæ desinunt, et oracula sua concludunt. Vocat ergo *diem resurrectionis meæ :* Primo proprie diem tertium à Christi nece, quo ipse à mortuis resurrexit. Sensus ergo est, q. d. Quia frustra per Prophetas vos, ô Judæi, moneo, frustra clamo, ut ad me redeatis, hac de causa ego novum et divinum, non humanum, vindictæ genus in vos et in omnes gentes exercebo. Mittam enim Christum, qui Judæos multos et omnes gentes sibi mihique subiget, cogetque eas abdicare gentilismum, æque ac vos judaismum, ac suscipere christianismum, ut omnes humero uno sibi et Deo vero serviant : Judæos vero rebelles ac incredulos, imo christicidas, gravissime puniam et exscindam per Titum et Romanos, iisque rejectis et reprobatis surrogabo Gentes, ut dicitur v. 9, quæ succedent in benedictionem promissam Abrahæ, eruntque filii et hæredes regni Dei, puta Ecclesiæ tum militantis, tum triumphantis. Unde Euseb. lib. 2. Demonstr. Evang. c. 17. S. August. l. 18. Civit. c. 33. S. Hieron. Remig. Hugo, Arias, Ribera et alii docent hîc prædici resurrectionem Christi, reprobationem Judæorum, et vocationem Gentium.

Secundo, plenius id fiet in secundo Christi adventu ad judicium, puta in resurrectione universali, quæ vocatur Dies resurrectionis Christi, tum quia per Christum, et Christi gratiam ac virtutem omnes homines resurgent. Resurrectio enim Ecclesiæ, quasi corporis, est resurrectio Christi, quasi capitis. Scriptura enim, ut notat Ticonius in Regulis S. Scripturæ, quod Ecclesiæ est tribuit Christo, et vice versa, ob summam Christi cum ea conjunctionem : est enim ipse Ecclesiæ caput, sponsus, pater, anima, spiritus et vita. Tum quia Christi resurrectio et gloria apparebit toti mundo in die judicii, quando ostendet potestatem suam judiciariam, in resurrectione sibi à Patre datam, per quam judicabit omnes gentes, uti hîc subdit Sophonias. Sensus ergo est, q. d. Ego sæpius vestra, ô Judæi, scelera coargui per Prophetas; sed frustra ; exspectate ergo me vindicem

in die judicii, quo ego resurgens, et triumphator ducam post me agmina omnia resurgentium, ac judex considebo in valle Josaphat, in quam colligam et congregabo Judæos et omnes gentes, ut infideles et incredulos condemnem (tunc ergo vos, ô Judæi rebelles, dabitis pœnas vestræ rebellionis, ingratitudinis et obstinationis), credentes vero et fideles beem et glorificem, ut in cœlis dem eis labium electum, quo jugiter me laudent et benedicant. Ita S. Hieron. Remig. Haymo, Lyran. Clarius et Vatablus.

Porro utroque die resurrectionis Christus venit ad prædam, ut vertit Pagnin. et Rabbini. Nam in primo adventu prædatus est Gentes eorumque regiones, dum omnes per Apostolos sibi subjecit, juxta illud Isaiæ 8. v. 4 : *Voca nomen ejus* Emmanuelis (id est, Christi nascituri) *Accelera spolia detrahere, festina prædari.* Rursum in die resurrectionis prædatus est limbum et infernum : nam inde secum victor eduxit animas SS. Patrum, ut eas secum cum triumpho duceret in cœlum. In secundo vero adventu ad judicium, prædabitur omnes infideles et impios, eosque tradet inferno. Insuper utroque die venit Christus *ad testimonium*, ut vertunt Septuag. quia uterque dies testabitur et demonstrabit mundo Christum esse Christum, id est, Dei filium, judicem, vindicem et dominum omnium. Simili modo et misericordia ultus est Deus incredulitatem Achaz, promittendo non tam ipsi, quàm posteris ejus Christi nativitatem, gratiam et salutem : *Nunquid parum*, inquit, *vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum : Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Isaiæ 7. 14.

Quia judicium meum,] q. d. Quia judicavi et decrevi congregare gentes et regna, et effundere super ea meam iram et indignationem. Ita Arias et Vatabl. nimirum evertendo eorum idola, templa, regna, mores, eaque convertendo in fidem, cultum et regnum Christi, ut illi se subjiciant, ejusque mores Christianos et sanctos induant, illumque colant et laudent labio uno et electo. Perperam ergo aliqui sic exponunt. q. d. Colligam Judæos per totum orbem dispersos ad Pascha celebrandum in Jerusalem, ut in ea à Tito et Romanis concludantur, capiantur et occidantur. Contrarium enim dicit Propheta : *Ut congregem Gentes*, non Judæos, *et colligam regna.* Unde et de iisdem subdit :

Et effundam super eos indignationem meam.] Indignatio hæc vindicta est divina, non humana, ut dixi : Deus enim ita se vindicat, ut perdat inimicos, dum eos facit amicos ; ut occidat infideles, dum eos convertit facitque fideles : quia nimirum in mente et corde eorum occidit impietatem, idololatriam, libidinem, superbiam, cæteraque vitia, eisque indit spiritum et vitam fidei, gratiæ, castitatis, humilitatis, cæterarumque virtutum. Unde subdit :

In igne enim zeli mei devorabitur omnis terra.] Chald. *Nam igne zeli mei consumentur omnes impii terræ : etenim ita convertam in omnes gentes locutionem unam electam, ut precentur omnes in nomine Domini.* Hic est zelus Dei, quo magis pugnat in vitia et dæmones, quàm in homines, imo pugnat pro hominibus : sicut medicus pugnat contra morbum, non contra ægrum, sed pro ægro. Vindicta ergo hæc Dei in peccata et dæmones, est misericordia et gratia in peccatores. Vide can. 46. quem præfixi Prophetis majoribus. Hic est zelus quem Christus ostendit in primo suo adventu, de quo proprie hîc agitur. Illo enim dedit omnibus gentibus labium electum, convertit Æthiopes, omnesque gentes, etc. uti fuse in sequentibus prædicit Sophonias. In secundo autem suo adventu zelum iræ ostendet in infideles et impios, quo eos in die judicii condemnabit adigetque in tartara, ideoque per ignem conflagrationis mundi, quem emittet, devorabitur et comburetur omnis terra. Ita Lyranus et Vatablus.

9. Quia tunc reddam populis labium electum; Arabicus, *linguam electam.* Symmach. *Tunc convertam in populos labium mundum.* Aquila et Theodot. *Tunc vertam ad omnes populos labium electum,* ut invocent omnes in nomine Domini (id est, nomen Domini, hebr. *Jehova*, q. d. Ut omnes invocent Deum verum) et serviant ei humero uno.] Pro *electum*, uti vertit Noster, Aquila et Theodot. hebr. est ברורה *berura* (pro quo Septuag. legerunt בדורו *bedoro*, id est, in generatione ejus) : quod secundo, verti potest *purum, castum, mundum, candidum.* Ita Symmachus, Arias et Tigurina ; Chaldæus vertit, *clarum.* Sensus est, q. d. Deus per Christum tollet diversitatem animorum, religionum, idolorum et labiorum, quibus hic adorabat et invocabat Jovem, ille Martem, tertius Saturnum, quartus Melchom, quintus Dianam, etc. facietque ut omnes conspirent in eamdem fidem et cultum unius veri Dei, eumque uno labio electo, sancto et divino invocent, dicentes : Deus, qui es unus in essentia, et trinus in personis, nimirum Pater, Filius et Spiritus sanctus, miserere nobis. Huic enim soli servient latria, id est, eum colent et adorabunt omnes humero uno, hoc est, unanimi consensu, conspiratione et consonantia. Est metaphora à bajulis, qui simul uno quasi humero succollant oneri ingenti : aut certe à bobus combinatis in plaustro, qui ejus jugum pari onere, quasi humero uno ferunt, illudque pari conatu et passu protrahunt. Unde Septuag. Syrus et Arabicus vertunt, *jugo uno*, scilicet Christi, quod suave est, et excutit plurima et durissima juga diaboli. Ita S. Hieron. Theodor. Chaldæus, Haymo, Hugo, Vatabl. et alii. Nove Joannes Alba Electorum c. 67. Labium, inquit, hoc est lingua, subinde pro lege capitur. Labium ergo electum vocat legem perfectam, omnibus numeris absolutam, sanctissimam, puta legem Evangelicam. Hanc enim Deus dedit omnibus populis, cum legem Mosaicam dederit solis Judæis. *Et servient ei humero uno*, id est, una manu, uno consensu, vel uno munere unoque sacrificio : hoc enim vocatur manus, quia manu offertur. Denique manus sæpe ponitur pro opere, q. d. Servient ei manibus, id est, operationibus et operibus, sanctis, quæ concorditer se invicem adjuvantes quasi una eademque manu operabuntur. Hæc Alba, symbolice potius, quàm litteraliter.

Mirum quàm potens sit, quantumque ferre possit unus omnium ad idem onus conspirantium humerus. Videre hoc est in religionibus, congregationibus, familiis, in quibus viget spi-

ritus et charitas. Aurea est Micipsæ regis in morte filios ad mutuum amorem et opem cohortantis sententia : *Concordantia parvæ res crescunt, discordia autem maximæ dilabuntur.* Ita Sallust. de bello Jugurth. : *Tyrrhenus lapis quamvis grandis innatat, comminutus subsidit : ita concordia sustinemur, discordia pessum imus,* ait Plinius lib. 2. cap. 106. Sicut singula hastilia facile frangas, conjuncta non possis : ita dissidentes facile superes, concordes haud facile, ait Plutarch. in Moral. Vis enim unita fortior est seipsa divisa, unde multa sustinet et evincit, quæ divisa nequit. Tyresius rogatus à Scipione Africano qua de causa Numantia, prius invicta, à se subacta et eversa fuisset, respondit : *Concordia victoriam, discordia exitium præbuit.* Severus Imp. moriturus vocans filios Marcum Antonium et Getam : *Facite,* inquit, *ut inter vos conveniat, locupletate milites, cæteros omnes contemnite.* Ita Xiphil. in ejus vita. Agesilaus rogatus cur Sparta mœnibus non cingeretur, ostendit cives armatos et unanimes : Hi, inquit, sunt civitatis mœnia. Ita Plutarchus in Apophtheg. Quid non evincit, quid non superat exercitus ducum et militum in idem conspirantium? Isæus Sophista citans illud Homeri : *Scutum hæsit scuto, galeæ galea, atque viro vir : Sic,* inquit, *mihi state, Lacedæmonii, et muris cincti sumus.* Ita Philostr. in Sophistis.

Alludit ad unitatem sermonis et linguæ, quæ fuit in statu innocentiæ et legis naturæ. In paradiso enim Adam et Eva eadem fide, labio et lingua, puta hebræa, coluerunt, et posteri eorum coluissent Deum verum. Hoc labium per peccatum et superbiam fabrorum turris Babel, vitiatum, inquinatum et dissectum est in 70 fere labia et linguas, quas Deus totidem familiis tunc indidit, uti dixi Genes. 11. 7. Hic ergo promittit Deus se per Christum primævum illud unanime, electum et purum labium redditurum, idque præstitit, quando Apostolis in Pentecoste indidit Spiritum sanctum in specie linguarum ignearum, quibus pure et ardenter Deum verum celebrarent, omnesque gentes docerent, et impellerent ad eumdem eodem labio et lingua colendum, ut scilicet quasi uno ore, æque ac mente et fide, eum confiterentur, laudarent, adorarent et invocarent. Labium ergo unum et electum est, una Dei confessio, laus, invocatio, prædicatio.

Porro addunt aliqui apud Galatin. lib. 12. de Arcan. fid. c. 3. per labium unum accipi posse linguam Græcam, qua primum Apostoli per Græciam, Asiam et vicinas regiones cœperunt propagare fidem Christi. Græca enim lingua post imperium Alexandri Magni et Græcorum, magnam Orientis partem occupavit. Alii accipiunt linguam Latinam, qua omnes fideles sub Romano Pontifice, Deum et Christum toto orbe colunt et invocant. Hoc non est incongruum, nec absonum ; licet enim proprie per labium unum significetur uniformitas cultus et fidei, scilicet quod Deum unum uniformiter omnes colent, esto eum sua lingua aliter et aliter nuncupent ; consequenter tamen innuitur pariter uniformitas linguæ, quod scilicet Ecclesia et Evangelica doctrina, Christique fides et religio semper floruerit in una lingua, nimirum primum in Hebræa, deinde in Græca, tandem in Latina et Romana ; perinde ac ante Christum floruit in sola Hebræa, puta in familia Heber et Abrahæ, qui solus à Deo ex omnibus gentibus fuit electus ad ejus cultum, laudem et obsequium. Unde et lingua ejus vocatur labium electum. Multum enim facit ad consociationem, unionem et unitatem Ecclesiæ unitas linguæ, verbi gratia Latinæ ; qua Ecclesia Latina ubique gentium utitur in sacrificio et officio Ecclesiastico, quamque omnes sacerdotes et litterati callent. Nam, ut ait S. August. lib. 19. de Civit. cap. 7 : *Linguarum diversitas hominem alienat ab homine, etc. ita ut libentius homo sit cum cane suo, quàm cum homine alieno ;* et, ut ait Plinius, *ut externus alieno non sit hominis vice. Hinc illa gentium totque linguarum diversitas, etc. quæ nos distinxit à feris, inter ipsos quoque homines discrimen alterum æque grande quàm à belluis fecit,* inquit ipse l. 11. cap. 51. Quocirca Roma olim rerum domina *satagebat, ut non solum jugum, verum etiam linguam suam domitis gentibus per pacem societatis imponeret,* ait ibidem August. ita ut Romani Hispanias et Gallias Latinas prorsus fecerint, veteribus illarum gentium linguis abolitis ; et in Senatu nullos audierint legatos, nisi latine verba facientes ; nimirum conabantur ut esset una lingua, qua se gentes omnes mutuo intelligerent. Sed plane et plene id consequi nequiverunt ; altioris enim et divinæ virtutis hoc est opus. Quocirca Spiritus sanctus Apostolis dedit donum linguarum, quo ab omnibus gentibus intelligerentur, et vicissim omnes intelligerent. Deus, inquit S. August. in psalm. 54. divisit linguas in fabrica turris Babel, *ne se intelligendo perniciosam facerent unitatem. Per superbos homines divisæ sunt linguæ ; per humiles Apostolos congregatæ sunt linguæ, Spiritus superbiæ dispersit linguas, Spiritus sanctus congregavit linguas. Quando enim Spiritus sanctus venit super discipulos, omnium linguis locuti sunt, ab omnibus intellecti sunt, linguæ dispersæ in unum congregatæ sunt. Ergo si adhuc sæviunt et Gentiles sunt, expedit eis divisas habere linguas. Volunt unam linguam, veniant ad Ecclesiam ; quia et in diversitate linguarum carnis, una est lingua in fide cordis.* Idem in psal. 44. explicans illud : *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate : Variæ,* ait, *linguæ faciunt varietatem vestis reginæ hujus. Quomodo autem omnis varietas vestis in unitate concordat, sic et omnes linguæ ad unam fidem. Quælibet sit varietas linguarum, unum aurum prædicatur, non diversum aurum, sed varietas de auro : aurum est sapientia. Eamdem quippe sapientiam, eamdem doctrinam et disciplinam omnes linguæ prædicant ; varietas in linguis, aurum in sententiis.*

Anagog. Beati in cœlo serviunt Deo labio uno, quia consono corde et ore canunt jugiter Alleluia, laudes et hymnos Deo, jubilantque dicendo : Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, qui nos vocavit in partem sortis Sanctorum, imo Beatorum : *Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor et virtus, et fortitudo Deo nostro in secula seculorum, amen.* Apoc. 7. 12. Et : *Redemisti nos, Domine, in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram.* Apoc. 5. v. 9. Addit Arias, à Castro et Galatin. loco citato Beatos in cœlo eadem lingua, quæ in paradiso fuit primigenia, ideoque sancta cognominatur, præsertim quia ea conscripta est vetus sacra Scrip-

tura, puta Hebræa, Deum laudaturos, de quo vide dicta 1. Corinth. 13. v. 8.

Tropol. Labium electum fidelis habet, cum sincere Deo confitetur, et quæ Dei sunt sancte loquitur, cum de rebus piis sermones serit, cum iratos mitigat, afflictos consolatur, peccatores convertit. Huic opponit Propheta v. 13. linguam dolosam.

Ultra flumina Æthiopiæ.] Triplex est hîc expositio, quæ tamen in unam communem et universalem coalescit et desinit. Aliqui enim per hanc phrasim intelligunt Ægyptum; alii Abyssiam et Africam, alii Indiam. Primo enim Ægyptus est ultra fluenta Nili, qui oritur in Æthiopia, indeque in Ægyptum defluit, q. d. Ægyptii convertentur ad Christum, illique deferent munera. Addit à Castro hebr. כוש *chus*, id est Æthiopia, et Scriptura non significare Æthiopiam sub Ægypto, quæ nunc Abyssia dicitur, ubi regnat Preto-Joannes; sed Arabiam, in qua inter alios degebant Madianitæ, qui in Scriptura vocantur Æthiopes. Unde de Pharaone merso in mari Rubro dicitur psalm. 73. v. 14: *Dedisti eum escam populis Æthiopum*, puta Arabibus accolis maris Rubri. Chus enim filius Cham, qui nomen dedit Æthiopiæ, nunquam ingressus est Ægyptum, vel Abyssiniam, sed cum suis filiis, Saba, Hevila, Sabatha, Regma, Sabatacha et Dadan, sedes fixit inter sinum Persicum et sinum Arabicum, sive mare Rubrum. Hîc ergo terræ tractus vocatur Chus, id est Æthiopia, puta Arabia, in qua est Gihon fluvius ex paradiso decurrens, Trajanus fluvius, lacus Sirbonides, sinus Arabicus, fossæ quoque manufactæ, quæ Dioryges vocantur, quas omnes fluviorum nomine comprehendit Scriptura. Porro ultra hæc flumina est Ægyptus. De Ægypto ergo loqui videtur hîc Sophonias, æque ac Isaias cap. 18. 1. Hæc à Castro. Verum ejus ratio non concludit. Nam omnis Æthiopia hebr. vocatur Chus, esto Chus filius Cham cum suis filiis proximis omnem non incoluerit; sicut eadem vocatur Æthiopia ab Æthiope Vulcani filio, si credimus Plinio lib. 6. cap. 30. esto Æthiops non totam, sed partem tantum occuparit. Sicut ergo Abyssini vocantur Æthiopes græce et latine, sic iidem hebr. vocantur Chusim. Nam ex Abyssia videtur venisse Taraca rex Chusim, id est Æthiopum, 2. Paral. 14. v. 9. Et Nabuchodonosor post vastatum Ægyptum vastavit Æthiopiam ei vicinam, puta Abyssiam, Isaiæ 20. Et ex Abyssinia venisse Reginam Saba ad Salomonem censent S. Hieron. August. Origin. Nazianz. Nyssenus, Anselmus, Toletus, Barradius, Ortelius et alii, quos citat P. Pineda lib. 5. de Rebus Salom. cap. 14. sect. 5. num. 21. denique filii Chus licet habitarint juxta mare Rubrum, tamen posteri eorum se propagarunt usque in Æthiopiam, ut pote vicinam. Unde et rex Æthiopiæ olim fines regni sui extendebat usque ad mare Rubrum. A quo enim progeniti sunt Æthiopes, nisi à posteris Cham et Chus?

Secundo, S. Hieron. Remigius, Albertus, Hugo, Emmanuel et Ribera, proprie Æthiopiam hîc accipiunt eam quæ est sub Ægypto in Africa, puta Abyssiam; hæc enim Judæis erat vicina, nota et nominata. Sic sensus erit, q. d. Afri, qui sunt ultra flumina Æthiopiæ respectu Judææ et Ægypti, imo et ulteriores populi trans mare siti, ut Brasilii, Peruani, Mexicani, omnesque Indi Occidentales ad Christum convertentur, eique deferent munera.

Tertio, alii, quibus favet à Castro, putant hîc notari Indiam Orientalem usque ad Japoniam et Chinam; flumina enim Æthiopiæ hîc vocari Tigrim et Euphratem, quæ primum per Chaldæam (in qua regnavit Nemrod filius Chus) et Mesopotamiam, deinde per mediam labuntur Arabiam, quæ, ut dixi, in Scriptura vocatur Chus, id est Æthiopia, ultra quæ flumina est tota Asia et India usque ad Sinas. Accedunt Chaldæus, qui vertit: *Trans fluvios Indiæ;* Arias et Vatablus, qui hæc de Indis exponunt, quasi Æthiopia hîc Indica intelligatur, cujus flumina sunt Tigris, Indus et Ganges, quæ licet Judæis tempore Sophoniæ esset ignotior, Christianis tamen, quibus prophetat Sophonias, est notissima. Unde et Sabæi sunt Indi, æque ac Persici, Arabici et Abyssini, ut ex Beroaldo et Dionysio docet Pererius in cap. 25. Genes. v. 5. Sensus ergo est, q. d. Indi Orientales, Japones, Sinæ, convertentur ad Christum, venientque supplices ad Ecclesiam, deferentes sua munera, uti hoc seculo factum est, et in dies fieri videmus. Huic sententiæ favet quod aliqui filii Chus, ut Hevila, versus Indiam habitarint, quodque S. Cyrillus, Theodor. Procopius et alii, quos citat Pineda loco jam citato num. 23. Sabæam gentem vocent Æthiopiam Indicam. Denique Lusitani, qui subegerunt et converterunt Indos Orientales, Japones et Sinas, ad eos navigant circumeundo Æthiopiam, imo totam Africam. Eorum ergo respectu, Indi possunt dici siti trans Æthiopiam et Africam. Summa, vult dicere hac phrasi Sophonias remotissimas gentes, quales sunt Æthiopes, et quæ ultra Æthiopiam sive Arabicam, sive Africanam et Abyssinam habitant, puta Garamantas et Indos, convertendos ad Christum. Judæi enim censebant Æthiopes esse ultimos hominum, juxta illud Poetæ: *Extremique hominum Morini.* Proprie tamen et præcise per Æthiopiam Sophonias accipit, non illam quæ sub Ægypto est, puta Abyssiam, uti dixit à Castro in prima expositione. Alludit enim, ut mox dicam, ad Judæos per Arabiam ductos in Babylonem, et per totum Orientem dispersos, quos reduxit Cyrus, et multo magis Christus, in Jerusalem, id est in Ecclesiam, ut munera, vota et hostias Deo vero offerrent. Per hos tamen à simili, quoslibet populos et gentes trans Æthiopiam, in India extremisque mundi oris sparsos intelligit. Hosce enim omnes ad Deum per Christum et Apostolos convertendos prædicit. Ita Mariana et alii.

Inde supplices mei, filii (ita legunt Romana, licet S. Hieron. in comment. legat *filia*) dispersorum meorum deferent munus mihi.] Pagnin. Tigurina et Vatablus de more sequentes R. David, sic vertunt: *Trans flumina Æthiopiæ Atharæi, filia Putsai, afferent munus mihi;* quasi *Atharæi* sint nomen gentis prognatæ ex gente dicta *Putsai*, quæ munus sit allatura Domino. Verum nec Scriptura, nec Josephus, nec quis alius harum gentium meminit. Quocirca Noster, Chald. Symmach. Septuag. Tigurina et alii, hæc nomina accipiunt, non ut propria gentis, sed ut appellativa. *Atharai* enim hebr. significat supplices, *putsai* dispersos. Unde ex Hebr. sic ad verbum cum S. Hieron. vertas: *Trans flumina Æthiopiæ supplices mei* (qui sunt) *filia dispersorum* (id est, cœtus et congregatio disper-

sorum ; vel potius *filia*, id est progenies charissima, puta filii charissimi dispersorum, ut vertit Noster, Symmach. et alii) *meorum afferent munus mihi*, quod S. Hieron. sic exponit, q. d. O Israel, ô Synagoga quondam mihi filia, quam nunc toto orbe dispersi, licet invideas, licet æmulatione crucieris, tamen de Æthiopia mihi victimæ deferentur, id est de Gentilium populo. Verum Vulgata lectio habet *filii*, non *filia*, quæ lectio hunc sensum non patitur.

Dico ergo : Alludit Propheta ad Judæos à Chaldæis in Babylonem abductos, et per Orientem dispersos, quos per Cyrum Deus reduxit in Jerusalem, qui ibidem hostias suas in gratiarum actionem obtulerunt Domino. Unde Chald. vertit : *De trans flumina Indiæ cum miserationibus revertetur captivitas populi mei qui captivus ductus est, et adducent eos illic tanquam oblationes.* Verum per hos quos obiter tantum perstringit, intelligit quaslibet gentes toto orbe dispersas, etiam remotissimas in Indiis degentes. De hisce enim prædicit quod per prædicationem Apostolorum, perque Christi vocationem et gratiam venient ad Ecclesiam, in eaque sua vota et munera offerent Domino. Hoc est enim quod ait S. Joannes cap. 11. 51 : *Prophetavit* (Caiphas) *quod Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente* (Judaica), *sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* Ita Hugo, Arias, Clarius et alii. Possent secundo cum Theod. dispersi accipi Apostoli ; hoc enim Christus per totum orbem dispersit, horum filii sunt viri apostolici et prædicatores, qui Apostolis in officio et zelo convertendi animas successerunt, q. d. Apostoli, et qui eis succedent viri apostolici, convertent gentes, etiam remotas et barbaras uti Æthiopes, Indos, Japones, Sinas, etc. easque quasi munus, imo quasi holocaustum, Deo gratissimum offerent, uti fecit S. Paulus qui Roman. 15. v. 16. ait : *Ut sim minister Christi Jesu in Gentibus, sanctificans* (græce λειτούργων, id est sacrificans) *Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta et sanctificata in Spiritu sancto.* Quocirca Chald. et Septuag. vertunt in accusativo ; Chald. quidem : *Adducent eos illuc tanquam oblationes ;* Septuag. vero : *Suscipiam dispersos meos, afferent munus mihi.* Gratulentur ergo sibi Xaverii, Gaspares, et eorum asseclæ, qui ingenti animo, labore et zelo Indias petunt ; sciant se successores, posteros et filios Apostolorum ; cogitent se munus et holocaustum Deo gratissimum, puta animas infidelium ad Dei imaginem creatas, pro quibus Christus carnem assumpsit, et seipsum in cruce Patri immolavit, Deo offerre ; sciant se adimplere quæ desunt laborum et passionum Christi in Ecclesia ; sciant se ejus regnum ad ultimos usque orbis fines propagare.

Mystice, Christus Æthiopes trans Æthiopiam deducit in Candiam, cum infideles et vitiis atros traducit ad fidem, castitatem, virtutem ; tunc enim *mundat omnem nigredinem animæ*, ait S. Hieron. *et tetrum colorem, ac draconis venenum, quo tincti fueramus vitiis atque peccatis, reddito nobis labio electo, sive mundo et candido, et facit derelinquere nos fluminibus Æthiopiæ perversorum dogmatum magistros, quibus ante irrigabamur, et cum dispersis quondam Israel Christo munera delaturos.* Sic S. August. l. 9. Confes. c. 2. ait se exemplo Victorini et aliorum, quos Deus de nigris lucidos fecerat, quasi sagittis divinis confixum exarsisse, ut suam infidelitatis et libidinis nigredinem, in puritatem fidei et castæ vitæ converteret. Dicat ergo cum eo quicumque pœnitens et justificatus : Æthiops fui ; Deus in baptismo, vel aquarum, vel lacrymarum, me dealbavit : ipse pro atra candidam innocentiæ vestem, imo cutem mihi restituit : niger fui, nunc candidus et formosus sum, quia conscientiæ meæ vestem lavi et dealbavi in sanguine Agni, Apoc. 7. v. 14. Deo gratias qui me de tenebris vocavit in admirabile lumen suum : deinceps vivam non æthiopice, sed candide, illudque Apostoli sequar : *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino : ut filii lucis ambulate, fructus autem lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate*, Ephes. 5. v. 8. Habitavi olim trans flumina atra Æthiopiæ, puta trans fluenta Nili, qui quia turbidus et limosus, hinc hebr. שיחור *sichor*, græce μέλας, id est niger, vocatur; cum nimirum viverem in atra caligine Deique ignorantia ; cum in me influerent æstus motusque iræ, superbiæ, gulæ, libidinis, aliarumque atrarum cupiditatum. Verum Christus sua gratia trans hæc flumina me traduxit ad candida fluenta Jordanis, ibique me baptismo abluit et dealbavit : collocavit me in Jerusalem, id est in Ecclesia, et in quiete puræ conscientiæ, ubi candidi gratiæ, amoris, castitatis, aliarumque virtutum fluvii in animam meam cœlitus influunt et impluunt.

11. In die illa non confunderis.] Loquitur Hierosolymæ, id est, Judæis non manentibus in judaismo, sed Christum recipientibus in eumque credentibus, ut patet v. 13. q. d. O Jerusalem, nunc confunderis et pudefis ob idololatriam et scelera quibus prævaricata es in me. Sed agedum, vultum attolle, spera meliora : veniet Messias tibi promissus, qui omnia tua crimina sanguine suo in baptismo eluet, teque gratia sua decorabit, ut jam non sordida, sed speciosa et gratiosa, appareas in conspectu Dei, Angelorum et hominum. Ita S. Hieronym. Theodor. Remig. Hugo et Lyran.

Aliter Vatabl. q. d. Veniet Christus qui in te effundet gratiam suam, qua fiet ut bonis operibus studeas, et caveas peccata omnia quibus antea in me prævaricari solebas.

Quia tunc auferam de medio tui magniloquos superbiæ tuæ.] Causam dat cur per Christum cessatura sit Hierosolymæ confusio ; quia nimirum auferet Christus ab ea superbiam, quæ omnis sceleris et confusionis est mater et origo, ideoque auferet *magniloquos superbiæ tuæ ;* Septuag. φαυλίσματα τῆς ὕβρεως, id est *contemptus, derisiones, subsannationes, contumeliæ tuæ ;* quia magniloquorum superba laus et adulatio reipsa non est aliud quàm irrisio et contumelia; Chald. *Sortes gloriæ tuæ ;* Tigurina : *Qui in te insolenter exsultant ;* Pagnin. *Qui exsultant in superbia tui*, id est, qui exsultant et gestiunt ob tuam dignitatem, excellentiam et magnificentiam, inquit Vatabl. eamque ore magniloquo exaltant, buccinant et deprædicant. Taxat superbos et superciliosos principes Judæorum, præsertim Scribas et Pharisæos, ait S. Hieron. Remig. Hugo et Lyranus, qui Hierosolymæ præstantiam, sapientiam, religionem, sacra et templum plenis buccis concrepabant, seque quasi ejus magistros, sacerdotes et principes jactitabant, aliasque gentes omnes, ac præsertim Christum ipsum, contemnebant. Hi enim fovebant Hierosolymi-

tarum superbiam et fastum, à quo oritur omne malum. Unde hic fastus faciebat eos incapaces fidei, gratiæ et salutis Christi. Hos sustulit Christus, eisque substituit humiles Apostolos, qui Hierosolymitas docerent modestiam et humilitatem, quæ omnis boni est causa; quia gratiam Dei et hominum sibi conciliat, ideoque prima est dispositio ad suscipiendam Christi doctrinam, justitiam et salutem. Unde subdit :

NON ADJICIES EXALTARI AMPLIUS IN MONTE SANCTO MEO.] Mons sanctus est Sion, in quo erat templum; Judæi enim perpetim jactabant se ob templum, dicebantque : *Templum Domini, templum Domini, templum Domini,* Jerem. 7. v. 4. Christus hanc jactantiam sustulit, quando hoc templum evertit per Titum et Romanos, et quando in Sion erexit Ecclesiam suam, ad quam è templo Judaico credentes transtulit et transcripsit, in qua quasi in schola humilitatis docet Judæos animi demissionem, ut in fide et religione non se præferant Gentibus, uti solent; sed humiliter cum iis se subdant gratiæ Christi, quæ Gentes, æque ac Judæos, vocat et justificat, exclusa circumcisione et lege Mosaica, per quam se justificari putabant Judæi; sed falso, uti docet Apostolus in epist. ad Roman. et ad Galat. Ita Remig. Haymo, Hugo et Lyran. Moral. disce hìc superbiam ubique Deo displicere, sed maxime in loco sancto, puta Ecclesia, vel Religione, scilicet si Clerici et Religiosi de primo loco contendant.

12. DERELINQUAM IN MEDIO TUI POPULUM PAUPEREM ET EGENUM,] q. d. Pro magniloquis et superbis Scribis et Pharisæis, dabo tibi meos Apostolos et discipulos pauperes, tum proprie dictos; primi enim fideles relictis omnibus bonis, pauperes sequebantur Christum et Apostolos, tum pauperes, id est, mansuetos et humiles, ut vertunt Septuag. et Theodor. paupertas enim est amica et mater humilitatis. Chald. vertit : *Tolerantes violentiam et contumeliam,* uti Apostoli et Discipuli pro Christi fide dura passi sunt verba, æque ac verbera. Ita S. Hieron. Theod. Remig. Vatabl. Arias et alii.

13. RELIQUIÆ ISRAEL NON FACIENT INIQUITATEM, q. d. Primi fideles et Christiani ex Israele à Christo evocati et collecti, iique pauci, præsertim Apostoli, adeo Sancti erunt, ut omne peccatum, id est, crimen mortale (quin et veniale deliberatum), dolum et mendacium caveant, imo abominentur) : QUONIAM IPSI PASCENTUR ET ACCUBABUNT] in ovili Christi, puta in Ecclesia, ubi quasi oves à Christo pastore pascentur doctrina, et gratia divina et cœlesti, quæ eos faciet sanctos, æque ac tutos et securos, ut pote qui omnem suam spem locarunt in Christo, à quo sciunt se regi, pasci, protegi, et bonis omnibus cumulari, cum in hac vita, tum magis in futura. Ita S. Hieron. Remigius et alii.

14. LAUDA, FILIA SION.] *Filiam Sion* vocat Ecclesiam primitivam. Hanc enim Christus è Judæis collegit in Sion, itaque fecit ut vetus Sion transiret in novam, puta Synagoga in Ecclesiam. Eadem enim est Ecclesia vetus et nova, Judæorum et Christianorum. Judæi enim ante Christum crediderunt in Christum venturum : Judæi vero vocati à Christo crediderunt in Christum jam præsentem. Eadem ergo utrorumque est Ecclesia; quia eadem utriusque fides, spes, charitas, justitia, gloria et beatitudo; ac idem Christus utrosque gubernans, justificans et beans. Hac de causa Ecclesia Christi vere et proprie vocatur filia Sion; quia originem sumpsit à Judæis in Sion, quod si considerarent et caperent moderni Judæi, jam non essent Judæi, sed Christiani.

Propheta ergo prævidens felicitatem Ecclesiæ à Christo instituendæ, hortatur ipsam, ut eam considerans toto corde exsultet et jubilet. Unde Chald. vertit : *Hymnos cane, congregatio Sion, et exsulta, Israel : gaude et lætare in toto corde, congregatio Jerusalem;* Sept. *Gaude, filia Sion, prædica, Jerusalem, exsulta et delectare* (Tigurin. *gesti*) *ex toto corde tuo, filia Jerusalem.* Rationem tanti gaudii et jubili subdit: Quia, inquit, Christus à te auferet omne malum et conferet omne bonum. Nam primo :

15. ABSTULIT DOMINUS JUDICIUM TUUM.] *Judicium* vocat peccata quibus judicium, id est, condemnationem et supplicium, merebatur, illique erat adjudicata vel certo adjudicanda. Est metonymia. Ita S. Hier. Secundo, *judicium,* id est, ipsam condemnationem et pœnam, q. d. Christus à te auferet et eluet in baptismo omnem culpam, et pœnam præcedentium scelerum. Hinc secundo :

AVERTIT INIMICOS TUOS,] puta dæmones et vitia : ab horum enim misera servitute liberabit te Christus, viresque eorum infringet ut non illa tibi, sed tu illis domineris. Ita S. Hieronymus, Theodor. Remig. et alii. Unde Chald. vertit : *Exstirpavit inimicos tuos;* Septuag. *Redemit de manu inimicorum tuorum rex Israel;* Pagnin. *Evacuavit inimicum tuum;* Tigurina : *Averruncavit hostes tuos*, hoc est, avertit, depulit, ejecit; averruncare enim dictum est ab avertendo, inquit Varro, et à runca, quod est instrumentum vinitorum, quo vitium sarmenta avertunt et amputant. Unde Averruncus erat Gentilibus deus qui mala averruncabat, id est avertebat. Ita Varro lib. 6. Noster Averruncus est Christus, de quo S. Antonius, teste S. Athanasio, dicere solet : *Adveniente Domino* (Christo in carnem) *destructus est inimicus, et omne ejus robur elanguit.* Unde de eo tertio subdit Propheta :

REX ISRAEL DOMINUS IN MEDIO TUI,] q. d. Christus Dominus, qui est Rex Israelis, id est populi fidelis, est in medio tuî, ô Sion, ô Ecclesia, ut te regat quasi rex, pascat quasi pastor, alat quasi pater, amet quasi sponsus, defendat et protegat uti capitaneus. Unde sub ejus alis et armis secura, *non timebis malum ultra;* quia ipse illud vel à te depellet, vel vires dabit ad superandum, ut morbos, exsilia, martyria, et quælibet adversa non tantum patienter, sed et hilariter sufferas, in iisque cum S. Paulo glorieris et exsultes. Ita S. Hieron. Quocirca idipsum inculcans et exaggerans subjungit quarto :

16. NOLI TIMERE : SION, NON DISSOLVANTUR MANUS TUÆ] ob tribulationes et persecutiones insurgentes, sed eas generose supera et despice, ut Deus super te et tua pietate, amore, constantia et victoria delectetur et gaudeat. Rationem subdit : Quia *Dominus Deus tuus in medio tuî fortis, ipse salvabit.* Quid ergo timeas, quæ tam fortem habes ducem? Quid metuas, cum pro te pugnet Jesus, id est salvator, imo ipsa salus? Hinc quintum bonum et dotem addit dicens :

17. SILEBIT IN DILECTIONE SUA.] Sic legendum cum Hebr. Septuag. et Rom. non *tua*, uti legunt aliqui. Jam triplex hìc est expositio. Prima, q. d. Deus silebit præterita tua peccata, quæ

olim commisisti, non ea refricabit, non exprobrabit, imo non commemorabit, sed silentio involvet, delebit et abolebit, quia diliget te. Ita S. Hieron. et Remig. unde Chald. *Abscondet delicta tua in misericordia sua*, q. d. Si anima adulterio, id est scelere, polluta, in gratiam cum Deo sponso suo redeat, ille cum ipsa de præterita injuria, utpote condonata, non expostulabit; sed potius dicet quod dixit Christus Magdalenæ: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Alius in Bibliis Regiis : *Cum gaudio subjiciet scelus tuum cum misericordia*, scilicet subjiciet scelus suæ misericordiæ. Unde Cassiodor. in psalm. 31 : *O ingeniosa*, ait, *simplicitas, et multa tergiversatione cautior puritas, manifestare delictum! Illis non judex, sed advocatus est Christus, qui se propria confessione damnarunt.* Secunda, q. d. *Silebit*, id est, stabilis et firmus erit in sua dilectione tuî, semper te diliget, nunquam, nulloque casu vel eventu dilectionem suam revocabit aut minuet; sed uti lapis in centro, ita Christus in dilectione tuî silebit et conquiescet. Tertia, q. d. Cum in tentationibus et laboribus fueris, silebit sæpe, dissimulabit et sinet te affligi, laborare et sudare, eo quod diligat et eligat te ad magnam gloriam et coronam. Ita S. Antonius à turba dæmonum variis formis leonum, luporum, taurorum, aspidum, scorpionum, pardorum, ursorum se invadentium acriter flagellatus, vulneratus et confossus, cum *imperterritus duraret mente pervigili*, ait S. Athanas. *vidit ad se radium lucis influere. Illico præsentiam Domini intellexit, et ex intimo pectore longa trahens suspiria : Ubi, ait, eras, bone Jesu? ubi eras? quare non à principio adfuisti, ut sanares vulnera mea? Et vox ad eum facta est : Antoni, hîc eram, sed exspectabam videre certamen tuum. Nunc autem, quia dimicando viriliter, non cessisti, semper auxiliabor tibi, et faciam te in toto orbe nominari.* Sic S. Catharina Senensis faces libidinis à dæmone immissas fortiter repellens et superans, post victoriam meruit videre Jesum, cumque illa quereretur: Cur me, Domine, in hoc prælio reliquisti? audivit : Non te dereliqui, nam fui in corde tuo, illudque continui et roboravi, ne illecebris cederet et consentiret. Similia legimus in vitis sanctorum. Septuag. vertunt : *Innovabit te in charitate sua*, q. d. Novo amore te diliget, perinde ac si alia esses, et nova sponsa nove ei nupta, eumque tibi aspirabit, ut vicissim novo amore et fervore eum diligas, ac pro eo majora magisque heroica patrare et tolerare ambias. Disce hîc, tribulationes, si fortiter eas Christi amore sufferat anima fidelis, illam de novo quasi unire et despondere Christo, ut quasi nova sponsa ei dicat cum Sephora uxore Mosis : *Sponsus sanguinum tu mihi es propter circumcisionem*, propter tribulationes, Exodi 4. v. 25.

Exsultabit super te (Deus et Christus) in laude,] laudando tuam patientiam, pugnam, victoriam, ac Patris æterni gratiam, quam tibi ad hæc dedit. Septuag. vertunt: *Lætabitur in te in delectatione*, hoc est, delectabiliter et valde in te lætabitur et delectabitur; Tigurina : *Gestiet de te cum jubilo;* Vatabl. *Exsultabit super te cum cantico*, q. d. Præ gaudio et lætitia videbitur canere. Est metaphora ab hominibus lætitia gestientibus.

Moraliter nota quàm Christus et Deus delectetur nostra virtute et tolerantia, ut videatur gestire, canere et jubilare. Quis ergo non studeat bonis operibus? quis non dura quæque ejus amore patiatur, ut Deo suo et Angelis ejus hanc delectationem, hoc gaudium, hunc jubilum exhibeat et præstet? Ita Christus asserit gaudium esse in cœlis super uno peccatore pœnitentiam agente, Lucæ 15. v. 7. Ita S. Paulus hortatur Hebræos cap. 13. 16. ad opera charitatis, ut illis oblectent Deum : *Beneficentiæ*, inquit, *et communionis nolite oblivisci ; talibus enim hostiis promeretur* (Syrus שפר *scaphar*, id est pulchrescit, oblectatur, hilarescit) *Deus.* Et Isaias cap. 62. v. 3. 4 et 6 : *Eris*, inquit, *corona gloriæ in manu Dei, etc. Vocaberis voluntas mea in ea, etc. quia complacuit Domino in te, etc. Gaudebit super te Deus tuus.* Etc. 65. 19 : *Exsultabo in Jerusalem, et gaudebo in populo meo.* Et Moses exhortans Israel ad custodiam legis Dei : *Revertetur*, ait, *Dominus, ut gaudeat super te in omnibus bonis, sicut gavisus est in patribus tuis.* Deuteronom. 30. 9. Et Psaltes : *Lætabitur Dominus in operibus suis*, psal. 103. 31. Et psal. 44. 9 : *Myrrha, et gutta, et casia à vestimentis tuis : ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo.* Denique Apostolus excitat Romanos cap. 12. 1 : *Obsecro*, ait, *vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Ita Martyres gaudebant in martyriis eo quod seipsos Deo quasi hostias vivas, quibus ipse summe delectatur, offerrent in odorem suavitatis. Unde Tertull. Apologet. cap. 50. Martyrum agon et *victoria*, inquit, *habet et gloriam placendi Deo, et prædam vivendi in æternum.* Et S. Cyprianus lib. 4. epist. 1. ad Rogatianum cæterosque Confessores incarceratos, et martyrii candidatos : *Quid*, ait, *jucundius et sublimius quàm osculari nunc ora vestra, quæ gloriosa voce Dominum confessa sunt? O beatum carcerem quem illustravit vestra præsentia, etc. ubi modo constituta sunt Dei templa, et sanctificata divinis confessionibus membra vestra!* Dicat ergo humilis, patiens, pauper, obediens, etc. Humiliabo me in abyssum, patiar dura, famem sitimque tolerabo, obediam usque ad mortem, ut mea humilitate, patientia, paupertate, obedientia, etc. lætificem et exhilarem Deum meum, ut illi hoc suave epulum præbeam, ut oculos ejus hoc spectaculo pascam et oblectem. Si enim idipsum faciunt famuli cardinalibus et principibus suis, quid me convenit facere Domino Deo meo?

Aliter vertit Pagnin. scilicet : *Exsultare faciet in laude*, q. d. Deus te faciet exsultare in tribulationibus et laboribus, ut ei de iis gratias agas, eumque laudes et jubiles, uti fecerunt tres pueri in fornace Babylonia, Daniel c. 3. v. 51. Unde S. Hieron. *Exsultabit*, inquit, *super te in laude, vel quia laudabilis sis, vel quia eum tuis laudibus canas.*

Nugas, qui a lege recesserant, congregabo.] Pro *nugas* hebr. est eadem vox *nage*, pro qua Septuag. vertunt διεσκορπισμένους, id est confractos. Interpres in Bibliis Regiis vertit, *dispersos;* Aquila, *translatos;* Chald. *qui remorati sunt in te tempora solemnitatis tuæ;* Pagninus, *dolore affectos;* Tigurina, *abstractos à loco colligam;* Vatablus sic vertit et explicat, *mærore affectos à tempore statuto, hoc est Judæos, qui jam erant affecti tædio exspectandi diem statutum adventus, non Cyri, qui eos Babylone liberaret* (*ut vult Theodor.*), *sed Christi, congregabo in Ecclesiam*

Catholicam ; alii vertunt : *Squalidos, mœstos, afflictos ; nuge* enim derivatur à יגה *iaga*, id est mœrere, dolere, affligi. Unde Clarius hæc exponit de resurrectione, q. d. Squalore confectos et mortuos, qui recesserunt à statu hominum cœtu, in resurrectione suscitabo, et congregabo in vallem Josaphat, inde in cœlum. Verum S. Hieron. censet נוגי *nuge* idem esse quod Latinum *nugæ*, illudque ab Hebræo nuge derivatum esse. Rursum Hebr. מועד *moed* idem est quod conditum, statutum, vel testimonium, id est lex. Ergo נוגי ממועד *nuge mimmoed*, vocantur nugatores, id est peccatores, qui ob nugas, id est, levissimas et mendaces rationes et voluptates, à lege Dei recedunt, easque Deo præferunt. Notat Judæos, qui ob nugas, id est, nugacia bona terræ, à lege, quam se servaturos promiserant, recesserunt; quique ob nugaces suas traditiones Christum, quem lex indicabat, spreverunt. Sic Poetas vocat nugas Xenarchus apud Athenæum lib. 6 : *Porro,* ait, *ipsi Poetæ nugæ sunt.* Hi enim sunt lusciniæ nugis insidentes, de quibus Plinius lib. 10. 29. Et Aristophanes in Nebulis Socratem vocat nugarum antistitem, quasi frivolarum argutiarum auctorem. Plautus quoque nugas theatri appellat quotidiana convicia quæ in meretrices, lenones et parasitos jaciebantur à Comœdiarum actoribus. Cicero lib. 6. ad Atticum epist. 31 : *Amicos,* ait, *habet meras nugas.* Et l. 1. ad Quintum fratrem epist. 38. nugas vocat homines nihili, et plane ridiculos. *Nugas, inquit, maximas omni comitate complexus sum.* Lexicographi prisci hæc quatuor pro iisdem habent, *nuga, nugæ, nugax, nugator ;* et interpretantur *nullius frugis, nequam, nequus.*

Audi S. Hieron. *Nugas sive, ut Aquila interpretatus est, translatos, qui à te recesserunt, congregabo ; quia ex te erant : hoc est, hi qui per vitia atque peccata de tuo sinu fugerant, et facti erant sub dæmonum potestate, redintegrato omnium statu venient ad te, et nequaquam ultra super perditis filiis tuis patieris opprobria. Id quod diximus nugas, sciamus in Hebræo ipsum Latinum esse sermonem* נוגי *nuge, et propterea à nobis ita ut in Hebræo erat, positum, ut nosse possimus linguam Hebraicam omnium linguarum esse matricem.*

Proprie enim נוגי *nuge* significat mœstos, mœrore confectos, squalidos, ut vertit Noster Thren. 1. v. 4. ac tabidos, ut umbræ potius esse videantur quàm homines : inde per catechresin significat abjectos, viles, et nullius pretii, quales sunt nugæ. Id ita esse patet Isaiæ 51. 53. ubi dicitur : *Et ponam illum in manu* מוגיך *mogaich* (quod æque ac נוגי *nuge* à radice יגה *iaga* descendit) id est, *eorum qui te humiliaverunt,* ut vertit Noster, Septuag. et Chald. Et Thren. 3. 33. idem verbum Septuag. vertunt, *humiliavit ;* Noster, *abjecit.* מוגי *moge* ergo activum in Hiphil, significat humiliantes ; נוגי *nuge* vero passivum in Niphal, significat humiliatos, contemptos, viles et nugas. Id enim asserit S. Hieronym. qui id accepit ab Hebræis, cui sane credendum, etsi hæc significatio jam alibi diserte non reperiatur. Lingua enim Hebræa jam valde accisa est, nec pura, nisi in S. Scriptura reperitur. Porro sicut latine vox *nugæ* alludit ad *non ago,* q. d. Nugæ sunt quæ nihil agunt ; ita et Hebr. נוגי *nuge* alludit ad אין יגה *en iaga,* id est, *non laborat.*

Apposite Judæi vocantur *nugæ.* Primo, quia mortalium sunt abjectissimi et vilissimi, uti videre est Romæ, quorum *cophinus fœnumque supellex,* ut ait Poeta : unde contemptim vocantur verpi, appellæ, recutiti, nugivendi. Quocirca Judæorum hæc vox est Sapient. 2. v. 16 : *Tanquam nugaces æstimati sumus,* græce εἰς κίβδηλον, id est, in spurium, vel in scoriam, aut æruginem, q. d. Æstimantur ut spurii, aut quasi quisquiliniæ et nugæ. Ita Emmanuel et Mariana, qui nugas interpretatur homines perditos.

Secundo, quia Judæi nugis et fabulis scatent. Unde Hebr. נוגי *nuge* deduci potest ab הגה *haga*, id est garrire, mussitare, fabulari. Justo enim judicio Dei factum est ut, cum à veritate, lege et Christo recesserint, inciderint in errores, fabulas, fabulones et impostores. R. Salomon, aliique eorum Rabbini, æque ac Thalmud, ita iis abundant, ut fabularum centones videantur, quibus misera plebs credit, quasi oraculis. Ex hisce aliisque novis à se confictis Mahomet consarcinavit Alcoranum, quod est quasi lex et S. Scriptura Turcarum et Saracenorum. Vere Psaltes psalm. 118. 85 : *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.* Idem faciunt hæretici ; dum enim à vera fide et lege Dei recedunt, abeunt in errores et fabulas. Notæ sunt ex Irenæo, Tertull. Epiphan. et aliis fabulæ Simonis Magi, Saturnini, Carpocratis, Montani, Marcionis, Gnosticorum, Manichæorum ac Valentinianorum, qui triginta fingebant æones quasi deos, sed revera nominum potius portenta quàm numina.

Moral. Disce corruptionem naturæ humanæ ex peccato, qua nugas magis amat quàm seria et utilia, adeo ut homines hic à Propheta, non nugatores, sed nugæ ipsæ appellentur. Præclare S. Hieron. in prooemio lib. 12. in Isaiam : *Nullus, ait, tam imperitus scriptor est, qui lectorem non inveniat similem sibi ; multoque pars major est fabellas revolventium quàm Platonis libros : in altero enim ludus et oblectatio est, in altero difficultas et sudor mistus labori. Testamentum Grunnii Corocottæ Porcelli decantant in scholis puerorum agmina cachinnantium,* quin etiamnum illud exstat in Bibliothecis, uti in nostra Romana inter Inscriptiones antiquas, in quo Porcellus à coco jugulandus ita sua legata partitur : *Patri meo Verrino Lardino delego dari glandis modios triginta, et matri meæ Verrinæ Scrophæ delego dari lalluginis modios quadraginta, et sorori meæ Verrinæ hordei modios triginta. Et de visceribus meis dabo sutoribus setas, rixoribus captivas, surdis auriculas, causidicis et verbosis linguam, intestina exitiariis, lumbos pueris, musculos cursoribus, venatoribus talos, latronibus ungulas, etc.* Hæc refero, tum ut locus S. Hier. de hoc testamento intelligatur, tum ut nugarum Prophetæ dem vetus exemplum, quo videamus quàm nugosa sit hominis indoles, quæ has nugas per tot annorum centurias conservavit. Plinius libr. 30. cap. 2. Appion, inquit, Homerum ab inferis evocatum nil aliud interrogavit quàm qua patria quibusque parentibus genitus esset. Sic quidam, etiam primores, gravissimorum virorum concilio convocato, de meris nugis, id est, rebus otiosis et frivolis, consulunt. Porro major hominum pars cœtusque circa nugas occupatur, nugax est, nugiger et nugivendus. Martialis, qui à multis ita avide legitur et teritur,

quid est nisi pater leporum et nugarum? Audi ipsummet de se initio lib. 9:

Ille ego sum nulli nugarum laude secundus :
Quem non miraris, sed, puto, lector, amas.

Audi Satyricum in Carmine cui titulus *Nugæ* :

Accipe, stat pretium nugis, et callidus emptor
Vix plura ex alia sperat compendia merce.
Quippe hominum in vita, nugis sine nulla voluptas.
Testis erit blando nugas qui garrit amico.
Pyramides nugæ, nugæ miracula rerum.
Lusciniæ in nugis melior consumitur ætas.
Vivit et immoritur nugis schola magna Sophorum.
Gratæ oculis nugæ, nugis visenda theatra.
Forma breves nugæ, sed quæ evertisse feruntur
Pergama, etc.
Nobilitas nugæ insignes, et gentis origo
Ducta Promethæis ab avis, et sanguine Pyrrhæ.
Captus erat nugis, qui vexit Ariona delphin.
Mercurius nugis, nugis se jactat Apollo.
Sustuleris nugas, et cuncta poemata tolles :
Grandiloquo fiet de Rhetore Tullius infans.
Quærimus et Tyriæ nugas in sanguine conchæ.
Ambrosia et nectar nugæ, convivia divum.
Riphæo concreta gelu crystallina nugæ.
Nugæ amethystus, onyx, beryllus, jaspis, achates,
Nugæque ignivomo tremulus fulgore pyropus;
Famaque mansurum spondens post funera nomen,
Votaque sunt nugæ; nugæ fortuna superbas
Quas largitur opes, et nutu temperat orbem.

Seneca, l. 1. ep. 1 : *Magna*, ait, *vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.* Et Cato : *Satius est otiosum esse quàm nihil agere.* Nihil agit, qui nugis et frivolis se occupat. Domitianus Imperator, teste Suetonio in ejus vita, molem tanti Romani imperii sustinens, cum negotia maxima tractare deberet, multas sæpe horas impendebat captandis muscis : unde rogantibus quis esset cum Domitiano responsum est : Nec musca quidem, quia homines et muscas occidebat, ne quis alius superesset. Quocirca ipse vicissim à Stephano œconomo suo occisus est. Heliogabalus Imper. tota Roma curavit conquiri araneas, earumque telas colligi et ponderari ad hoc, ut sciret quantum omnium esset pondus et multitudo. Ita multi hodie negotia vertunt in otia, seria in nugas. Ambis gloriam, ambis honorem, ambis prælaturam? muscam captas. Ambis gulam et venerem? putidam araneam captas. Ambis vestes sericas, aureas, purpureas? telas aranearum captas. An non hæ sunt nugæ? In hisce tamen multi tempus, quod ad æternitatem promerendam nobis Deus concessit, ultro terunt, et gaudentes consumunt. Vere Sapiens : *Fascinatio nugacitatis obscurat bona*, Sapient. 4. 12. q. d. Fascinum vanitatis et nugarum, ea quæ sunt vere bona et honesta, obscurat. Species enim voluptatis quæ est in nugis et vanitate peccati, fascinat mentem, ut hanc nugacitatem æque ac turpitudinem peccati non videat, non consideret, uti nec honesti, sive virtutis pulchritudinem et præstantiam. Sane fascinati videntur homines, et illecebris creaturarum quasi præstigiis præstricta eorum mens, dum velut bruta ruunt in suas veneres et cupedias, etiamsi sciant se per eas ruere in tartara et incendia æterna. Sapienter Æschines epist. 5 : *Res perexiguas*, inquit, *maximi facere, pusillanimitatis cujusdam et insciliæ est.* Hoc sibi juveni accidisse confitetur et dolet S. August. l. 8. Confes. c. 11 : *Retinebant*, ait, *me nugæ nugarum, et vanitates vanitatum antiquæ amicæ meæ.* Excutiamus cum S. August. hasce nugas nugarum, mentemque nostram ac vitam in cœlestibus verisque bonis, in vero animi robore et magnanimitate, in omnium rerum mundanarum contemptu et despicientia, in arduarum et heroicarum virtutum exercitatione defigamus.

Porro quantopere nugæ fidelibus vitandæ sint, gravi censura docet S. Bernard *Nugæ*, ait, *si incidant, interdum ferendæ fortassis, referendæ nunquam. Interveniendum caute et prudenter nugacitati. Prorumpendum sane in serium quid, quod non modo utiliter, sed et libenter audiant, ut supersedeant otiosis.* Ita auctor Vitæ S. Bernard. lib. 3. cap. 3. Idem in Apologia ad Guilielmum Abbatem : *Nihil*, ait, *de Scripturis, nihil de salute agitur animarum, sed nugæ, et risus, et verba proferuntur in ventum. Inter prandendum quantum fauces dapibus, tantum aures pascuntur rumoribus.* Idem de Conversione ad Clericos c. 12 : *Frivola*, ait, *prorsus, et inanis ac nugatoria consolatio, et nescio quid illi durius imprecer, quàm ut semper habeat quod requirat, qui, jucundæ quietis pacem fugitans, curiosa inquietudine delectatur. Liquet sane vel ex hoc ipso nihil his omnibus delectationis inesse, quorum solus transitus juvat. Vanus utique labor, qui studio vanitatis assumitur. O doxa, doxa, ait Sapiens* (puta Boet. l. 3. de Consol. prosa. 6.), *in millibus mortalium nihil aliud quàm aurium inflatio vana.* Celebre est istud Astydamantis :

Garrulitas est deambulatio linguæ,
Nugas agis, dum philosopharis intempestive.

Et illud Euripidis :

Tu vero linguam quidem volubilem habes, uti vir prudens,
Sed in sermonibus tuis nulla mens inest.

Nicostratus apte hosce nugaces et garrulos, vocat hirundines. Graviter et vere Clemens Alex. l. 2. Pædag. c. 5 : *Cum verba*, ait, *omnia à cogitatione et moribus emanent, fieri non potest ut aliqua verba mittantur ridicula, quæ non procedant à moribus ridiculis. Ex abundantia enim cordis os loquitur.* S. Chrysost. explicans illud Ephes. 4. 29 : *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat : Quale*, ait, *cor unusquisque habet, talia verba loquitur, et talia opera facit.* Verba ergo et opera levia et nugacia, signa sunt animi levis et nugacis. Quocirca S. Basil. in exhort. ad filium spirit. *Ne*, ait, *in modum parvuli jocari velis assidue, quia non convenit ei qui ad perfectionem nititur, jocari ut parvulus.* S. Thomas Aquinas hæc duo dabat signa, è quibus cognosci possit an quis in virtute multum profecerit. *Si*, ait, *quem videris verbis levibus nugisque delectari, ac ægre ferre se contemni, scito hunc non esse perfectum, etiamsi miracula faciat.* Quamobrem S. Hier. *Felix*, ait, *lingua, quæ non novit nisi de divinis texere sermonem.* Et S. Basil. tract. de Renuntiat. seculi : *Si futiles*, ait, *habeantur sermones, tu magnopere ne attendito; sed si quæ ex divinis litteris ad salutem animi pertinentia memorare audieris : acerba gustatu tibi ea sunto, quæcumque de rebus mundanis memorentur, contraque favis mellis similia, quæ à pietatem colentibus viris narrentur.* In Vitis Patr. l. 3. num. 36.

refertur de quodam viro sancto in monasterio S. Pachomii, qui, cum inter Monachos fieret sermo de S. Script. et rebus sanctis, videbat *Angelos lætantes in hilari vultu : delectabantur enim de eloquiis Domini. Cum vero aliud quodcumque inter se loquerentur, statim Angeli recedebant longius, indignantes contra eos; veniebant autem porci sordidissimi et morbo pleni, et volutabant se inter eos. Dæmones enim in specie porcorum delectabantur per superflua et vaniloquia eorum. Beatus autem senior hæc videns abiit in cellulam suam, et per totam noctem cum grandi fletu et ululatu gemendo deflebat miserias nostras. Dicebat ergo : Cavete, fratres, à multiloquio, et ab otiosis sermonibus linguam prohibete, per quam malus interitus animæ generatur; et non intelligimus quoniam per hæc et Deo, et sanctis Angelis odibiles sumus.*

S. Hugo Abbas Cluniacensis, qui vixit tempore sancti Anselmi, et cum eo visus est ab Angelis vehi in cœlum, monuit sæpe Durannum Episcopum Tolosanum, ut à nugis et ridiculis verbis quibus assueverat, sibi temperaret; alioqui eum post mortem tumentibus labris et spumoso ore appariturum. *Non correxit Episcopus : unde defunctus cuidam sacerdoti Signino apparuit, et, ut Sanctus prædixerat, ulcerosis tumida labiis ora præferebat. Petit auxilium Patris lacrymabiliter, quem audire noluerat. Signinus refert Patri quod viderat; miseretur Abbas, et excessum oris septem fratrum silentio sanare festinat. Septem fratres deligit, quibus septem dierum silentium pro Episcopo indixit. Unus ex iis transgreditur, silentium solvit. Redit Episcopus ad Signinum, fractum accusat silentium, de transgressore conqueritur, dilatam oris sanitatem propter septimi inobedientiam causatur. Signino hæc iterum ad Patrem referente, Abbas inquirit de transgressione. Transgressio invenitur, et alter septenarius silentio dedicatur. Quo completo tertiò Præsul apparuit, gratias agens Abbati, pontificali indutus chlamyde, os sanatum ostendit.* Quocirca S. Hugo magis quàm ante nugas vitans, seria tractabat : *Orationem Deo, lectionem sibi, consilium proximo sedulus exhibebat. A mendacio et simulatione abhorrebat penitus, torporem et otium damnabat, pauperes opulenta manu pascebat, infirmos pia sollicitudine refovebat, afflictos consolabatur, pupillos et viduas tuebatur. In vitiosos severus, erga pœnitentes mitissimus erat; disciplinæ castigatione judex, doctrina magister, charitate parens, obsequio minister. Ita vero pluribus erat intentus, ut minor ad singula vix haberetur,* inquit Hugo, illi coævus in ejus Vita.

Ut non ultra habeas super eis opprobrium.] Nugæ enim et nugaces Judæi et peccatores probro sunt non tantum sibi, sed et suæ matri, puta Sioni. Rursum apud Gentes probrum tibi est Sion, quòd tam parvæ sis virtutis et zeli, ut hosce filios tuos non potueris æque ut cæteros ad Christum convertere; quare probrum hoc auferetur, cum eos, Dei gratia aspirante, zelo majore convertes.

19. Interficiam omnes qui afflixerunt te,] q. d. Persecutores tuos, ô Sion, ô Ecclesia Christi, perimam, nimirum Judæos per Titum et Romanos. Ita Lyran. et Vatabl. Gentiles vero, ut Neronem, Aurelianum, Decium, Maximianum, Diocletianum, etc. perimam per Romanos, Persas, Gothos, ac plene per Constantinum Magnum. Ita Theodoret. Remig. et Haymo; ac tandem in die judicii, omnes omnino impios, hostes tuos, æterna morte mulctabo.

Et salvabo claudicantem (scilicet populum, non tam Judaicum, qui partim ad Mosem, partim ad Christum inclinabat, ut vult Arias; quàm Christianum in primitiva Ecclesia, qui fugiens persecutiones ibat in remotos montes, silvas et urbes, ac ex labore peregrinationis fatigatus, claudicabat. Unde sequitur) : et eam quæ ejecta fuerat, congregabo.] Tigurina : *Et eam quæ longius abstracta erat colligam.* Ejiciebant enim Christianos Judæi è suis synagogis; Gentiles ex suis urbibus et locis, q. d. Ecclesiam, puta cœtum fidelium à persecutoribus ejectum colligam, suæque urbi, loco et patriæ restituam, ut ibi sint in honore, laude et gloria, ubi prius affecti sunt confusione, probris et verberibus. Factum id per Constantinum. Ita Theodor. Remig. et Vatabl.

Mystice, colligit Deus peccatores claudicantes, qui nunc Deo, nunc dæmoni, nunc Christo, nunc carni et mundo adhæserant. Ideoque à Dei gratia et domo ejecti erant, cum eos efficaciter ad se vocat, sibique fortiter astringit, uti vocavit et astrinxit S. Magdalenam.

20. In tempore illo.] Repete : *Interficiam omnes qui afflixerunt te, et salvabo claudicantem, etc.*

Cum convertero captivitatem vestram,] qua in primitiva Ecclesia vos, ô Christiani, sub Judæis magistratibus et Gentilibus Imperatoribus fuistis quasi captivi et oppressi : faciam enim per Constantinum ut vos libertatem assequamini, imo dominemini infidelibus, eorumque templa occupetis, ac publice Christum gloriose et magnifice colatis. Ita Lyran. et Vatabl. Secundo, *captivitas* hæc accipi potest servitus diaboli et peccati, à qua Christus nos ad libertatem filiorum Dei traducit per gratiam in hac vita, et per gloriam in altera, ubi post multos labores et agones, è servitute corporis, ærumnarum et mortis nos liberabit, ac cœlestibus coronis et honoribus donabit, et beabit in æternum. Ita S. Hieron. Theodor. Hugo et alii.

COMMENTARIA

IN

AGGÆUM PROPHETAM.

ARGUMENTUM.

Decimus inter Prophetas ponitur Aggæus, vel, ut hebr. scribitur per *chet*, חגי *Chaggai*, sive Chaggæus, id est, festivus, festum agens, à rad. חגג *chagag*, id est, festum celebravit, festive prophetans ad populum læte è Babylone in Judæam redeuntem: *Aggæus*, ait S. Hieron. ad Paulin. *festivus et lætus, qui seminavit in lacrymis, ut in gaudio meteret, destructum templum ædificat, Deumque Patrem inducit loquentem: Adhuc modicum, et ego commovebo cœlum et terram, et mare et aridam, et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus*, puta Messias, sive Christus. Quoad tempus, prophetavit Aggæus paulo post Judæorum reditum è captivitate Babylonica. Cum enim resp. Judæorum vitiis esset corrupta, Deus eam excidit, et traduxit in Babylonem, ibique captivos detinuit per 70. annos, ad hoc, ut tota illa generatio vetus et vitiata interiret, et in eorum locum filii ab hisce vitiis intacti succederent, ut novus populus ad renovationem Jerusalem perveniret. Eò ergo rediit 1. anno Cyri: mox cœpit reædificare templum, jecitque ejus et altarium fundamenta, sed cæso paulo post à Tomyri Scytharum regina Cyro, successit ei in regnum Persarum filius Cambyses, sive, ut eum Esdras vocat, Assuerus chaldaice, persice Artaxerxes, qui persuasus à Sanaballat aliisque Samaritanis Judæorum hostibus, quod Judæi in speciem templum, sed revera arcem quasi rebellaturi ædificarent, vetuit eos in fabrica progredi. Narrat hæc fuse Esdras lib. 1. c. 4. ubi et addit v. 24: *Tunc intermissum est opus domus Domini in Jerusalem, et non fiebat usque ad annum secundum regni Darii regis Persarum.* Judæi enim videntes à Cambyse, Sanaballat et aliis tot tantasque fabricæ remoras injici, dictitabant necdum ejus tempus advenisse. Quocirca Deus suscitavit Aggæum anno secundo Darii, qui eos ad templi fabricam resumendam incitaret. Hoc est enim quod mox subdit Esdras cap. 5. 1: *Prophetarunt autem Aggæus Propheta et Zacharias filius Addo, prophetantes ad Judæos qui erant in Judæa et Jerusalem, in nomine Dei Israel. Tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel, et Josue filius Josedec, et cœperunt ædificare templum Dei in Jerusalem, et cum eis Prophetæ Dei adjuvantes eos.* Qui et subdit, cap. 6, Deum flexisse animum Darii, ut templi fabricam non tantum permitteret, sed et edicto suo promoveret, jubens ex tributis regiis præberi sumptus in fabricam et sacrificia necessarios. Ubi recte advertit S. Hieron. in prologo: *Sciendum*, ait, *est magni spiritus fuisse Aggæum et Zachariam Prophetas, ut adversus Artaxerxis regis edictum, et Samaritanos gentesque cunctas per circuitum ædificationem templi impedientes, juberent templum exstrui: Zorobabel quoque, et Jesum filium Josedec, et populum qui cum eis erat, non minoris fidei, ut Prophetas magis audirent jubentes, quàm prohibentis regis imperium.* Additque secutus Chronicon Eusebii hæc contigisse, *quo tempore apud Romanos septimus à Romulo regnavit Tarquinius Superbus, habens annum Imperii vigesimum septimum, qui post octo annos expulsus est à Bruto: ac deinde rempub. per quadringentos et sexaginta quatuor annos usque ad Julium Cæsarem Consules administraverunt.* Quare ab hoc anno secundo Darii, usque ad annum 42. Augusti Cæsaris, quo natus dicitur Christus, fluxerunt anni 518; tot ergo annis Aggæi prophetia de Christo eum antecessit.

Porro illa quatuor continet partes, sive visiones: tres primæ elidunt tres excusationes Judæorum de differenda templi fabrica; in quarta promittit Zorobabeli fabricam resumenti Christum ex ejus stirpe nasciturum, qui templum hoc sua præsentia, doctrina et miraculis decorabit, facietque gloriosius quàm fuerit templum prius à Salomone ædificatum, ac thronum regni sui super omnia gentium regna, iis subactis sublimabit.

Mystice. Aggæus, inquit S. Hieronym. Cyrill. et Rupert. optat ut Jesus et Zorobabel, id est, Jesus Christus filius Dei, summus sacerdos, qualis fuit Jesus filius Josedec; æque ac summus princeps, qualis fuit Zorobabel, Dei domum, id est, corpus, sibi et nobis in incarnatione ædificet.

Tropol. ut Deus sibi in anima fideli et sancta templum virtutum construat, inquit idem S. Hieron. et Remig.

Denique adeo illustris, sanctus et sapiens fuit Aggæus, ut Origen. illum, æque ac Malachiam et Joannem Baptistam, censuerit non fuisse homines, sed Angelos incarnatos, uti refert Gabriel Vasquez. 1. p. tom. 1. disp. 184. num. 7. et alii; imo S. Hieronym. cap. 1. v. 13. Ratio Origenis erat, quia c. 1. v. 13. Aggæus in Hebræo vocatur Angelus: *Et dixit*, ait, *Aggæus nuntius* (hebr. מלאך *malach*, id est, Angelus) *Domini de nuntiis Domini.* Verum hic est error: certum enim est Prophetas omnes fuisse homines, non Angelos. Aggæi vitam ita paucis describit Epiph. libr. de Prophet. vita: *Aggæus Propheta juvenis admodum ex Babylone profectus est Hierosolymam, et ingenue de reditu populi vaticinatus est.*

Et oculis structuram templi Jerusalem vidit. Idem ibidem omnium primus cecinit Alleluia. Eodem igitur loci vitam finivit, et humo prope sacerdotes cum honore et gloria conditus est. Proinde etiamnum hodie psallimus Alleluia, quæ hymnus Aggæi et Zachariæ perhibetur. Eadem habet S. Dorotheus, qui et addit eum de Christo vaticinatum sub persona Zorobabelis c. 2. dum ait : *Ponam te signaculum, quoniam te elegi, dicit Dominus : sicut et Joannes Evangelista dicit : Hunc enim Pater signavit Deus.* Accedit et Isidorus, qui et addit eum, in Babylonia natum, juvenculum cum cæteris Judæis rediisse Hierosolymam. Catalogo Sanctorum ascriptus legitur Aggæus cum Osee in Martyrologio Rom. die 4. Julii. Psalmos aliquos compositos esse ab Aggæo censent nonnulli, nimirum 1. 11. qui inscribitur : *Alleluia reversionis Aggæi et Zachariæ.* Et 145. cujus pariter titulus est : *Alleluia Aggæi et Zachariæ.* Idem titulus est ps. 146. 147 et 148. in Græcis codicibus Sept. Vatic. Addunt aliqui ps. 137. qui in iisdem inscribitur : *Psalmus ipsi David Aggæi et Zachariæ.* Verum alii communiter censent hos psalmos non esse compositos, sed decantatos à populo redeunte è Babylone, præcinentibus Aggæo et Zacharia ; eo quod festivi sint et eucharistici, ideoque huic materiæ et jubilo populi reducis congruant, de quo plura in Psalmis. Quod audis Aggæum primum in Jerusalem cecinisse Alleluia, intellige primum à reditu è Babylone. Nam ante captivitatem in usu fuit Alleluia, ut patet ex psalmis, in quibus crebro resonat Alleluia : aut, quod primus post psalmos adjecerit Alleluia, ob lætum è Babylone reditum.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Reprehendit Judæos intermittentes fabricam templi, ac dicentes necdum advenisse ejus tempus, eo quod Samaritæ illam impedirent, et Cambyses eamdem prohibuisset. Docet enim hanc excusationem esse falsam, esseque prætextum pigritiæ, qua suis ædibus construendis intenti, domum Dei postponebant et negligebant : Deum enim velle, ut ipsi illico manum admoveant templo : hanc enim suam voluntatem satis declarasse, cum ob neglectam templi fabricam immisit eis sterilitatem, famem et inopiam. Quamobrem huic oraculo credentes Zorobabel, Jesus et populus, illico rem aggrediuntur.

1. In anno secundo Darii regis, in mense sexto, in die una mensis, factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, ad Zorobabel filium Salathiel, ducem Juda, et ad Jesum filium Josedec, sacerdotem magnum dicens : 2. Hæc ait Dominus exercituum, dicens : Populus iste dicit : Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ. 3. Et factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, dicens : 4. Numquid tempus vobis est ut habitetis in domibus laqueatis, et domus ista deserta ? 5. Et nunc hæc dicit Dominus exercituum : Ponite corda vestra super vias vestras. 6. Seminastis multum, et intulistis parum : comedistis, et non estis satiati : bibistis, et non estis inebriati ; operuistis vos, et non estis calefacti : et qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum. 7. Hæc dicit Dominus exercituum : Ponite corda vestra super vias vestras : 8. ascendite in montem : portate ligna, et ædificate domum : et acceptabilis mihi erit, et glorificabor, dicit Dominus. 9. Respexistis ad amplius, et ecce factum est minus : et intulistis in domum, et exsufflavi illud : quam ob causam, dicit Dominus exercituum ? quia domus mea deserta est, et vos festinatis unusquisque in domum suam. 10. Propter hoc super vos prohibiti sunt cœli ne darent rorem, et terra prohibita est ne daret germen suum. 11. Et vocavi siccitatem super terram, et super montes, et super triticum, et super vinum, et super oleum, et quæcumque profert humus, et super homines, et super jumenta, et super omnem laborem manuum. 12. Et audivit Zorobabel filius Salathiel, et Jesus filius Josedech sacerdos magnus, et omnes reliquiæ populi, vocem Domini Dei sui, et verba Aggæi prophetæ, sicut misit eum Dominus Deus eorum ad eos : et timuit populus à facie Domini. 13. Et dixit Aggæus nuntius Domini de nuntiis Domini, populo dicens : Ego vobiscum sum, dicit Dominus. 14. Et suscitavit Dominus spiritum Zorobabel filii Salathiel, ducis Juda, et spiritum Jesu filii Josedec sacerdotis magni, et spiritum reliquorum de omni populo : et ingressi sunt, et faciebant opus in domo Domini exercituum Dei sui.

1. In anno secundo Darii.] Quæres : Quisnam hic Darius ? Primo, Phylo Annii, et eum secuti Genebrardus et Gerardus Mercator in Chronol. ac Cyrillus Hierosol. catech. 12. et Tertull. libr. contra Judæos tit. de Passione Christi, censent esse Darium Medum. Verum hoc falsum esse liquet, tum ex aliis, tum ex eo quod Darius Medus præcesserit Cyrum : nam Cyrus ei successit, ut ait Daniel c. 5. 31. Aggæus autem prophetavit post Cyrum et Cambysem, ut patet 1. Esdr. 4. v. 5. et 24. et c. 5. 1. Cyrus enim concessit fabricam templi, sed eam prohibuit Cambyses. Unde post Cambysem sub Dario missus est Aggæus, qui eam rursum urgeret. Adde Darium hunc non fuisse Medum, sed regem Persarum ; ita enim vocatur 1. Esdræ 4. v. 24.

Secundo, Jansenius in Concordia Evangel. c. 19. censet hunc Darium esse Artaxerxem Longimanum, sextum regem Persarum. Ratio ejus est, quia Judæi Joannis 2. 20. aiunt hoc templum ædificatum esse 46. annis : hoc autem verificari nequit, nisi dicamus illud ædificatum sub Cyro (sub Cyro enim cœpit) annis 20. sub Cambyse totidem, et 6. sub Dario Longimano. Verum hæc sententia confundit Darium cum Artaxerxe : hic enim dictus est Longimanus, non ille, et Darius quartus fuit Persarum rex; Longimanus vero fuit sextus. Dario enim successit filius Xerxes, Xerxi Artaxerxes. Adde Cambysem non regnasse 20. annis, sed ut summum octo. Denique usque ad Longimanum vivere nequivit Aggæus, Zorobabel et cæteri, de quo mox plura.

Tertio, Severus Sulpitius lib. 2. Histor. et Scaliger in Emend. tempor. censent hunc Darium esse Darium Nothum, qui fuit filius spurius Artaxerxis Longimani, ita ut Artaxerxes qui 1. Esdræ cap. 7. eum sequitur, misitque Esdram in Jerusalem, fuerit ille qui cognominatus est Mnemon, id est memor, à memoriæ præstantia. Hic enim successit Dario Notho. Verum hoc est incredibile. Sic enim Esdras fuisset ducentorum fere annorum, uti Scaliger coactus fatetur : Zorobabel et Jesus, qui sub Cyro populum Babylone reduxerunt in Jerusalem, fuissent 140. annorum, cum tamen libr. 3. Esdræ cap. 3. vers. 4. Zorobabel vocetur adolescens, unus è custodibus Darii. Ejusdem ætatis fuisset Aggæus. Rursum ex hac sententia sequitur neminem eorum qui viderant primum templum Salomonis, quod à Chaldæis 70. annis ante laxationem captivitatis per Cyrum, fuerat eversum, potuisse videre secundum à Zorobabele ædificatum, post reditum è captivitate sub hoc Dario : cujus tamen contrarium significat Aggæus c. 2. v. 4. Id sequi patet. Adde enim 70. annis captivitatis tres annos Cyri, octo Cambysis, 36. Darii Hystaspis, viginti Xerxis, quadraginta Artaxerxis, cui successit Darius hic Nothus, conflabis annos 177. quot nemo ea ætate vixit.

Dico ergo Darium hunc fuisse Darium Hystaspis, qui Assuero, sive Artaxerxi, ut habet Esdras, hoc est Cambysi, in regno Persarum successit, non ut filius, sed à Satrapis electus per hinnitum equi. Ita S. Hieron. Theod. Albert. Euseb. in Chron. Joseph. lib. 11. Antiq. c. 4. Clemens Alex. lib. 1. Strom. et alii passim. Anno itaque Darii hujus 2, jubente Aggæo cœperunt Judæi resumere fabricam templi, eamque perfecerunt anno 6. ejusdem, ut ait Esdras lib. 1. c. 6. v. 14, scilicet quoad Sanctum et Sanctum sanctorum. Nam atrium, sive exterior pars templi, et per consequens totum templum quoad omnia, consummatum fuit anno ejusdem 9, uti diserte testatur Joseph. loco citato.

Moraliter, nota hîc cor regis esse in manu Dei, ut illud flectat quocumque libuerit, uti flexit hîc cor Darii ad amorem Judæorum et curam templi, eo quod Judæi jam captivitate 70. annorum afflicti et compuncti, ad Deum rediissent, ejusque opem pœnitentes et supplices invocassent, sicut ex adverso olim flexerat cor Nabuchodonosoris ad eorum odium et castigationem; eo quod ipsi à se aversi idola colerent, et impie viverent. Unde discimus ad Deum esse recurrendum, cum à tyrannis opprimimur ; rursum eum esse rogandum, ut principes sapientes, moderatos, pios et justos vel constituat, vel jam constitutos efficiat. A principibus enim Ecclesiasticis pendet Ecclesia, à secularibus respubl. Multi censent Darium hunc fuisse maritum Esther, ideoque tam benevolum exstitisse Judæis, ac sumptus præbuisse templo, de quo in lib. Esther.

Porro notat S. Hieronym. in prologo, R. David Vatab. et alii, Aggæum vaticinatum esse anno secundo Darii, hortatumque Judæos ad restaurandum templum ; quia hoc anno 2. finiebantur 70. anni desolationis templi, de quibus Zachar. cap. 1. 12. Anno enim 18. Nabuchodonosoris, qui fuit undecimus Sedeciæ, à Chaldæis combustum et desolatum est templum : inde usque ad 2. annum Darii fluxerunt anni 70, sicut anni 70. captivitatis Judæorum in Babylone, qui incipiunt 11. annis citius, nimirum anno 7. Nabuchodonosoris, qui fuit Joakim undecimus et ultimus, finiuntur anno 1. monarchiæ Cyri. Quocirca 70. anni desolationis templi, sicut 11. annis post 70. annos captivitatis incipiunt, ita et 11. annis post eosdem desinunt. Adde enim tres annos Cyri, quibus quasi monarcha regnavit post captam Babylonem et laxatam captivitatem Judæorum, deinde 7. Cambysis, mox 2. Darii, habebis annos 11. completos, sed 12. inchoatos. Verum hac de re disputandum Zachariæ 1. 12.

In mense sexto :] Nota. Hebræi duplicem habebant annum, ideoque dupliciter numerabant menses. Prior annus erat sacer, quo utebantur ad festa et res sacras : unde eo utitur S. Scriptura. Hic initium sumebat ab æquinoctio verno, ita ut primus ejus mensis esset is, cujus novilunium proximius erat æquinoctio verno. Hebræi enim utebantur mensibus lunaribus, ac consequenter anno lunari, qui undecim diebus minor est anno solari; quem tamen tertio quoque anno per intercalationem, sive additionem unius mensis, æquabant anno solari, quo Romani aliæque gentes utebantur, ut iis se conformarent. Primus ergo mensis anni sacri erat Nisan, qui prisco Romanorum Martio respondebat, jam vero nostro partim Martio, partim Aprili respondet. Nisan enim erat mensis paschalis, quo scilicet pascha celebrabant, in memoriam liberationis et exitus ex Ægypto, quæ illo mense olim contigerat; de quo proinde ita sancit Deus Exodi 12. 2 : *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.* Vide ibi dicta. Posterior annus erat profanus, sive vulgaris, quo utebantur ad commercia et res civiles. Hic inchoabatur ab æquinoctio autumnali, ita ut primus ejus mensis esset is, cujus novilunium

proximius erat huic æquinoctio, qui hebr. vocabatur *Ethanim*, id est, fortis et potens, scilicet frugibus et fructibus; chald. *Tisri*, ac veteri Romanorum Septembri respondebat : jam vero nostro partim Septembri, partim Octobri respondet. Ita Joseph. lib. 1. Antiq. c. 4. Hier. in c. 1. Ezech. et alii.

Jam Lyran. et Vatabl. mensem sextum hìc intelligunt anni vulgaris, non sacri, nimirum mensem Nisan sive Martium : ille enim aptissimus est ad fabricas inchoandas, et usque ad hiemem per multos menses continuandas. Verum dico annum hìc accipi sacrum, qui incipit à Nisan, ac consequenter mensem sextum esse *Elul*, qui Romanorum Sextili sive Augusto, Christianorum vero partim Augusto, partim Septembri respondet. Ita Joseph. libr. 1. Antiquitatum, cap. 4. Remig. Albert. Hugo et alii, imo S. Hieronym. qui asserit sextum mensem electum ad fabricam, non septimum; eo quod septimus plenus esset solemnitatibus. In Tisri enim, sive in Septembri, celebrabantur festa Tubarum, Tabernaculorum, Expiationis, etc. quibus operari et fabricare non licebat. Id ita esse patet ex eo quod Scriptura utatur anno sacro : unde eo utitur Zacharias, coævus et socius Aggæi cap. 1. v. 7. et cap. 7. 1 : *In anno quarto*, ait, *Darii regis*, *in quarta mensis noni*, *qui est Casleu.* Casleu enim est November. Et Esdras, cap. 6. 14. cum narrasset Judæos obedientes Aggæo ædificasse templum, illudque consummasse anno 6. Darii, die 13. mensis Adar, id est, Februarii, mox subdit v. 19 : *Fecerunt autem pascha decima quarta die mensis primi,* q. d. Post fabricam templi absolutam in Februario, mox sequenti mense celebrarunt pascha, puta in Nisan, sive Martio, qui primus erat mensis anni sacri, non profani. Quin et Aggæus ipse id ipsum indicat cap. 2. 19. dicens : *Ponite corda vestra ex die ista in futurum, à die vigesima et quarta noni mensis : à die qua fundamenta jacta sunt templi Domini, etc. numquid jam semen in germine est?* Semen autem in Palæstina germinare solet in Novembri. Is ergo nonus est mensis à Nisan, sive Martio, qui proinde primus est anni, scilicet sacri, non vulgaris. Licet enim fabrica in genere esset res profana et servilis, hìc tamen erat rei sacræ, puta templi : unde rebus sacris in computu mensium annumeratur. Ad rationem Lyrani respondendum, Aggæum monuisse et movisse Judæos ad fabricam templi in Augusto, non in Martio; quia in Augusto tempus est messis et frugum, quo Judæi earum raritatem experiebantur : unde tunc ex re nata erat tempus maxime congruum et opportunum Aggæo concionari, et assignare causam hujus sterilitatis, nimirum neglectum fabricæ templi, itaque illos ad eam capessendam incitare.

Idem faciat concionator, ut, cum pestis, morbus, bellum, aliaque publica clades à Deo infligitur, tunc populum afflictum et perculsum acrius pulset, incitetque ad pœnitentiam, et vitiorum inolitorum seriam emendationem, proponendo eis strages et plagas, quas ab ea Deus immittit, quasque ipsi valde sentiunt, ac ostendendo unicum esse remedium eas evadendi, si Deo se reconcilient, moresque corrigant. Insuper destinabat Deus fabricæ templi Augustum : quia destinabat illam finire 4. anno, puta anno 6. Darii, in Februario, ad hoc, ut sequenti mense Martio possent in eo celebrare pascha, uti Judæos fecisse et celebrasse docet Esdras lib. 1. et 6. 15. Porro hiems in Judæa, regione calida, est modica, æque ac Romæ, ubi perenne quasi est ver, ut ait Virgil. 2. Georg. unde fabricas non remoratur. Sciebat ergo Deus hoc tempus præcise requiri, et sufficere ad consummandam templi fabricam.

In die una,] id est, prima. Sic enim sæpe numerus cardinalis sumitur pro ordinali, puta unus pro primo, uti dixi Genes. 1. vers. 5. Cœpit ergo Aggæus prophetare et hortari Judæos die prima mensis Augusti, itaque Judæos promovit, ut mox, puta post 23. dies, die 24. ejusdem mensis fabricam inchoarent, uti dicitur c. 2. 1. Ita S. Hieron.

Moral. adverte annum, mensem et diem quo verbum Dei excepit Aggæus, tam diserte ab eo notari, ut discamus quanti Dei verba, inspirationes et monita interna externaque facere debeamus, quibus ipse nos ad fabricam sublimiorem templi spiritualis in anima nostra excitat et impellit; adeo ut et diem et horam qua illæ nobis suggeruntur, studiose annotare par sit : uti multos Sanctorum ea annotasse legimus, memores Deum accuratam earum rationem à nobis exacturum in hora mortis et in die judicii. Ita à Castro.

In manu Aggæi,] id est per Aggæum, opera et ministerio Aggæi. Manus enim cum sit organum organorum, sumitur pro organo, sive instrumento. Prophetæ ergo vocantur *manus Dei :* quia per eos quasi per manus, Deus negotia sua tractabat et conficiebat seque populo exhibebat, imo depingebat, juxta illud Osee 12. 10 : *In manibus Prophetarum assimulatus sum.* Ita Theodor. et Lyran.

Mystice, *in manu :* quia Aggæus non tantum lingua et sermone, sed et manu, id est, opere sanctaque vita et exemplo, prophetavit. Ita Nazianzen. orat. 40. in S. Baptisma, per manum Prophetæ, vitæ probitatem accipit, quasi ea tanta fuerit, ut illa meruerit prophetiam : probis enim actionibus, inquit ibidem Nicetas, meruit Propheta verbum Dei in fidem accipere; quasi magnum thesaurum suæ fidei concreditum ad populi usum expendendum, ut tanquam fidelis dispensator et prudens, *quem constituit Dominus super familiam suam, det illis in tempore tritici mensuram,* Lucæ 12. 42. Ita Haymo et Hugo, imo S. Hieronym. *Si voluerimus,* ait, *in nobis fieri sermonem Dei, simus Aggæi, id est, festa celebrantes, et non appareamus in conspectu Dei vacui, seminantesque in spiritu, de spiritu metamus vitam æternam, ut celebremus solemnitatem primitivorum de operibus nostris.* Sic Jesus prius manu cœpit facere, deinde ore docere, Actor. 1. 1. Jesum secuti sunt Apostoli et viri Apostolici, quorum proinde concio erat efficax, quia ex corde procedens ad cor audientium loquebatur, ac quod docebat verbo, monstrabat exemplo : qui enim secus faciunt quàm dicunt, sunt æs sonans et cymbalum tinniens; aerem verberant, non corda sauciant. Latronem de justitia, incestum de castitate, ebrium de sobrietate disputantem ridemus et aspernamur : ita et quemvis ea patrantem vel appetentem, quæ vitanda proclamat.

Præclare S. Bernard. serm. 18. in Cant. septem gradus ad suggestum requirit. Primus est, contritio; secundus, devotio; tertius, pœnitentiæ labor; quartus, pietatis opus; quintus, oratio-

nis studium; sextus, contemplationis otium; septimus, plenitudo dilectionis. S. Gregor. lib. 10. Moral. Docere, ait, et non facere, non solum nihil lucri, sed etiam damni plurimum affert. Grandis enim condemnatio est componenti quidem sermonem suum, sed opere negligenti. Idem, libr. 5. in lib. 1. Reg. c. 14: *Quî est*, ait, *quod apparere Jonathas Philisthæis cum armigero dicitur, nisi quia doctor ipse prior debet bonum ostendere, quod alios contendit edocere.* Idem, in lib. 21. Moral. c. 8: *Doctoris*, inquit, *progenies eradicatur, quando is qui per verbum nascitur, per exemplum necatur; quia quem lingua vigilans gignit, vitæ negligentia occidit.*

Imo Aristoteles asserit ab his qui non perinde vivunt ut loquuntur, tolli et interimi veritatem. Seneca autem: Nullos, inquit, pejus mereri de omnibus mortalibus judico, quàm qui Philosophiam velut aliquod venale artificium didicerunt, qui aliter vivunt quàm vivendum esse præcipiunt. Exempla enim inutilis disciplinæ circumferunt: doctores sunt humilitatis, sed duces superbiæ: ore laudant humilitatem, obedientiam, resignationem, charitatem, ut utilem, facilem, jucundam, sed factis contrarium, longeque potentius inculcant; quocirca tam verbis facta, quàm factis verba sua condemnant, ac contra se proferunt sententiam, ideoque in die judicii toties ex ore suo judicabuntur, quoties alios ad humilitatem, charitatem, etc. hortati fuerint: *Propter quod,* inquit Apostolus Rom. 2. 1, *inexcusabilis es, ô homo omnis qui judicas: in quo enim judicas alterum, teipsum condemnas.* Quare, inquiet Dominus, enarrasti justitias meas, et assumpsisti testamentum (legem) meum per os tuum? tu vero oderas disciplinam, et cum adulteris portionem tuam ponebas, Psal. 49. Denique Christus Dominus Matth. 5. 19: *Qui fecerit*, inquit, *et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.*

Ad Zorobabel filium Salathiel.] Dices: Zorobabel fuit filius Phadaiæ, ut patet 1. Paral. 3. 17; quomodo ergo hîc dicitur filius Salathiel? Primo, S. Hier. q. in Paral. respondet Salathielem fuisse binomium, et alio nomine vocatum Phadaiam. Verum eo loci Scriptura hosce duos distinguit, facitque diversas personas; ait enim v. 17: *Filii Jechoniæ fuerunt Asir, Salathiel, Melchiram, Phadaia.* Secundo, Vatabl. censet Zorobabel patrem habuisse Phadaiam, avum vero Salathielem: vocari ergo hîc ejus filium, id est, nepotem. Unde locum Paralip. jam citatum sic ex Hebræo vertit: *Filii Jechoniæ Asir, et Salathiel filius ejus, Melchiram quoque et Phadaia,* sicque exponit, q. d. Filii, id est, posteri, Jechoniæ fuerunt hi, Asir, cujus filius fuit Salathiel, qui fuit pater Melchiram et Phadaiæ. Verum obstat quod in Paralip. texatur genealogia Patriarcharum Israel presse et præcise: voce ergo *filii*, proprie dicti et proximi ibi intelliguntur, non nepotes et posteri. Tertio, Arias respondet Zorobabel filium naturalem fuisse Phadaiæ, sed adoptatum à Salathiele. Verum Matth. 1. 12. expresse dicitur: *Salathiel genuit Zorobabel;* fuit ergo ejus pater per generationem, non adoptionem.

Dico ergo Phadaiam fuisse fratrem Salathielis, ex Jechonia patre, ut patet ex verbis Paral. jam citatis, ac proinde utrumque filio à se genito idem imposuisse nomen, Zorobabel, uti fratres facere solent, conjunctionis et necessitudinis ergo. Zorobabel ergo noster filius Salathiel, alius est à Zorobabele filio Phadaiæ; ille enim hujus est Patruelis, sive consobrinus: unde et diversi utriusque filii memorantur: ille enim genuit Abiam, Matth. 1. 13; hic vero genuit Mosollam et alios, qui recensentur 1. Paralip. 3. 19.

Symbolice, Zorobabel dictus est primo, quasi זרוע בבל *zarva babel,* id est, satus et genitus in Babylone, inquit S. Hieronym. Secundo, q. d. זו רב בבל *zu rab babel,* id est, iste magister, vel princeps in Babylone. Ita idem. Tertio, q. d. זרע בבל *zara babel,* id est, dispergens Babylonem, id est, confusionem: vel quasi זור בבל *zur babel,* id est, expressio, aut calcatio, aut ventilatio, aut alienatio confusionis, inquit Pagnin. in Interpr. nomin. Hebr. Sicut enim Josue ex deserto, ita Zorobabel ex Babylone Judæos reduxit in terram promissam. Unde uterque fuit typus Christi, qui nos è confusione peccati ducit ad Ecclesiam militantem et triumphantem. Quarto, addit S. Hieron. Zorobabel hebr. idem esse quod fluxus adjacens, cui contrarius est Jezabel, id est, fluxus vanus, vel fluxus menstruatæ, qui immunditiem sonat; sicut et Zabulon fluxus noctis interpretatur. Relinquentes ergo, inquit, fluxum mundi, vanum, sordidum et tenebrosum, sequamur fluxum Jesu, qui nobis expositus ad bibendum è largissimo fonte se præbet, dicens: Si quis sitit veniat ad me, et bibat. Et hunc poterimus bibere, cum petierimus à Patre, juxta id quod legitur: Petite, et dabitur vobis. Salathiel quippe interpretatur petitio Dei. Hucusque S. Hieronymus.

Ducem Juda.] Desiit regnum et stirps regia Judæ in Jechonia rege, qui fuit pater Salathiel, et avus Zorobabel. Unde de eo audivit à Deo Jeremias, cap. 22. 30: *Scribe virum istum sterilem.* Causam subdit: *Nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David.* Porro Salathiel mortuus est in Babylone ante solutam captivitatem. Judæi ergo data libertate per Cyrum, redeuntes in Judæam ducem sibi constituerunt ejus filium, puta Zorobabel, æque ac Jesum filium Josedec pontificis, teste Josepho l. 11. Ant. 4. et innuit hîc Aggæus. Porro in ducatu, id est, in dignitate et præeminentia ducali potius quàm in regimine et imperio (nam regimen summum et ducale erat penes pontifices, inquit Joseph. et ex eo S. Hier. in locum citatum Jeremiæ) successerunt ei filii et posteri usque ad Christum. Unde Nehemiæ cap. 5. 15: *Duces primi*, ait, *qui fuerunt ante me, gravaverunt populum.* Ita S. Augustin. lib. 18. de Civit. cap. 45. Cyril. l. 8. contra Julian. Ambr. l. 3. in Lucam, Justin. contra Tryphon. Euseb. l. 3. Demonstr. c. 2. et alii.

Et ad Jesum, filium Josedec, sacerdotem magnum,] id est, summum, puta pontificem. Saraias enim pontifex, qui in excidio Hierosolymæ occisus est à Nabuchodonosore 4. Reg. 25. 18. genuit Josedec, et Josedec Jesum, 1. Paral. 6. 14. Porro Esdras pariter fuit filius Saraiæ pontificis, ac consequenter frater Josedec, et patruus Jesu. Ex Jesu prognatus est Jeddoa, sive Jaddus, 2. Esdræ 22. 10. quem veneratus est Alexander Magnus, teste Josepho. Jesus hic in pontificatu nomine et sanctitate, æque ac in reductione populi, fuit typus Jesus Christi. Unde à Zacharia cap. 8. 1. vocatur *sacerdos magnus,* visusque est cum Angelo ad luctam stare contra Satanam.

Sic omnes Antistites Christo comparati, parvi sunt, typi et umbræ duntaxat, imo nihil, ait S. Hieron. De utroque sic scribit Eccles. c. 49. 15 : *Quomodo amplificemus Zorobabel ? nam et ipse quasi signum in dextra manu : sic et Jesum filium Josedec ? qui in diebus suis ædificaverunt domum, et exaltaverunt templum sanctum Domino, paratum in gloriam sempiternam.* Eamdem laudem jure tribuamus hodie similibus piis principibus, qui templa et monasteria construunt et dotant, ut in iis Deus à multis colatur et celebretur.

Porro tres Prælati insignes nomen Jesus adepti sunt, iique in triplici statu principes, scilicet, primus Josue, qui fuit dux populi in terram promissam; Josue enim idem quod Jesus : unde Jesus vocatur à Septuag. Philone et Græcis. Secundus, Jesus filius Josedec summus pontifex. Tertius, Jesus Sirach, auctor Ecclesiastici, doctor Synagogæ. Hi tres typi fuerunt Jesu Christi, ejusque triplicem prælaturam adumbrarunt : Christus enim est summus, primo, Princeps; secundo, Pontifex; tertio, Propheta et Doctor Ecclesiæ : unde est filius Josedec, id est, justitiæ Dei. Ipse enim est justitia sempiterna, ut ait Daniel cap. 9. 14. qui justificat impios, et in justitia judicat pauperes et mansuetos terræ, Isaiæ 11. 4. Porro sicut Jesus cum Zorobabel reædificavit templum à Chaldæis destructum, ita Jesus Christus reædificavit in resurrectione templum corporis sui à Judæis excisum et occisum, uti ipse eis prædixit Joan. 2. 19 : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.* Cumque Judæi non intelligentes mentem et templum ejus, replicarent : *Quadraginta sex annis ædificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud?* respondet Evangelista, subditque : *Ille autem dicebat de templo corporis sui*, à se restaurando in resurrectione. *Cum ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli ejus, quia hoc dicebat, et crediderunt scripturæ et sermoni quem dixit Jesus ;* quia eum jam videbant impletum. Simili modo restauravit Christus templum mysticum et politicum, puta Ecclesiam infidelitate et gentilismo destructam.

2. Populus iste,] cui vos, ô Zorobabel, et Jesu præsidetis. Nota : Propheta sermonem dirigit ad principes, et tamen directe non eorum, sed populi socordiam accusat, tum ut eos coram populo honoret, doceatque eorum peccata publice non esse carpenda, sed privatim, ne et eis auctoritas adimatur, et populus ad ipsis rebellandum concitetur : tum ut ostendat directe hanc culpam fuisse populi, quem coram principibus suis arguit, ut iis quasi testibus oculatis convictus erubescat, pœniteat et obediat Deo, inquit Theodor. Indirecte vero hanc culpam afflare ipsos principes, utpote quorum sit populum ad opus hoc Dei urgere. Raro enim Prælatus liber est à culpa subditorum, eo quod vel illi consentiat, vel dissimulet, et cum possit non coerceat, inquit ex Alberto noster à Castro : quanquam exigua vel nulla hîc fuerit culpa Zorobabelis et Jesu, ut mox patebit et asserit S. Hieron. Theodor. Arias et Vatabl. Imitentur hoc concionatores, ut, cum publicum reipubl. vitium coram magistratu accusant, directe non ipsum, sed populum accusent; hoc ipso enim sat intelligit magistratus, indirecte se quoque accusari, quidque sui sit muneris et officii animadvertit; nec indignatur, sed laudat concionatoris prudentiam, modestiam et reverentiam, utpote qui ipsorum honori consulat, ipsisque animos et auctoritatem addat, ad hoc vitium è republica exstirpandum.

Nondum venit :] dicunt id, tum quia videbant Sanaballat et Samaritas apud Cyrum et Cambysem, hucusque fabricam templi impedivisse : hinc versi in socordiam, illam neglexerunt. Ita S. Hier. Theod. Lyran. et alii. Tum quia 70. anni desolationi templi à Deo præstituti, necdum erant evoluti, inquit S. Hieronym. et R. David, quos citavi vers. 1. Hi enim 70. anni finiti sunt anno 2. Darii, quo hæc vaticinatus est Aggæus.

Ubi nota historiam rei gestæ, quæ magnam huic loco lucem affert, narrari lib. 3. Esdræ 4. 42 et seq. nimirum, quod Zorobabel cum duobus sociis custos corporis Darii, coram illo proposuerit problema, quidnam esset in orbe fortissimum, ac primus eorum responderit : *Forte est vinum;* secundus, *fortior est rex ;* tertius, puta Zorobabel, *fortiores sunt mulieres, fortissima autem est veritas.* Hic ea de re perorando, tulit palmam. Unde à Dario jussus petere quidquid vellet (se enim daturum), petiit ut rex votum olim à se nuncupatum exsolveret. Votum hoc erat, se, si rex crearetur, templum Deo in Jerusalem ædificaturum. Darius osculatus eum annuit, eumque cum Judæis remisit in Jerusalem cum præsidio mille militum, deditque litteras ad præfectos, ut fabricam templi juvarent et datis sumptibus curarent. Rediit ergo è Babylone Hierosolymam Zorobabel anno secundo Darii, mense 1. puta Nisan, ut dicitur 3. Esdræ 5. 6, cœpitque populum hortari ad fabricam templi. Verum cum populus præteritarum difficultatum memor, non satis crederet Zorobabeli asserenti Darium favere, imo jubere fabricam templi, ideoque per sex menses usque ad Augustum opus distulisset, cœpit Aggæus eodem mense 6. vaticinari, ac eorum diffidentiam et negligentiam accusare, hortarique ut opus inchoarent, Deum enim id velle : unde eum affuturum, et curaturum ut nec Darius, nec Samaritæ, nec quis alius opus impediret. Prophetæ credidit populus, præsertim cum ex novis Darii litteris, quæ recitantur 1. Esdræ 6, cognovit Darium prorsus idem velle. Quare strenue opus aggressus, illud perfecit post quatuor annos et quinque menses, puta mense Adar, id est, Februario, uti ibidem enarrat Esdras.

Tropol. Cum quem lapsum videris cogitare de pœnitentia : *Ut ædificet,* ait S. Hieron. *templum per pudicitiam, quod per libidinem ante destruxerat, et tamen diem de die trahere, dic ad eum : Vere et tu es de populo captivorum, et tu dicis : Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ. Qui semel decrevit instaurare templum Dei, huic omne tempus aptum est ad ædificandum, nec rex diabolus potest impedire, nec hostes per circuitum, nec pietas simulata parentum, affinium, liberorum, statim ut conversus inclamaveris nomen Domini, dicet : Ecce adsum.* Et inferius : *Omne tempus quo habitatio vallis* (alludit ad Septuag. qui pro *domibus laqueatis*, vertunt, *convallibus*) *eligitur, vel servimus deliciis, importunum est. Unde et stoici dixerunt tempus esse correctionis. Omne enim tempus, in quo non virtutibus, sed vitiis deservimus, perit, et quasi non fuerit reputatur in nihilum. Si quis ergo de nobis vel in convalle habitat, vel in voluptate et luxuria seculari suam consignat domum, iste templum Deo non ædificat,*

nec habet Dominus in eo ubi caput suum reclinet. Omne ergo tempus nobis debet esse mensura motus, non quietis; negotii, non otii; virtutis, non vitii : alioqui perditur irrecuperabiliter, et cum ipso otio vitioque perit; imo punitur acriter. Sic Barlaam apud Damasc. in Histor. roganti Josaphat, quotnam esset annorum? respondit 45; quia licet, inquit, 70. vixerim, tamen 45. tantum Deo vixi : unde hos solos annos vitæ computo, cæteros quos in vanitate transegi, mortis fuisse censeo, ideoque eos non numero, quos me perdidisse æstimo et deploro. Idem viderunt Gentiles. Theophrastus semper habebat in ore : *Nullum esse sumptum pretiosiorem tempore. Solum enim hoc recuperari non potest, et tamen vulgo nihil vilius habetur tempore.* Ita Laert. l. 5. Simonides interrogatus : *Quantum temporis vixisset? tempus quidem*, ait, *exiguum, annos autem multos.* Ita Strobæus serm. 96. Plutarch. in vita Antonii : *Temporis*, ait, *jactura damnosissima.* M. Varro dicere solebat nullam jacturam esse graviorem, præsertim scienti, quàm temporis : Seneca ad Lucil. *Omnia, mi Lucili, aliena sunt, tempus tantum nostrum est : in hujus rei unius, fugacis ac lubricæ, possessionem natura nos mittit.* Ovidius :

> Utendum est ætate, cito pede labitur ætas,
> Nec bona tam sequitur, quàm bona prima fuit.

Merito ergo monet Sapiens : *Fili, conserva tempus, et devita à malo*, Eccles. 4. 23. Et Apost. *Videte, fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi incipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus.* Ephes. 5. v. 15. Vide ibi dicta.

3. Et factum est verbum Domini.] Videtur hìc esse nova prophetia ad populum, cum prior fuerit ad principes, uti censent S. Hier. Arias et Vatabl. aut potius prioris continuatio. Priori enim nihil vaticinatus est, sed tantum recensuit dictum populi, scilicet nondum esse tempus ædificandi templi. Huic dicto hìc vaticinando respondet illudque confutat; atque ut confutationi suæ pondus addat, repetit iteratque se hæc non fingere, nec edicere ex suo cerebro; sed ex mente et ore Dei, præsertim quia ipse juvenis erat. Nuper enim redierat juvenculus Babylone, ut ait Epiph. in ejus Vita. Eadem de causa Prophetæ in suis minis et oraculis crebro iterant et inculcant illud : *Hæc dicit Dominus*, quare moraliter docent quanti Dei verbum facere, quàmque ab ore Dei pendere debeamus, ut illud jugiter in ore habeamus, illud revereamur, illud ruminemus, eructemus et celebremus, cum illo perpetim dissuaviemur. Prophetia ergo non est hominis, sed Dei verbum et oraculum.

4. Numquid tempus vobis est ut habitetis in domibus laqueatis, et domus ista deserta?] Hìc incipit prima Aggæi prophetia, *laqueatis*, id est, fornicatis, concameratis, fornice sive testudine tectis : hoc enim significat hebr. שפונים *sephunim*; Chald. *quæ tectæ sunt tabulatis cedrinis*; LXX *κοιλοσταθμοις*, id est, concavis, aut potius, ut S. Hieron. interpretatur, *deorsum positis et in convalle demersis*; Ambr. lib. 3. epist. 12. vertit, *cælatis.* Solent enim fornices domorum illustrium et templorum variis picturis et cælaturis exornari, uti Romæ in plerisque basilicis factum videmus. Est argumentum à minori ad majus, q. d. Vobis suppetit tempus, animus et sumptus ad construendas vobis domos, non tantum necessarias, sed et delicatas ac pretiosas, puta cælatas et laqueatas : ergo multo magis tempus, animus et sumptus vobis suppetere debet ad ædificandam domum Dei, quæ plane diruta est. Vultisne ut Deus habitet in pavimento ventis et pluviis exposito, vos vero in domibus egregie et eleganter tectis? Itane vos vestra commoda Deo antefertis? Itane sinitis eum degere incommodissime, dummodo vos laute degatis et vivatis? *Itane habitaculum meum, in quo fuerunt Sancta sanctorum, et Cherubim, et mensa propositionis, pluviis rigabitur, squalebit solitudine, æstu torrebitur?* ait S. Hieronymus.

Docet hìc Deus fidelibus primam debere esse curam templi et sacrorum, ac cum resp. vel urbs nova erigitur aut restauratur, primum erigendum esse templum, et cultum Dei stabiliendum. Ita fecit Salomon, qui prius ædificavit domum Deo, deinde sibi, 3. Reg. 6. 1. juncto c. 7. 1. Ita et David psalm. 131. 3 : *Si introiero*, ait, *in tabernaculum domus meæ; si ascendero in lectum strati mei; si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.* Ita Moses in Sina formans remp. et Ecclesiam Hebræorum legibus à Deo acceptis, ante omnia fabricavit tabernaculum, quasi mobile templum Deo, cum arca Cherubim, etc. idque jussu Dei, Exod. 25. et seq. Ita Constantinus Magnus Imp. mox ut imperium ante Gentilitium, nunc Christianum, Christianus ipse administrare cœpit, ante omnia basilicas augustissimas, Lateranensem S. Salvatoris, Vaticanam S. Petri, Ostiensem S. Pauli, Veranam S. Laurentii, aliasque plurimas Deo in honorem Sanctorum exædificavit. Illum in hac pietate secuti et æmulati sunt ejus successores, Gratianus, Theodosius, Honorius, Marcianus, Carolus, etc. qui proinde opibus, victoriis, regnis à Deo dotati et ditati feliciter, æque ac juste et religiose Imperium administrarunt, illudque firmarunt et amplificarunt.

Idem lumine et duce natura viderunt Gentiles, licet eo ad sua idola, utpote idololatræ, abusi sint. Romulus Romæ conditor, cum primis urbis fundamentis, templa Jovi Statori et Feretrio dedicavit, teste Livio lib. 1. Numam Pompilium qui Romulo successit, scribit Plinius de viris Illustribus cap. 2, ferum populum *religionis institutione et utilibus legibus domuisse, regnumque ita formasse, ut pendente ejus regno nemo illi bellum moverit.* Romanus vero Senatus, inquit M. Varro, ita magni religionem fecit, ut quotiescumque à Magistratu coactus ille esset, hoc ipsum quod primo proponebatur, ad religionem pertineret, nullaque quanquam gravior causa, vel quæ celeritatem requireret, morem hunc anteverteret. Nimirum eo respectu, quod *religio et timor Dei solus sit, qui custodit hominum inter se societatem*, ut ait Lactant. lib. de Ira, c. 12. *quodque omnia prospera eveniant colentibus Deum, adversa spernentibus*, ut ait Livius libr. 5. Hinc Cyrus apud Xenophontem lib. 8. Cambysem filium admonet ut nihil publicum vel privatum agat, nisi prius ad Deum confugerit (notent hoc et imitentur Principes Christiani), et nisi prius ejus voluntatem agnoverit : quia mundus, inquit, erroribus est refertus; Deus verò, ut qui semper fuit, præsentia, præterita et futura agnoscit et moderatur : atque invocatus preces exaudit eorum qui religionem et pietatem colunt, ac multis signis eis quid agere debeant,

ostendit; quocirca Cicero, lib. 1. de Natura deorum: *Pietate, ait, erga Deum sublata, fidem et humani generis societatem tolli necesse est, et justitiam virtutum omnium excellentissimam.* Et Silius, lib. 4 :

Primæ scelerum causæ mortalibus ægris,
Naturam nescire Deûm.

Ex adverso templorum et sacrorum eversores everterunt pariter rempub. æque ac se suamque stirpem. Antiochus Epiphanes, templi Judæorum profanator, fœda lue à Deo percussus, sero Numinis vindictam agnovit, dixitque : *Justum est Deo subjici, et mortalem paria Deo non sentire*, 2. Machab. 9. Constantius Arrianus Imperat. qui templa orthodoxis eripuit, et Arrianis transcripsit, à Juliano Apostata, quem, utpote cognatum, collegam imperii designarat, imperio et vita pene privatus, tandem sacro igne percussus, interiit, uti narrat Pompon. Lætus in ejus vita. Julianus, qui ex templis idola facere destinabat, in prælio adversus Persas sagitta cœlitus ictus, occubuit, uti narrat Aurelius Victor in ejus vita. Valens Arrianus, Constantii in scelere assecla, à Gothis fusus in tigurinum se abdens, ibi ab iisdem concrematus est. Constantinus Copronymus, id est, stercorarius, qui uti stercore suo baptisterium dum baptizaretur, ita et sordibus hæresis ac sacrilegii sui fœdavit Ecclesiam, fœda lue percussus putidam animam exhalavit. Plura, si voles, vide apud Thomam Bozium, lib. 22. de Signis Ecclesiæ.

Patrum nostrorum memoria Henricus VIII. Angliæ rex, schismatis Anglicani fax et auctor, qui monasteria et Ecclesias, ac nominatim opulentam illam S. Thomæ Cantuariensis basilicam expilavit, vel diruit, adeo ut de Anglia seculo præcedenti scripserit Poeta :

Millia dena unus templorum sustulit annus.

Henricus, inquam, ad pauperiem redactus, corpore ita intumuit, ut alter Bacchus videretur, ac moriturus pateram vini astantibus præbibens : *Omnia*, inquit, *perdidimus, amici.* Ita desperabundus sacrilegam animam effudit, uti refert Nic. Sanderus in Schism. Anglic. et alii.

Tropol. S. Ambr. in hunc Aggæi locum scribens, per domos cælatas accipit hypogæa, et voluptatum gurgustia : talia enim sunt hypogæa, id est, subterranea habitacula : *Qui enim*, ait, *infra terram habitant, non possunt ædificare templum Dei, et dicunt : Non venit tempus ædificandi domum Domini : simul quia luxuriosorum est hypogæa quærere, captantium frigus æstivum, eo quod resoluti deliciis æstus aliter ferre ac tolerare non queant, et ideo requirant umbrosa penetralia : vel quod desidiosi ignava sub terris agant otia; deinde quod tenebrosa illos et opaca delectent magis, quibus operiri flagitia sua credant, secundùm illud Eccles.* 23 : *Tenebræ circumdant me, et parietes, quem vereor? Sed frustra hoc sperant, cum profunda abyssi et abscondita Deus cernat. At non Elias in hypogæis, non Eliseus habitabant; sed in superioribus, etc. Ergo Sancti ascendunt ad Dominum, flagitiosi ad vitia descendunt : Sancti in montibus, criminosi in vallibus. Deus enim montium est, et non Deus vallium.* Et mox : *Quomodo enim possunt tales homines templum ædificare, qui quasi feræ ac bestiæ in spelæa ferarum, et bestiarum latibula sese receptant, atque in foveas se serpentum more demergunt, et consuetudine fraudulentiæ vulpis infodiunt.?*

5. Ponite corda vestra super vias vestras.] *Vias* vocat opera, eorumque successum et fructum, q. d. Attenta mente perpendite opera vestra, scilicet seminandi, laborandi, comedendi, bibendi, vestiendi, negotiandi; quodque ex eis parvum tuleritis fructum, scilicet parvam messem, parvum lucrum, parvam refectionem et calefactionem, tum hoc anno (erat enim jam Augustus et messis), tum præcedentibus à Cyro hucusque : ac simul examinate causam hujus infelicis successus, cur videlicet omnia vestra infausta sint et infeliciter cadant : ac invenietis non esse aliam quàm negligentiam vestram in instaurando templo. Ita Lyran. Vatabl. Arias et alii, q. d. Considerate quanta mala sitis passi ob vestram istam socordiam : quocirca exinde ponite. Secundo, corda in vias vestras, ac discite quantum inter curam rerum divinarum et earumdem incuriam intersit. Ita S. Hieron. Ac tertio, ponite corda, id est, adjicite mentes, et applicate animum, ut incuriam hanc majore cura et studio compensetis, ut tanto sitis in fabrica hac diligentiores, quanto hactenus fuistis negligentes. Sic enim sese explicat vers. 7. dicens : *Ponite corda vestra super vias vestras : ascendite in montem, portate ligna, etc.*

Aliter Pagnin. prius enim verbum vertit per præteritum, posteriora per futurum : *Seminastis*, ait, *multum, et inferetis parum : comedetis, et non saturabimini : bibetis, et non inebriabimini : induetis vos, et non calefacietis vos; et qui se locuverit mercede, locabit se mercede quæ erit, ac si poneret eam in sacculo pertuso*, q. d. Ponite corda vestra, et considerate non tantum vias et actiones vestras præteritas, sed et futuras, ut ex utrisque cum eventu suo collatis, per experientiam discatis meum hoc oraculum esse verum, et ex Deo. Nam ex iis quæ seminastis, parum messis colligetis, ex cibo et potu non saturabimini : ex vestibus non calefietis; ex laboribus non ditescetis, quandiu in hoc domus Dei neglectu persistetis. Et sic ex Hebræo verti potest; ibi enim verba sunt modi infinitivi, quæ ita sonant : *Seminastis multum, et inferre* (in horrea) *parum : comedere, et non ad satietatem : bibere, et non ad ebrietatem : vestiri, et non calefieri; mercedes congregans, congregans in sacculum pertusum.* Qui infinitivi et per præteritum verti possunt, uti vertit Noster, Septuag. et Tigurina; et per futurum, uti vertit Pagnin. et per præsens, uti vertit Chald. dicens : *Seminatis multa, et educitis modicum : comeditis, et non satiamini : bibitis, et non inebriamini : induimini, nec calefitis : qui operas suas locat, mercedem reportat maledictionem*, puta infelicitatem, inopiam et penuriam; sicut ex adverso justi ex laboribus suis referunt benedictionem, id est, rerum copiam et abundantiam. Licet enim in Chaldæo sint participia præsentis temporis, non verba, tamen hæc æquivalent verbis ejusdem temporis, uti et apud Hebræos : quia utrique carent verbis præsentis temporis, et pro eis utuntur participiis, ut dicant : *Seminantes multa et educentes modicum*, pro eo quod nos dicimus : *Seminatis multa, et educitis modicum, etc.* Plenus erit sensus, si omnia tria tempora complectamur; quandiu enim culpa, tandiu durat et pœna. Propheta ergo ita recenset præterita et præsentia mala, ut simul minetur et futura, ni mores

mutent, et pigritiam diligentia compensent. Has calamitates eis minatus erat Moses Deuter. 28. 38.

Symbolice S. Hieron. q. d. *Habuistis hucusque corda vestra vitiis servientia sine ordine, sine præceptore, quocumque trahebant desideria pergentes. Nunc autem Dominus vobis præcipit, ut ordinetis in se charitatem, et ponatis corda vestra super vias vestras, ut nihil absque judicio et consideratione faciatis, sed semper ante pedes vestros legalis lucerna præcedat, et dicatis : Lucerna pedibus meis lex tua, et lux semitis meis.* Cor enim, quia non sedes, ut aliqui physici voluerunt, sed origo (ex corde enim oriuntur spiritus animales, qui menti, rationi et contemplationi deserviunt) et symbolum est sensus communis, rationis, prudentiæ et sapientiæ, uti ostendi Ezechiel. 36. 26. hinc pro iis in Scriptura sumitur.

Tropol. S. Greg. hom. 10. in Ezech. *Multum*, ait, *cordi suo seminat, sed parum infert, qui de mandatis cœlestibus, vel legendo, vel etiam audiendo multa cognoscit, sed negligenter operando pauca fructificat. Comedit, et non satiatur, qui verba Dei audiens, lucra vel gloriam seculi concupiscit. Bene autem non satiari dicitur, qui aliud mandit et aliud esurit. Bibit, et non inebriatur, qui ad vocem prædicationis aurem inclinat, sed mentem non mutat. Solet enim per ebrietatem bibentium sensus mutari.* Vide et Haymonem in hunc locum.

Et intulistis parum.] Hoc et plura Judæis comminatus fuerat Dominus Levit. 26, si Deum Deique cultum negligerent. Notent hoc agricolæ, discantque se parum fructuum ex ampla semente subinde colligere, quia neglexerunt Dei templum, Missas, festa, invocationem et cultum: qua de re exstant exempla luculenta in vitis Sanctorum. Deus enim punit fame et pauperie neglectum sui et sacrorum, ac multo magis tropol. punit neglectum sanctificationis animæ, quam in templum Dei virtutibus construere et ornare debemus. Ita S. Hieron. et Theod.

Comedistis, et non estis satiati.] Hoc rursus eis comminatus erat Dominus Levit. 26. 26: *Comedetis, et non saturabimini. Qui vero sanctus est*, ait S. Hier. *usque ad satietatem comedet, et explebitur in illo quod scriptum est*, Prov. 13. 25. *Justus comedens replet animam suam : venter autem impiorum insaturabilis.*

Bibistis, et non estis inebriati,] id est, satiati, refecti, exhilarati. Sic fratres Joseph in ejus convivio dicuntur inebriati cum eo, id est, saturati et hilares effecti, Genes. 43. 34. Sic et Cant. 5. 1 : *Bibite et inebriamini*, id est, satiamini, *charissimi.* Psalm. 35. 9 : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*, id est, ita replebuntur et exhilarabuntur, ut videantur esse ebrii. Unde explicans subdit : *Et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Porro causa cur bibentes non sint satiati, fuit, partim quia parum uvarum et vini collegerunt, partim quia uvæ fuerunt evanidæ et exsuccæ, ac villum dederunt, non vinum; forte etiam, quod Deus iratus vino, æque ac pani, vim et vigorem nutriendi satiandique ademerit, non concurrendo cum eis ad nutritionem et satiationem, idque in pœnam peccati Hebræorum. Eædem causæ sunt cur vestibus non sint calefacti.

Symbol. S. Hieron. Peccatores vino sapientiæ et gratiæ Dei destituti sitiunt, justus vero eo abundans inebriatur, *qui potest dicere ad Dominum : Calix tuus inebrians quàm præclarus est! psalm.* 22. *et inebriatur cum Noe : et licet in Ægypto constitutus, tamen in convivio Joseph cum Patriarchis et fratribus vino madet. Iste præ magnitudine lætitiæ et quotidiano gaudio, cum Apostolis versus in exstasin, appellabitur musto plenus*, Actor. 2. Et S. Gregor. homil. 10. in Ezechiel. *Solet*, inquit, *per ebrietatem bibentium sensus mutari. Qui ergo ad cognoscendum Dei verbum devotus est, sed ea quæ sunt hujus seculi adipisci desiderat, bibit et inebriatus non est. Si enim inebriatus esset, procul dubio mentem mutasset, ut jam terrena non quæreret, jam vana et transitoria quæ amaverat, non amaret. De electis namque per psalmistam Psalm. 35. dicitur: Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ : quia tanto omnipotentis Dei amore repleti sunt, ut mutata mente sibimetipsis extranei esse videantur, implentes quod scriptum est : Qui vult venire post me, abneget semetipsum*, Matth. 16.

Et qui mercedes operarum suarum, laborum et negotiationum congregavit, misit eas in sacculum pertusum,] id est eas perdidit, ac si misisset in bursam pertusam, per quam in terram decidunt et amittuntur. Est catachresis. Similis parœmia est Plauti in Pseudolo : *In pertusum ingerimus dicta dolium, operam ludimus.* Et illa Alciphronis apud Athen. lib. 4 : *In Danaidum dolia, amphoras infundimus.* Fingunt enim Poetæ Danaides doliis pertusis haurire apud inferos aquas, ad quas Medea :

Vos quoque urnis quas foratis irritus ludit labor.

Et illa Aristotelis libr. 1. Œconom. cap. 6 : *Cribro aquam hauris.* Unde illud quod pueri audivimus : *Haurit aquam cribro qui discere vult sine libro.* Similes sunt : In aqua sementem facis. In saxis seris : In aqua scribis : In arena ædificas : Oleum et operam perdis : Reti ventos venaris : In aere piscaris : Aranearum telas texis : Nugas agis : Undas numeras : Arenam metiris. Hæc omnia verissima sunt, quando invito, vel irato Deo aliquid molimur.

Moral. notent hoc operarii, mercenarii et mercatores, nimirum suos labores, operas et mercimonia, quibus noctu diuque sese fatigant, incassum cadere ob neglectum Dei cultum et gratiam. Vide Levit 26. vers. 14. et Deuter. 28. 18. Quare si ea utilia velint, si lucrum et divitias inde cupiant et captent, Deum colant et invocent, juxta illud Christi Matth. 6. 33 : *Quærite primùm regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* Hinc Apostoli tota nocte piscantes nihil ceperunt, quia sine Christo piscabantur : mox autem ut in nomine Christi laxavit rete Petrus, conclusit piscium ingentem multitudinem, Lucæ 5. 5; quia, ut ait Psaltes psal. 126. 1 : *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.* Et ut ait Apost. 1. Corinth. 3. 7 : *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus.*

Mystice mittit mercedes in sacculum pertusum : Primo, qui post bona opera et merita in peccatum mortale prolapsus, ea sordidat, perdit et dissipat. Ita S. Hieronym. Secundo, qui bona opera malis actibus perdit, qui scilicet bona opera, quæ ante oculos habet, considerat, et culparum quæ inter ea irrepunt, obliviscitur : aut post bona ad vana et mala redit, ut v. g. bonum quod plangendo lucratus est

mox nimie ridendo perdat, inquit S. Gregor. homil. 4. in Ezechielem et parte 3. Pastor. admon. 22 : *In sacculo, inquit, pertuso videtur quando pecunia mittitur, sed quando amittitur non videtur : qui ergo quanta largiuntur aspiciunt, sed quanta rapiunt non perpendunt, in pertuso sacculo mercedes mittunt : quia profecto has in spem suæ fiduciæ intuentes congerunt, sed non intuentes perdunt.* Tertio, qui virtutum opera faciunt ob vanam gloriam, puta ob ostentationem. Ita Remig.

Denique apposite Auctor quidam antiquus hæc Aggæi verba adaptat regibus, qui magna tributa subditis indicunt, sed inde non ditantur, quia ea illico in suos parasitos effundunt : *Pertusus,* inquit, *jampridem est regius fiscus, et nihil retinet, sed omnia effundit, ut possit de illo recte dici illud Aggæi : Qui congregavit mercedes, misit illas in saccum pertusum. Videmus in sacco pertuso nihil immissum posse diu contineri, sed quod una ex parte ingeritur, ex altera effunditur; quodque ex superiori parte accipit, mox per inferiorem defluit. Quæ sunt autem sacci pertusi duo foramina nisi duo vitia, quæ prima specie videntur contraria, sed subinde in principibus sunt conjuncta, nimia scilicet cupiditas aliena habendi, et immoderata prodigalitas habita largiendi? Prima congregat, secunda dispergit : prima infundit, secunda effundit: prima ingurgitat et semper esurit, secunda etiam cum saturata est fragmenta projicit. Prima sollicitari de futuro videtur : secunda improvida nec præsentia regit, nec futura prospicit. Prima est os sacci supremum semper paratum ad accipiendum, secunda foramen infimum, quod nunquam clauditur, sed jugiter patet ad late spargendum. Liquet ergo quod pecunia talibus angariis collecta, nihil principibus proficit, qui semper ex tempore illo quo ista fieri cœperunt, inopes et egeni fuerunt, et infinito oppressi ære alieno.* Deinde ostendit ista nec aulicis, quibus donatur, prodesse. *Fallitur autem quisquis existimat aulicis, qui totum fere accipiunt, ista profutura, qui tandem cœlesti eos urgente judicio, aut à principibus, quos spoliaverunt, solent spoliari; aut ab eorum hæredibus vel successoribus, qui se per illorum insidias tanta exutos hæreditate conspiciunt; aut ab illis qui divino instinctu rempubl. per tales collapsam relevare aggrediuntur, non solum glutita coguntur evomere, sed suis pessimis consiliis prostratæ patriæ pœnas debitas exsolvere. Quocirca tales pestes, tales furias, regum pariter ac regni exterminatrices, à principum necesse est societate longius abalienari nisi irreparabiliter regnum ipsum deperire volumus. Hoc est enim capitale et lethale regni vulnus.* Sapienter dixit Livius libr. 22 : *Privatæ res semper offecere officientque publicis.* Et Tacitus libr. 1. Histor. *Pessimum veri affectus venenum, sua cuique utilitas.* Clamat Amos c. 9. v. 1 : *Avaritia in capite omnium.* Quod est autem *populi caput*, nisi de quibus dictum est : *Optimates capita populorum?* Discant ergo principes eorumque consiliarii illud Sapient. Prov. 25. 2 : *Aufer rubiginem de argento, et egredietur vas purissimum ; aufer impietatem de vultu regis, et firmabitur justitia thronus ejus.* Aufer scilicet Harpyias istas voraces, peculatu infames, quæ saccum ærarii publici pertundunt, illumque depeculantur, et justa erit publicorum vectigalium, opumque (quæ reip. sunt firmamentum) distributio.

8. Ascendite in montem] Libanum : inde enim utpote vicinum, et cedris aliisque arboribus abundantem, ligna succidit Salomon pro templo et domibus suis. Idem fecerunt Zorobabel et Judæi in restauratione templi, ut patet 1. Esdræ 3. 7. Ita S. Hieron. Chald. Theod. et alii. Ex Libano ergo præcidite et *portate ligna* ad fabricam templi. Aiunt Hebræi, inquit S. Hieron. *sola tantum ad contignandum ligna fuisse necessaria, stantibus muris templi post incendium.* Sed errant : funditus enim dirutum est templum à Chaldæis. Id patet ex eo quod Zorobabel et Judæi, reædificantes templum, ima ejus fundamenta jecerint, ut dicitur 1. Esdræ 5. 16. et cap. 6. 3. Ex quibus locis liquet sub Cyro jacta esse fundamenta templi, et parietes erectos. Unde sub Dario tantum opus fuisse lignis ad contignationem, et ad tectum, uti hîc dicitur, eaque de causa hîc tantum lignorum comportandorum fit mentio.

Tropol. S. Hieron. *Ascendamus,* ait, *in montem rationabilem, et ad singula problemata congrua de testimoniis Scriptur. ligna quærentes, prædicamus ea, et ædificemus domum sapientiæ in nobis : postquam enim hæc fuerit exstructa, finis ædificationis ejus erit, ut Dominus glorificetur in nobis.* Porro domus et templi hujus fundamentum jaciendum est fides, pavimentum humilitas, antemurale patientia, altare oratio, tectum charitas, quatuor parietes quatuor virtutes cardinales, pinnaculum spes. Vide dicta Ezech. 40. sub initium. Hoc est quod ait Apostolus 1. Corinth. 3. 9 : *Dei ædificatio estis. Unusquisque autem videat quomodo superædificet, etc.* Et vers. 16 : *Nescitis quia templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis.* Et Ephes. 2. 20 : *Superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino ; in quo et vos ædificamini in habitaculum Dei in spiritu.*

Et acceptabilis mihi erit.] Hebraice וארצה בו *veartse bo*, id est, ut Septuag. et Pagnin. *Complacebo in ea;* Tigurina : *Et gratum mihi erit;* Vatabl. *Et erit mihi beneplacitum in eo*, ac proinde orantes in eo, vel versus illud exaudiam, uti promisi Mosi Deuter. 12. v. 11. et Salomoni. 3. Reg. 8. 29.

Et glorificabor,] in eo colar et celebrabor hymnis, psalmis, votis, orationibus, oblationibus, victimis, etc. ac vicissim gloriam et beneficentiam meam in eo vobis ostendam. Nota : In Hebræo est *keri* et *ketif*, id est, varietas lectionis et scriptionis. Scribitur enim אכבד *eccabeda*, id est *glorificabor*, sine *he*, sed legitur per *he* paragogicum, quod proinde ad marginem annotatur. Quocirca Rabbini et Thalmudici, ut R. Elias, R. Salomon, R. David, et ex iis Galatinus lib. 4. cap. 9, Genebrard. in Chron. Arias, Ribera et à Castro hîc hujus varietatis hanc causam assignant, quod littera *he* apud Hebræos sit nota numeri quinarii, ut significet quinque defuisse in templo secundo, quæ fuerunt in primo : quæ proinde Deus per suam præsentiam et gloriam se hîc compensaturum promittit. Quinque hæc sunt. Primo, arca testamenti; secundo, Urim et Tummim in rationali pontificis, per quæ pontifex consulens Deum accipiebat ab eo responsa, et cognoscebat futura ; tertio, ignis sacer cœlo lapsus ad comburendas victimas; quarto, præsentia Dei in Sancto sanctorum super propi-

tiatorium et Cherubim; quinto, prophetæ et prophetiæ. Arcam enim defuisse in secundo templo liquet ex 2. Machab. 2. 4, ubi narratur quod Jeremias imminente excidio Hierosolymæ, eam è templo extulerit et absconderit, dixeritque: *Quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, et propitius fiat Judæis.* Quod erit in fine mundi, cum eos colliget in Ecclesiam Christi, et salvabit. Quare arca testamenti quæ hîc Romæ ostenditur in basilica Lateranensi, non est arca à Mose fabricata, sed ejus imago et repræsentatio, quam Judæi, primæva arca Mosaica, continente urnam cum manna, et tabulas Decalogi digito Dei inscriptas, destituti, ad ejus similitudinem efformarunt, et in templo (ut dicitur) collocarunt. Sed ignem sacrum in secundo templo defuisse falsum est, nam is sub Juda Machabæo et Nehemia, in repurgatione templi illi cœlitus restitutus est, ut patet 2. Machab. 1. 32. Id tamen verum est, si de igne primævo ad Aaronis et Mosis sacrificia delapso loquamur. Hic enim absconditus à Jeremia, postea requisitus non comparuit, uti ibidem dicitur. Similiter oraculum Urim et Tummim in secundo templo defuisse videtur, saltem pluribus annis. Nam de eo sic scribit Joseph. lib. 3. Antiq. c. 12: *Cessavit itaque essen* (hebr. *chosen*, id est, rationale, in quo erant Urim et Tummim) *et sardonyx splendescere annis ducentis antequam ego hæc scriberem, cum Deus moleste ferret legum transgressiones.* Ubi nota Josephum meminisse tantum splendoris Rationalis, non oraculi: quare oraculum multo ante cessasse videtur. Unde Arias, Vatabl. et alii censent per τὸ *glorificabor* significari, quod Christus *he* deficiens in *eccabeda*, id est, quinque hæc dona, sua præsentia et gloria sit suppleturus, quando in secundo templo versabitur, docebit, facietque miracula, de quo plura cap. 2. 7. Quamobrem pro אכבד *eccabeda*, id est *glorificabor*, aliis punctis legi posset active אכבד *echbod*, id est, *glorificabo.* Ita legisse videtur Chald. dum vertit: *Placebit mihi, ut collocem majestatem meam in ea in gloria:* licet enim invisibiliter Dei majestas semper habitavit in templo, visibiliter tamen in eo habitavit quando Verbum incarnatum, puta Christus, illud sua præsentia et majestate corporaliter condecoravit. Aptius forte dici posset *he* subintellectum in *eccabeda*, id est, *glorificabor*, significare quod Christus futurus sit gloria secundi templi, sed arcana, et Judæis occulta. Tradunt enim Cabalistæ *he* significare personam mediam in SS. Trinitate, puta Filium, per quem quasi ideam et verbum omnis res היה *haia*, id est, exstitit et creata est; unde nomen *Iehova* in se continere SS. Trinitatem. *Iod* enim initiale denotat Patrem, qui est SS. Trinitatis origo: *he* Filium: *vau* Spiritum sanctum. Porro geminari *he* in יהוה *Iehova*, ut significetur gemina Christi natura, divina et humana.

9. Respexistis ad amplius,] sperastis vos habituros messem peramplam, et ecce pauca collegistis: et paucum quod convexistis in horrea, ego Deus *exsufflavi illud*, id est, flatu et nutu meo feci evanescere, seu redegi in nihilum, uti segetes solet exsufflare ventus urens, dum grana adurit et desiccat, itaque folliculos inanes relinquit: *Cum jam candescerent segetes*, inquit S. Hieron. *et messium tempus instaret, et frumenta vos in manibus tenere putaretis, messuistis vacuos culmos et inanes stipulas. Plenæ erant areæ, spes in oculis, luctus in manibus. Sed et hoc quoque ipsum quod vix de multa segete, et infinitis acervis fuerat electum, intulistis in domum, et virtute mea dispersum est. Exsufflavi enim illud, et redegi in nihilum; quia frumentum emortuum, et vacui folliculi, quæ utilia esui sunt, farinam et similam non habebant.* Qui et tropol. addit: *Quoties vidi ego tam in doctrina, quàm in conversatione de quibusdam sperata plurima, et postquam ventum est ut haberent tempus messium, id est, tempus docendi, vitamque suam in exemplum præbendi populorum, de excelso præcipitatos, et minus inventum in eis quàm opinio sibi omnium promittebat. Unde accidit ut paulatim negligentia surrepente, parvum quoque ipsum quod videbantur habere, perderent. Hoc autem idcirco perpessi sunt, quod securi fuerunt in pristinis domibus suis, nec ascenderunt Scripturæ montem, ædificationis de eo Dominicæ ligna cædentes, nec exstruxerunt in se quotidie domum Domini.* Hanc enim causam subdit Propheta: *Quia domus mea deserta, et vos festinastis unusquisque in domum suam;* Tigurina: *Quia domus mea adhuc deserta est, vos autem curritis ut quisque domum suam habeat*, hoc est, satagitis quisque rerum suarum, et interim negligitis res divinas. Ita Vatabl.

10. Propter hoc super vos prohibiti sunt coeli.] Sic et Chald. vertit per præteritum: *Idcirco ob scelera vestra cessaverunt cœli ab emittenda pluvia, et terra cessavit ad edendos fructus.* Possunt rursum hæc et sequentia verti per futurum cum Septuag. *Propter hoc cœlum abstinebit à rore, et terra subtrahet germina sua:* quia Dei creatoris sui injuriam sentiunt, eamque ulciscentur.

11. Et vocavi siccitatem super terram,] et inde consequenter sterilitatem, penuriam, ut vertit Chald. et famem, ac consequenter morbos et pestes, imo lites, iras et bella, quæ ex hac aeris et frugum inflammatione ac defectu nascuntur. Unde Septuag. pro חרב *choreb*, id est, siccitatem, legentes חרב *chereb*, id est gladium, vertunt: *Inducam gladium super terram; gladium* intellige vel proprie dictum, puta bella jam dicta; vel metaphoricum, puta siccitatem et famem, quæ instar galdii homines enecat et succidit. Ita à Castro. Sic enim in Script. gladius, vel ignis generalia sunt nomina, et quamlibet cladem significant. In Hebræo est elegans paronomasia, qua pœna alludit ad culpam: quia, inquit, domus mea חרב *chareb*, id est deserta est, hinc ego pariter vocavi חרב *choreb*, id est siccitatem, vel חרב *chereb*, id est gladium, qui simili modo vos desolabit, facietque domos vestras desertas. Sic Judæi, quia deseruerunt et spreverunt Christum, hinc ab eo vicissim audierunt: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*, Matth. 23. 38.

Tropol. *Hæc universa*, ait S. Hieron. *possunt de Ecclesiæ rectoribus intelligi, qui ædificantes carnalem domum, liberisque suis et possessionibus providentes, non curant vel in seipsis exstruere templum Dei, vel Ecclesiam Domini, quæ infecta et diruta est, instaurare: quorum sæpe vita et sermo incongruus scandalizat plurimos, et de Ecclesia ejicit, et ad solitudinem perducit domum Dei, ut propter eorum vitium, nec cœli rorem, nec terra det germen, etc.* Hac de causa Deus quovis seculo excitavit insignes Pontifices, Doctores, fundatores Ordinum, viros sanctitate et sapien-

tia illustres, qui ruinas Ecclesiæ restaurarent, eamque verbo et exemplo exædificarent. Tales fuere S. Athanasius, Basilius, Nazianz. Chrysost. Augustin. Hieron. Ambrosius, Benedictus, Bernardus, Dominicus et Franciscus, qui vivens Innocentio III. Pontif. per visionem apparuit, quasi sustentans ruentem basilicam Lateranensem, ubi Pontifex pontificiam habet cathedram: qua visione motus Pontifex, ejus regulam et Ordinem mox approbavit. Quin et idem Sanctus, simili viso ad idipsum à Deo vocatus est. Nam, ut narrat S. Bonavent. in ejus Vita, cap. 2: *Cum in Ecclesiam S. Damiani, quæ minabatur ruinam, causa orationis intrasset, prostratus ante imaginem crucifixi, in eamque lacrymosis oculis intendens, vocem de ipsa cruce dilapsam ad se corporeis audivit auribus, ter dicentem: Francisce, vade et repara domum, quæ, ut cernis, tota destruitur. Tremefactus Franciscus mentis alienatur excessu. In se tandem reversus, totum se recolligit ad perficiendum mandatum de materiali Ecclesia reparanda; licet principalior intentio verbi ad eam ferretur, quam Christus suo sanguine acquisivit, sicut eum Spiritus sanctus edocuit, et ipse postmodum Fratribus revelavit.* Subdit S. Bonavent. eum deinde tria templa instaurasse, scilicet S. Damiani, S. Petri et S. Mariæ de Angelis, ut significaretur quid facturus esset in posterum: *Nam instar reparatæ triplicis fabricæ ipsius sancti viri ducatu, secundùm datam ab eo formam, regulam et doctrinam, Christi triformiter renovanda erat Ecclesia, trinaque triumphatura militia salvandorum*, puta triplex Ordo ab eo erat instituendus, qui omnes Ecclesiæ status reformaret. Hi sunt quos in spiritu prævidens Isaias, gratulabundus eis accinit, cap. 58. 12: *Et ædificabuntur in te deserta seculorum: fundamenta generationis et generationis suscitabis: et vocaberis ædificator sepium, avertens semitas in quietem.* Denique S. Chrys. orat. 3. contra Judæos tom. 5. docet eum qui animam convertit, majus gratiusque donum Deo offerre, quàm si templum ei construeret: *Unicum*, ait, *templum diruit Deus Hierosolymis, et innumerabilia erexit, illo longe venerabiliora. Vos*, ait, *estis templum Dei viventis.* Et inferius: *Hæc est major eleemosyna quàm decem millia talentorum, quàm hic mundus universus, quantus quantus undique patet oculis. Siquidem homo est toto mundo pretiosior. Hujus enim causa et cœlum, et terra, et mare, et sol, et stellæ condita sunt.*

12. Sicut misit eum Dominus.] Pro *sicut* hebr. est כאשר *caasçer*, quod vel causam significat, q. d. Quia miserat Aggæum Dominus, hinc populus audivit eum: vel modum, q. d. Eo modo populus audivit et obedivit Aggæo, quod Deus eum miserat, nimirum, verba ejus non in alium sensum detorsit, sed plane ea accepit juxta mentem Domini, prout ea protulerat et explicarat Aggæus, itaque eadem mox opere complevit. Vera enim obedientia consistit in eo, ut verba præcepti non sinistre interpretemur, non ad nostrum placitum explicemus et torqueamus, sed ea simpliciter accipiamus, et exsequamur juxta mentem præcipientis. Ita à Castro.

13. Et dixit Aggæus nuntius Domini de nuntiis Domini.] Tò *nuntiis* potest accipi dupliciter, primo, in genere neutro, q. d. Qui erat Domino à nuntiis, id est, à legationibus, uti vulgo dicimus: Hic mihi est à pedibus, à consiliis, à litteris. Ita Arias. Unde hebr. est מלאכות *malachut*, id est ut Tigurina, Pagnin. et alii vertunt: *Et dixit Aggæus, legatus Domini in legatione Domini*, id est, qui fungebatur legatione, ad quam eum legarat et miserat Dominus. Unde Syrus vertit: *Dixit Aggæus Angelus Domini in angelatione Domini*, hoc est *legatus*, vel *nuntius in nuntiatione Domini*, ut vertit Arabicus, qui scilicet mittebatur à Domino ad populum, ut ei Dei jussa nuntiaret. Secundo, et planius, masculine, q. d. Dixit Aggæus, qui erat nuntius et legatus unus ex probatissimis nuntiis et legatis Domini, cui proinde merito Zorobabel et populus fidem præstitit. Simili hebraïsmo et geminatione dicitur Genes. 19: *Pluit Dominus à Domino.* Identidem inculcat Aggæus se mitti et loqui ex Deo, ut oraculis suis fidem conciliet, et acrius moveat pigrum populum ad fabricam templi, utpote quam iterum iterumque jubeat et urgeat Deus, simul promittendo ad eam suam opem et protectionem. Legit Interpres cum Septuag. alio puncto במלאכות *bemalachot*, id est in Angelis, sive legatis et nuntiis: licet enim sit hoc nomen Hebræum femininum, tamen masculine sumitur, significatque rei, puta legationis, excellentiam Sicut *Ecclesiastes* hebraice vocatur קהלת *kohelet* feminine, q. d. Concionatrix, ob concionis præstantiam. Mulieres enim in eloquio sunt facundæ, disertæ et præstantes, miramque habent dicendi, in animum influendi et persuadendi vim. Ita Septuag. qui vertunt, ἐν ἀγγέλοις, id est, *in*, id est, *ex*, *Angelis*, hoc est nuntiis. Sic et S. Hieron. Remig. et alii. Hic sensus eòdem redit, et coincidit cum priore. Ex hoc loco Orig. uti tacito nomine refert hîc S. Hieron. suspicatus est Aggæum non fuisse hominem, sed Angelum incarnatum, uti dixi in Proœmio; sed temere. Hebr. enim מלאך *malach* Angelum significat, non tantum natura, sed et officio, id est legatum, nuntium, ut vertit Noster, Septuag. Chald. et alii. Hinc tamen disce dignitatem Aggæi. Unde Septuag. vertunt: *Dixit Aggæus Angelus Domini in Angelis Domini*, id est, Angelus inter Angelos selectus et electus. Ex Hebræo vertas: *Dixit Aggæus Angelus Domini in Evangelio Domini*, vel, *nuntius in annuntiatione Domini.* Christi enim ortum et redemptionem annuntiat festive, c. 2. 7. Simili modo ultimus Propheta vocatur *Malachias*, id est, Angelus Domini. Et Joannes Baptista ob angelicam vitam et prædicationem vocatur *Angelus*, Malach. 3. 1: *Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam.* Sic Christus Isaiæ 9. 6. à Septuag. vocatur *Magni consilii Angelus*, id est nuntius. Videant hic dignitatem suam Prophetæ, id est doctores et prædicatores, sciantque se esse Angelos in Evangelio Domini, se esse legatos et nuntios Dei. Ita S. Paulus 2. Corinth. 3. 20: *Pro Christo*, inquit, *legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.*

Ego vobiscum sum.] *Non loquitur*, inquit S. Hieron. *ad Zorobabel et Jesum, cum quibus et in quibus semper erat Dominus; sed ad populum, qui timuerat à facie Domini, q. d. Ego ero vester adjutor, ædificate domum meam quæ in vobis destructa est; me in medio vestrî constituto, nemo ædificationem vestram prohibere poterit.*

14. Et suscitavit Dominus spiritum Zorobabel,

ET SPIRITUM JESU.] *Ut regnum et sacerdotium ædificent templum Dei*, ait S. Hieron. *suscitatur etiam spiritus populi, qui in eis ante dormiebat; non corpus, non anima, sed spiritus, qui magis ædificare scit templum Dei.*

Tropol. *Suscitatur in nobis Spiritus sanctus, ut ingrediamur domum Domini, et faciamus opera Domini.* Porro suscitavit Deus spiritum, id est, mentem animumque populi, excitando illum ut alacriter et strenue intenderet fabricæ.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRIMAM AGGÆI PROPHETIAM AUDIVIMUS CAP. 1; HIC AUDIEMUS TRES ALIAS QUÆ CONSECUTÆ SUNT. PRIMA EST V. 1. QUA INCITAT JUDÆOS AD FABRICAM TEMPLI, PROMITTENDO MAJOREM EJUS FORE GLORIAM QUAM FUERIT TEMPLI SALOMONICI, EO QUOD IN ILLO DOCTURUS ET MIRACULA FACTURUS SIT CHRISTUS, CUJUS ADVENTUM CUNCTIS GENTIBUS TOTIQUE ORBI DESIDERATUM FORE PRÆDICIT, ADEO UT IN EO COMMOVENDA SINT COELUM ET TERRA, MARE ET ARIDA. SECUNDA EST VERS. 11. QUA JUDÆOS IN INCHOATA FABRICA TARDIORES ET TÆDIO AFFECTOS, QUOD DICERENT SUFFICERE ALTARE AD VICTIMAS, NEC OPUS ESSE INTEGRO TEMPLO, REDARGUIT, ASSERENDO DEUM NOLLE ALTARE SINE TEMPLO: ALTARIS ENIM LOCUS, DOMUS ET DECUS EST TEMPLUM. QUOD SI ÆDIFICARE PERGANT, PROMITTIT EIS FRUGUM ABUNDANTIAM. TERTIA EST V. 21. QUA ZOROBABELI OB PRÆSTITAM IN FABRICA DILIGENTIAM POLLICETUR, QUOD CHRISTUS EX EJUS STIRPE NASCETUR, CUI DEUS, EVERSIS ALIIS REGNIS, DABIT REGNUM ÆTERNUM.

1. IN die vigesima et quarta mensis, in sexto mense, in anno secundo Darii
regis. 2. In septimo mense, vigesima et prima mensis, factum est verbum
Domini in manu Aggæi prophetæ, dicens: 3. Loquere ad Zorobabel filium
Salathiel ducem Juda, et ad Jesum filium Josedec sacerdotem magnum, et
ad reliquos populi, dicens: 4. Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum
istam in gloria sua prima? et quid vos videtis hanc nunc? nunquid non ita
est, quasi non sit in oculis vestris? 5. Et nunc confortare, Zorobabel,
dicit Dominus, et confortare, Jesu fili Josedec sacerdos magne, et confortare, omnis populus
terræ, dicit Dominus exercituum: et facite (quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus exer-
cituum.) 6. Verbum quod pepigi vobiscum cum egrederemini de terra Ægypti: et spiritus
meus erit in medio vestrûm, nolite timere. 7. Quia hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc
unum modicum est, et ego commovebo cœlum et terram, et mare, et aridam. 8. Et movebo
omnes Gentes: et veniet Desideratus cunctis Gentibus: et implebo domum istam gloria, dicit
Dominus exercituum. 9. Meum est argentum, et meum est aurum, dedit Dominus exercituum.
10. Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quàm primæ, dicit Dominus exercituum: et
in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum. 11. In vigesima et quarta noni mensis, in
anno secundo Darii regis, factum est verbum Domini ad Aggæum prophetam, dicens:
12. Hæc dicit Dominus exercituum: Interroga sacerdotes legem, dicens: 13. Si tulerit homo
carnem sanctificatam in ora vestimenti sui, et tetigerit de summitate ejus panem, aut pulmentum
aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum: nunquid sanctificabitur? Respondentes autem sacer-
dotes dixerunt: Non. 14. Et dixit Aggæus: Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his,
nunquid contaminabitur? Et responderunt sacerdotes, et dixerunt: Contaminabitur.
15. Et respondit Aggæus, et dixit: Sic populus iste, et sic gens ista ante faciem meam,
dicit Dominus, et sic omne opus manuum eorum: et omnia quæ obtulerunt, ibi contaminata
erunt. 16. Et nunc ponite corda vestra à die hac et supra, antequam poneretur lapis super
lapidem in templo Domini. 17. Cum accederetis ad acervum viginti modiorum, et fierent
decem: et intraretis ad torcular, ut exprimeretis quinquaginta lagenas, et fiebant viginti.
18. Percussi vos vento urente, et aurugine, et grandine omnia opera manuum vestrarum:
et non fuit in vobis, qui reverteretur ad me, dicit Dominus. 19. Ponite corda vestra ex

die ista, et in futurum, à die vigesima et quarta noni mensis : à die, qua fundamenta jacta sunt templi Domini, ponite super cor vestrum. 20. Numquid jam semen in germine est : et adhuc vinea, et ficus, et malogranatum, et lignum olivæ non floruit ? ex die ista benedicam. 21. Et factum est verbum Domini secundo ad Aggæum in vigesima et quarta mensis, dicens : 22. Loquere ad Zorobabel ducem Juda, dicens : Ego movebo cœlum pariter et terram. 23. Et subvertam solium regnorum, et conteram fortitudinem regni Gentium : et subvertam quadrigam, et ascensorem ejus : et descendent equi, et ascensores eorum : vir in gladio fratris sui. 24. In die illa, dicit Dominus exercituum, assumam te, Zorobabel fili Salathiel, serve meus, dicit Dominus : et ponam te quasi signaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum.

1. In die vigesima et quarta mensis, in sexto mense, in anno secundo Darii.] Hæc verba pertinent ad finem capitis præcedentis, indeque pendent. Significant enim à Judæis inchoatum fuisse opus, et fabricam templi die 24. mensis sexti, scilicet tunc cœpisse eos materiam præparare, ligna cædere et aptare. Nam fabrica ipsa inchoata est die 24. mensis noni, ut dicetur vers. 11. Caput ergo secundum proprie inchoatur à v. 2 ; alioqui enim versus secundus pugnaret cum primo, ut patet intuenti. Ita S. Hieron. Theodor. Rupert. Remig. Haymo, Lyran. Vatabl. et alii passim. Similem diastolem irrepsisse Jerem. 28. 1. censet S. Hieron. et alii. Vide can. 33. in Procemio.

Cœpit ergo Aggæus, c. 1. 1, hortari Judæos ad opus die prima mensis sexti, perrexitque quotidie eos urgere ad illud per 23. dies, tandemque pertulit eos, ut die 24. opus inchoarent. Eum imitentur concionatores, ut constanter pergant in arguendis vitiis, nec cessent, donec animos audientium permoveant ad illa exstirpandum. Sicut enim *gutta cavat lapidem non vi, sed sæpe cadendo;* ita dura et lapidea hominum corda non vi, sed crebra monitione et inculcatione ejusdem rei mollienda sunt : ita S. Chrysost. in homiliis ad populum, crebro invehitur in jurandi consuetudinem, ac hac de re murmurantibus respondet se non destiturum, donec ipsi eam correxerint; omnia enim vincit constantia et perseverantia. Quocirca S. Paulus præcipit Timotheo, Ep. 2. cap. 4. 2 : *Prædica*, inquit, *verbum, insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.*

2. In septimo mense, vigesima et prima mensis factum est verbum.] Ergo hæc prophetia, quæ ordine est secunda, mense pene integro fuit posterior inchoatione fabricæ; hæc enim inchoata est die 24. mensis sexti, ut dictum est v. 1.

Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima ?] qui scilicet viderit prius templum Salomonis augustum, antequam illud cum urbe everteretur à Chaldæis.

4. Et quid vos videtis hanc nunc ?] q. d. Qualem, quàm vilem et exilem videtis fore secundam hanc domum Dei quam ædificatis, si comparetur cum templo Salomonis ? jam pridem enim ejus fundamenta erant jacta sub Cyro, à quorum exiguitate et vilitate colligere licebat, exiguam et vilem fore fabricam. Templum autem Salomonis augustissimum aliqui viderant, alii tale fuisse à patribus audierant. Nam Judæi Babylone redeuntes, utpote pauci et pauperes, templum ædificabant ex lapide vulgari et impolito, cùm Salomon illud construxisset ex lapidibus politissimis, iisque validis et pretiosis, 3. Reg. 6. Secundo, templum hoc jussu Cyri altitudinem, æque ac latitudinem, habiturum erat sexaginta duntaxat cubitorum, 1. Esdræ 6. Salomonis vero duplo erat altius et latius ; erat enim 120. cubitos altum, æque ac latum. Quocirca templum hoc secundum, intra prioris septa ædificatum est, illius ruinis extra in circuitu relictis ; quibus demolitis usque ad fundamenta, iisdem inædificavit suum templum Herodes, si credimus Josepho l. 15. Antiq. 14. Quocirca cum primo hoc templum fundaretur anno 1. Cyri, *principes patrum et seniorum qui viderant templum prius, flebant voce magna*, ait Esdras l. 1. c. 3. 12. Unde liquet multos vidisse utrumque templum; nam ab ejus excidio, quod contigit anno 11. Sedeciæ, usque ad primum annum Cyri, fluxerunt anni 59; inde usque ad annum 2. Darii, fluxerunt anni 11, qui prioribus additi faciunt 70. Qui ergo 80 erant annorum, poterant prius templum vidisse, ejusque magnificentiæ optime meminisse. Sane Esdram vidisse certum est : nam parens ejus Saraias pontifex occisus est in excidio urbis et templi; quare necesse est ut Esdras ante illud ab eo genitus sit. Esdras autem prorogavit vitam post Darium usque ad Artaxerxem, cujus fuit pincerna, uti ipse narrat l. 1. c. 7. Sic et Daniel annis 8. ante excidium urbis et templi, puta anno 3. Joakim abductus est in Babylonem, uti ipse ait c. 1. 1. Daniel autem vixit usque ad finem regni Cyri, ut patet ex ejus c. 10. 1 ; imo, si Hebræis credimus, vixit usque ad Artaxerxem Longimanum. Idem patet de Mardochæo patruo Esther, Nehem. c. 7. 7.

Quasi non sit.] Septuag. *et quomodo videtis ipsam nunc, sicut non existentem?* Chald.: *nonne quasi res nihili, sic et ipsa est in oculis vestris ?* Si nimirum comparetur cum magnificentia templi Salomonis, quam vel vidistis, vel ab iis qui viderunt, audistis.

5. Facite,] scilicet opus in domo mea, inquit S. Hieron. et alii mox citandi. Verum Hebr. et Romana τὸ *facite* referunt ad *verbum*, quod paulo post sequitur, q. d. Facite verbum quod pepigi, etc. Unde intermedia, scilicet *quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus exercituum*, intercipiunt et includunt parenthesi.

6. Verbum quod pepigi.] Est hìc duplex dispunctio, et consequenter duplex sensus. Prior *verbum* accipit in nominativo, illudque refert ad sequentia, q. d. Facite opus in templo quod jubeo, quia *verbum*, id est, pactum et fœdus quod vobiscum pepigi per Mosen in Sina, quoque promisi me fore vestrum Deum et protec-

torem, vos tutabitur contra Samaritas volentes impedire templi fabricam, et contra alios quoslibet hostes : quia scilicet ergo idipsum quod olim in hoc fœdere promisi, nunc opere præstabo et reipsa exesquar. Ita Septuag. Chald. S. Hieron. Theodoret. Haymo, Lyran. et Pagnin. Sic mystice *Verbum* est Filius Dei, Judæis promissus quasi Messias, ut hic significetur sancta Trinitas, nimirum Pater dicit: *Ego vobiscum sum.* Filius est Verbum, Spiritus Sanctus est spiritus qui cum eis erit, scilicet per effectum gratiæ, opis et protectionis, quam eis præstabit. Ita S. Hieron. Albertus, Nyssenus, Haymo et alii mox excitandi. Favet Chald. dum vertit : *Verbum meum erit vobis auxilio.* Unde et mox propheta pergit prophetare de Christo dicens : *Adhuc unum modicum, etc. et veniet Desideratus cunctis Gentibus.* Posterior dispunctio planior est, ut *verbum* sit accusativi casus (hunc enim notat articulus את *et*, qui ordinarie accusativo, raro nominativo servit) et referatur ad *facite*, q. d. Facite verbum, id est legem, quam in pacto vobiscum inito, quasi conditionem fœderis à vobis præstandam exegi; ego vicissim præstabo quod meum est, nimirum opem quam vobis promisi, faciamque ut spiritus meus providus, vigil, acer, potens et efficax sit in medio vestri, vosque tueatur, corroboret, adjuvet et propugnet. Ita Hebræi et Arias. Hunc sensum exigit parenthesis Romanis Bibliis interjecta, et Hebr. articulus *et*, uti paulo ante dixi.

Et spiritus meus erit in medio vestrum.] *Spiritus*, tum increatus, isque duplex. Prior, in Deo essentialis, qui est ipsa mens et potentia divina, cujus dotes describit Sapiens c. 7. 22. dicens : *Est enim in illa* (sapientia divina) *spiritus intelligentiæ sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, et qui capiat omnes spiritus.* Posterior nationalis, puta Spiritus Sanctus, de quo hunc locum accipiunt S. Hieron. Theodor. Remig. Haymo, Arias, hic, et S. Athanas. epist. ad Serapionem, Cyrillus cathech. 19. ac Nyssenus l. Testimon. contra Judæos de Sanctissima Trinitate, ubi sic legit : *Confirmare, Zorobabel, quia ego vobiscum sum, et verbum meum bonum, et spiritus meus in medio vestrûm;* exeoque probat in una Deitatis essentia esse trinitatem personarum. *Quid enim*, inquit, *opus erat trium mentionem facere, si non unumquodque proprium est in propria subsistentia personæ?* Spiritui Sancto enim appropriatur amor, cura, protectio, favor, auxilium, quæ hic Deus se spiritu suo præstiturum Judæis promittit ; ut sit in medio eorum, sicut spiritus noster medius est in corpore, et Spiritus Sanctus est in medio Ecclesiæ. Secundo, Spiritus hic increatus ex se diffundit spiritum creatum sibi similem. Unde Albertus per spiritum hunc accipit spiritum sapientiæ, virtutis et fortitudinis, quem Deus aspiravit Mosi, et per eum septuaginta senioribus ad judicandum, dirigendum et regendum populum Israel, num. 11. 25. Accedunt Hebræi, qui per spiritum accipiunt prophetiam. Unde Chald. vertit : *Prophetæ mei docebunt vos, ne timeatis,* q. d. Dabo vobis Aggæum, Zachariam et Malachiam Prophetas, qui vos in opere dirigant, animent, corroborent, Deumque in dubiis omnibus consulant. Malachias enim fuit ultimus Prophetarum, nec post eum Judæi alium usque ad Christum habuerunt, inquit S. Hieronymus, et id ipsum fatentur Hebræi. Possumus tamen generalius et plenius hunc spiritum accipere, q. d. Ego spiritu meo vobis adero, vobisque aspirabo spiritum providentiæ, fortitudinis, alacritatis, æque ac artis architectonicæ, ut eo vegetati opus hoc fabricæ templi alacriter, fortiter, provide, æque ac sapienter et affabre suscipiatis et peragatis. Itaque spiritus hic inter alia significat artem architectonicam ; hæc enim maxime necessaria erat in fabrica templi. Significat ergo quod, sicut olim illam spiritu suo aspiravit Beseleel in fabrica tabernaculi, Exodi cap. 31. 2 ; ita nunc eamdem Judæis aspirabit in fabrica templi, dabitque insignes architectos, fabros et opifices. Discant hic architecti et opifices, artes etiam mechanicas esse dona Dei. Unde sæpe in iis excellunt, qui pii sunt, Deumque ad id invocant.

7. Adhuc unum modicum est, et ego commovebo.] Est hebraismus, q. d. Post modicum tempus commovebo cœlum, etc. Certum est Prophetam loqui de Christo, ejusque primo in carnem et mundum adventu. De eo enim explicat Apostolus Hebr. 12. 26. et passim Patres S. Hieron. Remig. Rupert. Haymo, Albert. Hugo, Lyran. Arias, Clarius, Vatabl. hic, et S. August. 18. Civit. 35. S. Ambr. lib. 3. epist. 12. Cyril. lib. 5. in Genes. quin et Hebræi apud Galatin. lib. 4. cap. 9 et 10. Consolatur enim Propheta Hebræos pusillanimes et mœstos, quod viderent fabricam templi secundi tam fore exiguam, vilem, et quasi nullius momenti, si compararetur cum fabrica Salomonis. Consolatur, inquam, hoc argumento, quod Deus magis glorificaturus sit templum secundum quàm primum, eo quod in secundo daturus sit Christum doctorem et salvatorem, ideoque in ejus adventu commoturus sit cœlum et terram, omniaque elementa, in quibus mira, magnifica et gloriosa sit patraturus ad gloriam Christi, et consequenter templi.

Nota : Ab hac prophetia, facta anno 2. Darii Hystaspis, usque ad ortum Christi fluxerunt anni 517, uti dixi in Proœmio. Hi tamen vocantur hic *tempus modicum*, tum quia Prophetis elevatis ad Deum Deique æternitatem, omnia tempora, æque ac terrena et secularia, videntur, et revera sunt modicum quid, imo punctum, vel momentum duntaxat. Simili modo, S. Joann. epist. 1. cap. 2. 18. tempus legis novæ vocat *horam novissimam : Filioli*, ait, *novissima hora est.* Tum quia modicum erat respectu temporis elapsi ab orbe condito, et à lapsu Adæ, à quo mox Deus promisit Salvatorem Christum, Gen. 3. 15. Cum enim hæc dixit Aggæus, elapsi erant à Genesi mundi anni 3434. Ita Lyran. et Vatabl. Addit Arias esse modicum respectu legis Christianæ, quæ jam duravit 1624. annos, et plures durabit.

Pro *unum modicum*, Septuag. et eos secutus S. Paulus Hebr. 12. 26. vertunt ἅπαξ, id est *semel* ; quia hebr. אחת *achat*, id est unum, sumitur pro semel ; intelligitur enim פעם *paam*, id est vice, q. d. Una vice, id est semel. Vox *semel* significat unicam tantum legem Christi et Evangelii successuram legi Mosaicæ et Pro-

phetis, post quam nulla alia sit exspectanda, ita ut ea finita venturum sit Christi judicium, resurrectio, vita et gloria æterna his qui eam observaverunt.

COMMOVEBO COELUM ET TERRAM,] ut omnes homines et Angelos per multa magnaque prodigia excitem ad attentionem operis magni, quod patraturus sum, scilicet ad Christi incarnationem, legislationem et redemptionem; sicut Judæos olim per similia excitavi in Sina, ad excipiendam legem veterem per Mosem, ut iisdem tam Mosi, quàm legi auctoritatem conciliarem et pondus adderem. Ita S. Chrysost. hom. 1. in epist. ad Roman. Nota, licet S. August. lib. 18. de Civit. cap. 48. et Rupert. hîc, hanc commotionem cœli et terræ accipiant de signis et portentis præviis diei judicii, et judici Christo, deque resurrectione et glorificatione Beatorum, de quibus Matth. cap. 24; tamen ad litteram accipiendam esse illam, quæ facta est in primo adventu Christi in carnem, puta paulo ante ejus incarnationem, ut censent Hugo, Lyranus et Clarius; vel eo incarnato, docente, patiente, resurgente et mittente Spiritum sanctum in Apostolos. Ita S. Hieron. Remig. Haymo, Albert. Arias hîc, Ambros. lib. 3. epist. 12. et August. lib. 18. de Civit. cap. 35. Hæc enim commotio facta est ad hoc, ut significaret legem veterem in novam, Mosem in Christum, Prophetas in Evangelium, judaismum et gentilismum in christianismum esse commutanda, uti docet S. Chrysost. hom. 14. in Matth.

Quæres primo: Quænam veniente Christo facta est commotio in cœlo? Respond. Prima fuit, quod eo ipso die, imo hora et momento, quo Christus natus est, Angeli apparuerunt pastoribus, ejusque ortum annuntiarunt cum jubilo canentes: *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus*, Luc. 2. 14.

Secunda, quod stella insoliti splendoris Magis apparuerit, eosque ex Oriente vocarit et deduxerit ad Christum, Matth. 2. 1.

Tertia, quod paulo ante Christi ortum sub initium imperii Augusti, *hora circiter tertia, repente liquido ac puro cœlo, circulus ad speciem cœlestis arcus orbem solis ambiit, quasi unum eum ac potentissimum in hoc mundo, solumque clarissimum in orbe monstraret* (Augustum Cæsarem) *cujus tempore venturus esset, qui ipsum solem solus mundumque totum et fecisset, et regeret*, inquit ex Suetonio Orosius lib. 6. histor. cap. 18. Quid enim circulus hic vestiens solem, nisi humanitatem, quæ divinitatem Christi quasi parelius velavit et vestivit, significavit?

Quarta, quod globus aurei coloris Romanis visus sit è cœlo ad terram descendere, ibique major effectus, rursùs in cœlum ascendere, ac solem obtegere. Ita Orosius ibidem.

Quinta, quod uno anno ante Augusti imperium, sub quo natus est Christus, visi sint tres soles in unum coire, inquit Euseb. in Chronico. Sequenti anno, inquit Dio, et ex eo Baron. visus est sol intra tres circulos effulgere, quorum unum corona spicarum ignita circumdabat; quod tamen Dio censuit fuisse prognosticon Triumviratus Augusti, Antonii et Lepidi; cum verius significatus fuerit verus sol Christus Dominus, qua Deus in tribus circulis, id est personis divinis, per περιχώρησιν, id est circumincessionem existens; et qua homo factus, tribus substantiis, puta deitate, anima et carne, constans.

Sexta, vivente Christo Spiritus sanctus in eum dum baptizaretur, specie columbæ è cœlo descendit. Vox Patris audita est: *His est filius meus dilectus*, Matth. 3. 17. Eadem audita est in transfiguratione, ubi Christus cœlesti gloria coruscus resplenduit, ac Moses et Elias è cœlo lapsi affuerunt, Matth. 17. 5.

Septima, Angeli tum in passione, tum in resurrectione, tum aliàs sæpe ei ministrarunt, Joan. 1. 51.

Octava, in passione ejus sol in plenilunio, cum maxime distat à luna, quæ ejus eclipsim causare solet, eclipsi universali plane obscuratus, mortem sui creatoris pullulatus luxit, adeo ut Dionys. Areopagita exclamarit: *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissolvetur;* ut ipse refert scribens ad Apollophanem.

Nona, quod 40. post resurrectionem die, visibiliter coram discipulis gloriosus in cœlum ascenderit, Actor. 1.

Decima, quod inde quinquagesimo die miserit Spiritum sanctum specie linguarum ignearum, cum ingenti fragore, in Apostolos, Act. 2.

Undecima, quod Augusto Cæsari è cœlo Virgo Deipara, infantem ulnis gestans, apparuerit in Capitolio, cum jam ante ipse oraculo Apollinis edoctus natum esse puerum Hebræum, qui idolorum oraculis silentium indixisset, eidem in Capitolio aram erexisset, hoc titulo: *Ara primogeniti Dei.* Quocirca Constantinus Magnus ibidem templum erexit in memoriam Dei genitricis Mariæ, quod etiamnum exstat, et vulgo *Ara cœli* nuncupatur, ubi et locus visionis Augusti ostenditur. Ita ex Suida, Nicephoro et aliis Baron. in Apparatu Annal. Addunt multi id per Sibyllam Augusto ostensum fuisse; sed per Sibyllam intelligunt prophetissam aliquam illius ævi. Nam inter Sibyllas proprie dictas ultima fuit Cumana, quæ diu ante Augustum vixit sub Tarquinio Superbo.

Quæres secundo: Quænam commotio facta est in terra? Resp. Prima est, quam hisce verbis describit Orosius lib. 6. cap. 20. et lib. 7. cap. 2: *Annus nativitatis Christi quantis, quàm novis, quàmque inusitatis bonis abundaverit, satis etiam me non proferente compertum haberi arbitror. Toto terrarum orbe una pax omnium, non cessatione, sed abolitione bellorum; clausæ Jani gemini portæ, exstirpatis bellorum radicibus, non repressis. Census ille primus et maximus fuit, cum in unum Cæsaris nomen universa magnarum gentium creatura juravit, simulque per communionem census unius societatis affecta est;* videlicet ut Augustus sua monarchia sterneret viam vero monarchæ Christo, ejusque Evangelio in totum orbem per suum caput, puta per Romam, propagando, uti advertit S. Leo hom. 1. de S. Petro: *Disposito namque divinitus operi*, inquit, *maxime congruebat ut multa regna uno confœderarentur imperio, et cito pervios haberet populos prædicatio generalis, quos unius teneret regimen civitatis.* Porro quod de Jano, tempore Christi tertio clauso, asserit Orosius, subdubitat Baron. eo quod veteres non nisi bis Jani clausi meminerint. Verum verisimile est Orosium, veterem et gravem historicum, à S. Augustino laudatum, id à veterioribus accepisse, nec id ex se confinxisse, uti recte advertit noster Barradius tomo 1. lib. 8. cap. 12.

Secunda, quod ex Sybillarum oraculis edicentibus, sub illud tempus ex Oriente venturum regem, qui orbi dominaretur, Romani, aliæque gentes, ejus partim metu, partim exspectatione commotæ fuerint. Audi Tacit. l. 21: *Pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore ut valesceret Oriens, profectique Judæa rerum potirentur; quæ ambages Vespasianum ac Titum prædixerant.* Ita ipse, ut pote Gentilis, oraculum de Christo ad Vespasianum detorsit. Idem habet Suetonius in Vespasiano cap. 4. qui et addit Judæos hac de causa, spe scilicet regis sui Messiæ mox affuturi, rebellasse Romanis, ideoque à Tito esse excisos.

Tertia, quod ante Christum oraculum Delphicum aliaque siluerunt, teste Cicerone l. 2. de Divinat. Arnobio lib. 3. contra Gentes, et aliis. Unde et ex Paxo insula vox audita: *Magnus Pan mortuus est*, teste Euseb. l. 5. de Præp. cap. 9.

Quarta, quod anno tertio triumviratus Augusti, puta 40. annis ante nativitatem Christi, Romæ trans Tiberim è taberna meritoria per totum diem fons olei largissimus è terra profluxit: *Quo signo*, ait Orosius lib. 6. cap. 20: *Quid evidentius quàm in diebus Cæsaris Augusti futura Christi nativitas declarata est? Christus enim unctus interpretatur. Itaque cum eo tempore, quo Cæsari perpetua tribunitia potestas decreta est, Romæ fons olei per totum diem defluxit;* significavit, *per omne tempus Romani Imperii Christum, et ex eo Christianos, id est unctum, et ex eo unctos, de meritoria taberna, id est de hospitali largaque Ecclesia, affluenter atque incessabiliter processuros.* Hic ergo fluxus olei è terra portendit Christum in terra nasciturum, et viscera misericordiæ in nos effusurum. Unde et de eo dicitur Cant. 1. 2: *Oleum effusum nomen tuum.* Meruit locus ille, inquit Baron. nobilissima memoria illustrari, Ecclesia nimirum amplissima, Dei genetricis titulo, à Callisto Pontifice prima omnium, quarum exstet memoria, olim erecta; ubi in ipsissimo loco è quo oleum profluxit, in prisci miraculi testimonium, ista epigraphe inscripta legitur: *In hac prima Dei matris æde, taberna olim meritoria, olei fons è solo erumpens, Christi ortum portendit.*

Quinta, quod *in Capitolio*, inquit Dio lib. 37: *Multæ statuæ de cælo tactæ, liquefactæque fluxerant, dejectaque erant tum alia simulacra, tum Jovis columnæ insistens, præterea imago lupæ, cum Remo et Romulo consecrata ceciderat; litteræ etiam in columnis, in quibus leges scribebantur, oblitteratæ atque confusæ erant.* Unde Suetonius in Augusto cap. 94. ait: *Prodigium Romæ factum quo denuntiabatur regem populo Romano naturam parturire. Unde senatum exterritum censuisse, ne quis illo anno genitus educaretur.*

Sexta, quod Augustus noluerit amplius Dominus nominari, inquit Suetonius in Augusto cap. 53. quasi interno Dei instinctu præsentiens adventare Christum, verum cœli terræque dominum.

Septima, quod Christo puero fugiente infanticidium Herodis, mox ut Ægyptum intravit, Ægypti idola corruerunt, uti passim tradunt veteres, quos citavi Isaiæ 19. 1.

Octava, quod Christo patiente petræ scissæ sunt, et tota terra ingenti terræ motu quasi indignans, et parans ulcisci necem sui creatoris, concussa est, et, si credimus Origeni, è suo centro convulsa est. Unde de eo Plinius l. 2. c. 48: *Maximus*, inquit, *terræ memoria mortalium exstitit motus Tiberii Cæsaris principatu, duodecim urbibus una nocte prostratis.*

Mare et aridam.] Per aridam oppositam mari, vel accipe insulas cum Lyrano; vel certe totum reliquum orbis, quod terra occupat, spatium; ut terram, quam paulo ante nominavit Propheta, id est globum terræ, qui constat ex aqua et terra, subdividat in mare et aridam; perinde ac in genesi mundi Deus ea dispescuit: *Et vocavit aridam terram, congregationesque aquarum appellavit maria*, Genes. 1. 10.

Porro commotiones in mari variæ sub tempus Christi factæ sunt. Prima, per bella navalia, ac præsertim Actiacum, quo Augustus, profligata classe Antonii, factus est monarcha, teste Suetonio. Secunda, quod in Britannia ingens excitata fuerit maris tempestas, adeo ut insulani dicerent aliquem ex dæmonibus vel heroibus defecisse. Ita ex priscis historicis à Castro. Tertia, quod Christus maris procellas sedaverit, et super undas maris ambularit; quin et easdem S. Petrum calcare fecerit. Insuper in passione cum terræ motu concussit terram, concussit pariter et mare. Quarta, quod Deus insulanos omnes commoverit audita fama Christi et Evangelii, ad fidem ejus capessendam; alios vero in infidelitate obstinatos commoverit, id est, occasionem dederit ad illud persequendum et extirpandum. Audi S. August. l. 18. de Civit. c. 35: *Movit*, ait, *cœlum, Angelorum et siderum testimonio, quando incarnatus est Christus. Movit terram, ingenti miraculo de ipso Virginis partu. Movit mare et aridam, cum et in insulis, et in orbe toto Christus annuntiatur. Ita moveri omnes gentes videmus ad fidem.* Audi et S. Ambros. in hæc Aggæi verba, sub finem tomi 2: *Moverat ante hæc* (Deus cœlum et terram) *cum de Ægypto liberaret populum suum, quando in cœlo columna erat ignis, terra inter fluctus, murus in mari, via in aqua, in deserto messis quotidiana frugum cœlestium* (manna) *multiplicabatur, petra solvebatur in fontes aquarum: sed movit et postea in passione Domini Jesu, quando cœlum tenebris obductum, sol refugit, petræ scissæ, tumuli aperti, mortui resuscitati, draco victus in fluctibus suis vidit piscatores hominum, non solum navigantes in mari, sed etiam ambulantes sine periculo. Desertum quoque motum, quando infructuosus nationum populus in messem cœpit devotionis et fidei flavescere, etc. ut plures filii fierent desertæ quàm ejus quæ habebat virum, et floreret desertum ut lilium,* Isaiæ 35.

Causæ cur cœlum, terra, mare et arida incarnatione Christi concussa fuerint, sunt multæ. Prima, quia quasi admirata sunt, et obstupuerunt tantam Christi exinanitionem æque ac charitatem. Secunda, ut torpentia hominum corda excitarent ad tam insolitum prodigium, eaque saxea mollirent ad hanc Christi dignationem digno amore et gratitudine excipiendam. Tertia, quia omnes creaturæ per Christum restauratæ, imo quasi deificatæ sunt, dum per Christum Verbo Dei sunt unitæ; omnium enim creaturarum compendium et microcosmus est homo. Dum ergo Christus hominem assumpsit, omnes creaturas assumpsit; hinc in ejus incarnatione commotæ sunt, quia gavisæ sunt, et

præ gaudio quasi exsilierunt; præsertim quia per eum sperarunt, et sperant liberationem à corruptione et miseria, quam cum homine incurrerunt per peccatum Adæ, juxta illud Apostoli Rom. 8. 19: *Exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat; vanitati enim creatura subjecta est, non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe: quia et ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc.*

8. Et movebo omnes Gentes:] primo, per bella civilia, quæ gesta sunt inter Augustum, Antonium et Lepidum triumviros, quibus debellatis Augustus constituit se monarcham. Ita Mariana. Secundo, in censu quo omnes profecti ad suas civitates, cogebantur profiteri se Augusto esse subjectos. Tertio, per prædicationem et miracula Christi et Apostolorum, perque portenta edita in cœlo et in terra, tam nascente quàm patiente Christo, quæ jam recensui, commotæ sunt gentes ad pœnitentiam, et ad fidem Christi capessendam. Unde pro *movebo* hebr. est הרעשתי *hirasti*, id est percellam, tremefaciam, pavorem et trepidationem injiciam; Sept. συσσείσω, id est quatiam, concutiam. Ita S. Hieron. et ejus asseclæ: unde noster Emmanuel: Movebo, inquit, stupore tanti mysterii, et lætitia, et vitæ innovatione omnes gentes.

Et veniet desideratus cunctis Gentibus.] *Et*, id est *quia*, q. d. Commovebo cœlum, terram, mare et aridam, quia veniet Messias quem omnes gentes, imo omnes creaturæ desiderant: Christus enim est principium, exemplar, finis, nodus, vinculum, centrum, vita, salus, felicitas totius universi. Unde Apostolus Ephes. 1. 10: *Proposuit* (Deus) *in eo, in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis et quæ in terra sunt.* Ubi pro *instaurare* græce est ἀνακεφαλαιώσασθαι, id est recapitulare, ad caput revocare; Christus enim est anacephalæosis, id est summa, caput et recapitulatio omnium operum Dei, visibilium et invisibilium. Vide ibi dicta. Quocirca omnes res feruntur in Christum, tanquam in centrum, cui conjungi desiderant. Rursum omnes appetunt Christum, tanquam sacerdotem magnum, qui ab omnibus mala cuncta removeat, et bona cuncta procuret. Hoc est quod ait Christus: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Joan. 12. 32. Christus enim est Antistes et Pontifex magni fani, id est totius mundi. Nam, ut ait Philo l. 1. de Monarchia, mundus est quasi templum sacrum Dei, cujus antistes est homo, ut pro omnibus Deo gratias agat, et ab eo singulis bona impetret et mala avertat. Audi Lactant. lib. de Ira Dei cap. 14: *Sequitur ut ostendam cur fecerit hominem Deus. Sicut mundum propter hominem machinatus est, ita ipsum propter se, tanquam divini templi antistitem, spectatorem operum rerumque cœlestium: solus enim est qui sentiens capaxque rationis intelligere possit Deum, qui opera ejus admirari, virtutem potestatemque perspicere, etc. Ideo sermonem solus accipit, ac linguam cogitationis interpretem, ut enarrare majestatem Domini sui possit.* Verum cum homines ad id non sufficiunt, et plerique in terram demersi ad cœlum non suspiciant, nec Deum auctorem agnoscant; hinc missus est Christus, qui quasi mundi Antistes id præstaret, Deoque debitam gratitudinem et cultum pro omnibus persolveret, et homines ad idem faciendum impelleret. Unde ejus typo pontifex Aaronicus in veste gestabat totum orbem, juxta illud Sapient. 18. 24: *In veste poderis quam habebat, totus erat orbis terrarum.* Hinc et Christus dicitur portare omnia verbo virtutis suæ, Hebr. 1. 2. Hinc rursum ipse vocatur desiderium collium æternorum, id est Prophetarum, Patriarcharum et illustrium Sanctorum, Genes. 49. 26. Unde Jacob ibidem v. 17: *Salutare* (id est, Salvatorem Christum) inquit, *tuum exspectabo, Domine.* Et Isaias cap. 45. 8: *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum: aperiatur terra, et germinet salvatorem.* Quin et Sibylla Cumana apud Virgil. eclog. 4. sic canit, sic gestit ad Christi ortum:

> Ultima Cumæi venit jam carminis ætas,
> Magnus ab integro seculorum nascitur ordo:
> Jam nova progenies cœlo demittitur alto;
> Jam redit et virgo, redeunt Saturnia regna.
> Chara Deûm soboles, magnum Jovis incrementum.
> Aspice venturo lætentur ut omnia seclo, etc.

Hebræa ad verbum habent: *Et venient desiderium* (vel *desideria*: pro חמדת *chemdat* enim in singulari, alio puncto potest legi חמדות *chemdot* in plurali) *cunctarum gentium;* Septuag. *Et venient electa omnium gentium*, vel, ut S. Hieron. et Aug. 18. Civit. 48. legunt: *Venient quæ electa sunt Domini de cunctis gentibus*, quæ sic exponunt, q. d. Non solum Judæi, sed et omnes gentes quæ à Deo electæ fuerint, venient ad Christum: non enim omnes gentes, sed tantum pars aliqua à Deo selecta, et ut pretiosus thesaurus desiderabilis, venit ad Christum. Ita S. Joan. epist. secundam inscribit: *Senior electæ Dominæ.* Unde Arabicus Antioch. vertit: *Venient populi cum desiderio;* Arabicus Alexandr. *Venient gentes electæ;* Syrus: *Afferent desiderium quod est cunctis gentibus.* Verius est Septuag. per *electa gentium* significasse Christum, qui unus est ex omnibus gentibus electus, per quem cæteri omnes electi et dilecti sunt à Deo, quem proinde omnes gentes elegerunt, adamarunt, desiderarunt et amplexi sunt. Hoc enim significat Hebr. *chemdat;* Pagnin. *Et venient quæ sunt desiderium omnium gentium.* Minus recte vertunt R. David et Clarius: *Et venient cum desiderio omnes gentes*, scilicet ut se, suàque omnia pretiosa et desiderabilia, quasi munus offerant Christo. Nam hoc ipsi supplent, cum idipsum requirendum sit in Propheta: qui cum hîc non aliud Christi epithetum assignet quàm *desiderium*, sequitur *desiderium gentium* non aliud esse quàm Christum. Et ita exponunt Chaldæus, Tigurina, R. Akiba apud Galatin. lib. 4. cap. 9. Unde hinc validum sumas argumentum contra Judæos, quo probes jam venisse Messiam, nimirum: Aggæus consolatur Zorobabel et Judæos in fabrica templi sui exilis et vilis, hortaturque ut in ea pergant, eo quod ad illud venturus sit Messias. Illud autem templum jam transiit, et destructum est à Tito et Romanis. Ergo pariter jam venit et transiit Christus. Quod enim Arias per desiderium, vel desideratum, accipit Spiritum sanctum, quem omnes gentes exspectabant, ut curaret ipsorum infirmitatem, non Christum, absonum est, et contra omnes Interpretes. Messias enim Judæis, uti fuit promissus, ita et desideratus, non Spiritus sanctus;

quem è Judæis pauci, ex Gentibus fere nulli cognoverunt. Unde Spiritus sanctus non Judæis, sed Christianis à Christo est promissus et datus in Pentecoste. Communis ergo Hebræorum, Latinorum et Græcorum sententia est, per *desiderium* intelligi Christum. Ita S. Hieron. Remig. Haymo, Albert. Hugo, Lyran. et alii.

Ubi nota Christum vocari desiderium, vel desideria omnium gentium, quia summe est desiderabilis. Licet enim gentes infideles eum non desiderarent, imo eum non cognoscerent; tamen ipse in se summe erat, estque desiderabilis, ut sit metalepsis, q. d. Christus fuit desideratus cunctis gentibus, hoc est, omnes gentes summe egebant Christi adventu, ut è suis miseriis liberarentur, ideoque non rationali, sed naturali appetitu eum desiderabant, sicut terra arida hiando desiderat pluviam (egere enim, est tacite desiderare id quod egestatem levet: unde nonnulli desiderare hic explicant per egere. Ita Martin. de Roa lib. 1. Singul. cap. 13. in fine.) Quocirca gentes mox ut de ejus vita, doctrina, sanctitate et miraculis per S. Paulum et Apostolos inaudiverunt, mox ut Apostolorum prædicatione commotæ et compunctæ sunt, eum desiderare cœperunt; et quo magis cognoverunt, eo magis desiderarunt et adamarunt, adeo ut non tantum opes, sed et sanguinem vitamque libentes pro eo profunderent, ut patet ex tot centenis millibus Martyrum, qui primis trecentis post Christum annis toto orbe exstiterunt. Hinc Christus à Jacob patriarcha, Genes. 49. vers. 10, vocatur *exspectatio gentium*, præsertim ubi illæ per Apostolos cognoverunt se, Judæis incredulis exclusis, in familiam et benedictionem Abrahæ per Christum surrogandas esse. Hîc ergo est expressa prophetia de vocatione gentium. Porro hebraice חמדת *chemdat* concupiscentiam et desiderium non quale quale, sed ingens, ardens et æstuans significat. Unde Daniel. cap. 9. 23. vocatur איש חמודות *is chamudot*, id est vir desideriorum, quia inflammatis desideriis æstuabat, orans ardentissime Deum pro liberatione populi. Sic gentes credentes Apostolis fide, spe, et charitate inflammata, æstuarunt in Christum, et alios ad eumdem adamandum eodem æstu incitarunt, dicentes: *Venite et ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.* Isaiæ 2. 3. Sic Cicero lib. 14. epist. ad uxorem et filiam: *Valete*, ait, *mea desideria.*

Secundo, quia Christus omnia gentium desideria plene explevit et satiavit.

Tertio, desiderium hoc accipi potest, non gentium, sed Christi, q. d. Veniet in carnem Christus, quia mire desiderat redimere et salvare omnes gentes, ac præsertim electos ex gentibus, ut vertunt Septuag. sicut enim sponsus ardenter amat sponsam, ita Christus Ecclesiam, quæ pene tota collecta est è gentibus, ac vicissim sua gratia efficit ut Ecclesia ardenti amore ipsum, ut sponsa sponsum redamet. Hic amor sponsi et sponsæ toto libro Canticorum multis parabolis describitur. Eumdem eructat Ecclesia in officio Ascensionis Domini:

Jesu, nostra redemptio,
Amor et desiderium,
Deus redemptor omnium,
Homo in fine temporum.
Quæ te vicit clementia,
Ut ferres nostra crimina,
Crudelem mortem patiens,
Ut nos à morte tolleres?

Et mox:

Tu esto nostrum gaudium,
Qui es futurus præmium.
Sit nostra in te gloria,
Per cuncta semper secula. Amen.

Denique gentes ante Christum, credentes in Deum in lege naturæ, aut proselytæ et conversæ ad judaismum, æque ac Judæi exspectabant ac desiderabant Christum, quasi salvatorem mundi, quasi jubar cœleste, quasi candorem lucis æternæ, quasi solem justitiæ, qui totum orbem caligine infidelitatis et ignorantiæ offusum illuminaret, ac sedentes in tenebris et umbra mortis eriperet, sanaret, justificaret et bearet. Talis fuit Job cum suis amicis. Tales Sibyllæ. Tales Adam, Enoch, Noe, Sem, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, etc.

Anagog. Christus in cœlo est desiderium omnium Beatorum et Angelorum, tum quia omnes desiderant ejus divinitate et humanitate frui et beari; tum quia ipse omnium desideria explet, satiat, inebriat. Ita S. August. l. 18. de Civit. 35. et Rupert. hîc. Imo S. August. putat hunc esse sensum litteralem, motus hac ratione: *Ut enim*, inquit, *desideratus esset exspectantibus, prius oportuit eum dilectum esse credentibus.* Verum ad hoc paulo ante respondi. Desideratus enim idem est quod desiderabilis, optabilis. Aliter respondet Joan. Alba Electorum cap. 68. scilicet, dativos hosce *cunctis gentibus*, non pendere à voce *desideratus*, sed à verbo *veniet*, q. d. Cunctis gentibus adveniet Christus salvator, cujus nomen in Scriptura est *Desideratus*, scilicet à Prophetis et Patriarchis: verum hebr. חמדת *chemdat*, id est *desideratus*, cum sit in regimine, necessario respicit regitque כל גוים *col goiim*, id est *cunctis gentibus*, uti sciunt hebraice periti, nisi alio puncto legas in plurali חמדת *chemdot*, id est *desideria*, in nominativo absoluto. Tunc enim apte respondet verbo plurali באו *bau*, id est *venient*, nec necessario respicit τὸ *cunctis gentibus.* Sensus tamen hic arctior et frigidior est.

Tropolog. Christus est omne desiderium animarum sanctarum, quæ nil aliud, nisi ipsi placere, ipsum in dies magis amare, magis colere desiderant. Ita desideravit eum S. Joan. Apocal. 22. 20: *Veni, Domine Jesu.* Ita desideravit S. Magdalena, quæ jure poterat dicere illud Cantic. 3. 2: *Surgam et circuibo civitatem, per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea.* Ita Isaias cap. 26. 8: *Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desideravit te in nocte; sed et spiritu meo in præcordiis meis mane vigilabo ad te.* Ita S. Ignatius prodiens in amphitheatrum objiciendus leonibus, cum turbam spectantium hilari vultu circumspexisset et salutasset: *Veni*, inquit, *ut bestiis objiciar, non ob aliquod maleficium, sed ut Christo meo me uniam, quem insatiabiliter sitio.* Ita S. Bernard. in hymno:

Desidero te millies,
Mi Jesu, quando venies,

Me lætum quando facies,
Me de te quando saties?
Jesu, rex admirabilis,
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus desiderabilis.
Quando cor nostrum visitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vilescit vanitas,
Et intus fervet charitas.
Jesu, summa benignitas,
Mira cordis jucunditas,
Incomprehensa bonitas,
Tua me stringat charitas.
O Jesu mi dulcissime,
Spes suspirantis animæ!
Te quærunt piæ lacrymæ,
Te clamor mentis intimæ.
Jam quod quæsivi video,
Quod concupivi teneo:
Amore Jesu langueo,
Et corde totus ardeo.
O beatum incendium,
Et ardens desiderium!
O dulce refrigerium,
Amare Dei Filium!

Quid enim? famescis et cibum appetis? Jesum desidera. Ipse est panis et refectio Angelorum; ipse est manna continens in se omnem saporis suavitatem. Sitis? Jesum concupisce. Ipse est puteus aquarum viventium, ita satians, ut amplius non sitias; ipse vinum mentem inebrians, ipse nectar et ambrosia. Æger es? Jesum adi. Ipse est Salvator, ipse medicus, imo ipsa salus. Moreris? Jesum suspira. Ipse est vita et resurrectio. Perplexus es? Jesum consule. Ipse est magni consilii Angelus. Ignoras et erras? Jesum interroga. Ipse est via, veritas et vita. Peccator es? Jesum implora. Ipse enim populum suum salvum faciet à peccatis eorum: ad hoc venit in mundum; hic omnis ejus fructus, ut auferatur peccatum. Tentaris superbia, gula, libidine, torpore? Jesum invoca. Ipse est humilitas, sobrietas, castitas, amor et fervor; ipse infirmitates nostras tulit, et dolores nostros ipse portavit et etiamnum fert et portat. Desideras pulchritudinem? Ipse speciosus est forma præ filiis hominum. Desideras opes? In ipso sunt omnes thesauri, imo in ipso plenitudo divinitatis inhabitat. Ambis honores? Gloria et divitiæ in domo ejus; ipse est rex gloriæ. Quæris amicum? Tuî amantissimus est, qui tuî amore è cœlo descendit, laboravit, sudavit, crucem et mortem subiit; ipse pro te nominatim in horto oravit, et lacrymas sanguineas profudit. Quæris sapientiam? Ipse est Sapientia Patris æterna et increata. Optas consolationem et lætitiam? Ipse est dulcedo cordium afflictorum, gaudium et jubilus Angelorum. Optas justitiam et sanctitatem? Ipse est Sanctus sanctorum; ipse justitia sempiterna, justificans et sanctificans omnes credentes et sperantes in se. Optas beatam vitam? Ipse est vita æterna, ipse Sanctorum felicitas et beatitudo. Ipsum ergo desidera, ipsum suspira. In ipso invenies omne bonum, extra ipsum omne malum, omnem miseriam. Dic ergo cum S. Francisco: *Jesus meus, amor meus et omnia. Jesus decus Angelicum; in aure dulce canticum, in ore mel mirificum, in corde nectar cœlicum.* Eia bone Jesu, rumpe cataractas tui amoris, ut flumina ejus, imo maria, defluant et depluant in nos, nosque inebrient, imo mergant et obruant.

Scripsit D. Blosius, Abbas Lætiensis, vir magnæ pietatis ac theodidactos, multa pia opuscula, illis qui in spiritu proficere cupiunt, valde sapida et proficua; inter quæ exstant aspirationes ejus ardentes et crebræ per diem ad Jesum, Jesum desiderantibus crebro usurpandæ. E multis paucas hîc subjiciam: *Transfige, amabilis Jesu, medullas animæ meæ suavissimo dilectionis telo, perfode cor meum ignea charitate, ut prorsus langueat anima mea tuî desiderio, tota amore resolvatur, tota liquefiat, tota in te transeat.*

Separa, Domine, mentem meam ab omnibus quæ sub cœlo sunt, ut ipsa tibi soli vivere intendat; ut solus illam ut proprius possessor inhabites. Descendat in me suavissimus odor tuus, veniat mihi divinæ charitatis tuæ inenarrabilis fragrantia, quæ puras et sempiternas in me suscitet concupiscentias. Diligam te, quia prior dilexisti me.

O pelagus sanctæ dilectionis atque dulcedinis! Deus meus, veni et tribue te animæ meæ. Da ut integro corde, pleno desiderio, flammantique affectu jugiter aspirem ad te, et suavissime respirem in te; te omni creaturæ præferam, propter te omni transitoriæ delectationi renuntiem, ô vera et summa exsultatio mea!

O supereffluens abyssus divinitatis! trahe et immerge me in te, totam affectionem cordis mei ita abripe et tibi applica, ut ipsa ad cætera omnia sit prorsus exanimis. O dilecte mi, dilecte votorum meorum! concede ut te inveniam, inventumque teneam, et brachiis spiritualibus arctissime constringam. Te desidero, ad te anhelo, ô beatitudo æterna! Utinam te mihi dones, et me tibi intime unias, atque mero divinæ charitatis totum inebries!

9. Meum est argentum,] primo, q. d. Ne obtendatis in fabrica templi vestram inopiam, ego spondeo me vobis opes ad illam affatim suppeditaturum; meum est enim omne aurum et argentum, ac proinde cuilibet illud distribuo.

Secundo, et magis connexe ad sequentia, q. d. Vos doletis de exilitate et vilitate fabricæ, quod non possitis æquare magnificentiam Salomonis, qui abundavit auro et argento. Verum scitote me hæc non quærere, nec iis indigere; meum enim est omne aurum totius mundi. Ex auro ergo magnificentiam fabricæ non æstimate, sed ex sanctitate et magnificentia sacerdotum et populi, qui templum hoc sunt frequentaturi. Ecce ego mittam Christum sacerdotem magnum, qui templum hoc vestrum sua præsentia, doctrina et miraculis magis ornabit, et magnificentius reddet quàm omne aurum quo suum templum Salomon opplevit. Ita Hugo, Clarius, Vatabl. Burgensis, Emmanuel, Mariana et Galatin. loco supra citato. Est παρρησία, sive Concessio rhetorica. Similis est psalm. 49. 12: *Si esuriero, non dicam tibi; meus est enim orbis terræ et plenitudo ejus;* et Isaiæ 1. 11: *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum.*

Tertio, alii sic exponunt, q. d. Licet vos sitis pauperes, ego tamen, qui sum ditissimus, tantum vobis auri et argenti in templi fabricam dabo, ut major sit ejus gloria et opulentia quàm fuerit templi Salomonici. Ita Theodor. Remig. Haymo, Lyran. et Ribera. Verum hoc non videtur verum, quia Salomonis fabrica fuit splendidissima; nec appositum, quia fabricam

hanc præfert fabricæ Salomonis, non propter aurum sed propter Christum, uti mox patebit.

Notat Anastasius Nicænus quæst 9. in Script. hisce Aggæi verbis: *Meum est argentum*, ab insipientibus additum fuisse: *Cui voluero dabo ipsum. Nam nullus*, inquit, *qui ex bellis, cædibus, furtis, perjuriis, rapinis, munerumque corruptelis et injuriis opes collegit, potest dicere se per eum esse ditatum, sed per peccatum maligni.* Quocirca Lucianus in Timone satyrice inducit Plutum, auri et argenti deum, cum à Jove, quasi à Deo optimo et æquissimo, ad quempiam mittitur, quasi claudum ægre et tarde progredi; cum vero à dite, infernorum præside, aliquo amandatur, rectis pedibus, quasi explicatis alis illico advolare: *Nam et ipse*, inquit, *opum largitor est, ac magna donans, id quod ipso etiam nomine declarat.* Nimirum magis ditantur subinde qui diabolo serviunt quàm qui Deo, ut pote qui per usuras, rapinas, fas et nefas aurum coacervant, nulla conscientiæ habita ratione; sed tamen nec hi ditantur sine Deo, saltem permittente, qui potest ad libitum iis lucra et opes auferre, easque viris piis consignare, uti non raro facit. Nam

De male quæsitis non gaudet tertius hæres.

Tropol. *argentum* sunt Dei lex et doctrina, item gratiæ et dona quibus Ecclesiam ditat et ornat. Ita S. Ambros. lib. 3. epist. 12. Albert. Rupert. ac S. Hieron. quem audi: *Ego*, inquit, *argentum, quo domus Dei ornatur, existimo eloquia Scripturæ, de quibus dicitur* psalm. 11. 7: *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ purgatum septuplum.* Sic Apostolus 1. Corinth. 3. v. 12. docet sanctos ædificare super fundamentum *Christi aurum, argentum, lapides pretiosos; ut in auro sensus occultus sit, in argento sermo decens, in lapide pretioso opera Deo placentia. His metallis illustrior fit Ecclesia Salvatoris, quàm quondam Synagoga fuerat.*

Rursum S. August. hom. 30. inter 50. hinc validum telum torquet in avaros pro eleemosyna. Si, inquit, Dei est argentum et aurum, ergo cum jubet ut ea aliis communices, de re sua jubet; et cum facis eleemosynam, facis de re ejus qui jubet ut facias, non de re tua. Addit Deum liberalibus dare aurum ad exercitationem humanitatis, avaris ad supplicium cupiditatis: *Deus*, inquit, *vere et proprie suum dicit esse aurum et argentum, quod et largissima bonitate condidit, et justissimo administrat imperio, ut sine ipsius nutu ac dominatu nec mali, nisi ad avaritiæ supplicium, nec boni, nisi ad usum misericordiæ, possint habere aurum et argentum.* Facit ergo ut *copia ejus non extollat bonos, nec lædat inopia; malos autem, et cum offertur excæcet, et cum aufertur excruciet.*

10. Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ.] *Magna*, id est major. Hebræi enim carent gradu comparativo, et ejus vice utuntur positivo cum præpositione מִן *min*, id est præ, plusquam, q. d. Majus et gloriosius erit hoc templum posterius quod vos pauperes fabricatis, quàm fuerit primum Salomonis, licet gloriosum auroque fulgidum; quia scilicet Christus, qui est gloria et splendor Patris, ac consequenter urbis et orbis, in hoc vestro templo offeretur Patri in festo Purificationis, docebit, sæpe versabitur, miracula patrabit, instituet novam legem gratiæ, et fundabit novam Ecclesiam quæ recta ducit ad cœlum. Christum enim hîc vocari gloriam domus, id est templi secundi, patet ex vers. ubi ait: *Movebo omnes gentes; et veniet Desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria*, q. d. Desideratus cunctis gentibus, id est Messias rex, quem exspectatis, qui commovebit et sibi subiget omnes gentes, sua præsentia et magnificentia domum istam gloria implebit.

Est hîc duplex quæstio: Prior cum Judæis, posterior cum Christianis.

Prior est: An ex hoc loco solide demonstrari possit Messiam jam venisse? Asserunt Christiani, negant Judæi. Probant Christiani hoc argumento: Aggæus ait Christum fore gloriam templi secundi, ideoque majorem fore gloriam templi secundi quàm fuerit primi Salomonici: ergo Christus venit, et natus est stante templo secundo, adeoque in eo versatus est et docuit, itaque ei gloriam hanc tantam consignavit. Nam quoad aurum, opes et cætera, certum est gloriosius fuisse templum primum Salomonis secundo Zorobabelis: idque admittunt Judæi, imo asserunt ipsimet quinque res nobilissimas fuisse in templo primo, quibus caruit secundum; scilicet arcam testamenti, Urim et Tummim, ignem cœlestem, prophetiam, et Deum sedentem in propitiatorio, indeque oracula reddentem. Judæi ut hoc telum effugiant, versant se in omnes partes, tricantur; sed nodum non extricant. Primo, aliqui respondent hîc agi, non de templo secundo Zorobabelis, sed de tertio quod ædificabit Messias, quem ipsi exspectant: illius enim gloriam majorem fore quàm fuerit templi Salomonici. Verum hoc repugnat Prophetæ, qui demonstrans templum secundum, ait: *Magna erit gloria domus istius*, quam scilicet tu, ô Zorobabel, et Jesu nunc cum populo ædificatis. Pronomen enim *istius* non potest demonstrare templum Messiæ, quod nondum inchoabatur, imo per multa secula futurum non erat.

Recentior quidam Judæus, nomine Barbanella, ut hoc argumentum declinet, aliter dispungit, scilicet disponit hypocolon post *istius* sensumque hunc dat: Magna erit gloria domus istius, quam vos, ô Judæi, cum Zorobabele nunc ædificatis, *et*, repete τὸ *magna*, id est major, erit gloria domus novissimæ, id est, templi tertii et ultimi quod ædificabit Messias, quàm fuerit primæ. Dicunt enim Judæi tria sibi fuisse templa promissa, primum Salomonis, secundum Zorobabelis, tertium Messiæ magnificentissimum; quod exspectant. Verum hoc violentum esse, et textum pervertere patet, primo, ex eo quod hîc unica sit sententia continua, qua Propheta comparat et præfert secundam domum, id est templum Zorobabelis, primæ Salomonis; Barbanella autem facit duas sententias, duasque comparationes; unde juxta eum deberet interseri conjunctio *et*, vel *item*, aut conjunctio *sed;* multaque alia addenda essent, nimirum hæc, *sed major*, vel *maxima* erit gloria domus novissimæ quàm fuerit primæ.

Secundo, deberet esse accentus *zakeph*, id est hypocolon, inter τὸ *istius* et τὸ *novissimæ:* hic autem accentus non est in Hebræo: ergo est una continua sententia, non duæ.

Tertio, quia Septuag. Chald. Syrus et alii passim vertunt ut Noster, per unicam sententiam, non duas. Ita et veteres Rabbini apud Galatin.

libr. 4. c. 9. quin et Salomon, R. David aliique recentiores.

Quarto, idipsum clarum est ex toto capitis contextu et decursu. Nam hisce verbis Deus consolatur Judæos pusillanimes, ex quorum sententia dicit v. 4 : *Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? et quid vos videtis hanc nunc ? nunquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris?* Hos consolatur et animat ad pergendum in fabrica templi, elidens hanc pusillanimitatem, promittensque majorem fore gloriam domus istius posterioris quàm fuerit primæ. Unde statim subdit : *Et nunc confortare, Zorobabel, etc. adhuc unum modicum, etc. et veniet Desideratus cunctis gentibus* (puta Messias, qui in templo hoc versans, docens et miracula faciens, majorem dabit templo huic secundo gloriam, quàm Salomon omni sua pompa dederit primo), *et implebo domum istam gloria. Magna* (id est major) *erit gloria domus istius novissimæ plus quàm primæ.* Quæ ultima verba plane ad verbum in Hebræo respondent pusillanimitati, et verbis querulis Judæorum vers. 4 : *Quis in vobis, etc. vidit domum istam in gloria sua prima* ? Hebraice est הבית הזה בבכדו הראשון את *et habbait hatse bibcodo hariscon.* Hîc enim iisdem per eadem respondet dicens, et opponens promittensque contrarium, scilicet, גדל יהיה כבד הבית הזה האחרון מן הראשון *gadol iie kebod habbait hatse haacharon min hariscon*, id est, major erit gloria domus istius novissimæ quàm primæ. Ubi plane duas tantum ponit domos, id est templa, scilicet priorem Salomonis et posteriorem Zorobabelis, unamque cum altera conferens, imo præferens, dicit quod posterior priorem in gloria superabit. Impertinens ergo hîc est mentio et sermo de tertia domo, id est templo Messiæ, quæ prorsus alia erat futura, eaque post multa secula, quam nec Zorobabel, nec quis præsentium tunc Judæorum erat visurus, ut de ea gauderet, itaque præsentem mœrorem dispellere posset. Confirmatur quia opponit *haacharon* voci *hariscon*, id est, domum posteriorem domui priori, tam hîc quàm v. 4. ergo duas tantum agnoscit hîc domus, non tres.

Dices : Cur ergo apponit articulum *he* demonstrativum, dicens *haacharon*? q. d. Illa domus, scilicet tertia Messiæ. Nam si de eadem domo Zorobabelis ageret, suffecisset articulus præpositus voci *bait* et pronomini *ze* ; ait enim הבית *habbait*, הזה *hatse* : ecce duo articuli ; cur tertium apponit, dicens האחרון *haacharon*? Resp. Id facit, primo, ut designet domum hanc posteriorem fore illustrissimam per Messiam, ut omnes illam digito demonstrent et ore celebrent, dicentes : Hæc est illa, illa, inquam, uti secunda et ultima, ita eximia, magnifica, divina, domus Messiæ nostri.

Secundo, id facit ut τὸ *haacharon* opponat *hariscon*, id est, priorem posteriori. Cum enim prior domus habeat articulum *he*, decet ut et posterior, quæ illustrior est futura, eumdem habeat. Adde, *he* determinat τὸ *domus*, et significat domum hanc non tantum esse secundam, sed et fore novissimam, sive ultimam, q. d. Hæc domus quæ erit novissima. Sic Itali dicunt, *Alessandro il Magno, Ptolemeo il ultimo*, ut per articulum *il* designent se de Alexandro, non quovis, sed Magno; de Ptolemæo, non primo, sed ultimo loqui. Sic et Franci dicunt : *Alexandre-le-Grand, Ptolémée-le-Dernier.* Sic et Græci : Οὗτος εςιν η δυναμις του θεου η μεγαλη, *hic est virtus Dei quæ vocatur magna*, Actor. 8. 10. Sic et Flandri, Germani aliique plures. Denique Hebræi solent multiplicare articulos per pleonasmum, uti hîc ad *habbait* addunt *hatse*, q. d. Hujus, hujus.

Tertio, resp. τὸ *hariscon* proprie non referre *habbait*, id est domum, sed *kebod*, id est gloriam. Unde Septuag. diserte vertunt : Διοτι μεγαλη εςαι η δοξα του οικου τουτου η εσχατη υπερ την πρωτην, id est, *magna erit gloria domus istius novissima quàm prima.* Loquitur enim de templo Salomonis et Zorobabelis, quasi de una et eadem Dei domo : quia una alteri successit, eidemque loco inædificata est; ac ei dicit quod gloria posterior, puta domus Zorobabelis, sit futura major gloria priori, puta domus Salomonis. Et hoc ad punctum respondet querulis Judæorum verbis Hebraicis vers. 4 : *Quis est qui vidit, etc. domum istam in gloria sua prima* ? q. d. Quis vidit gloriam priorem prioris templi Salomonici ? nonne dolet et gemit quod hæc posterior gloria domus posterioris longe illi sit impar? Atsumat animos : ego enim promitto me facturum ut gloria posterior priorem superet. Itaque articulus *he* hîc iteratur, quia proprie non respicit *bait*, id est domum, sed *kebod*, id est gloriam, quæ major futura erat posterior quàm prior, id est, in posteriori templo Zorobabelis, quàm fuerat in priori Salomonis, ideoque articulo *he* addito, eam quasi illustrem et inauditam demonstret. Figmentum ergo Judæorum est plane contrarium contextui, quod distinguat hîc Propheta tria templa, eaque invicem opponat; cum clarum sit, non nisi posterius opponi et præponi priori. Unde Noster non tam verbum verbo, quàm sensum sensui fideliter reddens, clare vertit : *Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quàm primæ ;* Hebræi enim gloriam vocant gloriosam fabricam templi, hoc est, ipsum gloriosum templum. Templum autem posterius, sive novissimum, Zorobabelis gloriosius fuit primo Salomonis. Unde Isidor. Pelus. lib. 4. epist. 17. legit : *Et erit gloria domus hujus ultima supra primam;* et ex τῷ *ultima* revincit Judæos, exspectantes aliud, et posterius à Messia templum. Si enim fuit ultima, ergo post illam jam à Tito dirutam, non est exspectanda alia.

Denique gloriam hanc majorem explicat Propheta dicens : *Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cœlum et terram, et veniet Desideratus cunctis gentibus*, id est Messias, uti explicant non tantum Catholici, sed et veteres Rabbini apud Galatin. l. 4. 9. Inter quos R. Akiba sic explicat, q. d. *Adhuc usque ad Messiæ revelationem modicum tempus restat.* Ergo jam pridem venit Messias. Nam ab hac Aggæi prophetia usque nunc, elapsa sunt duo millia annorum et amplius, quod sane non modicum, sed nimis longum est tempus. Adde Judæis in Script. non nisi duo promitti templa, unum Salomonis, alterum Zorobabelis : quo per Titum et Romanos *destructo, erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio*, ait Daniel c. 9. 27. Frustra ergo Judæi exspectant tertium templum sub Messia, præsertim cum ipsi sæpius, puta sub Adriano Imp. Constantino et Juliano Apostata, eo concedente, imo urgente, conati fuerint reædificare ; sed incassum et eventu infelici. Nam ignis partim cœlo demissus, partim è fundamentis

erumpens, fabricantes cum fabrica consumpsit, uti narrat S. Chrys. orat. 3. contra Judæos, Baron. Euseb. libr. 10. Histor. c. 37. et sequent. Socrates l. 3. c. 17. Theod. l. 3. Histor. c. 17. Sozom. lib. 5. 21. et alii. Necesse est ergo Christum venisse durante secundo templo, in eoque versatum esse, uti versatum docent Evangelistæ, ac proinde frustra, quasi adhuc venturum, exspectari à Judæis ; explosa itaque violenta et contorta hac expositione, imo fictione.

Secundo, R. Salomon concedit hîc agi de secundo templo, sed respondet majorem illius gloriam fuisse quàm primi, non quod in eo versatus sit Christus, sed quod plures annos durarit quàm primum. Primum enim, inquit, duravit annos 410. secundum vero 420 : *Spectatum admissi risum teneatis, amici.* Egregiam sane laudem et gloriam secundi templi, Prophetæ cothurno dignam, quod in tot seculis steterit decem annos amplius secundum templum quàm primum. Plusculos illi dat Josephus. Nam lib. 10. Antiq. 10. primum templum stetisse ait annos 470. secundo vero annos 630. assignat lib. 7. Belli c. 10. Sed error est in numeris ; nam juxta veriorem chronologiam, primum templum duravit annos 426. secundum vero stetit ab initio regni Darii Hystaspis, usque ad Titum et Vespasianum, qui illud everterunt annis 588. Vide tabulam chronologicam quam præfixi Genesi. Duravit ergo secundum amplius quàm primum annis 162. Verum hisce annis sæpius fuit pollutum et profanatum: primo ab Antiocho Epiphane 1. Machab. 1. Secundo, à Pompeio, teste Josepho lib. 14. Antiq. 8. Tertio, à Cassio, teste eodem Josepho c. 13. et tandem à Tito et Romanis plane cum urbe et gente excisum. Quocirca vere de eo dictum est 1. Machab. 1. 41 : *Sanctificatio ejus desolata est sicut solitudo ;* et v. 42 : *Secundum gloriam ejus multiplicata est ignominia ejus.* Hi ergo anni templo non fuerunt ad gloriam, ut ait Aggæus, sed ad ignominiam. In hac glorientur Judæi : sicuti multo verius gloriantur, et hæreticis exprobrant Pilznenses Bohemi orthodoxi, furum patibulum apud eos diutius stetisse, et antiquius esse Ecclesia et fide Hussitica et Lutherana. Secundo, Aggæus non meminit durationis, vel temporis, nec in eo præfert secundum templum primo ; sed in eo, quod ad illud veniet Desideratus cunctis gentibus, puta Messias, qui templum implebit sua majestate et gloria. Tertio, quæro quando in secundo templo illa commotio est facta, de qua ait Aggæus vers. 7 : *Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cœlum et terram, et mare et aridam,* nisi in Christo ? Hinc liquet quàm frivolum sit R. Salomonis commentum.

Tertio, R. David aliud effugium quærit. Dicit enim majorem gloriam fuisse secundi templi quàm primi, eo quod multæ gentes confluxerint ad secundum templum, in eoque sua dona obtulerint Deo : sed pariter multæ, imo plures, confluxerunt ad primum. Salomon enim ejus fabricator fuit potentissimus et nominatissimus inter gentes, omnesque populos vicinos vel habuit subjectos, vel fœderatos. Illi ergo venientes ad Salomonem, veniebant pariter ad templum, adeo ut et Regina Saba hac fama et gloria excitata, eodem venerit : quin et classes Salomonis navigantes in Ophir, inde Indos advehebant in Jerusalem. Secundo, gentes magis profanarunt et conspurcarunt templum secundum quàm honorarunt, uti de Antiocho, ejusque posteris, Pompeio, Cassio et Tito jam ostendi. Tertio, quæ commotio facta est in cœlo, terra, mari et arida, nisi tempore Christi et propter Christum? Porro fabula est Judaica, quam recenset Theod. gentes vicinas mutuis bellis et cædibus se confecisse, earumque spolia et opes Deum dedisse Judæis ædificantibus templum, hancque esse majorem secundi templi gloriam. Hujus enim historiæ nec Josephus, nec quis alius meminit. Plura vide apud Galatin. lib. 4. cap. 9 et 10. Adrianum Finum l. 5. Flagelli Judæorum c. 2. et Paulum Burgensem hîc additione tertia et Lyran.

Posterior quæstio est cum Christianis nonnullis, qui concedunt quidem præcipuam gloriam secundi templi fuisse Christum : addunt tamen illud idem quoad fabricam, licet vilius fuerit Salomonico, quatenus restauratum fuit à Zorobabele, tamen quatenus idem redintegratum fuit ab Herode, augustius fuisse Salomonico, ideoque dicere hîc Deum : *Meum est argentum, meum est aurum ;* quo scilicet vos templumque ditabo magis quàm ditavi Salomonem. Pro quo nota : Herodes Ascalonita, qui fuit infanticida et persecutus est Christum, cum ex Judæorum prophetiis, præsertim ex illa Jacobi Genes. 49. 10 : *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium,* intelligeret adesse tempus Messiæ regis Judæorum (videbat enim defecisse sceptrum de Juda, et in se alienigenam, puta Idumæum, esse translatum); credere et sperare cœpit se fore Messiam, ex adulatione quorumdam Pharisæorum. Quocirca ut à populo talis haberetur, diruto templo Zorobabelis, eodem loco aliud magnificentissimum exstruxit cœpitque anno 18. regni sui, et per 8. annos illud ædificavit, quo toto tempore, ait Joseph. libr. 15. Antiq. 14. nunquam interdiu pluit. Porro hoc ejus templum fuisse magnificentius Salomonico, Ribera probare contendit. Primo, ex eo quod Salomonis templum habuerit in longitudine 70. cubitos, Herodis vero centum. Secundo, quia Herodes lapides candidos firmissimos, longos 25. cubitos, et latos 12. fabricæ suæ adhibuit, eosque solide et affabre ferro compaginavit. Tertio, quia templum crustis aureis gravissimis obtexit, quibus exterius circumquaque tectum, ad primos solis ortus igneo splendore radiabat, ut, cum illud intuerentur spectantium oculi, quasi solis radiis repercussi averterentur. Quarto, quia vallem profundissimam vicinam monti templi coæquavit, in eaque fecit templi atrium ; unde illam ingentibus columnis 162. æque ac porticibus exornavit. Quinto, quia ad atrium primum sacerdotum, et secundum laicorum qui mundi erant, adjecit tertium, in quo degerent immundi et Gentiles. Hæc omnia habet Josephus loco citato, et Josippus filius Gorionis lib. 5. c. 26. Addit Ribera hæc non debere mira videri, quia licet Salomon esset ditissimus et gloriosissimus, tamen Herodes quoque potentissimus per Romanorum et Augusti amicitiam evaserat. Unde ad hanc fabricam maximas opes collegit et exhausit. Insuper saxa aliaque opportuna ad fabricam, ex diruto Salomonis et Zorobabelis templo usurpavit : vasa etiam aurea et argentea Salomonis, quæ abstulerat Nabuchodonosor, templo restituit Cyrus, 1. Esdræ cap. 1. et 6. ac licet ea rapuerit

Antiochus Epiphanes 1. Machab. 1. 23. tamen ea restituerunt Machabæi, 1. Machab. 4. 49. Idque ex auro, teste Josepho l. 12. Antiq. c. 11. Idem cum Ribera sentire videntur S. Hieronym. et S. Chrysost. demonstrat. quod Christus sit Deus, t. 5. decepti auctoritate et verbis Josephi, cujus fides hîc, ut et alibi, vacillat.

Verum hæc sententia in duobus errat. Prius, quod certo asserat Herodem plane diruisse templum Zorobabelis. Hoc enim valde dubium est, et à multis falsum censetur : sic enim prorsus aliud erexisset templum, novum, inquam, tam distinctum à templo Zorobabelis, quàm hoc distinctum erat à templo Salomonis; esto in eodem situ omnia tria fuerint exstructa, et sic falsum esset quod ait hîc Propheta, scilicet gloriam templi Zorobabelis fore Christum, cum in eo versatus non sit Christus, sed in novo templo quod Herodes exstruxit. Herodes ergo tantum ampliavit templum Zorobabelis, illudque suo inclusit, ac *antiquis fundamentis reliquis è templo Salomonico solutis nova imposuit, super quæ templum erexit longitudine centum cubitorum, latitudine centum, altitudine centum viginti,* ait Joseph. 15. Antiq. 14. cum Zorobabelis templum tantum sexaginta cubitos haberet in latitudine, et totidem in altitudine. Ergo Josephus tantum asserit Herodem solvisse fundamenta templi Salomonici, non vero asserit eum diruisse templum Zorobabelis. Hæc enim fundamenta Salomonis conservabant Judæi, tum in veteris templi memoriam, tum sperantes super illis quandoque templum restaurandum fore, quod ad primævam Salomonici magnificentiam accederet. Unde non permiserunt Herodem ea solvere, donec prius materiam omnem pro nova fabrica necessariam apparasset. Idem clare docet Hegesippus lib. 1. de Excidio Hierosol. et ex eo Genebrardus lib. 2. Chronolog. Mansit ergo templum Zorobabelis, licet ampliatum et ornatum ab Herode, usque ad Titum, in eoque versatus est Christus, qui ei gloriam omnem conciliavit. Alioqui enim falsum esset oraculum Aggæi : *Magna erit gloria domus istius*, quam scilicet tu, ô Zorobabel, cum tuis ædificas; non alterius quam ædificabit Herodes. Adde aliquos de fide Joseph hîc dubitare, imo Baron. anno Christi 31. ait eum sibi contradicere, dum l. 15. Antiq. c. 14. insinuat integrum templum Zorobabelis ab Herode fuisse demolitum, cum tamen idem l. 20. Antiq. 8. asserat porticum Salomonis intactam permansisse. Unde et Rabbini duo tantum templa agnoscunt, Salomonis scilicet et Zorobabelis; Herodiani non meminerunt. Et Sanchez in c. 1. Zachar. ait errare Josephum, dum innuit ab Herode dirutum esse templum Zorobabelis; et hoc loco idem multis demonstrat. Certe sæpe vacillat fides Josephi, docet Baron. to. 1. in Apparatu. Hegesipus quoque vetus et gravis auctor l. 1. c. 25. docet Herodem non tam novum condidisse templum quàm vetus ornasse.

Posterior error est quod dicant templum Herodis quoad fabricam augustius fuisse Salomonico, cujus opes et gloriam adeo celebrat Script. et tota antiquitas, illudque habuit pro orbis miraculo. Ecquid fuit Herodes ad Salomonem? inquit Rupert. Sane Judæi qui hoc loco tantopere stringuntur, veritate tamen clara coacti confitentur templum secundum longe impar fuisse primo in structura, pretio et gloria. Rursum Joseph lib. 15. Antiq. cap. 14. docet domum regiam, quam Herodes sibi ædificavit, magnificentiorem fuisse templo ab eodem ædificato. Quis autem dicere audeat Herodis regiam templo Salomonis fuisse magnificentiorem, cum ei ne templum quidem ab Herode constructum ullo modo conferri, nedum præferri possit? inquit Vilalpando parte 1. Apparatus l. 2. cap. 5. Denique clarus est textus Script. 1. Paral. 22. 14. ubi David recenset opes quas collegerat pro fabrica templi, et Salomoni reliquit: *Præparavit,* ait, *impensas domus Domini, auri talenta centum millia, et argenti mille millia talentorum, etc.* Jam centum millia talentorum auri, faciunt mille et ducentos milliones aureorum Francicorum : tantumdem faciunt mille millia talentorum argenti. Talentum enim auri Hebræum continebat tria millia siclorum, id est, semunciarum auri, quæ efficiunt duodecim millia coronatorum Francicorum. Talentum vero argenti continebat tria millia siclorum argenti, quæ efficiunt tria millia florenorum Brabanticorum, quorum duos cum dimidio continet scutum, seu aureus Romanus, uti ostendi tractatu de mensuris, in fine Pentateuchi. Universim ergo reliquit David Salomoni pro fabrica templi, bis mille et quadringentos milliones aureorum, quantum auri vix est in tota Europa. Unde tot milliones habere potuisset Herodes? Porro hoc aurum pene totum disperiit, vel incendio, vel rapina Chaldæorum. Rursum Salomon in fabrica templi habuit septuaginta millia eorum qui onera portabant, et octoginta millia latomorum, absque præpositis numero trium millium et trecentorum : *Præcepitque ut tollerent lapides grandes, lapides pretiosos in fundamentum templi,* uti dicitur 3. Reg. 5. 16. Quid ad hæc Herodes? qui tantum decem millia artificum ad fabricam adhibuit, et mille duntaxat plaustra ad lapides convehendos, teste Josepho loco citato. Insuper Herodes peracta fabrica templi rogatus à populo ut porticum Orientalem Salomonis pariter instauraret, abnuit, quod illa porticus tempore longo et pecuniis plurimis indigeret, ait Josephus l. 20. Antiq. cap. 8. Quomodo ergo templum Salomonis æquavit, qui unam ejus porticum instaurare non potuit? Sed esto daremus templum Herodianum fabricæ magnificentia superasse Salomonicum, quod tamen est incredibile; illud certe hîc impertinens est. Aggæus enim gloriam templi secundi non assignat aliam quam Christum, dicens : *Et veniet Desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria.* Omnis enim gloria auri et argenti, id est, terræ albæ et rubræ, præ Christo Deo et Domino universorum, exilis est, imo nulla.

Dico ergo gloriam secundi templi de qua hîc prophetat Aggæus, esse Messiam sive Christum. Quanta enim fuit gloria templi, quod in eo Christus Dei filius puer Deo sit oblatus, quod ibi in medio Doctorum sederit, quod in ejus pinnaculo à diabolo sit tentatus, quod in eo docuerit et enarraverit abscondita à constitutione mundi. Sicut enim gloria templi Salomonici fuit, quod in eo Dei majestas apparuerit velans se nube : ita major gloria templi secundi fuit, quod in illo eadem majestas non tantum velata, sed reipsa unita carni et corporata, visibilem et conspicuam se exhibuerit. Hoc est quod jubilans canit Malachias c. 3. 1 : *Et statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, et*

Angelus testamenti quem vos vultis. Insuper eximia gloria templi secundi fuit, quod in eo per Christum non tantum peracta sint mysteria Verbi incarnati, nostræque redemptionis et salutis, sed etiam primi fideles et Apostoli adunati sint, jactaque prima Ecclesiæ Christianæ fundamenta, juxta illud Isaiæ cap. 2. 3 : *De Sion exibit lex.* Christus ergo suam Ecclesiam inchoavit in templo hoc Sionis, à Zorobabele fabricato. Ita Rupert. Hugo, Burgens. Clarius, Vatabl. et alii. Quocirca allegor. Cyrill. Alex. quem citat noster Turrianus, lib. 2. pro epist. Pontif. cap. 20, censet Aggæum hîc loqui de templis Ecclesiæ Christianæ, quæ superant templum Salomonis, tum numero, quia plurima per totum orbem ; tum gloria, præsertim quia in iisdem habemus eamdem Dei majestatem velatam in Eucharistia, juxta illud Malach. 1. 11 : *In omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda*, hebr. מנחה *mincha*, id est, sacrificium farreum, sive panis, qui est materia Eucharistiæ.

Anagog. major est gloria novi templi quàm veteris, hoc est, major est gloria Ecclesiæ quàm Synagogæ, Evangelii quàm legis, Apostolorum quàm Prophetarum, uti docet Apostolus 1. Corinth. 3. Idque maxime patebit in cœlo, ubi ex vivis et electis Ecclesiæ lapidibus templum mysticum, sanctum et gloriosum Deo construetur. Ita S. Hier. Albert. Remig. Hugo hîc, et S. August. lib. 18. Civitat. 35. et S. Ambros. lib. 5. epist. 12, qui videntur censere hunc sensum esse litteralem ; sed revera est mysticus. Denique major est gloria domus secundæ quàm primæ, id est, Ecclesiæ triumphantis quàm militantis, imo illi propria est gloria et corona, sicut huic propria est lucta et victoria.

Symbolice, domus prima est status hominis creati : secunda est status ejusdem post lapsum reparati et restaurati : illa est creationis, hæc redemptionis : illa Adæ, hæc Christi : illa innocentiæ, hæc patientiæ : illa paradisi, hæc peregrinationis et exilii. Docet enim Apostolus Rom. 5. v. 15. et seq. majorem gloriam, id est gratiam, datam esse homini lapso per Christum, quàm fuerit data Adæ in paradiso.

Tropol. major est virtus pœnitentiæ post lapsum, quàm innocentiæ ante lapsum : major est Paulus, quàm Saulus ; major et Magdalena lapsa et pœnitens, quàm virgo et innocens : major Petrus negans Christum et plorans, quàm eum confitens, et de constantia sua præsumens : *Plerumque*, ait S. Gregor. lib. 3. Pastor. admon. 29, *Deo gratior fit amore ardens vita post culpam, quàm securitate torpens innocentia.*

Dabo pacem.] Ribera accipit de pace et copia rerum, quam habuit Herodes ad instaurandum templum Zorobabelis. Verum hîc agitur de templo Zorobabelis, non Herodis. Animat enim Aggæus Zorobabelem et populum, ne metuant Darium, Samaritas, et alios hostes : Deum enim effecturum ut faveant fabricæ, aut certe eam non impediant. Idipsum enim præstitisse Deum patet 1. Esdræ 6. 14, ubi recensitis litteris Darii jubentis instaurari templum, subdit Esdras : *Seniores autem Judæorum ædificabant, et prosperabantur juxta prophetiam Aggæi Prophetæ*, utique non aliam, quàm hanc : *Dabo pacem*, id est, prosperitatem. Sensus ergo est, ut ait S. Hieron. *Quia scio ad ædificationem inclytæ domus, et quæ superatura sit domum pristinam, nihil ita facere, ut pacem ; idcirco et hanc spondeo : dabo enim in loco isto pacem.* Tropol. faciam *ut pax, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat domum meam, et sit in pace locus meus.* Nihil enim ita necessarium volenti proficere in virtute, et construere domum perfectionis, ac quies conscientiæ et pax animæ. Hujus rei symbolo et typo rex Salomon, id est, pacificus, in plena pace fabricavit templum, quod David ob bella continua fabricare non potuit. 1. Paral. 22. 8. Ita quoque Theodor. Haymo et Hugo.

Secundo et potius, *dabo pacem*, id est, benedictionem et omne bonum, *in loco isto*, per Christum : Christus enim docens in templo evangelizavit, et dedit pacem credentibus sibi. Unde Angeli in Christi ortu cecinerunt : *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax*, Lucæ 2. Et hanc pacem quasi summum bonum, Christum è cœlis in terras allaturum prædixit Isaias cap. 2. 4. et c. 11. 6. Hæc enim pax concordat mentem cum Deo, et consequenter cum proximis, æque ac secum, ut suppressis concupiscentiarum motibus, ratio et spiritus carni, sensibus et membris omnibus dominetur : quo fit ut fidelis inchoet hîc vitam cœlestem, beatam et angelicam. Ita S. Hyeron. Hugo, Lyran. hîc et S. August. libr. 18. de Civit. cap. 48. In hac pace, puta in mente pacata, quasi in templo suo habitat Deus, juxta illud psalm. 75. 3 : *Factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus in Sion.* Unde Septuag. hoc loco vertunt : *Dabo pacem, dicit Dominus omnipotens, et pacem animæ in acquisitionem omni condenti, ut suscitet templum istud.* Sic enim habet editio Romana, licet Regia tantum habeat : *Dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* Quocirca S. Ambros. scribens in hunc Aggæi locum, in fine tomi 2. majorem gloriam domus novissimæ quàm primæ intelligit pacem : *Pax enim*, ait, *et tranquillitas animæ super omnem domus gloriam est, quia pax superat omnem sensum.* Philip. 4. *Hæc est pax super pacem, quæ dabitur post tertiam commotionem cœli, maris, terræ, deserti, quando destruet omnes potestates et principatus* in die judicii, etc. *Et sic erit pax per omnia, ut nullis obsistentibus corporis passionibus, aut incredulæ mentis impedimentis, fiat in omnibus omnia Christus, subdita Patri exhibens corda universorum. Unde et ad ipsum solum mystice dicitur : assumam te, Zorobabel, et ponam te sicut signaculum, quia te elegi. Etenim cum fuerit anima nostra pacifica, tunc accipiet in se sicut signaculum Christum, id est, imaginem Dei, ut sit ad imaginem. Quoniam qualis cœlestis, tales et cœlestes. Et oportet nos portare imaginem cœlestis, id est, pacem.*

11. In vigesima.] Hæc Aggæi prophetia ordine est tertia. Primam enim accipit cap. 1. vers. 5, secundam hoc c. v. 2, tertiam hoc versu.

12. Interroga.] Duas quæstiones hîc proponit sacerdotibus Propheta, ut ex earum responsis arguat Judæos de neglectu fabricæ templi. Prior est : si homo ferat carnem sanctam, puta Deo immolatam, in ora vestis, ejusque, scilicet vestis, non carnis, summitate, id est extremitate, tangat panem, vinum, etc. nunquid panis, vinum, etc. hoc contactu vestis sanctificabuntur ? Respondent sacerdotes : Nequaquam ; et bene : quia licet caro sanctificata, si tangat vestem, eam sanctificet, uti sancitur Levit. 6. 27 ; non tamen ulterius, vestis contactu carnis sanctificata, si tangat panem, vinum, etc. in eo sanctitatem suam transfundet, eaque sanctificabit. Sanctificationem intellige legalem et cæ-

remonialem legis veteris, qua res sancta separanda erat ab usu profano, Deoque danda et sancte tractanda. Applicat deinde responsionem suo scopo Propheta, dicens : *Sic populus iste, etc.* vers. 15. q. d. Sicut vestis tangens carnem sanctam non ita sanctificatur, ut possit sanctificare panem, vinum, vel homines se tangentes; ita pariter licet vos, ô Judæi, sine templo habeatis altare, in quo victimas Deo offertis et consecratis, ut patet 1. Esdræ 3. 3; tamen hæ victimæ et carnes ibi immolatæ, esto tangentem et comedentem eas legaliter, id est, exterius et per modum cæremoniæ, sanctificent, neutiquam possunt ulterius vestras actiones et munera, resque omnes quas vos tangitis et tractatis, sanctificare, ac multo minus possunt internam inobedientiæ, et externam neglectus fabricæ templi impuritatem è vobis eluere, juxta illud Jerem. 11. 15 : *Nunquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas in quibus gloriata es?* Ne ergo vos excusetis, ô Judæi, à fabrica dicentes : Habemus templum, in eo offerimus victimas, quæ, dum eas offerimus et comedimus, nos omnesque nostras actiones et opera sanctificant, et si quid in eis vitii aut peccati sit, abstergunt et emaculant. Neque enim piaculares vestræ victimæ mentem ab inobedientia et culpa expiare et expurgare possunt. Unde proponit secundam quæstionem, quæ magis stringit, aitque :

14. Si tetigerit pollutus in anima.] *Anima* per antiphrasin hebraicam hìc ponitur pro cadavere, uti et Levit. 19. 27. Numer. 5. 2. et Numer. 21. 2 : *Ne contaminetur sacerdos in mortibus;* Hebr. *in anima.* Vide ibi dicta. *Pollutus* ergo *in anima*, est pollutus ex contactu cadaveris, vel morticini, qui ex ritu legis veteris, Numer. 19. 13 et 22, omnia quæ tangebat, contactu suo polluebat et immunda reddebat. De hoc ergo ait: *Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his,* puta panem, vinum, etc. *nunquid* panis, vinum, etc. ab eo tactum *contaminabitur? Et dixerunt* sacerdotes : *Contaminabitur* panis, vinum, etc. quæ pollutus tetigit : tangendo enim ea polluit et contaminavit. Jam applicat hoc modo : *Sic populus, etc.* q. d. Sic vos, ô Judæi, quia immundi estis, tum ob alia peccata, tum præsertim ob inobedientiam et neglectum fabricæ domus meæ, pariter polluitis omnia quæ tangitis et tractatis, puta omnia munera et opera vestra, omnes fabricas, omnes actiones vestras : hasce enim continuo et perseveranter præfertis mihi et meæ fabricæ, illisque intenditis, dum fabricæ meæ intendere deberetis. Hic ergo neglectus est circumstantia vitiosa, quæ influit in omnia opera vestra, eaque vitiat et polluit. Ita S. Hieron. Bonum enim oritur ex integra causa, malum vero ex singulis defectibus, inquit Philosophus. Ut enim opus sit bonum, debet habere omnes suas circumstantias requisitas, tam positivas, quàm negativas: si vel una desit, desinet esse bonum, eritque malum, v. g. si quis studiosus, vel religiosus velit ire ad templum, et orare eo tempore, quo regula jubet ire ad scholas et studere, facit opus non bonum, sed malum : quia licet orare sit bonum, tamen eo tempore orare quo est studendum, est malum. Simili modo, licet fabricare domos, curare rem domesticam vel publicam, sit bonum; tamen id facere eo tempore quo fabricanda et curanda est domus Dei, uti vos facitis, ô Judæi, est malum. Perperam ergo ex hoc loco et similibus Calvinus probat omnia opera infidelium et impiorum esse peccata, dum sic argutatur : Quidquid pollutus tangit, hoc polluit : atqui peccatores sunt polluti; ergo quidquid tangunt et agunt, polluunt; ergo omnia eorum opera sunt peccata. Major enim in lege veteri vera erat in immunditia et tactu corporali duntaxat, puta si pollutus corporaliter tangebat rem quampiam, illam corporaliter et legaliter polluebat, idque ex præscripto legis, quæ ita sanciebat : falsa vero est in immunditia spirituali, puta peccato. Non enim omnia quæ tangit peccator, hæc illico peccato inficit vel polluit : alioqui enim omnes res Turcarum et hæreticorum essent pollutæ, et peccato inquinatæ; sed tunc duntaxat ea polluit, quando ea tangit contactu peccati, hoc est, quando iis utitur quasi mediis vel instrumentis ad peccandum : tunc enim peccatum, id est, voluntas peccandi, sua immunditia ea tangit, illamque affricat et aspirat, itaque ea polluit. Simili enim modo olim in lege veteri, pollutus ex contactu cadaveris omnia quæ tangebat, polluebat : quia censebatur hæc ejus pollutio et immunditia sparsa per totum corpus, itaque omnia tangere et polluere, quæcumque pollutus ipse tetigisset.

Moraliter ex hoc loco collige sacerdotes impuros tactu altaris, vel calicis, aut rei sacræ non sanctificari; sed potius ea polluere et fœdare. Ita Theodor.

Hinc recte infert S. August. libr. contra Fulgentium Donatistam, cap. 16. et Nazianz. orat. 1. Apol. virtutem à vitio longe superari, vitiumque virtute esse potentius. Vitium enim suam malitiam tangenti illico communicat et affricat, facitque vitiosum : hoc autem non facit virtus. Age cum sancto, non idcirco sanctus eris : age cum improbo familiariter, illico improbitatem suam tibi afflabit : *Parum absinthii*, ait Nazianz. *amaritudinem suam melli celerrime impertit; cum contra mel ne dupla quidem parte copiosius dulcedinem suam absinthio infundat. Parvo lapide summoto flumen totum in pronum trahitur : ejusdem autem impetus firmissimo etiam aggere cohiberi vix potest.* Et S. Chrysost. *Multos*, ait, *sollicitat societas nefanda.* Tange picem, illico inquinaberis : tange saponem vel lixivium, non illico mundaberis, nisi eo diu multumque manus vel corpus perfrices. Narrat Ælianus, libr. 13. Histor. Theodotam meretricem objecisse Socrati, quod ipsa omnes ejus discipulos ab eo alienare posset, et vocare ad se quocumque tempore vellet, cum Socrates ejus amasios ad se trahere nequiret ; ac respondisse Socratem : *Bene quidem dicis, quia tu ad declivem tramitem omnes rapis ; ego vero ad virtutem cogo, ad quam arduus, et plerisque insolitus est ascensus.* Porro Donatistæ hoc loco abutebantur pro sua hæresi, scilicet sacerdotes impuros vitiare baptismum, nec quemquam recipere in eo gratiam, nisi baptizaretur à sancto, ex eo quod Aggæus hìc dicat vers. 14 et 15. omne opus et oblationem polluti esse pollutam et contaminatam. Sed respondet S. August. loco citato, eos hoc testimonio contra se uti : *Si enim*, ait, *tactus sancti, immundi inquinamenta non tollit, vanum est quod geritur, quod conficitis, quod lavatis. Si tetigerit, inquit Aggæus, quod sanctum est creaturam panis, aut vini vel olei, sanctificabitur? Et responderunt sacerdotes : Non. Ubi est quod vos extollitis, quod sanctitatem vestram munditiam conferre jactatis? Tactus ille opera significat. Si sanctus, inquit,*

tetigerit immundum, non sanctificabitur. Si immundus tetigerit sanctum, inquinabitur, id est, facilius sanctus qui junctus fuerit genti huic pessimæ pessimatur, quàm gens ista in melius commutetur; quia proclivius ad imitationem malorum curritur, quàm ad virtutes bonorum animus excitatur: sicut melli plurimo parum absinthii injectum velocem amaritudinem trahit; mellis vero etiamsi duplum injiciatur, non poterit ejus obtineri dulcedo. Ita ipse tropolog. more suo. Vide eumdem post collationem contra Donatist. c. 20.

16. ET NUNC PONITE CORDA VESTRA A DIE HAC ET SUPRA,] q. d. Considerate penuriam, sterilitatem, et adversa omnia quæ vobis acciderunt à die hac per omnes annos præteritos, quibus neglexistis fabricam templi, indeque discite non aliam illorum fuisse causam, quàm hunc templi neglectum. Nam cum quilibet vestrûm accederet ad acervum messis, qui videbatur daturus viginti modios frumenti, eum excutiens invenit tantum decem modios. Sic qui accedebat ad torcular plenum uvis, quæ daturæ videbantur quinquaginta lagenas vini, eas premens invenit tantum viginti. Cur hoc? quia ego exsufflavi vestras segetes et uvas, uti dixi cap. 1. 9. Nota: Vox *modios* non est in Hebræo, sed intelligitur, tanquam communis et ordinaria mensura frumenti. Ita Noster, Chald. Pagnin. et Vatabl. Sed Septuag. subintelligunt *sata.* Sic pro *lagenas* hebr. est פורה *pura*, quod Septuag vertunt, *amphoras;* Chald. *dolia;* Pagnin. *batos;* Tigur. *urnas.* Proprie *pura* significat torcular: inde per catachresin significat mensuram ordinariam vini, quæ torculari expressa vase excipitur, qualis est lagena, amphora, etc.

18. PERCUSSI VOS VENTO URENTE ET AURUGINE.] Aurugo vitium est segetis, cum ex nimio humore pallescit, marcescit, tabescit, ut tandem grana in cinerem vertantur. Vide dicta Joel.1. 4.

19. PONITE CORDA VESTRA EX DIE ISTA, ET IN FUTURUM.] Hebraice ומעלה *vemala*, id est, *et super*, ut vertit v. 16. Jam *super*, id est, ultra, deinceps; sive futurum respicias, ut hîc, sive præteritum, ut v. 16. Sensus est, q. d. Jussi vos v. 16. considerare præteritos annos sterilitatis et adversitatis, quibus neglexistis fabricam templi; nunc pariter jubeo vos considerare annos futuros fertilitatis et prosperitatis, ex eo quod fabricam templi resumpseritis: ut ex utrorumque annorum dissipari eventu et contraria sorte certe colligatis, non aliam causam adversitatis vestræ fuisse, quàm neglectum templi; nec aliam causam vestræ felicitatis deinceps fore, quàm curam et studium templi.

Disce hîc prudentis esse considerare tempora, et præterita cum futuris conferre: tempus enim docet prudentiam. Unde Thales, rogatus *quid esset sapientissimum*, respondit: *Tempus: invenit enim omnia.* Ita refert Laert. libr. 1. de Vit. Philosoph. cap. 1. Hinc et Plutarch. in Pericle: *Tempus*, inquit, *omnium consiliariorum optimum.* Et Livius, decade 3. libr. 2: *Meliores*, ait, *prudentiores, constantiores nos tempus diesque facit.* Et Menander:

> Ducit ad lucem veritatem tempus.
> Omnia detegens tempus ad lucem fert.
> Nullus tempore melior consiliarius.

Denique Philosophus acute vereque dixit *veritatem esse filiam temporis.*

A DIE VIGESIMA ET QUARTA NONI MENSIS: A DIE, QUA FUNDAMENTA JACTA SUNT TEMPLI.] Jam illa jaci cœperant ante decem annos, scilicet anno 2. Cyri, mense 2. die primo, ut patet 1. Esdræ 3. v. 8. et sequent. Sed per Cambysem inhibita fabrica, stetit opus usque ad Darium, quando prophetante Aggæo opus resumpserunt anno secundo Darii, die 24. mensis sexti: nimirum illo die cœperunt cædere ligna, convehere lapides omnemque materiam apparare, ita ut die 24. mensis noni, ut hîc dicitur, circumquaque plane et perfecte jacerentur fundamenta, jampridem sub Cyro inchoata. Ita Arias, Ribera et alii, hæc loca, quæ antilogiam præ se ferunt, conciliant.

20. NUNQUID JAM SEMEN IN GERMINE EST?] q. d. Nondum germinavit semen, ut ex germine copioso et luxuriante possitis conjicere et sperare copiosam messem: ego tamen ex nunc illam vobis, ob diligentiam quam præstatis in fabrica templi, promitto, quia semini vestro benedicam, faciamque ut multos culmos, spicas et grana germinet et producat.

Pro *germine*, hebr. est מגורה *megura*, quod Chald. Syrus, Arabicus et Septuag. vertunt, *aream;* Rabbini, Pagnin. Vatabl. et Arias, *horreum,* quod R. Salomon ita explicat: Annon totum semen in horreo est, quia hoc anno nondum seminastis, et arbores nondum progerminarunt? sed seretis, et ego satis vestris benedicam, eaque fecundabo et multiplicabo. Verum Noster melius cum Tigurina vertit, *germen:* messis enim ponitur in area et horreo, semen vero in agro ut germinet. *Germen* ergo vocatur *megura* à rad. גור *gur,* id est incolere, habitare: quia in germine quasi habitat semen, puta arista, et granum protuberans ex semine. Hinc patet S. Script. uti computu anni sacri, non communis et profani. Nam nonum mensem vocat hîc eum, quo semen satum germinat: hoc autem in Palæstina fit in Novembri. Nonus ergo mensis est November, ac consequenter primus est Nisan, sive Martius, à quo incipiebat annus sacer.

Moral. disce hîc illud Apostoli: *Corporalis exercitatio* (ut satio, plantatio, negotiatio) *ad modicum utilis est; pietas autem ad omnia utilis, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ,* 1. Timoth. 4. v. 8. Deus enim hîc piis, suamque fabricam et cultum promoventibus promittit benedictionem, id est, copiam bonorum temporalium, multo magis spiritualium iis qui alios ædificant, docent, sanctificant, ut in eorum mente domum spiritualem templumque Deo construant. Unde sequitur:

21. FACTUM EST VERBUM DOMINI SECUNDO.] Die enim 24. mensis noni Aggæus duo accipit à Deo oracula. Prius fuit v. 11; secundum est hoc quo promittit Zorobabeli ob navatam operam in fabrica templi, quod ex ejus posteris nasciturus sit Christus qui fabricaturus sit Ecclesiam, in qua regnaturus sit et dominaturus omnibus gentibus. Ita S. Hieron. Remig. Albert. et alii. Est hæc quarta et ultima Aggæi prophetia, qua de more assurgit ad Christum, in eoque quasi fine et scopo, oracula sua terminat et concludit.

22. LOQUERE AD ZOROBABEL.] Primo, Theodor. putat hîc promitti Zorobabeli in se et sua persona, quod Deus eum cum populo defensurus sit ab invasione Gog et Magog, imo facturus ut ipsi mutua se cæde conficiant, eorumque spolia diripiant Judæi. Verum Gog et Magog non fue-

runt tempore Zorobabelis, sed erunt in fine mundi, ut patet Ezech. 38. et 39. et Apoc. 20. 7.

Secundo, Hebræi censent Zorobabeli hìc promitti excidium Persarum, quos ipse formidabat quasi ipse illud sit visurus, et in eo illæsus, quasi annulus, à Deo sit conservandus. Verum hæc sunt fabellæ. Persæ enim excisi sunt ab Alexandro Magno, 200. annis post tempora Zorobabelis et Darii Hystaspis. Quocirca alii minus improbabiliter hæc referunt ad posteros Zorobabelis, quos Deus ab Alexandro Magno tutatus est. Cum enim Alexander omnes gentes sibi subjiceret, Deus Judæos exemit, flexitque animum turgidum Alexandri ad modestiam et benevolentiam, ut Jaddum pontificem Judæorum veneraretur, Judæosque benigne complexus, immunes et liberos dimitteret.

Dico ergo Zorobabeli hæc promitti, non in se, sed in suis posteris, puta in Christo, q. d. Quia tu, ô Zorobabel, dux et ductor fabricæ templi mei fuisti, hinc tibi pro mercede promitto quod inter tot bella, et inter tot reges ac monarchias Persarum, Græcorum et Romanorum, quæ post mortem tuam inter se colluctabuntur, et sese vicissim collident et interiment, ego te tuamque domum et familiam ducalem illæsam, tanquam annulum meum signatorium conservabo, et continua serie propagabo; imo efficiam ut ex te nascatur Christus, qui eversis omnibus regnis rerum potietur, eritque Rex regum et Dominus dominantium. Hæc ergo promissio fit Zorobabeli : quia licet implenda sit in Christo, tamen tangit et afficit ipsum Zorobabelem : nam ingens ejus decus et gloria est, quod ipse familiæ ducalis sit auctor, ex qua nasciturus est Christus, quodque eam per 500. annos usque ad Christum conservabit et propagabit. Hoc est quod illi hìc promittit Deus.

Obiter hìc nota duo fuisse templa Dei, et duos eorum fabricatores, et utrumque pro mercede fabricæ templi accepisse promissionem à Deo de Christo ex se nascituro. Prior est David qui omnes impensas pro fabrica templi curavit, easque consignavit Salomoni filio, ideoque audivit à Deo : *Ipse* (filius qui ex te nascetur) *erit mihi in filium, et ego ero illi in patrem, firmaboque solium regni ejus super Israel in æternum*, 1. Paral. 22. 10. Alter fuit Zorobabel, qui secundum templum instauravit, ideoque pariter Deus illi hìc promittit filium Christum, quod scilicet illi ex ejus prosapia nascetur. Unde discimus quàm liberalis sit Deus, qui pro parva opera et obedientia tantam mercedem, quanta est Christus, promittit. Rursum quàm Deo placeat religio, puta fabrica monasteriorum, templorum, eorumque ornatus et cultus : multo magis quàm ei placeat fabrica vivi templi virtutum in anima, tum nostra, tum proximorum nostrorum, ac præsertim urbium et gentium integrarum conversio.

Huc pertinet expositio Remig. Lyrani et Vatabli, qui censent hæc promitti non Zorobabeli, sed Christo, nimirum quod ipse incarnandus sit futurus rex orbis, ideoque commovenda et subjicienda sunt ipsi omnia regna, omnes reges et principes. Hoc enim eòdem redit. Sive enim dicas Zorobabeli hæc promitti non in se, sed in posteris, puta Christo; sive dicas ipsi Christo ex Zorobabele nascituro hæc promitti, eòdem res recidit. Congruentius tamen ipsi Zorobabeli hæc consignamus : quia ei illa pro mercede fabricæ consignat tum Aggæus, tum Eccles. cap. 49. 13. dicens : *Quomodo amplificemus Zorobabel? nam et ipse quasi signum in dextera manu.* Sic Davidi promittit Script. quod in Christo ejus filio implendum erat : *Pastorem*, ait, *suscitabo servum meum David*, id est Christum, Davidis filium et antitypum, Ezech. 34. 23. Sic benedictio Abrahæ facta, quod in ipso benedicendæ essent omnes gentes, Genes. 18. 18, impleta est in Christo ex Abraham progenito. Sic promissio terræ Chanaan eidem facta, Gen. 13. 15, impleta est post 400. annos in posteris ejus.

Anagog. S. Hieron. Haymo et Hugo hæc exponunt de secundo Christi adventu ad judicium, ad resurrectionem, gloriam et regnum. Tunc enim Deus commovebit omnia regna mundi, illaque ipsi quasi judici et domino subjiciet, uti docet Apostol. 1. Corinth. 15. 24. et sequent.

Mystice hæc facit quotidie Deus in Christi posteris, puta Christianis Regibus, Prælatis, Pontificibus, quorum jura et regna propagat, debellando hæreticos, Turcas, infideles, illosque eis subjiciendo, ut ita Ecclesia et regnum Christi dilatetur et magnificetur.

Ego movebo coelum pariter et terram] commotionibus scilicet, et translationibus monarchiarum, de quibus paulo ante dixi, ac aliis quas recensui v. 8. Ita S. Hieron.

23. Et conteram fortitudinem regni gentium.] Sic Persas jam tum dominantes Judæis contrivit Deus per Græcos, Græcos per Romanos, Romanos per mutua et civilia bella.

Et descendent,] id est cadent, sive concident in terram occisi et mortui, q. d. Futura sunt asperrima bella et strages inter Græcos, Persas et Romanos; et tamen inter ea servabo te unum, id est, tuam familiam, ô Zorobabel! quia hæ strages parant viam regno et monarchiæ Christi ex te nascituri, juxta visionem Daniel. cap. 2. ubi cum recensuisset contritionem statuæ quadrifidæ, significantis quatuor orbis monarchias, per lapillum de monte sine manibus præcisum, puta per Christum, subdit de ejus monarchia v. 44 : *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum quod in æternum non dissipabitur, etc. et consumet universa regna hæc, et ipsum stabit in æternum.*

24. Serve meus.] Non tantum Zorobabel, sed et Christus, quem hæc omnia tangunt, qua homo, vocatur, et revera est servus Dei, ut dixi Isaiæ c. 42. 1 : *Ecce servus meus suscipiam eum : electus meus, complacuit sibi in illo anima mea.*

Ponam te quasi signaculum,] hebr. חותם *chotam*, id est, sigillum signatorium, præsertim in annulo, quo primo, tum edicta et litteras, tum arcas et alia secreta, vel pretiosa, ac nominatim testamenta, obsignabant et custodiebant veteres. Radix enim חתם *chatam* significat occludere, obsignare, sigillo confirmare, claudere et communire. Sic Darius jussit obsignari annulo suo os laci leonum, in quem conjectus erat Daniel, ne quis eum occideret vel læderet, Daniel. 6. 17.

Secundo, sigillum hoc annuli erat in pala incisum jaspidi, alterive gemmæ pretiosæ : quocirca annulum gestabant in digito ad ornatum, ut eo suam nobilitatem, stemmata et insignia gemmæ incisa ostentarent. Sic Africanus patris imaginem incidit annulo : Augustus sphingem, ac deinde effigiem Alexandri Magni : alii leones, dracones, etc. Hinc filio prodigo in gratiam recepto pater jubet dari annulum, in signum res-

titutæ dignitatis, Lucæ 15. v. 22. Unde Syrus pro *chotam* vertit, *sigillum;* Arabicus vero uterque, *annulum*, scilicet signatorium, qui reipsa est signaculum et sigillum.

Tertio, annulus dabatur legatis qui mittebantur ad exteras gentes, tum honoris, tum auctoritatis et fidei eis conciliandæ causa : item victoribus et triumphatoribus, teste Plinio, libr. 33. c. 1. sed maxime amicis charissimis et fidelissimis. Ita Pharao Josepho dedit suum annulum, Genes. 41. 42. et Assuerus Aman intimo suo, Esther 3. 10. Hinc Cicero ad Q. fratrem eum monet : *Sit*, inquit, *annulus tuus non minister alienæ voluntatis, sed testis tuæ.*

Quarto, annulus inter sponsos signum erat conjugii mutuique amoris, qui utriusque uti digitum, ita et cor mentemque annulo, id est, charitatis vinculo et symbolo, copularet. Hinc signum est fidei conjugalis : ejusque conjuges admonet. Unde gestatur in digito quarto manus sinistræ, qui inde annularis dicitur, eo quod habeat venam tendentem ad cor, inquit S. Ambros. libr. de Patriarchis, et Gellius, lib. 10. Ut digitus ille qui cordis est indicium, annulo quasi corona honestetur, inquit Pierius, lib. 41. Hinc et veteres imaginem ejus quem amabant in annulis gestabant, ut illum semper intuerentur, et de eo jugiter cogitarent. Hinc sponsus à sponsa petit, Cant. 8. 6: *Pone*, inquit, *me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*, ut scilicet non aliud videas, cogites et ames, quàm me ; ut videaris habere cor et brachium obsignatum meo annulo, imo meipso, tanquam custode ac domino cordis atque operum omnium, ut ab iis alios omnes excludas. Insuper, ut quasi mollis cera fingi te patiaris, neque aliquid exprimas in moribus, quod non ego prius tibi impresserim. Id enim decet in connubio hoc divino, quo mihi astricta es. Sic Cicero, lib. de Finibus, testatur discipulos et amicos Epicuri ejus imaginem in annulis gestasse.

Quinto, annulus priscis habitus est symbolum et causa prudentiæ, ut scilicet eo temporum successus vicesque, et quid quolibet agendum esset, cognoscerent. Ita Iarcha septem annulos dedit Apollonio Thyanæo, ait Philostr. in ejus Vita lib. 3. cap. 13, septem stellarum nominibus insignitos, quos Apollonius singulos singulis diebus gestabat. Verisimile est fuisse magicos, quales Clemens Alexand. l. 5. Strom. habuisse Excestum Phocensium tyrannum memorat : ex quibus inter se collisis sonumque excitantibus, rerum gerendarum opportunitates cognoscebat: sed male malus cum suis annulis periit. Aristophanis Scholiastes scribit Eudemum Philosophum physicos annulos fecisse contra dæmones et serpentes. Arabicus codex de annulo Salomonis narrat, Salomonem annulum fatalem habuisse, cui vis illa sapientiæ mirabilis tenebatur implicata, quem amasiæ ejus in Jordanem projecerunt, indeque suis illecebris regem sapientissimum dementarunt. Verum cum postea annulus in ventre piscis repertus Salomoni esset redditus, illico in eo sapientia reviguit. Refert hæc Pineda lib. 3. de Rebus Salomon. c. 29. Fabellam Judaicam esse autumo. Celebris est Gygis annulus, quo ipse omnia videns, à nemine videbatur; itaque regem Lydorum occidit, et regnum occupavit, de quo S. Ambros. lib. 3. de Officiis cap. 5. ex Platone. Sed et hic magicus fuit. Sic enim magi hodie dæmones familiares habent in annulis, à quibus discunt arcana. Illud verum, artificem peritissimum annulo Caroli V. Imper. horologium integrum, cum tot libramentis, currentibus et recurrentibus rotulis inclusisse. Rem tantam in tantillo annulo omnes admirati sunt. Nimirum sapiens momenta temporum et rerum habet in manu.

Felix cui cœlum terræque patebant
In digitis.

Ita Nicolaus Caussinus, lib. 11. Par. Histor. c. 66. 67. et 68. Sic annuli astronomici docent signa cœlestia, solis progressus, et horarum spatia. Annuli ex equo marino cohibent spasmum. Alii ex certis gemmis resistentibus melancholiæ, maniæ, epilepsiæ, juvant ad mentis serenitatem, judicium et sapientiam.

Jam ut hæc applicemus Zorobabeli, et genuinum hujus loci sensum aperiamus, advertendum est Aggæum alludere ad Jerem. 22. 24, ubi impio Jechoniæ regi Juda has minas intentat Deus : *Vivo ego, dicit Dominus, quia si fuerit Jechonias filius Joakim regis Juda, annulus in manu dextera mea, inde evellam eum. Et dabo te in manu quærentium animam tuam, etc. in manu Nabuchodonosor*, q. d. Etiamsi Jechonias mihi ita necessarius, conjunctus, charus et pretiosus esset, ac est annulus signatorius, qui nunquam de manu gestantis ac sigillantis aufertur, uti fuit ejus avus Josias, et atavi, David, Josaphat et Ezechias; tamen ob ejus scelera à me evellam illum, atque in Babylonem traducam, tradamque in manus Nabuchodonosoris. Jechonias fuit avus Zorobabelis : Jechonias enim genuit Salathiel : Salathiel genuit Zorobabel. Quod ergo avo ob impietatem Deus abstulit, nimirum esse signaculum vel annulum signatorium Dei, hoc hîc nepoti ejus Zorobabeli ob pietatem restituit. Unde et effecit ut, sicut Jechonias fuerat dux euntium in captivitatem Babylonicam, ita Zorobabel nepos esset Dei nomine dux inde redeuntium Hierosolymam. Sicut ergo principes sigillum regium, quod Cancellario ob scelus ademerunt, reddunt filio vel nepoti, ob ejus merita; ita facit hîc Deus. Unde de eo ait Eccli. c. 49. 13 : *Quomodo amplificemus Zorobabel? Nam et ipse quasi signum in dextera manu.*

Porro Zorobabeli quinque sigilli dotes jam recensitæ congruunt, tam in sua persona, quàm in persona Christi ex eo progeniti, de quo proprie hîc agitur, ut communiter docent Interpretes, quos sequitur Emmanuel et Mariana.

In sua persona. Primo, quia, sicut annulus signatorius præ omnibus rebus custoditur, ita Deus custodivit Zorobabelem, ejusque stirpem præ stirpe aliorum regum. Hisce enim eum opponit dicens : *Subvertam solium regnorum, et conteram fortitudinem regni Gentium; sed assumam te, ô Zorobabel, et ponam quasi signaculum, quia te elegi*, q. d. Perdam alios reges et regna, te vero quasi annulum meum custodiam, cordi et curæ habebo, faciamque ut sis quasi sigillum obsignans et custodiens, non tantum corpus Darii regis, 3. Esdræ, 3. v. 3. juncto c. 4. v. 13. sed et totum populum Israel, cujus meo nomine eris liberator et redux.

Secundo, es mihi honori et ornamento instar annuli aurei : tum quia mihi domum meam ædificas ; tum quia rempubl. populi mei in meo cultu contines et promoves. Reipub. ergo pariter es decus et gloria, perinde ac Judith, cui

victrici acclamat populus, c. 15. 10 : *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.*

Tertio, es meus legatus, tum ad Darium, tum ad populum, ut utrisque meam voluntatem, legem et jussa exponas, ideoque es mihi instar annuli : quia tibi auctoritatem et fidem apud utrosque conciliavi ; ut in omnibus tibi fidem habeant quasi legato à me misso, et annulum meum gestanti.

Quarto, es mihi charus et conjunctus quasi annulus, ut te semper præ oculis, cordi et curæ habeam. Unde Chald. vertit : *Ponam te sicut sculpturam annuli super manum.* Hinc faciam te quasi generum meum, ut scilicet ex te carnem sumat filius meus unicus, atque adeo eumdem filium meum gignas ut hominem, quem ego genui ut Deum. Hinc Arias sic explicat, q. d. Sicut sigillum in certa annuli parte solet constitui, ita nomen tuum, ô Zorobabel, familiæ et genealogiæ Christi inseram, ut æternum sit et gloriosum, nec ullo tempore vel oblivione possit deleri, ut reipsa illi insertum est Matth. 1. 12.

Quinto, do tibi sapientiam annulo repræsentatam, unde in problemate : *Quid esset fortissimum?* Zorobabel respondens esse veritatem, præmium sapientiæ tulit à Dario, 3. Esdræ 4. v. 13. et 24. Hinc et populum sapienter rexit, à Samaritis defendit, eique Darium conciliavit. Quocirca postquam populum in Jerusalem reduxit, ipse Babylonem rediit, ut causam populi apud regem ageret, ibique defunctus est.

Verum potius hæc competunt Zorobabeli, in persona non sua, sed Christi ; de eo enim ad litteram loquitur Aggæus, dicens : *In die illa,* scilicet tempore Christi, q. d. Inquit à Castro : Assumam tuam carnem, ô Zorobabel, quam quasi annulum signatorium aureum inseram dexteræ meæ; nempe filio meo, qui est meum brachium, mea dextera, mea virtus et fortitudo, Isaiæ 53. v. 1. ut tali filio ex te progenito colaris ab omnibus et glorificeris, imo super universos reges exalteris ac quasi deificeris, in natura humana, quam ex tua posteritate filius meus assumet, sibique uniet et deificabit, idque in æternum, ut ei semper in omnia secula adhæreat, sicut annulus digito. Vel ponam te quasi signaculum, id est, faciam stirpem et propaginem tuam quasi annulum in orbem euntem, cujus extrema uniantur in pala continente sardonychem, id est, Christum Filium Dei, qui est sigillum et character Patris. Sicut enim de Adam, qui in hoc orbe genealogiæ Christi est primus, dicitur Lucæ 3. 38 : *Qui fuit Dei;* ita ultimus in eo Christus, pariter est filius Dei. Insuper, sicut manus ornatur annulo, ita ego filium meum carne, quam ex tua stirpe assumet, quasi annulo ornabo. Sic enim de Ecclesia ait Isaias, cap. 62. 3 : *Eris quasi corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui.*

Porro Zorobabel fuit typus et figura Christi. Primo, suo ducatu, et reductione populi è Babylone; uti Christus nos liberavit à peccato, morte et gehenna. Secundo, quia ædificavit templum, uti Christus Ecclesiam. Tertio, sua protectione populi apud Darium, uti Christus advocatus est noster apud Patrem. Quarto, sua propugnatione, pugnando contra Samaritas volentes impedire fabricam templi; uti Christus pugnat pro suis Martyribus et fidelibus. Quinto, quia, ut Zorobabel pro populo vixit et mortuus est in Babylone; ita Christus in mundo, qui est Babylon, id est, confusio vitiorum et malorum omnium. Sexto, sicut Zorobabel Deo charus atque conjunctus fuit, ita Christus eidem fuit conjunctissimus, adeoque humanitatem suam Verbo hypostatice univit et conjunxit. Septimo, quia uti Zorobabel fuit sapiens, ita Christus est sapientissimus.

Verus ergo Zorobabel, id est, Christus Zorobabelis filius et antitypus est signum, id est sigillum, in manu Patris : tum passivum, scilicet ab eo expressum; est enim ejus Verbum et imago : tum activum, quo scilicet Deus suam majestatem, cogitata et dicta obsignat, suamque imaginem Angelis, hominibus et creaturis omnibus, ac præsertim Apostolis et Ecclesiæ suæ imprimit, idque juxta quinque sigilli dotes initio recensitas. Nam Christus, ut docet Apostolus Hebr. 1. 3, est imago Dei invisibilis, nimirum *splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus,* qui scilicet illam quasi Verbum, et sigillum et character, ut habent Græca, obsignat.

Ubi nota : Christus hîc ab Aggæo vocatur *signum,* sive sigillum Dei qua homo, non qua Deus; humanitatem enim, non deitatem, ex Zorobabelis carne et stirpe assumpsit. Christus ergo qua homo, est sigillum Dei : Primo, per communicationem idiomatum, per quam ea quæ sunt Dei tribuuntur homini ; quia enim Filius Dei est sigillum et imago Patris, hinc et hic homo hypostatice unitus Filio Dei, puta Christus, est sigillum et imago Patris. Secundo, formaliter, quia Verbum suî similitudinem impressit humanitati; puta suam scientiam, virtutem, sanctitatem, suas cogitationes, locutiones, actiones et mores. Tertio, quia Christus homo fuit signaculum, id est, evidentissimum signum et testimonium attributorum Dei, puta potentiæ, justitiæ, sapientiæ, ac præsertim philanthropiæ et amoris immensi erga homines ; ut hæc enim ostenderet Deus, voluit filium suum incarnari. Christus ergo incarnatus est quasi sigillum expressum, in quo legimus, imo expressum et depictum videmus Dei amorem, potentiam, justitiam, sapientiam, etc. Quarto, quia Christus instar signaculi testatus est, et certos nos fecit quænam esset voluntas Dei, quænam ejus doctrina, lex et jussa, nimirum ea quam in Evangelio promulgavit et docuit : *Deum,* ait S. Joan. c. 1. 17, *nemo vidit unquam; unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis.* Hac de causa Deus dedit Christo potestatem faciendi miracula, ut eo quasi sigillo dicta sua confirmaret, eaque à Deo sibi revelata et imperata esse demonstraret, juxta illud Joan. 6. 27 : *Hunc enim Pater signavit Deus.*

Deus ergo subvertens monarchas et monarchias Persarum, Græcorum et Romanorum, ut docet Aggæus, Zorobabelem, id est, Christum Zorobabelis filium, assumpsit, et posuit quasi signum, ut scilicet esset sigillum regni divini et Regis regum, puta Dei Patris, qui exclusis cæteris, solus per Christum regnare volebat in orbe terrarum per suam fidem, gratiam et legem Evangelicam. Deus enim, quia in se est invisibilis, hinc filium suum vestivit et velavit carne, ut per eam ipse quasi transpareret et traluceret, sicut transparet per cœlum et stellas, juxta illud Job. 9. 7 : *Stellas claudit quasi sub signaculo,* id est, stellas clausit et abscondit Deus sub procellis et tenebris,

quæ sunt quasi signacula, velamina et insignia divinæ potentiæ, majestatis et gloriæ, pariter ac stellarum, in quibus quasi facibus illa scintillat et emicat.

Hinc secundo, Christus quasi sigillum Patri æque ac Ecclesiæ, quin et Angelis, omnibusque creaturis, et toti universo fuit honori et ornamento, adeoque ipse omnium fuit decus et gloria. Verbum enim incarnatum hominem Verbo, terram cœlo, creaturas omnes Deo non tantum reconciliavit, sed et in sua hypostasi physice copulavit et univit.

Tertio, Christus fuit sigillum, quasi legatus Patris ad homines juxta illud Isaiæ 55. 4 : *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem Gentibus.*

Quarto, Christus fuit sigillum, id est, dilectissimus, pretiosissimus et conjunctissimus Patri, ejusque et pariter totius mundi deliciæ, exsultatio et jubilus. Ejus enim humanitas, quasi sponsa desponsata fuit Verbo quasi sponso : unde ejus epithalamium canit Sapiens toto Cantico canticorum.

Quinto, Christus fuit sigillum, id est, Sapientia Patris increata, qua Verbum; creata, qua homo. Unde ipse revelavit nobis arcana Patris, et abscondita à constitutione mundi, Matth. 13. 45.

Mystice Christus est sigillum Dei, quia sua effigie, puta sua fide, gratia, virtute et moribus, æque ac charactere, in baptismo, aliisque Sacramentis obsignat suos fideles. Deus enim misit Christum, quia *voluit nos conformes fieri imaginis Filii sui*, Rom. 8. v. 29, ut *sicut portavimus imaginem terreni Adæ, ita portemus et imaginem cœlestis*, 1. Cor. 15. 49. Et cum Apostolo dicamus : *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus*, Galat. 2. 20.

Secundo, Christus quasi sigillum obsignat et custodit fideles suos contra omnes tentationes et hostes. Porro Christi sigillum est crux, juxta illud Ezech. 9. 1 : *Signa thau super frontes virorum gementium.* Et Apoc. 7. 2 : *Vidi alterum angelum, etc. habentem signum Dei vivi.* Crux enim nos communit contra illecebras carnis, mundi et diaboli, facitque nos asseclas, milites et Martyres Christi crucifixi. Unde Apostolus : *Ego*, ait, *stigmata Domini Jesu in corpore meo porto*, Galat. 6. v. 17. Quocirca Christus per crucem est labarum et signum militare contra hæreticos, Judæos et Paganos, inquit Rupert. Rursum crux Christi est medicina curans spasmum superbiæ, epilepsiam iræ, maniam luxuriæ, melancholiam acediæ, etc. Ubi ergo crucem vides, scito rem esse bonam et Deo gratam; quia sigillum Christi illi impressum vides. Talia sunt pœnitentia, mortificatio, abnegatio, austeritas, persecutio, humiliatio, patientia, contemptus, opprobria, carceres, martyria. Ex adverso sigillum diaboli est voluptas; ubi ergo illam vides, cave quasi à serpente. Talia sunt sequi suos appetitus, mollities, libertas, ambitio, æstimatio suî, laudes, adulationes, plausus, etc. Quod ergo sponsus dicit sponsæ Cant. 8. v. 6 : *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum ;* hoc nos vicissim ei dicamus, petamusque ut ipse obsignet omnia cogitata, dicta et facta nostra, ut nihil cogitemus, dicamus, agamus, nisi ex ipso, per ipsum, in ipso, propter ipsum. Tu enim, ò Jesu dulcissime, es signum sagittantium, vexillum pugnantium, bravium currentium, distinctio ovium, custodia cordium, exemplar operantium, forma normaque servorum, sigillum et character militantium, annulus, corona, et diadema triumphantium. Eia, Domine, imprime animæ meæ tuam imaginem, imo teipsum; obsigna eam annulo amoris tui, ut eo obsignata nihil posthac diligat præter te : quia tu es tota possessio totaque beatitudo cordis mei. Tu es vita perennis, per quam vivo, sine qua morior : vita, per quam gaudeo, sine qua mœreo : vita dulcis et amabilis. Da, Domine, ut anima mea virtute ardentis charitatis tuæ conflata, et dulcedine penetrantis dilectionis tuæ, quasi cera liquefacta, tota effluat in te. Posside eam summum atque incommutabile bonum; posside eam, ut ipsa possideat te. Da ut te amplectar, et suavi amore soporatus in te, qui es pax gratissima, sancte obdormiscam. Da ut omnia transitoria, omnesque mundi altitudines, species et deliciæ mihi vilescant : tu solus placeas, te solum cogitem, amem, loquar, eructem.

Tropologice, fidelis debet esse signaculum Dei; tum passivum, expressum scilicet ex exemplari divino, ejusque imagine, ad quam creatus, et à Christo recreatus est, insignitum; ut Deum Deique virtutes in corde, ore et opere referat et exprimat; tum activum, ut scilicet eamdem Dei imaginem aliis omnibus imprimat, ut omnes sentiant illud psal. 4. 7 : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine;* ac proinde signacula omnia mundi, carnis et diaboli diffringat et abjiciat. Narrat ex Ptolemæo Nicol. Causinus lib. 11. Paral. histor. cap. 6. 5. Helenam obsignasse suas litteras Asterite lapide, cujus ea vis est, ut soli objectus accendatur, impressa in eodem piscis Panis figura; ac symbolice sic explicat : Poterit, inquit, in eos torqueri, qui cœlum miscent terræ, profana divinis, amorem Dei amori carnis et mundi. In eodem enim annulo cœlestì lapidi juncta erat figura Panis : nam et hic piscis Pani similis est, à quo nomen accepit : Pan autem est impurus et salax Deus. Quid facit stella cum terris, lux cum tenebris, puritas cum impudicitia, amor Dei cum amore mundi, imago Dei cum imagine diaboli? Sicut ergo cera non aliam imaginem refert quàm sui sigilli, ita fidelis non aliam similitudinem, non aliam vitam, non alios mores referat quàm Christi et Dei, juxta illud Pauli : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* Fuit Paulus sigillum Christi, omnibus ejus doctrinam et mores imprimens. Tales simus et nos : sic enim pariter sigillum Christi, et annulus signatorius in manu Dei ; ita nobis competet illud ejusdem, 1. Corinth. 9. 2 : *Signaculum apostolatus mei vos estis in Domino;* imo illud olim Cherubini et regis Tyri : *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore; in deliciis paradisi Dei fuisti : omnis lapis pretiosus operimentum tuum*, Ezech. 28. 12. Ac tandem sigillo et annulo gloriæ suæ obsignabit, imo donabit nos Deus : hoc est enim signaculum prædestinationis et electionis Dei, de quo Apostolus 2. Timoth. 2. 19 : *Firmum*, ait, *fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc : Cognovit Dominus qui sunt ejus, et discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini.*

Pii ergo et zelosi reges, principes, rectores, doctores, prædicatores, etc. instar Zorobabelis

et Christi sunt quasi sigillum et annulus aureus in manu Dei, quo ipse suos fideles obsignat, eisque suam imaginem suosque mores divinos imprimit. Hic itaque eis sit acer stimulus ad virtutem et zelum, ut scilicet cum Elia zelentur pro domo Dei, et pro animarum sibi creditarum sanctitate et salute. Quinimo sciant se fore os Dei, juxta id quod promisit Deus Jerem. 15. vers. 19: *Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Denique S. Ambros. per *signaculum* accipit pacem animæ, per quam ipsa quasi consignatur et insignitur imagine Dei. Verba Ambrosii citavi, v. 10.

Quia te elegi.] Chald. *Quoniam in te mihi complacui.* Ita Christo in Jordane baptizato vox cœlestis à Patre allapsa est: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui,* Matth. 3. 17. Christus enim fuit amor et deliciæ Patris, ideoque ejus iram in genus humanum placavit, factusque est propitiatio et reconciliatio mundi, uti passim docet S. Paulus. Quare quod de Scipione dixit antiquitas: *Neque Roma cadet Scipione stante, neque Scipio vivet urbe cadente;* hoc longe verius dicas non tam de Zorobabele, quàm de Christo: Neque Ecclesia cadet Christo stante; nec Christus stabit, si (quod absit) Ecclesia cadat.

Pro conclusione prophetiæ Aggæi, nota eam totam spectare et urgere restaurationem templi ad litteram; sed allegor. per fabricam templi repræsentare fabricam Ecclesiæ erigendam à Christo; et tropol. institutiones Ordinum et Religionum faciendas à S. Basilio, Antonio, Benedicto, Augustino, Hieronymo, Bernardo, etc. item, fabricam virtutum in anima sancta. Porro multæ sunt analogiæ inter fabricam templi corporalis et mystici, puta Ecclesiæ, congregationis, collegii, Religionis, ac animæ cujuslibet sanctæ: Primo enim sicut templum, est domus Dei, illi certis ritibus dicata et consecrata; ita est et Ecclesia, Religio ac anima sancta. Ritus hi consecrationis templi sunt quinque, scilicet, Aspersio, Inscriptio, Inunctio, Illuminatio, Benedictio. Aspersio fidelis et Religiosi, ait S. Bern. serm. 1. de Dedicat. Ecclesiæ, est pœnitentia. Inscriptio, legis et disciplinæ Religiosæ, fit in cinere, hoc est in corde ejus instar cineris contrito, idque ab Episcopo, puta à Christo. Unctio est ubertas gratiæ, eidem ab eodem infusa. Illuminatio, sunt opera quæ ex Religione prodeunt; ut luceant coram hominibus, ut glorificent Patrem cœlestem, et ipsi videant quid imitentur. Benedictio signum est æternæ gloriæ, quæ et gratiam sanctificationis complebit, et præterita opera copiose remunerabitur.

Secundo, in templo consecrato vigilant Angeli, uti ex multis eorum apparitionibus ibidem factis constat: sic et sanctam *animam frequenter visitant Angeli atque Archangeli, et honorificant, utpote Dei templum, et habitaculum Spiritus sancti.* Esto ergo templum Dei, et Deus excelsus habitabit in te. Anima enim Deum habens in se templum Dei est, in quo divina mysteria celebrantur, ait S. Bernardus de Inter. domo c. 3.

Tertio: *Domum Dei,* tam corporalem, quàm spiritualem *decet sanctitudo: quia non tam politis marmoribus, quàm ornatis moribus delectatur, et puras magis diligit mentes, quàm super auratos parietes,* ait S. Bernard. ad milites templi, cap. 5. Idem, de Natura divini amoris, c. 13: *Templum hoc,* ait, *cum ornatum fuerit præscriptarum positione virtutum, et supradicto dedicandi ordine dedicatum, nullos ulterius alienos titulos potest suscipere, nullum habitatorem nisi Deum, qui condidit illud et creavit. Nihil ergo ultra terrenum sancta illa anima, nihil materiale, nihil corruptibile diligit aut curat, ex quo regressa est à loco sarcinarum; etsi aliquo horum aliquando quasi in transitu utitur, sed frui dedignatur. Si quid in hujusmodi prosperum evenerit, pertransit; non conturbatur, si quid adversi contigerit. Quidquid ad corpus spectat, sive bonum, sive malum, foris est, nec potest pertingere ad eum qui intus est.* Et S. August. explicans illud psal. 64: *Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate,* vel, ut ipse legit, *in justitia: Non dixit,* inquit, *templum sanctum tuum mirabile in columnis, mirabile in marmoribus, mirabile in tectis auratis, sed mirabile in justitia.*

Quarto, templi fabrica fit è multis lapidibus, sed politis; ita Ecclesia consurgit è fidelibus cruce et mortificatione expolitis, juxta illud Ecclesiast. officii in dedicat. templi:

Tunsionibus, pressuris
Expoliti lapides,
Suis coaptantur locis,
Per manus artificis,
Disponuntur permansuri
Sacris ædificiis.

Quinto, lapides fabricæ inter se consociati et colligati integrant templum: ita et fidelium consociatio Ecclesiam. Quocirca primo, sicut unus lapis positus in sublimi, vel in altari, non despicit alterum qui ponitur in pavimento, vel fundamento; nec hic illi invidet, imo libens sustinet totam ædificii molem: ita in Ecclesia Prælati et doctores non despiciunt subditos et plebeios; nec hi illis invident: sed utrique sua sorte et vocatione, locoque et gradu in quo à Deo ejusque vicariis positi sunt, contenti lætique, totam Ecclesiæ fabricam concinnant. Secundo, sicut lapides templi calce compaginantur, alioqui ruituri et fabricam eversuri: ita fideles constringuntur charitate; hæc enim est glutinum, unio, et quasi anima Ecclesiæ, quæ alioqui dissolveretur et dissiparetur. Unde S. Augustinus in psal. 10: *Templum,* ait, *Dei violat qui violat unitatem.* Tertio, sicut in fabrica lapis lapidem portat; ita in Ecclesia et Religione fidelis fidelem, frater fratrem, ejusque mores et infirmitates tolerat et supportat, cogitans, ait S. Gregorius, se vicissim ab alio portari; et, si forte jam non portetur, aliquando portatum fuisse, ut disceret eamdem portandi vicem aliis aliquando rependere. Porro vir sanctus non tantum fratris infirmitatem portat, sed et eamdem sanare et emendare nititur, sicut manus satagit membrum afflictum alligare et curare. S. Gregor. 20. Moral. 26: *Plus,* ait, *nonnunquam est compati ex corde, quàm dare; quia quisquis indigenti compatitur, minus æstimat omne quod dat.* Et mox: *Quia rem quamlibet plerumque dat etiam qui non compatitur, nunquam autem qui vere compatitur, quod necessarium proximo conspicit negat.* Rursum nemo est tam rudis, tam vilis et miser, qui non possit evadere insigne instrumentum, imo templum gloriæ Dei, si debita cura expoliatur. Hæc tria pariter sunt in fideli anima et sancta. Nam primo, oculus non despicit pedem, nec pes invidet oculo; sed suo

loco et officio contenti in idem corpus conspirant, ut docet Apostolus 1. Corinth. 12. toto capite. Secundo, omnes animæ potentiæ et vires charitate colligantur. Unde S. Bernard. tractatu de Conscientia sub initium : *Videat,* inquit, *animas et sollicite caveat ne à se invicem membra dissideant, id est, ratio, voluntas et memoria. Dignum habitaculum parat Deo, cujus non est ratio decepta, nec voluntas perversa, nec memoria inquinata.* Tertio, invicem se tolerant membra et potentiæ, mutuoque oneri succollant. Medium ad hæc opportunum suggerit S. Bernard. loco jam citato : *Redi,* inquit, *ad cor tuum, et diligenter discute teipsum : considera unde venis, quo tendis. quomodo vivis, quid agis, quid amittis, et quantum quotidie proficis, vel quantum deficis; quibus cogitationibus magis incursaris, quibus affectibus frequentius tangeris, vel quibus tentationum machinis à maligno spiritu acrius impugnaris. Et cum totum interioris et exterioris hominis statum et habitum, in quantum possibile est, plene cognoveris, non solum qualis sis, verum etiam qualis esse debeas, ex cogitatione tuî poteris sublevari ad contemplationem Dei.*

Sexto, sicut Deus colitur in templo orationibus, votis, oblationibus, sacrificiis : ita iisdem colitur in Ecclesia, Religione et anima sancta, quæ Deo offert seipsam in holocaustum per tria Religionis vota : corpus per pœnitentias, in sacrificium pro peccato : gratiarum actionem, et obsecrationem, in sacrificium pacificum. Unde S. August. lib. 10. de Civit. cap. 6 : *Ipse homo,* inquit, *Dei nomini consecratus ac devotus, in quantum mundo moritur ut Deo vivat, sacrificium est. Corpus enim fit sacrificium, cum illud temperantia ad Dei honorem castigamus : anima vero cum se refert in Deum, ut igne amoris ejus accensa, formam concupiscentiæ secularis amittat, eique tanquam incommutabili formæ subdita reformetur; hinc ei placens, quod de ejus pulchritudine acceperit.* Idem S. Augustinus de Natura et Gratia, cap. 6. 4. laudat dictum S. Sixti Pontificis et Martyris, cujus Diaconus fuit S. Laurentius : *Deus,* ait, *libertatem arbitrii sui permisit hominibus, ut pure et sine peccato viventes fiant similes Deo.* Et : *Templum sanctum est Deo mens pura, et altare optimum est ei cor mundum.* In hoc sacrificio ergo sacerdos est ipse fidelis et Religiosus : culter, est odium suî, carnis et mundi : ignis, est charitas : victima, sunt corpus et anima cum suis membris et potentiis, quæ moriuntur mundo, sed melius vivere incipiunt Deo. Ad hanc hortatur S. Paulus Roman. 12. 1 : *Obsecro,* ait, *vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Et S. Petrus epist. 1. cap. 2. 5 : *Et ipsi,* ait, *tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias acceptabiles Deo, per Jesum Christum.*

Septimo, Deus in templo, quasi pater-familias in domo, adest et præest : ibi exaudit orantium preces et vota, ibi beneficia largitur, ibi dat oracula : sic et in Ecclesia, Religione et anima sancta Deus præsens est, imo præsidet : hinc illam suis illustrationibus illuminat, suis impulsibus agit regitque ad omne bonum, postulata quæcumque concedit. Unde infert S. August. serm. 210. de Temp. *Quoties,* ait, *aliquod peccatum aut cogitando, aut loquendo, aut etiam operando perficimus, templum Dei destruimus, et ei qui in nobis habitat injurias irrogamus.*

Ubi consideratione dignum est Spiritum sanctum, ac consequenter totam sanctam Trinitatem, in anima justa præsentem esse, non tantum per charitatem et sua dona, sed et per seipsam substantialiter et personaliter, ita ut, si per impossibile prius non fuisset præsens per substantiam, jam per justitiam et sanctitatem fieret substantialiter præsens, uti cum S. Thoma, Bonavent. et aliis passim docet fuse Francis. Suarez lib. 12. de Deo trino et uno cap. 5. Quod sane mire est dignationis divinæ, æque ac dignitatis nostræ. Quocirca anima sancta sciat in se quasi in templo vivo, vive et substantialiter habitare Deum Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, juxta illud promissum Christi Joan. 14. 23 : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Et Pater meus diliget eum : et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Ergo non est necesse ut Deum extra se quærat, et ad eum exeat; habet enim eum intra se. Itaque cum per fidem jugiter intueatur, semper in tantæ majestatis oculis digne et reverenter versetur, cum ea pie et affectuose colloquatur : nil faciat quod eum vel leviter offendat, omnes spes et res in eo defigat, omnes tribulationes in eum conjiciat, eum ex toto corde amet, revereatur et colat : in eo plane conquiescat, et cum Psalte dicat : *In pace in idipsum dormiam, et requiescam,* psalm. 4. 9. Quare merito S. Bernard. lib. de Interiori domo cap. 22 : *Conscientia bona,* inquit, *titulus est religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium angelorum, arca fœderis, thesaurus regis, aula Dei, habitaculum Spiritus sancti, liber signatus et clausus, et in die judicii aperiendus. Nihil est jucundius, nihil tutius, nihil ditius bona conscientia : premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa erit secura. Cum mundus omni volubilitate circumrotetur, ploret, rideat, pereat, transeat, nunquam marcescit bona conscientia. Subjiciatur corpus in pœna, in jejuniis maceretur, verberibus lanietur, equuleo distendatur, gladio trucidetur, crucis supplicio affigatur, secura erit conscientia.* Causa est quam dat Moses Levit. 26. 12. et ex eo S. Paulus 2. Corint. 6. 16. quia *dicit Deus : Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus.* Quis enim timeat, habens in se Deum protectorem, confortatorem et consolatorem? Ita Christus in passione et agonia crucis stetit fortis, quietus et magnanimus. Quare? *Providebam,* inquit, *Dominum in conspectu meo semper : quoniam à dextris est mihi ne commovear. Propter hoc lætatum est cor meum, et exsultavit lingua mea, et caro mea requiescet in spe,* psalm. 15. et Actor. 2. 25. Jubilet ergo anima sancta, esto in doloribus et tormentis constituta, quia habet Deum intra se, pro cujus amore patitur, cujusque dextera fulcitur. Deus enim est jubilus Angelorum et Sanctorum, præsertim patientium. Id experti sunt Martyres, dum equuleis, ignibus, ungulis torquerentur et lacerarentur. Hoc est præludium, hic prægustus, hæc inchoatio vitæ cœlestis et beatæ. Ubi enim est Deus, ibi sunt angeli, ibi jubilus, ibi felicitas, ibi gloria. Quocirca exsequamur monitum S. Cypriani tract de Orat. Domin. *Quando,* inquit, *patrem Deum dicimus, quasi*

filii Dei agere debemus; ut quomodo nos nobis placemus de Deo patre, sic sibi placeat et ille de nobis. Conversemur quasi Dei templa, ut Deum in nobis constet habitare; ut qui cœlestes et spirituales esse cœpimus, non nisi cœlestia et spiritualia cogitemus et agamus.

Porro in hac fabrica oportet primo jacere solidum fundamentum fidei, non cujusvis, sed vivæ et efficacis. Hæc enim sanctos incitavit ad opera ardua virtutum, ut docet Apost. toto c. 11. ad Hebræos. Deinde illi oportet inædificare parietes binos, timoris et spei magnanimæ; his superaddere quatuor virtutes cardinales, cæterasque eis annexas. Pavimentum humilitate sternatur. Tectum charitate contegatur. Turris orationis et contemplationis erigatur, ex qua et hostium insidias speculemur, et Dei cœlitumque opem imploremus.

COMMENTARIA

IN

ZACHARIAM PROPHETAM.

ARGUMENTUM.

Zacharias synchronos et coævus fuit Aggæo; uterque enim cœpit prophetare post captivitatem Babylonicam, anno secundo Darii Hystaspis regis Persarum, ut patet ex utriusque principio : proponitur tamen Aggæus Zachariæ ; quia duobus mensibus ante eum cœpit vaticinari, nimirum mense sexto, Zacharias autem mense octavo. Ita S. Hieronym. Cæteri Prophetæ verbales fuerunt, et Deum loquentem per verba menti suæ immissa audierunt ; Zacharias autem abundat visionibus et symbolis. Jam enim videt quadrigas, jam cornua, jam septem oculos, jam amphoram occlusam talento plumbi, jam candelabrum septifidum, jam fabros, jam olivas, etc. Quocirca præ cæteris pariter obscurus est, profundus, varius, prolixus et ænigmaticus. Symbolicus ergo est æque ac Daniel et Ezechiel, quos secutus est S. Joannes in Apocalypsi, ac præsertim Zachariam, ut in decursu patebit. Audi S. Hieron. ad Paulinum : *Zacharias memor Domini sui* (dicitur enim Zacharias quasi זכר יה *zachar ia*, id est, recordatus est Dei ; vel quasi זכר יה *zecher ia*, id est, *memoria Dei*) *multiplex in prophetia, Jesum vestibus sordidis indutum, et lapidem oculorum septem, candelabrumque aureum cum totidem lucernis quot oculis, duas quoque olivas à sinistris lampadis cernit et dextris : ut post equos nigros, rufos, albos et varios, et dissipatas quadrigas ex Ephraim, et equum de Jerusalem, pauperem regem* (Christum) *vaticinetur, ut prædicet sedentem super pullum filium asinæ subjugalis.*

Argumentum ejus est primo cum Aggæo animare et urgere populum Babylone reversum ad reædificandam Jerusalem et templum. Id patet ex 1. Esdræ 5. 1 : *Prophetaverunt autem Aggæus Propheta et Zacharias filius Addo, prophetantes ad Judæos qui erant in Judæa à Jerusalem, in nomine Dei Israel. Tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel et Josue filius Josedec, et cœperunt ædificare templum Dei in Jerusalem, et cum eis Prophetæ Dei adjuvantes eos.* Secundo, hortari eumdem ne idola et vitia majorum imitetur, ut pote quorum punitionem, stragem et captivitatem viderint. Tertio, prædicit futuros successus et eventus varios Judæis obventuros usque ad Christum, ac præsertim quatuor monarchiarum conversiones et successiones quæ desinent in regnum Christi.

Quarto, promittit Christum, ejusque vitam et mysteria ita particulatim recenset, ut historicus potius et Evangelista videatur quàm Propheta. Recenset enim Christi regalem et triumphalem ingressum in Jerusalem, qui contigit die palmarum, quatuor diebus ante ejus passionem et mortem : item proditionem Judæ, institutionem Eucharistiæ, Christi passionem, plagas manuum, descensum ad inferos, educendos patriarchas, resurrectionem et gloriam, Judæorum reprobationem, Gentium vocationem, Ecclesiæ institutionem et dilatationem, æque ac sanctimoniam et felicitatem, persecutorum ejus punitionem et interitum. Porro hæc describit per hieroglyphica ænigmata, parabolas et sententias obscuras, vereque utitur stylo prophetico. Unde S. Hieron. in prologo : *Ab obscuris*, ait, *ad obscuriora transimus, et cum Mose ingredimur in nubem et caliginem. Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum Dei, labyrinthæos patimur errores, et Christi cæca regimus filo vestigia.*

Porro apposite vocatur Zacharias, id est memoria Domini : quia omnium mirabilium, quæ Deus per prophetas cæteros sparsim prædixerat in hoc uno, ut pote pene Prophetarum ultimo, sici quasi memoriam fecit, ut non jam mirum sit hominibus esse mirandum, qui Deo ipsi suorum est memoria mirabilium. Insuper S. Cyrillus hic asserit Zachariam fuisse oriundum è Tribu Levi, ut esset Levita, Sacerdos, Doctor et Propheta populi. Cum enim populus, inquit, in captivitate Babylonica quæ duravit 70. annos, oblitus esset patriæ et Dei patrum suorum, Deus excitavit Zachariam, ut Jerusalem, templi et Dei memoriam ei renovaret, et avitam in eo pietatem instauraret. Denique tam Zacharias quàm Aggæus cœperunt prophetare anno 2. Darii Hystaspis, qui fuit annus mundi 3431. ante Christi nativitatem vero fuit annus 519.

Martyrem fuisse Zachariam censent nonnulli : putant enim ipsum fuisse Zachariam illum, de quo ait Christus Matth. 23. 35 : *Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare.* Unde et Zacharias hic noster inscribit se filium Barachiæ, fuitque penultimus Prophetarum : ultimus enim fuit Malachias, Christus autem loquitur de ultimo Propheta à Judæis occiso. Ita Vatabl. Arias, Sanchez et Ribera hic, ac S. Chrysost. homil. 1. in Lucam de nativitate Joannis Baptistæ, licet S. Hieron. Beda et alii multi censeant illum Zachariam fuisse filium Joiadæ pontificis, qui alio nomine dictus sit Barachias : hunc enim Joas rex occidit inter ædem et altare, 2. Paral. 24. 21. Alii, tertio, ut Orig. S. Basil. Cyril. Epiph. Euth. Theoph. quos sequitur Card. Baron. et noster à

Castro, censent Zachariam illum Christi fuisse patrem Joannis Baptistæ, qui occisus sit à Judæis, eo quod Virginis partum et Christi ortum prædicasset, quodque B. Virginem post partum inter virgines in templo collocasset. Verum de hoc plura Matth. 23.

De Zachariæ oraculis et miraculis ita scribit Epiphan. in ejus vita : *Zacharias Propheta natus Barachia, è terra Chaldæorum solvit, et inter proficiscendum permulta populo vaticinatus est : et demonstrationis causam multa designavit miracula. Hic est qui in os nuntiavit Josedec : Nasceturex te filius qui sacris initiatus Hierosolymis sacrificabit Domino. Hic etiam benedixit Salathiel in filio dicens : Procreabit filium, et indet nomen illi Zorobabel. De Cyro quoque rege Persarum Zacharias ostentum dedit, idque ad victoriam; signum item super Crœso Lydorum tyranno objecit, necnon et super rege Medorum Astyage, deque publico ministerio, quod Cyrus rex designaturus esset Hierosolymis, vaticinatus est, laudibusque evexit illum, etc. decessit ultima senectute in Judæa, et proxime cum Aggæo Propheta humatus est.* Hæc si vera sunt, ostendunt Prophetas multa prophetasse quæ scripto nobis non consignarunt. Nihil enim horum exstat in nostro Zachariæ libro. Eadem habet S. Dorotheus in vita Zachariæ : *Zacharias*, inquit, *à Chaldæa venit, cum jam ætate esset provecta, atque ibi populo multa vaticinatus est, prodigiaque probandi gratia edidit : et sacerdotio Hierosolymis functus est. Idem et Salathieli cum filiis benedixit, et nomen Zorobabel imposuit; et Persis sub Cyro dedit victoriam cultu illius, quem facturus erat Hierosolymis, illumque vehementer benedixit. Quæ vero prophetiam concernebant, vidit Hierosolymis, et de fine Gentium, de templo, de otio, de Prophetis et sacerdotibus, ac de duplici judicio exposuit. Mortuus est in senectute gravi, et sepultus prope Eleutheropolim : temporibus vero Ephidi Episcopi manifestatus, quod ipse esset Zacharias filius Barachiæ cujus meminit Isaias* cap. 8. vers. 2.

Sanctorum catalogo ascriptus est die sexta Septembris, ubi de eo in Martyrol. Romano sic legimus : *Zachariæ Prophetæ, qui de Chaldæa senex in patriam reversus, juxta Aggæum Prophetam conditus jacet.* Inventum est venerandum ejus corpus sub Theodosio Imper. juniore, apparente et judicante ipso Zacharia, uti refert Sozomenus lib. 9. cap. ultimo, et ex eo Baron. anno Christi 415. Quanquam quæ ibi à Judæo accepta adduntur, ad Zachariam filium Joiadæ pontificis, non ad nostrum hunc Prophetam spectant.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Proposita patrum culpa et poena, puta excidio et captivitate Babylonica, stimulat Judæos, ut ab eorum idolis et vitiis, ad Deum et virtutem constanter se transferant, ne similem novamque cladem eis infligat Deus. Secundo, v. 7. per equos nigros, rufos, varios et albos, variarum Gentium, miserum vero Reipublicæ Judaicæ statum præsentem repræsentat. Unde videt angelum stantem inter myrteta, et orantem : Usquequo tu non misereberis Jerusalem ? Iste jam septuagesimus annus est. qui exauditus audit Deum Judæis pacem et bona daturum, ut Jerusalem reædificetur, hostesque eorum perditurum. Hinc v. 18. videt quatuor fabros deferentes quatuor cornua, quæ afflixerunt et ventilarunt Judam.

1. In mense octavo, in anno secundo Darii regis, factum est verbum Domini ad
Zachariam, filium Barachiæ, filii Addo, prophetam dicens : 2. Iratus est
Dominus super patres vestros iracundia. 3. Et dices ad eos : Hæc dicit
Dominus exercituum : Convertimini ad me, ait Dominus exercituum :
et convertar ad vos, dicit Dominus exercituum. 4. Ne sitis sicut patres
vestri ad quos clamabant prophetæ priores, dicentes : Hæc dicit Dominus
exercituum : Convertimini de viis vestris malis, et de cogitationibus
vestris pessimis, et non audierunt, neque attenderunt ad me, dicit Dominus. 5. Patres vestri
ubi sunt ? et Prophetæ numquid in sempiternum vivent ? 6. Verumtamen verba mea, et
legitima mea, quæ mandavi servis meis Prophetis, numquid non comprehenderunt patres
vestros, et conversi sunt, et dixerunt : Sicut cogitavit Dominus exercituum facere no-
bis secundum vias nostras, et secundum adinventiones nostras, fecit nobis ? 7. In die vigesima
et quarta undecimi mensis Sabath, in anno secundo Darii, factum est verbum Domini

ad Zachariam filium Barachiæ, filii Addo, prophetam dicens : 8. Vidi per noctem, et ecce vir ascendens super equum rufum, et ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo, et post eum equi rufi, varii, et albi. 9. Et dixi : Quid sunt isti, Domine mi ? et dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me : Ego ostendam tibi quid sint hæc. 10. Et respondit vir, qui stabat inter myrteta, et dixit : Isti sunt, quos misit Dominus ut perambulent terram. 11. Et responderunt Angelo Domini, qui stabat inter myrteta, et dixerunt : Perambulavimus terram, et ecce omnis terra habitatur, et quiescit. 12. Et respondit Angelus Domini, et dixit : Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Jerusalem, et urbium Juda, quibus iratus es ? Iste jam septuagesimus annus est. 13. Et respondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria. 14. Et dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me : Clama, dicens : Hæc dicit Dominus exercituum : Zelatus sum Jerusalem et Sion zelo magno. 15. Et ira magna ego irascor super gentes opulentas : quia ego iratus sum parum, ipsi vero adjuverunt in malum. 16. Propterea hæc dicit Dominus : Revertar ad Jerusalem in misericordiis : et domus mea ædificabitur in ea, ait Dominus exercituum : et perpendiculum extendetur super Jerusalem. 17. Adhuc clama, dicens : Hæc dicit Dominus exercituum : Adhuc affluent civitates meæ bonis : et consolabitur adhuc Dominus Sion, et eliget adhuc Jerusalem. 18. Et levavi oculos meos, et vidi : et ecce quatuor cornua. 19. Et dixi ad Angelum, qui loquebatur in me : Quid sunt hæc ? et dixit ad me : Hæc sunt cornua, quæ ventilaverunt Judam, et Israel, et Jerusalem. 20. Et ostendit mihi Dominus quatuor fabros. 21. Et dixi : Quid isti veniunt facere ? Qui ait, dicens : Hæc sunt cornua, quæ ventilaverunt Judam per singulos viros, et nemo eorum levavit caput suum : et venerunt isti deterrere ea, ut dejiciant cornua Gentium, quæ levaverunt cornu super terram Juda, ut dispergerent eam.

1. In mense octavo,] puta in Octobri, cœpit prophetare Zacharias; Aggæus vero in mense sexto, puta in Augusto : uterque autem prophetavit, non in Babylone, ut aliqui censent, sed in Jerusalem, ut diserte ait Esdras libr. 1. cap. 5.

Darii.] Hystaspis, vide dicta Aggæi 1. vers. 1. Darius persice significat Φρονιμον, id est prudentem, ait Hesychius : prudentia enim et providentia est prima dos regis, ut bene regat et gubernet.

Filii Barachiæ.] *Barachias* hebr. idem est quod *benedictio Domini.* Hujus filius est Zacharias, id est memoria, vel memor Domini. Magna enim benedictio summumque bonum est jugiter meminisse Dei, semperque eum habere in memoria, imo in oculis et mente.

Filii Addo.] Fuit ergo Addo avus Zachariæ ; S. Hieron. et eum secuti Remig. Albertus, Haymo, Hugo et Dionys. censent hunc esse Addo Videntem, id est Prophetam, qui scripsit Chronica regum Juda, 2. Paral. 22. 15. quique missus fuit à Deo ad Jeroboam primum regem Israel, ut ei, ob vitulos aureos ab eo erectos, interitum denuntiaret, 3. Reg. 13. 1. licet Script. eum ibidem non nominet. Verum hoc creditu est difficile, nam à Jeroboam usque ad Darium Hystaspis fluxerunt 400. anni et amplius. Quare verius videtur Addo avum Zachariæ fuisse alium ab Addo Vidente ; sed fuisse pariter Prophetam, ut censent Hebræi, vel certe virum illustrem, ideoque hic nominari, ut nepoti suo Zachariæ nomen et decus conciliet. Nisi dicas Addo Videntem non avum, sed quintum, vel sextum atavum fuisse Zachariæ, ut Barachias vocetur filius, id est abnepos, Addo. Sic enim ipse Zacharias vocatur filius, id est, nepos vel abnepos Addo, 1. Esdræ 5. 1. Et hoc satis est verisimile, tum quia alium Addo Prophetam, vel celebrem in Script. non legimus, tum quia prophetia tunc temporis erat quasi hæreditaria, æque ac sacerdotium, et de avis transibat in patres et nepotes, ut tradunt Hebræi ; unde et in libris Regum celebrantur filii Prophetarum, et Zacharias pater Joannis Baptistæ fuit Propheta, æque ac filius, ut patet Lucæ 1. 67. tum quia diserte id asseverant S. Hieronymus, et alii jam citati, qui sane vidit ex intercapedine tot annorum Addo non posse esse avum Zachariæ ; per avum ergo accipit atavum. Quod si ita est, magni Prophetæ (talis enim fuit Addo Videns) nepos et hæres fuit Zacharias.

2. Iratus est.] Hebr. *iracundia iratus est*, id est, vehementer iratus est, valde excandescit.

3. Et dices ad eos,] scilicet Judæos, inter quos tu versaris et quorum te constitui Prophetam. Ponitur relativum, vel potius demonstrativum pro antecedente, utpote noto et obvio.

Hæc dicit Dominus exercituum :] Hoc adjicitur, quia fit sermo ad eos qui in potestatem Darii venerant, magnorum exercituum ducis et imperatoris, q. d. Hæc dicitis, cujus vires sunt multo majores viribus humanis, cujus exercitus et potentia longe superant exercitum et potentiam Darii, alias potentissimi. Ita Vatablus.

Convertimini ad me.] Præclare S. Gregor. in psalm. 7. pœnitent. *Deus*, inquit, *qui abjicit delinquentem, convertitur ad pœnitentem ; vocat etiam adversos, donat peccata conversis, hortatur pigros, consolatur afflictos, docet studiosos, adjuvat dimicantes, confirmat laborantes, exaudit corde clamantes. Ipse namque per Prophetam dicit : Convertimini ad me, et ego convertar ad vos ; sed quia converti ad eum sine ipso non possumus, quotidie cum Propheta clamemus : Ne avertas faciem tuam à me.* Porro S. Thom. 1. 2. q. 89. art. 6. ad 3. et ex eo Capreolus in 2. d. 40. q. unica, Soto l. 2. de

Justitia q. 3. art. 10. et Navar. Enchirid. 11. num. 8. censent hoc conversionis ad Deum præceptum obligare in primo rationis instanti : puer enim , inquiunt , cum rationis usum habere incipit , tenetur se et sua ordinare ad debitum finem , puta ad Deum ; quod si facit , Deus infundet illi gratiam per quam consequetur remissionem peccati originalis ; si non facit , peccat mortaliter. Nam ordo naturæ postulare videtur ut homo , cum inchoat vitam rationanalem, incipiat ab intentione ultimi finis ; nam ex ea pendet vitæ bonæ institutio. Verum alii Doctores censent contrarium , scilicet in primo rationis instanti non teneri puerum convertere se ad Deum per amorem Dei super omnia , naturalem vel supernaturalem : primo , quia hoc præceptum est difficillimum , et maxime sublime. Non est autem credibile Deum obligasse homines judicio tam immaturos , ad tale præceptum statim exsequendum ; secundo, quia homo in principio non cogitat de rebus tam sublimibus , sed de sensibilibus et consuetis. Neque est aliquid unde illis tam sublimis cogitatio suggeratur ; ac proinde inconsideratio ejus , vel ignorantia est invincibilis ; tertio , quia nullum tale in Scriptura exstat præceptum, nec ratio naturalis illud dictat. Nam illud : *Convertimini ad me , et ego convertar ad vos,* pertinet ad peccatores, qui jubentur agere pœnitentiam de peccatis actualibus ; non autem ad eos qui habent solum originale ; et licet etiam ad hos pertineret, non tamen ideo statim deberet impleri. Nam est præceptum affirmativum, quod semper obligat; sed non pro semper, uti obligat negativum ; sicut neque adultus , qui peccavit mortaliter , tenetur statim agere pœnitentiam sub novo peccato.

4. Ne sitis sicut patres vestri,] ne patrissetis, ne patrum idololatriam , inobedientiam, apostasiam æmulemini , alioqui similes vos eis efficiam in pœna , sicut similes vos fecistis in culpa.

5. Patres vestri ubi sunt ?] q. d. Excisi sunt et in excidio Hierosolymæ vel occisi , vel in Babylonem abducti, ibique mortui sunt, ut eis prædixeram et comminatus eram per meos Prophetas. Nonne videtis in eis meas minas et oracula non fuisse vana et irrita , sed vera , certa et efficacia ? Scitote ergo talia quoque fore hæc quæ vobis pariter per Zachariam intento et edico.

Et prophetæ numquid in sempiternum ?] Prophetas intelligit patrum impiorum , puta pseudoprophetas ; hos enim mox opponit servis suis Prophetis , q. d. Falsi Prophetæ , qui patribus vestris falso felicitatem prædicebant et promittebant , dicentes : Pax , pax , nonne et ipsi , æque ac patres vestri , misere mortui sunt, vel gladio , vel ærumnis captivitatis ? ubi est ergo eorum felicitas et longævitas , quam sibi patribusque vestris promiserunt ? Numquid interitu suo tam infelici testati sunt se esse mendaces , et oracula sua fuisse dæmonis , non Dei vaticinia ? Ita S. Hieron. Albert. Hugo et Lyran. Alii veros intelligunt Prophetas , q. d. Tam Prophetæ pii quàm patres vestri impii mortui sunt; boni enim æque ac mali moriuntur; sed prophetiæ eorum et minæ , quas patribus vestris vobisque, si eos imitemini , intentarunt, non sunt mortuæ , sed vivunt et perdurant ; quia Deus earum auctor , et scelerum ultor , non moritur, sed vivit in æternum. Hoc est quod subdit Zacharias : *Verumtamen verba mea , etc.* Ita Theodor. Clarius , Vatabl. et à Castro.

6. Verumtamen,] q. d. Vestri pseudoprophetæ vos deceperunt , quia promiserunt prospera quæ non evenerunt. Verum mei Prophetæ , qui mea verba , id est minas et statuta , puta pœnas lege Mosi statutas in legis prævaricatores , patribus vestris vobisque intentarunt, vos non fefellerunt ; nam pœnæ et plagæ quas comminati sunt , reipsa patres vestros comprehenderunt , qui proinde flagellis hisce Dei eruditi , justum Dei in se judicium et culpam suam agnoverunt , ut, qui antea ad me invitantem eos ad pœnitentiam noluerant attendere , ut dicitur v. 4. jam castigationibus hisce , licet sero et coacte conversi , mentem et sententiam mutarint, dixerintque : *Sicut cogitavit Dominus exercituum facere nobis secundum vias nostras , etc. fecit nobis.* Ita Arias , Clarius et Vatablus.

7. In die vigesima et quarta undecimi mensis Sabath ,] qui nostro respondet Januario ; hic enim noster primus est mensis , sed Judæorum erat penultimus. Ipsi enim annum sacrum inchoabant à Nisan , id est Martio. Sabath et reliqua Hebraica mensium nomina videntur esse Chaldaica , nam inveniuntur tantum apud eos qui redierunt Babylone. Ita Vatabl.

Factum est verbum,] id est, visio Angeli et equorum inter myrteta : Deus enim tam loquitur symbolis quàm verbis. Quocirca prophetia quælibet, ut dixi Isaiæ 1. 1. promiscue nunc vocatur *verbum*, nunc *visio ;* quanquam et proprie verba Angeli in hac visione misceantur et intercurrant.

Dicens,] id est, ostendens id quod sequitur, quodque enarrat inquiens.

8. Vidi per noctem.] Nox enim aptior visionibus ; in ea enim quiescentibus collectisque sensibus phantasia vivacius concipit et intuetur sua phantasmata , præsertim à Deo vel Angelo impressa. Symbolice nox hæc erat symbolum calamitatis , in qua Judæi Babylone redeuntes versantur , quæ in diem , lucem et lætitiam restaurationis urbis et templi mox erat convertenda. Calamitas enim opportuna est ad audiendum verbum Dei , quia cor instar ceræ emollit. Hinc vexatio dat intellectum auditui. Ita S. Hieron.

Unde moraliter S. Gregor. lib. 2. Moral. c. 2. docet S. Scripturam solere per tempus rei exitum significare : *A qualitate* , ait, *temporis finis exprimitur actionis ; sicut non rediturus ad veniam , ad traditionis perfidiam nocte Judas exiisse perhibetur , cum egrediente illo ab Evangelista* (S. Joanne cap. 18.) *dicitur : Erat autem nox. Hinc enim et iniquo diviti dicitur Lucæ* 12 *: Hac nocte repetent animam tuam abs te. Anima quippe quæ ad tenebras ducitur , non in die repeti , sed in nocte memoratur. Hinc est quod Salomon , qui sapientiam non perseveraturus accepit* , 3. *Reg.* 2. *in somnis hanc et nocte accepisse describitur. Hinc est quod Angeli ad Abraham meridie veniunt , puniturì autem Sodomam , ad eam vespere venisse memorantur. Quia igitur B. Job tentatio ad victoriam deducitur , à die cœpta perhibetur , cum dicitur : Quadam autem die cum venissent Filii Dei , etc.*

Et ecce vir ,] puta Angelus speciem viri assumens ; Angelum enim fuisse patet v. 11. Hebræi, S. Hieron. Theodor. et passim alii censent fuisse S. Michaelem ; hic enim olim Synagogæ

Judæorum fuit custos, uti nunc est Ecclesiæ Christianorum, uti patet Daniel. 10. 21. et c. 12. 1. licet aliqui Gabrielem fuisse autument, qui est fortis præliator pro populo Dei, uti patet Daniel. 9. 21. et cap. 10. 5.

Super equum rufum.] Insidet equo, quasi celer et festinus ad auxilium populi sui; eique rufo, quasi sanguinarius vindexque acer in hostes Judæorum. Equus enim notat multa, scilicet velocitatem, generositatem, dignitatem, ardorem præliandi, victorias, gloriam et triumphos S. Michaelis.

Aliter Theodoret. Insidet, ait, equo rufo, ut significet populi afflictionem : *Nam equus rufus hostium conjurationem et indignationem ostendit; quia sanguinarius et rufus est furor.* Nove ergo Arias per virum hunc accipit Alexandrum Magnum, cujus equus fuit rufus, scilicet Bucephalus, ita dictus quod capite et colore similis esset bovi; boves autem communiter sunt rufi; præsertim in Græcia aliisque regionibus calidis. Censet ergo hîc significari quod Alexander monarchiam à Persis ad Græcos sit translaturus. Verum de hac re non agit hîc Propheta. Porro Theodor. equum hunc rufum vocat spadicem, id est panicei coloris, qui maxime commendatur in equis, de quo audi Virgil. 3. Georg. dum generosum equum hisce notis depingit :

Illi ardua cervix,
Argutumque caput, brevis alvus, obesaque terga,
Luxuriatque toris animosum pectus : honesti
Spadices, glaucique : color deterrimus albis.

Jam ex generositate equi animos, vires et iras equitis intellige et metire. Eos exigebat rei et afflictionis difficultas. Erant enim Judæi in profundum, ut mox dicetur, calamitatum demersi : valido ergo magnique zeli liberatore et propugnatore Angelo indigebant. Ubi nota : Afflictis solent præsto esse Angeli, et quo major est afflictio, eo ipsi majus robur, opem et consolationem afferunt.

Mystice, hic vir stans inter myrteta est Christus, qui in carne quam ex myrto, id est B. Virgine, assumpsit, in medio Patriarcarum, Prophetarum, ac Sanctorum veteris et novi testamenti, quasi inter myrteta consistit. Equus rufus est humana natura, cui insidet deitas, quam sumpsit ex primo parente, qui à terra rufa, ex qua plasmatus est à Deo, dictus est Adam, id est rufus, quamque rubricavit sanguine, tum suo, tum hostili, quem victor sparsit, juxta illud Isaiæ 63. 1 : *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? etc. Quare ergo rubrum est vestimentum tuum? Torcular calcavi solus, etc.* Ita Petrus Abbas Cellensis lib. de Panibus cap. 23. tom. 8. Biblioth. SS. Patrum. Sequuntur eum equi rufi, albi et varii, id est Apostoli, Martyres et Virgines : item fabri, id est doctores et prædicatores, qui omnes Ecclesiam Christi ædificarunt, Christique hostes fabricam hanc impedire volentes dejecerunt.

Inter myrteta,] id est loca myrtis consita; Syrus, *inter arbores opacas*, vel umbriferas; Arabicus Alexand. *inter duos montes se invicem cernentes*, id est obvios. Grammatico sensu notat Babylonem, in qua Judæi fuerant captivi; myrtus enim ob siccitatem amat loca demissa, profunda et irrigua, qualis est Babylon, quæ vicina est Euphrati et Tigri. Ita Arias et Vatabl. quin et Chald. qui vertit : *Et ipse stabat inter arbores myrtinas quæ sunt in Babylone.* Unde addit *in profundo*, id est prope profundum, scilicet aquarum et fluminum. Ibi ergo visus est Angelus, ut significet Judæorum captivitatem et calamitatem Babylonicam, in qua quasi in profundo demersi et pene absorpti fuerunt, juxta illud psal. 58. 3 : *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia;* seque illos magna ex parte inde eduxisse et liberasse, ac cæteros inde liberaturum, dum eos qui redierant propediem adjuvabit in reædificatione urbis Jerusalem et templi, qua peracta cæteri ex Babylone illico in Jerusalem advolabunt. Itaque Michael apparet inter myrteta, quia læta nuntiat de templi fabrica et gloria; myrtus enim hilaritatis est indicium. Unde olim mos fuit in conviviis, circumlato myrti ramo, convivas ad cantandum excitare; singuli enim eo in manus accepto partes canebant suas, teste Plutarcho in Sympos. Et Horatius adveniente verno tempore, quo se undecumque patefacit hilaritas, decore ait : *Viridi nitidum caput impedire myrto.* Atque ubicumque conviviorum lætitiam celebrat, coronas è myrto inferri jubet. Ita Pierius Hierog. lib. 50, cap. 27. Rursum symbolice per myrteta intelligit familias et cœtus Judæorum fidelium et justorum, qui in Babylone vel fuerant captivi, vel adhuc erant inquilini, quales erant Esdras, Nehemias, Zorobabel, Jesus, Aggæus, etc. Inter hos ergo stetit Michael. Myrtus enim significat justos, ob soliditatem, pulchritudinem et fragrantiam bonorum operum. Unde Esther regina pia et sancta cap. 2. vers. à Mardochæo, ob pulchritudinem et gratiam, vocata fuit hebr. הדישה *hadisça*, latine *edissa*, id est, myrtus, vel myrtea. Ita S. Hieron. Remig. Albert. et Hugo.

Alludit ad nomen, mores, aulam, familiam et familiares Esther reginæ; hæc enim vocata est *hadisça*, id est myrtus. Ipsa enim vixit sub hoc tempus, imo à nonnullis Chronologis virisque doctis ex multis magnisque conjecturis, censetur ipsa fuisse uxor hujus Darii Histaspis, ideoque eum tam benevolum fuisse Judæis, ut præter alia templum eis reædificari curarit. Qua de causa sub eodem prophetarunt Aggæus et Zacharias. Visus est ergo, inquiunt, Angelus stare inter myrteta, id est, in aula et familia Esther, quæ virtute et nomine erat myrtus, quasi portendens ejus conjugium cum Dario, quod anno sequenti, puta anno 3. Assueri, id est Darii (Assuerus enim erat commune nomen regum Persarum) peractum est, ut patet Esther 1. 3. Rursum inter myrteta, id est, inter Estheris reginæ familiares et asseclas, puta Mardochæum, Esdram, Nehemiam, Zorobabel, Jesum, qui Estheri reginæ obsecundabant, erantque pariter virore et vigore animi morumque, myrti et myrteta, utpote principes eminentes in populo. Olim enim principes myrteis coronis coronabantur, teste Suida. Unde proverbium : *Myrteam coronam ambis,* id est principatum, vel magistratum ambis.

Sic mystice, nostra *hadisça* et myrtus, nostra Esther est B. Virgo, qui sibi devotos salvat; et ab Aman, id est à diabolo, liberat. Stant ergo Angeli inter myrteta, id est, sub B. Virginis alis et umbra, vel inter ejus fideles, congregationes et cœtus ipsi dicatos, ut per ejus merita et preces suis clientibus veniam, gratiam et consolationem impetrent. Myrtus enim læta et decora symbolum est felicitatis. Unde sicut ex myrtis opere topiario in hortis fiunt armati milites,

triremes, equites cataphracti; item phasiani, psittaci, philomelæ, etc. ad voluptatem et delicias; ita B. Virgo inter myrteta paradisi cœlestis, puta inter Angelos considens, imo præsidens, pollicetur suis non tantum opem, sed et consolationem, lætitiam, omnesque spiritus delicias; quæ præstat per hosce suos Angelos, qui cum suapte natura sint formæ expertes, quamlibet induere possunt, ac multiplicem armaturam, imo panopliam assumere, ut pro Deiparæ dominæ suæ honore et gloria, proque ejus cultoribus potenter decertent, utque Ecclesiam et domum Deo in anima fidelium ædificent. Sic Gentilibus Venus, pulchritudinis dea, myrtea dicebatur. Unde Plinius lib. 15. 29: *Ara*, inquit, *vetus fuit Romæ Veneris myrteæ.* Idem lib. 21. cap. 11: *In Ægypto*, ait, *sine odore hæc omnia* (rosa, lilium, viola, etc.), *tantumque myrtis præcipuus odor.* Quid pulchrius, quid suaveolentius Virgine Deipara? Una hæc Dei Venus, puta decor, gratia et venustas, omnes Satanæ mundique veneres obscurat, imo vanas et fœdas esse ostendit. Ipsa enim est abyssus gratiæ, pulchritudinis oceanus, charismatum omnium thesaurus, quæ sola, velut Esther, Assuerum Deum Patrem placavit, et invenit gratiam in oculis ejus, ut ab eo per Gabrielem Archangelum salutata sit: *Ave, gratia plena.* Nam et de ea dicitur Cantic. 4. 7: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* Et Eccli. 24. 24: *Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei; in me gratia viæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtutis, etc.* Jure ergo S. Bernard. hom. 4. super Missus est: *Ex ore*, inquit, *tuo*, ô Virgo, *pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique universorum.* Idem: Deus totius mundi pulchritudinem posuit in Maria, ut si quid spei, si quid gratiæ, si quid salutis in nobis sit, ab ea noverimus redundare. Quocirca cum eodem sermone 4. de Assumptione, eam invocemus assidue, ac dicamus: *Sit igitur pietatis tuæ, Virgo benedicta, ipsam quam apud Deum invenisti gratiam, notam facere mundo, reis veniam, medelam ægris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adjutorium, et liberationem sanctis tuis precibus obtinendo. Amen.* Maria ergo est myrtus Dei.

Porro Theodor. ex Septuag. pro *myrteta* legit *montes umbrosos*, per quos intelligit Dei providentiam, sub qua omnes vivunt, ex qua prodit hic Angelus, ut eam circa tutelam Judæorum exsequatur. Montes hi sunt umbrosi, quia judicia Dei sunt obscura et occulta.

Moral. nota: Apposite justus, ac præsertim B. Virgo comparatur myrto: primo, quia myrtus amans valles designat ejus humilitatem, quæ sanctitatis est fundamentum; secundo, quia myrtus crescit juxta aquas. Unde Virg. Georg. 4:

Et amantes littora myrti.

Ita justus crescit per lacrymas compunctionis et pœnitentiæ, perque aquas tribulationis et patientiæ; tertio, myrtus fert baccas saporis præcipui, ex quibus fit vinum: ita justus fert fructus bonorum operum, sapidos Deo et hominibus, ex quibus fit vinum exsultationis quod lætificat Angelos; quarto, myrtus est valde odorata et bella, hinc odorem gratum ori et halitui conciliat, ait Plinius lib. 23. 9. Unde etiamnum qui stomacho laborant et halitum habent fœtentem, pro remedio mane comedunt baccas è myrto, quocirca à Gentilibus Veneri fuit dicata, teste Plinio lib. 12. cap. 1. Ita justus spargit ex se odorem bonæ famæ, ac morum candore, modestia, et suavitate omnibus gratum se efficit, præstatque illud Apostoli monitum: *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus*, Colos. 4. 6. quinto, myrtus semper viret. Ita justus virorem virtutum semper conservat et auget; sexto, oleum ex myrto astringit et indurat, ait Plinius lib. 23. cap. 4. et cap. 9: *Semen ejus*, ait, *medetur sanguinem exscreantibus, datur et dysentericis denarii pondere in vino.* Ita justus fluxum noxiarum cupiditatum cohibet et restringit; septimo, in festis, ludis, etc. cingebant tempora myrto, ut canit Virgil. Georg. 1. et Tibul. lib. 1. eleg. 3.

Et gerit insigni myrtea serta coma.

Myrtus ergo denotat lætitiam spiritualem et exsultationem quam ob quietem conscientiæ possidet justus. Unde Lyranus ad litteram per myrteta accipit gaudium Judæorum de urbis et templi restauratione, quodque jam reipsa rursus visuri essent myrtos et myrteta juxta urbem et templum conseri et plantari. Porro hoc gaudium fere ingens et exaggeratum, innuit quod Angelus visus sit non inter myrtos, sed inter myrteta, id est silvas myrtorum. Ita Fernand. visione 29. sect. 2. qui et addit res odoriferas iis qui deficiunt, vigorem et vires reddere, ac proinde Angelum visum inter myrteta, quæ sunt odoratissima, ut Hebræis pene deficientibus, et ex timore collabentibus, consolationem et corroborationem ingerat; octavo, myrtis solent ornari et sepiri horti, prata, villæ. Unde Martial l. 5: *Myrtetis otiosis ordinata villa.* Ita justus est munimen æque ac ornamentum domus, collegii, urbis, reipubl. Ecclesiæ et universi; sicut ex myrtis fiunt topiaria, quæ sunt decus hortorum; nono, vinum myrto conditum, quod myrtiten vocant, valet ad sedanda tormina, ait Plinius lib. 30. cap. 7. et Columella lib. 12. cap. 38. ita justus sua patientia et virtute sedat et superat omnia morborum et tormentorum tormina. Insuper Theodor. *Myrtus*, inquit, *est planta odorata, habens vim morbos calidos refrigerandi.* Ita æstus iræ et libidinis per Dei gratiam restinguit justus; decimo, Plinius lib. 15. cap. 19: *Succorum*, ait, *natura præcipuam admirationem in myrto habet, quando ex una omnium olei vinique bina genera fiunt.* Subdit veteres baccis myrti pro pipere usos. Ita omnia in justo sunt succulenta, sapida, acria et efficacia; undecimo, ibidem Plinius asserit myrtum valere ad expurgandam bilem, ideoque ad conciliandos. Unde *traditur*, inquit, *myrtea verbena Romanos Sabinosque, cum propter raptas virgines dimicare voluissent, depositis armis purgatos, in eo loco qui nunc signa Veneris Cluacinæ habet. Cluere enim antiqui purgare dicebant, ideo tum electa, quoniam conjunctioni, et huic arbori Venus præest.* Ita justus ubique dissidentes conciliat, sequiturque illud Christi: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*, Matth. 5. duodecimo, ibidem Plinius: *Cato*, inquit, *tria genera myrti prodidit, nigram, candidam, conjugalem; fortasse à conjugiis ex illo Cluacinæ genere.* Et mox: *Folia et per se siccantur in farinam ad ulcerum remedia in corpore humano, leniter mordaci pulvere, ac refri-*

gerandis sudoribus. Quinimo oleo quoque (mirum dictu) inest quidam vini sapor, simulque pinguis liquor, præcipua vi ad corrigenda vina, saccis ante perfusis. Ita justus in sanctitate sua, verbisque et correptionibus quippiam habet acre et mordax, quo aliorum vitia et defectus castiget: *Blanda*, inquit S. Hieron. dialog. 1. contra Pelag. *est adulatio, pulchreque adulator apud Philosophos definitur blandus inimicus; veritas amara est, rugosæ frontis ac tristis*, *offenditque correctos;* decimo tertio, ex myrto fiebat ovantium corona, subinde et triumphantium, ait Plinius ibidem. Hæc designat coronam triumphi, quam justorum virens semper virtus, eaque heroica meretur; decimo quarto, myrtus, ait Plinius lib. 23. cap. 9, *ulcera difficilia in extremitatibus corporis sanat. Imponitur lippitudini cum polenta, et cardiacis in mamma sinistra. Et contra scorpionis ictus in mero, et ad vesicæ vitia, capitis dolores, et ægilopas antequam suppurent. Item tumoribus, exemptisque nucleis in vino vetere tritum eruptionibus pituitæ. Succus seminis alvum sistit, urinam ciet. Ad eruptiones pustularum pituitæque cum cerato illinitur. Capillum denigrat.* Subdit deinde eamdem valere contra ignem sacrum, capillos fluentes, furfures, articulares morbos, hydropem, hæmorrhoides, lentigines, aures purulentas, renum dolores, morbum regium et calculum. Ita nullum est malum, quod justus sua virtute per gratiam Dei non curet, nulla tentatio, quam non superet; nullum vitium, quod constantia et fortitudine sua non debellet et expugnet. Nam superbiam superat humilitate, iram mansuetudine, gulam abstinentia, libidinem mortificatione, avaritiam liberalitate, acediam fervore et zelo, etc. Decimo quinto, myrtus est brevis vitæ, sed celeris fructus. Audi Plinium lib. 17. cap. 13: *Quædam*, ait, *natura tarde crescunt, et in primis semine tantum nascentia, et longo ævo durantia. At quæ cito occidunt, velocia sunt* (in ferendo fructu) *ut ficus, punica, prunus, malus, pyrus, myrtus; et tamen antecedunt divitiis. In trimatu enim ferre incipiunt.* Ita Sancti eminentes et ardentes brevis sunt ævi; sed illud multis et heroicis virtutibus implent, ut videre est in S. Agnete, Cecilia, S. Stephano, S. Laurentio, Lino, Cleto, Clemente, omnibusque primis S. Pontificibus.

Denique myrtus sacris adhibebatur, ait Plinius, lib. 16. c. 32. qui et lib. 15. cap. 29. de antiquissimo delubro Quirini, hoc est Romuli, ait: *In eo sacræ myrti fuere duæ, ante ædem ipsam per longum tempus.* Myrtus ergo denotat religionem, orationem et devotionem sanctorum. Hisce de causis Ecclesiæ dotes et decora describens Isaias cap. 41. 19. ait: *Dabo in solitudine* (Gentium) *cedrum, et spinam, et myrtum, et lignum olivæ.* Et cap. 55. 13: *Pro saliunca ascendet abies, et pro urtica crescet myrtus.* Ita de Judæis euntibus in Babylonem, quasi ad carcerem dicitur Psalm. 136. 2: *In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra.* Jam vero cum ex Babylone redeunt læti et spebus pleni, salices eis mutantur in myrtos. Unde inter myrteta apparet Angelus, ut lætitiam eorum indicet et adaugeat. Qua de causa et Levit. 23. 40. in festo Tabernaculorum jubentur Judæi gestare ramos ligni densarum frondium, id est, myrti, ut vertit Chald. Joseph. et alii, ut iis testentur et repræsentent lætitiam qua eos cumulavit Deus, cum ipsos ex Ægypto et deserto traduxit, et collocavit in terra promissa, puta in Chananæa.

Et post eum equi rufi, varii et albi.] Pro *varii* hebr. est שרקים *serukim*, quod Arias vertit *sericeum*, qualis est color serici nativi antequam tingatur, puta flavum, sive fulvum, ut vertit Arabicus Antiochenus: aut croceum, qualis est color auri. Marinus in Lexico *serukim* deducit à *sorec*, quod erat genus vitis et uvæ optimæ; unde *serukim* vocari colorem uvæ optimæ. Alii *serukim* deducunt à שורק *scorec*, id est, surculus, ut significet spadicem, id est, surculum palmæ cum fructu, qui est coloris punicei. Verum Septuag. Noster, Chald. et alii vertunt, *varii;* alii, *multicolores.* Unde Arabicus Alexandrinus vertit: *Et circum eum equi rufi etiam, et flammei, et fulvi, et nigri.* Alii, *pectinati;* alii, *electi:* nisi per varium colorem intelligas medium, ideoque mixtum. Nam flavus color est è viridi, rubro et albo concretus, ideoque est fulvo clarior, qualis est auri. Unde notat gentes medias, puta partim amicas, partim inimicas Judæis.

Nota primo, sub equis, metonymice intelligi sessores et equites. Nam de iis subdit: *Isti sunt quos misit Dominus.*

Secundo, equites hosce designare Angelos custodes regnorum: sequuntur enim primum equitem, puta S. Michaelem, quasi ducem et antesignanum.

Tertio, color innuit qualitatem et conditionem regnorum et gentium quibus præerant, ac præsertim diversos earum mores et affectus erga Judæos. Ita Hebræi, et ex iis S. Hieron. quem sequuntur de more Haymo, Albert. Remig. et Hugo. Equi ergo rufi significant Angelos præsides gentium sanguinolentarum, quæ Judæam cæterosque populos bello, rapinis et cædibus vastarant, quales tum erant Assyrii et Chaldæi. Albi ob colorem lucidum et lætum, significant præsides gentium pacificarum, et Judæis propitiarum, quales tunc erant Persæ et Medi. Varii, id est variorum colorum, significant Angelos præsides gentium quæ varios habebant status et inclinationes, nunc ad pacem, mox ad bellum; nunc ad amicitiam et beneficia, mox ad odia et maleficia; nunc ad bona, mox ad mala et clades inferendas, quales tunc erant Macedones et Græci. Ita Hebræi, S. Hieron. et ejus asseclæ. Verum quia tunc nondum erat imperium et potentia Macedonum, utpote quæ cœpit à Philippo, Patre Alexandri Magni; hinc potius per equos varios accipias varias gentes Judæis vicinas, eisque partim amicas, partim inimicas, vel nunc benevolas, mox infensas, quales erant Ægyptii, Tyrii, Sidonii, Syri, Ammonitæ, etc. Perperam ergo nonnulli per equum primum, scilicet rufum, accipiunt Romanos. Alii minus male per equos varios, sicut flavos, accipiunt Romanos, præsertim Titum et Vespasianum, qui fuerunt è gente Flavia. Sed hoc non est litterale, nec genuinum. Nam Romani tunc erant tenues et obscuri, nihilque commune habebant cum Judæis, multo minus eis erant rufi, id est, sanguinarii: hinc melius per equos rufos accipiemus Chaldæos, ut dixi. Hi ergo Angeli repræsentant suas gentes; quas cum ipsi perambulassent, statumque singularum lustrassent v. 11, nuntiant omnes gentes totamque terram pacem colere, et pacifice domi suæ habitare, ibique quiescere. Hæc enim visio eò spectat, ut Zacharias persuadeat Judæis fidenter progredi in fabrica templi

et urbis, eo quod omnes circumquaque gentes in pace degant, nec Judæis bellum sint illaturæ, aut fabricam impedituræ. Aliter hi equi accipiuntur c. 6. Ibi enim sunt quadricolores, et significant quatuor monarchias sibi ordine succedentes; hìc vero sunt tricolores, et significant præsentem gentium statum, et triplicem earum affectum erga Judæos, de quo plura cap. 6.

Porro ait *equi*, non *equus:* quia singuli Angeli, vel potius Archangeli, utpote principes et præsides gentium, non veniebant soli, sed stipati suis cohortibus Angelorum. Idem multo magis dicendum de Michaele. Insuper equi rufi, varii et albi significant Angelos variis muneribus destinatos, scilicet alios ad exercendam severitatem et vindictam, alios ad beneficentiam et misericordiam, alios partim ad vindictam, partim ad misericordiam. Impertinens ergo et improbabilis est opinio Ariæ, qui per virum inter myrteta consistentem accipit Alexandrum Magnum; per equos vero rufos varios et albos Alexandri successores Seleucum, Philippum, Antigonum et Ptolemæum, qui ejus monarchiam secuerunt et inter se diviserunt. Zacharias enim 200. pene annis Alexandrum antecessit, agitque de rebus præsentibus, puta de præsenti Judæorum consolatione, ut eos ad præsentem templi fabricam incitet et impellat, ad quam nihil contulit Alexander. Probabilius quis diceret in equis hisce alludi ad imperium præsens Persarum, quibus suberant Judæi : Persæ enim equis pollebant, uti etiamnum equitatu pollent contra Turcas. Hinc per hinnitum equi Darius Hystaspis creatus fuit rex Persarum, cujus anno regni 2. hæc visio obtigit Zachariæ.

Mystice S. Ambros. in Symbol. Apost. tom 4. per equos rufos accipit Martyres; per albos, virgines; per varios, vel, ut ipse ex Septuag. legit, *sturninos*, id est, colore sturni avis, doctores : *Sequebantur*, inquit, *eum equi variorum colorum, id est, qui vel martyrio rubri; vel sturnini in volatu, hoc est varii in virtutibus; vel candidi in virginitate monstrantur.*

9. Et dixit ad me Angelus qui loquebatur in me.] Hic Angelus videtur fuisse custos Prophetæ, qui ei revelavit sua hæc oracula, eique has visiones ostendit. Ait enim : *Ego ostendam tibi quid sint hæc.* Alius ergo fuit à Michaele : Michael enim erat custos totius populi, stabatque inter myrteta : hic autem erat custos Zachariæ, et in eo loquebatur. Ita S. Hieron. Remig. Albert. Hugo, Lyran. licet contrarium censeant Rabbini, Theodoretus et Vatabl. scilicet hunc Angelum fuisse eumdem cum eo qui stabat inter myrteta, puta cum Michaele. Michael enim volens consolari populum illuminavit Zachariam, ostenditque illi has visiones et verba consolatoria, ut easdem ipse referret populo, iisque illum consolaretur. Verum prius quod dixi planius est, magisque textui consonum. Porro ex eo quod dicit de Angelo hoc suo : *Loquebatur in me*, putant aliqui Angelum hunc suggerentem oracula Zachariæ, non exterius voce, sed interius mentali vel imaginaria inspiratione illi fuisse locutum, eumque quasi possedisse et rexisse, uti dæmon possidet et regit energumenos, idque innuit S. Gregor. lib. 28. Moral. c. 2 : *Dum*, inquit, *ad se quidem, sed in se tamen loqui Angelum dicit, liquido ostendit quod is qui ad ipsum verba faceret, per corpoream speciem extra non esset.* Verum dico hæc hoc modo contigisse : per visionem imaginariam à Deo objectam Zachariæ, videbatur ipse sibi videre Angelum suum prophetalem oretenus secum, et cum Michaele colloqui. Rogat enim hic Angelus Michaelem, ut Zachariæ explicet quinam sint isti equi rufi, varii et albi. Unde Michael ab eo interrogatus respondet :

10. Isti sunt quos misit Dominus ut perambulent terram,] q. d. Isti sunt Angeli præsides regionum, quos Deus misit lustrare easdem. Mox Michael eosdem Angelos interrogat, quasi eorum princeps de regionum statu, quidnam in hac lustratione viderint, qui sese habeant regiones illis creditæ. Cui ipsi respondent : *Perambulavimus terram, et ecce omnis terra habitatur et quiescit*, ut scilicet Zacharias sciat plenam esse pacem inter gentes, præsertim Judææ vicinas, illasque Judæis fore pacificas, ut eos bello non lacessant, nec impediant urbis templique fabricam. Dices : Cur ergo ait de hoc Angelo : *Qui loquebatur in me?* Resp. esse hebraismum : *in me*, hoc est *mihi*, vel mecum, ut vertit Chald. Adde, τὸ *in me* significat visionem hanc non fuisse realem, sed imaginariam, in qua Angelus hæc omnia in mente, vel potius in imaginatione Zachariæ pingebat et loquebatur. Videbatur enim Zacharias sibi videre Angelos ad invicem colloquentes, suumque Angelum sibi hæc visa et colloquia ostendere et suggerere; non vero corporalibus oculis exterius hæc videbat et audiebat.

11. Perambulavimus.] Hebr. הלך *halach*, id est, ambulare, perambulare, in principibus, quales sunt Angeli, notat principatum, puta actum visitandi, inquirendi, perscrutandi, disponendi res omnes. Unde illud Ezech. 28. 14 : *In medio lapidum ignitorum ambulasti*, q. d. Inter Cherubinos tu, ô Cherub, principatum habuisti. Sic 1. Machab. 3. 8 : *Judas perambulavit*, quasi superior judex et vindex, *civitates Juda, et perdidit impios ex eis.* Sic de Deo dicunt impii Job 22. 14 : *Circa cardines cœli perambulat, nec nostra considerat*, q. d. Deus regit cœlos, terram despicit et negligit. Levit. 26. 12. ait Deus : *Ambulabo inter vos*, quasi princeps, protector, provisor vester. Unde subdit : *Et ero Deus vester, vosque eritis populus meus.* Sic ex adverso Satan ait Job, 1. 7 : *Circuivi terram, et perambulavi eam.* Et Psal. 90. 6 : *A negotio perambulante in tenebris*, id est, à dæmone regnante et grassante noctu, æque ac eo qui grassatur per diem; de quo subdit : *Ab incursu et dæmonio meridiano.* Sic rex *Antiochus perambulabat superiores regiones* cum exercitu, 1. Machab. 6. v. 1. Sic etiamnum reges Mogor et Æthiopiæ stipati, hic sexaginta, ille ducentis, imo subinde quingentis millibus armatorum, jugiter ditiones et regna sua, utpote vastissima perambulant, ut ea in pace contineant, lustrent, dirigant et moderentur. Pari modo hi Angeli provincias sibi creditas perambulabant, quasi eorum inspectores, custodes et præsides. Addit S. Hieron. Remig. et Hugo Angelos hosce, perambulando regna sibi commissa, debellasse gentes vicinas vel rebelles, vel hostiles, easque suis regnis subjecisse, itaque plenam omnibus pacem conciliasse. Denique vox *perambulavimus*, significat exsecutionem divinæ providentiæ per Angelos publice exercitam et demonstratam, licet ea ex obscuris causis et occultis judiciis prodeat, puta ex Dei

consilio, quod *in profundo, et inter myrteta,* et, ut Septuag. *inter montes umbrosos latet.*

Omnis terra habitatur et quiescit.] *Omnis terra,* scilicet vicina Judææ. Nam in remotis fuere bella. Unde Romani anno 9. hujus Darii Histaspis, inquit Euseb. in Chronico, Tarquinium Superbum suum regem urbe et regno expulerunt, ejusque loco crearunt Consules Junium Brutum et L. Tarquinium Collatinum. Quin et Darius hìc paulo post obsedit et cepit Babylonem, ac tandem invasit Græciam cum sexcentis millibus militum, qui omnes à paucis Græcis, duce Miltiade, apud Marathonem profligati sunt, teste Justino, Herodoto et aliis.

12. Et respondit Angelus Domini, et dixit: Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Jerusalem?] Angelus hic videtur fuisse non custos Zachariæ, sed custos totius populi Judaici, puta Michael. Orat enim pro toto populo sibi commisso. q. d. Cum omnes cæteræ gentes in pace et prosperitate degant, cur, ô Domine, solos Judæos sinis turbari à Cambyse, à Samaritis et aliis hostibus, qui urbis templique fabricam hucusque impediverunt? Usquequo differs misereri Jerusalem, quæ à paucis civibus Babylone redeuntibus habitatur, nec muris plene, nec templo est septa? 1. Esdræ 5. Usquequo non efficis ut ipsa, aliæque urbes Judææ, ac præsertim templum in ea restauretur? En *jam septuagesimus annus est,* desolationi ejus à te decretus et præstitutus. Ita S. Hieronym. Theodoret. Haymo, Albert. Hugo et Lyran.

Iste jam septuagesimus annus est.] Dixit hæc Angelus anno 2. Darii Hystaspis, ut patet v. 1. Hoc ergo 2. anno impleti sunt hi 70. anni: unde sequitur eos divisos esse ab annis 70. captivitatis Babylonicæ, de quibus Jeremias c. 25. 11. et cap. 29. 10. Illi enim finiuntur anno 1. Cyri, qui captivitatem solvit, et Judæos è Babylone à se capta remisit in Jerusalem, ut patet 1. Esdræ 1. 1. Hi vero inchoantur ab excisa à Chaldæis urbe et templo, quod contigit anno 11. Sedeciæ, qui fuit 18. Nabuchodonosoris, ac finiuntur anno 2. Darii Hystaspis. Quocirca hi Zachariæ vocantur anni 70. desolationis scilicet urbis et templi; priores vero Jeremiæ vocantur anni 70. captivitatis, scilicet Judæorum. Ita Euseb. in Chron. Clemens, lib. 1. Stromat. S. Hieron. proœmio in Aggæum, S. August. lib. 18. de Civit. c. 26. Emmanuel, Torniellus in Chron. anno mundi 3462. (qui tamen hosce Zachariæ annos inchoat ab ultima captivitate Judæorum, qua scilicet post excisam Jerusalem profugi in Ægyptum, inde juxta oraculum Jeremiæ à Chaldæis abducti sunt in Babylonem, quod contigit anno 27. transmigrationis Joachin, sive Jechoniæ) Ribera, Sanchez, à Castro et alii hìc, ac Fernandez visione 29. sect. 1. Favet Zacharias c. 7. v. 5. ubi anno 4. Darii Hystaspis de hisce 70. annis desolationis ait: *Cum jejunaretis et plangeretis in quinto, et septimo per hos septuaginta annos.* Ubi nota pronomen *hos,* quod designat annos præsentes, non præteritos ante Cyrum.

Aliqui tamen censent eosdem esse annos 70. Jeremiæ et Zachariæ, desolationis et captivitatis, eosque jam finitos fuisse anno 1. Cyri. Unde verba hæc Zachariæ legunt per interrogationem, vel admirationem, q. d. Istene, Domine, est septuagesimus annus libertatis nostræ, à Jeremia c. 25. et Daniele c. 9. 2. prædictus? q. d. Non tantum septuagesimus, sed octogesimus et amplius est annus hic captivitatis nostræ, et tamen necdum miseriarum nostrarum est finis. Licet enim è captivitate redierint nonnulli, multi tamen adhuc in Babylone degunt; et qui redierunt tot ærumnis affliguntur, ut satius pene esset, eisque optabilius mansisse et vivere in Babylone. Ita Albertus, Hugo, Lyran. et Mariana. Verum nullam interrogationis vel admirationis notam habent Biblia Romana, licet illam habeant Biblia Plantiniana. Quare prior sententia uti communior, ita verior est.

Ex qua recte deducas annos 70. captivitatis inchoari anno 11. Joakim, quo ipse occisus est, et post tres menses ejus filius et regni hæres Joachin, sive Jechonias captivus abductus est in Babylonem: eosdem vero finiri anno 1. Cyri, uti ostendi cap. 25. et 29. Jeremiæ. Annos vero 70. desolationis, de quibus hìc Zacharias, 11. annis posterius incipere, scilicet anno 11. Sedeciæ, et 11. annis posterius finiri, scilicet anno 2. Darii Hystaspis. Hinc rursum colligas Cyrum solvisse captivitatem Judæorum, et expugnasse Babylonem anno 1. non regni sui, uti censent. Euseb. in Chronic. Africanus, S. Hieron. hìc, Perer. et alii, sed monarchiæ; vixit autem monarcha per tres duntaxat annos, uti constanter asserunt Hebræi in Seder Olam. Unde et Daniel tertii tantum anni Cyri meminit, cap. 10. vers. 1. Scio Xenophontem Cyro dare 7. annos monarchiæ; sed Xenophon in Cyro non tam ejus gesta et historiam, quàm ideam insignis regis et monarchæ describit, uti Plato in Republ. ideam reip. non existentis, sed Platonicæ, id est, ejus quam sibi optimam imaginatus est Plato, depingit. Hosce enim 7. annos difficile est adaptare sacræ Scripturæ: licet enim nonnulli idcirco annos 70. captivitatis citius inchoent, scilicet ab anno 3. Joachim, quo in Babylonem abductus est Daniel, cap. 1. 1. tamen computus annorum ex æquo non respondet. Nam ab anno 3. Joakim usque ad 11. ejusdem, fluxerunt octo anni, quos non adæquant anni 7. Cyri: nam ex illis demendi sunt tres, quos cum Hebræis eidem Cyro dedimus, computando annos 70. captivitatis ab anno 11. Joakim usque ad annum 1. monarchiæ Cyri. Verum de his plura 1. Esdræ 1. 1.

Moraliter idipsum dicamus, idipsum oremus et obsecremus pro Anglia, Scotia, Dania, Suecia, Germania, etc. in quibus stetit statque hæresis, et desolatio templorum, monasteriorum et sacrorum omnium per septuaginta annos et amplius: Usquequo, Domine, non misereberis Angliæ? etc. Iste jam desolationis ejus septuagesimus, imo pene centesimus annus est. Ergone plus peccavit Anglia, quàm Jerusalem et Judæa, ut, cum illa septuaginta annorum captivitate peccata sua expiarit, Anglia centum annis expiare non possit? Peccavit utique et grande peccatum peccavit, faciens schisma à te tuaque Ecclesia; sed pro eo sanguinem suum fuderunt tot centeni Martyres, qui instanter orant pro ea, et clamant, non vindictam, ut sanguis Abel, sed misericordiam. Accipe has hostias pro peccato, eorumque sanguine schisma hoc ablue et dilue: quia pius et φιλόψυχος, animas amas, quas creasti, et Christi tui sanguine redemisti.

13. Verba bona,] id est, consolatoria Judæorum, verba boni ominis, verba fausta, puta

lætum boni tandiu votis expetiti oraculum, de futura Hierosolymæ felicitate, cum ad eam Dominus reverteretur in misericordiis, ut sequitur: *Bona*, inquit S. Hieron. *de futurorum promissione, consolatoria de præsentium necessitate.* sic Virgil. eclog. 5:

Amat bonus otia Daphnis,

bonus, id est, felix, beatus, doli expers, candidus. Quocirca verbum bonum, non tantum dignitatem rei, cujus oraculum edit, sed etiam oraculi veritatem, ac promissorum certitudinem magnitudinemque complectitur. Hinc Psaltes psal. 44: *Eructavit*, inquit, *cor meum verbum bonum*, q. d. Verbum quod mente concepi, tam est ominatum et felix, tam suave, tanta saturitate et voluptate cor replet, ut cogar os aperire, illudque ebullire, ac velut ebrius eructare. Porro *verba bona* sunt ea quæ subdit:

14. Zelatus sum Jerusalem et Sion zelo magno.] Zelus hic duos actus contrarios complectitur, nimirum amorem ardentem in Jerusalem, et iram ingentem in ejus hostes: horum enim odium ex ejus amore necessario sequitur, q. d. Ego vehementer amo Jerusalem, uti maritus zelotypus amat ardenter uxorem, ideoque vehementer irascor Chaldæis, eo quod illam tam crudeliter everterint, ejusque spoliis se ditarint, cum ego modice et leniter tantum illam per eos castigare intenderem, uti pædagogus castigat puerum et discipulum. Hoc est enim quod ait: *Quia ego iratus sum parum, ipsi vero adjuverunt in malum.* Ita Lyran. Vatabl. et alii. Chaldæos vocat *gentes opulentas*, hebr. שאננים *sçaanannim*, id est, ut Chald. *quæ secure degunt*, præfisæ sibi suisque viribus et opibus, nil timentes mali; Vatabl. *tranquillas;* Pagnin. *quietas;* Septuag. *quæ superpositæ sunt*, puta quæ dominantur.

Moral. nota hìc Deum post illatam plagam populo suo, defervescente furore, justam indignationem in ipsos convertere qui Deum ipsum incitarunt ad vindictam, vel eam exercuerunt, non ut Deo satisfacerent, sed ut suæ ambitioni et tyrannidi indulgerent. Exemplum est 2. Paral. 28. 9: *Iratus*, inquit, *Dominus Deus patrum vestrorum contra Juda, tradidit eos in manibus vestris, et occidistis eos atrociter, ita ut ad cœlum pertingeret vestra crudelitas, et peccastis super hoc Domino Deo vestro.* Et Psal. 68. 27: *Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt* irrisiones, probra, et subinde cum verbis verbera. Aliud est percutere, aliud persequi ad internecionem: illud est patris, hoc vero hostis: illud facit justitia, hoc livor: illud Deus sibi tribuit in Christi morte, dicens Isaiæ 53. 8: *Propter scelus populi mei percussi eum;* et Christus ipse idipsum Patri ascribit hoc loco Psalmi: istud vero sanguinariis Judæis imponit.

16. Revertar ad Jerusalem in misericordiis: hebr. ברחמים *berachamim*, id est, in miserationibus visceralibus, quæ scilicet ex intimis visceribus meis promanant, eaque commovent, afficiunt et affligunt, q. d. Intimam et visceralem compassionem et misericordiam multis modis donisque ostendam et exhibebo Hierosólymæ, atque ea impulsus faciam id quod sequitur: Domus (templum) mea ædificabitur in ea, et perpendiculum extendetur super Jerusalem,] id est, rursus ædificabitur Jerusalem. Est metonymia: nam ex perpendiculo, sive libella, quod architecti adhibent ut ad rectam lineam ædificent, et structuram adæquent, intelligit totam fabricam. In perpendiculo enim ex funiculo dependet plumbum, vel pondusculum, quod, utpote grave, vergit ad suum centrum, puta ad centrum terræ et totius universi: unde architecti eo utuntur, ut areas in quibus ædificant, complanent, et à centro mundi æqualiter distare faciant, quod liberare vocant: ac fabricam quam areæ, vel plano superædificant, ad perpendiculum erigunt, ut omnes ejus partes æquidistantes à centro, solide consistant; ne si una curvetur, magisque vergat ad centrum quàm alia, eò ruat, secumque alias partes, et totam fabricam in ruinam trahat. Quælibet enim res gravis pari pondere inclinat et tendit ad suum centrum, quod omnibus idem est et commune. Quare duo parietes fabricæ invicem oppositi, mathematice non sunt paralleli; quia si protenderentur, in centro terræ concurrerent; sed quia hæc differentia in tanta distantia à centro, est exigua et insensibilis, hinc physice censentur paralleli.

17. Affluent civitates meæ bonis.] Hebr. תפוצינה מטוב *tephutsena mittob*, id est, diffundent, dispergent se præ copia bonorum, ad ædificandum alias urbes et pagos. Septuag. vertunt: *Diffundentur civitates in bonis;* Chald. *Implebuntur bono.* Id præstitit Deus tempore Zorobabelis, et postea tempore Machabæorum, sed maxime tempore Christi.

18. Quatuor cornua.] Hebræi, et ex iis S. Hieron. per hæc accipiunt quatuor monarchias, scilicet Chaldæorum, Persarum, Græcorum et Romanorum, quæ Judæos variis per varias ætates affecere cladibus. Verum hoc parum est probabile. Primo, quia hæc visio eò spectat, ut Judæos Babylone redeuntes in præsenti ærumna sublevet et consoletur. Ergo non spectat ad Græcos et Romanos, qui necdum erant, nec Judæos afflixerant, sed post multa secula futuri erant, imo post hanc consolationem quam dat hìc Angelus: rursus quia Judæos afflixerunt, ac tandem funditus exciderunt sub Tito. Secundo, quia Persæ, ut Cyrus et Darius, benevoli fuerunt Judæis, eosque è Babylone liberarunt, ac potestatem eis fecerunt urbis et templi reædificandi. Ergo hi non fuerunt cornua contra Judæos cornutantia. Tertio, quia Persæ, Græci et Romani non potuerunt affligere Israelem, utpote jam eversum et abductum in Assyriam; sed tantum Judam: hæc autem cornua impetierunt Israelem, æque ac Judam, ut hìc dicitur.

Dico ergo cum Theodoreto, Clario, Ribera, Sanchez, à Castro et aliis, per *quatuor cornua* significari quatuor plagas orbis, gentesque in iis degentes, quæ tam Judæos, quàm Israelitas, sive decem Tribus bellis divexarunt, quales ab Oriente fuerunt Ammonitæ et Moabitæ, ab Occidente Philisthini, à Meridie Idumæi et Ægyptii, ab Aquilone Assyrii et Chaldæi. De his enim ait Angelus: *Hæc sunt cornua quæ ventilaverunt Judam, et Israel et Jerusalem.* Unde Chald. pro *quatuor cornua* vertit: *Quatuor regna.*

20. Quatuor fabros.] Hi fabri fuerunt quatuor Angeli, custodes et hyperaspistæ Jerusalem et Judææ. Vocantur *fabri*, quia veniunt ad hoc, ut cornua quatuor ferrea, quæ ita impetierunt Judæos, ut nemo eorum auderet levare caput,

deterreant, deprimant et amputent. Quocirca fabri hi ferrarii fuisse videntur: horum enim est ferro ferrea cornua resecare. Ita S. Hier. Cyrill. Theodor. Remig. et alii.

21. ET VENERUNT ISTI DETERRERE.] Nota: aliqui legunt, *deterere*, sed legendum cum Roman. *deterrere;* et hoc significat hebr. להחריד *lehacharid*, id est, ut tremorem eis incuterent, ut facerent ea tremere: per cornua enim intelligit gentes hostiles quas tremore concusserunt hi fabri, id est Angeli. Primo enim terrorem injecerunt gentibus hostilibus, deinde timore depressas succiderunt. Porro ferrea fuisse hæc cornua conjicere licet, ex eo quod valide concusserint et excusserint Judæam et Samariam: ergo valida erant: ergo ferrea. Nam, ut ait Daniel, cap. 2. 40: *Ferrum omnia domat.* Secundo, quia similia fecit ad similem effectum Sedecias pseudopropheta 3. Reg. 22. 11: *Fecit*, inquit, *Sedecias cornua ferrea*, ut ferreum et invictum robur regis Achab exprimeret, cui adulans ait: *His ventilabis Syriam.* Tertio, quia faber communiter ferrarium significat, nisi addatur murarius, lignarius, vel quid simile. Vatabl. tamen et Arias, uti cornua naturalia accipiunt, ita et per fabros accipiunt cornuarios, vel tornarios, qui scilicet in cornibus tornandis, secandis, poliendis laborant. Porro Angelos hæc bona præstitisse Hierosolymæ, quæ hîc promittit Zacharias, patet ex eventu: nam mox urbs et templum pacifice et splendide restaurata sunt, æque ac aliæ urbes Judææ. Unde cap. sequenti vidit Propheta virum fune dimetientem Jerusalem, hoc fine, ut eam reædificet, tantumque in ea numerum civium, ut urbs omnes non caperet.

Moral. disce hîc primo nullam esse potentiam regum vel tyrannorum, quæ non habeat aliam potentiorem supra se, ad quam oppresso confugere et appellare liceat. *Omne sub regno graviore regnum est.* Et Horat. lib. 3. ode 1:

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Jovis.

Quocirca Eccles. c. 5. 7: *Si videris*, inquit, *calumnias egenorum, et violenta judicia, et subverti justitiam in provincia, non mireris super hoc negotio; quia excelso excelsior est alius, et super hos quoque eminentiores sunt alii; et insuper universæ terræ rex imperat servienti.*

Secundo, magnam esse vim et potentiam Angelorum in omnes reges et regna, utpote qui solo ostentato malleo, vel ferro, quo decussuri sunt cornua regum, illico ipsos terrore et tremore percellunt: hoc enim significat τὸ *deterrere*, et efficacius hebr. *hacharid*, id est, tremore concutere. Hinc Daniel licet vir sanctus et fortis, videns Angelum, eumque alloquens cap. 10. 17: *Domine mi*, ait, *in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium; sed et halitus meus intercluditur.* Et mox de sociis: *Porro viri qui erant mecum non viderunt: sed terror nimius irruit super eos, et fugerunt in absconditum.* Sic passim in Script. viso Angelo de vidente dicitur: *Timor* vel *terror irruit super eum*, uti dicitur de Zacharia Lucæ 1. 12. Ubi S. Ambros. *Perturbamur*, ait, *et à nostro alienamur affectu, quando perstringimur alicujus superioris potestatis occursu.* Quinimo veterum opinio et sensus erat, adeo potentes et terribiles esse Angelos, ut ei qui eos videret necessario moriendum esset. Inde enim est illa vox Manue, qui fuit pater Samsonis: *Morte moriemur, quia vidimus Dominum*, puta Angelum, Jud. 13. 22.

Mystice S. Hieron. Quatuor cornua, inquit, quæ singulos domum Dei spiritualem ædificare volentes impetunt, sunt quatuor passiones animæ, puta gaudium, tristitiam, metus et spes, sive cupiditas, quas hoc versu complexus est Poeta:

Hi metuunt, cupiunt, gaudentque, dolentque.

Quis enim est, etiam fidelium justorum, qui non agitetur nunc metu, nunc spe, nunc lætitia, nunc tristitia? Quatuor fabri sunt quatuor virtutes cardinales, quæ hasce passiones edomant, nimirum prudentia, justitia, fortitudo et temperantia. Ita S. Hier. Aut magis proprie et pertinenter, sunt hæ quatuor. Primo, pœnitentia quæ sternit gaudium. Secundo, abnegatio sui et resignatio in voluntatem Dei, quæ interimit tristitiam. Tertio, magnanimitas et confidentia in Deum, quæ profligat timorem. Quarto, contemptus mundi, qui supprimit spem. Qui enim cum Magdalena deflet sua peccata, hic spernit omnia mundi gaudia, totusque mundus ei amarescit. Qui abnegat se suaque commoda, ac se resignat in voluntatem Dei, hic de nulla re tristatur; sed omnia æquo animo suscipit de manu Dei, qui diligentibus se facit omnia cooperari in bonum. Qui magnanimus est Deoque confidit, nil metuit. Qui contemnit omnia quæ in mundo sunt, eaque ut vana, vilia, brevia et exilia despicit, hic nihil in mundo sperat. Porro apte addit S. Hieron. *Qui vitia destruunt, virtutes ædificant, omnesque Sancti qui hæc remedia possidentes instaurant semper Ecclesiam, fabri appellandi sunt. Unde et Apostolus loquebatur: Quasi sapiens architectus fundamentum posui. Et iratus Dominus de Jerusalem ablaturum se dicit architectum, et virum sapientem. Et ipse Dominus Dei omnipotentis filius et creatoris omnium, fabri filius appellatur.* Addit S. Hieron. *Legi in cujusdam commentariis, quatuor fabros quatuor Evangelistas intelligi, qui oppressum Israelem, sensum videlicet videntem Deum, et Judam Dominum confitentem, et Jerusalem visionem pacis, in pristinam sedem restituant, et quos vitiorum Gentes disperserant de Ecclesia, per prædicationem Evangelii retraxerunt ad salutem.* Pari modo accipias quatuor Ecclesiæ Doctores, S. Augustinum, S. Hieronymum, S. Ambrosium, S. Gregorium. Hi enim quasi fabri ædificarunt Ecclesiam sua doctrina et libris.

Secundo, magis apposite per quatuor cornua possumus accipere quatuor vitia capitalia, quæ maxime impetunt Ecclesiam et fideles, et quatuor eorum præsides dæmones, quos designat Psaltes, psalm. 90. 13. dicens: *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem*, inquit S. Hieron. Aspis enim notat invidiam et iram; basiliscus, qui visu interimit, luxuriam: oculi enim sunt in amore duces; leo, superbiam; draco, gulam et avaritiam. Quatuor fabri sunt quatuor virtutes et Angeli, contra quatuor hæc vitia decertantes, nimirum charitas contra invidiam, castitas contra luxuriam, humilitas contra superbiam, abstinentia contra gulam et avaritiam: sive Uriel contra Beelzebub, Raphael contra Asmodæum, Michael contra Luciferum, Gabriel contra Bacchum et Mammonam.

Symbolice, quatuor hæc cornua sunt quatuor universales persecutiones et persecutores Ecclesiæ, qui eam successive à Christo hucusque impetierunt, quos S. Joannes Apoc. 6. præsignavit per quatuor equos et equites, scilicet album, rufum, nigrum et pallidum. Albus enim significat Christum debellantem Judæos; rufus significat Gentiles, præsertim Imperatores ut Neronem, Decium, Diocletianum, quorum faber et succisor fuit Constantinus Magnus. Niger significat hæreticos, præsertim Arrianos, quorum faber et debellator fuit S. Athanasius, S. Basilius, S. Hieron. S. August. etc. Pallidus significat Mahometanos, quorum fabri ex parte fuerunt reges Hispaniarum; sed fabrum qui plene eos succidat, adhuc exspectamus: utinam brevi Deus eum ostendat! Prima enim Ecclesiæ persecutio fuit à Judæis; secunda, à Gentilibus; tertia, ab Arrianis; quarta, à Sarracenis.

Simili modo, tempore primitivæ Ecclesiæ, quatuor cornua eam impetentia fuerunt quatuor hæreses et hæresiarchæ, scilicet Arrius negans Christi divinitatem; Nestorius ponens duas personas in Christo, æque ac duas naturas; Eutyches constituens unam naturam in Christo, æque ac unam personam; Macedonius negans divinitatem Spiritus sancti, quorum quatuor fabri et succisores fuerunt quatuor Concilia Œcumenica, nimirum Nicænum contra Arrium, Ephesinum contra Nestorium, Chalcedonense contra Eutychetem, Constantinopolitanum contra Macedonium: in quibus præcipuus faber Arrii fuit S. Athanasius, Nestorii Cyrillus, Eutychetis S. Leo, Macedonii S. Gregorius Nazianzenus.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Videt Zacharias Angelum cum funiculo mensorio, ut metiatur Jerusalem a Nehemia et Zorobabele reædificandam, cumque ex funiculo exiguo, utpote convoluto, conjiceret timeretque Zacharias exiguam fore novam Jerusalem, mox audit alterum Angelum promittentem, quod absque muro ipsa habitanda sit præ copia hominum et jumentorum, quodque Dominus sit futurus ei murus ignis in circuitu, et gloria in medio ejus. Quare invitat Judæos, qui metu Chaldæorum aliarumque gentium hostilium timebant redire è Babylone, ut audacter redeant in Jerusalem : Deum enim illam instauraturum cum templo, ac in eo habitaturum, ideoque effecturum ut nec Chaldæi, nec Samaritæ, nec aliæ gentes vicinæ vel fabricam impediant, vel Judæorum pacem turbent. Nota hæc ad litteram intelligenda esse de Jerusalem urbe Judæorum : de ea enim hactenus egit, idque filum orationis et plana textus verba deposcunt. Allegorice tamen, et potius intelligenda sunt de Ecclesia, quæ est vera Dei Jerusalem, in eaque orta est, et illi successit, de qua Apostolus Galat. 4. 26. Et quia ad Ecclesiam maxime respexit Spiritus sanctus, hinc quædam hic augustiora interserit, quæ tenuiter Hierosolymæ, plane autem et plene conveniant Ecclesiæ. Ad illam enim data typi alicujus occasione, assurgere et avolare solent Prophetæ. Qualia sunt v. 8 : Post gloriam misit me ad gentes. Erunt prædæ his qui serviebant sibi. Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. Lauda et lætare, filia Sion : quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, etc. Ita S. Hieron. Cyrill. Theod. Haymo, Lyran. Vatabl. et alii passim, excepto Ribera et paucis aliis, qui hæc omnia in sensu non allegorico, sed litterali accipienda censent, non de Jerusalem, sed de Ecclesia Christi, idque ob verba textus quæ paulo ante citavi. Verum illa non urgent, uti ostendam in eorum explicatione. Vide canon. 4. et 5. quos præfixi Prophetis majoribus.

1. Et levavi oculos meos, et vidi : et ecce vir, et in manu ejus funiculus menso-
rum. 2. Et dixi : Quò tu vadis ? Et dixit ad me : Ut metiar Jerusalem, et
videam quanta sit latitudo ejus, et quanta longitudo ejus. 3. Et ecce Ange-
lus, qui loquebatur in me, egrediebatur, et Angelus alius egrediebatur in
occursum ejus. 4. Et dixit ad eum : Curre, loquere ad puerum istum,
dicens : Absque muro habitabitur Jerusalem præ multitudine hominum
et jumentorum in medio ejus. 5. Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis
in circuitu : et in gloria ero in medio ejus. 6. O, ô, fugite de terra Aquilonis, dicit Dominus :
quoniam in quatuor ventos cœli dispersi vos, dicit Dominus. 7. O Sion, fuge quæ habitas apud
filiam Babylonis. 8. Quia hæc dicit Dominus exercituum : Post gloriam misit me ad gentes,
quæ spoliaverunt vos : qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. 9. Quia ecce ego levo
manum meam super eos, et erunt prædæ his qui serviebant sibi : et cognoscetis quia Dominus
exercituum misit me. 10. Lauda, et lætare, filia Sion : quia ecce ego venio, et habitabo in
medio tui, ait Dominus. 11. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa : et erunt
mihi in populum, et habitabo in medio tui : et scies quia Dominus exercituum misit me ad te.
12. Et possidebit Dominus Judam partem suam in terra sanctificata : et eliget adhuc Jerusa-
lem. 13. Sileat omnis caro à facie Domini : quia consurrexit de habitaculo sancto suo.

1. ET LEVAVI.] Hæc ad præcedentem visionem et ad verba consolatoria de restauranda Jerusalem cap. 1. 13. pertinere, ideoque eodem tempore, puta eadem nocte et visione visa esse à Zacharia, probabiliter censet Theodoret. Videtur enim hìc esse continuatio præcedentis visionis. Hisce enim symbolis omnibus promittit Deus Judæis restaurationem urbis et templi, ad eamque illos incitat et impellit. Unde eosdem Angelos hìc videt Zacharias, quos vidit cap. præced.

ET ECCE VIR,] puta Angelus specie viri : viri enim formam induerat in corpore aereo à se formato et assumpto.

ET IN MANU EJUS FUNICULI MENSORUM,] quo solent architecti metiri longitudinem et latitudinem ædificiorum; ad eamque funiculis in terram defixis, et utraque ex parte extensis comprehensam, ædificare, ut justa sit partium omnium symmetria et proportio. Funiculo ergo hoc significat se brevi reædificaturum Jerusalem. Angelus hìc videtur fuisse idem qui cap. 1. 8. visus est Zachariæ stare inter myrteta, nimirum S. Michael : hìc enim erat custos et tutor Synagogæ, uti jam est Ecclesiæ : unde ad eum pertinebat cura restaurandæ Jerusalem et templi. Similem virum vidit Ezechiel c. 40. 3, qui funiculo et calamo dimetiebatur templum à Zorobabele reædificandum. Sic S. Joannes, Apoc. 21. 15, vidit Angelum arundine metientem Jerusalem cœlestem.

2. ET DIXI, ego Zacharias ad virum habentem funiculum mensorium, puta ad S. Michaelem : QUO TU VADIS ? quid funiculo tuo agere vel metiri destinas? ET DIXIT (respondit) Michael AD ME : UT METIAR JERUSALEM, puta aream in qua reædificanda est Jerusalem. Jerusalem enim jam non exstabat, ut puta ante 70. annos destructa à Chaldæis. Unde subdit : ET VIDEAM QUANTA SIT, id est, futura sit, vel esse debeat, LATITUDO EJUS.

Tropol. funiculus hic significat dimensiones crucis Christi, item charitatis, humilitatis, cæterarumque virtutum, juxta quas ædificanda est domus spiritualis, puta fabrica perfectionis, de quibus Apostolus 3. 18 : *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum.* Vide ibi dicta.

3. ET ECCE ANGELUS QUI LOQUEBATUR IN ME.] Hic fuit Angelus proprius Zachariæ, qui ei hæc oracula suggerebat, et visiones ostendebat, ac proinde diversus à Michaele, uti dixi c. 1. 13. Quocirca S. Hieron. Theodoret. Haymo, Hugo, Lyran. et alii passim tres hìc numerant Angelos, primum cum funiculo quasi mensorem, qui fuit S. Michael : secundum, prophetalem Zachariæ : tertium, *qui egrediebatur in occursum ejus,* puta secundi, ut per eum doceret Zachariam quanta futura esset Jerusalem; tertium hunc autumant multi fuisse S. Gabrielem ; ille enim curator erat populi Dei, ut patet Daniel. 9. 21. et cap. 10. 5, ubi similiter tres Angelos similes, imo fere eosdem cum hisce Zachariæ, atque idem pene nuntiantes vidit Daniel.

4. ET DIXIT AD EUM, puta Angelus tertius dixit ad secundum, qui erat custos Zachariæ : CURRE, LOQUERE AD PUERUM ISTUM, DICENS : ABSQUE MURO HABITABITUR JERUSALEM,) q. d. Dic Zachariæ puero, non ætate, ut vult Ribera et Emmanuel (erat enim grandævus, inquit S. Epiphan. Dorolh. Isidor, imo et Martyrol. Roman.) sed conditione et statu ; quia scilicet erat puer, id est, cliens et discipulus Angeli sui custodis. Homines enim respectu Angelorum sunt quasi pueri, ait S. Hieron. Rursum *puero,* id est, ministro. Erat enim Zacharias minister Angeli, per eum enim Angelus Dei de restauratione Jerusalem decretum Judæis annuntiavit. Sic Lucæ 1. 69. David vocatur *puer,* id est, minister Dei : *Erexit,* ait, *cornu salutis nobis in domo David pueri sui.* Item Jacob, ibidem v. 14 : *Suscepit,* inquit, *Israel puerum suum.* Actor. 4. 27, Jesus vocatur *puer,* id est, minister Dei. Sic Genes. 24. 52. servus Abrahæ, licet senex, vocatur ejus puer. Est catachresis ; pueri enim solent ministrare viris et senibus. Sensus ergo est, q. d. O Angele, dic tuo clienti Zachariæ : Tu videns Angelum primum, puta Michaelem cum funiculo, putabas Jerusalem reædificandam fore exiguam, utpote parvo ejus funiculo comprehendendam ; sed scito te falli : prædico enim et promitto tibi tuisque tantam fore Jerusalem, tamque plenam civibus, ut muris suis eos continere non possit. Funiculus enim quem vides, licet parvus videatur, quia tenuis est et in glomum convolutus; tamen si evolvatur, uti fiet in dimensione, complectetur ingentem aream, quæ ingentem capiet urbem; atque urbs ipsa, licet ingens, non capiet incolas, tanta erit eorum multitudo ; quocirca per suburbia et villas urbi vicinas habitare cogentur. Ex hoc loco S. Greg. hom. 34. in Evang. docet Angelos majores mittere minores : *Dum enim,* inquit, *Angelus ad Angelum dicit : Curre, et loquere ad puerum istum, dubium non est quin alius alium mittat. Minora vero sunt quæ mittuntur, majora quæ mittunt.* Hinc enim acceperunt Scholastici ea quæ docent de locutione Angelorum.

ABSQUE MURO.] Hebr. פרזות *perazot,* id est villæ, hoc est, instar villarum absque muro habitabitur Jerusalem : quia tanta erit civium copia, ut urbe capi non possit. Quocirca ædificabunt suburbia et villas urbi contiguas, per easque longissime se dilatabunt et propagabunt. Unde aliqui sic exponunt : *Absque muro,* id est extra murum. Sic enim dicitur Josue 17. 5 : *Ceciderunt funiculi Manasse absque terra Galaad,* id est, præter et extra terram Galaad. Non ergo negat Jerusalem cingendam muro, ut volunt aliqui, qui proinde id ad litteram accipiendum volunt de Ecclesia. Non etiam corrigit Michaelem volentem funiculo metiri Jerusalem, ut alii exponunt, q. d. Noli eam metiri ; non enim illa funiculo demetienda est ; nam sine muris ædificanda est, et undequaque dilatanda. Quis enim Angelus corrigat Michaelem omnium Angelorum principem ? Sed sensus est, q. d. Licet Jerusalem statim ob metum vicinarum gentium cingenda sit muro, ut patet Nehem. 4. 17; tamen tanta eò confluet hominum frequentia, ut multi cives extra muros in vicis et villis suburbanis habitare cogantur. Ita de facto contigit ; nam habitarunt in Bezeta, id est, in nova civitate ; donec Agrippa rex cœpit hæc suburbia muro cingere, teste Josepho l. 6. Belli, c. 6.

Secundo, τὸ *habitabitur* potest accipi δυνητικῶς, ut potentiam significet, non actum, q. d. Adeo tuta et secura erit Jerusalem per Dei inhabitantis opem et protectionem, ut sine muro habitari possit. Id enim fieri dicitur, quod aptum est ut fiat ; ac id facere quis, quod ut faciat po-

testatem habet. Sic ait Job, c. 9. 6: *Qui commovet*, id est, commovere potest, *terram de loco suo. Qui præcipit soli et non oritur*, id est, qui præcipere potest soli ut non oriatur.

Tertio, Hebr. *perazot*, id est villæ, Septuag. vertunt. *frugifera:* tales enim solent esse villæ. Unde sic transferunt : *Frugifera habitabitur Jerusalem à multitudine hominum et jumentorum, quæ in medio ejus*, q. d. Dives, fertilis et opulenta erit Jerusalem : proferet enim aletque innumeratam turbam jumentorum æque ac hominum. Ita ad litteram de urbe Jerusalem hæc accipiunt Hebræi, S. Cyrill. Theodoret. et alii. Hac enim phrasi significat amplitudinem et frequentiam, æque ac securitatem et pacem Hierosolymæ. Dum enim metus est belli, nemo dives in villis habitare audet, sed ad urbes muratas se recipit.

Mystice, id verius est in Ecclesia, quæ absque muro habitatur : quia toto orbe diffusa est. Ad eam enim undequaque confluxit innumerabilis multitudo fidelium, tam hominum, id est, justorum, quàm jumentorum, id est, carnalium, qui more jumentorum terræ inhiant. Ita S. August. serm. 131. de tempor. et Remig. Albert. Lyran. Vatabl. Arias hîc. Rursum Ecclesia æque ac anima sancta est *perazot*, id est villa, ob amœnitatem, libertatem et fertilitatem. Abundat enim spiritali frumento, vino, oleo, fructibus, jumentis et animalibus omnis generis, agris, vineis, hortis, arboribus, fontibus, etc. Quid mirum ? Hæc est villa Dei, ejus manibus erecta, aucta, adornata. Ita eamdem Ecclesiæ propagationem per dilatationem Hierosolymæ, symbolice depingit Jerem. c. 31. 38. et Isaias c. 49. 20: *Angustus mihi est locus, fac spatium mihi ut habitem.* Imo S. Hieron. in Jonam, asserit Jerusalem veterem fere semper in S. Scriptura portare novam : ubique enim hoc ei quasi oneri datum, ut Ecclesiam Christi in seipsa præferat et referat, quasi ejus imago et typus, imo mater. Quare in Liturgia S. Jacobi, Jerusalem appellatur Matrix Ecclesiarum ; perinde ac Rom. 11. 18. prisci Patriarchæ nuncupantur Ecclesiæ radix, quæ portat fideles ex Gentibus. Sic S. Aug. proœmio in ps. 126. ait Salomonem gestare figuram Christi, ut iis quæ de regno ipsius Script. commemorat, non tam sit persona Salomon, quàm is ipse personatus Christo; ac proinde utrumque intelligi oportere : quia figuratum sine eo quod figurat, percipi nequit. Ita hîc substratum, sive fundamentum litteræ est restauratio terrenæ Jerusalem, cui typice superstruitur fabrica Ecclesiæ Christianæ. Ita Fernandez visione 30.

5. Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu.] Chald. *Verbum meum erit ei, dicit Dominus, velut murus igneus illam per circuitum ambiens.* Est occupatio : occurrit enim tacitæ objectioni, eamque præoccupat, q. d. Ne mireris, ô Zacharia, quod dixi absque muro habitandam Jerusalem, neve ex eo metuas quod ad eam hostibus facilis patebit aditus : ecce enim promitto quod ego ipse Deus vester ero ei pro muro, eoque non lapideo, sed igneo, q. d. Ego instar muri ignei cingam et tutabor Jerusalem, ac solo aspectu hostes fugabo, et cives lætificabo. Alludit ad flammeum gladium quo Cherubim custodivit paradisum, Genes. 3. 24. quem non pauci murum igneum exponunt cum Lactantio lib. 2. instit. c. 13. Paradisus enim Dei olim erat Jerusalem, et nunc est Ecclesia. Rursum alludit ad ps. 24. 2 : *Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui.* Et ad Isaiæ 26. 1 : *Salvator ponetur in ea murus et antemurale.* Ita Theodor. exponit, q. d. *Mea benignitate ei ero murus, qui transiri et transcendi non possit. Hanc enim vocavit murum ignis. Nam sicut pyra ingens transiliri nequit, sic vinci non potest qui gratia Dei custoditur.* Quia, ut ait Rupert. cum scriptum sit : *Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei, quis ibi hostem timebit ? quis de inimico sollicitus erit ?* etenim *Deus tutor noster, ignis consumens est*, ut ex Mose ait Paulus Hebr. 12. 29.

Quocirca allegorice et tropologice murus igneus Ecclesiæ, et fidelium quorumlibet in particulari, sunt primo, Angeli tutelares. De his enim ait Psaltes, et ex eo S. Paulus Hebr. 1. 7 : *Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis.* Ita sancti Angeli in specie equorum et curruum igneorum defenderunt Elisæum contra exercitum Syrorum, 4. Reg. 6. v. 18. Ita iidem Eliam curru igneo, ad quem dæmones accedere non auderent, rapuerunt in cœlum, 4. Reg. 2. 11.

Secundo, Spiritus sanctus, qui in Apostolos et Ecclesiam descendit specie ignis in Pentecoste, quemque jam ante promiserat Christus dicens : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur ?* Lucæ 12. 49. Hujus rei symbolo idem Spiritus sanctus per Angelum deduxit Hebræos ex Ægypto, et deserto ad terram promissam in specie columnæ ignis et nubis, quæ castra præibat eratque dux itineris, et simul ea cingebat et tutabatur ab hostibus, de qua Sapient. 10. 17 : *Fuit illis in velamento diei, et in luce stellarum per noctem.* Hoc igne charitatis ardens et cinctus S. Laurentius risit Valerianum, ejusque ignes et craticulas.

Anagog. Jerusalem et paradisus cœlestis cinctus est igne Purgatorii, per quem omnes in cœlum quasi transire debent, ut eo probentur numquid impuri habeant ; et quid habeant, expurgentur, juxta illud 1. Cor. 3. 13 : *Uniuscujusque opus quale sit ignis probabit, etc. si cujus opus arserit, detrimentum patietur ; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Ad hæc Origen. S. Basil. Lactant. S. Ambros. et Rupert. ex hoc loco et similibus opinati sunt, ante cœlum in æthere esse maximos ignes, per quos transire et expiari debeant omnes in cœlum euntes, etiam SS. Petrus et Paulus ; de qua sententia quid censendum sit dixi 1. Cor. 1. 3. 12. Denique Christus Judex, et Sancti in die judicii cingentur igne conflagrationis mundi, qui deinde impios et damnatos convolvet in tartara, de quo psal. 49. 2 : *Ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida.*

Et in gloria ero in medio ejus.] Hebr. לכבוד *lecabod*, id est, ad gloriam ; Septuag. *In gloriam*, pro gloria, loco gloriæ ; Chald. *Gloriose majestatem meam in medio ejus reponam.* Jam gloria hæc dupliciter accipi potest. Primo, passive, q. d. In gloria ero, id est, glorificabor et colar in Jerusalem per latriæ cultum. Ita S. Hieron. Lyran. et Dionys. Secundo, et melius active, q. d. Glorificabo Jerusalem, gloriam ei afferam. Ita Cyrill. Theodoret. Haymo, Vatabl. et Ribera, Sanchez et alii. Deus enim habitans in Jerusalem per sui cultum, legem, oracula, miracula,

tutelam et protectionem, eam reddebat celebrem et gloriosam apud omnes gentes, teste Josepho lib. 12. Antiq. c. 26. Deus ergo erat gloria Jerusalem, juxta illud Jerem. 2. 11. *Populus vero meus mutavit gloriam suam*, id est, Deum suum gloriosum, *in idolum*. Hinc illud psal. 86. 9 : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei*. Et psal. 47. 1 : *Magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus. Fundatur exsultatione universæ terræ mons Sion latera Aquilonis, civitas regi magni*. Ita Theod.

Secundo, aliqui, ut à Castro, per *gloriam* Hierosolymæ accipiunt arcam fœderis; ob eam enim captam à Philisthæis nurus Heli gravida, et præ dolore excutiens fœtum ac pariens, vocavit puerum *Ichabod*, dicens : *Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei*, 1. Regum 4. 21. ut sensus sit : Ego Deus Hierosolymæ ero murus igneus forinsecus, intrinsecus vero in medio ejus ero ei pro arca. Sicut enim ad arcam omnes accurrebant, Deum super eam in propitiatorio residentem adoraturi et invocaturi; indeque Deus urbem gubernabat; ita promittit hic se pro arca (quam ante captivitatem ex Jerusalem extulerat et absconderat Jeremias, ut dicitur 2. Machab. 2. 5.) et pro anima in medio Jerusalem futurum, ut omnes cives et incolas inde animet, foveat, gubernet et regat. Porro Deus tum aliàs fuit gloria Jerusalem, tum maxime quando assumpta carne in ea visibiliter apparuit, docuit, miracula fecit, et Ecclesiam suam instituit. Ita Vatabl. Quocirca allegorice, et potius tropologice, Deus per Christum est gloria Ecclesiæ. Quanta enim ejus est gloria, quod caput ejus sit Christus, id est, Verbum incarnatum, Deus homo? quanta ejus gloria est, Christi cœlestis vita, doctrina, Evangelium, Sacramenta, gratia, quam in singulos fideles quasi membra sua jugiter influit, qua eos ad beatitudinem et gloriam æternam deducit? Hanc Ecclesiæ gloriam sub typo Jerusalem graphice depingit Isaias c. 60. 1 : *Surge*, ait, *illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, et caligo populos : super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos, et vide : omnes isti congregati sunt, venerunt tibi*, etc. Ita de Ecclesia hunc locum exponunt S. Hieron. Haymo, Albert. et Remig.

6. O, ô, FUGITE DE TERRA AQUILONIS.] Hebr. הוי הוי *hoi hoi*, id est *heus heus*, quod est adverbium hortandi et incitandi ad celerem et contentam fugam, ideoque geminatur, imo triplicatur à Propheta, ut ingentis cladis ingentem pavorem incutiat, ac ingentes stimulos ad eam fugiendam Judæis addat, q. d. O Judæi, qui estis filii Jerusalem et Sionis, fugite de Babylone, quæ vobis est Aquilonaris, in quam quasi in carcerem per septuaginta annos detrusi fuistis, indeque ulterius in Assyriam, Mediam, Persidem: adeoque in quatuor mundi plagas dispersi estis : fugite, inquam, ad patriam vestram, redite in Jerusalem civitatem Dei, quasi in asylum. Multi enim Judæi in Babylone fixerant sedem, quasi ibi perpetuo mansuri, ibique habebant suas familias, merces et opes, juxta consilium Jeremiæ cap. 29. 5. ubi constat de Joakim marito Susannæ Danielis 13. 4. Unde difficulter nec non nisi cum jactura rerum suarum, se cum suis transferre poterant in Jerusalem, præsertim quia metuebant ne rursum Samaritæ, aliæque gentes Jerusalem expilarent, uti ante septuaginta annos fecerant Chaldæi. Hosce ergo excitat et animat ad fugam et reditum, promittens opem et protectionem Dei affore Hierosolymæ, ne qui hostes eam invadere audeant. Ita S. Hieron. Theodor. Remig. et Hugo.

Porro Propheta tam serio et studiose hortatur Judæos ut fugiant è Babylone; tum ne Babylonios mores et superstitiones induant tam ipsi quàm filii eorum; sed ut redeuntes in Jerusalem, ibi Deum pie et sancte colant : tum proprie, quia instabat novum excidium Babyloni, ne illud eos involvat. Babylon enim capta à Cyro, eo cæso, et stirpe ejus regia in Cambyse filio exstincta, cœpit cervices attollere, ac ad pristinum regnum et monarchiam aspirare : unde jugum Persarum excussit. Quocirca Darius Hystaspis iterum eam obsedit, tandemque expugnavit; idque anno regni ejus quarto, id est, biennio post hoc Zachariæ de eo oraculum (hoc enim editum est anno 2. Darii, ut patet cap. 1. 1.) factum esse censet noster Gordonus in Chronol.

Rem gestam narrat Justinus in fine libr. Herodotus in fine lib. 3. et ex iis Torniel. anno mundi 3532. Babylonii, inquit Herodot. rebellantes Dario, ab eo obsessi riserunt eum, quod omni re ad resistendum instructi essent, dictitantes tunc eum expugnaturum Babylonem, cum mula pareret. Frustra ergo urbem, omni licet arte vique adhibita, oppugnavit Darius per viginti menses, quibus exactis mula Zopyri principis Darii peperit. Hoc omen accepit Zopyrus, quasi jam adesset tempus capiendæ Babylonis. Itaque præscindens sibi nares auresque, et horrende se vulnerans et mutilans profugit ad Babylonios, fingens se tam indigne tractatum à Dario, quod ei suasisset solutionem obsidionis; quocirca se eis Darii secreta proditurum, ac in præliis contra ducem futurum. Crediderunt ei Babylonii; quare creatus ab eis belli dux, acceptisque urbis clavibus, milites Darii clanculum in urbem admisit, itaque urbem Dario tradidit, qui muros ejus portasque omnes demolitus est, quorum neutrum Cyrus fecerat; Babyloniorum quoque procerum tria millia patibulis affixit, de Zopyro vero hoc Darii fuit elogium : *Mallem Zopyrum non esse mutilum quàm viginti Babylones per hanc ejus calamitatem mihi acquiri : unus Zopyrus mihi pluri est quàm viginti Babylones*. Simili modo Jeremias instante excidio Babylonis per Cyrum, monet Judæos ut ex ea profugiant cap. 51. 6 : *Fugite*, ait, *de medio Babylonis, et salvet unusquisque animam suam : nolite tacere super iniquitatem ejus, quoniam tempus ultionis est à Domino, vicissitudinem ipse retribuet ei*. Sic Tobias imminente excidio Ninives, monet filium ut ex ea se subducat, c. 14. 12 : *Dirigite*, ait, *gressus vestros, ut exeatis hinc : video enim quia iniquitas ejus finem dabit ei*.

Tropolog. Babylon, id est confusio, scilicet vitiorum, errorum et ærumnarum, est mundus, q. d. Fugite de mundo, deque potestate diaboli ad Jerusalem, id est, ad Ecclesiam, quæ est mater et doctrix veritatis, sanctitatis et felicitatis. Ita Lyran. et Vatabl. Rursum, fugite ad statum Religionis, ad claustra monastica quasi ad asylum. Audi S. Bernard. serm. 30. de Conver-

sione ad Clericos : *Quidni periclitetur castitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in hoc seculo nequam? Fugite de medio Babylonis, fugite et salvate animas vestras. Convolate ad urbes refugii, ubi possitis et de præteritis agere pœnitentiam, et in præsenti obtinere gratiam, et futuram gloriam fiducialiter præstolari.* Idem, epist. 103 : *Væ,* ait, *væ, vapor est ad modicum parens, quod æternæ felicitatis aditum intercludit. Quousque tu tantæ gloriæ præfers fœnum, quod hodie est et cras in clibanum mittitur? carnem dico, et ejus gloriam. Siquidem omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus tanquam flos fœni. Si sapis, si habes cor, si tecum est lumen oculorum tuorum, desine jam ea sequi, quæ et assequi miserum est. An non ea satius cum honore spernis quàm cum dolore perdis? An non prudentius ea Christi cedis amori, quàm morti? Est in insidiis prædo, cujus manibus nec te, nec tua poteris subducere. Nec poterit provideri, quia tanquam fur in nocte, ita veniet. Nihil intulisti in mundum, haud dubium quia nec quidquam auferes. Dormies somnum tuum; et nihil invenies in manibus tuis.* Luget, merito luget S. August. lib. 2. Confess. cap. 3. adolescentiam suam in plateis illis Babyloniæ transactam, quoniam cum coætaneos suos audiebat jactantes flagitia sua, et tanto magis gloriantes, quanto magis turpes essent; ipse etiam stimulabatur non modo ad eadem facienda, sed etiam ad fingenda quæ non fecerat, ne videretur abjectior quo erat innocentior, et ne vilior haberetur quo erat castior. Nimis enim contagiosam rem esse malos sodales, cum dicitur : *Eamus, faciamus, et pudet non esse impudentem.* O si in altam speculam cum S. Cypriano l. 2. epist. 2. conscendere liceret, indeque prospicere Babylonem; id est, mundum, puta mundanorum varia studia, curas, negotia, sermones, cursitationes, labores, nundinationes, angores, tædia, scelera, ærumnas, clades et strages ; sane exclamaremus : O quantum est in rebus inane! O quantum miseriarum pelagus est Babylon! O quàm dementes sunt, qui in eo jactari et mergi eligunt! O, ô miseri cæcique mortales, fugite de medio Babylonis, fugite hoc malorum diluvium. Inspice vel unam urbem, vel unam domum, vel unam familiam, quanta in ea videbis dissidia, maledicta, blasphemias, quantas obscenitates, et turpitudines imaginum, librorum, verborum et operum ; quantos labores à mane in vesperum, quantas sollicitudines, quanta tædia, quot infortunia! Hunc videbis affligi febri, illum calculo, tertium asthmate, quartum colica, quintum pleuritide, sextum paupertate, etc. septimum rapina, sterilitate, naufragio, etc. Animas si introspicias, carnes multo magis ægras et miserabiles, et cum Osee c. 4. exclames : *Non est veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra. Maledictum, et mendacium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit.*

Prospiciebat hæc S. Fulgentius, Ruspensis postea Episcopus, qui, ut habet ejus Vita, cum senatoria familia esset ortus, ac doctrina, opibus, summo magistratu, clientelis, florenti ætate fortunatissimus haberetur, cœpit hujus mundanæ felicitatis brevitatem et inanitatem perpendere, ejusque curas, onera et tædia gaudiis fallacibus permixta experiri, cumque videret religiosos hisce carere, agereque vitam quietam, hilarem, amabilem et sanctam, eos colere, et frequentare instituit, ac tandem in hæc verba prorupit : *Cur, obsecro, sine spe futurorum bonorum laboramus in hoc seculo? Quid nobis denique præstare poterit mundus? Si gaudere desideramus, licet melius sit bene flere quàm male gaudere, quanto melius tamen gaudent quorum in Deo tranquilla est conscientia, qui nihil timent nisi peccatum, nihil agunt nisi ex Dei præscripto? Non fatigantur publicis negotiis, non damna rei familiaris aut miserabiliter flere, aut turpiter timere coguntur; nec, cum sua ipse reliquerint, alienis insidiantur. Vivunt inter se pacifici, sobrii, mites, humiles, atque concordes. Nulla ibi cogitatio libidinis, imo magna sollicitudo et jugis custodia castitatis. Imitemur tam laudabiles viros, arripiamus hanc bene vivendi constantiam, abjiciamus pristinos mores, et mutemus labores. Nitebamur prius inter amicos nobiles nobiliores apparere, nitamur modo inter servos Dei pauperes effici pauperiores.* Hæc dixit, et mox opere præstitit, mirante et factum ejus celebrante universa Carthagine, multis etiam imitantibus, adeo ut eorum copia impleverit cœnobia. Vide S. Ambros. l. de Fuga seculi.

Quoniam in quatuor ventos cœli dispersi vos.] Primo, aliqui sic exponunt, q. d. Fugite è Babylone in Judæam, quia ibi dilatabo, et dispergam vos ad quatuor plagas mundi. Dabo enim vobis Philisthæam, quæ est ad Occidentem; Moabitidem, quæ est ad Orientem; Idumæam, quæ est ad Meridiem; Samariam, quæ est ad Aquilonem. Secundo, alii melius, q. d. Fugite è Babylone, quia ibi non uniti, sed dispersi estis in quatuor orbis plagas, per quas vagamini : redite ergo in Judæam, ut ibi in unum populum et rempubl. pristinam coalescatis. Tertio, Sanchez, q. d. Invito vos, ô Judæi duntaxat, qui in Babylone degitis : non enim loquor ad dispersos in alias terras, quoniam hi dispersi sunt ad quatuor ventos, ne revocari possunt. Unde de facto hi soli redierunt qui in Babylone manserunt, non vero qui in alias oras dispersi vagabantur.

7. O Sion, fuge.] *Sion*, id est, Sionitæ, puta Judæi oriundi ex Sion et Jerusalem. Pro *fuge* hebr. est המלטי *himmaleti*, id est, proripe te, libera te, salva te; Chald. *evade*, Pagnin. *erue te;* Tigurina, *servate;* Septuag. *in Sion* (fugiendo) *salvamini, qui habitatis filiam Babylonis.* Ecce hæc omnia significant instans Babyloni excidium per Darium : ex eo enim ut se proripiant Judæi, præmonet hîc Zacharias.

Quæ habitas apud filiam Babylonis,] quæ habitas in Babylone; *filia* enim *Babylonis* idem est quod filia Babylon, puta ipsa Babylon, pulchra et speciosa instar filiæ.

8. Quia hæc dicit Dominus.] Sanchez hæc verba refert ad præcedentia, q. d. Fugite è Babylone, quia hoc jubet Dominus. Verum cæteri Interpretes omnes referunt ad sequentia, unde et Hebræi, Græci et Latini codices hinc inchoant versum octavum.

Post gloriam misit me ad gentes,] q. d. Postquam per Esdram, Nehemiam, Zorobabel, etc. gloriose restauravero Jerusalem, ego Angelus, puta Gabriel, mittor ad gentes, quæ vos, ô Judæi, afflixerunt, et Chaldæos in vastatione Judææ, adjuverunt, ac ea profugos spoliarunt, ut illas puniam vobisque subjiciam, puta Idumæos, Philisthinos, Ammonitas, Moabitas, etc.

Ita Chald. Hugo, Mariana et alii. Idem prædixit Abdias in fine suæ prophetiæ, et Sophonias c. 1. et 2. Sunt enim hæc verba non Zachariæ, ut vult à Castro, quasi is mittatur à Deo ad Gentes, ut eis prædicat cladem ; sed Angeli tertii, qui cœpit loqui Zachariæ v. 4. et hucusque sermonem protrahit. Hoc enim exigit connexio textus, et τὸ *quia*. Arias per gentes accipit Persas, quasi Angelus hic prædicat Persarum excidium per Græcos et Alexandrum Magn. Verum Persæ, ut Darius et Cyrus, non spoliarunt, sed ditarunt Judæos. Expositio jam dicta videtur litteralis, cui tantum obstat id quod præcessit : *Hæc dicit Dominus exercituum ;* cui mox subdit : *Post gloriam misit me ad gentes*, ubi pronomen *me* videtur referre eum qui præcessit, scilicet Dominum exercituum. Verum responderi potest esse hebraismum, quem latine sic emollias et exponas, q. d. Hæc dicit Dominus exercituum, quod post gloriam Jerusalem mittet me Gabrielem ad gentes, ut eas illi fortiter subjiciam. Demus ergo hoc velle corticem litteræ, qui obiter victorias Judæorum videtur hîc perstringere ; sed negari non debet quin præcipuus sensus sit de Christo, ad quem avolat Propheta, ideoque hac phrasi utitur. Christus ergo est Dominus exercituum, id est, Deus, quem post gloriam Pater misit ad Gentes. Ita S. Hieron. Haymo, Remig. Theodor. Lyran. Vatabl. Clarius, Ribera et alii. Unde Doctores orthodoxi contra Arianos recte ex hoc loco probant Filium Dei esse Deum verum, adeoque mysterium S. Trinitatis. Alius enim hîc à Zacharia asseritur Dominus exercituum missus, scilicet Filius; alius mittens, scilicet Pater. Hinc et v. 10. Dominus missus ad Sionem ait: *Habitabo in medio tuî*, ubi Chald. clare vertit : *Ponam divinitatem in medio tuî*. Jam S. Hieronymus gloriam intelligit eam qua Dei Filius eminebat in cœlo, post gloriam, inquit, divinæ majestatis, q. d. Vide dignationem Dei nostri ; ecce Verbum Dei post gloriam, quam ex æternitate habuit in divina natura, dignatum est assumere saccum mortalitatis nostræ, ut in eo posset mitti ad gentes, easque morte sua redimere. Solent enim ignominiæ post gloriam, labores post quietem, dolores post felicitatem, esse acerbiores. Vide Rupert.

Euseb. vero lib. 6. Demonstr. cap. 16. Emmanuel et alii accipiunt gloriam humanitatis Christi, q. d. Postquam ego Christus homo gloriam meam ostendi tot tantisque miraculis à me patratis ; item tot apparitionibus, quibus me ostendi post resurrectionem à morte redivivum; denique post ascensionem misit me Pater ad gentes, ut per prædicationem Apostolorum colligerem fideles, præsertim eos qui futuri et permansuri sunt sancti, ideoque eligendi ad vitam æternam. Hæc est enim proprie Christi gloria, de qua Joan. 7. 39 : *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Ubi nota canonem S. Augustini l. 3. Doctr. Christ. 31 : *Quæ in Scriptura dicuntur de capite*, id est, Christo, *intellige de ejus corpore*, id est, Ecclesia, puta Apostolis et fidelibus ; ac vice versa. Sic Christus hîc dicitur missus ad Gentes, non in se, sed in suis Apostolis, quos ad Gentes destinavit. Christus enim in suis Apostolis quasi equis perambulavit totum orbem, juxta illud psal. 67. 5 : *Iter facite ei qui ascendit super occasum* (puta ad Occidentales orbis plagas), *Dominus nomen illi.*

Tertio, alii accipiunt gloriam de qua dixit v. 5 : *In gloria ero in medio ejus*, q. d. Post gloriam, quam Deus sua præsentia vobis, ô Judæi, exhibebit in nova Jerusalem et templo, mittet ipse me Gabrielem ad Gentes, ut eas vobis subigat, quæ erit nova vestra gloria ; et multo majori gloria vestra mittet meî antitypum Christum, qui est virtus et fortitudo Patris, ut Ecclesiæ suæ, quam ipse in vobis inchoabit et fundabit, gentes antea vobis inimicas subigat, itaque ex Judæis et Gentibus faciat unum ovile, cujus ipse sit pastor, q. d. Post gloriam Jerusalem et Judæorum, succedet per Christum gloria Ecclesiæ et gentium Christianarum. Hæc tertia gloria magis genuina et litteræ innexa videtur ; respicit enim ad gloriam quæ præcessit, quamque promisit v. 5. Ita Albertus, Hugo, Arias et Sanchez : quin et Chald. sic enim vertit: *Post gloriam quam vobis adducturum se dixit* (v. g.) *misit me ad populos qui vos diripiunt.* Perperam R. David vertit : *Postea* (id est, post omnes has prophetias) *in gloriam misit me ad gentes*, q. d. Postquam ego Zacharias vaticinatus sum Judæis, Deus amplioris gloriæ causa misit me ad vaticinandum Gentibus ; hebr. enim est אחר כבוד *acar cabod*, id est, *post gloriam misit me ad gentes.*

Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.] Hebr. Chald. Septuag. et S. Hieron. in Comment. habent, *oculi ejus*, vel *oculi sui ;* ut loquatur de Deo in tertia persona, ac respiciat ad id quod de eo dixit : *Misit me ad gentes.* Huic enim recte respondet in eadem persona : *Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi ejus*, puta Dei. Noster vero Interpres eodem sensu reddidit in prima persona, *oculi mei :* quia accepit hæc de Deo loquente de se in prima persona, ac præsertim quia respicit ad censum præcipuum, qui est de Christo, q. d. Hæc dicit Dominus, puta Filius Dei : post gloriam Judæorum scilicet post Ecclesiam quam ex Judæis collegi, misit me Pater ad Gentes, ut illi Gentes subjiciam et aggregem ; vos enim, ô fideles mei primitivi et quasi primogeniti, ita amo, tutor et custodio, ut Gentes olim hostiles vobis sim subiturus ; aut si rebelles maneant, perditurus. Qui enim vos tangit, tangit pupillam oculi mei ; nihil enim delicatius, charius, pretiosius pupilla, ac proinde nihil majori cura custoditur : læsa enim pupilla, læditur et excæcatur oculus, qui est lumen vitæ ac dux omnis viæ et actionis hominis, ut homo excæcatus miserrimam in tenebris agat vitam, sitque instar mortui. Unde pupilla hebr. vocatur בת *bath*, id est, filia, eo quod pretiosa, chara, curæ et cordi sit, ac custodiatur quasi filia unica, quodque oculi sit quasi filia. Quocirca in pupilla est effigies humana, puta filiæ, vel filii. Hinc Hebræi eamdem alia voce vocant אישון *isçon*, id est, virunculum ; quia is in pupilla apparet. Alludit ad Deut. 32. 10 : *Custodivit quasi pupillam oculi sui.* Ita S. Hieron. Theodor. Haymo, Lyran. et alii. Aliter S. Cyril. et Vatabl. q. d. Qui tangit vos, tangit pupillam oculi sui, id est, seipsum gravissime lædit : quia sibi accersit acerrimam Dei vindicis vestri iram et vindictam.

9. Quia ecce ego levo manum meam super eos,] puta super gentes finitimas et hostiles, ut eas feriam, vobisque prædæ dem et subjiciam. Ita subjecit eis Ammonitas, Moabitas, Philisthæos, Samaritas, Idumæos tum aliàs, tum per Judam et Machabæos. Hoc enim mox

visuri erant Judæi audientes hæc oracula Zachariæ, indeque ex reali eorum eventu cognituri ipsum esse verum Prophetam, et hæc accepisse à Deo, uti ipse asseverat. Ita Albert. Hugo, Lyran. et Arias.

Mystice, hæc veriora sunt in Christo, qui Apostolis è Judæa ortis subjecit omnes gentes. Ubi nota conversionem Gentium vocari prædationem et spolium, quia eas Apostoli prædati sunt diabolo, carni et mundo, quibus sponte se subjecerant et volentes serviebant, ac subjecerunt Christo. Hinc Isaias c. 8. 3. prædicit nomen Christi fore : *Accelera spolia detrahere, festina prædari.* Et c. 9. 3. de Apostolis orbem conversuris ait : *Lætabuntur coram te sicut qui lætantur in messe, sicut exsultant victores capta præda quando dividunt spolia.*

Nota τὸ *levo manum*, scilicet quasi signifer, imo dux et imperator, prisco more, elevata manu signum prælii attollo, et exercitum in hostes duco. Sic dicitur psal. 73. 3 : *Leva manus tuas in superbias eorum in finem*, q. d. Tolle signum tuum, immitte exercitum in hostes tuos, illos bello persequere, donec omnes ad unum conficias et concidas. Nam, ut sequitur : *Gloriati sunt qui oderunt te; posuerunt signa sua, signa, etc.* et Isaiæ c. 9. 11. *Et elevabit Dominus hostes Rasin super eum.* Et ps. 105. 26. *Elevavit manum suam super eis, ut prosterneret eos in deserto.* Rursum Isaiæ c. 49. 22. *Levabo ad gentes manum meam, et ad populos exaltabo signum meum.* Porro signum et vexillum Christi est crux. Quare cum tolli crucem, et cruentum in ea Christum aspexeris, animos præliandi acue, certamque victoriæ spem per Christum concipe.

10. Lauda.] Excitat Synagogam Babylone redeuntem in Jerusalem, ad gratiarum actionem et jubilum, quod sensura sit Dei in se habitantis præsentiam, opem et gloriam, adeo ut gentes idipsum visuræ et confessuræ sint, ideoque suas oblationes et dona oblaturæ Deo in ejus templo ; quin et non pauci convertendi sint ad judaismum et futuri proselyti, juxta illud psal. 67. 30. *A templo tuo in Jerusalem tibi offerent reges munera.* Ita Seleucus rex Asiæ aliique principes ingentia dona ei miserunt, ut patet 2. Machab. 3. v. 2. et 3. Ita Remig. Haymo et Dionysius.

Mystice, multo magis excitat Judæos, omnesque primos fideles tempore Christi, ut jubilent Deoque gratias agant, eo quod videant Messiam, id est, Deum corporatum, visibiliter in medio suî versantem, ibique fundantem Ecclesiam, ad quam mox per Apostolos aggregabit omnes gentes. Ita S. Hieron. Theod. Remig. Lyran. Vatabl. Arias et alii.

11. Et possidebit Dominus Judam partem suam in terra sanctificata.] Ad litteram, q. d. Cum Deus Tribum Juda (sub qua accipe quoque Tribum Benjamin, utpote quæ cum Juda in unam rempub. et Ecclesiam coalueral) reducet è Babylone, tunc eam quasi partem, id est, portionem suam hæreditariam, collocabit rursum in terra sancta, puta in Judæa, quæ sancta est, tum ob templum sanctumque Dei in eo cultum ; tum quia in ea vixerunt sancti Patriarchæ et Prophetæ, ut ibi rursum sit ejus peculium et possessio, uti fuit tempore Mosis, dicentis Deut. 32. 9. *Pars autem Domini populus ejus : Jacob funiculus hæreditatis ejus.*

Mystice, Christum partem suam, id est, Apostolos aliosque primos fideles, ex quibus conflavit Ecclesiam suam, selegit et possedit in terra sancta, puta Judæa ; illam enim ipse magis quàm omnes Patriarchæ et Prophetæ, sua nativitate et conversatione sanctificavit et consecravit. Ita S. Hier. Cyril. et alii jam citati.

13. Sileat.] Est epiphonema. Propheta enim admirans hanc Dei in populum suum beneficentiam, tum litteralem sub Nehemia et Machabæis, tum potius mysticam et spiritualem sub Christo, erumpit in profundam reverentiam et doxologiam Dei ; ac proclamat ut omnes eam cum tremore, reverentia, humilitate et gratitudine agnoscant, suspiciant, revereantur, colant et celebrent : *Quia*, ait, *consurrexit de habitaculo sancto suo;* Septuag. *quia surrexit de nubibus sanctis suis.* Poetice loquitur, q. d. Deus *consurrexit*, hebr. נעור *neor*, id est, excitatus est quasi à somno, q. d. Deus visus est dormire, cum nos neglexit et dimisit in captivitate per septuaginta annos, rursum cum dimisit mundum in potestate diaboli per quatuor annorum millia : at jam videns immanes ejus strages, velut somnum excutiens, assumit suum robur et fortitudinem, ac exsurgit ad ultionem, ut populum suum liberet, et cum eo habitet. Ac præsertim allegorice somnum excutiet et consurget, quando Christus è nubibus, imo è cœlo vindex robustus descendet in Judæam, cum in ea incarnabitur, ut cum Judæis quibus promissus est habitet, eosque à tyrannide diaboli, peccati et mortis vindicet et salvet. Ita S. Cyrill. Theodor. et alii. Hinc olim cum sacerdos procedebat ad altare sacrificaturus, præibat diaconus proclamans : *Sileat omnis humana et mortalis caro, stetque cum metu ac tremore*, uti habetur in liturgia S. Jacobi sub initium. Vide dicta Habacuc 2. 20.

Tropol. Arias : Sileat, ait, omnis caro quæ fons est et scaturigo omnium malarum cogitationum et cupiditatum, ejusque furentis stimulus quiescat, et compescatur à vi et efficacia gratiæ Christi, quæ universum vitiorum fontem exhaurit.

Anagog. Sileat omnis caro à facie Christi venientis ad judicium, quia consurrexit de cœlo, descenditque in vallem Josaphat, ut ibi judicet vivos et mortuos, qui unquam exstiterunt, exstant vel exstabunt in mundo. Ita S. Hieron. Haymo, Lyran. et Vatabl. Tanta enim erit tunc Christi majestas, tanta ejus ira in impios, ut ipsi vultum ejus ferre non sustineant, sed clament montibus et petris : *Cadite super nos, et abscondite nos à facie sedentis super thronum, et ab ira Agni*, Apoc. 6. 17. Tunc verum erit illud paradoxum : *Veniet tempus, quo damnati nolent egredi ex inferno, et Beati volent egredi è cœlo* ; nimirum hoc tempus est dies judicii. In illo enim damnati optabunt manere in inferno, ne cogantur venire ad judicium ; partim ne subeant probrum publicum damnationis coram toto mundo in valle Josaphat ; partim ne videant vultum iratum et fulgureum Christi ; partim ne cogantur assumere corpora, in iisque torqueri, cum jam sola eorum anima torqueatur. Beati vero in die judicii optabunt egredi cœlo, tum ut sententiam felicissimam audiant : *Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum vobis paratum à constitutione mundi;* tum ut eorum innocentia, virtus

et gloria toti mundo, cui olim despecta fuit, innotescat; tum ut corpus suum assumant, in eoque glorificentur, ac cum eo triumphantes Christum gloriose in cœlum conscendentem comitentur, ejusque visu fruantur in æternum. Gloria enim corporis erit quasi altera stola et corona beatitudinis, quam proinde animæ beatæ ardenter appetunt, uti patet Apoc. 6. v. 10 et 11.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Angelus Jesum filium Josedec jubet exui vestibus sordidis captivitatis, æque ac peccati, induique novis, et cidari, ut significet se ei peccata remittere, et pontificatum reddere, ut templum cultumque Dei restauret. Insuper v. 8. eidem promittit Orientem, id est, Christum qui in templo ab eo instando sit versaturus, ibique collecturus Ecclesiam, cujus ipse futurus sit pontifex: ipsum enim fore ecclesiæ lapidem angularem septem oculis insignitum, ac clavorum vulnerumque sculpturis cælatum, qui auferet iniquitatem terræ, et pacem toti orbi felicitatemque conciliabit.

1. Et ostendit mihi Dominus Jesum sacerdotem magnum stantem coram angelo
Domini: et Satan stabat à dextris ejus ut adversaretur ei. 2. Et dixit Domi-
nus ad Satan: Increpet Dominus in te Satan; et increpet Dominus in te,
qui elegit Jerusalem, numquid non iste torris est erutus de igne? 3. Et
Jesus erat indutus vestibus sordidis: et stabat ante faciem angeli. 4. Qui
respondit, et ait ad eos qui stabant coram se, dicens: Auferte vestimenta
sordida ab eo. Et dixit ad eum: Ecce abstuli à te iniquitatem tuam, et
indui te mutatoriis. 5. Et dixit: Ponite cidarim mundam super caput ejus. Et posuerunt cidarim
mundam super caput ejus, et induerunt eum vestibus, et angelus Domini stabat. 6. Et contes-
tabatur angelus Domini Jesum, dicens: 7. Hæc dicit Dominus exercituum: Si in viis meis
ambulaveris, et custodiam meam custodieris: tu quoque judicabis domum meam, et custodies
atria mea, et dabo tibi ambulantes de his qui nunc hìc assistunt. 8. Audi Jesu sacerdos magne,
tu et amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt: ecce enim ego adducam ser-
vum meum Orientem. 9. Quia ecce lapis, quem dedi coram Jesu: super lapidem unum septem
oculi sunt: ecce ego cælabo sculpturam ejus, ait Dominus exercituum: et auferam iniquitatem
terræ illius in die una. 10. In die illa, dicit Dominus exercituum, vocabit vir amicum suum sub-
ter vitem, et subter ficum.

1. Et ostendit mihi Dominus.] Vox *Dominus* non est in Hebræo, nec Chaldæo, sed subintelligitur. Unde eam exprimunt Septuag. et Noster. Porro Dominus per angelum more suo hæc revelavit, et pinxit in phantasia Zachariæ; an eadem nocte qua præcedentia cap. 1 et 2. revelavit, idipsum fecerit, ut volunt Rupertus et Hugo; an alia, incertum est. Prophetæ enim sæpe non distinguunt tempora, nec ea certa suis prophetiis consignant; cum constet plerasque per intervalla variis diebus, mensibus, quin et annis, ipsis revelatas fuisse à Deo, vel immediate, ut cum Deus loquebatur in mente eorum; vel per Angelum, ut cum per eum in phantasia Prophetæ sua symbola, puta visa, vel verba formabat et pingebat.

Jesum,] filium Josedec, qui eo tempore vivebat, jamque Babylone redierat in Jerusalem, ibique erat summus Pontifex. Unde v. 8. eidem promittens Christum dicit: *Audi Jesu sacerdos magne, etc.* ita S. Hieronym. Thedor. Cyrillus, Remig. Albert. Hugo, Lyran. hìc, ac S. August. lib. 12. contra Faustum cap. 36. et Eusebius, lib. 4. Demonstr. cap. ultimo. Negat idipsum Arias, secutus Abenezram et R. Salomonem, quia, inquiunt, Jesus filius Josedec jam erat mortuus, eo quod Aggæi 2. v. 12 et 22. ejus non fiat mentio, uti facta est v. 3. *Jesu* ergo sumitur hìc pro posteris, puta pro Machabæis, quorum bella contra Antiochum prædicit hìc Zacharias. Ita ipsi. Verum errant, nam vixisse tunc Jesum hunc, patet ex cap. 6. Zachariæ v. 11. ubi dicitur: *Sumes aurum et facies coronas, et pones in capite Jesu filii Josedec, etc.* Et Eccles. 49. 13. ubi dicitur quod Jesus hic cum Zorobabel ædificarint et exaltarint templum; templi autem

fabrica absoluta et dedicata est anno 6. Darii, ut patet 1. Esdræ 6. 15. imo Josephus lib. 11. cap. 5. tradit Jesum hunc vixisse usque ad initium regni Xerxis, qui patri Dario successit; tunc enim in pontificatu successisse ei filium Joachim.

Allegor. Jesus filius Josedec, Pontifex legis veteris, repræsentavit Jesum Christum Pontificem novi testamenti, tam nomine, quàm dignitate et officio. Ita auctores jam citati; insuper Tertull. contra Judæos sub finem, Origen. hom. 9. in Levit. Lactant. lib. 4. cap. 14. S. Ambros. l. 3. de Fide cap. 4. S. Chrysost. homil. 5. ex variis in S. Matth. S. Gregor. lib. 20. Moral. cap. 20. qui videntur asserere hìc sensu litterali agi de Jesu Christo, ideoque non addi τὸ *filius Josedec*, quod alibi Jesu veteri additur. Verum hi Patres excusandi sunt, quod more suo non distinguant sensum litteralem ab allegorico, ac tantum dicere velint præcipuum sensum ex mente et intentione Spiritus sancti esse de Jesu Christo, ideoque ad hoc innuendum taceri τὸ *filius Josedec*. Jam constat apud omnes, quod licet litteralis sensus de Jesu filio Josedec sit primus, tamen allegoricus de Jesu Christo sit illo potior, ideoque præcipuus. Porro Hieron. Savanarola explicans hæc Zachariæ verba anno Domini 1495. sedente Alexandro VI. Pontif. cui infensus erat, per *Jesum* accipit Pontificem angelicum, quem brevi Romam visuram vaticinabatur, qui vita et moribus Angelus potius videretur quàm homo, ac totam Ecclesiam reformaret, novosque ritus, imo novum Evangelium induceret. Verum jam plusquam centum elapsi sunt anni ab hac ejus prophetia, et necdum angelus ille comparuit. Vide Ambros. Catharinum contra prophetias Savanarolæ, et canon. 33. in prooemio.

Stantem coram angelo Domini.] Hic angelus fuit S. Michael, utpote tutor Synagogæ, qui pro ejus capite, puta Jesu pontifice, contra Satanam decertat. Unde coram eo Jesus pontifex quasi reus consistit, accusante eum Satana. Est enim hic species tribunalis et judicii, in quo judex est Deus, accusator Satanas, reus Jesus, advocatus Michael, sed Deus suas partes delegat Michaeli, ut ipse ejus loco sit judex. Unde coram Michaele quasi judice reus hìc consistit Jesus. Sicut enim Deus, sic et angeli ejus, utpote æquissimi, possunt esse simul advocati et judices. Ita S. Hieron. Remig. Hugo et Lyran. *Debuit*, ait, *prælatus totius populi angelus, ejusdem populi prælato homini* (puta pontifici Jesu) *præsto adesse.*

Et satan stabat] *Satan* hebr. idem est quod adversarius: hinc tribuitur dæmoni, qui summe et ubique fidelibus adversatur, juxta illud S. Petri epist. 1. cap. 5. 8: *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret.* Hinc Septuag. pro *Satan* vertunt διάβολος, id est calumniator. Porro *Satan* hic antonomastice intelligitur dæmonum princeps, puta Lucifer; contra hunc enim uti primitus in cœlo pugnavit, ita perpetim in terra pro Ecclesia depugnat S. Michael, uti docet S. Joannes Apocal. 12. 7: *Et factum est*, inquit, *prælium magnum in cœlo: Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone, et draco pugnabat et angeli ejus;* et cap. 20. 2: *Apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus, et Satanas, et ligavit eum per annos mille.* Contra hunc quasi principem dæmonum, tentantem se decertavit Christus, Matth. 4. 1 et 10. Hic quoque contra Michaelem altercatus est de corpore Mosis, ut ait S. Judas in epist. v. 9.

Hinc colligas summum Pontificem, qualis fuit Jesus filius Josedec, custodem et tutorem habere S. Michaelem; ille enim uti tutor est corporis Ecclesiæ, ita est et capitis, puta Pontificis; sicut ex adverso Lucifer hostis Ecclesiæ, hostis est et Pontificis; eum enim maxime impugnat, ut eo prostrato prosternat Ecclesiam; idque aliquando per se, aliquando per dæmones sibi subditos. Quocirca vigiles fortesque excubent Pontifices, jugiter cogitent sibi acre et perenne esse bellum cum principe tenebrarum, qui ardet ira, pollet potentia, tumet superbia, vafer est astutia, peritus experientia. Sciant suum antagonistam esse Luciferum, meminerint se cum pontificatum ineunt, ad duellum et singulare certamen provocare Satanam, omnesque ejus inferorum cohortes et legiones, de quibus ait Apost. Ephes. 6. 13: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Sed ne percellantur, nec animis cadant, sciant ex adverso hyperaspistem et defensorem suum esse S. Michaelem. Meminerint sibi in B. Petro à Christo promissum esse: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi* (puta omne inferorum robur et potentia) *non prævalebunt adversus eam*, Matthæi 16. Meminerint totam Ecclesiam, ac præsertim singulos sacerdotes, pro se nominatim in Missæ sacrificio quotidie Deo supplicare. Plures ergo et potentiores sunt eorum protectores, quàm sint hostes et impugnatores, uti eos videns dixit Elisæus 4. Reg. 6. 16. Perperam ergo Arias per *Satanam* accipit Antiochum Epiphanem, qui Jesum, id est, Machabæos posteros Jesu, oppugnavit. Agitur enim hìc de ipso Jesu, non de posteris, uti paulo ante dixi.

A dextris ejus.] Satan, accusans Jesum filium Josedec in tribunali Dei, stabat à dextris Jesu, quasi victor, et in lite potior ac superior; quia videbatur in judicio prævaliturus, ac Jesum ad sententiam damnationis adacturus, quia vera erat accusatio quam ei intentabat, inquit S. Hieron. Simili schemate et phrasi ait Psaltes ps. 108. 6: *Constitue legislatorem super eum*, nimirum fac ut diabolus stet à dextris ejus, quasi ei prævalens, leges et jura dictans. Unde S. August. ibidem tropologice sic explicat: *Hoc*, ait, *meruit* (Judas proditor Christi) *ut super se diabolum habeat, id est diabolo subditus sit, qui Christo subditus esse noluit. Stet autem à dextris ejus, dictum est; quia opera diaboli præposuit operibus Dei. Hoc enim cuique non immerito dextrum dicitur, quod præponit, sicut sinistræ dextera præponitur. Ideo et de illis qui seculi hujus gaudia præponentes Deo, beatum dixerunt populum cui hæc sunt, rectissime dictum est: Dextera eorum dexteræ iniquitatis. Diabolus ergo stetit à dextris ejus, quando præposuit avaritiam sapientiæ, et pecuniam saluti suæ, ut eum traderet et quo debuit possideri, ne ab ipso possideretur, cujus opera ipse Christus solvit, à quo noluit possideri.* Unde sequitur: *Cum judicatur exeat condemnatus.* Ex adverso justi et sancti dicunt psalm. 15. 8: *Providebam Dominum in conspectu meo semper,*

quoniam à dextris est mihi ne commovear. Et psalm. 108. 31 : *Astitit à dextris pauperis* (*ut divitiæ pauperis sint ipse Dominus,* ait ibidem August.) *ut salvum faceret à persequentibus animam meam.* Secundo, Albertus, Hugo et Sanchez : Satan, inquiunt, est à dextris pontificis, quia Judæorum felicitati cum invideret, angelorum et piorum ex eo populo consiliis adversabatur; nam Satan per malos regis consiliarios in Babylone, et per Samaritas in Judæa Hebræorum consilia turbabat, neque quidquam sinebat expedite, aut cum magno studii operæque pretio administrari. Uti enim amicus est à dextris, ut juvet et protegat, quomodo dicitur psalm. 15 : *A dextris est mihi ne commovear ;* sic inimicus est à dextris, ut quod in nobis firmius est et magis ad laborem idoneum, turbet et infirmet. Quod utique per Samaritas agebat Satan, dum et opifices et Judæos fabricæ præsides variis artibus remorari et impedire satagebat. Sic et Pineda de Rebus Salomonis lib. 7. cap. 20. Dextera, ait, symbolum est egregii alicujus conatus et operis; hinc qui se alicui à dextris opponit ut adversetur, procul dubio opus impedit malitiose et hostiliter, uti fecit hîc Satan.

Mystice, notat Hugo diabolum esse à sinistris illis quos persequitur in temporalibus; à dextris, quos in spiritualibus; ante faciem, qui versutias ejus cavent; à tergo, qui non prævident; supra, quos conculcat; infra et sub pedibus, qui eum conculcant, hæcque confirmat ex Script. Euthym. in Psalm. 108. vers. 6. Diabolus, ait, stat à dextris, ut operationes dextras, id est, bonas, rapiat. Ibidem Valentia : Sicut, inquit, à dextra incipit motus animalis, ita illi à diabolo aguntur, nihil operantes nisi secundùm avaritiam, odium, infidelitatem. Diabolus ergo stat à dextris, tanquam princeps peccatorum. Sic et Elias Cretensis in orat. 1. Nazianzeni : Satan, ait, semper res nostras dextras, id est, quæ cum laude sunt conjunctæ, oppugnat, non vero sinistras. Quocirca S. Ambros. libr. 3. de Interpell. cap. 11. Adam, ait, dextram suam diabolo dedit, quam extendi fecit ad interdicta poma. Ita præjudicatum est in illo omnibus, et cœpit universis diabolus à dextris stare : omnes quippe nascimur damnati ac filii iræ. Sicut enim psalm. 79. vers. 18. David virum dextræ vocat, quem Deus peculiari ope sua fortem facit; ita diabolum à dextris habet, qui ei consentiendo se subjicit, eumque contra se fortem ac potentem reddit. Diaboli typus fuit Naas rex Ammon, dicens Israelitis 1. Reg. 11. 2 : *In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrûm oculos dextros,* tum in opprobrium, tum ut eos bello inutiles, utpote cæcos, reddam : sinistrum enim oculum scuto tegunt milites. Quod mystice explicans S. Gregor. libr. 5. in libro Regum sub initium : *Dexter,* inquit, *oculus noster est intuitus claritatis æternæ : sinister vero oculus est concupiscentiæ carnalis. Dexter ergo oculus eruitur, quando mens ea cæcitate percutitur, ut ultra ad videnda cœlestia non aperiatur. Naas* (Naas hebr. idem est quod serpens, qualis est diabolus) *ergo dextros oculos fœderatorum sibi eruit, quando gula sic devictis abstinentibus prævalet, ut carnalia sola cupiant, et ultra quæ amare solebant non attendant,* puta spiritualia et æterna.

Alleg. S. Hieron. *Stans cernitur Jesus et stabili consistens gradu, et stabat à dextris ut adversaretur ei. Tentatus enim est per omnem modum absque peccato. Et in Evangelio ad eum tentator accedit quærens semper dextris ejus et virtutibus contraire.* Et S. Gregor. 20. Moral. cap. 18 : *Pro dextro,* ait, *habere dicimur, quod pro magno pensamus : pro sinistro vero id quod despicimus. Venienti ergo Christo in carnem Satan à dextris stetit : pro magno namque Dominus Judaicum populum, et pro nihilo gentes habere videbatur; sed postquam incarnatus apparuit, gentilitas quæ pro sinistro habita fuerat, credidit, Judaicus vero populus ad perfidiam declinavit. Satan ergo à dextris stetit, quia illum ei populum rapuit, qui dudum dilectus fuit.* Et inferius : *Cum S. Ecclesiam lacessunt qui fideles videbantur, ei procul dubio calamitates ad dextram surgunt :* sed quia reliquiæ in fine mundi salvæ fient, hinc Dominus removet Satanam à dextris dicens : *Increpet Dominus, etc.*

Denique ex hoc loco et similibus Cassianus Collat. 8. c. 17. colligit unicuique nostrûm cohærere Angelum non tantum bonum, sed et malum, sive unicuique à Lucifero destinari dæmonem tentantem, sicut à Deo cuique destinatur Angelus custos ad tutelam. Quæ fuit sententia Origenis et nonnullorum veterum. Nec est improbabilis : tum quia Lucifer est simia Dei : tum quia ardet odio Dei et invidia hominum, novitque hunc esse optimum nocendi hominibus modum et ordinem, si cuique dæmon, qui jugiter eum observet, et dum occasio est tentet, assignetur, ne inter dæmones sit ataxia et confusio; neve quod unus cœpit alter destruat. Porro cuique suum assignat Lucifer, non Deus.

Ut adversaretur ei.] Hebr. לשטנו *listeno,* à radice שטן *satan,* id est, adversus est, unde *Satan* vocatur adversarius. Explicat ergo etymon *Satanæ,* q. d. Satan, id est, adversarius, stabat, ut juxta nomen et officium à se usurpatum adversaretur Jesu, ut scilicet quasi actor accusaret eum in tribunali Dei, ad hoc ut eo damnatus judicaretur indignus tam pontificatu, quàm restauratione templi et cultus divini : hanc enim impedire satagebat Satanas.

Quæres : Quodnam fuit crimen Jesu, cujus eum accusavit Satan? Primo, Theodor. et Sanchez censent peccata hæc non fuisse Jesu, sed populi; quæ multa erant, eaque imputari Jesu tanquam pontifici, quodammodo enim totus populus est in sacerdote, et in sacerdote peccat; aut sacerdos potius in omnibus peccat, uti docet S. Cyrillus. Verum aliquod peccatum Jesu proprium hîc intervenisse innuit Angelus, dicens vers. 4 : *Auferte vestimenta sordida ab eo ;* et : *Ecce abstuli iniquitatem tuam.*

Dico ergo hoc peccatum fuisse, quod populum jam pene in Babylone legis cultusque Dei oblitum, in ea non satis instrueret, nec ad eam observandam modis omnibus urgeret, ac præsertim quod illum torpentem in fabrica templi ad illam non cogeret, ut patet Aggæi 1. vers. 1. et 2. Rursum, quod eum non averteret à matrimoniis cum alienigenis uxoribus contrahendis. Hoc enim crimen in populo redarguit et emendavit Esdras libr. 1. cap. 9. 2. Ita Chald. Lyran. Emmanuel, Mariana et Vatabl. Porro hac in re negligentem fuisse Jesum patet ex eo, quod ejus filii et fratres duxerint alienigenas, ut patet 1. Esdræ 10. 18. quos sane ipse quasi pater castigare et impedire debebat. Unde Chald. vertit : *Erant autem ipsi Jesu filii, qui duxerunt uxores quæ non erant dignæ sacerdotio.*

Addit S. Hieron. ex Hebræis, quem sequuntur Remigius, Haymo et Hugo : *Quod et ipse cum cæteris alienigenam accepisset uxorem ; quod et in Esdra et Malachia plenissime scriptum est.* Verum in Esdra scriptum est tantum filios Jesu duxisse alienigenas, non ipsum Jesum ; quod si ipse Jesus pontifex alienigenam duxisset, utique id ipsum non tacuisset Esdras, cum ipse ex professo vitia Synagogæ recenseat et castiget, ac nominatim cap. 10. numeret eos qui alienigenas in uxores acceperant. Minus credibile est quod scribit S. Justin. dialog. contra Tryphon. Jesum accusatum à satana, quod duxisset uxorem meretricem. Quis enim hoc credat de tanto viro et pontifice ?

Porro τὸ *ut adversaretur,* innuit Jesum aliquid egisse vel tentasse, in quo ipsi adversatus sit satan. Hoc autem videtur fuisse, quod ipse quasi pontifex Deum oraret pro restauratione templi, religionis legisque Dei. Ita Arias et Vatabl. utque Judæi in Babylone reliqui ad patriam sedem, et avitam religionem in Jerusalem redirent, inquit Beda in Epist. Judæ.

Moraliter, disce hîc quantum onus subeant Superiores, quantumque subditi eis compati, illudque prompte eis obediendo alleviare debeant. Ipsi enim sunt quasi Atlantes, qui portant Ecclesiam vel rempubl. ita ut singulorum qui in ea sunt peccata ipsi Episcopo, Pastori vel Rectori ascribantur. Hinc Apostolus hebr. 13.17: *Obedite*, ait, *præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes : hoc enim non expedit vobis.* Ubi S. Chrysost. hom. 34 : *Miror,* ait, *si potest aliquis rectorum salvari.* Ibidem S. Thom. Christus, inquit, in die judicii de singulis subditorum animabus interrogabit rectores, ab eisque singulorum salutem reposcet, dicendo eis illud Jerem. 13. vers. 20 : *Ubi est grex qui datus est tibi, pecus inclytum tuum.*

Et dixit Dominus ad satan : Increpet Dominus in te satan,] q. d. Deus ex zelo quo amabat Jerusalem, ejusque pontificem Jesum, quoque indignabatur satanæ, tam improba et noxia Hierosolymæ, æque ac Deo impudenter postulanti, non exspectavit ut Michael advocatus Jesu ejus causam ageret ; sed ipse ex fervore eum prævenit, causamque Jesu egit. Dixit ergo satanæ : *Dominus*, hebr. *Iehova,* id est, Deus opt. max. imperio, increpatione et objurgatione sua reprimat et compescat tuam audaciam et superbiam, ô satan, qua ad dexteram Jesu pontificis, quasi eo dignior ejusque victor, te collocas : Deus, inquam, compescat te ne Jesu oranti pro restauratione Jerusalem cultusque divini noceas, neve illum in tam pio Deoque grato proposito impedias. Deus enim *elegit Jerusalem* ex omnibus mundi urbibus, ut in ea habitet et colatur.

Nota primo : Deus hîc loquitur satanæ de seipso in tertia persona. Sensus enim est, q. d. Ego Deus increpabo et compescam te, ô satan. Verum dicit in tertia persona : *Dominus increpet te*, per hebraismum, tum ut ei ostendat suam majestatem ; tum quia satan indignus est quem Deus in prima persona compellet, ut cum eo cominus disputet et disceptet. Sic dicitur Genes. 19 : *Pluit Dominus à Domino*, id est, à seipso. Ita S. Hieron. Theodor. Remig. et Rupertus, qui simul censent hîc innui Trinitatem personarum in Deo, quasi Dominus Pater dicat Domino Filio : Increpa, id est comprime, satanam. Cum enim Jesus filius Josedec non posset per se satanæ resistere, Filius Dei, qui etiam Jesus vocandus erat, increpuit pro illo satanam, et simul hac increpatione significavit se, cum carnem acciperet, diabolum increpaturum, uti fecit Matth. 4. cum ait : *Vade, satana.* Ita Bellarm. lib. 1. de Christo, cap. 5. Unde et ter hîc *Dominus* nominatur, ut indicetur Pater, Filius, et Spiritus sanctus, ait noster Emmanuel.

Secundo, facilius et planius Albertus, Hugo, Arias et Vatablus censent hîc loqui non Deum, sed Angelum, puta Michaelem, eumque invocare Deum, ut satanam increpet et compescat. Sicut enim satan hîc est actor, ita Michael est defensor, æque ac judex Jesu. In judicio enim mox ut reum accusavit actor, eum defendit advocatus ; vel certe, si accusatio sit calumniosa, uti hîc erat, ipse judex. *Dixit* ergo *Dominus,* id est, Angelus Domini, *ad satan.* Est metonymia, vel potius prosopopœia : Angelus enim vocatur *Dominus;* hebr. *Iehova*, id est, *Deus,* quia Dei vices obibat in hoc judicio, eratque pro eo judex Jesu pontificis. Ipse enim erat præses et tutor Synagogæ ; ac proinde ad eum pertinebat judicare culpam et causam Jesu, qui in Synagoga erat pontifex. Unde dicitur Jesus stetisse coram eo, quasi reus coram judice. Si enim Michael hîc fuisset advocatus tantum Jesu, utique dixisset Zacharias eum à sinistris Jesu stetisse, sicut dixit diabolum, quasi actorem stetisse à dextris Jesu. Denique in sequentibus semper agit et loquitur Angelus, non Deus : ergo et hîc. Simili modo Angelus vice Dei dans tabulas legis Mosi in Sina, teste Apostolo Galat. 3. 19, gerit se ut Deum, imo Deum se vocat dicens : *Ego sum Dominus Deus tuus,* Exodi 20. vers. 2. quia personam Dei legislatoris sustinebat. Sic Angelus Gedeonem mittens contra Madianitas nunc vocatur Angelus, nunc Dominus, quia Domini erat legatus, Judic. 6.12. Denique ita videtur explicare S. Judas in Epist. vers. 9 ; ibi enim huc alludens sic ait : *Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Mosi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ* (eum blasphemare, ei conviciari, ei maledicere, dicendo v. g. Abi hinc, maledicte, vel maledicat tibi Deus) ; *sed* (modeste) *dixit : Imperet tibi Dominus*, græce ἐπιτιμήσαι, id est, increpando imperet, et imperando increpet cum potestate et objurgatione te, quasi impudentem actorem et calumniatorem, hoc est, reprimat et compescat tuam impudentiam et insolentiam Deus : hoc enim significat hebr. יגער *iiggar,* id est, *increpet,* quod Septuag. quos sequitur Judas, vertunt ἐπιτιμήσαι. Sic ait Psaltes, psalm. 105. 9 : *Increpuit mare Rubrum, et exsiccatum est*, q. d. Acri imperio quasi increpando ferum mare cohibuit, divisit et siccavit. Et psalm. 67. 31 : *Increpa feras arundinis.* Sic Christus Lucæ 8. 25 : *Increpavit ventum et tempestatem aquæ*, scilicet dicens : Tace et obmutesce, hoc est, sedare et quiesce, ut habet Marcus cap. 4. 39. Quando contra naturam et naturalium causarum, puta ventorum, vim et impetum agitur, opus est vehementiori potentia et imperio Dei, quod Scriptura vocat increpationem, quasi quid violentum et coactum. Sic enim aurigæ equos, agasones asinos, magistri discipulos pigros increpando et minando plagas, cogunt accelerare manum, vel gressum.

Moraliter, hanc Dei satanam increpantis vocem usurpent, quicumque à satana tentantur aut vexantur, ut Dei ope freti generose eum repellant, vilipendant et calcent. Ita S. Bavo in Belgio, præsertim Gandavi celebris, cum spretis amplissimis latifundiis (erat enim regum Francorum sanguine oriundus, et Austrasiorum Ducum hæres) totum se Deo rebusque divinis daret, acriter oppugnatus à turba dæmonum, nunc canum, nunc luporum, nunc ursorum, nunc leonum, nunc serpentum voces et formas induentium, ingenti animi robore et fiducia eos irridens, dicebat : *Increpet in te Deus, ô satan, et increpet in te, qui elegit Jerusalem.* Nec mora : legio evanuit, nec ultra virum Dei impugnare ausa fuit. Ita habet ejus Vita.

NUNQUID NON ISTE TORRIS EST ERUTUS DE IGNE?] Syrus : *Hic est torris qui evasit de igne;* Arabic. *Hic sicut lampas immersus in ignem,* q. d. Judæos ob peccata Babylonico igne, id est captivitate, punivi, multosque eorum consumpsi : ex illo igne Jesus, quasi torris è flamma afflatus et fuliginosus, hoc est, miser et pauper evasit, ut Synagogam instauret. Cur ergo tu, ô satan, vis eum omnino obruere, comburere et perdere, ut populum, cultumque Dei cui invides, disperdas ? Non ita erit : servabo eum, ne omnino comburatur; quia decrevi per eum meum templum, populum, urbem et religionem restituere : Dei enim proprium est calamum quassatum non conterere, et linum fumigans non exstinguere, Isaiæ 42. 3. Ita S. Hieron. et Cyril. Vox *torris* significat Jesum populumque Babylone ita deformatum, et quasi tostum, ut pene consumptus sit, ac plane consumendus videatur, ni Deus eripiat et succurrat. Hinc proverbium : *Titio ad ignem, torris ad focum,* cum quis applicatur illi rei vel officio, ad quod natura factus natusque videtur, ut cum culinarius ad culinam, furcifer ad furcam, cocus ad ollas, incendiarius ad rogum addicitur et applicatur. Sic Judæi hodie sunt quasi torres de igne, quo à Tito cremata est Jerusalem, eruti. Semiustulati, inquit Rupertus, igne, quo civitas eorum arsit, insignia ubique demonstrant, juxta illud Amos 4. v. 11 : *Facti estis quasi torris raptus ab incendio;* præcessit enim : *Subverti vos sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorrham.*

Mystice, S. Gregor. lib. 12. Moral. c. 18 : *Populus,* inquit, *Judaicus ad gehennæ incendia perfidia duce defluebat; sed dum ad fidem reducitur, ab eodem æterni ignis incendio liberatur. Hinc statim de eo subditur : Nunquid non est iste torris erutus de igne?*

Sic tropologice *torris erutus de igne* est quilibet peccator, quem prædicator, vel confessarius docendo et monendo, è gehenna, cui destinatus erat, eripit. Quid enim aliud sunt peccata, quàm folles; et peccatores, quàm torres et fomenta gehennæ? Rursum S. Hieron. *Torris,* ait, *de igne erutus rectissime intelligi potest, qui cum in Babylone fuerit* (uti et justus in mundo, mundique illecebris et tentationibus) *non est Babylonio igne consumptus, nec flamma seculi hujus attactus. Unde et Moses in solitudine cernit visionem magnam, in qua ardebat rubus, et non comburebatur.* Sic S. Judas in Epist. v. 22 : *Hos,* ait, *arguite judicatos, illos vero salvate de igne rapientes.* Rursum S. Hieron. torrem hunc adaptat Christo; quia ambustus flamma passionis, et resurgens retinuit ejus vestigia, plagas scilicet gloriosas.

3. ET JESUS ERAT INDUTUS VESTIBUS SORDIDIS.] Arabicus : *Et erant super eum vestes sordidæ :* tum quia ex Babylone nuper redierat sordidatus et squalidus, pauper et miser. Ita Theodor. tum ob culpam recensitam v. 3; vestis enim sordida sordidam notat mentem et conscientiam, quam expians Angelus v. seq. ait : *Auferte vestimenta sordida ab eo.* Et : *Ecce abstuli à te iniquitatem tuam, et indui te mutatoriis.* Ita S. Hier. Remig. Haymo, Albert. et Lyran. *Jesus,* inquit S. Hieron. *indutus erat vestibus sordidis tripliciter, vel ob conjugium illicitum, vel ob peccata populi, vel propter squalorem captivitatis.* Porro : *Splendidæ vestis* (qualis erat pontificis Jesu) *manifestiores sunt sordes,* ait Nazianz. orat. 31. Unde moraliter S. Bernard. serm. de triplici custodia : *Sicut,* inquit, *pretiosam vestem exigua quævis macula turpius decolorat, ita à nobis multo major exigitur justitia; cum in aliis nævus, in nobis gravis sit macula*

Symbolice, sordidæ vestes Jesu pontificis innuunt pontificatum, templum et cultum sacrorum non fuisse tam elegantem et magnificum post reditum è Babylone, quàm fuerat ante : Defuerunt enim illis præter opes Salomonis aliaque plura, illa quinque insignia quæ notavi Aggæi 2. 10. Ita Clarius.

Allegor. Jesus filius Josedec, indutus vestibus sordidis, repræsentat Jesum Christum sordida nostra carne indutum. Caro enim humana præ carne aliorum animalium omnium sordida est, ærumnosa, misera, ac mille morbis, fœcibus et putoribus obnoxia, ut non aliud esse videatur, quàm vas sordium, ut patet intuenti ea quæ ex ore, oculis, auribus, naso et inferne egerimus. Sane si anima infantis dum concipitur, ingressura corpus videret ejus miserias, morbos et sordes, quibus per omnem vitam continue subjacebit, horreret in illud ingredi. Cogita quàm horreat anima tua, viso aliquo corpore leproso, scabioso, ulceroso, cancro exeso, putido, cadaveroso, qualia mendicantium Romæ ante templorum fores passim videmus, quàmque detrectaret in illa ingredi, illaque induere et animare, si Deus id juberet. Et vide dignationem Dei nostri, qui sciens et prævidens carnem nostram omnibus hisce miseriis et sordibus natura sua obnoxiam, eam tamen induit, cum Verbum caro factum est, ut eam expiaret, et ab hisce, magisque ab animæ sordibus expurgaret. Ita S. Greg. lib. 20. Moral. cap. 18 : *Sordidis,* inquit, *vestibus indutus erat Jesus, quia quamvis alienus ab omni peccato, tamen in similitudinem venit carnis peccati.* Secundo, Jesus fuit sordidus; quia vitam egit inopem et pauperem in perpetuis laboribus et sudoribus, ac pedester nudisque pedibus incedens et circumquaque evangelizans, pedes suos sæpe pulvere et luto inquinavit. Tertio et maxime, quia in passione sordidatus fuit tum peccatis nostris; tum livore, sanguine, sanie, sputis, phlegmatibus, vulneribus, etc. Unde S. Hieronym. *Jesus erat indutus vestibus sordidis: quia cum non fecisset peccatum, pro nobis peccatum factus est : et ipse infirmitates nostras portat, et pro nobis dolet, et nos reputavimus eum esse in dolore* (imo leprosum, ut ait Isaias, cap. 53.) *et in plaga, et in angustia. Ipse vero vulneratus est propter iniquitates nostras, et infirmatus est propter peccata nostra. Et in Apostolo legimus : Christus redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Hic in psal.* 21. *loquitur :*

Longe à salute mea verba delictorum meorum. Et in 68 : *Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea non sunt à te abscondita : quæ universa appellantur vestimenta sordida, et auferentur ab eo, cum nostra peccata deleverit; ut quia ille sordidis indutus est vestibus, nos resurgentes ab eo audiamus post baptisma : Candida sint semper vestimenta tua.* Audi et S. Ambros. in psal. 118. ad illud : *Legem mihi constitue, Domine, viam justitiarum tuarum. Stabat,* inquit, *Jesus, et habebat vestimenta sordida : mea enim peccata portabat : sumpsit vestimenta nostra, ut nos splendore immortalitatis indueret : venit in nube levi quasi justitia : iniquitas enim in talento plumbeo sedet, Christus in corde justorum quos peccata non onerant.* Verum de talento plumbi dicendum c. 5. 7.

Porro considera mirum litigium et duellum Christi et diaboli : stat hostis acerrimus, mucronem intentat, addicit morti, ac devovet sacerdotis caput; Christus nudum latus, nudum caput ac corpus, aut, quod in bello pro eodem est, lacera et sordidata veste indutum opponit, et vincit. Viderat id Isaias cap. 51. 9 : *Consurge,* ait, *induere fortitudinem brachium Domini,* quid laceris cruentisque vestibus cum prælio? At dux Christus pro æreo thorace sanguineam chlamydem, pro ferreis ocreis manicisque ferreos clavos, pro galea spinas, pro militum præsidio solitudinem, pro tubarum clangore silentium, et patientiam cum hoste congressurus obtendit. Verum nullus æque potens thorax, ac cruenta caro; nulla præstantior fortitudo contra hostem, quàm lacerati corporis infirmitas : quàm ut cernit diabolus, debilitatur et frangitur, quoniam tam atrocis parricidii, imo Christicidii et Deicidii est auctor; ideoque confusus victusque aufugit. Hoc est quod de Christo dicit Joannes Apocal. 19. 13 : *Et amictus erat veste aspersa sanguine, et vocabatur nomen ejus verbum Dei,* scilicet efficax et omnipotens, quod ut suum robur ostendat, per ipsas plagas et vulnera sternit hostem, eumque exanimat.

4. Et stabat ante faciem Angeli] quasi reus, ideoque sordidatus coram judice, ut dixi v. 1. ac quasi suæ causæ diffidens, maleque sibi conscius, supplex oculos flebiles dirigebat in Angelum, poscens gratiam et opem. Sic olim rei pulla veste, intonsa coma, luridi et squalidi comparebant et consistebant in tribunali, ut judicem ad misericordiam flecterent.

Qui (scilicet Angelus præses et judex, puta Michael, tacitis votis Jesu annuens) respondit, et ait ad eos qui stabant coram se,] puta ad Angelos sibi subditos et ministrantes. Ita S. Hier. Theod. Remig. Lyran. et alii passim, uno excepto Aria, qui putat hìc Michaelem loqui ad sacerdotes, vel ad ministros Jesu pontificis : eorum enim erat ipsum vestibus exuere et induere; verum non hisce sordidis et mutatoriis: sordidis enim et peccaminosis hisce Jesum exuere, et mutatoriis eum induere soli poterant Angeli.

Auferte vestimenta sordida ab eo (et induite eum mutatoriis, puta vestibus pulchris et pretiosis, ac cidarim imponite capiti ejus, uti ait vers. 5. Utrumque fecerunt Angeli obedientes Michaeli; qui proinde hoc mutationis vestium symbolum et significationem explicans subdit) : Ecce abstuli a te iniquitatem tuam, et indui te mutatoriis,] q. d. Ideo per Angelos in visione jussite exui sordidis, et indui speciosis vestibus, ut repræsentem quod Deus tibi condonarit tuam iniquitatem, de qua dixi vers. 3. quodque sordidum habitum peccati commutarit in splendidum gratiæ et virtutum, quo te vestivit. Mutatoriæ enim vestes erant, bellæ et pretiosæ : talibus enim solent viles mutari in festis; ideoque symbolice repræsentant gratiam, virtutes et dona Spiritus sancti, quibus ipse animam peccatoris in justificatione quasi reginam, imo sponsam Dei vestit et ornat. Unde Chald. vertit : *Vide quod abstulerim à te iniquitatem tuam, et induerim te justitiis.* Ita Albert. Lyranus, Arias et alii. Talibus se vestitam gloriatur Ecclesia Isaiæ 61. 10 : *Gaudens,* inquit, *gaudebo in Domino, quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis.* Porro Michael proprie non abstulit peccatum Jesu : solus enim Deus aufert et condonat peccata : sed *abstuli,* id est, ablatum et condonatum tibi esse à Deo, hoc symbolo mutationis vestium significavi et repræsentavi. Unde liquet Jesum de suo peccato indoluisse, et contritionis actum elicuisse, partim ob monitionem et correptionem Esdræ, lib. 1. cap. 10. 19. (ubi dicitur : *Et dederunt manus suas, ut ejicerent uxores suas* (alienigenas), *et pro delicto suo arietem de ovibus offerrent*) Zachariæ, et aliorum Prophetarum, vel sacerdotum piorum; partim per gratiam excitantem ad pœnitentiam ipsi à Deo immissam. Nemo enim qui est in peccato, ab illo purgari potest, nisi ad hanc purgationem se idoneum reddat, et disponat per actum doloris et pœnitentiæ. Rursum nemo pœnitere potest, nisi gratia Dei ad id excitetur. Quocirca Hebræi, S. Hieron. Remigius, Haymo et Hugo, qui censent peccatum Jesu fuisse, quod contra legem uxorem duxisset alienigenam, censent pariter pœnitentiæ ejus partem fuisse, quod eam dimiserit, duxeritque Judæam; ita ut mutatoriæ vestes significent commutationem uxorum. Unde Chald. vertit v. 5 : *Imposuerunt cidarim mundam capiti ejus, et acceperunt ei uxorem decentem sacerdotium.* Id enim fecisse filios ejus et fratres patet ex Esdræ loco paulo ante citato.

Jam vero vestes has mutatorias non laicas fuisse, sed sacras et pontificales, patet tum ex Septuag. qui vertunt : *Induite eum podere;* poderis enim erat tunica pontificia usque ad pedes demissa : tum ex cidari, quæ capiti Jesu imponitur; cidaris enim erat tiara pontificis : tum quia sacerdotes et pontifices sacra obituri, mutabant vestes communes in sacerdotales, quæ proinde mutatoriæ dicebantur. Significat ergo Angelus hac mutatione vestium, dimissum esse peccatum pontifici, quod eum quasi immundum arcebat sacris; ideoque reddita ei Dei gratia, eum dignum esse qui rursum sacra obeat et pontificatu fungatur, prout de facto suspensionem hanc sacrorum ab eo tollit, usumque et functionem eorumdem illi restituit. Ita Remig. Albert. Haymo et Arias.

Allegor. et anagogice repræsentatur hìc Jesus Christus, qui in incarnatione et passione, tum carne nostra, tum probris et plagis quasi vestibus sordidis indutus, eas exuit in resurrectione, quando gloria et honore à Patre vestitus et coronatus fuit. Ita S. Hieronym. Eusebius, lib. 4. Demonst. cap. ult. Origenes. homil. 14. in Lucam et alii. Quocirca Tertull. lib. 3. contra Marc. cap. 7. hìc notari censet duplicem Christi ad-

ventum : *Primo* enim, inquit, *Jesus est sordidis indutus, id est, carnis passibilis et mortalis indignitate, cum et diabolus adversabatur ei, auctor scilicet Judæ traditoris, ne dicam etiam post baptisma tentator : Dehinc spoliatus pristinas sordes, et exornatus podere, et mitra, et cidari munda, id est, secundi adventus gloria et honore.*

5. Et dixit,] scilicet angelus, puta Michael : hic enim pergit loqui. Legit Interprês ויאמר *veamar*, id est, *et dixit.* Ita et Septuag. Jam alio puncto legunt ואמר *voamar*, id est, *et dixi*, in prima persona. Ita Chald. Pagnin. Tigurina et Rabbini, quasi hæc sint verba non Angeli, sed Zachariæ, qui oret Angelum ut jubeat cidarim capiti Jesu imponi. Verum prior lectio planior est et congruentior, ut patet intuenti.

Ponite cidarim.] Mitram, sive tiaram pontificiam imponite capiti Jesu pontificis, q. d. Pontificatum, aut potius usum et exercitium pontificatus restituite Jesu pontifici. Qualis fuerit cidaris dixi, Exod. 28. 36. et 40. Est hîc hysterologia : versus enim quintus totus quo Jesus jussu Angeli induitur pontificalibus, anteponendus est illis Angeli verbis v. 4 : *Ecce abstuli à te iniquitatem tuam, et induite mutatoriis.* Hæc enim verba significant et præsupponunt eum jam pontificalibus fuisse indutum.

6. Et contestabatur angelus Domini Jesum dicens.] Pergit Michael gravi oratione admonere Jesum pontificem, ut remissionem peccatorum et pontificiam dignitatem consecutus, mandata Dei diligentius servet, et à populo servanda curet. Si id fecerit, promittit ei stabilem pontificatum, ac consequenter regimen populi: hinc *eum contestatur*, id est, tanquam testibus adhibitis, puta Angelis ministris suis, ipsoque Zacharia; vel sub attestatione jurisjurandi graviter serioque eum admonet.

7. Custodiam meam,] hoc est, præcepta mea, præsertim cæremonialia, quæ spectant cultum Dei ritumque sacrorum; hæc enim sunt jura Dei omni custodia custodienda. Vide dicta Osee 4. 10. Alludit ad custodiam regiam, puta ad milites prætorianos, qui regem et aulam regiam custodiunt, quales sunt Helvetii. Simili enim modo Jesus pontifex cum suis sacerdotibus et Levitis, quasi militibus atriensibus, sed Ecclesiasticis, agebat custodiam templi rerumque sacrarum, et ipsius quasi Dei, juxta illud Num. 3. 25 : *Habebunt excubias in tabernaculo fœderis, etc.*

Tu quoque judicabis domum meam,] q. d. Si tu, ô Jesu, legem meam custodieris, ego vicissim custodiam tibi pontificatum, faciamque ut sis custos templi, imo in templo meo stabilis judex, id est, princeps et pontifex : hoc enim est Domus Dei, in qua pontifex erat gubernator, imo princeps et quasi rex. Unde Chald. vertit : *Tu judicabis eos qui in domo sanctuarii mei ministrant, et servabis atria mea.* Ita S. Hieronymus, Theodoret. Hugo et alii. Hinc consequenter eris judex, id est, præses et princeps populi cum Zorobabele : nam post reditum è captivitate, summa potestas et regimen Judæorum fuit penes pontifices, ut docet Josephus, lib. 11. Antiq. c. 4. et patet in Juda, Jonatha aliisque Machabæis, qui fuerunt summi principes, æque ac pontifices Judæorum usque ad Herodem. Hinc per *domum* Dei potest accipi Synagoga, puta populus Israel. Sic de Mose ait Deus, Num. 12. 7 : *In omni domo mea* (puta in erigenda Synagoga, sive populo Dei) *fidelissimus est.*

Et custodies atria mea,] q. d. Eris custos, id est, præfectus templi : sicut enim rex est custos regni, ita pontifex Ecclesiæ; perinde ac Deus custos est hominum, ut ait S. Job cap. 7. 20. et totius universi.

Et dabo tibi ambulantes de his qui nunc hic assistunt,] q. d. Præter pontificatum quem jam promisi, dabo tibi aliquot ex Angelis qui mihi assistunt, quorum circumvalleris auxilio, et ab hostibus securus populum recte regas, et ad salutem deducas : illi enim tecum ambulabunt, teque dirigent et protegent. Ita S. Hier. Hugo et Lyranus.

Secundo, ex Hebræo cum Septuag. vertas : *Dabo tibi qui conversentur in medio stantium istorum*, q. d. Dabo filios et nepotes tibi in pontificatu successuros, qui cœlestem agant vitam, et familiares Angelis, inter eos quasi conversentur, juxta illud Apostoli : *Nostra conversatio in cœlis est.* Et talis sane esse debet vita sacerdotis et pontificis, ut quasi Angelus emineat inter homines, inquit S. Chrysost. Tertio, pro מהלכים *mehallekim*, id est ambulantes, jam aliis punctis legunt מהלכים *mahelekim*, id est, viæ, transitus. Unde Pagnin. vertit : *Dabo vias inter stantes ipsos.* Tigurina : *Tibi inter istos stantes transitus dabo ;* tum ut inter Angelos hosce mihi astantes converseris, eorumque opem implores; tum ut per eos, eorumque patrocinio fultus ad thronum Dei accedas, precesque et vota pro populo offeras; tum denique ut post mortem Angelorum consortio adscribaris, et inter eos gloriosus verseris et ambules. Unde Chald. vertit : *In resurrectione mortuorum suscitabo te, pedesque veloces inter Seraphim illos ambulantes, tibi donabo.* Quæ sane ingens est promissio æternæ felicitatis et beatæ resurrectionis, in qua paradiso cœlesti inserti accedemus ad multorum millium Angelorum frequentiam, ut ait Apostol. Hebr. 22. unamque cum eis in superna Jerusalem societatem, et Ecclesiam triumphantem constituemus, in qua eminebunt sancti sacerdotes et pontifices, qui angelice vixerunt, et Angeli ac mediatores fuerunt inter Deum et homines in hac vita.

Minus recte Theodor. per eos *qui assistunt*, accipit sacerdotes, qui à Malachia cap. 2. v. 7. vocantur *Angeli*, q. d. Dabo tibi posteros qui sint pontifices, et ut tales in medio sacerdotum aliorum ambulent et conserventur. Nec enim sacerdotes in hac visione assistebant Michaeli, sed Angeli.

8. Tu et amici tui, etc. quia viri portendentes sunt.] Hebr. אנשי מופת *ansce mophet*, id est, *viri portenti ;* Vatabl. *viri prodigiorum;* quod varie accipi potest : primo, Septuag. vertunt, τερατοσκόποι, id est, portentorum spectatores, qui scilicet portentosa facta et oracula Prophetarum speculentur et meditentur, inquit Theodor. Ubi adverte quales debeant esse domestici Pontificum, ait Mariana. Secundo, Pagninus vertit : *Quia viri ad facienda portenta sunt apti ;* sicut Apostoli faciebant signa et prodigia multa in populo, Actor. 1. 43. Unde Hebræi censent hîc denotari tres juvenes, Danielis socios, Ananiam, Azariam et Misaelem, eosque vocari *viros portenti*, quia portentose in igne Babylonio illæsi manserunt. Tertio, Cyril. q. d. Quia cupiunt videre et audire res portentosas, audiant portentum seculorum, nimirum : *Ecce ego adduco servum meum Orientem*, id est, Messiam. Huc acce-

dit Vatabl. Viri, inquit, prodigiorum sunt, id est, viri digni sunt in quorum conspectu fiant multa prodigia, et quibus fiant revelationes de adventu Christi; apti sunt qui eum prophetent et annuntient. Sunt ergo viri portendentes, id est, Prophetæ ipsius. Quarto Arias, q. d. Viri portentosi, id est, eminentes sunt et admirabiles, qui cæteros homines sanctitate, dignitate, doctrina, factisque mirabilibus transcendunt. Tales enim debent esse sacerdotes et pontifices, præsertim Apostolici, nimirum rari et eximii ut portenta; tantæque sanctitatis, ut digni sint per quos Deus faciat portenta et miracula, uti fuerunt Apostoli eorumque sequaces. Unde Syrus vertit: *Viri admirationis sunt;* Arabicus Antioch. *Viri admirabiles sunt;* Arabicus Alexand. *Viri signorum sunt,* id est, facientes signa. Quinto et genuine, alludit Zacharias ad illud Isaiæ 8. 18: *Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum et in portentum Israel.* Et ad id quod Ezechieli cap. 12. v. 5. ait Deus: *Portentum dedi te domui Israel,* q. d. Tu, ô Jesu pontifex, tuique amici Prophetæ, puta Aggæus, Zacharias, Malachias, Esdras, Nehemias, etc. estis portenta Israelis; quia et factis et oraculis estis admirabiles et portentosi: portenditis enim Christum Christique vitam, doctrinam et Ecclesiam. Christus enim futurus est portentum portentorum, puta maximum omnium, quæ unquam non tantum ab hominibus et Angelis, sed et ab ipso Deo patrata sunt: ipse enim erit Oriens, erit lapis septioculus cælatus sculpturis, etc. ut sequitur. In Christo enim non Propheta, non Angelus, sed Deus ipse fecit se portentum seculorum, quod suspiciunt et stupent Angeli, homines et creaturæ universæ. Ita S. Hieron. Remig. Haymo et Hugo. Verbum enim caro factum, est opus omnium Dei operum maxime stupendum et admirabile, utpote in quo Deus non mundum, sed seipsum totum quantus quantus est dedit homini, hominumque se filium et fratrem effecit, ac consequenter hominem, et in homine creaturas omnes, quarum compendium, nexus et nodus est homo, ad sese elevavit et deificavit. Ibi portentum fuit Dei omnipotentia, quæ limum, id est, carnem Verbo, hominem Deo, terram cœlo arctissime, imo hypostatice, conjunxit. Ibi ostentui fuit Dei sapientia, justitia et misericordia, quæ culpam nostram condigna castigatione vindicavit et expiavit in morte Filii sui incarnati: ibi præ cæteris Dei attributis apparuit portentosa Dei charitas, qua, ut ait S. Joannes, cap. 3. v. 16: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Hoc portentum admirans Isaias exclamat cap. 7: *Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Et Jerem. cap. 31. 22: *Creavit Dominus novum super terram: femina circumdabit virum.* Insuper Christus portentum fuit in incarnatione, portentum in nativitate, portentum in vita, portentum in morte, portentum in resurrectione, portentum in ascensione, portentum in miraculis, portentum in doctrina, portentum in gratia, portentum in gloria, portentum in tempore, portentum in æternitate. Quid enim mundo portentosius, quàm audire illa à Christo: *Beati pauperes spiritu: Beati qui lugent: Beati qui esuriunt et sitiunt: Beati qui persecutionem patiuntur: Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos. Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus: si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me. Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus?* Lucæ 14. Vide dicta Isaiæ cap. 8. 18.

Porro Jesus filius Josedec fuit portentum figurans et portendens Christum. Primo, ipso nomine: Christi enim nomen pariter fuit Jesus. Secundo, sanctitate, officio et dignitate; suo enim pontificatu repræsentavit sacerdotium et pontificatum Christi. Tertio, vestibus sordidis repræsentavit dolores et sordes Christi in cruce, æque ac vestibus mutatoriis Christi gloriam in resurrectione, ut dixi v. 3. et 4. Quarto, sicut Jesus Judæos è Babylone in Jerusalem, ita Christus omnes gentes è confusione peccati in Dei gratiam, gloriam, et in ipsum cœlum adduxit. Quinto, sicut Jesus reædificavit templum, ita Christus Ecclesiam veterem per novam instauravit. Ita S. Hier. Tertul. Ambros. Origen. et alii quos citavi v. 1.

Tropol. Sacerdotes et Prælati, qualis fuit Jesus, debent esse heroes, ac portenta sanctitatis, sapientiæ et prudentiæ, ut vita tranquilla, sancta et eximia, æque ac doctrina, portendant beatitudinem et vitam cœlestem. Sic David fuit portentum persecutionum et patientiæ. Unde ipse ait, Psalm. 70. v. 7: *Tanquam prodigium factus sum multis.* Imo tales deberent esse omnes sacerdotes, Religiosi, cunctique fideles, ut docet S. August. tract. de Vita Christiana, tom. 9: *Tales,* ait, *convenit esse Dei cultores et servos, mansuetos, graves, prudentes, pios, irreprehensibiles, immaculatos, ut quisquis viderit eos, stupeat et admiretur, et dicat: Hi homines sunt dii, quorum talis est conversatio. Ita se homo Dei exhibere debet, ut nemo sit qui eum videre non velit, qui eum audire non desideret: nemo cum eum viderit, non Dei esse filium credat, ut vere in eo propheticum illud impleatur: Fauces plenæ dulcedinis, et totus desiderabilis.*

Ecce enim ego adducam (in carnem, in Judæam, et in hocce tuum, ô Jesu, fili Josedec, templum) servum meum Orientem.] Syrus: *Servum meum ortum,* puta Messiam cujus tu, ô Jesu, tuique amici estis portenta, et *viri* eum *portendentes.*

Nota. Pro *Orientem* hebr. est צמח *tsemach,* id est germen, surculus, qui pullulat et oritur è terra, vel ex arbore aut frutice. Alludit ad Isaiæ 4. 2: *In die illa erit germen,* hebr. *tsemach, Domini in magnificentia.* Et cap. 11. 1: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet: et requiescet super eum spiritus Domini.* Et cap. 45. 8: *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum: aperiatur terra, et germinet salvatorem.* Et cap. 53. 2: *Ascendet sicut virgultum coram eo; et sicut radix de terra sitienti.* Et Jerem. 33. 15: *In diebus illis, et in tempore illo germinare faciam David germen,* hebr. *tsemach, justitiæ, et faciet judicium et justitiam in terra.* Ubi Chald. æque ac hic, pro *germen* vertit, *Messiam;* solent enim Prophetæ posteriores alludere ad priores. Septuag. vertunt ἀνατολή, id est, ortus, vel oriens, scilicet non tam sol, quàm germen; hoc enim significat *tsemach.*

Quæres: Cur Christus vocatur *tsemach,* id est, surculus, vel germen? Resp. primo, quia *tsemach* per metathesin idem est quod משיח *Mas-*

ciach, id est, Messias. Licet enim in *Masciach* sit littera *samech*, in *tsemach* vero *tsade*, tamen hæc illi est affinis; utraque enim valet Latinum *s*. unde ab Interpretibus vertitur per *s*; secundo, quia Christus è Virgine natus est obumbrante Spiritu Sancto, sicut germen è terra pullulat irrorante rore, vel pluvia cœlesti, sine maris concursu; tertio, quia arbor Jesse, id est, stirps regia Davidis, tempore Herodis succisa erat usque ad radices et truncum, ac videbatur emortua; sed Christus germen ex ea suppullulans et oriens, eam restituit. Nam parvulum hoc germen in arborem excrevit, quæ omnes Gentes sub se complectens, toti orbi dominatur. Christus ergo stirpem, æque ac regnum Davidis collapsum instauravit; regnum, inquam, non temporale, sed spirituale et æternum. Hoc est quod Gabriel Christi ortum prænuntians, dixit Virgini Deiparæ : *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum*, Lucæ 1. 32. Quarto germen significat parvitatem, infantiam, humilitatem Christi nascentis, quæ deinde crevit in tantum corpus, quantum est Ecclesia universa, juxta parabolam grani sinapis Matth. 13. vers. 31. Quinto, τὸ *oriens* significat Christum à suî ortu, et à primo conceptionis instanti per gratiam tum unionis hypostaticæ, tum habitualem, fuisse consecratum et unitum Deo, juxta illud Isaiæ 49. 1 : *Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.* Ita S. Ambros. lib. 5. de Fide cap. 3. Huc alludit Zacharias pater Joannis Baptistæ, Lucæ 1. 78. dum canit : *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto.* Ubi pro *Oriens* græce est ανατολη, uti hîc Hebræum *tsemach* vertunt Septuag.

Ubi nota : Christus vocatur ανατολη, id est, *Oriens* substantive, quæ Græca vox licet de ortu etiam germinum et herbarum dici possit, teste Suida, tamen proprie dicitur de ortu solis, lunæ et stellarum. Christus ergo est *tsemach*, id est, germen; sed germen solare et cœleste, ανατελλων, id est, oriens ex alto, ad illuminandum eos qui in tenebris et in umbra mortis sedent, uti subdit Zacharias; unde Arabicus vertit : *Ecce ego ascendere faciam supra servum meum illustrationes*, quasi dicat : Christus est *tsemach*, id est, germen solare, et sol germinans in paradiso primo cœlesti, deinde terrestri : Christus enim est germen tum cœleste, tum terrestre; habet enim duas generationes. Primo, divinam, juxta quam est germen Patris æterni, et quasi *flos mentium*, inquit Proclus ex Chaldaicis mysteriis; secundo, humanam, juxta quam est germen matris virginis et Davidis. Et sic Christus quasi alter Melchisedech, in cœlo est αμητωρ, in terra est απατωρ. Unde S. Ambros. lib. 1. Epist. 8 : *Ecce ego mittam servum meum, Oriens nomen est ei. Nunquid quia habebat vestimenta sordida, ideo fulgorem divinitatis suæ sol justitiæ non habebat?* Itaque Christus primum in cœlo fuit sol germinans, et oriens summa claritate et gloria, deinde è cœlo in terram descendens, in ea germinare et nasci cœpit. Christus enim est arbor vitæ, ex cœlesti paradiso transplantata in terram per incarnationem, inde rursum ascendens in cœlum et paradisum Beatorum, visione sua et fruitione dat Sanctis vitam, immortalitatem et felicitatem per lumen gloriæ, suisque foliis et fructibus omnis voluptatis eos in æternum continue mulcet et satiat, uti dixi Apoc. 22. 2. Quocirca uterque Zacharias Christum vocat solem germinantem, et orientem; quia Christus lucem, lætitiam, fecunditatem, vitam, gratiam, gloriam, omniaque bona orbi attulit, quasi sol justitiæ præfulgens Ecclesiæ. Sic Pompeius se jam inclarescentem, vocabat solem orientem; Cinnam vero æmulum suum prolabentem vocabat solem occidentem, teste Plutarcho in ejus Vita. Hinc Clem. Alex. Adhortat. ad Gentes : *Fiunt*, inquit, *omnia lux, quæ sopiri non potest; et occasus credidit Orienti, æquè illustratus luce fidei, ac ipse Oriens. Omnia enim obequitat sol justitiæ. Is Occasum traduxit in Orientem, fecit æque splendentem, utpote in quo non occiderit lux fidei, imo orta fuerit.* Ita per *tsemach*, id est germen oriens, intelligunt Christum Chald. S. Hieron. Cyrill. Remig. Rupert. Albertus, Hugo, Lyran. Vatabl. Emmanuel, Mariana et alii passim. Perperam ergo Rabbini, Theod. et Euseb. 4. Demonstr. cap. ult. per *tsemach*, id est, germen, accipiunt Zorobabel. Hîc enim non erat germen, id est, puer, sed vir, eratque præsens. Unde de eo false dicitur : *Adducam servum meum Orientem;* nec Zorobabel fuit lapis septem oculos habens, cælatus sculpturis, etc. ut sequitur.

Tropol. S. Athanas. tract. de Sabbato et circumcisione : *Solis instar*, inquit, *Deus exoritur, illustrans uniuscujusque animum. Quocirca et in salutifera passione non apparuit sol, indicans finem prioris creaturæ adesse et principium alterius supervenire, quæ diluculum suum et exortum in Salvatore consecuta est : Hanc cum vidisset Propheta ita locutus est : Ecce vir Oriens illi cognomen; ac rursum : Vobis timentibus eum exoritur sol justitiæ. Non enim omnium hæc dies est, sed eorum qui mortui sunt peccato, et vivunt Deo.*

9. Quia ecce lapis quem dedi coram Jesu.] Zacharias paulo ante Christum vocavit *germen oriens*, hîc alia metaphora vocat eum *lapidem;* quia alludit ad fabricam templi, quæ à Jesu pontifice facta est ex lapidibus. Hi enim lapides repræsentarunt Christum, qui est lapis angularis et fundamentalis in fabrica Ecclesiæ. Alludit ad Isaiæ 28. 16 : *Ecce ego mitto in Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum.* Ita S. Hieron. Haymo, Remig. Albertus et Lyranus. Hunc lapidem dedit Jesus *coram Jesu*, id est, per visionem Deus ostendit Jesu filio Josedec lapidem fundamentalem templi, eique revelavit per illum repræsentari Christum, qui futurus erat lapis angularis Ecclesiæ. Ita Lyran. Hugo, Vatabl. Clarius et alii. Sic enim explicat se Zacharias cap. 6. 12. ubi cum dixisset : *Ecce vir Oriens nomen ejus;* subjiciet : *Et subter eum orietur, et ædificabit templum Domino.* Simili enim modo hîc cum dixisset : *Ecce adducam servum meum Orientem;* subdit : *Ecce lapis, etc.* cui scilicet ipse suam inædificabit Ecclesiam.

Super lapidem unum septem oculi sunt.] Quæritur primo an hi oculi lapidi incisi, vel affixi fuerint; an vero à lapide separati, sed in lapidem respicientes et intenti. Separatos fuisse et in lapidem prospectantes censent Lyranus, Vatabl. Fernandez, Sanchez et alii : Quia, inquiunt, significant Angelos in fabricam templi et Ecclesiæ, ideoque in lapidem, id est, Christum, intentos, ut quæcumque ille jusserit, prompte exsequantur. Aut, ut Clarius et Arias,

quia hi oculi significant vigilantissimam Dei providentiam et curam erga Christum, ut eum quasi lapidem affabre cælet, poliat, et in fundamento Ecclesiæ angularem apte constituat et conservet. Aut, ut alii, significant omnium Angelorum et hominum, præsertim Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Doctorum, Martyrum, Virginum et Sanctorum illustrium oculos intentos esse in Christum; quia ab eo gratiam, salutem et omne bonum exspectant.

Verum concinnius et congruentius alii censent oculos hos fuisse lapidi affixos, vel incisos; primo, quia dicuntur fuisse *super lapidem unum.* Si enim fuissent extrinseci et intenti tantum in lapidem, dixisset: *Versus lapidem unum;* secundo, quia hi oculi sunt lapidis, id est Christi, per quos ipse circumspicit, lustrat, protegit, curat, promovet totam ecclesiæ fabricam; licet enim id faciat per Angelos à se separatos, tamen quia hi Angeli sunt quasi oculi Christi, hinc quasi oculi in ejus corpore infigi et pingi debent; tertio, quia huc alludens S. Joannes, Apoc. 5. 6. vidit *Agnum* (id est Christum) *stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram.* Sicut ergo cornua septem erant Agno affixa, ita et oculi septem; ergo et hîc oculi septem lapidi, id est, Christo, fuerunt affixi; quarto, quia pari modo Cherubini Ezech. cap. 1. vers. 18. et Joannis, Apoc. 4. 8, pleni erant oculis; nec tantum ipsi, sed et rotæ currus cherubici, ut patet Ezech. 1. 18, qui repræsentant divinæ providentiæ actionem, et exsecutionem attentissimam et oculatissimam. Vide ibi dicta. Ita S. Hieron. Haymo, Remig. et alii. Porro quales fuerint hi oculi, et qualiter in lapide concipiendi sint, explicat noster Mariana in hunc locum: In lapide, inquit, fundamenti solent excavari sigilla, quibus includuntur stipes auri et argenti, perpetuitatis argumento. Ea sigilla vocantur *oculi,* tum quia erant concava, tum quia habebant speciem et formam oculorum. Aliter Prado procem. in Ezech. sect. 7: Septem oculi, ait, sunt totidem stellæ cælatæ. Mundus enim est quasi homo magnus, cujus facies est cœlum, quod stellis quasi oculis distinguitur, illuminatur et exornatur. Verum stellæ non sunt oculi, nisi mystici et hieroglyphici.

Quæres secundo: Quidnam hi septem oculi significant? Primo, aliqui censent oculos hosce fuisse rimas lapidis, quasi dicat: Ne putetis hunc lapidem ob rimas, fabricæ templi inutilem, ecce ego eas affabre cælabo, ut fabricæ decus, non dedecus afferant; secundo, Hugo censet septem oculos significare architectorum et latomorum industriam et vigilantiam, qua septem quasi oculis, id est, summa attentione et cura, attendebant fabricæ templi Zorobabelis, ut illa esset elegans et omni ex parte accurata. Verum etsi eò alludat Propheta, longe tamen majora et sublimiora spectat.

Dico ergo hosce septem oculos significare plenam et perfectam Christi providentiam et vigilantiam circa templi, id est, Ecclesiæ suæ, fabricam erigendam, augendam, promovendam et conservandam, quam exercet per septem Angelos primarios, qui aulæ suæ sunt quasi principes, ideoque præfecti tum cæteris Angelis hominum custodibus, tum ipsis hominibus totique Ecclesiæ et orbi. Id ita esse patet ex cap. 4. 10. ubi ait Zacharias: *Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in universam terram.* Et Apocal. 5. 6: *Agnus habebat oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram.* Et Tob. 12. 15: *Ego,* inquit, *sum Raphael, unus ex septem qui astamus ante Dominum.* Et Apocal. 1. 4. S. Joannes pacem apprecatur septem Ecclesiis *à septem spiritibus, qui in conspectu throni sunt,* ubi fuse de hisce septem Angelis egi. Porro Angeli vocantur *oculi;* quia sunt puræ mentes perspicacissimæ et vigilantissimæ; unde et intelligentiæ nuncupantur. Simili modo Ægyptii pingebant Osirim Deum suum, quasi oculum sceptro insistentem; sceptro ejus imperium et gubernationem, oculo ejus providentiam et vigilantiam significantes. Ita Macrob. 1. cap. 21. et Plutarch. lib. de Iside et Osiride. Sic Tertull. lib. 1. de Trinit. Deum totum oculum dixit, qui totus videt. Et alibi Dei oculum, ait, somni expertem, quoniam est ipsa lux, quæ ad omnia excubat. Quin et Diphilus apud Gellium lib. 14. cap. 4: *Est,* inquit, *qui tuetur cuncta justitiæ oculus;* adeoque veteres Deum vocarunt *mundi oculum.* Denique Pausanias in Corinth. scribit statuam Jovis in subdiali ara, ad quam Priamus capta Troja confugit, tribus oculis fuisse insignem; iis vero significabatur triplex Dei providentia, qua cœlestia, maritima et inferna curat, ait Pierius hierogl. 33. cap. 15. Sensus ergo est, q. d. Hic lapis quem tibi ostendi, ô Zacharia, puta Christus, qui est lapis angularis Ecclesiæ, non erit inanimis et insensibilis, sed vivus, oculatus, vigil et acer, qui sua oculatissima providentia per septem Angelos totam Ecclesiæ fabricam lustrabit, diriget, promovebit, omnibusque ejus partibus et membris de cunctis requisitis providebit abunde. Sic Persarum reges habebant principes, qui vocabantur *oculi regis,* et alios, *qui aures regis* dicebantur, teste Hesichio et Suida in voce ὀφθαλμὸς βασιλέως. Et forte eo alludit hîc Zacharias; nam reges Persarum habebant septem aulæ principes, sicut Deus habet septem Angelos principes mundi. Unde Scriptura eorum vix facit mentionem, nisi postquam Judæi redierunt è captivitate, ubi similes viderant in aula Cyri et Darii, uti dixi in Comment. Apocalyp. 1. quem curiosus Lector consulat.

Tropol. Septem oculi sunt septem dona Spiritus sancti, quæ plenissime fuerunt in anima Christi: quia hæc animam ejus oculatam, illuminatam ac vigilantem reddunt. Ita S. Hieron. Remig. Rupert. Emmanuel et alii. Alludit ad ocellos, quos phrygiones operi suo, puta vesti Phrygiæ intexunt, ut sit ocellatum et elegans instar caudæ pavonis, q. d. Christus instar lapidis septem ocelli cælati, omnibus donis, gratiis et virtutibus quasi ocellis divinis cælabitur et exornabitur.

Audi S. Gregor. lib. 29. Moral. 16: *Super lapidem unum septem oculi sunt. Huic enim lapidi* (Christo) *septem oculos habere, est simul omnem virtutem Spiritus septiformis gratiæ in operatione retinere. Alius namque prophetiam, alius scientiam, alius virtutes, alius genera linguarum, alius interpretationes sermonum juxta distributionem Spiritus sancti accipit: ad habenda vero cuncta ejusdem Spiritus munera nemo pertingit. At vero conditor noster infirma nostra suscipiens, quia per divinitatis suæ potentiam simul se habere*

omnes spiritus sancti virtutes edocuit, micantes procul dubio pleiades junxit.

Allegor. à Castro : Christi corpus, inquit, in passione instar lapidis septem oculis incisi, multis incisionibus, vibicibus et vulneribus quasi ocellis cælabitur, et pulcherrima varietate distinguetur, ut hi oculi sint cælatura, de qua subdit : *Ego cælabo sculpturam ejus.*

Symbolice, ex Zacharia, uti et ex Apocalypsi, Ecclesia Romana accepit multos ritus et cæremonias, indeque similia symbola rerum sacrarum in Officiis Ecclesiasticis mutuata est. Ita ex hoc loco accepisse videtur olim septem Cardinales diaconos, quos S. Clemens Epist. 1. ad S. Jacobum vocat *oculos Episcopi*, et totidem Cardinales Episcopos, in Lateranensi Ecclesia, cujus Episcopus proprius et verus est Pontifex Romanus. In ea enim est sedes et cathedra Episcopatus Romani, ibique novus Pontifex ejus, ac consequenter pontificatus totius Ecclesiæ, qui Episcopatui Romano annexus est, possessionem capere solet. Quocirca ita de ea scribit B. Petrus Damiani lib. 2. Epist. 2. ad S. R. E. Episcopos Cardinales : *Ecclesia Romana excellentioribus præ cæteris totius orbis Ecclesiis nititur privilegiis; sed et mysticis etiam instituta atque disposita non ambigitur Sacramentis. Nam ut de pluribus pauca perstringam, Lateranensis Ecclesia sicut Salvatoris insignita est vocabulo, qui nimirum caput est omnium electorum; ita mater, et quidam apex et vertex est omnium per orbem Ecclesiarum. Hæc septem Cardinales habet Episcopos, quibus solis post Apostolicum sacrosanctum illud altare licet accedere, ac divini cultus mysteria celebrare. In quo nimirum illud Zachariæ continetur evidenter oraculum : Ecce, ait, lapis quem dedi coram Jesu : super lapidem unum septem oculi sunt. Lapis autem iste procul dubio illa petra est, de qua verus Jesus Petro pollicetur, dicens: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Septem ergo oculos habet hæc petra, quia totidem S. Spiritus donis sancta præfulget Ecclesia, quibus nimirum velut candelabrum aureum inexstinguibiliter rutilans ignorantiæ tenebras effugat, et ad contemplandum justitiæ solem hominum mentes illustrat. De quo idem Propheta, cap. 4 : Vidi, ait, et ecce candelabrum aureum totum, et lampas ejus super caput ipsius, et septem lucernæ ejus super illud. Quod utique Sacramentum et B. Joannes in Apocal. se didicisse non tacuit; cui dictum est : Mysterium septem stellarum quas vidisti in dextera mea, et septem candelabra aurea. Septem stellæ, Angeli sunt septem Ecclesiarum, et candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt.* Septenarius enim est symbolum universitatis. Septem ergo Ecclesiæ sunt omnes Ecclesiæ, quas in se quasi in matrice continet Ecclesia Lateranensis et Romana, quæ omnium est princeps et regina, uti ait idem Damianus. Unde et subdit : *Nos itaque fratres mei, ut et me vobis audenter interseram* (fuit enim et ipse Cardinalis ac Episcopus Ostiensis, qui inter Cardinales est primus, ac solet consecrare Romanum Pontificem). *Nos, inquam, qui tanquam septem sumus oculi super lapidem unum, qui stellarum portamus imaginem, qui Angelorum tenemus per annuntiationis officium dignitatem, videamus, splendeamus, et per verba vitæ populis non solum vocibus, sed et moribus nuntiemus sermonem. Siquidem prædicantium lingua quidem nuntiat, sed vita commendat. Apostolus ait : Qui Episcopatum desiderat, non bonam dignitatem, non bonum honorem, sed bonum opus desiderat; ac si dicat : Qui ad Episcopatum anhelat possidendum sine bono opere, inane vult nomen induere sine rei ipsius veritate. Non ergo constat Episcopatus in turritis gibellinorum transmarinarumve ferarum pileis, non in flammantibus martorum submentalibus rosis, non in bractearum circumfluentium phaleris, non denique in glomeratis constipantium militum cuneis, neque in frementibus ac spumantia frena mandentibus equis; sed in honestate morum, et sanctarum exercitatione virtutum.* Et inferius : *Vos ergo dilectissimi, quibus prava datum est ex Apostolicæ Sedis auctoritate corrigere, vosmetipsos cæteris non modo fidelibus, sed et sacerdotibus quamdam vivendi regulam exhibete. In vita vestra legatur quid agi, quod vitari conveniat : ex labiis nostris verba otiosa non effluant, sacerdotalem linguam discreti silentii censura compescat : non joci solvant, non pectus nostrum immoderata lætitia concutiat. Puerilis ludus abscedat : mordax eloquentia, urbana dicacitas evanescat. Quomodo enim ex ore sacerdotis oratio ad Deum munda dirigitur, quæ pravi sermonis sordibus inquinatur?* Et in fine : *Vos estis sal terræ, vos non modo sacerdotes, sed et sacerdotum decet esse magistros. Necesse est ut vita vestra quædam sit linea et velut adamantis signaculum, quod cæteris vivendi adhibeat formam. Adamantinum quippe sigillum suam cæteris imprimit, à nullis vero metallis imaginem sumit. Cum ergo ex diversis mundi partibus adventantium vobis ingruit multitudo, cum morigerari sibi quisque vos importune compellunt, vultus vester semper idem, sic festiva quadam serenitate respondeat, ne in aliquo puerilis levitas erumpat : sit gravitas hilaris, et gravis hilaritas.*

Ego cælabo.] Hebr. *Ecce ego aperiam aperturam ejus*, quod primo Chald. explicat : *Ecce ego visionem ejus revelo*, q. d. Ego tibi, ô Zacharia, hanc visionem lapidis mystici ostendo, ejusque significationem de Christo revelo. Verum hebræa phrasis id non patitur : nam aperire aperturam Hebræis idem est quod sculpere sculpturam, vel cælare cælaturam, uti vertunt Sept. Aquila, Symmach. Theodot. Noster, Pagninus, Vatabl. et alii passim. In sculptura enim sculptor aperit et eradit partes aliquas, vel in longum, facitque strias; vel in rotundum, vel in quadrum, aliisque mille modis, ut sculpat flores, aves, poma, aut quod ei libuerit.

Secundo, Rabbini et ex iis Hugo hæc intelligunt de cælatura templi Zorobabelis, q. d. Ego perficiam templum hoc, illudque eleganti cælatura forinsecus exornabo, aut cælum, id est, fornicem cælatam illi inducam : perfecta enim fabrica solet cælari et cælaturis exornari. Verum esto eò alludat Propheta, tamen altiora spectat de Christo.

Dico ergo lapidem cælatum esse Christum, ejusque cælaturas vocari vel septem oculos in eo cælatos, ut nonnulli volunt, vel potius ipsa ædificantis stemmata in primo fabricæ lapide cælata. Nam cælaturas has ab oculis esse diversas liquet ex antitypo : oculi enim Angelos, cælaturæ, dona et stigmata Christi repræsentant, uti mox declarabo. Alludit ad primum templi vel fabricæ lapidem quem architecti cum solemnitate et pompa in fundamentis ponunt, itaque fabricam inchoant. Unde lapis ille primus solet insignibus principis, qui fabricæ est auctor, insculpi : ita Christo, quasi lapidi primo

Ecclesiæ, Deus sua insignia et stemmata insculpsit : primo, in ejus incarnatione, in qua Spiritus sanctus Christi corpus et animam tanta perfectione elaboravit, ut humanitas illa à Deo elegantissime tornata et cælata videretur. Insuper eamdem ornavit et cælavit omni sapientia, virtute, gratia et gloria, quasi cœlum quoddam divinum sole, luna et stellis pulcherrimis cælatum et distinctum ; denique per gratiam unionis hypostaticæ ita eam Verbo adaptavit, ut videretur humanitas esse quasi gemma politissime cælata et adaptata annulo aureo divinitatis Verbi. Audi S. Irenæum, l. 3. c. 28 : *Hic lapis è terra et ex virtute et arte constat Dei : significat autem in terra virgine ortum, sed virtute Spiritus sancti artificiose cælatum.* Ita quoque Lyran. Dionys. et alii. Nam Spiritus sanctus ita affabre humanitatem divinitati univit, inseruit et quasi cælavit, ut inter naturam divinam et humanam summa sit unio in Verbo, ac per unionem mutua intimaque earumdem sit complexio, seu περιχώρησις, ut ait Damascen. l. 3. cap. 8. Et tamen Verbum ipsum nullam ad humanam naturam contraxit habitudinem, nullum ordinem, nullam inclinationem. Infinita enim illa vis hypostatica sufficit, ut se ad illam extrinsecus attractam et velut insertam, absque ulla suî mutatione velut terminus et basis hypostatica extendat, eamque insolubili et substantiali nexu sibi intime astringat et copulet : perinde ac intellectio divina propter suam infinitam intelligendi vim, sese extendit ad futura contingentia, eaque attingit et prævidet, atque volitio divina propter infinitam volendi vim, sese extendit ad omnia existentia, quorum ipsa est causa absque accessione alicujus habitudinis realis ad illa : nullam enim ad illa relationem realem acquirit vel contrahit intellectus aut voluntas Dei.

Secundo et plenius, Christus quasi lapis cælatus fuit in passione, tum clavis, spinis et flagellis active ; tum vulneribus, plagis et vibicibus passive ; quibus totum corpus suum fodi et aperiri voluit, ut immensam suam in nos charitatem intus latentem per has quasi rimas ostenderet et effunderet juxta illud :

Cernis ut in toto corpore sculptus amor.

Unde Hebr. habent ad verbum : *Ecce ego aperiam aperturam ejus* ; Syrus et Arabicus Antioch. *Ecce ego aperiam portas ejus :* portæ enim corporis et cordis Christi sunt ejus plagæ et vulnera ; Arabicus Alexand. *Ego coaptans eos*, scilicet septem lapidis oculos ; Septuag. *Ecce ego fodio foveam.* Hisce enim passionum cælaturis expolita fuit Christi patientia, obedientia, charitas, fortitudo cæteræque virtutes divinæ : itaque perfecta Dei imago in ipso cælata apparuit ; ac proinde lapidi huic rupique tot plagis excavatæ, et quasi stemmatibus regni sui insculptæ et decoratæ, Deus Ecclesiam suam inædificavit, quando per eum abstulit iniquitatem orbis, ut sequitur. Ita S. Hieron. Remig. Haymo, Rupert. Vatabl. et Clarius. Perperam ergo Theodor. per foveam hanc accipit stragem et sculpturam Gog et Magog. *Hæc*, ait, *de Gog et Magog prædixit, quibus in una die perniciem attulit, et omnes pariter ad occisionem deduxit, quam per translationem et comparationem foveam appellavit.* Gog enim et Magog venturi sunt tempore Antichristi, et cædendi in fine mundi, uti dixi Ezech. 38.

Tropolog. hæc Christi nascentis et patientis sculptura repræsentat cælaturam et ornatum animæ, virtutibus et donis omnibus insculptæ, ac per cruces et patientiam incisæ et expolitæ, ejusque est prototypum et exemplar. Vis ergo, ô Christiane, in anima tua sculpere imaginem elegantissimam et divinam obedientiæ, humilitatis, tolerantiæ, constantiæ, amoris et perfectionis Christianæ? Inspice et fac secundùm exemplar quod tibi in monte Calvariæ à Christo monstratum est. Deus in creatione et generatione tua suam tibi imaginem et similitudinem impressit et insculpsit, Genes. 1. 27, eamque peccato deformatam per Christum in baptismo et justificatione reformavit, tu eam per ejus gratiam cæla, expoli et perfice. Si modum nescis, docebit te Christus : inspice ejus cælaturam in cruce. Invadit te morbus, paupertas, damna fortunarum, sustine exemplo Christi ac dicito : Non mea voluntas, sed tua fiet. Invadit te hostis, æmulus, detractor, calumniator, spargit de te quæ nunquam cogitasti : sustine, noli per indignationem inferre maculam imagini tuæ, noli cælaturam patientiæ tuæ per impatientiam maculare. Gradu tuo dejiceris, deprimeris, negligeris, æmuli tui attolluntur, te despiciunt, tibi insultant : sustine, hæc et majora pro te sustinuit Christus Dei Filius, cum à Judæis irrisus, consputus, flagellatus, et quasi latro in crucem actus est. Imperat Superior rem arduam, periculosam, alacriter eam capesse : sequere Christum qui factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Si reniteris, excutis, excusas, vide quàm longe absis à cælatura obedientiæ Christi. In docendo, concionando, confessiones audiendo, pagos circumcursando, rusticos, rudes et pauperes docendo, sentis labores et dolores : eia athleta Christi, ejus amore omnia transcende et supera : ille pariter pauperes evangelizavit, vicos et pagos prædicando pedes obivit, fatigatus est, sudavit, æstuavit et alsit. Illius ad instar sculpe hosce dolores et labores modicos, et modici temporis in anima tua : *Cæla in ea cœlum et solem charitatis : pinge et sculpe æternitati.* Audies brevi quod ille tertio die resurgens audivit : *Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum.* Ita ad exemplar Christi pinxit et cælavit animam suam, æque ac corpus S. Paulus dicens : *Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto*, Galat. 6. 17. Ita pinxerunt S. Andræas æstuans amore crucis, S. Ignatius provocans leones, S. Laurentius in craticula delicians, S. Vincentius Daciani tormenta irridens, S. Agnes contra tyrannos, ignes, procos ad mortem usque decertans et triumphans. Ita pinxerunt omnes Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Anachoretæ, Doctores, Confessores, Virgines Sanctique omnes. Hos tu sequere, pictores hosce imitare, hos cælatores adæqua, vel æquis passibus consectare, ut pingas imaginem, ut cæles cælaturam, in cœlo per cuncta secula ad Dei gloriam tuumque decus, coram Angelis Sanctisque omnibus perennaturam. Quod enim momentaneum est et leve tribulationis, humiliationis, mortificationis nostræ, æternum gloriæ pondus operabitur in nobis, idque brevi et quasi post momentum.

Tunsionibus, pressuris expoliti lapides

Suis coaptantur locis, per manus artificis,
Disponuntur permansuri sacris ædificiis.

Cœlum, inquit Varro, lib. 4, dictum est quod cælatum, id est signatum, sideribus sit; multo magis cœlum empyreum cælatum est gemmis, floribus, fructibus, uti describit S. Joannes Apoc. 21. et 22. Cœlum est anima tua, si sancta sit; illam ergo cæla patientia, obedientia, humilitate, omnique virtute, ut in cœlo empyreo cælari, imo illud cælare et ornare mereatur.

Et auferam iniquitatem terræ illius, puta Judææ, in qua primi fideles conversi ad fidem et gratiam vi sanguinis Christi, illi quasi lapidi cælato et fundamentali inædificati sunt: in die una,] qua scilicet ipse cælatus, id est, passus et mortuus, pro omni iniquitate Deo satisfecit, eamque quantum in se est abolevit, æque ac veteres victimas vetusque sacerdotium, quod maculas animæ expiare non poterat. Ita S. Hieron. Remig. et Haymo. Meminit Judææ præ aliis Gentibus, quia Judæis promissus erat Christus, et quia Judæis prophetabat Zacharias. Unde eos jam Babylone redeuntes et afflictos, promissione Messiæ consolatur: post Judæos tamen iniquitas totius orbis per Apostolos ex mentibus credentium ablata est.

10. Vocabit vir amicum subter vitem, et subter ficum,] q. d. Christus sua passione non tantum auferet iniquitatem, sed et afferet pacem, bonorum affluentiam, delicias, æque ac amicitiam et rerum communicationem, adeo ut omnia inter Christianos communia futura sint, et ex eadem vite eademque ficu simul fructus carpant, et secure hilariterque se invicem invitent et conviventur, idque tum corporaliter, tum potius spiritualiter. Hanc enim pacem et opulentiam significat hæc phrasis et parœmia hebraica, ut patet 3. Reg. 4. 25. ubi dicitur unusquisque habitasse sub vite et ficu sua cunctis diebus Salomonis, q. d. Plena fuit pax et rerum copia sub Salomonis imperio.

Porro Christus non tantum attulit pacem et opes spirituales, sed et temporales. Lex enim Christi præcipit charitatem, condonationem injuriarum, patientiam, amorem inimicorum, etc., quæ omnia pacem temporalem, indeque temporalium affluentiam pariunt, uti ostendi, Isaiæ 2. 4. Sic in primitiva Ecclesia Christiani omnia habebant communia, Actor. 4. 32.

Mystice, vitis et ficus, non hujus, vel illius in particulari, sed absolute fidelium omnium est Christus, ejusque passio, Evangelium, Sacramenta, gratiæ, consolationes, omniaque bona, quæ quasi sapidissimas ficus et uvas ex Christo, quasi ex ficu et vite affatim decerpimus, in quibus Christiani deliciantur et nectare cœlesti, præsertim in Eucharistia, inebriantur, de quo plura cap. 9. 17. Ita S. Hier. et Remig. Porro conditiones vitis applicui Christo, Ezech. 15. 1. et ficus, Jerem. 24. 2.

Quare perperam Rabbini hanc felicitatem Judæis datam putant à Machabæis, lib. 1. Machab. cap. 14. v. 4. Esto enim eò alludat, tamen majora et spiritualia, quæ Christus attulit, spectat Propheta; solus enim Christus abstulit iniquitates terræ, non Machabæi.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Videt Zacharias candelabrum septiceps, vel potius octiceps, ad cujus latera erant duæ olivæ, una a dextris, altera a sinistris : ac per hoc significari intelligit per Dei curam et providentiam templi fabricam inchoatam fore perficiendam, et ad culmen perducendam. Deum enim id velle, cui nulla Persarum vel hominum potentia resistere possit : consequenter duas olivas esse Jesum pontificem et Zorobabel principem, qui assistunt Deo, ut candelabrum, id est templum, reædificent, et populum in rebus tam sacris, quam civilibus et politicis regant. Hic est sensus litteralis, ut patet ex eo quod jugiter v. 6. 7. 9. 10. sermo dirigatur ad Zorobabel, ducem Judæorum illo tempore. Deinde ex v. 9, ubi expresse ostenta hæc ita explicat Angelus, dicens : Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, et manus ejus perficient eam. Ergo ad litteram intendit hac visione animare Zorobabel ad perficiendam fabricam templi quam inchoaverat, et de cujus consummatione diffidebat. Porro totum hoc caput dirigitur ad Zorobabel : sicut enim capite præcedenti Jesum pontificem, ita hoc capite Zorobabel principem populi incitat ad inchoatam templi fabricam strenue prosequendam et consummandam. Ab hisce enim duobus capitibus pendet totum populi corpus, puta Ecclesia a Pontifice, Resp. a principe. Allegor. tamen et præcipue per reædificationem templi adumbratur Ecclesia ædificanda, tum ex Judæis, tum magis ex Gentibus per Christum. Hic enim est mysticus Zorobabel, cui nemo principum, nec Judæorum resistere poterit. Esto enim Judæi ipsum respuent, tamen Gentes avide amplectentur, atque ipsi Judæi in fine mundi ad eum convertentur per prædicationem Eliæ et Henoch. Hi enim sunt duæ olivæ, quæ assistunt dominatori terræ, ut ejus Ecclesiam perficiant, oleoque doctrinæ, gratiæ et exempli sui alant, illuminent et gubernent, uti explicat. S. Joannes, Apocal. 11. 4. Imo Ribera et alii volunt hunc esse sensum litteralem ; sed ex dictis patet esse mysticum.

1. Et reversus est Angelus, qui loquebatur in me, et suscitavit me, quasi virum
qui suscitatur de somno suo. 2. Et dixit ad me : Quid tu vides? et dixi : Vi-
di, et ecce candelabrum aureum totum, et lampas ejus super caput ipsius,
et septem lucernæ ejus super illud: et septem infusoria lucernis, quæ erant su-
per caput ejus. 3. Et duæ olivæ super illud ; una à dextris lampadis, et una
à sinistris ejus. 4. Et respondi, et aio ad Angelum, qui loquebatur in me,
dicens : Quid sunt hæc, domine mi? 5. Et respondit Angelus, qui loquebatur
in me, et dixit ad me : Nunquid nescis quid sunt hæc ? Et dixi : Non, domine mi. 6. Et respondit,
et ait ad me, dicens : Hoc est verbum Domini ad Zorobabel, dicens : Non in exercitu, nec in
robore, sed in Spiritu meo, dicit Dominus exercituum. 7. Quis tu, mons magne, coram Zorobabel?
in planum : et educet lapidem primarium, et exæquabit gratiam gratiæ ejus. 8. Et factum est ver-
bum Domini ad me, dicens: 9. Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, et manus ejus perficient
eam : et scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos. 10. Quis enim despexit dies parvos ?
Et lætabuntur, et videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel. 10. Septem isti oculi sunt Do-
mini, qui discurrunt in universam terram. 11. Et respondi, et dixi ad eum : Quid sunt duæ olivæ
istæ, ad dexteram candelabri, et ad sinistram ejus ? 12. Et respondi sęcundo, et dixi ad eum : Quid
sunt duæ spicæ olivarum, quæ sunt juxta duo rostra aurea, in quibus sunt suffusoria ex auro ?
13. Et ait ad me, dicens : Nunquid nescis quid sunt hæc ? Et dixi : Non, domine mi. 14. Et
dixit : Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universæ terræ.

1. Et reversus est Angelus,] puta Michael, ut dixi cap. 3. 3, qui post visionem cap. 3. mihi ostensam à me recesserat, rediens in cœlum ad Deum, ut ei de more quasi princeps militiæ cœlestis assisteret. Nam ibi accepta nova à Deo visione et revelatione mihi communicanda reversus est ad me, qui visionem quam videram cap. præcedenti ruminans et admirans, hærebam quasi stupefactus et attonitus. Unde Michael ab hoc stupore quasi à somno me excitavit, ut evigilarem et attenderem ad novam hanc candelabri visionem, quam mihi exhibebat. Ita Lyran. Vatabl. et alii.

Aliter S. Hieron. Theodor. et Remig. Censent enim Angelum post visionem c. 3. non recessisse à Zacharia; dici tamen reversum, quia novam visionem ei obtulit, ad eamque videndam eum excitavit. Sed prior expositio est planior et germanior: si enim reversus est Michael; ergo egressus fuerat.

Suscitavit me,] tum à stupore visionis c. 3. uti jam dixi, tum ab hebetudine mentis humanæ; hujus enim vis corpori illigata et ad illud depressa hebetatur et quasi soporatur, ut ad spiritualia et divina minus sit acris et vigil. Excitat ergo depressam et torpentem mentem Zachariæ Angelus, ut eam ad divina elevet et attentam reddat; eo quod hæc prophetia sit ænigmatica, obscura et difficilis, q. d. Michael excitando me, mentem meam exacuit et attentiorem reddidit ad hieroglyphica et symbola cœlestia, quæ mihi monstraturus erat.

2. Candelabrum aureum,] alludit ad candelabrum quod jussu Dei fabricavit Moses, Exodi 25. 31. Unde illud, æque ut hoc Zachariæ, habebat septem calamos et lucernas; non tamen per omnia fuit idem cum eo, ut vult Lyran. Nam Mosaicum non habebat septem infusoria, duo rostra et totidem olivas, quæ habuit hoc Zachariæ. Candelabrum per synecdochen significat et repræsentat templum instaurandum à Zorobabel. Ipsum enim erat unum è tribus præcipuis vasis templi, quod totum tabernaculum sua luce illustrabat. Rursum candelabrum in templum inferri non solet, nisi eo perfecto. Fabrica ergo hæc candelabri significat et præsupponit fabricam templi perficiendam, ait Lyran. Hinc mystice candelabrum, æque ac templum, repræsentat Ecclesiam, quæ aurea est charitate et doctrina cœlesti. Ita S. Hier. Cyrill. Remig. Rupert. et alii. Unde S. Joannes, Apoc. 1. 13: *Vidit in medio septem candelabrorum similem filio hominis*, id est Christum. Et v. 20. explicationem eorum audit ab Angelo dicente: *Candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt* Asiæ, puta Ephesina, Smyrnensis, Pergamensis, Thyatirensis, Sardensis, Philadelphiensis, Laodicena, ut patet ibidem cap. 2 et 3. Vide ibi dicta. Plane enim S. Joannes eo loco alludit ad hoc candelabrum Zachariæ. Verum de significatione candelabri plura dicam v. 6.

Lampas super caput:] pro *lampas* hebr. est גלה *gulla*, id est, vas concavum et sphæricum ad capiendum oleum, quod pariter latine recte *gulam* appelles. Sicut enim gula sive guttur capit cibum transmittendum ad stomachum, ita hoc vas capiebat oleum transmittendum ad septem lucernas. Unde Pagnin. et Vatabl. vertunt, *lenticulam*, Tigurina, *discum rotundum; gulla* enim à rad. גלל *galal*, id est convolvere, significat vas rotundum et convolvile instar globi, aut ovale instar lenticulæ. Noster vocat lampadem, quia multis in locis lampades habent formam lenticulæ, suntque rotundæ, puta sphæricæ, vel ovales. Lampas ergo hæc fuit sphæra, cava et tumida, quales in templis ante venerabile Sacramentum sursum eminere videmus. Porro hæc in capite, id est in summo stipite, seu hastili candelabri eminebat quasi concha, ad capiendum oleum distribuendum in septem lucernas, illud utrinque ambientes. Erat ergo lampas hæc concha olei, sive vas olearium sphæricum; unde et visæ sunt utrinque duæ olivæ, quasi symbola et indices olei, quo plena erat lampas. Addunt aliqui, ut Fernandez Visione 32. sect. 1. Ribera, Sanchez et alii, fuisse veram lampadem ardentem et lucentem, sed majorem, quæ septem lucernis pariter ardentibus cingebatur: quod valde est probabile, hoc enim concinnius est; et sic videmus in basilicis Romanis S. Petri, S. Pauli, S. Cæciliæ, et aliis lampadem ingentem argenteam, quæ multis aliis minoribus circumdatur, ante sepulcra Sanctorum appendi, iisque honoris causa prælucere. Videtur ergo hæc lampas similis fuisse illis, puta ingens, rotunda; vel ovalis superne patens, cui injectus erat canaliculus ferreus, vel æneus suberi innexus, ut eo elevatus oleo innataret, per quem insertum ellychnium sugebat oleum è lampade, ut jugiter arderet. Minus ergo verisimile est quod censent nonnulli, lampadem hanc fuisse quasi pelvim quamdam amplam, impositam hastili candelabri, nisi per pelvim accipias concham nascentem ex ipso hastili. Ex dictis sequitur candelabrum hoc universim fuisse non septiceps, sed octiceps; erat enim οκτωκαυλον, et consequenter οκτωλυχνον, puta octocalamum et octolustre; nam medium hastile septem calamis cingebatur, tamque hastili, quàm calamis septem, lucerna ardens insistebat: erant ergo octo.

Et septem lucernæ ejus super illud.] *Illud*, scilicet caput. Subdit enim: *Septem infusoria lucernis, quæ erant super caput ejus*. In capite ergo, hoc est, in summitate hastilis candelabri, eminebant septem lucernæ laterales, totidem calamis insistentes. Porro calami hi utrinque ex hastili candelabri, vel potius ex fundo lampadis arcuatim pullulabant, et prodibant. Insuper calami hi, uti mox dicam, erant concavi; unde vocantur hic infusoria, id est, fistulæ, per quas lucernæ ex lampade oleum sugebant. Quocirca necesse est lucernas paulo demissiores fuisse lampade, ut ex ea in illas oleum influere posset. An lucernæ hæ fuerint in orbem dispositæ, ut circumcirca cingerent lampadem, eamque quasi coronarent, ut vult Sanchez, Fernandez et alii; an vero ad duo tantum ejus latera, ita ut ab uno latere fuerint tres, ab adverso quatuor lucernæ, uti fiebat in candelabro Mosaico, Exodi 25. 31, ad quod hìc alludit Zacharias, non constat. Prius tamen concinnius videtur, et commodius; quia, ut jam dicam, septem canales, per quos ex lampade sugebant oleum septem lucernæ, non potuissent commode omnes ad duo latera disponi; sed longe commodius in orbem circumcirca lampadem disponuntur.

Septem infusoria.] Ita Noster, S. Hieron. in Comment. et Septuag. Dices: Hebr. Chald. Pagnin. Vatabl. et alii recentiores legunt, *septem et septem;* ergo quatuordecim fuerunt infusoria. Respondent aliqui textum Hebræum esse cor-

ruptum, et pro *septem et septem*, legendum esse semel tantum *septem*. Ita enim legerunt Septuag. et S. Hieron. secundo, aliter respondet Sanchez, nimirum esse anadiplosim, q. d. Septem, septem, inquam, erant infusoria ipsis lucernis. Quæ expositio plausibilis est, omnesque antilogias extricat. Tertio, Christoph. à Castro respondet fuisse septem, si originem et orificia spectes; fuisse vero quatuordecim, si ipsos canaliculos numeres. Infusoria enim vocantur hìc parvi canales, sive fistulæ et meatus, per quos ex lampade oleum defluebat in lucernas, inquit Clarius et Vatabl. Jam fistulæ hæ erant quatuordecim, quæ ex lampade per septem ora prodibant. Lampas ergo septem tantum habebat ora, sed singula ora habebant duas fistulas, quarum una tendebat in unam lucernam, altera in aliam illi vicinam; quodlibet ergo os subministrabat oleum duabus lucernis, per duas fistulas ex se prodeuntes; et quia ora erant septem, hinc Noster et Septuag. numerant infusoria septem; quia vero fistulæ erant quatuordecim, hinc Hebr. Chald. et recentiores numerant quatuordecim infusoria. Verum hæc inconcinne et gratis asseruntur, præsertim quia infusoria proprie vocantur ipsi canales, non vero ipsæ lampades, aperturæ et orificia. Quare secunda solutio verior videtur, quam confirmat versio Septuag. et Nostra. Porro infusoria hæc erant calami, arcuatim ex fundo lampadis prodeuntes, ac in vertice quodlibet eorum sustinebat suam lucernam, erantque concavi, ut essent fistulæ, per quas è lampade oleum derivaretur ad lucernas, uti recte ostendit et in schemate candelabri depingit Sanchez. Hoc enim longe concinnius est eo quod alii afferunt, qui septem calamos ponunt duntaxat ad sustinendum lucernas, deinde septem infusoria à calamis distincta pingunt quasi septem canales, per quos flueret oleum ex lampade in lucernas. Quorsum enim hæc tam inconcinna instrumentorum multiplicatio, cum concinnius utrumque per calamos concavos fieri posset? Hinc rursum liquet infusoria hæc non fuisse vasa à lucernis et candelabro separata, quæ infundibula vocamus, qualia Romæ multi habent in cubiculis, ad capiendum oleum, quod ex eo lampadi identidem infundant. Sic enim unum magnum infusorium pro candelabro et septem ejus lucernis suffecisset, frustraque fuissent septem infusoria. Adde, sic hæc infusoria à candelabro fuissent separata vase æque ac loco: jam autem illi conjuncta fuisse liquet. Unum enim fuit totum hoc candelabri vas, sed septifidum, quia distinctum in septem lucernas, ac consequenter in septem infusoria, id est, calamos sive fistulas, quæ in lucernas inferrent oleum. Minus recte R. Salomon et Arias τὸ *septem et septem* sic exponunt, q. d. Quælibet lucerna habebat septem infusoria; sic enim universim infusoria fuissent numero quadraginta novem. Tot sane non erant opus, imo nec locus in tam paucis et exiguis lucernis.

Mystice, *septem infusoria* sunt septem Sacramenta, quæ sunt vasa gratiæ, non quasi in iis gratia actu et localiter contineatur, sicuti oleum continetur in vase; sed causaliter, quia scilicet gratiam in se ut causæ instrumentales continent et efficiunt. Hebr. est, *septem et septem*, ut repræsentent tam septem Sacramenta, quàm septem dona Spiritus sancti; sed de hoc inferius plura. Septem infusoria, ait S. Hieron. sunt septem Sacramenta, per quæ oleum misericordiæ Dei omniumque virtutum Ecclesia suscipit, eoque fovetur et conservatur. Unde et in Confirmatione, Ordine et Extrema unctione oleum est materia Sacramenti, quia oleo foris ungente, intus anima impinguatur gratia, eaque illustris redditur, ut luceat orbi; fitque fortis, ut quasi athleta contra carnem, mundum et dæmonem generose decertet.

3. Et duæ olivæ super illud.] *Super*, id est, juxta; una enim erat à dextris, altera à sinistris candelabri, ut sequitur. Per olivas, non nudi fructus, qui proprie vocantur *olivæ*, sed ipsæ arbores, puta oleæ, vel certe rami earum intelliguntur. Hebr. enim זיתים *zetim* tam oleam, quàm olivam significat; et oliva à latinis subinde capitur pro arbore, puta pro olea. Patet id ex vers. 12: *Quid sunt duæ spicæ olivarum? spicæ*, id est rami. Hi enim rami erant referti olivis; rami autem prodibant ex arbore, puta ex olea. Quare minus recte aliqui censent olivas has insculptas fuisse candelabro, vel lampadi. Sicut enim, inquiunt, amphoris vinariis insculpitur uva, vel vitis, vasis aquariis pisces; ita huic lampadi oleariæ insculptæ erant olivæ, ut significarent in ea esse oleum. Verum, olivas hasce à lampade fuisse separatas patebit vers. 12.

Hæc ergo totius hujus spectri fuit idea. Primo, Michael ostendit Zachariæ candelabrum aureum ingens, in cujus vertice insistebat vas sphæricum instar lampadis magnæ, ad capiendum oleum, et simul ad lucendum quàm maxime.

Secundo, lampas hæc circumdata erat septem aliis minoribus lampadibus, sive lucernis, quæ per calamos totidem, arcuatim ex ipso fundo lampadis circumcirca prodibant.

Tertio, calami hi concavi erant instar canalium, vel fistularum; nam per eos oleum ex lampade derivabatur ad lucernas calamis insistentes; quocirca calami hi vocantur hìc *infusoria*, scilicet olei.

Quarto, duæ erant oleæ, vel duo rami pleni olivis, unus ad dexteram, alter ad sinistram lampadis et candelabri, illud quasi stipantes et condecorantes. Oleæ enim symbolum, causa et parens sunt olei, quod est in lampade. Addunt aliqui ex olivis distillasse oleum in duo rostra, id est, duos canaliculos incurvos tendentes ad lampadem, quæ jugiter eam oleo implebant; ut illud abunde septem lucernis suggerere posset. Ita Fernandez Visione 32. sect. 1. à Castro, Vatabl. et alii. Verum hoc minus congruum, ideoque minus verum videtur, uti ostendam vers. 12.

5. Nunquid nescis?] Michael simulat se admirari quod hæc symbola non capiat Zacharias, utpote Propheta, q. d. Tune es Propheta, et hæc ignoras? præsertim cum hæc spectent tuæ prophetiæ argumentum. Repræsentant enim templi fabricam, de qua tu jugiter prophetas. Sic Christus ait Nicodemo: *Tu es magister in Israel, et hæc ignoras?* Joan. 3. 10. Qua phrasi et gestu non tam ignorantiam ejus carpit, quàm studium discendi acuit, et ad attentionem suæ doctrinæ de baptismo et regeneratione spirituali excitat.

6. Hoc est verbum Domini ad Zorobabel.] Sicut cap. præced. Jesum pontificem excitavit

ad fabricam templi, ita ad eamdem hìc excitat et animat Zorobabel principem, promittens ei quod Dei ope feliciter eam perficiet. Sicut enim Jesus erat princeps Ecclesiæ et rerum sacrarum, ita Zorobabel princeps erat reipubl. politiæ et rerum civilium. Ab utroque enim hoc capite et principe pendebat fabrica templi corporalis, sicut ab utroque multo magis pendet fabrica spiritualis, puta vera fides, religio, justitia, sanctitas, ordo et decor totius reipubl.

Non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus.] Hìc symbolum candelabri explicat Michael, sed tam concise et obscure, ut Œdipo sit opus. Primo, Remig. Albert. et Haymo putant fabrica candelabri repræsentari solutionem captivitatis Babylonicæ, q. d. Hæc solutio non fiet vi armorum et militum, sed per meum spiritum, per meam providentiam, per meum consilium et virtutem. Verum jam pridem soluta erat à Cyro captivitas Babylonica, jamque Judæi redierant Hierosolymam, et in fabrica templi versabantur; Propheta autem non prophetat de præteritis, sed de futuris.

Secundo, Hebræi putant per fabricam candelabri significari restaurationem reipubl. per Zorobabel, qui in ea legem Mosaicam restituturus erat. In repub. enim Hebræorum candelabrum erat lex data per Mosen. Verum hoc candelabrum est mysticum, non litterale.

Tertio, Lyran. et Hugo sic exponunt, q. d. Candelabrum, id est, templum hoc restaurabis, ô Zorobabel, non tua fortitudine et robore, sed per spiritum Dei, qui hoc suggeret, inspirabit, et persuadebit Dario Hystaspis regi Persarum, ut idipsum restaurari permittat, imo curet. Ita enim reipsa factum esse patet 1. Esdræ 6. Hic sensus appositus est, sed partialis, non adæquatus.

Quarto, Clarius, et ex eo à Castro censent candelabrum significare prophetiam, puta spiritum Dei, qui offertur per verbum, sive oraculum et locutionem Dei in mente Prophetæ, oleum esse gratiam Spiritus sancti, canales esse Prophetas doctos à Deo, per quos verbum Dei in alios derivatur; lampades septem esse varia dona Spiritus. Porro candelabrum fabricatum erat, ardebat, et oleum suscipiebat ex olivis sine humano ministerio, ut significaretur prophetiam esse opus Dei, non hominis. Verum hæc expositio remota et minus adæquata videtur.

Quinto ergo et genuine, candelabrum hoc repræsentat Deum, ait Mariana, Deique providentiam, quam exercet per septem lucernas quasi oculos, id est, per septem Angelos primarios, uti audiemus vers. 10. præsertim circa fabricam templi restaurandi à Zorobabele. Candelabrum ergo est Dei providentia, qualenus se ad lucernas, id est, Angelos, resque omnes creatas extendit; lampas est ipsa in se divinitas, puta Dei mens et oculus lucidissimus; infusoria sunt variæ rationes, modi et differentiæ divinæ providentiæ, quibus per Angelos hanc creaturam hoc modo, illam illo, aliam alio sibi congruo regit et gubernat. Rursum sunt variæ gratiæ, dona et talenta, quas Deus variis pro libito dispertit et impertit. Candelabrum enim quia lucis est ferculum, typum gerit sapientiæ, vigilantiæ et providentiæ, uti dixi Exodi, cap. 25. 31.

Addit Pierius, hierogl. 46, illud esse symbolum vitæ divinæ, generationis, animi puritatis, amoris, famæ et gloriæ, denique ipsius divinitatis; quia præfert ignem, qui Dei est hieroglyphicum. Duæ olivæ sunt Jesus et Zorobabel, sive sacerdotium et regnum, de quo mox plura. Porro candelabri lampas ex se plena erat oleo jugiter durante, et semper ardente, quasi expressum fuisset ex asbesto lapide, qui igne non consumitur. Erat ergo hic ἄσβεστον φέγγος, inexstinguibile lumen, significans indeficientem, æternam et jugiter vigilantem Dei sapientiam et providentiam. Sic Callimachus, qui ob morosam in expoliendis operibus industriam κακιζότεχνος dictus est, auream Minervæ lucernam fecit, quæ toto anno arsit, quamvis nihil olei affunderetur; testis est Pausanias in Atticis. Ita Romæ et alibi in sepulcris antiquis repertæ sunt lampades mira materia et arte jugiter sine novo fomite ardentes, accensæ à multis centis annis, quæ mox ut aerem sentiebant, exstinguebantur. Scribit et Plinius, lib. 9. 27, in mari piscem esse, qui lingua ignea per os exerta, tranquillis noctibus relucet, indeque appellari *lucernam*. Ita Angeli, ac Apostoli et viri Apostolici, sua doctrina et vita jugiter lucentes, linguisque igneis pollentes mare hujus seculi collustrant.

Solemque novum, nova sidera portant.

Denique Nicephor. libr. 14. Histor. cap. 3. scribit Theodosium Juniorem Imper. noctu sacris Litteris operam navasse, lucerna se sponte sua accendente, oleumque affundente miro artificio, ne quem ministrum eo labore gravaret.

Hinc secundo, candelabrum hoc repræsentat templum ipsum restaurandum, quasi pars totum, per synecdochen. Id ita esse clare docet Michael vers. 9, dicens: *Manus Zorobabel fundaverunt domum* (Dei, puta templum), *et manus ejus perficient eam.* Consequenter candelabrum repræsentat, cum templo et per templum restituendam esse totam Ecclesiam et rempubl. Judæorum in pristinum splendorem, juxta illud quod promisit cap. 2. 5: *In gloria ero in medio ejus.* Nam in ejus excidio et captivitate Jeremias luxerat, mœstusque cecinerat illud Thren. 4. 1: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii?* Jam vero candelabrum hoc per Zorobabel restauratum, aut potius restaurandum Zacharias vidit aureum, et octo luminibus resplendens. Quocirca Titus vastans Jerusalem, ut gloriam omnem Judæis se ademisse significaret, ademit illis candelabrum, illudque Romam vexit in triumphum: unde etiamnum in arcu triumphali Titi, Romæ graphice illud ipsum exsculptum videmus. Hinc et Judæi moderni lucernis sua sabbata et festa celebrant, uti in Synagogis eorum vidi, quem morem antiquum esse docet Persius satyra 5:

Herodis venere dies, unctaque fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ,
Portantes violas.

Idem patet ex Canone 70. Apostolorum, qui sic habet: *Si quis Christianus oleum tulerit ad sacra Gentilium, vel Synagogam Judæorum festis ipsorum diebus, aut lucernas ascenderit, de societate pellatur.* Hinc quoque Christus cœlestis

Jerusalem templique festa et nuptias describit per lucernas et lampades, Matth. 25. 1.

Porro septem lucernæ sunt, quia totidem erant in candelabro Mosis, ad quod hîc alluditur, quodque hîc repræsentatur, et quia septenarius, qui est numerus multitudinis et plenitudinis, significat templi et republ. celebritatem et decus post captivitatem fore magnum et eximium. Lampas in medio ejus est Deus, qui omnibus lucernis, id est, partibus templi oleum, id est vigorem et splendorem, suggerit: aut magis apposite ad secundam hanc expositionem, lampas est Sanctum sanctorum: sicut enim in candelabro eminebat fulgor lampadis, et fulgorem septem lucernarum se circumdantium, oleum eis suggerendo, alebat; ita in templo eminebat majestas et fulgor Sancti sanctorum, quod Sancto, et atrio, cæterisque templi partibus suî venerationem et sanctitatem communicabat. Duæ oleæ sunt Jesus pontifex, et Zorobabel princeps. Hi enim astantes candelabro primario, id est dominatori Deo, uti dicitur versu ultimo, ejus nutu et ductu candelabrum materiale et secundarium, id est, templum, ædificarunt et consummarunt, eique decus et gloriam conciliarunt, idque præstiterunt non suis opibus, robore aut viribus, utpote Samaritis, aliisque hostibus fabricam potenter impedientibus, sed Dei virtute et spiritu. Et hoc est quod significat Michael, dicens: *Non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo*, supple perficietur hoc opus, et fabrica templi tam magna et magnifica, uti explicat vers. 9. Spiritus enim hic, uti Prophetas, puta me Zachariam et Aggæum excitat ad urgendam hanc fabricam; ita pariter ad eam concurret, eamque sua sapientia, ope et protectione ita diriget, adjuvabit et promovebit, ut nec Sanaballat, nec alius hostis eam impedire possit, quin brevi absolvatur et ad fastigium perducatur. Animabit enim Zorobabelem et populum ad strenue fabricandum, omniaque eorum consilia et opera reget et prosperabit.

Symbolice, Theodor. *Candelabrum aureum*, inquit, *est typus divinæ providentiæ, quæ cœlestia et terrestria administrat. Septem lucernæ septem diebus hebdomadæ æquales numero, assiduitatem et perpetuitatem divinæ curationis* (gubernationis) *demonstrant. Septem infusoria lucernarum immensam Dei misericordiam ostendunt. Sic per lampadem gratiam omnia illuminantem innuit. Duas vero olivas utrinque exortas regnum et sacerdotium vocavit, divina gratia ornata. Duos ramos usque ad lucernas pertingentes, Jesum et Zorobabel: illum ex sacerdotali, hunc ex regali tribu profectam.* Hæc expositio generalior est: non tamen incongrua. Simili enim modo candelabrum Mosis septiceps, symbolice et physice fuit imago cœlestis septilustris, sive septem planetarum. Tabernaculum enim gerebat typum mundi, Sanctum sanctorum vero cœli empyrei, in quo gloriose residet mundi auriga et rector Deus, uti ex Josepho et Philone dixi, Exodi 25. vers. 31. Porro vidit Zacharias hoc candelabrum extra templum, quo significatur Ecclesiam non fore templi, id est, Judæorum, sed Gentium. Christus ergo in hoc seculo illuminat Ecclesiam, lucernæ in Gentibus ardent, Judæi manent in tenebris, sed in fine mundi illuminabuntur per duas olivas, id est, Eliam et Henoch.

Alleg. et potius, candelabrum hoc repræsentat primo Christum, qui illuminat et mittit septem Angelos, ut per eos regat Ecclesiam. Hinc de eo dicitur Cant. 1: *Oleum effusum nomen tuum.* Hinc secundo, candelabrum repræsentat Christi Ecclesiam; lampas pontificem et Ecclesiam Romanam, quæ est quasi Sanctum sanctorum; unde ipsa velut matrix septem lucernis, id est, cæteris omnibus Ecclesiis toto orbe dispersis, oleum, id est, potestatem, vigorem, ac doctrinam et gratiam, instillat per septem infusoria, id est, septem Sacramenta, ac per septem ordines. Omnis enim ordinis ac jurisdictionis potestas (ac consequenter omnia Sacramenta) derivatur à Pontifice Ecclesiæ Romanæ, quasi à lampade, in universos orbis Episcopos, sacerdotes et Ecclesias. Duæ olivæ sunt S. Petrus et Paulus, qui lampadem, id est, Ecclesiam Romanam, ædificarunt et fundarunt, in eamque omnem doctrinam et gratiam cum sanguine suo distillarunt, et etiamnum è cœlo per preces et suffragia distillant. Idipsum vero faciunt non vi sua, sed in spiritu Christi, à quo omne suum robur, vim et vigorem obtinent. Christus enim est primaria lampas ex se oleo gratiæ plena, ait S. Hieronym. Vatabl. Fernandez et alii. Nam Christus est lux mundi, Joan. 8. 12, et quasi sol illuminans orbem, Joan. 1. 9; ideoque in septem lucernas, id est, in omnes Ecclesias, oleum, id est gratiam, influit. De ejus enim plenitudine omnes accipimus. Consequenter per lampadem apposite accipias balneum passionis Christi, quod Ecclesia continet et possidet, cujus oleum est ejus sanguis et merita, quæ per septem infusoria, id est, Sacramenta, derivantur in septem lucernas, id est, Ecclesias omnes particulares: duo rostra duas Christi naturas significant: duæ oleæ repræsentant Jesum Pontificem et Zorobabel, quorum uterque fuit typus Christi, duplicemque ejus potestatem, scilicet pontificatum et principatum, adumbravit. Jesus ergo est Christus Pontifex: Zorobabel est idem Christus qua legislator et princeps. Quia enim Christus est Pontifex et princeps Ecclesiæ, hinc in eam jugiter influit oleum, id est, vim merendi et satisfaciendi. Quod enim sanguis Christi habuerit et habeat utramque hanc vim, id provenit ex unione hypostatica cum Verbo, quæ Christum fecit Pontificem et principem.

Porro analogias candelabri et Ecclesiæ recensui, Apoc. 1. 20. Huc pertinet expositio Ruperti: Zorobabel, inquit, est Christus prognatus ex Zorobabel, qui induit humanitatem, quæ est aurum, conceptus non ex semine viri, sed virtute Spiritus sancti, et è virgine natus; sicut hoc candelabrum non ab homine, sed à solo Deo fabricatum erat. Christus ergo est candelabrum illuminans Ecclesiæ templum. Hoc totum est aureum, quia post resurrectionem Christus totus factus est gloriosus, cum ante eam solo capite, id est, divinitate esset gloriosus: in eo fuit lampas septiceps, id est, septiformis gratia, puta septem dona Spiritus sancti, quorum vi et spiritu contra spiritales hostes depugnavit et vicit.

Tropol. candelabri, id est, Ecclesiæ, lampas est B. Virgo, inquit Anastasius Nicænus q. 53. in Scrip. quia ipsa materiæ expertem lucem gestavit Deum incarnatum; et quia ipsa septem lucernis, id est, Apostolis cæterisque Sanctis, per Christum oleum doctrinæ et gratiæ suggerit et

instillat : lucernas enim esse Sanctos illustres patet ex illo Christi de Joanne Baptista, Joan. 5. 35 : *Ille erat lucerna ardens et lucens.* Vide dicta, Exodi 25. 31. Ita S. Cyril. et S. Epiphan. hom. de Laudibus B. Mariæ. Sed de tota hac visione audi Anastasium Nicænum Episcopum quæst. 35. in S. Script. *Quod*, ait, *est candelabrum? Sancta Maria. Cur autem candelabrum? Quia materiæ expertem lucem gestavit, Deum incarnatum. Cur autem totum aureum? Quia post partum mansit virgo. Quænam sunt septem lucernæ? Septem leges : lex enim est lux*, Proverb. 6. 23. *Prima est lex naturæ. Secunda, lex per visum. Quem enim Deum lex prædicat, eum visus probat per res creatas. Nam ex rerum creatarum magnitudine et pulchritudine earum creator cernitur. Tertia, lex paradisi*, vetans lignum scientiæ boni et mali. *Quarta, quæ tempore Noe fuit in nube. Quinta, quæ tempore Abrahæ fuit per circumcisionem. Sexta lex litteræ*, puta lex Mosis scripta à Deo in tabulis lapideis. *Septima, lex gratiæ. Quænam sunt septem infusoria? Septem dona Spiritus sancti, quæ recenset Isaias, cap.* 11. *Quænam sunt duæ olivæ? Duo testamenta. Sicut enim olea habet folium semper virens, ita etiam duo testamenta habent perpetua, et nunquam cessantia de Christo testimonia.* Hæc Anastasius.

Porro Sancti omnes suum lumen habent non à se, sed à Christo per B. Virginem. Hæc enim illum peperit, nobisque dedit et dat. Unde S. August. explicans illud Christi Joan. 12. 36 : *Credite in lucem, ut filii lucis sitis*, sic ait : *Sint igitur sub lampade lucernæ, si illuminari volunt, quandoquidem à seipsis non habent lumen, sed ab eo qui à seipso lumen est, et non ab alio. Sic enim securum habent lumen suum adhærendo illi, quod deficere non potest, et aliis semper sufficit*, Idem, tract. 54. in Joannem : *Omnes Sancti*, inquit, *lumina sunt, sed credendo ab eo illuminantur, à quo si quis recesserit tenebrabitur. Lumen autem illud quo illuminantur, à se recedere non potest, quia incommutabile omnino est, et ideo tenebræ in eo non sunt ullæ, nec esse possunt.* Ita noster Emmanuel : Candelabrum, inquit, est Ecclesia, lampas Christus, lucerna justi omnes, septem infusoria sunt septem Sacramenta, quibus oleum gratiæ affunditur justis, ut luceant.

Moral. Nota hoc axioma Dei, quod per Zachariam hîc sancit in templo materiali, nimirum : *Non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus exercituum*, supple perficietur tanta templi fabrica, idipsum multo magis in fabrica spirituali tum Ecclesiæ, tum animæ cujuslibet sanctæ valere. Quod enim Apostoli Ecclesias ubique terrarum erexerint, omnesque gentes ad eas aggregarint, fuit opus non roboris humani, sed spiritus divini. Similiter quod hodie Ecclesiæ ædificentur apud Japones, Sinas, Brasilios, Mexicanos, etc. quodque eædem apud hæreticos in Bohemia, Moravia, Hungaria, Germania restaurentur, non tam fuit exercitu, quàm vi Spiritus Dei. Pari modo quod S. Paulus, S. Magdalena, S. Maria Ægyptiaca, S. Pelagia, quæ erant lustra et speluncæ dæmonis, transformentur in templa Dei, virtus est non hominis, sed Spiritus sancti, qui corda penetrat et mentes immutat. Eadem est quæ hodie peccatores convertit, et justos ad eximiam sanctitatem provehit et accendit. Porro hæc facit Spiritus sanctus, non in robore violentiæ, sed sensim et suaviter, instar lenis spiritus animæ illabendo, per cœlestes illustrationes immissas intellectui, et similes affectiones impulsusque inditas voluntati. Dei enim providentia per hunc spiritum ita orbem gubernat, ut attingat à fine usque ad finem fortiter, et disponat omnia suaviter. Hujus rei symbolo Deus apparuit Eliæ, sibi ut videbatur zeloso, optantique ut igne et fulmine perderetur impia Jezabel et Baalitæ, apparuit, inquam, non in igne, vento, tonitru, sed in spiritu et sibilo auræ lenis. Audi Script. lib. 3. Reg. 19. 11 : *Egredere* (ô Elia) *et sta in monte coram Domino : et ecce Dominus transit, et spiritus* (ventus) *grandis et fortis, subvertens montes et conterens petras ante Dominum; non in spiritu Dominus : post spiritum, commotio; non in commotione Dominus : et post commotionem ignis; non in igne Dominus : et post ignem sibilus auræ tenuis; et ibi Dominus.* Talis fuit, estque spiritus Christi, qui proinde cum S. Joannes et Jacobus poscerent fulmina de cœlo jaculari in Samaritas, eo quod Christum inhonorassent, illos corripuit, docuitque spiritum mansuetudinis, dicens : *Nescitis cujus spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare*, Lucæ 9. 55.

Quicumque ergo se, vel alios à peccato convertere, aut ad eximiam perfectionem traducere conatur, sciat se id suis viribus non posse, sed Dei. Sibi ergo diffidens, fidensque Spiritui sancto, eum humiliter et ardenter invocet, crebroque inclamet : *Veni, sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende. Riga quod est aridum, sana quod est saucium, flecte quod est rigidum, fove quod est frigidum, rege quod est devium. Da tuis fidelibus in te confidentibus sacrum septenarium*, scilicet numerum donorum Spiritus sancti : *Da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium. Amen.*

7. Quis tu, mons magne, coram Zorobabel?] Quæres : Quis hic mons? Respondeo, omnes æmuli et potentes adversarii Judæorum, qui volebant, aut certe facile poterant impedire fabricam templi. Unde primo, Hebræi, et ex iis S. Hieronym. Remig. Lyran. et Emmanuel accipiunt diabolum, qui erat satan, id est, adversarius, Jesu et Zorobabelis in fabrica templi, et restituenda republica Hebræorum, ut patet c. 3. 1. Secundo, Mariana accipit Sanaballat et Samaritas, qui se opponebant Zorobabeli in restauranda urbe et templo. Tertio, Chald. Theodor. et Clarius accipiunt reges et monarchas Persidis, præsertim Cambysem et Magos, qui hucusque fere impedierant templi restaurationem, et deinceps impedire poterant, præsertim persuasi à pravis consiliariis, quos Samaritæ aliique hostes Judæorum donis corrumpebant. Unde Chald. vertit : *Quid tu reputaris regnum stolidum coram Zorobabele? nonne quasi vallis?* q. d. Quid sunt monarchæ Persidis, qui videntur esse montes excelsi, ut se tibi, ô Zorobabel, opponant in fabrica templi? Ecce ego eos in planitiem deducam, id est, humiliabo coram te : illos ergo quasi in vallem deducam coram te, tum quia faciam ut tu eis in hoc opere emineas, et superes quasi mons excelsus; tum quia cor eorum flectam et mitigabo, ut ipsi velut valles facilem tibi aditum et transitum præbeant, tuis votis annuant, tibi quasi se subjiciant, permittantque templum instaurari : *Cor enim regis in manu Domini, quocumque voluerit*

inclinabit illud, Prov. 21. 1. Montis similitudinem usurpat, quia montes impedire solent fabricam templi (de qua hîc agitur) et domorum : unde ne eam impediant, vel ne ejus aspectam et opticam intercipiant, solent complanari.

Alleg. Montes magni fuerunt tum dæmones, tum principes Judæorum, tum Imperatores et Reges Ethnici, qui se vero Zorobabeli, id est, Christo, et Christianismo in fabrica templi, id est, Ecclesiæ, opposuerunt; sed Christus eos stravit, sibique subjecit, corda eorum potenti sua gratia mirabiliter immutans, juxta id quod de eo cecinit Isaias c. 40. 4 : *Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas. Et revelabitur gloria Domini*, puta gloriosa potentia, quæ montes vallibus, potentes plebeiis, superbos humilibus æquat.

Tropol. ita Deus piis regibus et quibusvis fidelibus complanat difficultates, quæ maximæ reipsa erant, vel pusillanimis esse videbantur, ad exstirpandam hæresin, aut vitia inolita, adeo ut ipsi mirentur subito illas quasi in planum deduci, colliquescere et evanescere. Spes ergo in Deum montes omnes complanat, ut sperans canat cum Habac. c. 3. 19 : *Deus Dominus, fortitudo mea, et ponet pedes meos quasi cervorum, et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.* Ita de sponso, puta Christo, cui in incarnatione et mundi conversione tot montes difficultatum objiciebantur, dicitur Cantic. 2. 8: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles*, id est, obices et difficultates omnes superans. Unde Symmach. vertit : *Ascendens contra montes, prosiliens contra colles.* Sic David virtute Dei prostravit montem, et turrim illam carneam, inquit S. Chrysost. puta Goliath gigantem.

In planum,] scilicet deducam te, ô mons magne, vel in planum descende et complanare, juxta sensum jam assignatum.

Et educet lapidem primarium.] Hebr. *lapidem capitis*, id est, fundamentalem et primum imumque in fundamento. Verum quia hic jam jactus erat in fabrica templi, utpote inchoata, hinc melius Noster vertit, *lapidem primarium*, qualis est qui perfecta fabrica in culmine eminet et prominet, ut extra ordinem aliorum exstet. Unde hunc lapidem explicans subdit : *Manus ejus* (Zorobabel) *perficient eam*, puta domum Dei. Lapis ergo hic culminis significabat Zorobabelem, qui templum uti inchoarat, ita illud ad culmen erat perducturus. Ita Lyran. Clarius, Dionysius et alii. Lapidem enim hunc opponit monti magno, de quo dixit v. 7. q. d. Zorobabel evadet lapis primarius et celsus, qui in montem attolletur, dum templo imponet culmen, in eoque lapidem primarium et summum. Unde Theodor. sic explicat, q. d. *Et si millies cum summa rabie Zorobabel impedire conemini, vestras spes vanas ostendam : eum enim omni gratia complevi, et redundantibus bonis cumulavi, et firmum tanquam lapidem constitui : vobis autem perniciem comparabo, ut id quod abest viribus humanis, sarciatur et compensetur à superna benignitate.* Septuag. *pro lapidem primarium*, vertunt, *lapidem hæreditatis*, qui scilicet hæreditatem propriam cuique designat, et ab aliena distermi-nat, qualis est lapis titularis, vel terminalis. Videntur Septuag. pro ראשה *rosca*, id est capitis, legisse רשת *rescet*, id est hæreditatis : *resçet* enim est infinitivus, qui sæpe vice nominis fungitur, à rad. ירש *iarasç*, id est, hæreditavit. Vocatur hæreditatis, quia Deus templum elegit sibi in domum et hæreditatem, psalm. 78. 1 : *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam.*

Alleg. et potius, lapis primarius Ecclesiæ est Christus, qui in montem excrevit, Daniel. 2. 35. quando fabricam Ecclesiæ quam inchoavit, per Apostolos ad culmen perduxit. Unde Chald. vertit : *Emerget Messias, cujus ab æterno nomen dictum, qui potietur imperio regnorum omnium.* Ita S. Hieronym. Cyrill. Haymo, Rupert. Hugo et Vatabl. Sicut ergo Zacharias, c. 3. 9, Jesu pontifici lapidem hunc, puta Christum, promisit; ita eumdem promittit hîc Zorobabeli principi : sed ibi ita ornatum, ut non nisi Christo conveniat; hîc vero nude et simpliciter eum proponit, ut ad litteram designare possit Zorobabel, allegorice vero et potissime Christum : Prophetæ enim saliunt et resiliunt à typo ad antitypum, puta à Jesu et Zorobabele ad Christum. Hosce enim raptus subitosque reditus, saltus et resultus patitur, imo poscit amplitudo, celsitudo et velocitas luminis prophetici.

Et exæquabit gratiam gratiæ ejus.] *Ejus*, scilicet lapidis : hebr. enim est לה *la*, id est, *ejus*, vel *ei* feminine. Unde respondet אבן *eben*, id est, lapidi : *eben* enim Hebræis est femininum. Pro *exæquabit* hebr. est תשאות *tesçuot*, quod Rabbini, et ex iis recentiores, ut Pagnin. Vatabl. Arias, Tigurina vertunt, *acclamationes*, à rad. צבק *tsabak*, id est, vociferari, acclamare. Unde vertunt : *Et educet lapidem primarium cum clamoribus* (acclamantes : Gratia, gratia illi. Ita Pagnin.) vel: *Plausus et gratulationes erunt ei.* Ita Tigurina, q. d. Consummato templo, positoque in culmine ultimo ejus lapide fastigiali, acclamabit populus : Gratia, gratia sit illi lapidi totique templo, hoc est, omnia fausta et felicia sint huic fabricæ; Deus suam gratiam, favorem, celebritatem et gloriam in hac sua domo ostendat et conservet. Hoc ad litteram dicitur de templo Zorobabelis, allegorice et potius de Ecclesia erecta à Christo. Unde Vatabl. et alii hoc impletum censent in Dominica Palmarum, quando Christo quasi Messiæ acclamarunt turbæ : *Benedictus qui venit in nomine Domini : Hosanna in excelsis;* perinde ac in ejus nativitate acclamarunt Angeli : *Gloria in excelsis Deo.* Hic sensus congruus est, eique valde favet textus Hebræus.

Melius Septuag. et Noster *tesçuot* deducunt à שוה *sçava*, id est, æquare : licet enim in *tesçuot* sit littera *aleph*, in *sçava* vero sit *he*, tamen hæ duæ litteræ cum sint primæ gutturales, sæpe inter se commutantur. Jam sensus est primo, q. d. Gratia Darii Hystaspis exæquabit gratiam Cyri : uterque enim dedit facultatem reædificandi templum; sed Darius insuper dedit sumptus ad illud necessarios. Ita Lyran. Secundo, q. d. Templum hoc Zorobabelis suo splendore et gloria æquabit templum Salomonis, imo superabit, non auro et magnificentia, sed potentia Messiæ qui in eo conversabitur, uti prædixit Aggæus cap. 2. v. 8; utrumque enim templum fuit gratia et donum Dei. Ita Sanchez. Tertio et aptissime, q. d. Gratia perfecti templi æquabit gratiam ejusdem inchoati, imo superabit. Majus enim donum est rem perficere,

quàm inchoare, juxta illud : *Melior est finis orationis quàm principium*, Eccles. 7. 9. Hunc esse sensum patet, quia ita explicat Angelus dum subdit : *Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, et manus ejus perficient eam.* Porro verba ita recte adaptes : *Et exæquabit gratiam gratiæ ejus*, vel, ut hebr. est, *ei*, scilicet lapidi primario, v. g. culminis *ei*, id est, in eo, q. d. In lapide culminis Deus exæquabit gratiam consummationis templi gratiæ inchoationis ejusdem, sive faciet ut lapis summus apte respondeat imo, puta culmen fundamento : quia efficiet ut tantus sit decor, concinnitas, firmitas et gratia culminis, quanta est fundamenti. Porro hic lapis uterque positus fuit à Zorobabel : unde eum repræsentat, quasi dicat : Zorobabel tanta gratia ponet lapidem culminis in templo, quanta gratia posuit lapidem primum in fundamento, hoc est, tanta gratia perficiet templum, quanta illud inchoavit. Addit quarto S. Hieronymus, Haymo et Rupert. q. d. Gratia et beneficia quæ Deus præstabit Zorobabeli et Judæis Babylone redeuntibus, æquabit gratiam et beneficia quæ Deus præstitit olim patribus eorum tempore Davidis, Salomonis, etc. Denique plenus erit sensus, si hebr. *tesçuot* in utraque significatione accipias, et primam expositionem jungas secundæ, q. d. Posito ultimo lapide in culmine templi, eoque perfecto gratulabuntur omnes, ac cum plausu et jubilo acclamabunt dicentes : Gratia et felicitas perfecti templi ex æquo respondet gratiæ et felicitati qua cœptum est. Ita à Castro.

Allegor. Deus æquavit gratiam Christi gratiæ Mosis, imo illa hanc longe transcendit : Christus enim implevit omnes legis figuras, omnesque Prophetarum prophetias. Nam *lex per Mosen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est*, ait S. Joan. cap. 1. 17. Unde immediate ante ad hæc verba Zachariæ alludens, præmisit : *De plenitudine ejus* (Christi) *nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.* Quod varie varii exponunt, et congrue omnes. Primo, q. d. Legem Evangelicam Christi accepimus pro lege veteri Mosis : utraque enim fuit gratia, quia gratis data. Ita S. Cyrill. Chrysost. Leont. Theophil. Euthym. Jansen. Ribera in c. 1. S. Joannis. Secundo, q. d. Gratiam vitæ æternæ, id est, gloriam accepimus pro gratia vitæ. Ita S. August. ibidem. Tertio, q. d. Pro gratia Christi nos vicariam et similem gratiam accepimus, sive, in Christi gratia quasi in capite, nos omnes quasi membra sumus gratiam consecuti, et per eum grati effecti Deo. Ita S. Chrysost. Cyrill. Theophil. Zacharias Chrysopol. et Toletus ibidem. Aut nervosius Græcum ἀντι, id est, *pro*, exponendo per *propter*, uti sæpe exponitur, q. d. Propter gratiam Christi quasi fontem et originem (utpote causam meritoriam) nos omnes gratiam accepimus, puta gratiam propriam per et propter gratiam Christi. Hic sensus videtur genuinus, explicat enim id quod præcessit : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*, scilicet gratiam ex gratia. Quarto, *gratiam pro gratia*, hoc est, hic unam gratiam, alius pro illa aliam accipit, q. d. Omnes quidem à Christo accepimus gratiam, sed hic suam, alius aliam, nimirum quisque congruam suo muneri et vocationi. Qui enim vocatus est à Deo ad Apostolatum, accipit gratiam apostolatui congruam : qui ad doctoratum, accipit gratiam docendi : qui ad martyrium, patiendi : qui ad officium Marthæ, agendi : qui ad Magdalenæ, contemplandi, etc.

9. Manus Zorobabel.] Hinc patet ad litteram loqui Prophetam non de fabrica Ecclesiæ quam ædificabit Christus, sed de fabrica templi. Sensus enim planus quem verba poscunt, est hic : Sicut Zorobabel prima templi fundamenta jecit sub Cyro 1. Esdræ 3. 8. aut certe eadem restauravit et perfecit anno secundo Darii Hystaspis, uti dixit Aggæus, c. 1. 12. et Esdras, lib. 1. cap. 9. Ita ipse fabricam complebit et templum ad culmen conducet; tumque scietis, ô Judæi, me Zachariam, qui hoc prædico, verum fuisse Prophetam à Deo missum, quia tunc videbitis reipsa mea hæc oracula et promissa adimpleri. Ita S. Hieron. Theodor. Remig. Rupert. Lyran. Arias, Vatabl. et alii passim.

Allegor. q. d. Uti Zorobabel per se Dei domum cœpit et perfecit, ita ipse per Christum ex se nasciturum ædificabit Ecclesiam, eamque per Apostolos aliosque sequaces, ac præsertim per Eliam et Henoch in fine mundi omnino perficiet et consummabit.

Tropol. *manus*, id est opera et exempla principum, fundant reip. statum, non os, id est edicta et minæ : *Nam vita principis censura est, eaque perpetua ; ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur*, ait Plinius in Panegyr. ad Trajanum Imperator. Et Ovid. lib. 6. Fastor.

Sic agitur censura, et sic exempla parantur,
Cum judex alios quod monet, ipse facit.

Memorabile est documentum S. August. epist. 64. ad Aurelium Episcop. inolita populi vitia magis exemplo quàm severa castigatione esse tollenda. *Comessationes et ebrietates*, ait, *ita concessæ et licitæ putantur, ut in honorem etiam B. Martyrum non solum per dies solemnes* (*quod ipsum quis non lugendum videat, qui hæc non carneis oculis inspicit*), *sed etiam quotidie celebrentur.* Et post pauca : *Non ergo aspere, quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur, sed magis docendo quàm jubendo, magis monendo quàm minando. Sic enim agendum est cum multitudine. Severitas autem exercenda est in peccato paucorum. Et si quid minamur, cum dolore fiat, de Scripturis comminando vindictam futuram; ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur. Itaque prius movebuntur spiritales, aut spiritualibus proximi, quorum auctoritate et lenissimis quidem, sed instantissimis admonitionibus, cætera multitudo frangatur.* Hac de causa cœpit Jesus facere, deinde docere. Nam, ut ait S. Hieron. epist. 16. ad Principiam : *Erubescit quamvis præclara doctrina quam propria reprehendit conscientia. Frustra ejus lingua prædicat paupertatem, et docet eleemosynas qui Crœsi divitiis tumet : vili opertus pallio, pugnat contra tineas vestium sericarum.*

10. Quis enim despexit dies parvos?] Nulli dies naturales sunt parvi : omnes enim sunt æque magni, puta 24. horarum. Dicuntur tamen alii magni, alii parvi metonymice : magni in quibus magna geruntur vel contingunt; parvi in quibus parva. Sic Osee, c. 1. v. 11. *magnum diem Iezrahel* vocat diem incarnationis et redemptionis Christi, quo ipse collecturus erat Iezrahel, id est semen Dei, puta populum fidelem tam ex Gentibus quàm ex Judæis in suam

Ecclesiam. Vide ibi dicta. Ex adverso dies quibus cœperunt jaci templi fundamenta, hoc loco vocantur *parvi*, ob exilia templi initia, quæ tam tenuia erant, ut qui viderant magnificentiam templi Salomonici, flerent, quasi desperantes templum illud posse restaurari, et ad culmen pristinamque magnificentiam perduci. Id patet ex Aggæo, qui coævus et adjutor fuit Zachariæ in urgenda templi fabrica, ac proinde ejusdem est Interpres, et, ut ita dicam, paraphrastes. Aggæus enim cap. 2. 4 : *Quis*, inquit, *in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima, et quid vos videtis hanc nunc? Nunquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris?* Quocirca eos consolans et animans promittit v. 10. dicens : *Magna erit gloria domus istius novissimæ plusquàm primæ.* Id secundo patet ex textu hebræo, qui ad verbum habet : *Quis sprevit diem* קטנות *ketannot*, id est, *parvarum*, hoc est, parvorum, scilicet initiorum et fundamentorum templi : Hebræi enim utuntur genere feminino pro neutro quo carent. Mariana : *Quis sprevit dies parvarum acclamationum fundationis templi?* Arias : *Quis despexit diem parvitatis?* Alii, *exiguitatis;* Pagnin. *Quis despexit diem parvarum consolationum?* Clare Chald. *Quis est iste qui contempsit diem hanc, eo quod ædificium sit exiguum? Nonne convertetur et lætabitur, quando viderit lapidem perpendiculi* (ad dimetiendam, prosequendam et perficiendam fabricam) *in manu Zorobabel?* Dies ergo hi *parvi* vocantur tum ob parva templi initia; tum parvi, id est exigui momenti, viles et despecti præ diebus magnis et magnificis, quibus Salomon ædificavit templum prius. Unde Arabicus vertit : *Quis est qui deridebit te* (ô Zorobabel) *in diebus tuis?*

Secundo, *dies parvi* accipi possunt pauci : nam pauco tempore perfectum est hoc posterius templum. Cœpit enim fabricari anno secundo Darii, et perfectum est anno sexto ejusdem. Unde Rupert. sic explicat : Quis despiciat parvum hoc tempus? imo vero quis tantam velocitatem tam exigui temporis, quo consummatum est templum, non accipiat pro argumento et experimento quod Dominus miserit me ad vos, quodque ipse hujus velocitatis æque ac fabricæ sit auctor et consummator? Sic Jacob, interrogatus à Pharaone quot esset annorum, respondit : *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum, parvi et mali,* id est, pauci et miseri, Genes. 47. 9.

Tertio, Theodor. sic explicat, q. d. Ego despexi Jerusalem in multos dies, et ad 70. annos vastitatis et captivitatis eam condemnavi : pari modo mihi nunc perfacile est paucis diebus eam restaurare, et ad pristinam gloriam reducere.

Quarto, Ribera per *dies parvos* accipit regnum Antichristi : ille enim regnabit et opprimet Ecclesiam per dies paucos, puta per tres annos cum dimidio, ut sensus sit, q. d. Tempore Antichristi fideles videntes eum pessundare Ecclesiam, ac Judæos illum recipere pro Messia, putabunt esse actum de eorum salute. Videbunt enim Deum qui magna pro iis quondam operatus est, jam parva pro iis operari, eosque quasi negligere et despicere. Verum hic sensus non est litteralis, sed mysticus.

Allegor. *dies parvi* vocantur dies pauci et humiles Christi, inquit Emmanuel. Sicut enim Zorobabel à parvis fundamentis inchoavit fabricam templi, ita et Christus fabricam Ecclesiæ. Natus est enim parvulus in stabulo ex paupere matre. Quis eum videns non despexit? Quis credidit quod parvulus ille cresceret in tantam Ecclesiam, quæ totum complecteretur orbem? Rursum parvus fuit, id est abjectus, quia fabrilem exercuit, latuitque usque ad annum trigesimum : tunc vero per paucos dies, puta per tres annos, prædicavit, et paucos eosque rudes habuit Discipulos et Apostolos. Unde despiciebant eum Judæi et Scribæ, dicentes, Marci 6. 5 : *Nunquid hic est faber, Filius Mariæ, frater Jacobi, etc.* Hinc Isaias de eo dicit cap. 53. 2 : *Ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti.* Porro hosce dies parvos eorumque magna incrementa ostendet rursum in fine mundi, quando per Eliam et Henoch, qui diebus 1260. duntaxat, ut patet Apoc. 11. v. 3, hoc est, tres annos cum dimidio prædicabunt, Judæos convertet, et debellabit Antichristum cum suis asseclis, ultimamque Ecclesiæ suæ manum et culmen imponet.

Moraliter, disce hìc à Zorobabele, et magis à Christo, res magnas à parvis initiis exordium capere, Deumque magna à parvis ordiri, ut ostendat suam potentiam et magnificentiam, juxta illud Job 8. 6 : *Si mundus et rectus incesseris, statim evigilabit ad te, et peccatum reddet habitaculum justitiæ tuæ in tantum, ut, si priora tua fuerint parva, et novissima tua multiplicentur nimis.* Ita *Dominus benedixit novissimis Job magis quàm principio ejus, et facta sunt ei quatuordecim millia ovium, et sex millia camelorum, et mille juga boum, et mille asinæ,* Job 42. 12. Vidit id per umbram Plinius, l. 15. cap. 14. dum ait : *Nihil tam parvum est quod non gloriam et utilitatem parere possit.* Et Poeta :

Vilior haud pars est alci, nec dignior ungué :
Ergo etiam parvis gratia magna datur.

Pittacus, unus è septem sapientibus, cum ei Mitylenæi multa millia jugerum agri muneri darent : *Nolite* (*rogo vos*) ait, *mihi dare quod multi invideant, plures etiam concupiscant. Quare ex istis nolo amplius quàm centum jugera, quæ et meam animi æquitatem, et vestram voluntatem indicent. Nam parva munera, divina : locupletia, non propria esse consueverunt.* Ita Æmilius Probus de Viris illustr. in Thrasybulo.

Scripsit de Triplici minimo opusculum Jordanes Brunus, ubi lib. 1. cap. 2. mathematice demonstrat minimum esse tum numerorum, tum magnitudinum, tum elementorum corporumque omnium basin et substantiam; atque hæc de minimo dat paradoxa, imo axiomata : *Minimum substantia rerum est; quia maxima quæque ex minimo, in minimo, ad minimum sunt, per minimumque. Maximum non est aliud quàm minimum iteratum et multiplicatum,* uti numerus non est aliud quàm unitas multiplicata. *Tolle ergo undique minimum, ubique nihil erit. Ex monade incipit omnis numerus crescitque, et in monadem desinit. Aufer undique monadem, nusquam erit numerus, nihil numerabile, nullus numerator. Si ergo monas est essentia numeri, punctum lineæ, momentum temporis, atomus corporis et compositi. Nativitas est expansio monadis, et centri vita est consistentia sphæræ; mors est contractio in centrum. Ex minimo incipit et crescit omnis magnitudo, eademque rursum in minimum extenuatur et desinit.* Qui ergo ad magna contendit,

à parvis incipiat. Præclare S. August. serm. 10. de verbis Domini : *Magnus, ait, esse vis? à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis. Et quantam quisque vult et disponit superimponere molem ædificii, quanto erit majus ædificium, tanto altius fodit fundamentum.*

Huc facit insigne documentum P. Cornelii Vishavæi viri religiosi, quod ex diario P. Ledesmæ recenset noster P. Sacchinus, tom. 2. Hist. Societ. l. 3. anno Domini 1559. n. 56 : *Ad sanctæ humilitatis commendationem*, inquit, *dicebat gaudere Deum res ex nihilo facere, quod is modus infinitæ ejus virtutis proprius sit, et clarius eam prodat. Ut igitur hanc rerum universitatem et pulcherrimam speciem ex nihilo procreavit, ita in animis hominum mundum ornatumque virtutum ex nihilo, id est ex humilitate, qua suum quisque nihilum profiteatur, efficere : superbos infinitis tentationibus subjacere, quod id Deus permittat, ut diffidere sibi discant. Perinde enim Deus facere, atque magnanimus rex, qui quandiu fidentem sibi hostem videt, oppugnare non cessat ; prostrato vero cadentique ac manus danti clementer ignoscit.* Vis ergo esse magnus? parvus esto. Postulas aliquid à Deo? coram eo te annihila. Ita B. Teresia : Receptura, inquit, à Deo gratiam aliquam singularem, soleo prius annihilari, puta in meum nihilum deduci, ut videar mihi nihil esse, nihil posse, ut refert P. Franciscus Ribera in ejus Vita.

Hujus rei illustre exemplum et speculum dedit S. Franciscus, qui abjectus et humilis tantum fecit, imo tot tantosque fundavit Ordines virorum et feminarum, ut omnes alios numero longe superent. Unde ipsius hæc erat supplex oratio : *Domine, custodi tuum donum in me, quia ego ejus sum latro, dum tibi ejus gloriam suffuror, eamque mihi adscribo.* Ita S. Bonavent. in ejus Vita. Sic Deus Josephum è carcere evexit ad principatum Ægypti ; Gedeonem ex area evocavit ad ducatum Israelis, Davidem ab ovibus, Saulem ab asinis elevavit ad regnum. Sic à piscatione et retibus S. Petrum, Jacobum, Joannem, etc. vocavit ad Apostolatum. Plura exempla eorum qui ab imo ad summum imperii culmen provecti sunt, recensui, Gen. 38, in fine capitis. Qui ergo doctrinæ, concionum, laborum suorum exilia videt principia, paucos auditores, tenuem fructum, ne cadat animo. Nam

Debile principium melior fortuna sequetur.

Imo ex hoc conjiciat magnam quandoque se collecturum messem, si in opere constet et perseveret. Hic enim est mos Dei, ut per humilia nos ducat ad excelsa. Id quisque in se experitur. Narrant Annales Hispaniæ, et ex iis Ambrosius, Morales lib. 9. cap. 7. et noster Ribadeneira, in Vita S. Jacobi, eum in Hispania novem tantum incolas convertisse ad Christum : qua de causa cum doleret, seque orationi daret Cæsaraugustæ, apparuit ei B. Virgo columnæ insistens (quæ adhuc vivebat, sed in Oriente) choro Angelorum suavissime canentium stipata, consolans eum dicensque : *Hoc in loco ædificabis Ecclesiam, eamque meo nomine insignies ; quia hæc Hispaniæ pars mihi erit devotissima, et ex nunc eam in meam protectionem recipio.* Paruit Apostolus, et ædificavit sacellum quod etiamnum S. Mariæ in columna nuncupatur : atque exinde per novem hosce ejus discipulos secuta est totius Hispaniæ conversio, illeque religionis flos, decor et robur, ut jure reges Hispaniæ Catholici cognominentur.

Denique hac de causa Deus eximios viros quos ad magna destinabat, corpore parvos formavit, ut ea parvitate eos semper humilitatis admoneret : *S. Chrysost. fuit corporis specie et statura parva, caput grande humeri sustentabant, tenuissimus ipse ac macie summa confectus, pallidissima facie, cavis luminibus atque introrsum recedentibus : cæteris corporis et oris lineamentis mæstum quid præferebat, cum extenuata, sed lata et magna esset fronte, rugis undique sulcata, magnis auribus, mento pusillo. Vixit annos 63, in Episcopatu sex.* Ita ex Menæis Græcorum noster Raderus in Viridario Sanctorum die 30. Januarii. Ibidem ex iisdem de S. Nazianzeno sic scribit : *Gregorius ille Theologus statura mediocri erat, grataque magis brevitate, subpallidus, naso simo, rectis superciliis, vultu placido et modesto, oculorum altero, dextro, inquam, tristiori, quem et cicatrix in hirquo contrahebat, decenti capitis calvitie. De quo hoc jure dici potest : Si statua figura humana efformanda esset ex omnibus ac singulis virtutibus conflata, talem in hoc eximio Gregorio effulsisse, qui vitæ splendore laudatissimum quemque superaret. Vixit ultra annum octogesimum, in Episcopatu duodenos.* S. Paulus uti nomine, ita re fuit, parvus : *Tricubitalis est,* inquit S. Chrysost. *et cælos transcendit.* S. Hieronymum parvo fuisse corpore scribit noster Ribadeneira in ejus Vita : atque hinc forte illi tanta mentis acredo. S. Constantius Mansionarius ex parvitate corporis documentum sumpsit humilitatis, et virtutis adeo illustris, ut et miracula patraret, atque aqua quasi oleo ardentem in Ecclesia lucernam aleret, uti narrat S. Gregor. lib. 1. Dialog. cap. 5. S. Antoninus Archiepisc. Florent. adeo pusillus fuit, ut cum ei nomen esset Antonius, diminutive vocatum sit Antoninus ; is tamen monstrum fuit memoriæ æque ac doctrinæ et sanctitatis. Cum enim tredecim tantum esset annorum, totum Jus Canonicum memoriter calluit. S. Cæcilia et S. Agnes parvæ exstiterunt, ut ex reliquiis et ossibus earum parvis nuper repertis, liquido se cognovisse mihi asseruerunt viri graves, iique testes oculati. At quantus in iis fuit animus, quanta virtus !

Symbolice, S. Hieron. quem sequuntur Remig. Haymo et Dionys. sic exponit : *Quis,* inquit, *idem est quod rarus,* q. d. *Rarus est qui dies parvos hujus seculi despiciat, et regiam potestatem putat esse nihili. Quando viderimus potentes seculi fulgere auro, purpura gemmisque rutilare, circumdari exercitu, dicamus in nobis : Quis, putas, despicit dies parvos? Qui ergo despexerint dies parvos, ex eo quod despiciunt regale fastigium, lætabuntur et videbunt auxilium Salvatoris, qui de Zorobabel stirpe promittitur, et propter fortitudinem lapis appellatur. Hoc autem refert ad regiam potestatem, ut commoneat Zorobabel, et Jesum, et populum Dei, nequaquam adversarios timere prohibentes, sed audire Dominum cohortantem,* q. d. Ne timeas, ô Zorobabel, Samaritas, Sanaballat, ipsosque monarchas Persarum, qui fabricam templi prohibere possunt, vel etiam volunt. Nam omnes parvi sunt et infirmi, ac parvo tempore regnant, si cum Deo omnipotente et æterno comparentur. Sic ait psaltes, psalm. 48. 17 : *Ne timueris cum dives factus fue-*

rit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus : quoniam cum interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus. Et ps. 36. 35 : *Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani. Et transivi, et ecce non erat : quæsivi eum, et non est inventus locus ejus.* Et Job, 23. 24 : *Elevati sunt ad modicum, et non subsistent,* etc. *et sicut summitates spicarum conterentur.*

Et lætabuntur,] q. d. Nolite, ô Judæi, despicere dies parvos, quibus parva jaciuntur templi fundamenta : mox enim lætabimini, cum videbitis lapidem stanneum in manu Zorobabel, quo ad perpendiculum iis inædificabit parietes, eaque in magnam fabricam extendet, cui tandem culmen imponet. Ita Chald. et alii.

Lapidem stanneum.] Chald. *Lapidem perpendiculi;* solet enim lapis è stanno, vel plumbo, ob pondus et gravitatem alligari perpendiculo, ut ejus funiculum recte distendat ad mensurandas areas ædificii, ut uterque ejus paries utrinque æque distet à centro terræ, ne si unus magis ad illud inclinet, eò ruat; alterumque secum in ruinam trahat, uti dixi c. 1. 16. Sensus ergo est, q. d. Magna erit lætitia, cum Zorobabel ad perpendiculum ædificabit et consummabit templum, juxta illud quod dixit c. 1. 16 : *Et perpendiculum extendetur super Jerusalem.* Hoc autem propediem fiet, quia perpendiculum in manu habet Zorobabel, quasi jam parans progredi in fabrica, eamque dimetiri, ut juxta dimensum illico parietes erigat. Pro *stanneum,* hebr. est בדיל *bedil,* id est, separationis, per quem Arias accipit lapidem separatum et eximium, qui poni solet in culmine. Verum Sept. Chald. Noster, Vatabl. Pagnin. et alii vertunt : *Lapidem stanneum,* vel *lapidem perpendiculi :* stannum enim dicitur hebr. *bedil,* eo quod in fornace vi ignis separetur, et primo fluat de argento, uti mox dicam ex Plinio.

Allegorice, lapis stanneus est Christus, inquit S. Hieron. qui est in manu, id est potestate, Zorobabel, quia ejus filius et ex eo prognatus, idque primo : *Eo quod sit murus,* inquit S. Hier. *et fortitudo roburque credentium. Sicut enim stannum ab igne alia metalla defendit, et cum sit natura æs ferrumque durissimum, si absque stanno fuerit, uritur et crematur : sic omnis Angelorum et hominum fortitudo, si non habuerit auxilium Salvatoris, imbecilla probatur et fragilis.* Secundo : *Lapis iste* הבדיל *habbedil scribitur, id est stanneus, id est separans et secernens* (radix enim בדל *badal* significat separare et secernere), *ut quomodo stannum mixta et adulterata inter se per ignem metalla dissociat ; ita Dominus verus probator et* χωνευτής, *ab auro et argento bonorum operum æs vitiorum plumbumque secernat, ut purum aurum remaneat et argentum. Aliis verbis* αποχωρίζων *iste et separator in Evangelio scribitur : Cujus ventilabrum in manu ejus, et ipse purgabit aream, et separabit paleas à tritico,* Lucæ 3. Hucusque S. Hieron. Ita separabit Christus justos et electos à reprobis, quasi oves ab hædis in die judicii, Matth. 25. Ita tropologice, Deus suis fidelibus in igne tribulationis quasi stannum se admiscet, ne ab igne exurantur, sed tantum purgentur, dicantque cum S. Job, cap. 23. 10 : *Probavit me quasi aurum, quod per ignem transit.* Et cum Psalte : *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.*

Tertio, Arias et Ribera : Christus, inquiunt, est lapis stanneus, quia rejectus et reprobatus à Judæis, uti stannum secernitur ab argento; sed à Deo factus est in caput anguli. Verum lapis hic stanneus non est fundamentalis, nec pars fabricæ, sed ejus perpendiculum et norma.

Quarto ergo aptius, lapis hic in manu Zorobabelis, id est Christi, est ejus lex, Evangelium et doctrina, quam verbo, et magis vita expressit. Hæc enim est perpendiculum, regula et norma omnis virtutis et perfectionis; unde juxta eam fabricam sanctitatis in anima exædificare debemus, et quo magis ad eam accedimus, eo fabrica erit perfectior; quantum vero ab ea recedimus, tantum à sanctitate elongamur.

Quinto, tres stanni analogias affert Nicetas in orat. 44. Nazianzeni. Prima est : *Dicunt,* inquit, *stannum ex ære et plumbo commixtum ac temperatum esse : qua de causa nec duritiei omnino est expers, nec rursus mollitiem omnem respuit. Simili modo Emmanuel ex firmissima et infrangibili divinitate, atque ex molli, et ut ita dicam, affectibus obnoxia humanitate compositus est.* Secunda : *Stannum sive plumbum ad purgationem alterius materiæ, quæ igne indiget, necessario assumitur, ac præsertim ab iis qui ex argento opus aliquod efficiunt. Stanno itaque sive plumbo assimilatur Christus, utpote sordes spiritales colliquefaciens ac purgans.* Hoc de plumbo verum esse, non de stanno, plures præstantes aurifices Romæ à me hac de re consulti asseverarunt; plumbo enim expurgari aurum et argentum, non stanno, imo, si quid adsit stanni, perdifficilem esse expurgationem. Tertia : *Stannum res inter se distractas connectit, utpote quod glutinandi vim habet. Tale autem quiddam in nobis Christus præstitit : siquidem illud verbum est, quod in unum hominem duos populos creat,* et quasi conflat. Duas hasce priores analogias pene ad verbum habet hîc Cyrillus, ex quo eas sumpsit Nicetas. Addit Cyrillus : Adamantem, inquit, quem nulla materia potest vincere, frangit plumbum ; sic Christus summe potens et bonus satanam tanquam adamantem frangit, de quo scriptum est : *Cujus cor* πέπηγε *instar lapidis.* Ita ipse. Verum aurifices et conflatores constanter negant plumbo frangi adamantem. Ubi adverte Cyrillum et Nicetam stannum et plumbum pro ejusdem naturæ et conditionis metallo sumere; stannum enim videtur esse plumbum nobilius, plumbum vero videtur esse stannum deterius: unde etiamnum qui vendunt lances stanneas, subinde eas plumbo adulterant, et plumbeas vendunt pro stanneis. Porro ex hisce stanni conditionibus discant Zorobabeles, id est principes, judices, syndici et visitatores, quales esse debeant. Quibus adde quod scribit Plinius l. 34. c. 17 : *Stannum,* ait, *illitum æneis vasis saporem gratiorem facit, et compescit æruginis virus, mirumque pondus non auget;* atque hasce ob causas pleræque gentes prandent et cænant in lancibus et vasis stanneis. Ita princeps suis sit stanneus, id est sapidus et gratus, ut virus scelerum amoveat, et onera tributorum non augeat, nec fiscum ex damnatorum opibus locupletare satagat.

Symbolice, Q. Julius Hilarion in Chronologia, quæ exstat tom. 3. Biblioth. SS. Patrum, docet globum illum, qui in manu Imperatorum pingitur cum cruce eidem infixa, quo significatur orbis dominium, adumbratum fuisse hoc *stanneo lapide, quem Zorobabel dux populi Israel*

manu circumferebat, hoc est, inquit Hilarion, *populum*, quasi globus hic populum orbis conglobatum sub uno Imperatore repræsentet. Verum hic lapis stanneus non tam fuit globus, quàm perpendiculum, uti jam dixi.

Anagog. Rupert. Lapis stanneus, inquit, est humanitas Christi, qui ante passionem à Judæis instar stanni despecta fuit et abjecta, sed post eam per resurrectionem facta est argentea, imo aurea, hoc est, augusta et gloriosa. Huic significationi favet quod scribit Plinius lib. 34. cap. 16. sæpe ex eadem vena prodire, primo stannum, deinde argentum, tertio plumbum : *Ejus*, inquit, *qui primus fluit in fornacibus liquor, stannum appellatur : qui secundus, argentum : quod remansit in fornacibus, galena, quæ portio est tertia addita venæ. Hæc rursum conflata dat nigrum plumbum, deductis partibus duabus.*

10. Septem isti oculi.] Quæres : Quinam et ubi sunt hi oculi? Ribera et alii nonnulli censent eos fuisse in lapide stanneo, de quo immediate præcessit. Similiter enim c. 3. 9. Propheta vidit oculos in lapide coram Jesu, uti hìc eos vidit in lapide, quem manu tenebat Zorobabel. Unde quis suspicari posset lapidem stanneum non fuisse plumbetum, vel stannetum perpendiculi ad dimetiendam fabricam : nec enim in eo utpote exiguo collocari poterant septem oculi, sed fuisse lapidem illustrem et fulgidum, cui insculperetur titulus, auctor, annus, dies et mensis consummatæ fabricæ (uti in nonnullis palatiis laminis plumbeis vel stanneis ea et similia incisa videmus) ideoque hebr. vocari בדיל *bedil*, id est, separatum à reliquis, quasi eximium, uti censuit Arias. Aut certe dicere quis possit, oculos hos fuisse in lapide non stanneo, sed primario, de quo v. 7; quia ipsi discurrunt undique, ut curent Ecclesiam in hoc lapide solidari et crescere. Attamen verius videtur hos oculos fuisse in candelabro nimirum fuisse septem calamorum candelabri orificia, in culmine eorum exstantia, quæ oculorum speciem habebant, quæque per septem lucernas lucentes sibi insistentes et velut inoculatas, quasi oculi videre, resque vicinas illuminare et visibiles facere videbantur. Probatur id primo, quia visio tota hujus capitis est de candelabro, ejusque partibus; ergo oculi hi sunt candelabri, non lapidis, præsertim quia lapidem nullum hìc vidit Zacharias, sed tantum promitti eum audivit, quod nimirum futurus esset in manu Zorobabel, quando ipse fabricam templi erat instauraturus.

Secundo, quia lucernas et infusoria, imo et candelabrum hactenus non explicavit Angelus. Hìc ergo ea explicat, dicens ea esse septem oculos, *qui discurrant* per *universam terram;* ac consequenter hoc ipso simul explicat ipsum candelabrum, nimirum ipsum repræsentare Deum et Christum, puta providentiam divinam omnia circumlustrantem, dirigentem et gubernantem, quæ provisura erat et curatura fabricam templi, per septem hasce lucernas lucidas ut oculos, id est, Angelos. Unde Syrus et Arabicus vertunt : *Isti sunt septem oculi Domini, qui intuentur universam terram.*

Tertio, quia Zacharias quasi jam intelligens mysterium candelabri et lucernarum, subjungit petitque de olivis, quæ solæ in eo explicandæ supererant, dicens : *Quid sunt duæ olivæ ad dexteram candelabri, et ad sinistram ejus?* q. d. Jam ex te audivi quid significent lucernæ, et consequenter ipsum candelabrum ; restat ut explices quid portendant binæ olivæ, utrinque ad candelabrum positæ.

Quarto, quia in hisce verbis, *septem isti oculi, etc.* incipit nova periodus : ergo isti oculi non sunt lapidis, de quo multo ante actum est vers. 7. sed candelabri, cujus idea toto cap. describitur. Unde pronomen *isti* videtur demonstrare oculos, qui erant in infusoriis, puta in summis orificiis calamorum et lucernis. Hos enim, non alios, videbat, et demonstrare poterat Zacharias.

Quinto, quia huc alludens S. Joannes, vidit septem Angelos primarios repræsentari, primo per septem lampades, Apoc. 4. 5 : *Septem lampades*, inquit, *ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei;* deinde per septem Agni oculos, *qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram*, Apoc. 5. 6. Utrumque enim hoc symbolum videtur S. Joannes accepisse à Zacharia hoc loco, et cap. 3. 9. Nec enim alius Propheta horum meminit. Rursum Apoc. 1. 16. dicitur quod Christus *in dextera sua habebat stellas septem*, quas explicans vers. 20 : *Septem stellæ*, ait, *Angeli sunt septem Ecclesiarum.* Sicut ergo Angeli ibidem stellis, ita hìc lucernis, quasi oculis comparantur : stellæ enim sunt quasi lucernæ et oculi cœli.

Quæres secundo : Quid hi septem oculi, id est, lucernæ, significant? Resp. significant septem Angelos primarios, qui sunt administri et executores divinæ providentiæ, cujus symbolum est candelabrum, quod circumstant et jugiter intuentur. Hinc vocantur oculi utpote pervigiles, ut dixi cap. 3. 9. et lucernæ, sive lampades; tum quia lumen, id est scientiam suam, vigilantiam et perspicaciam à lampade, id est, à Deo et Christo hauriunt : tum quia Ecclesiam et fideles lumine divinæ cognitionis illuminant, et amore cœlesti inflammant : hac de causa *discurrunt in universam terram*, hi septem oculi, id est, hi septem Angeli per septem oculos significati. Vide dicta, Apoc. 4. 5 : *Oculus* enim *justitiæ est servator, et custos corporis*, ait Diodorus, libr. 3. histor. Unde leo qui est rex animalium oculis semper excubat. Unde cum dormit, eos non claudit, sed apertos tenet. Hinc S. Epiphan. in Physiol. agens de catulo leonis : *Cum dormit*, inquit, *evigilant ejus oculi, ita ut venatorem à septem stadiis præsentiat.* Ex significatione horum septem oculorum, id est, lucernarum, discimus quod significet ipsum candelabrum, nimirum Deum, Deique omniscientiam et providentiam. Ab ea enim sola lumen suum hauriunt septem lucernæ, id est Angeli. Cum ergo ex Zacharia constet lucernas esse Angelos, consequenter constat lampadem esse Deum, Deique providentiam : illius enim administri sunt Angeli, qui proinde ab eo missi discurrunt in universam terram, ut ait Zacharias. Quocirca S. Bernard. in Lament. B. Virginis Mariæ loquens de Deo Deique Filio : *O*, inquit, *immarcescibilis decor Dei excelsi, et purissima claritas lucis æternæ; vitæ omnem vitam vivificans; lux omne lumen illuminans, et conservans in æterno splendore. Mille millena lumina fulgurantia ante thronum divinitatis tuæ à primo diluculo.* Quia enim *Deus noster ignis consumens est*, uti ex Mose ait Apost. Hebr. 12. 29; ipse enim est ignea et ardentissima charitas, de qua Cant. 8. 6 : *Fortis est sicut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio : lam-*

pades ejus lampades ignis atque flammarum; hinc jure ei præferuntur lampades, ignis, fulgura et stellæ, quæ Angelorum Deo astantium et ministrantium sunt symbola, juxta illud psalm. 103. 4. et Hebr. 1. 7 : *Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis.* Hæc enim omnis ignis increati et immensi, puta divinitatis, sunt scintillæ et indices. Quocirca Sacrosanctæ Eucharistiæ, quasi Deo, faces et tædæ præferuntur, atque ante hierothecas ejus jugiter ardent lampades. Damnavit et risit olim Vigilantius hæresiarcha lampades per diem in Ecclesia accendi solitas; in quem jure S. Hieron. lib. contra Vigilant. *Tu,* inquit, *vigilans dormis, et dormiens scribis, et proponis mihi librum apocryphum, qui sub nomine Esdræ à similibus tuî legitur, ubi scriptum est, quod post mortem nullus pro aliis audeat deprecari : quem ego librum nunquam legi. Quid enim necesse est in manus sumere quod Ecclesia non recipit?* Hinc sursum de stellis (quos ignes animatos esse anima intelligentiarum, sive Angelorum olim censuerunt Philosophi) quasi Deo summo prælucentibus, ita canit Poeta :

> Vos æterni ignes, et non violabile numen
> Testor.

Et de fulguribus quasi Dei prænuntiis ita scribit Job 38. 35 : *Nunquid mittes fulgura et ibunt, et revertentia dicent tibi : Adsumus?* Denique de quatuor Cherubinis stipatoribus currus divini ait Ezechiel, cap. 1. 14 : *Ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* Hac de causa olim regibus, qui sunt dii quidam terrestres, præsertim apud Persas, Æthiopes, Chaldæos et Assyrios, lampades, vel faces prælucebant, ut ostendi, Jeremiæ 1. 13. Sic de Julio Cæsare Sueton. in ejus Vita, cap. 37, ait : *Ascenditque Capitolium ad lumina, quadraginta elephantis dextra atque sinistra lychnos gestantibus.* Et Herodianus l. 1. de Martia : *Præter ignem,* ait, *omnes honores velut Augustæ ei tribuerentur.* Et de Heliogabalo : *Discurrente etiam cum facibus utrinque populo.* Et de Gordiano : *Ignis de more præferebatur.* Et de Constantino Magno, Romæ Christi fidem et legem publico edicto sanciente, ex Actis S. Silvestri sic scribit Baron. anno Christi 324 : *Revertente Augusto ad palatium tota civitas cereis lampadibusque repleta, coronata* (vel, ut alii legunt, *comitata*) *est.* Sic et cæteris Imperatoribus Romanis et Constantinopolitanis olim prælatus est ignis. Quia et Patriarchas præibat lampadarius, qui in liturgiis et processionibus lampadem ante ipsos Ecclesiæ principes gestabat. Notat Balsamon prælatas Imperatori faces corona aurata gemina fuisse insignitas ; cum Imperatricis et Patriarchæ lampades unà tantum essent redimitæ. Hic ritus demonstrabat reges fulgore dignitatis, sapientiæ et providentiæ conspicuos esse, eosque instar ignis omnia permeare, et vitalem spiritum suis popularibus impartiri. Ita Nicol. Causinus lib. 1. Parallel. histor. cap. 21. Ignis enim est sapientia, in quo est splendor et calor : hoc accendit, illo illuminat. Providentiæ ergo symbolum est lampas et flamma. Unde Poeta :

> Ne forte in tenebris offendas, sit tibi summi
> Flamma iter ostendens, provida cura Dei.

Hinc et vigilantia in emblematibus pingitur quasi matrona, dextra tenens librum, sinistra virgam cum lucerna accensa : astat ei grus, altero pede elevato sustinens lapidem.

11. Et respondi,] q. d. Dictis Angeli, quibus candelabrum ejusque oculos, id est lucernas, explicavit versibus præcedentibus, subjeci aliam, non responsionem (nihil enim ex me quæsivit Angelus), sed interrogationem, quid sibi vellent duæ olivæ utrinque candelabrum stipantes; hoc enim solum ex candelabro exponendum restabat. Sic respondere sæpe alibi sumitur pro incipere loqui, et inchoare sermonem, ut Matth. 11. 25 : *In illo tempore respondens Jesus dixit : Confiteor tibi, Pater Domine cœli et terræ.* Porro *duæ olivæ* sunt *duæ spicæ olivarum,* de quibus vers. 12.

12. Et respondi, (id est, interrogavi) secundo.] Cum Angelus taceret, et tardaret respondere ad quæstionem Zachariæ, interrogantis : *Quid sunt duæ olivæ istæ ad dexteram candelabri, et ad sinistram ejus?* Idque ad hoc, ut in ipso acueret desiderium interrogandi, et cognoscendi hæc symbola, Zacharias ea pernoscendi ex Angeli silentio avidior effectus, interrogationem iterat, sed aliis verbis, aliaque periphrasi, quæ plenius rem interrogatam circumscribit et exprimit : *Quid,* inquit, *sunt duæ spicæ olivarum, quæ sunt juxta duo rostra aurea?* Quæ scilicet sunt ad dextram candelabri et ad sinistram ejus, uti in priore interrogatione dixit.

Duæ spicæ olivarum.] *Spicas* vocat arbores, vel, ut Septuag. Syrus et Arabicus, ramos, qui pleni erant olivis, sicut spicæ plenæ sunt granis : olivæ enim parvæ, quales habemus Romæ, sunt instar granorum ; undæ oleæ, præsertim nascentes et graciles, videntur esse instar spicarum. Est catachresis, vel metaphora, inquit S. Hieron. *quod in morem spicarum rectæ sint arbores; et quasi spicæ aristis, sic istæ vallo quodam ramorum atque foliorum tectæ sunt, et in sublime surgentes.* Sic et Vatab. baccas olivarum, inquit, comparat granis, et ramum culmo. Hinc patet has olivas non fuisse sculptas in candelabro, ut aliqui censent; sed fuisse arbores, vel ramos olivis plenos, consistentes juxta candelabrum. Significant enim Jesum et Zorobabel, qui pariter assistunt dominatori terræ, ut ejus jussa circa templi fabricam exsequantur, uti explicat Angelus.

Quæ sunt juxta duo rostra.] Ita et Syrus, et Arabicus. Quæres : Quænam hæc rostra? Primo, Ribera censet duo rostra fuisse duos uncos, ex quibus suspenderentur infusoria, id est, vasa quibus oleum infunderetur in lucernas, et significare duas naturas Christi, divinam et humanam, quæ virtute sua sustinent septem infusoria gratiæ, id est septem Sacramenta, quibus omne suum oleum, id est, omnem justificandi vim et vigorem, tribuunt. Verum hoc mysticum est, non litterale. Adde infusoria hæc non fuisse infundibula à candelabro separata, sed fuisse ipsos septem calamos candelabri concavos quibus insistebant totidem lucernæ, uti dixi vers. 2.

Secundo, à Castro et alii censent hæc rostra fuisse fistulas aduncas, in quas ex olivis superne imminentibus distillaret oleum, ut per eas influeret in lampadem, et ex ea in lucernas, ad fovendum perenne earum lumen.

Probant id primo, ex textu Hebræo, qui ad verbum sic habet : *Quid sunt duæ spicæ oliva-*

rum, quæ sunt in manu duarum fistularum aurearum, evacuantium ex eis (olivis) *aurum*, id est, oleum flavum ut aurum? Ita R. Abraham, R. David, Pagnin. Vatabl. et Arias. Pro *rostra* hebr. est שנתרות *santerot* quod Arias latina voce hebrææ affini vertit *cantaros;* Vatab. *ampullas;* Chald. *lecythos*: in his enim solet excipi oleum. Sic enim habet Chad. *Quid sunt duæ spicæ olivarum, quæ sunt juxta duos lecythos aureos, ex quibus effunditur oleum in lucernas aureas?* Et Septuag. *Quid sunt duo rami olivarum, qui in manibus duarum narium aurearum, quæ infundunt et retrahunt suffusoria aurea?* Secundo, quia hebr. מריקים *merikim*, id est evacuantes aurum, id est oleum, cum sit masculinum, referendum est ad שבלי *scibbale*, id est spicas, non ad femininum *santerot*, id est rostra. Ex spicis ergo olivarum defluebat oleum in rostra, et ex iis evacuabatur in lampadem. Verum obstat primo, quod oleum ex olivis non distillat, nisi illæ tundantur, vel premantur in prælo: deinde oleum contusum vel pressum solet ex prælo in vasa transferri, ut in eis subsidente amurca purificetur, et sic tandem purificatum per infundibula in lampades infunditur. Hic autem nec præli, nec vasorum aliorum ulla fit mentio. Secundo, lampas hæc ex se plena erat oleo: non ergo accipiebat oleum ex olivis. Repræsentat enim Deum, qui ex se omni scientia et gratia est plenus, quam non haurit ab Angelis et hominibus, sed ipse omnibus eamdem impertit.

Dico ergo hæc duo rostra fuisse duas summitates duorum calamorum candelabri, quibus duæ insistebant lucernæ, quarum una erat ad dexteram, altera ad sinistram candelabri. Unde Marinus et alii, hebr. *santerot*, id est *rostra*, vertunt *canales*, vel *fistulas*, uti sunt calami. Hi calami vocantur *rostra*, quia erant adunci uti sunt rostra avium. Septuag. vertunt μυξωτῆρες, id est, nares: quia erant instar naris sublimatorii sursum elatæ. Pyramis enim sublimatoria in qua distillatur aqua, v. g. rosacea, oleum, vinum, etc. quæ vulgo *lambico*, vel *capello* vocatur, suam habet narem, id est canaliculum aduncum, per quam aqua distillata defluit in vas subjectum. Id ita esse patet ex eo quod Zacharias hic idem dicit, quod paulo ante, sed aliis verbis, et alia periphrasi: loquitur enim de iisdem olivis duabus. Per duo ergo rostra significat duo latera, sive dextram et sinistram candelabri, uti paulo ante dixi: ibi enim consistebant hæc rostra et calami. Ex septem ergo calamis et rostris, duo tantum nominat sita ad dextram et sinistram candelabri, ut utramque per ea indicet; et per hoc significat situm duarum spicarum, sive olearum, nimirum earum unam fuisse positam à dextris candelabri, juxta calamum ejus dextrum, alteram à sinistris, juxta calamum ejus sinistrum. Porro hebr. est, *quæ sunt* ביד *beiad*, id est *in manu*, hoc est ad manum, puta ad latus, *duorum rostrorum.* Quocirca clare et fideliter tam Chald. quàm Noster vertunt: *Quæ sunt juxta duo rostra.* Non ergo hæ olivæ fuerunt insertæ rostris, ut in ea distillarent oleum, uti auctores secundæ expositionis imaginantur; sed fuerunt juxta rostra, ita ut ad altitudinem rostrorum assurgerent. Sequitur:

In quibus (rostris) sunt suffusoria ex auro.] *Suffusoria*, sive infusoria, ut vocavit v. 2, erant fistulæ vel canales calamorum, per quas oleum ex lampade influebat in lucernas, quæ erant in rostris. Quocirca infusoria hæc, sive fistulæ erant in rostris, quia rostris erant contiguæ, vel potius continuæ, opere tamen fabrili in tornum ita elaboratæ, ut eis insertæ viderentur, uti in candelabris tornatis videmus ramum unum alteri ita connecti, ut ei insertus videatur; esto revera sæpe non sit insertus, sed malleatione deductus et continuus. Hebr. est, מריקים מעליהם זהב *merikim mealehem zahab*, id est, *evacuatoria ex eis* (rostris supple) prodibant *ex auro.* Unde Arabicus Alexand. vertit: *Progrediebantur extra velamen auri. Evacuatoria* vocat infusoria jam dicta, puta fistulas calamorum concavas, quæ evacuabant, et sugebant oleum ex lampade, illudque in rostra et lucernas iis insistentes transfundebant. Vox enim *merikim* accipi potest substantive, ut significet evacuatoria, puta infundibula, sive canales jam dictos. Recentiores vero *merikim* accipiunt adjective, vertuntque: *Evacuantes ex super se aurum;* Syrus, *fundentes aurum*, id est, oleum flavescens et aurescens; verum tunc *merikim* refertur non ad *scibbale*, id est spicas olivarum, quasi illæ distillarint oleum, quod ex eis hauserint et evacuaverint rostra, uti ipsi volunt, sed ad *santerot*, id est rostra, quæ *ex supra se*, id est, ex lampade altiore sugebant, et evacuabant oleum dandum lucernis, uti jam dixi: licet enim *santerot* sit femininum, *merikim* vero masculinum, tamen cum eo cohæret; quia Hebræis crebra est enallage generis, æque ac numeri, ut substantivo feminino attribuant adjectivum masculinum, et vice versa, uti hic *santerot* femininum connectunt cum masculino שני *scene*, id est, duo: dicendum enim erat שתי *scette* feminine.

13. Nunquid nescis?] Exigit Angelus à Zacharia humilem confessionem ignorantiæ, ut ea mereatur et disponat se ad excipiendam Dei revelationem, et mysterii interpretationem. Humilitas enim, humilisque confessio et interrogatio est congrua via ad scientiam, præsertim divinam.

14. Isti sunt duo filii olei.] Addunt aliqui *splendoris*, id est splendidi, sed τὸ *splendoris* delent Biblia Romana. Jam *filii olei*, id est uncti oleo, sive Christi Domini, significat Jesum filium Josedec, qui unctus, id est, consecratus, erat pontifex; et Zorobabel, qui unctus, id est constitutus, erat princeps populi, q. d. Istæ duæ arbores, vel rami pleni olivis ad exprimendum oleum, significant duos summos magistratus: puta principem et pontificem, hi enim solent ungi oleo sancto (etsi forte de facto hi duo non fuerint uncti, utpote creati in Babylone et exilio) nimirum Jesum et Zorobabel, qui quasi ministri assistunt Deo dominatori universæ terræ, quem repræsentat hoc candelabrum, ut ejus decreta exsequantur, eique candelabrum antitypum, id est templum, ædificent, ac populum in rebus tam divinis, quàm politicis gubernent, juxta illud psalm. 127. 3: *Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.* Pari enim modo hic Jesus et Zorobabel quasi novellæ olivæ assistunt Deo, quasi parenti suo repræsentato per candelabrum; tum ut eum honorent, eique ministrent: tum ut vicissim ab eo illuminentur et dirigantur: quo significatur quod Deus et Christus peculiari providentia regant duos hos magistratus, puta pontifices et reges sive prin-

cipes. Ita Hebræi, Theodor. Lyran. Vatabl. Clarius, Mariana et alii. Unde Chald. vertit : *Isti sunt duo filii principum*, ideoque principes. Jesus enim erat filius Josedec summi pontificis : Zorobabel erat filius Salathiel, filii Jechoniæ regis Juda. Secundo, Aquila et Theodotion vertunt : *Isti sunt duo filii splendoris*, vel *claritatis*, id est, splendidi, clari et illustres tum genere, tum principatu, tum moribus et gestis. Sic etiam potest accipi versio nostra. Nam filius olei accipi potest lux, quæ ex oleo, quasi filius nascitur, lactatur et nutritur. Filii ergo olei, idem est quod lucidi, splendidi, celebres.

Tertio, Septuag. Syrus et Arabicus Antioch. vertunt : *Isti sunt duo filii pinguedinis*. In oleo enim est primo, nitor; secundo, lucis et ignis fomentum; tertio, pinguedo, q. d. Isti duo pingues et fertiles futuri sunt, ac multum fructum allaturi tum Ecclesiæ, tum reipubl. præsertim per fabricam templi, qua et Ecclesiæ religionem, et reipubl. majestatem, æque ac justum piumque regimen, tam sacrum, quàm civile et politicum conciliabunt. Alludit Zacharias ad duos Cherubinos, quos ex ligno olivarum, quasi filios oleæ et olei fabricavit Salomon 3. Reg. 6. 31. Sicut enim illi propitiatorium et arcam, ita Jesus et Zorobabel, id est, pontifex et princeps, Ecclesiam et Remp. sustentant. Unde Arabicus Alexand. vertit : *Isti sunt filii misericordiæ*; hæc enim est virtus principum, ejusque symbolum est oleum. Huc alludit Eccles. c. 44. 10 : *Illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt.*

Moraliter, discant hìc reges et principes se, æque ac pontifices, tanquam ministros assistere Deo dominatori terræ, ut ejus templum, cultum, justitiam omnemque virtutem in populo instaurent et promoveant. Quocirca Constantinus Magnus dictitare solebat *Reges extra fores Ecclesiæ, Episcopos esse.* Eniti enim debent ut subditi pie Deum colant, quasi eorum Episcopi essent. Pontifices enim et reges sunt quasi duo Cherubini, pleni oleo, qui assistunt Deo super arcam Ecclesiæ residenti, ut ejus gloriam propagent. Sint ergo assistentes Dei, quasi filii olei. Oleum pascit, lucet, lenit, cibus est, lux et medicina. Hæc tria præstent subditis, ac præsertim viscera misericordiæ, quam repræsentat oleum. Rursum oliva innuit quod principis sit per clementiam, mansuetudinem et pacem, cujus symbolum est oliva, procurare rerum copiam ; hanc enim gignit pax ; cum bellum res opesque consumat, juxta illud psalmi 121. 7 : *Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis.* Quocirca in nummis Augusti Cæsaris, pax pingitur quasi matrona sinistra tenens cornu copiam, plenam fructibus, floribus et frondibus, cum ramo olivæ; dextra vero facem, qua accendit et comburit montem armorum. Eadem apud Pausaniam pingitur quasi virgo pulchra, in capite gestans coronam ex olivis, dextra gestans imaginem Pluti (qui erat apud Gentiles divitiarum præses et Deus), sinistra fasciculum spicarum granis frumenti refertarum. Simile est in nummis Trajani; pingitur enim pax quasi virgo, dextra tenens ramum olivæ, sinistra cornu divitiarum.

Alleg. *duo filii olei* assistentes candelabro, id est, Christo et Ecclesiæ, sunt Moses et Elias, qui Christo, quasi testes astiterunt in transfiguratione, inquit Remigius; sic et Tertul. lib. 4. contra Marc. cap. 22. censet hasce duas oleas esse Mosen et Eliam, in quorum medio transfiguratus est Christus in monte Thabor. *In medio*, inquit, *duorum animalium cognosceris, Mosi et Eliæ. De quibus et Zacharias vidit in figura duarum olearum et duorum ramulorum oleæ. Nam hi sunt, de quibus dictum est : Illi duo filii opimitatis assistunt Domino universæ terræ.* Potius hi duo sunt S. Petrus et Paulus, quorum ille Judæorum, hìc Gentium fuit Apostolus, qui utrisque splendore doctrinæ et vitæ ita præluxerunt, ut eos Christo subjugarint. Rursum in fine mundi, duo filii olei Christo erunt Elias et Henoch : *Quorum alter in præputio, alter in circumcisione placuit Deo, et cum corpore raptus est in cœlum*, ait S. Hieron. Quod enim fecit Jesus et Zorobabel in populo ex Babylone in Jerusalem et templum revocando, idipsum facient Elias et Henoch in ultima seculi ruina, ut tam Judæos quàm Gentes ab Antichristo revocent ad Christum, itaque Ecclesiæ militantis fabricam et electorum numerum perficiant et consumment. Id ita esse patet, Apoc. 11. 4. ubi de Elia et Henoch ait Joannes : *Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes.* Ubi plane ad hunc Zachariæ locum alludit in sensu, non litterali, ut aliqui cum Ribera et Emmanuele volunt, sed allegorico. Vide ibi dicta : ubi pariter tropologice osendi oleum et olivam esse symbolum sanctorum, ob quinque analogias. Nervose poeta triplicem insignis viri ducisque virtutem triplici corona exprimit :

> E lauro, quercu atque olea duce digna corona,
> Prudentem, fortem, pacificumque decet.

Laurus enim Appollini dicata notat prudentiam; quercus Jovi, fortitudinem et constantiam animi; olea Palladi, pacis studium.

Symbolice : *Duas olivas*, inquit S. Hieronym. *quidam è nostris Filium interpretantur et Spiritum Sanctum, et mediam lampadem Deum patrem; sed nescio quomodo absque blasphemia alterum à dextris, alterum accipiant à sinistris. Ramos quoque sive spicas olivarum incarnationem Salvatoris, et similitudinem columbæ Spiritus Sancti edisserunt, quia totas olivas videre nequeamus, sed partem quamdam, et, ut ita dicam, ramusculos incarnationis Christi, et ostensionis Spiritus Sancti nobis esse monstratos. Alii duo intelligunt testamenta, à dextris Evangelium, à sinistris legem; eo quod in altero spiritualis sit sensus, in altero corporalis, et quod nec totum Evangelium, nec totam legem explanare possimus; et nunc ex parte cognoscamus, et ex parte prophetemus, et necdum possimus intelligere quod perfectum est. Sunt qui duos ramos olivarum, vel duas spicas, et filios pinguedinis vel splendoris, sacerdotium interpretentur et legem, quæ gaudium præbeant universæ terræ.* Hucusque S. Hieron. Denique Ribera per duas olivas accipit duas Christi naturas, divinam scilicet et humanam. Arias duas dignitates Christi, regiam scilicet et sacerdotalem, quibus ipse ministrat oleum gratiæ candelabro, id est, Ecclesiæ, facitque eam pariter regnum sacerdotale et sacerdotium regale, ut in ea sit gens sancta digna Deo ; ac proinde dicitur Christus, id est, unctus, oleo gratiæ, tum unionis hypostaticæ, tum charismatum omnium, quæ quasi caput distillat in fideles quoslibet. Verum hæc minus congrue respondent tum ideæ et significationi litterali, tum allegoriæ candelabri et olivarum superius traditæ.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sicut cap. 3. Jesum pontificem, et cap. 4. Zorobabel principem animavit ad fabricam templi; ita hic consolatur et animat populum è Babylone in Jerusalem reversum, ne timeat Chaldæos, Persas, Samaritas, aliosque hostes; eo quod Deus ejus peccata jam expiarit captivitate septuaginta annorum, qua resipiscens et poenitens populus conversus est ad Deum, qui proinde maledictionem ab eo transtulit in domos et sedes sceleratorum. Hinc secundo, v. 5. videt amphoram in qua sedet mulier, puta impietas, talento plumbi obstrui, ac a duabus mulieribus alatis transferri in Babylonem, ut ubi stabiliatur et resideat, nec amplius in Judæam redeat. Impietas hæc notat idololatriam, quam Judæi reliquerunt in Babylone: nam post reditum ex ea nunquam amplius coluerunt idola. Significat ergo Deus se idololatriam deinceps a Judæis ablaturum, ut illa in Babylone quasi religata maneat, ejusque poena et vindicta a Judæis in Babylonios transferatur: quo tacite monet Judæos qui Babylone remanserant, ut ex ea, utpote impia, et mox rursum a Dario Hystaspis vastanda, fugiant; ac proinde nihil esse quod Hierosolymis ulterius timeant, præsertim a Persis aut Chaldæis, quibus nuper ob idololatriam in prædam dati fuerant; sed quasi filios castigatione Dei patris jam emendatos, lætos et alacres ei servire debere, scientes Deum eorum fore protectorem, nec permissurum ut quis hostis eos lacessat, vel a fabrica templi impediat. Quid allegorice hæc amphora significet dicam v. 6.

1. Et conversus sum, et levavi oculos meos: et vidi, et ecce volumen volans.
2. Et dixit ad me: Quid tu vides? Et dixi: Ego video volumen volans:
longitudo ejus viginti cubitorum, et latitudo ejus decem cubitorum. 3. Et
dixit ad me: Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ:
quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur: et omnis jurans, ex
hoc similiter judicabitur. 4. Educam illud, dicit Dominus exercituum: et
veniet ad domum furis, et ad domum jurantis in nomine meo mendaciter: et
commorabitur in medio domus ejus, et consumet eam, et ligna ejus, et lapides ejus. 5. Et
egressus est Angelus, qui loquebatur in me; et dixit ad me: Leva oculos tuos, et vide quid est
hoc, quod egreditur. 6. Et dixi: Quidnam est? Et ait: Hæc est amphora egrediens. Et dixit:
Hæc est oculus eorum in universa terra. 7. Et ecce talentum plumbi portabatur, et ecce mulier una sedens in medio amphoræ. 8. Et dixit: Hæc est impietas. Et projecit eam in medio
amphoræ, et misit massam plumbeam in os ejus. 9. Et levavi oculos meos, et vidi: et ecce duæ
mulieres egredientes et spiritus in alis earum, et habebant alas quasi alas milvi: et levaverunt
amphoram inter terram et cœlum. 10. Et dixi ad Angelum, qui loquebatur in me: Quò istæ
deferent amphoram? 11. Et dixit ad me: Ut ædificetur ei domus in terra Sennaar, et stabiliatur, et ponatur ibi super basem suam.

1. Et conversus sum,] excitante me Angelo, ut novam visionem ab eo oblatam aspicerem, et exciperem oculis, non corporis, sed phantasiæ et mentis.

Et ecce volumen volans.] Hebr. מגלה *meghilla* significat chartam, membranam, vel librum convolvilem. Ita Syrus et Arabicus Antiochenus, ac Rabbini. Hebræi enim olim non habebant libros distinctos per folia, sed membranam unam oblongam, quam circa cylindrum convolvebant instar mappæ geographicæ, quæ proinde vocatur *meghilla*, id est, volumen ab hac circumvolutione, ut dixi, Ezech. 2. 9. In hoc volumine scripta erant omnia furta et perjuria,

id est, omnia peccata sceleratorum, æque ac pœnæ et supplicia eis, pro merito cujusque infligenda, idque cito, instar sententiæ et flagelli volantis. Quocirca eleganter Aquila et Theodotion volumen hoc vocant διφθέραν: diphtera enim est membrana è pelle capræ, qualis fuit pellis Amaltheæ, capræ Jovis. Hujus enim lacte fabulantur Poetæ alitum Jovem, ideoque ejus pelle uti pro libro suo, ac in ea scribere omnia omnium hominum peccata. Unde proverbium: *Antiquiora diphthera loqueris*, hoc est nimis antiqua et obsoleta. Et; *Sero Jupiter diphtheram inspexit*, dici solitum in eos qui, sero quidem, sed aliquando tamen pro malefactis dant pœnas; Deus enim multa pro tempore dissimulat, sed aliquando improbos puniet eò acrius quò tardius. Porro veteres, nescientes usum papyri et chartæ, pro ea utebantur pellibus caprinis, vel ovinis, in iisque scribebant, uti alibi ostendi.

Secundo, Septuag. et Arabicus Alexandrinus pro מגלה *meghilla*, id est *volumen*, legentes מגל *maggal*, vertunt *falx volans*. Eos sequuntur S. Cyrill. Theodor. et passim Græci: ac forte eò allusit S. Joannes, Apocal. 14. 14. ubi vidit in manu Christi falcem acutam, qua scilicet demetat et succidat peccatores: falx enim symbolum est punitionis, stragis et excidii. Verum vera lectio est *meghilla*, id est volumen, uti legit Noster, Chald. Hebræi et passim Latini. Nam in eo scripta erant hominum peccata, uti sequitur. Unde eò alludens S. Joannes, Apoc. 10. 12: *Judicati sunt mortui*, inquit, *ex iis quæ scripta erant in libris, secundum opera eorum*. Quin et Daniel. c. 7. 18: *Judicium*, inquit, *sedit, et libri aperti sunt*.

Tertio, pro *volumen* Symmachus vertit, κεφάλην, id est, *capitulum*, hoc est initium, vel summa et compendium. Unde colligas quanta fuerit multitudo peccatorum quæ in hoc volumine scripta fuerunt, utpote quorum compendium, vel principium, puta volumen hoc, fuerit latum decem cubitos, longum viginti. Aliter Fernandez, Visione 32. sect. 1. Censet enim volumen hoc vocari à Symmacho compendium, quia in eo scripta erat impietas, puta occisio Christi, uti ait Rupertus, quæ fuit omnis impietatis epitome et summa. Verum hoc mysticum est: nam ad litteram in libro hoc scripta erant furta et perjuria illius ævi, ut sequitur. Quocirca minus genuine Burgensis censet in hoc volumine scriptam fuisse explicationem legis Mosi à Deo oretenus traditam, quam Rabbini Cabalam nuncupant, quæque ab iis in Talmud conscripta est. Melius Lyran. arbitratur in eo scripta fuisse furta et perjuria populi, quibus meruit captivitatem Babylonicam. Verum nec hoc est genuinum. Illa enim scelera jam ante octoginta annos præterierant: hîc autem agitur de sceleribus præsentibus, et pœna eis irroganda, non irrogata. Ait enim: *Educam illud*, etc. *et veniet ad domum furis*, etc.

Similem librum vidit Ezech. c. 2. 9. in quo inquit: *Scriptæ erant lamentationes, carmen et væ*; eique parallelum vidit S. Joan. Apoc. 10. 10. quem jussu Angeli devoravit: *Et erat*, inquit, *in ore meo tanquam mel dulce, et cum devorassem eum, amaricatus est venter meus*. Nimirum omnes hi libri significant Dei mentem, voluntatem et decretum, in qua quasi in libro descripsit pœnas cuique peccato et peccatori debitas, v. g. quali et quanta puniendus sit fur, perjurus, etc. Ita S. Hieron. Theodor. et Hugo.

Symbolice, S. Gregor. 15. Mor. c. 6. et Rupert. per hoc volumen accipiunt S. Script. quæ conscribit Dei minas, maledictiones et pœnas peccatoribus infligendas, uti patet Levit. 26. Deut. 27. 28. 29. et alibi.

Volans.] Ut significet celerem peccatoribus imminere vindictam, quæ hoc libro conscripta est, inquit Rupertus, Albertus, Hugo et Clarius. Audi S. Chrysost. hom. 27. ad pop. ubi increpans jurantes et pejerantes: *Falx*, inquit, *volans velocissimum ultionis incursum significat juramentum sequentem; multorum vero cubitorum longitudo et latitudo vehementiam indicat, et magnitudinem malorum. At, ex cœlo volare, significat è superno tribunali judicium ferri: falcata vero forma, inevitabilem supplicii sortem. Sicut enim quocumque falx incurrerit, non solum secum arripit, verum et caput amputat, ita et pœna jurantibus ingruens est difficillima, nec prius absistit, quàm quod suum est perfecerit.* Secundo, à Castro: Volumen, inquit, volans dicitur, eo quod supplicium semper immineat capiti sceleratorum, semperque in aere pendeat, Dei tantum præstolans annutum, ut sibi peccatores timeant, et caveant flagellum acerrimi vindicis: sicut Jeremias c. 1. 11. vidit virgam vigilantem, seu baculum populo imminentem, quo Deus eum erat percussurus per Chaldæos. Vindicta ergo Dei volat, et involat in peccatores; perinde ac aquilæ, milvi, accipitres volant per aerem quærentes prædam, eaque visa rapacissime et rapidissime in illam involant; perinde ac scintillæ ignis volant in horrea plena stipula, eaque in momento assumunt; perinde ac volant fulmina, fulgetra et sagittæ cœlestes in turres, domos et arbores, easque subito afflant et incinerant. Tertio, volat, ut peccatores per totam terram sparsos invadat et feriat. Ita Cyrill. *Vidi*, inquit, *falcem instar avis in altum sublatam, ac velut in cunctam terram transilientem, valde longam, et latam dimidio minus.* Quarto, volat, ut significet ultionem et plagam ejus esse inevitabilem, ait S. Chrysost. hom. 15. ad pop. *Ensem enim*, ait, *volantem forsan aliquis effugere poterit: falcem autem in collum delapsam, et pro funiculo factam, nemo fugere potest. Cum autem et alæ adsunt, quæ salutis ulterius est spes?* Quinto, *volumen*, vel, ut Septuag. *falx volans*, videtur idem repræsentare quod amphora volans, quæ impietatem, id est, impiam Synagogam, puta impios Judæos, continet et transfert in Babylonem, de qua v. 6. Sexto, τὸ *volans* significat divinæ vindictæ improvisam celeritatem, et inexspectatam plagam, quam subito quasi involans impiis irrogat. Hinc eadem comparatur fulguri Deut. 32. 41: *Si acuero ut fulgur gladium meum.* Dei enim ultio fulminea est celeritate tum coruscandi, tum percutiendi, tum perterrefaciendi; sed impii cum differtur Dei supplicium, improvida securitate consopiti altum sternunt, dicuntque illud Isaiæ 18. 15: *Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum: flagellum mundans cum pertransierit, non veniet super nos.* Septimo, Mariana et alii apud Pagninum in lexico hebr. עפה *apha*, id est volans, accipiunt in significatione chaldaica, vertuntque *duplicatum, complicatum*: *apha* enim chaldaice significat complicare, duplicare; ut significetur volumen hoc fuisse involutum, quia arcana con-

tinebat, aut duplicatum, quia duplices, id est multiplices minas et pœnas, peccatorum complectebatur. Verum Chald. *apha* vertit פריחא *pericha*, id est *volans*, æque ac Noster, Septuag. et cæteri.

2. LONGITUDO EJUS VIGINTI CUBITORUM, ET LATITUDO EJUS DECEM CUBITORUM.] Cur? Respondent primo Rabbini, Lyran. et Pineda in Job. 24. 5. quia volumen hoc egrediebatur è loco templi, cujus porta prisca erat longa viginti cubitis, lata decem. Sic et anterior pars tabernaculi Mosaici, quæ vocabatur Sanctum, erat longa viginti cubitis, lata decem, ut dixi, Exodi 26. initio, ut significet judicium incipere à Domo Dei, ut puniat sacerdotes eo gravius peccantes, quo magis Deo erant conjuncti; deinde volet per universam terram, ut feriat quoslibet sceleratos. Hæc expositio videtur apposita, præsertim si ei adjungas quartam, quam mox subjungam.

Secundo, S. Hieron. hæ mensuræ, inquit, significant hîc læta misceri tristibus. Deus enim vindictam clementia temperat : unde peccatoribus infundit γλυκυπικρον, id est, dulce amarum. Nam denarius significat prospera : quia Salvatoris nomen Jesus incipit à iota, quæ index est denarii : vicenarius vero illi oppositus significat adversa. Hoc mysticum est, non litterale.

Tertio, S. Chrysostom. loco citato, Mariana et Fernandez censent his mensuris significari enormitatem et multitudinem scelerum. Hæc expositio generalior est.

Quarto, magis genuine et presse ad litteram Theodor. Lyran. et Vatabl. censent hac mensura notari universam Judæam (in quam, utpote ubique rapinis et pauperum oppressionibus contaminatam, volabat hoc pœnarum volumen) duplo et amplius longiorem esse quàm latam. Nam, ut ait S. Hieron. ad Dardanum Epist. 129. à Dan usque Bersabee, quæ est longitudo illius, vix 160. millium in longum spatio tenditur. Latitudo autem à Joppe usque ad Bethlehem, 46. millibus constat. Sic in rebus physicis, æque ac domibus et fabricis, ea est justa proportio, ut longitudo sit dupla ad latitudinem.

Mystice, denarius significat perfectionem rei : latitudo ergo decem cubitorum significat latitudinem supplicii ad multos, puta ad omnes sceleratos extendendam : longitudo vero duplo major significat diuturnitatem pœnæ, scilicet perpetuam in hac vita, et æternam in futura. Ita Rupert. Ribera et alii.

3. HÆC EST MALEDICTIO,] id est condemnatio, supplicium, et omne malorum genus. Ita Theodor. q. d. Hoc volumen continet sententiam condemnationis et supplicia impiorum. Hi enim vocantur maledicti : unde audient à Christo judice hoc fulmen : *Discedite à me, maledicti*, Matth. 25. Maledicere enim Dei, utpote efficax est malefacere ; sicut benedicere est benefacere. Sicut ergo benedictio est beneficium, sic maledictio est maleficium et supplicium. Burgensis per maledictionem accipit Talmud Judæorum, quod volans dicitur, quia nullum habet fundamentum ; et *maledictio*, quia ejus doctrina execrabilis est, inquit. Hoc accommodatitium est, non litterale. Fernandez et alii per maledictionem accipiunt illuvionem malorum, quam nunc toto orbe patiuntur Judæi ob cæsum Christum. Verum hoc mysticum est.

QUÆ EGREDITUR] è templo, ut volunt Rabbini : vel certe è cœlo et tribunali Dei, ut ait S. Chrys. hom. 27. ad pop. egreditur versus templum et Jerusalem : maledictio egrediens est supplicium publicum, quod ante in cœlo et arca Dei quasi absconditum latuerat. Unde sequitur : *Educam illud in apertum.*

SUPER FACIEM OMNIS TERRÆ.] Nimirum ad quam hîc fit sermo, puta Judææ. Huic enim minas intentat Propheta, et hi soli jurabant per Deum verum, ut sequitur; Gentiles vero per idola. Ita S. Cyrill. Rupert. Ribera, Hugo, Arias, Sanchez et alii, licet Theod. Lyran. et Vatabl. universam terram ut sonat accipiant, censeantque hoc volumen ex Judæa : vel templo egressum volasse per totum orbem, q. d. Totus mundus plenus est sceleribus, ideoque toti imminet, ita et fulmen Dei. Sic maledictio cœlestis voravit et consumpsit totam terram tempore diluvii, è quo solus Noe cum suis per arcam enatavit. Sic eadem eamdem vorabit et consumet sub diem judicii, per ignem conflagrationis mundi. Sic maledictio Dei incubuit Asiæ, Græciæ, totique Orienti per jugum Turcicum; Angliæ, Scotiæ, Daniæ, Sueciæ, Germaniæ per factiones et seditiones hæreticorum.

QUIA OMNIS FUR,] q. d. Deus hoc maledicto fulmen intentat Judæis ob furta et perjuria : sub quibus omnia scelera intelliguntur; nimirum sub furto omnis fraus et injuria, quæ in proximum, contra secundam Decalogi tabulam; sub perjurio omnis impietas quæ in Deum, contra primam tabulam committitur. Ita S. Hieron. et Theodor. Nominat tamen hæc duo, quia tunc frequentius et impudentius perpetrabantur : Judæi enim in Babylone depauperati necessitate cogente, furari, et, ut furtum occultarent, pejerare didicerant. Pauperes enim subinde furaces habent manus, indeque perjuram linguam. Hæc quoque in iisdem taxat Osee, c. 4. 2 : *Maledictum*, inquit, *et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit.* Ita S. Hieron. Remig. Albert. et Lyr. Addit S. Cyrill. *Esdras*, ait, *adjuravit principes, sacerdotes et populum, ut ejicerent uxores alienigenas ; et juraverunt. Erat ergo necessarium proponere maledictionem et supplicium impendens, ut servarent juramentum. Præterea quia ædificato templo magna vis pecuniarum erat congregata, quam partim Darius dederat, partim populus obtulerat, probabile est eos, qui præpositi erant gubernationi huic, avertisse aliquid de consecratis Deo : idcirco contra fures etiam proponit maledictionem, ne pecunias sacras in privatos usus verterent.*

SICUT IBI (in volumine volante) SCRIPTUM EST. Hebr. מזה כמוהו *mizze camohu*, id est, *ex eo sicut ipsum* continet, JUDICABITUR, etc. Aliter Pagnin. Arias et Vatabl. vertunt enim : *Quia omnis fur, sicut scriptum est, ex una parte ipsius succisus est, et omnis jurans, sicut scriptum est, ex altera parte similiter succisus est.* Censent ergo ex utroque latere, averso scilicet et adverso, scriptum fuisse hunc librum ; ac consequenter iteratam fuisse maledictionem sive utrumque peccatum, furti scilicet et perjurii, fuerit iteratum, ut vult Stunica hîc; sive non, sed futurum scriptum fuerit ab una parte, perjurium ab altera, ut vult Pagnin. ut significetur gemina certaque sententia Dei sceleratos esse damnandos. Sic Ezechiel, c. 2. 9, vidit librum

scriptum intus et foris, sive à tergo, id est, opistographum.

JUDICABITUR,] id est, condemnabitur et punietur. Hebr. נִקָּה *nicka*, id est, exscindetur; Chald. *percutietur;* Septuag. *Omnis fur ex hoc usque ad mortem punietur, et omnis perjurus ex hoc cruciabitur;* ut ipse maneat quasi juge et vivum quoddam pœnarum volumen. Ita S. Hieron. Theod. Rupert. Remig. Hugo et Lyran. Perperam ergo Tigurina contrarie vertit : *Quia omnis qui furatur ab eo, sicut ipsum est, absolvitur : et quisquis pejerat ab eo, sicut ipsum est, absolvitur;* et Syrus : *Quia omnis qui furatur, ex ea, sicut ipsa vincit* (justificatur), *et omnis qui jurat, ex ea, sicut ipsa vincit* (justificatur.) q. d. Per hoc volumen significatur absolvi Judæos à pristinis furtis et perjuriis, eo quod illa luerint et expiarint pœna captivitatis Babylonicæ. Perperam, inquam : nam contrarium hîc dicitur, et sequitur : *Commorabitur in medio domus ejus, et consumet eam.* At hebr. נִקָּה *nicka*, licet significet innocentem esse, et declarari, sive absolvi, significat tamen quoque succidere, nocentem declarare et punire, est enim contrariæ significationis. Unde Arabicus Antiochen. vertit : *Quia omnis qui furatur, ex ea ad mortem* (damnatur) *et ex ea convincunt : omnis qui jurat ex ea, et sicut ipsa superatur*, id est, convincitur; et Arabicus Alexand. *Quia omnis fur pœnas dabit, et luet hoc* (quod furatur) *vel hac* (scilicet false plectendus) *usque ad mortem ejus, et omnis qui falso jurat, dabit pœnas usque ad mortem.*

OMNIS JURANS,] falso, id est, pejerans. Ita Chald. Tigurin. Vatabl. et alii. Tamen S. Chrys. ad populum, invectus in consuetudinem jurandi, hæc accipit de quovis juramento, quia scilicet, qui sæpe jurat, facile pejerat. De perjurio enim hîc agi patet ex v. 4 : *Ad domum jurantis in nomine meo mendaciter.* Celebris est sententia Periclis, quem cum amicus rogaret, ut pro re causaque ejus falsum pejeraret, respondit : *Oportet me commodare amicis, sed usque ad aras*, ne scilicet amici causa pejerem vel inhonesti quid agam, quo numinis reverentiam violem et offendam. Olim enim jurantes aram manu contingebant. Vide Gellium, lib. 1. c. 3.

4. EDUCAM ILLUD,] in lucem, in theatrum orbis, ut omnibus sit conspicuum, ut titulum pœnæ in fronte gestare videamini, nimirum, hi sunt fures et perjuri. Rupert. Arias et Vatablus censent id factum per Antiochum Epiphanem, qui mire afflixit Judæos tempore Machabæorum. Verum jam tum cum hæc minatus est Zacharias, eadem Deum fecisse credibile est, privatim domos impiorum consumendo.

ET COMMORABITUR IN MEDIO DOMUS EJUS, ET CONSUMET EAM.] Solent enim domus in quibus immane scelus, v. g. rebellio in principem, patratum est, destrui et radi usque ad fundamenta, uti Bruxellæ initio tumultuum Belgicorum factum vidimus. Sic Deus Sodomam et Pentapolim cœlesti igne sideravit et consumpsit. Sic hîc maledictio Dei domos furum et perjurorum invadit, easque disperdit, utpote quæ totæ ex pauperum rapinis furtisque constent; Judæorum, inquam, ut dixi v. 3. Ad hos enim minæ hæ Prophetæ diriguntur, hique soli jurabant per nomen Dei veri. Quare minus verum et congruum videtur quod censent aliqui, has minas dirigi ad gentes, quasi maledictio quæ Judæos in captivitate Babylonica afflixit, ab iis, utpote illa expiatis, transferenda sit ad Gentes, v. g. ad Babylonios, uti dicitur v. ult. Non enim ita eam expiarant, quin in multis adhuc expianda restaret, præsertim qui nova scelera vel in Babylone, vel post reditum à vicinis gentibus didicerant et contraxerant. Quocirca licet Aggæus, Malachias et Zacharias consolentur fideles et pios Babylone redeuntes, tamen pariter acriter taxant impios, qui tanta captivitatis castigatione non meliores, sed deteriores sunt effecti, ut patet c. 1. v. 3. Malach. 2. 10. et c. 3. 8. Aggæi 1. 5.

Dices : Si maledictio commoretur in domo, quomodo domum consumit usque ad lapides et ligna? Resp. supplicia quæ Deus in domos furum, perjurorum et similium facinorosorum immittit, quasi molem aliquam eis incumbere, quæ paulatim instar molæ eos molit et comminuit, arcano et miro quodam modo, usque ad ligna et lapides novissimos, donec eas ad nihilum redigat. Sic hoc seculo vidimus et videmus familias potentes, quæ per rapinas vel bona male parta splendidæ evaserant, justo Dei judicio ac vindicta eis incumbente esse commolitas, et vel annihilatas, vel ad miseram sortem redactas; ut qui eas vident stupeant, quomodo tantæ opes sensim sine sensu evanuerint. Notat S. Chrysost. homil. 15. ad pop. Deum ita punire jurantes ad exemplum aliorum : *Quam ob causam*, inquit, *lapides et ligna jurantis dissolvit, ut ruina aliis correctio fiat. Postquam enim jurantem mortuum terræ condi necesse est, domus dissoluta, et ruina facta prætereuntibus omnibus et cernentibus admonitio erit per aspectum, ut non eadem audeant, ne eadem patiantur, et accusatrix erit mortui criminis continua.*

Loquitur Propheta de maledictione inflicta Judæis furibus, perjuris et sceleratis sui ævi : à pari tamen, imo à majori intelligit quoque eam, quæ postea ob cæsum Christum illos invasit. Hæc enim omnium fuit maxima, quæ Jerusalem cum templo, regno et repub. funditus evertit et consumpsit, adeo ut Jerusalem illa vetus et gloriosa modo nunquam exstitisse videatur, uti Christus illi comminatus erat, dicens Luc. 19. 44 : *Ad terram prosternent te, et non relinquent in te lapidem super lapidem.* Hæc quoque à 1600. annis in tota Judæorum sobole et gente jugiter commoratur, facitque ut Judæi sint toto orbe vagi, exsules, viles, miseri, servi, exosi, ignorantes, obdurati, et excæcati, sine lege, sine rege, sine Ecclesia, sine republ. sine templo, sine sacerdotio, sine prophetia, sine Deo. Conati sunt ipsi permittente, imo instigante, Juliano Apostata, in odium Christianorum, templum Hierosolymæ, reædificare; sed ignis è fundamentis egrediens fabros cum fabrica consumpsit, uti testatur S. Chrysost. Orat. contra Judæos.

6. AMPHORA,] hebr. *epha*, est mensura (ut vertit Syrus, et Arabicus uterque) capiens tres modios frumenti, decima pars ephi, vel cori : corus enim capiebat 30 modios. Jam quia *epha* erat communis mensura Hebræorum, hinc hoc loco, et alibi sæpe, pro mensura in genere capitur. Unde Noster docte vertit, *amphora :* tum quia hæc pariter apud Latinos erat communis

mensura : tum quia ex æquo respondebat *epha*, sive trimodio in aridis. Audi Budæum, l. 5. de Asse : *Comperi amphoram esse octavam partem ejus vasis, quod modium vini dicimus. Modium vini tricenos senos sextarios nostros capit : sextarius autem octonas eas quas pintas dicimus. In aridis autem pro amphora quadrantem sextarii habemus, id est, ternos bossellos, pro quibus vas trimodium habemus, dimidiatum medimnum.* Amphora ergo, sive *epha*, significat mensuram peccatorum Judæorum, punitioni et excidio eorumdem à Deo decretam et præfinitam, qua sensim impleta Judæi puniti et excisi sunt. Deus enim videns peccata gentis, vel hominis alicujus, non statim prosilit ad vindictam, sed longanimiter ea tolerat; ideoque cuique genti, vel homini, certam præscribit mensuram peccatorum, ita ut antequam illa plane impleatur, non puniat, sed mox ubi ea impleta fuerit, tunc omnia simul et semel acriter castiget et vindicet, juxta illud Christi Matth. 23. 32 : *Et vos implete mensuram patrum vestrorum.* Et Genes. 15. 16 : *Nondum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum.* Vide ibi dicta. Ita S. Hieron. Theodor. Haymo, Rupert. Albertus, Hugo, Lyran. et alii passim. Utitur symbolo amphoræ, vel epha et modii, quia in his mensuris fraudem et furtum, de quo v. 3. faciebant Judæi. Unde Chald. vertit : *Isti sunt populi qui accipiebant et dabant mensura falsa.* Et mox : *Propter hoc condemnati, et in exsilium translati sunt, quia accipiebant et dabant mensura falsa.*

Quæres : Quando hæc amphora, id est, mensura peccatorum à Judæis fuit impleta, et à Deo castigata, ac extremo gentis excidio vindicata? Resp. primo, hæc mensura ab iis impleta fuit tempore Sedeciæ, ac castigata à Deo per Nabuchodonosor captivitate Babylonica 70. annorum. Ita Hebræi, S. Hieron. Theodor. Vatabl. et alii. Et de hac proprie hìc agi videtur. Amphora enim hæc translata fuit in terram Sennaar, id est, in Babylonem, ut dicitur v. ult. Porro amphora hæc significat mensuram plenam tum culpæ (unde insidet ei impietas), tum pœnæ. Culpæ, nimirum quod ea jam in Judæa excreverit per idololatriam, et alia scelera ad summam impietatem : quocirca significat culpam hanc ex ea, utpote terra sancta, evertendam, abductis scelestis Judæis in Babylonem : Babylonem enim esse sedem idololatriæ et impietatis. Pœnæ, nimirum quod jam punita sit in Babylone captivitate 70. annorum, et rursum ibidem punienda sit, si in ea remaneat, tum solito exsilio, tum excidio universali à Dario Hystaspis. Darius enim Babylonem ejusque incolas, tam indigenas, quàm advenas, puta Judæos qui in ea remanserant, cepit et vastavit, ut dixi c. 2. 7. Proprie enim hæc visio Zachariæ dirigitur ad Judæos, non tantum in Jerusalem degentes, sed etiam ad eos qui in Babylone post datam à Cyro libertatem redeundi remanserant, nec in Jerusalem reverti voluerant, eo quod jam sedes et familias coemptis domibus et agris fixissent in Babylone. Hosce in patriam revocare conatur Propheta, tum ne Babyloniorum moribus et idololatriæ assuescant, tum ut Babyloni instans excidium per Darium effugiant. Hoc est quod dixit c. 2. 7 : *O Sion, fuge quæ habitas apud filiam Babylonis*, ut ibidem explicui. Vidit ergo Zacharias amphoram, sive mensuram in qua sedebat impietas, è Judæa transferri in Babylonem : quo significat impietatem Judææ, impiosque Judæos translatos esse in Babylonem, ac proinde Judæam jam esse ab impietate expurgatam et puram, Babylonem vero esse sedem et cloacam impietatis : quocirca impietatem in Babylone mansuram, nec amplius in Judæam redituram. Hinc deinceps idololatria non est visa in Judæa, quia illam cum sua amphora, id est, pœna, Judæi reliquerunt in Babylone, quando ejus mensura per septuaginta annos persoluta, expiati et liberi redierunt in Jerusalem. Tunc enim liberi à culpa et pœna, ejus modium, amphoram et mensuram deposuerunt in Babylone : quo tacite monet Judæos in Babylone degentes, ut ea quasi cloaca scelerum relicta, in sanctam Jerusalem redeant. Secundo, eodem symbolo significat per hanc amphoram, id est, impietatis cumulum, qui Babyloni ex impietate Judæorum accesserat, et in dies ex eorum, æque ac Babyloniorum criminibus accedebat, brevi complendam esse rursum peccatorum Babylonis mensuram, ut ea completa exscinderetur cum omnibus incolis à Dario Hystaspis. Amphora enim incumbens Babyloni significat supplicium et excidium imminens Babyloni, ob impietatem in amphora residentem, et cum amphora translatam in Babylonem. Ita Sanchez : qua ratione rursum monet Judæos reliquos in Babylone, ut ex ea discedant, ne ejus clade involvantur. Totum enim hoc caput, ut recte advertit P. Mariana, dirigitur ad Judæos, non tam in Judæa, quàm in Babylone degentes, ut ostendat eorum infelicitatem, impietatem et periculum, eoque illos ad reditum in Jerusalem et templum invitet : inde tamen consequenter et ex adverso significat felicitatem, pietatem et securitatem Judæorum in Judæa degentium, utpote qui exportata jam impietate in Babylonem, degant in terra pura et sancta, ubique fabricæ templi et Dei cultui pie et quiete insistant. Omnia enim hæc eò spectant, ut populum incitent ad templum in Jerusalem restaurandum, perficiendum et exornandum, ut in eo pie sancteque Deum colat, eique obediat et serviat. Itaque proprie hæc amphora, in qua sedet impietas translata in Babylonem, significat idololatriam tam quoad culpam, quàm quoad pœnam ex Judæa translatam esse in Babylonem, ibique sedem fixisse.

Secundo, hæc amphora et mensura peccatorum Judææ, per excidium et captivitatem Chaldæorum evacuata et expurgata, post reditum Judæorum è Babylone rursus ab iis impleri cœpit. Unde Arias per amphoram accipit publicam fraudem quæ tunc in populo grassabatur, furta et perjuria de quibus v. 3. Hæc amphora sensim per 360 annos rursum impleta fuit : unde post eos iterum evacuata et expurgata fuit per Antiochum Epiphanem tempore Machabæorum, qui graviter Judæos afflixit : sed plane et plene impleta fuit per parricidium, imo deicidium quo Christum Dominum occiderunt, juxta illud Christi Matth. 23. 32 : *Et vos implete mensuram patrum vestrorum*, scilicet occidendo me, Deum et Messiam vestrum, ut impleta mensura vestrorum scelerum, veniant vestri carnifices Titus et Romani qui extremo et æterno excidio vos plectant, ut in terra Sennaar, id est, toto orbe, inquit Sanchez, vagi et profugi exsuletis, donec Antichristum vere et proprie in Sennaar, id

est in Babylone, quasi stabili et firmo loco regni ejus, collatis et adoretis. Ita Rupert. Emmanuel, Ribera, Fernandez et alii.

Prior sensus proximior est, ideoque litteralis; posterior remotior, et priori quasi typo incumbens, ideoque partim litteralis, partim allegoricus. Ubi nota amphoram hanc partim esse ænigma rei præteritæ, puta captivitatis Babylonicæ, partim oraculum rei futuræ, ejusque triplicis, scilicet primo, instantis excidii Babyloni, à Dario Hystaspis inferendi; secundo, impietatis in eo collocandæ per Antichristum; tertio, excidii et exsilii Judæorum per Titum et Romanos ob cæsum ab eis Christum. Denique amphora hæc symbolo diversa est à volumine, vel, ut Septuag. vertunt, *falce volante*, v. 2. sed significato est pene eadem. Unde utraque volat: hæc in domum furis et perjuri, illa in Sennaar, id est, in Babylonem, ubi impietati sedes, æque ac vindicta et carnificina à Deo statuta est. Unde et de utraque vere v. 3. dicitur: *Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ.*

Hæc est oculus.] *Oculus* hîc dupliciter capi potest. Primo active, ut significet Dei providentiam, q. d. Hæc amphora significat pervigilem Dei oculum, qui universam terram circumspicit et lustrat, ac cuique pœnas pro mensura scelerum assignat. Sicut enim sol est oculus mundi, ita multo magis Dei providentia est sol et oculus universi; de quo plura dixi c. 3. 10. et Jerem. 1. 11.

Secundo et melius, passive et objective, oculus, id est, objectum oculi, puta res visa in quam omnes conjiciunt oculos, q. d. Oculus, id est aspectus, omnium Judæorum fertur ad hanc amphoram, oculi eorum non aliud respiciunt quàm ad amphoram, ut scilicet eam peccatis suis impleant; adeo effrenes ruunt in scelera, ut non aliud quàm ad scelera respicere et oculos intendere videantur, juxta illud Genes. 6. 5: *Videns Deus quod, etc. cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.* Et Jer. 22. 17: *Tui vero oculi et cor ad avaritiam, et ad sanguinem innocentem fundendum, et ad calumniam, etc.* Verum enim est illud vulgi: *Ubi manus, ibi dolor; ubi oculus, ibi amor; ubi mens, ibi cor.* Et illud Poetæ: *Amor ex videndo nascitur mortalibus.* Sicut enim sol per speculum tersum stupam incendit, sic res pulchra per oculos intromissa in animam, eam accendit. Hoc modo in corde per oculos facit amor incendium. Ita Theodoret. Arias, Ribera, à Castro et alii. Unde Septuag. pro עינם *enam*, id est, oculus eorum, per diæresim legentes עונם *avonam*, vertunt: *Hæc est iniquitas eorum in omni terra.*

Rursum amphora, id est mensura pœnæ, quæ iniquitati Judæorum debita eidem irrogabitur, erit *oculus*, id est, conspicua universæ terræ. Publicum enim scelus publica pœna vindicandum est, ut, sicut ipsi jugiter oculos intenderunt in amphoram culpæ; ita alii omnes oculos intendant in amphoram et mensuram ingentem pœnæ, culpæ eorumdem commensam. Unde Chald. vertit: *Ecce ipsi manifesti fiunt coram omnibus habitatoribus terræ.* Omnes enim videbunt enormes cruciatus, sicut viderunt enormia eorum crimina. Et S. Hieron. *Oculus*, inquit, *est ostensio peccatorum, ut quorum vitia dispersa latitabant, in unum coacervata oculis omnium panderentur, et egrederetur de loco suo Israel, et qualis in terra sua fuerit, cunctis gentibus monstraretur.* Ita Judæi sunt oculus universæ terræ: omnes enim eos aspiciunt ut Christicidarum filios, qui portant culpam et pœnam patrum suorum, eorumque sceleris magnitudinem in sua desolatione ubique ostendunt, inquit Rupert. Ita Tropolog. Deus peccata in tenebris et occultis locis perpetrata educit in lucem, facitque ut sint oculus totius orbis, cum ea punit publica infamia, aut publica clade et supplicio.

7. Talentum plumbi.] Hebr. ככר *kickar*, id est globus, vel potius orbis plumbeus, torta vel massa plumbea, ut vertit Interpres, v. 5. Unde S. Hieron. *Massa*, ait, *instar lapidis ferebatur, vel suo impetu, vel Domini jussione, vel ferebatur ab alio cujus nomen tacitum est.* Talentum plumbi notat gravitatem culpæ, et consequenter pœnæ, quæ peccatores deprimit et opprimit, ut sese erigere et ab ea eximere nequeant: unde obstruit os amphoræ, ut impietas ea conclusa in æternum occlusa maneat: de quo mox plura. Ita S. Hieron. Haymo, Remig. Rupert. et Lyran. Proprie talentum plumbi notat gravem rigidamque Dei sententiam, quæ Judæis pœnam culpæ, quasi amphoram impietati adæquatam commensurabat, eamque quasi obsignabat et occludebat, ut ex ea egredi non posset, nisi tota mensura pœnæ persoluta, nisi scilicet expletis annis 70. captivitatis in Babylone. Addit Ribera, talento plumbi quo omnino clausa est amphora, significari diuturnitatem supplicii et exsilii, æque ac excæcationis Judæorum, scilicet illud duraturum usque ad finem mundi: porro amphoram portari in terram Sennaar, quia illorum cæcitas et pœna durabit, donec ipsi in Babylone Antichristum colant et adorent.

Et ecce mulier sedens in medio amphoræ.] *Angelus*, inquit S. Hieron. *qui loquebatur in Propheta, et egrediens ex eo illi universa monstrabat, arripuit mulierem quæ vocabatur impietas, et præcipitem misit in medium amphoræ, quæ prius libere ferebatur, et super amphoram sedens omnibus apparebat.* Hîc ergo ab Angelo ostensa est Zachariæ *mulier sedens in medio amphoræ*, id est limbi, vel orificii amphoræ, puta *super amphoram*, ut explicat S. Hieron. Ita ut umbilico tenus super eam emineret, pedes vero vel extra, vel intra amphoram demitteret: nam paulo post v. 8. Angelus eam ita sedentem, et capite pectoreque eminentem extra amphoram, projecit in medium amphoræ, ibique eam demersit, et talento plumbi occlusit: quo significatur impietatem initio fuisse impune grassatam, sed crescente mensura peccatorum sensim implesse amphoram, id est, mensuram peccatorum, vindictæ à Deo præstitutam, ita tamen ut adhuc libere loqui et movere se posset, donec completa plane eorum mensura, ab Angelo amphoræ omnino inclusa fuit; quo repræsentatur consummata eorum impietas, et mensura peccatorum à Deo præfinita omnino completa, ut reipsa in carcerem et exsilium, puta in terram Sennaar, à duabus mulieribus instar milvorum alatis raperetur.

Porro impietas pingitur ut mulier: quia mulier, inquit Cyrill. et Theodor. subjectum, æque ac symbolum est infirmitatis et concupiscentiæ, quæ mater est et fons omnis peccati et impietatis. Unde Euseb. lib. 2. de Præp. Evang. c. 2. voluptatem vocat hydram multorum capitum, quod in ea sint principia et capita omnium scelerum. Et Cyrill. Alex. in Strom. eamdem

vocat metropolim vitiorum omnium. Quocirca Aristippus Philos. mulierem parvam, sed pulchram conspicatus : *Parvum quidem pulchrum,* inquit, *magnum autem malum.* Ita Antonius in Melissa serm. de Muliere forti. Diogenes videns mulieres garrulas inter se colloquentes : *Aspis,* inquit, *à vipera venenum mutuatur.* Ita idem in Meliss. part. 2. serm. 54. Democritus rogatus cur, cum magnus esset, parvam duxisset uxorem? *Ego,* ait, *in malo eligendo, quod minimum erat elegi.* (Idem respondit B. Thomas Morus) ita idem serm. de Mulier. impr. Vulgare est proverbium : *Ignis, mare, mulier, tria mala.* Secundus Philosophus apud Maximum serm. 9, interrogatus *quid esset mulier mala?* resp. *Viri naufragium, domus tempestas, quietis impedimentum, vitæ captivitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, sumptuosum bellum, bellua conviva, sollicitudo confidens, leæna complectens, exornata Scylla, animal malitiosum, malum necessarium.* Quapropter Cato aiebat : *Si absque femina esset mundus, conversatio nostra non esset absque diis.* S. Gregor. Thaumaturgus scribens in Eccles. *Expertus sum,* inquit, *mulierem esse quamdam mollem terram.* (Alii : mulier, aiunt, idem est quod mollis aer.) *Cor enim ipsius quasi sagena prætereuntes concludit. Quod si manu sola contingat, tenet : sin amplexetur, vinculis trahit.* S. Cyprianus, lib. de Singular. Clericor. *De carbonibus,* ait, *scintillæ dissiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aspides sibilant, et mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam, quam Salomon sic comparat dicens : De vestimento procedit tinea, et à muliere iniquitas viri.* Socrates aiebat : *Mulier speciosa et pulchra templum est super cloacam ædificatum.* Ita Laert. in Vita Socratis, idem dicebat se tria mala assecutum, Grammaticam, paupertatem et perniciosam uxorem ; quorum duo priora effugisset, tertium vero minime : quia assidue eum exercebat sua Xantippe. Denique S. Hieron. ad Nepotian. *Hospitiolum,* ait, *tuum aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant. Vide ne sub eodem tecto manseris; nec de præterita castitate confidas; nec Samsone fortior, nec Davide sanctior, nec Salomone poteris esse sapientior. Memento semper quod paradisi colonum de possessione sua mulier ejecit.*

Hac ergo de causa impietas hic schemate mulieris repræsentatur. Simili modo iniquitas emblematibus Cæsaris Ripæ, pag. 379, pingitur quasi femina, vestita igne et flammis, quæ concito cursu fugit. Iniquitas enim animam perversam cruciat et urit, perinde ac ignis lignum aridum : fugit, quia male sibi conscia plena est pavoribus et omnia tuta timet; quin et umbras expavescit. Idem impietatem pingit, pag. 1367. quasi feminam fœdam, oculis velatis, auribus asininis, dextra tenentem gallum, sinistra ramum pungentis rubi, aut hippopotamum. Gallus enim ferus est et sævus, ut et matrem violet, ac patrem invadat : hippopotamus vero, sive equus fluvialis frequens in Nilo, teste Plinio lib. 8. n. 25, impius est, quia matrem fœdat et patrem occidit. Ita peccator impius est in Deum patrem et in matrem Ecclesiam, eosque quasi rebellis et hostis invadit, præsertim si sit idololatra aut hæreticus. Idem peccatum, p. 138. p. 2, pingit quasi juvenem cæcum, nudum, nigrum, ambulantem per avia et præcipitia, cinctum serpente, cum verme ad latus sinistrum, qui illi cor rodit, hoc est vermis, sive remorsus conscientiæ : serpens est diabolus, qui peccatorem specie falsa boni apparentis decipit, uti primitus matrem nostram Evam specie pomi, et spe omniscientiæ decepit, Genes. 3. 1.

Tropol. mulier ista est voluptas. Hæc enim est causa et mater omnis impietatis et peccati. Ita S. Cyrill. et Theodor. Sapienter Maximus, serm. 171. ex S. Chrysostomo : *Voluptas,* ait, *cani similis est : si persequaris, fugit : si nutrias, manet.*

Symbolice, mulier hæc, puta impietas, sedere dicitur tribus de causis. Sedet enim ipsa primo, tanquam assueta et affixa suis cupediis et vitiis. Unde psalm. 94. 20. de detractore maledicentiis assueto dicitur : *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris,* non stans, quasi obiter et in transitu; sed sedens quasi ex professo, ex usu, ex habitu; secundo, quasi mœsta, et damnata ad amphoram, id est, carcerem justumque supplicium; tertio, quasi iners et pigra. Acedia enim in emblematibus Cæsaris à Ripa, p. 8, pingitur quasi vetula turpis, male vestita, sedens, capite incumbens manui sinistræ, innixæ genibus; ex qua dependet charta, cum hoc lemmate : *Torpet iners,* dextra gestans torpedinem piscem. Præclare S. Bernard. in Epistolis acedum increpans : *O homo imprudens,* ait, *millia millium ministrant ei, et decies centena millia assistunt ei, et tu sedere præsumis?* Tropologice, qui sedet in amphora, id est, qui in peccatis pacem habet, inquit Sanchez, prope est ut jaceat, id est, spiritum habeat compunctionis et soporis, ita ut neque lucem aspiciat neque ictum sentiat, et oppressus talento plumbeo obdurationis suæ, à milvinis pennis rapiatur in terram Sennaar, ubi ad ejus supplicium ædificetur stabilis et æterna domus.

8. HÆC EST IMPIETAS,] puta impia Synagoga. Hic est titulus, sive epigraphe mulieris, sicut in comœdiis actoribus personatis tituli affiguntur, v. g. Hic est David, hic est Urias, hæc est Bersabee, ut sciant spectatores quàm quisque personam agat. Similiter in reorum judiciis et suppliciis solet affigi titulus, indicans causam supplicii, uti Christo crucifixo hunc titulum affixit Pilatus : *Hic est Jesus Nazarenus rex Judæorum,* q. d. Hic Jesus damnatur ad mortem, quia voluit esse rex Judæorum, quia regnum Judææ ambivit. Huc allusit S. Joannes, Apocal. 17. 5. cum meretrici illi famosæ, hoc est Babyloni typicæ, suum titulum affigit dicens : *Et in fronte ejus nomen scriptum, mysterium, Babylon magna, mater fornicationum et abominationum terræ.* Jam impietas hic quælibet accipitur, puta tota multitudo et congeries peccatorum; sed maxime duplex. Prior est idololatria, ob quam ad captivitatem Babylonicam damnati fuerunt Judæi. Ita S. Hieron. Hugo et Lyran. Secundo, occisio Christi, ob quam perpetuo exsilio nunc damnantur. Ita Ribera, Sanchez, Fernandez et alii. Hæc enim proprie dicta eaque summa fuit impietas. Notat S. Chrysost. tract. 1. de Orando Deum, omne quidem peccatum mortale esse mortem animæ, quia ab ea expellit Deum, qui ejus est vita; proprie tamen impietatem dici mortem animæ, quia pietas, seu cultus Dei, et conversatio eo cultu digna, proprie est vita animæ, quam tollit impietas, quæ idcirco proprie ejus est mors. Unde hebr. est הרשעה *harisça,* q. d. Illa impietas, illud scelus, scilicet insigne et enorme.

Et projecit eam in medio amphoræ.] Ita ut caput totumque corpus mulieris intra amphoram contineretur, uti paulo ante dixi. Hac phrasi significatur completam fuisse mensuram peccatorum, ideoque Judæis instare Dei vindictam. Porro Judæi impleverunt mensuram hanc suam, primo, tempore Sedeciæ, cum ipse juramentum Chaldæis præstitum quod eis subesset, violavit et perjurus eis rebellavit, 4. Reg. 25. 6. Unde mox excisus est cum regno ab iisdem Chaldæis. Secundo, cum Christum occiderunt; unde mox excisi sunt à Tito et Romanis. Ita Ribera, Sanchez, Fernandez et alii.

Et misit massam plumbeam in os ejus.] *Ejus*, vel mulieris, ut volunt Theodor. et Vatabl. vel potius et plenius amphoræ; obstruxit enim os amphoræ, et per consequens os mulieris, totamque mulierem, quæ intra amphoram conjecta, illa claudebatur. Ita S. Hieron. Hebræi, Albert. Remig. Ribera et alii. Hac massa plumbea significatur completa mensura peccatorum, ideoque mulierem, id est, impiam Synagogam, damnari ad supplicium certum et irrevocabile, cujus gravitas et perpetuitas significatur plumbo, inquiunt S. Hieron. Rupert. et Remig. ut ad perpetuum silentium, carcerem, tenebras et barathrum detrudatur et demergatur. Audi S. Hieron. *Ab Angelo opprimitur, ut quæ prius lætabatur in scelere, æterno silentio conticescat; vel juxta Theodotionem, ipsa mulier se projecit et abscondit in medium amphoræ, ac super se duxit gravissimum plumbi pondus, ut obturatum os haberet, et ultra se jactare non posset;* itaque deportaretur in Sennaar, id est, in Babylonem; licet enim Judæi ex ea per Cyrum liberati et egressi sint, tamen non sunt egressi nisi emensa amphora, id est, expleta mensura septuaginta annorum, pœnæ et captivitati eorum à Deo præstituta, quasi culpæ eorum commensa. Rursum impietas ex ea non est egressa, quia idololatria Judæorum mansit in Babylone, nec regressa est in Jerusalem; ipsi enim hac captivitate castigati, amplius non coluerunt idola. Sic et Isidor. Pelus. lib. 3. epist. 33. per talentum plumbi accipit pondus peccati, quod peccatorem ad ima gehennæ degravat et deprimit: *Mensura* (amphora) *vero*, inquit, *significat divinæ lenitatis et patientiæ finem, ac pœnæ principium.* Addit Arias, mulierem hanc plumbum ore excipere et devorare coactam, vel plumbum liquefactum in os ejus infusum, idque in pœnam fraudum et furtorum ejus, de quibus v. 3. sicut hodie falsarii et corrosores monetæ in cacabum olei bullientis immittuntur, illudque haurire coguntur. Probat id Arias ex traditionibus Hæbræorum tit. de *Sanhedrin*, sive de magistratibus, ubi dicitur, Judæis idololatris, vel violatæ religionis convictis solere plumbum liquefactum in os infundi, eoque illos enecari et comburi. Verum hoc loco solum occlusum est os amphoræ plumbo, non autem hausit illud mulier in amphora sedens; sed in inferno damnati hauriunt sulphur, picem et plumbum liquefactum.

Tropol. impietas in amphora obscura plumbo occlusa est excæcatio Judæorum, massa plumbea est obstinatio, quam summam in eis hodie cernimus. Rursum massa plumbea impietatis est consuetudo peccandi. Hæc enim peccatorem ita degravat, ut in abyssum malitiæ demergat, ex qua se erigere et exurgere nequit, nisi miraculo et miraculosa Dei potentis manu et gratia elevetur et extrahatur.

Anagogice, talentum plumbi significat gravitatem et perpetuitatem tam culpæ, quàm pœnæ damnatorum in Sennaar, id est, in inferno eorumque obstinationem in malo. Ibi enim impietas cum omnibus impiis, quasi ore occluso, ad æternum carcerem, silentium et tormentum damnabitur, et quasi in amphora constipabitur. Unde S. Joannes, Apocal. 20. 1, vidit *Angelum descendentem de cœlo habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem, etc. et ligavit eum per annos mille, et misit eum in abyssum, et clausit et signavit super illum. Ibi* ergo *omnis iniquitas oppilabit os suum.* Psalm. 106. 42.

9. Et ecce duæ mulieres.] Quæres, quænam hæ? S. Hieron. cum suis asseclis, Remigio, Ruperto, Alberto, Hugone et aliis, accipit Israel et Judam, sive Samariam et Jerusalem, puta decem tribus et duas reliquas; quas pariter Ezechiel, c. 23. 4, comparat duabus mulieribus meretricibus, Oollæ scilicet et Oolibæ. Verum non agitur hîc de Samaria et Israel, hic enim jam pridem abductus erat, non in Sennaar, id est, Babylonem, sed in Assyriam. Quod si quis amphoram hanc accipere velit mensuram impietatis et punitionis tam Israelis, quàm Judæ, potius dicat duas hasce mulieres fuisse Salmanasar et Nabuchodonosor. Ille enim Israelem in Assyriam, hic Judam in Babylonem traduxit. Alii, ut Lyran. Vatabl. Dionys. Fernandez, accipiunt Tribum Juda, et Tribum Benjamin; hæ enim portarunt amphoram, id est, mensuram suæ culpæ et pœnæ in Babylonem, ubi ipsa quasi perpetuo victura remansit. Verum hæ mulieres fuerunt quasi lictores, vel carnifices; Israel autem non fuit sibi ipsi lictor, aut carnifex.

Tertio, Theodor. et Hebræi apud S. Hieron. accipiunt Persas et Medos, sive Cyrum et Darium, qui ita Babylonem vastarunt, ut amphora, id est, impietatis pœna, perpetuo in ea durare, et sedem suam in ea collocasse videatur; cum in Jerusalem paucis, puta septuaginta, tantum annis durarit. Hæc expositio rem pene attingit, sed semiplene et ex parte duntaxat.

Dico ergo per duas mulieres accipi duos dæmones primarios, vel potius Nabuchodonosorem et Nabuzardan, qui Jerusalem vastarunt, ac Judæos impios in Babylonem transtulerunt. Hi enim fuerunt milvi alati, id est, abigei et raptores celerrimi, fortissimi et rapacissimi Judæorum, qui eos traduxerunt in Babylonem. Unde Chald. vertit: *Populos leves et expeditos*, quales fuerunt Chaldæi. Tales post necem Christi Judæis fuerunt Titus et Vespasianus, vel Titus et Adrianus.

Tropolog. aliqui accipiunt duo peccata insigniora Judæorum, quæ eos ad exsilium in Sennaar adegerunt. Noxa enim caput sequitur; et culpa est quasi lictor, qui peccatorem adigit et agit in furcam; quænam hæc peccata sint non constat. Posset quis suspicari esse furtum et perjurium, quæ nominavit v. 3. Hæc enim visio amphoræ cum illa voluminis volantis videtur coincidere et eodem referri. Ribera vult esse excæcationem et obstinationem Judæorum, quæ spiritu diabolico actæ, quasi alis milvi amphoram hanc cum muliere deportant in Babylonem.

Sed hæc duo continentur in muliere, mulier enim est impietas; maxima autem impietas est obstinatio, et in malo obstinata voluntas.

Symbolice, duæ mulieres ex parte Dei possunt accipi divina sanctitas et justitia; hæ enim pœnas ab impiis Judæis depoposcerunt, eosque è Jerusalem et terra sancta in impiam et impuram Babylonem ejecerunt. Unde habent alas חסידה *chasida*, id est milvi, vel, ut recentiores vertunt, ciconiæ: *chasida* à rad. חסד *chesed*, id est, pietas, significat avem piam, puta ciconiam. Hæc enim pia est in parentes, quos senescentes fovet et alis excipit, ut cum iis ad nidum transvolet. Rursum per antiphrasin *chasida* significat milvum, quia impius est, sævus et rapax; Septuag. vertunt, *upupam*. Jam justitia divina sæviit in Judæos instar milvi; sanctitas tutata est templum et pietatem instar ciconiæ, ideoque ex eo impios Judæos ejecit in Babylonem.

Spiritus in alis earum.] *Spiritus* est ventus, q. d. Rapidissimo et validissimo vento ferebantur et impellebantur, secumque impellebant amphoram in terram Sennaar. Significatur celeritas et fortitudo Nabuchodonosoris et Nabuzardan, in vastandis, expilandis et abducendis Judæis. Ita Theodoret. Haymo, Vatablus et Arias.

Symbol. S. Hieron. spiritum nequam accipit, puta diabolum, q. d. Mulieres hæ spiritu diabolico agitabantur, ita ut viderentur diabolum habere in alis, eoque quasi furiis agi rapique in Babylonem.

Levaverunt amphoram inter cœlum et terram,] q. d. Non cursu, non equis, non curru, sed volatu, id est, velocissime transtulerunt amphoram. Qui enim volat, librat se in aere inter cœlum et terram. Alludit ad milvos volantes et nidulantes in arborum cacuminibus.

Symbolice significatur, nec cœlum recipere Judæos, utpote impios et Deo exosos; nec terram, utpote qui hominibus invisi ubique sint, ideoque vagi, exsules et profugi. Ita Rupertus: *Nec terra sua*, inquit, *capit eos, nec cœlum admittet eos. Et quemadmodum signifer eorum Judas proditor periit, suspensus inter cœlum et terram, ut ait quidam, cœli terræque perosus; sic et iste populus à terrena Jerusalem exclusus, et cœlesti factus indignus, quasi pendet inter cœlum et terram*, juxta illud Satyrici: *Si non in cœlis* (vel terris) *stes ubicumque velis.* Et Fernandez visione 34. sect. 5: *Judæos*, inquit, *quasi pilam lusoriam repercutiunt omnes gentes.*

11. Ut ædificetur ei domus in terra Sennaar.] Puta in Babylone, ut vertunt Septuag. nam in terra Sennaar est Babylon, ut patet, Genes. 11. 2. Dicta est *Sennaar* quasi שנער *scenaar*, id est, quæ excussit, scilicet dentes et linguam fabris turris Babel; ibi enim Deus confudit labium unum Meropum, quo omnes loquebantur hebraice, itaque quasi linguam et dentes eis excussit. Rursum excussit ipsos fabros ex Sennaar, eosque in totum orbem dispersit. Significat Zacharias impios Judæos à Chaldæis abductos fuisse in captivitatem Babylonicam, ibique multis annis, puta 70. mansisse, aiunt S. Hieron. Rabbini, Albert. Vatabl. et Stunica: post eam vero ab Antiocho Epiphane, et plane pleneque à Tito, abducendos esse in captivitatem et exsilium universale, quo totus orbis eis erit Sennaar, id est terra excussionis, puta impietatis et infidelitatis eorum carcer et exsilium. Quia enim atrox fuit clades et captivitas Sennaar, sive Babylonis, hinc per catachresin, à Judæis quævis gravis calamitas, carcer et exsilium, vocabatur *Sennaar*, sive Babylon. Ita Arias et Sanchez. Denique multi censent hîc significari, in Babylone regnum suum inchoaturum Antichristum, ibique erecturum sedem impietatis, æque ac tyrannidis, ac Judæos eum ibidem pro suo Messia recepturos et culturos, ut ait Christus Joan. c. 5. 45. donec ab Elia et Henoch per miracula ardentemque zelum ad Christum convertantur. Ita Ribera, Emmanuel et Franc. Suarez. 3. p, q. 59. disp. 54. art. 6. sect. 5. et alii multi; quin et auctor operis de Antichristo apud S. August. et S. Hieron. in cap. 11. Daniel. et Anselm. in Elucidario, asserunt Antichristum Babylone nasciturum. Hac de causa S. Joannes, Apoc. 16. 12. vidit reges cum magnis copiis ab Euphrate, id est, è Babylonia quæ Euphrati adjacet, venientes ad Antichristum: *Et sextus Angelus*, inquit, *siccavit Euphratem, etc. ut præpararetur via regibus ab ortu solis.* Et c. 9. 14: *Solve*, ait, *quatuor Angelos qui alligati sunt in magno flumine Euphrate, etc. ut occiderent tertiam partem hominum. Et numerus equestris exercitus vicies millies dena millia.* Accedit quod typus Antichristi fuerit Nabuchodonosor, qui Judæos vastavit et abduxit in Babylonem, quique adorari se fecit in statua aurea quam erexit, Daniel. 3. 5. uti et faciet Antichristus, juxta illud Jerem. 1. 14: *Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ*, puta à Babylone quæ Judææ erat ad Aquilonem. Jam sensus hujus loci est is, quem assignavi v. 6. Amphora enim hæc continens impietatem, locata et statuta in Babylone, significat tam impietatis culpam, quàm pœnam in Babylone locatam, ut cum in ea impietas steterit per definitam à Deo mensuram tum peccatorum, tum temporum, puniatur et plectatur: primo, per Cyrum; secundo, per Darium; tertio, per Christum, qui Babylonem et Babylonios Antichristi asseclas disperdet in fine mundi.

Nota: cum ait, *ut ædificetur, etc.* alludit ad idola et idololatriam, quæ maxime nomine impietatis hîc intelligitur. Idolis enim more communi Judæi ædificabant domus et templa, eaque ponebant et elevabant in basi, ut excelsa ab omnibus viderentur et colerentur. Jam domus idololatriæ et scelerum fuit Babylon, uti patet, Jerem. 50. et 51. unde per catachresin, Roma impia et ethnica sanguine fidelium et Martyrum cruenta, imo ebria, à S. Joanne vocatur Babylon, Apocal. 17. et 18. In Babylone ergo impietas Judæorum, ejusque pœna et captivitas posita fuit super basin, quia quasi statua super columnam erecta fuit, ut videri ab omnibus etiam longe remotis posset. Proprie ergo et genuine hæc amphora impietatis è Judæa translata in Babylonem, significat idololatriam cum idololatris impiisque Judæis, à Chaldæis è Judæa translatam esse in Babylonem, ita ut Judæa jam ab ea expurgata sit sancta, dignaque in qua Deo templum restauretur, in quo ipse, ut prius, habitet et colatur: qua ratione Propheta consolatur, simulque incitat Jesum, Zorobabel et populum, ut in Jerusalem reversus ibi maneat; et si qui in Babylone remanserint, inde in Judæam redeant, ibique templum Deo construant, in quo illum sancte venerentur et colant. Jerusa-

lem enim jam est civitas pietatis, Deique veri cultus, ideoque impunitatis pariter et securitatis asylum : Babylon vero est civitas idololatriæ et impietatis, uti fuit ab initio sub tyranno Nemrod, Genes. 10. v. 10. ideoque punitioni et excidio addicta, perinde ac jam Meca in Arabia est civitas Mahometismi, Geneva est metropolis Calvinismi. Judæi ergo è Jerusalem in amphora quasi translati in Babylonem, eo impietatem, id est, idololatriam, secum exportarunt, ita ut illa amplius non redierit in Jerusalem, inquit Lyran. Dionys. et à Castro. In Babylone itaque suam amphoram, id est, culpam et pœnam deposuerunt, dum septuagesimo anno ea emensa, evoluta et persoluta, quasi ex sua amphora exeuntes, puri et liberi redierunt in Jerusalem et terram sanctam, amphoram, id est, idololatriam, ejusque pœnam relinquentes Babyloni et Babyloniis, quos proinde primo Cyrus, deinde Darius Hystaspis vastavit.

Alleg. significatur impietatis Judæorum mensura complenda per cædem Christi, ob quam ipsa cum Judæis impiis è Jerusalem per Romanos expellenda sit in Sennaar, id est in exsilium totius orbis, donec in Sennaar subjiciat se Antichristo, cum eoque plectatur et trudatur in tartara. Ibi enim erit æterna sedes impietatis, ibique implebitur plane illud : *Ut ædificetur ei domus in terra Sennaar,* id est, excussionis, *et stabiliatur et ponatur ibi super basin suam.* Pro quo clarius vertit Syrus : *Ut ædificent ei domum in terra Babylonis, et stabiliant eam et habitare* (residere) *faciant eam ibi super præparationem* (mansionem) *ejus;* et Arabicus Alexandr. *Jam ædificata est ei domus in Babylone, et parata est ei, et habitabit in domo quæ ei parata est :* et Arabicus Antioch. *Ut ædificent ei domum in terra Babylonis, et stabiliat eam, et ponat eam in æqualitate ejus,* æqualia reddens cuique pro demeritis supplicia. Tunc enim impietas Judæorum, inquit Fernandez, vis. 34. sect. 5. exaltabitur, et quasi super basin ut idolum in templo collocabitur, ut gloriosior et honoratior habeatur ab omnibus Antichristi sequacibus. Unde eorum typus fuerunt fabri, qui turrim Babel ædificarunt in Sennaar, ut impietatem suam contra Deum exaltarent. Sic enim et Judæi impietatis suæ idolum, quasi super basin exaltabunt ibidem sub Antichristo, sed in nihilum recident cogitationes eorum, sicut et impiæ turris ædificatorum. Nam et Antichristus eorum occidetur à Christo, et impietas exaltata cadet : sed per magnam misericordiam Dei fiet, ut, cæso Antichristo, à sua impietate resipiscant, et convertantur ad Christum. Beneficia enim Dei contempta acuunt Dei, primo iram, deinde misericordiam.

Tropol. Impietas è Jerusalem, id est, ex Ecclesia everritur, cum ex ea expelluntur, exeuntque schismastici et hæretici, ut constituant suæ hæresis idolum in Babylone, id est, in sua Ecclesia Satanica, ex qua in æternam Babylonem, id est, confusionem, et Sennaar, td est, excussionem dentium, deturbabuntur, puta in gehennam, ubi erit fletus et stridor dentinm ; ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Fideles ergo qui sapiunt, fugiant Babylonem hanc quasi pestem, ac in Ecclesia sedem figant; ibi templum perfectionis virtutum Deo ædificent, donec in Jerusalem et templum cœleste, ad æternam vitam et gloriam transferantur. Utinam, ô Domine, impietatem (hæresim) ex Anglia, Scotia, Germania, Bohemia, etc. educas, et transferas in Sennaar, ut fiant terra orthodoxa et sancta, sicut olim fuerunt, cum in ea te laudaverunt patres nostri.

Rursum amphora est mensura peccatorum cujusque tum hominis, tum populi, qua impleta Dei vindicta prosilit ad ultionem. Quisque ergo videat, ne amphoram hanc impleat, sed si quid criminum in eam injecerit, mox per pœnitentiam evacuet et exhauriat. Porro impletur amphora, cum impune et publice grassatur impietas, uti fit in Bacchanalibus, cum omnium oculi in eam intendunt. Tunc ergo maxime timenda est Dei ira et vindicta. Quocirca viri sancti, ut eam à se et repub. avertant, eo tempore tanto magis insistunt orationibus et piis operibus, ut iram Dei sistant et amphoram evacuent, quanto impii vacant suis cupidinibus, ardentque ut eam impleant ; ne instar Sodomorum igne cœlesti siderentur, vel instar Judæorum in terram Sennaar, id est, excussionis, puta in exsilium præsens et perenne in gehenna ablegentur ; præsertim cum Deus dat signa iræ suæ, et vindictæ imminentis per famem, pestem, publicasque strages et clades. Tunc enim apparet ejus falx volans, et amphora egrediens, quam præcones toti populo annuncient et intentent, ut eam vitare, et Dei indignationem placare satagant; perinde ac fecit Aaron in seditione ac punitione Core, jubente Mose ac dicente : *Tolle thuribulum, et hausto igne de altari mitte incensum desuper, pergens cito ad populum, ut roges pro eis : jam enim ira egressa est à Domino, et plaga desævit. Quod cum fecisset Aaron, et accurrisset ad mediam multitudinem, quam jam vastabat incendium, obtulit thymiama, et stans inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus est, et plaga cessavit.*

Symbolice, S. Gregor. lib. 14. Moral. c. 26. per amphoram accipit avaritiam, in quam oculi omnium mundanorum respiciunt; ut, cum ad cætera sint cæci, oculos solum habere videantur ad intuendas amphoras, et mensuras emendi vendendique, ac cætera lucri instrumenta. Hanc duæ mulieres, scilicet superbia et inanis gloria in altum levant. Audi ipsummet S. Greg. totum hoc amphoræ symbolum explicantem moraliter : *Volens Deus Prophetæ ostendere humanum genus, ex qua ab eo maxime culpa dilabatur, per imaginem amphoræ quasi patens os avaritiæ designavit : Avaritia quippe velut amphora est, quæ os cordis in ambitu apertum tenet. Et dixit : Hæc est oculus eorum in universa terra. Multos obtusi sensus homines cernimus, et tamen eos in malis actibus astutos videmus, Propheta quoque attestante qui ait : Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nesciunt. Hi itaque sensu torpent, sed in his quæ appetunt, avaritiæ stimulis excitantur; et qui ad bona videnda cæci sunt, excitantibus præmiis ad peragenda mala, vigilantes fiunt. Unde recte de hac eadem avaritia dicitur : Hæc est oculus eorum in universa terra. Ecce talentum plumbi portabatur. Quid est talentum plumbi, nisi ex eadem avaritia pondus peccati? Et ecce mulier una sedens in medio amphoræ. Quam mulierem ne fortassis quæ esset, dubitare possimus, illico Angelus innotuit. Nam illic mox sequitur : Et dixit : Hæc est impietas. Et projecit eam in medio amphoræ. Impietas in medio amphoræ projicitur; quia nimirum in avaritia semper impietas tenetur. Et misit massam plumbi in os ejus. Massa plumbi in os mulieris mittitur :*

quia scilicet impietas avaritiæ peccati sui pondere gravatur. Si enim ea quæ deorsum sunt non ambiret, erga Deum ac proximos impia nequaquam existeret. Et levavi oculos meos, et vidi : et ecce duæ mulieres egredientes, et spiritus in alis earum. Quid aliud in his duabus mulieribus accepimus, nisi duo principalia vitia, superbiam videlicet et gloriam inanem ? quæ impietati absque ulla dubitatione conjuncta sunt. Quæ et in alis suis spiritum suum habere narrantur, quia in actionibus suis Satanæ voluntati deserviunt. Ipsum quippe Propheta spiritum appellat, de quo Salomon ait : Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. Et de quo in Evangelio Dominus dicit : Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida et inaquosa. Spiritus in alis earum est : quia superbia et inanis gloria per omne quod agunt, Satanæ voluntati famulantur. Cætera deinde amphoræ ita tropol. prosequitur : *Et habebant alas, quasi alas milvi. Milvus semper naturæ studet insidiari pullorum. Istæ ergo mulieres alas habent quasi alas milvi, quia actiones earum diabolo sunt procul dubio similes, qui insidiatur semper vitæ parvulorum. Et levaverunt amphoram inter cœlum et terram. Superbia et vana gloria habent hoc proprium, ut eum quem infecerint, in cogitatione sua super cæteros homines extollant, et modo per ambitum rerum, modo per desiderium dignitatum, quem semel captum tenuerint, quasi in honoris altitudinem elevent. Qui autem inter cœlum et terram est, et ima deserit, et superiora minime attingit. Levant ergo istæ mulieres amphoram inter cœlum et terram, quia superbia et inanis gloria mentem per avaritiam honoris captam ita elevant, ut quoslibet proximos despicientes quasi ima deserant, et alta gloriantes petant. Sed tales quique dum superbiunt, et eos mente transeunt cum quibus sunt, et superioribus civibus minime junguntur. Amphora ergo levata inter terram et cœlum dicitur : quia avari quique per superbiam atque inanem gloriam et proximos juxta se despiciunt, et superiora quæ ultra ipsos sunt, nullatenus apprehendunt. Inter terram itaque et cœlum feruntur : quia nec æqualitatem fraternitatis in infimis per charitatem tenent, nec tamen summa pertingere sese extollendo prævalent. Et dixi ad Angelum qui loquebatur in me : Quò istæ deferunt amphoram ? Et dixit ad me : Ut ædificetur ei domus in terra Sennaar. Eidem amphoræ ædificatur domus in terra Sennaar : Sennaar quippe fætor eorum dicitur. Et sicut bonus odor ex virtute est, Paulo attestante qui ait : Odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo, et è contrario fætor ex vitio. Radix enim est omnium malorum cupiditas. Et quia quodlibet malum per avaritiam gignitur, dignum est ut domus avaritiæ in fætore construatur. Sciendum quoque est quod Sennaar latissima vallis est, in qua turris à superbientibus ædificari cœperat, quæ linguarum facta diversitate destructa est : quæ scilicet turris Babylon dicta est, pro ipsa videlicet confusione mentium atque linguarum. Nec immerito ibi avaritiæ amphora ponitur, ubi Babylon, id est, confusio, ædificatur : quia dum per avaritiam et impietatem certum est omnia mala exurgere, recte hæc ipsa avaritia atque impietas in confusione perhibentur habitare.* Hæc quæ de avaritia dixit S. Gregor. pari jure libidini, gulæ, iræ, acediæ, et cuivis alteri vitio attribuas. Amphora enim vini, est gula; fellis, ira; torporis, acedia, etc.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

VIDET ZACHARIAS QUATUOR QUADRIGAS, IN EISQUE EQUOS QUADRUPLICES, SCILICET RUFOS, NIGROS, ALBOS ET VARIOS, PORTENDENTES QUATUOR MONARCHIAS SIBI ORDINE SUCCEDENTES, SCILICET CHALDÆORUM, PERSARUM, GRÆCORUM ET ROMANORUM, QUIBUS SUCCESSIT REGNUM CHRISTI STABILE ET ÆTERNUM. UNDE SECUNDO, V. 9. JUBETUR FACERE CORONAM AUREAM, EAMQUE PONERE IN CAPITE JESU PONTIFICIS, AUDITQUE : ECCE VIR ORIENS (CHALD. MESSIAS NOMEN EJUS) ET SUBTER EUM ORIETUR, ET ÆDIFICABIT TEMPLUM DOMINO. OCCASIO HUJUS VISIONIS FUIT HÆC : VIDERAT ZACHARIAS IN FINE CAPITIS PRÆCEDENTIS AMPHORAM CUI INSIDEBAT IMPIETAS, TRANSFERRI IN BABYLONEM, IBIQUE EAM IN BASI QUASI IN LOCO STABILI COLLOCARI. JAM VIDET CIRCA IMPIETATEM HANC, ET IMPIUM BABYLONIS IMPERIUM CÆTERA REGNA CONFLIGERE, ILLUDQUE EI EXTORQUERE. NAM CYRUS ET PERSÆ CEPERUNT ET VASTARUNT BABYLONEM. DEINDE ALEXANDER MAGNUS, DARIUM ET PERSAS CECIDIT JUXTA BABYLONEM, EAQUE RATIONE BABYLONIS IMPERIUM PERSIS ADEMIT, ET AD GRÆCOS TRANSTULIT. DENIQUE ROMANI ILLUD IDEM GRÆCIS ADEMPTUM SIBI VINDICARUNT. HOC EST QUOD A DEO AUDIT PROPHETA V. 8 : ECCE QUI EGREDIUNTUR IN TERRAM AQUILONIS (IN BABYLONEM QUÆ JUDÆÆ EST AD AQUILONEM) REQUIESCERE FECERUNT SPIRITUM MEUM IN TERRA AQUILONIS.

HÆC EADEM PAULO ANTE INTUITUS EST DANIEL, CAP. 2. 32. UBI IN SPECIE STATUÆ QUADRIFORMIS QUATUOR HASCE MONARCHIAS CONSPEXIT. ET CAP. 7. 3. UBI EASDEM SUB SPECIE QUATUOR FERARUM, SCILICET LEÆNÆ, URSI, PARDI, ET QUARTÆ HORRIBILIS AC VARIÆ DEPINGI VIDIT : QUÆ VISIO PAUCIS ANNIS ANTE ZACHARIAM CONTIGIT, NIMIRUM ANNO PRIMO BALSASAR, UT IBIDEM DICITUR V. 1. QUI PAULO POST CÆSUS FUIT A CYRO BABYLONEM EXPUGNANTE. HÆC VERO ZACHARIÆ CONTIGIT SUB DARIO HYSTASPIS, QUI POST SEPTENNIUM REGNI CAMBYSIS, CYRO IN IMPERIO PERSIDIS SUCCESSIT, ET BABYLONEM REBELLANTEM RURSUM EXPUGNAVIT. QUOCIRCA AD HAS DANIELIS VISIONES ALLUDIT ZACHARIAS : UNDE VIDIT EOSDEM QUATUOR VENTOS, QUOS DANIEL. 7. 2. INTER SE CONFLIGENTES ; AC QUATUOR FERAS QUATUOR MONARCHIAS PORTENDENTES PRÆCURRERE, ET DESINERE IN REGNUM CHRISTI ÆTERNUM. PRIMA ENIM DANIELIS FERA RESPONDET RUFO COLORI EQUORUM ZACHARIÆ : LEÆNA ENIM EST RUFA. SECUNDA FERA DANIELIS, PUTA URSUS, RESPONDET NIGRO COLORI EQUORUM SECUNDORUM ZACHARIÆ : URSI ENIM SUNT NIGRI. TERTIA FERA DANIELIS, PUTA PARDUS, RESPONDET COLORI ALBO EQUORUM TERTIORUM ZACHARIÆ : PARDUS ENIM MACULIS ALBIS INSPERSUS EST. QUARTA FERA VARIA DANIELIS RESPONDET QUARTIS EQUIS VARIIS ZACHARIÆ. DANIELEM ET ZACHARIAM SECUTUS EST S. JOANNES, APOC. 6. UBI QUATUOR REGNA POST CHRISTUM FUTURA VIDIT DEPINGI PER QUATUOR EQUOS, PRIMUM, ALBUM ; SECUNDUM, RUFUM ; TERTIUM, NIGRUM ; QUARTUM, PALLIDUM. VIDE IBI DICTA.

1. ET conversus sum, et levavi oculos meos, et vidi : et ecce quatuor quadrigæ
egredientes de medio duorum montium : et montes, montes ærei. 2. In
quadriga prima equi rufi, et in quadriga secunda equi nigri, 3. et in qua-
driga tertia equi albi, et in quadriga quarta equi varii, et fortes. 4. Et res-
pondi, et dixi ad Angelum, qui loquebatur in me : Quid sunt hæc,
domine mi ? 5. Et respondit Angelus, et ait ad me : Isti sunt quatuor
venti cœli, qui egrediuntur, ut stent coram Dominatore omnis terræ.
6. In qua erant equi nigri, egrediebantur in terram Aquilonis : et albi egressi sunt post
eos : et varii egressi sunt ad terram Austri. 7. Qui autem erant robustissimi, exierunt, et

quærebant ire, et discurrere per omnem terram. Et dixit : Ite, perambulate terram : et perambulaverunt terram. 8. Et vocavit me, et locutus est ad me, dicens : Ecce qui egrediuntur in terram Aquilonis, requiescere fecerunt spiritum meum in terra Aquilonis. 9. Et factum est verbum Domini ad me, dicens : 10. Sume à transmigratione, ab Holdai, et à Tobia, et ab Idaie; et venies tu in die illa, et intrabis domum Josiæ, filii Sophoniæ, qui venerunt de Babylone. 11. Et sumes aurum et argentum : et facies coronas, et pones in capite Jesu filii Josedec sacerdotis magni, 12. Et loqueris ad eum, dicens : Hæc ait Dominus exercituum, dicens : Ecce vir Oriens nomen ejus : et subter eum orietur, et ædificabit templum Domino. 13. Et ipse extruet templum Domino : et ipse portabit gloriam, et sedebit, et dominabitur super solio suo : et erit sacerdos super solio suo, et consilium pacis erit inter illos duos. 14. Et coronæ erunt Helem, et Tobiæ, et Idaiæ, et Hem, filio Sophoniæ, memoriale in templo Domini. 15. Et qui procul sunt, venient, et ædificabunt in templo Domini : et scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos. Erit autem hoc, si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri.

1. Et conversus sum, et levavi.] *Conversus*, id est, iterum vel rursus levavi oculos, et vidi novam visionem : ponitur enim verbum, vel potius participium pro adverbio, per enallagen Hebræis usitatam. Ita Vatabl. Unde ex hoc loco non liquet, an hæc visio statim successerit visioni præcedentis capitis, an vero post majus temporis intervallum.

Et ecce quatuor quadrigæ.] Theodor. quem sequuntur Palacius et à Castro, per quatuor quadrigas accipiunt quatuor Angelorum turmas, Judæorum res et commoda procurantium. Nam cap. 1. v. 8. vidit pari modo equos varios, albos et rufos, qui repræsentabant Angelos Judæorum tutelares, ut ibi dixi. Hi enim stant coram Domino, uti dicitur, v. 5. ad ejus jussa diversa circa regimen populi ejus exsequenda, juxta illud Habacuc 3. v. 8 : *Qui ascendis super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio.* Et Psal. 67, v. 18 : *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium Dominus in eis in sancto.* Unde et Elias in curru equorum igneorum, id est, Angelorum, raptus es in cœlum, 4. Reg. 2. 11. Et c. 6. 17. Elisæus obsessus à Siris : *Vidit montem plenum equorum et quadrigarum ignearum in circuitu suo,* puta Angelorum, ad se tutandum. Jam hasce quatuor quadrigas, id est, turmas Angelorum, ita particulatim ex Theodoreto applicat et explicat à Castro : Equi rufi, inquit, significant Angelos ultores et sanguinarios, qui egressi à Domino manserunt in Judæa, ut Judæos sua virtute de hostibus ulciscerentur et tutarentur. Quadriga Angelorum quæ nigris equis vehebatur, missa fuit in terram Aquilonarem, ut per Medos et Persas exscinderet Babylonios hostes Judæorum. Quadriga Angelorum alborum missa est post priorem, ut Judæos libertate donatos per eosdem Persas, hilares reduceret in patriam. Quadriga Angelorum variorum missa est versus Austrum, ut hostes Judæorum eis felicitatem invidentes, pro varietate gentium continerent, ne ulla in re eis nocerent.

Verum communis Patrum et Interpretum sententia est, hasce quatuor quadrigas significare quatuor monarchias circa impium Babylonis imperium decertantes, quas Deus sua providentia successive in lucem eduxit, rexit, mutavit pro libito ad suam potentiam et gloriam, præsertim circa populum suum per eas vel castigandum, vel protegendum et promovendum, toti orbi ostendendam: itaque equos rufos denotare monarchiam Assyriorum et Chaldæorum, nigros Persarum, albos Græcorum, varios Romanorum. Ita S. Hieron. Cyrill. Chald. Remig. Haymo, Hugo, Albert. Lyran. Vatabl. Arias, Ribera, Sanchez, Fernandez et alii passim. Ratio hujus symboli quadrigarum est, quod monarchiæ jam dictæ quadrigis in bello utebantur, ex iisque depugnabant: quadrigæ ergo significant, quod ipsæ sua bellica fortitudine, vi et tyrannide obtinuerint sua imperia. Nam per quadrigas intelligit earum aurigas et sessores, uti et c. 1. v. 8. puta ipsos monarchas, eorumque duces et milites quadrigis insidentes, tum ad bellandum, tum ad triumphandum, tum ad suam pompam et gloriam ostentandam, nisi dicas cum Sanchez, quadrigas has non ab hominibus, sed à belluis agi; quia belluinæ et tyrannicæ fuerunt monarchiæ, ut belluarum, quibus comparantur et repræsentantur, naturam et indolem imitatæ, imo induisse videantur. Unde et Daniel cap. 7. 3. vidit eas repræsentari per quatuor bestias, quas paulo ante recensui. Adde, sicut auriga potest laxatis, adductis vel flexis habenis, per arbitratu quadrigam agere, sistere et regere quoquoversum; sic reges et monarchæ suis legibus, placitis, prudentia, consilio, imperio populos sibi subjectos gubernant, et pro voluntate moderantur. Et quia triumphus est quasi regnum quoddam temporarium, decretum ducibus ob partam victoriam, idcirco triumphantes quadriga vehebantur, quasi reges temporarii.

Porro veteres in quadrigis depugnasse, indeque quadrigam symbolum esse belli et regni bello parti, patet ex illo Psal. 19. 8 : *Hi in curribus, et hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.* Et Nahum, 3. 2 : *Vox flagelli, et vox impetus rotæ, et equi frementis, et quadrigæ ferventis.* Et Cant. 1. 8 : *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te.* Sic de Turno canit Virgil. Æneid. 12 :

Poscit equos atque arma simul, saltuque superbus
Emicat in currum; et manibus molitur habenas.

Sic Isaias, cap. 21. 7. vidit in bigis ascensorem cameli et ascensorem asini, id est, Darium et Cyrum invadentes Babylonem. Denique Ezechiel vidit currum cherubicum quasi quadrigam Dei, pergentis ad excidium Judæorum et Gentium, stipatum quatuor animalibus, leone, bove, ho-

mine et aquila. Huc spectat illud Deuter. 33. v. 26 : *Ascensor cœli auxiliator tuus;* cœlum enim est quasi currus bellicus Dei.

Mystice, Clarius, Burgensis, et nonnulli veteres apud S. Hieron. per quatuor quadrigas accipiunt quatuor Evangelia, quadrupliciter à quadruplicibus præconibus toto orbe promulgata et propagata. Nam equi rufi significant Apostolos et Martyres, qui suo sanguine Evangelia obsignarunt. Equi nigri significant Prophetas et Doctores, qui profunda et quasi in antris atris abdita Dei mysteria ingressi, ibique quasi, atrati, eadem in mundo prædicarunt, sed atre, id est, obscure, et quasi per speculum et in ænigmate, ut ait Apostolus, 1. Corinth. 13. 12. Equi jugales albi significant Virgines, virginitate quasi liliis candidos. Equi varii et fortes significant Confessores variis Dei donis illustres. Hi enim omnes, quasi quadrigæ Dei actæ et impulsæ vento impetuque Spiritus Sancti, cunctas gentes Christo subjugarunt. Sicut enim Deus quadrigis, id est, Monarchis Chaldæorum, Persarum, Græcorum et Romanorum subjecit orbem, ita multo magis eumdem ineffabili sua providentia per quadriformes Sanctos subjecit Christo, in cujus regnum omnes reges et regna desierunt.

De medio duorum montium.] Hi duo montes symbolum sunt potentiæ et providentiæ Dei, cujus duæ partes, et quasi montes sunt mens et voluntas, puta sapientia et decretum, sive dispositio et definitio, aut præordinatio et executio. Sensus ergo est, q. d. Hæ quatuor quadrigæ, id est, monarchiæ Dei potentià et providentia ita constrictæ tenebantur et claudebantur, quasi septæ essent montibus æneis, id est, fortissimis et impenetrabilibus, donec manum suam laxavit Deus, eisque exeundi potestatem dedit, ut imperium occuparent, sibique alias gentes subjicerent. Alludit, ait Mariana, ad mentem Taurum, seu Caucasum, ubi juga montis duo in fauces coeunt, sicut portæ ferreæ, de quibus Hegesippus, lib. 5. cap. 50. Locus est sic dictus, non quod ibi sint portæ, sed ob munitionem. Nam proprie ex hisce montibus egressi sunt eorum accolæ Persæ, qui in vastando hoc impietatis Babylonicæ regno fuerunt primi et præcipui, ideoque requiescere fecerunt Spiritum Dei, ut dicitur v. 8. Simili enim modo Dei providentia sua sapientia et voluntate, quasi duobus ferreis montibus inter se coeuntibus, continebat has monarchias, uti ventos (quibus hæ monarchiæ comparantur v. 5.) suis antris et montium latebris ab Æolo concludi fabulantur Poetæ, qui hanc fabulam hinc mutuati videntur, de qua Homerus, Odyss. 20. et ex eo Virgil. l. 1. Æneid.

Hinc vasto rex Æolus antro
Luctantes ventos, tempestatesque sonoras
Imperio premit ac vinclis et carcere frenat.
Ni faciat, maria ac terras, cœlumque profundum
Quippe ferant rapidi secum.

Unde secundo, Vatabl. per montes hos accipit robur istorum regum et gentium, quæ sua virtute bellica monarchiam sibi pepererunt. Simili modo Arias accipit eorumdem consilium et industriam, quæ in bellis robori sæpe prævalet. Mystice, Albert. Lyran. et Hugo. per duos montes accipiunt Israelem et Judam, è quibus egressi sunt Prophetæ, qui quasi montes ærei, id est, fortes et invicti certo et infallibiliter harum monarchiarum principium, progressum et terminum prædixerunt.

Allegor. duo montes sunt duo testamenta, vetus Mosis, et novum Christi. Hæc enim sunt quasi duo montes inconcussi et irrefragabiles, è quibus egressa sunt quatuor Evangelia, quæ totum orbem occuparunt. Ita Clarius et Burgensis.

Ærei,] id est, fortes et duri instar æris. Perperam R. David vertit, *chalybei*. Hebræum enim נחשת *nechoset* significat æs, non chalybem, atque æs æque duritiei est symbolum, ac chalybs.

2. In quadriga prima equi rufi.] Mariana per equos rufos, ut pote fortissimos, accipit monarchiam Romanorum, quæ licet ordine fuerit ultima, robore tamen et virtute fuit prima : unde prima hoc loco ponitur.

Verum alii omnes per equos rufos accipiunt monarchiam Assyriorum et Chaldæorum, quæ reipsa fuit prima. Hi vocantur rufi, tum quia sanguinarii et crudeles fuerunt, præsertim in Judæos, quos urbe, templo, liberate et vita spoliarunt (hinc celebris illa, dira et ærumnosa captivitas Judæorum in Babylone per septuaginta annos. Ita S. Hieron. Remig. Hugo, Lyran. et alii :) tum quia vestibus rufis, id est, purpureis et coccineis, utebantur, ut patet Nahum. 2. 3 : *Clypeus ejus ignitus, viri exercitus ejus in coccineis.* Et S. Joannes Babylonem vocat purpuratam meretricem, Apoc. 17.3. et cap. 18.16: *Væ,* ait, *civitas illa magna, quæ amicta erat bysso, purpura et cocco.* Hic enim color ardorem animi ad præliandum notat et acuit : unde equi rufi alacriores, erectiores et animosiores sunt. Color enim rufus est accensus et ignis splendorem refert, idque melius quàm rubeus, qui tamen cœli et acrimoniæ est index, teste Alciato emblem. 117. dum ait :

At ruber armatos equites exornat amictus.

Hac de causa post Chaldæos aliæ quoque gentes ad prælia euntes, vestibus rubris usæ sunt, ut Persæ, teste Xenophonte, lib. 7. Cyropædiæ : et Græci, teste Æliano, lib. 6. cap. 6. præsertim Lacedæmonnii. Pluribus idipsum ex Plutarcho, Æliano et Valerio demonstrat Alexander ab Alexandro, lib. 1. Genial. cap. 20. ibidem Tiraquellus. Verum quia primi Babylonii in bellis purpurea vel coccinea veste usi sunt, quos deinde Græci et Persæ sunt imitati; hinc hic color datur Babyloniis. Ita Arias et alii. Porro quid hi equi rufi egerint, non declarat Zacharias, tum quia jam præterierant : tum quia Judæis recens ex Babylone redeuntibus satis idipsum constabat, inquit S. Hieron. Tum quia eorum gesta noxia et funesta fuerunt Judæis, inquit Cyrill. Angelus autem hic læta ostendit Zachariæ, ut afflictos Judæos animet et consoletur.

Alleg. Clarius : Equi, inquit, rufi qui aliò non sunt egressi, significant S. Jacobum, S. Stephanum, primosque similes Christi præcones et athletas, qui inter crudeles et cruentos Judæos Evangelium Christi prædicarunt, pro eoque ab illis in Judæa occisi sanguine suo rubricati, non alio quàm è terra in cœlum egressi sunt.

In quadriga secunda equi nigri.] Nigri designant Persas : quia hi plus horroris et mœro-

ris, quàm damni et stragis intulerunt Judæis; uti Cambyses, qui impedivit fabricam templi; et Assuerus maritus Esther, qui seductus ab Aman Judæos omnes neci addixit. Ita S. Hieron. Addit Arias, Persas pulla et atra veste uti solitos, indeque fuscum dici, quasi pusicum et persicum. Verum id non liquet ex historiis, imo Xenophon, loco jam citato, asserit eos in bello usos coccineis.

3. IN QUADRIGA TERTIA EQUI ALBI.] Albi denotant Alexandrum, Ptolemæum Philadelphum, et Græcos, qui clementes et benevoli fuerunt in Judæos, adeo ut Alexander Jaddum Pontificem pronus adorarit, teste Josepho, libr. 11. Antiq. cap. ult. Licet enim Antiochus Epiphanes ex Græcis oriundus Judæos afflixerit, tamen hæc afflictio fuit modici temporis, atque in ea Machabæi victoriis fuerunt candidati et illustres.

Addit Cyrillus Græcos denotari albo colore; tum quia ut plurimum veste alba utebantur; tum quia linguam planam et apertam, ac à barbarorum tenebris et obscuritate alienam habebant; tum quia delicias et convivia amabant, quorum symbolum erat candida: hæc enim erat vestis festa, convivialis et læta; tum quia in bellis fuerunt felices et victoriosi, uti patet de Alexandro: candida enim vestis erat triumphantium.

IN QUADRIGA QUARTA EQUI VARII ET FORTES.] Mariana per equos varios accipit Ægyptios: hi enim ad Austrum late dominati sunt Ægypto, ac vicinis Syris et Æthiopibus, fueruntque potentes et celebres. Verum cæteri omnes per quartam hanc quadrigam accipiunt monarchiam Romanorum. Hæc enim potens fuit et fortis, æque ac varia: tum in regimine, quia initio in regibus fuit monarchicum, deinde in Consulibus aristocraticum, postea in Tribunis plebis democraticum, rursum in Imperatoribus monarchicum, idque ex varia gente: alii enim fuerunt Itali, alii Hispani, alii Galli, alii Græci, etc. Tum quia Romani variis fuere ingeniis, æque ac affectibus in Judæos: partim enim in eos benevoli fuere, uti Senatus Rom. tempore Machabæorum, quando cum eis fœdus sancivit; item Julius Cæsar, Augustus, Tiberius, Claudius; partim infensi et crudeles, ut Pompeius, Caligula, Nero, Vespasianus et Adrianus. Ita S. Hieron.

Pro variis hebr. est ברודים *berudim*, id est, grandinati, hoc est, maculis albis instar grandinis respersi et variegati, quos Latini guttatos vocant, ut Martialis, lib. 5. Epigram. 104. aves Numidicas guttatas vocat. Unde Syrus vertit: *Sparso vellere*, vel *ad flammeum colorem accedente;* Arabicus Antioch. *colore vermiculi*, vel purpuræ. Rursum pro *fortes* hebr. est אמוצים *amutsim*, quod Aquila vertit κραταιοι, vel, ut legit S. Hieron. κρατεροι, id est, potentes, robusti; Septuag. ψαροι, id est, sturnini, puta colores sturni avis: hæc enim vocatur ψαρος, vel veloces, απο του ψαιρειν, unde αιψηρος. Chald. vertit, קטמנין *kitmanin*, quod Biblia Regia vertunt, *coloris cinerei:* melius alii vertunt, *confringentes*, vel comminuentes, in cinerem redigentes, juxta illud quod de iisdem, ait Daniel. c. 2. 40: *Quomodo ferrum comminuit et domat omnia, sic comminuet et conteret omnia hæc.* Origo duplicis hujus versionis est, quod hebr. אמוצים *amutsim*, proprie significet fortes, ideoque veloces, ut vertunt Septuag. et comminuentes omnia, ut vertit Chald. Sed aliqui, inter quos est Arias, *amutsim* acceperunt pro חמוצים *chamutsim*, id est, fermentatos, puta *cinereos*, hujus enim coloris est fermentum; vel *sturninos*, ut alii vertunt ex Septuag. sturni enim pariter sunt coloris cinerei. Unde et Syrus, etiam Vaticanus, τὸ *fortes* omittit. Verum prior lectio *amutsim*, id est *fortes*, est vera et genuina. Porro Arias per *cinereos*, accipit Turcas, Arabes et Saracenos, qui colorem habent cinereum; præsertim Ottomanos. Hi enim partem magnam Romani Imperii occuparunt sua fortitudine, quam eis indit sua lex, puta Alcoranum: hoc enim jubet eis, ut armis sectam suam propagent. Verum hi Romani censeri nequeunt, cum sint Romanorum jurati hostes; nec robustissimi, cum eis longe sint robustiores Christiani Europæi, uti patet in præliis. Adde, spurca et fœda est hæc Mahometis secta, nec digna hisce Zachariæ oraculis et elogiis.

Mystice, Alcazar in cap. 6. Apocal. notat. 5. pag. 444. per quadricolores equos et quadrigas accipit quatuor dotes et virtutes, quibus Apostoli, virique Apostolici, quasi quadrigæ Christi, ipsi totum subegerunt orbem; scilicet equos albos denotare immaculatam sanctitatem; rufos zelum ardentem; varios sapientiam; nigros modestiam. De albore vide Alciatum, embl. 117:

Sinceri est animi et mentis stola candida puræ.

Rufi denotant ardorem: quia hic color accensus est et igneus. Varii significant æternam Dei sapientiam, quæ varietatem illam Apostolorum et fidelium tanta pulchritudine distinxit: multiplex enim color est multiformis ars et sapientia. Est enim spiritus sapientiæ multiplex, Sapient. 7. 22. Niger color significat modestiam; unde Clerici et Monachi S. Basilii, Benedicti, Augustini, etc. nigris vestiuntur, juxta illud Cant. 5. 11: *Comæ ejus nigræ quasi corvus;* ubi Delrio ex Hesychio, Bernardo, Alcuino, Beda, Haymone et Anselmo ostendit, nigrorum symbolum esse rei contemptæ, et externa specie despicabilis, quæ fundamentum est humilitatis et modestiæ, juxta illud Cant. 1. 5: *Nigra sum, sed formosa.*

Ex his Zachariæ quadrigis ortæ videntur quatuor Circensium aurigarum factiones, totidem coloribus distinctæ, quæ apud Romanos et Græcos graves sæpe tumultus concitarunt. Erant enim aurigæ, alii albati, alii russati, alii prasini, alii veneti, de quibus omnibus exstant Epigrammata, lib. 5. Anthologiæ, et Dio, lib. 59. et Suetonius In Vitellio, cap. 14. Albati enim respondent quadrigis albis Zachariæ, russati rufis, prasini nigris, veneti variis. Prasinus enim color est porraceus, sive viridis, qui conflatur ex gilvo et nigro, teste Platone in Timæo. Venetus color vocabatur cyaneus, sive cæruleus et marinus, ait Vegetius: mare autem ob fluctus et reverberationem radiorum solis, varios exhibet colores, sed maxime cæruleum. Unde Arias equos varios Zachariæ censet fuisse cinereos, qui ad cæruleos accedunt. Porro hisce quatuor coloribus videntur repræsentasse quatuor elementa, eorumque inter se dissidia et pugnas, nimirum rubro ignem; ruber enim color ignis est, et igneus: albo aerem; serenus enim aer albescit: veneto, sive cæruleo aquam et mare:

prasino, sive porraceo terram, germina et porros producentem. Hæc enim quatuor elementa moderatur, interque se committit et contemperat summus universi auriga Deus. Unde de origine venetorum et prasinorum sic in antiquis historiarum Collectaneis Cod. Vatic. 96. legimus : *Œnomaus primus invenit Circensium colores, quibus terræ ac maris quasi certamen repræsentavit. Mittebantur fortes; quem vero contigisset terræ vicem agere certando, ille vestem viridem induebat; cæruleam autem, qui vices maris agebat. Hoc certamen vigesimo quarto die Martii Œnomaus constituit. Quod si color viridis vicisset, terræ fertilitatem omnes sperabant; si cæruleus, tranquillam maris navigationem. Quare agricolæ optabant victoriam viridi colori; nautæ cæruleo.*

5. Isti sunt quatuor venti.] Hoc est, velut quatuor venti : Hebræi enim sæpe *caph*, quæ est nota similitudinis, omittunt, q. d. Hæ quatuor quadrigæ, id est, monarchiæ, inter se confligent ut venti contrarii, ac violenter et celeriter quasi venti subvertent omnia, quocumque irruent : denique velociter transibunt et desinent, uti faciunt venti. Alludit ad Daniel. 7. 2. ubi pariter Daniel hæc quatuor regna depingi vidit per quatuor ventos confligentes in mari, q. d. Istæ quadrigæ sunt similes quatuor ventis ostensis Danieli : sicut enim ventis mare, sic quadrigis terra turbatur. Ita Theodoret. Vatabl. Sanchez hic et Perer. in Danielis 7. 2. Simili phrasi dicitur Deus suscitasse spiritum Cyri 1. Esdræ 1.1. et spiritum regum Medorum, Jerem. 51.11. Insuper S. Hieron. Theodor. Remig. et Vatabl. per quatuor ventos accipiunt quatuor plagas, sive climata mundi, ad quas egressæ sunt hæ quadrigæ, ut eas sibi subjicerent. Unde Vatabl. vertit : *Istæ sunt quadrigæ, quæ ad quatuor ventos*, vel *plagas cælorum egrediuntur*; et Chald. *Ista sunt quatuor regna, quæ sunt in quatuor ventis cæli*. Denique pro *venti*, hebr. est רוחות *ruchot*, id est, spiritus, quales sunt Angeli, æque ac venti. Unde Theodoret. Palacius et à Castro per quadrigas has et ventos accipiunt Angelos præsides regnorum, puta quatuor monarchiarum, de quibus dicitur Psalm. 103. 4 : *Qui facit Angelos suos spiritus*, et hi stant coram Domino. Hic sensus eòdem redit. Quod enim de Angelis dicitur, hoc de monarchiis illis commissis dicitur et intelligitur.

Moral. disce hic regna et potentatus hujus seculi naturam habere ventorum, æque ac quadrigarum, tum quia valida sunt et armipotentia; tum quia velocia; tum quia mox evanescunt. Stultus ergo est, qui ventos sequitur, quos assequi non potest, et si posset, diu tenere non posset, inquit Sanchez. Vides quadrigam principis equis quaternis vel senis velocibus velociter transcurrere, cogita ita transcurrere omnes orbis principatus. Sentis ventos celerrime per aera transvolare, cogita pari modo transvolare reges et regna, omnesque dignitatum apices : *Omnis potentatus vita brevis*, ait Sapiens.

Ut stent,] quasi parati ad ejus jussa excipienda et exsequenda. Nam Deus per eos punit quos vult, imo priores semper punivit et evertit per sequentes, uti Chaldæos per Persas, Persas per Græcos, Græcos per Romanos. Vide dicta Isaiæ 10. 5. et Jerem. 25. v. 9. et sequentibus. Ubi nota homines omnes, licet pessimi sint, quales fuerunt multi ex his monarchis, utpote tyranni, assistere Deo quasi instrumenta et lictores ejus, ut vel populum ejus defendant, vel impios castigent. Hebr. est מהתיצר *mehitiatseu*, id est, à stando; Pagnin. et Tigurin. *A loco ubi stabant coram Domino*; Noster cum Septuag. melius vertit, *propter standum*, id est, *ad standum* : quia hebr. מן *min* sæpe significat *propter*, et subinde capitur pro ל, id est, *ad*. Istæ enim particulæ et litteræ serviles per enallagen non raro inter se commutantur : *mehitiatseu* ergo, id est, à stando, idem est quod *lehitiatseu*, id est, ad standum, ut stent.

Equi nigri egrediebantur in terram Aquilonis.] Equi nigri significant Persas qui vastarunt Babylonem, quæ est ad Aquilonem Judææ, ut dixi vers. 2.

Et albi egressi sunt post eos.] Denotatur Alexander et Macedones, qui Persis in monarchia successerunt, eamque illis extorserunt juxta Babylonem : sedes enim imperii Persarum erat Babylone, ait Vatabl. Unde juxta eam apud Arbellam Alexander profligavit copias Darii Codomanni (qui fuit ultimus Persarum monarcha) ideoque ibidem rex Asiæ proclamatus est, ac Babylonem victor ingressus, omnes ejus ditiones sibi subjecit, teste Curtio, lib. 5. et Plutarch. in Vita Alexandri.

Et varii egressi sunt ad terram Austri,] q. d. Romani egressi sunt in Ægyptum : hæc enim est ad Austrum terræ sanctæ, puta Judææ, juxta quam Scriptura plagas mundi describere et consignare solet. Vatabl. et Arias putant id factum per Julium Cæsarem, qui primus devicit Ægyptum. Melius alii id factum censent per Augustum successorem Julii : Augustus enim per Actiacam victoriam profligavit Antonium et Cleopatram, itaque Græcorum, puta Ptolemæorum, in Ægypto regnum exstinxit, illudque ad se et Romanos transtulit. Unde ipse primus Ægyptum fecit provinciam, teste Suetonio in ejus Vita, cap. 17 et 18. quod Julius facere ausus non fuerat. Tunc ergo eversa tertia monarchia Græcorum, cœpit quarta Augusti et Romanorum. Unde paulo post ab Augusto quasi jàm monarcha, exiit edictum ut describeretur universus orbis. Ita S. Hier. Ribera, Sanchez, Fernandez et alii.

7. Qui autem erant robustissimi.] Hebraice האמוצים *haamutsim*, id est, illi fortes per excellentiam, de quibus v. 3. q. d. Ex quarta quadriga equi robustissimi, puta Romanorum fortissimi, nutu Dei perambulabunt, id est, perambulando subjugabunt (uti ostendi c. 1. v. 11.) omnem terram. Tales successive fuerunt Scipio, Pompeius, Cæsar, Augustus, Vespasianus, Trajanus, Constantinus, Theodosius, etc. Romani enim sensim crescentes armis et viribus robustissimi evaserunt, et plurimas provincias occuparunt. Ita S. Hieron. Cyrill. Theodoret. Lyran. Hugo, Vatabl. et alii.

Arias per *robustissimos* accipit Turcas et Ottomannos, ut dixi vers. 2. Melius Ribera accipit Gothos, qui fuerunt stipendiarii Romanorum, eorumque imperium propugnarunt et propagarunt, operamque insignem navarunt Maximino pugnanti contra Parthos, Constantino contra Licinium, et Honorio. Verum Gothi non fuere Romani, ac sub Honorio fœdus ruperunt, et in hostes conversi Italiam, Hispaniam et Africam, quin et Romam ipsam, sub Alarico et Genserico

ducibus regibusque suis, vastaverunt. Itaque ob gentis copiam, paupertatem et barbariem, maximi fuere Romanorum et gentium eis fœderatarum expilatores per plures annorum centurias. Vide Orosium, libr. 7. cap. 19. et sequent. Rursum Gothi non perambularunt, id est occuparunt, totam terram. Nisi dicas cum Sanchez per Gothos accipi reges Hispaniarum, qui à Gothis prognati sunt; hi enim sensim suum imperium late propagarunt, adeoque illud extenderunt per Americam, Peru, Brasiliam totumque novum orbem. Occuparunt enim Indias Occidentales, et multa in Orientalibus, admirabili audacia æque ac fortitudine et victoriis ad miraculum usque illustribus. Verum reges Hispaniarum nunquam (nisi sub Carolo V, in quo regnum Hispaniæ Imperio Romano fuit conjunctum) exstiterunt, aut nominati fuerunt Imperatores Romanorum. Et pari ratione robustissimos hosce dicere possemus Pipinum, Carolum Martellum, et præsertim Carolum Magnum : ejusque successores reges Austrasiorum, Francorum et Germanorum, qui vere re et nomine fuerunt reges et imperatores Romanorum, ac eorum imperium per Austrasiam, Galliam, Germaniam, Saxoniam, Hollandiam, Angliam, Daniam et Succiam, longe lateque vel propagarunt, vel restituerunt; uti duce Godefrido Bullonio recuperarunt Syriam et terram sanctam. Adde has quadrigas Zachariæ, uti et statuam quadrifidam Daniel. c. 2. proprie significare monarchias et monarchas qui præcesserunt Christum : nam in Christum Christique regnum desinere visi sunt à Daniele, v. 44. uti et hìc Zacharias eos in Orientem, id est, in Christum, v. 12. terminari conspexit.

8. Ecce qui egrediuntur in terram Aquilonis,] puta Persæ, qui sub Cyro, et rursum sub Dario Hystaspis, tempore Zachariæ Prophetæ, vastarunt Babylonem. Ita Lyran. Vatabl. Arias et alii. Addunt Hebræi, S. Hieron. Haymo et Remig. id fecisse non tantum equos nigros, id est Persas; sed et albos, id est Græcos. Alexander enim prope Babylonem prostravit Darium, ac Babylonem in suam potestatem redactam victor est ingressus, uti dixi v. 6.

Requiescere fecerunt spiritum meum in terra Aquilonis.] *Spiritum*, id est, *furorem*, ut vertunt Septuag. q. d. Persæ satisfecerunt meæ iræ, mihique in Chaldæos tyrannos irato, dum eos vastarunt, expleverunt meam vindictam; itaque sedarunt meum animum justæ vindictæ cupidum. Quia enim Zacharias, cap. præcedenti vers. ultimo, dixerat amphoram impietatis et idololatriæ locatam et elevatam fuisse in Babylone, hinc ait hoc loco, in ejus punitione requievisse Dei spiritum, quo ipse indignabatur æmulum suî idolum dominari in Babylone: ideoque ea cum suo idolo excisa, sedatum et pacatum, imo consolatum, recreatum et exhilaratum fuisse spiritum, id est voluntatem ulciscendi Dei : sicut homo læsus, ideoque iratus et furens, tandiu furit donec se ulciscatur de hoste qui eum læsit; sed ultione peracta furor hic, quasi sanguine hostis exsatiatus, conquiescit. Ita Theodor. Haymo, Remig. Lyran. Hugo, Arias et Vatablus.

Aliter S. Hieron. ex Hebræis : Spiritus, inquit, hic propheticus intelligitur, q. d. Persæ fecerunt prophetias meas, quibus excidium Babyloni comminatus sum, in eadem conquiescere: quia eas, exscindendo Babylonem, expleverunt et exsecutioni mandarunt.

Nota : Hæc dicuntur ad consolationem Judæorum, qui à Babyloniis vastati et in Babylonem abducti fuerant; et ad concitandum odium impietatis et idololatriæ (cujus metropolis erat Babylon) ut Judæi eam abominentur, uti deinceps abominati sunt, ideoque tantum rerum à quadrigis in Babylone gestarum, puta vindictæ in ea peractæ, hìc fit mentio.

Moral. disce hìc quàm justitia justaque scelerum vindicta sit sancta et Deo grata. Discant ergo ex hoc loco principes, magistratus, judices, prætores, etc. se dum sceleratos, præsertim persecutores fidelium et piorum, quales erant Chaldæi, plectunt, facere ut conquiescat spiritus, mens, voluntas, justitia et ira Dei, quæ antequam vindicta peragatur stridet, fervet, bullit, milleque minarum et dirarum fulmina in corde coquit, tam in sceleratos quàm in principes et judices qui eas non puniunt, sed tolerant, vel dissimulant, juxta illud Amos 2. 13 : *Ecce ego stridebo subter vos, sicuti stridet plaustrum onustum fœno.* Et c. 3. 8 : *Leo rugiet, quis non timebit? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit?* Vide ibi dicta.

10. Sume a transmigratione,] puta à Judæis captivis, qui vel in se, vel in suis parentibus ante 70. annos in Babylonem à Chaldæis abducti, transmigrarunt, ibique adhuc degunt et domum fixerunt. Hi enim miserunt munera in Jerusalem offerenda in templo per Holdai, Tobiam, Idaiam et Josiam. Ponitur abstractum pro concreto more hebræo, scilicet transmigratio pro olim transmigrantibus. Est hysterologia. Verba enim sic ordinanda sunt : Venito, ô Zacharia, in domum Josiæ filii Sophoniæ, in die qua munera oblaturi sunt Holdai, Tobias et Idaias, qui jam recenter venerunt de Babylone, atque ab eis accipies aurum et argentum, quæ quasi donum per eos transmittunt, et templo offerunt Judæi qui olim in Babylonem transmigrarunt, ibique adhuc degunt, ut ex eo facias coronas ponendas in capite Jesu pontificis.

Venies in domum Josiæ filii Sophoniæ.] Hinc videtur quod tres tantum antea nominati hæc dona obtulerint, videlicet Holdai, Tobias et Idaias, sed in domo Josiæ filii Sophoniæ, qui erat templi vel æditŭus, ut volunt Hebræi ; vel thesaurarius, et pecunias colligebat pro templi fabrica et sumptibus, inquit Cyrill. Haymo, et Remig. vel certe erat aurifex, qui ex auro hoc fabricaturus erat coronas. Unde et Josiæ nomen cum aliis tribus, coronis fuit incisum sub nomine Hem, ut patet v. 14. Theodoretus tamen censet Josiam fuisse quartum, qui cum aliis tribus rediens Babylone, hæc dona obtulerit; statim enim sequitur : *Qui venerunt de Babylone :* ubi pronomen *qui* refert tam Josiam, qui immediate præcessit, quàm tres alios : nisi dicas esse hysterologiam, ac per eam τὸ *qui* ad solos tres, qui ante nominati sunt, referri, uti censet S. Cyrillus. Josias ergo Theodoreto videtur fuisse primarius quatuor horum legatorum; vel certe hospes eorum, ut reliqui tres in domo ejus hospitarentur. Favent Hebræi, S. Hieron. Remig. Albert. et Hugo, qui tradunt hos quatuor legatos fuisse Danielem, Ananiam, Azariam et Misaelem. Verum hoc valde dubium est : non enim videtur Daniel potuisse eo usque prorogare vitam. Nam anno 3. Cyri erat centum an-

norum, uti ostendi proœmio in Danielem, tuncque mortuus videtur; aut certe, ut Isidorus in ejus vita tradit, mortuus est anno primo Darii Hystaspis, cum jam esset centum et undecim annorum. Hæc autem oracula accepit Zacharias post initia regni Darii Hystaspis, uti patet c. 1. v. 1.

11. Et facies coronas.] Per *coronas* accipe coronam unam ingentem, è duabus vel tribus partialibus coronis compositam : illa enim imposita fuit capiti solius Jesu pontificis, sicut capiti Romani pontificis imponitur tiara triplici corona distincta, quam vulgus regnum vocat, ob causas quas mox afferam. Unde Chald. vertit : *Facies coronam magnam.* Et Septuag. v. 14 : *Corona erit.* Quare videtur hæc corona Jesu fuisse una totalis, ex aliis partialibus conflata, vel iis instar duplicis aut triplicis diadematis redimita, ut significaret duplicem Jesu dignitatem et potestatem, scilicet Ecclesiasticam et civilem, puta pontificatum et principatum; aut triplicem, id est, multiplicem, plenam et omnimodam. Post reditum enim è Babylone summa potestas tam laica quàm sacra fuit penes Pontifices, uti superius docui ex Josepho, l. 11. Antiq. cap. 4. et patet in Machabæis, qui simul fuere pontifices et principes populi; atque in Eliacim, sive Joacim pontifice tempore Judith, qui contra Holophernem quasi princeps Judæos disposuit, jussitque ut obsiderent angustias montium, per quos hostis transiturus erat, Judith 15. Hinc in historiis Josephi et Esdræ, l. 2. 12. ac fastis publicis, Jesu posteri et successores describuntur, non Zorobabelis. Ita Abulens. in 1. Paral. c. 6. quæst. 8. Genebrard. in Chronol. Sanchez et alii. Arias censet coronas hasce partiales fuisse materia plane distinctas, scilicet unam fuisse ex auro, alteram ex argento: Aurea, inquit, significabat pontificatum, argentea principatum. Hic enim illo est inferior, uti et est argentum auro. Alii duas integras coronas hîc fabricatas censent, scilicet unam pro Jesu pontifice, alteram pro Zorobabele principe, utramque ex auro et argento inter se commixtis. Ita Hebræi, S. Hieron. Remig. Albert. Hugo et à Castro. Verum Zorobabelis hîc nulla fit mentio : tota enim prophetia dirigitur ad Jesum pontificem : *Pones*, inquit, *in capite Jesu.* Quare vel una corona duabus minoribus cincta et distincta ejus capiti imposita fuit; vel, si mavis duas totales, dicito successive, scilicet primo unam, deinde alteram illi impositam, uti censent Cyrill. Theodor. Rupert. Lyran. Vatabl. et Clarius; sicuti Imperator nunc primo coronatur corona ferrea, deinde argentea, denique aurea.

Concinnior tamen et augustior erit forma, si eam dicamus fuisse unam, sed duabus aut tribus partialibus redimitam, qualis est Pontificis Romani. Hic enim triplicatam gestat coronam. Primo, quia est sponsus et princeps Ecclesiæ, quæ est victrix, triumphatrix et regnatrix totius orbis; secundo, quia regem Christum quasi vicarius repræsentat. Sicut ergo regnum Christi supereminet omnibus regnis, ita æquum fuit hoc diadema eminere inter omnia diademata; tertiò, quia tribus orbis partibus, Asiæ, Africæ, Europæ præest; quarto, quia ternarius symbolum est æquitatis summæ, quæ requiritur in Pontifice : trias enim est prima sedatio discordantis dyadis, ac libramentum numerorum justitiæ et rerum omnium; quinto, quia repræsentat S. Trinitatem, cujus est sacerdos et Pontifex; sexto, quia trias significat omnium virtutum rerumque consummationem, quæ fuit in Christo, et suo modo debet esse in Pontifice. Denique hîc exclamare libet illud Prudentii Peri stephanon :

> O triplex honor, ô triforme culmen,
> Quo nostri caput excitatur orbis.
> Orbis Christiani decus perenne!

Hæc est illa majestatis sublimitas, efficacitas triverticis, trini, inquam, illius et incomparabilis diadematis; ita Paschalius de Coronis, lib. 9. cap. ultimo. Similes ergo videntur fuisse hæ coronæ Jesu filii Josedec, quia repræsentarunt coronas et regnum Christi, æque ac illud idem repræsentat corona triplex Pontificis : illa itaque hîc in coronis Jesu pontificis fuit typice figurata et adumbrata, præsertim quia עטרות *ataroth*, id est coronæ, est plurale, non duale, ac proinde plures, puta tres potius, quàm duas significat.

Pones in capite Jesu filii Josedec,] pontificis; de hoc enim ad litteram loquitur; non enim poterat eam imponere capiti Orientis, id est Christi, ut aliqui volunt; Christum enim videre et tangere non poterat Zacharias, utpote nondum natum. Itaque ad litteram jubet hîc illi Deus, ut coronam duplicem, vel triplicem, imponat capiti Jesu, quasi pontifici et principi; tum ut ad litteram significet, eum in novo hoc templo fore gloriosum, itaque eum ad fabricam ejus perficiendam et ornandam animet, tum ad mysterium, scilicet ut typus sit Jesu Christi Pontificis et Regis, ejusque sacerdotium et regnum repræsentet. Christum enim fuisse regem patet psal. 2 : *Ego autem constitutus sum rex.* Et Lucæ, 1 : *Dabit ei Dominus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum.* Eumdem fuisse pontificem patet ex psal. 107 : *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec;* ac idipsum docet Apostolus tota Epistola ad Hebræos. Porro corona est insigne et stemma pontificis æquæ ac regis, tum quia uterque est quasi Deus quidam terrestris in summo dignitatis, æque ac regiminis fastigio collocatus. Deorum enim olim propriæ erant coronæ. Unde Ovidius de coronæ dignitate verba faciens, lib. 5. Fastor. sic canit.

> Illa datos fasces commendat eburque curule :
> Illa coronatis alta triumphat equis.

Tum quia corona monet Pontificem et principem perfectæ et excellentis virtutis, scilicet nil in eo esse debere, quod non omnibus numeris completum sit et absolutum; coronæ enim forma est absolutissima, utpote circulus in orbem ubique rediens. Rursum eum debere actibus heroicis radiare instar solis; solis enim coronam radiatam capite gerit. Nam ut ait Virgil. in Epigr. de Sole oriente :

> Sol insigne caput radiorum ardente corona,
> Promit ab æquoreis Tethyos ortus aquis.

Mystice Pontifices et principes, qui instar Christi pontificatu et principatu, quem ab eo acceperunt, recte funguntur, imponunt coronam pontificiam et regiam capiti Jesu Christi : quia ejus sacerdotium et regnum quod in Ecclesia obtinet, promovent, adaugent, condeco-

rant. Hujus rei symbolo viginti quatuor seniores quasi Patriarchæ et Pontifices tam novi quàm veteris testamenti, Apoc. 4. 10, *procidebant ante sedentem in throno, et mittebant coronas suas ante thronum, dicentes : Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, honorem et virtutem.* Idem pro suo modulo faciunt sancti Martyres, Sacerdotes, Religiosi, virgines, adeoque fideles quilibet, dum luctando cum mundo, carne et diabolo, eos superant, de iisque triumphant, dum ad ardua virtutum conscendunt, dum heroica opera patrant. Quando ergo vincis acrem tentationem, quando calcas suggestionem diaboli, quando frenas motus iræ, quando calcas superbiam, gulam, libidinem, acediam, coronam capiti Christi imponis; qua magis ille decoratur et gaudet, quàm si auream vel gemmeam ipsi adornares. Hoc est quod ait Isaias, cap. 62. 3 : *Eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui.* Porro hæ coronæ offeruntur ab iis qui à Babylone in Jerusalem, id est, à peccato ad statum gratiæ per pœnitentiam revertuntur : *Quia nobis proficientibus,* inquit S. Hieron. *et reversis ad meliora, per singulas virtutes nostras Dominus coronatur, imo nobis virtute pœnitentiæ coronatis, Salvator in singulis coronam accipit.* Sic Apostolus Philippensibus ait, cap. 4 : *Gaudium meum et corona mea.* Multo magis Deus de Sanctis dicat : Vos estis gaudium et corona mea ; ac vicissim sanctus quisque animam suam ad Dei laudem et gratiarum actionem excitans, de eo dicat cum Psalte, psal. 102. 4 : *Qui coronat te in misericordia et miserationibus,* q. d. Deus est qui tuis ipsis misericordiæ et virtutum operibus, quæ in ejus honorem quasi coronam contexis, teipsum coronat. Quid enim sunt aliud nostra opera bona, nisi Dei dona? ait S. August.

12. Ecce vir Oriens.] Hebræi apud S. Hieron. Theodor. Remig. Albert. et Hugo per Orientem accipiunt Zorobabel, qui in Babylone quasi emortuus, inde rediens quasi oriri et reflorescere cœpit, dum populi redeuntis factus est princeps. Unde censent ei alteram coronam à Zacharia fuisse impositam. Sic ergo totum hunc versum ei applicant et explicant : Zorobabel cum Jesu quasi novum germen, novusque populi sol, ædificabit templum Domino et perficiet, alteramque coronam gestabit; quia ipse habebit solium ducale ad regendum res populi civiles; sicut Jesus sacerdos habebit solium pontificale ad moderandum res sacras. Porro inter hos duos, puta inter pontificem et principem erit consilium pacis ac summa unio. Verum τὸ *oriens,* hebr. צמח *tsemach,* id est germen, est nomen proprium Christi, uti ostendi cap. 3. 8; ibi enim, æque ac hîc, omnis sermo ad Jesum filium Josedec, antitypum et antionymum Jesu Christi, dirigitur, nec ulla Zorobabelis fit mentio. Unde Chald. vertit : *Ecce vir cujus nomen est Messias;* sic et Rabbini veteres apud Galat. lib. 3. cap. 16. Sic et Hieronym. Haymo, Albert. Rupert. Vatabl. et Lyran. qui tamen unus perperam per Orientem accipit quoque Jesum filium Josedec. Jam sensus est, q. d. Hanc coronam impono tibi, ô Jesu fili Josedec, non propter te, sed propter Orientem, id est Christum, ut scilicet ejus typum geras, ejusque sacerdotium et principatum repræsentes. Vatabl. censet Christum vocari Orientem; quia ipse recens natus : *Proficiebat ætate, et sapientia, et gratia apud Deum et homines,* ut ait Lucas; et quia crevit in Ecclesiam, uti mox dicam. Unde Syrus vertit : *Ecce vir, et nomen ejus Ortus, et de subter orietur;* Arabicus Alexand. *Ecce vir, nomen ejus Ortus, festinabit repente, et ædificabit domum Domino.*

Et subter eum.] Hebr. מתחתיו *mittachtau*, id est, *de sub eo orietur,* q. d. Christus erit et vocabitur Oriens : quia sub Christo, et ex Christo, quasi radice orietur et germinabit quasi furtim et sensim sine sensu, multitudo ramorum, id est fidelium, adeo ut se propaget in ingentem arborem; ipse enim ædificabit templum, id est Ecclesiam, Domino. Ita S. Hieron. Unde Chald. vertit : *Christus nomen ejus, qui revelandus est, et magnificandus, et ædificaturus templum Domini.* Hoc est quod ait Christus, Joan. 12. 24 : *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Unde S. Bernard. ser. 15. in Cant. *Moriatur igitur granum, et surgat Gentium seges.*

Symbol. Lyran. In nativitate, inquit, Christi, subter eum qui Deus est orietur, et nascetur ut homo; et vice versa subter homine oriente et nascente, orietur quasi et nascetur Deus. Deus enim nobis ortus et quasi natus est, cum natus est homo Christus, in quo latebat divinitas, quæ hypostatice sibi uniendo humanitatem, cum ea tacite quasi nasci et oriri videbatur in terra.

Tropol. S. Gregor. lib. 20. Moral. cap. 18, vel juxta aliam editionem, cap. 21 : *Oriens,* ait, *est nomen ejus. Nam quia ab oriente lux surgit, recte Oriens dicitur, cujus justitiæ lumine nostræ justitiæ nox illustratur.* Audi et S. Ambros. lib. de Paradiso, cap. 3 : *Paradisus,* ait, *erat secundùm Orientem in Eden, id est, secundùm Christum, qui jubar quoddam æternæ lucis effudit, et est in Eden, hoc est in voluptate.*

Anagog. Rupertus : In resurrectione, inquit, Christus futurus erat Oriens; quia deinceps semper futurus in ortu, nunquam in occasu. Nam cum fuerit mortuus, apud inferos orietur timentibus nomen Domini; et ascendens, terræ cœloque orietur vivus, ut nunquam jam moriturus, et per eum in multitudine credentium dilatabitur, et in gloria resurgentium magnificabitur. Rursum subter se orietur, id est, virtute non aliena, sed propria, puta divinitatis suæ, resurget, et sparget se suamque Ecclesiam per totum orbem.

Denique S. Chrysost. homil. in hæc Zachariæ verba in fine tomi 1. aliter legit et explicat, nimirum sic : *Ecce vir Oriens nomen ejus, sub umbra ejus orietur sol; ipse veniet ad salvandum populum suum :* *Quale,* inquit, *nomen Oriens? Delectabile, dulce, suave. Hoc semper appetamus, ut conversi ab Occidente, intenti ad Orientem, agnoscamus Deum omnipotentem. Sub umbra ejus orietur sol. Et vere sub umbra ejus orta est claritas divinitatis ejus, qui in sole posuit tabernaculum suum. Quia lux venit in mundum, radiavit mentibus nostris obscuris, declarata sunt tetra, manifestata sunt occulta, tenebrosa aperta, ut lux oriretur nobis. Quia qui sedebamus in tenebris et umbra mortis, lux orta est nobis. Sol iste non est nubilosus, nec obtectus, non ascendens et descendens; sed ille sol justitiæ, qui totum cardinem mundi adventu suo splendificavit, quid aliud egit, nisi ut*

patri et sibi faceret populum peculiarem, dato pignore Spiritus sancti.

Et ædificabit templum Domino.] Alludit ad templum reædificatum à Jesu et Zorobabel. q. d. Sicut hi reædificant templum Salomonis materiale: ita Oriens, id est, Jesus Christus, ædificabit templum spirituale, puta Ecclesiam Christianam Deo. Unde id ipsum iterata asseveratione confirmat, dum subdit: *Et ipse exstruet* (hebr. est idem verbum quod ante, sed in futuro, puta יבנה *iibne*, id est, *ædificabit templum Domino*,) q. d. Omnino ipse ut incipiet, ita perficiet ædificium templi, id est, Ecclesiæ Dei.

Mystice, hac iteratione significatur duplex templum, scilicet Ecclesia militans et triumphans, ædificanda à Christo. Ita S. Hieron. Rupert. Lyran. Clarius et Vatabl.

Et ipse, Oriens, non Zorobabel, ut volunt Hebræi et Theodor. sed Christus, portabit gloriam,] puta coronam gloriæ, scilicet gloriosi pontificatus et regni, juxta illud psal. 20. vers. 4: *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.* Unde explicans subdit: *Et sedebit, et dominabitur super solio suo, et erit sacerdos super solio suo.* Hanc autem gloriam inchoate Christus adeptus est in hac vita; unde significat hîc Propheta quatuor quadrigas, id est, monarchias, desiisse in regnum Christi, de quo ait: *Dominabitur super solio suo*, sed plene hanc gloriam, dominium et regnum consecutus est Christus post resurrectionem, quando superata morte, peccato et dæmone, triumphans ascendit in cœlum, ibique sedet ad dexteram Patris, quasi Rex regum, et Dominus dominantium, ducens post se agmina Sanctorum omnium ad gloriam et triumphum æternum. Ita S. Hieron. Rupert. Arias et Vatabl. Hanc Christi gloriam in Apocalypsi cap. 5. 12. spectavit S. Joannes, cum Angelos Sanctosque omnes ei acclamantes audivit: *Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem* (nomen famamque divinitatis, ejusque gloriam, cultum et adorationem) *et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem.* Et mox: *Et omnem creaturam quæ in cœlo est, et super terram, et sub terra, et quæ sunt in mari, et quæ in eo, omnes audivi dicentes: Sedenti in throno et Agno benedictio, et honor, et gloria, et potestas in secula seculorum. Et quatuor animalia dicebant: Amen.* Vide ibi dicta. Ubi S. Joannes videtur alludere ad hunc locum juxta Septuag. qui pro *gloriam* vertunt, *virtutem*, de quo S. Hieron. *Ab alio*, inquit, ἐπιδοξότης, *ab alio* ἐπιπρέπεια, *ab alio* ἀρετή, ab alio δόξα *scribitur, quæ vel inclytum, vel decorem, vel virtutem, vel gloriam sonant*, quæ omnia et plura complexus est sanctus Joannes.

Et consilium pacis, id est, summa pax, unio et concordia; hanc enim consiliat consilium prudens, et hæc omni consilio est tuenda et conservanda, erit inter illos duos,] scilicet inter Jesum pontificem et Zorobabel principem, inquit ex Hebræis S. Hieronym. Theodor. Remig. Lyran. et Hugo. Verum nulla Zorobabelis hîc facta est mentio: unde ipse cum Jesu demonstrari nequit per pronomen demonstrativum *illos*. Dico ergo τὸ *illos* demonstrare duos thronos, sive duo solia, scilicet pontificatus et principatus; licet enim solium latine sit generis neutri, tamen hebr. כסא *kisse*, id est, thronus vel solium, est generis masculini. Ita S. Hieronymus, Rupert. Vatabl. Clarius et Arias. Vel potius magisque apposite ad rem, æque ac versionem Latinam, τὸ *illos* demonstrat principem, qui, ut præcessit, *sedebit et damnabitur super solio suo*, et pontificem, de quo mox subdit: *Et erit sacerdos super solio suo*, q. d. In Christo summus erit consensus et concordia inter principem sedentem in solio regali, et pontificem sedentem in solio pontificali; quia Christus utrumque erit, et utramque dignitatem pontificatus et regni in se conjunget: cujus rei typo Jesus filius Josedec v. 11. duplicem accepit coronam, sacerdotii scilicet et principatus, ut utramque potestatem in Christo uniendam portenderet. Antea enim cum hæ potestates essent divisæ, sæpe inter pontifices et reges erat lis et dissensio, ut patet ex libris Regum. Aliqui sic exponunt, q. d. Summus erit consensus inter Jesum Josedec et Jesum Christum, qualis est inter imaginem et exemplar, inter ideam et fabricam, inter typum et antitypum. Verum hoc typicum et mysticum est, potius quàm litterale et genuinum. Prius ergo quod dixi, litterale est; cui favet Syrus, qui vertit: *Et consiliarius* (consilium dans, consilians) *pacis erit inter duos eos;* et Arabicus Antiochen. significantius: *Et regnum pacis erit super eos omnes;* et Arabicus Alexand. *Et erit consilium concordiæ inter eos.*

Moral. discant hîc principes se colere debere concordiam cum Ecclesia et Pontificibus, utpote quorum dignitas illis sit inferior et subalterna, adeoque connexa et unita in Christo: *Ut nec regale fastigium sacerdotalem deprimat dignitatem, nec sacerdotii dignitas regale fastigium; sed in unius gloria Domini Jesu utrumque consentiat*, ait S. Hieron. tumque se fortunatos et felices fore. Sic Saul felix fuit, quandiu monitis Samuelis obedivit: at ubi ab iis descivit, vita et regno se suamque familiam privavit. Sic Joas quandiu Joiadæ paruit, pius et fortunatus fuit; at ubi ejus filium Zachariam occidit, mox et ipse occisus est, 2. Paral. 24. 25. Sic Osias quia invasit sacerdotium, adolens thymiama, lepra percussus est, 2. Paral. 26. 19. Sic Jeroboam, Achab, Jehu, cæterique reges Israel, quia à pontificibus et templo schisma fecerunt, omnes ad unum regno et vita mulctati sunt. Sic Constantinus S. Silvestri documenta secutus, gloriosus evasit. Sic Gratianus, Valentinianus, et S. Ambrosii discipuli et asseclæ, nomen celebre in terra et cœlo consecuti sunt. Sic Carolus Magnus mirus Romanæ Ecclesiæ, æque ac Pontificis cultor et propugnator, victoriis rebusque gestis Magni cognomen est adeptus. Principes ergo sequantur illud consilium, imo mandatum, Quod S. Ludovicus rex Franciæ sapiens, æque ac pius moriens suo filio et successori Philippo testamento reliquit: *Esto*, inquit, *semper et per omnia devotus ac obediens Romanæ Ecclesiæ et Pontifici, eumque colas ut patrem spiritalem.*

14. Et coronæ erunt Helem et Tobiæ, etc.] q. d. Postquam imposueris capiti Jesu coronas jam dictas, eas depones, et consecrabis, ponesque in templo, incisis in eis nominibus illorum quatuor virorum, qui ad eas aurum et argentum obtulerunt, scilicet Helem, Tobiæ, Idaiæ et Hem ad perpetuam eorum memoriam; quia coronæ hæ deinceps habitaturæ sunt in templo, id est, in domo pontificis, q. d. Pontifex, qui præerit templo, deinceps præerit et regno, eritque

rex vel princeps : tum ut sint *memoriale*, ut scilicet æterna sit eorum memoria et laus, qui hac oblatione tam Jesu filii Josedec, quàm in eo Jesu Christi regnum et sacerdotium tacite agnoverunt, illudque professi ei se et sua consecrarunt. Ita S. Hieron. Theod. Remig. et Lyran.

Nota : Qui v. 10. dictus est *Holdai*, hìc vocatur *Helem* ; et qui ibidem dictus est *Josias*, hìc vocatur *Hem*. Erant enim binomii. Porro hæc nomina, quia breviora, potius quàm prima illa longiora, coronis incisa fuerunt.

Moral. disce hìc quàm gratum sit Deo opes suas offerre templo, et personis illi dicatis ; utpote quorum nomina donis incidi velit, ad perennem illorum famam et gloriam, ut hisce coronis non tam Deus, quàm ipsi offerentes à Deo coronari videantur.

Mystice, S. Hieronym. *Holdai*, inquit, hebr. interpretatur deprecatio Domini ; *Tobia*, bonus Domini, vel placens Domino ; *Idaia*, notus Domini. Pro *Holdai* posuit *Helem*, quod interpretatur somnium : et in quarto loco addidit *Hen*, id est, gratia ; quia Daniel. cap. 2. Dei invocatione et gratia, somnii Nabuchodonosoris interpretationem est consecutus. Tradunt enim Hebræi Holdai, Tobiam, Idaiam et Hen fuisse Danielem, Ananiam, Azariam et Misaelem. Mystice ergo his etymis significatur quod iis qui ad Dominum accedunt, eumque deprecantur, ac Deo placent, ideoque Deo cogniti sunt, detur Hen, id est, gratia, et dona, quæ gratiæ nomine significantur : ac Helem, id est, somnium, id est, sponsæ deliciæ, ac quies in Domini complexu et sinu, juxta illud Cant. 5. 2 : *Ego dormio et cor meum vigilat.* Et c. 3. 5 : *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Huc accedunt Septuag. qui pro *Holdai* vertunt, *exspectantes* ; pro *Tobia, utiles* ; pro *Idaia, cognoscentes*. Unde sic transferunt : *Corona autem erit exspectantibus, et utilibus ejus, et qui cognoverunt eam, et in gratiam filii Sophoniæ, et in psalmum in domo Domini.* Quæ explicans S. Hieronym. sic ait : *Corona, id est, insigne victoriæ cum Christus fuerit coronatus, his quoque repromittitur, qui exspectant eum* (juxta illud Pauli 2. Timoth. 4. 8 : *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex ; non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt*, ideoque exspectant *adventum ejus*) *et intelligunt utilitatem captivitatis quondam suæ, et noverunt Dei universa mysteria, ut sint in gratia filii Sophoniæ, id est, visitationis Domini. Et qui in Babylone dicebant : Super flumina Babylonis, ibi sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion ; postquam reversi fuerint in Jerusalem, accipiant psalterium, et tympanum, et canant in Ecclesia Domini : et qui per majora peccata longe fuerant à Judæa et confessione verissima, per singulos profectus suos ædificent domum Domini. Fient autem omnia quæ promissa sunt, si Dominum audire voluerint, et acta pœnitentia in bonis operibus manserint.* Unde Tertul. l. 4. contra Marcion. c. 39. legit : *Corona autem erit eis qui toleraverint*, q. d. Tolerantia pariet patientibus et Martyribus coronam.

15. Et qui procul sunt,] q. d. Qui à Jerusalem et templo distant, et in locis remotis habitant, incitati tum aliorum, tum illorum quatuor virorum, qui aurum è Babylone attulerunt et templo obtulerunt, exemplo, memoria et gloria, afferent et ipsi sua dona, ad promovendam fabricam et ornatum templi. Ita Hebræi, Theod. S. Hieron. Remig. Albert. et alii. Sic Darius et Artaxerxes ad templum miserunt sumptus et oblationes, ut narrat Esdras, l. 1. c. 6 et 7.

Allegor. q. d. Cum Christus ædificabit Ecclesiam, in eaque à Deo quasi coronabitur Pontifex, et princeps, venient ex longinquis orbis partibus Gentiles, qui eousque remoti fuerant à Deo, Christo, cœlo et salute, ut hanc ejus Ecclesiæ fabricam promoveant. Ex Gentilibus enim creati sunt Episcopi, Doctores, Pastores, etc. qui Ecclesiam Christi verbo et exemplo ædificarunt et propagarunt. Ita S. Hieron. Rupert. et Arias. Hoc est quod ait Apostolus Ephes. 2. 13 : *Vos qui eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi.* Unde infert v. 17 : *Ergo jam non estis hospites, et advenæ, sed estis cives sanctorum, et domestici Dei.* Hos venientes à longe prævidens Isaias, c. 60. 1, exsultat et clamat : *Surge, illuminare, Jerusalem ; quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Leva in circuitu oculos tuos et vide : omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Filii tui de longe venient, et filiæ tuæ de latere surgent.*

Et scietis,] q. d. Cum videbitis hæc mea oracula reipsa compleri, ac præsertim ex remotis urbibus et gentibus confluere turbas ad templum, in eoque sua munera offerre, tunc scietis me Zachariam, qui hæc prædixi, id non ex me, sed à Deo missum et inspiratum prædixisse, simulque credetis ea quæ de Oriente, id est, Christo, prædixi, me ex Deo prædixisse, ac proinde eadem pari certitudine suo tempore fore complenda ; sunt enim hæc verba Zachariæ de Christo, ut patet ; non Christi de seipso, uti censuit Eusebius, l. 5. Demonstr. c. 5.

Erit autem hoc,] q. d. Hæc prospera et gloriosa templo et consequenter vobis, ô Judæi, obvenient, sed sub hac conditione, nimirum si Dei legi vocique obedieritis ; sin ei sitis inobedientes et rebelles, nolite me falsitatis accusare, si hæc sua meaque promissa revocet Deus. Ita Theodor.

Mystice, q. d. Si Christum Christique vocem et doctrinam audire et recipere volueritis, ô Judæi, cognoscetis me vera de eo sub nomine Orientis, ejusque templo, id est, Ecclesia, vaticinatum esse, ac omnium horum ejus bonorum, quæ ipse è cœlo in terram secum deferet, fietis participes : sin eum repuleritis, ipse bona hæc sua à vobis revocabit, et transferet ad Gentes.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Quærunt Judæi num jejunia a se in captivitate Babylonica ob urbis gentisque excidium sponte suscepta, jam post reditum in Jerusalem, novique templi inchoatam fabricam adhuc observanda sint? Zacharias cap. sequenti, vers. 19. responsurus, hoc capite nonnulla præmittit, docetque verum Deoque gratum jejunium esse abstinentiam ab injuriis et peccatis, obedientiam et misericordiam: ob harum enim virtutum legisque Dei neglectum, eos a Deo punitos esse captivitate septuaginta annorum in Babylone.

1. Et factum est in anno quarto Darii regis, factum est verbum Domini ad Za-
chariam, in quarta mensis noni, qui est Casleu. 2. Et miserunt ad domum
Dei, Sarasar, et Rogommelech, et viri qui erant cum eo, ad deprecandam
faciem Domini: 3. ut dicerent sacerdotibus domus Domini exercituum, et
prophetis, loquentes: Nunquid flendum est mihi in quinto mense, vel
sanctificare me debeo, sicut jam feci multis annis? 4. Et factum est verbum
Domini exercituum ad me, dicens: 5. Loquere ad omnem populum terræ,
et ad sacerdotes, dicens: Cum jejunaretis, et plangeretis in quinto et septimo per hos septua-
ginta annos, nunquid jejunium jejunastis mihi? 6. Et cum comedistis, et bibistis, nunquid non
vobis comedistis, et vobismetipsis bibistis? 7. Nunquid non sunt verba, quæ locutus est Dominus in
manu prophetarum priorum, cum adhuc Jerusalem habitaretur, et esset opulenta, ipsa et urbes
in circuitu ejus, et ad Austrum, et in campestribus habitaretur? 8. Et factum est verbum Do-
mini ad Zachariam, dicens: 9. Hæc ait Dominus exercituum, dicens: Judicium verum judicate,
et misericordiam et miserationes facite unusquisque cum fratre suo. 10. Et viduam, et pupillum,
et advenam, et pauperem nolite calumniari: et malum vir fratri suo non cogitet in corde suo.
11. Et noluerunt attendere, et averterunt scapulam recedentem, et aures suas aggravaverunt ne
audirent. 12. Et cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem, et verba quæ misit Do-
minus exercituum in spiritu suo per manum prophetarum priorum: et facta est indignatio magna à
Domino exercituum. 13. Et factum est sicut locutus est, et non audierunt: sic clamabunt, et non
exaudiam, dicit Dominus exercituum. 14. Et dispersi eos per omnia regna, quæ nesciunt: et
terra desolata est ab eis, eo quod non esset transiens et revertens: et posuerunt terram deside-
rabilem in desertum.

1. Et factum est] est hysterologia: hæc enim verba ponenda sunt post legationem et quæstionem Judæorum: illi enim respondent. Unde post eam v. 4. iterantur. Hæc ergo verba quasi titulus prophetiæ hujus capitis, more Prophetis usitato præponuntur: deinde v. 2. occasionem prophetiæ hujus enarrat, dicens: *Et miserunt*, q. d. Cum misissent principes legatos ad consulendum sacerdotes et Prophetas, tunc factum est verbum Dei ad me Zachariam, respondens legatorum quæstioni.

In anno quarto Darii] Hystaspis regis Persarum, qui Cambysi Cyri filio post Magos successit. Hic annus quartus fuit 12. à soluta captivitate Babylonica, et reditu Judæorum in Jerusalem: hic enim reditus contigit anno 1. monarchiæ Cyri. Cyrus autem tres tantum annos regnavit ut monarcha, uti tradunt Hebræi; cui successit filius Cambyses regnans per 7 annos: quo defuncto intruserunt se per dolum Magi, regnantes per annum: iis trucidatis successit Darius, Hystaspis filius, cujus anno 4. hoc oraculum accepit Zacharias, cum jam templi fabrica valde assurgeret: illa enim cœpta est anno 2. Darii, et finita anno 6. ejusdem, ut jam sæpius dixi.

Mensis noni, qui est Casleu.] Qui respondet nostro Novembri. Hic enim mensis est nonus à Nisan, sive Martio, qui primus erat mensis anni sacri apud Hebræos.

2. Et miserunt ad domum Dei, Sarasar, et Rogommelech, et viri qui erant cum eo.] Quæres primo: Quinam hi? Hebræi, Haymo, Remig. et Hugo censent hos fuisse Persas, principes

Darii, sed proselytos, hoc est, conversos ad Judaismum, qui proinde jejunantibus Judæis ipsi quoque jejunabant, ideoque jam mittere legatos qui rogent sacerdotes, an post solutam captivitatem, et inchoatam templi fabricam adhuc jejunare debeant? Unde sequitur hanc legationem missam è Perside.

Secundo, alii apud Theodor. censent hos viros fuisse Cuthæos, puta Samaritas, quos Salmanasar ex Cuth aliisque urbibus Assyriæ transtulit in Samariam, qui ut Deum terræ suæ, scilicet Samariæ, colerent cum diis patriis, puta Assyriis, judaizabant, et cum Judæis ac Samaritis jejunabant. Unde sequitur hanc legationem missam è Samaria.

Tertio, Rupert. Lyran. Arias et Vatab. censent eos fuisse Judæos, sed in Babylone, aut in vicinis Babyloni regionibus adhuc degentes.

Quarto, probabilius alii censent eos fuisse Judæos in Judæa, sed extra Jerusalem in vicinis oppidis habitantes; hoc enim indicat responsio Zachariæ facta, dicens: *Loquere ad omnem populum terræ, et ad sacerdotes, dicens: Cum jejunaretis*, etc. Ita Theodor. et Chald. qui censent eos fuisse Bethelitas, uti mox plenius dicam.

Ad domum Dei.] Hebr. est *Bethel;* quod si appellative sumas, significat *domum Dei.* Et ita vertit Noster, R. Salomon, Pagnin. et Vatabl. Alii accipiunt Bethel ut nomen proprium. Unde Sept. vertunt: *Miserunt in Bethel.* Bethel enim erat civitas decem millibus passuum distans à Jerusalem, ubi Jacob vidit scalam, et per eam descendentes et ascendentes Angelos in cœlum, Genes. 28. Verum non est credibile eò missam fuisse hanc legationem: missa enim fuit ad sacerdotes, qui degebant in Jerusalem. Unde secundo, melius Chald. vertit: *Miserunt de Bethel*, q. d. Judæi habitantes in Bethel miserunt ex ea legatos in Jerusalem. Tertio, alii censent *Bethel* esse nomen viri, æque ac Sarasar. Unde vertunt: *Et misit Bethel Saretser*, etc. Verum longe melius Noster *Bethel* vertit, *domum Dei*, ut significet terminum ad quem hæc legatio missa est, fuisse domum Dei sive templum, uti liquet ex sequentibus. Templum enim erat locus orationis, æque ac oraculi, quod omnes Judæi adire et consulere solebant. *Saretser* videtur esse nomen officii: *Saretser* enim hebr. idem est quod præfectus thesauri, puta thesaurarius, vel quæstor. Ita R. Abraham et Arias, qui pariter tale nomen esse censent *Rogommelech*, quod ipsi vertunt, *regius dux;* pro quo Septuag. in editione Rom. corrupte habent, *Arbeseer rex*, aut, ut alii legunt, *Arbat rex Sagat*, scilicet urbis. Melius Septuag. in editione Complut. legunt, *Rogom rex.* Sic enim est in Hebræo: nam *melech* idem est quod rex; quanquam non sit verisimile hunc Rogom fuisse regem: τὸ ergo *melech*, vel est nomen proprium, et appendix *Rogom;* vel certe in genitivo vertendum, *Rogom regis*, scilicet dux, vel officialis. Syrus vertit, *rabmog*, id est princeps pistorum vel coquorum. *Rab* enim vocatur, major, princeps: *mog* est pistor, et is qui in coquina cibos parat. Arabicus vertit, *Sarasar, et Arphasar, Moloc.*

3. Nunquid flendum est mihi in quinto mense.] Puta in Julio, qui hebr. *Ab* dicitur, cujus die decima templum combustum fuit à Chaldæis, æque ac urbs et muri diruti, ideoque eo die quotannis Judæis sibi indixerunt luctum et jejunium, ut patet 4. Reg. 25. 9. et Jerem. 52. 12; idque continuarunt per septuaginta annos captivitatis Babylonicæ, ac deinceps donec templum rursum ædificari cœptum. Cum ergo viderent jam templi fabricam crescere, jure quærunt an adhuc templi præteriti incendium flere, et per jejunium lugere debeant; an vero ob novi fabricam se exhilarare et exsultare? Cessante enim causa cessat affectus, imo mutata causa mutatur effectus: templo ergo restaurato videtur luctus vertendus in gaudium. Hæc est quæstio, et causa quæstionis.

Vel sanctificare.] Hebr. הִנָּזֵר *hinnazer*, id est nazaræare, hoc est agere Nazaræum, instar Nazaræi abstinere à vino et deliciis, ac jejunare juxta legem eis præscriptam, Numer. 5. Unde Chald. vertit: *Nunquid prohibebo animam meam à deliciis, sicut fecit jam multis annis?* Pagnin. *Nunquid flebo separando me à cibis?* Tigurina, *Num religiose abstinebo?* Vatabl. *Num separabo me?* scilicet à cibis et voluptatibus; Noster cum Septuag. vertit, *sanctificare:* quia sanctificatio Judæorum, præsertim Nazaræorum, sita erat in abstinentia et jejunio: quo enim mens magis se abstrahit ab escis rebusque corporeis, eo magis fit spiritalis, magisque assurgit ad Deum, ejusque illustrationum et affectuum cœlestium fit capax. Unde Ecclesia in præfatione Missæ, tempore Quadragesimæ, canit: *Deus qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris et præmia.* Quocirca S. Chrys. serm. 1. de Jejunio: *Jejunium*, inquit, *Angelorum est imitatio: jejunans ferme Angelus est.* Idem, homil. 1. in Genes. *Jejunium in paradiso institutum est*, ideoque paradisi est vita.

Moraliter disce hîc, tempore cladis et calamitatis vel publicæ, vel privatæ, confugiendum esse ad fletum et jejunium, ut per pœnitentiam, Dei iram placemus. Nam ut ait S. Chrysost. serm. 1. de Jejunio: *Jejunium sententiam Dei revocat, et immortalitatis est conciliator.* Idem, hom. 2. in Genes. *Jejunium*, inquit, *animarum tranquillitas est, decor senum.* Ita Josaphat obsessus à Moabitis, Ammonitis et Idumæis toti Judææ jejunium imperans, à Deo auxilium per miraculum obtinuit, quo hostes in se versi mutua se cæde conficerent, 2. Paral. 20. 3. Ita Israelitæ obsessi à Philisthæis tempore Samuelis, jejunantes eos profligarunt, 1. Reg. 7. v. 6. et 13. Ita iidem Holoferne eos invadente indixerunt solemne jejunium, eoque, victoriam impetrarunt per Judith, c. 3. 8. Idem fecerunt tempore persecutionis Aman, Esther 4. 16. Et tempore reditus è Babylone, ut in itinere hostium manus evaderent, 1. Esdræ, 8. 21. Sic et Ninivitæ jejunio communi tam jumentorum et infantium, quàm virorum et mulierum excidium à Jona comminatum effugerunt, Jonæ 3. 5. Quocirca imminente Judæis excidio Chaldæorum, Deus per Joelem, c. 1. v. 4, illud evadendi hoc dat remedium: *Sanctificate*, ait, *jejunium, vocate cœtum*, etc. *et clamate ad Dominum.* Et c. 2. v. 12: *Convertimini*, ait, *ad me in toto corde vestro in jejunio, et in fletu, et in planctu.* Hoc ergo faciunt fideles cum flagellum Dei, vel reipubl. vel cuique privatim imminet, ut sibi quisque à Deo per Zachariam tunc dici putet: *hinnazer*, id est, esto Nazaræus, separa te à deliciis, à cibis, à lusibus, à voluptate, ac da te

austeritati, abstinentiæ, orationi et lamentis, iisque te sanctifica, ut Deum tibi reconcilies.

CUM JEJUNARETIS ET PLANGERETIS IN QUINTO, scilicet mense, ob combustam in eo urbem et templum, uti dixi : ET SEPTIMO] mense ob cæsum in illo Godoliam, qui erat dux et spes populi reliqui in Judæa; cum cæteri à Chaldæis abducerentur Babylonem, Jerem. 41. 1. et sequent.

5. NUNQUID JEJUNIUM JEJUNASTIS MIHI?] Antequam directe quæstioni respondeat (quod facit c. 8. v. 19.) objurgat Judæos, quasi adhuc iis suboffensus ob præteritas noxas, q. d. Quid me rogatis de jejunio vestro prorogando, vel inhibendo, quasi ego eo delecter, vel ejus cura me tangat? Erratis : illo non delector, illud non curo, imo sperno et aversor; quia hucusque vobis, id est, ob vestram paupertatem, et ad lugendam vestram captivitatem jejunastis, non ut mihi placeretis meque placaretis : si enim hoc voluissetis, jejunium corporis debuissetis condire jejunio animæ, et abstinentia à peccatis. Hoc autem non fecistis, sed iis indulsistis. Similiter cum jam comeditis et convivia agitatis, id facitis ob vestram lætitiam, quam ex reditu in patriam et libertate percipitis, non vero ut mihi ejus auctori gratias agatis, meque laudetis et celebretis. Ita S. Hieronym. Theodor. et Remig.

Paulo aliter Vatabl. q. d. Nunquid utilitatem aliquam aut voluptatem cepi ex vestro jejunio? q. d. Non, quia non fuit mihi gratum, eo quod non fuerit conjunctum pietati et religioni.

Moral. S. Greg. hom. 16. in Evangel. explicans hæc Zachariæ verba : *Sibi*, inquit, *comedit et bibit, qui alimenta corporis, quæ sunt communia dona conditoris, sine indigentibus percipit. Et sibi quis jejunat, si ea quæ sibi ad tempus subtrahit, non pauperibus tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit. Hinc per Joelem dicitur : Sanctificate jejunium. Jejunium quippe sanctificare, est adjunctis bonis aliis dignam Deo abstinentiam carnis ostendere. Cesset ira, sopiantur jurgia. Incassum enim caro atteritur, si à pravis voluptatibus animus non refrenetur, cum per Prophetam* (Isaiam c. 58.) *Dominus dicat : Ecce in die jejunii invenitur voluntas vestra. Ecce ad lites et contentiones jejunatis*, etc.

NUNQUID NON SUNT VERBA?] Primo et genuine, q. d. Nunquid hæc eadem verba, nimirum quod jejunia vestra non condita operibus bonis sed malis, mihi displiceant, olim vobis per Prophetas locutus sum? q. d. Omnino idipsum edixi per Isaiam, c. 58. 4. Jerem. 14. 12. et alibi Ita Theodor. et Lyran. Secundo, S. Hieron. Hugo et à Castro *verba* hæc intelligunt ea quæ subdit : *Judicium verum judicate, et misericordiam et miserationes facite*, etc. Tertio, Albert. exponit, q. d. Nunquid hæc verba de excidio et desolatione Jerusalem, quæ jam impleta videtis, vobis locuti et comminati sunt Prophetæ, nisi à peccatis resipisceretis? Aut, ut Vatab. qui per verba intelligit facta, quæ verbis suis prædixerunt et minati sunt Prophetæ, q. d. Nunquid non hæc tristia quæ vobis obvenerunt, facta sunt ad exsequenda, et opere complenda verba mea, quæ per Prophetas prolocutus sum?

ET AD AUSTRUM,] Nominat partem Australem et campestrem Judææ, quia ea, utpote plana et patens, natura loci non erat munita, q. d. Olim habitabatis confidenter et secure, etiam in ea parte Judææ quæ erat maxime debilis et infirma, eo quod vos ego protegerem; at quia me exacerbastis, hinc tradidi vos Chaldæis. Ita Vatabl. Addit S. Hieron. eam nominari, quia maxime erat fertilis, q. d. Ego Australem vestram regionem et campos implevi messe, frugibus et fructibus : sed vos ingrati, mihi fuistis rebelles; hinc ego ex ea vos expuli, projecique in Babylonem.

9. MISERICORDIAM ET MISERATIONES FACITE.] Hæc geminatio significat multam crebramque faciendam esse misericordiam. Nominat tantum ea officia quæ spectant proximum, sed sub his intelligit ea quoque quæ spectant Deum. Dilectio enim proximi præsupponit dilectionem Dei, ex eaque quasi ex fonte oritur. Idem facit Apostolus, Rom. 13. 9.

10. PAUPEREM NOLITE CALUMNIARI.] Chald. et Septuag. *Nolite opprimere* : utrumque significat hebr. עשק *asçac*; quia finis calumniæ est oppressio, direptio et expilatio pauperum. Hæc eadem in jejuniis Judæorum taxat Isaias, c. 58. Vide ibi dicta.

11. AVERTERUNT SCAPULAM RECEDENTEM.] Fuerunt inobedientes et rebelles : famuli enim herorum, et filii parentum jussis refractarii et pervicaces, ab iis avertunt faciem, dorsumque obvertunt, et protervi abeunt. Unde Septuag. vertunt : *Dederunt dorsum contemnens*; Pagnin. *Dederunt scapulam aversam*. Est catachresis. Tigurina vertit : *Obvertentes humerum rebellem*, q. d. Averterunt humerum ab onere præceptorum meorum : ut sit metaphora à bajulis onus detrectantibus, vel excutientibus.

AURES SUAS AGGRAVAVERUNT,] velut plumbo, aliove pondere injecto aures obturarunt, ne meas leges et monita auribus exciperent, et in animum transmitterent. Tigurina vertit : *Aures suas hebetarunt*.

12. COR SUUM POSUERUNT (*durum*, ut addit Chald.) UT ADAMANTEM.] Hic enim lapis est durissimus, quia respuit scalpra et malleos, quin et ipsos disrumpit : ideoque à Græcis dicitur ἀδάμας, id est, indomabilis. Vide dicta Ezech. 3. 9.

PER MANUM PROPHETARUM,] per Prophetas quasi organa et instrumenta sua : manus enim est organum organorum, ait Aristot. Manus ergo hic denotat os : per os enim Prophetarum locutus est Deus, non per manum.

13. SIC CLAMABUNT, ET NON EXAUDIAM.] *Clamabunt*, id est, clamaverunt, vel clamant : pendent enim hæc omnia ab eo quod præcessit : *Et factum est*. Ita S. Hieron. et Theodor. Unde clare Tigurina vertit : *Et evenit ut sicut ipse clamaverat, illique non audierunt; sic jam clament, nec eos exaudiam*.

14. DISPERSI EOS PER OMNIA REGNA.] Judæi enim partim ex Babylone, partim ex Jerusalem fugientes Chaldæos, sparserunt se per Syriam, Ægyptum, Mesopotamiam, Persidem, Mediam, aliaque regna. De Judæis enim, id est, de duabus Tribubus, hic agitur, non de decem, sive de Samaritis in Assyriam jam olim abductis. Ita S. Hieron. Pro *dispersi* hebr. est אסערם *asaarem*, id est, instar procellæ abripui eos, ut turbo proturbavi eos.

ET TERRA DESOLATA EST AB EIS (Hebr. Chald. et Septuag. *post eos*.) Causam subdit, EO QUOD NON

ESSET TRANSIENS ET REVERTENS,] q. d. Post abductos in Babylonem Judæos, Judæa desolata remansit : quia nemo incolarum relictus est, qui per eam transiret, iret et rediret. Nemo, id est, vix ulli, rari et perpauci. Aliqui enim à Chaldæis in ea relicti sunt ad colendam terram, ut patet 4. Reg. 25. 12. Aut potius, q. d. Judæa plane desolata est, ita ut non esset qui per eam transiret et rediret : sic enim alibi sæpe τὸ *eo quod* non causam denotat, ut sit idem quod *quia*, sed effectum et consecutionem, significans *ita ut*, inquit Vatabl. Unde Hebr. et Chald. ad verbum habent: *Terra desolata est post eos à transeunte et revertente*, id est, ita ut non esset per eam transiens et revertens. Minus recte ergo Theodor. versionem Septuag. sic explicat, q. d. Post Judæos abductos in Babylonem, Judæa desolata est ab Idumæis, Ammonitis, aliisque vicinis gentibus hostilibus, qui per eam prædandi et expilandi causa transierunt, et cum præda domum reversi sunt. Hic enim hebraismus, *à transeunte et revertente*, non aliud significat quàm, ut non esset transiens et revertens.

ET POSUERUNT TERRAM DESIDERABILEM IN DESERTUM.] Hebr. *terram desiderii*, id est, ob elegantiam, fertilitatem et abundantes fruges summe desiderabilem : et ut Septuag. *electam*. Ita Albert. et Hugo. Addit Lyranus eam fuisse desiderabilem ob Christum in ea nasciturum, et passurum pro salute hominum. Sensus est, quasi dicat : Suis sceleribus fuerunt causa desolationis terræ sanctæ, quæ prius lacte et melle manabat. Hebr. est לשמה *lesçamma*, quod secundo verti potest, *in stuporem*, ut scilicet quicumque viderit tantas tantæ cladis ruinas, cohorrescat et obstupescat. Tertio, Arias pro *lesçamma* per diæresim legit לשמה *lesçema*, id est, *in qua quid*. Unde vertit, *posuerunt terram exoptatam in qua quid?* de qua scilicet viatores stupentes interrogarent, dicerentque : Quid in terra sancta boni, quid pristinæ fertilitatis et felicitatis remansit ? Utique nihil.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Promittit Deus Judæis è Babylone reversis in Jerusalem, ob diligentiam et laborem impensum in templi fabricam, lætam et longævam sobolem, frugum copiam, suamque benedictionem, si justitiam, veritatem et charitatem colant. Deinde v. 19. quæstioni, cap. 7. a Judæis propositæ, an scilicet adhuc servanda sint jejunia ob urbis templique excidium indicta, respondet ea commutanda esse in læta festa et convivia, ac deinceps Jerusalem fore hilarem, felicem et celebrem, adeo ut undique ad eam confluant populi et gentes. Quæ omnia ad litteram aliquatenus contigerunt Hierosolymæ post reditum ædificato templo, uti ait Propheta vers. 9. Sed longe verius et plenius competunt Ecclesiæ per Hierosolymam adumbratæ, ibique inchoatæ, cum Deo auctore lex in Evangelium, Moses in Christum, Synagoga in Ecclesiam transiit. Describitur hic ergo felicitas Hierosolymæ, ut in ea quasi typo adumbretur felicitas Ecclesiæ Christianæ: unde quædam dicuntur, quæ Hierosolymæ vix, et non nisi tenuiter, Ecclesiæ vero plane pleneque conveniunt. Tale est illud v. 7: Salvabo populum meum de terra Orientis et de terra Occasus solis. Et v. 22: Venient populi multi, et gentes robustæ ad quærendum Dominum exercituum in Jerusalem. Et v. 23: Apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, et apprehendent fimbriam viri Judæi, dicentes: Ibimus vobiscum; audivimus enim quoniam Deus vobiscum est. Quæ verba significant omnium gentium conversionem ad Christum et Ecclesiam, vide Can. 5. et 6. quos præfixi Prophetis majoribus. Ita S. Hieron. Theodor. Cyril. Haymo, Remig. Hugo, Lyran. et alii: imo Rupert. Arias et Vatabl. ad litteram putant hic depingi felicitatem Ecclesiæ, non Hierosolymæ. Quin et Rabbini bona hoc capite promissa, nonnisi a suo Messia, quem ipsi præstolantur, exspectant.

1. Et factum est verbum Domini exercituum, dicens: 2. Hæc dicit Dominus
exercituum: Zelatus sum Sion zelo magno, et indignatione magna zelatus
sum eam. 3. Hæc dicit Dominus exercituum: Reversus sum ad Sion: et
habitabo in medio Jerusalem: et vocabitur Jerusalem Civitas veritatis, et
mons Domini exercituum mons sanctificatus. 4. Hæc dicit Dominus exerci-
tuum: Adhuc habitabunt senes et anus in plateis Jerusalem: et viri baculus
in manu ejus præ multitudine dierum. 5. Et plateæ civitatis complebuntur
infantibus, et puellis ludentibus in plateis ejus. 6. Hæc dicit Dominus exercituum: Si videbitur
difficile in oculis reliquiarum populi hujus in diebus illis, nunquid in oculis meis difficile erit, dicit
Dominus exercituum? 7. Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego salvabo populum meum de ter-
ra Orientis et de terra Occasus solis. 8. Et adducam eos, et habitabunt in medio Jerusalem: et
erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum, in veritate et in justitia. 9. Hæc dicit Dominus exer-
cituum: Confortentur manus vestræ, qui auditis in his diebus sermones istos per os prophetarum,
in die qua fundata est domus Domini exercituum, ut templum ædificaretur. 10. Siquidem ante
dies illos merces hominum non erat, nec merces jumentorum erat; neque introeunti, neque
exeunti erat pax præ tribulatione: et dimisi omnes homines, unumquemque contra proximum suum.
11. Nunc autem non juxta dies priores ego faciam reliquiis populi hujus, dicit Dominus exercituum.
12. Sed semen pacis erit: vinea dabit fructum suum, et terra dabit germen suum, et cœli dabunt
rorem suum: et possidere faciam reliquias populi hujus universa hæc. 13. Et erit: Sicut eratis
maledictio in Gentibus, domus Juda, et domus Israel; sic salvabo vos, et eritis benedictio:
nolite timere, confortentur manus vestræ. 14. Quia hæc dicit Dominus exercituum: Sicut

cogitavi ut affligerem vos, cum ad iracundiam provocassent patres vestri me, dicit Dominus. 15. Et non sum misertus : sic conversus cogitavi in diebus istis ut benefaciam domui Juda et Jerusalem : nolite timere. 16. Hæc sunt ergo verba, quæ facietis : Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo : veritatem et judicium pacis judicate in portis vestris. 17. Et unusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris : et juramentum mendax ne diligatis : omnia enim hæc sunt, quæ odi, dicit Dominus. 18. Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens : 19. Hæc dicit Dominus exercituum : Jejunium quarti, et jejunium quinti, et jejunium septimi, et jejunium decimi erit Domui Juda in gaudium, et lætitiam, et in solemnitates præclaras : veritatem tantum, et pacem diligite. 20. Hæc dicit Dominus exercituum : Usquequo veniant populi, et habitent in civitatibus multis. 21. Et vadant habitatores, unus ad alterum, dicentes : Eamus, et deprecemur faciem Domini, et quæramus Dominum exercituum : vadam etiam ego. 22. Et venient populi multi, et gentes robustæ ad quærendum Dominum exercituum in Jerusalem, et deprecandam faciem Domini. 23. Hæc dicit Dominus exercituum : In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis Gentium, et apprehendent fimbriam viri Judæi dicentes : Ibimus vobiscum; audivimus enim quoniam Deus vobiscum est.

2. Zelatus sum,] q. d. Zelotypus fui et indignatus Hierosolymæ, puta Synagogæ Judæorum, quod ipsa sponsa mea me sponsum adeo suî amantem dereliquerit, et ad idola confugerit, ut idcirco et ego ipsam tam indigne me spernentem, spernere et deserere coactus sim : quo factum est ut ipsa in Chaldæorum manus inciderit, ab iisque per septuaginta annos quasi ancilla captiva, spoliata et misere tractata sit. Ita Theodor. Remig. Haymo, Lyran. et Vatabl. Verum quia ipsa hisce malis afflicta et erudita resipuit, mecumque in gratiam redire cupivit; hinc secundo, ego vicissim ex pristino meo in eam amore et zelo, eam in gratiam et thorum recipiam; habitabo cum ea in Jerusalem, hostesque ejus acriter persequar et puniam. Ita S. Hieron. Zelus enim est ingens amor rei amatæ, qui parit iram ingentem in eos qui rem amatam lædere, vel amanti eripere satagunt, uti dixi Sophoniæ, 3. 8.

3. Et vocabitur Jerusalem civitas veritatis, et mons Domini.] *Veritatis*, primo, quia post reditum è Babylone, jugiter usque ad Christum viguit in ea vera Dei cognitio, vera fides, vera religio, verus Dei cultus. Ita Hugo et Lyran. Secundo, *veritatis*, Hebr. אמת *emeth*, id est, stabilitatis, constantiæ, fidelitatis, ut fidem mihi datam deinceps non sit violatura, sed constanter mihi quasi sponso et Deo suo adhæsura, nec amplius ad idola deflexura, uti reipsa post reditum è Babylone ad ea nunquam deflexit. Unde Syrus vertit : *Vocabitur Jerusalem civitas sancta.* Sic et Arabicus.

Allegor. Synagoga fuit typus Ecclesiæ, quæ est *columna et firmamentum veritatis*, 1. Timoth. 3. 15. Quia ejus magister est Christus, qui est via, veritas et vita; ac Spiritus sanctus, qui est Spiritus veritatis, utpote ab æterna sapientia et veritate, quæ est Verbum Patris, procedens, ideoque docens omnem veritatem, tum fidei et religionis, tum morum : utramque enim docuerunt Christus et Apostoli recepto Spiritu sancto in Pentecoste in Jerusalem, ac deinde in toto orbe, juxta illud Isaiæ, 2. 3 : *De Sion exibit lex, et Verbum Domini de Jerusalem.* Ita Theodoret. et Rupert.

Mons Domini exercituum.] Syrus et Arabicus, *mons Domini fortis*, utpote, quem stipant tot exercitus angelici. Alludit ad Isaiæ 2. 3 : *Ibunt populi multi, et dicent : Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus.* Mons hic est Sion et Moria, in quo ædificatum est templum : qui fuit typus Ecclesiæ. Hinc vocatur *Mons sanctificatus.* Primo, sacrificio Abrahæ : quia in eo Abraham jussus est immolare Isaac, Genes. 22. 14. in signum quod in eodem (Calvariæ enim mons, in quo crucifixus est Christus, est pars, sive jugum montis Moria) immolandus esset Christus; qui deinde ibidem reipsa crucifixus, hac suî immolatione summe hunc montem sanctificavit. Secundo, quia in eo erexit Salomon templum, illudque Deo sanctificavit et consecravit. Rursum Deus in eo colebatur sanctis sacrificiis, cæremoniis, psalmis, laudibus, votis, precibus, etc. Denique in eodem Christus cœpit congregare, docere et instituere suam Ecclesiam, quam sua doctrina, gratia, meritis, Sacramentis sanctificavit.

Adhuc habitabunt senes.] Prædicit deinceps Jerusalem fore pacatam et felicem, ut abundet civibus omnis ætatis et sexus, pueris et puellis ludentibus in plateis, iique prorogent vitam ad senium, et sint longævi : idque ita contigisse patet 2. Machab. 3. 1. Ita S. Hieron. Theodor. Remig. et Lyran.

Allegor. significatur Ecclesiæ et fidelium pax, multitudo et longævitas, quam prædixit Isaias c. 2. 4 : *Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces : non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.* Et c. 65. 20 : *Non erit ibi amplius infans dierum, et senex qui non impleat dies suos.* Vide ibi dicta.

Et viri baculus.] Ita Roman. Significatur virorum in Jerusalem et Ecclesia longævitas, adeo ut quisque in ea senex habeat baculum, cui præ senio innitatur, sive is sit stipes, sive famulus aut filius, uti parenti seni apud Romanos fuit Scipio (ei enim innitebatur parens quasi baculo) à quo nobilis Scipionum familia originem et nomen traxit. Sensus est, q. d. Tanta erit Hierosolymæ civium sanitas et prosperitas, ut senes et maximi sint et plurimi, quorum consilio resp.

sapienter et feliciter gubernetur. In senibus enim est experientia, maturitas, sedatio cupiditatum, indeque sapientia et prudentia : unde ex senibus olim lectus et dictus est senatus. Nota hebraismum, quo *vir* ponitur pro *unoquoque*, q. d. *Viri*, id est, cujusque senis, *baculus erit in manu ejus*, quo significat, non unum alterumve, sed plurimos fore senes. Ita Sanchez.

7. De terra Orientis et de terra Occasus.] Sub his duabus præcipuis mundi plagis, quatuor intelligit, puta sub Oriente Meridiem, sub Occasu Septentrionem, q. d. Quocumque Judæi fuerint dispersi per captivitatem Babylonicam, inde salvabo eos et reducam in Jerusalem. Nec dubium est quin, licet ipsi directe in Chaldæam, quæ Judææ est ad Aquilonem, sint abducti, inde tamen multi ad alia regna Orientalia et Occidentalia migrarint. Rursum alios, adventantibus in Judæam Chaldæis, profugisse ad Ammonitas, Moabitas, Idumæos, Syros, etc. patet ex Isaia, c. 16. 4. Hi ergo audito reditu suorum è Babylone in Jerusalem, ejusque et templi reædificatione, æque ac incolarum prosperitate et felicitate, eo propere redierunt. Ita S. Hieron. Theodor. Rupert. et alii.

Allegor. et potius, significatur gentium omnium ex cunctis mundi plagis confluxus ad Christum et Ecclesiam, juxta illud Isaiæ, 49. 12 : *Ecce isti de longe venient, et ecce illi ab Aquilone, et mari, et isti de terra Australi;* Hebr. *de terra Sinim*, id est, Sinarum. Et c. 66. 19 : *Et mittam ex eis qui salvati fuerint ad Gentes in mare, in Africam, et Lydiam, tenentes sagittam : in Italiam et Græciam, ad insulas longe.* Hoc est quod ait Christus, Matth. 8. 11 : *Multi de Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cælorum.* Et c. 24. 31 : *Mittet Angelos suos cum tuba, et congregabunt eos à quatuor ventis, à summis cælorum usque ad terminos eorum.* Ita S. Hieron.

8. Et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum in veritate et in justitia.] Ut scilicet ipsi colant me vera fide et constanti fidelitate, æque ac justis sanctisque moribus; ego vicissim vere, id est, fideliter et juste, præstem eis curam, custodiam, pacem et prosperitatem quam promisi. Hoc verum fuit in Judæis, verius est in Christianis. Ita Vatabl. et Arias, qui recte τὸ *in veritate et in justitia*, tam ad Deum, quàm ad populum cum Deo paciscentem referunt. In pacto enim uterque paciscens alteri fidem suam obligat, eamque vere et juste præstare debet.

9. Confortentur manus vestræ,] tum ut inchoatam templi fabricam, uti sequitur, perficiatis; tum ut leges et jussa Dei fortiter resistendo difficultatibus, tentationibus et hostibus, præsertim vicinis Gentilibus, adimpleatis.

10. Siquidem ante dies illos merces hominum non erat.] Hortatur Judæos ad strenue prosequendam fabricam templi, proponendo eis præteritam sterilitatis plagam, eis à Deo inflictam ob fabricæ neglectum, et præsentem fertilitatem ob ejusdem curam et studium. *Mercedem* vocat fructum et lucrum operæ, q. d. Antequam manum admoveretis ædificationi templi, intendebatis fabricæ domorum, ac culturæ agrorum et jumentorum vestrorum; sed merces, id est, fructus et messis, non respondebat labori vestro, et jumentorum vestrorum : tam enim agri, villæ, pascua, et vineæ, quàm jumenta post omnem culturam, laborem et saginam manebant sterilia, paucasque dabant segetes, uvas, fœtus et animalium sobolem. Ita S. Cyril.

Neque erat pax,] q. d. Undequaque Samaritæ, Moabitæ, aliique vicini hostes vos impetebant et infestabant. Ita S. Hieron. et Cyril.

Dimisi omnes homines,] q. d. Permisi non tantum foris prælia, ut iis vos vicini divexarent; sed et intus seditiones, ut quisque contra proximum insurgeret.

11. Nunc autem (cum domus meæ fabricam curæ et cordi habetis) semen pacis erit.] Primo, q. d. Fruges copiosæ et securæ vobis provenient, quales solent tempore pacis, cum optime coluntur agri, nec est hostis qui sementem impediat, aut messem auferat. Ita Vatabl. et à Castro. Unde Septuag. vertunt : *Monstrabo pacem*, adeo ut non tantum homines, sed et elementa vobis pacifica sint, imo in vestrum bonum et alimoniam conspirent. Nam ut sequitur : *Vinea dabit fructum suum, et terra dabit germen suum, et cæli dabunt rorem suum.* Secundo, per catachresin *pacis*, id est, abundantiæ, fertilitatis et prosperitatis. Horum enim, imo bonorum omnium causa, æque ac symbolum est pax juxta illud ps. 121. 7 : *Fiat pax in virtute tua, et abundantia* (quæ ex pace consequi solet) *in turribus tuis*, q. d. Faciam semen vestrum fertile, ut abundantes producat spicas et fruges. Tertio, alii sic exponunt : *Semen erit pacis*, id est, benedictionis, q. d. Benedicam seminibus vestris. Pax enim est magna benedictio, et majorem secum adducit. Unde Christus et Apostoli hac salutatione ex ritu Hebræorum uti solent : *Pax vobis :* qua phrasi omnem benedictionem apprecantur. Quarto alii vertunt : *Semen erit in pacem*, id est, pacifice conservabitur, crescet et maturescet, q. d. In pace, id est integras, et illæsas ab aurugine omnique aeris vitio, æque ac ab hoste servabo fruges vestras, tam tempore sementis ac deinceps, quàm messis. Quinto, hebr. שלום *scalom*, id est pax, significat quoque integrum, perfectum. Unde Chald. et Tigurina vertunt : *Semen plenum et perfectum erit*, tum in se, tum consequenter in spicis et granis, quæ ex se plena perfectaque progerminabit. Omnes hæ expositiones eòdem redeunt : primæ tamen duæ magis sunt genuinæ et conformes phrasi Hebrææ. Hæc ad litteram contigerunt Judæis Babylone redeuntibus; sed spiritaliter magis conveniunt Christianis ex infidelitate, vel peccato ad Ecclesiam et Deum revertentibus, eique mysticum in anima sua templum ædificantibus. Hisce enim Deus facit ut omne semen eorum sit pacis, id est, ut omnia quæ aggrediuntur et moliuntur prospere cedant, ac feliciter et fertiliter proveniant, indeque fructus, præsertim spiritales virtutum, tum in seipsis, tum in proximis colligant. Ita S. Hier. Theod. Remig. et Lyran.

Dices : Hoc semen et benedictionem vers. 13. promittit non tantum Judæ, sed et Israeli : Israeli autem hoc ad litteram non obvenit, utpote qui è captivitate Assyriaca non rediit. Ergo Israel et Juda hîc non carnalis, sed spiritalis intelligitur, puta populus fidelis. Ob hoc argumentum Judæi censent hæc necdum impleta esse, sed ea implenda à suo Messia quem exspectant. Verum respondeo Israelis hîc fieri mentionem, quia multi ex Israelitis, veræ et avitæ fidei et religionis sectatores, transierant ad Judam, cum eoque in Babylonem abducti, cum eo pariter re-

dierunt, ac proinde pacis et felicitatis illi hic promissæ fuere participes, utpote cum eo conspirantes, et in unam gentem coalescentes.

Moral. disce religionem et cultum Dei esse semen omnis felicitatis. Vidit hoc per umbram Cicero : nam lib. 2. de Natura Deorum, Romanorum felicitatem, imperium et triumphos religioni attribuit : *Si*, ait, *conferre volumus nostra cum externis, cæteris rebus aut pares, aut etiam inferiores reperiemur : religione, id est, cultu deorum, multo superiores.* Et mox : *Apud majores tanta religionis vis fuit, ut quidam imperatores etiam seipsos diis immortalibus, capite velato verbis conceptis pro Republ. devoverint.* Idem, orat. in P. Clodium, quæ numero est trigesima : *Quis*, ait, *est tam vecors, qui, etc. non intelligat eorum* (deorum) *numine hoc tantum imperium esse natum, et auctum, et retentum? Licet ipsi nos amemus, tamen nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos, nec denique hoc ipso hujus gentis ac terræ domestico nativoque sensu Italos ipsos ac Latinos; sed pietate ac religione, atque hac una sapientia, quod deorum immortalium numine omnia regi gubernarique perspeximus, omnes gentes nationesque superavimus.* Vide dicta Aggæi, 1. 6. ubi ipse idem argumentum tractat, quod hic Zacharias; utpote illi coævus, et adjutor à Deo datus ad promovendam templi fabricam, ut patet 1. Esdræ 5. 1. Præclare S. Cyprian. tractat. de Orat. Domin. *Cum Dei*, inquit, *sint omnia, habenti Deum nihil deerit, si Deo ipse non desit.* Quare idem recte alibi monet ut cor non medium, non divisum, sed totum demus Deo, cujus est, et qui illud totum reposcit, solusque illud implet et satiat : *Sufficis*, inquit, *ô anima, Deo ; sufficiat et tibi Deus tuus.* Nam, ut ait S. August. in Soliloquiis c. 19 : *Minus te, Domine, amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.*

13. Et erit : Sicut eratis maledictio in Gentibus, etc. sic salvabo vos, et eritis benedictio.] *Maledictio*, id est valde maledicti, *benedictio*, id est valde benedicti. Ita Chald. et Septuag. qui vertunt : *Sicut eratis in maledictione, sic eritis in benedictione*, q. d. Sicut omnes gentes apud quas captivi exsulastis vobis maledicebant, vosque subsannabant et exsecrabantur : ita vice versa cum viderint vos à me liberari, prosperari, locupletari, vobis benedicent, laudabunt et celebrabunt; secundo, benedictio et maledictio, id est exemplum, parabola et formula benedictionis et maledictionis, quam omnes usurpant, cum alicui maledicere, vel benedicere volunt, ut dicant : Fiat tibi sicut istis Judæis, ut scilicet sis maledictum, probrum et exsecratio Dei et hominum, sicut ipsi sunt ; aut, sis benedictio, id est, cumulus bonorum, laus et gloria tibi obveniat, ut scilicet Deus te cumulet bonis omnibus, uti cumulavit Judæos, ideoque omnes te laudent, celebrent et glorificent. Ita Vatabl. Simili modo de iisdem ait Jerem. cap. 24. 9 : *Dabo eos in vexationem afflictionemque omnibus regnis terræ, in opprobrium, et in parabolam, et in proverbium, et in maledictionem in universis locis ad quæ ejeci eos.* Et Ezech. 14. 8 : *Faciam eum in exemplum et in proverbium.*

16. Veritatem et judicium pacis, id est, pacificum, ut vertit Chald. et Septuag. puta justum et æquum, de quo nemo jure conqueri possit, judicate in portis vestris,] id est in curiis, tribunalibus et judiciis, quæ vos, ô Judæi, habetis et exercetis in portis urbium ; secundo, pro *pacis* hebr. est שלום *sçalom*, quod verti potest integrum, perfectum, incorruptum, sincerum, uti dixi vers. 12, q. d. Ferte in judiciis sinceram sententiam sine acceptione personarum, ne sinatis vos corrumpi muneribus, nec judicetis ex favore, metu vel odio, sed recta ratione, et æquitate. In multis enim verum est illud Poetæ : *Auro loquente, sermo omnis inanis est. Persuadet aurum quidlibet, silens tamen.* Tertio, aliqui per *judicium pacis*, inquit Vatabl. intelligunt judicium non obscurum, non captiosum, unde lites oriri solent, sed clarum et candidum, quod pacem et concordiam inter partes litigantes conciliat.

17. Contra amicum,] contra proximum ; ita Septuag. et Chald. Hic enim hebr. vocatur רע *rea*, id est socius, amicus ; causam dedi, Levit. 19. 18.

Juramentum mendax ne diligatis,] imo summe odiatis et exsecremini : est miosis; minus enim dicitur, sed plus intelligitur.

19. Jejunium quarti, et jejunium quinti, et jejunium septimi, et jejunium decimi, supple mensium, non dierum, erit domui Juda in gaudium.] Hic respondet quæstioni de jejuniis propositæ à Judæis, cap. 7. 1, ait S. Hieron. Remig. et Haymo. Porro menses Hebræorum inchoantur et numerantur à Nisan, id est Martio ; hic enim erat primus anni sacri mensis, ex decreto Dei, Exodi 12. 2. Quartus ergo ab eo mensis erat Tammus, qui partim Junio, partim Julio nostro respondet. Hujus die nona jejunabant Judæi, eo quod illo die à Chaldæis perfractus et interruptus esset murus Jerusalem, ut patet Jerem. 52. 6. Ita S. Hieron. et Cyrill. Quintus mensis erat Ab, qui respondet nostro partim Julio, partim Augusto. Hujus die decima jejunabant Judæi, eo quod illo die à Chaldæis combustum esset templum, ut patet Jerem. 52. 12. Septimus mensis erat Tisri, qui partim Septembri, partim Octobri respondet. Hujus die tertia jejunabant, eo quod illo die Godolias esset occisus ab Ismaele, Jerem. 41. 2. Decimus mensis erat Tebet, qui partim Decembri, partim Januario respondet. Hujus decimo die jejunabant, quod eo die obsideri cœpit Jerusalem à Chaldæis, 4. Reg. 25. 1.

Quærentibus ergo Judæis an his diebus, quibus ipsi ob cladem urbis populi et templi, hucusque luxerant et jejunaverant, jam restaurata urbe et templo adhuc lugere et jejunare debeant? respondet Deus : Nequaquam ; se enim luctum in gaudium, mœrorem in lætitiam, jejunia in festa et festiva convivia conversurum, eo quod urbi, templo et incolis sit benedicturus, bonisque omnibus cumulaturus (si tamen pacem cum proximis, et veritatem, id est fidelitatem, cum Deo diligant et custodiant); sic ut deinceps hilares et felices agant menses et annos, adeoque illis diebus, quibus paulo ante ob eversam urbem et templum lugere et jejunare solebant, jam conversa rerum vice celebrent solemnia festa et convivia ; perinde ac fecerunt Judæi liberati et exaltati ab Esther celebrantes dies Phurim, id est sortium, per solemnes epulas et munera, Esther 9. 19. Ita S. Hieron. Remig. Albert. Hugo, Lyran. et alii.

Nota : Erant et alia aliis de causis in mensibus jam nominatis indicta apud Hebræos jeju-

nia. Nam quarti mensis die 17. jejunabant, quod eo die Moses descendens à Sina, videns populum adorantem vitulum aureum, confregerit tabulas lapideas, quibus Deus digito suo Decalogum inscripserat, Exodi 32. 19. Jejunabant et mense quinto die primo, quod eo mortuus sit Aaron frater Mosis, et primus Hebræorum à Deo constitutus pontifex, Numer. 20. 28. item die nono, quod eo jussi essent à Deo Hebræi ob murmur exploratorum, per 40 annos peregrinari in deserto, ibique mori. Rursum mense septimo die decimo erat jejunium expiationis sancitum à Deo, Levit. 23. 27. Insuper mense 10, die 8 erat jejunium, quod illo die lex in Græcum versa sit à Septuag. Interpretibus, tempore Ptolemæi Philadelphi, et tenebræ occuparint totum mundum triduo. Hæc omnia et plura habet Calendarium Hebræorum, quod in Latinum idioma transtulit Genebrardus, et suis in psalmos commentariis præfixit. Porro de his jejuniis abolendis hic non agitur, licet id aliqui putent : tum quia illa antiqua erant; hic autem agitur de novis et recenter institutis; tum quia quædam ex illis sancita erant à Deo, uti jejunium in die expiationis, Levit. 23. 27. Non est autem verisimile ea hic à Deo revocari et irritari; tum quia Judæi, cap. 7. 1, tantum quærebant an jejunia mense quarto et quinto instituta ob excidium urbis et templi, adhuc servanda essent restaurata jam urbe et templo? quibus respondet Deus non esse servanda, sed mutanda in solemnitates lætas et conviviales; ergo non agit de jejuniis aliàs aliis de causis institutis. Illa enim hoc loco impertinentia sunt.

Mystice, hæc quatuor mensium jejunia Judæis à Synagoga præcepta, adumbrarunt jejunia quatuor temporum Christianis ab Ecclesia indicta, imo hæc ad illorum non legem et obligationem (hæc enim cessavit in adventu et lege Christi) sed continentiæ et pietatis imitationem, vel exemplum esse instituta, docent S. Leo ser. 7. de Jejunio septimi mensis, et ser. 4 et 6. de Jejunio decimi mensis, ac S. Callistus epist. ad Benedictum. Cum enim Hebræi servarint stata quatuor temporum jejunia, æquum fuit ut similia observarent Christiani, qui Hebræis debent esse perfectiores, ideoque alia, et alias ob causas ac fines sublimiores sancita; quorum primus est, ut his temporibus partim Deo supplicaremus pro frugibus et fructibus terræ eo tempore nascentibus, partim ut pro iisdem jam natis et perceptis gratias ageremus. Nam in hisce quatuor temporibus aeris temperies maxime variatur, ac fructus omnes et fruges vel seruntur, vel nascuntur, vel maturantur, vel colliguntur. Hanc rationem affert S. Leo ser. 5 et 8. de Jejunio decimi mensis. Quocirca hæc jejunia cum gaudio et lætitia celebrat Ecclesia, præsertim quia mox post ea sequuntur solemnitates præclaræ, puta tum festorum Paschalis, S. Trinitatis, Corporis Christi, Nativitatis Christi, etc. tum æternæ in cœlis, quas per hæc jejunia promerentur fideles.

Secundus est, propter ordinationes sacerdotum aliorumque Ecclesiæ ministrorum quæ hisce quatuor temporibus fiunt, ut scilicet per jejunia et preces Deus invocetur ad assistendum et cooperandum Episcopis, ut ab iis indigni rejiciantur, et soli digni ordinentur, iique per eadem jejunia ad tantum ministerium, et ad recipiendum Spiritum Sanctum disponantur et præparentur. Tertius, ut per ea quatuor anni tempora, puta ver, æstatem, autumnum et hiemem, per quæ hæc jejunia distributa sunt, ac consequenter totum annum Deo in pœnitentiam et pietatis obsequium offeramus. Rursum, ut singulis mensibus unum diem Deo per jejunium dicemus. Terni enim dies jejuniorum per quatuor anni tempora distributi universim efficiunt duodecim dies, quot sunt menses in anno. Ita Bellarmin. lib. de Bonis oper. in partic. cap. 19. Imo S. Leo, ser. 9. de jejunio septimi mensis: *Ideo*, ait, *ipsa continentiæ observantia quatuor est assignata temporibus, ut in idipsum totius anni redeunte decursu, cognosceremus nos indesinenter divinis purificationibus indigere.* Idem, ser. 8. de Jejunio decimi mensis : *Hujus*, inquit, *observantiæ utilitas in Ecclesiasticis est præcipue constituta jejuniis, quæ ex doctrina Sancti Spiritus ita per totius anni circulum distributa sunt, ut lex abstinentiæ omnibus sit ascripta temporibus, siquidem jejunium vernum in Quadragesima, æstivum in Pentecoste, autumnale in mense septimo, hiemale autem in hoc, qui est decimus, celebramus, intelligentes divinis nihil vacuum esse præceptis.* Simili modo jejunamus Quadragesimam, ut decimas totius anni Deo per abstinentiam et pœnitentiam dependamus. Divide enim 360 dies quot sunt in anno, per decem, conficies dies 36, quibus per sex Quadragesimæ hebdomadas jejunamus. Hi ergo 36 dies sunt quasi decimæ dierum totius anni. Ita S. Gregor. homil. 26. in Evangelia.

20. USQUEQUO VENIANT POPULI.] Hæc verba pendent à præcedentibus, q. d. Luctus jejuniorum convertetur in lætas solemnitates, *usquequo*, id est adeo, vel in tantum, ut populi earum fama illecti, veniant et confluant ut eas videant, iisque pascant et oblectent. Ita S. Hieron. Aut, q. d. Celebrabitis solemnitates lætas et præclaras, donec lætiores et præclariores celebretis, quod fiet cum venient populi, etc. Unde Septuag. Chald. Pagnin. et Tigurina vertunt: *Adhuc venient populi,* quasi inchoetur hic nova periodus, sitque nova majorque promissio.

Jam hæc aliquo modo impleta sunt in Judæis post reditum è Babylone, præsertim tempore Machabæorum, cum populi multi tum è variis Judææ urbibus, tum ex vicinis Gentibus videntes felicitatem, victorias et gloriam Hierosolymæ et templi, se invicem cohortati sunt, ut eò properarent, illaque fruerentur. Tunc enim multos Gentiles variis in locis suscepisse Judaismum, et factos esse proselytos, liquet ex Esther cap. 8. 17. et 3. Esdræ 5. 50. et Act. 2. 11. et cap. 8. 27. Longe tamen verius et plenius impleta sunt tempore Apostolorum, cum per eos Gentes conversæ ad Christum et Ecclesiam (quæ est vera Jerusalem) turmatim undequaque cum gaudio et jubilo invicem se cohortantes properarunt et confluxerunt, uti fore prædixit Isaias cap. 2. 2. et Michæas cap. 4. 2. Ita S. Hieronym. Theodor. Rupert. Hugo, Lyran. Vatabl. et alii passim.

21. ET VADANT HABITATORES UNUS AD ALTERUM, DICENTES.] Ita Rom. sed Ribera legendum censet: *Et vadant habitatores unius*, scilicet civitatis, *ad alteram;* idque clarius videtur et concinnius, itaque habent Hebræa. Unde et Septuag. vertunt : *Et congregabuntur qui habitant civitates in unam civitatem, dicentes;* et Chald. *Et ibunt unius incolæ cum alterius urbis habitatoribus, di-*

centes : Eunles eamus oratum faciem Domini. Hoc verum fuit in Jerusalem, verius in Ecclesia. Sic videmus in Italia integros pagos et oppida turmatim Lauretum confluere, ac se invicem cohortari ad visitandam et venerandam sacram illam ædem B. Virginis miraculose ab Angelis eò ex Judæa translatam, in qua ipsa salutata ab Angelo Filium Dei concepit, et Verbum caro factum est.

Et quæramus Dominum exercituum.] Chald. *Quæramus doctrinam à Domino.*

Vadam etiam ego.] Est vox unius civitatis et populi, vel hominis ad alterum ; dum enim eum invitat, ac dicit : *Eamus et deprecemur faciem Domini, etc.* stimulum ei addit, subdens : *Vadam etiam ego*, q. d. Ego adeo huic profectioni, tibique in ea non deero, ut omnino velim esse consors et comes, imo dux itineris. Ita S. Hieron. Unde Chald. vertit : *Iste huic dicet : Vadam etiam ego.* Alii, ut Theodor. Arias et Hugo, censent hanc vocem esse civium promiscue se ad iter offerentium, ut quisque eorum dicat : *Vadam etiam ego.* Unde Vatabl. *Dicent*, ait, *quamplurimi : Etiam ego vadam*, vel *ibo tecum;* ut sit vox associantium se aliis pergentibus in Jerusalem, q. d. Plurimi, videntes alios tendere in Jerusalem et in Ecclesiam, certatim ad eos confluent, eorum comitatum ambient, eisque se aggregabunt, cum eisque iter capessent; unus enim dicet: Ibo et ego. Et alius : Et ego. Et tertius : Et ego ; ideoque dicent singuli.

Et gentes robustæ,] ac proinde nemini subesse, sed aliis dominari solitæ, jam colla submittentes Synagogæ et Ecclesiæ, ab illa regi ambient.

23. In diebus illis, scilicet fient hæc tam augusta, quæ dico et prædico : *Illis*, inquam, in quibus apprehendent decem, id est, plurimi (denarius enim, quia primus est post numeros singulares, qui *digiti* nuncupantur, eosque combinat et multiplicat; hinc multitudinis et universitatis est symbolum. Sic Levit. 20. 26, *decem mulieres* vocantur multæ. Ita S. Cyrillus) **HOMINES EX OMNIBUS LINGUIS GENTIUM, ET APPREHENDENT FIMBRIAM VIRI JUDÆI, DICENTES : IBIMUS VOBISCUM; AUDIVIMUS ENIM QUONIAM DEUS VOBISCUM EST,**] q. d. Plurimi ex omnibus Gentibus fient proselyti, ut cum Judæis unum Deum verum colant, ideoque statis festis ascendant in Jerusalem. Hoc inchoate verum fuit in Synagoga, uti censet Theodor. Sed plene et complete verificatur in Ecclesia, uti censet S. Hieron. pauci enim Gentiles facti sunt Judæi, sed omnes pene facti sunt Christiani : Propheta ergo hîc à typo avolat ad antitypum, puta à Jerusalem ad Ecclesiam, ita tamen ut ad typum alludat, eumque obiter quasi perstringat, itaque misceat typum cum antitypo. Vide can. 4 et 5. quos præfixi Prophetis Majoribus. Quocirca per Judæum hîc tum carnalem, tùm potius spiritualem et mysticum accipe, puta Apostolos primosque fideles, qui ex Judæis orti, vere fuere Judæi, id est, confitentes Deum et Messiam ab eo missum. His enim evangelizantibus magnoque zelo, sanctitate et miraculis prædicantibus adhæserunt Gentiles ; quia ex iis cognoscebant Deum esse cum illis. Ita S. Hieron. Cyril. Remig. et alii. Rursum S. Hieron. per Judæum accipit Christum ortum ex Tribu Juda, qui Judæ sceptrum et regnum non temporale, sed spirituale restituit, juxta oraculum Jacobi, Genes. 49. 10. Verum non solum Christum hîc vocari Judæum, sed et Apostolos patet ex eo quod dicitur in plurali : *Ibimus vobiscum.* Sic Judæus accipitur mystice pro fideli et Christiano Rom. 2. 28. ubi dicitur : *Non enim qui in manifesto Judæus est, neque quæ in manifesto in carne est circumcisio, sed qui in abscondito Judæus est, et circumcisio cordis in spiritu, non littera*, scilicet vera est, digna grataque Deo. Et Philipp. 3. 3 : *Nos enim sumus circumcisio* (id est, circumcisi puta Judæi), *qui spiritu servimus Deo, et gloriamur in Christo Jesu.* Et Apoc. 2. 9 : *Blasphemaris ab his qui se dicunt Judæos* (id est, confitentes Deum Deique cultores) *esse, et non sunt, sed sunt Synagoga Satanæ.*

Mystice verus Judæus est religiosus Dei cultor, instituti sui observator ; religionis, modestiæ, pietatis, omnisque virtutis speculum, quem dum seculares vident, spiritu Dei instincti ardentesque apprehendunt ejus fimbriam, ut ejus institutum habitumque capessant, dicentes : *Ibimus vobiscum ; audivimus enim*, imo vidimus, *quoniam Deus vobiscum est ;* vos enim estis semen cui benedixit Dominus. Nihil equidem ita invitat seculares ad statum perfectionis, atque eorum qui in eo degunt vita sancta et exemplaris. Unde videmus Monasteria et Ordines, in quibus vigent disciplina et religio, certatim à plurimis ambiri, adeo ut multi repulsam patiantur; ea vero in quibus laxior est vita, negligi et destitui tam personis, quàm alimentis. Non est enim magnes, non lynx, non illex, qui validius ad se alliciat trahatque vel ferrea corda, quàm sanctitas vitæ et exempli. Ita exemplo Victorini ad fidem, et S. Antonii ad mundi contemptum se aliosque plures illectos exarsisse narrat S. August. lib. 8. Confes. cap. 5. 6. 7 et 11 : *Facilis*, inquit S. Leo ser. de S. Laurentio, *sit ratio efficax ad suadendum, validiora sunt tamen exempla quàm verba, et plenius est opere docere quàm voce.* Quin et Seneca, epist. 6 : *Plus tibi*, inquit, *viva vox et convictus quàm oratio proderunt : primum, quia homines plus oculis quàm auribus credunt ; deinde quia longum est iter per præcepta, breve et efficax per exempla.* Sic in vitis Martyrum crebro legimus, eorum fortitudine et alacritate spectantes illectos et incensos, sponte ad martyrium procurrisse. Sic S. Joanni Baptistæ hæc dat elogia S. Bernard. ser. de Privilegiis Baptistæ : *Joannes parentum gaudium, nobilitas generis, orbis exemplum, finis legis, Evangelii principium, mortis expulsio, janua vitæ, decus hominum, conversionis splendor, omnis justitiæ principatus.* Idem hortatur sororem lib. de Modo bene vivendi, cap. 16, ut sibi ad imitandum proponat, ac à Deo postulet *humilitatem Christi, devotionem Petri, charitatem Joannis, obedientiam Abrahæ, patientiam Isaac, tolerantiam Jacob, castitatem Joseph, mansuetudinem Moysi, constantiam Josue, benignitatem Samuelis, misericordiam David, abstinentiam Danielis, et cætera digna facta priorum Sanctorum.* Unde, inquit, in Cantic. dicitur: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis! Quæ sunt autem calceamenta Ecclesiæ, nisi exempla SS. Patrum, quibus in via hujus seculi munimur, ut per omnes tribulationes calceamenta ista ambulent?*

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deus populum suum è Babylone reducem, pauperem et afflictum consolatur promittendo primo, quod vicinos ejus hostes Syros, Tyrios et Philisthæos debellabit, illique subjiciet. Secundo, v. 9. quod Christum mittet salvatorem, qui mitis et humilis, sedens super asinam quasi rex, Messias et triumphator Jerusalem ingredietur, ac sublatis bellis pacem afferens dominabitur a mari usque ad mare, imo usque ad lacum inferni, ex quo vinctos suos educet, puta Patriarchas è limbo. Hac de causa mittet Apostolos per totum orbem, ut quasi arcus et gladii fortes, ac quasi jacula fulgurantia eum ipsi subigant, præsertim quia eos, æque ac fideles pascet et roborabit S. Eucharistia, quæ erit frumentum electorum, et vinum germinans virgines.

1. Onus verbi Domini in terra Hadrach, et Damasci requiei ejus : quia Domini
est oculus hominis, et omnium Tribuum Israel. 2. Emath quoque in ter-
minis ejus, et Tyrus, et Sidon : assumpserunt quippe sibi sapientiam valde.
3. Et ædificavit Tyrus munitionem suam, et coacervavit argentum quasi
humum, et aurum ut lutum platearum. 4. Ecce Dominus possidebit eam,
et percutiet in mari fortitudinem ejus, et hæc igni devorabitur. 5. Videbit
Ascalon, et timebit; et Gaza, et dolebit nimis; et Accaron, quoniam
confusa est spes ejus : et peribit rex de Gaza, et Ascalon non habitabitur. 6. Et sedebit sepa-
rator in Azoto, et disperdam superbiam Philisthinorum. 7. Et auferam sanguinem ejus de ore
ejus, et abominationes ejus de medio dentium ejus, et relinquetur etiam ipse Deo nostro, et erit
quasi dux in Juda, et Accaron quasi Jebusæus. 8. Et circumdabo domum meam ex his, qui militant
mihi euntes et revertentes, et non transibit super eos ultra exactor : quia nunc vidi in oculis meis.
9. Exsulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem : Ecce rex tuus veniet tibi justus, et salvator :
ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ. 10. Et disperdam quadrigam
ex Ephraim, et equum de Jerusalem, et dissipabitur arcus belli : et loquetur pacem Gentibus, et po-
testas ejus à mari usque ad mare, et à fluminibus usque ad fines terræ. 11. Tu quoque in sanguine
testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. 12. Convertimini ad munitionem
vincti spei, hodie quoque annuntians duplicia reddam tibi. 13. Quoniam extendi mihi Judam quasi
arcum, implevi Ephraim : et suscitabo filios tuos Sion super filios tuos Græcia : et ponam te quasi
gladium fortium. 14. Et Dominus Deus super eos videbitur; et exibit ut fulgur, jaculum ejus : et
Dominus Deus in tuba canet, et vadet in turbine Austri. 15. Dominus exercituum proteget eos :
et devorabunt, et subjicient lapidibus fundæ : et bibentes inebriabuntur quasi à vino, et reple-
buntur ut phialæ, et quasi cornua altaris. 16. Et salvabit eos Dominus Deus eorum in die illa,
ut gregem populi sui : quia lapides sancti elevabuntur super terram ejus. 17. Quid enim bonum
ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines ?

1. Onus verbi Domini in terra Hadrach et Damasci.] Quæres : Quodnam hoc onus ? Resp. *onus* est onerosa et minax prophetia, uti dixi, Isaiæ 13. 1. qua strages vel excidium alicui genti intentatur, uti hic intentatur Syris, Tyriis et Philisthæis, quod reipsa peractum est, partim per Alexandrum Magnum. Hic enim teste Curtio, lib. 3 et 4. de gestis Alexandri, ac Plutarcho in ejus Vita, cepit Damascum cum Darii thesauro, Palæstinam, Syriam, Cyprum, totamque Phœniciam; adeoque Tyrum post obsidionem septem mensium vastavit et combussit, duoque civium millia crucifixit. Partim per Machabæos, qui Syros et Philisthæos subegerunt, eosque ad circumcisionem ac Judaismum compulerunt, ut patet 1. Machab. 11. 59, ubi dicitur quod Antiochus *Simonem constituit ducem à terminis Tyri usque ad fines Ægypti. Et exiit Jonathas, et perambulabat* (quasi victor et dominator) *trans flumen civitatis, et congregatus est ad eum omnis*

exercitus Syriæ in auxilium, et venit Ascalonem, et occurrerunt ei honorifice de civitate. Mox succedens et deprædatus Gazam, *perambulavit regionem usque Damascum.* Ita S. Cyrillus, Albert. Hugo, Lyran. et à Castro. Hoc enim est proprie dictum onus, quod Deus hîc Syris, Tyriis et Philisthæis imponit. Verum quia hoc Machabæorum dominium non fuit plenum et diuturnum, sed modicum et modici temporis, nec per eos tota gens Syrorum, Tyriorum et Philisthinorum fuit conversa ad Deum et Judaismum, hinc Propheta miscens hîc typum antitypo avolat ad Christum, qui per Apostolos plene has aliasque gentes convertit, easque Deo et sibi per Evangelium subjecit. Ita S. Hieron. Theodor. Remig. Haymo, Clarius, Vatabl. Arias, Ribera, à Castro et alii.

Dices : Hæc Gentium conversio ad Christum, justitiam et salutem, non fuit onus, sed ingens gratia et donum. Resp. læta hæc prophetia vocatur *onus.* Primo, quia tristis et molesta erat ipsi mundo gentili, ipsisque Gentibus ante conversionem, utpote hostibus fidei, eique usque ad mortes et martyria multorum repugnantibus. Unde Apostoli eas invaserunt instructi arcubus, gladiis et telis fulgurantibus, sed mysticis et spiritualibus, uti audiemus, vers. 13. easque trucidarunt dum infidelitatem, libidinem, crapulam, omnemque impietatem in eis occiderunt, atque ex infidelibus fideles, ex incestis castos, ex ebriis sobrios, ex impiis pios effecerunt. Ita S. Hieronym. Addit Arias Evangelicam legem quam Apostoli Gentibus conversis imposuerunt, esse onus, idque in se grave : tale enim est mortificatio passionum, refrenatio cupiditatum, abstinentia, condonatio injuriarum, amor inimicorum, contemptus mundi, etc. Sed quod per gratiam Christi sit leve, juxta id quod ipse promisit, Matth. 11. 29 : *Tollite jugum meum super vos, et discite à me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.* Ubi nota : solent Prophetæ de Christo vaticinaturi, non ex abrupto ad eum transire, sed gradatim, puta per res et historias sui ævi, quæ typus sunt Christi, quasi per gradus ad Christum ascendere, ideoque sensim ad eum ascendendo illas cum eo commiscent, et de utrisque simul eodem sermone loquuntur, illas ut typum obiter perstringendo, in Christo vero ut in scopo hærendo. Ita hîc facit Zacharias, præsertim quia id facere cœpit cap. præced. vers. ultimo. Porro id faciunt Prophetæ, ut ostendant consensionem et connexionem rerum legis veteris cum rebus legis novæ, nimirum omnia veteribus in figura contigisse, ut ait Apostolus, 1. Cor. 10. 11. Atque finem legis et Prophetarum esse Christum, utpote quem omnes adumbrarint, et in quem ut scopum omnia terminentur et desinant. Unde S. Hieron. *Omnis hæc visio*, inquit, *sive pondus et onus verbi Domini, ut interpretatus est Aquila ad vocationem Gentium et exstructionem Ecclesiæ pertinet.*

Ad hanc enim è fabrica templi assurgit Propheta, in eamque ut in antitypum desinit.

HADRACH] nomen est loci vicini Damasco; sed quis et ubi, incertum, præsertim quia de eo mire variant Interpretes. Probabile est quod ex S. Hieron. Ptolem. Guilielmo Tyrio et aliis scribit Adrichomius in Descriptione terræ sanctæ, pag. 75 : *Adrach,* ait, *sive Hadrach, alias Adra, Adraon et Adratum, Cœlesyriæ oppidum est à Bostra 25 millibus distans, à quo etiam adjacens regio terræ Adrach nuncupatur, de qua Zacharias prophetavit. Post Christi tempora urbs hæc Episcopali sede cohonestata Archiepiscopo Bostrensi parebat. Atque quo tempore Occidentales Christiani rerum in Palæstina potiebantur, etiam vulgo civitas Bernardi de Scampis dicta fuit.*

Perperam ergo Rabbini per *Hadrach* accipiunt Messiam : eo quod ipse futurus sit חד *chald*, id est, acer Gentibus; et רך *rach*, id est, mollis et placidus Judæis. Perperam quoque apud Septuag. pro *Hadrach* legitur *Sedrach.*

Mystice. S. Hieron. Verbum, inquit, Domini est *Hadrach*, hoc est *chad*, id est, acre in peccatores, et *rach*, id est, molle et clemens in justos. Rursus *Hadrach* est Judæa, super quam et austeritatem suam Dominus exercuit et clementiam; austeritatem in eos qui credere noluerunt, clementiam in illos qui cum Apostolis ad Deum per Christum sunt reversi. Damascus sunt Gentiles : in his est requies Domini. Damascus enim hebr. idem est quod bibens sanguinem, aut sanguis cilicii, ut prior interpretatio cruentum populum significet, secunda crudelitati ejus pœnitentiam copulatam. Unde sequitur : *Quia Domini est oculus, etc.* Hæc S. Hier. Hinc et Arabicus vertit : *Revelatio Domini in terra Sedrach, et victimæ ejus erunt Damasci.*

ET DAMASCI REQUIEI EJUS.] Pronomen *ejus*, refert *onus* Domini quod præcessit. q. d. Hadrach et Damascus erunt requies oneris, quod hîc enarro et vaticinor : aut, Hadrach et Damasco incumbet, in eisque requiescet hoc calamitatum onus et pondus. Ita Albert. Arias et Clarius. Perperam ergo Lyran. τὸ *ejus* refert ad Syriam. q. d. Syriæ requies est in Damasco : in ea enim, quasi in metropoli sua robustissima et invicta, secure conquiescit. Nam Syriæ nulla hîc fit mentio.

Mystice, τὸ *ejus* referri potest ad τὸ *Domini* quod præcessit, q. d. Requies Domini erit Damascus, cum in ea ipse cognoscetur et coletur, Dominus per Evangelium requiescet in Damasco, quod factum est per S. Paulum aliosque Apostolos. Nam S. Paulus pergens Damascum, è cœlo tactus conversus est ad Christum, ac mox in Synagoga Damasci Christum prædicare cœpit, Act. 9. Unde Chald. vertit : *Damascus convertetur ut sit de terra majestatis ejus*, juxta illud S. Petri, ep. 1. c. 4. 14 : *Quoniam quod est honoris, gloriæ et virtutis Dei, et qui est ejus spiritus super vos requiescit.* Hinc et Septuag. vertunt : *Damasci sacrificium ejus.* Fuit enim Damascus nobilissima, antiquissima et opulentissima civitas, caput Syriæ, sex diebus distans à Jerusalem, in qua conficiebantur celebres illi panni serici, vulgo dicti Damasceni; ac proinde illustris et gloriosa fuit ejus ad Christum et Ecclesiam conversio, ac in primis ipsa nobilitata fuit miraculosa conversione S. Pauli, uti jam dixi, et postea nativitate B. Joannis Damasceni.

DOMINI EST OCULUS.] Oculus Domini hîc dupliciter accipi potest, scilicet activus, et passivus, puta videns et visus. Primo ergo S. Hier. et Theodor. de oculo activo sic exponunt, q. d. Domini oculus videt, curat et regit omnes homines, æque ac Tribus Israel, ut scilicet impios

puniat, pios tueatur et protegat. Unde Septuag. vertunt : *Quia Dominus respicit homines, et omnes Tribus Israel;* et Chald. *coram Domino manifesta sunt opera filiorum hominum, et sibi complacet in omnibus Tribubus Israel;* et Syrus: *Domino manifesti sunt homines, et omnes Tribus Israel;* et Arabicus, *Dominus intuitus est universos homines, et omnes Tribus Israel.*

Secundo, de passivo sic exponunt Albert. Hugo et Lyran. q. d. Domini id est, ad Dominum respicit oculus hominis : aut Domini est convertere ad se oculum hominis. Quocirca Arias vertit : *Dominus est oculus hominis.* Est metonymia : ponitur enim potentia pro objecto, puta oculus pro re visa quam oculus videt et respicit, qualis est hìc Dominus. Unde alii ex Hebræo clarius vertunt : *Ad Dominum est oculus hominis.* q. d. Dominus Deus est objectum in quod intendit et respicit oculus et mens omnis hominis, quanto magis tribuum Israel postulantium et obsecrantium Deum, ut puniat Damascenos et Philisthæos, qui Israelem continuo affligunt? Quapropter Deus Israelem exaudiens plectet illos, imo Israeli subjugabit, ideoque hoc eis onus imponet, quod per me Zachariam hìc prænuntiat, q. d. Præmium spei Israelis in Deum erit imperium in urbes et gentes finitimas. Hoc est quod ait Psaltes ps. 122. 2 : *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Deus enim est monarcha, qui potest regna mutare, reges et tyrannos loco movere.

Mystice, Christus est oculus activus, qui respicit et curat omnium Gentium salutem, æque ac Tribuum Israel. Unde ad omnes misit Apostolos, qui eos converterent et salvarent. Et passivus, quia in eum salvatorem respiciunt oculi omnium hominum, sperantes ab eo gratiam omneque bonum. Quapropter de eo dixit Jacob Genes. 49. 10 : *Ipse erit exspectatio gentium.* Et v. 18. *Salutare tuum* (id est, Salvatorem tuum, puta Christum) *exspectabo, Domine.* Et Aggæus c. 2. 8 : *Veniet desideratus cunctis gentibus;* Hebr. *Veniet desiderium cunctarum gentium : desiderium,* id est, desideratissimus.

2. Emath quoque in terminis ejus, et Tyrus et Sidon.] Ita Biblia Roman. Primo, S. Hieron. τὸ *ejus* refert ad Damascum, q. d. Emath quoque sita in terminis Damasci, onus ejus excipit, æque ac Tyrus et Sidon. Porro Emath, Tyrus et Sidon erant in terminis Damasci, non tam situ spatioque locorum, quàm societate vindictæ : sicut Galat. 4. 25, mons Sion dicitur monti Sina esse conjunctus, non loco, sed typo et significatione. Planius τὸ *ejus* referas ad *onus Domini.* q. d. Onus Domini requiescens in Damasco, pertinget quoque ad Emath, Tyrum, et Sidonem, ita ut hæ urbes intra limites et terminos hujus oneris Domini contineantur. Deus enim sibi, suoque oneri et vindictæ omnes has urbes subiget, ut in iis sedeat quasi dominator, judex et vindex scelerum. Ita Albertus, Hugo et alii. Emath vel est Antiochia, vel Epiphania, quam multi putant esse Alapiam, vulgo Aleppo. Vide dicta Amos 6. 2.

Mystice, q. d. Deus et Christus sibi per Apostolos subjicient Emath, Tyrum et Sidonem, illisque onus Evangelicæ legis imponent, ut illud in ipsis, æque ac in Damasco requiescat. Unde Chald. vertit : *Emath quoque convertetur, ut sit de terra domus majestatis ejus, et Tyrus, et Sidon.* Ita S. Hieron. et Theodor.

Assumpserunt quippe sibi sapientiam valde.] Ita et Septuag. vertunt in plurali. Jam vertunt in singulari, *quia sapiens fuit valde,* scilicet Tyrus. Porro τὸ *quippe* ponitur pro *quamvis,* q. d. Quamvis Tyrus et Sidon, omnesque Phœnices glorientur de sapientia, se nimirum primos invenisse et docuisse litteras, tamen hi ipsi cedent sapientiori Deo, cum eos per Alexandrum, et deinde per Machabæos subjugabit; ac Christo, cum eos ad suam fidem et Ecclesiam per Apostolos traducet. Sic *quippe,* vel *quoniam,* ponitur pro *quamvis,* Exodi 13. 17. *Non duxit eos per viam terræ Philistiim, quia,* id est, quamvis, *vicina erat.* Psal. 77. 19. *Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? quoniam,* id est, quamvis, *percussit petram, et fluxerunt aquæ.* Secundo et nervosius τὸ *quippe* proprie ut causale accipias, q. d. Quia Tyrii et Sidonii sibi arrogarunt sapientiam, quasi per eam essent insuperabiles, hinc Deus ostendet eorum insipientiam, suaque sapientia eos debellabit et subjugabit, tum per Alexandrum et Machabæos, tum per Christum et Apostolos, juxta illud Apostoli, 1. Cor. 1 21 : *Quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* Et v. 25 : *Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.*

Porro Phœnices, ac nominatim Tyrum, gloriari solere de sapientia, patet ex eo, quod jactarent se invenisse litteras. Unde Lucanus, l. 3. Pharsal.

> Phœnices primi, famæ si creditur, ausi
> Mansuram rudibus vocem signare figuris.

Et ex illo Ezech. c. 28. 3 : *Ecce sapientior es tu Daniele : omne secretum non est absconditum à te. In sapientia et prudentia fecisti tibi fortitudinem, et acquisivisti aurum, etc.* Unde et de eo subdit Zacharias :

3. Et ædificavit Tyrus munitionem suam.] In Hebr. est elegans paronomasia inter צור *tsor,* et מצור *matsor,* q. d. Tyrus ædificavit Tyrum, puta rupes rupem, arx arcem, munitio munitionem. Tyrus enim dicta est hebr. *tsor* (unde Syrum *Tor,* et Latinum *Tyrus*) id est, rupes, quia in rupe, vel potius medio maris scopulo inædificata erat munitissima, et quasi arx inexpugnabilis. Hæc fuit ejus sapientia humana, qua domum sibi posuit in petra maris inaccessa, ideoque omnium regum copias et vires deridebat. Sed Deus hanc ejus sapientiam et superbiam dejecit, cum per Alexandrum Magnum eam cepit et vastavit.

Et coacervavit argentum quasi humum.] Rursum in Hebr. est annominatio inter תבצר *tibsar,* et עפר *aphar,* q. d. Acervavit sibi argentum quasi acervos arenæ, lutavit se argento quasi luto, pulverizavit argentum quasi pulverem, q. d. Tyrus suis mercibus et navibus tantum opum congessit, ut aurum et argentum in ea non pluris fieret quàm pulvis et lutum platearum, propter immensam ejus copiam. Quocirca hoc suo auro conduxit milites plurimos, quibus confisa nullum timebat hostem.

4. Ecce Dominus possidebit eam.] Hebr. יורישנה *ioriscenna,* quod est contrariæ significationis. Unde primo, verti potest : *Dominus hæreditabit;* vel *hæreditate possidebit eam.* Ita Noster et Septuag. Secundo : *Dominus hæreditate*

sua ejiciet, vel *expellet eam*. Ita Chald. et Vatabl. quia scilicet ejus incolas expulit sua urbe, arce, opibus, gloria, libertate et vita. Id factum est primo, per Alexandrum Magnum, qui Tyrum post septem mensium obsidionem ingenti labore, æque ac animo, terra aggeribus, mari ducentis triremibus oppugnavit et expugnavit, uti narrat Plutarch. in ejus Vita, qui et addit prodigia cladis Tyri prænuntia; scilicet primo, Herculem per quietem visum Alexandro, ex muro illi manus tendentem, invitantemque ad urbis ingressum. Secundo, Tyriorum multis, inquit, in somniis visus est Apollo, dicens, se ad Alexandrum transire; neque enim sibi cordi esse ea, quæ in urbe agerentur: quocirca Tyrii Apollinis, velut transfugæ, simulacrum catenis constrinxerunt, clavisque basi affixerunt. Tertio, Alexandro visus Satyrus sibi alludere, quem cum conaretur corripere, subducebat se; tandem post multas preces et circumcursitationes venit in manus ejus, quod vates interpretantes dixerunt: Tua est Tyrus. Satyrus enim græce dissectum, idem est quod σα id est, *tua*, τυρος, id est, *Tyrus*. Deinde Tyrus subacta est à Machabæis: nam tempore Christi Tyrus, Sidonii et Palæstini parebant, vel conjuncti et associati erant Judæis, eorumque Principi, aut Præsidi, uti prædixit Ezech. cap. 28. 25. et satis colligitur ex Act. 12. 20. et ex eo quod Christus, qui personaliter tantum prædicavit Judæis, quibus promissus erat, prædicarit quoque Tyriis et Sidoniis, ut patet Matth. 15. 21. et Marci, 7. 24. Nimirum id Deus procuravit per Machabæorum posteros, ut hac ratione sterneretur via Christo, qui in Tyro et Sidone erat prædicaturus. Ita Albert. Hugo, Lyran. à Castro et alii. Porro Josippus filius Gorionis, lib. 4. cap. 7. scribit Aristobulum abnepotem Judæ Machabæi, utpote ex fratre ejus Simone prognatum, expugnasse Tyrum. Unde Mystice significatur hîc idololatriæ eversio in Tyro, ejusque ad Christum conversio: ita S. Hieron. Theodor. Remig. Rupert. Vatabl. Ribera et alii.

Ubi nota Prophetam hîc docere tria fuisse in Tyro, quæ reddebant eam invictam, quæque maxime resistebant Christi Evangelio, scilicet sapientiam, opes et fortitudinem, eo quod tota erat circumdata mari, et tamen à Deo expugnandam, tum per Alexandrum, tum potius per Christum et Apostolos gladio verbi Dei, succisis ejus erroribus et vitiis. Unde persistens in metaphora ait, eam devorandam igni, scilicet charitatis et Spiritus sancti, quem Christus venit mittere in terram, et vehementer voluit accendi, Lucæ. 12. 49. Ita S. Hieron. Porro quàm incensus fuerit Tyriorum in Christum amor et fides, patet ex pluribus Martyribus, qui ibidem sub Diocletiano cum suo Episcopo Tyrannione leonibus, ursis, tauris et pardis objecti, cum feræ Sanctos attingere non auderent, læto et hilari vultu extensis in cœlum manibus oculisque, mente toti in Deum defixi, à carnificibus crudeliter jugulati sunt, uti narrat oculatus testis Eusebius Cæsar, l. 8. hist. cap. 7. et 14. aliàs 25. Simile est quod narrat Theodor. l. 3. histor. c. 6. scilicet Cyrillo Diacono Heliopoli in Phœnicia, eo quod idola confregisset, à Gentilibus sub Juliano Apostata dissectum fuisse ventrem, qui insuper exemptum ejus jecur more ferarum devorarunt, sed mox Dei vindictam senserunt.

PERCUTIET IN MARI FORTITUDINEM EJUS.] Tyrus enim in corde maris, ut ait Ezechiel, cap. 28, 2. sita, ejus erat domina et regina, sed Nabuchodonosor, et deinde Alexander obsidens eam, ut melius expugnaret, multa saxorum, arborum, aggerumque congerie comportata, et in breve fretum conjecta, maris alveum implevit, et siccavit, itaque eam ab Oriente continenti conjunxit, atque ex insula fecit peninsulam, qualis etiamnum cernitur. Ita Curtius, lib. 4. post initium; et Plinius, l. 5. c. 19. S. Hieron. et alii. Vide dicta Isaiæ, 23. 1. Chald. vertit: *Projiciet divitias ejus in mare*. Hebr. חיל *chel*, et fortitudinem, et divitias significat.

5. QUONIAM CONFUSA EST SPES EJUS,] quam Accaron habebat in Tyro, quod scilicet opem ferret sibi, utpote vicinæ et confœderatæ. Hæc enim spes interibit intereunte Tyro.

Mystice, peribit spes Philisthinorum, puta Gentilium, qua sperabant se sua sapientia et viribus tutaturos sua idola, et Gentilismum contra Christum et Christianismum. Hæc enim cadet, quando videbunt ea everti ab Apostolis.

ET PERIBIT REX DE GAZA.] *Rex*, id est, regulus, puta princeps. Olim enim principes urbium vocabantur reges. Hic regulus fuit Betis à Dario ultimo Persarum rege Gazæ præfectus, quem Alexander expugnata post bimestrem obsidionem Gaza, circum urbem raptari curavit, inquit Curtius, l. 4. Ita Albert. et Hugo. Addit Plutarch. in Vita Alexandri, omen capiendæ Gazæ ei datum: *Et circumsedenti*, inquit, *Gazam urbem Syriæ maximam, gleba à supervolante alite in humerum delapsa est. Avis in una machina considens, subito nerviceis plagulis, quibus adversandos utebantur funes, est irretita. Hoc portentum Aristandri prædictioni eventum habuit respondentem. Nam accepit Alexander in humero vulnus, et urbem recepit.* Deinde Gazam expugnavit, et ab idolis expurgavit Simon, frater Judæ Machabæi, 1. Machab. 13. 43. Rursum Alexander Jannæus Simonis nepos; post annuam obsidionem Gazam cepit et diruit, cum prius cives partim ædes suas incendissent, partim Saguntina rabie suismet manibus uxores et liberos interemissent, ne ad servitium et injuriam abstraherentur, uti narrat Josephus, lib. 13. Antiq. c. 21.

Mystice, peribit de Gaza rex, scilicet infidelis, et, ut S. Hieron. diabolus, quia scilicet Christus solus per suos fideles in ea regnabit. Proprie rex, id est, Deus, sive idolum Gazæ fuit Marnas: Unde ibidem celebre fuit Marnæum, id est, Marnæ fanum, quod S. Porphyrius urbis Episcopus, Arcadio Imperatore consentiente, anno Christi 401. combussit, monitus voce miraculosa pueri septennis, qui cum Syrus esset et græce nesciret, Græca tamen lingua instinctus à Deo publice prolocutus, hæc edixit: *Urite templum quod est intus usque ad solum: multa enim in eo gravia facta sunt, et maxime hominum sacrificia; et postquam fuerit combustum, expurgato loco statuite illic sanctam Ecclesiam. Testificor enim coram Deo, non posse aliter fieri. Non enim ego sum qui loquor, sed qui est in me Christus.* Idipsum admirans Deumque glorificans, ita scribit S. Hieron. lib. 7. in Isaiam: *Hoc nostris temporibus videmus esse completum: Serapium* (Serapidis delubrum) *Alexandriæ, et Marnæ templum Gazæ, in ecclesias Domini surrexerunt.* Adjuvit hanc rem multum S. Chrysost. qui sedulo apud Arcadium Imper. curavit, ut quæ in Phœnicia

residua erant idola, penitus tollerentur, uti testatur Theodor. lib. 5. Histor. cap. 29. Ita factum est, ut Gazenses antea Marnæ addictissimi, eo sublato, ad Christum conversi, sint, ad quod valde eos incitavit S. Porphirii Episcopi sanctitas et miracula, uti ex ejus Actis quæ conscripsit Marcus Diaconus Gazensis, enarrat Baron. anno Christi 398 et 401.

Ascalon non habitabitur,] q. d. Ascalon plane desolabitur, adeo ut ibi futura sint pascua pecorum Judæorum, uti prædixit Sophon. c. 2. v. 4 et 6. Ascalonem cepit Jonathas frater Judæ Machabæi, æque ac Accaronem et Azotum, quam etiam cum octo millibus incolarum igne combussit, ut patet 1. Machac. 10. 84. et seq. Postea tamen reædificata fuit; nam in ea dicitur natus Herodes infanticida, qui inde Ascalonita cognominatus est. Atque etiamnum hodie antiquum robur retinens, Saracenorum fortissimum propugnaculum est. Ejus muros cum Saladinus diruisset, Richardus Anglorum rex instauravit, ait ex Guiliel. Tyrio Adrichom. in Descrip. terræ sanctæ, in Ascalone.

Mystice, q. d. Ascalon conversa ad Christum non habitabitur à paganis et infidelibus, à quibus antea habitabatur, sed à Christianis. Unde alii videbuntur esse cives, et alia civitas, juxta illud Poetæ :

O domus antiqua quam dispari domino dominaris ?

Quàm enim Ascalonitæ infideles olim insensi fuerint Christianis, vel ex eo conjicere licet, quod de iis scribit Theodor. lib. 3. Histor. cap. 6. cum iis frena laxasset Julianus Apostata anno Domini 362 : *Ascalone*, inquit, *et Gazæ sacerdotum et virginum Deo dicatarum ventres discindunt, deinde farciunt hordeo, ac tandem eos porcis devorandos objiciunt.*

6. Et sedebit separator in Azoto.] Hebr. est ממזר *mamzer*, id est separator, alienus (à rad. זור *zur*, id est, recessit, alienus vel extraneus fuit) indeque spurius, ut vertit Vatabl. qui scilicet extra matrimonium alieno patre natus, illud dividere et separare videtur. Jam primo, Albert. Hugo et Lyran. censent hìc notari Alexandrum Magnum, qui Azotum et Philisthæos cæteros subjugavit. Ipse enim à multis censetur spurius, quod Olympias mater eum non ex Philippo marito, uti ipsamet confessa est (unde et à Philippo quasi repudiata fuit) sed ex Nestabano mago, qui noctu se Jovem finxit, genuerit. Quocirca Alexander Jovis Hammonii filius credi et haberi voluit. Secundo, *mamzer* significat alienigenas et exteros, qui non erant oriundi ex Philisthæis Azoti indigenis, quos proinde Philisthæi vocabant mamzeres, id est, alienos, spurios, æque ac faciebant Judæi, ut patet ex illo Joan. 8. 41 : *Nos ex fornicatione non sumus nati*, uti sunt Agareni, ex Agar aliena et concubina geniti, quia nati sumus ex Sara uxore Abrahæ, ideoque æque ac ipse : *Unum patrem habemus et colimus Deum.* Unde Sept. vertunt : *Habitabunt alienigenæ in Azoto*, puta Græci sub Alexandro, postea Judæi sub Machabæis, q. d. Ascalon deserta manebit et non habitabitur : at Azotus habitabitur quidem, sed ab externis. Quocirca Chald. vertit : *Habitabit domus Israel in Azoto, qui erant in ea sicut extranei qui non habent patrem.* Porro ante tempora Christi Judæos sparsos fuisse per Azotum et Philisthæam, patet Actor. 8. 40. Paulo aliter vertit Pagnin. *Philisthæus*, ait, *tanquam extraneus habitabit in Azoto ;* quia scilicet non erit sui juris, uti fuit ante, sed sub jugo et potestate Machabæorum et Judæorum. Denique, occiso Juda Machabæo juxta Azotum à Bacchide duce Demetrii, paulo post Azotum occupavit et incendit Jonathas frater Judæ, æque ac vicinas illi civitates : quo impetu templum Dagon, qui erat Deus Azoti, et omnes qui in illud confugerant concremavit : juxta eamdem vicit Apollonium, 1. Mach. c. 9 et 10 et 11. Separator ergo, sive mamzer Azoti fuit Jonathas.

Mystice, *separator* est Christus, inquit S. Hieron. qui separat oves ab hædis, pios ab impiis, electos à reprobis. Item Christianus, qui se separat ab infidelibus, ut proinde ab eis per contemptum vocetur mamzer, id est, separator, vel nothus et spurius : Christus enim et Christiani, pulsis Gentilibus et Gentilismo, occuparunt Azotum totamque Philisthæam. Ita Clarius et Vatabl. Primus Azoti prædicavit Evangelium Philippus Diaconus, eo raptus à Spiritu Sancto, Actor. 8. 40. Et est usque hodie Azotus, ait sanctus Hieron. non ignobile municipium. Postea habuit Episcopum, qui nunc est Suffraganeus Trevirensis.

7. Et auferam sanguinem ejus de ore ejus.] Sanguis hìc dupliciter accipitur. Primo, pro minis sanguinis et cædis, q. d. Auferam et compescam minas, quibus Azotii minabantur se effusuros, vel gloriabantur se effudisse sanguinem Judæorum et populi fidelis : quia illi eos subjiciam et aggregabo. Ita S. Hier. Theodor. Albert. Hugo et Lyran. Unde Septuag. vertunt : *Auferam sanguinem eorum de ore illorum :* de Azotiis enim Scriptura per enallagen nunc loquitur in singulari, quia erant populus unus et singularis, unde Hebr. et Noster habent *ejus :* nunc in plurali, quia in populo plures erant homines et capita. Unde Septuag. vertunt, *illorum.* Minus enim probabile est quod censet Lyran. τὸ *ejus* referri ad separatorem sive mamzerem, quem ipse accipit Alexandrum Magnum, q. d. Auferam minas de ore Alexandri, scilicet quibus jactabat se Judæos quod Dario hosti suo favissent, eversurum : nam faciam ut supplex fiat Jaddo pontifici, ac consequenter benevolus Judæis. Non enim de Judæa hìc agitur, sed de Azoto.

Secundo, sanguis hìc potest accipi victimarum quas Dagon deo suo offerebant, ac deinde ex iis comedebant et epulabantur, q. d. Auferam hæc sacra et sacrificia sacrilega ab Azoto, et in eam inducam sacra mea, primum Judaica per Machabæos, deinde Christiana per Philippum et Apostolos. Ita Arias et Chald. *Et disperdam*, ait, *comedentes sanguinem.* Huic explicationi favet id quod sequitur : *Et abominationes ejus de medio dentium ejus.* Abominationes enim in Scriptura vocantur idola, et idolothyta, sive victimæ Idolis immolatæ. Unde et sequitur :

Et relinquetur etiam ipse Deo nostro.] *Ipse*, scilicet Alexander Magnus fiet devotus Deo, ejusque pontifici Jaddo, inquit Lyran. Verum *ipse*, ut dixi, refert populum Azoti, q. d. Populus Azoti subactus à Jonatha et Machabæis, relinquet idola et aggregabitur Judæis, eorumque Deum verum colet. Hoc enim maxime curabant Machabæi, utpote pontifices et principes zelo honoris divini pleni ; ut non tantum terminos, sed et religionem suæ gentis, Deique cultum in Philis-

thæos aliosque populos à se devictos propagarent. Imo populus Azoti *erit quasi dux* (Sept. Chiliarchus) in Juda, qui scilicet veræ fidei et religionis non tantum comitem, sed et ducem se aliis præbeat, ac proinde Judæos contra hostes propugnet quasi dux, ideoque quasi dux honoretur et celebretur in Juda.

Et Accaron quasi Jebusæus,] q. d. Sicut olim Jebusæi habitarunt in Jerusalem, ibique cum Judæis permanserunt, ita pariter Accaronitæ sociabuntur Judæis et habitabunt in Jerusalem, ac vicissim Judæi pacifice degent in Accaron. Unde Chald. vertit : *Et proselyti qui remanserint in eis, adjicientur et ipsi ad populum Dei nostri, et erunt quasi principes domus Juda.* Secundo, et melius, q. d. Sicut David subjecit Jebusæos, sic Machabæi subjicient sibi Accaronitas. Ita Albert. et Hugo.

Mystice, hæc veriora sunt de Christo et Apostolis, qui Philisthæos omnes sibi, Evangelio et Ecclesiæ subjecerunt, itaque fecerunt ut Philisthæi et Gentiles cum Judæis in unum populum fidelem, unamque Ecclesiam Christianam coalescerent et conspirarent.

8. Et circumdabo domum meam,] puta templum, q. d. Templum quod meo jussu vos, ô Judæi, nunc reædificatis, ego instar castrorum vallabo, et tutabor. Hebr. enim est חניתי *chaniti*, hoc est: *Castra metabor domui meæ*, vel *ponam castra circa domum meam*, ut eam propugnem, *Ex his qui militant mihi euntes et revertentes*, puta per Machabæos, qui fortissime templum et urbem sanctam et suis castris propugnarunt. Unde Septuag. vertunt : *Substituam domui mea elevationem*, quasi arcem vel castrum : *Ne pertranseat neque revertatur ullus, et non superveniat super eos ultra exactor;* et Tigurina : *Et circumducam castrum domui meæ contra transeuntem, et redeuntem ;* et Pagnin. *Et ero sicut castra domui meæ, ut non timeat ab exercitu, à transeunte et redeunte.* Paraphrastice vero et magnifice Chald. *Et habitare faciam majestatem gloriæ meæ in domo sanctuarii mei, et fortitudo brachii potentiæ meæ erit sicut murus ignis in circuitu ejus, propter transeuntes et redeuntes.*

Hæc ad literam templo præstiterunt Machabæi. Ita Theodor. Hugo et Lyran. Alleg. hæc veriora sunt in Ecclesia, quæ est templum animatum Dei viventis, q. d. Muniam et defendam Ecclesiam meam validissimis castris, tum principum Christianorum, ut Constantini, Theodosii, Caroli: tum Doctorum, ut S. August. Hieron. Chrysost. tum Angelorum, ut exactor tributi, scilicet tyranni, infideles et diabolus eam amplius non vexent et vastent; quia oculis misericordiæ eam vidi, et respexi, juxta illud Psalm. 33. 8 : *Immittet* (hebr. *chone*, id est, *castra metabitur*) *Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos.* Nota τὸ *ex his qui militant mihi*, dupliciter posse accipi. Primo plane; *mihi*, id est, pro me. Secundo, *mihi*, id est, contra me. Ita Septuag, Chald. Pagnin. et Tigurina ex Hebræo.

Quia nunc vidi in oculis meis.] Est hebraismus, pro quo latine dicimus : *Vidi oculis meis*, id est plane, perspicue certoque vidi et conspexi, scilicet ærumnas et persecutiones, quas vos, ô Judæi, à vicinis gentibus in fabrica templi et urbis sustinetis, ideoque vestri misertus vos, æque ac domum meam, puta templum, protegam et propugnabo. Ita Theodor. Albert. et Lyran. Aliter Vatabl. q. d. Nunc vidi ea quæ facturus sum, quæque hîc promitto de felicitate templi et Ecclesiæ; vidi inquam, prævidi et providi oculis providentiæ meæ. Aliter et Arias, qui hæc refert ad sequentia, censetque esse verba Zachariæ, q. d. En video in spiritu oculis mentis meæ Christum venientem, et cum pompa ingredientem Jerusalem et templum. Primus sensus uti communis, ita planus est et genuinus.

9. Exulta satis, filia Sion,] Judæi nonnulli hæc accipiunt de victorioso Judæ Machabæi ingressu in Jerusalem. Theodorus Mopsuestenus judaizans et ebionizans, asserebat hunc regem esse Zorobabelem cum suis è Babylone redeuntem. Uterque est error. Nam certum est de fide, ad litteram hæc accipi de solemni Christi, quasi Messiæ Judæis promissi, ingressu in Jerusalem, quem fecit paulo ante mortem in die Palmarum. De eo enim hæc interpretatur S. Matthæus, cap. 21. 4. et S. Joannes, cap. 12. 15. ac Orthodoxi omnes ; quin et veteres Rabbini apud Galatin. lib. 8. cap. 9. imo et R. Salomon hîc, qui tamen est juratus Christianorum hostis. Idipsum definit Vigilius Papa in Conc. Romano, ubi hunc Theodori errorem sub anathemate damnat. Vide dicta in prooemio notat. 5. Errant ergo pariter, qui hunc regem volunt Alexandrum Magnum, honorifice venientem Hierosolymam, et venerantem Jaddo Pontificem : Zacharias enim, more Prophetarum, in Christum desinit. Cum enim suos exhortaretur ad fabricam templi et urbis, iique tardiores essent ad opus ob hostes vicinos, et ob paupertatem aliasque difficultates sese objicientes, hac de causa eos animat et stimulat : primo, promittendo Dei opem et protectionem ; secundo, templum hoc Dei auxilio fore celebre et gloriosum ; tertio, Messiam venturum, qui in hoc templum solemni pompa sit ingressurus, illudque sua præsentia, doctrina, miraculis, æque ac sua in regem inauguratione sit condecoraturus, ibique Ecclesiam suam fundaturus et inchoaturus, per quam primum Judæos, deinde Gentes omnes vocaturus sit ad æternam vitam et gloriam. Hæc est connexio hujus prophetiæ de Christo cum præcedentibus de templi et urbis fabrica ac tutela.

Jam *satis*, id est valde, vehementer, hoc enim est. hebr. מאד *meod*, pro quo Noster subinde vertit *satis*. Unde Chald. vertit : *Exsulta vehementer, cætus Sion, jubila, cætus Jerusalem.* Sic et Septuag. Tigur. Pagnin. Vatabl. et alii. Pro *exsulta*, S. Joannes cap. 12. 15. paraphrastice vertit : *Noli timere*, q. d. Non est quod timeas, sed exsultes, ô Jerusalem, veniente Christo ; ipse enim est tuus rex et salvator, qui te ob omnibus hostibus defendet, et ab omnibus malis liberabit. Ergo metum omnem pone, et plenus gaudio exsulta.

Ecce rex tuus.] Messias, sive Christus veniet, ut quatuor quadrigas, id est, monarchias, de quibus cap. 6. ac consequenter, Tyrum, Gazam, Azotum, totamque Palæstinam, Phœniciam et Syriam, de quibus egit hoc cap. sibi subigat. Nam in Christi regnum omnes reges et regna desinunt, uti prædixit Daniel cap. 1. 44. et Zacharias hîc. Unde subdit : *Disperdam quadrigam, etc.*

Nota : Christus regalem hanc, sibique insolitam pompam et ingressum in Jerusalem adornare voluit variis de causis. Prima fuit, ut daret

regiæ suæ potentiæ et magnificentiæ indicium quoddam et specimen; quia cum ea Messiam suum; quasi alterum Salomonem venturum Judæi putabant, et etiamnum putant. Hac ergo specie et pompa objecit se eis Christus, ne eum ut pauperem aversarentur et despicerent, uti fecerunt; ita tamen ut humilitatis et mansuetudinis mistis argumentis ostenderet, regnum Messiæ magis esse spirituale, quàm temporale; ideoque à Zacharia hæc omnia voluit prædici, ne Judæi hunc regem sine fastu regio venientem aspernarentur. Ita S. Chrysost. et Auctor imperfecti in cap. 21. Matth. et Euseb. l. 8. Demonstr. cap. 4. Secunda, et comitans causa fuit, ut Christus objiceret Pharisæis et Scribis in hoc regali ingressu seipsum, quem agnoscere hoc facto possent et deberent esse Messiam, utpote à Zacharia hoc loco promissum et prædictum: sciebat tamen ipsos inde magis exacerbandos, et necem crucis ipsi machinaturos; quod ipse permittere statuit, ut sic mortis adeo expetitæ compos fieret, per eamque nos redimeret. Ita Auctor imperfecti loco citato. Tertia fuit, ut responderet typo agni Paschalis, hic enim decimo die mensis primi solemni pompa inducebatur in urbem, immolandus die decimo quarto. Ita Christus, quasi agnus Dei qui tollit peccata mundi, die decimo, puta in die Palmarum ingressus est Jerusalem, immolandus die decimo quarto; ingressus est autem cum pompa et faustis turbæ acclamationibus, ut quia certus erat de victoria mortis, peccati, inferni et dæmonum, triumphum duello præciperet, et triumphans duellum iniret.

Quarta causa fuit tropologica, ut scilicet hoc facto rideret et ridendam proponeret mundi gloriam, utpote cum sciret se quinto post die ab iisdem, à quibus in ingressu ita honorabatur, crucifigendum, eosdemque qui jam clamabant: *Hosanna filio David*, q. d. Vivat rex noster Messias, Davidis filius et hæres; post quatuor dies in tribunali Pilati clamaturos: *Crucifige, crucifige eum;* ideoque urbem à Tito et Romanis funditus evertendam, qua de causa in hoc, læto licet ingressu suo, videns eam, ejusque cladem prævidens flevit, ut habet S. Lucas, cap. 19. 41. Rursum, ut doceret suum, suique sequacium regnum et gloriam in hac vita consistere in passione et cruce, ideoque eam non aversandam, sed ambiendam esse, ac læto animo et solemni cum pompa adeundam: quocirca Martyres Christi asseclæ, ad martyria quasi ad epulas, imo regnum et triumphum ibant gaudentes, albati et stipati fidelium choro.

Veniet tibi justus et salvator,] ut te justificet et salvet. Ipse enim est *justitia sempiterna et Sanctus Sanctorum*, ad hoc à Deo Patre missus in mundum: *Ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas.* Daniel. 9. 24. Pro *salvator* hebr. est נושע *nosça*, quod est participium passivum à rad. ישע *iasça*, id est, salvavit. Unde Vatabl. Pagnin. Clarius et alii vertunt passive *salvatus*, scilicet à seipso, q. d. Quia Christus justus et innocens actus est in crucem et mortem, idcirco sua virtute salvus et redivivus, die tertia à morte et sepulcro resurrexit. Alii *nosça* melius vertunt: *Salute plenus, salute circumdatus.* Ita ex Clario, à Castro. Verum dico, *nosça*, hìc non esse participium, sed nomen, idem active significans quod Jesçua, Josue et Jesus, id est salvator. Sic enim vertunt Septuag. S. Hier. Tigur. et alii, littera enim *nun* in *nosça*, est heemantica et formativa nominis, uti est in *Nephtali, Nemrod*, aliisque nominibus propriis, æque ac appellativis, ut נאמן *neeman*, idem est quod fidelis active, qui scilicet fidem alteri datam opere præstat: יעוה *naave* est perversus active, qui nimirum perversa cogitat, agit, loquitur, aliosque pervertit.

Ipse pauper.] Hoc proprie significat hebr. עני *ani*, Septuag. vero, quos sequitur S. Matth. cap. 21. vertunt πραος, id est, *mansuetus.* Sic et Chald. Unde ipsi videntur legisse ענו *anau;* sed eòdem res redit: pauperes enim, præsertim spiritu, solent esse humiles et mansueti. Unde tam *ani*, quàm *anau* ab eadem rad. ענה *ana*, id est afflictus, humiliatus est, deducitur; indeque עוני *oni*, idem est quod afflictio, paupertas, humilitas; et ענוה *anava*, vocatur humilitas et mansuetudo. Unde cum ait Christus: *Beati pauperes spiriritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Matth. 5. per pauperes spiritu S. August. Hilar. Chrysost. Ambros. et alii in illum locum, accipiunt humiles, quia paupertas spiritus conjuncta est, et oritur ex humilitate, et contemptu opum et honorum.

Ascendens.] Hebr. רוכב *rocheb*, id est, equitans, vel potius vectus, sive equo, sive asino, sive camelo, sive alio jumento, uti Christus hìc proprie erat asinans, non equitans. Unde Noster recte vertit: *Ascendens* super asinam, et super pullum filium asinæ, Hebr. *filium asinarum*, id est, unius ex asinis. Pro *asinam* hebr. est חמור *chamor*, quod tam asinum, quàm asinam significat. Verum hìc significari asinam potius quàm asinum, patet ex eo quod sequitur: *Et pullum filium asinæ*, pulli enim solent comitari asinam matrem, non asinum patrem; sugunt enim ubera matris, non patris. Clarum est ergo Christum sedisse super asinam, non asinum. Ita enim habet versio nostra hìc, et S. Matth. cap. 21. 5. Idem docet Remig. Albert. Hugo hìc, et S. Chrysost. hom. 65. in Joannem, Theoph. Lyran. Cajet. et alii mox citandi. Notat Orig. in cap. 1. Job, in Arabia et Palæstina asinos pares esse equis in velocitate eundi et redeundi, et valere ad negotia paragenda et afferenda, eademque officia præstare, quæ apud nos præstant muli et equi. Hinc filii principum asinis inequitabant, ut patet Judic. 10. 4. et cap. 12. 14. Vide dicta Exodi 13. 13. Usus autem est Christus asina potius quàm asino, tum ob mysterium quod mox afferam, tum quod asinus asina sit pigrior, et in remissione operis deterior, ut scribit Plinius, lib. 8. cap. 43. ubi et addit, asinos valere pro aratione, sed maxime pro mularum generatione.

Quæres: Quomodo Christus simul potuit ascendere super asinam et super pullum asinæ? Resp. S. Hieron. Chrysost. Euthym. Maldon. Abulensis et Jansenius in Matth. 21. esse synecdochen: Christum enim super alterum tantum, scilicet super pullum, ut habent alii tres Evangelistæ, sedisse. Sic enim legunt: *Super asinum, et super pullum filium asinæ. Et*, inquiunt, significat, *id est*, q. d. Super asinum, id est, super pullum filium asinæ. Unde minus probabile est quod aliqui censent, Christum soli asinæ insedisse. Verum planius et simplicius idem Chrysost. Theophil. Lyran. Cajet. Ribera et à Castro, censent Christum super utrumque se-

disse, sed successive. Id enim expresse habet S. Matthæus, cap. 21. 5. et Zacharias hic. Unde et turtæ utrique vestimenta imposuerunt, et eum *super eos*, ut habent Biblia Romana in S. Matthæo, sedere fecerunt.

Dices : Quid opus erat Christo tam brevi spatio et itinere jumentum mutare ? Resp. id fuisse opus non ob Christi mollitiem aut fatigationem, sed ob mysterium : illi enim omnis hæc pompa serviebat ; cui tamen Christo facile fuit occasionem aliquam incidentem prætexere. Asina enim subjugalis significat populum Judæorum qui tolerat jugum legis veteris ; pullus super quem nemo sederat, repræsentat indomitos et exleges Gentiles, qui nulli legi colla submiserant. Utrumque enim populum, tam Gentium quàm Judæorum, ad se et Ecclesiam, ac deinde in cœlestem Jerusalem adducturus erat Christus. Ita S. Justinus contra Tryphon. Origen. et Cyrill. in Joannis, cap. 12.

Mystice, Christus insidet asinæ, id est animæ humili, miti, obedienti, patienti, quæ se totam Christo sessori resignat, ac cum Davide dicit : *Ut jumentum factus sum apud te*, Ps. 72. quæ proinde cum Christum rectorem habet, exsultat, omniaque audet. Unde Abbas ille in Vitis PP. dicebat : *Ego et asinus unum sumus.*

Tropolog. Drogo Hosticensis Episcopus tempore S. Bernardi, tract. de Sacram. Domin. passionis, tom. 2. Biblioth. SS. Patrum : *Noli timere, filia Sion. Timere, ait, pusillorum est; ideo adhuc filia, quia times. Nondum Jerusalem, sed filia Sion, hoc est, specula. Ergo disce speculari, noli timere, quia timor oculum turbat. Hilaris pupilla lucide speculatur. Fides pupilla est oculi tui. Quomodo pupilla oculi est subtilissima, et nisi impigre ac sollicite custodiatur à palpebris, levissimi et tenuissimi pulveris tactu confunditur, sic acie fidei, nisi pervigilem semper habeat custodiam, nihil citius conturbatur. Sed noli timere filia Sion, ecce rex tuus venit tibi. Oritur tibi sol, qui te et custodiat et illuminet, et perducat ubi pulvis non est. Venit tibi mansuetus : qualis ipse est, talem te esse vult, mansuesce jugum ejus portare. Et ipse sedeat super te asinam suam, et pullum filium subjugalis. Et quæ est hæc asina ? Ipsa quæ caro vocatur et mulier, et virago, quia de viro sumpta est. Et quis est pullus ejus ? Masculus vir. Et quomodo pullus ejus est ? Quia non prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale. Sedet prius rex mansuetus super asinam; postea super pullum : prius caro domatur, ut jugo habilis sit; deinde nascitur pullus et nutritur, et roboratur, ut sessorem suum portare possit. Et quare filius subjugalis? Quia sub viro est mulier, et mulieris caput vir; et tamen filius est subjugalis, quia per mulierem vir, sed in dolore ipsa pariet. Sedeat super utrumque rex mansuetus faciens pacem, ne hæc sibi invicem adversentur. Venit tibi mansuetus, et tu non vadis ei ? Egredere de terra carnis tuæ, et de cognatione matris tuæ, et de domo, id est, memoria patris tui.* Asina ergo est caro, pullus est mens et spiritus : hic enim est Adam et vir, illa vero Eva et femina. Christus super utrumque sedet, quando carnem spiritui subjugat et concordat.

Disperdam quadrigam ex Ephraim.] Theodor. et Euseb. lib. 8. Demonst. cap. 4. censent id factum per Titum et Romanos. Verum hi Judæos duntaxat subegerunt, non Ephraim, id est, decem Tribus, utpote quæ jam à quingentis annis à Salmanasar abductæ erant in Assyriam ; nec inde redierunt. Adde hic esse sermonem de regno Christi, non Titi. Sensus ergo est, q. d. Christus suo regno, lege et gratia auferet ex Israele et Juda, id est, fidelibus Judæis, æque ac Gentibus, quadrigas, arcus et bella ; quia pacem mundo afferet. Docebit enim et præcipiet justitiam, humilitatem, concordiam, amorem fraternum, per quæ lites et bella excludet; ac ad hoc copiosam gratiam et Spiritum sanctum in fideles effundet. Idem prædixit Isaias, cap. 2. 4. et Michæas, cap. 3. 5. Vide ibi dicta. Ita S. Hier. Hugo, Arias et alii.

Et potestas ejus a mari usque ad mare,] q. d. Christus toto orbe, puta tota terra et toto mari dominabitur; nec enim quis toti terræ dominari potest, nisi dominetur et mari. Ad multas enim regiones vel nullus, vel difficilis est accessus nisi per mare, ut patet de insulis et Indiis tam Orientis quàm Occidentis. Ita Rupert. Remig. Hugo et alii.

Quare arctius aliqui sic exponunt, q. d. Christus dominatur à mari Mediterraneo usque ad mare Oceanum : aut à mari Rubro usque ad mare Palestinæ. Hæc enim duo maria fuerunt termini terræ sanctæ promissæ Judæis Num. 23. 31. Judæi enim alia maria vix norant. Verum esto eo alludat Propheta, tamen amplius intendit et altius assurgit, scilicet id quod dixi. Loquitur enim non tantum Judæis sui ævi, sed et Christianis omnibusque hominibus quovis seculo victuris. Respicit Zacharias ad illud Davidis de Christo oraculum, Psal. 71 : *Dominabitur a mari usque ad mare, et à flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Flumen est Euphrates, qui erat limes Judææ versus Orientem. Hic Zacharias dicit *à fluminibus*, quia respicit Tigrim Euphrati vicinum, et alia quævis flumina. In hujus ampli dominii Christi prænuncium et præsagium, Augustus Cæsar sub quo natus est Christus, superato Antonio, Lepido, aliisque vel hostibus, vel æmulis à Deo effectus est orbis dominus et monarcha. de quo Virgil. libr. 6. Æneid. ita canit :

> Super et Garamantas et Indos
> Proferet imperium : jacet extra sidera tellus,
> Extra anni solisque vias, ubi cœlifer Atlas
> Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

11. Tu quoque (ô Christe, rex Sionis de quo vers. 9.) in sanguine testamenti tui.] Puta per meritum et pretium sanguinis tui in cruce effusi, quem quasi lytrum pro vinctis tuis dependisti, eoque omne eorum debitum, puta culpam omnem tam originalem, quàm actualem persolvisti. Jam sanguis Christi vocatur *testamenti*, quia illo Christus sancivit testamentum et fœdus novum, quod pepigit et conciliavit inter Deum et homines, de æterna hæreditate fidelibus, quasi filiis suis danda. Ita S. Hieron. Theodor. Cyrill. Remig. Rupert. Lyran. Vatabl. et alii passim. Perperam ergo Chald. et Judæi hæc accipiunt de sanguine victimarum, quo Moses sancivit fœdus vetus inter Deum et Hebræos, Exodi 24. vers. 8. quo ipsi censent se liberatos è lacu, id est, è captivitate Ægypti. Hoc enim hic impertinens est, præsertim cum sit hic continua prophetia de futuro, puta de rebus gerendis à Messia, non historia de præterito. Vide dicta 1. Corinth. 11. 25. et hebr. 9. 15.

Emisisti vinctos tuos de lacu.] Ita quoque

legunt Septuag. quos sequuntur Origenes tract. 14. in Matth. S. August. lib. 18. de Civit. 35. Theodor. Cyrill. hic, et Græci omnes, æque ac S. Hieronymus, Remigius, Rupertus et Latini cæteri. Chaldæus vero et Rabbini recentiores, quos sequuntur Pagnin. Tigurina, Vatablus et similes, longe aliter vertunt : nam in textu hebræo jam hæc omnia sunt feminina, scilicet את *at*, id est, *tu*, feminine : בריתך *beritech*, id est, testamenti, vel fœderis tui, feminine : et pro *emisisti*, Hebr. jam habent שלחתי *scillachti*, id est, *emisi*. Unde sic vertunt et explicant ut sint verba Dei, q. d. Tu quoque, ô filia Sion, exsulta, quia salvaberis in sanguine Christi, quem ipse effundet, ut sanciat novum testamentum et fœdus inter te et me : nam propter eum emisi, id est, emittam vinctos tuos è lacu, puta patres è limbo, resuscitans eos cum Christo. Verum dico textum Hebræum modernum hic esse corruptum, vel à Judæis, ut hoc oraculum de Christo corrumperent; vel potius à librariis. Nam corruptio hæc parum juvat Judæos, imo eòdem cum nostra versione redit, ceditque in magnam laudem Christi. Pro את *at* ergo, id est tu, feminine, legendum est addito puncto את *atta*, id est tu, ô Christe, masculine. Rursum pro בריתך *beritech*, id est testamenti tui feminine, legendum בריתך *beritecha*, id est, testamenti tui, masculine. Denique pro שלחתי *schillachti*, id est, emisi, legendum שלחת *schillachta*, id est, emisisti. Sic enim legunt Septuag. S. Hieron. omnesque veteres paulo ante citati ; et Syrus, qui vertit, *solvisti* ; et Arabicus uterque qui vertit, *dimisisti*, vel *liberabis*. Et hanc lectionem exigit ipsa connexio verborum, sensusque integritas : prior enim Judæorum lectio est hiulca et intercisa ; nam à prima persona sensum inchoat, et mox transit ad secundam, in eaque sensum inchoatum consummat. Qua enim cohærentia dicitur : *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisi vinctos tuos?* Sane sic dicendum fuisset : *Ego quoque in sanguine testamenti tui emisi vinctos tuos*. Cum autem in Hebræo non sit אני *ani*, id est ego, sed את *atta*, id est, tu, sequitur pro *schillachti*, id est, emisi, uno puncto mutato legendum *schillachta*, id est, emisisti. Sic enim filum orationis plane cohæret, ipsaque sententia congrue et integre expletur, dicendo : *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu*. Et apostrophe Prophetæ ad Christum, qua exsultans ei gratulatur victoriam de hostibus, prædamque eis excussam ac triumphum. Sensus ergo est, q. d. Tu, ô Christe, quasi Messias et triumphator ingredieris Jerusalem, ut dixi vers. 9 ; nam quarto post die in cruce fundes tuum sanguinem, quo novum fœdus inter Deum et homines sancies, tuaque morte de morte, peccato, dæmone et inferno triumphabis. Quocirca mox à morte descendes ad lacum, id est, limbum patrum : ut hujus tui sanguinis et fœderis novi eos facias participes, illisque assignes primitias tuæ passionis et redemptionis, quas illi à multis centenis, imo millenis annis avidissime sperant et exspectant. Nam die tertio resurgens, pariter resuscitabis eos, tecumque è limbo in terram, et è terra quadragesimo die ad cœlum ascendens, quasi spolia et captivos, sed felici captivitate, in triumphum educes. Ita S. August. epist. 99. et S. Hier. Cyrillus, et alii jam citati.

Perperam ergo Chald. et Judæi per lacum accipiunt captivitatem Ægyptiacam, aut, ut Hugo et Calvinus, Babylonicam : nam hujus solutio non est facta in sanguine testamenti. Adde, utraque temporalis erat, et jamdiu præterierat : hic autem agitur de libertate plena et perenni, patribus in limbo detentis afferenda per Christum : est enim prophetia de futuris tempore Christi. Perperam rursum Calvin. et Beza per lacum intelligunt cœlum. Tollunt enim ipsi limbum patrum, docentque animas Sanctorum ante Christi mortem ivisse in cœlum, non in limbum ; qui est error exploratus. Nec enim cœlum vocari potest *lacus* : nec in cœlo ulli sunt vincti : nec ex cœlo Christus suos eduxit. Lacus ergo est infernus, puta limbus. Ita Patres et Doctores communi consensu, quos citat Bellarm. lib. 4. de Anima Christi, cap. 11. Denique pro *in sanguine testamenti tui*, Arabicus vertit : *In sanguine mandati tui*, quia testamentum hoc à Patre Christo fuit demandatum et præceptum, et à Christo hominibus, puta fidelibus et Christianis.

Ex hoc ergo loco et similibus docet Ecclesia Christum post fusum in cruce sanguinem, puta statim à morte, descendisse ad limbum, ibique mansisse triduum usque ad diem Dominicum quo resurrexit, ac tum patres è limbo secum eduxisse. Limbum vocat *lacum*, quia est in profundo terræ juxta ejus centrum ; illumque *sine aqua*, tum quia physice ibi est pura arida ; tum mystice, quia caret omni refrigerio et consolatione. Aqua enim, quia fatigatum et sitientem in æstu et situ refrigerat et restaurat, hinc symbolum est refrigerii et consolationis.

Mystice S. August. lib. 18. de Civit. c. 35. per lacum accipit humanæ profunditatis et naturæ in peccato jacentis miseriam et sterilitatem, ex qua homines eduxit Christus in felicitatem, et fecunditatem gratiæ et gloriæ. Unde et Theodor. per lacum accipit idololatriam : hæc enim profundissima et maxima erat scelerum fovea, æque ac cæcitas et miseria; Clarius vero et Arias per lacum accipiunt legis veteris jugum, quo quasi carcere duro vincti Judæi tenebantur, ex quo nos liberavit Christus. Sic Tropol. Christus peccatorem è lacu, id est, statu damnationis, educit, cum eum à peccato ad gratiam traducit, itaque quasi Lazarum è sepulcro suscitat et vivificat. Præclare S. August. serm. 181. de tempore, c. 6 : *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Natus est ex virgine, ut nos nasceremur ex Ecclesiæ virginis utero. Tentatus est, ut nos à tentatione liberaret. Tentus, ut dimitteremur. Ligatus, ut nos à nodo maledictionis absolveremur. Illusus, ut nos ab illusionibus dæmonum liberaret. Venumdatus est, ut nos redimeret. Humiliatus est, ut nos exaltaret. Captus est, ut nos à captivitate dæmonum auferret. Spoliatus est, ut nuditas primi hominis, per quam mors ingressa est, tegeretur. Spinis coronatus est, ut nos liberaret à spinis peccatorum, vel potius ut monstraret se cum eis coronandum, illosque caput et coronam Ecclesiæ futuros, qui spinosi erant amando vitia. Aceto est potatus, ut nos inebriaret dulcedine cœlestis desiderii et æterni gaudii. Postremo in altari crucis sacrificatus est, ut totius mundi peccata deleret. Mortuus est, ut mortis captivaret imperium. Sepultus est, ut sepulturæ Sanctorum benediceret, et ut nos sibi vitiis et concupiscentiis sepeliret. Hæc ergo*

infirmitas Christi superavit omnem firmitatem mundi.

12. Convertimini ad munitionem,] puta ad Christum et Ecclesiam, vel, ut Cyrillus, ad legem Evangelicam, quæ est arx Christi munitissima.

Vincti spei,] scilicet primo, qui vinculis peccati astricti vincti à dæmone detinemini, sed simul habetis spem liberationis, quia speratis redemptionem per Christum. Hinc Christus Isaiæ 61. 1 : Missus sum, inquit, ut *prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem.*

Secundo, *vincti spei* proprie sunt, quos spes ipsa vincit et devincit Christo, qui totam salutis spem ponunt in Christo, ideoque sua spe ita ei colligati sunt, ut ab eo toti pendeant : quia præter illum nil sperant, nec aliam vitæ spem habent. Ita Clarius, Arias et alii. Jam *vincti spei* erant Judæi fideles, exspectantes redemptionem Israel per Christum, qualis fuit Anna prophetissa, et Simeon, qui proinde viso Christo exsultans in cygnæam hanc vocem erupit : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum*, Lucæ 2. 29. Tales quoque fuerunt Gentiles habentes fidem Dei et Messiæ ante Christi adventum, et post eum omnes illi qui audita Evangelii fama ad Christum, quasi ad unicam salutis anchoram anhelare et aspirare cœperunt. Perperam ergo Albert. Hugo et aliqui alii per vinctos spei intelligunt Judæos in Babylone captivos, qui sperabant libertatem anno septuagesimo : de illis enim censent hìc agi usque ad finem capitis, iisque promitti victorias et felicitatem quam habuerunt sub Machabæis. Verum minus congrue. Nam annus hic septuagesimus jam diu erat elapsus, et Judæi è Babylone jam erant liberati. Pergit ergo Propheta agere de Christo ejusque Ecclesia : fateor tamen eum alludere ad Judæos tum præteritos in Babylone, tum futuros tempore Machabæorum, tum præsentes : multi enim Judæorum adhuc Babylone remanserant, quos Zacharias in Jerusalem revocat, uti dixi c. 2.

Tropol. *vincti spei* sunt generosi Confessores, qui spe gloriæ æternæ ultro se in vincula et tormenta dedunt, quales fuerunt septem fratres Machabæi, ad quos hìc alludit, 2. Machab. 7. Spes enim tantæ gloriæ nihil non audet, nihil non patitur, nihil non aggreditur, ut docet Apostolus toto cap. 11. ad Hebr.

Anagogice, *vincti spei* erant patres in limbo sperantes liberationem per Christum, quos ipse eduxit ad munitionem, id est, in Jerusalem cœlestem et Ecclesiam triumphantem. De his enim paulo ante dixit : *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu.* Ita S. Hier. et Hugo. Hi enim in sinu Abrahæ, spe longum Christi et liberationis desiderium sustentabant. His quoque dedit duplicia, id est, multiplicia, bona, ut sequitur, puta dotes omnes gloriosas, tam corporis quàm animæ.

Annuntians duplicia,] est enallage numeri : transit enim à plurali ad singularem ; ut enim nervosior sit oratio, è vinctis spei singulos compellat, q. d. Quisquis es vinctus spei, quisquis speras salutem per Christum, ne expavescas Christi ecclesiam et legem, quod expers sit voluptatum, ac plena laborum et persecutionum ; quia hodie annuntio et promitto tibi quod duplicia bona reddam tibi : duplicia hæc sunt : Primo, vita et libertas, ait Theod. Secundo, gloria animæ et corporis in cœlo, ait Lyran. Unde Sept. vertunt : *Pro una die peregrinationis tibi duplicia reddam.* Tertio, remissio peccatorum, et gratia Dei cum omnibus ejus donis et virtutibus in hac vita. Quarto, *duplicia*, id est, duplo majora quàm speratis, ait S. Hieron. Quinto et simplicissime, *duplicia*, id est multiplicia, quæ Latini vocant decumana. Sic sæpe in Scriptura *duplex* sumitur pro multiplici, ut ostendi Isaiæ 40. 2. Aliter hæc accipit Mariana ; *Annuntians,* inquit, hìc idem est quod Propheta, puta Zacharias, qui paulo ante gratulatus est Christo, dicens : *Tu quoque, etc.* Unde hìc ei respondet Christus, q. d. Ego hodie, id est, brevi, ô annuntians, id est, ô Propheta Zacharia, non solum vinctos è carcere educam, sed etiam multis bonis cumulabo.

13. Quoniam extendi (hebr. *calcavi*, id est, calcando extendi. Solent enim arcus magni pedibus calcando cornu et peripheriam, ac manibus attrahendo nervum, extendi) mihi Judam quasi arcum.] Alludit ad prælia et victorias Judæ Machabæi et fratrum ejus, eaque obiter perstringit. Unde de iis hæc exponunt Hebræi et S. Hieron. Verum proprie per ea intendit ad litteram significare mystica bella et victorias Apostolorum, q. d. Assumam ex Judæis Apostolos, qui erunt quasi arcus mei, quos valide distendam, ut jaciant sagittas efficaces verbi Dei, quibus corda omnium Gentium feriam, eaque mihi subigam, et ad me convertam. Ita S. Cyrill. Theodor. Remig. et alii. Quocirca Mariana ex Hebræo sic vertit et explicat : *Extendi mihi Judæ arcum*, id est, inquit, faciam ut Judas pro me extendat arcum : *Implevi Ephraim*, supple arcu, id est, faciam ut Ephraim pro me pugnet.

Symbolice, Remigius et Lyran. per arcum Judæ accipiunt Christum ex Juda oriundum, q. d. Ego Christum in cruce extendam instar arcus, eoque configam et subjiciam omnes Gentes. Unde Septuag. vertunt : *Tetendi te, Juda, mihi arcum.*

Implevi Ephraim.] Alludit ad Ephraimitas qui excellebant in arte jaculandi, juxta illud psal. 77. 9 : *Filii Ephraim intendentes et mittentes arcum, conversi sunt in die belli.* Sed per eos intelligit Apostolos, quorum plerique fuerunt ex Ephraim, id est, è decem Tribubus, puta è Zabulon et Nephtalim oriundi, Isaiæ 9. 1. Jam phrasim hanc : *Implevi Ephraim*, varii varie explicant. Primo, q. d. Implevi Ephraim peritia et dexteritate tendendi arcum et jaculandi. Secundo, q. d. Implevi Ephraim arcu, pharetra et sagittis. Ita Mariana. Tertio et genuine, implevi Ephraim, supple quasi arcum, uti paulo ante dixit de Juda. Jam arcus dicitur impleri Hebræis, cum plene et valide tenditur, cum plenis viribus nervus extrahitur, ut validum plenumque per sagittam det ictum, quo scilicet rem propositam configat et conficiat; tunc enim jaculator omnibus suis plenisque viribus arcum quasi implet, dum eas in illo tendendo expromit et exerit. Sic 4. Reg. 9. 24. in Hebr. dicitur : *Jehu implevit manum suam in arcu*, ut vertunt Septuag. hoc est manu sua implevit arcum, per hypallagen, id est, traxit arcum totis viribus suis. Idem ergo est : *Extendi mihi Judam quasi arcum*, quod, *implevi Ephraim*, scilicet, q. d. Tam decem Tribus, quàm duas instar arcus plene traxi et extendi, ut iis validas jacerem

sagittas. Audi S. Cyrill. *Sumpta*, ait, *est hæc phrasis ab eo quod fit in arcu. Cum enim nervum et ferrum arcus adducimus prope pupillas, tunc dicuntur jaculatores implere arcum, et fit vehemens jaculatio.* Sic et Vegetius, l. 1. de Re milit. c. 15. agens de tironum in militia institutione : *Major*, ait, *adhibenda solertia, ut arcum diligenter ac sapienter teneant, ut fortiter impleant, ut sinistra fixa sit.* Et Sidonius, l. 1. epist. 2 : *Spicula capit, implet, expellit.* Porro jam manus impletur arcu plane pleneque distento, quàm arcus manu : extensio enim arcus coæquatur extensioni manuum, et vice versa. Unde 4. Reg. 9. Jehu dicitur implesse manum arcu : arcus enim commensus est jaculatori. Cum ergo hic plene manus distendit, plene distendit et arcum. Secundo, Sanchez censet impleri arcum, quando extremis arcus capitibus, sive cornibus, adducto vehementer nervo coeuntibus, impletur circulus, qui prius videbatur inchoatus in arcu, qui semicirculi formam obtinet. Sic Threissa Æneid. 11. arcum tetendit :

> Et duxit longe, donec curvata coirent
> Inter se capita.

Quod sumpsit ex Homero, Iliad. 4. ubi arcum vehementer intensum dicit actum in circulum. Et Eurip. in Rhœso : *Jungite*, inquit, *nervis arcus corneos.*

Huc accedit Delrio, adagio 1017, qui censet hanc phrasim, *implere arcum*, sumptam à luna quæ *plena* vocatur, quando coeuntibus cornibus in circulum reflectitur : huic enim arcus summa vi extensus est similis.

Jam quoad sensum, Chald. Theod. S. Thom. et Hugo censent Ephraim idem esse quod Judam : idem enim esse, *implevi Ephraim*, quod, *extendi Judam quasi arcum*, ac significare Judæos Babylone redeuntes fore validos et bellicosos, ut reipsa fuerunt tempore Machabæorum. Verum, ut paulo ante dixi, hæc ad litteram spectant Christum et Apostolos, qui partim ex Juda, partim ex Ephraim, id est, ex regno decem Tribuum sunt prognati. Significat ergo Deus quod Apostolis sit usurus, tanquam arcubus validissime extensis et libratis, qui prædicando validissime librabunt et emittent sagittas amoris divini, quibus vulnerabunt audientium corda, eaque subjicient Christo. Sic Christus de se ait Isaiæ, cap. 49. 2 : *Posuit os meum quasi sagittam electam : in pharetra sua abscondit me.* Apostoli ergo fuerunt quasi sagittæ potentis acutæ. Audi S. Cyrillum : *Judam et Ephraim vocat totum genus Israel : ex quo primi Apostoli armati verbo Dei, et facti velut arcus, cæteras gentes adversantes percusserunt divinis dogmatibus : percusserunt, inquam, et vulnerarunt, non ad mortem, sed ad charitatem. Unde sponsa, Cant. 1, se appellat vulneratam charitate.*

Et suscitabo filios tuos, Sion, super filios tuos, Græcia,] q. d. Suscitabo è filiis tuis, ô Sion, qui Græcos subjiciant. Nominat præ cæteris Gentibus Græcos, quia cum his post tempora Zachariæ continuo negotium fuit Judæis ; Alexander enim infensus Judæis, sed placatus à Jaddo Pontifice, ingressus est in Jerusalem : Judas Machabæus et fratres ejus assidua gesserunt bella contra Antiochum Epiphanem, qui posteris Alexandri in regno Asiæ et Syriæ successit, ejusque asseclas. Unde Albert. Hugo et Sanchez censent ad litteram hic esse sermonem de victoriis, quas Machabæi obtinuerunt contra Antiochum. Verum esto ad eos alludat, et obiter quasi perstringat Propheta ; tamen persistens in prophetia de Christo, altius quid intendit, nimirum S. Paulum, S. Joannem aliosque viros Apostolicos armatos verbo zeloque Dei, conversuros Græciam ad fidem Christi, uti eos fecisse patet ex Actis Apostolorum et ex Epistolis S. Pauli. Unde Ecclesia Græca prima pene in orbe effloruit, deditque Ecclesiæ primos et præstantissimos Doctores, uti S. Dionysium Areopagitam, S. Polycarpum, S. Chrysost. S. Basilium, S. Gregor. Nazianzenum, et alios complures.

Et ponam te, ô Sion, ô Ecclesia, gladium fortium,] q. d. Faciam ut instar gladii sis fortissima, sternasque ac occidas Græcos aliasque gentes, quia scilicet occides in eis infidelitatem et gentilismum, easque compelles ad novam vitam Christianam sanctam et jucundam.

14. Et Dominus Deus super eos videbitur.] Deus ex alto aderit Apostolis virisque Apostolicis, et emittet jacula fulgurantia illustrationum internarum, quibus tum Apostolos ad divine prædicandum, tum Gentes ad avide audiendum et assentiendum impellet. Ita S. Cyrill.

Et Dominus Deus in tuba canet.] *Tuba*, scilicet Evangelii, qua Apostolos suos ad evangelizandum excitabit, et quasi in aciem instruet et educet, eosque præcedet et irruet in hostes celerrime et fortissime, ac instar turbinis venientis ab Austro omnes convolvet et secum abripiet. Hisce bellicis metaphoris significatur vis et energia prædicationis Evangelicæ, à Deo aspirata Apostolis et prædicatoribus. Unde de iis subdit :

15. Devorabunt (hostes suos) et subjicient lapidibus fundæ.] Intelligitur more hebræo nota similitudinis *sicut*, vel *quasi* : ardentes enim sententiæ S. Scripturæ et sermones Apostolorum fuerunt quasi lapides fundæ, quos ejecerunt in Gentes tanto impetu et rectitudine, ut eos ferirent et sternerent. Alludit ad fundam qua David lapidem intorsit in frontem Goliath, eumque tam valide illi impegit, ut ipsum prosterneret. Simili enim modo, sed mystico, Apostoli straverunt turres illas carneas Gentilium. Alludit quoque ad velites et fundibularios, qui olim in prima acie constituebantur, primique prælium inibant.

Et bibentes inebriabuntur quasi a vino.] Hebr. est המו *amu*, id est, tumultuabuntur quasi temulenti. Unde Tigur. vertit : *Frement ut qui vino exhilarantur.* Est catachresis, significans copiosam hostium stragem ; et ingentem Apostolorum tum zelum perdendi hostes, puta idola, infidelitatem et scelera omnia gentilismi, tum victoriam : tantum enim hostium sanguinem ab eis effundendum esse, ut, si eum victores biberent (quod nonnulli efferati olim fecerunt) inebriarentur et replerentur, sicut repleri solent phialæ et cornua altaris sanguine victimarum. Simili schemate de Christo victore dicitur psalm. 109. 6 : *Conquassabit capita in terra multorum : de torrente in via bibet.* Quocirca Sept. clare hìc vertunt : *Bibent eos sicut vinum.* Tale quoque est illud Isaiæ 63. 3 : *Calcavi eos in furore meo, et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi.* Alludit ad victorias Machabæorum cruentas, quibus plurimum hostium sanguinem effuderunt. Nota : Τὸ *quasi cornua altaris*, significat

hanc gentilismi stragem faciendam ab Apostolis fore sacrificium, et hostiam Deo gratissimam, sicut hostiæ gratissimæ Deo sunt hostes Dei, cum jugulantur, et sanguis eorum effunditur, ac quasi libatur divinæ justitiæ et vindictæ. Unde Septuag. vertunt : *Implebunt phialas sicut altare;* vel ut S. Hieron. legit : *Implebunt sicut phialas altare.* Ita Theodor. et Chald. *Et erit*, inquit, *anima eorum plena deliciis, sicut phiala quæ plena est simila et oleo, et splendebunt sicut sanguis qui splendet in pariete altaris.* Sic S. Paulus Evangelii prædicationem vocat sacrificium, in qua Gentes sunt victimæ, Paulus sacerdos, Rom. 15. 16 : *Ut sim*, inquit, *minister Christi Jesu in Gentibus, sanctificans* (græce ἱερουργῶν, id est, significans) *Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta et sanctificata in Spiritu sancto.* Unde ad hoc sacrificium sanguinem suum per martyrium, ad libamen offert Deo, Philipp. 2. 17 : *Sed et si immolor*, inquit, *super sacrificium et obsequium fidei vestræ, gaudeo et congratulor omnibus vobis.* Unde et Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 39. sic legit et explicat : *Replebunt quasi pateras altare*, scilicet Martyres sanguine suo, quem fundunt Deo, et quasi libant in altari.

Et salvabit eos Dominus, etc. ut gregem populi sui.] Apostoli enim fuerunt quasi grex arietum electus et selectus à Christo dicente : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*, Matth. 10. 16; sed Deus eos protexit et salvavit, adeo ut oves vincerent lupos, eosque in oves converterent. Nota : Τὸ *ut gregem populi sui*, dupliciter accipi potest : Primo, q. d. ut gregem non ovium, sed populi sui. Sic omnis populus omnesque fideles sunt grex Dei. Secundo, q. d. ut gregem selectum è populo. Sic soli Apostoli virique Apostolici sunt grex populi Dei.

Quia lapides sancti elevabuntur super terram ejus,] q. d. Apostoli, et fideles quos ipsi convertent, præsertim illustres virtute et sanctitate, salvabuntur à Deo, et liberabuntur ab omnibus periculis; quia ipsi sunt grex Dei, et quasi lapides primarii, quos ipse elevare, honorare et exaltare in terra decrevit. Albertus et Hugo per *lapides sanctos* accipiunt Machabæos. Verum esto ad eos alludatur, tamen proprie hæc spectant Christum et Apostolos, ut dixi S. Hier. Theodor. Remig. Lyran. Ribera, et alii passim.

Pro *sancti* hebraice est נזר *nezer*, quod primo verti potest, *lapides separationis*, id est, separati à vulgaribus, ideoque sancti; quia ad sanctam Ecclesiæ fabricam, vel titulum aut trophæum deputati. Secundo, *nezer* idem est quod *consecratio.* Unde Tigurina vertit : *Lapides consecrati in sublime ferentur super terram ejus.* Tertio, *nezer* significat *diadema*, *coronam*, vel *tiaram.* Unde aliqui vertunt, *lapides diadematis*, vel *coronæ.* Ita Vatabl. Hinc à *nezer* vocabantur *Nazaræi*, quasi à vulgo separati et consecrati Deo, ac cæsarie sua coronati, uti dixi Numer. 5.

Quæres : Quales sunt hi lapides? Primo, aliqui censent esse gemmas, ex quibus confletur et ornetur diadema (hoc enim significat *nezer*) Christi, q. d. Apostoli erunt gemmæ, quæ in diademate Christi eminebunt, illudque decorabunt, et vicissim eo decorabuntur. Ita Vatabl. et Sanchez. Huc accedit Chald. qui vertit : *Eliget eos sicut lapides superhumeralis;* quasi hìc alludatur ad duodecim gemmas, quæ erant in ephod et rationali Pontificis, inscriptæ duodecim nominibus Patriarcharum, qui repræsentabant duodecim Apostolos : hi enim sunt Patriarchæ novi testamenti, ut dixi Exodi, 28. 17. Simili modo de iisdem ait Isaias, c. 62. 3 : *Eris corona gloriæ in manu Domini.* Huc accedit Mariana, qui sic explicat, q. d. Principes Juda elevabuntur sicut lapides coronæ, hoc est, erunt in pretio, dignitate et honore eminebunt, sicut eminent gemmæ in corona regia.

Secundo, alii accipiunt lapides fabricæ, q. d. Apostoli in fabrica Ecclesiæ quasi lapides primarii in culmine eminebunt, et virtute, et dignitate, et auctoritate, et gloria. Ita S. Hieronym. Theodor. Remig. Lyran. et alii. Alludere enim videtur Zacharias ad fabricam templi, ad quam ipse assidue Judæos excitabat : hæc enim erat typus fabricæ Ecclesiæ.

Verum quia hìc nec coronæ, nec rationalis, nec ædificii fit mentio, sed terræ, in qua dicit elevandos hos lapides; hinc congruentius per lapides hos accipimus eos qui in titulum victoriæ, triumphi, vel rei alicujus illustris eriguntur. Alludit enim ad duodecim lapides, quos Josue, sicco pede superato Jordane, ingressus in terram sanctam, in titulum et monumentum hujus miraculosi ingressus, et simul in signum quasi usucapionis, quod scilicet jam adisset possessionem terræ sanctæ, erexit in Galaad, Josue 5. v. 19. Hi enim duodecim lapides fuerunt typus duodecim Apostolorum, qui pari modo in terra sancta, id est in Ecclesia, in titulum victoriæ, et possessionis aditæ à Christo erecti et elevati sunt. Tales quoque fuere lapides, quibus legem Dei inscribi, ac deinde eos erigi et statui in monte Garizim jussit Moses, Deuter. 27. 2. et sequent. Tale quoque fuit altare, quod in trophæum victoriæ ab Amalec reportatæ, ex lapidibus, ut videtur, construxit et erexit Moses, Exodi 17. 15. vocavitque : *Dominus exaltatio mea*, vel *vexillum meum*, quod scilicet in Amalec inferens, eum prostravit. Hebr. enim נס *nes* significat vexillum : unde נוסס *noses* vocatur vexillifer. Idem pene verbum hìc usurpat Zacharias, scilicet מתנוססות *mitnosesot*, quod Noster vertit, *elevabuntur;* alii vertunt, *vexillabuntur*, hoc est, gerent vexillum crucis Christi, ejusque vexilliferi erunt in castris Ecclesiæ, ut prædicent victorias ejus virtute partas, in cujus gloriam erecti sunt; ad quod proinde omnes fideles quasi milites Christi se aggregabunt, ut suos hostes prosternant. Unde aliqui vertunt, *lapides fugantes*, scilicet castra hostium. Addit Arias alludi ad lapides qui in biviis, vel triviis eriguntur, ut viam viatoribus indicent, ne ab ea aberrent. Sic enim Apostoli viam nobis à terra in cœlum demonstrant. Sensus ergo est, q. d. Apostoli et viri Apostolici servabuntur et protegentur à Deo tanquam grex è populo suo selectus : nam uti lapides sancti in sublime efferentur in terra, ut sint tituli et monumenta Christi et Ecclesiæ, eorumque victoriæ, ac ad eam et per eam in cœlum viam omnibus ostendant. Huc accedit Sanchez : Lapides, inquit, isti *nezer*, id est separationis, consecrationis, vel coronationis, appellari possunt, quia quasi terminales, agros ab agris separant, puta Ecclesiam secernunt à Synagogis Judæorum, academiis Philosophorum, et sectis Gentilium, illamque Deo consecratam esse illustri aliqua nota demonstrant : aut certe Ecclesiam, quasi terram promissionis cingunt et coronant; sicut flumina salicibus coronari

dicuntur. Qui etiam sacri dici possunt, quia religionis ergo à Christo erecti sunt. Additque alludi hic ad lapides terminales Judææ, quos post vastationem Chaldæorum, Idumæi et aliæ vicinæ gentes hostiles Judæam occupantes, abstulerant; sed Judæis è Babylone in Judæam reversis, ab iis fuerunt restituti et elevati. Ex quo totius versus hujus hic erit sensus : Sicut Deus Judæos Babylone reversos salvavit, et pavit quasi gregem suum in pascuis, suis signis et titulis, quasi lapide terminali consignatis : sic idem Christianos, quasi gregem suum, servabit ab omnibus periculis, et pascet in altis Ecclesiæ montibus, quasi pascuis suis, quos lapides elevati, puta Apostoli, sepiunt, et à Judæis Gentibusque disterminant, ac sanctificant, et in cœlum elevant.

Tertio, aliqui censent lapides hos fuisse globos lapideos. Unde Septuag. vertunt : *Lapides qui volvuntur* (Tertull. l. 4. contra Marcion. c. 39. legit, *volutant*) *super terram.* Hebr. enim *mitnosesot* potest deduci à נסס *nus*, id est fugere ; et in *poel* active *noses*, id est fugare, q. d. Lapides fugientes, id est, celerrime volubiles et mobiles, omnesque hostes et obices fugantes. Hi enim lapides significant Apostolos, qui celerrime totum orbem percurrerunt et circumgyrarunt evangelizando. Audi S. Cyrillum : *Volvi autem illos aptissime dicit, ut ad quidvis sanctorum agilitatem celeritatemque declaret. Lapides enim orbiculares, seu rotundi citra ullam difficultatem maxime sunt mobiles, si quis eos impellere voluerit : sic animus Sanctorum ad omnia Deo grata est versatilis.* Causa est, quod cœlum spectent, terram vero non nisi in puncto tangant. Sphæra enim, vel globus insistens plano, illud tantum in puncto tangit, ut docent Mathematici : quo significatur Sanctos, et præsertim viros Apostolicos ita in cœlestia defixos, ut terrena vix, et non nisi necessitate coacti attingant, uti monet S. Paulus, 2. Timoth. 6 : *Habentes,* inquit, *alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.* Unde Arabicus vertit : *Sunt lapides sanctificati, et ascendere eos faciet in terram sanctitatis de loco bonorum optimorum.* Quocirca S. Hieron. eleganter et apposite explicans illud psal. 76. 19 : *Vox tonitrui tui in rota, id est,* inquit, *vox prædicationis tuæ in toto orbe :* per illum enim totum prædicatio instar rotæ rotata discurrit. Tropolog. vero : *Rota,* inquit, *modico quodam vestigio stat in terra; et non solum stat, sed quasi percurrit : non stat, sed tangit et prælerit : ita et sanctus vir, quoniam in corpore est, necessitatem habet aliqua de terrenis cogitare; sed habens victum et vestitum, his contentus est; et tangens terram ad altiora festinat* (ut quasi rota tangens terram, illico erigantur in altum). *Ille qui currit, et ad altiora festinat, in illo est sermo tuus. Legimus in Propheta* (Zachar. 9.) : *Sancti lapides volvuntur super terram. Quoniam enim rotæ sunt, propterea volvuntur super terram, et ad altiora festinant.*

Ita Atherius Archiepiscopus Asiæ, jussus ab Angelo perquirere S. Joannem, quia a silentio cognominatus est Silentiarius ; eo invento cognitoque quod nobilitatem, opes amplas et episcopatum Dei amore reliquisset, seque voluntariæ paupertati, humilitati et excitationi Anachoreticæ addixisset, et inter Anachoretas incognitus viveret, admirans exclamavit : *Vere nunc quoque Sancti lapides in terra volvuntur,* uti refert Cyrillus in Vita S. Joannis Silent. qui coævus fuit S. Sabæ et Justino Imperatori, floruitque anno post Christum quingentesimo.

Moraliter disce hic quàm alta, separata et elevata sit vita Sanctorum, præsertim eorum qui religione Nazaræi sunt, et alios sanctificant. Elevantur enim à terra in cœlum, adeoque pertingunt ad *nezer*, id est, diadema quod est in capite Christi, illudque exornant. Quàm ergo hoc diadema à terra elevatum est, tam et ipsi elevati sunt à terrenis et terrenorum moribus : quia eorum conversatio est cum Christo in cœlis. Accipe descriptionem et hypotyposin viri sancti ita elevati : *Vir sanctus hominem interius ordinat; exterius ornat; à rebus turpibus cohibet : sermones rectos et utiles amat : in risum non effunditur, non clamat, nec vocem attollit. Modeste incedit. Aliorum facta curiose non inquirit : admonitiones hilari vultu recipit : errori aliorum facile condonat : humilis est, mitis et benignus : miseris quibuslibet ex visceribus miserando compatitur : laudibus non extollitur, detractione non dejicitur : interroganti facile leniterque respondet : contendenti facile cedit : patienter alios audit : in omnibus alios ædificare et perficere studet : rari est, et gravis sermonis : in cibo parcus, in potu sobrius : compositus in vultu et verbis : odit mendacium, fabulas et nugas : filius est veritatis: oculos habet demissos et simplices. Puritate candidus, obedientia promptus, patientia perfectus, in oratione assiduus : in fide stabilis, in opere diligens, in abstinentia rigidus, in moribus exemplaris : in conversatione gratus, in verbis affabilis, in dando liberalis, amicis fidus, inimicis benignus, Deo resignatus, sibi mortuus, mundo crucifixus, omnibus omnia ut omnes lucrifaciat : zelotes pro honore Dei et salute animarum.*

Audi et S. Gregor. lib. 5. Moral. c. 2 : *Quia sancti viri ita prosperitatem seculi despicientes calcant, sicut adversitatem ejus calcantes tolerant per magnam mentis celsitudinem, mundi sibi et adversa et prospera substernentes dicunt : Sicut tenebræ ejus et lumen ejus,* q. d. *Sicut intentionis nostræ fortitudinem ejus tristia non premunt; ita hanc nec blanda corrumpunt.* Idem, l. 8. c. 14. explicans illud Job. 7 : *Elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea,* per suspendium accipit elevationem mentis ad cœlestia ; per mortem ossium, mortificationem carnis. *Sancti enim viri,* inquit, *certissime sciunt quia habere in hac vita requiem nequaquam possunt, et idcirco suspendium eligunt, quia nimirum desideria terrena deserentes, ad alta animam tollunt. Suspensi autem mortem suis ossibus inferunt, quia amore supernæ patriæ in virtutem studiis accincti, hoc quod fortes prius in mundo fuerant, vinculo humilitatis insequuntur.* Idem, l. 12. 17. docet sanctos ob vitæ mentisque celsitudinem vocari cœlos, *sicut scriptum est* ps. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei, qui per naturam omnes in semetipsis propriam mutabilitatem habent, sed dum immutabili veritati studiose semper inhærere desiderant, inhærendo agunt ut immutabiles fiant.* Idem, l. 20. c. 91 : *Sanctos suos Dominus veniendo adjuvat, derelinquendo probat, donis firmat, tribulationibus tentat.* Ibidem lib. 21. c. 10 : *Sancti viri cum præsunt, non in se potestatem ordinis, sed æqualitatem conditionis attendunt; nec præesse gaudent hominibus, sed prodesse.* Idem, lib. 21. c. 15 : *Sancti viri quando cum personis minoribus contentionum negotia subeunt, dum gravare vel in-*

minimis timent, ipsi contra justitiam gravari nequaquam refugiunt. Idem, libr. 26. c. 21 : *Sancti,* inquit, *reges sunt, quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse noverunt.* Idem, l. 21. c. 15 : *Vir sanctus quo majore persecutione premitur, eo ad prædicandam veritatem acrius instigatur ; et cum patienter persecutores tolerat, ardenter ad se auditores trahere festinat.* Idem, lib. 35. c. 2 : *Sancti viri dum divinitatis arcana audiunt, quanto magis contemplando proficiunt, tanto amplius despiciendo quod sunt, aut nihil, aut prope nihil se esse cognoscunt.*

Audi et S. August. in psal. 122 : *Cœlum mihi sedes est. Qui sunt cœli, nisi justi? In ipsis sedet Deus, et de ipsis judicat Deus. Quomodo peccator factus est terra, cui dictum est : Terra es, et in terram ibis; sic justificati facti sunt cœlum. Portaverunt Deum, et de ipsis Deus coruscabat miracula, tonabat terrores, pluebat consolationes. Anima justi thronus est sapientiæ, id est, in anima justi sedet sapientia tanquam in sella sua, tanquam in throno suo, et inde judicat omne quod judicat.* Idem, in ps. 96 : *Tu si vis, cœlum eris.: Si vis esse cœlum, purga de corde tuo terram : si terrenas concupiscentias non habueris, et non frustra responderis sursum te habere cor, cœlum eris. Conversatio enim tua in cœlis erit.* Idem, l. 2. de serm. Domini in monte, c. 10 : *Pater noster qui es in cœlis, id est, in cordibus justorum, tanquam in templo sancto suo.* Hisce enim promisit illud Isaiæ 58. 14 : *Delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob patris tui.* Audi et Gentilem Senecam, l. de Quatuor virtutibus : *Magni animi hominis bonum est non vacillare, constare sibi, et finem vitæ intrepidus exspectare. Nil aliud magnum in rebus humanis, nisi animus magna despiciens. Si magnanimus fueris, nunquam judicabis tibi contumeliam fieri.*

17. QUID ENIM BONUM EJUS EST, ET QUID PULCHRUM EJUS, NISI FRUMENTUM ELECTORUM, ET VINUM GERMINANS VIRGINES?] Tò *ejus* hebraice et græce est masculinum : unde terram, utpote feminini generis, respicere nequit. Respicit ergo Deum, et consequenter ejus populum. Sicut enim Deus nihil melius, aut pulchrius hoc dono dare; sic nec populus accipere potest. Est epiphonema, quo per admirationem et exclamationem claudit una quasi synopsi, omnia bona paulo ante recensita, ac simul dat causam, id est, fontem tantorum bonorum. q. d. Causa, cur Apostoli et eorum sequaces sint futuri quasi sagittæ et jacula fulgurantia, quæ omnes gentes sternent sibique subjicient; curque salvandi sint à Deo, et pascendi ut grex ejus; denique cur sint lapides *nezer*, id est, separati et consecrati Deo, ideoque elevandi super terram : horum, inquam, omnium causa est, quod Deus ita eos amet, ut omne suum bonum eis communicet : *Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum, nisi frumentum electorum?* etc. q. d. Utique Deus nihil habet quod det melius, aut pulchrius frumento electorum. Hinc Septuag. vertunt : *Quia si quod pulchrum illius, et si quod bonum ejus*, hoc utique est *frumentum juvenibus, et vinum boni odoris ad virgines;* Pagnin. et Vatabl. *Quanta enim bonitas, et quanta pulchritudo ejus! Frumentum juvenes, et vinum virgines succulentas et vegetas reddet;* Syrus : *Quàm bonum, et quàm pulchrum est triticum adolescentibus, et vinum delectat virgines!* Arabicus Antiochen. *Quàm bona et quàm utilis esca juvenibus, et vinum jucundat virgines!* Arabicus Alexandr. *De loco bonorum optimorum frumentum puerorum, et vinum et unguentum virginum.* O ergo bonitas et pulchritudo Dei stupenda! ô abyssus bonitatis! ô amor! ô stupor!

Quæres : Quodnam hoc frumentum et vinum? Primo, Hebræi et Theodoret. censent hîc Judæis copiam frumenti et vini ad litteram promitti. Unde Sanchez sic explicat, q. d. O quantum bonitatis ac pulchritudinis habebit ager ille, quem Dominus suo assignabit populo, quemque suis sibi titulis circumscribet? Afferet enim frumentum, quod juvenes robustos; et vinum, quod virgines florentes atque nitentes faciat. Mariana vero sic : Quod maxime pulchrum existet in hac victoria, erit finis ejus, scilicet convivia, quæ juvenes et virgines instruent, et cantica quibus lætitiam celebrabunt. Verum hic sensus humilis est et terrestris, præsertim quia præcedentia omnia spectant ad tempora Christi; nec vinum materiale germinat virgines, ut vertit Noster, sed potius accendit libidinem.

Secundo, melius alii frumentum et vinum mystice accipiunt pro alimonia spirituali; puta pro lege et doctrina Mosis et Prophetarum, quæ Judæorum, tam juvenum quàm virginum, mentes pavit et aluit in cultu Dei, quando Machabæi legem cum cultu Dei, ob persecutionem prolapsam, erexerunt et in integrum restituerunt. Unde Chald. vertit : *Quoniam quàm bona et pulchra est doctrina legis, et judicium veritatis directum in congregatione!* Ita Albert. et Hugo. Verum quia à v. 9. hucusque egit de Christo, non de Mose ; hinc

Tertio, sublimius et germanius alii per frumentum et vinum accipiunt legem et doctrinam Evangelicam, quæ prædicata à Christo et Apostolis mentes audientium pascit, ac juvenes ad fortitudinem, virgines ad castitatem excitat. Ita Clarius, Vatabl. et Arias.

Quarto, aptissime et plane ad litteram, frumentum hoc et vinum est Eucharistia, in qua corpus Christi Domini sub specie panis è frumento confecti, et sanguis sub specie vini, vi consecrationis, puta verborum Christi Domini, realiter et substantialiter præsens in altari sistitur, quod Apostolos et fideles nutrit, corroborat et inflammat ad præliandum prælia Domini, eosdemque à terrenis desideriis ad cœlestia traducit et elevat. Hoc enim ejus vinum non luxuriam, sed castitatem germinat et producit : utraque ergo species Eucharistiæ hîc notatur, scilicet frumentum sive panis et vinum. Ita S. Hieron. Remig. Haymo, Lyran. Ribera, à Castro, et alii hîc, ac Paschasius libr. de Corpore et sanguine Domini, c. 21.

Ubi nota : Eucharistia dicitur bonum et bonitas Christi, quia summa bonitate summum bonum, scilicet seipsum quantus quantus est, puta totam deitatem et humanitatem nobis communicat, et in escam dat; ita ut totum quasi deitatis ærarium hîc in nos expromat et exhauriat. Eadem dicitur pulchrum et pulchritudo Christi, primo, substantia : quia scilicet substantialiter nobis exhibet Christum, qui qua Deus, est verbum, imago et pulchritudo Patris; qua homo, est *speciosus forma præ filiis ho-*

minum. Secundo, causalitate et effectu: quia scilicet est *frumentum electorum, et vinum germinans virgines.* Nam causat in nobis juventutem florentem spiritus et animæ, dum facit eam robustam, floridam, agilem et alacrem ad omne bonum: rursum dum facit eam puram et virginem. Vere enim ait Sapiens, cap. 4. 1: *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate!* Tertio, Sacramento: quia species panis et vini repræsentant nobis Christum in cruce immolatum, puta corpus à sanguine separatum, quasi occisum et mortuum. Hæc autem immolatio et victima fuit pulcherrima, præstantissima, Deo dignissima et gratissima, utpote per quam omnis honor peccato violatus et ablatus ipsi est restitutus, ac consequenter peracta nostra redemptio et reconciliatio cum Deo.

Quocirca eleganter et vere S. August. in psal. 44. post initium: *Christus,* ait, *est pulcher in cœlo, pulcher in terra, pulcher in utero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher invitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in sepulcro.* Quarto, convivio: Eucharistia enim est convivium in quo Deus nobiscum convivatur, ac proinde apponit escam non humanam, non angelicam, sed divinam, ideoque pulcherrimam et magnificentissimam. Pulchritudo enim convivii est ejus decor et magnificentia. Hoc est quod ait Psaltes, psalm. 110. 3: *Confessio et magnificentia opus ejus,* quia scilicet, *escam dedit timentibus se.* Quam escam? *Panem cœli dedit eis: Panem Angelorum manducavit homo,* ps. 77. 25. Ergo in Eucharistia, *confessio et pulchritudo in conspectu ejus: sanctimonia et magnificentia in sanctitate ejus,* psal. 95. 6. Merito S. August. serm. 50. de Verbis Domini: *Quid dicis,* ait, *Domine bone pastor? Tu enim pastor bonus, qui bonus agnus: idem pastor et pascua, idem agnus et leo.* Hæc pulchritudo magis patebit ex Eucharistiæ cum aliis fidei mysteriis symmetria et congruentia, quam jam subdo.

Moral. disce hîc Eucharistiam esse omne bonum et pulchrum Dei et Christi, æque ac nostrum, adeo ut nihil melius aut pulchrius nobis dare possit. Vere de ea Poeta Christianus:

> Sanctum, augustum, almum, cœli admirabile munus,
> Per te melliflui rorant dulcedine montes.
> Per te mellifluæ complentur nectare valles.
> Ipse amor, ipsa animis nostris innexa voluptas.

Ratio est, quia in Eucharistia, ut dicitur psalm. 110. 4: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Eucharistia enim est quasi compendium, et anacephalæosis omnium mirabilium Dei operum. Nam primo, hîc quasi est nova creatio mundi: quia transsubstantiatio est velut quædam creatio, qua quasi creatur in altari ipse Dominus et creator mundi, ac mundus in ipso, ideoque integras rerum naturas commutat et transsubstantiat, panem in carnem, vinum in sanguinem Christi.

Secundo, mirabile Dei opus erat manna, quod erat panis cœli, et panis Angelorum. Eucharistia est manna supernaturale et divinum, Joan. 6. 59.

Tertio, mirum ineffabile Dei opus fuit Incarnatio, qua *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* In Eucharistia est quodam modo nova incarnatio, dum de novo Verbum in altari humanatum sistitur, et quasi incarnatur.

Quarto, mirum Dei opus fuit Christi crucifixio, mors, mundique redemptio: in Eucharistia est viva repræsentatio crucifixionis et mortis Christi: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis,* 1. Corinth. 11. 26.

Quinto, quia in Eucharistia Deus omnia vetera miracula renovat et superat. Nam non aquam in vinum, sed vinum in sanguinem suum commutat: facit ut Christus homo sex pedum subsistat in puncto, imo in singulis punctis hostiæ: facit ut accidentia panis et vini per se subsistant sine subjecto, ac si essent substantia. Idem facit non uno in loco, sed in omnibus altaribus dum consecratio fit, per totum mundum. Itaque Christus idem toto suo corpore et quantitate est in plurimis et distantissimis locis, idque continuo singulis diebus, per omnes hebdomadas, menses, annos et secula.

Sexto, ideo reliquit nobis Eucharistiam, ut esset objectum circa quod exerceremus omnes virtutes: fides enim ingens hîc requiritur, ut credamus hostiam non esse panem, sed carnem Christi; nec vinum quod ante fuit, esse vinum, sed esse sanguinem Christi; etsi omnes sensus judicent esse vinum, esse panem, non carnem, non sanguinem. Secundo, religio hîc exercetur: quia habemus Deum præsentem, quem latria adoramus. Tertio, spes: quia si Christus dat nobis seipsum in cibum, quid non dabit? et ita de cæteris.

Septimo, Eucharistia est summum et præstantissimum sacrificium, quo Deus summe honoratur: quia ei offertur et immolatur nobilissima victima, scilicet non bos, non taurus, sed ipse Dei filius, Deus et homo; isque in ejus honorem quasi mactatur, et consumitur. Rursum Eucharistia est sacrificium propitiatorium, quo sacerdos quasi mediator Dei et hominum, Deum hominibus propitiat, veniam peccatorum, et gratias omnes Ecclesiæ impetrat, quæ aliàs ob multorum peccata graviter à Deo castigaretur.

Octavo, Eucharistia est panis transsubstantialis ὑπερούσιος, et supersubstantialis, Matth. 6. v. 11. confirmans cor, spiritum, mentem hominis, omnesque ejus vires et potentias. Est pharmacum immortalitatis, cujus vi resurgemus ad vitam immortalem, ut docet Christus Joan. 6. v. 59: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum;* idque expresse ibidem docet S. Cyrill. Est medicina omnium infirmitatum et morborum corporis et animæ. Laboras superbia? sume Eucharistiam, id est, Christum ad carnem, imo ad panem se humiliantem; et panis hic humilis te humilem faciet. Laboras tentatione libidinis? sume vinum germinans virgines. Laboras ira et impatientia? sume Christum crucifixum et patientissimum: hic suam tibi patientiam communicabit, etc.

Nono, Eucharistia est ignis amoris divini, accendens in nobis ardorem charitatis. In ea enim Christus est *amor amorum,* ait S. Bernard. vel quisquis est Auctor, serm. de Cœna Domini. Nam ut canit S. Thomas Aquin. *Se nascens dedit socium: convescens in edulium; se moriens in pretium: se regnans dat in præmium.* Quis enim

non amet Christum, totusque in eum quasi transeat, dum totus in eum transit Christus: Quis Christum ignem suscipiens, eo non inardescat? S. August. serm. 9. de Natali Domini: *Factus*, inquit, *est Deus homo, ut homo fieret Deus: ut panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum factus est homo.* Legimus de S. Catharina Senensi, cor ejus Christi patientis consideratione et amore fissum, ita ut ipsa expirarit, uti refert Ambros. Catharinus in ejus Vita lib. 2. cap. 30. Ita mirum est cor nostrum in Eucharistia tanto Christi amore non findi, tanto igne non consumi. Axioma est Philonis in Vita Mosis: *Miracula quotidiano usu talia desinunt videri.* Hoc verum experimur apud homines in sancta communione: iis enim Eucharistia, quia quotidiana, vilescit, cum sit miraculum miraculorum, et prodigium prodigiorum. Hoc deplorabat, imo stupebat S. Franciscus, ut habetur in ejus Epist. ad Sacerdotes sui Ordinis, quæ habetur in fine tomi 5. Bibliotech. SS. Patrum. *Magna*, ait, *miseria, et miseranda infirmitas, quando ipsum* (Christum) *sic præsentem habetis, et aliquid aliud in toto mundo curatis. Totus homo paveat, totus mundus contremiscat, et cœlum exsultet, quando super altare in manibus sacerdotis est Christus filius Dei vivi.* Quocirca ut hoc consuetudinis vilescentis malum evitemus, quotidie excitanda est novitas mentis, attentionis, considerationis, admirationis et stuporis tanti Sacramenti, perinde ac si primum eo die fieret, nec unquam antea factum esset: *Ita magnum, novum et jucundum tibi videri debet, cum celebras, aut Missam audis, ac si eodem die Christus primum in uterum Virginis descendens homo factus esset, aut in cruce pendens pro salute hominum pateretur et moreretur,* ait noster Thomas, lib. 4. de Imitat. Christi, cap. 2.

Hæc omnia complectitur Zacharias hoc elogio: *Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus?* idque hoc fine, ut acuat in Christianis famem Eucharistiæ, ac simul indicet optimam dispositionem et præparationem ad sacram communionem esse, si quis ingentem ejus in se excitet famem, ingens, inquam, desiderium sumendi Christum. Sicut enim ad utiliter sumendum cibum corporalem, optima dispositio est appetitus et orexis: hæc enim omne insipidum facit sapidum, illudque stringit, optime concoquit, sibique incorporat; unde illud vulgo tritum: *Optimum cibi condimentum est fames;* ita prorsus se res habet in cibo spirituali Eucharistiæ. Quocirca S. Chrysost. docet accedentem ad Eucharistiam ita avide accedere ad eam debere, ac si in ea os applicaret lateri Christi, ex eoque sugeret et biberet sanguinem Christi, uti revera facit. S. Catharina Senensis accedebat ad S. Synaxin tanta orexi, quanta infantes famelici accedunt ad ubera matris, adeo ut præ fame videretur deficere et emori. Unde et S. Chrysost. homil. 60. ad popul. *Nonne videtis*, ait, *quanta promptitudine parvuli pupillas capiunt, et quanto impetu labia uberibus infigunt? Accedamus cum tanta nos quoque alacritate ad hanc mensam, quinimo cum longe majori trahamus, tanquam infantes lactanei, spiritus gratiam; et unus sit nobis dolor, hac esca privari.* S. Thomas opusc. 57: *Suavitatem*, ait, *hujus Sacramenti nullus digne exprimere sufficit, per quod spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur, et recolitur memoria illius, quam in sua passione Christus monstravit, excellentissimæ charitatis.* Quocirca S. Melchtildis à Deo didicit optimam ad Eucharistiam dispositionem, Deo que gratissimam esse, ut, licet quis in se non sentiat vivam ejus famem, ardensque desiderium, concipiat tamen desiderium hujus desiderii, optans vehementem hujus cibi famem, atque orans Deum, ut sibi hanc cœlestem cœlestis escæ orexin indat et inspiret.

Rursum, ut hoc pulchro et bono Eucharistiæ fruamur, illudque plene gustemus et sapiamus, illud ipsum post S. Synaxin diu et devote cum gratiarum actione ruminandum est, mensque cum Christo colligenda et unienda: qua de re egregia ut perutilia edidit documenta noster P. Balthasar Alvarez, vir raræ prudentiæ et sanctitatis, quæ in Vita ejus recenset P. Ludovicus de Ponte, cap. 6. §. 2. Multis communicantibus, inquit, pruriunt pedes ut inde discedant statim prætextu lectionis, collocutionis, ambulationis, quæ est phrenesis intolerabilis. Orationes enim et lectiones quid aliud sunt, quàm quidam clamores quibus Dominum vocamus ut ad domum nostram venire dignetur? Quæ ergo stultitia est, ut post tot horas dum ille ad nos venit, imo ingreditur, nos illico eo relicto domo exeamus? Quod quæris præter Deum tuum? plus ille te docebit quàm omnes libri, plus te recreabit quàm omnes amici, plus virtutis dabit quàm omnes Sancti. Ad hoc perpende sequentes veritates, quibus anima cum Deo loquitur:

Infirmus, Domine, qui tecum non exhilaratur, valde prope est ut cadat:
Anima quæ tecum non exsultat, unde poterit exsultare?
Qui tecum, Domine, non est contentus, quomodo non crepat?
Qui dum te hospitem habet, properat ut domo exeat, facile ostendit se cor habere alibi obstrictum.
Cui tecum manere tædium est, nescit quod tu sis Deus et totum bonum ejus.
Qui tecum non manet libenter, ostendit se phrenesi laborare, cum hujus rei causa natus sit.

Tu enim es omne bonum et pulchrum totius universi, qui ejus scintillam creaturis singulis gratis communicas et impertis. Quæ ergo stultitia, relicto fonte immenso voluptatis, guttam unam persequi? Ergo qui sapis sequere consilium Sapient. Eccles. 14. 14: *Non defrauderis à die bono, et particula boni doni non te prætereat.*

Frumentum electorum.] Hebr. est בחורים *bachurim*, quod Septuag. Syrus et Arabicus, Vatabl. et Pagnin. vertunt, *juvenum.* Hi enim præ senibus eliguntur ad opera tum civilia, tum bellica conficienda. Eucharistia ergo est *frumentum electorum*, quod scilicet facit selectos juvenes, hoc est, validos, alacres et expeditos ad omne bonum, æque ac ad quodvis prælium quantumvis arduum et difficile. Secundo, *electorum;* quia facit ut à Deo elegamur ad vitam æternam, Joan. 6. 59. ac discreti à reprobis, inter electos cœlo donandos annumeremur. Hinc patet electionis ad gloriam signum ac causam esse, piam et frequentem communionem.

Porro Eucharistiam esse frumentum electorum et juvenum, eos vegetans, animans et validans, patet primo, in Martyribus, qui Eucharistia se muniebant et roborabant ituri ad tribunalia, aculeos, catastas et supplicia, ut patet ex S. Cypriano, l. 1. epist. 2. ad Cornelium, eaque de causa Eucharistiam tempore persecutio-

nis domum deferebant, ut illam instante periculo sumerent. Dum enim Christi sanguinem pro nobis fusum suscipimus, roboramur et excitamur, ut et nostrum sanguinem pro ipso generose et libenter profundamus, ait S. Cyprianus, quia fortis est ut mors dilectio : additque eos in hoc prælio non posse fortiter pugnare, qui his armis induti non sint. Quocirca S. Anacletus, à S. Petro quartus Pontifex et Martyr, anno Domini 112. incrudescente persecutione Trajani, sanxit ut omnes Christiani sacrificio Missæ præsentes, eo peracto, communicarent, itaque se ad martyrii agonem roborarent, ut habet ejus vita et decreta.

Secundo, in impugnatione dæmonum, quorum rabiem fideles Eucharistia roborati superant et profligant. Unde S. Chrysost. homil. 61. ad popul. *Tanquam leones*, inquit, *ignem spirantes ab hac mensa recedamus, facti diabolo terribiles, juxta illud* psal. 22. 5 : *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me.* Scribit S. Prosper de Promis. et prædict. dimid. tempor. cap. 6. Carthagine virginem quamdam energumenam, à dæmone vi Eucharistiæ liberatam. Hac de causa Christus iturus cum suis ad passionem, prius Eucharistiam instituit, sumpsit, et suis distribuit, ut nos idem in omni tentatione et tribulatione facere doceret. Unde S. Chrysost. loco citato : *Cum nos*, ait, *ab ira corripi viderimus, vel ab alio vitio, cogitemus quibus facti sumus digni, et sit irrationabilium nobis motuum correctio talis cogitatio.*

Tertio, in prælio et conflictu : Otto Imper. prælium commissurus cum Hungaris, prius cum suis Eucharistiam sumpsit, ac deinde dimicans ingentem hostium numerum trucidavit, et illustrem victoriam obtinuit, anno Dom. 955. uti in ejus Gestis scribit Udalricus, et ex eo Cardin. Baronius. Qui et anno Domini 1040. ex Curopalata et Cedreno narrat, Catalacum Præfectum Michaelis Imper. magnas Saracenorum copias Messanam invadentes profligasse, militibus ante aciem sacro viatico communitis. Idem solitum facere ante prælia Henricum Imper. maritum S. Cunegundis, ex Petro Damiano et Bonifacio narrat, anno Domini 1022. Scribit Theodor. lib. 3. Histor. cap. 3. Constantium, Magni Constantini filium, milites suos hortatum ad percipiendam Eucharistiam ante certamen cum Magnentio. Idem fecisse Christianos in bello sacro cum Hierosolymæ obsiderentur, scribit Guilielm. Tyrius, et ex eo Molanus in Natal. Belgii 15. Julii, appendice 2. Memorabilis fuit victoria, quam virtute Eucharistiæ et S. Crucis de Saracenis retulit Alphonsus VIII. rex Castellæ, sub Innocentio III. Pontif. anno Domini 1212, die 16. Julii. Cum enim rex cum omnibus militibus suis ante prælium sacra confessione et communione sese communiisset, ac Rodericus Archiepiscopus Toletanus crucis vexillum in barbaros intulisset, cæsa sunt ad ducenta Saracenorum millia, 25 duntaxat è Christianis desideratis. Quocirca annuam tanti miraculi memoriam celebrant Hispani festo, quod nuncupant triumphum S. Crucis, die 16. Julii. Rem gestam scripsit rex ad Innocentium III. Pontif. et Rodericus Archiep. lib. 8. Histor. c. 1. atque ex iis P. Ribadeneira in Vitis Sanctorum die 16. Julii. Non minus illustris fuit victoria, quam de iisdem eadem armatura obtinuit Ramirus rex, anno Domini 834. Cum enim Ramirus ab iis cæsus sese cum suis recepisset ad montes, afflictusque Deum obsecraret, apparuit ei S. Jacobus, mandans ut milites omnes sacra confessione expiaret, et sancta communione reficeret, itaque hostes invaderet inclamans nomen Dei et S. Jacobi : se enim equo candido castra præiturum, et hostes dispersurum. Ita factum : quocirca in eo prælio ceciderunt septuaginta Maurorum millia. Atque exinde Hispani in præliis inclamare consueverunt S. Jacobum. Ita Ribadeneira in Vita S. Jacobi. Hoc imitentur duces et milites Christiani, ac similes de inimicis fidei triumphos reportabunt.

Quarto, in infirmitate corporali. Scribit S. Bonaventura, libr. de Perfectione ad sororem, sæpe personas debiles in S. Synaxi tantum sentire roboris, consolationis et lætitiæ, ut ab ea robustæ discedant, perinde ac si nulli infirmitati essent obnoxiæ. In Vitis SS. Patrum legimus Sanctos nonnullos sine cibo, sola Eucharistia sustentatos, vitam sanam et longævam egisse. Palladius in Lausiaca, cap. 15, scribit Joannem Monachum cibum nunquam sumpsisse, nisi die Dominico Eucharistiam : hanc enim solam ei Sacramentum fuisse et victum. Sic Severus Abbas, Dominico die Eucharistia et modico pane refectus, per reliquum hebdomadæ nihil amplius comedebat. Ludovicus Pius Imper. in supremo morbo quo obiit, totos quadraginta dies jejunus transegit. Eucharistiam solam quotidie sumens, ut qui adfuit ei scriptor testatur, inquit Thomas Bozius, tom. 2. lib. 15. de Signis Eccles. c. 2.

Scribit Sigebertus in Chronico, anno Domini 823. in ditione Tullensi puellam quamdam duodennem, sumpta in Paschate Eucharistia per triennium omni cibo abstinuisse. S. Maria Oigniacensis, in Belgio sanctitatis fama celebris, infirma cibum omnem respuebat, sola Eucharistia vivebat et valescebat; ac subinde facies ejus quosdam ex se radios lucis vibrare et diffundere videbatur, inquit Card. Vitriaco in ejus Vita, lib. 2. cap. 12.

Scripsit S. Gregor. Nazianz. oratione 19. in funere patris, patrem suum ardentissima et diuturna febri exhaustum, sumpta S. Eucharistia convaluisse, ac subjungit idem miraculum matri suæ aliquanto post contigisse : *Nam cum nunquam non*, inquit, *dolore premeretur* (pater), *et quidem persæpe singulis diebus, atque interdum etiam horis, ex sola liturgia robur concipiebat, ac morbus tanquam ex edicto et imperio fugatus se subducebat.* Idem in funere Gorgoniæ sororis suæ, scribit illam ad S. Eucharistiam orantem à membrorum omnium dissolutione, ac gravissimis cruciatibus quibus angebatur, sanitati sibique restitutam. S. Ambros. in funere Satyri fratris sui, scribit eum Eucharistia ad collum appensa è naufragio incolumen enatasse. Hinc liquet Eucharistiam esse frumentum electorum, eis ad hoc à Deo datum, ut eo aliti crescant et juvenescant. Præclare Tertullianus, libr. de Resurrect. carnis, cap. 8 : *Caro*, ait, *corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.*

Et vinum.] Hebr. est תירוש *tiros*, id est vinum recens, sive mustum, quod suavissimum est, et adeo potens, ut ebulliat, et vasa maxima, nisi hiatus aliquis laxetur, et spiraculum per quod exæstuet, disrumpat. Quid musto re-

centi dulcius? quid fortius? quid ferventius? quid splendidius? quid efficacius ad cor exhilarandum, ad vitales et animales vires reficiendas, ad spiritus excitandos, ad animum permovendum, et mentem illustrandam acuendamque? Appelles merito vitam alteram artificiatam, non sine Dei consilio à Noe inventam, ut succederet in vicem ligni vitæ hominibus vetiti. Tam suave, tam potens, tam fervens, tam splendidum, tam efficax est vinum Eucharistiæ, quod succum et spiritum Christi nobis instillat, quo hausto excitantur languidi, reviviscunt mortui, et in alios homines evadunt, ut ardorem concipiant juvenilem, viresque ardori conformes ad magna quæque et difficilia designanda, audenda et perficienda.

Germinans.] Hebraice est ינובב *ienobeb*, quod Septuag. vertunt ευωδιαζων, id est, *odoratum ad virgines;* bonum odorem exhalans virginibus, ut videatur esse aromaticum; unde vulgo vinum vocatur *cos*, quod scilicet egregium habet colorem, odorem et saporem, qualem, inquit S. Hieron. est illud sponsæ dicentis, Cant. 8. 2: *Dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum.* Tigurina vertit: *Succulentos et vegetos reddens;* Sanchez: *Florere faciens;* alii: *Fructificans, procreans, propagans virgines;* Vatabl. *Exhilarans;* Syrus: *Jucundans, delectans;* Arabicus: *Ungens instar unguenti;* Pagnin. *Cantare faciens;* sic enim vertit: *Frumentum juvenes, et vinum cantare faciens virgines.* Nimirum Eucharistia primo, animam corroborat; secundo, vegetam, florentem, alacrem et expeditam ad omne bonum efficit; tertio, exhilarat; quarto, eam inebriat, ut in Dei hymnos et laudes erumpat. Unde olim post S. Synaxin fideles, quasi Eucharistia et Christi amore temulenti, canebant cantica sacra, imo subinde enthusiasmo et Spiritu Sancto correpti, arcana et sublimissima mysteria miris modis et odis eructabant, ut patet ex S. Paulo, 1. Corinth. 14. 26. et Ephes. 5. 18: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria;* sed vino Eucharistiæ, in quo est sancta et sobria ebrietas, ibique *implemini Spiritu Sancto loquentes vobismetipsis, in psalmis et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino.*

Ita S. Monica, sumpta S. Synaxi, quasi ebria canebat: *Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum.* Et: *Volemus in cœlum,* linquamus terram, *volemus in cœlum.* Eucharistia enim animas languidas, humi repentes, segniter abjectas, mœstas, pusillanimes, ad terrena depressas erigit, vegetat, roborat, in cœlum elevat, facitque angelicas, imo Angelos; nam, ut ait S. Bernardus, vel quisquis est auctor, sermone de Cœna Domini: *Panis iste per excellentiam dicitur Eucharistia, id est bona gratia. In hoc enim Sacramento non solum quælibet gratia, sed ille à quo est omnis gratia, sumitur.* Hinc Psaltes, psalm. 22. 5: *Et calix meus,* ait, *inebrians quàm præclarus est!* Quæ verba explicans S. Cyprian. lib. 2. epist. 3. ad Cæcilium: Sicut, ait, ebrietas hominum à se et à mente alienat, facitque plane alium; sic Eucharistia fidelem à se alienat, et ex terrestri facit cœlestem.

Legimus in Chronic. Cisterciens. Monachum quemdam, quoties S. Synaxin sumebat, toties sibi visum favum mellis sumere, cujus suavitas illi in ore triduum ipsum perdurabat. S. Franciscus, inquit S. Bonaventura in ejus Vita, c. 9, *flagrabat erga Sacramentum Dominici corporis fervore omnium medullarum, stupore admirans permaximo illam charissimam dignationem, et dignantissimam charitatem. Sæpe communicabat, et tam devote, ut alios devotos efficeret, dum ad immaculati Agni degustationem suavem quasi spiritu ebrius, in mentis ut plurimum rapiebatur excessum.*

S. Maria Ægyptiaca vadens ad eremum sumpsit S. Synaxin, ac deinde in eremo sine cibo vixit plurimos annos; moritura vero eamdem instar viatici accipiens, extensis in cœlum manibus, ingemiscens cum lacrymis exclamavit: *Nunc dimittis, Domine, ancillam tuam secundùm verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Et mox sancte placideque obdormivit in Domino. Ita refert oculatus testis Zozymas in ejus Vita. Idem majori pietatis et amoris sensu fecit S. Magdalena, paulo ante mortem Eucharistiam præbente ei S. Maximino.

Sic S. Cassius, Episcopus Narniensis, quotidie celebrans sanctis piisque lacrymis diffluebat, uti refert S. Gregor. hom. 37. in Evang. Ecce hi Sancti suo sensu et gustu clarius nobis explicant hunc Scripturæ locum, quàm ulli Interpretes.

Virgines.] Id est primo, castos; secundo, immortales: virgo enim vivido roseoque colore florescens, juventæ nunquam senescentis, et immortalis vitæ est symbolum, ait Hieron. Prado in Ezech. cap. 15. Eucharistiæ enim effectus est resurrectio: ipsius enim virtute resurgemus ad vitam immortalem, beatam et æternam, uti asserit Christus Joan. 6. 59. Quocirca Eucharistia à SS. Patribus vocatur pharmacum immortalitatis, antidotum incorruptionis, lignum vitæ, de quo Genes. 2. Ita S. Ignat. epist. ad Ephes. in fine, eam indigitat *pharmacum immortalitatis, mortis antidoton, vitam in Deo concilians per Jesum Christum, medicamentum purgans vitia, et omnia pellens mala.*

Rursum το *virgines* alludit ad *lapides nezer*, id est, Nazaræos et Sanctos, de quibus v. præced. Nazaræi enim abstinebant voluptatibus carnis et vini, in quo est luxuria, ut essent sancti et casti. Hoc nobis præstat vinum Eucharisticum germinans virgines, ac proinde facit nos Nazaræos, id est, separatos à mundi pompis et deliciis, consecratos et coronatos Deo. Christus ergo, ait S. Hieron. *est frumentum electorum, sive juvenum; ipse est et vinum quod lætificat cor hominis, et bibitur ab his virginibus, quæ sunt sanctæ et corpore et spiritu, ut inebriatæ atque gaudentes sequantur Ecclesiam, et dicatur de eis: Adducentur regi virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi; afferentur in lætitia et exsultatione. Quomodo enim lætitiam non habebunt, quæ inebriatæ poculo Salvatoris generantur in virgines, et audent dicere: Introducite me in cellulam vini, confortate me in unguentis?* Et mox: *Hoc vino inebriati sunt, qui sequuntur agnum Dei quocumque vadit, vestiti candidis vestibus; quia se cum mulieribus non coinquinaverunt, virgines enim permanserunt,* Apocal. 14.

S. Cyprianus quoque epist. 63. vel l. 2. epist. 3. calicem Domini inebriantem, peroptimum, sive præclarum, scilicet sanguinis ejus, ait sic bibentes inebriare: *Ut sobrios faciat, ut mentes ad spiritualem sapientiam redigat, ut à sapore*

isto seculari ad intellectum Dei unusquisque assurgat; et quemadmodum vino isto communi mens solvitur, et anima relaxatur, et tristitia omnis exponitur; ita epoto sanguine Domini et poculo salutari, exponatur memoria veteris hominis, et fiat oblivio conversationis pristinæ secularis, et mœstum pectus ac triste, quod prius peccatis agentibus premebatur, divinæ indulgentiæ lætitia resolvatur. S. Cyrillus Alexandr. libr. 4. in Joan. cap. 17 : Eucharistia, inquit, *non mortem solum, verum etiam morbos omnes depellit. Sedat enim, cum in nobis maneat Christus, sævientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi exstinguit, ægrotos curat, collisos redintegrat; et sicut pastor bonus, qui animam pro ovibus suis posuit, ab omni nos erigit casu.*

Ex hoc ergo loco patet Eucharistiæ effectum esse repressionem tentationum carnis, et suffocationem vel exstinctionem libidinis, ac insitionem castitatis, imo virginitatis. Caro enim Christi virginea quæ nos alit in Eucharistia, nos suî similes efficit, puta virgines æternum florentes, nunquam corrugata fronte marcescentes, aut senescentes, nitentes perpetuo et immortales; perinde ac videmus alimenta phlegmatica, ut pisces, comedentes facere phlegmaticos; cholerica, ut ova, piper, etc. facere cholericos; sanguinea, sanguineos; melancholica, melancholicos. Alimentum enim in substantiam hominis convertitur, ac proinde ei suas qualitates aspergit et communicat. Vide hîc quàm vinum Christi diversum, imo contrarium sit vino vitis et Bacchi. Hoc enim ab Aristophane apud Athen. lib. 10. vocatur *lac Veneris*, et à Pontiano, *malorum omnium metropolis.* Nam, ut ait S. Hieron. lib. 2. contra Jovin. *Potus vini, ventrisque saturitas seminarium libidinis est.* Ergo miraculi est instar hoc vinum germinans virgines, cum terrestre hoc apostatare faciat sapientes. Cyzici fons Cupidinis vocatur, ex qua potantes amorem deponere Mutianus credit, ait Plinius, lib. 31. 2. Talis est Eucharistia, de qua S. Bernard. serm. de Altaris Sacramento, et de Ablutione pedum : *Si quis*, ait, *vestrûm non tam sæpe modo, nec tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, etc. gratias agat corpori et sanguini Domini; quoniam virtus Sacramenti operatur in eo, et gaudeat quod pessimum ulcus accedat ad sanitatem.* Selemnus amnis, amoris est remedium; eo enim qui loti fuerint, sive viri, sive feminæ, cupiditatis obliviscuntur, ait Pausan. in Attic. Selemno longe nobilior est Christi sanguis, qui, ut S. Chrysostomus, impuri amoris flammas restinguit, et regiam in nobis reformat imaginem. Ipse ergo in Eucharistia est vinum germinans virgines. Huic similis est Romæ Aqua virgo, quæ quasi virgo omnem aliam aquam refugit, apud veteres celebris, æque ac nunc in pretio : plerique enim omnes Romæ ex ea bibimus; de qua Plinius, lib. cap. 3 : *Juxta est*, inquit, *Herculanus rivus, quem refugiens, nomen virginis obtinuit.* Fabulosus est Canathus fons apud Argivos, cujus aquis lotam, nova quotannis virginitatis gloria Junonem repubescere narrat Pausan. in Corinth. Verus castitatis et virginitatis fons est Christus in Eucharistia.

Id experta fuit præ aliis S. Catharina Senensis, quæ virtute Eucharistiæ effecta est virgo angelica, et virgo talis, ut facta sit portentum seculorum omnium; nam primo, familiarissime agebat cum Christo, cum eoque legebat preces horarias. Secundo, Christus eam sibi in sponsam, annulo in digitum inserto (qui etiamnum exstat Romæ in monasterio dicto Magnanapoli, ubi mihi ostensus fuit) despondit. Tertio, ex sola Eucharistia vivebat sine cibo corporali, ita ut si eum sumeret, videretur moritura, eumque revomere cogeretur. Quarto, cum illa peteret à se auferri suam voluntatem, suumque cor, oraretque : *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Da ergo mihi, Domine, cor novum, da cor tuum;* Christus annuens aperto latere exemit ei cor (ita ut aliquot dies viveret sine corde), ac post triduum aliud ei cor inseruit : *Accipe*, inquit, *filia, cor meum, ut deinceps non tibi, sed mihi vivas.* Unde illa deinceps orans dicebat : *Domine, commendo tibi cor tuum, non meum.* Quinto, post hanc cordis commutationem plane mutata est, adeo ut videretur esse Angelus, et agere vitam cœlestem, imo divinam. Quocirca ipsa affirmabat Confessario suo, dicebatque : *Ego non sum illa quæ fui, tota sum alia. Nam cor meum ita ardet charitate, ut ignis corporalis præ illo ardore mihi non ardere, sed frigere videatur; ac tanto gaudio in mente perfundor, ut me non capiam, imo mirer quomodo gaudio non disrumpar et emoriar. Insuper tantum in me sentio amorem erga proximos, tantumque zelum animarum, ut omnes labores, omnia tormenta, ipsam mortem pro qualibet subire optem, ut eam salvem.* Sexto, crebro rapiebatur extra se in exstases, videbatque arcana et divina ineffabilia. Unde rogata à Confessario ut ea explicaret, respondebat : Verba, inquit, nostra nimis demissa sunt, tantumque significant res terrenas; quare impossibile est mihi verbis nostris res tam sublimes, tam augustas exprimere : ineffabiles enim sunt et incomprehensibiles; unde nec eas ego humana voce eloqui, nec, si ergo eloquerer, vos ea capere et comprehendere possetis. Ita habet in ejus Vita Raimundus, qui fuit ei à confessionibus, ac deinde Generalis Ordinis S. Dominici : qui et addit eidem à Christo impressa fuisse in manibus, pedibus et latere quinque sacra stigmata vulnerum suorum. Sane in manu S. Catharinæ, quæ exstat integra in Magnanapoli, stigma hoc vidi. Insuper asserit ex amore Christi fissum illi fuisse cor, itaque mortuam evolasse ad cœlum, ac vidisse Deum; sed à Christo remissam ad vitam, ut Ecclesiæ prodesset. Ita habet ejus Vita, l. 2. c. 30, in italicum traducta ab Ambrosio Catharino. Quocirca ipsa S. Catharina scribit in Dialogis, et ex ea Garetius de Eucharistia, centuria 14, Deum sibi dixisse : *Ut plenius intelligas quàm ardenti desiderio cupiam esse vobiscum, utque magis accendaris ad subigendam mihi copulandamque meæ voluntatem tuam, vide et alta mente considera voluisse me ut Unigenitus meus incarnaretur, etc. Parasse insuper mensam maximi et parum agniti Sacramenti, corporis ipsius et sanguinis, ut in cibum sumentes transformemini, et mutemini in me; ac sicut panis et vinum quibus vescimini in substantiam transeunt corporalem, ita et vos manducantes ipsum qui mecum est, sub specie panis et vini, in substantiam spiritualem, et in meipsum convertamini. Et hoc est illud quod Augustino servo meo dixi : Cibus sum grandium; cresce, et manducabis me; nec tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me.*

Hoc vinum germinans virgines largiter quoque biberat S. Casimirus Jagellonides, Casimiri regis Poloniæ filius, qui tremendo Missæ sacrificio ita attentus, et mente in Deum erectus intererat, ut extra se plane rapi videretur : quin et pro more habebat intempesta nocte clam templa adire, atque ante ipsorum vestibulum posita in terram facie, Deum in iis, puta in Ven. Sacramento, præsentem et habitantem, suppliciter exorare. Inde ei tantus virginitatis amor, ut eam usque ad extremum spiritum illibatam conservarit. Correptus enim gravi ægritudine, cum Medici eam non nisi conjugii usu curari posse assererent, ac proinde parentes eum ad conjugium impellerent, et tantum non cogerent, ipse potius mori, quàm virginitatis decus perdere constantissime elegit. Virginitatis ergo Martyr, et virgo Martyrii obiit annos natus 24, anno Christi 1484, die 4. Martii ; qua pariter die et anno, Romæ pontificatu et vita functus est Sixtus IV. Pontifex Maximus. Quocirca S. Casimirum Leo X. in Sanctorum numerum retulit, et Clemens VIII. ejus memoriam duplicis celebritatis officio in Polonia frequentandam præcepit, utpote quem Deus multis insignibus miraculis illustravit, ac nominatim memorabili victoria, qua pauci Lithuani ingentes Moscorum copias, voto facto B. Casimiro, apparente ipso in aere quasi duce prævio, ad internecionem deleverunt. Ita habet ejus Vita, et Breviarium Polonicum die 4. Martii. Unde apposite *Casimirus* per anagramma idem est quod, *sum ac iris*, in quam scilicet irradians sol justitiæ Christus in Eucharistia, suum ei castitatis fulgorem afflavit. Rursum *Casimirus*, quasi *cadis mirus*, quia pro castitate occumbis. Quare Poeta Polonus de eo cecinit :

Sponte cadis, sed amore cadis, Casimire, pudoris.
Mirus, te Christo mirificante, cadis.

Denique voces *frumentum et vinum germinans virgines*, significant nos non posse vitam spiritualem agere, nec diu perseverare in gratia Dei, ac præsertim in virginitate aut castitate sine Eucharistia, sicut non possumus vitam naturalem sustentare sine frumento, cibo et potu; rursum quo crebrius Eucharistiam sumimus ; eo magis nos in spiritu et puritate angelica crescere et roborari, sicut per cibum frequentem crescimus et roboramur in vita animali. Quocirca primi fideles *quotidie perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem* (Eucharisticum) *sumebant cibum cum exsultatione et simplicitate cordis, collaudantes Dominum, et habentes gratiam ad omnem plebem*, Actor. 2. 46.

Hisce de causis olim baptizatis mox à baptismo dabatur S. Eucharistia, quasi symbolum, alimonia, èt perfectio Christianismi. Docet hoc S. Clemens I. Pontif. epist. 3. de Officio sacerdot. et cleric. Et S. Dionysius Areopag. libr. de Eccles. Hierach. cap. de Baptismo : *Ducunt*, inquit, *baptizatum ad Hierarcham ; is cum vinum unguento* (in Sacramento Confirmationis) *quod maxime divinos efficit, insignivit, Eucharistiæ, quæ vim maximam habet perficiendæ sanctitatis, participem esse pronuntiat.* Ita in Actis SS. Processi et Martiniani, quos S. Petrus in carcere convertit et baptizavit, dicitur : *Baptizati sunt promiscui sexus, et diversæ ætatis numero* 47. *Obtulit autem* (S. Petrus) *pro eis sacrificium laudis, et participes eos fecit corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi.* Idem legimus in Actis S. Getulii, Cerealis, Pelagiæ, aliorumque Martyrum. Hinc Tertull. lib. 1. contra Marcion. eum redarguit, quod cum iisdem quibus Ecclesia cæremoniis uteretur, diversum tamen ab ea in fide sentiret : *Ille*, inquit, *usque nunc nec aquam reprobavit creatoris, qua suos abluit, nec oleum quo suos ungit, nec mellis et lactis* (quæ olim baptizatis dabantur) *societatem qua suos infantat, nec panem quo ipsum cor suum repræsentat.* Idem testatur S. Ambros. lib. de Iis qui initiantur myster. cap. 8 : *Depositis*, inquit, *inveterati erroris exuviis, renovata in aquilæ juventutem, cœleste illud festinat adire convivium. Venit igitur, et videns sacrosanctum altare compositum, exclamans ait : Parasti in conspectu meo mensam.* Duravit hic mos usque ad annum Domini nongentesimum. Illo enim vixit Theoph. qui eumdem tunc perdurasse scribit commentans in cap. 10. S. Lucæ : *Quotidie*, inquit, *qui baptizantur liberantur à vulneribus animæ, oleo quidem unguenti uncti, statim autem communicantes divini sanguinis participes fiunt.* Idem nos etiamnum durat in Græcia et Æthiopia. Jeremias enim Patriarchia Constantinopol. qui nuper in Græcia floruit, et hæreticis nostris restitit, respons. 1. cap. 2 : *Rationi*, ait, *consonum est baptismo et chrisma subjungi, nec in tempus deferri, sed baptizatum continuo illius verendæ communionis participem fieri.* De Æthiopibus constat ex Rituali baptismi eorumdem, in quo hæc legimus : *Postea sumunt S. Sacramentum et vivificans, spondente sacerdote pro eis, corpus scilicet et sanguinem venerandum Domini Dei, ac redemptoris nostri Jesu Christi.* Eucharistia ergo est frumentum juvenes vegetans, et vinum virgines germinans.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet pluviam et fruges terræ a Deo postulanda, non ab idolis, utpote ob quæ vastati in captivitatem abstracti sint. Mox promittit se daturum heroes Machabæos, qui sua virtute, præliis, et victoriis Judæam illustrabunt, et propugnabunt, adeo ut ad eam turmatim redeant Judæi et Israelitæ per Ægyptum et Assyriam dispersi; ac confortati protectique a Deo omnia maris et terræ pericula feliciter fortiterque superent, donec in Judæam perveniant, ubi sub tutela Dei quietam et securam vitam agent. Ita Hebræi, S. Hieron. Theodoret. Albert. et Hugo. Mystice, significatur fortitudo et felicitas Apostolorum, qui Ecclesiam Christi propagabunt et propugnabunt, adeo ut ad eam confluant tam Judæi, quam Gentes, omniaque itinerum mari terraque persecutionum, tentationum et hostium obstacula generose transcendant. Ita S. Hieron. Remig. Rupert. et Lyran.

1. Petite à Domino pluviam in tempore serotino, et Dominus faciet nives, et
pluviam imbris dabit eis, singulis herbam in agro. 2. Quia simulacra locuta
sunt inutile, et divini viderunt mendacium, et somniatores locuti sunt
frustra : vane consolabantur : idcirco abducti sunt quasi grex : affligentur,
quia non est eis pastor. 3. Super pastores iratus est furor meus, et super
hircos visitabo : quia visitavit Dominus exercituum gregem suum, domum Juda : et posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello. 4. Ex ipso
angulus, ex ipso paxillus, ex ipso arcus prælii, ex ipso egredietur omnis exactor simul. 5. Et
erunt quasi fortes conculcantes lutum viarum in prælio : et bellabunt, quia Dominus cum eis,
et confundentur ascensores equorum. 6. Et confortabo domum Juda, et domum Joseph salvabo :
et convertam eos, quia miserebor eorum : et erunt sicut fuerunt quando non projeceram eos :
ego enim Dominus Deus eorum, et exaudiam eos. 7. Et erunt quasi fortes Ephraim, et lætabitur cor eorum quasi à vino : et filii eorum videbunt, et lætabuntur, et exsultabit cor eorum
in Domino. 8. Sibilabo eis, et congregabo illos, quia redemi eos : et multiplicabo eos sicut
autem fuerant multiplicati. 9. Et seminabo eos in populis, et de longe recordabuntur mei : et
vivent cum filiis suis, et revertentur. 10. Et reducam eos de terra Ægypti, et de Assyriis
congregabo eos, et ad terram Galaad et Libani adducam eos, et non invenietur eis locus : 11. et
transibit in maris freto, et percutiet in mari fluctus, et confundentur omnia profunda fluminis,
et humiliabitur superbia Assur, et sceptrum Ægypti recedet. 12. Confortabo eos in Domino,
et in nomine ejus ambulabunt, dicit Dominus.

1. Petite a Domino pluviam in tempore serotino.] Ita Hebræa, Chald. et alii. Verum Septuag. per τῷ *in tempore*, accipiunt pluviam matutinam; unde vertunt : *Petite à Domino pluviam opportunam, matutinam et serotinam.* Pluvia matutina, sive temporanea, id est, tempestiva, in Palæstina dicitur, quæ tempestive et mane, id est, tempore sementis in Octobri, depluit ad riganda semina : serotina, quæ sero, id est, tempore messis imminentis, in Aprili depluit ad incrassandas et maturandas segetes, uti dixi Osee 6. 3. Jubet ergo hic Deus Judæis, ut pluviam agros fecundantem, non à mutis et evanidis idolis, sed à se, velut creatore et gubernatore universi, ac datore omnis boni postulent. Ita Hebræi, Theodor. Albert. et alii. Videtur hæc prophetia edita à Zacharia post tempus sementis in hieme : quia jubet peti pluviam serotinam duntaxat, non matutinam, quasi ejus tempus jam transisset.

Physice et rustice hic nota agris et frugibus per hiemem conducere serenitatem, sed adulto vere (quod proxime æstatem attingit) iisdem necessariam esse pluviam, qua alantur et adolescant. Unde Macrob. lib. 5. Saturn. cap. 20. priscum hoc vulgare carmen rusticum citat :

Hiberno pulvere, verno luto, grandia farra, Camille, metes.

Mystice, per pluviam significatur doctrina : hæc enim mentes rigat et fecundat, uti pluvia

terram et germina, juxta illud Deuter. 32. 1: *Concrescat in pluviam doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum.* Pluvia matutina fuit lex Mosis, et doctrina Prophetarum, quæ prima fidei et virtutis apud rudes Judæos dedit semina: serotina est lex et Evangelium Christi et Apostolorum, quæ perfectam docet fidem et virtutem. Ita S. Cyrill. S. Hieron. Remig. et Rupert. Porro hic tantum serotinam à Deo petendam monet, quia temporaneam jam habuerant, q. d. Vos, ô Judæi, accepistis à Mose legem veterem, quasi pluviam matutinam: postulate nunc à Deo legem Evangelicam quam afferet Christus, quasi pluviam serotinam, quæ vos ad veram perfectamque justitiam et felicitatem perducet.

Et Dominus faciet nives.] Pagnin. Mariana, Ribera, Sanchez et alii censent legendum *nubes*, non *nives*. Verum Biblia Rom. et alia passim, quin et S. Hieron. in Comment. constanter legunt *nives*, non *nubes*. Hebr. est vox חזיז *chaziz*, id est, visio, apparentia, candor, splendor, fulgur, coruscatio. Septuag. vertunt, *phantasias*, id est, coruscationes et fulgetra, inquit Cyrill. et Theodor. eo quod subito appareant et disppareant, uti phœnomena aerea, et quia prius videtur fulgur, quàm audiatur tonitru, cum tamen collisio nubium et tonitru sit prior, imo causa fulguris. Chald. vertit, *ventos;* Pagnin. *coruscationes;* Tigurina, *emicationes;* alii, *fulgetra;* Noster Job 28. 26. vertit, *procellas;* quia fulgur et tonitru procellam et pluviam vehementem afferunt. Hic recte vertit, *nives:* Hebr. enim *chaziz* deducitur à חזה *chaza*, id est, videre: unde *chaziz* est res visibilis perstringens oculos, qualis est lux et coruscatio, ac candor coruscus: nix ergo, quia candore et splendore suo micat, coruscat feritque oculos, eosque perstringit, hinc recte vocatur *chaziz.* Addebat Heraclitus nivem esse *chaziz*, id est, visionem et apparentiam, eo quod revera non sit candida, sed candida nobis videatur. Verum hoc est ejus paradoxum. Insuper *chaziz* potius significat nives, quàm nubes: proprie enim significat splendidum quid et coruscum feriens visum, quales sunt nives, non nubes. *Chaziz* ergo significat subinde nubes, non qua nubes, sed qua coruscantes et fulgurantes. Unde Chald. Job 38. vers. 25. pro eo quod nos habemus: *Viam sonantis tonitrui.* Hebr. *chaziz* vertit: *Viam nubibus quæ dejiciunt aquam cum tonitruis et fulguribus.*

Dices: Tempore pluviæ serotinæ, puta in Aprili et vere, non sunt nives, sed nubes. Resp. sensus hujus versus est, q. d. Post pluviam matutinam, id est, post sementem jactam in autumno, petite à Deo ut det pluviam pro tempore serotino, quæ eam ad spicas et grana deducat, ac Deus postulatis vestris annuens vota vestra superabit. Nam dabit in hieme nives, quæ semina vestra tegent, radicabunt et fecundabunt; ac deinde in vere dabit imbrem serotinum, simulque nives quæ in Libano, Carmelo, aliisque Judææ montibus reliquæ sunt (uti sunt in Alpibus, et in Apennino toto anno) liquabit et resolvet in aquam, quæ in valles camposque Judææ decurrens, segetes vestras rigabit et impinguabit. Unde Septuag. vertunt: *Pluviam hiemalem dabit eis.* Porro nives terram diu obsidentes eam fecundare, et copiam dare frugum, experientia constat. Unde vulgi est axioma: *Annus nivium est annus frugum.* Causam dat Plinius, l. 17. 2: *Vota arborum communia sunt frugumque nives diutinas sedere. Causa, non solum quia animam terræ evanescentem exhalatione, includunt et comprimunt, retroque agunt in vires frugum atque radices; verum quod et liquorem sensim præbent, parum præterea levissimumque quando nix aquarum cœlestium spuma est. Ergo humor ex his non universus ingurgitans diluensque, sed quomodo sititur distillans, velut ex ubere alit omnia quæ non inundat: tellus quoque illo modo fermentescit, et succi plena, ac lactescentibus satis non effœta, cum tempus aperit, tepidis arridet hortis.*

Sic symbolice, annus vel dies tribulationum est annus vel dies meritorum et virtutum. Nam tribulationes faciunt, primo, ut homo ad externa se non effundat, nec in suî æstimatione evanescat. Secundo, ut convertatur ad cor secumque habitet, ac in eo profundas patientiæ, humilitatis, charitatis aliarumque virtutum figat radices. Tertio, eas irrigat piis et cœlestibus cogitationibus, quas vel tribulatio suggerit, vel Deus immittit de vanitate et miseriis mundi, de felicitate gloriæ cœlestis, de metu judicii, gehennæ, etc. de dignitate crucis, fortitudinis, patientiæ, etc.

Mystice, Apostoli et prædicatores sunt חזיזים *chazizim*, id est, primo nives: tum quia sicut nives terram sua irrigatione, ita ipsi homines sua doctrina compleverunt, fecundarunt, lætificarunt, et ab æstu concupiscentiæ refrigerarunt, juxta illud Prov. 25. 13: *Sicut frigus nivis in die messis; ita legatus fidelis ei qui misit illum.*

Secundo, sunt *chazizim*, id est, nubes gravidæ et coruscæ, quæ copiosum dant imbrem sapientiæ et spiritus, quo arida hominum corda rigarunt, ut germinarent et producerent fruges virtutum, juxta illud Isaiæ, 5. 6: *Nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.* Et psal. 96. 1: *Nubes et caligo in circuitu ejus.* Vide utrobique S. Hieron.

Tertio, sunt *chazizim*, id est, venti, ut vertit Chald. quia ut venti celerrime discurrerunt evangelizando per totum orbem, quasi Angeli Dei, de quibus ait Psaltes et Apostolus, Hebr. 1. 7: *Qui facit Angelos suos spiritus* (id est, ventos) *et ministros suos flammam ignis.*

Quarto, sunt *chazizim*, id est, procellæ, quæ dura hominum corda terrore concusserunt, ac pondere minarum iræ Dei, judicii et gehennæ straverunt et contriverunt, juxta illud Job 28. 26: *Quando ponebat pluviis legem et viam procellis sonantibus.*

Quinto, proprie sunt *chazizim*, id est, fulgura tonantia, et tonitrua fulgurantia, quia tonuerunt ore, fulgurarunt vita (quod de S. Basilio ait Nazianz.) ac divinis irradiationibus mentes hominum perstrinxerunt, illuminarunt et inflammarunt. Ita S. Jacobus et Joannes à Christo vocati sunt Boanerges, id est, filii tonitrui, id est, fulmina, sive tonantes et fulminantes, Marci 3. 17.

Et pluviam imbris dabit eis.] Alii vertunt: *Pluviam pluviæ*, vel *imbrem imbris*, hoc est pluviam uberem, imbrem copiosum dabit eis. Septuag. vertunt: *Pluviam hiemalem dabit eis;* hiemalis enim est copiosa, æque ac refrigerans. Atque ex hac pluvia dabit *singulis herbam in agro;* Chald. *Ut det eis frumentum ad comedendum, et herbam jumentis in agro;* Hebr. *Dabit eis viro*, id est, cuique, *herbam in agro.* Est enalla-

ge personæ; transit enim à secunda ad tertiam. *Eis* ergo, id est, vobis, puta cuilibet vestrûm, sive singulis. Ita Vatabl.

Mystice, q. d. Deus omnibus petentibus dabit herbam, sive germina salutis in cordibus; quia eis inspirabit pias cogitationes, affectiones, impulsus, desideria, etc. quæ quasi germina producent copiam frugum bonorum, et heroicorum operum.

2. QUIA SIMULACRA: τὸ *quia* dat causam cur pluvia et fertilitas terræ à Deo petenda sit, non ab idolis, nec à divinis, quos Judæi solebant consulere, præsertim ante captivitatem Babylonicam, inquit S. Hier. Causa est, QUIA SIMULACRA LOCUTA SUNT INUTILE, etc.) q. d. Simulacra non prosunt, sed obsunt; damnum afferunt, non utilitatem. Nam dæmones, de rerum copia vel inopia consulti, per ea dant responsa inutilia, imo falsa et noxia. Unde Septuag. vertunt: *Quoniam hi qui loquebantur locuti sunt labores et dolores;* Chald. *Quoniam cultores simulacrorum loquuntur rapinam.* Hebr. enim אָוֶן *aven* significat inutile, vanum, iniquitatem, rapinam. Dæmones enim cum ardeant livore et studio nocendi hominibus, consulti solent suadere rapinas et scelera, quasi per ea homines deos suos sibi sint conciliaturi, et ab eis copiam frugum, vel id quod postulant impetraturi. Idem faciunt eorum ministri et interpretes, puta magi et divini. Unde de iis subdit: *Divini viderunt mendacium;* Septuag. *visiones falsas;* Chald. *Divini prophetant falsitatem et vane consolantur.* Experientia docet eos qui dæmones consulunt per magos et divinos, vanam, imo maxime noxiam consolationem percipere, quia pro modico bono quod dæmon eis largitur, ingentes clades et damna mox infert, tum animæ, tum corpori eorumdem, uti multis exemplis docet Delrio in magicis.

ET SOMNIATORES.] Ita vocat divinos qui ex somniis divinabant, vel sua somnia pro oraculis venditabant. Unde Hebræa ad verbum Pagnin. et Tigurin. sic vertunt: *Divini viderunt mendacium, somnia vana locuti sunt;* Sept. *Divini visiones falsas et insomnia falsa loquebantur;* Chald. *Pseudoprophetæ in prophetia sua falsa mendacia loquuntur.*

IDCIRCO ABDUCTI SUNT QUASI GREX.] Ita Roman. q. d. Quia Judæi nuper fidem adhibuerunt simulacris divinis et somniatoribus, idcirco abducti sunt captivi velut grex ovium in Babylonem.

AFFLIGENTUR, QUIA NON EST EIS PASTOR,] q. d. Ibique afflicti sunt et quasi prædæ dati lupis, puta Chaldæis, quia carebant vero pastore qui eos tutaretur, ac sequebantur hosce divinos et somniatores, qui erant pseudopastores, viso lupo fugientes ovesque ei tradentes. Unde Chald. vertit: *Ideo dispersi sunt sicut disperguntur oves; translati sunt, quia non est eis rex.*

Mystice, q. d. Idcirco Judæi abducti sunt in varios errores et dæmonum cultus, quia non habuerunt verum pastorem, scilicet Christum, sed falsos et mendaces, quales fuerunt Scribæ et Pharisæi tempore Christi, contra quos detonat Christus Matth. 23. Quocirca

3. SUPER PASTORES IRATUS EST FUROR MEUS, q. d. Puniam hosce pseudopastores, qui perdiderunt gregem populi mei. ET SUPER (Vatabl. *contra*) HIRCOS VISITABO.] Idem dicit alia metaphora: pseudopastores enim vocat hircos, tum ob fœtidos et hircinos mores, tum quod hædos sibi similes, id est, homines scelestos verbo et exemplo gignerent, eisque ad omne nefas quasi duces præirent, sicut hirci præeunt capras et hædos.

QUIA VISITAVIT DOMINUS EXERCITUUM GREGEM SUUM DOMUM JUDA.] Vox *visitavit* hîc contrarie sumitur. Nam: *Super hircos visitabo,* idem est quod, hircos, id est, duces et pseudopastores, puniam, super ipsos manum vindicem extendam, acresque plagas dorso eorum infligam. Hîc autem: *Visitavit Dominus gregem suum,* ut eum tueatur, et ex eo constituat duces qui eum propugnent. Unde sequitur:

ET POSUIT EOS QUASI EQUUM GLORIÆ SUÆ,] q. d. Quia hi falsi duces et pastores perdiderunt gregem meum, hac de causa Deus eum visitabit, ex eoque constituet veros principes et pastores, eoque gradu dignos, puta Judam Machabæum ejusque fratres, qui quasi equi generosi Dei, ad bella pro populo procedant, ac illius hostes, puta Antiochum ejusque chiliarchas, profligent. Ita S. Hieronymus, Theodoret. Remig. Hugo et alii.

Dices: Judas et Machabæi fuerunt oriundi ex Tribu Levi, non Juda; fuerunt enim sacerdotes et pontifices, qui omnes descendunt ex Levi, ut patet 1. Machab. 2. 1. Respondent aliqui eos paterno genere descendisse ex Levi, sed materno ex Juda. Verum dico Judam hîc et alibi vocari totam gentem Judæorum, prout distinguitur ab Israele et decem Tribubus, quæ à Juda fecerunt schisma. Hæc autem gens commixta erat ex Tribu Juda, Levi, Benjamin et cæteris, sed à potiori parte vocata est Juda, præsertim quia Judæ promissum et datum est sceptrum usque ad Christum à Jacobo patriarcha, Genes. 49. 10. Machabæi ergo oriundi ex Levi dicuntur produturi ex Juda, id est, ex gente Judaica, non autem ex Tribu Juda.

Mystice, Judæi et Machabæi nostri sunt Christus et Apostoli, qui ex Judæorum stirpe prognati, quasi generosi equi prælium inierunt cum regibus, principibus, philosophis, totoque mundo infideli, eumque protriverunt, sibique et Christo subjecerunt. Ita Remig. Haymo et Lyran. Unde et Chald. vertit: *Ex ipso rex ejus: ex ipso Christus ejus; ex ipso fortitudo belli sui: ex ipso magnificabuntur omnes gubernatores ejus simul.*

Porro *equus gloriæ*, id est, gloriosus, speciosus, decorus, illustris, ut vertit Syrus, ac promptus et strenuus in bello, ut vertit Arabicus, insigne est hieroglyphicum Apostoli et viri Apostolici, qui quasi equus ubique Christum sessorem, tanquam equitem infidelitatem et vitia sternentem, reges et principes subjugantem, animose circumfert, ita ut nullis laboribus defatigetur, nullis periculis, terroribus, hostibus, difficultatibus cedat, sed omnia generose transiliat et subigat, juxta illud quod de equo bellico ait Job, c. 49. 20: *Gloria narium ejus terror. Terram ungula fodit, exsultat audacter, in occursum pergit armatis: contemnit pavorem, nec cedit gladio,* etc. Qualis fuit Bucephalus Alexandri Magni, quo ipse in præliis utebatur, et vincebat, de quo Plin. l. 8. c. 41: *Eidem Alexandro,* inquit, *et magna equi raritas contigit. Bucephalon eum vocarunt, sive ab aspectu torvo, sive ab insigni taurini capitis armo impressi. Sedecim talentis ferunt ex Philonici Pharsalii grege emptum. Neminem hic alium quàm Alexandrum, regio instratus ornatu recepit in sedem,*

alios passim rejiciens. Idem in prœliis memoratæ cujusdam perhibetur operæ, Thebarum oppugnatione vulneratus, in alium transire Alexandrum non passus, multa præterea ejusdem modi, propter quæ rex defuncto ei duxit exsequias, urbem tumulo circumdedit nomine ejus, scilicet quam à Bucephalo Bucephaliam appellavit. Porro sanctus Gregor. lib. 31. Moral. c. 11. et sequent. verba Jobi explicans : *Equus,* inquit, *est prædicator qui habet fortitudinem, quia adversa constanter tolerat. Habet hinnitum, quia ad superna blandiens vocat : equo suo Dominus et cum actionis fortitudine hinnitum vocis, et cum hinnitu vocis fortitudinem ministrat actionis. Terram ungula fodit, id est, quidquid in mente sua terrenum versari conspicit, hoc nimirum superductæ pœnitentiæ duris percussionibus rumpit.* Addit talem equum gloriæ Dei fuisse S. Paulum, ac pergit : *Equus Dei exsultat audacter, et exteriora tormenta non metuit, quia internam delectationem quærit : potestatum mundi iracundiam non formidat, quia ipsius quoque vitæ præsentis desiderium per mentis excessum calcat. In occursum pergit armatis. Intueri libet illum sessoris sui calcaribus excitatum contra armatos hostes, quantus Paulum fervor accenderet, quando eum Ephesi ad irrumpendas theatri turbas zeli flamma rapiebat,* Actor. 19. et Actor. 21 : *Ego,* inquit, *non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum pro nomine Domini Jesu. Contemnit pavorem, nec cedit gladio.* Ait enim Rom. 8 : *Quis nos separabit à charitate Dei ? Tribulatio, an angustia, an fames, an persecutio ?* Hæc et plura S. Gregor. Quid nos ad hæc ? Equi, non Trojani, sed Seiani, imo ex equis pigri, tardigradi et iniquæ sortis aselli. Seianus equus fertur suos heros et sessores, Seium, mox Dolabellam, deinde Cassium, denique Antonium perdidisse ; ita nos Christi regnum crebro perdimus potius quàm propagamus. Vide quæ de equo candido, ejusque sessore Christo dixi, Apocal. 6. 2.

Ex IPSO, scilicet Juda, prodibit ANGULUS.] Ita legendum cum Hebr. Chald. et Roman. perperam ergo in nonnullis Bibliis legitur *angelus.* Porro *angulus* metaphorice vocatur princeps, qui rempublicam continet, stringit, prospicit et roborat, uti angulus utrumque parietem in domo. Ita S. Hieron. Vide dicta Isaiæ 19. 13. Rursum angulus metonymice vocatur turris, quæ in angulis murorum erigi solet ad domus, arcis, vel urbis tutelam, juxta illud Sapient. 1. 15 : *Dies tubæ et clangoris super civitates munitas, ut super angulos excelsos.* Turris autem notat principes, de qua Cant. 4 : *Mille clypei pendent ex ea.* Ad litteram angulus hic, id est, princeps et Juda prodiens, fuit Judas Machabæus, allegorice Christus et Apostoli. Christus enim est lapis angularis domus Dei, id est, Ecclesiæ, qui utrumque parietem, id est, Judæos et Gentes, continet, et cui quasi fundamento tota Ecclesiæ fabrica incumbit et innititur, uti docet Apostolus Ephes. 2. in fine capitis.

4. Ex IPSO PAXILLUS.] Idem dicit alia metaphora. Princeps enim in republ. est id quod angulus in fabrica, et quod paxillus in pariete. Sicut enim paxillus est clavus infixus parieti, ex quo arma et vasa quælibet suspensa pendent, ita à principe omnis populus pendet, regitur et sustentatur. Sic Eliacim vocatur *paxillus,* Isaiæ 22. v. 23. Ita à Machabæis pendebat populus Judaicus, à Christo et Apostolis populus Christianus.

Ex IPSO ARCUS PRÆLII.] Est hîc tertia metaphora. Sicut enim principem paulo ante vocavit angulum et paxillum, ita hîc vocat arcum prælii, qui scilicet fortiter pro populo depugnet, ejusque hostes arcu suo et suorum prosternat, uti ad litteram fecit Judas Machabæus ; mystice Christus et Apostoli. S. Hier. vero hæc tria ita distinguit : *Ex ipso angulus,* id est, ex Juda et Judæis, inquit, prodibit regia potestas ; habuerunt enim Davidem, Salomonem et posteros eorum reges. *Ex ipso paxillus,* id est, sacerdotium : *Ex ipso arcus prælii,* id est, fortitudo bellica, puta fortes milites et duces. Hæc enim tria, puta regnum, sacerdotium et militia, sunt robur, firmamentum, decus et gloria cujusvis reipublicæ, æque ac Ecclesiæ.

Ex IPSO EGREDIETUR OMNIS EXACTOR.] Septuag. *abactor ;* Chald. *gubernator ;* Pagnin. *præfectus,* qui scilicet exigit tum vectigalia, tum jura et obsequia à subditis, vel hostibus subactis principi, reipubl. aut Deo debita, qualia sunt religio, cultus dei, legum observantia. Tales fuerunt Machabæi, sed maxime Christus et Apostoli. Exactor enim proprie est victor, indeque princeps, qui victis et subditis imponit leges, onera et tributa, quod proprie competit Judæ Machabæo, et magis Christo.

Moraliter discant hîc Principes, Magistratus, Prælati, se debere præstare in republ. collegio vel congregatione cui præsunt : Primo, quod angulus præstat in domo, scilicet ut eam fulciant, stringant, uniant ; secundo, quod paxillus præstat in pariete, ut ejus adinstar firmi et immoti alios firment et sustentent, ita ut ab eis pendeant summi, medii et infimi ; tertio, quod arcus præstat in prælio, ut, sicut ille abigit sternitque hostes, sic illi rempubl. defendant et propugnent, ab eaque omnes hostes arceant et abigant ; quarto, quod exactor præstat in telonio aut debito, ut scilicet constanter urgeant disciplinam et custodiam legum, tum divinarum, tum humanarum, eamque si collapsa sit, restituant et instaurent, etiamsi multorum odia sint subeunda, et vulgi levitati sæpe resistendum. Ita implebitur in eis illud Isaiæ, 58. 12 : *Et ædificabuntur in te deserta seculorum, fundamenta generationis et generationis suscitabis, et vocaberis ædificator sepium, avertens semitas in quietem.* Sapienter Cicero, lib. 1. Officior. *Omnino,* ait, *qui reipubl. præsunt duo Platonis præcepta teneant : unum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut quidquid agant, ad eam referant, obliti commodorum suorum ; alterum, ut totum corpus reipubl. curent, ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. Ut enim tutela, sic procuratio reipubl. ad utilitatem eorum qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissa est, gerenda est.* Et nonnullis interjectis : *Est proprium munus magistratus, intelligere se gerere personam civitatis, debereque ejus dignitatem et decus sustinere, servare leges, jura describere, et ea fidei suæ commissa meminisse.* Idem, lib. 3. de Legib. *Magistratus,* ait, *est lex loquens,* sicut vicissim lex est magistratus silens et mutus : *Ut cupiditatibus principum et vitiis infici solet tota civitas, sic corrigi et emendari continentia.* Thucydides lib. 6 : *Magistratus,* ait, *est medicus civitatis ;* qua ergo arte, cura, sinceritate et fortitudine medicus curat ægrum, v. g. phreneticum et in-

vitium, eadem magistratus curet civitatem. Agesilaus teste Plutarch. in Lacon. magistratus officium esse dicebat, *erga rebellantes audacia, erga subjectos benevolentia uti*; sicut Virgil. 6. Æneid. principis partes esse dixit :

Parcere subjectis, et debellare superbos.

Agathon dictitabat magistratum trium debere meminisse, primo, quod imperet hominibus; secundo, quod secundùm leges; tertio, quod non semper imperet. Ita Stobæus, serm. 43. Plato, l. 4. de Legibus, censet magistratum deferendum non iis qui præcellunt opibus, robore, forma, nobilitate, sed iis qui legibus parent maxime, et hac re cæteris in civitate præstant. Cato censuram petens, cum suos competitores videret populo supplices, eumque de more prensantes, exclamavit populo opus esse medico austero, validisque remediis, proinde eligendum non qui blandissimus esset, sed qui inexorabilis; atque hæc dicens, ante omnes censor creatus est. Agnovit populus morbum suum; eoque Cato plus valuit objurgando, quàm cæteri blandiendo, ait Plutarch. in Apophth. Roman. Uti enim corpora nostra sine mente, sic civitas sine legibus constare nequit. Solon, interrogatus qualiter civitas bene regi posset, respondit : Si princeps et majores secundùm legem vixerint, inquit Valer. lib. 3. cap. 9. Rursum si cives magistratui obediant, magistratus autem legibus, uti refert Stobæus, ser. 41. Heraclitus dicebat *cives non minus oportere pugnare pro legibus, quàm pro mœnibus*; quod absque legibus nullo pacto possit esse civitas incolumis, absque mœnibus possit. Ita Laertius, lib. 9. cap. 1. Hinc illud Maronis :

Legesque viris, et mœnia ponet.

Pittacus Crœso percunctanti quod esset maximum imperium respondit : Ubi leges imperant. Nam ubi summa est legum auctoritas, ibi est minimum tyrannidis. Ita Laert. lib. 1. cap. 5. Demosthenes civitatis animam esse leges dicebat : Ut enim corpus anima carens cadit, sic civitas nullis administrata legibus sponte sua ruit. Ita Maxim. ser. 68. Cleon multo meliorem esse dicebat statum civitatis, quæ licet deterioribus, firmis tamen legibus utitur, quàm illius quæ bonis quidem, sed irritis. Ita Thucyd. lib. 3. Archidamus roganti quinam essent Spartanæ urbis Præfecti respondit : Leges et legitimi Magistratus; censens in republ. bene constituta supremam auctoritatem esse legibus deferendam, secundam Magistratibus; ac proinde eos legum debere esse tutores et vindices, non dominos, nec dispensatores, hoc est dissipatores. Ludovicus XII. Galliarum rex subpræfectum Aurelianensem, quo familiariter olim erat usus, sæpeque injustitiæ reum liberarat, creatus rex damnavit, dictitans : *Contendi privatus pro amico, regnum autem adepto lêges mihi tuendæ sunt.* Ita Annal. Franc.

Divine S. Bernard. lib. 4. de Consider. cap. 4. ad Eugenium Pontif. eum docet quales debeat creare vel formare Prælatos : *Qui sint*, inquit, *in judicio recti, in consilio providi, in jubendo discreti, in disponendo industrii, in agendo strenui, etc. qui quæstum legationem non æstiment, nec requirant datum, sed fructum. Qui regibus Joannem exhibeant, Ægyptiis Mosen, fornicantibus Phinees, Heliam idololatris, Helisæum avaris, Petrum mentientibus, negotiantibus Christum. Qui vulgus non spernant, sed doceant; divites non palpent, sed terreant; pauperes non gravent, sed foveant; minas principum non paveant, sed contemnant; qui cum turba non intrent, nec cum ira exeant; qui Ecclesias non spolient, sed emendent. Qui marsupia non exhauriant, sed corda reficiant, et crimina corrigant, famæ provideant suæ, nec invideant alienæ. Qui orandi studium gerant et usum habeant, ac de omni re orationi plus fidant, quàm suæ industriæ vel labori. Quorum ingressus pacificus, non molestus exitus sit. Quorum sermo ædificatio, quorum vita justitia, quorum præsentia à gratia, quorum memoria in benedictione. Qui se amabiles præbeant non verbo, sed opere; reverendos exhibeant, sed actu, non fastu. Qui humiles cum humilibus, et cum innocentibus innocentes, duros dure redarguant, malignantes coerceant, reddant retributionem superbis. Qui non de dote viduæ, et patrimonio crucifixi se vel suos ditare festinent, gratis dantes quod gratis acceperunt, gratis facientes judicium injuriam patientibus, vindictam in nationibus, increpationes in populis.* Et cap. 7. librum ita concludit : *Ubi malitiæ juncta potentia est, aliquid tibi super hominem præsumendum. Vultus tuus super facientes mala. Timeat spiritum iræ tuæ, qui hominem non veretur, gladium non formidat. Timeat orationem, qui admonitionem contempsit. Cui irasceris tu, Deum sibi iratum non hominem putet. Qui te non audierit, auditurum Deum, et contra se paveat.* Et paulo ante perfecti Pontificis ideam ita depingit : *De cætero oportere te esse considera formam justitiæ, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplar, assertorem veritatis, fidei defensorem, doctorem gentium, Christianorum ducem, amicum sponsi, sponsæ paranymphum, cleri ordinatorem, pastorem plebium, magistrum insipientium, refugium oppressorum, pauperum advocatum, miserorum spem, tutorem pupillorum, judicem viduarum, oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum senum, ultorem scelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgam potentium, malleum tyrannorum, regum patrem, legum moderatorem, canonum dispensatorem, sal terræ, orbis lumen, sacerdotem Altissimi, vicarium Christi, Christum Domini, postremo Deum Pharaonis.*

5. Et erunt quasi fortes conculcantes lutum (id est, hostes ut lutum) viarum in prælio. Pro *fortes*, hebr. est גבורים *ghibborim*, id est, prævalidi, præpotentes, heroes, gigantes, Gabrieles. Ad litteram notat Machabæos, qui sua fortitudine hostes Israelis proculcarunt quasi lutum, quia Dominus cum eis.] Ita in libris Machabæorum legimus Judam Machabæum nunquam iniisse prælium (excepto ultimo, in quo non legitur orasse; unde et cecidit) nisi prius invocata Dei ope, quam et præstitit Deus; unde misit ad eum Jeremiam Prophetam è limbo, qui daret ei gladium, diceretque : *Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israel*, 2. Machab. 15. 15. Hinc et Judas Machabai, id est, Machabæus, dictus est ex litteris initialibus versus undecimi Exodi cap. 15 : מי כמוך באלים יהוה, *mi camocha baelim Iehova*, id est, *quis similis tui in fortibus, Domine?* Quod quasi belli tesseram, et victoriæ omen in vexillis et insignibus præferebat, uti dixi Exodi 15; unde sequitur :

Et confundentur ascensores equorum,] puta

duces et milites Antiochi, qui pollebant et gloriabantur equitatu, cum Machabæi pugnarent pedites, uti et David, cæterique pii Judæorum reges, juxta legem Deuter. 17. 16. uti ibi dixi. Unde quanto inferior fuit eorum sors et conditio, quod pedites in equites pugnarent, tanto nobilior illorum de eis ope Dei parta fuit victoria, tanto gloriosior triumphus. Hinc Chald. vertit : *Et fortes domus Israel triturabunt interfectos populorum, quasi lutum viarum in bello, et prælia committent; quia verbum Domini erit in auxilium eorum.* Mystice hæc veriora sunt in prælio spirituali, quo Christus et Apostoli debellarunt mundum et tartarum.

Et confortabo domum Juda, et domum Joseph salvabo.] *Domus Juda* sunt duæ Tribus ; *domus Joseph* decem reliquæ, quarum caput fuit Tribus Ephraim, filii Joseph, ex eaque prognatus Jeroboam, æque ac cæteri reges Israel. Porro multi ex decem Tribubus partim jam ante se junxerunt Judæis, partim postea cum viderunt vel audierunt victorias et trophæa Machabæorum, iis se aggregarunt, ut sub eorum ducatu et præsidio incolumes et felices viverent. Ita S. Hieron.

Mystice, id verius fuit in conversione tam Israelitarum, quàm Judæorum ad Christum, quæ inchoata est ab Apostolis, sed perficietur ab Elia et Henoch in fine mundi : tunc enim omnis Israel salvus fiet. Ita Remig. Lyran. et Arias. Pro *confortabo* hebr. est גברתי *ghibbarti*, id est, viriles, fortes, robustos, ac quasi Gabrieles efficiam. A גבר *gabar* enim, id est, vir fortis fuit, deducitur nomen Gabriel, id est, fortis vel fortitudo Dei.

Et convertam eos,] ut locis, in quibus per captivitatem dispersi sunt, revertantur ad avitas in Judæa sedes. Unde Septuag. vertunt : *Et habitare faciam eos;* Chald. *Congregabo captivitatem eorum;* plenius Tigurina : *Et reversos collocabo;* ac Vatabl. *Et conversos habitare faciam.* Hebr. enim הושבתים *hoscebotim* est mixtæ conjugationis, quasi conflatum ex השיב *hescib*, id est, converti vel reverti fecit; et ex הושיב *hoscib*, id est, habitare fecit, collocavit.

7. Erunt sicut fuerunt, quando non projeceram eos,] q. d. Erunt sicut fuerunt ante captivitatem, tam Babylonicam, quàm Assyriacam. Hinc patet ad litteram loqui Prophetam de Judæis, Israelitis et Machabæis. Idem patet ex nominibus *domus Juda, domus Joseph, Ephraim, etc.*

Erunt quasi fortes (hebr. *gibborim*, de quo dixi vers. 5.) Ephraim,] q. d. Erunt quasi heroes Ephraim, fortiter bellantes bella Domini. Tribus enim Ephraim inter decem Tribus erat fortissima; unde et cæteris Tribubus continuos dedit reges. Hinc illud psalm. 77. 9 : *Filii Ephrem intendentes et mittentes arcum, conversi sunt in die belli.*

Lætabitur cor eorum quasi a vino,] q. d. Ex continuis victoriis exsultabunt sicut exsultant qui hausto potenti vino hilarescunt; vel, q. d. In præliis erunt audaces, interriti, et quasi leones ignem spirantes, perinde ac si vino generoso oppleti æstuarent; uti nunc Kosachi, Hiberni, Hollandi, aliæque gentes vino adusto se implent ante prælium, ut spiritibus calidissimis æstuantes sint audaces, ruantque intrepidi in enses et gladios.

Et filii eorum,] q. d. Filii nepotes et posteri eorum cernent, audientque patrum et avorum suorum trophæa, indeque exsultabunt in Domino, et ad eadem heroice consectanda incitabuntur. Sic trophæis Miltiadis Themistocles, Achillis Alexander Magnus, Alexandri Magni Julius Cæsar, Cyri Scipio, excitati sunt ad eadem per heroica facinora consectandum, uti narrat Plutarch. in eorum Vita.

8. Sibilabo eis, et congregabo illos.] Quasi sibilo congregabo et convocabo eos, velut oves in Jerusalem, tanquam Synagogam ; et tempore Christi in Ecclesiam, in qua sibilus erit prædicatio Evangelica, inquit Vatabl. Est catachresis : ponitur enim sibilus pro convocatione, quia hæc in ovibus à pastore fit sibilo. Est hendiadys. Unum enim dicitur per duo : *Sibilabo et congregabo*, id est, quasi sibilando congregabo. Simili modo ait Isaias, cap. 7. 18 : *Sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti, et api quæ est in terra Assur.* Vide ibi dicta.

9. De longe recordabuntur mei,] q. d. Judæi et Israelitæ degentes in remotis locis, ubi audierunt legem Dei, cultum et Synagogam per Machabæos in Judæa restitutam, recordabuntur mei, ut me more patrum invocent et colant, ideoque cum filiis valentes et gaudentes revertentur in Jerusalem.

10. Et reducam eos de terra Ægypti et de Assyriis.] Alludit ad captivitatem Assyriacam et Babylonicam, quam fugientes multi ex Israel, profugerunt de more in Ægyptum, ut patet Jerem. 44. q. d. Solvam omnem eorum captivitatem, exsilia et dispersione, faciamque ut tuti et liberi in patriam, et ad me meumque templum et Ecclesiam revertantur. Ita S. Hieron. Albert. et Hugo. Huc facit quod Josephus lib. 11. Antiq. cap. 2. scribit Ptolemæum Philadelphum, qui post Ptolemæum Lagi Alexandro Magno in regno Ægypti successit, centum viginti millia Judæorum ex Ægypto libertate donata in Judæam remisisse, eaque beneficentia obtinuisse ab Eleazaro pontifice 72 Interpretes, qui S. Scripturam ex Hebræo in Græcum idioma transferrent.

Ad terram Galaad et Libani adducam eos,] puta in Judæam, cujus limites sunt Libanus et Galaad. Mystice, ad Ecclesiam Christi quæ fertilis est, pulchra et amœna, uti Galaad, Libanus, omnisque terra Judæis olim promissa. Unde sequitur : *Et non invenietur eis locus*, scilicet, sufficiens, q. d. Maxima erit multitudo fidelium, tum Judæorum sub Machabæis, tum potius Christianorum sub Christo et Apostolis, adeo ut templa et Ecclesiæ eos non capiant ; secundo, Sanchez, q. d. Non invenietur eis locus, id est, ipsi non invenientur in loco pristino, puta in Ægypto et Assyria, quia redibunt in Jesusalem. Unde Septuag. vertunt : *Non relinquetur ex eis ullus;* ut sit hypallage.

Anagog. q. d. Locus fidelium post mortem, postque diem judicii non invenietur amplius in terra, quia ipsi ex terra transferentur in cœlum.

11. Et transibit in maris freto.] Varii varie hæc explicant. Primo, Judæi hæc ad litteram exspectant, quasi portenta futura et facienda à suo Messia, sicut facta sunt à Mose in mari Rubro. Verum quia ad litteram hoc cap. agitur de Machabæis, eorumque victoriis portentosis; hinc secundo, magis appositum huic loco est,

quod tradunt Hebræi prisci apud S. Hieron. ac Remig. et Hugo, scilicet Judæos olim in Græciam profugos, tempore Machabæorum, per fretum angustum Propontidis, quod Chalcedonem à Constantinopoli segregat, transisse, ut redirent in Judæam. Verum nusquam legimus fretum hoc percussum et siccatum à Deo, ut Judæi sicco pede pertransirent. Tertio, alii putant hîc notari Alexandrum Magnum, qui cum exercitu mare Pamphyliæ sicco pede trasmisit, pergens contra Darium et Persas, teste Josepho lib. 2. Antiq. cap. ult. Verum hoc viris doctis fabulosum videtur; et Joseph. licet id ex aliis referat, non tamen approbat. Adde, quid hoc ad Judæos et Machabæos? Dico ergo esse hîc continuam metaphoram sive allegoriam; qua sub schemate miraculosi transitus Hebræorum per mare Rubrum duce Mose, et per Jordanem duce Josue in terram promissam, describit similem non miraculosum, sed mirabilem transitum Judæorum toto orbe dispersorum per maria et gentes, felicemque reditum in Judæam, cum audierint ejus felicitatem, et victorias partas à Machabæis, q. d. Faciam ut Judæis in Jerusalem redeuntibus omnes viæ, maria et flumina sint pervia, removebo omnes obices et obstacula, adeoque si opus sit, siccabo mare et flumina, uti siccavi sub Mose, quando ipse virga percussit mare Rubrum, et sub Josue, quando confudi, divisi et siccavi profunda fluminis Jordanis; quin et humiliabo superbiam et potentiam Assyriorum, Ægyptiorum, aliarumque gentium hostilium, faciamque ut populum meum retinere, aut ab hoc suo in Judæam reditu remorari nequeant. Nominat præ aliis Ægyptios et Assyrios, quia hi olim crebro et vehementer afflixerunt Israelitas, eosque in captivitate detinuerunt. Ita Theodor.

Mystice, id verius in Apostolis et eorum sequacibus, quibus Deus viam patefecit per terras, maria et flumina, ut omnes gentes adirent, easque Ecclesiæ aggregarent, juxta illud Isaiæ 11. 15 : *Et desolavit Dominus linguam Ægypti, et levavit manum suam super flumine in fortitudine spiritus sui, et percutiet in septem rivis, ita ut transeant per eam calceati.* Sicut Augusto Cæsari Ægyptum invadenti, viamque per suam monarchiam in Ægyptum et in omnes gentes Apostolis pandenti, contigit, uti ibidem dixi. Ita S. Hieron. Cyrill. Clarius, Arias, Vatabl. et alii. Ubi nota : In Scripturis hostes Ecclesiæ Dei vocantur Ægyptii, Assyrii, Chaldæi; quia hi fuerunt hostes Israelis et Synagogæ, quæ fuit quasi aurora et parens Ecclesiæ.

Confundentur omnia profunda fluminis. *Fluminis*, id est, fluminum, sed dicit *fluminis*, quia alludit ad Jordanem siccatum à Josue. Dices : Quid est τὸ *confundentur?* Respondent aliqui, *confundentur*, id est commiscebuntur, sicut Jordanis aquæ à Josue divisæ, repressæ, et in unum locum coactæ, intumescentes confusæ, id est, commixtæ et convolutæ fuerunt. Verum hebr. בוש *bosç* non significat commiscere, sed confundere, id est, pudefacere. Dico ergo flumina metaphorice dici confundi et pudefieri, cum suo alveo, quasi suo jure et hæreditate, contra naturam privantur, ab eoque vi expelluntur. Si enim haberent sensum et sanguinem, utique ob hanc vim et quasi ignominiam, quam invite subeunt, pudefierent et erubescerent, quod suo loco violenter excedere, eumque hominibus, puta Hebræis, cedere debeant. Sic iratus confunditur, cum iram suam explere nequit, dum illa à potentiori quopiam reprimitur et refringitur. Confundi ergo profunda fluminis, idem est quod siccari. Unde pro *confundentur*, Pagnin. et Tigur. vertunt, *siccabuntur*, et ita ad verbum nunc est in Hebræo. Nam הובישו *hobisçu* proprie deducitur à יבש *iabesç*, id est siccare; Noster deduxit à בוש *bos*, id est confundi, pudefieri; quare videtur legisse alio puncto הבישו *hebisçu*, quanquam ordines verborum imperfectorum apud Hebræos sæpe confunduntur, ac verba quiescentia *ain vau*, tempora sua mutuantur à quiescentibus, *pe iod*, puta *bos à iabas*, et sic *hobisçu* ponitur pro *hebisçu*. Simili modo dixit Joel. cap. 1. 10 : *Confusum est vinum*, et vers. 12 : *Vinea confusa est*, id est, siccata est, elanguit, evanuit. Vide ibi dicta. Jam sensus hujus loci est is, quem paragrapho præcedenti assignavi.

12. Confortabo eos in Domino (in me, qui sum Dominus. Est enallage; loquitur enim Deus de se in tertia persona) et in nomine, id est virtute, potentia et invocatione, ejus ambulabunt,] pergentque strenue et alacriter Judæi in Jerusalem, fideles in Ecclesiam militantem in terris, et ex ea in triumphantem in cœlis.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædixit Zacharias cap. 10. Machabæorum bella et victorias, nunc prosequitur ea quæ post illos futura erant, et obventura Judæis per Romanos. Hoc ergo capite prædicit excidium Hierosolymæ, puta urbis et templi, jam recens a Zorobabele, et Jesu filio Josedec ædificati, faciendum a Tito et Romanis, idque ob Judæorum peccata, præsertim ob Christum ab eis occisum et venditum triginta argenteis. Quare ut peccata hæc declinent, itaque excidium evadant, Deus Zachariam facit pastorem, id est, Prophetam, ut futura hæc prædicat et comminetur. Hinc v. 7. sumit duas virgas pastoritias, quibus quasi pastor, populum quasi gregem suum pascat : unam vocat Decus, id est, decoram et gratiosam, alteram vocat Funiculum, quo constringuntur et plectuntur rei. Hisce repræsentat duos providentiæ et regiminis modos, quibus uti in Israele regendo jam antea usus, ita deinceps usurus erat Deus, nimirum virga cui nomen Decus, repræsentat amorem, promissa et beneficia, quibus Deus Judæos ad se uti olim allexerat, ita per Machabæos eorumque posteros allecturus erat usque ad Christum, qui fuit decus, amor et gratia Dei Patris effusa in Judæos : altera cui nomen Funiculus, repræsentat timorem, minas et plagas, qua Deus post priorem amoris virgam in morte Christi confractam, pavit et exagitavit Judæos per Romanos; quam quia pariter spreverunt, hinc et hanc virgam confregit, eosque abs se abjecit, omnemque eorum curam ac providentiam deposuit; ac eos v. 15. pastori stulto, cujus formam et habitum induere jubetur Zacharias, ut eum populo repræsentet, pascendos, id est, perdendos et mactandos, tradidit.

1. Aperi, Libane, portas tuas, et comedat ignis cedros tuas. 2. Ulula, abies, quia
cecidit cedrus, quoniam magnifici vastati sunt : ululate, quercus Basan, quo-
niam succisus est saltus munitus. 3. Vox ululatus pastorum, quia vastata
est magnificentia eorum : vox rugitus leonum, quoniam vastata est superbia
Jordanis. 4. Hæc Dicit Dominus Deus meus : Pasce pecora occisionis,
5. quæ qui possederant, occidebant, et non dolebant, et vendebant ea,
dicentes : Benedictus Dominus, divites facti sumus : et pastores eorum non
parcebant eis. 6. Et ego non parcam ultra super habitantes terram, dicit Dominus : ecce ego
tradam homines, unumquemque in manu proximi sui, et in manu regis sui : et concident ter-
ram : et non eruam de manu eorum. 7. Et pascam pecus occisionis propter hoc, ô pauperes
gregis. Et assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi Decorem, et alteram vocavi Funiculum : et
pavi gregem. 8. Et succidi tres pastores in mense uno, et contracta est anima mea in eis : siqui-
dem et anima eorum variavit in me. 9. Et dixi : Non pascam vos : quod moritur, moriatur; et
quod succiditur, succidatur : et reliqui devorent unusquisque carnem proximi sui. 10. Et tuli vir-
gam meam, quæ vocabatur Decus; et abscidi eam, ut irritum facerem fœdus meum, quod
percussi cum omnibus populis. 11. Et in irritum deductum est in die illa : et cognoverunt sic
pauperes gregis, qui custodiunt mihi, quia verbum Domini est. 12. Et dixi ad eos : Si bonum
est in oculis vestris, afferte mercedem meam; et si non, quiescite. Et appenderunt mercedem
meam triginta argenteos. 13. Et dixit Dominus ad me : Projice illud ad statuarium, decorum
pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, et projeci illos in domum Do-
mini ad statuarium. 14. Et præcidi virgam meam secundam, quæ appellabatur Funiculus, ut
dissolverem germanitatem inter Judam et Israel. 15. Et dixit Dominus ad me : Adhuc sume tibi

vasa pastoris stulti. 16. Quia ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, et contritum non sanabit, et id quod stat, non enutriet, et carnes pinguium comedet, et ungulas eorum dissolvet. 17. O pastor, et idolum, derelinquens gregem: gladius super brachium ejus, et super oculum dextrum ejus: brachium ejus ariditate siccabitur, et oculus dexter ejus tenebrescens obscurabitur.

1. Aperi, Libane.] Quæres: Quid hîc significat Libanus? Theodoret. et Chald. putant significare gentes vicinas et hostiles Judæis, quales erant Syri, Idumæi, Moabitæ: Libanus enim erat terminus Judææ et initium gentium, puta Syrorum versus Aquilonem. Censent ergo hîc gentibus excidium intentari, eo quod Judæis reditum è Babylone, templique et urbis restaurationem inviderint, et pro viribus impedierint. Verum sequentia omnia Judæos spectant, non gentes, ac in primis illud, v. 3: *Vastata est superbia Jordanis.* Quocirca cæteri omnes, ut S. Hieron. Cyrill. Haymo, Remig. Hugo, Lyran. Dionys. Vatabl. Arias, Ribera, Mariana, Sanchez, à Castro et alii constanter et unanimiter censent per Libanum hîc accipi Jerusalem et templum. Primo enim tam urbs quàm templum in Judæa, æque ac Libanus mons inclytus in Syria eminebat. Secundo, utrumque ex cedris Libani erat constructum. Tertio, domibus et incolis abundabat, ut Libanus et sylva abundant arboribus. Quarto, quia Jerusalem alebat tyrannos, raptores, prædones, uti Libanus alit lupos, leones, ursos aliasque feras, eaque de causa vastata est. Quinto, quia templum candore lapidum candicabat, uti Libanus candore nivium, teste Josepho, lib. 6. Belli, indeque dictus est Libanus à לבן *laban*, id est albus, candidus: vel à לבונה *lebona*, id est thus, quia thuris est ferax. Templum ergo quod jam cum urbe ædificabatur, Zacharias hîc vocat *Libanum*, ejusque finem et exitum in ejus initio prædicit. Unde Chald. pro Libano vertit, *templum.* Simili modo Ezechiel, cap. 17. 3, Jerusalem vocat *Libanum.* Vide ibi dicta. Denique alludit ad domum regiam saltus Libani, in Jerusalem ædificatam à Salomone, 3. Reg. 8. 2. Jam censent aliqui hîc prædici vastitatem, quam Antiochus Epiphanes urbi ac templo intulit tempore Machabæorum, cum pastor et idolum de quo v. 17. fuit impius Jason, qui uti simoniace pontificatum emit ab Antiocho, ita scelerate eum administravit, colens Herculem et deos Antiochi. Verum quia hic intrusus fuit pontifex, quem mox excluserunt Machabæi pontifices et principes legitimi, sub quibus maxime floruit Dei templique religio: hinc melius Vatabl. Ribera, à Castro et alii passim censent hîc agi de vastitate urbi et templo illata per Titum et Romanos. Hi enim funditus combusserunt et diruerunt tam urbem quàm templum; cum Antiochus illud non destruxerit, sed tantum suis sacrilegiis profanarit. Ita sanctus Hieron. Haymo, Remig. Albert. Hugo, Dionysius, Vatabl. Arias, Ribera. Sensus ergo est: *Aperi, Libane, portas tuas*, q. d. O Jerusalem, et templum jam recens exstructum tabulis cedrinis ex Libano allatis, aperi Romanis venientibus portas tuas, quia illis non poteris resistere: frustra enim illis eas claudes, quia ipsi sua vi et robore omnia perfringent. Hujus rei symbolum et præsagium fuit, quod Joseph. libr. 7. Belli, cap. 12, narrat ante captam à Tito urbem Orientalem, portam templi æneam, quæ à viginti viris claudi poterat, sponte sua hora 6. noctis in Paschate fuisse apertam. Huc pariter facit quod tradunt Hebræi, et ex iis R. David, Lyran. et Galatin. lib. 4. cap. 8, nimirum 40 annis ante eversum templum à Romanis, portas templi quæ vespere claudebantur, nocte sponte fuisse reseratas, ac summo mane venientem eò R. Johanan filium Zachai, qui inter Rabbinos eminebat, dixisse: *O domus, ô sacra domus, quid sibi vult quod tu tibi timeas? Equidem scio interitum tibi ac vastationem imminere, et jam olim vaticinium illud de te editum fuisse: Aperi, Libane, portas tuas.* Quod si verum est, apte huic loco congruit; ubi solerter conjicit Ribera portas templi sponte sua apertas fuisse eo die præcise, quo Christus mortuus est in cruce, et velum templi scissum est à summo usque deorsum. Convenit enim tempus scilicet quadragesimus annus ante urbis excidium, quo Christus passus est; excisa est enim urbs anno secundo Vespasiani, qui fuit ab ortu Christi 73, teste Euseb. in Chronico. Denique in Paschate passus et mortuus est Christus; perinde ac in Paschate portas templi reseratas scribit Josephus.

Et comedat ignis cedros tuas.] Primo, ad litteram, q. d. Sicut, ô Jerusalem, nuper vidisti tuas magnificas ædes et palatia ex cedris, abietibus et quercubus constructa comburi à Chaldæis, ita rursum idem visura et passura es à Romanis. Secundo et melius, symbolice *cedri* vocantur summi Principes et Pontifices: *abietes*, præpositi, senatores, consules et præfecti minores; *quercus*, divites et fortes viribus. Unde Chald. vertit, *satrapæ provinciarum*, q. d. Ignis hic tuæ vastitatis et incendii afflabit et consumet omnes tuos principes, præfectos, nobiles et divites. Ita S. Hieronym. Cyril. et Euseb. libr. 8. Demonstr. cap. 4; unde explicans subdit Propheta:

2. Ulula, abies, quia cecidit cedrus,] q. d. Ululate, senatores et magistratus minores, qui ceciderunt principes, qui vos alebant et protegebant, ac proinde et vos pariter cadetis, occidendi, vel capiendi à Tito et Romanis. Hoc est quod subdit: *Quoniam magnifici* (principes) *vastati sunt.* Est ergo parœmia.

Ululate, quercus Basan,] puta potentes et opulenti, qui inter Judæos eminetis sicut quercus in Basanitide. Chald. vertit: *Ululate, satrapæ provinciarum.*

Quoniam succisus est saltus munitus,] puta Jerusalem munita, quam vocat saltum vel sylvam, quia persistit in metaphora Libani, montis et sylvæ.

3. Vox ululatus pastorum.] Aliqui, ut à Castro, censent Prophetam loqui præsentibus Judæis, qui dolebant fabricam templi secundi non æquare magnificentiam primi, q. d. Dolent nunc magistratus, quod videant adeo extenuatam templi magnificentiam: rugiunt principes ut leones, quia vident modo splendorem illum an-

tiquum Jerusalem obscuratum. Verum non est quod doleatis, sed periculo præterito edocti, gratias agite de præsenti, licet minori felicitate; quod opportune admoneo vos, ne à statu, in quo nunc estis, decidatis in similem captivitatem, à qua nunc estis liberati. Verum quia hæc pertinent ad præcedentia, in quibus futurum à Romanis urbis templique excidium clare prædixit, hinc eòdem referenda sunt, q. d. Videor mihi eminus ex alta prophetiæ specula videre extremam Hierosolymæ cladem, ac in ea audire ululatus civium, præsertim pastorum, id est, sacerdotum et pontificum: quia vastata est magnificentia eorum, quia scilicet combustum est magnificum templum, ejusque vasa et vestes, quibus magnifice vestiti incedebant pontifices, et cujus oblationibus et opibus splendide vivebant. Eversa ergo magnificentia templi, eversa et magnificentia sacerdotum. Videor quoque mihi audire ululatum principum et magistratuum quasi rugitum leonum, qui avare et tyrannice dominabantur populo, in eumque quasi leones ferociter, superbe et rapaciter grassabantur. Hi enim rugiunt et ululant, quia VASTATA EST SUPERBIA JORDANIS,] puta superba eorum palatia, prædia, villæ, agri et silvæ, quæ juxta Jordanem possidebant, ut ejus fluentis irrigarentur, fierentque fertilia ad fructum, æque ac amœna ad aspectum. Alludit ad leones, quorum copia erat in silvis juxta Jordanem. Hi enim agris et silvis à Romanis vastatis, gregibusque ibidem pasci solitis, occisis, vel abductis, pariter rugiebant, eo quod latibulis, æque ac gregum prædis escisque suis privati, vel fame mori, vel aliò migrare cogerentur. Hinc illud Cantic. 4. 6: *De vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Sanir enim et Hermon erant juxta Jordanem: ita Clarius, Arias Vatabl. et alii. Addit S. Hieronym. exsiccatum partim à Deo, partim à Romanorum copia fuisse Jordanem; quocirca leones præ siti irrugiisse. Unde Chald. vertit: *Quia exsiccata est propter eos elatio Jordanis.* Solet enim Jordanis affluentibus aquis ex resolutione nivium efferri et intumescere. Sept. *Quia miser factus est fremitus Jordanis.* Solent enim aquæ copiosæ inter se, vel ad saxa allisæ fremere. Nam hebr. *geon* significat magnificentiam et arrogantiam, quæ fremitus est causa.

4. PASCE PECORA OCCISIONIS,] puta Judæos occisioni à Romanis, quasi oves et pecora destinatos.

Quæres: Ad quem et à quo dicitur *pasce?* Respondet Theodor. et ex eo Ribera id dici à Patre æterno ad Christum filium jam incarnatum, q. d. Tu, ô Christe, fili, pasce et doce Judæos, si quo modo pœniteant, et ad te convertantur, itaque evadant excidium Romanorum, cui à me addicti sunt.

Simplicius S. Hieronym. Remig. Hugo, Lyran. Vatabl. et alii censent hæc esse verba Dei ad Zachariam, q. d. Ego te, ô Zacharia, constituo pastorem, id est, Prophetam, ut tuis hisce oraculis pascas, doceas et moneas Judæos futuros de futuro excidio, ut illud ipsi per pœnitentiam et mutationem vitæ declinare et effugere satagant. Id ita esse patet, quia Zacharias induit hìc habitum pastoris: ideoque duas virgas pastoritias assumit, unam nominat Decorem, alteram Funiculum, sicut mox vers. 15. assumit formam pastoris stulti: quod de Christo dici nequit. Hinc Chald. vertit: *Vaticinare adversus gubernatores, qui constituti sunt ad gubernandum populum meum, et ipsi dominati sunt in eos quasi in oves occisionis, dicentes: Non imputabitur nobis in peccatum.* Ubi nota Judæos hìc vocari *oves* vel *pecora occisionis.* Primo, quia in eos quasi oves impune grassabantur principes et pontifices, eosque vel in corpore, vel in anima expilabant et jugulabant prava sua doctrina et vita, ut eis exprobrat Christus Matth. cap. 23. Ita ex Chaldæo Theod. Et patet ex eo quod sequitur: *Quæ qui possederant, occidebant.* Oves ergo *occisionis*, vel *escarum*, uti vocantur Psalm. 43. 12, sunt quæ non servantur ad lanam aut lac, non ut tondeantur vel mulgeantur, sed ut occidantur et devorentur. Sic Jerem. 12. 3: *Congrega*, ait, *eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die occisionis.* Secundo, quia occisioni et gladio Romanorum ob sua scelera, cum suis principibus et pontificibus erant destinati cædique devoti. Ita S. Hieronym. Remig. Hugo, Vatabl. et alii passim. Rationem dat à Castro: nam jubetur, inquit, Zacharias, ac si pastoritiam artem exerceret, repræsentare officium pascendi, quo Deus populum suum pavit diversis temporibus, et deinceps pasturus erat. Et rationem hujus personæ, et quasi fabulæ assumendæ docet Deus esse, quod iniqui pastores fuerint causa cur ipse populum deseruerit, et cum pastoribus in captivitatem duci permiserit à Chaldæis, et rursum duci permissurus sit à Romanis. Dicit igitur Deus: Age, ô Zacharia, sume personam pastoris sapientis, et pasce oves meas, quas stulti pastores et occidunt, et occisioni parant: nam illi quibus eas curandas commisi, jugulant eas, sua lucra quærentes, non earum salutem; nec de hoc scelere dolent, quasi nullam culpam commiserint; et vendunt eas, et aucti pretio laudant Deum, dicentes: Benedictus Deus, quia sumus ditati; itaque pastores hi non parcunt ovibus, sed eas impune expilant et mactant. Simili schemate utitur Jeremias, cap. 23. 1: *Væ*, ait, *pastoribus, qui disperdunt et dilacerant gregem pascuæ meæ!* Et Ezechiel, cap. 34. 2: *Væ pastoribus Israel qui pascebant semetipsos! etc. quod crassum erat occidebatis, gregem autem Domini non pascebatis.* Vide ibi dicta. Ita à Castro, et recte, nisi quod ipse hæc censeat dici de pastoribus præteritis, non de futuris, cum potius, ut dixi, hæc, utpote oracula de urbis excidio, spectent futura, et pastores futuros usque ad tempora Christi et excidii Hierosolymæ. Illis enim iniquis, impiis et tyrannicis opponit suum pastoratum, et regimen æquum, pium et paternum.

5. ET VENDEBANT EA,] scilicet pecora, q. d. Hi pseudo-pastores ex gregibus sibi commissis quæstum faciebant, eis eorumque filiis, servis, operis, agris, etc. ad sua lucra per viam et fraudem abutebantur, perinde ac si eos ad suum quæstum vendidissent. Est catachresis.

6. ET EGO NON PARCAM EIS.] Aliqui futurum accipiunt pro præterito, scilicet *non parcam*, id est non peperci *eis*, puta Ægyptiis, eo quod populum meum oppressissent; aut potius *eis*, scilicet Israelitis, eo quod fecerint schisma à me et à domo David. Hac enim de causa tradidi eos regibus impiis, qui eos tyrannice expilarent, imo feci ut in sese invicem grassarentur, et mutuo se per intestina odia, fraudes et cædes conficerent. Ita à Castro.

Melius alii futurum proprie ut sonat accipiunt, censentque id impletum sub Aristobulo

et Hyrcano, qui, cum de pontificatu et principatu contenderent, vocarunt in auxilium Pompeium et Romanos, à quibus subacti, spoliati et vastati sunt. Ita Theodor. Aut potius sub Tito et Vespasiano, quando Zelotæ aliique Judæi mutuo sese expilarunt et mactarunt, teste Josepho, lib. 6. Belli, c. 2. et 4. Et traditi sunt *in manus regis sui*, id est, principum suorum factiosorum, ut ait Vatabl. aut Herodis Agrippæ, Vespasiani et Titi, qui totam Judæam perdiderunt. Ita S. Hier. Albert. Hugo, Arias et Vatabl. Romani enim Imperatores vocantur reges Judæorum, tum quia in passione Christi Judæi eos, ut suos Cæsares agnoverunt et professi sunt, dum coram Pilato clamarunt: *Non habemus regem, nisi Cæsarem;* tum quia Romani eos bello subegerunt, an jure, an injuria non disputo.

7. Et pascam pecus occisionis.] Theodor. Vatabl. Ribera et alii censent hanc esse Christi vocem ad suos Apostolos, et primos fideles è Judæis collectos, quos ob humilitatem, paupertatem et imbecillitatem vocat *pauperes gregis*, quasi Christus hîc significet se velle Patri suo obedire et obsequi, ut quantum in se est Judæos pascat, et iram clademque eis à Deo decretam avertat. Verum hoc mysticum et allegoricum potius est, quàm litterale. Ad litteram enim Propheta hîc à Deo constitutus pastor, v. 4. ubi ab eo audivit: *Pasce pecora occisionis*, hoc versu onus pascendi suscipit, Deoque respondet: *Pascam pecus occisionis.* Unde ex Hebræo vertas, *et pavi*, vel pascere cœpi; Noster vertit, *et pascam*, ut significet continuationem et diuturnitatem pascendi. Ita S. Hieron. Remig. Lyran. et Arias. Porro Zacharias fuit pastor, non verus et litteralis, sed mysticus et symbolicus, pavitque Judæos suis hisce oraculis, quibus jussu Dei pastoris habitum virgamque assumit, ac pastoris veri munia, Dei, inquam, circa Judæos gubernationem repræsentat, sicut v. 15. ex adverso induit vasa pastoris stulti, ut ejus mores populo in se exprimat et ostentet.

Propter hoc, ô pauperes gregis,] supple attendite ad ea quæ dicturus sum. Ita S. Hieron. Remig. Albert. et Hugo. Secundo, Arias, Vatabl. à Castro et alii, q. d. Quia oves hæ sunt occisioni destinatæ, et quia à Deo constitutus sum earum pastor, propter hoc pascam eas, præsertim ut vos, ô pauperes gregis, tum ab occisione, cui reliqui certo destinati sunt, tum è manu improborum pastorum vestrorum liberem. Unde Arias vertit: *Pascam oves occisionis propter vos, ô pauperes gregis;* ut hebr. לכן *lachen* non sit adverbium, significans *propter hoc*, sed pronomen, significans *vobis*, ita ut *lachen* femininum ponatur pro לכם *lachem* masculino. *Pauperes gregis* vocat inopes in populo, præsertim simplices, innocentes, mansuetos et justos, propter quos Deus cæteris impiis ad tempus pepercit, pascens eos per Prophetas et ad pœnitentiam provocans. Ita Theodor.

Et assumpsi mihi duas virgas,] duos baculos pastorales, ut pastoris habitum, æque ac officium assumerem. Unde subdit: *Et pavi gregem.*

Unam vocavi Decorem.] Hebr. נועם *noam*, id est decor, species, jucunditas, gratia, amabilitas, suavitas, mansuetudo. Unde socrus Ruth vocabatur Noemi, dicebatque: *Ne vocetis me Noemi, id est pulchram, sed vocate me Mara, id est amaram, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens*, Ruth 1. 20. Hæc virga significat regimen suave per amorem et beneficia, non per minas et supplicia. Unde Vatabl. *Hæc*, ait, *fuit clementia Christi, qua usus est, dum assumpsit.* Quocirca Syrus vertit: *Unam vocavi suavem*, vel *jucundam;* Arabicus Antioch. *Unam vocavi facilitatem*, vel *benignitatem;* Alexand. *Unam vocavi decus.*

Et alteram vocavi Funiculum,] hebr. חבלים *chabalim*, id est funiculi. Ita Septuag. Aquila, Symmach. et Noster. Hinc et Syrus et Arabicus uterque vertit, *funem.* Hic significat regimen durum, severas leges et edicta, quibus populus quasi funibus colligatur, constringitur, et si peccet flagellatur, vincitur, illaqueatur. Jam Hebræi aliter punctant leguntque חבלים *chobelim*, id est colligantes, naucleri, gubernatores, et per antiphrasin dissipantes, corruptores. Porro quia funiculis olim dimetiebantur hæreditates, hinc funiculus metonymice significat hæreditatem, sive sortem et partem hæreditatis, quæ cuique per funiculum dimetientem obtingebat. Rursum funiculus significat cœtum et congregationem. Sicut enim ex multis filis contortis conflatur funiculus, sic ex multis hominibus congregatis fit cœtus et populus. Unde Euseb. lib. 10. Demonstr. Evang. cap. 4. per *decorem* accipit legem veterem, quæ data est, inquit, *funiculo*, id est, cœtui et populo Israel, qui erat funiculus hæreditatis, id est, sors et hæreditas Dei.

Quæres: Quale est hoc virgarum hieroglyphicum? quid symbolice hæ duæ virgæ ad litteram significant? Primo, S. Hier. Remig. Rupert. Hugo et Ribera duas has virgas accipiunt duo fœdera, duplexque regimen providentiæ Dei. Prius initum cum Noe omnibusque hominibus, Genes. 9. 9. quod hîc dicitur Decor, quia decebat Deum hoc universale in homines imperium, omniumque cura: posterius initum cum Abraham et ejus posteris, puta 12. Tribubus Israel, Genes. 17. v. 7. quod proinde dicitur Funiculus, vel ut hebr. est funiculi, q. d. Sors hæreditaria, quam Dominus sibi ex omnibus gentibus, in populum et Ecclesiam elegit, fuit posteritas Abrahæ, sive populus Israel.

Secundo, S. Cyrillus censet funiculum repræsentare vetus Testamentum, utpote Judæos, stringens, coarctans, vinciens et flagellans: decorem referre novum testamentum, sive legem gratiæ.

Tertio, alii censent per decorem significari duces et reges justos piosque; per funiculum vero injustos et impios. Ita R. Moses, lib. 2. Direct. cap. 44, per decorem accipit Mosen, Josue et sequentes; per funiculum Roboam et posteros, partim idololatras, partim sceleratos. Alii per decorem accipiunt regnum duodecim Tribuum, sub Davide et Salomone unitum; per funiculum vero idem regnum, in duo sub Roboam divisum. Alii per decorem accipiunt regnum Juda, per funiculum regnum Israel, sive decem Tribuum. Accedit Chald. qui per decorem accipit regnum Jeroboam, qui decem Tribus à tyrannide Roboam vindicavit et in libertatem asseruit: per funiculum, regnum Roboam, minax initio et tyrannicum. Verum hæc omnia jam erant præterita, ad quæ licet alludat Propheta, tamen proprie vaticinatur de futuro. Quocirca Arias per decorem accipit Machabæos, primos populi vindices, puta Judam cum fra-

tribus; per funiculum autem eorum posteros, qui violenter regnum regiumque nomen sibi arrogarunt.

Quarto, alii per decorem accipiunt initium prædicationis Christi, quod fuit suave et blandum: per funiculum, finem ejusdem, qui fuit minax excidii, judicii et gehennæ, ut patet Matth. 23. 24 et 25.

Quinto, et genuine, virga vocata Decor significat regimen amoris per consolationes, monitiones et beneficia, quod post tempora Zachariæ Deus exhibuit Judæis per Machabæos, et maxime per Christum. Altera virga vocata Funiculus significat regimen terroris, quo usus est Deus, cum vidit Judæos priori virga amoris et lenitatis abuti et indurescere, scilicet post mortem Christi, cum per Romanos eos exagitare cœpit, ac tandem funditus evertit, ut Judæi omnes vel occisi, vel capti et funiculis colligati fuerint, et tunc quisque suum funiculum, id est, sortem et pœnam pro meritis accepit, ideoque hebr. est *funiculi*. Ita Vatablus.

Hoc ergo utrumque tempus et regimen Dei, utraque virga assumpta significat Zacharias, quasi Dei vicarius et Propheta. Ipse enim quasi pastor duplicis virgæ, Deum pastorem duplicis regiminis, scilicet amoris et timoris, repræsentat. Hunc esse sensum patet, primo, ex eo quod hoc oraculum Prophetæ sit de futuro, non de præterito. In futuro autem non possumus commodius explicare, nec assignare symbolum virgæ decoris et funiculi, nisi eo modo quo jam exposui. Secundo, idipsum patet ex rei eventu. Nam primo, decorum fuit Dei regimen circa Judæos, tempore Machabæorum et Christi, deinde terribile et funestum tempore Romanorum, Neronis et Vespasiani. Tertio, quia paulo post dicit Propheta se utramque hanc virgam confregisse, quia scilicet Deus plane à se abjecit et reprobavit Judæos, quod de alio tempore, quàm Christi et Titi, dici nequit. Quarto, quia v. 13. hanc virgam decoris confractam esse significat in morte Christi, ob ejus venditionem et cædem, quia scilicet eum Judæi appretiarunt, emeruntque triginta argenteis.

Moraliter, principes, magistratus, Prælati, rectores, etc. discant hîc à Dei providentia et regimine modum regendi, nimirum ut quantum ex se est, subditos regant decore, id est humanitate, amore, clementia, misericordia, beneficentia, promissis et præmiis. Sic enim erit נואם *noam*, id est decorum, elegans et speciosum regimen: Dei enim sapientia totum orbem ita regit et gubernat, ut attingat à fine usque ad finem fortiter, et disponat omnia suaviter, Sap. 8. v. 1. Quod si aliqui duri et servilis ingenii amore regi nolint, talibus exhibeant virgam funiculi, qua eos regant quasi cervicosos et brutos, minis, mulctis, pœnis et suppliciis. Hanc enim esse optimam regendi methodum docet hîc Zacharias, ipseque usus est experientia, probatus à Gentilibus, æque ac à Christianis. Audi eorum hac de re sensa et gnomas.

Archytas Pythagoric. de lege et justitia: *Oportet*, ait, *verum principem non recte tantum imperare scire ac posse, sed et humaniter. Turpe enim fuerit pastorem oves odisse, et pecoribus suis infensum esse.* Xenophon in Pædia Cyri asserit, *bonum principem nihil differre à bono patre. Nam et parentes filiis provident. Et Cyrus mihi nunc videtur ea nobis consulere à quibus maxima in felicitate possimus ad ultimum usque finem perseverare.* Seneca, lib. 1. de Clementia, c. 5: *Principum*, ait, *crudelitas bellum est; clementia in quamcumque domum pervenerit, eam felicem et tranquillam parabit; sed in regia quo rarior, eo mirabilior. Magni animi proprium est placidum esse tranquillumque, ac injurias et offensas superando despicere. Muliebre enim est furere. Ira non decet regem.* Et nonnullis interjectis: *Optime Deos exemplum principibus constituam, ut se tales civibus præbeant, quales sibi Deos esse volunt.* Aristot. lib. 8. Ethicor. *Similis*, ait, *est comparatio regis ad subditos, patris ad filios, pastoris ad oves.* Pythagoras ita imperandum esse principi dicebat: *Ut subditi magis eum venerentur quàm metuant. Reverentiam enim admiratio, timorem odium comitatur.* Ita Stobæus, serm. 46, qui addit Pittacum censuisse principem laudabilem esse qui efficit ut subditi metuant, non ipsum, sed pro ipso. Idem fuit Chilonis, Philonis, Musonii sensus, eadem sententia. Insuper Anaxilaum Rhegii principem, interrogatum quid in principatu felicissimum esset, respondisse: Nunquam beneficia conferendo vinci. Tiberius Cæsar, teste Suetonio, dicebat: *Boni pastoris* (qualis est Imperator) *esse tondere pecus, non deglubere.* Agapetus Diaconus de Officio regis: *Sicut oculus*, ait, *innatus est corpori, ita Imperator mundo adaptatus est à Deo, datus pro administratione eorum quæ usui sunt. Oportet ergo eum hominibus quasi propriis membris prospicere, ut proficiant in bonis, neu malorum offendiculo illidantur. Solis profecto partes sunt, illustrare radiis orbem, principis vero virtus est egenorum misereri.* Sicut animalia licet robustissima et ferocissima, blanditiis tamen capiuntur et mansuefiunt; ita subditi licet ab omni humanitate alieni, principis boni benevolentia et humanitate facile gubernantur, ait Dion Nic. in Augusto. Plutarch. in Moral. Musicus, inquit, chordas dissonantes non statim abjicit, neque incidit, sed sensim intendens aut remittens ad concentum adducit; ita princeps leniter debet emendare peccantes, non protinus tollere. Tali enim sceptrum est plectrum, tali regimen est decus, non dedecus, cum cæteri magistratum (id est, decus ipsum) dedecorent, uti aiebat Cicero. Unde S. Hieron. epist. ad Pammach. *De Cæsare*, ait, *egregie dixit Tullius: Cum quosdam ornare voluit, non illos honestavit, sed ornamenta ipsa turpavit.* Plinius, lib. 11. cap. 17: *Rex apum*, ait, *solus aculeum non habet, aut certe non utitur. Adhæc corpore est grandior, et specie decentior, sed alis quàm cæteræ minoribus; ita principem oportet esse clementissimum, et à sua civitate nusquam avolare longius.* In Deo tria eminent, summa potentia, summa sapientia, summa bonitas: Rex est Deus terrestris, hunc ergo ternarium pro viribus absolvat. Nam potentia sine bonitate mera tyrannis est, sine sapientia pernicies, non regnum. Det ergo operam ut sapiat, et quàm maxime prodesse studeat omnibus; nam id est bonitatis: potestas autem ad hoc ei serviat, ut quantum cupit prodesse, tantumdem et possit, imo plus velit quàm possit: porro nocere hoc minus velit, quo magis potest. Deus ut pulcherrimum suî simulacrum in cœlo constituit solem, ita in terris principem. At sole nihil communius, qui cæteris etiam corporibus cœlestibus lucem suam impertit. Ita

princeps publicis usibus maxime debet esse expositus, et nativum sapientiæ lumen habere domi, ut etiamsi quid cæcutiant cæteri, nunquam tamen ille hallucinetur. Quod cor est in homine, hoc princeps in republica: sicut ergo cor spiritus et vitam cæteris membris aspirat, sic et princeps subditis. Quod medicus in urbe, hoc princeps in republica. Ita Plutarchus in Moral. Porro Claudianus in Panegyr. Probini ejus liberalitatem ita celebrat:

> Præceps illa manus fluvios superabat Iberos,
> Aurea dona vomens.

Liberale est serere beneficium, ut metere possis fructum, ait Cicero iturus in exsilium. *Potissima dos in principe est liberalitas et clementia,* ait Pompon. Lætus in Dioclet. Demosthenes rogatus *quid Deo similes faceret homines?* respondit: *Benigne facere.* Ita Maxim. serm. 8. Xenophon dictitabat multo præclarius esse beneficiorum, quàm trophæorum multitudinem post se relinquere. Ita Stob. serm. 46. Sic gloriosus fuit Cyrus, qui amicos quibus plurimum contulisset, divitiarum suarum thesauros esse dicebat, ait Xenoph. Alexander, Julius Cæsar, Augustus, Constantinus, liberalissimi fuerunt. Ptolomæus à beneficiis, Evergetes cognominatus est. Philadelphus aiebat *magis esse regium ditare quàm ditescere,* ait Ælias. Antigonus rex dictitabat *regnum non aliud esse quàm splendidam servitutem.* Et sane, si rem penitius introspicias, quid est principatus, quid Cardinalatus, nisi purpurata servitus, quæ cum splendore fidelium commodis servit? Miraris? Summus Pontifex, qui est principum et purpuratorum apex et culmen, non est aliud nisi servus servorum Dei: hunc enim titulum ipse sibi præfert eoque gloriatur. Sane Hadriani VI. Pontif. et præceptoris Caroli V. sepulcro, in Vaticano incisum fuit hoc elogium: *Hadrianus VI. hìc situs est, qui nihil sibi in vita infelicius duxit, quàm imperare.* Ita P. Jovius in ejus Vita.

Porro virga נעם *noam,* id est, decoris, pulchritudinis, jucunditatis, elegantiæ, gratiæ, multa poscit à Principe et Prælato. Primo, humilitatem, ut se dimittat ad infirmos, etiam rusticos et pauperes, eorumque querelas et gravamina præ aliis audiat, iisque medeatur. Secundo, affabilitatem, ut se omnibus affabilem, comem et benignum præbeat, neminem aversetur, aut durius compellet. Tertio, æquanimitatem, ut subditorum infirmitates et murmurationes æquanimiter ferat, iis non irascatur, non turbetur, sed eas toleret, sicut mater tolerat ineptias sui infantuli. Quarto, magnanimitatem, ut quasi Angelus rebus humanis superior homines regat, uti pædagogus regit pueros: nunquam cadat animo, etiamsi multos suis piis conatibus obsistere aut reluctari videat, sed suaviter et fortiter omnes ad regulam æquitatis et pietatis inflectat. Quinto, patientiam, ut ferat constanter labores, molestias, ærumnas regiminis. Sexto, benignitatem et beneficentiam, ut præmiat supra meritum, puniat citra condignum. Sit instar apis, quæ ubique mella fundit, aculeum vero nonnisi in necessitate in hostes exerit: ita princeps omnibus benefaciat, nemini male; nec suas, sed reipublicæ duntaxat ulciscatur injurias. Septimo, animi candorem et suavitatem, qua mulceat et consoletur afflictos, tristes, pusillanimes, melancholicos. Octavo, charitatem, quam omnibus ubique, etiam inimicis aspiret, ut videatur habere cor charitate in omnes dilatatum, plenum et ardens. Nono, jucunditatem, urbanitatem, gratiam dicendi et agendi, qua gratiose loquatur, agat, imperet potius innuendo quàm jubendo, potius exemplo quàm verbo: merentes honore et beneficentia præveniat; immerentes spe et promissis ad officium exstimulet. Talis fuit Christus (de quo Zacharias hìc maxime loquitur) ut patet Isaiæ 42. 1. et seq. et Isaiæ 11. 1. et seqq. Matth. 12. 18. et alibi. Talis fuit S. Petrus, S. Paulus, S. Joan. Talis S. Athanasius, S. Basilius, S. Gregor. S. Aug. Tales in Societate S. Ignatium, S. Xaverium, P. Laynes, aliosque habuimus et habemus (Deo sit laus) qui omnibus animi sinceritatem, alacritatem, lætitiam, beneficentiam exhibeant et instillent, ut toti mellei semper mella, nunquam fella fundere videantur.

Et succidi tres pastores.] Quinam hi tres? Primo, S. Hieron. Remig. Albertus, Hugo et Ribera, accipiunt Mosen, Aaron et Mariam eorum sororem et Prophetissam: Moses enim erat pastor populi in civibus, Aaron in sacris, Maria præerat feminis. Exodi 15. 20. Eodem enim mense primo, puta Martio, quo mortua est Maria, lata est sententia mortis à Deo in Mosen et Aaron, Numer. 20. 1. qui et paulo post eodem anno, qui fuit quadragesimus ab exitu ex Ægypto, mortui sunt, nimirum Aaron die 1. mensis 5. puta Julii. Num 33. 38. Moses vero die 7. mensis Adar, id est, Februarii, Deuter. 34. 7. Huc sane quasi ad præteritum alludit Propheta, sed aliud intendit prophetare de futuro. Secundo, alii intelligunt tres primos reges Israel, scilicet Saulem, Davidem et Salomonem; alii, ut Lyran. Joram, Ochoziam et Jezabel, quos Deus occidit per Jehu. Melius R. David accipit tres Josiæ filios et reges, scilicet Joachaz, Joakim et Sedeciam, quos Deus per Chaldæos intra 22. annos, privavit. Verum hi omnes jampridem succisi erant: hìc autem Propheta prophetat de futuro: narrat enim quomodo ipsemet pastor constitutus à Deo, per duas virgas paverit et rexerit populum, ut hoc ipso eum duobus modis deinceps à Deo regendum repræsentet.

Quocirca tertio, aptius Arias tres pastores accipit Judam, Jonatham et Simonem, fratres Machabæos, quos Deus uno mense annorum, id est, intra triginta annos sustulit; sed sub his tribus posteros, reliquosque populi principes usque ad Christum intellige. Hi enim populum rexerunt uno mense, id est, pauco tempore, virga decoris, et cum ea à Deo ob iniquitatem et rebellionem populi, præsertim dum Christo restitit eumque occidit, à Deo succisi sunt, uti sequitur. Alludit ad pastores gregum, qui conducti ad eum pascendum, vel pecorum indomita feritate, vel nimio labore fracti, primo mense munus pastoris resignant, et à grege discedunt. Sic enim Deus misit sæpe ad Judæos bonos pastores, id est principes, Prophetas et pontifices pios, unum post alium continuo; sed hi vel Judæorum pervicacia et malitia superati munus reliquerunt, vel tædio et labore consumpti sunt, vel à Judæis occisi sunt, ut eis improperat Christus Matth. 23. 37. Quocirca Deus hoc munere pastores tales submittendi defessus, et quasi tædio victus, statuit eos omnes

cum virga decoris succidere et abrumpere, ac populum quasi gregem indomitum permittere sibi, ut sine lege et rege exerret quocumque ei libuerit.

Mystice, Christus instituens Ecclesiam quasi novam Dei rempublicam, intra mensem, id est, brevi tempore, sustulit triplices legis veteris pastores, scilicet principes, Prophetas et sacerdotes. Ita Theodor. et Vatabl.

ET CONTRACTA EST, Hebr. ותקצר *vattictsar*, id est, angustiata est, q. d. Præ molestia et tristitia coarctata et quasi contracta est anima mea, IN EIS,] id est, propter eos (eorum causa et respectu) Judæos scilicet, ideoque abstuli ab eis tres pastores jam dictos. Symmach. et Theodot. vertunt : *Anima mea exanimata est ;* alii : *Nauseat in eis.*

SIQUIDEM ET ANIMA EORUM VARIAVIT IN ME,] scilicet in meo cultu et in legis meæ obedientia, q. d. Nunc mihi obedientes fuerunt, nunc inobedientes, nunc me coluerunt, nunc suas cupiditates. Unde Chald. *Anima eorum detestata est cultum meum;* deseram ergo eos, quia ipsi priores deseruerunt me : detestor eos, quia ipsi prius detestati sunt me. Unde Septuag. *Anima eorum rugiebat super me ;* Aquila : *Anima eorum immaturavit in me,* id est, stiptica, pontica, acerba (tales enim sunt fructus, v. g. pyra et poma immatura) fuit in me, aut me rejecit et evomuit, sicut os et stomachus rejiciunt et evomunt fructus crudos et immaturos ; Symmach. *Anima eorum invaluit in me;* Tigurina : *Detestata est me;* Vatabl. *Abhorruit à me ;* alii : *Dissoluta est in me;* alii : *Nauseat in me.* Hebr. enim בחל *bachal*, per metathesin alludit ad חבל *chabal*, id est, ligare : ligamus enim et fasciamus stomachos et membra dolore soluta et languida ; unde R. Moses loco paulo ante citato, putat alludi ad secundam virgam, quæ v. 7. vocatur *chobelim,* id est dissipantes, demolientes, q. d. Quia hi pastores sunt *chobelim,* id est, dissipantes gregem meum, idcirco anima mea בחלה *bachala,* id est, detestatur eos. Melius dicemus alludi ad כבלים *chebalim*, id est funiculi, q. d. Quia anima ipsorum *bachala,* id est, detestabatur me, hinc ego dabo ei virgam *chabalim,* id est, funiculorum, eamque quasi ream funibus et vinculis constringam. Porro per *eorum* et *eos,* Judæos intellige, tum subditos, tum pastores : utrique enim recesserunt à Deo, licet enim Judas, Jonathas et Simon Machabæi, recte paverint populum, tamen non recte paverunt Aristobulus et Hyrcanus inter se de pontificatu decertantes, item Scribæ, Pharisæi, pontifices et principes qui fuerunt sub tempora Christi.

Alludit ad Hebræos in deserto, qui variantes et fluctuantes animo, sæpe murmurarunt contra Mosen et Deum, volentes reverti in Ægyptum ad porros et ollas carnium, ac nominatim Numer. 21. 5 : *Deest,* inquiunt, *panis, non sunt aquæ, anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo,* puta super manna, quibus murmuribus adeo et toties fatigarunt Mosen, ut ipse peteret missionem à Deo, ac tandem dubitaret de Dei promissis, an scilicet Deus ex petra daturus esset aquas quas promiserat populo, idque ob populi malitiam et rebellionem : qua de causa et pastoratu sive principatu et vita à Deo privatus est in deserto, Num. 20. 10. Similes, imo pejores fuerunt pontifices, Scribæ et Pharisæi in tempore Christi : similis eis fuit populus, nauseans, varians et nutans in lege et cultu Dei, ac proinde Deus pariter nauseans utrosque abjecit, suumque regimen decoris et amoris, mutavit in regimen funiculi, id est, terroris, minarum et verberum. Unde subdit :

9. NON PASCAM VOS] quasi dicat : Sicut patres vestros ob murmura et scelera in deserto deserui, imo damnavi omnes ad mortem, ut scilicet omnes morerentur in deserto, et nemo eorum ingrederetur in terram promissam. Num. 14. 22, Insuper serpentes, ignem, aliasque plagas in eos immisi, fecique ut alii alios rebellantes mactarent, ut patet Exodi 32. 28. et Numer. 25. 2. Ita pariter vos mihi rebelles, imo Christi, quem amantissimum et suavissimum vobis dedi pastorem, hostes et parricidas, deseram, daboque in prædam, ac perdam per Romanos, adeo ut in invicem grassemini, mutuoque vos conficiatis et devoretis. Ita Clarius et Vatabl. Hoc enim est quod subdit :

QUOD MORITUR, MORIATUR ; ET QUOD SUCCIDITUR, SUCCIDATUR ; ET RELIQUI DEVORENT UNUSQUISQUE CARNEM PROXIMI SUI,] q. d. Mors, succisio et devoratio vestri non est mihi curæ, permittam vos mori, succidi, devorari, nec tantum permittam, sed et efficiam. Videtur tria flagella significare et comminari, scilicet, pestem, bellum et famem, q. d. Desinam eos regere in clementia et mansuetudine, ac regam eos tribus hisce plagis, inquit Vatabl. Hac de causa Zacharias idipsum in se, suaque virga decoris quasi pastor repræsentans, eam conscidit et confregit, ejusque vice aliam minacem et sævam assumpsit, quam proinde vocavit Funiculum. Unde ait :

10. ET TULI VIRGAM MEAM QUÆ VOCABATUR DECUS, ET ABSCIDI EAM,] q. d. Sustuli hoc regimen meum meosque pastores, qui populum meum regebant cum decore et amore, induxique aliud quo eos rexi funiculis et flagellis, quasi mancipia, imo quasi boves et asinos. Itaque hæc virga decoris symbolice, ad litteram conscissa et diffracta est per Zachariam, ut ipso facto repræsentaret in morte Christi diffringendum esse regimen amoris, quo Deus eousque rexerat Judæos.

UT IRRITUM FACEREM FOEDUS MEUM QUOD PERCUSSI CUM OMNIBUS POPULIS.] Hinc S. Hieron. et alii putant hanc virgam decoris significare fœdus Dei cum Noe, omnibusque gentibus ex eo prognatis statim post diluvium initum, quod ob earum idololatriam et infidelitatem paulo post rescidit, quando cæteris gentibus relictis et resectis, fœdus aliud et peculiare iniit cum solo Abraham ejusque posteris, scilicet Israelitis, Genes. 17. 2. Verum esto eo alludat Propheta, tamen proprie vaticinatur de futuro, scilicet fœdus et regimen amabile et placidum, quo Judæos regebat et recturus erat, ob eorum rebellionem confringendum esse in morte Christi. Tunc enim irritum factum est fœdus Judaicum et vetus testamentum.

Dices : Quomodo hoc dicitur initum cum omnibus populis ? nam constat initum cum solis Judæis. Resp. quia tum non erat aliud fœdus Dei in mundo, quàm fœdus hoc Judaicum, ac proinde quicumque è Gentibus hujus fœderis Dei volebant esse participes, debebant fieri proselyti et judaismum capessere. Secundo, quia fœdus prius à Deo cum Noe et omnibus gentibus initum, traductum est ad Abraham et Judæos, in iisque permansit; itaque quoad sui originem

initum fuit cum omnibus gentibus, æque ac quoad sui consistentiam et statum: non enim gentes ab hoc fœdere exclusæ sunt, sed potius inclusæ: poterant enim illæ judaismum suscipere, itaque fœderi huic se inserere, præsertim quia Abrahæ fœderis hujus principi dictum erat à Deo: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, Gen. 22. 18.

Et cognoverunt sic pauperes gregis,] q. d. *Sic*, id est, ex illo meo gubernandi modo cognoscent humiles et mansueti, puta Apostoli cæterique fideles: qui custodiunt Dei voluntatem, dicentque admirantes, Domini hoc verbum, id est, jussum et opus esse, qui Judæos impios impune abire non sinit. Laudant ergo hoc Dei verbum in Judæos justum, in se vero misericors; perinde ac olim Abraham, Isaac et Jacob cognoverunt et laudarunt meum judicium, quo fœdus in Noe cum gentibus initum ob earum infidelitatem et Apostasiam rescidi, novumque cum Abraham et posteris inivi. Nota τὸ *qui custodiunt mihi*, id est, in meî gratiam, supple præcepta mea. Unde Pagnin. et alii vertunt: *Qui custodiunt me*, scilicet quasi pretiosissimum thesaurum, quo affatim sunt divites, licet alias sint pauperrimi; Chald. *Qui custodiunt voluntatem meam;* Tigur. *Qui observant me*, id est, meum os, mea jussa et mandata; Septuag. *Oves quæ custodiuntur mihi;* qui enim peculium est Dei, ut dicere possit cum Apostolo: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus*, huic vicissim peculium, sors et pars est Deus, eique dicere potest: Sors mea Dominus: *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi*, psalm. 15.

12. Et dixi ad eos.] Scilicet pauperes gregis, inquit S. Hieron. qui me volentem abire à cura pastorali retinere cupiebant, et consequenter idem dixi ad alios omnes, quorum eram pastor, q. d. Dixi ad Judæos: Si me pastorem cupitis, curæ et laboris mei pretium ac mercedem mihi constituite: sin minus, quiescite; ego pariter à vestrî cura quiescam et abibo: nec enim pastor gratis pascit gregem, sed justam pasturæ suæ compensationem deposcit. Hæc omnia dixit et gessit Zacharias, non reipsa, sed mentaliter per visionem imaginariam, ait Vatabl. videbatur enim sibi (Deo id ei in mente repræsentante) hæc dicere, poscereque pretium sui pastoratus, ac Judæos illi statuere pretium triginta argenteorum, quod cum vile videtur, jussu Dei projicere illud ad statuarium; ut per hanc visionem symbolice repræsentaret pretium quo Judæi æstimarunt Christum, ejusque in pascendo operas, dum eum triginta argenteis appretiarunt, emeruntque à Juda, ut eum quasi pseudopastorem, imo tyrannum occiderent et crucifigerent. Christus enim pastor Judæorum, pavit eos in virga decoris, quæ proinde in ejus morte à Deo concisa et confracta est. Dicit ergo Zacharias in typo et persona Christi: *Si bonum, etc.* q. d. Si æquum vobis, ô Judæi, videtur, mihi Deo vestro pro vobis incarnato, vosque in carne assumpta summo decore et dignatione pascenti, docenti et regenti, assignate et date mercedem justam et debitam huic meæ in vos providentiæ, curæ et charitati, scilicet summam gratiarum actionem, obedientiam, honorem et cultum: *et si non*, q. d. Si id vobis non placet, vos non cogo: nec enim vestra mercede, cultu aut laude indigeo. Ad Christum enim hæc pertinere ad litteram, docet S. Matth. cap. 27. 9. Quocirca ex hoc loco plane confirmatur expositio duarum virgarum, quam v. 7. assignavi; applicando eos ad Christum ejusque tempora: Zacharias enim hîc repræsentat Christum, tam in persona, quàm in facto suo, inquit à Castro. Nam sicut pro munere suo pastoritio exigebat pretium justum, puta fidem et pietatem ex corde: ac pro eo datum est ei vile pretium triginta argenteorum: ita Christus postulabat à Judæis pro suo evangelizandi munere ut sibi crederetur, et ut Messias Deique filius haberetur. At illi pretio triginta argenteorum eum æstimaverunt. Et sicut propterea indignatus Propheta projecit pretium, et eos qui illud dederant; ita Christus projecit Judæos, eosque tradidit Romanis devastandos.

Et appenderunt] in libra ad justum pondus. Olim enim pecunia non erat signata, sed ad certum pondus appendebatur, v. g. in pretium rei dant tot vel tot drachmas, uncias, libras, talenta auri vel argenti. Hinc et postea cum pecunia signata fuit, certi ponderis esse debuit, et etiamnum esse debet. Quocirca siclus, qui erat communis moneta, ut esset justus ponderare debebat 4. drachmas, uti dixi Exod. 30. 13. quantum ponderant 4. Julii Romani, vel 4. Regales Hispanici. Hinc et שקל *sçekel*, id est siclus, hebr. dicitur à שקל *sçakal*, id est appendere, ponderare. Siclus ergo idem est quod pondus, scilicet certum auri, vel argenti.

Triginta argenteos.] scilicet siclos, inquit Maldonatus, Perer. Salmeron et alii in Matth. 27. Christus ergo à Juda venditus videtur 30. siclis, hoc est 30. florenis Brabanticis, quo pretio servi occisi vita æstimabatur, et redimenda erat ab occisore, juxta legem Exodi 21. 32. Servo ergo ejusque vitæ Christus ejusque vita æquiparatur hîc à Juda et Judæis.

Verum quia Jeremias c. 32. 9. staterem, id est siclum, ut habent Hebræa, distinguit ab argenteis; ait enim: *Appendi ei argentum septem stateres, et decem argenteos;* et quia Budæus l. 5. de Asse, quem sequitur Suarez, Ribera et alii, asserit se Parisiis vidisse nummum quo venditus est Christus, eumque appendisse tantum duas drachmas Atticas, sive duos Julios, aut duos Regales Hispanicos; hinc verisimilius videtur, argenteum fuisse dimidium sicli, et duplum denarii. Argenteus ergo sunt duo Julii, vel duo Regales, puta dimidius florenus Brabanticus.

Quocirca Christus venditus 30. argenteis, venditus fuit 15. florenis Brabanticis, sive sex scutis, hoc est sex aureis Romanis. In hac sententia magis confirmatus sum Romæ, ubi in templo S. Crucis in Jerusalem, cum parte sanctæ crucis, clavo et spinis à S. Helena eo delatis, vidi nummum unum ex hisce 30. argenteis, quibus venditus est Christus. Hic enim est instar duorum Regalium, imo minor Regali duplici decem assium, sive stuferorum, sed paulo crassior. Hinc quoque Zacharias hoc pretium per ironiam vocat *decorum*, id est, indecorum et vilissimum.

Nota: Quia Christus tam vili pretio venditus est, hinc hac suî humiliatione et vili æstimatione meruit fieri et esse pretium nostræ redemptionis, itemque peccati, quod pari modo rem vilem cum Deo appendit et appretiat. Peccator enim escam unam, furtum unius floreni

concupiscentiam unam turpem, punctum honoris, etc. cum Deo opt. max. imo præ Deo appretiat, ponderat et æstimat, adeoque Deo ipsi anteponit, ipsique præelegit, cui tantæ in Deum injuriæ et vilipensioni ut satisfaceret Christus, hinc similiter tam vili et indigno pretio vendi voluit, ut moraliter nos doceret, patienter ferre nostri despectum, contumelias et probra. Quis enim nos ita despicit et vilipendit, ut non pluris æstimet triginta argenteis, quibus Christus æstimatus et vilipensus est? Gravissima enim fuit hæc ignominia et injuria Christi, ut pote Filii Dei vivi, et totius creaturæ Domini, cujus proprietas est esse inæstimabilem : quia ejus valor et dignitas est quaquaversum infinita. Auxit injuriam quod à discipulo, quem in Apostolum è tot millionibus elegerat, sit venditus, idque infensissimis Christi hostibus ejus sanguinem sitientibus : tales enim erant Scribæ et Pontifices. Unde ejus typus fuit Joseph, qui à fratribus fuit venditus Madianitis. Hinc illa Christi gravis quærela psalm. 54. 13 : *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, etc. Tu vero,* ô Juda, *homo unanimis, dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu.* Tropolog. voluit Christus nobis dare exemplum heroicæ summæque humilitatis, mansuetudinis, patientiæ, charitatis, etc. imitandæ et exercendæ ; ac nominatim Prælatis tolerandi, imo curandi difficiles, malos et rebellos subditos. Illi enim in quantum onus gubernandi aggravant, in tantum virtutis meritum adaugent; et ut ait S. Bern. ep. 37 : *In quantum gravaris, in tantum lucraris.* Ita S. Martinus Brictionem Clericum suum, assiduumque detractorem officio privare noluit, dicens : *Si Christus passus est Judam, cur ego non patiar Brictionem?* Hac patientia et humilitate adeo eum vicit, ut linguam vitamque mutarit, sanctus evaserit, et S. Martino in Episcopatu successerit. Testis est Sulpitius dial. 5. de vita S. Martini qui et addit, hæc omnia Brictioni prædicta fuisse à Martino.

Tropol. vili pretio vendunt Christum, qui Sacramenta, beneficia, justitiam, castitatem suam, etc. pretio temporali nundinantur et vendunt : Christus enim est veritas, justitia, castitas. Ita Salmeron in Matth. 27. Et S. Bern. serm. 1. de Cœna Domini : *Quid,* ait, *est vendere? Alienare. Dominum vendit, qui à se Dominum alienat. O discipule Christi, te diabolus quærit avellere, te extrahere de grege Domini. Vide ne consentias ei. Te vult occidere. Cave à marsupiis ; foveæ diaboli sunt : Judas dum sitit lucrum, tendit ad laqueum; dum perdit vitam, lucratur mortem.*

13. Et dixit Dominus ad me : Projice illud ad statuarium.] Hebr. יוצר *iotser*, communiter significat figulum, qui ex luto vel argilla fingit et format vasa vel statuas. Unde Aquila teste Eusebio lib. 10. Demonstr. 4. vertit *plastem;* Tigurina, Arias et Clarius *figulum.* Secundo, *iotser* generatim significat eum qui ex ære, auro, argento, aliove metallo, vel materia rem aliquam, v. g. idolum vel statuam effingit. Unde Septuag. et Symmach. vertunt : *Projice eos ad conflatorium,* id est ad conflatorem, puta ad monetarium, sive ad argentarium, vel aurifabrum, qui ponderat et cudit, vel conflat monetam, ejusque pretium æstimat, ut scilicet ille, cujus est pecuniæ valorem æstimare, judicet an hoc sit condignum meæ personæ, æque ac laboris et pastoratus mei pretium. Hinc S. Hieron. vertit, *statuarium,* quod nomen commune est ad figulum et conflatorem : *Pro plaste atque fictore,* inquit S. Hieron. *statuarium olim interpretatus sum, verbi ambiguitate compulsus, quod statuarium fictoremque uno sermone significat.* Tertio, Chald. R. David, Pagnin. et Vatabl. censent יוצר *iotser* positum pro אוצר *otser,* id est, thesaurarius, vel præfectus thesauri, scilicet templi, sive domus Domini. Omnes hæ versiones eodem tendunt. Jubet enim Deus hîc Zachariæ per visionem imaginariam, ut hos triginta argenteos quos ei pro mercede assignarant Judæi, indignabundus projiciat in templo ad pedes sacerdotum, præsertim thesaurii templi, ut illi æstiment vilitatem hujus pretii, idque ad hoc, ut ipso facto repræsentet venditionem Christi, et vilitatem pretii quo emptus est Christus, ejusque sanguis innocentissimus ad mortem, ideoque sacerdotes illud in corbonam non illaturos, sed daturos figulo, ut ab eo emant agrum in sepulturam peregrinorum, Matth. 27. 7.

Nota, primo, omnia hæc per visionem facta esse. Videbatur enim Zacharias in phantasia petere sui laboris pretium à Judæis, illique ei assignare triginta argenteos, sed deinde eos projicere in templo ad pedes thesaurarii. Causa fuit, ut hâc visione repræsentaret realem projectionem argenteorum in templo, quibus venditus est Christus, factam à Juda. Fuisse enim visionem, non realem acceptionem et projectionem triginta argenteorum, colligitur ex eo quod Zacharias non fuerit pastor, sed Propheta populi. Unde pastoris pretium ab eo non potuit exigere; et si prophetandi, id est, concionandi, mercedem exegisset, utique ei non tam vilem, sed decentem et honestam assignasset. Habebat enim Zachariam populus in honore et veneratione : nam ad ejus prophetiam et instantiam fabricavit templum, tam operosum et splendidum, ut patet 1. Esdræ 5. v. 1. Sic Ezechiel c. 1. reipsa non vidit currum cherubicum Dei, sed per visionem. Sic Isaias, c. 8. 3. accessit ad Prophetissam, illaque peperit, non reipsa, sed per visionem. Hinc Prophetæ vocati sunt Videntes. Si quis tamen non per visionem, sed reipsa hæc à Zacharia peracta esse contendat, ad Christi venditionem reipsa repræsentandam, non traham cum eo contentiosum funem, nec repugnabo, præsertim quia Zacharias reipsa videtur assumpsisse duas virgas pastoritias, quarum unam vocavit Decorem, alteram Funiculum; ac deinde reipsa induisse vasa pastoris stulti, ut ipse v. 15. ait sibi jussum à Deo. Simili enim modo Isaias c. 20. reipsa nudus incessit, ut reipsa repræsentaret populi nuditatem et spoliationem. Similiter Ezechiel, cap. 4. reipsa obsidionem urbis in latere depinxit, et fimum boum comedit, ac dormivit 390. dies in uno latere, ut reipsa repræsentaret obsidionem Hierosolymæ, ejusque famem et diuturnitatem. Similiter Osee c. 1. reipsa duxit fornicariam, et ex ea genuit filios fornicationum, ut reipsa repræsentaret mysticam fornicationem, id est, idololatriam, populi. Talia plura magisque portentosa egerunt Prophetæ, quia à Deo facti sunt portentum Israelis et orbis, uti ait Isaias cap. 8. 10. Nec mirum videri debet, populum tam exiguum pretium assignasse Zachariæ, tum quia depauperatus erat : recens enim redierat è captivitate Babylonica, et magnos sumptus fecerat

in fabrica templi, murorum urbis, et domorum suarum : tum quia Dei instinctu et directione id fecit, ad repræsentandum vile pretium, quo posteri æstimaturi et empturi erant Christum.

Nota secundo : Zacharias hìc quasi in comœdia hæc videt et agit in persona, non sua, sed Christi : Christi enim personam hìc induit, eumque symbolice et hieroglyphice repræsentat. De Christo ergo ad litteram hæc ejus symbola explicanda sunt. Sicut enim in comœdia actor qui agit personam S. Laurentii, ad litteram significat dicta et facta, non sua, sed S. Laurentii; ita et hìc Zacharias quasi actor, repræsentat in scena venditionem Christi per hæc sua symbola.

Nota, tertio, Zachariæ Christum repræsentanti dici à Deo: *Projice,* cum Judas projecerit argenteos, non Christus : qui scilicet Christus innocentia sua, et prædictione proditionis Judæ, ejus conscientiam pupugit et impulit, ut argenteos referret et projiceret in templo. Nam cum videret Christum à se venditum, jam à Judæis tradendum morti, in se reversus, licet sero pœnituit doluitque, quod ipse sua venditione causa esset cur occideretur Christus, cujus innocentiæ et charitatis per triennium testis oculatus fuerat, quemque sciebat esse Prophetam et virum divinum, adeoque sibi hanc suam proditionem prædixisse. Unde Christi sanctitas et prædictio, ac consequenter conscientia tam immanis sceleris impulit eum, ut projiceret argenteos, scelusque suum publice apud sacerdotes complices profiteretur, dicens : *Peccavi tradens sanguinem justum.* Zachariæ ergo dicitur, *Projice,* id est, prædic projiciendum à Juda, Christi venditi pretium : Christo vero Zachariæ antitypo dicitur, *Projice,* id est, compelle et coge tua virtute, et stimulis conscientiæ infixis Judæ, ut is sceleris pœnitens projiciat pretium, quo te Deum et Dominum suum immani sacrilegio vendidit, ut ipsi videant pariter immanitatem suæ simoniæ, qua Sanctum sanctorum tam vili pretio emerunt, ideoque illud, ut pote vilissimum divini sanguinis pretium, non vasis usibusque templi assignent, sed in pauperes erogent, et sepulturæ peregrinorum attribuant.

Nota quarto : Sicut in comœdiis, symbolis, et parabolis quædam adduntur ad elegantiam comœdiæ, symboli, vel parabolæ, quæ rei significatæ non conveniunt, et vice versa quædam sunt in re significata, quæ in comœdia vel parabola subticentur, imo subinde repræsentari non possunt, eo quod typus per omnia non respondeat antitypo; ita fit et hìc. Nam primo, Zacharias hìc, uti exigit, ita et recipit pretium : Christus autem quem significat, exegit quidem pretium à Judæis: at illud recepit, non ipse, sed Judas proditor. Itaque hìc indignitas antitypi longe excedit indignitatem typi. Quod enim Christus à Judæis sit appretiatus triginta argenteis, sed ii dati sint non Christo, sed Judæ ejus proditori, longe vilius et indignius est, quàm quod Zacharias appretiatus sit triginta argenteis, cum eos ipsemet receperit, id est, per visionem sibi recipere sit visus. Secundo, Zacharias projecit argenteos quasi indignum suî pretium ad statuarium, vel figulum, nec exprimit quare, vel quid de iis factum : S. Matthæus vero hæc ipsa exprimit, scilicet, ideo eos datos esse figulo, ut ab eo emeretur ager in sepulturam peregrinorum, additque id factum esse ex Dei voluntate et decreto, dicens : *Et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.* Tertio, Zacharias indignans tam vile pretium sibi dari, projecit argenteos : Christus vero suî pretium uti non accepit, ita nec projecit; sed ipse Judas, idque non ex indignatione tam vilis pretii, sed ex sceleris conscientia et facti pœnitentia. Causa harum disparitatum est, quod non decebat, imo fieri vix poterat, ut Propheta sanctus agens personam Christi, simul ageret personam Judæ proditoris, ejusque facta et scelera in se assumeret : repræsentat ergo ea subeundo personam, non Judæ, sed Christi. Quod enim in hac venditione suì passus est Christus, hoc egit, eique inflixit Judas.

Quocirca licet certum sit Zachariam hìc venditionem et pretium Christi adumbrasse, et quasi in scena repræsentasse, tamen ob disparitates jam allatas censent multi, S. Matthæum c. 27. v. 9. ubi idipsum à Propheta prædictum docet, directe et proprie non citare hunc locum Zachariæ, sed Jeremiæ. Ait enim : *Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem : Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati* (Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 40. legit *honorati,* hoc est decorati, quasi respiciat ad *decorum pretium,* de quo mox Zacharias) *quem appretiaverunt à filiis Israel : et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.* Hæc enim verba multum differunt ab hisce Zachariæ : *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me : Projice illos ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, et projeci illos in domum Domini ad statuarium.* Cum ergo non sint Zachariæ, videntur esse Jeremiæ : Jeremiæ enim nomen apud S. Matthæum constanter legunt Biblia Latina et Græca, tam moderna quàm vetera, paucis exceptis. Romæ enim in Biblioth. Angelica Patrum Eremit. S. August. vidi vetusta Biblia manuscripta, in quibus deerat nomen Jeremiæ. Unde cum hæc verba non reperiantur in prophetia Jeremiæ, quæ nunc exstat, multi censent olim in ea exstitisse, et à Judæis esse erasa : aut potius ea scripta fuisse in aliquo alio Jeremiæ libro, qui intercidit. Unde S. Hieronym. in c. 27. Matthæi : *Legi*, inquit, *nuper in quodam Hebraico volumine, quod Nazareæ sectæ mihi Hebræus obtulit, Jeremiæ apocryphum, in quo hæc ad verbum scripta reperi.* Idem censent Orig. in tract. 35. in Matth. Tertul. lib. 4. contra Marc. c. 39. Euseb. lib. 10. Demonst. c. 4. S. August. l. 3. de Consensu Evang. c. 7. à Castro hìc. Alii tamen ex adverso censent, Matthæum citare hæc ex Zacharia, ac pro eo librariorum incuria irrepsisse nomen Jeremiæ, tum quia Syrus, et nonnulli codices Evangeliorum Latini, olim teste S. August. loco jam citato, non habuerunt nomen Jeremiæ. Idem testantur Lyran. Rupert. et alii, quos citat Franc. Lucas in Notation. Matth. 27. Tum quia Evangelistæ Prophetas subinde citant non quoad verba, sed quoad sensum, præsertim quia Zacharias hìc quasi comœdum agit Christi futuri : comœdus autem, uti comice et scenice repræsentat verba et facta præterita, ita multo magis futura. Quæ ergo Zacharias symbolice, obscure et concise more suo adumbravit ut futura in Christo, hæc disertæ, clare et fuse in eodem impleta enarrat S. Matthæus. Hanc sententiam probabilem censent et sequuntur S. Hieronym. Baron.

anno Christi 34. Jansen. Maldon. in Matth. 27. Suarez 3. p. tom. 2. disp. 34. sect. 1. et alii magni judicii viri.

Decorum,] q. d. Egregium vero dignumque hoc est mei laboris pretium. Est ironia. Similis est illa Poetæ :

Egregiam vero laudem, et spolia ampla refertis.

Alludit ad virgam decoris v. 7. eique patheticam figit antithesin, q. d. Ego vos virga decoris decore rexi : vos indecorum et indignum mihi præmium rependitis. Ego omnem meum amorem et beneficentiam in vos exhausi : vos me meumque laborem et amorem non pluris quàm triginta argenteis æstimatis. Hoc scilicet mei decoris et amoris decorum est pretium, hæc tantæ meæ dignationis digna est merces.

Moraliter idem sibi à Christo dici et exprobrari cogitet Sacerdos, Religiosus, Christianus parcus et acedus in Dei cultu et obsequio : Ego pro te vitam et animam dedi : tu vix pedem ultra debitum, meî amore movere vis. Ego pro te sudavi sanguinem et aquam : tu pro me guttulam sudoris in lucro animarum, in obedientiæ muniis emittere formidas. Ego me humiliavi infra Angelos et homines universos : tu meî causa vel uni postponi recusas. Hoc scilicet decorum est meæ charitatis, humilitatis, patientiæ pretium, quod mihi rependis ? Dicat ergo anima sancta et fervens Christo :

O nimium nostros, nimium miserate labores,
 O nostri nimium, nil memor ipse tuî.
Non genus humanum, non tanti machina mundi,
 Non tanto merces digna labore fuit.
Scilicet æterni proles æterna parentis
 Factus homo, sontes ne moriamur, obit?

O duri, inquit S. Bernardus serm. 2. de Pentecost. *et indurati, et obdurati filii Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amor, qui pro vilibus sarcinulis tam pretiosas merces expendit. Non enim corruptibilibus auro vel argento redemit nos, sed pretioso sanguine suo, quem effudit abunde : quia largiter undæ sanguinis de corpore Jesu, per quinque partes emanaverunt.*

14. Et præcidi virgam.] Sicut vers. 10. conscidit priorem virgam nuncupatam Decorem, quæ significabat regimen amoris suave et blandum, eo quod illud aspernarentur duri et rebelles Judæi ; ac assumpsit alteram nuncupatam Funiculum, quæ significabat regimen terroris et flagellorum, quod scilicet eos quasi servos regeret verberibus et flagris (quo modo eos rexit post necem Christi per quadraginta annos usque ad Titum, quibus varias clades à Romanis aliisque gentibus acceperunt Judæi, quarum multas in libris 7. de Bello Judaico describit Josephus; hæ enim præludia fuerunt ultimi belli et excidii) : ita cum vidit illos ne his quidem emendari, sed plane in peccatis suis obdurescere, confringit pariter hanc virgam, ac eorum curam et regimen deponit, eosque deserit. Factum id post mortem Christi anno circiter quadragesimo, quo Judæos tradidit Tito et Romanis vastandos, fecitque ut eorum resp. regnum, gens, Ecclesia, religio, urbs et templum funditus everterentur. Ita S. Hieron. Theodor. Albert. Hugo, Lyranus, Ribera et alii.

Ut dissolverem germanitatem.] Septuag. *fœdus ;* Tigurin. *fraternam unitatem,* id est, amicitiam germanam et fraternam, quæ sub Davide et Salomone fuerat inter Judam et Israel, puta inter duas et decem tribus. Alludit ad schisma, quo Israel sub Roboam recessit à Juda et domo David, sibique fecit regem Jeroboam, et novos deos, puta vitulos aureos, quibus templa erexit in Dan et Bethel : sed per hoc significat futuram reipublicæ Judæorum dissolutionem, dispersionem, ruinam. Nam sub tempora Christi Hyrcanus et Aristobulus fratres de principatu et pontificatu decertantes, causa fuerunt cur Pompeius invaderet Judæam. Et post Christum proprie à Tito et Romanis dissoluta est germanitas, id est, fraterna unitas et societas Juda et Israel, qua prius sub uno duce, unaque religione et lege conspirabant in unam Ecclesiam et rempub. Hanc enim Titus plane dissolvit et evertit, ac Judæos patria expulit, et toto orbe dispersit. Adeo enim tunc soluta fuit eorum germanitas et cognatio, ut ipsi eam ignorent, nesciantque ex qua tribu aut familia sint oriundi. Nominat Juda et Israel, tum quia alludit ad schisma, quod fecit Israel à Juda sub Roboam : tum quia multi ex Israel, id est, decem tribubus, in schismate Roboam junxerunt se Judæ, vel post schisma ad unionem cum Juda redierunt, quorum unio et societas plane dissoluta est per Titum : tum denique, quia mystice Juda, id est, confitens, repræsentat Judæos fideles, qui Christum amplexi, per eum servati sunt, tam anima, quam corpore ; excidium enim Titi evaserunt ; quia moniti à Deo, è Jerusalem ante obsidionem excesserunt, uti alibi dixi ex Eusebio. Israel vero schismaticus repræsentat Judæos infideles, qui Christum respuentes à Tito excisi sunt ; ut sensus sit, q. d. Sicut sub Roboam Deus, et domus David ac Juda repulit à sua Ecclesia, regno et templo Israel, id est, decem tribus schismaticas ; sic idem Deus per Christum, qui est typicus David, sibi credentes Judæos separabit à non credentibus et infidelibus, tum in strage Titi, tum in die judicii, tam particularis, quàm universalis, quo fideles cœlo, infideles tartaro adjudicabit, ut fideles sint filii et hæredes Dei, infideles vero diaboli. Ita S. Hieronym. Theodor. Hugo, Ribera et alii.

15. Adhuc sume.] Hucusque propheta egit pastorem sapientem et bonum, ut Deum pastorem populi, ac pastores ab eo submittendos, v. g. Machabæos, et maxime Christum, repræsentaret, qui virga decoris, id est, amore et cura paterna, recturi essent Judæos ; ac rebelles virga funiculi, id est, terrore et minis, flagellaturi. Jam præcipit ei Deus ut ex adverso agat personam, induatque habitum pastoris stulti et pravi, qui se unum curat, et gregem negligit ; ut ostendat Judæos in tales incisuros, eo quod Deum pastorem optimum, et vicarios ab eo submissos aspernaturi sint. Simili modo Christus huc alludens Joan. 20. vocat se pastorem bonum, qui totus gregi invigilat, et animam dat pro ovibus, ac se opponit mercenario, qui sua commoda quærit ; ideo veniente lupo fugit, eique oves laniandas permittit. Sic et Ezechiel c. 34. fuse falsos pastores Israelis taxat, eorumque mores describit, ac tandem v. 23. promittit Deum iis amotis suscitaturum verum pastorem, Christum Dominum.

Vasa pastoris stulti.] Septuag. *imperiti ;* Chald. *gubernatoris insipientis,* non speculative, sed practice, qui scilicet imperite et stulte regit

gregem, quia sibi uni sapit et providet. Per stultum ergo hic accipe improbum, sceleratum, rapacem, crudelem qui sibi prosit, gregi obsit, imo in eum sæviat, eumque spoliet, diripiat, affligat. Ita Theodor. Cyril. et alii. Sic peccator vocatur *stultus* passim in Proverb. c. 15. 5 : *Stultus irridet disciplinam patris sui.* Stultus enim est amens, qui rationis usu destitutus, stulta loquitur et agit. Quid autem stultius peccatore, qui agit contra dictamen rectæ rationis, contra legem, contra honestatem, contra virtutem, contra voluntatem Dei, qui pro fluxa voluptate vendit æternam gloriam, et ultro se in ignes gehennæ præcipitat ? Jam ejus vasa, id est, instrumenta sunt eadem quæ pastoris boni, ait S. Hieron. et Lyran. nimirum baculus, pera, fistula et sibilus ; fistulæ enim cantu pastor mulcet oves, ut suavius pascua, etiam amara, carpant et deglutiant. Nam pastor hic videtur habuisse speciem externam pastoris boni, sed non sensum ejus internum. Unde mox vocat eum idolum pastoris.

Melius alii censent *vasa pastoris stulti* à vasis boni differre ; bonus enim gestat pedum, quo glebam in oves errantes projicit, ut eas ad gregem compellat ; malus gestat baculum, quem in oves jacit, ut earum crura confringat: bonus gestat cultrum, quo ovibus pabula conscindat ; malus machæram, qua eas mactet et laniet : unde sequitur : *Gladius super brachium ejus ;* bonus in pera recondit pabulum ovium, æque ac suum ; malus suum duntaxat, et laqueum ad oves strangulandas : bonus sibilo convocat oves; malus clamore horrifico percellit et fugat eas : bonus in pera gestat unguentum, quo oves læsas ungat et sanet ; malus toxicum, quo eas enecet : bonus fistula aut cornumusa canendo, oves ad alacriter pascendum invitat ; malus sibi uni citharam pulsat, uti in Italia vidi nonnullos inertes rusticos et pastores pro ligone aut pedo gestare citharam, esseque citharœdos sibi scitos, aliis hiulcos et raucos. Ita S. Cyril. Hæc ergo instrumenta assumpsit et induit Zacharias Dei jussu, ut pastorem improbum repræsentaret.

16. Ecce ego suscitabo pastorem.] Nota hic Deum creare pastores, non tantum bonos, sed et malos ob peccata populi, ut per eos populum puniat. Sicut enim opes sæpe dat impiis, ita et honores ac prælaturas.

Quæres : Quisnam fuit hic pastor impius ? primo Theodor. censet fuisse Antiochum Epiphanem, qui sæviit in Judæos. Secundo, Arias censet fuisse Herodem Ascalonitam, qui cum esset alienigena, intrusit se in regnum Judæorum, cujus crudelitas patet ex infanticidio et jugulatione filiorum propriorum. Tertio, à Castro censet fuisse Titum et Romanos, hisce enim traditi sunt Judæi, quia noluerunt parere Christo vero pastori à Deo misso ; sicut olim eosdem tradiderat Salmanasari et Nabuchodonosori gubernandos, eo quod Dei regimen respuissent. Ili enim vocantur in Scriptura pastores, ut Jerem. 6. 3 : *Ad eam venient pastores ;* Nahum. 3. 18 : *Dormitaverunt pastores tui, rex Assur;* Isaiæ 44. 28 : *Qui dico Cyro : Pastor meus es.* Verum Titus et Romani non fuerunt pastores stulti ; nam suo consilio et patientia occuparunt orbis imperium, ut dicitur 1. Mach. 8. 3.

Quarto et genuine, pastor hic significat omnes perversos pontifices et principes, qui Judæos post tempora Zachariæ rexerunt, aut pontificatum et principatum invaserunt, quibus Deus Judæos tradidit ob eorum scelera, præsertim quod se suosque pastores respuerent. Talis in primis fuit Jason sceleratus, inquit Sanchez, qui perfidus profugit ad Antiochum, cepitque Jerusalem, et magnas civium stages edidit, 2. Machab. 5. 6. Item frater Jasonis Menelaus, de quo dicitur 2. Machab. 4. 24 : *Acceptisque à rege mandatis venit; nihil quidem habens dignum sacerdotio, animos vero crudelis tyranni, et feræ belluæ iram gerens.* Unde et aurea vasa è templo furatus est, et Oniam pontificem interfici curavit. Hinc 2. Mach. 5. 15. vocatur patriæ proditor. Tales quoque fuerunt Herodes rex intrusus à Romanis, Annas et Caiphas, aliique non à Deo, sed à Romanis ob datum pretium constituti pontifices. Item Scribæ et Pharisæi, qui Christo vero pastori sese opposuerunt usque ad ejus necem et crucem. Tales post Christum fuere Theodas et Judas Galilæus, de quibus Act. 5. v. 36 et 37. Idem Barchocebas tempore Adriani Imp. de quo Euseb. l. 4. Histor. c. 6. Item Pseudomoses Cretensis, qui anno Domini 433. sub Theod. Imp. Judæos decepit; fingens enim se Mosen, jussit eis ut è Creta mare secum ingrederentur, quasi eos in novam terram promissam deducturus, uti olim fecerat Moses ; sed ingressos mare hausit et mersit, uti refert Socrates, lib. 7. c. 37. Talis denique erit Antichristus, qui Christo erit antagonista ; licet enim hic in Christianos solos sit sæviturus, benignus vero futurus in Judæos, utpote ab eis acceptandus et promovendus quasi Messias, ut docet Apostolus 2. Thessal. 2. 10. tamen sæviet in animas eorum ; quia eas ad sui idololatriam, ad libidines, ad Christianorum strages, aliaque scelera, ac per ea in æternum exitium impellet ; confirmato vero imperio sæviet quoque in facultates et corpora eorum : erit enim in omnes crudelissimus, et ambitiosissimus tyrannus. Nam tantum se suumque honorem, imperium et gloriam spectabit, eique servire coget subditorum opes, corpora et animas. Unde Christus Joannis 5. 43 : *Ego,* ait, *veni in nomine Patris mei, et non accipitis me : si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Huic etiam competit illud : *O pastor et idolum.* Volet enim Antichristus quasi idolum et numen à suis coli et adorari. Quocirca per pastorem hunc stultum, non alium quam Antichristum intelligunt S. Hieron. Theodor. Cyril. Remig. Hugo, Lyran. Arias, Vatabl. Ribera et alii. Verum, ut generalis et plena sit expositio, dicendum videtur, Prophetam alios quoque suo ævo viciniores, jam nominatos hic notare ; hi enim fuerunt prodromi Antichristi, illisque verba sequentia apposite congruunt.

Qui derelicta non visitabit,] puta oves fessas, claudicantes, errantes, dumetis implicitas, ideoque derelictas et perditas non requiret. Unde Chald. vertit : *Illos qui erraverunt non quæret;* Pagnin. *Quæ succisa sunt non visitabit :* Vatabl. *Gravissime ægrotantem et jam deploratam non inviset.*

Dispersum non quæret.] Hebr. הנער *hannaar* significat excussum, indeque puerum à lacte et cura prima parentum excussum, hoc est, ablactatum et adolescentem. Unde Pagnin. vertit : *Quod parvum est non quæret ;* Tigurin. *Stolidum non requiret ;* Vatabl. *Quod juvene est non requiret,* id est, agnos gregis non requiret, cum sto-

fide secesserint à grege. Notat puerorum et juvenum maximam habendam esse curam; qui enim ætate et imprudentia peccat, non malitia, magis est miserandus, et facile ostenso errore in viam revocari potest. Chald. vertit: *Illos qui migraverunt non requiret.*

CONTRITUM NON SANABIT.] Tigurina : *Saucium non sanabit;* Septuag. *Fractum non sanabit.*

ID QUOD STAT NON ENUTRIET.] Pagnin. *Quod stat non portabit;* Vatabl. *Eam quæ resistat non portabit,* q. d. Ovem quæ præ lassitudine consistit, aliis redeuntibus in caulas, et loco moveri nequit, in humeros non suscipiet,ut ferat in ovile; Chald. *Et illos qui stant non sustentabit, non fulciet;* Septuag. *Integrum non diriget;* Hebr. enim כלכל *kilkel* varia significat, scilicet sustentare, portare, nutrire.

CARNES PINGUIUM COMEDET,] q. d. Fruetur lana, lacte et carne gregis, et tamen eum non pascet; Chald. *Substantias eorum diripiet.*

ET UNGULAS EORUM DISSOLVET.] *Separabit;* Septuag. *Talos eorum pervertet;* Vatabl. *Confringet,* scilicet ictu pedis, vel virgæ quam gestat. Noster vertit, *dissolvet,* id est, verberando lædet et diffindet, ut incedere nequeant. Describit gestum pastoris crudelis sævientis in suas oviculas.

O PASTOR ET IDOLUM.] Pro *ô* hebr. est הוי *hoi,* id est *væ,* ut vertunt Septuag. et Chald. vel *ô,* ut vertit Noster, Pagnin. Vatabl. et alii. Unde Arabicus vertit: *Væ pastori vano, otioso, mendaci.* Pro *idolum* hebr. est אליל *elil,* quod per annominationem alludit ad אויל *evil,* id est, stultus, uti cum vocavit v. 15. Jam *elil* primo, significat rem vanam, inutilem, nihili. Unde Vatabl. vertit: *O pastorem nihili deserentem oves, quæ sibi commissæ sunt;* alii : *O pastor vane et inutilis ;* Septuag. *Væ qui pascitis vana;* Syrus : *O pastor inanis, inculte* (instar terræ incultæ), *qui dereliquisti oves.* Secundo, *elil* est diminutivum ab אל, *el,* id est, Deus, ut *elil* sit *deiculus,* umbra Dei, et idolum. Unde Pagnin. vertit : *O pastor idoli ;* Tigurina : *Væ pastori idolo, qui gregem deserit.* Noster: *O pastor et idolum,* q. d. O pastor, qui non es pastor, sed idolum et larva pastoris : qui nihil habes veri pastoris, nisi ejus umbram et simulacrum; quia tua tantum commoda aucuparis, oves vero non pascis, non curas, deseris, et permittis lupis. Addit S. Hieron. Antichristum hîc notari, qui præ arrogantia vere volet adorari ut idolum et numen. Dicit ergo : O pastor *evil,* id est, non sapiens et sane, sed stulte et insane, tu pariter es *elil,* id est, non verus, sed vanus ; non vivus, sed pictus et fictus pastor; simia est pastoris, non pastor. Simia est simia etiamsi aurea gestet insignia; ita et tu simia es hominis, non homo ; aureum gestas pedum, auream coronam et mitram, ac byssinam poderem; sed in mente et corde nil habes sapientiæ, nil curæ, nil vigilantiæ, nil industriæ pastoralis. Væ, væ, væ tibi. In decretorio mundi die hanc larvam deteget Christus judex, ostendet quàm inane fuerit hoc pastoris idolum,quod exterius præfers. Talis fuit Novatianus Antipapa et æmulus S. Cornelii Papæ, de quo S. Cyprian. epist. ad Jubaianum : *Novatianus,* ait, *simiarum more quæ cum homines non sint, humana tamen imitantur, vult Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem sibi et veritatem vindicare, quando ipse in Ecclesia non sit, imo adhuc insuper contra Ecclesiam rebellis et hostis exstiterit,* etc. Sic prædicantes hæreticorum sunt simiæ et idola pastorum.

Moral. disce hîc vitia et indicia falsi pastoris, ex iisque collige virtutes et signa veri pastoris. Falsus enim, ait Zacharia , *derelicta non visitabit, dispersum non quæret, contritum non sanabit, id quod stat non enutriet, carnes pinguium comedet, et ungulas eorum dissolvet.* Radicem mali tangit S. Greg. homil. 17. in Evang. *Curis,* ait, *secularibus intenti, tanto insensibiliores intus efficimur, quanto ab ea quæ foris sunt studiosiores videmur. Usu quippe curæ terrenæ à cœlesti desiderio obdurescit animus, et dum ipso suo usu durus efficitur per actionem seculi, ad ea emoliri non valet quæ pertinent ad charitatem Dei.* Et mox : *Nulla animarum lucra quærimus, ad nostra quotidie studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus. Et quia eo ipso quo cæteris prælati sumus, ad agenda quælibet majorem licentiam habemus, susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum.* S. Bern. ser. 76. in Cant. *Ad civitatis* (Dei, puta Ecclesiæ), ait, *custodiam opus est viro forti, spiritali, fideli; forti ad propulsandas injurias; spiritali ad deprehendendas insidias; fideli, qui non quæ sua sunt quærat.* Et mox : *Pauci admodum sunt qui non quæ sua sunt quærant, ex omnibus charis ejus. Diligunt munera, nec possunt pariter diligere Christum, quia manus dederunt mammonæ. Intuere quomodo incedant nitidi et ornati, circumamicti varietatibus, tanquam sponsa procedens de thalamo suo. Nonne si quempiam talium repente eminus procedentem aspexeris, sponsam potius putabis, quam sponsæ custodem? Unde vero hanc illis exuberare existimas rerum affluentiam, vestium splendorem, mensarum luxuriam, congeriem vasorum argenteorum, et aureorum, nisi de bonis sponsæ? Inde est quod illa pauper, et nuda relinquitur, facie miseranda, inculta, hispida, exsangui. Propter hoc non est hoc tempore ornare sponsam, sed spoliare; non est custodire, sed perdere; non est instituere, sed prostituere, et devorare, dicente de illis Domino : Qui devorant plebem meam ut cibum panis. Quem dabis mihi de numero Prælatorum, qui non plus invigilat subditorum vacuandis marsupiis, quam vitiis extirpandis? ubi qui orando flectat iram, qui prædicet annum placabilem Domino? O utinam tam vigiles reperirentur ad curam, quàm alacres currunt ad cathedram!*

Ex adverso veri pastores quærunt non quæ sua sunt, sed quæ Christi; non bursas venantur, sed animas; non vitam lautam ambiunt, sed cruces et martyria pro gloria Dei. Inter alios posteriori ævo hac in re eminuit S. Adalbertus Pragensis, et postea Gnesnensis Episcopus, qui cum nobilissimis in Bohemia parentibus prognatus esset, spretis seculi pompis in sortem Domini ascitus, sua in pauperes erogavit. Raptus ad Episcopatum Pragensem, totus corrigendis pravorum moribus incubuit, pie severus, et graviter mitis. Meridies prandentem (præter dies festos) media nox dormientem nunquam vidit, lectus ejus erat humus. Cum se parum apud Bohemos proficere videret, perrexit ad Hungaros, eosque ac in primis Geisam ducem, ejusque filium S. Stephanum, qui primus apud Hungaros regis nomen et dignitatem accepit, ac Martyr occubuit, in fide erudivit. Inde perrexit ad Polonos, quibus in Christiana doctrina

confirmatis, progressus est in Prussiam, ubi ab infidelibus occisus apostolatus simul et martyrii lauream est adeptus, anno Domini 997; cujus sepulcrum venerationis causa paulo post visens Otto III. Imp. brachium Sancti (quod Romæ in Ecclesia S. Bartholomæi deposuit, ubi illud quotannis veneramur) à Boleslao principe dono accepit, eique vicissim pro munere coronam regiam rependit, atque exinde Poloniæ principes reges habiti, vocatique sunt, qui antea Ducum nomine censebantur. Regnum ergo debent S. Adalberto, quod ab ejus ævo jam per sexcentos annos obtinent, æque ac Hungari. Ita habet ejus Vita, et Annales Poloniæ.

Porro ex hoc loco discimus duo esse officia veri pastoris. Primum est, vigilantia et cura gregis. Secundum, eminentia virtutis et vitæ sanctitas. Nam falsos fictosque pastores hîc describit et carpit Zacharias ex duobus oppositis, scilicet quod dormiant negligantque gregem, et quod commoda sua sectentur, non gregis, eaque carnalia, non spiritualia. Quoad primum, S. Antiochus hom. 3. censet pastorem totum debere esse oculum et mentem : Is, inquit, cujus fidei tutela animarum à Deo credita est, non mediocri studio vigilare debet pro salute subditorum, quippe qui certo sciat se pro illis aditurum esse animæ propriæ periculum, etc. Debet igitur pastor totus esse mens et oculus, ut ne una quidem concreditarum sibi pecudum indigna fiat, quæ recipiatur à Domino, per oscitantiam. Pastores ergo sint Argi, hoc est centoculi, ut singulas oves introspiciant et curent; ideoque ante omnia primo seipsos introspiciant et curent. Qui enim sibi est nequam, cui erit bonus? Qui se negligit, cui advigilabit? Scriptum est enim : Medice, cura teipsum. Subditorum ergo est obedire, pastorum vigilare juxta illud Heb. 13 : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Si oculi dormiant, totum corpus dormit : oculi plebis pastores sunt; si pastor dormiat, plebs etiam dormiet. Vigilantis pastoris exemplum accipe Genes. 31 : *Viginti annis* (ait Jacob) *fui tecum*, id est, cum Laban ; *oves tuæ et capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi; nec captum à bestia ostendi tibi. Ego damnum omne reddebam; quidquid furtim peribat, à me exigebas. Die noctuque æstu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis, etc.* Si sic laborat et vigilat (ait Magnus Greg. lib. 7. epist. 48. ad Anastasium) si sic, inquam, laborat et vigilat, qui pavit oves Laban, quanto labori quantisque vigiliis debet intendere, qui pascit oves Dei? Observa verba illa Jacob : *Ego damnum omne reddebam; quidquid furtim peribat, à me exigebas.* Quæ indicant à pastore rationem ovium reposcendam à Deo. Damnum omne quod ipsius culpa contigerit, pastor reddet; quidquid perierit, ab eo exigetur. Hoc est quod ait S. Chrysost. lib. 2. de Sacerdotio. Cui Christi grex concreditus est, hunc ovibus deperditis, animæ propriæ jacturam facere oportet.

Quoad secundum, typum dat Saul rex Israelis, de quo dicitur 1. Reg. 9. quod ab humero sursum eminebat super omnem populum. Ubi S. Gregor. Rex, ait, præcedit collo, præcedit capite : collo locutio, capite contemplatio designatur. Capite ergo et collo omnium subditorum et capita pastor excellit, si contemplationis altitudine mirabilis est, et sublimitate doctrinæ. Isaiæ 40, præcipit Deus ut pastor evangelizans ascendat in montem : *Super montem*, ait, *excelsum ascende tu qui evangelizas Sion;* ex vita igitur sublimi, et non infima vulgarique, pastor ovibus, ut audiatur, debet evangelizare : quod docet idem vigilantissimus et sanctissimus pastor, vere Greg. l. 1. epistolarum, epist. 24. ad Episcopum Constantinopolitanum : *Qui*, ait, *loci sui necessitate exigitur summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summa monstrare. Illa namque vox libentius auditorum cor penetrat, quàm dicentis vita commendat; quia quod loquendo præcipit, ostendendo adjuvat ut fiat. Hinc enim per Prophetam dicitur: Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion; ut videlicet qui cœlesti prædicatione utitur, ima jam terrenorum operum deserens, in rerum culmine stare videatur, tantoque subditos facilius ad meliora pertrahat, quanto per vitæ meritum de supernis clamat.* Eximius quoque pastor Salvianus, quem Gennadius Episcoporum magistrum appellat, hac de re præclare lib. 1. ad Ecclesiam Catholicam sic scribit : *Sacerdotes exempla esse omnibus debent, et tanto antestare cæteris oportet devotione, quanto antestant omnibus dignitate. Nihil enim est turpius, quàm excellentem esse quemlibet culmine, et despicabilem vilitate. Quid est enim aliud principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine homine? Aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? Et ideo cunctos qui sacri altaris suggestu eminent, tantum excellere oportet merito, quantum gradu.* Causam dat S. Basilius apud Nazianzen. in ejus laudibus. Vix enim est, inquit, ut Antistes per summum assequatur medium, ac per exuberantem virtutis amplitudinem vulgus ad mediocritatem pertrahat. Denique aurea est sententia S. Gregorii, lib. 7. epist. 32 : *Lux gregis flamma est pastoris. Decet enim pastorem, decet Dominicum sacerdotem moribus et vita clarescere, quatenus in eo tanquam in speculo vitæ suæ plebs commissa et eligere quod sequatur, et videre possit quod corrigat.* Plura si cupis, vide ea quæ dixi Ezech. 34.

Gladium super brachium ejus.] Vel active, vel passive. Active accipit Chald. dum vertit : *Similis est pastor hic stultus lanioni, qui habet gladium in manu sua, et oculus ejus respicit ad pinguia ut jugulet ea*, ideoque punietur à Deo, qui brachium ejus arefaciet, et oculum obscurabit.

Secundo, alii passim accipiunt passive, idque exigunt sequentia, q. d. Gladius, id est, ultio, Dei incumbet brachio crudeli pastoris stulti, ut ejus potentiam confringat : item oculo dextro ejus, id est, ejus providentiæ, calliditati, consiliis et pravæ intentioni, qua satagit gregem expilare et perdere, q. d. Deus hæc ejus consilia et pravas intentiones dissipabit, et infatuabit. Nam brachium ejus arefaciet, id est, potentiam illi adimet : et oculum ejus dextrum, id est, intentionem et machinationem obscurabit, excæcabit et evertet. Ita S. Hieron. Theodor. Remig. Hugo, Lyran. Arias, Vatabl. Ribera et à Castro. Hoc in Antichristo clarissime patebit, quem *Dominus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui*, 2. Thessal. 2. 8.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicit Jerusalem a Gentibus, quin et a Judæis perfidis oppugnandam, sed Deum eam tutaturum per Machabæos, qui quasi heroes instar ignis omnia pervadent, subjicient, absument, ac tandem v. 10. promittit Deus se effusurum in Jerusalem spiritum gratiæ et precum per Christum, quem fideles visuri sunt in cruce clavis lanceaque transfixum, ideoque planctum maximum facturi. Ita S. Hieron. Theodor. Remig. Albert. et Hugo. Allegorice Jerusalem est Ecclesia, præsertim primitiva, quam Deus per Apostolos et Martyres quasi heroes, contra omnes insultus Judæorum et Gentilium per trecentos annos fortissime propugnavit. Ita Ribera, Arias et Vatablus. Ac rursum in fine mundi contra Antichristum, Gog et Magog propugnabit. Allegor. dico, non litteraliter, uti multi censent. Nam litteraliter loqui Zachariam de temporibus Machabæorum mox secuturis patet tum ex consequentia temporum, tum ex connexione et congruentia oraculorum cum gestis Machabæorum, tum quia v. 10. desinit in passione Christi. Hæc autem secuta est ætatem Machabæorum. Sicut ergo Isaias, Jeremias, Osee, Daniel, Ezechiel, etc. prædixerunt ea quæ Judæis mox erant eventura a Salmanasar, Nabuchodonosor, Cyro et Dario : sic et Zacharias prædicit ea quæ iisdem mox obventura erant ab Antiocho sub Machabæis.

1. Onus verbi Domini super Israel. Dicit Dominus extendens cœlum, et fun-
dans terram, et fingens spiritum hominis in eo. 2. Ecce ego ponam Jeru-
salem superliminare crapulæ omnibus populis in circuitu : sed et Juda erit
in obsidione contra Jerusalem. 3. Et erit : In die illa ponam Jerusalem lapi-
dem oneris cunctis populis : omnes qui levabunt eam, concisione lacera-
buntur : et colligentur adversus eam omnia regna terræ. 4. In die illa,
dicit Dominus, percutiam omnem equum in stuporem, et ascensorem ejus
in amentiam : et super domum Juda aperiam oculos meos, et omnem equum populorum percu-
tiam cæcitate. 5. Et dicent duces Juda in corde suo : Confortentur mihi habitatores Jerusalem
in Domino exercituum Deo eorum. 6. In die illa ponam duces Juda sicut caminum ignis in lig-
nis, et sicut facem ignis in fœno : et devorabunt ad dexteram et ad sinistram omnes populos in
circuitu : et habitabitur Jerusalem rursus in loco suo in Jerusalem. 7. Et salvabit Dominus taber-
nacula Juda, sicut in principio : ut non magnifice glorietur domus David, et gloria habitantium
Jerusalem contra Judam. 8. In die illa proteget Dominus habitatores Jerusalem, et erit qui
offenderit ex eis in die illa, quasi David ; et domus David quasi Dei, sicut Angelus Domini in
conspectu eorum. 9. Et erit in die illa : Quæram conterere omnes Gentes, quæ veniunt contra
Jerusalem. 10. Et effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem, spiritum
gratiæ et precum : et aspicient ad me, quem confixerunt : et plangent eum planctu quasi super
unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. 11. In die illa magnus
erit planctus in Jerusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon. 12. Et planget
terra : familiæ et familiæ seorsum : familiæ domus David seorsum, et mulieres eorum seorsum.
13. Familiæ domus Nathan seorsum, et mulieres eorum seorsum : familiæ domus Levi seorsum,
et mulieres eorum seorsum : familiæ Semei seorsum, et mulieres eorum seorsum. 14. Omnes
familiæ reliquæ, familiæ et familiæ seorsum, et mulieres eorum seorsum.

1. Onus verbi Domini super Israel.] *Onus* est onerosa, tristis et funesta prophetia, ut dixi Isaiæ 13. 1. Israel hic vocatur populus Judaicus, descendens à Jacob. Hic enim ab Angelo cognominatus est Israel, ideoque omnis ejus progenies, puta duodecim Patriarchæ, et duodecim Tribus ab eis proseminatæ, vocatæ sunt Israel. Jam quia decem Tribus olim abductæ in Assyriam, toto orbe dispersæ erant, ita ut tempore Zachariæ Israelis nomen in eis evanuisse videretur, hinc stirps et familia, ac consequenter hæreditas et nomen Israelis, redacta sunt ad duas Tribus reliquas, puta ad Judæos. Hi enim fuerunt stirps Jacob, et populus Dei, cui exhibitus fuit Messias, Abrahæ et Jacobo promissus. Ita Cyrill. Prædicit ergo hic Zacharias onus, id est clades, Israeli, id est Judæis, ab Antiocho, ejusque ducibus et posteris intentandas, sed Dei dextera et scuto avertendas per Machabæos. Unde Dei potentiam exaggerando, præmittit dicens :

Dicit Dominus extendens cœlum, et fundans terram, et fingens spiritum hominis in eo,] q. d. Ego sum Deus omnipotens, omniscius et optimus; nam meam omnipotentiam ostendi, dum vastissimos cœlos ex nihilo creavi et expandi; sapientiam meam patefeci, dum terram in medio mundi pendulam mira arte fundavi et fulcivi : bonitatem demonstro, dum quotidie animas creo, et in corpora hominum nascentium immitto et conservo. Ergo multo magis eadem omnipotentia, sapientia et bonitate fulciam et defendam Jerusalem, hostesque ejus coram ea collidam et confringam. Hinc mystice, cœlum est symbolum Ecclesiæ Christianæ, quam Deus per totum orbem extendit; terra autem, populi Judaici, quem Deus in medio Ecclesiæ quasi suspendit.

2. Ecce ego ponam Jerusalem superliminare crapulæ.] Hebr. סף *saph* significat duo : primo, limen et superliminare; secundo, calicem vel poculum, uti vertunt hic Chald. Vatabl. Pagnin. Arias et alii. Rursum רעל *raal* significat primo, tremorem; secundo, crapulam; tertio, soporem; quarto, venenum; quinto, stuporem; sexto, concussionem. Unde alii vertunt, *vas ebrietatis;* alii, *vas tremoris;* aut ut Syrus, *portam tremoris;* vel ut Arabicus, *portam commotionis;* alii, *calicem veneni soporiferi;* alii, *craterem stuporis.* Verum Septuag. et Noster tam hic, quàm Amos, 9. 1. vertunt, *superliminare crapulæ,* vel *commotionis;* Prado Ezech. 23. 31, *superliminare tremulum,* vel *mobile.* Sub superliminari intellige postes laterales, qui limini inferno ostii superstant et incumbunt : sic enim habent Septuag. *Ego pono Jerusalem sicut superliminaria quæ moventur omnibus populis in circuitu.* Jam τὸ *crapulæ,* vel tremoris, stuporis et concussionis, dupliciter accipi potest: Primo, passive, q. d. Redigam Jerusalem in tantas obsidionis angustias, ut ipsa iis quasi ebria tremere et insanire videatur : est enim hoc onus Jerusalem. Unde et sequitur : *Sed et Juda erit in obsidionem contra Jerusalem.* Ita Theod. et Euseb. lib. 8. Demonstr. cap. 4. Secundo, active, q. d. Gentes obsidebunt Jerusalem, ut ejus vino et spoliis se satient et inebrient; sed ego eas in tantas clades et strages impellam, ut iis quasi veneno lethifero ebrii, in tremorem, stuporem et amentiam adigantur : angustiabunt Jerusalem, sed ibidem angustiabuntur ipsimet; et laqueus quem aliis posuerunt, in eorum caput recidet : sicut Aman in cruce quam fixerat Mardochæo, suspensus est. Sic enim vers. seq. lapidem oneris Jerusalem explicat active, non passive, scilicet qui oneret et collidat, non Jerusalem, sed hostes eam divexantes. Est metaphora à calice aureo, optimo vino pleno, sed venenato, ad quem certatim accurrunt sitibundi, sed mox ut eum gustarint, tremere, stupere, animam agere incipiunt. Simili modo, Babylon dicitur propinare gentibus calicem aureum maledictionis, eoque inebriare, soporare et dementare omnes gentes, Jerem. 51. 7. Jam eòdem redit sensus, sive *saph* vertas calicem, sive limen vel superliminare, q. d. Quicumque hostis attigerit limen Jerusalem, mox quasi ebrius et mente captus, tremere et furere incipiet : sicut de Sibylla Cuma narrat Virgil. 6. Æneid. quod mox ut limen antri sui fatidici ingrediebatur, extra se rapi, furere et vaticinari incipiebat. Talis est et lacus juxta Neapolim, in quem si injicias canem, illico emori et exanimari videtur; quem si in lacum adversum inferas, statim ad se redit, et reviviscit. Ita S. Hieron. Remig. et Hugo. Rursum à Castro sic exponit, q. d. Ponam Jerusalem velut superliminare minans ruinam omnibus ingredi volentibus, quos tremere faciet quasi ebrios, ac venefico potu infectos : nam mox ut limen attingent, contremiscent et corruent. Palacius vero et Mariana sic, q. d. Ponam Jerusalem superliminare crapulæ, in quod scilicet hostes furore ebrii impingent, caputque collident, q. d. Qui impugnant Jerusalem, quasi ebrii et insani cadent et corruent. Alii, q. d. Jerusalem erit hostibus obsidentibus quasi calix veneni mortiferi, quod bibentem morte æterna consopit. Ad litteram loquitur de Jerusalem arctata et afflicta ab Antiocho Epiphane, ejusque asseclis, quos Judas et Machabæi ceciderunt, ut corruerent quasi temulenti.

Allegor. loquitur de Ecclesia primitiva, quam persecuti sunt Nero, Decius, Diocletianus; sed Deus eos quasi ebrios percussit et oppressit. Quocirca Alcazar in Apocal. cap. 11. vers. 13. notat. 12. ex Theodor. sic exponit, *quasi superliminare crapulæ,* id est, sicut in crapula ebrio, ob vertiginem capitis moveri videntur superliminaria; sic revera commovebitur Jerusalem, id est, Ecclesia, itaque persecutionibus concutietur, ut ruitura videatur, et vicini populi se invicem cohortentur, ut ab ea sibi caveant, ne ejus ruina involvantur. Aut, q. d. Vicini populi Ecclesiæ limina respicient tanquam crapulam, ebrietatem et insaniam; ac Christianis insultabunt quasi ebriis et insanis; sicut pueri ebrium insectantur, illudunt, ac vacillantem et labantem impellunt ut corruat. *Sed et Judas pugnabit contra Jerusalem,* q. d. Non soli Gentiles persequentur Ecclesiam, sed et Judæi; qui tamen à Deo illuminati, pro Ecclesia contra Gentiles arma sument, magnamque in ipsis stragem edent, uti ait Zacharias, vers. 6. Paulo aliter Ribera, q. d. Sicut ebriis superliminare domus quam ingredi volunt, moveri videtur, et ideo ipsi quasi insani, putantes se commoveri, corruunt; sic accidet hostibus Ecclesiæ, qui ad eam oppugnandam venient; corripientur enim insania quasi crapula, itaque corruent. Addit Delrio adagio 10. 20. forte idcirco Septuag. vertisse, *superliminaria,* in plurali, eo quod ebriis omnia videntur gemina, sicut et entheis. Minus

recte Rupert. crapulam in bonum pro satietate accipit, q. d. Ecclesia erit domus crapulæ, id est, satietatis et ebrietatis spiritualis, de qua in Pentecoste dicitur Actor. 2. quod Judæi Apostolos musto plenos et ebrios judicarent.

Porro videtur alludere Zacharias ad illud Jerem. 25. 15 : *Sume calicem vini furoris hujus de manu mea, et propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te. Et bibent, et turbabuntur, et insanient à facie gladii, quem ego mittam inter eos. Et accepi calicem de manu Domini, et propinavi cunctis gentibus, ad quas misit me Dominus: Jerusalem, etc.* Et magis ad Isaiæ 29. 8 : *Sic erit*, ait, *multitudo Gentium, quæ dimicaverunt contra montem Sion : obstupescite et admiramini, fluctuate et vacillate; inebriamini, et non à vino movemini, et non ab ebrietate : quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros, etc.* Et clarius Jerem 25. 27 : *Hæc dicit Dominus : Bibite et inebriamini : vomite et cadite, neque surgatis à facie gladii, quem ego mittam inter vos.* Ecce hæc est crapula, non vini, sed vindictæ Dei, de qua Zacharias hîc. Vide ibi dicta. Voluerunt enim Græci calice furoris sui, cædis et sanguinis inebriare Jerusalem; sed eodem per Machabæos inebriati sunt à Deo, qui, ut ait Psaltes, psal. 77. 65 : *Excitatus est tanquam dormiens, tanquam potens crapulatus à vino. Et percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis.* Idem multo magis, et sæpius fecit infidelibus persequentibus Ecclesiam. Nulla enim natio est, quæ Christum et Ecclesiam immaniter aliquando non sit persecuta, cum eminus tantum ejus superliminaria, id est, Christum crucifixum vidit, ejusque doctrinam paradoxam audivit, scilicet : *Beati pauperes : Beati qui lugent : Beati qui esuriunt, etc.* Hæc enim omnia mundus abhorrebat et odiebat, donec internam ejus pulchritudinem, gratiam, consolationem et spiritum vidit et gustavit. Hac de causa, Cant. 1, Ecclesia dicitur esse sicut pelles Salomonis, et sicut tabernacula Cedar, exterius scilicet horrida, nigra, et æstu persecutionum adusta. Quare qui ejus admirabiles divitias videre vult, domum ejus intret oportet, et non in limine maneat. Hinc ab initio mundi inter probos et improbos acre et perenne fuit bellum : semper enim inter se contraria pugnant, ut calidum et frigidum, album et nigrum, virtus et vitium, Deus et diabolus. Hujus rei symbolo censet Stunica, primum miraculum à Christo factum esse in vino ex aqua producto, quia scilicet Ecclesia ab ipso stabilienda erat vas crapulæ.

Tropolog. Messana per *superliminare crapulæ* intelligit cantharum, vel ramum hederæ aut vitis, quem œnopolæ ad limen tabernæ suspendunt, ut transeuntes invitent ad introeundum, ibique potandum et inebriandum se. Huc accedit Albertus, qui sic exponit, q. d. Ponam Jerusalem patentem introitum advenientibus ad eam, sicut ad crapulam, qua insatiabilis eorum pascatur cupiditas. Sic ergo superliminaria crapulæ significant tabernam, ganeam, popinam, etc. in quibus viget ebrietas et crapula, quibus proinde onus Dei hîc Propheta intentat. Propter crapulam enim, æque ac alia scelera, videtur Deus hoc onus imposuisse Hierosolymæ. Unde Sanchez per *superliminare crapulæ* accipit prostibulum gulæ et libidinis, puta Ephebiam in Jerusalem ab impio Jasone constitutam, in qua optimi quique juvenum publice cuilibet ad infandam libidinem prostituebantur. Hoc enim prostibulum vocari *crapulæ*, quia symbolo crapulæ, id est scypho, in superliminari exstante, quasi indice et titulo erat insignitum. Scyphus enim Herculi et Baccho sacer erat, insigne crapulæ, indeque sequentis libidinis. Porro idipsum sacrilegus constituerat juxta templum, imo in ipso templo. Nam, ut dicitur 2. Machab. 6 : *Templum luxuria et comessationibus Gentium erat plenum, et scortantium cum meretricibus.* Gentiles enim in templis publica agitasse convivia docet Aristoteles, lib. 7. Politic. cap. 12. Unde et Sichimitæ epulantes in fano Dei sui Berith, maledicebant Abimelech, ut dicitur Judic. c. 17.

Dices : Deus dicitur hîc positurus Jerusalem in superliminare crapulæ. Deus autem non potest excitare crapulam proprie dictam ; hæc enim est peccatum ebrietatis. Resp. Jerusalem posuerat se superliminare crapulæ proprie dictæ ; sed Deus idcirco posuit eam in superliminare crapulæ metaphorice, ut scilicet, quæ crapulata erat ebrietate et culpa, crapularetur pœna, ac inebriaretur suo sanguine Deique vindicta, q. d. Paniam eam plagisque inebriabo, ut iis ostendam toti mundo eam se fecisse ganeam et tabernam crapulæ. Est ergo in hac tropologia metonymia vel metalepsis, qua ex consequente antecedens, ex affectu causa, ex pœna culpa intelligitur : alioqui enim incommoda est et incongrua, utpote à sensu litterali dissidens, eique repugnans. Hoc recte adaptes bacchantibus in Bacchanalibus, quando multis in locis cum magna Christiani nominis ignominia magnaque infidelium offensione, irrisione et probro omnes pene domus, totaque civitas fit superliminare crapulæ, ita ut ei jure hic titulus dari et inscribi possit : Hæc est domus crapulæ : Hæc est civitas, non Christi, sed Bacchi : Hi dies sunt bacchantium, stultorum et insanorum, non Christianorum, uti in nonnullis Calendariis impressum legi.

Sed et Juda,] q. d. Non solum Gentes, sed et Judæi perfidi, vel transfugæ obsidebunt Jerusalem, eamque affligent, ut ipsa ærumnis videatur ebria ; sed has ærumnas Deus devolvet in ipsos Judæos perfidos et transfugas, eosque plagis et cæsorum sanguine inebriabit. Tales transfugæ fuerunt Jason et Menelaus, qui profugi ad Antiochum, Jerusalem obsederunt, ceperunt et vastarunt, uti dixi cap. præced. v. 15. Item alii plurimi, qui minarum et tormentorum Antiochi metu, à Judaismo ad Gentilismum apostatarunt, de quibus 1. Machab. 1. v. 44 et 55. et 2. Machab. c. 4 et 5. ac Joseph. l. 12. Antiq. c. 6.

Allegorice prima persecutio Apostolorum et Ecclesiæ fuit à Judæis, ut patet ex Actis Apostolorum. Ita et Arias et Vatabl.

3. Ponam Jerusalem lapidem oneris cunctis populis.] Syrus, *lapidem conculcationis ;* Septuag. *lapidem qui conculcatur ;* Chald. *lapidem offensionis*, Arabicus ; *lapidem subjectionis.*

Quæres ; Quis *lapis oneris ?* Respondet optime S. Hieron. (quem proinde Remig. Rupert. Glossa, Ribera et alii passim sequuntur) dicens : *Mos est in urbibus Palæstinæ, et usque hodie per omnem Judæam vetus consuetudo servatur, ut in viculis oppidis et castellis rotundi ponantur lapides gravissimi ponderis, ad quos juvenes exercere se soleant, et eos pro varietate virium sublevare,*

alii ad genua, alii ad umbilicum, alii ad humeros et caput, nonnulli super verticem rectis junctisque manibus, magnitudinem virium demonstrantes, pondus extollant. In arce Atheniensium juxta simulacrum Minervæ, vidi sphæram æneam gravissimi ponderis, quam ego pro imbecillitate corpusculi movere vix potui. Cum quærerem quidnam sibi vellet, responsum est ab urbis ejus cultoribus, athletarum in illa massa fortitudinem comprobari; nec prius ad agonem quemquam descendere, quàm ex levatione ponderis sciatur, quis cui debeat comparari. Sensus ergo iste est: Ponam Jerusalem cunctis Gentibus quasi gravissimum lapidem sublevandum. Levabunt quidem eam, et pro virium varietate vastabunt; sed necesse est ut dum levatur, in ipso nixu et elevatione ponderis, gravissimus lapis scissuram aliquam vel rasuram in levantium corporibus derelinquat. Hic est lapis oneris, oneratum et portantem concidens et opprimens, cujus meminit Ecclesiast. cap. 6. v. 22. dicens: *Quasi lapidis virtus probatio erit in illis, et non demorabuntur projicere illam*, q. d. Sapientia est lapis oneris, quem quisque levando probat suas vires et robur. Unde stulti et improbi eum aliquousque levant, sed mox ut sentiunt ejus pondus, illico abjiciunt. Hinc Græca habent: *Quasi lapis probationis fortis erit in illo.* Hujus lapidis æque ac plumbi athletici meminit Hieron. Mercurial. l. 2. Gymnasticæ, cap. 11. Jam Theodoret. Remig. et Hugo censent Jerusalem fuisse *lapidem oneris*, cum expugnata est à Tito et Romanis. Verum hìc de tempore Antiochi et Machabæorum agitur, non Titi et Romanorum. Hisce enim Jerusalem non fuit lapis oneris, sed pila prædæ et gaudii.

Dico ergo ad litteram significari hìc, quod Antiochum et Græci suis copiis ex omnibus gentibus collectis oppugnaturi sint Jerusalem, ut eam quasi lapidem oneris ex Judæa exportent in Græciam, sed ab ea quasi à lapide oneris, per Machabæos concidendi sint et conterendi: id enim ita factum esse non semel, sed sæpius per intervalla temporum recto ordine demonstrat à Castro. Nam in primis Ptolemæus Philopator, dum templum ingressus vellet in Sancta Sanctorum penetrare, sacerdotibus opem divinam implorantibus, pene mortuus cecidit et enectus divina vi, nisi citissime è templo à suis eductus fuisset, uti in lib. 2. Machabæorum refertur. Heliodorus, missus à rege Seleuco ad spoliandum ærarium templi, flagellatus discessit, 2. Machab. 3. Jason vi ingressus civitatem, per diversa loca profugus interiit honore sepulturæ privatus. Antiochus Epiphanes urbem templumque spoliavit per seipsum, 1 Machab. 1. et 2. Machab. 5. Deinde per Apollonium et Lysiam: sed male periit iniquus, ut dicitur 1. Machab. 6. et 2. Machab. 9. postulans misericordiam ab eo, à quo non erat adepturus. Alcimus deinde missus à rege Demetrio obsedit Jerusalem, 1. Machab. 9. et præcipiens destrui atrium interius et opera Prophetarum, percussus paralysi, et graviter tortus interiit. Antiochus Sedetes Judæam devastavit, et Hierosolymam obsedit; sed divinitus tactus sacrificium obtulit, et fœdere inito recessit, ut refert Josephus, l. 13. Antiq. c. 15. Post hos Romanorum Pompeius primus Judæam subjugavit, Hierosolymam templique adyta ingressus, nunquam deinceps prospere rem gessit in bellis, donec in acie Pharsalica universus ejus exercitus verso ad Hierosolymam cecidit vultu, ipseque fugiens in Ægyptum cæsus est. Denique M. Crassus, contra Parthos profectus, templum Hierosolymitanum spoliavit: ideo à Parthis cum filio et universo exercitu trucidatus, liquato in os ejus auro injecto, sui sacrilegii pœnas exsolvit, ut referunt Josephus, l. 14. Antiq. c. 13. et Plutarchus in Pompeio et Crasso. Ex quibus constat per multos annos urbem Hierosolymam à multis regibus ac ducibus obsessam, et Dei munere liberatam, non sine eorum concisione. Verum quoque deducitur collecta fuisse adversus Jerusalem omnia regna terræ.

Porro solerter conjicit Sanchez Prophetam in hoc lapide oneris respicere ad palæstram, quam æque ac ephebiam, ritu gentilitio in Jerusalem instituit impius Jason, in qua gestando onere et disco certabant tanta frequentia et concursu, *ut sacerdotes festinarent participes fieri palæstræ, et præbitionis ejus injustæ, et disci*, 2. Machab. 4. Ubi nota: Discus erat massa rotunda, seu globus ex ferro, plumbo, saxo, quo adolescentes vires explorabant illum vel elevando, vel jactando, ut qui altius eum elevaret, vel longius jaceret, ille vinceret. Unde eos *discobolos* vocat Plinius, lib. 2. c. 34. de quibus Martial. lib. 14:

> Splendida cum volitent Spartani pondera disci:
> Este procul pueri, sit semel ille nocens.

Allegorice Ecclesia est lapis oneris, quem levare tollere et abjicere voluerunt Judæi et Gentiles; sed omnes ab eo concisi et oppressi sunt, ut patet in Nerone, Decio, Valeriano, Juliano, etc. sed maxime in Diocletiano et Maximiano, qui juraran se exstirpaturos Christi Ecclesiam et fidem, vel certe imperium depositaros. Secundum præstiterunt, quia prius præstare non potuerunt. Unde uterque à Constantino, primo Imper. Christiano, ad necem et restim adactus est.

Anagog. Ecclesia et Christus erunt lapis oneris, qui opprimet impios in die judicii, deprimetque in tartara, de quo Christus, Matth. 21. 44: *Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem vero ceciderit, conteret eum*, q. d. Qui restiterit Christo, quem Deus in Ecclesia posuit lapidem angularem, puta lapidem oneris, et petram scandali, eumque persecutus fuerit, frustra id faciet. Nam sibi in corpore et animo perniciem accerset, ita tamen ut non penitus conteratur, sed per pœnitentiam reparari possit; super quem vero ceciderit hic lapis, id est, ille cui Christus gravi sua ultione incubuerit, quales erunt damnati in die judicii, huic nulla spes reliqua erit redintegrationis; perinde ac si lapis grandis in vas testaceum decidat, illud in minutissima frusta confringit, ut nullo modo reparari queat. Ita S. August. lib. 1. Quæst. Evang. q. 30. tom. 4.

4. Percutiam omnem equum, scilicet hostilem, puta Antiochi et Græcorum per Machabæos in stuporem,] id est ad stuporem, ut scilicet omnes videntes stupeant ad plagam tantam tamque subitam, et ipsi equites præ stupore et pavore quasi versi in amentiam, nesciant quò fugere, vel quid agere debeant. Ita S. Hieronym. Theod. et alii.

Et super domum Juda aperiam oculos meos,] ut scilicet protegam Judæam et Judæos, imo ut ii qui metu Antiochi prolapsi sunt in Gentilis-

mum, ejusque copiis mixti pugnarunt contra patriam, resipiscant, sumptisque animis jungant se Machabæis, et patriam propugnent. Ita factum legimus, 1. Machab. 2. 29.

Allegorice, q. d. Faciam ut Judæi qui Ecclesiam persequebantur videant suum errorem, et ad eam convertantur, eamque propagent, uti contigit S. Paulo, Actor. 9. Ita S. Hieronymus.

Et omnem equum populorum percutiam cæcitate,] est catachresis et synecdoche; per *cæcitatem* enim accipit stuporem et metum, quo correpti equi quasi cæci, nesciebant quò fugere deberent: proprie etiam multi equi hostium à Machabæis in capite percussi et excæcati sunt. Nam 2. Mach. 10. 30. dicitur: *Apparuerunt adversariis de cœlo viri quinque in equis, frenis aureis decori, ducatum Judæis præstantes: ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis suis circumseptum incolumem conservabant, in adversarios autem tela et fulmina jaciebant: ex quo et cæcitate confusi, et repleti perturbatione cadebant.*

5. Et dicent duces Juda in corde suo.] S. Hieronymus sic exponit, q. d. Judæi ex metu transfugæ, et cum copiis Antiochi obsidentes Jerusalem, non ore, ne audiantur, sed corde suo dicent et precabuntur: Domine, conforta cives Jerusalem, ut hisce Antiochi copiis resistere queant; ut sic victi cum hostibus, quibus coacte servimus, vincamus cum civibus, quos intime amamus. Secundo et planius, q. d. Machabæi in corde suo precabuntur Deum, ut confortet cives Jerusalem, ne Antiocho succumbant. Ita Judam Machabæum legimus pene semper ante aciem orassé, et Dei opem implorasse, eaque victoriam obtinuisse.

Allegor. duces Juda sunt Apostóli, qui orarunt Deum ut Jerusalem, id est Ecclesia, omnibus tyrannis fortiter ad mortem usque et martyrium resisteret. Ita Albertus et Arias.

6. Ponam duces Juda sicut caminum ignis,] q. d. Faciam ut Machabæi, et mystice Apostoli quasi ignis omnia circumcirca populentur, superent, subjiciant et ad se convertant. Vide gesta Judæ, Jonathæ et Simonis in libris Machab. Id in Apostolis patuit in Pentecoste, quando Spiritus sanctus eis insedit specie linguarum ignearum: unde mox eloquiis suis ignitis multa hominum millia, ac sensim totum mundum ad Christum converterunt. Ita S. Hieron. Remig. Albert. et alii.

Et sicut faciem ignis in fœno.] Ita Romana. Alii pro *faciem* legunt *fascem*; alii *facem*, et ita vertunt Septuag. Chald. Pagnin. Vatabl. et alii. Hoc enim significat hebr. לפיד *lappid*, scilicet lampadem et facem. Eòdem omnia redeunt: facies enim ignis est fax, celerrime comburens et consumens fœnum, cui injicitur.

Et habitabitur Jerusalem,] q. d. Jerusalem prius vacuata civibus, profugis ob metum Antiochi, virtute Machabæorum, iis rursum implebitur, ut in ea sicut ante, habitent pacifice, frequentes et opulenti, ut patet 1. Machab. 14. 4; idque pene usque ad tempus Christi, qui eam aliis incolis cœlestibus et divinis, puta Apostolis et primævis Christianis ditabit et decorabit. Nota pleonasmum hebraicum, cum dicit Propheta: *Habitabitur Jerusalem rursus in loco suo in Jerusalem*; redundat enim τὸ *in Jerusalem*. Nil enim aliud vult dicere, quàm Jerusalem non alio, sed eodem in loco quo prius ædificandam et habitandam: quod ut plane, plene et certo futurum significet; addit τὸ *in Jerusalem*. Multæ enim civitates dirutæ, postea non eodem, sed alio vicino in loco ædificatæ sunt, uti Tyrus nova: nam vetus Tyrus dicitur Palætyrus, et à Tyro nova longiuscule distat. Sic Roma moderna alia est à veteri. Sic et Tusculum: quin et Jerusalem moderna alio est in loco, quàm fuerit vetus; nam mons Calvariæ, qui olim erat extra urbem, jam est in urbis quasi meditullio. Prædicit ergo Zacharias Jerusalem sub Machabæis eodem prorsus loco quo prius restaurandam, frequentandam et magnificandam.

Allegor. Jerusalem est Ecclesia Christi, quæ licet gravissimis persecutionibus agitata sit, et sedibus suis quasi pulsa, suo tamen loco semper constitit, imo firmius se et copiosius in eodem locavit, v. g. Jerusalem nostra est Roma, ex qua licet Imperatores pene omnes, per trecentos annos exstirpare conati sint Pontifices et Christianos; ideoque centena Martyrum millia exquisitissimis tormentis enecarint, illi tamen semper in ea perstiterunt, imo numero et robore creverunt, donec tandem toti non tantum urbi, sed et orbi sunt dominati. Unde S. Ambros. in c. 9. epist. ad Roman. legit: *Ponam Jerusalem in omnibus gentibus; quia*, ait, *ubique futuri erant* (per Christum) *filii Dei, et domus Dei in omnibus locis, quæ est Ecclesia.*

7. Salvabit Dominus tabernacula Juda,] est prolepsis, sive occupatio. Occurrit enim tacitæ objectioni: Quomodo Jerusalem et Juda salva consistent inter tot hostes? ac respondet id non ejus, sed Dei viribus futurum. Deus enim salvabit ea, eorumque domos, etiam rusticanas, quas proinde vocat tabernacula, præsertim quia primitus Hebræi in deserto non in aliis domibus quàm tebernaculis habitarunt.

Alleg. *tabernacula* sunt particulares Ecclesiæ, ad quas licet olim Christiani metu persecutionum, vix, et non nisi noctu, paucique convenire auderent, Deus tamen servavit eas, imo auxit, et dilatavit; sicut olim *in principio* Synagogæ, puta in deserto, antitypa Hebræorum tabernacula ab hostibus, æque ac ab æstu, imbribus et procellis illæsa servavit.

Ut non magnifice glorietur domus David,] q. d. Ne Hierosolymitæ, et præsertim posteri Davidis glorientur, quod ipsi suis viribus tam se quàm Judæos in vicinis oppidis et pagis habitantes, contra Antiochum cæterosque hostes propugnarint; ecce ego dico et edico me tam Hierosolymitas, quàm Judæos cæteros salvaturum. Mihi ergo omnes se submittant, mihique suam salutem acceptam referant; ego enim Machabæis fortitudinem animosque dabo, quibus pauci contra maximos exercitus dimicantes, eos sternant et profligent. Id professus est Judas Machabæus, 2. Mach. 8. 18. et alibi; itaque à Deo victorias miraculosas obtinuit. Nota: *Domus David* vocantur posteri Davidis, eorumque familiæ, quæ plurimæ erunt et nobilissimæ in Jerusalem. Rursum *gloria habitantium Jerusalem*, per hypallagen vocantur cives habitantes in Jerusalem gloriose: *Gloriosa enim dicta sunt de te, civitas Dei*, Psalm. 86. 2. Juda vero vocantur cæteri Judæi, qui circum Jerusalem in villis et urbibus habitabant. Similis hypallage est apud Poetam, cum ait: *Trade ratem ventis*, pro trade ventos rati. Et: *Perflavit fistula bucchas*, pro buccæ perflarunt fistulam.

Allegor. *domus David* sunt Apostoli, similesque Ecclesiæ Principes : *Gloria habitantium Jerusalem*, sunt Doctores, virique religiosi et sanctitate illustres : hi enim sunt gloria Ecclesiæ. Hi quoque non possunt gloriari contra Judam, id est, populum et plebem fidelem, quasi ipsi suis viribus eam protexerint, cum hoc Dei ejusque gratiæ sit opus. Ita Albert. Hugo et Vatablus.

Tropol. Clarius : Domus, ait, David et gloria Jerusalem sunt reges, principes, nobiles et divites. Hi non possunt gloriari contra Judam, id est, plebem fidelium, quasi ipsi sua nobilitate, potentia, opibus, fidem et locum in Ecclesia digniorem obtineant, cum hoc sit meræ gratiæ Christi, quæ in Christianismo æquat ignobiles nobilibus, pauperes divitibus. Nam, ut docet Apostolus, in Christo Jesu non est Judæus, neque Græcus : non servus, neque liber : non dives, neque pauper ; sed omnes unum sunt, puta nova Dei creatura, imo in Christianismo primas et potiores partes tenent pauperes : tum quia Christus prædicavit pauperibus, Lucæ 4.18. et pauperes prædicavit beatos : tum quia regni sui proceres constituit pauperes Apostolos, per quos, reges et principes convertit, juxta illud 1. Corinth. 1. 26 : *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes : et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, etc.* Et Jacob. 2. 5 : *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se ?* Denique divites et nobiles majora habent impedimenta humilitatis et virtutis Christianæ, quàm pauperes : honores enim inflant, opes et deliciæ mentem enervant ; quare majori egent gratia Christi, qua hæc vincula dirumpant, quàm pauperes. Quocirca ob majorem gratiam sibi factam, majores tenentur agere gratias Christo.

8. Qui offenderit ex eis.] Tigurina : *Qui impegerit.* Hebr. enim כשל *casçal* significat impingere, vel offendere in rem aliquam, v. g. lapidem, indeque corruere et infirmari. Unde Septuag. Chald. et Pagnin. vertunt : *Qui infirmus fuerit ex eis;* Vatabl. *Qui debilis fuerit, erit quasi David;* Arabicus : *Quasi qui ad David,* scilicet pertinet. Jam sensus est, quasi dicat : Machabæi eorumque socii, qui pauci et invalidi videbantur, Dei ope fient validi bellatores instar Davidis, qui, licet juvenis et pene puer esset, tamen leonem, ursum et Goliath gigantem interfecit : imo qui ex eis offenderint, dum metu Antiochi apostatabunt à Judaismo ad Gentilismum, hi videntes animos et victorias Judæ et fratrum ejus, cum Davide in homicidium et adulterium lapso pœnitentiam agent, fidem resument, ac cum fide novos animos et vires instar Davidis capessent. Id ita factum esse narrant libri Machabæorum. Ita S. Hieron. Theodor. et alii initio cap. citati.

Allegor. id verius in Ecclesia, ubi infirmi, imo feminæ, pueri et puellæ Christi gratia ita fortes evadunt, ut mundum, carnem, diabolum, carnifices, ignes, bestias, et tormenta omnia superent, uti patuit in S. Agnete, Cæcilia, Dorothea, Lucia, Pancratio, Vito, Celso, et in dies patet. Rursum, qui in peccatum aliquod lapsi sunt, à Deo facti fortiores resurgent, instar Davidis pœnitentis, uti patuit in S. Petro, Paulo, Matthæo, Magdalena, Pelagia et plurimis aliis. Ita S. Gregorius homil. 20. in Ezech. Albert. Hugo et Lyran. hîc. Aliter Alias, q. d. Infiniti Sancti novæ legis poterunt conferri cum maximis Sanctis legis veteris, qualis fuit David. Hæc ergo est ingens consolatio Sanctorum Christi, quod ipse eligat infirma mundi, eaque ita validet, ut confundat fortia ; nam virtus ejus in infirmitate nostra perficitur, 2. Corinth. 12. 9. Qui ergo infirmus est, vel ætate, vel sexu, vel valetudine, vel animo, dicat cum S. Paulo : *Omnia possum in eo qui me confortat.*

Et domus David quasi Dei.] Hebr. quasi *Elohim*, quod vel in nominativo, vel in genitivo accipias. In nominativo accipiunt Vatabl. Pagnin. Syrus et Arabicus Antioch. dum vertunt : *Domus David erit quasi Deus,* quod explicat Propheta dum subdit : *Sicut Angelus Domini*, q. d. Domus David erit fortis instar Angeli Dei. Hebr. enim *Elohim*, non tantum Deum, sed et Angelos, heroes, duces ac principes significat. Unde Chald. vertit : *Domus David instar heroum feliciter aget, ac si Angelus Domini in conspectu eorum esset ;* Septuag. vero, Arabicus Alexandr. et Noster τὸ *Elohim* accipiunt in genitivo : *Domus David erit quasi domus Dei*, quia scilicet erit fortis sicut Angelus, qui est de domo Dei. Et sic uterque sensus, et utraque versio eòdem redit. Significat principes Juda (hi enim erant ex domo et posteritate Davidis) validissimos fore, ut vires non humanas, sed divinas habeant, ac instar Angelorum facile Antiochi hominumque omnium acies profligent. Totius ergo versus hic est sensus : Sub Machabæis plebs timida et infirma, ita Dei ope valida fiet, ut Davidi valido bellatori comparari queat : principes vero non tantum cum Davide, sed et cum Angelis in fortitudine, ducatu, providentia et regimine comparari poterunt. Ita factum est : nam Judas, Jonathas, Simon viribus et victoriis superarunt Davidem, adeoque Angelorum ope et ductu dimicarunt et vicerunt. Nam Angeli in hostes eorum jaculati sunt tela et fulmina, uti narratur 2. Machab. 10. 30. Et cap. 15. dicitur Jeremias apparuisse et dedisse Judæ aureum gladium, dicens : *Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israel.* Exinde ipse et asseclæ ejus facti sunt quasi domus Dei, id est, quasi divinum asylum, ad quod omnes Judæi ab hostibus afflicti, quasi ad certam salutis anchoram confugerent, iisque quasi Angelis ad salutem missis confiderent; quin et Gentiles, ut Spartani et Romani eorum amicitiam ambirent, ut patet 1. Machab. 12. vers. 1. et c. 14. 17. Ita Theodor. Porro Judas cum fratribus, licet oriundus ex Levi, non ex Juda et David, vocatur domus David; quia domus David totaque respubl. Judæorum, eum sibi in caput et ducem elegit. Successit ergo Davidi in principatu, et regimine suæ domus, Tribus et populi Juda. Alludit ad domum fortium Davidis : David enim quia bellicosus erat, et in assiduis bellis versabatur; hinc pariter milites et duces habebat, vel exercendo faciebat bellicosissimos, inter quos eminebant 37, qui lib. 2. Reg. 23. vers. 8. et seqq. recensentur, et vocantur *fortes David*, quorum tres primi et fortissimi erant, Jesbaam, id est, sedens in cathedra, Eleazar et Semma, de quibus dicitur : *Usque ad tres primos non pervenit.* Unde Adrichom. in Descriptione Jerusa-

lem, depingit domum fortium Davidis, in qua illi heroes Davidis habitabant: ubi etiam ceu in palæstra athletæ et pugiles exercitii causa digladiationibus certabant, citatque pro hac re Nehemiæ c. 3. 16. et ibidem Lyranum. Sensus ergo est, q. d. Domus David, id est, posteri et asseclæ Davidis, puta Machabæi, adeo erunt bellicosi et fortes, ut domum cœtumque fortium Davidis, adeoque tres ejus primos et fortissimos robore æquent, imo superent.

Allegor. David est Christus: hic est fortis ut magni consilii Angelus, imo ut Deus; quia vere Deus fuit, æque ac homo. Domus et familia Christi fuerunt Apostoli et viri Apostolici, quos ipse constituit principes suæ Ecclesiæ, quæ est domus Dei, eosque tam validos, ut Angeli, vel dii viderentur potius quàm homines, præsertim quia Angelorum vitem in terris agebant, ac quasi Angeli mediatores erant inter Deum et homines. Ita Vatabl. Ribera et alii paulo ante citati.

Tropol. domus David est Religio, in quâ instar Davidis omnes psallunt laudantque Deum, ideoque fortes in spiritu evadunt ad ardua quæque superanda, ut David. Hinc eadem est domus Dei, in qua Religiosi vivunt quasi Angeli: utrique enim sunt de domo Dei, quia Deo astant, et Dei nuntii sunt, et præeunt castra populi, quasi strenui milites et duces. Adde eos Angelis esse familiares, et ab illis regi, juxta illud Exod. 23: *Præcedet te Angelus meus, et introducet te ad Amorrhæum.* Denique S. Gregor. hom. 20. in Ezech. per domum David accepit domum pœnitentium: *Hæc*, ait, *dies misericordiæ, quæ nobis de adventu redemptoris nostri promissa est. Qui itaque offenderit, erit quasi David: quia peccator ad pœnitentiam redit. Domus autem David quasi domus Dei: quia reversus quisque ad justitiam, habitatio efficitur creatoris sui, ut sit sicut Angelus in conspectu ejus: quia misericordiæ viscera quæ in se expertus est, annuntiando aliis propinat.*

9. Quæram conterere.] Hebr. להשמיד *lehasmid*, id est, disperdere, q. d. Satagam ut Græci aliæque gentes, quæ oppugnabunt Jerusalem, à Machabæis eorumque posteris conterantur et disperdantur, utque Jerusalem continua quasi pace fruatur usque ad Christum, qui quasi novus Salomon pacis filius, imo pater, pacem plenam et divinam orbi afferet. Ita Theodor. Nota, cum ait *omnes gentes*, intelligi Græcis vicinas et subditas, vel confœderatas. Nam ut ait S. Hieron. in Isaiæ cap. 13, idioma S. Scripturæ est ut omnes gentes, vel omnem terram intelligat ejus provinciæ, de qua est sermo.

Allegor. q. d. Deus conteret omnes Imperatores et gentes, quæ persequentur Ecclesiam, imo eas Ecclesiæ subjiciet facietque fideles, uti reipsa fecisse Deum patet ex historiis Eusebii, Socratis, Sozomeni, Baronii et aliorum. Ita S. Hieron. Albert. Remig. et Vatabl. Aliter Arias, qui per gentes accipit turmas Dæmonum Christum Christique Ecclesiam oppugnantium, quas omnes Christus contrivit.

Et effundam super domum David.] Assurgit hìc de more Propheta ad Christum, et promittit quod ipse in Jerusalem, puta in Judæos qui sibi credent, hoc est, in Ecclesiam primitivam, quæ cœpit in Jerusalem et Judæa, atque ex Judæis coaluit, effundet spiritum gratiæ et precum. Pro *gratiæ* hebr. est חן *chen*, quod significat gratiam qua alicui gratiosi et amabiles sumus. Unde in Scriptura toties dicitur: Inveni, vel inveniam gratiam in oculis tuis, hoc est, sim tibi gratus placens, amabilis. Deus ergo hìc pollicetur quod per Christum effundet in fideles spiritum gratiæ, id est, spiritum qui eos per gratiam infusam gratificet Deo, ipsique et Angelis faciat gratiosos et amabiles, juxta illud Ephes. 1. 5: *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo.* Ita S. Hieron. Theodoret. Remig. et alii passim. Secundo, Chald. et Arias pro *chen* non male vertunt, *commiserationem*, qua misero, præsertim innocenti, ut Christo transfixo, de quo v. 10. compatimur. Unde sic cum Chaldæo vertas: *Effundam super domum David, etc. spiritum misericordiæ et miserationum;* vel cum Aria, *spiritum compassionis et deprecationis*, quæ ex compassionis cogitatione et sensu plerumque proficiscitur. Est enim deprecatio, miserantis animi voce, fletu atque lamentatione indicatio.

Et precum.] Hebr. תחנונים *tachanunim*, quod Septuag. vertunt, *misericordiæ;* Chaldæus, *miserationum;* Clarius, *propitiationis.* Radix enim חנן *chanan* significat misereri, indeque precari: miseria enim excitat ad preces, quibus eam levemus. Unde Noster vertit, *precum.* Jam S. Hieron. Remig. Albert. Vatabl. et alii passim censent hìc generatim prædici missionem Spiritus sancti in Apostolos et fideles in Pentecoste et deinceps. Ubi nota duos effectus principales Spiritus sancti: Prior, quod det nobis gratiam, qua grata simus Deo; posterior, quod nobis spiritum orationis et precum, per quas omnes infirmitates et miserias nostras sanemus, omniaque bona quibus egemus, à Deo impetremus, juxta illud Rom. 8. 26: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Ingens ergo donum Dei et Spiritus sancti est donum orationis. Secundo et pressius, magisque apposite et connexe ad sequentia, Arias et à Castro censent spiritum gratiæ et precum hìc vocari eum quem Deus injecit Hierosolymitis, cum Christum viderunt in cruce confixum, ut scilicet eum aspicerent oculis, non torvis et crudelibus, sed benignis, gratiosis et commiserantibus, indeque erumperent in lacrymas et preces, optantes ut Deus Christi innocentis, et tam dira patientis misereretur. Spiritus enim in Scriptura significat mentis impetum et vehementiam, v. g. ad amandum et commiserandum, si sit spiritus miserationis, uti hìc est. Hunc esse sensum patet ex Hebræo, ubi hæc verba pendent ex sequentibus: *Et aspicient ad me quem confixerunt, et plangent eum planctu quasi super unigenito.* Hæc enim eorum commiseratio fuit initium fidei et conversionis ad Christum, ac propagationis Ecclesiæ. Deus enim ob hanc eorum compassionem in Christum dedit eis fidem, gratiam et salutem per Christum. Simili modo ex aspectu Christi crucifixi compuncta, et ad vitam perfectam conversa est S. Elisabetha, regis Hungariæ filia, aliique permulti, uti mox ostendam. Quare minus recte ad litteram aliqui censent hunc spiritum gratiæ et precum promitti hìc Machabæis, uti cum Judæ Machabæo datum scimus. Rursum Mariana

hunc spiritum gratiæ et miserationis passive accipit, quasi dicat : Faciam ut fideles mei omnibus sint grati, ut omnes eorum misereantur, eisque opem ferant.

Moral. disce hîc magnum Dei donum esse donum orationis et precum : oratio enim est fistula cœlestis, per quam à Deo per merita Christi sugimus omnem gratiam, quasi manna. Eo excelluerunt S. Bernard. S. Dominic. S. Franc. S. Thomas Aquinas (qui suam sapientiam et doctrinam orando, potius quàm studendo se adeptum esse professus est), S. Franc. Xaverius et alii, qui eo nixi ardua quæque susceperunt et perfecerunt, adeoque nihil à Deo postularunt, quod non impetrarint. Ad hoc disponit et ducit ingens in Deum fiducia; quam parit profunda consideratio tum bonitatis Dei, tum meritorum Christi. Quid enim Deus benignissimus neget suis amicis, qui vitam suaque omnia pro eo prodigunt? Quid iisdem obtendentibus Christi sanguinem, dolores et mortem acerbissimam, per eamque supplicantibus, abnuat? Hinc fides thaumaturga, miraculorum operatrix, et suscitatrix mortuorum, imo damnatorum, aut certo damnandorum. Vis exempla? Accipe pauca è multis. S. Elisabetha precibus adolescentem vanum convertit, et ad Religionem impulit, ita ut ea orante adolescens clamaret : *Cessa, ô domina, cessa, quia vastissimo supplicationis tuæ incendio præcordia mea, et ipsæ medullæ depascuntur, ita ut fatiscam et emoriar.* Ita habet ejus Vita.

Anno Domini 959. perfectam pacem obtinuit Ecclesia Anglicana, defuncto Eduino rege, et succedente in monarchiam regni totius Edgaro. Porro precibus sancti Dunstani, quem afflixerat, ne penitus ad inferos damnaretur, animam ejus ereptam, ita narrat Osbertus monachus : *Interea Eduinus è vita præsenti subtractus, et anima ipsius, Dunstano in orationibus occupato, à quibusdam teterrimis hominibus cursim è vestigio est præsentata. Cujus miseriam miseratus, suarum injuriarum immemor, pro liberatione ejus immensos omnipotenti Deo lacrymarum imbres effudit, nec ab eis destitit, donec se pro eo exauditum agnovit. Facto igitur non grandi intervallo, Mauri illi ad Dunstanum sua præda vacui redeunt. Et quia suas injurias ulcisci supervacue venerant, calumniosas voces depromunt; quorum ille furores nihil pensans, Deo super ineffabili misericordia gratias egit.* Ita habet Osbertus in Vita S. Dunstani, et ex eo Baron. anno Christi 959.

Sophronius in Prato spirit. cap. 44. narrat de sene quodam, cujus discipulus negligens mortuus est. Contristatus ergo oravit et dixit : Domine Jesu Christe, verax Deus noster, revela mihi quid sit circa fratris animam. Adspexit autem in excessu mentis effectus, fluvium ignis, ingentemque in ipso igne multitudinem, ac medium fratrem illum ad medium usque demersum. Tunc ait illi senior : *Nonne te propter hanc pœnam orabam, ut curam animæ ageres, fili?* Respondit frater, et ait seni : *Gratias ago Deo, pater, quod vel caput meum requiem habet. Per orationes enim tuas supra caput Episcopi sto.*

Anno 920. fato concessit Sisinandus quartus Compostellanus Episcopus, cujus tanta fuit fama sanctitatis, ut Joannes Papa (opinor decimus) per litteras et tabellarium proprium se precibus ipsius commendaverit. Mortuus est autem senio confectus. In cujus obitu voces auditæ sunt Angelorum canentium : *Veni, electe Dei, intra in gaudium Domini tui.* Successit illi Gundesindus V. Compostellanus Præsul, et Comitis cujusdam filius : sed hic cùm mundo, quàm Deo magis deditus esset, vitam non satis pio fine clausisse dicitur. De qua re mater ejus, matrona pia gravi confecta dolore, et de anima filii vehementer sollicita, ante aram beatissimi Jacobi Apostoli divinam misericordiam dies noctesque non destitit implorare, et fletibus, precationibus, jejuniis, eleemosynis sibi demereri, interposito S. Jacobi patrocinio, donec quadam nocte in templo ejusdem Apostoli vocem hanc audivit : *Scias filium tuum hac nocte ad electorum societatem admissum fuisse.* Ita habet Joannes Vasæus in Chronico Hispaniæ ad annum 920.

Et aspicient ad me quem confixerunt.] Stolide Judæi ex Chaldæo hoc intelligunt de Christo quodam filio Joseph, quem in bello occubuisse fabulantur, aut de Juda Machabæo ab hostibus occiso. Vox enim *me* significat hîc loqui Deum : hebr. est דקרו *dakaru*, id est transfoderunt, transpunxerunt, transfixerunt, scilicet Judæi infideles et impii Christi caput spinis, manus et pedes clavis, latus lancea in cruce. De Christo enim in cruce transfixo hîc esse prophetiam et sermonem docet et interpretatur S. Joannes, c. 19. 33. ubi cum narrasset milites non fregisse Christi crura, eo quod viderant eum jam mortuum : *Sed unus militum*, inquit, *lancea latus ejus aperuit. Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur : Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit : Videbunt in quem transfixerunt.* Ita S. Hieron. Theodor. Cyrill. omnesque alii Interpretes, Græci et Latini; quin et Hebræi prisci apud Galatin. lib. 8. cap. 17. Loquitur de Judæis qui Christum in cruce aspexerunt, præsertim iis qui ei compassi et commiserati sunt, uti paulo ante dixi, et fuse recteque probat Alcazar Apocal. 1. vers. 7. notat. 6. qualis fuit Centurio ejusque socii, qui *viso terræ motu et his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes : Vere filius Dei erat iste*, Matth. 27. 54. Porro tales multos, imo plerosque fuisse significat Lucas, cap. 23. 48, dicens : *Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.* Ita Arias, à Castro, Salmeron tom. 10. tract. 48. in fine, et Alcazar loco jam citato. Pro *confixerunt*, Septuag. vertunt, *insultaverunt*, quia pro *dakaru* per metathesin legerunt רקדו *rakadu*, id est saltarunt, insultarunt. Ita S. Hieron.

Symbolice, Cyrill. et Euseb. lib. 8. Demonstr. c. 4. hæc adaptant Judæis in excidio Titi, iis, inquam, qui agnoverunt causam excidii esse, quod patres eorum Christum crucifixissent, ideoque conversi sunt ad Christum. Cæteri enim causam excidii non in Christi cædem, utpote quem non agnoverunt, imo negarunt esse Messiam, sed in seditiones cædesque mutuas, et alia Judæorum peccata retulerunt, ut patet ex Josepho, lib. 6. Belli, cap. 16.

Anagog. id implebitur in die judicii, quando Judæi aliique impii, qui hîc noluerunt Christum agnoscere, inviti eum agnoscent : nam damnabuntur eo quod ipsum transfixerint, aut transfixionis et passionis ejus fuerint immemores et ingrati suis sceleribus, ideoque plangent. Ita explicat S. Joannes Apocal. 1. 7 : *Ecce,*

ait, *venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt. Et plangent se super eum omnes Tribus terræ.* Vide ibi dicta. Imo multi putant hunc esse sensum litteralem, ut Theodor. Remig. Lyran. hîc, et S. August. libr. 20. Civit. cap. 30. Suarez 3. p. t. 2. disp. 57. sect. 9. Jansenius in Concord. Evangel. c. 1. 44. Toletus Joannis 29. 37, qui ex hoc loco probant stigmata crucifixionis et passionis in Christi corpore post resurrectionem mansisse, eaque videnda fore ab impiis in die judicii. Sed ex dictis patet hunc sensum potius esse anagogicum. Huc quoque allusit Christus, Matth. 24. 30, dicens : *Et tunc parebit signum filii hominis* (puta crux, cum clavis, lancea, etc.) *in cœlo, et tunc plangent omnes Tribus terræ, etc.* Denique nonnulli id ipsum extendunt ad particulare cujusque hominis judicium. Ita Innocentius Pontifex, lib. de Miseria conditionis humanæ, et ex eo Ludolphus, volumine 3. de Vita Christi, c. 46. censent quemque hominem in morte videre Christum in cruce positum : malum, ad suam confusionem, ut erubescat se non esse redemptum sanguine Christi, sua culpa id exigente; et hoc esse id quod hîc dicitur à Zacharia : *Aspicient ad me, quem confixerunt;* bonum vero Christum videre ad suam exsultationem. Idque probant ex 1. Thess. 3. 13 : *In adventu Domini nostri Jesu Christi,* id est, inquiunt, in die mortis, quando apparet tam bonis quàm malis, Christus in cruce positus. Et ex Apocal. 3. 3 : *Veniam ad te tanquam fur.* Verum hæc infirma et incerta sunt, ac proinde temerarium videtur illa asseverare, uti recte ait Dionys. Carthus. Dialogo de particulari judicio, art. 2. et 11. In judicio tamen universali apparebit Christus, non crucifixus, sed cum cruce et cicatricibus quinque vulnerum, uti jam dixi. Quare judicium particulare cujusque peragit Christus, vel per se, vel per Angelos. Per se, non descendendo de cœlis (sic enim qualibet hora, utpote qua multi per orbem moriuntur, deberet de cœlo descendere, seque replicare multoties, ut judicet eos qui eodem instanti in variis locis et provinciis moriuntur), sed per mentalem locutionem, qua manens in cœlo empyreo loquitur animæ in terra morienti, revelans ei sua facta, dictansque sententiam vitæ, vel mortis æternæ. Sic enim Angeli loquuntur invicem, etiamsi à se mutuo longissime distent. Vel certe judicium particulare exercet per Angelos : illi enim sunt ejus administratorii spiritus, ut ait Apostolus, Hebr. 1. Unde Bartholom. Sibylla S. Theol. Doctor, Ordinis S. Dominici, in speculo peregrin. quæst. decade 1. cap. 2. q. 9. censet Christum hoc judicium exercere per Angelum custodem cujusque, ut is deinde eum pro meritis vel ad purgatorium, vel ad cœlum deducat, vel tradat dæmoni, ut eum rapiat in gehennam. Hoc enim ad Angeli custodiam pertinere videtur, ejusque esse ultimus actus.

Et plangent] non tam suos dolores, uti facient impii in die judicii, quàm Christi indignam necem. Ait enim : *Plangent eum,* scilicet indigne crucifixum et occisum, *planctu quasi super unigenitum, ut doleri solet in morte primogeniti.* Est enim Christus *primogenitus omnis creaturæ,* Coloss. 1. v. 15 : *Sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon,* id est, sicut planxerunt olim Judæi Josiam regem optimum à Pharaone cæsum in campo Mageddo, cujus filius et antitypus fuit Christus in Jerusalem occisus à Judæis. Ita S. Hieron. *Crucifixo,* ait, *Domino salvatore renovabitur planctus in Jerusalem, separatis viris à feminis, eo quod tempore luctus non debeamus servire conjugiis et operi nuptiarum.* Id probat ex Joelis 2. 16 : *Egrediatur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo.* Et subdit : *Hoc non solum tempore angustiæ fieri, sed etiam in tempore orationis, quando volumus Deum deprecari. Igitur et nunc domus David, et Tribus domus Nathan, et Tribus domus Semei à suis uxoribus separantur, ut plangant Dominum.* Loquitur ad litteram de planctu fidelium in morte Christi, uti paulo ante ostendi. Gregor. Nazianz. in carmine cui titulus : *Christus patiens,* testatur militem illum qui lancea latus Christi perforavit, altero oculorum fuisse captum; sed Christi sanguine et aqua ad oculum admotis, visum recuperasse, ac Christi virtute agnita, pectus suum percussisse, ipsumque verum filium Dei agnovisse. Salmeron, tom. 10. pag. 496, idem citat non tantum ex Nazianz. sed etiam ex Isidoro. Rom. Martyrol. die 15. Martii asserit Longinum fuisse eum qui latus Christi perforavit, indeque credidit et Martyr evasit. Hoc significat τo *aspicient*, scilicet tam oculis cordis quàm corporis, *in me quem confixerunt.*

Symbol. hunc planctum recte accipias, tum eum quo planxerunt fideles, partim ex pœnitentia et lætitia conversionis suæ, qua receperunt Spiritum sanctum; partim ob persecutiones varias, quas propter Christum primitus passi sunt à Judæis et Gentilibus; imo hunc ad litteram hîc intelligi censet S. Hieron. Remig. Albert. et Alcazar loco jam citato : tum eum quo quotannis fideles, præsertim in hebdomada sancta (in qua Deus in fideles et pios effundit hunc spiritum gratiæ et precum sive commiserationis) recolunt, et plangunt passionem Christi, dum cogitant se suis peccatis crucifixisse Christum, ideoque pœnitentiam agunt, et austeram vitam capessunt, appetitus suos edomant, studentque mortificationi, uti faciunt Religiosi. Hi enim reipsa compatiuntur Christo, dum ob Christi recordationem, venerationem, amorem et imitationem, mortificationem Jesu in carne sua circumferunt, uti ait Apostolus, itaque quasi justa Christo pro se crucifixo persolvunt, eique parentant. Reipsa enim dicunt, planguntque illud Thren. 4. 20. et cap. 5. 18 : *Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris. Cecidit corona capitis nostri : væ nobis, quia peccavimus!* Porro planctus hic est in Adadremmon, id est, in hortis malogranatorum : tales enim sunt religiones et monasteria, in quibus viget disciplina et charitas, quorum cura ad sponsam Christi pertinet, juxta illud Cant. 6. 10 : *Descendi in hortum meum, ut viderem poma convallium, et inspicerem si floruisset vinea, et germinassent mala punica.* Et cap. 7. 12 : *Mane surgamus ad vineas et videamus, etc. si floruerunt mala punica.* Hinc seorsim plangunt viri in monasteriis virorum, et seorsim mulieres in monasteriis feminarum, agentes pœnitentiam vitæ religiosæ. Porro maxime plangunt domus David, Nathan, Levi et Semei, quæ Christo erant cognatæ, id est, quæ pietate et charitate ad Christum proxime accedunt. Unde David exponitur dilectus, Nathan donatus, Levi copulatus, Semei obediens. Hæc Alcazar, cui consentiunt Isidor. Clarius, Vatabl. et Dionys. Ita Abbas Stephanus in Prato spirituali, cap. 64, tribus

senibus de animæ salute disserentibus : *Ego*, inquit, *die noctuque nihil aliud aspicio, nisi Dominum nostrum Jesum Christum in ligno pendentem.* Ita S. Elzearius Comes Arriani crucifixum semper intuens, nulla injuria, nulla afflictione, nulla molestia movebatur ad iram vel impatientiam, sed omnia placide immoto vultu et invicta patientia tolerabat. Cumque uxor ejus Delphina miraretur istam apathiam, et causam quæreret, respondit: *Explicabo tibi arcanum pectoris mei. Noveris me interdum sentire aliquam indignationem in animo adversus infestantes me, sed illico me converto ad cogitandas injurias Christo illatas, eumque imitari cupiens dico mihi ipsi : Etiamsi famuli tui barbam tuam convellerent, et colaphos tibi infringerent, nihil esset ad Dominum tuum, qui majora perpessus est; certumque habeas, Delphina, me nunquam cessare à commemorandis injuriis Salvatoris mei, donec animus meus plene sit tranquillatus.* Hac ratione nulla ei perturbatio, vel commotio potuit dominari. Thomas Cantiprat. lib. 2. Apum, c. 25. p. 5, narrat Martyrem quemdam captum à Gentili tyranno, semper gemebundum incessisse; cumque tyrannus causam tristitiæ quæreret, respondisse : *Semper tristis incedo, quia mortis Dei mei memor, continue in corde meo passionis ejus stigmata porto.* Unde indignatus tyrannus jussit ei cor evelli et dissecari, in quo reperit Christi crucifixi imaginem : qua re commotus, ad Christum conversus et baptizatus est. Eadem Christi crucifixi imago inventa est in corde S. Claræ de Montefalco, uti narrat oculatus testis Thomas Bozius, lib. 15. de Signis Eccles. cap. 3. tom. 2. Nota sunt sacra stigmata S. Francisco à Christo crucifixo, quem jugiter intuebatur, impressa. S. Lydwina jugiter in plagis Christi, quasi in foraminibus petræ, instar columbæ nidificantis commorabatur, ut habet ejus Vita apud Surium, cap. 7. die 14. Aprilis. Idem fecit S. Clara, discipula S. Francisci, ut habet ejus Vita, cap. 20. apud Surium die 12. Augusti, atque ejus assecla S. Coleta, uti in ejus Vita refert illi coævus Stephanus Juliacus. Idem fecit S. Hedwigis Ducissa Poloniæ, ut habet ejus Vita, cap. 5. apud Surium die 15. Octobris. Et S. Brigitta, ut habet ejus Vita, cap. 5. ac S. Gertrudis, Mechtildis, et Catharina apud Blosium Abbatem in Monili spirit. cap. 2. Denique S. Elisabetha, Hungariæ regis filia, cum quadam die ornatu et comitatu regio Ecclesiam ingressa esset, statim ubi crucem vidit Christumque in ea pendentem, cœpit in lacrymas solvi, et dolore acerrimo torqueri, cogitans dicensque sibi : *Deus et Salvator meus in patibulo moritur; ego gemmis, auro, purpuraque fulgeo : ille spineam coronam gestat; ego auream : ille inter latrones, hostes et derisores; ego turba famulorum me colentium cingor.* Quare cum se propterea infelicem, miseram, ac pene damnatam appellaret, quod tam male suum imitaretur creatorem, exanimis in terram corruit, ægreque ad se reversa, statuit vitam mutare, Christique humilitatem et crucem imitari, ut reipsa præstitit. Ita habet ejus Vita, et Hier. Platus, lib. de Dign. Card. cap. 17.

Plangent eum.] Transit à prima persona ad tertiam, puta à *me* ad *eum*. Hinc Sanchez putat Prophetam post raptum ad Christum, ejusque plagas, quibus confixus est, illico redire et revolare ad Machabæos, de quibus egit toto capite, q. d. In persecutione quam ab Antiocho dirissimam sustinebit populus Judaicus, pii omnes plangent super eum, scilicet populum jam dictum : omnes enim tunc planxisse patet 2. Machab. 1. Verum in præcedentibus nulla vastationis, sed roboris et victoriarum Machabæorum facta est mentio. Adde hunc raptum videri nimis subitum et insolentem. Ad eum tamen alludi non nego.

Secundo, Alcazar loco citato censet τὸ *me*, ad Patrem æternum referri : illum enim in sua, id est, in prima persona loqui solere in Scriptura; sed τὸ *eum* referri ad Filium, q. d. Aspicient me Patrem quem confixerunt; quia mihi inflictum fuit vulnus, quod Christo filio meo dilectissimo inflixerunt, juxta illud Malachiæ, cap. 3. 8 : *Si affiget homo Deum, quia vos configitis me?* Quare efficiam ut plangant eum.

Tertio, alii passim simplicius censent esse enallagen Hebræam : Hebræi enim sæpe mutant personas, et de seipsis nunc in prima, nunc in tertia persona loquuntur. Aut facilius dicas hucusque locutum esse Christum de se in prima persona, nunc vero loqui Prophetam de Christo, ideoque loqui de eo in tertia persona. Propheta enim id quod Christus paucis dixerat, exaggerat et ostendit quantus ejus confixione in cruce futurus sit omnium planctus. Septuag. vertunt : *Plangent super se;* quos sequens S. Joannes Apoc. 1. 7 : *Plangent*, ait, *se super eum omnes Tribus terræ;* quia in die judicii plangent impii super se, eo quod Christi necem vel procurarint, vel illi ingrati fuerint : de quo plura in fine capitis.

Porro docet hîc Zacharias inter varios affectus, quos ex meditatione passionis Christi elicere possumus, ut admirationis, amoris, gratitudinis, compunctionis, timoris, pœnitentiæ, imitationis, patientiæ, gaudii, spei, etc. eminere affectum compassionis, eumque proprie nos Christo pro nobis patienti debere. Quis enim non intimis sensibus condoleat Christo innocenti et sancto, imo Dei filio unigenito, cum eum in cruce confixum intuetur, tot tantaque pro se tam amanter pati? Quis non ex commiseratione gemat, et lacrymis diffluat? Vere S. Bonavent. in Stimulo divini amoris : Quid, ait, fructuosius esse possit, quid suavius, quàm ex toto corde compati amarissimæ passioni Jesu Christi Domini nostri? Vide eumdem, et nostrum Franciscum Arias, lib. de Oratione mentali, cap. 12. Quocirca S. Clara, discipula S. Francisci, jussit Monialibus sui Ordinis, crebro plangere mortem Christi, uti habet ejus Vita.

11. Sicut planctus Adadremmon.] Primo, *Adadremmon* urbs erat juxta Jezrahel, quæ postea dicta est Maximianopolis, sita in campo Mageddo, ubi occisus est Josias rex Juda à Pharaone Nechao, cujus mortem luxit Jeremias et totus Israel, 2. Paral. 25, q. d. In crucifixione et morte Christi maximus erit fidelium planctus, qualis fuit in cæde Josiæ optimi regis, qui fuit proavus et typus Christi. Ita S. Hieron. Remig. Albertus et alii. Videtur hæc urbs ita dicta à copia malogranatorum. *Remmon* enim hebr. idem est quod malogranatum, *hadad*, vel, ut Chald. legit, *hadar*, idem est quod decor. Dicta est ergo urbs hæc amœnissima *Adadremmon*, id est decor malogranatorum. Unde Arabicus et Syrus vertunt : *Sicut planctus super filium Amon*

(id est super Josiam : Josias enim fuit filius Amon, Matth. 1. 10.) *in campo Mageddo.*

Secundo, Septuag. more suo nomina propria ex etymo interpretantes, pro *Remmon* vertunt, *malum punicum*, sive granatum ; pro *Mageddo* vertunt, *succisus.* Sic enim habent : *Sicut planctus mali punici*, aut potius, *puniceti*, *quod in campo succiditur.* Ubi recte notat S. Hieronym. Græcum ῥοῶνος (sic enim legendum in Septuag. non ῥοῶν, id est malorum punicorum, uti legunt Complutens.) non malum punicum, sed punicetum, id est, locum malis punicis consitum significare. Jam Cyrillus versionem Septuag. sic explicat, q. d. in Christi morte *similem planctum fore, qualis est planctus agricolæ, cum arbor malogranati cum suis pomis exscinditur. Arbor est* εὐανθής (id est, *pulchre florens*), *et frequentes à radice mittens ramos, rectos et proceros, quæ cum malis suis punicis decoratur, tunc admirationem movet*, q. d. Sicut exciso puniceto maxime dolet herus, utpote qui in eo suas habebat delicias, præsertim dum floribus purpureis instar calyculorum, aut malis punicis vermiculantibus ornantur (uti Romanorum delicias esse videmus in punicetis); sic summe dolebunt omnes pii in morte Christi. Utitur similitudine granatorum potius quàm aliorum fructuum, quia granata dum comprimuntur sanguineum fundunt succum, eumque sapidum et salutarem, qui repræsentat sanguinem Josiæ et Christi, quo salvatus est mundus. Unde sponsa Cantic. 8. 2 : *Dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum.* Addit Cyrill. malogranato significari optimates reipubl. Theodor. vero Septuag. sic explicat : Sicut, inquit, lignatores secantes maximam arborem malogranatorum, ingentem strepitum faciunt ; sic horum planctibus omnium aures circumsonabunt. Insuper charitatis typus est malogranatum : habet enim grana densissima et conjunctissima, instar uvæ, adeoque videtur uva pomi, sicut botrus est uva vitis : cortice enim est pomum, sed granis uva et botrus. Adde, puniceus vel purpureus punici mali, florisque ejus color, amoris est symbolum. Hæc de versione Septuag. ex qua censent nonnulli, in morte Josiæ succisum esse punicetum, juxta quod ipse occisus est, dictum Adadremmon, ideoque hìc ejus fieri mentionem, quod duplicem luctus causam et similitudinem ingerat, unam ex morte Josiæ, alteram ex succisione puniceti.

Tertio, Chald. putat duas luctuosas cædes, scilicet Achab et Josiæ hìc significari, et ab utraque peti similitudinem. Sic enim vertit : *Sicut planctus Achab filii Amri, quem occidit Hader Remmon* (Benadad) *filius Tabremon* (rex Syriæ, ut patet 3. Reg. 15. 18. et cap. 22. 24.) *in Ramoth Galaad : et sicut planctus Josiæ filii Amon, quem occidit Pharan claudus in campo Mageddo.* Verum Achab impius fuit rex : unde in ejus morte non fuit magnus planctus, et si fuisset, eo non uteretur Scriptura, nec ei compararet planctum de morte Christi. Quocirca à Castro suspicatur Adad hunc fuisse virum quempiam celebrem, civem Remmon, occisum in Mageddo, cujus mors communi omnium planctu celebrata sit, ejusque historiam tempore Zachariæ fuisse vulgatissimam, licet ea nobis sit incognita.

Est ergo Hebræis proverbium : *Planctus Adadremmon* vel *planctus Josiæ*, significans ingentem planctum; qualis est planctus unigeniti defuncti. Simile Gentilibus fuit : *Planctus Adonidis.* Venus enim Adonidem mortuum amare planxit, cujus lamenta annuo planctu et solemni refricabant et celebrabant. Unde Venus apud Ovidium, lib. 10. Metamorph.

> Luctus, *ait*, monumenta manebunt
> Semper Adoni mei, repetitaque mortis imago,
> Annua plangoris peraget simulamina nostri.

Et Ezech. cap. 8. 14. vidit in templo mulieres plangentes Adonidem. Vide ibi dicta.

12. SEORSUM.] Quia apud Hebræos, imo et Græcos feminæ separabantur à viris in conviviis, in oratione, aliisque actibus publicis et solemnibus, adeo ut apud honestiores pars una domus viris deputata esset, quæ andronitis : pars altera feminis, quæ gynæconitis dicebatur. Ita ex Plutarcho, Athenæo et aliis Sanchez.

FAMILIÆ DOMUS DAVID.] Omnes hæ familiæ, sed quatuor præ cæteris plancturæ in cæde, non Judæorum tempore Antiochi, sed Christi, asseruntur, scilicet David, Nathan, Levi et Semei, pro quo Septuag. habent *Simeon.* Verum Semei, vel Simeon hic, non est ille filius Jacob secundo genitus, frater Judæ, et Patriarcha ; sed alius, ait Lyran. eo longe posterior, qui vita et sapientia illustris scholam sive sectam instituit, de quo S. Hieron. in Isaiæ 8. et ad Algasiam quæst. 10 : Duas domos, inquit, Nazaræi duas familias interpretantur, Sammai et Hilleb, ex quibus orti sunt Scribæ et Pharisæi, non multo priusquam Christus nasceretur, quorum scholam Akibas postea rexit ; et has esse duas domus quæ Salvatorem non receperunt, qui illis fuit in ruinam et in scandalum. Jam quænam fuerint hæ quatuor familiæ non constat : constat tempore Zachariæ et Christi fuisse Judæis notas et celebres. Duæ tamen de iis probabiles sunt opiniones. Prior, hosce quatuor fuisse proavos Christi : unde eorum familias maxime luxisse in morte Christi, tanquam cognati sui, præsertim eos qui Christi fidem erant amplexi. Nam Lucas, c. 3. in genealogia Christi ejus proavum nominat, Levi, v. 24. et alium v. 29. deinde Semei, v. 26. rursum Nathan et David, v. 31. Favent S. Matth. Marcus et Lucas, qui dicunt in Christi nece non tantum planxisse mulieres, et omnes notos ejus stetisse à longe, sed et totam turbam, visis tot prodigiis, quæ tunc contigerunt, percussisse pectora sua. Ita Arias et à Castro.

Posterior est S. Hieronym. Theodor. Remigii, Alberti, Riberæ et aliorum plurium, per familiam David significari proceres ; hi enim prognati sunt ex David : per posteros Levi significari sacerdotes et pontifices ; hi enim ex Levi descenderunt : per Semei, vel Sammai, significari doctores et Scribas, qui Sammai habuerunt ducem et magistrum : per posteros Nathan Prophetæ significari Prophetas, id est viros religiosos, qui orationi, meditationi, Deique laudibus vacabant, qui in libris Regum vocantur filii Prophetarum. Hæc enim erant officia Prophetarum, indeque spiritum proprie prophetandi, id est, futura prædicendi, nonnulli ex illis magis in spiritu elevati concipiebant.

Dices : Multi ex his, ut sacerdotes et Scribæ, non planxerunt mortem Christi; sed eam procurarunt. Resp. in Scriptura sæpe ea facta, vel futura dicuntur, quæ fieri decet, aut debent,

sive quæ ut fiant honestas et rerum natura postulat, vel quibus ut fiant justa gravisque causa datur, ut dixi in prooemio, canone 15.

Quatuor ergo hæ familiæ plancturæ dicuntur in morte Christi : quia decebat eas plangere, quia quælibet planctus propriam gravemque habebat causam ; etsi multi ex iis perversi reipsa non planxerint. Familia enim David propriam plangendi causam habebat, eo quod Christus ex ea prognatus quasi rex et Messias occideretur. Rursum quod propter Christum occisum destrueretur regnum Davidis et Judæ. Familiæ Levi plangendum erat, quod Christus Sacerdos et Pontifex, omnibus Leviticis sacrificiis et sacerdotibus adumbratus, necaretur, quodque ipsa necis ejus esset causa, ideoque ab ea auferretur sacerdotium, templumque à Romanis pollueretur et combureretur. Familiæ Semei plorandum erat, quod Christus Doctor orbis interimeretur, ideoque Doctorum et Scribarum ordo contaminandus et abolendus esset. Familiæ Nathan lugendum erat, eo quod Christus Prophetarum dux iniquissime et crudelissime necaretur, ideoque ab eis auferenda esset omnis prophetia, religio et sanctitas. Adde multos ex his familiis fuisse pios et conversos ad Christum, qui sane reipsa ejus mortem acerbe planxerunt. Insuper Arias, Mariana et Sanchez censent has quatuor familias præ cæteris planxisse mortem Josiæ, eique suo planctu parentasse, idemque multos ex iis fecisse Christo Josiæ antitypo. Denique hæ omnesque aliæ familiæ plangent in die judicii, quando videbunt se, vel suos ob Christi necem vel procuratam, vel vilipensam, ab eodem jam glorioso judicante et regnante, ut ingratos, infideles, rebelles et impios damnari ad æterna incendia. Unde Septuag. v. 10. pro eo quod Hebr. et Noster habent, *plangent eum*, vertunt, *plangent super se.* Et ex iis S. Joannes loquens de Christo judice, Apocal. 1. 7 : *Plangent se super* (propter) *eum omnes Tribus terræ.* Ex quo liquet hunc sensum de planctu impiorum in die judicii, non tam esse anagogicum, quàm litteralem. Combinat enim Propheta omnem de Christi nece planctum, tam piorum in ejus funere, quàm impiorum in die judicii. Ita S. August. Theod. Remig. Suarez et alii, quos citavi v. 10. quibus adde Tertull. libr. contra Judæos, cap. 14. et Irenæum libr. 4. contra hæres. c. 66. Plangent ergo tunc impii, quia videbunt stigmata vulnerum Christi, æque ac sua peccata, quæ illorum fuere causa, v. g. videbit Judas se sua proditione Christum adegisse in crucem : videbit dives epulo se suis deliciis confixisse Christum : videbit superbus se suis honoris punctis ; avarus, se suis fraudibus et usuris ; adulter, se suis libidinibus ; pugnax, se suis pugionibus transpunxisse Christum : videbit quisque impius quot plagas suis sceleribus Christo inflixerit, quot spinas ejus capiti, quot verbera et dolores ipsi infixerit, quot pœnas ei addiderit. Insuper videbit Christum sua peccata omnia in se luenda, ex immenso amore suscepisse, eaque quantum in se est expiasse ; ac proinde videbit suam ingratitudinem et dementiam, quod pœnitere et vitam corrigere, ac Christo obedire noluerit, ideoque sibi frustraneam fecerit Christi passionem et crucem ; ac consequenter quod sola sua culpa, negligentia et malitia pereat, et idcirco justissime damnetur ad horrenda et æterna tormenta. Merito ergo planget. Denique plangunt quotannis Christi cædem omnes familiæ fideles in hebdomada sancta. Prophetia enim hæc cœpit impleri moriente Christo, et post ejus mortem pergit impleri per singula secula, donec plene compleatur in fine mundi et die judicii. Ita Vatabl. et Dionys. Hæc explicatio generalis est et plena, cæterasque omnes complectitur : nam Propheta, v. 12, hunc planctum dilatare et ad omnes familias omniaque tempora extendere videtur.

Tropol. Plangunt Christum crucifixum Religiosi et fideles, qui sua vitia mortificant, passiones et membra crucifigunt amore Christi, ut ejus crucem tam activam quàm passivam, pro ejus honore jugiter, tam in corpore quàm in mente circumferant, ut dicant cum S. Paulo Galat. 6. 17: *Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto,* uti ex Alcazare dixi, v. 10.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRÆDICIT CHRISTUM FORE FONTEM GRATIÆ, JUSTITIÆ ET SALUTIS, IDEOQUE ABOLENDA ESSE IDOLA ET PSEUDO-PROPHETAS, ADEO UT PARENTES SUOS FILIOS, SI FALSA ET IMPIA DOCEANT, GRAVITER PUNITURI SINT. FONTEM AUTEM HUNC VERS. 6. DOCET APERIENDUM PLAGIS IN CRUCE, JUBENTE PATRE AC DICENTE : FRAMEA SUSCITARE SUPER PASTOREM MEUM, ET SUPER VIRUM COHÆRENTEM MIHI : PERCUTE PASTOREM, ET DISPERGENTUR OVES. UNDE V. 8. DOCET CHRISTI PASSIONE TERTIAM POPULI PARTEM SALVANDAM, EAMQUE PROBANDAM FORE PER IGNEM.

1. In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ. 2. Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum : Disperdam nomina idolorum de terra, et non memorabuntur ultra : et pseudo-prophetas, et spiritum immundum auferam de terra. 3. Et erit, cum prophetaverit quispiam ultra, dicent ei pater ejus et mater ejus, qui genuerunt eum : Non vives : quia mendacium locutus es in nomine Domini. Et configent eum pater ejus et mater ejus, genitores ejus, cum prophetaverit. 4. Et erit : In die illa confundentur prophetæ, unusquisque ex visione sua cum prophetaverit : nec operientur pallio saccino, ut mentiantur. 5. Sed dicet : Non sum Propheta, homo agricola ego sum : quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea. 6. Et dicetur ei : Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum ? Et dicet : His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. 7. Framea suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum : percute pastorem, et dispergentur oves, et convertam manum meam ad parvulos. 8. Et erunt in omni terra, dicit Dominus : partes duæ in ea dispergentur, et deficient; et tertia pars relinquetur in ea. 9. Et ducam tertiam partem per ignem, et uram eos sicut uritur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum. Ipse vocabit nomen meum, et ego exaudiam eum. Dicam. Populus meus es; et ipse dicet : Dominus Deus meus.

1. IN DIE ILLA,] cum scilicet videbunt Christum in cruce confixum, ideoque plangent, ut dixit cap. præced. v. 10; tunc enim Christus factus est fons sanguinis, potius quàm aquæ, ad abluenda Judæorum omniumque hominum peccata.

ERIT FONS PATENS DOMUI DAVID.] Syrus et Arabicus : *Fons qui aperietur domui David.* Alludit ad fontem Siloe, qui typus fuit Christi, Joan. 9. 7. *Siloe* enim hebr. idem est quod *missus :* Christus autem quasi legatus à Patre ad nos missus est, ut nos ei reconciliaret. Siloe fons, inquit Adrichom. in Descriptione Terræ Sanctæ, cui piscina, sive natatoria Siloe conjuncta est, in Occidentali latere vallis Josaphat, è radice montis Sion scaturit. Aqua ejus clara, dulcis et uberrima, cum silentio, ut ait Isaias, c. 8. 22, placideque fluit in torrentem Cedron. Hunc fontem inclytus rex Ezechias restauravit : atque in ejus piscina cæcus ille à nativitate oculos suos, Christi sputo et luto inunctos, lavans visum recepit (quo hìc alluditur) Joan. 9. De hujus aquæ virtute diligentissimus loci hujus perscrutator Saligniacus ita fere scribit : Fontis hujus aqua adhuc hodie, ipsis etiam Saracenis in pretio est. Nam cum corpore naturaliter instar hircorum fœteant, in hoc fonte se et pueros suos lavant, eaque lotione fœtorem suum mitigant. Quin et eam Turcæ magni faciunt, quod ejus usum oculorum visui conferre experiantur. Scribit Nicephorus, lib. 8. c. 30, S. Helenam Imperatricem ad fontem hunc mirifica construxisse opera. Hæc Adrichom. Siloe ergo et nomine, et virtute sua repræsentat Christum, de quo Isaias, c. 12. 3 : *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Vide ibi dicta.

Quæres : Quisnam hic fons? Aliqui putantes hìc agi de tempore Machabæorum, qui repurgarunt templum, et ritus Judaicos restituerunt, censent hunc fontem fuisse templi, quo abluebantur immundi, et menstruatæ : has enim aqua viva ablutas fuisse tradunt Judæi. Verum hoc frigidum est et Judaicum. Adde omnes orthodoxos censere hìc agi de Christo. Respondent ergo primo, S. Hieron. Rupert. Hugo et Lyran. fontem hunc esse baptismum. Hoc verum est, sed partiale : nam multa peccata post baptismum committuntur, quæ hoc fonte abluuntur,

cum tamen baptismo elui nequeant. Secundo, Remigius hunc fontem censet esse doctrinam, quæ ex ore Christi et Apostolorum, quasi ex fonte scaturiebat, juxta illud Prov. 20 : *Os justi vena vitæ, et os justi parturiet sapientiam.* Unde Chald. vertit : *In tempore illo erit doctrina legis revelata, ut scaturigo aquarum domui David.* Tertio, Haymo censet hunc esse fontem misericordiæ Dei. Quarto, Vatabl. censet hunc fontem esse latus Christi, cum illud lancea perforatum scaturivit aquam et sanguinem, quasi symbola Sacramentorum et gratiæ. Hæc vera sunt, sed partialia.

Dico ergo, plene et adæquate : Hic fons est Deus incarnatus, puta Jesus Christus, qui est fons, hebr. מקור *macor,* id est vena, scaturigo, perenniter in homines quovis seculo scaturiens aquas omnis gratiæ et doctrinæ. Rursum Christus est fons et origo Spiritus Sancti, quem in nos effundit, ut peccata expurget, et animæ sitim restinguat, juxta illud Joan. 7. 37 : *Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Insuper fons hic physice apertus fuit, cum in cruce, latere et corpore Christi per plagas aperto, factus est ipse quasi fons patens baptismi, et Sacramentorum omnium. Ita Theodoret. et Hebræi apud Galat. lib. 4. cap. ult. Item S. Gregor. homil. 20. in Ezech. quem audi : *Fons quippe occultus, est unigenitus Patris, invisibilis Deus. Fons vero patens, est idem Deus incarnatus : qui fons patens, recte domus David dicitur, quia ex David genere noster ad nos redemptor processit. Hi autem Jerusalem habitant, qui in visione pacis intimæ mentem figunt. Peccator vero et menstruata est; vel is qui delinquit in opere, vel mens quæ labitur in prava cogitatione. Menstruata namque ista pollutio est, quia et aliena carne non tangitur, et sua carne inquinatur. Sic itaque, sic est omnis anima, quæ etsi malum opus non agit, polluta tamen cogitatione sordescit.* Porro ad crucem et vulnera Christi hic respicere Prophetam, patet tum ex cap. 12. v. 10. ubi dixit : *Aspicient ad me quem confixerunt ;* tum quia fontem hic explicans, v. 6. ait : *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum ?* Quinque ergo vulnera Christi fuerunt quasi quinque fontes, tam gratiæ, quàm sanguinis.

Maxime autem respicit ad vulnus lateris Christi : tum quia ex eo exivit sanguis et aqua, quæ fuerunt quasi symbola Baptismi, Eucharistiæ et cæterorum Sacramentorum, quibus à peccatis abluimur. Unde S. Hier. Epist. 83 : *Cum ad occasum,* ait, *latus Christi percutitur lancea, baptismi atque martyrii Sacramenta funduntur.* Et S. Ambros. lib. 5. de Sacrament. cap. 1 : *Quare,* ait, *aqua? quare sanguis? aqua ut emundaret; sanguis ut redimeret :* tum quia vulnus hoc fuit majus cæteris, adeoque tantum, ut S. Thomas ei manum imponere potuerit, Joan. 20. 27. Quinimo vulnus hoc videtur totum latus Christi penetrasse, ut videlicet lancea hæc adacta per dextrum latus Christi transierit ejus cor et pericardium, atque cuspis ejus exierit per latus sinistrum ad papillam. Nam utrumque latus Christi fuisse transfossum, tribus locis docet Prudentius. Primo, in carm. de Passione Christi, dum ita canit :

Trajectus per utrumque latus, latice atque cruore
Christus agit : sanguis victoria, lympha lavacrum est.

Secundo, Peristephanon hymno 8 :

Ipse loci est Dominus, laterum cui vulnere utroque,
Hinc cruor effusus fluxit, et inde latex.

Tertio, Cathemerinon hymno 8 :

O novum cæde stupenda vulneris miraculum !
Hinc cruoris, fluit unda, lympha parte ex altera.

Idem insinuat S. Cyprianus tractat. de Passione Christi, cum ait : *De latere tuo, ô Christe, divisis limitibus aqua et sanguis emanant.* Hinc et Theophil. hoc vulnus lateris vocat τυπους in plurali. Idem confirmatur ex eo quod S. Thomas lateri Christi manum imponere potuerit : ergo lancea per illud profunde fuit adacta; ac consequenter ejus cuspis penetravit et pertudit latus sinistrum. Vide hic, ô Christiane, latitudinem vulneris, et consequenter amoris Christi. Hic est fons patens, cor inquam patens, in quod introeas : illud ergo ingredere; totum enim te capiet : *Longinus aperuit mihi latus Christi lancea, et ego intravi, et ibi requiesco securus,* ait S. August. in Manuali, c. 23. Idem, c. 21 : *Tuta,* ait, *et firma requies est infirmis et peccatoribus in vulneribus Salvatoris. Securus illic habito : patent mihi viscera per vulnera : quidquid ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini mei; quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina per quæ effluant. Per foramina corporis patent mihi arcana cordis, patet magnum pietatis Sacramentum, patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. Vulnera Jesu Christi plena sunt misericordia, plena pietate, plena dulcedine et charitate. Foderunt manus ejus, pedes ejus, et latus ejus lancea perforaverunt. Per has rimas licet mihi gustare quàm suavis est Dominus Deus meus, quoniam revera suavis et mitis, et multæ misericordiæ est omnibus eum invocantibus in veritate; omnibus inquirentibus, et maxime diligentibus. Copiosa redemptio data est nobis in vulneribus Jesu Christi Salvatoris nostri. Magna multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, et perfectio virtutum. Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Cum me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo. Cum diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ Domini mei, et recedit à me. Si ardor libidinis moveat membra mea, recordatione vulnerum Domini nostri filii Dei exstinguitur. In omnibus adversitatibus non inveni tam efficax remedium, quàm vulnera Christi : in illis dormio securus, et requiesco intrepidus. Christus mortuus est pro nobis. Nihil tam ad mortem amarum, quod morte Christi non sanetur. Tota spes mea est in morte Domini mei.*

Hujus fontis symbolo sub nativitatem Christi Romæ in taberna meritoria trans Tiberim, fons quidam per totum diem fluxit oleo. Hic enim repræsentabat fontem misericordiæ et beneficentiæ, quem Christus nascens orbi attulit, nec tantum attulit, sed et suis communicavit, dum eosdem fontes sibi similes effecit, juxta id quod ipse ait Samaritanæ : *Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam,* Joan 4. 14. Præclare S. Ambr. lib. 6. Hexamer. cap. 4 : *Omnia,* inquit, *habemus in Christo, et omnia Christus est nobis. Si vulnus curare desideras, medicus est : si febribus æstuas, fons est : si gravaris iniquitate, justitia est : si auxilio indiges, virtus est : si mortem times, vita est, si cœlum desideras, via est : si tenebras fugis, lux est : si*

cibum quæris, alimentum est. Christus ergo est fons sapientiæ, charitatis, gratiæ, virtutis, omnisque boni : ipse est πηγη σοφιας και σωτηριας.

Domui David,] id est, ut S. Hieron. et Gregor. hom. 20. in Ezech. ex domo David, hoc est è templo, ait Mariana, scaturiens. Unde Ezechiel, cap. 47. 1, vidit è templo fontem erumpere, et in fluvium crescere. Verum quia additur : *Et habitantibus Jerusalem*, hinc melius per *domum David* principes, per *habitantes Jerusalem* plebem accipias, q. d. Fons hic patet omnibus, tam plebeiis, quàm principibus. Meminit Davidis, quia Christus Davidi fuit promissus, et ex eo prognatus : ejus ergo posteris in primis exhibendus fuit, ac deinde cæteris Hierosolymitis et Judæis. Unde Christus dixit se non esse missum, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel ; ac tandem per Apostolos hic fons gratiæ propositus fuit omnibus gentibus, ut ex eo salutem potent. Ita Theodoret.

Mystice, S. Hieron. domus David est Ecclesia, præsertim primitiva Apostolorum, in qua quasi in Jerusalem habitantes et cives sunt omnes fideles, tam ex Gentibus, quàm Judæis.

In ablutionem peccatoris.] Cyzici exstat fons, qui Cupidinis vocatur, ex quo potantes amorem deponere credit Mutianus, ait Plinius, lib. 31. 11. et Isidor. lib. 13. Origin. cap. 13. Cyzici, ait, fons amorem Veneris tollit. Ut ut hoc sit, certe nullus est fons qui peccata abluat, et ab iis peccatores emundet, nisi Christus qui fonte baptismatis ea extergit, ac gratia sua non tantum ea abolet, sed et eorum scaturigines, puta cupiditates terrenas fomitemque libidinis, gulæ, etc. sopit et restinguit, mentemque sacro igne et cœlesti amore inflammat. Hebr. est : *Ad peccatum et menstruam immunditiam*, scilicet abluendam et expiandam, nimirum à peccatore et menstruata, quod Noster clare vertit : *In ablutionem peccatoris et menstruatæ.* Alludit enim ad aquas expiationis, confectas ex cinere vitulæ rufæ, quibus immunditia ex menstruo, morticino, aliave quavis pollutione (quæ erat peccatum legale veteris testamenti) contracta abluebatur, Num. 19. 11. Unde Chald. vertit : *Dimittam peccata eorum sicut mundantur aqua aspersionis, et cinere vaccæ quæ oblata est pro peccato.*

Porro hæc immunditia legalis, præsertim menstrui, typus erat peccati, quod est menstruum, id est virus et pollutio summa animæ, ut dixi, Levit. 15. v. 19 et 25 ; ac consequenter aquæ expiationis ejusdem, typus erant sanguinis Christi, quo peccatum omne abluitur.

Porro ad litteram per peccatorem intelligit viros, per menstruatam feminas peccato sordidatas : tam enim mulierum, quàm virorum peccata hoc Christi fonte eluuntur.

Symbol. Albert. Lyran. et Clarius per peccatum intelligunt actuale, per menstruum originale : hoc enim transfunditur generatione, cujus fæces et reliquiæ in puerpera sunt menstrua, vel fluxus sanguinis, et sordes instar menstruorum.

Tropol. S. Gregor. hom. 20. in Ezech. Peccator, inquit, est qui delinquit opere : menstruata est mens quæ labitur prava cogitatione.

Moral. S. Bernard. serm. 62. in Cant. *Quid*, ait, *tam efficax ad curanda conscientiæ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quàm Christi vulnerum sedula meditatio?* Et S. Bonavent. coll. 7 : *Qui se intente et devote in sanctissima vita et passione Domini exercet, omnia utilia et necessaria sibi abundanter ibi invenit ; nec opus est ut extra Jesum aliquid quærat.*

2. Disperdam nomina idolorum de terra.] Ex historiis omnibus patet per Christum et Apostolos sublata fuisse ubique idola et idolorum oracula, ac sacerdotes et Prophetas, de quibus subdit : *Et pseudo-prophetas, et spiritum immundum,* puta dæmonem qui idolo assistebat, quasi ejus anima, et per illud loquebatur, dabatque responsa. Ita S. Cyrill. Remig. et Albert. Pro *pseudo-prophetas*, hebr. est. נביאים *nebiim*, quod communiter Prophetas significat, à rad. נבא *naba*, id est prophetavit ; subinde tamen, inquit Arias, significat stulte loquaces et garrulos, qui scilicet vanæ orationis, cui nulla veritatis vel virtutis ratio subest, sunt artifices, et sermonis verborumque præstigiis populum capiunt, à rad. נוב *nub*, quod germinare, et instar germinis erumpere et ebullire significat. Unde ניב *nib* vocatur fructus, et sermo, qui est fructus et quasi germen linguæ.

3. Cum prophetaverit quispiam, scilicet falsa et impia, ex instinctu spiritus immundi et idolorum, uti præcessit : dicent ei pater ejus, et mater ejus, etc. Non vives, quia mendacium locutus es in nomine Domini.] *Mendacium*, scilicet in fide et religione, docens idololatriam vel hæresim. Significat in lege nova Christianos tantos fore zelatores Christi et fidei, ut nec filiis ab eo apostatantibus parcant. Alludit ad Deut. 13. 6 : *Si tibi voluerit persuadere frater tuus, aut filius tuus, vel filia, clam dicens : Eamus, et serviamus diis alienis, non parcat ei oculus tuus, ut miserearis et occultes eum, sed statim interficies eum.* Ex quo loco discant hæretici, non tantum licitum et sancitum, sed et præceptum esse à Deo, ut hæretici morte plectantur, adeo ut nec parentes parcant filiis. Hoc est quod ait Christus, Matth. 5. 29 : *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te, etc. Et si dextera manus scandalizat te, abscinde eam, et projice abs te.* Et c. 10. 34 : *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram : non veni pacem mittere, sed gladium : veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam, et inimici hominis domestici ejus.*

Et configent eum.] Hebr. דקרוהו *dekaruhu*, id est perfodient, transfigent eum, vel gladio, vel lancea, vel telo, vel clavis in cruce ; Tigurina : *Confodient eum ;* Vatabl. *Transfigent eum*, id est, curabunt ut adigatur in crucem. Notat recte Sanchez configere, urere, secare, in Scripturis per catachresin significare quemvis gravem dolorem et supplicium. Unde Septuag. vertunt : *Compedibus constringent eum.* Sic ait Nahum, cap. 3. 10 : *Omnes optimates ejus confixi sunt in compedibus.*

4. Nec operientur pallio saccino.] Septuag. *pelle cilicina ;* Pagnin. *pallio piloso ;* Tigurina, *chlamyde villosa.* Habitus enim Prophetarum exterior erat saccus, puta pallium ex pilis et setis camelorum, equorum, vel aliorum animalium contextum, ideoque cilicium ; ut ipso habitu populum provocarent ad luctum et pœnitentiam, uti faciunt Capucini. Ita S. Hieronym. Quocirca pseudo-prophetæ simile pallium assumebant, ut ipso habitu viderentur esse veri Prophetæ. Sensus ergo est, q. d. Quia pseudo-

prophetæ videbunt se etiam à suis, imo à parentibus falsitatis redargui, adeoque verberari et occidi ; hinc non audebunt deinceps mentiri se esse Dei Prophetas, ac mendaciter vaticinari. Hinc consequenter non audebunt vestem propheticam, puta saccum, induere, quasi veri Prophetæ, præ se ferentes pœnitentiam et vitæ austeritatem. Unde sequitur :

5. DICET : NON SUM PROPHETA ; HOMO AGRICOLA EGO SUM.] Sicut dixit Amos Amasiæ cap. 7. 14 : *Non sum Propheta, et non sum filius Prophetæ, sed armentarius ego sum vellicans sycomoros.*

QUONIAM ADAM EXEMPLUM MEUM,] probat se non esse Prophetam, sed agricolam, q. d. Imitatus sum à puero Adamum et primo patres, qui me suo exemplo agros colere docuerunt. Adam enim in sudore vultus sui victum sibi paravit, juxta sententiam Domini : *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*, Genes. 3. 19. In eum ergo intuens, ego potius statui sudore vultus mei ex agro vivere, quàm Prophetam insolenter agere. Hebr. enim קנה *kana* significat possidere, inde הקנני *hicnani* in conjugatione Hiphil, quæ duplicem actionem significat, idem est quod possidere me fecit, vel possessiones colere me docuit. Unde Tigurina vertit : *Adam me ab adolescentia mea instituit, ut possessiones colerem;* Vatabl. *homo*, id est aliquis (*Adam* enim potest accipi vel ut proprium nomen primi parentis, vel ut commune cujusvis hominis), *docuit me artem pastoralem à juventute mea.* Hebr. enim *hicnani*, si à rad. קנא *kana*, per *he* derivetur, significat *possidere fecit;* si vero à קנה *kana* per *aleph*, significat creavit, genuit : litteræ enim *aleph* et *he* sæpe commutantur. Unde pro eo quod Noster vertit Proverb. 8. 22 : *Dominus possedit me in initio viarum suarum ;* hebraice est idem *hicnani*, quod Septuag. vertunt : *Dominus creavit me.*

6. ET DICETUR EI : QUID SUNT PLAGÆ ISTÆ IN MEDIO MANUUM TUARUM ?] Primo, Cyrillus, Thedor. Lyran. Albert. et Vatabl. censent hic fieri sermonem ad pseudoprophetam, de quo hucusque fuit sermo, qui cum à suis vapulasset, essetque lividus, rogatus ab aliis, unde contraxisset illos livores et plagas, respondet : Castigatus fui apud parentes meos, ne prophetarem, cujus castigationis testes sunt plagæ istæ. Aut, ut S. Hieron. qui hæc accipit de pseudopropheta crucifixo ob falsam doctrinam, q. d. Cur cruci es affixus ? cur clavis adactæ tibi sunt manus in patibulo ? quod scelus perpetrasti ut hasce plagas merearis ? Arias vero censent has plagas sibi impressisse pseudoprophetam, ut populo se faceret venerabilem et sanctum. Sic enim Prophetæ Baal plagas et stigmata sibi infligebant, ut patet 3. Reg. 18. 28.

Verum dico hic esse sermonem de Christo, ejusque plagis in cruce. Propheta enim post longam digressionem quam inseruit de pseudopropheta, quem dixit tollendum à Christianis, redit ad Christum, quem v. 1. dixit fore fontem patentem domui David. Id enim declarat hic per plagas, quibus aperientur et patefient ejus manus, æque ac pedes et latus. Id ita esse, patet primo ex ipsis verbis, quæ plane significant plagas manuum in Christo crucifixo. Secundo, quia ita eas explicat, et Christo applicat Ecclesia in Missa de passione Christi. Tertio, quia illud quod sequitur : *Percute pastorem, etc.* omnino Christus ad se refert Matth. 26. Quarto, quia Septuag. vertunt : *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum ? Et dicet : Quibus percussus sum in domo dilecti mei*, puta à populo meo dilecto. Quinto, quia redit hic Propheta ad Christum, de quo hic est omnis ejus sermo, quem hactenus docuit perditurum idola et pseudoprophetas. Ita Rupert. S. Tho. in Psal. 21. R. Samuel de Adventu Messiæ, c. 7, Galatin. l. 18. c. 17. Ribera et alii.

Porro merito Propheta rei novitatem, et prodigium à seculis inauditum admirans et obstupescens rogat : *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum ?* Quid enim mirabilius à seculo, quid magis stupendum in cœlo, aut in terra, quàm Deus in cruce, quàm Deus plagatus, clavatus, spinis coronatus, crucifixus ? Eum intuens obstupuit sol, luna, omniaque sidera, ideoque suos radios à tam indigno spectaculo retraxerunt : obstupuerunt sepulcra et saxa, quando in ejus passione discissa crepuerunt : obstupuit orbis universus, quando ad ejus necem exhorrescens terræ motu conquassatus, et quasi è centro convulsus abscessit. Hic solus homo non obstupescet ? Angeli stupuerunt et stupent hinc Deum patientem, inde stuporem hominum, qui tantum spectaculum immoti, et quasi insensibiles spectant, ideoque exclamant : *Obstupescite, cœli, super hoc, et portæ ejus, desolamini vehementer.* Rex cœlorum, Deus et creator meus, pro me pendet in cruce, pro me sese exinanit, pro me dirissima morte excarnificatur, et ego terræ vermiculus non obstupescam ? sacro horrore non percellar ? totus amore non liquescam ? plagas plagis, dura duris, mortem morti, amorem amori non rependam ? Rependerunt S. Laurentius, S. Vincentius, S. Sebastianus, cæterique athletæ et Martyres, qui cruces, catastas, ignes, bestias, ardentissime pro Christo desiderarunt, ut qualem qualem ei gratitudinem et dilectionem reponerent. Rependerunt S. Anachoretæ, Virgines, Confessores, alacri animo tot tantisque pœnitentiis se macerantes, tot vigiliis et laboribus carnem edomantes, ut mortificationem Jesu jugiter in suo corpore pro ejus amore et honore portarent. Rependunt Monachi, Religiosi, virique contemplationi dediti, qui jugiter oculis mentis cum stupore contemplantur Deum, Christumque suum pro se in cruce fixum, totique cum S. Francisco in hoc divini amoris incendium et abyssum absorberentur ; nec aliud dicunt aut cogitant, quàm illud S. Thomæ visis Christi plagis : *Dominus meus, et Deus meus ; Deus meus, amor meus, Jesus meus et omnia.*

Porro magis pathetica est versio Syri et Arabici Antiocheni : sic enim habet : *Quid sunt plagæ istæ quæ in manibus tuis sunt ? Et dicet : Hæ sunt plagæ quibus plagatus sum inter amicos meos* (in domo amicorum meorum.) Et Arabicus Alexandr. *Quid sunt vulnera ista, quæ sunt in medio manuum ejus ? Et dicet : Evenerunt mihi de domo dilecti mei.*

IN MEDIO MANUUM TUARUM.] Hebr. *inter manus tuas*, quæ scilicet sunt in brachiis, collo, pectore, totoque corpore inter manus interjecto. Unde Theodor. legit : *In medio scapularum tuarum.* Verum S. Hieron. Septuag. et alii passim vertunt : *In medio manuum tuarum;* Tigurina : *Inter manus tuas.* Agitur enim de plagis et clavis, quibus in cruce transfixæ fuerunt manus

Christi, sub quibus à pari plagas pedum et lateris intellige.

Et dicet : His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me,] puta in Judæa et Jerusalem ; hæc enim erat domus colentium et diligentium Deum, qui se Deum diligere profitebantur, et ad id peculiari obligatione stringebantur, q. d. Mei cives, mei contribules, mei cognati, puta Judæi quibus promissus eram, et ad quos missus fui quasi Messias, rex et redemptor, qui me mille beneficiis et nominibus summe amare et venerari tenebantur, mei, inquam, fratres, cives et subditi me venerarunt et crucifixerunt, quasi dicat : Passus sum à meis me plagari et crucifigi, quia eos, licet immerentes, dilexi, et dilexi nimis, ut eos à plagis eriperem.

Nota : To *qui diligebant me*, valde pungit, acuitque plagam. Solet enim gravissima esse plaga et dolor, qui ab amicis infertur. Hinc sponsa Cant. 1. 6 : *Filii matris meæ*, inquit, *pugnaverunt contra me.* Idcirco amor à S. Gregor. Nazianz. orat. 28. vocatur Tyrannus dulcis, et ab Euripide in Hippolyto amarus, ac melle et felle fœcundissimus. Amor enim uti insignem habet vim benefaciendi, ita et nocendi. Hujus rei symbolo Gentiles Aquilonem (id est solem, qui amoris et beneficentiæ est hieroglyphicum) pingebant una manu tenentem citharam et charites, altera vero sagittas et pharetram gestantem. Hinc et illud : *Ubi amor, ibi dolor : nam sine dolore non vivitur in amore.* Hinc illa querela et pathos Christi de Juda proditore psal. 54. 13 : *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, etc. Tu vero homo unanimis, dux meus, et notus meus : qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu*, q. d. Hoc me cruciat, quod tu, Juda, qui meus eras conviva, me prodidisti, quem omni modo tueri debebas. Hinc rursum amantium iræ sunt amarissimæ, et fratrum odia acerbissima : perinde ac ex vino dulcissimo, si corrumpatus, fit acetum acidissimum.

Tropol. hoc sibi à Christo crucifixo lacrymose dici sentiat anima pœnitens : Ecce his quinque plagis plagatus sum à te, quam dilexi, et ut me vicissim diligeres effeci : tua debita ego lui, tua vulnera in me suscepi, tuæ deliciæ et veneres clavis me transfixerunt : tua superbia spinis caput meum transpunxit : tua gula me felle et aceto potavit : passus sum, ut te à tormentis gehennæ liberarem; mortuus sum, ut te à morte æterna eriperem. Vide quantum pro te dolui. Vide quantum te amavi. Vide quàm parum me redames, quàm amori meo sis impar et ingratus. Pathetice S. August. in Medit. cap. 6 : *Candet*, ait, *nudatum pectus, rubet cruentum latus, tensa arent viscera, decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigent brachia, crura pendent marmorea, rigat terebratos pedes beati sanguinis unda. Specta, gloriose genitor, gravissimæ prolis lacera membra. Vide redemptoris supplicium, et redempti dimitte delictum.* Et paulo post : *Quid commisisti, dulcissime puer, ut sic judicareris? quod scelus tuum? quæ noxa tua? quæ causa mortis? quæ occasio tuæ damnationis? Ego enim sum tui plaga doloris, tuæ culpa occisionis. Ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium. Ego tuæ passionis livor, tui cruciatus labor. O mirabilis censuræ conditio, et ineffabilis mysterii dispositio ! Peccat iniquus, et punitur justus : delinquit reus, et vapulat innocens : offendit impius, et damnatur pius : quod meretur malus, patitur bonus : quod perpetrat servus, exsolvit Dominus : quod committit homo, sustinet Deus. Quo, nate Dei, quo tua descendit humilitas? quo tua flagravit charitas? quo processit pietas? quo excrevit benignitas? quo tuus attigit amor? quo pervenit compassio? ego enim inique egi, tu pœna mulctaris : ego facinus admisi, tu ultione plecteris : ego crimen edidi, tu torturæ subjiceris : ego superbivi, tu humiliaris : ego tumui, tu attenuaris : ego inobediens exstiti, tu obediens scelus inobedientiæ luis : ego gulæ parui, tu inedia afficeris : me ad illicitam concupiscentiam rapuit arbor, te perfecta charitas duxit ad crucem : ego præsumpsi vetitum, tu subisti eculeum : ego delector cibo, tu laboras patibulo : ego fruor deliciis, tu laniaris clavis : ego pomi dulcedinem, tu fellis gustas amaritudinem : mihi ridens congaudet Eva, tibi plorans compatitur Maria. Ecce rex gloriæ, ecce mea impietas, et tua claret pietas. En mea injustitia, et tua liquet justitia.* Ex hisce prorumpens in affectum gratitudinis subdit : *Quid, rex meus et Deus meus, quid retribuam tibi pro omnibus quæ retribuisti mihi? Non enim inveniri potest in corde hominis, quod condigne talibus referatur præmiis. Nunquid sagacitas machinari potest humana, cui comparetur miseratio divina? Nec est creaturæ moliri officium, quo juste creatoris recompenset præsidium. Est autem, nate Dei, in hac tua admirabili dispensatione, est cui fragilitas mea in aliquo suppeditet, si tua visitatione compuncta mens, carnem suam crucifigat cum vitiis et concupiscentiis : et hoc cum à te conceditur, quasi jam tibi incipit compati, quia et tu pro peccato meo dignatus es mori.* Mortificantes ergo cupiditates nostras cum gratiarum actione et jubilo dicamus Christo id quod Sephora dixit Mosi marito suo Exodi c. 4. v. 25 et 26 : *Sponsus sanguinum tu mihi es ob circumcisionem*, imo ob crucifixionem et concisionem omnium membrorum tuorum; ut, sicut tu, sponse mi, ea propter me concidi permisisti, ita ego mea tuî amore circumcidam et mortificem. Denique Christus in cruce pro nobis plagatus, tacite et amorose cuique inclamat : *Ecce in manibus meis descripsi te*, Isaiæ 49. 16. utique non calamo, sed clavo ; non attramento, sed sanguine meo :

> Cernis ut in toto corpore sculptus amor.

ac vicissim :

> Cernis ut in toto sculptus, *imo tostus*, amore dolor,
> Respice me, conde animo, me in pectore serva,
> Ille ego, qui casus hominum miseratus acerbos,
> Huc veni.

Lactant. in Carm. de Passione Domini, ita de ea canit :

> Cerne manus clavis fixas, tractosque lacertos,
> Atque ingens lateris vulnus, cerne inde fluorem
> Sanguineum, fossosque pedes, artusque cruentos.

Agnosce, ô homo, quàm gravia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari, ait S. Bern. serm. 3. de Nativit. adeoque tot tantisque plagis vulnerari. Agnovit hoc S. Magdalena, quæ, ut refert Sylvester Prieras in ejus Vita apud Surium, in Bauma pœnitens per triginta annos, jugiter defixam in ea à S. Michaele crucem et oculis intuita, et mente contemplata est, ideoque perennes lacrymarum imbres effudit : *Christus ergo amor noster, nobis crucifixus est;*

idemque vir est dolorum, quia vir amorum. Ubi enim dolor, ibi amor; nec sine dolore vivitur in amore: quia mensura doloris est amor, et amoris dolor. O amor, amor, amor, quantum amasti nos! quàm pauci amant te! et hi quàm parum amant te, et dolent pro te! quia non cognoscunt te. Da, Domine Jesu, ut amores tuos deinceps sentiam, non meos; dolores tuos, non meos: quia amor tuus amor meus, dolor tuus dolor meus. Nimio enim dolore, et longe majori amore parturivisti me. Merito dicebat S. Bonavent. *Domine, nolo vivere sine vulnere: quia te vulneratum video.* Et S. August. *Hinc lactor ab ubere, hinc pascor à vulnere.* Et S. Paulus: *Christo confixus sum cruci, vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus. Ego stigmata Domini mei in corpore meo porto.* Et: *In his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.* Et S. Ignatius Martyr: *Amor meus crucifixus est.* Et S. Franciscus: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Et S. Bernardus: *Non decet sub capite spinoso membrum esse delicatum.* Et S. Elzearius Comes Arriani ad Delphinam conjugem: *Si me quæris*, ait, *non alibi quàm in vulneribus Christi reperies.* Denique: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum.*

Namque meum crucifixus amor crucifixit amorem,
Spemque meam fixit spes crucifixa cruci.

Hoc sapiebat, hoc sentiebat sponsa Cantic. 2. 13. sponso suo occinens: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.*

Porro hæ plagæ adeo Christo charæ et pretiosæ, nobisque admirandæ, amandæ et adorandæ sunt, ut eas Christus resurgens resumere voluerit, et servare, et ostentare in cœlo per omnem æternitatem, idque viginti de causis et titulis, scilicet ut illæ sint primo, certissimi assumptæ carnis vero non phantastice, ut volebant Manichæi, indices. Secundo, atrocissimæ passionis testes. Tertio, devictæ mortis aculei, et indubitata resurrectionis argumenta, quod scilicet idem numero Christi corpus crucifixum resurrexit, non aliud. Quarto, ardentissimi amoris characteres, quibus, ut ait Isaias, in manibus suis descripsit nos, non calamis, sed clavis. Quinto, illustrissimæ victoriæ de peccato, dæmone, morte et inferno trophæa. Sexto, fulgida gloriosi corporis decora et triumphi. Septimo, redemptionis nostræ tessera. Octavo, obedientiæ usque ad mortem stigmata. Nono, sacræ laborum et dolorum Christi reliquiæ. Decimo, peccatorum omnium lytrum, quod jugiter Patri pro iis supplicando, Christus repræsentat. Undecimo, tribulatorum consolatio. Duodecimo, patientium exemplum. Decimo tertio, afflictorum refugium. Decimo quarto, pœnitentium incitamentum. Decimo quinto, tentatorum asylum, juxta illud Cant. 2. 13: *Surge, amica mea, speciosa mea, et veni: columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Decimo sexto, laborantium stimulus. Decimo septimo, Martyrum exemplar. Decimo octavo, electis gaudium. Decimo nono, reprobis in die judicii probrum. Vigesimo, Angelis admiratio et stupor.

Framea suscitare.] Roganti: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* respondit Christus se à suis plagatum, quos summe diligebat quasi cives et cognatos suos. Nunc eidem respondet Deus Pater, hoc suum fuisse decretum, ut percuteretur Christus, itaque aperiretur fons ille, qui in nos scaturiret aquas salutis, de quo v. 1. qui idem est pastor bonus, hoc suo fonte sanans et satians oves infirmas, vagas et dispersas, ut illis vitam æternam procuret. Hunc enim locum intelligi de Christo in cruce transfixo, docet ipse Christus Matth. 27. 51. dum ait Apostolis: *Omnes vos scandalum patiemini in me ista nocte; scriptum est enim: Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis.*

Ait ergo Deus Pater: *Framea suscitare;* Tigurina: *Excitare, ô gladie;* Chald. *Denudare, ô gladie;* Septuag. *Consurge, ô gladie*, q. d. Evaginare, ô gladie, distringere, ut percutias et occidas Christum. Ubi nota: Hi imperativi capiuntur pro futuro: significant enim Dei decretum de Christi morte futura, ex prævisa et permissa à se Judæorum malitia, q. d. Deus prævidens Judæorum malitiam fore tantam, ut si eis objiceret Christum, ipsi eum occiderent, decrevit eum ipsis objicere, permittereque ut ipsi eum occidant ad hoc, ut ejus passione et morte salvaret genus humanum. Ex Dei ergo decreto futurum est, ut evaginetur gladius qui Christum occidat. Unde Vatablus vertit: *Excito te, ô gladie;* S. Matthæus vero vertit, per futurum activum dicens: *Percutiam pastorem.* Et sic vertit hic Pagnin. ut hebr. הך *hach*, id est *percute*, ponatur pro אך *ach*, id est *percutiam*, scilicet gladio per Judæos, objiciendo eis Christum, quos scio ejus neci inhiare, et mandando Christo, ut eorum plagas constanter excipiat et sustineat. Unde voci *percutiam*, respondet vox *convertam manum meam*, quæ sequitur. Hoc est quod ait S. Petrus Actor. 2. 23: *Hunc* (Christum) *definito consilio et præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemistis.* Sine enim hac Dei permissione, præscientia et decreto, Judæi omnibus suis viribus et consiliis non potuissent occidere Christum, imo nec capillum ei adimere. Sicut ergo Moses virgam percutiens petram, Exodi 17. 16. ex ea elicuit fontem, ex quo potavit totus populus: ita Deus Pater cruce feriens Christum, ex eo elicuit fontem gratiæ, ex quo omnes fideles bibunt et salvantur. Petra autem erat Christus, 1. Corinth. 10. 4.

Nota: *Framea* à Gellio et Tacito vocatur lancea, vel telum oblongum: framea dicta nonnullis videtur à Græco ῥομφαία transpositione litterarum, ut φ. præcedat, quod in F. vertitur. Unde pro *framea* Septuag. hìc vertunt, *romphæa;* inde framea extensa est ad significandum gladium. Quare pro *framea*, Aquila et Symmach. vertunt *machera*, id est, ut et alii passim vertunt, *gladius.* Hunc enim significat hebr. חרב *chereb.* Jam per frameam et gladium synecdochicὼs et catachresticὼs significantur clavi, lancea, et omnia instrumenta, quibus alicui mors infertur, uti Christo clavis, flagellis, spinis illata est. Isidor. l. 1. de Differentiis, littera F. sic has voces distinguit, ut framea sit ensis utraque parte acutus, machera ex altera parte acutus. Simili modo ait Jerem. c. 46. 7: *O mucro Domini, usquequo non quiesces? etc. Quomodo quiescet, cum Dominus præcipit ei adversus Ascalonem, etc.* Et Ezech. c. 21. 28: *Mucro, mucro, evagina te ad occidendum; lima te, ut interficias et fulgeas.*

Pastorem meum.] Quem scilicet ego Deus pater hominibus pastorem dedi, Joan. 10.

Et super virum cohærentem mihi.] Hebraice

עמיתי *amithi*, id est, ut Pagnin. *socium meum*, conjunctum meum; Symmach. *Virum populi mei ;* Aquila et Theodot. *Contribulem meum*, id est, mihi Patri consubstantialem secundum humanitatem, ut pote filio meo intime cohærentem per unionem hypostaticam. Unde Chald. vertit: *Super socium ejus, qui est similis illi ;* Vatabl. *Super virum coæqualem mihi ;* Syrus : *Super virum amicum meum ;* Arabicus Antioch. *Super virum clarum*, sive illustrem et majestate præditum ; Arabicus Alexand. *Super virum ab iis qui civitatis ejus sunt ;* Septuag. vertunt : *Super virum civem meum.* Theodor. pro *meum* legit *ejus*, illudque explicat de Apostolis et discipulis Christi, q. d. Dei decreto Judæi percutient Christum, ejusque discipulos et Apostolos.

Nota : Licet sola persona Filii, non Patris, nec Spiritus S. hypostatice assumpserit et terminarit humanitatem assumptam à Verbo, ac proinde solus Filius dicatur incarnatus et homo factus, non Pater, nec Spiritus S. tamen per hanc assumptionem ad personam Filii, humanitas assumpta intimam cohærentiam et affinitatem cum Patre et Spiritu contraxit. Sicut enim mulier nubens viro, fit affinis ejus fratribus, ita ut ab eis vocetur soror, sitque eorum fratria, inquit Festus ; ita multo magis humanitas copulata Verbo, affinis facta est Patri et Spiritui S. præsertim quia Pater et Spiritus S. coeunt in eadem essentia divina cum Filio, uti fratres singuli essentiam humanam habent propriam et disparatam.

Percute (ô framea) pastorem (Christum), et dispergentur oves.] Apostoli aliique fideles. Septuag. in editione Vaticana habent : *Et avellite oves.*

Et convertam manum meam ad parvulos.] Primo, aliqui censent *parvulos*, idem esse quod *oves*, puta Apostolos. Hinc Septuag. vertunt : *Convertam manum meam ad pastores.* Videntur ipsi pro צערים *tsoarim*, id est parvulos, legisse רעים *roim*, id est pastores, q. d. Ego Apostolos, qui pusillanimes, ut parvuli, fugerunt à Christo patiente, mox à fuga revocabo, et ad Christum reducam : convertam ergo in eis manum meam à plaga ad medelam, à dispersione ad congregationem. Ita S. Hieron. Remig. Albert. Hugo et alii. Secundo, alii parvulos greges ab ovibus distinguunt, et τὸ *convertam manum*, referunt ad *percute pastorem*, q. d. Manum meam qua percussi pastorem, ejusque oves dispersi, convertam pariter ad parvulos ejus agnos, id est, ad fideles communes et plebeios, ut similiter eos percutiam, castigem et affligam ; ut similes sint suo pastori, utque eos in virtute exerceam et roborem, atque in infirmitate eorum meæ gratiæ robur ostendam. Ita Theodor. et Lyran. Factum id est post Christi in cœlum ascensionem, quando primum à Judæis Hierosolymæ, deinde mox Romæ, totoque orbe mota est persecutio acris contra Christianos, quæ per trecentos annos duravit usque ad Constantinum.

8. Et erunt in omni terra : partes duæ in ea dispergentur,] q. d. In toto orbe duæ hominum partes dispergentur et peribunt, scilicet Judæi et Gentiles ; quicumque enim manserunt in judaismo et gentilismo damnabuntur, sola tertia pars quæ erit Christianorum, servabitur et salvabitur. Soli enim illi qui ex Judæis et Gentilibus convertuntur ad christianismum, salvantur. Ita S. Remig. Albert. et Lyran.

Secundo, Theodor. Arias et à Castro, per terram accipiunt Judæam, de qua hic fuit sermo, q. d. In omni terra Judæa, è tribus partibus Judæorum, duæ permanentes in suo errore excidentur et peribunt, tertia electorum fidelium residua succrescet, et servabitur. Verum hoc laxe accipiendum ; nam tertia pars Judæorum præcise non fuit conversa ad Christum : paucissimi enim crediderunt Christo et Apostolis. Unde Apostoli mox iis relictis profecti sunt ad Gentes. Minus probabiliter Vatabl. et alii exponunt de excidio Judæorum per Titum, q. d. Ex Judæis qui erunt post passionem Christi, duæ partes succidentur à Tito, tertia servabitur, sed multis tribulationibus probanda et affligenda. Nam hæc tertia pars non fuit fidelium : quia fideles et Christiani ante excidium moniti à Deo, Hierosolyma excesserunt, itaque illud evaserunt. Ita Theodor. et alii. Nota : Pro *dispergentur*, Lovan. legunt *disperdentur :* hebr. enim est יכרתו *iiccaretu*, id est *exscindentur ;* Septuag. *peribunt ;* Chald. *consumentur.* Rursum pro *deficient*, hebr. יגועו id est exanimabuntur, expirabunt.

Anagog. Emmanuel Sà exponit, q. d. In toto orbe duæ hominum partes erunt reproborum qui damnabuntur, tertia erit electorum quæ salvabitur. Hoc intellige moraliter, non mathematice, q. d. Duæ partes, id est, longe plures damnantur, quàm salvantur. Non arithmetice tertiam hominum partem non salvari, patet ex eo, quod tertia pars orbis non sit fidelis : nam Asiam, Africam et Indiam occupat paganismus et turcismus : sola pene Europa est Christiana. Jam in Europa dimidia fere pars est hæreticorum, schismaticorum, politicorum et atheorum. Inter orthodoxos multi sunt concubinarii, multi qui odia fovent, multi injustorum bonorum possessores, multi ebriosi, etc. Conjice ergo quàm parva pars sit proborum, qui soli habent spem salutis. Unde Christus : *Multi*, ait, *sunt vocati, pauci vero electi.* Et : *Spatiosa est via quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quàm angusta porta et arcta via est quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam.* Matth. 7. 13.

9. Et ducam tertiam partem per ignem, q. d. Fideles probabo et purgabo igne persecutionum et tribulationum, ut purificentur instar argenti : perfectiores vero eodem excoquam, ut solidentur, perficiantur et splendeant instar auri. Nam in hoc igne aderit eis Dominus, quem invocabunt. Unde ait : Ipse, scilicet populus meus fidelis, quem dixi esse tertiam hominum partem, vocabit, id est invocabit, nomen meum, et ego exaudiam eum. Dicam : Populus meus es, q. d. Habeo te, amo, curo, protego quasi populum meum. Et ipse dicet : Dominus Deus meus,] q. d. Ipse vicissim me colet, amabit et invocabit quasi Dominum et Deum suum. Nam per ignem probatus et conflatus, dignus est qui reponatur in thesauris Dei, juxta illud Sapient. 3. 5 : *Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se, tanquam aurum in fornace probavit illos.* Et Proverb. 17. 3 : *Sicut igne probatur argentum, et aurum camino, ita corda probat Dominus.* Hinc de iis recte ait S. Hieron. *Tertiam hanc Sanctorum partem, ne delicata esset et secura, quasi argentum et aurum per ignem duci et probari.* Sic se probatum asserit Job c. 23. 10 : *Ipse*, ait, *scit viam meam, et probavit me quasi aurum, quod per ignem transit.*

Quocirca sapienter monet Eccles. c. 2. 4. dicens : *Omne quod tibi applicitum fuerit accipe, et in dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe. Quoniam igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles* (δεκτοί, id est, acceptabiles, accepti, grati Deo) *in camino humiliationis.* Quod ergo est ignis auro, lima ferro, ventilabrum tritico, lixivium panno, sal carni, hoc tribulatio est viro justo. Vide dicta Gen. 33. in fine.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sicut Isaias c. 14. sub typo casus Luciferi describit casum regis Babylonis ; et Ezechiel c. 28. sub typo casus Cherubini describit casum regis Tyri ; et David psal. 71 et 88. sub typo regni Salomonis depingit regnum Christi : atque idcirco quædam dicunt quæ magis typo, quædam quæ magis antitypo conveniant, uti solet fieri in parabolis et symbolis, ita facit et hic Zacharias. Nam sub typo afflictionis Jerusalem per Antiochum, et restitutionis ejusdem per Machabæos, describit afflictiones, restitutionem et celebritatem Ecclesiæ. Quocirca duplex hic est quasi sensus litteralis. Unus velut materialis, de Jerusalem et Machabæis ; alter quasi formalis magisque intentus a Spiritu sancto de Ecclesia et Christianis. Nam ad litteram hic de Jerusalem et Machabæis esse sermonem, patet ex totius capitis contextu, ubi non aliud sonat quam Jerusalem, mons Oliveti, Remmon, Benjamin, Hananeel, Judas, lebetes, phialæ, etc. quæ omnia nulli alteri proprie competunt, nisi Jerusalem terrestri. Adde, quod gentes undequaque venturas dicat in Jerusalem ad celebrandum festum tabernaculorum : hoc autem erat festum Judaicum. ita Theod. Palacius, Mariana, et alii apud Euseb. 16. Demonst. c. 18. Quod vero in Jerusalem non sistat acies Prophetæ, ut volunt Rabbini, sed per eam se extendat ad Ecclesiam, patet, quia multa dicit augustiora, quam ut Hierosolymæ conveniant, ut v. 4. quod scindetur mons Oliveti, et vers. 8. quod exibunt aquæ vivæ de Jerusalem ad mare Orientale, et ad mare novissimum ; et v. 14. quod omnium gentium divitiæ congregabuntur in Jerusalem ; et v. 16. quod omnes gentes quotannis ascendent in Jerusalem ad celebrandum festum tabernaculorum, etc. Cum ergo sciamus hæc plane non competere Hierosolymæ, dicendum est ea magis spectare ad Ecclesiam Christi, in eaque esse completa. Prædicit ergo Zacharias Jerusalem capiendam et vastandam ab Antiocho Epiphane, sed Deum pro eo contra Antiochum præliaturum per Machabæos, ideoque scissurum montem Oliveti : hinc Deum exaltandum esse in omni terra, ac Jerusalem fore securam et gloriosam, ut pote cujus hostes Deus conteret, et in quam divitias gentium congregabit, adeo ut gentes quotannis eam adeant ad celebrandum festum tabernaculorum, et ad adorandum Deum. Quocirca in ea copiam fore lebetum, phialarum, oblationum, victimarum et gentium.

1. Ecce venient dies Domini, et dividentur spolia tua in medio tui. 2. Et con-
gregabo omnes gentes ad Jerusalem in prælium, et capietur civitas, et vas-
tabuntur domus, et mulieres violabuntur : et egredietur media pars civitatis
in captivitatem, et reliquum populi non auferetur ex urbe. 3. Et egredietur
Dominus, et præliabitur contra Gentes illas, sicut præliatus est in die cer-
taminis. 4. Et stabunt pedes ejus in die illa super montem Olivarum, qui
est contra Jerusalem ad Orientem : et scindetur mons Olivarum ex media
parte sui ad Orientem, et ad Occidentem, prærupto grandi valde : et separabitur medium montis
ad Aquilonem, et medium ejus ad Meridiem. 5. Et fugietis ad vallem montium eorum, quoniam

conjungetur vallis montium usque ad proximum : et fugietis sicut fugistis à facie terræ motus in diebus Oziæ regis Juda. Et veniet Dominus Deus meus, omnesque sancti cum eo. 6. Et erit in die illa : Non erit lux, sed frigus et gelu. 7. Et erit dies una, quæ nota est Domino, non dies, neque nox : et in tempore vesperi erit lux. 8. Et erit in die illa : Exibunt aquæ vivæ de Jerusalem : medium earum ad mare Orientale, et medium earum ad mare novissimum : in æstate et in hieme erunt. 9. Et erit Dominus rex super omnem terram : in die illa erit Dominus unus, et erit nomen ejus unum. 10. Et revertetur omnis terra usque ad desertum, de colle Remmon ad Austrum Jerusalem : et exaltabitur, et habitabit in loco suo à porta Benjamin usque ad locum portæ prioris, et usque ad portam angulorum : et à turre Hananeel usque ad torcularia regis. 11. Et habitabunt in ea, et anathema non erit amplius : sed sedebit Jerusalem secura. 12. Et hæc erit plaga, qua percutiet Dominus omnes Gentes, quæ pugnaverunt adversus Jerusalem : tabescet caro uniuscujusque stantis super pedes suos, et oculi ejus contabescent in foraminibus suis, et lingua eorum contabescet in ore suo. 13. In die illa erit tumultus Domini magnus in eis : et apprehendet vir manum proximi sui, et conseretur manus ejus super manum proximi sui. 14. Sed et Judas pugnabit adversus Jerusalem : et congregabuntur divitiæ omnium Gentium in circuitu, aurum, et argentum, et vestes multæ satis. 15. Et sic erit ruina equi, et muli, et cameli, et asini, et omnium jumentorum, quæ fuerint in castris illis, sicut ruina hæc. 16. Et omnes qui reliqui fuerint de universis Gentibus, quæ venerunt contra Jerusalem, ascendent ab anno in annum, ut adorent Regem Dominum exercituum, et celebrent festivitatem tabernaculorum. 17. Et erit : Qui non ascenderit de familiis terræ ad Jerusalem, ut adoret Regem, Dominum exercituum, non erit super eos imber. 18. Quod et si familia Ægypti non ascenderit, et non venerit : nec super eos erit, sed erit ruina, qua percutiet Dominus omnes Gentes, quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem tabernaculorum. 19. Hoc erit peccatum Ægypti, et hoc peccatum omnium Gentium, quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem tabernaculorum. 20. In die illa erit quod super frenum equi est, sanctum Domino : et erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ coram altari. 21. Et erit omnis lebes in Jerusalem et in Juda sanctificatus Domino exercituum : et venient omnes immolantes, et sument ex eis, et coquent in eis : et non erit mercator ultra in domo Domini exercituum in die illo.

1. Ecce venient.] Primo, Judæi totum hoc caput referunt ad tempus Messiæ, quem ipsi cum omnibus hiscebonis hîc à Zacharia recensitis ad litteram exspectant. Verum errant : nam è 1600 annis funditus à Tito excisa est Jerusalem, templum, resp. et gens Judæorum, cujus desolatio durabit usque in finem mundi, ut ait Daniel, c. 9. vers. ult. Adde : Propheta hîc dicit primo capiendam et vastandam Jerusalem, ac mediam Judæorum in ea partem ituram in captivitatem, quorum utrumque præsupponit Judæos in Jerusalem restitutum iri; non enim possunt capi et vastari, qui non sunt; ac deinde Deum pro iis pugnaturum, per Messiam scilicet, ut ipsi dicunt. Atqui hoc verum esse nequit : nam sic Judæi ante Messiam restituerentur, et obtinerent Jerusalem, in eaque florerent, quod tamen ipsimet negant. Dicunt enim restitutionem Hierosolymæ et Judæorum fore per vires et arma Messiæ; alioqui enim ante Messiam deberent ponere alium Messiam, qui Judæis Hierosolymam restitueret. Itaque hîc seipsos elidunt Rabbini, et, ut vulgo dicitur, cornicum oculos configunt. Deinde v. 14. dicitur : *Sed et Judas pugnabit adversus Jerusalem*, hoc autem de Messia eorum dici nequit. Ipse enim orietur ex tribu Juda, ut pote filius et successor Davidis et Salomonis, ac cum suis contribulibus Judæis restituet Jerusalem, ut ipsi dicunt. Insuper v. 16. dicitur, quod omnes gentes ascendent ab anno in annum in Jerusalem, ut celebrent festum tabernaculorum. Hoc autem ad litteram, ut sonat, fieri nequit : tum quia urbs Jerusalem non potest capere omnes gentes totius orbis : tum quia ipsi docent, felicitatem et regnum Messiæ spectare ad Judæos, non ad Gentes : Gentes enim tunc Judæorum fore servos et mancipia, uti ipsi jam serviunt Gentibus. Denique nonnulla, si ut sonant accipias de Jerusalem, absurda et ἀντιλογα sunt. Tale est quod dicitur v. 21 : *Et erit omnis lebes in Jerusalem, et in Juda sanctificatus Domino;* sic enim tempore Messiæ, Judæi domi nullos habituri essent lebetes, in quibus coquerent carnes, ad quas tamen ipsi more patrum anhelant; sed omnes suos lebetes deberent consecrare Deo in templo. Quocirca vere S. Hieron. hîc ad v. 11 : *Hæc*, inquit, *Judæis juxta litteram somniant : et nostri Chiliastæ, qui rursum audire desiderant : Crescite et multiplicamini; et replete terram, et pro hujus vitæ continentia brevique jejunio bulbos sibi, et vulvas, et aves phasidis, et attagenem, nequaquam Ionicum, sed Judaicum repromittunt, de quibus vere potest Dominus dicere : Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia carnes sunt, etc. Nos autem cœlestem Jerusalem interpretemur Ecclesiam, quæ in carne ambulans non vivit secundùm carnem, cujus municipatus in cœlis est. Postquam enim Dominus Jesus rex fuerit super omnem terram, de quo ad Patrem Spiritus sanctus loquitur per Prophetam : Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis ; tunc unus Dominus erit, et unum nomen ejus, omni prava*

religione calcata, juxta illud: Domine, Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra! Et alibi: Sicut nomen tuum, Deus, ita et laus tua in universa terra.

Secundo, multi censent ad litteram Prophetam hîc describere excidium Jerusalem per Titum, idque in pœnam Christi ab eis crucifixi, uti dixit cap. præcedenti v. 6 et 7. Ita Euseb. lib. 6. Demonstr. c. 18. S. Cyril. Theodor. Rupert. Vatabl. Ribera, Sanchez, et propendere videtur S. Hier. Verum obstant omnia sequentia. Deus enim non est præliatus contra Romanos vastatores Hierosolymæ, nec restituit Jerusalem post excidium Titi, nec effecit ut omnes gentes veniant adoratum in ea Deum, et celebratum festum tabernaculorum; cum Jerusalem post Titum per 1600 annos excisa et desolata maneat usque in hodiernum diem.

Dico ergo: Ad litteram significatur hîc Jerusalem capienda ab Antiocho Epiphane, et restituenda à Machabæis, uti probavi in procemio, idque docent Palacius, Mariana et à Castro, ipseque rei eventus, ut patet ex libris Machab. præsertim lib. 1. c. 1. v. 22. et seq.

Porro sub typo vastationis Jerusalem, depingitur hîc vastatio Ecclesiæ, præsertim primitivæ, quæ facta est à Nerone, Trajano et aliis Gentilibus Imper. Tunc enim templa ab eis capta et eversa sunt; fideles alii bonis, alii libertate, alii vita privati. Ecclesia enim capi et vastari dicitur, cum ejus fideles capiuntur et vastantur. Ita Arias. Unde Glossa censet hîc describi persecutionem Ecclesiæ factam à Cosroe rege Persarum, et ab Homar rege Arabum: nam uterque expugnavit Jerusalem, et cives partim occidit, partim abduxit, partim tributis subjecit: quæ servitus duravit usque ad Godefridum Bullonium, qui loca sancta Christianis pugnando restituit. Ita Glossa.

Anagog. significatur hîc vastatio Ecclesiæ futura per Antichristum, quem Judæi recipient quasi suum Messiam. Ille enim longe gravius quàm Nero, Decius, aliique Tyranni in eam sæviet, uxores fidelium violabit (erit enim luxuriosissimus), omnia jura humana et divina pessundabit, præsertim Hierosolymæ, ubi violenter quasi tyrannus sedebit, ponetque thronum tyrannidis suæ, uti diserte docet S. Joannes Apoc. 20. 8. Loquens enim de Gog et Magog, qui erunt milites et duces Antichristi, ait: *Et Ascenderunt super latitudinem terræ, et circuierunt castra sanctorum, et civitatem dilectam,* puta Jerusalem, in quam se recipient Christiani, ut eos trucident. Unde in Jerusalem ab Antichristo occidentur Elias et Henoch, uti docet S. Joannes Apocal. 11. 8. et sequent. Ita Lyranus, Dionys. et alii.

Et hoc sensu vera erit sententia Judæorum, qui dicunt hæc spectare ad ultima tempora, quibus veniet Messias: sed errant, dum putant Messiam restituturum Judaismum, non Christianismum, ideoque Judæis daturum bona temporalia, non spiritualia. Itaque Judæis hæc et similia loca Scripturæ objicientibus, respondere possumus, nos quoque ea intelligere de adventu Messiæ; sed de primo ad litteram, de secundo anagogice. Nam cum secundus Messiæ adventus sit futurus in fine mundi, non possunt de eo ad litteram intelligi, quæ hîc de restitutione et celebritate Jerusalem dicuntur, quodque quotannis ad eam venient omnes gentes celebraturæ festum tabernaculorum; si enim instabit tunc finis mundi, instabit ergo quoque finis festorum hujus vitæ, ac consequenter festum tabernaculorum deinceps non ad litteram, sed anagogice celebrabimus in cœlo.

2. Egredietur media pars civitatis in captivitatem.] Qui hæc de excidio Jerusalem per Titum accipiunt, ita exponunt, q. d. Media pars civium occidetur et capietur, reliqua pars fidelium monita à Prophetis fugiet ex urbe, et salvabitur, uti præmonuit Christus Matth. 24. 16. Ita Theodor. et Euseb. lib. 6. Demonstr. c. 18. Verum longe potior pars occisa fuit: pauci enim capti fuêre, cum tamen Propheta hîc mediam partem captam asserat. Nam Joseph. lib. 7. Belli cap. 7. ait mortua fuisse Judæorum undecies centena millia, capta vero duntaxat 97 millia. Rursum Christiani non salvati sunt in urbe, uti hîc ait Propheta, sed extra. Quocirca Rupert. Ribera et alii sic explicant, q. d. Altera pars civium Hierosolymæ sub Tito capietur, altera vero non auferetur ex urbe: quia in ea occidetur, aut fame et ærumnis conficietur, et morietur.

Verum jam probavi hæc spectare ad excidium Jerusalem per Antiochum, non per Titum; sub Antiocho ergo hæc contigisse patet ex libris Machab. ac nominatim ex l. 2. cap. 5. 14. ubi dicitur: *Erant toto triduo octoginta millia interfecti, quadraginta millia vincti, non minus autem venumdati.* Rursum, multi ex Judæis partim metu, partim malitia consenserunt Antiocho, ideoque manserunt in urbe, cæterosque expilarunt, de quibus dicitur 1. Machab. 1. 55: *Et congregati sunt multi de populo ad eos qui dereliquerunt legem Domini, et fecerunt mala super terram. Et effugaverunt populum Israel in abditis, et in absconditis fugitivorum locis.* Et de his ait Zacharias: *Et reliquum populi non auferetur ex urbe*, quia scilicet dedent se Antiocho, aut certe ab eo vincientur. Media enim pars hîc non præcise et arithmetice, sed moraliter accipienda est, q. d. Una pars civium egredietur in captivitatem, altera in urbe remanebit, vel vincta, vel transfuga.

3. Et egredietur Dominus, et præliabitur contra Gentes.] Hebr. בגוים *baggoim,* id est, *in gentibus;* quod dupliciter accipi potest. Primo, q. d. Cum Gentibus, scilicet cum Tito et Romanis, præliabitur Deus contra Judæos. Ita Cyril. et Theodor. Secundo, *baggoim* melius vertas, *in Gentes,* id est, contra Gentes, ut vertunt Noster, Chald. et alii; quin et Sept. in editione Vaticana; nam in Complutensi habent, *in Gentibus.* Loquitur ad litteram de præliis Machabæorum miraculosis contra Antiochum, in quibus Deus per Angelos etiam visibiliter apparentes, pro Juda decertare visus est, ut patet 2. Machab. 10. 29. et c. 11. 8. et c. 15. 12.

Sicut præliatus est in die certaminis,] scilicet famosi illius et celeberrimi, quo contra Pharaonem decertavit, eumque protrivit in mari Rubro, ut habet Chald. Quocirca Judas Machabæus suos spe opis divinæ animans ad prælium, dicebat: *Mementote qualiter salvi facti sunt patres nostri in mari Rubro, cum sequeretur eos Pharao,* etc. 1. Machab. 4. 9.

Sub hoc Machabæorum typo, parabolice significatur victoria Christi de gentilismo, q. d. Christus Gentes olim Deo adversas sibi subjiciet per evangelium, earumque peccata merget in baptismo, *sicut præliatus est in die certaminis,*

id est, sicut olim in hujus rei typum decertans contra Pharaonem et Ægyptios in mari Rubro, ibidem eos demersit. Ita S. Hier.

Anagog. Significatur prælium Christi contra Antichristum (hujus enim typus et præcursor fuit Antiochus, æque ac Pharao), Gog et Magog, quos juxta Jerusalem è cœlo profligabit, interimet et deturbabit in tartara; uti docet Apost. 2. Thessal. 2. 8. et S. Joannes Apoc. 20. 9. et seq. Ita Lyran. Hugo et Dionys. Rursum significatur lis et certamen Christi contra omnes impios in die judicii, quos sua sententia condemnabit, suaque potentia adiget in gehennam, dicens : *Ite, maledicti, in ignem æternum.*

4. Et stabunt pedes ejus in die illa super montem Olivarum.] Tertul. lib. 4. contra Marcion. c. 39. legit : *Stabunt pedes ejus in Elæone*, id est, in monte Oliveti; ἐλαιον enim Græcis est oleum. Descendet enim Deus cum suis Angelis in hunc montem, ut ex eo propugnet Jerusalem, et Antiochi copias profliget, ideoque pedibus suis calcando montem, eam tremefaciet et discindet, de quo mox. Dicitur hic mons Oliveti, vel Olivarum, ab ubertate frequentium crescentium in eo olivarum, qui alias mons sanctus, et mons inclytus vocatur. A Jerusalem distat stadiis quinque, et ab ea valle Cedron interjacente dispescitur. Sub hoc typo significatur Christus Deus factus homo, staturus et versaturus in monte Oliveti, ibique in oratione pernoctaturus, Apostolos docturus, et passionem inchoaturus. Ibi enim orans in horto captus est, sicut ex eodem quasi rex et Messias, triumphans ingressus est urbem cum ramis olivarum in die Palmarum. Ex hoc quoque gloriosus coram suis discipulis ascendit in cœlum, Act. 12. In monte ergo Oliveti cœpit et consummavit, uti redemptionem nostram, ita et Ecclesiam suam. Ibidem enim ascendens jussit Apostolis, dixitque : *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ*, Actor. 1. 8.

Quocirca mons Oliveti symbolum est Ecclesiæ è Gentibus Christo obedientibus collectæ, in qua stant et requiescunt pedes Christi : olea enim deditionis, subjectionis, obedientiæ, reverentiæ, et cultus est hieroglyphicum. Olim enim cum populi se principi cuipiam dedebant, prætendebant ramos olivæ, quasi pacem petentes, uti docet Servius in Æneid. 8. unde noster Martinus de Roa, lib. 4. Singul. cap. 5. hujus loci hunc dat sensum, q. d. Montes olivarum, id est, Romani qui totius orbis imperio potientur, ad Jesu Christi pedes se abjicient, eique se totos tradent et subjicient, cum eum respuent Judæi. Ita S. Ambros. in cap. 21. Lucæ, et Euseb. lib .6. Demonstr. c. 18. docent Ecclesiam in Olivarum monte significatam. Hac de causa Christus crebro in monte hoc oravit et versatus est, ex eoque ascendit in cœlum, ut significaret in Ecclesiam Gentium se transiturum, ac in eam misericordiam suam et munera diffusurum. Sic psalm. 51. 10. dicitur : *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei in æternum*, q. d. Divites sperant in suis divitiis, uti præcessit : at ego spero in misericordia Dei, illi ramos olivæ prætendo, meque supplicem ad illius pedes abjicio, illi me dedo, illum pronus adoro : victum me illius magnitudine confiteor, manus do; ideoque veniam et misericordiam, quæ supplicibus debetur ac victis, consecuturum me non dubito. Addit vero *in æternum*, quia oliva æternitatis est symbolum, teste Pierio : tales autem esse debent qui se Deo dedunt, ut in vitæ ratione perseverent, eorum dissimiles qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Ideo Paulus, Rom. 11. 17. Gentes dicit ex oleastro factas olivas, quia fidem quam semel accepit Ecclesia Gentium, nunquam deseret, nec à Christi religione deficiet, uti defecerunt Judæi. Sic psalm. 127. dicitur : *Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ*, q. d. Suscitabo tibi filios subjectos et obedientes, æque ac inter se concordes et pacificos ; oliva enim subjectionis et pacis est symbolum, ut dixi. Plures analogias olivæ et Ecclesiæ animæque sanctæ, recensui Jerem. 11. 16.

Anagog. Significatur Christus in monte Oliveti deturbaturus Antichristum , cum ipse instar Christi ex eodem volet in cœlum conscendere. Ita S. Hieron. in Daniel. 11. Damasc. lib. 4. de Fide cap. 27. Anselm. in 2. Thessal. 2. Lyran. Hugo et Dionys. Rursum in die judicii cum omnibus Angelis descendet in montem Oliveti, qui imminet valli Josaphat, ut ibi judicet, et disceptet cum omnibus gentibus, ut ait Joel capite 3. v. 2.

Qui est contra Jerusalem ad Orientem.] Alludit ad ascensionem Christi : Christus enim in monte Oliveti ascendit in cœlum, ut ex vinea Judæorum silvescente ostenderet se fecisse olivetum, id est, Ecclesiam fertilem oleis, id est, sanctis, piis, misericordibus, lucidis et Spiritu S. impinguatis. Ita Euseb. l. 6. Demonstr. c. 18. unde ait : *Qui est contra*, vel oppositus veteri *Jerusalem*, et Synagogæ *ad Orientem;* quia Ecclesia prælata est Synagogæ, et propinquior facta soli justitiæ, id est, Christo, ut ejus orientis primos radios fidei, gratiæ, omniumque charismatum excipiat, ita ut ejus respectu Jerusalem esset ad Occasum : quo significabat Synagogam excæcandam esse , ideoque ruituram in adventu Christi. Hinc et Christus facie aversa à Jerusalem, spectans Occidentem, crucifixus est, indeque ex Apostolorum institutione Christiani orant conversi ad Orientem et templa respiciunt Orientem, in quibus imago Christi crucifixi Occidentem prospicit, quam qui adorant necessario Orientem spectant. Ita Damasc. lib. 4. de Fide cap. 13. et alii. Pari modo Christus in monte Oliveti ascendit in cœlum, facie à Jerusalem aversa (ut ex vestigiis pedum ejus lapidi impressis, quæ etiamnum visuntur, liquet), conversus ad Occidentem, et Romanam spectans Ecclesiam, ad quam ipse S. Petrum Vicarium suum, et S. Paulum Doctorem Gentium misit, ut eo sedem Ecclesiæ transferrent. Ita Adrichom. in Descript. Terræ Sanctæ, agens de monte Oliveti.

Nota : Olim extra Jerusalem siti erant duo montes oppositi, scilicet ad Orientem mons Oliveti cui ex adverso ad Occasum oppositus erat mons Calvariæ, in quo crucifixus est Christus , qui olim erat extra urbem, sed jam est intra eam. In ipsa vero urbe erant duo vicini montes, scilicet Sion respiciens Austrum, in quo erat arx David, et Moria respiciens Septentrionem, in quo ædificatum est templum. Inter hos duos montes erat brevis vallis domibus civium referta, quæ Mello et Tyropæon est dicta.

Et scindetur mons Oliveti.] S. Hieron. Cyril. Theod. Burgensis, Palacius, censent hanc scissionem fore quadrifidam in modum crucis, ad

quatuor mundi plagas, ita ut mons Oliveti scindatur primo ab Oriente in Occidentem, deinde duæ illæ partes discissæ rursum scindantur ab Aquilone in Meridiem. Verum Chald. Euseb. Lyranus, Vatabl. Ribera, Sanchez et alii censent eum scindendum in duas duntaxat partes, scilicet versus Orientem et Occidentem, per medium, ita ut una pars scissi montis vergat (unde pro *separabitur*, Septuag. vertunt, *inclinabit*; Tigurina, *deflectet*; Pagnin. *recedet*) ad Austrum, altera ad Aquilonem, et inter utramque media sit prærupta vorago, sive vallis profunda, quæ conjungatur valli Josaphat, sive Cedron, indeque valli montis Sion, ita ut Judæi qui fugient ex Sion et urbe per vallem Josaphat, transituri sint per vallem factam in monte Oliveti discisso.

Quæres : Quando et quomodo contigit hæc montis Oliveti scissio? Qui putant agi hîc de obsidione et excidio Jerusalem per Titum et Romanos, varie hæc exponunt. Aliqui enim per scissionem montis Oliveti parabolice accipiunt schismata et seditiones Zelotarum aliorumque Judæorum in urbe. Alii, ut Theodor. censent montem Oliveti vocari exercitum Romanorum, qui eum montem occupavit: divisum vero montem dici, qui ad alia civitatis loca obsidenda et oppugnanda divisus fuit Romanorum exercitus, eo quod urbs versus montem Oliveti, ob vallem sive voraginem Cedronis interjectam, difficilior esset aditu et expugnatu. Noster vero Sanchez tripliciter exponit. Primo, suspicatur in obsidione Romanorum, montem Oliveti ingenti terræ motu revera fuisse divisum, etiamsi id non dicat Joseph. nec ullæ historiæ, sicut nec meminerunt terræ motus sub Ozia, quem tamen contigisse docet hîc Zacharias. Secundo, castra Romanorum in monte hoc ita à Tito fuisse disposita, ut ab Oriente in Occidentem paterent et porrigerentur, atque hinc inde ad Aquilonem et Meridiem duas partes relinquerent, præruptum vero grande esse vallem Cedron, quam etiam occuparunt Romani : vallis enim nil aliud est quàm montium scissura, q. d. Cedronis profunditas non muniet Judæos, nec impediet Romanos, quominus urbem invadant et occupent; quia omnia suo milite complebunt. Tertio, q. d. Titus profundissimam voraginem Cedronis, quæ inter urbem et castra sua in monte Oliveti sita interjacebat, urbemque muniebat, comportatis aggeribus ita implebit et complanabit, ut per eam facilis militibus ad muros invadendos sit accessus. Id enim eum fecisse in aliis vallibus docet Joseph. lib. 6. Belli, cap. 4. Et in ipsa Cedronis valle aggeres esse constructos et muros docet idem Joseph. lib. 6. cap. 13. Favent Septuag. qui dicunt vers. 5. obturatam esse vallem montium : scissum ergo dici montem Oliveti, quia ex illo Romani præciderunt saxa, eaque cum terra devolverunt in subjectam vallem Cedronis, iisque eam impleverunt. Quocirca ait Propheta : *Fugietis,* ô Judæi, *ad vallem montium meorum,* id est, in urbem, ad spatium quod inter montem Moriam et montem Sion (ubi erat templum Dei) interjacet : *quia conjungetur vallis montium,* id est, vallis Cedron, quæ inter montem Oliveti et montem Sion interjacet, *usque ad proximum,* scilicet montem Oliveti : Titus enim muro cinxit civitatem, ducto per Cedronem ad montem usque Oliveti. Verum solum decima legio Romanorum constitit in monte Oliveti, qui erat ad Orientem urbis : reliquus vero Titi exercitus obsedit urbem ex parte Septentrionali, in loco qui dicitur Tapha, vel Scopos, situsque erat ex opposito duarum turrium, quæ vocabantur Psephina et Hippicus, uti diserte ait Joseph. lib. 6. Belli, cap. 5. Itaque Titus obsedit urbem plane juxta montem Calvariæ. Hic enim erat pene ex adverso Psephinæ; ubi Judæi crucifixerunt Christum, ut notat Adrich. in Descriptione Jerusalem et alii; ut Judæi cognoscerent Titum advenisse ad hoc, ut esset necis Christi ultor, ubique eos plecteret, ubi ipsi Christi parricidium, imo Deicidium commiserant. Tandem vero Titus, ut celerius urbem occuparet, eam circumcirca cinxit muro, in quo 40 castella constituit, idque opus perfecit spatio tridui, itaque Judæos ad famem et extrema adegit. Quare non est verisimile ipsum vallem Cedronis implesse et complanasse. Joseph. enim l. 6. c. 4. tantum ait eum complanasse vallem, quæ erat inter castra sua sita in Scopo, ad Septentrionem; non vero vallem montis Oliveti, quæ erat ad Orientem. Deinde Titus totus fuit in muro urbi circumducendo, isque unus occupabat milites omnes. Murus enim hic in circuitu erat 39 stadiorum, hoc est quinque pene milliarium, uti ait Josephus. Adde non agi hîc de tempore Titi et Romanorum, sed Antiochi et Machabæorum, uti dixi initio.

Dico ergo ex hoc loco videri, quod tempore Antiochi et Machabæorum fissus sit mons Oliveti, dum Deus cum Angelis in eum descendit, etsi id non narretur in lib. Machab. nec alibi; sicut non narratur in libris Regum terræ motus, qui contigit sub Ozia, et alia multa. Hunc sensum exigunt verba ipsa, et temporis ratio : de Machabæorum enim ævo hîc agitur: ita à Castro, et Paulus à Palacio, qui ita scribit : Credo hanc prophetiam impletam ante Machabæorum victorias, quando multa signa visa in cœlo sunt, scilicet equites per aera discurrentes, cohortes armatæ, cursus equorum, 2. Mach. 5. Hæ enim cohortes erant Angelorum, cum quibus veniebat Dominus in specie visibili : veniente ergo Domino, tremuit mons (nam cum egreditur Deus, terra movetur et concutitur, Psalm. 67. 9.) Ex tremore vero discissus est in quatuor partes, significans discissionem et divisionem Judæorum ex patria sua in quatuor mundi plagas. Hæc Palacius.

Porro scissio hæc montis fuit typus scissionis ejusdem in fine mundi, ut mox dicam; sed inter alia repræsentabat præsentes, tum fugas, ob instantes ab Antiocho clades; tum scissiones et schismata Judæorum, dum alii Machabæis adhærerent, alii Antiocho : rursum alii Antiocho et Syris, alii Ptolemæo et Ægyptiis faverent.

Simili modo sub Constantio Imper. et S. Cyrillo Patriarcha Hierosolymitano, anno Domini 353. crux sole fulgentior pleno die cœlitus apparuit supra montem Oliveti (et forte eo quoque allusit hîc Zacharias) eum quasi signans et instar crucis secans, ut repræsentaret schisma Ecclesiæ quod faciebant Arriani, et Constantium eorum fautorem moneret S. Crucis, et Crucifixum Dei filium Patri ὁμουσιον esse adorandum ut verum Deum, uti eum adorarat illius pater Constantinus, qui proinde per vexillum crucis divinas de Maxentio aliisque hostibus victorias obtinuit; quasi Christus ex alto Orthodoxis à Constantio vexatis intonaret : Confidite, ego vici mundum cruce, et vos eadem vincetis Arrianos.

Quocirca tota civitas hoc crucis signo excitata ad Ecclesiam cucurrit, Deum Deique Filium laudans et celebrans; quin et multi Judæi ac Gentiles, viso hoc radiante in cœlis crucis signo obstupuerunt, et ad Christum conversi sunt. Rem gestam et à se visam fuse præscribit S. Cyrillus ad Constantium Imper. in fine Catech. mystag. Eadem breviter sic narratur in Actis Artemii Martyris die 19. Octob. apud Surium: *Quo quidem tempore, cum expugnatus esset Magnentius, signum crucis maximum mirifice apparens, adeo ut mirabili splendore superaret lucem diei, visum est Hierosolymis circa tertiam diei horam, cum esset dies festus qui dicitur Pentecoste, pertingens à loco qui dicitur Calvaria, usque ad montem Oliveti.* Sic et Sozomen. lib. 4. cap. 4. Socrates lib. 2. cap. 24. et ex iis Baron. an. Domini 353.

Similis fuit Christi apparitio in monte Oliveti, anno Christi 419. quam ex Marcellini chronico ita recenset Baronius: *Anno Christi 419, multæ Palæstinæ civitates villæque terræ motu collapsæ sunt. Dominus noster Jesus Christus semper ubique totus, super montem Oliveti Hierosolymæ vicinum sese de nube manifestavit. Multæ et tunc utriusque sexus vicinarum gentium nationes tam visu, quàm auditu perterritæ atque credulæ sacro Christi fonte ablutæ sunt, omniumque baptizatorum in tunicis crux Christi salvatoris, divinitatis nutu extemplo pressa refulsit. Cujus rei adeo admirabilis occasione, de tempore adventus Domini ad judicandum cœpti sunt ubique misceri sermones, quod ex Danielis Prophetæ vaticinio, cap. 7. jam prænuntiatus esset adventus filii hominis in nubibus; et Zacharias, cap. 14. de ipso loco adventus ejus super montem Oliveti prædixerat. Et Angeli de Christo in monte Oliveti in cœlum ascendente Apostolis prænuntiarant: Quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum, ita veniet. Cujus occasione scripsisse videtur Hesychius epist. 79. ad S. August. de Novissima die, quæ, cum præcessissent tot signa (ut ait) jam videretur instare. Cui respondens S. August. epist. 80. prolixe disputat de Novissimi diei tempore.* Hucusque Baron. occasione Melaniæ junioris, quæ eodem anno seorsim à conjuge Piniano vitam egit monasticam, ac in cella apud montem Oliveti per 14 annos clausa perseveravit, duxitque in angusto loco vitam Angelis similem.

Similis fuit in eodem monte apparitio tempore belli sacri, qua Christiani animati Hierosolymam expugnarunt. Rem gestam narrat Wilhelm. Tyrius, lib. 8. Belli sacri, cap. 16. defatigatis Christianis in oppugnatione Hierosolymæ, ideoque dilabentibus: *Ecce*, ait, *adfuit rebus desperatis virtus divina. Nam de monte Oliveti miles quidam, qui tamen postea non comparuit, splendidum et refulgentem ventilando clypeum, signum dabat nostris legionibus ut redirent in idipsum, et congressum iterarent. Quo signo exhilaratus dux Godefridus Bullonius, primus in mœnia conscendit, quem alii secuti, illo ejus jussu effregerunt portam S. Stephani, per quam totum in urbem induxerunt Christianorum exercitum.* Itaque à Christianis capta est Hierosolyma, an. Domini 1099. die 15. Julii, feria sexta, qua Christus moriens de morte triumphavit. Juvit oraculum viri sancti, qui habitans in monte Oliveti prædixerat urbem illo die esse capiendam, ait Tyrius, cap. 17. Unde et ante oppugnationem urbis, Christiani nudis pedibus cum multa devotione, cantantes litanias cum crucibus processerunt usque ad montem Oliveti, ait idem, c. 11. Ad has similesque apparitiones respexisse hìc Zachariam, vel potius Spiritum Sanctum probabile est. Unde mystice Lyran. hunc Zachariæ locum explicat de capta Jerusalem à Godefrido Bullonio et Christianis: urbis enim capiendæ signum eis datum est à monte Oliveti, uti jam dixi ex Tyrio.

Denique nonnulli hæc conditionate exponunt, q. d. Deus ita tutabitur vos, ô Hebræi, ut si opus sit ad vestram tutelam findere montem Oliveti, ut per eum manus hostium effugiatis, id revera facturus sit, sed tanto molimine non erit opus: poterit enim ipse mille aliis modis vos protegere. Simile est Isaiæ 11. c. 15. et Zachar. 10. 11. Ita à Castro.

Jam parabolice et quasi allegorice, mons Oliveti est Ecclesia, ait Euseb. l. 6. Demonstr. c. 18. Hic scissus est, cum ibi à Christo ascendente jussi sunt Apostoli ire in mundum universum, et prædicare Evangelium omni creaturæ, indeque in quatuor mundi plagas diviserunt et sparserunt se, Christique fidem et Ecclesiam. Rursum scissio hæc montis denotat commotionem et contritionem Gentium, audito Christi Evangelio, juxta illud Lucæ 3. vers. 5: *Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas.* Sed earum pars una mansit ad Aquilonem, id est, in suo infidelitatis et impietatis frigore perstitit: Aquilo enim frigidus significat frigidos, ac ex infidelitate et peccato torpentes, altera vero ad Austrum vergens significat fideles, qui calent charitate et fervent Spiritu Dei: Auster enim est calidus. Hujus rei symbolo vidit Ezechiel gloriam Dei, id est, Deum gloriosum sedentem in curru Cherubico, et quatuor Cherubinis stipatum ex templo Judaico evolare in montem Oliveti. Sic enim ait c. 11. 23: *Et ascendit gloria Domini de medio civitatis, stetitque super montem qui est ad Orientem urbis*, puta supra montem Oliveti, ut ex hoc monte exspectet et spectet novam Jerusalem, quasi phœnicem ex veteris cineribus resurgentem in Sion, puta Ecclesiam Christi, ut ibidem dixi. Porro Glossa per scissionem montis Oliveti accipit schisma Græcorum à Latinis: ad Orientem enim habitant Græci, qui divisi sunt à Latinis habitantibus ad Occidentem. Unde ait: *Et fugietis*, id est, fugere debetis ad obedientiam Ecclesiæ Romanæ, cujus montes magni, scilicet SS. Petrus et Paulus, sunt patroni.

Anagog. findetur mons Oliveti, cum Antichristus ex eo volet in cœlum conscendere: nam à Christo deturbatus corruet, et terra, puta mons dehiscens, vivum eum absorbebit, uti dixi 2. Thessal. 2. 8. Hoc est quod ait S. Joannes, Apocal. 19. 20: *Apprehensa est bestia* (puta Antichristus) *et cum ea pseudopropheta, etc. Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure.*

Rursum in die judicii, Christus judex descendet in montem Oliveti: unde tunc eum sua majestate et potestate, ingenti terræ motu concutiet, ut ipse quasi præ horrore et veneratione Christi judicis contremiscat; simul ut hoc terræ motu se findat, amplietque vallem Josaphat, ad capiendum omnes homines judicandos ibidem à Christo. Si enim Deus daturus legem, in Sina descendens concussit montem, Exodi 19. multo magis id faciet descensurus ad judicium. Idip-

sum diserte docet S. Clemens Roman. libr. 7. Constitut. Apostol. cap. 33 : *Mons ipse*, ait, *Oliveti gloriæ venientis cedet, et in quatuor partes dissectus, longissime diffugiet, ut tribunali judicis theatrum totius orbis assistat. Trepidatio vero hominum tanta erit, ut insani diffugiant in mediam vallem, quæ futura est amplissima; cum montibus remotis conjungenda sit cum omni circumposito campo.* Hoc sane verbis Zachariæ valde congruit. Ita inter alios Emmanuel Sa, et Josephus à Costa, lib. 4. de Tempor. noviss. cap. 13 et 14. et Leonard. Lessius, lib. 13. de Divinis attrib. cap. 21. in fine : *Indicat*, inquit, *Zacharias montem Olivarum (juxta quem vallis Josaphat) scindendum in quatuor partes, ut fiat maxima planities, in qua excipiantur judicandi.* Insuper hæc scissio montis repræsentabit separationem Australium, id est, ferventium et electorum ab Aquilonaribus, id est, frigidis et reprobis. Illi enim erunt Orientales ; quia orietur eis lux et gloria sempiterna : hi vero erunt Occidentales ; quia ibunt in occasum et mortem æternam.

Prærupto grandi valde,] id est, *magna voragine*, ut vertunt Septuag. vel *valle*, ut Chald. quæ ex scissione montis profunde patescet, et hiabit. Parabolice hic hiatus significat Hierosolymæ ruinam et desolationem, quando Apostolis abeuntibus ad Gentes, Judæi infideles paulo post à Tito vastati, in profundum quasi barathri demersi sunt, justa Dei vindicta.

Anagog. significat hiatum grandem montis Oliveti et vallis Josaphat futurum in die judicii, quo reprobos omnes ibidem consistentes dehiscens terra mittet in tartara. Hiatus ergo hic et vorago erit profundissima : nam à valle montis Oliveti extendet se usque ad infernum, qui est in centro terræ. In die ergo judicii proprie et plane adimplebitur hæc prophetia, fietque fissura montis Oliveti, et vorago ingens usque ad tartarum, ita ut in ipsum prospiciant non tantum reprobi, sed et electi Dei, gaudeantque mirifice quod horridum illud ignis barathrum, in quod videbunt tot impios demergi, per gratiam Christi evaserint. Hanc voraginem horribilem in spiritu vidit S. Carpus, eamque ex ore ejus ita describit S. Dionys. Areopag. epist. 8. ad Demophilum, dicens : *Referebat* (Carpus) *se vidisse domum in qua consistebat, primum vehementer agitari, ac demum à summo culmine per medium dividi, etc. Ipsum quoque solum instar vasti ac tenebrosi cujusdam profundi, discissum se vidisse ait, atque viros illos quibus mala imprecatus fuerat, ante se ad os illius profundæ voraginis stare trementes ac miserabiles, et qui ab ipsa pedum suorum labilitate jam mergendi viderentur. Porro ab inferiori parte voraginis serpentes cernebat emergere, qui circa illorum pedes ita instabiles ac nutantes, interdum quidem in globum colligi, et gravari una atque pertrahere, interdum vero dentibus et caudis, ore, gutture, linguis, ac toto corporis motu vim immensi pavoris viderentur incutere, ut qui modis omnibus deorsum illos præcipitare niterentur. Fuisse autem et viros quosdam in medio, qui contra eos una cum serpentibus impetum facerent, exagitantes una et impellentes, atque ferientes : videbantur autem illi lapsui proximi, etc.*

5. Et fugietis ad vallem montium eorum.] Hebr. Septuag. et S. Hieronym. in Comment. legunt, *meorum*. Unde et in Latinis ita legendum videtur. Nota : Τὸ *in vallem* : physice enim in terræ motu consilium et remedium est, fugere ad valles et ima ; hæc enim minus quàm montes terræ motu quatiuntur. Porro hujus loci sensus est is quem dedi vers. 4.

Quoniam conjungetur vallis montium usque ad proximum,] hebr. *usque ad* אצל *atsal*, quod quasi nomen proprium accipiunt et relinquunt Septuag. Chald. Aquila, Theodot. Vatabl. et Pagnin. Verum Noster, Symmach. et alii vertunt ut appellativum, *usque ad proximum ;* alii, *usque ad separatam*, scilicet à terræ motu, ideoque securum locum.

Jam varii varie hæc exponunt. Duæ expositiones sunt probabiliores. Prior, q. d. Ut effugiatis Antiochum, et hostes obsidentes, et invadentes Jerusalem, fugietis per vallem Josaphat et Oliveti (montem enim Oliveti hac de causa findet Deus, ut per ejus scissuram et vallem contiguam fugere possitis : unde ea vocatur vallis montium, scilicet jam divisorum. Mons enim Oliveti per hanc scissionem dividetur in duos, vel, ut alii, in quatuor montes) usque ad Atsal, ubi ab hoste securi tutique eritis. Ita à Castro, Tigurin. et Arias. Posterior, q. d. Ut fugiatis et effugiatis hunc terræ motum, quo concutietur et scindetur mons Oliveti, fugietis in vallem montium meorum, puta in vallem Mello, sive Tyropæi, quæ interjacet inter montem Sion et montem Moria : hi enim sunt montes mei, quia in Moria habeo meum templum, in Sion meam arcem David. *Quoniam conjungetur vallis montium usque ad proximum*, q. d. Quia vallis, id est, vorago illa facta in monte Oliveti jam diviso (quæ proinde jam non est vallis unius montis, sed duorum, nimirum montium jam divisorum pertinget ad montem sibi proximum, puta ad Moria. Unde in tota valle Josaphat usque ad Moria, à terræ motu et scissura hac tuti non eritis: fugietis ergo post montem Moria ad vallem Mello, ab hoc terræ motu liberam, ut ibi tuti sitis. Ita S. Hieron. Aut, ut Lyran. Quia vallis montium, id est, vallis Josaphat, quæ interjacet inter montem Oliveti et montem Sion, conjungetur usque ad proximum, scilicet hiatum factum in monte Oliveti. Unde in ea sine metu et periculo non eritis : ad illam ergo fugere non audebitis : fugietis ergo ad vallem montium meorum, id est, interjectam inter Sion et Moria, qui sunt montes mei. Huic expositioni favet id quod sequitur : *Et fugietis sicut fugistis à facie terræ motus in diebus Oziæ :* fugituri ergo erant non hostes, sed terræ motum ; ac proinde fugituri non in ipsam scissuram montis Oliveti, hoc terræ motu factam, sed procul ab ea in vallem Sionis et Moria, quæ omnino immunis erat à terræ motu.

Symbol. hæc fuga in terræ motu adumbrat fugam Machabæorum et Judæorum ad silvas et speluncas in terræ motu, id est, in persecutione Antiochi, de qua 1. Machab. 2. 28.

Parabolice, hæc accipe de obduratione Judæorum, q. d. Cum mons Oliveti, id est, Ecclesia Christi, spargetur in quatuor mundi plagas, tunc vos, ô Judæi increduli, ab Evangelio, Christo et Ecclesia fugietis, non quidem ad idololatriam et Gentilismum, sed ad vallem umbrosam montium meorum, hoc est, ad cultum, umbras et cæremonias legis veteris, quæ viguit in monte templi, puta Moria et Sionis, qui olim fuerunt montes mei. Ita Euseb. lib. 6. Demonstr.

cap. 18 : *Quæ*, ait, *potest esse vallis montium Dei, nisi quæ olim celebrabatur ex lege Mosis et Jerusalem, corporalis et Judaica adoratio?* Sic et Stunica, Ribera et alii, qui contendunt hunc sensum esse litteralem : ego illiteralem fateor, sed typicum et parabolicum, præcedenti quem assignavi innixum, uti dixi initio capitis. Unde sequitur : *Quoniam conjungetur vallis montium usque ad proximum*, q. d. Hæc vallis, id est hæc umbrosa, sed obstinata Judæorum religio, tanto arctius conjunget se vicino sibi templo templique ritibus, quanto magis videbit spargi et propagari Ecclesiam Christi. Aliter Emmanuel Sa, q. d. Hic cultus legis veteris Judæis tenacissime conjungetur, et adhærebit proxime ubicunque degant.

Nota : Pro נסתם *nastem*, id est, *fugietis*, à rad. נוס *nus*, id est fugit, Septuag. aliis punctis legentes נסתם *nistam*, à rad. סתם *satam*, id est, clausit, obturavit, vertunt : *Et obturabitur* (replebitur) *vallis montium meorum, et adjungetur vallis montium usque ad Asal.* Sic et Chald. Quod ad litteram sic accipi posset, q. d. Scindetur mons Oliveti, et hac scissione corruet, et complanabit totam subjacentem vallem Josaphat, usque ad proximum montem Moria. Parabolice vero sic explicat Euseb. q. d. Hæc vallis umbrosa Judaicæ religionis obturabitur, id est, cessabit et obscurabitur à luce Evangelii, ejusque umbra cedet veritati Christi; quoniam conjungentur ad Asal, id est, ad montem Oliveti (inde enim Christus misit Apostolos ad Judæos et Gentes) qui dicitur Asal, id est, opus Dei, quasi à rad עשה *asa*, id est fecit, אל *el*, id est, Deus. Verum melius legit Noster, *nastem*, vertitque, *fugietis*, quia sequitur : *Sicut fugistis à facie terræ motus in diebus Oziæ.* Et quia præcessit : *Scindetur mons Oliveti;* scissione enim mons apertus fuit, non obturatus.

Sicut fugistis,] q. d. Ea trepidatione, celeritate, turba et confluxu fugietis, qua fugistis à terræ motu qui contigit tempore Oziæ ; de quo dixi Amos 1. vers. 1.

5. Et veniet Dominus Deus meus, omnesque Sancti cum eo.] Replicat et inculcat quod dixit vers. 3 : *Et egredietur Dominus et præliabitur contra gentes illas, et stabunt pedes ejus in die illa super montem Oliveti.* Loquitur ergo ad litteram de descensu Dei, quo descendit præliaturus pro Judæis per Machabæos contra Antiochum, eumque protriturus, uti dixi vers. 3. Porro cum bellum fidelium est difficile, et victoria illustris, tunc dicitur Deus descendere cum omnibus Sanctis suis, puta Angelis : quia omnes ei astant, ut pro eo decertent ; hinc vocatur Deus exercituum. Ita vidit Ezechiel, cap. 1. Deum curru bellico vectum, stipatum quatuor Cherubinis descendere in aciem contra Judæos, ut eos plecteret per Chaldæos. Et Psaltes, psal. 17, grafice describit Dei in prælium contra suos hostes descendentis majestatem, milites, iras, animos. Et inter alia ait, vers. 11 : *Ascendi super Cherubim et volavit, volavit super pennas ventorum.* Et vers. 15 : *Misit sagittas suas, et dissipavit eos : fulgura multiplicavit, et conturbavit eos.* Simili terrore, pompa et satellitio descendit in Sina daturus legem Hebræis, pro eisque contra Gentes præliaturus, Deuter. 33. 2 : *Dominus de Sinai venit, apparuit de monte Pharan, et cum eo Sanctorum millia.* Jam sub typo prælii divini gesti per Machabæos, parabolice intelligit prælium spirituale Christi gerendum per Apostolos, q. d. Veniet Christus, qui per Apostolos debellabit omnes gentes, easque suæ fidei et Evangelio subjugabit. Ita Theod. Vatabl. Arias, et Euseb. lib. 6. Demonstr. cap. 18.

Anagog. et maxime significatur hic descensus Christi ad judicium universale, cum omnibus Angelis et Sanctis in montem Oliveti supra vallem Josaphat, ut Antichristum omnesque impios condemnet et puniat. Huc enim alludens Judas in sua epis. vers. 14. ait : *Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis facere judicium contra gentes.* Et Christus, Matt. 24. 30 : *Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa et majestate, et mittet Angelos suos.* Et cap. 25. 31 : *Cum venerit filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli cum eo.* Ita S. Hier. Cyrill. Remig. Hugo, Lyran. Ribera, Sanchez et alii passim, qui contendunt hunc sensum esse litteralem : ego censeo esse anagogicum, sed maxime intentum à Spiritu S. litteralis enim est de Machabæis, parabolicus de Apostolis, uti ostendi initio capitis.

6. Non erit lux, sed frigus et gelu.] Ita et Septuag. Chald. et Tigurina : videntur ergo in Hebræo legisse כי קרות *ki karot*, id est, *sed frigus*, vel potius וקרות *vekaroth*, (facile enim *vau* si decurtetur, vertitur in *iod*, et *vau* sæpe est adversativum significans, *sed*, uti crebro est videre in Proverbiis Salom.) id est, *et frigus*, vel frigora : radix enim קרר *karar* significat frigescere. Jam legunt יקרות, *iekarot*, id est, *pretiositatum :* יקר *iakar* enim significat esse pretiosum, decorum, eximium. Unde vertunt : *Non erit lux pretiositatum*, id est, pretiosa, clara, eximia, וקפאון *vekippaon*, id est, *et* (id est, *sed*) *concretionis*, id est, concreta, densa : hoc est, in illa die non erit lux clara, neque obscura, sed mixta, nubila et maligna, qualis est diluculo, q. d. In illa die non erit plena lætitia, nec plena tristitia, sed læta tristibus miscebuntur : at vespere succedet plena felicitas et lætitia. Eodem fere redit versio nostra et Sept. Sensus enim est, q. d. In illa die non erit lux clara et amœna, qualis est in æstate ; sed concreta nebulis frigidis, et quasi congelata, ideoque molesta et tristis. Unde Pagnin. vertit : *In die illa non erit lux pretiosa, et* (sed) *nix coagulata :* Arabicus vero Alexand. *Erit nix et grando* (frigus et procellæ) *in una die. Et apparebit* (revelabitur) *Dominus in illa die : Et non erit lux in illa die, neque nox, neque vespera.* Ad litteram denotatur tempus calamitatis et afflictionis Judæorum in persecutione Antiochi. Hujus enim symbolum sunt tenebræ, frigus et gelu. Unde in Scriptura in excidio Babylonis Samariæ, Jerusalem, etc. Dicitur obscurandus non tantum dies, sed et sol, luna ac stellæ, per hyperbolen et hypallagen : quia scilicet Babyloniis, Samaritis et Hierosolymitis in tanta clade afflictissimis, lux obtenebrescere, ipseque sol, media licet die, obscurari videbatur. Unde explicans subdit :

7. Et erit dies, una quæ nota est Domino, non dies neque nox,] q. d. Veniet tempus persecutionis, quod (et cujus acerbitas) soli Deo cognitum, imo provisum et prædestinatum est, in quo dies Judæis valde afflictis ob tot ærumnas, non videbitur esse dies, sed neque nox, utpote lucente sole : ergo tempus hoc medium

quid erit inter diem et noctem, et quasi contemperatum ex die et nocte: habebit enim à sole lucem diei, à tyrannide vero Antiochi habebit tenebras, id est, ærumnas noctis.

ET IN TEMPORE VESPERI (Hebr. *vespere*) ERIT LUX,] id est, ut Tigurina: *Ad vesperam erit lux*, q. d. Ad finem hujus temporis calamitosi, quasi ad vesperam desinet hoc ejus nubilum, et succedet lux felicitatis et gaudii, nimirum quando Machabæi vindicabunt cives suos, et profligabunt copias Antiochi.

Sub hoc Machabæorum typo parabolice significat, post obscuritatem et umbras legis Judaicæ, postque ignorantiæ tenebras, et malitiæ gelu, in quibus omnes gentes ante Christum, quin et ipsi Judæi degebant, successuram lucem Evangelii Christi, in eamque quasi in vesperam desiturum diem illum obscurum Judaismi, juxta illud oraculum Zachariæ: *Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent*, Lucæ 1. 79. Et Isaiæ cap. 60. 1: *Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum.* Hoc est quod ait Paulus, Rom. 13. 22: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* Hinc et Christus dicitur venisse in carnem sub finem, et quasi ad vesperam mundi.

Symbol. Theodor. hæc refert ad diem passionis Christi: tunc enim tenebræ factæ sunt super universam terram, quæ diem quasi verterunt in noctem, ita ut dies illa proprie non essset dies, neque nox, sed participium utriusque, eratque in ea frigus. Unde Petrus stabat ad ignem calefaciens se. Post quam successit clara dies resurrectionis Christi. Sic et Clemens Roman. lib. 5. Constit. cap. 13: *Postea*, ait, *fuerunt tenebræ à sexta usque ad nonam, et rursus lux vespere, sicut scriptum est: Non dies, et non nox, et ad vesperam erit lux.* Sic et Euseb. lib. 6. Demonstr. cap. 18. Porro frigus vel proprie accipi potest, vel metonymice pro tenebris et nocte: hæ enim sunt frigidæ; opponitur enim frigus luci, dum ait: *Non erit lux, sed frigus et gelu.* Ita Sanchez.

Anagog. In tempore hujus vitæ non est clara lux cognitionis Dei, nec serena dies amoris cultusque Dei, tum quia per fidem ambulamus, non per speciem; tum quia ambulamus inter improbos, in quibus exstincta est charitas, in ipsis quoque Sanctis ob concupiscentias, et tentationes, sæpe refrigescit charitas: at vespere, puta in fine mundi, erit lux æternæ claritatis, quando facie ad faciem videbitur Deus deorum in Sion. Unde S. Job orabat, cap. 3. 3, dicens: *Pereat dies in qua natus sum*, q. d. Pereat dies mortalitatis, et lux immortalitatis erumpat, ait S. Greg. ibidem. Et sponsa Cant. 2. 17. optat *ut aspiret dies* æternitatis, *et inclinentur umbræ* temporis et mortalitatis. Hæc ergo dies lucidissima et lætissima erit sanctis et beatis, obscurissima vero et tristissima impiis et damnatis. Unde aliqui unam hanc diem aiunt fore quasi duplicem, scilicet in *ea non erit lux, sed frigus et gelu* improbis; eadem vero erit dies et lux probis et piis: sicut eadem dies Hebræis in Ægypto erat dies lucidissima, Ægyptiis vero nox obscurissima per plagam tenebrarum, quam Deus eis inflixerat. Nam ut ait Sapiens, cap. 17. 22: *Omnis orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, etc. Solis autem illis superposita erat nox imago tenebrarum, quæ superventura illis erat.* Insuper paulo ante diem judicii erunt dies nubili et frigidi, tum physice ob eclipses et procellas cœlestes, tum moraliter ob errores varios, et hominum impietatem, æque ac ob plagas maximas, quas Deus impiis immittet, quæ recensentur Apoc. cap. 7 et 8 et 9 et 16. Sed *vespere*, id est, in fine mundi, succedet lux una clara, puta æterna dies gloriæ, cui nulla succedet nox. Ita S. Hieron. Cyrill. Remig. Hugo, Lyran. Sanchez et alii, qui arbitrantur hunc sensum esse litteralem: ego anagogicum esse censeo, sed præcipue hic intentum à Spiritu sancto: illi enim verba textus optime congruunt. Nam sub illud tempus neque dies erit, quia sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ de cœlo cadent; sed neque nox erit, quia sol, licet obscuratus, præsens erit huic hemisphærio. Ad extremum tamen erit lux, eaque clarissima, quia peracto judicio, reprobisque in tartarum demersis, renovabitur mundus, ac sol septuplo clarius lucebit, luna vero instar solis, ut ait Isaias, cap. 30. vers. 26. Accedet splendor Christi et Sanctorum omnium, qui fulgebunt sicut sol, Matth. 13. 43. Quin et elementa jam purgata, plurimum lucis et splendoris addent mundo. Nam si credimus S. Thomæ, in 4. dist. 48. quæst. 1. art. 4: *Terra erit lucida et pervia sicut vitrum in superficie, aqua sicut crystallus, aer sicut nunc est cœlum, ignis sicut nunc sunt luminaria cœli.* Rursum non erit dies, neque nox, id est, vicissitudo et successio qua nox continuo succedit diei, quia sol stabit, ac proinde unus et continuus erit dies lucidissimus. Ita Sanchez. Huc accedit illa nonnullorum expositio, quæ talis est, q. d. Dies illa judicii, quæ soli Deo est nota, quia ultima erit seculi, hinc non habebit sibi succedentem aliam diem aut noctem, et quia admirabilis erit et extraordinaria tam electis, quàm reprobis; non proprie dies, nec nox dicenda erit, sed vespera, id est, finis ejus desinet in lucem, id est, Sanctorum gloriam æternam. Huc alludens noster Thomas theodidactus, lib. 3. de Imitat. Christi cap. 47. pie et nervose ex persona Christi ad fidelem et pium: *Age*, inquit, *quod agis fideliter, labora in vinea mea: ego ero merces tua. Scribe, lege, canta, geme, tace, ora, sustine viriliter contraria: digna est his omnibus et majoribus præliis vita æterna; veniet pax in die una, quæ nota est Domino, et erit non dies, neque nox, hujus scilicet temporis; sed lux perpetua, claritas infinita, pax firma et requies secura. Non dices tunc: Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Nec clamabis: Hei mihi! quia incolatus meus prolongatus est, quoniam præcipitabitur mors; et salus erit indefectiva, anxietas nulla, jucunditas beata, societas dulcis et decora.* Hoc cogitabant SS. Milites et Martyres XL. sub Licinio Imp. ab Agricolao præfecto damnati ad stagnum gelidum. Hi enim se invicem hisce vocibus ad illud fortiter subeundum incendebant: *Durum frigus, sed dulcis paradisus. Affligens glacies, sed delectabilis requies. Brevi tempore durantes sinus Abrahæ nos perpetuo fovebit. Unam noctem cum sempiterno ævo* (et cum una die perenni, quæ non habet noctem, neque finem) *commutabimus. Incendatur frigore pes, ut cum Angelis continuo saltet. Torpescat frigore manus, ut facultatem habeat in Deum attollendi. Quando semel mori oportet, moriamur ut vivamus.* Ita refert. S. Basil. hom. de 40 Martyribus. Quocirca ante vesperam missi in stagnum, cum

nec dies esset, nec nox, vespere et nocte luce cœlesti donati sunt. Nam circiter tertiam noctis horam sol eos circumfulsit, ita lucidus et calidus, uti est in æstate, frigusque et gelu stagni dissolvit, aquamque calidam reddidit. Ita habet eorum Vita apud Surium, die 9. Martii.

Vidit hæc per umbram divinus Plato, cujus hæc est gnome in Theæteto : *Philosophia, sive vera sapientia est animi reditus è tenebrosa ista vita, quæ potius nox dicenda est quam vita ad veram entis lucem.* Quocirca ipse passim sapientiæ studiosos adhortatur, ut calcatis carnis concupiscentiis, uni vacent inquirendæ et contemplandæ veritati, lucique divinæ. Deus enim est το ον, το καλον, το ζωης ειδος, ipsum ens, ipsum pulchrum, ipsa vita, etc. ait idem in Phædone.

6. EXIBUNT AQUÆ VIVÆ.] *Aquæ vivæ* vocantur fontanæ, quæ è suis venis scaturiunt et ebulliunt. Magnum urbi locoque commodum, æque ac recreationem et ornamentum afferunt fontes, eorumque aquæductus. Hinc Romani moderni, et magis prisci, Romam aquis fontanis, eorumque aquæ ductibus ingenti labore et sumptu impleverunt, adeo ut Plinius, lib. 36. cap. 15, eos vocet orbis miracula, nec iis quid magis mirandum esse Romæ, imo nec in toto orbe asserat. Similes fecerunt Judæi in Jerusalem, præsertim Salomon, qui de se ait, Eccles. 2. 4 : *Exstruxi mihi piscinas aquarum,* adeo ut noster Vilalpando tomo 2. de templo, pag. 565, contendat aquæductus Salomonis magnificentiores fuisse aquæductibus Romanorum. Tales quoque fecit Ezechias, 4. Reg. 20. 20.

Alludit ergo Zacharias ad hosce Hierosolymæ fontes, innuitque eos in captivitate Babylonica, vel ab Antiocho confractos, aut collapsos, fore restaurandos, augendos et exornandos. Hoc enim fecisse Judæos è captivitate reduces docet Nehemias, cap. 3. 15, dicens : *Et portas fontis ædificavit Sellum, etc. et muros piscinæ Siloe in hortum regis.* Et vers. 16 : *Usque ad piscinam, quæ grandi opere constructa est.* Et Eccli. 50. vers. 3. de Simone pontifice, qui vixit tempore Ptolemæi Philadelphi (avum enim habuit Jaddo pontificem, quem adoravit Alexander Magnus) dicitur : *In diebus ipsius emanaverunt putei aquarum; et quasi mare adimpleti sunt supra modum.* Idem fecisse Machabæos eorumque posteros in restauratione Jerusalem non est dubium : ita enim ornarunt Jerusalem, ut videretur esse orbis deliciæ. Hinc Adrichomius et alii chorographi perplures in Jerusalem describunt fontes; nimirum ad Orientem, *ad*, id est versus, *mare Orientale* (quod est mare Mortuum, sive lacus Asphaltites) respiciebant fons Siloe, fons Rogel, fons Draconis, torrens Cedron, probatica piscina : ad Occidentem, *ad*, id est versus, *mare novissimum*, id est, Mediterraneum, inter alios eminebat fons Gihon, ubi Salomon in regem unctus est, isque duplex, superior et inferior. Insuper rivus erat qui ex Jerusalem influebat usque ad mare Orientale, et in illud influebat ad statuam salis, juxta Engaddi. Ex alio latere erat collis aquæ ductus, juxta Gabaon et Jerusalem, ubi Abner confodit Azael fratrem Joab. 2. Reg. 2. Videmus multis in provinciis fluvios integros ad multa milliaria, alveum effodiendo, arte duci. Ita, ut alios taceam, Bruxella urbs Belgii celebris, et sedes principum, suo sumptu fovea effossa, fluvium ductilem fecit per spatium 15 milliarium Italicorum, usque ad Scaldim, qui Antverpiam alluit, fluvium, inquam, navigabilem, quo merces omnes Antverpiam, indeque in Hispaniam, et per totum orbem, magno commodo et lucro vehit revehitque. Quid si Judæi similem fossam fluviumque fecerint, duxerintque è Jerusalem ad mare Mediterraneum, ut eò merces omnes marinas in urbem inveherent, et suas eòdem eveherent, dividendas et dividendas per totum orbem? Sane distantia Jerusalem à Mediterraneo duplo tantum major est, scilicet 30 circiter milliarum (quod est iter unius diei) imo par erit, scilicet 15 milliarum, si è Jerusalem fluvium ducas in torrentem Gaas : aut in torrentem qui Eleutheropoli in mare hoc decurrit. Id si verum est, ad amussim respondet verbis Zachariæ, dum ait : *Medium earum ad mare Orientale, et medium earum ad mare novissimum,* quod est Occidentale, sive Mediterraneum. De templo constat ex Aristæa lib. de Sept. Interpr. illud aquæductibus subterraneis fuisse refertum ad quinque usque stadia. Unde ad hosce Jerusalem fontes alludens sanctus Joannes, Apocal. 22. 1, dicit similes, sed præstantiores fore in Jerusalem cœlesti. Summa hac aquarum copia non aliud significat Propheta, quàm magnam fore Hierosolymæ felicitatem et amœnitatem, ita ut tota aquis sit irrigua, quæ ex ea utrinque in campos effluant, eosque fecundent et oblectent; quod tempore Machabæorum, et posterorum reipsa completum esse constat.

Jam sub hisce fontibus et aquæductibus Jerusalem, symbolice intelligit faustos lætosque egressus Judæ et fratrum ejus, tum ad prælia et victorias de Antiocho capessendas, tum ad colligendos Judæos fugitivos, et eos qui metu Antiochi prolapsi erant ad Gentilismum, revocandos ad fidem; stantes vero animandos ad constantiam; idque per totam Judæam, cujus terminus ad Orientem erat mare Orientale, sive Mortuum; ad Occidentem mare Mediterraneum, q. d. Exibunt è Jerusalem Machabæi, qui arentem et squalentem in tanta persecutione Judææ faciem ita rigabunt, ut Judæi fere exstincti reviviscant, puta Judas exibit contra Galaad et Ammonitas, qui sunt ad Orientem juxta mare Mortuum; Jonathas vero contra Joppen et Philisthæos, qui sunt ad occidentem Jerusalem, ut patet 1. Machab. 5. 6 et 55. et cap. 10. 76. Ita Paulus à Palacio.

Parabolice vero et potissime, intellige aquas doctrinæ et gratiæ Evangelicæ : has enim Christus et Apostoli ex Jerusalem, quasi ex matrice eructarunt, et derivarunt per totum Orientem et Occidentem (unde Arias per mare Orientale et Occidentale, accipit Oceanum Orientalem et Occidentalem, quo Hispani et Lusitani navigant in Indiam, tam Orientalem, quàm Occidentalem, ibique fidem et Ecclesiam Christi proseminant) sub quibus reliquas duas mundi plagas, scilicet Austrum et Aquilonem, subintellige : idque fecerunt tam æstate quàm hieme, id est, jugiter omnique tempore, tam commodo quàm incommodo, tam adverso quàm prospero, q. d. *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem*, Isaiæ 2. 3 ; ex ea enim spargetur lex et gratia Christi per totum orbem. Alludit ad id quod dixit, cap. 13. 1 : *In illa die erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem*, q. d. Ex Jerusalem quasi ex fonte promanabunt

aquæ vitales sapientiæ, et gratiæ ad omnes gentes. Ita S. Cyrill. S. Hieron. Remig. Hugo, Ribera hîc, et Euseb. lib. 6. Demonstr. cap. 18. et S. August. lib. contra Fulgent. Donat. cap. 6. Accedit Theod. qui putat hîc alludi ad aquam et sanguinem quæ fluxerunt è latere Christi, in cruce lancea trasfixi, quæ fuerunt symbola redemptionis nostræ et Sanctorum, quibus salvantur omnes gentes. *Aqua*, inquit, *nos purgat et à peccatis expiat: sanguis nutrit, rigat et germinare facit*, scilicet fructus bonorum operum.

Anagog. significantur hîc dotes et gaudia Beatorum in Jerusalem cœlesti, quæ ex visione Dei quasi ex fonte promanant, de quibus Apocal. 22. 1: *Et ostendit mihi fluvium aquæ vitæ, splendidum tanquam crystallum, præcedentem de sede Dei et Agni, etc.* Vide ibi dicta. Cujus rei symbolo è paradiso terrestri emanabant quatuor fluvii, Genes. 2. 10. Ita Lyran.

In æstate et in hieme erunt,] q. d. Perennes erunt hi fontes Jerusalem, jugiter scaturientes aquas. Symbolice, Machabæi tam hieme quàm æstate, id est, quovis tempore etiam importunissimo, pugnantes et vincentes consolationem, quietem et lætitiam dabant Israeli, instar fontium perennium. Ita Palacius. Parabolice, in Ecclesia fontes doctrinæ et gratiæ, quæ sunt Sacramenta jugiter manant volentibus eos haurire.

Tropol. nullis laboribus, nulloque tempore, sive adverso sive prospero, viri sancti exarescunt, ut gratiam Dei amittant; aut si doctores et pastores sint, ut eam in alios non derivent et effundant. Ita Stunica. Septuag. vertunt: *In æstate et in vere erit sic*, quod S. Hieron. mystice exponit, q. d. Hæ aquæ fluent in Paschate et Pentecoste: tunc enim solet celebrari solemnis baptismus, qui proinde fontis sacri impletio et benedictio præmittitur: *Ut celebremus*, inquit, *Pascha et Pentecosten, in quibus de terrenis transeamus ad cœlestia, et fructus nostros offeramus Deo. In phase enim hiemis finis, veris exordium est: in Pentecoste æstatis principium, quando labores manuum nostrarum et fructuum offerimus Deo. De hac æstate et vere justus perpetuo loquitur ad Deum: Tu fabricatus es auroram et solem, et æstatem et ver tu plasmasti.*

9. Et erit Dominus rex super omnem terram.] Ad litteram tenuiter hoc competit Machabæis, quorum prælia et victoriæ divinæ in omni terra, scilicet Judæa, imo toto orbe divulgatæ et celebratæ sunt; ac consequenter pleræque gentes Deum earum datorem et auctorem, quasi Dominum totius terræ timuerunt et celebrarunt. Verum plane et plene id convenit Christo, quem ut Deum mundi dominum, per prædicationem Apostolorum agnoverunt, invocarunt et coluerunt omnes gentes. Ita S. Hieron. Remig. Rupert. Haymo, Ribera et alii.

In die illa erit Dominus unus, et erit nomen ejus unum,] q. d. Jam in orbe multi habentur et nominantur dii, ut Jupiter, Apollo, Saturnus, Mars, etc. sed tempore Christi unus ab omnibus gentibus coletur et nominabitur Deus, puta Christus, qui solus verus est Deus, idemque cum Patre et Spiritu sancto. Tunc ergo ubique nomen solius Christi invocabitur, non idolorum. Ita Vatabl. et alii jam citati. Nota metonymiam: *nomen* enim significat rem, puta personam nominatam. Sic Poetæ viros celebres et nominatos vocant *nomina*. Unde Ovidius, eleg. 4. l. 3. Trist. *Vive tibi, et longe nomina magna fuge: nomina*, id est, potentes et principes, qualis erat Augustus, qui Ovidium relegavit in Sarmatiam, quæ nunc est Polonia, ubi locus exsilii ejus ostenditur.

10. Et revertetur omnis terra usque ad desertum.] Hebr. *sicut desertum*, id est, æque ac desertum. Unde Septuag. vertunt: *Circuiens* (Dominus, qui præcessit) *omnem terram et desertum*, id est, *usque ad desertum*, inclusive, uti vertit Noster. Ad litteram significatur quod Judæi, qui in persecutione Antiochi dispersi fugerant usque ad deserta, montes et cavernas, post pugnas et victorias Machabæorum revertentur ad suas sedes et domos; revertentur, inquam, ex colle, scilicet Gabaa, ut habent Hebræa (quæ fuit urbs Benjamin, in qua natus est Saul primus rex Israelis) qui erat limes Aquilonaris regni Judæ, usque ad Remmon, qui erat alter Judæ limes ex parte Australi, q. d. Judæi dispersi in extremos limites regni revertentur in suas sedes, ac præsertim in Jerusalem, in eàque quiete et læte degent: quo significat totam Judæam fore pacatam, quietam et felicem. Ita Placius et Mariana. Hoc verum in Machabæis et Synagoga, verius in Apostolis, per quos omnes gentes confluxerunt ad Ecclesiam.

Secundo, quia hebr. ערבה *araba*, non tantum desertum, sed et planitiem significat, hinc alii sic explicant, q. d. *Revertetur*, id est, redigetur omnis terra vicina Hierosolymæ in desertum, id est, in solum planum, sive in planitiem et aream, ut eò usque dilatari, eique inædificari possit urbs Jerusalem, ejusque suburbia, villæ et vineæ. Unde ex Hebræo vertunt Chald. et Pagnin. *Circumdabitur omnis terra velut planities;* et Tigurina: *Circumdabitur universa terra ut æquore plano;* et Vatablus: *Vertetur universa terra tanquam planities;* alii ad verbum: *Et circuietur universa terra ut planities.* Hebr. enim יסוב *iissob* idem est quod *circuietur*, vel circumdabitur, q. d. Universa terra circa Jerusalem, quæ montosa est, vertetur in planitiem, complanabitur et fiet æqualis, ut à quovis facile circuiri et circumambulari possit. Solent enim montes vicini urbes abscondere, auram liberam impedire, et dare latebras hostium insidiis. Promittit ergo Deus se montes hosce complanaturum, ne urbi prospectum, tam activum, quàm passivum adimant, et ut aere libero ventisque perflari possit, nec hostium subjaceat insidiis, ac domos et muros suos eò propagare possit: urbes enim in planitie sitæ amœnæ sunt, ac eminus conspiciunt et conspiciuntur. Hæc ut sonant, tenuiter facta sunt ab Assamonæis: unde per hæc potius symbolice significatur Jerusalem spiritalis, id est, Ecclesiæ Christi amœnitas, æquabilitas, incrementum et propagatio, quodque Deus omnia in ea ardua complanabit, et facilia efficiet per gratiam Christi, adeo ut etiam pueri et puellæ ea superent, non tantum constanter, sed et hilariter, juxta illud: *Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et videbit omnis caro salutare Dei*, Lucæ 3. 5. Unde rursum significatur Apostolos ituros ad Gentium deserta, ibique barbaros ad Christum conversuros, uti modo fit in Indiis. Addunt aliqui per fidem Christi factum esse, ut regiones olim desertæ colerentur et habitarentur,

uti reipsa factum esse in Germania, Hungaria, Polonia, Dania, Suecia, etc. demonstrat Thomas Bozius in Signis Ecclesiæ, tom. 2. l. 20. signo 88. Hoc est quod exsultans canit Isaias, cap. 35. 1 : *Lætabitur deserta et invia, et exsultabit solitudo, et florebit quasi lilium. Germinans germinabit, et exsultabit lætabunda et laudans. Gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron. Ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri.* Unde S. Hieron. mystice sic explicat : *Tunc revertetur omnis terra in qua habitavere Judæi, usque ad desertum, id est, usque ad populum Gentium, qui prius desertus erat, et legis notitiam non habebat, à Gabaa usque ad Remmon, hoc est, à colle usque ad excelsum : quia de terra, et de deserto ad colles, et de collibus ad montana consurgimus. Unde et sponsus Cant.* 2. *transilit colles, qui minores sunt, et salit super montes excelsos, de quibus scriptum est : Montes excelsi cervis.* Verum Mariana ad litteram planius et facilius hanc versionem sic explicat : *Circumdabitur omnis terra sicut planities*, q. d. Illis aquis vivis, quas v. 8. dixi egressuras è Jerusalem, irrigabitur et circumdabitur omnis terra, scilicet vicina Hierosolymæ. Hoc factum esse tempore Machabæorum patet ex fonte Gihon, Rogel, Cedron et aliis paulo ante nominatis, quibus irrigatur et quasi utrinque ambitur Jerusalem, tam ad Orientem, quàm ad Occidentem, ut patet inspicienti typum et delineationem Hierosolymæ, quam ad vivum exhibet Adrichom. et alii. Quocirca frustra contendunt Judæi hæc nunquam esse impleta; sed implenda à suo Messia. Cœperunt enim impleri sub Machabæis corporaliter, uti docent Palacius, Mariana et alii; sed spiritualiter, multoque excellentius et divinius impleta sunt per prædicationem Christi et Apostolorum.

De colle Remmon.] Hebr. מגבע miggheba, quod Septuag. Chald. Rabbini, eosque secuti Tigurin. Pagnin. et alii recentiores, accipiunt ut nomen proprium, vertuntque : *De Gabaa usque ad Remmon.* Et sic Noster accipi potest, *de colle,* scilicet Gabaa, usque ad Remmon. Remmon enim est accusativi casus : patet ex articulo *lamed* qui ei præfigitur : *lamed* enim Hebræis servit accusativo. Verum quia subinde *lamed* servit quoque genitivo, hinc secundo, verti potest, *de colle Remmon*, id est, Remmonis. Si per accusativum exponas, sensus erit quem paulo ante dedi, nimirum quod revertentur Judæi dispersi undequaque : scilicet ex colle Gabaa, qui est ad Aquilonem Jerusalem, usque ad Remmon, qui est ad Austrum ejusdem. Ubi nota duplicem fuisse Remmon, unam in Tribu Simeonis, de qua Josue 19. 7. hæc erat Australis Hierosolymæ; unde de ea hìc agitur : alteram in Tribu Judæ; hæc erat Aquilonaris, quam Joseph lib. 5. Antiq. c. 6. vocat Roob, eratque petra prærupta, et in ea urbs, distans à Jerusalem 15. milliaribus, non longe à Gabaa inter Septentrionem et Orientem, in qua continuerunt se sexcenti viri in exterminio Tribus Benjamin, ex quibus tota Tribus reparata est, Judic. cap. 20. et 21. Ita S. Hieron. Adrichom. et alii. Jam si *Remmon* hoc secundum accipias, idque in genitivo, sensus erit similis jam dicto : juxta aliam vero versionem paulo ante allatam sensus erit, q. d. Complanabitur regio vicina Jerusalem à colle Remmon, qui est ad Septentrionem, *ad Austrum,* intellige *et*, q. d. et ad regionem quæ est ad Austrum. Ita Sanchez, vel usque ad Austrum, id est, usque ad locum Remmon, ex parte Australi oppositum, ita ut spatium intermedium sit æqua, jucunda et amœna planities, patensque campus, per quam protendantur Hierosolymæ partim plateæ, partim suburbia, partim villæ, vineæ et horti. Aut q. d. Incolæ terræ sanctæ à Remmon usque ad Australem locum ei oppositum, venient in Jerusalem, ut eam ædificent. Aut aquis vivis, è Jerusalem egredientibus irrigabitur planities, interjecta inter Remmon et Australem locum ei oppositum.

Mystice, fideles in Ecclesia dicunt cum sponsa, Cant. 4. 6 : *Vadam ad montem myrrhæ et ad collem thuris*, puta pœnitentiæ et orationis; indeque pergunt ad Remmon, id est, malogranatum (unde et Andræas Masius in Josue c. 19. v. 13. censet locum hunc dictum esse Remmon, à malorum granatorum copia et fertilitate) puta ad plenam charitatem, tam Dei quàm proximi. Sicut enim malogranatum plurima grana complectitur, iisque quasi coalescit; ita charitas omnes proximos visceribus suis complectitur, sibique astringit et unit, atque ex omnibus omnium et singulorum amoribus quasi coalescit.

Et exaltabitur] Jerusalem, tam domibus et muris, quàm fama et gloria. Machabæi enim ædificarunt montem Sion, scilicet cingentes eum altis muris et turribus per circuitum. Ita Palacius.

Et habitabit in loco suo,] id est, loco pristino reædificabitur, ait S. Hieronymus. Verum Romana et Hebræa legunt *habitavit*, id est, habitabit, *in loco suo,* id est, quiete, secure, læte habitabit domi suæ, nullos metuens hostes. Septuag. Hebr. ראמה *rama*, id est *exaltabitur*, accipiunt ut nomen proprium. Unde vertunt : *Rama autem in loco permanebit.*

A porta Benjamin.] Erat hæc in Bezetha, sive Cænopoli, id est nova urbe. Significat ergo veterem urbem augendam per novam, puta adjiciendam ei Bezetham, sive Cænopolim. Ubi nota Jerusalem ita adauctam fuisse, ut veteri civitati duæ aliæ partes, quasi novæ civitates sint adjectæ, ita ut esset quasi trina, vel triplex civitas, quarum quæque suos habebat muros et portas. Hinc et vocabantur, prima, secunda, tertia civitas. Prima erat vetus, in qua erat porta prior. Secunda erat veteri proxima, in qua habitabat Holda Prophetissa, 4. Reg. 22. 14. Tertia erat extima, et vocabatur Bezetha, sive Cœnopolis, in qua porta erat Benjamin. vide typum Hierosolymæ apud Adrichom.

A turre Hananeel, quæ erat ultima civitatis veteris, indeque cœpit augeri civitas, adjecta Cænopoli, usque ad torcularia regis,] quæ erant in adversa parte remotissima, puta in monte Sion, in quibus vinum regum exprimebatur. Omnia hæc significant Jerusalem valde augendam et ornandam ad quatuor portas sub Machabæis, inquit Mariana et Palacius, per quod symbolice significatur amplificatio, complanatio, et exornatio Ecclesiæ Christi ad quatuor plagas mundi, ac multitudo credentium et Christianorum. Simile symbolum dilatationis Ecclesiæ, sub typo extensionis Jerusalem, habet Jerem. cap. 31. in fine et Isaias, c. 51. 2. ut ibi dixi.

11. Anathema non erit amplius.] Hebr. חרם *cherem*, id est, excisio, id est, res abominanda et exscindenda, puta idolum quod Antiochus col-

locavit in templo, quod à Daniele, c. 11. v. 31. vocatur abominatio desolationis, q. d. Amplius idola non polluent templum, nec colentur. Ita Theodor. et Palacius. Hoc factum sub Machabæis. Secundo, proprie, anathema hebr. dicitur *cherem*, id est excisio, succisio, occisio, ut vertit Chald. de quo dixi Rom. 9. 3. et Levit. c. 27. 28. q. d. Amplius non exscindetur, nec vastabitur Jerusalem scilicet usque ad longum et immemorabile tempus : nam postea à Tito plane excisa est. Parabolice, Ecclesia Christi non exscindetur, sicut excisa est Synagoga, sed durabit in æternum, donec à statu militante transferatur in triumphantem. Unde S. Hieron. *Nullus*, inquit, *erit metus, hostilis impetus, nulla formido;* nam *sedebit Jerusalem secura* in fide et spe tutelæ et protectionis divinæ; pari modo securus in ea sedebit fidelis et sanctus quisque, juxta illud psalm. 90. 1 : *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.*

Vis exemplum illustre, imo in uno multa, eaque eximia, accipe. Magnus ille S. Sabas, qui tempore Anastasii et Justiniani Impp. acriter Concil. Chalcedonense propugnavit, et meritis cumulatus anno ætatis 92. Christi 531. gloriosus migravit in cœlum, cum furiose in eum irrueret Satanas specie leonis, stetit securus, quia Deo nixus, aitque : *Si accepisti contra me potestatem, cur reprimis impetum? Ego sum paratus, Dei cedens nutibus, et non invitum me offerens, ut devorer, sin minus, cur fremis et exsultas inaniter? Ambulabo enim, et conculcabo te leonem munitus Christi virtute.* Aufugit Satanas : omnes autem feræ ab illo tempore eidem magis fuerunt mansuetæ et obedientes : adeo ut ipse una cum eis versaretur, et nihil omnino læderetur. Agarenus machinans S. Sabæ necem, eo orante : *Hi in curribus, Domine, et in equis, nos autem in nomine tuo magnificabimur*, illico à terra, quasi alter Dathan, absorptus est. Exinde Dei gratia ita virum sanctum imbuit, ut nihili faceret barbarorum insidias : et non solum ab eis non vinceretur, sed ne terreretur quidem penitus. Multis ergo ei se in sanctam disciplinam dantibus, Laura ejus facta est chorus Apostolorum, aut Angelorum Ecclesia laudantium Dominum. Ipse toto jejuniorum tempore erat jejunus, et nihil cibi attingebat, nisi quod Sabbatis et Dominicis divina sumebat Sacramenta. Tentatus à dæmone psallebat : hinc cor ejus tranquillitate et hilaritate implebatur, dæmon se ab eo victum exclamavit. Magna in Deum fiducia ab eo per miraculum aquam, pecuniam et quidquid voluit, obtinuit. Ingressus speluncam ingentis leonis, cum se post preces sopori dedisset, ad eum media nocte fera accessit, et cum eum veste apprehendisset foras trahebat. Ille excitatus et leonis conspectu minime conturbatus, nocturnos hymnos protinus est aggressus. Leo foras egressus exspectabat quoad preces finiret : quibus finitis, leo regressus, veste eum tentat extrahere ; cui ille intrepidus : *O leo*, inquit, *hæc quidem spelunca ambobus, si velis, sufficit ad habitandum. Sin hoc tibi non videtur, tu mihi potius spelunca cede : ego enim Dei manu sum formatus, et ejus sum honoratus imagine.* His auditis leo abiit, S. Sabæ cedens spelunca et cubili. Quin et latrones occurrentibus leonibus : *Per preces*, inquiunt, *Sabæ monachi via nobis cedite :* et statim leones tanquam gravi plaga, nomine Sabæ percussi, in fugam se conjecerunt : quo viso latrones conversi vitam mutarunt. Leo, cui erat pes paxillo transfixus, accessit ad S. Sabam, pedem porrigens, et opem poscens. Exemit paxillum vir sanctus, quare gratus leo ei deinceps quasi famulus adhæsit, et in omnibus quoad potuit inservivit, custodiens asinum, qui monasterio aquam et necessaria comportabat. Qui feras non formidabat, reges non timuit. Anastasium hæreticum Imp. libere redarguit. Justinus imperator ejus faciem lumine coruscam intuitus, quasi Angelum Dei excepit, ab eoque benedictionem petiit. Justinianus Imp. eum reveritus, mira ejus rogatu effecit. Statuerat ei ad colloquium horam tertiam : illa ut sonuit, Sabas relicto imperatore, ad solitam psalmodiam se recepit. Urgente discipulo ut imperatori occurreret ; *Imperator*, inquit, *facit quod ei convenit : et nos facimus id quod debemus.* Hæc Cyrillus in Vita S. Sabæ.

12. TABESCET (hebr. חָמֵק *hamec*, id est liquescet, sicut cera coram igne liquescit et dissolvitur. Ita Pagnin. et Vatabl. *tabescet*, inquam) CARO UNIUSCUJUSQUE STANTIS SUPER PEDES SUOS,] id est viventis et vigentis, q. d. Tabescent hostes Hierosolymæ, non febri, non morbo, sed plaga divina, ita ut sanus, stans, vivens et vigens marcescat et contabescat. Id contigit Antiocho, quem Deus tumentem et furentem subito *percussit insanabili et invisibili plaga : ut enim finivit hunc ipsum sermonem* (devastanda omnino Jerusalem), *apprehendit eum dolor dirus viscerum, et amara internorum tormenta, etc.* 2. Machab. 9. 5. Simili modo Antiochi duces et milites validi cum Juda et Machabæis decertantes, percussi à Deo et perculsi cadebant animis et viribus, quasi tabescentes. Ita de Lysia dicitur 1. Machab. 4. 27 : *Quibus ille auditis consternatus animo, deficiebat.* Et Judas Deum orat v. 32. dicens : *Da illis formidinem, et tabefac et tabefac audaciam virtutis eorum, et commoveantur contritione sua.* Similiter lib. 2. cap. 10. 30. narratur : Angeli stipantes Judam, *eum incolumem conservabant, in adversarios autem tela et fulmina jaciebant ; ex quo et cæcitate confusi, et repleti perturbatione cadebant.* Et cap. 12. 22, loquens de prælio Judæ cum Timotheo : *Cumque cohors*, inquit, *Judæ primo apparuisset, timor hostibus incussus est ex præsentia Dei, qui universa conspicit, et in fugam versi sunt alius ab alio, ita ut magis à suis dejicerentur, et gladiorum suorum ictibus debilitarentur.*

Parabolice. hoc verius fuit in persecutoribus Ecclesiæ : *Legamus*, ait S. Hieron. *Ecclesiasticas historias, quid Valerianus, quid Decius, quid Diocletianus, quid Maximianus, quid sævissimus omnium Maximinus, et nuper Julianus passi sunt ; et tunc rebus probabimus, etiam juxta litteram, prophetiæ veritatem esse completam, quod computruerint carnes eorum, et oculi contabuerint, et lingua in pædorem et saniem dissoluta sit.*

Sic Nestorii blasphema lingua, quam exeruerat contra Ecclesiam et B. Virginem, docens eam non esse Deiparam, sed Christiparam, à vermibus erosa extabuit. Sic Arrius cœlesti plaga percussus, dum pergit ad invadendam Ecclesiam Christianorum Constantinopoli, correptus ingenti dolore viscerum, secedens in latrinas intestina emisit, animamque infelicem efflavit, uti refert S. Ambros. lib. 1. de Fide cap. 9. et

Socrat. lib. 1. Histor. cap. 25. Sic Calvinus instar Herodis fœtore et vermibus consumptus, toti orbi vindictæ divinæ exemplum et portentum fuit, uti refert Bolsecus in ejus Vita. Hoc est quod ait Isaias cap. 49. 16: *Cibabo hostes tuos carnibus suis, et quasi musto sanguine suo inebriabuntur.* Vide ibi dicta.

Anagog. ita dissolvet et tabescere faciet Deus Antichristum, Gog, Magog, omnesque impios, indirecte tamen et comitanter afficient etiam pios, sed in ipsorum bonum. Nam hoc erit eis vel purgatorium pœnitentiæ, vel martyrium patientiæ, ad illustrandam eorum virtutem, et augendam coronam. Ita Lyran.

Tropol. Tabescit caro, oculi et lingua in nobis, quando per gratiam Christi mortificamus concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et superbiam vitæ, quæ maxime se ostendit in jactantia linguæ. Hi enim sunt tres hostes, et tentatores nostri in mundo, ut docet S. Joan. Epist. 1. cap. 2. 16. Ita Stunica.

13. Erit tumultus Domini, puta à Domino excitatus, ideoque magnus in eis,] scilicet hostibus Machabæorum, æque ac fidelium et Christianorum. Pro *tumultus* hebr. est מהומה *mehuma*, quod Chald. vertit: *Erit conturbatio stragis coram Domino*, q. d. Conturbabuntur hostes ob stragem acceptam à Domino, Septuag. *Erit stupor Domini magnus super eos*, q. d. Deus percellet eos et in stuporem adiget, facietque stupidos, ut se movere et confligere nequeant. Pagnin. et Vatabl. *Erit contritio Domini magna in eis*, q. d. Deus valide et vehementer conteret eos. Alii: *Erit strepitus*, vel *fragor Domini magnus in eis*, puta tonitru, uti olim accidit Philisthæis invadentibus Judæos, juxta illud quod Anna de filio suo Samuele prophetavit, dicens: *Dominum formidabunt adversarii ejus, et super ipsos in cœlis tonabit;* 1. Reg. 2. 10: *Cum enim Samuel offerret holocaustum, Philisthiim iniere prælium contra Israel: intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim; et exterruit eos, et cæsi sunt à facie Israel;* 1. Reg. 7. 10. Idem fecit militibus Antiochi pugnans pro Juda; nam fulmina in eos jaculatus est, ut dicitur 2. Mach. 10. 30. tonitrua enim comitari, imo causare solent fulmina.

Et conseretur manus.] Hebr. *et ascendet manus est super manum proximi sui*, quod Remig. et Hugo sic explicant, q. d. Infideles videntes stupenda prodigia Apostolorum, conserent manus, eoque signo fœdus inibunt, ut pariter se dedant Christo et Apostolis. Secundo, Vatabl. vertit, *ascendet*, scilicet in auras, id est evanescet, *manus ejus in manu proximi*, q. d. Si quis rogarit opem à socio suo ut oppugnet Jerusalem, frustra id faciet: quia nec vires humanæ, nec consilia humana quidquam valebunt adversus vires et consilia Dei. Tertio, Chald. vertit: *Et evelletur manus ejus cum manu proximi sui;* et Pagnin. *Succidetur manus ejus super manum amici sui*, q. d. Implorabunt opem sociorum, sed cum iis succidentur. Quarto, et verisimilius, Theod. et Lyran. exponunt, q. d. Tantus erit hostium tumultus, ut in se invicem versi manus conserant, mutuisque se concidant vulneribus. Quinto et simplicissime, q. d. Tanta erit tumultuantium trepidatio, tantus pavor, ut metu exanimes manus apprehendant, easque conserant et conglobent, ut hac unione conglobati pavori quoquo modo resistere valeant. Sic enim videmus oves, boves, porcos, omniaque animalia in pavore, v. g. veniente lupo, natura instigante conglobare et condensare se, quasi à se mutuo opem petant, ut uno eoque communi agmine conferti communi hosti resistant, seseque tueantur. Ea est vis pavoris, ea ex adverso societatis, juxta illud Eccles. 4. 9: *Melius est ergo duos esse simul, quàm unum, habent enim emolumentum societatis suæ, etc. Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistent ei. Funiculus triplex difficile rumpitur.*

14. Sedet Judas,] q. d. Multi Judæi partim metu, partim ex improbitate, spe opum et honorum jungent se Antiocho, et pugnabunt contra Jerusalem et Machabæos, uti dixi cap. 12. 2. Simili modo tempore Christi Judæi oppugnabunt Jerusalem, id est, Ecclesiam nascentem in Jerusalem. Mystice, Judæ, id est, confitentes et fideles pugnant contra Jerusalem, id est Ecclesiam, qui fidem Christianam quam professi sunt, abdicant et ejurant, fiuntque hæretici, apostatæ, Saraceni, Pagani: hi enim solent esse infensissimi fidei semel agnitæ et Ecclesiæ hostes. Ita Remig. et Lyran. Id videmus in Renegatis, qui sunt robur Turcæ contra Christianos.

Et congregabuntur divitiæ.] Sic ad litteram spoliis Nicanoris, aliorumque Antiochi ducum et copiarum, ditavit se suosque Judas Machabæus, 2. Machab. 8. 27. Ita Theodor. Palacius et Mariana, sub quorum typo intelligit spolia, quæ ex Gentibus in Ecclesiam intulerunt Apostoli. Nam ut ait Isaias cap. 60. 16. Gentes conversæ ad Christum omnes suas opes in Ecclesiam contulerunt. Unde gratulatur Ecclesiæ dicens: *Suges lac Gentium, et mamilla regum lactaberis, etc. Pro ære afferam aurum, et pro ferro afferam argentum;* sub quibus rursum typice intelligit sapientiam, philosophiam, eloquentiam, mathesim, aliasque scientias et artes, tum liberales, tum mechanicas, quibus Gentiles conversi ornarunt Ecclesiam. Minus congrue Lyran. hæc accipit de spoliis gentium, quæ Antichristus inferet in Jerusalem, ubi suum thronum figet; ipse enim erit hostis et tyrannus Jerusalem, non rex et tutor.

Mystice, Remig. Albert. Vatabl. et Arias, per aurum accipiunt charitatem, per argentum sapientiam divinam, per vestes cæteras gratias et virtutes Christianas, quas à Deo acceperunt Gentes conversæ ad Christum. Verum eas non intulerunt in Ecclesiam, sed Ecclesia illas acceperunt, iis tamen eam exornarunt.

15. Et sic erit ruina equi, et muli, etc. sicut ruina hæc, q. d. Sicut dixi v. 12, cædendos et ruituros homines, gentesque quæ cum Antiocho pugnabunt contra Jerusalem, et typice contra Ecclesiam; ita dico pariter cædendos et ruituros eorum equos, mulos, camelos, etc. quibus contra Jerusalem pugnabunt, iis vel dimicando, vel sarcinas convehendo.

Symbolice, hæc omnia per catachresim significant opes et bellica instrumenta hostium Ecclesiæ, scilicet nobilitatem, astutiam, ingenium, sapientiam, potentiam, eloquentiam, etc cessura victrici eorum Ecclesiæ.

Mystice cum S. Hieron. et Remig. per equos accipe luxuriosos, vel arrogantes; per mulos, dolosos, aut potius cerebrosos et phantasticos; per camelos, divitiis et vitiis onustos; per asinos, acedos, stolidos et stultos. Horum enim

luxuria, arrogantia, dolus, avaritia, acedia, etc. corruerunt, cum in baptismo vel pœnitentia induerunt castitatem, humilitatem, candorem, charitatem et fervorem Christi.

16. Et omnes qui reliqui fuerunt,] scilicet è strage prælii. Ad litteram alludit ad Gentes, quæ post tot et tam illustres Machabæorum victorias, partim Judaismum susceperunt, partim eis foderatæ quotannis confluebant Jerusalem ad eorum festa, ibique Deum eorum adorabant. Ita Theod. Palacius et Mariana. Sic enim Idumæos armis Hyrcani qui filius fuit Simonis fratris Judæ Machabæi, subactos, suscepisse circumcisionem et Judaismum, docet Joseph. lib. 13. Antiq. cap. 17. Verum quia paucæ gentes id fecerunt, hinc typice et potius sub iis intelligit omnes quæ conversæ sunt ad Christum, q. d. Cæteris in infidelitate sua pereuntibus, reliqui Gentium conversi ad fidem Christi, singulis annis venient in Ecclesiam, ibique celebrabunt festa Christiana, non Judaica. Ita Stunìca, Sanchez et alii: ac mystice semper celebrabunt festum tabernaculorum; quia vivent peregrini in hoc mundo, tendentes jugiter ad patriam cœlestem, in qua mentem defigent, ut ibi perpetuum festum tabernaculorum in gloria agant. Nominant præ cæteris festum tabernaculorum, tum quia illud diutius cæteris, puta per septem dies celebrabatur: tum quia alludit ad tabernacula Hebræorum in deserto, in quibus cœlesti columna ignis per noctem, et nubis per diem obumbratis, protegebantur à tenebris nocturnis, æque ac ab æstu diurno. Simili enim modo fideles in Ecclesia obumbratione Spiritus S. proteguntur ab omni tentatione et ærumna: tum denique ut meminerint Christiani, se hìc non habere civitatem et domum permanentem, sed habitare in tabernaculis quasi milites et peregrinos, ac tendere ad domum æternam in cœlis. Vide dicta Levit. 33. 42. Ita S. Hieron. Remig. Hugo, Lyran. Vatabl. Ribera et alii passim. Mystice Euseb. l. 8. Demonstr. c. 4. per tabernacula intelligit particulares Ecclesias, in quibus quasi in tabernaculis securi ab omni procella et incursu hostili, degunt fideles tendentes in cœlum.

Objiciunt Judæi festum tabernaculorum proprie esse accipiendum, ac proinde hæc exspectanda esse à Messia venturo. Cur enim illud accipiamus spiritualiter et mystice? Resp. partim proprie illud accipi, sicque impletum esse in Machabæis; partim et potius spiritualiter, sicque plenius impleri in Christianis. Porro cur Propheta festa Christianorum nuncupet nomine festi Judaici tabernaculorum, causæ sunt variæ, Prima, quia loquebatur Judæis, qui nonnisi festa Judaica norant. Secunda, ut ostenderet festa Judaica esse typos et figuras festorum Christianorum, hæcque illis responsura, sicut corpus respondet umbræ. Magnam enim fidem Ecclesiæ facit consensio et consonantia novi testamenti cum veteri, quodque omnia ejus Sacramenta et dona adumbrata fuerint per vetera et Judaica. Tertia, quia Christiani longe magis et verius agunt festum tabernaculorum, non semel in anno, uti Judæi, sed continuum et perenne. Hoc est quod eos monet S. Petrus epist. 1. c. 2. 11. dicens: *Charissimi, obsecro vos tanquam advenas et peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis.* Et S. Paulus sæpe docet, nos instar Abrahæ esse peregrinos terræ, sed cives cœli et sanctorum, ac domesticos Dei: *Fides*, inquit Hebr. 11. v. 1 et 9. *est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Abraham fide demoratus est in terra repromissionis, tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac et Jacob, cohæredibus repromissionis ejusdem. Exspectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor Deus.* Vide ibi dicta. Quarta, quia Prophetæ prophetice loquuntur, id est, parabolice, symbolice, ænigmatice, tum ob rerum futurarum absentiam, quas per umbras et figuras videbant; tum ob eorum obscuritatem; tum ad prophetiæ elegantiam. Sic totum hoc caput, æque ac totus pene Zacharias, et Ezechiel multis in locis, ac S. Joannes in Apocalypsi symbolici sunt et parabolici. Simili modo Ægyptii sua mysteria repræsentabant per hieroglyphica: Judæi autem erant vicini Ægyptiis, et primitus degentes in Ægypto illa ipsi viderant: unde et subinde ea imitati sunt, quibus proinde Prophetæ simili modo prophetant, ne Ægyptiis inferiores esse viderentur, præsertim cum Ægyptii sua symbola et litteras, suamque sapientiam ab Hebræis, puta ab Abrahamo, Jacobo, Mose, etc. hauserint, uti docent Euseb. lib. 10. Præpar. 2. Clemens Alexand. lib. 1. Strom. et S. August. 18. Civit. cap. 39. Quinta, quia res spirituales et bona spiritualia, quæ in novo testamento attulit Christus, commode hominibus, et præsertim rudibus Judæis explicari non poterant, nisi per symbola corporalia quibus assueverant.

Tropol. et anagog. S. Hieron. *Quamdiu*, inquit, *in profectu sumus, et in cursu atque certamine, habitamus in tabernaculis; hoc omni mente nitentes ut de tabernaculis ad firmam et stabilem sedem transeamus, id est, domus Dei.* Unde et S. David dicit in psalmo: *Hei mihi! quia incolatus meus prolongatus est.* Et: *Advena ego sum et peregrinus, sicut omnes patres mei. Hoc loquitur qui in Ægypto est, et adhuc in seculo constitutus. Qui autem egreditur de Ægypto* (*quæ* hebr. dicitur מצרים *mitsraim, et interpretatur* tribulatio) *et ingreditur vitiorum solitudinem, carpit iter suum, et dicit in psalmo: Pertransibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, etc. Unde et ille loquitur: Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Et post paululum: Beati qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te. Vox enim exsultationis et salutis in tabernaculis justorum, etc. Unum petivi à Domino, hoc requiram. ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam delectationem Domini, et visitem templum ejus. Qui in istiusmodi habitat tabernaculis, et de tabernaculis ad atria, et de atriis ad domum, et de domo ad templum Domini ire festinat, debet celebrare solemnia tabernaculorum in ligno sapientiæ pulcherrimo,* Levit. 23. 40.

17. Et erit, qui non ascenderit de familiis terræ,] scilicet Judææ: de ea enim hìc agitur, illaque sola obligabatur lege veteri, et consequenter ad celebrandum festum tabernaculorum. Ita Vatabl. q. d. Judæi qui non ascenderint in Jerusalem ad festum tabernaculorum, privabuntur imbre, tum corporali (Deus enim Judæos ob impietatem tempore Achab et Eliæ, ac deinceps sæpe punivit siccitate et sterilitate), tum potius spirituali verbi, doctrinæ et gratiæ Dei, multo magis hoc imbre privabuntur Judæi et gentes quæcumque non ascenderint in Jerusalem mysticam, id est, Ecclesiam, ibique no-

celebrarint festum tabernaculorum mysticum, quod jam explicavi. Ita S. Hieron. Remig. Lyran. et alii.

Recte notat Sanchez, per imbrem significari maxima beneficia. Unde Theodor. sic explicat : *Non erit super eos imber, id est, nullam misericordiam assequentur.* Tota enim fertilitas et felicitas Judææ pendebat ab imbre matutino et serotino, puta sementis et messis : unde eum toties promittunt Prophetæ, ejusque subtractionem impiis comminantur. Alludit ergo Zacharias ad illud Mosis Deut. 10. 11 : *Terra enim ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Ægypti, de qua existi, ubi jacto semine in hortorum morem, aquæ ducuntur irriguæ, sed montosa est et campestris, de cælo exspectans pluviam, quam Dominus Deus tuus semper invisit. Et oculi illius in ea sunt à principio anni usque ad finem ejus. Si ergo obedieris*, etc. *dabit pluviam terræ vestræ temporaneam et serotinam, ut colligatis frumentum, et vinum, et oleum.*

18. Quod et si familia Ægypti non ascenderit.] Meminit Ægypti potius quàm aliarum regionum et gentium : Primo, quia directe respicit ad Judæos, qui sub Jonatha fratre Judæ Machabæi, ex consensu Ptolomæi Philometoris regis Ægypti, ibidem templum simile Hierosolymitano ædificarunt Heliopoli, in eoque pontificem constituerunt Oniam filium Oniæ pontificis, à quo urbs et regio, æque ac templum Onion est appellatum. In eodem loco puer Jesus, fugiens Herodem exsulavit : unde etiamnum ibidem ostenditur fons Jesu, irrigans hortum balsami, ex cujus irrigatione balsamum oriri censet Bredembachius, uti refert Adrichom. in Heliopoli : stetit hoc templum usque ad imperium Vespasiani per annos 350. Erectum fuit contra legem Dei, quæ jubet ut solum in loco à Deo electo, puta in Hierosolymitano templo immoletur, Deut. 16. 2. Peccaverunt ergo Judæi in Ægypto erigentes quasi altare contra altare, et facientes schisma à Jerusalem et templo ibidem jussu Dei ædificato, de quo Joseph. l. 13. Antiq. 6. Sensus ergo est, q. d. Si Judæi qui in Ægypto degunt suum Onion adire velint, nec ascendere in Jerusalem, privabuntur pariter imbre jam dicto. Secundo, quia Ægyptii vicini erant Judæis, iisque infensi ; unde per synecdochen repræsentant quosvis Gentiles et hostes Judæorum, q. d. Si Gentiles alienissimi à Jerusalem, quales in primis fuerunt Ægyptii, nolint in eam mystice ascendere, puta si nolint adire Ecclesiam, fierique Christiani, non erit super eos imber gratiæ cœlestis. Ita S. Hieron. Theod. Remig. Lyran. et Vatabl. Tertio, quia Ægyptus caret imbre et pluvia cœlesti : pro ea enim habet terrestrem, puta Nilum, cujus exundatione irrigatur et fecundatur, magis vel minus secundum majorem vel minorem ejus eluviem. Unde Plinius l. 5. c. 9 : *Ægyptus*, ait, *in duodecim cubitis* (quibus Nilus exundans super agros ascendit et eminet) *famem sentit, in tredecim etiamnum esurit, quatuordecim cubiti hilaritatem afferunt, quindecim securitatem, sedecim delicias.* Quocirca cum hìc Ægyptiis comminatur, dicitque : *Non erit super eos imber*, per imbrem intellige irrigationem Nili : hæc enim Ægypto est loco imbris : alioquin eis nulla est pœna carentia imbris, si adsit Nili exundatio. Unde Chald. vertit : *Non crescit ejus Nilus.* Ita Mariana. Sensus est, q. d. Gentiles, qui sibi videntur abundare imbre sapientiæ, ubi Ægyptus abundat aqua Nili, eo destituentur, nisi adeant Ecclesiam, in eaque illum cœlitus hauriant. Punientur ariditate et sterilitate, non tam corporali, quàm spiritali gratiæ et doctrinæ salutiferæ.

Quarto, quia Ægyptus hebr. vocatur מצרים *mitsraim*, quæ vox significat angustias, aut duas angustias, sive angustum et arctum quid inter duo prementia : unde apte repræsentat angustias infidelium præsentes et æternas, quæ eos manent nisi Ecclesiam adeant, ejusque imbre divino irrigentur. Quocirca subdit : *Sed erit ruina, qua percutiet Deum omnes gentes*, etc. Ruina hæc partim temporalis est, v. g. qua Constantinus, Theodosius, Carolus, aliique principes Christiani percusserunt et prostraverunt infideles in præliis ; partim æterna, qua eos Deus percutiet in gehenna.

19. Hoc erit peccatum Ægypti.] *Peccatum*, id est, peccati pœna et plaga, puta ruina jam dicta. Unde Chald. *Hæc erit ultio Ægyptiorum, et punitio populorum*, est metonymia. Secundo, proprie, q. d. Hoc erit antonomastice peccatum, scilicet peccatum peccatorum omnium maximum, si nimirum nolint Gentes exire è suo gentilismo et ingredi Jerusalem, id est, Ecclesiam Christi, in eaque celebrare festum spirituale tabernaculorum, fide, spe et charitate tendendo ad patriam cœlestem. Ita S. Hier. Theodor. Remig. et Hugo.

20. In die illa erit quod super frenum equi est, sanctum Domino.] Hebr. est מצלות *metsillot*, quod Septuag. Syrus, Arabicus Antiochenus et Noster vertunt, *frenum.* Causam dat Marinus in Lexico : Crederem, ait, *metsillot* esse partem illam freni ferream, quæ prominet ex ore equi (quæ vulgo dicitur *morso del cavallo*) sic dictam à collisione et tinnitu, puta à nomine צלצל *tsiltsel*, quod per onomatopœiam significat cymbalum (vel quid simile) titinniens. Hinc secundo, R. David et Pagnin. vertunt *tintinnabulum*, quod muliones ex capite vel collo mulorum et equorum onerariorum, præsertim principum, suspendunt, tum ad ornatum, tum ut ex ejus sonitu sciatur ubi sint, ne, si à via aberrent, perdantur. Unde Pagnin. vertit : *In illa die erit super tintinnabula equorum sanctitas Domino*, q. d. Tintinnabulis equorum insculpentur hæ duæ voces, *sanctitas Domino*, ut significetur ea esse consecrata Deo. Tertio Chald. et S. Hieron. in Comment. vertunt *phaleras*, quæ tegunt, ornant et obumbrant equum ; radix enim צלל *tsalal* significat tegere, obumbrare : unde צל *tsel* est umbra. Quocirca Chald. vertit : *In tempore illo erunt onus phaleræ equi sanctificatæ Domino* ; et Tigurin. *In die illo consecrabitur Domino quod est in equorum phaleris.* Quarto, Clarius vertit : *Collaria* ; alii ; *Stragula et quævis equorum ornamenta* ; denique Arabicus Alexand. vertit *putridum*, vel *tabem equi*.

Sensus est, q. d. Machabæi victores, æque ac principes Christiani, in templo consecrabunt Deo hostium manubias, præsertim phaleras et ornamenta, quæ equis eorum detraxerunt, sicut David gladium, quem detraxit Goliath, quoque eum occidit, consecravit Deo in templo, 1. Reg. 13. Rursum, q. d. Post Ecclesiæ victoriam et dominatum alta erit ubique pax, adeo ut aurum, argentum et gemmæ quibus ornari solent frena principum, et nobilium stragula ac pha-

leræ pretiosæ, convertantur in Dei cultum, Deoque dedicentur, vel quasi trophæa in gratiarum actionem, ut vult Theodor. vel ad testandum pietatis et devotionis affectum. Ita S. Hieronym. Cyrill. Vatabl. Arias, Ribera et alii. Huc accedit expositio Stunicæ, qui censet alludi hîc ad laminam quæ erat in tiara pontificis appensa fronti, cui inscriptum erat : *Sanctitas Domino*, q. d. Hic est pontifex sanctificatus, et consecratus Domino. Indicat ergo Zacharias, Machabæos militesque victores suis præliis præliaturos sanctitatem Domini, quasi titulum et causam, æque ac symbolum belli, in quo omnem victoriæ spem collocent, q. d. Nos pugnamus pro lege sancta Dei; unde ejus symbolum in vexillis et armis præferimus, ideoque victores nos fore confidimus. Ita fecisse Judam Machabæum notissimum est ex libris Machabæorum.

Hoc faciunt jam principes Christiani contra hæreticos et infideles in Gallia, Germania, Bohemia, Walachia, India, etc. decertantes, et idcirco de iis triumphant, et victoriis pene miraculosis potiuntur. Idem per umbram viderunt et fecerunt Gentiles. Alexandro enim digna vox est apud Dionem orat. 2. de regno : *Exuviis*, ait, *et hostium armis templa excolenda sunt; cum et Hector hostium spolia ad sagittiferi Apollinis ædem se appensurum vovebat.* Plures eorum gnomas et exempla citavi Num. 31. 50. ubi Israelitæ manubias Madianitarum Deo, quasi victoriæ datori consecrarunt; et Gen. 14. 20. ubi Abraham parta victoria de quatuor regibus, spoliorum decimas Melchisedecho, quasi Dei vicario et pontifici obtulit.

Porro meminit frenorum potius, quàm aliarum rerum, quia egit de hostibus Jerusalem et Ecclesiæ, quos devictos asserit suos frenos et phaleras, id est, sua decora, delicias et opes vel sponte, vel coacte, puta per victores, oblaturos Ecclesiæ. Milites enim, puta equites, omnes suas opes olim ponebant, et etiamnum ponunt in adornandis armis et equis. Unde Juvenal. satyra 11.

Argenti quod erat, solis fulgebat in armis.

Et mox :

Magnorum artificum frangebat pocula miles,
Ut phaleris gauderet equus.

Hinc frena faciebant aurea. Talia erant Pallantis Æneid. 8.

Frenaque bina meus quæ nunc habet aurea Pallas.

Talia quoque erant equorum quos Latinus misit ad Æneam, Æneid. 7.

Tecti auro, fulvum mandunt sub dentibus aurum.

Quin et Angeli stipantes Judam Machabæum apparuerunt in equis, aureis frenis decori. lib. 2. Machab. c. 10. 29. Hinc illud S. Bernardi taxantis luxum non militum, sed prælatorum : *Discite, Pontifices, in frenis quid facit aurum?* Hæc et plura noster Sanchez. Sic Elisæus vocatus ab Elia ad vitam propheticam, id est, sanctam et Religiosam, artis suæ instrumenta, scilicet aratrum et boves, in sacrificium Deo obtulit. 1. Reg. 19. 21.

Hinc secundo, multi putant hîc denotari Constantinum Magnum, qui clavum quo crucifixus est Christus, freno equi sui imposuit, ut ostenderet suam in Christum pietatem, utque profiteretur se Christi crucifixi ope et virtute obtinuisse, et sperare deinceps obtenturum victorias contra infideles ejus hostes. Tempore enim Constantini Ecclesia triumphavit de hostibus, eamque gloriam obtinuit quam hîc describit Zacharias, q. d. Super frenum equi Constantini erit sanctum Domino, id est, clavus, sanctificatus Domino ex contactu sanctissimi corporis Christi. Quidni enim sanctus sit clavus, qui passionis Christi et redemptionis nostræ præcipuum fuit instrumentum ? Ridet hoc S. Hieron. at non S. Cyril. *Non incredibile*, ait, *hoc dixerit quis, neque alienum à decoro est, meminisse Deum et prophetica prædictione honorasse Imperatorem valde pium, etc. Equos enim regum clavo crucis Christi ornari quid aliud declarat, quàm summam Imperatorum pietatem?* Magis asseveranter S. Ambros. orat. de obitu Theodosii Imper. *Quæsivit*, ait, S. Helena, *clavos quibus crucifixus est Dominus, et invenit. De uno clavo frenos fieri præcipit, de altero diadema intexuit, unum ad decorem, alterum ad devotionem vertit. Misit itaque filio Constantino diadema gemmis insignitum, quas pretiosior ferro innexas crucis redemptionis divinæ gemma connecteret : misit et frenum, utroque usus est Constantinus, et fidem transmisit ad posteros reges. Principium itaque credentium Imperatorum sanctum est quod super frenum : ex illo fides, ut persecutio cessaret, devotio succederet.* Et paulo post : *Recte in capite clavus, ut ubi sensus est, ibi præsidium : in vertice corona, in manibus habena. Corona de cruce, ut fides luceat : habena quoque de cruce, ut potestas regat, sitque justa moderatio, non injusta præceptio.* Ac post multa ejusdem argumenti : *Quid ergo aliud egit Helenæ operatio, ut frena dirigeret, nisi ut omnibus Imperatoribus sancto Spiritu dicere videretur : Nolite fieri sicut equus et mulus; sed in freno et chamo maxillas eorum constringeret, qui se non agnoscerent reges, ut regerent sibi subditos?* Additque illum hoc freno refrenasse insolentiam tyrannorum, Lycinii, Maximi, etc. Idem habet Theodor. lib. 1. Hist. c. 18 : *Helena*, ait, *clavorum partem in Imperatoris galeam artificiose includendam curavit, quo capiti filii consuleret, et hostium tela depellerentur : partem freno equi illius admiscuit, quo tum Imperatorem tutum ac securum redderet, cum veterem prophetiam explere posset. Nam olim prædixerat Zacharias Propheta : Quod est in freno equi, erit sanctum Domino omnipotenti.* Eadem habet Sozomenus lib. 2. histor. cap. 1. Niceph. lib. 8. cap. 29. et alii.

Porro Greg. Turon. de Gloria Martyrum c. 6. constanter affirmans clavos quibus Christus crucifixus est, fuisse quatuor, scilicet singulos in singulis pedibus, æque ac manibus, ita eos distributos à S. Helena enarrat : *Speciosi autem, omnique metallo nobiliores Dominicæ crucis clavi, qui beata membra tenuerunt, ab Helena regina post ipsius S. Crucis inventionem reperti sunt : et de duobus quidem frenum Imperatoris munivit, quo facilius, si adversæ gentes restitissent principi, hac virtute fugarentur, de quibus non est ignotum Zachariam vaticinasse Prophetam, etc.* Subdit tertium à S. Helena in mare Adriaticum tempestuosum, et naufragiis infame fuisse projectum, quo facto, mare deinceps navigantibus fuisse placidum et tranquillum : quartum vero in galea statuæ Constantini fuisse positum. Idem habet Zonaras lib. 3. Annalium, licet S. Ambros.

et Baron. anno Christi 326. asserant eum positum, non in galea statuæ, sed in corona ipsa, quam in capite gestare solebat Constantinus. Subdit Gregor. miraculum clavi in freno, quod suo ævo, puta tempore Justini Imperatoris, contigit: *Magnam*, ait, *ferunt virtutem esse hujus freni, quod ambigi nequaquam potest : quod Justinus Imper. publice expertus est, ac suis omnibus patefecit. Illusus enim à quodam mago propter pecuniam, emissas sibi à dæmonis umbra intolerabiles per duarum curricula noctium sustinuit insidias; sed cum tertia nocte frenum capiti collocasset, locum insidiandi inimicus ultra non habuit, repertumque auctorem insidiarum gladio perculit.*

Denique per frenum significatur ipse Constantinus Imper. qui se suumque imperium cum freno submisit et sanctificavit, id est, consecravit, Christo. Unde Arabicus Antioch. vertit: *In die illa erit* (sedens, puta Constantinus) *supra frenum equi sanctificatus Domino;* et Arabicus Alexandr. *In illa die qui apprehendet putridum equi* (hostilis à se cæsi) *erit sanctum Domino omnipotenti.*

Tropol. S. Hieron. per frenum accipit continentiam et mortificationem, qua refrenamus pruritum concupiscentiæ, præsertim oris et linguæ, per sermonem Dei, de quo psalm. 31. dicitur : *In chamo et freno maxillas eorum constringe.* Et S. Jacobus, cap. 3 : *In equorum ora frenos mittimus, et omne eorum corpus circumagimus, ut scilicet recto gradiantur itinere, et mollia ad sedendum domino possint terga præbere. Tale frenum, et talis sermo auri et argenti varietate compositus, feros equos Salvatori præparat ad sedendum, et sanctos facit, ac proprie illius cultui consecratos.* Hæc S. Hieron.

Nota : Pro מצלות *metsillot*, Aquila et Symmach. legerunt מצלות *metsullot.* Unde vertunt βυθον, id est, *profundum;* Symmach. περιπατων συχιον, id est, *incessum umbrosum*, sive tenebrosum, per quæ S. Hier. intelligit arcanam et mysticam scientiam, *quam et David*, ait, *quasi equus optimus se habere jactabat, dicens : Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Psalm. 50. et Apostolus : *O profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei : quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus.* Rom. 11. 33. *De hoc profundo Propheta clamavit ad Dominum, et exaudivit eum.* Psalm. 17. 7. *Has tenebras et sacramenta divina ingressus est Moses in Sina montis caligine, ut videret Deum; de quibus et David,* psalm. 35. 7. *Judicia Domini abyssus multa. Hæc arcana, et ista mysteria sancta sunt Domino, quæ noverat Evangelista Joannes, qui ausus est dicere, quod Angeli forsitan nesciebant : In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Et idcirco amatur à Domino : quia optimum habebat profundum, et recubuerat super pectus Jesu; unde et hauserat sapientiam.*

Et erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ.] Lebetes erant ollæ, in quibus coquebantur carnes victimarum. Phialarum in templo triplex erat usus. Primo, in eis adolebatur thymiama. Secundo, in iis libabatur, id est, bibebatur, vel effundebatur vinum quasi libamen Deo, juxta illud Amos 6. 6 : *Qui bibunt in phialis vinum.* Tertio, in phialis excipiebatur sanguis victimarum, qui deinde effundebatur ad cornua altaris, ut designaretur sanguinem in quo consistit vita animalis, ac consequenter ipsam ejus vitam dari et immolari Deo, uti dixi in Levitico. Quocirca magna erat copia phialarum, longeque major quam lebetum, vel ollarum. Dicit ergo Propheta, tantum fore Gentium concursum in Jerusalem, ad sacrificandum in festo Tabernaculorum, ut lebetum, in quibus coquendæ sunt victimæ, tanta sit copia, quanta phialarum alio tempore esse solet. Nam illo festo sicut crescet numerus sacrificiorum et lebetum, ita crescet et proportionaliter phialarum. Unus enim lebes tres vel quatuor phialas requirit : quocirca tunc erant plures phialæ, quàm lebetes, sed tot erunt lebetes, quot alias solent esse phialæ, q. d. Multa erunt instrumenta sacrificiorum et cultus divini, quia multa erit populi frequentia, æque ac pietas et religio. Hoc ad litteram impletum est sub Machabæis, qui suis præliis Jerusalem et templo suum decus restituerunt et auxerunt.

Parabolice verius est in Ecclesia Christi, in qua tot sunt lebetes, id est, calices, patenæ, ciboria, hierôthecæ, thuribula, aliaque vasa sacra, in quibus vel sacrificatur caro et sanguis Agni immaculati Christi Domini, vel aliquod ministerium huic sacrificio exhibetur, quot in veteri lege et templo erant phialæ. Ita Lyran. Aut, q. d. Sicut multi erunt lebetes, id est, patenæ, ciboria et hierothecæ, in quibus consecrantur, vel reponuntur hostiæ consecratæ, puta caro Christi : ita pariter multæ erunt phialæ, id est, multi calices, in quibus consecratur, sacrificatur et bibitur sanguis Christi : nec enim caro consecrari potest nisi consecretur et sanguis : unde et omnis calix suam habet patenam, in qua reponatur corpus Christi.

Nota : Phiala sanctior et sacratior in templo erat quàm lebes. Primo, quia physice nitidior et purior, æque ac pretiosior; quia sæpe erat ex argento, vel auro; lebes vero ex argilla, vel ære, isque ob ignem, carnes et fumum ater, fuliginosus, olens et sordidus. Unde illud vulgo tritum :

Væ tibi tu ! nigræ dicebat cacabus ollæ.

cacabus enim est lebes, æque ac olla. Secundo, quia phiala proprie et proxime serviebat sacrificio, nimirum exceptioni et effusioni sanguinis victimæ, puta libationi; item thymiamati, ejusque suffitui et incenso : lebes vero tantum serviebat coquendis et lixandis carnibus victimæ jam immolatæ, ideoque post peractum sacrificium, ut scilicet ejus participes fierent laici offerentes, et ex carnibus victimæ quam obtulerant, comederent et epularentur coram Domino. Hinc tertio, phialæ omnes erant templi, ideoque sacratæ Deo : lebetes vero non. Nam etsi aliqui essent in templo lebetes pro coquendis carnibus, sacerdotum præsertim; tamen affluente magna turba sacrificantium, uti fiebat in festo Paschæ, Pentecostes et Tabernaculorum, hi non sufficiebant : unde tunc laicus quisque sacrificans debebat procurare sibi lebetem, commodando, vel conducendo eum, in quo carnes suas coqueret; quem deinde commodanti vel locanti reddebat. Prædicit ergo hîc Zacharias, tantam fore devotionem populi, ut, cum plurimi confluxuri sint ad sacrificandum in festo Tabernaculorum, plurimi quoque ex Jerusalem et Juda afferant suos lebetes, non tantum pro se, sed et pro aliis, qui gratis eos advenis commo-

dabunt, ut à mercatoribus eos emere vel conducere non sit opus; ac peractis sacrificiis relinquent eos templo, Deoque dicabunt in perpetuum: quo fiet ut tantus sit lebetum sanctorum numerus, quantus est phialarum, utque pene tam sacri habeantur (ut pote Deo tanta devotione consecrati, et tot carnium Dei immolatarum contactu sanctificati) quàm phialæ, itaque in phialarum dignitatem et sanctitatem quasi transire videantur. Hoc ad litteram impletum sub Machabæis, cum ipsi repurgarunt templum, ejusque dedicationem et encænia celebrarunt cœlitus recepto igne divino, qui sacrificia consumpsit, quo miraculo viso certatim omnes concurrerunt ad offerendas victimas, quas hic ignis Deo concremaret.

Hinc mystice, lebetes sunt sacerdotes: sicut enim in lebetibus igne subjecto coquebatur caro victimæ; ita à sacerdotibus ignea vi et virtute Spiritus S. consecratur et conficitur Eucharistia, quam deinde fidelibus distribuunt quasi panem cœlestem et vivificum, q. d. Tantus in lege nova erit sacerdotum numerus, quantus in lege veteri fuit phialarum, aliorumque vasorum sacrorum. Ita à Castro. Generalius Remig. et Vatabl. per lebetes accipiunt mentes Christianorum, in quibus igne charitatis consumuntur carnis vitia, et coquuntur preces et vota ad Dominum: eædem sunt phialæ, in quibus thymiama devotionis et laudis ad Deum jugiter exhalat et fragrat, q. d. Tanta erit fidelium copia, qui seipsos in corde quasi victimas mactabunt, et quasi thymiama suavissimum Deo offerent, quanta fuit lebetum ad sacrificia, et phialarum ad odoramenta in veteri testamento. Paulo aliter S. Hieron. ipse enim lebetes et ollas carnium assignat Judæis, phialas vero aromatum Christianis. *Ament*, ait, *æneos lebetes, qui amaverunt ollas Ægyptias, et carnes, et pepones, et allia, et cæpe, et cucumeres. Nos Judaicos lebetes in quibus coquebantur carnes victimarum, vertamus in phialas aromatum coram altari Domini, de quibus sponsa dicit ad sponsum Cant.* 6. *Fratruelis meus descendit in hortum meum ad phialas aromatum, pascere in hortis, et colligere lilia, etc. ut impleat phialas animarum credentium, et Domino ex eis liba defundat. Istiusmodi lebetes cum versi fuerint in phialas Domini, et dicere potuerint: Christi bonus odor sumus; et pro virulentia carnium varios cœperint flores gestare virtutum, tunc erunt in Jerusalem et in Juda sanctificati Domino. Jerusalem enim visionem pacis, Judas exprimit confitentem.* Huc alludit Ecclesia cum canit de S. Magdalena:

> Fit ex lebete phiala,
> In vas translata gloriæ,
> Ex vase contumeliæ.

q. d. Quæ prius erat atra lebes, plena carnibus, gula, vino et venere, facta est phiala aurea offerens thymiama pœnitentiæ et charitatis Christo. Unde suos capillos, aromata, cæteraque lenocinia, et lebetes, id est, gulæ et libidinis instrumenta, in Christi honorem impendit, eique quasi in phiala obtulit, uti unguenta pretiosa rupto alabastro in caput ejusdem effudit. Ita S. Hier. Cyrill. et Haymo mystice hæc exponunt de mortificatione, qua lebetes, id est quidquid in nobis est ollare et carneum, igne Spiritus S. ita excoquitur, ut totum exhalet transeatque in spiritum; quo fit ut talem odorem Deo et Angelis aspiret caro mortificata, qualem habere solent phialæ aromate fragrantes, ait Sanchez. Sane hic sensus apposite respondet sensui litterali, et differentiæ inter lebetem et phialam, quam paulo ante assignavi. Huc quoque allusit Apostolus 2. Timot. 2. 20. et Rom. 9. 21. ubi docet in domo Dei esse vasa alia in honorem, alia in contumeliam; ac peccatorem qui est vas contumeliæ, si pœniteat, seque à peccatis expurget, fieri vas honoris et gloriæ. Sic enim Magdalena, quæ peccatrix erat lebes ignominiæ, pœnitens facta est phiala gloriæ.

21. Et erit omnis lebes (scilicet ad sacrificia necessarius) sanctificatus Domino,] q. d. Abundabit templum vasis rebusque necessariis ad Dei cultum, ita ut nihil cuiquam ad sacrificandum, Deumque rite colendum desit. Aut q. d. Omnis lebes qui est in domo Domini, uti dixit versiculo præcedenti, jugiter ibi manebit quasi sanctificatus Domino, nec inde extrahetur ut applicetur usibus profanis. Calices enim et vasa sacra semel consecrata Deo, manent in æternum sacra, nec fas est ea reducere ad usus profanos, aut, ut Palacius, q. d. Tanta erit immolantium multitudo, ut ex omni Jerusalem et Judæa certatim adducantur lebetes, in quibus carnes victimarum coquantur, ac deinceps lebetes illi, quasi jam victimis hisce sanctificati, in usum templi remanebunt, eruntque Deo et templo consecrati. Hoc verum fuit in Machabæis, verius in Christianis, hi enim abundant calicibus, thuribulis, lebetibus omnibusque vasis ad sacrificium Deique cultum opportunis. His enim divites sunt Ecclesiæ, monasteria, templa, ad invidiam hæreticorum.

Mystice, omnis lebes, id est, omnis sacerdos, adeoque omnis fidelis, manebit sacerdos et fidelis, id est, Dei cultui addictus, et quasi Deo consecratus, ut in suo gradu fideliter et pie Deo serviat, nec amplius ad infidelitatem, scelera, ususque profanos redeat, id est, licite redire nequeat; et si talem se præstet qualem professus est, nunquam reipsa rediturus sit.

Ex hoc loco liquet hæc potius spiritualiter quàm corporaliter esse accipienda. Nam corporaliter in rigore falsum est, quod omnis lebes in Jerusalem et Juda fuerit sanctificatus Domino: alioqui enim Hierosolymitæ et Judæi debuissent omnes suos lebetes deferre ad templum, et dicare Deo, nec ullos domi ad proprios usus retinere potuissent, quod liquet esse falsum. Spiritualiter autem verum est, quod omnis lebes, id est, omnis sacerdos et fidelis in Ordinatione et Baptismo sit consecratus Domino. Unde S. Petrus loquens fidelibus etiam laicis: *Vos*, ait, *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, offerentes spirituales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum*, 1. Petri 2. 9. et S. Paulus: *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum*, Rom. 12. 1. Et: *Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus. Beneficentiæ autem et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus*, Hebr. 13. vers. 15.

Et coquent in eis,] q. d. Judæi sub Machabæis in suis lebetibus coquent carnes, quas Deo immolarint; Christiani vero, præsertim sacerdotes, in mentibus suis coquent pia et ardentia

desideria, proposita et vota, quasi victimas Dei, tum contritionis et pœnitentiæ, tum laudum et hymnorum, tum charitatis, præsertim circa conversionem animarum, ut scilicet proximos doceant res salutis, à peccatis avocent virtutes, vitamque sanctam et perfectam inducant : hæ enim sunt victimæ Deo uti honorificentissimæ, ita gratissimæ et jucundissimæ. Addit à Castro alium sensum, q. d. Christi fideles eligent ex viris Deo sacris, quos ubique reperient, quem voluerint, ut per eum offerant Deo sacrificium verum Christi, puta Eucharistiam, sine quæstu et sumptibus; quibus olim opus erat ad coemendas victimas, ollasque conducendas, ad coquendas carnes sacrificiorum. Unde sequitur :

Et non erit mercator.] Hebræi et Septuag. *Non erit Chananæus*, id est mercator, ut vertit Aquila, Chald. et Noster. Olim enim Chananæi in mercatura erant celebres. Jam sensus est, q. d. In templo erit abundantia lebetum, phialarum et cæterorum vasorum, quæ necessaria sunt ad sacrificandum, ac proinde non erunt mercatores, qui ea peregrinis venientibus in Jerusalem ad sacrificandum vendant aut elocent. Aut, ut Palacius, q. d. Tanta erit charitas concurrentium ad templum, ut quisque alteri, præsertim advenæ et peregrino, lebetes et phialas sine pretio gratis exhibeat et commodet; tanta etiam venientium erit devotio et diligentia, ut quisque sibi necessaria ad sacrificium secum afferat, ac proinde mercatoribus, qui ea in festis vendere solent adventantibus, non erit opus. Id factum est sub Machabæis.

Jam sub hoc typo parabolice significatur, apud Christianos volentes Deo sacrificare, non fore mercatores, qui vendant oves, boves, columbas, aliasque victimas, quas Deo immolent, aliaque ad sacrificium necessaria, uti erant apud Judæos, eo quod sacrificium Christianorum futurum sit, non carnale boum et ovium, sed mysticum, puta Eucharistiæ; aut spirituale et mentale, puta orationis, contritionis, charitatis, etc. q. d. In Ecclesia Christi facile et sine pretio licebit Deum colere, eique sacrificare. Hujus rei symbolo Christus è templo ejecit ementes et vendentes, Matth. 21. 12. Hinc Stunica sic exponit : Non erit Chananæus, id est, Gabaonita, qui more suo (Gabaonitas enim Josue, cap. 9. 27. damnavit ad ligna et aquam comportandum pro sacrificiis templi) necessaria ad sacrificium suppeditet. Verum Gabaonitæ non erant mercatores, sed servi Hebræorum. Rursum non erit in Ecclesia mercator, scilicet rerum spiritualium, id est simoniacus, qui scilicet Eucharistiam, resque sacras pretio vendat aut emat, quia Christus præcepit Apostolis eorumque posteris : *Gratis accepistis, gratis date*, Matth. 10. 8. Ita Lyran. et Vatabl. Porro non erit simoniacus, id est, licite esse non poterit, nec ut sit permittetur; quia à Prælatis Ecclesiæ punietur, et beneficio quod simoniace obtinuit, si res constet, privabitur.

Aliter Theodor. Albert. et Clarius : hi enim per *Chananæum* intelligunt sceleratum et improbum. Tales enim olim erant Chananæi, ideoque à Deo per Hebræos è terra sancta expulsi sunt, q. d. Christiani non erunt scelerati, sed pii et sancti. Intellige quantum est ex vi christianismi et gratiæ Christi : omnes enim qui huic gratiæ obsequuntur et cooperantur, sancti sunt : si quis vero id nolit, non mirum si sceleratus evadat, sed sua culpa et malitia. Insuper si sceleratus sit, Ecclesia eum corrigere sataget; si monitus secundo et tertio se corrigere nolit, Ecclesia eum excommunicabit et è cœtu fidelium expellet, juxta præceptum Christi, Matth. 18. 15 : *Dominus omnipotens*, ait Theodor. *hanc vocem veram esse hoc tempore præstet, ut nemo in nobis Chananæus videatur, sed omnes secundum traditionem Evangelicam, vivamus, et beatam spem exspectemus, adventumque magni Dei conservatoris nostri Jesu Christi, cui cum Patre gloria et cum Spiritu sancto nunc et semper, et in secula seculorum. Amen.*

COMMENTARIA
IN
MALACHIAM PROPHETAM.

ARGUMENTUM.

QUÆRITUR primo, quis fuerit Malachias? Respondet primo, Origenes apud S. Hieron. et Cyrillum, eum fuisse Angelum qui corpus assumpsit, illudque sibi hypostatice univit, ut esset typus Christi, et ut hæc Dei oracula Judæis enuntiaret. Id probat ex eo quod Malachias hebr. idem sit quod Angelus Domini. Et ita vertunt cap. 1. v. 1. Sept. et ex iis Clemens Alexandr. l. 1. Stromat. et S. August. lib. 20. Civit. c. 25. Et S. Chrysost. orat. 2. contra Judæos, et homil. 14. in epist. ad Hebr. *Lege*, ait, *quid dicat Aggæus, quid Zacharias, quid Angelus* (puta Malachias), *quid Esdras incuset.* Simili argumento motus Origenes, censuit Aggæum et Joannem Baptistam fuisse Angelos incorporatos, eo quod in Scripturis vocentur Angeli, ut patet Aggæi 1. 13. et Matth. 11. 10. Cum Origene sensisse videtur Tertul. l. de Carne Christi, c. 3 et 6. ubi probat non fuisse Verbo Dei impossibile carnem assumere, ex eo quod id Angelis fuerit possibile: quod nisi de assumptione hypostatica intelligas, ejus ratio futilis esset et nullius momenti. Porro Origenes hanc sententiam tradit tum alibi, tum diserte tomo 2. in Joannem, explicans illa Malachiæ verba : *Ecce ego mitto Angelum meum.* Verum hic est error. Nam de fide est Joannem Baptistam fuisse hominem, generatum ex Zacharia et Elisabeth, ut patet Lucæ 1. 15. et Joan. 16. Et certum est omnes Prophetas fuisse homines. Unde Eccles. c. 49. 12 : *Et duodecim Prophetarum ossa*, inquit, *pullulent de loco suo.* Si habuerunt ossa eaque rursum pullulabunt et resurgent ; ergo fuerunt veri homines : hi enim constant carne et ossibus. Ita S. Hieron. Cyril. Theodoretus et alii passim. Ad argumentum respondeo, Prophetas vocari Angelos, id est, nuntios et legatos Dei. Sic quilibet sacerdos à Malachia vocatur Angelus, cum ait, c. 2. 7 : *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus ; quia Angelus Domini exercituum est.* Secundo, vocantur Angeli ob Angelicos mores, formam et vitam. Simili modo multi hodie filiis suis indunt nomen *Angelus*, ob devotionem quam habent erga Angelos, utque eorum puritatem imitentur. Ita S. Epiphan. lib. de Vita et moribus Proph. in Malachia et Aggæo, qui et addit ex sententia Hebræorum, Malachiam vocari Angelum, eo quod quæcumque prædicaret, eadem ab Angelo de cœlis veniente docerentur et confirmarentur. Sed hujus rei fides sit penes Hebræos ; certe videtur olere fabulam et figmentum Rabbinicum.

Secundo, veteres Hebræi, æque ac moderni tradunt Malachiam fuisse Esdram sacerdotem et scribam. Hanc traditionem referunt et sequuntur S. Hieron. Remig. Rupert. Ribera et alii. Rationes et conjecturæ hujus sententiæ sunt variæ. Prima, quia Malachias idem argumentum tractat quod Esdras, scilicet taxat neglectum legis cultusque Dei, ac nominatim matrimonia cum alienigenis, quæ Esdras culpat, cap. 9. Secunda, quia Esdras eodem tempore vixit quo Malachias, ac meminit c. 5. 1. Aggæi et Zachariæ, non tamen Malachiæ : ergo signum est ipsummet fuisse Malachiam, qui ita dictus sit, cum à Deo quasi Angelus, id est, nuntius et propheta, ad populum missus est, ut eos induceret ad pœnitentiam, qua imminentes clades effugerent. Tertia, quia Esdras vir mire sanctus, zelosus et egregius prædicator, omnino videtur fuisse Propheta, nec alius esse potuit, quàm Malachias. Quarta, quia Ecclesiasticus cap. 49. cum laudat Zorobabel, Jesum, Nehemiam, præterit Esdram, qui illis virtute et gestis non cedit : ergo verisimile est ipsum eum laudasse inter 12. Minores Prophetas, sub nomine Malachiæ. Ex adverso Josephus in libris Antiquit. et Euseb. in Chronico, meminerunt Esdræ, sed non Malachiæ, quasi unus idemque fuerit : Eusebius tamen lib. 10. Præpar. cap. 3. meminit Malachiæ, eumque Aggæo et Zachariæ associat.

Verum alii passim Malachiam ab Esdra distinguunt. Primo, quia Esdras ubique vocatur Esdras, nusquam Malachias : sicut Malachias ubique vocatur Malachias, nusquam Esdras : nec Malachias ullam dat significationem Esdræ. Secundo, quia Esdras ubique Scriba vocatur, Malachias vero ubique propheta. Tertio, quia Malachias ultimus fuit omnium Prophetarum, in eoque desiit prophetia apud Hebræos, uti ipsimet fatentur. Hic omnium Prophetarum fuit junior, uti scribit S. Epiphanius, Dorotheus et Isidorus in ejus Vita : Esdras autem fuit senior Aggæo et Zacharia, qui post reditum è captivitate Babylonica, æque ac Malachias, prophetarunt. Esdras enim natús est ante captivitatem, vel certe anno 1. captivitatis, ut patet ex eo quod illo anno Saraias pater ejus occisus sit à Nabuchodonosore, mox à capta Jerusalem, in Reblata, Esdræ 7. v. 1. juncto cum 4. Regum 25. 18 et 21. Jam captivitas duravit 70 annis : quare si ejus initium ponas in excidio Jerusalem, sequitur Esdram in ejus fine 70. ut minimum fuisse annorum : sin autem ejus initium ponas annis 11. citius, in strage Joakim et captivitate Joachin, sequitur Esdram in ejus fine fuisse 59 annorum : quibus adde annos 3. Cyri, 8. Cambysis, 36. Darii Hystapis, 20. Xerxis, 7. Artaxerxis (anno enim 7. Artaxerxis, missus est ab eo

Esdras in Jerusalem, Esdræ 7. 1 et 6.) habebis annos 133. vitæ Esdræ; post quos adhuc superstes fuit, et gessit ea quæ à c. 7. 7. Esdræ ad finem libri enarrantur. Quare necesse est eum fuisse valde senem et grandævum: ergo Esdras non fuit Malachias, qui juvenis obiit, uti tradunt Epiphan. Isidor. et Dorotheus in ejus Vita. Quarto, Esdras vitam pene egit in Babylone; unde fuit pincerna Artaxerxis: Malachias autem vixit in Judæa, ibique natus est post reditum populi è Babylone, uti docent Epiphan. Doroth. et Isidor. Quinto, quia Esdram à Malachia distinguunt S. Chrysost. initio citatus, Theodor. præfat. in Cantica, S. August. 18. Civit, cap. 36. Athanas. in Synopsi, Lyran. Vatabl. Clarius, à Castro, Arias et alii. Quin et Hebræi apud Genebrard. in Chronolog. sub principium sextæ ætatis, tradunt Hebræos celebrasse concilium ad conscribendum canonem librorum canonicorum, in eoque præsedisse Danielem, Aggæum, Zachariam et Malachiam, scribam vero fuisse Esdram. Hinc patet responsio ad argumenta.

Ad primum enim respondetur, Prophetas plerosque idem pene argumentum tractare quod alii, scilicet minas excidii Jerusalem per Chaldæos.

Ad secundum, Esdras non meminit Malachiæ, quia eo fuit prior: post eum enim ultimo loco prophetavit Malachias. Adde Esdram tantum meminisse Prophetarum qui populum incitarunt ad restaurandum templum: tales autem fuerunt Aggæus et Zacharias, non vero Malachias; utpote qui post restauratum templum prophetarit.

Ad tertium jam dixi, Esdram fuisse historicum et scribam, Malachiam vero fuisse Prophetam, idque diserte docet S. August. lib. de Civit. c. 36. Deus enim dona sua, præsertim prophetiæ, distribuit prout vult; unde et sanctioribus subinde eam negat, minus sanctis vero, imo impiis eam communicat, uti asserit Christus Matth. 7. 22.

Ad quartum, Ecclesiasticus non meminit omnium virorum illustrium, sed aliquorum duntaxat: hinc sicut Esdram, ita et Danielem omittit. Idem dico de Josepho, et Eusebii Chronico. Adde forte Josephum et Eusebium secutos esse Hebræorum traditionem, quod unus idemque fuerit Esdras et Malachias, uti eamdem secutus est S. Hieron.

Prophetavit Malachias sub Dario Hystaspis, ac deinceps, sub quo et Aggæus et Zacharias prophetarunt; sed post eos. Ita S. Hieron. qui et secutus Hebræos, hunc dat canonem chronologicum Prophetarum. Tradit enim dicitque, *in quibus* (Prophetis) *tempus non præfertur in titulo, sub illis eos regibus prophetasse, sub quibus et hi qui ante eos habent titulos prophetarunt.* Rursum prophetavit non ante, uti videtur velle S. Hieron. sed post consummationem fabricæ templi, uti apparebit, si quis caput 2. cum c. 9 et 10. Esdræ conferat. Taxat enim c. 1 et 2. sacerdotes, eisque minatur maledictionem, quod templo et altari incurie et impie deserviant, reprobat solemnitates, quas Judæi in templo peragebant indevote, avare et indecore; ac præsertim quod eas celebrarent polluti tum aliis peccatis, tum conjugiis infidelium, quod peccatum pariter culpat et corripit Esdras cap. 9 et 10. Unde ad eum alludens Malachias cap. 2. 7: *Labia,* ait, *sacerdotis* (Esdræ) *custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus.* Esdras enim diu post consummatum templum (hoc enim factum est anno 6. Darii Hystaspis) puta anno 7. Artaxerxis è Babylone venit in Jerusalem, ibique populum in lege Dei instruxit, ac matrimonia cum alienigenis redarguit et dissolvit. Ita Cyril. Theod. et alii. Quare paulo ante annum 7. Artaxerxis, hæc de uxoribus alienigenis repudiandis videtur monuisse, et jussu Dei præcepisse Malachias. Nam anno hoc 7. supervenit Esdras, qui Malachiam adjuvans, reipsa Judæis earum repudium persuasit, ut ulteriore Malachiæ monitione jam non esset opus.

Quæritur secundo, quodnam sit argumentum Malachiæ? Respondeo primo, arguit Judæos ingratitudinis, et sacerdotes negligentiæ et impietatis in Deum; quod cum Angeli Domini esse debeant, tam doctrina quàm vita, neutrum tamen præstent. Secundo, prædicit abolendum sacerdotium et sacrificium Aaronicum in Jerusalem, eique successurum sacrificium purum sanctumque Eucharistiæ, celebrandum in toto mundo. Tertio, reprehendit Judæos qui suas uxores repudiabant, et ducebant alienigenas. Quarto, prædicit adventum Christi, ejusque præcursorem Joannem Baptistam. Quinto, maledicit Judæorum frugibus, ob negatas Deo decimas et primitias. Sexto, prænuntiat diem judicii, ejusque prænuntium et prodromum Eliam, qui convertet corda patrum ad filios. Quocirca Malachiæ prophetia sententiis brevis est, sed fecunda mysteriis, præsertim futuris in novo Testamento, quæ clarius cæteris, utpote ultimus, et vicinior Christo et Apostolis, enuntiat, eisque prophetiæ quasi lampada tradit, dum ipsorum quasi index et lucifer, in eos desinit et conquiescit. Unde S. Hieron. ad Paulinum: *Malachias,* inquit, *aperte et in fine omnium Prophetarum, de abjectione Israel et vocatione Gentium: Non est mihi, ait, voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suspiciam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* Vitam vero Malachiæ paucis hisce verbis complexus est S. Epiphan. lib. de Vita Prophet. *Malachias,* inquit, *è Tribu Zabulon, post reditum populi è Babylone natus perhibetur in Sopha. Is ab ineunte ætate, dumque juvenis esset vitam inculpatam egisse fertur. Super adventu Domini deque vita functorum judicio nonnulla ab eo vaticinata sunt, quodque ritus cum legibus Mosi commutabuntur, et emendabuntur. Cæterum cum populus eum universus, virum non minore sanctimonia, quàm mansuetudine præditum coleret, indiderunt illi nomen Malachiæ, id est, Angelus: erat quippe forma oppido quàm præstanti. Quæcumque præterea dixit in prophetia Malachias, visus est Angelus eum in dies instituere, et declarare,* etc. *Ante diem vero adhuc juvenis fato est functus, juxtaque majores suos in proprio agello repositus.* Eadem quasi ad verbum habet Dorotheus. Addit Isidorus eum Angelum vocari; eo quod oraculis ejus ita crederet populus, ac si à Deo per Angelum edita fuissent. Addit à Castro Deum ejus ore carpere et instruere Judaicos sacerdotes, ac promittere aureos in novo Testamento; hi ergo cum sint Angeli, Angelorum Prophetam et doctorem, puta Malachiam, postulabant.

Jure itaque Malachias, id est, Angelus, nuncupatus est; cujus vultus, animus, actus, sermo

erat angelicus : qua de causa crebro cum Angelis et de Angelis loquitur, ut cap. 2. 7. sacerdotem vocat Angelum Domini, et cap. 3. 1. tam Christum, quàm Joannem Baptistam Angelos nuncupat. *Ecce*, inquit, *ego mitto Angelum meum* (Joannem Baptistam), *et præparabit viam ante faciem tuam. Et statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, et Angelus Testamenti* (novi, puta Christus Dominus, qui est magni consilii Angelus) *quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum. Et quis poterit cogitare diem adventus ejus? et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis constans, et quasi herba fullonum : et sedebit constans et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum, et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia.* Unde eumdem soli comparans, c. 4. 2 : *Et orietur*, ait, *vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus ; et egrediemini, et salietis sicuti vituli de armento.* An non hæ exsultantis, cœlestis et angelici spiritus voces et jubili sunt? Merito ergo Malachias Angelorum choro, et Sanctorum catalogo ascriptus legitur in Romano Martyrologio die 14. Januarii.

Quocirca ad eum alludens S. Bernard. serm. de S. Malachia Archiepiscopo Hiberniæ, utpote illi uti appellatione et cognomine, ita et moribus consimili : *Dilectus*, ait, *Deo et hominibus Malachias, hodie in consortium Angelorum recipitur, re adeptus quod nomine dicebatur. Et quidem ante Angelus erat non minus puritate, quàm nomine; sed nunc felicius gloriosi in eo interpretatio nominis impletur, quando pari cum Angelis gloria et felicitate lætatur.* Et mox : *Lætemur quod Angelus noster ascendit ad cives suos, pro filiis captivitatis legatione fungens, corda nobis concilians Beatorum, vota illis intimans miserorum.*

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

ARGUIT DEUS JUDÆOS INGRATITUDINIS : QUIA JACOB, INQUIT, DILEXI QUASI FILIUM, ESAU AUTEM ODIO HABUI. UBI EST ERGO AMOR MEUS, ET TIMOR MEUS ? SECUNDO, V. 7. ARGUIT SACERDOTES, QUOD OFFERANT PANEM POLLUTUM, ET HOSTIAS CÆCAS ET MANCAS. HINC TERTIO, V. 11. IIS AMOTIS NOVOS SE SURROGATURUM PROMITTIT, QUI IN OMNI LOCO OFFERANT PIE ET SANCTE PURISSIMUM ET AUGUSTISSIMUM MINCHA, ID EST, SACRIFICIUM EUCHARISTIÆ.

1. ONUS verbi Domini ad Israel in manu Malachiæ. 2. Dilexi vos, dicit Domi-
nus, et dixistis : In quo dilexisti nos ? Nonne frater erat Esau Jacob, dicit
Dominus, et dilexi Jacob; 3. Esau autem odio habui ? et posui montes ejus
in solitudinem, et hæreditatem ejus in dracones deserti. 4. Quod si dixerit
Idumæa : Destructi sumus, sed revertentes ædificabimus quæ destructa sunt :
Hæc dicit Dominus exercituum : Isti ædificabunt, et ego destruam : et vocabuntur termini impietatis, et populus cui iratus est Dominus usque in
æternum. 5. Et oculi vestri videbunt : et vos dicetis : Magnificetur Dominus super terminum
Israel. 6. Filius honorat patrem, et servus dominum suum : si ergo pater ego sum, ubi est honor
meus ? et si dominus ego sum, ubi est timor meus ? dicit Dominus exercituum ad vos, ô sacerdotes, qui despicitis nomen meum, et dixistis : In quo despeximus nomen tuum ? 7. Offertis
super altare meum panem pollutum, et dicitis : In quo polluimus te ? In eo quod dicitis :
Mensa Domini despecta est ? 8. Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est ? et si
offeratis claudum, et languidum, nonne malum est ? offer illud duci tuo, si placuerit ei,
aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum. 9. Et nunc deprecamini vultum
Dei ut misereatur vestri (de manu enim vestra factum est hoc) si quomodo suscipiat facies
vestras, dicit Dominus exercituum. 10. Quis est in vobis, qui claudat ostia, et incendat
altare meum gratuito ? non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum : et munus
non suscipiam de manu vestra. 11. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est
nomen meum in Gentibus : et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda :
quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum. 12. Et vos polluistis
illud in eo quod dicitis : Mensa Domini contaminata est : et quod superponitur, contemptibile est, cum igne, qui illud devorat. 13. Et dixistis : Ecce de labore, et exsufflastis
illud, dicit Dominus exercituum, et intulistis de rapinis claudum, et languidum, et intulistis

munus : numquid suscipiam illud de manu vestra, dicit Dominus? 14. Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat debile Domino : quia rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, et nomen meum horribile in Gentibus.

1. Onus verbi Domini ad Israel.] *Onus*, id est, tristis et onerosa prophetia, uti jam sæpius dixi; cujus horrorem temperat dicens : *ad Israel*, q. d. Deus in ore meo posuit hoc onus, ut eo quasi deportem illud ad Israel, eique illud promam et exponam. Israelem enim ut filium suum amat Deus, ideoque eum hoc onere corripit et castigat. Aptius ergo magisque proprie Hebr. אל *el*, Noster vertit, *ad Israel*, quàm Tigurina, *contra Israel.*

Ad Israel.] Ad duas Tribus, videlicet Juda et Benjamin. Hæ enim solæ, decem Tribubus in Assyriam abductis, sibi priscum et avitum Israelis nomen vindicarunt, præsertim quia multi ex Israel, id est, ex decem Tribubus, vel reliqui, vel profugi junxerunt se duabus jam dictis, et in eamdem cum iis gentem et rempubl. coaluere, uti dixi in Zacharia. Ita S. Hieron. Remig. Hugo et Lyran. Ubi moral. disce Israel, id est, validos cum Deo, et per Deum esse non posse nisi eos, qui unionem et societatem fraternam colant ; invalidi enim et inermes sunt, qui sibi solis præfisi, à fratrum et sociorum consortio et auxilio se segregant. Scitum est illud : *Concordia res parvæ crescunt, discordia res magnæ dilabuntur.*

In manu Malachiæ,] id est, per Malachiam quasi manum, id est, organum et instrumentum. Os ergo hìc vocatur *manus* per catachresim: quia manus est organum organorum, ut ait Philosophus.

Moral. disce hìc eum qui de vitiis vel erroribus tuis te corripit vel castigat, esse Malachiam, id est Angelum, ac quasi Angelum à Deo cœlitus tibi missum, imo cœleste oraculum, munusque ingens tibi deferentem, à te reverenter suscipi, coli et amari debere. Qui itaque corripit alium, cogitet se Angeli Dei vices obire; ac proinde ministerium hoc divinum expleat angelice, id est, sine ira, aliave passione, sincere, imperturbate, modeste, leniter ostendendo viscera charitatis et compassionis, sicuti Angeli compatiuntur humanæ infirmitatis et ignorantiæ, quæ ad plenum perspecta habent, dum homines corripiunt, juxta illud documentum Apostoli Galat. 6. 1 : *Vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum ne et tu tenteris.* Vide ibi dicta. Vicissim qui corripitur cogitet se ab Angelo corripi, ab eoque sibi hoc onus castigationis, esto duriusculum, jussu Dei imponi, ideoque ei gratias agat; uti faciebat S. Carolus Borromæus, qui præter alios, duos ex professo sacerdotes graves constituerat, omnium actionum suarum inspectores et censores. Illis enim hoc officii dederat, ut jugiter in omnia verba et facta sua invigilarent, notarentque sicubi quid peccaret, de eoque libere et sincere sese admonerent, quos benigne audiebat; et monitus de errore quopiam, illico eum corrigebat : ita habet Vita ejus, lib. 8. c. 16. Nimirum idipsum didicerat ab antecessore suo S. Ambros. qui, ut habet ejus Vita, monitus à quopiam, monitori gratias agebat, dictitans se ingens ab eo accepisse beneficium. Vere dixit Sapiens Prov. 27. 5 : *Melior est manifesta correptio, quàm amor absconditus. Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula blandientis.* Et c. 9. 8 : *Argue sapientem, et diliget te.* Et Ecclesiastes c. 7. 6 : *Melius est à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi.* Ex adverso superbi, quia insipientes sunt : *Cum se impeti redargutione concipiunt, gladium persecutionis credunt*, ait S. Gregor. l. 10. Moral. c. 3. Quin et Sapiens : *Qui odit*, ait, *increpationes, insipiens est ;* Proverb. 12. 1 : *Non amat pestilens eum qui se corripit, nec ad sapientes graditur.* Proverb. 15. 12. et v. 10 : *Qui increpationes odit, morietur.* Et v. 32 : *Qui abjicit disciplinam, despicit animam suam : qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis.* Hoc est quod lugentes Angeli edicunt Jerem. 51. 9 : *Curavimus Babylonem, et non est sanata : derelinquamus eam.* Nam *qui non vult corripi, non vult corrigi. Et qui odit correptionem, vestigium*, id est, certum indicium, *est peccatoris*, id est peccatis affixi, obstinatique instar diaboli, Eccles. 21. 7.

Quocirca S. Basil. in Regul. brevior. reg. 159 : *Qui hujusmodi est*, inquit, *hujus conversatio inter reliquos fratres perniciosa est.* Unde idem alibi jubet eos quasi pestes à congregatione segregari. Idem, reg. 158 : Sicut, ait, infirmus anxius de salute corporis, libenter suscipit quidquid ordinat medicus, licet acerba sit et aspera curationis ratio : sic humilis, et qui vere salutem animæ desiderat, prompte et hilariter suscipit correptionem, quantumvis mordacem et acrem. Scripsit hac de re Galenus librum de Cognoscendis curandisque animi morbis, ubi docet, sicut unica ægroti spes recuperandæ sanitatis sita est in medico, ita totam salutis spem consistere in eo, si quis quærat et inveniat virum virtute et prudentia præditum, illique se totum instruendum, corrigendum et formandum tradat, illique credat, non sibi etiamsi defectus quos ipse notat, in se non videat. Hoc est quod ait Eccles. c. 20. 4 : *Quàm bonum est correptum manifestare pœnitentiam!* Ita fecit S. Petr. correptus à S. Paulo, Galat. 2. 11. Theodosius Imp. ob cædem Thessalonicensium correptus à S. Ambrosio, uti refert histor. Trip. p. 2. l. 7. c. 6. In Chronicis Ordinis Cisterciensis narratur, olim in monasterio Clarevallensi pium hunc fuisse morem, ut si quis ab alio de aliquo defectu moneretur, vel reprehenderetur, illico reprehensus pro reprehendente, in gratiarum actionem recitaret orationem Dominicam.

2. Dilexi vos.] Opponit Deus Esau Jacobo, quod hunc dilexerit, illum odio habuerit. Per Jacob intellige familiam potius, quàm personam Jacob, puta ejus posteros, scilicet Jacobæos : sic per Esau intellige Idumæos, Esau posteros. Porro dicit : *dilexi* in præterito, non in præsenti diligo, q. d. inquit S. Hieron. Olim dilexi Jacobæos, cum me colerent et redamarent : at jam cum me aversentur, ego pariter eos aversor. Nam *amare non redamantem, est amoris impendia perdere.* Verum alii melius τὸ *dilexi* exponunt per omnem temporis differentiam, q. d. Jacob dilexi, diligo et diligam. Sic enim Hebræi sæpe per unam temporis differentiam, cæteras om-

nes significant. Id ita esse patet ex eo quod hisce verbis arguit præsentes Judæos, eo quod amori suo non respondeant, sed amori rependant odium, q. d Ego vos ab olim dilexi : nam sicut patres vestros dilexi, ita et vos filios eorum diligo. Alioqui enim excepissent Judæi, dicendo: Quid ad nos quod patres nostros dilexeris, cum nos ipsos oderis? Porro dilectio Dei est efficax, et fons omnis boni et doni : ex amore enim et benevolentia nascitur omnis beneficentia. Dilexi ergo vos, ideoque ex Ægyptia servitute eduxi, in Synagogam meam elegi, legem de cœlo dedi, vos manna pavi, columna ignis et nubis per desertum deduxi, victorias miraculosas de hostibus dedi, in Chanaan deduxi, firmavi, protexi, alui, ditavi; regibus, Prophetis, bonisque omnibus cumulavi.

Et dixistis.] Hebr. *vau* est conversivum, cujus officium est vertere præteritum in futurum. Unde Vatabl. vertit, *et dicetis;* Chald. *quod si dixeritis.* Hucusque enim hoc non dixerunt, quia necdum audierant à Deo: *Dilexi vos*; sed eo audito obstrepere cœperunt, ac dicere :

In quo dilexisti nos?] Quo signo, quo dono, quo beneficio tuam in nos dilectionem ostendisti? Vide hic insignem populi ingratitudinem, qua non tantum tot Dei beneficiis ingrati sunt, sed et eorum obliti, adeo ut ea non agnoscant; perinde ac si Deus eis peregrinus esset, nec quidquam boni unquam contulisset; cum tamen ex libris Mosis, Judicum, Josue, Regum, et cæteris S. Scripturæ constaret innumera et maxima eos à Deo dona percepisse. Hoc est quod eis improperat Psaltes psal. 77. 11 : *Oblîti sunt benefactorum ejus, et mirabilium ejus quæ ostendit eis.* Huic ingratorum quæstioni respondet Deus, aitque :

2 et 3. Nonne frater erat Esau Jacob, isque gemellus ex eodem partu; et tamen dilexi Jacob, Esau autem odio habui? Ita et Syrus, et Arabicus uterque, q. d. Jacob cum suis posteris Jacobæis præelegi, et prædilexi præ Esau et posteris ejus Idumæis. Idque primo, cum de utroque adhuc in utero matris Rebeccæ existente, ideoque ante omne eorum meritum vel demeritum dixi, et prædixi matri : *Major serviet minori,* puta Esau Jacobo, Gen. 25. 23 ; ubi adverte odium hoc Esau non fuisse proprium et formale (nec enim Deus odisse poterat Esau antequam peccaret) sed tantum minorem amorem, quod scilicet Esau postponeretur Jacobo, eique in donis cederet et subjiceretur. Sic Genes. 29. 31. pro eo quod Noster vertit : *Videns autem Dominus quod* (Jacob) *despiceret Liam;* Hebr. Chald. et Septuag. habent : *Videns autem Dominus quod odio haberetur Lia;* ubi neglectus Liæ, ejusque minor amor quàm Rachelis, vocatur odium : nec enim Jacob proprie oderit Liam, quam ut conjugem amabat et alebat. Secundo, cum Judæos prætuli Idumæis, dando Judæis meam legem, Ecclesiam, templum, Prophetas, regnum, etc. eisque subjiciendo Idumæos. Tertio, et maxime ad rem præsentem, cum Judæos Babylone liberavi, Idumæos in gratiam vestrî ibidem captivos dereliqui; unde explicans subdit : *Et posui montes ejus solitudinem, etc.*

Nota ex S. Hieron. Theodor. Lyran. Vatabl. Aria, Ribera et aliis, Malachias ad litteram loquitur non de prædestinatione Jacob, et reprobatione Esau, q. d. Jacob et Jacobæos prædestinavi, Esau vero et Idumæos reprobavi et gehennæ addixi ; nam hoc constat esse falsum : quia multi Jacobæi damnati sunt, et multi Idumæi, ut Job cum suis amicis, salvati : sed loquitur de præelectione Jacob præ Esau ad bona temporalia. Respicit enim ad illud matri utriusque, prægnanti adhuc, promissum, Gen. 25. 23 : *Duæ gentes sunt in utero tuo, et duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, et major serviet minori,* puta Esau serviet Jacobo, et Idumæi Jacobæis, qui locus manifeste loquitur de præelectione ad dominium temporale, non spirituale. Sensus ergo est, q. d. Dilexi vos, ô Judæi, magis quàm idumæos fratres vestros, cujus rei hoc vobis do signum et argumentum : cum tam vos, quàm Idumæos, propter multiplicia peccata, Chaldæis vastandos tradidissem, ego vos diligens, pristinamque in patres vestros dilectionem conservans, paulo post è captivitate reduxi, et in patriam restitui : Idumæos vero, quia fuerunt vestri hostes, in gratiam vestrî in ea reliqui, eorumque terram in solitudinem redactam, draconibus habitandam dedi. Hunc esse sensum litteralem et genuinum patet ex sequentibus. Ex quo allegorice Apostolus, Rom. 9. 13, assurgit ad prædestinationem et præelectionem ad bona spiritualia, cujus illa præelectio Jacob ad bona temporalia erat typus. Sicut enim Deus Jacobæos in opibus terrenis prætulit Idumæis, ita in spiritualibus fideles in fide infidelibus, justos in gratia injustis, electos in gloria reprobis præfert et anteponit. Ita S. Hieron. et alii passim, quos sequuntur Scholastici, ac nominatim Gabr. Vasq. 1. p. q. 23. disp. 95. n. 45. Vide ea quæ dixi Rom. 9. 13.

Moraliter, hìc discat quisque æstimare Dei in se amorem et beneficentiam, qua multis aliis prælatus est, v. g. si Religiosus est, prælatus est secularibus : si sacerdos, laicis : si doctus, indoctis : si fidelis, infidelibus, etc. adeoque si quisque suas naturæ et gratiæ dotes consideret, inveniet se peculiares et proprias aliquas à Deo accepisse, quibus alios superat; sicut vicissim in nonnullis ab aliis superatur; ut hinc ansam habeat humilitatis, inde laudis et gratiarum actionis. Vide dicta, Exodi 25. 4. Sic in quolibet Sancto suo modo verum est illud Abrahæ elogium : *Non est inventus similis illi in gloria, qui conservavit legem Excelsi,* Eccli. 44. 20. Et illud S. Pauli : *Unusquisque proprium donum habet à Deo, alius quidem sic, alius vero sic*, 1. Cor. 7. 7.

3. Et posui montes ejus in solitudinem.] *Ejus*, scilicet, *Seir*, ut quidam codices cum Ruperto legunt, hoc est Idumææ ; hæc enim sita est in montibus, sicut Tirolis et Helvetia in Alpibus. Probat se odio habuisse et habere Esau, id est Idumæos, ex eo quod eorum regionem vastarit per Nabuchodonosor, adeo ut civibus in Babylonem abductis, nec inde reductis, ferarum facta sit lustrum et draconum cubile. Ita Lyran. Vatabl. Ribera et alii. Nabuchodonosor enim post excisam Jerusalem invasit et excidit Idumæam, uti dixi in Abdia.

4. Destructi sumus.] Hebr. רששנו *russasnu*, id est depauperati sumus, et ad extremam inopiam redacti. Ita Chald. Pagnin. Vatab. et Arias; scilicet per vastationem agrorum et urbium, quod Noster clare vertit, *destructi sumus ;* Septuag. *subversa est Idumæa.*

Sed revertentes ædificabimus quæ destructa

SUNT.] Hebr. חרבות *charabot*, id est, quæ desolata et deserta sunt; sicut videmus Judæos, quorum æmuli sumus, è Babylone in patriam reversos, suas domos et urbes reædificasse sub Cyro, Dario et Artaxerxe.

HÆC DICIT DOMINUS : ISTI ÆDIFICABUNT, ET EGO DESTRUAM.] Ecce odium Esau, et dilectionem Jacob, q. d. Vos, ô Judæi, reædificastis Jerusalem et templum, egoque fabricam vestram protexi et promovi : volent vos æmulari Idumæi, et urbes suas pari modo restaurare; at ego eis obsistam, ac fabricas eorum impediam et destruam. *Nisi* ergo *Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam*, psal. 126. 1.

ET VOCABUNTUR TERMINI IMPIETATIS,] q. d. Idumæa vocabitur terra inops et maledicta, terra ob impietatem desolata; terra quæ impietatis uti habuit culpam, ita et sustinet pœnam, adeo ut omnes transeuntes eam exsibilent et subsannent, dicentes : Quàm scelerata fuit hæc terra, quam Deus ita desolavit, et quasi Sodomam è cœlo sideravit! Alludit vox רשעה *risça*, id est *impietatis*, ad רשש *russas*, id est, depauperatus est, q. d. Idumæa fuit populus *risça*, id est *impietatis*, ideo *russas*, id est, depauperatus et desolatus est. Inde enim רש *rasç* vel *rus* est pauper; perinde ac si latine dicas : Idumæus fuit Cyrus, fuit durus, fiat ergo Irus : fuit Cyro si non ditior, certe dirior et impientior; fiat ergo Iro pauperior. Sicut Cyrus, cæsus à Tomyri regina Scythiæ, factus est Irus, cum caput ejus culeo pleno sanguinis inclusum ab ea subsannante audivit : *Cyre, bibe sanguinem, quem tantopere sitiisti.*

ET POPULUS CUI IRATUS EST DOMINUS IN ÆTERNUM.] Est metonymia : sub causa enim intelligit effectum, puta sub ira vindictam ex ira manantem, q. d. Idumæi sunt populus, cui Dei ira et vindicta in æternum incumbent : quia eos æterna vastitate, excidio et desolatione puniet.

Quæres, quomodo hoc sit verum? Nam uti Judæi, ita et Idumæi excidio Chaldæorum fuerunt superstites. Idumæos enim post hæc tempora subegit Simon Machabæus, ejusque filius Hyrcanus, teste Josepho, lib. 13. Antiq. cap. 16 et 17. imo Idumæi interfuerunt bello Judaico sub Tito, teste Josepho, lib. 6. Belli, cap. 7. Respondeo : Id verum est primo, quia captivitas eorum nunquam fuit publico decreto revocata, nec generali reditu soluta; quia ipsi turmatim omnes fuere abducti in Babylonem, sed turmatim ex ea non fuere reducti, uti fuere reducti Judæi per edictum Cyri, 1. Esdræ, 1. 1. Manserunt tamen in Idumæa et vicinis locis aliquæ eorum reliquiæ, quæ sensim succreverunt seque propagarunt, additis etiam colonis aliarum gentium, quæ in Idumæam utpote derelictam et cuilibet patentem, transmigrarunt : quo factum est ut incolæ non essent puri Idumæi, sed mixta et quasi nova gens. Vide dicta Jerem. 49. 13. Secundo, hæ Idumæorum reliquiæ subactæ sunt ab Hyrcano, uti jam dixi, qui eos coegit ad circumcisionem et judaismum, adeoque ex Idumæis fecit Judæos. Tunc ergo Idumæa gens et superstitio excisa fuit, tumque impletum hoc Malachiæ oraculum : *Vocabuntur populus cui Dominus iratus est in æternum :* quia in æternum sustulit eorum rempublicam et Synagogam infidelem, eamque transmutavit et transtulit in Synagogam et remp. Judæorum, fecitque ut Judæis essent subditi, tam in civilibus, quàm in sacris. Quocirca cum Titus oppugnaret Judæos, in eorum auxilium venere viginti millia Idumæorum, ut pro Judæis quasi fratribus, imo patribus, heris et dominis suis dimicarent. Denique post bellum Judaicum sensim Idumæi ita exstincti sunt, ut ne quidem nomen eorum supersit, uti superest gens, licet vaga, nomen et distinctio Judæorum : ubique enim Judæi ab indigenis distinguuntur et secernuntur. Perperam Judæi per Idumæos accipiunt Romanos, uti dixi in Abdia.

Tropol. Remigius : *Esau et Jacob*, inquit, *fratres, de una stirpe generati, vitiorum atque virtutum figuram prætendunt : quæ duo licet sint contraria, ex uno cordis fonte procedunt. Nam quia liberi sumus arbitrarii, pro nostra voluntate aut ad vitia deflectimus, aut ad virtutes. Primogenitus est Esau : quia priora sunt per infantiam, adolescentiam et juventutem : post nascitur Jacob, qui supplantator interpretatur; quia errores fragilioris ætatis ætas firmior succendens corrigit et supplantat. Unde bene major frater, hispidus et agrestis venator, et silvis assuetus dicitur fuisse; minor lenis et simplex, habitasse domi prohibetur. Itaque sub nomine Esau Deus vitia odio habere asseritur, non naturam quam bonam fecit : et propterea fines ejus ponit in solitudinem, ut omne malum exstirpetur, et vitia non succrescant. Quod si impudens malitia ea quæ sunt destructa rursus ædificare conetur, Dominus iterum destructurum se profitetur. Quod facit duobus modis, sive dum corriguntur peccatores, sive cum pertinaciter peccantes justa ultione damnantur.*

Huc accedit Georgius Venetus tom. 2. de oraculis Prophet. sect. 7. n. 318, ubi quærit cur Esau vocetur Seir, ac respondet : quia Seir significat turbinem, horrorem, pavorem, hircum, pilosum, faunum (*Seirim* enim sunt Satyri), dæmonem, quæ omnia recte conveniunt improbis, viventibus secundum carnem et sanguinem, quorum finis est interitus, et stipendium mors (ut ait Apostolus) ac gehenna. Horum ergo sors est dæmoniaca, formidolosa, horrore, dolore et angustia plena. Hinc Christus venit ut hominem animalem de Seir erueret, et duceret in Jerusalem, id est in visionem pacis. Itaque Seir et Edom sunt impii, et præsertim damnati in inferno. De his enim verissime dicitur : *Et vocabuntur termini impietatis, et populus cui iratus est Dominus usque in æternum.* Damnati enim sunt folles et fomenta gehennæ, quorum capiti jugiter incumbit ardens Dei ira et indignatio, eaque efficax et ignita, vomens flammarum incendia, quibus eos cremabit in æternum. Væ, væ, væ sceleri et malis! Deus hanc maledictionem à cervicibus nostris avertat.

5. MAGNIFICETUR DOMINUS SUPER TERMINUM ISRAEL.] Opponit *terminum*, id est regionem Israel, termino, id est regioni, impietatis, puta Idumææ, v. 4. q. d. Glorificetur Dominus qui punit improbos, et præmiat probos : quia scilicet vastavit impiam Idumæam, et piam Judæam exaltavit, imo impiam pie subjugavit, itaque ex infideli et impia fidelem et piam effecit. Id factum est per Hyrcanum, uti jam dixi. Unde secundo, Chald. vertit : *Multiplicetur gloria Domini : etenim dilatavit terminos Israelis*, scilicet usque in Idumæam. Tertio, alii sic exponunt, q. d. Extendat Deus terminos et domi-

nium Israelis, ut eo modo pariter extendat suam gloriam et magnificentiam, atque à gentibus Israeli subjectis cognoscatur et colatur. Quarto, alii vertunt: *Magnificetur Dominus ultra terminum Israel*, q. d. Gloria et magnificentia Dei non arctetur angustis Israelis terminis, sed ultra eos se propaget et distendat per totum orbem. Hoc cœpit fieri sub Machabæis, per eorum victorias cœlitus à Deo obtentas, sed allegorice plene factum est per Christum et Apostolos. In omnem enim terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Verus enim Israel est Ecclesia et populus Christianus, qui se è Judæa propagavit per universum mundum. Ita hodie veri fideles subjugata Bohemia, Austria, Hungaria, etc. gaudent ob dilatatum imperium non tam reipublicæ, quàm Ecclesiæ, dicuntque : Magnificetur Dominus super terminum Israel.

Anagog. q. d. Laudetur Deus ob gloriam, triumphos et multitudinem Israelis, id est, sanctorum et electorum. Hi enim mirifice laudant Deum, quod videant in se cecidisse sortem tam felicem, maxime cum vident terminos impietatis, id est, cœtum damnatorum, præsertim amicorum et sociorum suorum, à Deo ita puniri et comburi, seque ab eorum forte per Dei gratiam fuisse erutos et salvatos. Ita S. Hier. Vide Apostolum ob hoc beneficium celebrantem et glorificantem Deum toto c. 1. ad Ephesios.

6. FILIUS HONORAT PATREM.] Recensitis suis in Judæos beneficiis, Deus hîc transit ad eorum maleficia, quæ ipsi ingrate rependerunt. Ingratitudinem ergo et irreverentiam eorum culpat et accusat. Nota. *Honorat*, id est jure naturæ, divino et humano honorare tenetur; et, si vere filius talis est, qualis esse debet, reipsa honorat. Jam honor in hoc præcepto : *Honora patrem et matrem*, quatuor complectitur, scilicet primo, amorem; secundo, reverentiam; tertio, obedientiam; quarto, beneficentiam et alimoniam, si ea indigeant, ut dixi Deut. 5. 16.

SI ERGO PATER EGO SUM, UBI EST HONOR MEUS ? ET SI DOMINUS EGO SUM, UBI EST TIMOR MEUS ?] Patri enim proprie à filio debetur honor, domino à servo timor, non tantum servilis, sed et liberalis, qui reverentiam, amorem, ac obsequium sedulum et exactum complectitur. Porro Deus est pater fidelium : Primo, creatione; secundo, conservatione et gubernatione; tertio, alimonia; quarto, cura et providentia paterna; quinto, per fidem et gratiam qua nos justificat, sibique in filios et hæredes regni sui adoptat. Idem est dominus iisdem titulis, aliisque, ut quod nos redemerit, et sanguine filii sui sibi quasi coemerit; quod sit summa majestas, cui omnis creatura servire tenetur; quod nos quasi servos et operarios ad vineam suam excolendam, proposita mercede gloriæ æternæ conduxerit, etc. Hisce titulis Deus omnium, etiam laicorum, est pater et dominus. Unde ad omnes Judæos, etiam laicos, hîc dirigi à Deo sermonem, eosque ingratitudinis, irreverentiæ et impietatis accusari, quod suæ dilectioni, de qua dixit, *Jacob dilexi*, non responderint ; sed Deum amantem se odio habuerint, inhonorarint et contempserint, censent S. Hieron. Theodoret. Remig. et Hugo.

Audi S. Ambros. in Malachiæ verba, in fine tomi. 2 : *Si servus es*, inquit, *redde Domino timoris obsequium : si filius, exhibe patri pietatis affectum. Tu autem cum gratias non agis, Deum nec diligis, nec vereris. Unde aut contumax servus, aut superbus es filius. Qui est ergo utilis Christianus, semper debet patri ac Domino suo laudes dicere, et in ejus gloriam omnia procurare; sicut ait B. Apost.* 1. Cor. 10. dicens : *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Videte quale veri Christiani Apostolus voluit esse convivium, ut magis fides Christi, quàm prandii sagina comedatur ; et plus reficiat hominem Dominici nominis frequens invocatio, quàm epularum multiplex et copiosa collatio, meliusque pascat esurientem religio quàm sagina.* Vide sequentia, ubi pulchre docet Christianum debere Deo patri tam mane, quàm vespere instar lusciniæ, aliarumque avium gratias agere, et laudes canere. Audi et S. Bernard. ser. 16. in Cant. *Ita ipse*, inquit, *patrem se exhibuit mihi; sed non ego me vicissim illi filium. Quanam fronte attollo jam oculos ad vultum patris tam boni, tam malus filiùs, pudet indigna gessisse genere meo, pudet tanto patri vixisse degenerem. Exitus aquarum deducite oculi mei, operiat confusio faciem meam, etc.* Et ser. 83 : *Exigit*, ait, *Deus timeri ut Dominus, honorari ut pater, ut sponsus amari. Quid in his eminet? nempe amor. Absque hoc et timor pœnam habet, et honor non habet gratiam. Et qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est. Et quidem soli Deo honor et gloria : sed horum neutrum acceptabit Deus, si melle amoris condita non fuerint.*

Magis tamen proprie et genuine ad sacerdotes hîc loqui Deum, patet ex eo quod sequitur : *Dicit Dominus exercituum ad vos, sacerdotes.* Hebræa enim habent : *Dicit Dominus exercituum vobis sacerdotibus, despicientibus nomen meum. Dicit*, scilicet id quod præcessit : *Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus?* Unde Complut. ita legunt et dispungunt, ut hæc omnia conjugant hoc modo : *Ubi est timor meus? dicit Dominus exercituum ad vos, ô sacerdotes.* Ita Lyran. Pagnin. Vatabl. et alii. Ubi nota sacerdotes præ laicis vocari filios Dei, tum quia Deo dicati et consecrati sunt, ut ad ejus quasi familiam pertineant; tum quia justi et sancti esse debent, ut sancta sacrificia et preces pro populo Deo offerant : sancti enim sunt filii Dei adoptivi; tum proprie, quia in lege veteri Levitæ et sacerdotes pro primogenitis filiorum Israel, quos Deus ab Angelo percutiente et à morte liberarat, ideoque sibi depoposcerat, Deo oblati et dati sunt, Exodi 13. 2. et Num. 8. 16. Sensus ergo est, q. d. Vos, ô sacerdotes, imprimis arguit et culpat Deus, quod cum sitis ejus primogeniti, peculiariter præ laïcis cæterisque Israelis ab eo dilecti, et in sacerdotes electi; tamen eum non ut patrem honoretis, nec ut dominum revereamini; sed eum ejusque cultum et victimas inhonoretis, et despiciatis. Timor enim hîc et alibi, reverentiam, adorationem, sacrificium, omnemque cultum Dei denotat. *Qui enim metuit, non scrutatur, sed colit, observat, adorat, honorat, glorificat, laudat, commendat*, ait S. Chrysost. hom. 2. de incomprehens. Dei natura.

Incipit Malachias prophetiam et correctionem suam à correctione sacerdotum : quia reformatio reipubl. et laicorum pendet à reformatione cleri et sacerdotum : qualis enim est sacerdos, talis est et populus. Sane hoc seculo

hæresi Lutheri occasionem dedit inscitia, et mala vita plurium sacerdotum. Quocirca et Christus initio, æque ac in fine prædicationis suæ, redarguit vitia sacerdotum. Docet id egregie Auctor Imperfecti Apud S. Chrysost. initio homil. 38. in S. Matth. ubi recte sacerdotes comparat stomacho; explicans enim ingressum solemnem Christi die Palmarum in Jerusalem, quo primo templum adiit : *Et intravit*, inquit, *Jesus in templum Dei. Hoc erat proprium boni filii, ut et veniens ad domum curreret patris, et illi honorem redderet qui genuit eum, ut tu imitator Christi factus, cum in aliquam ingressus fueris civitatem, primum ante omnem actum ad Ecclesiam curras. Hoc erat boni medici, ut ingressus ad infirmam civitatem salvandam, primum ad originem passionis intenderet. Nam sicut de templo omne bonum egreditur, sic et de templo omne malum procedit : quemadmodum medicus quando primo ingreditur ad infirmum, statim de stomacho ejus interrogat, et eum componere primum festinat : quia si stomachus sanus fuerit, totum corpus validum est; si autem dissipatus fuerit, totum corpus infirmum est : ita si sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret; si autem corruptum fuerit, omnium fides marcida est. Cor autem et stomachus sacerdotes intelliguntur : quia in rebus spiritualibus per eos totus populus gubernatur. Et sicut cor sapientiæ locus est, ita sacerdotes sunt receptacula sapientiæ spiritualis, Isaia dicente de regibus quidem : Omne caput in dolore; de sacerdotio autem : Omne cor in tristitia.*

Explicat id, munia stomachi analogice applicando sacerdotibus, dicens : *Sicut enim stomachus accipiens cibum coquit eum in seipso, et per totum corpus dispergit; sic et sacerdotes accipiunt scientiam sermonis per Scripturas ex Deo, et excoquentes eam in se, id est, tractantes et mediantes apud se, universo populo subministrant. Et sicut stomacho subministrante unumquodque membrum suscipit nutrimentum, et convertit ipsum in se secundum suam naturam; ut puta quod suscipit jecur, totum fit sanguis; quod autem suscipit fel, bilis efficitur totum; quod vero ascendit in pulmonem, phlegmata fiunt; quod autem in mamillas, totum efficitur lac : sic sacerdotibus in Ecclesia loquentibus Dei verbum, omnes suscipiunt; unusquisque autem convertit illud secundum proprium cor, ita ut unum id ipsum verbum in cordibus quidem rectis procedat ad vitam; in cordibus autem perversis suscitet iracundiam, quasi bilis : in aliis autem operatur dilectionem dulcissimam, quasi lac : in aliis autem odia, quasi phlegma nocivum et expuendum. Videte ergo, sacerdotes, quomodo vos componatis in verbo et opere. Quoniam sicut in corpore, si aliquod infirmatum fuerit membrum, non omnino languet et stomachus; si autem stomachus languerit, omnia membra inveniuntur infirma : sic si aliquis Christianorum peccaverit, non omnino peccant et sacerdotes; si autem et sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus convertitur ad peccandum. Ideo unusquisque Christianorum pro suo peccato reddet rationem : sacerdotes autem non solum pro suis, sed et pro omnium peccatis reddituri sunt rationem. Vidit arborem pallentibus foliis marcidam, et intellexit studiosus agricola, quia læsuram in radicibus haberet. Nam vere quemadmodum cum videris arborem pallentibus foliis marcidam, intelligis quia aliquam culpam habet circa radicem; ita cum videris populum indisciplinatum et irreligiosum, sine dubio cognosce, quia sacerdotium ejus non est sanum.* Hæc prolixius recitavi, quia singula aurea ab ore aureo.

Et dixistis : In quo despeximus nomen tuum?] Hebr. בזינו *bazinu*, id est *sprevimus;* Chald. *contempsimus;* Tigurina, *quanam re vile habuimus nomen tuum, illudque nobis sordet?* Respondet Deus : *Offertis super altare meum panem pollutum.* S. Hieron. Remig. Hugo et Lyran. per panem intelligunt panes propositionis, censentque culpari hîc sacerdotes, quod eos non triticeos, aut non azymos ut lex jubebat, sed siligineos, hordeaceos, fermentatos, aut alia ratione vetitos Deo offerrent. Addit S. Hieron. Remig. Haymo, Albertus, Hugo et Lyran. taxari sacerdotes, quod panes hosce ex quovis frumento conficerent, cum juxta eorum traditionem, ex patrum religione et pio usu acceptam, non nisi ex selecto frumento confici deberent, quod ipsimet sacerdotes sevissent, messuissent, moluissent et coxissent. Quod notent Christiani, præsertim sacerdotes, ut discant qualia, quàm pura et selecta Deo offerre debeant.

Verum quia panes propositionis non offerebantur in altari, quod tamen de suo pane ait hîc Malachias, sed in mensa panum propositionis : nec enim erant victimæ, sed meræ oblationes; hinc melius per panem pollutum accipias victimam pollutam, tum similæ et panum; quos quasi sacrificia concremabant Deo in altari, vocabantque *mincha*, ut patet Levit. 2; tum carnium, puta boum, ovium, hircorum, quos sacrificabant Deo. Ita Chald. Vatabl. Clarius et Arias. Hebræi enim panem vocant omnem escam, etiamsi caro sit; ac præsertim bos, capra, agnus, et quævis victima Deo oblata vocatur *panis*, id est, cibus Dei, uti ostendi Levit. 22. 25 et cap. 21. vers. 6 et 8. Numer. 28. 2. Rationem dedi Levit. 2. nimirum quod sacrificium sit convivium Dei, in quo Deus cum hominibus quasi comedere et bibere videtur. Quocirca carnes Deo immolatæ, erant quasi panis, id est cibus, quo vescebatur Deus : vinum Deo libatum erat quasi potus quem bibebat Deus. Quod enim ignis devorabat et consumebat, hoc censebatur Deus per ignem repræsentatus edere et consumere. *Panem* ergo *pollutum* vocat victimas cæcas, claudas, mancas, quas contra legem Levit. 22. v. 19 et 22. Deo offerebant. Ita enim se explicat Malachias vers. 8. Secundo, *pollutum*, quia non offerebant eo ritu et cæremoniis, quas præscribit lex, Levit. cap. 1. 2. 3. 4. etc. Tertio, *pollutum*, ob impietatem et scelera sacerdotum eum offerentium. Sacrificia enim Judæorum valebant, et vim impetrandi habebant non ex opere operato, uti habet nostrum Eucharistiæ, sed ex opere operantis, puta ex dignitate et devotione sacerdotis sacrificantis, qui hic erat sceleratus et impius : quocirca ejus oblatio magis Deum irritandi, quàm impetrandi vim habebat.

Porro Gentiles adeo deorum suorum reverentes erant, ut priusquam victimas immolarent, eas sollicite explorarent, an puræ essent. Hinc et meliores è grege seligebant, easque Apollini candidas, quarum, si majores essent, cornua inaurabant. Unde Ascanius, lib. 10. Æneid.

> Et statuam ante aras aurata fronte juvencum
> Candentem.

Et Ovidius :

Blandis indutæ cornibus aurum,
Conciderant ictæ, nivea cervice juvencæ.

Quod si color hic victimæ deesset, cretam superinducebant. Unde illud Juven. satyra 10 :

Duc in Capitolia magnum
Cretatumque bovem.

Testatur Arnobius, lib. 2. contra Gentes, olim in Albano monte non alios licuisse, quàm nivei candoris immolare tauros.

Et dicitis : In quo polluimus te?] id est, pollutum panem, id est victimam, obtulimus tibi? Nota hìc, ô sacerdos, qui pollutus pollutum offert Deo sacrificium, Deum ipsum quasi polluit et conspurcat : quia mensam, victimam et cibum Dei conspurcat, præsertim in lege nova, ubi victima est ipse Christus Deus noster. Quocirca Apostolus, 1. Cor. 11. 27, diserte asseverat : *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini*, q. d. Erit quasi Christicida et Deicida, perinde ac Judas proditor : *Dum enim Sacramenta violantur, ipse cujus sunt Sacramenta violatur*, ait S. Hieron.

7. In eo quod dicitis : Mensa Domini despecta (contemptibilis) est.] Quia scilicet dicitis : Jam viluit altare Domini ; ac proinde vilia quælibet in eo offerri possunt. Mensam enim vocat altare, quia, ut jam dixi, sacrificium est quasi convivium, in quo conviva est Deus : mensa est altare, esca est victima, potus est libamen, ministrans est sacerdos. Tangit hìc radicem mali, aitque causam contemptus sacrorum esse ipsam altaris vilitatem, q. d. Vos, ô sacerdotes, vilipenditis meum altare, dicitisque illud eviluisse, ideoque parum referre quid, et quale in eo offeratur : quocirca offertis in eo victimas cæcas, claudas et mancas.

Quæres : Qua causa et titulo dicebant altare eviluisse? Resp. primo, ob longam sacrorum cessationem : quia per septuaginta annos captivitatis caruerunt templo, altari et victimis. Hæc enim in animis accolarum generare solet sacrorum oblivionem, neglectum, incuriam, contemptum, uti vidimus in pagis Belgii, tempore belli Hollandici à sacerdotibus desertis, ubi rustici, præsertim juvenes et pueri qui nunquam viderant sacerdotem, ut primum eum viderunt, stabant attoniti ; vel diffugiebant, putantes se non hominem, sed monstrum videre, vel spiritum, uti mihi ibidem olim videre et experiri contigit. Secundo, quia videbant templum à se reædificatum non æquare gloriam templi prioris, quam viderant senes, et juvenes à senibus audierant : *Ac putabant deesse religionis sanctimoniam, quia deerat ædificationis ambitio*, ait S. Hieron. cum econtrario, *Deus non tam altaris ornatum, quàm offerentium devotionem requirat*, ait Remig. Tertio, quia Judæi nuper Babylone redeuntes pauperes erant; unde non poterant opulentas dare oblationes sacerdotibus, qui proinde negligebant altare, aliisque negotiis se dabant quibus compararent sibi victum. Sic enim hodie videmus subductis, vel pereuntibus redditibus templorum, perire quoque vel minui sacerdotum curam et ministeria. Ita Vatabl. Quarto, quia videbant Deum victimas hasce non edere, sed eas igne consumi. Unde meliores sibi reservabant, aut cum deterioribus commutabant, censentes satius esse deteriora dare igni, meliora ventri. Audi S. Hieron. *Quid prodest*, inquit, *si offeramus optima ? qualiacumque fuerint quæ offeruntur, igni sunt devoranda ;* erat hic prætextus avaritiæ et gulæ. Sic hodie videmus sacerdotes et Prælatos nonnullos in mensis et conviviis esse splendidos, in altari et templo sordidos ; in mensis adhibere mappas pretiosas et vina falerna, in altari vero lintea lacera, et villum potius quàm vinum. Qua de re jure queritur Cardin. Bellarm. in Gemitu columbæ.

Moral. disce hìc primo, Deo, utpote auctori omnium, non qualia qualia, sed optima et præstantissima esse danda. Secundo, contra hæreticos, Deum honorari et delectari magnificentia templorum, altarium, vasorum sacrorum, etc. quia ipse major est omni laude, et omni magnificentia magnificentior. Famosa et magnifica fuit mensa sacra, quam teste Cedreno, Baronio et aliis, Justin. Imp. in augusto S. Sophiæ templo erexit. Constabat enim auro, argento, omnisque generis lapidibus, lignis, metallis, omnibusque rebus quas terra fert, mare et totus mundus. Ex omni materia pretiosa plura, meliora, potiora collegerat, liquatisque his quæ fluunt, sicca illis immiserat, atque in formam mensæ concinnarat : ita omne varium illud opus intuentibus erat stupori. In orbem hanc ostentabat epigraphen : *Tua de tuis tibi offerimus servi tui, Christe, Justinianus et Theodora. Ea tu propitius accipe, fili Dei Verbum, qui nostrî causa carnem assumpsisti, et cruci affixus fuisti, ac nos in tua recta fide conserva. Et quam nobis commisisti remp. eam ad tuam gloriam auge et tuere, intercedente sancta Deipara virgine Maria.*

Celebrat Joseph. lib. 12. Ant. cap. 2. mensam, quam templo Hierosolymitano dono misit Ptolemæus Philadelphus rex Ægypti, ut ab Eleazaro pontifice impetraret septuaginta Interpretes, qui S. Scripturam ex Hebræo in Græcum idioma converterent. Erat enim tota ex auro, longa duos cubitos cum dimidio, lata unum, alta sesquicubitum. Ornata erat cymis versatilibus, et sculpturis egregiis. Exterior autem loricæ facies gemmis pulchris, ovali specie distinguebatur. Huic subjecta erat corona per circuitum, omne genus fructuum repræsentans, dependentibus racemis, et spicis emergentibus, et malis punicis intersertis, quæ omnia constabant è lapillis colorem nativum fructuum referentibus, et auro circum totam mensam revinctis. In mensa autem sculptus erat Mæander magni pretii, gemmis per medium tanquam stellis variegatus, carbunculo et smaragdo suavissime radiantibus. Basis facta erat è carbunculo palmum lata, crepidinis specie ; qua vero pedes innitebantur, octo digitorum latitudine. Tanta erat artis subtilitas, ut perflante vento agitata, naturæ, non artis, opus videretur ; crassitudo autem mensæ erat semicubitalis. Hæc et plura Josephus.

Ab his discamus exhibere Deo mensam honoratam et magnificam, non cum Judæis vilem et despectam. Id faciemus mystice, si animam nostram omni virtutum genere adornatam Deo offeramus. Ipsa est enim quasi microcosmus Deo, qui macrocosmus est, dicanda ; ac præsertim si opera charitatis exerceamus. Hisce enim mensam instruimus, non tam pauperibus,

quàm ipsi Deo : in hac enim ipse delectatur et quasi epulatur.

Tropol. S. Hieron. *Polluimus*, ait, *panem, id est corpus Christi, quando indigne accedimus ad altare, et sordidi mundum sanguinem bibimus, et dicimus : Mensa Domini despecta est ; non quod hoc aliquis audeat dicere, sed opera peccatorum dispiciunt mensam Dei.* Unde de talibus ait Apost. 1. Cor. 10. 20 : *Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum ; non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum, etc.* Rursum polluit panem et mensam Dei, ac in ipsum Deum jacit contumelias, ait S. Hieron. doctor et prædicator, qui verbum Dei quod est panis animæ, docet propter lucra, vel humanam gloriam, ac divitibus blanditur, peccatores honorat, et pauperes sanctos repellit, *mensam Scripturarum Dei mensis idolorum, secularisque doctrinæ putans esse communem.*

6. Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est ?] Ita et Septuag. ac Chald. vertunt interrogative, q. d. Omnino malum est, quia contra legem Levit. 21. 22. quæ poscit victimam integram et vitio carentem. Recentiores, ut Vatablus et Tigurina, vertunt affirmative : *Cum hostiam cæcam sacrificatis* (supple, dicitis), *non est malum*, sed bonum et licitum. Peccabant ergo avari sacerdotes, qui ut oblationes suas suaque lucra augerent, nullam respuebant victimam à populo oblatam, etiamsi cæca esset vel manca ; imo pro integra à populo oblata, ipsi è suo grege substituebant claudam vel mutilam, integram sibi reservantes.

Ita peccant hodie Christiani, qui pro decimis et primitiis dant manipulos, vel animalia deteriora, meliora sibi retinentes ; qui filios claudos, luscos, stolidos, ineptos detrudunt in monasteria, vegetos et acres tradunt mundo ; qui tempus juventutis floridæ dant carni et sanguini, tempus senectutis effœtæ dant pietati et Deo, etc. qui meliores horas dant studiis, deteriores orationi : Dei enim majestatem contemnunt, qui ei seipsos anteponunt, ut sibi potiora, Deo pejora attribuant. Si tales et talia offerrent principi, vel regi, nonne vapularent? Qui semesas à porcis vel canibus escas regi apponeret, mulctaretur ; non mulctabitur is qui offert Deo semesa à diabolo, et aliquid adhuc diabolicum exhalantia ?

Symbolice, Remigius et S. Hieron. *Victima*, inquit, *Dei est bonum aliquod, ut oratio, eleemosyna, etc. Verum cæca est victima, si animus offerentis non est illustratus luce veritatis ; vel si non est simplex intentio ejus qui offert. Clauda est orationis victima ejus, qui duplici mente accedit ad deprecandum Dominum. Debilis est, qui Christum non habet, qui est Dei virtus et sapientia. Istiusmodi victimæ si offerantur, minime Deo placere possunt, sed potius reum faciunt offerentem.* Manca est obedientia, quæ subjicit Superiori voluntatem, non intellectum ; manum, non animum.

Offer illud duci tuo, et vide si placuerit ei,] q. d. Videbis utique quod non placebit ei, sed summe displicebit, donaque tua respuet, quin et indignabitur tibi : censebit enim se à te contemni et vilem reputari, quod tam vilia, puta cæca, clauda, manca animalia offeras, et integra tibi reserves. Si ergo talia non auderes offerre duci tuo homini mortali, quomodo Deo immortali ea offerre audes, qui est Rex regum, et Dominus dominantium ?

Aut si susceperit faciem tuam,] puta te tuumque munus, quos ore et facie tua ei obversa offers : facies enim index est animi et mentis, totumque hominem et personam ipsam repræsentat. Nam facies decora, honesta, liberalis, reverens meretur suscipi, hilarique et benigno vultu à principe, et multo magis à Deo suscipitur : facies vero indecora, turpis, avara, impudens, irreverens ab iisdem despicitur et rejicitur, q. d. Dux et princeps tam avaram et impudentem faciem, quæ tam avarum et impudens munus sibi offert, non acceptabit, sed adversabitur, quanto magis ego eadem non acceptabo, sed aversabor ? Sic de Job reverente, patiente et pio ait Deus, cap. 42. 8 : *Job autem servus meus orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam.*

9. Et nunc deprecamini.] Hisce verbis non ironice, ut vult Clarius et Arias, sed serio hortatur eos ad pœnitentiam, ut patet ex sequentibus. Ita S. Hieron. Theodor. Haymo, Rupert. Lyran. et alii.

De manu enim vestra. (Ita Hebr. Chald. Septuag. Tigur. et alii : perperam ergo Pagnin. vertit : *De manu nostra*) factum est hoc,] q. d. Non patrum hoc scelus est, sed vestrum ; non tam laicorum est culpa, quàm vestra, ô sacerdotes (eos enim alloquitur, ut patet v. 6.) Vos ergo suppliciter deprecamini vultum Dei, qui eum offendistis et ad indignationem concitastis. Ita S. Hieron. Theod. Lyran. et alii. Aliter Vatabl. q. d. De manibus vestris, id est, ab operibus manuum vestrarum profecta est hæc maledictio, de qua dicitur in sequentibus v. 14 : *Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat debile Domino.*

Si quomodo suscipiat facies vestras,] id est, vos vestrasque oblationes, uti dixi v. 8. Aliqui ex Hebræo sic vertunt : *Num auferet*, id est, *si quo modo auferat à vobis faciem ;* scilicet suam iratam, aut vestram tristem malisque oppressam, ostendendo vobis faciem hilarem, eaque vos exhilarando. Hebr. enim נשא *nasa* et suscipere, et tollere vel auferre significat. Aliter Theodor. q. d. Num sine pœnitentia et deprecatione veniæ vos in gratiam recipiam ?

10. Quis est in vobis qui claudat ostia (templi) et incendat (perperam Compl. legunt, *non incendat*) altare (hoc est, altaris ignem, et per ignem victimas ac thymiamata, quæ quotidie in altari cremantur Deo) meum gratuito ?] q. d. Nemo vestrûm gratis templo et altari servit, sed laboris sui stipendia percipit, et ex altaris oblationibus sustentatur et vivit ; cur ergo illud meumque in eo cultum negligitis, et negligenter peragitis ? Si enim non religionis et Dei intuitu, certe mercedis respectu, et obligatione justitiæ obstricti, deberetis hoc munus vestrum ad quod pretio conducti estis, diligenter et accurate obire et præstare. Ita S. Cyrill. S. Hieron. et alii. Nota : Ad verbum ex Hebræo sic vertit Tigur. *Adhæc quis ex vobis ostia claudat ? num vero in ara mea gratis incenditis ?* quod Noster aliis verbis, sed clariore sensu expressit, dum vertit : *Quis est in vobis qui claudat ostia, et incendat altare meum gratis ?* Alii vero cum Sept. et Chald. contrarie vertunt hoc modo : *Quis est in vobis qui claudat fores, ut non accendatis altare meum gratis ?* q. d. Utinam aliquis vestrûm

clauderet fores templi, ut non uratis super altare meum victimas hasce pollutas frustra, sive in vanum. Nam illæ mihi non placent, sed placet pura *mincha* Christi, quæ toto orbe offertur, ut sequitur. Ita Theodor. Vatabl. et Clarius. Unde et S. Hieron. notat græcum δωρεὰν, id est *gratuito*, verti posse *in gratia : Ut videlicet*, inquit, *gratiam non habeant altari Domini serviendi, sed ea priventur*. Hic secundus sensus valde tam Hebræo, quàm sequentibus cohæret et respondet : atque hebr. חנם *chinnum* sæpe significat gratis, frustra, in vanum, ut Ps. 34. 19 : *Odio habuerunt me gratis*, hebr. *chinnam*.

Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus.] Tigurina : *Non est mihi in vobis beneplacitum*, id est, non mihi placetis, non estis mihi grati ob vestram irreligiositatem, neglectum et contemptum sacrorum. Hebr. enim חפץ *chepets* significat placitum, beneplacitum, complacentiam, affectumque amoris et benevolentiæ, quem Septuag. vertere et vocare solent εὐδοκίαν. *Et* (id est, idcirco) *munus* (hebr. מנחה *mincha*, de quo paulo post) *non suscipiant de manu vestra*. Vetera enim sacrificia non placebant ex opere operato, uti placent in lege nova, sed tantum ex opere operantis. Cum ergo hic operantes et sacrificantes displicerent Deo, displicebant et sacrificia ; ideoque per Christum cum Synagoga, lege et gente sunt abolita. Idem fiet Christianis. Audi S. Chrysost. in c. 20. S. Matth. *Prius*, ait, *in vallibus fiet obscuritas, die declinante ad occasum. Quando ergo colles videris obscurari, quis dubitat quin jam nox est? Sic primum in secularibus et laicis Christianis incipit prævalere obscuritas peccatorum. Nunc autem quando jam vides, quod sacerdotes positos in summo vertice spiritualium dignitatum, qui montes et colles dicuntur, apprehenderit iniquitas tenebrosa, quomodo dubitetur quia finis est mundi?* Idem in cap. 24. Matth. hom. 47 : *Si pars aliqua domus*, inquit, *fuerit decisa, cum labore tamen possibile est ut reparetur. Si autem ipsum fundamentum fuerit conquassatum, quid faciet paterfamilias, nisi in aliquo loco nova jaciat fundamenta, et lapides de priori loco transvectans, aliam sibi ædificet domum? Sic et in spiritualibus, si quidem populares peccaverint, per pœnitentiam corriguntur ; si autem dissipatum fuerit ipsum sacerdotium, quod est populi fundamentum, quid faciat Deus? juxta illud Christi : Vos estis sal terræ, quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus*, Matth. 5. 13.

11. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus,] q. d. Nolo amplius angustis Judææ finibus contineri, arcta mihi est Jerusalem, angustum templum : coarctor in Palæstina, cœlum enim et terram ego impleo. Quare par est ut totus mundus sit mihi templum, ut omnes gentes ubique me colant victimis et sacrificiis. Quocirca brevi per Christum efficiam ut nomen meum Gentibus toto orbe prædicetur, illæque me ubique agnoscant, adorent, celebrent.

Et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.] *Sacrificatur et offertur*, id est, brevi per Christum et Apostolos sacrificabitur et offeretur : Propheta enim prophetice loquitur et prophetat de futuris, q. d. Nolo, ô sacerdotes Judaici, vestra sacrificia, sed brevi ea abolebo, tum quia impura et polluta sunt, tum quia uno in loco à pauculis Judæis offeruntur. Quocirca eis per Christum surrogabo sacrificium aliud, quod in se purissimum erit et sanctissimum, quodque ubivis terrarum à quibuslibet gentibus mihi offeretur.

Quæres : Quænam hæc oblatio munda? Primo, Judæi respondent esse preces, quas Judæi pii inter Gentes dispersi ubivis locorum Deo offerebant. Unde Chald. vertit : *Ego recipiam preces vestras, et nomen meum sanctificabitur per munus vestras, et erit sicut oblatio munda coram me*. Verum hoc ex textu patet esse falsum. Nam rejicit hîc Deus sacrificia Judæorum, dicens : *Non est mihi voluntas in vobis. Et munus non suscipiam de manu vestra* ; eisque opponit sacrificia Gentium, eaque acceptat.

Secundo, Hugo censet esse oblationem quam Gentes proselytæ et Deum Judæorum agnoscentes offerebant in templo Hierosolymitano. Sed obstat τὸ *in omni loco*, quod perperam invertit Hugo, explicatque, q. d. *Ex omni loco*.

Tertio, Arias accipit oblationes et victimas, qua Gentes tempore Malachiæ, Deum verum ex motu cœlorum et gubernatione universi agnoscentes, ubivis locorum ipsi offerebant. Verum Gentes sacrificabant Jovi, Herculi, Belo, non Deo vero : Jovem enim ponebant gubernatorem universi. Pauci enim Gentilium, ut Job ejusque amici, Deum verum agnoverunt et coluerunt : cæteri omnes coluerunt idola, quæ proinde in Scriptura dii Gentium nominantur.

Quarto, Calvinus et hæretici, qui negant omne sacrificium legis novæ proprie dictum, accipiunt oblationem mysticam, puta Dei cultum per fidem, spem, charitatem, orationem, invocationem et laudem, atque opera pia, præsertim charitatis et eleemosynæ, aut conversionis animarum. Idem censent Clarius et Vatabl. quibus favere videtur Tertull. lib. 5. contra Judæos : sed idem adversatur iis, lib. 3. contra Marc. 22. ubi se explicat, et per oblationem mundam accipit sacrificium Eucharistiæ, Deique laudes et hymnos, qui cum ea cani solebant : qua de causa ipse sub oratione et hymnis solet intelligere Eucharistiam, sicut et alii Patres subinde eam vocant εὐχὴν, id est orationem, precationem sacram, liturgiam ; imo idcirco vocatur Eucharistia, id est gratiarum actio.

Verum dico, de fide est hanc oblationem mundam esse sacrificium corporis et sanguinis Christi in Eucharistia. Unde patet contra hæreticos, Eucharistiam non tantum esse Sacramentum, sed et sacrificium. Probatur primo, quia pro *oblatio* hebr. est מנחה *mincha*, quæ vox licet ex sui origine significet quodvis munus, donum, oblationem, sacrificium ; tamen à Mose et Deo appropriata est uni sacrificio, ut scilicet proprie significet sacrificium farreum, quod fiebat ex farina vel pane, quodque describitur Levit. 2. ut ibi dixi. Hoc autem mincha, sive sacrificium farreum erat proprie dictum sacrificium, ut patet Levit. 2. eratque typus sacrificii Eucharistici : utrobique enim offertur farina et panis, sed in Eucharistiam transsubstantiatus et transmutatus in corpus Christi. Cum ergo mincha typicum et Judaicum fuerit proprie dictum sacrificium, sequitur multo magis mincha verum et Christianum, puta Eucharisticum, esse verum et proprium sacrificium. Unde

Septuag. vertunt : *In omni loco incensum offertur mihi, et sacrificium mundum ;* Arabicus : *Ab ortibus solis ad occasus ejus nomen meum glorificatum in gentibus, et afferunt ad me victimas, et incensa nomini meo in omni loco ;* Syrus : *In omni loco faciunt mihi incensa, et offerunt nomini meo oblationes mundas ;* Tigurina : *In omni loco nomini meo incensum, et mola pura offertur.* Mola enim pura est sacrificium farreum, vel farina qua victimæ immolandæ caput aspergebant : unde ab hac mola dictum est verbum immolo. Alludit Malachias ad sacrificium juge, quod quotidie tam mane quàm vespere offerebant, in quo victima erat agnus, cum decima parte similæ conspersæ oleo, Exodi 29. v. 38. Agnus enim repræsentabat Christum, simila speciem panis, sub qua ipse in Eucharistia immolatur.

Secundo, idem innuit vox *munda*, q. d. Hoc mincha erit in se munda et sancta victima, ita ut semper maneat munda, etiamsi eam offerentes sint immundi. Talis autem est sola Eucharistia, in qua victima est ipse Christus mundissimus, et Sanctus sanctorum.

Tertio, quia Malachias solis hîc loquitur sacerdotibus Aaronicis, ut dixi v. 6, eorumque mensæ et victimis pollutis opponit sacerdotes, altare, et victimam mundam legis novæ. Ergo loquitur de sacrificio non metaphorico et mystico, sed genuino et proprie dicto. Hæc enim tria, scilicet sacerdos, altare et sacrificium sunt correlativa, ut ubi unum est, cætera duo adesse necesse sit. Sacerdos enim est sacrificii, quod in altari offertur, sacerdos ; et vicissim, sacrificium in altari oblatum, est sacerdotis in altari sacrificantis sacrificium. Cum ergo hæc tria vere fuerint in veteri lege, quæ fuit typus legis novæ, sequitur in lege nova quoque veros et proprios esse sacerdotes, altaria et sacrificia, præsertim quia nulla unquam Ecclesia, aut religio, imo nulla gens Deum vel idolum colens, fuit sine sacerdote et sacrificio. Natura enim dictat Deum colendum esse latria et sacrificio.

Quarto, idem convincit vox *sacrificatur*, pro qua hebr. est מֻקְטָר *muctar*, id est adoletur, incenditur, suffumigatur, crematur. Oratio autem non incenditur, nec crematur, sed victima proprie dicta. Unde *muctar* idem est quod *sacrificatur :* quia olim omne sacrificium Deo cremabatur. Jam autem in Eucharistia non crematur, sed alio modo digniore, Deo sacrificatur, et in honorem ejus transsubstantiatur, et manducando consumitur : de quo mox plura.

Quinto, idem ostendit τὸ *in omni loco et in Gentibus.* Nullum enim est sacrificium quod ubivis gentium à fidelibus offeratur, nisi Eucharisticum.

Sexto, ita hunc locum intelligendum esse docet Concilium Trid. sess. 22. cap. 1. omnesque Patres et Doctores, nimirum S. Hieron. Theod. Remig. Rupert. Haymo, Hugo, Lyran. Ribera hîc, item Clemens Rom. lib. 7. Constit. Apost. c. 31, S. Martialis, epist. ad Burdegal. c. 3, Iren. l. 4. c. 32, Justin. contra Tryphon. Cyprian. l. 1. contra Judæos, c. 16, Cyrill. catech. 16, Eusebius, l. 1. Demonstr. c. 6, S. August. lib. 18. de Civit. c. 35, S. Chrysost. in Psal. 95. et orat. 2. contra Judæos, Tertull. loco citato, Damasc. lib. 4. cap. 14, insuper Rabb. ut R. Samuel tract. de Vero Messia ad R. Isaac, c. 20, et alii apud Galatin. lib. 11. c. 11; vide Bellarm. lib. 1. de Missa toto cap. 10, ubi omnia hæreticorum effugia confutat.

Objicit Calvinus, et Antonius Sadeelius, aliique qui Missam missam faciunt, *mincha* hîc tropice sumi pro pura religione et spirituali Dei cultu, quo Deum mente colimus et adoramus : Quia, inquiunt, pro *sacrificatur* hebr. est מֻקְטָר *muctar*, id est offertur thymiama, adoletur suffitus, vel incensum, ut vertunt Sept. Atqui nullum est thymiama quod in lege nova proprie dictum Deo offerimus, sed tantum mysticum, scilicet oratio et purus Dei cultus : ergo ille hîc intelligitur. Resp. radix *muctar* est קָטַר *catar*, quod licet proprie significet suffire, suffumigare, adolere incensum ; tamen sæpe per metalepsin significat sacrificare : quia in sacrificio olim victima incendebatur, itaque per ignem et fumum ascendebat ad Deum : ita docent omnia lexica, omnesque Hebræi. Eucharistia ergo est oblatio munda, quæ *muctar*, id est sacrificatur Deo. Adde alludi ad *mincha* vetus et Judaicum, cui thus imponebatur, quod totum Deo proprie *muctar*, id est, suffumigabatur et cremabatur, juxta legem Levit. 2. 2 : per thus enim, quod omnium gentium usu et ritu Deo adoletur, significabatur rem hanc, puta mincha, id est sacrificium farreum, Deo offerri et sacrificari. Unde et in nostris solemnibus Missis adhibetur thurificatio. Per hanc ergo thurificationem Propheta metonymice intelligit sacrificium, cujus illa est index et symbolum, imo pars aliqua ; sed de hoc mox plura. Jam verba singula pressius examinemus.

In omni loco,] quia nihil ita Dei nomen et gloriam toto orbe celebrat et magnificat, ac sacrificium Eucharistiæ, quo Christus ipse se in victimam Deo Patri offert per manus sacerdotum suorum, uti paulo post ostendam.

Sacrificatur.] Septuag. Tigur. et Pagnin. *incensum offertur ;* Syrus, *ponunt incensa*, thurificant ; Arabicus Antioch. *faciunt mihi incensa ;* Arabicus Alexand. *afferunt ad me incensa.* Hebr. enim *muctar* est participium passivum conjugationis Hophal, quod proinde vel ut nomen, significans *thymiama*, incensum, suffitum ; vel ut verbum, aut potius verbale, significans *adoletur*, incenditur, sacrificatur, accipi potest ; ut nomen acceperunt Septuag. ut verbale Noster.

Ubi nota Eucharistiam hîc vocari incensum vel *thymiama.* Primo, quia continet Christi corpus quasi hostiam, Deo in ara crucis igne charitatis incensam, quæ quasi thymiama odorem suavissimum Deo exhalavit, quo ejus iram placavit, eumque hominibus reconciliavit. Secundo, quia Eucharistia conficitur, et conditur sacris precibus quæ sunt thymiama Deo, juxta illud Psal. 140. 2 : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Ita S. Chrysost. in Psal. 95 : *Dilucide*, inquit, *mysticam interpretatus est mensam, quæ est incruenta hostia. Thymiama vero purum appellat sacras preces, quæ post hostiam offeruntur. Hic enim suffitus Deum refocillat, non is qui à terrenis radicibus sumitur, sed qui à puro corde exhalatur.* Denique Eucharistia vocatur *incensum*, quia non tantum repræsentat, sed et reipsa continet Christum in ara crucis pro nobis incensum, id est dolore et amore tostum, Deoque sacrificatum.

Tropolog. thymiama sunt ignitæ orationes, suspiria et vota tam sacerdotum, quàm fidelium, dum Eucharistiam vel consecrant et con-

ficiunt, vel sumunt et manducant, juxta illud quod Apocal. 4. 8. Angeli dicuntur habuisse et obtulisse Deo *phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Quocirca S. Chrys. hom. ad popul. Antioch. *Igitur,* inquit, *tanquam leones ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles, et caput nostrum mente revolventes, et charitatem quam nobis exhibuit.*

Offertur.] Hebr. מֻגָּשׁ *muggas*, id est affertur, adducitur, offertur, applicatur, propinqua fit. Radix enim נגש *nagas* significat accedere, appropinquare : victimæ enim et dona quæ Deo offeruntur, ad illum quasi accedunt et appropinquant, præsertim Eucharistia, in qua victima est ipse Christus Dei Filius.

Oblatio.] Hebr. מִנְחָה *mincha*, id est munus, donum, quod Deo adducitur, donatur, offertur, à rad. נחה *nacha*, id est adduxit, dedit, obtulit. Porro mincha proprie erat sacrificium farreum, puta farinæ et panis, Levit. 2, quod proinde sua forma et specie, erat expressa figura Sacramenti et sacrificii Eucharistiæ : unde et cum illo in jugi sacrificio agni, quotidie libabatur vinum juxta legem Exodi 29, 40, quod repræsentabat alteram speciem Eucharistiæ, scilicet vini, sub qua ex vi verborum consecrationis ponitur et immolatur sanguis Christi, uti sub specie panis vi eorumdem ponitur corpus Christi. Insuper cum mincha adolebant et offerebant oleum, thus et sal : oleum significat misericordiam Christi, quam in hoc Sacramento et sacrificio quotidie quasi novam et redivivam nobis exhibet : thus, ejusdem religionem et odorem suavissimum, quo se Patri in cruce immolavit, et rursum in Eucharistia immolat : sal, æternitatem et incorruptionem, quam in beata resurrectione per Eucharistiam nobis afferet, uti ipse promisit Joan. 6, 55. Plura de his dixi, Levit. 2. Sic et priscas Gentilium, qui pultibus et pane potius quàm carne vescebantur, victimas fuisse incruentas et puras, id est farreas, non carneas, docet Ovid. l. 1. Fastor.

> Ante deos homini quod conciliare valeret
> Far erat, et puri lucida mica salis.

Ideoque in sacrificiis mola, quæ vocabatur, ex farre et sale constabat : Mola enim, ait Festus Pompeius, nihil aliud erat, quàm far tostum et sale aspersum ; et quod eo molito hostiæ aspergerentur, inde molæ nomen invenit : quam proinde, Virgil. lib. 2. Æneid. salsas fruges appellat :

> Et salsæ fruges, et circum tempora vittæ.

Sic et Tibull. l. 3, eleg. 4 :

> Et vanum metuens hominum genus, omnia noctis
> Farre pio placant, et saliente sale.

Rursum Ovid. l. 4. Fastor.

> Farra Deæ, micæque licet salientis honorem
> Detis, et in veteres thurea grana focos.

Idem, l. 1. Fastor.

> Inde vocor Janus, cui cum cereale sacerdos
> Imponit libum farraque mixta sale.

Quin et Arnob. l. 2. contra Gentes docet farreas victimas fuisse ante thuris notitiam et usum : *Thus, ait, neque ipse Romulus, aut religionibus artifex comminiscendis Numa, aut esse scivit, aut nasci, ut pium far monstrat, quo peragi mos fuit sacrificiorum solemnium munia.*

Munda,] primo, quia corpus Christi, quod in Eucharistia offertur, est mundissimum et sanctissimum, utpote ex Virgine opera Spiritus Sancti efformatum, ipsique Deo hypostatice unitum. Secundo, quia nulla indignitate aut malitia sacerdotum, vel offerentium inquinari potest, inquit Conc. Trid. sess. 22, c. 1. Etsi enim sacerdos esset impiissimus, Eucharistia tamen semper suam munditiem retinet, vimque mundandi ex seipsa, sive ex opere operato. Tertio, quia Eucharistia homines non tantum à peccatis, sed à peccatorum causis, puta à concupiscentiis, tentationibus, passionibus emundat, ac peccandi occasiones vel amovet, vel ad eas superandum robur addit.

Denique tres erant species sacrificii à Deo Judæis præscriptæ, Levit. 1. Prima erat holocaustum, puta bos, ovis aut columba, quæ tota in Dei honorem comburebatur. Secunda, hostia pro peccato, ad illud scilicet expiandum. Tertia, victima pacifica, qua scilicet pro pace, id est, salute et beneficiis, vel jam obtentis, Deo gratias agebant, vel pro obtinendis supplicabant. Hisce tribus in lege nova successit unicum sacrificium Eucharistiæ, quod eminenter tres hasce species in se complectitur. Ipsa enim est dignissimum Deo holocaustum, quo summe Dei majestas colitur et honoratur, estque refricatio et repetitio holocausti illius, quo Christus se totum Patri in ara crucis obtulit et immolavit. Ipsa pariter est sacrificium propitiatorium, pro peccatis, juxta illud Hebr. 10. 6 : *Holocaustomata et pro peccato non tibi placuerunt ; tunc dixi : Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Et v. 10 : *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem Jesu Christi.* Tertio, Eucharistia est sacrificium pacificum, quo Deo de omnibus donis perceptis gratias agimus, et pro percipiendis obsecramus.

Moral. disce quàm purus et sanctus debeat esse sacerdos, qui oblationem purissimam, imo ipsam puritatem, Christum, inquam, Sanctum sanctorum, consecrat, tangit, manducat, distribuit; quod Angelis non est concessum. Angelica ergo, et plusquam Angelica puritas requiritur, ut Angelorum Dominum suscipiamus, imo conficiamus. Judæis itaque, et multo magis Christianis edixit Deus, Levit. 20. 26 : *Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, et separavi vos à cæteris populis, ut essetis mei.* Et c. 22. 32 : *Ego Dominus qui sanctifico vos.* Vide ibi dicta, et Levit. 9. in fine cap. Vere noster Thomas Theodidactus, l. 4. de Imitat. Christi, c. 12 : *O quàm magnum,* inquit, *et honorabile est sacerdotum officium, quibus datum est Dominum majestatis verbis sacris consecrare, labiis benedicere, manibus tenere, ore proprio sumere, et cæteris ministrare ! O quàm mundæ debent esse manus illæ, quàm purum os, quàm sanctum corpus, quàm immaculatum cor sacerdotis, ad quem toties ingreditur auctor puritatis! Ex ore sacerdotis nihil nisi sanctum, nihil nisi honestum, et utile procedere debet verbum, qui tam sæpe Christi suscipit Sacramentum. Oculi ejus simplices et pudici, qui Christi corpus solent intueri. Manus puræ et in cœlum elevatæ, quæ creatorem cœli et terræ solent contrectare. Sacerdotibus specialiter in lege*

dicitur : Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester.

QUIA MAGNUM EST NOMEN MEUM IN GENTIBUS.] Vox *quia* partim proprie et causaliter accipi potest, q. d. Causa cur Gentes Deo offerent oblationem tam puram et nobilem, quàm est ipsa Christi filii Dei caro et sanguis, est, quia magni me meumque nomen æstimabunt; credent enim et profitebuntur me esse summum et augustissimum numen, ideoque summam et augustissimam hostiam jam dictam mihi offerent. Partim improprie et consecutive, ut more Hebræo *quia* non significet causam, sed consecutionem et effectum, q. d. Ex hac hostia Eucharistiæ consequetur ut nomen meum magnificetur; per hanc hostiam mire glorificabor ego, nomenque meum.

Quæres : Unde, et qua ratione? Resp. primo, quia Judæi et Gentiles offerebant Deo, vel diis suis oves, boves, capras, fruges, aliasque creaturas, ut protestarentur Deum esse omnium creatorum causam, principium et finem, seque ab illo omnia bona accepisse, accipere et postulare. Christiani vero loco creaturarum offerunt Deo in Eucharistia Christum Dominum Dei filium, qui est primogenitus omnis creaturæ. Quanto ergo Christus creator nobilior est omni creatura, tanto magis hac suî victoria honoratur, et glorificatur Deus præ victimis Judæorum et Gentium.

Secundo, quia oves, boves et capræ non sunt condigna pretia peccatorum : Christi autem caro et sanguis condigna sunt. Iis ergo satisfit ex æquo offensæ et justitiæ Dei, ac consequenter Deus Deique justitia per illa summe honoratur, placatur, conciliatur.

Tertio, quia per Eucharistiam Deo uni veroque oblatam, exclusa sunt idola et idolothyta, id est sacrificia idolis immolata ; ac consequenter Deo sua unitas, dignitas et majestas apud gentes toto orbe est restituta. Agnoscunt enim et profitentur in Eucharistia, se nulla alia deorum numina, quæ prius coluerant, sed solum Deum verum credere, colere et adorare.

Quarto, quia per hanc Christi victimam agnoscitur summa Dei bonitas, quæ filium suum nobis dedit in redemptorem : et justitia, qua peccatum punivit morte sui filii unigeniti : et sapientia, qua modum invenit salvandi nos ; sed ita ut simul satisfieret suo honori, et justæ vindictæ, nimirum mittendo filium suum in carnem, qui in ea patiens et moriens satisfaceret læsæ majestati divinæ : et potentia, qua tam augustam hostiam sibique commensam et æqualem instituit. Idem videre est in cæteris Dei attributis, quæ per Christum orbi innotuerunt.

Quinto, quia in Eucharistia *memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus,* dum *escam* tam augustam *dedit timentibus se*, Psal. 110. 4. Eucharistia enim refricat nobis beneficium creationis, redemptionis, justificationis, glorificationis, cæteraque omnia, uti ostendi Zachar. 11. 17.

Sexto, quia Eucharistia est miraculum miraculorum, opus operum Dei, portentum seculorum, juxta illud Zachar. 9. 17 : *Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?* Quapropter S. Dionys. Eccles. hierarch. c. 3. Eucharistiam vocat *omnium sacramentorum consummationem, divinissimum et sacrosanctum Sacramentum, sacrosancta et augustissima mysteria.* S. Martialis, ep. ad Burdegal. c. 3 et 4, Eucharistiam nuncupat *communionem Dei vivi, mensam divinam, et escam in fide perfecta totam cœlestem;* Iren. l. 4. c. 32. *novi testamenti novam oblationem;* S. Cypr. l. de Cœna Domini, *cibum inconsumptibilem;* Optatus Milev. *pignus salutis æternæ, tutelam fidei, spem resurrectionis;* S. Ephrem. l. de Natura Dei minime scrutanda, *ignem immortalem : Hoc sane,* inquit, *excedit omnem admirationem, omnem mentem, omnemque sermonem, quod fecit nobis unigenitus filius Christus salvator noster : ignem et spiritum manducandum ac bibendum præstitit mihi, corpus scilicet et sanguinem suum.* S. Chrysost. hom. 14. in ep. 1. ad Cor. *Cum benedictionem,* inquit, *dico, Eucharistiam dico, et dicendo Eucharistiam, omnem benignitatis Dei thesaurum aperio. Etenim cum calice inenarrabilia Dei beneficia consecuti sumus, etc.* S. Cyrill. catechesi 4. ait per Eucharistiam nos fieri *christophoros, et divinæ naturæ consortes.*

Septimo, quia per Eucharistiam participat tam sacerdos, quàm offerentes et assistentes, imo omnes fideles totius Ecclesiæ, sanguinem, redemptionem, omniaque merita Christi. Rursum per illam omnis gratia cum suo fonte et auctore, puta Christo, ad nos derivatur. Quocirca vere et sapienter noster Thomas Theodidactus, lib. 4. de Imit. Christi, c. 5 : *Quando,* ait, *sacerdos celebrat, Deum honorat, Angelos lætificat, Ecclesiam ædificat, vivos adjuvat, defunctis requiem præstat, et sese omnium bonorum participem efficit.* An non hæc est magna nominis Dei gloria, magna Dei laus et glorificatio ? Hinc vocatur *Eucharistia*, quia ipsa est summa gratiarum actio. Nihil enim majus pro beneficiis naturalibus et supernaturalibus quæ accepimus, Deo reddere possumus, quàm Christum ipsum : Christus enim omnia alia Dei beneficia exæquat, imo in immensum superat. Quocirca S. Chrys. l. 6. de Sacerdotio : *Per id tempus,* ait, *et Angeli sacerdoti assident, et cœlestium potestatum universus ordo clamores excitat, et locus altari vicinus in illius honorem qui immolatur, Angelorum choris plenus est.* Confirmat id visione viri sancti, asserentis sè in Missa *Angelorum multitudinem conspexisse, fulgentibus vestibus indutorum, altare ipsum circumdantium, sic capite inclinatorum, ut si quis milites præsente rege stantes videat.* Idem, hom. de Eucharistia in Encæniis : *Agnus,* ait, *Dei immolatur, Seraphim astant sex alis faciem tegentia.* Idem, hom. 24. in 1. ad Corinth. *Dum in hac vita sumus ut terra nobis cœlum sit, facit hoc mysterium. Ascende igitur ad cœli portas, imo non cœli, sed cœli cœlorum, et tum quod dicimus intueberis. Etenim quod summo honore dignum est, id tibi in terra ostendam, etc. Neque enim Angelos, neque Archangelos, non cœlos, non cœlos cœlorum; sed ipsum horum omnium tibi Dominum ostendo.* Idem, l. 3. de Sacerdotio : *Hoc ergo mysterium maxime horrendum verendumque quis tandem qui insanus minime sit, quique è potestate non exierit fastidire ac despicari poterit?* S. Greg. 4. Dial. c. 58 : *Quis,* ait, *fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis hora, ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio Angelorum choros adesse summis ima sociari, terrena cœles-*

tibus jungi, unum quid ex visibilibus atque invisibilibus fieri?

Octavo, quia in Eucharistia exercetur summa fides, spes, charitas, religio, cæteræque virtutes, quibus Deum colimus et glorificamus. Fides, quia credimus Deo dicenti, ibi vere esse corpus Christi, etiamsi visus, gustus, tactus, omnesque sensus contrarium judicent, scilicet esse panem et vinum. Spes, quid enim non speremus à Deo, quem credimus nobis dare filium suum in cibum et sacrificium? Charitas, quis enim ea non accendatur, cogitans immensum Dei et Christi in nos amorem, quo se nobis totum dat et communicat? Religio, quis enim non summa veneratione colat Deum, quem præsentem credit et videt? et ita de cæteris. Atque hæc fuit una è causis præcipuis, quare Deus Eucharistiam instituerit, nimirum ut daret objectum et materiam exercendi omnes virtutes, ut iis eum coleremus et honoraremus. Denique Eucharistia est manna omne delectamentum in se habens, et omnem saporis suavitatem, ideoque magnifice Deum datorem celebrans et deprædicans, ac quasi muta voce clamans: *Panem cœli dedit eis: panem Angelorum manducavit homo. O quàm suavis est, Domine, Spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de cœlo præstito esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes!* ut canit Ecclesia.

Sacerdos ergo, iturus ad altare, cogitet quantum opus adeat. Cogitet, et stupeat se esse legatum Ecclesiæ, imo totius orbis ad Deum, ut cum eo summa negotia tractet, nimirum ut nomine totius creaturæ homagium Deo præstes, ac doxologiam et gratiarum actionem pro omnibus beneficiis à qualibet creatura perceptis; ut oret et propitiet Deum pro peccatis totius mundi; ut peccatoribus in infernum ruituris liberationem, veniam et gratiam impetret; ut omnium afflictorum morbos, tentationes, ærumnas Deo repræsentet, opemque poscat; ut singulis fidelibus Dei gratiam, virtutum augmentum omniaque bona impetret; ut pro defunctis exoret, et pro tot millenis animabus quæ in Purgatorio uruntur, supplicet. Denique ut sit mediator Dei et hominum, ac Christi ipsius personam subeat, iteretque illud idem sacrificium quod Christus obtulit in cruce, ubi ipse tam victima fuit, quàm sacerdos. Quid hæc perpendens non percellatur, non stupeat, non accendatur?

12. Et vos polluistis illud, scilicet, nomen meum vile et quasi pollutum effecistis, in eo quod dicitis, non tam verbis, quàm reipsa et factis: Mensa domini contaminata est.] *Mensa* Dei est altare. Redit ad sacerdotes sui ævi, quos arguere cœpit v. 5. q. d. Talis erit mea mensa et victima tempore Christi, qualem jam descripsi: Vos vero, ô sacerdotes Judaici (uti cœpi dicere v. 5.) ex adverso ita viliter, sordide et indigne tractatis altare meum, meaque sacra et sacrificia, atque si essent res viles, sordidæ et pollutæ; ac hostia altari superposita esset res contemptibilis, pariter et ignis sacer, qui illam devorat et consumit. Ita S. Cyrill. Causa hujus indignitatis fuit diuturnus in captivitate sacrorum neglectus, item paupertas Judæorum, ac avaritia sacerdotum, uti dixi v. 7. De igne etiam altaris contemnendo occasio fuit, quod hic post reditum Babylone non è cœlo, uti prior, datus sit, sed ex aqua crassa accensus, ut patet 2. Machab. 1. 21. Hebr. ad verbum habent: *Fructus, vel proventus ejus contemptibilis, et comedens illum* (hoc enim est אוכלו *ochelo*): *fructus* altaris, est victima quæ in eo offertur: *comedens illum*, est ignis qui eam cremat et consumit. Unde Noster clare vertit: *Quod supponitur* (altari puta holocaustum, aliave victima) *contemptibile est cum igne qui illud devorat.* Jam aliis punctis legunt אכלו *ochlo*, id est cibus ejus. Unde vertunt: *Fructus ejus contemptibilis, cibus ejus*, q. d. Fructus mensæ Dei, qui est cibus in ea Deo appositus, puta hostia, vel victima altari imposita, est contemptibilis. Unde Chald. vertit: *Mensa Domini despecta est, et despecta sunt dona ejus*; et Tigurina: *Proventus ejus*, nempe *cibus ejus vilis*; quia adeps victimæ, et intestina, quæ in altari Deo cremantur, sunt res viles et sordidæ, ait Vatabl. Aliter S. Hieron. Fructus, ait, vel proventus altaris est ignis (hic enim ex altari quasi nascitur et prodit); cibus vero ignis sunt victimæ, q. d. Vilis est ignis altaris; quia viles sunt victimæ, quas quasi cibum devorat.

13. Et dixistis: Ecce de labore; Septuag. *hæc de afflictione sunt*, q. d. Causam cur altare meum et victima sunt vilia et sordida, rejicitis in vestros labores: excusatis enim vos paupertate et ærumnis, dicitisque quod nuper magna fatigatione et sumptu redeuntes è captivitate Babylonica, per omnem laborem vestrum vix adhuc tantilla, et tam vilia comparare et offerre possitis: et, dum hæc dicitis, exsufflastis illud, id est exsufflatione mea dignum fecistis. Ita S. Hieron. Remig. Albert. et Lyran. Addit Cyrill. q. d. Hæc victima non ex se, sed ex labore itineris facta est macra, manca vel clauda.

Aliter recentiores, R. David, Pagnin. et Vatablus: hi enim pro מתלאה *metelaa* per *tsere*, id est, *de labore*, uti legerunt Sept. Chald. et Noster, legunt מתלאה *mattelaa*, vertuntque, *ecce labor*; vel potius, ut R. Abraham, *mattelaa* conflatur ex מה תלאה *ma telaa*, id est, *quis labor*, q. d. O quantum laboris subii in afferenda hac victima! quàm mihi meisque humeris fuit onerosa! quàm ea apportanda defatigatus et anhelus sum! quàm fuit mihi gravis, crassa et pinguis hæc hostia! Unde Pagnin. vertit, *ecce labor, et projecistis illum*, q. d. Projicitis in terram victimam, quasi ejus onere quo oppressi estis, vos levaturi, ideoque, ut Noster vertit, *exsufflastis illud*, quasi anheli exsufflatione halitum attracturi. Ita dicunt ipsi, sed mentiuntur: nam hostia eorum adeo vilis, macra et exilis est, ut exsufflari flatuque depelli, imo exanimari possit, cogique ut halitum suum tenuem efflet et exspiret. Septuag. in editione Rom. vertunt, *exsufflavi illud* (licet in editione Regia habeatur, *exsufflastis illud*, itaque legunt S. Hieron. et Theod.) per antithesin et collusionem contrarii sensus, q. d. Vos exsufflastis et suspirastis præ nimio onere: ego vero tanquam rem levissimam et vilissimam exsufflo, levi flatu repello, refuto, atque adeo abominor. Sic parasitus apud Plautum gloriosum militem titillat, dicens: *Cujus tu legiones difflasti spiritu, quasi ventus folia.* Addit S. Hieron. *In Hebræo legi potest: Et exsufflasti me* (legendo אותי *oti*, id est *me*: jam tamen omnes legunt אותו *oto*, id est *eum*) q. d. *Non sacrificio, sed mihi fecistis injuriam*; me enim tacite irrisistis, exsufflastis et exsibilastis.

Nota ad populum magis, quàm ad sacerdotes

hæc dici. Sicut enim prius taxavit incuriam sacrorum in sacerdotibus, ita hic eamdem taxat in populo, qui de more sacerdotes suos in scelere et avaritia sequebatur, imo præibat. Unde de populo subdit, dicens : *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat debile Domino.* Ita S. Hieron. Remig. Hugo, Lyran. licet aliqui, ut à Castro et Sanchez, censeant continuari hìc sermonem ad sacerdotes. Illis enim pergit loqui initio capitis sequentis. Dicamus utrosque hìc culpari.

De rapinis.] Elidit Deus falsam populi excusationem, q. d. Dicitis vos ex labore vestro has hostias, quales quales comparasse. Mentimini : nam ex rapinis eas parastis, rapuistis eas; atque ex raptis claudas et languidas mihi obtulistis, integras vero, pingues et vegetas vobis reservastis. Duplex est ergo, imo triplex crimen vestrum : primum rapinæ, secundum irreverentiæ et irreligiositatis, tertium mendacii. Nunquid hoc scelus patiar? nunquid munus tam fœdum et sordidum de manu vestra suscipiam? Absit. Ita S. Hieron. Remig. Albert. et Lyran.

14. Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat debile Domino.] *Masculum*, id est robustum, perfectum, integrum, sine vitio.

Nota primo, Levit. 22. 23. sanciri ut si hostiæ sint votivæ, sive ex voto oblatæ, sint perfectæ, sin voluntariæ, id non requiri, sed permitti ut sint mutilæ et imperfectæ. Causam ibidem assignavi. Hìc ergo Deus juxta legem, in voto requirit victimam masculam, tum proprie dictam, tum masculam, id est perfectam : opponit enim eam debili, vel, ut Tigurina vertit, *vitiato;* Pagnin. *maculoso;* Chald. *corrupto.* Hebræum enim משחת *masçat,* quod Noster vertit, *debile,* significat succisum, excisum, mancum, corruptum. Sic ait Virgil. in Pharmaceutr.

> Verbenasque adole pingues, et mascula (*id est fortia et egregia*) thura.

Sic Persius, satyra 5 :

> Calido sub pectore mascula bilis
> Intumuit, quam non exstinxerit urna cicutæ.

Sic vocamus mascula vina, masculos animos, id est fortes et generosos.

Nota secundo : In solo holocausto, utpote perfectissimo sacrificio, Deus requirit victimam masculam, Levit. 1. 3. Unde in hostia pacifica, si sit voluntaria, permittit ut sit femina, Levit. 8. 1. Dico, si sit voluntaria : nam si esset votiva, id est ex voto debita, debebat seligi melior, ideoque mascula, ut patet ex hoc loco Malachiæ. Quare si quis Deo vovisset ex grege suo ovem, seligere debebat masculam, non feminam; cujus rei causam tropologicam assignavi Exodi 1. 16. nimirum quod Deus amet, ideoque à voventibus sibi consecrari velit, mascula, id est, generosa et virilia, non feminea, id est, languida et infirma. Optima ergo sunt Deo vovenda et offerenda, idque summo studio, ait S. Cyrill.

Nota tertio : Tò *si habuerit,* nam, ut ait S. Hier. *Si non habes masculum, nihil tibi nocet ista maledictio. Hæc autem dicendo, ostendit eos habere quæ optima sunt, et offerre quæ mala sunt.* Femina ergo se dicans Deo, illi perplacet : æque ac vir offerens ovem feminam, cum non habeat masculam.

Nota quarto : Tò *dolosus* significat hìc peccari non tantum contra religionem, sed et contra justitiam. Sicut enim mercator qui emptori certo pretio suas merces addicit, si postea ei illas tradat vitiatas et corruptas, peccat dolo malo, estque injustus; ita et qui Deo victimam promisit, scilicet Deo dignam, et juxta legis præscriptum integram et perfectam, fraudulentus est, et peccat contra justitiam, si postea eidem tradat mancam, mutilam et vitiatam, facitque furtum in re sacra, ideoque sacrilegium.

Discant hìc Religiosi et voventes, sua vota debere esse mascula; atque id quod voverunt, debere Deo dari integrum, virile, perfectum et optimum. Ergo castitas eorum debet esse omni ex parte illibata et integra; paupertas perfecta; obedientia virilis et mascula. Hoc enim exigit reverentia summæ et divinæ majestatis, cui se consecrant, ut ei summa, optima et perfectissima offerant; nimirum ut faciant se holocaustum Deo, totas facultates ei offerendo per votum paupertatis, totum corpus per votum castitatis, totam animam per votum obedientiæ. Quocirca S. Basil. serm. 1. de Monast. instit. asserit eum qui nuntium seculo remisit, divinum quoddam vas effectum esse; ac proinde ei cavendum ne vitioso usu polluatur; seque ipsum custodire debere velut quiddam Deo dicatum, ne sacrilegii crimen incurrat; si videlicet corpus quod Deo sacravit, rursus ministerio vitæ communis contaminet. Hinc S. Greg. hom. 12. in Ezech. docet Religiosos esse holocausta Dei : *Qui,* inquit, *cuncta quæ mundi sunt deserunt, et totam mentem igni divini amoris incendunt; hi nimirum omnipotenti Deo sacrificium et holocaustum fiunt.* Idem docet D. Thomas, 2. 2. q. 186. art. 7. Quin et S. Aug. l. 10. Civit. 6 : *Ipse homo,* inquit, *Dei nomini consecratus ac devotus, in quantum mundo moritur ut Deo vivat, sacrificium est,* in quo scilicet victima est homo, culter est suì odium et abnegatio, mors est abdicatio vitæ secularis ut spirituales capessat, ignis est amor Dei, ligna sunt orationes et pietatis exercitia, sacrificium est ipsa suì per tria vota oblatio et consecratio. Ita S. Theresia, ut habet ejus Vita, vovit se in qualibet re facturam id quod optimum esset, perfectissimum Deoque honorificentissimum. Ita masculam victimam offerunt Deo, qui per continentiam omnes cupiditates, utpote feminarum femineas, trucidant. Rursum, qui pudorem metumque omnem pro Dei gloria contemnunt. Insuper, qui persecutiones, exsilia, famem, carceres, tormenta et mortem pro Deo generose sustinent et superant, ut fecerunt Martyres.

Sic masculum animum, et septem proles masculas quasi victimas pro lege Dei ad martyrium obtulit Machabæa mater et virago, quæ *singulas hortabatur voce patria fortiter repleta sapientia, et femineæ cogitationi masculinum animum inserens dixit : Nescio qualiter in utero meo apparuistis,* etc. 2. Machab. 7. 21. Totidem masculos secum Deo ad martyrium obtulit S. Felicitas sub Marco Aurelio Imper. anno Dom. 175. quæ Publico Præfecto suadenti ut sibi et filiis consuleret, obediendo Imperatori et sacrificando ejus diis, respondit : *Tua compassio est crudelitas, tuum consilium illecebrosum et crudele,* ac conversa ad filios : *Aspicite,* ait, *ô filii, cœlum, ubi Christus vos spectat et exspectat cum suis Sanctis :*

certate viriliter pro salute animarum vestrarum : ostendite vos fideles et constantes in amore Christi Jesu. Quibus vocibus animati filii ad unum omnes sua corpora in prædam dederunt, ac gloriosam pro Christo mortem obierunt, æque ac post ipsos mater. Totidem masculos secum Deo obtulit S. Symphorosa cum marito Getulio, qui omnes martyrii lauream adepti sunt sub Adriano Imper. anno Domini 138. quibus competit illud Sapientis Prov. 31. v. 10. 17. 19. 25: *Mulierem fortem quis inveniet? procul et de ultimis finibus pretium ejus. Accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum. Manum suam misit ad fortia. Fortitudo et decor indumentum ejus, et ridebit in die novissimo.*

Quia rex magnus ego, dicit Dominus,] et proinde magna mihi conveniunt et debentur, eximia scilicet et perfectissima, ideoque mascula, non feminea : valida, non debilia; integra, non manca, vel mutila.

Et nomen meum horribile.] Hebr. נורא *nora*, id est, tremendum et reverendum; Chald. *potens*. Respicit. ad vers. 6 : *Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? Et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Horribile ergo idem est, quod summe pavidum et reverendum. Reverentia enim quando est eximia, ex profunda consideratione tantæ majestatis generat tremorem, horrorem et stuporem. Hic est horror sacer, de quo Virgil. Æneid. 1 :

> Horrentique atrum nemus imminet umbra.

Et Lucanus :

> Arboribus suus horror inest.

Rursum *horribile*, id est, *terribile*, ut vertit Pagnin. et formidabile ; quia ipse suî suorumque sacrorum neglectum horribiliter castigat et punit. Hinc Sophon. cap. 1. 11. ait : *Horribilis Dominus super eos, et attenuabit omnes deos terræ, et adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ gentium.*

Septuag. hebr. נורא *nora*, non à יאר *iare*, id est, *terruit*; sed à ראה *raa*, id est, *vidit*, deducentes vertunt, ἐπιφανής, id est : *Illustre est nomen meum in gentibus.* Hoc verum fuit tempore Malachiæ et Machabæorum, quo victoriæ cœlestes Deum toto orbe cunctis gentibus illustrem et formidabilem fecerunt; verius est in Christo et Christianis : omnes enim gentes celebrant Christum, ejusque Deum Patrem. Ita Theodor.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Malis sacerdotibus in cultu suo incuriis minatur Deus egestatem, maledictionem, infamiam, eo quod eorum sit custodire scientiam, cum sint Angeli Domini : Mittam, inquit, in vos egestatem, et maledicam benedictionibus vestris. Et v. 9 : Propter quod et ego dedi vos contemptibiles, et humiles omnibus populis. Secundo, v. 10. multis arguit sacerdotes et populum, quod repudiarent suas uxores Israelitides, et ducerent alienigenas, ideoque pariter v. 13. protestatur se eorum victimas repudiaturum. Duas ergo hic dat causas cur ei displiceant ipsorum hostiæ : prior est, quod sint viles et illegitimæ; posterior, quod offerantur ab iis qui conjugio cum idololatris sunt maculati et polluti.

1. Et nunc ad vos mandatum hoc, ô sacerdotes. 2. Si nolueritis audire, et si
nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus
exercituum : mittam in vos egestatem, et maledicam benedictionibus vestris, et maledicam illis : quoniam non posuistis super cor. 3. Ecce ego
projiciam vobis brachium, et dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum, et assumet vos secum. 4. Et scietis quia misi ad
vos mandatum istud, ut esset pactum meum cum Levi, dicit Dominus exercituum. 5. Pactum meum fuit cum eo vitæ et pacis : et dedi ei timorem, et timuit me, et à
facie nominis mei pavebat. 6. Lex veritatis fuit in ore ejus, et iniquitas non est inventa in labiis
ejus : in pace et in æquitate ambulavit mecum, et multos avertit ab iniquitate. 7. Labia enim
sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus : quia Angelus Domini exercituum
est. 8. Vos autem recessistis de via, et scandalizastis plurimos in lege : irritum fecistis pactum
Levi, dicit Dominus exercituum. 9. Propter quod et ego dedi vos contemptibiles, et humiles omnibus populis, sicut non servastis vias meas, et accepistis faciem in lege. 10. Numquid non pater

unus omnium nostrûm ? Numquid non Deus unus creavit nos ? quare ergo despicit unusquisque nostrûm fratrem suum; violans pactum patrum nostrorum ? 11. Transgressus est Juda, et abominatio facta est in Israel et in Jerusalem : quia contaminavit Judas sanctificationem Domini, quam dilexit; et habuit filiam dei alieni. 12. Disperdet Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum, et discipulum de tabernaculis Jacob, et offerentes munus Domino exercituum. 13. Et hoc rursum fecistis, operiebatis lacrymis altare Domini, fletu et mugitu, ita ut non respiciam ultra ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra. 14. Et dixistis : Quam ob causam ? quia Dominus testificatus est inter te et uxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti : et hæc particeps tua, et uxor fœderis tui. 15. Nonne unus fecit, et residuum spiritus ejus est ? Et quid unus quærit, nisi semen Dei ? Custodite ergo spiritum vestrum, et uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere. 16. Cum odio habueris, dimitte, dicit Deus Israel : operiet autem iniquitas vestimentum ejus, dicit Dominus exercituum : custodite spiritum vestrum, et nolite despicere. 17. Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris, et dixistis : In quo eum fecimus laborare ? In eo quod dicitis : Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent : aut certe ubi est Deus judicii ?

1. Et nunc ad vos mandatum hoc, ô sacerdotes.] Redit à populo ad sacerdotes, quasi ad mali fontem : eorum enim avaritiam et sacrorum incuriam taxavit c. 1. vers. 6. et seq. Hanc Dei increpationem audiant, sibique à Spiritu sancto dictatam putent sacerdotes novæ legis, à quibus uti majorem sanctitatem jure requirit Deus, ita gravius eos puniet, si in officio suo sint incurii, aut scandalosi.

2. Si nolueritis audire, et si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo,] q. d. Si nolueritis mihi monenti, et scelera vestra arguenti obedire; si, inquam, nolueritis firmiter apud vos decernere, cordique vestro imprimere, quod deinceps debite me coletis, curabitisque ut meo altari, victimis et cultui suus constet decor, honor et gloria, offerendo scilicet mundas, legitimas, meque dignas victimas. Nota hebraismum : *Ponere super cor*, vel in corde, est cordi imprimere, cor applicare, cor flectere et dirigere, corde ferri et intendere. Per *cor* intellige mentem et voluntatem, ejusque propositum, resolutionem et decretum.

Quæres : Quid jubet Deus hîc poni super cor ? Respondet Chald. suî timorem; vertit enim : *Nisi ponatis timorem meî super cor, ut detis gloriam nomini meo.* Hic enim timor non tantum servilis, sed et filialis, est quasi pondus grave cordi hominis impositum, quod illud premit impellitque ut Deo se submittat, et per omnia obediat; perinde ac pondera in horologio ejus rotas premendo commovent, aguntque ut indicem horarum stata temporis mensura circumagant, ad horas quaslibet diei indicandas et monstrandas. Simili modo enim pondus cordis nostri est timor et amor Dei, juxta illud S. August. lib. 11. Civit 28 : *Amor meus pondus meum, illo feror quocumque feror. Velut amores corporum,* ait S. August. *momenta sunt ponderum. Ita enim corpus pondere, sicut animus amore fertur, quocumque fertur.* Secundo, Vatablus respondet præcepta Dei juberi hîc poni super cor, q. d. Nisi adverteritis ad præcepta mea, nisi cor applicaveritis ad ea quæ vobis præcipio. Ubi nota sapientes et probos Dei præcepta ponere super cor, ut illi quasi incumbant et dominentur, illudque agant ad ea exsequendum ; insipientes vero et improbos ponere ea sub corde, ut cor eis dominetur, eaque capessat, si, ubi, et quando velit; si nolit, ea pessundet et negligat. Tertio, simplicius et facilius dici potest, jubere hîc Deum sacerdotibus, ut gloriam nominis divini imponant cordi suo, ut scilicet decernant in corde dare, et procurare gloriam Dei in ejus sacrificiis. Propheta enim explicat quid jubeat *ponere super cor,* dum illico subdit : *Ut detis gloriam nomini meo.* Nam gloria Dei est pondus, quod cor sacerdotis premere et impellere debet, ad sacerdotii munia pie riteque obeundum. Finis enim et scopus sacerdotii, est gloria Dei. Quocirca sacerdos in omnibus suis actionibus hunc finem et scopum spectare debet, easque ita religiose obire, ut per eas honoretur et glorificetur Deus. Ita S. Ignatius, fundator Societatis nostræ, hoc firmiter cordi impressum habebat, tanquam totius vitæ suæ principium et regulam : *Ad majorem Dei gloriam.*

Mittam in vos egestatem.] Hebr. מארה *meera,* id est, maledictionem. Unde sequitur : *Et maledicam benedictionibus vestris.* Ita Septuaginta, Chaldæus, Pagninus, Vatablus et alii. Jam maledicere Dei est efficax, idemque quod malefacere; sicut ex adverso benedicere Dei est benefacere. Quocirca maledictio Dei accipi potest paupertas, infamia, sterilitas, pestis, omniaque mala et adversa. Noster tamen vertit, *egestatem;* tum quia hæc maxime et sæpissime Judæis à Deo fuit comminata et intentata, hancque maxime Judæi terreni et carnales extimescebant ; tum quia propria et condigna pœna avaritiæ est egestas, q. d. Vos, ô sacerdotes, conamini per avaritiam, suffurando mihi victimas meliores, easque vobis arrogando, vos ditare : quocirca ego efficiam ut vos depauperent : efficiam enim ut propter eas egestatem, quam per eas inique fugere cogitabatis, incurratis.

Notent hîc avari, præsertim Ecclesiastici, æterna Dei lege justissime sancitum esse ut cupiditates contrariis pœnis puniantur, et per quæ quis peccat, per eadem et plectatur ; scilicet ut superbi puniantur ignominia, gulosi esurie, invidi exaltatione æmuli cui invident, acedi labore et fatigatione, ac consequenter avari penuria et egestate. Hanc ergo sciant et cogitent sibi, et posteris suis à Deo certo infligendam, tum in hac vita, tum in futura. Quocirca desinant avaritiæ servire, utpote quæ illis non divitias, quas ambiunt; sed ino-

piam sit paritura : studeant vero eleemosynæ, quæ opes omnes eis conciliabit.

Maledicam benedictionibus vestris.] Primo, q. d. Privabo vos bonis quæ vobis dedi, quæque ex mea benedictione possidetis, auferam vobis oblationes meliores et pinguiores, quia vos eas mihi suffurati estis; faciam ut populus parce, et pejora vobis offerat, quia vos pejora mihi obtulistis, juxta illud : *Qui parce seminat, parce et metet : et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet*, 2. Cor. 9. 6. Benedictiones enim Dei sunt fruges, opes et gratiæ, quibus ipse nos cumulat, nobisque benefacit. Unde et præcessit : *Mittam in vos egestatem*. Ita S. Cyrill. Remig. et Vatablus.

Secundo, q. d. Hominibus, bestiis, agris et domibus, quibus vos, ô sacerdotes irreligiosi, benedixeritis, ego maledicam et malefaciam, affligam, evertam. Ita S. Hieron.

Tertio, q. d. Habebo vestras benedictiones pro execrationibus. Unde Chald. vertit : *Maledicam benedictioni vestræ, et execrabor eam.*

Symbol. Theodor. per benedictionem accipit sacerdotium, q. d. Auferam à vobis sacerdotium, quia vos eo indigni estis, eoque abutimini, præsertim quando illud cum lege veteri abolebo, novumque et sanctum per Christum instituam.

Tropolog. S. Hieron. *Qui*, inquit, *sanitate abutuntur in libidinem, et divitias vertunt in luxuriam, bonamque famam sordida conversatione deturpant, hi benedictiones Dei mutant in maledictionem.* Item proprie sacerdotes : *Qui adulantur peccatoribus, dummodo divites sint, atque eorum vitiis blandiuntur, de quibus dictum est*, Isaiæ 3 : *Popule meus, qui beatos vos dicunt, seducunt vos, et semitas pedum vestrorum supplantant.*

Et maledicam illis.] Idem repetit et inculcat, q. d. Omnino et graviter maledicam benedictionibus vestris. Secundo, Pagnin. et Vatablus vertunt : *Quin etiam maledixi*, id est, maledicere cœpi, *illi*, scilicet cuilibet benedictioni vestræ; Chald. *execrabor illam.* Maledicere Dei est efficax, idemque quod malefacere, hominum vero est inefficax : nam sæpe quibus homines maledicunt, Deus benedicit. Ita ocimum, inquit Plinius, lib. 29. cap. 7, *cum maledictis ac probris serendum præcipiunt* hortulani superstitiosi, *ut lætius proveniat. Et cuminum qui serunt, precantur ne exeat.* Deus tamen illi benedicit, ut copiose succrescat.

3. Ecce ego projiciam vobis brachium.] Pro *projiciam* hebr. est גוער *goer*, quod proprie, ut vertit Chald. significat increpare, et per metalepsin increpando projicere, corrumpere, disperdere. Rursum pro *brachium* hebr. est זרע, quod si punctes זֶרַע *zera*, significat semen; sin punctes זְרֹעַ *zeroa*, significat brachium : *zera* legunt Rabbini et recentiores; unde Pagninus vertit : *Corrumpo vobis semen*, q. d. Ecce maledicam benedictionibus vestris, uti dixi, quia semen quod seminastis in terra corrumpam, faciamque à vermibus erodi, ut parum vel nihil segetis succrescat, quod metatis. Tigurina : *Increpabo et increpando disperdam vobis semen*, sive frumenti, sive filiorum, q. d. Et fruges, et stirpem vestram subvertam, disperdam vos cum semine, id est, cum filiis vestris.

Verum Septuag. et Noster pro *zera*, id est semen, legunt *zeroa*, id est brachium, hoc est, armum dextrum victimæ pacificæ. Hic enim ex lege Levit. 7. 31. cedebat sacerdoti; quo tropol. monebatur sacerdos strenue operari, *ut non solum sit ejus operatio utilis, sed etiam singularis; ut sicut subditos honore ordinis superat, ita etiam morum virtute transcendat*, ait S. Gregor. 2. p. Pastor. cap. 3. Sensus est, q. d. Armum quem in lege vobis separavi et dedi, indignanter vobis relinquam, et quasi indignabundus projiciam, dum faciam ut laici offerentes contemptibiliter et indignabunde vobis armum et victimas in faciem projiciant, eo quod videant vos tam viles, incurios et irreligiosos, tam negligenter et irreverenter Dei sacrificia tractare et peragere. Ita S. Hieron. Remig. et Hugo. Accedit huc Lyranus, qui per *brachium* accipit robur et alimoniam, q. d. Alimoniam quam ex victimis percipiebatis, vobis auferam : aut brachium, id est robur vestrum, projiciam, ne quid magni vel heroici operetur, sed hostibus succumbat. Utramque lectionem, *zera* et *zeroa*, amplectitur Arias et à Castro, qui sic explicat, q. d. Ego projiciam brachium, quo mihi mincha, id est farinam seminis et tritici vestri, offertis, ipsamque farinam in facies vestras indignans respergam.

Tertio, Aquila vertit : *Ecce ego vos increpabo cum brachio*, q. d. Meo brachio, meaque potentia vos projiciam et disperdam. Alludit partim ad duces belli, partim ad oratores brachio minantes et pugnantes. Nam *brachium procerius projectum, est quasi quoddam telum orationis*, ait Cicero lib. 3. de Oratore.

Symbolice Theodor. q. d. Brachium, sive armum, hoc est, victimas et cæremonias vestras, ob vestrum neglectum et abusum abjiciam et abolebo, novasque per Christum et Apostolos inducam et sanciam. Denique in Hebræo elegans est allusio inter *zera* et *zeroa*, et זרעתי *zarati*, id est dispergam, q. d. Dispergam brachium vestrum, et semen per illud à vobis in agro sparsum.

Et dispergam super vultum vestrum stercus. Hebr. ad emphasin et majus probrum, repetitur vox *stercus. Et spargam vobis stercus in facies, stercus*, inquam, solemnitatum vestrarum.] Per *stercus*, accipe cum Septuag. ventriculum, qui stercus conficit et continet : ventriculus enim in victima pacifica cedebat sacerdoti, juxta legem Levit. 7. 31. Sensus est, q. d. Quia vos mutilas, viles et illegitimas victimas offertis, ego indignans dabo, et per offerentes projiciam vobis ventriculum, quem per legem vobis assignavi, ita ut stercus eo contentum, hoc jactu excussum, vultum vestrum conspergat et conspurcet, illudque *assumet vos secum*, ut scilicet vos stercore hoc involuti, mihi et omnibus sitis risui et contemptui, et vocemini stercorarii, viles et abjecti, uti Heli comminatus sum, et reipsa præstiti, 1. Reg. 2. 30. Porro stercus symbolum est probri et ignominiæ, quo vos afficiet Deus, dum ob sacrorum neglectum, ignorantiam malamque vitam, faciet vos populo contemptibiles et exosos, dumque vos puniet inedia, fame et bello, tradetque Antiocho Epiphani, aliisque hostibus vexandos et illudendos. Unde Chald. vertit : *Revelabo confusionem scelerum vestrorum in facies vestras.*

4. Et scietis,] q. d. Jam mihi comminanti non creditis, sed pœna vos docebit, nimirum *Phryges non nisi plagis sapiunt.* Cum enim vide-

ritis vos contemni et puniri; uti hic prædico, tunc scietis mandatum illud de religione, munditie et sanctitate sacerdotum, deque victimis mundis rite et legitime offerendis, olim in Levitico à me sancitum, nunc vero per Malachiam renovatum et refricatum, fuisse à me, puta à Deo vestro editum ad hoc, ut *pactum meum* olim *cum Levi*, id est Tribu Levitica, initum, firmum et illæsum consisteret. Videbitis enim vos bona pacto à me promissa perdidisse, quia pacti conditiones violastis; insuper et puniri. Ita S. Hieron. Remig. Albert. Hugo et Lyranus, qui per Levi accipiunt non personam, sed Tribum Levi, id est Levitas, ut vertunt Septuag. Nec enim hoc pactum iniit Deus cum ipso Levi filio Jacob, sed cum ejus posteris, puta cum Aarone, qui primus à Deo per Mosen consecratus est sacerdos et pontifex Judæorum, ac deinceps sacerdotium et pontificatum ad posteros transmisit, ut patet Levit. 8. Unde de illo canit Eccles. cap. 45. v. 7: *Excelsum fecit Aaron fratrem ejus, et similem sibi de Tribu Levi: statuit ei testamentum æternum, et dedit illi sacerdotium gentis, et beatificavit illum in gloria.* Ita Hebræi, Theodor. Vatabl. et Arias, qui duo per Levi accipiunt quoque Phinees, nepotem Aaronis, ex patre Eleazaro, quia ob zelum ejus, quo vindicavit Dei honorem occidendo cultores Beelphegor, Deus novo promisso consignavit et confirmavit illi et posteris ejus pontificatum in perpetuum. Imo Hebræi nonnulli, quos sequitur B. Petrus Damiani, epist. 12. vel, ut alii notant, 11. c. 2. ad Nicolaum II. Pontif. censent Phinees eumdem esse cum Elia, ac proinde eum etiamnum vivere, et victurum usque in finem mundi, ut dixi Numer. 25. 11. Minus recte Rupertus per Levi accipit Mosen, tum quia posteri Mosis non fuerunt sacerdotes, sed posteri Aaronis; tum quia Moses non tam pactum iniit, quasi paciscens cum Deo, quàm sequester et mediator fuit pacti, quod Deus pepigit non tantum cum Levitis, sed cum omnibus Tribubus Israel. Levi ergo hic significat ordinem sacerdotalem ex Aarone descendentem, qui uti erat magnus honos, ita magnum onus sibi habebat impositum, uti patet ex toto Levitico, ac sæpe pœnam mortis, si peccarent, ut patet Levit. 10. 8. et c. 22. 3.

5. Pactum meum fuit cum eo vitæ et pacis,] scilicet ei dandæ tum in hoc seculo, tum in futuro, si me rite coleret, measque leges et cæremonias observaret, q. d. Pepigi et promisi Aaroni et posteris ejus longam, pacificam, opulentam et felicem vitam, si meum pactum et meas sanctiones custodiret, puta si rite et legitime munia sacerdotis obiret. Ita Theod. et alii. Id Aaroni reipsa præstitit Deus: nam vitam ei prorogavit ad annum 123, qui fuit quadragesimus à pontificatu ejus, æque ac ab exitu Hebræorum ex Ægypto, ejusque pontificatum contra æmulos, Core, Dathan et Abiron, eos vivos in infernum absorbendo, et aridam virgam Aaronis floridam efficiendo, Numer. 16. et 17. propugnavit. Hebræi hæc accipiunt de Phinees, quem tradunt pontificem sanum et prosperum vixisse annos trecentos; imo alii censent eum etiamnum vivere; ipsum enim esse Eliam, uti paulo ante dixi.

Et dedi ei timorem.] En pactum Dei cum Aarone et posteris: Deus enim Aaroni promisit longam vitam et pacem, id est prosperitatem, si sibi obediret: Aaron vicissim promisit Deo timorem, quod scilicet eum religiose veneraretur et coleret. Timor enim hic et alibi significat Dei reverentiam et cultum. Porro hunc timorem et reverentiam non ex se habebat, sed à Deo: est enim donum Dei et Spiritus sancti, ut docet Isaias cap. 11. v. 3. Unde sequitur: *Timuit me, et à facie nominis mei pavebat*, scilicet Aaron, ejusque nepotes Phinees, Onias, Machabæi aliique veri et boni sacerdotes. Tantum enim de bonis loquitur.

6. Lex veritatis fuit in ore ejus,] q. d. Aaron legem meam vere et recte populum ore suo docebat. Hæc est secunda pacti conditio, quam ab Aarone exigit Deus, quamque ei præstare debent sacerdos et pontifex, scilicet docere veram Dei fidem, religionem, legem et cultum, ac refutare omnem hæresim et superstitionem, falsumque Dei cultum. Quocirca pontifex in lege veteri pectori inscriptum gerebat *Urim et Tummim*, id est doctrina et veritas. Vide dicta Exodi 28. 30. et Levit. 10. 8. Graviter auctor Imperfecti in S. Matth. apud S. Chrysost. homil. 25: *Non solum*, ait, *ille proditor est veritatis, qui transgrediens veritatem palam mendacium pro veritate loquitur; sed etiam ille qui non libere pronuntiat veritatem quam libere pronuntiare oportet, proditor est veritatis. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Et S. Ambros. libr. 2. epist. 17. ad Theodos. Imp. *Nihil*, ait, *in sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quàm quod sentiat non libere pronuntiare. Siquidem scriptum est: Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar. Et ideo clementiæ tuæ* (ô Imperator) *displicere debet sacerdotis silentium, libertas placere. Nam silentii mei periculo involveris, libertatis bono juvaris.*

Iniquitas,] id est mendacium, error et falsa doctrina, ait Vatabl. ac falsitas, ut vertit Chald. adde et fraus, hypocrisis, adulatio, injustitia, et quælibet alia iniquitas.

In pace et in æquitate ambulavit mecum,] puta in meis præceptis, q. d. Aaron studuit præcepta mea custodire, servando pacem et æquitatem cum proximis. Ubi nota, qui pacifice et æque versatur cum proximis, hic ambulat cum Deo, qui pacis et æquitatis est amator, auctor et tutor. Unde Septuag. vertunt: *In pace dirigens* (id est in pace et rectitudine, vel planitie) *ambulavit mecum.* Est hæc tertia conditio pacti, quam ab Aarone et quovis sacerdote exigit Deus, nimirum æquitas et pax, sive pacifica conversatio, ut in ea ambulent cum Deo, sicut Henoch Genes. 5. 22. et Noe Genes. 6. 9. Vide ibi dicta.

Et multos avertit ab iniquitate.] Hæc est quarta conditio veri Aaronis et veri sacerdotis, ut verbo et exemplo satagat omnes retrahere ab impia et iniqua vita ad piam et sanctam. Quocirca S. Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio, sacerdotes vocat parentes nostros: *Parentes enim*, inquit, *nos in præsentem, sacerdotes in vitam æternam generant.* Jure queritur S. Greg. *Ecce*, ait, *mundus sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde invenitur operator, quia officium quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officii non implemus. Fructus quippe sanctæ Ecclesiæ in stipendio quotidiano percipimus, sed tamen pro æterna Ecclesia minime in prædicando laboramus.* Plura vide homil. 17. in Evangel. Graviter vero S. Chrysost. in Matth. c. 23. hom. 43: *Multi*,

ait, *sunt sacerdotes et pauci sacerdotes : multi nomine, et pauci in opere. Videte ergo quomodo sedeatis super cathedram, quia cathedra non facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram : non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Qui bene sederit super cathedram, honorem accipit ab ea : qui male sederit, injuriam facit cathedræ. In judicio enim sedes. Si bene vixeris, et bene docueris, judex omnium eris : si autem bene docueris, et male vixeris, tui solius. Nam bene vivendo et bene docendo. populum instruis quomodo vivere debeat : bene autem docendo et male vivendo, Deum instruis quomodo debeat te condemnare.* Idem in c. 25. Matth. *Bene agente populo, unusquisque pro suo merito remuneratur; sacerdos autem pro bonis omnium. Habebit enim pro propriis lauream, pro acquisitione aliorum laureolam.* Rursum S. Greg. homil. 11. in Ezechiel. *Nos*, ait, *qui sacerdotes vocamur supra ea mala quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus; quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepide et tacentes videmus. Tunc subjectus moritur sine te, quando in causa mortis contradictorem te pertulerit : nam mortuo, cui non contradicis, adjungeris.* S. Isidorus, l. 3. de Summo bono : *Sacerdotes*, ait, *pro populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiunt, aut peccantes non arguunt. Sicut enim peccatorem convenit argui, ita justum non exulcerari.* Hugo de S. Victor. libr. 2. de Claustro animæ : *Tres*, ait, *sunt pastoris voces, scilicet suavis, dulcis, alta. Suavis ad infirmum, ad morientem dulcis, ad surdum pertinet alta.*

7. Labia enim sacerdotis custodient, id est, custodire debent, scientiam, et legem requirent, id est, requirere debent, et de facto requirent, ex ore ejus.] Dat rationem ejus quod dixit v. 6 : *Lex veritatis fuit in ore ejus*, quia scilicet fecit quod facere debuit. Nam sacerdotis est cognoscere legem, eamque alios docere, juxta illud Ecclesiastici de Aarone, cap. 45. 11 : *Et dedit illi in præceptis suis potestatem docere Jacob testimonia* (id est, leges suas : hæ enim sunt testimonia voluntatis divinæ, quid scilicet à nobis fieri, vel non fieri velit Deus), *et in lege sua lucem dare Israel.* Sic S. Paulus ad Titum 1. ab eo exigit, *ut sit potens exhortari in doctrina sana, et contradicentes revincere*, ait S. Hieron. Quocirca S. Ambros. libr. 3. de Fide cap. 7. Biblia, quæ continent legem Dei, vocat *librum sacerdotalem*, quasi sacerdotibus proprium, et ab iis assidue legendum. Notat S. Hieron. non dici : Proferent scientiam, sed *custodient*, ut scilicet eam loquantur opportune et congrue, dando conservis cibum in tempore suo, ut monet Christus Matt. 24. 45; ita ut os sacerdotis sit arca quædam salutaris, unde quisque sibi depromat necessaria, quæ ibi Deus ad communem cujusque utilitatem et instructionem recondidit. Quocirca Auctor Imperfecti apud S. Chrysost. homil. 38. in Matth. *Sicut*, ait, *stomachus accipiens cibum coquit, sic et sacerdotes accipiunt scientiam sermonis per Scripturam à Deo, et excoquunt eam in se, id est, tractantes et mediantes apud se universo populo subministrant.* Et S. Ambros. serm. 13. sacerdotes comparat apibus : *Sicut apes*, inquit, *de divinarum Scripturarum flosculis suavia mella conficiunt, et quidquid ad medicinam pertinet animarum, oris sui arte componunt.*

Præclare S. Bern. lib. 2. de Consid. ad Eugen. cap. 13 : *Inter seculares*, ait, *nugæ, nugæ sunt, in ore sacerdotis blasphemiæ. Consecrasti os tuum Evangelio : talibus jam aperire illicitum, assuefacere sacrilegium est. Labia sacerdotis*, ait *Malachias, custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus, non nugas profecto, vel fabulas. Verbum scurrile, quod faceti urbanive nomine colorant, non sufficit peregrinari ab ore, procul et ab aure relegandum est. Fœde ad cachinnos moveris, fœdius moves.* Particulatim vero S. Chrys. hom. de eo qui incidit in latrones : *Meminerit*, ait, *sacerdos se speculatorum esse cunctorum, ut ovibus pascuas salubres tribuat, agnis puri fontis undas exhibeat, exterminet ab ovibus lupos, ab agnis nocivas bestias excludat, vulneratos curet, errantes revocet, ignaros instruat, erigat lapsos, generaliter omnes, specialiter singulos doceat, suæ vitæ universos provocet exemplo : sit ejus doctrina duplex, ut ejus verbis facta conveniant, atque doctrinæ respondeant : in nullo sit minor qui cunctis est potior. Charismatibus splendeat; fulgeat officiis. Sit cum auctoritate humilis, cum humilitate sublimis. Nec ideo sit melior, quia major; sed ideo major, quia melior. Multiplicet populos, et eos docendo meliores faciat quàm accepit. Sic fiet ut dum hominibus ferventer insistit, Dominum sibi constituat debitorem.* Quocirca S. Ambr. lib. de Dignitate sacerdotis, cap. 6, ait sacerdotes esse oculos Ecclesiæ, ut per eos reliquum corpus ducatum lucis accipiat. *Nam quid aliud*, ait, *interpretatur Episcopus, nisi superinspector? maxime cum in Ecclesia solio editiore resideat, et ita cunctos respiciat, ut et cunctorum oculi in ipsum respiciant. Ergo si ita est, cur te velut tetrum speculum universorum oculis demonstras?*

Quia Angelus Domini exercituum est.] Septuag. *Quia Angelus Domini omnipotentis est.* Hebr. est מלאך *malach*, sive Malachias. *Exponit*, ait S. Hieron. *nomen suum Esdras sacerdos Dei, hoc est Malachias* (ipse enim cum Hebræis censet Malachiam fuisse Esdram) *quod Angelus Domini interpretatur. Angelus autem, id est, nuntius, sacerdos Dei verissime dicitur : quia Dei et hominum sequester est, ejusque ad populum nuntiat voluntatem : et idcirco in sacerdotis pectore rationale est, et in rationali doctrina et veritas ponitur, ut discamus sacerdotem doctum esse debere, et præconem Dominicæ veritatis.* Sacerdos ergo est Angelus Dei; primo, quia est nuntius Dei ad homines. Unde Tigurina vertit : *legatus enim est Domini exercituum.* Sicut enim legatus non aliud, quàm principis se legantis voluntatem annuntiat, eique nihil addere aut demere potest : ita et sacerdos Dei voluntatem annuntiat populo, eique nihil addere aut demere potest, ait S. Chrys. hom. 2. in epist. ad Rom. Ac vicissim vota populi refert ad Deum. Est ergo tam legatus populi ad Deum, quàm Dei ad populum, puta inter utrumque internuntius, mediator et sequester. *Deus*, ait Tertull. lib. contra Judæos cap. 9, *eos vocare consuevit Angelos, quos virtutis suæ ministros præfecit.* Secundo, sicut Angeli ministrant Deo, ita et sacerdotes. Unde Chaldæus vertit : *Quia minister est coram Domino exercituum.* Unde Plato in Phædro ait triplicem esse exstasin et furorem : Primo, vatum; secundo, sacerdotum; tertio, amantium. Nec enim aliquid ab hisce tribus digne fieri posse, nisi animus à corpore sevocetur, et extra se in ardorem et quasi furorem rei amatæ, præsertim cœlestis et divinæ, rapiatur.

Tertio, sicut Angeli jugiter astant Deo, in eum intentam habent aciem mentis, ei jubilant et psallunt jugiter : Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum (*Angelorum enim opus est laudare Deum*, ait S. Basil. in psal. 28.) ita et jugiter orare ac psallere debet sacerdos, juxta illud psal. 137. vers. 2 : *In conspectu Angelorum psallam tibi.* Quarto, quia Angelorum veritatem, sinceritatem, castitatem, puritatem, virtutem et zelum imitari debet, ac quasi Angelus esse inter homines, quasi magister inter pueros, quasi pastor inter animalia. Quocirca apte ex hoc loco Isidor. Pelus. Dorothei presbyteri levitatem castigat, lib. 1. epist. 319 : *Cum sacerdos*, ait, *gregis forma, et Ecclesiæ lumen dictus sit, ac revera sit, subditos ut ceram sigillo, sic ipsius moribus imprimi necesse est. Quocirca si lumen esse vis, scurrilitatem, ac risus petulantiam odio insectare : ne alioqui multos petulantiam ac procacitatem doceas. Sacerdos enim Domini omnipotentis Angelus est : Angelus autem risum nescit, Deo cum metu ac pavore ministrans.* Quinto, sacerdos est Angelus consecratione divina, qua potestatem majorem quam habeant Angeli, à Deo accipit. Sexto, Angelorum tria sunt munia, scilicet purgare, illuminare et perficere, ut ait S. Dionys. in Cœlest. hierar. Et : *Angelorum perfectio est sanctificatio*, ait S. Basilius hom. de Spiritu Sancto. Eadem sunt munia sacerdotis. Ejus enim quasi mediatoris est reducere populum ad Deum : hinc oportet ut jugiter in mente abeat, videatque Deum, ad quem intendit populum reducere. Porro quomodo quis Deum videre possit, paucis et pulchre docet Plotinus, Platonicus licet, lib. de Pulchr. cap. 9 : *Efficiatur*, ait, *divinus, pulcher et deiformis, qui divinam pulchritudinem sit inspecturus.* Audi et S. Ambr. lib. de Initiandis, cap. 2 : *Sacerdos est Angelus, qui regnum Christi, et vitam æternam annuntiat : non specie tibi æstimandus, sed munere.* Socrates dicebat *os sapientis* (qualis est sacerdos) *esse quasi ostium templi*, quia sicut hoc, ita et illud nonnisi sacra pandit et promit. Septimo, Angelorum est perseverare in sanctitate et sanctificatione, ait ibidem Basilius : qui enim in ea non perseverarunt, facti sunt dæmones : ita sacerdoti necessaria est perseverantia in suo opere et officio.

Si id verum fuit in Aarone et sacerdotibus veteribus, certe longe verius est in Christianis, qui sacrificia et mysteria longe augustiora et diviniora conficiunt et tractant. De quibus aurea est sententia S. Gregorii Nazianz. Apol. 1 : *Veritatis*, ait, *antistes et propugnator, cum Angelorum classe atque ordine est, cum Archangelis Deum celebrat, ad supernum altare sacrificia transmittit, simulque cum Christo fungitur sacerdotio, figmentum instaurat, imaginemque Creatori sistit, et supernum mundo opificem agit, et ut quod majus est dicam, Deus est, aliosque deos efficit.* Rursum S. Chrys. hom. 2. in ep. 2. ad Timoth. *An ignoras*, ait, *quid sit sacerdos? Angelus utique Domini est. Non ex seipso loquitur. Si despicis, non illum despicis, sed Deum qui illum ordinavit.* Sacerdos enim in ordinatione sua, à solo Deo accipit potestatem remittendi peccata, consecrandi corpus Christi, docendi, prædicandi, etc. Idem lib. 3. de Sacerdotio : *Etenim*, ait, *sacerdotium ipsum in terra quidem peragitur, sed in rerum cœlestium classem ordinemque referendum est. Quippe non mortalis quispiam, non Angelus, non Archangelus, non alia quævis creata potentia, sed ipse Paracletus ordinem hujusmodi disposuit, qui mortalibus hominibus etiamnum in carne manentibus auctor fuit, ut Angelorum ministerium animo conciperent. Idcirco necesse est sacerdotem sic esse purum, ut si in ipsis cœlis collocatus, inter cœlestes illas virtutes medius staret.* Idem, homil. 5. de verbis Isaiæ demonstrat sacerdotem majorem esse rege, et sacerdotium majus esse regno ; quia rex in terram dumtaxat, sacerdos etiam in cœlum jus habet : *Sacerdoti*, ait, *thronus in cœlis collocatus est, et de cœlestibus negotiis pronuntiandi habet auctoritatem. Quis hæc dixit? Ipse cœlorum Rex : Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlis ; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis, etc. Itaque medius stat sacerdos inter Deum et naturam humanam, illinc venientia beneficia ad nos deferens, et nostras petitiones illuc deferens, Dominum iratum reconcilians utrique naturæ, nos qui offendimus eripiens ex illius manibus. Ideoque Deus ipsum regale caput sacerdotis manibus subjecit.* Sacerdotium ergo est cœleste regnum. Hinc Auctor Imperfecti hom. 18. in Matth. ait *Sacerdotes esse vicarios Christi, et Christum : et qui honorat sacerdotem Christi, Christum honorat : et qui injuriat sacerdotem Christi, injuriat Christum.*

Apposite S. Ambr. ser. 5. sacerdotes comparat apibus ob tres analogias. Prima est : *Quia sicut apes*, ait, *de divinarum Scripturarum flosculis suavia mella conficiunt, et quidquid ad medicinam pertinet animarum, oris sui arte componunt.* Secunda : *Quia sicut apes castitatem corporis præferunt, cibum vitæ cœlestis exhibent, aculeum legis exercent. Puri enim ad sanctificationem, suaves ad refectionem, severi sunt ad ultionem.* Tertia : *Quia velut alveario quodam gratiam matris Ecclesiæ continent, in qua diversorum meritorum cellulas dulcissimis prædicationibus componentes, de uno Salvatoris examine Christianorum examina multa producunt.* Denique S. Chrysost. lib. 2. de Sacerdotio : *Aspicite*, ait, *sacerdotis dignitatem. Agitur in terra, sed officium cœlestibus negotiis continetur. Non enim homo, non Angelus, non Archangelus, non aliqua alia creatura, non virtus, sed ipse Spiritus Sanctus hoc munus instituit, atque adhuc manentes in carne ministerio fungi præstitit Angelorum.* S. Ignatius, ep. ad Smyrn. *Sacerdotium*, ait, *est summa omnium bonorum quæ in hominibus consistunt : quod si quis inhonoraverit, Deum inhonorat, et Dominum Jesum Christum primogenitum totius creaturæ, et solum natura principem Sacerdotem Dei.* Plura vide apud S. Chrys. lib. 3 et 6. de Sacerdotio. Quocirca S. Franciscus nunquam sustinuit ordinari sacerdos, dictitans se tanta dignitate indignum. Addebatque : Si hinc occurreret mihi sacerdos, illinc Angelus, relicto Angelo accurrerem ad sacerdotem, ejus manus oscularer, peteremque ab eo benedictionem, quia ipse corpus Christi consecrat, nobisque panem vitæ administrat. Sic et S. Hedvigis, Ducissa Poloniæ, mire venerabatur Sacerdotes quasi Angelos Dei, supplexque ab eis petebat benedictionem, uti habet ejus Vita.

8. Vos AUTEM RECESSISTIS DE VIA hac legis, scientiæ, veritatis, æquitatis et timoris divini, quam Aaroni et Levitis præscripsi vers. 5. et

seq. ideoque SCANDALIZASTIS PLURIMOS IN LEGE, dando eis exemplum legis violandæ et contemnendæ : IRRITUM FECISTIS PACTUM LEVI,] non servando pacti jam dicti conditiones, quas jam recensui. Quocirca vicissim nec ego ea quæ in hoc pacto promisi, vobis servabo aut præstabo.

PROPTER QUOD ET EGO DEDI VOS CONTEMPTIBILES.] Justum enim est ut sacerdos, contemnens Deum, pari modo contemnatur à populo, juxta illud quod Deus intentavit Heli, 1. Reg. 2. 30 : *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum : qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Justum est ut qui honorem sacerdotii commaculavit et inhonoravit, inhonoretur et ipse, eoque magis, quo ex altiore honoris apice in imum vilitatis et contemptus corruit. Ita videmus nonnullos impuros sacerdotes fieri ludibria hominum, et mortalium vilissimos, quisquilias, et peripsemata censeri. Pari modo S. Ambros. lib. de Dignit. Sacerd. cap. 6. et S. Greg. hom. 17. in Evang. docent causam cur sacerdotes et clerici despiciantur, esse ipsorum inscitiam, levitatem, et malam vitam. Vere S. August. vel quisquis est auctor, lib. de Bono viduitatis, cap. 7 : *Sicut stella*, inquit, *differt à stella in claritate, sic sacerdos differt à sacerdote in conversatione. Multorum siquidem est vocari Sacerdotes, sed non est omnium esse sacerdotes, etc.* Quocirca ut apicem gradus et honoris sui tueantur, honorent Deum, graduque suo digne vivant, et ministerium tam sanctum sancte obeant. *Sobriam à turbis gravitatem, severam vitam, singulare pondus dignitas sibi vindicet sacerdotalis*, ait S. Ambros. epist. 26. et S. Gregor. 2. p. Pastor. cap. 1 : *Tantum*, inquit, *debet actionem populi actio transcendere Præsulis, quantum distare solet à grege vita pastoris. Sit ergo necesse est cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, externorum providentiam in internorum sollicitudine non relinquens.* Denique S. Hieron. ad Heliodorum : *Domus Episcopi*, inquit, *et conversatio quasi in specula posita, magistra est publicæ disciplinæ : quidquid fecerit, id sibi omnes faciendum putant.*

ACCEPISTIS FACIEM IN LEGE.] *Faciem*, id est, *personam*, ut vertunt Septuag. personæ enim pars maxime digna et spectabilis est facies, per quam alii placent, alii displicent : unde illi acceptantur, hi rejiciuntur. Est hebraismus : Hebræi enim acceptationem personarum vocant *acceptionem facierum*, ob causam jam dictam. Unde Symmachus vertit : *Reveriti estis facies in lege.* Sensus est, q. d. Vos, ô sacerdotes, eratis judices populi, cumque secundùm legem judicare deberetis, ac tueri innocentes, orphanos, pupillos et pauperes, judicastis secundùm respectum, vel acceptionem personarum ; facies pingues, opulentas et splendidas divitum et potentum faciebus macilentis, egenis, abjectis pauperum prætulistis, divitibus causam et bona pauperum adjudicastis. Verum sic Propheta potius dixisset : Accepistis faciem in judicio, non in lege. Accipere enim faciem in lege, est in lege exponenda, vel exsequenda respicere non tam mentem legis, quàm personarum qualitatem et dignitatem, v. g. eximere à lege divites, et ea obligare ac plectere pauperes, juxta illud Juvenal. satyr. 2 :

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Multum enim movet aspectus faciei vel ad amorem, vel ad commiserationem, vel ad odium, etc. Quocirca Areopagitæ Judices incorrupti noctu, vel in tenebris judicabant, ne qua facies illustris, vel abjecta eos moveret ad aliquem affectum, qui rectum judicium perverteret, ait Lucianus in Hermotimo. Primo ergo Vatablus exponit, q. d. Si vobis aliqua quæstio proponitur de lege, ô sacerdotes, respondetis habito respectu personarum magis, quàm rei et veritatis, adulando divitibus. Secundo, Theodor. q. d. Divitum victimas, etiam mutilas et lege vetitas, accipiebatis et sacrificabatis; pauperum vero rejiciebatis : quod est vitium acceptionis personarum, æque ac sacrilegii. Tertio, Rupert, q. d. Respexistis ad facies pulchras et opulentas mulierum alienigenarum, easque duxistis uxores; proprias vero Israelitides ob deformitatem, vel egestatem repudiastis : de hoc enim vitio in sequentibus agit fuse, et ob illud reprobat et rejicit eorum victimas et sacrificia, vers. 13. Aliter vertunt Syrus et Arabicus uterque, scilicet : *Accepistis in facie legem*, quod aliqui sic explicant : *in facie*, id est, in superficie, q. d. Corticem legis coram hominibus impletis, at non legis mentem et sensum, q. d. Hypocritæ estis.

10. NUMQUID NON PATER UNUS OMNIUM NOSTRUM.] Transit Propheta ad alterum sacerdotum (hi enim in scelere erant duces) et populi illo ævo vitium, scilicet quod post reditum è Babylone uxores suas Israelitides, ex paupertate, senectute, labore, morbis et ærumnis repudiarent, ut vult S. Hieron. aut potius ut ancillas haberent et despicerent, ut vult Lyran. (unde tantum ait, *despicitis*, idque tertio repetit; et vers. 16. suadet ut potius eas dimittant), ac earum loco alienigenas, juvenculas, divites et formosas ducerent, contra legem id vetantem, Deuter. 7. vers. 3, easque quasi conjuges honorarent. Idem vitium taxat et emendat Esdras Malachiæ coævus, cap. 9 et 10. Porro utitur duobus argumentis ad amorem conjugum, indeque ad conjugium ipsum reconciliandum et redintegrandum. Prius petit à communione sanguinis, quod scilicet unum eumdemque habeant patrem, vel Jacob, ut volunt Hebræi; vel potius primum patriarcham Abraham : hic enim Eccli. 46. 20. vocatur Pater multitudinis gentium. Hoc enim significat hebr. nomen Abraham : et ab eo Judæi se vocabant et jactabant filios Abrahæ. Ita S. Hieron. Remig. Rupert. Lyran. et alii. Sensus est, q. d. Vos, ô Judæi, cum Judæis uxoribus conjugati, invicem estis fratres et sorores. Habetis enim unum communem patrem Abraham, æque ac Isaac et Jacob sive Israel, à quo Israelitæ nuncupamini, sicut ab Abraham Abrahamitæ : æquum ergo est ut invicem honoretis et ametis amore et honore fraterno, quasi filios ejusdem domus et familiæ Abrahæ. Nolite ergo injurii esse Abrahæ, Isaac et Jacob, despiciendo uxores vestras, quæ sunt filiæ Abrahæ, Isaac et Jacob. Nolite scindere hanc familiæ vestræ unionem, imo unitatem : nolite sororibus vestris præponere extraneas et alienigenas.

Posterius petit à communione religionis, quod scilicet omnes habeant colantque unum Deum, qui licet creaverit cœlum et terram, omnesque gentes, proprie tamen creavit, id est, in suam Ecclesiam, populum, gentem efformavit, adscivit et adoptavit Hebræos, quos in sua fide, religione, cultu et Synagoga quasi novum et spiritualem populum creavit, infundens suî cognitionem, timorem et amorem, juxta illud Deuter. 32. 6 : *Numquid non ipse pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te?* Et vers. 18 : *Deum qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui.* Deus ergo est creator omnium per naturam, sed proprius Hebræorum per fidem et gratiam. Sic Apostolus ait Christianos in Christo quasi communi patre per baptismum esse renatos, regeneratos, et factos novam creaturam, non naturalem, sed spiritualem, ideoque quasi fratres invicem arctissime uniri, et amare debere; eo quod omnibus sit *unus Deus, una fides, unum baptisma*, Ephes. 4. 4. Sensus ergo est, q. d. Si Abrahæ amor et veneratio vos non tangit, tangat timor amorque Dei vestri : nolite à Deo vestro, ejusque filiabus apostatare ad filias idololatrarum, quæ certo vos ad idola sua abducent, uti abduxerunt Salomonem : nolite Deo id vetanti esse rebelles; alioqui credite et formidate eum sui contemptus acrem fore vindicem, et ultorem fandi atque nefandi. Cum ergo duplici vinculo tam arcto, sanguinis et religionis, uxoribus vestris sitis obstricti, nolite illud abrumpere et violare.

Quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum ?] Lyran. putat hîc redargui odia et lites, quibus inter se dissidebant et contendebant Judæi : unde ut eos ad concordiam redigat, dixit eos unum habere patrem Abraham, et unum colere Israelis Deum. Verum Propheta proprie non de quovis eorum dissidio hîc agit, sed de eo quod nascebatur ex eo, quod uxores Israelitides repudiarent, vel potius despicerent, ut ait Propheta, hoc est, eis anteferrent alienigenas pulchras et opulentas, quas honorabant ut conjuges, Israelitides vero deprimebant habebantque ut ancillas vel servas. Inde enim offendebantur non tantum ipsæ, sed et earum fratres, parentes, cognati, ideoque odiis et jurgiis inter se certabant. Sensus ergo est, q. d. Cur veteres uxores contemnimus, et fratrum nostrorum abjicimus filias? ait S. Hieron. qui proinde per *fratrem* accipit socerum : despiciendo enim soceri filiam, despiciebant ipsum socerum cæterosque affines. Rursum sub *fratre* more Scripturæ per enallagen accipe quoque sororem, id est, cognatam, vel congenerem, puta Hebræam. Sicut enim sub viro subintelligi solet mulier, sic et sub fratre soror. Sensus ergo est, q. d. Despicitis uxores, quæ sunt sorores vestræ, quia ejusdem generis et gentis, puta Hebrææ. Ita Arias. Porro modestiæ causa dicit Propheta : *Unusquisque nostrûm*, non vestrûm, ut correptio sit lenior, utpote qua seipsum includat, cum tamen ipse revera huic culpæ non esset affinis. Sensus ergo est, q. d. *Unusquisque nostrûm*, id est, plerique è populo nostro.

Violans pactum patrum nostrorum.] *Pactum* scilicet, quod cum Deo inivimus, promittendo nos servaturos ejus leges, inter quas una est de non ducendis alienigenis. Per *pactum* ergo metonymice accipe legem, quæ erat conditio pacti, quod Judæi cum Deo pepigerant. Ita S. Hier. Remig. Rupert. et alii; præsertim quia, ut ait Arias, per has uxores, utpote idololatras, sensim mariti pelliciebantur ad apostatandum à Deo, et consequenter à pacto quo promiserant se Deum semper culturos, ac ad deflectendum earum idola, superstitiones et vitia, uti contigit Salomoni.

11. Transgressus est Juda pactum et legem jam dictam : et abominatio facta est in Israel.] Idem dixit exaggerando aliis et acrioribus verbis. Post reditum enim è captivitate non erat alius Israel, quàm Juda et Judæi.

Quia contaminavit Judas sanctificationem Domini.] Per *sanctificationem*, vel, ut hebr. est קודש *codesç*, id est, *sanctitatem;* Tigurina, *sanctum;* Septuag. *sancta*, accipi potest primo, sancta Dei lex; secundo, sanctus Dei cultus; tertio, sanctitas vitæ, ad quam obligabatur Israel, eamque profitebatur, et inde vocabatur *gens sancta*, Deo scilicet dicata et devota, juxta illud Exodi 19. 6 : *Eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta.* Unde Chald. vertit : *Violaverunt viri domus Juda animam suam, quæ erat sanctificata coram Domino et dilecta.* Idem tropolog. facit quivis peccator : hic enim per peccatum polluit templum, quod in anima sua sanctificarat sibi Deus, ex eoque facit fanum profanum, imo sacrilegum diaboli, uti docet Apostolus 1. Corinth. 6. 19 : *An nescitis*, ait, *quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo?* Quarto, sanctitas fidei et religionis : quia per uxores idololatras abducebantur à vera Dei fide ad fidem et cultum idolorum. Ita Lyranus. Quinto, sanctitas templi : templum enim hebr. *codesç*, id est, sanctitas, vocatur; quia sanctissime et sanctissimum colendum. Nam peccatores suis sceleribus polluunt terram, et maxime templum in quo versantur, q. d. Deus despicit vestras oblationes et victimas, uti dixi vers. 13; quia vos ejus legem despicitis, ac templum vestris connubiis cum idololatris polluitis. Sexto, sanctitas charitatis, puta generis necessitudo, gentisque suæ sancta unio, quam ipsi violabant contribules suas repudiando, vel despiciendo, et alienigenas superinducendo. Septimo, sanctitas matrimonii, quam ipsi per divortium commaculabant. Ita Vatabl. Octavo, et optime, sanctitas Judæ erat separatio à Gentibus, qua juxta legem Dei, Juda ut populus dicatus Deo, separabat se à commercio, ac præsertim à connubio Gentium idololatrarum. Ita S. Hieron. Remig. et Hugo, juxta illud psal. 113. 2 : *Facta est Judæa sanctificatio ejus*, id est, gens separata ab aliis, quasi Deo dicata et sancta, Deumque colens, celebrans et sanctificans. Denique sanctificatio, vel sanctitas Dei proprie est illa, qua ipse in se sanctus est, ac ut talis ab hominibus cognoscitur et colitur. Hæc enim profanatur, si quis eam cum idolis et idololatris commisceat. Unde causam dat, seque explicat dum subdit : *Et habuit filiam Dei alieni.*

Tropol. octuplicem hanc sanctitatem polluit et violat quivis fidelis dum peccat. Ipse enim per fidem, baptismum et gratiam est sanctificatus Deique cultui dicatus, ac præsertim Sacerdos et Religiosus, qui per ordinationem, vel professionem Deo proprie est consecratus. Peccatum ergo octuplicis rei sacræ est pollutio et

profanatio (ut patet per singula jam dicta discurrenti, eaque peccato applicanti) ac consequenter quasi octuplex est sacrilegium. Unde Septuag. vertunt in plurali : *Quia contaminavit Judas sancta Domini in quibus*, id est, quæ *dilexit Dominus*, ideoque accurate præcepit voluitque à nobis observari. Hisce minatur Isaias, cap. 26. 10, dicens : *In terra sanctorum iniqua gessit, non videbit gloriam Domini.* Porro fideles, et præsertim Religiosos, per fidem, gratiam et vota connubium et nuptias inire cum Christo, eique animas suas quasi sponsas despondere; ac proinde si illud peccando violent et dissolvant, spiritualiter adulteros esse patet ex illo 2. Corint. 11. 2 : *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Quod enim in nuptiis carnalibus efficit verbum illud *volo*, hoc in spiritualibus efficit verbum *voveo.* Nam, ut ait S. Bernard. ser. 85. in Cant. *Non terret celsitudo, quam sociat similitudo, amor conciliat, professio maritat. Professionis forma hæc est : Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ.* Et mox : *Ergo quam videris animam relictis omnibus, verbo votis omnibus inhærere, verbo vivere, verbo se regere, de verbo concipere quod pariat verbo, quæ possit dicere : Mihi vivere Christus est, et mori lucrum, puta conjugem verboque maritatam.* Quocirca S. Agnes, teste S. Ambros. ser. 90. dicebat juveni se ambienti : *Ipsi sum desponsata, cui Angeli serviunt, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur, cujus mater virgo est, cujus pater feminam nescit : quem cum amavero, casta sum ; cum tetigero, munda sum; cum accepero, virgo sum. Annulo suo subarrhavit me, et immensis monilibus ornavit me. Ipsi soli servo fidem, ipsi me tota devotione committo.* Hoc est quod Deus promittit per Osee, cap. 2. 19 : *Sponsabo te mihi in sempiternum, et sponsabo te mihi in justitia et judicio, et in misericordia et in miserationibus : et sponsabo te mihi in fide, et scies quia ego Dominus.* Vide ibi dicta.

Et habuit filiam Dei alieni,] scilicet in conjugem. Nam hebr. est בעל *baal*, id est maritavit, matrimonio sibi junxit, possedit ut amore ardens maritus. *Filiam Dei alieni* vocat alienigenam, quæ colit Deum, non verum Israelis, sed alienum, puta aliarum gentium idolum et dæmonem, tanquam Deum et patrem suum.

Tropol. *filia Dei alieni* est concupiscentia carnis et oculorum, ac superbia vitæ, cui quasi sponsæ, imo adulteræ insano amore copulatur peccator. Audisti culpam Israelis, audi pœnam; et ex hujus gravitate, illius gravitatem æstima. Ait ergo :

12. Disperdet Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum et discipulum.] Hebr. ער ועונה *erveone*, id est excitantem, vel vigilem, et respondentem. Excitans et vigil est magister, qui vigilat ut vera vestiget, doceat, tueatur, ac mentem discipuli excitet, stimulet et acuat, nunc docendo, nunc disputando, nunc interrogando; respondens est discipulus, cujus est magistro excitanti et interroganti respondere. Sensus ergo est, q. d. Deus disperdet Judæum, qui sua uxore despecta ducit alienigenam, quisquis ille sit, sive doctor, sive discipulus, sive sacerdos, sive laicus, sive nobilis, sive plebeius. Ita S. Hieron. Secundo, Tigurina *er veone* vertit, *eum qui auctor est, et qui obsequitur*, q. d. Auctorem et executorem sceleris disperdet Deus. Tertio, Chald. vertit, *filium et nepotem.* Filius enim est is qui excitat et generat nepotem; unde nepos ei respondet. Quarto, Clarius et Arias vertunt, *eum qui in domo pulsat*, vel *à somno excitat, et eum qui pulsanti* vel *excitanti respondet*, q. d. Omnes omnino in tali familia disperdet Deus. Quinto, Septuag. pro ער *er*, legentes עד *ad*, id est *usque*, vertunt : *Donec humilietur de tabernaculis Jacob ;* hebr. enim ענה *ana* significat humiliare et respondere.

Et offerentes munus,] quasi dicat, Etiamsi sit sacerdos offerens hostias. Ita Chald. et S. Cyrill.

13. Et hoc rursum fecistis; Tigurina : *Deinde et hoc adjicitis*, Chald. *Et hoc secundo facitis*, q. d. Priori sceleri, quo alienigenas ducitis, secundum adjicitis, scilicet : Operiebatis lacrymis altare Domini,] q. d. Priores uxores quas despiciebatis, ita viliter et misere quasi ancillas et servas tractabatis, imo male mulctabatis, ut illæ afflictissimæ confugerent ad templum, ibique ante altare lacrymas uberrimas profunderent, querentes apud me de vestra injuria, poscentesque opem et vindictam. Ita S. Hieron. Cyrill. Theodor. et alii passim, excepto Lyrano qui sic explicat, q. d. Vos in conjugio cum alienigenis permanentes, ut hoc scelus expietis, curritis ad templum, ibique lacrymis profusis veniam postulatis. Verum frustra, quia propositum vos emendandi non concipitis, sed in scelere et matrimonio illegitimo persistere vultis. Quem sensum secutus S. Chrys. tropol. hæc refert ad eos qui rapiunt aliena, utque rapinam expient, partem dant templo, vel pauperibus : *Judaica*, inquit, *hujusmodi eleemosyna est, imo vero diabolica. Non vult Christus rapina nutriri, etc.* Ita ipse homil. 86. in Matth.

Mugitu,] Septuag. et Chald. *gemitu ;* Pagnin. *clamore ;* Noster efficacius vertit ; *mugitu.* Mugitus enim proprie est vox horrisona boum. Unde Statius 11. Theb. de Jove in taurum mutato, cum veheret Europam, ita canit :

> Dignatus virgine nostra
> Terga premi, et placidas falsum mugire per undas.

Hinc per catachresin cæteris animalibus, et homini, quin et terræ ac mari tribuitur. Unde Virgil. 3. Æneid. *Terram mugire videbis ;* et lib. 6 : *Solum mugit sub pedibus ;* ac Catull. epig. 64. de Berecynthia : *Fremitu mugienti loca cuncta retonent.* Significat ergo mugitus hic ingentem uxorum à maritis despectarum complorationem, ex ingenti afflictione et dolore manantem, ita ut non mulierum more ejulare, sed boum more mugire viderentur, juxta illud Œnonæ ad Paridem apud Ovidium :

> Implevique sacram querulis ululatibus Idam.

Ita ut non aspiciam ultra ad sacrificium.] Quia aspicio ad lacrymas et mugitum uxorum, quas vos opprimitis ; magis enim illæ, utpote justæ et miserabiles, me movent, quàm iniqua et impura sacrificia crudelium.

14. Quia Dominus testificatus.] Hebr. העיד *heid*, id est *protestatus est*, hanc esse suam mentem et voluntatem, hoc est, præcepit et sanxit matrimonium insolubile, utque maritus amet uxorem, et propter eam relinquat patrem et matrem, Gen. 2. 24; vos autem hanc protestationem et legem meam violatis, relinquendo et despiciendo vestras. Ita S. Hieron. Theodor. Remig. Hugo et Lyran.

Secundo, hebr. *heid* cum Tigurina verti potest, *testatus est*, et cum Vatabl. *testificari potest*, ut alludatur ad ritum veterum Hebræorum, qui Deo teste et nymphagogo, ut ait Theodor. contrahebant conjugium, ut eo sanctius et inviolabilius esset, quo Deo quasi præsente et paranympho fuerat conciliatum. Unde Laban, Genes. 31. v. 49, invocans Deum in testem, ait ad Jacob generum suum : *Intueatur et judicet Dominus inter nos ; quando recesserimus à nobis, si afflixeris filias meas, et si introduxeris alias uxores super eas ; nullus sermonis nostri testis est absque Deo, qui præsens respicit ; indeque locus vocatus est Galaad, id est tumulus testis.* Sic et Raguel filiam Saram copulavit Tobiæ, invocans Deum, dicensque : *Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob vobiscum sit, et ipse conjungat vos.* Idem apprecatur sacerdos conjugibus Christianis, dum eos conjungit et benedicit. Sic et Gentilibus adeo sancta erant matrimonii vincula et jura, ut ea non nisi diis testibus et præsidibus invocatis, et per sacrificia conciliatis inirent. Audi Valerium Flaccum, lib. 8. Argonaut.

Inde ubi sacrificas cum conjuge venit ad aras
Æsonides, unâque adeunt, pariterque precari
Incipiunt, ignem Pollux undamque jugalem
Prætulit, ut dextrum pariter vertantur in orbem.

Et paulo post :

Primus et ecce fero, quatioque hanc lampada vestro
Conjugio, primus celebro dotalia sacra.

Quocirca Modestinus, lib. 1. ff. de Ritu nupt. nuptias definit divini et humani juris conjunctionem. Et Gordianus in lib. *Adversus*, c. de Crim. exp. hæred. uxorem rei divinæ et humanæ sociam appellat. Hinc et nuptias non copulabant, nisi captatis prius auguriis, ut ex deorum voluntate eas auspicatas et prosperas fore renuntiarent auspices. Hinc Claudianus, epist. ad Serenam :

Me jungeret auspex
Purpura, me sancto cingeret aula toro.

Idem in Ruffin. lib. 1 :

Hac auspice tædæ
Œdipodem matri, natæ junxere Thyesten.

Proprie autem Junonem nupturi invocabant, illique multos habebant honores, quod illam jungendis et conciliandis conjugiis præesse censerent. Docet id Ovid. in epist. Medeæ ad Jasonem :

Conscia sit Juno, sacris præfecta maritis.

Et in epist. Hypsipyles :

Non ego sum furtim tibi cognita, pronuba Juno
Adfuit.

Et Virgil. lib. 4. Æneid.

Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ.

Et Statius in Sylvis :

Dat Juno verenda
Vincula, et insigni geminat concordia tæda.

Porro Junoni sacra facientes, fel victimæ divulsum abjiciebant, ut mystice significarent bilem omnem et iracundiam à nuptiis abesse oportere. Ita Plutarch. in Conjug. præceptis. Huc spectat Numæ, qui Romulo successit, lex apud Gellium, lib. 4. cap. 3 : *Pellex ædem Junonis non tangito ; si tangit, Junoni crinibus dimissis agnam feminam cædito.* Invocabant et Deum sanctum Fidium, sive Medium Fidium, quasi fidei præsidem, et sancti fœderis conciliatorem et vindicem : de quo Ovid. lib. 6. Fastor. et S. August. lib. 18. Civit. 19 : *Sabini*, inquit, *regem suum primum Sangum, sive, ut aliqui appellant, Sanctum, retulerunt in deos.* Tam sancta erant Gentium connubia ; quàm religiosa ergo et inviolata eadem apud Christianos sint oportet !

Nota : Malachias dehortatur hîc Judæos à despectu et repudio uxorum Israeliticarum septem argumentis. Primum est, quia Deus à Genesi mundi sanxit matrimonii vinculum, voluitque esse perpetuum. Idem ex more et ritu connubiorum testis fuit et quasi conciliator matrimonii tui ; noli ergo matrimonii tam sancte à Deo sanciti jura violare. Ita S. Chrysost. homil. de Libello repudii, tom. 4.

Inter te et uxorem pubertatis tuæ,] est hoc secundum argumentum, q. d. Hæc est uxor tua prima et legitima, quam in pubertate, id est, cum primum factus es puber, puta quam adolescens duxisti ; noli ergo primos et teneros ejus amores abrumpere.

Quam tu despexisti.] Hebr. *fraudasti ;* Chald. *mentitus es.*

Et hæc particeps tua.] Pagnin. *socia tua ;* Tigurina, *consors tua.* Est tertium argumentum, q. d. Sicut Deus Adæ dedit Evam in adjutorium tam generationis, quàm vitæ ; ita idem hanc è gente tua dedit tibi quasi sociam et consortem familiæ, laborum et honorum omnium, æque ac malorum. Cum ergo hæc tibi tanto tempore fida et individua fuerit comes et socia, noli in extremo vitæ eam deserere ; noli hanc maculam dare in gloriam tuam, noli comœdiam et fabulam vitæ tuæ, tam indigna catastrophe concludere.

Et uxor fœderis tui,] est quartum argumentum, q. d. Hæc est uxor, cum qua primum matrimonii fœdus iniisti ; noli ergo hoc fœdus infringere, ne voceris et reipsa sis fœdifragus.

15. Nonne unus fecit?] est quintum argumentum, q. d. Deus unus primitus fecit unam feminam, scilicet Evam ; et unum marem, scilicet Adam, ut inter hos duos, et consequenter inter cæteros omnes conjuges ex eis progenerandos, esset unum et indivisibile conjugium, nec enim Adam poterat alteri uxori jungi, quàm Evæ, cum non esset alia creata à Deo ; nec Eva ad alium virum divertere, quàm ad Adam, cum non esset alius vir in mundo. Noli ergo hanc Dei sanctionem et unitatem conjugii infringere : noli protoplastorum Adæ et Evæ esse degener. Ita S. Hier. Theodor. Remig. Lyran.

Secundo, Chald. per unum accipit Abraham ; vertit enim : *Nonne unus fuit Abraham, ex quo propagatum est seculum ? et quid unus quæsivit, nisi ut permaneret sibi proles in conspectu Domini?* q. d. Abraham pater vester, ex quo tota gens vestra descendit, non despexit Saram, licet sterilem, sed ea petente duxit Agar ; quia ex ea non voluptatem, ut vos, sed prolem quæsivit. Et Tigurina, Pagnin. et Vatabl. *Annon et unus hoc fecit, in quo excellens* (hebr. enim שאר *sear* et residuum et excellens significat) *fuit spiritus ? Quid vero unus ille fecit ? quærebat semen Dei ;* hoc est, Abraham cum unus esset et sine

liberis, virque excellentissimus, non fecit hoc quod vos facitis, q. d. Despicitis et repudiatis uxores vestras sine majorum exemplo, imo contra eorum exemplum; nam vos ex uxoribus procreastis proles, quas quærebat et ex Sara procreare non poterat Abraham; nec tamen idcirco eam despexit, multo minus repudiavit. Estis ergo non legitimi filii Abrahæ, sed degeneres et spurii.

Et residuum spiritus ejus est,] est sextum argumentum, q. d. Deus ex se unum humanum spiritum, halitumque vitalem creavit, cujus unam quasi partem dedit Adamo, alteram reliquam feminæ, puta Evæ. Ergo non debetis hanc unitatem discindere divortio. Femina enim est quasi dimidium viri, tum corpore, quia ex residuo viri, puta ex costa, formata est; tum spiritu, quia halitum vitalem quem Deus insufflavit in Adam, eum postea divisit cum Eva, cum eumdem non numero, sed specie, id est humanum et similem, in eam insufflavit, fecitque ut ipsa esset animal, imo homo vivens. Ita S. Chrysost. hom. de Libello repudii. Hinc secundo, potest spiritus accipi pro amore et affectu; quia enim Adam et Eva ex eodem quasi corpore, et halitu vitali efformati sunt et constant, hinc pariter eumdem habent spiritum, id est, affectum amoris à natura ingeneratum, quo mulier virum, et vir mulierem quasi suî compartem, ac suî dimidium, imo quasi alterum se intime amat et diligit. Causa enim et finis, cur Deus ex viro formarit feminam, fuit, ut iis ingeneraret summum erga se invicem amorem, et conjunctionem in conjugio, ut nunquam cogitarent de divortio vel repudio; quia per hoc discinditur unum quasi corpus viri et feminæ, unusque spiritus, non tantum humanus, sed et divinus, utpote à Deo eis aspiratus, quasi divinæ particula auræ. Ita S. Hieron. Theodor. Remig. Albertus et Lyranus. Aliter Arias; spiritum enim accipit pro mente, consilio, judicio. Unde sic vertit: *Et non unus fecit, et residuum spiritus illi; et quid unus ille quærens? Semen Dei;* sicque explicat, q. d. Non unus vestrûm hoc peccatum divortii commisit, sed plurimi: unde vix est unus qui habet residuum spiritus, id est sanæ mentis, consilii et judicii. Quid enim singuli quærunt? Anne semen Dei, ut scilicet proles fideles Deo gignant? Nequaquam; sed cupiunt suam explere libidinem.

Et quid unus quærit nisi semen Dei?] est septimum argumentum, q. d. Quid unus, puta Deus, ex unius cum una conjugio, à se sancito intendit et quærit, nisi filios fideles et sanctos sibi gigni, ex fideli patre et matre, non autem infideles ex alienigenis? Matres enim alienigenæ et idololatræ, quas vos, ô Judæi, ambitis, instillabunt suis prolibus amorem et cultum suorum idolorum, in eoque eas educabunt. Ita S. Hieron. et alii ejus sequaces. Significat Judæos in matrimonio non debere studere voluptati et libidini, ideoque ambire alienigenas; sed proli, ejusque educationi piæ et sanctæ, quam à solis uxoribus Israelitis sperare possunt, ac proinde eas retinendas et ambiendas esse.

Moraliter notent concionatores hasce septem rationes, quibus demonstratur à Deo sanctitas et insolubilitas matrimonii, iisque utantur contra divortia et adulteria, æque ac jurgia et litigia conjugum, ut ejus conjugalem sanctumque amorem persuadeant. Item ut dissuadeant Catholicis ne matrimonia ineant cum hæreticis; hi enim sunt alienigenæ, qui proles educabunt in aliena fide, id est in perfidia et hæresi. Exempla illustria amoris conjugalis Gentilium recenset Valer. Maxim. l. 4. c. 6.

Custodite ergo spiritum vestrum.] Primo, *spiritum*, id est, animam et voluntatem custodite à peccato libidinis, amoris et conjugii cum alienigenis, atque ex adverso à peccato despectus et repudii uxorum pristinarum, quæ sunt Israelitides. Ita S. Hieron. Secundo, Remig. Albert. et Lyran. per *spiritum* accipiunt uxorem: hanc enim supra vocavit *residuum spiritus* viri, q. d. Custodite amorem pristinum erga uxores, quæ sunt quasi dimidium spiritus, id est, animæ vestræ. Unde explicans subdit: *Et uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere.* Tertio, à Castro, q. d. Custodite spiritum Abrahæ, ut sicut ille amavit Saram, ita vos ametis uxores vestras. Quarto, Tigurina vertit: *Vos igitur quàm chara est anima vestra, cavete ne in uxores, quæ vobis in juventute desponsæ sunt, perfidi sitis.* Quinto, Arias ex Hebræo vertit: *Custodite in spiritu vestro,* q. d. In re hac tanti momenti, ne sinatis vos agi temeritate et libidine, sed agite omnia certo et maturo spiritu ac judicio. Sexto, Vatabl. vertit: *Servate igitur vos in spiritu vestro, et ne prævaricemini,* hoc est, neque animo, neque corpore peccetis in Deum. Septimo, nervosius et germanius per *spiritum* accipe amorem et affectum, quem vir gerere debet erga uxorem, quasi alteram corporis et spiritus sui partem. Hoc enim significat vox illativa, *ergo,* scilicet Prophetam respicere ad *residuum spiritus,* de quo dixit supra, q. d. Mulier et vir habent eumdem spiritum, uti vitalem, ita moralem amoris mutui, ut dixi supra: ergo par est ut eumdem studiose custodiant. Huc accedit P. Pineda in Job 19. 17. qui per spiritum accipit halitum, quem sibi invicem communicant maritus et uxor crebris colloquiis et conversatione. Est ergo in illis reciprocatio spiritus, juxta illud Jobi: *Halitum meum exhorruit uxor mea.* Sensus ergo est, q. d. Custodite halitum vestrum, ne eum communicetis mulieri alienigenæ, sed tantum uxori legitimæ, hoc est, nolite convivere, conversari, colloqui et commisceri alienigenæ, sed Israelitidi duntaxat, quam primitus conjugem duxistis.

Moral. custodiant viri spiritum castum et virilem: quia nihil est quod eum, etiam in Ecclesiasticis et devotis, ita emolliat et effeminet, atque amor etiam in speciem pius feminarum, præsertim alienigenarum. Exemplum est in Sardanapalo, ultimo Ninives rege et monarcha, *quem*, ait Justinus lib. 1, *Arbastus invenit inter scortorum greges purpuram colo nentem, et muliebri habitu cum mollitie corporis, et oculorum lascivia omnes feminas anteeuntem, pensa inter virgines partientem.* Sic Jezabel dominata est Achabo, concubinæ Salomoni, Dalila Samsoni, Omphala Herculi, uti describit Seneca in Hippolyto:

> Natus Alcmena posuit pharetram,
> Passus aptari digitis smaragdos, etc.

Clarius vero Dejanira apud Ovidium de Hercule ita canit:

> Vidit in Herculeo suspensa monilia collo,
> Illo, cui cœlum sarcina parva fuit.
> Crassaque robusto deducens pollice fila,

Æquaque formosæ pensa rependis heræ.
Diceris infelix scuticæ tremefactus habenis,
Ante pedes dominæ pertimuisse minas.

Vide S. Cyprian. tr. de Singularitate clericorum.

16. Cum odio habueris, dimitte.] Varii varie hunc locum vertunt, et explicant. Primo, R. Hananus apud Ariam sic vertit : *Deus odit eum qui dimittit uxorem suam.* Secundo, Pagnin. *Si oderit, dimitte,* q. d. Si uxor tua sit rixosa, teque oderit, dimitte illam. Tertio, Chald. *Quod si oderis, dimitte eam, et ne operias peccatum vestimento tuo,* q. d. Si oderis uxorem, repudia illam, et ne tegas tuum odium illa veste et prætextu, quod illam domi tuæ retineas, quasi illam ames, cum occulte eam tractes ut servam. Quarto, sic vertit et explicat Vatabl. *Qui odio habet, dimittat : at tegit unusquisque vestrûm iniquitatem sub veste sua,* id est, unusquisque vestrûm dimittit quidem uxorem quam odit, sed non dato libello repudii : unde fit ut alteri nubere non possit. Quinto, alii : *Qui odit, dimittat, et teget iniquitatem sub veste sua,* q. d. Vir dimittens uxorem, teget suam infamiam, qua eum uxor, dum domi detineretur et male tractaretur, solebat diffamare. Sexto, alii multi censent esse ironiam, q. d. Si oderis uxorem, dimitte; sed scito quod iniquitas operiet vestem tuam. Nec enim lex ob odium permittebat repudium, sed ob fœditatem uxoris, id est, ob fornicationem, lepram, mores incorrigibiles, etc. ut dixi Deut. 24. v. 1. Septimo et planissime, q. d. Cum oderis uxorem, dimitte, dato illi libello repudii, ut alteri nubere possit potius quàm eam domi perpetim ut servam affligas, verberes, mutiles, vel occidas : sed scito quod iniquitatem non evades. Licet enim minus malum sit dimittere uxorem, quàm occidere, tamen in se grande malum est : nec enim ob solam displicentiam, vel odium licet eam dimittere.

Operiet autem iniquitas vestimentum ejus,] scilicet mariti dimittentis, ut patet ex pronomine Hebræo masculino, non autem mulieris dimissæ. Est enallage personæ ; ponitur enim *ejus* pro *tuum.* Pro *iniquitas,* hebr. est חמס *chamas,* id est, injuria, vis, violentia. Aliqui vertunt : *Si vir dimittat uxorem, operiet iniquitatem veste sua,* q. d. Dimittendo eam, teget suam injuriam et infamiam libello repudii, quasi veste, velamine et prætextu, ait P. Prado in Ezech. 13. 18. Ex adverso Tigurina vertit : *Num ergo violentiam vestimento suo teget ?* q. d. Minime. Aut, ut Clarius, q. d. Ne operiat vir odium in corde suo, quasi si maculam sub veste abscondat. Aliter Vatabl. et alii, uti paulo ante recensui. Verum nostræ Vulgatæ versionis varia est explicatio. Primo, S. Hieron. per vestimentum accipit corpus, quod est quasi vestis animæ, juxta illud Apostoli 2. Corinth. 5. v. 4 : *Nolumus exspoliari* corpore, in resurrectione et cœlo, *sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est à vita.* Sensus ergo est, *iniquitas,* id est pœna iniquitatis, operiet vestem, id est, corpus tuum, q. d. Deus te acriter in corpore, cujus delicias et libidines injuste sectaris, puniet, affligetque morbis, fame, plagis, etc. Secundo, Septuag. per *vestimentum* accipiunt cogitationes. Sicut enim vestis tegit corpus, ita animam tegunt cogitationes, intentiones, desideria et concupiscentiæ, quæ in anima circum se invicem ita in glomum quasi convolvuntur, sicut in cepis orbiculi alii aliis, quasi involucra circumvolvuntur et vestiuntur. Vertunt ergo : *Operiet iniquitas super cogitationes tuas.* Tertio, alii proprie accipiunt *vestimentum,* q. d. Iniquitas, id est, pœna iniquitatis, operiet vestem ejus : quia scilicet Deus puniet virum ex odio dimittentem uxorem, paupertate et nuditate, ut suis rebus, etiam intimis, puta vestibus, spolietur. Quarto et genuine, vestis hîc metonymice capitur pro homine veste induto. Est ergo phrasis Hebræa, *operiet vestem,* pro eo quod nos dicimus, operiet hominem vestitum, inde sumpta, quod homo per vestes sit conspicuus et cognoscatur, juxta illud Eccli. 19. 27 : *Amictus corporis, et risus dentium, et gressus hominis enuntiant de illo.* Sic ex adverso de Sanctis dicitur Apoc. 7. v. 14 ; *Laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni ;* ubi *stolas* vocat conscientias, quæ animæ quasi sunt vestes et stolæ. Quocirca hoc loco Hebr. est : *Operiet iniquitas super vestimentum tuum,* id est, ita redundabit, eminebit et exuberabit tua iniquitas, ut nullo vestimento occultari aut dissimulari possit. Tanta enim erit, ut te vestemque tuam operiat, tegat et obruat. Similis phrasis est Josue 24. 7 : *Adduxit super eos* (Ægyptios) *mare, et operuit eos ;* Hebr. est : *Operuit super eos.* 2. Paral. 5. 8 : *Cherubim expanderat alas suas super locum ;* Hebr. est : *Operiebant Cherubim super arcam ;* 2. Esdræ 4. v. 5. *Ne operias iniquitatem eorum ;* Hebr. est : *Ne operias super iniquitatem eorum ;* præpositio enim *super,* redundantiam et exuberantiam significat. Ita Lyran. Arias et à Castro. Denique per iniquitatem, vel, ut hebr. est, injuriam et violentiam, accipe iniquitatis tam culpam, quàm pœnam et vindictam, q. d. Si uxorem ob solum odium dimiseris, operiet te gravis culpa, et infamia, æque ac pœna, qua Deus hoc scelus in te vindicabit.

Custodite spiritum vestrum, scilicet affectum et amorem erga uxores vestras, et nolite despicere] illas, vide dicta v. 15.

17. Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris.] Tangit hîc aliud Judæorum crimen, blasphemiæ scilicet, spectans ad theismum, quod nimirum dicerent non esse numen puniens improbos, et protegens probos. Unde Lyranus et Pagnin. hinc incipiunt caput tertium. Septuag. vertunt : *Provocastis Deum sermonibus vestris ;* Chald. *Facessistis negotium coram Domino ;* Arias et Tigurina : *Fatigastis et delassastis Dominum,* vestra scilicet continua contentione, sicut homines litigiosi et clamosi suis litigiis et clamoribus fatigant judices, eisque aures obtundunt. Vatabl. *Molestia affecistis.*

Nota hîc impios, præsertim blasphemos et atheos, sua improbitate fatigare, affligere et delassare Deum, quantum in ipsis est, etsi revera eum non affligant nec delassent, eo quod ipse afflictionis et lassitudinis non sit capax. Nam si ejus esset capax, utique improbitas hæc affligeret et fatigaret eum ; nec ulla alia re, quàm hac Deus affligeretur et fatigaretur. Simile est Isaiæ 1. 14 : *Solemnitates vestras odivit anima mea ; facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens.* Et Ephes. 4. v. 30 : *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis.* Sensus ergo est, q. d. Vos, ô Judæi, blasphemia vestra molesta affecistis, exacerbastis et fatigastis Deum, dicentes : *Omnis qui facit malum, bonus* (Chald. *rectus*) *est in conspectu Domini,* q. d. Mali sunt grati Deo, malos amat Deus ; malos enim ita

prosperat. ditat, exaltat, ut eis delectari videatur. Unde explicans subdit : *Et tales ei placent. Aut certe ubi est Deus judicii?* ubi est Dei providentia? ubi justa ejus judicia ? ubi Deus justus vindex impiorum, et protector piorum, qui nos fideles suos ita afflixit, et hostes nostros infideles ita magnificavit? Est dilemma : vel Deus amat malos et mala, vel non amat : si amat, ergo ipse pariter malus est, quod absit : si non amat, cur ergo eos non punit; quinimo eos prosperat, facitque ut dominentur piis, in eosque sæviant, uti nobis contigit?

Causa enim hujus querelæ et blasphemiæ fuit, quod, ut ait S. Hieron. *Reversus populus de Babylone, et videns cunctas in circuitu nationes, ipsosque Babylonios idolis servientes abundare divitiis, vigere corporibus; omnia quæ bona putantur in seculo possidere ; se vero qui habeat notitiam Dei, squalore, inedia, servitute coopertum, scandalizatur et dicit : Non est in rebus humanis providentia; omnia casu feruntur incerto, nec Dei judicio gubernantur, quin potius mala ei placent, et bona displicent : aut certe si Deus cuncta dijudicat, ubi est illius æquum justumque judicium ?* Subdit S. Hieron. *Istiusmodi quæstionem mens incredula futurorum quotidie suscitat Deo, cum viderit iniquos potentes, et sanctos humiles,* etc. *Qualis in Evangelio Lazarus legitur, qui ante fores divitis purpurati desiderat micis, quæ abjiciuntur de mensarum reliquiis, inopem animam sustentare ; divitem vero tantæ feritatis et crudelitatis, ut non misereatur homo hominis, cujus etiam canum lingua miseretur; non intelligentes tempus judicii, nec vera esse bona illa quæ perpetua sunt, dicunt : Mali ei placent, et ubi est Deus judicii?* Similis querela est Habacuc, 1. Vide ibi dicta. Eamdem iterat Malachias, c. 3. 14, eique respondet v. 16. et seq. scilicet, quod in ea re exspectare debeant tempus vindictæ à Deo definitum, atque interim laudare Dei patientiam et longanimitatem, quæ differt ultionem ut peccator resipiscat, Rom. 2. 4.

Ubi est Deus judicii ?] Hebr. est *he* demonstrativum, quod magnam habet emphasim : *Ubi est Deus* המשפט *hammisphat*, id est, illius judicii, scilicet magni, certissimi, exactissimi, acutissimi, omniscii, justissimi, liberrimi, quo nec potentem, nec divitem, nec munera, nec quid aliud præter justitiam respicit. Ipse enim est Deus *hammisphat*, cui scilicet ex natura competit exacto judicio judicare omnes et omnia; ipsius enim natura est ipsa æquitas, ipsa justitia, ipsa providentia, ipsa gubernatio, eaque justissima et sapientissima. Unde Septuag. vertunt: *Ubi est Deus justitiæ?* Chald. *Ubi est ergo Deus qui facit judicium?* Cujus scilicet proprium est esse omnium judicem, ac in omnes rigidum exercere judicium : nimirum idipsum exercebit plane et plene in decretorio et ultimo mundi die, qui erit horizon hujus vitæ et futuræ, disterminans tempus ab æternitate, cœlum à gehenna, beatos à damnatis, in omne ævum, per Christum, quem constituit judicem universorum, vivorum et mortuorum. Frustra ergo olim clamarunt, et etiamnum clamant impii et stolidi Judæi : Ubi est Deus judicii? qui nos gentem suam à tot probris et ærumnis, quas à 1500 annis ubique terrarum patimur, judicet et vindicet. Quocirca æque stolidi Rabbini in Talmud scribunt Deum, quoties reminiscitur calamitatum, quas Judæi à Gentibus ubilibet patiuntur, duas effundere lacrymas in mare Oceanum, et præ dolore pectus utraque manu contundere, quam impiam et ineptam eorum blasphemiam inter alias plurimas recenset et ridet Sixtus Senensis, lib. 2. Biblioth. in Voce Talmud. pag. 142. Verius et sapientius pro Deo contra se sic argumentari deberent : Deus, cum sit justissimus, justo judicio nos omnes per 1500 annos abjecit, et punit gravissime : gravissimum ergo scelus patravimus; nimirum occidimus Messiam nostrum Jesum Christum Deum et Dominum universorum : Deum, inquam, judicii. Frustra ergo querimur et quærimus : Ubi est Deus judicii ? nos enim eum occidimus.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Taxavit c. 2. incuriam et improbitatem sacerdotum veterum : hoc cap. assignat remedium, nimirum Christum venturum in carnem, suumque templum, et ejus præcursorem Joannem Baptistam : Christus enim, inquit, purgabit filios Levi, etc. et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia. Quo simul respondet querelæ impiorum in fine cap. 2. dicentium : Ubi est Deus judicii ? Christus enim erit Deus judicii, imo et testis velox maleficis, et adulteris, et perjuris, etc. Secundo, v. 8. culpat Judæos, quod Deum configant fraudando, sibique arrogando ejus decimas et primitias. Tertio, v. 14. arguit eos qui dicunt : Vanus est qui servit Domino, quasi Dei cultus sit inutilis; nec Deus suos cultores remuneretur, Quibus respondet v. 18 : In die judicii videbitis quid sit inter justum et impium, et inter servientem Deo, et non servientem ei.

1. Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. Et
statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis; et Angelus
testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum. 2. Et
quis poterit cogitare diem adventus ejus, et quis stabit ad videndum eum ?
Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum : 3. et sedebit
conflans, et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos
quasi aurum, et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in
justitia. 4. Et placebit Domino sacrificium Juda et Jerusalem, sicut dies seculi, et sicut anni
antiqui. 5. Et accedam ad vos in judicio, et ero testis velox maleficis, et adulteris, et perjuris,
et qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas, et pupillos, et opprimunt peregrinum, nec
timuerunt me, dicit Dominus exercituum. 6. Ego enim Dominus, et non mutor : et vos filii
Jacob non estis consumpti. 7. A diebus enim patrum vestrorum recessistis à legitimis meis, et
non custodistis. Revertimini ad me, et revertar ad vos, dicit Dominus exercituum. 8. Et dixistis : In quo revertemur ? 8. Si affliget homo Deum, quia vos configitis me ? Et dixistis : In quo
configimus te ? In decimis, et in primitiis. 9. Et in penuria vos maledicti estis, et me vos configitis
gens tota. 10. Inferte omnem decimam in horreum, et sit cibus in domo mea, et probate me super
hoc, dicit Dominus : Si non aperuero vobis cataractas cœli, et effudero vobis benedictionem usque
ad abundantiam, 11. et increpabo pro vobis devorantem, et non corrumpet fructum terræ vestræ;
nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum. 12. Et beatos vos dicent omnes Gentes :
eritis enim vos terra desiderabilis, dicit Dominus exercituum. 13. Invaluerunt super me verba
vestra, dicit Dominus. 14. Et dixistis : Quid locuti sumus contra te ? Dixistis : Vanus est, qui
servit Deo : et quod emolumentum quia custodivimus præcepta ejus, et quia ambulavimus tristes
coram Domino exercituum ? 15. Ergo nunc beatos dicimus arrogantes : siquidem ædificati sunt
facientes impietatem; et tentaverunt Deum, et salvi facti sunt. 16. Tunc locuti sunt timentes
Dominum, unusquisque cum proximo suo : Et attendit Dominus, et audivit : et scriptus est
liber monumenti coram eo timentibus Dominum, et cogitantibus nomen ejus. 17. Et erunt
mihi, ait Dominus exercituum, in die qua ego facio, in peculium : et parcam eis, sicut parcit
vir filio suo servienti sibi. 18. Et convertemini, et videbitis quid sit inter justum et impium; et
inter servientem Deo, et non servientem ei.

1. Ecce ego mitto Angelum meum.] Assurgit Propheta ad tempora Christi duplici de causa. Prior est, quod cap. 2. carpserit vitia sacerdotum sui ævi. Quocirca hic eorum correctorem suggerit, scilicet pontificem, Christum, qui in novo Testamento sit puros et integros sacerdotes institu-

turus, ac sacrificium Deo gratissimum oblaturus. Ita Rupertus, Ribera et alii. Posterior, ut respondeat Judæis negantibus Dei providentiam, ac dicentibus : *Ubi est Deus judicii?* Ait enim : En Christum Deum judicii, qui brevi incarnabitur, et sese ostendet in templo. Ita S. Hier. Theodor. et alii.

Nota hanc esse vocem Filii Dei, non Patris, non Spiritus sancti; nam Joannes Baptista non fuit præcursor, nec præparavit viam ante Patrem et Spiritum sanctum, sed ante Filium; solus enim Filius in carnem ad nos descendit. Unde et ipse in veteri Testamento idipsum Prophetis promisit, ideoque iisdem præ cæteris personis apparuit, aut seipsum revelavit, quasi præludens suæ incarnationi. Accedit quod sic explicet Zacharias Lucæ, 1. v. 76, dicens suo filio Joanni : *Tu puer Propheta Altissimi vocaberis : præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus*, scilicet Christi, *qui per viscera misericordiæ Dei nostri visitavit nos oriens ex alto.* Ita S. Hieronymus, Albertus, Lyranus, Vatablus, Ribera et passim alii.

Dices : Quomodo ergo Christus Matth. 11. 10. citans hunc locum, de Joanne ait : *Hic est enim de quo scriptum est : Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te?* Nec enim Christus de se poterat dicere, *ante faciem tuam;* et *ante te ;* sed : Ante faciem meam, et ante me. Respondet ibidem Jansenius Christum tum quà Deus, tum qua homo est, in Scriptura vocari faciem Patris; quia ipse perfecte Patrem ejusque dotes et virtutes repræsentat, perinde ac facies repræsentat totum hominem : sicut eadem de causa Christus vocatur Verbum, os, imago Patris, et character substantiæ ejus, Hebr. 1. 3. Hinc Psaltes orat psalm. 79. 8 : *Ostende nobis faciem tuam* (id est Messiam) *et salvi erimus.* Pluribus idipsum probat Galat. l. 3. cap. 12. Hunc ergo dant sensum : Ecce ego Pater æternus mitto Angelum meum ; puta Joannem Baptistam, qui præparet viam ante faciem meam, id est, ante Christum, qui est facies mea, id est, mea imago, mea similitudo, meus index. Unde Pater apud S. Matth. 11. 10. convertens se ad Christum, vicissim de Joanne ait : *Præparabit viam ante faciem tuam*, id est, ante te, ô Christe, fili mi : nam tua facies est etiam facies mea. Verum hic sensus subtilior et symbolicus videtur : nam *ante faciem tuam*, ad litteram idem est quod *ante te;* sic enim se explicat Evangelista subdens : *Qui præparabit viam tuam ante te.*

Dupliciter ergo respondent Interpretes. Primo, S. Joannem missum esse tam à Patre et Spiritu sancto, quàm à Filio. Opera enim Trinitatis ad extra sunt indivisa, et tribus personis communia, uti docent Theologi : quare quod unus facit, hoc faciunt duo cæteri; cum omnes tres sint unius, uti naturæ, ita et potentiæ ac operationis. Quocirca Patres censent Isaiam, cap. 6. 1. cum ait : *Vidi Dominum*, etc. vidisse S. Trinitatem. Itaque cum Scriptura opus quodpiam uni personæ divinæ attribuit, cæteras subintelligit. Christus ergo, Matth. 11. 10. loquens Judæis, ne ab eis arrogantiæ insimularetur, noluit dicere se misisse Joannem, sed Patri modestiæ causa id assignat; quem morem perpetuo servavit disputans cum Judæis, ut patet in primis capitibus S. Joannis, ubi omnia sua Patri transcribit. Cum ergo Filius hic dicit : *Ecce ego mitto Angelum ante faciem meam;* Pater quoque dicit : Ecce ego mitto Angelum ante faciem tuam, ô Fili, ut ait S. Matthæus. Et Spiritus sanctus idipsum dicit : Ecce ego mitto Angelum ante faciem tuam, ô Christe : Spiritus sanctus enim misit Joannem, uti et cæteros Prophetas, perque os eorum locutus est. Hic ergo in Malachia loquitur Filius, sed in S. Matthæo loquitur Pater et Spiritus sanctus. Unde S. Hieron. in cap. 1. S. Marci dicit Joannem missum à Spiritu sancto, illumque intelligi cum ait Christus : Ecce ego (puta Spiritus sanctus) mitto Angelum meum ante faciem tuam, ô Christe. Hac de causa Petrus Chrysolog. Joannem Baptistam vocat medium totius S. Trinitatis, quasi de eo certent, eumque sibi arrogent singulæ personæ S. Trinitatis.

Secundo, à Castro respondet eamdem personam divinam loqui hic apud Malachiam et apud S. Matthæum, scilicet Filium. Dicit ergo hic Filius : Ego mitto Joannem ante faciem meam, scilicet quæ est facies mei incarnati. Idem apud Matth. dicit sibiipsi, sed homini facto : Ecce ego filius Dei mitto Joannem ante faciem tuam, ô Christe, fili hominis. Licet enim in Christo sit una duntaxat persona, tamen illa virtute est duplex ; quatenus enim sustinet naturam divinam, est persona divina ; quatenus vero sustinet naturam humanam, est persona humana. Loquitur ergo Christus Deus Christo homini, quasi alteri à se : quia qua homo alteram, et prorsus diversam à Deo habet naturam; in Christo enim aliud (licet non alius) est Deus, aliud homo.

Angelum.] De fide est hunc Angelum esse sanctum Joannem Baptistam. De eo enim hæc Malachiæ verba explicat Christus, Matth. 11. 10. verbis paulo ante citatis. Ita S. Hieron. Cyril. Theod. Remig. et cæteri omnes. Sed cur S. Joannes vocatur *Angelus*? Responderi posset, quia Judæi ob vitam sanctam et eremiticam putarunt esse Angelum, non hominem, uti refert Eusebius, l. 9. Demonstr. 5. et S. Hieron. Quinimo è Christianis Doctoribus Origenes, tom. 5. in Joan. censuit Joannem Baptistam vere fuisse Angelum incarnatum. Argumenta ejus fuerunt duo. Prius, quia Joannes dicitur missus à Deo, Joan. 1. v. 6 : Ergo, inquit, prius exstitit, non utique in terra, sed in cœlo : ergo fuit Angelus. Posterius, quia idem à Malachia hic vocatur Angelus. Verba Origenis sunt : *Quoniam legimus*, Malach. 3. 1 : *Ecce ego mitto Angelum meum, adnotamus num forte unus Angelorum existens, præcursor ad ministerium deputetur Salvatoris nostri. Et mirum profecto nihil, Christi ob amorem hominum incarnati imitatores aliquos exstitisse, quibus dulce fuerit ei benignitati inservire eadem corporis similitudine.* Censet ergo Angelos aliquos fuisse incarnatos, ut Deo incarnato se assimilarent, eique in carne servirent. Verum hic est error. S. Joannem enim fuisse hominem, non Angelum, patet ex Joan. 1. 6 : *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes;* et Lucæ 1. 1. ubi ejus parentes, conceptio, nativitas, etc. fuse describuntur. Ita S. Cyril. l. 1. in Joan. c. 7. Ad primum resp. S. Joannem non ante, sed post nativitatem, imo post infantiam et adolescentiam, jam virum fuisse missum à Deo, ut sua prædicatione et baptismo præpararet animos hominum ad Christum. Simili modo missi sunt Prophetæ omnes ad prophetandum, quos tamen constat homines

fuisse non Angelos. Ad secundum jam respondebo.

Quæres: Cur ergo S. Joannes hîc vocatur Angelus? Resp. quia Angelus fuit non natura, sed gratia, nimirum primo, fuit Angelus officio: fuit enim Angelus, id est legatus, Dei ad homines adducendos ad Christum. Simili modo Aggæus, c. 1. v. 13. in Hebræo, et Malachias nomine suo; quin et sacerdotes omnes Malach. 2. 7. vocantur *malachim*, id est, Angeli Domini exercituum.

Secundo, quia sicut Angeli infantiam non habuere, sed cum perfecta natura, ratione, judicio usuque liberi arbitrii creati sunt: ita et Joannes tantum sex menses habuit infantiæ; sexto enim mense visitatus à B. Virgine, in utero sanctificatus est, prophetavit, usumque rationis obtinuit. Nam Christum in utero matris agnovit, salutavit, adoravit, ideoque præ gaudio exsultavit, Lucæ 1. 44.

Tertio, quia parcissimi fuit cibi, et pene sine cibo et potu vixit instar Angeli. Unde S. Basil. homil. de Jejunio, ait totam vitam Joannis fuisse continuum quoddam jejunium.

Quarto, quia purissimus et castissimus fuit, virgoque perpetuus instar Angeli. Nam ut ait S. Athanas. lib. de Virgin. sub finem. *Virginitas est Angelorum vita.* Et S. August. lib. de S. Virgin. 13 : *Virginalis*, ait, *integritas angelica portio est, et in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio.* Et S. Hieron. epist. 22. ad Eustochium : *Statim*, inquit, *ut filius Dei ingressus est super terram, novam familiam sibi instituit, ut qui ab Angelis adorabatur in cœlo, haberet Angelos in terris.* Et S. Cyprian. tract. de Habitu virginum : *Cum castæ perseveratis ac virgines, Angelis Dei estis æquales.* Et S. Ambros. lib. 2. de Virgin. *Quæ non nubunt, neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei. Nemo ergo miretur si Angelis comparentur, quæ Angelorum Domino copulantur.* Amplius audet S. Bernard. ep. 42 : *Differt*, inquit, *homo pudicus et Angelus, non felicitate, sed virtute. Nam etsi illius castitas felicior, hujus tamen fortior esse cognoscitur.* Ob quam luctam et victoriam S. Basil. tract. de Virgin. cap. 79. ait castos esse Angelos, non ex infimo ordine, sed illustrissimos et nobilissimos. Hanc castitatem S. Joan. quasi cum natura hausit à Deo, qui eum concipi fecit ex parentibus senibus et sterilibus, ex corporibus, inquam, à concupiscentia defæcatis, ut ex iis purus formaretur per miraculum quasi Angelus. Denique Joannes pro castitate, quia scilicet reprehendebat adulterium Herodis cum Herodiade, Martyr occubuit.

Quinto, quia sicut Angeli perpetuo vident faciem Dei, Matth. 18. 10; ita Joannes à puero secedens in eremum, sanctæ vacans contemplationi cum Deo et Angelis conversatus est, indeque angelicam libertatem, constantiam, charitatem, zelum, perfectionem imbibit et induit. Nam ut docet S. Chrys. hom. 32. in Acta in morali, virtus facit Angelos, imo Deos Deique filios. *Ergo*, inquit, *si virtus Angelos facit, utique Angelos possumus facere, etsi non natura, certe proposito et electione. Nam hoc quidem absente, nulla utilitas est Angelum esse natura : id quod diabolus indicat, qui antea Angelus fuerat. Hoc autem præsente, nullum damnum est hominem esse natura, ut in Joanne et Elia perspicuum est, qui in cœlum ascendit.* Rursum S. Joan. conversatus est cum Verbo incarnato, eique astitit et servivit, sicut Angeli astant et serviunt Deo in cœlo.

Sexto, quia gratiam acceptam nunquam perdidit, quia nunquam peccavit, saltem deliberate aut graviter, sed in charitate suoque gradu persistit quasi confirmatus in gratia, instar Angeli. Huc eum duxit austera vita et severa pœnitentia in victu, vestitu, somno, etc. Quocirca Petrus Damian. serm. de Eo, vitam ejus vocat continuum martyrium. S. Chrys. homil. 10. in Matt. vocat vitam angelicam. Idem hom. 88 : *Joannes*, inquit, *ita in terris quasi in cœlo versabatur. Natura namque necessitate superata, mirabile quoddam peregit iter, semper in hymnis, semper in orationibus fuit : nulli hominum antequam ad baptizandum accederet, Deo autem soli sua semper offerebat colloquia.*

Septimo, quia sicut Angeli superiores docent inferiores, insuper purgant, illuminant et perficiunt homines; ita idem præstitit Joannes, juxta illud Gabrielis ad Zachariam patrem de Joanne, Lucæ 1. 16 : *Multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum : et ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ, ut convertat corda patrum ad filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.* Et illud ipsiusmet Baptistæ, Joan. 1. 23 : *Ego vox clamantis in deserto : Dirigite viam Domini*, etc. Vere B. Petrus Chrysologus, serm. 127 : *Joannes*, ait, *appellatur schola virtutum, magister vitæ, sanctitatis forma, norma justitiæ, virginitatis speculum, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum, patrum via, peccatorum venia, fidei disciplina, major homine, par Angelis, legis summa, Evangelii satio, Apostolorum vox, silentium Prophetarum, lucerna mundi, præcursor judicis, Christi metator, Domini testis, totius medius Trinitatis.* Adde, Joannes primus explicate prædicavit regnum cœlorum, quasi Angelus cœlestis, dicens : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.*

Octavo, quia in deserto non habuit alium doctorem, quàm Spiritum sanctum, qui illuminavit eum in altissimi Dei et Christi mysteriis, non quasi hominem, sed quasi Angelum, uti docent S. Ambros. hom. de Nativ. Bapt. et S. Chrysost. hom. 12. in Joannem. Ibi à Spiritu sancto accepit intelligentiam Script. imo potestatem scribendi et loquendi instar scriptoris hagiographi. Ibi hausit sapientiam et ardorem tanto doctori et prædicatori orbis, ad fidem Christo conciliandam necessariam, ac proinde fuit quasi Angelus, non qualis qualis, sed instar unius Cherubini et Seraphini : sanctitate enim et virtute, æque ac officio, superavit S. Joannes omnes inferiores Angelos. Quocirca à Judæis pene adoratus et cultus fuit, quasi ipse esset Messias. Vide decem privilegia S. Joannis apud S. Bernard. serm. de iisdem (si tamen ipse ejus est auctor) pag. 393. Item, 28. Joannis excellentias, quas recenset noster Barradius l. 8. c. 3. et 4. tom. 1. Denique S. Joannes fuit Christi et Evangelii aurora, lucifer, iris, lucerna, pronubus, amicus, præcursor sive prodromus, vox, testis, Propheta, legis limes, utriusque testamenti mediator et fibula.

Anagog. Hebræi teste S. Hieron. censent Angelum hunc esse Eliam : quia sicut Elias olim vivens fuit typus S. Joannis, qui Eliæ spiritum et zelum induit, uti ait Christus Matth. 17. 12. Ita vicissim Joannes præcurrens et præparans viam Christo, typus fuit Eliæ, qui rediturus est

in fine mundi, ut contra Antichristum decertans, viam paret Christo venturo ad judicium. Ita et Sebastian. Barrad. tom. 1. lib. 8. cap. 3. et 4. ubi 28. prærogativas S. Joannis recenset.

Denique Auctor imperfecti, homil. 27 : *Mirabilis est,* ait, *qui in humana natura angelicam sanctitatem transgressus est, et obtinuit quod non habuit natura, per gratiam.* S. August. serm. 4. de Baptista : *Quisquis Joanne plus est, non tantum homo, sed et Deus est.* S. Ambros. serm. 94 : *Præcellit cunctis, eminet universis, antecellit Prophetas, supergreditur Patriarchas : et quisquis ex muliere est, inferior est Joanne.* Gerson. tract. 4. in Magnificat : *Videtur Joannes Baptista primus post Mariam positus in ordine Seraphinorum, loco Luciferi.*

Et præparabit viam ante faciem meam,] scilicet qui mihi sit proximus, me tamen secundùm carnem antecedat, priorque mundo manifestetur. Hoc enim est τὸ *ante faciem*, qui scilicet proximus est alteri, eum tamen, ejusque faciem anteit et præcedit. Hic præparabit viam ante me, hoc est, suo baptismo, testimonio, doctrina et prædicatione disponet animos Judæorum, ut, quando ego me mundo patefaciam, ipsi me recipiant ut verum Messiam in lege promissum. Hoc est Christo præparare viam, idque ante faciem ejus, id est ipso præsente, et in mundo jam existente per carnem assumptam. Christum enim ipse signabit, ac digito indicabit, atque de eo testimonium perhibebit, quod scilicet ipse sit Agnus, id est Filius Dei, qui tollit peccata mundi.

Nota : Cæteri Prophetæ multis seculis ante Christum missi sunt, ut eum futurum prænuntiarent; Joannes vero missus est, ut jam natum et præsentem indicaret, ideoque dicitur missus ante faciem ejus. Alludit ad legatos, quos quasi prodromos rex præmittit in urbem, ad quam ipse mox venturus est, ut civibus suum adventum prænuntient. Hoc enim officium Christo in Judæa præstitit Joannes. Quocirca à Christo vocatur non tantum Propheta, sed etiam plusquam Propheta, Matth. 11. 10. quia cum Deo incarnato familiariter conversatus ipsum orbi demonstravit, imo baptizavit. Unde sequitur : *Et statim* post Joannem, *veniet dominator,* scilicet Christus. Quocirca S. Joannes fuit horizon legis veteris et novæ, quia, ut ait S. Thom. 3. p. q. 38. art. 1 : *Joannes fuit terminus legis, et initium Evangelii;* ac, ut ait Nazianz. orat. 21 : *Mediator novi et veteris testamenti.* Atque, ut B. Chrysolog. serm. 91 : *Joannes fuit legis et gratiæ fibula,* scilicet, *ad quem desineret Judaismus, et à quo inciperet Christianismus,* ut ait Tertull. lib. 4. contra Marcion. 33 : *Sicut Lucifer finis est noctis, et diei initium.*

Ad templum.] Ad litteram intellige materiale Hierosolymitanum. Ad hoc enim venit Christus infans in festo Purificationis, post nativitatem et oblationem S. Joannis ; sed genuine et propriissime post S. Joannis prædicationem, carcerem et decollationem venit Christus ad templum, in eoque prædicavit et fecit miracula, quibus demonstravit Judæis se esse Messiam hîc promissum. Ita S. Hieron. Albert. Lyranus, et cæteri. Hinc patet contra Arrianos Christum esse verum Deum : Dei enim veri erat hoc templum. Ergo cum hoc templum fuerit Christi (ipse enim hîc dicitur venturus ad suum templum), sequitur Christum esse Deum. Soli enim Deo dicantur templa.

Mystice, per templum hoc aliqui accipiunt : Primo, uterum Virginis, in quo quasi in templo purissimo et sanctissimo Christus novem mensibus habitavit, dum ex ea carnem assumpsit, et admirabile incarnationis mysterium in eo, quasi in templo celebravit. Ita S. Cyrill.

Secundo, Theodor. et S. Aug. lib. 18. Civit. 35. templum hoc interpretantur carnem et humanitatem Christi, in qua plenitudo divinitatis habitavit corporaliter, Coloss. 2. 9. Ita Christus corpus suum vocavit templum, dicens : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud,* Joan. 2. v. 19. Christus enim in corpore quasi in templo suum sacerdotium peregit, ait Rupert. præsertim dum illud in cruce Deo Patri pro hominum redemptione immolavit.

Tertio, S. Hieron. cum suis per templum accipit Ecclesiam, sive Synagogam et cœtum fidelium, qui est templum Dei, non litterale et corporale, sed mysticum et spiritale.

Dominator (hebr. האדן *haadon*, id est, ille dominus omnium, scilicet antonomastice, qui plenum, eminens et transcendens in omnes et omnia habet jus, dominium et imperium) quem vos quæritis.] Hebræi aliqui, quos sequitur Remigius, uti per Angelum accipiunt Eliam, ita per dominatorem accipiunt Antichristum : hunc enim volunt, et pro Christo recipient Judæi in fine mundi. Verum hoc recte refellit S. Hieron. Nec enim Antichristus erit Angelus testamenti, qualem hunc dominatorem fore subjungit Malachias. Dominator ergo hic est Christus Dominus, Rex regum, et Dominus dominantium, qui mox secutus est Joannem Baptistam. Perperam ergo Judæi hæc referunt ad Christum suum, quem ipsi putant in fine mundi venturum. Nam ut recte argumentatur S. Hieron. *Miror,* ait, *quomodo rerum exitus eos non doceat veritatem. Quod enim templum suum inveniet Dominator, quod usque ad fundamenta destructum est? aut si ab alio exstruendum est antequam Christus adveniat, quid Christus eorum amplius facturus est, cum ab alio restituta sint omnia ?* Judæorum ergo Christus non erit alius quàm Antichristus; nec enim alius eorum Christus venturus est.

Et angelus testamenti.] Hebr. ברית *berit*, id est fœderis. *Testamentum* enim in Scriptura sæpe significat pactum et fœdus, uti dixi Hebr. 9. vers. 15. et 1. Corinth. 11. 25. Unde Tigurina vertit : *Et legatus fœderis.* Malachias duos hîc proponit et promittit Angelos : unum nudum, alterum testamenti : priorem scilicet, præcursorem et indicem posterioris. Prior est Joannes Baptista, posterior est Christus. Unde de eo ait : *Et statim*, scilicet post priorem Angelum, puta post Joannem Baptistam, *veniet ad templum,* etc. *Angelus testamenti*, id est pacti, sive fœderis, ut vertit Syrus. Porro cum duplex sit fœdus Dei cum hominibus, vetus sive Judaicum, et novum sive Christianum, Christus utriusque fuit Angelus et legatus. Christus enim à Patre Missus apparuit Mosi in Sina, per eumque vetus fœdus cum Judæis iniit, quo eis promisit se venturum in carnem, ad eorum mundique totius redemptionem : Christus enim fuit Angelus in veteri fœdere promissus Abrahæ et semini ejus, ac præsertim Mosi. Quocirca S. Paulus Galat. 3. 19. ait legem veterem datam in manu, id est, per manum, mediatoris; ubi multi per media-

torem intelligunt Christum. Hinc et ipse ait Isaiæ 52. 6 : *Ego qui loquebar ecce adsum.* Quapropter S. Basilii, Cyrilli, Eusebii, Ambrosii, aliorumque multorum Patrum sententia est, quod quandocunque in veteri testamento dicitur apparuisse Deus, apparuerit secunda persona, scilicet Filius, ut suum adventum realem in carnem præsignificaret, eique umbratice et typice in corpore specie tenus assumpto præluderet, ut dixi initio Pentateuchi, cap. 16.

Secundo, genuine et proprie, Christus fuit Angelus, id est legatus, internuntius et conciliator novi testamenti, id est fœderis, quod Deus per Christum cum hominibus iniit, quo eis non bona terrena, uti Judæis in fœdere veteri, sed spiritualia, cœlestia et æterna exhibuit, quæ in veteri adumbrabantur, quæque expresse promisit Abrahæ, dicens : *Benedicentur omnes gentes in semine tuo,* Gen. 22. v. 18. Hæc enim Abrahæ benedictio non fuit aliud, quàm remissio peccatorum, gratia, justitia, salus, vita æterna, quæ Christus Judæis imprimis, deinde omnibus gentibus contulit, eaque ratione omnia omnino Dei promissa Abrahæ et Judæis facta complevit. Et hoc est quod subdit, dicens : *Quem vos vultis,* quem scilicet vos, ô Judæi, quasi Messiam redemptorem et salvatorem Abrahæ promissum, avide exspectatis. Ita S. August. lib. 18. Civ. 35 : Quocirca Christus à Septuag. Isaiæ 9. 6. vocatur: *Magni consilii Angelus.*

Porro Christus fuit Angelus novi testamenti et fœderis. Primo, quia iram et inimicitiam Dei contra homines placavit et sustulit. Fuit ergo Angelus fœderis, id est reconciliationis. Quocirca ab Isaia, cap. 9. v. 6, vocatur: *Princeps pacis ;* et ab Apostolo, Ephes. 2. v. 14: *Pax nostra ;* et Col. 2. v. 14 : *Donans nobis omnia delicta, delens quod adversus nos erat chirographum decreti; quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* Secundo, quia vere novum fœdus, vetere Mosaico abolito, inter Deum et homines conciliavit, quo Deus se obligat Christianis ad dandam gratiam et gloriam æternam; Christiani vicissim se obligant Deo, quod ejus filio Jesu Christo credent, obedient, ejusque legem, doctrinam et vitam capessent. Tertio, quia è cœlo in terram descendit quasi Angelus, ut carnem assumens in seipso limum Verbo, terram cœlo, hominem Deo vinculo unionis hypostaticæ, quasi arctissimo fœdere copularet. Quarto, quia in ultima cœna paulo ante mortem testamentum proprie dictum, continens ultimam suam voluntatem, condidit, illudque institutione Eucharistiæ sancivit, dicens : Hic est sanguis novi testamenti, etc. uti dixi 1. Corinth. 11. 25. Quinto, quia Christus hoc fœdus et testamentum ad homines è cœlo quasi Angelus detulit, illudque in terra instituit triginta tribus annis laborando, prædicando, miracula faciendo, circumeundo per vicos et castella, fatigando se, sudando, in fame, siti, frigore, æstu, evangelizando ; ac tandem illud suo sanguine non tantum roboravit et sigillavit, sed et emit ac comparavit, quasi persoluto pretio ad tantam reconciliationem, tantumque fœdus justo et condigno, idque pro omnibus gentibus, et per omnia secula, etiamsi mundus mille annorum millionibus perduraret, imo per totam æternitatem. Hoc enim fœdus Sancti et Beati in cœlo per gloriam participabunt in æternum ; ipsum enim ad cœlum ducit. Unde et cœlestis gloriæ causa à Christo sancitum est. Quocirca ipse confecto hoc fœdere primus in cœlum gloriosus ascendit, quasi pandens iter cœlestis fœderis, suosque fideles eò vocans, et ad se sequendum invitans. Denique S. August. l. 18. Civit. 35 : Christus, ait, dicitur *Angelus, propter Evangelium, quod nuntiavit hominibus. Nam si Græca ista interpretemur, et Evangelium bona nuntiatio est, et Angelus nuntius est.* Quod enim melius est nuntium, quàm cœlorum regnum prædicare, imo pandere et offerre? Unde Arabicus Antioch. vertit, *nuntius*, vel *Apostolus testamenti.* Hujus rei symbolo Angelus Manue nuntians ortum Samsonis ex eo nasciturі, qui futurus erat Israelis liberator et vindex, ideoque typus Christi, peracta legatione in flamma victimæ ascendit in cœlum, Judic. 13. v. 20. Quibus de causis omnino par est, ut omnes Christiani omnesque omnino homines Christum Domini, quasi Angelum testamenti de cœlo venientem, et quasi legatum à Deo ad se missum, summa devotione, honore et amore excipiant ; illi immensas gratias agant, illi per omnia obediant, ejus doctrinam et vitam æmulentur, ac eum crucem bajulantem generose sequantur, certi quod per eam post illum ascensuri sint in cœlum : illi totos se dedant; illi totum cor offerant, illudque ejus cordi et amori immergant. Ita avide eum quasi Messiam suum exspectabant Judæi, uti etiamnum exspectant. Unde de iis subdit Malachias :

Quem vos vultis.] Hebr. חפצים *chaphetsim ;* Chald. *desideratis ;* Tigurina : *Quo vos delectamini ;* alii : *In quo vobis complacitum est.* Christus enim quasi malorum omnium depulsor, et bonorum omnium adductor, à patribus per quatuor annorum millia summe fuit desideratus. Unde à Jacobo patriarcha vocatur : *Desiderium collium æternorum,* Gen. 49. 26; et ab Aggæo, cap. 2. 8 : *Desideratus cunctis gentibus.* Hinc illa Prophetarum suspiria : *Utinam dirumperes cœlos et descenderes !* Isaiæ 64. 1. *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum. Aperiatur terra, et germinet Salvatorem*, Isaiæ 45. 6. Idem Christi desiderium eo nato habuit S. Simeon, aliique sancti et fideles. Unde de Anna prophetissa ait Lucas, cap. 2. v. 38: *Loquebatur de eo omnibus qui exspectabant redemptionem Israel.* Secundo, Arias censet hîc Prophetam respondere Judæis dicentibus, cap. 2. v. 17: *Ubi est Deus judicii?* Hisce enim respondet : *Statim veniat dominator*, qui impiis erit terribilis, *Deusque judicii,* piis vero erit *Angelus testamenti.*

Unde Tropol. S. Bernard. serm. ad Pastores in Synodo : *Templum*, inquit, *Dei sanctum est, quod estis vos. Anima justi sedes et templum Dei est. Dominus in templo suo facit mirabilia, et præbet oracula. Veniat ad templum suum dominator quem quæritis, quo possitis dominari carnalibus desideriis, et diabolicis resistere tentationibus. Veniat et Angelus testamenti, quem vos vultis, qui annuntiet vobis suam voluntatem, et confirmet promissam hæreditatem. Inducant eum in templum suum parentes ejus, pater videlicet, et mater, et frater ejus. Qui sint illi respondeat ipse. Quicunque fecerit voluntatem Patris qui in cœlis est, ipse meus pater, et mater, et frater, et soror est. Pater, generando per verbum prædicationis, ut dicit Apostolus : Ego per Evangelium in Christo vos genui. Mater, pariendo per exemplum sanctæ conversationis. Frater et soror, caste diligendo*

in amore fraternitatis. Hi parentes estis vos aut esse debetis.

Ecce veniet.] Hebræi, Remig. Lyran. et S. August. l. 18. Civ. c. 35. hæc accipiunt de secundo adventu Christi ad judicium, cujus Angelus et præcursor erit Elias. Verum hic sensus est anagogicus. Nam ad litteram hîc agi de primo adventu Christi in carnem et mundum, patet ex eo quod sequitur : *Et purgabit filios Levi*, etc. In secundo enim adventu eos non emundabit, sed impuros judicabit et damnabit. Ita S. Cyril. Theod. Rupert. Vatabl. Arias, Ribera et alii. Ait ergo : *Ecce venit.* Vox *Ecce*, significat primo rem hanc, puta adventum Verbi incarnati fore novum, admirabilem et stupendum ; secundo, fore certum ; tertio, fore exoptatum et lætum ; quarto, fore celerem, q. d. Videor mihi videre Messiam nostrum adventantem : ecce venit, ecce mox aderit.

2. Et quis poterit cogitare ?] Hebr. מי מכלכל *mi mekalkel*, id est quis feret, quis sustentabit, quis metietur, quis continebit, quis comprehendet? Unde Septuag. et Chald. vertunt : *Quis sustinebit ?* Pagnin. *Quis ferre poterit diem, quando veniet?* Noster : *Quis poterit cogitare diem adventus ejus?* q. d. Quis poterit capere, et cogitatione comprehendere tantam Angeli testamenti, id est, Dei in carnem et mundum advenientis, inter homines conversantis, in templo prædicantis suam legem, Sacramenta et Ecclesiam sancientis, potentiam, sapientiam, bonitatem, etc. Quis gloriam illius diei, quo Christus in terris nobiscum aget, mente concipiat, aut verbo explicet ? Quis animo complectatur, et ore recenseat charismata, virtutes et gratias cœlestes, bonaque omnia quæ Christus è cœlo nobis afferet ? Hebr. enim *mekakel* derivatur à כול *col*, id est *omne :* inde verbum כלכל *kilkel* significat omnia complecti, omnia recensere. Nota: Dies adventus Christi ponitur metonymice pro ipso Christo, suo die adveniente, vel potius adventuro.

Secundo, juxta Septuag. q. d. Quis ferre et sustinere poterit tantam Christi lucem et majestatem? Ejus enim respectu omnium Angelorum et hominum acies, instar noctuarum hebetatur, caligat, deficit. Quis solem justitiæ clara luce radiantem, adversis et irretortis oculis intueri valebit? Quomodo hominum infirmitas tantam potentiam, cæcitas tantum jubar, fragilitas tantam efficaciam, impuritas tantam sanctitatem, paleæ tantum ignem sustinebunt? ipse enim quasi ignis conflans. Quis stupore, timore, horrore, et abyssali reverentia tantæ celsitudinis non deficiat, non exanimetur ? Quis non liquescat, non tabescat, sicut plumbum et stannum liquescunt et tabescunt coram igne ardentissimo, in fornace qua conflantur, præsertim dum in tanta demissione, exinanitione, amore, dignatione, divinam dignitatem et magnificentiam in Christo incarnato contemplatur et spectat. Hic est sensus genuinus. Quare minus genuine Vatabl. hæc refert ad tribulationes Christianorum, et persecutiones primitivæ Ecclesiæ, quæ fuerunt ardentissimæ, q. d. Quis ardorem illarum tribulationum sustinebit ? Utique nemo viribus humanis, sed multi viribus divinis, suggestis à gratia Christi.

Et quis stabit ad videndum eum ?] Septuag. *Quis stabit in visione ejus ?* Quis erit tam durus et ferreus, quem Christi aspectus non sternat et frangat ? Quis adeo rebellis et frigidus, cujus animum ignea vis oculorum Christi non capiat et inflammet ? Ita Sanchez. Secundo, q. d. Quis stare poterit coram eo ? Quis attonitus pavore et admiratione non corruat, videns oculis suis tantam Christi claritatem et magnificentiam ? Unde Hebr. est : *Quis stabit in videndo eum?* Vatabl. *Quis eum se ad conspiciendum præbebit consistet, aut subsistet ?* Pagnin. *Quis poterit stare, cum apparuerit?* Chald. *Ecquis consistet, cum revelatus fuerit ?* Hæc rumina, ô fidelis, ô sacerdos, dum Christum in altari præsentem habes, imo conficis et manducas.

Ipse enim quasi ignis conflans.] Arabicus, *quasi ignis vadens ;* Septuag. *quasi ignis conflatorii ;* Tigurina, *quasi ignis excoquens.* Sic Persæ Deum censuerunt esse ignem, quando ignem ut Deum coluerunt. Quin et *Stoici ipsum Deum in ignem dissolutum iri opinantur*, ait S. Justinus orat. ad Antonin. Pium. Imo Plato censuit in ignea substantia esse Deum, ait idem Justin. orat. ad Gentiles; additque, Plato sidera appellat igneum deorum genus. Verum hi errores sunt explorati. Porro Propheta Angelum testamenti, id est Christum, comparat igni fornacis ardentissimæ, quo conflantur metalla, ut aurum, argentum, ferrum, stannum, etc. ut significet ignitam et ardentem fore ejus doctrinam, legem et gratiam. Primo enim, sicut in fornace liquatur aurum ; ita Christus dura hominum corda sua gratia emollit et liquat ; ac in gemitus et lacrymas compunctionis resolvit. Secundo, sicut ignis liquando aurum, ab eo separat alia metalla et scoriam ; ita Christus per lacrymas et pœnitentiam separat ab anima vitia, et concupiscentias inolitas. Tertio, sicut hac separatione aurum purificatur, perficitur, splendescit; ita pariter et anima. Quarto, sicut vi ignis aurum calefit, imo ignescit, ut videatur in ignem transformari ; ita vi gratiæ Christi anima accenditur, ut videatur instar ignis se et alios inflammare amore Dei. Hoc est quod Isaias, c. 4. 3, prædicit : *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, etc. in spiritu judicii et spiritu ardoris.* Et Joan. Baptista, Lucæ 3. 16, ait se baptizare aqua, Christum vero igne : *Ipse*, inquit, *vos baptizabit Spiritu Sancto et igne.* Hac de causa in Pentecoste misit Spiritum S. in Apostolos specie ignis et linguarum ignearum, ut significaret Spiritum Sanctum eos igne charitatis accendere, eisque indere cor amore et zelo igneum, ac linguas igneas. Et Christus ipse, Lucæ 12. 49 : *Ignem*, inquit, *veni mittere in terram. Et quid volo, nisi ut accendatur?* De quo vide S. Ambros. serm. 18. in illud psal. 118 : *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Quinto, sicut igne aurum, æs et ferrum, licet durissima, non tantum molliuntur et flectuntur, sed et in certam formam, v. g. cacabi, scutellæ, sartaginis, etc. efformantur; ita gratia Christi hos format Apostolos, illos Doctores, alios Martyres, alios Confessores, alios Virgines, etc. 1. Cor. 12. 4 ; atque ex uno gradu ad altiorem, imo ad ipsum virtutis et perfectionis apicem conscendunt. Tres enim sunt gradus et status virtutum. Primus est politicus et vulgaris, qualis est virtus communis fidelium, qui honeste pieque vivunt secundum præcepta Dei. Secundus est excelsior transeuntium, et in divinam similitudinem tendentium, quorum virtutes vocantur purgatoriæ, ita scilicet, ut prudentia omnia mundana divinorum

contemplatione despiciat, omnemque animæ cogitationem dirigat in divina : temperantia relinquat, in quantum natura patitur, ea quæ corporis usus requirit : fortitudo efficiat, ut anima propter excessum à corpore, et accessum ad superna, nulla difficultate vel adversitate terreatur : justitia denique faciat, ut tota anima consentiat ad hujusmodi propositi viam. Tertius est divinam similitudinem jam assequentium, quorum virtutes sunt et vocantur animi purgati ; qualis est in Beatis, et in nonnullis in hac vita perfectissimis : ita scilicet, ut prudentia solum divina intueatur ; temperantia terrenas cupiditates nesciat ; fortitudo timorem non sentiat, cæterasque passiones ignoret ; justitia cum divina mente, eam scilicet imitans, perpetuo fœdere societur. Ita S. Thom. 1. 2. q. 61. art. 5. et Vincentius 3. p. l. 1. t. de Virtute, dist. 7.

Tropol. ignis quo Deus purificat et excoquit animas, est tribulatio et afflictio. Sicut enim sordes metallorum igne auferuntur, sic peccata afflictionibus, ait Vatabl. Ita Martyres, ut S. Laurentius, igne tormentorum excocti, facti sunt hostiæ purissimæ et ardentissimæ Deo, juxta illud psal. 16. v. 3 : *Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.* Hac de causa Deus permisit persecutionem acrem Decii Imp. ut Christianorum virtutem et pietatem, quæ in pace, quam habuerant sub duobus Philippis, patre et filio, Christianis Imp. elanguerat, suscitaret et acueret, uti S. Cyprianus sibi revelatum fuisse scribit, lib. 4 Epist. 4 : *Nam et hoc nobis*, inquit, *per visionem, fratres charissimi, exprobratum sciatis, quod dormitemus in precibus, etc. Persecutio ista examinatio est atquè exploratio peccati nostri ; excuti nos Deus voluit et probari sicut suos semper probavit : nec tamen in probationibus ejus aliquando auxilium credentibus defuit. Denique ad minimum famulum suum, etc. pro sua circa nos bonitate mandare dignatus est : Dic illi*, inquit, *securus sit : quia pax ventura est.* Porro inter scelera ob quæ venit ista persecutio, præcipua fuisse sacerdotum et Episcoporum negligentiam et cupiditatem, asserit idem Cyprianus tractatu de Lapsis.

Anagog. sicut ignis scoriam comburit, ita Christus in extremo judicio reprobos damnabit ad gehennam, eosque *comburet igne inexstinguibili,* ut ait Joannes Baptista, Matth. 3. 12. Hinc S. Hieron. sic exponit : *Ipse veniet quasi ignis conflans : ignis enim in conspectu ejus ardebit, et in circuitu tempestas valida. Tunc vocabit cœlum desuper et terram, ut dijudicet populum suum : flumina ignis trahent ante eum, peccatores quosque volventia. Ignis autem dicitur Dominus, et ignis consumens,* Deuter. 4. v. 24, *ut ligna nostra, fœnum, stipulamque comburat et non solum ignis, sed et herba fullonum. Ipse his qui peccant graviter, ignis conflans est atque consumens ; qui autem levia peccata committunt, herba fullonum, ut lotis munditiam restituat.* Felices et sapientes, qui in hac vita malunt emundari herba fullonum quàm in futura, puta in gehenna aut Purgatorio, igne conflari. Porro S. August. lib. 20. Civit. c. 25. hoc examen in die judicii refert ad solos bonos et pios : hi enim sunt filii Levi offerentes Deo sacrificia in justitia. Unde colligit, in die judicii *quasdam quorumdam purgatorias pœnas futuras.* Sic et Gennadius Patriarcha Constantinopolit. in exposit. Conc. Florentini, c. 8. contra Græcos, concedentes quidem Purgatorium post hanc vitam, sed negantes in eo ignem, igneque expiari animas justorum, ex hoc loco probat in eo esse ignem, eoque expiari animas : Ignis enim hic, inquit, conflans et emundans non pertinet ad Beatos in cœlo, utpote mundissimos, nec ad damnatos in gehenna, utpote inemundabiles et inemendabiles : ergo pertinent ad animas Purgatorii : in eo ergo est ignis conflans et emundans animas justorum à levibus et venialibus maculis. Ita ipse tom. 4. Biblioth. SS. Patrum.

ET QUASI HERBA FULLONUM.] Hebr. *Sicut borith lavantium*, scilicet pannos, id est fullonum. Unde Chald. *Sicut quo dealbantur,* scilicet panni ; Septuag. *Sicut herba lavantium.* Hinc patet *borith* non saponem esse, ut volunt Arias et Vatabl. sed herbam, uti asserit Theod. R. Jona, R. Salomon, Tigurina et alii. Unde S. Hieron. in Jerem. 2. 22. tradit herbam fullonum in virentibus et humectis Palæstinæ locis nasci, et ad eluendas sordes et maculas è pannis eamdem vim habere, quam habet nitrum et sapo : unde et herba saponaria tum latine, tum italice vocatur, hortulanis notissima, qua vulgo ad maculas è pannis et vestibus extergendas utuntur, uti Romæ meis oculis conspexi. Vide dicta Jerem. 2. 22. Nota : Sicut paulo ante Propheta comparavit Christum igni conflanti et purificanti aurum, ita hìc eumdem comparat herbæ fullonum pannos emundanti, ut vestem nuptialem suorum emundet, candidamque et splendidam efficiat. Justorum enim animæ per Christi gratiam candent ut stolæ, et fulgent ut aurum.

Porro, pro *borith* Syrus et Arabicus uterque vertunt, *sulphur*, quia suo ardore omnia purificat : aut forte ברית *borith* acceperunt pro vicino גפרית *gophrith*, id est sulphur. Unde Syrus vertit : *Quia quasi ignis est qui conflat, et quasi sulphur dealbans ;* Arabicus Antioch. *Ipse enim quasi ignis vadens, et quasi sulphur quod candescit ;* Arabicus Alexand. *Ipse enim veniet quasi ignis conflans, et quasi sulphur exardescet.* Notus est sulphuris ardor : unde S. Hier. hæc refert ad ignem Purgatorii, vel Inferni, ubi est ignis ardens pice et sulphure, uti paulo ante dixi.

3. ET SEDEBIT CONFLANS ET EMUNDANS ARGENTUM.] *Sedebit*, serio et accurate, non obiter et leviter quasi per transennam, conflaturus argentum, id est suos fideles, præsertim sacerdotes, uti subjungit, ut fiant nitidi instar argenti, splendeantque quasi argentei sacerdotes.

Secundo, *sedebit*, quasi discretor et judex, uti vitia, præsertim ea quæ se specie virtutum velant, puta hypocrises et fucos, à veris virtutibus, ipsosque virtuosos ab hypocritis dijudicet, secernat et separet. Homines enim pro affectu judicant, et quod virtutis est vitio deputant, et quod vitii est virtuti. Merito hac de re queritur Sidonius Apollin. lib. 7. epist. 9 : *Quis*, ait, *non erubescat, cum videat sordidari virtutum sinceritatem criminatione vitiorum? Si eligimus humilem, vocatur abjectus. Si proferimus erectum, superbus censetur. Si minus institutum, propter imperitiam creditur irridendus. Si aliquatenus doctum, propter scientiam clamatur inflatus. Si severum, tanquam crudelis horretur. Si indulgentem, facilitate culpatur. Si simplicem, despicitur ut brutus. Si acrem, vitiatur ut callidus. Si diligentem, superstitiosus decernitur. Si remissum, negligens judicatur. Si solertem, cupidus. Si quie-*

tum, pronuntiatur ignavus. Si abstemium producimus, avarus accipitur. Si eum qui prandendo pascat, edacitatis impetitur. Si eum qui pascendo jejunet, vanitatis arguitur. Libertatem pro improbitate condemnant, verecundiam pro rusticitate fastidiunt. Rigidos propter austeritatem non habent charos; blandi apud eos communione vilescunt. Christus judex hæc omnia colat, quid virtus sit, quid vitium acri judicio discernit : illi suum decus, huic dedecus decernens.

Meminerit sacerdos, præsertim confessarius, se quasi vicarium Christi sedere pro tribunali, ut non leviter hoc judicium peragat, dicatque cuilibet confitenti : Ego te absolvo ; sed mature culpas examinet, easque non tegere, non oblinere, non superficialiter delere, sed radicitus eradere satagat : sicut aurifex per ignem ab auro eradit omnem scoriam, et fullo per herbam borith à panno omnem, etiam intimum, tollit nævum et maculam. Quid enim prodest pœnitenti absolvi, si radix, puta eadem proclivitas et occasio proxima ad peccandum, resideat, quæ illico eum rursum ad peccandum et ad recidivam impellet? nimirum fiet quod vulgo dicitur : Canis ad vomitum, et sus lota ad lutum. Vis nosse an quis bonus sit confessarius? vide quales sint ejus pœnitentes : si hi vitam mutent, aut in sanctitate valde proficiant, si heroica opera capessant ; scito insignem esse confessarium ; sin pœnitentes maneant iidem, hoc est, in eodem statu, vitii aut virtutis, scito enervem esse confessarium, et unum è trivio. *Sæpe*, inquit S. Gregor. lib. 8. Moral. cap. 11, *et reprobi peccata sua confitentur, sed deflere contemnunt : electi autem culpas suas quas vocibus confessionis aperiunt, districtæ animadversionis fletibus insequuntur.* Et mox : *Psalmista plagam cordis non solum detexerat, sed detectæ etiam medicamentum mœroribus adhibebat, dicens : Iniquitatem meam ego pronuntiabo, et cogitabo pro peccato meo. Pronuntiando enim occultum vulnus detegit, cogitando autem quid aliud quàm medicamentum vulneri apponit?* Idem, homil. 34. in Evang. *Pœnitentiam*, inquit, *agere est et perpetrata mala plangere, et plangenda non perpetrare : nam qui sic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut dissimulat, aut ignorat.*

S. Ambrosius, pœnitentes audiens, adeo in eos pio commiserationis et opitulationis affectu movebatur, ut in lacrymas prorumperet, flensque ipsosmet flere, et vitam mutare compelleret. Ita habet ejus Vita. Ejus assecla fuit S. Carolus Borromæus. Vide S. Ambros. serm. 35. de modo vero agendi pœnitentiam. Ejusdem est tremenda illa sententia, lib. 2. de Pœnitentia, c. 10 : *Facilius inveni qui innocentiam servaverint, quàm qui congrue egerint pœnitentiam. Renuntiandum seculo est, etc. Vivendum ita ut vitabili huic moriamur usui : seipsum homo abneget, et totus immutetur : sicut quemdam adolescentem fabulæ ferunt propter amores meretricios peregre profectum, et abolito amore regressum, postea veteri occurrisse dilectæ, quæ ubi non interpellata, mirata putaverit non recognitam, rursus occurrens dixerit : Ego sum; responderit ille : Sed ego non sum.*

Mystice, sedet homo in sabbato, id est, Dominico et festo die, cum ab operibus aliis quiescit, et Deo vacat. Sicut enim homo fit sapiens sedendo et quiescendo, ut ait Arist. l. 7. Phys. sic et idem quiescendo illustrationes Dei excipit, quibus purgatur, et divinus efficitur, juxta illud Thren. 3. 28 : *Sedebit solitarius et tacebit, quia levabit super se.* Et psalm. 45. 11 : *Vacate et videte quoniam ego sum Deus.* Sicut enim aqua quieta, subsidentibus sordibus, fit limpida et perspicua quasi speculum ; ita et anima quieta, subsidentibus passionibus, veritatem cernit, fitque capax cognitionis spiritualis et divinæ, præsertim quia libera à tumultu, et separata ab aliis objectis, uni veritati, unique Deo vacat et intendit. Verum est enim illud :

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Purgabit filios Levi,] tum quia multi Levitæ et sacerdotes conversi ad Christum, facti sunt sancti, imo prædicatores, inter quos fuit S. Barnabas, Actor. 4. 36. de quibus ait S. Lucas Act. 6. v. 7 : *Multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei.* Taxavit enim Malachias Levitas et sacerdotes Judaicos, quos à Christo reformandos hic prædicit; ita Theodor. tum quia Christus veteribus Levitis et sacerdotibus Aaronicis abrogatis, novos instituit sanctæ et angelicæ vitæ. Tales enim fuerunt Apostoli, eorumque discipuli et successores. Hi ergo sunt filii Levi, id est sacerdotes non veteris, sed novi testamenti; posteri non Aaronis, sed Christi; ita S. Hieron. Remig. Rupert. Hugo, Lyran. et alii. Simili modo Ecclesia Christi vocatur Sion et Jerusalem, quia in Jerusalem orta, Synagogæ Sionis et Judæorum successit. Meminit purificationis sacerdotum à Christo faciendæ, potius quàm laicorum; tum quia summa puritas et sanctitas requiritur in sacerdotibus Christi, eo quod sint vicarii Christi qui est Sanctus sanctorum, quodque Sacramenta sanctissima, præsertim Eucharistiæ tractent, conficiant et administrent : tum quia sacerdotes plebem purificant : hinc quo purior et sanctior est sacerdos, eo purior et sanctior evadit plebs. Sacerdos enim ei suam sanctitatem et verbo et vita aspirat et instillat. Sicut ex adverso impurus sacerdos vitiat totam Ecclesiam, uti ex S. Chrysost. et aliis ostendi, v. 1. et cap. 1. 6. Videant ergo sacerdotes quomodo hoc suum decus tueantur, nequando de iis dici possit, quod de sui ævi præsbyteris ingemiscens dixit S. Bonifacius primus Episc. Moguntinus, Frisiæ Apostolus et Martyr : *Olim sacerdotes aurei celebrabant in calicibus ligneis, nunc lignei sacerdotes celebrant in calicibus aureis.* Ita habet ejus Vita.

Tropol. *filii Levi*, id est, sacerdotes spirituales et mystici sunt fideles, qui Deo victimas bonorum operum, orationis compunctionis, eleemosynæ, et præsertim purum cor, sanctaque et ardentia amoris desideria offerunt, juxta illud 1. Petri 2. 9 : *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum.*

Et colabit.] Colare est pauxillatim stillatimque liquorem aliquem, v. g. oleum, vinum, lac, aurum liquatum, etc. per aliquod vas angustum, vel linteolum transfundere aut transmittere, ut quod purum est transeat, quod crassum et impurum excludatur. Unde Plinius, l. 13. c. 2 : *Regale*, ait, *unguentum colato melle constat.* Et Manilius :

Et colare vagos inductis retibus amnes.

Et Apuleius, lib. Florid. *Neque*, ait, *illi norant*

colere arvum, vel colare aurum. Hìc pro *colabit*, Chald. vertit, *expurgabit;* Pagnin. *conflabit;* alii, *defæcabit;* Septuag. *effundet*, sicut è fornace conflatoria stillatim effundi solet liquatum et defæcatum aurum. Porro Christus colat et expurgat sacerdotes per Spiritum sanctum, sicut colavit Apostolos in die Pentecostes. Spiritus sanctus enim indit eis spiritum compunctionis et lacrymarum, item charitatem et zelum. Tropologice, per tribulationes et persecutiones, inquit Vatabl. quales passi sunt sacerdotes in primitiva Ecclesia, cum omnes pene rapiebantur ad mortem, populoque erant duces ad martyrium. Quod Romæ fecisse S. Cornelium Papam in persecutione Decii, narrat et celebrat S. Cyprian. lib. 1. epist. 1. ad Cornelium : *Exprimi*, ait, *non potest quanta istic exsultatio fuerit, etc. ducem se illic fratribus confessionis exstitisse; sed et confessionem ducis de fratrum confessione crevisse, ut, dum præcedis ad gloriam, multos feceris gloriæ comites, et confessorem populum suaseris fieri, dum primus paratus es pro omnibus confiteri.* Et mox : *Virtus illic Episcopi præcedentis publice comprobata est, adunatio sequentis fraternitatis ostensa est, dum apud vos unus animus, et una vox est, Ecclesia omnis Romana confessa est. Docuistis granditer Deum timere, Christo firmiter adhærere, plebem sacerdotibus in periculo jungi, in persecutione fratres à fratribus non separari, concordiam simul junctam vinci omnino non posse : quidquid simul petitur à cunctis, Deum pacis pacificis exhibere.* Et paulo post : *Quale illud fuit sub oculis Dei spectaculum gloriosum, quale in conspectu Christi ejus Ecclesiæ suæ gaudium, ad pugnam quam tentaverat hostis inferre, non singulos milites, sed tota semel castra prodisse?*

Moral. Videant hìc Episcopi, et eorum examinatores, quàm accurati esse debeant in admittendis iis qui se offerunt ad Ordines sacros, ut videant an probæ talique gradu dignæ sint vitæ, et an habeant doctrinam, quanto munere rite perfungi, ac populum in fide et rebus divinis instruere valeant. Si enim aurifices tanta cura et labore, puta per ignem, colent aurum et argentum ; ut ab eo scoriam separent, et nonnisi purum putumque colligant : quanto magis Episcopus colare debet ordinandos, ut aureos populo ordinet sacerdotes, non stanneos, non ferreos, non ligneos? à sacerdotibus enim pendet tota Ecclesiæ disciplina, vita et sanctitas. Legant et practicent hac de re decreta Conc. Trident. sess. 23. cap. 7. et 14. et sess. 24. c. 18. Narrat Sophronius in Prato spirit. c. 149. et ex eo Baron. tom. 6. anno Domini 461. quod, cum Abbas Amos patriarcha Hierosol. ordinatus esset, dixerit : *Orate pro me, Patres; magnum enim et intolerabile onus mihi injunctum est. Petri et Pauli similium est regere rationales animas, ego autem infelix et peccator sum ; plus enim quàm cætera timeo ordinationis sarcinam.* Affert deinde exemplum S. Leonis : *Nam inveni scriptum, quia beatus et Angelis æqualis Leo Papa, quadraginta dies perseveravit ad sepulcrum Apostoli Petri, vigiliis et orationibus insistens, petensque ab Apostolo ut pro se apud Deum intercederet, ut dimitterentur sibi peccata sua. Impletis quadraginta diebus apparuit ei Apostolus Petrus, dicens ei : Oravi pro te, et dimissa sunt omnia peccata tua, præterquam impositionis manuum.* Loquitur de dimissione non culpæ ; hæc enim omnis simul dimittitur, sed pœnæ, inquit Baron. Illis ergo remanebat S. Leo peccatorum pœnis obligatus, quæ illi perpetrassent, qui ab eo indigne fuissent promoti ad Ordines, juxta illud Apostoli 1. Timoth. 5 ; *Nemini cito manus imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.*

Hac de causa non nisi præmissa oratione et jejunio totius Ecclesiæ ordinantur sacerdotes; ac Deus olim sæpe indicio cœlesti designabat quos vellet eligi Episcopos, uti designavit S. Matthiam, Actor. 1. 26. Sic S. Fabianus designatus est à Deo Pontifex per columbam, è sublimi in caput ejus devolantem ; columbæ enim specie Spiritus sanctus descendit in Christum, cum baptizaretur. Ita refert Euseb. lib. 6. hist. cap. 22. Simile accidit S. Chrysostomo ; nam cum ordinaretur Patriarcha Constantinop. alba columba devolans stetit super caput ejus, uti narrat Leo Augustus in ejus Vita, et ex eo Baron. tom. 6, anno Domini 456. Sic et S. Gregorius fugiens pontificatum, indicio fulgidæ columnæ jugiter super se è cœlo dependentis agnitus, raptus est ad templum S. Petri, creatusque Pontifex. Sic et S. Remigius Rhemensis Episc. cum duorum et viginti tantum esset annorum, cœlitus creatus est. Nam radius novi luminis super ejus verticem descendit, ac si ipse sol de cœlo motus super eum cecidisset ; quia scilicet ipse illuminandarum lux parabatur animarum. Et enim radio illo se illustrante, sensit capiti suo unguinis sacri infusum liquorem, quo totum ejus delibutum est caput, inquit Hincmarus in ejus Vita. Mortuo Mena Patriarcha Constant. Justinianus Imper. ingressus in cœtum Episcoporum et Cleri, eis visionem cœlestem enarravit. Cum, inquit, in æde S. Petri principis Apost. in qua senatus habebatur, somnus me comprehendisset, in quiete vidi principem Apostolorum mihi magnum Eutychium ostendentem dicentemque : Fac ut hic sit Episcopus. Cum hoc jurasset Imperator, Eutychius ab Episcopis et Clero conclamatus est Patriarcha. Ita Eustathius in Vita S. Eutychii. Sic S. Ambrosius declaratus est Mediolanensis Archiep. voce pueri et populi exclamantis : *Ambrosius Episcopus.* Ita Socrates, lib. 4. cap. 30. Sic S. Athanasius ab Alexandro Episcopo Alexand. moriente evocatus, ut sibi succederet, cum ille fugeret, exclamavit Alexander : *Athanasi, putas te posse fugere, non tamen effugies ;* quare à Clero et populo raptus est ad Episcopatum. Ita Sozom. lib. 2. histor. cap. 16. S. Amphilochium ab Angelis consecratum esse Episcopum Iconii narrat Niceph. lib. 11. cap. 20. Qui ergo creaturi sunt sacerdotes vel Episcopos, orationi insistant et cœleste lumen Deique nutum exposcant, ne in re tanti ad commune Ecclesiæ bonum momenti errent, sed eos designent, qui Dei gloriæ, Ecclesiæ ædificationi, sibi saluti sunt futuri.

Sacrificia.] Hebr. מנחה *mincha*, id est sacrificium farreum, puta Eucharistiæ sub speciebus panis et vini, de quo dixit cap. 1. 11. Hoc enim, utpote purissimum, opponit impuris sacrificiis et sacerdotibus Aaronicis. Ita Thedor. Rupert. Lyran. et alii.

In justitia,] id est juste, pure, sancte, juxta illud Zachariæ, Lucæ 1. 14 : *Serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris.* Sacerdotes enim quasi Angeli corporati coram Deo incedere et ambulare debent in omni justitia et sanctitate.

4. Et placebit.] Chald. *Suscipietur voluntarie ;* Pagnin. et Vatablus, *dulcescet* (hoc enim est ערבה *arebu*), id est dulce, gratum, sapidumque erit Domino sacrificium Juda et Jerusalem, hoc est, Ecclesiæ Christianæ, quæ est nova Sion Dei, ex veteri Sione intereunte exorta, ut in ea vetus quasi phœnix resurgere et renasci videatur. Hinc præcise per Jerusalem, quæ erat metropolis et caput Judæ, posset accipi Ecclesia Romana et Sedes Apostolica, quæ est caput et metropolis totius Ecclesiæ, quæ est Juda, id est confitens Deum.

Sicut dies seculi,] id est sicut dies antiqui, ut sequitur, quibus prisci sancti viri, Abel, Noe, Melchisedech, Abraham, Moses, Aaron, etc. placebant Deo, eique sancte offerebant sacrificia sua. Unde sacerdos in Canone Missæ dicit et orat : *Supra quæ* (scilicet panem et calicem consecratum) *propitio ac sereno vultu respicere digneris, et accepta habere, sicut accepta habere dignatus es munera justi tui Abel, et sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.*

Nota : Τὸ *sicut* assimilat sacrificia Christiana Aaronicis, non tam quoad ipsum sacrificium, quàm quoad sacrificantes. Ipsum enim sacrificium in lege nova est longe præstantius Aaronico, cum victima ejus sit ipsum Christi corpus, quod proinde vim impetrandi habet ex opere operato : Aaronici autem victima erat bos, ovis vel capra, quæ tantum erant typus et umbra Christi, ideoque valebant tantum ex opere et devotione operantis, non vero ex opere operato. Dicit ergo quod Christus ipsos sacerdotes in lege nova emundabit et sanctificabit, ut ea puritate, devotione et religione offerant Deo sacrificia, qua obtulerunt Noe, Abraham, Melchisedech, aliique prisci et eximii Sancti. Secundo, tamen τὸ *sicut* potest significare similitudinem in ipso sacrificio. Nam ut ait Lyran. τὸ *sicut* significat analogiam quæ est inter typum et antitypum, inter imaginem et exemplar, inter umbram et veritatem, ac proinde, ut ait Clarius, significat præcellentiam sacrificii Eucharistici præ Aaronicis, q. d. Placebit Deo sacrificium Eucharisticum mirifice, sicut liquet ex ejus typis, imagine et umbris, puta ex sacrificio Noe, Abrahæ, Melchisedech, etc. Si enim hæc, quæ tantum fuerunt typi et umbræ, adeo placuerunt Deo, ut Deus propter ea benedixerit toti eorum familiæ, imo toti orbi ; multo magis placebit sacrificium Christi, quod illorum fuit exemplar, veritas et antitypum, quodque priscis illis omnem vim et dignitatem tribuit, per quam placerent Deo.

5. Et accedam ad vos in judicio.] Redit ad querelam Judæorum dicentium, cap. 2. v. ult. *Ubi est Deus judicii?* Hisce enim respondet : Ecce brevi veniam, *accedam*, et *appropinquabo*, ut vertit Tigurina, *vobis ad judicium*, ut scilicet descendam in carnem, et coram inspiciam impiorum scelera, itaque eorum sim testis oculatus, quæ quasi judex condemnem et puniam. Simili modo, ait Deus, Genes. 18. v. 20 : *Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est, etc. Descendam et videbo utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint, an non est ita, ut sciam.* Quocirca reipsa tres Angeli, repræsentantes Deum trinum et unum, perrexerunt Sodomam, ubi ab incolis appetiti ad stuprum, cœlitus pluerunt super eos ignem et sulphur, quo omnes conflagrarunt. Pergit loqui Propheta de primo Christi adventu in carnem, quo Christus venit ut scelera inspiciat, eorumque sit testis, quæ deinde partim in hac vita et morte punit, partim in extremo judicio puniet. Unde Chald. vertit : *Et revelabor super vos, ut faciam judicium, et erit verbum meum contra vos in testem, etc.* Ita Rupert. Arias, Ribera et à Castro. Alii passim censent Prophetam hîc transire à primo Christi adventu in carnem, ad secundum, quo veniet ad judicium, quando ipse, ut ait S. Hieron. simul erit judex et testis, occultissimorum etiam criminum, adulteriorum, etc. quæ hîc recensentur. Ita et Theodor. Remig. Hugo, Lyran. et Vatabl. Christus enim judex simul erit *testis velox ;* Tigurin. *festinus ;* Vatabl. *promptus ;* quia eum nihil latet, sed qua Deus omnia videt, qua homo omnia cognoscit per scientiam infusam, æque ac beatificam. Quocirca impiis dicet : Ego vidi, ô Juda, tuam occultam avaritiam, quæ te impulit ad me prodendum Judæis. Ego vidi, ô Roberte, tuam occultam pollutionem, fornicationem, adulterium. Ego vidi, ô Nicolae, tua occulta prava desideria, tuas ulciscendi cupidines, tuas cædis machinationes. Ego vidi, ô Simon, tuas occultas simonias, ambitiones, invidias, etc. Nonne ita est? si neges, conscientia tua Christo testis erit, teque mentiri clamabit. Quocirca totus mundus videbit æquissimum esse Christi judicium et sententiam qua dicet : Ite adulteri, ite homicidæ, ite simoniaci, ite ambitiosi, ite invidi, ite maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et Angelis ejus. Uterque sensus huic loco congruit. Christus enim cœpit esse judex et testis in primo adventu, sed utrumque perficiet in secundo, puta in die judicii. *Testis* ergo per catachresin hîc idem est quod judex. Sic Christus vocatur testis fidelis, id est judex, Rex et Princeps, Apocal. 1. 5. Vide ibi dicta.

Qui calumniantur mercedem mercenarii.] Hoc est, ut Chald. et Septuag. *Qui auferunt violenter mercedem mercenarii ;* Pagnin. *Qui vi retinent ;* Vatablus : *Qui opprimunt ;* Tigurina : *Qui mercenarium mercede fraudant.* Hebr. enim עשק *asac* significat per calumniam, vim vel dolum fraudare alium re, vel jure suo. Unde additur : *Viduas et pupillos*, supple et repete, *calumniantur*, fraudant et opprimunt. Nam τὸ *humiliant*, quod quædam Biblia habent, expungunt Romana, æque ac Hebræa. Unde Septuag. vertunt : *Qui opprimunt per potentiam viduas, et percutiunt pupillos.*

Opprimunt peregrinum.] Septuag. et Chald. *Qui pervertunt judicium advenæ ;* Pagnin. hebr. מטי *matte* reddit ad verbum, *pervertentes peregrinum ;* Tigurin. *aversantur peregrinum.*

6. Ego enim Dominus, et non mutor.] Hebr. לא שניתי *lo scaniti*, id est, ut Septuag. *non sum mutatus ;* Pagnin. *non mutavi me*, id est non mutor. Hebræi enim quia carent verbo præsenti, idcirco illud exprimunt per præteritum. Jam sensus est primo, q. d. Comminatio mea firma est, impleo quod prædixi, ait Vatabl. Minor hîc adulteris, perjuris, oppressoribus pauperum vindictam, præstabo illam. Secundo, q. d. Non sum mutabilis, mobilis et inconstans, ut nunc hoc, mox aliud velim, sed semper scelera et sceleratos odi et punio. Tertio, S. Hieron. *Quod sequitur,*

inquit, *ego Dominus*, *et non mutor*; *idcirco ponit*, *quia supra dixerat*: *Ipse quasi ignis conflans*, *et quasi herba fullonum*, *ne putemus eum divinitatis mutare naturam*, *cum pro nobis aut Angelus*, *aut ignis*, *aut borith nominatur*. Quarto, alii referunt ad id quod sequitur: *Et vos filii Jacob, non estis consumpti*, q. d. Ego vos, licet perversi sitis, non consumpsi, quia misericordia mea, quam patribus vestris promisi, est constans et immutabilis: *Ego enim Dominus*, *et non mutor*, juxta illud Thren. 3. 22: *Misericordiæ Domini*, *quia non sumus consumpti*, *quia non defecerunt miserationes ejus.* Aut, q. d. Vos, ô Judæi, calumniamini me esse mutabilem, quod contra promissa patrum vos consumpserim. At erratis: nec enim ego sum mutatus, nec vos consumpsi. Quinto, q. d. Vos, ô Judæi, mutamini, itisque de scelere in scelus; at ego in sententia et judicio meo sum constans et immutabilis. Sexto, ex adverso Rupert. q. d. Ego sum immutabilis in bono, vos estis obstinati et immutabiles in malo: *A diebus enim patrum vestrorum recessistis à legitimis meis*, ut sequitur. Septimo, Chald. vertit: *Ego enim Dominus*, *non mutavi pactum meum quod à seculo est; et vos domus Israel putatis quod quicunque moritur in hoc seculo*, *judicium ejus cessat*, q. d. Vos putatis impios non puniendos, eo quod multi impuniti maneant in hoc seculo. At erratis, puniam enim eos in futuro. Nam in judicio et justitia, ab æterno à me decreta constans sum et non mutor. Octavo et genuine, vox *enim* dat causam præcedentium, q. d. Vos, ô Judæi, calumniamini me, jactando illud cap. præced. v. ult. *Omnis qui facit malum bonus est in conspectu Domini*, *et tales ei placent.* Censetis enim me mutasse indolem, quasi qui olim bonos amarim, malos oderim; nunc mutata mente bonos odiam, et affligam, malos amem et ditem; eo quod infideles Chaldæos prosperaverim, vos vero fideles meos eis vastandos tradiderim. Hinc dicitis: *Ubi est Deus judicii?* Huic calumniæ ego respondi v. præcedenti, edixique: *Accedam ad vos in judicio*, *et ero testis velox maleficis*, *etc.* q. d. Licet ad modicum tempus differam judicium et vindictam impiorum, tamen certo et brevi ad illam accedam, eamque peragam. Nam constanter bonos amo et præmio, malos constanter odi et punio, sed suo tempore. Cujus rei causa est mea, tum in natura, tum in dictis et decretis constantia et immutabilitas: *Ego enim Dominus*, *et non mutor.* Ita S. Cyrillus, Theodor. Remig. Rupert. Hugo, Lyran. et Vatablus.

Nota: Immutabilitatis Dei causa, vel potius ratio prima, ait D. Thom. 1. p. q. 9, est plenitudo et perfectio naturæ, puta divinitatis. Hæc enim cum omnia bona in se habeat et possideat firmiter, necessario et naturaliter, hinc mutari nequit, ut aliud aliquid bonum quærat vel ambiat, cum omnia habeat in se essentialiter. Hinc nomen ejus est *Jehova*, id est, *qui est. Ego sum qui sum*, Exodi 3. v. 14. Vide ibi dicta. Celebre est illud Trismegisti in Pimandro: *Sicut mundi partes sunt cœlum, aqua, terra, et aer; sic membra quasi Dei sunt vita*, *immortalitas, necessitas, providentia, natura, anima*, *mens*, *horumque omnium participatio*, *ipsum bonum: neque fit aliquid usquam*, *neque est factum ubi Deus non adsit.* Divinius Cassiodorus in psalm. 47: *Magnus Dominus*, etc. *Deus,* inquit, *est virtus inexplicabilis*, *pietas incomprehensibilis*, *sapientia ineffabilis, cujus definitio est, finem in Sanctorum laudibus non habere.* Jam quia Deus immutabilis est natura, hinc et immutabilis est voluntate, ut quod semel vult, semper velit: quia voluntas sequitur naturam, imo in Deo voluntas idem est cum natura.

Secunda, quia Deus est actus purus, nihil habens admixtum potentialitatis; quidquid autem mutatur, est aliquo modo in potentia ad id quod mutatur, ait D. Thom. loco jam citato. Huc spectat illud Apostoli: *Qui solus habet immortalitatem*, 1. Tim. 6: *Quia omnis mutatio quædam mortis imitatio est*, ait S. Bernard. mox citandus. Hinc psalm. 101. dicitur: *Sicut opertorium mutabis eos*, *et mutabuntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Et Num. 23: *Non est Deus quasi homo*, *ut mentiatur; nec ut filius hominis, ut mutetur.* Præclare S. Gregor. Nyssen. in Expositione orationis Dominicæ, ad illa verba: *Adveniat regnum tuum: Nunquid,* ait, *nunc regem fieri vult universi regem*, *qui semper est quod est*, *qui ad omnem mutationem firmus et immobilis est, qui non potest reperire melius quidquam, in quod transeat?*

Tertia, Deus est immutabilis, quia est simplicissimus, cui nihil addi vel accedere potest. Ita S. August. lib. 11. de Civit. c. 10: *Est itaque,* ait, *bonum solum simplex, et ob hoc solum incommutabile, quod est Deus.* Idem, l. 6. de Trinit. c. 6: *Nihil simplex*, *mutabile est.* Et auctor. libr. de Essentia divinitatis apud S. August. in principio: *Ideo,* ait, *Deus immutabilis dicitur, quia in natura ejus ira, furor, pœnitentia, oblivio, recordatio*, *et alia his similia nullo modo accidunt. Simplex enim natura est, et immutabilis, atque imperturbata; neque aliud est ipse, aliud quod habet et quod est,* juxta illud Jacobi, 1. v. 17: *Apud quem non est transmutatio*, *nec vicissitudinis obumbratio.* Quocirca Tertull. vel potius Novatianus, lib. de Trinitate, cap. 4: *Immutatio,* inquit, *portio est mortis. Nam et incrementa originem monstrant, et detrimenta mortem atque interitum probant. Et ideo: Ego,* ait Malach. 3, *sum Deus, et non sum mutatus: statum suum tenens semper, dum id quod natum non est, converti non potest. Hoc enim in ipso quidquid illud potest quod est, Deus semper sit necesse est, ut semper sit Deus, servans sese virtutibus suis. Et ideo dicit: Ego sum qui sum.*

Quartam dat S. Anselm. in Prosol. c. 22: *Tu solus,* ait, *Domine, es quod es. In quo est aliquid mutabile, non omnino est quod est: et quod habet fuisse, quod jam non est; et futurum, quod nondum est, id non est proprie et absolute: tu vero es quod es; quia quidquid aliquando aut aliquo modo es, hoc totus ac semper es: et tu es, qui proprie ac simpliciter es.* Quia quod mutatur perdit aliquid esse, et aliud esse acquirit: Deus autem nihil potest perdere, vel acquirere. Unde S. August. lib. 11. Confess. 10: *In quantum,* ait, *quisque non est quod erat, et est quod non erat, in tantum moritur et oritur.*

Quintam dat S. August. lib. 11. Confess. c. 10. et 11. et lib. 12. cap. 15. Quia voluntas Dei æterna est, et quidquid in tempore per totam seculorum seriem operatur, idipsum simul et semel ab æterno voluit et decrevit. Implicat autem ut quod ab æterno efficaciter voluit, hoc in tempore non fiat, aut ut contrarium ejus fiat. Sic enim elideretur æternum Dei decretum. Ce-

lebre est illud Platonis : *In Deo est providentia et sapientia æterna : in cœlis est fatum : in terra rebusque particularibus est contingens et novum.*

Sextam dat S. August. l. 11. de Civit. c. 21. Quia omnia præterita et futura sunt Deo præsentia, et in omnia ut præsentia fertur Dei scientia, voluntas et providentia. Sicut ergo quod circa rem præsentem volo, non possum non velle; ita quod Deus vult circa futura, non potest non velle, quia futura sunt ei præsentia.

Tropol. S. Gregor. Nazianz. orat. 27. hæc applicat viro in virtute forti et constanti. Hic enim, ait, *divinum aliquid sentiens, his quoque Dei verbis uti possit : Ego idem sum, et non mutor. Quare nec ab animo suo migrabit, nec immutabitur cum temporibus ac rebus, aliàs alios mores induens, ac novos subinde colores assumens, non secus ac polypi petrarum, ad quas accesserint, colores referunt ; sed idem semper, suique similis permanebit, fixus in rebus minime fixis, immotus in incertis et fluctuantibus, non aliter ac rupes quædam ventorum fluctuumque impetu non modo non concutitur, sed etiam incursantes undas circa se frangit atque absumit.*

Moral. hìc disce : Nomen Dei est : Ego sum qui sum, idem semper, constans et immutabilis : Ego Dominus, et non mutor; sum inflexilis in sententia, immutabilis in decretis; certæ sunt meæ minæ, certa promissa. Pii ergo, credite et sperate gloriam æternam; impii, timete et fugite ignem æternum. Ex adverso titulus et nomen hominis, Angeli, et cujuslibet rei creatæ est : Ego creatura sum, et mutor, muto consilia, muto animum, muto decreta, muto desideria et amores, denique versor in continua mutatione et motu. Natura enim creata cum sit dependens, imperfecta, imminuta, defectiva, mobilis; hinc perpetim mutatur. Quocirca qui in hominibus aliisque creaturis spem et amorem defigunt, in perpetna fame, siti, desiderio, metu, motu, alteratione et alternatione versantur, juxta illud Thren. 1. v. 8 : *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est.* Qui enim adhæret mobili, cum eo moto moveatur necesse est. Ex adverso vis esse constans et immobilis? adhære incommutabili naturæ et bono, quod est Deus. Deus enim in sua immutabilitate est immutabilis, sicut ex adverso homines et creaturæ in sua mutabilitate sunt immutabiles, quia perpetuo mutantur : nam nunc volunt, mox nolunt; nunc amant, mox odiunt; nunc placent, mox displicent; nunc favent, mox adversantur; nunc volunt, sed non valent; mox valent, sed non volunt; nunc summi sunt, mox imi; nunc vivi, mox mortui. Vere S. Bernard. serm. 81. in Cantic. citans hæc verba Malachiæ: *Ego Dominus, et non mutor : Omnis*, inquit, *mutatio quædam mortis imitatio est. Omne enim quod mutatur, dum de uno ad aliud transit esse, quodam modo necesse est moriatur quod est, ubi esse incipiat quod non est. Quod si tot mortes, quot mutationes, ubi immortalitas?* Præclare S. Aug. lib. 1. Confess. c. 6 : *Apud illum*, ait, *rerum omnium instabilium stant causæ, et rerum omnium mutabilium immutabiles manent origines, et omnium irrationabilium et temporalium sempiternæ vivunt rationes;* et ut ait Boetius :

Stabilisque manens dat cuncta moveri.

Et Prosper, sententia 145 : *Æterna et incommutabilis est voluntas ejus, nec consilio alternante variatur, in qua simul est quidquid in rebus creandis, vel ordinandis præcessit, aut sequitur.* Eodem pertinent quæ scribit D. August. lib. 1. Confess. cap. 4 : *Immutabilis mutans omnia, nunquam novus, nunquam vetus, innovans omnia, et in vetustatem deducens superbos, et nesciunt; semper agens, semper quietus, colligens et non egens, portans et implens et protegens, creans et nutriens et perficiens. Quæris, cum nihil desit tibi; amas nec æstuas, zelas et securus es; pœnitet te, et non doles; irasceris, et tranquillus es; opera mutas, nec mutas consilium; recipis quod invenis, et nunquam amittis; nunquam inops, et gaudes lucris; nunquam avarus, et usuras exigis. Supererogatur tibi ut debeas, et quis habet aliquid non tuum? reddis debita nulli debens, donans debita nihil perdis*, etc.

Hæc est primæva et increata in Deo immutabilitas, quæ omnis stabilitatis et immutabilitatis est fons, origo et causa tam in Angelis, cœlis, mundo, quàm in hominibus. Ad eam ergo ascende, ô anima, illi inhia, illi te affige, si solida, si firma esse cupis. Transcende maris hujus fluctus, transvola mundi turbines : nil te moveant illecebrosæ opes, dignitates et pompæ, quæ in momento pertranseunt : non te terreant pauperies, morbi, ærumnæ, persecutiones, quæ sæpe subito, et semper in morte finiuntur. In cœlo habita, in Deo commorare : ibi fixa, imperturbata conquiesces. Ibi super omnium mutabilium sphæras, supra anni solisque vias elevata, ex alto despicies hoc terræ punctum: videbis et ridebis vana hominum studia, vanos labores, vanos mundanorum amores et honores, quasi puerorum crepundia. Miraberis, imo miseraberis exilem hominum sortem, et exiliorem mentem, ac nugacem nugarum hujus mundi fascinationem, sensum simplicem pervertentem, atque cum Poeta exclamabis :

O curas hominum, ô quantum est in rebus inane! Præclare S. Gregorius, lib. 26. Moral. c. 28 : *Anima*, inquit, *ad illum suspensa est, à quo formata. Et quia ad Deum solum appetendum facta est, omne autem quod infra appetit, minus est, jure ei non sufficit, quod Deus non est. Hinc est quod huc illucque spargitur, et ab unaquaque re fastidio impellente removetur*, etc. *Sancti autem viri, quia cauta se observatione custodiunt, ne ab intentione sua mutabiliter dissolvantur, et quia idem esse appetunt ad cogitationem qua Deum diligunt, se solerter astringunt. In contemplatione namque Creatoris hoc accepturi sunt, ut una semper mentis stabilitate perfruantur : nulla eos tunc mutabilitas dissipat, quia scilicet eorum cogitatio sibimetipsi semper indissimilis perseverat. Hoc ergo cum labore nunc conantes imitantur, quod post gaudentes in munere accipiunt. Cui se Propheta immutabilitati virtute amoris astrinxerat, cum dicebat : Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini. Huic Paulus unitati intentione adhæserat, dicens : Unum autem, quæ retro sunt oblitus, ad ea quæ ante sunt extentus, sequor ad palmam supernæ vocationis Christi.*

Et vos, filii Jacob, non estis consumpti.] Apte hæc cohærent cum eo quod præcessit, q. d. Ego sum Deus qui non mutor : sicut enim non muto minas, sententiam et vindictam in adulteros, perjuros, aliosque maleficos; ita vicissim non muto misericordiam quam patribus vestris promisi. Nam non consumpsi vos, cum juste id fa-

cere possem : *A diebus enim patrum vestrorum recessistis à legitimis meis.* Secundo, q. d. Licet constanter malos oderim, vestra tamen peccata non punivi plane et omnino, uti merebantur : nec enim vos consumpsi, sed toleravi ex amore, quo constanter patres vestros vosque eorum filios prosequor, exspectans ut resipisceretis. Unde vos hortor ad pœnitentiam, dicoque : *Revertimini ad me, et revertar ad vos.* Tertio, Sept. vertunt : *Vos, ô filii Jacob, non recessistis à peccatis patrum vestrorum;* Tigurina : *Vos, o filii Jacob, nequaquam desistitis;* alii : *Non facitis finem, non cessatis* (Hebr. enim כלה *cala* significat finire, complere, cessare (scilicet me offendere, et irritare, q. d. Ego differo vindictam impiorum, exspectans vos ad pœnitentiam : at vos ex adverso peccata peccatis cumulatis. Facitis sicut pueri cervicosi, qui blande vocati à parentibus dorsum obvertunt, fiuntque duriores instar bubalorum, qui quo magis attrahuntur à bubalariis, eo magis reniluntur et retrocedunt. Aut, q. d. Ego non mutor à bono; vos autem non mutamini à malo : ego sum immutabilis in sanctitate; vos immutabiles estis in perversitate. Ita Rupert.

7. A LEGITIMIS MEIS,] à legibus meis; Tigurina : *A statutis meis;* Pagnin. *Ab institutis meis.*

REVERTIMINI AD ME, per pœnitentam, ET REVERTAR AD VOS] per gratiam, amicitiam, beneficentiam. Prior enim est pœnitentia peccatoris, quàm sit ejus justificatio et reconciliatio cum Deo : tamen prior est gratia excitans Dei, qua pulsat mentem peccatoris, ut revertatur et pœniteat, quàm sit ejus pœnitentia. Peccator enim jacet sopitus in somno, imo morte peccatorum, à qua excitari nequit, nisi per vocem et gratiam Dei cor tangentis et excitantis, sicut hic Judæos prævenit et excitat, dicens : *Revertimini ad me.* Ita hunc locum, et similes explicat Conc. Trident. sess. 4. cap. 5. ubi docet : *Justificationis exordium in adultis, à Dei, per Christum Jesum, præveniente gratia sumendum esse,* etc. *ut qui per peccata à Deo aversi erunt, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se, ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo et cooperando disponantur.* Et mox : *Unde in sacris Litteris cum dicitur : Convertimini ad me, et ego convertar ad vos, libertatis nostræ admonemur. Cum respondemus : Converte nos, Domine, ad te, et convertemur; Dei nos gratia præveniri confitemur.* Peccator ergo ut à peccato resurgat, cum id non possit viribus suis, sed Dei, crebro oret : Converte me, Domine, ad te, et convertar.

8. SI AFFLIGET HOMO DEUM.] Ita et Tigurina. Hebr. est קבע *kaba*, quod incertæ est significationis : unde varie à variis vertitur. *Kaba* hebr. multa significat. Primo, Septuag. et alii putant *kaba* per metathesin esse idem quod עקב *akab*, id est supplantavit, conculcavit, oppressit. Unde Septuag. vertunt : *Si supplantabit homo Deum, quia vos supplantastis me.* Alludit ad nomen Jacob, q. d. Vos, ô filii Jacob, imitamini patrem vestrum, sed perverse : Jacob enim rapuit jura primogenituræ Esau fratris sui, sed jussu matris, et voluntate Dei; unde vocatus est Jacob, id est supplantator : vos vero mihi invito rapitis meas decimas et jura : unde inverso nomine voco vos *kabobæos*, non Jacobæos. Secundo, Pagnin. et Vatabl. *kaba* vertunt, rapere, fraudare, extorquere, spoliare. Unde Pagnin. vertit : *Nunquid rapiet homo quæ Dei sunt, quia vos rapuistis mea?* Vatabl. *Nunquid spoliare debet homo Deum, quia vos spoliastis me?* Spoliat homo Deum, quando illius ministris subtrahit decimas, et alia ad victum necessaria. Aquila, Symmach. et Theodot. vertunt : *Nunquid homo fraudabit Deum?* scilicet suis decimis et juribus. Tertio, R. Abraham *kaba* vertit, corrumpere, perdere. Quarto, Syrus et Arabicus Alexand. vertunt : *Nunquid opprimit homo Deum, sicut vos opprimitis me?* Et Arabicus Antioch. *Nunquid homo opprimit Deum, quia vos expulistis* (projecistis, despexistis) *me?* Quinto, *kaba* Chaldæorum et Syriorum lingua, inquit S. Hieron. significat affigere. Omnes hæ versiones eodem collimant : sensus enim est, q. d. An æquum est, jus et fas, ut homo Deum suum contristet et affligat, perinde ac si eum clavo aut lancea configeret? contristet, inquam, defraudando decimas, quibus alendi erant ejus ministri; quo fit ut illi ob paupertatem diffugiant, et Deum Deique cultum relinquant : itaque Dei religio et veneratio negligitur, calcatur, pessundatur. Annon hoc Deum affligat, et quasi cruci affigat? Ita Remig. Albert. Hugo, Lyran. Ribera et alii. Loquitur Deus humano more et anthropopathῶs.

Mystice, S. Hieron. (qui putat hunc esse sensum litteralem) hæc refert ad crucifixionem Christi : *Unde et nos,* inquit, *ante plurimos annos vertimus, Affiget, magis ad mysterium Dominicæ passionis, in qua homines crucifixerunt Deum, quàm ad decimas ac primitias scripta referentes.* Porro iis quæ sequuntur hæc de cruce ita connectit, q. d. *Ut me affigeretis cruci, ut sceleratas manus injiceretis Deo vestro, multarum ante rerum meditatione fecistis, subtrahendo decimas et primitias, non dico sacerdotibus meis et levitis, sed mihi, qui eas per Mosen jussi dare,* q. d. Afflixistis me olim sacrilegio decimarum, nunc affixistis me cruci; ac per prius sacrilegium viam stravistis, et gradum fecistis ad posterius Christicidium.

Tropol. omnis peccator dum peccat, peccato suo quasi sagitta in cœlum missa, Deum configit quantum in se est, juxta illud Apost. Hebr. 6. 6 : *Rursum crucifigentes Filium Dei, et ostentui habentes.* Hæc sane consideratio deberet hominem, etiam furentem, à scelere inhibere : Scis quò ruas, ô infelix, dum ruis ad cædem, ad venerem? Ruis ad necem Christi; ut iterum Christum affigas cruci. Inhibe ergo gradum, ne tantum nefas admittas : refrena iram, libidinem, etc. quia ira et libido sunt Christicidium, imo Deicidium. Quot verbera, quot maledicta, quot pollutiones committis, quot clavos adigit per corpus Christi, tot pugionibus cor ejus configis et perfodis.

IN DECIMIS.] Vide hic quàm stricte Deus exigat decimas, quàmque sentiat si eæ negentur, videlicet perinde ac si quis eum clavo, vel pugione transfigeret.

ET IN PRIMITIIS.] Tigurin. *In magnificis donis.* Hebr. est תרומה *teruma*, id est elevatio, hoc est oblatio, quæ elevando offerebatur Deo, ut dixi, Exodi 23. v. 27. ac præsertim primitiæ : hæ enim inter oblationes principem locum tenent. Vide hic rursum quàm Deus gaudeat oblationibus fidelium, ac doleat si eæ desinant, aut minuantur.

9. ET IN PENURIA MALEDICTI ESTIS.] Tigurina : *Exsecratione exsecrati estis;* Vatabl. et Pagnin.

Maledictione ipsa vos estis maledicti. Per maledictionem intelligit negationem pluviæ, indeque terræ sterilitatem, famem et penuriam : horum enim causa est Dei maledictio. Unde paulo post benedictionem huic maledictioni oppositam, vocat pluviam : *Si non aperuero,* inquit, *cataractas cœli, et effudero vobis benedictionem.* Sensus est, q. d. Maledixi vobis, vosque penuria et fame afflixi, *et*, id est quia, pari modo *me vos configitis*, et affligitis egestate et fame, negando decimas et oblationes ; itaque fugatis sacerdotes, ac cultum meum evertitis. Idem eodem tempore questus est apud magistratus Nehemias, cap. 13. 10. ubi suo jussu decimas sacerdotibus, et sacerdotes suis officiis temploque restitutos, enarrat.

Gens tota,] q. d. Non unus, non pauci, sed omnes et tota gens negant decimas; itaque me configunt.

10. Inferte omnem decimam, etc. et probate me super hoc, etc. si non aperuero cataractas.] Tigurina, *fenestras cœli*, id est, ut explicat S. Hieron. si non effudero tam copiosam pluviam, ut cataractæ cœli apertæ esse videantur. Nota : Cataractæ vocantur ex alto defluentes aquæ tanta copia, impetu et fragore, ut ruere potius quàm fluere videantur (Græci enim καταρράττειν defluere dicunt) qualem Tibure cernimus Anienem, et quales esse in Ægypto Nili cataractas legimus, inquit Plinius, lib. 5. 9. Hinc loca ipsa à quibus exeunt aquæ, et præsertim obices et repagula quibus retinentur et coercentur, vocantur cataractæ. Hebræi et Hieron. ab Oleastro in Genes. 7. 11. censent vere has cataractas esse in cœlo, easque fuisse ruptas in diluvio tempore Noe, ita ut per illud cœlum discissum sit in foramina et fenestras, ut per eas ruerent aquæ, terramque mergerent et obruerent. Verum hoc est paradoxum, repugnans sacræ Scripturæ et Physicæ. Est ergo hebræa figura et phrasis : Hebræi enim cœlum claudi dicunt, cum tenet vapores et nubes, ne in pluviam resolvantur et depluant ; aperiri vero ac rumpi, cum aquæ è nubibus magna vi, fragore et impetu erumpunt, perinde ac si cataractas, id est obices objectos, puta ferreas portas, vel fenestras perfringerent. Sic et Latini in magnis imbribus, apertas esse cœli cataractas dicere solent. Unde illud ps. 41. 8 : *Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum.* Similia sunt Isaiæ 24. 10. 4. Reg. 7. 2. Vide dicta Genes. 7. 11.

Et effudero (Pagnin. *evacuavero*) vobis benedictionem.] Tigurina : *Omnigenam benedictionem effundam. Benedictionem* vocat imbrem, copiosum, humectantem, et fecundantem agros, itaque producentem copiosam segetem et messem.

Ad abundantiam,] Hebr. בלידי *belidai*, id est : *Usque ad non sufficientiam*, supple vasorum et horreorum, q. d. Tantam abundantiam frugum omnium dabo, ut non sufficiant vobis vasa et horrea, quibus illas excipiatis et recondatis : ita Vatabl. Unde Pagnin. vertit : *Adeo ut non sint sufficientia vobis vasa ;* uti contigit mulieri illi ab Elisæo benedictæ, cui lecythus tantum stillavit olei, ut omnia vasa commodato accepta impleret, adeo ut illa diceret filio : *Affer mihi adhuc vas ; et ille dixit : Non habeo ; stetitque oleum*, 4. Reg. 4. 3. Esto ergo liberalis in Deum, Deique ministros, et senties vicissim Deum multo in te liberaliorem. Nec enim liberalitate à creaturis suis se vinci sinit Creator. Hinc secundo, melius et simplicius hebr. *belidai*, id est, *non sufficientia*, cum sit unum nomen, idem est quod *abundantia :* abundantia enim opponitur sufficientiæ, q. d. Dabo vobis imbres et fruges, non ad sufficientiam, sed ad abundantiam. Unde Arias vertit : *Ultra sufficiens.* Hebr. enim בלי *beli* subinde significat, *absque*, *præter.* Sicut ergo dicimus : Vidi formicas absque numero, id est, innumerabiles, sic Deus promittit hîc imbrem *belidai*, id est, absque sufficientia, vel præter sufficientiam, id est, plusquam sufficientem, puta abundantem et copiosum. Aut certe *beli*, hîc in compositione est mere encliticum, tantumque ornatus causa additur voci *dai*, id est sufficientia, copia, abundantia. A *dai* enim Deus vocatur שדי *saddai*, id est cornucopiæ, ditissimus, abundantissimus, munificentissimus. Unde R. Saadias : Deus, inquit, dicitur *Saddai, eo quod ipse abundet adeo, ut sua abundantia omnes omnium creaturarum defectus expleat.* Hoc secuti videntur Septuag. vertunt enim : *Usque dum sufficiat ;* et Chald. *Adeo ut dicatis : Satis est.* Hebræi enim *dai*, id est sufficientiam, vocant copiam et abundantiam, ut vertit Noster.

Nota : Judæi Babylone redeuntes erant pauperes ; hinc negabant decimas. Pauperes enim ex angusta re familiari contrahunt angustum cor : unde fiunt parci, sordidi, avari, furaces, ac præsertim jura Ecclesiæ debita vel negant, vel carpunt et minuunt. Quocirca sapienter Salomon deprecatur tam paupertatem, quàm divitias, Proverb. 30. 8 : *Mendicitatem*, ait, *et divitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria : ne forte satiatus illiciar ad negandum, et dicam : Quis est Dominus ? aut egestate compulsus furer, et perjurem nomen Dei mei.* Durum enim telum est necessitas. Quocirca Deus huic eorum malo et miseriæ occurrens, angustum eorum cor elidit, et dilatat, docens si liberales sint in Deum et sacerdotes, percepturos à Deo benedictionem rerumque abundantiam. Sciatis, inquit S. Hieron. vos perdidisse abundantiam, quia fraudastis me parte mea. Moneo igitur ut reddatis mihi mea, et ego restituam vobis vestra. Idem iisdem eodem tempore promisit Aggæus, c. 2. 20. et Zachar. c. 2. 4. Scripsit de reddendis decimis S. August. serm. 219, de Tempore, tom. 10, ubi inter cætera citans hæc Malachiæ verba, ex eo hæc colligit axiomata. Primum : *Decimæ sunt tributa egentium animarum. Redde ergo tributa pauperibus, offer libamina sacerdotibus.* Secundum : *Non eget Dominus Deus, non præmium postulat, sed honorem.* Tertium : *Primitias rerum et decimas dignatur petere, et negas avare?* Quartum : *Quid faceres, si novem partibus sibi sumptis, tibi decimam reliquisset?* Quintum : *Quod certe jam factum est, cum messis tua pluviarum benedictione subtracta, jejuna defecit; et vindemiam tuam aut grando percussit, aut pruina decoxit. Quid avide supputas ? Novem tibi partes retractæ sunt, quia decimam dare noluisti. Hæc est enim Domini justissima consuetudo, ut si tu illi decimam non dederis, tu ad decimam revoceris.* Sextum : *Dabis impio militi, quod non vis dare sacerdoti.* Septimum : *Decimæ ex debito requiruntur, et qui eas dare noluerit, res alienas invasit.* Octavum : *Quanti pauperes in locis ubi ipse habitat, illo decimas non dante, fame mortui fuerint, tantorum homicidiorum reus ante tribunal æterni judicis apparebit : quia à Domino pauperi-*

bus delegatam, suis usibus reservavit. Nonum: *Ecce annus jam finitus est, redde Domino pluenti mercedem.* Decimum: *Non de tuo aliquid exigit, quod refundas,* sed suum, imo suî partem decimam reposcit. Vide de Decimis Conc. Trident. sess. 25. c. 12. et ea quæ dixi in Deuter. cap. 14. in fine, et Numer. 18. in fine.

11. INCREPABO, id est, prohibebo quasi increpans (est catachresis) DEVORANTEM,] scilicet segetes vestras, puta locustam, q. d. Præcipiam locustis, easque cohibebo, ne depascantur vestras fruges, ne vastent vestra sata. Unde explicans subdit: *Et non corrumpet fructum terræ vestræ.*

12. ERITIS ENIM VOS TERRA DESIDERABILIS.] Primo, Septuag. subintelligunt *sicut*, unde vertunt: *Vos eritis sicut terra voluntaria,* id est volita et desiderabilis, q. d. Eritis virentes, florentes, prosperi, abundantes omnibus frugibus et opibus. Ita Cyrill. aut, ut Vatablus, q. d. Vos eritis homines habitantes terram fertilissimam et amœnissimam.

Secundo, potest esse epexegesis: *vos*, id est, terra vestra erit *desiderabilis;* Tigurina, *optata,* q. d. Omnes gentes optabunt habitare in terra vestra, utpote benedicta à Deo, ideoque frugibus abundante. Ita S. Hieron. Remig. Hugo, Lyran.

Tertio, Hebr. ad verbum est: *Vos eritis terra* חפץ *chephets*, id est voluntatis, complacentiæ, desiderii, in qua scilicet complacebit sibi Deus, quamque benedicet bonisque omnibus cumulabit: quia enim vos obeditis Deo, eumque colitis dando ei decimas et primitias; hinc vicissim Deus sibi complacebit in vobis, ac propter vos in terra vestra, ut per eam ejusque fertilitatem vos locupletet et beet. Unde Chald. vertit: *Habitabitis in terra domus majestatis meæ, et fiet in ea voluntas mea, dicit Dominus*, q. d. Quia vos facitis voluntatem meam, hinc vicissim voluntas et complacentia, indeque beneficentia mea effundet se in vos et in terram vestram, in eaque commorabitur et conquiescet. Sic Judæa à Daniele, cap. 11. 16, vocatur *terra inclyta*, hebr. צביה *tsebiia*, id est gloria, decor, voluntas, beneplacitum, desiderium, res dilecta et grata instar capreoli. Vide ibi dicta.

Allegor. Ecclesia et anima sancta est terra *chephets*, in qua scilicet sibi complacet Deus, juxta illud Isaiæ 62. 2: *Videbunt gentes justum tuum, et cuncti reges inclytum tuum, et vocabitur tibi nomen novum quod os Domini nominavit. Et eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis ultra Derelicta, etc. sed vocaberis Voluntas mea in ea, et terra tua inhabitabitur: quia complacuit Domino in te.* Eadem in Cant. 2. 9. vocatur *tsebiia*, id est, caprea amabilis et gratiosa, quia sponsus ejus est Christus gratiosissimus, ut capreolus: *Similis*, inquit, *est dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum.* Et vers. 17: *Revertere, similis esto, dilecte mi, capreæ hinnuloque cervorum super montes Bethel.* Et cap. 4. 5: *Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis donec aspiret dies, et inclinentur umbræ.* Et Jerem. 3. 19: *Quomodo ponam te in filios, et tribuam tibi terram desiderabilem, hæreditatem præclaram exercituum Gentium?* Hebr. est hæreditatem צבי צבאות *tsebi tsiboth*, id est, *gloriæ caprearum*, vel jucunditatis jucunditatum, id est, summe amabilis, charissima et jucundissima.

13. INVALUERUNT SUPER ME,] id est, contra me. Redit Propheta ad blasphemiam Judæorum, c. 2. vers. ult. quia frequens erat in ore eorum. Pro *invaluerunt* hebr. est חזקו *chazcku*, id est, roborata sunt. Primo, quia contentiose, valide et clamose persistitis, imo crescitis in vestra blasphemia, jugiterque illud mihi occlamatis: *Vanus est qui servit Domino.* Ita Lyran. et à Castro. Secundo, quia hæ vestræ assiduæ et rixosæ blasphemiæ mihi valde graves et molestæ accidunt, meque quasi lapide molari aggravant et opprimunt. Ita S. Hieron. Remig. Haymo et Arias. Tertio, Tigurina vertit: *Superant me verba vestra,* quia scilicet vos vestris clamoribus et blasphemiis plures avertitis à me, quàm Prophetæ mei suis concionibus ad me convertant: sicut hæretici plures pervertunt, quàm Catholici convertant. Omnes enim naturaliter propendent, imo ruunt in libertatem carnis quam prædicant hæretici, et abhorrent à continentia et vitæ severitate, quam prædicant Catholici.

ET DIXISTIS: QUID LOCUTI SUMUS CONTRA TE?] Hebr. נדברנו *nidbarnu*, utpote in *niphal*, significat assiduam et continuam locutionem. Unde Chald. vertit: *In quo multiplicavimus sermonem contra te?* Audi eorum murmura contra Dei providentiam, justitiam et sanctitatem.

VANUS EST QUI SERVIT DEO.] Tigurina: *Frustra servitur Deo;* Chald. *Nihil lucratur qui colit coram Domino*, nimirum:

Vulgus amicitias utilitate probat.

Vanus ergo, id est indonatus, irremuneratus, quia nullum servitutis suæ recipit lucrum, aut præmium. Hoc est judicium mundi, quo mundani vanos censent viros pios, justos, sinceros, austeros, præsertim cum vident eos depauperari, despici, deprimi, affligi: quia vera bona virtutis et gloriæ æternæ ignorant; sed omnia metiuntur præsenti aspectu, sensu et gustu; uti faciunt pueri, porcelli et bruta. Ac proinde ipsimet vani sunt, quia nonnisi caducis et vanis pascuntur. Ita uxor Job ei afflicto insultabat, dicens: *Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo, et morere.* Cui sapienter Job, æque ac generose respondit: *Quasi una de stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* Job 2. 10. Sic Tobiam, occasione officii sepulturæ excæcatum, irridebant cognati, dicentes cap. 2. 15: *Ubi est spes tua, pro qua eleemosynas et sepulturas faciebas? Tobias vero increpabat eos, dicens: Nolite ita loqui, quoniam filii Sanctorum sumus, et vitam illam exspectamus quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* Sane si justi non haberent spem alterius et melioris vitæ, vane se affligerent, et frustra aliorum afflictiones sustinerent. Nam, ut ait Apost. 1. Corinth. 15. 19: *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Nunc autem quia speramus aliam vitam, beatam et æternam, pro modicis vitæ hujus tribulationibus; hinc feliciores sumus omnibus hominibus. Ita S. Casimirus Dux Lithuaniæ, et filius Casimiri regis Poloniæ, cum in morbum incidisset, medicique assererent ab eo liberari non posse, nisi uxorem duceret, respondit: *Eligo virgo mori: non enim novi aliam vitam, nisi cœlestem immortalitatem.* Quocirca ne virginitatis propositum in-

fringeret, maluit occumbere, fierique Deo castitatis victima, ut in æternum cum Deo et Agno, Angelus inter Angelos viveret. Ita habet ejus Vita.

QUIA AMBULAVIMUS TRISTES.] Hebr. קדורנית *kedorannit*, id est, ut Tigurina, *pullati*, atrati, quasi mœsti, afflicti et pœnitentes; Pagnin. *humiles*; Septuag. *supplices*; Chald. *in depressione spiritus*. Unde per antithesin subditur:

15. ERGO NUNC BEATOS DICIMUS ARROGANTES,] qui audent omnia, ideoque se extollunt, et dominantur modestis, eosque calcant et affligunt, uti quotidie videmus.

SIQUIDEM ÆDIFICATI SUNT,] id est, prolibus, et simul domibus, villis, opibus, deliciis, honoribus aucti sunt impii. Est hebraismus.

TENTAVERUNT DEUM,] id est, ad iram provocaverunt. Unde Septuag. vertunt: *Restiterunt Deo*. Secundo, magis genuine et nervose, *tentaverent*, Hebr. בחנו *bachanu*, id est, probaverunt Deum, q. d. Impii suis sceleribus non contenti, alia aliis, et numero, et gravitate enormia addiderunt, ad hoc, ut experirentur an esset numen scelerum vindex. Voluerunt ergo sua audacia et improbitate movere Numini bilem, ut viderent an concitaretur ad se vindicandum. Verum cum viderent non esse vocem, neque sensum, Deumque nullam iræ, nullam vindictæ dare significationem; sed ex adverso se impune peccare, liberos esse ab omni pœna, imo omnia sibi ex voto fluere et prospere succedere, tunc velut victores, imo debellatores Numinis, quasi nullum esset, vel impotens ad vindicandum, securi in sua impietate vivere, luxuriari et lascivire cœperunt. Ita à Castro.

16. TUNC LOCUTI SUNT,] q. d. Tunc justi et pii sibi contra blasphemos et atheos defendendam susceperunt Dei causam, puta providentiam et justitiam, atque ad id se mutuo cohortati sunt, nimirum asserendo illa quæ à patribus, et è Scriptura didicerant, scilicet Deum in hac vita multa dissimulare et impunita relinquere, ut acrius et plenius ea puniat in futura, utque in die judicii generalem in omnes exerceat justitiam. Ita S. Hieron. et passim alii, uno excepto Aria, qui vertit: *Tunc vastati sunt timentes Dominum*, scilicet ab impiis et atheis impune eos invadentibus: quia, inquit, hebr. דבר *dibber*, id est loqui, subinde significat vastare, perdere, ut psalm. 2. 5. et 2. Paral. 22. 10. Unde דבר *deber* significat pestem et mortem.

ET ATTENDIT DOMINUS.] Aliqui putant hæc esse verba piorum, quæ scilicet ipsi locuti sunt ad defendendam Dei providentiam, q. d. Deus non negligit, sed attendit dicta et facta tam justorum, quàm iniquorum, eaque in libro memoriæ suæ conscribit, ut in die judicii ea depromat, publiceque legat et judicet. Ita Lyran. et Clarius.

Melius alii censent esse verba Prophetæ, q. d. Deus tam impiorum blasphemias, quàm piorum apologias attendit, easque in libro monumenti, id est memoriæ, conscripsit, idque in gratiam piorum timentium se et cogitantium nomen ejus, qui scilicet nomen et gloriam Dei assidue cum veneratione cogitant, invocant, prædicant et celebrant, ut in die judicii eorum erga se fidem, religionem et pietatem toti mundo ostendat et æterna corona præmiet. Ita S. Hieron. Theodor. Remig. Rupert. Hugo et alii.

Nota: *Liber monumenti* est liber memoriæ, ut habent Hebræa et Græca. Syrus et Arabicus Antiochen. vertunt: *Scriptus est liber recordationis;* Arabicus Alexandr. *Audivit Dominus hoc, et scripsit librum in quo est hoc, et fecit illum memoriam* (recordationem) *coram omnibus timentibus Dominum, ut timeant nomen ejus.* Deus enim in sua memoria, quasi in libro monumenti annotat et conscribit singulorum hominum dicta et facta, ut in die judicii ea ex illo legat coram omnibus hominibus et Angelis, ac cuique pro meritis vel demeritis præmium vel pœnam decernat. Unde de eo ait Daniel c. 7. 10: *Judicium* (id est, Deus judex cum Sanctis, quasi suis assessoribus) *sedit, et libri aperti sunt.* Et Joannes Apocal. 28. 12: *Libri aperti sunt: et alius liber apertus est qui est vitæ; et judicati sunt mortui ex his quæ scripta sunt in libris, secundùm opera ipsorum.* Vide ibi dicta. Hic ergo *liber timentium Deum*, est liber prædestinationis, qui alibi vocatur *liber Dei.* Unde Exodi 32, Moses ait Deo: *Aut dele me de libro tuo quem scripsisti;* et *liber viventium*, ut psalm. 68. 29: *Deleantur de libro viventium.* Idem vocatur *liber cœli. Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlo*, Lucæ 10. 20. Idem à S. Joanne in Apocal. crebro vocatur *liber vitæ:* quia in eo Deus Sanctos et electos conscripsit ad vitam æternam. Hic vero vocatur *liber monumenti;* hebr. זכרון *ziccaron*, id est memoriæ, hoc est, mentis divinæ; quod electi illi semper obversentur, utpote quos Deus peculiari amore, favore et cura prosequitur, ut illos suo tempore in regnum suum transferat. Sic Deuter. 32, vers. 43, ait Deus: *Nonne hæc condita sunt apud me, signata in thesauris meis?* scilicet in libris memorialibus, puta in archivis mentis divinæ. Ita S. Cyrillus: *Scribitur*, inquit, *liber memoriæ timentibus Deum, quos ait fore sibi familiares, et intimos tempore acquisitionis, cum scilicet Christus descendet è throno majestatis comitantibus Angelis, et statuet oves ad dextram, hædos ad sinistram.* Nec enim in Deo proprie est memoria, quæ est præteritorum: Deo enim nihil præterit, sed omnia sunt quasi præsentia. Loquitur ergo humano more: quia enim res præteritæ apud homines in memoria conservantur, hinc idem tribuit Deo. Mentem ergo Dei omnia cognoscentem vocat memoriam, quatenus ipse ea quæ nobis præterita sunt cognoscit, et in se recondit, ac in sua notitia conservat. Unde S. August. in. psalm 87: *Tunc*, inquit, *dicitur Deus meminisse, quando facit; tunc oblivisci, quando non facit. Nam neque oblivio cadit in Deum, quia nullo modo mutatur; neque recordatio, quia non obliviscitur.* Idem, lib. 10. Confess. cap. 14: *Memoria*, ait, *quasi venter est animi, etc. Forte ergo sicut de ventre cibus ruminando, sic ista de memoria recordando proferuntur.* Deus autem nullius recordatur, nec quidquam extrahit latens de ventre et sinu memoriæ, utpote qui omnia actu intuetur et videt. Rursum dicitur hic liber memoriæ, quia ad memoriam, famam et gloriam æternam transcribet Sanctos, juxta illud psalm. 111. 6: *In memoria æterna erit justus;* cum omnis gloria et pompa impiorum et mundi transeat instar fumi, juxta illud psalm. 9. 8: *Periit memoria eorum cum sonitu.* Et psalm. 33. 17: *Perdidit de terra memoriam eorum.* Vis ergo memoriam et

nomen æternum : quære illud non apud homines, sed apud Deum ; non in terra, ubi omnis memoria finietur cum seculo, sed in cœlo, juxta illud Sapientis, cap. 8. 13 : *Habebo per hanc* (sapientiam, scilicet practicam, hoc est virtutem) *immortalitatem et memoriam æternam.* Et Sapient. 4. vers. 1 : *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate ! immortalis est enim memoria illius.* Et Eccles. 24. 28. ait Sapientia : *Memoria mea in generationes seculorum.* Porro quid præmii in hoc libro monumenti Deus decreverit piis et justis subdit, dicens :

17. Et erunt mihi, ait Dominus, in peculium, etc.] Alludit ad libros memoriæ, puta ad annales et diaria regum, de quibus Esther 2. 23, in quibus scripta fuerunt merita Mardochæi ; ob quæ eum exaltavit Assuerus. Sic Pontifex habet librum memoriæ, in quo merita Prælatorum scribit, quos ad Episcopatum vel Cardinalatum evehere destinat.

In die qua ego facio, id est faciam, scilicet judicium, in peculium,] q. d. In die judicii timentes me, meamque providentiam credentes et propugnantes, erunt mihi in peculium, id est, in populum proprium et peculiarem mihi dicatum, et ex meâ visione ac fruitione beatum. Ita S. Hieron. Theodor. Remig. Rupert. Lyran. et alii. Nota : Pro *peculium* hebr. est סגלה *segulla,* id est portio selecta, res rara et chara, thesaurus pretiosus, cimelium præstans. Alludit ad Exodi 19. 5 : *Eritis mihi in peculium de cunctis populis.* Vide ibi dicta. Sicut enim in lege veteri Israelitæ fuerunt peculium, id est hæreditas Dei, et populus à Deo electus ex omnibus gentibus ; ita in lege nova peculium Dei sunt Christiani et justi per gratiam, qui proinde in cœlo erunt peculium Dei per gloriam, possessi à Deo, et vicissim possidentes Deum, quod ultimum hîc proprie intendit Malachias : agit enim de die judicii, deque præmiis Sanctorum.

Aliter ergo hîc sumitur peculium, quàm apud veteres Romanos et jurisconsultos. Peculium enim, inquit Festus, à pecore dicitur, estque quidquid alicujus labore et industria comparatum et lucrifactum est. Et proprie servorum est, sicut pecunia patrumfamilias et nobilium. Unde apud majores omne patrimonium dicebatur peculium, quia pecoribus universa eorum substantia constabat. Ulpianus de peculio, l. *Depositi :* Peculium, ait, dictum est quasi pusilla pecunia, sive pusillum patrimonium. Peculium autem Tubero sic definivit, quod servus domini permissu separatum à rationibus dominicis habet, deducto inde si quid domino debetur. Florentinus in lib. *Peculium*, ff. de Peculio : Peculium, inquit, in eo consistit, quod parcimonia sua quis sibi paravit, vel officio meruit à quolibet sibi donari, idque velut proprium patrimonium servum suum habere quis voluit. Hinc Celsus in l. *Si chorus*, ff. de Legatis, 3, scribit pecuniam sine peculio, id est sine fructu et lucro, fragilem esse. Hîc vero peculium sumitur pro hæreditate selecta, et thesauro raro charoque. Electi tamen possunt dici peculium Christi priori significatione, quia labore et pretio sanguinis Christi, qui propter eos servilem naturam assumpsit, empti sunt, juxta illud : *Empti estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro,* 1. Corinth. 6. Ingens hæc erit gloria Sanctorum, quod sint futuri peculium et cimelium Dei ; sicut reprobi erunt mancipia et peculium diaboli, juxta illud Christi : *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus,* Matth. 25, vers. 41. Hinc hoc peculium ab Apostolo vocatur sors Sanctorum, regnum Christi et familia Dei : *Gratias*, inquit, *agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ,* Coloss. 1. 12. Et : *Cum tradiderit regnum Deo et Patri,* 1. Corinth. 15. 24. Et : *Jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives Sanctorum et domestici Dei,* Ephes. 2. 19. Hoc prævidens Isaias, cap. 44. 5 : *Iste*, inquit, *dicet : Domini ego sum ; et iste vocabit in nomine Jacob ; et hic scribet manu sua, Domino ; et in nomine Israel assimilabitur.* Porro Deus hoc suum peculium, puta Sanctos et Beatos, exornat longe magis, quàm paterfamilias colat suum peculium, aut rex vel regina ornet suum cimelium. Cum enim eos habeat in summo amore, æque ac honore, hinc eos omni lætitia, opulentia, sapientia, felicitate, imo seipso cumulat et beat.

Unde S. August. lib. 10, de Civit. cap. 7 : *Merito*, ait, *illi in cœlestibus sedibus constituti, immortales et beati, qui creatoris sui participatione congaudent, cujus æternitate firmi, cujus veritate certi, cujus munere sancti sunt.* Et in psal. 87, sub finem explicans illud : *Sicut lætantium omnium* (vel, ut ipse legit, *jucundatorum*) *habitatio est in te. Similes*, inquit, *ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Ibi totum negotium nostrum non erit nisi laudare Deum et frui Deo. Et quid alium quæremus, ubi solus sufficit per quem facta sunt omnia? Habitabimur et habitabimus; subjicientur illi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. Beati ergo qui habitant in domo tua, in secula seculorum laudabunt te. Hoc uno beati otioso negotio.* Et in Soliloq. cap. 35 : *O quàm gloriosum est regnum, in quo tecum, Domine, regnant omnes Sancti amicti lumine sicut vestimento, habentes in capite suo coronam de lapide pretioso ! O regnum beatitudinis sempiternæ ; ubi tu, Domine, spes Sanctorum, et diadema gloriæ, facie ad faciem videris à Sanctis, lætificans eos undique in pace tua, quæ exsuperat omnem sensum ! Ibi gaudium infinitum, lætitia sine tristitia, salus sine dolore, via sine labore, lux sine tenebris, vita sine morte, omne bonum sine omni malo. Ubi juventus nunquam senescit, ubi vita terminum nescit, ubi decor nunquam palescit, ubi amor nunquam tepescit, ubi sanitas nunquam marcescit, ubi gaudium nunquam decrescit : quoniam ibi summum bonum possidetur, quod est videre semper faciem Domini virtutum. Felices igitur, qui de naufraga vita præsenti, ad tanta gaudia jam pervenire meruerunt : infelices heu nos et miseri, qui per hujus maris magni fluctus procellosasque voragines navem trahimus, ignorantes an ad portum salutis pervenire valeamus. Infelices, inquam, quorum est vita in exsilio, via in periculo, finis in dubio, etc.*

Et parcam eis.] *Parcere* apud Latinos proprie significat parum tangere, abstinere, veniam dare, ultionem remittere. Hinc per antiphrasin dictæ sunt Parcæ, quod nemini parcant, quas Gentiles tres esse finxerunt, Clotho, Lachesin et Atropon, easque Cicero, lib. 3. de Natura Deor. Erebi et noctis filias, fataque esse censet, quod nascentibus hominibus bonum ma-

lumque conferant. Unde est illud Cleanthis :

Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Fingunt eas vitæ hominum præesse, et nendo eam ducere instar fili et staminis. Nam,

Clotho tenet fusum, Lachesis net, et Atropos occat.

Unde Virgil. eclog. 4 :

Concordes stabili fatorum numine Parcæ.

Sic hîc sumi potest, q. d. Ego parcam præteritis vestris peccatis, utpote jam per pœnitentiam vestram et meam condonationem obliteratis, et æterna oblivione sepultis, nec ullam de eis vindictam aut pœnam sumam. Quocirca quidquid triste est, quasi sævas Parcas et fata ab eis arcebo et propellam. Secundo, parcere idem est quod conservare : et tunc in præterito habet parsi, ait Donatus ; nam aliàs habet peperci. Ita Plautus in Aulul. *Festo die*, ait, *si quid prodegeris, profesto egere liceat, nisi peperceris.* Et Virgil. 10. Æneid.

Argenti atque auri memoras quæ mille talenta.
Natis parce tuis (parce, *id est conserva.*)

Hinc Cicero, orat. pro Quintio, opponit parcere et perdere, quasi contraria : *Jugulare civem,* inquit, *ne jure quidem quisquam bonus vult : mavult enim commemorare se, cum posset perdere, pepercisse ; quàm cum parcere potuerit, perdidisse.* Idem pro Cælio opponit parcere et spoliare : *Parcat,* inquit, *juventus pudicitiæ suæ, ne spoliet alienam.* Sic hîc sumitur. Unde Septuag. vertunt : *Eligam eos;* alii : *Miserebor eorum;* alii : *Indulgens ero in eos.* Hebr. enim חמל *chamal* significat affectum pietatis, misericordiæ, indulgentiæ, quo v. g. pater amat filium, ejus miseretur, ei indulget, eum tuetur, fovet, nec ullo malo affligi sinit. Sic enim Deus tuebitur et servabit electos suos in die judicii, cum non sinet eos affligi damnationis sententia, igne, vel ulla re alia, qua affligentur damnati, etiamsi electorum fuerint parentes, filii, cognati, amici. Est ergo metalepsis, *parcam*, id est miserebor, et tuebor eos à communi maledictione, qua feriam improbos. Quos enim amamus, et quorum miseremur, eis in communi clade parcimus. Unde Theodoret. Parcam, inquit, id est, illos mihi vindicabo, et liberabo è manu impiorum. Sic sumitur parcere, 2. Reg. 21. 7 : *Pepercit rex Miphiboseth filio Jonathæ : pepercit,* id est, pio miserationis affectu cum complexus est, eum quasi pupillum in suam curam suscepit, fovit, aluit quasi Jonathæ sibi amicissimi filium. Nec enim Miphiboseth peccarat, ut ei David peccatum condonaret, et proprie parceret. Et Ezech. 16. 5 : *Non pepercit super te oculus*, id est, nullus tuî misertus est.

Duo generalia electorum præmia significat hîc Propheta : prius, quod erunt peculium, id est, populus peculiaris Dei, ideoque ab eo cumulabuntur omni honore, decore, felicitate et gloria. Secundum, quod parcet eis, id est, amovebit ab eis metum damnationis, gehennæ, omnisque mali, eosque certos et securos faciet, quod in æternum erunt Beati, nihilque unquam doloris vel mali sentient : sicut ex adverso damnatorum duplex erit pœna, prior, carentia omnis solatii et boni : posterior, abundantia omnis miseriæ, tormenti et mali. Ingens enim erit gaudium Beatorum, quando videbunt se liberari à crepitantibus gehennæ incendiis, cæterisque malis horrendis, quibus videbunt involvi impios tot et tantos, præsertim quia videbunt se eadem aliquando per peccata sua meruisse, in eaque reipsa casuros fuisse, nisi Deus eos liberasset. Quocirca canent : *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti,* quia non sumus damnati : *Nisi Dominus adjuvisset me, paulo minus habitasset in inferno anima mea.* Et canticum Mosis : *Cantemus Domino : gloriose enim magnificatus est : equum et ascensorem projecit in mare :* liberavit nos de manu Pharaonis, id est diaboli, peccati et gehennæ, Exodi 15. 1. Et canticum Agni, dicentes : *Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens : justæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex seculorum : quis non timebit te, et magnificabit nomen tuum ?* Apocal. 15. 3.

18. ET CONVERTEMINI ET VIDEBITIS,] q. d. Vos, ô impii, negantes Dei providentiam, in die judicii mutabitis sententiam, licet sero et coacte : videbitis enim et reipsa sentietis, quantum intersit inter justum et impium, quando videbitis hunc igni æterno, illum paradiso cœloque addici, uti fusius explicat Malachias, cap. seq. Ita sanctus Hieron. Remig. Rupert. Ribera et alii.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit describere diem judicii, in quo desinet impiorum felicitas, et incipiet eorum infelicitas; atque ex adverso desinet piorum infelicitas, et incipiet eorum felicitas nunquam finienda. Tunc ergo Deus, qui in hac vita impiorum scelera dissimulavit, et pios ab eis affligi permisit, assumet judicium, ostendetque se esse Deum judicii, ac illum diem judicio universali hominum omnium ab æterno præfinivisse, ideoque in hoc mundo permisisse pios ab impiis vexari, ut horum improbitas, illorum virtus in die illo decretorio declaranda, et gloria coelesti præmianda, coram toto mundo enitesceret: Orietur, inquit, vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, etc. Et calcabitis impios. Hinc secundo, v. 4. monet ut legem Dei custodiant, eo quod per eam sint judicandi, ideoque asserit se ante diem judicii præmissurum Eliam, qui ipsos ad legis Dei custodiam exstimulet, ut judicis non iram et anathema maledictionis, sed clementiam et remunerationem æternam experiantur.

1. Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus: et erunt omnes superbi, et
omnes facientes impietatem, stipula: et inflammabit eos dies veniens, dicit
Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem et germen.
2. Et
orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, et sanitas in pennis
ejus: et egrediemini, et salietis sicut vituli de armento.
3. Et calcabitis
impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum, in die qua ego facio,
dicit Dominus exercituum.
4. Mementote legis Moysi servi mei, quam
mandavi ei in Horeb ad omnem Israel, præcepta et judicia.
5. Ecce ego mittam vobis Eliam
Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, et horribilis.
6. Et convertet cor patrum
ad filios, et cor filiorum ad patres eorum: ne forte veniam, et percutiam terram anathemate.

1. Ecce enim dies.] Tò *enim* dat causam præcedentium, q. d. In die judicii videbitis quid intersit inter pium et impium, nec pios vane et frustra servivisse Deo. Ecce enim dies veniet, qui impios cremabit, sicut ignis stipulam; piis autem orietur sol justitiæ. Dies hic est dies judicii extremi: hujus enim solius præcursor erit Elias. Ita S. Hieron. Cyrill. Theodor. Remig. Lyran. et alii, uno excepto Aria, qui per diem accipit diem quo Christus et Christianismus orbi illuxit: ille enim impiis fuit quasi caminus, eorum impietatem manifestans, redarguens et comburens; piis vero fuit quasi sol justitiæ, et sanitas, tum mentis, tum corporis. Sed hoc præposterum est, et mysticum.

Succensa] igne, tum spirituali et mystico, puta ardenti ira et ultione Christi judicis, qua impios à piis separabit, eosque ad tartara damnabit et præcipitabit, juxta illud Daniel. 7. vers. 9: *Thronus ejus flammæ ignis, rotæ ejus ignis accensus. Fluvius igneus rapidusque egrediebatur à facie ejus: millia millium ministrabant ei; et decies millies centena millia assistebant ei: judicium sedit, et libri aperti sunt.* Ita S. Hieron. Remig. et Clarius; tum vero et proprio, puta igne conflagrationis mundi, qui præibit judicium, et igne inferni, qui statim post judicium damnatos in gehennam convolvet, et celerrime abripiet quasi stipulam. Ignis enim conflagrationis secernet impios à piis; tum quia eos gravius uret, gravioremque necem et stragem pro demeritis inferet quàm piis; tum quia separabit eos loco et statu in die judicii, ut ad sinistram judicis quasi hædi mactandi consistant, ibique eis quasi carnifex assistet, ut post judicis sententiam illico eos in tartara quasi turbo deturbet. Ita Lyran. et Vatabl. Huc allusit Apostolus, 1. Corint. 3. 13, cum diem judicii describens ait: *Uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim domini declarabit, quia in igne revelabitur: et uniuscujusque opus quale sit ignis probabit.* Vide ibi dicta.

Moral. nota impios suis peccatis succendere sibi hunc ignem, ut docet Isaias, cap. 50. 11: *Ecce*, inquit, *vos omnes accendentes ignem, accincti flammis: ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis.* Vide ibi dicta. Sic Babylonii succendentes fornacem, non tribus pueris, qui in ea Dei virtute illæsi manserunt; sed sibi ipsis eam accenderunt. Nam: *Erupit flamma, et incendit quos reperit juxta fornacem de Chaldæis,* Daniel. 3. 48.

QUASI CAMINUS.] Septuag. *Sicut clibanus;* alii, *sicut furnus.* Cogita horrorem fornacis et incendii Babylonici, *in quo effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta novem*, Daniel. 3. 48. Cogita fornacem, qua cœlesti igne combusta est Sodoma et Pentapolis, Genes. 19. Cogita incendia arcium et urbium, si quæ unquam oculis spectasti; et scito hæc tantum fuisse umbram et scintillam hujus camini, quo igne cœlesti conflagrabit totus orbis, omniaque quæ in eo sunt, puta domus, templa, arces, villæ, urbes, arbores, animalia, homines, cæteraque universa, ita ut tota terra videatur esse furnus et clibanus ardens. Rursum hic caminus et ignis conflagrationis mundi, tantum erit umbra et scintilla ignis gehennæ, ubi fumus tormentorum ascendit in secula seculorum, Apoc. 19. 3. Hunc ignem tibi propone, cum te libido, superbia, ira, dæmon vel mundus ad scelus sollicitant.

ET ERUNT OMNES SUPERBI, ET OMNES FACIENTES IMPIETATEM, STIPULA,] hoc est, quasi stipula, instar stipulæ, q. d. Superbi et potentes, qui in hac vita erant fortes, ferrei et ænei, ita ut nemo auderet eis resistere; ipsi vero auderent pugnare cum Deo; hi in die judicii erunt infirmi, imbelles et invalidi ut stipula, quæ igni resistere nequit: quia ab efficaci et potenti ultione Dei, quasi stipula correpti, celerrime cremabuntur; nec tamen consumentur, sed servante eos Deo ad æterna tormenta, semper manebunt vivi, ut semper ardeant. Ecce tunc apparebit non fuisse vanos eos qui serviverunt Deo, sed vanos et stultos qui serviverunt veneri, ambitioni et Mammonæ; quia pro modico honore, pretio et voluptate accersiverunt sibi æternos ardores: pii vero per modicum despectum, paupertatem et dolorem accersiverunt sibi gloriam æternam.

QUÆ NON DERELINQUET EIS RADICEM ET GERMEN.] *Et*, id est, *nec.* Est proverbium significans plenam excisionem et perditionem, q. d. Dies illa judicii igne suo ita afflabit, excindet et perdet impios, eorumque opes, delicias, felicitatem et gloriam, quasi stipulam, ut non tantum hæc omnia, sed et omnis boni spem in æternum eis adimat, eosque in æternam mortem et ignem præcipitet; sicut arbor, aut potius stipula succisa, vel evulsa radice, ac succensa non potest repullulare in germen et renasci. Ita S. Cyril. et Albert. Secundo, Lyran. per *radicem* intelligit spem redeundi ad statum gratiæ et meritorum, q. d. Impiis in die judicii nulla supererit spes errores et lapsus suos corrigendi, nulla spes pœnitentiæ et veniæ, nulla spes redeundi ad Dei gratiam, nullum tempus dabitur satisfaciendi, aut merendi vitam æternam. Prior sensus litteralis est, posterior moralis.

2. ET ORIETUR VOBIS TIMENTIBUS NOMEN MEUM SOL JUSTITIÆ.] *Justitiæ*, tum proprie dictæ, tum naturalis et symbolicæ, hoc est, salutis, gloriæ et felicitatis. Justitia enim naturæ congrua, et quasi debita, est ejus integritas, salus et decor. Hinc justitia æque ac salus, subinde in Scriptura capitur pro munditie, claritate et splendore, ut psal. 131. 9 et 16: *Sacerdotes tui induantur justitiam.* Et: *Sacerdotes ejus induam salutari.* Ubi Chald. pro *justitiam* vertit, *munditiem*, uti et hîc pro *sol justitiæ*, vertit, *sol puritatis.* Et Isaiæ 61. 10: *Induit me vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me*, hoc est, induit me undequaque mundissima veste per Christum salvatorem. Idem enim est vestimentum salutis et indumentum justitiæ: posterior enim versus explicat priorem. Ita Prado in Ezechielem, cap. 16. 4, sub finem. Justitia ergo hîc est salus, decor et gloria. Unde explicans subdit: *Et sanitas in pennis ejus.* Justitia enim soli debita, est ejus splendor et vis sanandi. Jam Theodor. Arias et Clarius hæc accipiunt de primo Christi ortu et adventu in mundum, quem ipse quasi sol oriens illuminavit, calefecit, omnique gratia et virtute fecundavit et vivificavit. Hinc dicitur *justitiæ*, quia ex se radios justitiæ diffudit, quibus justificavit, et in dies justificat peccatores quoscumque, qui eum intueri, id est, in eum credere, eique obedire volunt; sicut sol omnibus qui oculos ad se convertunt, lucem, lætitiam et vitam impertit. Secundo, oriens sol est instar sponsi de thalamo suo prodeuntis: ita Christus est sponsus Ecclesiæ. Tertio, sol est instar gigantis in stadio, à carceribus ad metam inoffenso cursu properantis: ita Christus princeps omnipotens potenter gloriosum gratiæ suæ cursum absolvit, ut à nemine præpediri possit. Quarto, sol non exspectat preces, sed statim refulget, et omnibus videntibus lucem vitamque affert: ita Christus prior dilexit nos, et cum inimici essemus prævenit, sponteque sua maximis beneficiis ditavit et ditat. Ipse est ergo noster Apollo, sanitatis præses; ipse rex omnium seculorum, omnia nova luce, nova vita, nova pulchritudine exornans. Quinto, sol nubibus obvelatur, eclipsim patitur, rutilus et ruber apparet: ita Christus carne assumpta velatus est, in cruce deliquium passus, illuminatus per resurrectionem, ruber et formidandus est judex et vindex peccatorum. Verum hîc agi de secundo Christi adventu patet ex præcedentibus et seq. quæ omnia spectant ad diem judicii, in quo Deus cuique pro meritis retribuet pœnam vel præmium. Tunc ergo piis orietur Deus et Christus quasi sol justitiæ, impiis vero occidet. Primo et genuine, quia, sicut sol obscura illuminat, et videnda ac conspicua oculis omnium exhibet: ita Christus piorum virtutem et justitiam, quæ in hac vita ab impiis obscurabatur et deprimebatur, in die judicii illustrabit et clarificabit, et toti orbi conspicuam et gloriosam exhibebit. Ita S. Hieron. Unde dicitur *justitiæ;* Chald. *puritatis*, id est justissimus, purissimus et sanctissimus: quia justos et justitiam hîc oppressam, ibi splendescere et coruscare faciet. Secundo, quia sua claritate, majestate et gloria radicabit quasi sol. Hinc eo moriente in cruce obscuratus fuit sol, ut indicaret veri solis occasum. Tertio, quia Sanctos mira lætitia afficiet, post longas ærumnas persecutionum et tribulationum hujus vitæ, sicut sol post longas tenebras noctis oriens homines exhilarat. Ita S. Hieron. Theodor. Remig. Rupert. Lyran. et Vatabl. Quarto, quia ut sol dispellet omnem caliginem errorum, peccatorum, concupiscentiarum, tentationum, adducetque perpetuum diem veritatis gratiæ et justitiæ. Quinto, quia solis lumen non est vulgare, quale est candelæ, lucernæ, ignis, stellarum, sed eximium et gloriosum: ita Christus in die judicii lumine gloriæ illustrabit Sanctos in anima, beando illos visione Dei, quæ eis beatitudinem et gloriam æternam afferet, et dote claritatis donabit eorum corpora. Nam, ut ait Christus, Matth. 13. 43: *Fulgebunt justi sicut sol in regno patris eo-*

rum. Sexto, quia sicut sol *aquilarum oculos vegetat, nostros sauciat inspectus et tenebrat*, ait S. August. lib. 2. de Moribus Manich. cap. 8. Ita Christus justorum mentes acuet et vegetabit in æternum, impiorum vero animos oculosque sua luce excæcabit. Septimo, quia sol sua unitate hieroglyphicum est Dei, sua vero Trinitate symbolum est SS. Trinitatis : *In sole enim tria sunt, et separari non possunt, cursus, splendor, calor. Videmus enim solem in cœlo currentem, fulgentem, calentem. Divide ergo si potes, Ariane, solem, et tum demum divide Trinitatem*, ait S. Aug. ser. 1. de Verbis Apostoli. Idem, ser. 181. de Tempore : *Sol*, ait, *candor, et calor, et tria sunt vocabula, et tria unum. Quod candet hoc calet, et quod calet hoc candet : tria hæc vocabula res una cognoscitur : ita Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus tres personæ in Deitate unum sunt, et individua unitas recte creditur.* Deus est ergo sol, *quia solus ille colendus est, quo solo fruens, beatus fit cultor ejus, et quo solo non fruens, omnis mens misera est, qualibet re alia perfruatur*, ait S. August. lib. 2. contra Faustum 5; sol enim dictus est, quod solus, id est unus, duntaxat sit in mundo, quodque solus cum est exortus, obscuratis omnibus aliis sideribus, appareat, ait Cicero, lib. 2. de Natura deorum. Quocirca Manichæi solem adorabant ut Deum, imo censebant ipsummet esse Christum, uti ibidem cap. 6. subdit S. August. *His*, inquit, *obscenissimis pannis vestris conamini assuere ineffabilem Trinitatem, dicentes Patrem in secreto quodam lumine habitare, Filii autem in sole virtutem, in luna sapientiam; Spiritum vero Sanctum in aere.* Et paulo ante refellens eorum de sole figmenta : *Primo*, inquit, *eum navim quamdam esse dicitis : ita non tantum, ut dicitur, toto cœlo erratis, sed et natatis. Deinde cum omnium oculis rotundus effulgeat, eaque illi figura pro sui ordinis positione perfecta sit; vos eam triangulam perhibetis, id est, per quamdam triangulam cœli fenestram lucem istam mundo terrisque radiare* (sicut solis radii cum per foramen triangulare transeunt, mox iterum se colligunt, orbiculantur, et rotundi apparent, ut solem rotundum à quo manant, repræsentent, uti docent Perspectivi, et patet ipsa experientia) : *ita fit ut ad istum quidem solem dorsum cervicemque curvetis; non autem ipsum tam clara rotunditate conspicuum, sed nescio quam navim per foramen triangulum micantem atque lucentem, quam confictam cogitatis, adoretis.* Ex adverso Anaxagoras censuit solem esse lapidem ardentem, ait idem S. August. lib. 18. Civit. cap. 41. Cum enim olim lapis in Ægos, Thraciæ amnem, è cœlo cecidisset, Anaxagoras (quem etiam prædixisse ferunt id futurum) affirmavit cœlum omne ex lapidibus constare, solemque ipsum candens esse saxum. Quocirca Euripides ejus discipulus in Phaetonte tragœdia, solem auream glebam nuncupavit. Eam ob causam Anaxagoras à Cleone impietatis accersitus, defensusque à Pericle discipulo, talentis quinque et exsilio mulctatus est. Ita Diogen. Laert. in ejus Vita.

Ad Manichæorum errorem accedit Homerus, et ex eo Plinius, lib. 2. cap. 6. Quare quæ Plinius elogia dat soli, nimis utique augusta et divina, tu Christo soli justitiæ verissime assigna : *Planetarum*, inquit, *medius sol fertur amplissima magnitudine ac potestate : nec temporum modo terrarumque, sed siderum etiam ipsorum cœlique rector. Hunc mundi esse totius animum, ac planius mentem, hunc principale naturæ regimen ac numen credere decet opera ejus æstimantes. Hic lucem rebus ministrat, aufertque tenebras : hic reliqua sidera occultat, hic vices temporum, annumque semper renascentem ex usu naturæ temperat. Hic cœli tristitiam discutit, atque etiam humani animi nubila serenat. Hic suum lumen cæteris quoque sideribus fœnerat, præclarus, eximius, omnia intuens, omnia etiam exaudiens, ut principi litterarum Homero placuisse, in uno eo video.* Rursum Plato in Cratylo triplex dat ηλιου, id est solis, etymon. Ηλιον, inquit, *Dores vocant* αλιον ; αλιος *autem fuerit, quod homines in unum eumdemque locum congreget, ubi primum ortus est. Dici etiam possit videri* παρα του αει ειλειν, *id est, quod semper volvatur*, scilicet *circa terram perpetuo quodam cursu.* Tertio, dicitur αλιος, *quod res quæ è terra fiunt varie efformet :* αιολειν *enim id significat.* Tria hæc competunt Christo, qui est sol justitiæ. Nam primo, Christus omnes fideles in unam Ecclesiam à suo in orbem adventu congregavit, et jugiter congregat. Secundo, Christi oculus, cura et mens semper oberrat et volvitur circa Ecclesiam. Tertio, dotes et virtutes singulorum fidelium in Ecclesia varie efformat, uti docet Apost. 1. Corinth. 14.

Hinc Christi typus et præcursor fuit Samson, Judic. 13. 24; sicut enim Judæis à Philisthinis oppressis Deus nasci fecit Samsonem, qui populum suum ab hostium tyrannide liberaret, indeque vocatus est שמשון *Samson*, id est sol lætitiæ, à שמש *sçemesç*, id est sol, et שש *sçasç*, id est gavisus est; vel potius Samson, id est parvus sol, ut sit diminutivum à *sçemesç*, q. d. Israeli in tenebris, mœrore et servitute constituto, ortus est soliculus, id est parvus novusque sol, puta Samson judex et vindex, qui tenebras hasce dispellat, et Judæos nova luce, libertate et lætitia perfundat et recreet. Ita pariter Christus verus Samson, orbi à peccatis et ærumnis oppresso datus est à Deo quasi sol oriens ex alto, qui peccata in primo adventu, sed ærumnas omnes et mortem in secundo fugabit et abolebit; tumque non amplius dicent : *Ubi est Deus judicii?* Videbunt enim solem justitiæ, puta Christum, qui juste pro meritis puniet impios, et præmiabit pios. Plura de sole dixi Isaiæ, cap. 45. 6, ubi ostendi solem esse symbolum regis et multo magis Christi Domini, qui est Rex regum.

Denique noster Martinus de Roa, lib. 1. Singular. c. 14, censet Christum vocari Solem justitiæ, id est verum justumque amicum, qui radios suæ beneficentiæ in fideles suos, quasi amicos effundat : solem enim apud sacros et profanos scriptores amicitiæ esse symbolum, ob quinque analogias. Prima est, unicus est sol, et unicus debet esse amicus : plures stellæ, plures familiares, juxta illud Eccles. 6. 6 : *Pacifici sint tibi multi, consiliarius unus è mille.* Secunda, sol Euripidi est aurea gleba, Homero restis aurea è cœlo in terram demissa, eo quod ipse aurum gignat in imis terræ visceribus; ita amicus est aurum optimum, thesaurus ingens, Eccles. 6. 14 : *Amicus fidelis protectio fortis, qui autem invenit illum, invenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius.* Tertia, soli semper est æterna juventa : sic amicitia perpetua et constans esse debet, nec

temporum varietate labefactari, nec vetustate consumi. Quarta, sicut sol sua luce cuncta collustrat, et viarum difficultates aperit, et qua sit eundum ostendit : ita etiam amicorum est commonere amicos, et vitæ pericula, et morum offensiones, et quæ vitare, quæ amplecti debeant commonstrare. Ita dicitur Judic. 5. v. 31 : *Qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent*, id est radios emittant, quibus alii tum illustrent, tum etiam incendantur ad verum decus, veramque virtutem. Quinta, sicut sol est benevolus et beneficus ; sic et amicus. Dicitur ergo Christus per antonomasiam sol justitiæ, id est justus verusque sol, benignus, liberalis, bona sua omnibus impertiens : *et sanitas in pennis ejus*, hoc est, in radiis ejus ; quia *amicus fidelis est medicamentum vitæ et immortalitatis*, Eccli. 6. 16. *Sanitas* ergo *in pennis ejus*, quia ipse solatur mœrentes, recreat afflictos, confirmat labantes, jacentes excitat, iratos mitigat, omnibus denique omnia præstat officia amicitiæ et charitatis. Hic nimirum est sol justitiæ : quia nemo omnium est, qui hominibus vel commodarit magis, vel magis illuxerit, quàm Christus. Hinc promittitur timentibus et amantibus Deum : magnes enim amoris est amor : amicorum Dei præmium est Christus amicissimus.

Symbolice, S. August. Epist. 119. ad Januarium, c. 5 : *In Proverbiis* (Ecclesiast. 27. 12.) *legitur : Sapiens sicut sol permanet, stultus autem sicut luna mutatur. Et quis est sapiens qui permanet, nisi sol justitiæ, de quo dicitur : Ortus est mihi sol justitiæ, et quem sibi non fuisse ortum in die novissimo plangentes impii, dicturi sunt : Et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol justitiæ non ortus est nobis? Nam istum carnis oculis visibilem solem oriri facit super bonos et malos Deus; qui etiam pluit super justos et injustos. Quis est ergo ille stultus, qui tanquam luna mutatur, nisi Adam, in quo omnes peccaverunt? Anima quippe humana recedens à sole justitiæ, ab illa scilicet interna contemplatione incommutabilis veritatis, omnes vires suas in terrena convertit, et eo magis magisque obscuratur in interioribus ac superioribus suis.* Et inferius : *Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. Obscura videtur Ecclesia in tempore peregrinationis suæ, inter multas iniquitates gemens, etc. Orietur*, inquit, *in diebus ejus justitia et abundantia pacis, donec interficiatur luna : id est abundantia pacis in tantum crescet, donec omnem mutabilitatem mortalitatis absumat. Tunc novissima inimica destruetur mors, et quidquid nobis resistit ex infirmitate carnis, unde nobis perfecta pax nondum est, consumetur omnino, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem.*

Tropolog. irascenti et peccanti occidit, mansueto et justo oritur sol justitiæ. Unde S. August. homil. 43. inter 50 : *Non debuit*, inquit, *occidere sol super iracundiam vestram, et multi soles occiderunt : transeat aliquando iracundia vestra, dies magni solis celebramus ; illius solis, de quo dicit Scriptura : Orietur vobis sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus. Quid est in pennis ejus? In protectione ejus. Unde in psalm.* 16. *dicitur : Sub umbra alarum tuarum protege me.* Et mox : *Si ergo irasceris, ne occidat sol iste in corde tuo super iracundiam tuam, ne forte et occidat tibi sol justitiæ, et in tenebris remaneas. Ne putetis autem quia nihil sit iracundia : Turbatus est præ ira oculus meus. Utique cui turbatur oculus, solem videre non potest, et si conatus fuerit videre, pœna illi est, non voluptas.* Notent hìc pastores (quod nonnullos factitare vidi et audivi) ut plebem die solis, id est Dominico, convenientem ad Ecclesiam, moneant de dimittenda ira, omnique peccato, eo quod ille sit dies Domini, in quo ortus est eis sol justitiæ. Rursum S. Bernard. Epist. 107 : *Vobis*, inquit, *qui timetis Deum orietur sol justitiæ. Manentibus igitur in tenebris filiis diffidentiæ, evadit in novam hanc lucem lucis filius de potestate tenebrarum, si tamen jam fidenter Deo dicere potest : Particeps ego sum omnium timentium te.*

Et sanitas in pennis ejus.] Hebr. בכנפיך *bicnaphecha*, id est, *in aliis ejus*. Poetice pennas vocat radios, primo, quia vestiunt, ornant et stipant solem, sicut pennæ aut comæ avem. Unde ab Homero vocatur auricomus sol. Et Virgil. initio 6. Æneid. loquens de Dædalo :

> Præpetibus pennis ausus se credere cœlo, *etc.*
> Redditus hic primum terris tibi, Phœbe, sacravit
> Remigium alarum.

Sol enim vocatur Phœbus, quasi φωβιος, à φως et βιου, id est lux vitæ.

Secundo, quia sol celerrime movetur et quasi volat ut avis, juxta illud de sole, psal. 18 : *Exsultavit ut gigas ad currendam viam : à summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus.* Sol enim tam velox est, ut uno die naturali, id est 24 horis, conficiat millionem milliarium, et insuper 140 millia eorumdem : quod tantumdem est, ac si totum terræ ambitum circumcurreret quinquagies, uti ex Astronomis docui, Genes. 1. 16. Insuper sol oriens radios suos quasi pennas velocissimas in momento spargit per totum hemisphærium.

Tertio, quia sol, præsertim oriens, utrumque radios in eam figuram expandit, ut videatur esse avis expansis alis, juxta illud psalm. 138. 9 : *Si sumpsero pennas meas diluculo* ; Hebr. *Si sumpsero alas auroræ.* Quæ verba de Christo intelligit S. August. *Qui cum sumpsit pennas suas in resurrectione, jam corpore non gravatur.* Hinc Ægyptii solem pinxerunt quasi avem, longas spargentem pennas circumquaque, eamque vocarunt phœnicem. Phœnix enim non est avis vera, sed symbolica, puta sol, ut ostendi Genes. 7. 2. Hinc unicum dixerunt esse phœnicem, quia unicus est sol in mundo ; eumque degere Heliopoli, id est in urbe solis, atque interire et renasci, quia sol occidens vespere, mane rursum oritur et quasi resurgit, juxta illud Ovidii Metamorph. 15 :

> Una est quæ reparet, seque ipsa reseminet ales.

Exstat apud Lactantium incerti Auctoris elegans carmen de phœnice, in quo tota ejus historia, vel potius fabula enarratur, ubi inter cætera phœnicem vocat avem solarem. Inter cætera ergo sic de ea canit :

> Paret et obsequitur Phœbo memoranda satelles, *etc.*
> Lutea cum primum surgens aurora rubescit,
> Ter quater illa pias immergit corpus in undas,
> Et conversa novos Phœbi nascentis ad ortus,
> Exspectat radios et jubar exoriens.
> Incipit illa sacri modulamina fundere cantus,
> Et mira lucem voce ciere novam.

sicut omnes pene aves cum sole occidente dormire, et cum oriente evigilare incipiunt: unde mane cantillant, cantuque suo solem orientem salutant. Pergit Poeta de cauda et pennis phœnicis:

Caudaque porrigitur fulvo distincta metallo,
In cujus maculis purpura mixta rubet.
Clarum inter pennas insigne est desuper iris,
Pingere ceu nubem desuper alta solet.
Æquatur toto capiti radiata corona,
Phœbæi referens verticis alta decus.
Effigies inter pavonis mixta figuram
Cernitur, et mixtam Phasidis inter avem.
Est levis et velox, regali plena decore:
Et raram volucrem turba salutat ovans.
Alituum stipata choro volat illa per altum,
Turbaque prosequitur munere læta pio, etc.
Ipsa sibi proles, suus est pater, et suus hæres:
Nutrix ipsa sui, semper alumna sibi:
Ipsa quidem, sed non eadem, quia et ipsa nec ipsa est:
Æternam vitam mortis adepta bono.

Nimirum phœnix est sol, cujus cauda, pennæ et comæ sunt radii in longum, latum et altum expansi, qui partim albicant, partim rubent, suoque loco in nube roscida faciunt iridem: atque pulcher et speciosus est, æque ac magnificus et velox in incessu, uti pavo trahens post se elegans syrma caudæ, puta radiorum longe lateque expansorum: unde in ortu eum aves, animalia et homines salutant. Ipse sibi est pater, et filius, qui post occasum ex seipso quasi rursum oritur et renascitur, itaque continuo suo occasu continuum sibi parit ortum, et quasi vitam æternam, cujus æque ac resurrectionis est hieroglyphicum. Quocirca ad hoc phœnicis symbolum videtur hic alludere Malachias, imo illud ipsum suis verbis repræsentare, dum ait: *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus.* Perinde ac nonnulli censent fecisse Jobum, cap. 29 18: *In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies.* Ubi Tertull. legit: *Et sicut phœnix multiplicabo dies.* Græcum enim φοινιξ apud Septuag. et phœnicem, et palmam, ob similem longævitatem, significat. Plinius enim, libr. 7. cap. 40, asserit phœnicem vivere 660 annis. Sic et hebr. חול *chol*, quod Noster Job. 24. v. 18. vertit, *palma*; veteres Hebræi et moderni, R. Salomon, Tigurina, Cajetan. vertunt, *phœnix*. Unde Philippus Presbyter in Job 29: Fieri, ait, potest ut Job in similitudinem avis illius (phœnicis) dicat se per mortem in cinere carnis, velut in nido pro tempore moriturum, et inde resurrecturum in gloriam et multitudinem dierum. Idem asserit Beda.

Quocirca phœnix est symbolum Christi (et consequenter Christianorum) morientis, et gloriose ex seipso et sua virtute resurgentis, uti ostendit Aldrovandus in phœnice. Porro sanitas est in pennis solis, quia sol suis radiis plantas, animalia et homines nocturno frigore languentes, torpentes et quasi emorientes excitat, roborat, vivificat, lætificat, itaque quasi omnium creaturarum languores et vulnera sua luce, radiis et calore sanat. Jam sensus est primo, q. d. Veniet Christus, qui quasi phœnix et sol justitiæ oriens in mundo, quocunque suas alas et pennas, hoc est, radios suæ prædicationis (unde Syrus et Arabicus vertunt: *Sanitas super linguam ejus*) gratiæ et virtutis extendet, ibi omnes infirmitates corporis et animæ sanabit. Nam, ut ait S. Marcus, cap. 6. 65: *Quotquot tangebant eum, salvi fiebant;* uti hæmorrhoissa tactu fimbriæ, quæ quasi ala et penna erat (teste Hesychio homil. de S. Maria) vestis Christi, sanata est à fluxu sanguinis, Lucæ 8. 44. Rursum sicut sol sua luce fugat serpentes, lupos, tigrides, omnesque feras sævas et noxias; ita Christus sol justitiæ suo adventu in orbem dæmones effugavit, idola contrivit, peccata delevit, mundumque infirmum, imo mortuum sanitati et vitæ restituit. Ita Theodoret. Idem facit quotidie, dum exoritur in fidelium animis, sive peccatorum, sive justorum. Nam ex eis vel dæmones, et peccata gravia, vel levia, concupiscentias, tentationes, malas cogitationes, omnesque infirmitates depellit et sanat, ut homo sibi redditus, sanus et vegetus incipiat operari opera non tantum sancta, sed et heroica, quibus perfectionis Christianæ apicem et culmen conscendat. Verum quia hic agitur non de primo, sed de secundo adventu Christi, quo ipse judex, quasi sol justitiæ, piis in hac vita afflictis et oppressis suum robur, decus et gloriam restituet, imo in immensum augebit; hinc

Secundo et genuine, hæc cum eodem Theod. Rupert. Lyrano et aliis accipias de sanitate, quam consequentur Beati à Christo in die judicii, q. d. O viri pii, gemitis in hac vita, quod injuste ab impiis opprimamini, incarceremini, libertate privemini, uti vos, ô Judæi, in Babylone, quasi in carcere cæco à Chaldæis conclusi fuistis: verum attollite animos, sustinete fortiter. En brevi orietur vobis sol justitiæ, puta Christus judex, qui illorum injustitiam, et vestram justitiam coram toto orbe celebrabit, et remunerabitur. Rursum in hoc seculo affligimini mille infirmitatibus et ærumnis, ut spoliatione bonorum, paupertate, squalore, mœrore, fame, siti, morbis, verberibus, vulneribus, morte et martyrio. Tolerate: en brevi sol justitiæ pennas, id est, radios sanitatis suæ, in vos diffundet, quibus omnia vestra vulnera, omnes plagas, omnes mœrores et infirmitates dispellet, uti sol tenebras, easque plene et perfecte sanabit. Nam corpora vestra afflicta et corrupta è sepulcris et cineribus suis educet, resuscitabit, beabit et glorificabit, ut saliatis quasi vituli de armento. Quocirca sanitas hæc multa complectitur: Christus enim in resurrectione omnes ægritudines non solum corporis, sed et animæ persanabit. Sanitas ergo corporibus primo, erit ipsa ejus resurrectio; secundo, immortalitas; tertio, impassibilitas, ut nec ab igne, nec à gladio, nec ab hoste, nec à dæmone, nec ab ulla re creata amplius lædi aut pati possit; quarto, agilitas; quinto, subtilitas; sexto, claritas; septimo, felicitas; octavo, gloria, puta omnis decor, omnis honor, omnis suavitas, omnes deliciæ, omnes opes, omne quod delectat.

Sanitas vero animæ erit primo, lætitia inenarrabilis, quæ omnem mœrorem à mente, et omnem lacrymam ab oculis absterget, juxta illud Isaiæ 35. 10: *Lætitia sempiterna super caput eorum; gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.* Secundo, integritas omnium animæ virium; nam, ut ait S. Prosper, lib. 1. de Vita contempl. cap. 4: *Ibi erit intellectus sine errore, memoria sine oblivione, cogitatio sine evagatione, charitas sine simulatione, sensus sine offensione, saturitas sine fastidio, et tota sanitas*

sine morbo. Anima enim per peccatum Adæ sauciata est in intellectu, per obscuritatem et ignorantiam; in voluntate, per proclivitatem ad bona caduca; in irascibili, per varios metus et formidines; in concupiscibili, per infirmitatem et concupiscentiam multiplicem, etc. Christus in cœlo hæc omnia sanabit, dando intellectui lumen et scientiam, voluntati constantiam in bono, irascibili heroicam fortitudinem, concupiscibili honestatem et rectitudinem, ut nil nisi honestum et rectum concupiscat. Tertio, sanitas animæ erit lumen gloriæ, visio et fruitio Dei, ac dotes gloriosæ quæ ex ea consequentur, et derivabuntur in omnes animæ vires et potentias, et ex illis in corpus. Unde S. Augustinus, epist. 56. ad Dioscorum : *Tam potenti, ait, natura Deus fecit animam, ut ex ejus plenissima beatitudine, quæ in fine temporis Sanctis repromittitur, redundet etiam in inferiorem naturam, quod est corpus, non beatitudo, quæ fruentis et intelligentis est propria, sed plenitudo sanctitatis, id est, incorruptionis vigor.*

Moral. hæc sibi applicent, ruminentque Martyres. En patimur pro Christo, ungulis laceramur, dentibus ferarum laniamur, scorpionibus discerpimur, catastis distendimur, gladiis truncamur, ignibus torremur : veniet ecce, et brevi veniet sol justitiæ Christus judex, qui membra nostra lacerata, laniata, discissa, truncata, tosta restituet, sanabit, et æterna gloria decorabit. Hæc cogitabas, ô S. Laurenti, cum in craticula assareris, et tamen insultabas tyranno. Hæc ruminabas, ô S. Vincenti, cum non tantum omnia corporis tormenta, sed et Dacianum tyrannum generose vicisti. Hæc meditabaris, ô sancta Christina, cum à patre tuo idololatra, quasi carnifice flagris concisa, defluentes carnis particulas in vultum patris projiciens, dixisti : Recipe, ô tyranne, carnem quam generasti.

Dicant et pœnitentes : Affligimus nosmetipsos jejuniis, vigiliis, ciliciis, plagis : propter te, ô Christe, mortificamur tota die, quia speramus carnis resurrectionem, in qua tu illam emaciatam, lividam, contractam, emortuam, nobis succulentam, roseam, floridam et radiantem restitues; quando nimirum reformabis corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis tuæ.

Dicant et mœrentes, certantes ac luctantes : Ecce lugemus in præsenti vita, mœsti flemus, suspiramus, ingemiscimus : nunc caro, nunc mundus, nunc dæmon nos tentat : nunc scrupuli angunt, nunc suspiciones et timores deprimunt, nunc cholera irritat, nunc calumniæ, probra, irrisiones affligunt, nunc labores fatigant, nunc dolores pene exanimant, etc. Illucesce, ô sol justitiæ : pennas et radios sanitatis tuæ in nos diffunde, ostende nobis faciem tuam, et salvi erimus. Eia, Domine, aspiret dies sanitatis, et inclinentur umbræ infirmitatis. Eia, aspiret dies æternitatis, et inclinentur umbræ mortalitatis, ut pulsis mœroribus, timoribus, scrupulis, tentationibus, doloribus, aspiret menti nostræ pax, serenitas, robur, integritas, gaudium et jubilus sempiternus. Quoties ergo te infirmitas animi, quoties dolor corporis premit, cogita : Orietur brevi sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus. Illum suspice, illum invoca, illi spem mentemque affige : ita phœnix eris.

Audi illi inhiantem S. August. in Meditat. cap. 19 : *O domus Dei luminosa et speciosa, dilexi decorem tuum, et locum habitationis gloriæ Domini Dei mei : tibi suspiret peregrinatio mea nocte ac die, tibi inhiet cor meum, tibi intendat mens mea, ad societatem beatitudinis tuæ pervenire desideret anima mea : dico ei qui fecit te, ut possideat me in te, quia ipse fecit me et te.* Et paulo post : *O Jerusalem, domus Dei æterna, post Christi dilectionem tu esto lætitia et consolatio mea : dulcis memoria tui beati nominis sit revelatio mœroris tædiorumque meorum. Tædet enim me, Domine, valde vitæ hujus, et istius ærumnosæ peregrinationis. Vita hæc vita misera, vita caduca, vita incerta, vita laboriosa, vita immunda, vita domina malorum, regina superborum, plena miseriis et erroribus, quæ non est vita dicenda, sed mors, in qua momentis singulis morimur per varios mutabilitatis defectus, diversis generibus mortium. Nunquid ergo hoc quod vivimus in hoc mundo, dicere possumus vitam, quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exsiccant, aer morbidat, escæ inflant, jejunia macerant, joci dissolvunt, tristitiæ consumunt, sollicitudo coarctat, securitas hebetat, divitiæ inflant et jactant, paupertas dejicit, juventus extollit, senectus incurvat, infirmitas frangit, mœror deprimit? Et his malis omnibus mors furibunda succedit, simulque cunctis gaudiis istius miseræ vitæ ita finem imponit, ut cum esse desierit, non fuisse putetur. Mors ista vitalis et vita mortalis, licet his aliisque sit respersa amaritudinibus, proh dolor! quàm plurimos suis capit illecebris, et quàm multos suis falsis promissionibus decipit!* Deinde sanitatem quam afferet Christus judex suis electis, ita depingit : *O tu vita, quam præparavit Deus his qui diligunt eum, vita vitalis, vita beata, vita secura, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita casta, vita sancta, vita ignara mortis, nescia tristitiæ, vita sine labe, sine dolore, sine anxietate, sine corruptione, sine perturbatione, sine varietate et mutatione, vita totius elegantiæ et dignitatis plenissima : ubi non est adversarius impugnans, ubi nulla peccati illecebra, ubi est amor perfectus, et timor nullus : ubi dies æternus, et unus omnium spiritus, ubi Deus facie ad faciem cernitur, et hoc vitæ cibo mens sine defectu satiatur. Libet me tuæ intendere claritati, delectant me bona tua : avido corde quanto plus valeo mecum considerare, tanto plus amore langueo : tuo vehementi desiderio, tuaque dulci memoria admodum delector.*

Egrediemini,] scilicet de hoc seculo et vita, quasi de carcere, ut ingrediamini in alteram beatam et immortalem. Ita S. Hieron. Remig. Albert. et Vatabl. Aut potius, *egrediemini* in die judicii (de eo enim hic agitur) de sepulcris, cum Christus sol justitiæ suis pennis, id est, radiis gloriæ, vos resuscitabit et sanabit, aspirans vobis vitam gloriosam. Ita Theodoret. Unde et Tertull. libr. de Resurrect. carnis, cap. 31, legit : *Exibitis de sepulcris, veluti vituli de vinculis soluti.*

Et salietis sicut vituli de armento.] Hebr. פוש *pus* significat crescere, impinguari, luxuriari, lascivire, saltare ex pastu, gaudio et petulantia, uti faciunt vituli saginati. Unde Chald. Tigurina et alii vertunt : *Augescetis*, vel *pinguescetis sicut vituli saginæ*, Pagnin. *sicut vituli saginati*, id est altiles; Septuag. *Salietis sicut vituli de vinculis relaxati*, et *soluti*, ut legit Tertul. lib. de Resurrect. carn. c. 31; vituli enim præ aliis animalibus saliunt, et petulci sunt (unde

vitulus dicitur à vitulando, id est, lasciviendo). Hinc vinculis constringuntur, ideoque dum iis exsolvuntur, quasi carcere liberati, præ gaudio mire exsiliunt (uti et pueri è scholis emissi) præsertim dum saginantur: tum enim sanguine et spiritibus vitalibus abundant. Porro vituli teneri domi in stabulis saginantur lacte; majores vero in pascuis cum armento, id est, grege boum et vaccarum. Unde Noster vertit: *Sicut vituli de armento*, id est, sicut vituli armenti, qui cum armento pascuntur, ideoque juxta suas matres aliosque vitulos et boves sibi congeneres, sibique similes, lætabundi exsultant. Omne enim animal gaudet sibi simili, cum eoque delectatur, et si juvencum sit exsultat. Unde Rupert. et ex eo Delrio adagio 1027, *vitulum de armento*, explicat *vitulum armentarium:* nam qui cum armento vagatur, vinculo liberatus est, ideoque exsilit. Aut, *vituli de armento*, id est, separati ab armento, positique in stabulis, ut ibi saginentur. Significat hac phrasi Malachias miram exsultationem piorum, qui in hoc mundo quasi in carcere ab impiis (velut Judæi in Babylone à Chaldæis) pressi et oppressi fuerant, in resurrectione à Christo ita sanandos, ut sint succulenti, speciosi, fortes, imo gloriosi, ideoque quasi vituli saginati incredibili gaudio exsultent, juxta illud Sapient. 3. 7: *Fulgebunt justi sicut sol, et sicut scintillæ in arundineto discurrent.* Unde Mariana sic explicat: Salietis, inquit, id est, præ gaudio choreas plaudetis, juxta illud Psalm. 149. 5: *Exsultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* Vox ergo *salietis* significat primo, plenam sanitatem, robur et vigorem corporum beatorum; secundo, lætitiam ingentem. Unde Vatabl. vertit: *Dissilietis huc illuc;* tertio, dotem agilitatis, inquit Suarez 3. p. q. 54. art. 4. disp. 44. sect. 4. ex Innocentio III. qua instar fulguris discurrent celerrime quaquaversum, ut ubi voluerit esse spiritus, ibi protinus sit et corpus, juxta illud Isaiæ 40. vers. ult. *Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient.* Unde sanctus Anselm. l. de Similitud. cap. 51. asserit Beatos in agilitate similes fore Angelis, quia à cœlo ad terras dicto citius dilabuntur: impios vero præ pondere neque pedes, nec manus, nec aliud corporis sui membrum moturos, aut movere posse. Et cap. 52. docet beatum, si velit, posse terram loco suo movere; damnatum autem nec vermes ab oculis amovere. Hujus rei symbolo sancta illa animalia, Ezechiel. 1. vers. 14, *ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.*

Quarto, vox *salietis* significat mutationem ingentem Beatorum, per saltum quem è terra facient in cœlum. *Salietis* ergo è cœno ad cœlum, è morte ad vitam, ex ærumnis ad gloriam, è sepulcro ad thronum Dei et Agni. Ita sponsa, id est Ecclesia Beatorum, imitabitur sponsum Christum, de quo Cantic. 2. 8. ait ipsa: *Vox dilecti mei: ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Similis est dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum.* Christus enim ingentes dedit saltus, dum è cœlo saliit in uterum Virginis, ex utero in præsepium, è præsepio in crucem, è cruce rediit in cœlum.

Quinto, cœlestes choros et choreas, ovationes et plausus Beatorum. Alludit ad Judæos, qui transito mari Rubro et submerso Pharaone, sacros choros præcinente Maria duxerunt, Exodi 15. 20, ac peracta peregrinatione 40 annorum per desertum, quiete et læte incolentes terram promissam, quæ typus erat cœli et cœlestis beatitudinis, in festo tabernaculorum, inter alia lætitiæ signa, tenentes manibus palmas saltabant, et choreas ducebant, uti ostendi Levit. 23. 40. Quo anagogice repræsentabant choros Beatorum in cœlis, ubi peracta victoria palmati, perenne agent festum tabernaculorum, juxta illud: *Laudate eum* (Dominum) *in tympano et choro*, Psalm. 150. 4. Et: *Omnes gentes, plaudite manibus, jubilate Deo in voce exsultationis*, Psal. 46. 1. Et: *Sancti ejus exsultatione exsultabunt*, Psalm. 131. 16. Et Psalm. 67. 26: *Prævenerunt principes conjuncti psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum.* Et Psalm. 125. 6: *Venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos.*

Licet enim chorea mundanorum sit mollis et lasciva, cœlitum tamen est casta et angelica. *Sic vinum bibas ut Cato, sic terram pede pulses ut Scipio*, inquit ille. Scipio enim imperator, inquit Seneca, lib. de Tranquil. in ludis et festis corpus movebat ad numeros, et tripudiabat, non molliter, sed viriliter, non facturus nominis sui detrimentum, etiamsi ab hostibus spectaretur. Simili modo David saltavit totis viribus ante arcam, 2. Reg. 6. 14; et Israelitides coram Saule et Davide, percusso Goliath, choros agentes cantabant in tympanis et sistris: *Percussit Saul mille, et David decem millia*, 2. Reg. 18. 7; ac Jephte victori à cæde hostium redeunti occurrit filia cum tympanis et choris, Judic. 11. 34: *Chorea mundana*, inquit Conradus Clingius in locis Theologicis, c. de Chorea, *est circulus, cujus centrum est diabolus, et circumferentia omnes angeli ejus. At chorea cœlestis est circulus, cujus centrum est Agnus, et circumferentia omnes virgines et electi ejus.* Hinc Cantic. 7. 1. dicitur: *Quid videbitis in Sulamite, nisi choros castrorum?* Et Jerem. c. 31. 4. de Ecclesia tam militante, quàm triumphante ait: *Ædificaberis virgo Israel, adhuc ornaberis tympanis tuis, et egredieris in choro ludentium.* Et Lucæ 15. 25, senior filius in convivio junioris reducis et redivivi audivit *symphoniam et chorum;* nimirum hunc chorum poscunt nuptiæ Agni, quas scilicet cum Christo sponso perennes celebrabit Ecclesia, Apoc. 19. 9. et cap. 12. 2. Quocirca S. August. in Meditat. cap. 22: *Utinam*, inquit, *illis sanctissimis choris interessem, ut cum beatissimis spiritibus gloriæ conditori assisterem!* Et S. Athanasius, vel potius Anastasius (citat enim quæst. 3. et 8. Epiphanium et Nyssenum, qui Athanasio fuere posteriores) ad Antiochum quæst. 33: *Sanctorum*, inquit, *animæ à S. Spiritu incitatæ, cum Angelis in regione vivorum Deum laudant et tripudiant.*

3. Et calcabitis (Tigurina, *conculcabitis*) impios.] Tertull. l. de Resurr. carnis, cap. 31: *Conculcabitis inimicos.* Primo, quia eos sub pedibus habebitis: impii enim in valle Josaphat judicandi consistent; pii vero rapientur obviam Christo in aera, ibique cum eo sedebunt quasi judices. Secundo, quia tanto gaudio afficiemini, quanto afficeremini si nunc calcaretis inimicos vestros, q. d. Eritis superiores improbis, eisque dominabimini. Tertio, quia quasi assessores Christi judicis damnabitis impios. Unde Pagnin. vertit: *Diruetis impios.* Quarto, quia per dæmones quasi lictores et exsecutores sententiæ ves-

træ deturbabitis eos in tartara, ubi erunt *quasi cinis sub planta pedum vestrorum*, id est, instar cineris comminuti et humiliati, nempe contemptissimi et abjectissimi. Rursum cinis notat ignem gehennæ, ait Vatabl. in illo enim erunt impii *quasi cinis*, id est, adurentur ut cinis, non quod incinerandi et in cinerem redigendi sint, sed quod sicut cinis in igne semper perdurat, ita in eodem perdurabunt et impii in æternum. Quid enim impiis, æque ac cinere, vilius, miserius, squalidius, aridius, sterilius? Ita Catullus :

> Troja nefas, commune sepulcrum Asiæ Europæque :
> Troja virûm, et virtutum omnium acerba cinis.

Et P. Sabinus :

> Jam cinis, et tantum flebile Troja solum.

Seneca in Herc. Fur.

> Cadmæa proles, atque Ophionius cinis, quò recidistis?

Claudian. in Eutropium :

> Migdonii cineres, et si quid restat Eoi
> Quod pereat regni.

In die qua facio,] id est, faciam, scilicet in die judicii, quando faciam vos calcare impios, sicut ipsi in hac vita conculcarunt vos, juxta illud Psalm. 149. 6 : *Exaltationes Dei in gutture eorum, et gladii ancipites in manibus eorum : ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis : ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis, ut faciant in eis judicium conscriptum : gloria hæc est omnibus Sanctis ejus.* Et Sapient. 3. 8 : *Judicabunt nationes, et dominabuntur populis.* Et Matth. 19. 28 : *Vos qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Israel.*

4. Mementote legis Moysi.] Hinc Judæi contendunt probare legem Mosis non fuisse abolitam per Christum, sed duraturam usque ad diem judicii : de eo enim hîc in præcedentibus et sequent. agitur. Respondent primo Rupert. Lyran. et Vatabl. per legem hîc intelligi præcepta moralia, quæ durant etiam tempore legis novæ. Verum obstat, quod legem hanc explicans, subdit Malachias, *præcepta*, hebr. חקים *chuckim*, id est, sanctiones circa sacra et ritus, puta præcepta cæremonialia; et *judicia*, id est, præcepta judicialia. Secundo, alii sic explicant : *Mementote legis Mosi*, ut scilicet in ejus cæremoniis, ritibus et judiciis intueamini Christum et Ecclesiam ejusque Sacramenta; *et judicia*, quæ in illis figurantur. Moses enim expresse de Christo audiendo ita Judæis præcepit : *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies.* Deuter. 18. 15. Ita S. Hieronymus, Theodor. Arias et alii. Verum et hoc arctius et coactius videtur. Nam jubere ut meminerint legis, est jubere ut eam opere compleant, ejusque sanctiones cæremoniales et judiciales observent. Hoc autem non potuit Malachias jubere Judæis pro tempore Christi et legis Christianæ.

Dico ergo Prophetam loqui Judæis sui ævi, et posteris eorum futuris usque ad Christum : toto enim hoc tempore duravit et obligavit lex Mosis. Ad eam ergo servandam Judæos sui temporis adhortatur, quia ipsi in ea servanda refrixerant, præsertim in præceptis cæremonialibus de dandis decimis et primitiis, uti vidimus c. 3. 8. Illos ergo excitat, eisque dat acrem stimulum ad legis observationem, scilicet repræsentationem diei judicii, q. d. Videte ut leges omnes à Mose præscriptas observetis, tam quæ Dei cultum, quàm quæ jus proximi spectant. Nam Deus in die judicii legis servatæ, vel non servatæ exactam à singulis rationem requiret, ac eam observantes glorificabit, non observantes condemnabit. Nolite ergo dicere : *Ubi est Deus judicii?* uti dixistis cap. 2. 17. Nec : *Vanus est qui servit Deo, et quod emolumentum quia custodivimus præcepta ejus?* uti dixistis, cap. 3. 14. In die enim judicii videbitis Christum esse Deum judicii, nec vane vos servisse Deo, et præcepta ejus custodiisse. *Tunc enim orietur vobis sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus, et egrediemini, et salietis sicut vituli de armento. Et calcabitis impios, etc.* Ita Remig. Albert, Hugo, Vatabl. Arias et alii.

Perperam ergo Victorinus et Maldonatus in Matth. 17, ex hoc Malachiæ loco et ex Apoc. 11. 6, censent cum Elia venturum, non Henoch, sed Mosen, ut ambo certent contra Antichristum

In Horeb.] In Sina, ut dixi Exodi 17. 6.

5. Ecce ego mittam vobis Eliam.] Post exhortationem suorum ad legem Mosi servandam, quam obiter inseruit Propheta, hîc redit ad diem judicii, ejusque prodromum assignat Eliam.

Quæres : Quisnam hic Elias? Calvinus et nonnulli catholici, ut Burgensis, Arias, Clarius, censent esse Joannem Baptistam, quia de eo, ad hunc Malachiæ locum respiciens Christus, Matth. 17. 10, ait : *Elias jam venit*, scilicet Joannes Baptista, uti mox explicat S. Matth. Et cap. 11. 14 : *Omnes Prophetæ et lex usque ad Joannem prophetaverunt. Et si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est.* Alii novantes per *Eliam* accipiunt quoslibet Prophetas à Deo in orbem mittendos. Verum dico, certum est per Eliam hîc verum Eliam accipi, non Joannem Baptistam, aut chorum Prophetarum. Probatur primo, quia Sept. hunc Eliam vocant *Thesbiten* : sic enim habent codices Vaticani et alii, ut mirum sit in Regiis τὸ *Thesbiten* deesse. Sic et versio Arabica : *Ecce*, ait, *ego mittam vobis Eliam Thesbiten, ante apparitionem diei Domini terribilis.* Ergo de vero Elia hîc est sermo : nec enim Joannes Baptista fuit Thesbites. Secundo, quia Elias hîc erit præcursor secundi adventus Christi ad judicium : hic enim erit *dies Domini magnus et horribilis* : Baptista vero præivit primum Christi adventum in mundum. Tertio, quia, cum Elias veniet, veniet et Christus percussurus terram anathemate, uti indicat Propheta, v. ult. Hoc autem fiet in secundo adventu. Nam in primo venit salvare mundum, non perdere aut percutere. Quarto, ita ad hunc locum alludens explicat Eccles. cap. 48. 10, dicens : *Qui scriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, et restituere Tribus Jacob.* Et Christus Matth. 17. 10 : *Elias quidem*, inquit, *venturus est et restituet omnia.* Quinto, quia ita interpretantur Patres Græci et Latini, Cyrill. Theodor. Remig. Haymo, Albert. Hugo, Lyran. et alii hîc, S. Chrysost. Euthym. Beda, Ansel. S. Thomas in Matth. 17. Hyppol. lib. de Consummatione seculi. Cyprian. tract. de Sina et Sion. Ephrem, tract. de Antichristo, Prosper in dimidio temp. cap. 13. Tertull. lib. de Anima c. 35. Justin. dial. contra Tryphon. Nyssen. lib.

Testimon. contra Judæos. S. August. 20. Civit. 29. S. Gregor. 11. Moral. 10. Andreas, Ambros. Haymo, Rupert. et Aretas in Apoc. c. 11. Eadem fuit communis Hebræorum sententia, ut patet Matth. 17. 10. Idem de Elia prædixit Sibylla, dum ita canit :

> Tum quoque cœlesti curru devectus inibit
> Terras de cœlo Thesbites, signaque trina
> Ostendet toti mundo vitæ pereuntis.

Dices : S. Hieronym. per *Eliam* accipit chorum Prophetarum, qui præibit secundum Christi adventum. Resp. S. Hieron. mystice explicat Eliam, ut mox dicam, non litteraliter. Nam Eliam in persona esse venturum clare docet ipse in cap. 11 et 17. S. Matthæi. Instabis : Quomodo ergo S. Hier. hìc ait : *Judæi et judaizantes hæretici ante ηλειμμενον suum Eliam putant esse venturum?* Resp. quia Judæi suum adhuc exspectant Messiam, ejusque primum in mundum adventum, cujus præcursorem censent fore Eliam : hos redarguit S. Hier. Et merito, est enim hìc duplex eorum error. Prior, quod censeant Christum nondum venisse. Posterior, quod putent Eliam fore præcursorem primi adventus Christi, cum sit futurus præcursor secundi.

Ad argumentum initio ex cap. 17. S. Matth. propositum respondeo, simillimos in officio, zelo, prædicatione et sanctitate fuisse, et fore Eliam et Joannem Baptistam ; quia hic fuit præcursor Christi in primo adventu, ille erit præcursor ejusdem in secundo adventu. Quocirca unus sortitur nomen alterius, utpote cujus est antitypus. Joannes Baptista enim vocatur Elias, non in persona, sed ob similem spiritum et virtutem, ut ait Gabriel, Lucæ 1. 17 : *Ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ.* Distinguit ergo Christus duos Elias, unum ad litteram, de quo ait : *Elias quidem venturus est, et restituet omnia ;* alterum typicum, puta Joannem Baptistam, de quo ait : *Elias jam venit.* Judæi enim confundebant duplicem Christi adventum, eumque commiscebant in unum, ante quem venturus esset Elias, ac proinde aiebant necdum venisse Christum, eo quod necdum venisset Elias : quibus respondet Christus duplicem esse Christi adventum, et prioris præcursorem esse typicum Eliam, puta Joannem Baptistam, uti prædixit Malachias, cap. 3. 1 ; posterioris præcursorem fore verum Eliam, ac proinde cum ipsi viderent Eliam typicum, credere debere jam venisse Christum, cujus ipsum fore præcursorem prædixerunt Prophetæ.

Mystice, S. Hieron. et ex eo Remigius : *Post Mosen*, inquit, *cujus mandata specialiter docuimus esse servanda, Eliam dicit esse mittendum, in Moyse legem, in Elia prophetiam significans. Et Dominus atque Salvator transfiguratus in monte loquentes habebat Moysen et Eliam in candidis vestibus, qui et dicebant ei quæ passurus esset in Jerusalem. Lex enim et omnis Prophetarum chorus Christi prædicat passionem.* Et mox : *Mittet Dominus in Elia (qui interpretatur Deus meus, et est de oppido Thesbi, quod conversionem et pœnitentiam sonat) omnem Prophetarum chorum, qui convertat cor patrum ad filios.*

Quæres primo, cur hìc Propheta injiciat mentionem Eliæ? Resp. primo, quia cap. 1. 10. et cap. 2. 2. prædixit reprobationem Judaismi et Judæorum per Christum ; ut ergo eos consoletur et Christo conciliet, prædicit hìc eos rursus revocandos fore, et in pristinam gratiam recipiendos à Christo tempore Eliæ, per ejus prædicationem et miracula. Igitur cum eum viderint, recipient quasi verum Eliam hìc prædictum, ac in Christum quem Elias prædicabit, credent. Quocirca Judæi avide exspectant Eliam, ut Christum ab eo designatum amplectantur. Hinc Rabbinorum de Elia gnome est : *Tisbi*, id est Elias Thesbites, *solvet dura*, hoc est, nodos omnes et quæstiones. Ad Eliam enim remittunt quidquid in Scriptura dubium et obscurum incidit, uti refert Quinquarboreus in Abbreviaturis Hebr. Imo Judæi etiamnum, quoties aliquem circumcidunt, ponunt ornantque Eliæ sellam, censentes eum in spiritu adesse, et zelari pro lege Domini, uti tradunt Rabbini in Thalmud, tractat. *Berachot*, et R. David hìc, et Galatin. lib. 10. cap. 6. Secundo, quia Malachias dixit v. 2. quod Christus timentibus Deum in die judicii *orietur* quasi *sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus ; et egrediemini, et salietis sicut vituli de armento, et calcabitis impios.* Talis autem fuit eritque Elias ; unde congrue erit Christi præcursor. Fuit enim ipse, eritque sui ævi phœnix, imo sol illuminans, sanans et accendens amore Dei frigida hominum corda ; unde et meruit curru igneo, quasi Phaethon rapi in cœlum : hinc et Elias dictus est quasi ηλιος, id est sol, ait S. Chrys. de quo mox plura.

Quæres secundo, cur Elias potius quàm Moses, vel quis alius, futurus sit præcursor secundi adventus Christi? Resp. primo, ob ingentem zelum, quo præ aliis Prophetis à Deo dotatus fuit Elias. Cum enim mitteretur à Deo ad corrigendos seculi sui corruptissimi mores, et ad idololatriam ex Israele exstirpandam, opus erat ei ad hoc perficiendum ingenti animi robore et zelo, quem proinde Deus ei indidit ; eoque conflixit et debellavit tam impiissimam Jezabel cum Achab marito suo, quàm omnes Prophetas Baal, quos et occidit, 3. Reg. 18. Simili zelo opus erit in fine mundi, quando refrigescet charitas, et abundabit iniquitas. Mittetur ergo zelosus Elias, ut cum Antichristo confligat, ut perversissimos illius ævi mores emendet, itaque viam sternat Christo venturo. Mosen, licet zelosum, non congruit redire, ne videatur legem veterem suo reditu restituere, et Judæos in Judaismo confirmare : ipsi enim ad aliud non appellant quàm ad Mosen ejusque legem.

Secundo, quia Elias missus fuit à Deo ad tollendum schisma, quod fecit Jeroboam et decem Tribus apostatantes à Juda et à Deo, pro eoque adorantes vitulos aureos in Dan et Bethel. Simili modo mittetur in fine mundi ad tollendum schisma, quod olim fecerunt Judæi à Christo et cæteris gentibus fidelibus, ut eos uniat Christo et Ecclesiæ. Judæi enim ipsi credent, utpote Judæo, et Prophetæ suo, adeo in Scriptura celebrato, et promisso ad idem opus, quod olim fecit, iterum peragendum in fine mundi. Hanc causam dat Malachias, cum subdit : *Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum ; et restituere*, id est, ut restituat Deo et avitæ fidei, *Tribus Jacob*, ut ait Eccles. cap. 48. 10.

Tertio, quia sicut olim sub Noe mundus periit diluvio, sic in fine peribit igne conflagrationis. Mittetur ergo Elias Propheta igneus, ut ignem instantem peccatoribus prænuntiet, eos-

que ad fidem et pœnitentiam accendat, quo hunc ignem evadant. Hinc Eccles. cap. 48. 1: *Surrexit*, inquit, *Elias Propheta quasi ignis, et verbum ejus quasi facula ardebat.*

Quarto, quia Elias ob zelum cœlestem raptus est in cœlum. E cœlo ergo quasi cœlestis Christi è cœlo venturi testis adveniet, juxta illud Eccles. 48. 9: *Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum; qui scriptus es in judiciis temporum*, (id est, tempore à Deo judicato et decreto) *lenire iracundiam Domini.* Adde id meruisse Eliam sua virginitate et puritate Angelica. Eum enim virginem fuisse, et quidem illo ævo singularem, docet S. Ignat. epist. 11. S. Ambros. lib. 1. de Virg. S. Epiphan. in Anchor. *Elias*, ait, *erat in virginitate, ut prærogativa virginitatis immortalitatem prædicaret mundo.* S. Ephrem, serm. de Transfiguratione: *Aspexit*, inquit, *virgo veteris Testamenti virginem novi, Elias nimirum Joannem.*

Quinto, quia Elias fuit dux et antesignanus Prophetarum, tum tempore, tum dignitate, tum sanctitate, tum libertate et efficacia prædicandi, tum rerum gestarum gloria; unde repræsentat totum chorum Prophetarum, ait S. Hieron. qui præit Christo, eique testimonium perhibet. Eadem de causa Elias apparuit Apostolis in Transfiguratione Christi, ut ostenderet ipsum esse Christum, seque et omnes Prophetas illi suum dare calculum, illique attestari quod ipse esset Messias orbis salvator.

Sexto, quia Elias Israelis et Judæorum fuit custos, Propheta, doctor, protector, Apostolus. Veniet ergo, ut suos Judæos per tot secula aberrantes à Deo, ad eum et Christum reducat. Unde Elisæus Eliæ, dum in cœlum râperetur, succlamabat: *Pater mi, currus Israel et auriga ejus*, q. d. Tu, ô Elia pater mi, eras Israelis auriga et currus, quia eum ut auriga regebas et flectebas quocumque volebas, eumdemque ut currus tolerando bajulabas, protegebas ac propugnabas contra Syros aliosque hostes. Unde Septuag. vertunt: *Pater mi, currus Israel et equites ejus*, q. d. Tu, ô Elia, eras totum robur, totus exercitus Israelis, qui magis eum servabas et defendebas tuo zelo, precibus et meritis, quàm magna curruum et equitum multitudo. Præclare Tertull. lib. de Anima, cap. 35, citans hæc Malach. verba: *Elias*, inquit, *non ex decessione vitæ, sed ex translatione eventurus est, nec corpori restituendus, de quo non est exemptus, sed mundo reddendus, de quo est translatus, non ex postliminio vitæ, sed ex supplemento prophetiæ, idem et ipse et sui nominis et sui hominis.*

Septimo, quia, sicut Elias curru igneo raptus in cœlum, typus fuit gloriosæ ascensionis Christi in cœlum; ita rursum typus fuit gloriosi regni Christi et Beatorum, quo in die judicii triumphantes ascendent in cœlum, ibi in æternum regnaturi. Apposite ergo gloriosus Elias præibit gloriosum Christi adventum, uti sol oriens præit solem meridianum. Fuit enim Elias sua sanctitate, zelo et raptu quasi ἥλιος, id est sol mundi. Vide S. Chrysost. serm. de Ascensione Eliæ, tom. 1, ubi triumphalem Eliæ currum depingens inter cætera ait: *Oportebat namque errantis populi rectorem, gubernatorem sacrorum, moderatorem discrepantium voluptatum, Israelis aurigam; ut, quoniam ad jugum timoris Dei lascivos et vagos animos revocavit, frenis lorisque astrinxit, et ad iter disciplinæ recto tenore currendum concordi quadam copulatione composuit, ad regna cœlestia curru atque equis transvolaret evectus.* Addit deinde: *Hinc Poetas atque pictores in figuranda solis imagine, exempla credo sumpsisse: qui curru atque equis fulgentibus ipse rutilans, et fluctu Oceani levatus inter præruptos montium scopulos evadens, quasi ad cœlestia videtur ascendere. Sol enim græco sermone ἥλιος appellatur. Unde Elias vere ἥλιος, quia curru et equis fulgentibus igne, de Oceani fluctu, id est de mundi commotione per montium scopulos, id est, per magnorum laborum difficultates, progrediens, ad cœlestia devectus ascendit.* Erat enim Elias *vir cui totus mundus erat inferior*, ut idem ait homil. 15. inter 27. ex variis in S. Matth. locis.

Octavo, quia Elias exemplum et typus est beatæ resurrectionis, quam in die judicii Christus conferet omnibus beatis et electis. Unde ex Epiph. in Anchor. S. August. lib. 15. Civit. 19, Eliam et Henoch vocat primogenitos nostræ resurrectionis. Et Tertull. l. de Resurrect. carnis, cap. 5. 8: *Henoch et Elias*, inquit, *nondum resurrectione dispuncti, quia nondum morte functi, quia tamen de orbe translati, et hoc ipso tam æternitatis candidati, ab omni vitio, et ab omni damno, et ab omni injuria et contumelia immunitatem carnis ediscunt, cuinam fidei testimonium signant, nisi qua credi oportet hæc futuræ integritatis esse documenta?*

Moral. disce hîc ex Elia quanta virtus sit zelus, quantique Deus faciat zelosos, utpote quos velit sibi esse vicinos, suosque esse prodromos, præcursores et indices, uti fuit antitypus Elias, scilicet Joannes Baptista; de quo Gabriel Zachariæ, Lucæ 1. 17: *Ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ.* Talis fuit S. Paulus, dicens Rom. 8. 35: *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia, etc.* Talis fuit S. Ignat. cujus igneas epistolas, vitam et martyrium si quis legat, ignescet. Talis S. Franciscus, qui proinde adhuc vivens, sed absens, suis fratribus apparuit quasi sol in curru igneo, tanquam alter Elias zelator legis divinæ, suo ardore accendens orbem, eoque rapiendus in cœlum: *Intellexerunt namque concorditer omnes sanctum patrem absentem corpore, præsentem spiritu, transfiguratum tali effigie, supernis irradiatum fulgoribus et ardoribus inflammatum; supernaturali virtute in curru splendente simul et igneo, sibi demonstrari à Domino, ut tanquam veri Israelitæ post eum incederent, qui virorum spiritualium, ut alter Elias, factus fuerat à Deo currus et auriga*, ait S. Bonavent. in Vita ejus, cap. 4. De hoc suo zelo gloriatur Elias 4. Reg. 19. 14: *Zelo*, ait, *zelatus sum pro Domino Deo exercituum: quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel, altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam, ut auferant eam.*

6. Et convertet cor patrum ad filios.] Varii varie hoc explicant. Primo, S. Hieron. hîc, S. August. 20. Civit. 29. Gregor. 11. Mor. 9; et ex iis Toletus, Luc. 1. 17, sic explicant: Elias cor, id est mentem, patrum transferet in filios, excitando scilicet in filiis idem cor, id est eumdem animum, fidem, desiderium et devotionem erga Christum, quod habuerunt eorum patres, ut eos filii imitentur et æmulentur, q. d. Elias sua prædicatione restituet et revocabit fidem et devotionem patrum, Patriarcharum scilicet et

Prophetarum antiquorum erga venturum Messiam, in filiis, id est posteris, ut et ipsi viva fide et ardenti studio Christum quasi Messiam jam præsentem amplectantur; itaque ignitum patrum erga Christum desiderium, jam multis seculis per infidelitatem et scelera exstinctum, accendet in filiis. Unde pro *convertet* hebr. est הרשיב *hosçeb*, id est redire faciet, q. d. Elias faciet ut in filiis redeat cor, id est mens, fides et devotio patrum. Alludit *hosçeb* ad *Tisbi*, id est Thesbites: *Elias* enim hebr. idem est quod *Deus meus; Tisbi* significat conversionem ad pœnitentiam, restitutionem et revocationem, q. d. Elias juxta nomen suum et patriam erit Thesbites, quia convertet suorum corda per pœnitentiam ad Deum suum; itaque omnia in integrum restituet et revocabit. Ita S. Hier. Hoc est quod ait Christus: *Elias venturus est et restituet omnia*, Matth. 17. Et Eccli. cap. 48. 10: *Veniet Elias conciliare cor patris ad filium, et restituere Tribus Jacob*, id est Elias duodecim Tribus collapsas à vetere veraque patrum fide et religione, in pristinam et avitam pietatem restituet: per cæcitatem et perfidiam fractas et dissipatas, ostensa fidei luce redintegrabit. Verum huic expositioni objici potest id quod sequitur: *Et cor filiorum ad patres eorum;* nec enim Elias cor, id est, mentem et devotionem filiorum transtulit in patres, ut illam eis inderet, ut pote qui eam primitus habuerant, et jam erant mortui. Sed respond. sensum esse: Elias convertet *cor filiorum ad patres*, id est, efficiet ut Judæorum cor, id est, mens et fides consentiat et adhærescat cordi, id est, menti et fidei patrum.

Secundo, R. Salomon, Abenezra, R. David, Arias, Vatabl. et à Castro censent hac phrasi non aliud significari quàm omnes, tam patres, quàm filios, ad unam fidem ac religionem convertendos, q. d. Elias convertet cor patrum ad filios et cor filiorum ad patres, id est, faciet ut patres et filii habeant unum cor, id est, sint unanimes in fide et amore Dei, ut uno communi corde et animo patres cum filiis, et filii cum patribus, id est, tam majores quàm minores, Christum recipiant et colant. Unde Abenezra: Erunt, ait, omnes cor unum, seu cordis unius ad revertendum ad Dominum, tam patres, quàm filii. Verum sic potius dixisset: Convertet cor patrum et filiorum ad Christum; jam autem dicit: Convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres.

Tertio, q. d. Elias sua prædicatione et zelo efficiet ut Judæi in fine mundi imitentur suos Patriarchas, ut sicut ipsi crediderunt, sperarunt, summeque desiderarunt et amarunt Christum venturum, ita filii eorum credant, sperent, summe desiderent et ament eum præteritum, imo præsentem; itaque cor patrum à filiis incredulis ante aversum, ad eos jam credentes convertet, facietque ut Patriarchæ Judæos Christo credentes pro legitimis filiis agnoscant, et ament: *Abraham* enim *pater vester exsultavit ut videret diem meum: vidit et gavisus est*, ait Christus, Joan. 8. Idem dic de Isaac, Jacob, Mose, David, etc. Ita S. Hieron. Remig. Rupert. Lyran. et alii. Hoc enim est reducere, vel convertere cor unius ad alterum, nimirum redintegrare amorem pristinum, reconciliare affectum aversum: cor enim est symbolum et sedes amoris. Hic sensus sequitur ex primo, ac proinde uterque genuinus est, et connectendus. Quia enim Judæis in fine mundi erit idem cor, id est, animus, fides et pietas in Christum, quod fuit patrum: hinc consequenter erit idem cor, id est, amor et charitas mutua, patrum fidelium erga filios fideles, et filiorum erga patres. Unde Lucas, c. 1. 17, hæc verba Malachiæ applicans antitypo Eliæ, id est Joanni Baptistæ: *Convertet*, inquit, *corda patrum in filios;* et pro eo quod Malachias subdit: *Et cor filiorum ad patres*, vertit: *Et incredulos ad prudentiam justorum;* hoc est primo, q. d. Elias, æque ac Joannes, convertet Judæos ad prudentiam, id est, ad fidem, quam de Christo venturo habuerunt prisci justi eorum patres. Ita Maldon. in Lucæ 1. Secundo, q. d. Faciet Joannes ut increduli diligenter considerent signa adventus Messiæ, à Prophetis præscripta, et patribus à Deo data, atque ex iis credant Messiam jam venisse, Christumque agnoscant, scilicet Christum esse hunc quem ipse eis digito ostendet, dicens: *Ecce Agnus Dei;* hoc enim prudentiæ est opus. Ita Toletus in Lucæ 1. Tertio, Joannes convertit incredulos, græce ἀπειθεῖς, id est, inobedientes, ut vertit Syrus, scilicet legi et præceptis majorum, ad prudentiam justorum, quæ est amare cœlestia et æterna, non terrena et caduca; timere et colere Deum, ejusque leges observare: qui enim hoc facit, is sapit et prudens est. Joannis enim prædicatio erat hæc: *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum*, Matth. 3. 2. Eadem erit Eliæ.

Symbolice, Elias convertet cor patrum, id est Judæorum, ad filios, id est ad Christum et Apostolos: hi enim ex Judæis prognati, eorum fuerunt filii: et cor filiorum ad patres, nimirum Christianorum ad Judæos (primi enim Christiani ex Judæis sunt orti), q. d. Elias faciet ut Judæi credant Christo et Christianis, ut Christianorum fides et religio infundatur Judæis, ac proinde utrique habeant unum cor, id est animum, fidem et religionem, nimirum cultum Christi. Ita Theodor. hìc, et S. Chrysost. et Euthym. in cap. 17. Matthæi, ac Damascen. lib. 4. de Fide, cap. 27.

Ex hoc ergo loco patet Judæos pene omnes in fine mundi convertendos esse ad Christum, per Eliam. Ita censet S. Chrysost. homil. 58. in Matth. *Elias*, inquit, *restituet omnia, incredulitatem videlicet Judæorum qui tunc erunt residui, ad fidem convertet.* Et post nonnulla: *Quomodo ergo crediturі sunt, inquies? Siquidem Elias cuncta restituet, non modo sane quia notus, verum etiam quoniam usque ad illum diem amplior magis atque amplior gloria Christi radiis solaribus erit fulgentior: ad quæ omnia cum prædicatio illius accedat ad Christi fidem impellens, facillime suscipient.* Idem docent S. Aug. 20. Civit. 29. Theodor. in cap. 12. Daniel. S. Gregor. hom. 12. in Ezech. Damasc. lib. 5. de Fide, cap. 27. Beda, lib. 3. in Marc. cap. 37. Theoph. in cap. 17. S. Matth. Ambr. Victorin. et Ansbertus in cap. 11. Apoc. estque hæc communis Patrum et Ecclesiæ traditio. Ubi nota: Cum ait Christus: *Elias restituet omnia*, significat ingentem tunc fore conversionem: adhæc Eliam facturum pacem inter Judæos et Gentes, tanto tempore discordes, ut uno fœdere in Christi fidem et Ecclesiam coeant: insuper, Eliam collapsos Cleri et populi mores reformaturum, suoque zelo Apostolico omnia ad avitum nitorem et primigenium splendorem, quem habuit Ecclesia tempore Aposto-

lorum, reparaturum, ut Christiana religio et sanctitas ubique mirifice splendeat et coruscet. Plura de Elia et Henoch dixi Gen. 5. 24. et Apoc. 11. 2 et seq. Hinc rursum Julianus Archiep. Tolet. lib. 1. contra Judæos, probat eos jam aversos esse à Christo, ac consequenter jam venisse Christum; quia ad eum convertentur in fine mundi: nec enim converti possunt nisi aversi: Judæi autem ab alio Christo non sunt aversi, quàm à nostro Jesu Christo: ergo hic verus est Christus et Messias.

Ne forte veniam et percutiam terram,] id est veniens percutiam, vel, cum venero judicare percutiam. Est hendiadys, qua unum dicitur per duo. Nam τὸ *forte* non ad *veniam* (quia non fortuitum et dubium, sed fixum certumque est quod veniet ad judicium), sed ad *percutiam* referendum est, q. d. Ne forte cum venero judicaturus terram, inveniam eam incredulitate et sceleribus refertam, ideoque justa condemnationis sententia *percutiam* eam *anathemate;* Chald. *exterminatione;* Pagnin. *occisione;* Septuag. ἄρδην, id est penitus, vel subito; Tigur. *prorsus;* alii, *funditus, radicitus;* alii, *usque ad interitum,* vel internecionem. Hebr. enim חרם *cherem* significat excisionem, qua res stirpitus exscinditur, interimitur et perditur: idem significat græcum ἀνάθεμα. Vide dicta Levit. 27. 28. et Rom. 9. 3. Per *cherem* ergo et *anathema* hìc intellige æternam maledictionem, pœnam et ignem gehennæ, cui Christus impios omnes addicet in die judicii. Ita Remig.

Per *terram* metonymice intellige incolas terræ, puta homines terrenos et terrena sapientes. Ita S. Hieron. Dicit *terram,* non Judæam, tum quia Judæi quos convertet Elias, sparsi sunt per totam terram; tum quia Elias non tantum Judæos, sed et Gentes ubivis terrarum convertet, et Christianam vel fidem, vel vitam et mores eis imprimet, itaque avertet ab eis anathema damnationis æternæ. Minus recte Arias per anathema accipit excidium Judæorum per Titum et Romanos: agitur enim hìc de die judicii, cujus præcursor erit Elias. Minus apte quoque Vatabl. per τὸ *forte* putat significari tempus adventus Christi indeterminatum, q. d. Ne forte veniam tempore incerto, quo minime putabitis, vel me exspectabitis. Nam quocumque tempore veniet Christus, certo perdet impios, nisi se convertant per prædicationem Eliæ.

Moral. disce hìc primo, ex Elia, qui iram Dei avertet, ne percutiat totam terram anathemate, Sanctos illustres et zelosos esse quasi bases et columnas orbis, qui suis precibus, meritis et zelo eum, alioqui ruiturum in exitium, fulciunt et sustinent: tum quia orando manus Deo irato quasi ligant, ne in vindictam prosiliant: tum quia prædicando sancteque vivendo peccatores compungunt, impelluntque ad corrigendam vitam. Hi enim sunt quasi Angeli terrestres, quorum mens in cœlis est, qui terra celsiores, et Deo quasi fortiores sunt. Talis Sodomæ Atlas fuit Abraham, Gen. 18. 23. et apud Judæos Moses, Exodi 42. 14. ac Samuel 1. Reg. 7. 10. et David 3. Reg. 11. 12. et Ezechias 4. Reg. 20. 6. et Jeremias c. 1. 18. Deus enim pluris facit unum insigniter sanctum, quàm centum communes justos. Ratio est quam per transennam, per lumen, inquam, naturæ, vidit Plato in Theæteto, dicens: *Deo nihil est similius, quàm cum ex hominibus aliquis justissimus est.* Qui sane cuilibet stimulus esse debet, ut jugiter ardenti conatu aspiret et contendat ad profectum, et ad culmen sanctitatis. Talis enim in cœtu justorum eminet quasi gigas, qui dextra sua cœlum contingit, ibique quasi alter Jacob cum Deo luctatur, et volentem vincit. Hinc Dominus ad Ezechielem, cap. 22. 30. *Quæsivi,* inquit, *de eis virum qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, et non inveni. Et effudi super eos indignationem meam, in igne iræ meæ consumpsi eos.* Non est dubium plures tunc in Judæa fuisse justos, sed nemo fuit tam eminens, qui staret oppositus Deo, eique flagellum extorqueret.

Talis Venetiarum Atlas fuit S. Laurentius Justinianus, earumdem Patriarcha: viro enim cuidam sancto revelatum est Deum civitati indignantem eam perditurum fuisse, nisi precibus sui sancti Patriarchæ furor divinus aversus fuisset. Ita habet ejus Vita. Talis Emesæ, imo orbis Atlas fuit S. Simeon, cognomento Salus, id est stultus, quod sanctitatem suam stultis operibus celaret, cum interim multa mirabilia in summum suî contemptum, ac in salutem corporalem et spiritualem proximorum patraret. Cum enim quidam Emesenus civis Hierosolymam profectus, se Abbatis Joannis precibus commendaret, hoc ab eo responsum tulit: *Miror te, cum Emesæ habeas Abbatem Simeonem, ad me hominem vilem et abjectum divertere. Nam non ego solum, sed etiam mundus totus indiget illius precibus.* Ita Leontius Episcopus Neapol. in Vita S. Simeonis.

Similes Ecclesiæ Atlantes fuere S. Dominicus, S. Franciscus, S. Vincentius Fererius (qui centum Christianorum millia, Judæorum 25, Saracenorum octo ad Christum convertit); sic Japonum et Indorum Atlas hoc ævo fuit S. Xaverius. Quis ergo dubitet mundum precibus talium stare Sanctorum? Quocirca merito S. Ambros. lib. 2. de Cain et Abel, cap. 3 et 4: *Quàm beata,* ait, *civitas quæ plurimos justos habet, quomodo benedicitur tota de parte! Quàm gaudeo, cum aliquos mites ac sapientes diu vivere video, cum virgines castas, viduas graves aspicio longævas, velut quamdam incanam Ecclesiæ curiam prætendant ipso quodam vultu et specie gravitatis, quod juvenes revereantur, quod imitentur, quo ad omnem morum gratiam colorentur. Similiter cum aliquis hujusmodi decedit, quamvis longa senectute depositus, afficior, quia destituitur grex juvenum muro senili.* Subdit tales esse quasi civitates refugii, in quas delinquentes se recipere possint *Denique perituræ,* inquit, *urbis aut malorum imminentium, vel futuræ labis hoc primum indicium est, si ei decedant viri consultores, vel etiam graviores feminæ. Hinc primum ingruentium aperitur porta malorum.* Idem docet Isaias, cap. 1. vers. 1 et seq.

Disce secundo, æstimare et ponderare ultimum cherem et anathema, quo suam omnesque aliorum prophetias claudit Malachias, ut illo stimulo incitet omnes ad piam sanctamque vitam. Eodem sua oracula concludit Isaias dicens: *Et egredientur, et videbunt cadavera virorum qui prævaricati sunt in me: vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur: et erunt usque ad satietatem visionis omni carni.* Hoc est *cherem,* quo ferientur et siderabuntur impii in ultimo et decretorio mundi die, qui erit horizon temporis et æternitatis, cœli et gehen-

næ, quando à Christo judice in valle Josaphat, quasi in orbis universi theatro, ad æterna tormenta damnandi, pavidi et attoniti audient: *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus;* atque illico igne conflagrationis convoluti, à dæmonibus in tartara rapientur, ubi in æternum separati, imo maledicti à Deo, Angelis et Beatis, perpetuo carcere conclusi, nunquam amplius videbunt solem, stellas, vel ullam lucem, nullam lætitiam aut consolationem percipient: sed in perpetuis incendiis volutabuntur: ubi fumus tormentorum ascendit in secula seculorum. Hoc cogita cum te libido stimulat, cum ambitio sollicitat, cum ira exagitat, cum caro blanditur, cum mundus allicit, cum dæmon fallaces suas illecebras et pompas ostentat. In manu, in arbitrio tuo est vita et mors, cœlum et gehenna, salus et damnatio, felicitas et infelicitas tua sempiterna. Elige quod mavis. Cogita: *Momentum quod delectat, æternum quod cruciat.* Et vicissim: *Momentum quod cruciat, æternum quod delectat.* Præclare S. Chrysost. homil. 1. de Lazaro: *Si quis, inquit, in centum annis vidisset per unam noctem suave somnium, multisque deliciis per somnum fruitus, centum deinde annis cruciaretur, num is vellet unam noctem qua somniavit, centum annis æquiparare? Hoc de futura vita cogita. Nam quod est somnium unum ad centum annos, hoc est præsens vita ad futuram, imo multo minus. Quod est exigua gutta ad pelagus immensum, hoc sunt mille anni ad futuram fruitionem; quantumque interest inter somnia et res veras, tantum interest inter hujus vitæ statum et illius.* Quid enim sunt aliud omnes res et spes mortalium, *quàm somnia vigilantium?* ait Philo: *Quid videatur ei magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis totiusque mundi nota sit magnitudo?* ait Cicero Tuscul. 4.

Ex adverso cogita quàm dispar sit *cherem* Sanctorum, anathema Beatorum. Impii sunt *cherem* justitiæ et vindictæ divinæ; Sancti sunt *cherem* misericordiæ et gloriæ divinæ. Impii sunt *cherem* diaboli; pii et electi sunt *cherem* Dei, id est, res sacra ab usibus profanis separata, Deo Deique laudibus in æternum dicata. Impii sunt anathema, folles et fomenta gehennæ; Sancti sunt anathema cœli et Jerusalem cœlestis, uti in ea ad perennem Dei gloriam per æterna secula resplendeant.

Probus ergo piusque esto, fuge illecebras mundi, mortifica concupiscentias, sustine morbos, despectus, ærumnas, persecutiones; stude puritati, sanctitatem cole, enitere ad omnem virtutem: modicus erit brevisque omnis labor tuus; sed ingens præmium te manet, et corona immarcescibilis. *Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, 2. Cor. 4. 17: *O fragilitas humana, exiguum est quidquid agis propter spem æternorum*, ait Euseb. Emissenus (vel potius Eucherius Lugdun. aut quisquis est auctor) homil. de S. Maximo. Quocirca S. Antonius, teste S. Athanasio in ejus Vita, hoc beatum *cherem* suis inculcabat, ut jugis eis esset stimulus ad heroicam sui victoriam, omnemque perfectionem: *Hoc, inquit, sit primum cunctis in commune mandatum, nullum in arrepti propositi vigore lassescere, sed quasi incipientem augere semper debere quod cœperit, præsertim cum humanæ vitæ spatia æternitati comparata brevissima sint.* Et mox: *Promissio vitæ æternæ vili pretio comparatur, scriptum est enim: Dies vitæ nostræ septuaginta anni; si autem in potentatibus, octoginta. Quando ergo octoginta aut centum annis laborantes in Dei opere vixerimus, non tanto tempore regnaturi sumus in futuro, sed pro annis prædictis omnium nobis seculorum regna tribuentur, etc. Nemo cum aspexerit mundum, reliquisse se arbitretur ingentia: quia omnis terra ad infinitatem cœlorum comparata brevis ac parva est.*

O æternitas, quanta, quàm durans, quàm constans et æterna es! Cherem es, anathema es. O mentes amentes, quæ tuî obliviscuntur! ô stupor stupidorum mortalium, qui te pro momento voluptatis divendunt et prodigunt! Obstupescite cœli super hoc, et portæ ejus desolamini vehementer. Si Deus daret diceretque Judæ, et cuilibet damnato: Singulis millenis annis pro tuis peccatis emittes unam duntaxat lacrymam; et quando hoc modo per tanta annorum intervalla, tot lacrymas emiseris, ut iis totam mundi capacitatem impleas, miserebor tuî, teque ex inferni ignibus pœnisque eripiam; gauderet sane Judas gaudio ingenti et ineffabili, eo quod aliquam haberet salutis spem. Sed quàm longa hæc spes, quàm vasta annorum ei in pœnis emetienda essent spatia? quot millena annorum millia ei exspectanda, antequam lacrymis suis vel scyphum impleret? quot milliones annorum ut poculum? quot cubi millionum, ut dolium unum? Quando ergo cubiculum, quando domum, quando urbem, quando unam provinciam, quando terram, quando aerem, quando cœlum lacrymis suis compleret? At jam infelix Judas ne quidem hanc spem habet, sed etiamsi per hæc annorum interstitia totum mundum lacrymis implesset, necdum finis, necdum medium, imo necdum principium esset ejus miseræ æternitatis: quia novus ei mundus priorî similis, lacrymis implendus pararetur à Deo; et eo impleto, tertius et post eum quartus, quintus, sextus, et ita deinceps sine numero et termino. Idem est ex adverso de gloria S. Pauli, et cujusvis Beati. ÆTERNITATEM MEDITARE, ingredere et penetra quantum potes: quo profundius ingredieris, eo longiorem et profundiorem reperies: ABYSSUS EST. Semel dictum, iterum iterumque, imo semper dicendum: ÆTERNITATEM MEDITARE.

O B. Virgo Deipara, Prophetarum Regina, æterni Verbi, ejusque fidelium et filiorum mater ab æterno ordinata, quæ Deum nobis tua carne virginea corporasti; per eumque beatæ æternitatis nobis aditum devicta morte reserasti, offer hoc meum, imo tuum opus benedicto filio tuo Jesu Christo, Salvatori nostro, ac toti S. Trinitati, ab eaque impetra, ut quicumque illud lecturi sunt, ad ejus cultum et laudem perennem accendantur. Ipse enim est felix æternitas sua et nostra. Effice ut eam quasi summum bonum ardentissime diligamus; atque ex adverso peccatum et gehennam, quasi summum et æternum malum, summe horreamus et fugiamus: ac proinde effice pariter ut beatæ et miseræ æternitatis memoria, timor et amor jugiter nobis obversetur, ut BEATÆ ÆTERNITATI VIVAMUS, certemus, laboremus, patiamur dura et acerba quæque. Averte à nobis *cherem* et *anathema* reprobationis æternæ. Fac et forma nos *cherem* et *anathemata* Deo, in templo et

gloria cœlesti. Filii tui sumus, vel esse cupimus. Monstra ergo te esse matrem, nunc et in hora mortis nostræ. Amen.

Omnis consummationis vidi finem : latum mandatum tuum nimis. *Psalm.* 118.

In sempiternum ævum thesauriza. *S. Nazianz. in Sentent.*

Junge cor tuum Æternitati Dei, et cum illo æternus eris. *Aug. in Psalm.* 91.

Nullus labor durus, nullum tempus longum, quo gloria Æternitatis acquiritur. *Angeli apud Bedam in Histor. lib.* 3. *cap.* 19.

Pro paucis annis laboris omnium nobis seculorum regna reddentur. *S. Antonius apud S. Athan.*

Vera beatitudo est seculi beatitudinem spernere, neglectisque terrenis in divina flagrare. *S. Eucherius ad Valerianum.*

INDEX

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ,

QUÆ

HOC IN XII. PROPHETAS MINORES COMMENTARIO CITANTUR.

(Prior numerus paginam, secundus columnam designat: si unicus tantum occurrat numerus, ad præcedentem referri indicio est.)

EX GENESI.

EX EXODO.

EX NUMERIS.

EX DEUTERONOMIO.

EX JOSUE.

EX LIBRO JUDICUM.

EX LIBRO I. REGUM.

EX LIBRO II. REGUM.

EX LIBRO III. REGUM.

EX LIBRO IV. REGUM.

EX DANIELE.

Ex Prophetis Minoribus loca, quæ non sunt aut in Hieroglyphicis, Symbolis, Adagiis, aut in Commentariis suo loco exposita.

EX OSEE.

EX JONA.

EX MICHÆA.

EX SOPHONIA.

EX ZACHARIA.

EX MALACHIA.

EX LIBRO I. MACHABÆORUM.

EX NOVO TESTAMENTO.

EX EVANGELIO S. MATTHÆI.

EX EVANGELIO S. LUCÆ.

EX EVANGELIO S. JOANNIS.

EX ACTIBUS APOSTOLORUM.

INDEX
RERUM ET VERBORUM

QUÆ

IN XII. PROPHETAS MINORES COMMENTARIIS CITANTUR.

(Prior numerus paginam, secundus columnam designat : si unicus occurrat numerus, ad præcedentem referri indicio est.)

A.

B.

E.

F.

G.

H.

HEBRAICARUM VOCUM EXPOSITARUM SYLLABUS.

I.

J.

K.

L.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

U.

V.

X.

Z.

INDEX

MATERIARUM MORALIUM

QUÆ

HIS IN XII. PROPHETAS MINORES COMMENTARIIS CITANTUR,

Et quæ, ad Evangeliorum Dominicarum, ac Festorum et Feriarum nonnullarum per annum accommodatarum, verba in usum et gratiam Concionatorum adaptantur.

IN FESTO NATIVITATIS DOMINI.

IN FESTO S. STEPHANI PROTOMART.

IN FESTO SS. INNOCENTIUM.

DOMINICA INFRA OCTAV. NATIV.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS.

IN VIGILIA EPIPHANIÆ.

IN EPIPHANIA DOMINI.

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

IN DIE CINERUM.

DOMINICA I. IN QUADRAGESIMA.

FERIA VI. QUAT. TEMP. QUADRAGES.

DOMINICA II. IN QUADRAGESIMA.

DOMINICA III. IN QUADRAGESIMA.

DOMINICA IV. IN QUADRAGESIMA.

FERIA II. POST DOMINICAM IV. IN QUADRAGESIMA.

FERIA III.

DOMINICA IN PALMIS.

IN FESTO PASCHATIS.

FERIA II. POST PASCHA.

FERIA III. POST PASCHA.

DOMINICA IN ALBIS.

DOMINICA II. POST PASCHA.

DOMINICA III. POST PASCHA.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

IN LITANIIS MAJORIBUS.

IN VIGILIA ASCENSIONIS.

IN DIE ASCENSIONIS.

DOMINICA INFRA OCTAV. ASCENSIONIS.

DOMINICA PENTECOSTES.

FERIA II. POST PENTECOSTEN.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

DOMINICA ULTIMA POST PENTECOSTEN.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

IN FESTO CONVERSIONIS S. PAULI.

IN FESTO PURIFICATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

IN FESTO CATHEDRÆ S. PETRI.

IN FESTO S. MATTHIÆ APOSTOLI.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS B. VIRGINIS.

IN FESTO INVENTIONIS S. CRUCIS.

IN NATIVIT. S. JOANNIS BAPTISTÆ.

IN FESTO B. MARIÆ MAGDALENÆ.

IN FESTO S. JACOBI.

IN FESTO ASSUMPT. B. MARIÆ VIRGINIS.

IN FESTO S. MATTHÆI.

IN FESTO DEDICAT. S. MICHAELIS.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

IN COMMEM. FIDEL. ANIMARUM.

IN COMMUNI APOSTOLORUM.

IN COMMUNI PONTIFICUM.

IN COMMUNI MARTYRUM.

IN COMMUNI CONFESSORUM.

IN COMMUNI DOCTORUM.

IN COMMUNI VIRGINUM.

CORNELII A LAPIDE COMMENTARIIS IN SACRAM SCRIPTURAM

APPENDIX.

LUGDUNI, EX TYPIS LUDOVICI LESNE.

EXPLANATIO
IN PSALMOS

AUCTORE

R. BELLARMINO

S. I.

S. R. E. TITULI SANCTÆ MARIÆ IN VIA PRESBYTERO CARDINALI

EDITIO RECENS

ILLUSTRISSIMO DD. A. R. DEVIE, EPISCOPO BELLICENSI

DEDICATA

LUGDUNI

APUD LUDOVICUM LESNE

M D CCC XLII

BEATISSIMO PATRI AC DOMINO

PAULO QUINTO

PONTIFICI MAXIMO

ROBERTUS S. R. E. CARDINALIS

BELLARMINUS.

Cum primum ex Ordine Religioso ad Cardinalatum, imperio sanctæ memoriæ CLEMENTIS VIII, Pontificis Maximi, vocatus sum; mecum ipse cogitare cœpi, studium contemplationis rerum sacrarum, ob auctas publicas occupationes, non esse facile deserendum. Et cum ambigerem, quid potissimum ex corpore sanctarum Scripturarum mihi desumerem, in quo meditando et explanando laborarem; obtulit se liber Psalmorum, quem Ecclesiastici omnes quotidie legunt, et pauci admodum intelligunt. Neque terruit me multitudo eorum, qui in Psalmis elucidandis egregie desudarunt; quoniam tanta est Psalmorum obscuritas, ut nullius labor in iis explanandis supervacaneus videri possit. Quare horas illas, quibus a publica functione vacabam, ac præsertim nocturnæ quietis tempora in meditatione Davidicorum Hymnorum non sine animi voluptate, et utilitate consumpsi. Et quamvis toto triennio, quo Capuæ Archiepiscopus fui, et Romæ postea in scribendis variis opusculis occupatus, integris sæpe mensibus opus inchoatum intermiserim: tandem tamen hoc anno Psalmorum explanationem ad exitum, Domino adjuvante, perduxi. Propositum vero meum non fuit, omnes aliorum explicationes, præsertim recentiorum, considerare, vel libros eorum evolvere, multo etiam minus aliorum scripta in Commentarios meos transferre; sed brevitati, et perspicuitati studere, vulgatam Latinam editionem pro viribus defendere, et spirituali mentis refectioni, ac piæ devotioni consulere. Inde factum est, ut omnes Psalmi satis dilucide, nisi fallor, explicati; sed non omnes æque fuse tractati a nobis sint: et fortasse non deerunt, quibus aliqui valde breviter, et jejune, ut nonnulli ex primis; alii multo plenius, et uberius, pauci vero nimis copiose expositi videbuntur. Sed non eadem semper adfuit spiritualis devotio, non eadem semper mentis alacritas; et Psalmorum ego tractationem magis propria meditatione, quam multa librorum lectione composui. Id quidquid sit, Sanc-

titati tuæ (Pater Beatissime) offerendum censui, tum ut tibi, qui Pater, et Dominus meus es, constet ratio temporis a me consumpti, non solum in publicis et notis functionibus; sed etiam in privatis et secretis occupationibus : tum ut si quid forte errati in hac mea postrema, ut arbitror, scriptione irrepserit; tu qui judex, Christi loco, toti Ecclesiæ præsides, benigne corrigas. Ego vero Deum precabor, ut det Sanctitati tuæ diu vivere feliciter in terris, et felicissime semper in cœlis.

PRÆFATIO.

Antequam ad explanationem singulorum Psalmorum veniamus, pauca quædam explicanda esse videntur. Primo, de excellentia Psalmorum. Secundo, de vocibus Psalmi, et Psalterii. Tertio, de divisione, et ordine Psalmorum. Quarto, de Auctore. Ac excellentia quidem potest intelligi tum ex materia, tum ex forma, et genere scriptionis. Est enim liber Psalmorum quasi compendium, et summa totius veteris instrumenti: quicquid enim Moses vel in historia tradidit, vel in lege præcepit, et quicquid Prophetæ cæteri vel exhortando ad virtutes, vel prædicendo futura scripserunt, id totum in Psalmis David brevissime comprehendit. Nam in Psalm. 8. 77. 103. 104. 134. et aliis, creationem Mundi, res gestas Patriarcharum, captivitatem Ægyptiacam, plagas Ægypti, peregrinationem populi in deserto, ingressum in terram promissionis, et alia id genus luculenter exponit. In Psalm. 118. legem divinitus traditam miris laudibus effert, atque ad eam custodiendam omnes inflammat. In Psalm. 2. 15. 21. 44. 68. 71. et aliis, Christi Regnum, ortum, prædicationem, miracula, passionem, resurrectionem, ascensionem, Ecclesiæ propagationem ita manifeste prædicit, ut Evangelista potius quam Propheta fuisse videatur. Denique in Psalm. 1. et sequentibus fere omnibus, hortatur ad virtutes, retrahit a vitiis, invitat, allicit, minatur, terret; atque hæc omnia non simplici narratione complectitur, sed vario carminum genere, phrasibus poeticis, et metaphoris plurimis et admirabilibus, denique novo quodam genere dicendi ita rapit animos in amorem et laudem Dei, ut nihil dulcius, nihil salutarius cani, audirive possit. Itaque recte S. Basilius scribit in explicatione primi Psalmi, Davidis Psalmos etiam ex corde lapideo lacrymas elicere: recte etiam S. Joan. Chrysostomus in explicatione Psalmi centesimi, trigesimi septimi, affirmat eos, qui Psalmos rite canunt, cum Angelis choreas ducere, et quasi cum eis de Dei laudibus et amore contendere.

Venio ad voces *Psalmi*, et *Psalterii*. *Psalterium* apud nostros librum Psalmorum significat: sic enim Sanctus Augustinus hanc vocem accepit in epist. 140. ad Audacem, cum ait, *Psalterium a Sancto Hieronymo translatum ex Hebræo non habeo.* Sic etiam Sanctus Hieronymus in epistola ad Sophronium de ordine et titulis Psalmorum, *Scio*, inquit, *quosdam putare Psalterium in 5. libros esse divisum.* Sed in Scripturis sanctis, *Psalterium* est instrumentum musicum decem chordis instructum, quod Hebraice dicitur, נבל *nebel.* Tradunt autem Sanctus Basilius in explicatione primi Psalmi, et Sanctus Augustinus in explicatione Psalmi trigesimisecundi, Psalterium hoc differre a cithara et lyra, quod cithara et lyra reddunt sonum a parte inferiore; Psalterium a parte superiore. Addit S. Hilarius in Prologo Psalmorum, Psalterium fuisse instrumentum rectum, sine ulla obliquitate. De hoc instrumento frequentissima mentio est in sacris litteris, et de eo dicitur in Psalmo 32. *In Psalterio decem chordarum psallam tibi.* Psalmus Hebraice, מזמור *mizmor*, significat *cantum*, sive *sonum:* deducitur enim a verbo, זמר *zamar*, quod et *canere*, et *citharam*, sive *Psalterium pulsare* significat: eodem prorsus modo, quo verbum, ψάλλω, apud Græcos. De significatione psallendi manibus, videlicet pulsando instrumentum, habemus illud 1. Reg. 16. *Quærant hominem scientem psallere cithara, ut quando arripuerit te spiritus Domini malus, psallat manu sua, et levius feras.* Atque hoc idem habetur cap. 17. 18. et alibi. De significatione psallendi voce, videlicet canendo, habemus illud in Psalmo 32. *Bene psallite ei in vociferatione:* et apud Apostolum 1. Corinth. 14. *Psallam spiritu, psallam et mente*, id est, psallam spiritu oris, canendo voce corporali laudes Dei, et psallam spiritu cordis, desiderando et amando gloriam ejusdem Dei. Hoc autem interest, sancto Hilario, et sancto Joanne Chrysostomo auctoribus in prologo Psalmorum, inter *Psalmum*, et *Canticum*, et *Psalmum Cantici*, et *Canticum Psalmi:* quod *Psalmus*, est sonus organi solius sine ulla voce hominis cantantis; *Canticum*, est vox cantantis hominis absque organi modulatione: *Psalmus Cantici* dicitur, cum Cantico præcinente Psalmi sonus subsequitur; *Canticum Psalmi*, cum sonitu præeunte æmula vox canentis auditur. Porro Psalmi Davidis non quemcumque cantum, vel sonum designant, sed eum quo vel Dei laudes, vel preces ad Deum, vel cohortatio ad virtutem; non autem inanes fabulæ, vel lascivi amores, aut Principum adulationes concinuntur. Hinc enim liber Psalmorum inscribitur Hebraice, ספר תהלים, *sepher thehillim*, id est, *liber hymnorum*, sive *laudum divinarum:* et post finem Psalmi 71. quem ultimum omnium David cecinit, legimus, *defecerunt* תפלות *thephillot David*, id est, *orationes Davidis.* Psalmi enim, ut plurimum continent vel Dei laudes, vel orationes ad Deum, vel utrumque simul: quamvis etiam nonnulli sint, qui in cohortandis hominibus ad virtutem toti consumantur, ut primus, et secundus.

Jam vero quod attinet ad divisionem et ordinem Psalterii, partiuntur Hebræi Psalterium in libros quinque, Sancto Hieronymo teste, tum in prologo Galeato, tum in epistola ad Sophronium supra citata: ubicumque enim ad finem Psalmi scribitur, *Amen*, *Amen*, ibi terminari librum existimant; scribitur autem, *Amen*, *Amen*, ad finem Psalm. 40. 71. 88. et 105. quibus quatuor libris addunt quintum a 106. usque ad 150. Sed hæc Hebræorum traditio non est conformis Scripturis sanctis, et ideo ab eodem Sancto Hieronymo refutatur in epistola, quam supra notavimus ad Sophronium, et a Sancto Hilario in prologo Psalmorum. Inscriptio enim Psalterii tum in Bibliis Hebraicis, tum in editione Septuaginta Interpretum est, *liber Hymnorum.* Et Luc. 20. Dominus ipse loquitur, dicens: *Dixit David in libro Psalmorum*, *Dixit Dominus Domino meo*, et

Act. 1. loquitur S. Petrus, et ait, *Scriptum est enim in libro Psalmorum, Fiat commoratio eorum deserta*, etc. Porro Psalmorum ordo non est accommodatus tempori, quo scripti sunt. Satis enim constat Psalmum 3. scriptum fuisse, quando David fugiebat persecutionem Absalonis filii sui : Psalmum vero 50. multo antea fuisse scriptum, quando videlicet idem David reprehensus fuit a Nathan, ob crimen adulterii et homicidii; Psalmum autem 141. adhuc antea scriptum fuisse, quando nimirum idem David in spelunca ob metum Saulis Regis delitescebat : Psalmum quoque 143. scriptum fuisse longe antea, quando scilicet David cum Goliath gigante pugnavit : denique probabile est, ac fere certum, Psalmum 71. esse omnium postremum ordine temporis, cum scriptus sit in Salomonem jam regnare incipientem; et post eum Psalmum addatur, *Defecerunt laudes David filii Jesse :* et tamen videmus hunc Psalmum non in ultimo loco, fed fere in medio constitutum. Cur ergo ita dispositi sint Psalmi, ut eos nunc habemus, non est facile divinare. Non est tamen rejicienda illorum opinio, vel suspicio, qui volunt primos quinquaginta Psalmos, quorum ultimus est : *Miserere mei Deus*, pertinere ad pœnitentes, sive incipientes : alteros quinquaginta, qui desinunt in Psalmum : *Misericordiam, et judicium cantabo tibi Domine*, pertinere ad justos proficientes; postremos quinquaginta quos concludit Psalmus : *Laudate Dominum in sanctis ejus*, pertinere ad viros consummatos, atque perfectos; sive Psalmos ita disposuerit Esdras, ut videtur sentire Sanctus Athanasius in synopsi : sive Septuaginta Interpretes, ut Sanctus Hilarius docet in prologo Psalmorum.

Restat quæstio de Auctore Psalmorum. Duæ sunt autem veterum Patrum sententiæ; nam Sanctus Athanasius in synopsi, Sanctus Hilarius in prologo Psalmorum, et Sanctus Hieronymus in epistola ad Sophronium de ordine Psalmorum, et in epistola ad Cyprianum de expositione Psalmi 89. varios esse censent Auctores Psalmorum, eos videlicet omnes, qui nominantur in titulis, *Davidem scilicet, Mosem, Salomonem, Asaph, Idithun*, et alios. Contra vero Sanctus Joannes Chrysostomus, Theodoretus, Euthymius, et Cassiodorus in Præfatione Commentariorum in Psalmos, et Sanctus Augustinus lib. 17. de Civitate Dei, capite 14. Psalmorum omnium unum Davidem auctorem agnoscunt. Nobis tria sunt certa. Primum, Auctorem primarium omnium Psalmorum esse Spiritum sanctum : id enim testatur Apostolus Petrus Act. 1. et Apostolus Paulus ad Hebræos 3. et ipse David 2. Regum 23. dicit : *Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam;* et in Psalmo 44. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Ergo sive David, sive Moses, sive quis alius Psalmos condiderit, ipsi quidem quasi calami fuerunt, sed Spiritus sanctus fuit, qui per eos scripsit : quid vero necesse est laborare de calamo, cum de scriptore constat? Secundo, certum mihi videtur, maximam partem Psalmorum esse Davidis; nam in fine Psalmi 71. legimus, *Defecerunt laudes David filii Jesse* : Item lib. 2. Regum capite 29. dicitur, *David egregius Psaltes Israel :* denique in 2. Paralipomenon capite 5. dicitur, *Cantores ordinatos fuisse, ut canerent Psalmos, quos fecit David.* Tertio, pro comperto mihi habere videor, eos Psalmos, qui carent titulo, esse Davidis, ut etiam omnes illos, qui nomen *David* in titulo præferunt, sive scriptum sit, *Ipsius David*, sive *Ipsi David :* nam Psalmus 2. caret titulo, et tamen Actorum 4. Apostoli affirmant, eum Psalmum a Davide fuisse compositum; et Psalmus 94. caret titulo apud Hebræos; et Apostolus ad Hebræos 4. tribuit eum Davidi. Deinde Psalmi, qui in Hebræo codice carent titulo, in Græco textu adscribuntur Davidi; proinde credibile est excidisse titulos ex codice Hebræo, qui in eo aderant, cum Septuaginta Interpretes scripturas Hebraicas in Græcum idioma transferrent. Denique regula Hebræorum, qui dicunt Psalmum, qui caret titulo, esse illius auctoris, qui scripsit præcedentem, falsa esse convincitur; nam secundum eam regulam 1. et 2. Psalmus nullius essent, cum uterque careat titulo. Præterea Psalmus 89. adscribitur Mosi, et decem Psalmi consequentes, qui titulo carent, eidem Mosi adscribi deberent. At id fieri non potest, cum in Psalmo 98. mentio fiat Samuelis, qui satis longo tempore post obitum Mosis natus est. Vide plura de hac re in explicatione tituli Psalmi octogesiminoni. Quod autem non soli illi Psalmi Davidis sint, qui habent in titulo, *Ipsius David;* sed etiam illi qui habent, *Ipsi David*, probat S. August. ex Psalmo centesimonono, qui habet τῷ Δαυὶδ, *ipsi David :* et tamen Dominus Matthæi 24. dicit, *Quomodo David vocat eum Dominum, dicens, Dixit Dominus Domino meo.* Atque hæc quidem de auctore Psalmorum certa mihi esse videntur. De reliquis Psalmis, qui titulum præferunt *Mosis*, aut *Salomonis*, aut *Asaph*, aut *Idithun*, aut *Ethan*, aut *filiorum Core ;* probabilem censeo sententiam Sanctorum Athanasii, Hilarii, et Hieronymi, sed probabiliorem, Chrysostomi, Augustini, Theodoreti, et aliorum, qui eos secuti sunt. Cur autem sententiam posteriorem præferendam putem, ratio est, quia est communior, et fuit etiam communior ante annos mille. Id enim testantur Sanctus Augustinus libro 17. de Civitate Dei, capite 14. et Theodoretus in Præfatione Psalmorum. Item, quia satis constat Asaph, Idithun, Ethan, et filios Core, fuisse Cantores potius quam Prophetas, et Psalmos illis tribui in titulo, quia dabantur illis ad canendum, non quod ipsi eos composuissent, quod ex eo intelligi potest, quod in eodem titulo aliquando ponitur nomen *David* et *Idithun*, sive alterius, ut videre est in titulo Psalm. 38. 61. 64. 136. 137. et 138. Accedit postremo, quod Lucæ 20. cum Dominus ait, *Dixit David in libro Psalmorum*, visus est totum librum Psalmorum Davidi tribuere.

R. BELLARMINI

EXPLANATIO IN PSALMOS.

PSALMUS I.

ARGUMENTUM.

Primus Psalmus titulo caret apud Hebræos, nec desunt, qui putent eum esse Esdræ, qui Psalmos in ordinem digessit, sed communiter tribuitur Davidi ab Ambrosio, Hilario, Basilio, Augustino, et cæteris. Ipse etiam sanctus Hieronymus, qui alioqui multos facit auctores Psalmorum, hunc primum Psalmum Davidis esse dicit in Epist. ad Paulinum de Studio Scripturarum. Denique in textu Græco additus est titulus, sive a Septuaginta, sive ab aliis, *David Prophetæ et regis melos.* Aptissime autem ponitur hic Psalmus in primo loco, quia de beatitudine tractat: beatitudo enim est fundamentum, et principium doctrinæ moralis. Argumentum igitur Psalmi est ostendere beatitudinem sive in spe, sive in re non contingere nisi hominibus justis, proinde justitiæ dandam esse operam, ut ad beatitudinem perveniamus.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit.

In primo, et secundo versiculo Propheta docet beatitudinem, quatenus in hac vita haberi potest, non consistere in alia re, quam in vera justitia. Quod ipsum docet Apostolus Rom. 14. *Regnum Dei non est esca, et potus, sed justitia, et pax et gaudium in Spiritu Sancto.* Soli enim homines vere justi, sunt amici Dei, imo et filii, ac per hoc hæredes Regni, et spe beati, quod attinet ad perfectissimam felicitatem, et hic interim solido gaudio, et pace, quæ exuperat omnem sensum, perfruentes. Describit autem in primo versu hominem justum per negationem, in secundo per affirmationem, ac si breviter dixisset, illum esse justum, ac per hoc beatum, qui declinat a malo, et facit bonum.

Illud autem hoc loco diligenter notandum, et memoriæ commendandum est, consuetudinem Davidis, et aliorum prophetarum esse, ut idipsum bis repetant, ita ut una pars versiculi sit repetitio, vel explicatio alterius. Exempli gratia, Exod. 15. in Cant. Mosis, *Iste Deus meus, et glorificabo eum, Deus patris mei, et exaltabo eum.* Deut. 32. *Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum.* Psal. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Hæc frequentissime occurrunt, cum sit hæc repetitio genus ornamenti proprium sanctorum Prophetarum. Prima igitur pars primi versiculi hanc sententiam continet, beatum esse illum, qui non prævaricatur legem Dei. Sed poetico more David hanc sententiam expressit per metaphoram viæ, et ambulationis. *Beatus*, inquit, *vir, qui non abiit in consilio impiorum*, id est, ille beatus est, qui justus est: ille autem justus est, qui non abiit in consilio impiorum, id est, qui in via vitæ non est sequutus consilia, leges, sententiam impiorum, quæ sunt omnino contraria viæ Dei, id est, legi Dei. Altera pars ejusdem versiculi idipsum explicat aliis verbis idem significantibus. Nam cum dicit, *Et in via peccatorum non stetit*, non significat, et in via peccatorum non substitit, sed, et in via peccatorum non ambulavit. Stare enim in via, hoc loco, non est quiescere, et non ambulare, sed est ambulando non recedere in via inchoata. Itaque idem est, non abire in consilio impiorum, et non stare in via peccatorum; utrumque enim significat illum esse justum, qui recedit a via, id est, lege, et consiliis peccatorum. Et quoniam lex Domini solvitur, non solum male vivendo, sed etiam male docendo, juxta illud Matth. 5. *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in Regno cœlorum;* ideo Propheta adjungit, *et in cathedra pestilentiæ non sedit;* id est, ille est justus, ac per hoc beatus, qui neque operibus, neque doctrina legem Domini prævaricatur. Sedere enim in cathedra pestilentiæ, est esse in consessu hominum pestilentium, sive assidere pestilentibus, et cum eis legem Domini despicere, quasi nihil conducat ad bene vivendum, id est, cum gaudio et lætitia, sed utilius sit carnis desideria perficere, sensibusque in omnibus indulgere. Vox sedentium in cathedra pestilentiæ describitur Malachiæ 3. illis verbis, *Vanus est, qui servit Deo, et quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus?*

Quod ad verba attinet, pro voce, *beatus*, in Hebræo habetur, אשרי *ascre*, quæ vox habet formam numeri multitudinis, et ideo a nonnullis recentioribus vertitur *beatitudines viri*, etc. Sed probabilius est vocem illam esse indeclinabilem, et significare, tum beatum, tum beatitudinem. Nam non solum Septuaginta verterunt μακάριος ἀνὴρ, id est, *beatus vir* : sed etiam S. Hieronymus vertit ex Hebræo, *Beatus vir*. Pro cathedra pestilentiæ, in Hebræo habetur ad litteram, cathedra לצים *Lezim*, id est, derisorum, sed sensus est omnino idem. Nulla enim est pestilentia major, quam deridere legem Dei, et eos, qui juste, ac pie vivere student. Ad extremum notat S. Basilius, per id, quod dicitur *beatus vir*, non excludi fœminas a beatitudine, sed includi, quoniam vir caput est mulieris, et in capite intelliguntur etiam membra.

2. Sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die, ac nocte.

In hoc secundo versiculo describitur justus per affirmationem, et sunt hic etiam duæ partes, quarum una est fere alterius repetitio. Recte autem dicitur is esse justus, sive beatus, cujus voluntas est in lege Domini, quoniam non requiritur ad justitiam hujus vitæ, ut nulla in re offendamus, cum scriptum sit Jacob. 3. *In multis offendimus omnes*, sed satis est, si ita simus affecti erga legem Domini, ut cupiamus eam omnino perficere, et si forte labimur in aliquod peccatum, ut certe sæpe labimur, id sit præter voluntatem bonam ; id est, præter charitatem, quam habemus ad Deum, et ad legem ejus, non autem contra charitatem, proinde peccatum sit, non crimen, id est, veniale, non lethale. Idem aliis verbis habetur in alio Psalmo, *Lex Dei ejus in corde ipsius*. Nam et voluntas, sive cor justi est in lege Dei, et lex Dei est in voluntate, sive corde justi. Lex est in corde, ut in sede, et cor est in lege, ut in re amata, quæ semper cogitatur, et appetitur. Atque hoc, est quod sequitur, *Et in lege ejus meditabitur die, ac nocte*. Id enim est legem esse in voluntate, sive voluntatem in lege, perpetuo mentem exerceri in ea cogitanda et amanda, ut quicquid agendum sit, secundum eam regulam fiat. Itaque illud, *die ac nocte*, non significat, non posse hominem justum vacare, vel ad punctum temporis a contemplatione divinæ legis, sed frequentissime debere animum ad legis præcepta revocare, ejusque memorem semper esse, dum aliquid cogitandum, dicendum, faciendum occurrit, in quo periculum sit, ne justitia violetur. Porro, non solum Latina vox *meditabitur*, sed etiam Græca, μελετήσει, et Hebraica יהגה *leghe*, referri possunt ad exercitium sive cogitationis, sive vocis, sive operis, Psal. 34. *Lingua mea meditabitur justitiam tuam*, et Psal. 36. *Os justi meditabitur justitiam*. Poeta quoque prophanus dixit, *Meditabor arundine Musam*. Et exercitia militum, militares meditationes dicebantur. Itaque sensus est, *Et in lege Domini meditabitur die ac nocte*, id est in lege Domini cogitanda, perficienda, docenda assidue exercebitur.

3. Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.

4. Et folium ejus non defluet, et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.

Declaravit Propheta, quis sit dicendus vere justus : nunc declarat talem justum esse beatum, spe in hoc seculo, re in futuro. Sumitur autem declaratio à similitudine arboris, quæ plantata juxta rivos aquarum habet omnia, quæ in arbore felicissima requiri possunt. Nam aliquæ arbores sola folia producunt, et ea non diu retinent; aliæ folia producunt, et semper retinent, sed fructus earum, vel nimis præcoces sunt, vel nimis serotini; aliæ denique fructus edunt tempore suo, et foliis semper vestiuntur, sed non omnes fructus ad maturitatem perducunt : solæ igitur illæ arbores omni ex parte perfectissimæ sunt, quæ folia, fructusque producunt : et si folia semper retinent, et omnes omnino fructus tempore suo maturos præstant. Tales arbores sunt Pini, Palmæ, Oleæ, quibus Scriptura justos homines passim comparare solet. His igitur felicissimis arboribus similes esse dicit justos hoc loco Propheta. Nam justi *fundati et radicati*, ut ait Apost. *in charitate*, propinqui sunt per amicitiam fonti vivo, unde humorem gratiæ semper trahunt; et opera bona tempore opportuno faciunt, et omnia eis cooperantur in bonum, et semper virent gloria et honore. Quamvis enim interdum a carnalibus despiciantur, tamen a sapientibus, et quod majus est, ab Angelis, et ab ipso Deo honorantur. Et hæc quidem in hoc sæculo; sed præterea fructus faciunt in tempore suo, quia salutem veram operantur tempore congruo recipiendam, id est, post mortem, cum impii ante tempus, in hac vita felicitatem quærant, et sic temporalem, et sempiternam amittant. Et folia semper retinent, quia accipient, juxta verbum Apostoli Petri, 1. Petri 3. *immarcescibilem gloriæ coronam*, et *in memoria æterna erit justus*. Psal. 111. Et denique *quæcumque faciunt, prosperabuntur*, quia opera omnia usque ad calicem aquæ frigidæ datum in nomine discipuli, plenam, ac perfectam mercedem accipient. Scio textum Hebraicum in Bibliis modernis unum tantum versum ex his duobus facere, et priorem partem versus terminare ad illa verba, *Et folium ejus non defluet*. Ex qua distinctione adducti nonnulli, verba illa, *Et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur*, non exponunt de arbore vera, sed solum de homine justo. Sed nos sequimur lectionem Hebraicam, quæ est in operibus sancti Hieronymi, cui concordant codices Græci, et Latini. Et certe secundum nostram lectionem similitudo ab arbore sumpta est multo pulchrior et plenior. Illud etiam observandum est hoc loco, verbum, *prosperabuntur*, in Hebræo esse, יצליח *Iezliach*, quod proprie significat, prosperare faciet. In quo notatur virtus activa arboris, quæ concurrit ad maturandos omnes fructus, et pari ratione notatur in applicatione similitudinis virtus activa liberi arbitrii, quæ concurrit cum gratia Dei ad opera meritoria. Quod est adversus dogmata Lutheranorum.

5. Non sic impii, non sic : sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ.

Ex comparatione miseriæ impiorum confirmat Propheta felicitatem justorum. Ne quis enim existimaret, illa bona communia esse omnibus,

et ex causis naturalibus tantum provenire, et non præcipue ex providentia Dei, addit, *Non sic impii*, id est, non eamdem sortem, sed contrariam omnino recipient. Elegantissime vero Propheta describit miseriam impiorum, eamque opponit felicitati justorum. Justi ob humoris divini copiam virent, et fructum faciunt, nec unquam virorem suum, aut laborum fructum amittunt. Contra, impii divino illo humore destituti, aridi, et steriles instar levissimi pulveris, a vento dispersi ne vestigium quidem sui relinquunt; nec solum omnem gloriam, opes, et voluptates perdunt, sed etiam ipsi pereunt in æternum. In textu Hebraico non habetur illa repetitio, *non sic*, neque illud, *a facie terræ.* Sed hæc addita sunt a Septuaginta Interpretibus explicandi, vel ornandi gratia. Vocabulum item pulveris non est, עפר *haphar*, quod proprie pulverem significat in genere, sed est, מוץ *mots*, quod significat *glumam*, id est, speciem pulveris ex tritura paleæ, paleam videlicet minutissime contritam, et quasi in pulverem redactam, quæ levissima est, ut eam modicus flatus procul abigere possit.

6. Ideo non resurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio justorum.

Recte in editione Sixti V. et Clementis VIII. positum est, *non resurgent*, cum in plerisque Codicibus haberetur, *non resurgunt.* Nam ex Hebræo, Græco, Chaldæo, et emendatioribus manuscriptis satis aperte colligitur, legendum esse, *non resurgent.* Illud autem, *in concilio justorum*, positum est ex Hebræo, nam in Græco, et manuscriptis Latinis constanter legitur, *in consilio.* Potuit quidem fieri, ut ex similitudine nominum, fuerit in Latinis Codicibus positum, consilium, pro concilio; sed potuit etiam fieri, ut in Hebraicis Codicibus irrepserit, הדע *hada* pro עצה *haza*, id est concilium pro consilium. Certe Septuaginta Interpretes, qui eodem modo verterunt in primo versu, et in sexto, utrobique ponentes βουλὴ, videntur eamdem vocem Hebraicam in utroque loco legisse. Itaque utraque lectio probanda videtur, una ob auctoritatem vulgatæ editionis, quæ cum Hebræo concordat, altera ob auctoritatem Septuaginta Interpretum, quorum vocabulum βουλὴ, ubique ipsa vulgata Latina editione consilium non concilium vertitur. Declarat igitur hoc loco Propheta, discrimen justorum, et impiorum in novissimo judicio perspicue manifestandum. Nam hoc tempore sæpe accidit, ut omnia confundantur. Ait igitur, *Ideo non resurgent impii in judicio justorum.* Illud enim, *justorum*, ad utramque partem versiculi pertinet, sicut etiam illud, *non resurgent*, non solum refertur ad illud, *in judicio*, sed etiam ad illud, *in concilio*, et idem fere est, *Non resurgent impii in judicio justorum*, et non resurgent peccatores in concilio vel consilio justorum. Itaque cessat quæstio illa, quam nonnulli hoc loco pertractant, cur dixerit Propheta, *Non resurgent impii in judicio.* Pulchre autem David conjunxit ultima primis, sicut enim dixerat in principio, justos non abiisse in concilio impiorum, et in consessu eorum non sedisse : ita nunc dicit, in die judicii impios non resurrecturos in judicio, et concilio justorum. Sensus igitur hic est, *Ideo non resurgent impii in judicio justorum*, id est, longe aliud erit judicium justorum, quam impiorum. Quod explicatur sequentibus verbis, *neque peccatores in concilio justorum*, id est, cum resurgent impii, non erunt in consessu, et consortio justorum, sed judicati ad inferos in cœtu damnatorum erunt. Quod si legamus, *in consilio justorum*, poterit consilium accipi pro loco consilii, et tunc in idem recideret cum voce concilio. Et quoniam illud *non resurgent*, ex Hebræo, commode verti posset, non stabunt, sive non consistent : erit etiam hic sensus, in judicio, et cœtu justorum, quando videlicet Sancti cum Christo sedebunt judices mundi, tunc peccatores non stabunt, sed cadent. *Justi* autem *stabunt in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt.* Sap.

7. Quoniam novit Dominus viam justorum, et iter impiorum peribit.

Reddit rationem cur impii non sint in judicio accepturi justorum gloriam. Quoniam videlicet via justorum approbatur a Deo, qui falli non potest, ac per hoc via est recta, et perducens ad Civitatem Dei; via impiorum non approbatur a Deo : et qui per eam ambulant, frustra laborant, quia nunquam pervenient. Illud, *novit*, accipitur pro notitia approbationis; et cum dicitur, *Deus novit viam justorum*, nos certi reddimur, securos esse de vera felicitate, qui per eam viam incedunt. Illud autem, *iter impiorum peribit*, significat ambulationem impiorum frustra esse susceptam, quia per eam viam non pervenitur ad optatum locum. Itaque hoc loco, *iter*, non accipitur pro via materiali, in qua ambulatur, sed pro ipsa ambulatione, ut diximus. Per ambulationem autem intelligitur cursus totius vitæ, studia, labores, contentiones, quæ omnia nihil impiis proderunt. Hic Psalmus potest accommodari omnibus Sanctis, sed potissimum, et per antonomasiam Christo, qui præter omnes homines et Angelos non prævaricatus est legem Dei, sed eam perfecte implevit, factus obediens usque ad mortem. Et ideo tanquam lignum plantatum juxta rivos aquarum, habens animam conjunctam hypostatice fonti vivo, qui est Verbum Dei, fons Sapientiæ in excelsis, gloria et honore coronatus est, et fructus mirabiles edidit, et ad maturitatem perduxit, omnes videlicet electos vocavit, justificavit, magnificavit.

PSALMUS II.

ARGUMENTUM.

Hic Psalmus caret titulo, sed Davidi tribuitur ab Apostolis Actor. 4. Nonnulli Psalmum hunc non secundum, sed partem primi esse judicant, propterea quod in Actis Apostolorum cap. 13. in quibusdam Codicibus citetur hic Psalmus sub nomine primi Psalmi; sed Codices plures, et meliores habent sicut in Psalmo secundo scriptum est, et consonat editio Græca τῷ δευτερῷ. Est autem totus hic Psalmus Prophetia de Regno Christi manifestissima, et explicata ab Apostolis. Actor. 4. cap. 13. et ad Hebr. 1. et 5. ut omnino errare videantur, qui ad litteram de Davide hunc Psalmum explicare nituntur.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania?

David in spiritu prænoscens Messiam venturum, et persecutiones multas adversus eum exorturas, et eum tamen felicissime regnaturum, incipit ab increpatione persecutorum; et sensus est, frustra Gentiles, et Hebræos tum Principes, tum populos infremuisse indignatione contra Messiam, et cogitavisse rationem impediendi Regni ejus. In Hebræo primum verbum est præteriti temporis, secundum futuri: sed quia de re eadem est sermo, Septuaginta Interpretes utrumque verbum reddiderunt per tempus præteritum, et sanctus Hieronymus utrumque reddidit per tempus futurum. Et quidem sententia semper est vera; nam res ipsa in se futura erat, sed Prophetæ quodammodo præterita, cum eam cerneret quasi præteritam. Tamen absolute lectio Septuaginta Interpretum, et Vulgatæ editionis præferenda est, tum quia in Actis Apostolicis cap. 4. legimus in præterito, *fremuerunt*, et *meditati sunt*; tum quia ratio exigit, ut significatio primi verbi sit regula significationis secundi, non contra. Nomine, *gentium*, cum dicitur, *quare fremuerunt gentes*, videntur intelligendi Gentiles. Nam sic intellexerunt Apostoli Act. 4. et vox Hebræa גוים *Goym*, passim in Scripturis accipitur pro Gentilibus, sive Ethnicis. Per populos autem, cum subditur, *et populi meditati sunt inania*, intelligendi sunt Hebræi, ut constat ex eodem cap. 4. Act. Verba quoque valde proprie tum Gentilibus, tum populis Hebræorum accommodantur. Gentiles enim fremuisse dicuntur, quasi animantia rationis expertia, populi Judaici meditati esse inania, quia ipsi consilium inierunt, ut Jesum perderent.

2. Astiterunt Reges terræ, et Principes convenerunt in unum, adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Dixerat in genere, Gentes, et populos indignatos fremuisse, et inania meditatos, nunc explicat in particulari quæ sint illæ gentes, et populi, et adversus quem indignati sint, ac dicit, fremitum non cœpisse a plebe, sed a capitibus, id est, a Regibus, et a principibus. Primus enim qui infremuit fuit Herodes Rex, ut habemus Matth. 2. qui quidem Herodes alienigena erat, ut inter gentes reputari potuerit. Eum secuti sunt Principes, et populi Judæorum. Nam, Herode turbato, *turbata est omnis Hierosolyma cum illo.* Deinde tempore passionis Domini, iterum alius Herodes, et Pontius Pilatus cum Principibus, et populis Judæorum in Christum insurrexerunt. Denique post Christi passionem et resurrectionem, semper persecutiones a Regibus, sive Imperatoribus inchoabantur, et a populis Duces suos sequentibus fovebantur. Quamvis autem indignatio, et fremitus proprie contra Christum esset, non contra Deum, imo sub colore gloriæ Dei et quasi ex zelo divini honoris; tamen revera, qui Christum oppugnabant, Deum verum oppugnabant. Christus enim operibus divinis se veri Dei Filium ostendebat, et qui odit Filium, sine dubio odit et Patrem. Quod attinet ad verba, illud, *astiterunt*, proprie in Hebræo significat sese constituerunt, id est, quasi murum se statuerunt, ut resisterent venienti Messiæ: illud autem, *convenerunt in unum*, in Hebræo proprie significat consultaverunt, sive ad capiendum consilium convenerunt simul: quod in Evangelio Herodem, et Principes Judæorum contra Christum fecisse legimus. Tam autem est aperta hæc Prophetia, ut non solum Apostoli Act. 4. intellexerint ad litteram de Jesu Christo Domino nostro hunc locum, sed etiam veteres Rabbini, teste R. Salomone in Commentario hujus Psalmi, exposuerint hunc eumdem locum de vero Messia, quem adhuc cæci, et infatuati expectant.

3. Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Explicat Propheta causam, cur Reges, et Principes cum gentibus, et populis fremuerint, et convenerint adversus Christum. Causa enim est, ne cogerentur servare legem Christi contrariam sensibus carnis, et humanæ prudentiæ. Itaque verba ista dicuntur in persona Regum, et Principum impiorum, quasi dicat: *Astiterunt Reges terræ, et Principes convenerunt adversus Dominum, et adversus Christum ejus*, di-

centes inter se : *Dirumpamus vincula eorum*, id est, non sinamus nos subjici legibus, et imperio Messiæ. Pro, *jugum ipsorum*, sanctus Hieronymus vertit, laqueos eorum ; verbum Hebraicum עבות significat funes ; et videtur Propheta repetere voluisse idem fere vocabulum, ut ordinarie solet id ipsum bis dicere. Itaque Septuaginta Interpretes, et S. Hieronymus non tam ad vocabulum, quam ad sensum respexerunt. Sunt autem omnia vocabula metaphorica, sive legem appelles vincula, sive funes, sive laqueos, sive jugum. Explicant autem istæ metaphoræ naturam legis, qualis est judicio impiorum. Impiis enim lex Domini durissimum jugum, et laqueus lethalis videtur, cum viris sanctis eadem lex sit melle dulcior, et desiderabilior auro, et lapidibus pretiosis, ut habemus in Psalmo 18.

4. Qui habitat in cœlis, irridebit eos, et Dominus subsannabit eos.

Hic jam Propheta demonstrat, frustra Principes, et populos laborare in oppugnanda Christi Religione, quod initio etiam dixerat. Nam Religio Christi a Deo est, et Deo nemo resistere potest. Recte autem dicit : *Qui habitat in cœlis*, ut ostendat Deum super omnes esse, et omnia cernere, et ideo nullo negotio dissoluturum omnia eorum consilia, et omnes molitiones dissipaturum. Quod autem dicit, Dominum irrisurum, et subsannaturum eos, significat eos divino judicio per signa et prodigia ; per Martyrum patientiam, per conversionem gentium, et populorum, perque alios modos soli Deo notos, ita confundendos, ut omnium irrisioni, et subsannationi pateant. Id videmus impletum. Nam sacerdotium Judaicum et idololatricum nunc ab omnibus irridetur. Carent enim Judæi et Gentiles templis, et sacrificiis ; Reges quoque Gentilium, qui Ecclesiam persequebantur, omnes misere perierunt.

5. Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos.

Explicat modum, quo Deus persecutores Christi irridendos exposuit, quia nimirum loquutus est ad eos, non verbis, sed verberibus, gravissimis pœnis illos admonens, ut patet de Herode ab Angelo percusso, de Maximino vermibus consumpto et aliis. Non est proprie ira, nec furor in Deo, sed semper cum tranquillitate judicat : sed dicitur per metaphoram irasci, et furere, quando severe punit, et tunc præsertim quando ea punitio non prodest illis ad salutem æternam ; id enim facere solent, qui irascuntur et furunt, qui non nocent, ut sanent, quomodo Medici faciunt, sed nocent ut noceant. Itaque David : *Domine*, inquit, *ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Cupiebat enim argui, et corripi, sed paterne, non hostiliter ; ad salutem, non ad interitum.

6. Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.

Hoc loco dicendum est aliquid de verbis antequam veniamus ad sensum. Nam in Hebræo codice sic habetur : *Ego autem ordinavi Regem meum super Sion montem sanctum meum :* et quamvis non multum referat, quoad sensum, utrum Deus Pater dicat, se ordinasse Christum Regem, an ipse Filius dicat se ordinatum à Patre : tamen valde probabile est, Septuaginta Interpretes legisse paulo aliter, quam nunc legimus. Habemus nunc נסכתי *nasachti*, ordinavi, sed ipsi legisse videntur, mutatis tantum punctis, נסכתי *nissacti*, ordinatus sum, quæ vox habetur Prov. 8. ubi legimus *ab æterno ordinata sum* ; et ubi legimus מלכי *Malchi*, *Regem meum*, ipsi legisse videntur מלכו *Malcho*, *Rex ejus*, et ubi nos legimus גדשי *Ghodsci*, *sanctum meum*, ipsi legisse videntur חדשו *Chodscio*, *sanctum ejus*. Et quoniam probabile est Septuaginta Interpretes habuisse Codices Hebraicos valde correctos, inde fit etiam probabile lectionem nostram vulgatam veriorem esse, quam ea sit, quæ nunc legitur in Codicibus Hebraicis. Veniamus nunc ad sensum. Dixerat Propheta adversarios Christi tumultuaturos, et posuerat verba ipsorum : *Dirumpamus vincula eorum, etc.* Ideo nunc introducit ipsum Christum loquentem et quasi respondentem eis, quasi dicat : Gentes, et populi, necnon Reges, et Principes dicent : *Dirumpamus vincula eorum :* eos vero Deus irridebit, et Christus ipse ita eis respondebit : Ego ordinatus sum Rex non ab hominibus, sed a Deo, et ideo non timeo minas hominum ; ordinatus autem sum rex super Sion montem sanctum ejus, id est super Ecclesiam, quæ est civitas in monte posita, et cujus typus fuit Jerusalem, cujus pars præcipua, et magis a Deo dilecta, et sanctificata est Sion, juxta illud Psal. 86 : *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.* Hæc autem ordinatio mea in Regem, constat ex decreto Dei, quod ego prædicaturus sum. Quod enim habemus in nostra vulgata editione, prædicans præceptum ejus, et in textu Hebraico, *enarrabo decretum ejus*, intelligitur de decreto quo Deus statuit Christi Regnum in totum orbem propagandum. Vox Hebræa חק *choc*, significat præceptum, decretum, statutum, ut patet ex multis locis, sed potissimum ex Psalmo 104. *Et statuit illud Jacob in præceptum, et Israel in testamentum æternum, dicens : Tibi dabo terram Chanaam.* Ubi præceptum Hebraice est חק *choc*, et significat decretum Dei de donanda filiis Israel terra promissionis.

7. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Hoc est initium, et fundamentum decreti divini. Nam Christo debetur omnis potestas in cœlo, et in terra, quia est verus et naturalis filius Dei. Sunt autem tres hujus loci expositiones, et omnes litterales, et intentæ a Spiritu sancto. Prima est de generatione æterna, quæ colligitur ex Apostolo ad Hebr., ubi sic ait : *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum : Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Hic locus Apostoli non potest intelligi de generatione aliqua creata, ut de Nativitate, vel Resurrectione secundum carnem. Quia per generationem creatam sunt etiam Angeli filii Dei, ut patet ex 1. 2. et 3. capite libri Job, et tamen Apostolus intendit probare, Christum esse filium, Angelos esse ministros. Necesse igitur est verba Psalmi ab Apostolo citata, intelligi ad litteram de generatione æterna, ut recte exponit sanctus August. cui expositioni

favet tum vocabulum, *hodie*, quia æternitas est præsens duratio carens initio et fine, tum vocabulum, *genui*, Hebraice, ילד *ialad*, quod significat proprie parere. Deus enim in æterna generatione matris consortio non indiguit, sed ipse genuit, ipse peperit filium suum unigenitum, juxta illud Psalmi 109. *Ex utero ante luciferum genui te.* Altera expositio est de Resurrectione Domini, quæ colligitur ex eodem Apostolo Act. 13., ubi sic legimus. *Et nos vobis annunciamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est, quoniam hanc Deus adimplevit filiis vestris, resuscitans Jesum, sicut et in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et quadrant optime hæc verba in resurrectionem Domini, tum quia resurrectio est quædam regeneratio, ut habemus Matth. 19. *In regeneratione cum sederit Filius hominis;* tum etiam quia resurrectio Christi fuit a solo Deo, et ipse dicitur *primogenitus mortuorum*, Coloss. 1. tum denique quia in die Resurrectionis cœpit gloriosa exaltatio Christi, et manifestatio nominis supra omne nomen. Philipp. 2. *Propter quod et Deus exaltavit illum;* et ipse Dominus dixit Matth. ult. *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra*, atque hæc est expositio Hilarii et Chrysostomi. Tertia expositio est de Die Natalis Domini secundum carnem, quæ est sancti Cypriani lib. 2. contra Judæos cap. 8. et colligitur ex introitu Missæ in nocte ejusdem Natalis. Ecclesia enim accommodat verba Psalmi hujus ad mysterium Nativitatis secundum carnem: quoniam generatio illa, singulare opus Dei fuit, ut etiam Angelus Gabriel dixerit, Luc 1. *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et sancti Patres, non solum de divina, sed etiam de humana Christi generatione intelligunt verba illa Isaiæ 53. *Generationem ejus quis enarrabit?* Itaque juxta Theologos illos qui docent, in eadem sententia posse inveniri plures sensus litterales, existimamus sensum horum verborum esse, hodie, id est, in die æternitatis genui te Deus Deum, et hodie, id est, in die natalis tui secundum carnem, genui te, id est, feci ut esses Deus, homo sine semine viri, sine corruptione Matris, sine labe peccati; et item hodie, id est, in die resurrectionis tuæ genui te, id est, feci divina mea virtute, ut redires ad vitam, eamque immortalem, et gloriosam.

8. Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.

Sententia est apertissima, ac si Deus Pater dicat: Quia tu, Christe, Filius meus es naturalis, et virtute mea incarnatus et a mortuis excitatus, jure potes a me petere imperium in omnes gentes, tanquam hæreditatem tuam, et omnem terram usque ad ultimos ejus fines, tanquam possessionem tibi debitam. Sunt autem hic aliqua observanda. Primo, nomen hæreditatis in Scripturis accipi pro quacumque re, quæ possidetur, ut propria, etiam si proprie non sit relicta a patre defuncto: et ideo tam populus Dei dicitur hæreditas Dei, quam ipse Deus hæreditas populi sui. Et quia hæreditas proprie dicta solebat dividi inter fratres, et plerumque dividebatur sorte, et partes divisæ mensurabantur funiculis; ideo pro eodem accipitur hæreditas, pars, sors, funiculus, possessio; sæpe etiam junguntur duo ex his nominibus, ut Psal. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ*, id est, Dominus est pars, quæ mihi hæreditate obvenit, et alibi, Deut. 32. *Jacob funiculus hæreditatis ejus*, id est, populus Israel est hæreditas Domini, quam ipse sibi elegit, et quasi funiculo mensus est, et divisit ab hæreditatibus aliorum. Itaque hoc loco dicuntur omnes gentes hæreditas Christi, quia factus est Dominus totius mundi, quod exponitur per sequentia verba, *et possessionem tuam terminos terræ.* Secundo, observandum est hæc intelligenda esse præcipue de spirituali regno Christi, id est, de Ecclesia toto orbe propaganda, ut sanctus Augustinus sæpissime docet. Sensus igitur est, Christum esse constitutum Regem super Sion, id est, super populum Domini, sed hoc Regnum non concludendum finibus Judææ, vel Palæstinæ, sicut Regnum Davidis, et Salomonis; sed extendendum per omnes gentes, et occupaturum omnia Regna mundi, juxta prophetiam Danielis, cap. 2. Nec tandem negandum est quin etiam intelligatur de potestate Christi in omnes gentes, etiam infideles. *Data est enim ei omnis potestas in cœlo, et in terra.* Matth. 28. et ipse est qui constitutus est Judex vivorum, et mortuorum. Act. 10.

9. Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringes eos.

Hic significatur potestas Christi in Ecclesiam, et in omnes homines summa, et justissima, ut possit tam facile bonos remunerare, et impios suppliciis afficere, quam facile potest figulus virga ferrea confringere vasa recentia, et lutea. In priore parte versus describitur summa potestas Christi ex parte virgæ ferreæ, id est, judicii rectissimi, inflexibilis, et cui resisti non potest, in posteriore ex parte hominum subjectorum qui erunt respectu Christi sicut vasa lutea recentia respectu figuli. Itaque illud *confringes*, non significat actum, sed potestatem, id est, non significat Christum confracturum omnes gentes, sed subjectas ei futuras omnes gentes, ut possit eas pro arbitrio confringere, sive misericorditer confringendo in eis infidelitatem, et peccata, et formando ex vasis contumeliæ, vasa honoris; sive juste, et severe confringendo eos æternis suppliciis propter ipsorum demerita. Nam confringes ut vasa figuli, idem significare debet, quod reges in virga ferrea: illud autem, reges in virga ferrea, non refertur ad solam punitionem impiorum, sed ad regimen totius Ecclesiæ justum et potentissimum. Quod perspicuum est tum ex versione Septuaginta Interpretum qui reddiderunt ποιμανεῖς, id est, *pasces*, quomodo etiam reddidit Græce Sanctus Joannes in Apocal. cap. 2. et 19. tum ex Michæa cap. 5. ubi loquens apertissime de Christo, qui ex Bethleem egreditur, ut sit Dux super populum Dei, dicit, *Reges eos in fortitudine*, et utitur eadem voce, quæ habetur hoc loco, nimirum, רעה *raha.*

10. Et nunc, reges, intelligite: erudimini, qui judicatis terram.

Hortatur nunc Propheta Reges terræ a quibus populi dependent, ut quandoquidem frustra nituntur resistere Christo, vero, et supremo

Regi omnium Regum, sponte illi subjiciantur; et quia ordinarie, ex pravo judicio sequitur pravus affectus, primum hortatur eos, ut corrigant judicium, intelligant veritatem, eruditionem suscipiant. Idem autem est, *Reges, intelligite, et erudimini, Judices terræ.* (Reges enim sunt Judices supremi populorum.) Deinde hortatur ut corrigant pravum affectum, et pro odio erga Christum, incipiant illi servire, eumque diligere, et revereri; ideo subjungit.

11. Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore.

Mire miscuit amorem cum timore, ac si diceret, timete cum amore, et amate cum timore: nam illud, *servite*, est proprium servorum timentium, præcipue secundum vocem Hebræam הדו *hiudu.* Illud autem *in tempore* significat proprie reverentiam filialem, seu pietatem: nam illa ipsa vox יראה *iira*, quæ hic habetur, habetur etiam Isaiæ 11. ubi dicitur de Christo, *Requiescet super eum spiritus pietatis*, et passim in Scripturis accipitur pro pietate, seu timore filiali. Itaque *servite Domino in timore*, secundum vim vocum Hebraicarum, significat, servite quidem Domino, sed servitute liberali propria filiorum. Quod vero sequitur, *Et exultate ei cum tremore*, idem significat, sed ordine, et vicibus variatis; nam in priore parte versiculi posuit in verbo timorem servilem, in nomine, pietatem filialem: in posteriori parte, e contrario posuit in verbo, exultationem filii amantis, in nomine autem, tremorem servi timentis.

12. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via justa.

Hunc locum ex Hebræo alii reddunt, *osculamini filium;* alii, *adorate filium;* alii, *adorate pure.* Posset etiam reddi, *complectimini puritatem*, ad quod facile posset reduci translatio Septuaginta Interpretum; nam apprehendere disciplinam idem est, quod complecti puritatem, doctrinæ videlicet. Sicut etiam osculari, sive adorare Filium Dei, idem fere, quod apprehendere disciplinam ejus. Sed cum Septuaginta Interpretes doctissimi fuerint, et textus optimos habuerint, et in translatione hujus loci nulla sit apud Græcos varietas, et (quod magis est mirum) Chaldæus etiam Paraphrastes reddiderit, *accipite doctrinam*, suspicor omnino, vel in Hebræo aliquid mutatum vitio temporum, aut certe vocem בר *Bar* non solum filium, et puritatem, sed etiam disciplinam significare, præsertim cum aliqua littera superaddita. Quemadmodum enim apud Græcos a voce παῖς, id est, puer, fit nomen παιδεία, id est, *disciplina*, quod est in hoc loco Psalmi, ita fieri potest ut a voce Bar, id est filius, fiat aliquod nomen quod significet disciplinam, quæ maxime filiis a parentibus debetur. Sensus autem horum verborum est, ut non solum reges corrigant judicium, et affectum; erudiantur, et serviant, quod supra dictum est, sed etiam magno fervore id faciant, ut perseveret in eis eruditio, ex qua pendet affectus. Nam verba tam Hebraicum נשקו *Nassecu* quam Græcum δράξασθαι non significant simpliciter suscipere, sed magno affectu rapere, et complecti, et firmiter retinere, quomodo quis complectitur ad osculandum personam valde amatam. Reddit autem rationem, cur id necessarium sit, dicens: *Nequando irascatur Dominus, et pereatis de via justa.* In Hebræo non habetur *Dominus*, nec, *justa:* sed simpliciter *nequando irascatur, et pereatis de via*, sed Septuaginta addiderunt explicandi gratia. Subintelligebatur enim Dominus ex versu superiore, *Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore.* Sensus igitur est, Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur in impios, et rebelles is, cui dixi serviendum esse cum timore; et vos pereatis, sive exterminemini de via justitiæ. Hæc est gravissima pœna Principum, quando Deus ob eorum peccata tradit illos in reprobum sensum, ut dicitur Rom. 1. et permittit, ut decipiantur a malis consiliariis, et faciant multa mala, ob quæ tandem pereunt in hac vita, et futura, ut patet de Pharaone, Roboam, Achab, et similibus, in quibus peccata gravissima fuerunt pœnæ aliorum peccatorum, ut disputat S. August. lib. 4. in Julianum; hoc enim est non aliquantulum declinare a via recta, sed plane perire, et exterminari omnino a via Justitiæ.

13. Cum exarserit in brevi ira ejus, beati omnes qui confidunt in eo.

Hæc est conclusio totius Psalmi, in qua Sanctus Propheta pronunciat, ex dictis posse colligi, quam sit bonum et utile, diligere Dominum, et illi toto corde servire; soli enim, qui ejusmodi fuerint, in die ultimi judicii, quod non longe abesse potest, fiduciam habere poterunt. Dicit, *cum exarserit in brevi ira ejus*, ut significet cito venturum diem illum terribilem; nam mille anni sicut dies hesterna quæ præteriit, nec longum dici potest, quod finem habet; dicit, *exarserit in ira ejus*, ut significet diem Judicii fore diem solius vindictæ, et justitiæ, non autem misericordiæ; dicit, *beati qui confidunt*, non quod solum fiducia sufficiat, sed quia vera fiducia oritur ex vera amicitia.

PSALMUS III.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

PSALMUS DAVID, CUM FUGERET A FACIE ABSALON FILII SUI.

HIC titulus habetur in omnibus Codicibus Hebraicis, Græcis, et Latinis, ex quo non potest dubitari, quin ad litteram Psalmus debeat intelligi de ipso Davide, et sit oratio quædam ipsius Davidis pro liberatione sua a persecutione Absalonis. Quia vero David figura fuit Christi; adeo ut apud Prophetas Christus ipse nominetur David, ut patet ex Hieremia cap. 30. Ezechiele cap. 34. et Osee cap. 3. ideo potest, ac debet Psalmus intelligi etiam de Christo. Imo sensus principaliter intentus a Spiritu Sancto videtur esse de Christo. Observandum autem est nomen David positum in titulo non esse casus genitivi, sed dativi: nam in Hebræo est articulus, ל *le* qui potest genitivum, et dativum casum denotare: sed Septuaginta viri semper verterunt τῷ, qui est articulus solius dativi, et prudentissime hoc Septuaginta viri fecerunt, ut significarent auctorem Psalmorum præcipue non esse Davidem, sed Deum. Itaque sensus est. Psalmus David, id est, Psalmus inspiratus a Deo ipsi Davidi.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt adversum me.

Queritur David, et miratur, colloquens in oratione cum Deo, de multitudine persecutorum suorum; nam, ut habetur 2. Reg. 15. universus Israel toto corde sequebatur Absalonem. Idem Christo accidisse notum est ex Evangelio, præsertim tempore passionis; tunc enim filius ejus, id est, populus ejus rebellavit ab eo, dicens: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Joan. 19. Et ipse recessit ab eis quasi infirmus, et fugiens per mortem, sed paulo post rediit per resurrectionem. Absalon significat patris pax, quia, revera bellum fuit filii; sed in patre semper fuit pax, ut patet, tum de Davide, qui flevit mortem filii; tum de Christo, qui oravit pro persecutoribus; et quemadmodum in persecutione Absalonis, Achitophel, intimus consiliarius, et familiaris David prodidit eum, et postea se ipse suspendio necavit 2. Reg. 17. ita in passione Christi, Judas unus ex intimis familiaribus prodidit eum, et in fine laqueo se suspendit.

2. Multi dicunt animæ meæ: Non est salus ipsi in Deo ejus.

Videtur hoc referendum ad internas tentationes, quod Dæmones suggererent illi intus in animo cogitationes diffidentiæ, quasi frustra in Domino confidisset. Potest etiam referri ad sermones hominum, qui ex hoc infortunio judicabant Davidem à Deo derelictum, in quo tamen confidere solitus esset: est enim hoc fere ordinarium, ut imperfecti existiment viros bonos in gravi ærumna constitutos frustra sperasse in Deo. Sic Job uxor ejus dicebat, *Adhuc permanes in simplicitate tua.* Job 2. Sic Tobiæ uxor quoque dicebat, *Manifeste vana facta est spes tua, et eleemosynæ tuæ modo apparuerunt.* Tob. 2. Sic denique de Christo dicebant, *Confidit in Deo, liberet eum, si vult.* Matth. 27.

3. Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum.

Vox justi in tribulatione positi hæc est, qualis fuit David, sed præ omnibus, qui caput est omnium, Christus. Sensus est, multi mihi dicunt, frustra me confidisse in Deo, sed falluntur omnes; nam tu, Domine, non deseris sperantes in te, ideo *susceptor meus es*, id est suscepisti me protegendum contra omnia hostium tela; nam in Hebræo est, *Clypeus meus;* nec solum me defendis, sed etiam glorificas: ideo es etiam gloria mea, id est causa gloriæ meæ. Atque ex his fit, ut sis *exaltans caput meum*, id est, lætificans me, ut qui præ mœrore demisso capite incedebam, nunc exultans caput attollam. Et hæc phrasis Hebræis familiaris, unde et Hieremiæ ultimo dicitur, *Elevavit Evilmerodach Rex caput Joachin, et eduxit eum de carcere;* et Dominus in Evangelio, *Levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Luc. 21. Hæc vera esse docent exempla, non solum Christi, et Davidis, sed etiam Joseph, Job, Tobiæ, Danielis, etc.

4. Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo.

In Codice Hebraico legimus, *clamabo, et exaudiet;* in Græco et Latino, *clamavi, et exaudivit.* Juxta priorem lectionem significat David, se ex fiducia, quam versu superiore expressit, in præsenti tribulatione clamaturum ad Dominum, et sine dubio more solito audiendum. Juxta posteriorem lectionem probat exemplo suo, quod supra dixerat, quod videlicet Deus sit clypeus, et gloria ejus. Nam sæpe, inquit, alias afflictus clamavi ad Dominum, et semper exaudivit me. Circa verba nota illud, *voce clamavi*, habere emphasim ad exprimendum affectum; non oravit demissa voce, sed clamavit,

et clamavit voce sua, id est, non per alium, sed per se, non solum spiritu, sed etiam corporali voce. Illud autem de monte sancto suo, significare potest montem Sion, ubi erat arca Domini, in quo peculiari modo præsentia Domini residebat, et unde responsa dabat; vel etiam cœlum, quod vocatur a Salomone, firmum habitaculum Dei, 3. Reg. 8. et ab Apostolo ad Hebr. 12. vocatur *mons Sion*, et Hierusalem cœlestis.

5. Ego dormivi, et soporatus sum, et exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Observanda sunt aliqua circa verba, antequam exponamus sententiam. Verbum, *dormivi*, tam Hebraice שכבתי *schacabthi*, quam Græce ἐκοιμήθην significat proprie cubare, et jacere; et quia omnes dormientes cubant, et jacent, significat etiam dormire: verbum autem *soporatus sum*, in Hebræo, et Græco non significat nisi dormire. Itaque sensus est eorum verborum: Ego dormivi, id est, accubui, sive jacui, ut dormirem, et re ipsa soporatus, obdormivi, et postea evigilans surrexi. Observa præterea illud, *quia Dominus suscepit me*, in Hebræo, et Græco esse futuri temporis, *quia Dominus suscipiet me*, vel ut sonat vox Hebræa, יסמכני *iismaghni*, *sustentabit me*. Sed sciendum est moris esse linguæ sanctæ, ut ponat futurum pro præterito, quando significatur quædam continuatio, ut Job. 1. *Sic faciebat Job cunctis diebus*. Illud *faciebat* in Hebræo futuri temporis est: recte igitur Hieronymus, et vulgatus Interpres verterunt suscepit, sive sustentavit, et potuissent etiam reddere, suscipiebat, vel sustentabat. Veniamus ad sententiam. David in illa persecutione filii dicit, *Ego dormivi seu jacui dormiturus*, id est, declinavi, fugi, non restiti, et sic jacui quasi oppressus, et soporatus sum, id est, ita derelictus, quasi mortuus essem, unde Absalon potitus est regno: quasi Rex mortuus fuisset; et exsurrexi, id est, paulo post recepi animum, et resistere cœpi, quoniam Dominus sustentavit me. Sed longe significantius hæc omnia Christo conveniunt, ipse enim vere dicere potuit, *Ego dormivi*, id est, sponte jacui in cruce, ut in ea morerer, quomodo se in lectum componunt, qui dormire volunt: *Nemo*, inquit ipse Joan. 10. *tollit animam meam a me, sed ego pono eam. Et soporatus sum*, id est, somno mortis vere consopitus sum, et hoc etiam sponte, non invitus, unde *inclinato capite tradidit spiritum*. Joan. 19. Vocat autem mortem suam somnum, quia tam facile illi erat resurgere a mortuis, quam aliis evigilare de somno; *et exsurrexi, quia Dominus suscepit*, seu sustentavit me, id est, paulo post surrexi a mortuis, non fretus ullo humano auxilio, sed innixus potentia infinita divinitatis. Et hoc modo probavit verum esse quod dixerat versu superiore, *Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo.*

6. Non timebo millia populi circumdantis me: exurge Domine, salvum me fac Deus meus.

De Davide clarissima sunt; ille enim dicitur exsurrexisse, quando recepit animum, et paravit se ad resistendum inimicis: ideo nunc dicit, non timere se populum illum innumerabilem, quia in Deo confidit, non in suis viribus, aut armis sociorum: ac propterea rogat Deum, ut exsurgat, ut salvum se faciat de manibus hostium. Dicitur Deus per metaphoram exsurgere quando incipit juvare: quemadmodum dicitur dormire, quando non juvat. Exsurge, inquit alio loco, quare obdormis Domine? pulchre autem conjunguntur, *exsurrexi, et exsurge*, quasi dicat, ego te excitante per immissam inspirationem exsurrexi, et tu igitur me excitante per orationem exsurge, et pugna pro me. Christo autem hæc omnia accommodantur rectissime, non ratione capitis, sed ratione corporis, id est, Christus hæc dicit post resurrectionem non pro persona sua, sed pro corpore suo, quod est Ecclesia, quæ in illis initiis innumerabiles habuit inimicos, sed Deo freta omnes vicit.

7. Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: dentes peccatorum contrivisti.

In Hebræo legitur sic, *Quoniam tu percussisti omnes inimicos meos in maxilla, dentes impiorum contrivisti*, sed credibile est Septuaginta Interpretes legisse pro לחי *lechi*, quod significat maxillam, לחינם *lechinnam*, quod significat in vanum: et credibile etiam est, Codices, quos habuerunt Septuaginta fuisse meliores iis, quos nos habemus. Sed tamen utraque lectio bonum sensum habet. Rogatur igitur Deus sive a Davide pro se, sive a Christo pro Ecclesia sua, ut pugnet adversus hostes, quoniam semper alias id fecerit, nimirum percusserit omnes inimicos piorum. Et si quidem legamus *sine causa*, sensus erit, Deum semper punire illos qui sine causa persequuntur justos, atque eorum dentes confringere, id est, efficere, ut mordere, id est, nocere non possint, sed latrare, ac terrere solum possint. Quamvis enim aliquando videantur justi ab impiis premi, tandem tamen omnia eis cooperantur in bonum, et impii persecutionis suæ pœnas luunt. Quod si legamus in maxilla, sensus erit Deum non solum punire, sed etiam confundere, et pudefacere impios. Percussio enim maxillæ non solum ad dolorem, sed etiam ad contemptum fieri solet: et cohæret optime cum percussione maxillæ, quod sequitur de confractione dentium: per quam confractionem significatur quod supra diximus; fieri videlicet per Dei gratiam, ut inimici justorum, sive Dæmones, sive homines sint, latrare possint more canum, sed mordere, id est, vere nocere non possint.

8. Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua.

Concluditur Psalmus per invocationem, et laudem Dei, quasi dicat: Ex dictis concludere possumus Domini esse salutem, et illi acceptam esse referendam. Nam in Hebræo est, Domino salus, id est, Domino accepta referenda est salus, quæ salus est benedictio tua Domine super populum tuum, nam benedicere Dei, est benefacere.

DE VOCE SELA.

In hoc Psalmo habetur tribus in locis, videlicet post secundum versum, post quartum, et post ultimum vox Hebræa, סלה *Sela*, quæ ha-

betur in aliis nonnullis Psalmis, non tamen in omnibus; habetur etiam in quibusdam locis Habacuc prophetæ, et nusquam alibi. Scribit de hac voce S. Hieron. Epist. ad Marcellam, in qua refert tres opiniones, primam quorumdam, opinor, Rabbinorum, qui volunt, ea voce significari mutationem vel distinctionem rythmi, aut elevationem vocis. Secundam Interpretum Septuaginta, nec non Theodotionis, et Symmachi, qui eam vocem Hebraicam interpretati sunt diapsalma, vocem æque obscuram. Tertiam Aquilæ, et quintæ ac sextæ editionis, quod sela sit idem quod semper. Hanc sententiam postremam S. Hieron. sequutus est in sua versione ex Hebræo. Et certe prima opinio videtur improbabilis : nam si vox illa significaret mutationem, aut distinctionem rythmi, aut vocis elevationem, poneretur in omnibus Psalmis, ac præsertim in longioribus. Videmus autem in hoc brevissimo Psalmo haberi ter, ut etiam bis in Psalmo quarto, et in Psalmo quadragesimo sexto, qui brevissimi sunt, in longissimis quibusdam nunquam. Deinde non poneretur in fine Psalmorum, sed tantum in medio; quæ enim mutatio, vel distinctio, vel elevatio significanda est, Psalmo finito? Videmus autem haberi in fine Psalmorum, tertii, noni, vicesimi quarti, et quadragesimi sexti. Secunda opinio probabilis est propter auctoritatem Septuaginta interpretum. Significat autem diapsalma, interprete Augustino in commentario Psalmi quarti, intervallum psallendi; sed certe ratio vix reddi potest, cur istud intervallum notetur in Psalmis paucissimis, et brevissimis tantum. Tertia opinio fortasse probabilior est; nam propter S. Hieron. auctoritatem, videmus illud *semper*, recte poni ubicumque sela invenitur. In hoc Psalmo in versu secundo, et quarto recte, sela potest exponi semper, *Multi dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo ejus semper*, id est, esto Deus aliquando servaverit Davidem a periculis, at non semper servabit, nunc certe non servabit. Respondet autem David, *Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo semper :* id est, vos dicitis quod non semper me servabit : ego contra dico, me semper exaudiri, et spero semper servandum. Porro in fine Psalmorum sicut poni solet Amen, vel in æternum, vel Alleluia, ut patet legentibus; ita recte ponitur, *semper*, quod significat desiderium, ut sint firma et rata, quæ dicta sunt. Ita hoc loco, super populum tuum benedictio tua semper; id est, semper sit, ac si diceret Amen, vel jugiter, ut alibi.

PSALMUS IV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem in Hymnis Psalmus David.

Hic est titulus Psalmi quarti, in quo varietas est inter lectionem Hebraicam, et Græcam, nam ex Hebræo, ut hodie habetur, vertit S. Hieronymus, *Victori*, pro eo quod nos habemus ex Græco, *In finem*, et S. Hieronymum sequuntur omnes, qui vocem Hebraicam interpretantur ad verbum, nec potest aliter exponi vox illa, למנצח *Lamnazeach.* Nata est hæc varietas præcipue ex additione punctorum, et ex littera, m, quæ forte accessit vitio librariorum. Nam Septuaginta Interpretes videntur legisse, לנצח *Lannezach*, quod significat, in finem, ut patet ex primo versu Psalmi 12. *Usquequo Domine oblivisceris me in finem?* Et sane magna est auctoritas Septuaginta Interpretum, quos, et doctissimos fuisse, et optimos Codices habuisse dubitari non potest. Adde, quod et sententia est gravior secundum lectionem Septuaginta. Nam secundum Hebraicam lectionem significatur, hunc Psalmum datum esse Victori in hymnis, id est, Magistro cantorum, sive optimo cantori, qui præpositus est concinendis hymnis. Quæ res non videtur adeo gravis, ut debuerit extare in divinis libris ad æternam rei memoriam. At secundum lectionem Septuaginta Interpretum, significatur, hunc Psalmum esse canendum usque in finem, id est, perpetuo, sive frequentissime, quod est signum, Psalmum esse unum ex utilioribus. Accedit etiam intelligentia mystica, quod sit Psalmus ad Christum pertinens, qui est finis Legis et Prophetarum. Illud, in hymnis, posset etiam verti, in pulsatione instrumentorum musicorum. Siquidem נגן *nagan*, significat instrumentum, unde nomen, נגינה *Neghina*, pulsatio, sed accipitur etiam passim pro laude, sive carmine, atque hymno. Itaque sensus erit, Psalmus David inter hymnos canendus perpetuo, atque ipsum Christum proprie respiciens; atque hoc idem dicendum est de aliis, qui sequuntur, eodem titulo inscriptis.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Cum invocarem exaudivit me Deus justitiæ meæ, in tribulatione dilatasti mihi.

Hunc Psalmum canit David in persona Ecclesiæ, vel cujuslibet animæ fidelis, quæ exemplo suo monet peccatores, ut convertantur, et fiduciam ponant in Domino, declinent à malo, et faciant bonum. Ponit igitur exemplum suum

dicens : Ego cum invocarem Deum in tempore tribulationis, exauditus sum. *Exaudivit enim me Deus justitiæ meæ*, id est, Deus, a quo est omnis mea justitia, hoc est, cujus gratia me justum facit. Ostendit autem quomodo sit exauditus dicens : *In tribulatione dilatasti mihi.* Deus aliquando exaudit removendo tribulationem : aliquando dando patientiæ virtutem ; et hoc est majus beneficium : aliquando non solum patientiam, sed etiam gaudium in tribulatione dando, et hoc est beneficium maximum, et de hoc loquitur Psalmus. Tribulatio enim angustias facit, gaudium dilatat corda : sed qui gloriatur in tribulatione, huic tristitia vertitur in gaudium, et tribulatio ei non angustias, sed dilatationem affert. Mutatio vero personæ de tertia in secundam additur, ad significandum, unde veniat illa dilatatio ; nimirum ex illapsu Dei in cor tribulati, juxta illud, *Cum ipso sum in tribulatione.* Psal. 90. Itaque sensus est, Cum invocarem Deum tribulatione pressus, exaudivit me; quod inde scio, quia tu, Domine, cordi meo dulcissimam tuam præsentiam exhibens, miro modo angustias tribulationis in latitudinem convertis lætitiæ. *Superabundo gaudio*, inquit Apostolus, *in omni tribulatione nostra.* Illud autem, *dilatasti mihi*, phrasis est Hebraica, pro, dilatasti me.

2. Miserere mei, et exaudi orationem meam.

Postulat continuationem gratiæ, ac si dicat : Ita, Domine, semper miserearis, semper exaudias, sicut adhuc fecisti. Novit enim sanctus Propheta nos in hac vita semper obnoxios esse periculis, nisi misericordia ejus non solum præveniat, sed etiam comitetur, et subsequatur.

3. Filii hominum, usquequo gravi corde ? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium ?

Lectio Hebraica multum discordat a Græca, ex qua Latina nostra vulgata derivatur, sic enim ad verbum legitur Hebraice : *Filii, viri usquequo gloriosi mei ad ignominiam diligentes vanitatem, quæritis mendacium ?* Sed facile apparet, unde nata sit varietas ; nam, sublatis punctis quibus carebant libri Hebraici ante Christi adventum, et una littera in aliam similem commutata, existit lectio nihil discrepans à Græca. Verba Hebraica nunc ita sonant, כבודי לכלימא *Chevodi, liclimma, gloria mea ad ignominiam.* Sic autem legerunt Septuaginta, כבודה לבלמה *Chevude leu lamma, graves corde usquequo.* Ac ut sæpe diximus, credibile est emendatiores Codices Hebraicos fuisse temporibus Septuaginta Interpretum, quam nunc sint. Itaque lectio nostra vulgata omnino conservanda est, quippe quæ conformis reperitur lectioni Hebraicæ, quam Septuaginta Interpretes emendatiorem habuerunt. Neque tamen in sensu discordia est magni momenti, imo una lectio aliam adjuvare videtur. Sententia igitur hæc est, *filii hominum, usquequo graves corde*, id est, quam diu cor habetis lapideum, durum ad terram inclinatum, non cogitantes nisi bona terrena ? Corda enim ex sententia Domini, Luc. 21. *gravantur crapula, et ebrietate, et curis hujus mundi :* et quia corda dura non recipiunt supernas cogitationes, sed solum terrenas, et transitorias, ideo non diligunt nisi terrena, et transitoria : et quoniam ea sola quærimus diligenter, quæ ardenter diligimus, ideo subjungit Propheta : *Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium ?* Dicuntur autem bona terrena, vana, falsa, quia nec solida sunt, nec stabilia, quamvis talia esse videantur, et propterea merito falsa et fallacia dici possunt, præsertim si comparentur ad æterna. Additur in Hebræo, sela, id est, semper, quod recte ponitur hoc loco ; id enim valde mirum est quod homines non tantum initio mundi, nec solum initio vitæ, sed in omni seculo, et in omni ætate post tam longam experientiam, res humanas, et fallaces tanto studio consectentur. Lectio Hebraica, Græca, et vulgata adjuvat. Nam iidem homines, qui propter naturæ corruptionem sunt *filii hominum*, et *graves corde*, iidem ex imagine Creatoris, ad quam formati sunt, recte dici possunt gloriosi atque inclyti, et ideo valde ignominiosum illis est diligere, et quærere bona temporalia, vana, et falsa, quæ sub pedibus habent ; et non diligere, neque quærere sempiterna, solida, et vera, unde originem atque imaginem trahunt. Magna est hæc increpatio, quæ non ab homine mendace, sed a spiritu veritatis procedit.

4. Et scitote, quoniam mirificavit Dominus sanctum suum : Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.

Hæc est potissima ratio, cur deberent homines non amplius inhærere temporalibus, quia videlicet venit ad nos de cœlo Sanctus Dei, id est, Filius Dei, qui solus inter omnes homines impeccabilis fuit. Unde etiam dæmon in Evangelio clamabat Marc. 1. *Scio qui sis, Sanctus Dei.* Hic autem Sanctus pertransiit benefaciendo, et mala tolerando, temporalia despiciens, et sempiterna prædicans, et tandem hoc novo itinere gradiens ad summam felicitatem pervenit, sedens in cœlo corpore, et animo in æternum beatus. Et quoniam ille Dux noster est, et præivit parare nobis locum, sine dubio si per vestigia ejus ambulamus, ad veram, et sempiternam felicitatem perveniemus. Scitote igitur, quia Dominus Deus sanctum suum Christum, quia temporalia despexit, mirabilem omnino reddidit, resuscitans ab inferis, et in cœlo ad dexteram suam constituens. Et quoniam non solum Dux noster est, sed etiam advocatus et mediator, ideo subjungit David : Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum, id est, nunc potissimum certo confido me semper exaudiendum, cum sciam esse in dextera Dei mediatorem, qui interpellat pro nobis.

5. Irascimini, et nolite peccare : quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Post increpationem gravissimam et admonitionem, ut resipiscant Filii hominum, instruit eos Spiritus Sanctus quid agere debeant, ac docet, ut sancta quadam iracundia exardescant, et resistant pravis desideriis, et eo modo peccatum vitent : quod si forte peccaverint, continuo doleant, et compungantur, neque contenti sint declinare a malo, sed etiam sacrificent sacrificium justitiæ faciendo bonum. *Iras-*

cimini, inquit, *et nolite peccare*, id est, cum surgunt pravi et rebelles motus, qui sunt initia, et radices omnium peccatorum, irascimini naturæ vestræ corruptæ, et resistite, ita ut non peccetis. Ad hoc enim nobis data est ira a Deo (ut docet S. Basilius in Oratione de Ira (ut sit cos virtutis. Vox Hebræa רִגְזוּ *rigzu* significat etiam, pavete, contremiscite, quod etiam recte quadrat in hunc locum. Debemus enim statim tremere, et pavere cum apparet caput serpentis, id est mala suggestio. *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.* In Hebræo legimus ad verbum, *Dicite in cordibus vestris super cubilia vestra, et tacete*; in Græco vero sic, *Quæ dicitis in cordibus super cubilia vestra, compungimini*: ex quibus intelligimus nostram lectionem sic esse ordinandam: Quæ dicitis in cordibus vestris in cubilibus vestris, de his compungimini tacentes. Sensus igitur est, tempore nocturno cum estis soli in cubilibus, liberi ab omnibus aliis curis; tunc in cordibus vestris cogitate omnia vestra errata, et quæ dicitis, et confitemini apud vos in corde; de his coram Deo, tacentes præ verecundia, compungimini. Fuisse autem solitum Davidem in cubilibus recogitare peccata, propter opportunitatem secreti, et silentii nocturni, potest intelligi ex illis verbis Psal. 6. *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* Itaque quod ipse faciebat, alios monet, ut faciant.

6. Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino: multi dicunt, quis ostendet nobis bona?

Addit nunc alteram partem justitiæ, videlicet, ut non solum declinent a malo, sed etiam faciant bonum. Vocat autem opera bona sacrificium justitiæ, quia opera justa placent Deo valde, et per ea Deus honoratur. *Videant*, inquit Dominus, *opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Matth. 6. Apostolus loquens de eleemosyna, *Accepi*, inquit, *quæ misistis in odorem suavitatis*, et de jejunio aliisque bonis operibus corporalibus, Ephes. 5. *Obsecro vos*, inquit, *ut exhibeatis corpora vestra, hostiam beneplacentem*. Addit autem *et sperate in Domino*, ad tollendam præsumptionem, quæ bonis operibus insidiatur: bene operari nos oportet, sed ita tamen, ut non superbe confidamus de operibus nostris, ut Pharisæus ille, qui dicebat Luc. 18. *Gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri hominum: jejuno bis in sabbato, etc.* Sed in Domino speremus, qui dabit peccata vitare, bona opera facere, et ad portum salutis pervenire. Sicut enim præsumptio est venenum corrumpens meritum operum bonorum, sic humilitas de viribus propriis diffidens, et in Domino spem reponens, est veluti sal condiens, et conservans omnia recte facta. *Multi dicunt, quis ostendet nobis bona?* In Hebræis codicibus incipit hoc loco novus versus; sed in Græcis, et Latinis pertinent hæc verba ad versum superiorem, sed non est varietas magni momenti. Ponit hoc loco Propheta communem carnalium hominum objectionem; et quia stultorum infinitus est numerus, ideo ait, *Multi dicunt*, id est, cum prædicamus contemptum rerum temporalium, atque ad innocentiam et justitiam exhortamur, plurimi dicunt, quis ostendet nobis bona, si hæc quæ videmus et tangimus bona non sunt? Quis rediit ab inferis? Quis ascendit in cœlum? Potest etiam per illud, *bona*, intelligi justitia et probitas; quia enim dixerat *sacrificium justitiæ*, objiciunt improbi: quid est hæc justitia? quis nobis ostendet viam justitiæ?

7. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti lætitiam in corde meo.

Respondet Propheta viam justitiæ nobis à Deo demonstratam esse, et nos habere magistrum intra nos, qui nos doceat verum bonum, lumen videlicet rationis naturalis; hoc enim lumen signatum est, et impressum indelebiliter super nos, id est, in suprema parte hominis. Habemus enim partem inferiorem, corpus, partem superiorem, animam: et in ipsa anima partem inferiorem, qua vivimus, et sentimus; et superiorem, qua ratiocinamur, et sapimus. In hac igitur suprema parte est lumen, quo distinguimur a bestiis; estque hoc lumen derivatum a vultu Dei, quia id nos facit esse ad imaginem, et similitudinem Dei. Et ex hoc lumine possumus intelligere primum viam justitiæ; lex enim naturalis scripta in corde, quam ne ipsa quidem delet iniquitas, docet non faciendum alteri quod nobis ab aliis fieri nolumus; proinde non furandum, non mœchandum, etc. Possumus etiam intelligere adjuti gratia Dei nostrum verum bonum consistere in assimilatione ad Deum, bonum enim imaginis est, quam simillimam esse exemplari. Ex hac autem cogitatione existit in voluntate ingens lætitia, spes, et amor erga Deum. Quid enim dulcius, quam cogitare se esse imaginem vivam rei infinitæ pulchritudinis? et se exemplari suo omnipotenti esse charissimam? Quia vero non omnes hoc experiuntur, ideo David non ait, dedisti lætitiam in cordibus eorum, sed *dedisti lætitiam in corde meo*, quod idem omnes justi, et pii dicere possunt. Parum autem refert, quod in Hebræo habetur, *signa super nos lumen vultus tui*; et nos habemus, *signatum est super nos lumen vultus tui*, nam litteræ eædem, mutatis punctis, efficiunt, *signatum est.* Et hanc veram lectionem esse credimus, quia Septuaginta Interpretes melius noverant quomodo legendæ essent illæ litteræ, quam Rabini posteriores, qui puncta addiderunt.

8. A fructu frumenti, vini, et olei sui multiplicati sunt.

Addit Propheta aliud argumentum ex quo possunt homines intelligere Deum esse auctorem omnium bonorum, quia videlicet ipse est, qui temporibus suis multiplicat fruges, et producit fructus omnes. Sic etiam B. Paulus Act. 14. *Non sine testimonio reliquit semetipsum dans pluvias, et tempora fructifera, replens cibo, et lætitia corda nostra. A fructu*, inquit, *frumenti, vini et olei sui multiplicati sunt*, id est, aucti sunt, sive creverunt in bonis temporalibus ob illorum trium præcipue fructuum abundantiam. Vox enim Græca, ἐπλήθησαν, quam Interpres reddidit, *multiplicati sunt*, significat etiam aucti sunt, sive creverunt, et sic exponendam esse docet etiam textus Hebraicus, ubi ad verbum habemus, *frumentum, et vinum eorum multipli-*

cata sunt. Parum etiam refert, quod in Hebræo non fit mentio olei : nam vel excidit ea vox, vel Septuaginta Interpretes eam addiderunt explicationis gratia. Scriptura enim passim hæc tria conjungere solet.

9. In pace in idipsum dormiam, et requiescam.

Concludit Psalmum David dicens, Quidquid sit de aliis, quos ad amicitiam cum Deo exhortatus sum, ego omnino in Deo confidere, ac penitus conquiescere volo. *Ego*, inquit, *in pace*, id est, cum tranquillitate animi, *in idipsum*, id est, conjunctim, pariter, simul *dormiam et requiescam*, id est, securus cubabo ad dormiendum, et reipsa quietissime dormiam. Voces enim tam Hebraicæ quam Græcæ pro quibus habemus, *dormiam et requiescam*, significant proprie jacebo, sive cubabo, et dormiam. Sed non male noster interpres vertit, *dormiam et requiescam*, quia qui cubat, ut dormiat, dici potest dormire; et qui dormit, præsertim somno placido, dici potest quiescere. Possunt etiam hæc referri ad futuram requiem in cœlo; tunc enim vere summa pax erit ex unione cum Deo, et summa, ac verissima requies. Illud in idipsum, quod frequentissime occurrit in Psalmis, in Hebræo est יחדו *Iachdau*, quod S. Hieron. et alii vertunt, *pariter*, sive simul, Septuaginta Interpretes ubique reddunt, ἐπὶ τὸ αὐτὸ, id est, in idipsum : sed idem est sensus; nam in idipsum, idem est, quod conjunctim, et simul. S. August. per idipsum, intelligit Deum, qui solus est semper idem ipse, æternus, et immutabilis, juxta illud, Psal. 101. *Tu autem idem ipse es*, acuta, et pia interpretatio, sed mystica, non litteralis.

10. Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.

Reddit causam, cur velit in Deum projicere omnem sollicitudinem, sive, cur in futuro seculo in pace dormiturum, et quieturum se dixerit. Ratio enim est, quoniam Deus verissimis, et fidelissimis suis promissionibus eum in sola spe constituerit, id est, habitare fecerit. Id enim significat vox Hebræa, et Græca. Itaque vir justus, et amicus Dei in sola spe divina habitat, tanquam in tutissima domo; agit quod potest pro vita præsenti, et futura; at non confidit in propriis viribus, neque in ulla re creata; sed in Deo solo, et ideo non confunditur, securus dormit, et securus dormiet in seculo futuro.

PSALMUS V.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

IN FINEM PRO EA, QUÆ HÆREDITATEM CONSEQUITUR, PSALMUS DAVID.

Hic titulus varie exponitur, propterea quod in Hebræo quædam vox est, נחילות *Nechilot*, quam Rabini, et qui Rabinos sequuntur, significare volunt instrumentum musicum. Sed a Catholicis omnino rejiciendi sunt, cum S. Hieron. Hebraicæ linguæ peritissimus verterit, pro hæreditatibus; et Septuaginta adhuc peritiores, et quibus lingua Hebræa patria erat, verterint pro ea quæ hæreditatem consequitur. Et verba ipsa Hebraica has interpretationes omnino recipiunt, siquidem נחל *Nachal*, hæreditare significat, נחלות *Nachalot*, hæreditates, נחלת *Nochelet*, eam quæ hæreditat. Credibile igitur est, textum Hebraicum diuturnitate temporis una, vel altera littera immutatum peperisse has varietates : sed in re dubia Septuaginta Interpretibus fides habenda est magis, quam recentibus Rabinis, præsertim cum S. Hieronymi versio magis faveat Septuaginta, quam Rabinis. Igitur hic Psalmus compositus est in persona Ecclesiæ, quæ hæreditatem salutis æternæ quotidie in suis membris consequitur, et in fine mundi tota consequetur. Quia vero Ecclesia pro meliore sua parte, similis est columbæ, quæ perpetuo gemit, et innocentiam custodit, ideo in hoc Psalmo columbæ officium exercens, partim orat, partim peccatum detestatur. Quod ipsum facere debent omnes, qui pertinent ad columbam; sic enim unimur Deo, in quo consistit hæreditas, si oratione trahimus Deum ad nos, et puritate vitæ propinquamus ad Deum.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.

2. Intende voci orationis meæ, Rex meus, et Deus meus.

Tribus modis fieri potest, ut aliquis non audiatur ab aliquo : vel quia ille non percipit sonum verborum, vel quia non percipit significationem eorumdem verborum; vel quia non attendit intentus aliis rebus. Deus quidem omnia percipit, et intelligit, et semper attendit : sed dicitur aliquando non percipere, vel non intelligere, vel non attendere, quia sic orantem contemnit, ac si non perciperet, vel non intelligeret, vel non attenderet. Ideo sanctus Propheta oraturus Deum, initio postulat, ut Deus percipiat, intelligat, et attendat. Porro Deus

orantem contemnit, ac si non perciperet sonum verborum, quando is, qui orat, ita distrahitur, ut nec ipse verba sua percipiat; vel ita frigide orat, ut oratio sursum ascendere non possit. Tunc vero Deus ita se habet, ac si non intelligeret quid petatur, quando is, qui orat, nescit quid petat, petens ea, quæ sibi non sunt utilia, etiamsi attente, et ferventer oret, atque adeo clamet. Tunc denique Deus similis est non attendenti, quando orans non est dignus, qui audiatur, vel quod sine debita humilitate, fiducia, aliisque debitis circumstantiis oret, vel quod sit peccator, et de pœnitentia nondum cogitare inceperit. Propheta igitur miro artificio a Spiritu sancto edoctus, orat Deum pro dono bene orandi, videlicet ut detur ei sic orare, ut opus est, ad hoc ut Deus non repellat orationem, sed percipiat sonum, intelligat clamorem, et intendat orationi. Addit autem, *Rex meus*, ut facilius impetret. Solet enim bonus Rex audire populum suum, adjungit vero, *et Deus meus*, ut ostendat se non solum esse populum Dei quasi Regis, sed etiam creaturam ejus, et in omnibus ab eo pendere, et sine eo nihil.

3. Quoniam ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam.

Reddit rationem cur petierit audiri a Domino; quoniam, inquit, ad te orabo, id est, quia studium meum præcipuum futurum est oratio, ideo tam sollicitus sum de auditione. Et quia studium orandi non solum est mihi præcipuum, sed etiam primum, ideo summo mane antequam aliud ullum opus aggrediar, tu, Domine, audies vocem meam, nulli enim loquar antequam tibi. *Tu labia mea aperies, et os meum annunciabit laudem tuam*, ut dicitur Psal. 50.

4. Mane astabo tibi, et videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Non solum, inquit, mane orabo, sed etiam astabo tibi, id est, conabor me præsentem tibi exhibere; et contemplabor (id enim sonat vox Hebræa,) in illo silentio matutino, antequam irruat turba negotiorum hujus vitæ. Materia vero præcipua contemplationis meæ erit considerare, nihil te magis odisse, quam peccatum: innocentiam, et justitiam tibi summopere gratam esse, cum tu sis lux, et justitia, et ideo si tibi placere volo, innocentiam, et justitiam mihi sectandam esse, et iniquitatem odio habendam.

5. Neque habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injusti ante oculos tuos.

Non solum Deus non vult iniquitatem, sed neque vult homines iniquos: ideo *non habitabit*, inquit, juxta te malignus, id est, non propinquabit tibi jure amicitiæ: *neque permanebunt injusti ante oculos tuos*, id est, non diu respicies oculo clementiæ injustos. Nunc enim Deus respicit etiam injustos oculo clementiæ, id est, eis concedit multa temporalia bona, sed hoc non diu durabit. Brevi enim projiciet illos a facie sua in æternum interitum.

6. Odisti omnes qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

7. Virum sanguinum, et dolosum abominabitur Dominus.

Non solum Deus non vult iniquitatem; nec solum non vult amicitiam cum iniquis; sed illos odit, et perdere vult, ac re ipsa perdet; et quoniam peccata committuntur opere, verbo, et cogitatione, sive desiderio, ideo singula Psalmus enumerat, primo operantes iniquitatem; secundo loquentes mendacium, quod de pernicioso intelligitur; tertio virum sanguinum, id est, crudelem, sanguinis appetentem; et dolosum, id est, qui dolos meditatur, et struit.

8. Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Dixerat Propheta, matutino tempore se contemplaturum quantopere Deus peccatum, et peccatores aversetur. Exponit nunc fructum contemplationis, ac dicit: *Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ*, id est, confisus in multa misericordia tua, non in viribus meis, ut evitem omnia peccata, *introibo in domum tuam*, quæ est domus orationis, *et adorabo ad templum sanctum tuum*, id est, prosternar coram tabernaculo tuo, *in timore tuo*, timens, ac tremens implorabo auxilium tuum.

9. Domine deduc me in justitia tua, propter inimicos meos: dirige in conspectu tuo viam meam.

Hæc est oratio, qua orat in domo Dei, videlicet, ut Deus eum deducat in justitia sua, id est, ut eum ducat per semitas justitiæ faciendo illum implere omnia mandata divina, et sic vitare omnia peccata, et quod idem est, dirigat in conspectu suo viam ejus, id est, faciat eum ambulare per viam rectam, Deum semper præ oculis habendo. Id vero potissimum orat propter inimicos, sive (ut habetur in Hebræo) propter insidiatores suos; necessarium enim est divinum auxilium dirigens, et protegens, præveniens, et subsequens propter multitudinem hostium, qui nobis insidiantur, et ad peccata pertrahere conantur, sive ii Dæmones sint, sive homines terrentes, vel allicientes. Vocat enim inimicos, omnes, qui impediunt viam salutis, etiamsi aliqui amicissimi videantur; nam *inimici hominis domestici ejus*, ut est apud Matth. c. 10. Parum autem refert, quod in Hebræo habetur, *Dirige in conspectu meo viam tuam*, quomodo etiam haberi in editione Septuaginta Interpretum testatur S. Hier. in Epist. ad Suniam, et Fretellam, et in nostro Græco, et Latino, *Dirige in conspectu tuo viam meam*. Nam sensus in idem recidit, sive dicas secundum Hebræos codices, *Dirige in conspectu meo viam tuam*, id est, fac ut inveniam, et videam viam tuam rectam: sive secundum Græcos et Latinos, *Dirige in conspectu tuo viam meam*, id est, fac ut ambulem coram te per viam rectam. Semper enim petitur gratia incedendi per viam mandatorum Dei.

10. Quoniam non est in ore eorum veritas: cor eorum vanum est.

11. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant.

Reddit rationem, cur velit auxilium contra inimicos insidiantes, quia videlicet illi nihil intendunt, nisi decipere, et difficile est insidias eorum vitare. Non est, inquit, in ore eorum veritas, quia si terrent, decipiunt, persuadentes fugam exigui mali, ut inducant in maximum malum: si alliciunt, decipiunt, persuadentes prosecutionem exigui boni, ut adducant in jacturam summi boni. Cor eorum vanum est intus, et extra perversi sunt; non sapiunt, nec appetunt nisi vana, ideo non possunt loqui nisi vana. Idem autem repetit in versu sequenti, sed ordine mutato; nam quod dixerat, *Cor eorum vanum est*, repetit, dicens, *Sepulchrum patens est guttur eorum:* et quod dixerat, *Non est in ore eorum veritas*, repetit dicens, *Linguis suis dolose agebant.* Itaque cum dicitur guttur, sepulchrum patens, significatur guttur, seu os, et linguam, quæ sunt instrumenta loquendi, esse quasi os sepulchri; interiora vero sepulchri esse animam sive cor, ubi sunt desideria, et cogitationes horridæ, et fœtentes, quasi cadavera putrefacta, unde exhalat fœtor verborum mortiferorum. Et ideo addit, *Linguis suis dolose agebant*, hoc est, non solum falsa dicunt inimici mei, quia non est in ore eorum veritas, sed etiam dolosa, quia sub specie boni persuadent mala. In Hebræo est, linguis suis blandiuntur, quod in idem recidit.

12. Judica illos Deus, decidant a cogitationibus suis; secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te, Domine.

Prophetia est potius quam imprecatio, significat enim Psalmus fore, ut inimici justorum, non solum non admittantur ad hæreditatem, de qua in titulo Psalmi, sed condemnentur ad æternas pœnas, et nihil obtineant eorum, quæ moliuntur. *Judica illos*, id est, judicabis, vel, ut significantius habent Hebræa, condemnabis illos. Decidant a cogitationibus suis, id est, frustrabuntur spe sua, qua sperabant se subvertere posse electos. *Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos*, id est, pro meritis suis expellentur ab hæreditate in tenebras æternas. *Quoniam irritaverunt te, Domine*, id est, quoniam dum hominibus se nocere existimarunt, non homines offenderunt, sed Deum, juxta illud, *Non te abjecerunt, sed me*, 1. Reg. 8. et, *Non es mentitus hominibus, sed Deo*, Act. 5.

13. Et lætabuntur omnes qui sperant in te, in æternum exultabunt, et habitabis in eis.

14. Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum; quoniam tu benedices justo.

15. Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.

Hic prædicit felicissimam hæreditatem electorum, quibus titulus Psalmi eam promiserat. Ac primo invitat justos ad lætitiam, ob spem bonam futurorum. *Lætentur omnes, qui sperant in te*, id est, etsi nunc in labore certaminis justi reperiuntur, tamen lætentur in spe, qui non sperant in vanitatibus, sed in Deo vero, et in tempore suo in æternum exultabunt laudantes Deum, qui habitabit in eis, id est, super eos ad modum tentorii, ut in Hebræo legimus; proinde ipsi in Deo erunt, et est Deus in eis: et erit Deus omnia in omnibus. Hæc autem exultatio, et laus, quasi exterior, nascetur ex interna immensa lætitia, et gloria. Nam *gloriabuntur in te*, o Deus, *omnes qui diligunt nomen tuum*, id est, omnes vere justi. Charitas enim est, quæ justos et amicos, et filios Dei facit. Gloriabuntur autem, quoniam tu benedices justo, id est, unicuique justo benedices, et benedicendo benefacies, reddendo eis coronam gloriæ, quam merentur. Et quoniam radix omnium bonorum est benevolentia Dei, qui nos elegit ante mundi constitutionem, cum ex illa procedat vocatio, justificatio, merita bona, et ipsa glorificatio: ideo concludit, *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos*, id est, confiteor tibi, Domine, omnia nostra bona inde manare, quia beneplacitum tuum, sive gratia tua nos complexa est, et undique protexit, ut scutum protegere solet milites. Cui simile est illud Psalm. 102. *Qui coronat te in misericordia, et in miserationibus.* Verbum Hebræum ambiguum est, quoad pronomen. Nam verti potest, *coronasti eum*, id est justum, cui benedixisti, et sic vertit S. Hieronymus. Potest etiam recte verti, mutatis punctis, *coronasti nos*, ut verterunt Septuaginta, sed sententia est omnino eadem.

PSALMUS VI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem in Hymnis pro octava, Psalmus David.

Quod dicitur, *pro octava*, vel, ut habetur in Hebræo, על השמינית *hhal haschminith, super octavam*, videtur esse genus citharæ habentis octo chordas, vel aliquid simile. Nam in priore libro Paralip. cap. 15. ubi describuntur varia instrumenta, quibus canendi erant Psalmi, inter alia ponitur cithara super octavam. Non est tamen repudiandum, quod communiter dicitur, *per octavam*, hoc loco significari diem ultimi judicii, quæ erit octava, quia sequetur post sex dies laboriosos hujus vitæ, et post septimam quietis animarum. Hic enim Psalmus est primus illorum septem, qui ad pœnitentiam pertinent. Neque verisimile est, quod Rabini, et eorum sectatores dicunt, hunc Psalmum compositum fuisse a Davide pro sanitate corporis recuperanda, quam videlicet amiserat ob adulterium, et homicidium perpetratum. Scriptura enim satis declarat in 2. lib. Regum, quam pœnam exegerit Deus a Davide propter illius peccati reatum: neque usquam meminit morbi corporalis. Sed neque Ecclesia ab antiquissimis temporibus inter pœnitentiales hunc Psalmum, et primo etiam loco numerasset, nisi proprie, et ad litteram ad pœnitentiam pertineret. Itaque argumentum hujus Psalmi erit oratio peccatoris timentis divinum judicium, et ad reconciliationem aspirantis.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Petitio est hæc vere pœnitentis, et contriti, qui super omnia peccatum odit. Nam tunc Deus arguit, id est, accusat, et corripit peccatorem in ira, et in furore, quando non castigat, ut salvet ex amore paterno, sed castigat, ut perdat, ac justitiæ satisfiat. Quod facit in hac vita, quando percutit cæcitate, et obstinatione, ut sit peccatum pœna peccati: in alia vero, quando perdit in gehennam. Iste igitur concussus horrore, et timens abyssum judiciorum Dei, non recusat flagellum pœnarum, quæ non separant a Deo, sed compellunt ad Deum; sed horret malum illud super omnia vere horrendum, id est, tradi in desideria cordis sui, in passiones ignominiæ, obdurari, et excæcari, et tandem in æternum separari a facie Dei. Porro ira, et furor pro eodem hoc loco accipiuntur, sicut etiam argui, et corripi, est enim (ut alias adnotavimus) familiare Prophetis id ipsum bis repetere, explicandi, vel inculcandi gratia.

2. Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Ad permovendum Deum, ut non in furore arguat, adducit pœnitens David aliquot argumenta; ac primum sumit ab infirmitate sua, quasi dicat, non respicias, Domine, peccata mea, ut offensas tuas, sed ut miserias, et ægritudines meas; proinde non punias, ut Judex, sed cures ut medicus, ure, et seca, si opus est, sed ex misericordia ad sanandum, non ex justitia ad perdendum. Vere enim peccata miseriæ sunt, et quo sunt magis ex malitia commissa, eo sunt majores miseriæ, et quo minus nos ea cognoscimus, et timemus, eo miseriores sumus. Ergo, inquit, *miserere mei, quoniam infirmus sum*, id est, respice misericorditer peccata mea, quæcumque illa sint, ut ægritudines, et morbos animæ meæ, quæ me debilem, et imbecillem reddiderunt. *Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.* Idem repetit aliis verbis. Deus enim si misereatur, miseriam tollit, et proinde sanat, atque ita idem est, *miserere mei et sana me.* Idem quoque est, *quoniam infirmus sum*, et *quoniam conturbata sunt ossa mea*, per ossa enim significatur robur, ac fortitudo; et tunc dicuntur ossa conturbari, quando fortitudo nutat, et robur frangitur, ac debilitatur. Poterant autem verba Græca, et Hebraica sic etiam reddi, *Tremuerunt, sive tremefacta sunt ossa mea.*

3. Et anima mea turbata est valde, sed tu Domine usquequo?

Alterum argumentum ducit a cognitione proprii peccati, sicut in Psalm. 50. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* Dicit igitur, non solum miser sum, sed etiam miseriam meam agnosco, ac propterea anima mea se ipsam tam deformem ac miseram aspiciens, et horrens, turbata est valde, et conterrita salubriter, impatiens efficitur, et clamat, *sed tu Domine usquequo?* non misereris, non sanas? Habet vero magnam emphasim, illud, *usquequo*, sine alio verbo. Significat enim prolatum esse ab anima turbata, et non valente integram formare sententiam.

4. Convertere Domine, et eripe animam meam: salvum me fac propter misericordiam tuam.

Hoc est argumentum tertium, quod a miseri-

cordia sumitur. *Convertere*, inquit, idest respice me. Nam respectus Dei est causa omnium bonorum nostrorum. *Converte faciem tuam, et salvi erimus.* Et alibi, Psalm. 29. *Avertisti faciem tuam, et factus sum conturbatus.* Respexit Dominus Petrum, et flevit amare. Et Jacobus, cap. 1. ideo vocat *Deum patrem luminum*, quia sicut Sol aspectu suo illuminat, calefacit, vivificat corpora; sic Deus respiciens oculo pietatis, illuminat, accendit, vivificat animas. *Et eripe animam meam*, id est, educ de fovea, in quam cecidit; erue de laqueo venantium, quo capta, et irretita tenetur; eripe de manibus inimicorum, quibus tradita est propter peccatum. *Salvum me fac*, id est, libera ab imminente damnatione ad infernum. Nam proprie salvare est liberare ab imminente mortis periculo. Notandus est autem ordo. Primo Deus convertitur ad nos, ac nos respicit gratia sua. Secundo nos convertimur ad illum, et sic anima eruitur a culpa. Tertio liberati a culpa, salvamur a periculo imminentis damnationis. Hoc autem totum, quod fit in actu justificationis, non fit per ulla nostra merita præcedentia (quid enim meretur impius nisi pœnam?) sed per misericordiam Dei; ideo addit *propter misericordiam tuam*, quasi dicat, Audeo petere tam ingens donum, non quia dignus sum, sed quia tu misericors es.

5. Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Est hoc argumentum quartum a gloria Dei desumptum. Peto, inquit, non argui in furore, quia si ita fieret, ad mortem æternam sine dubitatione damnarer: et sic periret ex parte memoria tua, et laus tua. Damnati siquidem ad gehennam, non recordantur Dei, ut eum laudent, neque ullus est in inferno, qui confiteatur Domino, id est, laudet Dominum, confitendo ejus beneficia et mirabilia. Qui hunc locum intelligunt de morte corporali, et per infernum intelligunt sepulchrum, et sensum esse volunt, quod mortui in sepulchris jacentes Deum non laudant neque ejus memores sunt, cum nihil sentiant: allegant verba Ezechiæ apud Isaiam cap. 38. *Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te;* et satis constat, Ezechiam petivisse liberari a periculo mortis corporalis. Sed profecto locus etiam Ezechiæ debet intelligi de morte æterna, ac de inferno damnatorum. Nam tametsi Ezechias timebat mori corporaliter, timebat etiam mori in æternum, et cantavit canticum illud gratias agens Deo, quia intellexit ex dono corporalis sanitatis, tanquam ex signo divinæ benevolentiæ, sibi remissa fuisse peccata, et liberatum se esse a periculo gehennæ, unde ait: *Tu autem eruisti animam meam, ut non periret; projecisti post tergum tuum omnia peccata mea, quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te; non expectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam.* Et sane si de morte sola corporali hæc intelligerentur, valde exilia essent argumenta. Nam etsi mortui corporaliter, et in sepulchro jacentes non laudent Deum, tamen animæ eorum vivunt, et Deum laudant: et ipsa etiam corpora in sepulchro expectant veritatem Dei, id est, fidelitatem Dei de promissa resuscitatione. Soli illi sunt qui descendunt in lacum æternæ damnationis, qui non expectant veritatem Dei, neque Dei recordantur in bonum, neque laudant, aut unquam laudabunt: atque ita hunc locum Ezechiæ intelligit S. Hieron. in commentario Isaiæ, et alii Patres.

6. Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.

Quintum argumentum ducit Propheta à fructibus dignis pœnitentiæ. Nam ut Apostolus dicit, 1. Cor. 11. *Si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*, id est, si nos ipsos damnaremus, et puniremus, non damnaremur, nec puniremur a Domino. Parcit enim Deus iis, qui sibi non parcunt. Dicit igitur, se non solum intelligere, et detestari peccatum suum, sed etiam pro viribus punire, et puniturum. *Laboravi*, inquit, *in gemitu meo*, id est, tam ingenti fletu peccata mea deploravi, ut fatigatus sim, nec tamen adhuc cesso. Nam *lavabo per singulas noctes lectum meum*, id est, singulis noctibus vice somni, et quietis, ubertim peccata deflebo, et lachrymis stratum rigabo. Notanda est hoc loco abundantia, et diuturnitas lachrymarum. Nam pro verbo, *lavabo*, in Hebræo est, אשחה *asche*, natare faciam, ut etiam vertit S. Hieronymus: et ipsum etiam Latinum, *lavabo*, non significat effusionem paucarum guttarum, sed tantam copiam, ut iis lectus lavari possit. Vox etiam, *rigabo*, insinuat ingentem copiam lachrymarum decurrentium instar rivuli. Illud autem, *per singulas noctes*, in Hebræo ambiguum est. Nam significare potest, per totam noctem, et sic vertit S. Hieronymus: potest etiam significare in omni nocte, et sic acceperunt Septuaginta; utrumque mirabile est, et fortasse utrumque verum simul, id est, quod longo tempore singulis totis noctibus lachrymas copiosissimas fuderit. In quo speculo intueri se deberent, qui plurima, et gravissima peccata committunt, et vix paucas lachrymæ guttas emittere valent, cum remissionem à Deo quærunt.

7. Turbatus est a furore oculus meus, inveteravi inter omnes inimicos meos.

Pertinent hæc ad effectum indicandum maximæ illius profusionis lachrymarum. Nam in Hebræo pro עששה *haschecha turbatus est*, habetur caligavit, seu corrosus est oculus meus, ut sensus sit oculus meus propter furorem, et indignationem meam contra turpitudinem peccati, a fletu nimio corrosus caligavit, et turbatus est. Quod autem sequitur, *inveteravi*, in Hebræo refertur ad oculum, et est tertiæ personæ, inveteravit: tamen quia non solum Septuaginta, sed etiam S. Hieronymus vertit in prima persona, inveteravi, sive consumptus sum, credibile est lectionem Hebraicam nonnihil ab eo tempore immutatam, ut in voce, עתקה *hatecha*, desit unum Iod in fine, et loco ה, debet esse ת, et legendum sit עתקתי *hatachti*, quæ mutatio facillime accidere potuit. Sensus igitur est, *Turbatus est a furore oculus meus, inveteravi inter omnes inimicos meos*, id est, quia inveteravi inter omnes inimicos meos: et clarius, oculus meus caligavit præ fletu ex indignatione, quam concepi ex eo, quod tam diu in peccatis hæserim, ut inveteraverim inter omnes inimicos meos, quasi dicat, Non possum non vehe-

menter mihi ipsi indignari, quod nullum vitium adhuc perfecte vicerim, nullumque hostem animæ meæ debellaverim, sed consenuerim inter omnes hostes meos. Vocat autem hostes, omnes, qui eum ad peccandum impulerunt, sive Dæmones, sive homines, sive ipsa vitia, et habitus malos.

8. Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Quia tam graviter ferebat se consenuisse inter hostes; ideo prorumpit in hanc vocem, *Discedite a me*, id est, nolo amplius consortium vestrum, non acquiescam tentationibus vestris, fretus divino auxilio. *Quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei*, id est, quia Dominus misericordia motus ob lachrymas meas, non solum peccata dimisit, sed etiam virtutem auxit resistendi vobis.

9. Exaudivit Deus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit.

Explicat, quod dixerat, se exauditum, et idem repetit bis, terve, ad significandum certitudinem exauditionis : et ut ipse sibi hoc modo animum adderet, ad resistendum tentationibus.

10. Erubescant, et conturbentur vehementer omnes inimici mei : convertantur, et erubescant valde velociter.

Concludit optans finem totalem bellorum spiritualium. *Erubescant, et conturbentur*, quia nihil profecerunt, sed in vanum laboraverunt : *convertantur* in locum suum, unde venerunt, *et erubescant*, id est, confusi discedant velocissime : quia nimirum nolo differre vitæ mutationem : sed ex hac hora, ex hoc momento aggredior viam Domini rectam, et perfectam. Potest etiam hæc conclusio esse oratio pro conversione eorum hominum qui vel persequendo, vel eliciendo causa peccandi illi fuerunt. Optat enim, et orat, ut illi erubescant, et conturbentur per veram cognitionem, et detestationem peccati ; et sic ipsi quoque ad Deum velociter convertantur. Potest denique esse imprecatio implenda in die judicii. Tunc enim vere omnes impii, sive Dæmones, sive homines, qui justos ad impatientiam, vel alia peccata inducere voluerunt, confundentur, et erubescent, et convertentur ad agnitionem veritatis, sed inutiliter. Tunc enim dicent illud Sap. 5. *Ergo erravimus a via veritatis*, etc. Erit autem id celeriter valde, quia dies Domini non tardat, etiamsi nobis nunc secus videatur. Sed cum venerit, et repentinus venerit, tunc sentietur, quam celeriter venerit. In Hebræo habetur, *Erubescant, et conturbentur vehementer.* Quæ vox, *vehementer*, non habetur hoc loco in nostris codicibus Græcis, et Latinis, sed fuisse in editione Septuaginta Interpretum, testatur S. Hieronymus in epist. ad Suniam, et Fretellam. Sed si quis recte consideret, illa particula non deest in nostris codicibus, sed posita est paulo inferius. Nam ubi nos habemus, *convertantur, et erubescant valde velociter*, in Hebræo רגה *ragah* non habetur *valde*, sed solum *velociter*. Ex quo intelligimus, non esse sensum erubescant valde velociter, sed, erubescant valde, et erubescant velociter. Et hoc modo codices omnes concordes erunt.

PSALMUS VII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

Psalmus David, quem cecinit Domino pro verbis Chusi filii Iemini.

In Hebræo non est Psalmus, sed, שגיון *Sigaion*, quod proprie ignorantiam significat : tamen quia Septuaginta, et S. Hieronymus reddiderunt, Psalmus, dicendum erit eam vocem esse ambiguam, et significare non solum ignorantiam, sed etiam genus aliquod cantici. Quis item fuerit Chusi, non est adeo certum. S. Augustinus, et alii, qui non norunt linguam Hebraicam, existimant esse Chusi Arachitem amicum David, qui (ut legitur 2. Reg. 16.) misit nuncium ad Davidem, eique significavit consilium Achitophel. Sed ille Chusi scribitur per litteram Chet, iste de quo in hoc Psalmo, per litteram Caph, neque constat, an ille Chusi fuerit filius Iemini. Denique David in hoc Psalmo refellit calumniam cujusdam filii Iemini, ut patet ex illis verbis, *Si feci istud;* Chusi autem Arachites nullam calumniam dixit contra David. S. Hieronymus existimat, titulum intelligendum esse de Saule, qui vocatur Chus, id est, Æthiops, ob nigredinem morum, et erat de tribu Benjamin, seu (quod est idem) filius Iemini, ut patet ex lib. 1. Regum cap. 9. Saul enim lib. 1. Reg. cap. 22. dixit coram omnibus servis suis, *Non est qui vicem meam doleat eo quod suscitaverit filius meus servum meum adversus me insidiantem mihi usque hodie.* Hanc igitur calumniam refutat David in hoc Psalmo juxta opinionem sancti Hieronymi. Sed potest etiam æque probabiliter dici, Chus hoc loco esse Semei, qui erat etiam filius Iemini, et maledixit Davidi, cum fugeret persecutionem Absalonis, et ait : *Egredere vir sanguinum, et vir Belial, reddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saul, quoniam invasisti Regnum pro eo*, 2. Reg. 16. Ob hanc calumniam pessimam, et falsissimam videtur hunc Psalmum composuisse, orans Deum, ut defendat innocentiam, et justitiam suam, et ideo vocatur Psalmus, *Ignorantia David*, quia vere ignorabat, se mala illa fecisse de quibus accusabatur a Saule, sive a Semei. Ideo etiam dicit in principio Psalmi, *Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, etc.* Videtur igitur Psalmus

scriptus esse tempore persecutionis Absalon, ob verba maledictionis Semei, vel tempore persecutionis Saul, ob verba supradicta. Prophetice autem David gerit personam Christi, et cujuscumque justi calumniam sustinentis.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Domine Deus meus, in te speravi, salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et libera me.

In te, inquit, *speravi*, quia pene omnes deseruerunt me : ita ut etiam filius meus Absalon, vel socer meus Saul, quærant me occidere : non habeo, cui fidam, nisi te Deum meum. *Salvum me fac ex omnibus persequentibus me.* Multi enim cum persequebantur, alii consilio, alii maledictione, alii bello, et armis.

2. Ne quando rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.

Respicit ad Principem persecutionis, ne forte, inquit, Saul, aut Absalon rapiat animam meam, id est, vitam meam, ut leo solet absque ulla misericordia interficere animalia cætera : *dum non est qui redimat*, *neque qui salvum faciat*, id est, dum tu non redimis, neque salvas. Sciebat enim David omnem industriam humanam sine Deo esse vanam. Utitur Scriptura voce redemptionis pro quacumque liberatione, etiamsi non fiat proprie per solutionem pretii. Sicut enim dicitur Deus vendere, quos alienat quodammodo a sua misericordia, et tradit ministris suæ justitiæ puniendos : ita dicitur Deus redimere, quos iterum a ministris justitiæ erutos misericorditer liberat. In Hebræo habetur paulo aliter, videlicet : Ne forte rapiat ut leo animam meam, lacerans, et non sit salvans : sed in sententia non est varietas.

3. Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis.

4. Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.

Reddit causam, cur petierit liberari a Deo, quia videlicet Deus novit innocentiam ejus, et sic refellit calumniam Saulis, et Semei de insidiis in Saulem, et de invasione Regni : nec solum dicit se non reddidisse malum pro bono, neque malum pro malo, sed reddidisse bonum pro malo. Primo igitur dicit se non reddidisse malum pro bono, *Si feci*, inquit, *istud*, id est, si insidiatus sum Regi, vel si invasi Regnum fraude aliqua, aut vi : *si est iniquitas in manibus meis*, id est, si operatus sum iniquitatem reddens malum pro bono, id est, cum receperim a Saule honorem magnum, ut essem gener ejus, et Tribunus super mille viros, si reddidi pro his beneficiis malum insidiarum, ut ipse dicit. Addit, se non reddidisse malum pro malo, *Si reddidi retribuentibus mihi mala*, id est, cum Saul, sive Semei retribuerint mihi multa mala pro beneficiis a me acceptis, ita ut me occidere voluerint, si reddidi eis vicem, procurando eorum mortem, et non potius abstinuerim semper a nece ipsorum, cum facile et impune inferre eam possem : *decidam merito ab inimicis meis inanis*, id est, si non sunt falsæ eorum calumniæ, non recuso cadere in prælio penitus inanis, id est, sine ulla gloria militari, nullo damno hostibus illato, et maximo accepto. In Hebræo legitur hoc modo, *Si reddidi retribuentibus mihi malum, et dimisi hostes meos vacuos :* sed vox *dimisi*, potest significare etiam recedam, seu discedam, et tunc efficitur sententia, quam reddiderunt Septuaginta. Idem enim est recedam ab inimicis inanis. Si autem legamus cum S. Hieronymo, *Et dimisi hostes meos vacuos*, tunc sensus erit, se reddidisse bona pro malis, ac si dicat, Si dimisi hostes meos non affectos a me aliquo insigni beneficio, eveniat mihi hoc, aut illud malum.

5. Persequatur inimicus animam meam, et comprehendat, et conculcet in terra vitam meam, et gloriam meam in pulverem deducat.

Hæc sunt mala quæ sibi ipse imprecatur, si sunt veræ calumniæ Saulis, aut Semei. Semper autem crescit oratio. *Primo*, inquit, *persequatur inimicus animam meam*, id est, conetur me occidere. Secundo, *comprehendat*, id est, non possim effugere manus ejus, quin capiat me ad interficiendum. Tertio, *Conculcet in terra vitam meam*, ignominiose destruat vitam meam, quomodo destruuntur, quæ pedibus minutatim atteruntur. Denique, *gloriam meam in pulverem deducat*, id est, post mortem detrahatur gloria mea de loco sublimi in quo nunc est, usque ad pulverem, ita ut memoria mea cum infamia, et opprobrio vivat inter homines. Quinto additur in Hebræo, Sela, id est, semper infamis maneam.

6. Exurge, Domine, in ira tua, et exaltare in finibus inimicorum tuorum.

Demonstrata innocentia sua petit a Deo justam defensionem. Et quia Deus per metaphoram dicitur dormire, cum non adjuvat ; surgere a somno, quando incipit adjuvare, juxta illud Psal. 43. *Exurge, quare obdormis, Domine?* Ideo nunc dicit : *Surge in ira tua*, id est irascere inimicis meis, eosque repelle, ac terre, ne mihi noceant. Illud autem : *Et exaltare in finibus inimicorum tuorum*, idem fere significat; est enim sensus, Appare sublimis in finibus inimicorum, ut omnes te videant, id est, ut omnes præsentiam tuam sentiant. Parum autem refert, quod in Hebræo habetur, *inimicorum meorum*, in Græco et Latino, *inimicorum tuorum.* Iidem enim inimici erant Davidis et Dei.

7. Et exurge, Domine Deus meus, in præcepto quod mandasti, et synagoga populorum circumdabit te.

Petierat simpliciter auxilium Dei contra inimicos : nunc addit rationem cur deceat Deum hoc facere. Et ratio est, quia Deus præcipit

Judicibus terræ, ut liberent innocentes de manibus opprimentium. Ex quo sequitur, ut ipsum quoque id facere deceat, qui est Judex supremus super omnes Judices. *Exurge,* inquit, *in præcepto quod mandasti*, id est, juxta præceptum quod mandasti. In Hebræo habetur, *Judicio quod mandasti*, et idem est sensus, nimirum, juxta judicium quod fieri præcepisti. Porro in Hebræo habetur : *Exurge ad me*, pro eo quod nos habemus : *Exurge, Domine Deus meus.* Sed facile apparet unde nata sit diversitas interpretationis : nam vox Hebræa potest legi, אלי *Eli,* ac sic legerunt Septuaginta, et recte verterunt, *Deus meus :* potest etiam legi, אלי *Elai,* et sic legerunt, qui addiderunt puncta, et S. Hieronymus, et ideo reddidit S. Hieronymus, *ad me*, et sic reddunt omnes qui recipiunt puncta. *Sed ut sæpe dixi,* in ejusmodi varietatibus, magna debet esse auctoritas Septuaginta virorum. *Et Synagoga populorum circumdabit te*, id est, ex hac demonstratione præsentiæ tuæ in cohibendis inimicis meis, et in defensione mea, fiet ut multi alii cognoscant te, et confiteantur tibi, teque laudent, et sic circumdabunt te, quia ubi sunt aliqui congregati in nomine tuo, ibi tu es in medio eorum.

8. Et propter hanc in altum regredere, Dominus judicat populos.

Quia dixerat, Synagoga populorum circumdabit te : ideo nunc adjungit, *Et propter hanc in altum regredere,* id est, sicut propter me exaltatus es in finibus inimicorum meorum, terrens eos ex justitiæ tuæ solio : ita propter synagogam populorum laudantium te, quandocumque opus erit, in altum solium justitiæ iterum ascende, et appare conspicuus in finibus inimicorum ejus. Quod sequitur, *Dominus judicat populos,* in Hebræo conjungitur cum versiculo sequenti, et vere cum illo optime cohæret : sed optime etiam cohæret cum versiculo præsenti, ut distinxerunt Septuaginta Interpretes. Est enim redditio rationis, quasi dicat Propheta, Domine pro synagoga populorum tibi adhærentium ascende in solium judicii adversus hostes eorum, quia Dominus judicat populos, id est, quia Domini supremi, qualis tu es, proprium est judicare populos. Neque refert si legamus, judicat cum Græcis, vel judicabit cum Hebræis, quia idem est sensus, nimirum, ad Dominum pertinet judicare populos.

9. Judica me, Domine, secundum justitiam meam, et secundum innocentiam meam super me.

Hæc est conclusio totius superioris precationis. Quia enim conscius sibi erat falsam esse calumniam Saulis, sive Semei, et conscientiæ suæ testem habebat Deum; rogat ipsum Deum supremum judicem, ut judicet causam suam juxta justitiam suam, et innocentiam, quæ est super se : et det unicuique prout meretur.

10. Consumetur nequitia peccatorum, et diriges justum scrutans corda, et renes Deus.

Hæc est quasi pars altera Psalmi, in qua docet Propheta eos, qui male agunt, adversus se ipsos agere, ac per hoc hortatur omnes, ut convertantur ab iniquitate ad justitiam. Ait igitur, *Consumetur nequitia peccatorum*, id est, perficiatur, et ad summum perveniat nequitia peccatorum, tamen justo non nocebit, non enim inflectet ad dexteram, vel sinistram; quia tu *diriges justum*, id est, per tuam providentiam aderis justo, ne declinet ad dexteram, vel ad sinistram. Tu, inquam, hoc facies, qui solus nosti qui sint vere justi, cum scruteris corda, id est, cogitationes, et renes, id est, desideria. In Hebræo habetur verbum futuri temporis, יגמר *igmar;* id est, consumetur, sive consummabitur ; sed Septuaginta Interpretes legerunt sine littera י, *Iod*, quæ munitissima est, et potest postea esse addita : sensus tamen in idem recidit. Si enim legas, *Consumetur nequitia,* sensus erit, nequitia peccatorum cesset usque ad summum, et tota consumetur in vexatione justorum, nec tamen eos dejiciet, neque inflectet; quia Deus eos diriget, etstabiliet : utrumque enim significat vox Hebræa, תכונן *Theconen.*

11. Justum adjutorium meum a Domino, qui salvos facit rectos corde.

Ex universali sententia colligit in particulari, se merito sperare adjutorium Domini. *Justum,* inquit, *adjutorium meum a Deo veniet*, quia justum est ut Deus justos adjuvet, quoniam ejus proprium est, salvos facere rectos corde, id est, eos qui vere sunt justi coram Deo, qui scrutatur corda. In Hebræo conjungitur prima vox hujus versiculi, cum versu superiore, *scrutans corda, et renes Deus* justus; et deinde incipit novus versus, *Adjutorium meum a Domino.* Res non est magni momenti, et in rebus dubiis præferenda videtur auctoritas Septuaginta virorum, et Vulgatæ nostræ editionis.

12. Deus judex justus, fortis, et patiens; nunquid irascitur per singulos dies ?

In hoc versiculo videntur dissidere codices Hebræi, Græci et Latini. Nam ex Hebræo vertit S. Hieron. Deus judex justus, et fortis, comminans tota die. Ex Græco reddit S. August. Deus judex justus, et fortis, et patiens, non iram adducens tota die. Videntur autem plane contraria, comminans, sive irascens (utrumque enim significat vox Hebræa) זעם *Zohem* tota die; et non iram adducens per singulos dies, id est, non irascens omni die. Codex autem Latinus per interrogationem habet, *nunquid irascitur per singulos dies?* sed facilis est concordia. Nam vox Hebræa si legatur אל *El*, ut legit sanctus Hieron. et ut nunc legitur secundum puncta Rabinorum, significat fortem : si autem legatur אל *Al*, ut potest legi cum aliis punctis, et ut legerunt Septuaginta Interpretes, significat, non. Et hanc lectionem veriorem existimamus; et sic concordat Græcus codex cum Hebræo, uterque enim habet, non irascitur, sive non comminatur. Illud autem *fortis*, quod est in Græco, non est interpretatio vocis Hebraicæ אל *El*, sed est nomen superadditum a Septuaginta explicandi gratia, sicut etiam patiens : nam in Hebræo ad verbum habetur, *Deus judex justus* non comminans, sive non irascens omni die, sive tota die. Latinus autem interpres secutus Græcam lectionem reddidit sensum, non verba, cum per interrogationem posuit, nunquid irascitur per singulos dies : idem enim est, non irascitur, et nunquid irascitur? Sen-

tentia igitur hujus versiculi est, Deum judicem justum, qui simul est fortis, et patiens, non semper comminari, vel irasci; sed aliquando reipsa effundere iram suam gravissime puniendo; id quod dicitur adversus eos, qui videntes Deum sæpe minari multa mala peccatoribus, et tamen differre executionem, contemnunt minas Dei. Hunc autem sensum esse hujus versiculi colligitur ex sequenti.

13. Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit: arcum suum tetendit, et paravit illum.

Probat Propheta, Deum non semper irasci, vel minari, sed aliquando effundere iram, et inferre mala, quæ comminabatur, *Nisi conversi*, inquit, *fueritis, gladium suum vibrabit* (sic enim legendum est, non vibravit) id est, gladium agitabit cædendo, atque ita splendere eum faciet. Nec solum gladio percutiet, sed etiam arcu; jam enim arcum tetendit, et paravit. Utitur autem similitudine gladii, et sagittarum, ut significet Deum ferire tam prope, quam longe. Quando causa mali nobis illati proxima est, et manifesta, tunc Deus ferit cominus. Quando causa mali remota, et occulta est, tunc videtur Deus eminus jaculari sagittas suas.

14. Et in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.

Ne putaremus sagittas Dei facile posse repelli, aut vitari, addit Propheta, eas sagittas esse *vasa mortis*, id est, instrumenta mortifera, et sagittas effectas sive fabricatas ardentibus, id est, ex ardenti materia, ut sint tela ignita, quæ velocissime, et summa vi penetrant omnia. Porro nomen vasis passim accipitur in Scripturis pro instrumento, ut Psal. 70. *In vasis Psalmi*. Isaiæ 22. *Vasa musicorum*. Hieremiæ 50. *Vasa iræ*, et cap. 51. *Vasa belli*.

15. Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem, et peperit iniquitatem.

Tribus sequentibus versiculis ostendit Propheta sagittas Dei, ut vere ignitas velocissime, et summa vi ferri, ut vitari non possint. Nam illa ipsa actione, Dei providentia sic disponente, qua peccatores nocere parant Justis, seipsos occidunt. Hæc enim est mira Dei animadversio in peccatores, cum facit ut omnes eorum machinationes in ipsos convertantur. *Ecce*, inquit, peccator *concepit dolorem, et peperit iniquitatem*, et foveam aperuit, ac profunde fodit, ut justum, vel aperte, vel clam opprimeret; sed Deo sic operante, cecidit ipse peccator in suam foveam, et dolor, quem conceperat, et iniquitas, quam pepererat, in caput ejus reciderunt. Sed singula explicemus. *Ecce parturiit injustitiam*, peccator videlicet, injustum aliquod opus adversus justum effecit. Porro hoc loco, *parturiit* non est aliquid diversum à voce peperit, sed omnino idem; explicat enim statim clarius, quo semine parturierit, sive pepererit. *Concepit*, inquit, *dolorem, et peperit iniquitatem*. Concipitur enim semen, et pariter fœtus. Conceptio doloris, est conceptio invidiæ, sive odii in proximum, quæ sunt semina malorum; et recte conceptio invidiæ, vel odii, dicitur conceptio doloris; quia invidia et odium torquent et disrumpunt animum invidentis, et odio habentis. Ex hoc malo semine concepto paritur opus iniquum, ut cædes, rapina, detractio, falsum testimonium, et similia. Quamvis autem videantur nonnullis tria distincta, *Parturiit injustitiam, concepit dolorem, peperit iniquitatem*, et vere parturitio sit quid medium inter conceptum, et partum: tamen dixi non esse hoc loco, nisi duo; tum quia duo sola respondent paulo infra cum dicitur, convertetur dolor ejus, et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet; tum quia si *parturiit*, hoc loco poneretur pro parturitione distincta a partu, poneretur post verbum, *concepi*, non ante illud. Igitur *parturiit injustitiam*, dictum est in summa et breviter, deinde explicatum est per illa, *concepit dolorem, et peperit iniquitatem*.

16. Lacum aperuit, et effodit eum, et incidit in foveam, quam fecit.

Dixerat peccatorem peperisse iniquitatem contra justum; addit aperuisse etiam lacum, sive cisternam, ut est in Hebræo בור *bor*. Significat autem his similitudinibus, peccatorem aliquando aperte, aliquando occulte moliri malum Justis: et quia tam partus, quam fossio sunt opera valde laboriosa, significatur, opera mala, non sine dolore, et labore fieri. Hinc illa vox perditorum, Sap. 5. Ambulavimus vias difficiles. *Et incidit in foveam quam fecit*. Incipit jam Propheta ostendere mala illa hominum peccatorum ipsis peccatoribus solum nocere, et hunc esse gladium, sive sagittas Dei; et incipit ab ultimo malo, quia in illo desierat. Aperuit, inquit, lacum, seu cisternam, ut justus nesciens ibi esse foveam, in eam caderet; sed ipse prior in eam incidit, qui eam foderat.

17. Convertetur dolor ejus in caput ejus, et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.

Non solum mala occulta, ut apertio foveæ, sed etiam manifesta, ut odium, sive invidia concepta, quæ multis signis prodit exterius: et ipsa mala ex odio et invidia profecta ut cædes, et rapinæ, et similia, in auctorem, Deo sic disponente, recident. Exemplo sunt Saul, et David; Christus, et Judæi; Martyres, et persecutores.

18. Confitebor Domino secundum justitiam ejus, et psallam nomini Domini altissimi.

Concludit Psalmum cum laude Dei: *Confitebor Domino*, id est, laudabo Dominum. Sic enim passim accipitur in Scripturis confessio pro laude, quia videlicet, qui laudat confitetur eum, quem laudat, dignum esse laude; *secundum justitiam ejus*, id est, laudabo, prout meretur ejus justitia, quæ tam admirandis modis liberat justos, punit injustos. *Et psallam nomini Domini altissimi*; idem significatur aliis verbis; Hymnum dicam Domino altissimo, id est, supremo Judici, qui sedet in altissimo solio super omnes alios judices.

PSALMUS VIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem pro torcularibus, Psalmus David.

Vox torcularibus, in Hebræo est, הגתית *Haggihttith*, quæ nihil significare videtur, et ideo moderni, qui ita legunt, dicunt esse genus instrumenti musici nobis incogniti. At Septuaginta, et S. Hieronymus, qui reddiderunt torcularibus, legerunt sine dubio, הגתות *Hagattoth*, quod significat torcularia, et hanc esse veram lectionem dubitare non possumus. Quid autem sit, pro torcularibus, difficile est divinare, qui enim intelligunt Ecclesiam, vel martyria, vel Crucem Christi, mystice exponunt. Animadverti titulum, pro torcularibus, haberi in tribus Psalmis, qui ad amorem Dei præcipue pertinent, videlicet in hoc octavo, qui exorditur a magno affectu; *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* et in octogesimo, qui similiter hortatur ad jubilum spirituale. *Exultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Iacob: sumite Psalmum, et date tympanum, psalterium jucundum cum cithara.* Denique in octogesimo tertio, qui plenus est affectu ardentissimi amoris divini. *Quam dilecta tabernacula tua Domine! concupiscit, et deficit anima mea: Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Itaque ex materia horum psalmorum suspicor dici, *pro torcularibus;* quia sunt aptissimi ad exprimendum vinum divini amoris ex cordibus hominum, vel quia cum lætitia, et cordis jubilo canendi sunt; quomodo lætari, et canere solent, tempore vindemiæ, qui de torcularibus ingentem vini copiam exprimunt. Fateor tamen me nondum assequi tituli hujus, ut etiam aliorum multorum intelligentiam, est igitur argumentum hujus Psalmi, laudatio potentiæ, sapientiæ, et benignitatis Dei, ac præcipue erga genus humanum.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Ex consideratione magnitudinis Dei, rapitur Propheta in admirationem, quod tantus Deus tanti faciat hominem qui est pulvis, et cinis, ut eum visitare, et ornare plurimis, et maximis beneficiis dignatus sit. Illud Domine, in Hebræo est יהוה nomen proprium Dei, quod scribitur quatuor litteris, et deducitur ab esse, juxta illud. *Ego sum, qui sum,* quod nomen moderni exprimunt per vocem, יהוה *Iehova*, sed Septuaginta Interpretes, et S. Hieron. imo Christus ipse, et Apostoli pronunciare non solebant, sed loco ejus dicebant, *Domine.* Illud autem, *Dominus noster,* est in Hebræo alia vox, אדני *Adonai*, quæ proprie Dominum significat. Itaque sensus est, *Deus* qui est ipse fons essendi, unde omnia quæ sunt, derivantur, ac proinde *Dominus noster*, id est, Dominus rerum omnium es; *quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* id est, gloria tua, sive bona fama nominis tui, diffusa est per omnem terram, cum ingenti admiratione omnium, qui illam considerare satagant. Quod Isaias cap. 6. aliis verbis dicit, *Plena est omnis terra gloria ejus;* Dicit autem nomen Dei esse admirabile, quia tametsi pauci re ipsa mirentur, cum pauci sint, qui considerent opera Dei; tamen ipsum nomen est admiratione dignissimum, cum omnes creaturæ assidue laudent creatorem, ut omnia pulchra opera laudare dicuntur artificem. Et hoc modo plena est omnis terra gloria Dei; quia quidquid est in terra, etiam si minimum quid videatur, potentiam, et sapientiam creatoris infinitam manifestat.

2. Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos.

Ratio redditur, cur sit tam admirabile nomen Domini in universa terra, quia videlicet magnificentia Dei est altior cœlo, id est, non capitur cœlo; tanta est, ut totus mundus eam capere non possit. Operuit cœlos gloria ejus, et laudis ejus plena est terra, inquit Habacuc in Cantico suo, cap. 3. Porro magnificentia virtus est magnorum principum, qui magnis sumptibus, vel ingentia palatia, aut civitates ædificant, vel maximum numerum famulorum, aut etiam exercitus integros alunt, vel amplissima dona in alios conferunt. Deus autem ædificavit palatium hujus totius mundi, cujus pavimentum est orbis terræ, et tectum est cœlum. Alit autem omnia viventia, quæ sunt innumerabilia: denique donavit Angelis sanctis, qui sunt in maximo numero, et donaturus est hominibus justis, Regnum amplissimum, non temporale, sed æternum. Vere igitur magnificentia ejus maxima est.

3. Ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum, et ultorem.

Respondet objectioni quæ poterat fieri: si gloria Dei replet orbem terræ, et magnificentia

ejus elevata est super cœlos; unde fit, ut non omnes eam cognoscant, et laudent? Respondet inde fieri, quod Deus non dignetur cognosci, et laudari à superbis, qui de sua virtute præsumunt; sed ab humilibus, et parvulis, juxta illud Matth. 11. *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Et hinc valde crescit gloria, et magnificentia Dei, cum non cognoscatur, nisi a quibus ipse cognosci voluerit. Potest autem hic versiculus duobus modis intelligi. Primo, ut per infantes, et lactentes, intelligantur homines, qui revera comparatione Angelorum sunt veluti infantes, et lactentes, præsertim circa intelligentiam rerum divinarum, ergo inquit, ex ore mortalium hominum perfecisti laudem, revelans eis gloriam tuam, *propter inimicos tuos*, id est, ad confusionem superborum Angelorum; *ut destruas inimicum et ultorem*, id est, ut perdas sapientiam primarii inimici tui, Diaboli, et defensoris, sive ultoris ejus, id est, agminis Angelorum reproborum, qui illum sequuti sunt. Secundo, per infantes, et lactentes, possunt intelligi homines humiles, et parvuli in oculis suis, et imperiti scientiarum secularium, quales fuerunt multi Prophetæ, et Apostoli, et ingens numerus Monachorum, et Virginum sanctarum, nec non vere puerorum, qui in tenera ætate adeo perfecte cognoverunt gloriam Dei, et admirabile nomen ejus, ut pro ipso mortem oppetere non dubitaverint. In hoc sensu allegavit Dominus hunc Psalmum in Evangelio, *Nunquam legistis, quia ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem?* Matth. 21. Inimici autem dicuntur Sapientes hujus mundi, et defensores ipsorum, qui quamvis Deum cognoverint, tamen non sicut Deum glorificaverunt, ideo insipientes facti sunt, ut Apostolus docet ad Rom. 1. Quod dicitur, *ut destruas,* in Hebræo להשבית *lehashbith* est, *ut quiescere facias;* sed sensus est idem. Nam non loquitur Psalmus de destructione personæ, sed sapientiæ, juxta illud Isaiæ cap. 29. ut à D. Paulo citatur, *Perdam sapientiam sapientum,* et illud Apostoli 1. cor. 1. *Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi.*

4. Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam et stellas, quæ tu fundasti.

Sanctus David ponit se in numero infantium, et lactentium laudantium Deum; quasi dicat, Certe ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem. Nam ego unus ex illis, quippe qui pastor ovium eram, tuas laudes perficiam. *Quoniam videbo cœlos tuos*, id est, considerabo attente admirabile illud opus manuum tuarum, et inde laudabo te tanti operis creatorem. Illud *tuos*, non est in Græco; tamen est in Hebræo, שמיך *schiameca*, et inde in editionem nostram recte traslatum fuit. Cur autem dixerit, *tuos*, declarat dicens, *opera digitorum tuorum:* nec dicit opera brachiorum, sed digitorum, ut ostendat summa facilitate cœlos à Deo fuisse conditos; tum quia digitis fiunt opera subtilia, et pretiosa, ad quæ facienda ingenium, non labor requiritur: non meminit Solis, sed Lunæ tantum et stellarum, quia tempore nocturno contemplari solebat David; quoniam tempus illud ob quietem contemplationi aptius est. *Media nocte*, inquit Psal. 118. *surgebam ad confitendum tibi.* Et alibi. Psal. 62. *In matutinis meditabor in te.* Sicut etiam Iasias cap. 62. *Anima mea desideravit te in nocte.* Nocte autem cœlum videtur Luna, et stellis ornatum; denique verbum, *fundasti*, significat cœlos, Lunam, et stellas ex nihilò creata, quasi dicat Propheta, quæ tu a fundamento fecisti, cum antea nihil eorum extaret.

5. Quid est homo quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Ex magnitudine Dei jam declarata, accedit ad extollendum magnitudinem Dei erga homines. *Quid est*, inquit, *homo*, quod tu creator cœli, et terræ dignaris ejus recordari? Quasi dicat, maximum est hoc beneficium, quod altissimus Deus dignetur meminisse hominis, qui est pulvis et cinis. Quia vero istud recordari in Deo non est simplex memoria, sed est recordari ad benefaciendum; addit explicans, *aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Homo, et filius hominis hoc loco idem significant, nisi forte ponatur hæc distinctio ad significandum beneficia Dei non esse collata in solum primum hominem, qui fuit homo, sed non filius hominis: sed etiam in omnes posteros, qui ita sunt homines, ut sint etiam filii hominum. Visitatio autem significat specialem providentiam, quam Deus habet erga homines, sed præcipue illam, quam Deus ostendit, cum venit in hunc mundum, et assumpsit humanam naturam, et in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. Hæc est proprie visitatio, de qua Zacharias in Cant. Luc. 1. *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ:* Et infra, *Visitavit nos oriens ex alto.* Hæc sane visitatio maxime meretur illam admirationem, *Quid est homo*, etc.

6. Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Hæc duplicem habent sensum, litteralem, et allegoricum. Secundum litteralem sensum commemorantur tria beneficia Dei erga naturam humanam, primo quod homo sit conditus a Deo tam nobilis naturæ, ut non sit inferior Angelis, nisi modicum: deinde, quod sit ornatus gloria, et honore præ omnibus aliis inferioribus creaturis, quia sit factus ad imaginem, et similitudinem Dei, ratione et libero arbitrio præditus. Denique, quod acceperit potestatem, et dominium in omnia opera Dei, ac præsertim in animalia: ideo subjungit,

7. Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves, et boves universas, insuper et pecora campi.

8. Volucres cœli, et pisces maris, qui perambulant semitas maris.

Per oves et boves intelliguntur omnia animantia domestica: per pecora campi animantia sylvestria, quæ libere vagantur per campos; per aves cœli, et pisces maris, non est dubium quid intelligatur. Illud est notandum in Hebræo post *pisces maris*, addi in singulari, *perambulans semitas maris*, et in Græco etiam mutari saltem genus: nam post *pisces maris* habetur in neutro, perambulantia *semitas maris.* Sensus igitur est, non solum pisces proprie dictos, sed omne perambulans, sive omnia perambulantia

semitas maris, id est, quidquid movetur in mari, sive sint pisces, sive monstra, sive quid aliud. Jam vero secundum allegoricum sensum, sed certum, et a Deo intentum Apostolo teste, Hebr. 2. et 1. Cor. 15. significatur hominem in Christo post illam insignem Dei visitationem, id est Verbi incarnationem, minoratum aliquantulum ab Angelis propter passionem; tunc enim Christus visus est aliquo modo minor Angelis, cum ei apparuerit Angelus de cœlo confortans eum, et cum Angeli sunt impassibiles, et immortales; Christus autem eo tempore passus et mortuus sit. Absolute autem semper fuit Christus Angelis superior, et omni ex parte superior. Quod apparuit, quando gloria, et honore coronatus est, id est, per resurrectionem circumdatus undique glorioso, et immortali corpore, et constitutus per admirabilem Ascensionem super omnia opera Dei, exaltatus videlicet ad ipsam Patris sui dexteram. Omnia quoque subjecta sunt ei, nulla re excepta, *præter illum*, ut Apostolus ait 1. Cor. 15. *qui subjecit ei omnia.* Res autem illi præcipue subjectæ, sunt primo homines, tam fideles, significati per oves, et boves: subditos, et Prælatos; minores, et majores: quam infideles, significati per animantia sylvestria. Deinde Angeli hominibus superiores significati per aves cœli, quæ in sublime feruntur, et canunt assidue laudes Dei. Denique dæmones hominibus inferiores significati per pisces maris, qui in imis, et profundissimis locis habitant, et muti sunt ad laudes Dei, et luto, ac humoribus delectantur. Hæc omnia allegorice variis modis exponi posse docet S. Augustinus in hunc locum; ubi aliam ponit expositionem, quæ apud eum legi poterit. Unum hoc loco addendum est, quod superius commemorandum fuisset cum Psalmista dicit, *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*, non esse in Hebræo nomen Angelorum, quos Hebrei vocant, מאלכים *Malachim*, sed, אלהים *Elohim*, quod interpretari solet Deus, vel Dii: sed quia nomen Dei in Scripturis sæpe tribuitur Angelis, et ipsis etiam hominibus, qui aliis præsunt: recte Septuaginta Interpretes respicientes sensum Prophetæ, posuerunt, *ab Angelis*, et eam interpretationem approbavit Apostolus Hebr. 2.

9. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Repetit primam sententiam, ut ostendat illam esse quasi conclusionem, quam in toto Psalmo declarare et approbare intendebat, quasi dicat, Jure igitur, ac merito exclamavi, *Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!*

PSALMUS IX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

IN FINEM PRO OCCULTIS FILII, PSALMUS DAVID.

Hunc titulum Hebræi legunt, *Victori super mortem filii:* et quidem verba Hebraica, ut modo leguntur, ita sonant. Sed quia Psalmus hic est Psalmus lætitiæ, et David non lætitia, sed mœrore maximo affectus fuit ex morte filii, ideo aliqui volunt vocem illam, לבן *Laben*, legendam esse ordine litterarum converso, videlicet, נבל *Nabal*, ut sensus sit, pro morte *Nabal*. Sed Psalmus non loquitur de morte unius hominis tantum, sed etiam de interitu magni alicujus exercitus. Ideo alii dicunt in hoc Psalmo gratias agi Deo pro morte Goliath, et fuga totius exercitus Philistinorum. Sed Goliath non fuit filius David, ut inscribere debuerit Psalmum, *pro morte filii*. Verissima est igitur lectio Septuaginta et Vulgatæ Latinæ editionis, *pro occultis*, sive *arcanis filii*. Voces enim illæ, עלמות *almuth*, possunt legi, עלמות *alamoth*, quod significat, *occulta sive arcana*, et credibile est excidisse præpositionem, *al*, et legendum *al alamoth*, pro occultis, sicut legitur in titulo Psalmi 45. Certe Septuaginta Interpretes, qui utrumque titulum eodem modo reddiderunt, videlicet, pro occultis, sine dubio eodem modo legerunt, videlicet, *al alamoth*, neque dubium esse potest, quin libri eorum emendatiores fuerint quam nostri. Quia vero ponitur hoc loco nomen filii absolute, et præcedit nomen arcani, sive occulti, id est, mysterii reconditi, recte intelligimus in Psalmo tractari de unico illo Filio Dei, qui in carne humana delitescens, et novo bellandi genere pugnans vicit diabolum et exercitum ejus, quod Apostolus Coloss. 1. vocat mysterium absconditum a seculis. Ad quem sensum reduci potest lectio Hebraica, עלעלמות pro morte Christi Fili Dei, quatenus ea mors fuit gloriosa debellatio Principis tenebrarum.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua.

Proponit materiam Psalmi, quæ erit laudatio Dei propter opera ejus mirabilia. Illud, *in toto corde*, significat rem esse omnium maximam, quam laudaturus est, et ideo totis viribus, totoque affectu laudandam. Illud etiam, *omnia mirabilia*, significat, rem laudandam esse tam universalem, ut quasi compendio quodam comprehendat omnia opera mirabilia Dei. Et vere talis fuit redemptio generis humani, opus sum-

mæ misericordiæ, in quo recapitulantur omnia beneficia Dei, juxta illud Apost. ad Eph. 1. *Instaurare omnia Christo*, id est, recapitulare, ut sonat vox Græca, ανακεφαλοῦνθαι, et in unam quasi summam omnia redigere.

2. Lætabor et exultabo in te, psallam nomini tuo, Altissime.

Idipsum aliis verbis significat, vel potius explicat, quasi dicat, Confitebor tibi lætabundus, et exultans, ita ut lætitia sit in corde, exultatio in exteriori motu, atque ita in toto corde confitebor. Narrabo mirabilia psallens nomini tuo, Altissime, id est, in gloriam tuam canens illa mirabilia.

3. In convertendo inimicum meum retrorsum, infirmabuntur, et peribunt a facie tua.

Incipit narrare victoriam Christi contra diabolum, et satellites ejus, et loquitur in persona totius Ecclesiæ. *In convertendo*, inquit, *inimicum meum retrorsum*, id est, cum convertetur inimicus meus diabolus retrorsum, fugere videlicet incipiens a facie tua; tunc omnes ejus milites infirmabuntur et peribunt, id est cognita fuga ducis, debiles reddentur, et dilabentur, ac evanescent, ac si periissent. De hac fuga diaboli loquitur in Evangelio Dominus, *Nunc judicium est mundi, nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras*. Joan. 12.

4. Quoniam fecisti judicium meum et causam meam, sedisti super thronum, qui judicas justitiam.

Reddit causam quare futurum sit ut diabolus fugiat, et totus ejus exercitus dissipetur. *Quoniam*, inquit, tu Domine fili Dei, *fecisti judicium meum et causam meam*, id est, absolvisti judicium, et litem (id enim proprie sonat vox Hebræa דיני *dini*) et controversiam quæ erat generi humano; sive Ecclesiæ cum diabolo. Diabolus enim prætendebat genus humanum juste a se teneri captivum, et tyrannice illud vexabat, sed Christus in cruce absolvit hanc litem, satisfaciens pro homine; unde subditur: *Sedisti super thronum, qui judicas justitiam*, ubi crucem vocat thronum, juxta illud S. Leonis serm. 8. de Passione Domini: O ineffabilis gloria passionis, in qua et tribunal Domini, et judicium mundi, et potestas est crucifixi! Atque hæc sunt vere occulta Filii Dei, ut habetur in titulo Psalmi. Qui enim in oculis hominum reus videbatur, et cum summa ignominia pœnas luere; is illo ipso tempore in throno sedens justitiam judicabat, id est, justissime judicabat, jam pretio persoluto, hominem liberandum et diabolum dominio spoliandum, et re ipsa *Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis*, ut scribit Apost. Coloss. 2. *tulit de medio, affigens illud Cruci, et spolians principatus, et potestates.*

5. Increpasti gentes, et periit impius: nomen eorum delesti in æternum, et in sæculum sæculi.

Post debellatum diabolum per crucem, Dominus Christus per Apostolos increpavit gentes, *Arguens mundum de peccato, de justitia, et de judicio* (ut ipse Dominus futurum prædixit Joan. 16.) et eo modo periit impius, id est, periit impietas idololatriæ, et homo de impio factus est pius. Nec solum periit impius, qui tunc erat; sed delevit Christus nomen eorum, id est, gentilitatis, et idololatriæ in æternum, ut non amplius sint rediture, quasi stirpitus eradicatæ. Id quod jam videmus ita impletum, ut ne Judæi quidem colant amplius idola, qui ad ea colenda propensissimi erant. Quod attinet ad verba, in Græco non est, *nomen eorum*, sed *nomen ejus*, id est, impii: sed in Hebræo est שמם *schemam*, *nomen eorum*, et Latina interpretatio idem habet, vel quod olim in Græco ita legeretur, et postea sit mutatum vitio librariorum; vel quod Latino interpreti magis placuerit lectio Hebraica: sed in sententia non est diversitas ullius momenti. Illud autem *in æternum, et in sæculum sæculi*, in Hebræo est לעולם ועד *leholam vehad*, in sæculum, et in æternum: significatur autem ista additione vera æternitas; id est, nunquam finienda duratio, ne quis acciperet hoc loco æternum pro longo tempore, sed aliquando finem habituro.

6. Inimici defecerunt frameæ in finem, et civitates eorum destruxisti.

Reddit causam, cur non sit reditura idololatria; quia perierunt arma diaboli, et civitates ubi habitabat, ita ut non habeat, nec unde offendat, nec ubi se defendat. Illud *inimici*, est genitivi casus, ut patet ex Græco: nam ex Hebræo posset etiam verti, O inimice, sed rectissima est versio Græca Latina, et non repugnat Hebraicæ. Pro frameæ, in Hebræo nunc legitur solitudines, sed verbum חרבות *Carabot*, significat gladios, et חרבות *Corabot*, solitudines: utrumque autem legi potest, solum mutatis punctis. Itaque Septuaginta legerunt, *Carabot*, ideo recte verterunt frameæ, sive gladii, ut sensus sit, Defecerunt gladii hostis nostri diaboli, usque in finem, id est, nullo remanente, sive in æternum. Illud etiam, *civitates eorum*, in Hebræo et Græco habetur sine pronomine eorum, et civitates destruxisti, nimirum inimici, quasi dicat, inimicus amisit gladios, et civitates. Per gladios inimici intelligi possunt tentationes, sive suggestiones, et quasi verba diaboli, sicut *gladium spiritus*, vocat Apostolus verbum Dei: unde etiam idem Apostolus tentationes diaboli esse dicit, *tela ignea*, ad Ephes. 5. Dicuntur autem isti gladii defecisse, quia nihil nocere possunt armatis fide Jesu Christi. In quo sensu allegavit hunc locum Psalmi S. Antonius apud Athanasium in vita ipsius, probare volens tentationes diaboli signo crucis facillime repelli. Per civitates autem diaboli intelligi possunt homines infideles, in quibus diabolus libere regnat. Destruxit Christus has civitates, dum per totum mundum idola sustulit. De hac re Dominus loqui videtur, cum ait Luc. 11. *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet; si autem fortior superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, etc.* Cum diabolus custodiebat atrium, in pace erant omnia, quæ possidebat, id est, cum infidelitatem conservabat, secure possidebat omnia sua; quia dum homo est infidelis, semper est in manu diaboli, etiam si moraliter bene vivere videatur, ut multi Philosophi, atque Ethnici faciebant. At atrio expugnato per Christum, id est, infidelitate sublata,

et cognitione veri Dei introducta, omnia sua diabolus perdidit.

7. Periit memoria eorum cum sonitu, et Dominus in æternum permanet.

In Hebræo, ut nunc legitur, non habetur *cum sonitu*, sed *cum ipsis*, ut sensus sit, perierunt impii et cum ipsis periit etiam memoria ipsorum. Cæterum vox Hebraica potest legi, המה *Hemma*, et significat cum ipsis; potest etiam legi, המה *Hama*, et significat sonitum: et sic legerunt Septuaginta Interpretes, et addiderunt perspicuitatis gratia præpositionem *cum*, et ideo verterunt *sonitu;* sensus autem est, periisse memoriam idololatrarum, et ipsorum idolorum, et totius Regni Satanæ cum magno strepitu, et sonitu. Repugnavit enim mundus totus, et ipsi summi Reges, et Imperatores totis viribus conati sunt idola defendere: sed quo magis mundus fremebat, eo magis idololatria cadebat, et memoria ejus abolebatur. Denique finito strepitu persecutionum memoria quoque idololatriæ periit: Dominus autem Christus, et ejus memoria nunquam peribit.

8. Paravit in judicio thronum suum: et ipse judicabit orbem terræ in æquitate, judicabit populos in justitia.

Post Christi mortem, et resurrectionem *data est ei potestas in cœlo, et in terra*, Matth. ultimo. In hoc loco David commemorat, quasi dicat, post certamen cum diabolo Dominus *paravit*, sive, ut sonat vox Hebræa, חונן *chonen*, stabilivit thronum suum in judicio, id est, ad judicandum, et ipse, qui est Princeps Regum terræ, *judicabit orbem terræ*, id est, populos omnes totius mundi, *in æquitate*, et justitia. Idem est autem hoc loco æquitas, et justitia; nam tam in Hebræo, quam in Græco pro *æquitate* habetur justitia, pro *justitia* habetur rectitudo. Latinus interpres non accepit æquitatem proprie, sed ut poni solet aliquando pro justitia; et sicut in Hebræo, et Græco res eadem bis repetitur diversis vocibus; ita credendum est, Latinum interpretem idem intelligi voluisse per æquitatem, et justitiam. Dicitur autem Christus judicare orbem terræ, quamvis multi sint in mundo Principes infideles, et impii, qui contra Christum pugnant; quoniam corda eorum in manu Christi sunt, nec faciunt, nisi quod ipse justo judicio facere eos sinit.

9. Et factus est Dominus refugium pauperi, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.

Ex eo quod deinceps regnabit Dominus Christus, et judicabit juste, colligit David magnam consolationem pauperum, qui alias a potentibus opprimi solent; quasi dicat, non timeant amplius pauperes, quia Dominus in cœlo sedens factus est refugium pauperum; et rursus ipsum aliis verbis repetit, *adjutor*, inquit, *pauperum in opportunitatibus*, id est, temporibus opportunis, quando videlicet necessitas id requirit, nimirum in tribulatione. Tunc enim opportune divinum præbetur auxilium, quando tribulatione urgemur, et deficit humana consolatio. Adimpletur autem hæc promissio in omnibus, qui Deum vere quærunt, et timent, et ideo subjungit.

10. Et sperent in te, qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine.

Mutatio personæ frequens est in Psalmis, et sæpe nascitur ex affectu novo, qui Davidi inspirabatur, dum laudes Dei caneret. Merito, inquit, in te sperare possunt in angustiis suis omnes, qui noverunt nomen tuum, id est, qui non solum sonant voce nomen Dei; sed probe intelligunt, quam magnam rem significet, et ex nomine isto recte intellecto cognoscunt potentiam, et misericordiam Dei. Ideo merito in te sperare possunt amici tui, *quoniam non dereliquisti*, id est, nunquam dereliquisti quærentes te. Dicuntur autem quærere Deum, qui cupiunt ejus gratiam, et student toto corde placere illi.

11. Psallite Domino, qui habitat in Sion: annuntiate inter gentes studia ejus.

Post apostrophen ad Deum, ex eodem fervore spiritus facit aliam ad homines, exhortans eos, ut ipsi quoque Deum laudent, et alios ad laudandum excitent. Dicitur Dominus habitare in Sion, quia ibi erat arca testamenti, et locus orationis; et additur hæc periphrasis, ut distinguatur Deus verus a Diis falsis, qui habitant in delubris, et fanis Ethnicorum. Illud autem, *studia ejus*, significat cogitationes, consilia, molimina, adinventiones, opera Dei mirabilia, quæ relucent in redemptione generis humani. Nam idem vocabulum Hebraicum עלילות *haliloth*, quod hic vertitur, *studia*, in Psalm. 104. vertitur opera, et Isaiæ 12. in cantico Isaiæ vertitur *adinventiones*. Itaque sensus est, Cantate Deo vero Psalmum, laudantes eum, et annunciate inter gentes mirabiles cogitationes, et mirabilem industriam, atque adeo mirabilia opera ejus, ut omnes gentes hæc audientes illum laudent.

12. Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est: non est oblitus clamorem pauperum.

Redit Propheta ad id, quod dicebat, Dominum justum judicem esse refugium pauperum in tribulatione; et respondet tacitæ objectioni, quæ poterat fieri, quia videmus interdum pauperes pios opprimi a potentioribus et etiam innocenter occidi. Laudate, inquit, Deum, quoniam etiam si videatur aliquando oblivisci pauperum suorum: tamen non ita est, sed *requirens*, id est, inquirens in vitam hominum, et discutiens acta singulorum, *recordatus est sanguinem innocentium injuste effusum, et non est oblitus clamorem eorum*, qui dum opprimerentur, clamaverunt ad eum. Deum autem recordatum esse sanguinem suorum, patebit suo tempore, quando et opprimentium pœna, et oppressorum gloria manifestabitur.

13. Miserere mei, Domine: vide humilitatem meam de inimicis meis.

Laudavit Deum de præteritis beneficiis; nunc implorat auxilium adversus præsentes, et futuras angustias. Est autem vox Ecclesiæ contra persecutores tum visibiles, tum invisibiles.

Miserere, inquit, *mei, Domine, vide humilitatem meam*, id est, abjectionem meam (id enim sonat verbum Græcum ταπείνωσις) sive afflictionem (quod significare solet verbum Hebraicum עֳנִי *hani*) de inimicis meis, id est, ex inimicis meis provenientem.

14. Qui exaltas me de portis mortis, ut annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.

Prima pars hujus versiculi conjungitur cum superiore versu. Est enim sensus: *Miserere mei, et vide humilitatem meam*, tu Domine, *qui exaltas me de portis mortis*, id est, qui soles me longe facere a portis mortis; et quia portæ illæ intelliguntur esse in loco inferiori, et eædem cum portis inferi, quia non loquitur Propheta de morte corporis, sed de morte animæ per peccatum, sive de morte æterna; ideo exaltari se dicit, ut longe fiat ab illis. Per portas mortis, sive inferi videtur intelligenda multitudo infernalium hostium nostrorum. Quia enim multitudo populi ad portas convenire solebat apud Hebræos, sive ad judicium, sive ad alia publica negotia, ideo multitudo nomine portarum significatur. Matth. 16: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Ecclesiastici ultimo: *De portis tribulationum, quæ circumdederunt me.* Pulchre autem opponuntur portæ mortis, portis filiæ Sion, id est, portis Jerusalem: quia portæ mortis seu inferni in loco infimo sunt, portæ Jerusalem in monte excelso: in portis mortis congregatur populus infernalis, in portis Jerusalem populus Dei. Portæ mortis tentationes et bella emittunt, per quæ itur ad mortem; portæ Jerusalem in pace fundatæ sunt. Jerusalem enim posuit fines suos pacem, et ipsa visio pacis dicitur. Itaque exaltatur Ecclesia a portis mortis, ut annuntiet laudem Dei *in portis filiæ Sion*, id est, liberatur a tentationibus, ne cadat in mortem æternam, ut gratiam liberatoris agnoscat, et laudet coram Angelis Dei, qui sunt in portis cœlestis Jerusalem.

15. Exultabo in salutari tuo: infixæ sunt gentes in interitu, quem fecerunt.

Exultabo, inquit, liberatus de portis mortis, in salutari tuo, id est, in salute a te mihi donata. Quoniam (id enim subintelligitur, ut sæpe alias in psalmis) gentes quæ mihi interitum fecerunt, id est, paraverunt, in ipsum interitum infixæ sunt, tanquam in luto tenacissimo, unde evadere nequibunt: hoc est, persecutio inimicorum non mihi nocuit, sed ipsis.

16. In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.

Nec solum aperta persecutio, sed etiam occulta, quæ veluti laqueus tendebatur, auctoribus perniciosa fuit, non mihi. Fortasse hic tanguntur persecutiones apertæ Diocletiani, et similium, et occultæ Juliani apostatæ, et Imperatorum hæreticorum.

17. Cognoscetur Dominus judicia faciens: in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.

Ex hoc mirabili judicio Dei, qui convertit arma et fraudes hominum impiorum in ipsos, colligit David fore, ut cognoscatur Deus, *Cognoscetur Dominus judicia faciens*, id est, cognoscetur esse Deus verus, et summus, dum judicia facit tam admiranda; nam per ejus providentiam in operibus manuum suarum comprehensus est peccator; nimirum dum incidit in interitum quem aliis paraverat, et in laqueum quem aliis tetenderat. Similia habentur in Psal. 7. versu 15. et eumdem sensum habent. Post hunc versiculum in Hebræo additur, הִגָּיוֹן סֶלָה *Higgaion sela*, quod verti potest, meditatio semper, quod significat, judicia Dei supradicta, assidue, ac jugiter esse meditanda.

18. Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes, quæ obliviscuntur Deum.

Non imprecatio, sed prophetia est, impios ad inferos descensuros. *Convertantur*, positum videtur pro revertantur, ut vox Hebræa יָשׁוּבוּ *iaschubu* sonat, et revertantur pro revertentur. Dicuntur autem peccatores reversuri ad inferos, quia inde venerunt, qua peccatores sunt. Deus enim fecit hominem rectum, sed diabolus eum peccatorem fecit. *Vos*, inquit Dominus Joan. 8. *ex patre diabolo estis.* Quod sequitur, *omnes gentes quæ obliviscuntur Deum*, declarat qui sint peccatores reversuri in infernum, illi nimirum omnes, qui obliviscuntur Deum. Oblivio enim Dei est radix omnium peccatorum; nam omnis qui peccat, avertitur a Deo, et convertitur ad creaturam.

19. Quoniam non in finem oblivio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem.

In Hebræo non habetur negatio in secundo membro, sed legitur: *Patientia pauperum peribit in æternum;* sed negatio prioris membri ex phrasi Hebraica, trahitur etiam ad membrum posterius, et ideo Septuaginta Interpretes recte verterunt, *non peribit.* Significat autem hic versiculus, ideo peccatores, qui pauperes opprimere solent, in infernum dejiciendos, quoniam Deus vindictam aliquando sumet de oppressione pauperum suorum. Quamvis enim ad tempus videatur non recordari eorum, tamen non obliviscetur eorum in finem; sed aliquando recordabitur, et proinde patienti sive expectatio pauperum non peribit *in finem*, id est, in æternum, ut sonat vox hebræa לָעַד *Lahad.* Dicitur autem patientia pauperum non peritura in æternum, non quoad se, sed quoad suum effectum; quasi dicat, non frustrabitur in æternum, sed aliquando effectum suum sortietur.

20. Exurge, Domine, non confortetur homo: judicentur gentes in conspectu tuo.

Posteaquam prædixit interitum impiorum, rogat Deum ut incipiat coercere impios. *Exurge*, inquit, *Domine, non confortetur*, id est, non prævaleat homo qui pulvis est contra Deum factorem suum. *Judicentur gentes in conspectu tuo*, id est, judicium contra eos à facie tua prodeat. Quod in alio Psalmo legimus, *Judica illos, Deus.*

21. Constitue, Domine, legislatorem super eos, ut sciant gentes quoniam homines sunt.

Judicium contra gentes: quæ persequebantur

Ecclesiam, manifestum fuit, quando subjectæ fuerunt Principi Christiano. Tunc enim intellexerunt Gentiles, se homines esse, infirmos videlicet, et contra Christum prævalere non posse. Id prædicit Propheta per modum precantis. Nomen Hebraicum מורה *Morah*, vel מורה *More*, Doctorem significat, et etiam terrorem, ut vertit S. Hieronymus. Et quia Propheta loquitur de Doctore terribili, qui cum imperio præcipit et docet, ideo recte legislatorem dixerunt Septuaginta Interpretes. Multi per hunc legislatorem intelligunt Christum, multi Antichristum. In re obscurissima quisque in suo sensu abundet. Ego Constantinum intelligo, Jovinianum, Valentinianum, Theodosium, et similes.

22. Ut quid, Domine, recessisti longe, despicis in opportunitatibus, in tribulatione?

In hoc versu incipiunt Hebræi Psalmum decimum, sed hanc distinctionem Septuaginta Interpretes non habuerunt: et credibile est, a posterioribus excogitatam fuisse distinctionem, propterea quod materia hujus partis Psalmi videatur diversa omnino a materia prioris partis, cum in parte priore exultet Ecclesia pro victoria contra inimicos Dei et suos: in posteriore gemat ob eorumdem inimicorum prosperos successus adversus Ecclesiam. Sed non tam est diversa materia, quam diversa sunt tempora quæ David prophetando percurrit. In principio enim Psalmi exultabat David in spiritu ob occulta mysteria filii Dei, qui moriendo debellavit aereas potestates, et Gentilitatem, atque Idola destruxit: deinde in fine prioris partis, et in hac posteriore prædicit persecutiones Ecclesiæ, tum a Gentibus, tum ab aliis malis hominibus excitatas, quæ interdum ita crescunt, ut videatur Dominus oblitus esse populi sui, quem tam gloriose liberaverat, et quia dixerat paulo ante: *Factus est Dominus refugium pauperi, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione;* ideo nunc respiciens aliud tempus, quo, Deo permittente, pauperes opprimuntur a potentioribus, ait: *Ut quid, Domine, recessisti longe*, id est, ita permittis impios grassari in justos, ac si non adesses, sed longe recessisses? *Despicis*, tuos pauperes videlicet, *in opportunitatibus*, quando opportunum esset eos juvare, nimirum *in tribulatione.*

23. Dum superbit impius, incenditur pauper: comprehenduntur in consiliis, quibus cogitant.

Difficilis omnino versiculus; videtur hæc esse sententia: *Dum superbit impius*, id est, dum impius prospere agit, et gloriosus apparet; tunc *incenditur pauper*, id est, scandalizatur, et uritur æstu cogitationum justus pauper. *Comprehenduntur in consiliis quibus cogitant*, id est, uterque, tam impius gloriosus, quam justus pauper comprehenditur, et illaqueatur consilio, id est, cogitatione sua. Nam impius cogitat sibi deberi illam felicitatem, et ipse se decipit: justus vero videns impium prospere agere, cogitat, quid hoc sibi velit, ac magis ac magis se involvit. Quod ad grammaticam attinet, cum dicitur, *in consiliis quibus cogitant*, Græcismus est, et Latinus interpres ad verbum vertere voluit. Nos enim diceremus in consiliis, de quibus cogitant, vel quæ cogitant. Per consilia vero cogitationes intelligimus, ut magis proprie significat vox Hebraica. Porro hæc videtur ratio versiculi superioris; ideo enim rogavit Propheta Deum, ut non despiceret pauperem in tribulatione, quia prosperitas impiorum, et impiis, et justis nocet, dum illi superbiunt, isti scandalizantur.

24. Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur.

Hebraica lectio, ut nunc se habet, ad verbum sic vertenda esset, *Quoniam laudavit impius desiderium animæ suæ, et avarus benedicens exacerbavit Dominum.* Sed remotis punctis, et distinctionibus, quæ tempore Septuaginta Interpretum non aderant, clarissime cernitur sententia, quam Septuaginta rectissime expresserunt. Verbum enim הלל *hillel*, quod significat laudavit; si legatur הלל *hullal*, ut Septuaginta legerunt, significat laudatus est; et verbum ברך *berech*, benedicens, si legatur ברך *baruch*, significabit benedictus est. Illud autem exacerbavit Dominum, pertinet ad versiculum sequentem, qui incipit: *Exacerbavit Dominum peccator.* Reddit igitur causam Propheta, cur ex prosperitate superbiat impius, et uratur pauper; quia videlicet, peccator male agit, et tamen quia dives est et potens, laudatur a multis, quasi bene agat, et desideria animæ ejus, id est, desideria ipsius (est enim phrasis Hebraica, desiderium animæ meæ, pro desiderium meum) quamvis iniqua, et injusta approbantur, et hinc fit, ut iniquus benedicatur, cum maledici potius mereretur.

25. Exacerbavit Dominum peccator: secundum multitudinem iræ suæ non quæret.

Pergit explicare malitiam peccatoris superbi. *Exacerbavit*, inquit, *Dominum peccator*, et cum deberet omnis studio quærere reconciliationem, *secundum multitudinem iræ suæ non quæret*, id est, propter magnitudinem iræ suæ in pauperes afflictos, non quæret Deum, vel reconciliationem cum Deo. Ita enim arrogantia excæcat ejus mentem, ut non cogitet peccator, quam magnum sit malum exacerbare Deum omnipotentem.

26. Non est Deus in conspectu ejus, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.

Excæcatus peccator non cogitat Deum. In Hebræo majori emphasi legitur: *Non est Deus in omnibus cogitationibus ejus*, id est, in nulla ejus cogitatione est Deus, id est, cum tam multa cogitet; nunquam cogitationi ejus occurrit Deus. Ita funditus Deum oblitus est. *Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* Hoc sequitur ex superiore, quia nunquam Deum cogitat, nullo tempore dirigit viam suam ad Deum; sed ad carnalia desideria explenda: et ideo omnes viæ, id est, omnia opera ejus sunt inquinata sorde concupiscentiæ.

27. Auferuntur judicia tua a facie ejus, omnium inimicorum suorum dominabitur.

Id quod eum convertere posset a via mala, cogitatio videlicet terribilium judiciorum tuo-

rum, longe est a corde ipsius; et ideo sine ullo timore Dei dominatur omnium inimicorum suorum, id est, tyrannice opprimit omnes quos inimicos suos putat.

28. Dixit enim in corde suo : Non movebor a generatione in generationem, sine malo.

Confidentia vana impii hic notatur; cogitat enim apud se nihil sibi nocere posse. *Dixit*, inquit, *in corde suo, Non movebor:* id est, nemo me commovere poterit, nec dejicere a statu meo, a generatione in generationem sine malo, supple, ero. Nam et in Hebræo, et in Græco ponitur distinctio post verbum, movebor, et in Hebræo clare apparet sensus ille, a generatione in generationem sine malo ero, quomodo etiam vertit S. Hieronymus.

29. Cujus os maledictione plenum est, et amaritudine, et dolo; sub lingua ejus labor, et dolor.

Descripsit Propheta, quale sit cor impii, quod videlicet non cogitet Deum, nec judicia ejus, et speret nihil mali sibi eventurum : nunc describit, quale sit os, descripturus postea, qualia sint opera. Dicit igitur, os impii esse plenum maledictione, amaritudine et dolo. Ad maledictionem pertinent blasphemiæ in Deum, et convici a in homines; ad amaritudinem detractiones, murmurationes, contentiones, et alia, odium, et rancorem testantia: denique ad dolos calumniæ, mendacia, perjuria. Quod additur, *sub lingua ejus labor, et dolor,* significat effectum superiorum malorum. Eo enim tendunt omnia verba impii, ut laborem, et dolorem afflictis adferant. Sub lingua ejus labor, et dolor, id est, id quod est sub lingua impii, id est, materia in qua exercetur lingua impii, est labor, et dolor miserorum hominum, qui ei quoquo modo subjiciuntur.

30. Sedet in insidiis cum divitibus, in occultis, ut interficiat innocentem.

Hic jam describuntur mala opera, id est, oppressiones pauperum. Est autem oratio metaphorica, ducta similitudine ab iis, qui latent intra vestibula domus, ut observent, quando transeunt, quos interficere cupiunt. Significat autem Propheta ac metaphora, viros impios, et potentes, adjunctis sibi sociis aliis divitibus, et potentibus, variis artibus, et dolis circumvenire pauperes, eosque ad extremam perniciem abducere. In Hebræo non est, *in insidiis cum divitibus*, sed, *in insidiis atriorum, seu vestibulorum.* Cæterum Septuaginta non legerunt חצרים *chazerim*, ut nunc habetur in codicibus Hebraicis, sed העשרים *hasirim.* Illud enim atria, hoc divites significat. Itaque probabile est post tempora Septuaginta textum Hebraicum fuisse mutatum.

31. Oculi ejus in pauperem respiciunt, insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua.

32. Insidiatur, ut rapiat pauperem, rapere pauperem, dum attrahit eum.

33. In laqueo suo humiliabit eum, inclinabit se, et cadet cum dominatus fuerit pauperum.

Quod dixit in versiculo tricesimo, exponit in his tribus versiculis varians metaphoras. Nam in 30. versiculo comparavit oppressorem pauperum homini insidianti alteri homini : in 31. comparat Leoni insidianti aliis bestiis debilioribus : in 32. et 33. comparat homini tendenti laqueos bestiis, et capienti eas. Versiculi duo postremi sunt in Hebræo multo clariores. Sic enim ad verbum reddi potest lectio Hebraica, quomodo vertit S. Hieronymus, *Insidiatur, ut rapiat pauperem, rapiet pauperem cum attraxerit eum ad rete suum; et confractum subjiciet, et irruet viribus suis valenter.* Nostra vero lectio sic explicanda est : *Insidiatur ut rapiat pauperem*, rapere autem paupere insidiatur tunc, cum eum ad se attrahit alliciendo incautum. *In laqueo* vero suo *jam captum humiliabit,* id est, opprimet, et inclinabit se super eum, atque in eum cadet, id est, super eum irruet, *cum dominatus fuerit pauperum*, id est, cum iis plane potitus fuerit. Et simul hæc verba pulchre alludunt ad causam interiorem impii : tunc enim horrende cadit in servitutem Diaboli, cum dominari sibi videtur hominum miserorum.

34. Dixit enim in corde suo, oblitus est Deus, avertit faciem suam, ne videat in finem.

Repetit causam tantæ impietatis, nimirum, quia impius cogitat apud se, Deum non curare res humanas nec unquam esse curaturum.

35. Exurge Domine Deus, et exaltetur manus tua, ne obliviscaris pauperum.

Rogat Deum, ut impios coerceat. *Exurge*, inquit, quasi a somno, et *exaltetur manus tua*, ad percutiendum : manus enim dormientis, vel quieti hominis, demissæ, et sæpe complicatæ esse solent. In Græco adduntur duæ voces, post *Domine Deus*, additur, *meus*, et post *ne obliviscaris pauperum*, additur, *in finem.* Sed in Hebræo non habentur, nec in Latinis emendatioribus.

36. Propter quid irritavit impius Deum? dixit enim in corde suo, non requiret.

Iterum repetit causam, cur impius Deum irritet peccando, eam esse; quia cogitat Deum ista non requirere.

37. Vides, quoniam tu laborem, et dolorem consideras, ut tradas eos in manus tuas.

Refellit Propheta illam causam, quasi dicat, Imo vides, o Deus, et requiris, quod ex eo apparet, quia tu laborem, et dolorem miserorum consideras, ut cum impleta fuerit mensura, tradas impios in manus tuas puniendos. In Hebræo, et Græco habetur, *Quoniam tu laborem, et furorem consideras,* et sic etiam legit S. Augustinus, et S. Hieronymus, et si ita legamus, sensus erit, Quoniam tu laborem oppressorum, et furorem opprimentium consideras.

38. Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.

Merito ista consideras, quia tibi Patri om-

nium incumbit cura eorum, præcipue, qui sunt destituti omni alio auxilio.

39. Contere brachium peccatoris, et maligni : quæretur peccatum illius, et non invenietur.

Contere brachium, id est, potentiam et robur peccatoris, et sic humiliatus resipiscet, nec amplius peccabit : ideo quæres postea peccatum ejus, et non invenies. Nam, ut ait Isaias cap. 28. *Sola vexatio dabit intellectum auditui*, et Psalm. 82. *Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum.*

40. Dominus regnabit in æternum, et in seculum seculi, peribitis gentes de terra illius.

Prædicit futurum, quod ut fieret, oraverat. *Dominus*, inquit, semper *regnabit*, invitis inimicis ejus, imo ipsi inimici peribunt, et exterminabuntur *de terra illius*, id est, de orbe terrarum universo, *quia Domini est terra et plenitudo ejus*, Psalm. 23.

41. Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua.

Quod futurum est, ponit tanquam præteritum propter certitudinem, nec dicit orationem, sed *desiderium pauperum*, ut ostendat celerem exauditionem, quasi dicat, Deus qui scrutatur corda, non expectabit orationem, sed ipsum desiderium, quod orationem præcedere solet, exaudiet. Idem vero est, desiderium, et præparatio cordis : desiderium enim est præparatio ad orandum.

42. Judicare pupillo, et humili, ut non apponat ultra magnificare se homo super terram.

Exaudivit Dominus desiderium pauperum, *judicare pupillo, et humili*, id est, ad hoc exaudivit, ut judicet causam pupilli, et humilis contra ipsos eorum oppressores, ne deinceps homo audeat superbire, *homo*, inquam, *qui est super terram* contra Deum, qui est in cœlo. In Hebræo significantius dicitur, *Ut nequaquam ultra superbiat homo de terra*, id est, homo ex terra compositus, quasi dicat, ut non superbiat figmentum contra factorem suum. Hæc omnia quæ dicuntur in hoc Psalmo adversus impium oppressorem pauperum, attribuuntur Antichristo a S. Hieronymo et Augustino ; et sine dubio illi conveniunt per antonomasiam omnia, quæ dicuntur in genere de impiis : sed si ad litteram dicantur hæc de oppressoribus pauperum in genere, ut nos existimamus, certe manifeste apparet, quam ingens crimen sit, quod tot verbis, et tam significantibus a Spiritu sancto reprehenditur.

PSALMUS X.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus David.

De titulo dictum est in præcedentibus. Argumentum hujus Psalmi est cohortatio ad confidentiam tempore calumniarum, aliarumque persecutionum. Loquitur David in persona cujuslibet Justi, prævidens quodammodo illud Apostoli ; *Omnes qui pie vivere volunt persecutiones patientur*. 2. Timoth. 3.

EXPLICATIO PSALMI.

1. In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem, sicut passer?

Vox justi, qui pulsatur tentatione desperationis, ut vocationem suam deserat ob multitudinem calumniatorum. *In Domino*, inquit, *confido*, qui ubique est et omnipotens est ; *quomodo dicitis animæ meæ*, id est, cur mihi persuadere conamini. Jam enim supra diximus, phrasim esse Hebraicam, *animæ meæ*, pro mihi. Alloquitur autem vel dæmones tentantes, vel ipsas internas suggestiones, hoc est, cogitationes, a diabolo immissas : *Transmigra in montem sicut passer* id est, desere vocationem, et hominum consortium, et abi ad locum, ubi nulla sint pericula, nullæ tentationes. Passeres enim, cum timent aucupes, volant ad cacumina montium, ad quæ aucupes ascendere non possunt. Tales montes respectu tentationum nulli sunt, nisi in imaginatione hominum, qui cum tentantur graviter, imaginantur mutatione locorum posse molestiam illam declinari ; et qui desperant, ipsam etiam violentam mortem eligunt, ad quam fugiunt, tanquam ad montem. Justus autem constans est, et locum suum non deserit, sciens ubique tentationes diaboli, et ubique adjutorium Dei esse. In Hebræo habetur, *Transmigra in montem vestrum passer;* sed vocem כם *chem*, quæ significat *vestrum*, Septuaginta legerunt, כמו *cha*, quod est *sicut;* et hæc sine dubio est lectio verior et clarior.

Nam etiam S. Hieronymus sic vertit. Itaque post tempora S. Hieronymi videtur hic locus corruptus in Hebræo, librariorum vitio.

2. Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.

Hæc est ratio, cur sit fugiendum ad montem, id est, deserenda vocatio præ nimio timore, quem tentatio suggerit; videlicet, quia mali homines assidue persequuntur Justos sive calumniis, sive alia ratione. Comparat autem calumnias, sive alias persecutiones sagittis quæ jaciuntur in obscuro, ut significet eas calumnias, vel persecutiones non solum graviter ferire, sed etiam vix posse caveri. In Hebræo habetur, *Paraverunt sagittas suas in nervo :* et secundum hanc lectionem, idem est, *intenderunt arcum*, et *paraverunt sagittas in nervo.* At Septuaginta verterunt, *Paraverunt sagittas in pharetra*, ut significarent, non solum peccatores intendisse arcum, ut semel jacerent sagittam, sed etiam implesse pharetram sagittis, ut sæpius jaculari possent. Quamvis autem vox Hebræa לתר *leter* nervum et chordam significet, et in dictionariis non inveniatur locus, ubi ponatur pro pharetra : tamen auctoritas Septuaginta Interpretum satis est, ut credamus etiam pro pharetra accipi posse. Quod Latinus codex habet, *in obscuro*, et Hebræus אפל *ophel*, in caligine, in Græco est σκοτομήνῃ, *in obscura Luna ;* sed in re nulla est discrepantia. Nam obscura Luna significat noctem carentem Lunæ splendere, sive sit nebulis tecta Luna, sive sit cum sole conjuncta, aut Soli vicina. Possent hi duo versiculi etiam hunc sensum habere, *in Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer, quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.* Id est, non licet jam esse recto corde, quoniam undique tenduntur insidiæ rectis corde: ideo vel oportet in montem inaccessum extra homines recedere, quod fieri non potest, vel cedendum est consuetudini, et deserenda via justitiæ. Sed huic tentationi respondet justus : *In Domino confido,* et ideo nec in montem inhabitabilem abibo, nec deseram viam justitiæ.

3. Quoniam quæ perfecisti, destruxerunt, justus autem quid fecit?

Confirmat Propheta per apostrophen ad Deum, verum esse, quod peccatores injuste persequuntur justos. Quasi dicat, verum est quod audivi de impietate peccatorum. Nam peccatores *destruxerunt ea, quæ tu perfecisti*, id est, leges tuas perfectissimas, necnon consilia, et ordinationes omnes tuas, quas posuisti in populo tuo, dum non solum non reddunt bona pro malis, ut tu jubes, sed reddunt mala pro bonis, sine ulla causa calumniando, et persequendo Justos. *Justus enim quid fecit?* hoc est, Justus non dedit illis ullam occasionem, sed ipsi oderunt justos gratis. Vox Hebræa, quam Septuaginta verterunt, *perfecisti*, valde obscura est. S. Hieron. vertit *leges*, alii *fundamenta*, alii *retia.* Mihi verisimile videtur Septuaginta Interpretes non legisse, ut nunc habemus in Hebræo השתות *hasciathoth*, quod habet formam nominis pluralis, sed legisse, השתות *hasciattota*, quod significat posuisti, a verbo שתת *sciatat*, in conjugatione *hiphil*, sunt enim eædem omnino litteræ, et solum additur punctum unum sub ultima littera. Nam fere id observamus in Psalmis, ut Septuaginta legerint paulo aliter, quam legerint ii, qui puncta addiderunt.

4. Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes ejus.

Incipit rationem reddere, cur in Domino confidere se dixerit, et non timeat insidias hominum iniquorum : quia videlicet Dominus omnium in cœlo sedeat judex, unde omnia videat, et omnes subjectos habeat. *Dominus*, inquit, *in templo sancto suo*, subintellige, sedet. Vocat autem templum sanctum Dei, summum cœlum, quod est templum non manufactum. Idem significat clarioribus verbis, cum ait, *Dominus in cœlo sedes ejus*, hoc est, Dominus in cœlo sedem, sive thronum habet. Est autem phrasis Hebraica, *Dominus in cœlo sedes ejus*, pro, sedes Domini est in cœlo, vel Dominus in cœlo sedem habet.

5. Oculi ejus in pauperem respiciunt, palpebræ ejus interrogant filios hominum.

Ex throno illo altissimo, cui nihil abscondi potest, respicit Deus pauperes, proinde nihil mali accidere potest hominibus Deo non sciente, aut non permittente, quæ est maxima consolatio Justorum. Quod sequitur declarat magis providentiam Dei. Non solum enim Deus videt homines, sed videndo discernit, ac dijudicat bonos, et malos, et omnia eorum opera. In Hebræo non habetur, *in pauperem*, sed simpliciter, oculi ejus respiciunt, sed Septuaginta addiderunt, *in pauperem*, explicandi gratia. Præterea, pro, *interrogant*, habetur in Hebræo, יבחנם *ibchanis*, *probant*, sed eadem sententia est. Metaphorice enim dicitur Deus interrogare, sive probare, id est, tentare, sive examinare, quando perfecte discernit ac dijudicat, quod homines non possunt sæpenumero facere, nisi interrogando, et examinando. Illud *palpebræ ejus interrogant*, nihil significat aliud, nisi oculi ejus perfecte discernunt : quoniam enim Psalmi poetice scripti sunt, ideo figuris multis scatent. Itaque palpebræ ponuntur pro oculis, et oculi pro mente; et interrogare, pro exacte cognoscere, ac si exactissime prius interrogasset, et examinasset.

6. Dominus interrogat Justum, et impium : qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Non solum Deus exacte cognoscit Justum, et impium, sed etiam pro meritis eos remunerat, vel punit. Et ideo *qui diligit iniquitatem, odit animam suam*, id est, se ipsum ; quoniam propter iniquitatem gravissime punitur. Ex Hebræo potest etiam reddi, *diligentem iniquitatem odit anima ejus*, id est, Deus odit eos, qui amant iniquitatem, et sic vertit S. Hieronymus. Uterque sensus est verus, et utrumque patiuntur verba Hebraica. Mira sententia est, et elegantissima, *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Nam qui diligit iniquitatem, videtur dili-

gere animam suam, id est, se ipsum, quia, ut sibi ipsi satisfaciat, peccat, et tamen re vera odit animam suam, ac perdit. Hoc est, quod Dominus Joan. 12. ait, *qui amat animam suam, perdet eam*, id est, qui male se amat, vere se odit.

7. Pluet super peccatores laqueos ignis, et sulphur, et spiritus procellarum pars calicis eorum.

Hæc est ratio, cur iniqui oderint animas suas, quia Dominus pluet, sive, ut in Hebræo יַמְטֵר *jaster*, expressius legitur, *pluere faciet super peccatores laqueos*, id est, in hac vita immittet laqueos in maxima copia, quasi guttas pluviæ in peccatores, id est, sinet eos quotidie involvi pluribus, et majoribus peccatis percutiendo eos cæcitate, et tradendo eos in reprobum sensum; quæ est pœna horrenda, et gravissima; deinde in alia vita, *Ignis, et sulphur, et spiritus procellarum*, id est, venti frigidissimi, et vehementissimi in gehenna erunt pars calicis, id est, portio, et hæreditas ipsorum. Observandum est hoc loco, nomine calicis intelligi hæreditatem, ut etiam alibi sæpe in scriptura, ut eo loco, *Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei*, ubi idem intelligitur dictum duobus vocabulis, et ideo addit, *Tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.* Dicitur autem hæreditas calix, quia sicut calix in mensa, saltem in cœna paschali dividebatur inter convivas, unde est illud, Luc. 22. *Accipite, et dividite inter vos:* ita hæreditas dividitur inter filios ejusdem patris. Eadem quoque hæreditas interdum vocatur pars, vel portio, ut pars mea Dominus; et alibi, *Portio mea Dominus*, interdum, *pars hæreditatis*, ut loco citato, *Dominus pars hæreditatis meæ:* ubi non significatur Dominum esse partem hæreditatis, ita ut aliunde sit quærenda alia pars, sed significatur Dominum esse partem, quæ sibi contigit ex hæreditatis divisione, ita ut idem sit hæreditas, et pars hæreditatis: sic etiam idem est calix, et pars calicis, id est, portio illa, quæ uni debetur ex divisione calicis; pulchre autem filiis diaboli, quibus Dominus ait, Joan. 8. *Vos ex patre diabolo estis*, tribuitur hæreditas, quam diabolus possidet, id est, pœna horribilis significata per ignem, et sulphur, et spiritum procellarum.

8. Quoniam justus Dominus, et justitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus.

Hæc vera ratio est, cur Deus tam atrociter impios puniat, quia justus est ipse in se: *Deus enim lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ.* 1. Joan. 1. *Et diligit justitias*, id est, opera justa in omnibus aliis, quos ad suam imaginem creavit. Id ipsum repetit, dicens: *Æquitatem vidit vultus ejus.* Nam per æquitatem hoc loco intelligitur rectitudo, ut sonant vocabula, Hebraicum ישר *iassar*, et Græcum ἐνθητης, rectitudo autem est quasi declaratio justitiæ. Non enim hic agitur de justitia, quæ est una ex quatuor virtutibus Cardinalibus, quæ est justitia particularis ponens medium in commerciis hominum; sed de justitia universali, quæ complectitur omnes virtutes, et est quædam rectitudo totius hominis, cujus quasi compendium est charitas Dei, et proximi; nam *finis præcepti charitas*, 1. Tim. 1. *Et qui diligit, legem implevit*, Rom. 13. Illud autem, *vidit vultus ejus*, non significat simplicem visionem, sed visionem approbationis, juxta illud Psalmi primi, *Novit Dominus viam justorum.* Idem igitur est, justitiam dilexit, et æquitatem vidit, id est, rectitudinem approbavit *vultus ejus*, id est, oculus ejus.

PSALMUS XI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem pro octava, Psalmus David.

De hoc titulo dictum est in Psalm. 6. Argumentum hujus Psalmi est, fidendum in Deo, et non in hominibus, quod verba hominum plerumque sint fallacia, Dei autem semper verissima, et fidelissima.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Salvum me fac Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum.

Tu Domine a periculis omnibus salva me, quoniam non est alius in quo fidere possim: nam defecit sanctus; id est, vix invenitur in mundo aliquis vere *pius, et misericors* (id enim proprie sonat vox Hebraica, חסיד) nec solum defecit misericors, sed etiam verax, diminutæ sunt enim veritates a filiis hominum, id est, vix invenitur, qui verum simpliciter dicat. Itaque periit fere de terra misericordia, et veritas. In Hebræo habetur, אמונים *emunim*, quod S. Hieron. vertit *fideles*, ut hæc sit sententia, imminuti sunt fideles a filiis hominum, sed eadem vox significat etiam veritatem, seu veritates, et sensus est idem,

2. Vana loquuti sunt unusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde, et corde loquuti sunt.

Probat defecisse sanctum, id est, misericordem, quoniam homines, ut plurimum, non loquuntur proximis utilia, et bona, sed vana, quæ a periculis eruere non possunt, unde etiam frustra loquuntur, quomodo vertit S. Hieron. probat quoque defecisse veritatem, quoniam שפת *labia dolosa*, id est, homines, qui labia dolosa dici possunt, חלקות *in corde, et corde*, id est, duplici corde loquuti sunt, unum volentes loqui, et aliud volentes facere, et sic decipere. In Hebræo ad verbum est, *labium divisionum*, id est, labium divisum, unum sonans, aliud significans, labium autem divisum, seu duplex ex corde diviso, seu duplici oritur. Quia vero quæ leniuntur, dividuntur; ideo eadem vox significat in Scripturis, *labium blanditiarum*, et adulationum; et quia omnis adulatio decipit, ideo recte verterunt tam Septuaginta, quam S. Hieron. *labia dolosa*, sive *subdola*. In Græco additur, *mala in corde et corde loquuti sunt mala*, sed ea vox neque in Hebræo, neque in Latinis emendatioribus habetur.

3. Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam.

Imprecatio prophetica est: per modum enim imprecationis prædicit, fore, ut omnes, qui decipiunt, decipiantur; et dum putant se multum lucrari suis fraudibus, perdant omnia, et ipsi etiam pereant in æternum. Illud, *et linguam magniloquam*, significat linguam se jactantem ob suos dolos, et fraudes, ut patet ex versiculo sequenti. In Hebræo et Græco non habetur conjunctio (et) ex quo intelligimus, hic non reprehendi duo genera hominum, dolosos et superbos, sed dolosos tantum, qui tamen confidunt in suis dolis, et ideo magni faciunt sua labia dolosa, et de illis magnifice loquuntur. Proinde editio Latina, quæ habet conjunctionem, ad eumdem sensum reducenda est, et commode reducitur, ut nos explicuimus.

4. Qui dixerunt, linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt, quis noster Dominus est?

Explicat cur conjunxerit linguam magniloquam cum labiis dolosis, quia videlicet dolosi confidunt maxime in sua lingua, ita ut nulla re alia indigere se credant, nec ulli Domino subjecti esse debeant. *Qui dixerunt*, inquit, videlicet apud se in animo suo, *linguam nostram magnificabimus*, id est, linguam nostram magnificemus, illi tribuentes omnia nostra bona, quæ per illam lucramur. Ex Hebræo aliqui vertunt, *linguam nostram roborabimus*; verbum enim, גבר *Gabar*, significat gravem, et robustum esse, sed accipitur etiam pro quacumque magnitudine, et ideo, נגביר *nagbir*, quod habetur hoc loco, recte vertitur, *magnificabimus;* nam etiam apud Latinos vir gravis non solum refertur ad pondus molis, sed etiam ad magnitudinem virtutis. *Labia nostra a nobis sunt*, ambiguum est in Latino, sed ex Hebræo et Græco constat, sensum esse, *labia nostra nobiscum sunt*, pro nobis faciunt, a parte nostra pugnant. Itaque pergit Propheta explicare confidentiam, quam habent dolosi in suis labiis, tanquam in instrumento optimo ad prævalendum aliis hominibus. Ideo subjungit eos dicere, *quis noster Dominus est?* quasi dicat, non agnoscimus ullum superiorem, cum per instrumentum linguæ omnes alios subjiciamus.

5. Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.

Docuit Propheta non esse confidendum in hominibus: nunc docet esse confidendum in Deo, cujus promissa fidelissima sunt, docet autem hoc poetice introducendo ipsum Deum loquentem, et promittentem auxilium suum humilibus, et afflictis. *Propter miseriam*, inquit, *inopum*, qui a dolosis decipiuntur, et affliguntur, unde et gemere necesse habent; non differam auxilium, sed *nunc exurgam* quasi a somno, eisque adero.

6. Ponam in salutari, fiducialiter agam in eo.

Explicat quid sit facturus, cum surrexerit. *Ponam*, inquit, *in salutari*, id est, collocabo eos in salute, stabiliam illos in salute, ut semper salvi consistant. *Fiducialiter agam in eo*, id est, nemo me impediet; audacter, et libere agam in hac re. Exprimit vox Græca παῤῥησιάσομαι, hoc loco confidentiam, et libertatem, atque audaciam. Ex Hebræo, S. Hieron. vertit, *Ponam in salutari auxilium eorum*. Sed nescio quid in hac re sequutus sit; nam vox Hebræa, יפיח לו *Iaphiach lo*, significare potest, sufflabit in eum, vel illaqueabit eum, vel asperabit ei. Cæterum interpretes videntur legisse in prima persona, אפיח לו *Aphiach lo, afflabo in eo*, sive aspirabo ei, id est, unicuique pauperum aspirabo, et favebo, et quia *spiritus ubi vult spirat, et ubi spiritus Domini, ibi libertas*, ideo fortasse verterunt, *fiducialiter agam*, id est, libere aspirabo, et favebo.

7. Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.

Docet jam Propheta promissionem Domini explicatam versibus duobus superioribus, non esse similem promissionibus hominum dolosorum, sed esse verissimam, et fidelissimam. *Eloquia Domini*, inquit, *casta*, id est munda et pura, ut sonat vox Hebraica, non fucata, non simulata, sincera, fidelia. *Argentum igne examinatum*, id est, sunt eloquia, sive promissa Dei veluti argentum verissimum in sono, pondere, et candore, quale est argentum in igne probatum, nec solum probatum in igne, sed etiam probatum terræ, id est populis terræ, approbatum videlicet ab hominibus peritis metalorum; denique purgatum septuplum, id est, non semel, sed sæpius per fusionem (ut exprimit vox Hebræa) purgatum a scoria. In Hebræo illud, *purgatum terræ*, est valde obscurum; S. Hieron. vertit, *separatum a terra;* alii a Domino terræ, nimirum *purgatum septuplum;* alii in vase sive in camino, sed cum vox, בעליל *baalil*, non habeatur nisi hoc loco, nulla est ratio, cur non debeamus acquiescere interpretationi Sep-

tuaginta Interpretum, quibus lingua Hebraica notissima erat. Quidquid enim alii dicant, divinatio potius erit, quam interpretatio.

8. Tu Domine servabis nos, et custodies nos a generatione hac in æternum.

Colligit ex dictis, Deum facturum quod promisit. Tu, inquit, juxta promissa tua *servabis nos*, id est, custodies nos, non enim hic est verbum salvandi, vel salutis neque in Græco, neque in Hebræo; sed simpliciter conservandi et custodiendi. In Hebræo habetur, תשמרם *servabis ea*, nimirum eloquia tua, et custodies nos, sed Septuaginta legerunt, תשמרנו *tismerennu*, servabis nos, et facillima fuit mutatio, quia maxima est similitudo inter, םּ, quod significat *ea*, et נו, quod significat, *nos*, sed uterque sensus est optimus.

9. In circuitu impii ambulant: secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.

Quasi quæreret aliquis, Quid de impiis fiet, dum tu servabis nos? Respondet, impii inter ea, dum nos quieti sumus sub alis tuis, in circuitu ambulant, semper ambientes bona hujus mundi, et nunquam ad finem desideriorum suorum pervenientes, semper autem erunt impii ambientes, dum hic mundus durat; quia *secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum*, et, *stultorum infinitus est numerus*. Videntur in fine hujus Psalmi omnes editiones inter se dissidere. Hebræa ad verbum habet, *In circuitu impii ambulabunt, dum exaltantur utilitates filiorum hominum*, id est, dum exaltantur, et regnant homines vilissimi, tunc impii ubique discurrunt. Græca vero sic habet, *In circuitu impii ambulant, secundum altitudinem tuam sollicitudinem gessisti de filiis hominum*, Eccl. 1. sed Græca et Latina facile concordantur, nam Deus secundum altitudinem suam maximam sollicitudinem gessit de specie humana, et ideo ne ea periret, præ omnibus aliis speciebus eam multiplicavit, proinde Latinus Interpres reddidit sensum, cum ait, *multiplicasti*. Et quia in magna multitudine, paucorum est perfectio, ideo *stultorum*, ut citavimus ex Salomone, *infinitus est numerus*, et ideo impii semper, et ubique inveniuntur in circuitu ambulantes. Hebraica et Græca non videntur posse concordari, nisi Septuaginta aliter legerint; et fortasse non est improbabile eos legisse, דלות *Dallota*, vel דלית *Dillita*, non זלות *zullot*, ut nunc habemus: unica enim litera mutata fit aliud verbum, quod exaltare significat, vel suscipere, ut Septuaginta verterunt in primo versiculo Psalmi vicesiminoni, *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me*. Sensus tamen semper est verus, et non contradicit una lectio alteri, quamvis diversa dicant.

PSALMUS XII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus David.

De hoc titulo nihil occurrit dicendum. Argumentum Psalmi est oratio ad Deum tempore tentationis.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Usquequo Domine oblivisceris me in finem? usquequo avertis faciem tuam a me?

Qui tentatur, duo mala pati solet, prava desideria in voluntate, et tenebras in intellectu. Quando prava desideria valde urgent; tunc videtur Deus oblivisci, et deserere animam: quando tenebræ obscurant intellectum, videtur Deus avertere faciem suam ab anima. Ipse enim lux est, et ideo illuminat, cum convertit faciem; in tenebris relinquit, cum avertit. Propter primum dicit homo in tentatione positus, *Usquequo Domine oblivisceris me in finem?* propter secundum dicit, *Usquequo avertis faciem tuam a me?*

2. Quamdiu ponam consilia in anima mea? dolorem in corde meo per diem?

Inversò jam ordine queritur primo de tenebris, quas patitur: secundo de pravis desideriis, quæ invitus tolerat. *Quamdiu*, inquit, propter obscurationem intellectus *ponam consilia in anima mea?* id est, varia consilia excogitabo, ut a malo præsenti liberari possim? quamdiu rursus propter desideria infestantia cor meum, *ponam dolorem in corde meo?* id est, assumam dolorem, ac tristis ero, ne forte Deum meum offendam; atque id faciam per diem, id est, tota die sine intermissione ulla? In Græco additur, καὶ νυκτὸς, *et per noctem*. Sed hoc non habetur in

Hebræo, neque legitur a S. Augustino, proinde recte omissum est in editione Latina.

3. Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? respice et exaudi me Domine Deus meus.

Prima pars hujus versiculi complectitur utrumque malum; tunc enim exaltatur inimicus super hominem, quando opprimit eum, tum ingerendo prava desideria, quæ homo non potest excutere; tum tenebras offundendo, quas non potest dissipare. Ideo quasi vim patiens clamat ad Deum, *Usquequo exaltabitur inimicus meus super me?* Deinde invocat auxilium contra utrumque malum. *Respice*, inquit, id est, converte faciem tuam, *et exaudi me*, id est, ne obliviscaris, ne deseras, adjuva exoratus.

4. Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, prævalui adversus eum.

Iterum clarius eamdem orationem repetit, *Illumina*, pelle tenebras mentis convertendo ad me faciem, meque respiciendo; *nequando obdormiam in morte*, id est, ne consentiens desideriis, in mortem animæ incidam. Vocat Scriptura passim somnum ipsam mortem, sive corporalem, sive spiritualem: quia Deo tam facile est mortuum ad vitam revocare, quam nobis facile est dormientem a somno excitare. Præterea, Illud, *ne unquam obdormiam*, significat hominem, cedendo tentationi quasi obdormiscere, nec amplius sentire cruciatum ex tentatione; sed quia ista quies non est salutifera, sed mortifera; ideo additur, *in morte*. Itaque cum duobus modis homo liberetur a molestia tentationis; vel per gratiam Dei fugato tentatore; vel per consensum in peccatum satiata libidine: petit liberari primo modo, ne forte cum suo maximo detrimento liberetur secundo modo, videlicet, obdormiendo per consensum in peccatum. Addit deinde rationem, quare cupiat liberari a tentatione, dicens, *Nequando dicat inimicus meus, prævalui adversus eum:* id est, sic glorietur Diabolus a se victum servum Dei, quod etiam in injuriam Dei cederet.

5. Qui tribulant me exultabunt, si motus fuero, ego autem in misericordia tua speravi.

Explicat rationem superiorem, quasi dicat, non sine causa dixi, *nequando dicat inimicus*, etc. nam *exultabunt, qui tribulant me, si motus fuero*, id est, non solum si plane cessero tanquam victus, sed etiam si paulisper nutare cœpero; sicut enim majus *gaudium est in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem Justis, qui non indigent pœnitentia:* Luc 15. sic etiam magis Dæmones exultant, si virum aliquem perfectum ad inchoandum peccatum induxerint, quam si multos peccatores in peccatis maximis volutari fecerint. Exemplum est apud S. Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 7. Atque hinc apparet, Psalmum hunc scriptum esse pro liberatione Justi a tentatione Diabolica, non, ut aliqui volunt, pro liberatione Davidis a persecutione Saulis. David enim in illa persecutione quotidie loca mutabat. Itaque non dixisset *si motus fuero, exultabunt inimici mei*, quasi pro magno haberet, non moveri. Quod sequitur, *Ego autem in misericordia tua speravi*, est altera ratio, cur deceat eum juvari a Deo, quia nimirum fretus misericordia Dei, et non viribus propriis, tentatori resistat.

6. Exultabit cor meum in salutari tuo, cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, et psallam nomini Domini altissimi.

Hæc est ultima ratio, qua Deum ad subveniendum flectere conatur, quia videlicet liberatus a tentatione, non erit ingratus liberatori, sed corde, ore, et opere beneficium celebrabit. Ad cor pertinent prima illa verba, *Exultabit cor meum in salutari tuo*, id est, præ lætitia gestiet cor meum cum salutem obtinuerit, eam à te recognoscendo, teque ob eam laudando. Ad os pertinent sequentia, *Cantabo Domino qui bona tribuit mihi.* In Hebræo non habetur *bona*, sed solum verbum, *tribuit*, vel potius, *retribuit.* Sed Septuaginta declaraverunt illud *retribuit*, vertendo, *benefecit mihi*, et Latinus interpres adhuc clarius, *qui bona retribuit mihi*, sed sensus est idem: nam Deus, fiduciæ retribuere solet protectionem; ideo David Hebraica voce dixit, *retribuit mihi*, protectionem scilicet in se confidenti, et quia liberatio a tentatione, est liberatio a verissimi et maximi mali periculo; ideo recte Græcus et Latinus addiderunt vocabulum, bona, nimirum veri, et maximi boni. Denique ad opera pertinent ultima verba; *et psallam nomini Domini altissimi*, nam psallere proprie est manu citharam pulsare. *David*, inquit Scriptura, *psallebat manu sua:* 1. Reg. 18. et alibi, *In psalterio decachordo psallam tibi.* 19. Psal. 39. Itaque promittit se corde exultaturum, ore cantaturum, manu instrumentum musicum pulsaturum, ut totus homo serviat Dei laudibus. *Psallere autem nomini Domini*, est psallere in gloriam Domini, id est, ad celebrandas ejus laudes. In Hebræo non habentur hæc ultima verba, *et psallam nomini Domini altissimi*, sed fortasse diuturnitate temporis exciderunt. Certe cum superioribus optime cohærent, et sunt in Græcis codicibus, et citantur, atque explicantur a patribus Hieronymo, et Augustino, Theodoreto, et Euthymio. Mystice, psallere nomini Domini, est opera consona cordi, et verbis efficere, *ut videntes homines opera nostra bona glorificent Patrem nostrum, qui in cœlis est.* Matth. 6.

PSALMUS XIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus David.

Titulus nihil habet novi. Argumentum vero est deploratio naturæ humanæ corruptæ, qualis præcipue cernitur in infidelibus, in quibus nondum cœpit sanari per gratiam.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.

Ad tantam insipientiam devenit humana natura in primo homine corrupta, ut inventus sit aliquis, qui tametsi voce non sit ausus negare Deum esse; tamen in corde suo dixerit, *non est Deus.* Non significat David, unum certum hominem insipientem hoc dixisse, sed vult dicere, homines mente corruptos ad tantam cæcitatem pervenire, ut fiant insipientes etiam circa ultimum finem, et cogitent nullum esse Deum, qui res humanas curet, et cui rationem reddere teneantur. *Dixit*, inquit, *insipiens*, id est, homo ad summam insipientiam redactus, *dixit in corde suo, non est Deus*, id est, cogitare cœpit nullum esse Deum.

2. Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis : non est qui faciat bonum; non est usque ad unum.

Illud usque ad unum, non habetur in editione Hebræa, et Græca. In Latino habetur, et citatur, et exponitur a S. Hieronymo, et Augustino. Dixit Propheta, corruptam fuisse mentem, et insipientem factam : nunc addit, corruptam quoque fuisse voluntatem, ita ut plerumque homines peccent, bene autem nunquam faciant; aliud enim est non peccare, aliud benefacere, si loquamur de opere absolute et perfecte bono. Homines enim fide, et gratia destituti, solis viribus corruptæ naturæ utentes, plerumque peccant; sed aliquando etiam faciunt opera quædam bona moralia, quæ peccata dici non possunt : sed non sunt perfecte et absolute bona, ut S. Augustinus disputat lib. 4. in Julianum, cum ad summum bonum non perducant. Ait igitur David; *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis*, id est, in desideriis, sive affectibus suis : corrupta, et abominabilia desideria habent, unde ipsi quoque corrupti, et abominabiles sunt. *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, corrupti quidem sunt homines in desideriis et iniquitate ; sed non ita generatim, ut omnia desideria, et omnia opera sint corrupta, et iniqua. Certe enim cum infidelis ex humana inclinatione miseretur pauperis, vel curam gerit filiorum, nihil mali facit. At bonum perfecte, et absolute, nullus omnino ex solis corruptæ naturæ viribus facit. Hinc habes veram hujus loci intelligentiam, nihil omnino facere pro hæreticis hujus temporis, qui testimonio Psalmi hujus abutuntur ad probandum, omnia opera hominis peccatoris, sive non renati esse peccata.

3. Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum.

4. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.

Dixerat naturam humanam esse corruptam tum quoad mentem, tum quoad voluntatem : ostendit nunc, unde id cognoverit, nimirum ex revelatione Dei. Deus enim qui omnia novit, videt hoc ita esse, et Prophetis suis revelavit. Describit more humano Deum quasi respexisse de cœlo, id est, de sublimi specula sua, ut videret, *an esset aliquis intelligens*, id est, non corruptus, quoad mentem ; *aut requirens Deum*, id est, non corruptus quoad voluntatem, qui proinde intelligeret, et amaret, atque adeo quæreret Deum, qui est summum bonum. Quid autem Deus cognoverit, id est, nos cognoscere fecerit, explicat illis verbis, *Omnes declinaverunt*, sive aversi sunt, id est, vidit omnes omnino declinasse a lumine sapientiæ, et a semitis justitiæ, imo aversos esse, ac terga vertisse sapientiæ et justitiæ, *Simul inutiles facti sunt*, id est, vidit omnes pariter inutiles Deo esse factos, quippe qui eum non colunt, neque ei serviunt, neque tributum gratiarum actionis rependunt. Denique vidit nullum esse, qui faciat opus perfecte, atque absolute bonum. S. Hieronymus ex Hebræo pro illis verbis, *Simul inutiles facti sunt*, vertit, *Pariter adhæserunt, sive agglutinati sunt.* Sed nescio quid secutus sit. Nam vox Hebraica, נאלחו *nealachu*, significat putrescere, et fœtere : et verti potuisset, putrefacti sunt, ac proinde inutiles facti sunt. Res enim putrefactæ nulli usui sunt.

5. Sepulchrum patens est guttur eorum :

linguis suis dolose agebant: venenum aspidum sub labiis eorum.

6. Quorum os maledictione, et amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.

7. Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt: non est timor Dei ante oculos eorum.

Hi tres versiculi non sunt in Hebræo, neque in translatione Septuaginta Interpretum, ut S. Hieronymus testatur, tum in præfatione lib. 16. in Isaiam, tum in Commentario hujus loci. Imo nec habentur in editione Latina Psalmi 52. qui est omnino idem cum hoc 13. Sed quia B. Paulus ad Rom. 3. ex diversis locis Scripturæ, videlicet Psalmo 5. Psalmo 139. Psalmo 9. Isaiæ 29. et Psalmo 35. hos omnes versiculos simul citavit, posteaquam allegaverat duos versiculos proxime explicatos, arbitrati sunt aliqui veterum, hos omnes versiculos ad hunc Psalmum pertinere, et casu aliquo excidisse; ideo eos ex Apostolo huc transtulerunt. Significatur autem his versiculis malitia hominum impiorum qui verbo et opere nocent proximis suis. *Sepulchrum patens est guttur eorum*, id est, sicut ex aperto sepulchro exhalat fœtor corporum mortuorum; ita ex ore istorum prodeunt verba turpia testantia corruptionem cordis. *Linguis suis dolose agebant;* id est, non solum verba turpia, sed etiam dolosa loquuntur. *Venenum aspidum sub labiis eorum;* id est, non solum turpia et dolosa, sed etiam venenata et inficientia, atque ad malum provocantia verba effundunt. *Quorum os maledictione, et amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem;* id est, homines isti perditi non solum maledicunt, et amaris contentionibus jurgantur, sed etiam malefaciunt, et reipsa nocent. Nam quorum os plenum est maledictione, et amaris comminationibus, eorum pedes velocissime currunt ad lædendum, et occidendum. *Contritio, et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt*, id est, omnia eorum studia ad conterendum, vastandum, calamitate afficiendum spectant. Siquidem pacis viam, id est, studia pacifica omnino ignorant. *Non est timor Dei ante oculos eorum.* Hic est fons omnium supradictorum malorum, quia timorem Dei plane abjecerunt, dicentes in corde suo, *Non est Deus.* Redeamus nunc ad versiculos hujus Psalmi proprios.

8. Nonne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam, sicut escam panis?

Ex hoc versiculo manifeste colligitur, quæ supra dicta sunt de universali corruptione generis humani, esse intelligenda de genere humano, quale est ex se, id est, secundum vires solius naturæ corruptæ. Nam per gratiam Dei homines vere justi et pii efficiuntur, et hos vocat hoc loco plebem suam, quam impii illi persequuntur, et pro nihilo habent. *Nonne cognoscent, etc.* vox est increpantis, quasi dicat: Nunquid semper erunt insipientes; nunquid non aperient aliquando oculos; nunquid tandem non incipient cognoscere? *Qui devorant plebem meam sicut escam panis*, significat impios ex hoc tanto malo potuisse admoneri suæ iniquitatis. Sicut enim panis quotidie comeditur, et semper sapit: ita impii semper, et cum delectatione vexant pios, et nunquam satiantur.

9. Dominum non invocaverunt, illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.

Reddit David rationem, cur impii tanta mala faciant, quia videlicet Deum *non invocaverunt*, id est, spem suam in Deo vero non posuerunt, sed in rebus creatis, et ideo *illic trepidaverunt ubi non erat timor;* id est, non cognoscentes, in quo sit sperandum, et à quo sit timendum, trepidaverunt, ne incurrerent mala temporalia, vel ne amitterent bona temporalia, quæ non sunt materia justi timoris, cum parva et caduca sint; et etiam quia si sperarent in Domino, *et quærerent regnum Dei, et justitiam ejus, hæc omnia adjicerentur eis*, Matth. 5.

10. Quoniam Dominus in generatione justa est: consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes ejus est.

Hic versiculus reddit rationem, cur impii amatores hujus seculi timeant, ubi non est timor. Impii timuerunt ubi non erat timor, *Quoniam Dominus in generatione justa est* sive justorum (ut habet textus Græcus), id est, sicut impii Deum non invocaverunt, nec in illo speraverunt: ita Deus eos deseruit, et in generatione justorum manet: deserti autem a Deo, a luce vera, ab ipsa veritate in tenebris ambulant; et ideo timent etiam, ubi non est causa timendi. Deinde facit apostrophen ad ipsos impios, dicens: *Consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes ejus est*, quasi dicat, Adeo vos excæcati estis, ut non solum non invocetis Deum, sed irrideatis eos qui id faciunt. *Nam consilium inopis*, qui totus à Deo pendet, *vos confudistis*, id est, irrisistis, ut inopem erubescere faceretis, quasi stultum sit in Deo spem ponere. Irrisistis autem inopis consilium, quasi stultum, *quoniam Dominus spes ejus est*, id est, quia ille pauper in Domino spem posuit. Videtur enim stultum consilium hominibus hujus mundi, sperare in Deo, qui non videtur, et non sperare in divitiis, et aliis rebus quæ videntur.

11. Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum averterit Dominus captivitatem plebis suæ, exultabit Jacob, et lætabitur Israel.

Hic versiculus postremus orat Deum pro celeri adventu Salvatoris, qui liberet genus humanum a captivitate diabolica, in qua erant omnes illi excæcati, et perversi, quorum tenebras, et malitiam toto Psalmo descripserat. *Quis dabit ex Sion salutare Israel?* id est, utinam cito veniat salus ex Sion ipsi Israeli! *Salus enim ex Judæis est*, ut ait Dominus Samaritanæ, Joan. 4. nec solum ex Judæis, id est, ex tribu Juda, sed ex familia David, cujus civitas dicebatur Sion. Itaque expectabatur, et desiderabatur salus, sive Salvator promissus ex Sion civitate David, id est, ex stirpe David qui salvaret Israelem, id est, populum suum. Dicitur autem Christus *Salvator Israelis populi sui*, quia tametsi pro toto mundo venerit, tamen reipsa non salvavit nisi certos quosdam qui dicuntur populus Dei, et spiritualis Israel. *Cum averterit, sive converterit captivi-*

tatem populi sui, exultabit Iacob, et lætabitur Israel; id est, oro ac peto salutem ex Sion, ac proinde Salvatorem, qui liberet a captivitate, quia, cum id factum fuerit, tunc vere et perfecte exultabit, et lætabitur populus Dei, qui dicitur spiritualiter Jacob, et Israel, utrumque enim est nomen ejusdem hominis. Promissiones autem istas, et alias similes non pertinere ad solos carnales Israelitas, sed ad populum Dei partim ex Judæis, partim ex Gentibus congregatum docet Apostolus in epist. ad Romanos, et copiosius Augustinus in epist. 200. ad Asellicum.

PSALMUS XIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem. Psalmus David.

Titulus nihil habet novi. Argumentum vero est scientia salutis : nam in hoc Psalmo describitur via ad vitam æternam.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Ex Hebræo vertunt aliqui, *Quis peregrinabitur in tabernaculo tuo, aut quis habitabit in monte sancto tuo?* Sed vox Hebraica, גור *gur*, significat utrumque, peregrinari, et habitare, sicut etiam, שכן *siacan*, significat habitare et quiescere. Itaque non potest reprehendi versio Græca, neque Latina. Alludit Propheta ad montem Sion, et ad tabernaculum Dei, quod in eo monte erat; sed revera per hæc nomina significat cœlestem Jerusalem, ubi est tabernaculum Dei non manufactum. Prophetæ enim prædicabant regnum cœlorum per hujusmodi figuras. Unde B. Paulus ad Hebr. 8. et 9. sæpius meminit tabernaculi cœlestis, et cap 12. vocat montem Sion, ipsum cœlorum habitaculum, et B. Joannes in Apocalypsi cap. 14. meminit montis Sion cœlestis, et cap. 21. ait, *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis, etc.* Quærit igitur Propheta, quis sit habitaturus, id est, stabili mansione potiturus in tabernaculo cœlesti : aut requieturus in vertice montis altissimi, in quo finitur omnis labor ascensionis, cum supra illum nihil sit? Hic enim in terris, neque stabilis mansio, neque vera quies esse potest.

2. Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam.

Hæc est compendiosa et summaria responsio, quasi dicat, *Qui declinat* a malo, et facit bonum, sive, qui neque commissione culpæ, neque omissione justitiæ Deum offendit. Dicitur ingredi sine macula, qui ambulat in via hujus vitæ, id est, qui vivit sine culpa lethali. Veniale enim peccatum non proprie relinquit maculam. Dicitur operari justitiam, qui facit omnia ad quæ tenetur, non timore pœnæ, sed amore justitiæ.

3. Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua.

Explicat magis in particulari, quis habitaturus sit in tabernaculo Domini, ac dicit illum esse, qui neque corde, neque ore, neque opere malum operatur. De corde dicit, *qui loquitur veritatem in corde suo.* Nam omnis qui res temporales pluris æstimat, quam valeant, non loquitur veritatem in corde suo, et quicumque in peccatum aliquod consentit, loquitur falsum in corde suo, quia judicat expedire sibi id quod revera sibi non expedit. Ita omnia peccata cordis reduci possunt tanquam ad radicem ad falsum judicium. De ore, dicit, qui *non egit dolum in lingua sua;* nam tam detractiones, quam adulationes, et alia id genus peccata linguæ, ad dolum revocari possunt. De opere dicit in sequenti versiculo.

4. Nec fecit proximo suo malum, et opprobrium non accepit adversus proximos suos.

5. Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus : timentes autem Dominum glorificat.

Non solum non fecit ipse malum, qui habitaturus est in tabernaculo Domini; sed nec permisit, quantum in se fuit, ut alii malum facerent. Ideo non accepit opprobrium adversus proximos suos, id est, non admisit ad aures suas vituperationes, detractiones, susurrationes, calumnias contra proximos, et non favit unquam malignis, sed eos contempsit, et pro nihilo duxit : contra autem glorificavit, honoravit, juvit viros bonos, qui Deum timent. Magna est hæc laus, non solum in se odisse malum, sed etiam in aliis.

6. Qui jurat proximo suo, et non decipit, qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.

Exposuit in genere virtutes viri probi; nunc in particulari attingit vitium unum; videlicet avaritiam, quo præcipue carere debet, qui cupit hæres fieri Regni cœlestis. Cur autem hoc particulare vitium attingat, causa est, vel quia *radix omnium malorum est cupiditas*, ut ait Apos-

tolus ad Timotheum 1. cap. 6. et per cupiditatem intelligit avaritiam, quam vocat philargyriam, id est amorem pecuniæ, vel quia hoc vitium semper fuit, et est familiare Judæis. Porro avaritia locum habet vel in fraudibus, quæ committuntur in contractibus alioqui licitis; vel in contractibus genere suo illicitis; vel in muneribus. De primo genere dicit, *Qui jurat proximo suo, et non decipit.* De secundo dicit, *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* De tertio dicit, *Et munera super innocentem*, id est, ad opprimendum innocentem, *non accepit.* Ex Hebræo sanctus Hieronymus vertit, *qui jurat, ut se affligat*, pro eo quod nos habemus, *qui jurat proximo suo*, sed vox Hebræa potest legi, להרע *leharah*, et significat *ad faciendum malum*, nimirum sibi, hoc est, ad se affligendum, et sic legit S. Hieronymus: potest etiam legi, להרע *lehareah*, et significat, *proximo*, et sic legerunt Septuaginta, a quorum versione Latina editio vulgata profecta est, et certe magis cohæret cum superioribus verbis nostra lectio, quam S. Hieronymi. Ex hoc versiculo aperte colligitur, errare Judæos, qui usuram licitam esse existimant.

7. Qui facit hæc, non movebitur in æternum.

Respondet quæstioni in primo versiculo propositæ: ac dicit eos qui ita vivunt, ut supra expositum est, habituros firmissimam in cœlesti tabernaculo mansionem. Itaque ait, *Qui facit hæc*, quæ supra dicta sunt, *non movebitur in æternum*, id est, habitabit securus in tabernaculo Dei, ac requiescet in monte sancto ejus, sine ullo timore cadendi a tam felici loco.

PSALMUS XV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

Tituli inscriptio ipsi Davidi.

Hic Psalmus obscurissimus est, atque ab ipso titulo incipit ejus obscuritas. Vox Hebræa מכתם *mictam*, ignota est. S. Hieronymus vertit, humilis, et simplicis David, forte quia מך *mac* significat pauperem, ac per hoc humilem, et, תם *tam*, significat simplicem, et perfectum; alii volunt, מכתם *mictam*, esse pretiosum aliquid, quia, כתם *chetem*, significat aurum. Mihi probabile est Septuaginta Interpretes non legisse, מכתם *mictam*, sed מכתב *mictab*, ultima littera paululum immutata; nam a verbo *catab*, scribere, fit nomen, *mictab*, scriptura, sive inscriptio. Sed quia vox Græca στηλογραφία, non significat simplicem inscriptionem, sed inscriptionem incisam in columna ad memoriam sempiternam; propterea intelligere debemus inscriptionem hoc loco significare titulum memorabilem, dignum qui nunquam aboleatur. Argumentum Psalmi est oratio Christi ad patrem: et eadem accommodari potest membris Christi, tum universis, tum singulis. De Christo enim, et non de Davide intelligendos esse quatuor versus postremos, ac præsertim illa verba, *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, docet Apostolus Petrus Act. 2. et Paulus Act. 13. et quia totus Psalmus est oratio quædam continuata, non possunt intelligi quatuor ultimi versus de Christo, quin totus Psalmus de Christo intelligatur.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Conserva me Domine, quoniam speravi in te. Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

In Hebræo, ut nunc legitur, habetur, *Dixisti:* sed non est dubium debere legi, אמרתי *amarti*, non amarth: nam non solum Septuaginta verterunt, *dixi*, sed etiam S. Hieronymus: si tamen utraque lectio defendi debeat, illud *dixisti*, referendum erit ad animam, quia אמרת *amarth* est secunda persona generis feminini, et sensus erit, *Dixisti, o anima mea*, et idem est, dixi ego, vel dixisti, anima mea. Ait igitur Christus, et potest dicere quilibet Christianus, *Conserva me Domine*, id est custodi, protege ab imminente tribulatione, quoniam speravi in te solo, non in ulla re creata. Quod autem in te solo speraverim, et sperem, ex eo cognosci potest, *Quoniam dixi Domino*, id est, confessus sum tibi Domino, ac dixi ex corde, *Deus meus es tu*, id est, supremus Dominus meus es tu, ut clarius habet textus Hebraicus, et Græcus: nam Latinus posuit, *Deus meus*, pro Dominus meus, ut variar et sermonem, quoniam *bonorum meorum non eges*, sed ego bonis tuis indigeo: tu nulla ratione a me dependes, sed ego a te in omnibus pendeo; ideo tu solus verus, et summus Dominus meus es, et quia ego hoc cognosco, et confiteor: ideo in te solo spero, et confido. Hæc verba Propheta scripsit in persona Christi pro eo tempore, quo Christus non solum homo erat, sed etiam passioni, et morti obnoxius. Quamvis enim in Christo homine et passibili, non fuerit spes, quæ est virtus Theologica, et respicit beatitudinem animæ, ut S. Thomas docet 3. p. q. 7. art. 4. fuit tamen spes ut significat fiduciam, et expectationem gloriæ corporis, et aliorum, quæ nondum habebat: et de hac spe loquitur David in Psalmis.

2. Sanctis, qui in terra sunt ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis.

In Græco legitur sic, *Sanctis, qui sunt in terra ejus, mirificavit Dominus omnes voluntates suas in eis.* Itaque dissentiunt Græcus et Latinus, in illa voce, meas, et suas. Nam additio illa vocabuli, *Dominus*, non mutat sensum. In Hebræo legitur ad verbum sic, *Sanctis qui in terra ipsi, et magnificis omnis voluntas mea in eis.* Quod ad Græcum attinet. S. August. in ep. 59. ad Paulinum q. 2. dicit codices electiores habere, *meas*, quamvis alii habeant, *suas*. Itaque probabile est, in Græco vitio librariorum irrepsisse mendum, præsertim cum in Hebraico etiam habetur, *meas*. Idem quoque Augustinus dicit, non esse dissonantiam alicujus momenti cum opera Patris, et Filii, et Spiritus sancti sint indivisa. Hebræus autem codex cum ait, *Qui in terra ipsi*, non differt a nostro codice, nisi quod omittit pronomen *ejus*. Cum autem dicit, Et magnificis, sciendum est vocem, ואדירי *veaddire*, videri omnino corruptam. Est enim nomen numeri multitudinis, in regimine, id est, regens aliud nomen casus genitivi Hebræi: siquidem aliter formant nomen absolute positum, et aliter nomen regens post se aliud nomen casus genitivi. Hic autem non sequitur aliud nomen, quod regatur ab isto, magnificis, præterea si Septuaginta legissent, ואדירי *veaddire*, non potuissent vertere *mirificant*, nisi imperitissimi fuissent. Itaque existimo eos legisse, האדיר *heedir*, quod significat mirificavit. Illa vero, *omnis voluntas mea in eis*, non habent difficultatem, quia cum Hebræi non declinent nomina per casus, verti debent vocabula secundum exigentiam verborum. Recte igitur verti potest hic locus, *Sanctis qui sunt in terra, mirificavit omnem voluntatem meam in eis*, atque ita in concordiam rediguntur omnes lectiones. Sententia autem hæc esse videtur: Quia Deus bonorum meorum non eget, ideo benefacere studeo electis ejus, cujus meæ bonæ voluntatis ipse Deus mihi testis est, qui Sanctis, qui sunt in terra ejus, id est, Sanctis, et electis suis qui sunt in terra ejus, mirificavit, id est, mirabiles reddidit omnes voluntates meas in eis, id est, omnem benevolentiam meam omniaque studia mea erga illos: dicitur autem Deus mirabilem reddidisse benevolentiam Christi erga electos declarando illam tum per Prophetas, et per varias figuras testamenti veteris, tum etiam per miracula ipsius Christi, et Apostolorum; mirabilis vero fuit Christi benevolentia erga electos, cum pro illis animam suam ponere voluerit.

3. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.

In Hebræo habetur ירבו *irbu* in futuro, *multiplicabuntur*, sed accipitur futurum pro præterito. Illud etiam, *postea*, vertitur communiter ex Hebræo, *alienum*, sed Septuaginta non legerunt, אחר *acher*, alienum, sed אחר *achar*, quod significat postea. Explicatur hoc loco effectus benevolentiæ Christi in electos, qui antea debiles erant ob vulnera gravissima peccatorum; ita ut ambulare non possent, et postea sanati per gratiam currere cœperunt viam mandatorum Dei, *Multiplicatæ sunt*, inquit, *infirmitates eorum*, id est, ægritudines, ac morbi spirituales; unde Apostolus ad Rom. 5. *Cum adhuc infirmi essemus, Christus pro nobis mortuus est*, et paulo post explicans infirmitates, *Cum*, inquit, *peccatore essemus.* Ex Hebræo עצבותם *hastitotam* multi vertunt, *idola;* sed vox Hebræa proprie significat infirmitatem, et dolorem: et per figuram accipitur pro idolis, vel quia idola infirma sunt, et nullius potentiæ; vel quia peccatores, ac per hoc infirmos homines faciunt. *Postea acceleraverunt*, id est, antea infirmissimi erant multiplicatis peccatis usque ad summum; sed postea sanati per gratiam fortes effecti sunt, et ideo exultarunt ad currendam viam. Id apparuit in principio Ecclesiæ, quando conversi homines ab idololatria, ad martyria festinabant.

4. Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Ex Hebræo vertunt communiter, *non libabo libamina eorum et sanguine*, et vere verbum נסי *nasai* significat libare, et fundere: sed significat etiam tegere, et operire, et quia, quæ teguntur congregantur, ut tegi possint; credibile est idem verbum significare etiam, congregare; sententia vero est eadem, nam quia ad sacrificia celebranda cœtus congregari solent: ideo perinde est, si dicatur, *non libabo libamina eorum de sanguine*, id est, non placebunt mihi sacrificia eorum, quæ sanguinis effusione constant: et, *non congregabo conventicula eorum de sanguinibus*, id est, non placebunt mihi congregationes eorum ad sacrificia cruenta celebranda, proinde non ego illas congregabo, non ero auctor, ut ejusmodi cœtus fiant. *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*, id est, non solum non ero auctor talium congregationum, et sacrificiorum, sed ea ne nominabo quidem. Cohæret autem hic versiculus cum superiore, quia rationem reddit, cur electi post multiplicata peccata, ac potissimum idololatriæ, acceleraverint currere viam Domini; ratio enim est, quia Dominus vehementer detestatur idola, et eorum venerationem, ut ne nominari quidem velit a suis: ideo, quos elegit in Christo, mundavit a peccato idololatriæ; et sic sanctos currere fecit viam mandatorum suorum.

5. Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.

Quia dixerat se detestari idola, et peccata, addit pro ratione, omnia sua bona in uno Deo habere. Vox propria Christi, qui omnino segregatus a peccatoribus, et Deo Patri summe amicus, omnia sua bona in Deo habet. Idem et nos pro modulo nostro sentire deberemus. Dicit igitur, *Dominus pars hæreditatis meæ*, id est, pars, quæ mihi ex divisione hæreditatis contingere debet, hoc est, quidquid omnino expecto, mihi Dominus est, ipse mihi est omnia; *et calicis mei*, repetitio est ejusdem sententiæ: nam et calix, qui dividi solebat inter convivas, pro hæreditate accipitur. Nisi magis placeat, per partem hæreditatis intelligere opes, per partem calicis delicias, ut sensus sit, omnes meas opes, atque omnes meas delicias in solo Deo constitui. *Tu es qui restitues hæreditatem*

meam mihi, hoc additur, quia cum Christus adhuc mortalis hæc diceret, nondum plene possidebat hæreditatem; et nos cum hæc dicimus, desiderio quidem omnia bona in Deo habemus, sed nondum reipsa possidemus. Possessio autem ista interim deposita est apud Deum, et ille nobis eam restituet in die novissimo: sicut Christo restituit in die resurrectionis ejus. Huc alludit B. Paulus cum ait: *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem*, 2. Tim. 1. In Hebræo habetur, אתה תומיך גולי *Attha thomich gorali? Tu sustentas hæreditatem meam*, et sensus est idem; nam ideo restituet Dominus hæreditatem, quia nunc eam sustentat, et conservat nobis, juxta illud D. Petri, *in hæreditatem incorruptibilem conservatam in cœlis*, 1. Petr. 1.

6. Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi.

Similitudine ducta a terrena hæreditate, declarat præstantiam hæreditatis æternæ, quam habebunt, qui Deum solum eligunt. Siquidem funiculis mensurari solebant campi, qui ex hæreditatis divisione obveniebant, et quia divisio sorte fiebat, ideo dicebantur funiculi in præclaram partem cadere, quando pars hæreditatis optima contingebat. *Funes ceciderunt mihi in præclaris*, id est, optimam hæreditatem sorte felicissima consecutus sum; etenim *hæreditas mea præclara est mihi*, idem dicit aliis verbis. Meminit autem sortis, quia principium hujus hæreditatis a prædestinatione ducitur; prædestinationis autem gratia respectu nostri sors quædam est, unde Paulus: *sorte vocati sumus: et elegit nos in partem sortis sanctorum*, ad Ephes. 2. et ad Coloss. 1.

7. Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum, insuper, et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.

Gratias agit Deo, qui inspiravit illi consilium, et accendit in eo desiderium, ut tam præclaram hæreditatem eligeret. *Benedicam*, inquit, *Dominum*, id est, laudabo Deum auctorem mihi tanti boni, *qui dedit mihi intellectum*, id est, qui me cognoscere fecit, et prudenter eligere; vox enim Hebræa יעץ *Iahaz* significat proprie dare consilium. *Insuper, et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.* Per renes in Scriptura intelligitur affectus, et desiderium, unde sunt illa: *Scrutans corda, et renes Deus*; et, *Proba cor meum et renes meos*, ubi per cor intelligitur cogitatio, et per renes affectio; *per noctem*, intelligitur tempus tribulationis; sicut per diem, tempus prosperitatis: per verbum, *increpuerunt*, significatur potius eruditio, quam reprehensio. Nam et in Hebræo, יסרוני *isseruni*, et Græco est verbum significans *eruditionem*, proinde verbum Latinum interpretandum est pro increpatione hortatoria, qualis est: *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? spera in Deo, quoniam confitebor illi*, Psal. 42. Denique illud, Usque ad noctem, in Hebræo est, לילות *Leloth*, erudierunt me *in noctibus*, ex quo intelligimus significari non solum tota die, sed etiam usque ad noctem totam, quod vulgo dici solet inclusive. Itaque sensus hic erit, *Insuper et usque ad noctem*, id est non solum tempore prosperitatis, sed prætcrea usque ad tempus adversitatis, et in ipsa adversitate affectus meus in Deum accensus erudivit me excitans, et adhortans ad passionem æquo animo subeundam, ac semper de Deo bene sperandum.

8. Providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam a dextris est mihi, ne commovear.

Ex intellectu, et affectu bono, de quo in superiore versu Deum laudavit, profectum est, ut semper Deum ante oculos haberet; anima enim magis est ubi amat, quam ubi animat. In Hebræo habetur, *Posui Dominum in conspectu meo semper*, ex quo clarius declaratur Christum studiose egisse, ut semper Dominum præsentem haberet. *Quoniam a dextris est mihi, ne commovear*, hoc est, nec falsa mea cogitatio fuit, qua Dominum mihi ante oculos cordis semper ponebam; nam vere a dextris mihi semper est, tanquam tegens latus meum, meque præcedens, ut adjutor fortis, non commovear de gradu meo, sed persistam, et perseverem usque in finem.

9. Propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea, insuper et caro mea requiescet in spe.

Explicat nunc tandem hæreditatem præclaram, quam Deus restituet sibi, et aliis, qui Dominum elegerunt. *Propter hoc*, id est, quia Dominus a dextris meis est adjutor et protector fidelissimus *lætatum est cor meum*, lætitia vera et solida, de qua Dominus in Evangelio Joan. 16. *Gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Et exultavit lingua mea*, quia gaudium æternum redundare solet etiam exterius. In Hebræo habetur, *Exultavit gloria mea*, quod in idem recidit; gloria enim interior per linguam exultat exterius, *Insuper et caro mea requiescet in spe*, hoc est, animus lætabitur, et caro obdormiet in morte placida et secura, ob certam expectationem celerrimæ resurrectionis.

10. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Hæc explicata sunt ab Apostolis Petro et Paulo, Act. 2. et 13. et quamvis proprie de solo Christo hæc dicantur, cujus anima non est relicta apud inferos, in limbo videlicet Sanctorum Patrum; neque caro in sepulchro experta est ullam putrefactionem; tamen nos omnes hæc dicere possumus, tum quia membra Christi sumus, et in illo, ut ait Apostolus, Ephes. 2. *conresuscitavit nos Deus*; tum quia animæ nostræ non relinquentur in inferno, id est, in Purgatorio; neque caro nostra videbit æternam corruptionem.

11. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo; delectationes in dextera tua usque in finem.

Hic exponit perfectam hæreditatis promissionem. *Notas*, inquit, *mihi fecisti vias vitæ*, id est, docuisti me modum redeundi ad vitam post mortem; metaphora est pulcherrima, per quam modus per se resurgendi dicitur via usque ad illam diem ignota, quia nullus unquam per se

resurrexit, Christo excepto. Nec solum, inquit, docuisti me resurgere ex mortuis, sed etiam *adimplebis me lætitia cum vultu tuo*, gloriosum, immortalem, et beatum faciens me, vultum tuum mihi ostendendo; nam ex visione Dei, in qua consistit beatitudo essentialis, redundat etiam gloria in corpus, qua sola Christus carebat, gloriam enim animæ à conceptione habuerat. *Delectationes in dextera tua usque in finem.* Nec solum gloriosum me facies, sed ad dexteram collocabis in cœlis, ubi delectationes sunt sine ullo fine. Quæ omnia etiam electis suo modo conveniunt, quibus Deus ostendit vias vitæ, cum legis observationem docuit esse viam ad Regnum cœlorum. Eosdem adimplet lætitia cum vultu suo, cum eis se videndum exhibet facie ad faciem, et demum delectationes usque in finem eis præbet dextera sua, cum eos ad dexteram partem collocat, et cum dextera manu sua tanquam inexhausto fonte bonorum eos indesinenter delectationibus replet. Ad finem hujus Psalmi annotare placet incredibilem temeritatem Theodori Bezæ, qui verba illa, *Non derelinques animam meam in inferno,* ex textu Græco, Act. 2. sic interpretari ausus est, *Non derelinques cadaver meum in sepulchro,* quæ enim corruptio sacrarum literarum est, si hæc non est. Vide, si placet, refutationem hujus paradoxi in nostris Controversiis lib. de Anima Christi, cap. 12. ubi demonstramus voces tum Hebraicas, tum Græcas, quæ in hoc Psalmo, et cap. 2. Actorum habentur non cadaver, et sepulchrum; sed animam, et infernum proprie significare.

PSALMUS XVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

ORATIO DAVID.

Hic Psalmus, ut ipse titulus indicat, est oratio Justi persecutionem injuste patientis, qua precatur a Deo liberationem; ducit autem argumenta, primum ab innocentia sua, secundum a justitia Dei, tertium a misericordia ejusdem, quartum a malitia impiorum Justos persequentium.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Exaudi Domine justitiam meam: intende deprecationem meam.

2. Auribus percipe orationem meam, non in labiis dolosis.

Hi duo versiculi conjunguntur in unum apud Hebræos; sed apud Græcos et Latinos distincti sunt. Res est parvi momenti, neque sententiam mutat. Primum igitur orat exaudiri justitiam suam: nam apud justum judicem magis clamat causa, quam persona. Addit deinde, ac postulat attendi etiam ad precationem suam, quia Deus non solum justitiam, sed etiam Justos diligit, et ut S. Jacobus ait cap. 5. *Multum valet oratio justi.* Postremo conjungit utrumque, justitiam et deprecationem, cum ait, *Auribus percipe orationem meam. Non in labiis dolosis,* hoc est, orationem meam, quæ non prodit ex labiis dolosis; sed in justitia nititur. Itaque sensus est, Moveat te Domine justitia, moveat deprecatio, moveat Justi deprecatio.

3. De vultu tuo judicium meum prodeat, oculi tui videant æquitates.

Alterum argumentum petit a justitia Dei, quasi dicat, te appello Domine, a te judicari volo, qui es Judex justissimus. *De vultu tuo,* id est, ab ore tuo judicium meum prodeat, id est, sententia pronuntietur. *Oculi tui videant æquitates,* noli claudere oculos, et dissimulare calumnias impiorum, sed aperi oculos, et considera quid justitia exigat. Nam, ut alias monui, non ponitur hoc loco æquitas pro epicheia, sed pro ipsa vera justitia, ut sonant vocabula Hebræa, et Græca. In Græco habetur, *Oculi mei videant æquitatem*, et sic legit S. Augustinus, et exponit de judicio hominis Justi, non de judicio Dei, ut sensus sit, de vultu tuo judicium meum prodeat, id est, illumina mentem meam, ut juste judicem: *Oculi mei videant æquitates,* id est, mens mea non aberret in judicando; sed si debeat convenire sententia Græci codicis cum lectione Hebraica, et Latina, hic debet esse sensus, Oculi mei videant æquitates, quas tu videlicet exerces, id est, videant justa judicia tua. Et sane lectio, quæ habet *oculi tui,* magis cohæret cum superioribus, et eamdem approbat S. Hieronymus in Epist. ad Suniam et Fretellam.

4. Probasti cor meum, et visitasti nocte, igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.

Reddit causam cur velit judicari a Deo; quia videlicet ipse solus scrutatur corda, et perfecte novit innocentiam servorum suorum. *Probasti,* inquit, *cor meum,* id est, tentasti, qualis sim intus, ubi nemo videt præter te, experimentum de mea sinceritate fecisti. Quomodo autem id fecerit, declarat, dicens, *Visitasti nocte, et igne me examinasti.* Nam duo sunt tempora, quibus apparet quid sit in corde, occasio occulte agendi, et tempus tribulationis. Multi enim intus mali, exterius boni, si occasionem habeant peccandi in occulto, ubi nullum sit periculum, ne dete-

gantur, tunc malitia se prodit. Sic etiam tempore prosperitatis non discernuntur mali a bonis, sed cum ignis persecutionis advenerit, tunc aurum lucebit, et palea fumabit. De primo tempore dicit, *Visitasti nocte*, id est, cum in occulto occasiones peccandi habui. De secundo vero, *igne me examinasti*, id est, ardente tribulatione. *Et non est inventa in me iniquitas.* In Hebræo, pro istis verbis, *Non est inventa in me iniquitas*, ad verbum sic legitur : *Non invenisti, cogitavi, non transibit os meum.* Quæ verba nullum sensum facere videntur. Sciendum igitur est Septuaginta Interpretes non legisse, *zammothi*, quod significat, cogitavi : sed *zimmathi*, mutatis tantum punctis, id est, iniquitatem meam, et conjunxerunt hoc nomen cum superiore verbo, et ideo reddiderunt, *Non est inventa in me iniquitas*, quod est idem cum eo, *Non invenisti iniquitatem meam*, ut ad verbum est in Hebræo. Sequentia verba, nimirum זמתי, *non transibit os meum*, conjunxerunt Septuaginta Interpretes cum verbis sequentibus, לפעלות, in *opera hominum*, et verterunt, *ut non loquatur os meum opera hominum.* Idem enim est, non transibit os meum in opera hominum, et, non loquetur os meum opera hominum.

5. Ut non loquatur os meum opera hominum, propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.

Ostendit unde factum sit, ut Deus non invenerit in eo iniquitatem : et dicit ex eo factum esse, quia custodierit vias duras justitiæ propter præcepta Dei, non ob aliquam spem humanam. Nam qui ob spem humanam custodiunt viam justitiæ, exterius id faciunt, ubi homines vident, ac per hoc invenitur in eis latens iniquitas; qui vero propter Dei mandatum viam justitiæ non deserunt, id faciunt exterius et interius, atque ideo nulla in eis iniquitas invenitur. Ait igitur, *Ego custodivi vias duras*, id est, permansi in via justitiæ, quamvis aspera, et dura, neque me ulla tribulatio ab ea via declinare fecit. Permansi autem in hac via, *propter verba labiorum tuorum*, id est, propter mandata tua, sive propter promissiones et minas tuas. *Ut non loquatur os meum opera hominum*, id est, ut non cogar implorare humanam opem; neque ab spe humana pendeam, neque laudem opera hominum. In Hebræo, pro eo quod nos legimus vias duras, habetur, *vias pariz*, id est latronis, seu dissipatoris : sed mutatis punctis, illud, פריץ *pariz*, potest legi, פרץ *perez*, id est, ruptura, sive fractura ; et sensus erit, custodivi vias præruptas, ac per hoc periculosas, et duras.

6. Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.

Agnoscens non suis viribus, sed auxilio Dei se permansisse in angusta semita justitiæ, rogat Deum, ut confirmet hoc beneficium. *Perfice gressus meos in semitis tuis*, id est confirma, et stabili gressus meos in hac via tua ; ne forte declinem ab ea, si tuo adjutorio destituar. In Hebræo ad verbum est, *Sustenta gressus meos, ne labantur vestigia mea;* ubi declaratur id ipsum per similitudinem ductam a via lubrica. Itaque perfice gressus, significat, sustenta, et stabili; et ne moveantur vestigia mea, significat, ne labantur ob viæ lubricitatem. Vere enim infirmitas carnis, et illecebra mundi faciunt viam vitæ humanæ valde lubricam; et multi labuntur in ea.

7. Ego clamavi, quoniam exaudisti me Deus, inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.

Exposito argumento ab innocentia sua, et a justitia Dei, iterum repetit orationem initio Psalmi propositam ; quæ est quasi conclusio, quæ colligitur ex duobus illis argumentis. Sententia igitur hæc est, *Ego clamavi*, ad te Domine, *quoniam exaudisti me*, id est, cum fiducia clamavi, quoniam semper alias exaudisti me. Et ideo pro solita benignitate nunc etiam inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.

8. Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te.

Hoc est argumentum tertium, quod sumitur a misericordia Dei; quasi dicat, exposui innocentiam meam, appellavi justitiam tuam; invoco nunc misericordiam, quoniam etsi me innocentem existimem a crimine, ob quod tribulationem patior; tamen multa sunt alia fortasse peccata mea, ob quæ juste puniri possem. *Mirifica ergo misericordias tuas*, id est, ita manifeste misericordias tuas exerce in me liberando, ut omnes mirentur. Tuum est enim salvos facere omnes, qui in tua misericordia spem suam repositam habent.

9. A resistentibus dexteræ tuæ custodi me, ut pupillam oculi.

In Hebræo conjunguntur cum superiore versiculo illa verba, *a resistentibus dexteræ tuæ*, ut sensus sit, qui salvos facis a resistentibus dexteræ tuæ eos qui sperant in te. Sed cohærent etiam optime cum verbis sequentibus in hunc modum, *Custodi me, ut pupillam oculi*, id est maxima diligentia ; *a resistentibus dexteræ tuæ*, id est, ab impiis hominibus, qui resistunt dexteræ tuæ, vel lædendo quos tu protegis, vel non ambulando quo tu ducis. Neque hoc est contrarium ei quod legimus in lib. Esther. cap. 13 *Non est qui possit tuæ resistere voluntati.* Nam illud intelligitur de voluntate beneplaciti, quæ semper impletur : hoc autem de voluntate signi, quæ non semper impletur, quia Deus permittit impios multa facere contra leges a se positas : sed eos postea punit, ut merentur. Idcirco S. Petrus hortatur, dicens, *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.* 1. Petr. 5. Similitudo illa, *ut pupillam oculi*, aptissima est, quoniam pupilla res est simul pretiosissima, et infirmissima, et ideo diligentissime custodiri solet, et ab ipsa natura munita est, tum variis tunicis, tum etiam palpebris, et pilorum vallo.

10. Sub umbra alarum tuarum protege me a facie impiorum, qui me afflixerunt.

Idipsum repetit alia similitudine. Sicut enim pulli teguntur alis gallinæ, et eo modo obumbrantur, et securi delitescunt, ut lædi non possint a milvis : sic optat Justus protegi divino auxilio a persecutoribus suis. Illud *a facie impiorum*, significare potest, a conspectu impiorum : alæ siquidem dum pullos tegunt, faciunt ne videantur a milvis. Item a morsu impiorum, sive ab ira impiorum. Nam et dentes in facie sunt, et

ira in facie demonstratur. Illud, *qui me afflixerunt*, significat Justum jam expertum esse morsus impiorum, et ideo protectionem quærere, ne si sæpius mordeatur, tandem consumatur. Familiaris est hæc similitudo divinæ Scripturæ Psal. 62. *In velamento*, inquit, *alarum tuarum sperabo* : et rursus, Psal. 90. *Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis*, et ipse Dominus in Evangelio. *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?* Matth. 23.

11. Inimici mei animam meam circumdederunt, adipem suum concluserunt, os eorum loquutum est superbiam.

Est hoc argumentum postremum, quod sumitur a malitia inimicorum. *Inimici mei*, inquit, *animam meam circumdederunt*, id est, vitam meam, sive me ipsum undique premunt, *adipem suum concluserunt*, id est, nulla misericordia moventur, etiamsi me videant ad extrema redactum; *os eorum loquutum est superbiam*, id est, non solum non miserentur, sed etiam insultant arroganter. Porro adipem concludere, significat viscera claudere, ac per hoc non misereri juxta illud S. Joannis. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere : et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* 1. Joan. 3. Quia vero viscera claudi solent, cum adeps crescit, ideo maluit Propheta dicere, *Adipem suum concluserunt*, quam viscera clauserunt, ut simul indicaret causam, unde viscera clauduntur, quæ est multiplicatio adipis, id est, opulentiæ temporalis. Sicut enim adeps naturalis claudit viscera carnalia : ita multiplicatio opum, facit superbe sapere, et contemnere proximos, et claudit viscera spiritualia.

12. Projicientes me nunc circumdederunt me, oculos suos statuerunt declinare in terram.

Pergit narrare nequitiam inimicorum, et ait eos modo unam viam aggredi, modo contrariam, sic tamen ut semper noceant. *Projicientes me nunc circumdederunt me*, id est, antea projicientes a suo consortio, nunc circumdederunt me. In Græco sensus est clarior, quia illud, *projicientes*, est temporis præteriti, ἐκβάλλοντες, et significat, *cum projecissent me*. Itaque sensus est, cum antea projecissent me a suo consortio, ne fruerer communibus bonis : nunc iterum quærunt me, et circumdant, ut malis afficiant. Hujus autem malitiæ ipsorum causa est, quia *statuerunt oculos suos declinare in terram*, id est firmiter decreverunt non aspicere ad Deum, qui est in cœlo, nec timorem ullum Dei admittere; sed solum terram intueri, et ea quæ in terra sunt bona sectari. In Hebræo pro illa voce, projicientes me, habetur, אשורנו *assurenu*, quod aliqui vertunt, *gressu meo; alii incedentes in me*, alii aliter. Sed Septuaginta Interpretes legisse videntur, הורי שוני *hori suni*, quod significat, *expulerunt me*; sunt enim litteræ fere eædem, sed transpositæ.

13. Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam, et sicut catulus leonis habitans in abditis.

Non solum, inquit, circumdederunt me, sed crudelissime in me sævierunt, *Susceperunt* enim *me*, ea aviditate et sævitia, qua *leo paratus ad prædam*, suscipit occurrentem sibi oviculam. Dicitur autem leo paratus ad prædam, is qui famelicus, et in prædam intentus est. Idem repetit per verba sequentia : *et sicut catulus leonis habitans in abditis*, id est, sicut leonis catulus latens in insidiis suscipit prædam sibi occurrentem. In Hebræo pro *susceperunt me*, habetur, דמיונו *dimiono*, similitudo ejus, videlicet, impii, quasi leonis desiderantis prædam. Cæterum Septuaginta legerunt paulo aliter, ut legi potest vox illa, si removeantur puncta, nimirum videntur legisse, דמוני *demauni*, ab eodem verbo, *dama*, quod non solum similem esse, sed etiam succidere significat. Itaque intellexerunt hic significari, ὑπέλαβον *succiderunt me*, sicut leo succidere solet prædam oblatam; sed pro succiderunt, maluerunt vertere, *susceperunt*, nimirum ad succidendum, quia non succiderunt reipsa, sed tantum voto : non enim Deus permisit ut reipsa succiderent, ut ex sequenti versiculo perspicuum est.

14. Exurge Domine, præveni eum, et supplanta eum : eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ.

Explicata malitia persequentium rogat Deum, ut adsit, et liberet ipse, qui solus potest. *Exurge Domine*, non amplius differas auxilium; *præveni eum*, id est, impium, qui instar leonis me rapuit ad devorandum, præveni dentes ejus, ne eos in me infigat, et occidat. Et vere solus Deus prævenire potest actionem cujuslibet causæ etiam velocissime agentis; sicut prævenit dentes leonum, ne læderent Danielem inter ipsos famelicos jacentem; et sicut prævenit impetum ignis, ne combureret tres pueros in fornacem projectos : ex quo magna consolatio oritur justis, qui sciunt eam esse Dei sui potentiam, ut securos eos præstare possit inter dentes leonum et inter flammas ignis ardentis; *Supplanta eum*, id est, decipe eum, mirabili providentia tua efficiendo, ut dum putat se dentes infigere in carnem justi, infigat in carnem propriam. *Eripe animam meam ab impio*, id est, ne sinas me occidi ab impio sæviente more leonis, sed libera, et salva me. *Frameam tuam ab inimicis manus tuæ*. In Hebræo post, *frameam tuam*, finitur versiculus, et deinde incipit alius versus; et quia Hebræi non declinant nomina per casus, potest sic verti ea sententia; *eripe animam* meam ab impio, framea tua, id est, ut vertit sanctus Hieronymus, *ab impio qui est framea tua*, vel, ut alii volunt, eripe animam meam ab impio framea tua, id est, per frameam tuam, sed versionem Septuaginta, et editionem Vulgatam sequendo, sensus erit, eripe animam meam ab impio, ac ut hoc facias, eripe frameam tuam, id est, protestatem affligendi, ab inimicis manus tuæ, id est, ab iis qui ea non bene utuntur, qui sunt inimici manus tuæ : ac per hoc non sequuntur directionem manus tuæ, sed contra eam abutuntur potestate a te illis concessa: *Omnis enim potestas a Deo est*, sive, ut Apostolus loquitur, *Non est potestas nisi a Deo*. Rom. 13. In Hebræo pro, inimicis manus tuæ habetur, *a viris manus tuæ*, sive, *a mortuis manus tuæ*; nam vox Hebræa, מתים *methim*, et viros, et mortuos

significat. Septuaginta Interpretes intellexerunt significari mortuos, et verterunt, ἀπ' ἐχθρῶν τῆς χειρός σου, *inimicis manus tuæ*, quoniam inimici manus Domini, id est, qui nolunt sequi directionem manus Domini, mortui sunt manui Domini, quomodo omnes peccatores dicuntur mortui Deo, et inimici Dei; verterunt autem potius, inimici, quam mortui, quia id est multo clarius.

15. Domine, a paucis de terra divide eos in vita eorum : de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.

Imprecatio est Prophetica, id est, prædictio per modum imprecationis; prædicit enim futurum, ut dividantur impii a Justis, et impiis quidem sola temporalia tribuantur, Justis vero etiam æterna. *Domine, a paucis de terra divide eos*, id est, separa multitudinem impiorum a pusillo grege tuo. In Hebræo est eadem vox, מתים *methim*, quæ in fine versiculi superioris. David enim sicut inimicos Dei vocaverat mortuos Dei; ita nunc amicos Dei vocat mortuos seculo, sive terræ, vox enim, חלד *cheled*, significat terram, mundum, seculum, et similia. Itaque verti poterat, divide eos a mortuis mundo : sed maluerunt Septuaginta dicere a paucis de terra, qui vere mortui mundo sunt valde pauci, respectu amatorum mundi. Illud, *divide eos*, est in Hebræo, pars eorum, sed mutatis punctis eædem voces significant, divide eos. Quod sequitur, *in vita eorum*, posset recte conjungi cum sequentibus nisi obstaret particula, et, *et de absconditis tuis, etc.* quæ particula est in Hebræo, et in Græco, et in multis Latinis : nec scio cur in editione Vulgata omissa sit. Sensus igitur est, non solum in vita futura, sed etiam in præsenti, quæ proprie est vita ipsorum, quam ipsi videlicet solum agnoscunt et amant, dividendos a viris justis, qui seculo mortui sunt. In hoc autem divisio consistit, quod *de absconditis tuis adimpletus est venter eorum*, id est, de bonis terræ a Deo creatis, et conservatis, et quæ veluti de thesauro abscondito singulis annis emanant, adimplent ventrem suum, et hanc partem suam esse dicunt.

16. Saturati sunt filiis, et dimiserunt reliquias suas parvulis suis.

Hoc est, filiis abundant, et iis post mortem sua relinquunt bona, quæ ipsis supersunt; hæc enim censetur a filiis hujus seculi perfecta felicitas, si et ipsi bonis terrenis circumfluant, et filios suos bonorum suorum relinquant hæredes. Ex Græco sanctus Augustinus vertit, *Saturati sunt porcina;* sed etiam verti posse dicit, *Saturati sunt filiis.* Ratio hujus varietatis in promptu est, nam vox Græca si scribatur per simplex ypsilon ὑῶν, significat porcum; si scribatur per ypsilon et iota, υἱῶν, significat filios, sed ex Hebræo perspicuum est, legendum filiis, non porcina.

17. Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo, satiabor cum apparuerit gloria tua.

In hoc, inquam, divisio consistit, quod illi saturari cupiant in hac vita bonis terrenis, *ego autem*, ut etiam cæteri Justi, in hac vita justitiam esuriam; et in alia, gloria et beatitudine satiabor. *In justitia apparebo conspectui tuo*, id est, juste coram te vivere studebo; *satiabor cum apparuerit gloria tua*, id est, sicut nunc tibi apparebit justitia mea, ita postea mihi apparebit gloria tua, et tunc demum vere satiabor nihil amplius expetens. In Hebræo pro *apparebit gloria tua*, habetur, *cum excitabitur similitudo tua*, et sensus est idem; tunc enim apparebit nobis gloria Domini, quando excitabitur in nobis similitudo, de qua scriptum est, 1. Joan. 3. *Similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est.* Quando enim videbimus eum sicuti est, tunc erimus ei similes in gloria : nam, et ipse beatus est, quia seipsum videt. Hæc est enim vita, et gloria sempiterna, videre Deum sicuti est.

PSALMUS XVII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem, puero Domini David, qui loquutus est Domino verba Cantici hujus, in die, qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum ejus, et de manu Saul, et dixit.

Hic titulus indicat Psalmum hunc a Davide compositum fuisse in gratiarum actionem, quando liberatus fuit ab omnibus inimicis suis, et potissimum a Saule, qui nominatim ea de causa exprimitur. Habetur hic idem Psalmus in lib. 2. Regum cap. 22. paucis mutatis. Mutatio autem illa incertum est, an ab ipso Davide facta fuerit, an ab Esdra, qui Psalmos collegit. Quia vero David figuram Christi gessit, potest Psalmus hic etiam de Christo recte exponi.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus.

Diligam te Domine; id est, merito te diligere debeo, cum tot beneficiis me tibi devinxeris. Exponit deinde beneficia a Deo accepta: ac primum unico verbo, tum pluribus nominibus, postremo rerum gestarum enarratione. Unico verbo exponit, cum dicit, *Fortitudo mea*, id est, causa totius roboris mei, quo de hostibus omnibus triumphavi. Quod autem uno verbo dixit, *Fortitudo mea*, explicat per partes dicens, *Firmamentum, refugium, et liberator*, quasi dicat, Merito dixi Deum esse robur meum, quia ipse est firmamentum, refugium, et liberator meus. Cum in toro sum ipse mihi est firmamentum, cum in periculo versor, ipse mihi refugium præbet, cum forte in manus hostium incido, ipse me liberat. Itaque omnibus modis ipse mihi fortitudo, et robur est. In Hebræo pro voce, *diligam*, non est verbum, אהב *ahab*, quod simpliciter amare significat, sed, רחמי *racham*, quod significat amare ex intimis visceribus. Pro vocabulo, *Firmamentum*, est, סלעי *salhhi*, Petra, id est, stabile, ac solidum fundamentum. Pro, *refugium* מצודתי *methsurati*, id est, arx, sive munitio, sive munitissima arx, ad quam tuto quis confugere possit. Sed Septuaginta Interpretes metaphoras exponere voluerunt, ideo non petram et arcem, sed firmamentum et refugium dixerunt. In 2. lib. Reg. cap. 22. deest illud principium, *Diligam te Domine fortitudo mea.* Incipit enim Psalmus, *Dominus petra mea, etc.* Sed pulcherrimum illud principium videtur non ab alio, quam ab ipso Davide fuisse additum.

2. Deus meus, adjutor meus, et sperabo in eo.

3. Protector meus, et cornu salutis meæ, et susceptor meus.

In his duobus versiculis, qui in Hebræo continuantur cum primo versiculo, ex vehementia affectus in Deum repetit Propheta, et inculcat epitheta benefactoris sui. Respondent autem tria hæc, *Adjutor, protector, et cornu salutis*, tribus illis, *Firmamentum, refugium, et liberator.* In Hebræo pro voce, adjutor, habetur, צורי *tsuri* petra, sicut pro voce Firmamentum, erat etiam petra, sed alia, et alia voce. Itaque vocat Deum adjutorem, quia præbet stabilimentum, ut non cadat, juxta illud Psalm. 39. *Statuit supra petram pedes meos.* Et merito adjungit, *Sperabo in eo*, tanquam in firmissimo fundamento. Pro voce, Protector, habetur in Hebræo, מגני *maggi, scutum*, sive clypeus, sicut pro voce refugium, erat arx. Utrumque enim protegit, et defendit. Itaque voluerunt Septuaginta Interpretes explicare metaphoras nominum Hebraicorum. Cornu salutis est tam in Hebræo, quam in Græco, et significat robur ad salvandum. Metaphora sumpta ab animantibus cornigeris familiaris est Scripturæ divinæ. Psalm. 131. *Producam cornu David*, id est, faciam ut David robustus sit, ac potens instar Tauri cornibus armati, non imbecillis, ac debilis more vituli nondum cornua producentis. Ezech. 29. *In illa die pullulabit cornu domui Israel.* Micheæ 4. *Ponam cornu tuum ferreum.* Luc. 1. *Erexit nobis cornu salutis in domo David.* Dicitur igitur Deus cornu salutis Davidi, et omnibus Justis, quia justi robustissimi sunt contra omnes hostes; sed robur eorum non in viribus propriis, sed in Dei adjutorio et favore consistit. *Omnia possum*, dicebat Apostolus, *in eo qui me confortat.* Respondet autem cornu salutis meæ, particulæ illi, et liberator meus. Liberat enim Deus per cornu salutis, id est, per salutiferam potentiam suam. Denique illud, *et susceptor meus*, est nomen complectens omnia alia, et respondet primo illi nomini, *Fortitudo mea.* Quos enim Deus suscipit, liberat, protegit, confirmat.

4. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

Est hæc quasi conclusio quædam superiorum

verborum : quasi dicat, Ego deinceps assidue Deum laudabo pro tot acceptis beneficiis, et magna fiducia in tribulationibus meis, eumdem Deum invocabo, et sine dubio a quibuscumque hostibus liberabor. In Hebræo habetur, מהלל *Mehullal* quod recte S. Hieron. vertit, *Laudatum invocabo Dominum*. Sed si puncta mutentur, eædem litteræ faciunt מהלל *Meallel*, quod significat, *laudans invocabo*, ut verterunt Septuaginta. Sententia semper est eadem, nimirum laudabo, et invocabo, gratias agam pro peccatis, et invocabo pro futuris.

5. Circumdederunt me dolores mortis, et torrentes iniquitatis conturbaverunt me.

6. Dolores inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis.

Incipit Propheta jam enarrare accepta beneficia. Ac primum dicit, se quondam fuisse in apertissimo periculo vitæ, quando videlicet, Saul eum quærebat, ut interficeret. Sed hoc periculum vitæ poetice describit variis metaphoris adhibitis. *Circumdederunt me dolores mortis*, id est, undique talia pericula me oppresserunt, ut de salute corporali desperarem : et ideo tali dolore, id est, mœrore animi affectus fui, quali affici solent, qui mortem sibi imminere vident. *Et torrentes iniquitatis conturbaverunt me ;* id est, inde periculum, et dolor, de quo dixi, proficiscebantur, quod multitudo iniquorum instar torrentis me invaserant et conturbaverant, quomodo conturbari solent, qui a torrente aquarum deferuntur et circumvolvuntur. *Dolores inferni circumdederunt me :* repetit quod dixerat, *circumdederunt me dolores mortis.* Idem enim est hoc loco, dolor mortis, et dolor inferni. Nam quia ante Christi passionem omnes qui moriebantur ad infernum descendebant, quamvis non ad eamdem partem inferni ; ideo pro eodem accipiebatur, mori, et ad infernum descendere. *Circumdederunt,* inquit, *me dolores inferni,* id est, mœror animi, qualem patiuntur, quibus imminet discessio ex hoc mundo ad locum mortuorum, qui est infernus. *Præoccupaverunt me laquei mortis :* repetit quod dixerat, *torrentes iniquitatis conturbaverunt me.* Sicut enim conturbatio ex multitudine iniquorum in eum insurgentium erat causa Davidi dolorum mortis: ita præoccupatio laqueorum mortis erat causa eidem Davidi dolorum inferni. Vocat laqueos mortis insidias iniquorum, quibus petebatur ad mortem. Itaque sensus horum duorum versiculorum est, Davidem occupatum fuisse ingenti dolore ob imminens mortis periculum, tum ex invasione manifesta inimicorum instar torrentis violenter rapientis et involventis, tum ex insidiis eorumdem inimicorum, instar laqueorum incautos capientium. Quod attinet ad verba, pro dolores, in Hebræo habetur, חולי *cheule*, quæ vox dolores, et funes significare potest. Ideo S. Hieronymus vertit, Funes mortis, et funes inferni. At Septuaginta Interpretes verterunt, Dolores mortis, et dolores inferni : quæ lectio posterior clarior est. Pro torrentes iniquitatis, in Hebræo habetur, נחלי בליעל *nachale belyahal Belial*, quod S. Hieronymus vertit, *torrentes Diaboli*, et Septuaginta Interpretes, *torrentes iniquitatis.* Utrumque recte se habet ; nam *Belial*, ad literam sonat, absque jugo, et in Scripturis sanctis passim invenitur hæc vox usurpata ad significandos viros iniquos, qui excusserunt jugum legis ; vel ipsam iniquitatem, quæ est contraria legi: et quia iniquorum caput est Diabolus ; ideo Diabolum quoque hac voce significare solent Hebræi.

7. In tribulatione mea invocavi Dominum, et ad Deum meum clamavi.

Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam, et clamor meus in conspectu ejus, introivit in aures ejus.

Dixerat se in maximo periculo constitutum fuisse : nunc dicit se confugisse per orationem ad Deum, et exauditum. *In tribulatione mea*, id est, in illis magnis angustiis, in quas me conjecerat persecutio Saulis, et in aliis similibus multis, *Invocavi Dominum*, in quo tota mea fiducia posita esse solet. *Et ad Deum meum clamavi.* Repetitio est Davidi familiaris. *Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam*, id est, oratio mea pervenit usque ad summum cœlum, quod est templum Dei non manufactum, et vere sanctum, quod violari, pollui que nulla ratione potest. *Et clamor meus in conspectu ejus, introivit in aures ejus.* Repetitio est, et aliquo modo declaratio superioris versiculi : quasi dicat, Clamosa oratio mea, id est, magno affectu prolata, et in conspectu ejus effusa, id est, quam effudi Deum pro oculis habens, *introivit in aures ejus*, id est, exaudita est. In Hebræo habentur in futuro omnia verba, invocabo, clamabo, exaudiet, introibit. Sed Septuaginta Interpretes recte verterunt in præterito, invocavi, clamavi, exaudivit, introivit ; quoniam lex Hebraicæ Grammaticæ id permittit, ut futurum ponatur pro præterito.

9. Commota est, et contremuit terra : fundamenta montium conturbata sunt, et commota sunt, quoniam iratus est eis.

Incipit jam describere effectum exauditionis divinæ, qui fuit auxilium de cœlo adversus inimicos suos, ex quorum interitu ipse tandem non solum pericula evasit, sed etiam Regnum adeptus est. Describit autem iram Dei adversus hostes suos poetico more: sicut enim cum irascitur Rex aliquis, et bellum parat, totum ejus Regnum turbatur ; ita cum irascitur Rex totius Mundi, totus Mundus turbatur, ac potissimum tria visibilia elementa, terra, aer, et aqua. Non significat hoc loco David re ipsa terram, et aerem, et aquam, ita perturbata fuisse, ut verba sonare videntur : sed significat talem esse Dei iram, ut possit continuo tremefacere terram usque ad ima fundamenta ; et in aere continuo excitare ventos, nubesque tenebrosas, et tonitrua, atque fulgura : denique fontes, et flumina, et maria ita siccare, ut appareant cavernæ terræ, et fontium origines. Incipit ab elemento terræ, ac dicit, *Commota est, contremuit terra, fundamenta montium commota sunt, quoniam iratus est eis;* hoc est, quando Deus irascitur terræ, continuo tota movetur, et contremiscit, non solum in superficie, sed usque ad ima montium fundamenta. Nec solum quando Deus irascitur, sed etiam quando præsentiam suam manifestat in terra, concussio terræ consequitur, quasi tre-

mentis, et reverentis Majestatem Creatoris. Sic in Resurrectione Christi terræ motus factus est magnus; et cum idem Christus moriens infra terram descensurus erat, terra mota est. Et David in alio Psalmo, *A facie Domini mota est terra*, Psal. 113. In Hebræo non habetur, *quoniam iratus est eis*, sed, *quoniam ira ei*, id est, quoniam iratus est. Itaque secundum textum Hebraicum terra, כי חרה לו *chicharah lo*, et montes contremiscunt, non quia Deus ipsis montibus iratus est, sed quoniam absolute iratus est. At Septuaginta vertentes, *quoniam iratus est eis*, significare voluerunt, iram Dei esse contra terram, et terræ montes, ratione hominum, qui in terra habitant; alioqui nulla est ratio cur Deus terræ et montibus irascatur.

10. Ascendit fumus in ira ejus, et ignis a facie ejus exarsit, carbones succensi sunt ab eo.

Adhuc pergit explicare operationem Dei in terra, quando vult Deus ostendere in ea præsentiam suam; non enim solum terram tremere facit, sed etiam ardere, ac fumare quod accidisse describitur Exod. 20, Hebr. 12. quando Deus in Monte Sina legem dedit. *Ascendit*, inquit, *fumus in ira ejus*, id est, ira Dei excitavit in terra calorem vehementem, unde ingens fumus ascendit. *Et ignis a facie ejus exarsit*; nec solum calorem, et fumum, sed etiam incendium magnum excitavit. *Carbones succensi sunt ab eo*, id est, ira Dei, sive facies Dei terram respiciens ita fecit eam ardere, ac si totam in carbones ardentes convertisset. Alibi etiam dicit: Qui respicit terram, et facit eam tremere, qui tangit montes, et fumigant. Psal. 103.

11. Inclinavit cœlos, et descendit, et caligo sub pedibus ejus.

Transit a terra ad aerem: et describit ea quæ fiunt in aere, quando Deus iram, vel præsentiam suam demonstrare vult. Dicitur Deus inclinare cœlos, quando demittit nebulam, in qua ipse apparet. Videtur enim nebula quasi pars cœli, ordinarie autem Deus per nebulam se ostendere solitus est, ut patet ex lib. Num. cap. 9. 3. Reg 8. Matth. 17 et alibi. Ait igitur, *Inclinavit cœlos, et descendit*, id est, demissa nebula, per eam se manifestavit, *et caligo sub pedibus ejus*, id est, ita Deus in nebula habitavit, quasi caliginem sub pedibus haberet: sunt omnia metaphorica, ex quibus intelligimus Deum invisibiliter præsentem nobis se facere.

12. Et ascendit super Cherubim, et volavit, volavit super pennas ventorum.

Pergit describere operationem Dei in aere, quando iram suam manifestare hominibus vult. Ponit autem nobis ante oculos Deum, quasi hominem armatum insidentem currui velocissime discurrenti, et ex eo sagittas in hostes suos emittentem. Currus Dei sunt nubes, juxta illud Psalmi 103. *Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum.* Equi velocissimi sunt venti, qui nubes huc, illucque deferunt. Aurigæ sunt Angeli, quos Cherubim vocat. Sagittæ sunt fulgura, et fulmina, quæ ex nubibus jaciuntur. Et vere mirabilis est ista descriptio. Nulli enim sunt currus agiliores nubibus, nulli equi velociores ventis, nulli aurigæ peritiores Angelis, nulla jacula, quæ cœlestibus fulminibus conferri possint. Et præterea currus isti ex eo loco superiore pugnant, ut lædere possint et lædi non possint. *Ascendit*, inquit, *super Cherubim*, id est, non solum Deus utitur nebula, quasi domo, vel tentorio sed etiam utitur nubibus, quasi curribus; et Angelis Cherubim, quasi aurigis et ventis, quasi equis. Dicitur autem ascendere super Cherubim, ut intelligamus Deum non regi ab auriga, sed ipsum præsidere aurigæ, et principalem esse, tum ipsius currus, tum aurigæ motorem atque rectorem. Itaque dicitur Deus ascendere super Cherubim, et volare super pennas ventorum, quia utitur ministerio Angelorum in movendis nubibus, quæ sunt veluti currus aerei, et velocissimi, quippe qui trahuntur a ventis, veluti equis pennigeris, ac per hoc non ambulant, sed volant, et volant celerius omni volucre.

13. Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu ejus tabernaculum ejus: tenebrosa aqua in nubibus aeris.

Ne putaretur Deus visibiliter in nubibus, tanquam in curru eminere, declarat Propheta Deum invisibiliter adesse, et ea de causa tenebrosis nubibus uti, ut eo veluti symbolo invisibilem se esse demonstret. Est etiam in his verbis elegantissima et poetica metaphora. *Posuit*, inquit, *tenebrasl atibulum suum*, id est, latet Deus in tenebrosis nubibus, quasi in loco abdito, sive effecit ut nubes tenebrosæ pro latibulo sibi deservirent. *In circuitu ejus tabernaculum ejus*, id est, eædem nubes sunt quasi tabernaculum Deo, quo ipse undique tegitur. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*, id est tabernaculum, de quo dixi, nihil est aliud, nisi nubes tenebrosa, qualis est, cum est disposita proxime, ut in aquam vertatur. Tunc enim est nubes valde densa, et aquea, ut non improprie aqua dici possit in nube existens.

14. Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando, et carbones ignis.

Declarat quomodo Deus ex nubibus, quasi ex curribus suis armatis pugnet, ac dicit, jubente Deo nubem scindi, et inde prodire grandinem et fulgura, instar carbonum ignitorum. Elegantissime autem dicit: *Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt*, quasi scissura nubium procedat a fulgore Dei intus latentis, quasi nubes ferre non possit Divinum fulgorem, et ideo in conspectu Dei rumpatur, et dissolvatur, atque ex ea parte evanescat, et transeat. *Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt*, id est, a fulgore Dei præsentis concussæ nubes, in conspectu ejusdem Dei, transierunt disruptæ et dissolutæ. *Grando, et carbones ignis*, supple, ex ea scissura processerunt grandines et fulgura. Reipsa hoc accidit tempore Pharaonis, ut habemus in lib. Exod. cap. 9. *Et grando*, inquit, *et ignis mixta pariter ferebantur.* Similia in bello Iosue contra quinque Reges, Ios. 10. nec non in bello M. Antonini Imperatoris contra Germanos, de quo vide Tertullianum in lib. ad Scapulam; et in Apologetico cap. 5.

15. Et intonuit de cœlo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam, grando, et carbones ignis.

Idem repetit aliis verbis, ex nubis dissolu-

tione oritur fragor ingens, qui dicitur tonitru, cum quo sæpe fulmina conjuncta esse solent. Fragorem illum eleganter vocat Propheta vocem Dei, non solum quia Deus est causa fragoris illius, sed etiam quia tam ingens, et tam terrificus est sonus ille, ut soli Deo tribuendus videatur, quasi propria vox ejus. Hinc est illud ipsius Dei ad Job: *Si habes brachium sicut Deus, et si voce simili tonas.* Job. 40. Illud autem *grando, et carbones ignis*, in nonnullis Græcis textibus non habetur; in Hebræo habetur et posset legi, grandinem, et carbones ignis, ut aliqui legunt: sed noster Interpres recte vertit, *grando, et carbones ignis*, quia sunt omnino eædem voces, quæ in versiculo superiore. Itaque oportet hic etiam aliquid subintelligere, ut sensus sit, *Altissimus dedit vocem suam*, ex qua voce processit etiam grando et fulmina, quasi carbones igniti.

16. Et misit sagittas suas, et dissipavit eos, fulgura multiplicavit, et conturbavit eos.

Explicatio est superiorum, ac præsertim illius vocis *carbones ignis*, quasi dicat: Carbones ignis prodierunt ex nubium scissione, quia Deus *misit sagittas suas*, id est, fulgura, *eaque multiplicavit*, et eo modo *inimicos suos dissipavit*, *et conturbavit*.

17. Et apparuerunt fontes aquarum, et revelata sunt fundamenta orbis terrarum.

Hic jam loquitur de operatione Dei in aquis, quæ operatio est mirabilis, et repentina exsiccatio aquarum; qualis facta est in mari rubro, et Jordane flumine, ut habemus Exod. 14. et Jos. 4. ex qua exsiccatione patuit profundum maris et fluminum, quod profundum vocat Propheta *fundamentum orbis terrarum*, quia est pars infima totius terræ. Pro voce, *Fontes*, in Hebræo est אפיקי *aphiche;* quod significat, *decursus*, *seu torrentes*. Sanctus Hieronymus vertit, *effusiones aquarum;* sed cum sit nomen generale, recte potuerunt Septuaginta Interpretes reddere, *fontes*. Sensus igitur est: *Et apparuerunt fontes aquarum*, id est, jussu Dei siccatis aquis apparuit fundum fontium, sive fluminum, sive etiam maris, et sic *revelata sunt*, et discooperta, *fundamenta*, id est, partes imæ *orbis terrarum*.

18. Ab increpatione tua Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ.

Explicat causam exsiccationis aquarum. Apparuerunt, inquit, fontes, seu decursus aquarum. *Ab increpatione tua Domine*, id est, quia tu Domine increpasti aquas, et illæ continuo disparuerunt. Quomodo autem increpaverit, explicat, dicens, *Ab inspiratione spiritus iræ tuæ.* Mirabili metaphora, et plane poetica vocat Propheta ventum, cujus ministerio siccatæ sunt aquæ, spiritum iræ Dei, et increpationem Dei. Nam vento urente siccatas fuisse aquas maris rubri a Deo, testatur scriptura Exod. 14. Itaque quod proprie dici poterat, Tu Domine immisso vento vehementi, siccasti aquas maris, dicit elegantissima metaphora, Tu Domine increpasti aquas; quia impediebant transitum populi tui, et spiritu iræ tuæ sufflasti in eas; et illæ continuo fugerunt; ut alibi dicit, Psalm. 113. *Quid est tibi mare quod fugisti?* Hunc versiculum cum superiore conjungunt codices Hebraici, quia sententia prioris ab hoc posteriore pendet, sed recte Septuaginta Interpretes separaverunt, quia viderunt ex ratione metrica ita esse faciendum, neque enim absurdum est, ut una sententia duobus versibus contineatur.

19. Misit de summo, et accepit me, et assumpsit me de aquis multis.

Jam redit ad beneficium Dei enarrandum, id est, ad liberationem suam ab inimicis. Omnia enim quæ dicta sunt a versiculo nono, usque ad hunc decimum nonum, pertinent ad declarationem potentiæ Dei. Et quia dixerat initio, *torrentes iniquitatis conturbaverunt me:* et in versiculo præcedente dixerat, Deum spiritu suo siccare solitum aquas, et facere, ut appareat fundum fluminum, et maris, ideo in eadem metaphora persistens dicit, *Misit de summo, et accepit me*, id est, misit manum suam ex alto loco usque in profundum torrentis, et inde accepit me; et sic eduxit me de aquis multis, id est, oppressum tribulationibus mirabiliter liberavit. In Hebræo habentur verba futuri temporis, *mittet de summo, et accipiet me*, ישלח יקחני *iischlach, iischatani;* sed, ut sæpe diximus, non ignorabant Septuaginta Interpretes tempora confundi secundum regulas linguæ Hebraicæ, et unum pro altero sæpe poni. Hic certe magis quadrat tempus præteritum.

20. Eripuit me de inimicis meis fortissimis, et ab his, qui oderunt me, quoniam confortati sunt super me.

Quod metaphorice dixerat versu superiore, propriis verbis dicit in hoc versiculo. Illud, *quoniam confortati sunt super me*, debet exponi per tempus imperfectum, id est, quoniam robustiores me erant, et sic vertit sanctus Hieronymus; redditur enim ratio, cur necessarium fuerit auxilium Dei potentius, quia videlicet inimici Davidis, ipso Davide fortiores erant. In Hebræo, et Græco codice habetur futurum, *eripiet me*, יצילני *iitsileni*: cæterum nostra lectio habetur etiam in antiquis libris, et eam exponunt Hieronymus, et Augustinus. Quare verisimile est in Græco ῥύσεται με fuisse olim in præterito. Hebraicum autem recte potest accipi pro præterito.

21. Prævenerunt me in die afflictionis meæ, et factus est Dominus protector meus.

Inculcat aliis verbis beneficium Dei. *Prævenerunt me in die afflictionis meæ*, id est, nulla injuria a me lacessiti, ipsi primi fuerunt ad nocendum, vel, antequam præcavere possem me adorti sunt, prævenerunt que incautum: sed Dominus pro me vigilavit, et fecit, ut eorum diligentia nihil mihi nocere posset.

22. Et eduxit me in latitudinem, salvum me fecit, quoniam voluit me.

Iterum atque iterum repetit liberationem suam, ut ostendat sibi alte in memoria infixum Dei beneficium. *Eduxit me in latitudinem*, id est, de angustiis tribulationum liberatum quasi in latum campum eduxit, ut libere jam spatiari possim sine metu ullo insidiatorum. *Salvum me fecit, quoniam voluit me*, id est, salvum me fecit a tot

imminentibus periculis, ad id potissimum, quia complacuit ei, id est, ob immensam ejus misericordiam, quia me dilexit. Nam etiam si paulo post allegabit merita sua, tamen ipsa merita nostra dona Dei sunt; quod sanctus Propheta non ignorabat.

23. Et retribuet mihi Dominus, secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.

24. Quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo.

25. Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo, et justitias ejus non repuli a me.

26. Et ero immaculatus cum eo, et observabo me ab iniquitate mea.

27. Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus.

Laudavit Deum de beneficio liberationis ab inimicis. Nunc addit, etiam in futurum se perpetuo liberandum, neque id ex sola misericordia, sed etiam ex justitia futurum, propterea quod juste vixerit, et vivere deinceps in animo habeat. Deus enim justus est, et justos amat, et adjuvat, ac protegit. *Et retribuet mihi,* inquit, *secundum justitiam meam,* id est, retribuet mihi, ut hactenus fecit, multa bona, prout justitia mea meretur. *Et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi,* id est, sicut ego justitiam habeo non solum in corde, sed etiam in manibus, id est, justus sum interius, et exterius, justum habeo cor, et justa opera; ita Deus mihi bona retribuet coram se et coram hominibus, interius exteriusque custodiet. At præsumptio videtur justitiam suam prædicare. Non est præsumptio, quando sincere id agitur, et agnoscitur Deus auctor bonorum nostrorum. Sic etiam merita sua coram Deo pronunciavit Nehemias 2. Esdr. 5. Ezechias, Isa. 38. Esther cap. 14. At videtur falsum, quod David hoc loco dicit. Nam cum hæc diceret, commiserat adulterium, et homicidium. Et præterea ipse alibi Psal. 18. dixit, *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine.* Et alibi Psal. 148. *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Aliqui propter hanc objectionem existimant, Davidem non loqui de justitia sua absolute, sed de justitia causæ, quam habebat cum adversariis. Alii existimant Davidem loqui solum de justitia Religionis, id est, quod semper permanserit in vera religione, nec unquam idolis cultum adhibuerit. Sed repugnant his opinionibus verba illa, *Quia custodivi vias Domini;* item, *Omnia judicia ejus in conspectu meo;* item, *Ero immaculatus cum eo,* etc. Dicendum igitur est, Davidem commemorare justitiam suam, quæ in eo sita erat, ut sincero corde Deum coleret: et propositum stabile haberet nunquam prævaricandi legem Domini, et si forte secus ageret, continuo resipisceret, et ex corde reverteretur ad Deum. Illud autem, *Delicta quis intelligit?* de peccatis venialibus intelligi potest, quæ justitiæ non repugnant. *Illud* vero, *non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens,* intelligitur de justitia quæ sine gratia Dei præveniente haberi credatur. Sic enim nullus coram Deo justificabitur, quia quicumque justus est, gratia Dei justificatus est.

28. Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris.

29. Et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris.

Reddit rationem, cur secundum justitiam suam sibi retribuendum a Deo dixerat, quia nimirum Deus reddit unicuique secundum opera sua. Alloquitur autem ipsum Deum, et ait, *Cum sancto sanctus eris,* id est, cum homine misericordi et pio, pie ac misericorditer ages, sive pium ac misericordem te præbebis. Nam vox Hebræa חשד *chasid,* pro qua nos habemus *sanctum,* proprie misericordem significat. Et pro, *sanctus eris,* in Hebræo תח חסד *thech chessed,* est verbum unicum conjugationis hitpael, quod proprie significat misericordem se reddere, vel exhibere. Itaque non est sensus, si nos erimus sancti, Deum quoque fore sanctum: sed, si nos erimus sancti, Deum nobiscum sancte, id est, misericorditer acturum. Eodem modo intelligenda sunt cætera, *Cum innocente innocens eris,* id est, ei qui nemini nocet, Deus se innocentem præbebit, id est, non ei nocebit, neque noceri ab aliis sinet. *Cum electo electus eris,* id est, cum homine sincero, et puro, id enim proprie significat vox Hebræa נבר *nabar,* purum te exhibebis, id est, sincere, et candide ages. *Et cum perverso perverteris,* id est, ei qui non est misericors, misericordiam non præstabis; ei, qui nocet, nocebis: qui non sincere agit, sed callide supplantat, eum tu callide, id est, sapienter supplantabis. Est autem hic observandum, ubi dictum est, *Cum sancto sanctus eris, cum innocente innocens eris, cum electo electus eris;* eamdem vocem Deo tributam fuisse: at ubi dictum est, cum perverso perverteris, in Hebræo non esse eamdem vocem. De homine dictum est עחש *hiches,* quod proprie perversum significat. De Deo autem, תתפתל *thithpattel,* quod significat luctari, et conari in contrarium. Itaque sensus est, si homo perversus fuerit, Deus non erit in se perversus, vel perverse aget; sed contra perversum hominem luctabitur magno molimine, ut illum plane evertat, et ab omni spe sua cadere faciat.

30. Quoniam tu populum humilem salvum facies, et oculos superborum humiliabis.

Explicat Propheta duos superiores versiculos, quasi dicat, Cum sancto sanctus eris, et cum innocente innocens, et cum electo electus, *quia populum humilem salvum facies,* id est, quia humilitas, quæ est custos omnium virtutum, tibi gratissima est, et omnibus humilibus das gratiam: cum perverso autem perverteris, quia oculos superborum humiliabis, id est, quia superbia, quæ est Regina vitiorum, tibi summopere displicet: et ideo superbis omnibus resistis, eosque dejicis, et humilias. Nominat autem oculos, præter cætera membra, quia in oculis, ac potissimum in superciliis arrogantia cernitur.

31. Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas.

Quia Propheta David videbatur satis magnifice de sua justitia, et puritate loquutus, ostendit

unde habuerit justitiam, et alia dona : et hinc maxime Deum laudat, quod ab illo sit lumen, et fortitudo , et omnia bona. *Quoniam* , inquit , *tu illuminas lucernam meam Domine* , id est , a te habeo principium omnis boni , quod est lumen ad discernenda vera bona a falsis , et vera mala a falsis. Primum enim vulnus ex peccato originali naturæ inflictum est ignorantia veri boni : et ideo prima curatio a lumine Divino incipit. *Tu* , inquit , *illuminas lucernam meam* , id est , oculum interiorem cordis mei tu solus illustras. *Deus meus illumina tenebras meas*, id est, tu pater luminum , tu lux vera in quo tenebræ non sunt ullæ, sicut hactenus cœpisti illuminare interiores oculos cordis mei : ita perge illuminare tenebras meas, id est, expellere omnes tenebras meas. Nam sine gratia Dei illustrante, quod attinet ad supernaturalia mysteria, meræ tenebræ sunt in corde nostro. Nam *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis.* In Græco habetur φωτισεῖς τὸ σκότος μοῦ, *illuminabis tenebras meas.* In Hebræo, *illuminabit tenebras meas.* Nostra lectio, *illumina tenebras meas*, habetur in antiquis libris sanctorum Hieronymi, et Augustini; sensus autem semper est idem.

32. Quoniam in te eripiar a tentatione , et in Deo meo transgrediar murum.

Particula , *quoniam*, sæpe redundat in oratione Hebraica , sicut etiam particula , *et* , quæ sæpe ponitur initio versuum, vel etiam librorum. Id admonendum fuit, ne anxie nimis quæratur ratio harum particularum. Dixerat Propheta , se a Deo habuisse lumen, quod est principium operum bonorum , veræque justitiæ : nunc addit, habuisse fortitudinem, et robur ad vitanda mala et facienda bona, quæ ex Divino lumine cognoverit vitanda, vel facienda. *In te*, inquit, *eripiar a tentatione*, id est, fretus auxilio tuo, quo fortis efficior, superabo omnes tentationes, omniaque mala vitabo. *In Deo meo transgrediar murum*, id est, ejusdem Dei confisus auxilio , atque ab eodem accepta fortitudine , omnia potero , quantumvis difficilia , quale esset transcendere altissimum murum. In Hebræo pro illis verbis, eripiar a tentatione, habetur, ארע גהוד *aruz gehud*, id est, *percurram exercitum*, sive (ut S. Hieronymus reddit) *percurram accinctus.* Videntur Septuaginta Interpretes sensum reddidisse , non verba. Nam percurrere exercitum adversariorum , et nullum vulnus accipere , idem est quod eripi a jaculis hostium , quæ jacula , tentationes significant, ut Apostolus interpretatur, cum ait, Ephes. 6. *In quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Sic etiam , percurram accinctus inter medios hostes illæsus, idem significat, quod eripiar a tentatione quando maxime opus erit.

33. Deus meus impolluta via ejus , eloquia Domini igne examinata , protector est omnium sperantium in se.

Reddit rationem, cur a Deo acceperit lumen , et vires ; et cur in eo tantopere confidat, quia Deus bonus, et verax, protector est omnium in se confidentium , et quia ipse idem est solus verus Deus , et verus Dominus, a quo bona ista expectari possunt. *Deus meus impolluta via ejus*, id est, Deus meus, cujus via impolluta est, id est Deus, qui sanctissimus est, et viam impollutam ambulat, id est, operatur justissime. *Eloquia Domini igne examinata*, id est, promissa Domini certissima , et probatissima , ut aurum igne examinatum : iste , inquam , Deus impollutus , et cujus promissio est certissima , *protector est omnium sperantium in se.* Ex Hebræo אימרת *imrath* clarior sensus habetur, in quo textu legitur eloquium in numero singulari, et pro voce, *Protector* , est *scutum.* Ex quo apparet, tam Deum , quam ejus eloquium dici scutum confidentium in Deo. Sic enim ad litteram verti posset lectio Hebraica , מגן *magan. Deus immaculatus in via sua , eloquium Domini igne examinatum, scutum est omnium sperantium in se.* Sed quia Septuaginta Interpretes posuerunt eloquia in numero multitudinis , et pro voce *scutum*, posuerunt *protector*, inde obscurata est sententia, quæ ex Hebræo dilucidanda est.

34. Quoniam quis Deus præter Dominum ? aut quis Deus præter Deum nostrum.

Est altera ratio, ut paulo ante diximus, cur in Deo sit confidendum, et cur ab eo solo lumen, et robur expectandum sit : quia ipse solus est verus Deus. In Hebræo habetur, *Quis Deus præter Dominum ? aut quis petra præter Deum nostrum :* ex quo intelligimus, Deum nostrum solum esse verum Deum, et quia solus est verus Deus , solum ipsum esse veram petram, firmam, et stabilem, in qua tuto confidere , et quiescere possimus; et omnes, qui in re alia confidunt, necesse esse, ut decipiantur, et confundantur.

35. Deus qui præcinxit me virtute , et posuit immaculatam viam meam.

Declarat nunc in particulari dona a Deo accepta per quæ ab hostibus omnibus liberatus ad Regnum pervenit. Ac primum dicit , se a Deo accepisse robur , et innocentiam , quæ duo rarissime conjunguntur. Viri enim robusti proni sunt in injurias inferendas. David autem vere fortissimus , et innocentissimus erat , ut ne hostem quidem suum Saulem occidere vellet , cum facillime posset. *Deus* , inquit , *præcinxit me virtute* , id est , simul probitatem vitæ mihi concessit.

36. Qui perfecit pedes meos , tanquam cervorum , et super excelsa statuens me.

37. Qui docet manus meas ad prælium , et posuisti ut arcum æreum brachia mea.

Describit in particulari fortitudinem suam de qua dixerat , *qui præcinxit me virtute* , ac dicit, se accepisse a Deo miram celeritatem in pedibus , et miram artem bellandi in manibus , et mirum robur in brachiis. Dicit sibi pedes ad currendum perfectos , quasi cervorum , et super excelsa collocatum , id est , ea celeritate pedum facile montes altissimos conscendisse, quod verificatum est , quando Saulem fugiens , habitabat in altissimis , et præruptis montium cacuminibus. Addit, se doctas manus ad prælium habuisse , et brachia quasi ærea , in quibus robur et ars militaris significatur. De quibus nemo dubitare potest , qui legerit primum et secundum librum Regum. Nam de arte manuum testis esse potest lapis et funda in fronte Goliath infixus :

de viribus brachiorum testes sunt ursi, et leones, quos sola vi brachiorum David interfecit. In Hebræo habetur נחתה *nichata, conteritur*, ubi nos habemus *posuisti.* Sed Septuaginta Interpretes non legerunt, נחתה *nichata*, sed *nattata*, quod est, *dedisti*, sive posuisti. Itaque corrupta videtur casu aliquo lectio Hebraica moderna, neque enim dubitari potest, quin Septuaginta Interpretes emendatos codices habuerint, eosque rectissime intellexerint.

38. Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ, et dextera tua suscepit me.

Declarat nunc innocentiam, de qua dixerat, *Posuisti immaculatam viam meam.* Nam quia dono Dei innocenter David vivebat, ideo illum Deus assidue protegebat, ut nunc dicit, *Dedisti mihi protectionem salutis tuæ.* Parum enim profuisset celeritas pedum et robur brachiorum, et ars pugnandi adversum Regem, et Regium integrum exercitum, nisi adfuisset protectio salutis Dei, id est, protectio Divina salvans, et dextera Dei suscipiens, et sustentans.

39. Et disciplina tua correxit me in finem, et disciplina tua ipsa me docebit.

Hoc etiam pertinet ad innocentiam, sive immaculatam viam Davidis ostendendam. Non solum, inquit, protectio tua mihi adfuit, sed etiam disciplina tua me correxit, id est, eruditio, quæ ex lege tua habetur, illa me direxit, ne errarem, et si quando in periculo essem errandi, illa diligenter inspecta, et considerata, *me correxit*, idque perveranter usque in finem. Eadem quoque *disciplina legis tuæ deinceps me docebit.* Posset etiam hæc disciplina significare paternam castigationem, qua Deus per aliquas temporarias calamitates Davidem correxit; si quando ob humanam fragilitatem deliquit. In Hebræo non habetur hic versiculus, sed loco totius hujus versiculi habentur hæc pauca verba. *Et mansuetudo tua multiplicavit me.* Fortasse idem est sensus, potest enim sic exponi lectio Hebraica, *mansuetudo tua*, id est, lenis, et paterna castigatio, *multiplicavit me*, id est, auxit me scientia. Nam a verbo רבב *rabab*, quod hic habetur, dicuntur, *rabbim*, Magistri, et Doctores, quod sunt multi in scientia.

40. Dilatasti gressus meos subtus me, et non sunt infirmata vestigia mea.

Pergit narrare victorias suas, quæ sunt omnia beneficia Dei. *Dilastati*, inquit, *gressus meos subtus me*, id est, fecisti me magnis passibus progredi, *et non sunt infirmata vestigia mea*, id est, nec propterea fatigatus destiti a cursu. In Hebræo תרחיב *tharchib*, habentur hæc in futuro, *dilatabis*, etc. sed ex more linguæ sæpe futurum ponitur pro præterito.

41. Persequar inimicos meos, et comprehendam illos, et non convertar donec deficiant.

42. Confringam illos, nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos.

Hæc non videntur proprie pertinere ad futurum tempus, sed ad præteritum, ut ex præcedentibus, et sequentibus colligitur. Et sicut Septuaginta Interpretes, *Dilatabis gressus meos*, verterunt, *dilatasti gressus meos*, ita potuissent reliqua vertere, et ex futuris præterita facere. Sed retinenda est lectio, ut jacet, et subintelligendum verbum, dixi, ut sensus sit, *Dilatasti gressus meos, et non sunt infirmata vestigia mea*, ideo magna spe concepta dixi apud me, *persequar inimicos meos.*

43. Et præcinxisti me virtute ad bellum, et supplantasti insurgentes in me subtus me.

Hinc apparet, Prophetam loqui de præterito. Sicut, inquit, dixi, *persequar inimicos meos*, etc. ita factum est Deo adjuvante. Tu enim *Deus præcinxisti me virtute*, id est, robore ad bellum, et tu *supplantasti*, id est, cadere fecisti, *subtus me eos, qui in me insurgebant.* Illud, *præcinxisti virtute*, est frequens in Scriptura. *Accinctus potentia, qui conturbas profundum maris.* Psal. 64. *Induere fortitudinem brachium Domini.* Isaiæ 51. *Indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se.* Psal. 92. *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto.* Luc. 24. Significat autem præcipua arma non consistere in gladio, et lorica, sed in viribus, et robore, et ideo non est auctor victoriæ, qui militem induit gladio, et lorica; sed qui viribus, et robore illum induit.

44. Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, et odientes me disperdidisti.

Idem repetit aliis, et aliis verbis, ut magis declaret, et laudet beneficium Dei. Sensus versiculi perspicuus est, significat enim a Deo factum esse, ut inimici David fugerent, et eo modo dorsum feriendum præberent. Sed verba duriuscule sonant. S. Hieronymus vertit, *et inimicorum meorum dedisti mihi dorsum.*

45. Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret; ad Dominum, nec exaudivit eos.

Reddit aliam causam victoriæ: quia non solum Deus exaudiebat orationes ejus, sed non exaudiebat orationes adversariorum ipsius, quamvis ipsi quoque Dominum invocarent.

46. Et comminuam eos, ut pulverem ante faciem venti, ut lutum platearum delebo eos.

Videtur de reliquiis inimicorum suorum loqui, quasi dicat, jam victoriam de inimicis meis retuli; sed si quæ forte reliquiæ supersunt, comminuam eas in minutissima frusta, et projiciam, ut projici solet pulvis a vento, et auferam eos de terra, ut siccari solet lutum platearum flante vento vehementi.

47. Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium.

Jam hoc factum erat, nam antequam hunc Psalmum David componeret, liberatus fuerat a variis populi contradictionibus, et defectionibus, et constitutus erat in caput gentium, id est, in Regni solium elevatus. Itaque vel exponenda sunt verba futuri temporis, pro verbis temporis præteriti, quod est usitatum in lingua Hebraica: vel certe significatur continuatio beneficii. Quasi Propheta dicat, in posterum, quod hactenus fecisti, *eripies me a rebellionibus, et constitues in solio meo, si forte dejici ab eo contingat.*

48. Populus quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi.

49. Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis.

Non sine causa postulat se eripi a contradictionibus populi sui; quia majorem fidem, et obedientiam expertus erat in quibusdam Gentilibus, quam in filiis populi Israel. Quæ est etiam prophetia manifesta de Christo, cui Gentiles adhæserunt, et a quo Hebræi defecerunt. *Populus quem non cognovi*, id est, Gabaonitæ, Gethæi, et alii, quos non cognovi pro fratribus, cum essent Gentiles, *serviunt mihi; in auditu auris obedivit mihi*, id est, promptissime mox audito imperio obedierunt. *Filii autem alieni*, id est, filii adulterini, quoad mores, *mentiti sunt mihi*, id est, deceperunt me, ficto corde servierunt. *Inveterati sunt*, id est, deflexerunt a me tanquam folia arentia. Id enim significat vox Hebræa, *et claudicaverunt a semitis*, id est, non recte, et fideliter mecum incesserunt. Hæc significant rebelliones sub Absalon, sub filio Bochri, et alias. In Hebræo, pro, *claudicaverunt a semitis suis*, habetur, contrahentur in angustiis suis, ut vertit S. Hieronymus, vel, *expavescent a carceribus suis*, ut vertit Pagninus. Sed sciendum est, vocem יחרגו *iachregu*, non haberi, nisi in hoc Psalmo; ideo si licuit Pagnino vertere, *expavescent*, et S. Hieronymo, *contrahentur:* multo magis licuit Septuaginta Interpretibus vertere, *claudicaverunt.* Imo mirum est, cur posteriores ausi sint recedere a versione antiquissimorum Interpretum in ea voce, quæ non habetur alibi in Scripturis, præsertim cum interpretatio Septuaginta maxime cohæreat cum reliquis partibus hujus versiculi. Porro altera vox מסגרות *Misgheroth*, significat proprie locum angustum, vel clausum, a verbo סגר *sagar*, quod est claudere; et propterea S. Hieronymus vertit *angustias*, Pagninus *carceres*, et Septuaginta *semitas:* nam semitæ sunt viæ angustæ. Itaque sensus est, filios adulterinos, qui ficto corde serviunt, claudicare a semitis, id est, declinare a semitis, per quas recto pede ambulandum fuisset.

50. Vivit Dominus et benedictus Deus meus, et exaltetur Deus salutis meæ.

Concludit Psalmum laudans Deum. *Vivit Dominus*, id est, nunc apparuit Dominum vivere, et sicut vivit, ita semper vivat, et *exaltetur Deus* auctor *salutis meæ.*

51. Deus qui das vindictas mihi, et subdis populos sub me, liberator meus de inimicis meis iracundis.

Exaltetur, inquit, Deus, qui vindicavit injurias mihi factas, et subjecit mihi populos, qui rebellaverunt, et liberavit me de insidiis, et impetu inimicorum furentium, quales fuerunt Saul et Absalon. Pro voce *iracundi*, habetur in Hebræo, אף *Af*, quam moderni vertunt, *et* vel *etiam.* Sed cum ea vox sæpe significet nasum, et nasus in Scriptura passim ponatur pro *iracundia*, quæ ex nasi immutatione cognoscitur, recte Septuaginta Interpretes verterunt, *iracundi;* idem est enim phrasi Hebraica, *ab inimicis meis nasi*, id est, iracundiæ, et ab inimicis iracundis.

52. Et ab insurgentibus in me exaltabis me, a viro iniquo eripies me.

Precatur sibi conservationem divinorum beneficiorum, nimirum exaltari ab insurgentibus in se, ut frustra nitantur, cum pertingere tam alte non possint, et liberari ab omni homine iniquo. Particula, *et*, in principio versiculi potuisset omitti; nam in Hebræo, et Græco non habetur, nec eam habet S. Augustinus. Videtur in nostro textu hæsisse ex altera interpretatione vocis, *Af*, quæ nasum significat, et etiam particulam, *et:* et fortasse erat in margine: sed nihil officit sensui.

53. Propterea confitebor tibi in nationibus Domine, et nomini tuo psalmum dicam.

Hac de causa, inquit, *Confitebor*, id est, laudabo confitens beneficia tua, idque non clam, sed palam, et coram multitudine populi, ut omnes discant confidere in Domino.

54. Magnificans salutes Regis ejus, et faciens misericordiam Christo suo David, et semini ejus usque in seculum.

Hæc conclusio per se manet, et sensus est, sit Dominus *magnificans salutes Regis sui*, id est, augeat, et multiplicet salutem corporis, et animæ, et omnium rerum Regis, quem ipse Deus sibi legit: et faciat perpetuam misericordiam Davidi, quem ungi jussit in Regem, et omnibus successoribus ejus usque in æternum. Quæ precatio impleta est in Christo Jesu Domino nostro, qui regnat et regnabit in omnem æternitatem. Amen.

PSALMUS XVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus David.

Titulus nihil habet novi. Argumentum Psalmi est laudatio divinæ legis. Comparat Propheta legem divinam cum cœlesti corpore, quo nihil videtur esse in rebus corporalibus pulchrius, utilius, potentius. Potest idem psalmus exponi de Christo, et Apostolis, ut S. Augustinus facit.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annunciat firmamentum.

Comparaturus legem cum cœlo, atque inde eam mirifice celebraturus, dicit, tantam esse majestatem cœli, ut inde maxime eluceat gloria Dei, qui cœlum fecit. *Cœli enarrant gloriam Dei*, id est, præ cæteris operibus Dei, quæ omnia artificem laudant, cœli sunt, qui sua magnitudine et pulchritudine gloriam Dei manifestam faciunt. *Et opera manuum ejus annunciat firmamentum*, idem repetit aliis verbis; idem enim hoc loco significant cœli et firmamentum; videlicet totum illud cœleste corpus in quo sunt stellæ, et ipse etiam Sol, et Luna. Nam in 1. cap. Geneseos, *Deus vocavit firmamentum cœlum*, et in eo posuit Solem, Lunam et Stellas. Nihil autem refert, sive cœlum, sive cœlos dicamus. Nam apud Hebræos nomen est habens formam numeri multitudinis, et conjungitur cum verbis numeri multitudinis. Sed interpretes modo vertunt cœlum in numero singulari, modo cœlos in numero multitudinis. Firmamentum igitur, in quo, secundum modum loquendi Scripturæ sanctæ, sunt omnia cœlestia lumina, *annunciat*, et declarat hominibus *opera manuum Dei*, id est, primaria et nobilissima opera manuum Dei, ex quibus ingens colligitur gloria Conditoris.

2. Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam.

Admirabilis plane est prædicatio, qua cœli enarrant gloriam Dei. Id quod ostenditur tribus modis. Primo, quia sine intermissione cœlum prædicat: secundo, quia prædicat verbis omnium idiomatum: tertio, quia prædicat toti orbi terrarum. In hoc versiculo declaratur prædicatio sine intermissione: et quia cœlum prædicat per dies et noctes, cum interdiu conspiciatur pulchritudo solis, et noctu pulchritudo stellarum; et quia dies ac noctes non permanent, sed labuntur, ac sibi invicem succedunt, ideo poetico artificio fingit Propheta, unum diem peracto cursu, et prædicatione sua, tradere diei sequenti verbum prædicationis, et noctem quoque peracto cursu, et quasi hymno cantato, tradere nocti sequenti munus canendi. *Dies*, inquit, *diei eructat verbum*, id est, dies cum finitur, tradit alteri diei verbum laudis divinæ. *Et nox nocti indicat scientiam*, id est et nox similiter cum finitur, *indicat*, id est, annunciat nocti succedenti scientiam laudandi Deum, atque ita jugiter, et sine ulla intermissione dies, et noctes quasi choreas ducunt, et Deum laudibus celebrant.

3. Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.

Hic jam demonstrat Propheta prædicationem cœlorum fieri omnibus linguis, id est, intelligi ab omnibus nationibus, ac si cœli omnium nationum linguis loquerentur, quia videlicet omnes vident pulchritudinem, et præstantiam cœli, et inde venire possunt in cognitionem pulchritudinis, et excellentiæ Conditoris. *Non sunt loquelæ, neque sermones*, id est, nulla sunt idiomata, quorum idiomatum non audiantur *voces eorum*, id est, cœlorum, id est, quæ idiomata non exprimantur vocibus cœlorum.

4. In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.

Explicatur tertia laus eloquentiæ cœlorum, quod non solum sine intermissione, et omnibus linguis, sed etiam in universa terra audiantur cœli enarrantes gloriam Dei. Per *sonum*, non intelligitur concentus aliquis corporalis, qualem in cœlis Philosophi aliqui posuerunt; sed prædicatio illa gloriæ, quæ oritur ex pulchritudine cœli considerata ab hominibus. Idem quoque est, *in omnem terram, et in fines orbis terræ*, sæpissime enim Prophetæ rem eamdem bis repetunt. In Hebræo legitur pro, sonus eorum, *Kavam*, quod significat *linea*, sive *regula eorum*. At videntur Septuaginta legisse, non קום *Kavam*, sed קולם *Kolam*, unica littera addita, quod est, sonus eorum. Nam si legissent Kavam, nunquam vertissent, φθόγγος αὐτῶν, id est, *sonus eorum*, nisi imperitissimi fuissent. Adde, quod S. Hieron. quoque ex Hebræo vertit *sonus eorum*. Et sic etiam citavit Apostolus ad Rom. 10. et congruit *sonus eorum*, cum eo quod sequitur, *verba eorum*, ubi idipsum aliis verbis repetitur. Ex quo intelligimus textum Hebraicum esse corruptum vitio scriptorum, idque post S. Hieron.

tempora. Porro S. Paulus citat hunc locum ad Rom. 10. probare volens, prædicationem Christi ad omnes gentes pervenisse. Ex quo intelligimus per cœlos exponi debere Apostolos, saltem in sensu allegorico. Et revera SS. Apostoli, ut etiam alii sancti prædicatores, rectissime comparantur cœlis, quod elevati a terra per contemplationem, ampli per charitatem, splendidi per sapientiam, semper sereni per animi tranquillitatem, celerrime moti ab intelligentia per obedientiam, pluentes per instructionem, tonantes per objurgationes, fulgurantes per miracula, multa bona terris largientes, et nihil ab eis quærentes, per veram liberalitatem, purissimi ab omni sorde per vitæ sanctitatem, denique habitaculum summi Regis per justitiam perfectam sint. Nam anima Justi sedes est Sapientiæ.

5. In Sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.

Quamvis totum cœlum enarret gloriam Dei, tamen præcipue id facit pars nobilissima cœli, quæ est sol. Proinde in sole tanquam in parte totius mundi præstantissima, *Deus posuit tabernaculum suum.* Recte autem dicit tabernaculum, non domum, quoniam in sole commoratur Deus tempore peregrinationis nostræ, quo eum videmus per speculum creaturarum; inter corporales autem creaturas sol, ut diximus, obtinet principatum. Sed cum pervenerimus ad patriam, non in tabernaculo solis Deum videbimus, sed in propria ejus domo, quæ videlicet æternitas ejus est. In Hebræo habetur, *Sol posuit tabernaculum in eis*, id est, Deus posuit in cœlis tabernaculum Soli, constituit Solem in cœlo tanquam in tabernaculo. Posset quidem utcumque lectio Græca revocari ad Hebræum, לשמש שמ אהל בהמ *leschemesch scham hoel bahem*, si cum dicitur, ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο τὴν σκηνὴν αὐτοῦ, illud αὐτοῦ accipiatur pro αὐτόθι, id est, illic, quod non est inusitatum. Tunc enim sensus esset, *in Sole*, id est, Soli, *posuit tabernaculum illic*, id est, in cœlis. Sed dura est interpretatio, *in Sole*, id est, Soli. Quia non apparet in textu Hebræo ulla verborum ambiguitas, vel obscuritas, et tamen certum est Septuaginta Interpretes viros doctissimos, non potuisse reddere, id quod reddiderunt, si legissent verba, quæ in Hebraicis codicibus habentur, cogimur dicere eos aliter legisse. Utraque sententia vera est, Deum videlicet in Sole posuisse tabernaculum suum, et Soli posuisse tabernaculum in cœlis. Probat autem Propheta Deum in Sole posuissse tabernaculum suum tanquam in excellentissima creatura tribus rationibus, quarum prima ducitur a pulchritudine, altera a robore, tertia a beneficentia. *Et ipse*, inquit, *tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Hæc est ratio ducta a pulchritudine: ipse, inquit, decorus, nitidus, ornatus exoritur, tanquam si sponsus aliquis esset, qui de thalamo nuptiali procederet; et vere nihil pulchrius, et lucidius Sole inter omnia corpora reperitur.

6. Exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo cœlo egressio ejus.

7. Et occursus ejus usque ad summum ejus, nec est qui se abscondat a calore ejus.

Altera ratio ducitur a robore, et viribus, quod sine fatigatione, summa celeritate decurrat viam prope immensurabilem. *Exultavit ut gigas*, vel ut fortis et robustus (ut ad verbum in Hebræo legitur) חגבור *chegibbor*, *ad currendam viam.* Exultatio alacritatem significat, quam habere solent, qui sine labore, imo cum voluptate aliquid faciunt. Itaque significatur hoc loco, Solem immensum cœli spatium, velocissimo cursu, sine ulla fatigatione, vel labore peragere. *A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus.* Per summum cœlum Oriens designatur. Non enim hoc loco per summum intelligitur altum, sed extremum, ut verbum Hebraicum קץ *Kez*, et Græcum ἄκρου significat. Dicitur autem extremum, ubi res incipit, et ubi desinit. Incipit autem cœlum ab Oriente, quia inde surgit ejus motus, et ibidem etiam desinit. Sensus igitur est, solem exoriri ab Oriente, et per Occidentem toto cœli ambitu decurso, ad Orientem reverti. Parum refert quod in Hebræo ישיש *iaschisch*, et Græco habetur in futuro ἀγαλλιάσεται, *exultabit*, ubi nos habemus, *exultavit.* Nam tempus futurum sæpe accipitur pro præterito. Itaque S. Hieron. vertit ex Hebræo *exultavit;* et sic etiam legunt in Commentario tam ipse quam S. August. *Nec est qui se abscondat a calore ejus.* Hæc est postrema ratio ducta ab utilitate, quam capiunt omnia inferiora a Sole. Siquidem ita fovet Sol omnia calore suo vivifico, ut dici possit communis quidam parens omnium rerum, quæ nascuntur in terra et in mari. Et ea causa est, cur Sol tam assidue et tam sollicite totum orbem circumeat, et visitet, ut res nulla se abscondat, id est, excludatur a participatione tam insignis beneficii.

8. Lex Domini immaculata convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.

Applicat nunc Propheta comparationem, quasi dicat, pulchrum est cœlum, pulcherrimus Sol, sed lex Domini multo pulchrior: lucidum cœlum, lucidissimus Sol, sed lex Domini multo lucidior: utile cœlum hominibus, utilissimus Sol, sed lex Domini multo utilior. Ponit autem ordine sex encomia legis divinæ. Primum est, *Lex Domini immaculata convertens animas*, id est, lex Domini pulcherrima est, utpote sine ulla macula, vel fœditate, cum nullum peccatum permittat, sicut permittunt leges humanæ, et ideo ubi lex Domini considerata, et perspecta fuerit, *convertit animas*, id est, convertit ad se amandam animas, easque rapit consequenter ad Deum, tam pulchræ legis auctorem. Ad illud, *convertens animas*, subintelligitur, *est*, et ideo explicuimus, convertit. Alterum encomium est in illis verbis, *Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis*, ubi per testimonium intelligitur eadem lex. Siquidem in Scripturis, et potissimum in Psalmis, lex Domini non solum vocatur lex, præceptum, mandatum, statutum, et similia, quæ apud alios quoque scriptores legem significant; sed etiam vocatur testimonium, justitia, vel justificatio, et judicium, ut perspicuum est præcipue ex psalmo 118. Dicitur lex Domini testimonium, quia testificatur hominibus, quæ sit voluntas Dei, quid a nobis requirat Dominus, quas pœnas prævaricantibus, et quæ præmia observantibus præparaverit. Ait igitur, *Testimonium Domini fidele*, id est, lex Domini,

quæ certissime bonos præmiis, et malos pœnis afficiet. *Sapientiam præstans parvulis*, id est, præstans est; sive præstat sapientiam parvulis, hoc est, hominibus parvulis sensu dat lumen prudentiæ, ut sciant bona opera facere, et peccata vitare; parvulos enim hoc loco vocat Propheta homines, qui non pollent judicio spirituali, quales sunt omnes amici hujus seculi. Et per sapientiam intelligit prudentiam spiritualem, quæ corrigit mores, et format ad præscriptum divinæ legis.

9. Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda, præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Tertium encomium divinæ legis est, quod posteaquam cœpit amari, ut habet primum encomium, et observari, ut habet secundum, mirabili lætitia perfundit hominem: nihil enim jucundius bona conscientia. *Justitia*, inquit, *Domini*, id est, lex Domini, sive præcepta Domini, quæ dicuntur justitiæ, quia justissima sunt, et quia justum faciunt observatorem, ista, inquam, præcepta, cum recta sint, lætificantia sunt, id est, *lætificant corda*; corda enim recta valde bene conveniunt cum rectis præceptis, et ideo lætantur et gaudent, cum observandorum præceptorum occasio venit. Quartum encomium est, *præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*, id est, lex Domini lucida luce divinæ Sapientiæ, illuminat oculos mentis, quia facit intelligere voluntatem Dei, et quæ sint vera bona, et vera mala. Docet etiam ceremonias Dei plenas divinis mysteriis. Illuminat etiam lex Domini per modum dispositionis; nam in malevolam animam non introibit sapientia, nihil enim magis impedit cognitionem Dei, in qua vera sapientia consistit, quam impuritas cordis. *Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, ut ait Christus Matth. 5.

10. Timor Domini sanctus, permanens in seculum seculi, judicia Domini vera, justificata in semetipsa.

Quintum encomium est, quod superiora bona non temporalia, sed æterna facit esse lex Domini. *Nam timor Domini sanctus*, id est timor Domini, quo quis Deum offendere trepidat, qui alio nomine *pietas*, dicitur *manet in seculum seculi*, quoad præmium suum; non terminantur in morte bona quæ producit observatio legis, sive timor castus legem observare faciens, sed manent in æternum. Quo modo alibi dicitur, Psal. 9. *Patientia pauperum non peribit in finem.* In Hebræo est timor Domini טהורה theora, id est, *mundus*; et in Græco similiter est ἁγνος non ἅγιος. Itaque significatur timor filialis, qui non habet admixtam servilitatem, de quo dicitur in alio Psal. 111. *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis.* Nam qui timet timore servili, servat mandata non volens, sed invitus: at qui timet timore filiali, *in mandatis ejus cupit nimis*, id est, cupit valde, et vult omnino ea servare. Ultimum encomium est, quod lex Domini sit vera, et justa per se ipsam, non egens aliunde justificari. *Judicia Domini vera, justificata in semetipsa*, id est mandata Domini, quæ dicuntur judicia, quia per ea Deus judicat homines, et quæ sunt norma, ac regula discernendi virtutes a vitiis, et opera bona a malis: ista, inquam, mandata verissima, justificata sunt in semetipsa; id est, non egent ut ab aliquo demonstrentur justa, hoc enim ipso, quod sunt mandata Dei, justa esse probantur. Et præterea decem præcepta, de quibus potissimum David loquitur, cum sint prima principia juris naturalis, continent in se talem justitiam, ut in omni loco et tempore, et casu particulari sint justa, et nullam admittant dispensationem; cum aliæ leges sæpe indigeant circumstantiis loci, temporis, et personarum, ut justæ sint. Itaque sola lex Domini justificata est in semetipsa. In Hebræo אמת *emeth*, habetur, *judicia Domini veritas*, id est, verissima, justa sunt, sive justificata sunt יחדו *iaddau*, quod significat *pariter, simul, in idipsum*, sed recte noster Interpres vertit, in semetipsa. Hoc enim loco, *justificari simul*, vel *pariter*, nihil est aliud, nisi non egere, ut aliunde justificentur.

11. Desiderabilia super aurum, et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel, et favum.

Hæc est conclusio ex superioribus, quasi dicat Propheta, Cum tam bona sint præcepta Domini, certe præponenda sunt omnibus divitiis, et deliciis hujus mundi: nam *desiderabilia sunt super aurum et lapidem pretiosum multum*, id est, in maxima copia habitum; et *dulciora super mel et favum*, id est, non solum super mel quodcunque, sed etiam super favum plenum, et redundans melle purissimo. Positum est enim illud, *et favum*, ad significandam copiam, ut correspondeat ei, quod dictum erat, lapidem pretiosum multum. In Hebræo est, *super aurum et topazion multum*, et super mel et redundantiam favorum; sed Interpretes sensum verterunt. Est autem topazius species lapidis pretiosi: sed Propheta posuit speciem pro genere. Quam longe remota est hæc veritas a sensu carnalium hominum? quotusque carnalium est, qui pro parvo lucro, vel exigua delectatione non contemnat omnia divina præcepta! et tamen verissimum est, utiliorem et jucundiorem esse legis observationem omnibus thesauris, atque omni voluptate.

12. Etenim servus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa.

Probat exemplo, sive experientia sua, verum esse, quod dixit. Nam, inquit, *servus tuus custodit ea*, præcepta, *et in custodiendis illis retributio multa* illi contingit, id est, experimento probavit servus tuus, se multa bona percipere, dum præcepta custodit. Ex Hebræo S. Hieron. vertit, servus tuus docebit ea. Pagninus autem vertit, Servus tuus illustratur in eis. Sed Septuaginta rectissime verterunt, custodit ea. Nam vox Hebræa, נזהר *nizhar*, tametsi in aliis conjugationibus, docere, vel splendere significet, tamen in passiva conjugatione, qualis est hoc loco, significat custodire se, sive cavere, vel seipsum admonere. Itaque ad verbum sic verti potuisset, *servus tuus custodit se in eis*, id est, abstinet a peccando, præcepta tua custodiens, quod est idem cum eo, *servus tuus custodit ea*, id est, præcepta.

13. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo.

Dixerat se custodire mandata Dei, corrigit se atque excipit peccata ex ignorantia, quæ vix caveri possunt. Quasi dicat, Servus tuus cavet à peccatis, legem tuam servando, non omnino, sed quantum patitur humana fragilitas. Pulchre in Hebræo, שגיאות *shiigioth*, legitur ad verbum, *ignorantias quis intelligit?* Ubi opponit ignorantiam intelligentiæ, demonstrare volens esse difficillimum cavere peccata, quæ ex ignorantia committuntur; et tamen quia vere peccata sunt, et caveri potuerunt, addit orationem, *ab occultis meis munda me.* Quod sequitur, *et ab alienis parce servo tuo*, non significat, ut Deus nobis ignoscat peccata aliena, ut vulgo hic locus citari solet; sed ut Deus custodiat nos a sodalitate perversorum hominum. Homines enim bonæ voluntatis, qualis erat sanctus David, ab ignorantia propriorum delictorum, et a seductione pravorum sodalium imprimis cavere debent. Pro voce, alienis, habetur in Hebræo זדים *zedim*, quod superbos significat. S. Hieron. vertit, *a superbis libera servum tuum.* Sed Septuaginta legerunt, *zarim*, non זדים *zedim*: significat autem זרים *zarim*, alienos. Sensus est fere idem, nisi quod secundum Hebræum, ut nunc se habet, significatur liberatio ab uno genere malorum, id est, a superbis: at secundum Græcum textum, et veram Hebraicam lectionem, significatur liberatio generalis ab omnibus perversis amicis. Nostra igitur lectio sic exponenda est, ab alienis, id est, ab iis qui alienis moribus sunt, parce servo tuo, id est, parcendo remove illos ab amicitia servi tui.

14. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, et emundabor a delicto maximo.

Reddit rationem, cur tantopere timeat improborum familiaritatem: Nam, inquit, si isti alienis moribus præditi, *non fuerint dominati mei*, id est, si per nimiam familiaritatem non me sibi subjecerint, et ad suam voluntatem me non redegerint; *tunc immaculatus ero, et emundabor*, id est, mundus ero, *a delicto maximo*, id est, a peccato gravi et mortali; omne enim mortale crimen maximum dici potest, cum a Deo bono maximo avertat, et ad pœnam gehennæ plane maximam perducat. S. August. legit, *a delicto magno*, ut habetur in Græco, sed parum refert.

15. Et erunt, ut complaceant eloquia oris mei, et meditatio cordis mei, in conspectu tuo semper.

Non solum tunc immaculatus ero, sed etiam *tunc erunt, ut complaceant*, id est, fiet ut complaceant eloquia oris mei, *et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper*, id est, hymni, quos in laudem tuam corde et ore decanto, placebunt tibi semper, quia de mundo corde et simplici ore prodibunt.

16. Domine adjutor meus, et redemptor meus.

Placebunt, inquam, tibi cantica mea, ex gratia tua, non ex meritis meis: quia ut sim immaculatus, mundus a delicto maximo, et proinde placeant tibi verba mea, dono tuo habeo, *Qui es adjutor meus, et redemptor meus*, adjutor in bonis, et redemptor a malis.

PSALMUS XIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

IN FINEM, PSALMUS DAVID.

Psalmus hic videtur cantatus a Davide prævidente Christi adventum ad debellandas aereas potestates, quo etiam pertinent duo Psalmi sequentes.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Jacob.

Cum David nullius hominis nomen exprimat, alloquitur sine dubio illum, in quem omnia justorum desideria, et omnium Prophetarum vaticinia respiciebant. Ac quasi Christum videret in bellum adversus diabolum prodeuntem, et oratione se armantem, imminente passionis tribulatione, acclamat illi: *Exaudiat te Dominus in die tribulationis*, id est, passionis, in qua, ut dicit Apostolus ad Hebr. 5. *cum clamore valido et lachrymis preces, supplicationesque offerens ad eum, qui posset illum salvum facere a morte, exauditus est pro sua reverentia.* Exauditus est autem, non ut mortem evaderet, sed ut mortem moriendo destrueret, et vitam resurgendo repararet; et confusio in gloriam, mortalitas in immortalitatem verteretur, sicut ipse ait Joan. 17. *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum*, de hac exauditione loquitur Propheta. Quo etiam pertinet, quod sequitur, *Protegat te nomen Dei Jacob.* Per nomen intelligi potest invocatio, sicut in eo loco, *In nomine meo dæmo-*

nia ejicient, Marci ult. Potest etiam intelligi potestas, sive auctoritas, ut Joan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei.* Potest denique simpliciter per nomen Dei, Deus intelligi: sæpe enim in Scripturis ponitur nomen pro persona cujus est nomen, ut cum dicit B. Petrus Act. 4. *Non est aliud nomen sub cœlo in quo oporteat nos salvos fieri*, et cum S. Lucas ait in Actis, in Græca editione, c. 1. *Erat autem turba hominum simul fere centum viginti.* Addidit Propheta *nomen Jacob*, quia Jacob significat populum Dei, cujus populi Christus est caput, quasi diceret: Protegat te Deus populi sui, ut protegendo te, qui es caput ejus populi, consequenter totus populus salvus fiat. Protectio vero petitur a telis inimicorum, ut non noceant, tunc autem vere nocuissent, si vel Christi resurrectionem vel Christi fidem, et nomen, vel Ecclesiæ propagationem impedire potuissent.

2. Mittat tibi auxilium de sancto, et de Sion tueatur te.

Per *sanctum*, intelligit montem sanctum, qui dicitur Sion, ut explicatur in secunda parte versiculi. Dicebatur autem sanctus mons ille, propter præsentiam arcæ Testamenti. Sed hoc loco videtur accipiendus mons Sion cœlestis, de quo loquitur Apostolus ad Hebræos 12. *Accessistis ad Sion montem, civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem*, etc. Nam meminit hoc loco Propheta montis Sion, ut ostendat Deum ex altissimo monte suo omnia speculari (nam et Sion specula interpretatur) ac proinde posse commode Christum præliantem videre, atque inde illi suppetias mittere; locus autem tam altus, ut inde omnia videantur, non est mons Sion terrestris, sed cœlestis. Itaque ait, *mittat tibi auxilium de sancto monte*, id est, de celsissimo cœlorum habitaculo, unde omnia cernit; *et tueatur de Sion*, id est, de altissima illa specula, unde omnia prospicit.

3. Memor sit omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat.

Quia Dominus præliaturus cum hoste generis humani, non solum oravit, sed etiam sacrificavit, id est, non solum obtulit orationem verbalem, ut sic loquar, sed etiam realem, quæ est sacrificium; ideo Propheta sicut de oratione verbali dixerat, *Exaudiat te Dominus*, ita nunc dicit de oratione reali, *Memor sit omnis sacrificii tui*, id est, non contemnat, sed semper in memoria habeat, et respiciat omnia sacrificia tua. *Et holocaustum tuum pingue fiat*, id est, acceptetur, ut solent acceptari holocausta ex animalibus pinguibus. Eo siquidem holocaustum est gratius, quo animal immolatum est melius, et perfectius. Hinc est illud Danielis cap. 3. *Sicut in millibus agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo, ut placeat tibi.* Porro Christus obtulit multa sacrificia, et ad extremum, holocaustum, ideo dicit Propheta, *Memor sit omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat.* Sacrificia multa, sunt passiones multæ, quas pertulit Dominus pro gloria Dei, dum viveret; holocaustum quo se ipse totum obtulit, est ipsa mors crucis. Additur hoc loco סלה *Sela*, in Hebræo textu, quod significat, *semper*. Itaque sensus est, Memor sit Dominus semper omnium passionum, et ipsius mortis Christi. Videtur autem precatio Davidis, prophetia potius, quam precatio: vere enim semper viget, semperque vigebit coram Deo, passio Christi, imo etiam ab initio mundi semper viguit, ac per eam nobis omnia bona donantur.

4. Tribuat tibi secundum cor tuum, et omne consilium tuum confirmet.

Declarat finem orationis, et sacrificii, quasi dicat, Ad hoc te Deus exaudiat, et sacrificium tuum accipiat, ut pervenias quo pervenire cupis, et finem tibi propositum consequaris, nemoque sit, qui te ab illo prohibere valeat. *Tribuat tibi secundum cor tuum*, id est, det tibi quod est secundum cor tuum, id est, quod cupis. *Et omne consilium tuum confirmet*, id est, et omne quod deliberasti stabiliat; ratum esse velit, et executioni mandari permittat, et concedat. In Hebræo וכל עצתך ימלה *vecol hatsathecha iemalle* habetur, *omne consilium tuum impleat*, quod est idem. Itaque sensus est: Exaudiat te Deus, et accipiat sacrificium tuum, ut destruas opera diaboli, ut hominem de captivitate liberes, ut vitam æternam in te credentibus præbeas, etc. Hoc enim fuisse desiderium cordis Christi, et consilium, et deliberationem, docent sacræ litteræ. *Filius Dei*, inquit Joannes, *venit, ut dissolvat opera diaboli*, 1. Joan. 3. Et B. Paulus, *Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere*, 1. ad Timoth. 1. Et ipse Dominus, *Venit Filius hominis quærere, et salvum facere, quod perierat*, Luc. 12.

5. Lætabimur in salutari tuo, et in nomine Dei nostri magnificabimur.

Cum id factum erit quod petimus, videlicet, ut tu Rex noster victoriam de inimicis reportaveris, tunc *lætabimur* non solum corde, sed etiam voce (id enim significat vox Hebræa, רנן *ranan*) *in salute tua*, id est, ob salutem tuam, id est, quia incolumis ex bello redieris, quæ salus et incolumitas in nos redundabit: *Et in nomine Dei nostri*, a quo tanta victoria processit, *magnificabimur*, magnos, videlicet, nos esse ducemus et dicemus, non propter magnitudinem, quæ in nobis sit, sed propter magnum Dominum, quem habemus. In Hebræo est, נדגל *Nidgal*, id est, *vexillum erigemus:* sed Septuaginta legerunt, נגדל *Nigdal*, una littera transposita, id est, *magnificabimur*. Itaque in Hebræo irrepsit error vitio scriptorum, tametsi illa etiam lectio optimum sensum habeat.

6. Impleat Dominus omnes petitiones tuas, nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.

Iterum repetit faustam precationem, quasi dicat: Impleat ergo Dominus omnes petitiones tuas, ex quibus tam multa bona sequutura sunt. *Nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum*, id est, ideo audacter repeto, ut Dominus exaudiat te, et impleat petitiones tuas, quia nunc Domini illustratione cognovi omnino fore implendas. *Cognovi enim, quod Dominus salvum fecit*, id est, certissime salvum faciet Christum suum, et jam in prædefinitione sua salvum illum fecit, a morte excitavit, in cœlo collocavit, hostes sub pedibus ejus subjecit.

7. Exaudiet illum de cœlo sancto suo, in potentatibus salus dexteræ ejus.

Quia dixerat, salvum fecit, declarat illud esse dictum de salute in prædefinitione, non in executione. Nam, ut quod prædefinitum est, tempore suo impleatur, *exaudiet illum de cœlo sancto suo*, et sic salvum faciet Dominus Christum suum. Illud, *In potentatibus salus dexteræ ejus*, potest habere duplicem sensum : potest enim accipi potentatus pro potentia et robore, et hoc magis proprie sonat vox Hebræa, גבורה *ghebura*, et tunc sensus erit, *in potentiis*, id est, in magna potentia aderit Christo salus dexteræ Dei. Et quamvis verbum Græcum, dynastia, et Latinum *potentatus*, proprie significent imperium sive principatum; tamen possunt accipi pro potentia et robore, quomodo accipiuntur eadem vocabula in Psal. 89. *Si autem in potentatibus octoginta anni*, etc. in Psal. 20. vers. ult. *Cantabimus, et psallemus virtutes tuas*, ubi in Græco est δυναστείας. Potest etiam accipi potentatus, pro principatu et imperio, ut verbum Græcum dynastia, et Latinum potentatus proprie significant, et tunc sensus erit, *Exaudiet illum de cœlo sancto suo, et in potentatibus*, id est, quia in principatibus nimirum constituendis, vel conservandis, præcipue necessaria est salus dexteræ ejus. Quamvis enim multa præsidia ad salutem Principes habere videantur, ut equos, et currus, arma, et milites, arces, et munitiones, tamen ista omnia nihil sunt, si absit salus dexteræ Dei : ideo recte subjungit :

8. Hi in curribus, et hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.

Pergit explicare victoriam Christi, quam futuram prævidebat, et ait, *Hi in curribus et hi in equis*, id est, alii adversariorum in curribus armatis confident, alii in equis ferocibus; et per hæc duo nomina, intelligi vult omnia alia humana præsidia, quibus olim in bellis, tum ad prælium, tum ad fugam utebantur. *Nos autem* cum capite nostro et rege Christo, non tam in curribus et in equis, *quam in nomine Dei omnipotentis per devotam precem invocato*, fiduciam nostram collocabimus. Porro idem est, nomen Domini invocare, et in nomine Domini invocare, secundum Scripturæ sanctæ phrasim. Neque multum refert, quod in Hebraico textu habetur, נזכיר *nazchir*, commemorabimus : non enim loquitur David de qualicumque Dei commemoratione, sed de ea quæ fit ab iis, qui ejus nomen implorant, ab eoque auxilium petunt.

9. Ipsi obligati sunt, et ceciderunt; nos autem surreximus, et erecti sumus.

Ostendit quanto sit utilius in nomine Domini, quam in curribus equisve confidere. Illi, qui in curribus, vel in equis confidebant, *obligati sunt, et ceciderunt; nos autem*, qui in Deo confidimus, *surreximus et erecti sumus*. Et simul indicat miram rerum conversionem. Nam ante Christi victoriam, hostis humani generis sublimis, quasi in curribus et equis, minabatur dejectis hominibus ob originale peccatum; et similiter principes Judæorum, Herodes et Pilatus, aliique visibiles Christi hostes, quasi erecti insultabant Christo patienti, humilibusque ejus discipulis : sed paulo post illi omnes colligati et impediti corruerunt, isti vero surrexerunt, atque erecti in æternum stabunt. In Hebræo habetur, כרעו *carehu*, incurvati sunt : unde aliqui putant Latinam vocem esse corruptam, et legendum, *obliquati* sunt, et non obligati sunt, sed falluntur. Nam Latina lectio Græcam imitatur; in Græco autem est συνεποδίσθησαν, id est, *colligati sunt*, quasi compedibus, quod Noster recte vertit, *obligati sunt*, id est, ligati et impediti, ne pugnare vel consistere possent, *ceciderunt*. Ita Septuaginta non tam ad verba, quam ad sententiam respexerunt.

10. Domine salvum fac Regem, et exaudi nos in die qua invocaverimus te.

Concludit conjungendo finem cum principio. Initio dixerat, *Exaudiat te Dominus in die tribulationis*, nunc idem confirmat convertendo orationem ad Deum, *Domine salvum fac Regem* de tribulatione sua; et eodem modo *exaudi nos*, et *salvos fac in die, qua invocaverimus te*, id est, in die tribulationis nostræ, in qua non alium, quam te invocabimus. In Hebræo sunt eadem verba, sed interpunctio est alia. Itaque S. Hieronymus, et moderni ita legunt, *Domine salva, Rex exaudi nos in die, qua invocaverimus te.* Sed cum nomen, המלך *hammelech*, possit verti, Rex et Regem, quia Hebræi non declinant nomina per casus, et Septuaginta Interpretes verterint, τὸν Βασιλέα, id est, *Regem*, et sic legerint omnes veteres Patres; non est magni facienda lectio modernorum Hebræorum, cui post tempora Septuaginta interpunctio addita est. Porro S. Hieronymus fideliter vertit, sed textum habuit minus emendatum. Posset hic Psalmus commode recitari, quando Christiani Principes proficiscuntur ad bellum contra infideles.

PSALMUS XX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus David.

Psalmus vigesimus connexus est cum præcedente decimonono. Ille petebat a Deo, ut Christum Regem cum hoste generis humani præliaturum protegeret. Iste gratias agit, quod protexerit, exaltaverit, et coronaverit.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Domine, in virtute tua lætabitur Rex, et super salutare tuum exultabit vehementer.

Adepta victoria, *Rex noster* Christus *lætabitur in virtute tua*, id est, ob virtutem, potentiamque tuam, per quam de hostibus suis feliciter triumphavit. *Et super salutare tuum*, id est, de salute a te illi præstita, gaudebit et voce etiam *exultabit vehementer*. Itaque una pars versiculi aliam declarat.

2. Desiderium cordis ejus tribuisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

Respondent hæc verba eis, quæ in Psalmo superiore dicta fuerant, *Tribuat tibi secundum cor tuum*, etc. Phrasis Hebraica est dare petitionem, pro eo quod est dare rem petitam, quomodo in 1. lib. Regum cap. 1. dicit Heli sacerdos Annæ, *Deus Israel det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum.* Sic igitur hoc loco dicitur, *Desiderium cordis ejus tribuisti ei;* id est, tribuisti quod desiderabat. *Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum*, id est, non fraudasti eum ea re, quam volebant labia ejus, id est, quam se velle et desiderare, labiis orationem fundendo, demonstravit. In summa dicit, datum fuisse Christo, quod corde desideraverat, et labiis expetiverat.

3. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Magna vere fuit Christo causa lætandi, quod non solum habuerit quod petiit, sed quod Deus prævenerit ejus desideria, et dederit ei maxima dona antequam peteret. Prævenisti, inquit, eum in benedictionibus dulcedinis: in Hebræo est bonitatis, *tob*, et similiter in Græco χρηστότητος. Itaque sensus est, Christum fuisse præventum donis bonitatis Dei, quæ fuerunt conceptio de Spiritu sancto, unio ad personam Verbi, infusio omnium scientiarum et virtutum, et ipsa Dei visio: quæ omnia in primo instanti conceptionis illi data fuerunt; proinde præventus fuit benedictionibus dulcedinis. Quod vero sequitur, *posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso*, vel, ut habetur in Hebræo, פז *paz*, *de auro perfecto*, videtur referendum ad regnum et Sacerdotium, quod etiam ab ipsa conceptione habuit, propter quæ Christi cognomen accepit; corona enim aurea, insigne est regium, et Sacerdotale.

4. Vitam petiit a te, et tribuisti ei longitudinem dierum in seculum, et in seculum seculi.

Beneficia superiora præventus accepit: at corporis gloriam, et immortalitatem, et alia deinceps petiit, et obtinuit, *petiit vitam*, cum imminente passione *preces et supplicationes obtulit ei, qui possit eum salvum facere a morte*, ut dixit Apostolus ad Hebr. 5. Deus autem tribuit ei *longitudinem dierum in seculum, et in seculum seculi*, id est, vitam sempiternam, *ut resurgens a mortuis jam non moriatur, et mors illi ultra non dominetur*, ad Rom. 6. Ex hoc loco manifeste convincuntur, qui hunc Psalmum ad litteram exponunt de Davide, quod facit Jansenius, vel de Ezechia, quod facit Euthymius, et ante eum Theodoretus; nam nec David, nec Ezechias habuit longitudinem dierum in seculum, et in seculum seculi.

5. Magna est gloria ejus in salutari tuo, gloriam et magnum decorem impones super eum.

Non solum vitam in seculum seculi dedit ei Deus, sed etiam *exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen*, Phil. 2. Hæc enim est vere *magna gloria, quam habuit in salutari Dei*, id est, in salute, qua illum salvum fecit Deus: et hinc *gloriam et magnum decorem*, id est, immensum honorem *impones super eum*, pro eo quod imposita illi fuit ab inimicis spinea corona tantæ ignominiæ, ut eo tempore, *non esset species ei, neque decor*, ut cecinit Isa. c. 53.

6. Quoniam dabis eum in benedictionem in seculum seculi, lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

Post exaltationem ad dexteram Patris, et no-

men super omne nomen, sequetur universalis benedictio, *cœlestium, terrestrium et infernorum;* quæ nunquam deficiet, de qua loquitur B. Paulus ad Philipp. 2. et Joannes Apocal. 5. Verba illa, *dabis eum in benedictionem*, significant, θώσεις αὐτῷ εὐλογίαν, pones eum, ut communem benedictionis materiam, id est, facies ut omnes illi benedicant. Græcus codex clarior est; habet enim, *dabis ei benedictionem*, sed in Hebræo תשיתהו ברכות *thaschihaha beracholh* habetur, *pones eum benedictionem;* sensus est idem. Quod autem additur, *lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo*, significat lætitiam consequentem illa omnia bona jam dicta, semper enim lætitia sequitur adeptionem boni. Illuc, *cum vultu tuo*, significat, coram te, et in præsentia tua.

7. Quoniam Rex sperat in Domino, et in misericordia Altissimi non commovebitur.

Bona jam dicta prædicit fore omnino stabilia, et firma in æternum, *Quoniam*, inquit, *Rex sperat in Domino*, id est, confidit in potentia infinita Dei, non in viribus humanis; *Et in misericordia Altissimi*, id est, bonitate illius qui super omnes est, et cui subjiciuntur omnia, ideo *non commovebitur*, sive non nutabit, sed permanebit securus in æternum.

8. Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt.

Probat non commovendum Christum, neque regnum ejus, quoniam inimici ejus omnes peribunt, *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis;* id est, invenietur manus tua super omnes inimicos tuos, ut eos videlicet punias. Idem repetit dicens, *Dextera tua inveniat*, pro inveniet, *omnes qui te oderunt.* Textus Hebræus clarissimus est, *Inveniet manus tua omnes inimicos tuos, dextera tua inveniet odientes te.* Sed Interpretes variare voluerunt. Videtur autem Propheta nunc alloqui Christum, non Patrem: Christus enim proprie est, quem Judæi, aliique persecutores oderunt, et de eo dicitur in Psal. 109. *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

9. Pones eos, ut clibanum ignis in tempore vultus tui, Dominus in ira sua conturbabit eos.

Describit pœnam inimicorum: *Pones*, inquit, *eos*, tuos videlicet inimicos, *ut clibanum ignis*, id est, facies eos undique æstuare, quomodo æstuat clibanus ardens, *in tempore vultus tui*, id est, in die iræ tuæ, quæ in ultimo judicio manifestabitur. Idem repetit in tertia persona, quasi dicat, vere dixi, *Pones eos ut clibanum ignis, in tempore vultus tui.* Nam Dominus Christus, *in ira sua conturbabit inimicos suos*, et tunc ad imperium Christi, devorabit eos ignis æternus, et sic efficientur quasi clibanus ardens. Verbum Hebræum בלג *balag*, significat proprie deglutire, vel perdere, ac dissipare. Ideo S. Hieronymus vertit, *Dominus in furore suo præcipitabit eos.* Fortasse, *conturbabit eos*, positum est, pro exturbabit eos, videlicet a facie sua in gehennam, et ibi devorabit eos ignis. Sic enim cohærebit lectio Hebraica, cum Græca et Latina. Fortasse enim vox Hebraica בלג *balag*, significat non solum deglutire, et perdere, sed etiam conturbare; nota enim erat Septuaginta Interpretibus vis Hebraicarum vocum magis, quam posterioribus Rabbinis. Sensus autem semper est bonus.

10. Fructum eorum de terra perdes, et semen eorum a filiis hominum.

Ne forte objiceret aliquis, posteros inimicorum Christi aliquando pro patribus surrecturos, et molestiam Christo illaturos, addit Propheta, non solum inimicos Christi, sed omnes eorum filios ac nepotes, atque adeo omne semen eorum periturum. *Fructum*, inquit, *eorum*, id est, filios et posteros, *de terra perdes*, et eliminabis, *et semen eorum a filiis hominum*, nimirum perdes.

11. Quoniam declinaverunt in te mala, cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.

Juste punies eos, quoniam illi injuste tibi nocere conati sunt. Videtur David valde proprie, et subtiliter dixisse, *declinaverunt in te mala*, quoniam mala pœnæ directe ad Christum non pertinebant, in quo nulla fuit culpa, sed iniqui homines detorserunt, et declinaverunt mala, id est, contumelias, vulnera, plagas, mortem ipsam, a suo quasi itinere in Christum innocentem. *Cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire*, id est, mala voluntas in ipsis fuit perdendi Christum, et impediendi regnum ejus, sed non potuerunt perficere, quia Deus mala omnia convertit in bonum ipsius Christi, et fidelium servorum ejus.

12. Quoniam pones eos dorsum, in reliquiis tuis præparabis vultum eorum.

Hic describitur summa impiorum calamitas, quod videlicet sunt destinati ad sola flagella, et ad majorem calamitatem visuri sint electos Dei in summa gloria et felicitate. *Pones eos dorsum*, id est, facies, ut nihil sint nisi dorsum, pars videlicet flagellis exposita: sic nimirum totos flagellabis, quasi toti sint dorsum. *In reliquiis tuis præparabis*, seu diriges (ut sonat vox Hebræa) תכנן *theconan*, *vultum eorum*, id est, diriges vultum eorum in reliquiis tuis, hoc est, ad considerandos electos tuos, quos tibi reliquisti, de quibus scriptum est, Rom. 9. *reliquiæ salvæ fient.* Vocem Hebræam, מיתריך *metharecha* S. Hieronymus vertit, funes tuos; sed Septuaginta Interpretes recte verterunt, *reliquiis tuis*, quia vox illa utrumque significat. Locus hic obscurus est admodum; si cui nostra interpretatio minus placeat, audiat alias. Theodoretus et Euthymius sic exponunt: *Pones eos dorsum*, id est, in fugam eos convertes, faciens ut terga vertant. *In reliquiis tuis præparabis vultum eorum*, id est, in reliquias eorum, hoc est, in filios eorum *præparabis vultum tuum*, id est, iram tuam. Volunt enim isti auctores hyperbaton esse in verbis Prophetæ, et propterea invertenda esse verba eo modo, quo diximus. An hæc interpretatio litteræ et verbis inhæreat, lectores judicent. S. Hieronymus et S. Augustinus, nec non moderni, quisque suam interpretationem excogitaverunt.

13. Ex altare Domine in virtute tua, cantabimus, et psallemus virtutes tuas.

Concluditur Psalmus sancta acclamatione ad Christum Regem, et simul prædictione eorum quæ futura sunt post ultimum exitium omnium impiorum. *Exaltare Domine in virtute tua*, id est, qui aliquando apparuisti humilis, et tanquam infirmus crucifigi passus es, nunc in fortitudine et potentia devictis hostibus, et in gehennam detrusis, *exaltare* usque ad summum cœlum; interim nos electi tui *cantabimus* voce, et instrumentis musicis resonabimus potentiam tuam, ut aliquando ad te perveniamus, et in seculum seculi te laudemus. Hic solum est observandum, per *virtutem* in utraque parte versiculi, non intelligi virtutes morales, sed potentiam et robur, ut ex Hebraicis גבורתיך *gheburathecha* et Græcis δυναστείας manifeste colligitur.

PSALMUS XXI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem, pro susceptione matutina, Psalmus David.

Psalmus hic de passione et resurrectione Domini tam aperte loquitur, ut plane temerarium sit ad alium sensum eum velle detorquere. Titulus respicit resurrectionem, quæ significatur in illa voce, *susceptio matutina.* Resurrectio enim facta est tempore matutino, et per virtutem Dei suscipientis quodam modo Christum de sepulchro, et educentis eum ad auram vitalem, juxta illud Psalmi tertii, *et exsurrexi, quoniam Dominus suscepit me.* Vox Hebræa, אילת *aieleth*, significat *cervum*, vel, ut alii volunt, *stellam.* Sed Septuaginta Interpretes recte verterunt susceptionem, quoniam apud ipsos verbum, איל *aial*, suscipere significat. Quod planum est ex Psalmo 106. vers. 17. ubi vocem, ארלים *avilim*, ipsi legerunt, אילם *aialem*, et verterunt *et suscepit eos.* Neque longe absunt ab eodem sensu lectionis ex Hebræo, pro cerva matutina, sive pro stella matutina. Sensus enim est, pro Christo resurgente. Ipse enim resurgens recte comparatur stellæ, quia surrexit plenus gloria, accinctus lumine, sicut vestimento, et de se ipse dicit Apocal. ult. *Ego sum stella splendida matutina.* Ipse quoque similis est cervo, sive cervæ, tum quia cervo nihil nocent animantia venenata, imo ipse halitu suo serpentes de cavernis educit, et occidit, ut S. Hieronymus in hunc locum, et Basilius in Psalm. 28. scribunt: Christus autem *spiritu oris sui interficiet impium*, et nihil ei nocere poterunt omnes impiorum persecutiones. Tum etiam, quia cervus velocissime salit in altissimos montes, unde in Canticis sæpe comparatur Christus hinnulo cervorum salienti in montes. Ipse enim in die resurrectionis velocissimo saltu ab inferis, et a morte ad vitam immortalem et gloriosam ascendit. Tum denique, quia cervus dicitur arte quadam naturali a senio se defendere, et vergentem in defectum vitam rediviva novitate ab inferis revocare, ut scribit Gilbertus serm. 14. in Cantica: Christus autem in die resurrectionis arte omnipotentiæ, et infinitæ sapientiæ suæ vere corpus suum jam mortuum rediviva novitate ab interitu revocavit. Cerva vero potius, quam cervus dicitur, quia resurrectio proprie ad carnem pertinet. Sicut enim Christus in carne passus est, ita et in carne resurrexit.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Deus Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum.

Loquitur David in persona Christi pendentis in Cruce, et in summo passionis dolore constituto, ut patet ex Evangelio, Matth. 27. in quo legimus Christum morti proximum dixisse, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* quæ sunt prima verba Psalmi hujus. Illud enim, *Respice in me,* non habetur in Hebræo, sed fuit additum a Septuaginta Interpretibus declarationis causa. Quod autem Christus queritur, se derelictum a Deo, non significat eum fuisse derelictum a persona Verbi, quasi esset dissoluta unio hypostatica: vel destitutum a gratia, et benevolentia patris; sed significat permissum fuisse a Deo, ut ipse in humana natura pateretur horribilia illa tormenta, et mortem ignominiæ plenam; a qua si Deus voluisset, eum facillime liberare potuisset. Neque orta est querimonia illa ab impatientia, vel ab ignorantia, quasi Christus ignoraret causam suæ passionis, aut non libenter ferret se a Patre in illis doloribus derelictum; sed fuit querimonia illa, protestatio quædam acerbissimæ passionis. Quia enim in toto progressu passionis tanta animis æquitate Dominus omnia pertulerat, ut ne gemitus quidem exaudiretur; potuissent omnes credere illum superiore aliqua virtute impassibilem redditum, dolores non sensisse. Ideo igitur vicinus morti protestatur se verum esse hominem, vereque passibilem et a Patre derelictum in doloribus, passionis acerbitatem sensu doloris intimo, et maximo hausisse. Ait igitur, *Deus*

Deus meus. Christus in forma servi vocat Patrem Deum suum, quia in illa hora proprie eum colebat ut verum Deum, sacrificans illi sacrificium corporis sui, sacrificium omnium, quæ unquam facta fuerant, præstantissimum. *Respice in me,* rogat ut videat, uti pro honore suo constitutus sit, recognoscat obedientiam Filii sui, acceptet sacrificium pro genere humano oblatum. *Quare me dereliquisti?* non solum protestatio veræ passionis, ut diximus, sed etiam admiratio quædam esse videtur, quasi dicat: Fierine potest ut dilectissimum et unigenitum filium in hunc doloris abyssum devenire permiseris? Similia sunt illa, *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Joan. 3. et illa Rom. 8. *Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Longe a salute mea verba delictorum meorum.* Multi timentes, ne Christo peccati notam inurant, coacte exponunt. Aliqui legunt cum interrogatione, *Longe a salute mea verba delictorum meorum?* Sed talis interrogatio gratis fingitur, cum in nullo textu inveniatur. Alii exponunt, *Peccata mea,* cum nulla sint, *longe sunt a salute mea,* id est, non impediunt salutem meam. Sed facilius dixisset Propheta: Longe a morte mea verba delictorum meorum, si delicta non fuissent causa mortis Christi. Alii conjungunt cum superioribus partem hujus sententiæ, sic, *Deus meus, quare me dereliquisti longe a salute mea?* Sed omnes textus habent interpunctionem aliam. Et deinde quid significabit illud, verba delictorum meorum? Alii denique considerant verbum Hebraicum, שאגתי *Sciaagathi*, significare rugitum, non delictum, et interpretantur, *Longe a salute mea verba rugitus mei,* id est, rugitus meus, sive clamor meus, quo auxilium imploro, longe est a salute mea, id est, non potest impetrare mihi salutem. Cæterum Septuaginta Interpretes sine dubio non legerunt שאגתי *Sciaagathi,* sed שאגאתי *Sciaagaathi,* unica littera transposita, et recte verterunt, delicta, non rugitum. Sententia igitur simplex, et vera hæc est, *longe a salute mea verba delictorum meorum,* id est, merito me dixi derelictum in doloribus, quia delicta totius mundi, quæ in me suscepi, non possunt conjungi cum mea salute. Necesse enim est ut patiar, et moriar, si ea purgare volo. Christum autem sibi tribuere posse nostra peccata, ac si sua essent, Scripturæ passim docent, Joan. 1: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi,* 1. Petr. 2. *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum,* Isaiæ 53: *Posuit Deus in eo iniquitates omnium nostrum,* 2. Cor. 5. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit,* id est, hostiam pro peccato. Sicut igitur hostia pro peccato non potest non immolari, si peccata purgari debeant, ita Christus hostia pro peccatis totius mundi factus, recte dicit, *Longe a salute mea sunt verba delictorum meorum,* id est, non possum mortem evadere, cum peccata totius mundi in me sint posita, ut pro eis pœnas luam. Porro, verba delictorum, phrasis est Hebraica. Hebræi דבר *dabar* enim utuntur nomine, *verbi,* ad rem, sive negotium in genere significandum. Itaque sensus est, *verba delictorum meorum,* id est, hæc ipsa res, quod tot peccata super me acceperim, pro quibus satisfaciam, *longe est a salute mea,* id est, non potest conjungi cum salute mea, ac per hoc, in causa est ut mortem non evadam.

2. Deus meus clamabo per diem, et non exaudies: et nocte, et non ad insipientiam mihi.

Iterum alia ratione se derelictum ostendit sine spe salutis temporalis. *Clamabo,* inquit, *per diem, et non exaudies;* et *nocte,* supple, *clamabo, et non exaudies.* Est autem sensus: Etiamsi clamem die ac nocte, non exaudies me, ut liberer a morte corporali. Videtur alludere ad duas orationes, quas fecit, unam de nocte in horto, alteram de die in Cruce, sed non servat ordinem, quia sensus est ille, quem dixi, etiamsi clamem die et nocte, non exaudies. Quod sequitur, et non ad insipientiam mihi, in Hebræo est, *et non silentium mihi,* sed Septuaginta non videntur per דומיה *dumiah,* unquam intellexisse *silentium,* Nam in Psal. 61. vers. 1. vertunt *subjecta,* in Psal. 64. vers. 1. vertunt, *decet,* hoc loco, *insipientiam.* Igitur vel aliquid aliud legerunt, vel noverunt hanc vocem recipere omnes istas intelligentias. Sensus autem hic esse videtur, *Clamabo die et nocte, et non exaudies;* et tamen hoc *mihi ad insipientiam* adscribi non poterit, quia licet sciam me non exaudiendum, ut mortem temporalem evadam; tamen prudenter clamo, quia scio me exaudiendum, quoad principalem intentionem meam, quæ est, ut genus humanum redimatur, et ego non detinear in morte; sed resurgam ad vitam immortalem. Occurrit mihi alia expositio, in qua, per diem intelligatur tempus vitæ, per noctem tempus mortis et hic sit sensus, *Clamabo per diem, et non exaudies,* id est, clamabo, dum vivo, ut a morte liberer temporali, et hunc clamorem non exaudies; *et nocte clamabo, et non ad insipientiam mihi,* id est, clamabo postea, cum mortuus fuero, ut resurgam, et non ero insipiens, quia clamorem hunc nocturnum exaudies, in quem sensum recidit etiam lectio Hebraica, ולילה ולא דומיה לי *velaiela velo dumiia li, et noctu, et non silentium mihi,* id est, clamabo de nocte, et tunc non silebis sicut siluisti ad clamorem diurnum; sed respondebis mihi, ac per hoc exaudies me. Et quia illud, *non exaudies,* potest etiam reddi, non respondebis; utrumque enim significat verbum ענה *hana,* clarissime verti potuisset versiculus in hunc modum, *Clamabo per diem, et non respondebis mihi, clamabo per noctem, et tunc respondebis mihi:* vel secundum Septuaginta, *Clamabo per diem, et non exaudies, clamabo per noctem, et non ero insipiens,* quia tunc exaudies.

3. Tu autem in sancto habitas, laus Israel.

Probat se non insipienter de nocte clamaturum, etiamsi de die non sit exauditus, et se omnino exaudiendum; idque quatuor rationibus. Primo, quia Deus sanctus et misericors sit, secundo quia soleat invocantes se benigne audire, tertio, quia ipse in maxima pressura sit, quarto, quia in Deo ab ipsa sua nativitate confisus sit, eique soli adhæserit. Prima ratio est in præsenti versiculo. *Tu,* inquit, Domine omnino exaudies me, quia *in sancto,* id est in sanctitate *habitas,* totus sanctus, et pius es, et ad te malitia, vel crudelitas accedere non potest: et ideo tu es *laus* populi tui *Israel,* tum quia te laudat populus tuus Israel, tum quia

propter te laudatur populus tuus Israel. Hæc enim est maxima laus populi tui, quod habeat Deum omni ex parte sanctissimum. In Hebræo habetur sic, *Tu autem sancte, inhabitas laudes Israel,* id est, tu sanctus es, et ideo versaris assidue in ore populi tui te laudantis. Sed credibile est Septuaginta Interpretes non legisse, קדוש *chados*, sanctus, sed קודש *chodes*, sanctitas, una littera transposita; et tunc verti debet, *Tu autem sanctitatis habitator*, quod est idem, cum eo quod nos habemus, *Tu autem in sancto habitas laudes Israel:* in numero multitudinis est in Hebræo תהלות ישראל *theilloth Israel;* sed quia id conjungitur cum Deo, ut sententia esset clarior, maluerunt Septuaginta vertere, *laus Israel,* quam, laudes Israel.

4. In te speraverunt patres nostri, speraverunt, et liberasti eos.

5. Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt, in te speraverunt, et non sunt confusi.

Hæc est altera ratio ab exemplis; et sententia perspicua est. Habentur autem multa ejusmodi exempla in libro Judicum. Quotiescumque enim filii Israel clamaverunt ad Dominum, misit ejus Dominus salvatorem unum ex Judicibus, ut Gedeonem, Samsonem, Samuelem, etc.

6. Ego autem sum vermis, et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis.

7. Omnes videntes me deriserunt me, loquuti sunt labiis, et moverunt caput.

8. Speravit in Domino, eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum.

Hæc est tertia ratio ducta a pressura Christi crucifixi. *Ego autem,* inquit, *sum vermis, et non homo,* id est, in tali statu sum hoc tempore, ut non solum minoratus ab Angelis, sed ab hominibus minoratus videar; nimirum *novissimus virorum,* ut dixit Isaias cap. 53. imo infra omnes homines factus, cum et Barrabæ, et latronibus postpositus sim. Itaque adeo factus sum vilis, ut vermis potius videar esse quam homo. *Opprobrium hominum,* Matth. 26, de quo videlicet homines erubescunt, quasi de homine dedecoroso, quod impletum est quando Petrus ipse juravit se non nosse hominem illum. *Et abjectio plebis,* id est, quem etiam plebs vilissima populi pars, ita abjecit, ut diceret, *non hunc, sed Barrabam. Omnes videntes me deriserunt me,* Joan. 19, id est, qui me in eo statu viderunt, irriserunt omnes, omnia videlicet hominum genera, nobiles, ignobiles, sacerdotes, laici, Hebræi, Gentiles, quod impletum est, quando, ut scribit. S. Luc. c. 23. *Stabat populus spectans,* et *deridebant eum Principes cum eis;* et infra, *Illudebant autem ei et milites. Loquuti sunt labiis, et moverunt caput.* Hoc etiam impletum fuisse docet S. Matthæus cap. 27. *Blasphemabant eum moventes capita sua, et dicentes: Vah qui destruis templum Dei. Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum.* Easdem voces Judæorum fuisse testatur S. Matthæus in eodem loco: *Confidit,* aiebant, *in Deo, liberet nunc eum, si vult.* Nec multum refert, quod Propheta dicit, *quoniam vult eum*, et Evangelista refert eos dixisse, *si vult.* Nam cum Propheta dicit, *salvum faciat eum, quoniam vult eum*, subintelligitur, ut ipse dicit, quod perinde est, ac si dixisset, *liberet eum si vult eum,* id est, si amat eum, ut ipse dicit, *liberet eum,* vel, quando quidem vult eum, ut ipse dicit, liberet eum. Admiranda prorsus Prophetæ illustratio, qui non solum res gestas, sed etiam verba prænovit et prædixit, quæ Judæi in passione Christi dicturi fuerant. Pro, *speravit in Domino*, habetur nunc in Hebræo, גל *gol*, id est, *volve ad Dominum.* Sed Rabbini male collocarunt puncta. Debet enim legi גל *gal*, id est, volvit, ut legit S. Hieron. qui vertit: *Confugit ad Dominum*, quod est idem cum eo quod verterunt Septuaginta, *Speravit in Domino.* Idem enim est, volvit, sive revolvit se ad Dominum, confugit ad Dominum, et speravit in Domino.

9. Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre, spes mea ab uberibus matris meæ.

10. In te projectus sum ex utero, de ventre matris meæ Deus meus es tu, ne discesseris a me.

Hæc est ratio postrema ducta ab innocentia perpetua ipsius Christi. Illud *quoniam* non est ubique nota causæ, sed sæpe ponitur loco conjunctionis, *et* vel *autem.* Aliquando etiam nihil significat, sed additur ornatus gratia. *Tu es, qui extraxisti me de ventre,* id est, a nativitate tuus sum, præsertim cum re vera non naturali modo, sicut cæteri homines, sed virtute tua singulari natus sim non reseratis claustris pudoris; sicut etiam absque virili semine in utero Virginis conceptus fui. S. Hieron. vertit ex Hebræo, *Tu autem propugnator meus ex utero.* Sed verbum, גחי *gochi*, a radice גוח *guach*, proprie nihil significat aliud nisi, *eductor meus ex utero.* Quid S. Hieronymus sequutus sit, fateor me nescire. *Spes mea ab uberibus matris meæ,* id est, sicut tu me eduxisti ex utero, ita tu es, qui præcipue me aluisti: ubera quidem matris suxi, sed intelligo lac de cœlo matri subministratum, et ideo in te ab uberibus matris confidere, et sperare didici. *In te protectus sum ex utero*, id est, prodiens ex utero, in sinum tuum cecidi, qui singulari providentia curam mei geris. *De ventre matris meæ Deus meus es tu*, id est, sicut ab incipiente vita mea tu mihi singulari providentia adstitisti, ita et ego ab exordio vitæ meæ te colere cœpi, ut Deum meum. *Ne discesseris a me.* Hæc verba sunt apud Hebræos initium sequentis versiculi; sed recte etiam ponuntur in textu Græco, et Latino in fine superioris versiculi. Sunt enim veluti conclusio superioris rationis, ac si Christus diceret: Quandoquidem in te projectus sum ex utero, et ab eo tempore Deus meus es tu; ideo jure a te requiro, ut non discedas a me, præsertim cum jam instet gravissima et ultima tribulatio mea, id est, mors corporis mei.

11. Quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est, qui adjuvet.

Posset fortasse hic versus exponi de propinquante passione ac de mœrore, et timore, quem Dominus in horto pati voluit. Sed certe multo probabilius est totum hunc locum de propinquante morte esse intelligendum, tum quia Dominus in præterito statim adjungit, *Foderunt*

manus meas, et *Diviserunt sibi vestimenta mea :* tum etiam quia paulo ante voces Judæorum expressit, quas in se jam cruci affixum jactaverunt: tum denique quia primum Psalmi versiculum Dominus in cruce pendens, ac morti proximus recitavit. Igitur juxta id, quod dixerat, *non ad insipientiam mihi*, nimirum clamabo ad te, precatur nunc, ut Deus sibi adsit in ultima tribulatione, non ut liberetur a morte, sed ut non detineatur in morte. Peto, inquit, ut non discedas a me, quoniam *tribulatio*, videlicet ultima, et gravissima, *proxima est*, *et quoniam non est* alius, qui adjuvare me possit, ut sic moriar, ut mortem occidam.

12. Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.

Narrat crudelitatem hostium suorum, quos comparat tauris, leonibus, et canibus. Intelligit per inimicos Pontifices et Pharisæos, qui veluti tauri insultabant ei, quasi cornibus eum peterent, dicentes, *Vah qui destruis templum Dei, etc.* Matth. 27, et qui veluti leones aperto ore famem suam demonstrabant, id est, desiderium ingens perdendi eum, unde et rugiebant dicentes, *Tolle, tolle, crucifige eum.* Joan. 19. Et qui veluti canes mordebant eum, detrahentes videlicet ei, dum dicerent, *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram.* Luc. 23. Et, *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Ex quibus detractionibus, falsisque calumniis tandem factum est, ut Dominus crucifigeretur; ideo statim subjungit, *Foderunt manus meas, etc.* Sed singula videamus. *Circumdederunt me vituli multi :* per vitulos non intelligit hoc loco vitulos quoscumque, sed vitulos grandiores, et cornigeros, qui etiam tauri dici possint. Nam quod sequitur, *Tauri pingues obsederunt me*, est explicatio, sive repetitio; præsertim cum in Hebræo אביני בשן *abine baschan* ad verbum habeatur, *fortes Basan obsederunt me.* Vocat vitulos *fortes Basan*, quia erant robusti, et pingues; nam Basan erat regio abundans optimis pascuis, unde pinguissimi tauri et arietes prodibant. Dicuntur autem Pontifices, et Pharisæi fortes, et pingues, quia erant potentes, et divites. Aliqui distinguunt vitulos a tauris, et per vitulos intelligunt plebem indisciplinatam, et imbellem; per tauros, Pontifices, et Pharisæos. Non est improbabilis expositio, sed probabilius arbitror id quod dixi.

13. Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, et rugiens.

Eosdem significat Pontifices, et Pharisæos, qui miro desiderio inhiabant morti ejus, ut supra diximus.

14. Sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea.

15. Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.

16. Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis, et in pulverem mortis deduxisti me.

In his versiculis declarat, quomodo se gesserit contra inimicorum suorum crudelitatem; ac dicit, se non restitisse illorum violentiæ, sed in omnibus humilitatem, patientiam, et mansuetudinem servasse, juxta illud Isaiæ cap. 50. *Faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me :* et illud S. Petri 1. epist. cap. 2. *Cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, tradebat autem judicanti se injuste.* Itaque, inquit, *sicut aqua effusus sum*, id est, non restiti ullo modo, sed instar mollissimæ aquæ me præbui versandum, et impellendum in omnem partem. *Et dispersa sunt omnia ossa mea*, id est omnis fortitudo dilapsa est a me, non quod vere potentiam amiserim, sed quod ea uti noluerim, et adversariis meis potentia sua uti permiserim, juxta illud Luc. 22. *Hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum.* Itaque debilem, atque imbecillum me præbui ad resistendum, quasi solam carnem sine ossibus haberem. *Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei,* id est, non solum exterius patientem, et mitem me præbui, sed etiam interius humilis corde fui, non intumuit, neque obduruit cor meum contra persequutores nolens ignoscere, et ulcisci parans; sed contra potius factum est sicut cera liquescens ex affectu pio erga illos, miserans illorum cæcitatem, et pro eis rogans, Luc. 23. *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Illud, *in medio ventris mei*, significat, in medio viscerum meorum. Sumitur enim in Scriptura, venter, pro interioribus, ut Joan. 7. *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*, et Cant. 5. *Venter meus contremuit ad tactum ejus. Aruit tanquam testa virtus mea*, id est, robur meum quasi exaruit omni virore exhausto, quia videlicet ita me ligari, et vulnerari permisi, quasi impotens essem ad resistendum. *Et lingua mea adhæsit faucibus meis*, id est, ne verbis quidem adversarios lædere, aut de ipsorum injustitia conqueri volui. *Et in pulverem mortis deduxisti me*, id est, et sic tandem illis persequentibus, et me non resistente, tu Deus meus, sine cujus permissione nihil fieri potest, in mortem, et sepulturam adduxisti me. Vocatur enim pulvis mortis ipsa sepultura, quia mortui pulvere tegi solent.

17. Quoniam circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me.

18. Foderunt manus meas, et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.

Declarat modum quo in pulverem mortis deductus est. *Quoniam*, inquit, *circumdederunt me canes multi*, id est, detractores multi, Pontifices videlicet, et Pharisæi, qui falsis criminationibus, subversionis populi, tributi denegati, Regni affectati, et similibus Pilatum coegerunt ut me crucifigendum militibus traderet. *Concilium malignantium obsedit me.* Declaratio est verborum superiorum. Canes enim multi nihil sunt aliud, nisi concilium, id est, cœtus malignantium. Isti, inquam, malignantes *foderunt manus meas, et pedes meos*, non quidem manibus, sed auctoritate sua. In Hebræo legitur, כארי *caari*, quod significat, *quasi leo*, sed Septuaginta legerunt, כארו *caaru*, quod est foderunt. Et sic omnino esse legendum non dubium est, quia Septuaginta nunquam vertissent, *foderunt*, si legissent, *caari.* Sanctus quoque Hieronymus ex Hebræo vertit, foderunt, ac per hoc legisse credendus est, *caaru.* In ipso etiam libro Massoreth ad cap. 24. Numeri, disserentes Rabini de illis verbis *Accubuit ut leo*, quod est Hebraice

caari, monent in Psalmo hoc legendum quidem esse *caari*, sed juxta codices emendatiores scribendum, *caru*. Quamvis enim ex perfidia sua legere velint, *quasi leo*, tamen fatentur scriptum esse, *caaru*, id est, foderunt. Denique sententia multo est clarior, *foderunt manus meas*, quam, *quasi leo manus meas*. Neque multum refert, quod, foderunt, Hebraice scribendum esset, כרו *caru*, non כארו *caaru*, quoniam litera, *aleph*, sæpe redundat, et ideo paragogica vocatur ab Hebræis. *Dinumeraverunt omnia ossa mea*, id est, ex corporis extensione in cruce factum est, ut omnia ossa numerari possent. Addit vero David hoc de extensione, et numeratione ossium, ut intelligeremus crucifixionem. Alioqui enim per fossionem manuum, et pedum potuissent intelligi vulnera gladio facta, non clavis. In Hebræo habetur אספר *assappar*, in prima persona, *numeravi omnia ossa mea*. Sed facile est unius, vel alterius literæ mutatione contigisse errorem. Certe sensus est clarior, si legamus, *numeraverunt*, quo modo sine dubio legerunt septuaginta Interpretes, et lectionem illam sequuti sunt S. Hieronymus, S. Augustinus, Theodoretus, et Euthymius in expositione hujus loci.

19. Ipsi vero consideraverunt, et inspexerunt me; diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Addit ad supplicium Crucis, ignominiam nuditatis. *Ipsi*, inquit, curiose inspexerunt totum corpus meum, quoniam nudatum erat omnibus vestibus. Si quidem eas vestes diviserunt milites inter se, et super tunicam quæ supererat sortem miserunt. Quæ omnia impleta esse ad literam Joannes Evangelista cap. 19. testatur.

20. Tu autem Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me, ad defensionem meam conspice.

Revertitur ad orationem, quam inchoaverat in principio Psalmi, rursum repetierat versiculo decimo, et undecimo. Itaque jam tota passione sua exposita, rogat Deum pro celeri resurrectione: nam per eam perfecte liberabitur ab omni persecutione, et injuria adversariorum. *Tu autem Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me*, id est, adversarii mei ad summum malitiæ pervenerunt, atque in me omnes vires suas exercuerunt; jam tuum est non differre amplius auxilium, sed meam defensionem paterne suscipere. In Hebræo ad verbum sic legitur, *Et tu Domine ne longe fias, fortitudo mea ad auxilium meum festina*. Possent aliquo modo paucis mutatis concordari hæc ipsa verba cum verbis Græcæ, et Latinæ editionis, sed non videtur operæ pretium in hac re laborare, cum sensus omnino sit idem.

21. Erue a framea Deus animam meam, et de manu canis unicam meam.

22. Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Declarat, in quo velit auxilium sibi adesse. *Erue*, inquit, *a framea sive gladio animam meam*, id est, libera ab instrumento mortis vitam meam. Ponit enim gladium, qui mortis est instrumentum, pro quolibet instrumento mortis, quod in Scriptura frequens est, 2. Reg. 12. *Non recedet gladius de domo tua*. Ezech. 33. *Si viderit gladium venientem super terram, etc.* Rom. 8. *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an gladius?* ponit vero animam pro vita, quod similiter in Scriptura usitatissimum est. *Et de manu canis, unicam meam*. Per canem intelligit canes illos, de quibus supra dixerat, sed utitur numero singulari, vel per figuram collectionis, vel ad significandam unionem in malum inimicorum suorum. Per *unicam* vero intelligit eamdem vitam suam, quam unice diligebat, sicut par erat diligi vitam Verbi incarnati. *Salva me ex ore leonis*, illius, de quo supra dictum est, *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens. Et a cornibus unicornium humilitatem meam.* Antea dixerat, *Tauri pingues obsederunt me*, nunc loco taurorum ponuntur unicornes, qui sunt indomitæ bestiæ, et tauris etiam ferociores, ut significet nequitiam, et crudelitatem inimicorum suorum non imminutam tot suppliciis fuisse, sed auctam. Porro his omnibus verbis non petit Dominus vitam temporalem suam salvari, sed (ut sæpe diximus) petit vitam suam celeriter reparari, et ita reparari, ut non amplius pateat morsibus canum, vel unguibus leonum, vel cornibus unicornium, aut taurorum. Illud, *humilitatem meam*, in Hebræo est, ענִיתני *hanithani*, quod S. Hieronymus vertit, *Exaudi me*, Pagninus autem *respondisti mihi*. Sed Septuaginta Interpretes non legerunt, ענִיתני *hanithani*, sed ענִיתי *honithi*, una litera dempta, id est, *humilitatem meam*.

23. Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.

Jam incipit narrare fructum resurrectionis suæ, qui est conversio mundi ad Deum. *Narrabo*, inquit, *nomen tuum fratribus meis*, id est, postquam resurrexero, mittam Apostolos in mundum universum, et per eos *narrabo nomen tuum*, id est, notitiam divinitatis tuæ manifestam faciam omnibus hominibus, qui fratres mei sunt propter assumptam carnem, et sic in *medio Ecclesiæ laudabo te*, id est, non amplius in angulo Judææ, sed in medio Ecclesiæ magnæ ex Judæis, et Gentibus adunatæ laudabo te; per ministros meos videlicet. Hunc locum adducit Apostolus ad Hebr. 2. *Propter quod*, inquit, *non confunditur fratres eos vocare, dicens, Nuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.*

24. Qui timetis Dominum, laudate eum, universum semen Jacob, glorificate eum.

25. Timeat eum omne semen Israel, quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis.

Quia dixerat *in medio Ecclesiæ laudabo te*, quod erat implendum per fideles suos, ideo nunc ipsos fideles hortatur, ut Deum laudent. *Qui timetis Dominum*, id est, qui notitiam ejus habetis, eumque colitis. Timere enim Deum in Scriptura accipitur pro colere. Ita Jonæ 1. Jonas interrogatus de populo suo, *Ego*, inquit, *Hebræus sum, Deum qui fecit cœlum et terram ego timeo*: et Daniel. 6. *Paveant omnes Deum Danielis*, et

Judith 1. dicitur de Judith, *quod timebat Dominum valde.* Itaque sensus est, Vos qui Deum verum cognoscitis, et colitis, laudate eum. Et ne putemus fideles, quos alloquitur, esse paucos, ut pote unam gentem Judæorum, addit, *Universum semen Jacob glorificate eum, et timeat eum omne semen Israel;* id est, glorificent, et timeant Deum omnes Israelitæ, non tantum ii, qui sunt Israelitæ secundum carnem, sed etiam qui sunt Israelitæ secundum promissionem, quales sunt omnes gentiles ad Christum conversi. Vide S. Augustinum in epist. 200. alias 197. ad Asellicum, ubi demonstrat, Christianos esse veros Israelitas, non carne, sed spiritu, fide et promissione. Verba sequentia, *quoniam non sprevit, neque dexpexit deprecationem pauperis,* Hebræi faciunt novum versiculum, eique adjungunt totum versiculum sequentem. Sed Septuaginta aliter interpunxerunt. Reddit igitur rationem Dominus, cur velit ab omnibus laudari Deum, quia videlicet exaudivit orationem, quam fuderat pro resurrectione et gloria sua; pro victoria contra diabolum, et redemptione generis humani. Vocat autem se pauperem, quia talis erat tempore passionis, cum nudus, ac derelictus, fame, sitique laborans penderet in Cruce. In Hebræo, pro, *deprecationem pauperis,* habetur, ענות *henuth*, quod S. Hieronym. vertit, *modestiam*, et posset etiam verti afflictionem, *humilitatem*, *clamorem*, etc.

26. Nec avertit faciem suam a me, et cum clamarem ad eum, exaudivit me.

Idem repetit aliis verbis. In Hebræo legitur, *nec avertit faciem suam ab eo, et cum clamaret ad eum exaudivit.* Verisimile est Septuaginta legisse Iod, ubi nunc habetur Vau, cum sint literæ similes, et Iod sit nota pronominis primæ personæ, Vau autem tertiæ. Sed sententia est omnino eadem. Nam si dicatur, *Nec avertit faciem suam ab eo,* per illud, ab eo, intelligitur, a paupere, de quo dictum est, *non despexit deprecationem, sive afflictionem pauperis:* pauper autem ille, Christus ipse est.

27. Apud te laus mea in Ecclesia magna, vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Hortatus fuerat fideles suos, ut Deum laudarent, nunc prædicit, id omnino futurum. *Apud te laus mea in Ecclesia magna,* id est, laus, quam ego tibi canam per fideles meos, erit apud te, sive coram te in Ecclesia magna, non in cœtu paucorum Hebræorum, sed in Ecclesia omnium gentium. Posset etiam hic locus exponi de laude, qua laudatur Christus in Ecclesia coram Deo. Euthymius legit *a te laus mea*, unde videtur legisse ἀπὸ σοί; sed in textu nostro habetur παρὰ σοῦ apud te, et sic legunt Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, et alii. Hebraica vox, מאתך *meittecha,* vertitur a S. Hieronymo, *apud te*, ab aliis, *a te.* Utramque enim expositionem recipit. *Vota mea reddam in conspectu timentium eum:* per vota intelligenda videntur hoc loco vota sacrificiorum, et oblationum, juxta illud Isaiæ 19. *Colent eum in hostiis et muneribus, vota vovebunt Domino, et reddent.* Christus enim cum videret holocaustum mortis suæ gratissimum Deo fuisse, videtur quodammodo promisisse, se holocaustum illud per ministros suos frequentissime oblaturum eo quo deceret modo, atque hoc est, quod nunc dicit, *Vota mea reddam in conspectu timentium eum,* id est, per ministros meos Sacerdotes novi Testamenti assidue immolabo sacrificium Deo gratissimum, idque *in conspectu timentium*, id est, colentium eum, ac per hoc verorum fidelium. Non enim licet hoc sacrificium coram infidelibus immolare.

28. Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum qui requirunt eum, vivent corda eorum in seculum seculi.

De hoc sacrificio *edent pauperes,* qui suam paupertatem, et egestatem spiritualem agnoscunt, *et saturabuntur*, quia gustabunt bonum, quod est super omne bonum, *et laudabunt Dominum,* gratias agentes Deo pro tam insigni beneficio illi omnes, *qui quærunt eum,* qui esuriunt, et proinde avide requirunt Dominum: *vivent corda eorum in sæculum sæculi.* Hic erit fructus illius refectionis, ut corda tam nobili cibo refecta vivant vita spirituali, vita gratiæ interim, ac postea vita gloriæ in sæculum sæculi. Sic enim veritas ait Joan. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Sicut enim cibus corruptibilis vitam conservat ad tempus, ita cibus incorruptibilis vitam æternam præbet. In Hebræo habetur, *vivet cor vestrum in æternum,* sed una litera mutata, ex לבבכם *levavchem*, cor vestrum, fit לבבם *levavam, cor eorum.*

29. Reminiscentur, et convertentur ad Dominum, universi fines terræ.

Reddit causam, cur in Ecclesia magna sit laudaturus Deum, quia videlicet convertentur ad Deum merito sacrificii crucis, omnes gentes. *Reminiscentur*, inquit, principii unde prodierunt, id est, recordabuntur, se olim a Deo in primo parente conditos, quod per originale peccatum jam dudum oblivioni mandaverant, et ideo ligno, et lapidi dixerant, *Pater meus es tu:* Jerem. 3. *reminiscentur*, inquam, primæ creationis, et *convertentur ad Dominum universi fines terræ,* id est, omnes gentes, quæ habitant orbem terrarum, usque ad ultimos ejus fines. Significantur autem per omnes gentes, non singuli homines totius mundi, sed ex omnibus gentibus aliqui.

30. Et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium.

Declaratio est versiculi superioris. Id est enim converti ad Dominum omnes fines terræ, *adorare Dominum,* relictis idolis, omnes familias gentium, quæ usque ad fines terræ propagatæ inveniuntur. Porro adorare coram Domino, idem est, quod adorare Dominum, quoniam vox Hebræa, ישתחוו *isthhachavv*, quam nos vertimus, *adorare,* proprie significat, *incurvari.* Incurvari autem coram Domino, idem est, quod adorare Dominum.

31. Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium.

Merito convertentur ad Dominum, et adorabunt eum omnes gentes, quoniam ipse est verus, et naturalis Rex omnium, ideo ipse deinceps, non Dæmones, dominabitur gentium.

32. Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terræ, in conspectu ejus cadent omnes, qui descendunt in terram.

Quia dixerat, *edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum, et adorabunt eum universæ familiæ gentium ;* ne quis putaret, solos pauperes, et plebeios convertendos ad Dominum, adjungit de divitibus, et potentibus, *Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terræ,* id est, ipsi etiam pingues terræ, qui abundant terrenis bonis, ipsi Principes, Imperatores, Reges manducabunt de mensa Domini, et adorabunt, ac laudabunt communem Dominum, cujus est Regnum super omnes gentes. Ponitur autem more prophetico præteritum pro futuro, *manducaverunt et adoraverunt,* pro, manducabunt, et adorabunt. Et denique omnes, *qui descendunt in terram,* sive, ut sonat vox Hebræa, יורדי הפר *iorede haphar, qui descendunt in pulverem,* id est, omnes mortales, qui tandem per mortem resolvuntur in pulverem, *omnes,* inquam, *cadent in conspectu ejus,* id est, genua flectent, et adorabunt. Atque ita vere generalis erit conversio gentium, quæ est fructus Dominicæ passionis, et resurrectionis.

33. Et anima mea illi vivet, et semen meum serviet ipsi.

Concludit Psalmum dicens, se deinceps perpetuo victurum ad gloriam Dei, et eidem Deo posteritatem suam fideliter servituram. Ponit autem animam pro toto homine, quod in Scripturis, et præsertim in Psalmis est frequens. *Anima mea,* id est, ego illi vivam, *et semen meum,* id est, posteritas mea regenerata per aquam, et Spiritum sanctum *serviet illi.* In Hebræo habetur, et anima ejus non vivet; sed manifeste apparet, Septuaginta non legisse, נפשו *naphscio, anima ejus,* sed נפשי *naphsci anima mea.* Solum enim extendenda est particula unius literæ, ut ex una voce fiat alia. Sic etiam certum est, Septuaginta non legisse לו *lo,* non, sed לא *le,* ei. Et cum sententia lectionis, quam habuerunt Septuaginta longe clarior sit, imo cum sententia lectionis modernorum Hebræorum nihil plane significet, non videtur posse dubitari, quin textus Hebraicus sit corruptus vitio librariorum.

34. Annunciabitur Domino generatio ventura, et annunciabunt cœli justitiam ejus, populo qui nascetur, quem fecit Dominus.

Declarat, quod dixit, *semen meum serviet ipsi,* dicens, *Generatio ventura,* id est, populus novi Testamenti suscipiet bonum nuntium de Domino, et de justitia ejus, quæ est justitia Fidei. Illud, *annuntiabitur generatio ventura,* significat, annunciabitur generationi venturæ, sive nuntium accipiet generatio ventura. Est enim phrasis Græca ὁ ἐπιστεύθην ἐγὼ qualis habetur etiam Matth. 11. *Pauperes evangelizantur,* id est, pauperibus evangelizatur, et 1. Timoth. 1. Secundum Evangelium, quod creditum est mihi; nam in Græco ad verbum est, *quod creditus sum,* sed Interpres mutavit phrasim Græcam, quam reliquit Matth. 11. Itaque non est sensus, *annunciabitur Domino generatio ventura,* id est, adscribetur Domino generatio ventura, sed annunciabitur de Domino, sive Dominus generationi venturæ. Quod colligitur tum ex Hebræo, ubi habetur לדור *laddor,* id est, *generationi,* tum quia idem repetitur, vel declaratur in sequentibus verbis, de more Davidis, *Annunciabunt cœli justitiam ejus populo, qui nascetur.* Idem enim est, *generatio ventura, et populus qui nascetur.* Annunciabitur ergo Dominus generationi venturæ, quia *annunciabunt cœli,* id est, cœlestes homines, *justitiam Dei populo, qui nascetur.* Vocatur autem justitia Dei, justitia Fidei, quam Deus donat gratis credentibus in Christum, quæ vere facit homines justos. Hoc enim præcipue docuit Evangelium, omnes esse peccatores, ne posse viribus propriis justificari, sed a solo Deo per Christi Fidem veram justitiam expectandam. In Hebræo non habetur *generationi venturæ ;* sed post nomen generationi, habetur interpunctio, ac deinde verbum, *venient,* quod conjungitur cum sequenti, *et annunciabunt.* Cæterum Septuaginta Interpretes non habuerunt illam interpunctionem post nomen, *generationi;* et verbum, *venient,* legerunt in singulari, *veniet,* ac proinde recte legerunt, *generationi quæ veniet,* id est, generationi venturæ. Nomen cœli, cum dicitur *annunciabunt cœli,* non habetur in Hebræo, neque in Græco textu, sed Latinus Interpres addidit explicationis gratia. Et legitur hæc vox *cœli,* apud S. Hieronymum, et S. Augustinum in commentario hujus Psalmi, sed non legitur a Theodoreto, et Euthymio Græcis scriptoribus, quia (ut diximus) vetus Latinus Interpres eam addidit. Illud, quod habetur in fine, *quem fecit Dominus,* significat, populum istum novi Testamenti, peculiarem esse Dei populum, ab ipso Deo proprie regeneratum, et creatum in Christo in operibus bonis, ut dicit Apostolus ad Titum, cap. 3. Similis est sententia in Psalmo 117. *Hæc dies, quam fecit Dominus.*

PSALMUS XXII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus David.

Titulus indicat auctorem Psalmi fuisse David : argumentum vero Psalmi est eximia Dei benevolentia erga Electos.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Dominus regit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuæ, ibi me collocavit.

In hoc Psalmo describitur fœlicitas electorum Dei per similitudinem ovium, quæ ab optimo aliquo pastore reguntur. In eorum persona David, qui unus erat ex illis, dicit, *Dominus regit me, et nihil mihi deerit*, quasi dicat, Ovicula Dei sum, et quia Deus pastor est potentissimus, sapientissimus, et optimus; ideo confidenter dico, *nihil mihi deerit*. Hæc vox est hominis fœlicissimi in via, et in spe. Nam Beati in patria, et in re, non dicunt, *nihil mihi deerit*, sed nihil mihi deest; siquidem fugit ab eis labor, et dolor, et jam intraverunt in gaudium Domini sui. At Beati in via, et in spe non possunt dicere, nihil mihi deest, cum sint obnoxii multis passionibus; sed recte dicunt, *nihil mihi deerit*, quia si esurierint, non deerit panis: si ægrotaverint, non deerit medicus; et sic de cæteris. Porro vox illa *regit*, in Hebræo רועי *rohhi* et Græco textu ποιμαίνει, proprie significat *pascere*, et idcirco sensus est, Dominus regit me pastorali modo, sicut pastor regit oviculas suas. Quod autem dixit in summa, *nihil mihi deerit*, declarat per partes in sequentibus verbis. Videntur autem hæc esse, quibus oviculæ egere solent, primo, pascua pinguia; secundo, aquæ puræ; tertio, ut reducantur, si forte erraverint; quarto, ut ducantur per commodas vias; quinto, ut a lupis, aliisque feris defendantur; sexto, ut fatigatæ sustententur; septimo, ut si per tribulos, et saxa incedentes lædantur, refocillentur, et recreentur; denique, ut evoluto die, confectoque itinere, domum habeant, ubi requiescant. Hæc omnia præstat abunde Deus electis suis, ac per hoc recte dicunt, *nihil mihi deerit*. Incipit David a primo, cum subjungit, *In loco pascuæ, ibi me collocavit*, id est, non collocavit me in loco arido, vel deserto, sed in pascuis uberrimis, ubi salubrium herbarum maxima copia est. Particula, *ibi*, non habetur in Hebræo, neque est necessaria : addita est ab interprete Græco, et inde translata in Latinam editionem, sed redundat. Porro pabula, sive pascua, spiritualia rationabilium ovium Dei, quibus electi abundant, nihil sunt aliud, nisi notitia Dei, Eucharistia, panis verbi Dei, Veritas ipsa. Hæc enim est, quæ vitam spiritualem sustentat, et auget.

2. Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit.

Attingit secundum, et tertium bonum oviculis necessarium. *Super aquam refectionis educavit me*, id est, non solum in loco herbis affluente collocavit me; sed etiam in loco vicino salubribus aquis, atque ita educavit, et aluit me optimo pabulo super rivos aquarum sito, ut possim ab æstu et sitis ardore refrigerari. Parum refert, quod vox Hebræa, מנוחות *menuchot*, et Græca ἀναπαύσεως, non tam refectionem, quam requiem significat. Idem enim est sensus. Qui enim salubribus aquis ardorem sitis extinguit, et requiescit, et reficitur. Spiritualis aqua, quæ concupiscentiæ ardorem rationabilium ovium restinguit, gratia Dei est, de qua Dominus in Evangelio, Joan. 4. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Nihil enim æque reprimit carnalia desideria, quam gustus amoris Dei. Gustato enim spiritu desipit omnis caro. *Animam meam convertit*, hoc est tertium donum, reductionis videlicet. Neque enim potest homo suis solis viribus reverti ad Deum, sicut potest suis solis viribus averti. Ait igitur: Bonus pastor errantem me quæsivit, et reduxit, quod est beneficium magnum, atque electorum proprium, ut non sinantur errare perpetuo.

3. Deduxit me super semitas justitiæ, propter nomen suum.

Quartum bonum commemorat, *Deduxit*, inquit, *me super semitas justitiæ*, id est ingredi fecit me per viam angustam præceptorum suorum, ut juste viverem. Id vero fecit removendo occasiones peccandi, minuendo vires tentatoris, augendo charitatem, dulcescere faciendo justitiam, illustrando, inflammando, alliciendo, terrendo, aliisque innumerabilibus modis. Quos modos si adverteremus, non cessaremus omnibus momentis tam dulci Pastori gratias agere, præsertim cum id faciat non propter merita nostra præcedentia, *sed propter nomen suum*, id est, *ut notas faciat divitias misericordiæ suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ*, ut dicit Apostolus Ephes. 1.

4. Nam et si ambulavero in medio umbræ

mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Hoc est bonum quintum, defensio videlicet a lupis, aliisque sylvestribus feris. *Nam et si ambulavero in medio*, sive ut habet Hebræus textus, בגיא צלמות *begueia tsalmavet, in valle umbræ mortis*, id est, per loca tenebrosa, et periculis omnibus exposita, ferarum, latronum, præcipitiorum, *non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Nam *si Deus pro nobis, quis contra nos?* Et vere incredibilis securitas est in corde diligentis Deum, dum recogitat, secum esse illum, cui nihil resistere potest. Frequentissima est in libris Prophetarum commemoratio *umbræ mortis*, quæ proprie significat tenebras densas, quales adfert mors, quæ privat omni lumine. Dicuntur enim cæci esse in tenebris, quia nihil vident, et multo magis mortui dicuntur esse in tenebris, quia nihil sentiunt. Hinc videlicet Poetæ loca mortuorum umbrosa, ac tenebris obsita esse dicunt. Hinc etiam Scripturæ sanctæ passim conjungunt umbram mortis cum tenebris, ut unum per aliud explicetur. Job. 3. *Obscurent eum tenebræ, et umbra mortis :* et cap. 1. *Ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine.* Isaiæ 9. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis*, ubi pro eodem accipitur, habitare in tenebris, et habitare in regione umbræ mortis. Quia vero loca tenebrosa multis periculis sunt exposita, et non sine ingenti pavore per ea iter facere solemus; ideo David hoc loco dicit, *et si ambulavero in medio umbræ mortis*, id est, in medio ingentium tenebrarum, ubi multa undique pericula circumstent, *nihil timebo, quoniam tu mecum es.*

5. Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.

Sextum bonum explicatur, quod est sustentatio fatigati. Jam enim Propheta, omissa similitudine ovium, loquitur proprie de hominibus, neque enim oves lassæ sustentantur baculo, sed deferuntur in humeris pastorum. Et quamvis possent hæc verba referri ad castigationem paternam, ut S. Augustinus facit, tamen probabilius est ad literam esse referenda ad sustentationem, ut ea referunt Theodoretus, et Euthymius. Nam vox Hebraica, משענתך *mishanteca*, significat proprie *fulcrum*, id est, *baculum fulcientem :* sicut etiam vox Græca βακτηρία, a sustentando deducitur, unde βακτηρεύειν, est *baculo inniti.* Nisi placeat fortasse, virgam referre ad castigationem, et baculum ad sustentationem. Deus enim cum videt suos in via fatigari, lentiusque progredi, quam par esset, utrumque adhibere solet, et verbum increpatorium, et consolatorium, ut altero excitet, altero sustentet. Sed utrumque tandem consolationem adfert, quoniam lætatur anima, cum videt profectum suum curæ esse Deo.

6. Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos, qui tribulant me.

7. Impinguasti in oleo caput meum, et calix meus inebrians, quam præclarus est!

Hoc est bonum septimum, quod videlicet Deus electos suos in tribulationibus, quas in hac vita non possumus evadere, mirifice consoletur. Quare non est sensus horum versiculorum, quod Deus paraverit electis mensam, oleum, et vinum adversus hostes, quasi hæc sint arma, quibus contra hostes pugnandum sit : sed sensus est, Deus opponere tribulationibus magnis magnas consolationes; et sicut ingeruntur ab hostibus amaritudines, sic ingeri a Deo suavitates, quæ describuntur more humano per similitudinem convivii, in quo sit mensa referta cibis optimis, adsit etiam unguentum pretiosum, quo aspergatur caput, nec desit vinum egregium, atque ad inebriandum, id est, exhilarandum aptissimum. Solebant enim veteres in magnis conviviis adhibere inter præcipuas delicias unguenta pretiosa, quod etiam servatum videmus in Evangelio Matth. 26. a S. Maria Magdalena erga Dominum. Porro illa verba, *adversus eos, qui tribulant me*, clariora sunt in textu Græco, et Hebraico. Nam Græcum ἐξ ἐναντίας, et Hebraicum נגד *neged*, significant, *e regione*, sive *ex adverso*, ut vertit S. Hieronymus. Proinde sensus est, e regione tribulationum, quas mihi ingerunt hostes mei spirituales, *tu parasti*, sive *ordinasti*, ut sonat verbum Hebraicum תערוך *thahharoch*, consolationem ingentem, mensam videlicet opiparam. *Impinguasti caput meum oleo*, id est, unguento pretioso caput meum perfudisti, et sic exhilarasti faciem meam in oleo, et non deest ex gratia tua calix vini inebrians, et præclarus, qui lætificet cor meum. Similis est sententia in 93. Psalmo. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Et in Apostolo 2. Cor. 7. *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Illud, *calix meus*, in textu Græco est, *calix tuus*, et sic legunt Augustinus, et Euthymius : sed in Hebræo habetur, כוסי *cosi, calix meus*, et sic etiam vertit S. Hieronymus. Probabile est, emendatiores codices Græcos habuisse τὸ ποτήριον μοῦ, *calix meus*, quomodo legit S. Hieronymus in Commentario, ubi exponit versionem Septuaginta, et sic videtur legisse Theodoretus. Imo S. Hieronymus in Epist. ad Suniam, et Fretellam dicit, in editione Septuaginta haberi *calix meus :* et ex errore haberi in quibusdam codicibus *calix tuus.* Proinde nostra lectio Latina omnino retinenda est : sensus vero semper est idem. Calix enim ille et meus est, quia mihi datus, et Dei est, quia a Deo datus.

8. Et misericordia tua subsequetur me, omnibus diebus vitæ meæ.

9. Et ut inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum.

Hoc est ultimum bonum, quod perducit ad summum bonum. *Misericordia tua subsequetur me*, non ad tempus, sed perseveranter usque in finem, quod est donum proprium electorum. *Et ut inhabitem*, id est, et subsequetur me, ut *inhabitem in domo Domini*, in longitudinem dierum, id est, in æternum. In Hebræo, et in Græco textu non habetur *ut*, sed solum *et :* contra autem nonnulli veterum, ut Augustinus, Hieronymus, Theodoretus in Commentariis non legunt, et, sed solum, ut, et certe sine alterutro esset clarior lectio, nimirum sic : *Misericordia tua*

subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ, ut inhabitem in domo Domini, quomodo legunt Patres, vel sic : *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ, et inhabitabo in domo Domini*, quomodo vertit ex Hebræo S. Hieronymus. In his enim lectionibus nihil subaudiendum est. Tamen lectio nostra non est adeo obscura, ut non possit satis facile intelligi. Subauditur enim illud, *subsequetur*, quod paulo ante præcedit, nimirum : *Misericordia tua subsequetur me, dum vivo*, ut recte vivam, *et subsequetur post hanc vitam*, ut in æternum vivam. Quare S. Augustinus licet in textu non legerit, *et*, tamen in Commentario addit *etiam*, ut videatur illud subintellexisse. Porro pro voce *inhabitem*, in Hebræo habetur שבתי *Scianti*, quod significat, *redibo*. Cæterum Septuaginta legisse videntur, וישבתי *Fascianti*, una litterula addita, et sic recte verterunt, *ut inhabitem*. Quomodo etiam legit S. Hieronymus, qui non vertit, *redibo*, sed *inhabitabo*. Quare lectio Hebraica post S. Hieronymi tempora depravata fuisse videtur.

PSALMUS XXIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

Psalmus David, prima Sabbati.

In hoc titulo pars illa, *prima Sabbati*, non habetur in Hebræo, sed addita est a Græcis, fortasse quia in principio Psalmi fit mentio creationis terræ. quæ prima Sabbati, id est, die Dominico facta est, vel quia solerent hunc Psalmum die Dominico recitare. Quod quidam volunt additum esse, *prima Sabbati*, quia illo Die Dominus resurrexit, non mihi videtur probabile, cum hic Psalmus, non resurrectionem, sed ascensionem Domini manifeste prædicet : ascensionem autem non prima Sabbati, sed quinta factam esse, notissimum est. Quod ad Ascensionem hic Psalmus proprie pertineat, testantur Cyprianus serm. de Ascens. Hieronymus epist. 142. ad Damasum, Ruffinus in expositione Symboli, Gregorius Nyssenus, Joan. Chrysost. August. Leo, et alii in serm. de Ascensione.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Domini est terra, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo.

Propositum Davidis est ostendere, ex innumerabili hominum multitudine solum Christum, et paucos alios, paucos, inquam, si ad multitudinem aliorum conferantur, in domum Domini cœlestem, et beatissimam intraturos ; quare ne forte crederentur cæteri homines ad Deum non pertinere ; sed ab alio aliquo principio creatos esse ; quod postea Marcionistæ Manichæique senserunt : præmittit hos duos versiculos, quibus docet Deum Creatorem, ac Dominum esse totius orbis terrarum, et omnium rerum, quæ in eo sunt. *Domini est terra, et plenitudo ejus*, id est, et omnia quæ in ipsa sunt, quæque ipsam replent. Quod explicatur per alteram partem versiculi, *orbis terrarum, et universi qui habitant in eo*. Declarat enim, se, cum dixit, *Domini est terra*, intellexisse potissimum de terra habitabili, quæ proprie dicitur Hebraice תבל *tebel*, et Græce οἰκουμένη, id est, orbis terræ habitabilis ; et, cum dixit, omnis plenitudo ejus, declarat se intellexisse præcipue de hominibus, qui habitant in eo, non de cæteris rebus quæ in ipso sunt.

2. Quia ipse super maria fundavit eum, et super flumina præparavit eum.

Probat Deum Dominum esse orbis terræ, et omnium habitantium in eo ; quoniam ipse fecit terram, et fecit eam supereminere aquis, ut esset habitabilis. Nam, si vel aquis omnino careret, vel esset aquis undique cooperta, inhabitabilis esset. *Quia ipse*, inquit, *super maria fundavit eum*, id est a fundamentis fecit orbem terræ, ac per hoc ex nihilo fecit, et fecit *super maria*, id est, ut superficies terræ esset altior superficie maris, et similiter *super flumina præparavit eum*, id est, præparavit orbem terræ ad habitationem hominum, et ideo fecit superiorem, et altiorem fluminibus; alioqui enim mare, et flumina terram obruerent, si altiora essent. Ex hoc autem, quod Deus terram habitabilem fecit, sequitur, ut sit etiam Dominus omnium hominum, tum quia homines ex terra facti sunt, et in terram revertuntur, tum quia terram incolunt, non ut domini, sed ut coloni a Deo constituti, ut terram colant.

3. Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus ?

Cum omnes homines coloni, et servi Dei sint, et omnes pariter terram, quæ Dei possessio est, incolant : *Quis ascendet in montem Domini?* id est, eritne aliquis ex tanto numero, et quis ille erit, qui dignus sit ascendere ad locum ubi proprie habitat Deus ? Vocatur *mons Domini* (ut alias sæpe diximus) domus cœlestis, quæ est vere sublimis, et sancta, de qua dicitur in alio Psal.

113. *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Qui hunc locum exponunt de monte Sion, qui erat in Jerusalem civitate Judææ, videntur nullo solido fundamento niti posse, cum constet montem illum plenum fuisse hominibus omnis generis, ut plane ridiculum videatur de illo dicere : *Quis ascendet in montem Domini?*

4. Innocens manibus, et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Respondet quatuor conditiones requiri in eo, qui sit ascensurus montem Domini. Prima est, ut sit *innocens manibus*, id est, nihil mali perpetraverit : altera, ut sit *mundus corde*, id est, nihil mali cogitaverit, aut cupiverit : tertia, *ut non acceperit in vano animam suam*, id est, ut non frustra vitam a Deo acceperit, id est non solum nihil mali fecerit, vel cogitaverit; sed etiam ea omnia bona cogitaverit, et fecerit, quæ ad finem sibi a Deo constitutum obtinendum requirunt : quarta, ut non juraverit dolose. Illud, *qui non accepit in vano animam suam*, aliqui detorquent ad juramentum, ut sequens particula sit explicatio superioris. Volunt autem legi, *qui non accepit in vano animam ejus*, id est, Dei, vel juxta puncta Rabinorum, *qui non accepit in vano animam meam*, ut Deus loqui intelligatur. Verum hæc expositio non videtur probabilis; tum quia sine causa Rabini legi volunt, *animam meam*, cum vox Hebræa habeat, נפשו *naphscho*, pronomen tertiæ personæ, non primæ, et in tertia persona vertit S. Hieron. tum quia lectio illa, *animam meam*, נפשו *naphscho*, est omnino nova et inaudita, cum Latini, et Græci hactenus in ea voce intellexerint relativum reciprocum, nimirum *animam suam;* tum denique, quia nomen Dei in vanum accipere, pro eo quod est falso jurare per Deum, habetur in Scripturis sanctis; sed animam propriam, vel animam Dei in vanum accipere, pro falso jurare, nusquam legitur. Alii volunt animam suam in vano accipere, nihil esse aliud, nisi vana, id est temporalia, et caduca cogitare, et concupiscere : sed hoc jam comprehensum erat in illo : *Mundus corde*, et videtur coactum, et durum. Addidit vero Propheta quartam illam conditionem, de juramento doloso, ut in eo peccato, quod est unum ex maximis, cum sit pariter contra Deum, et contra proximum, comprehenderet omnia alia peccata, quæ per instrumentum linguæ committuntur. Itaque is, qui dignus sit in montem Dei, id est, in cœlum conscendere, debet undequaque esse perfectus, ita ut neque corde, neque voce, neque opere unquam deliquerit, et contra, bona omnia fecerit, quæ ad ejus officium pertinebant. Hæ vero conditiones non in alium, quam in Christum conveniunt. Is enim unus est, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, ut dicitur 1. Petri 2. De reliquis, *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, ut loquitur David in Psalm. 13. *Et omnes nos quasi oves erravimus*, inquit Isaias cap. 53. et Apostolus Paulus ad Rom. 3. *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei.* Proinde recte Dominus ipse ait Joannis 3. *Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.* Reliqui sunt de terra terreni, ille solus de cœlo cœlestis, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis per Ascensionem factus. Nec tamen sola persona Christi ascensura erat in montem Domini, sed ipse, et corpus ejus, quod est Ecclesia, quam lavit sanguine suo, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam, ad Ephes. 5. propterea sequitur.

5. Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo.

Hic, videlicet Christus, *accipiet benedictionem a Domino*, id est, copiosissima bona pro se, et *misericordiam a Deo salutari*, pro corpore suo, quod est Ecclesia, cujus etiam respectu dicitur Deus salutaris ejus. Siquidem vita æterna in Regno cœlorum, Christo justitia, fidelibus ejus misericordia est; nam etiamsi justi merentur ex condigno vitam æternam, tamen ipsa eorum merita ex misericordia Dei nascuntur, et dona Dei verissime appellantur. Unde in Psal. 102. dicitur, *Qui coronat te in misericordia, et miserationibus :* Et ad Rom. 6. *Stipendium peccati mors, gratia Dei vita æterna.* In Hebræo habetur, *justitiam a Deo salutari suo*, et sic vertit S. Hieron. secundum quam lectionem totus hic versiculus Christo proprie conveniret. Tamen Septuaginta, qui verterunt misericordiam, videntur considerasse, justitiam in Scripturis aliquando accipi pro bonitate, imo etiam expresse pro misericordia, ut in Psal. 111. *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Unde est illud in Evangelio Matth. 6. *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Et mox. *Te igitur faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextra tua.* Itaque Septuaginta hoc loco non tam ad vocem, quam ad rem significatam respexerunt.

6. Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob.

Hic jam manifestat Propheta illum unum innocentem manibus, et purum corde, qui ascendet in montem Domini, et accipiet benedictionem, et misericordiam a Deo, non esse solum caput, sed caput cum corpore, Christum cum Ecclesia. *Hæc*, inquit, *est generatio quærentium eum*, id est, iste qui ascendet in cœlum, est generatio quædam hominum regeneratorum in Christo, quorum præcipuum studium est Deum quærere, ad faciem Dei videndum anhelare, ad montem denique sanctum totis viribus niti. Et vere unum est, ac forte præcipuum signum electorum Dei, suspirare ad patriam. Generatio enim filiorum hujus sæculi nihil minus, quam Deum quærit, nihil magis quam mortem horret : et, si optio daretur, mallent in hoc sæculo semper vivere, quam dissolvi, et esse cum Christo. In textu Græco habetur, αὕτη ἡ γενεὰ ζητούντων κύριον. *Hæc est generatio quærentium Dominum*, et sic legunt in Commentario Hieronymus, Augustinus, Euthymius et alii : tamen in Hebræo habetur, *quærentium eum*, ut habet nostra editio Latina. Sensus omnino est idem; nam illud, *eum*, refertur ad Dominum, de quo dictum erat, *accipiet benedictionem a Domino.* Itaque Septuaginta videntur explicasse pronomen, *eum*, quod est in Hebræo. Quod sequitur, *quærentium faciem Dei Jacob*, in Hebræo est, *quærentium faciem tuam, o Jacob.* Quo etiam loco Septuaginta explicuerunt sententiam obscuram textus Hebraici, in quo subintelligitur, *Deus*, ut sensus

sit, quærentium faciem tuam, Deus Jacob: nisi forte per Jacob, in textu Hebraico intelligatur cœtus Beatorum, sive cœlestis Jerusalem, et tunc in idem recidet, quærere faciem Dei, et quærere faciem Jacob. Quia nemo videt faciem Jacob, id est, cœlestis patriæ, qui non videat faciem Dei Jacob, cum totum negotium, totaque felicitas illius beatissimi Jacob sit contemplari faciem Dei. Additur in Hebræo, סלה *sela*, id est semper, quia non solum generatio hæc Deum quærit, sed semper Deum quærit, id est, non fatigatur Deum quærendo, neque sinit se abduci a quærendo Deo, ut quærat aliquid infra Deum.

7. Attollite portas Principes vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit Rex gloriæ.

Cum prævidisset sanctus Propheta, inventum esse unum, qui ascendere dignus esset in montem Dei, id est, Christum; prædicit jamjam illum re ipsa ascensurum, et portas cœli æternas illi aperiendas. Sed more Poetico utitur prosopopœia, et alloquitur tum *Principes cœli*, id est, Angelos, tum *ipsas portas*, ac jubet Angelis, ut aperiant, et portis, ut sinant se aperiri, imo sponte patefiant advenienti Regi gloriæ. Euthymius notat portas non aperiri, sed tolli, quia adveniente Rege solent portæ civitatis auferri, et deponi in signum subjectionis. At non dicit David, auferte portas, sed *attollite*, et non dicit portis, exite de medio, sed *elevamini*. Dicit igitur *attollite* et *elevamini*, quia portæ cœli non sunt quasi in pariete, ut ad latera moveri debeant, sed quasi in tecto, vel laqueari, ut sursum versus aperiendæ sint. Unde etiam refellitur opinio eorum, qui volebant Prophetam loqui de domo aliqua in monte Sion terrestri, in quam introducenda erat Arca. In Hebræo ad verbum, ut vertit S. Hieronymus, alloquitur Propheta solas portas, ac dicit, *Attollite portæ capita vestra, elevamini januæ sempiternæ, et introibit Rex gloriæ*. Dicuntur autem portæ attollere capita, quando elevantur sursum versus, quia tunc attolluntur extremæ partes earum, quæ sunt in eis veluti capita. Et quamvis vox Hebræa, ראשים *rascim*, significare possit non solum *capita*, ut vertit S. Hieronymus, sed etiam *Principes*, ut verterunt Septuaginta; tamen pronomen additum, quod Hebræi dicunt affixum, secundum communem phrasim Hebraicam solet conjungi cum nomine immediate præcedente; et ideo illud, ראשיכם *rasci echem*, deberet verti, *capita vestra*, ut vertit S. Hieron. vel *Principes vestros*, quod hoc loco non est ad propositum. Tamen quia Septuaginta Interpretes satis aperte per ראשים *rascim*, intellexerunt *Principes*, cum verterint, οἱ ἄρχοντες, et pronomen conjunxerunt cum nomine *portas*, dicendum est, vel in textu ipsorum pronomen affixum fuisse nomini, שערים *sceharim*, quod significat *portas*, non autem nomini ראשים quod significat *principes*, vel posse pronomen affixum uni nomini, referri ad aliud nomen, quamvis rarissime, præter regulam.

8. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis, et potens, Dominus potens in prælio.

Introducit Principes cœlestis Jerusalem interrogantes, *quis sit ille Rex gloriæ*, non quod Angeli in die Ascensionis Domini ignorarent, Christum esse Regem gloriæ: sed ut exprimat admirationem, quam secum adferebat novitas illa quod cerneretur verus homo corporalis ascendere super cœlos, non tanquam hospes, sed tanquam Dominus gloriosæ, ac sempiternæ civitatis. Respondet autem Propheta, Regem gloriæ esse Christum, Dominum fortissimum et potentissimum, qui potentiam suam ostendit in prælio contra Principem tenebrarum, quem devicit, spoliavit, et alligavit.

9. Attollite portas Principes vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit Rex gloriæ.

10. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ.

Fingit Propheta Angelos, qui cœlo præsunt, quasi cunctari in aperiendis portis; et ideo rursus intonat, *Attollite portas*, etc. quæ non significant aliud, nisi ingentem rei novitatem, quod corpus terrenum supra corpus cœleste, et caro humana supra ipsos Angelicos spiritus, cum incredibili totius naturæ admiratione, et quasi stupore conscendat. Rursus igitur introducit Angelos interrogantes, *Quis est iste Rex gloriæ?* quibus ipse respondet: יהוה *Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ.* Audito autem nomine sibi notissimo, nimirum, יהוה *Dominus virtutum*, continuo aperiunt, et Regem gloriæ læti suscipiunt. Dominus virtutum, in Hebræo est Adonai, צבאות *Zebaoth tsebaoth*, quod S. Hieronymus vertit, יהוה *Dominus exercituum*. Quod nomen in Prophetis frequentissime tribuitur Deo, neque est commune Diis per participationem, sed proprium soli Deo proprie dicto, tum quia continet nomen quatuor litterarum, proprium soli Deo vero; tum quia solus sit vere Dominus exercituum, quia præest exercitibus Angelorum, qui sunt pene innumerabiles, et potentissimi; et etiam quia soli Deo vero militant omnes creaturæ. Nam ut habemus in Psal. 148. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum quæ faciunt verbum ejus*, id est, pugnant ad imperium ejus. Expertus est quidem Pharao Deum esse Dominum exercituum, cum non solum per Angelos, sed etiam per minutissima animalia contra eum pugnaverit, videlicet per ranas, muscas, et culices, nec solum per animalia, sed etiam per res inanimatas, grandinem, ignem, tenebras, morbos, et similia. Porro translatio Septuaginta, qui verterunt, *Dominus virtutum*, in idem recidit. Nam per virtutes non intelliguntur virtutes morales, quæ dicuntur ἀρεταί, sed vires, et potentiæ, quæ dicuntur δυνάμεις. Itaque *Dominus virtutum*, est Dominus virium, et potentiarum, quales præcipue sunt castrorum acies ordinatæ. In vulgari etiam sermone exercitus armati dici solent, *les forces*. Ex his habemus, Christum Dominum vere, ac proprie esse Deum, non creaturam, ut Arriani, aliique permulti hæretici voluerunt. Nam in hoc Psalmo dicitur, *Dominus virtutum*, sive *exercituum*, quod nomen in tota Scriptura sacra soli Deo tribuitur; necnon *Rex gloriæ*, id est, Rex cœlestis Jerusalem, quæ est regio lucis, et summæ, æternæque claritatis, quod sine dubio soli Deo vero convenire potest. Additur in Hebræo סלה *Sela*, semper, ut significetur Christum Regem esse gloriæ, non ad tempus, sed in omnem æternitatem.

PSALMUS XXIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus David.

In Hebræo non habetur, in finem, sed solum, *Psalmus David*, sed non multum refert sive Septuaginta addiderint illud, in finem, sive exciderit ex textu Hebraico. Hic Psalmus est primus ex alphabeticis; habet enim tot versiculos, quot sunt litteræ alphabeti, nimirum viginti duos, et incipit primus versiculus a prima littera Alphabeti, secundus a secunda, et sic deinceps. Una duntaxat littera est, a qua nullus versus incipit, videlicet caph, sed ut damnum hoc resarciatur, in fine Psalmi post ultimam litteram ponitur alius versiculus incipiens a littera phe; atque ita duo versiculi incipiunt a littera phe. Quid hujus rei causa fuerit, difficile esset divinare. Similes Psalmi alphabetici sunt 33. 35. 110. 111. 118. et 144. Cur alphabetici scribantur Psalmi, nulla melior occurrit ratio, quam ut consulatur memoriæ. Argumentum Psalmi est oratio devotissima, qua petitur remissio peccatorum, et gratia bene vivendi. Convenit autem hæc oratio homini incipienti despicere temporalia, qui sic tenetur desiderio placendi Deo, ut tamen laboret in concupiscentiis superandis.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Ad te, Domine, levavi animam meam, Deus meus in te confido, non erubescam.

In hoc versiculo, qui est unus apud Septuaginta, quia continet integram sententiam, sunt duo secundum Hebræos; incipit enim secundus ab illis verbis, *In te confido*, quia ibi ponitur secunda littera Alphabeti. *Ad te, Domine, levavi animam meam*, id est, non inveniens in creaturis ullis quietem, sed ubique spinas et tribulos, pertæsus vitæ prioris, animam meam abstractam ab affectu, quo inhærebat terræ, ad te levavi; tibi per cogitationem assiduam, et amorem a te inspiratum inhærere cœpi; a te auxilium contra tentationes expecto, et quia *in te confido, non erubescam*, id est non recedam a te confusus, auxilio non impetrato; ita ut cogar erubescere coram inimicis meis. In textu Græco additur εἰς τὸν αἰῶνα, in æternum; sed id non habetur in Hebræo, neque legitur a S. Hieronymo, S. Augustino, et Theodoreto in commentariis, sed a solo Euthymio ex veteribus. Itaque recte non est receptum in editione Latina.

2. Neque irrideant me inimici mei, etenim universi, qui sustinent te non confundentur.

Explicat quod dixerat, *non erubescam*, quia tunc erubesceret, si irrideretur ab inimicis tanquam frustra sperasset in Deo. In Hebræo אל יעלצו אויבי לי *al iahhalzuoiebai li*: habetur, *Neque exultent inimici mei.* Sed idem sensus est. Siquidem exultatio inimicorum species irrisionis est. Per inimicos autem intelligi possunt tum homines mali, tum etiam dæmones, quorum exultatio, et irrisio intolerabilem confusionem pareret, si eam serio cogitaremus. Reddit postea causam, cur omnino confidat se non confundendum, *quoniam*, inquit, *universi qui sustinent te non confundentur*, id est, quia longo experimento exemplis nostrorum majorum, et ex ipsis verbis tuis didicimus neminem confundi, neque a spe sua excidere ex iis, qui te sustinent, id est, qui in te confidentes patienter auxilium tuum expectant. Sustinere Dominum in Scripturis frequentissimum est, et significat expectare Dominum cum certa spe auxilii.

3. Confundantur omnes iniqua agentes, supervacue.

Duplicem sensum hic versiculus habere potest; primo enim sensus esse potest, ut significetur, confundendos eos, qui sine causa peccant, id est, qui non peccant ex ignorantia, vel infirmitate, sed ex malitia. Isti enim non cogitant de pœnitentia, neque de peccato abjiciendo; ideo, si forte sperant aliquid a Deo, spes eorum præsumptio est. Ita Theodoretus et Euthymius. Potest etiam esse alius sensus, fortasse magis litteralis, ut significetur confundendos inimicos justorum tum visibiles, tum invisibiles, quia frustra inique agunt dum vexant homines justos; non enim consequuntur finem sibi propositum, nimirum ut justos perdant, et ad gehennam perducant; cum e contrario illa vexatio sit eis virtutis exercitatio, et meritum gloriæ sempiternæ. Retorquet igitur Propheta confusionem in hostes, quasi dicat: Ne sinas, Domine, ut ego confundar, quod fieret, si inimici mei me irriderent, et de perditione mea exultarent, sed contra confundantur ipsi, dum cernunt se supervacue ac frustra inique egisse, ut me ad impatientiam provocarent.

14. Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me.

Per vias Domini intelligimus legem Domini, quæ vere est via, qua itur ad Deum. *Nam si vis*

ad vitam ingredi, Dominus ait, Matth. 19. *serva mandata.* Cum itaque postulasset Propheta auxilium Domini contra tentationes, explicat quod auxilium potissimum habere desideret, atque ait, *Vias tuas, Domine, demonstra mihi*, id est, fac me ambulare per vias præceptorum tuorum; *et semitas tuas edoce me*, id est, ostende mihi angustum iter justissimæ legis tuæ: sic enim evadam omnes irrisiones inimicorum, et non ego confundar, sed confundentur ipsi, qui frustra me suis tentationibus exagitant. Porro cupit doceri legem Domini, non quoad intelligentiam speculativam, sed quoad praxim, id est, cupit gratiam, quæ persuadeat voluntati, ut libeat implere mandata.

5. Dirige me in veritate tua, et doce me, quia tu es Deus salvator meus, et te sustinui tota die.

Idem repetit, et addit rationem. *Dirige me*, inquit, *in veritate tua;* id est, ex me facile declino ad dexteram, vel ad sinistram, deserens viam mandatorum tuorum, propter temporales prosperitates, vel adversitates, ideo tu dirige me ducens auxilio gratiæ tuæ per viam rectam in veritate tua, id est, in lege tua, quæ verissima via est. *Nam omnia mandata tua veritas*, Psal. 118. *Quia tu es Deus salvator meus*, id est, ideo a te auxilium hoc peto, quia tu solus, qui Deus es, potes salvare animam meam. Non est enim alius Medicus, qui noverit curare morbos animarum, et multo minus qui possit sanitatem perfectam reddere, nisi Deus: et præterea hoc a te peto, et spero impetraturum, quia te sustinui tota die, id est, perseveranter, et patienter expectavi medicinam tuam, neque aliunde consolationem accipere volui. Magni meriti est apud Deum, tempore tentationis non deficere a spe cœlestis auxilii, neque humanas consolationes requirere.

6. Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum, quæ a seculo sunt.

Quando Deus sinit animam tentationibus agitari, vel in peccatis hærere, videtur oblitus misericordiæ suæ; ideo justus diu luctatus cum tentatione, vel videns se non posse liberari a lapsu in peccata, quod summopere cupit, clamat ad Deum ut recordetur miserationum, et misericordiarum suarum antiquarum. Inter miserationem et misericordiam hoc interest, quod miseratio significat actum miserendi, misericordia habitum virtutis, et idem fere discrimen invenitur in verbis Hebraicis, quamvis sint magis dissimilia inter se, quam Latina. Quod hic habemus, *miserationes*, in Hebræo est, רחמיך *rachameca*, quod amorem, et viscera paterna proprie significat, unde est illud Psal. 102. *Sicut miseretur pater filiorum.* Quod autem hic habemus, *misericordia*, in Hebræo est, חסדיך *chasadecha*, quod pietatem et probitatem, ac misericordiæ virtutem significat. Itaque sensus est: Recordare, Domine, te ab æterno misericordem fuisse, nec solum misericordem, sed etiam misereri solitum; et viscera paterna exhibere erga filios tuos. Proinde hoc tibi esse proprium et naturale. Illud, *quæ a seculo sunt* in Hebræo, כי מעולם המה *chi meholam hema*, et Græco est, quia a seculo sunt, et sic legunt S. August. et Theodoretus. Tamen S. Hieron. In commentario, et Euthymius legunt, ut nos habemus, *quæ a seculo sunt;* ex quo apparet textus Græcos ὅτι ἀπὸ τοῦ αἰῶνός εἰσιν et Latinos olim fuisse varios. Sensus est idem, sive dicamus, reminiscere, quod ab æterno misericors es, sive reminiscere misericordiæ tuæ, quæ ab æterno est.

7. Delicta juventutis meæ et ignorantias meas ne memineris.

Pulchre opponit reminiscentiæ oblivionem, quasi dicat, Reminiscere misericordiæ tuæ, et obliviscere peccatorum meorum. Nam unum est causa alterius, tunc enim Deus reminiscitur misericordiæ suæ, quando non vult amplius reminisci peccatorum nostrorum, sed ea remittit, ac delet, ac si æternæ oblivioni mandentur. Commemorat autem peccata juventutis, et ignorantias, id est, delicta commissa ex infirmitate et ignorantia; tum quia istis magis quam aliis convenit misericordia, juxta illud Apostoli, 1. Timot. 1. *Misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci;* quia forte David non alia peccata habebat: et hæc oratio justi hominis est, cui cum peccatis levibus certamen est; tum etiam quia, ut notat Euthymius, peccata ex malitia non remittuntur per solam orationem, sed dignis pœnitentiæ fructibus indigent. In Hebræo non habetur ignorantias meas, sed, פשעי *Pesciagai*, id est, *scelera mea.* Quia vero Septuaginta verterunt, ἀγνοίας, id est, ignorantias, et de eorum eruditione, et fide dubitare non possumus, et revera magis congruit cum peccatis adolescentiæ ignorantia, quam scelus; cogimur dicere vocem Hebraicam generalem esse, et tam scelera, quam peccata leviora significare.

8. Secundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam, Domine.

Declarat, quod dixerat, reminiscere misericordiæ tuæ, et obliviscere delictorum meorum. Hoc enim totum fit, cum Deus recordatur hominis peccatoris secundum misericordiam suam.

9. Dulcis, et rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

Confirmat ipse in spe se impetrandi, affirmans Dominum bonum et justum esse; et ideo libenter corrigere solere delinquentes. Sic enim exercet misericordiam erga hominem, et justitiam erga peccatum. Pro dulcis, in Hebræo est, טוב *tob*, quod proprie bonum significat: et in Græco quoque χρηστός, bonum potius, quam dulcem significat. Proinde illud, *dulcis*, quod est in nostra editione Latina, pro bono accipiendum est; pro *legem dabit*, in Hebræo est, יורה *iora*, id est, *docebit*, et in Græco νομοθετήσαι, id est, *legislatorem, seu præceptorem se exhibebit.* Itaque non est sensus, Deum legem dare quomodocumque, sed legem dare eam docendo, ac per hoc faciendo, ut observetur. Respondent enim hæc verba verbis superioribus: *Vias tuas demonstra mihi, et semitas tuas edoce me, dirige me in veritate tua, et doce me.* Quod enim petebat, nunc affirmat, Deum concedere solitum

esse. Hic igitur est sensus, *Dulcis et rectus Dominus est*, et ideo amat homines, et odit peccata; ac propterea legem suam demonstrat, ac persuadet delinquentibus in via hujus vitæ, ut ipsi etiam ex iniquis, et malis justi et boni efficiantur.

10. Diriget mansuetos in judicio, docebit mites vias suas.

Declarat quod dixerat, *legem dabis delinquentibus*, ac dicit non de omnibus delinquentibus id esse intelligendum, sed solum de mansuetis, et mitibus, qui non resistunt Domino docenti, imo cupiunt doceri. *Diriget*, inquit, *mansuetos in judicio*, id est, ducet per viam rectam legis suæ (quæ judicium etiam in Scripturis appellatur, ut diximus in explanatione Psalmi 18.) homines humiles et mites. Deinde hoc ipsum declarat aliis verbis, dicens, *Docebit mites vias suas*, id est, mitibus dabit gratiam cognoscendæ et amandæ, ac per hoc implendæ legis. Hoc loco annotandum est, non excludi superbos omnino a gratia Dei, sed ordinem assignari. Superbi siquidem non sunt perfectionis capaces, de qua proprie agitur in hoc Psalmo, nisi prius timore concepto pœnitentiam agant, et timore deposito mites humilesque reddantur. Itaque primum gratia Dei superbos atque obstinatos emollit, et conterit, deinde contritis, et humiliatis demonstrat vias suas, et dirigit eos in judicio.

11. Universæ viæ Domini misericordia et veritas, requirentibus testamentum ejus, et testimonia ejus.

Addit ad id quod dixerat, non solum a Deo dirigi mansuetos, sed omnia opera Dei erga tales homines esse misericordiam, et veritatem, id est, misericordiam, et justitiam, quatenus justitia accipitur pro fidelitate, et veritate, quæ quod promittitur implere facit. *Viæ Domini* hoc loco vocantur opera Dei, quibus Deus ad nos quodam modo venit; nisi forte magis placeat, per vias Domini intelligere morem Dei sive regulam, et quasi legem, qua Deus utitur. Itaque via Domini semper significat legem, sed aliquando legem, quam nobis dat, ut per eam, quasi per viam rectam ascendamus ad ipsum; aliquando legem qua ipse utitur, cum per opera descendit ad nos. Et quia jam multa dixerat David de via Domini priore, id est, de lege nobis data: nunc adjungit aliquid de via Domini posteriore, id est, de lege, quam ipse sibi posuit, et quam servat erga nos. Ergo, inquit, *Universæ viæ Domini, misericordia, et veritas*, id est lex, sive regula, sive modus procedendi Dei consistit in misericordia, et veritate, ut misericorditer promittat, et fideliter impleat, quod promisit. At cum quibus utitur Deus hac lege? cum *requirentibus testamentum ejus, et testimonia ejus.* Vocat testamentum Dei pactum illud, quod fecit cum hominibus, quando legem dedit, ut ipsi sint populus ejus, et ipse Deus eorum. Quod quidem pactum vocatur etiam in Scripturis testamentum, quia continet promissionem hæreditatis, et quia morte testatoris confirmandum erat, sicut re vera confirmatum est in morte Christi, in cujus rei signum Moses aspersit sanguinem in populum dicens: *Hic est sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus.* Exod. 24. et Hebr. 9. Vocat autem testimonia Dei, ipsam legem, quam Deus dedit, quoniam, ut alias diximus, per legem testificatur nobis Deus voluntatem suam. Cum illis igitur Deus utitur lege misericordiæ, et veritatis, qui requirunt pactum cum Deo initum, ut illud observent, et similiter requirunt legem Dei, ut eam impleant, id est, cum hominibus bonæ voluntatis, Deum timentibus, et diligentibus. In Hebræo habetur pro voce testamentum ברית *berith*, quod proprie pactum significat. Sed Septuaginta vertere solent διαθήκην, id est testamentum, propter rationem jam dictam. Sic etiam pro voce, *requirentibus*, in Hebræo est, נצרי *nozere*, custodientibus: sed idem est sensus. Qui enim requirunt pactum, quod forte jam obliti erant, ad hoc requirunt, ut custodiant.

12. Propter nomen tuum Domine, propitiaberis peccato meo, multum est enim.

Ex universali lege, qua Deus utitur erga timentes se, colligit Propheta bonam spem se habere posse de remissione suorum peccatorum. *Propter nomen tuum Domine*, id est, ut manifestetur misericordia et veritas tua, *propitiaberis peccato meo quod multum est.* Potest autem dici multum, vel propter multitudinem, sicut dicitur multus populus, juxta illud Apostoli Jacobi cap. 3. *in multis offendimus omnes*, vel propter magnitudinem, et gravitatem; quia viri sancti etiam parva peccata, magna existimant: et vere magna sunt, si magnitudo ejus qui offenditur, consideretur.

13. Quis est homo, qui timet Dominum? legem statuit ei in via, quam elegit.

Facit Propheta more amantium, qui nunc suspirant ad rem amatam, nunc eam laudant, nunc iterum suspirant. Amabat vir justus gratiam Dei, cupiebat remissionem peccatorum, donum recte vivendi, et placendi Deo, ideo nunc hoc ipsum petit; nunc laudat gratiam istam et felicitatem enarrat timentium Deum; id est, eorum, qui gratiam istam consequuti sunt, nunc revertetur ad hoc ipsum desiderandum, et postulandum. Itaque in hoc versiculo, et duobus sequentibus narrat bona, quæ assequuntur timentes Deum. *Quis est*, inquit, *homo qui timet Deum?* quasi dicat, Prodeat in medium homo vere timens Deum et audiet ex me suam felicitatem. Quod sequitur, *legem statuit ei in via, quam elegit;* multi volunt esse initium felicitatis, quam Propheta enarrandam suscepit quasi dicat, iste timens Deum, hoc in primis habebit, quod Deus eum instruet de lege sua in via, quam elegit, id est, in statu vitæ quem elegit. Ita Theodoretus et Euthymius. Non rejicio expositionem; sed magis litteralem puto aliam, quam insinuant Hieronymus, et Augustinus. Est enim consuetudo Prophetæ idipsum in eodem versiculo bis repetendi, vel declarandi in una parte versiculi, quod in altera dictum est. Hunc igitur sensum esse existimo, *Quis est homo qui timet Deum?* Quis, inquam, est ille, quem Deus instruxit de lege sua in via, quam ipse homo elegit, id est, in recto itinere bene vivendi et eundi ad Deum, quod ipse voluntarie jam elegit; sic enim una pars versiculi declarat alteram. Ille enim est homo timens Deum,

qui dono Dei elegit viam, qua itur ad Deum quæ est observatio mandatorum. Illa verba, *legem statuit ei* in Hebræo, יורנו *iaronu*, et Græco, νομοθετήσει unicum tantum verbum sunt quod significat docere, instruere, præcipere, præceptorem se exhibere, et similia. Itaque verti poterat, Quis est ille, quem Deus docuit? proinde *legem statuit ei*, significat, legem dedit in corde ejus, id est, instruxit, et docuit eum. Et pronomen, *ei*, explicandum est (ut sanctus Hieronymus facit) per relativum, quem, vel qui, id est, quem docuit de lege, vel cui dedit legem in corde. Hæc enim est recta interpretatio verbi Hebraici.

14. Anima ejus in bonis demorabitur, et semen ejus hæreditabit terram.

Hæc est felicitas timentis Deum, quod *anima ejus*, id est, ipse timens Deum *in bonis demorabitur*, id est, bonis fruetur non ad breve tempus, aut per transitum, sed permanenter, et stabiliter. Quæ sententia verissima est, nam *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, ut ait Apostolus ad Rom. 8. Proinde timens Deum semper fruetur bonis, quia si res bene cedent, fruetur bono prosperitatis; si contra, fruetur bono patientiæ, et spe magni præmii in regno cœlorum. Ita semper erit lætus. Nec ipse solum in bonis morabitur, sed etiam filii ejus propter ipsum hæreditabunt terram, id est, terram possidebunt. In Scripturis enim, ut exposuimus in Psal. 15. pro eodem accipitur hæreditare, et possidere. Dicuntur autem filii timentium Deum possessuri terram, quia pacifice habitabunt in terra, et nemo eis nocebit, in eo sensu, quem attigimus; quia bonis omnia cooperantur in bonum, et ipsæ tribulationes convertuntur in gaudium.

15. Firmamentum est Dominus timentibus eum, et testamentum ipsius ut manifestetur illis.

Hæc est ratio, cur timentes Deum in bonis semper morentur, quoniam non innituntur rebus caducis, et perituris, sed Deus ipse est firmamentum eorum, id est, in Dei amicitia, et auxilio fundatas habent spes suas. In Hebræo est, סוד *Sod* quod secretum significat, et ideo S. Hieron. vertit, secretum Domini timentibus eum, supple, *revelatur*. Sed Septuaginta videntur legisse יסוד *iesod*, *fundamentum*, una literula addita, quæ facili negotio ex textu Hebraico temporis progressu excidere potuit. Et sine dubio melius congruit hoc loco fundamentum, quam secretum. Cur autem timentes Deum jure innitantur Deo, ut solidissimo fundamento, ratio est, quia *testamentum*, id est, pactum Domini, hoc eis manifestat; quia enim timentes Deum optime norunt, et sæpe recogitant, Deum pepigisse fœdus cum hominibus, ut sit eorum Deus; et quasi amantissimus parens, si ipsi leges ejus servaverint; ideo ex hoc pacto intelligunt in Deo tanquam in firmissimo fundamento, quiescere posse. Hæc est sententia hujus loci, sed quia verba Latinæ editionis obscura sunt, ex verbis Græcis dilucidanda erunt. Vox illa *testamentum*, nominativi casus est in Græco, videlicet διαθήκη, et sic etiam intelligi debet in Hebraico, et Latino. Illud, *ut manifestetur eis*, in Græco δηλώσει αὐτοῖς, *manifestabit eis*, id est, pactum Domini manifestabit timentibus Deum, quod Dominus firmamentum eorum sit, id est, ex pacto illo cognoscent Dominum esse firmamentum timentium se. In eumdem sensum exponi possunt verba Hebr. ובריתו להודיעם *ubritho lehorihham*. *Et pactum ejus ad docendum eos;* sic enim est ad verbum, et sensus est, et pactum Domini erit ad docendum eos, id est, docebit eos, quod Dominus firmamentum sit timentium se. In eumdem igitur sensum oportet etiam accommodare verba Latina. Et testamentum ipsius ut manifestetur illis, id est, testamentum; sive pactum ejus, supple faciet, ut manifestetur illis id quod paulo ante dictum est, videlicet Deum esse firmamentum timentium se.

16. Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.

Laudata paulisper felicitate timentium Dominum, revertitur ad eam optandam et petendam: Oculi mei semper ad Dominum, id est, assidue respicio mentis oculis Deum, tanquam ab illius auxilio totus pendens. Efficacissimum orandi genus est, habitu miserabili respicere eum, a quo auxilium speres, et magis inopiam ostendendo, et modeste tacendo, quam odioso clamore benignitatem divitis implorare, *Sicut oculi ancillæ*, ait idem Propheta in Psal. 132. *in manibus Dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos*, id est, ideo tam intente in Deum respicio, quoniam ipse tandem, ut spero, liberabit me ab omni periculo tentationum, quæ veluti laquei ubique nobis in hac vita insidiantur. Posset etiam illud, *oculi mei semper ad Dominum*, referri ad intentionem semper Deo placendi, neque ullo modo aliquid admittendi contra ipsius voluntatem. Posset quoque referri ad contemplationem divinæ pulchritudinis, quam semper ob oculos habent, qui serio diligunt Deum. Sed prima explicatio videtur maxime litteralis.

17. Respice in me, et miserere mei, quia unicus, et pauper sum ego.

Quia ipse Deum semper respicit, merito petit, ut respiciatur a Deo. Hoc enim est, quod tacite petebat, cum oculos intentos in Deum habebat, nimirum ut misericorditer respiceretur ejus solitudo, et paupertas. Dicit se *unicum*, id est, solum et desolatum; vel quia re vera destitutus fuisset ab amicis, et cognatis; vel, quod magis probo, quia ipse se animo ab aliis omnibus separaverat, et in Deo solo spem omnem posuerat. Dicit autem *pauperem*, quia humilis erat, et se virtutibus, ac meritis vacuum arbitrabatur.

18. Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt, de necessitatibus meis erue me.

De tentationibus peccatorum hunc locum intelligo potius, quam de temporalibus adversitatibus. Erat enim et hic unus ex illis, qui cum Apostolo gemunt, et dicunt; Rom. 7. *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, etc. et, *miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Necessitates autem, a quibus liberari cupit, videntur esse mo-

lestissimæ illæ concupiscentiæ, quæ velimus, nolimus, nos vexant, et aliquando in peccatum pertrahunt. *Multiplicatæ sunt*, in Hebræo habemus, הרחיבו *hirchibu, dilatatæ sunt.* Sed quoniam verbum Hebraicum, צרות *thesaroth*, angustias proprie significat, pro quo nos habemus tribulationes et angustiæ, cum dilatantur, desinunt esse angustiæ, ideo ad tollendam ambiguitatem, Septuaginta prudenter vertunt, non ut verba sonant, *angustiæ dilatatæ sunt*, sed ut sensus erat, *tribulationes multiplicatæ sunt.* Siquidem hoc loco dicuntur angustiæ dilatatæ, non quia perierunt, sed quia creverunt. Quod enim dilatatur, utique crescit. Posset etiam fieri ut Septuaginta non legissent, הרחיבו *hirchibu*, *dilatatæ sunt*, sed, הרחובו *hirchubu, multiplicatæ sunt*, unica littera mutata. Sanctus etiam Hieronymus eodem modo vertit, *tribulationes multiplicatæ sunt;* proinde si corrupta sit Hebraica lectio, post tempora S. Hieronymi corrupta est.

19. Vide humilitatem meam, et laborem meum, et dimitte universa delicta mea.

Pergit in oratione, ac petit sibi remitti peccata, in quæ aliquando tentatione vincente prolabitur. Quamvis enim affligatur timens Deum, et multum laboret resistendo concupiscentiis, tamen septies in die cadit justus; sed hinc etiam justus esse probatur, quod sordes, quas minus caute ambulando contrahit, studiose flendo, et orando abluit. Per humilitatem hoc loco non intelligit virtutem humilitatis, sed abjectionem, et vilitatem; vilescit enim sibi vir justus vehementer, cum immaculatus esse cupit, et tamen sordes non evadit. Pro verbo, dimitte, in Hebræo est, *Sa*, quod S. Hieron. recte vertit, *porta; porta*, inquit, *omnia peccata mea*, et quamvis sensus sit idem, tamen habet nescio quam vim illud, *porta;* significat enim timorem quemdam, sive sollicitudinem hominis amantis Deum, ne forte Deus multitudine peccatorum offensus ad iram provocetur: ideo clamat, *porta omnia peccata;* quasi dicat, Etsi multa sint, tamen non fatigeris ignoscere, supporta imbecillitatem meam.

20. Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, et odio iniquo oderunt me.

Ab alio loco ducit argumentum, videlicet a multitudine, et crudelitate hostium, quasi dicat: Vidisti Domine humilitatem, et laborem meum, vide etiam hostium meorum spiritualium multitudinem, et crudelitatem, atque iniquitatem. Hostes qui nos ad peccata pertrahere tentant, et ignitis jaculis concupiscentiam accendere non cessant, Dæmones sunt, *quos spirituales nequitias* Apost. Ephes. 4. vocat: eos innumerabiles esse notum est, nec minus est notum, odio iniquitatis, id est, odio iniquissimo in nos ardere. Dicitur odium iniquum sive iniquissimum, cum quis alium sine causa odit, a quo videlicet nullam accepit injuriam. Potest etiam dici odium iniquum, vel iniquissimum, cum qui alteri nocere studet, solo studio nocendi, non ut ipse inde aliquid lucretur. Tale omnino est odium diaboli erga genus humanum, ac potissimum erga electos; neque enim homines diabolo injuriam ullam fecerunt, sed ille ab initio invidentia excæcatus, hominem perdidit. *Invidia diaboli*, inquit Sap. cap. 2. *mors intravit in orbem terrarum.* Et nunc fideles tentationibus exagitat, non ut ipse commodum reportet, sed quia delectatur in perditione justorum.

21. Custodi animam meam, et erue me, non erubescam, quoniam speravi in te.

Cum tot hostibus, ac præsertim invisibilibus circumdatus sim, non sufficio meis viribus illis resistere; ideo ad te recurro, ut tu custodias animam meam, et custodiendo liberes, et eruas de manibus eorum. Nam non solum dicuntur liberari, et erui de manibus hostium, qui jam capti sunt, sed etiam qui muniuntur, ne capiantur; et qui sine dubio caperentur, nisi adjuvarentur. *Eruisti me*, inquit idem Propheta Psal. 93. *ex inferno inferiore*, id est, fecisti ne caderem in infernum inferiorem. Potest etiam sensus esse: Custodi animam meam in hoc carcere corporis, in quo captivus detineor; nam lex membrorum captivum me ducit in lege peccati, Rom. 7. et postea, suo tempore erue me.

22. Innocentes, et recti adhæserunt mihi, quia sustinui te.

Quia dixerat in præcedenti versiculo, *non erubescam quoniam speravi in te*, adjungit rationem cur timeat erubescere, si a Deo deseratur. Et ratio hæc est, quoniam multi *innocentes et recti*, exemplo ipsius commoti adhærebant illi, ob id potissimum, quod videbant eum sperare in solo Deo. Qui certe cogerent eum erubescere, et confundi, si a spe sua frustraretur. Quare illud *non erubescam*, aliter accipitur in principio Psalmi, aliter hoc loco. Nam in principio Psalmi sensus erat, non erubescam coram inimicis irridentibus; hoc loco sensus est, non erubescam coram amicis diligentibus, et dolentibus. In Hebræo habetur ad verbum תם וישר יצרוני *thom vaioscher iatseruni*, *innocentia et rectitudo conservabunt me:* sed non est inusitatum, ut abstractum sumatur pro concreto, et futurum pro præterito, id est, *innocentia et rectitudo*, pro innocentibus, et rectis; et conservabunt, pro conservarunt. Sed pro voce Hebraica, יצרוני *izzeruni*, quæ significat conservabunt me, sive conservarunt me, videntur legisse Septuaginta יצרוני *izroruni*, unico puncto mutato, quæ vox deducitur a צרר *zarar*, et significat *alligabunt*, sive *alligaverunt se mihi* quod est idem cum eo quod Septuaginta verterunt, *adhæserunt mihi.* Recte igitur est interpretatio Græca, et Latina, sed Rabini non recte legerunt dictionem Hebraicam, et ideo non recte puncta omnia subjecerunt.

23. Libera, Deus, Israel ex omnibus tribulationibus suis.

Quoniam David non solum unus erat de populo Dei, sed erat etiam Princeps et caput aliorum, ideo posteaquam oravit satis diu pro se, adjungit orationem pro toto populo suo, et orationem generalem, quoniam non facile poterat descendere ad singularum personarum necessitates et angustias. *Libera*, inquit, *Deus Israel, ex omnibus tribulationibus.* Ubi vox illa Israel, est in casu accusandi, ut cognoscitur ex articulis additis in codicibus Hebraicis et Græcis. Sensus igitur est, non mihi satis est, si solus ab angustiis meis liberer, sed peto etiam, ut liberes Israelem, populum scilicet Israeliticum ab omni genere tribulationum.

PSALMUS XXV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus David.

In Hebræo non habetur pro titulo nisi simplex nomen *David*, seu potius *Davidi.* Argumentum vero idem est quod Psalmi septimi. Cum enim David gravissimis calumniis accusaretur, quasi regnum invadere appeteret, et propterea exulare, et latibula quærere cogeretur : scripsit hunc Psalmum in quo Deum innocentiæ suæ testem adducit, eumdemque Deum pro liberatione sua precatur.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum, et in Domino sperans, non infirmabor.

David cum Rege causam habens, Deum quodam modo appellat, qui Rex Regum est : neque enim alius erat tunc in terris, quem appellare posset. *Judica me Domine*, id est, sis tu Domine Judex meus, non sinas a Saule me judicari, sed assume tu hoc judicium. *Quoniam ego in innocentia mea ingressus sum*, id est, audacter provoco ad judicium Dei, quoniam conscientia mea, quam solus Deus videt, me non reprehendit ; nam in innocentia ambulavi, id est, innocenter vixi. *Et in Domino sperans non confirmabor*, id est, in Dei justitia confidens, non deficiam in hoc judicio, sed prævalebo. Illud *non infirmabor*, Hebraice, est לע אמעד *lq emhhad, non deficiam*, sive, *non vacillabo;* proinde, non infirmabor, significat, non ero infirmus ac debilis, ut causa cadam.

2. Proba me, Domine, et tenta me, ure renes meos et cor meum.

Quia dixerat se innocenter vixisse, probat hoc Dei testimonio, qui falli et fallere nequit : non enim Deo dicitur, *proba et tenta*, quasi ipse aliquid ignoret, sed ut aliis nota faciat, quæ ipse solus videt. Itaque S. David fretus bona conscientia et sinceritate cordis sui, dicit Domino : *Proba me et tenta me*, id est, explora diligenter, an ita sit, inspice intimos et profundissimos recessus cordis mei ; quin etiam, *ure renes meos, et cor meum*, id est, examina cogitationes et appetitiones meas, ea diligentia, qua probatur aurum, cum igne examinatur. Non enim hoc loco, ut ego quidem existimo, petit David probari se ac tentari per adversitates, vel renes suos, et cor suum aduri igne tribulationum, cum potius contra, liberationem ab adversis in hoc Psalmo petat ; sed postulat, ut dixi, probari se ac tentari per exactam explorationem et inspectionem, et quia Deus omnia exactissime videt et perspicit, sententia hujus loci est, ut Deus notam faciat hominibus innocentiam servi sui ; et calumnias inimicorum re ipsa et factis refellat.

3. Quoniam misericordia tua ante oculos meos est, et complacui in veritate tua.

Reddit causam, cur velit probari et tentari, quoniam conscientia ejus bonum illi testimonium dabat, quasi dicat, peto ut probes me, quoniam per vias tuas ambulavi ; nam *omnes viæ tuæ misericordia et veritas.* Psal. 24. *Et misericordia tua ante oculos meos est*, id est, semper aspicio et considero misericordiam tuam, ut illam imiter et juxta eam cum proximis vivam ; et similiter, *Complacui mihi in veritate tua*, sive placuit mihi veritas tua, et ideo juxta illam ambulavi. In Hebræo est, התהלכתי *hithallacthi*, id est, *ambulavi in veritate tua* ; proinde Septuaginta non tam verbum, quam sensum inspexerunt, quod etiam fecerunt in Psal. 34. num. 17.

4. Non sedi cum concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo.

5. Odivi Ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo.

Recte, meo judicio, Theodoretus hæc exponit de conventibus Gentilium idololatrarum in suis prophanis templis. a quibus David semper abhorruit, dum exulavit apud Regem Philistinorum. Hæc enim opponuntur iis, quæ postea in eodem Psalmo habentur, *Domine, dilexi decorem domus tuæ :* et paulo ante, *Circumdabo altare tuum, Domine* : et infra, *In Ecclesiis benedicam te, Domine.* Vocat cœtum idololatrarum concilium vanitatis, quia nihil inanius idolis, quæ sunt falsæ imagines. Quod significat Apostolus cum ait, *Scimus quia idolum nihil est in mundo*, 1 Cor. 8. et passim in Scripturis, idola vocantur vana, vel vanitates, ut Deuter. 32. *Ipsi me provocarunt in eo, qui non erat Deus, et irritaverunt in vanitatibus suis*, 1. Reg. 12. *Nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt :* vide etiam 3. Reg. 16. 4. Reg. 17. Hieremiæ 2. et alibi. Iidem idololatræ recte dicuntur iniqua agentes, quia summa iniquitas est, cultum soli Deo debitum rebus creatis exhibere. Quod autem dixerat *concilium vanitatis*, in sequenti versiculo dicit *Ecclesiam malignantium*, et quos vocaverat *iniqua agentes*, vocat impios,

quod vocabulum proprie in idolorum cultores convenit. In Hebræo pro *iniqua gerentibus* est, נעלמין *nahalamin*, quod significat, occultis, vel pueriliter ludentibus : nam עלם *halham*, est *occultari* et עלם *helem*, est, *puer*. Dicuntur autem occulti, hypocritæ, simulatores, derisores, et in genere, omnes iniqua agentes, ut Septuaginta recte vertunt, quia *omnis qui male agit, odit lucem*, ut dicitur Joan. 3. Sed idololatræ rectissime etiam dici possunt pueriliter ludentes, quia quomodo pueri fingunt ex argilla domunculas, et varia animantia : sic idololatræ, ex varia materia fingunt Deos. Propterea Moses idololatriam lusum vocavit; *Sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere*, Exodi 32. quem lusum, idololatriam fuisse docet Apostolus, 1. Cor. 10. num. 7.

6. Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum Domine.

Posteaquam dixerat se odisse conventicula infidelium idololatrarum inter quos tunc versabatur, adjungit se e contrario summo amore prosequi tabernaculum Domini, et conventum Sanctorum, ac breviter describit quid sit facturus, cum Deo adjuvante ab exilio in patriam revocatus fuerit. *Lavabo*, inquit, *inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum Domine*, idest, lavabo manus ante ingressum tabernaculi ut homines pii facere solent, et circuibo cum psallentibus altare tuum. In Hebræo habetur, ארחץ בנקיון כפי *herchats benikkaion chappu*, *Lavabo in innocentia manus meas*, sed idem est sensus : nam lavare manus in innocentia : est hoc loco, lavare manus more innocentium, sive ut innocentes facere solent, quod idem significat, lavare manus inter innocentes, sive cum innocentibus. Quod autem ad sententiam attinet, aliqui volunt allusisse Davidem ad lotionem manuum quæ fit aliquando in signum innocentiæ, quomodo Pilatus lavit manus coram Judæis dicens, *Innocens ego sum a sanguine justi hujus*. Matth. 27. quasi diceret, Ecce lavi manus, nolo eas inquinare sanguine justi hujus, ideo non audeo illum condemnare, quod et nos vulgo dicimus, cum nolumus admisceri negotio, in quo sit periculum peccandi, *Io me ne lavo le mani*. Cæterum probabilius, et magis consentaneum ad sequentia esse judico, si dicamus, Davidem loqui de ritu Hebræorum, qui ante ingressum tabernaculi tum se ipsos, tum hostias purificabant, quas lotiones, Apostolus ad Hebr. 9. vocat *varia baptismata, et justitias carnis*, et quoniam lotio illa externa signum esse debebat internæ puritatis ; ideo David ait, *Lavabo inter innocentes manus meas*, id est, lavabo manus in signum veræ puritatis internæ, ut innocentes faciunt, non autem lavabo manus cum hypocritis, qui manus puras, et cor sordidum gerunt. Illud autem quod sequitur, *Et circumdabo altare tuum*, referunt aliqui ad multitudinem victimarum, quibus undique altare implendum esset. Sed verius mihi videtur, ut referatur ad choros canentium in circuitu altaris : nam in Psalmo sequenti habetur, *Circuivi, et immolavi, hostiam vociferationis*, etc. et hoc loco statim subjicitur, *ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua*.

7. Ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua.

Explicat, ad quid altare Domini circumdare velit, nimirum, inquit, ut choris canentium immixtus, audiam laudes Domini, et ipse etiam eas canam. In Hebræo habetur, si puncta recipiamus, *ut audire faciam vocem laudis :* sed si puncta mutentur legi potest, ut legerunt Septuaginta, et S. Hieronymus, *ut audiam vocem laudis*. S. Augustinus acute, et pie docet hoc loco adversus Pelagianos eos tantum audire vocem laudis Dei, qui intimo sensu percipiunt, quidquid habent, donum esse Dei in cordibus enim justorum, qui habent aures audiendis omnia ipsorum bona merita, omnesque virtutes, laudem gratiæ sonant : contra autem, qui de justitia sua præsumunt, deque suis meritis tument, quasi illa a se ipsis, non a Deo acceperint, non audiunt vocem laudis Dei, sed vocem laudis propriæ.

8. Domine dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ.

Ostendit Propheta, nulla alia de causa magis sibi molestum fuisse exilium, nisi quia tabernaculum Domini videre non poterat, animus enim erga Dei amorem vehementer incensus, nihil pulchrius in terris judicat eo loco, in quo præsentia Domini clarius se ostendit. Vocatur autem tabernaculum, in quo erat arca fœderis, *Domus Dei*, *locus habitationis gloria ejus*, quoniam sæpe in eum locum descendebat nubes lucida, in signum præsentiæ Dei, *qui lucem habitat inaccessibilem*, ut Apostolus dicit, 1. Tim. 6. et quia in eodem loco, erat oraculum, ex quo Deus responsa dare solitus erat. In Hebræo habetur, *Dilexi habitaculum domus tuæ*, pro eo quod nos habemus, *Dilexi decorem domus tuæ :* fortasse Septuaginta non legerunt, מעון *mahon*, habitaculum ; sed, נועם *noham*, litteris inversis, quod significat decorem.

9. Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam.

Quoniam Deum judicem initio appellavit, et innocentiam suam, cujus idem Deus testis erat, exposuit; concludit, orans, ut pro se sententia proferatur, *Ne perdas*, inquit, *cum impiis animam meam*, id est non me condemnes, quemadmodum impios condemnare soles, posuit animam pro vita, sive pro tota persona sua, ut alias sæpe, per *viros sanguinum*, intelligit homicidas, quales erant, qui eum persequebantur : porro vox illa, *Deus*, non habetur in Hebræo, neque in Græco, neque legitur a Hieronymo et Augustino ; tamen legitur a Theodoreto et Euthymio, ex quo intelligimus in Græcis eorum codicibus non defuisse.

10. In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus.

Declarat, qui sint impii, et viri sanguinum, de quibus dixerat versu superiore, ac dicit eos esse, qui perverse judicant ob accepta munera : notat enim peccata Principum, qui sunt judices populorum. Pulchre autem dicit, *In quorum manibus iniquitates sunt ;* sic enim in ea parte corporis ponit iniquitatem, per quam accipiuntur munera, ut ostendat acceptionem munerum causam fuisse iniquitatis.

11. Ego autem in innocentia mea ingressus sum, redime me, et miserere mei.

Repetit causam, cur non debet condemnari cum impiis, quia videlicet *in innocentia ingressus sit*, id est, innocenter vixerit. *Redime me, et miserere mei*, id est, libera me a præsenti calamitate, et deinceps miserere, ne iterum in eamdem incidam, passim enim in scripturis, ponitur *redimere*, pro liberare, id est, species pro genere, nisi forte Spiritus Sanctus insinuare voluerit, omnem liberationem electorum de quacumque tribulatione, dici posse redemptionem, quia pretio sanguinis Christi nostri redemptoris acquiritur.

12. Pes meus stetit in directo, in Ecclesiis benedicam te Domine.

Respiciunt hæc verba particulam ultimam superioris versiculi, videlicet, *Et miserere mei*, quasi dicat, petii liberationem a præsenti calamitate, quia innocenter vixi, peto etiam, ut miserearis in futurum, quia *pes meus stetit*, id est, stabilitus et fixus est in rectitudine, ac per hoc non facile recedam a recto itinere legis tuæ: et pro gratiarum actione *benedicam, et laudabo* te hymnis, et psalmis *in Ecclesiis*, id est, impiorum conventibus. Est autem hæc, ut Euthymius notat, prophetia, quod re vera tempore novi testamenti, in omnibus Ecclesiis Psalmi Davidici concinendi essent.

PSALMUS XXVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

PSALMUS DAVID, PRIUSQUAM LINIRETUR.

In hebræo non habetur pro titulo, nisi David, reliqua sunt addita a Septuaginta, ut intelligeremus, hunc Psalmum compositum fuisse a Davide antequam regnare inciperet, durante videlicet persecutione Saulis. Nam tametsi David linitus oleo fuisset a Samuele, cum adhuc puer esset; tamen illa unctio fuit privata, non publica, et adhibita potius ad designandum, quam ad consecrandum Regem. Postea vero Saule occiso, unctus fuit David in Regem publice, ac solemniter, ut constat ex lib. 2. Reg. c. 2. Et de hac posteriore unctione intelligendus est titulus hujus Psalmi. Videtur autem hic Psalmus scriptus fuisse proxime post superiorem, Davide adhuc in exilio et tribulatione constituto: sed quia post orationem Psalmi præcedentis magna consolatione spiritus affectus fuerat, et Deo revelante cognoverat, ad majus quoddam regnum, quam sint terrena, se vocari; ineffabili desiderio ad cœleste regnum suspirare, ac temporalia omnia, sive adversa, sive prospera contemnere cœpit. Convenit idem Psalmus omnibus electis, qui jam inuncti sunt unctione gratiæ, atque ad regnum cœleste designati, et ad unctionem gloriæ, per quam vere regnare incipiunt, tota animi devotione suspirant.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo?

Tribulatio tenebras adducit, prosperitas lucem et serenitatem: perturbat enim, et confundit animum tribulatio, ut non facile videat, quid facto opus sit, atque inde ad impatientiam, vel aliquod aliud peccatum provocatur. Sed si Deus lumine divinitus immisso tenebras disjiciat, continuo cernit animus momentaneam et levem esse tribulationem, quæ in umbra noctis magnum horrorem incutiebat, et simul cernit protegente se Deo, tribulationem non solum non posse nocere, sed etiam mirifice profuturam. Hoc Dei beneficium expertus David in persona sua et omnium electorum canit, *Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo?* quasi dicat, Ignorantia et infirmitas timidum me in tribulatione reddebant, sed cum Dominus illustraverit jam mentem meam, meque aperte cernere fecerit, nullam temporalem calamitatem gravem, aut diuturnam esse, et amoris divini unguento sanaverit infirmitatem meam, neminem timeo: veritas enim tenebras, et *charitas foras mittit timorem*, ut ait B. Joan. 1. Joan. 4.

2. Dominus protector vitæ meæ; a quo trepidabo?

Addit aliud argumentum, quo sibi persuadet, nullum timorem deinceps esse admittendum. Dominus, inquit, non solum illuminat et sanat, sed illuminatum et sanatum non deserit, sed protegit assidue scuto providentiæ, et benevolentiæ suæ, *a quo igitur trepidabo? Si Deus pro nobis, quis contra nos?* ut ait Apostol. Rom. 8. si Rex cohorte mortalium militum stipatus non timet, cur timeat servus Dei stipatus protectione omnipotentis et immortalis Imperatoris? Sanctus Martinus, apud Sulpitium, *Ego*, inquit, *signo crucis, non clypeo protectus, aut galea, cuneos hostium penetrabo securus*, nimirum ex iis erat, qui dicere poterant, *Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?*

3. Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas.

4. Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, et ceciderunt.

Describit effectum protectionis Dei, et præteritum pro futuro ponit, more prophetarum ad designandam rerum certitudinem. Sensus igitur est: Ex protectione Dei fiet, ut cum appropinquabunt super me, quasi prostratum et deletum, ii, qui nocere mihi cupiunt, et quasi canes, aut leones famelici carnibus meis saturari desiderant; tunc ipsi qui tribulant me, et inimici mei sunt, debiles fient, et corruent, ita conatu suo, non mihi, sed sibi nocebunt. Hoc verissimum esse, non solum Davidis, sed Christi, et Martyrum, atque adeo Sanctorum omnium exempla demonstrant. In Hebræo et Græco habetur, *tribulantes me, et inimici mei*, Latinus Interpres omittit illud, *et*, sed res est parvi momenti. Pro, *infirmati sunt*, S. Hieronymus vertit, *impegerunt*, sed verbum Hebraicum כשלו *chaselu*, utrumque significat.

5. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.

6. Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.

Addit ad ea, quæ dixerat, ut spem et fiduciam plenissimam se in Deo habere demonstret, non solum se non timere singulos hostes, sed neque integra castra, et ea non in tentoriis quiescentia, sed in acie præliantia. Illud, *in hoc ego sperabo*, varie exponitur, propterea quod, tum in Hebræo, זאת *zoth*, tum in Græco ταύτῃ, vox est generis fœminini. S. Augustinus exponit, *in hac petitione*. Theodoretus, *in hac spe:* Euthymius, *in hoc meo corde:* Græce καρδία est generis fœminini, sed videtur Latinus Interpres rectissime vertisse, *in hoc ego sperabo*. Consideravit enim Hebræos carere neutro genere, et pro eo uti genere fœminino: proinde, illud, זאת *zoth*, non significare, in hac spe, petitione, vel in hoc corde, sed absolute, in hoc, id est, in hac re, videlicet, quod Deus sit illuminatio, et salus, et protectio mea, ut supra dictum est. Itaque Græci posuerunt ταύτῃ, non quod careant neutro genere, sed quia voluerunt ad verbum reddere, quod erat in Hebræo; sed Latinus non tam vocem, quam significationem respexit.

7. Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Mirum est cur Latinus Interpres non vertit, *Unum petii a Domino:* nam hoc etiam loco in Hebræo habetur genus fœmininum pro neutro. Voluit igitur in hac voce reddenda imitari Græcum interpretem, et vertere ad verbum. Sensus tamen est, *Unam petii*, id est, unum petii, sive, unam rem petii. Plerique intelligunt hunc locum de domo Domini, ubi erat arca Dei, et propitiatorium, et volunt hunc esse sensum, *unum petii a Domino, hoc requiram*, ut de hoc exilio revertar, et liceat mihi assidue versari in tabernaculo Domini, ubi est arca Dei, et propitiatorium, etc. Sed certe mihi sententia S. Augustini, qui exponit de domo cœlesti, non solum vera, sed etiam litteralis esse videtur. Nam non dicit David, cupere se habitare prope domum Domini, sed in ipsa domo Domini: notum autem est, non habitasse umquam Davidem in domo Domini, sed in palatio proprio, quod longe aberat a tabernaculo, præsertim antequam arca deferretur in montem Sion: et potuisset utique si voluisset, quando Rex erat, habitare juxta tabernaculum Domini. Præterea similis est hic locus illi, qui habetur in Psalm. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*, quod certe non convenit nisi habitatoribus domus Dei, quæ est in cœlo. Denique nunquam David, vir sanctus, et perfectus, rem aliquam temporalem tanto affectu peteret, ut diceret, *Unam petii, hanc requiram*, quasi nihil aliud petendum sit. Explicat igitur hoc loco Propheta radicem veram confidentiæ in Deum, et cur non timeat malum aliquod temporale: Radix enim est ardens charitas in Deum: qui enim ardenter diligit summum, atque æternum bonum, nihili facit omnia temporalia. *Unam*, inquit, *petii a Domino, hanc requiram*, id est, nihil temporale appeto, non magni facio jacturam omnium aliarum rerum, modo unam rem habere merear; ideo de hac una sollicitus sum, hanc unam petii, hanc unam petam, ut videlicet inhabitem in domo Domini, non ad tempus, sed *omnibus diebus vitæ meæ*, id est quamdiu durabit vita sanctorum cum Deo, quæ sine dubio non habebit finem. Valde proprie dictum est, *ut inhabitem in domo Domini:* nam hic in terris, quamvis amici, imo filii Dei simus; tamen non habitamus, sed ambulamus cum Deo: nec in domo, sed in tentorio requiescimus.

8. Ut videam voluptatem Domini, et visitem templum ejus.

Docet, cur in domo Domini habitare desideret, quia videlicet ibi perfecta felicitas est. Multi Latini codices habent, *ut videam voluntatem Domini:* sed recte correcti sunt in editione Sixti V. et Clementis VIII. et positum, *ut videam voluptatem Domini*, ut habebant emendatissimi codices manuscripti. Per voluptatem autem hoc loco, non est accipienda actio delectationis, sed objectum, id est pulchritudo, venustas, suavitas. Nam vox Hebræa נועם *noham*, proprie pulchritudinem significat; vox autem Græca τερπνότης olest delectationem, et voluptatem significare, quam vocem Latinus interpres accepit, sed significat etiam venustatem et pulchritudinem, et pro pulchritudine hoc loco vocem illam Theodoretus accepit. Quare vox Latina voluptas, si cum Hebræa, et Græca convenire debeat, accipienda est, pro voluptate objectiva, id est, pulchritudine et venustate. Quod ipsum etiam verbum videndi, sive contemplandi requirit: non enim proprie videmus actionem delectationis, sed rem delectabilem. Itaque S. Hieronymus vertit: *Ut videam pulchritudinem Domini;* et S. Augustinus legit, *ut contempler delectationem Domini*, et exponit per delectationem, speciem delectabilem. Si quis tamen omnino vellet, voluptatem hoc loco accipere pro ipsa actione capiendi delectationem, non deberet intelligere per *voluptatem Domini*, delectationem, qua fruitur Dominus, sed quæ percipitur ex Domino, id est, ex visione pulchritudinis Domini, atque ita sen-

sus in idem recideret. Porro S. David hoc loco omnino proprie fœlicitatem expressit; quæ ex sententia solidioris scholæ in actione nobilissima potentiæ omnium præstantissimæ erga summum objectum, id est, intellectuali Dei visione, consistit, ex qua ineffabilis voluptas, et delectatio sequitur. Illud autem quod additur: Et visitem templum ejus, S. Augustinus legit, *et protegar a templo ejus.* In qua lectione nescio quos codices sit secutus: Hebræus enim et Græcus nihil habent, quod ad protectionem referri possit. Vox Hebræa, בקר *bacher*, significat proprie quærere, inspicere, oculis perlustrare, præsertim illuscescente die: unde בקר *bocher*, Hebræis significat mane, quia nunc primum depulsis tenebris requirimus, et perlustramus ea quæ latebant. Sic etiam vox Græca ἐπισκέπτεσθαι significat considerare, attendere, visitare. Sensus igitur est, ut videam pulchritudinem Domini, et deinde novam illam lucem visitem, id est, oculis perlustrem et requiram totum illud cœleste Dei templum, et omnia quæ in eo sunt. Nam revera post visionem Dei, nihil jucundius occurrere potest, quam spectaculum illius cœlestis patriæ, et divinæ illius domus, in qua sunt omnes beati, quæ merito templum dicitur, cum non sit domus, aut civitas profana, sed sacratissima, cum in ea nihil profanum agatur, sed assidue sacrificetur hostia laudis et jubilationis.

9. Quoniam abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.

Reddit rationem cur tam audacter petat habitare in domo Domini, et videre pulchritudinem ejus, quia gustare jam cœpit, quia dulcis est Dominus, et pignus amoris ejus jam tenet. Quasi brevissime diceret: Audeo petere gloriam, quoniam percepi gratiam. Sunt autem verba omnia metaphorica, non enim proprie absconditus fuit David in tabernaculo Domini, cum quæreretur a Saule; sed sensus horum verborum est, tempore præsentiæ vitæ, in qua dies mali sunt, tam singulari providentia Deus me defendit ac protexit, ac si in intima et abditissima parte tabernaculi sui me collocasset. Ex hac autem tanta Dei gratia et benevolentia spem concipio, me aliquando ad domum Domini perventurum, quod unum peto, et requiro. Idem vero significatur in utraque parte versiculi; nam *abscondi in tabernaculo*, non est poni in quacumque parte tabernaculi, sed *in abscondito tabernaculi collocari*, ubi a malis omnibus protegatur. In Hebræo et Græco, illud, *in die malorum*, conjungitur cum prima parte versiculi *abscondit me in tabernaculo suo in die malorum.* Sed in codice Latino conjungitur cum secunda parte, hoc modo, in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui. Perinde est ubi ponatur interpunctio, cum sensus sit idem: tamen prior interpunctio habetur etiam in libris Patrum Augustini, et aliorum, et fortasse in Latino codice interpunctio non tam deservit intelligentiæ quam cantui.

10. In petra exaltavit me, et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

Alia metaphora idem significat, nimirum se a Deo singulari providentia protectum ac defensum, ac si in arce munitissima et altissima collocatus fuisset. Similis metaphora est apud Isaiam cap. 38. *iste*, justus videlicet, *in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus.* Itaque sensus est: *In petra exaltavit me*, id est, posuit me in loco sublimi, et munito. *Et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos*, id est, ex eo quod in loco tutissimo, et altissimo, jam consisto, factum est, *ut caput meum sit exaltatum super inimicos meos*, id est, sim superior et victor inimicorum meorum. Porro per has metaphoras, non solum describitur protectio et defensio hominis justi, cui nihil nocere possunt omnium adversariorum machinationes, juxta illud S. Petri, 1. Epist. cap. 3. *Et quis est qui vobis noceat si boni æmulatores fueritis?* sed etiam indicatur modus, quo vir justus ad hanc securitatem pervenit: modus enim est ascensio mentis per contemplationem in Deum, et res æternas. Qui enim serio meditatur æterna, et ardenter Deum amat, jam est in altissima, et munitissima petra constitutus, ut nihil ei nocere possit, cum terrena omnia jam illi viluerint.

11. Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis: cantabo, et Psalmum dicam Domino.

In Hebræo conjungitur prima vox hujus versiculi cum superiore, et pro circuivi, legitur, *circuitibus meis*, ut sit integra sententia: *Exaltavit caput meum super inimicos meos circuitibus meis*: vel, ut vertit S. Hieron. *qui sunt in circuitu meo.* Sed Septuaginta Interpretes, non legerunt, סביבותי *sebibothai*, ut nunc est in Hebræo, et significat *circuitibus meis*, sed, סבותי *sabbothi*, id est, *circuivi*, unica literula dempta, et punctis mutatis. Igitur Propheta per contemplationem supra terrena omnia exaltatus, erumpit in admirationem operum Dei, et laudem opificis omnipotentis. *Circuivi*, inquit, id est, mente perlustravi omnia opera Dei, quæ sunt in cœlo, et in terra. *Et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis*; id est, in hoc ingenti tabernaculo Dei, quod est cœlum, quo per contemplationem ascendi, magna voce, ex magna admiratione procedenti laudavi Deum, quæ laus, sacrificium est illi gratissimum. Sic enim alibi legimus, *Immola Deo sacrificium laudis*: et rursum, *Sacrificium laudis honorificabit me.* Nec solum, inquit, immolavi hostiam vociferationis, sed et deinceps pergam assidue idem facere, *cantabo, et Psalmum dicam Domino.*

12. Exaudi Domine vocem meam, qua clamavi ad te, miserere mei, et exaudi me.

Redit ad id, quod dixerat, *Unam petii a Domino, hanc requiram.* Atque in hac una petitione se exaudiri postulat, flagrans nimirum ardenti desiderio videndi dilectum. *Exaudi*, inquit, *Domine, vocem meam, qua clamavi ad te*, videlicet, vocem illam, qua clamavi, *unam petii a Domino, hanc requiram*, etc. *Miserere mei* hoc exilium ægre ferentis, *et exaudi me.*

13. Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.

14. Ne avertas faciem tuam a me, ne declines in ira a servo tuo.

Hæc non tam egent explicatione, quam pia

meditatione, et imitatione. *Tibi dixit cor meum*, id est, tibi loquitur desiderium meum : *Exquisivitte facies mea*, id est, oculi mei interiores qui sunt in facie animæ meæ, tuam pulchritudinem requirunt, cetera omnia fastidiunt. *Faciem tuam Domine requiram*, id est, hoc semper erit studium meum, ut conspectum tuum quæram, non solum ut in alio seculo revelata facie vultum tuum videam; sed etiam in hoc seculo hoc unum satagam, ut me respicias, et respiciendo illumines et accendas. *Ne avertas faciem tuam a me*, id est, noli quæso cessare a me respiciendo, ne simul lumen obscuretur, et charitas refrigescat. *Ne declines in ira servo tuo*, id est, ne sinas me in peccata labi, ne forte iratus a me recedas. Recte hoc loco S. Augustinus observat, timorem castum, non servilem exprimi in his verbis : Timor enim servilis cupit abesse dominum, ne puniat, ac ideo non diceret, ne declines, sed abi et declina : timor autem castus, qui dilectum vere amat, nihil magis timet, quam ne dilectus recedat. In textu Græco, post illa verba, *Tibi dixit cor meum*, additur, *Dominum requiram*, κύριον ζητήσω; sed ea verba non habentur in Hebræo, neque leguntur ab Hieronymo, et Augustino, quamvis a Theodoreto, et Euthymio, legantur. In Hebræo non habetur pronomen, te, ubi legimus, exquisivit te facies mea, sed absolute, exquisivit facies mea : cæterum subintelligitur, et ideo additum est ab Interpretibus Græcis, et Latinis.

15. Adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.

Quia dixerat, *ne declines in ira a servo tuo*, considerans se suis viribus non posse cavere peccata, ob quæ in iram incurrimus, clamat ad Deum, ut adjuvare non cesset. In Hebræo habetur, Adjutorium meum fuisti, sed Septuaginta Interpretes non videntur legisse היית *haiitha*, id est, fuisti, sed היה *hehie*, quod significat, *esto* : nam est similitudo maxima inter has voces si removeantur puncta, quæ tempore Septuaginta Interpretum, nondum erant apposita. Sensus autem semper est verus et ad rem faciens : nam si legamus, *Adjutor meus fuisti, ne derelinquas me*, sensus erit, quoniam hactenus me semper adjuvisti, deinceps quoque me adjuva : si vero legamus, *Adjutor meus esto, ne derelinquas me*, erit repetitio ejusdem orationis, quæ magnum affectum exprimit. Porro in verbis illis, *Ne derelinquas me, neque despicias me*, videtur Latinus Interpres invertisse ordinem : Nam in Hebræo et Græcò textu prius est, *ne despicias*, sive *ne abjicias me*, quam *ne derelinquas me.* Pro illo autem *ne despicias*, Græci habent vocem valde significantem, ἀποσκορακίσῃς, quæ apud Euthymium deducitur, vel a scoria, vel a corvis, et significat projici, quomodo projicitur scoria, vel quomodo projiciuntur ad corvos cadavera. Petit igitur justus auxilium Dei, ne peccet, et si forte peccaverit, non projici a facie Dei, quomodo projicitur scoria, vel non projici ad infernales corvos, et non solum non projici, sive despici, sed neque absolute relinqui, et dimitti : sed benigne curari et sanari : ideo enim addit, *Deus salutaris meus.* Salvatoris enim non est despicere ac deserere miserum, sed salvare, et curare.

16. Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me : Dominus autem assumpsit me.

Magna ratio redditur, cur æquum sit, Deum adjuvare, quia videlicet nemo sit illo amantior. Notanda est Phrasis Hebraica, qua Deum in tertia persona reverentiæ causa Propheta alloquitur : non enim dicit, *Tu autem assumpsisti me*, sed, *Dominus autem assumpsit me.* Similis est phrasis in Genesi cap. 31. num. 35. ubi Rachel dicit patri suo, *Ne irascatur Dominus meus, quod coram te assurgere nequeo;* et lib. 3. Reg. cap. 1. num. 27. Dicit Nathan Davidi, *Nunquid a Domino meo Rege exivit hoc verbum, et mihi non indicasti servo tuo, quis sessurus esset super thronum Domini mei Regis post eum? Illud* igitur, *Dominus assumpsit me*, idem est, ac si dictum esset, *Tu autem Domine, assumpsisti me*, sive *collegisti me*, ut proprie significat vox Hebraica יאספני *iaasponi.* Est autem in his verbis quædam figura aptissima ad explicandum beneficium Dei, non enim puer erat David, ut egeret parentum auxilio, neque magnum erat in illa ætate relinqui a parentibus, qui oneri potius, quam auxilio esse potuissent. Sensus igitur horum verborum est, Ego sum instar infantis recens nati, quem pater et mater dereliquerunt humi jacentem, atque omni injuriæ expositum : Tu autem Domine, ita abjectum et desolatum, benignissime collegisti, et fovisti, vere enim si quis fragilitatem naturæ humanæ consideret, et hostium invisibilium potestatem, et quantopere Dei gratia in omnibus actionibus egeamus, nullo modo negare poterit, nos infantibus a parentibus neglectis rectissime comparari. Porro S. Ezechias, usque adeo rem hanc intelligebat, ut non infanti, sed pullo hirundinis se ipse comparaverit, Isai. 38. *Sicut pullus, inquit, hirundinis, sic clamabo.*

17. Legem pone mihi Domine in via tua, et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.

Quia se comparaverat infantulo, quem Deus collegerat, recte jam petit, ut se ambulare doceat, petit igitur gratiam implendi mandata divina, quam gratiam in toto psalterio frequentissime petere solet; nec immerito, cum ea sit via ad illam cœlestem domum Dei, quam unam se toto corde desiderare paulo ante professus est. Pro, *Legem pone mihi Domine in via tua*, in Hebræo est, תורני יהוה דרכך *thoreni* Adonai *darcheca, doce me viam tuam*, sive ut vertit S. Hieronymus, *ostende mihi viam tuam.* In Græco, est unum verbum, νομοθέτησον, quod secundum etymologiam significat, *legem ponere*, ut Latinus Interpres reddidit. Cæterum accipitur etiam pro docere, erudire, præceptorem se exhibere, proinde hoc loco *legem pone mihi in via tua*, significat, *erudias me circa viam*, id est, circa legem tuam : quod in alio Psalmo legimus, Psal. 22. *Vias tuas Domine demonstra mihi, et semitas tuas edoce me.* Ac ut alibi dicimus, non postulat Propheta notitiam solam legis; sed internam unctionem, qua sibi a Spiritu sancto intime persuadeatur, servandam esse Dei legem. Idem fere significant verba sequentia, *et dirige me in semitam rectam*, id est, duc me per viam

mandatorum tuorum, quæ est vere semita recta, id est, justissima, sed angusta, nisi magis placeat per illud, *doce me viam tuam*, postulari lumen internum: per illud, *et dirige me in semitam rectam*, postulari pium affectum implendi mandata divina: quod additur, *propter inimicos meos*, vel, ut sanctus Hieronymus vertit, *propter insidiatores meos*, significat valde necessariam esse gratiam Dei in hac peregrinatione, propter multitudinem hostium tum visibilium, tum invisibilium, qui nobis utique insidiantur, ut a recta via legis divinæ nos deducant, et ad invia, et prærupta vitiorum nos perducant.

18. Ne tradideris me in animas tribulantium me, quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.

Pergit in eadem petitione: petit enim non tradi in animam, id est voluntatem et desiderium hostium, præcipue invisibilium. Similis phrasis est Luc. 23. *Jesum vero tradidit voluntati eorum*, idem enim est *voluntati eorum*, *et in voluntatem eorum*, sed illa est phrasis Latina, hæc Hebraica. Itaque sanctus Hieronymus vertit, *Ne tradideris me animæ tribulantium me.* Sequentia verba, *Quoniam insurrexerunt in me testes iniqui*, à multis referuntur ad falsa testimonia, quæ dicebantur adversus Davidem: quod quidem non improbo, sed videtur mihi sensus magis cohærere cum præcedentibus, et sequentibus verbis, et cum argumento totius Psalmi, si referamus hæc verba ad tentationes Dæmonum, sive hominum, qui falsis promissis, vel minis hominem justum ad impatientiam, vel alia peccata deducere conantur juxta illud Psal. 118. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.* In Hebræo habetur, Insurrexerunt in me עדישכר *hedescheker*, *testes falsitatis* sive *mendacii;* proinde illud, *testes iniqui*, accipiendum est, pro testes falsi, qui inique agunt, dum falsa pro veris obtrudunt, ut ad iniquitatem impellant. Quod additur, et mentita est iniquitas sibi, non tam est interpretatio, quam explicatio verborum Hebraicorum; in Hebræo enim non habentur, nisi duæ voces, ויפח חמם *vipheach chamas*, quas voces sanctusH ieronymus vertit, *et apertum mendacium.* Alii reddunt, *et loquens rapinam.* Sed Septuaginta Interpretes acutissime, et verissimetranstulerunt: nam illud ויפח *vipheach*, tametsi a verbo יפח *iaphach*, significet loqui, unde Neoterici vertunt, *loquens:* tamen potest deduci a verbo, פוח *phuach*, quod significat, *illaqueari*, unde est nomen פח *phah*, *laqueus.* Et vox illa, חמם *chamas*, licet significare possit rapinam et mendacium, tamen frequentissime accipitur pro iniquitate. Intellexerunt ergo Septuaginta Interpretes, hic significari ipsam iniquitatem, a seipsa illaqueatam; dum videlicet homines, vel Dæmones iniqui, in propriam perniciem, falsitatis laqueos justo tetenderunt. Quod aliis verbis dixit Daniel, c. 13. iniquis illis senioribus Susannæ accusatoribus, *Et tu mentitus es in caput tuum.* Ait igitur David, *Insurrexerunt in me testes iniqui*, falsitatem et mendacia obtrudentes, *et illaqueata est iniquitas*, id est, *sed iniquitas mentita est sibi*, id est, nemini nocebit, nisi proprio auctori.

19. Credo videre bona Domini, in terra viventium.

Reddit rationem, cur mentita sit iniquitas sibi. Ego enim, inquit, invitis omnibus inimicis meis, *credo*, id est, certo confido, *me visurum bona Domini*, id est, illa bona, quæ ipsi etiam Domino bona sunt, quæ illum beatum reddunt, quæ sola sunt vera bona, idque *in terra viventium*, id est, in regione illa, ubi mors locum non habet. In Hebræo habetur initio versiculi una vox, לולא *lule*, quam aliqui vertunt, *nihil*, et melius S. Hieronymus, *autem*, *Ego autem credo videre*, etc. A Septuaginta Interpretibus fuit omissa, quia non erat magni momenti quantum ad sensum.

20. Expecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.

Concludit per apostrophen ad seipsum, sectandam esse patientiam et fiduciam in Deum, quasi dicat, Ergo anima mea, quia desideras in domo Dei habitare, quia tam multa pignora divini amoris habes, quia credis videre bona Domini in terra viventium, noli deficere in tribulationibus, neque terrenas consolationes respicias, sed *patienter expecta*, *confortare in Domino*, *viriliter age*, dum transeant dies mali, et adveniant dies boni. In Hebræo ad verbum habetur, ut vertit S. Hieronymus, *exspecta Dominum*, *confortare, et roboretur cor tuum*, *et expecta Dominum.* Similiter in Græco sunt eædem voces in principio, et in fine. Sed Latinus Interpres varietate gaudet; ideo initio posuit, ὑπότεινον κύριον, *Expecta Dominum*, et in fine, *sustine Dominum.* Patientia cum fiducia conjuncta vires addit, et vires additæ patientiam et fiduciam augent. Ait igitur, *Expecta Dominum*, id est, patienter, et cum fiducia expecta auxilium, et consolationem Domini: Hinc *viriliter age*, seu roborare: roborare autem non armis exterioribus, sed *confortetur cor tuum*, excita animum, audacter perge. hinc vero, multo magis confide, et cum patientia *expecta* consolatorem, et adjutorem *Dominum*, qui sine dubio, cum sit fidelis et justus, *veniens veniet*, *et non tardabit*, ut dicitur Abac. 2.

PSALMUS XXVII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

PSALMUS ; IPSI DAVID.

HUNC Psalmum de Davide fugiente Saulis persecutionem exponunt Theodoretus, et Euthymius. Sed repugnant multa, primo quod in titulo id non indicetur, sicut alias fere semper fieri solet, cum ad historiam Psalmus respicit. Secundo, quod in hoc Psalmo, is, qui loquitur appellat se Regem; David autem eo tempore nondum Rex erat. Tertio, quod in eodem Psalmo dicit is, qui loquitur, se exauditum, et refloruisse carnem suam: quod certe Davidi pro eo tempore, quo Saulem fugiebat, convenire non potest. Recentiores aliqui exponunt de Davide jam Rege, et perfecte liberato a persecutione Saulis. Sed si ita esset, non diceret, *Ad te Domine clamabo, ne sileas a me :* sed diceret : *Ad te Domine clamavi*, etc. Videtur igitur præferenda S. Augustini, et S. Hieronymi expositio, qui in persona Christi Psalmum a Davide cantatum fuisse volunt : David enim, qui simul prævidebat passionem, et glorificationem Christi, convenienter ea conjungere potuit, sicut etiam fecit in Psalmo 21. cujus Psalmi longissimi, et pulcherrimi, hic, quem explicandum in manibus habemus, videtur esse quasi compendium.

EXPLICATIO PSALMI.

1. **Ad te Domine clamabo, Deus meus ne sileas a me, ne quando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum.**

Verba sunt Christi in Cruce pendentis, ac postulantis celerem resurrectionem. Pro illo, *Deus meus,* in Hebræo est, צורי *tsuri*, *petra mea*, sive *fortis meus :* et quamquam hoc ipsum nomen ponitur ad significandum Deum, et recte Septuaginta verterunt, *Deus meus ;* tamen ex vi Hebraicæ vocis, intelligimus hoc loco invocari Deum, quia potentissimus est, et potest morti imperare, ut Christum cito restituat. Pro, *ne sileas a me*, S. Hieronymus vertit, *ne obsurdescas mihi.* Sed sciendum est, verbum, חרש *charas,* significare tacere, silere, surdum se ostendere. Itaque sensus est, *ne sileas*, quasi non audieris vocem meam, ne veluti surdum te mihi exhibeas. Illud, *a me,* idem est, quod mihi, ex Hebraica phrasi. Breviter petit exaudiri se, et responderi sibi, facturum Deum, quod petitur. Quod sequitur, *ne quando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum*, continet causam, cur velit sibi responderi, quia videlicet, nisi Deus exaudiat, et respondeat, erit ipse similis aliis hominibus mortalibus, qui per mortem dissolvuntur, atque ad inferos descendunt non redituri. *Ne quando taceas a me,* id est ne forte tu non exaudias, et hinc fiet, ut ego per omnia similis fiam *descendentibus in lacum*, id est, iis, qui moriuntur, et ad inferos descendunt, sine spe resurgendi, nisi in die novissimo. Posset etiam sensus esse, si non exaudias, ero similis hominibus mortuis : sicut enim mortui nihil omnino possunt, ita homo sine Dei adjutorio nihil omnino potest. Vox Hebræa, בור *bor,* significat *cisternam, lacum, profundam foveam ;* potest igitur accipi pro sepulchro, sed melius pro loco subterraneo animarum; sicut Isaiæ 14. *Verumtamen ad infernum detraheris, in profundum laci*, etc. 38. *Non expectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam :* quomodo etiam accipitur in illa oratione Ecclesiastica, *Libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, et de profundo lacu, libera eas de ore leonis, etc.*

2. **Exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro ad te : dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.**

Quod antea dixerat, *ne sileas, et ne taceas,* nunc clarius dicit, *Exaudi Domine vocem deprecationis meæ :* volebat enim Deum respondere, ut id signum esset exauditionis. Illud, *Domine,* non est in Hebræo, sed solum, *exaudi vocem deprecationis meæ.* S. Hieronymus in epist. ad Suniam et Fretellam, existimat esse additum ab aliquo explicationis gratia : fortasse etiam excidit ex nostris codicibus, et in illis codicibus quibus Septuaginta usi sunt, aderat. Illud, *dum oro ad te*, in Hebræo significantius habetur, בשועי *beschavehhi, dum clamo ad te,* id est, dum oro *cum clamore valido,* ut Apostolus loquitur ad Hebr. 5. Illud, *dum extollo manus meas,* significat a signo, eamdem ipsam orationem : solebant enim Hebræi manus in altum tollere, cum orabant, cujus ceremoniæ pleni sunt libri sacri: sed et Gentiles eumdem ritum imitabantur. Itaque idem est, dum *oro ad te, et dum extollo manus meas ad templum tuum.* Allusit vero interim Propheta ad manus Domini in Cruce extensas, et ad cœlum sublatas; tunc enim verissime dicere potuit Dominus, *dum clamo ad te, et dum extollo manus,* etc. quando de Cruce oravit. Pro voce, ad templum, in Hebræo est, דביר *devir,* quod proprie *oraculum* significat, unde Deus responsa

dabat. Sed hoc loco, sive templum, sive oraculum, pro cœlesti templo, et oraculo accipitur.

3. Ne simul trahas me cum peccatoribus, et cum operantibus iniquitatem ne perdas me.

Solus Christus id vere dicere potuit: ipse enim solus fuit omnibus modis *segregatus a peccatoribus*, ut dicit Apostolus ad Hebr. 7. Et sicut solus fuit, in quem peccatum cadere non potuit, ita justissime petit, ut non judicetur, et non pereat cum peccatoribus, sed ipsam potius mortem occidat, et resurgens ex mortuis, de mortis Principe, et de ipsa morte gloriose triumphet. Recte in editione Sixti V. et Clementis VIII. emendatum est, *ne trahas*, quod antea legebatur, *ne tradas:* nam cum tam vox Hebraica, המשכני *himscheschenі*, quam Græca, συνελκύσεις significet trahere, verisimile est ob litterarum similitudinem, vitio librariorum, irrepsisse in editionem Latinam, *ne tradas*. Illud, *ne perdas*, non habetur in Hebræo, sed additum est explicationis gratia. Itaque sensus est, ne trahas me ad interitum cum cæteris hominibus, qui peccatores sunt, cum ego peccator non sim.

4. Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.

Describit peccatores ab eo peccato quod universalius est, et communius: nam idcirco in alio Psal. 115. Psal. 43. dicitur, *Omnis homo mendax;* et in alio, *Ab homine iniquo et doloso eripe me:* et de Christo dicit Apost. Petr. 1. Epist. c. 2. *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, quasi dolus, fere tam late pateat, quam peccatum. Certe plurimi sunt, qui volunt videri amici, bene velle proximis, et tamen ab amore proprio excæcati, malum habent in corde, id est, odio, vel invidentia erga eosdem proximos afficiuntur.

5. Da illis secundum opera eorum, et secundum nequitiam adinventionum ipsorum.

6. Secundum opera manuum eorum tribue illis, redde retributionem eorum ipsis.

Hæc non imprecatio, sed prophetia est, ut alias sæpe monuimus: significatur enim his verbis, id omnino futurum, ut mali male pereant, nisi videlicet ex malis boni fiant. Sensus igitur est, *Dabis peccatoribus secundum opera eorum*, id est afficies ea pœna, quam merentur opera eorum. *Et secundum nequitiam adinventionum ipsorum*, supple dabis eis, id est, sicut ipsi ex malitia sua excogitaverunt, et adinvenerunt varios modos vexandi justos; ita per sapientiam tuam invenies varios modos cruciandi peccatores: et denique, *reddes iis retributionem suam*, id est, ipsi retribuerunt justis mala pro bonis, sed tu eam retributionem convertes in caput ipsorum, facies enim ut illis noceat, non justis.

7. Quoniam non intellexerunt opera Domini, et in opera manuum ejus destrues illos, et non ædificabis eos.

Hinc apparet fuisse prophetiam, non imprecationem id quod duobus superioribus versiculis continetur; non enim dicit, Destrue eos, sed *destrues eos*, vel ut habetur in Hebræo יהרסם *iechersam, destruet eos*. Significatur his verbis radix omnium malorum: radix enim est, nolle intelligere opera Domini, non applicare animum ad consideranda, et cognoscenda mirabilia opera Dei, quæ fecit in creatione, in redemptione, in gubernatione generis humani: si quis enim ista consideret, vix fieri potest, quin in Dei amorem mirifice exardescat. Hinc 1. Cor. 2. B. Paulus ait: *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent:* et ipse Dominus Luc. 19. *Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi:* et infra: *Non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Quod attinet ad verba, in Latina editione est aliqua obscuritas, quæ non est in Hebraica, neque in Græca: nam in his editionibus legitur, *Quoniam non intellexerunt in opera Domini, et in opera manuum ejus*, vel, ut S. Hieronymus reddit, *Quoniam non intellexerunt opera Domini*, et opus manuum ejus: illa enim præpositio, *in*, adjungitur utrique nomini ex phrasi Hebraica, sed secundum usum linguæ Latinæ, ex utroque loco tolli potuisset. Latinus autem Interpres ex priori loco sustulit, in posteriore reliquit; ideo sententiam obscuriorem reddidit. Cur autem Propheta cum dixisset, *Non intellexerunt opera Domini*, adjunxerit, *et opera manuum ejus*, ratio esse videtur, ut explicaret, se loqui præcipue de illo opere, quod ipse facit per se, non per secundas causas, quale opus fuit creatio cœli, et terræ, Incarnatio Verbi, miracula Christi, Resurrectio, et Ascensio Domini, et similia. Ait igitur, quoniam peccatores non intellexerunt opera Domini, et præcipue opera illa, quæ manibus suis, id est, per se immediate fecit; ideo tu, Domine, destrues illos, *et non ædificabis*, id est, destrues illos, et cum dextruxeris, non te pœnitebit destruxisse, ideo nunquam amplius ædificabis eos. Alludit Propheta ad vocem operis manuum Domini, quod opus est quasi ædificatio quædam, quasi diceret, quia non intellexerunt ædificationem Dei, Deus illos destruet, et nunquam amplius ædificabit. Id optime quadrat in civitatem, et templum et ipsum Regnum Judæorum, quæ omnia Deus ob Judæorum infidelitatem destruxit, nec unquam amplius ædificabit. Quadrat etiam in singulos peccatores, qui non intelligunt se esse ædificationem Domini, et ad imaginem ejus conditos, et pretio sanguinis Domini redemptos, et tam multa beneficia naturæ, et gratiæ in se collata; ideo tandem ita destruentur, nunquam amplius reædificandi, ut nihil remaneat, nisi ruina ædificii, id est, unde pœnam sentire perpetuo possint. In Hebræo habetur in tertia persona, destruet, et non ædificabit, fortasse librariorum vitio, prima littera Hebraica, quæ indicat personam, mutata est; fortasse ultima littera Græca, ex qua persona intelligitur, vitio librariorum addita est, fortasse Interpretes, non tam ad verbum, quam ad sensum respexerunt.

8. Benedictus Dominus, quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ.

Transit Propheta ad gloriam resurrectionis Domini prædicendam, et in persona Christi gratias agit Deo, dicens, *Benedictus Dominus*, id est, benedicatur ab omnibus Dominus, *quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ.*

9. Dominus adjutor meus et protector meus, in ipso speravit cor meum, et adjutus sum.

Explicat, in quo exaudita sit oratio sua ac dicit, *Dominus adjutor meus, et protector meus*, supple solet esse. Ideo *in ipso speravit cor meum*, id est, fretus auxilio, et protectione Dei non recusavi prælium subire cum Diabolo, et cum ipsa morte, nec spe mea frustratus sum, quoniam adjuvit me Deus, ut plane victor evaserim. In Hebræo עזי ומגני *hhazi umaganni*, id est, pro, adjutor et protector, habetur, *fortitudo et scutum*. Ex quo intelligimus, accessisse a Deo auxilium interni roboris, et protectionem externi præsidii.

10. Et refloruit caro mea, et ex voluntate mea confitebor ei.

Describit effectum auxilii, et protectionis, qui fuit gloriosa Resurrectio, ob quam toto corde laudaturum se dicit Deum. *Refloruit caro mea*, id est, caro mea, quæ per mortem exaruerat, non solum rediit ad vitam, sed ad florem ætatis, sanitatis, lætitiæ, venustatis maxime rediit. *Et* ideo *ex voluntate mea*, id est, *ex corde confitebor ei*, confessionem laudis, et gratiarum actionis. In Hebræo nunc legitur, *Gavisum est cor meum, et in cantico meo confitebor ei*. Itaque pro, *caro mea*, legitur, *cor meum*, pro, *voluntate mea*, legitur, *cantico meo*. Nam quod pro, *refloruit*, legatur, *gavisum est*, ut S. Hieronymus vertit, non multum refert: nam verbum עלז *halaz*, significat lætari, exultare, et per metaphoram, reflorere, ut recte verterunt Septuaginta, quia dum arbores reflorescunt, suo modo exhilarari et exultare videntur. Cur autem viri illi doctissimi verterint, *caro mea*, ubi nunc est, לבי *libbi; et voluntate mea*, ubi nunc est, משירי *mesciri*, quæ non significant nisi *cor meum* et *canticum meum*, non potest reddi alia ratio, nisi quia non ita legerint, ut nunc habemus in nostris codicibus, sed verba proposita, et mutata postea fuerint: nam si pro משירי *mesciri*, legatur בשרי *besciari*, quod significat *caro mea*, et illud לבי *libbi*, transferatur paulo ulterius, efficietur lectio, quam habuerunt Septuaginta, et quam recte interpretati sunt; nimirum hæc erit lectio ויעלז בשרי ולבי אהדני *vialoz besciari, velibbi ahodenu*, id est, et refloruit caro mea, et corde meo, sive voluntate mea, confitebor ei.

11. Dominus fortitudo plebis suæ, et protector salvationum Christi sui est.

Hæc est materia confessionis, de qua dixit, *confitebor ei*, quod videlicet *Dominus sit fortitudo plebis suæ*, quod ostendit, dum tam potenter protexit salutem Christi sui, qui est caput totius plebis, et a quo fortitudo et salus totius populi dependet. Ex Hebræo S. Hieronymus vertit, *Dominus fortitudo mea;* alii vertunt, *Dominus fortitudo eis*, et hoc sonant verba, quæ nunc sunt in bibliis; sed Septuaginta non videntur legisse, למו *lamo*, quod est, *eis*, sed, לעמו *lahamo*, id est, *plebis suæ*. Dicit autem, *protector salvationum*, non protector salvationis, fortasse, quia protector fuit ad multiplicem salutem, videlicet, ut caro mortua non corrumperetur, ut sanguis effusus non periret, ut non solum anima corpori, et sanguis venis restitueretur, sed ut adderetur immortalitas, impassibilitas, agilitas, splendor, et si quæ sunt alia, quæ ad corpus gloriosum requiruntur.

12. Salvum fac populum tuum Domine, et benedic hæreditati tuæ, et rege eos, et extolle illos usque in æternum.

Christo, qui caput est Ecclesiæ, glorificato, hoc superest, ut corpus ejus, id est, populus Dei, qui est peculiaris hæreditas Dei, quam acquisivit sanguine suo, pariter glorificetur. Dicit igitur Christus ad Patrem, vel Propheta ad Christum, *Salvum fac populum tuum*. Ut autem salvum facias, *benedic* justificando, *rege* conservando, et protegendo in via, *exalta glorificando*, quæ glorificatio usque in sæculum duret.

PSALMUS XXVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

PSALMUS DAVID, IN CONSUMMATIONE TABERNACULI.

HIC titulus non habetur in Hebræo, sed solum, *Psalmus David:* reliqua addita sunt vel a Septuaginta Interpretibus, vel ab aliis, et duobus modis legitur, et intelligitur titulus hujus Psalmi. Nam S. Basilius, Theodoretus, et Euthymius legunt, *Psalmus David in exitu tabernaculi*, et significari volunt, præcipi Sacerdotibus, et Levitis exeuntibus de tabernaculo, ut præparent, quæ necessaria sunt ad cultum Dei. S. Hieronymus et Augustinus legunt, ut nos habemus in editione vulgata, *Psalmus David in consummatione tabernaculi*, et sensum esse vult S. Hieronymus, hunc Psalmum compositum fuisse, quando David perfecit tabernaculum, et collocavit in eo Arcam Domini. Quod attinet ad argumentum, volunt nonnulli ad litteram in toto fere Psalmo agi de potentia Dei, et velle Davidem hortari populum ad laudandum Deum, qui potentiam suam solet manifestare admirandis operibus, quæ solo verbo, sive imperio facit. Alii, quorum sublimior interpretatio, et dignior Davidico spiritu esse videtur, volunt, in hoc Psalmo celebrari Evangelicam prædicationem. Congruit vero titulus, *in consummatione tabernaculi:* nam cum

David tabernaculum fœderis intelligeret figuram esse Ecclesiæ, quæ *tabernaculum Dei cum hominibus* dicitur in Apocalypsi, cap. 21. et simul etiam Spiritu revelante cognosceret instrumentum, quo tabernaculum hoc novum perficiendum erat, fore prædicationem Evangelicam, ideo in consummatione tabernaculi illius umbratici, Spiritu sancto inspirante, cantavit præconia vocis Domini, qua tabernaculum verum constituitur. Nos utramque explicationem breviter persequemur.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Afferte Domino filii Dei; afferte Domino filios arietum.

Cantaturus Propheta laudes potentiæ divinæ, excitat filios Dei, id est, populum Dei peculiarem, cui notus erat Deus (nam *Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus*), ut habetur Psalm. 75. ut potentiam illam honorent, victimis eo tempore consuetis, et etiam prædicatione vocis, et inclinatione corporis. Sed juxta posteriorem intelligentiam, cantaturus laudes vocis divinæ, per quam perficitur tabernaculum, id est, Ecclesia, quæ est mater omnium filiorum Dei, invitat ipsos filios Dei ipsos vocatos illa voce cœlesti, ut Deo sacrificent sacrificium laudis. *Afferte*, inquit, *filii Dei, filios arietum*, id est, vos per sanguinem agni immaculati effecti filii Dei, afferte agnos, offerte sacrificium gratiarum actionis, et laudis, sic enim explicat ipse idem Propheta in sequenti versiculo, *Afferte Domino gloriam*, etc. In Hebræo non habetur, *Afferte Domino filii Dei*, sed solum, הבו ליהוה בני אלים, *habu l'*Adonai *bene Elim, Afferte Domino filios arietum.* Fortasse in editione, quam habuerunt Septuaginta Interpretes erat utraque pars versiculi, et postea successu temporis excidit pars prior; fortasse etiam non erat nisi pars posterior: sed ea duobus modis interpretata est, et altera interpretatio, quæ erat in margine, irrepsit in textum, et hinc nata est lectio, quam nos habemus. Nam si vox אלים *Elim*, legatur ut modo se habet, significat, arietes; si legatur unica littera addita אלהים *Eloim* significat Deum: proinde eadem sententia reddi potuit, *Afferte Domino filii Dei*, et etiam, *Afferte Domino filios arietum.* Neque desunt in editione vulgata alii loci, in quibus duæ interpretationes ejusdem sententiæ simul inveniuntur in textu. Certe S. Basil. in Commentario hujus Psalmi scribit, in multis exemplaribus addita esse hæc verba, *Afferte Domino filii Dei.* Ex quo intelligimus, non fuisse hæc verba in omnibus exemplaribus Græcis, sed solum in aliquibus. Sed undecumque hæc verba in editione nostra accesserint, satis bene cum sequentibus cohærent, et habentur in omnibus Latinis codicibus, etiam antiquissimis.

2. Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus: adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Hæc est declaratio sacrificii quod ut offeramus Domino, Propheta nos admonet. *Afferte*, inquit, *Domino gloriam et honorem*, id est, voce et opere glorificate Dominum: nec solum voce, et opere Deum laudate, sed etiam corporis inclinatione illum veneramini, et per veram adorationem supremum Dominum agnoscite, ac protestamini. In Hebræo pro voce, *honorem*, habetur, עז *hoz* quod proprie *fortitudinem*, *potentiam*, sive *imperium* significat. Ex quo intelligimus honorem, quem juxta editionem Græcam et Latinam Deo debemus, esse honorem confessionis, potentiæ, et imperii Domini; tunc enim Deum vere honoramus, cum ejus potentiam et imperium agnoscimus, et confitemur. Et est valde ad propositum hoc loco honor potentiæ, cum in toto Psalmo Dei potentia laudetur. Pro, *nomini ejus*, in codicibus Hebraicis cum punctis Rabinorum habetur, nominis ejus: quæ lectio faciliorem sensum habet, quam nostra. Sed quia editio Græca habet, nomini ejus, et eodem modo ex Hebræo vertit S. Hieron. oportet Septuaginta Interpretes, et S. Hieron. aliter legisse, quam Rabini legerunt. Nimirum illi legerunt, כבוד שמו *chavod scemo, gloriam nomini ejus;* isti vero, כבוד שמו *chevod scemo*, gloriam nominis ejus. Sensus igitur est, *Afferte Domino gloriam nomini ejus*, id est, afferte gloriam Domino, id est, nomini ejus, celebrantes videlicet nomen, famam, notitiam Domini. Pro voce, *atrio*, in Hebræo est הדרת *hadrath, decore*, seu *pulchritudine*, in Græco est, αὐλή; unde S. Augustinus et alii legunt, *aula.* Cæterum facile est videre, Septuaginta Interpretes non legisse הדרת *hadrath*, sed חדרת *chadrath*, unica littera simillima immutata: illa enim vox, si legatur per ה, significat decorem, si per ח, significat atrium, et hanc esse veram lectionem dubitare non possumus; nisi Septuaginta viros, qui omnium judicio sapientissimi erant, imperitiæ arguere velimus: ut omittam, quod magis convenit cum verbis, *Adorate Dominum in atrio sancto ejus* quam *in decore* sancto ejus. Porro vox Græca αὐλή, non significat id, quod nos Latine dicimus *aulam*, sed vestibulum, sive atrium subdiale, proinde qui legunt, in aula, retinent sonum vocis Græcæ: qui legunt, in atrio, retinent veram tam Hebraicæ quam Græcæ vocis significationem. Per hoc atrium sanctum, in quo Deum adorare jubemur, intelligitur tum ipsum tabernaculi Judaici vestibulum, ad quod omnibus promiscue aditus erat, cum in tabernaculum soli Sacerdotes intrare permitterentur: tum potissimum Ecclesia Catholica, quæ est velut atrium seu vestibulum tabernaculi cœlestis, nam in Ecclesiam et boni, et mali passim admittuntur, sed in tabernaculum cœleste illi soli ingredientur, qui dicere poterunt Christo, ut in Apocalypsi legimus, *Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes*, Apoc. 5.

3. Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas.

Hic jam incipit explicare Propheta, cur nos invitaverit ad laudandam et celebrandam po-

tentiam Dei. Causa enim est, quia *vox Domini* mirabilia operatur tum in corporalibus elementis, tum in spirituali fabrica Ecclesiæ. Describit primum operationem Dei in aquis, deinde in aere, tum in igne, postremo in terra, quæ sunt partes principales mundi hujus inferioris nobis maxime noti. Prima operatio Dei in aquis describitur in 1. cap. Genesis, cum dicitur, *Spiritus Domini ferebatur super aquas :* et ibidem, *dixit Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis :* et ibidem, *dixit Deus, Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in locum unum, et appareat arida.* Tunc igitur facta est *vox Domini super aquas*, cum Deus imperavit, ut aquæ dividerentur, et divisæ congregarentur in locum unum, id est, in cavernas terræ, et terra habitabilis fieret. Hæc ipsa vox dicitur *tonitruum, Deus majestatis intonuit,* quia quomodo tonitruum nos continuo prosternit, et obedire cogit : sic ad imperium Domini continuo aquæ recesserunt, et in loca humiliora se receperunt. Fuit autem hæc vox, et hoc tonitruum Dei super aquas multas, quia tunc aquæ undique totam terram cooperiebant, proinde erat quasi immensa aquarum abyssus super terram. Hoc ipsum clarius describit idem David in Psal. 103. *Abyssus sicut vestimentum amictus ejus, super montes stabunt aquæ,* id est, immensitas aquarum undique terram vestiebat, ita ut super omnes montes starent aquæ. *Ab increpatione tua fugient : a voce tonitrui tui formidabunt : Ascendunt montes, et descendunt campi, in locum quem fundasti eis*, id est, ab imperante Deo aquæ recesserunt, quasi a tonitruo fugerent, et tunc apparuerunt montes editi, et campi depressi. *Terminum posuisti quem non transgredientur : neque convertentur operire terram* id est, non solum aquæ vocem Domini recesserunt, et terram aridam, atque habitabilem reddiderunt, sed ab eadem voce Domini terminum acceperunt, quem transgredi nunquam audebunt. Jam vero secundum alteram expositionem describitur initium Evangelicæ prædicationis, quæ cœpit, cum Deus ipse per se, Christo in aquis Jordanis baptisato, evangelisavit toti mundo Jesum Christum esse Filium suum, quod est quasi compendium totius Evangelii. Igitur *vox Domini super aquas*, est illa magnifica Dei vox in Baptismo Christi audita, *Hic est filius meus dilectus; in quo mihi bene complacui.* Matthæi.3. Tunc *Deus majestatis intonuit, et intonuit super aquas multas,* quia tunc institutum est Baptisma, et data virtus omnibus aquis totius mundi ad filios Dei regenerandos. S. Augustinus, per vocem Domini super aquas, intelligit vocem Christi super populos, quia dicitur in Apocal. cap. 17. *Aquæ multæ populi multi sunt :* et addit, ideo dictum esse, *Deus majestatis intonuit*; quia majestas divina erat in carne humana Christi tanquam in nube, et proinde vox Domini ex humana carne, erat quasi tonitruum ex nube. Elegans, et vera expositio : sed superior, quæ est Patrum Græcorum, videtur magis litteralis.

4. Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.

Utrique interpretationi laus hæc vocis Dominicæ optime quadrat. Nam vox Domini jubentis, ut aquæ in principio creationis rerum omnium dividerentur, et aquæ inferiores in cavernas terræ sese reciperent, et non reverterentur operire terram, non fuit inanis, et sine effectu, ut pleraque tonitrua esse solent, quæ nihil præter ingentem sonitum habent ; sed fuit vox plena virtute, et gloria ; atque ad eam continuo est consequutus effectus. Sic etiam vox Evangelicæ prædicationis ab ipso Deo inchoatæ, et a Christo, et Apostolis propagatæ, non fuit inanis verborum strepitus, qualis multorum oratorum, et Philosophorum est, sed fuit vox efficacissima, et signis, atque prodigiis confirmata. Ad efficaciam verbi pertinet illud, *in virtute;* ad gloriam miraculorum illud, *in magnificentia,* sive splendore et decore, ut sonat vox Hebraica, אדר *hadar.* Apostolus Paulus 1. Cor. 2. *Prædicatio mea*, inquit, *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, et virtutis :* et 1. Thessalonic. 1. *Evangelium meum non fuit ad vos in sermone tantum, sed in virtute, et Spiritu sancto.*

5. Vox Domini confringentis cedros, et confringet Dominus cedros Libani.

Juxta priorem interpretationem transit Propheta ab operatione Dei in aquis ad operationem in aere. Significat autem his verbis, *vocem Domini*, id est, imperium Domini, excitare ventos, ac tempestates, quas in Psalmo 148. vocat *spiritum procellarum, quæ faciunt verbum ejus.* Et sane mirabilis est potentia Dei, quæ rei tam exili, ac tenui tantam virtutem attribuit, ut etiam maximas arbores in momento confringat, et prosternat, quod multi homines magna vi et longo tempore vix facerent. Nominat autem Propheta *cedros, et cedros Libani*, quæ cedri sunt arbores durissimæ, et maximæ, et eæ nusquam majores inveniuntur, quam in Libano monte. Jam vero juxta posteriorem interpretationem, *cedri Libani*, ratione sublimitatis sunt homines excelsi, sive magnitudine potentiæ, sive splendore sapientiæ, sive gloria eloquentiæ : ratione boni odoris, quem cedri spirant, sunt homines deliciis, et voluptatibus dediti. Denique ratione densitatis, et duritiei qua mirum in modum cedri pollent, sunt homines obstinati, et pertinaces in paternis erroribus. Has omnes cedros Evangelica prædicatio magnifice confregit, et ad humilitatem et mansuetudinem Christianam, nec non ad fructus dignos pœnitentiæ faciendos perduxit. Exemplorum plenæ sunt historiæ.

6. Et comminuet eas tanquam vitulum Libani, et dilectus quemadmodum filius unicornium.

Ex Hebræo juxta priorem intelligentiam habetur sensus facilis, et pulcherrimus. Sic enim legimus in Hebræo, *et saltare faciet eas, sicut vitulum Libanum, et Sarion sicut filium unicornium*, et sensus est, non solum vox Domini, confringet cedros Libani, sed etiam integras cedros radicitus evellet, et exilire faciet ea facilitate, qua vituli saliunt. Nec solum cedros Libani, sed ipsos etiam montes, Libanum et Sarion, saltare faciet ea facilitate, qua filius unicornium salit. Cui sententiæ similis est illa in Psalmo 113. *Montes exultaverunt ut arietes, ut colles sicut agni ovium.* Juxta posteriorem in-

telligentiam sensus erit, vox prædicationis Evangelicæ non solum confringet cedros Libani, id est, viros quamvis excelsos, et obstinatos ad humilitatem Fidei Christianæ inflectet, sed etiam easdem cedros eradicabit, et in alium locum exilire faciet, id est, ab affectibus terrenis penitus abstrahet, et ad vitam pene Angelicam transferet: quod Apostolicis viris convenit, qui non solum fideles, sed religiosissimi et perfectissimi evaserunt, ut non tam homines, quam terrestres Angeli viderentur. Nec solum cedros singulas, sed integrum montem cedris plenum, sive integras cedrorum silvas exilire faciet Evangelica prædicatio, id est, non solum hunc, aut illum virum, sed ingentem hominum multitudinem, catervasque integras ad Fidem, et religionem, vitamque perfectam adducet. Sed videndum est quid Græca, et Latina editio habeat, inter quas hoc solum interest, quod in Græca legitur *et comminuet eas tamquam vitulum Libanum*: in Latina vero, *et comminuet eas tamquam vitulum Libani*. Quamvis autem S. Basilius et Euthymius legant, *Libanum*, tamen probabile est, in editionibus Græcis emendatioribus fuisse, *Libani*, ut legunt SS. Hieronymus, et Augustinus, et Codex antiquissimus, quo utitur in Psalmis canendis Ecclesia S. Petri Romæ. Et quidem verba illa priora, *et comminuet eas tamquam vitulum Libani*, possunt non difficulter concordari cum verbis Hebraicis: nam dum cedri magno impetu confringuntur, comminuuntur, certe fragmenta exiliunt, et sparguntur in varias partes. Itaque sensus erit: et comminuet eas, cedros videlicet, ac per hoc per fragmenta, et frustra exilire faciet, quomodo vituli montis Libani exilire, et saltare solent. Sed verba sequentia, *et dilectus quemadmodum filius unicornium*, difficilius cum Hebraicis vocibus, quæ nunc habentur in bibliis, concordari possunt: nam *Sirion*, pro quo nos habemus, *dilectus*, significat montem Hermon, Deuter. 3. et *loricam*, 1. Reg. 17. et 3. Reg. 22. Oportet igitur, ut Septuaginta Interpretes, vel aliquid aliud legerint, vel certe intellexerint vocem illam, quæ significat montem Hermon, et loricam, res videlicet tam dissimiles, significare etiam dilectum, quibus habenda fides est, cum ipsi doctissimi essent, et linguæ Hebraicæ peritissimi. Posita autem hac lectione juxta priorem intelligentiam, hic erit sensus: *Et comminuet eas*, nimirum cedros, et comminuendo exilire faciet fragmenta cedrorum, *sicut vitulum Libani*, id est, sicut solet vitulus per montem Libani, et *dilectus quem admodum filius unicornium*, id est, ut salit dilectus filius unicornium. Dicitur autem dilectus filius unicornium, quod sit speciosum animal, præsertim quando juvenculus unicornis est. Alii sic exponunt, et comminuet cedros durissimas, quomodo comminui possunt tenerrimi vituli, et tenerrimi filii unicornium: sed nostra expositio magis accedit ad lectionem Hebraicam. Juxta posteriorem intelligentiam sensus erit, prædicatio Evangelica non solum confringet cedros Libani, id est, homines potentes et sapientes humiliabit, sed etiam comminuet ut vitulum Libani, id est, rediget altissimas cedros ad parvitatem exigui vituli, qui pascitur in monte Libano. Per vitulum autem recte intelligitur Christus qui non solum humilis, et mansuetus fuit more lactentis vituli, sed etiam immolatus in sacrificium Deo: *Et dilectus quemadmodum filius unicornium*, id est, et tunc quando cedri Libani confractæ fuerint, apparebit dilectus qui est Christus dilectissimus Patri, et desideratus cunctis gentibus: apparebit, inquam, non amplius ut inermis vitulus, sed ut filius fortissimi unicornis. Majestas enim divina, et omnipotentia Christi tunc primum apparere cœpit, cum per Evangelicam prædicationem piscatorum, Oratores, et Philosophi et ipsi etiam Principes mundi credere cœperunt in Christum. De viribus unicornis sive rhinocerotis, vide Job 36.

7. Vox Domini intercidentis flammam ignis, vox Domini concutientis desertum, et commovebit Dominus desertum Cades.

In prima parte hujus versus, quæ apud Hebræos est versus integer, transit Propheta ab operatione Dei in aere ad operationem in igne, ac dicit, *Vocem Domini*, id est, imperium et potentiam Domini, *intercidere*, id est, dividere *flammas ignis*: quod fit, quando imperante Domino, varia mittuntur e nubibus, quasi e cœlestibus caminis, fulmina in terras, quibus nihil terribilius, et formidabilius mortalibus accidere solet: potest etiam illa intercisio, sive divisio flammarum, non solum referri ad multitudinem, et varietatem fulminum, sed etiam ad subtilitatem, et acumen ipsorum fulminum; quæ enim acuuntur dividuntur, ac interciduntur ut ad subtilitatem redigantur; porro nihil est omnino in rebus corporalibus acutius, subtilius, penetrabilius cœlesti fulmine: unde est illud in cantico Mosis, Deuter. 32. *Si acuero ut fulgur gladium meum*. Juxta alteram intelligentiam, *vox Domini*, id est, Evangelica prædicatio *dividit flammas ignis*, dum per eam Spiritus sanctus in cordibus hominum, jaculantur ignem divini amoris, multis et variis modis; in cujus rei signum apparuerunt in die Pentecostes super credentes, *dispertitæ linguæ tanquam ignis*, Act. 2. In altera parte versus celebrat Propheta potentiam Dei operantis in terra ac dicit, *Vocem Domini concutere et commovere desertum*. Verbum Hebraicum, יחיל *iachil*, significat, *parturire faciet*, ex quo intelligimus concussionem, et commotionem, quæ in Græca et Latina editione exprimitur, non esse simplicem terræ motum, aut concussionem ex fragore tonitrui in deserto peculiariter resonantis, ut aliqui volunt; sed esse concussionem, et commotionem ad parturiendum. Itaque significatur hoc loco mirabilis potentia Dei, quæ sicut montem Libani potest, cum voluerit, cedris omnibus spoliare, et desertum facere: ita e contrario potest ipsum desertum Cades, ubi nihil nasci solet unica concussione parturire facere, et continuo arboribus, et animalibus replere. Simile est, quod dicitur in Psalmo 106. *Posuit flumina in desertum, terram fructiferam in salsuginem*, et paulo post, *posuit desertum in stagna aquarum, et collocavit illic esurientes et constituerunt civitatem habitationis, et seminaverunt agros, et plantaverunt vineas*. Sed juxta alteram intelligentiam significatur, ad Evangelicam prædicationem convertendas esse etiam Barbaras nationes, quæ antea caruerant cultura spirituali, et irrigatione gratiæ Dei, ut comparatione aliarum nationum, desertæ dici possent. Quid si etiam hic significari

dicamus, vera deserta paritura fuisse infinita agmina Monachorum, ac per hoc, ut loquitur sanctus Hieronymus in Epist. ad Heliodorum, futura deserta vernantia floribus Christi? Nam in hoc ipso deserto Cades, fuisse plurima Monasteria tempore sancti Hieronymi, testatur ipse in Vita sancti Hilarionis.

8. Vox Domini præparantis cervos, et revelabit condensa, et in templo ejus omnes dicent gloriam.

Juxta priorem intelligentiam Propheta, qui Dei potentiam laudavit in elementis omnibus, aqua, aere, igne, et terra, nunc laudat in animantibus, et plantis, paulo post laudaturus in hominibus. Dicit igitur, *Vox Domini præparantis cervos;* ubi ponit loco exempli, operationem Dei in cervis. Nam ut habemus in lib. Job. cap. 39. cervæ summa difficultate pariunt, et causa videtur esse, quia tam perfectos fœtus edunt, ut illi statim ad pastum pergant, nec redeant ad matrem, ut in eodem loco dicitur. Mira igitur Dei potentia in eo cernitur, ut cervas parere faciat. In Hebræo habetur, כול יהוה יחולל אילות col Adonai *iaholel aialoth; Vox Domini parere faciens cervas;* vel ut S. Hieronym. vertit, *Vox Domini obstetricans cervis.* Idem significant verba Græca et Latina, *Nam præparare cervos* nihil est aliud hoc loco, nisi præparare ad pariendum. Nomen cervos, commodius legeretur, cervas: nam in Hebræo est nomen femininum, et in Græco est nomen commune ἐλάφους. Sed recte etiam potest intelligi, præparantis cervos, nam ponitur nomen masculinum ad exprimendum cervos in genere non distinguendo sexus: quasi diceretur, *Vox Domini præparat cervos*, id est, speciem cervinam ad partum, quæ species sine peculiari providentia Dei parere non posset. In verbis sequentibus: Et revelabit condensa sive, ut in Hebræo apertius legitur, *aperiet silvas;* significatur operatio Dei in arboribus, et sensus est, Deo nihil esse clausum, sed omnia pervia; ipse enim omnia penetrat, etiam densissimas silvas, et ubique operatur; et ideo, *In templo ejus omnes dicunt gloriam*, id est, omnes creaturæ Deum laudant, et glorificant in hac rerum universitate, quæ est veluti templum ejus. In Hebræo est כלו cholo, *omne id ipsum*, sive totum hoc, *dicet gloriam:* ideo exposuimus *omnes*, id est, omnes creaturæ: non enim loquitur solum de hominibus, sed de toto eo quod dictum erat, id est, aqua, igne, etc. Juxta alteram intelligentiam sublimiorem, *vox Domini præparat cervos*, cum Evangelica prædicatio præparat homines spirituales, alta petentes, et venenatos serpentes spiritu suo occidentes, ad partum mirabilium operum: quid enim majus, et mirabilius, quam ut homo infirmus operetur opera meritoria vitæ perpetuæ? Et cum vox Domini cervos omnes parere fecerit, tunc demum *revelabit condensa*, id est, ut exponit S. Basilius in secunda expositione hujus Psalmi, *revelabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium*, in extremo judicio, juxta Apost. 1. Cor. 4. et tunc, tam erit evidens justitia Dei, ut in magno illo theatro, et templo omnes omnino, tam boni, quam mali sint glorificaturi Deum. Tunc enim *curvabitur Christo omne genu*, et omnes vel inviti, vel libenter dicent, *justus es Domine, et rectum judicium tuum*, sic in templo ejus omnes dicent gloriam. S. Augustinus per illud, *revelabit condensa*, intelligit revelationem Sacramentorum et arcanorum Scripturæ sanctæ, quæ viris sanctis, et perfectis, quasi cervis alta petentibus, aperiuntur.

9. Dominus diluvium inhabitare facit, et sedebit Dominus Rex in æternum.

In Hebræo est, יהוה למבול ישב Adonai *lemacchul iaschab, Dominus diluvium inhabitat*, et sic etiam ex Græco legunt Basilius et Augustinus: tamen Hieronymus in epist. ad Suniam et Fretellam magis probat nostram lectionem nimirum, *inhabitare facit*, et sic dicit se transtulisse. Eodem modo legit Euthymius. Et certe Græca vox, κατοίκει, utrumque significat, *inhabitare*, et *collocare*, id est, habitare facere, vox Hebræa parva mutatione facta in eamdem significationem adduci potest. Retenta igitur nostra lectione, juxta priorem intelligentiam, redditur causa, cur omnia dicant gloriam Deo. Causa enim est, quia, *Deus diluvium inhabitare facit*, id est, copiosum imbrem effundit super terram, ex quo rebus omnibus alimentum producitur, et vita sustentatur, et ipse idem Deus sedebit Rex et Dominus in æternum, omnia videlicet regens, omnia gubernans, omnia disponens. At juxta posteriorem intelligentiam, Dominus cum in extremo judicio revelaverit condensa, et ab omnibus justitia ejus laudata fuerit, tunc diluvium inhabitare faciet effundens omnia genera bonorum in bonos, et omnia genera malorum in malos, et sic nullo penitus resistente, sublato de medio omni alio principatu, et regno Dæmonum, atque hominum impiorum, *sedebit Dominus Rex in æternum*, referunt hoc diluvium, alii ad diluvium Noe, alii ad Baptismum, et quia sunt auctores graves, et magni nominis, non audeo improbare.

10. Dominus virtutem populo suo dabit, Dominus benedicet populo suo in pace.

Hæc est conclusio Psalmi, in qua, juxta priorem intelligentiam, Propheta, qui laudavit Dei potentiam in omnibus aliis rebus mundi hujus inferioris, laudat postremo in hominibus, id est, *in populo suo*, cui dandam esse dicit a Deo *virtutem*, id est, robur et vires contra omnes adversarios, et iis omnibus superatis, dulcissimam quietem, et pacem. At juxta posteriorem intelligentiam, concludit Psalmum, promittens a Domino *virtutem*, id est potentiam et robur in hac peregrinatione ad resistendum tentationibus, et *benedictionem*, ac pacem sempiternam in æterna vita. Non videtur hoc loco prætereunda pia quorumdam observatio, qui vocem Domini septies in hoc Psalmo, repetitam, septem Ecclesiæ Sacramentis ita accommodant, ut vocem Domini super aquas, Baptismo; vocem Domini in virtute, Confirmationi; vocem Domini in magnificentia, Eucharistiæ; vocem Domini confringentis cedros, Pœnitentiæ; vocem Domini concutientis desertum, Ordini; vocem Domini intercidentis flammam ignis, Matrimonio; vocem Domini præparantis cervos, Unctioni Extremæ convenire velint.

PSALMUS XXIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

Psalmus cantici, in dedicatione domus David.

Hic titulus indicat Psalmum et voce, et instrumentis musicis cantatum, quod in præfatione annotavimus ex B. Hilario, et idipsum docet in Commentario hujus Psalmi S. Basilius. Ex eodem titulo colligimus hunc Psalmum compositum fuisse a Davide, quando domus ejus in Jerusalem magnificentissime extructa, dedicata fuit. Tunc enim intellexit David regnum suum a Deo confirmatum et stabilitum fuisse, et ideo in gratiarum actionem hunc hymnum cecinit Deo. Habetur hæc historia lib. 2. Reg. 5. et lib. 1. Paralip. 14. Videtur autem hic Psalmus duplicem sensum habere, ut Psalmus superior, unum historicum, alterum propheticum, utrumque litteralem. Et quidem recte post consummationem tabernaculi, quod est Ecclesia militans in terris, sequitur dedicatio domus, quæ est Ecclesia stabiliter quiescens in cœlis, cujus fundamentum, quod est Christus, jam dedicatum est, cum ad vitam immortalem et gloriosam pervenerit.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me.

David confirmato Regno, arce Sionis munita, et de nomine suo civitate David appellata, denique domo regia magnificentissime extructa, Deum agnoscens tantorum beneficiorum auctorem, tributum illi offert gratiarum actionis, ac dicit, *Exaltabo te Domine*, id est, quamvis tu Domine altissimus sis, ut reipsa altior fieri non possis, tamen apud eos, qui altitudinem tuam minus agnoscunt, exaltabo te prædicatione mea, et faciam, quod in me est, ut te altissimum esse omnes agnoscant. *Quoniam suscepisti me*, de imo videlicet, ac de profundo humilitatis suscepisti, et exaltasti in solium Regni. Nam vox Hebræa, דלה *dala*, *exaltare* significat. Itaque ait, tu exaltasti me, et ego exaltabo te, non tribuens meis viribus exaltationem meam, sed magnificentiæ tuæ: tu exaltasti, me et ego humiliabo me, ut exaltem te. *Nec delectasti inimicos meos super me:* hoc ex illa exaltatione consequutum est, ut inimici David, qui plurimi fuerunt, et eum longissimo tempore ad necem quæsierunt, non habuerint materiam gaudendi ex ejus interitu, quem avidissime expetebant, sed contra dolendi ex illa exaltatione, quam impedire totis viribus conabantur. Jam vero prophetico sensu loquitur David in persona Christi, et Electorum, tum omnium, tum singulorum, quos in cœlesti Regno quasi exaltatos prævidebat, e quorum numero ipse quoque futurus erat. *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me*, id est, nunc vere te Domine cogitatione, et voce exaltabo, cum ex mea exaltatione cognoscam sublimissimam altitudinem tuam: nam ex ima terra, et profundo miseriarum, ex ipsa mortalitate suscepisti, et exaltasti me ad gloriam resurrectionis et immortalitatis, atque adeo ad Regnum cœleste, et sempiternum. *Nec delectasti inimicos meos super me*, quia non permisisti ut potirentur desiderio suo, quo in sempiternum interitum meum anhelabant dæmones, et homines mali. Gavisi sunt quidem impii Judæi, cum à Pilato extorserunt sententiam mortis in Christum, et non raro lætantur mali, cum bono, vel opibus, vel etiam vita spoliare possunt; sed eorum lætitia tam brevis est, et tam longum adducit dolorem, ut merito somnium potius lætitiæ, quam vera lætitia dici debeat.

2. Domine Deus meus clamavi ad te, et sanasti me.

3. Domine eduxisti ab inferno animam meam, salvasti me a descendentibus in lacum.

Revocat Propheta ad memoriam angustias suas, quas ante Regnum adeptum passus est, ut ostendat verum esse, quod paulo ante dixit, *Nec delectasti inimicos meos super me. Domine Deus meus clamavi ad te*, cum in periculis mortis tam sæpe versarer, et ob id ægritudine animi contabescerem: sed tu Domine sanasti ægritudinem illam meam, et a morte propinqua ita me liberasti, ac si ex ipso inferno me eduxisses. Illud autem, *salvasti me a descendentibus in lacum*, idem significat, sed est loquutio paulo obscurior. Sensus est, salvasti me, vel ut habetur ad verbum in Hebræo, חייתני *thiithani*, *vivificasti me a descendentibus in lacum*, id est, excitasti me a mortuis. Nam per descendentes in lacum intelliguntur mortui. Dicitur autem David excitatus a mortuis, quia a morte propinqua, et certissima liberatus fuerat. At juxta propheticam intelligentiam, Christus plane ad litteram dicere potest, *sanasti me*, id est, vulnera mea in cruce accepta, et *eduxisti ab inferno*, id est, a Limbo animam meam, et *vivificasti me*, per resurrectionem, atque ita a mortuis excitasti. Denique Sancti omnes dicere poterunt, cum

domus æterna dedicabitur, *sanasti me*, perfectissima sanitate corporis et animæ, et *eduxisti ab inferno animam meam*, quia non permisisti ut in infernum damnatorum descenderem, et *salvasti*, seu *vivificasti me a descendentibus in lacum*, quia vitam et salutem æternam mihi donasti. Idem habetur in Psalm. 102. *Qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam.*

4. Psallite Domino sancti ejus, et confitemini memoriæ sanctitatis ejus.

Et David acceptis temporalibus beneficiis, et unusquisque sanctorum acceptis beneficiis æternis, parum esse judicans, si ipse solus Deo gratias agat, hortatur alios qui similia beneficia perceperunt, ut Deum laudare non cessent. Illud, *Confitemini memoriæ sanctitatis ejus*, hunc sensum habet, confitemini confessione laudis, id est, laudate memoriam sanctam ejus, quod videlicet vestri memor fuerit memoria sancta, memoria pia, memoria paterna, non ad puniendum, sed ad justificandum; passim enim in lingua Hebraica ponitur nomen substantivum in secundo casu, pro adjectivo in primo casu. Quod enim frequenter legimus, *in monte sancto ejus*, vel *in templo sancto ejus*, in Hebræo est, *in monte*, vel, *in templo sanctitatis ejus.* Itaque S. Hieron. qui hoc loco posuit, *memoriæ sanctitatis ejus.* Et vero magnum est hoc Dei beneficium, et memoria gratissima recolendum, quod cum nos, qui Dei ope semper indigemus, sæpe obliviscamur illius, ille, qui bonorum nostrorum non eget, semper recordetur nostri, et præcipue recordatus sit, cum misit ad nos filium suum, Salvatorem mundi, quod ipsum idem David in Psal. 8. miratur, cum ait, *Quid est homo, quia memor es ejus?*

5. Quoniam ira in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus.

Reddit rationem, cur dixerit, laudandam esse memoriam sanctam, quam de nobis habet Deus. Ratio enim est, quia Deus, si nos punit, id facit *ex indignatione*, quam peccata nostra provocant, id est, ex justo judicio; sed alioqui in voluntate, et electione ejus non est pœna, sed vita. Itaque per iram intelligitur pœna et castigatio, quæ dicitur ira, quia est effectus iræ: per indignationem, intelligitur justum Dei judicium, ut Sanctus Basilius et alii exponunt. In Hebræo habetur, *quoniam momentum est in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus.* Sed Septuaginta Interpretes non videntur legisse רגע *regah*, quod significat, momentum, sed רגז *regaz*, quod significat iram, fortasse etiam legerunt, *regab*, et verterunt iram, quia vox illa, non solum significat momentum, sed etiam scissionem, proinde intellexerunt, sensum esse, in indignatione Dei esse scissionem, id est, occisionem, et mortem, sed in voluntate Dei esse vitam: sed pro scissione posuerunt iram, quia sæpissime in scriptura ponitur ira pro pœna. Cæterum sensus etiam, quem ex Hebræo exprimit S. Hieron. non est contemnendus: vere enim respectu electorum, de quibus in hoc Psalmo agitur, *momentum est in indignatione Dei*, id est, brevissima et momentanea est indignatio Dei in electos peccantes, quia statim pœnitentibus ignoscit, nam in voluntate ejus non est ira, sed vita. Porro hæc omnia in Christum caput electorum mirifice quadrant. Nam *Pater filio suo non pepercit*, Rom. 8. sed tamen ira, id est, punitio fuit in Christo ex indignatione contra peccata nostra, et fuit castigatio illa brevissima, sed vita, et resurrectio Christi fuit plane ex voluntate, et electione Dei.

6. Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia.

Sanctus Hieronymus vertit, *in matutino laus*, sed vox Hebræa. רנה *rinna*, significat proprie *jubilationem*, sive *exultationem*, in qua est conjuncta laus cum lætitia, proinde non est discrepantia inter versiones. Sensus igitur est, inde probari, iram sive momentum, esse in indignatione Dei; sed in voluntate et beneplacito ejusdem esse vitam electorum suorum; quia post fletum ex castigatione et pœnitentia natum, statim succedet lætitia, et laus jubilationis ex remissione, et reconciliatione: Nam inter vespere et mane, id est, inter noctem et diem nihil est medium. Recte autem tribuitur tempus nocturnum fletui, et diurnum lætitiæ, tum quia cum peccamus recedit a nobis lux gratiæ divinæ, cum reconciliamur, redit; tum quia tempus hujus vitæ, in quo peccata deflemus, et præ desiderio patriæ gemimus, et suspiramus, tempus est nocturnum; quia non videmus Deum, qui est sol justitiæ: tempus autem vitæ futuræ, *in quo exultabimus lætitia inenarrabili, et glorificata*, ut loquitur S. Petrus, 1. epist. cap. 1. tempus erit diurnum, quia videbimus Deum sicuti est. Sed in Christo ad litteram impletum est hoc vaticinium, nam ad vesperam cum dolore mortuus est, et in matutino cum lætitia resurrexit.

7. Ego autem dixi in abundantia mea, non movebor in æternum.

Vicissitudinem iræ et vitæ, fletus, et lætitiæ, quam demonstravit Propheta, superioribus versiculis, generatim; nunc demonstrat in particulari, loquens tum in persona sua, tum in persona electorum Dei. Ac primum in persona sua dicit se antequam in regnum exaltaretur, aliquando tanta pace, et bonorum temporalium copia abundasse, ut existimaret sibi illa perpetuo adfutura. Videtur autem respicere ad illud tempus, in quo post cædem Goliath Philistæi, ut habetur 1. Reg. 18. diligebatur a Rege, a filio Regis, atque ab omni populo, ita ut paulo post fieret tribunus, et gener Regis. De hoc igitur tempore dicit, *Ego autem dixi in abundantia mea*, id est, dum bonis omnibus abundarem, *Non movebor in æternum*, id est, tam bene fundata est hoc felicitas mea, ut semper duratura videatur.

8. Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem.

Reddit rationem, cur dixerit, *non movebor in æternum*, atque id facit per apostrophen ad Deum, quasi diceret, ideo dixi, *non movebor in æternum*; quia tu *Domine præstitisti virtutem*, id est, robur ac vires, *decori meo*, id est, felicitati meæ, idque, *in voluntate tua*, id est, in beneplacito tuo, quia ita placuit tibi, ita voluisti, et decrevisti. In Hebræo habetur, *monti meo*, pro decori meo: sed Septuaginta non legerunt, הררי *hareri*, id est, *monti meo*, sed,

הדרי *hadari*, *decori meo*, unica littera, eaque simillima mutata: et, ut sæpe diximus, in ejusmodi vocum ambiguitatibus, videtur omnino præferenda lectio Septuaginta Interpretum, et editionis Vulgatæ.

9. Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.

Hic jam declarat rerum vicissitudinem quæ tamen ex Dei providentia pendet. *Avertisti*, inquit, *faciem tuam a me*, id est, paulo post, in medio cursu felicitatis destituisti me favore tuo, et permisisti, ut in odium Regis inciderem, *Et factus sum conturbatus*, inde enim exilium, fuga, mortis periculum, et alia mala exorta sunt. Sed hæc omnia longe adhuc melius conveniunt in vicissitudines, quas patiuntur Electi, cum peregrinantur in terris. *Ego autem*, inquit Electus quilibet, *in abundantia mea*, id est, dum gratia Dei, et spirituali consolatione abundabam, *dixi, non movebor in æternum : etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*, dixit unus ex primariis electis, Matth. 26. *Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem*, id est, robur meum non ex me erat, sed ex te, quia tu præstiteras virtutem decori meo, id est, pulchritudo animæ meæ, quæ ex luce sapientiæ, et justitiæ oritur, a tuo adjutorio conservabatur. *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus*, id est, ut punires præsumptionem meam, dimisisti meipsum mihi, et continuo cecidi, et conturbatus sum. Quod attinet ad Christum, possunt hi tres versiculi tribui Christo, pro corpore ejus, quod est Ecclesia, id est, ut ea omnia dicat in persona membrorum suorum. Possunt etiam Christo tribui in persona propria. Nam quemadmodum ipse dixit in cruce, Matth. 27. *Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Ita dicere potest, *Avertisti faciem tuam a me*, non aversione inimicitiæ, sed aversione defensionis, et auxilii tempore passionis. Itaque sensus erit, ***Ego autem dixi in abundantia mea, non movebor in æternum***, id est, humanitas mea injuncta præ omnibus consortibus suis abundantissima gratia, ipsi nimirum fonti gratiarum Deo hypostatice unita, dixit, *non movebor in æternum*, id est, nihil mihi nocere, nihilque me perturbare poterit. *Domine in voluntate tua præstitisti decore meo virtutem*, id est, quia tu Domine pulchritudini, et excellentiæ meæ, qua præsto omnibus hominibus, et Angelis, addidisti robur et potentiam, nodum videlicet insolubilem hypostaticæ unionis, idque *ex voluntate tua*, cui nemo resistere potest. *Avertisti faciem tuam, et factus sum conturbatus*, id est, nihilominus tamen manente vinculo hypostaticæ unionis, et illæsa pulchritudine gratiæ, avertisti ad tempus pro salute hominum faciem tuam a defensione mea: voluisti, ut calix amarissimæ passionis non transiret a me, sed biberem illum : ideo *conturbatus sum*, cœpi pavere, tædere, et mœstus esse, et dixi, Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Neque hic colligi debet, Christi animam aliquid ignorasse vel aliquid inopinatum ei contigisse. Nam verum est, nihil ei nocere, vel eam turbare potuisse, nisi ipsa voluisset; sed admisit in se furentium manus, et turbavit semetipsum. Et sicut Christus dixit ad Patrem, *Avertisti faciem tuam a me*, ita dicere potuisset, averti faciem divinitatis meæ ab auxilio humanitatis meæ, et sciens, et volens conturbatus sum.

10. Ad te Domine clamabo, et ad Deum meum deprecabor.

11. Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?

12. Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam.

Hæc omnia videntur accipienda pro tempore præterito, neque est insolitum, ut apud Hebræos futurum ponatur pro præterito. Itaque David in sensu historico dicit, se tempore tribulationis et periculi, clamasse ad Dominum, atque inter cætera allegasse, non esse utilem Domino mortem suam, quia mortuus non posset Deum laudare. *Ad te Domine clamabo*, id est, Cum te avertente faciem factus sum conturbatus, non desperavi de misericordia tua : sed ad te clamavi, et deprecatus, dixi, *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem*, id est, quid tibi Domine proderit effusio sanguinis mei, dum ego ab inimicis occisus, putrescam in sepulchro? Certe pulvis non confitebitur tibi confessionem laudis. Juxta sensum altiorem et propheticum, Christus in passione ad Dominum clamasse, et orasse, se dicit, quod impletum fuit, quando, ut Apostolus loquitur ad Hebr. 5. *cum clamore valido, et lacrymis, preces obtulit ad eum, qui posset eum salvum facere a morte.* Tunc igitur ait, *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* id est, quæ utilitas erit gloriæ Dei, et saluti humani generis in sanguine meo in cruce effuso, dum cæterorum hominum more, corpus meum in sepulchro putrescit et corrumpitur? Nam *nisi Christus resurrexisset, inanis esset fides nostra*, ut dicit Apostolus 1. Corinth. 15. et, neque ipse redivivus annuntiasset Apostolis veritatem Dei, neque homines mortales qui sunt ex se pulvis, et cinis, facti essent spirituales, et filii Dei, qui Domino confiterentur, et annuntiarent aliis hominibus veritatem, id est, fidelitatem et justitiam Dei. Denique possunt hæc eadem verba tribui singulis Electis, qui post lapsum in culpam, pœnitentia ducti, clamaverunt ad Deum pro remissione peccati, ut possent Domino confiteri, et annuntiare aliis peccatoribus veritatem promissionum Dei.

13. Audivit Dominus, et misertus est mei, Dominus factus est adjutor meus.

Ex hoc versiculo perspicuum est verba versiculi decimi recte explicata fuisse pro tempore præterito. Affirmat igitur Propheta tum in persona sua, tum in persona Christi, et Electorum, clamorem suum a Deo fuisse exauditum. In Hebræo legitur, *Audi Domine, et miserere mei, Domine esto adjutor meus.*

Sed eædem voces Hebraicæ יהוה היה עזר לי שמע יהוה וחנני *schemah* Adonai *vechoneni* Adonai *heich hozer li*, sub aliis punctis reddunt lectionem, quam nos habemus. Proinde certum est, Septuaginta Interpretes aliter legisse, quam S. Hieron. et Hebræi posteriores legerint : neque dubitandum est, Septuaginta Interpretum auctoritatem in iisdem vocibus legendis prævalere debere.

15. Convertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia.

Hic est effectus exauditionis. David ex misero exule Rex potens effectus; Christus ex mortuis resurgens, et de ipsa morte triumphans. Electus quisque ex valle lachrymarum ad patriam cœlestem perveniens justissime dicit, *Convertisti planctum meum in gaudium mihi.* In Hebræo, pro, *in gaudium*, est in chorum, sed per chorum Hebraice, *machol*, intelligitur instrumentum musicum. Sensus est idem: sed vox Hebræa videtur paulo elegantius respondere voci præcedenti, ac si Latine diceretur, *Convertisti planctum in cantum.* Quod sequitur, *Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia*, significat mutationem vestis lugubris in vestem lætitiæ convenientem. Dicit autem Propheta, *conscidisti*, et non exuisti, vel spoliasti, quia quod exuitur, remanet integrum; quod scinditur, destruitur, ut usui deinceps esse non possit. Itaque significatur hoc loco, saccus miseriæ, vel mortalitatis, et passibilitatis plane destructus, ut nunquam amplius usui sit futurus in Sanctis, ac multo minus in Christo, qui *resurgens a mortuis, jam non moritur*, ut dicitur Rom. 6.

15. Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar: Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.

Hic est ultimus finis gloriæ Christi, et Sanctorum omnium, laus Dei. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Illud, et non compungar, in Hebræo est, ולא ידום *velo iddom*, Psal. 83. *et non taceat*, ut sensus sit, ut gloria mea cantet tibi laudem, et gratiarum actionem, et nunquam taceat, nunquam cesset a laude: cui recte subjungitur, *in æternum confitebor tibi*, id est, semper laudabo, nunquam silebo. Sed quamquam hæc lectio satis cohæreat cum reliquis verbis, tamen idem vocabulum Hebraicum, ידום *iddom*, significat silere, et excidere sive succidere: et hanc significationem elegerunt Septuaginta Interpretes, et legerunt in prima persona, *et non compungar*, quod est idem cum eo, *et non succidar.* Est autem sensus, cantet tibi gloria mea, et non gemitus meus, ex timore mortis, vel peccati: vel, cantet tibi gloria mea, et non amplius compungar aculeo mortis, vel peccatis.

PSALMUS XXX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

IN FINEM, PSALMUS DAVID, PRO ECSTASI.

In hoc titulo nihil est novi nisi illa vox Ecstasis, quæ non habetur in Hebræo, et fortasse non est addita a Septuaginta Interpretibus, sed ab aliquo alio interprete: nam in quibusdam solum exemplaribus illam se invenisse Theodoretus testatur. Sanctus quoque Hieronymus eam non habet, neque in versione sua ex Hebræo, neque in commentario, ubi exponit versionem Septuaginta Interpretum. Quicumque illam particulam addidit, eam accepit ex versiculo 28. hujus Psalmi. *Ego autem dixi in excessu mentis meæ.* Significat autem ecstasis mentis excessum, cum animus intendit in rem aliquam, ut quasi corpus proprium deseruisse videatur. Oritur autem iste excessus, vel ex divina aliqua revelatione, quæ rapit mentem in arcanum aliquod intuendum, vel ex vehementi passione timoris, vel amoris. Hoc autem loco, videtur intelligenda ecstasis ex timore repentino, et maximo, quo David correptus fuit, cum audivit Absalonem filium, et omnem populum contra se conspirasse. Quæ historia habetur 2. Reg. 15. Videtur autem ad litteram Psalmus de Davide fugiente persecutionem Absalonis intelligendus, ut Theodoretus et Euthymius volunt. Sed potest etiam ad Ecclesiam inter persecutionem angustias gementem accommodari.

EXPLICATIO PSALMI.

1. In te Domine speravi, non confundar in æternum, in justitia tua libera me.

David rex fugiens persequentem Absalonem, omni humano auxilio destitutus, ad Deum recurrit, ac dicit, *in te speravi*, et ideo confido, quod nunquam frustrandus mea spe sim, quia tu omnipotens, et fidelissimus es. Igitur juxta hanc spem meam, *libera me in tua justitia*, id est, ob justitiam qua impios punire soles, et innocentes liberare.

2. Inclina ad me aurem tuam, accelera, ut eruas me.

Quia persecutio urgebat, et amici David 2. Reg. 17. per nuncios ei significaverant, ut non quiesceret; sed fugere perseveraret, nisi opprimi vellet; ideo petit velociter exaudiri, et de imminenti periculo erui.

3. Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii, ut salvum me facias.

Verba sunt clara, quia Septuaginta Interpretes exposuerunt verba metaphorica, quæ sunt in codice Hebraico היה לי לצור מעוז *heieh li latsur mahhos;* sic enim legitur ad verbum, *Esto mihi in petram fortissimam, et in domum munitissimam, ad salvandum me.* Vocatur autem hoc loco petra fortissima, vel saxea rupes in sublimi posita, vel domus sive arx fortissimis lapidibus constructa; et tunc verba sequentia erunt explicatio præcedentium, ut sensus sit: Esto mihi, o Deus, instar petræ durissimæ, id est, instar domus, sive arcis munitissimæ, in quam tuto confugere possim. Dicuntur autem omnia plane ad rem propositam aptissime. Nam David fugiebat per campestria deserti, ubi nulla erat arx in quam confugere posset.

4. Quoniam fortitudo mea, et refugium meum es tu: et propter nomen tuum deduces me, et enutries me.

Hic etiam exposuerunt Septuaginta metaphoras vocum Hebraicarum: sic enim legimus in Hebræo, כיסלעי ומיצודתי *chisalhhi umtsudathi. Quoniam petra mea, et munitio mea tu es*, id est, sis tu mihi loco arcis lapideæ, et munitæ, quoniam munitionem aliam habere non possum. Quod sequitur, *Et propter nomen tuum deduces me, et enutries me*, optime respondet historiæ. David enim ob repentinam fugam, neque quo iturus esset sciebat, neque unde alimenta conquireret: unde divina providentia factum est, ut ei Siba occurreret cum ducentis panibus, et centum alligaturis uvæ passæ, et duobus utribus vini. Itaque ait, *propter nomen tuum*, id est, in gloriam nominis tui deduces me ad locum tutum, et ad nutrimentum cibos providebis. Recentiores aliqui vertunt, *duces me, et deduces me:* quod mirum est, cum vocem Hebraicam, נהל *nahal*, non solum Septuaginta, sed etiam S. Hieronymus, tum hoc loco, tum in Psal. 23. significare velint, *enutrire*, vel *sustentare.*

5. Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi, quoniam tu es protector meus.

Non solum, inquit, duces me ad locum tutum, et ibi enutries, sed etiam liberabis de insidiis, quas veluti laqueum absconditum tetenderunt mihi: vocat enim laqueum, occultam conjurationem factam cum Absalone in Hebron contra se, nihil tale metuentem, neque cogitantem. Ad illud, *quoniam tu es protector meus*, additur, Domine, in textu Græco, sed supervacaneum esse affirmat S. Hieron. in epist. ad Suniam et Fretellam.

6. In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me Domine Deus veritatis.

Quamvis bona spe dixerit, *educes me de laqueo hoc*, tamen quia de vita nondum securus erat, addit, *in manus tuas commendo*, vel, ut habetur in Hebræo, אפקיד רוחי *aphkid ruchi*, et Græco textu, *commendabo spiritum meum*, id est, curæ tuæ commendabo vitam meam. Quoniam tu sæpe alias *redemisti me de morte*, Tu, inquam, Domine, *παραθήσομαι τὸ πνεῦμά μου, qui es Deus veritatis*, id est, Deus verissimus, vel Deus fidelissimus. Propter hunc locum suspicantur aliqui totum Psalmum intelligendum esse de Christo: ipse enim in Cruce pendens dixit, Luc. 23. *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Sed etiamsi Psalmus non intelligatur ad litteram de Christo, tamen potuit Dominus hæc verba de hoc Psalmo accipere, cum spiritum suum Deo Patri commendare vellet: quomodo etiam S. Nicolaus moriens, hunc Psalmum usque ad verba, quæ nunc exponimus, pronunciavit; et nos frequentissime iisdem verbis utimur. Certe verba illa ejusdem versiculi, *redemisti me Domine Deus veritatis*, non recte tribuuntur Christo, cum sit ipse Redemptor, non redemptus. S. Augustinus Christo tribuit priora verba, *In manus tuas commendo spiritum meum*: posteriora tribuit populo Christiano, *redemisti me Domine Deus veritatis;* vult enim S. Augustinus in hoc Psalmo frequenter mutari personas, et nunc loqui Prophetam, nunc vero Christum, nunc autem populum. Quod quidem recte, et pie dicitur, cum mystica explicatio quæritur: sed cum sensus litteræ investigatur, non videntur mutationes personarum intelligendæ, ubi non est distinctio, sive interpunctio, quæ notet finitam sententiam; hoc autem loco sine tali interpunctione continuantur verba totius versiculi in omnibus codicibus, Hebræo, Græco et Latino.

7. Odisti observantes vanitates supervacue.

8. Ego autem in Domino speravi, exultabo et lætabor in misericordia tua.

Reddit aliam rationem, cur in manibus Dei commendaverit vitam suam, quia videlicet Deus odio habere soleat eos, qui non sperant in suo adjutorio; sed in rebus vanis, quæ nullum auxilium adferre possunt. *Odisti*, inquit, *observantes vanitates*, id est, somnia, vel auguria, vel responsa dæmonum; quod fecit Saul qui consuluit pythonissam. Potest etiam nomine vanitatis intelligi industria, vel astutia humana, sive quodcumque consilium, et auxilium hominum, quod sine Deo, vel contra Deum nullas vires habet, ideo additur, *supervacue*, quia frustra nituntur homines in rebus vanis. *Ego autem*, inquit, non observavi, neque aspexi res vanas, ut in illis confiderem; sed *speravi in Domino*, et ideo *exultabo et lætabor in tua misericordia*, quia nimirum sperantes in Domino misericordia divina non deserit. Ex Hebræo legunt recentiores: *odivi observantes vanitates:* et vere vox Hebræa, שנאתי *sanethi*, significat odivi: sed Septuaginta, et S. Hieron. legerunt, שנאת *sanetha*, quod significat, odisti; proinde mutatio textus facta est post tempora S. Hieronymi. Sensus semper est verus, sed melius cohæret cum sequentibus nostra lectio; non enim recte conjungitur, *odivi vanitates*, cum illo, *ego autem speravi.*

9. Quoniam respexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus animam meam.

10. Nec conclusisti me in manibus inimici, statuisti in loco spatioso pedes meos.

Allegat præterita beneficia, ut gratum se ostendens, provocet Deum ad similia concedenda. Sensus est, *exultabo, et lætabor in tua misericordia*, quoniam pignus habeo misericordiæ, liberationem ex persecutione Saulis; tunc enim *respexisti humilitatem meam*, id est, abjectio-

nem, et afflictionem meam, hæc enim omnia significat vox Hebræa, עניי *hanii, salvasti etiam tunc animam meam*, id est, de angustiis, in quibus necessario hærebam, neque inde me eximere poteram. In Hebræo ad verbum est, ידעתי בצרות נפשי *iadahtha betsaroth naphschi. Scivisti angustias animæ meæ*, sed sensus est idem; voluerunt enim Septuaginta non verbum verbo reddere, sed utcumque sententiam explicare. Idipsum reperitur, vel explicatur sequenti versiculo: *Nec conclusisti me in manibus inimici*, id est, non permisisti ut Saul, qui me quærebat ad necem, voto suo potiretur, sed *Statuisti in loco spatioso pedes meos*, id est, fecisti ut ex angustiis, in quibus hærebam, liberatus, ambulare possem quocumque vellem, quasi in aperto, et libero campo constitutus.

11. Miserere mei Domine, quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, et venter meus.

Ex recordatione præteritorum beneficiorum orat pro futuris, et narrat calamitates suas. *Miserere mei Domine, quoniam tribulor*, id est, sicut alias cum tribularer misertus es mei, ita et nunc miserere mei, quoniam iterum me tribulatio invasit. Incipit deinde tribulationes præsentes enumerare. *Conturbatus est in ira oculus meus.* Illud, *in ira*, est ambiguum, nam potest intelligi de ira Dei, et de ira Davidis. Malim cum S. Augustino intelligere de ira Dei, constat enim ex lib. 1. et 2. Reg. Davidem in persecutione Absalonis, et in omnibus aliis persecutionibus nunquam excanduisse, sed mitissimum et patientissimum semper fuisse. Itaque sensus erit, *in ira tua*, qua peccatum meum punis, *conturbatus est oculus meus*, id est, oculus corporalis præ lachrymis caligavit, vel, oculus interior obtenebratus est, conturbata est etiam *anima mea*, dum timore magno concussa est, et denique conturbatus est *venter meus*, venter, inquam, interior animæ meæ, id est, memoria, quæ est receptaculum cogitationum. Ita breviter sanctus Propheta omnium trium animæ partium meminit, dum per oculum, intellectum, per animam, voluntatem, per ventrem, memoriam intelligi voluit.

12. Quoniam defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus.

Ad senium jam David pervenerat, et vere dicit *defecisse vitam suam in dolore*, id est, ætatem consumptam in continuo mœrore, *et annos in gemitibus.* Nam primis triginta annis persecutiones fere continuas passus est: deinde ad Regni gubernacula admotus, primis septem annis bellum gessit cum progenie Saulis: postea multa bella gessit tum cum vicinis nationibus, tum cum proprio filio. Denique ipsa gubernandi sollicitudo, si quis non perfunctorie, sed cum timore Dei serio fungi velit officio, gemere facit sub onere.

13. Infirmata est in paupertate virtus mea, et ossa mea conturbata sunt.

Præter afflictiones totius vitæ præteritæ, accessit hæc ultima tribulatio, in qua propter inopiam debilitatus vires pristinas amisit. Idem enim significat, *virtus infirmata est*, et, *ossa mea conturbata sunt*, nam per ossa intelligitur robur, sicut etiam per virtutem. Hæc ad litteram verissima esse, historia l. 2. Reg. cap. 15. 16. et 17. aperte docet. Fugit enim David sine ullo commeatu, et perrexit ad loca deserta, nec solum pedibus, sed etiam nudis pedibus iter fecit, unde postea ab amicis commeatu adjutus fuit. In Hebræo pro *paupertate*, legitur, בעוני *bahavoni*, iniquitate, et sic vertit S. Hieron. *infirmata est in iniquitate virtus mea*: sed Septuaginta non legerunt, עוני *havoni*, ut legit S. Hieronymus, sed, עני *honi*, in qua voce sunt eædem litteræ, una dempta, sed puncta diversa, et illud *iniquitatem*, hoc *paupertatem* significat. Uterque sensus est verus, nam etiamsi debilitas ex inopia alimentorum nata erat, tamen inopia illa ex iniquitate persequentium, et iniquitas persequentium ex peccato Davidis, quod eo modo puniebatur a Deo, sine dubio procedebat.

14. Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, et vicinis meis valde, et timor notis meis.

Explicat aliam calamitatem suam ex notissima persecutione exortam, quod videlicet cœperit despici a vicinis populis, qui audierunt tam turpem ejus fugam: et noti ejus, atque amici cœperint timere, ne si illi adhærerent, de vita periclitarentur apud Absalonem; si forte is victor evaderet. Quod attinet ad verba, illud *super omnes inimicos meos*, in Hebræo est, מכל צרריו *miccol zorerau*, sed Septuaginta, et S. Hieronymus legerunt per iota, צררי *zorerai*, quod potest exponi, ab *omnibus inimicis meis*, item, *apud omnes inimicos meos*: quæ ultima expositio placuit S. Hieronymo, qui vertit ex Hebræo, *apud omnes hostes meos*: et videtur etiam placuisse Septuaginta Interpretibus, nam verterunt παρὰ πάντας τοὺς ἐχθρούς μου; quod significat, *ad omnes*, sive *apud omnes*, sed lectio Latinæ editionis concordat cum secunda intelligentia vocis Hebraicæ, quæ est valde propria, idem enim est, *præ omnibus, et super omnes.* Prima intelligentia placuit quibusdam recentioribus, qui exponunt, *ab omnibus*, id est, propter omnes. Omnes intelligentiæ habent rectum sensum; itaque si legas, *super omnes inimicos meos*, sensus erit, *ego factus sum opprobrium vicinis, et timor notis*, magis quam unquam has miserias passi sint ulli inimici mei, quamvis impii et injusti; et sic exponit S. August. Si legas, *apud omnes inimicos meos*, sensus erit, scientibus et ridentibus inimicis factus sum opprobrium vicinis meis, et timor notis meis, et hanc expositionem sequitur Theodoretus. Si legas, *ab omnibus inimicis meis*, sensus erit, multitudo et sævitia inimicorum meorum effecit, ut essem opprobrium vicinis, et timor notis. Illa conjunctio, *et*, cum dicitur *et vicinis*, recte restituta est vulgatæ editioni, nam adest in Hebræo, et Græco, et legitur ab antiquis patribus.

15. Qui viderunt me foras fugerunt a me: oblivioni datus sum, tanquam mortuus a corde.

Declarat id quod dixerat, *et timor notis meis*, quasi dicat, multi ex notis meis, qui viderunt me ita fugientem, et afflictum, *foras fugerunt*,

id est, longe a me recesserunt, timentes vitæ suæ, si mihi jungerentur. Atque ita *oblivioni datus sum a corde*, id est, cor eorum non recordatur mei, neque de me cogitat, non secus ac si mortuus et sepultus essem, existimant enim de me jam actum esse. In Hebræo habetur interpunctio post particulam foras, hoc modo, *qui viderunt me foras*, fugerunt a me; et ideo quidam legi volunt, *foris*, non *foras*, (vox enim Hebræa, utrumque significat) et sensum esse volunt, *qui viderunt me foris*, id est, extra palatium nudis pedibus, capite discooperto, sine ullo insigni regio, *fugerunt a me.* Sed quanquam hæc etiam intelligentia recta sit, tamen non cogimur admittere interpunctionem Codicis Hebraici, בחוץ *bachutz*, quæ addita est a Rabinis, cum in Græco nulla sit interpunctio, et patres constanter legant foras, non foris.

16. Factus sum tanquam vas perditum, quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.

Nec solum, inquit, amici et noti obliti sunt mei, et me dereliquerunt: sed etiam apud vicinos, qui in circuitu habitant, contemptui habitus sum; quasi *vas perditum*, id est, confractum, ad omnia inutile, quod vel inde patet, quia ego ipse vituperantes me audivi. Videtur autem hoc loco Propheta mentionem facere vituperationis Semei, qui in faciem illi maledicere, et in eum lapides jacere ausus est; nimirum existimavit Semei Davidem a Regno ejectum nullius potentiæ deinceps futurum, sed tanquam vas inutile in cloacam projiciendum. Maledictio hæc describitur lib. 2. Reg. c. 16. Et quamvis in loco illo 2. Reg. solius Semei maledicentis mentio fiat, tamen credibile est plures alios eodem tempore male loquutos fuisse de Davide, ut verum sit, quod hic dicitur de *vituperatione* multorum. In Hebræo, pro, commorantium, est מגור *mogor*, quam vocem S. Hieronymus vertit congregationem, alii vertunt pavorem: sed potest commode etiam verti commorationem; nam verbum, גור *gur*, unde fit *magor*, significat *commorari, incolere, peregrinari*, etc. itaque sensus erit, *audivi vituperationem multorum, commorantium in circuitu*, id est, qui habent commorationem in circuitu: sed Septuaginta sententiam clarius vertere voluerunt, ideo posuerunt, *multorum commorantium in circuitu.*

17. In eo dum convenirent simul adversum me, accipere animam meam consiliati sunt.

Narrat Historia 2. Reg. cap. 17. post maledictionem Semei, consilium initum coram Absalone, de Davide occidendo, atque hoc est, quod in hoc versiculo commemoratur quasi dicat Propheta; dum in præsentia maledicor, et vituperantes me audio, in absentia mea consilium de me necando in Jerusalem initur.

18. Ego autem in te speravi Domine, dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ.

Ostendit vir Sanctus, inter tot angustias, se non despondisse animum; propterea quod spem suam non posuisset in auxilio fallaci hominum, sed in Deo omnipotenti, cui nemo resistere potest. *Ego autem in te speravi Domine*, quare? quia *dixi* in corde meo, *Deus meus es tu*, magnum habeo protectorem, sine cujus nutu nemo mihi vitam eripere potest. Nam, *in manibus tuis sortes meæ*, id est, sortes vitæ, vel mortis meæ non pendent a sorte, sed a manu tua, id est, a potentia et voluntate tua. In Hebræo habetur, בידך עתותי *beiadecha hethothai, in manibus tuis tempora mea:* et fortasse, quod nunc legimus in Græco, κλῆροι quod significat *sortes*, legendum esset, καῖροι quod significat *tempora.* Nam non desunt antiquæ versiones ex Græco, quæ habeant, tempora mea. Sic certe legitur in officio Missæ non semel, et in Psalterio Ecclesiæ S. Petri Romæ. Sensus autem est idem, nam, *in manibus tuis tempora mea* nihil est aliud, nisi a tua voluntate pendent tempora vitæ et mortis meæ, non vivam, nisi quamdiu tu volueris, neque moriar, nisi quando tu volueris.

19. Eripe me de manu inimicorum meorum, et a persequentibus me.

In hoc versiculo nulla est difficultas, et concordant omnes editiones.

20. Illustra faciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericordia tua, Domine non confundar, quoniam invocavi te.

Eandem petitionem inculcat, sed additis argumentis ad Deum flectendum appositis. *Illustra faciem tuam super servum tuum*, id est, ostende faciem tuam, sive respice in me, hæc enim omnia idem significant. Sicut enim propter peccata Deus nobis irascitur, et avertere dicitur faciem, sive nubem opponere, et nos non respicere; ita e contrario quando reconciliatur, dicitur convertere faciem, nosque respicere, et illuminare vultum suum super nos, ut nos luminosos efficiat. Petit igitur primum reconciliationem cum Deo, si forte adversus sit; et addit pro argumento, se servum ejus esse promptum ad ejus obsequium, et obedientiam. Addit deinde, *salvum me fac*, hoc enim sequitur post reconciliationem, ut salvum faciat, et liberet eum, cui reconciliatus sit, et adjungit argumentum, dicens, *In tua misericordia*, id est, non ob merita mea, sed ob misericordiam tuam. Addit postremo tertium argumentum, *non confundar, quoniam invocavi te.* Pertinet enim ab bonum, et fidelem Dominum, qui promisit auxilium confidentibus in se, ut non confundat eum, qui tanta fiducia ipsum invocare non cessat.

21. Erubescant impii, et deducantur in infernum, muta fiant labia dolosa.

Prophetica imprecatio est, et continuo adimpleta. Nam Achitophel, qui erat præcipuus consiliarius Absalonis, et consilium dederat perniciosissimum adversum David, dissipante Deo consilium ejus, confusus est, et non ferens confusionem suam, laqueo se suspendit, et sic ad infernum deductus est impius, *et muta facta sunt labia dolosa.* Habetur historia lib. 2. Reg. cap. 17. Vocatur autem Achitophel *impius*, quia filium ad necem patris concitabat: et labia ejus recte dicuntur dolosa, quia simulaverat

longo tempore, se amicum et fidelem Davidi, et postea oblata occasione perfidiam suam prodidit. In Hebræo, pro *deducantur*, habetur, ידמו *iddemu*, quod S. Hieronymus vertit, *taceant*: sed Septuaginta non videntur legisse ידמו *iddemu*, sed *iddecu*, quod significat *expellantur*, a verbo נדח *nadach*.

22. Quæ loquuntur adversus justum iniquitatem, in superbia, et in abusione.

Hæc verba conjunguntur in Hebræo cum superioribus in eodem versiculo: in nostra editione constituunt novum versum, sed quoad sensum pendent a superioribus: Declarant enim labia illa dolosa Achitophelis juste obmutescere debuisse; quia *loquebantur contra justum*, id est, contra Davidem, qui nullam injuriam fecerat, neque ipsi Achitopheli, neque Absaloni; et loquebantur *iniquitatem*, id est, consilium iniquitate plenum, *et hoc in superbia et abusione*, id est, cum maxima arrogantia, et *contemptu*. Pro abusione, tam in Hebræo, ובוז *vabuz* quam in Græco ἐξουδενώσει est vox significans *contemptum*; et sic legunt S. Augustinus, et Psalterium S. Petri. Proinde abusio in Latina editione, non est accipienda pro simplici abusione, sed pro ea quæ nascitur ex contemptu, sive pro ipso contemptu: dicitur enim Achitophel, hoc loco, *loquutus esse in superbia et abusione*, quia superbe contemnebat Davidem, et sic abutebatur ejus nomine.

23. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te!

24. Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.

Jam sanctus Propheta exauditum se sentiens, ac divina consolatione percepta, exclamat præ admiratione, *quam magna multitudo*, etc. In Hebræo solum habetur מה רב טובך *mah rab tobecha*, *quam multa bonitas*, sive *dulcedo*: sed Septuaginta explicare voluerunt admirationem Prophetæ, ideo dixerunt, *quam magna multitudo dulcedinis*, etc. Sed quia videtur quædam contradictio in his verbis, cum primo dicat, *quam abscondisti*, et deinde, *quam perfecisti in conspectu filiorum hominum*, ideo S. Augustinus conjungit illud, *In conspectu filiorum hominum*, non cum verbo, *perfecisti*, sed cum verbo, *qui sperant*, ut sensus sit: Deus abscondit multam dulcedinem timentibus se; quam eis daturus est in alia vita, nunc interim sinens eos angustiis premi; eam vero dulcedinem *perfecit sperantibus in se in conspectu filiorum hominum*, id est, iis qui libere ostendunt hominibus, se esse Dei servos, et sperare in Deo, et non timent confiteri id quod sunt. Theodoretus et Euthymius volunt conjungi illud, *In conspectu filiorum hominum*, cum verbo, *perfecisti*, et hunc sensum tradunt: Deus tempore tribulationis abscondit a timentibus se magnam dulcedinem, id est, mercedem, et præmia, ut eos exerceat: sed paulo post eamdem mercedem, et eadem præmia palam ostendit in conspectu filiorum hominum, ut servos suos bene sperare jubeat. Sic ad tempus Davidi abscondit dulcedinem, cum videlicet is fugeret filii persecutionem; sed paulo post perfecit illi suam bonitatem, cum eum reduxit in Regnum cum maxima gloria. Idipsum accidet omnibus justis, quibus nunc absconduntur præmia, sed in die judicii palam apparebunt. Potest adferri etiam alius sensus, *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te*, id est, vere multiplex est consolatio tua Domine, quam infundis intus in abscondito cordis timentium te, id est, eorum qui te colunt et diligunt, et filiali timore venerantur. Hoc est enim *manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit*, ut in Apocalypsi cap. 2. legimus. Hoc experiebatur qui dicebat, Psal. 93. *Secundum multitudinem dolorum meorum consolationes tuæ lætificaverunt animam meam*, et ille, 2. Cor. 7. *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Et si tempore tribulationis tanta est multitudo dulcedinis in corde militantis, quanta erit tempore gloriæ in corde triumphantis? *Perfecisti eis qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum*, id est, eam dulcedinem perfecisti, perfectam, cumulatam, copiosissimam infudisti in corde sperantium in te, qui videlicet renuunt consolari nisi in te: hoc autem totum fecisti *in conspectu filiorum hominum*, id est, ex adverso, sive ex opposito filiorum hominum, id est, quanto illi magis multiplicant dolores exterius, tanto tu magis multiplicas consolationes interius. Nam vox Hebræa נגד *neghed*, et Græca ἐναντίον proprie significat e regione, sive ex opposito, ut etiam notavimus in Psalmo 23. proinde, ut verbum Hebraicum concordet cum Latino, et Græco, illud, *in conspectu*, non tam referendum est ad visionem, quam ad oppositionem; illa enim dicuntur esse inter se in conspectu, quæ e diametro opposita se respiciunt. Sed et illud præterea verum est, hanc dulcedinem infundi in cordibus timentium Deum, *in conspectu filiorum hominum*, id est, videntibus et stupentibus filiis hujus sæculi, qui filios Dei suis persecutionibus vexant: nam quamvis filii hominum, id est, carnales homines non norint illam dulcedinem, imo ne suspicari quidem possint, qualis sit, cum palatum animæ nimis infectum habeant; tamen vident effectum ejus, dum intuentur, et obstupescunt patientiam, mansuetudinem, hilaritatem, et pacem Sanctorum. Sic igitur miro modo datur Sanctis abscondita quædam dulcedo in conspectu filiorum hominum; dum ea dulcedo in se latet, et in effectibus patet.

25. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, a conturbatione hominum.

26. Proteges eos in tabernaculo tuo, a contradictione linguarum.

Declarat modum quo sancti viri dulcedinem Dei in tribulatione percipiunt: id enim fit, cum Sancti per amorem et contemplationem rapiuntur in Deum, et in ipso Deo inveniunt domum refugii; juxta id quod hoc eodem Psalmo dicitur, *Esto mihi in Deum protectorem et in domum refugii*, qui enim in Deo delitescere norunt, nihili faciunt omnes tribulationes, ac si ad eos minime pertinerent. *Abscondes*, inquit, *eos*, videlicet timentes te, *in abscondito faciei tuæ*, id est, in loco abdito, quod est in facie tua: nam qui raptus est ad contemplandam faciem Dei, et qui se a Deo videri attentissime cogitat, quique observat nutus Dei; et qui pulchritudinem ejus considerans, accenditur in ejus amo-

rem, jam habitat in latibulo tutissimo a conturbatione hominum, id est, ab omni malo, quo homines conturbari solent. *Proteges eos*, id est, eosdem timentes te, *in tabernaculo tuo*, id est, in te ipso, in quo et tu habitas. Deus enim non habet aliam domum, sive aliud tabernaculum in quo capi possit, nisi seipsum; et qui per amorem et contemplationem in Deo habitant, altissimum posuerunt refugium suum, non accedet ad eos malum, neque flagellum appropinquabit tabernaculo eorum, ut dicitur in Psalmo nonagesimo. Proteguntur autem in hoc tabernaculo ab omni malo, non solum factorum, de quo dictum est in superiori versiculo, sed etiam verborum, quod hic dicitur *a contradictione linguarum;* quia nihil curant sermones hominum, qui Deum testem habent. Quod si facies Domini tam insigne latibulum sive tabernaculum est hominibus timentibus Deum, dum per speculum et in ænigmate cernitur: quid erit, quando videbitur sicuti est? tunc vere habitatio nostra erit in Hierusalem, quæ est visio pacis, de qua dicitur Psal. 147. *Qui posuit fines tuos pacem.*

27. Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita.

Quæ dixerat generatim de consolatione divina, quam viri justi in tribulatione percipiunt: applicat ad se, qui unus est ex illis, et inde gratias agit Deo. *Benedictus*, inquit, *sit Dominus*, *quoniam mirificavit*, id est mirabilem *misericordiam*, erga me ostendit, *in civitate munita*, id est, abscondens me in abscondito faciei suæ, quod est veluti civitas munitissima, ut jam mihi nihil nocere possit. S. Augustinus legit, *in civitate circumstantiæ*, in quo nescio quos Latinos codices sit sequutus. Nam vox Hebræa מבצור *matsor*, munitionem significat: vox Græca περιοχὴ *ambitum* designat; atque inde S. Augustinus *circumstantiam*, accepit: sed Theodoretus et Euthymius Græci auctores intelligunt per *ambitum*, mœnia, sive aggeres, quibus civitates muniuntur, ut sensus sit: *in civitate ambitus*, id est, in civitate mœniis, vel aggeribus munita. Et S. Hieronymus non solum in versione ex Hebræo, sed etiam in commentario, ubi exponit versionem Septuaginta, legit, *in civitate munita.*

28. Ego autem dixi in excessu mentis meæ, projectus sum a facie oculorum tuorum.

Accusat ipse se diffidentiæ, quam passus fuerat initio persecutionis. *Ego autem dixi in excessu mentis meæ*, id est, eo tempore, quo præ nimio terrore quasi mentis inops factus eram, dixi apud me, *Projectus sum a facie oculorum tuorum*, id est, non placet tibi, ut amplius regnem; vel ut diutius vivam, ideo abjecisti me a benigno aspectu tuo, et favore, atque auxilio tuo solito me destituisti. Extat dubitationis hujus vestigium in lib. 2. Reg. cap. 15. *Si invenero gratiam*, inquit, *in conspectu ejus*, *reducet me*, *si dixerit mihi*, non places, præsto sum, faciat mihi quod bonum est coram se. Pro voce, in excessu mentis, in Hebræo est בחפזי *bechophzi*, quod ad verbum significat, in festinando me, id est, dum *festinarem*, sive, in obstupescendo, et pavendo me, id est, dum obstupescerem et paverem: nam verbum, חפץ *chaphaz*, significat festinare, et obstupescere, ac pavere, et omnia sunt vera; nam David illud dixit, cum festinaret egredi ex Jerusalem, et pavore ac stupore correptus esset. Hunc stuporem Septuaginta verterunt, *ecstasim*, et Latini *excessum mentis.*

29. Ideo exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te.

Sententia perspicua est, ideo, inquit, ne differem de bonitate tua, cum me in tanta consternatione videres, continuo *exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te.* illud, ideo, posset etiam verti, vere, sive certe; est enim adverbium multa significans.

30. Diligite Dominum omnes sancti ejus, quoniam veritatem requiret Dominus, et retribuet abundanter facientibus superbiam.

31. Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.

Hortatur in fine Psalmi homines pios, qui similia patiuntur, ut non cessent diligere Dominum, atque in eo sperare, quoniam etiamsi ad tempus impii videantur impune grassari, tamen brevi pœnas acerbissimas dabunt. Illud, *veritatem requiret Dominus*, S. Hieronymus vertit, *servat Dominus*. Vox Hebræa אמונים על יתר *emunim hal iether*, utrumque significat, *veritatem*, et etiam *fideles*, et sensus in idem recidit. Illud *abundanter*, in Hebræo et Latino ambiguum est, utrum conjungi debeat cum verbo *retribuet*, an cum verbo, facientibus: sed ex Græco apparet conjungendum esse cum verbo facientibus; et eodem modo S. Hieronymus vertit ex Hebræo: *retribuet*, inquit, *his qui satis operantur superbiam*: et S. Augustinus, *retribuet his qui multum superbiunt:* eodem modo Theodoretus, et alii veteres.

PSALMUS XXXI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

IPSI DAVID INTELLECTUS.

Hic titulus indicat Davidi post commissum peccatum, per Dei gratiam apertos fuisse oculos mentis, ut intelligeret quam graviter deliquisset, quod antea carnali delectatione occæcatus, intelligere non potuerat. Indicat etiam idem titulus, Psalmum esse obscurum, atque ad eum penetrandum dono intelligentiæ opus esse. Jure hic idem Psalmus a sancto Gregorio, et aliis inter septem pœnitentiales numeratur, cum totus consumatur in peccato proprio deflendo, et in cohortandis hominibus ad pœnitentiam.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.

2. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum; nec est in spiritu ejus dolus.

Nemo melius novit quam dulcis sit sanitas, quam is, qui amissam deflet. Propheta David tunc primum vere agnovit quam dulce sit carere peccatis, quando amaritudinem peccati gustavit. Hæc est causa cur Psalmum pœnitentiæ ordiatur a laude indulgentiæ, et innocentiæ: hæc enim sanam reddunt animam, et opponuntur ægrotationi, quæ contrahitur ex peccatis. Incipit ab indulgentia, tum ut a minoribus ad majora progrediatur, tum quia illa erat recentissima ejus sanitas. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates.* Exclamatio est, et prædicatio boni, quod est indulgentia, quasi dicat: O quam sunt illi felices, qui posteaquam peccaverunt, non despiciuntur a Deo, sed per gratiam ejus excitati, convertuntur ad pœnitentiam, et perveniunt ad indulgentiam. *Et quorum tecta sunt peccata;* idem repetitur aliis verbis; nam peccata, cum remittuntur, *absconduntur*, et teguntur, ut nusquam appareant, sed de hac voce paulo post plura dicemus. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Transit ab indulgentia, quæ est multorum, ad innocentiam, quæ est paucissimorum, ac dicit: O vere beatus, ac felix quicumque ille est, qui nihil fecit, quod in peccatum reputari potuerit, cui proinde Dominus, cujus rectissimum judicium est, nihil omnino ad peccatum imputavit. Nec solum facto non peccavit, sed *nec dolus inventus est in spiritu ejus*, id est, neque verbo, neque cogitatione peccavit; spiritus enim ad utrumque spiritum referri potest, ad illum, quo sapimus, et dicitur cor, aut mens, et ad illum quo loquimur, et dicitur spiritus oris, sive labiorum. De priore dicit Apostolus, 1. Cor. 2. *Quis enim scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* De posteriore, 1. Cor. 14. *Orabo spiritu, orabo et mente, psallam spiritu, psallam et mente.* Porro innocentiam hoc loco intelligimus, non naturalem, vel operibus propriis sine dono Dei acquisitam, quæ nulla est; sed eam, quam Deus paucis quibusdam singularis gratiæ suæ dono impertivit, quibus ita remisit peccatum aliena voluntate contractum, id est, originale, ut non permiserit eos peccatum mortiferum propria voluntate committere; quod est genus excellentius remissionis. Proinde omnis innocentia annexam habet remissionem aliquam peccati, et de omnibus, Christo excepto, dici potest, *omnes peccaverunt, et egent gratia Dei.* Itaque Apostolus ad Rom. 4. hunc Psalmi locum adducit, ad probandum, neminem justificari ex operibus præcedentibus gratiam; et ait, *Et qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam, secundum propositum gratiæ Dei: sicut et David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus, beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata: beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* Quibus verbis Apostolus Prophetam exponit, ac dicit, Davidem non vocare beatos eos, qui propriis operibus justitiam adepti sunt; sed eos, quibus Deus per gratiam peccata remisit, justitiamque donavit. Porro videtur mihi Propheta singulares quosdam homines respexisse, cum ait, *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum, etc.* videlicet S. Job, qui de se ait c. 27. *Non recedam ab innocentia mea: justificationem meam, quam cœpi tenere non deseram: neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Item Abelem, Henoch, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, quorum nulla peccata in Scripturis leguntur. Fortasse etiam in spiritu prævidebat Jeremiam, et Joannem Baptistam in utero sanctificatos, et ipsam Deiparam Virginem excellentiori privilegio, a peccato originali, et ab omni actuali præservatam. Quod attinet ad verba, in Hebræo habetur in singulari, אשרי נשוי פשע *aschere neschui peschah, Beatus, cui remissa est iniquitas, et cujus tectum est peccatum:* sed mutatis punctis, potest legi, *beati quorum remissæ sunt iniquitates;* quam lectionem esse verissimam, satis magno argumento nobis est editio Septuaginta ab Apostolo confirmata. Rursus in codice Græco habetur, ἐν στόματι αὐτοῦ *in ore ejus,* pro eo quod est in Hebræo

ברוחו *berucho*, et in Latino in spiritu ejus : sed S. Hieronymus in epistola ad Suniam et Fretellam testatur, illud in ore ejus, esse ex translatione Symmachi; Septuaginta vero, et omnes alios Interpretes vertisse, *in spiritu ejus*, ut in Hebræo. Hæretici hujus temporis, tria falsa dogmata ex his versiculis statuere conantur : ac fortasse Spiritus Sanctus, ideo titulum fecit huic Psalmo, *intellectus*, quia prævidebat a multis perperam intelligendum. Dicunt igitur illi, justificationem in sola peccatorum remissione, non in justitiæ infusione consistere. David enim absolute dicit, *beatos*, id est, justos, *quibus sunt remissa peccata.* Addunt præterea hanc ipsam remissionem peccatorum, non esse remissionem peccatorum veram, sed imputativam, qua videlicet Deus non tollat peccata, sed tegat, et non imputet. Denique colligunt ex hoc loco, nullam esse necessariam satisfactionem post remissionem culpæ : quia si pœnam, quamvis temporalem exigeret Deus ab homine justificato, non vere diceret se non imputare peccatum : quomodo enim non imputat, si punit? Sed Propheta Sanctus, qui in titulo posuit, intellectus David, intelligebat omnino remissionem peccati non fieri a Deo sine infusione justitiæ, ac per hoc intelligebat per justificationis gratiam homines fieri ex impiis, non solum non impios, sed etiam vere justos : sicut enim sol corporalis non expellit tenebras, nisi lucem infundat; sic etiam sol justitiæ, et Pater hominum non remittit peccata, nisi per gratiam, sive justitiam, quam infundit. Quare sanctus Paulus ad Rom. 4. citans hunc locum Psalmi, *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*, ita loquitur. *Sicut et David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus* : quibus verbis Apostolus indicavit, in remissione, seu non imputatione peccati vere includi justitiam. Sed tam prior, quam posterior error adhuc apertius refellitur, declaratione vocum, tegi, et non imputari. Dicuntur enim peccata tegi hoc loco, non quod sint, et non videantur, sed quod abolita sint, et eorum loco justitia successerit: et ideo vere tecta sint, et abscondita etiam oculis Dei, cui nihil tegi, vel abscondi potest eorum quæ usquam extant. Quocirca idem Propheta, variis metaphoris utitur ad remissionem peccatorum significandam, ut quod uni deest per alteram suppleatur, sed illa præter cæteras insignis est in Psalmo 50. *Asperges me, Domine, hyssopo et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor.* Quo loco dicitur peccatorum remissio non solum tegere maculam, sed vere abluere, et non solum vere abluere, sed addere nitorem : nec solum tollere nigredinem, sed addere albedinem tam veram, ut nivis candorem superare dicatur. Quid est autem tollere maculam, et addere nitorem, nisi tollere peccatum, et infundere gratiam? quid auferre nigredinem, et ponere candorem, nisi auferre injustitiam, et donare justitiam? Quod idem legimus in primo cap. Isaiæ, *Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur, et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Porro sancti Patres Gregorius Nazianzenus, oratione in sanctum lavacrum, Augustinus, et Gregorius Papa in commentario hujus Psalmi; ut ostendant peccata tegi, non esse manere, et non videri, sed plane tolli, ut ideo non videantur, quia non sunt; dicunt peccata tegi a Deo in justificatione, quomodo vulnera teguntur emplastro a medico, per quod emplastrum ita vere curantur, et tolluntur, ut nusquam appareant. Origenes quoque libr. 4. in Epist. ad Rom. et Theodoretus in hunc locum, dicunt his vocibus significari, peccatum ita funditus eradicari, ut ne vestigium quidem remaneat. Jamvero quod attinet ad vocem imputationis, toto cœlo aberrant adversarii. Peccata enim non imputari in Scripturis sanctis est, non adscribi ad reatum, sive non referri in rationes, vulgo Italice dicimus, *Non si mettere a conto.* Sap. 12. *Quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti?* id est, quis exiget a te rationem, si perierint omnes homines? vel quis te ob hoc reum faciet? et Ezechielis 33. de peccatore pœnitente dicit Deus, *Omnia peccata quæ peccavit, non imputabuntur ei*, id est, non reddet rationem de eis, 2. Paralip. 30. *Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum, et non imputabit eis quod minus sanctificati sunt*, id est, facile condonabit, nec revera exiget rationem de eo quod minus parati sint, Job. 42. *Ut non imputetur vobis stultitia*, 2. Timoth. 4. *Omnes me dereliquerunt, non illis imputetur*, et in epist. ad Philemonem, *Si aliquid nocuit tibi aut debet, hoc mihi imputa, ego reddam*, id est, adscribe rationibus meis, ego debitor tuus esse volo. Cæterum duobus modis potest non imputari peccatum. Primo, si revera aliquis non peccaverit, et proinde nihil debeat : et hoc modo intelligitur id quod ex libro Sapientiæ citavimus, *Quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti?* Nam etiamsi perirent omnes homines, non culpa Dei perirent, proinde non posset hoc imputari Deo. Et eodem modo nos supra exposuimus verba Davidis, *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*, id est, qui nihil mali propria voluntate fecit, ob quod reus ac debitor sit coram Deo. Secundo, si peccatum remissum, et condonatum fuerit, ut jam non sit, quod imputetur, et sic intelliguntur omnes aliæ sententiæ supra citatæ : et sic etiam multi intelligunt locum Psalmi. *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*, id est, Beatus vir a quo Deus non vult exigere rationem peccati, quia jam illud remisit, et donavit; et hanc expositionem non rejicimus, sed superiorem anteponendam existimamus, quia melius continuatur cum verbis sequentibus. *Non est in spiritu ejus dolus.* Tertius modus imputationis, quem finxerunt hæretici, ut non imputari peccatum, sit peccatum quidem hærere in anima peccantis, sed non reputari peccatum a Deo, nullo exemplo Scripturæ probari potest, sed apertissime potius improbatur, cum Scriptura dicat, tum alibi, tum Psalmo 5. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium;* nam si Deus audit, et vult perdere iniquos, certe dum manet in eis iniquitas, imputatur eis peccatum. Et quis credat Deum justum judicem et qui non accipit personas, non imputare peccatum, sed imputare justitiam eo tempore, quo homo adhuc in sordibus peccati versatur, et quidquid agit, ex Lutheranorum placitis peccatum est? Pulchre sanctus Justinus Martyr in dialogo cum Triphone, refellens errorem similem errori Lutheranorum, ait, *Beatus vir cui non imputabit Dominus peccatum*, id est, cui pœnitenti Deus peccata remittet, non sicut prædicatis vosmetipsos fallentes, et alii quidam

vestri similes asseverant, etiamsi peccatores fuerint, modo Deum noverint, non reputabit eis Dominus peccata, hæc ille. Hoc quod diximus de non imputatione peccati, potest ostendi ex contrario de imputatione justitiæ. Nam imputari justitiam in Scripturis, non est reputari hominem justum, cum revera justus non sit; sed est reputari justum divino judicio, quod falli nequit, eum, qui verissime justus sit. Siquidem illud Genesis 15. *Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam*, quod allegatur ab Apostolo Paulo ad Rom. 4. et ab Apostolo Jacobo cap. 2. nihil aliud significat, nisi actum illum credendi fuisse in Abrahamo opus justum, et pro tali reputatum a Deo. Et illud Psalmi 105. *Stetit Phine, et cessavit quassatio, et reputatum est ei ad justitiam in generatione et generationem usque in sempiternum*, quid aliud significat, nisi zelum illum Phinees, quo interfecit impios quosdam, fuisse opus justissimum, et a Deo pro tali habitum, ut propterea confirmaverit filiis et nepotibus Phinees Sacerdotium in longissima tempora? Eodem pertinet illud quod est in cap. 4. adRom. *Ei qui operatur merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Quid enim hoc est, nisi mercedem juste deberi ei, qui operatur opus dignum mercede? non igitur imputari est reputari, ac si esset: sed reputari sicuti est. Et quod in eodem loco sæpius repetit Apostolus, *fidem reputari ad justitiam*, non significat fidem non esse, sed reputari justitiam: sed significat fidem per charitatem operantem verissimam esse justitiam, non ex operibus gratiam præcedentibus acquisitam, sed a Deo donatam et infusam, ideo pro vera justitia a Deo reputari et acceptari. Sic igitur peccatum non imputari, non significat, peccatum manere, sed non puniri: sed significat nihil esse in homine justificato, quod in peccatum reputari possit. Ex his facile intelligitur unico verbo solvi posse, quod Lutherani objiciunt de satisfactione; nam si non imputetur peccatum, quia innocenter aliquis vixit, non mirum erit, si nulla satisfactio requiratur ab eo, cui hoc modo peccatum non imputatur: sin autem non imputatur, quia remissum est per gratiam: tum si remissum fuerit quoad culpam et pœnam æternam, non imputabitur ad culpam et pœnam æternam, sed adhuc imputabitur ad pœnam temporalem: sicut factum videmus in David, cui dictum est a Propheta, *Dominus transtulit peccatum tuum a te, non morieris; sed quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, filius, qui natus est tibi, morietur.* Ubi videmus non imputari peccatum quoad mortem propriam, et imputari quoad mortem filii: et Davidem fuisse justificatum, et tamen debuisse dolorem magnum de morte filii tolerare, in pœnam peccati commissi. Quod si aliquando peccatum remittatur omnino quoad omnem pœnam, tunc etiam non imputabitur ad ullum reatum vel debitum.

3. Quoniam tacui inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.

Proposita beatitudine justificatorum, deflet miseriam suam, quasi dicat: Illi quidem sunt beati; sed ego miser sum, qui non solum innocentiam non servavi, sed longo tempore distuli per confessionem peccati indulgentiam quærere; et ideo post agnitam culpam meam, cœpi tam assidue clamare, et rugitu me ipse macerare, ut debilitata sint, et attrita ossa mea, id est, fere consumptum omne robur meum. *Quoniam tacui:* revera longo tempore David peccatum adulterii tacuit, imo multis artibus occultare conatus est, primo enim Uriam multis modis inducere tentavit, ut cum uxore propria dormiret; ut filius ex adulterio conceptus, ipsius Uriæ proprius putaretur. Et cum Urias ad domum propriam accedere nollet, adjecit David crimen homicidii; ut Uria sublato, et illius vidua in uxorem continuo ducta, partus, qui post novem menses expectabatur, crederetur esse Davidis non adulteri, sed mariti. Nec tamen vidua illa in uxorem assumpta, continuo David peccatum confessus est, sed expectavit ut filius nasceretur. Et ne tunc quidem peccatum deflere cœpisset, nisi a Propheta Nathan admonitus fuisset. Itaque annum fere integrum, et fortasse etiam diutius David in cœno peccati jacuit, et confessionem distulit. Propterea dicit, *quoniam tacui*, et non continuo peccatum confessus sum, sed abscondere, et occultare volui; ideo *inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die*, id est, post agnitum peccatum tota die pro indulgentia clamare cœpi, et tam diu, ac tanto affectu clamavi, ut ossa mea debilia et vetusta facta sint. Vox Hebræa, בלו *balu*, significat *inveteraverunt*, et etiam consumpta sunt, sive attrita sunt, ut vertit sanctus Hieronymus; proinde illud, *inveteraverunt*, non est referendum ad tempus, sed ad debilitatem: quomodo accipitur illud Thren. 3. *Vetustam fecit pellem meam*, id est, attritam, nigram, etc. Illud etiam, *dum clamarem*, in Hebræo ad verbum est, בשאגתי *beschaagathi*, *dum rugirem.* Ex quo intelligimus, clamorem illum fuisse clamorem doloris et compunctionis, qui recte rugitus dici potest; non autem clamorem exultantis in peccato, vel superbe jactantis peccata sua, ut aliqui exponunt. Neque putamus fuisse rugitum ex corporali morbo, ut alii volunt: non enimScriptura proditDavidem ægrotasse illo tempore; et aliquid sine Scripturæ testimonio affirmare, divinare est; sed rugitum pœnitentiæ, ut cum Theodoreto nos exposuimus.

4. Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua, conversus sum in ærumna mea dum configitur spina.

Multa mala propter peccatum Davidi contigerunt, nam filius natus ex adulterio infans mortuus est; et filia nomine Thamar ab Amon fratre per incestum polluta est, et idem Amon ab Absalone fratre occisus est, et Absalon adversus patrem dimicans, et ipse cæsus est: quæ omnia summos dolores Davidi attulerunt, ut 2. lib. Regum narrat historia. De his igitur divinis flagellis dicit, *Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua*, id est, assidue, sine intermissione flagella super me ingeminare non cessas: dicitur enim gravare manus super aliquem, qui non leniter eum, sed graviter percutit. *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina*, id est, propter hujusmodi flagella conversus sum ad cognitionem gravitatis peccati mei in ærumna mea, dum spina tribulationis configitur mihi, id est, tribulatio, atque ærumna mentis oculos aperuerunt, quos carnis illecebra et voluptas clauserant. Posset etiam

per spinam intelligi cum sancto Hieronymo stimulus conscientiæ, ut sensus sit, *conversus sum in ærumna mea*, dum stimulus conscientiæ pungit. In Hebræo et Græco additur, *mihi, dum configitur mihi spina*: ideo in Latino subintelligi debet. In Hebræo habentur alia verba atque alius sensus, *conversus est viror meus in siccitates æstatis*, id est, omnia mea bona perierunt, quomodo viror, et humor in æstate solis ardore siccatur et perit. Sed Septuaginta legerunt aliter, quam nunc habeatur in codicibus Hebraicis; nam pro, נהפך לשדי *nehephac lesaddi, conversus est viror meus*, legerunt, נהפכתי לשדי *nehephacti le soddi*, quod est, *conversus sum in ærumna mea*, et sic etiam legit sanctus Hieronymus, qui vertit ex Hebræo, *versatus sum in miseria mea*. Illud vero quod sequitur, בחרבוני קיץ *becharboni Kaits:* in siccitates æstatis, legunt Septuaginta, בחרבוני כוץ *becharboni Kots, dum adurit me spina*; quod idem est cum eo, quod nos habemus, *dum configitur spina*, dum enim configitur spina, certe adurit, et vastat, quod significat verbum, חרב *charab*. Itaque minima mutatione punctorum, et unius vel alterius litteræ similis, videmus inveniri posse lectionem, quam Septuaginta Interpretes habuerunt, veriorem autem esse lectionem, quæ erat in codicibus Septuaginta Interpretum, ea quæ nunc est in codicibus nostris, quibus Rabbini puncta addiderunt, dubitare non possumus.

5. Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi.

Ex conversione ad cognoscendam peccati magnitudinem, de qua dixit in versiculo superiori, factum est ut peccatum suum, non amplius taceret, neque occultaret, sed palam confiteretur Deo, et hominibus. In Hebræo habetur in futuro, אודיעתי *hodihhathi, cognitum faciam*, sed ponitur futurum pro præterito, cujus temporis est verbum, quod sequitur, כסיתי *chesithi, abscondi*. In Græco non habetur, *tibi*, sed in Hebræo habetur, et in Græco subintelligitur. Porro illud, cognitum tibi feci, non significat Deo fuisse ignotum, antequam David illud confiteretur, sed loquitur more humano. Judex enim etiamsi sciat delictum rei, quia ipse vidit fortasse illud committi; tamen non dicitur scire juridice, nisi reus ex testimonio plurium testium sit convictus, aut ipse reus aperte confiteatur, adactus fortasse ad confessionem per tormenta. Sic igitur Deus viderat quidem Davidem peccantem; sed volebat eum aperte confiteri; ideo flagella quasi quæstionem adhibuit. Tum vero David confiteri cœpit, nec ait solum *peccavi Domino*, quod ante flagella dixit privatim ad Nathan Prophetam, sed publice notum fecit Domino peccatum suum: id est, juridice confessus est, et per Scripturam Psalmorum toti mundo peccatum suum manifestavit: ideo verissime addit, et injustitiam meam non abscondi.

6. Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.

Ad solatium pœnitentium declarat ineffabilem Dei misericordiam, quam in se ipse expertus est. Quamvis enim Deus, *qui lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ*, 1. Joan. 2. summo odio prosequatur tenebras peccatorum, et nisi peccator resipiscat, paratus sit eum projicere in tenebras exteriores ad summum et sempiternum cruciatum: tamen ita propensus est ad ignoscendum, si quis ex corde pœnitentiam agat, ut ipsam etiam confessionem miserendo, et parcendo præveniat. Videtur respicere tempus illud, quo Nathan Propheta Dei nomine exprobravit illi peccatum suum; et ipse continuo compunctus, dixit, 2. Reg. 11. *Peccavi Domino, et Nathan subjunxit, Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris.* Videns enim tam subitam indulgentiam, cogitavit quod erat verum, remissionem peccati priorem fuisse ipsa confessione, sed non priorem interna contritione, in qua simul fuit odium peccati, amor Dei, propositum confidendi, et satisfaciendi: ait igitur, *Dixi confitebor*, id est, compunctus corde statui continuo confiteri *adversum me iniquitatem meam*, meque reum et peccatorem aperte fateri; et tu non expectasti vocem illam, qua dixi, *peccavi Domino*, sed ex paterna et ineffabili benignitate, *remisisti impietatem peccati mei:* quod ex Propheta tuo Nathan cognovi, qui ait, *Dominus transtulit peccatum tuum a te.* In Hebræo habetur, עון חטאתי *havon chatathi, iniquitatem peccati mei*, in Græco, *impietatem cordis mei*, et sic legunt veteres in commentariis, Augustinus, Theodoretus, Euthymius. Latinus Interpres videtur accepisse, *impietatem*, ex Græco, τὴν ἀσέβειαν τῆς καρδίας μου, *et peccati mei*, ex Hebræo. Sed omnia in idem recidunt, nam impietas cordis dicitur, quia corde concipitur: impietas peccati dicitur, quia peccando committitur. Idem etiam Davidis peccatum, et fuit iniquitas respectu Uriæ, et fuit impietas respectu Dei.

7. Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno.

8. Veruntamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.

Exemplo suo dicit Propheta multos futuros, qui discant orare Deum pro indulgentia peccatorum, ut hoc modo liberentur a magnis malis quibus aliquando peccatores involvendi sunt. *Pro hac*, Græci interpretes, Theodoretus, et Euthymius et cum eis S. Augustinus exponunt, *pro hac impietate*, quia impietas Græce et Latine, est generis feminini: sed vox Hebræa est generis masculini, et non concordat cum ea illud, *pro hac*, quod etiam in Hebræo est generis feminini, על זות *hal zoth*, ideo cogimur dicere, *pro hac*, significare, pro hac re, sive pro hoc: nam Hebræi utuntur genere feminino, pro neutro. Et posset etiam recte verti, *propter hoc*, sive *super hoc.* Itaque sensus erit, hac de causa, id est, quia tu tam clementer ignoscis pœnitentibus *orabit ad te*, id est fiduciam te orandi sumet *omnis sanctus*, id est omnis pius, omnis vere pœnitens, qui incipiens odisse impietatem suam, incipit induere pietatem tuam. Orabit autem, *in tempore opportuno*, id est, antequam tempus misericordiæ finiatur, dum hæc vita durat, dum ad pœnitentiam Deus invitat. *Quærite Deum*, inquit Isaias, *dum inveniri potest, invocate eum, dum prope est.* Isaiæ 35. Quod sequitur, duplicem habet sensum; unus est, orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno, *ut in diluvio aquarum multarum, aquæ illæ ad eum non appropinquent*,

id est, ut in die novissimo, quando veluti diluvium quoddam inundabunt super impios omnia genera pœnarum, et præterierit tempus opportunum orationis, et pœnitentiæ, tunc ipsi salvi sint ab ejusmodi pœnis. Hic sensus in Hebræo clarissimus est : sic enim ad verbum S. Hieronymus vertit, *pro hac orabit ad te omnis misericors tempus inveniens ut cum inundaverint aquæ multæ, ad illum non accedant.* Et hunc sensum sequitur Theodoretus, quamvis paulo aliter exponat, nimirum sic, *pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno, ut cum inundaverint aquæ multarum tribulationum, ad illum non accedant*, id est, illum non perturbent, sed illis omnibus superior sit, easque imperterritus perferat. Alter sensus est, *orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno*, et recte ac sapienter faciet, nam *in diluvio aquarum multarum, cum inundaverint mala super omnes impios in die novissimo, sicut inundaverunt aquæ diluvii temporibus Noe*, tunc *impii ad eum*, id est, ad Deum *non appropinquabunt* : non enim erit amplius tempus opportunum : Ideo Isaias ait, *Invocate eum dum prope est*, nam aliquando procul erit, ut ad eum appropinquare non possitis. Sic exponunt S. Augustinus, et alii. Uterque sensus verus est, sed prior videtur magis litteralis ; nam illud, *ad eum non approximabunt*, non videtur posse secundum litteram referri ad Deum, cum nulla sit facta mentio Dei in verbis præcedentibus. Itaque illud, *verumtamen*, pro copulativa particula accipiendum est, ut Euthymius recte monet ; et vox Hebræa, רק *rac*, non solum significat, verumtamen, sed etiam, certe, vere, etc.

9. Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me, exultatio mea erue me a circumdantibus me.

Accepta indulgentia, quoad culpam, petit etiam indulgentiam quoad pœnam, liberationem videlicet a tribulatione, in quam incidit propter peccatum. Videtur autem loqui de persecutione, quam patiebatur ab Absalone filio, de qua in toto Psalmo superiore loquutus est. Fortasse etiam loquitur de tentationibus dæmonum, quæ perpetuo nos circumdant et tribulant. *Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me.* Quasi dicat, non habeo tutum refugium, nisi in misericordia tua, quoniam undique deficiunt amici, et undique cingor ab inimicis : ideo tu qui solus es, *exultatio mea*, id est, causa omnis meæ lætitiæ, erue me ab hostibus circumdantibus me. In Hebræo habetur : *Tu es refugium meum ab angustia*, vel, *ab hoste, custodies me : exultationibus liberandi circumdabis me.* Sed manifeste apparet puncta Rabbinorum, et aliquam litterarum mutationem totum hunc locum perturbasse. Septuaginta Interpretes non legerunt, תצרני *tizzerini, custodies me, a* נצר *nazar*, sed, יצרני *izzereni*, obsidebit me, sive circumdabit me, *a* צור *zur*, et futurum ponitur pro præterito, ideo verterunt *quæ circumdedit me.* Neque legerunt, רני פלט *ronne pallet*, *exultationibus liberandi*, sed, רני פלט *ronni pallet*, *exultatio mea libera, sive erue.* Sanctus quoque Hieronymus ex Hebræo vertit, *laus mea*, unde legit, *ronni*, non *ronne*, ut hodie habetur in Bibliis Hebraicis. Denique non legerunt Septuaginta, תסובבני *tesobebeni*, *circumdabis me*, sed, מסובבני *misobebeni*, *a circumdante me.*

10. Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua gradieris, firmabo super te oculos meos.

Respondet Dominus orationi servi sui, ac pollicetur auxilium quod petebatur. Tria promittit : primo, prudentiam interiorem, ut possit cavere insidias hostium, et discernere amicos ab inimicis, dum dicit, *Intellectum tibi dabo*, id est, intelligentem, prudentem te faciam. Secundo, auxilium externum singularis providentiæ Dei, sive quo in multis periculis homines etiam prudentissimi versantur, et hoc significat illud, *instruam te in via hac qua gradieris* : Nam in Hebræo est, והורך בדרך זו תלך *vheoreca bederech zu telech*, *ostendam tibi viam per quam ambules*, in Græco vero, συμβιβῶ σε ἐν ὁδῷ ταύτῃ, *comitabor te in via*, sive, *simul tecum gradiar.* Ex quibus omnibus intelligimus aliud, *instruam te in via*, significare directionem et ducatum in omnibus actionibus. Dicitur enim Deus ostendere viam, et comitari nobiscum, ut dux itineris, quando auxilio gratiæ suæ facit, ne erremus in via morum, et ne in pericula, et insidias hostium, præcipue invisibilium incidamus. Tertio, perseverantiam in gratia, quod est maximum beneficium et proprium electorum Dei. *Firmabo*, inquit, *super te oculos meos*, non avertam oculos a te ; sed perseveranter et stabiliter oculo benignitatis te aspiciam, proinde auxilium internum prudentiæ, et externum providentiæ semper tibi aderit : In Hebræo habetur, deliberabo super te oculo meo, sive, ut vertit S. Hieronymus, *cogitabo de te oculo meo*, sed mutatio unius puncti, ex oculo meo, reddere potest, *oculis meis*, vel *oculos meos*, itaque in illa voce nulla est difficultas. Suspicor autem pro voce, איעצה *hihaza*, cogitabo, vel deliberabo, Septuaginta legisse, אעצום *ehatsom firmabo*, vel *roborabo* : quomodo enim fieri potest, ut viri doctissimi per verbum יעץ *iahaz*, quod significat, *deliberare, consilium inire, cogitare*, intellexerint firmare, et roborare ? Si tamen lectio Hebraica, ut modo se habet, cum Græca et Latina concilianda sit, oportebit subintelligere vocem, semper, ut sensus sit, *cogitabo semper de te oculo mentis meæ* ; quod est idem cum illo, *firmabo super te oculos meos.*

11. Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.

Hortatur nunc demum Propheta fideles omnes tam bonos quam malos, ut ab exemplo suo discant mala, quæ consequuntur peccatum, et bona quæ consequuntur pœnitentiam et virtutem, ipse enim omnia expertus erat. Ac primum ad malos conversus dicit, *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus*, id est, nolite duci solis sensibus, cum ratione præditi sitis : nolite sicut equi et muli hinnire ad uxores proximi vestri, sicut ego feci : nolite tanquam indomiti, et feroces equi vel muli, pauperes, atque humiles morsu et calcibus impetere, ut ego adversus Uriam feci.

12. In camo et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.

Prædicit mala, quæ eos sequentur, qui equos et mulos imitari voluerint ; cogentur enim tribulationibus, vel ad Deum converti, vel certe

impedientur, ne noceant aliis quantum vellent. Sed more Prophetico hanc prædictionem exprimit David per modum imprecationis. *In camo*, inquit, *et freno maxillas eorum constringe*, *qui non approximant ad te*, id est, capistro, et freno quasi equos, et mulos coercebis, qui recusant, ut homines ratione præditi, sponte accedere ad te per obedientiam. Ridicule Calvinus contendit non esse legendum, *in camo*, sed *in lupato*, quasi multum intersit inter hæc vocabula, et quasi ipse sapientior sit Septuaginta Interpretibus, qui vertunt ἐν κημῷ; unde est nostrum, *in camo*, et S. Hieronymo, qui ex Hebræo vertit *in camo*, et S. Augustino, Theodoreto, et aliis veteribus, qui omnes legunt *in camo*. Porro camus funem significat sive capistrum, quo alligantur equi. Sed hoc loco metaphorica vocabula sunt *camus et frenum*, et ponuntur ad significandas calamitates et ærumnas, quibus Deus utitur ad coercendos homines a peccatis, id quod exponitur sequenti versiculo. In Hebræo habetur in singulari, עדיו *hedio maxillam ejus;* sed non solum Septuaginta, sed etiam S. Hieronymus vertit in numero multitudinis, *maxillas eorum*. Ex quo intelligimus puncta non recte in nostris bibliis ubique esse collata : nam secundum alia puncta, eadem vox significat, *maxillas eorum*.

13. Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Hæc est declaratio cami et freni, quasi dicat Propheta, peccator impœnitens, et qui complacet sibi in peccato, multis flagellis atteretur, tum in hac vita, tum in futura. Quamvis enim interdum peccatores florere videantur, tamen ipsum peccatum est gravissima pœna, quæ parit alias pœnas sine numero, sollicitudines, anxietates, timores, pericula, remorsum conscientiæ, et similia : neque his contentus Deus justus judex, multa alia flagella adjungit, et nisi peccator resipiscat, et oret ad Deum in tempore opportuno, sine dubio ad flagella sempiterna perveniet. Contra, justus, qui sperat in Domino, et non confidit in vanitate mortalium, ab ipsa misericordia divina undique circumdabitur, ut a nulla parte flagellum ad eum accedere possit. Porro misericordia divina fons est omnium bonorum ; ideo cum dicitur, *misericordia circumdabit sperantem in Domino*, significatur cumulus omnium bonorum quo abundantissime fruuntur, qui uni Deo adhærent. Nam, ut sæpe diximus, quid nocere potest ei, cui omnia cooperantur in bonum ? et cujus omnes passiones convertuntur in gloriam? Ideo recte concluditur Psalmus illis verbis.

14. Lætamini in Domino, et exultate justi, et gloriamini omnes recti corde.

Sicut in principio beatos dixit justos, ita nunc in fine eosdem hortatur ad lætitiam, quæ est etiam quasi ex oblico exhortatio ad perseverandum in justitia, ut perseverare possint in lætitia. *Lætamini in Domino et exultate justi*, id est, magnam habetis, o justi, materiam gaudendi, et exultandi : sed *in Domino*, qui vobis est causa tantorum bonorum, quibus affluitis : non est cur tristemini ob temporalia detrimenta, pro quibus rependetur vobis in æternitate mensura bona, conferta, coagitata, et supereffluens, et hic interim spiritualis consolatio non vos deseret. *Et gloriamini omnes recti corde;* idem aliis verbis repetitur. Nam gloriari, hoc loco, non est efferre seipsum laudibus, ut sonat vox Latina, sed est jubilare, ut sonat vox Hebræa, והרנינו *veharninu*, id est, cum lætitia laudare Deum, et non semel in Scripturis gloriari accipitur pro lætari, et exultare, ut cum dicit Apostolus ad Rom. 5. *Sed et gloriamur in tribulationibus*. Verbum quod proprie significat in Hebræo *gloriari*, habetur Psalm. 51. in principio, *Quid gloriaris in malitia?* Hoc autem loco non est idem verbum, sed aliud, quod significat *jubilare*. Per, *rectos corde*, intelligimus justos ; nam ex rectitudine cordis oritur rectitudo verborum et operum : illi autem sunt justi, quorum corda, voces, et opera, conformia sunt rectissimæ regulæ, quæ est lex divina : ex qua rectitudine fit, ut Deus placeat homini, et homo placeat Deo : et quidquid tandem volente, vel permittente Deo accidat homini, æquo animo accipiatur : atque ita sit in corde non solum justitia, *sed etiam pax et gaudium in Spiritu sancto*, id est, Regnum Dei, ut Apostolus interpretatur ad Rom. 14. proinde rectissime David ait, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*, etc. et, *Lætamini in Domino*, *et exultate justi*, etc. quia soli justi sunt beati, et vero solidoque gaudio perfruuntur.

PSALMUS XXXII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

PSALMUS DAVID.

Hic Psalmus caret titulo apud Hebræos. Illud autem, *Psalmus David*, positum est a Septuaginta Interpretibus, qui tamen disertis verbis admonuerunt, nullum se titulum in Hebraicis codicibus reperisse. Argumentum Psalmi, est, exhortatio ad justos homines, ut Deum laudent, ob ejus maximam potentiam, providentiam, et bonitatem : hortatur autem justos, tum quia non est speciosa laus in ore peccatoris ; tum quia potentia, providentia, et bonitas Dei ipsis potissimum justis utilissima est.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Exultate justi in Domino, rectos decet collaudatio.

Exultatio, quæ hic ponitur, significat laudem cum lætitia : S. Hieronymus vertit, *Laudate justi Dominum:* sed vox Hebræa, רנגו *rannennu*, utrumque significat; ideo planus sensus est, laudate cum exultatione, id est, laudate non inviti, non tristes, non negligenter, sed ex magno affectu, jubilantes, exultantes in cordibus vestris, laudate Dominum non solum animo, sed etiam voce. Reddit rationem cum addit ; *rectos decet collaudatio,* quasi dicat, vos justos invito potissimum ad laudandum Deum, quia vobis potissimum convenit laudare Deum. Per rectos intelligit justos, ut etiam diximus in fine Psalmi superioris. Sed congruit hoc loco, ut justi dicantur recti, quia rectis placet Deus, qui est ipsa rectitudo, et quod placet libenter laudatur. Distortis non placet Deus, cujus opera et judicia rectissima sunt, et ideo non quadrant voluntatibus iniquorum : inde iniqui et distorti non libenter Deum laudant, sed reprehendunt et blasphemant. Pro verbo *decet*, in Hebræo est nomen, נאוה *navah*, speciosa, et sensus est, in ore rectorum speciosa est laus : atque huc allusit Ecclesiasticus cap. 15. cum ait, *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Pro voce, collaudatio, in Hebræo est, תהלה *thehila*, et in Græco, αἴνεσις, *laus :* sed Latinus Interpres posuit, *collaudationem*, ut significaret debere justos non solum sigillatim, sed etiam conjunctim laudare Deum.

2. Confitemini Domino in cithara, in psalterio decem chordarum psallite illi.

Hortatur rursus justos, ut confiteantur Domino confessionem laudis, non solum voce, sed etiam instrumentis musicis, quæ erant in usu illius gentis. Mystice autem significatur, ut Deum laudemus non solum verbis, sed etiam operibus, ac præsertim perfecta observatione decalogi significati per psalterium decem chordarum, ut *videntes cæteri homines opera nostra bona glorificent Patrem nostrum, qui in cœlis est.* Matth. 6. Notant hoc loco Basilius et Augustinus citharam resonare ex parte inferiore, psalterium ex parte superiore. Unde colligitur Deum esse laudandum ex cognitione Dei, quæ habetur ex creaturis, unde existit sonus citharæ, et ex ea, quæ habetur ex revelatione divina in Scripturis sanctis, unde existit sonus Psalterii.

3. Cantate ei canticum novum, bene psallite ei in vociferatione.

Conjungit quasi per epilogum, quæ dixerat in duobus versiculis superioribus. Dixerat, ut voce laudaremus et instrumentis psalleremus : utrumque conjungit, et monet ut omnia accurate et diligenter fiant. *Cantate ei Canticum novum;* hoc pertinet ad illud, *Exultate in Domino*, etc. Jubet autem ut exultantes laudemus Deum cantico aliquo non usitato et veteri, sed recens composito accommodate ad rem præsentem. *Bene psallite in vociferatione*, pertinet ad id quod subjunctum est, *Confitemini in cithara,* etc. et jubet, ut hoc ipsum bene et accurate fiat et non frigide, ac summissa voce, sed magno cum sonitu, quo magnitudo affectus significetur. Itaque illud, *in vociferatione* non debet referri ad voces humanas, sed ad voces instrumentorum musicorum. S. Hieron. vertit, *in jubilo*, et S. August. legit, *in jubilatione.* Vox Hebræa, בתרועה *bithruhah*, significat *jubilationem :* vox Græca, ἀλαλαγμῷ, *geminatum clamorem.* Recte monent sancti Patres Basil. et August. canticum novum opponi cantico veteri. Canticum vetus est, quod solet canere homo vetus, qui *natus ex carne caro est*, et terrena sapit, ac in terrenis delectatur, et hic Deum laudat, cum bona temporalia ab eo recipit : at canticum novum canit homo novus qui renovatus spiritu mentis suæ, cœlestia sapit, et in æternis delectatur, et Deum semper laudat, etiam cum flagellatur, quia novit illa etiam cooperari in bonum. Sic etiam per illud, bene psallite ei in vociferatione, admonemur dum psallimus, bene facere hoc divinum opus, attente, devote, magno cum affectu, et cordis jubilo. S. Benedictus in regula sua monet, psalmodiam esse opus Dei, et ideo cæteris omnibus operibus anteponendam. Et S. Bernard. serm. 47. in Cantica :Vos, inquit moneo, dilectissimi, pure semper ac strenue divinis interesse laudibus. Stre-

nunc quidem, ut sicut reverenter, ita et alacriter Domino assistatis, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis et remissis vocibus muliebre quidquam balba de nare sonantes, sed virili, ut dignum est, et sonitu, et affectu voces sancti Spiritus depromentes.

4. Quia rectum est verbum Domini, et omnia opera ejus in fide.

Incipit explicare rationes, cur Deus sit tanto affectu laudandus, quæ sumuntur, ut diximus, a bonitate, potentia et sapientia ejus. De bonitate dicit, *Rectum est verbum Domini, et omnia opera ejus in fide*, id est, quia verba et facta Domini justissima, fidelissima, et sanctissima sunt: hoc est quod Psal. 144. aliis verbis dicitur, *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.* Verbum Domini intelligitur mandatum, prohibitio, promissio, comminatio, et hæc omnia rectissima, et fidelissima sunt: nihil enim jubet Deus nisi bonum, nihil prohibet nisi malum, et quod promittit, vel comminatur, fidelissime præstat. Ideo *rectum est verbum Domini, et fidelis Dominus in omnibus verbis suis,* Psal. 134. Opera vero Domini verbis conformia sunt: ideo *dicuntur esse in fide,* id est, fidelia, justa, sancta, et dicitur Deus *sanctus in omnibus operibus suis.* S. Basilius, et S. August. in commentario hujus Psalmi, per fidem intelligunt hoc loco fidem Catholicam, et exponunt, opera Dei dici esse in fide, quia ex operibus Dei, ut ex fabrica cœli et terræ inspecta, homines moventur ad fidem; ut videlicet credant in Deum opificem tanti operis: vel dicunt opera Dei omnia esse in fide, quia omnia opera bona, quæ Deo placent, sunt in fide tanquam in semine, vel radice, non enim placent Deo quæ fiunt ante fidem, sed quæ nascuntur ex fide. Ambæ sunt piæ, veræque sententiæ; sed non videntur litterales explicationes.

5. Diligit misericordiam et judicium: misericordia Domini plena est terra.

Sanctitas verborum et operum Domini nascitur ex sanctitate voluntatis: *Deus* enim *diligit misericordiam et judicium,* id est, amat primum largiri dona gratiæ suæ, et postea secundum opera uniuscujusque reddere præmia, vel supplicia, atque ita omnes viæ Domini misericordia et veritas. In Hebræo habetur, diligit justitiam et judicium, sed Septuaginta Interpretes, scientes confundi duas illas voces, צדק *zedech, et* חסד *chesed,* id est, justitiam, et misericordiam, sæpe vertunt justitiam, ubi legunt, *chesed,* et aliquando (ut hoc loco) vertunt *misericordiam,* ubi legunt, *zedech,* quod si interpretari velimus verbum Hebraicum ut sonat, dicendum erit in prima parte versiculi declarari bonitatem voluntatis divinæ ex parte justitiæ: in altera parte, nimirum *misericordia Domini plena est terra,* declarari eamdem bonitatem ex parte misericordiæ. Sed juxta nostram lectionem dicendum est in prima parte declarari bonitatem ex parte misericordiæ et justitiæ: in secunda doceri misericordiam latius patere quam justitiam, et esse, ut alibi dicitur Psal. 118. *Super omnia opera ejus,* nam ad misericordiam pertinet tollere miseriam, et defectum: nihil autem est quod non indigeat misericordia Dei, cum omnia omnino creata defectum aliquem patiantur. Sed res corruptibiles, quæ sunt infra Lunam, tanto plures, et majores defectus patiuntur, quam res incorruptibiles, quæ sunt supra Lunam, ut respectu corruptibilium non videantur incorruptibilia ullum habere defectum, ideo dicit Propheta, *Misericordia Domini plena est terra:* nam per terram intelliguntur omnia corruptibilia, terra enim sedes est non solum hominum mortalium, et animalium terrestrium, et omnium plantarum, sed etiam piscium, et avium, quamvis enim aves volitent in aere, et pisces perambulent semitas maris; tamen et illæ, et isti quiescunt in terra. Porro omnia corruptibilia egent multiplici misericordia Dei, creante, conservante, movente, nutriente, reparante. Sed homines mortales, præter ista omnia, egent misericordia præveniente, comitante, subsequente, indulgente peccata, armante contra dæmones, dirigente, protegente, etc. Itaque rectissime dicitur, *Misericordia Domini plena est terra.* Hoc loco illud etiam considerandum est, misericordiam perfectam, ad quam pertinet tollere omnes defectus, esse propriam solius Dei, quia non potest tollere omnes defectus nisi qui caret omni defectu, ac per hoc est infinitæ perfectionis, actus purus, æternus, omnipotens: itaque recte Ecclesia canit, *Deus cui proprium est misereri.*

6. Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

Transit a laude bonitatis ad laudem potentiæ, cujus primarius, et maxime conspicuus effectus, est fabrica cœli. Auget autem potentiam Dei, quod tantam molem non solum fecit, sed sine labore, sine mora temporis, sine ministris, sine machinis, solo verbo fecit, et eis æternam stabilitatem attribuit. Alludit autem Propheta ad creationem mundi, quæ describitur in primo cap. Gen. per ea verba, *Dixit Deus: Fiat firmamentum, et factum est firmamentum, et vocavit firmamentum cœlum.* In Hebræo habetur, בדמר יהוה שמים נעשו; *badmar* ADONAI *schamaim nahhaschu, Verbo Domini cœli facti sunt,* sed Interpretes verterunt, *firmati sunt,* ut declararent cœlos factos esse incorruptibiles. Quod sequitur, *et spiritu oris ejus omnis virtus eorum,* posset videri repetitio quædam. Nam *verbum,* et *spiritus oris,* idem fere sunt, et firmitas cœlorum pro eodem accipi posset, nisi in Hebræo esset vox צבאם *zenaam,* quæ significat *exercitus eorum* sive *ornatus eorum,* ut vertit S. Hieron. Septuaginta Interpretes, pro eodem accipiunt virtutem et exercitum, quia revera exercitus militum est virtus, id est, potentia, et robur Principis. Per virtutem, sive exercitum, sive ornatum cœli intelliguntur stellæ, quæ sunt veluti castrorum cœlestium acies ordinata, et simul mirifice cœlum ornant, et virtutes suas variosque influxus in hæc inferiora diffundunt. Quamvis autem per *verbum Domini, et spiritum oris ejus,* possit imperium Domini simpliciter accipi: tamen sine dubio Spiritus sanctus insinuare voluit per hæc verba mysterium sanctissimæ Trinitatis, quod tempore novi Testamenti revelandum erat. Neque movere nos debet, quod videatur Propheta creationem cœli tribuere Verbo, et creationem stellarum Spiritui sancto,

quasi Dominus Pater per Verbum cœlos fecerit, per Spiritum sanctum stellas. Nam propter unitatem essentiæ, quæ est virtus operatrix, indivisa sunt opera Trinitatis ; et ideo cum dicitur Deus Pater per verbum creasse cœlos, intelligitur non sine Spiritu sancto id fecisse : cum dicitur Virtus, sive exercitus cœlorum esse a Spiritu oris Domini, intelligitur esse etiam a Verbo, quod ab ejusdem Patris ore procedit, et a quo Verbo Spiritus ipse procedit.

7. Congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos.

Pergit explicare potentiam Dei, qui non solum cœlos et stellas Verbo fecit, sed etiam ea facilitate omnes aquas, quæ initio creationis mundi operiebant undique terram, coegit in loca inferiora et profundiora terræ, qua facilitate implet homo utrem unum aqua, vel recondit pecunias in arca, vel loculis. *Congregans sicut in utre aquas maris,* id est, congregans est, sive congregat Deus aquas maris in locum unum, ac si utrem impleret, id est, facillime, nulloque negotio. Idem repetitur sequentibus verbis, *Ponens in thesauris abyssos,* id est, ponit Deus abyssos, multitudinem videlicet, et profunditatem aquarum, quæ erant super terram, et pertingebant usque ad cœlum, ponit, inquam, omnem illam aquarum immensitatem in angustis terræ cavernis, ac si reconderet pecunias in thesauris. Abyssum esse aquarum multitudinem, quæ initio creationis erat super terram, perspicuum est ex 1. cap. Genes. *Et tenebræ erant super faciem abyssi.* Per thesauros, significatur aliquando copia rerum pretiosarum, auri, argenti, lapidum pretiosorum, ut eo loco, *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro;* aliquando significatur per thesaurum, locus ejusmodi rerum pretiosarum, ut arca, vel loculi, ut in verbis illis, *Omnis scriba doctus in regno cœlorum profert de thesauro suo nova et vetera,* Matth. 13. et de Magis legimus, apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham. In hac posteriore significatione accipitur hoc loco thesaurus. Dicit autem Propheta in tempore præsenti *congregans* et *ponens,* cum tamen ab initio hæc facta sint, quia Deus ita semper conservat, quod initio fecit ut vere dici possit semper id facere. In Hebræo pro *utre,* habetur נֵיד *ned,* quod acervum significat : sed Septuaginta, et S. Hieron. legerunt, נאד *nod,* quod *utrem* significat. Et hæc est verior lectio, et melius explicat congregationem aquarum in locum unum, id est, in cavernas terræ, quam Propheta significare volebat. In Hebræo et Græce deest propositio, *in*, et legitur, *Congregans sicut utrem aquas maris :* sed omnino subintelligitur, et recte habet nostra editio, *sicut in utre.* Et non deerant olim Græca exemplaria quæ haberent, *in utrem,* ut notat S. Basilius; et S. August. semper legit in utrem. Qui legunt, *sicut utrem*, existimant significari nubes, quæ intumescunt sicut utres, et postquam aquam effuderint, detumescunt : sed litteralis sensus est is, quem supra posuimus.

8. Timeat Dominum omnis terra : ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.

Ex iis quæ dicta sunt de potentia Dei, occasione accepta, David hortatur homines, ut Deum timeant, ejusque mandata prævaricari formident. *Timeat igitur,* inquit, *omnis terra Dominum*, tantæ potentiæ et majestatis : et mox explicat idipsum, dicens : *Omnes inhabitantes orbem* (hoc est omnis terra) commoveantur, id est, contremiscant ab eo Domino, videlicet aliquid jubente.

9. Quoniam ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt.

Quoniam ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt. Optima ratio, cur solus Deus timendus sit, quia videlicet quidquid est extra Deum nihil nobis nocere potest, nisi Deus permiserit : et contra, nihil est extra Deum, quod nos ab ejus ira defendere possit : omnia enim ab ejus nutu dependent, a quo habent, ut sint. Ratio autem, cur Deus omnia fecerit verbo est, quia verbum ejus plenum est potestate et auctoritate; ita ut sit mandatum atque imperium, cui nihil resistet : ideo adjungitur, *ipse mandavit, et creata sunt.* In Hebræo habetur ad verbum, הוא אמר ויהי *hu amar vaiihi; ipse dixit et fuit, ipse mandavit, et stetit.* Sed sensus est idem; significant enim verba Hebraica, *ipse dixit,* et omnis creatura facta est : *ipse mandavit*, et omnis creatura existere cœpit.

10. Dominus dissipat consilia gentium : reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum.

Venit tandem Propheta ad Sapientiam, ut ostendat omni ex parte Deum esse laudandum, *Dominus dissipat consilia gentium,* id est, ita supereminet sapientia Dei supra omnem omnium hominum sapientiam, ut quidquid homines consultando deliberant, quamvis consilia eorum sapientissima et prudentissima videantur, Deus in momento infatuare, dissolvere, irritum facere possit. Idem repetitur sequentibus verbis cum dicitur : *Reprobat autem cogitationes populorum,* id est, Deus reprobat tanquam stultas cogitationes populorum omnium : nec solum populorum, sed etiam ipsorum Principum, qui consiliariis in omni doctrinarum genere abundant, consilia, deliberationesque ut plane insipientes et inutiles reprobat. Et vere mirabilis est sapientia Dei, quæ sapientes in astutia sua comprehendit, et ineffabili ratione ita nonnunquam consilia illorum infatuat, ut quæ utilissima sibi esse judicant, et perniciem, et interitum illis adferant. In Hebræo non habetur illud, *et reprobat consilia Principum,* fortasse excidit injuria temporum, vel incuria librariorum.

11. Consilium autem Domini in æternum manet, cogitationes cordis ejus in generatione, et generationem.

Dominus quidem inscrutabili sapientia sua dissolvit humana consilia, ut finem sibi propositum non assequantur. Contra autem, humana prudentia nihil omnino potest adversus consilium Dei : quidquid enim semel decrevit Deus, stabile in æternum erit. *Omne consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet, dicit Dominus,* Isaiæ 45. Non est autem consilium Dei consultatio quædam præcedens electionem; neque sunt

in Deo multæ cogitationes, sed unico, et simplicissimo actu ab æternitate decrevit Deus, quidquid unquam facturus est. Sed Scriptura accommodat se nostræ imbecillitati nostrisque verbis utitur, ideo dicit, *Consilium Domini in æternum manet,* id est, quod Deus quasi consultando decrevit, nullo modo dissolvi potest, nec impediri quominus executioni mandetur. Idem repetitur aliis verbis, cum additur: *Cogitationes cordis ejus in generatione, et generationem,* id est, quæ Dominus cogitavit facere, nullo tempore impedientur, sed fient prorsus eo modo, quo ipse fieri voluit. Nec tamen ita se accommodat Scriptura nostræ infirmitati, ut non sit veritas in ejus verbis : nam etiamsi non est in Deo consilium præcedens electionem, tamen est in Deo quidquid perfectionis reperitur in consilio, cognitio videlicet omnium mediorum ad assequendum finem utilium : et quamvis in Deo una sit et simplicissima cogitatio, ea tamen æquiparatur innumerabilibus cogitationibus, quas in se eminentissimo modo continet.

12. Beata gens cujus est Dominus Deus ejus, populus quem elegit in hæreditatem sibi.

Ex iis quæ dicta sunt de potentia, sapientia, et bonitate Dei, colligit Propheta beatum esse populum, cujus Deus non est aliquod idolum inutile, sed ille potentissimus, sapientissimus, et optimus Dominus, cujus laudes explicatæ sunt : tunc autem vere perfecteque felices, ac beati sumus, quando et nos magnum illum Dominum pro Deo habemus, et ipse nos pro peculiari suo populo habet : ideo Propheta utrumque conjungit cum dicit, *Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus,* id est, beati sunt illi homines, qui pro Deo non agnoscunt, nisi unum illum Dominum, *cujus verbo cœli firmati sunt,* etc. et simul, *Beatus populus, quem elegit Dominus in hæreditatem sibi,* id est, beati sunt illi homines, quos ille idem magnus Dominus elegit in populum peculiarem, et quasi propriam possessionem et hæreditatem. Sunt autem ista duo ita connexa, ut separari non possint; illi enim soli Deum verum pro Deo suo habent, qui illum fide, et spe, et charitate colunt : illi autem soli Deum fide, et spe, et charitate colunt, quos ipse elegit in hæreditatem sibi, quos per gratiam præordinavit, vocavit, et justificavit. Vera prorsus et in imo corde recondenda sententia : nam quidquid homo habeat, etiamsi totum mundum lucretur, egenus et miser est, si Deo careat qui solus totum animæ sinum replere potest : et contra : qui Deum habet, etiamsi aliis careat, beatus et dives est, quia in Deo sunt omnia : præterea, imago Dei est homo; imaginis bonum, totaque perfectio est, exemplari suo simillimum esse : tunc autem vere similes Deo ac per hoc beatissimi erimus, quando *videbimus eum sicuti est,* ut dicitur 1. Joan. 3. nam et ipse Deus ideo beatus est, quia videt se sicuti est : Itaque qui Deum nunquam videbunt, semper Deo dissimiles, ac per hoc semper miserrimi erunt. Denique quidquid infra Deum est, vel est homine vilius, ut omnia corporalia, vel par, ut Angeli quibus in resurrectione æquales erimus : nihil autem nos perficere, felicesque ac beatos reddere potest, nisi quod est nobis melius, atque perfectius : igitur illi soli vere beati sunt, qui adhærent Deo, et unus spiritus fiunt cum eo, id est, qui diligunt Deum, et diliguntur a Deo, qui quidem hic interim spe beati sunt, sed reipsa beati erunt, quando tam felici vinculo inhærebunt Deo, ut ab eo excidere nulla ratione possint.

13. De cœlo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum.

14. De præparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram.

Probat quod dixit, beatam esse gentem cujus Deus est Dominus ille, qui fecit cœlum : probat autem ex eo quod cum Dominus de cœlo, tanquam altissima specula, videat homines, et cognoscat non posse ullum hominem propriis viribus salvum fieri, quamvis alioqui fortissimus aut potentissimus videatur; tamen Deus oculo paterno peculiariter populum suum respicit, et illum adjuvat, ac salvat, ut merito dictum sit initio Psalmi, *Exultate justi in Domino.* Ait igitur, *De cœlo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum,* (sive ut est in Hebræo) בני האדם *bene haadam, vidit omnes filios Adam,* id est, Dominus de cœlo a quo nihil occultari potest, non solum videt populum suum, sed videt omnes homines, et intelligit quid quisque possit. Idem vero significant verba sequentia, *De præparato habitaculo suo,* id est, de sede, quam sibi ipse paravit, et stabilivit (nam *cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum,* ut est in Ps. 113.) *respexit,* ac respicit omnes habitatores terræ. Sanctus Hieronymus ex Hebræo vertit, *de firmissimo solio suo,* pro eo quod nos habemus, *de præparato habitaculo suo :* sed verba Hebraica utramque significationem recipiunt.

15. Qui finxit singillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.

Declarat Propheta, Deum non vidisse de cœlo filios hominum, eo modo, quo nos videmus ea quæ sunt longe posita, confuso videlicet, et crasso modo; sed vidisse distincte et subtilissime omnia opera eorum, id est, quid possint operari, vel operentur, vel mente, vel corpore. Itaque vidit omnes cogitationes, omnia desideria, omnia dicta, omnia facta, præterita, præsentia et futura, omnium, et singulorum hominum. Et probat Deum hæc videre potuisse, quia ipse *formavit corda singulorum,* id est, creavit animas singulorum hominum, ac per hoc etiam creavit corda, hoc est, mentes et voluntates, a quibus omnia hominum opera oriuntur : qui enim corda fingere potuit, idem sine dubio corda scrutari potest. In Hebræo habetur qui finxit, יחד *iachad,* id est, *pariter,* corda eorum, sed illud, *pariter,* non significat eodem tempore, ut Origenes, et alii errantes crediderunt. Nam sanctus Leo in Epistola ad Turibium Asturicensem Episcopum cap. 10. docet, fidem Christianam habere, animas ante corpora non fuisse. Igitur illud, *pariter,* non refertur ad idem tempus, sed ad eumdem auctorem; ac si Propheta dixisset, *qui finxit omnia corda* nullo excepto : non enim unum cor ipse formavit, alia vero aliis formanda reliquit, sed ipse pariter omnia, ipse unus finxit omnia. In Græco, habetur καταμόνας, id est, *scorsim, sive solitarie :* quod sanctus Basilius refert ad cordis puritatem et

simplicitatem, ut sensus sit, qui finxit corda separata ab omni impuritate; sive, ut Euthymius addit, separata ab aliorum animantium natura. Sed videtur rectius intellexisse antiquus Latinus Interpres, qui vertit, *singillatim,* id est, seorsim singula, id enim magis congruit cum lectione Hebraica, et cum verbis sequentibus; dicit enim Propheta Deum formasse omnia corda, ut inde colligat Deum intelligere omnia opera eorum, hæc autem ratio id requirit, ut Deus formaverit omnia, et singula corda, non ut separaverit ab impuritate, vel ab aliis animalibus. Ex hoc etiam loco colligitur aliud dogma Ecclesiasticum, quod videlicet Deus non creavit quasi in confuso omnes animas, cum creavit animam primi hominis, quasi in illa fuerint omnes, et ex illa fiant omnes, sicut revera tunc creavit quodam modo omnes homines; quia in uno erant omnes, et ex uno fiunt omnes, quantum ad generationem carnis : sed creavit Deus singillatim omnes animas, non unam ex alia, sed ipse singulas ex nihilo distincte, ac separatim. Scio sanctum Augustinum in epist. 28. non existimare, ex hoc loco solide probari creationem animarum, quia in Psal. 50. dicitur, *Cor mundum crea in me Deus.* Sed responderi potest, in Psal. 50. tractari de sanctificatione, non de naturali creatione : hunc autem locum requirere, ut verba proposita de naturali creatione intelligamus; cum inde colligatur Deum omnia corda scrutari, quia omnia ipse formavit.

16. Non salvatur Rex per multam virtutem, et Gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.

Explicat quid viderit ille, qui omnia videt; videlicet hoc vidit, neminem propria virtute liberari posse a malis, quæ nos circumstant, sed egere omnes misericordia Dei : ponit autem exemplum in iis, qui videntur maxime de suis viribus posse gloriari, quasi dicat, Vidit Deus quod *non salvatur Rex per multam virtutem,* id est, non sufficit Regi ad propriam salutem, seu vitam tuendam, multa virtus, id est, multa potentia, multus exercitus, multa vis pecuniarum. *Et Gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ,* id est, sicut Regi non sufficit robur aliorum, qui illi serviunt; ita fortissimo viro non sufficit robur proprium. Non est in Hebræo nomen gigantis גבר *gibbor,* sed in genere nomen robusti et fortis viri : sed Septuaginta Interpretes posuerunt nomen gigantis, quia illi solent esse fortissimi, et cæteris hominibus formidabiles, ut de gigante Goliath legimus in primo libro Regum, cap. 17.

17. Fallax equus ad salutem : in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur.

Tria sunt, quæ possunt hominem eripere ab instanti periculo, vires alienæ ut custodiæ militares, vires propriæ, velocitas equi : illæ, si resistendum sit; ista, si fugiendum. Docuerat Psalmista, non sufficere duo priora, nunc addit neque tertium sufficere, et habemus exemplum omnium in libris Regum. Saulem enim Regem non potuerunt a nece defendere ingentes copiæ militares : Goliath gigantem robustissimum David puer occidit : Joram filium Achab veloci curru fugientem, sagitta velocior interemit. *Fallax equus ad salutem,* id est, fallitur qui confidit salutem suam velocitati equorum : velocitas enim illa multis modis impediri, vel præveniri potest, ideoque fallax est. *In abundantia virtutis suæ non salvabitur,* id est, equus in virtute sua, qua abundat, vel si ea maxime abundet, quæ virtus in velocitate consistit, non salvabitur cum sessore suo, id est, neque se, neque sessorem a periculo liberabit. In Hebræo habetur active, *non salvabit,* nimirum sessorem suum : sed idem verbum Hebraicum mutatis punctis fieri potest conjugationis passivæ, et eo modo legerunt Septuaginta Interpretes, quos Interpres Latinus sequutus est. Et quidem lectio, *non salvabit,* quam habet S. Hieronymus, clarior est. Lectio vero nostræ editionis, non salvabitur, requirit ut subintelligatur aliquid, videlicet, non salvabitur cum sessore suo : neque enim dubium esse potest, quin de salute hominis potius, quam de salute equi hoc loco agatur. Porro quæ dicta sunt de salute corporali, multo magis intelligenda sunt de salute spirituali, ad quam obtinendam nemo sufficiens est, sine præveniente, comitante, et subsequente gratia Dei.

18. Ecce oculi Domini super metuentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus.

19. Ut eruat a morte animas eorum, et alat eos in fame.

Concludit Propheta ratiocinationem suam, qua, ut supra diximus, probat beatam esse gentem, cujus Deus est Dominus. Nam videt quidem Deus omnes homines, et intelligit, quam parum possint, nisi ipse adjuvet : sed tamen peculiariter in homines justos dirigit oculos suos, ut eis de cœlo auxilium præbeat, tum ut a mortis periculo liberentur, tum ut commode sustententur in vita. *Ecce oculi Domini super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus,* per timentes et sperantes pulchre describuntur ii, qui vere sunt justi et amici Dei. Nam timor sine spe, timor servilis est, spes sine timore præsumptio est. Timor cum spe charitatem veram declarat, id est, amorem liberalem quo diligitur Deus, ut amicus, ut pater, ut sponsus : qui enim tali amore flagrat, et vehementer timet, ne dilectum offendat, et secure confidit, ac sperat, misericordiam dilecti sibi nunquam defuturam. *Ut eruat a morte animas eorum, et alat eos in fame.* Hæc est causa cur Dominus respicit oculo paterno timentes, et sperantes in se, ut videlicet hæc duo beneficia illis tribuat, liberationem a periculo mortis, et alimenta dum vivunt. Quia justi timent Deum offendere, liberat illos Deus a timore, ne offendantur, præsertim circa vitam, quæ est fundamentum omnium bonorum : quia sperant in misericordia ejus, præstat illis perpetuam misericordiam, dum alit eos in fame. Quæ duo beneficia possunt intelligi tam de salute corporali et temporali, quam de spirituali et sempiterna. *Eruit Dominus a morte animas,* id est, vitam, timentium se, dum singulari providentia liberat eos a variis mortis periculis, a quibus propria virtute sua, vel suorum liberari non potuissent. Deinde sic liberatos sustentat in vita, prospiciens eis de omnibus ad vitam necessariis, et

præsertim tempore famis, quo multi alii rerum omnium penuria laborant. Sed spiritualiter eruit animas eorum a morte, dum vel non sinit eos labi in peccatum, quod est mors animæ; et si forte peccaverint, mox illos per salubrem pœnitentiam ad gratiam, quæ est vita animæ revocat; et utroque modo animas eorum a morte sempiterna liberat. Viventes autem Deo per inhabitantem Spiritum Sanctum, alit in fame, dum in hoc deserto, per quod ad terram promissionis tendimus, deserto plane sterili, et inaquoso, alit Manna pluente de cœlo, et potat aqua de petra scaturiente, id est, cœlestibus consolationibus reficit, ac sustentat: alit autem, non satiat, et sitim temperat, non extinguit, quia saturitas servatur in aliam vitam, in qua satiabimur dum apparuerit gloria Domini, et inebriabimur ab ubertate domus Domini, et voluptatis torrente potabimur.

20. Anima nostra sustinet Dominum, quoniam adjutor et protector noster est.

Hactenus Propheta justos Dei servos allocutus est, eosque ad exultandum in Domino, et laudandum Deum, patrem indulgentissimum, et misericordissimum exhortatus est: Nunc introducit justos respondentes, ac dicentes: Anima nostra sustinet Dominum: intelligunt justi, quid spiritus sibi velit, cum eos ad exultandum, et laudandum invitat, nimirum intentionem Spiritus sancti esse, ut per hoc ipsi animentur ad perseverandum in justitia, et ad inhærendum Deo, neque ab eo recedendum ob quantascunque persecutiones, ac demum ad Deum laudandum, magis opere, quam verbis. Itaque respondent se tot beneficiis Dei confirmatos, constantissime in ejus timore, ac amore permansuros. *Anima nostra,* inquiunt, *sustinet Dominum,* id est, quidquid acciderit, non nos separabit a charitate Dei, neque ad alium consolatorem respiciemus, sed expectabimus patienter consolationem de cœlo, scientes scriptum esse Abac. 2. *si moram fecerit expecta eum, quia veniens veniet et non tardabit.* Dicitur autem anima sustinere Dominum, Hebraica phrasi, qua tribuitur animæ id, quod toti homini convenit, præsertim quando agitur de re spirituali. Sic dixit Isaias cap. 26. *Nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio animæ: anima mea desideravit te in nocte.* Et Hieremias Thren. 3. *Bonus Dominus sperantibus in se, animæ quærenti illum.* Et beatissima Virgo Lucæ 1. *Magnificat anima mea Dominum. Quoniam adjutor, et protector noster est.* Reddunt justi rationem, cur tam constanter Dominum expectare decreverint, quia videlicet sciunt, et experimento cognoverunt a Domino in bonis se adjuvari, et a malis protegi potentissime, et fidelissime.

21. Quia in eo lætabitur cor nostrum, et in nomine sancto ejus speravimus.

Posteaquam responderunt justi primariæ intentioni Spiritus sancti, respondent nunc secundariæ, quæ erat, ut exultarent in Domino, sicut in primis Psalmi verbis dictum est. Dicunt igitur se id facturos libentissime, *In eo lætabitur cor nostrum,* id est, *exultabimus in Domino, et in nomine sancto ejus speravimus,* id est quia *in nomine sancto ejus speravimus.* Nam quia speraverunt in Domino, adjuti ab eo, atque protecti sunt, et ideo experimento proprio edocti, quam bonus et potens Dominus sit, exultant in eo, et confitentur nomini ejus. Quod attinet ad verba, in Hebræo habetur, *quia in eo lætabitur cor nostrum, quia in nomine sancto ejus speravimus:* sed primum, *quia,* positum est, pro, *et,* vel pro, *certe,* vel vacat. Sicut contra in latina editione, illud, *et,* cum dicitur, *et in nomine sancto ejus speravimus,* positum est pro *quia.* Itaque clarissima lectio esset, et in eo lætabitur cor nostrum, quia in nomine sancto ejus speravimus. Porro sperare in nomine Domini, non est sperare in litteris, aut sono nominis, sed sperare in Domino per nomen significato: et habere videtur vim quamdam majorem hic loquendi modus, quam si dicatur simpliciter, sperare in Domino: nam sperare in nomine Domini, est sperare in ipso Domino nominatim, et proprie appellato; dicitur vero nomen Domini sanctum, quia dignum est, ut ab omnibus honoretur, et ideo summum scelus committitur, cum blasphematur.

22. Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in te.

Concluditur Psalmus per orationem, ut sæpe alias, et est oratio aptissime cohærens cum superioribus verbis, et cum toto Psalmo; quia enim aliquoties dictum est, Deum misereri sperantium in se, et justi dicunt se in Domino speravisse, et egent semper nova misericordia propter continua pericula, ideo concludunt, *Fiat misericordia tua Domine super nos,* id est, non cesset, sed perseveret, imo addatur semper nova misericordia super nos; *quemadmodum speravimus in te,* id est, sicut de tua bonitate futurum speravimus, et nobis ipsis promisimus.

PSALMUS XXXIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

DAVIDI, CUM IMMUTAVIT VULTUM SUUM CORAM ABIMELECH, ET DIMISIT EUM, ET ABIIT.

Hic titulus ad duas historias referri potest, quæ habentur lib. 1. Reg. cap. 21. prior historia narrat, Davidem fugientem a facie Saul Regis venisse ad Achimelech sacerdotem, atque ab eo panes et arma postulasse, neque ei indicasse fugam suam, sed simulasse secretum Regis negotium se habere, ob quod tantopere festinaret. Posterior historia refert Davidem confugisse ad Achis Regem Philisthæum, sed cum servi ejus Regis incitare cœpissent dominum suum in necem Davidis, tum Davidem insaniam et fatuitatem simulare cœpisse, atque ea ratione mortem evasisse. Theodoretus ad priorem historiam titulum refert : sed S. Basilius, S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Euthymius, referunt ad posteriorem. Et hæc est verior sententia, primo, quia in priore non immutavit David vultum, sed officium : in posteriore vero vultum immutavit, ut videretur esse, qui non erat : secundo, quia ubi nos legimus ; et dimisit eum, in Hebræo est, ניגרשהו *naigarescehu*, quod significat, *et expulit eum*, sive, *et projecit eum*, vel, *et repudiavit eum*, quod nullo modo convenit cum priore historia, sed tantum cum posteriore : non enim Achimelech sacerdos expulit Davidem, sed Achis Rex eum expulit, ut insanum et furiosum. Ex quo etiam refellitur sententia eorum, qui dimisit eum, sic intelligunt, dimisit David Regem Achis, vel sacerdotem Achimelech : non enim David dimisit, id est, expulit, sed expulsus fuit, et dimissus. Tertio, quia in hoc Psalmo David gratias agit Deo, quod ex magno periculo liberaverit eum : nullum autem periculum passus est David apud Achimelech, sed maximum apud Achis. Quarto, quia in titulo hujus Psalmi juxta Codicum Hebraicorum et Græcorum fidem, non habetur Achimelech, ut haberi deberet, si titulus priorem historiam respiceret : sed Abimelech. Et sic legunt et exponunt Basilius. Augustinus, et alii veteres, excepto Theodoreto. Latini etiam codices vulgatæ editionis. quos vidi, habent Abimelech, excepta editione Sixti V. in qua habetur Achimelech, quod vitio librariorum, vel impressorum factum videtur ; cum repugnet omnibus codicibus et facile fuerit errare ob vocum similitudinem. Cur autem Achis dictus sit Abimelech, rationem reddit S. Basilius, Abimelech erat nomen commune Regibus Philistinorum, sicut Pharao erat nomen commune Regibus Ægyptiorum, et Cæsar Imperatoribus Romanorum. Probat autem S. Basilius Abimelech fuisse nomen commune Regibus Philistinorum, ex cap. 20. et 26. Gen. Porro quod in titulo dicitur, *immutavit vultum suum*, in Hebræo בשנותו את תעאר *beschanutho eth tahhemo*, est, *immutavit sensum suum*, quod in idem recidit, nam immutare sensum, est hoc loco simulare stultitiam, et de viro sensato facere se insensatum, quod fecit David torquendo os, et oculos, et collabendo, et impingendo in ostia domus more ebriorum, et salivæ copiam emittendo ad similitudinem epilepticorum : hæc enim narrantur in primo lib. Reg. cap. 21. Argumentum Psalmi, est gratias agere Deo pro beneficio liberationis a periculo illo mortis imminentis, et hac occasione exhortari omnes ad amandum Deum, et sperandum in eo. Intelligebat enim vir pius suam illam omnem industriam, quam adhibuit simulando stultitiam, parum fuisse profuturam sine adjutorio, et favore divino.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.

Psalmus est Alphabeticus : incipit enim primus versus a prima littera Alphabeti, secundus a secunda, et sic de cæteris; quod videtur ideo factum, ut facilius memoriæ mandaretur, et sæpe a fidelibus cantaretur. Incipit igitur magno affectu gratias agere, quasi diceret : Nullo unquam tempore obliviscar beneficium hodiernum, sed pro eo, *Benedicam Dominum in omni tempore*, id est, quamdiu vixero : et idipsum repetens, *Semper*, inquit, *laus ejus in ore meo.* Itaque illud, *semper*, non significat omni momento, omni die, omni nocte, quasi nihil aliud agendum sit : sed significat id esse faciendum suo loco, et tempore, sed usque ad finem vitæ; imo etiam usque ad finem seculi cantabuntur Psalmi isti, et sic per alios benedicet Deum David in omni tempore. Potest etiam hic locus spiritualiter intelligi, quod justi semper Deum laudant, et cum beneficia recipiunt, et cum flagella patiuntur, juxta illud S. Job. cap. 1. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.*

2. In Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti, et lætentur.

Nec solum, inquit, ego benedicam Dominum ob hoc beneficium in omni tempore, sed etiam alii benedicent : quicunque enim hoc audierint, laudabunt me, quod tam mirabili arte eluserim illum Regem, et simul Deum laudabunt ac benedicent, qui me per illam artem de mortis periculo liberavit. *In Domino laudabitur anima*

mea, id est, ego laudabor ab omnibus, ad quos hujus rei fama pervenit; sed laudabor in Domino, ac per hoc laus præcipua referetur ad Dominum, qui singulari providentia sua mihi bonum consilium inspiravit, et juvit, ut felicem sortiretur effectum. In Hebræo תתהלל *thithallel* verbum *laudabitur*, est cujusdam conjugationis, quæ significat actionem in se ipsum, itaque secundum proprietatem vocis Hebräicæ, *laudabitur anima mea*, significat, anima mea laudabitur a se ipsa, id est, gloriabitur; et quia ponitur anima pro toto homine, sensus erit, ego ipse ob hoc factum mirifice gloriabor, non in me, sed in Domino, quo protegente et adjuvante periculum evasi. Admonemur ex hoc loco, non semper esse vitium gloriari, et facta propria laudare, sed tunc solum, cum vel gloriamur de re quæ laudem non meretur, vel non agnoscimus auctorem primarium omnium bonorum, Deum: *Qui gloriatur*, inquit Apostolus, 2. Corinth. 10. *in Domino glorietur, non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Quod sequitur, *audiant mansueti et lætentur*, significat ad eos proprie pertinere communicationem hujus lætitiæ, quibus similia pericula solent esse communia, quales sunt homines mites, et patientes: qui enim ejusmodi sunt, et sæpe a potentioribus opprimuntur, et facile Deum experiuntur adjutorem. *Audiant*, inquit, *mansueti*, humiles, Deum timentes, mei similes, quod mihi accidit, *et lætentur*, ac Dominum benedicant. In Hebræo sunt hæc verba temporis futuri ישמחו וישמחו *iischmachu veysmachu, audient, et lætabuntur*: sed quia imperativus apud Hebræos caret tertia persona, ad eam exprimendam utuntur Hebræi tertia persona futuri: proinde recte verterunt Græci et Latini interpretes, *audiant, et lætentur*.

3. Magnificat Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum.

Convertit sermonem ad ipsos mansuetos, quos jusserat audire, et lætari, atque illos hortatur, ut non solum singuli apud se Deum laudent, sed cum ipso conjuncti, pariterque uniti Dominum glorificent. *Magnificate Dominum mecum*, id est, Dominum, qui solus vere magnus est, magnum esse confiteamur: et eum, qui vere solus altissimus est, voce etiam nostra altissimum esse prædicemus, *et ejus nomen*, id est, notitiam, et famam, vel potentiam, et majestatem coram hominibus extollamus. Placet enim Deo valde, ut fideles non solum seorsim in cubiculis, sed etiam conjuncti in Ecclesiis *unanimes, uno more ipsum honorificent*, ut Apostolus monet ad Rom. 15. Illud, *in idipsum*, sæpe jam diximus nihil significare aliud, nisi pariter, una, conjunctim, etc.

4. Exquisivi Dominum, et exaudivit me, et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Explicat nunc Propheta causam, cur benedicere velit Dominum omni tempore: quia videlicet expertus sit eum liberatorem optimum, et potentissimum. *Exquisivi Dominum*, id est, cum angustiis premerer, ad Dominum confugi, ejus auxilium quæsivi, ad eum cum fiducia accessi, *et exaudivit me*, solita sua benignitate et misericordia, et effectus exauditionis in eo se prodidit, quod *liberavit me ex omnibus tribulationibus meis*, quasi dicere velit: conatus est me Saul Rex, et manu sua, et per satellites suos occidere, et protegente Domino manus ejus effugi: fugiens autem præ festinatione, neque arma, neque cibum capere potui, et continuo adfuit misericordia Domini, quæ mihi per Achimelech Sacerdotem panes, et arma providit: paulo post per imprudentiam incidi in manus Achis Regis Philistæorum, sed eodem inspirante, adjuvante, et protegente Deo, mirabili et insolita arte periculum declinavi. Itaque *ab omnibus tribulationibus*, quæ hucusque mihi acciderunt, *eripuit me* benignissimus Dominus, et amantissimus pater, Deus.

5. Accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur.

Hic jam incipit exhortatio pulcherrima et efficacissima ad amorem, et timorem Dei, et ad projiciendam in eum omnem sollicitudinem nostram. *Accedite ad eum*, vel, ut sonat vox Hebræa, *respicite in eum*, id est, quotquot in tribulatione estis, *accedite* per fidem et orationem ad Deum, *respicite* in auxilium ejus, *et illuminamini*, id est, percipite lumen consolationis et lætitiæ, rejecta tristitia obnubilante: lux enim lætitiam significat, juxta illud Ps. 96. *Lux orta est justo, et rectis corde lætitia.* Potest autem altiore, et mystico sensu hic locus ita exponi. *Accedite ad eum* per conversionem, *et illuminamini* per gratiam justificationis: nam illuminatio divina vitam spiritualem confert; unde dicit Apostolus ad Ephes. 5. *Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus*: et Christus ipse ait, Joan. 8. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*: et in Psalmo 35. legimus, *Apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen*; ubi pro eodem ponitur, *Fons vitæ* et *fons luminis.* Denique ideo Baptismus apud veteres dicitur *illuminatio*, quia per eum homines mortui peccato regenerantur, et de tenebris mortis veniunt ad lumen vitæ. *Accedite* igitur *ad eum* per conversionem, et pœnitentiam, et ipse convertetur ad vos, et vultu suo lucidissimo, et maxime vitali, quippe qui Sol est increatus, et fons vitæ, *illuminabit* et *vivificabit* vos. *Et facies vestræ non confundentur*, id est, accedite securi, nolite timere repulsam, exaudiet, et excipiet vos; neque patietur rubore confundi facies vestras. Dicitur enim confundi facies, quando qui petit non impetrat, et ideo cum rubore discedit. Sic l. 3. Reg. c. 2. dicit Bethsabee Regi Salomoni, *Petitionem unam parvulam ego deprecor a te, ne confundas faciem meam.* In Hebræo, pro *accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur*, habetur, *respexerunt ad eum et illuminati sunt, et facies eorum non confundentur*; sed facile est videre quid Septuaginta legerint: nam illud, הביטו *hibbitu, respexerunt*, legerunt, הביטו *habitu*, respicito, quomodo etiam legit S. Hieronymus: quia vero accessus ad Deum per conversionem, est accessus oculorum interiorum, non pedum, ideo idem est *accedite, et respicite*, nimirum accedite oculo fidei, convertite faciem, respicite in Deum. Sic etiam illud, נהרו *naharu*, potest esse præteritum indicativi modi, et etiam imperativi: sæpe enim defectiva inflectuntur more

perfectorum. Certe non solum Septuaginta, sed et S. Hieronymus vertit eam vocem per modum imperandi : et quidem S. Hieronymus vertit, *confluite*, et Septuaginta, *illuminamini*, quia verbum, נהר *nahar*, et *confluere*, et illuminari significat; sed illuminamini magis cohæret cum præcedenti verbo, respicite, et ideo communiter est recepta versio Septuaginta Interpretum. Denique Septuaginta, et S. Hieronymus non legerunt פניהם *penehem*, facies eorum, sed פניכם *penechem*, *facies vestræ*. Itaque tota discordia Codicum Hebræorum a Græcis, et Latinis nascitur ex punctis male collocatis a Rabinis, vel ex libris minus correctis, quos nunc habemus.

6. Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum : et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.

Probat exemplo suo, secure accedendum esse ad Deum tempore tribulationis. Nam, inquit, *iste pauper*, David videlicet, omni ope destitutus, ita ut etiam panem a Sacerdote mendicaret, *clamavit* cum fide et fiducia, pulsavit ardenti prece ad ostium divinæ clementiæ, et *Dominus* continuo *exaudivit eum, et ab omni tribulatione liberavit eum.*

7. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos.

Probavit exemplo, nunc probat ratione, accedendum esse ad Deum cum omni fiducia. Ratio est, quoniam *Angelus Domini*, cui Deus ipse mandavit, ut custodiat homines justos, ut dicitur in Psalmo 90. cum videt hominem in periculo, continuo adest, et more castrorum circumdat protectione sua hominem illum, ut nihil ei nocere possit. *Immittet Angelus Domini*, subintelligitur, *ipse se, in circuitu timentium eum.* In Hebræo sensus clarior est : sic enim ad verbum legimus חנה מלאך יהוה סביב ליראו *chone maleach* Adonai *mabbib lireau*, *castrametatur Angelus Domini in circuitu timentium eum*, et eripiet eos. Mira potentia Angelorum, ut unus Angelus vicem exercitus suppleat. Ex quo sequitur, ut maxima securitas, et pax esse debeat in corde timentium Deum, qui tali custodia muniuntur.

8. Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus : et beatus vir qui sperat in eo.

Pergit in exhortatione, et quia dixerat, accedite ad eum, et probaverat exemplo, et ratione, esse accedendum ad Deum tempore tribulationis : nunc hortatur ad experiendum, ut etiam ipsi proprio experimento discant rem ita se habere. *Gustate,* inquit, *et videte, quoniam suavis est Dominus*, id est, experimentum sumite, facite periculum, incipite reipsa jactare in Deum omnem sollicitudinem vestram, inhærendo illi, dimissis omnibus consolatoribus aliis : *et videte,* id est, cognoscite, quoniam dulcis est Dominus omnibus inhærentibus sibi. Et vere, quid suavius fingi potest, quam animum præditum charitate, conscientia bona, corde puro, fide non ficta requiescere in sinu summi boni? Vere *beatus vir*, *qui sperat in eo*, id est, qui pacem habet ad Deum, et certa spe recumbit in eo. Sicut autem illud, *accedite, et illuminamini*, exposuimus altiore quodam sensu de insipientibus, qui illuminantur per justificationem : ita quod hic dicitur, *gustate et videte*, potest exponi de proficientibus, qui post regenerationem spiritualem incipiunt nutriri, et crescere, juxta illud S. Petri in epist. 1. cap. 2. *Sicut modo geniti infantes lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem : si tamen gustatis quoniam suavis est Dominus ;* ubi S. Petrus hunc locum Psalmi citat in eum sensum, quem nos modo persequimur. Sanctus etiam Paulus cap. 6. ad Hebræos, conjungit illuminationem cum gustatione cum ait, *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt quoque bonum Dei verbum*, etc.

9. Timete Dominum omnes sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum.

Post exhortationem ad experiendum quam dulcis sit Dominus, hortatur Propheta ad timorem Domini, id est, ad observantiam mandatorum, sive, quod est idem, ad perseverandum in justitia, et charitate Dei, quæ est fundamentum fiduciæ, per quam accedimus ad Deum, et gustamus beneficiorum ejus suavitatem. Rectissime etiam conjunguntur hæc verba superioribus secundum altiorem alium sensum : nam sicut accedendo incipimus, et gustando proficimus, ita timendo perficimur : non enim hic agitur de timore servili, sed de timore casto, et filiali, qui convenit sanctis et perfectis. *Timete,* inquit, *Dominum omnes sancti ejus :* timor enim iste includit perfectam charitatem, quia qui perfecte diligit, vehementissime timet, ne in aliquo dilectum offendat, et ideo diligentissime conformat se voluntati Dei, et servat in omnibus verbum ejus : qui autem sic servat verbum ejus, *in hoc charitas Dei perfecta est*, ut ait S. Joannes in 1. epist. cap. 2. De hoc timore dicitur Job 28. *Ecce timor Domini ipsa est sapientia :* Ecclesiastici 1. *Plenitudo sapientiæ est timere Deum :* et cap. 25. *Timor Domini super omnia :* et Isaiæ 11. dicitur de Christo, *Et replebit eum spiritus timoris Domini.* Denique Ecclesiastes ultimo, *Time Deum, et mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo*, quasi dicat, in hoc consistit tota perfectio hominis, et omne ejus bonum in hac vita, ut timendo Deum custodiat omnia mandata ejus ; et hoc significant verba sequentia in altiore sensu, *quoniam non est inopia timentibus eum,* sive, ut proprie significat vox Hebraica מחסור *machesor*, *non est defectus timentibus eum*, id est nihil deficit timentibus eum : hoc enim est esse perfectum, nihil ei deesse. Et vero quid potest deesse amico Dei, cujus sunt omnia ; cum amicorum omnia sint communia ? Quod si aliquando justissimis viris deesse videntur temporalia, vere tamen eis nihil deest, cum eis detur patientia, quæ longe melior est divitiis : neque dicitur proprie carere divitiis, qui divitias non desiderat, animus enim dives debet esse, non arca. Sed tamen idem Propheta, sive potius idem Spiritus sanctus, qui verbis suis instruit sapientes, iisdem verbis humiliore sensu acceptis, instruit etiam insipientes eosque hortatur, ut Deum timeant, quoniam non est inopia timentibus eum, id est, quoniam Deus temporalia subministrat servis suis, neque eos destituit tempore necessitatis. Et sunt in Scripturis, et in historiis de vitis Sanctorum exempla sine numero, quibus probatur, Deum mirabili providentia prospicere solitum esse servis suis ea, quæ ad vitam necessaria sunt.

10. Divites eguerunt et esurierunt : inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

Idipsum explicat comparando impios cum timentibus Deum, quasi dicat Propheta, non solum non erit inopia timentibus Deum, sed contra, erit inopia magna non timentibus eum, etiamsi divites antea fuerint. In Hebræo, pro *divites*, est כפירים *chephirim, leones*, sive *leunculi :* vocat enim Propheta divites impios, metaphorice leones, quod aliena rapiant. Dicit igitur divites impios non semel Deo ipsos puniente, ad extremam inopiam esse redactos. *Divites eguerunt et esurierunt*, id est, qui divites fuerunt, egere et esurire cœperunt, quia divitiæ instabiles sunt, et fallaces, et multis variisque periculis expositæ. *Timentes autem Dominum non minuentur omni bono*, id est, qui non in divitiis, sed in Deo spem suam positam habent, quales sunt, qui Deum timent, illi etiamsi pauperes sint, non minuentur omni bono, id est, non deerit illis ullum bonum : est enim phrasis Hebraica, et in Scripturis frequentissima, ut ponatur in propositione negante, *non omne*, pro, nullo. Nos diceremus, nullo bono minuentur, pro eo quod Hebræi dicunt, non minuentur omni bono. Sic in Psalmo 48. *Cum interierit non sumet omnia*, id est, cum interierit nihil sumet : sic in Apocalypsi cap. 22. *Et omne maledictum non erit amplius*, id est, et nullum maledictum erit amplius. Porrò illud, *divites eguerunt et esurierunt*, habet etiam alium sensum magis reconditum, quod videlicet ii, qui divitias temporales amant, quantumvis divitiis abundent, semper egent, et esuriunt; quia semper appetunt plura, quam habeant : *inquirentes autem Dominum*, quia rem infinitam quærunt, quæ major est ipsorum desiderio, juxta illud S. Joannis 1. epist. c. 3. *Major est Deus corde nostro : ii non minuentur omni bono*, quia summo bono inhærentes, in eo habent omnia bona.

11. Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos.

Posteaquam Propheta hortatus est homines ad timorem Domini, docet quæ sit utilitas hujus timoris, et in qua re timor iste sit positus. *Venite*, inquit, *ad me*, venite ad scholam Spiritus sancti, qua nulla utilior inveniri potest, *audite me*, vel potius Spiritum Domini per linguam meam loquentem. Sic enim David ipse loquitur l. 2. Reg. c. 23. *Spiritus Domini loquutus est per me, et sermo ejus per linguam meam. Timorem Domini docebo vos*, id est, docebo quanta sit utilitas timoris Domini, et quid sit iste timor Domini, ad quem, tanquam ad summum omnium bonorum tam sæpe vos in Psalmis, et tam vehementer exhortor.

12. Quis est homo, qui vult vitam : diligit dies videre bonos.

Explicat his verbis Propheta utilitatem, et finem timoris Domini, quo videlicet timor Domini pariat veram vitam, et dies bonos, id est, vitam felicissimam, quam justi prægustant in hoc seculo, dum *Regnum Dei, quod est justitia, pax, et gaudium in Spiritu sancto*, Rom. 14. in corde suo habent et in alio seculo perfecte possidebunt, quando absorpta erit mors in victoria. Quis, inquit, est homo qui vult vitam? quasi dicat, promisi me timorem Domini esse docturum ; nunc igitur adimpleo promissionem meam, ac dico finem timoris Domini esse, id quod omnes cupiunt, sed pauci assequuntur, videlicet, veram atque beatam vitam. Sed qui hunc finem assequi volunt, debent media assumere, quæ mox subjungam. Quis igitur est, qui vult vitam? id est, qui dicunt se velle vitam beatam ; et tamen non ingrediuntur viam, quæ ad illam ducit, non videntur vere ac serio velle vitam beatam, sed umbram solum, et imaginem vitæ : ideo interrogo, quis est, qui vere ac serio vult vitam veram ? quis vere diligit videre dies bonos, dies felices ac beatos? In Hebræo אהב ימים לראות תוב *oheb iamim lireoth tob*, habetur paulo aliter, *diligit dies ad videndum bonum;* et quamvis sensus idem sit, tamen potest fieri, ut in Codicibus antiquis fuerit in numero multitudinis טובים *tobim*, bonos, quod nunc est טוב *tob*, bonum : et quod legerint veteres, non per gerundium, sed per infinitivum illud, ad videndum : eadem enim vox apud Hebræos facit infinitivum et gerundium, unica littera superaddita in principio. Nam non solum Septuaginta Interpretes, sed etiam S. Hieronymus, et ipse S. Petrus in epist. 1. cap. 3. legit, *dies videre bonos*, non autem *dies ad videndum bonum*.

13. Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum.

14. Diverte a malo, et fac bonum, inquire pacem, et persequere eam.

Docet jam sanctus Propheta, quibus modis timor Domini perducat homines ad vitam, et dies bonos, ac dicit, perfectam observationem mandatorum Dei, sive abstinentiam ab omni peccato, verborum, operum, et cordis, esse rectam viam ad vitam, juxta illud Domini, Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, hæc autem legis observatio et fuga omnis peccati a Dei timore proficiscitur : proinde timor Domini est, qui per legis observationem ad veram vitam, diesque bonos pervenire nos facit. *Prohibe linguam tuam a malo*, id est, cave ne Deum offendas peccato linguæ, mentiendo, pejerando, detrahendo, rixando, etc. Incipit autem a peccatis linguæ, quia sunt frequentiora, et difficilius caventur : propter quod S. Jacobus ait cap. 3. *Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir. Et labia tua ne loquantur dolum*, prohibuit generatim omnia peccata linguæ, sed voluit etiam in specie prohibere perniciosa mendacia ; quia sunt multo graviora cæteris, et ex quibus multa alia oriuntur. *Diverte a malo et fac bonum :* a peccato linguæ transit ad peccata operis, et primum monet ut vitentur peccata commissionis, cum ait, *Diverte a malo*, quale est homicidium, adulterium, etc. Deinde addit, *et fac bonum*, ut vitentur omnia peccata omissionis, qualia sunt, cum parentes non honorantur, cum Deus tempore suo non colitur, cum omittuntur eleemosynæ, orationes, jejunia, et similia bona opera. *Inquire pacem, et persequere eam.* Hic tandem adjungit, ut caveantur peccata cordis, iræ, odia, invidentiæ, et cæteræ parvæ animi affectiones : ut vera pax, et tranquillitas in omni negotio procuretur, et teneatur. Recte autem dicit Propheta, *inquire pacem*, quia boni viri officium est, non tam pa-

cem cum omnibus habere, quam optare et quærere : sæpe enim aliorum culpa pax obtineri non potest; ideo et Apostolus ait ad Rom. 12. *Quod in vobis est cum omnibus hominibus pacem habentes.* Et Propheta David in Psalm. 121. *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus.* Nec solum cum aliis, sed etiam nobiscum ipsi perfectam pacem habere non possumus in hac valle miseriarum. *Video enim*, ait Apostolus ad Rom. 7. *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Quamvis autem perfectam pacem nobiscum ipsi habere non possimus; tamen inquirenda pax est, domando membra jejuniis, et carnem spiritui subjiciendo, ut aliquando discat non repugnare, vel minus repugnare imperio mentis. Denique inquirenda illa pax est, totis animi viribus, quæ nos manet in cœlesti Jerusalem : qui enim ad pacem illam, ut par est, toto corde anhelant, facile contemnunt bona, et mala temporalia omnia, ac per hoc habent etiam in hoc mundo pacem ad Deum, quam unam respicit timor Domini filialis.

15. Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum.

Probat quod dixerat, observantes mandata Dei, et caventes peccata habere vitam, et dies bonos. Ratio autem est, quia Dominus perpetuo respicit viros justos, et semper exaudit preces eorum; quomodo enim non habebunt dies bonos, qui sub omnipotente custode vitam degunt? Nam si justi cognoscunt mala imminentia, et clamant ad Deum, inveniunt apertas, et intentas aures ejus : si forte non cognoscant, Deus pro illis vigilat, et liberat a malis plurimis, quæ justi ipsi nec vident, nec intelligunt: ad hoc enim sunt *oculi Domini super justos*, ut custodiat eos a malis, ad quæ ipsorum oculi non pertingunt. Mira Dei bonitas : quem non delectet tam bonum Dominum toto corde diligere, et filiali affectu timere? quis ista considerans, non clamet cum Propheta, *Confige timore tuo carnes meas?* et in alio Psalmo 1. *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum?* At non semper justi exaudiuntur a Deo : imo semper exaudiuntur : sed si non facit Deus, quod ipsi petunt, ideo non facit, quia non expedit eis. Medicus est, et si non exaudit, ut amara potio non sumatur, exaudit, ut per eam potionem morbus curetur.

16. Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.

Ex comparatione impiorum auget Propheta beneficium justorum, nam sicut oculi Domini super justos vigilant, ut eos custodiat: ita etiam *vultus Domini*, id est, oculus Domini (nam vultus in Hebræo dicitur, פנים *panim* a verbo, פנה *pana*, quod est aspicere) *vigilat super facientes mala*, id est, super iniquos, non ut eos custodiat, sed, *ut perdat de terra memoriam eorum*, id est, ut funditus exterminentur, et pereant, non ipsi solum, sed filii, et nepotes, et posteri omnes, donec eorum memoria penitus aboleatur. Hoc non semper fieri videmus, quia vel ipsi impii prius resipiscunt, quam tempus ultionis adveniat, vel filii, et nepotes non imitantur peccata parentum, vel alia de causa, justo Dei judicio differuntur ejusmodi pœnæ : sed Psalmus cantat id, quod ut plurimum fieri solet, et quod habetur in primo capite Decalogi. *Ego sum Deus tuus, fortis, zelotes, qui visito iniquitates in tertiam et quartam generationem in his qui oderunt me.* Exod. 20.

17. Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

Probat quod dixit, *Oculi Domini super justos, etc.* exemplis Patrum, quæ in sacris historiis leguntur, ut Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Mosis, Josue, Gedeonis, et aliorum, et forte etiam spiritu prævidebat et canebat liberationem Danielis de lacu leonum, Trium puerorum de fornace ardente, Susannæ de morte ad quam ob falsum crimen damnata erat, et aliorum plurimorum. Neque repugnant huic versiculo exempla Machabæorum, qui de tormentis, et morte liberati non fuerunt, sicuti nec exempla Apostolorum, et Martyrum, et ipsius Christi, qui ab inimicis et persecutoribus injuste supplicia gravissima pertulerunt. Isti enim verissime de omni tribulatione liberati sunt; qui ut Ecclesia canit, *Compendio mortis sacræ Vitam beatam possident.* Verissime etiam isti clamantes ad Deum exauditi sunt, quia dedit illis Deus aliquid melius, quam sit liberatio de temporali calamitate : dedit enim eis pretiosum patientiæ donum, et pro eadem patientia coronam gloriæ sempiternæ.

18. Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit.

Declarat modum Propheta, quo Deus justos de tribulatione liberat; et videtur pluribus verbis explicare quod brevissime dixit in Psalm. 9. *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum*, id est, cum ipso sum per patientiam in hac vita, *eripiam eum per mortis soporem, et glorificabo eum* per gloriosam resurrectionem. Ita nunc dicit, *Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde*, id est, justos, qui ob angustias, et persecutiones corde afflicto, et tribulato sunt, Deus non deserit; sed prope adest patientiam subministrans, consolationem cœlestem admiscens, ut fortiter sustinere possint : neque hoc diu durabit, nam paulo post *humiles spiritu salvabit*, id est, illos ipsos humiliatos et afflictos corde et spiritu (nam in Hebræo est רכאי רוח *rachee ruach, contritos spiritu*) ob gravitatem tribulationis eruet de omni angustia.

19. Multæ tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus.

Hoc pertinet ad illa postrema verba versiculi superioris, *humiles spiritu salvabit* : idem est enim ac si dixisset, *humiles spiritu salvabit*, et ita salvabit, ut etiamsi plurimæ sint eorum tribulationes, tamen de omnibus omnino liberabit eos. *Absterget enim Deus omnem lachrymam ab oculis eorum*, ut in Apocal. dicitur cap. 21. Hinc admonemur, non promitti fidelibus in hac vita carentiam inopiæ, morborum, ignominiæ, persecutionum, calumniarum, oppressionum; sed promitti consolationem spiritualem præsenti tempore, et plenam, atque perfectam liberationem in futuro. In Hebræo צדיק *tsaddik* habetur in singulari numero, *multæ tribulationes justi, et de his omnibus liberabit eum Dominus* : sed in sensu nulla est discordia : non enim Propheta

significare voluit, unius tantum justi multas esse tribulationes; sed uniuscujusque justi, ac per hoc omnium justorum.

20. Custodit Dominus ossa eorum, unum ex his non conteretur.

Videntur hæc ad resurrectionis gloriam pertinere, ad quam sine dubio pertinet quod in Evangelio Luc. 21. Dominus dicit, *Et capillus de capite vestro non peribit;* recte enim dici potest non esse confractum, quod statim post confractionem integrum, et fortius ac pulchrius repræsentatur. Quamvis igitur justorum ossa, et membra omnia dissipentur; et vel a feris devorentur, vel in mare projiciantur, vel ab igne consumantur, custodit tamen Dominus omnia illa in sinu providentiæ suæ, et nihil omnino ex eis peribit, sed integra omnia, et gloriosa in resurrectione restaurabuntur. Alii tamen exponunt hunc locum de ossibus interioribus, id est, de fortitudine animi, quæ in sanctis, in maximis etiam persecutionibus, Domino custodiente, non deficit.

21. Mors peccatorum pessima, et qui oderunt justum, delinquent.

Ne putarent impii, suos quoque cruciatus, et miserias in morte finiri : quod Athei, vel qui Dei providentiam, aut animæ immortalitatem non credunt, sibi falso persuadent, adjungit Propheta, *Mors peccatorum pessima,* quia videlicet initium erit cruciatuum æternorum, sicut mors Sanctorum pretiosa est, quia requiem, et gloriam inchoat sempiternam. *Et quia oderunt justum*, *delinquent*, id est, et ii qui justum vexant, et odio habent, omnes videlicet justorum persecutores, qui existimant se victores esse, et multum lucrari cum justo deprimunt, spoliant, occidunt; tandem *delinquent*, id est, aberrabunt a via veræ felicitatis, et dicent id quod legimus in lib. Sapientiæ, cap. 5. *Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus, quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia? transierunt illa tanquam umbra, etc.* In Hebræo pro illis verbis mors peccatorum pessima, habetur ad verbum, תמותת רשע רעכ *themuteth raschah rahas, interficiet impium malitia.* Et quamvis sensus sit idem, et sine dubio pessima sit mors eorum, quos malitia interficit, quia malitia non mortem solum temporalem, sed etiam sempiternam adducit : tamen omnino credibile est Septuaginta Interpretes aliter legisse, et ideo aliter transtulisse. Illud igitur, תמותת *themutheth* quod est verbum, et significat, *interficiet*; ipsi legerunt, תמותת *themuthath*, quod est nomen in regimine, et significat *mors.* Nam in Hebræo sunt litteræ omnes eædem, et sola puncta mutari debent, quæ a Rabinis addita sunt, et sæpe non recte. Posito autem nomine *themuthath*, sequens vocabulum non potest verti impium, sed *impii* sive *peccatoris*, et tertia vox non potest reddi malitia, sed mala, vel pessima, quamvis verbum Hebræum utrumque significet. Itaque recte Septuaginta verterunt, *Mors peccatorum pessima.* Quod sequitur, *et qui oderunt justum delinquent*, ex Hebræo multi vertunt, *et qui oderunt justum desolabuntur :* sed vox Hebraica utrumque significat *delinquere* et *desolari*, et refertur tam ad pœnam, quam ad culpam, sed quia Septuaginta verterunt, πλημμελήλουσι quod verbum *delinquere, peccare, errare* significat, et sanctus Hieron. ex Hebræo reddidit, culpabuntur, non debemus ab hac posteriore significatione recedere. Quia tamen delinquere potest accipi, pro eo quod est delinquere in alium, sive lædere, et nocere; et pro eo, quod est delinquere in seipsum, id est errare a scopo, sive deficere in cursu, et amittere bravium, hoc posteriore modo nos paulo ante accepimus, et exposuimus. Siquidem dubium esse non poterat, quin impii delinquerent in homines justos, sed dubium esse poterat an lædendo justos, læderent magis seipsos; et hoc Propheta affirmat dicens, *Odientes justum delinquent*, id est, nocentes justi sibi ipsi magis nocebunt, quia errabunt a fine ultimo, quem omnes homines desiderant, et qui solus beatos ac felices reddit possessores suos, et in hoc sensu *delinquent*, idem est quod, *desolabuntur :* nulla enim est desolatio major, quam amittere vitam æternam.

22. Redimet Dominus animas servorum suorum, et non delinquent omnes qui sperant in eo.

Concluditur Psalmus prædicendo justis contrariam sortem ei, quæ prædicta est impiis. *Redimet Dominus*, ab omni servitute, atque adeo ab omni malo, animas *servorum suorum*, cum eas de carcere corporis eduxerit, et ideo mors justorum optima, ut merito dixerit Balaam. *Moriatur anima mea morte justorum, et sint novissima mea horum similia;* Num. 23. *Et non delinquent omnes qui sperant in eo;* id est, et non errabunt a scopo, non deficient in cursu, pervenient omnino ad bravium supernæ felicitatis, *omnes*, qui non in suis viribus, sed in Deo confidunt. Est autem hoc loco advertendum, non satis esse, spem qualemcumque, sicuti nec fidem mortuam, ad vitam æternam obtinendam : sed hoc loco tribui spei adeptionem beatitudinis, quia sermo est de spe justorum, timentium et diligentium Deum, quam Apostolus Petrus vocat *spem vivam*, 1. Petri 1. Hæc plane spes et fiducia, quæ nascitur ex patientia, ex bonis operibus, ex testimonio conscientiæ bonæ juxta illud, *Patientia probationem operatur, probatio vero spem*, Rom. 5. et illud. *Qui bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent, et multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Jesu*, 1. Timoth. 3. et illud. *Si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum*, 1. Joan. 3. Hæc, inquam, spes viva et perfecta, recta perducit ad rem, id est, ad gloriam sempiternam, ut quod speravimus, aliquando possideamus.

PSALMUS XXXIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

Ipsi David.

Titulus nihil habet novi. Argumentum Psalmi videtur esse oratio Christi ad Patrem adversus persecutores suos, et corporis sui, quod est Ecclesia. Fortasse etiam, ut Theodoretus, Euthymius, et alii volunt, orat ipse David pro liberatione sua, et contra Saul Regem, aliosque persecutores suos. Sed quia Propheta erat, et de Christo, ut plurimum loquebatur in Psalmis, ut colligitur ex verbis Domini Luc. ult. ideo cum S. Augustino, et S. Hieronymo, sensum principalem ad Christum pertinere censemus.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Judica Domine nocentes me, expugna impugnantes me.

Propositio generalis est, qua petitur auxilium contra persecutores. Sed ex Hebræo textu sententia explicanda est. Siquidem in Hebræo habetur ad verbum רִבָה יהוה את יריבי *riba* Adonai *eth ieribai, Judica Domine judicantes me,* sive, *litiga cum litigantibus mecum.* Nam ab eadem voce formatur verbum et participium, seu nomen verbale : et quamvis Hebræa vox, רִיוה *rivah*, sit ambigua, et possit referri tum ad judicium, tum ad litem : tam Græca et Latina editio declaraverunt esse referendam ad judicium : Itaque sensus erit, *Judica judicantes me*, id est, justo judicio condemna eos qui me injusto judicio condemnarunt, quales fuerunt Principes Hebræorum, Annas, et Caiphas, et Principes Ethnici, Pilatus, et Herodes, qui Christum injuste judicarunt, et multi principes, qui sanctos Martyres iniquissimo judicio condemnarunt. Quod autem nos legimus, *judica nocentes me*, eumdem sensum habet : qui enim injuste judicat, sine dubio nocet. Et quia persecutores Christi et Ecclesiæ, videri volebant, quasi secundum leges, atque ex zelo justitiæ Christum et servos ejus morti adjudicare; revera autem non judices, sed hostes erant; et cum falsa pietate pro superstitionibus suis bellum gerebant; ideo subjungit Psalmus, *Et expugna impugnantes me :* vel ut clarius habetur in textu Hebræo לחם את לחמי *lechem eth lechamai*, et Græco ubi est similis allusio verbi, et participii, *pugna contra pugnantes mecum,* id est, suscipe causam meam, et bellum meum, ut expugnante te inimicos meos, ego manus eorum effugiam et victoriam referam.

2. Apprehende arma, et scutum, et exurge in adjutorium mihi.

Declarat illud, *expugna impugnantes me ;* et quia qui pugnat debet instructus esse armis, tum quibus repellat ictus adversarii, tum quibus adversarium feriat; ideo in hoc versiculo meminit armorum prioris generis, in sequente vero posterioris. Nam pro eo quod nos legimus, apprehende arma et scutum, in Hebræo est ad verbum, *apprehende clypeum, et scutum :* sed Græci et Latini Interpretes pro prima voce verterunt, *arma*, ne rem eamdem bis ponerent, sed per arma intellexerunt arma defendentia, et protegentia ; id enim omnium consensu significat, מגן *maghen*, a verbo גנן *ghanan* quod est *protegere.* Porro *clypeus*, *et scutum* Dei est bona ejus voluntas, juxta illud Psalm. 5. *Domine ut scuto bonæ voluntatis tuæ, coronasti nos.* Item æquitas sive justitia, Sap. 5. *Sumet scutum inexpugnabile, æquitatem.* Et quidem benevolentia Dei clypeus est, quo Deus nos protegit. Plane enim securus est, quem Deus amat, et de illo dici potest, *scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti eum.* Justitia Dei, quæ in Scripturis vocari solet æquitas, scutum est, quo Deus ipse protegit a judiciis, et calumniis hominum impiorum, quantumvis enim Deus severe, et atrociter impios puniat, semper justissime punit ; et ideo, non timet Deus jacula linguarum, vel judiciorum, juxta illud, *ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris*, Psalm. 50. Et de hoc dicitur, *Sumet scutum inexpugnabile, æquitatem,* quando videlicet Deus ad judicium novissimum veniet, et armabitur in ultionem inimicorum. Quare non sine causa bis hoc loco ponitur nomen clypei, sive scuti, quoniam utroque simul Deus armatur, cum et nos misericorditer protegit, et juste se ipsum defendit.

3. Effunde frameam, et conclude adversus eos qui persequuntur me : dic animæ meæ, salus tua ego sum.

Hic jam loquitur de armis ad lædendum aptis, et per frameam intelligit gladium, ut S. Hieronymus vertit, et sensus est, evagina gladium, et stringe illum contra persecutores meos. Illud enim, *effunde frameam*, significat facilem, et promptam gladii evaginationem, qualis est cum gladius politus, et levis est; tunc enim nullo labore eximitur, et quasi funditur e vagina : contra autem gladius rubigine confectus, vix

magno labore nudari potest. Illud autem, *et conclude*, intelligitur de conclusione gladii, qui manu acriter stringi debet, ut firmiter teneatur, et fortius feriat. Verbum enim Hebraicum, סגור *segor, claudere, et stringere* significat. Sed quia framea et vox Hebraica, חנית *canith*, et Græca romphæa non proprie gladium, sed spiculum vel lanceam significat: ideo potest etiam sic exponi hic locus, *Effunde frameam*, id est, jace spiculum, seu lanceam in hostes, *et conclude adversus eos, qui me persequuntur*, id est, claude viam, pone obstaculum, ne hostes accedant: Porro gladius, et lancea Dei est ira ipsius, id est, justitia vindicativa, qua impios punit. Sic enim legimus Deuteron. 32. *Si acuero ut fulgur gladium meum, et arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis:* et Sapient. 5. *Acuet diram iram in lanceam.* Nam et gladius, et lancea arma sunt offensiva. Mirabile prorsus spectaculum animæ fideli objicitur, cum cogitat Deum pro se stare armatum scuto, et gladio, sive lancea, et audit illum in corde dicentem, *Salus tua ego sum.* Quamvis enim satis sit ad omnem securitatem, id quod Apostolus dicit, Rom. 8. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Tamen Spiritus sanctus, ut adhuc potentius infirmitatem nostram sustentaret, describit Deum non quomodocumque, sed armatum omni armorum genere, pro Ecclesia, et singulis fidelibus suis, adversus hostes visibiles, et invisibiles pugnantem. *Dic animæ meæ, salus tua ego sum.* Non satis est ad animi tranquillitatem, ut Deus pugnet pro nobis, sed necesse est ut id nobis innotescat, ideo petit Christus pro corpore suo, ut id reveletur, et loquente Spiritu sancto ad cor, fiducia oriatur. Quamvis autem magis proprie Deus medicus dici possit, quam salus, rectissime tamen salus dicitur, quia medici, et medicamenta non semper sanant, nec intime penetrant substantiam rei, quam sanare cupiunt: Deus autem sanat semper, et intime illabitur animæ, et sicut fieri non potest, ut sanitate præsente homo sit sanus, etiamsi omnia alia absint: ita fieri nequit, ut Deo volente sanare, et per gratiam suam præsente, anima non sit sana, etiamsi omnia alia desint.

4. Confundantur, et revereantur quærentes animam meam.

Describit exitum impiorum, adversus quos Deus arma capit, ac primum dicit, *Confundantur et revereantur,* id est, erubescant ob amissam victoriam qui quærunt me interficere: idem enim significant illa duo vocabula, *Confundantur et revereantur.* Non enim hic agitur de reverentia erga alium, sed de pudore, quo suffundi solet qui cadit causa. Illud, *qui quærunt animam meam,* ambiguum est. Aliquando enim accipitur in bonam partem, ut in eo loco Ps. 118. *Periit fuga a me, et non est qui requirat animam meam,* id est, non habeo refugium ullum, neque est qui me noverit, et requirat, ut defendat. Aliquando in malam partem accipitur, ut hoc loco, et alibi sæpius: ubi quærere animam, est conari ad tollendam animam, id est, vitam.

5. Avertantur retrorsum, et confundantur cogitantes mihi mala.

Non solum igitur confundantur, et pudore afficiantur, sed etiam *avertantur retrorsum,* id est, recedant victi, et confusi, *qui cogitant mihi mala,* id est, qui meditantur necem meam.

6. Fiant tanquam pulvis ante faciem venti, et Angelus Domini coarctans eos.

Addit tertio, ut non solum erubescant, nec solum recedant, sed celeriter fugere cogantur, et dispergantur in varia loca. Pulvis enim a vento in varias partes magno impetu, velociterque dispergitur. Augetur autem hoc loco celeritas fugæ, et dispersio, tum ex parte pulveris, tum ex parte venti. Nam pro pulvere in Hebræo est, מוץ *mots*, quod significat *glumam*, ut diximus in explicatione primi Psalmi, id est, pulverem levissimum, ex minutissimis, et paleis conflatum. Et pro vento corporali, hic ponitur *Angelus Domini*, qui Spiritus est vivens, et longe potentior et efficacior omni vento. Fiant igitur sicut pulvis levissimus, qui ab omni vento facile rapi potest, et tamen non levis ventus, sed *Angelus Domini sit coarctans, et impellens eos.*

7. Fiat via illorum tenebræ, et lubricum, et Angelus Domini persequens eos.

Addit ultimo, ut non solum dispergantur, et fugere cogantur, sed etiam sine ullo remedio in exitium præcipitentur: Fugientes enim juvari solent scientia viarum, itinere tuto, et stabili, aut certe si via sit lubrica, tarditate ambulationis. Hic autem ista omnia remedia cessant, imprecatur enim Propheta impiis, ut fugere cogantur in tenebris, et per viam lubricam, ut neque oculi neque pedes officio suo fungi possint, et instante post eos, ac vehementer urgente Angelo Domini, ut necesse sit eos in præcipitium, et exitium ruere. Hæc omnia implentur hoc tempore in Judæis, aliisque persequutoribus Christi et Ecclesiæ, qui justo Dei judicio versantur in tenebris ignorantiæ, et in lubrico concupiscentiæ, et persequente eos ira Dei, quotidie labuntur in majora peccata, et ad sempiternam mortem summa velocitate festinant. Sed manifestius implebuntur in die judicii; tunc enim impii confundentur, et pudefient confusione ineffabili, et avertentur retrorsum in præcipitium gehennæ divina potestate coacti, idque absque ullo remedio, quomodo sine remedio ruit, et corruit in exitium, qui in tenebris per lubricum alio persequente festinare compellitur.

8. Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui: supervacue exprobraverunt animam meam.

9. Veniat illi laqueus, quem ignorat, et captio quam abscondit, apprehendat eum, et in laqueum cadat in ipsum.

In primis septem versiculis loquutus est Propheta in persona Christi, et omnium justorum de persecutionibus generatim: in sequentibus versiculis explicat tria genera persecutionum, quas pati solent justi ab impiis. Nam primum fraudibus, et insidiis justos vexant, deinde falsis testimoniis eosdem appetunt, postremo aperta vi non verbis tantum, sed etiam factis justos opprimunt. Dicit igitur de primo genere,

Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui, id est quoniam quidem nulla injuria a me lacessiti mihi insidias struere non cessant; ideo precor Deum, ut providentia sua faciat, ut insidiæ illæ in perniciem ipsorum convertantur. Quæ imprecatio, ut alias meminimus, non tam imprecatio, quam prophetia est. Vere enim providentia Dei hoc agit, ut insidiæ, vel solis noceant insidiatoribus, vel prius, et magis illis, quam aliis: quomodo fax accensa, ut comburat domum, se ipsam prius incipit comburere, et consumere, quam domum; et sæpe domui nihil nocet: ita malitia insidiantium, statim incipit animum insidiantis vastare; aliis autem, vel nihil nocet, vel longe minus; quia minus est malum pœnæ, quam malum culpæ. Quod attinet ad verba illud, *Absconderunt mihi interitum laquei sui*, S. Augustinus legit, *Absconderunt mihi laqueum corruptionis suæ*: sed Hebræi Græcique codices cum nostra editione concordant. Sensus autem idem est. Dicitur enim *interitus laquei*, mors, quæ paratur per instrumentum laquei, et dicitur laqueus interitus, sive corruptionis, laqueus, qui paratur, sive tenditur ad capiendum, et occidendum. In Hebræo habetur רשתם *risctham* rete, non laqueus, sed parum refert, utrumque enim instrumentum est ad capiendum aptum. Illud supervacue, in Hebræo est חנם *chinnam*, id est, gratis, sicut paulo ante; sed Interpres variare voluit. Itaque sensus est, *supervacue*, id est, *sine causa*, cum nullam a me injuriam acceperint, exprobraverunt animam meam, id est probro me affecerunt, tendentes mihi laqueos, et retia quasi feræ silvestri. In Hebræo nunc habetur, חפרו *chapheru*, id est, foderunt: sed Septuaginta legisse videntur, חרפו *charephu*, una littera transposita; id enim significat, *exprobraverunt*. Quamvis si legamus, *foderunt animæ meæ*, idem erit sensus; nimirum sine causa foderunt foveam deceptionis vitæ meæ, ac per hoc pudore me affecerunt. Illud autem, *Veniat illi laqueus, quem ignorat, et captio, quam abscondit, apprehendat eum, et in laqueum cadat in ipsum*: multo clarius est in Hebræo, videlicet sic, *Veniat illi*, nimirum insidiatori, *calamitas quam ignorat*, id est, calamitas insperata, et inopinata. Et declarat, quæ sit ista calamitas, addens, *rete suum*, sive *laqueus suus quem abscondit mihi, capiat ipsum*, et sic *incidat* in ipsam calamitatem, quam mihi paraverat. Sententia tamen eadem est, nisi quod Septuaginta pro calamitate in utroque loco ponere maluerunt instrumentum calamitatis, videlicet laqueum, et pro reti sive laqueo, posuerunt *captionem*, quæ est effectus laquei. Illa repetitio, *in ipsum*, est Hebraismus, pro eo quod nos Latini dicimus, in ipsum eumdem laqueum cadat.

10. Anima autem mea exultabit in Domino, et delectabitur super salutari suo.

11. Omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi?

12. Eripiens inopem de manu fortiorum ejus, egenum, et pauperem a diripientibus eum.

In his tribus versiculis Propheta explicat lætitiam inenarrabilem, qua perfundetur justus, cum se perfecte liberum esse cernet ab omnibus insidiantibus. Sunt autem phrases poeticæ, metaphoricæ, admirabiles: est autem hæc sententia cum id acciderit, quod precatus sum, *Anima mea*, qua vivo, et sapio, præ lætitia, *exultabit in Domino Deo*, videlicet laudans, et magnificans; et simul *delectabitur super salute sua*, quam se adeptam esse videbit, vel potius super ipsum Dominum qui est salus ejus, non solum anima, sed etiam corpus, imo omnes partes corporis, etiam intimæ, et abjectissimæ, quales sunt ossa, quæ sensum habent: nec solum *ossa*, sed *omnia ossa*, etiam minima gestient præ voluptate, et si sensum et vocem haberent, exclamarent utique, et dicerent, *Domine quis similis tibi?* nihil enim est in terra, neque in cœlo te fortius, benignius, sapientius, amabilius: quippe qui tam potenter, et misericorditer eripis pauperem de manu hostis multo fortioris ipso, qui violenter ejus bona, et ipsam vitam rapere cupiebat. S. Augustinus more suo allegoricum sensum persequens, per *ossa* intelligit viros perfectos, qui sunt in Ecclesia, per carnem vero homines infirmos, ut sensus sit, quamvis tempore tentationis, vel persecutionis caro mystici corporis Ecclesiæ cedat, ossa tamen non cedent, sed resistent, ac dicent: Domine, *quis similis tibi?* Quod attinet ad verba, illud salutari suo, in Hebræo est בישועתו, *bischuhatho*, salutem suam. Sed quia secunda pars versiculi ut plurimum repetit, et explicat primam, et in prima dictum est, *exultabit in Domino*, recte S. Augustinus per *salutare*, intelligit ipsum Dominum, qui supra dixit, *Salus tua ego sum*. Illud autem, *omnia ossa mea dicent*, simile est illi, quod habetur in Psalm. 102. *Benedic anima mea Domino, et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.* Significatur autem in hac phrasi perfecta quædam lætitia, quæ totum hominem repleat. Aliquando enim animus gaudet, sed corpus dolet, et tunc non est plena, perfectaque lætitia: sed quando sanabit Dominus omnes languores nostros, et replebit in bonis omne desiderium nostrum; tum demum totus homo inenarrabili voluptate perfusus exultabit in Domino, et omnes partes ejus usque ad ossa insensibilia, dicent Domino, *quis similis tibi?* sicut enim res insensibiles sitire dicuntur, quando carent necessariis adjumentis, juxta illud Psal. 62. *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea;* sic etiam eædem res insensibiles quando defectus earum tolluntur, exultare et gestire dici possunt. Illud, *Domine quis similis tibi?* in Græco geminatur, *Domine, Domine*, sed neque geminatio habetur in Hebræo, neque legitur ab Augustino, vel Theodoreto, vel Euthymio. Illud, *eripiens inopem*, in Hebræo facilius connectitur cum superioribus, sic enim ad verbum legitur, *Domine quis sicut tu, qui eripis inopem?* Est itaque sic connectenda sententia, *Domine quis similis tibi, qui es eripiens inopem de manu fortiorum ejus?* Illud quoque, *de manu fortiorum ejus*, in Hebræo clarius est, sic enim legimus, עני מחזק ממנו מציל *matsil hhani mechazak mimmenu, eripiens inopem a robusto præ ipso;* id est, ab hoste robustiore, quam ipse sit. Sed Latinus Interpres reddidit ad verbum quod invenit in Græco. Denique pro illis verbis, *a diripientibus eum*, in Hebræo solum est, מגוזלו *miggozelo a violento;*

sed Interpretes explicare voluerunt latius, quod unico verbo continebatur in textu originali.

13. Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me.

14. Retribuebant mihi mala pro bonis sterilitatem animæ meæ.

Pergit nunc Propheta ad secundum genus persecutionum, quo impii testimoniis falsis, non ex insidiis, sed palam justos persequuntur, et mire exaggerat nequitiam horum testium: primo dicit *surgentes*, ut significet eos non expectasse citationem, sed per se venisse. Secundo addit, *quæ ignorabam*, ut ostendat accusari justum ab iniquis testibus, de eo quod nec fecerat, nec cogitaverat. Dicimur enim ignorare, quæ non probamus, nec unquam fecimus, ac si facere nesciremus. Sic de Christo dicit Apost. 2. Cor. 5. *Eum qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit.* Tertio addit, *interrogabant me*, ut ostendat audaciam, ac imprudentiam testium, qui non contenti falsum testimonium dixisse coram Judice, ipsum etiam virum justum coram arguere, et interrogare audent. Quarto addit, *retribuebant mihi mala pro bonis*, ut ostendat falsos illos testes nulla injuria lacessitos, sed contra beneficiis affectos, ex mera malitia ad calumniandum adductos. Addit ultimo, *sterilitatem animæ meæ*, ut ostendat per falsa testimonia illos non quærere leve aliquod malum, sed omnium maximum. Potest enim sterilitas hoc loco posita duobus modis accipi, primo generatim pro desolatione, et vastitate universali, qualis accidit sancto Job, qui una die amisit opes, filios, sanitatem. Et huc pertinet expositio Theodoreti, et Euthymii, qui accipiunt *sterilitatem*, pro oblivione, id est tali desolatione, ut ipsum etiam nomen oblivione tradatur. Potest secundo accipi sterilitas pro uno genere mali, sed maximæ æstimationis, tum apud Diabolum, qui illud per ministros suos inferre conatur: tum apud hominem justum, qui illud cogitur pati. Id malum est, ut homo justus infamia per falsa testimonia notatus sterilis, et orbus maneat, ut nec fructum facere possit, et quod jam fecit, pereat. Sic S. Augustinus exponere videtur.

15. Ego autem cum mihi molesti essent: induebar cilicio.

16. Humiliabam in jejunio animam meam, et oratio mea in sinu meo convertetur.

Antequam Propheta de tertio genere persecutorum loqui incipiat, exponit quid egerit adversus persecutores secundi generis, ac dicit se non reddidisse malum pro malo, neque de vindicta cogitasse, sed ad Deum orandum cum magna humilitate se convertisse, *Cum*, inquit, *adversarii mihi molesti essent*, non superbe illis insultavi, sed sacco indutus jejunare cœpi, ut oratio mea Deum facilius placaret. Saccus enim, et jejunium sunt alæ orationis. Sic Rex ille Ninivitarum cum sacco, et jejunio orans, exauditur Jonæ 3. Quod idem legimus de Rege Achab, Reg. 25. unde et Sapiens dicit, *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* Addit vero, *et oratio mea in sinu meo convertetur*, ut ostendat se fructum orationis non dubium expectare. Ponitur enim, *in sinu meo* pro, *in sinum meum*, ut habetur in textu Hebræo, עלחיכי *hultechi:* et Græco, quasi dicat; oratio ex tanta humilitate profecta non revertetur ad me vacua, sed sinum meum cœlesti consolatione implebit. Possumus etiam, si velimus, illud, *in sinu meo*, accipere ut jacet, in casu auferendi, exponere hunc locum de frequentia orationis, ut sensus sit, oratio mea in sinu meo existens, sæpius revertetur et recurret, ut quod semel, aut iterum quærens non invenit, perseverando, id est, sæpius revertendo inveniat. Et quamvis ad litteram hæc non videantur convenire Christo, quem in Evangelio non legimus indutum cilicio jejunasse, et orasse, dum persecutiones pateretur: conveniunt tamen eidem Christo, prout est in membris suis; hoc enim proprium membrorum Christi, dum adversa patiuntur, non cum adversariis contendere, sed ad cor suum redire, et Deum humiliter deprecari. Quod ad verba attinet, illud, *cum mihi molesti essent*, in Hebræo est, בחלותם *bachalotham, cum ipsi infirmarentur.* Sed verisimile est, Septuaginta Interpretes legisse cum aliis punctis, vel cum additione alicujus alterius litteræ, in conjugatione, Piel, vel Hiphil. Tunc enim accipi debet active illud verbum ut non solum Septuaginta, sed etiam S. Hieronymus ex Hebræo vertit. Sic enim legimus apud Hieronymum, *cum infirmarer ab eis*, id est, cum ipsi me ægrotare facerent, quod est idem cum eo, quod legunt Septuaginta, *cum mihi molesti essent.* Potest etiam dici, Septuaginta, et S. Hieronymum legisse, *cum infirmarentur ipsi*, ut nunc legimus in Hebræo; sed altius cogitasse, Prophetam loqui de illa ægrotatione animi, quæ semper conjuncta est cum injusta persecutione; quicumque enim alium injuste persequitur, se ipse lædit, et vastat; et dum alium ægrotare facit morbo pœnæ, ipse ægrotat morbo culpæ. Recte ergo sententiam reddiderunt Septuaginta, et S. Hieronymus, idem enim est, quoad sensum, *cum mihi molesti essent;* et, *cum morbo iracundiæ*, vel odii, vel invidentiæ, *adversus me ægrotarent.* Illud autem *induebar cilicio*, in textu Hebræo est, לבושישק *lebuschischak*, et in Græco, *induebar sacco.* Ex quo intelligimus per cilicium non esse intelligendum indumentum ex pilis animalium, quod interius adhiberi solet, ut legimus de Rege Joram, 4. Reg. 6. ut vestem sacceam, qua exterius etiam ad significandam humilitatem aliqui utuntur, ut de Rege Ninivitarum Jonas testatur, cap. 3. Illud, *Humiliabam in jejunio animam meam*, phrasis est Hebraica, passim enim Hebræi animam ponunt pro toto homine.

17. Quasi proximum, et quasi fratrem nostrum sic complacebam: quasi lugens, et contristatus, sic humiliabar.

Hic versiculus multo clarior est in textu Hebræo, quam in Græco, vel Latino. Sic enim ad verbum reddi potest cum S. Hieronymo, *Quasi ad amicum, quasi ad fratrem meum sic ambulabam: quasi lugens mater tristis, sic incurvabam:* et sensus est, ego non solum in tribulatione positus, non reddidi malum pro malo, sed reddidi bonum pro malo: sic enim affectus fui erga unum quemque adversariorum, ut amicus erga amicum, imo ut fratrem, vel potius, ut

mater erga filium parvulum et languentem. Sicut enim mater videns filium ægrotantem, incurvat se tristis, et gemens ad eum suscipiendum, sic et ego me cum adversariis meis gessi, non potuit grandius, et luculentius exprimi pius affectus erga inimicos. Et quidem Propheta David opere præstitit, quod hoc loco in persona Christi, et sua, et omnium perfectorum virorum expressit. David enim Saulem, quem ut fratrem, dum viveret, dilexit, mortuum ut filium deflevit. Idem fecit multo excellentius Christus, qui videns civitatem flevit super illam, Luc. 19. seque gallinæ pullos sub alas congregare satagenti comparavit, Matth. 23. Lectio latinæ editionis eumdem sensum habet; sed obscura est, quia verba Græca totidem verbis latinis reddidit. Sed ex Hebraica lectione illustranda et supplenda est. Hic igitur erit sensus, *quasi proximum, quasi fratrem nostrum sic complacebam*, id est, complacebam mihi, sive affectus eram erga unum quemque adversariorum, quasi erga proximum, sive socium, et amicum, imo etiam erga fratrem nostrum. *Quasi lugens, et contristatus, sic humiliabar*, id est, non solum affectus eram ad persecutorem meum, ut ad proximum et fratrem; sed *humiliabar* et inclinabam me ad eum, ex compassione dolens, et contristatus de malis ejus, quomodo pia mater inclinatur tristis ad filium languidum, et jacentem.

18. Et adversum me lætati sunt et convenerunt, congregata sunt super me flagella et ignoravi.

Docet consequenter Psalmus persecutores justorum reddere mala pro bonis, et simul transit ad tertium genus persecutionum, quo non contenti impii fraudibus, et calumniis justos vexasse, flagellis quoque eos aggrediuntur. *Et adversum me lætati sunt:* Ego de malis eorum dolebam, ipsi de malis meis lætabantur: neque hac impietate contenti, *convenerunt adversum me* flagellis armati, ut me, si possent, occiderent; *et ignoravi*, id est, ignoravi eorum consilia, et ideo præcavere non potui, vel ita me patienter gessi, ac si quid facerent, ignorarem, quod attinet ad verba, pro, *et adversum me*. S. Hieronymus vertit, *et in infirmitate mea*, vox enim Hebraica, צלעי *tsalhs* potest significare, latus meum, et infirmitas mea. Priorem significationem sequuti sunt Septuaginta, et ideo verterunt, *adversum me*, quod fere est idem quod ad latus meum. Posteriorem sequutus est S. Hieronymus. Sed in sententia non est varietas. Illud autem, *congregata sunt super me flagella*, in Hebræo est, *congregati sunt super me flagellantes*, sed idem est sensus. Denique pro *ignoravi*, S. Augustinus legit, *ignoraverunt*, et refert ad persecutores, qui vere ignoraverunt, quam magnos viros percuterent, cum Christum, vel sanctos flagellarent. Sed quamvis vox Græca sit ambigua, tamen Hebraica, ידעתי *iadahhti*, non est ambigua, nec potest reddi nisi in prima persona: proinde recte habet Latina vulgata editio, *et ignoravi;* ut etiam legunt Theodoretus et Euthymius Græci.

19. Dissipati sunt, nec compuncti tentaverunt me: subsannaverunt me subsannatione, frenduerunt super me dentibus suis.

Pergit explicare malitiam adversariorum, ac dicit, eos non potuisse implere quod cupiebant, divina providentia protegente suos, ne ab iniquis persecutoribus læderentur. Sed ne sic quidem quievisse eos: nam quos non potuerant flagellis verborum movere, tentabant flagellis verborum, irrisionibus et comminationibus terrere. *Dissipati sunt*, inquit, id est, qui convenerant in unum, ut nocerent, et flagellarent; divisi sunt ab invicem, Deo dissipante eorum conventiculum: sed non propterea *compuncti sunt*. Id est, non resipuerunt; vel ut proprie sonat vox Hebræa, דמו *damu, non siluerunt et quieverunt*, ut par erat. Sed potius tentaverunt me, nimirum ad iracundiam provocare, quia *subsannaverunt me subsannatione* irrisoria, et *frenduerunt contra me dentibus suis*, minas crudeles intentantes. Quod attinet ad verba, quod in Græco et Latino legimus, *tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione.* S. Hieronymus ex Hebræo vertit, *in simulatione verborum fictorum.* Sed verba ipsa Hebraica, neque hunc sensum, neque illum recipere videntur: sic enim legimus בחנפי לעגי מעוג *bechanphe lahage mahog*, id est, *in hypocrisi sive simulationibus subsannationum verbi otiosi.* At profecto omnino credibile est Septuaginta Interpretes aliter legisse, et libros optimos habuisse, præsertim cum verba Hebraica, ut nunc leguntur cum punctis Rabinorum, nihil significare videantur. Existimo igitur mutanda esse puncta, et ex nomine, in simulationibus, faciendum esse verbum modi infiniti cum affixo primæ personæ, quod reddendum erit, intentando me. Nam etsi, חנף *chanaf, simulare*, et hypocritam esse significet, tamen tentare proprium est hypocritarum, juxta illud Domini, *quid me tentatis hypocritæ?* Matth. 22. et idem est in tentando me quod, *in hypocrisi agendo mecum*, et similiter ex nomine subsannationum faciendum erit verbum temporis præteriti, cum affixo primæ personæ, et tunc sensus erit, *subsannaverunt me*; illud autem מעוג *mahog*, significat quidem verbum otiosum, sed significat etiam subsannationem. Proinde integer sensus erit, *in tentando me subsannaverunt me subsannatione*, quod est idem cum eo, quod nos habemus, *tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione.*

20. Domine quando respicies? restitue animam meam a malignitate eorum, a leonibus unicam meam.

Expositis persecutoribus, revertitur Propheta in persona justorum omnium, qui persecutionem patiuntur, ad orandum Deum, ut finem cum principio conjungat. Et quoniam videtur Deus non respicere, quid in terris fiat, quando non punit injustos, ideo dicit, *Domine quando respicies?* id est, quando te videre mala impiorum puniendo demonstrabis? *Restitue animam meam a malignitate eorum*, id est, eripe vitam meam de periculo, in quo versatur, dum est in potestate malignorum, et restitue illam in pristinam securitatem, sive, restitue mihi vitam, quam pene amisi, dum est in manibus malignorum. Quod ipsum repetit, et clarius explicat dum adjungit, *a leonibus unicam meam*, id est, restitue mihi animam, quæ est mihi unica, ac per hoc dilectissima, quod facies eruendo eam a potestate inimicorum, qui crude-

litate, et ferocitate leones dici possunt, et *frendens*, ut supra dictum est, *dentibus suis*. Quod ad verba attinet, illud, *a malignitate*, S. Augustinus legit, *ab astutiis :* S. Hieronymus autem vertit, *a calamitatibus*. Causa diversitatis fuit, quia vocem Hebraicam, משאיתם *misseethem*, deduxerunt Septuaginta a verbo, נשא *nasa*, quod est, *decipere*, et ideo S. Augustinus legit, *astutiis :* et noster Interpres, *a malignitate :* at S. Hieronymus deduxit ab alia radice, nimirum *a* שאה *saah*, quod est *desolari*, et ideo vertit a calamitatibus, sed idem est sensus, ut patet. Per *unicam* S. Augustinus intelligit Ecclesiam, quam Christus erui vult a persecutoribus. Quod quidem verum est, sed ad litteram videtur omnino referendum ad animam, seu vitam. Sicut etiam illud Psal. 21. *Erue a framea Deus animam meam, et de manu canis unicam meam.* Anima enim recte dicitur unica quasi unice dilecta. Vita enim temporalis est fundamentum omnium bonorum temporalium, et vita æterna omnium bonorum simpliciter. Itaque et Dominus ait in Evangelio, Matth. 16. *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* et tamen multi ita desipiunt, ut pro nihilo libenter perdant animam, quam unice amare debuissent.

21. Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te.

Promittit se non fore ingratum, si liberationem ab adversariis obtineat. *Confitebor tibi*, inquit, *in Ecclesia magna*, id est non abscondam beneficium tuum, sed publice coram omnibus prædicabo: et idem repetit aliis verbis, *in populo gravi laudabo te*. Idem enim est confiteri et laudare, idem quoque Ecclesia magna, et populus gravis. Dicitur enim Ecclesia magna ratione multitudinis, quod proprie significat vox Hebræa, רב *rab*, id est, Ecclesia multa; et similiter dicitur populus gravis, sive ut significantius habetur in Hebræo, עצום *hatsum*, robustus, ratione multitudinis. Tunc enim robustus est populus, cum tam multis viris abundat, ut hostes non timeat. Videtur etiam Propheta ad Ecclesiam Christianam respicere, in qua laudatur, assidue Deus ob piorum liberationem. Est enim Ecclesia Christiana vere multa, et magna, cum totum orbem terrarum obtineat, et vere gravis, et robusta, cum *portæ inferi adversus eam prævalere non possint*. Matth. 16. Ecclesia quoque triumphans, Ecclesia magna erit, cum de ea scriptum sit, Apocal. 7. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ;* et populus robustus, cum ibidem additum sit, et *palmæ in manibus eorum*.

22. Non supergaudeant mihi, qui adversantur mihi inique, qui oderunt me gratis, et annuunt oculis.

Redit ad orationem quam inchoaverat, et petit liberari a persecutoribus, præsertim hypocritis, qui simulant se amicos, cum nihil minus sint. *Non supergaudeant mihi*, id est, non gaudeant super me, sive non læteutur de interitu meo, *qui adversantur mihi inique*, id est, qui me persequuntur fingentes amicitiam; nam in Hebræo habetur שקר *scecher*, quod mendacium proprie significat, unde S. Hieronymus vertit, *inimici mei mendaces;* et hæc ipsa est maxima iniquitas, persequi hominem, et decipere specie amicitiæ. Hoc idem declaratur, et repetitur in sequentibus verbis, *qui oderunt me gratis*, *et annuunt oculis*, id est; qui sine causa me oderunt, cum nihil mali illis attulerim, et tamen fingunt amicitiam annuendo oculis, salutantes, blande aspicientes, et approbantes quæ dico. Quid est, inquit Augustinus, annuere oculis? pronuntiantes vultu, quod in corde non gerunt.

23. Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur, et in iracundia terræ loquentes dolos cogitabant.

Declarat Propheta, cur dixerit de inimicis suis, *et annuunt oculis*, et dicit; quoniam ipsi quidem mecum verbis exterioribus pacifice loquebantur, quasi amici essent; sed interius præ iracundia disrumpebantur, et *cogitabant dolos*, quibus me perderent, hæc de sensu. In verbis magna difficultas est: Nam Hebraicus codex ad verbum sic habet: *quoniam non pacem loquebantur, et super scissuras terræ verba dolosa meditabantur*. Et sic etiam vertit S. Hieronymus, nisi quod pro, *scissuras terræ*, ponit, *in rapina terræ :* Græcus vero codex sic habet, *quoniam mihi quidem pacifica loquebantur, et super iracundiam dolos cogitabant*. Et sic legunt, et interpretantur S. Augustinus, Theodoretus, et Euthymius. Sed observandum est, vocem Hebraicam לא *lo*, quæ significat, *non*, a Septuaginta Interpretibus lectam fuisse, לי *li*, quæ significat *mihi*, et omnino credibile est, Septuaginta Interpretes habuisse libros Hebraicos emendatiores: proinde non videtur ambigendum meliorem esse lectionem Latinam vulgatæ editionis, quæ respondet voci, quam in suis libris habuerunt Septuaginta, quam ea sit, quam nunc habemus in Hebræo. Quod autem in Hebræo habetur, *super scissuras terræ*, verterunt Septuaginta *super iracundiam*, quia intellexerunt sermonem Prophetæ esse metaphoricum, et per *scissuras terræ* significatam esse iracundiam, quæ est quædam scissura cordis terreni, et animalis. Qui enim irascuntur, ii diripiuntur interius, et quietem, ac pacem amittunt: et quidem Latinus Interpres addere voluit vocem illam *terræ*, quam invenit in Hebræo; sed Græcus Interpres satis esse putavit, eam subintelligi in voce iracundiæ, quæ est fervor circa cor. Explicanda igitur est vox illa, *terræ*, ut accipiatur pro corde terreno, et animali, ut diximus. Cur autem S. Hieronymus vertit, *rapinam terræ*, non assequor, nisi per scissuras metaphorice intellexerit rapinam, aut forte vox Hebraica hoc etiam significare possit. Sed absolute præferenda est interpretatio Septuaginta Interpretum, quam Ecclesia in Latina editione sequitur. Quod autem in Latina editione nos habemus: *loquentes dolos cogitabant*, non differt in sensu a verbis Hebraicis *verba dolosa cogitabant*. Idem enim est verba dolosa cogitare, et loquendo intra se dolos cogitare. Neque multum refert, quod Septuaginta non habeant verba aut loquentes, sed simpliciter, *dolos cogitabant ;* quia in ipsa cogitatione satis intelligitur interna locutio.

24. Et dilataverunt super me os suum: dixerunt, Euge, Euge, viderunt oculi nostri.

Quam sit verum, quod supra dixit de inimicis suis, quod simulato corde pacifice loqueren-

tur, ostendit Propheta in persona justorum in hoc versiculo, ubi dicit, eosdem inimicos qui aliquando blandiebantur et annuebant oculis: postea cum in eas calamitates incidisset, quas illi fraudulenter concinnaverant, dilatato ore cœpisse aperte insultare, et inter se gratulari, ac dicere, vidimus tandem quod tantopere cupiebamus. Hoc totum in Christo, qui caput justorum est, impletum legimus in Evangelio: aliquando enim pacifice loquebantur inimici dicentes, *Scimus, quia verax es, et viam Dei in veritate doces*, Matth. 22. sed interim dolos meditabantur, ut caperent eum in sermone. Cum autem illum cruci affixum viderunt, *dilataverunt os suum insultantes, et dicentes, Vah qui destruis templum Dei*, etc. Quod ad verba attinet, conveniunt codices omnes, eo excepto, quod interjectionem Hebraicam, האח *heag*, Septuaginta reddiderunt, *Euge*. Sanctus Hieronymus, *vah*, et Euge est lætantis, *vah*, insultantis: sed parum refert, nam utraque est exultantis, et exultatio inimicorum quædam insultatio est.

25. Vidisti Domine ne sileas, Domine ne discedas a me.

26. Exurge Domine, et intende judicio meo, Deus meus et Dominus meus in causam meam.

27. Judica me Domine secundum justitiam tuam; Domine Deus meus, non supergaudeant mihi.

Redit Propheta ad orationem, idipsum aliis et aliis verbis repetens ad insinuandum affectum. *Vidisti*, inquit, *Domine* quanta videlicet sit oppressio pauperis servi tui, *ne sileas*, quasi non videas, aut non possis, aut non velis defendere sperantes in te. *Ne discedas*, vel ut habet vox Hebraica, ne elongeris a me, id est, ne deseras me in tribulatione positum, quomodo faciunt qui procul abeunt. Nec solum non sileas, et non discedas, sed nec sedeas, quasi otiose spectans, vel dormitans; sed exurge, et quasi judex justus et potens intende diligenter animum ad judicium meum, id est, ad litem, quam cum persecutoribus habeo; intende, inquam, Deus meus in causam meam, et judica me secundum justitiam tuam Domine, id est, si justitia tua, quæ rectissima est, judicat me injuste ab adversariis opprimi, libera me de manibus eorum, ut non amplius gaudeant super miseriis meis.

28. Non dicant in cordibus suis, Euge, Euge animæ nostræ, nec dicant, Devoravimus eum.

29. Erubescant, et revereantur simul, qui gratulantur malis meis.

30. Induantur confusione et reverentia, qui magna loquuntur super me.

Explicat id quod dixerat, non supergaudeant mihi, *non dicant*, inquit, *in cordibus suis, Euge, Euge, animæ nostræ*, id est, non exultent in cordibus suis super vitam meam, quasi jam extinctam. Sicut enim illud, *non supergaudeant mihi*, significat, non gaudeant super me: sic etiam hoc, *non dicant euge, animæ nostræ*, debet exponi, non dicant euge super animam nostram, et explicat in verbis sequentibus, *Nec dicant*, inquit, *devoravimus eum*, id est non possint jactare ab eis, quasi a leonibus me devoratum. Sed contra potius amissa spe victoriæ erubescant, et revereantur, id est, verecundentur simul omnes inimici mei, qui nunc spe victoriæ gratulantur sibi de malis meis, id est, mihi imminentibus, nec solum leviter erubescant, et verecundentur, sed *induantur confusione, et erubescentia*, id est, toti cooperiantur confusione, *qui magna loquuntur super me*, id est, qui magnifice jactabant potentiam suam super me. Aliqui legunt, *maligna*, pro magna: sed nostra lectio consentit Græcæ, et Hebraicæ veritati.

31. Exultent et lætentur qui volunt justitiam meam, et dicant semper, Magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus.

32. Et lingua mea meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam.

Quemadmodum precatus est Propheta ut iniqui confundantur; sic etiam nunc precatur, ut justi exultent, et lætentur, qui bene sibi volunt, et amant innocentiam suam, vel cupiunt justitiam suam palam apparere. Excitat quoque ad laudem Dei omnes, qui cupiunt pacem suam, quæ secutura erat ex liberatione sua ab omnibus malis. In Hebræo habetur, החפצ שלום עבדו *hechephetz schalom hebdo, qui vult pacem servi sui*, Septuaginta Interpretes videntur legisse verbum in numero multitudinis, quod in nostris libris est in numero singulari: sed uterque sensus optimus est. Claudit Psalmum David promittens gratiarum actionem pro accepto beneficio. *Lingua mea*, inquit, *meditabitur justitiam tuam*, id est, exercebitur in prædicanda justitia tua: et hoc ipsum repetit, et repetendo declarat, dicens, *Tota die laudem tuam*, id est, lingua mea tota die meditabitur laudem tuam, id est, exercebitur in prædicanda laude justitiæ tuæ. Quod autem dicit, *tota die*, significat frequenter, et assidue, ita ut nunquam tanti beneficii subrepat oblivio. Sanctus Augustinus hoc loco pie monet, eum semper Deum laudare, qui semper bene agit.

PSALMUS XXXV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

IN FINEM, SERVO DOMINI DAVID.

De hoc titulo dictum est in explicatione Psalmi quarti, ubi primum legitur, in finem. Sensus igitur est, Psalmus inspiratus servo Domini Davidi, qui canendus est jugiter usque in finem, quique ad Christum pertinet, qui legis, et Prophetarum est finis. Argumentum est, immensam fere esse quorumdam hominum malitiam, sed multo majorem Dei misericordiam, et justitiam.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Dixit injustus, ut delinquat in semetipso : non est timor Dei ante oculos ejus.

Describit Propheta duas primas peccati radices, quarum altera est in voluntate, quæ decernit male agere, altera in intellectu, qui non cogitat timorem Domini prohibentis peccatum. *Dixit*, inquit, *injustus, ut delinquat in semetipso*, id est, apud se, in corde suo, decrevit injustus delinquere, id est, corde suo in peccatum consensit. *Non est timor Dei ante oculos ejus*, id est, ideo corde peccatum elegit, quia oculis mentis non cogitavit timorem Domini omnia videntis. Ubi timor ponitur pro objecto timoris, id est, non cogitavit Deum justum, fortem, videntem omnia : ex qua cogitatione timorem tantæ potestatis sine dubio concepisset. Sicut enim qui timet hominem, non audet in conspectu ejus malum exterius facere; ita qui timet Deum, non audet interius cogitare : quoniam Deus etiam corda scrutatur. Quod attinet ad verba, tres primæ Hebraicæ voces sic ad litteram verti possent : *Dictum prævaricationis impii*; sed vox illa, נאם *neum*, quamvis proprie dictum significet : tamen accipitur passim pro verbo, *dixit*, illud autem, פשע *pesah*, quod significat prævaricationem, mutatis punctis, quæ a Rabinis apposita sunt, legi poterit, פושע *poseah*, id est, *prævaricator*, sive *injustus :* sic etiam illud, לרשע *larasah*, quod sanctus Hieronymus vertit, impii, mutatis punctis significabit *ad delinquendum*, sive *ut delinquat*, ut Græci, et Latini codices habent. Et hæc sine dubio vera lectio est, quod confirmat littera, ל *lamed*, quæ signum est verbi modi infiniti, non autem nominis ex casu genitivo. Illud autem, *in semetipso*, in Hebræo est, *in medio* לבי *libbi cordis mei*, sed corrupta videtur littera Hebraica mutatione unius litteræ, nam ipse etiam sanctus Hieronymus vertit, *cordis ejus*, non *cordis mei :* Itaque legendum videtur, לבו *libbo*, id est, *corde suo*.

2. Quoniam dolose egit in conspectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.

Demonstrat in hoc versiculo Propheta, quod dixit, injustum non habere timorem Domini. *Nam*, inquit, *in conspectu ipsius Dei dolose egit cum ipso Deo et* omnibus hominibus, adeo graviter, *ut iniquitas ejus non inveniatur apud Deum* ad veniam, sed *ad odium*, quod certe nunquam fecisset, si Deum timuisset. Quis enim delinquere audeat in conspectu Judicis, si Judicem timeat? Verba Hebraica et Græca possunt alium sensum facere, nimirum, quod injustus dolose agit, cum videtur velle redire ad cor, et confiteri peccata; nam non quærit peccata sua, dum conscientiæ suæ secreta rimatur, ut vere illa odio habeat, sed tantum ut fallat Deum, vel homines, et hunc sensum persequitur sanctus Augustinus. Verba Hebraica sic sonant : *Quoniam dolose egit adversus eum in oculis ejus ad inveniendam iniquitatem ejus, ad odiendum.* Græca vero sic habent : *Quoniam dolose egit in conspectu ejus, invenire iniquitatem suam, et odisse.* Quamvis autem sensus posterior verus sit, et verbis Prophetæ aptari possit, tamen prior sensus est magis universalis, et melius connectitur cum superioribus, et magis convenit cum vulgata Latina editione et non difficulter accommodari potest verbis Hebraicis et Græcis. Quod enim dicitur in codice Hebraico, *ad inveniendum iniquitatem ejus ad odium*, hunc sensum facit : Ut inveniat Deus iniquitatem ejus ad odiendum, id est non ad parcendum, sed ad puniendum. Quod autem dicitur in Græco codice, *invenire iniquitatem suam, et odisse;* potest etiam legi *invenire iniquitatem ejus, et odisse*, id est, ut Deus inveniat iniquitatem ejus et non ignoscat, sed odio habeat, et puniat, neque enim Græci habent discrimen inter ejus, et suam, ut nos Latini habemus proinde illud αὐτοῦ quod sanctus Augustinus legit, *suam*, noster Interpres legit, *ejus*.

3. Verba oris ejus iniquitas, et dolus, noluit intelligere, ut bene ageret.

Dixit Propheta hominem impium dolose agere, nunc addit etiam dolose loqui, additurus postea etiam dolose cogitare, ut undique manifestetur insignis perversitas ejus, qui Deum non timet. *Verba*, inquit, *oris ejus* sunt conformia factis, nimirum injusta, imo tam injusta, ut

non sit aliud nisi *iniquitas et dolus*, quidquid loquitur eo tendit, ut vel lædat aperte, vel decipiat. *Noluit intelligere, ut bene ageret*, id est, neque potest excusare culpam suam prætexendo ignorantiam. Voluntarie enim ignoravit, cum non curaverit discere legem justitiæ, vel per se investigando, vel ab aliis quærendo; quoniam decreverat male agere: ut male ageret, scientiam bene vivendi contempsit.

4. Iniquitatem meditatus est in cubili suo: astitit omni viæ non bonæ: malitiam autem non odivit.

Ordine retrogrado descripsit primo opera injusta, deinde verba iniqua, nunc tandem cogitationes, et affectiones malas describit, quamvis enim ex corde, ut est in Evangelio Matth. 13. procedant verba et opera mala: nos tamen ex operibus, et verbis malis, quæ videmus, et audimus, cognoscimus cogitationes, et voluntates malas, quas videre, et audire non possumus. *Iniquitatem*, inquit, *meditatus est in cubili suo*, id est, opera et verba iniqua, non casu, aut imprudenter patravit vel effudit, sed in secreto cubilis sui multo ante meditatus est. *Astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit*; id est, dum meditaretur in corde suo, et varia consilia occurrerent, quasi viæ ad operandum, approbavit omnia mala consilia, et sic ingredi cœpit omnem viam non bonam, quia corrupta est ejus voluntas, et ideo malitiam non odivit, sed amavit potius, non quia mala est, sed quia utilis visa est. Illud, *omni viæ non bonæ*, positum est pro omni viæ malæ, ac si diceret, non placuit illi ullum consilium bonum; sed e contrario elegit sequi omnia mala consilia, et sic *astitit viæ non bonæ*, id est, stetit in via non bona.

5. Domine in cœlo misericordia tua: et veritas tua usque ad nubes.

6. Justitia tua sicut montes Dei, judicia tua abyssus multa.

Transit Propheta ad alteram partem Psalmi, atque ostendit magnam quidem esse aliquorum hominum malitiam; sed majorem esse in Deo bonitatem, quæ in misericordia, et justitia ejus consistit. Ac de misericordia dicit, *In cœlo misericordia tua*, id est, tam magna est misericordia tua, ut a terra ad cœlum pertingat, et omnia repleat: quod clarius habetur in Psal. 107. *Magna est misericordia tua super cœlos.* Misericordiæ adjungit veritatem, id est, fidelitatem, quæ facit observari quod misericorditer promittitur; de qua dicitur in Psal. 144. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis. Et veritas tua usque ad nubes*, id est, misericordia ad cœlum usque pertingit cum sua comite veritate quæ ipsa quoque extenditur *usque ad nubes*, id est, usque ad cœlum, in quo sunt nubes. Neque minor est in Deo justitia, qua reddit unicuique secundum opera sua. Nam *justitia tua*, inquit, *sicut montes Dei*, id est, magna est instar montium altissimorum, qui nubes aliquando superant. Dicuntur enim res magnæ res Dei, ut alio loco Psal. 79. *Sicut cedros Dei.* Adjungit justitiæ judicia, quæ sunt actus justitiæ ac dicit, *Judicia tua abyssus multa*, id est, profunda, et inscrutabilia, quomodo profundissima vorago, quæ abyssus dicitur, oculis penetrari non potest. His omnibus corporalibus similitudinibus, altitudinis, et profunditatis divinæ misericordiæ et justitiæ, nec non veritatis, et judiciorum, nihil significatur aliud, nisi misericordiam et justitiam Dei majores esse, quam ut a nobis perfecte intelligi possint; quemadmodum oculis corporalibus non pertingimus ad ea, quæ superant nubes, vel quæ sunt infra terram.

7. Homines, et jumenta salvabis, Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus.

Ostendit nunc Propheta, misericordiam Dei maximam esse, quoniam salvat homines, et jumenta, id est, conservat, nutrit, replet corporalibus bonis, non solum homines, id est, eos qui ratione utuntur; sed etiam jumenta, id est, eos qui instar jumentorum, solo sensu, et appetitu ducuntur, quorum malitiam supra explicavit. Et vere infinita, et stupenda est misericordia, et benignitas Dei, qui cum posset impios, et blasphemos justissime perdere et ad nihilum redigere; tamen illo tempore, quo blasphemant, et maledicunt Deum, et mandata omnia Dei prævaricantur, Deus illos quasi manibus propriis sustentat, portat, et alit, delectationibus replet, solem suum oriri super eos facit, et pluviis de cœlo agros eorum, et hortos rigat. Illud autem, *quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus*, admirantis est, ac si dicat, O quomodo multiplicasti misericordiam tuam Deus! Nam in Hebraico codice habetur, מה יקר חסדך *ma iakar chasdecha. Quam pretiosa est misericordia tua Deus!* Neque dissentiunt codices Græci; et nostra Latina editio hunc sensum facile recipit. Est autem optimus commentarius textus originalis, quando ex eo versio nostra explicari potest.

8. Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.

Dixit de misericordia erga impios, et carnales, quos nomine jumentorum appellandos censuit. Nunc dicit de misericordia erga pios, et spirituales, quos filios hominum vocat: quæ etiam justitia dici potest respectu impiorum, quos tam eximiis bonis juste privandos esse decrevit. Ait igitur, *Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt*, id est, jumenta quidem corporali salute contenta esse debebunt, quam etiam solam noverunt, et solam appetiverunt. At filii hominum, quasi pulli sub alis gallinæ, ita ipsi sub alis tuis, Deus amantissime, collecti, et quiescentes, omnia bona a te uno sperabunt. Quibus verbis significatur præcipua quædam providentia, et singularis benevolentia Dei erga pios homines: et contra summa quædam, et securissima fiducia piorum ad Deum; qualis est gallinæ sollicitudo in fovendis pullis, et pullorum fiducia sub alis gallinæ. Qua similitudine quoniam aptissima est, sæpe utitur idem Propheta, ut Psal. 62. *In velamento alarum tuarum sperabo, adhæsit anima mea post te*, et Psal. 90. *Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis.* Quam autem dulce sit, et quam anteponendum omnibus humanis deliciis, sub alis Dei foveri, et paternam, vel maternam

pietatem ipsius experiri, nemo scit nisi qui accipit.

9. Inebriabuntur ad ubertate domus tuæ : et torrente voluptatis tuæ potabis eos.

Protectio sub alis Dei in hoc mundo habetur, ubi periculum est a morsibus milorum, et ferarum : at quod sequitur, in cœlesti patria nobis dabitur, explicat autem Propheta bona illa ineffabilia eo modo, quo potest, id est, corporalibus similitudinibus; et quidem primum sumit similitudinem ab ipso recipiente : deinde ab ea re, quæ recipitur. Ipse quidem recipiens tunc est contentus, cum est plenus, ut nihil amplius appetat. Ista plenitudo satians omnem appetitum describitur hoc loco aptissime per ebrietatem. Qui enim est avidus vini, tum demum est vere satur, cum est ebrius; tunc enim non amplius sitit vinum, sed in somnum resolvitur. Ita igitur et nos, qui in hac vita numquam satiamur, neque quiescimus, quantumlibet bona temporalia crescant; tum demum pleni, et saturi, ac per hoc beati erimus, cum inebriabimur ab ubertate bonorum, quæ sunt in domo Dei; quia tunc omni appetitu satiato, resolvemur in somnum sempiternæ quietis. Dicit autem, *inebriabuntur ab ubertate*, et non dicit inebriabuntur a vino, quia vult nos intelligere, non accipi hoc loco ebrietatem proprie, sed ut significat plenam satietatem. Deinde adducit similitudinem ab ipsa re, quæ datur, et recipitur, dicens, *Et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* In torrente tria sunt, multitudo maxima aquarum ex montibus descendentium, repentina inundatio, ubi enim paulo ante nihil erat aquæ, repente conspicitur flumen ingens; denique impetus aquarum decurrentium, et secum omnia obvia rapientium. Sic erit cœlestis beatitudo : aderit multitudo sapientiæ et scientiæ ex illo monte descendens, de quo dicitur, Eccles. 1. *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis*, id est, in excelso monte divinitatis est fons sapientiæ Verbum Dei : ex quo monte et fonte repentina oritur inundatio in Beatis. Nam qui in hac vita magno labore, et multo tempore, quasi guttatim sapientiam hauriebamus, ibi repente, et in momento Deo clare viso affluemus omni scientia, non solum rerum creatarum, sed etiam omnium attributorum ipsius Creatoris, quæ abundantia sapientiæ et scientiæ rapiet animum magno impetu ad amorem, et fruitionem summi boni. Neque enim in patria liberum erit diligere, vel non diligere Deum; frui, vel non frui bono tam magno : sed erit fœlicissima necessitas adhærendi summo bono, et per complexum intimum infinita suavitate fruendi.

10. Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.

Reddit rationem, cur ex visione Dei sit futura in Beatis tanta sapientiæ, et scientiæ inundatio: quia videlicet *apud Deum est fons vitæ* qui idem est cum fonte sapientiæ. Deus igitur, qui fons est sapientiæ, hoc ipso fons est vitæ, quia sapere sapientibus est vivere : et quia fons est vitæ, hoc ipso fons est essendi, quia vivere viventibus est esse. Dicitur autem fons sapientiæ, vitæ, et essentiæ, quia non habet ab alio, ut sapiat, aut vivat, aut sit; sed ipse est sapientia, est vita, est esse; et omnia alia, quæ utcumque sapiunt, vivunt, aut sunt, ab illo id habent. Utitur autem David nomine fontis, ut persistat in metaphora torrentis, quasi dicat, torrente nos potabis, quia apud te est fons, unde torrens ille descendit. Dicit autem, *apud te est fons vitæ*, cum videretur dicere debuisse, fons sapientiæ, quia voluit ostendere, vitam æternam justis promissam, atque ut summum bonum ab omnibus desideratam, in hac summa sapientia consistere, juxta verbum Domini, Joan. 17. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum et quem misisti Jesum Christum.* Addit vero, *in lumine tuo videbimus lumen*, ut tandem verbis clarioribus explicet quod per metaphoras adumbraverat. Nam *in lumine tuo videbimus lumen*, nihil aliud significat, nisi in te ipso, qui lux, et fons luminis es, videbimus te lumen inaccessibile, et indeficiens. Nunc enim videmus Deum, sed in speculo creaturarum; in mente nostra, quæ est imago Dei, ratiocinando, et discurrendo ab operibus ad opificis notitiam: denique in fide, non in specie : tunc autem videbimus Deum in seipso, et ut dicit Apostolus, 1. Corinth. 13. *facie ad faciem*, et ut loquitur B. Joannes, 1. Joan. 3. *Videbimus eum sicuti est*, non sicut in imagine repræsentatur. Et quoniam, ut idem Joannes dicit, 1. Joan. 1. *Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ*, ideo recte dicitur, *in lumine tuo*, id est, in ipsa tua divinitate, quæ lux est, non in figuris, et ænigmatibus, *videbimus lumen*, id est, te ipsum, *qui es lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Joan. 1. Recte quoque Theologi ex hoc loco colligunt lumen gloriæ, quod necessarium esse volunt ad Deum videndum. Nam Deus *lux quædam est, sed inacessibilis*, ut dicit B. Paulus, 1. Timoth. 6. et ideo nisi mens elevetur, et confortetur quodam dono Dei, quod vocant lumen gloriæ, non potest obtutum figere in lucem illam increatam : proinde videbimus quidem lumen, quod est ipse Deus, sed *in lumine ipsius*, id est, adjuti lumine gloriæ, quod ipse donat iis, quos ad sui visionem dignatur admittere. Sed prior explicatio videtur magis litteralis.

11. Prætende misericordiam tuam scientibus te : et injustitiam tuam his, qui recto sunt corde.

Docet nunc Propheta magna ista bona, de quibus hactenus locutus est, ad solos justos pertinere, quos paulo ante filios hominis appellavit, cum impios jumentorum nomine vocasset. Utitur quidem Propheta forma loquendi imperativi modi, sed vim habet apud prophetas ea forma modi indicativi, ut sæpe diximus. *Prætende*, inquit, *misericordiam tuam scientibus te*, id est, extende hanc magnam misericordiam tuam scientibus, id est, illis tantum, qui te cognoscunt notitia familiaritatis, et amicitiæ; qui tecum versantur, te invocant, qui audiunt te in præceptis tuis, et quos tu audis in precibus eorum. Quo modo loquendi dicitur in evangelio, Matth. 25. *Amen dico vobis, nescio vos : et justitiam tuam his qui recto sunt corde*, id est, extende, sive porrige hanc misericordiam, quæ simul est corona justitiæ, *his qui recto sunt corde*, id est, justis, et piis, qui cor habent rectum, et conforme rectitudini tuæ, et ideo placent illis

omnia mandata tua, et judicia tua. Idem enim petit Propheta more suo diversis vocabulis: nam scientes Deum notitia amicitiæ, ipsi sunt recti corde; et fœlicitas æterna misericordia, et justitia est; misericordia quidem, quia ex dono gratiæ facti sumus justi ex impiis, et amici ex inimicis, et recti corde ex distortis, et obliquis, et operarii bonorum operum, ex operariis iniquitatis: sed tamen eadem fœlicitas est etiam corona justitiæ, et merces bonorum operum. Nam ut habetur in Concilio Arausicano 2. can. 16. Debetur merces operibus bonis, si fiant; sed misericordia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.

12. Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me.

Sollicitus jam de se Propheta, ne à tanto bono forte excidat, precatur Deum pro dono perseverantiæ, ac præsertim contra vitium superbiæ, cui obnoxii sunt magni viri, qualis ipse erat. *Non veniat*, inquit, *mihi pes superbiæ*, id est, ne quæso sinas, ut mihi appropinquet pes superborum, ne forte manus ipsorum moveat me verbo, vel exemplo, vel alia tentatione, et dejiciat de statu gratiæ in foveam peccati. Nomine superbi, et peccatoris, cujus pedem, et manum, id est, cujus accessum, et potentiam timet, intelligitur præcipue diabolus, qui est Rex super omnes filios superbiæ; et deinde etiam ministri, et satellites ejus. Posset etiam cum sancto Augustino ita exponi, *Non veniat mihi pes superbiæ*, id est, non contingat mihi, ut incipiam habere pedem superbiæ, id est, affectum superbiæ; et manus peccatoris non moveat me, id est, et operatio peccatoris non inducat me ad consensum peccati, et sic vel ex meo vitio, vel ex tentatione aliorum dejiciat de statu meo, et cadam.

13. Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare.

Reddit rationem cur tantopere timeat sibi a superbia, quoniam, inquit, *ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem*, id est, *a superbia initium sumpsit omnis perditio*, ut ait Tobias cap. 4. nam et primus Angelus cum sociis suis, et primus homo cum uxore sua, ob superbiam ceciderunt, et per eos peccatum in mundum intravit. Et postea quam ceciderunt a justitia ad iniquitatem, expulsi sunt a Deo e loco fœlicitatis, et dejecti in profundum miseriarum. Nam *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*, ut dicunt Apostoli, Petrus in Epist. 1. cap. 5. et Jacobus cap. 4. *Nec potuerunt stare*, in loco illo felicitatis, in quo posuerat illos Deus, ut ad majora proveheret, si in bono perseverarent.

PSALMUS XXXVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

PSALMUS IPSI DAVID.

In titulo nihil est novi. Continet autem hic Psalmus pharmacum saluberrimum ad curandos animos pusillorum, qui facile scandalizantur, cum vident in hoc mundo impios prosperari, et inde dubitare incipiunt de providentia Dei, et animari ad imitanda opera impiorum. Non est in hoc Psalmo continuata quædam oratio, sed collectio quædam sententiarum, quasi aphorismorum, et ideo ut facilius memoria custodiretur, per alphabetum digestus est, ita ut primus, quasi aphorismus continens duos versiculos, incipiat a prima littera; secundus à secunda, et sic de aliis. Quas litteras notabimus, ut appareat distinctio sententiarum.

EXPLICATIO PSALMI.

1. *Aleph*. Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem.

2. Quoniam tamquam fœnum velociter arescent: et quemadmodum olera herbarum cito decident.

Admonet Propheta, tamquam spiritualis medicus, fideles, ut si videant impios prospere agere, non provocentur ad eos imitandos, neque irascantur, aut indignentur adversus Deum, quasi injustum: quoniam prosperitas impiorum non diu durabit, imo velocissime transibit; et tunc apparebit justitia, et providentia Dei, quæ impios non sinit diu exultare, et lætari. Verba tamen sunt obscuriora, propter constructionem verborum cum præpositionibus, quæ Hebraismum, vel Græcismum redolent: sed conabimur perspicuam sententiam reddere. *Noli æmulari in malignantibus*, id est, noli provocari ad æmulationem, sive, noli fieri æmulus, et rivalis malignorum. In Hebræo est, אל תתחר *al thitchar*, id est *ne irascaris*, vel ut S. Hieronymus reddit, *ne contendas cum malignantibus*: sed idem est sensus. Loquitur enim non de contentione, et pugna, quæ fit gladio, vel hasta; sed de ira, et contentione æmulationis, quomodo quidam certant in theatro carminibus canendis, alii in agone cursu equorum, vel curruum, et irascuntur nisi vincant. Itaque sensus est, ne

contendas cum malignantibus in temporalibus bonis per fas et nefas acquirendis, neque irascaris, si minus bene æmulatio ista succedit. Quod sequitur, *Neque zelaveris facientes iniquitatem*, idem est ac si dictum fuisset, neque indigneris succensus zelo super operantibus iniquitatem, injustum videlicet judicans, ut Deus tantis bonis afficiat iniquos. Clarius id habetur in psalm. 72. *Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde! mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns*, id est, Deus quidem bonus videtur his qui conformes sunt voluntati ipsius : sed ego, qui non tanta rectitudine polleo, pene cecidi in scandalum et dubitationem, dum zelo succendor quasi pro justitia, et irascor super impiorum prosperitate, dum cogito pacem, et reliqua bona, quæ possident, cum tormentis et pœnis dignissimi sint. Sequitur, *Quoniam tamquam fœnum velociter arescent, et quemadmodum olera herbarum cito decident.* Aptissima similitudo ad ostendendam brevitatem temporalis prosperitatis. Fœnum siquidem, et olera non habent profundas radices, ut cedri, et palmæ, quibus comparari solent justi. *Justus,* inquit idem David Psal. 91. *ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur.* Inde fit, ut fœnum, et olera continuo arescant, et putrescant, ut palmæ, et cedri diutissime perseverent. Neque dixit Propheta, prosperitatem impiorum cito perituram, sed ipsos impios citissime perituros : ipsis autem pereuntibus, dubium non est, quin omnis eorum gloria, et prosperitas pereat. Et quamvis nonnunquam impii multos annos vivant, et prospere illis omnia succedant; tamen multitudo illa annorum nihil omnino est, si ad diuturnitatem justorum, et felicitatis ipsorum comparetur. Nam *justi in perpetuum vivent*, Sap. 5. et, *In memoria æterna erit justus*, Psal. 111. et nihil est diuturnum quod habet finem. Vide Sap. 5. si vis ad vivum depictam videre velocitatem, et brevitatem rerum omnium temporalium. *Transierunt*, inquit, *omnia tamquam umbra, et tanquam nuncius præcurrens, et tamquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam quæ, cum præterierit, non est vestigium invenire, aut avis, quæ transvolat in aere, cujus nullum invenitur argumentum itineris, sed tantum sonitus alarum verberans levem ventum, aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum, divisus aer in se continuo reclusus est, ut ignoretur transitus illius, sic et nos nati continuo desinimus esse, etc.*

3. *Beth.* Spera in Domino, et fac bonitatem, et inhabita terram, et pasceris in divitiis ejus.

4. Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.

Absterruit nos a malo David in primo aphorismo : nunc in secundo incitat ad bonum, quasi dicat, Si vis beatus, et felix esse, intellige quis sit auctor omnis fœlicitatis, et ab eo expecta, ab illo spera, non ab aliis. *Spera*, inquit, *in Domino.* Ipse enim, qui Dominus rerum omnium est, ipse solus res suas vere dare potest; sed ut spes firma sit, et non confundaris, *fac bonitatem*, bene operando, juxta Dei mandata : quis enim facile sperare audeat in eo quem scit inimicum sibi esse? et tum demum securus *inhabita terram*, quis enim te expellet, si amicus ejus fueris, cujus est terra, et plenitudo ejus? quin etiam *pasceris in divitiis ejus*, terra enim ad te alendum abunde proferet fructus suos. S. Hieronymus ex Hebræo legit, fide, pro divitiis. Et vere in textu Hebraico est אמונה *emuna*, quod fidem, aut veritatem significat. Sed Septuaginta Interpretes non videntur in suo textu habuisse *emuna*, sed, המונה *hamona*, quæ vox divitias significat, et patet ex hoc eodem Psalmo vers. 16. ubi legitur, *Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas.* Quamvis etiamsi legamus, *pasceris fide, aut veritate,* erit sensus, pasceris in terra fide, id est, fideliter, et vere, quod est fere idem, cum *pasceris in divitiis ejus.* Ille enim fideliter, et vere pascitur in terra, cui non deest abundantia fructuum terræ, quæ sunt ejus divitiæ. Sed ut quis bene operetur, et sit amicus Dei, ita ut in illo secure confidat, necessaria est charitas, ideo dicit, *Delectare in Domino*, id est ama Deum ex corde, et ille sit deliciæ tuæ; et tunc securus eris, quia *dabit tibi petitiones cordis tui*, id est, quidquid cor tuum desiderabit. At, inquies, multos novimus, qui sperabant in Deo, et faciebant bonitatem, et delectabantur in Domino; et tamen non sinebantur habitare terram, nec pascebantur in divitiis ejus; nec dabat illis Deus petitiones cordis eorum. Nam, ut omittam multitudinem prope infinitam fidelium, quos videmus quotidie in summa egestate vitam degere : certe B. Paulus sperabat in Domino, et faciebat bonitatem, et tamen, ut ipse testatur 1. Corinth. 4. *ut purgamentum mundi, et peripsema ejiciebatur*, et esuriebat et sitiebat, et nudus erat. Et cum delectaretur in Domino, non dabat ei Dominus petitiones cordis sui, cum ter rogaverit, *ut auferretur ab eo stimulus carnis, et non impetraverit*, 2. Corinth. 12. Respondeo, maximam partem illorum, qui in summa egestate versantur, non sperare in Domino sicut oportet, nec observare mandata ejus, ut ipse jubet; multo etiam minus delectari in Domino : nam præter promissiones hujus Psalmi, Christus ipse Matth. 6. apertissime dicit, *Respicite volatilia cœli, quæ non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Deus pascit illa: nonne vos magis pluris estis illis?* et infra, *Quærite primum Regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* Itaque dubium esse non potest, Deum provisurum suis omnia necessaria, si serio illi confidant in Deo, et mandata ejus observent. Quod si aliquando id non fiat, ut dicebatur de Apostolo, ratio est, quia Deus dat illis aliquid melius, et quo illi magis contenti sunt, id est, meritum ingens patientiæ. Idem enim B. Paulus, qui scripsit suam egestatem, aliasque tribulationes, scripsit etiam, *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*, 2. Cor. 7. Et si non dedit ei Dominus petitionem cordis sui, ut auferret stimulum carnis; dedit ei gratiam abundantem, per quam stimulus ille converteretur in instrumentum triumphi. Itaque non dedit rem parvam, ut daret rem magnam, quam sciebat esse veram petitionem cordis ipsius.

5. *Gimel.* Revela Domino viam tuam, et spera in eo, et ipse faciet.

6. Et educet quasi lumen justitiam tuam, et judicium tuum tamquam meridiem.

Propinavit Propheta, ut bonus medicus, pharmacum contra morbum interiorem famis, sitis, et similium malorum : nunc proponit aliud contra morbum exteriorem persequutionum, et calumniarum. Quando enim ista nobis eveniunt, non prohibemur nos defendere, et calumnias propulsare, sed præcipuum remedium esse debet oratio ad Deum, et fiducia in Deo : quod observavit Susanna, quæ condemnata ad mortem per calumniam, flens suspexit ad cœlum; inquit Scriptura Danielis 13. *Erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino. Revela,* inquit David, *Domino viam tuam, et spera in eo,* id est, aperi in oratione coram Deo opera tua, et confide in Domino, committens illi causam tuam; *et ipse faciet,* nimirum judicium, et justitiam. Ipse inveniet rationem, qua detegatur falsitas testium, qui adversus te dixerunt testimonium; et qua innocentia tua manifesta fiat. Id quod clarius habetur in sequenti versiculo, *Et educet quasi lumen justitiam tuam,* id est, Deus admirabili providentia sua faciet, ut justitia tua, id est, jus tuum, quod erat quasi in tenebris sepultum propter calumnias persequutorum, emergat et clarissime conspiciatur, quo modo lumen cernitur, cum candela accenditur, vel cum profertur ex clausa, et obscura laterna. Et repetens idem aliis verbis, addit, *Et judicium tuum tamquam meridiem,* id est, producet in apertum, et clarum idem jus tuum, ut luceat, et conspiciatur ab omnibus, ut conspicitur Sol meridianus. Quod quidem in Susannæ judicio manifeste apparuit. Nam sicut initio justitia, et innocentia Susannæ in tenebris erat, quando à duobus testibus, contestibus, et omni exceptione majoribus convicta erat; ita paulo post, providentia Dei, excitante spiritum Danielis, et per eum demonstrata falsitate testium ex ore proprio ipsorum, tam clare apparuit innocentia Susannæ, et iniquitas testium, ut continuo, et ipsa liberata fuerit, et illi damnati à populo mala morte perierint. Quod attinet ad verba, illud, *revela.* S. Hieronymus, et Judæorum magistri ex Hebræo vertunt, *volve,* sive revolve, ut sensus sit, rejice in Deum causam tuam, juxta illud Psal. 54. *Jacta cogitatum in Dominum.* Sed *revela,* quod nos habemus ex versione Septuaginta Interpretum, non repugnat Hebraicæ voci, גול *gol,* quod significat revolve; nam et revolvitur quod in alium rejicitur, et revolvitur etiam quod aperitur, et explicatur, ut cernatur : quod coincidit cum *revela,* sive *aperi.* Utraque expositio vera est, sed nos Latinam editionem et commentarios Græcorum, et Latinorum Patrum sequi debemus, qui, *revela,* non *rejice,* exposuerunt. Porro cum revelare aliquid jubemur Deo, non ideo jubemur, quia Deus aliquid nesciat; sed quia vult orari a nobis, et per orationem explicari, quæ volumus, ut nos ipsi intelligamus, qua de causa divino auxilio egeamus. De vocibus, justitia, et judicium, notum est illa varie in variis locis accipi. Sed hoc loco, justitiam certum est accipi, pro jure; judicium autem vel accipiendum est etiam pro jure, cum eadem res agatur; vel pro justa sententia, quæ juri debetur: judicium enim actus justitiæ est.

Daleth. Subditus esto Domino, et ora eum.

7. Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua, in homine faciente injustitias.

Verba illa, *subditus esto Domino, et ora eum,* in editione Græca et Latina pertinent ad versiculum superiorem : in Hebræo vero codice sunt initium versiculi, ut manifeste apparet ex littera quarta alphabeti, quæ hic habetur. Nos ut ostenderemus Psalmum esse alphabeticum, posuimus ea verba sub littera Daleth, et tamen non adjunximus illi numerum versiculi septimi, ne mutaremus distinctionem versiculorum, quam in editione Latina habemus, et juxta quam distinctionem Psalmi canuntur in Ecclesia. Sensus hujus sententiæ, quæ quartus aphorismus spiritualis numerari potest, hic est. Vide, ut sis semper Deo ad nutum obediens, et ora eum assidue; ne forte si videris hominem fœlicem in seculo, et simul injustum, ejus fœlicitas tentet te, et inducat ad injustitiam. Vere enim magna tentatio est fœlicitas iniquorum; sed facile superatur, cum quis habet Deum semper ante oculos cordis, et illi per obedientiam, et orationem adhæret. Nam qui Deo ita adhæret, respicit quasi ex alto fœlicitatem iniquorum, et videns eam modicam, et fugacem, facile contemnit, ac despicit. Ait igitur, *Subditus esto Domino et ora eum,* id est, exhibe Deo puram, ac simplicem obedientiam, et cum illo per orationem frequenter versare, et colloquere. S. Hieronymus ex Hebræo vertit, *tace Domino, et expecta eum;* sed idem est sensus, quem Septuaginta Interpretes pluribus verbis explicare voluerunt. Illud igitur, *tace Domino,* quod in Hebræo significat, non murmures contra Deum, etiamsi nescias, cur ille aliquid jubeat, vel faciat, sed, ut subditum decet, silens obedias in omnibus. Illud autem, *expecta eum,* significat, pete in oratione, et patienter expecta. Dabit enim Dominus, quod petis, sed quando opportunum judicabit. *Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua, in homine faciente injustitias;* id est, noli fieri æmulus, et quasi rivalis hominis, qui in via sua, id est, in actionibus suis prosperatur; hominis, inquam, injusti, et iniqui, qui malefaciendo prosperatur. S. Hieronymus ex Hebræo vertit, *qui facit quæ cogitat,* pro eo quod nos ex Græco habemus, *faciente injustitias.* Sed vox, מזמות *mezimmoth,* quamvis descendant a verbo זמה *zamma,* quod est *cogitare :* tamen significat etiam, *scelera,* ut idem S. Hieron. eamdem vocem interpretatur in Psal. 25. vers. 12. et Hierem. 11. vers. 15.

8. *He.* Desine ab ira, et derelinque furorem, noli æmulari, ut maligneris.

9. Quoniam qui malignantur exterminabuntur, sustinentes autem Dominum, ipsi hæreditabunt terram.

Hæc sententia est quasi repetitio, et declaratio primæ sententiæ; in toto enim Psalmo res eadem sæpe repetitur, et inculcatur, ut illustrior fiat, et memoriæ magis inhæreat. In primo versu dixerat, *Non zelaveris facientes iniquitatem :* idipsum nunc dicit clarius, cum ait, *Desine ab ira, et derelinque furorem,* id est, cum

videris impium in terra florere non irascaris, neque incipias furere, et dicere. Quare iste iniquus prosperatur? ubi est justitia Dei? ubi providentia illius? Item in primo versu dixerat, *noli æmulari, ut maligneris*, id est, noli æmulando malignos fieri socius malignantium, Noli imitari opera injusta eorum quorum fœlicitati invides, et addit, *Quoniam qui malignantur, exterminabuntur;* ut declaret quod antea dixerat, *quoniam tamquam fœnum velociter arescent.* Adjungit postea, *sustinentes autem Dominum, ipsi hæreditabunt terram,* ut repetat, et declaret, quod ibi dixerat, *Spera in Domino, et inhabita terram.* Sustinent enim Dominum, qui patienter expectant promissiones ejus, et securi expectant; quoniam fidelis, et potens est Dominus, qui promisit. Et ideo sine ullo dubio, qui malignantur, etiamsi ad tempus florere videantur, non diu florebunt, sed exterminabuntur de terra, et in gehennam ad æternam infœlicitatem detrudentur: qui autem abstinent se ab iniquitate, et a Domino mercedem suam sperant, *ipsi hæreditabunt terram,* id est, ipsi stabili possessione terram obtinebunt, quasi propriam hæreditatem, quæ ab eis numquam auferetur. Vere enim homines pii cum migrant ad Deum, non amittunt possessionem terræ, sed acquirunt cœlum, et terram, cum dicatur de eis, *Super omnia bona sua constituet eos,* Matth. 24.

10. *Vau.* Et adhuc pusillum, et non erit peccator, et quæres locum ejus, et non invenies.

11. Mansueti autem hæreditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis.

Quia dixerat, *Malignantes exterminabuntur,* addit hoc brevi futurum. *Et adhuc*, inquit, *pusillum* temporis pertransibit, et *peccator,* qui videbatur felix, non apparebit in terra: *et quæres locum ejus inter homines, et non invenies,* quia videlicet periit omnino, et quasi arbor infructuosa radicitus evulsus est. *Mansueti autem* id est, illi qui non indignantur, nec irascuntur Deo, cum vident impios prosperari; sed patienter ferunt, et tolerant id quod Deo placet, *hæreditabunt terram,* non solum hanc ubi peregrinamur, sed etiam illam viventium quæ sola proprie terra est, id est, firma, et stabilis, unde et Dominus ait Matth. 5. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram:* et quia terra illa dicitur Jerusalem, id est, visio pacis, cum omnes inimici longissime ab illa absint; ideo *delectabuntur in multitudine pacis,* id est, fruentur pace multa, quia pax illa erit cum multitudine magna incolentium terram illam, et durabit multo tempore, vel potius æterno tempore, et sic delectationem habebunt: quam pax adferre secum solet.

12. *Zain.* Observabit peccator justum, et stridebit super eum dentibus suis.

13. Dominus autem irridebit eum: quoniam prospicit, quod veniet dies ejus.

Monet S. Propheta justum, ut non multum formidet insidias iniquorum, quia Deus vigilat ad custodiam ejus. *Observabit*, inquit, *peccator justum,* id est, attente respiciet peccator omnes actiones justi, ut inveniat aditum ad eum perdendum. *Et stridebit super eum dentibus suis,* id est, instar famelici canis desiderabit interitum ejus, ac præ iracundia, et indignatione dentibus frendebit. *Dominus autem irridebit eum,* id est, Dominus, qui omnia prospicit, et in cujus manu sunt omnia, ita ut non cadat folium in terram, nisi ipso jubente, vel permittente *irridebit eum. Quoniam prospicit quod veniet dies ejus,* id est, irridebit eum, quoniam videt instare diem interitus ejus, et illum ante rapiendum, quam justo nocere potuerit. Nam etiam si forte Deus permittat justum a peccatore occidi; tamen prius peccator animam suam occidit, quam justi corpus occidat: et quoniam mors justi pretiosa est in conspectu Domini, et lucrum est non detrimentum; mors autem peccatorum pessima, et ad mortem sempiternam peccatorem detrudit, ideo semper ante rapitur peccator, quam justo nocere potuerit. Proinde irridendus merito est, quia dum alterius interitum procurat, imminentem interitum suum non videt.

14. *Chet.* Gladium evaginaverunt peccatores, intenderunt arcum suum.

15. Ut dejiciant pauperem, et inopem, ut trucident rectos corde.

16. Gladius eorum intret in corda ipsorum, et arcus eorum confringatur.

Declarat hic Propheta, quod obscurius dixerat in superioribus versiculis litteræ Zain. Quod enim ibi dixit *observat peccator justum,* hic declarat, dicens, *Gladium evaginaverunt peccatores, intenderunt arcum suum,* id est, stant peccatores armati districtis gladiis, et arcubus extensis, observantes quando sit tempus occidendi justum, ut videlicet tunc dejiciant arcu, et trucident gladio justum, qui pauper et inops est, et rectus corde. Sed Deus, qui prospicit omnia ex alto, facit ut gladius convertatur in corda ipsorum, et arcus eorum conteratur, et ipsis solis noceat, et sic irridebit eos. Observandum hoc loco est, quod hic dicitur de gladio et arcu posse intelligi tum de arcu, et gladio ferreo, tum de gladio, et arcu linguæ. Sæpe enim peccatores occidunt justos, vel certe conantur occidere calumniis, et falsis testimoniis, sæpe etiam vero gladio, et arcu. Item notandum est, verbum illud, *ut dejiciant,* recte sic positum esse in editione Sixti V. Pontificis, cum antea haberetur in codicibus vulgatis, *ut decipiant:* nam cum in Hebraico, et Græco codice habeatur להפיל *lehalpol dejiciant,* et sic legerint veteres Patres, et hoc requirat conjunctio cum arcu, et gladio, et denique non deessent codices antiqui Latini manuscripti qui haberent, *ut dejiciant,* facile dijudicari potuit, errore librariorum ob litterarum similitudinem, irrepsisse *decipiant,* pro *dejiciant.* Rursum considerandum est, justum hoc loco dici rectum corde, vel ut est in Hebræo ישרי דרך *iische darech, rectum via,* quia justus cor habet conforme legi Dei, quæ est rectissima; et quia eadem lex est via recta, per quam ambulare debemus, dum operamur, ideo rectus corde dicitur etiam rectus via, quia numquam aberrat a recta via, quæ est lex Domini. Præterea notandum hoc loco, justum dici pauperem, et inopem, vel quia omnes justi sunt pauperes spiritu; et licet

interdum divitiis abundent, intelligunt eas divitias non esse proprie suas, cum de eis rationem reddituri sint Deo; vel certe non loquitur David de omnibus justis, sed solum de pauperibus, et abjectis, qui a potentibus opprimuntur. Porro inter pauperem et inopem hoc interest quo ad voces Hebraicas, quod עני *hani*, pro qua habemus *pauperem*, significat humilem, afflictum, mitem; אביון *ebion*, pro qua voce habemus, inopem, significat proprie egenum, qui omnia desiderat, quia omnibus caret. Denique illa imprecatio, *gladius eorum in tretin corda ipsorum*, est prædictio potius, quam imprecatio. Tunc autem gladius peccatoris, extensus adversus justum intrat in corda peccatoris quando peccator dum nocere intendit justo, sibi ipse magis nocet: dum enim forte spoliat justum pallio, se ipse spoliat fide, et charitate: et dum justum privat vita carnis, se ipse privat gratia Dei, quæ est vita animæ, et dum justum calumniis suis trudit in carcerem, se ipse præcipitat in gehennam.

17. *Teth*. Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas.

18. Quoniam brachia peccatorum conterentur, confirmat autem justos Dominus.

Ne justi pauperes iniquis divitibus invideant, et dimissa justitia ad perpetrandam iniquitatem accedant, munit eos David his duobus versiculis, *Melius* inquit *est modicum justo super divitias peccatorum multas:* id est, plus prodest justo modica substantia, quam peccatori ingentes divitiæ: proinde fœlicior est justus tenuis, quam peccator locuples; et ideo magis expetenda est justitia cum parvis opibus, quam multæ copiæ cum justitia. Ratio est, quia justus dirigitur à Deo, ut sciat uti divitiis, non est avarus, non est prodigus, ac propterea non eget, neque gravatur ære alieno, neque retinet otiosas opes, unde vel in superbiam erigatur, vel ad luxuriam provocetur. Peccator autem superbus, et prodigus est, nec scit uti divitiis; inde semper eget, semperque debet, nec diu statum suum conservare potest. Atque hoc est quod sequitur, *Quoniam brachia peccatorum conterentur, confirmat autem justos Dominus;* id est, potentia et fortitudo peccatoris facile deficiet, quia nititur brachio carnis, nec divitiæ illum juvare poterunt. Justi autem fortitudo, et potentia non potest deficere, quia nititur brachio Dei, Deus etiam, qui amicus justorum est, illum confirmat, vel ut clarius rem explicat vox Hebraica סומך *somech* sustentat. Denique peccator non obstantibus maximis suis divitiis, non effugiet æternum interitum, quia cum morietur nihil secum asportabit, neque descendet cum eo gloria ejus. Justus autem, qui non in divitiis terrenis, sed in Deo confidit, in sempiternum vivet.

19. *Iod*. Novit Dominus dies immaculatorum, et hæreditas eorum in æternum erit.

20. Non confundentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur.

Confirmat Propheta quod paulo ante dixit de fœlicitate justorum, etiamsi modicas opes habeant, *Novit*, inquit, *Dominus dies immaculatorum*, id est, approbat Dominus vitam justorum, eisque favet, et benedicit, et ideo dies eorum diuturni erunt, et hæreditas eorum cum ipsis diutissime conservabitur. *Non confundentur in tempore malo*, id est, tempore sterilitatis, et penuriæ non confundentur, quia non cogentur erubescere mendicando panem, et *in diebus famis saturabuntur*, id est, non solum non erubescent mendicando tempore communis famis, sed etiam habebunt ex suis copiis, unde comedant ad satietatem; sed hæc interdum implentur in hoc seculo, semper autem implebuntur in futuro. Ventura enim est post hanc vitam incredibilis quædam sterilitas, quando nemo poterit serere, vel metere, et dives inferno guttam aquæ desiderabit, nec obtinebit. Tunc igitur immaculati, qui nihil dimiserunt in terra, sed in cælum omnia transtulerunt, invenient æternam hæreditatem, neque confundentur mendicando cum stultis virginibus, *date nobis de oleo vestro*, Math. 25. satiabuntur, cum apparuerit gloria Domini.

Caph. Quia peccatores peribunt.

21. Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint, et exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.

Tres primæ dictiones pertinent ad versiculum superiorem in editione Græca et Latina: sed voluimus eas hoc loco ponere, ut appareat artificium Prophetæ qui per litteras alphabeti Psalmum digessit. Nam in illa particula, *quia* posuit litteram Caph, quæ in alphabeto sequitur; et inde incipit in Hebræo novus versus. Ergo illa verba, *Quia peccatores peribunt*, reddunt rationem, cur immaculati pacifice possidebunt hæreditatem in terra, et in tempore famis saturabuntur. Id enim fiet, quia *peccatores*, qui eos perturbare, eisque bona sua diripere solebant, *peribunt*. Quod autem sequitur, *Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint, et exaltati, deficientes, quemadmodum fumus deficient*, respondet duobus versiculis superioribus ut hic sit sensus. Immaculati homines, tamquam amici Dei habebunt æternam hæreditatem, et in tempore malo non confundentur: *inimici vero Domini*, quales sunt omnes peccatores e contrario habebunt brevissimam fœlicitatem; statim enim atque exaltari cœperint evanescent instar fumi, qui dum exaltatur consumitur, neque vestigium ullum post se relinquit. Illud verbum, *exaltati*, à S. Hieronymo legitur, sicut Monocerotes, ab aliis, Agni, quæ sunt res diversissimæ. In Hebræo nunc habetur כרים *Carim*, quod proprie Agnos significat, et ad sententiam hujus loci nihil facit. S. Hieronymus videtur legisse כרים *Carem*, et ideo vertit, sicut Monocerotes, nam Monocerotes in libro Num. c. 23. et 24. dicitur ראם *reem*, et in lib. Judic. cap. 38. dicitur, רים *rem*, et tunc sensus est, quod *inimici Domini cum honorificati*, et gloriantes fuerint sicut Monocerotes, tamquam fumus consumentur. Sed Septuaginta Interpretes non legerunt כרים *Carim*, neque *Carem*, sed *Catum;* et ideo recte verterunt, *Cum exaltati fuerint*, quæ lectio optima est eamque noster interpres etiam sequutus est, et tota frequentat Ecclesia.

22. *Lamed*. Mutuabitur peccator et non solvet: justus autem miseretur, et tribuet.

23. Quia benedicentes ei hæreditabunt terram, maledicentes autem ei disperibunt.

Confirmat quod supra dixerat, *Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas.* Nam sæpissime accidit, ut peccator quamvis ditissimus, mutuo accipiat pecuniam, et tamen non restituat: quia volunt peccatores supra censum laute vivere, vel superbe vestiri, aut habitare: inde semper laborant ære alieno gravati: justus autem, qui, ut supra diximus, scit uti divitiis, etiam si modicum habeat, tamen ex modico illo habet, unde misereatur pauperum, et retribuat sine spe recuperandi, *Quia benedicens ei*, Deo videlicet, ut Augustinus exponit, *hæreditabunt terram*, et sic semper habebunt unde tribuant: *maledicentes autem ei*, tamquam blasphemi, et ingrati: *disperibunt*, ut etiam si velint tribuere, non possint. S. Hieronymus legit passive, quia *benedicti ab eo*, nimirum à Deo, *hæreditabunt terram, maledicti ab eo disperibunt.* Et quidem verba Hebraica modica facta mutatione punctorum, tam active, quam passive exponi possunt, et una sententia aliam infert. Qui enim Deum in omnibus rebus benedicunt, ab eo quoque benedicuntur; et qui Deo maledicunt, maledictionem ipsius consequentur.

24. *Mem.* Apud Dominum gressus hominis dirigentur, et viam ejus volet.

25. Cum ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.

Incipit hoc loco Propheta exponere singularem Dei providentiam erga justos, ut tanto magis eos confirmet, ne forte prosperitas impiorum eos alliciat ad peccandum. Dicit igitur, vitam justorum à Domino dirigi, et custodiri. *Apud Dominum*, inquit, *gressus hominis*, justi ille diriget actiones, et opera justi, qui justum fecit. *Et viam ejus volet*, id est hinc fiet, *ut justus viam Domini velit*, diligat, libenter sequatur: vel, *Deus volet viam justi*, id est approbabit actiones, et opera ejus. Prior explicatio S. Augustini, posterior Euthymii est, illud apud Dominum in textu originali est מיהוה *me* ADONAI, à Domino, et sic legit S. Augustinus et Græci Interpretes: sed verba nostræ editionis, ut non dissentiant à textu originali, sic explicanda sunt, *Apud Dominum*, id est in secreto consilio Domini *dirigentur.* Sequitur, *Cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Potest hoc referri ad miserias corporales, et etiam ad miserias animæ. Nam si justus ceciderit in aliquam afflictionem, et tribulationem, quasi quæ sunt foveæ, vel saxa, vel lutum in via vitæ hujus, *non collidetur*, id est non omnino succumbet, aut opprimetur; *quia Dominus supponit manum suam,* ne lædatur, vel ut est in Hebræo, כי יהוה סמוך ידו *chi*, ADONAI *somech iado, quia Deus sustentat eum manu sua*, id est auxilio, et providentia sua. Et si forte ceciderit in tentationem peccati, non collidetur, id est, non perveniet ad consensum culpæ lethalis, nec amittet patientiam, aut fidem, aut aliam virtutem, quia Dominus auxilio gratiæ suæ sustentabit eum.

26. *Nun.* Junior fui, etenim senui, et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.

27. Tota die miseretur et commodat, et semen illius in benedictione erit.

Probat ab experientia sua, quod supra dixerat, justos in tempore malo non confundendos, et in diebus famis saturandos. *Junior fui*, inquit, velut expressius habetur in Hebræo נער היתי *nahhari haythi*, puer fui, et postea senui, et in tam longo tempore *numquam vidi justum derelictum à Deo*, ita ut inopia premeretur; nec vidi semen ejus, id est, filios ejus quærentes, et mendicantes panem. Sed contra potius vidi, quod justus *tota die miseretur et commodat*, id est, omni tempore ita abundat, ut vel ex misericordia donet, vel certe mutuo, aut commodato det proximis de facultatibus suis. Quare *semen illius*, id est, filii ejus non solum non mendicabunt panem, sed *in benedictione erunt*, id est benedicti à Deo copiis abundabunt, vel ab omnibus benedicentur, tamquam filii optimorum parentum. Observa circa verba, illud etenim, in Hebræo esse; גם *gam* quod significat, etiam, ut sensus sit, *puer fui, et etiam senui.* In Græco quidem habetur καὶ γὰρ, etenim, sed accipi potest pro, etiam. Observa præterea non repugnare hujus sententiæ veritati, etiam si videamus in Ecclesia multos fideles mendicantes panem. Nam mendicantes religiosis ponte mendicant amore paupertatis, non necessitate inopiæ, neque derelicti dici possunt, cum Deus eos mirabili providentia sua alat, et sustentet. Cæteri mendicantes, ut plurimum non sunt filii eorum, qui consueverint misereri aliorum, et donare; ad hos enim proprie hæc promissio pertinet. Sæpe etiam neque justi sunt ipsi, neque filii justorum: denique, ut supra diximus, si qui vere justi, et sperantes in Domino derelicti videntur, et quærentes micas panis, ut Lazarus de Evangelio, Luc. 16. ii melius aliquid à Domino acceperunt, quam sit copia rerum temporalium: neque mutarent meritum patientiæ cum omni temporali fœlicitate.

28. *Samech.* Declina a malo et fac bonum, et inhabita in seculum seculi.

29. Quia Dominus amat judicium, et non derelinquet sanctos suos: in æternum conservabuntur.

Ex iis quæ dixit paulo ante, se fuisse expertum à pueritia usque ad senectutem, concludit per modum adhortantis, ac dicit, *Declina à malo, et fac bonum*, quæ sunt duo prima præcepta justitiæ; *et inhabita in seculum seculi*, id est, vide ut justus sis, et securus inhabitabis terram usque in sempiternum. Et reddit rationem, cur justi terram perpetuo habitaturi sunt. *Quoniam* inquit, *Dominus amat judicium*, id est, justos servos suos; ideo affirmo, quod in *æternum conservabuntur.* Hæc promissio pertinet quidem aliquo modo ad hanc vitam, in qua per varias successiones justi longo tempore terram inhabitare solent: sed absolute et proprie pertinet ad vitam futuram, quæ in terra viventium sempiterna erit.

30. *Aiin.* Injusti punientur, et semen impiorum peribit.

31. Justi autem hæreditabunt terram, et inhabitabunt in seculum seculi super eam.

Hoc loco desunt in Hebræo duæ primæ dictiones, videlicet, *injusti punientur*, quæ apertissime leguntur in textu Græco: et hinc factum est ut non appareat littera Aiin, initio horum duorum versiculorum, ut numerus, et ordo litterarum alphabeti postulabat. Sed vox injusti, quæ est apud Græcos, et Latinos, apud Hebræos esset, עוילים *havilim*, quæ incipit per Aiin. Itaque si addatur ad Hebræum textum, *Injusti punientur*, vocibus Hebraicis, constabit ratio alphabeti. Sententia autem horum versiculorum clarissima est, ut explicatione non egeat.

32. *Phe.* Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium.

33. Lex Dei ejus in corde ipsius, et non supplantabuntur gressus ejus.

Dixit paulo ante divinam providentiam vigilaturam, ne justi ab impiis opprimantur: nunc addit justos quoque per sapientiam suam, quæ est etiam Dei donum, effecturos, ut non supplantentur à malitia iniquorum. *Os justi meditabitur sapientiam*, id est justus sapienter loquetur, ut non possit capi in sermone: meditari enim sapientiam ore, nihil est aliud, nisi exercere sapientiam inter loquendum, ut alibi diximus: et ipsum repetit David cum addit, *Et lingua ejus* hoc *loquetur judicium*, id est, lingua justi non temere profundet verba, sed loquetur quod justum est, et quod pro tempore dici debet, quod est sapienter loqui. Addit rationem dicens, *Lex Dei ejus in corde ipsius*, id est, sermo justi sale sapientiæ conditus erit, quia justus habet in corde legem Dei, et propterea dum loquitur cogitat mandata Dei, ut non delinquat in lingua sua: et propterea *lex est lux*, ut ait Salomon Proverb. 6. et ut idem David ait Psal. 18. *Lex Domini illuminat corda, et sapientiam præstat parvulis*; et ideo non est mirum, si justus qui habet legem in corde, eamque cogitat, et diligit, sapienter loquatur. Ex his colligit Propheta, *Et non supplantabuntur gressus ejus*, id est, quia justus semper loquitur, nemo illum supplantando impellet ad casum. Supplantare dicitur, qui plantam alterius tenendo vel impediendo, cadere illum cogit, præsertim quando id astutia potius, quam violentia fit. Ergo non supplantabuntur pedes ejus, ac per hoc non impelletur justus ad casum dolo alicujus iniqui circumventus.

34. *Zade.* Considerat peccator justum, et quærit mortificare eum.

35. Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus: nec damnabit eum, cum judicabitur illi.

Declarant hi duo versiculi versiculos duos superiores. *Considerat*, inquit, *peccator justum*, nimirum observans diligenter quid loquatur, et quid agat, ut supplantet eum; *et quærit mortificare eum*, id est quærit supplantando illum occidere. Quod quidem præcipue fieri solet in judiciis, cum judex, vel accusator iniquus innocentem aliquem circumvenire, et perdere cupit. *Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus*, id est, Dominus non permittet, ut peccator habeat justum in potestate, et ideo inspirabit illi sapientiam, ut cognoscat fraudes inimicorum, et sapienter loquendo evitet supplantationes eorum. *Nec damnabit eum, cum judicabitur illi*, id est Judex non damnabit justum, cum tempus judicii ejus advenerit, quia Deus non permittet obscurari justitiam. Verba illa, cum judicabitur illi, clariora sunt in textu originali, בהשפתו *bechischaptho*, et nihil aliud significant, nisi cum ille, justus videlicet, *judicandus erit*; sive *cum fiet ei judicium*; sive, *cum judicabitur*. Habentur eadem fere verba versu 12. *Observabit peccator justum, et stridebit dentibus in eum*, etc. sed ibi de violentia agitur, hic de astutia.

36. *Coph.* Expecta Dominum, et custodi viam ejus: et exaltabit te, ut hæreditate capias terram; cum perierint peccatores videbis.

Hortatur Propheta justum, ut speret in Deo, et perseveret in justitia. *Expecta Dominum*, id est, spera in Deo, si forte differri tibi videtur promissio ejus: *et custodi viam ejus*, id est, observa legem ejus, et non declines a via jam inchoata sanctitatis, et justitiæ, *ut hæreditate capias terram*, id est, ut cum implebitur promissio ejus, possideas quasi propria hæreditate, terram viventium. *Cum perierint peccatores, videbis*, id est, cum peccatores omnes judicio divino condemnati perierint, tunc videbis quod nunc speras.

37. *Res.* Vidi impium superexaltatum, et elevatum, sicut Cedros Libani.

38. Et transivi, et ecce non erat; quæsivi eum, et non est inventus locus ejus.

Quia dixerat, *Cum perierint peccatores videbis*, poterat justus quærere, quando hoc erit; ideo nunc addit, brevi hoc futurum esse. Nam *vidi*, inquit, *impium superexaltatum, et elevatum sicut Cedros Libani*, id est, positum in altissimo gradu dignitatis, et potestatis, et radicatum, ac fundatum opibus, clientelis, et similibus rebus, ut videretur æterna futura ejus fœlicitas: et tamen vix *pertransii, et ecce non erat*, id est transiens vidi hominem illum elevatum, et radicatum, ut cedros Libani, et vix illum pertransii, et ecce respicio post me, et evanuerat, *quæsivi*, ubi fuisset, et an vestigia remanerent tantæ magnitudinis, *et non est inventus locus ejus* quasi numquam ibi fuisset. Hæc verissima esse quotidiana experientia docet. Ubi enim nunc sunt potentissimi illi Monarchæ, ut de minoribus taceam, Assyriorum, Persarum, Græcorum, et Romanorum? Certe nisi aliquid in libris historicorum legeremus, ignoraremus illos umquam fuisse. Ita nulla supersunt vestigia tantæ potentiæ; et tamen humana superbia, mortalibus oculos perstringit, ut videre non possint, quæ tangunt manibus, et cedere nolint, quæ vel inviti sentire, et experiri coguntur. Quod attinet ad verba, in Hebræo habetur. ראיתי רשע עריץ *raithi raschah hharib. Vidi impium robustum, fortissimum*, sicut indigenam virentem. Sed Septuaginta Interpretes respicientes ad similitudinem cedri, ut rem magis explicarent, dixerunt, *superexaltatum, et elevatum*; ex quo tamen sequitur ut robustus, et fortissimus esset: cedri enim altissimæ, et robustæ, et fortissimæ sunt. Et pro illo, *sicut indigenam virentem*, verterunt Septuaginta, *sicut Cedros Libani*, quia

non legerunt, ut nunc habemus, כארזח *ceerza, sicut indigenam*, sed una littera transposita, כאזרח *ce ezra*, sicut cedros: et quia cedri virentes in monte Libano potissimum inveniuntur, ideo pro, *cedros virentes*, posuerunt, *cedros Libani*. Porro ubi nos legimus, *et transivi*, in Hebræo est, ויעבור *veiahabor*, et transivit; sed credibile est Hebraicam vocem incuria librariorum esse corruptam unius litteræ mutatione. Nam non solum Septuaginta Interpretes verterunt in prima persona, sed etiam S. Hieronymus.

39. *Schin*. Custodi innocentiam, et vide æquitatem, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.

40. Injusti autem disperibunt simul, reliquiæ impiorum interibunt.

Pergit Propheta in adhortatione, et ait, *Custodi innocentiam et vide æquitatem*, id est, conserva innocentiam erga te ipsum, *et vide æquitatem*, id est, judica quod rectum est erga proximos. *Quoniam sunt reliquiæ homini pacifico*, id est, quia dabit Deus in præmium homini pacifico, ut relinquat filios post se. Vel altiore sensu, quia multa bona reliqua sunt homini pacifico post mortem ejus. *Opera enim bona sequuntur illos, qui in Domino moriuntur*, ut dicitur Apoc. 14. *Injusti* autem e contrario, *peribunt*, ipsi simul omnes nullo excepto, *et reliquiæ peribunt cum eis*, quia nec filios in hoc seculo relinquent, nec boni aliud eis reliquum erit; cum omnia in concupiscentiis suis, sceleribusque consumpserint.

41. *Thau*. Salus autem justorum a Domino, et protector eorum in tempore tribulationis.

42. Et adjuvabit eos Dominus, et liberabit eos, et eruet eos a peccatoribus, et salvabit eos, quia speraverunt in eo.

Hæc est quasi recapitulatio Psalmi totius, et satis aperta, et perspicua.

PSALMUS XXXVII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

PSALMUS DAVID, IN REMEMORATIONEM DE SABBATO.

Titulus hujus Psalmi in Hebræo codice, non facit mentionem *Sabbati*, sed solius rememorationis; tamen placuit Interpretibus Septuaginta, viris gravissimis, explicandi gratia, addere vocem, *Sabbati*. Videtur autem satis apta esse explicatio S. Augustini, quam etiam sequitur S. Gregorius, ut hic Psalmus, qui unus est ex iis, qui proprie ad pœnitentiam pertinent, compositus sit a pœnitente Davide, in rememorationem *Sabbati*, id est, quietis amissæ in statu innocentiæ, vel promissæ in resurrectione justorum. Posset etiam intelligi de Sabbato quod agit bona conscientia, dum gratia Dei fruitur; et quod amittit, qui peccat; et cujus cum gemitu recordatur, qui veram pœnitentiam agere incipit. Argumentum Psalmi est oratio pœnitentis, similis illi, quæ habetur in Psalmo sexto, qui idem omnino principium habet, et valde probabile est compositam fuisse hanc orationem eo tempore, quo David fugit de Jerusalem ob persecutionem Absalonis.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Precatur David pœnitens, ut Deus eum non puniat in ira et furore suo, ut judex cum reis facit, sed in misericordia, ut medicus cum ægrotis se gerit. Vide quæ diximus ad initium Psalmi sexti; ubi ostendimus nihil interesse hoc loco inter furorem, et iram; et inter arguere, et corripere. Si tamen placet discrimen admittere, poteris cum S. Augustino, et sancto Gregorio dicere, illos argui in furore, qui damnantur ad gehennam; illos in ira corripi, qui post mortem in igne purgatorii cruciantur: Prophetam autem precari Deum, ut hic illum puniat pro peccatis admissis, non in purgatorio, vel gehenna. Monet autem S. Augustinus non esse contemnendum ignem purgatorii, quoniam gravior est ille ignis, quam quicquid pati potest homo in hac vita. Illud quoque addendum est, quamvis hoc loco, et in Psalm. 2. vers. 5. et Psalm. 6. vers. 1. accipiatur ira Dei pro damnatione ex justitia: tamen alibi accipi aliquando pro zelo patris, qui irascitur filiis, non ut perdat, sed ut cutodiat.

2. Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, et confirmasti super me manum tuam.

Quia noverat Propheta, nihil esse utilius ad veniam peccatorum impetrandam, quam plene cognoscere miseriam peccati, et eam cum Domino deplorare; deflet in hoc versiculo, et aliquot sequentibus infelicitatem, quam secum adfert lethale peccatum. Ait igitur, *Non arguas*

me in ira tua, quoniam ea gravissima est, ut jam experientia didici. Siquidem *sagittæ tuæ infixæ sunt mihi*, id est multæ tribulationes, te puniente peccatum meum, acciderunt mihi; *et confirmasti super me manum tuam*, id est, ideo sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, et non leviter tantum tetigerunt, quia tu manum tuam aggravasti super me, ut sagittæ profundius penetrarent. Videtur autem per has tribulationes et supplicia intelligere mortem filii ex Bethsabea suscepti, stuprum filiæ a proprio ejus fratre illatum, cædem Ammonis filii, incestum, et adulterium uxorum suarum a proprio filio patratum, expulsionem suam a Regno, et alia id genus, quæ propter peccatum suum, Domino ulciscente, perpessus est. Fortasse etiam sagittas vocat verba illa increpatoria et comminatoria, quæ a Nathan Dei nuntio audivit, 2. Reg. 12. *Hæc dicit Dominus Deus Israel, Ego unxi te in Regem super Israel; et ego erui te de manu Saul, et dedi tibi domum Domini tui, et uxores Domini tui in sinu tuo, dedique tibi domum Israel et Juda. Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo? Uriam Ethæum percussisti gladio, et uxorem illius accepisti in uxorem tibi. Quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum*, etc. Certe ista exprobratio beneficiorum, et comminatio pœnarum pupugit sine dubio gravissime animum Davidis, et verecundia, timore, et dolore vehementissimo illum affecit.

3. Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

Describit effectum sagittarum Domini, ac dicit se vehementer conturbari, nec requiescere posse dum iram Dei, et peccata sua recogitat, quæ iram illam meruerunt. *Non est sanitas*, inquit, *in carne mea a facie iræ tuæ*, id est, aspectus iræ tuæ, quæ mihi semper ante oculos mentis versatur, carnem meam mœrere, et tabescere facit. Dolor enim animi carnem quoque affligit, et extenuat, pallere et languere cogit. *Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum*, id est, aspectus deformitatis, et gravitatis culpæ meæ ita me conturbat, ut nulla mihi sit requies, et ipsa etiam ossa mea contremiscant.

4. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me.

Reddit rationem, cur tantopere conturbetur, dum respicit peccata sua, et dicit rationem esse, quia peccata sunt multa et magna. De multitudine dicit, *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum*, id est, in tantum cumulum creverunt, ut me quasi obruant: quomodo obruitur aquis, qui ita profundum fluvium ingreditur, ut aquæ supergrediantur caput ejus. De magnitudine dicit, *Et sicut onus grave gravatæ sunt super me*, id est, peccata mea quasi pondus importabile gravant humeros animæ meæ, quia super vires meas est, pro tam gravi debito satisfacere. Id clarius est in textu Hebraico, ubi illud, *himmeni*, *super me*, significat proprie, *super vires meas*, sive gravius quam ferre possim. Peccatum Davidis fuit adulterium cum homicidio conjunctum, sed verus pœnitens multas valde deformitates in eo considerat. Nam offendit David servum fidelem, cui uxorem et vitam eripuit: offendit Bethsabeam, quam ad peccandum induxit; et spiritualiter interfecit: offendit uxores proprias, quibus fidem non servavit: offendit populum universum, imo etiam infideles ipsos malo exemplo, unde Nathan dixit 3. Reg. 12. *Blasphemare fecisti inimicos nomen Domini*: offendit denique Deum, cujus leges aperte prævaricatus est. Itaque si numerentur tot offensiones, et tot delicta, quot personas illo suo peccato David offendit, non sine causa dicere poterit idem David, *iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum.* Deinde gravitas peccati ex circumstantiis cognosci potest; nam occidit David Uriam, primo innocentem, secundo fidelissimum, tertio qui tum Davidi militabat, quarto quia uxorem ejus polluerat per adulterium, quasi vellet, quia injuria illum affecerat, majori adhuc injuria afficere; quinto quia ipsum eumdem ministrum suæ mortis esse voluit, sexto quia cum scripsit ad Joab, ut Uriam occideret, credi voluit, illum magni alicujus criminis reum esse, et eo modo famam ejus maculavit. Sed ingratitudo erga Deum præcipua causa est gravitatis peccati Davidis. Deus enim in unum Davidem omnia fere dona temporalia, et spiritualia abundantissime contulit. Illum enim Regem magnum, Prophetam eximium, Imperatorem fortissimum fecit, donavit prudentia, robore, pulchritudine, divitiis, omnibus bonis, quæ ab hominibus expeti possunt; quæ certe omnia gravissimum reddebant peccatum ejus, quod cum ipse appenderet in statera diligentissimæ considerationis, merito dicebat, *Iniquitates meæ sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Atque hæc est causa, cur sensum doloris, quem par esset, ex peccatis suis pauci percipiant; quia peccati magnitudinem pauci in statera seriæ considerationis appendunt.

5. Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ.

Hæc pertinent ad tempus illud, quod intercessit inter peccatum adulterii, et admonitionem Nathan Prophetæ, quod fuit plusquam novem mensium. Siquidem Nathan Davidem corripuit, postquam natus fuerat puer ex adulterio illo conceptus, ut dicitur 2. Reg. 12. Toto igitur illo tempore distulit David curare vulnera peccati sui per pœnitentiam. Interim autem obducta erat quædam quasi cicatrix oblivionis, quæ non sinebat vulnus agnosci, sed revera cicatrices illæ putrescebant, et vulnera graviora, magisque incurabilia fiebant, atque hoc est, quod nunc deplorat, dicens, *Cicatrices meæ* non ex arte medici curantis, sed ex negligentia, et oblivione superinductæ, *putruerunt, et corruptæ sunt a facie insipientiæ meæ*, id est, insipientia mea, quæ causa fuit, ut vulnera mea non adverterem, eadem fuit etiam causa, ut ipsa vulnera putrefacta fœtorem scandali latius longiusque diffunderent. Per cicatrices hoc loco non intelliguntur signa, quæ remanent post curationem plagæ, sed intelligitur plaga non curata, quæ solet claudi ad modum cicatricis, et quia non est expressus sanguis corruptus ex ea, *neque ipsa fota oleo, aut circumligata*, ut videtur

Isaiæ 1. ideo putrescit, et corrumpitur. Id colligitur ex textu originali, ubi habetur vox, חבורות *Chaburoth*, quæ non significat cicatrices proprie dictas, sed livorem, et plagam tumentem : quare vel in Latina editione accipiuntur cicatrices pro plagis, vel ut diximus, pro cicatricibus, quæ per se fiunt, dum vulnus non curatur, sed per se clauditur, et plaga negligitur, et corrumpitur.

6. Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem : tota die contristatus ingrediebar.

Ex corruptione illa factum est, ut David miser, et curvus fieret; quod potest intelligi duobus modis, primo de culpa, secundo de pœna. Nam qui graviter peccat, præsertim peccato luxuriæ, hoc ipso fit miser, quia relicto Deo, in quo est nostra beatitudo, curvatur ad terram, et fit jumentis similis, ac per hoc miser, et miser valde : et hoc significat illud, *usque in finem*, nimirum miser, et curvatus sum adeo, ut miserior, et magis curvatus fieri non potuerim, cum a delectatione Angelorum curvatus sim ad voluptates pecorum. Id colligitur ex textu Hebraico, ubi habetur, שחותי עד מאוד *schachothi hhad meod, miser et curvatus sum usque valde.* Proinde illud, *in finem,* non significat, usque ad finem vitæ, vel usque ad finem temporis, vel usque in æternum, sed usque ad finem curvationis, ut magis curvari nequeam. Nam versu octavo ubi legimus, *Humiliatus sum nimis*, eadem est vox Hebraica, quam Interpres nunc vertit, *usque in finem*, nunc, *nimis*, aut, *valde.* Potest etiam intelligi de pœna, nam qui peccat peccato luxuriæ, miser efficitur, et curvatus valde propter conscientiæ remorsum, timorem iræ divinæ, et verecundiam humiliantem, et confundentem, ut non audeat talis homo ad cœlum oculos levare. Sed potest etiam utraque intelligentia simul conjungi, ut sensus sit, Miser factus sum miseria culpæ et pœnæ, et curvatus valde, tum quia faciem animæ, quam defixam in Deo habere debui, converti ad carnales, et infimas voluptates : tum quia pudore cœlum aspicere non possum, et humilis, atque abjectus terram aspicere cogor; et propter hæc omnia, tota die contristatus ingrediebar, id est, semper conscientia mordente, et accusante, tristis, ac mœrens incedebam : quæ enim lætitia esse potest homini misero, si miseriam suam agnoscat?

7. Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea.

8. Afflictus sum, et humiliatus sum nimis : rugiebam a gemitu cordis mei.

Transit Propheta a peccato suo particulari ad corruptionem generalem, quam in carne sua experiebatur ex peccato primi parentis, unde peccatum illud suum particulare tanquam ex fonte manaverat : et ex ea corruptione dicit se affligi, et humiliari, et continuo gemere, et rugire. *Quoniam*, inquit, *lumbi mei*, hoc est, pars illa bestialis, et concupiscens disrupto freno justitiæ originalis, parit perpetuo desideria ignominiosa et turpia, et ideo repletur illusionibus spirituum malignorum : et non sanitas in carne mea, qui non habitat in ea bonum, sed malum passionum variarum, quæ illam infirmam reddunt; *ideo afflictus sum et humiliatus sum nimis*, quia pudet me hominem ratione præditum, ejusmodi bestialibus motibus non posse carere; et ideo *rugiebam* præ dolore, *a gemitu interiore cordis mei*, provocatus ad rugitum, et clamorem exteriorem. Scio Rabinos, et qui eos sequuntur, fabulari nescio quid de morbo corporali et fœtente, quo David laboraverit in partibus corporis pudendis, sed sancti Patres nostri Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, et Gregorius in commentariis hujus loci referunt hos versiculos ad carnalem concupiscentiam, ut similis sit hæc Davidis querimonia illi, quæ legitur apud Apostolum Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati. Infelix ego homo, quis me liberabit? etc.* S. Ambrosius et S. Augustinus legunt, *anima mea impleta est illusionibus*, ubi nos legimus, *lumbi mei impleti sunt illusionibus.* Sed accidit hoc, quia apud Græcos, lumbi dicuntur ψυαὶ, et animæ dicuntur ψυχαὶ, unica littera addita. Proinde facile fuit corrumpi Græcum textum, ob litterarum similitudinem, quæ nulla est in textu Hebraico. Itaque lectio ea est quæ cum textu Hebraico et Latino concordat. Quod autem vox Hebraica pro qua habemus, *illusionibus*, significare videatur proprie *ignominiam*, ut S. Hieronymus vertit, non variat sensum, nam qui repletus est ignominia, ille derisioni expositus est. Quod vero S. Hieronymus vertit, evigilavi, pro eo quod nos habemus, afflictus sum, non video quid secutus sit. Vox enim quam nunc habemus in textu Hebraico, debilitari proprie significat, debilitari autem et affligi pro eodem accipi possunt.

9. Domine ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus.

Quia dixerat, gemitum cordis sui excitare rugitum, declarat ad quem gemat corde, ac dicit gemere se ad illum, qui scrutatur corda, et scit, quid desideret spiritus. *Domine*, inquit, *ante te omne desiderium meum*, id est, tu Domine solus vides omne desiderium meum, quod non est aliud, nisi ut aliquando liberer a concupiscentia mala, ut perveniam ad Sabbatum perfectæ quietis; et de hac re *gemitus meus* interior *tibi non est absconditus.* Simile quid Apostolus dicit, cum ait Rom. 8. *Et ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis nostri.*

10. Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.

Pergit describere corruptionem naturæ humanæ; ac dicit, *Cor meum conturbatum est*, quod significat bellum intestinum ex rebellione partis inferioris a superiore, et addit, *Dereliquit me virtus mea*, quia nata est ex illa rebellione tanta infirmitas, ut homo velit, nolit, patiatur desideria mala, et dicat cum Apostolo Rom. 7. *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio.* Addit postremo, *Et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum*, quia non solum infirmitas in voluntate, sed etiam ignorantia in mente ex eadem rebellione orta est. Sæpe enim de re-

bus judicamus, non ut sunt, sed ut nobis male affectis videntur, quomodo febricitantes, quod dulce est, amarum judicant, et quod amarum dulce. Itaque non ait, *Lumen oculorum meorum extinctum est*, sed *non est mecum* : nam lumen intelligentiæ et orationis est quidem semper in anima rationali; sed quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam, sæpe impediti carnalibus passionibus, illo non possumus uti, ideo dicit, *Et lumen oculorum meorum, et ipsum*, inquam, *lumen oculorum meorum*, interiorem videlicet, *non est mecum*, dum operor, licet in me sit. Proinde est in me quoad essentiam, non est mecum quoad usum.

11. Amici mei, et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt.

Posteaquam descripsit bellum intestinum, quod intra hominem continuo geritur; describit etiam bella externa, persecutiones, et distractiones, quæ omnia peccatorum pœnæ sunt. Ac primum queritur, quod amici et proximi facti sint illi inimici, quod accidit præcipue in rebellione Absalonis filii, cum quo multi amicorum, et proximorum Davidis adversus eum conspirarunt. Sed moderni expositores ex textu Hebraico longe aliter exponunt, quam veritas Vulgatæ editionis habeat : textus Hebraicus nunc habet, אהבי ורעי מנגד נגעי יעמדו *ahabai, verehhai, minneged nighhi iahhamodu. Amici mei, et proximi mei e regione lepræ meæ steterunt.* Quomodo etiam fere vertit S. Hieronymus, ex quo multi colligunt, hoc loco tantum significari amicos, et proximos Davidis, non quidem factos esse illi inimicos; sed non fuisse ausos accedere ad eum juvandum, vel consolandum; et ideo e regione procul stetisse. At cum versio Septuaginta Interpretum habeat ἤγγισαν, et Latinus Interpres antiquus reddiderit, *appropinquaverunt*, certe nimis durum videtur dicere, *non* appropinquaverunt, sed longe steterunt, neque obstat vox Hebraica; nam illud, נגעי *nighi*, quod vere significat, *lepræ meæ* vel *plagæ meæ*, Septuaginta Interpretes, qui habuerunt codices correctiores, legerunt, נגעו *nagehu*, *appropinquaverunt.* Sunt enim litteræ eædem, excepta ultima, quæ facillime mutatur in alteram, cum non differant, nisi quod una est paulo major, quam altera. Iod enim paulum extendatur, efficitur Vau, et ideo vitio librariorum facillime contigit, ut una poneretur pro alia. At, inquiunt, in versiculo sequenti dicitur, *de longe steterunt.* Verum est, sed non est sermo de iisdem personis, ut jam dicemus.

12. Et qui juxta me erant de longe steterunt, et vim faciebant qui quærebant animam meam.

Dixit amicos et proximos, ut Absalonem, et socios ejus factos esse inimicos et adversum se appropinquasse, et stetisse, ut nocerent : nunc dicit alios, *qui juxta eum esse solebant* ut milites, aut servos, *longe recessisse*, nec adesse voluisse tempore persecutionis; *et interim inimicos vi magna conatos esse vitam illi adimere.* 1. Reg. 2. Neque solum habuit David, *qui quærerent animam ejus*, id est, qui quærerent eum occidere, ut milites Absalonis, sed habuit etiam, qui detraherent honori, et famæ ejus, ut Semei, *qui maledixit ei maledictione pessima*, et alios, qui consilia dolosa contra eum dabant, ut Acchitophelem et alios, ideo subjungit.

13. Et qui inquirebant mala mihi, loquuti sunt vanitates, et dolos tota die meditabantur.

14. Ego autem tanquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum.

15. Et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones.

Hæc perspicua sunt et verissima, quod præcipue intelligi potest ex lib. 2. Reg. cap. 16. ubi cum Semei malediceret Davidi, eumque virum Belial appellaret, et Regni invasorem : David incredibili patientia eum sustinuit, neque permisit ut ullus ei noceret eumve reprehenderet; sic *factus est quasi surdus, et non audiens, et tanquam mutus, et non habens in ore suo redargutiones.*

16. Quoniam in te Domine speravi, tu exaudies me Domine Deus meus.

Reddit tres rationes, cur ita obsurduerit, et obmutuerit : prima est, quia utilius sibi existimavit sperare in Domino, quam in sua propria defensione. Ait igitur, obmutui, *quoniam in te Domine speravi :* non attendi quanta illi falsa, et vana in me jactarent; quoniam sciebam a te omnia audiri, et cognosci, in quo semper speravi, qui es judex justus, et reddens unicuique secundum opera sua, *et quia in te speravi, et tu exaudies me Domine Deus meus*, et liberabis a labiis iniquis, et a lingua dolosa.

17. Quia dixi, nequando supergaudeant mihi inimici mei : et dum commoventur pedes mei, super me magna loquuti sunt.

Hæc est altera ratio, cur elegerit obsurdescere, et obmutescere, *Quia dixi*, inquit, apud me, *ne quando supergaudeant mihi inimici mei*, id est, bonum est mihi patientiam habere, et sperare in adjutorio Domini, ne forte si impatiens fuero, et reddam maledictum pro maledicto, Deus derelinquat me, et gaudeant inimici mei super me, id est, super ruina mea lætentur, et dum commoventur pedes mei super me magna locuti sunt, id est, non sine causa metuo, ne de exitio meo lætentur inimici; nam *dum commoventur pedes mei*, id est, dum incipiunt nutare pedes mei, et ego inclino ad casum (quod factum est, quando fuit in periculo Regni amittendi) *inimici mei magna locuti sunt super me*, comminantes mihi, et prædicantes extremum exitium. Est autem loco observandum particulam, et sæpe in Scripturis poni pro quia, ut Isaiæ 63. *Tu enim pater noster es, et Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos;* id est, tu solus Domine Pater noster es, nam Abraham, et Jacob, qui videbantur patres nostri esse, non agnoscunt nos pro filiis. Sic etiam cap. 64. *Tu iratus es, et peccavimus tibi*, id est, quia peccavimus tibi. Ita igitur hoc loco dicitur, *Et dum commoventur pedes mei*, illud et ponitur pro *quia*, ut sensus sit, nequando glorientur super me inimici mei. Et dum commoventur pedes mei, id est, quia dum commoventur pedes mei, etc. Illud etiam, dum commoventur, positum est pro, *dum commoverentur.*

Siquidem in Hebraico, במות רגלי *bemoth ragli*, et Græco textu habetur per infinitivum, *in commoveri pedes meos*, quod potest verti, *dum commoventur*, *et dum commovebantur*, *et dum commoverentur*, proinde debet exponi juxta exigentiam verbi sequentis, ut oratio cohæreat.

18. Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper.

Addit tertiam rationem, cur voluerit obsurdescere, et obmutescere, coram adversariis, *Quoniam*, inquit, *ego* propter peccata mea *paratus sum flagellari*, non solum flagellis verborum, et detractionum, sed etiam flagellis verborum, et plagarum. Nam *dolor*, quem merui, semper ante oculos mentis meæ versatur, vel, *quia dolor meus*, id est, peccatum meum, quod mihi doloris continui causa est, nunquam ab oculis cordis mei recedit. In Hebræo est vox, צלע *zelahg*, quam aliqui verterunt *claudicationem*, alii putant legi debere, צרע *zerahg*, id est, *lepram*; nos habemus flagella ex Græco; sed nulla est difficultas; nam vox illa צלע *zelagh*, communiter significat *latus*, sive *costam*; sed traducitur ad significandam claudicationem, quia claudi dum ambulant, declinant ad unum latus, et non recti incedunt. Traducitur etiam ad significandam plagam, vel attritionem, ac per hoc etiam flagellum; quia flagellis accipiuntur plagæ. Itaque S. Hieronymus vertit, *Ego ad plagas paratus sum*, et Septuaginta Interpretes, Ego autem in flagella paratus sum.

19. Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo.

Reddit rationem, cur in flagella paratum se dixerit, *Quoniam*, inquit, *iniquitatem meam annuntiabo*, id est, quoniam agnosco, et confiteor me peccasse, et flagella commeruisse: *et cogitabo pro peccato meo*, expiando videlicet. Significantius ex Hebræo vertit S. Hieronymus, *Et sollicitus ero pro peccato meo*, id est, diligenter, et anxie cogitabo, quo modo possim Domino satisfacere ac plenam indulgentiam obtinere. Quod quidem salutare documentum est pro pœnitentibus, ut solliciti sint pro expiatione peccati, et libenter accipiant occasiones a Deo oblatas patientiam exercendi.

20. Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me, et multiplicati sunt, qui oderunt me inique.

Posteaquam Propheta exposuit rationes, cur obsurduerit, et obmutuerit coram adversariis suis, ut per patientiam Deum placaret, opponit patientiæ suæ contrariam adversariorum malitiam. Cum enim ipse non redderet malum pro malo, illi e contrario retribuebant mala pro bonis: et tamen vivebant, et exultabant, et roborabantur. Quæ ad eum finem commemorantur a Davide: ut facilius Deum ad misericordiam inclinet. *Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me*, id est, ego quidem humiliatus sum et afflictus, et tamen patientiam servo, ac si surdus et mutus essem: interim autem *inimici mei vivunt*, id est, alacres sunt, et exultant, *et confirmati sunt super me*, id est, robustiores et fortiores evaserunt, *et multiplicati sunt*, id est, et creverunt etiam quoad numerum, qui oderunt me inique, id est, illi vivunt, et roborati sunt, *et multiplicati, qui oderunt me*, sine ulla justa causa. In Hebræo est שנאי שקר *schenee scaker, qui oderunt me mendaciter*, id est, ob causam falsam, et ementitam. Videntur enim hæc referri ad conjurationem Absalonis, qui mendacio suo persuaserat populis, Regem non constituisse aliquos, qui juste judicarent; se autem justissime judicaturum, si Rex constitueretur. Hinc enim factum est, ut populus rebellaret, et toto corde sequeretur Absalonem, ut dicitur l. 2. Reg. c. 15.

21. Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.

Probat quod dixit, sine justa causa se odio habitum fuisse ab inimicis, dicens, *Qui retribuebant mala pro bonis detrahebant mihi*, quasi dicat, Vere oderunt me inique inimici mei: nam illi detrahebant mihi, qui retribuunt mala pro bonis, quales fuerunt Absalon filius, et Achitophel consiliarius. Absalon enim plurima bona a Davide acceperat, et paulo ante obtinuerat indulgentiam fratricidii, et tamen detrahebat Davidi patri suo tamquam negligenti et injusto, dicens iis, qui veniebant ad judicium Regis, *Videntur mihi sermones tui justi, et boni, sed non est, qui te audiat constitutus a Rege*, 2. Reg. 15. Sic etiam Achitophel acceperat a Davide magnum honorem, ut esset principalis Regni consiliarus, et tamen oblitus beneficii defecit a Davide ad Absalonem, et consilia iniquissima contra eumdem Davidem Absaloni dedit, 2. Reg. 16. et 17. Nec solum detrahebant mihi, qui retribuunt mala pro bonis, sed etiam (quod gravius est) *detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem*, id est, quia sincero corde et bona voluntate cum omnibus agebam, et eo modo contrarius eram iniquis eorum desideriis, et operibus.

22. Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne discesseris a me.

23. Intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ.

Concludit ex iis, quæ dixit, Deumque precatur, ut protectione sua illi adsit, et quasi idem repetit, quod in principio Psalmi dixit, tunc enim Deus in ira, vel furore suo gravissime punit aliquem, cum illum gratia sua destituit, et tanquam ab inimico recedit, et inter hostes nudum adjutorio suo constituit. Sicut igitur dixerat initio Psalmi, *Domine ne furore tuo arguas me*, ita nunc in fine concludit, *Ne derelinquas me Domine Deus meus*, id est, ne deserat me gratia tua, quandoquidem tu es Dominus meus, qui me condidisti, et Deus meus, qui ad te summum bonum me fecisti. *Ne discesseris a me*; tanquam ab inimico: sed potius ut pater *intende in adjutorium meum*, id est, diligenter incumbe in auxilium meum, tu *Domine Deus salutis meæ*, id est, tu qui auctor es salutis meæ, a quo solo salutem expecto, et in quo solo confido. Et hic quidem mihi visus est hujus Psalmi sensus litteralis: tamen quoniam sancti Patres Chrysostomus, Augustinus, Hieron. et Gregorius vel totum Psalmum, vel certe a medio usque ad finem de Christo exponunt: sciendum est posse totum Psalmum de Davide ex-

plicari, primum, ut Davidis personæ proprie convenit : deinde ut David personam Christi gerebat. Spiritus enim sanctus plura simul intendere potest in verbis iisdem, nimirum narrare tribulationes Davidis, et simul prædicere Christi passiones, qui Davidis filius secundum carnem futurus erat. Cum igitur de persona Davidis Psalmum exposuerimus, indicemus etiam breviter, quemadmodum ad Christum idem Psalmus applicari possit.

ALIA EXPLICATIO EJUSDEM PSALMI.

1. Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Christus pro corpore suo loquitur, quod est Ecclesia, eique postulat liberationem.

2. Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, et confirmasti super me manum tuam.

Dicit juste se petere Ecclesiæ liberationem; quoniam sagittas iræ Dei, quæ ad illam pertinebant, in se suscepit.

3. Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

Describit passionem suam generatim, ob quam a planta pedis usque ad verticem capitis non fuit in eo sanitas. Quod autem dicit a facie peccatorum meorum, intelligitur de peccatis, non quæ ipse fecit, sed quæ in se punienda suscepit.

4. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me.

Dicit ideo in carne sua non fuisse sanitatem a planta pedis usque ad verticem capitis, quoniam peccata, quæ suscepit expianda, tam multa sunt, et tam gravia, ut supergressa sint caput ejus multitudine sua, et instar plumbi fuerint ob gravitatem suam.

5. Putruerunt, et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ.

6. Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem, tota die contristatus ingrediebar.

7. Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea.

Hæc dicit pro corpore suo, deplorans corruptionem generis humani : quomodo quando quis dicit, doleo pedes, vel manus, vel stomachum ; caput est quod loquitur, sed non loquitur de dolore, quod in se patiatur, sed quod in membris, et in corpore suo habeat.

8. Afflictus sum, et humiliatus sum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei.

Hic incipit ordine recensere passionem suam. Pertinent enim hæc verba ad orationem in horto habitam.

9. Domine ante omne desiderium meum, et gemitus a te non est absconditus.

10. Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.

Ad eamdem orationem pertinent, in qua desideravit calicem transire, et cœpit turbari, pavere, tædere, et mœstus esse. Et ut experiretur amaritudinem imminentis passionis, noluit virtutem, et lumen divinæ consolationis in partem inferiorem influere, ita ut etiam Angelus de cœlo apparuerit confortans eum.

11. Amici mei, et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt.

Hoc impletum est in Juda, amico, et Judæis proximis, quando comprehenderunt eum.

12. Et qui juxta me erant, de longe steterunt.

Hoc impletum est in Apostolis, qui fugerunt, et in Petro, qui sequebatur a longe.

13. Et vim faciebant, qui quærebant animam meam.

Impletum est in concilio sacerdotum, sollicite quærentium falsa testimonia, ut eum perderent.

14. Et qui inquirebant mala mihi, loquuti sunt vanitates, et dolos tota die meditabantur.

Ad idem concilium pertinent.

15. Ego autem tanquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum.

16. Et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones.

Ad litteram impleta sunt in Christo, qui coram Caipha primum, deinde coram Pilato, et Herode nullam attulit defensionem, sed sicut agnus coram tondente se obmutuit, ut etiam prædixit Isaias cap. 53.

17. Quoniam in te Domine speravi, tu exaudies me Domine Deus meus.

Ad idem silentium pertinet; ideo enim siluit coram hominibus, quoniam non tacebat coram Deo, a quo expectabat remunerationem; salutem populi sui.

18. Quia dixi, nequando supergaudeant mihi inimici mei, et dum commoventur pedes mei, super me magna loquuti sunt.

Servavit Christus invictam patientiam, ne de impatientia gauderent inimici, qui, dum commovebantur pedes ejus, id est, dum infirmitas ejus ad tempus ostendebatur, magna loquebantur super eum dicentes, Joan. 19. Luc. 23. *Si*

non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum, et, *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram.*

19. Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper.

Ad litteram impletum scimus in flagellatione, et colaphizatione, et spinarum coronatione.

20. Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo.

Dicit se annuntiaturum peccatum suum, quod, ut dictum est, non fecit: expiandum suscepit: et cogitaturum, id est, sollicitum futurum pro eo penitus delendo; quod fecit cum *peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum*, ut S. Petrus scribit in Epistola 1. cap. 2.

21. Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me, et multiplicati sunt, qui oderunt me inique.

Hoc impletum est, cum Principes, et Sacerdotes existimantes se jam victoriam obtinuisse exultabant, et crucifixo insultabant.

22. Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.

Quando videlicet pendenti in cruce dicebant, *Vah, qui destruis templum Dei*, et, *Descendat nunc de cruce*, etc. Matth. 27.

23. Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris a me.

Hoc disertis verbis in cruce Dominus loquutus est, cum ait, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Matth. 27. Quasi dicat, si dereliquisti ad tempus, quoad consolationem, non derelinquas quoad resurrectionem.

24. Intende in adjutorium meum Domine, Deus salutis meæ.

Non derelinquas in inferno animam meam neque des sanctum tuum videre corruptionem: sed *intende in adjutorium meum, ostendens mihi vias vitæ, et adimplens me lætitia cum vultu tuo.* Psal. 15.

PSALMUS XXXVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

IN FINEM, IPSI IDITHUM, CANTICUM DAVID.

Titulus demonstrat Psalmum compositum esse a Davide, sed datum ipsi Idithum ad canendum. Erat enim Idithum unus ex tribus principibus Cantorum, ut habemus lib. 1, Paralip. cap. 16. et lib. 2. cap. 5. Quid autem sit *in finem*, vel, *pro victoria*, ut ex Hebræo, למנצח *lamnatsecha*, Sanctus Hieronymus vertit, diximus in explicatione Psalmi quarti. Sed hoc loco convenit materiæ de qua agitur, tum *in finem*, tum *pro victoria.* Quamvis enim Rabini, et recentiores aliqui doceant Davidem ægrotum corporali morbo optasse finem vitæ, et miseriarum, et hæc a Domino petere in præsenti psalmo: nos tamen sequuti veteres Patres, existimamus longe altiorem doctrinam in hoc divino Spiritus sancti cantico per Prophetam edito contineri. Nimirum censemus hic describi brevitatem et vanitatem præsentis vitæ, ut intelligamus spem nostram non in hac vita, sed in Deo, in quo vita æterna est, esse ponendam; et ideo dandam esse operam patientiæ, et paci cum omnibus hominibus, et præcipue linguam esse custodiendam ab omni rixa, et jurgio, et contentione, ut non impediamur a cursu ad bravium supernæ vocationis. Certe enim qui ad bravium maximi pretii currit, si in medio cursu videret sibi litem pro pallio moveri, pallium potius dimitteret, quam se a cursu impediri pateretur. Neque litigant, aut contendunt homines in terris, nisi pro temporalibus rebus. Itaque Psalmus præsens doctrinam evangelicam et apostolicam continet. Nam et Dominus docuit, *ut percutienti maxillam, præbeamus etiam alteram, et volenti pallium nobis eripere, demus illi et tunicam*, Matth. 5. et Apostolus dicit, *Delictum est in vobis, quod lites habetis inter vos, cur non magis fraudem patimini?* 1. Cor. 6. Hic igitur Psalmus, propter doctrinam tam sublimem, cani debet *in finem*, id est, semper, usque ad mundi finem; et non solum tempore illo Davidis, et Idithum. Idem etiam Psalmus recte inscribitur, pro victoria, quia nulla esse potest victoria nobilior, quam per patientiam vincere in bono malum, et sibi ipsi hominem imperare.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.

Sollicitus erat David de vero bono non amittendo; ideo deliberavit, ac firmiter apud se constituit, magna circumspectione uti in omnibus actionibus suis, ut si fieri posset, ne in verbo quidem offenderet, quasi audivisset ab

Apostolo, *Videte quomodo caute ambuletis.* Ephes. 5. et a B. Jacobo. *Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir,* Jacobi 3. Ait igitur, *Dixi,* nimirum apud me statui, decrevi, legem mihi ipse posui, *ut custodiam vias meas,* ut cautissime ambulem in via vitæ hujus, et diligenter attendam, ubi gressum pono, ne forte in foveam cadam, vel offendam ad lapidem, vel lutosam viam pro munda eligam, vel certe deviam ab itinere recto, id est, deliberavi, et statui considerare omnes actiones meas. Et quoniam nihil est facilius, neque periculosius, quam verbo offendere, cum ex verbis inconsiderate prolatis oriantur rixæ, contentiones, jurgia, et alia mala tam multa, ut sanctus Jacobus dixerit, *linguam esse universitatem iniquitatis,* Jacob. 3. ideo singulariter addit Propheta, *Ut non delinquam in lingua mea,* id est, ad hoc potissimum custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea: sic enim infinita mala effugiam.

2. Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me.

Nunquam est periculum majus delinquendi per linguam, quam cum ab aliquo detractore, vel contumeliam faciente provocamur: ideo dicit Propheta, *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me;* id est, cum aliquis iniquus forte irritaret me convicio, aut detractione, aut alio injurioso verbo, tum maxime custodivi os meum, ne prorumperet in aliquod verbum, cujus postea pœnitentiam agere deberem.

3. Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis, et dolor meus renovatus est.

Declarat quam custodiam ori suo adhibuerit, dicens, *obmutui,* id est silui omnino, ac si mutus essem; *et humiliatus sum,* id est, humiliter patientiam habui; et *silui a bonis,* id est, abstinui etiam a justa defensione, et a debita reprehensione, et *dolor meus renovatus est,* propter hoc ipsum, quod silui a bonis. Nam dolueram primo propter acceptam injuriam, sed mitigaverat dolorem præmium patientiæ: iterum ergo dolor renovatus est, quia *silui a bonis,* et proximum meum debita correptione fraudavi. Ita sanctus Augustinus, sed posset etiam ita exponi, *Dolor meus renovatus est,* quia dolueram ex passione mea, sed *dolor renovatus est,* ex compassione fratris, quem vidi tam graviter ægrotare, ut medicina correptionis nihil ei profutura videretur, propter quod etiam *silui a bonis.*

4. Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis.

Exponit quid ille dolor renovatus effecerit, ac dicit, *Concaluit cor meum intra me,* id est, ex dolore illo compassionis calefactum est cor meum dilectione, et inde meditari cœpi de miseria humana, de misericordia Dei, et de ingratitudine hominum, de abundantia charitatis Dei erga ingratos et malos, et alia id genus multa. *Et in meditatione mea exardescet ignis,* ille, inquam, ignis, de quo dicebant duo illi discipuli apud Lucam cap. 24. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas?* Diligens enim et attenta meditatio rerum cœlestium ordinaria via est ad accendendum ignem actualis charitatis Dei. Scio alios aliter exponere istum ignem ex meditatione exardescentem; de igne videlicet iracundiæ, et indignationis: sed nos sanctum Ambrosium sequuti sumus, et rationem connexionis, et lectoris ædificationem.

5. Loquutus sum in lingua mea; notum fac mihi Domine finem meum.

6. Et numerum dierum meorum qui est, ut sciam quid desit mihi.

Ex illo æstu interiore *loquutus sum,* inquit, *in lingua mea,* id est, non sum loquutus in lingua, quam omnes intelligunt, sed in lingua mihi nota, quasi dicat, Ego scio quid voluerim dicere. *Notum fac mihi Domine finem meum, etc.* videtur sensus esse, quod cupiat scire finem vitæ suæ, id est, *numerum annorum, et dierum quibus victurus sit super terram,* ut sciat quantum ei temporis supersit usque ad mortem; sed non hoc voluit dicere: ista enim curiositas vitiosa, et temeritas quædam fuisset; ideo præmisit: *Loquutus sum in lingua mea,* in sensu meo, sermone mihi noto. Illud igitur significare voluit, vitam humanam esse brevissimam, et quasi quoddam nihil. Sed quoniam hanc veritatem, quamvis alioqui clarissimam, et experimento notissimam, pauci bene norunt, ideo precatur Deum, ut non sinat se decipi, ut plurimi decipiuntur, ut existimet diuturnum quod est brevissimum. Cur enim maxima pars hominum tota intenta est in cumulandis opibus terrenis, proque iis pugnat, et contendit acerrime, et bona futura contemnit, et negligit, nisi quia non cogitat, vel non credit, vitam præsentem fugere velut umbram? Ait igitur. *Notum fac mihi Domine finem meum,* id est, fac Domine per gratiam tuam, ut illustrentur oculi mentis meæ, et aperte cognoscam finem vitæ meæ jam prope adesse. *Et numerum dierum meorum, quis est, ut sciam quid desit mihi,* id est, fac ut attenta cogitatione penetrem quam sit brevis numerus dierum meorum, et sciam quam parum temporis mihi supersit. Hanc esse veram expositionem, sequentes versiculi docebunt. Nam exauditus a Domino non refert præcise numerum annorum, qui sibi supererant, sed variis modis ostendere nititur tempus humanæ vitæ brevissimum esse, præsertim si ad æternitatem Dei, et futuri seculi conferatur.

7. Ecce mensurabiles posuisti dies meos, et substantia mea tanquam nihilum ante te.

Edoctus a Domino, quod postulaverat, dicit, *mensurabiles esse dies suos,* id est, tam brevem esse durationem vitæ suæ, ut facillime mensurari possit. Sed observandum est S. Hieronymum ex Hebræo, הנה תפחות נתתה ימי *hinne taphachot nathatha iamai,* vertisse, *Ecce breves posuisti dies meos:* S. August. cum aliis legisse, *Ecce palæstras posuisti dies meos.* Denique Chrysost. et alios legisse, *Ecce palmares posuisti dies meos.* Sed hæc omnia in idem recidunt, vox Hebraica טפחות *taphacoht,* significat res palmares, id est, palmo uno mensurabiles: nam טפח *taphac,* significat mensuram palmi quatuor digitorum; quod idem significat vox

Græca παλέστη, quam habemus in editione Septuaginta Interpretum. Igitur S. Hieron. recte vertit, *breves dies ;* breves enim sunt, qui mensura brevissima mensurari possunt. S. Augustinus, et alii qui legerunt, *veteres dies*, fortasse habuerunt in Græco textu παλαίας, pro παλαίστας, sed tamen *dies veteres*, recte dicuntur dies vitæ nostræ, quoniam, ut Apostolus ait ad Hebræos 8. *Quod antiquatur et senescit prope interitum est.* Et novimus vestes veteres, et domos veteres, et similia vetera non diu durare. S. Ambrosius vocem Græcam non a mensura, sed a palæstra deduxit : tamen aptissima similitudine explicuit cursum velocissimum, et brevissimum, et simul laboriosissimum vitæ nostræ. Qui enim in palæstra currunt vel dimicant, tempus habent brevissimum, sed laboriosissimum, ut notum est : nostra editio recte posuit, *mensurabiles dies*, id est, qui tam breves sunt, ut nullo negotio mensurari possint : quod idem significant *dies palmares*, ut Chrysostomus ex interpretatione Symmachi legit. Sed Propheta non contentus dixisse, dies suos breves et mensurabiles esse, addidit quasi corrigendo, *Et substantia mea tamquam nihilum ante te*, quasi dicat, parum dixi, dies breves esse, nam *substantia mea*, id est, subsistentia mea, hoc ipsum quod sum et subsisto, nihil est ante te. Est quidem aliquid ante oculos hominum, qui non vident nisi præsentia, sed *ante te*, qui vides futura, et intueris æternitatem, quæ omni caret mensura, nihil omnino est. Quid enim sunt pauci anni, qui velocissime transeunt, ad infinitam durationem? Nomen substantia hoc loco non significare aliud, quam *subsistentiam*, et spatium vitæ, intelligi potest ex voce Hebræa, חלדי *cheldi*, quæ significat proprie tempus, sive seculum; ut sensus sit, tempus meum, vel, ut S. Hieronymus reddidit, *vita nihil est coram te.*

8. Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens.

Adhuc magis declarat, et nobis persuadere nititur, quod ipse plane perspexit. Non solum, inquit, tempus vitæ nostræ brevissimum est, sed *omnis homo*, quicumque ille sit, etiam Rex et Monarcha, quem omnes mirantur, et cui cæteri omnes invident, ille, inquam, etiam *dum vivit*, id est, dum viget, et floret, et in optimo statu est, vel, ut est ad verbum in Hebræo, נצב *nitsab*, *dum stat, dum firmiter consistit*, et radicatus videtur in terra, nihil est aliud, nisi universa vanitas, sive universitas vanitatis. Quicquid enim in illo est, sive sanitas, sive robur, sive pulchritudo, sive divitiæ, sive dignitas, sive potentia, totum fragile et momentaneum est.

9. Verumtamen in imagine pertransit homo, sed et frustra conturbatur.

Videbat Propheta tam alto sopore depressum esse genus humanum, ut non contentus tonitruis verborum, quibus hactenus usus est ad homines excitandos : addat aliud adhuc vehementius percellens humanas mentes, si forte somno discusso vigilare incipiant. Quoniam igitur poterat aliquis dicere, non videri verum, vitam hominum nihil esse, cum videamus tam multis bonis vitam hominum circumfluere, opibus, honoribus, sanitate, robore, et similibus; ideo nunc dicit Propheta, ista non esse vera bona, sed imagines et umbras rerum bonarum; et ideo frustra turbari homines, cum ista vel non possunt acquirere, vel acquisita coguntur amittere. Quomodo frustra Rex conturbaretur ob amissam imaginem ligneam, vel papyraceam Regni, quando Regnum verum illi maneret. *Verumtamen*, inquit, *in imagine pertransit homo*, id est, homo pertransit, et perambulat viam vitæ hujus in imagine rerum, non in rerum veritate, habens videlicet ante oculos in toto hoc itinere non res veras, sed rerum umbras, atque imagines. Vita enim quam hic habemus imago est vitæ beatæ, quæ sola vera est vita; sanitas hujus temporis, imago est immortalitatis, quæ sola vera est sanitas; pulchritudo, quam hic videmus, vix umbra quædam est pulchritudinis illius, quam habebimus, cum *justi fulgebunt sicut Sol in Regno Patris eorum*, ut dicitur Matth. 13. Divitiæ terrenæ, non sunt divitiæ, sed illarum divitiarum imagines, quas habebimus, cum nulla omnino re indigebimus, sed erit Deus omnia in omnibus. Idem dici potest de sapientia, de gloria, de celsitudine et de cæteris, quæ hic dicuntur bona. Porro phrasis illa, *in imagine pertransit*, sive *perambulat homo*, similis est illis phrasibus in Scriptura sacra frequentibus, *ambulare in luce, in tenebris, in fide, in timore, in dilectione*, et quæ est bis, terve in secunda et tertia epistola Apostoli Joannis : *ambulare in veritate;* cui potest opponi, ambulare in imagine, quatenus imago opponitur veritati. *Sed et frustra conturbatur*, id est, sine ulla causa conturbatur homo in rebus temporalibus anxie quærendis, vel conservandis : frustra lætatur in earum lucro, et frustra plorat in earum jactura ; quasi res solidæ, et veræ, ac permanentes essent : cum imaginariæ, fragiles, et caducæ sint. S. Joannes Chrysostomus, quem Theodoretus et Euthymius sequuntur, exponit illud, *in imagine pertransit homo*, ac si dictum esset, instar imaginis pertransit homo, ut non solum res humanæ sint imagines rerum verarum ; sed ipse etiam homo non tam sit homo, quam hominis imago in tabella depicti.

10. Thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea.

Probat unico exemplo, frustra conturbari homines in opibus quærendis, augendis, conservandis : quoniam nesciunt cui laborent. Existimant illi quidem se filiis, aut nepotibus, qui grati memoriæ parentum futuri sint, thesaurizare : sed accidit sæpissime ut filii vel nepotes continuo moriantur, et hæreditas ad ignotos, vel inimicos perveniat : vel certe ut filii vel nepotes dissipent brevissimo tempore, quæ pater vel avus magno labore, et longissimo tempore acquisivit : vel denique ut hæredes ingrati sint, et reddant mala pro bonis, detrahentes industriæ, et laboribus majorum suorum ; quæ si prævidere homines illi potuissent, thesaurizassent potius sibi thesauros in cœlo, et sine turbatione vitam istam traduxissent. Vide similes sententias in Ecclesiaste, cap. 2. 4. 5. et 6.

11. Et nunc quæ est expectatio mea ? nonne Dominus ? et substantia mea apud te est.

Et brevitate et vanitate vitæ præsentis tam

clare perspecta, concludit se quidem spem suam in solo Deo ponere constituisse. *Et nunc*, inquit, his ita se habentibus, *quæ expectatio mea?* quid spero? quid quæro? quid opto? *nonne Dominus*, expectatio et spes mea est? Denique conversus ad ipsum Deum dicit, *Substantia mea apud te est*, id est, vita mea, et opes meæ apud te sunt, nihili facio cunctas res creatas, te unum pro rebus omnibus habere cupio; quia in te sunt omnia. In Hebræo, מעתה מה קויתי אדני *mahhatha ma kuiithi* Adonai, ad verbum habetur, *Et nunc quid expecto Domine? expectatio mea tibi ipsa.* Ex quo intelligere possumus Hebraicæ lectioni respondere illa tantum, *Et nunc quæ est expectatio mea? nonne Dominus?* Illa vero, *et substantia mea apud te est*, videntur addita explicandi gratia a Septuaginta senioribus quæ a nostro Latino Interprete fideliter reddita sunt. Itaque non oportet quærere, ut multi faciunt, cur substantiam Latinus Interpres posuerit pro voce Hebraica, תוחלתי *thochalthi;* quæ *spem vel expectationem* significat. Latinus enim Interpres, non substantiam pro expectatione posuit; sed addidit ad verba Hebraica, id quod Septuaginta Interpretes addiderunt. Simile est in Psalmo 21. ubi legimus, *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti?* illud enim, *respice in me*, non habetur in Hebræo codice, sed additum est a Septuaginta Interpretibus, et inde translatum est ab Interprete Latino in editionem Vulgatam.

12. Ab omnibus iniquitatibus meis erue me, opprobrium insipienti dedisti me.

Quoniam dixit se terrena contemnere, et solum Deum expectare, et in eo spes suas omnes collocasse, consequenter adjungit: de peccatis in Deum sollicitum se esse, non autem de opprobriis hominum. *Ab omnibus*, inquit, *iniquitatibus meis erue me*, id est, quia sola peccata sunt, quæ mihi ad te viam impedire possunt, et quæ sola vera sunt mala; ideo precor ut ab illis me liberes, et quidem omnibus, non præteritis tantum, sed etiam futuris, illa delendo, ista impediendo. Quo loco notandum est viros etiam perfectos, qui terrena despiciunt, et ad Deum toto corde anhelant, habere semper aliquid, quod sibi petant ignosci, et sollicitos esse debere pro quotidianis peccatis quotidianas Deo preces offerre. *Opprobrium insipienti dedisti me.* Hæc pars versiculi conjungitur cum sequentibus hoc modo: Tu quidem opprobrium insipienti dedisti me, ego autem obmutui, et non aperui os meum. Significat autem se, propterea quod diceret vana esse et contemnenda præsentia, et in solo Deo spem esse ponendam, derideri solitum ab insipientibus, qui non capiunt quæ Dei sunt. Quomodo etiam dicit Evangelium de Christo Domino Luc. 16. *Audiebant hæc omnia Pharisæi, qui erant avari, et deridebant illum.* In Hebræo habetur contraria sententia, nimirum, חרפת נבל אל תשימני *chelpat nehal al thesschimeni, opprobrium insipienti non pones me.* Sed anteponenda est lectio Septuaginta Interpretum, ut S. Ambrosius admonet: quoniam sequentia verba, *Obmutui, et non aperui os meum*, manifeste docent Davidem audivisse opprobria insipientium, et sic etiam legunt et exponunt Augustinus, Chrysostomus, et alii veteres Patres. Ipse etiam S. Hieronymus, qui in versione ex Hebræo posuit particulam negantem, tamen in commentario legit et exponit hunc locum sine tali particula. Proinde videtur ea particula irrepsisse in textum Hebraicum post tempora Septuaginta Interpretum.

13. Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti, amove a me plagas tuas.

Cum opprobria ab insipientibus audivi, non respondi, neque defendi me, sed *obmutui*, id est, ita me gessi, ac si mutus fuissem: imo etiam *non aperui os meum*, sed ita me gessi, ac si surdus fuissem, neque opprobria illa audivissem. Qui enim muti sunt, et non surdi, aperiunt os suum, et conantur respondere, cum aliquid audiunt; qui autem surdi sunt, et muti, neque loquuntur, neque aperiunt os suum. Reddit autem rationem, cur obmutuerit, et non aperuerit os suum. *Quoniam*, inquit, *tu fecisti*, nimirum, ut opprobria in me jactarentur: tu enim es qui posuisti me opprobrium insipientibus. Et hanc eamdem rationem reddidit idem David, quando obmutuit ad maledictionem Semei, 2. Reg. cap. 16. *Sinite*, inquit, *illum ut maledicat, Dominus enim præcepit ei ut malediceret David, et quis est, qui audeat dicere quare sic fecerit?* Ubi tamen observandum est Deum non præcepisse Semei, ut malediceret Davidi præcepto ejusmodi, ubi obedientia laudaretur; scimus enim Semei graviter peccasse maledicendo Davidem, et propter hoc postea fuisse a Salomone punitum: sed dicitur Deus præcepisse Semei, ut malediceret, quoniam videns malam Semei voluntatem, usus est mala voluntate, quam ipse non fecerat, ad humiliandum et corripiendum Davidem. De qua re vide sanctum Augustinum lib. de gratia et libero arbitrio cap. 2. et sequentibus, vel si vis fusius aliquid tractatum legere, vide in controversiis nostris lib. de amissione gratiæ, de statu peccati cap. 13. et sequentibus. *Amove a me plagas tuas*, quasi dicat: libenter accipio contumelias, et opprobria insipientium, quæ tu ad meam humiliationem paterna severitate ordinasti; sed plagas tuas ferre non possum: ideo precor ut eas a me omnino removeas. Vocat enim, *plagas Dei*, flagella et supplicia, quæ Deus iratus immittit, non ut pater aut medicus, sed ut judex, de quibus in Psalmo superiore dixit, *Domine ne in furore tuo arguas me.* Tales plagæ sunt excæcatio, obduratio, sensus reprobus, et ipsa damnatio ad ignem sempiternum.

14. A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus, propter iniquitatem corripuisti hominem.

15. Et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus, verumtamen vane conturbatur omnis homo.

Explicat cur tantopere cupiat a se removeri plagas Dei, et dicit causam esse, quoniam expertus est in seipso, et in aliis, quam intolerabiles sint ejusmodi plagæ. De se primum ita dicit, *A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus*, id est, ego ipse fortitudinem, et potentiam, sive gravitatem manus tuæ percutientis expertus defeci, et plane consumptus sum, et perii in increpationibus, id est, in illa

crudeli increpatione, quando in furore tuo arguisti me. Hoc autem Davidi contigit, quando ob peccatum adulterii commissum Deus in pœnam hujus permisit, illum cadere in peccatum homicidii, quod est gravius, et in tantam cæcitatem, ut per multos menses non redierit ad se, neque statum suum, id est, mortem animæ suæ cognoverit : nullum enim est supplicium gravius, quam quando pœna peccati est aliud peccatum. Quod enim peccatum sit aliquando pœna peccati et quidem pœna horribilis, et timenda super omnes pœnas, docet Apostolus Rom. 1. *Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt : propterea tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua;* et infra : *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ;* et infra, Et *sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum ut faciant ea, quæ non conveniunt.* Vide de hoc flagello sanctum Augustinum lib. 5. in Julianum, cap. 3. Deinde addit Propheta de aliis peccatoribus, hac plaga crudeli a Deo punitis, *Propter iniquitatem corripuisti hominem, et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus,* id est, propter peccata præcedentia corripuisti in furore tuo hominem peccatorem; et fecisti ut anima ejus contabesceret instar araneæ, quæ laborat in texenda tela, ut capiat muscas, et interim ipsa exsiccatur et consumitur. Sic enim animæ hominum carnalium, justo Dei judicio, perpetuo laborant in rebus temporalibus acquirendis, et in eo labore consumunt ingenium, et mentem, et inde anima exsiccatur omni humore gratiæ, ut ne cogitet quidem de salute sua, neque ullo desiderio teneatur veræ felicitatis. Contra quam animæ ariditatem desiderabat in alio Psalmo 62. idem Propheta adipem, et pinguedinem spiritualem, dicens : *Sicut adipe, et pinguedine repleatur anima mea.* Concludit Propheta, *Verumtamen vane conturbatur omnis homo,* id est, omnis homo, cujus anima tabescit sicut aranea, vane conturbatur, frustra laborat : sine ulla causa tot contentionibus agitatur, *Quid* enim *prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Matth. 16. Sed hoc loco multa observanda sunt : primo, verba illa, in *increpationibus,* in textu Hebraico et Græco, et apud Ambrosium et Hieronymum conjungi cum verbis sequentibus, nimirum sic : *In increpationibus propter iniquitatem corripuisti hominem,* tamen apud Augustinum, et in nostris communibus libris, conjungi cum superioribus nimirum cum illis : *A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus;* sed utroque modo sensus constat. Secundo, nota S. Hieronymum ex Hebræo non vertere, *araneam,* sed tineam; sed credibile est vocem Hebraicam utrumque significare. Certe similitudo magna est inter araneam et tineam; ut enim aranea texendo telam se exsiccat, ita etiam tinea rodendo pannum se ipsa interimit. Tertio nota, ubi nos habemus ex Græco textu, animam ejus, in Hebraico haberi, חמודו *chamudo, desiderabile ejus;* proinde Septuaginta Interpretes non tam verba reddiderunt, quam exposuerunt. Vere enim anima ratione prædita est, id quod in homine est maxime pulchrum, pretiosum, et desiderabile; ipsa enim imago Dei est, ipsa æterna est, ipsa capax est æternæ felicitatis, et per illam communicamus cum Angelis, ut per carnem communicamus cum bestiis; proinde incredibilis cæcitas est propter explendas carnis appetitiones, perdere quod in nobis est summe pretiosum, et desiderabile. Quarto, nota non haberi in Hebræo, vel Græco textu verbum *conturbatur,* sed solum *vane omnis homo,* sive, *vanitas omnis homo.* Cæterum Latinus Interpres addidit verbum explicationis gratia, et addidit illud quod supra habetur versu 9. Nota ultimo, non deesse, qui hos duos versus exponant, vel de flagello temporalis calamitatis, vel de paterna correptione, quæ facit homines, qui antea dura cervice erant, molles, ut araneas : id est, humiles et contritos. Sed in his, quæ non sunt contra fidem, et obscurissima sunt, licet unicuique abundare in sensu suo. Nobis illa verba, *Amove a me plagas tuas,* facile persuaserunt hic non agi de flagello temporali, cum Psalmo superiori dixerit idem David, *Ego in flagella paratus sum :* neque de paterna correptione, sed de correptione illa terribili, quam justi maxime horrent : paternam enim correptionem, quæ humiles et contritos reddit, Justi diligunt, et expetunt, non horrent aut fugiunt. Similitudo quoque araneæ tabescentis nihil boni nobis significare visa est. Non tamen reprehendimus, sed laudamus potius explicationes aliorum, quæ prosunt ad ædificationem, quamvis non videantur nobis litterales.

16. Exaudi orationem meam Domine, et deprecationem meam; auribus percipe lachrymas meas.

Magno affectu Psalmum concludit orans Deum; quid autem oret paulo post explicabitur. Interim illud sciendum est, *per orationem,* intelligi simplicem petitionem; per *deprecationem* autem vehementem clamorem, ut vox Hebraica ישועתי *vesauhhathi,* demonstrat; *per lachrymas* autem affectum, cujus vox magis resonat coram Deo, quam ulla verba. In Hebræo et Græco, ut nunc se habent, continuantur cum hoc versiculo verba illa, *ne sileas,* quæ nos habemus in sequenti versu; et eo modo tribus nominibus tria verba respondent hoc modo, *Exaudi orationem meam, deprecationem meam auribus percipe, et lachrymas meas ne sileas.* Cæterum nostram lectionem habent veteres Patres, Ambrosius, Hieronymus, et Augustinus in commentariis hujus loci, et verba Hebraica remotis distinctionibus, quas Rabbini addiderunt, optime distinctionem librorum nostrorum recipiunt.

17. Ne sileas, quoniam advena ego sum apud te, et peregrinus sicut omnes patres mei.

Adhuc postulat exauditionem, et nondum explicat petitionem; sed loquitur ad eum, qui scit quid desideret spiritus. *Ne sileas,* inquit, id est, responde petenti, ne despice clamantem, qui enim silet audita petitione, idem facit, ac ille, qui non vult concedere, quod petitur. Reddit autem causam, cur debeat audire, dicens : *Quoniam advena sum apud te, et peregrinus sicut omnes patres mei,* id est, quoniam tu nosti, et apud notitiam tuam est, quod ego non sim civis hujus mundi, sed advena, et peregrinus, ac per hoc civis civitatis supernæ Jerusalem, quamvis hic interim degam; decet autem

ut audias civem civitatis tuæ in exilio positum, et ex peregrinatione sua ad te clamantem. Notat hoc loco S. Joannes Chrysostomus, magnum virum et spiritualem fuisse Davidem, qui cum Regni gloria et opibus terrenis abundaret, tamen vere agnoverit se advenam, et peregrinum in terra.

18. Remitte mihi, ut refrigerer priusquam abeam, et amplius non ero.

Hic jam exponit petitionem suam, et est illa, de qua dicitur in Psalm. 31. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.* Petit igitur cum clamore et lachrymis veniam peccatorum, ut pacata conscientia, de peregrinatione ad patriam lætus perveniat, atque in summa gratiam et gloriam petit; quæ est illa petitio, quam soli, et omnes illi toto corde Deo proponunt, qui mundi vanitatem agnoscunt. Ait igitur, *Remitte mihi*, vel ut S. Hieronymus vertit, *Parce mihi*, vel ut ad verbum ex Hebræo, השע ממני *haschah mimeni*, verti posset, *Desine a me*, id est; ne sis durus exactor, non instes pro solutione debitorum, desine a me repetere quæ male dissipavi. *Ut refrigerer priusquam abeam*, id est, ut ante discessum ex hac vita refrigerer, intelligens mihi peccata esse remissa: nisi enim hic remiseris, non ibo ad requiem, sed ad carcerem. Dic igitur animæ meæ, salus tua ego sum, antequam de corpore egredi jubeatur. *Et amplius non ero*, advena videlicet, et peregrinus, sed civis Sanctorum, et domesticus Dei. Vel, *antequam abeam, et amplius non ero*, id est, antequam discedam ex hac vita, et amittam omnem vitam: qui enim post hanc vitam, non habet æternam vitam, consequenter habet æternam mortem, et quoddam non esse, cum longissime absit ab eo qui est. Sunt enim et vivunt, qui damnati sunt ad inferos, sed dicuntur non esse, nec vivere, quoniam ideo solum habent esse, et vivere; ut semper moriantur, et non esse desiderent. Posteriorem sensum habet S. Augustinus, utrumque attingit S. Ambrosius.

PSALMUS XXXIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus David.

In titulo nihil est novi. Psalmum hunc nonnulli ex recentioribus nimis humiliter exponunt, referentes eum ad morbum corporalem Davidis; de quo morbo nihil legimus in Scripturis, sed tantum in fabulis Rabbinorum. B. Paulus ad Heb. 10. de Christo exponit nonnulla, quæ in hoc Psalmo dicuntur, quæ Davidi non conveniunt ullo modo. Quædam etiam alia sunt, quæ ad Davidem accommodari non possunt, ut illa: *In capite libri scriptum est de me*, et illa, *Ego autem mendicus sum, et pauper.* Recte igitur S. Hieronymus, S. Ambrosius, S. Augustinus et Euthymius Psalmum hunc totum de Christo et Ecclesia exponunt, id est, de capite et corpore, ita ut Christus semper loquatur; sed primo in persona corporis sui, deinde in persona sua.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Expectans expectavi Dominum, et intendit mihi.

Christus in persona populi sui exponit longam expectationem redemptionis. Expectavit enim supra quatuor annorum millia, dum interim per Patriarchas, et Prophetas, partim figuris, partim oraculis promitteretur liberatio a miseriis, in quas per peccatum primi hominis genus humanum ceciderat. *Expectans*, inquit, *expectavi Dominum*, id est, longo tempore, sine intermissione expectavi Dominum miserantem, visitantem, et liberantem populum suum, *et intendit mihi*, id est, et tandem a mea spe fraudatus non fui: nam ad me audiendum intendit aures suas. Ex Hebræo ויט אלי *vaiet elai*, colligitur illud, *intendit mihi*, proprie significare, *inclinavit se ad me*, sive, extendit se ad me, nimirum, audiendum.

2. Et exaudivit preces meas, et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis.

Explicat quod dixit, *intendit mihi*, dicens, *intendit mihi*, nam *exaudivit preces meas*: et affectus exauditionis fuit, quod *eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis.* Per lacum miseriæ intelligitur profunda fovea; nam vox Hebraica, בור *bor*, significat cisternam, et vox Hebraica שאון *saon* significat *tumultum, confusionem, desolationem*, et similia. Describitur igitur locus profundus, carens lumine, et luto putrido plenus, in quem multi deciderint, ex quorum motu et ejulatu existat tumultus, et confusio magna, quam Septuaginta Interpretes generatim miseriam appellarunt. Hic status est impiorum, qui carent lumine notitiæ Dei, et mandatorum ejus, et infixi sunt in limo carnalium cupiditatum; ex quibus non solum fit, ut non

possint ambulare ad æternam felicitatem, sed perpetuo inter se tumultuentur, et contendant. Ab hoc profundo liberat nos gratia Redemptoris, cum incipimus per fidem cognoscere verum Deum, et vera ac sempiterna bona, et per spem et charitatem liberari a cupiditatibus terrenis, et pacem Dei, atque animæ tranquillitatem possidere. Illud autem observandum est cum S. Augustino, eum qui exauditus dicitur, ut educeretur de lacu, jam caput sustulisse, et agnovisse miseriam suam, et ideo de profundo clamare cœpisse; Deus enim inspirat electis suis, adhuc in peccato manentibus, spiritum fidei, et timoris, et invocationis, sine qua præveniente gratia nemo unquam de profundo clamaret; sed contemneret potius Deum, et salutis monita, juxta illud Proverbiorum 18. *Impius cum in profundum malorum venerit, contemnit.*

3. Et statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos.

Ille qui ceciderat in lacum miseriæ, de via ceciderat in qua posuerat eum Deus initio creationis, ut per eam recto et facili tramite perveniret ad Regnum: ideo qui postea illum eduxit de lacu miseriæ, et luto fæcis, in viam restituit, in viam stabilem, ac firmam, nec minus rectam et planam, atque hoc est quod ait, *Et statuit supra petram pedes meos*, id est, pedes meos, quos de profundo et lutoso lacu eruit, statuit supra altam et firmam petram, *petra autem erat Christus*. 1. Corinth. 10. qui de se ait, Joan. 16. *Ego sum via, veritas, et vita*, itaque statuit supra fidem, et doctrinam, atque exempla Christi, pedes justificatorum, ut sequantur vestigia ejus. Et direxit gressus meos, id est, non solum constituit pedes meos in via lapidibus strata, sed etiam in via recta, et sic direxit gressus meos in viam pacis.

4. Et immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro.

Ex eo quod constituit Deus me in via firmissima et rectissima, factum est, ut *cœperim cantare canticum novum;* antea siquidem, ut eram homo vetus, ita cantabam cantica vetera de amoribus mundi; sed renovatus spiritu mentis meæ cœpi cantare canticum novum de amore Dei: quod canticum ipse Deus immisit in os meum: et ipsum idem est carmen Deo nostro jucundissimum. In Hebræo pro, תהלה לאהלינו *thehillah leholenu, carmen Deo nostro*, habetur, *laudem Deo nostro*. Itaque *carmen Deo nostro* debet intelligi, carmen laudis Dei nostri; et hoc est canticum novum, de quo diximus supra: qui enim canit amores mundi, mundum sine dubio laudat, et qui canit amores Dei, Deum sine dubio laudat.

5. Videbunt multi, et timebunt et sperabunt in Domino.

Populus Dei jam liberatus a lacu miseriæ, sive idem Christus in persona populi jam liberati, prædicit multos ad eorum exemplum liberandos. *Multi*, inquit, *videbunt* lacum miseriæ, et liberationem aliquorum, *et timebunt*, et *sperabunt in Domino*, id est, timebunt lacum, et sperabunt in liberatore. Hoc enim est initium salutis, cum Deus per gratiam suam incipit aperire oculos interiores hominibus peccatoribus, ut videant statum peccati miserrimum, et simul cognoscant a quo liberari possint, et inde timere, et sperare incipiant.

6. Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates, et insanias falsas.

Hæc est quasi adhortatio, et laudatio invitans homines ad imitandos liberatos. *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus*, id est, ille vere felix est, qui spem suam vere ponit in Domino, qui solus omnipotens et misericors est, et ideo potest, et vult de omni miseria liberare eos qui sperant in se. Illud *nomen Domini*, significare potest invocationem, sive notitiam familiaritatis, sive potentiam et auctoritatem, sive simpliciter ipsum Deum. Addit ad majorem explicationem, *et non respexit in vanitates, et insanias falsas*, id est, non respexit ad auxilium alicujus alterius, ac præsertim non respexit ad auxilium rerum vanissimarum, et fallacium, quæ salvare non possunt, ut respiciunt homines vani, et stulti. Nonnulli, ut Euthymius, et aliqui moderni, referunt vanitates ad idola gentium, et insanias falsas, ad vaticinia oraculorum gentilium. S. Hieronymus vertit ex Hebræo, אל רהבים ושטי כזב *el rehabim vesathe chazab*, *Ad superbias et pompas mendacium*, sed communis explicatio sanctorum Ambrosii, Hieronymi, Augustini, et Chrysostomi in commentario hujus loci, generalis est, ut per *vanitates* intelligantur omnia vana auxilia, sive in hominibus, sive in rebus aliis creatis; *et per insanias falsas* intelligantur eadem falsa, sive fallacia auxilia, quæ etiam insaniæ dici possunt, id est, res insanæ, quæ non eligerentur nisi ab insanis. Ejusmodi sunt præter cætera, prædictiones Astrologorum, vel incantationes Necromanticorum, vel observationes, et auguria, quibus multi credunt, et confidunt, sed vanissimi, ac stultissimi sunt.

7. Multa fecisti tu Domine Deus meus, mirabilia tua, et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.

Transit nunc ad explicandum mysterium altissimum redemptionis humanæ per quod educti sunt, et educentur plurimi de lacu miseriæ, et luto fæcis, et primo generatim significat mirabilia esse opera Dei. *Multa*, inquit, *fecisti tu Domine mirabilia tua*, id est, multiplicasti mirabilia tua, *et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi;* id est, et in cogitationibus, sive, in adinventionibus sapientiæ tuæ non est qui tibi perfecte similis sit, ita ut tibi comparari possit. Sanctus Hieronymus ex Hebræo vertit, *Non invenio ordinem coram te*, pro eo quod nos habemus, *non est qui similis sit tibi*, sed Septuaginta Interpretes clarius interpretati sunt verba Hebraica: nam verbum ערך *harac*, non significat solum *ordinare*, sed etiam *æstimare*, æquare, comparare. Itaque recte ad verbum sic verteremus, *Non est qui tibi comparari, vel æquari possit;* quod idem est cum eo, quod nos habemus in Græco, οὐκ ἔστι τις ὁμοιωθήσεταί σοι, *non est qui similis sit tibi.*

8. Annuntiavi, et locutus sum : multiplicati sunt super numerum.

Reddit rationem, cur nemo possit cum Deo comparari, quoad opera mirabilia et cogitationes profundas, et ait, *Annuntiavi, et locutus sum*, id est, manifestavi aliqua ejus modi opera per Prophetas, per sapientes homines, per ipsa elementa mundi : nam *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum*, ut legitur Psal. 8. sed *multiplicata sunt super numerum*, id est, tam multa sunt, ut numerari non possint, proinde neque annuntiari, et manifestari omnia possunt. Ex Hebræo posset etiam hic esse sensus, Majora sunt, quam ut enarrari queant : nam ad verbum sic habetur, עצמו מספר *hhatsemu missapper*, *Roboratа sunt prænarrari*, sive, *prænumerari*; idem enim verbum significat *numerare*, et narrare : et fortasse de industria posuit Propheta verbum ambiguum, ut ad utramque significationem referretur. Vere enim opera Dei, etiam si solum naturalia respiciamus, roborata sunt, sive creverunt, tam quoad magnitudinem, quam quoad multitudinem, ut neque narrari, neque numerari possint : nam in singulis rebus etiam minimis, ut in una arbuscula, in uno animalculo, in uno flosculo tot sunt mirabilia, ut ne summi quidem Philosophi eorum rationem investigare potuerint. Sed hoc loco illud est observandum, quod cum hæc verba referuntur ad Christum, intelligendum est mirabilia Dei non esse inenarrabilia, vel innumerabilia respectu ipsius Christi, sed respectu nostri : ipse enim, qui fecit opera illa mirabilia, novit exactissime magnitudinem, et multitudinem ipsorum ; sed mortales homines capaces non sunt tantæ scientiæ. Sancti Patres Ambrosius, Hieronymus, et Augustinus in commentariis, quia legerunt ut nos nunc habemus, multiplicati sunt super numerum, retulerunt hunc totum versiculum ad conciones Christi, et audientium persuasionem, ut sensus sit, *Annuntiavi, et locutus sum* mirabilia tua, *et multiplicati sunt ii*, qui crediderunt *super numerum*, id est, innumerabiles crediderunt, posito numero infinito pro finito per hyperbolem, vel, crediderunt multi super numerum præordinatorum ad vitam æternam, quia multi reprobi cum electis in aream Domini, sive in rete dominicum intraverunt. Et potest ad hunc sensum non difficulter accommodari codex Hebraicus : nam ubi habemus *præ numerari*, mutatis punctis, potest fieri, *præ numero*, ut notum est intelligentibus. Et quidem hæc explicatio vera est, sed non ita perfecte respondet textui originali, neque tam apte connectit hunc versiculum cum superiori, ut expositio prior, quæ est Euthymii, et aliorum, et est conformis versioni S. Hieronymi, neque contraria est editioni nostræ vulgatæ : illud enim *multiplicati sunt*, vel est error librariorum, ut multi suspicantur; et scriptum est, *multiplicati*, pro *multiplicatæ*, id est, cogitationes, *aut multiplicata*, id est opera mirabilia : vel certe ipse Interpres posuit genus masculinum, dicens, *Multiplicati sunt*, quia respexit ad nomen Græcum, quo significantur cogitationes, quod est generis masculini, videlicet διαλογισμοί. Simile quid habemus, Sap. *Spiritus Domini replebit orbem terrarum, et hoc, quod continet omnem scientiam habet vocis.* Ubi illud, *hoc*, et illud, *quod*, referuntur ad *spiritum Domini*, et debuisset scribi, *Et hic qui continet omnia*, secundum grammaticam Latinam ; sed Interpres posuit genus neutrum, quia *spiritus Græce*, est genus neutri, videlicet πνεῦμα.

9. Sacrificium et oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi.

10. Holocaustum et pro peccato non postulasti : tunc dixi, ecce venio.

Mirabilia vere sunt omnia, quæ facit Deus, et in omnibus relucent profundissimæ cogitationes ejus ; sed omnibus aliis quasi in infinitum excellunt opera redemptionis humanæ. Quid enim majus cogitari potest, quam Deum descendere ad formam servi, et fieri mendicum, et pauperem, ut homo educatur de lacu miseriæ, et ad summum cœlum evehatur ? Eumdem etiam Deum in forma servi virgis cædi atque inter latrones crucifigi, ut servos exaltet inter Angelos ad consortium Regni sempiterni ? et hæc omnia justissime, sapientissimeque sine ulla injuria, imo cum summa gloria Divinitatis fieri? Hoc igitur admirabile mysterium sequentibus versiculis, Christus ipse per linguam et calamum Davidis exponit, *Sacrificium*, inquit, *et oblationem noluisti*, hoc est, non voluisti placari sacrificio pecorum, neque oblatione panum, vel thuris ; sed victima infiniti pretii : ideo corpus mortale assumere me voluisti, ut per obedientiam usque ad mortem, expiarem primi hominis inobedientiam : et quoniam *holocaustum* pecorum, et *sacrificium* pro peccato non admisisti : idcirco *dixi*, *ecce venio*, ut ego ipse fiam sacerdos, et sacrificium, quo placatus humano generi, educas homines de lacu miseriæ, et de luto fæcis. Multa sunt hoc loco notanda, primo, per sacrificium, et oblationem non intelligi hoc loco actionem sacrificandi, vel offerendi, sed hostiam mactandam ; ut agnum, aut vitulum, et donum offerendum, ut panem, vel quid aliud ; nam in Hebræo est זבח *zebach*, et מנחה *mincha ;* et S. Paulus Heb. 10. legit, *hostiam*, pro eo quod nos habemus *sacrificium.* Notandum secundo, non esse contrarium quod hic dicitur, *sacrificium, et oblationem noluisti*, tot præceptis Domini de sacrificiis offerendis, quæ habentur in Levitico ; nam voluit quidem olim Deus sacrificia, oblationes, et holocausta, et victimas pro peccato, sed voluit ad significandam, non ad faciendam expiationem, nam ut docet Apostolus in epist. ad Hebr. cap. 10. *Impossibile erat sanguine hircorum et vitulorum auferri peccata.* Tertio notandum vulgatam Latinam editionem, quæ habet, *Aures autem perfecisti mihi*, non convenire cum Hebraico textu, neque cum Græco : nam in Hebræo habetur, כריתהלי אזניי *azanaii carithali. Aures autem fodisti mihi*, in Græco vero, σῶμα δε κατηρτήσω μοι. *Corpus autem perfecisti mihi.* Sed lectio illa, quæ habet, corpus autem perfecisti mihi, nullo modo rejici potest, quia non solum habetur in textu Græco, et recipitur a Patribus Latinis et Græcis, ut Ambrosio, et Augustino, Chrysostomo et Theodoreto, sed etiam approbatur ab Apostolo ad Hebr. 10. et fortasse in textu Hebraico antiquo, quem habuerunt Septuaginta Interpretes, erat vox aliqua, quæ corpus significaret. Lectio quoque Latinæ editionis, *Aures autem perfecisti mihi*, rejici non potest, tum quia lectio illa est etiam antiquissima, ut perspicuum est ex Chrysostomo in secunda expositione hu-

jus Psalmi, et ex Hieronymo in commentario hujus Psalmi; tum quia Latina vulgata editio approbata est in Concilio Tridentino, et potest facile concordari cum lectione Græca et Hebraica. Nam verbum Hebraicum, כרה *carah*, non solum significat fodere, sed etiam præparare, sive apponere, ut notum est lib. 5. Reg. cap. 6. vers. 22. ubi *parare mensam*, et appositio ciborum significatur per hoc idem verbum, כרה *carah*. Idem autem est, *aurem apposuisti mihi*, et, *aurem perfecisti mihi:* neque diversa sunt, *corpus perfecisti mihi*, et, *aures perfecisti mihi*, nisi quod prior locutio est propria, posterior est figurata; qui enim dicit, *aures perfecisti mihi*, ex parte significat totum: et non sine causa per aures, potius quam per aliud membrum significatur hoc loco totum corpus; quoniam aures sunt instrumenta, per quæ accipiuntur præcepta superiorum, quibus debetur obedientia, juxta illud Psal. 17. *In auditu auris perfecisti mihi.* Christus autem ob id potissimum corpus humanum accepit, ut Patri Deo per obedientiam in forma servi obediret, et obediendo pro peccatis totius mundi satisfaceret. *Ego veni*, inquit ipse Joan. 5. et 6. *non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me*, et Joan. 4. *Cibus meus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me*, et Joan. 8. *Quæ placita sunt ei facio semper.* Sola restat illa lectio, *Aures autem fodisti mihi*, quæ non videtur recipienda, ut neque expositio illorum, qui verba illa, *Aures autem perfecisti mihi*, significare volunt, *Aures purgasti*, sive, *aperuisti* ut idem sit, quod *fodisti*, id est, *aperuisti.* Hæc enim lectio non habetur in commentariis ullius veteris Patris, quod ego sciam; et videtur repugnare veritati mysterii: qui enim dicit, *Aures fodisti, vel purgasti mihi*, significat se habuisse aliquando aures clausas, vel immundas. Christus autem, qui hic loquitur, semper habuit apertas et purgatissimas, ut nunquam vere potuerit dicere, *Aures fodisti, vel aperuisti, vel purgasti mihi.* Notandum quarto, illa verba, *Holocaustum, et pro peccato*, non significare holocaustum esse sacrificium pro peccato: distinguuntur enim eo loco duo genera sacrificiorum, videlicet holocaustum, et sacrificium pro peccato; nam in Hebræo est, עולה וחטאה *holah vechataah, holocaustum et peccatum;* sed nomine peccati, intelligitur sacrificium pro peccato, ut etiam apud Apostolum 2. Cor. 5. *Qui peccatum non novit, pro nobis peccatum fecit.* Igitur sensus est, *holocaustum, et sacrificium pro peccato non postulasti.* Meminit autem in his duobus versiculis omnium generum sacrificiorum veterum, ut ostendat omnia fuisse figuras sacrificii Christi. Nam, ut scribit S. Leo serm. 8. de passione Domini, omnes differentias hostiarum una corporis et sanguinis Christi implet oblatio. Notandum quinto illud, *Tunc dixi, ecce venio*, referri ad tempus, quo Deus decrevit, nolle admittere sacrificia veteris Testamenti pro expiatione; tunc enim ubi Deus hoc decrevit, dixit filius Dei, *Ecce venio ego*, ut per sacrificium corporis et sanguinis mei reconciliatio impleatur.

11. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei.

Exponit jam, ad quid veniat, cum dixerit, *Ecce venio*, et ait, *venio ut faciam voluntatem Dei*, sicut de me scriptum est. Voluntas autem Dei erat, ut per oblationem corporis sui ad passionem et mortem, sanctificaret nos. Sic enim hunc locum exponit Apostolus ad Hebr. 10. ubi posteaquam citavit hunc locum Psalmi addit, *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel. In capite libri scriptum est de me.* S. Ambrosius intelligit per caput libri, initium libri Geneseos, cap. 2. ubi scriptum est, *Hoc nunc os ex ossibus meis*, et *relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ.* Quod exponit Apostolus ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et in Ecclesia.* S. Augustinus exponit hoc dictum esse de principio libri Psalmorum, ubi dicitur de Christo, *in lege Domini voluntas ejus.* S. Joannes Chrysostomus, Euthymius, et Theodoretus, intelligunt generatim de libris Prophetarum, in quibus plurima de Christi passione scripta sunt: neque putant vim esse faciendam in illa voce, *in capite*, quoniam in Hebræo non habetur, *in capite*, sed, במגלת ספר *bamgilath sepher, in volumine libri.* S. Hieronymus in commentario, ut etiam Chrysostomus in secunda expositione, intelligit per *caput libri* initium Evangelii secundum Joannem, ubi scriptum est, *In principio erat Verbum*, etc. et infra, *Et verbum caro factum est.* Non desunt, qui per caput libri, intelligant initium libri vitæ, de quo libro vitæ multa dicuntur in Psalmo 68. Daniel 12. Luc. 10. Philipp. 4. et Apoc. 20. et 21. et quadrat in hunc librum, quod dicitur hoc loco secundum Hebraicas voces *in volumine libri*, sive, *in libro involuto*, et *clauso.* Liber enim vitæ in quo scripta sunt nomina prædestinatorum, clausus est, quia non potest hoc tempore legi; sed constat tamen in capite ejus libri, Christum scriptum esse, ejusque passionem, et mortem. Hæc omnia probabilia sunt: sed videtur simplicissima, et maxima litteralis expositio, si nomine capitis intelligatur summa totius libri divinarum Scripturarum. Siquidem in textu Hebraico, ideo non habetur, in qua parte libri hoc scriptum sit, sed dicitur, *In volumine libri scriptum est de me*, quasi dicat, in toto volumine, quia summa totius Scripturæ Christum loquitur: Dominus enim dixit Luc. ultimo. *Oportet impleri, quæ scripta sunt in lege Mosis, et Prophetis, et Psalmis de me*, et ibidem, *Interpretabatur duobus discipulis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant, incipiens a Moyse, et omnibus Prophetis.* Et Joan. 5. idem Dominus dixit in genere, *Scrutamini Scripturas, quia illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Et quod habetur in textu Græco, ἐν κεφαλίδι βιβλίου, et Latino, *In capite libri*, apte exponi potest, *in summa libri:* nam et Græce et Latine, dicitur caput non solum initium libri, sed etiam id, quo omnia referuntur. Nam et recapitulare, est in summam redigere, et capita librorum distingui solent juxta ea, ad quæ revocantur partes principales librorum. Et hoc modo accipitur quod ait Apostolus ad Hebr. 8. *Capitulum super ea, quæ dicuntur, talem habemus Pontificem*, id est, summa eorum, quæ dicuntur, est, quod talem habemus Pontificem, etc. Quoniam igitur non ait hoc loco Dominus, *in capite primi libri*, vel *in capite primo libri*, sed generatim, *in capite libri*, recte dixerunt Chrysostomus, Theodoretus, et Euthymius hoc loco in capite libri, sig-

nificare totum volumen divinarum Scripturarum : id enim coincidit cum eo, quod nos dicimus, summam totius Scripturæ ad Christum pertinere, ipse enim est finis legis ex Apostolo ad Rom. 10. Dicit igitur Dominus, *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam*, id est Scripturæ omnes testantur me ad hoc venturum fuisse in mundum, *ut facerem voluntatem tuam*, tibi per omnia accuratissime obediendo. Deinde conversus ad Patrem addit, *Deus meus volui*, id est, libentissime acceptavi decretum tuum, *et legem tuam in medio cordis mei*, supple, posui, id est, nihil majori affectu desideravi, quam implere legem tuam. De justis dicitur in Psal. 36. *Lex ejus in corde ipsius :* sed de capite justorum, *legem tuam in medio cordis mei posui.* Et qui sunt Christi, spiritum hunc Christi habere debent, ut legem Domini rebus omnibus anteponant, eamque in medio memoriæ, in medio intelligentiæ, et in medio voluntatis semper habeant. Non multum refert quod in Hebræo, בתוך מעי *betoch mahai*, et Græco est, ἐν μέσῳ τῆς κοιλίας μου. *In medio ventris mei :* agitur enim de ventre animæ, non corporis; in anima vero cor et venter idem omnino sunt.

12. Annuntiavi justitiam tuam in Ecclesia magna, ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti.

Quamvis divinæ voluntatis finis præcipuus fuerit, ut Christus pro humano genere moreretur; voluit tamen Deus Pater, ut Christus antea assidue prædicaret, et prædicatio veritatis esset quasi via ad passionem, et ipse non solum Redemptor, sed etiam Doctor, et Magister esset generis humani : ideo nunc dicit : *Annuntiavi justitiam tuam*, Matth. 3. et 17. id est, prædicavi legem tuam justissimam, et etiam opera veræ justitiæ, quæ tu ab hominibus requiris : et hoc prædicavi palam et publice audientibus innumerabilibus populorum turbis : et tu Domine testis esse potes, quia id feci, et faciam deinceps. Et vere tota vita sua Christus prædicavit, ab infantia prædicare cœpit exemplo suo contemptum rerum visibilium, modestiam, temperantiam, humilitatem. Deinde a Baptismo, in quo dictum est a Patre, *Ipsum audite ;* prædicare cœpit etiam verbo, neque cessavit usque ad mortem per se prædicare, et prædicationem postea per Apostolos continuavit, et continuabit usque ad mundi consummationem per Apostolorum successores.

13. Justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam, et salutare tuum dixi.

Multi prædicant, dum spes lucri adest, vel timor damni non terret, sed cessante spe, urgente timore, abscondunt in corde suo prædicationem veritatis, neque eam foris erumpere sinunt. Ab iis vitiis longissime Christus abfuit, et nos exemplo suo docet, ut idem faciamus ; ideo dicit, *Annuntiavi justitiam tuam*, et neque per negligentiam, neque per ullum timorem illam unquam abscondi in corde meo. Quod autem dixit de justitia, quam a nobis Deus exigit, videlicet quod eam annuntiaverit, et non absconderit; idem nunc subjungit de justitia, et misericordia, quæ est in ipso Deo : nam justitiam vocat veritatem, id est, fidelitatem per quam fideliter reddit unicuique secundum opera sua : et misericordiam vocat *salutare*, id est, salutem, quam misericorditer præbet sperantibus in te. Ait igitur, *Veritatem tuam, et salutare tuum dixi*, id est, Annuntiavi quoque veritatem, quæ in te est, manifestans omnibus, quam fideliter reddas ineffabilia præmia justis, et horrenda supplicia injustis; et simul annuntiavi salutare tuum, id est, quam misericorditer salves omnes, qui in te spem tuam constituunt.

14. Non abscondi misericordiam tuam, et veritatem tuam a concilio multo.

Quam paulo ante vocaverat *salutare*, nunc expressius vocat *misericordiam*, et cum *veritate*, id est, cum justitia conjungit. Dicit igitur, *Non abscondi* propter ullum timorem, *a concilio multo*, id est, a multitudine populorum *misericordiam, et justitiam*, quæ in te sunt; sed eas publice, et libere prædicavi. Hæc verissima esse manifeste colligimus ex Evangelio : nam Matth. cap. 5. 6. et 7. prædicavit Dominus justitiam, quam nos facere debemus; et in variis parabolis Matth. 13. 14. et 25. prædicavit justitiam, et misericordiam Dei.

15. Tu autem Domine ne longe facias miserationes tuas a me, misericordia tua, et veritas tua semper susceperunt me.

Transit nunc a prædicatione ad passionem : Et sicut ipse manifestavit hominibus justitiam, et misericordiam Patris, ita nunc precatur Patrem, ut non differat misericordiam, et veritatem suam in ipso, per resurrectionem celerem, ab omni passione et morte liberando. *Tu autem Domine*, inquit, *ne longe facias miserationes tuas a me*, id est, vides Domine Pater, in quam acerbam passionem incidi, quia non tacui manifestare hominibus justitiam, et misericordiam tuam : ideo tu quoque non longe facias miserationes tuas a me, celeriter resuscitando : sicut hactenus *misericordia tua, et fidelitas tua semper susceperunt me.*

16. Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus : comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui, ut viderem.

17. Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, et cor meum dereliquit me.

Reddit rationem, cur dixit, *Ne longe facias miserationes tuas a me*, et ait, *Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus.* Vere enim passiones Christi plurimæ fuerunt, et simul omnes quasi agmine facto in eum irruerunt. Cur autem tot fuerint ejus passiones, causa fuit, quoniam peccata nostra, quæ ipse super se accepit, innumerabilia sunt. *Comprehenderunt me*, inquit, *iniquitates meæ*, id est, iniquitates omnium hominum, *quas Pater super me posuit*, ut dicitur Isaiæ 53. et quas proinde meas fecit, ut super lignum in corpore meo illas portarem, *illæ*, inquam, *omnes comprehenderunt me. Et non potui, ut viderem*, id est, tot sunt iniquitates, quæ me comprehenderunt, ut non prævaluerim videre quot sunt. Nam *multiplicatæ sunt super ca-*

pillos capitis mei, id est, superant multitudine sua numerum capillorum : capilli enim capitis tot sunt, ut numerari non possint : et ideo quasi obrutus multitudine tanta malorum defeci, *et cor meum dereliquit me*, id est, vigor ipse, et ipsa vita dereliquit me. Porro quod hic dicit Christus, *non potui ut viderem*, non est accipiendum proprie, quasi revera non potuerit Dominus videre numerum peccatorum, ob nimiam eorum multitudinem ; nam sine dubio novit accuratissime numerum peccatorum præteritorum, præsentium, et futurorum ; sed loquitur more humano, et solum significare voluit peccata, quæ expiando suscepit, esse innumerabilia. Simile est, quod dicitur Marci cap. 6. *Et non poterat ibi virtutem ullam facere, et mirabatur propter incredulitatem eorum ;* poterat enim, si voluisset, virtutes in eo loco facere ; sed dicitur non potuisse, ut significaretur incredulitas illius populi, ob quam non volebat in eo loco miracula facere. Sicut etiam non proprie mirabatur, quia admiratio nascitur ex ignoratione, quæ in Christo locum non habebat; sed dicebatur mirari, quia signum admirantis edebat, ut ostenderet, mirum esse, quod populus ille tanta incredulitate teneretur. Sanctus Augustinus versiculum hunc, et duos superiores vult accipiendos esse in persona membrorum infirmorum Christi, id est, fidelium imperfectorum : ejus nos sententiam non rejicimus, sed ostendere voluimus, quomodo sint exponendi tres isti versiculi, si accipiantur scripti in persona Christi, ut vere in persona Christi scripti sunt versiculi præcedentes ; quos Apostolus allegavit ad Hebræos 10. cum quibus isti continuari videntur.

18. Complaceat tibi Domine, ut eruas me, Domine ad adjuvandum me respice.

Redit ad orationem, quam inchoaverat in versiculo quintodecimo ; ac petit liberationem a tantis malis per celerem resurrectionem, ut supra diximus. *Complaceat*, inquit, *tibi Domine*, id est, placeat tibi pater, quem etiam Dominum agnosco propter formam servi, quam accepi : placeat, inquam, *ut eruas me* de tot doloribus, qui circumdederunt me. *Domine ad adjuvandum me respice*, id est, videris quidem ad tempus me dereliquisse, et a me faciem avertisse, dum sinis me crucis tormenta sine ulla consolatione perpeti, sed jam *respice ad me adjuvandum*, ut brevi repleas me lætitia gloriosæ resurrectionis.

19. Confundantur, et revereantur simul, qui quærunt animam meam ut auferant eam.

Ex Christi resurrectione sequuta est maxima confusio adversariorum, qui eum plane a se extinctum existimabant. Id nunc prædicit per modum imprecationis : quæ forma loquendi frequens est apud Prophetas. *Confundantur*, inquit, *et revereantur*, id est, confusi erubescant, *qui quærunt animam meam, ut auferant eam*, id est, qui quærunt vitam meam auferre, me occidendo, et penitus extinguendo : hoc enim erat votum Judæorum, et hoc se assequutos crediderunt, cum Christum cruci affixum viderunt ; sed paulo post cum eum resurrexisse audierunt, et signis ac prodigiis maximis resurrectionem ejus confirmari, et a populis credi viderunt, confusione, et erubescentia repleti sunt ; sed multo majore confusione, et verecundia replebuntur in die novissimo, cum eum Judicem suum justissimum esse videbunt, quem in concilio suo, falsis testibus inductis, judicare præsumpserunt.

20. Convertantur retrorsum, et revereantur, qui volunt mihi mala.

Idem repetit ad rem magis explicandam, vel confirmandam. *Convertantur*, inquit, *retrorsum*, id est, confusi recedant, *et revereantur*, id est, verecundentur, et erubescant, *qui volunt mihi mala*, id est, non ii solum, qui quærunt me interficere ; sed etiam omnes alii, qui cupiunt confusionem et ignominiam meam. S. Augustinus exponit hunc versiculum in bonam partem, quasi Dominus precetur adversariis suis conversionem a peccatis ad Deum, ut jam non amplius superbe præcedant, sed humiliter subsequantur Dominum suum. Pia expositio; sed prior videtur magis litteralis, et facilius cum superiori versiculo continuatur.

21. Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi, euge, euge.

Idipsum tertio repetit, dicens, *ferant confestim confusionem suam*, id est, non in longum tempus differatur eorum confusio ; sed statim, post tridui videlicet brevissimum spatium, confusionem suam experiantur, *qui dicunt mihi, euge, euge*, id est, qui de me quasi victo inter se gratulantur dicentes, *euge, euge*. Sanctus Hieronymus ex Hebræo vertit, qui dicunt mihi, vah, vah ; quam vocem fuisse Judæorum deridentium Christum in cruce pendentem, in Evangelio legimus. Sed Septuaginta verterunt, *euge, euge*, Matth. 17. et non dubium est, quin ipsi quoque recte intelligerent vim Hebraicæ vocis, האח האח, *haach, haach*. Proinde illud pronomen mihi, non ita accipiendum est, quasi adversarii Christo blandiri vellent, aut eum laudare, vel hortari, ut nos solemus cum alicui dicimus, *euge, euge ;* sed intelligendum est, adversarios inter se exultantes super Christi passione dixisse, *euge, euge*, ita ut illud, *mihi*, accipiatur pro, *de me*, vel *super me*. Paulo clarius idem legimus in Psalmo 34, *Non dicant in cordibus suis, euge, euge, animæ nostræ, nec dicant, Devoravimus eum*, ubi apparet illud, *euge*, dictum esse in cordibus eorum, qui putabant se Christum jam devorasse. Quod autem nos habemus ex Græco, *ferant*, S. Hieronymus ex Hebræo vertit, *pereant*. Sed credibile est Septuaginta non legisse ישמו *iassomu*, a verbo ישם *iassam*, quod est, *desolare*, sed ישאו *issehu*, unica littera mutata a verbo, נשא *nasa*, quod est *ferre*. Denique quod nos habemus, confestim, sanctus Hieronymus vertit ex Hebræo, *post*. Cæterum verba Hebraica, על עקב *hhal hhakab*, significant proprie *ad calcaneum*, sive *ad vestigium*, id est, immediate, sive confestim, quod est idem : et ipse idem sanctus Hieronymus hanc eamdem vocem in psalmo 69. vertit, παραχρῆμα, *ad vestigium*. Recte igitur Septuaginta Interpretes reddiderunt verba Hebraica : et Latinus interpres fideliter verba Græca.

22. Exultent, et lætentur super te omnes

quærentes te, et dicant semper, magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Sicut prædixit per modum imprecationis confusionem persecutoribus suis: ita nunc per modum precationis bonæ prædicit lætitiam sectatoribus suis. *Exultent*, inquit, *et lætentur super te*, id est, exultabunt, et lætabuntur in Deo, divino videlicet et inenarrabili gaudio, *omnes qui quærunt te*, id est, omnes qui quærunt gloriam Dei, et qui diligunt Deum, et in eo spem suam ponunt. *Et dicant semper, magnificetur Dominus*, id est, et non sibi tribuant, nec suis viribus, aut virtutibus bonum, quod habent; sed dicant, *magnificetur Deus* ab omnibus, *qui diligunt salutare tuum*, id est, qui diligunt salvatorem, quem misisti ad homines, Christum videlicet Jesum, sive, qui diligunt salutem, quæ abs te, id est, qui cupiunt veram, atque æternam salutem, quam tu solus dare potes.

23. Ego autem mendicus sum et pauper, Dominus sollicitus est mei.

Revertitur ad statum suum, in quo erat tempore passionis, ac dicit, *Ego mendicus sum, et pauper*, id est, egenus, et destitutus humano auxilio. Sunt enim in Hebræo duo vocabula, אביון *ebion*, et עני *ani*, prius significat *egenum*, *inopem*, mendicum, posterius, significat *afflictum*, humilem, destitutum: quæ omnia conveniebant Christo toto tempore suæ mortalitatis; sed præcipue quando nudus pendebat in cruce. Sed quamvis egenus, et pauper esset quantum ad temporalia bona; tamen ditissimus erat protectione paterna: ideo subjungit *Dominus sollicitus est mei*, vel, ut est in Hebræo, אדני יחשב לי Adonai *iachassab li*, Dominus cogitat pro me. Vocat autem Patrem Dominum, quoniam loquitur in forma servi, id est, ut filius hominis, secundum quam naturam pendebat in cruce.

24. Adjutor meus, et protector meus es tu, Deus meus, ne tardaveris.

Quod unico vocabulo dixerat, *Dominus sollicitus est*, id nunc duobus vocabulis exponit dicens, *Adjutor meus, et protector meus es tu.* Deus enim Pater sollicitus erat Filii sui, illum adjuvando, et protegendo, adjuvando in superandis malis præsentibus, et protegendo in removendis futuris. Concludit postremo, *Deus meus ne tardaveris*, nimirum eripere me ab omnibus malis per celerem resurrectionem.

PSALMUS XL.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus ipsi David.

Videtur hic etiam Psalmus, ut præcedens, ad Christi passionem totus pertinere. Sic enim eum Patres accipiunt, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, et Chrysostomus, qui addit, temerarium esse aliter exponere, cum citetur ab ipso Christo, *Joan.* 13. unus versiculus ex Psalmo ad demonstrandum Judæ proditionem fuisse multo ante prædictam. De titulo nihil dicimus, quia nihil novi continet.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Beatus, qui intelligit super egenum, et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.

Beatus, qui intelligit super egenum, et pauperem, id est, beatus qui attente considerat Christum pauperem: inveniet enim esse pauperem, non necessitate, sed voluntate; et pauperem voluntate, ut nos sua inopia locupletaret. Item inveniet pauperem foris, sed intus divitem; in eo enim *absconditi sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei;* ut scribit Paulus Coloss. 2. Denique inveniet pauperem in carne, ut dicit S. Ambrosius, sed divitem in Regno: idem enim pauper erat, cum non haberet ubi caput reclinaret; et simul hæres erat universorum, Rex Regum et Dominus dominantium. Præterea, *beatus est qui intelligit* super Christum pauperem, nudum videlicet in cruce pendentem, id est, qui attente cogitat passionem ejus: nam et Hieremias antea dixerat, *Attendite, et videte, si est dolor sicut dolor meus.* Thren. 1. et Apostolus postea idem repetivit, *Recogitate eum, qui talem adversus semetipsum a peccatoribus sustinuit contradictionem.* Hebr. 12. Infinitus enim thesaurus paratus est Christi passionem, ut par est, intelligentibus et diligenter meditantibus. Denique beatus quoque est, qui intelligit super egenum et pauperem Christum in membris suis, de quibus dicturus est, Matth. 25. *Quod uni ex fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis.* Sed non dicit Psalm. *Beatus, qui dat eleemosynam pauperi*, sed, qui intelligit super egenum, et pauperem, id est, qui prudenter considerat pauperum necessitates, et dat cui, quando, quantum oportet, ex pura charitate, et liberalitate, non ex inani gloria, vel spe retributionis. Hanc enim vim

habet verbum Hebraicum, מַשְׂכִּיל *maschil*, significat enim attente cogitare, sive prudenter considerare. Sequitur, *In die mala liberabit eum Dominus.* Hæc est ratio, cur sit beatus dicendus qui intelligit super egenum, quia videlicet ipse ab egestate liberabitur: dies enim mala est dies penuriæ, et sterilitatis. Sed hoc loco præcipue dicitur dies mala, dies ultimi judicii, quæ erit dies solius justitiæ, ac per hoc erit in illa summa penuria miserationis, et gratiæ. In illa igitur die seculi erunt, qui Christi crucem amaverint, et qui propter Christum pauperibus benevoli fuerint: dicetur enim illis, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare,* etc. Sed etiam in hoc seculo liberabit Deus viros misericordes in die mala, ut Psalmus trigesimus sextus antea nos docuit, dicens, *Non confundentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur.* Mirifice enim delectatur Deus, cum videt filios suos, ad patris imitationem, quæ ab illo liberaliter accipiunt, cum aliis quoque liberaliter communicare: et ideo cum fœnore reddit, quod pauperibus datur, juxta illud Proverb. 19: *Fæneratur Domino, qui miseretur pauperis.*

2. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

Declarat quod dixit, *In die mala, liberabit eum Dominus;* et per modum bonæ imprecationis prædicit bona, quæ dabuntur intelligenti super egenum, et pauperem. *Dominus,* inquit, *conservet eum,* id est, custodiat dum vivit; *vivificet eum,* id est, post mortem iterum vivere faciat, resuscitando eum cum justis. *Et beatum faciat eum in terra,* id est, et tunc vere, perfecteque beatum reddat in terra viventium. *Et non tradat eum in animam inimicorum ejus,* id est, et neque in hoc seculo, neque in futuro sinat eum subjici voluntati inimicorum, sive homines, sive Dæmones sint. Vocat enim animam, voluntatem, sive desiderium. Codices Græci variant hoc loco; nam alii habent, *in manus inimicorum,* alii, *in animam inimicorum,* ut sanctus notavit Ambrosius; sed sensus est fere idem, nisi quod videtur esse aliquid amplius *tradi in animam,* id est, in voluntatem, sive arbitrium, sive libidinem, quam tradi *in manus,* id est in potestatem: nam qui supplicio afficiendi sunt, traduntur in manus carnificum, sed non in voluntatem: quia possunt carnifices eos interimere, non tamen eo modo, quo voluerint, sed eo tantum modo, quo leges præscribunt.

3. Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus: universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.

Quoniam tam multa bona pollicitus fuerat misericordibus, intelligentibus super egenum, et pauperem; poterat aliquis suspicari, nullam tribulationem passuros in terris ejusmodi pios homines: ideo nunc subjungit, passuros quidem in hoc exilio pios homines varias tribulationes, seu tentationes, sed non absque divina consolatione. *Dominus,* inquit, *opem ferat illi, super lectum doloris ejus,* id est, si quando pius ille inciderit in lectum doloris, sive dolor sit corporalis, sive spiritualis, sive sit proprie in lecto ægrotus, sive metaphorice decumbat quasi in lecto afflictus quacumque tribulatione: *Dominus opem ferat illi,* atque ita consolabitur eum, ut patienter ferat, et ipsa patientia probari se intelligat; et ex probatione spem magnam concipiat, et ex illa spe gaudium tale inveniat, ut glorietur in tribulationibus, et cum Apostolo dicat, *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra,* 2. Cor. 7. Adjungit deinde ad probandum id esse futurum, exemplum de præterito dicens, *Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus,* id est, tu Deus suavis, et mitis, ita soles facere cum fidelibus tuis; nam si quando vidisti pium aliquem gravari tentationibus, vel afflictionibus, ita illum consolari consuevisti, quomodo consolatur ægrotum qui totum stratum ejus versat, et reversat, ut mollius cubet, et quiescat. S. Ambrosius et S. Joan. Chrysost. ita exponunt, ut velint versari stratum in infirmitate, esse mutari statum ægroti in statum sanitatis. S. Hieron. et S. August. contrario modo exponunt, sed egregie omnino, et utilissime: volunt enim hunc sensum esse. Quia dixerat Propheta, *Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus;* poterat pius homo respondere, Si Deus fert opem, unde tot scandala, et tribulationes hominibus piis? Respondet Propheta, quia idem Dominus *universum stratum,* id est, eas res terrenas, in quibus etiam pii acquiescunt, et delectantur, versat, et removet, ut pius peregrinus non diligat stabulum pro domo; sed ex amissione temporalium, quamvis licitarum, consolationum, discat in solo Deo delectari; illum unum quærere, ad illius visionem anhelare, et suspirare. Hæc enim est causa, cur Sancti homines non solum tribulationes aliunde advenientes amaverint; sed ipsi etiam eas sibi accersierint, jejuniis, vigiliis, humicubationibus, nuditate, et flagellis carnem propriam atterendo: quoniam intelligebant, animum non omnino erigi posse ad quærendum Deum, dum aliquid habet in terra quod amet, vel in quo delectetur, et quiescat. Utraque expositio amplectenda est, quamvis prior videatur nobis magis litteralis.

4. Ego dixi, Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi.

Hic jam incipit Christum declarare, se esse egenum illum et pauperem, de quo initio dixerat, *beatus, qui intelligit super egenum, et pauperem. Ego,* inquit, *dixi, Domine, miserere mei,* id est, miserere corporis mei mystici, infirmorum membrorum meorum. *Sana animam meam, quia peccavi tibi,* id est, ad hoc misericordiam tuam imploro, ut sanes languores fidelium meorum, quorum peccata mihi ipse imputo, quasi ego illa fecissem. Potest etiam sic exponi, ut Christus ipse de passione sua loquatur, dicens, *Miserere mei* in tribulatione positi, ut celebiter resuscitando ab omni passione me liberes: *sana animam meam,* quæ tristis est usque ad mortem, et ideo tristis est et languet, pavens, mœrens, et tædens, *quia peccavi tibi,* id est, peccata totius mundi in me recepi. Nam quod non loquatur de peccatis a se commissis, perspicuum est ex versiculo decimotertio, ubi dicit, *Me autem propter innocentiam suscepisti.* Itaque is, qui loquitur in Psalmo, non est David, vel quivis alius, sed ille solus, qui et innocens erat,

quoad actiones proprias, et peccata aliorum portabat.

5. Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur, et peribit nomen ejus ?

Hæc manifeste pertinent ad Pharisæos, et Sacerdotes Judæorum, qui avidissime Christi mortem sitiebant, et de ipso interficiendo sæpe inter se colloquebantur. Illud autem *mihi*, positum est pro de me; ut in Psalmo superiore, *Qui dicunt mihi*, id est, de me, *euge, euge*, vel abundat, ut in hoc ipso Psalmo, *Adversum me cogitabant mala mihi*, et alibi sæpe.

6. Et si ingrediebatur, ut videret; vana loquebatur, cor ejus congregavit iniquitatem sibi.

Transit a Judæis ad Judam, quasi dicat, *et si* aliquis eorum, ut Judas proditor, *ingrediebatur*, ut videret, id est, exploraret, et quæreret opportunitatem me prodendi, *vana loquebatur*, id est, falsi aliquid fingebat, ne animus ejus detegeretur. Posset etiam hoc referri ad alios, qui ad Christum accedebant, *tentantes eum, ut caperent eum in sermone*, ut Matth. 22. Sed iste *vana quidem loquebatur* ad Christum; sed interim *cor ejus congregabat iniquitatem sibi*, id est, corde meditabatur dolos, et proinde multiplicabat, et congregabat iniquitatem sibi, ad suam videlicet æternam perditionem. Hæc nimirum justa merces est mendacium et dolosorum, ut dum alios decipere tentant, ipsi decipiantur a Satana, et dum aliis moliuntur interitum, ipsi sibi interitum parent.

7. Egrediebatur foras, et loquebatur in idipsum.

De eodem Juda Patres hæc etiam accipiunt, qui cum explorasset opportunitatem prodendi Dominum, *egrediebatur, et loquebatur simul* cum iis, quibus Dominum proditurus erat. Illud *in idipsum*, Hebræi codices conjungunt cum sequenti versiculo; sed nos sequimur distinctionem antiquam Septuaginta Interpretum, qui majori fide digni sunt, quam recentiores Rabini, qui puncta, et distinctiones, quas nunc habemus, bibliis addiderunt.

8. Adversum me susurrabant omnes inimici mei, adversum me cogitabant mala mihi.

Audito Juda proditore, cœperunt inter se susurrare, ne forte sermo innotesceret, si alta voce loquerentur, de pecunia danda, et ratione invenienda Christum capiendi, atque perdendi. *Adversum me*, inquit, *susurrabant*, id est, summissa voce loquebantur *omnes inimici mei; adversum me cogitabant mala mihi*, id est, susurrando deliberabant de morte mihi inferenda. Jam supra dixi, illud, *mihi*, redundare ex phrasi Hebraica.

9. Verbum iniquum constituerunt adversum me : numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat ?

Ex illa susurratione inimicorum hoc sequutum est, ut firmiter constituerent Judæi Christum occidere, et hoc est, quod subjungit dicens, *Verbum iniquum constituerunt adversum me*, id est, decretum iniquum statuerunt contra me, ut videlicet me, quamvis innocentem, morti traderent. Addit vero continuo, *numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat ?* id est, quamvis illi tam injustum decretum fecerint, numquid mihi potestatem resurgendi auferent ? quin potius ideo mortem somnum vocavit, quia quam facile est homini dormientem socium suum excitare a somno, tam facile est Verbo Dei, carnem suam mortuam ad vitam revocare. Id quod multo ante prædicit, cum ait, *nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam : potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Joan. 10. In Hebræo codice longe aliter habetur דבר בליעל יצוקבו *debar beliahal iatsukbo*, sic enim ad verbum verti potest, *Verbum belial infusum sibi, et qui dormivit, non adjiciet, ut resurgat ?* sed Septuaginta Interpretes, qui et doctissimi erant, et codices correctissimos habebant, pro, *verbum belial*, recte verterunt, *verbum iniquum;* nam *belial* significat, *absque jugo*, et accipitur etiam pro diabolo, sed passim *viri belial* dicuntur *viri iniqui*, quasi qui jugum legis excusserint, et diabolum ducem sequantur : et sicut *viri belial*, sunt viri iniqui, ita *verbum belial*, est verbum iniquum. Quod sequitur, infusum, Hebraice יצוק *iazuch*, legerunt Septuaginta יציקו *iazzichu*, quod est *constituerunt;* et pro בו *bo*, quod est ei, vel sibi, legerunt בי *bi*, est *mihi*, sive *in me*, aut *contra* me : Hebraice enim sibi, et mihi, similia sunt. Denique pro, ואשר *vaaser*, quod significat, *et qui* legerunt Septuaginta האשר *haaser*, quod significat, numquid ? Viderint autem Hebræi, utrum negligentia, an malignitate hunc locum corruperint. Certe vulgata nostra editio cum Græca editione concordat, et Græca cum vera Hebraica omnino consentit : necesse enim est, ut vel Hebraica lectio, qualis nunc est, ob litterarum similitudinem corrupta sit, vel Septuaginta Interpretes imperitissimi fuerint. Non desunt, qui hunc versiculum ad Davidem ægrotantem, et ad sermones hominum de ejus valetudine disputantium referant. Sed ii cum Patribus omnibus repugnant, cum nimis humiliter Spiritus sancti oracula exponunt.

10. Etenim homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.

Reddit rationem, cur inimici verbum iniquum adversum se constituerint; et dicit fuisse causam ejus iniqui decreti Judæ proditionem. *Etenim*, inquit, *homo pacis meæ*, id est, verbum iniquum adversum me constituerunt inimici mei; quoniam *homo pacis meæ*, id est, cum quo pacem habebam, ut Magister cum discipulo, et cum servo Dominus; et homo *in quo speravi*, id est, in quo tamquam in amico, et familiari confidere poteram. *Qui edebat panes meos*, id est, qui in mensa mea, ut domesticus, mecum vescebatur. *Magnificavit super me supplantationem*, id est, mirifice me supplantavit, cum per insidias inimicis me tradidit. Hunc locum Dominus ita citavit Joan. 13. *Non de omnibus vobis dico, ego scio, quod elegerim; sed ut adimpleatur Scriptura, qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum.* In Hebræo ad litte-

ram est, הגדיל עלי עקב *higdil hhalai hhalakob*, *elevavit contra me calcaneum;* sed Septuaginta explicaverunt sensum : nam levare calcaneum contra aliquem, et illum supplantare, idem est. Quo loco notandum est, cum dicitur, *ut adimpleatur Scriptura*, significari, proditionem Judæ fuisse prædictam, et adimpletam, ut prædicta fuerat; et ideo hunc locum Psalmi non fuisse citatum à Christo, ut aliquid simile, vel commune, sed ut proprie ad hanc rem pertinentem, ut notavit S. Joan. Chrysost. et ideo non recte facere, qui hæc verba Psalmi ad alios sensus detorquere conantur. Secundo notandum est cum S. Augustino, vocatum fuisse Judam *hominem pacis*, quoniam prævidit Propheta, Christum a Juda per signum pacis, id est, per osculum fuisse tradendum : quod etiam Dominus significavit, cum illi ait : Amice ad quid venisti ? et, Juda osculo filium hominis tradis ? Item dictum esse a Propheta, *qui edebat panes meos;* quoniam præviderat per buccellam Judæ proditionem fuisse manifestandam. Addi potest dictum fuisse ab eodem Propheta, *in quo speravi*, quoniam præviderat Christum crediturum fuisse Judæ marsupium, quod erat confidentiæ signum ; itaque prædictio cum eventu rei optime convenit. Tertio notandum, exprimi a Propheta miro modo hujus proditionis indignitatem : primo enim vocat Judam *hominem pacis Christi*, ut ostendat nullam intercessisse inimicitiam, nullam injuriam, nullam odii causam inter Christum, et Judam : deinde addit, non solum non intercessisse causam odii, sed intercessisse causam benevolentiæ, cum addit, *in quo speravi*, quia Dominus credens Judæ loculos, signa confidentiæ, ut diximus, illi ostendebat. Denique addidit, non solum non fuisse inimicum, nec solum fuisse amicum, sed etiam fuisse intimum familiarem, et maximis beneficiis affectum; nam illa ipsa nocte, qua Christum tradidit, non solum panem communem, in mensa Christi comederat, sed etiam panem cælestem, ac divinissimum; et ante cœnam idem Christus pedes illi humiliter laverat; et per hoc exempla summæ charitatis, atque humilitatis ostenderat.

11. Tu autem Domine miserere mei, et resuscita me, et retribuam eis.

Precatur nunc Patrem, et per modum precationis prædicit, quod futurum erat : vere enim post resurrectionem suam retribuit Judæis excidium, quod merebantur. *Tu autem Domine*, inquit, *miserere mei, et resuscita me*, id est, illi quidem verbum iniquum statuerunt contra me, et discipulo meo supplantante, et prodente, interficient me; *sed tu Domine miserere mei*, in cruce morientis, et paulo post *resuscita me :* et tunc retribuam eis, quod merentur. Precatur autem filius Patrem, non quod ipse ut Verbum Patris carnem suam resuscitare non posset; sed quia loquitur in forma servi, defert Patri, cui in forma Dei æqualis erat, alioqui ipse idem dixit Joan. 2. *Solvite templum hoc, et ego in triduo excitabo illud : hoc autem dixit de templo corporis sui :* et Joann. 10. *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Quid vero Christus Judæis retribuerit post resurrectionem suam, notum est omnibus, qui ab eo tempore vident Judæos de terra sua eradicatos, dispersos esse inter gentes, sine Rege, sine Sacerdote, sine Deo vagari. Quod illis prædixerat Dominus; quando ait, *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructum ejus*, et alibi, *Relinquetur vobis domus vestra deserta*, et alibi, *Non relinquent in te lapidem super lapidem.* Matth. 21. et 23. et Luc. 19.

12. In hoc cognovi, quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus super me.

Exauditam orationem suam fuisse dicit, idque inde posse cognosci, quod non *gauderet inimicus de morte ejus.* Quod quidem in Juda impletum est, qui ante se ipse suspendio necavit, quam Christus moreretur, et quam ipse pretio proditionis suæ frui posset. Potest tamen hoc etiam referri ad reliquos inimicos ejus, qui tam brevi tempore gavisi sunt, ut dici possint non esse gavisi.

13. Me autem propter innocentiam suscepisti, et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

Docet inimicos, non diu gavisuros de morte sua; quoniam à Deo susceptus, et exaltatus ob innocentiam suam fuerit. *Me autem*, inquit, *propter innocentiam*, tibi optime notam, *suscepisti*, de manibus eorum, *et confirmasti in conspectu tuo in æternum*, id est, humiliasti me ad horam in conspectu hominum, sed *suscepisti, et confirmasti me in conspectu tuo*, id est, stare fecisti ante conspectum tuum in cælo usque in æternum : vox enim Hebræa, ותציבני *vachatsibani* significat, *statuisti ante conspectum tuum;* quod factum est per exaltationem, et assumptionem in cœlum.

14. Benedictus Dominus Deus Israel a seculo; et usque in seculum, fiat, fiat.

Ista conclusio, sive Christi sit, sive Prophetæ, nihil aliud significat, nisi propter exaltationem Christi, et confusionem inimicorum ejus, deberi honorem, et gloriam, *et benedictionem Deo ab æterno, et usque in æternum*, id est sine fine. Illud autem, *fiat, fiat*, Hebraice autem אמן אמן *Amen, Amen*, confirmatio est dictorum, ut sensus sit, vere, seu fideliter ita sit, sive ita fiat, ut semper Deo laus et gloria deferatur. Atque hic est finis primi libri secundum Hebræos, qui Psalterium in quinque libros distribuerunt.

PSALMUS XLI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem, intellectus filiis Core.

Titulus admonet filios Core, quibus dabatur Psalmus cantandus, ut intelligant, quæ canunt, ut et auditores intelligere faciant: quæ admonitio cantoribus Ecclesiasticis memoriæ commendanda est: cantus enim in Ecclesia spiritui deservire debet, et non soli aurium oblectationi. Et sicut, qui intelligenter, et devote canunt, animos audientium rapiunt in Deum, ita qui theatrales modulos in Ecclesiam invehunt, de domo Dei scenam Mundi faciunt. Vide S. Hieronymum in caput quintum ad Ephesios. Argumentum Psalmi aliqui esse volunt, quod David exul tempore Saulis queratur, se non posse ter in anno in Jerusalem ad festa Domini accedere; sed tempore Saulis non erat tabernaculum Domini in Jerusalem, sed in Silo, et ad eum locum ibant ter in anno Israelitæ. Præterea tam ingens desiderium, quale hoc loco exprimitur, non videtur posse referri ad tabernaculum manufactum, et arcam ligneam: propterea Psalmi argumentum esse putamus, ut sancti Patres Hieronymus, Augustinus, et Chrysostomus docent, quod David amore divino succensus, exprimere conatur vehemens desiderium, quo tenebatur perveniendi ad visionem Dei, quæ est vera, et sempiterna fœlicitas, cum tamen inter tentationes, et pericula peregrinationis viveret. Sed dum ipse desiderium suum exprimit, simul docet, quæ sint argumenta, unde verus Dei amor possit agnosci.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.

Amor res est igneæ naturæ, ac per hoc intus retineri non potest, sed per verba, et suspiria foras erumpit. David igitur, ut amorem suum aliquo modo exprimat, comparat se cervo sitibundo, dicens, *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum*, videlicet, pervenire; *ita desiderat anima mea pervenire ad te Deus;* quæ aptissima similitudo est: cervus enim quatuor habet qualitates: primum inimicissimus est serpentibus, atque cum eis perpetuum bellum gerit: deinde, cum a venatoribus quæritur, ad montes altissimos velocissimo cursu confugit: tum mandatum illud Apostoli Gal. 6. *Alter alterius onera portate*, ab instinctu quodam naturæ observat: nam, ut scribit S. Augustinus, tum hoc loco, tum serm. 21. de verbis Apostoli, traduntur cervi, vel quando in agmine suo ambulant, vel quando natando alias terrarum partes petunt, onera capitum suorum super se invicem ponere: denique si quando vel ex pugna cum serpentibus, vel ex fuga ad montes, vel ex deportatione oneris ambulando, vel ambulando, vel natando fatigatur, ardentissime sitire solet aquas, neque ab eis inquirendis ulla vel tenetur amœnitate pratorum, vel terretur difficultate viarum. Talis omnino est amator Dei; nam et cum serpentibus carnalium cupiditatum bellum perpetuo gerit; et cum tentationibus, vel persequutionibus premitur, ad montem contemplationis fugit, et infirmorum molestias patienter tolerat, sed præcipue summo desiderio Deum sitit, neque ulla terrena fœlicitate, vel adversitate impeditur, quominus ad Deum semper anhelet. Talis erat David, quamvis miles; talis Paulus, talis Petrus, tales Apostoli cæteri, et Martyres, tales omnes, qui exilium agnoscentes, sive per prospera, sive per adversa gradientes cursum ad patriam numquam relaxabant.

2. Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei?

Declarat apertius, quid sit desiderare Deum, et simul aperit, cur tantopere desiderandus sit Deus. Tria sunt, ut Chrysostomus annotavit, quæ amorem, ac per hoc sitim, et desiderium accendere solent, pulchritudo, beneficia, et amor: nam et res pulchræ amari se quodam modo cogunt, et qui beneficia præstant, ad se amandos provocant, et qui amant redamari merentur. Sed si hæc tria in unum conveniant, id est, si persona aliqua pulcherrima, et nobilissima, te summis et quotidianis afficiat beneficiis, et eumdem te maximi faciat, teque ardentissime amet, quomodo non vehementissimam in tuo pectore flammam amoris accendet? Hæc igitur tria in Deum convenire David hoc loco docet, et ideo sitire se Deum, id est, amore, et desiderio ejus ardere se dicit. *Sitivit*, inquit, *anima mea ad Deum*, id est, ad rem pulcherrimam, nobilissimam, præstantissimam, quæ bona omnia in se una complectitur. *Fortem*, id est, ad rem non fluxam, et caducam; sed stabilem, permanentem, æternam. *Vivum*, id est, ad rem operantem, intelligentem, amantem,

quæ nos continuis beneficiis afficit, quæ nos magni facit, quæque nos incredibili amore diligit. Hæc ergo sitis in rem tam bonam, tam beneficam, tam mei amantem, cogit ex toto corde dicere, *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* id est, quando finis erit peregrinationis; quando initium fruitionis? Ex Hebræo clarius verti posset, *Quando veniam et videbo faciem Dei?* Id enim solum est, quod sitim animæ rationalis explere potest.

3. Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Ubi est Deus tuus?

Qui vere et intime cogitat tria quæ diximus, videlicet, Deum esse supra omnem speciem pulchrum, et omnia quæ nos habemus ab illo, ut a fonte, manare, et eumdem ipsum tanti nos æstimare, atque ita nos diligere, ut filium suum unigenitum pro nobis dederit: fieri non potest, quin lachrymis desiderii opprimatur, dum visio tanti boni differtur. David igitur, qui ista serio contemplabatur, recte adjungit, *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte*, id est, lachrymis, quasi panibus, sustentabar assidue per dies, et noctes, id est toto tempore hujus peregrinationis, vel, per dies prosperitatis; et noctes adversitatis: nam renuit anima consolari terrena fœlicitate, nec minus renuit contristari terrena adversitate; sed utroque tempore lachrymæ meæ fuerunt mihi cibus, et potus, dum *dicitur mihi quotidie* ab impiis, et incredulis, *Ubi est Deus tuus?* id est, dum quotidie per circuitum omnia lustro quærens quem diligit anima mea, et dicitur mihi a spiritu meo, a cogitatione mea, *Ubi est Deus tuus?* hæc enim omnia, quæ contemplando perlustrasti, opera sunt Dei, pulchra quidem omnia, sed non sicut Deus tuus: ubi est igitur Deus tuus? ubi quæres, ut invenias? quando venies, et videbis faciem Dei tui?

4. Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam; quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.

Pergit in explicando desiderio suo. *Hæc*, inquit, *recordatus sum*, quæ dicta sunt de inquisitione Dei, et *effudi in me animam meam.* Hæc effusio tribus modis accipi potest. Primo, ut sensus sit, *effudi in me animam meam*, id est, evacuavi apud me animam meam omni terrena delectatione, ut intraturus tabernaculum admirabile, et ipsam domum Dei, implerem eam delectationibus Domini mei. Secundo, ut sensus sit, *effudi in me animam meam*, id est, dilatavi animam meam, extendi desiderium meum, ut capax esset tanti boni, quantum inveniet in tabernaculo illo admirabili, ubi est ubertas indeficiens domus Domini. Tertio, ut sensus sit, *effudi in me animam meam*, id est, effudi super me animam meam, transcendi contemplando ipsam animam, quomodo dicitur Tren. 3. *Sedebit solitarius, et tacebit, quoniam levavit se supra se.* Vere enim nulla est in hac peregrinatione scala aptior ad attingendum aliquo modo tabernaculum admirabile, et ipsam domum, ubi videtur Deus, quam anima nostra, quæ est imago Dei: ipsa enim est sublimior cælo et profundior abysso; et qui animam suam contemplari novit, ac deinde eam transcendere, et per eam ad exemplar ascendere didicit, is pertransibit ad locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. Ac ut breviter hunc ascensum attingamus: Anima spiritus est, ac per hoc longe transcendit omnia corpora: sic igitur et Deus spiritus est, et spirituum, corporumque creator; proinde longe transcendit, non solum corpora, sed etiam spiritus. Deinde: Anima simplex, et indivisibilis cum sit, tamen in toto corpore est, et in singulis partibus tota; omnia membra replens, et nullum occupans locum: sic igitur et Deus, unicus, et simplicissimus, atque indivisus est; et tamen mundum totum, et res creatas omnes replet, ubique totus, ubique præsens, nusquam inclusus. Tertio, anima non movetur in corpore, et totum corpus portat, movet, regit, vivificat, atque sensificat, quod in morte cognoscitur: anima enim recedente, corpus continuo cadit; et motum, sensum, speciem, et quicquid habebat boni, in momento amittit: quod autem est anima corpori, id est, rerum universitati Deus, nón quod proprie Deus sit anima mundi, ut Philosophi quidam sensisse videntur; sed quod similitudinem animæ habere videatur: ipse enim immobilis in se manens, *portat omnia verbo* virtutis suæ, *et in eo vivimus, movemur, et sumus.* Quarto, anima intelligens est, et tota intellectus quidem est, eminenter continens cognitiones omnium sensuum, et multa præterea cognoscit, ad quæ sensus corporis nullus attingit: sic Deus totus intellectus est, eminenter continens cognitiones omnium hominum et Angelorum, et infinita præterea, quæ intelligentiam nostram superant. Quinto, anima non solum theorice multa intelligit, sed etiam practice, atque inde existunt opera ingenii humani plane admirabilia in variis artibus, in ædificiis, hortis, fontibus, aliisque id genus plurimis, ut sæpe opera artis humanæ cum operibus naturæ contendere videantur: sic etiam Deus non solum theorice, sed etiam practice intelligit, et sine instrumentis, sine labore, et sine spatio temporis, solo nutu, atque imperio voluntatis condidit universa. Sexto, anima liberum habet arbitrium, atque inde ad nutum movet corporis membra: sic Deus liberrime dominatur rebus omnibus creatis: unde David ait Psal. 118. *Omnia serviunt tibi.* Neque solum anima imago Dei est, quoad essentiam, sed etiam (quamvis obscurius) quoad personarum Trinitatem: nam in anima est mens intelligens, quasi Pater; est notitia producta, quasi Verbum Patris; est et amor a mente per notitiam productus, quasi Spiritus. Est etiam in anima fœcunditas memoriæ, est intellectus, et voluntas, quæ tres divinas personas utcumque repræsentant. Anima igitur supra seipsam effunditur, seque ipsam transcendit contemplando, ut transire possit ad tabernaculum admirabile; ideo subjungit Propheta, *Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.* Per locum tabernaculi admirabilis, intelligimus cœlestem Jerusalem, quæ est tabernaculum non manufactum, æternum in cælo, ubi est domus Dei, de qua dixit in Ps. 26. *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Sanctus Hieronymus ex Hebræo vertit, tacebo, pro eo quod nos habemus admirabilis. Sed Septuaginta Interpretes non legerunt; אדדם *edaddem*, ut nunc habetur in

codicibus Hebraicis, quod significat *tacebo*, sed legerunt, אדדת *adderet*, quod significat, *admirabilis*, et differentia solum est in duabus litteris similibus, ut ex figura characterum intelligi potest. Facile autem fuit librariis mutare duas litteras in alias similes; et credendum est Septuaginta Interpretes habuisse codices Hebraicos meliores quam nos habeamus. Alioqui non potuissent vertere *admirabilis*, pro silebo, nisi imperitissimi fuissent.

5. In voce exultationis, et confessionis, sonus epulantis.

Declarat Propheta, in illa sua ecstasi, qua effudit supra se animam suam, et contemplando pertransivit ad locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei, non pertransivisse tacitum, sed exultabundum et laudabundum ex admiratione, *In voce*, inquit, *exultationis et confessionis*, adde, pertransibo in locum tabernaculi admirabilis, id est, pertransibo admirans gloriam tabernaculi illius, et ex admiratione prorumpam in vocem exultationis, et confessionis, laudis videlicet Conditoris illius tabernaculi, quæ vox erit sonus epulantis, id est, vox læta et festiva, quales audiuntur in solemnibus, et festivis, ac nuptialibus epulis. Neque enim potest animus contemplantis erigi ad considerandam gloriam cælestis Jerusalem, sine admiratione, et exultatione maxima. Quod attinet ad verba, illud, *sonus*, in Græco est casus genitivi, et S. Augustinus legit, soni, ex quo fieri potest, ut noster Interpres posuerit, sonus, pro, sonitus, genitivi casus; sed potest etiam fieri, ut significare voluerit, vocem exultationis et confessionis fuisse sonum epulantis. In Hebræo, pro, sono, habetur המון *hamon*, quod sanctus Hieronymus vertit multitudinis; sed vox illa Hebraica utrumque significat, *sonitum*, *et multitudinem*. Illud autem, *epulantis*, tam in Hebraico textu חוגג *chogeg*, quam in Græco est, ἑορτάζοντος *festa celebrantis*, et sic etiam legunt Augustinus, et Euthymius. Sed videtur latinus Interpres declarare voluisse quale festum illud esset, et dixisse *epulantis*, id est, festum convivii solemnis, quale est nuptiale, in quo multa adhibentur instrumenta musica et cantica amatoria: et habetur vox *epulantis* in commentario S. Hieronymi in hunc locum, ne quis existimet recens irrepsisse in editionem vulgatam.

6. Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me?

7. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, et Deus meus.

Ex illa mentis elevatione, et gaudio spirituali consolatur lachrymas suas, dicens, *Quare tristis es anima mea?* id est, quare lachrymæ tuæ sunt tibi panes die ac nocte, *dum dicitur tibi, ubi est Deus tuus?* quare tam incessabili fletu conturbas me? *Spera in Deo*, id est, quamvis Deum non videas, quem tu ardenter videre cupis, tamen spera in eo; *quoniam adhuc confitebor illi*, id est, quia nondum tempus præteriit, adhuc erit, quando præsens laudabo Deum, et confitebor misericordias ejus, et dicam illi, *Salutare vultus mei, et Deus meus*, id est, tu salus es vultus mei, dum illuminas fulgore tuo vultum meum, et facis, ut videat facies mea faciem tuam, et cognoscam, sicut et cognitus sum, et ex clara notitia dicam, *Tu es Deus meus*. In Hebræo habetur, ut etiam S. Hieronymus vertit, *Salutes vultus ejus*, *Deus meus ad me ipsum*, etc. sed manifeste corruptus est hoc loco textus Hebraicus, et una littera, videlicet, vau, non suo loco posita totam hanc confusionem peperit. Id quod ex repetitione horum verborum, quæ habentur in fine hujus Psalmi, et in fine Psalmi sequentis perspicuum est. Itaque non est legendum, פניו אלהי *panau helohai*, ut hic legitur, sed פני ואלהי *panai vehelohai*, ut legitur in repetitione: et vera lectio Hebraica ad verbum hæc est, *Salutes vultus mei, et Deus meus*. Dicit autem *salutes* in numero multitudinis, non *salus*, vel *salutare*; quia licet una sit salus nostra, tamen ea multa bona continet, quæ etiam salutes dici possunt.

8. Ad me ipsum anima mea conturbata est, propterea memor ero tui de terra Jordanis, et Hermoniim a monte modico.

Exponit vicissitudines tristitiæ, et consolationis suæ; tristitiæ ex metu, et periculis hujus vitæ; consolationis ex spe, et promissione futuræ. Dicit igitur, *Ad me ipsum anima mea conturbata est*, id est, quamvis dixerim animæ meæ, *Spera in Deo*, tamen anima mea ad me ipsum respiciens, ad infirmitatem meam, ad modicum lumen, et modicas vires, quæ in me sunt, timore magno concutitur, et eo terrore conturbat me: *propterea memor ero tui de terra Jordanis, et Hermoniim a monte modico*, id est, proeterea, ut huic terrori, et conturbationi medicinam faciam, removebo oculos a me ipso, et ad te convertam; et ab hoc Jordane, quem video in hac terra, memor ero tui, id est, memor ero fluminis, quod lætificat civitatem tuam, et torrentis voluptatis tuæ, quo potantur, qui apud te sunt; et ab hoc monte modico, qui dicitur Hermoniim, quem ante oculos habeo, *memor ero montis sancti tui*, in quo habitas cum sanctis Angelis tuis, et ex hac memoria consolabor animam meam, et desiderium meum. Quis proprie sit mons Hermoniim, et an diversus sit, a monte Hermon, non omnino liquet: tamen verisimile est, esse montes diversos, et in diversis locis sitos. Nam et S. Hieron. in vita S. Paulæ distinguit hos duos montes, et constat montem Hermon esse montem amplissimum, et Hermoniim, hoc loco dicitur esse modicus. Fortasse igitur Hermoniim erat mons aliquis in Galilæa non longe a Jordane, cum David hæc duo conjungat.

9. Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum.

10. Omnia excelsa tua, et fluctus tui super me transierunt.

Pergit narrare tentationes, et afflictiones hujus vitæ, et utitur metaphora inundationis aquarum, alludens ad magnum diluvium, quod fuit tempore Noe. *Abyssus*, inquit, *abyssum invocat*, id est, maxima aquarum inundatio, et profunditas super me venit, et alia transeunte alia supervenit, quasi a priore vocata; venerunt autem istæ magnæ inundationes in voce cataractarum tuarum, id est, in strepitu, et sonitu apertionis cataractarum cælestium, unde aquarum inun-

datio descendebat, *Et omnia excelsa tua*, id est, omnes gurgites altissimi, et *omnes fluctus tui super me transierunt*, id est, omnis illa inundatio, et universum diluvium super me venit. Alludit, ut dixi, ad diluvium generale, *in quo cataractæ cœli apertæ sunt*, id est, tam ingens pluvia descendit, ac si cataractæ aliquæ in cœlo apertæ fuissent, et inde tota illa aqua magno cum impetu descendisset : et ex ea inundatione facta est abyssus, id est, maxima aquarum altitudo, et profunditas. Sed hæc metaphora nihil aliud significat, nisi ingentes tentationes, et pericula, quibus divina providentia sinit exerceri electos suos. Horum autem periculorum magnitudinem soli spirituales viri, qualis erat David, intelligunt, qui norunt multiformes insidias diaboli, et sciunt quanti referat excidere a gratia Dei : atque hæc videtur esse literalis expositio, quamvis repudiandæ non sint piæ nonnullorum expositiones, qui volunt, *abyssus abyssum invocat*, significare, abyssus miseriæ invocat abyssum misericordiæ divinæ. Item, abyssus humanæ malitiæ invocat abyssum divinæ justitiæ. Item, abyssus secretorum testamenti veteris, invocat abyssum arcanorum testamenti novi. Item, abyssus cordis humani, quod inscrutabile est, invocat abyssum scientiæ Dei, qui scrutatur renes et corda. Illud solum addendum est, per vocem, invocat, non significari, implorat, sed, vocat, ut ex Hebræa voce colligitur : est enim sensus, *abyssus abyssum invocat.*

11. In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus.

Redit ad vicissitudinem consolationis, post narratam, et miro modo amplificatam magnitudinem tentationis, *In die*, inquit, *mandavit Dominus misericordiam suam*, id est, posteaquam transierunt inundationes aquarum, et horrendæ illæ abyssi, in die prosperitatis *mandavit*, id est, *misit Dominus misericordiam*, consolantem et visitantem. *Et nocte canticum ejus*, id est, sed tempore nocturno, tempore, videlicet, tentationis et tribulationis, non cessabit canticum ejus, id est, oratio, et gratiarum actio illi oblata. Id quod clarius explicatur in sequenti versiculo.

12. Apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo, susceptor meus es.

Hoc videlicet est canticum nocturnum, oratio secreta, et cordis potius quam oris. *Apud me*, inquit, *oratio Deo vitæ meæ*, id est, in sinu meo est jugis oratio ad Deum, auctorem vitæ meæ; cui cum fide et fiducia dicam, *Susceptor meus es*, id est, in te confido, ad te confugio, tu me labentem suscipies, tu lapsum eriges.

13. Quare oblitus es mei, et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus ?

Miratur vicissitudines divinæ providentiæ in servis suis gubernandis, quasi dicat, Cum tu Deus vere susceptor meus sis, *quare oblitus es mei;* id est, unde hoc accidit, ut tentationes, et tribulationes ita me obruant, ut me dereliquisse videaris, cum tu spes mea sis, et fortitudo mea? Unde, inquam, accidit, *ut contristatus incedam, dum affligit me inimicus*, cum tu sis protector meus, et adjutor meus?

14. Dum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi, qui tribulant me inimici mei.

15. Dum dicunt mihi per singulos dies, Ubi est Deus tuus? quare tristis es anima mea, et quare conturbas me ?

16. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, et Deus meus.

Non solum, inquit, affligit me inimicus, te vidente et spectante, qui susceptor meus es; sed etiam *dum confringuntur ossa mea*, id est, dum ad summam debilitatem, et infirmitatem devenio, ut tentationes vix jam ferre possim; *Exprobraverunt mihi inimici mei, qui tribulant me*, dum assidue mihi dicunt, *ubi est Deus tuus?* id est, illi ipsi, qui me persequuntur et tribulant, exprobraverunt mihi fiduciam, quam in te habeo, quasi frustra in te speraverim : dicunt enim, *Ubi est Deus tuus*, quem tu adjutorem, et protectorem tuum esse jactabas? Sic legimus exprobratum Tobiæ, *Ubi est spes tua, pro qua eleemosynas et sepulturas faciebas?* et infra, *Manifeste vana facta est spes tua, et eleemosynæ tuæ modo apparuerunt*, Tob. 2. Sic etiam Christo exprobratum legimus Matth. 27. *Confidit in Deo, liberet eum si vult.* Sic igitur, et Davidi in tribulatione posito, exprobrabant increduli hostes ejus; sed is tamen, quamvis ad horam turbatus, et contristatus, se ipse reprehendebat et dicebat, *Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, et Deus meus;* quæ sunt explicata in expositione versiculi 6. et 7.

PSALMUS XLII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

PSALMUS DAVID.

HUNC Psalmum, qui sine titulo est apud Hebræos, et apud Græcos et Latinos nihil habet in titulo, nisi Psalmus David, et est quasi appendix, vel potius epitome Psalmi superioris, brevissime declarabimus. Precatur igitur David a Deo liberationem ab inimicis, et simul consolatur se spe futuræ beatitudinis.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Judica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo, et doloso, erue me.

Videtur David oppressus fuisse, vel a Rege Saule, vel tentatus graviter a dæmonibus, a quibus cum non posset refugium habere ad homines, Deum Judicem appellat. Ait igitur, *Judica me Deus*, id est, tu Deus esto Judex meus; non enim habeo ad quem pro justitia confugiam, nisi ad te. In Græco habetur clarius, κρῖνόν μοι, *Judica mihi*, id est, sis mihi Judex. *Et discerne causam meam de gente non sancta*, id est, dijudica causam, quæ mihi intenditur a gente non sancta. In Hebræo et Græco est pulchra allusio nominis ad verbum; Hebraice enim habetur, ריבה ריבי *riva, rivi*, Græce autem δίκασον τὴν δίκην, quomodo si nos diceremus, *litiga litem meam*, vel *judica judicium meum*: et quia verba sunt generalia, duplex sensus esse potest in his verbis: unus, ut petat a Deo, ut non solum sit Judex, sed etiam patronus; quasi dicat, *Judica me*, et, *litiga litem meam*: alter ut declaret quod dixit, *Judica me* per verba sequentia, *discerne causam meam*, id est, cognosce causam, et judica judicium meum, proferens justam sententiam ad meum favorem. Vocat autem *gentem non sanctam*, homines iniquos, crudeles, et sine misericordia, ut vox Hebraica, לא חסיד *lo chassid*, manifestat, quæ proprie significat hominem sine misericordia, et petet etiam ex sequentibus. *Ab homine iniquo et doloso erue me*: id est, sic judica causam meam, ut per hoc judicium liberes me ab homine iniquo et doloso, id est, a quovis homine iniquo et doloso, vel certe ab aliquo certo homine iniquo et doloso, qui erat Princeps gentis non sanctæ, a quo ipse affligebatur.

2. Quia tu es Deus fortitudo mea, quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

Hic versiculus est fere idem cum versiculo duodecimo Psalmi superioris, et eumdem habet sensum, id est, cum tu Deus, *sis fortitudo mea*, et ego in adjutorio unice confidam, unde fit ut me repulisse videaris, et ego tamquam a gratia repulsus tristis incedam, *dum affligit me inimicus?* Itaque est hæc quædam familiaris, et ex fiducia in Deum procedens expostulatio, qua queritur se ita a Deo affligi permissum, quasi Deus repulisset eum ab amicitia sua.

3. Emitte lucem tuam, et veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

Ex hoc versiculo intelligimus Davidem spiritualem virum fuisse, ut dictum est in Psalmo superiore, et sollicitum fuisse de liberatione, non tam a malis temporalibus, quam a periculis peccatorum, et amissionis æternæ vitæ. Ait enim, *Emitte lucem tuam, et veritatem tuam*, id est, concede mihi lucem gratiæ et misericordiæ tuæ, et veritatem, ac fidelitatem tuam: *ipsa* enim *me deducent* in hac periculosa peregrinatione, et *adducent in montem sanctum tuum*, ubi cœlestis est Jerusalem, *et in tabernacula tua*, id est, in ipsam domum tuam, ubi sunt multæ mansiones, et multa tabernacula, pro electis tuis. Per lucem, et veritatem S. Augustinus intelligit Christum, qui est lux et veritas. Sed videtur obstare illud pronomen, ipsa, cum dicitur, *ipsa me deduxerunt*, quod habetur expresse in textu Hebraico, המה *hemmah*, et Græco in numero multitudinis. Præterea similis est hæc locutio ei quæ habetur in Psal. 56. *Misit Deus misericordiam suam, et veritatem suam*, et familiare est Davidi per lucem intelligere gratiam, sive misericordiam, ut Psal. 66. *Deus misereatur nostri, et benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.* Illa vero, *ipsa me deduxerunt, et adduxerunt*, in Hebraico codice habentur in futuro, *ipsa me deducent, et adducent;* et quamvis Septuaginta Interpretes, et vulgata editio habeant in præterito, tamen videtur esse positum tempus pro tempore, ut Euthymius annotavit. Sæpe enim Scriptura prophetica, quæ futura sunt, explicat per tempus præteritum ad certitudinem rerum indicandam.

4. Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam.

Explicat quid facturus sit in monte sancto et in tabernaculo Dei, nimirum se facturum quod cæteri faciunt, qui in domo Dei habitant, quorum munus est sacrificare sacrificium laudis: *Beati*, inquit idem David, Psal. 83. *qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te. Introibo*, inquit, *ad altare Dei*, sacrificaturus videlicet sacrificium laudis: omnes enim, qui domum illam ingrediuntur, continuo Sacerdotes fiunt, ut ex illis eorum verbis intelligi potest, *Fecisti nos Deo nostro Regnum, et Sacerdotes.* Apoc. 5. Nec solum ad altare introibo, inquit, sed etiam introibo *ad ipsum Deum*, id est, coram ipso Deo apparebo, quasi in intimum ejus cubiculum introductus: *ad Deum*, inquam, *qui lætificat juventutem meam*, id est, qui lætificat novam meam juventutem. Nam in patria *renovabitur sicut aquilæ juventus nostra*, ut dicitur in Psal. 102. et ut Apostolus ait ad Ephes. 4. *Occurremus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* S. Hier. vocem גילי *ghili* vertit, *exultationem* pro qua Septuaginta verterunt, *juventutem.* Sed vocabulum hoc rarissime invenitur in Scripturis: et sicut ex auctoritate Sancti Hieronymi credere possumus significare *exultationem*, ita auctoritate Septuaginta Interpretum credere possumus significare *juventutem.* Quod autem habetur Danielis 1. גילכם *ghilchem*, non significat, ut quidam scripserunt, *juventutem*, sed similitudinem ætatis. Sanctus enim Hieronymus pro illa voce posuit, *coævis vestris*, et ex ejus auctoritate Sanctus Pagninus in Dictionario suo docuit, גיל *ghil*, significare similitudinem. Nemo igitur reprehendere potest Septuaginta Interpretes, vel editionem vulgatam.

5. Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus: quare tristis es anima mea, et quare conturbas me?

6. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, et Deus meus.

Explicat clarius, quo sacrificium oblaturus sit ad altare Dei, cum venerit in tabernaculum non manufactum, æternum in cœlis. *Confitebor*, inquit, *tibi in cithara*, id est, laudabo te confitendo misericordias tuas, justitias tuas, omnia denique mirabilia tua, et laudabo non solum ore, sed etiam opere, tunc enim optime, et sine ulla discordia, vel repugnantia concordabunt cantus, et *cithara*, id est, voces, et opera, quæ duo in hac peregrinatione raro perfecte concordant. Porro citharæ meminit etiam Apocalypsis, cum describit laudes Sanctorum in cœlo, Apoc. 5. *Habentes singuli citharas in manibus;* et c. 14. *Et vocem, quam audivi, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis.* Quæ sequuntur, explicata sunt in fine Psalmi superioris.

PSALMUS XLIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem filiis Core ad intellectum.

Titulus hujus Psalmi nihil differt a titulo Psalmi quadragesimi, nisi quod in eo vox, intellectus, præponebatur, hic postponitur. Ibi erat intellectus filiis Core, hic est, filiis Core intellectus, ut est in Hebræo, vel, ad intellectum, משכיל *maschil*, ut est in Græco, εἰς σύνεσιν, et Latino. Et fortasse nullum est in hac transpositione mysterium. Fortasse etiam vox, *intellectus*, præposita significabat in eo Psalmo deplorari calamitates præteritas, vel præsentes: in hoc autem postponitur, quia deplorantur calamitates futuræ longe post tempora Davidis: conveniunt enim SS. Patres hunc Psalmum continere prædictionem rerum, quæ post tempora Davidis contigerunt; et Græci quidem, ut Chrysostomus, Theodoretus, et Euthymius docent, Psalmum hunc cantari in persona Machabæorum, qui gravissimas calamitates ab Antiocho, aliisque Regibus Syriæ, vel Ægypti passi sunt. Latini vero, ut Ambrosius, Hieronymus, et Augustinus, volunt in hoc Psalmo exprimi voces SS. Martyrum, qui crudelissimas persecutiones a Romanis Imperatoribus pertulerunt. Sed conciliari possunt hæ Patrum sententiæ, si dicamus Psalmum præsentem ad utrosque pertinere, ad Machabæos et ad Christianos: similes enim persecutiones utrique passi sunt, et propter causam eamdem, propter confessionem videlicet, et legem ejusdem veri Dei. Sicut enim hic Psalmus non solum pertinet ad Martyres, qui tempore Neronis passi sunt, sed etiam ad eos, qui tempore Diocletiani, qui plus ducentis annis fuit Nerone posterior; sic etiam pertinere potest ad Martyres, qui sub Antiocho Epiphane decertarunt, qui ducentis circiter annis Neronem præcessit.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Deus auribus nostris audivimus, Patres nostri annunciaverunt nobis.

2. Opus quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis.

Incipit populus Dei in persecutione positus, et pro afflictione gemens commemorare magnalia, quæ Deus pro fidelium suorum defensione aliquando fecit; et mirari, cur nunc eosdem fideles suos dereliquisse videatur; ut hac commemoratione et admiratione Deum ad misericordiam flectat. Sed ideo præmisit in titulo David hic intellectu opus esse; quoniam Deus non mutatur, sed medicinam pro tempore mutat, prout populo suo ægrotanti convenire judicat. *Deus*, inquit Propheta in persona Ecclesiæ, vel Martyrum utriusque testamenti, *auribus nostris audivimus.* Dicit autem *auribus nostris*, cum satis fuisse videretur dicere, *audivimus*, vel *auribus audivimus*, ad majorem certitudinis expressionem: quo modo S. Joannes scribit initio primæ epistolæ, *Quod vidimus oculis nostris*, *et manus nostræ contrectaverunt*; videbatur satis fuisse dicere, *quod vidimus, et contrectavimus*; sed magnam habet vim ad significandam certitudinem exploratam, illud, *oculis nostris, manibus nostris.* Ita igitur hoc loco dicunt, *auribus nostris audivimus*, id est, nos ipsi audivimus. Addunt continuo, unde audierint; ac dicunt, *Patres nostri annunciaverunt nobis*, id est, non accepimus incerto rumore ab hominibus ignotis; sed ipsi Patres nostri, viri fide dignissimi, qui nos filios suos numquam decepissent, ipsi, inquam, *annunciaverunt nobis.* Quid autem audierint a Patribus, explicant, cum addunt, *Opus, quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis*; id est, annunciantibus Patribus audivimus mirabile opus, quod fecisti in diebus eorum, ipsis videlicet videntibus; et etiam *opus, quod fecisti in diebus antiquis*; quod Patribus suis narrantibus ipsi Patres nostri audierunt. Non multum refert, quod in Hebræo non habetur, *et*, unde aliqui exponunt, in diebus eorum qui sunt dies antiqui.

3. Manus tua gentes disperdidit, et plantasti eos, afflixisti populos, et expulisti eos.

Explicat in particulari unum ex operibus mirabilibus, quod Deus fecit pro fidelibus suis in diebus Patrum, ac dicit, *Manus tua gentes disperdidit*, id est, potentia tua disperdidit ex terra promissionis, gentes Chananæorum, et Jebusæorum, quæ in illa habitabant, *et plantasti eos*, id est, et gentibus illis electis, plantasti Patres nostros in illa ipsa terra. *Afflixisti populos, et expulisti eos*, id est, disperdidit illos manus tua, quia afflixisti gravissimis præliis populos illarum gentium, et tandem devictos expulisti, ut locum darent populo tuo. Ex hoc loco intelligimus, quod supra dictum est, *Patres nostri annunciaverunt nobis opus quod operatus es in diebus eorum*, non esse accipiendum de narratione immediata, sed mediata, id est, mediante successione filiorum: quod enim hoc loco narratur, factum est tempore Mosis et Josue; non potuit autem Moses, vel Josue, id narrare per se Machabæis, aut Apostolis, neque Davidi, qui Psalmum scripsit, sed narraverunt per successores suos. Illud autem, *Plantasti eos*, continet insignem metaphoram; significat enim ita constitutos, et stabilitos fuisse in terra promissionis Hebræos, ut nonnisi difficulter expelli possent; quomodo ponuntur arbores in terra, quando plantantur, et firmiter radicantur, ut non facile avelli possint. Præterea quæ plantantur non solum firma consistunt, sed etiam crescunt, et multiplicantur: quam metaphoram explicat clarius Psalmus 79. *Plantasti radices ejus, et implevit terram: operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus cedros Dei.*

4. Nec enim in gladio suo possederunt terram, et brachium eorum non salvavit eos.

5. Sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis.

Probat quod dixit, *Manus tua disperdidit eos*, etc. Nam, inquit, *non in gladio suo possederunt terram*, id est, Patres nostri, tempore Mosis et Josue, pugnaverunt quidem cum Chananæis; sed nisi adjutor, et protector eorum tu fuisses, neque terram possedissent, neque evadere potuissent de manibus hostium suorum: ipsi enim pauciores erant, minus in bello exercitati, et pugnaturi erant adversus urbes munitissimas. Non igitur in gladio suo, id est, virtute armorum suorum possederunt terram promissionis. *Neque brachium eorum salvavit eos*, id est, neque robur eorum tantum erat, ut in prælio captivitatem, vel mortem evadere possent, *sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui*, dedit eis terram possidendam, et salvavit eos a morte, vel captivitate, quando cum Chananæis pugnabant: et hoc ideo, *quia complacuisti in eis*, id est, non propter eorum virtutes, aut merita, sed quia tibi placuit eligere eos in populum tuum. Illud, *illuminatio vultus tui*, significat proprie benignum aspectum, sive gratiam et favorem, ut diximus in Psalmo superiori versu tertio. Dicitur enim Deus *illuminare vultum super aliquem*, quando illum sereno vultu respicere dignatur, id est, cum ejus miseretur, eique gratiam suam impertit. Esse autem verissima, quæ hoc loco dicuntur, perspicuum est ex libro Josue cap. 6. ubi legimus muros urbis Hierico ad solum clamorem filiorum Israel funditus corruisse, et ex cap. 10. ubi legimus, pugnante Josue, Deum immisisse de cœlo lapides grandinis super hostes, et ait Scriptura, *Et mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israel.*

6. Tu es ipse Rex meus, et Deus meus qui mandas salutes Jacob.

Exponit nunc admirationem suam populus Dei, dicens, *Tu es ipse Rex meus, et Deus meus, qui mandas salutes Jacob*, id est, tu ipse, qui Patres nostros adjuvabas et protegebas, quia Rex et Deus eorum eras, tu, inquam, *ipse es etiam Rex meus et Deus meus*, et ille idem, *qui mandas salutes Jacob*, id est, qui consuevisti salvare populum tuum, qui a parente suo nominatur Jacob. Hoc loco nonnulli volunt supervacaneum esse illud, *et*, cum dicitur, *et Deus meus*, et exponunt, *tu es Rex meus et Deus meus.* Ratio eorum est, quia illud, *et*, non habetur in textu Hebraico. At Septuaginta Interpretes habent, *et*, et sic legunt, et exponunt omnes veteres Græci et Latini, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Theodoretus, Euthimius, et sensus est sublimior: nam significat Scriptura, Deum non solum esse Regem populi sui, sed etiam Deum, id est, Judicem totius

mundi, æternum et omnipotentem, qui possit non solum protegere populum suum, quem regit, sed etiam punire omnes adversarios ejus. Itaque retinendum est illud, *et;* et credendum, vel excidisse ex Hebræo textu, vel Septuaginta seniores, addidisse illud, ut declararent vocem, Deus, non esse vocativi casus, sed nominativi, et aliquid amplius eo nomine significari, quam nomine Regis. Est etiam hoc loco observandum, illud *qui mandas salutes Jacob* non significare, qui mittis salutes, sed qui præcipis, sive jubes: vox enim Hebraica et Græca hoc significant, et ex illis declaranda est ambiguitas vocis Latinæ. Itaque sensus est, *qui mandas*, id est, qui jubes et præcipis salvari populum tuum, id est, qui solo imperio, et nutu potes, et soles salutem dare populo tuo: quasi dicat, *tu es Rex meus*, sed non ut alii Reges, qui bellando protegunt; sed es etiam Deus meus, qui solo verbo, solo imperio, solo nutu vales salvare Jacob.

7. In te inimicos nostros ventilabimus cornu, et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.

Ostendit nunc, non solum Deum esse eumdem Deum, qui erat tempore Patrum, sed etiam populum esse eumdem, et eamdem spem in Deo habere, quam Patres habuerunt: hinc enim oritur admiratio, cur idem Deus cum eodem populo ita contrario modo se gerat, ut quem antea victorem nullo negotio faciebat, nunc vinci, et debellari sinat. *In te*, inquit, *inimicos nostros ventilabimus cornu*, id est, nos quoque, si adjutor et protector noster fueris, inimicos nostros vincemus in te, id est, in tuo auxilio confidentes. *Et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis*, id est, et invocato nomine tuo, non timebimus, nec magni faciemus impetum hostium insurgentium in nos. Illud, *ventilabimus cornu*, est metaphoricum, ducta similitudine a tauris, qui cornibus projiciunt in ventum et in auras quidquid illis objicitur. Nos, inquit, tua potentia freti, ea facilitate hostes nostros abigemus et fundemus, qua solet ferocissimus taurus cornibus ventilare paleas.

8. Non enim in arcu meo sperabo, et gladius meus non salvabit me.

Pergit in demonstranda similitudine inter populum Dei præsentem et antiquum. Sicut enim antiquus populus non in gladio suo possidebat terram, ita inquit, *et ego populus tuus præsens non in arcu meo sperabo*, id est, non confidam in viribus et armis meis. *Et gladius meus non salvabit me*, id est, scio et confiteor, quod si salutem consequar, eam mihi non dabit gladius meus, sed auxilium tuum.

9. Salvasti enim nos de affligentibus nos, et eos qui nos oderunt confudisti.

Declarat, quod dixit, *Gladius meus non salvabit me*, dicens, *salvasti enim nos de affligentibus nos*, id est, confiteor salutem meam non a viribus meis pendere; quoniam quotiescumque salvus factus sum a quacumque tribulatione, tu *salvasti nos ab affligentibus nos*, et tu es qui inimicos nostros, *qui nos oderunt*, et perdere cupiebant, *confudisti*, efficiens protectione tua, ut conatus eorum frustraretur, et ipsi confusi ab oppugnatione nostra recederent.

10. In Deo laudabimur tota die, et in nomine tuo confitebimur in seculum.

Concludit ex iis, quæ dixit, populum Dei, quotiescumque liberabitur a tribulatione, id beneficium Deo acceptum relaturum, et gloriam omnem ipsi Deo daturum esse. *In Deo*, inquit, *laudabimur toto die*, id est, non in nobis, sed in Deo gloriabimur omni tempore, quo de hostium manibus liberabimur: et in nomine Domini invocato, ipsi confitebimur laudem, et gloriam usque in æternum. Quibus verbis confirmat quod demonstrare volebat; populum esse eumdem, qui antea fuerat, id est, confidentem in Dei auxilio, non in suis viribus, ut populus antiquus, non in viribus suis, sed in adjutorio Domini confidebat. Illud, laudabimur, phrasis est Hebraica significans gloriari, non proprie laudari. Similis est phrasis Italica, quando dicimus, *Mi lodo del tale*, et habetur hæc phrasis in aliis locis multis, ut in Psalmo 33. *In Domino laudabitur anima mea.* Psal. 104. *Laudamini in nomine sancto ejus*, et alibi sæpe. Illud autem, *Et in nomine tuo confitebimur*, clarius est in Hebræo, *et nomini tuo* confitebimur. S. Augustinus hos versiculos, a septimo usque ad decimum, vult continere prophetiam futuræ victoriæ Christi et Christianorum, quando Ecclesia de omnibus hostibus triumphabit. Sed superior expositio, quæ est Chrysostomi, videtur magis litteralis: non enim hic loquitur Propheta, sed populus Dei, qui miratur se a Deo non juvari, cum sit idem populus cum eo, quem Deus tam manifeste auxilio suo protegebat. Sequitur igitur:

11. Nunc autem repulisti, et confudisti nos; et non egredieris Deus in virtutibus nostris.

Hic jam incipit admiratio, et conquestio miserabilis populi graviter afflicti ab inimicis. *Nunc autem*, id est, olim tanto favore nos prosequebaris, *nunc autem repulisti et confudisti nos;* nam et tempore Antiochi opprobrium erat vocari Judæum, et tempore Tyrannorum infame erat Christianorum nomen, et videbantur fideles derelicti a Deo. *Et non egredieris Deus in virtutibus nostris*, id est, si velimus hostibus repugnare, qui nos affligunt, tu non egredieris nobiscum, ut olim egrediebaris, ut pro populo tuo pugnares. Per virtutes intelliguntur exercitus, ut clare habetur in Hebræo, בצבאותינו *betsibothenu:* sunt enim exercitus armati vires et robora populi; et virtus hoc loco non virtutem moralem, sed potentiam et robur significat. Porro tempore persecutionum tam Antiochi, quam Imperatorum gentilium tanta erat debilitas in populo Dei, ut non auderent ullo modo resistere; et ideo patiendo, et tolerando solum pugnabant. Sed quamvis ab hoste visibili fugarentur et cæderentur, tamen de hoste invisibili gloriosissime triumphabant: et quamvis in conspectu hominum derelicti viderentur a Deo, tamen in occulto maxima Dei gratia juvabantur. Sed hoc loco de eo tantum agitur, quod foris agebatur, et relinquitur filiis Core intelligendum, quod agebatur in occulto.

12. Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros, et qui oderunt nos diripiebant sibi.

Pergit in explicanda persecutione. *Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros*, id est, fecisti, ut qui primo loco eramus, jam in postremo essemus, et tamquam victi, et captivi sequeremur inimicos nostros : et iidem inimici nostri, *qui nos odio habebant*, pro arbitrio suo, et nos et nostra *diripiebant, et sibi*, id est, in usum suum convertebant. S. Hieron. ex Hebræo reddidit, *vertisti terga nostra hosti :* quem sensum verba Hebraica facile admittunt, quæ ad verbum sic sonant, *avertisti nos retrorsum ab inimicis nostris*, sed versio Græca et Latina, quæ habet, *post inimicos nostros*, non facile sensum illum ferre possunt; qui enim terga vertunt et fugiunt, non terga vertunt post inimicos, sed ante inimicos. Ideo sensum alium nos supra posuimus ex Chrysostomo et Augustino, neque repugnat nostra expositio verbis Hebraicis; nam pro eo quod haberi diximus, *ab inimicis nostris*, potest etiam legi, *præ inimicis nostris*, ut legit S. Augustinus, et secundum eam lectionem optime constat explicatio, quam attulimus : sive enim legas, *avertisti nos retrorsum post inimicos nostros*, sive legas, *avertisti nos retrorsum præ inimicis nostris*, semper significatur, nos redactos esse ad locum inferiorem et posteriorem, et in hostium potestatem misere devenisse.

13. Dedisti nos tamquam oves escarum, et in gentibus dispersisti nos.

Mire describit martyria Sanctorum. *Dedisti*, inquit, *nos tamquam oves escarum*, id est, permisisti nos tam facile trucidari, et in tanta multitudine, ac si essemus oves destinatæ ad macellum, quæ in magna copia, et sive ulla resistentia occiduntur, *Et in gentibus dispersisti nos*, id est, et eos ex nobis, quos occidere hostes noluerunt, permisisti dispergi inter gentes. Ubi notantur exilia in loca remotissima, ad quæ frequenter Sancti ablegabantur.

14. Vendidisti populum tuum sine pretio, et non fuit multitudo in commutationibus eorum.

Aliud supplicium describit, quo sancti Martyres tamquam vilissima mancipia deputabantur ad secanda marmora, vel ad curandas bestias, vel ut in theatris laniarentur a feris, ut eo spectaculo oblectarentur spectantium oculi. *Vendidisti*, inquit, *populum tuum sine pretio*, id est, tradidisti populum tuum potestati inimicorum, et nihil pretii accepisti. *Et non fuit multitudo in commutationibus eorum*, id est, et cum hostes, quibus eos tradideras, vellent eos vendere in mancipia, et pro pecunia commutare, non fuit multitudo pecuniæ in commutationibus eorum, id est, tamquam vilissima mancipia fere pro nihilo vendebantur, et ad opera abjectissima deputabantur. S. Augustinus legit, *Non fuit multitudo in jubilationibus eorum*, et exponit, non remanserunt multi in Ecclesiis, qui Domino jubilarent in officiis divinis celebrandis; sed codices Græci variant: emendatiores autem habent, ut nos in Vulgata legimus, quæ lectio concordat cum textu Hebraico, et sic etiam legunt, et exponunt Ambrosius, Hieronymus, et Chrysostomus.

15. Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem, et derisum his, qui sunt in circuitu nostro.

Ad supplicia corporalia adjungit irrisiones, et opprobria. *Posuisti*, inquit, *nos opprobrium vicinis nostris*, id est, ex eo quod permissione tua devenimus in calamitates, quas paulo ante descripsimus, inde factum est, ut jam simus opprobrio vicinis nostris, et subsannemur, ac irrideamur ab iisdem vicinis, qui sunt in circuitu nostro.

16. Posuisti nos in similitudinem gentibus, commotionem capitis in populis.

Per similitudinem, intelligitur proverbium, sive parabola, ut clarius dicitur in Psalmo 68. *Factus sum illis in parabolam.* Ait igitur, *posuisti nos in similitudinem gentibus*, id est, fecisti, ut gentiles de nostra calamitate parabolam, sive proverbium sibi facerent, et cum vellent inter loquendum exemplum proponere rei valde detestandæ, nostram miseriam in medium adferrent. Posuisti etiam nos *commotionem capitis in populis*, id est, fecisti, ut populi gentium non solum irrisione verborum, sed etiam capitis agitatione nos detestarentur, vel irriderent.

17. Tota die verecundia mea contra me est, et confusio faciei meæ cooperuit me.

18. A voce exprobrantis, et obloquentis, a facie inimici, et persequentis.

Explicat effectum irrisionum, quia sine dubio ingens confusio, et verecundia erat. *Tota die*, inquit, *verecundia mea contra me est, et confusio faciei mea cooperuit me*, id est, omni tempore hujus persecutionis verecundia mea in conspectu meo est, semper video confusionem meam, quæ confusio faciei meæ totum me quasi velo quodam operuit. Oritur autem hæc tota confusio *a voce exprobrantis, et obloquentis*, id est, ab iis, qui mihi exprobrant stultitiam, quod Crucifixum colam; exprobrant impietatem, quod Deos non venerer, exprobrant falsa crimina, infanticidia, incestus, et similia, et de his inter se obloquuntur. Explicat autem qui sint isti exprobrantes, et obloquentes, cum addit, *a facie inimici et persequentis.* Sed videtur hæc verecundia, et confusio non convenire sanctis Martyribus, cum scriptum sit, *Qui erubuerit me, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua et Patris*, Luc. 9. Et *qui me confessus fuerit, et filius hominis confitebitur eum, cum venerit in gloria Patris sui cum Angelis sanctis*, Marci 8. Cæterum Dominus non prohibet quamcumque verecundiam, et confusionem, sed eam, quæ impedit confessionem. Illi enim reprehenduntur, qui ab hujusmodi verecundia superati, Christum confiteri non audebant, vel etiam ad negandum adigebantur. Istos autem de quibus in hoc Psalmo agitur, non fuisse a verecundia victos, docent verba sequentia.

19. Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, et inique non egimus in testamento tuo.

Post explicata beneficia Dei erga Patres anti-

quos, et destitutionem, ac derelictionem populi junioris; subjungit Propheta in persona ejusdem populi causam hujus desertionis non posse tribui peccatis suis: unde colligitur ratio admirationis, et querimoniæ. Sic igitur loquitur, *Hæc omnia venerunt super nos*, id est, has angustias et tribulationes passi sumus; et tamen *non obliti sumus te*, id est, non dimisimus te, ut coleremus Deos alienos: solet enim Scriptura conjungere oblivionem Dei cum idololatria. Psal. 105. *Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum, obliti sunt Deum, qui salvavit eos*, et Deuteron. 32. *Immolaverunt Dæmonibus, et non Deo: Deum, qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui.* Et in hoc ipso Psalmo, *Si obliti sumus nomen Dei nostri, et si expandimus manus nostras ad Deum alienum.* Isti igitur affirmant, se non coluisse Deos alienos; ideo aiunt, *Obliti non sumus te, et inique non egimus in testamento tuo*, id est, non solum non adhæsimus Diis alienis, obliviscentes te Deum verum; sed neque iniquitatem fecimus contra pactum, quod pepigimus tecum in Sina, ut servaremus legem tuam, nam testamentum hoc loco, ut est clarius in Hebræo, ברית *berith*, pactum significat. Itaque protestantur, se Deum non reliquisse, neque in legem ejus peccasse.

20. Et non recessit retro cor nostrum, et declinasti semitas nostras a via tua.

Idem repetunt aliis verbis, ut magis innocentiam suam declarent. *Et non recessit retro cor nostrum*, idem est quod, *obliti non sumus te*, id est, cum tecum ambularemus ex corde adhærentes tibi, non recessimus retro, neque te deseruimus. Illud autem, *Et declinasti semitas nostras a via tua*, requirit repetitionem præcedentis negationis, ut sensus sit, *non recessit retro cor nostrum, et non declinasti semitas nostras a via tua*, id est, non permisisti, ut gressus nostri declinarent a via tua, id est, a lege tua, quod est idem cum illo, *et inique non egimus in testamento tuo.* S. Hieronymus clarissime vertit ex Hebræo, *Et non declinaverunt semitæ nostræ a via tua:* quamvis enim in Hebræo non habeatur negatio, et verbum, declinasti, sit in secunda persona singulari: tamen voluit S. Hieronymus sententiam reddere, non verba. Alii quoque Interpretes, ut notat S. Joannes Chrysostomus, addiderunt negationem. Septuaginta Interpretes, quos sequitur editio vulgata, non posuerunt in textu suo negationem, quia non invenerunt in originali, sed tamen ea subintelligenda est, ut in multis aliis locis. Quod si quis omnino velit affirmative exponere illud, *et declinasti semitas nostras a via tua*, poterit per viam Domini, intelligere viam misericordiæ, et gratiæ, nam *universæ viæ Domini misericordia, et veritas.* Psal. 24. ait idem Propheta. Itaque sensus erit, declinasti semitas nostras a via misericordiæ tuæ, a favore, a gratia, ab auxilio tuo in tribulationibus nostris; cum qua expositione satis conveniunt quæ sequuntur.

21. Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, et cooperuit nos umbra mortis.

Si sequamur posteriorem expositionem versiculi superioris, versiculus præsens declarabit quomodo declinaverit Deus semitas populi sui a via sua; quoniam videlicet, *humiliavit eum in loco afflictionis:* si vero sequamur priorem expositionem, particula, *quoniam*, vel redundabit, ut non semel in Scriptura sacra redundat, vel reddet causam sententiæ sequentis, non præcedentis, hoc modo, *Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, ideo et cooperuit nos umbra mortis.* Porro humiliare aliquem in loco afflictionis, est dejicere illum in profundum miseriarum: ponitur enim, *in loco*, pro, in locum. S. Hieronymus vertit ex Hebræo, in locum draconum. Et vere vox, תנים *tannim*, quæ est in textu Hebraico, dracones significat. Sed videntur Septuaginta sensum vertisse, non verbum. Loca enim draconum sunt loca cavernosa, deserta, horrentia, ac per hoc loco afflictionis; et quoniam loca afflictionis obscura sunt, et tenebricosa, ut cavernæ, putei, tetri carceres; ideo addit, *et cooperuit nos umbra mortis*, id est, operuerunt nos tenebræ, et ingens obscuritas. Quæ omnia, metaphoræ sunt, quibus tribulationis et persecutionis magnitudo significatur; vocabulum, *umbra mortis*, frequentissimum est in Scripturis utriusque Testamenti, et ut plurimum conjungitur cum vocabulo, *tenebrarum*, ut est videre Job 3. Psal. 87. et 106 Isaiæ, 9. Matth. 4. Luc 1. et nihil aliud significat, nisi magnam obscuritatem. Dicitur autem obscuritas umbra mortis, quoniam in morte extinguitur vita, quæ est quasi lumen quoddam, unde extincta vita solum tenebræ relinquuntur. S. Augustinus dicit, mortalitatem esse umbram mortis, id est, imaginem mortis; mortem autem veram esse damnationem cum diabolo, quæ dicitur mors æterna.

22. Si obliti sumus nomen Dei nostri, et si expandimus manus nostras ad Deum alienum.

23. Nonne Deus requiret ista? ipse enim novit abscondita cordis.

Probant, qui in hoc Psalmo loquuntur, testimonio Dei, se revera non esse oblitos Domini, ut supra dixerunt. Dicunt enim, *Si obliti sumus nomen Dei nostri, et si expandimus manus nostras ad Deum alienum* deprecandum, *nonne Deus requiret ista*, quasi dicant, certe requiret, et inveniet an ita sit. *Ipse enim novit abscondita cordis.* Sed profecto inveniet, nos oblitos non esse nomen ipsius.

24. Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis.

25. Exurge, quare obdormis Domine? exurge, et ne repellas in finem.

Concludit populus Dei petens a Deo finem persecutionis. *Quoniam*, inquit, *propter te mortificamur tota die*, id est, quoniam propter confessionem nominis tui, quotidie morti tradimur, multi quotidie occiduntur ex nobis. *Æstimati sumus sicut oves occisionis*, id est, similes facti sumus ovibus destinatis ad mactationem, quæ sine resistentia, vel misericordia jugulantur. *Exurge, quare obdormis Domine?* id est, cum causa tua hic agatur, et servi tui tanta patiantur, cur tu siles, quasi dormiens non adverteres. *Exurge a somno*, id est, fac quod illi

faciunt, qui surgunt a somno, et incipiunt videre, quod antea non videbant. *Exurge in auxilium nostrum*, *et ne repellas nos* ab adjutorio tuo *in finem*, id est, usque ad consummationem, finiatur tandem te opem ferente persecutio. Hunc locum adduxit Apostolus ad Rom. 8. *Quis*, inquit, *nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sicut scriptum est, quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis.*

26. Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiæ nostræ, et tribulationis nostræ?

Pergit in eadem oratione, et utitur duabus aliis metaphoris: nam in versu superiore sumpsit similitudinem a somno, nunc sumit ab aversione faciei, et ab oblivione, quorum neutrum cadit in Deum. Dicitur tamen Deus avertere faciem, quando non juvat, quasi non videret miseriam nostram; et dicitur etiam oblivisci, quando non succurrit egentibus auxilio, et tribulatis, quasi esset oblitus eorum,

27. Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster.

In eadem oratione persistens, et sciens, orationem humiliantis se gratissimam esse Deo, dicit se humiliatum usque ad summum, ut magis humiliari non possit. Qui enim stans orat, potest humiliari flectendo genua; et qui genibus flexis orat, potest adhuc humiliari prosternendo se totum ad terram; sed qui humi prostratus orat, non habet, quo descendat, ut magis humilietur. Porro humiliari potest homo corde, et corpore usque ad terram; corde, si vere cogitet, et intelligat, et fateatur se pulverem esse, quomodo orabat Abraham cum diceret, *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis*, Gen. 18. corpore autem, si ad terram prostratus oret, quod de Christo Domino referunt Matthæus cap. 26 et Marcus cap. 14. *Procidit*, inquiunt, *in faciem suam super terram*, dicens, etc. Neque obstat quod Lucas cap. 22. dicat, *Positis genibus oravit:* nam positis genibus orare cœpit, deinde procidit in terram. Utramque humilitatem præ se ferunt, qui in hoc Psalmo dicunt, *Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster*, id est, cognoscimus nos pulverem esse, et vere adhæsit in terra venter noster, dum corpore prostrati oramus te. Possunt etiam hæc omnia referri ad magnitudinem persecutionis, per quam redacti erant ad extremam, et summam ignominiam, et contemptum.

28. Exurge Domine, adjuva nos, et redime nos propter nomen tuum.

Addunt ultimam, et efficacissimam rationem, cur Deus moveri debeat ad misericordiam erga populum suum, ne videlicet blasphemetur amplius nomen ipsius. *Exurge*, inquiunt, *adjuva nos in* hac tribulatione, *et redime*, id est, libera nos, *propter nomen tuum*, id est, ut non blasphemetur, sed glorificetur nomen tuum, et sicut sine pretio vendidisti nos, ita sine pretio redime, non ob nostra merita, sed propter nomen tuum, propter misericordiam, et benignitatem tuam. Ad majorem intelligentiam hujus Psalmi, videntur expediendæ quæstiunculæ quæ lectori facile possent occurrere.

Prima quæstio est: Cur ii qui in hoc Psalmo loquuntur, querantur se sine culpa sua puniri; cum alii Sancti persecutiones peccatis suis imputare soleant: nam Daniel cap. 9. loquens de captivitate Babylonica dicit, *Peccavimus, inique fecimus, impie egimus, et recessimus, et declinavimus a mandatis tuis, et judiciis tuis.* Et tres pueri sancti in fornacem ignis conjecti, et a Deo mirabiliter liberati confitentur hoc modo, Daniel 3. *Judicia vera fecisti juxta omnia, quæ induxisti super nos, et super civitatem sanctam Jerusalem: peccavimus enim, et inique egimus recedentes a te, deliquimus in omnibus.* Eadem est vox sanctorum Machabæorum lib. 2. cap. 7. Nos, inquiunt, *propter nos ipsos hæc patimur, peccantes in Deum nostrum.* Eadem dicit de persecutionibus Christianorum sanctus Cyprianus in serm. quinto, qui est de lapsis. Respondeo, negari non posse, quin ob peccata populi Deus persecutiones excitari permittat. Cæterum sancti Viri variis modis loquuntur: aliquando enim suscipiunt personam membrorum infirmorum (unum enim corpus sumus, alter alterius membra,) et peccata fratrum suorum sibi tribuunt; quo modo sæpe lingua confitetur quasi peccata, quæ tamen a membris aliis patrata sunt: aliquando vero induunt personam perfectorum, et sanctorum, qui revera puniuntur in communi persecutione sine propria culpa. Sic igitur Scripturæ allatæ inter se non pugnant: nam Daniel, tres pueri, et sancti Machabæi loquebantur in persona membrorum infirmorum; isti vero qui in hoc Psalmo loquuntur, personam innocentium, et Sanctorum induerunt.

Secunda quæstio: Cur Deus innocentes puniri sinit, cum propter iniquos persecutionem excitari permittat? Respondeo, innocentes in persecutione, non proprie puniri, sed probari: vult enim Deus per atrocitatem persecutionis, quasi per ignem conflatorii, vel per ventilabrum areæ, purgare Ecclesiam suam, et efficere, ut appareant qui sint veri, qui ficti fideles, qui sint aurum, qui aurichalchum; qui frumentum, qui paleæ. *Tribulatio*, inquit Apostolus Rom. 5. *probationem operatur:* et in lib. Sap. cap. 3. *Deus tentavit eos, et invenit eos dignos se: tamquam aurum in fornace probavit illos.*

Tertia quæstio: Cur ergo Sancti queruntur de persecutione, et eam cito finiri precantur? Respondeo, quia tribulationem tolerare jubemur, non amare, et nemo quod tolerat amat, etsi tolerare amet: quamvis enim gaudeat se tolerare; tamen mavult non esse quod toleret; ut scripsit S. Augustinus in lib. 10. Confess. cap. 28. Deinde, quia persecutio, atque tentatio periculosa est; cum sit incerta victoria, et Sancti de se non præsumant.

Quarta quæstio: Cur Deus, ut in hoc Psalmo dicitur, aliquando populo suo tribuit temporalia bona et victoriam de inimicis; aliquando e contrario auffert eadem temporalia bona, et populum suum ab hostibus vinci, ac debellari sinit? Respondeo, ut omnes intelligant bona temporalia a Deo dari, non a dæmonibus, vel a fato aut fortuna; ideo tribuit illa amicis suis, quando

ita expedire judicat. Ut autem amici Dei non hæreant temporalibus bonis, neque ament stabulum pro domo, et exilium pro patria; sæpe illis eripit ejusmodi bona, ut in explicatione Psalmi quadragesimi, versu tertio fusius explicavimus.

PSALMUS XLIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem, pro iis, qui commutabuntur, filiis Core ad intellectum, Canticum pro dilecto.

Summa confessione docent omnes expositores Latini, Græci, Hebræi, Psalmum hunc continere laudes Messiæ et sponsæ ejus Ecclesiæ, ut sit quasi spirituale epithalamium; et huic argumento titulus satis apte respondet : nam *per eos, qui commutabuntur*, intelligit Propheta fideles populos, qui Ecclesiam faciunt; dicuntur autem commutandi, quia mutandi erant per justificationem in hoc sæculo, et per resurrectionem, in alio, qui enim adorabant idola, adoraturi erant Deum verum; et qui miseram et mortalem ducebant vitam in terris, acturi erant felicem, et sempiternam in cœlis. *Per dilectum*, intelligunt omnes Christum, de quo non semel Pater cœlestis ait, Matth. 3. et 7. *Hic est filius meus dilectus*, et quem nemo novit, qui non ardentissime diligat; cum totus sit suavis, et pulcher, quippe, *speculum sine macula, et candor lucis æternæ*, ut legitur Sap. 7. Sensus igitur tituli hic erit, Canticum datum filiis Core, ad intelligenter et sapienter canendum usque in finem, cujus materia est pro iis, qui commutabuntur, et pro dilecto, id est pro Ecclesia, et pro Christo, pro Sponsa, et Sponso. In Hebræo legitur, pro liliis, ubi nos habemus, pro iis qui commutabuntur; sed vox Hebraica ששנים *sosanim*, utrumque significare potest, videlicet lilia, et qui commutabuntur, ut S. Hieronymus fatetur in epistola ad Principiam Virginem, in qua totum hunc Psalmum diligenter explanat : et satis commode, qui commutandi sunt, lilia dici possunt; cum de Ecclesia, quæ est multitudo commutandorum, dicat Sponsus in Canticis cap. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.*

EXPLICATIO PSALMI.

1. Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi.

2. Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis.

Hi duo versiculi continent præfationem totius Psalmi, in qua præfatione Propheta docet hunc Psalmum esse meram prophetiam a Spiritu Sancto dictatam, nihilque hic esse ab ingenio suo elaboratum : quamvis enim omnis divina Scriptura sit verbum Dei, et a Spiritu Sancto inspirata : tamen multum interest inter prophetias, et historias, vel epistolas : nam in edendis Prophetiis sancti scriptores non laborabant cogitando, et discurrendo, et ad memoriam aliquid revocando : sed simpliciter loquebantur, vel scribebant quæ Deus illis ostendebat : quod de Hieremia testatur Baruch, Hierem. 36. *quod* videlicet *ita loqueretur, ac si in libro aliquo legeret, quod dicebat.* Sed, cum Sacri scriptores scribebant historias, vel epistolas; inspirabat quidem Deus illis scribendi voluntatem, eosque dirigebat, ut recte, et sine errore ullo scriberent; sic tamen ut etiam ipsi memoriam exercerent, et ingenium, ut recordarentur res gestas, et cogitarent rationem et ordinem scribendi : quod de se testatur auctor libri secundi Machabæorum cap. 2. David igitur, cum in Psalmis cantabat historias beneficiorum Dei, vel calamitatum suarum, aut etiam totius populi; memoriam, et ingenium exercebat, et non sine proprio labore Psalmos componebat; quamvis a Deo semper excitaretur, et dirigeretur : cum autem meras prophetias caneret, vel scriberet, ut in hoc Psalmo fecit, nihil suum agnoscebat, nisi simplex linguæ, vel manus ministerium. Hoc igitur est quod in hac præfatione dicit, quod ipse idem clarius explicuit in 2. lib. Reg. cap. 23. cum ait, *Spiritus Domini loquutus est per me, et sermo ejus per linguam meam.* Ait igitur, *Eructavit cor meum verbum bonum*, id est, mens mea ex plenitudine, et copia illustrationis divinæ, et cœlestium revelationum protulit foras, ad aures hominum Psalmum hunc, qui continet verbum bonum, sermonem videlicet gratum, et salutarem omnibus. Sed ad majorem explicationem notanda sunt aliqua. Primo, usum esse Prophetam vocabulo eructandi, ut ostenderet se non propria voluntate, et propria inventione in hoc Psalmo loqui : ructus enim non emittitur voluntarie, et ex electione, sed velit, nolit homo, ex plenitudine stomachi erumpit. Secundo, voluisse etiam Prophetam ostendere, se non omnia, quæ, Deo illustrante, cognovit, in hoc Psalmo expressisse; sed modicum quid ex illa plenitudine protulisse; ructus enim signum est repletionis, sed est exiguus flatus ab illa repletione foras erumpens. Multa enim Prophetæ vident, quæ non licet homini loqui. Unde et Isaias dicebat, *Secretum meum mihi.* Isaiæ 24. et qui revelationes a Deo perci-

piunt, id ut plurimum fateri solent, se non habere vocabula, quibus eas revelationes ita explicent, ut ipsi eas vident : et fortasse hac de causa Propheta dixit, *verbum bonum eructasse cor suum;* non verba bona in numero multitudinis. Tertio, verbum bonum vocari hunc Psalmum, quia non continet prophetiam rerum malarum, ut exitii civitatis, captivitatis populi, et similium, quæ passim à Prophetis prædici solebant; sed prædictionem rerum secundarum et felicium, quæ magnam lætitiam, et voluptatem sint allaturæ. Quarto, Deum in his verbis, ita descripsisse emanationem hujus verbi ex corde Davidis, ut alluserit ad productionem Verbi æterni, et voluerit nos, quasi manu ducere ad intelligentiam generationis æternæ Verbi divini : vere enim Pater æternus non eguit auxilio conjugis ad Filium producendum; neque eum ex electione produxit; neque plures filios genuit; sed ex plenitudine cordis, sive ex perfectissima intelligentia Verbum mentis, et verbum unicum, idque summe bonum naturaliter produxit, ut proprie dicere potuerit, *Eructavit cor meum verbum bonum.* Sequitur, *Dico ego opera mea Regi,* non desunt, qui ista verba sic exponant, *dico ego opera mea Regi,* id est, confiteor peccata mea Deo : vel, dico carmina ista de Rege; vel, consecro opus meum Regi; vel, alloquor in hoc Psalmo Regem; quas expositiones, ut non reprehendo, sic existimo nostram explicationem melius connecti cum verbis præcedentibus et sequentibus : nostra enim opinione, hæc pars secunda primi versiculi reddit rationem, cur David dixerit, *Eructavit cor meum verbum bonum;* est enim ac si diceret, Ego simpliciter confiteor Regi meo, qui est Deus, omnia opera mea; et non mihi tribuo, quod non est meum; ideo non dixi, Ego Psalmum istum scripsi, sed *eructavit cor meum verbum bonum,* id est, non ex electione mea prodiit, sed ex plenitudine illustrationis tuæ. Quod clarissime explicatur in sequenti versiculo, cum dicitur, *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis,* id est, lingua mea protulit hunc Psalmum, sed id fecit, non ut lingua mea, non ut membrum corporis mei, quod ad imperium voluntatis meæ movetur; sed ut calamus Spiritus Sancti, tamquam scribæ velociter scribentis. Dicit autem linguam suam esse calamum scribæ velociter scribentis, et non dicit linguam suam esse linguam spiritus velociter loquentis, quia vult ostendere linguam suam in prophetia edenda esse instrumentum separatum, ut revera est calamus; et non instrumentum conjunctum, ut sunt membra corporis; vel, significare voluit, prophetiam hanc non abituram in ventum, ut quæ ore pronuntiantur; sed perpetuo mansuram, ut quæ calamo exarantur. Illud autem, *velociter scribentis,* significat Spiritum Sanctum non egere tempore ad considerandum quid, et quomodo scribendum sit; illi enim tarde scribunt, qui inter scribendum cogitant, quam sententiam, et quibus verbis scribere debeant.

3. Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.

Incipit Christum laudare, ac primum a pulchritudine laudat, deinde ab eloquentia, tum a fortitudine et robore, tertio a virtutibus animi, postremo a divina et regia dignitate, et potestate, quibus addit etiam exteriora, videlicet vestimentorum, et palatii nobilitatem. Incipit autem a pulchritudine, vel quia describit Sponsum, et in Sponso pulchritudo eloquentiæ cedit, eloquentia robori, robur virtutibus, virtutes divinitati. Ait igitur, *speciosus forma præ filiis hominum.* Videtur abrupta sententia, et obscura, cum non addiderit, quis sit iste speciosus, sed, ut supra notavimus, ideo dictum est, *eructavit cor meum verbum bonum*, id est, ex plenitudine contemplationis aliquid foras emanavit, non omnia. Sensus igitur est, Non mirum est, si tu, Christe, dilectus dicaris, nam *speciosus forma es præ filiis hominum:* dicit autem, *præ filiis hominum,* et non addit præ spiritibus angelicis; quoniam Deus verbum non Angelus, sed homo factus est, ac si dicat, tu dilecte homo es, sed speciosus forma supra homines. Et vere Christus supra homines formosus est : nam si respicias divinitatem, infinita pulchritudine præditum videbis; si respicias spiritualem animæ pulchritudinem, speciosus Christus est præ omnibus spiritibus creatis; si respicias splendorem corporis ejus glorificati pulchrior sole est, et pulchritudinem ejus sol et luna mirantur. Sequitur, *Diffusa est gratia in labiis tuis,* quibus verbis laudat eumdem Christum a gratia sermonis; quæ mirum in modum pulchritudinem ipsam commendat. Dicitur autem *diffusa gratia in labiis,* ut ostendatur permanens, et naturalis fuisse Christo gratia sermonis, non acquisita per studium, aut exercitationem. In Evangeliis legimus Luc. 4. *Mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipsius.* Et Joan. 6. *Nunquam sic loquutus est homo sicut hic homo.* Experti sunt sanctus Petrus, sanctus Andræas, sanctus Jacobus, sanctus Joannes, sanctus Philippus, sed præcipue sanctus Matthæus vim verborum ejus, et energiam in sermone ejus latentem, qui ad simplicem vocationem subito efficacissime tracti, et persuasi, relictis omnibus, sequuti sunt eum. Sed mirabilius est, quod voci ejus venti, et mare, et ipsæ febres ac denique mortui obediebant : quamquam nec mirabile videri debet, si verbum substantiale, et divinum, per carnem assumptam verba gratiæ efficacissima et suavissima loqueretur. Sequitur, *Propterea benedixit te Deus in æternum.* Possunt hæc duplicem sensum facere, et utrumque rectum : potest enim accipi illud, *propterea,* pro *quia*, sive, *propterea quod, ut sensus sit, speciosus es præ filiis hominum, et diffusa est gratia in labiis tuis,* propterea quod *benedixit te Deus in æternum;* ut benedictio Dei æterna sit causa tantæ pulchritudinis, et tantæ gratiæ. Significatur autem per benedictionem hoc loco gratia unionis hypostaticæ, quæ in æternum duratura est; inde enim tamquam ex fonte manaverunt omnia dona quæ in Christi humanitatem copiosissime fusa sunt. Sed potest etiam, ut Chrysostomus et alii exponunt, simpliciter accipi, *propterea,* pro particula significante effectum, ut sensus sit, quia *speciosus es præ filiis hominum, et diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum*, id est, quia amabilis, et gratiosus es præ omnibus, ideo te Deus præ omnibus dilexit, et benedixit in æternum. Ex quibus verbis non debet colligi Christum non fuisse amatum, et benedictum a Patre, antequam appareret ejus pulchritudo, et gra-

tia sermonis; sed hæc fuisse meritum, sive titulum novum amoris : quomodo dicit ipse Christus Joan. 10. *Propterea diligit me Pater; quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.* Et Apostolus Philipp. 2. *Humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem Crucis : propter quod, et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Videtur tamen prior expositio anteponenda.

4. Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.

Transit a laude pulchritudinis et facundiæ, ad laudem fortitudinis militaris, et poetico more non simpliciter narrat; sed per modum precantis, sive invitantis dicit. *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime :* id est, Eia, dilecte Deo, qui non solum speciosissimus, et gratiosissimus, sed etiam potentissimus, et robustissimus es, accingere armis tuis, et veni, libera populum tuum. Quæ sint autem arma ejus explicat in sequenti versiculo, dicens :

5. Specie tua, et pulchritudine tua, intende, prospere procede, et regna.

Verba illa, *Specie tua, et pulchritudine tua,* conjungi possunt cum præcedentibus, ut sit sensus, *Accingere gladio tuo, potentissime, specie tua, et pulchritudine tua.* Possunt etiam conjungi cum sequentibus, ut sensus sit, *specie tua et pulchritudine tua, intende, prospere procede, et regna :* sed utroque modo significatur arma Christi esse speciem, et pulchritudinem ipsius. Quod ut intelligatur considerandum est, pulchritudinem veram, et summam, ut Augustinus loquitur, esse pulchritudinem spiritualem, quæ nunquam marcescit, et quæ placet oculis, non hominum solum, sed etiam Angelorum, et ipsius Dei, qui falli non possunt. Potest autem pulchritudo spiritualis cognosci ex pulchritudine corporali. Sicut enim corporum pulchritudo consistit in proportione membrorum, et suavitate coloris; ita pulchritudo spiritualis consistit in justitia, quæ est proportio quædam; et sapientia, quæ splendet instar lucis, vel potius, ut Sapiens loquitur Sap. cap. 7. *Luci comparata invenitur prior.* Illa igitur est anima pulcherrima, quæ habet in voluntate justitiam, in intellectu sapientiam. Hæc autem duo, et pulchram reddunt animam, ac per hoc amabilem Deo, et simul arma sunt potentissima, quibus Christus diabolum superavit : pugnavit enim cum diabolo Christus, non sua omnipotentia, ut poterat, sed sapientia et justitia, sapientia vincens astutiam, et justitia vincens malitiam. Diabolus enim astutia sua primum hominem impulit, ut per inobedientiam Deum irritaret, et Deo quidem honorem, sibi autem, et toti humano generi vitam beatam detraheret : cum hac autem astutia, malitia, sive invidia conjuncta fuit; id enim fecit diabolus, quia torquebatur invidia, quod homo ad cœlum aliquando ascensurus videretur unde ipse ceciderat sed Christi sapientia vicit astutiam, quoniam per obedientiam suam in natura humana Deo exhibitam, reddidit honorem Deo multo majorem, quam per inobedientiam Adami amiserat; et simul per eamdem obedientiam exaltavit genus humanum ad gloriam multo sublimiorem, quam ea futura esset, ex qua exciderat : Christus præterea charitate sua, quæ est vera, et perfecta justitia, vicit invidiam, et malitiam diaboli : quoniam inimicos dilexit, et in ipsa cruce pro persequutoribus oravit, et pati, ac mori voluit, ut inimicos suos Deo reconciliaret, et ex inimicis amicos et fratres, et cohæredes suos efficeret. Hoc est igitur quod nunc dicit, *Specie tua et pulchritudine tua*, id est, decore tuo, qui in specie sapientiæ, et pulchritudine justitiæ consistit, quasi gladio, et arcu accinctus, et instructus intende, prospere procede, et regna, id est, dirige cursum tuum ad prælium contra diabolum, prosperare in prælio, et devicto, ac debellato Principe hujus mundi, acquire tibi Regnum, ut tu deinceps in cordibus hominum per fidem et charitatem regnes. Per verbum *intende,* Sanctus Joannes Chrysostomus exponit, intende sagittas, quæ expositio probabilis est, quia paulo post dicitur, sagittæ tuæ acutæ. Illud est certum ex textu originali, per, *intende*, non posse recte exponi attende, vel considera : sed solum, *intende sagittas,* aut intende, seu dirige iter. Quod attinet ad verba, ex Hebræo sanctus Hieronymus sic reddit, *gloria tua et decore tuo prospere ascende.* Sed Septuaginta Interpretes aliter acceperunt, vel aliter legerunt easdem voces Hebraicas, iisdem litteris servatis. Ubi enim Hebræi repetunt, decore tuo, quia legunt; והדרך *vahadarecha,* Septuaginta legerunt, והדרך *vahadrech*, quod significat, *et intende*, sive *dirige*, a voce דרך *darach.* Et vocem, צלח *tselach,* quam S. Hieronymus accepit pro adverbio, et reddidit, prospere. Septuaginta acceperunt pro verbo imperativi modi, et verterunt, *prospere procede,* sive *prosperare.* Et vere vox illa utroque modo accipi potest. Denique vocem רכב *recab,* quam sanctus Hieronymus recte vertit, *ascende*, Septuaginta verterunt, *regna*, quia sensum potius respexerunt, quam verbum: nam per ascensionem, regnum interpretati sunt. Potest etiam eadem vox Hebraica, et magis adhuc proprie significare, *sed in curru*, vel *in equo*, quæ ad regnum referri possunt. Nam, cum reges inaugurabantur, equum regium vel mulam regiam equitabant, ut colligitur ex primo capite libri tertii Regum : et, sedere in curru triumphali, proprium est Regum, qui hostes prælio vicerunt.

6. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam, et deducet te mirabiliter dextera tua.

Explicat rationem, cur Christus merito regnare debeat; quia videlicet habet virtutes regias : ac si diceret, *prospere procede, et regna, propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam,* id est, quia non desunt tibi regiæ virtutes. Hebræus codex clarius explicat hunc locum, ut possit esse vice commentarii, sic enim habet : על דבר אמת וענוה צדק, *hhal debar emeth vehhanuah tsedek, propter verbum veritatis, et mansuetudinem justitiæ.* Ex quibus verbis docemur duo esse necessaria Regi, ut sit verax, sive fidelis in verbis suis, et justus in operibus suis : quod etiam de Deo summo Rege dicitur in Psalmo 144. *Fidelis Deus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.* Sed quia justitia judicis solet habere annexam asperitatem quæ est quasi nævus justitiæ : ideo Christi justitiæ, quæ perfectissima est, adjungitur mansuetudo. Est enim Christus mansuete justus, id est, justissime judicat, sed sine morosi-

tate, sine asperitate, sine arrogantia; non absterret, sed conciliat sibi subditos. Sic igitur verba nostræ editionis explicanda sunt, *regna propter veritatem*, quam in verbis et promissis tuis semper observas, *et mansuetudinem, et justitiam*, id est, propter mansuetudinem, quam justitiæ semper admisces. *Et deducet te mirabiliter dextera tua*, id est, et cum his virtutibus regnans, mirabiles progressus regni tui videbis, neque egebis auxilio aliorum; sed ipsa dextera tua, virtus, et potentia tua per se sufficiet, ut mirabiliter te deducat, et progredi faciat in Regno amplificando, donec ponas omnes inimicos tuos sub scabellum pedum tuorum. In Hebræo legitur paulo aliter quoad verba, sed sensus est idem: sic enim S. Hieronymus vertit, *Et docebit te terribilia dextera tua*, id est, dextera tua vincens, ac sternens hostes docebit te, id est, ostendet tibi, ac cernere te faciet terribiles eventus, strages videlicet inimicorum tuorum.

7. Sagittæ tuæ acutæ (populi sub te cadent) in corda inimicorum Regis.

Explicat modum, quo dextera Regis Christi deductura sit ipsum in amplificando imperio, dicens, id fiet, quia *sagittæ*, quas jaculaberis dextera tua, *acutissimæ sunt*, et ideo penetrabunt *inimicorum tuorum corda et populi*, ipsi inimici sub te cadent, et tuæ subjicientur potestati. Nomine sagittarum intelliguntur verba Dei, sive prædicatio verbi Dei: hoc enim est generale instrumentum, quo Christus utitur ad regnum suum propagandum: hinc enim ipse dicit in Psalm. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.* Dicitur autem verbum Dei et gladius et sagitta, et malleus, et similia, quia cum omnibus armis similitudinem habet. Dicitur autem sagitta acuta, quia magnam habet efficaciam penetrandi corda, et multo majorem, quam habet humana cujusvis magni oratoris eloquentia. *Vivus est enim*, ut Apostolus ait ad Hebr. 4. *sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti.* Illud autem, *populi sub te cadent*, per parenthesim legendum est: et dicuntur populi sagittis vulnerati cadere sub isto Rege, quia non vulnerantur, ut omnino extinguantur, sed ut moriantur peccato, et vivant justitiæ, et eo modo subjecti Regi Christo remaneant, eique serviant, cui servire regnare est. Illud denique, *in corda inimicorum Regis*, in Hebræo, et Græco codice, et in multis latinis manuscriptis, legitur, *in corde*, non *in corda*: sed parum refert utrum legatur in corde, vel in corda: nam et verum est sagittas verbi Dei penetrare corda peccatorum, et verum est easdem sagittas semel in corde infixas ibidem hærere, et vulnus amoris alere, et conservare, et eo modo ex inimicis, et peccatoribus, amicos, et sanctos facere. In græcis codicibus legitur, *sagittæ tuæ et acutæ, potentissime:* sed illud, potentissime, non habetur in Hebræo. Ex quo intelligimus auctorem Latinæ vulgatæ editionis codicem Græcum emendatiorem habuisse, quam sint ii, qui nunc circumferuntur; vel certe animadvertisse, illam vocem non esse a Septuaginta Interpretibus in textu positam; sed aliunde irrepsisse.

8. Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga directionis, virga regni tui.

Venit tandem ad supremam dignitatem Messiæ, et apertissime vocat eum Deum, et sedem Regni ejus æternam esse dicit; quem locum sanctus Paulus ad Hebr. 1. adduxit ad probandum Christum tanto esse Angelis majorem, quanto major est Dominus servis, et Deus rebus creatis. Ait igitur, *Sedes tua*, o Christe *Deus*, non temporalis erit, ut fuit Davidis, et Salomonis: sed manebit *in seculum seculi. Et virga regni tui*, id est, sceptrum tuum, erit semper rectissimum, atque justissimum: phrasis enim Hebraica est, virga directionis, pro virga rectissima; sicut etiam, *Deus scientiarum*, pro Deo scientissimo.

9. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Hunc etiam locum dupliciter possumus intelligere, ut illum versiculi tertii, *propterea benedixit te Deus in æternum.* Nam illud, propterea, potest significare effectum, ut sensus sit, quia *dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem*, obediendo usque ad mortem, et mortem crucis; *propterea Deus unxit te oleo lætitiæ*, id est glorificavit te, et *exaltavit ad dexteram suam, et dedit tibi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine tuo omne genu flectatur, cælestium, terrestrium et infernorum*, ad Philip. 2. Quæ glorificatio recte dicitur *unctio lætitiæ*, quia per eam finem accepit omnis dolor. Recte etiam dicitur *præ consortibus tuis*, quoniam etiamsi Angeli quoque glorificati sint, et homines glorificandi sint; tamen nemo exaltatus, vel exaltandus est ad dexteram Patris, et nemo accepit, vel accepturus est nomen super omne nomen, uno Christo excepto, qui est caput hominum et Angelorum; et est simul Deus, et homo. Sed rursus illud *propterea*, significare potest causam, et positum esse pro, quia, sive propterea quod, ut sensus sit, *dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem*, propterea quod Deus unxit te oleo gratiæ spiritualis præ consortibus tuis, quia videlicet unxit te gratia unctionis hypostaticæ, et inde factum est, ut in te spiritus sine mensura effunderetur, cæteri autem omnes de plenitudine tua mensuram spiritus acceperunt; quam expositionem sequitur sanctus Augustinus, et videtur eam sequi S. Basilius, qui hunc locum exponens, dicit, Christo fuisse naturalem dilectionem justitiæ, et aversionem ab iniquitate: quoniam illam habuit a nativitate, sive potius a conceptione, et a principio interno: cæteras autem exercitio et labore virtutes acquirere. Observat autem sanctus Augustinus adversus Hebræos, et Hæreticos negantes Christi divinitatem, in illa repetitione, Deus, Deus tuus; priorem vocem esse casus vocativi, posteriorem nominativi, quomodo etiam hunc locum intelligendum esse docet S. Hieronymus in epist. ad Principiam. Itaque sensus est, unxit te, o Christe Deus, Deus Pater tuus oleo lætitiæ; et affirmat idem Augustinus id clarissime apparere in textu Græco; proinde existimandum est in textibus Græcis, quos nunc habemus, incuria librariorum, mutatum esse omega in omicron. Cum autem dicitur, Deus Deum unxisse,

non intelligimus Deum ratione divinitatis unctum, sed ratione humanitatis; unxit enim Deus Pater Deum Filium, quia Deus filius homo factus est, et ratione humanitatis gratiam unctionis accepit, ipse tamen Deus Filius unctus dicitur, quia ille homo, qui unctus est, Filius Dei, et Deus est.

10. Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis : ex quibus delectaverunt te filiæ Regum in honore tuo.

Hic versiculus obscurissimus est: explicemus igitur primum vocabula, deinde sententiam. Myrrha succus est notus amarus, et odoratus : gutta nomen est genericum, sed in Græco habetur στάκτη, quæ apud Basilium in explicatione hujus loci, est gutta distillata ex myrrha, ita ut sit quasi flos myrrhæ, id est, pars subtilissima myrrhæ. Sed non videtur verisimile, Prophetam dicere voluisse, Myrrha, et gutta myrrhæ subtilissima: in Hebræo est, אהלות *ahaloth*, quam Aloe Latine dicimus. Est autem Aloe succus item amarus, et odoratus, sed specie distinctus a myrrha; unde in Evangelio legimus, ad Christi sepulturam emisse *Nicodemum Myrrhæ, et Aloes quasi libras centum.* Quod igitur noster Interpres dixit, *guttam*, intelligere debemus, guttam esse Aloes, ut sanctus Hieronymus scribit in Epist. ad Principiam; vel myrrhæ distillatæ, ut sanctus Basilius in commentario docet. Casa denique frutex est, unde cortex odoratus desumitur, et inter aromata numeratur, quemadmodum et cinnamomum. Per domos eburneas, intelliguntur palatia, sive templa sumptuosa, quorum parietes tecti sint ebore: nam in Hebræo non est, בית *baith*, quod proprie domum significat, sed היכל *hechal*, quod palatium, basilicam, et templum significat. Nomen etiam Græcum βαρέων ἐλεφαντίνων magna palatia significat, ut dicit S. Basilius. Itaque improbabile est, quod aliqui volunt, domos eburneas esse cellas aromatum, et magis improbabile, quod alii volunt, esse thecas, sive arcas, in quibus vestimenta, vel aromata conservantur. At inquiunt, thecæ fiunt ex ebore, non autem palatia : verum est, sed non dicuntur hoc loco domus eburneæ, quasi totæ sint ex ebore, sed quod tectæ sint ebore : quomodo domus Neronis dicebatur domus aurea, et porta Constantinopolis porta aurea, quod essent deauratæ, vel auri laminis coopertæ, non quod totæ essent aureæ : et sic intelligimus illud 3. Reg. 22. *Domus eburnea, quam ædificavit Achab.* Et Amos 3. *Peribunt domus eburneæ.* S. Gregorius lib. 35. Moralium cap. 13. legit a gradibus eburneis : sed id natum esse ex ambiguitate vocabuli, colligitur ex S. Hieronymo in epist. ad Principiam. Scribit enim vocem græcam βαρέων, ambiguam esse, et significare posse gradibus, et palatiis, sive domibus, inde aliquos Latinorum hac ambiguitate deceptos vertisse, a gradibus eburneis: sed quia hoc nihil significat, credibile est mutatum fuisse, et scriptum, a gradibus eburneis. *Per filias Regum,* intelligi possunt multitudines variorum Regnorum. Scriptura enim passim vocat filiam Hierusalem, filiam Babylonis, filiam Assyriorum, filiam Tyri, pro multitudine populi illarum civitatum, vel gentium. Possunt etiam intelligi ut verba sonant, filiæ Principum, per quas figurate significantur animæ excelsæ, ut dicit S. Basilius, totus enim hic sermo figuratus est. His expositis, ut ad sensum veniamus, per aromata, intelligimus virtutes sive dona Spiritus sancti, quæ spiritualem odorem spirant : et quia paulo ante dixerat Propheta Christo : *Unxit te Deus Deus tuus*, recte subjungit nunc, *Myrrha et gutta, et casia*, explicans odores aromaticos, qui ex illa unctione emanarunt : de quo odore B. Paulus loquitur, cum ait 2. Corinth. 2. *Christi bonus odor sumus.* Et quoniam in passione sua Christus præcipue spiravit odores maximos virtutum; præcipue fortis patientiæ, humilis obedientiæ, et ardentis charitatis, ideo nominavit Myrrham amaram, sed odoratam, quæ convenit patientiæ; Aloem quoque similiter amarum, et odoratum, qui convenit humilitati et obedientiæ, de qua B. Paulus, *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem*, Philipp. 2. denique, casiam calidam, et odoratam, quæ convenit ardentissimæ charitati, qua etiam pro crucifixoribus oravit. Luc. 23. Hæc autem aromata manabant a vestimentis, et domibus eburneis Christi. *Myrrha*, inquit, *et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis*, supple, manant, vel manabant. Per vestimenta, intelligitur humanitas Christi, quæ quasi veste, aut velo divinitatem tegebat : per domos eburneas, intelligitur eadem humanitas, quæ erat quasi templum sive palatium candidissimum ob puritatem, in quo divinitas habitabat. Neque mirum videri debet, si res eadem, vestis, et domus dicatur : nam et Apostolus 2. Corint. 5. hæc duo simul conjungit, cum sic loquitur : *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam, æternam, in cœlis : nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cœlo est superindui cupientes; si tamen vestiti, et non nudi inveniamur, nam, qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri; ut absorbeatur quod mortale est a gloria.* Ubi vides corpus mortale dici domum et tabernaculum et simul vestimentum, *quo nollemus expoliari, sed supervestiri :* et similiter domum cœlestem dici vestem, et habitationem. Sic igitur Christi humanitas, unde suavissimi odores virtutum spirabant, vestimentum dici potest et domus eburnea, nisi quis velit vestimentum referri ad animam, domum eburneam ad corpus quod ipse Christus Joan. 2. *templum* vocavit cum ait, *Solvite templum hoc, et ego in triduo reædificabo illud.* Neque movere debet, quod in numero multitudinis dicat Propheta, a domibus eburneis : nam domus magna est una, et multæ propter multitudinem cubiculorum, et cellarum; unde etiam de domo una dicimus in numero multitudinis, ædes nostræ. Sequitur, *Ex quibus delectaverunt te filiæ Regum in honore tuo,* id est ex quibus aromatibus quæ a vestimentis, et domibus eburneis humanitatis tuæ spirant, *filiæ Regum*, sive animæ regiæ, et excelsæ, sive multitudines populorum ex variis Regnis, *delectaverunt te*, dum currunt in odorem unguentorum tuorum. Valde enim delectatur Christus, cum videt multitudines Sanctorum excitatas, tractas ab odore suo, currere post eum odorem. Et vere qui spirituali sensu odoratus sentire incipit suavissimum odorem, qui spirat ex patientia, humilitate, charitate Christi, non potest

non currere post eum, et quælibet tormenta pati potius quam se ab illo separari patiatur; dicit enim cum Apostolo, *Quis nos separabit a charitate Christi?* Rom. 8. Sed ideo potissimum Christum delectant filiæ Regum currentes post odorem unguentorum ipsius, quia id faciunt in honorem ejus, id est, ex pura intentione glorificandi Deum. Martyres enim passione sua currentes post Christum, Deum valde glorificabant, unde dicit Joannes cap. 21. de Passione S. Petri a Christo illi prædicta: *Significans*, inquit, *qua morte clarificaturus esset Deum.*

11. Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.

Prophetavit hactenus David de sponso: nunc de sponsa prophetare aggreditur; per sponsam autem intelligunt omnes fere expositores Ecclesiam; quoniam Apostolus ad Ephes. 5. apertissime docet, Ecclesiam sponsam Christi esse. Hic igitur est principalis sensus, ut per sponsam intelligatur Ecclesias, sed possunt etiam hæc omnia, quæ dicuntur de sponsa accommodari unicuique animæ perfectæ, et potissimum B. Virg. M. quæ licet mater Christi sit secundum carnem, tamen est etiam sponsa secundum spiritum, et inter membra Ecclesiæ primum locum tenet. Itaque non sine ratione hic Psalmus canitur in Festis B. Virginis et aliarum etiam Virginum: nec sine ratione de singulis dicitur, *Veni, sponsa Christi.* Ait igitur David Christum alloquens, *Astitit Regina a dextris tuis:* id est, assistet sponsa tua quæ Regina etiam est, cum sit sponsa tua, qui Rex es, *a dextris tuis*, id est, proxima tibi, et in loco summi honoris infra regalem thronum: assistet autem *in vestitu deaurato circumdata varietate*, id est, in veste pretiosa, qualis decet Reginam. Sed verba singula consideranda sunt. *Astitit* ponitur pro assistet, more Prophetico qui vident futura, quasi jam facta sint. Præterea notat Chrysostomus non dici, sedit, sed, *astitit;* quia sedere convenit æquali, et ideo filius sedet ad dexteram Patris, ut æqualis, Ecclesia autem, ut inferior, astitit cum cœlestibus potestatibus, quæ assistere dicuntur coram Deo. Verbum Hebraicum נצבה *nitsba*, proprie significat, *stetit*, et denotat firmitatem, quasi dicat Propheta, sponsa tua firmiter tibi adhæsit, et ita constituta, et confirmata est, ut nullum sit ei periculum repudii. *Regina*, in Hebræo est, שגל *schegal*, quod uxorem, et concubinam significat, inde natæ sunt variæ interpretationes; nam alii verterunt, *Astitit uxor*, alii, *astitit concubina*, sed Septuaginta Interpretes, ut explicarent eam vocem esse intelligendam de vera conjuge, non de concubinis, vertere maluerunt Reginam; neque enim concubinæ Regum, sed solæ legitimæ conjuges appellantur Reginæ. *A dextris tuis*, hæ voces non significant sponsam ita esse a dextris sponsi, ut sponsus intelligatur esse a sinistris, sed sponsum collocant in medio et solio altiore, a dextris ejus Reginam, a sinistris autem alios Principes. Et fortasse voluit Spiritus Sanctus per has voces significare incredibilem dignitatem Ecclesiæ, quæ non solum admittitur ad Regnum cœlorum ut assistat cum Angelis ante thronum Dei, sed etiam præcedat Angelos, ita ut ipsa Ecclesia ex hominibus sit, a dextris, cœtus autem Angelorum a sinistris. Nam etiamsi intermixti sunt homines Sancti Angelis Sanctis, et unam civitatem faciant: tamen multi Sancti homines multos Angelos in Regno cœlorum præcedent: et est in Ecclesia hominum Beata Virgo, quæ omnes Angelos præcedit; et caput hominum, et Angelorum Christus est, qui non Angelus, sed homo est. Hinc autem recte monet S. Joan. Chrysost. ut cogitent homines, quam ingrati sint tantæ Dei benevolentiæ quando peccant; Deus enim genus humanum, et præcipue Ecclesiam ex gentilitate, et idololatria assumptam, ex profundo peccatorum, et vere luto fæcis, exaltavit ad summam dignitatem, ut cum Angelis in Regno cœlorum assistat, et sponsæ Dei nomen obtineat. Idque totum ex sola charitate sponsi cœlestis qui *dilexit eam, et tradidit semetipsum pro ea, ut eam sanctificaret, et mundaret, et exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam*, ut scribit Apostolus ad Ephes. 5. *In vestitu deaurato circumdata varietate:* pro his omnibus verbis non sunt in textu Hebraico: nisi hæc duo verba, בכתם אופיר *bechetem ophir*, id est, *in auro de ophir*, quæ verba S. Hieronymus vertit, *in diademate aureo;* alii aliis modis. Sed Septuaginta Interpretes explicare voluerunt quid includeretur in illa generali voce Hebraica, et recte dixerunt significari vestem pretiosam, et omnia alia ornamenta sponsæ quæ pro varietate membrorum varia sunt, ut diadema, monile, cingulum, calcei, et similia quæ explicatio desumpta videtur ex eo, quod paulo infra dicitur, *In fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Quid autem hæc significent spiritualiter, Patres non uno modo exponunt; S. Augustinus per aurum intelligit sapientiam: per vestem doctrinam; per varietatem linguas varias, quibus hæc eadem doctrina Ecclesiastica prædicatur. S. Basilius intelligit quidem per vestem auream doctrinam Ecclesiasticam; sed per varietatem, varia dogmata moralia, naturalia, theorica, practica, etc. S. Hieronymus, et S. Chrysostomus intelligunt per vestem auream gratiam justificationis, per varietatem varias virtutes, fidem, spem, dilectionem, humilitatem, et alias. Quæ explicatio confirmari potest ex cap. 19. Apocalypsis, ubi dicitur *Sponsa ornata byssino splendenti, et candido:* et exponens S. Joannes dicit, *byssinum enim justificationes sunt Sanctorum.* Posset addi, non solum varietatem ornamentorum sponsæ consistere in variis virtutibus, quæ singulis necessariæ sunt, sed etiam in variis donis, quæ pro varietate membrorum Ecclesia possidet: alia enim sunt dona Apostolorum, alia Martyrum, alia Virginum, alia Doctorum, alia Confessorum, et alia aliorum.

12. Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam; et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.

Alloquitur nunc ipsam Ecclesiam, eamque fideliter, et pie monet. Vocat autem *filiam*, vel quia loquitur in persona Dei Patris, ut S. Hieronymus dicit, vel quia loquitur, ut unus ex Patribus Ecclesiæ, ut dicit S. Aug. Sed quando sponsa intelligitur B. Maria Virgo, tunc omnino proprie, filiam vocat David, quia ex ejus carne propagata est. *Audi filia,* inquit, id est, audi vo-

cem sponsi tui, *et vide*, id est, considera diligenter quæ audis, *et inclina aurem tuam*, id est, humiliter obedias præceptis ejus, *et obliviscere populum tuum, et domum patris tui*, id est, ut facilius sponso servias, obliviscere mundum, et quæ in mundo sunt: nam ex mundo electa est Ecclesia, et ex mundo exivit; et quamvis adhuc in mundo sit, tamen de mundo esse non debet, sicut et sponsus de mundo non est: mundus autem recte dicitur populus eorum, qui diligunt mundana bona, et idem mundus est domus patris nostri veteris Adami, qui de Paradiso ejectus fuit in hunc mundum; nisi magis placeat, per patrem intelligi Diabolum, qui est pater omnium iniquorum, juxta illud Joan. 8. *Vos ex patre Diabolo estis.* Et certe, qui cogitabunt, quæ supra diximus de ineffabili amore Sponsi, qui tradidit semetipsum, ut nos de profundo lacu erueret, et in summum cœlum transferret, et faceret nos gloriosam sponsam suam: non difficulter amorem suum a mundo abstrahent, ut totum in sponsum transferant. Vox autem illa, *obliviscere*, magnam emphasim habet: significat enim radicitus a mundo amorem abstrahendum, ut non solum a desiderio, et cogitatione: sed etiam a memoria omnium recedat, ac si nunquam fuisset.

13. Et concupiscet Rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.

Reddit rationem, cur debeat Sponsa oblivisci populum suum, et domum patris sui, ut tota sit amori, et obedientiæ Sponsi cœlestis intenta: quia videlicet sic fiet, ut Rex concupiscat pulchritudinem illius videre, et apud se habere. Et quoniam vera sponsæ pulchritudo interior est, ut paulo infra clarius explicatur, ubi dicitur, *omnis pulchritudo filiæ Regis ab intus*, et in virtutibus consistit, ac præcipue in obedientia mandatorum ejus: sive in charitate, a qua dependent omnia mandata: ideo addit, *Quoniam ipse est Dominus Deus tuus*, id est, ideo diliget pulchritudinem tuam, quæ in obedientia ipsius posita est, *quoniam ipse est Dominus Deus tuus.* Nihil enim magis requirit a servis Dominus, neque Deus a creaturis, quam obedientiam. Et ut intelligamus hunc sponsum esse Dominum absolute, et Deum verum, addit, et *adorabunt eum*, id est, sponsus tuus non est talis, ut cum eo prætendere possis æqualitatem, sed est quidem sponsus tuus per gratiam, sed Dominus tuus, et omnium creaturarum per naturam, et illi ab omnibus debetur adoratio. In Hebraico textu non habetur, Deus, sed solum *Dominus*, ubi nos habemus, Quoniam ipse est Dominus Deus tuus. Sed non solum Septuaginta, verum etiam S. Hieronymus, verterunt, *Dominus Deus tuus:* et ex adoratione illi debita colligitur, eum esse non Dominum tantum, sed etiam Deum, id est, non Dominum qualemcumque, sed supremum Dominum. In eodem Hebraico textu, ותשתחוילי *vethischthachavili*, ut etiam in Græco habetur, *Et adorabis eum:* sed in sensu non est discrepantia: Deum enim adorare debent omnes creaturæ, proinde ipsa etiam sponsa debet adorare; neque lectio ista, *adorabunt eum*, recens est: nam invenitur apud S. Augustinum, S. Basilium, S. Chrysostomum, et alios; imo S. Hieronymus in epist. ad Principiam dicit Septuaginta vertisse, *adorabunt eum.* Proinde lectio Græca, προσκύνησεις αὐτῷ, quæ nunc habet, *adorabis eum*, non est ex editione Septuaginta Interpretum, vel corrupta est. Et quia ut sæpe diximus, Septuaginta Interpretes habuerunt optimos codices Hebraicos, credendum est, lectionem Hebraicam ab eo tempore librariorum errore fuisse mutatam, quod facile fieri potuit, cum voces Hebraicæ, *adorabunt*, et *adorabis*, non differant, nisi in ultima littera, *iod* et *vau* videlicet, quæ facile variari potuit propter summam inter eas similitudinem.

14. Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis.

Quia dixerat, *Et adorabunt eum*, Sponsum videlicet, addit, ipsam etiam Sponsam, ut Reginam, muneribus, et supplicationibus honorandam, *Et filiæ Tyri*, inquit, *in muneribus vultum tuum deprecabuntur*, id est, et filiæ gentilium, inimicorum antea Sponsi tui subjicientur imperio ejus, et venient ad te, ac faciem tuam deprecabuntur, non solum precibus verborum, sed etiam donis, et muneribus. *Omnes divites plebis*, id est, quod dixi de filiabus Tyri, intellige potissimum de potentioribus, quales in primis divites esse solent. Hoc etiam loco singula fere verba explicationem propriam desiderant. *Et filiæ*, in Hebræo est, ובת *ubath*, *Et filia*, et sic legunt sancti Basilius et Chrysostomus, et Græcus codex nunc ita habet: sed tamen S. Hieronymus, et Augustinus, in commentario legunt, *Et filiæ.* Si legamus, Et filia Tyri, significabitur civitas, sive populus Tyri, quo modo dicimus filia Babylonis, filia Hierusalem: si legamus, Et filiæ, significabuntur feminæ civitatis Tyri: meminit autem feminarum potius quam virorum, quia sponsam alloquitur; solent enim ad Reginam familiarius feminæ accedere, ad Regem viri. Sed sicut per sponsam non intelligimus hoc loco veram mulierem, sed Ecclesiam, quæ viros, feminasque complectitur: sic etiam per filias Tyri intelliguntur omnes gentiles, sive masculi, sive feminæ sint. Tyri vox Hebræa, צור *tsor*, ambigua est: nam et robustum, sive potentem significare potest, et simul etiam civitatem, quæ dicitur Tyrus. Sed Septuaginta Interpretes Tyrum interpretati sunt, et eam interpretationem sequutus est Latinus Interpres; et omnes Patres Græci, et Latini eam exponunt, excepto S. Hieronymo in epist. ad Principiam, qui, *filiam fortissimam*, et legere maluit, et exponere. Porro Tyrus civitas erat gentilium magna, et celebris, et in finibus terræ promissionis, et ideo a vicina civitate denominavit Propheta omnes gentiles. *In muneribus*, munera vocat oblationes, quas gentiles conversi ad fidem obtulerunt in ædificationes, vel ornamenta Ecclesiarum; in alimoniam pauperum, et similia opera bona. *Vultum tuum deprecabuntur.* S. Basilius, et quidam alii per vultum Sponsæ, intelligunt caput Ecclesiæ, id est Christum; sed simplicior expositio est, ut, per vultum Sponsæ, ipsa Ecclesia intelligatur: est enim phrasis Hebraica, deprecari vultum alicujus, pro eo quod est, deprecari aliquem, ut 1. Reg. 11. *Faciem Domini non placavi*, et Psalm. 94. *Præoccupemus faciem ejus in confessione*, et Psalm. 118. *Deprecatus sum faciem tuam.* Dicimur autem de-

precari faciem, quia cum precamur aliquem, faciem ejus aspicimus, et ex faciei tristitia, vel hilaritate intelligimus, an ille sit nobis propitius vel iratus, quem precamur. *Omnes divites plebis.* Hæc est appositio, quasi dicat, Filiæ Tyriæ in muneribus vultum tuum deprecabuntur; non omnes in muneribus, sed divites tantum.

15. Omnis gloria ejus, filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus.

Quia sæpe David de pulchritudine, et ornatu Sponsæ loquutus est, ne quis forte putaret, ea corporalia esse, occurrit loco ejusmodi carnalibus cogitationibus, ac dicit, *Omnis gloria*, sive decoris faciei sive pretiosarum vestium, *hujus Reginæ, ab intus est, et si fimbriis aureis ornata, et circumamicta* dicitur variegata veste, ista omnia spiritualia sunt, interna sunt, in corde requirenda sunt. Hinc Sanctus Petrus monet Christianas mulieres, 1. Petr. 3. ut ad similitudinem hujus Sponsæ ornatum interiorem adhibeant. *Quarum*, inquit, *non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus; sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quietis, et modesti spiritus.* Neque tamen reprehendendus est exterior cultus Ecclesiarum in Sacramentorum celebratione, in ornatu altarium, in sacris solemnitatibus: non enim hic agitur de materiali Ecclesia, sed de hominibus, qui populus Dei, et Christi membra sunt, quorum præcipua pulchritudo, et ornatus in virtutibus consistit, ut supra diximus; ex quibus tamen virtutibus nasci debent extrinsecus opera bona, *ut qui ea vident, glorificent Patrem nostrum, qui in cœlis est*, ut Salvator docet, Matth. 6. Porro per fimbrias aureas, nihil aptius intelligi posse videtur, quam ipsa charitas, quæ comparatur auro, quia pretiosissima, et præstantissima virtutum omnium est, et similis fimbriis dici potest, quia sicut à fimbris desinunt vestimenta, et ab eisdem fimbriis fulciuntur: ita finis omnium mandatorum, et virtutum est charitas, et à charitate dependent omnia mandata, et ab eadem formantur, et perficiuntur omnes virtutes. Quid sit autem vestis variegata, supra diximus. De hac autem variegata veste loqui videtur Apostolus cum ait, *Induimini viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam,* etc. Coloss. 3. Quod attinet ad verba, illud pronomen, *ejus*, non habetur nunc in Hebraico, vel Græco textu; tamen legitur a sancto Hieronymo in epist. ad Principiam, et in commentario Psalmorum tanquam ex versione Septuaginta, et legitur etiam a S. Augustino; et vox Hebraica, si legatur cum puncto in ultima littera, significabit, *gloria ejus.* Verum tamen est, illud, *ejus*, esse referendum ad phrasim Hebraicam, et secundum Latinam phrasim redundare. Quod autem Sponsa dicatur filia Regis, mirum esse non debet; nam sponsa filii Regis, usitate dicitur *filia Regis Patris*, quia sponsus, et sponsa sunt duo in carne una. Non ignoro in textu Hebraico diversam esse interpunctionem a Græca, et Latina interpunctione, sed non multum curanda est interpunctio, quæ a Rabinis adjuncta est codici Hebraico, et magis credendum est Septuaginta Interpretibus, quam omnibus Rabinis posterioribus.

16. Adducentur Regi virgines post eam; proximæ ejus afferentur tibi.

Quamvis unica sit sponsa Christi, eaque unice dilecta, id est, Ecclesia universalis, tamen post eam sunt etiam Christi sponsæ, præcipua quadam prærogativa præter cæteros fideles, illæ animæ, quæ in carne virginitatem suam Deo voverunt, et ipsi soli placere studuerunt. De quibus dicit Apostolus. 1. Cor. 7. *Qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est: et mulier innupta, et virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, et spiritu: quæ autem nupta est cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* De his loquitur nunc Propheta, et virginitatem, quæ Christo virgini mirifice placet, quippe qui pascitur inter lilia, his duobus versiculis commendat. *Adducentur*, inquit, *Regi Christo virgines post eam*, id est, post principalem sponsam Ecclesiam, adducentur etiam ad nuptialem thalamum sponsi cœlestis omnes illæ animæ, quæ virginitatem suam Deo dicarunt. *Proximæ ejus afferentur tibi*, id est, illæ virgines solæ afferentur tibi Sponso, quæ principali sponsæ tuæ Ecclesiæ proximæ fuerint, id est, quæ illi conjunctæ, atque unitæ fuerint, quod dicitur, ut sancti Patres Basilius et Augustinus, et alii exponunt, ad hæreticos, et schismaticos excludendos: virginitas enim extra Ecclesiam non habet sponsæ prærogativam. Et quoniam initio diximus, quæ in hoc Psalmo legimus de Sponsa, posse intelligi etiam de B. Maria matre Domini, quæ Virginum Regina jure appellatur: possumus etiam quæ sequuntur de illa exponere, ut sensus sit, adducendas esse ad Christum omnes veras Virgines, post eam, id est, post matrem Domini et proximas ejus, id est, quæ illi per imitationem æternæ integritatis propinquarunt, afferendas esse ad nuptias ejusdem sponsi, et Regis Christi.

17. Afferentur in lætitia, et exultatione, adducentur in templum Regis.

Explicat gaudium tam multiplicium nuptiarum: *Afferentur*, inquit, *in lætitia, et exultatione*, id est, afferentur virgines ad nuptias cum magno plausu, et jubilo totius cœlestis Jerusalem. Fortasse etiam notatur hoc loco canticum illud, quod soli Virginum choro in cœlesti Regno cantare licet: de quo sic legimus in Apocalypsi c. 14. *Et cantabant quasi canticum novum ante sedem, et ante quatuor animalia, et seniores: et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra: hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt, hi sequuntur Agnum quocumque ierit.* Felices animæ, quæ sequuntur Agnum itinere virginali gradientem; et in lætitia et exultatione dicunt canticum novum, ignotum videlicet antiquis Patribus, quod nemo alius dicere potest; et cum hoc jubilo adducentur in templum Regis, id est, in cœleste tabernaculum, quod et palatium propter magnificentiam, et templum propter sanctitatem dici potest.

18. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos Principes super omnem terram.

Exposuit hactenus Propheta dignitatem, et ornamenta Sponsi, et Sponsæ: nunc fructum nuptiarum exponit, dicens, nascituram ex hoc matrimonio felicissimam prolem, quæ toti orbi terrarum imperatura sit. Dubium autem est, ad quem loquatur Propheta, ad Sponsum, an ad Sponsam: ad Sponsum loqui dicunt aliqui recentiores, ea ratione ducti, quod in Hebræo illa pronomina, *tuis, et tibi*, sint generis masculini: ad Sponsam autem hunc sermonem dirigi, docent sancti Patres, Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, et cum iis Euthymius in commentariis. S. Hieronymus in epist. ad Principiam utroque modo exponi posse affirmat: quod quidem verum est; sed Patrum communis sententia præferenda est: neque repugnat huic sententiæ textus Hebraicus, si puncta removeantur, vel mutentur, ut periti facile intelligunt. Quoniam igitur monuerat Sponsam Propheta, ut oblivisceretur populi sui, et domus patris sui, id est, majorum suorum; nunc eam consolatur promittens copiam filiorum loco patrum, quos reliquit, et quorum oblivisci jussa est; et simul, ut diximus, prædicit fructum nuptiarum Sponsi cælestis, et Ecclesiæ sponsæ fœlicissimum fore. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii*, id est, pro patribus, quos habuisti, et jam mortui sunt, id est, pro Patriarchis, et Prophetis, et pro Patribus, quos reliquisti in gentilitate, et quorum oblivisci jussa es, *nati sunt tibi filii*, id est, Apostoli, et Discipuli Christi, qui tantæ excellentiæ erunt, ut toti orbi leges dare possint, ideo *constitues eos Principes super omnem terram*. Vere enim Apostoli, primi Ecclesiæ filii, toti orbi terrarum leges dederunt, quod nullus temporalis Monarcha facere potuit. Nam, ut S. Joannes Chrysostomus notat, Monarchæ Romanorum non potuerunt Persis leges dare, neque Persæ Romanis: Apostoli vero, et Romanis, et Persis, et omnibus aliis gentibus leges dederunt. Et sicut in prima ætate Ecclesia, pro patribus Patriarchis, filios Apostolos habuit: ita etiam in sequenti ætate pro patribus Apostolis filios Episcopos habet, qui si non singuli, omnes tamen Principes sunt super omnem terram; et hoc modo per successores Episcoporum, semper Ecclesia pro patribus filios habet, quos in patrum sedibus et dignitate constituat.

19. Memores erunt nominis tui Domine in omni generatione, et generatione.

Concludit Psalmum, dicens, spirituales has nuptias in Psalmo decantatas, et fructum nuptiarum, id est, nobilissimam prolem ex hoc sancto connubio nascituram, non alium finem habituram, nisi perpetuam Dei laudem. Nam, inquit, *filii isti, qui patribus substituentur*, et ipsi quoque patres filiorum evadent, *memores erunt nominis tui*, id est, cantabunt potentiam, et gratiam tuam *in omni generatione, et generatione.* In Hebræo et Græco codice habetur in singulari, *Memor ero nominis tui*, et sic legunt Græci Patres, et sic etiam habetur in plurimis Latinis codicibus manuscriptis: sed quoniam S. Hieronymus, et S. Augustinus in commentariis legunt, *memores erunt nominis tui*, et Ecclesia in officio Ecclesiastico, cum festos dies Apostolorum celebrat, hos versiculos ita canit: non visum fuit expedire, ut in bibliis recognitis tempore Sixti V. et Clementis VIII. hic locus mutaretur, præsertim cum in sensu nulla sit diversitas. Qui enim legunt, *memor ero nominis tui*, volunt hoc dici a Propheta, qui pollicetur Deo, se omni tempore cantaturum Dei laudes ob tam ingentia beneficia humano generi præstita, quæ in hoc Psalmo explicata sunt. Cæterum, quia David moriturus erat, et non poterat ipse per se in omni generatione, et generatione canere laudes Dei, dicunt, illum significare voluisse, se cantaturum per alios, qui sibi invicem succedentes usque ad mundi consummationem Psalmos istos cantaturi erant. Hæc autem expositio non est diversa a superiore: idem enim est dicere, *ego memor ero nominis tui, et cantabo laudes tuas per memoriam, et linguam aliorum*, qui sibi invicem succedent; et, *filii tui*, qui sibi invicem succedent, *memores erunt nominis tui*, et has laudes tuas a me conscriptas perpetuo decantabunt. Notat autem S. Joannes Chrysostomus, Davidem Prophetam præter alia multa, quæ prævidit, et prædixit, hoc etiam de suorum carminum æternitate prævidisse, et prædixisse, quod videlicet, nullo umquam tempore ipsorum celebratio intermittenda esset; quam prophetiam impletam esse et quotidie impleri cernimus.

20. Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, et in sæculum sæculi.

Ex eo quod Apostoli, et eorum successores Episcopi, semper memores futuri erunt nominis Domini, et laudes ejus cantaturi, et prædicaturi: recte colligit Propheta, id etiam futurum esse, ut populi fideles ab Episcopis instituti, confiteantur Domino laudes ejus *usque in æternum, et in sæculum sæculi*, in hac vita, et in futura: quamvis enim in patria cessabunt preces, et lacrymæ; tamen laudatio, et glorificatio non cessabit.

PSALMUS XLV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

IN FINEM FILIIS CORE PRO ARCANIS.

RECENTIORES Interpretes nonnulli Psalmum hunc scriptum esse volunt in gratiarum actionem, pro victoria Davidis ab inimicis suis Dei auxilio reportata; sed mirum est nulli veterum Patrum venisse in mentem ejusmodi argumentum. Nam S. Ambrosius, S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Basilius, S. Joannes Chrysostomus, Theodoretus, et Euthymius magno consensu docent, Psalmum esse intelligendum de liberatione Ecclesiæ Christianæ a persecutionibus infidelium. Et confirmari potest hæc explicatio ex titulo Psalmi; illud enim, *pro arcanis*, satis aperte demonstrat, Prophetam non loqui de re præterita, sed de futura, et ejusmodi, ut tempore Davidis occultissima esset, et nonnisi Deo revelante sciri posset. Igitur Psalmus præsens recte subjungitur Psalmo superiori: in illo enim prædicta est Ecclesiæ exaltatio ob nuptias spirituales cum Rege Christo Domino: in hoc autem prædicitur persecutio, et liberatio a persecutione; quæ liberatio potissimum futura est, ut sanctus Basilius arbitratur, in consummatione seculi.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Deus noster refugium, et virtus, adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

Milites Christi non minus vincunt fugiendo tentationes, quam tolerando. Quando fugiendum est, Deus refugium tutissimum est: quando tolerandum est, *Deus virtus*, et fortitudo est: utroque autem tempore *adjutor est in tribulationibus:* nam et adjuvat præbendo refugium, et adjuvat præstando victoriam. Illud autem, *quæ invenerunt nos nimis*, significat, tribulationes gravissimas fuisse, quæ initio exortæ sunt adversus Ecclesiam, et repente ac inopinato irruisse: nam ut legitur in Actis Apostolorum cap. 2. et 3. post Ascensionem Domini, et adventum Spiritus sancti, Ecclesia *ædificabatur et crescebat in* Jerusalem magna cum pace, et tranquillitate. *Quotidie*, inquit S. Lucas, *perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panes, sumebant cibum cum exultatione, et simplicitate cordis, collaudantes Deum, et habentes gratiam ad omnem plebem, et Dominus augebat, qui salvi fierent quotidie in idipsum.* Sed paulo post cœpit vehementissima persecutio, flagellatis Apostolis, Stephano lapidato, et omnibus discipulis dispersis, præter Apostolos. In Hebræo textu legitur, *Adjutor in tribulationibus inventus est nimis*, id est Deus in tribulationibus inventus est auxiliator valde potens. Uterque sensus optimus est; sed quod attinet ad veritatem lectionis, adhærendum est Septuaginta Interpretibus, qui sine dubio vocem illam Hebraicam, נמצא *nimpsa*, paulo aliter legerunt; alioqui numquam vertissent, *invenerunt*, nisi valde imperiti fuissent. Notat S. Basilius, multos habere in ore versiculi hujus verba, *Deus refugium nostrum, et virtus*, sed paucissimos ex vero affectu ista pronunciare; quod inde colligitur, quoniam ad superandas tribulationes tanto ardore confugiunt ad humana præsidia, vel etiam ad artes diabolicas, quasi Dei auxilium pro nihilo haberent. Contra autem sanctus David ideo dicit, *Deus noster refugium et virtus*, quia parum omnino in hominum robore, vel armis, vel industria confidebat.

2. Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, et transferentur montse in cor maris.

3. Sonuerunt, et turbatæ sunt aquæ eorum, conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Hi duo versiculi obscurissimi sunt, sed nos sanctos Patres Basilium, et Chrysostomum sequimur. Igitur ex eo quod dixit populus Dei, *Deus refugium nostrum, et virtus*, concludit, se impavidum fore, etiam si terra, et mare sursum, ac deorsum moveantur, et sedes suas horribili cum sonitu mutent. *Propterea*, inquit populus Dei, *non timebimus, dum turbabitur terra*, id est, dum forte turbabitur terra, sive, etiam si maxime turbetur terra *et transferentur montes in cor maris*, id est, etiamsi ipsi montes, qui a Deo fundati, et radicati videntur, ut immobiles esse censeantur, agitentur, et fluctuent, et in profundum mare præcipitentur, id est, si ita sit, si ista fiant, *non timebimus*, quia Deus omnipotens refugium nostrum, et virtus nostra est. *Sonuerunt, et turbatæ sunt aquæ eorum*, id est, non timebimus, etiam si ex translatione montium in cor maris, resonent, et turbentur aquæ maris. Dicit autem, *eorum*, id est, marium, quia ubi nos habemus, *in cor maris*, in textu Hebraico, בלב ימים *beleb iamim*, et Græco est, ἐν καρδίαις θαλασσῶν *in corda* marium: noster autem Interpres mutavit numerum multitudinis in numerum singularem in voce, *maris*, et reliquit numerum multitudinis in pronomine, *eorum*, et inde nata est obscuritas, *Et conturbati sunt*

montes, id est, etiam si ipsi montes, translati de terra in mare conturbentur, amissa videlicet stabilitate sua, in fortitudine ejus, in potentia, et robore Dei. Deus enim est, qui solus potest conturbare terram, et transferre montes in cor maris, et ipsum mare, montesque tremefacere, juxta illud Psal. 76. *Viderunt te aquæ Deus, et timuerunt*, et *turbatæ sunt abyssi*. Et Psal. 103. *Qui respicit terram, et facit eam tremere*, et Isaiæ 51. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, et intumescunt fluctus ejus.* Itaque in his versiculis declaratur maxima fiducia populi Dei, qui non timebit, etiam si mundus ruat; et simul insinuatur maxima Dei potestas, qui potest elementa omnia conturbare et movere: sicut revera conturbabit, et movebit in consummatione seculi, quando *erunt terræ motus maximi per loca, et præ confusione sonitus maris, et fluctuum arescent homines præ timore.* Luc. 12. et tunc populus Dei non solum non timebit, sed aspiciet, et *levabit caput suum*, ut in Evangelio dicitur, *quoniam appropinquabit redemptio ejus.* Matth. 24. Possunt hæc omnia figurate intelligi, ut per terram intelligantur homines terreni; per montes vero, non solum terreni, sed etiam potentes, et superbi, quales erant Reges magni, Ecclesiæ inimici; per mare autem, amaritudo tribulationis, et pœnarum, quibus in novissima die involventur omnes impii. Itaque turbabitur terra, quando *impii terræ amatores turbabuntur timore horribili*, ut dicitur Sap. 5. *et montes transferentur in cor maris*, quando magni quondam Reges qui Ecclesiam persequebantur, demergentur in profundum abyssi: et tunc sonabunt, et turbabuntur aquæ marium, quando futura ultima tribulatio horrendum in modum turbabit impios, et Reges eorum, in fortitudine Dei, quoniam tunc apparebit quanta sit potestas iræ Dei in peccatores.

4. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

5. Deus in medio ejus non commovebitur, adjuvabit eam Deus mane diluculo.

Ostendit nunc, quare non timebit populus Dei, quando turbabitur terra, et montes transferentur in cor maris: et rationem esse dicit, quoniam pro amaritudinis abundantia, quæ turbabit impios, dabitur Ecclesiæ abundantia voluptatis, quæ eam lætificabit: et pro instabilitate montium, qui transferentur in cor maris, dabitur Ecclesiæ stabilitas perpetua, quia Deus erit in medio ejus. *Fluminis*, inquit, *impetus: lætificat civitatem Dei*, id est, non timebit populus Dei, quando turbabitur terra, quia non irruent in Ecclesiam fluctus maris amari; sed fluminis aquæ dulces, et claræ magno impetu, magna videlicet copia, et abundantia voluptatis lætificabunt eam. Hebræo habetur, נהר פלגיו *nahar pelagou*, *fluminis rivi*, *sive divisiones*, pro eo quod nos habemus ex Græco, *fluminis impetus:* sed non sunt contraria; nam rivi aquarum possunt et cum impetu, et sine impetu fluere: voluerunt autem Septuaginta Interpretes declarare, rivos illos non remisse, et tenuiter fluere, sed cum magna plenitudine, et impetu, ad significandam vehementiam dulcedinis, quæ redundat in civitate Dei; sicut in alio Psal. 35. dicitur, *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Addit Propheta, *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*, quasi dicat, ideo lætificat civitatem suam Deus, quia eam elegit, et sanctificavit in tabernaculum sibi, eamque esse voluit propriam suam habitationem, juxta illud Apocalyp. 21. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis, et ipsi populus ejus erunt. Deus in medio ejus, non commovebitur;* hoc opponitur instabilitati terræ, et montium, quasi dicat, non timebit civitas Dei ne forte transferatur in cor maris: nam *Deus est in medio ejus*, id est, Deus non recedit ab ea, sed præsentissimus illi adest, utpote *in medio*, in intimis, in corde ejus, et ideo ista civitas non commovebitur, sed æterna stabilitate solidabitur. Et concludit ostendens, unde, et quando ista erunt, dicens, *Adjuvabit eam Deus mane diluculo*, id est, lætitia, et stabilitas dabuntur civitati Dei, quoniam Deus adjuvabit eam in exortu diei, id est, incipiente die felicitatis æternæ. Scriptura enim comparat infidelitatis tempus tenebris noctis, tempus fidei auroræ, visionem Dei claritati diei. B. Paulus ad Rom. 13. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* Et B. Petrus in 2. epist. cap. 1. *Habetis firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco donec dies illucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris.* Et Sponsa in Canticis cap. 2. *Donec aspiret dies, et inclinentur umbræ.* Et Propheta Malachias cap. 4. *Vobis timentibus nomen meum orietur Sol justitiæ.* Et cum hac sententia satis apte cohæret antiqua lectio, quam habet S. Augustinus, et cujus meminit S. Ambrosius, et quam amplectitur Ecclesia in officio Ecclesiastico. *Adjuvabit eam Deus vultu suo*, id est, adjuvabit eam adjutorio omnium maximo, et potentissimo, quando ostendet ei vultum suum, quod tunc erit, quando Sol justitiæ manifeste se illi ostendet, et inchoabit diem illum ab initio mundi a Sanctis omnibus desideratum, et expectatum: de quo dicit Apostolus, *Scio cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem.* 2. Timoth. 1.

6. Conturbatæ sunt gentes, et inclinata sunt Regna: dedit vocem suam, mota est terra.

Prædicit verbis propriis, quod figuratis ante prædixerat, destructionem videlicet, inimicorum Ecclesiæ; unde pax universalis, et perpetua consequetur. Quod igitur antea dixerat de terra, et montibus, nunc dixit apertius de gentibus, et Regnis. *Conturbatæ sunt*, inquit, *gentes*, quia propinquat interitus earum; *et inclinata sunt Regna*, id est, dejecta ab altitudine sua, et usque ad terram prostrata. *Dedit vocem suam*, Deus videlicet intonuit de cœlo, *et mota est terra*, id est, contremuit, vel liquefacta, et desolata est terra: nam vox Hebraica, מוג *mug*, *liquescere et dissolvi est.* Quod autem hic dicitur de Regnorum terrenorum destructione, prædictum fuit clarius a Daniele c. 2. ubi dicitur, *Regnum Christi consumpturum omnia Regna, et ipsum mansurum in æternum*, et explicatum fuit ab Apostolo, 1. Cor 15. illis verbis, *Deinde finis cum tradiderit Regnum Deo, et Patri, cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem et virtutem.*

7. Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob.

In his omnibus ruinis gentium, et Regnorum

non timebit populus Dei, quoniam dicere poterit, *Dominus virtutum*, id est, exercituum, *nobiscum est. Susceptor noster*, id est, qui nos tuendos suscepit, *Deus Jacob est.* Dicitur autem, Dominus virtutum, id est, exercituum, quoniam omnes Angeli, qui plurimi, et potentissimi sunt, ad nutum illi obediunt, juxta illud Psalmi 102. *Potentes virtute facientes verbum illius.* Nec solum Angeli sunt milites Dei, sed omnes omnino res creatæ: nam *ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum faciunt verbum ejus*, ut dicitur in Psal. 147. et ut dicitur in Psal. 118. *Omnia serviunt ei.* Itaque duo argumenta proponuntur in hoc versiculo, quibus apertissime demonstratur posse, ac debere populum Dei nihil timere: primum est, quia Dominus potentissimus, cui omnia militant, hujus populi adjutor est. Alterum, quia hic idem Dominus, non solum potest, sed etiam vult populum suum juvare, cum dici velit Deus Jacob, id est, Deus populi hujus, qui dicitur Jacob a patriarcha illo sancto, et Dei amicissimo, ex cujus progenie carnem sumere dignatus est.

8. Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad finem terræ.

Hortatur omnes gentes, ut cogitent mirabilia opera Dei, atque illud in primis, quod erit in novissimo tempore, quando sublatis omnibus inimicis, vel potius subjectis omnibus sub scabellum pedum Christi, finis erit omnium bellorum, et solus regnabit Deus, nullo amplius resistente, vel rebellante. Quod Regnum expectamus, et petimus, cum quotidie dicimus in oratione Dominica, *Adveniat Regnum tuum. Venite* inquit, *et videte*, id est, accedite per fidem, et mentis oculis contemplamini, et considerate *opera Domini*, *quæ posuit prodigia super terram*, id est, considerate opera, quæ Deus ponet (nam præteritum ponitur pro futuro more prophetico) super terram, tam admiranda, et stupenda, ut prodigia nominari possint. Ponet autem hæc prodigia *auferens bella usque ad finem terræ;* vere enim mirabile est, potuisse ex tota terra usque ad ultimos ejus fines auferri bella, et ita auferri, ut in æternum renovari non possint. Ex Hebræo S. Hieronymus vertit. *Quantas posuerit desolationes in terra*, pro eo quod nos legimus, *quæ posuit prodigia super terram:* et sensus idem est: nam ex desolatione totius terræ translatis justis in cœlum, et detrusis impiis in infernum, orietur cessatio bellorum in universa terra. Verbum tamen Hebraicum, שמות *sammoth*, utrumque significat, *desolationes* et *admirationes*, sive prodigia: nam vox שמם *samam*, significat admirari, et desolari, proinde Septuaginta Interpretes recte verterunt, *prodigia*, cum vox Hebraica id significet, quamvis etiam desolationes significare possit.

9. Arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni.

Declarat quod dixit, *auferens bella;* ac dicit id futurum esse, quia Dominus destruet omnia arma, tam quibus usus est in feriendo, quales sunt arcus, et lanceæ, quam quibus utuntur milites ad sui defensionem, qualia sunt scuta: sine armis autem bella geri non possunt. In Hebræo pro voce, arma, habetur in specie חנית *chanith hasta*, sive *lancea;* sed Septuaginta maluerunt vertere *arma*, quia sine dubio Propheta nomine arcus, et lanceæ significare voluit omnia arma offensiva; itaque sensus est, arcum conteret, et confringet reliqua arma. Pro voce vero, scuta, est in Hebræo, currus, et quidem sensus est idem, quia et scuta, et currus militares, et omnia similia instrumenta belli cremanda prædicuntur: tamen sciendum est, vocem Hebraicam, עגלות *hagaloth*, significare currus, quia currus rotundi sunt; proprie enim vox illa, rotunditatem significat. Quoniam igitur scuta etiam rotunda sunt, et melius conjunguntur scuta cum lanceis, et arcubus, quam currus; ideo Septuaginta prudenter verterunt, *scuta.* Hos duos versiculos aliqui exponunt de pace temporali, quæ fuit tempore Augusti, vel Constantini; sed longe melius conveniunt in æternam pacem, quæ erit in fine sæculi, quando Ecclesia desinet esse militans, et incipiet esse triumphans, omnibus videlicet hostibus undique debellatis.

10. Vacate, et videte, quoniam ego sum Deus, exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra.

Dixerat paulo ante Propheta, *Venite, et videte opera Domini.* Nunc ut ostendat, quomodo venire oporteat, si quis opera Domini intelligere velit, dicit, *Vacate, et videte*, ac ut magis persuadeat, inducit Deum ipsum loquentem, et exhortantem, *Vacate et videte quoniam ego sum Deus.* Nam contemplatio rerum divinarum requirit animum liberum a tumultu perturbationum secularium, radix autem omnium perturbationum est cupiditas: ex desiderio enim divitiarum, deliciarum, honorum, et similium rerum, oriuntur occupationes molestissimæ, quæ nullam omnino quietem homini sic affecto relinquunt. Hinc Hieremias de viro contemplativo dicit, *Sedebit solitarius, et tacebit, quoniam levavit se supra se*, Thren. 3. et Dominus præcipit, Matth. 6. *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum.* Quid sit enim clauso ostio Patrem orare, exemplo suo nos docuit, qui ut plurimum oraturus, ascendebat in montes, et solus orabat, remotus videlicet, ab omni strepitu curarum, et negotiorum. Sed ut diximus, præcipua vacatio debet esse a concupiscentia rerum terrenarum: nam qui nihil desiderat eorum, quæ videntur, etiam si multum occupetur in auxilio proximorum, facile colliget animum, cum voluerit, et vacabit, et videbit, quoniam Dominus ipse solus est Deus; ipse principium et finis, ipse spes tota fidelium in terris, et vera fœlicitas eorum in cœlis: nam et David occupatissimus erat in Regno administrando, et sanctus Gregorius (ut etiam plurimi alii sancti Pontifices) in administrando Pontificatu; et tamen altissimis contemplationibus suspendebantur, eo quod alas mentis a luto concupiscentiæ liberas gererent. Ipse etiam Apostolus sollicitudine omnium Ecclesiarum premebatur, et labore manuum ad victum quærendum exercebatur; et tamen quia a desideriis secularibus liberrimus erat, non solum vacabat, et videbat, sed etiam usque ad tertium cœlum rapiebatur, et audiebat arcana verba, quæ non licet homini loqui. Contra vero multi

sunt homines otiosi, quod attinet ad occupationes negotiorum; sed quia carnales sunt, et secularibus desideriis implicati, Deo vacare non norunt. Ait igitur, *Vacate*, id est, otium sanctum quærite, et animum purum, et tranquillum afferte, et videte attentissime cogitantes, *quoniam ego sum Deus*, id est, ego sum Deus solus, et nulla res creata, quamvis magna, et sublimis videatur, est Deus, ego solus sum, id quod est; ego solus, *ex quo omnia, per quem omnia, et in quo omnia*, Rom. 11. ego solus, sine quo nihil potestis, et nihil estis, et in quo omnia potestis, et vere estis. *Exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra;* id est, ego cum mirabilia fecero, quæ supra dicta sunt, apparebo sublimis coram omnibus gentibus, et coram omni orbe terrarum, ita ut omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, et infernorum. Nam in fine seculi nullus omnino erit, qui Deum contemnere audeat; sed omnes vel volentes, vel inviti agnoscent supremum ejus imperium, illique subjicientur. Sanctus Basilius, et aliqui alii mystice interpretantur hanc exaltationem de exaltatione Christi in cruce: ut sensus sit, *Vacate, et videte, quoniam ego*, qui homo esse videor, sicut homines cæteri, vere tamen *sum Deus, et exaltabor inter gentes, et in terra*, suspensus in cruce ad ignominiam et supplicium, in oculis impiorum. Vere autem per hanc ipsam crucem exaltabor in omnibus gentibus, et in omni terra, quia omnia traham ad me ipsum, et jugo fidei, atque obedientiæ meæ, ipsi etiam summi Reges cum populis colla submittent. In Hebræo est, *cessate et videte*, quod potest intelligi de cessatione a negotiis et desideriis secularibus, ut diximus, et eam litteralem, et propriam expositionem esse censemus: tamen non est improbanda sententia illorum, qui volunt, in his verbis exhortationem contineri ad impios, ut sensus sit: Cum ea futura sint, quæ sunt paulo ante explicat, a*cessate jam* tandem a peccato infidelitatis, et a persecutionibus piorum, *et videte* oculis fidei, *quoniam ego sum Deus*, et idola vestra non sunt Dii; ego enim solus in fine seculi *exaltabor in gentibus, et in omni terra.*

11. Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob.

Concludit Psalmum repetitione versus septimi, ut affectum piorum, exhortatione illa Dei rursum excitatum et renovatum fuisse demonstret.

PSALMUS XLVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

IN FINEM PRO FILIIS CORE, PSALMUS.

TITULUS nihil continet novi, sed de argumento quæstio esse potest: non enim desunt ex recentioribus, qui Psalmum ad litteram exponendum esse censeant de asportatione arcæ fœderis in montem Sion a Davide. Moventur autem ea ratione, quod sicut in hoc Psalmo scriptum est, *Ascendit Deus in jubilo, et Dominus in voce tubæ;* ita scriptum sit 2. Reg. 6. *Ducebant arcam Testamenti Domini in jubilo, et in clangore buccinæ;* et, pro verbo, *ducebant*, in Hebræo est, מעלים *mahalim*, id est *ascendere fecerunt.* Cæterum sancti Patres, ut Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, et cum eis Theodoretus, et Euthymius, nullam arcæ mentionem fecerunt, et simpliciter totum Psalmum de victoria, et Ascensione Christi exposuerunt. Eorum sententia nobis sequenda esse videtur, tum propter ipsorum auctoritatem, tum quia si de sola arcæ asportatione ad litteram ageretur, non esset opus omnes gentes ad lætitiam invitare: neque similia sunt, quæ dicuntur in 2. lib. Reg. cap. 6. iis, quæ dicuntur in hoc Psalmo: ibi enim dicitur, *ascendere fecerunt arcam;* hic dicitur, *ascendit Deus*, et rursum repetitur, *et Dominus in voce tubæ:* sunt autem valde diversa, *ascendere fecerunt arcam*, et *ascendit Deus*, illud enim recte redditum est per verbum, *ducebant;* quod proprie convenit arcæ ligneæ, quæ non movetur nisi ab alio deferatur, at, *ascendit Deus*, ad eum refertur, qui propria virtute sursum abiit.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis.

Invitat Propheta sanctus omnes gentes, ut voce, et gestibus lætitiam animi ostendant: omnes gentes invitat, quia gloria capitis toti corpori communis est; corpus autem non solos Judæos, sed etiam gentes comprehendit: Ecclesia enim, quæ corpus Christi est, toto terrarum orbe diffunditur. Quod autem ad plaudendum manibus invitat, non significat strepitum corporalem edendum, ut recte S. Chrysostomus admonuit, sed metaphorica loquutio est, quæ indicat gaudendum, et lætandum esse, ut ii faciunt, qui præ gaudio exiliunt, et manibus strepitum, et voce clamores excitant: nam idem Propheta non solos homines ad plausum, et exultationem invitare solet, sed etiam cœlum, et terram, et flumina, et montes, et arbores, Psal. 95. *Lætentur cœli, et exultet terra, commo-*

veatur mare et plenitudo ejus, gaudebunt campi, et omnia, quæ in eis sunt: tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit, et in Psal. 97. *Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini:* quæ omnia metaphorica sunt, neque aliud significant, nisi ingentem animi lætitiam hominis cupientis, si fieri posset, ut omnia sibi congauderent. Neque omittendum est, quod monet S. Augustinus, illorum duntaxat gaudium Deo gratum esse, qui manibus plaudunt et voce exultant, id est, qui operibus bonis, et voce laudis testantur se in Domino gaudere.

2. Quoniam Dominus excelsus, terribilis, Rex magnus super omnem terram.

Reddit rationem Propheta, cur omnes gentes ad plaudendum, et exultandum invitaverit: ac primum rationem ducit a magnitudine Christi, quem dicit esse *excelsum ratione* divinitatis, *terribilem* ratione potentiæ, *et Regem magnum* ratione providentiæ, et gubernationis. *Quoniam*, inquit, *Dominus excelsus*, id est, cum plausu, et exultatione jubilate Deo gentes omnes, quoniam Deus, et Dominus noster Christus excelsus est, sive altissimus (ut vertit S. Hieronymus) quoad naturam divinam, ratione cujus longe excellit omnibus rebus creatis. Item, quoniam *terribilis* est, quoad potentiam, cum vere sit omnipotens, et nihil ei resistere possit. Denique, quia *Rex magnus est super omnem terram,* quoad gubernationem, cum ipse sit supremus, et absolutus, et universalis rector orbis terræ.

3. Subjecit populos nobis, et gentes sub pedibus nostris.

Alteram rationem ducit a beneficio, quod Ecclesiæ suæ contulit in principio, quando eam eduxit de terra Ægypti; tunc enim Deus, sive Christus secundum formam Dei introduxit populum in terram promissionis, et populos, ac gentes, quæ loca illa possidebant, subjecit populo suo, et fecit, ut reipsa pedibus conculcarent colla Regum illarum gentium, ut scribitur in libro Josue cap. 1.

4. Elegit nobis hæreditatem suam, speciem Jacob, quam dilexit.

Tertiam rationem ducit ab alio beneficio, quo idem Deus Christus, post ejectos Chananæos, et populum suum in eorum terram introductos, elegit sibi in peculiarem, et propriam hæreditatem primitivam Ecclesiam, ex Judæis credentibus, id est, Apostolis, cæterisque discipulis. *Elegit*, inquit, *nobis*, id est, in nobis, sive ex nobis *hæreditatem sibi,* populum videlicet peculiarem; *Speciem Jacob, quam dilexit*, id est, elegit pulchritudinem quamdam eximiam populi Judaici, qui dicitur Jacob, quam pulchritudinem merito adamavit, et ideo ex eo populo Ecclesiam, quasi propriam hæreditatem sibi ipse constituit. Observandum est ex hoc loco, in populo Judaico plurimos fuisse duræ cervicis, et idololatriæ addictos, ac per hoc tandem reprobatos: sed fuisse etiam sanctissimos Patriarchas, quorum spiritualem pulchritudinem Fidei, ac morum Deus valde dilexit. Unde et Apostolus dicit Rom. 11. *Judæos fuisse Deo charissimos propter Patres, et Ecclesiam ex Judæis esse bonam olivam, cujus aliqui rami fracti sunt ob incredulitatem*, et in eorum locum insertos esse Gentiles conversos ad fidem, quos oleastros appellat, et iisdem Gentilibus jam fidelibus dicit, *Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses insertus es in illis, et socius radicis, et pinguedinis olivæ factus es, noli gloriari adversus ramos: quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te.* Hæc igitur est species Jacob, quam Deus, et propter quam elegit sibi hæreditatem ex populo Judæorum, cui postea adjunxit multitudinem gentium. In Hebræo codice nunc habemus, Elegit nobis hæreditatem nostram: sed Septuaginta Interpretes, qui verterunt, hæreditatem sibi, sine dubio non legerunt, בחלתינו *nachalatenu*, quod significat, hæreditatem nostram, sed נחלתו *nachalato* vel, נחלהלו *nachalalo*, quod est, hæreditatem sibi. Et facile fuit post tempora Septuaginta Interpretum mutari textum ob litterarum similitudinem. Certe sententia multo clarior est, quam reddiderunt Septuaginta Interpretes, quam ea sit, quam nunc recentiores colligunt ex Hebræo. Quid enim sit, *elegit nobis hæreditatem nostram;* vix intelligi potest, at *elegit in nobis hæreditatem sibi*, facillime intelligitur.

5. Ascendit Deus in jubilo, et Dominus in voce tubæ.

Hæc est quarta ratio, cur oporteat plaudere, et exultare, quia videlicet, posteaquam Dominus, *elegit sibi hæreditatem* in populo Hebræorum, id est, inchoavit Ecclesiam suam in Apostolis, et Discipulis, qui omnes Hebræi erant; ascendit in cœlum, et naturam nostram personæ suæ indissolubiliter unitam evexit supra omnes cælos, super omnes Angelos, et super omnes creaturas. Quamvis enim in hoc Psalmo non exprimatur, quo ascenderit; exprimitur tamen in Psalm 67. ubi dicitur, *Ascendit in altum, captivam duxit captivitatem*, et ibidem, *Ascendit super cœlos cœlorum ad orientem.* Ait igitur, *Ascendit Deus*, id est, Christus ascendit in cælum, sed ascendit propria virtute, quia Deus erat, ideo enim dicit, *ascendit Deus.* Illud *in jubilo, et in voce tubæ,* de spirituali jubilo, et sono Angelorum intelligendum est: nam ut Chrysostomus notat, quod ad corporalem strepitum attinet, ascendit in silentio Apostolis aspicientibus, et mirantibus; et fortasse non sunt visi, neque auditi chori Angelorum, ut in nativitate, ut Apostoli nulla alia re distraherentur; sed toti essent intenti ad cogitandum mysterii magnitudinem, dum viderent, naturam humanam, cui dictum erat, Gen. 3. *pulvis es et in pulverem reverteris*, jam cum ingenti gloria et immortalitate indutam ascendere super omnes cælos: sed tamen dubitari non potest, quin adessent Angelorum legiones ineffabili jubilo deducentes Dominum gloriæ in gloriam suam.

6. Psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite.

7. Quoniam Rex omnis terræ Deus, psallite sapienter.

Antequam subjungat quintam rationem, ex admiratione ascensionis, provocat omnes ad laudandum Deum, et ad affectum suum significandum non semel tantum dicit, sed iterum,

atque iterum repetit. *Psallite,* inquit, *Deo nostro psallite : psallite Regi nostro, psallite,* id est, *psallite Domino*, quia Deus noster est nimirum, *psallite*, quia *Rex noster est*, et tertio psallite, quia non solum Rex noster est, sed quia *omnis terræ Rex est.* Nec solum psallite frequenter, sed etiam *sapienter*, id est, attente, et considerate, ut nulla in re fiat error, oportet enim officium, quod summo Regi præstatur, cum omni diligentia præstari. Vide de ac re S. Bernard. serm. 7. et 47. in Cantica. Significatur etiam per vocem, *sapienter,* ut Chrysost. et Augustinus admonent, ut qui Psalmos canit, intelligat quod canit et ex intelligentia mysteriorum moveatur affectus pietatis in Deum. In qua re videtur hoc tempore non leviter peccari ab iis, qui officium canendi in Ecclesia susceperunt.

8. Regnabit Deus super gentes; Deus sedet super sedem sanctam suam.

Quinta ratio ponitur hoc loco, cur oporteat psallere et jubilare Deo in voce exultationis; quia videlicet, Christus posteaquam in cælum ascendit, per Apostolos suos toto orbi terrarum prædicavit Evangelium, atque ad Regnum suum gentiles adduxit. *Regnabit,* inquit, *Deus super gentes*, id est, non contentus Christus Deus hæreditate, quam sibi acquisivit ex populo Judæorum, regnabit etiam super gentes, dum per Apostolorum prædicationem gentes omnes jugo Fidei colla subjicient. Sed interim *sedet super sedem sanctam suam*, id est, sedet ad dexteram Patris, quæ est sedes Regni Dei sanctissima, id est, justissima, et in quam nulla cadere potest iniquitas. Vocatur etiam sedes Dei sancta, quoniam anima justi sedes est sapientiæ, et Deus sedet super Cherubim, qui sunt sanctissimi et beatissimi spiritus.

9. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham : quoniam Dii fortes terræ vehementer elevati sunt.

Declarat quod dixit, *Regnabit Deus super gentes.* Id enim futurum erat, quia per Apostolorum prædicationem *Principes populorum*, cum ipsis suis populis fideles futuri erant, et dimissis Diis Patrum suorum, cum Deo Abraham, qui solus verus est Deus, congregandi erant. Hoc igitur est, quod dicit, *Principes populorum*, gentilium videlicet, *cum Deo Abraham congregati sunt*, id est, cum Deo Abraham convenerunt, ut ipse esset eis in Deum, et ipsi populus ejus essent. Nominat autem Deus Abraham, ad differentiam Deorum, quos sibi variæ gentes adoptarunt, cum in Mundum ingressa est idololatria, quo tempore apud familiam Abrahami veri Dei cultus relictus est. In Hebraico textu legitur, populus Dei Abraham, pro eo quod nos habemus, cum Deo Abraham, sed Interpretes Septuaginta non legerunt, עם *ham*, sed עם *him*, eædem enim litteræ cum uno puncto, significant *cum*, cum alio significant *populus.* Et vel ex hoc loco intelligi potest, puncta non esse ubique recte collocata : nam si legamus ut legerunt Septuaginta Interpretes, sensus est clarissimus : si vero legamus, ut nunc est in Hebræo, sensus nullus, aut obscurissimus erit. Quid enim est, *Principes populorum congregati sunt populus Dei Abraham ?* Hæc enim lectio nunc habetur in textu Hebraico. Quod autem sequitur, *Quoniam Dii fortes terræ vehementer elevati sunt*, S. Augustinus exponit de superbis hominibus, qui non convenerunt cum Deo Abraham, sed reprobi facti sunt ob eorum superbiam. S. Joannes Chrysostomus exponit de Apostolis, per quos Principes populorum conversi sunt ad Deum Abraham, ut sensus sit, *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam Dii fortes terræ*, id est, Apostoli, *vehementer elevati sunt ;* cum pleni fuerint donis sapientiæ, et fortitudinis, et miraculorum in tantam eminentiam, ut Principes populorum eis resistere non potuerint. Vere enim Apostoli Spiritu sancto repleti tam fortes fuerunt, ut omnia pericula, omnia tormenta, omnem potentiam diaboli, et omnem mundi sapientiam superaverint. Sed potest etiam satis commode ad litteram intelligi de iisdem Principibus populorum, ut iidem sint Principes populorum, et Dii fortes terræ, ut sensus sit : *Principes populorum cum Deo Abraham congregati sunt*, quoniam ipsi, qui sunt quasi Dii quidam, et potentes in terra, vehementer elevati sunt, cum antea essent per idololatriam servi dæmoniorum, et nunc sint facti per fidem filii Dei veri et vivi. In Hebræo est alia lectio, *Quoniam Dei scuta terræ valde elevatus est.* Et quidem vox, *Dei*, in Græco etiam in genitivo τοῦ Θεοῦσ, ex quo putant aliqui in Latino textu legendum esse, Dei; et errore librariorum positum esse, *Dii*, pro *Dei.* Sed cum sanctus Augustinus et sanctus Hieronymus in commentario legant, *Dii*, et sensus sit longe clarior, credibile est, varias fuisse lectiones Græcas ; et nostram Latinam translatam esse ex Græca emendatiore, præsertim cum nulla inveniatur varietas in codicibus Latinis manuscriptis, sed in omnibus legatur, Dii. Illud autem, *scuta terræ,* potest etiam ex Hebræo verti protectores, sive Magistratus terræ, ut periti facile intelligunt ex cap. 4. Oseæ vers. 18. ubi hæc eadem vox, מגיני *maginne*, quam hoc loco S. Hieron. vertit, *scuta,* vertitur ab eodem Hieronymo, *protectores.* Et quoniam protectores sive Magistratus, potestatem habent super alios, non debet mirum videri, si Septuaginta Interpretes, et Interpres Latinus posuerint, fortes. Itaque *Dii fortes terræ* sunt Principes, qui instar Deorum fortiter protegere debent terram ipsis subjectam. Denique illud *elevatus est*, verterunt Septuaginta in numero multitudinis, ad sensum potius, quam ad verbum respicientes. Sensus enim est, *Dii fortes terræ elevatus est*, id est, unusquisque eorum elevatus est, quod clarius vertitur, elevati sunt. Neque est hoc novum in lingua Hebraica, sed usitatum, ut Gen. 1. ubi nos habemus, *Sint Luminaria*, in Hebræo est, Sit luminaria, et Eccl. 10. ubi legimus, *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti :* in Hebræo legitur, *Muscæ morientes perdit suavitatem unguenti.* Et Gen. 49. ubi invenitur, *Filiæ discurrerunt super murum*, in Hebræo invenitur, *Filiæ discurrit.* Sicut etiam e contrario non raro in Hebræo invenitur nomen singularis numeri, cum verbo numeri multitudinis; ut Aggæi 2. pro eo quod nos legimus, *Et veniet desideratus cunctis gentibus :* in Hebræo habetur, *Et venient desiderium gentium :* et Job 15. ubi nos habemus, *Numerus annorum incer-*

tus est, legitur in Hebræo, *Numerus annorum reconditi sunt.* Igitur verba hujus postremi versiculi, quæ juxta litteram Hebraice nullum sensum habere videntur, sapientissime a Septuaginta Interpretibus, et a nostro Latino reddita sunt.

PSALMUS XLVII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

PSALMUS CANTICI FILIIS CORE SECUNDA SABBATI.

TITULUS notus est ex iis, quæ alibi dicta sunt, exceptis illis verbis, *secunda Sabbati*, quæ non habentur in Hebræo, sed a Græcis addita sunt. Significatur autem illis verbis Psalmum traditum filiis Core, ut eum cantarent *secunda Sabbati*, id est secunda die hebdomadæ. Quæ sit autem secunda dies, et cur secunda die canendus esset, inter Auctores non convenit. S. Ambrosius existimat, secundam Sabbati, esse diem Dominicum : quia est secundus a Sabbato, quod erat principale festum Judæorum : et quoniam in Evangeliis legimus Christum resurrexisse in prima Sabbati, respondet S. Ambrosius, diem Dominicum apud Judæos fuisse secundam Sabbati, et ideo sic nominari in titulo hujus Psalmi, sed propter Dominicam resurrectionem, diem Dominicum esse cœpisse primam Sabbati, et ideo in Evangeliis vocari primam Sabbati. S. Hieronymus, et S. Augustinus intelligunt hoc loco per secundam Sabbati diem sequentem post Dominicum qui est prima Sabbati, non solum in Evangeliis, sed etiam in titulo Psalmi vigesimi tertii : et hæc est verior sententia : Sabbatum enim apud Judæos, erat quidem festus et solemnis dies; at non dicebatur primus, sed ultimus dies hebdomadæ. Quia vero prima die facta est lux, secunda factum est firmamentum, S. Hieronymus et S. Augustinus volunt, Psalmum præcedentem pertinuisse ad Christum, qui est lux vera; hunc autem pertinere ad Ecclesiam, quæ est firmamentum spirituale, in quo sunt stellæ innumerabiles, id est, homines plurimi sapientiæ, et sanctitatis gloria rutilantes. Argumentum Psalmi est laudatio Dei ob ædificium civitatis sanctæ Jerusalem, et quidem Græci, Chrysostomus, Theodoretus, et Euthymius existimant ad litteram tractari de reædificatione Jerusalem post reversionem e captivitate Babylonica : Latini, Ambrosius, Hieronymus, et Augustinus, per Jerusalem Ecclesiam simpliciter intelligunt, sed fieri potest, ut utrumque sensum Spiritus sanctus intenderit, sed magis posteriorem : constat enim civitatem sanctam Jerusalem, Ecclesiæ Christi gessisse figuram.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Magnus Dominus, et laudabilis nimis, in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.

Laudaturus Propheta ædificium, incipit a laude architecti, ac dicit in ædificio sanctæ civitatis mirifice splendere artem, et sapientiam Dei, qui illam ædificavit. *Magnus*, inquit, *Dominus, et laudabilis nimis.* Magnus Dominus est sive spectes essentiam ejus, sive potentiam, sive sapientiam, sive justitiam, sive misericordiam; omnia enim infinita, æterna, incomprehensibilia sunt; et inde idem *Dominus laudabilis est nimis*, ut non sufficiant omnes Angeli, omnes homines, et omnia opera ejus satis eum laudare. Sed ex iis, quæ nobis revelata sunt, nihil fere majus habemus, unde Domini magnitudinem melius cognoscamus, et unde magis eum laudare possimus, quam Ecclesiæ Catholicæ ædificationem, et ideo dicit Propheta, *Magnus Dominus, et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus*, id est, magnitudo Dei, unde laudandus est valde, conspicitur in Ecclesiæ fundatione, et constructione, quæ est civitas Dei nostri quæ in monte sancto, id est, in excelso perfectionis posita est. De hac enim dicitur Isaiæ 2. *Erit mons domus Domini præparatus supra verticem montium.* Et Matth. 5. Dominus ipse vocat Ecclesiam suam, *civitatem supra montem positam.* Atque ut hujus ædificii miracula brevissime attingamus : primo, cogita incredibilem varietatem gentium, linguis, moribus, ritibus, legibus dissitarum ita convenisse in unius fidei, et sacramentorum unitatem, ut unum populum, imo unam familiam efficiant. Secundo, cogita Ecclesiam fundatam fuisse super Petrum, ut Matth. 16. aperte dicitur, id est, super hominem piscatorem, vilem, indoctum, et pauperem, et tamen *ita solide fundatam, ut portæ inferi adversus eam prævalere non possint* : velit enim nolit mundus; in quo Christi Ecclesia peregrinatur, et fremant, quantum volunt, et possunt omnes immundi spiritus, et persecutiones moveant omnes reges terræ, tamen ad terram promissionis secura perveniet, et supra omnes cælos aliquando constituta fœlicissime in æternum regnabit. Hæc certe fieri non possunt, nisi a magno Domino, id est, a potentissimo, et sapientissimo architecto, qui propterea laudabilis est nimis, id est, omni laude major est.

2. Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, civitas Regis magni.

Explicat Propheta, cur Deus sit laudabilis valde in Ecclesia, quæ significatur per montem Sion, et civitatem Jerusalem : et causam esse dicit, quoniam a Deo *fundatur Ecclesia cum exultatione universæ terræ ;* et non dicit, *fundata est,* sed, *fundatur*, quoniam semper in variis locis fundatur Ecclesia, ubi antea non erat. Non enim Ecclesia est una parva domus, quæ statim fundari potest, sed est civitas magna totum orbem terrarum occupans, et variis temporibus in variis locis fundatur per Architectos spirituales, qui succedentes Apostolis, Christum lapidem fundamentalem prædicando jaciunt, ac deinde lapides vivos superædificant. Porro fundatio ista sit cum *exultatione universæ terræ*, quoniam in universa terra fundatur Ecclesia per Evangelii prædicationem, quæ prædicatio incredibilem lætitiam spiritualem adfert illam recipientibus : nam ideo comparata est a Domino notitia *Regni cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit cum gaudio, vendit omnia quæ habet, et emit agrum in quo thesaurum absconditum esse novit*, Matth. 13. et in Actis Apostolorum cap. 2. cum fundaretur Ecclesia in Jerusalem dicitur, *Sumebant cibum cum exultatione*, et cap. 8. prædicante Philippo, et fundante Ecclesiam in Samaria, *factum est gaudium magnum in illa civitate,* et Eunuchus Reginæ Candacis cum audivisset fidem ab eodem Philippo, et baptizatus fuisset, *ibat per viam suam gaudens*, et cap. 15. cum Beatus Paulus Gentibus prædicare cœpisset, et Ecclesiæ fundamenta jacere, *gavisæ sunt gentes, et glorificabant verbum Domini.* Dicitur autem fundari mons Sion, ut intelligamus hic non agi de monte Sion corporali, ille enim fundatus fuit ab initio mundi, sed de monte spirituali, cujus ille figura erat. Est igitur hoc loco mons Sion, Ecclesia Christi, quæ dicitur mons Sion, propter eminentiam doctrinæ, et perfectionem vitæ, quæ est in Ecclesia. Eadem quoque Ecclesia dicitur, latera Aquilonis, quoniam sicut mons Sion corporalis situs est in terra promissionis ad partem Borealem, et est quasi murus quidam defendens eam regionem a vento illo frigido et furioso qui dicitur Aquilo : sic etiam Ecclesia Christiana est quasi murus oppositus Aquiloni spirituali, id est, flatibus spirituum immundorum : qui enim requiescunt in sinu Ecclesiæ, id est, acquiescunt doctrinæ, quæ docetur in Ecclesia, et obediunt legibus ejusdem Ecclesiæ, non facile læduntur ab Aquilone spirante perniciosa dogmata per exempla. Denique eadem Ecclesia dicitur Civitas Regis magni, quod ad ejus nobilitatem maxime facit : Ecclesia enim Christiana proprium Regem habet Christum, qui est Princeps Regum terræ, et Rex Regum, ac Dominus Dominantium. Cæteri enim, qui Ecclesiæ præsunt, Ministri Christi sunt, ut Apostolus loquitur 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Et ille qui supremam in Ecclesia potestatem habet, Vicarium Christi se dicit, nec solum servum Dei, sed etiam servum servorum Dei, ipse se nominat. Quod ad verba attinet, difficultas est solum in voce illa *fundatur :* nam SS. Ambrosius et Augustinus legunt, dilatans. S. Hieronymus vertit ex Hebræo, *specioso germine.* S. Joan. Chrysostomus legit, bene radicans. Alii vocem Hebraicam significare volunt terminum, aut clima, aut regionem, aut ramum. Sed SS. Ambrosius et Augustinus videntur legisse in Græco textu εὐρόων, quod significat *bene dilatans*, pro εὐρίζων, quod significat bene radicans. Et certe lectio posterior est verior, quia concordat cum vulgata Latina antiquissima editione : nam ut Chrysostomus exponit, idem est, radicare, et fundare. Et idem est, *fundatur a Deo mons Sion,* et fundat Deus montem Sion : hoc solum interest, quod Græca vox habet adjunctum adverbium, bene, quo caret vox Latina. Sed in Latina voce subintelligitur, bene, sive pulchre, ut est in Hebræo. Ex eo quod subjungitur, *exultatione universæ terræ*, facile colligitur, non solum fundari, sed etiam pulchre, et bene fundari montem Sion. Ideo enim exultat universa terra, quia videt hoc ædificium tam pulchre, et tam solide fundari. Versio S. Hieronymi fundamentum habet in voce Hebraica, יפה נוף *iephe noph*, quæ potest reddi, *specioso germine*, sive pulchris ramis, et sensus erit, montem Sion ornatum esse pulchris ramis, sine pulchris arboribus ; sed vox illa נוף *noph*, quæ tamen multa et tam diversa significat secundum opiniones recentiorum, ut etiam ad regiones, et terminos, et climata referatur, cur non poterit etiam referri ad fundationem, et radicationem, ut Septuaginta seniores antiquissimi, et doctissimi censuerunt? Itaque censemus verba Hebraica consentanee ad versionem Septuaginta Interpretum, et ad expositionem Chrysostomi, Theodoreti, et S. Hieronymi in commentario Psalmorum, reddi posse, *bene fundatur.*

3. Deus in domibus ejus cognoscetur, cum suscipiet eam.

Addit secundam rationem, cur magnus sit Dominus, et laudabilis valde in civitate sua Hierusalem, quia non solum bene fundavit eam, sed etiam continuo protegit et exaltat. Deus, inquit, qui fundavit Ecclesiam instar regiæ civitatis, tunc potissimum *cognoscetur in domibus ejus*, id est, tunc cognoscetur ab omnibus habitantibus in domibus ejus ; sive tunc cognoscetur habitare in domibus ejus, *quando*, in tempore persecutionum *suscipiet eam* protegendam atque exaltandam. Pro voce domibus, in Hebræo est vox, ארמנות *armenoth,* quæ significat non quaslibet domos, sed palatia, basilicas, templa. Itaque hinc intelligimus, Deum habitare potissimum in domibus ipsi Deo sacris, quales sunt basilicæ, ac templa, quæ Deo proprie dedicantur. Pro vocibus autem, cum suscipiet eam, est in Hebræo, למשגב *lemisgab*, quod significat, *in refugium*, sive, *in auxilium*, sive, *in exaltationem.* Proinde, illud, *cum suscipiet eam*, explicandum est, cum suscipiet defendendam, et exaltandam, sive, cum susceptor ejus erit, id est, auxiliator, et defensor : nam in Psal. 45. ubi legitur, *susceptor noster Deus Jacob*, pro susceptor, in Hebr. est, משגב *misgab*, ut hoc loco.

4. Quoniam ecce Reges terræ congregati sunt : convenerunt in unum.

5. Ipsi videntes sic admirati sunt, contur-

bati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos.

6. Ibi dolores ut parturientis, in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.

Hos tres versiculos diverso modo exponunt Latini, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus; et Græci, Chrysostomus, Theodoretus, Euthymius: Latini enim Patres exponunt de gentilibus conversis ad fidem: Græci vero de gentilibus oppugnantibus fidem. Utraque expositio vera est, et una cum altera non pugnat. Itaque juxta Latinos hic erit sensus: Deus cognoscetur esse in Ecclesia ex conversione gentilium, *quoniam ecce Reges terræ*, et populi eorum cum eis ex potentia verbi Dei per Apostolos prædicati, et virtute signorum, et prodigiorum per eosdem patratorum conversi, *congregati sunt, et convenerunt in unum*, id est, ex variis sectis, ac superstitionibus convenerunt in unitatem fidei, congregati sunt in unam Ecclesiam, quasi in populum unum, *imo ut efficeretur cor unum et anima una*, ut dicitur de primis Christianis in Actis Apost. c. 4. Conversio autem eorum sic fuit, quoniam *ipsi videntes* signa, et prodigia, *sic admirati sunt*, et cognoscentes magnitudinem erroris, et peccatorum suorum, dum idola pro Deo colerent, *conturbati sunt et commoti sunt*, per veram pœnitentiam: unde etiam *tremor apprehendit eos*, considerantes periculum æternæ damnationis, in quo tam diu fuerant. *Tremor* autem non levis, sed gravissimus *apprehendit eos*, qualis est dolor parturientis, qui tamen in gaudium magnum desinit. Cum enim *parturiens peperit filium, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum*, ut dicitur Joan. 16. sic et dolor pœnitentis desinit in lætitiam inenarrabilem, cum adoptionis gratia, quæ salutis æternæ semen et pignus est, cordi pœnitentis infunditur: et tunc impletur quod sequitur, *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis*, Spiritus enim sanctus hominem justificantem inhabitans, et vehementi ardore charitatis inflammans, *confringit naves Tharsis;* per quas superbia, luxuria, et avaritia significantur: naves enim tumentibus velis per fluctantes undas in Tharsis properantes, aurum, et argentum adducebant, ut dicitur 3. Reg. 10. et 2. Paral. 9. tumor velorum superbiam, fluctuatio navis luxuriam, advectio auri et argenti avaritiam designat. Aut juxta expositionem Græcorum sensus est, Deus in Ecclesia *cognoscetur* ex admirabili victoria Christianæ religionis adversus impios persecutores. *Ecce* enim *reges terræ*, audita fama Christianæ religionis, *congregati sunt, convenerunt in unum*, id est, ex variis locis, et ex variis superstitionibus *convenerunt* adversus Christi Ecclesiam, ut eam persecutionibus suis opprimerent, et extinguerent. *Sed videntes*, fortitudinem Sanctorum Martyrum, et mirabilem constantiam, in sexu etiam fragili, et in ætate tenera: necnon signa, et prodigia, quæ per eos Deus faciebat, et quod numerus Christianorum persecutionibus, et mortibus augebatur, *admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt*, partim indignatione, partim dolore, *et tremor apprehendit eos*, sicut dolor parturientis, cum viderent templa idolorum deseri, et Christi regnum ipsis invitis, et totis viribus repugnantibus crescere. Hoc autem accidit, *quia Dominus in spiritu vehementi*, cum admirabili manifestatione potentiæ suæ contrivit idololatriam, quomodo solet tempestas venti brevissimo tempore dissipare, et conterere naves in mari. Quod attinet ad verba, vox illa, *terræ*, cum dicitur, *Reges terræ*, non habetur in Hebraico codice, sed Septuaginta Interpretes explicandi gratia addiderunt. Illa autem particula sic jungenda est cum verbo sequenti, non cum præcedenti: est enim sensus, *ipsi videntes, sic admirati sunt*, id est, viderunt, et sic admirati sunt. Vox illa, *commoti sunt* ex Hebræo a S. Hieronymo vertitur *admirati sunt*. Sed vox Hebræa חפז *chaphaz*, significat quidem admirari, sed significat etiam commoveri. Et quoniam jam dictum erat *admirati sunt, conturbati sunt;* recte Septuaginta verterunt verbum sequens, *commoti sunt*, tum ne idem bis repeteretur, tum quia hic est ordo naturalis, ut inopinato malo adveniente primum oriatur in nobis admiratio, deinde turbatio, postremo commotio, sive fuga. Cum dicitur, *in spiritu vehementi conteres naves Tharsis*, subintelligitur, *quia*, vel alia similis particula: redditur enim ratio, cur ibi fuerint dolores, ut parturientis. Potest autem duobus modis intelligi contritio navium: primum, ut subintelligatur particula similitudinis hoc modo, *In spiritu vehementi conteres eos*, quomodo ventus validus confringit naves: secundo, ut sensus sit; *in spiritu vehementi conteres naves Tharsis*, id est, non solum terrestres copias, sed etiam classes instructas adversariorum dissipabis. Sicut enim impii terra marique Ecclesiam oppugnant, sic etiam Deus terra marique pro Ecclesia pugnabit. De voce Tharsis, quam Græcus, et Latinus Interpres reliquerunt, ut in Hebraico textu invenerunt, magna quæstio est, aliis volentibus significare Ciliciam, aliis Carthaginem, aliis Indiam, aliis ipsum mare. Sed hoc postremum improbabile est, quoniam Jonas ascendit navem, ut iret in Tharsis, ut legimus Jon. 1. Si autem Tharsis mare significaret, jam fuisset Jonas in Tharsis, quando erat in navi, quorsum igitur navigabat, ut iret in Tharsis? Ex aliis significationibus, illa videtur verior, qua pro Tharsis India designatur, cum ex Tharsis adferretur Salomoni tertio quoque anno magna copia auri, et argenti, et eboris, ut dicitur 3. Reg. 10 et 2. Paralip. 9. Atqui ex Cilicia, vel Carthagine non adducuntur ejusmodi metalla, neque est opus triennio, ut ex Hierusalem navigetur in Ciliciam, vel Carthaginem. Sed hoc loco dicuntur *naves Tharsis*, naves magnæ, quales esse solebant, eæ, quibus navigabatur in Tharsis, id est, in Indiam.

7. Sicut audivimus sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri: Deus fundavit eam in æternum.

Verba sunt filiorum Ecclesiæ, qui lætantur se experimento jam discere de Ecclesiæ stabilitate, quod ante promissum audiverant. Et nos præsertim hæc dicere possumus; audivimus enim Christum dixisse, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferni non prævalebunt adversus eam*. Matth. 16. et nunc post mille sexcentos annos, post tam multas, et tam graves Paganorum, et hæreticorum persecutiones, videmus Ecclesiam non potuisse deficere. Dicit ergo Propheta in persona fidelium, *Sicut audi-*

vimus, a Prophetis et Apostolis prædictum, *ita vidimus* adimpletum in Ecclesia *quæ est civitas Domini virtutum,* cui videlicet militant omnes res creatæ, et qui ideo dicitur *Dominus virtutum,* id est exercituum, *qui est Deus noster.* Quod autem audivimus et vidimus, est, quod *Deus fundavit eam in æternum,* ut nullum sit periculum, ne umquam evertatur. Atque ex hoc loco satis aperte colligitur in hoc Psalmo non accipi civitatem Dei pro terrena Jerusalem, ut aliqui recentiores volunt : illa enim jam olim a Tito Imperatore eversa fuit : et de illa prædictum fuit a Domino, *non relinquent in te lapidem super lapidem.* Luc. cap. 19.

8. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi.

His verbis confitetur populus Dei, non suis viribus, aut meritis tribuenda magnalia, quæ Deus fecit, et facit in Ecclesia, sed soli misericordiæ Dei : ideo subjungit, *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui,* id est, hanc stabilitatem Ecclesiæ, et alia bona innumerabilia, quæ sicut audivimus promissa, ita nunc videmus impleta ; de tua manu accepimus, non ipsi nobis peperimus. Fatemur igitur *in medio templi tui,* id est, publice, et coram omnibus, nos suscepisse *misericordiam tuam,* illi tribuimus omnia bona. In Hebræo habetur verbum, דמינו *diminu*, quod non tam *suscipere,* quam æstimare significat; quare S. Hieronymus vertit, *Æstimavimus misericordiam tuam in medio templi tui.* Sed idem est sensus, ut S. Chrysostomus recte exponit, qui verbum Hebraicum, et Græcum exponit : illud enim suscepimus, referendum est ad cognitionem, et æstimationem beneficii, ut diximus. S. Augustinus legit, *in medio populi tui;* sed habuit codicem Græcum inemendatum ob litterarum similitudinem ; siquidem legit λαοῦ *populi*, pro, ναοῦ *templi.* In Hebræo nulla est similitudo litterarum, unde error manare potuerit.

9. Secundum nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines terræ : justitia plena est dextera tua.

Pergit Propheta in persona fidelium laudare Deum ob accepta beneficia, ac sicut initio dixerat, *Magnus Dominus, et laudabilis nimis,* ita nunc dicit, *Secundum nomen tuum, sic et laus tua in fines terræ,* id est secundum magnitudinem nominis tui est etiam magnitudo laudis tuæ. Sicut enim nomen Dei in universa terra innotuit ob magnalia, quæ in Ecclesia fundanda, et protegenda patravit; sic etiam laudatur Deus per totum mundum, usque ad ultimos terminos terræ. Addit etiam materiam laudis, dicens, *Justitia plena est dextera tua.* Inde enim ubique laudatur Deus magnificentissimus præconio omnium gentium, quoniam justissime pios defendit, et impios punit. Dicitur autem *dextera Dei plena justitia*, non quod non sit etiam plena misericordia, sed quod nullum locum habeat apud eum injustitia. *Justus enim Dominus est in omnibus operibus suis*, ut dicitur Psal. 144.

10. Lætetur mons Sion, et exultent filiæ Judæ, propter judicia tua Domine.

Ex eo quod dextera Domini plena est justitia; hortatur Propheta populum Dei ad exultandum, quoniam is populus præter cæteros novit per experientiam justitiam Domini, *Lætetur,* inquit, *mons Sion,* id est populus Dei, sive Ecclesia Dei, quæ per eum montem significatur, *et exultent filiæ Judæ,* id est, non solum viri, sed etiam fœminæ in populo Dei lætentur, *propter judicia tua Domine,* videntes scilicet justitiam, quam exercuisti in protegendis fidelibus et perdendis infidelibus. Fortasse etiam per montem Sion intelliguntur perfecti, fortes; per filias Judæ, imperfecti, et debiles. Vel, per montem Sion, intelligitur arx, et caput Religionis, qualis erat Jerusalem apud Judæos ; per filias Judæ intelliguntur reliqua membra Ecclesiæ, qualia erant oppida subjecta Jerosolymæ : sæpe enim in Scripturis, ac præsertim in libro Josue, per filias intelliguntur castella, sive oppida subjecta majoribus civitatibus.

11. Circumdate Sion, et complectimini eam, narrate in turribus ejus.

12. Ponite corda vestra in virtute ejus, et distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.

Hortatur in fine Psalmi ad ædificationem, et munitionem sanctæ civitatis de qua dixerat, *Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, civitas Regis magni.* Hæc enim civitas non est similis materiali civitati, quæ semel fundatur, et ædificatur; sed usque ad finem mundi fundanda, et ædificanda et munienda est, ex lapidibus vivis, qui quotidie inserendi sunt, donec civitas perfecta in die novissimo dedicetur. Sic enim Apostolus loquitur ad Ephes. 2. *In quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto.* Et c. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, et Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* Et sanctus Petrus in epist. 1. cap. 2. *Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum, et honorificatum, et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domus spirituales.* Ait igitur, *Circumdate Sion, et complectimini eam,* id est, muris cingite sanctam civitatem, ubi forte desunt. Dicuntur autem muri civitatis viri perfecti, qui reliquum populum defendunt ab inimicis. *Narrate in turribus ejus*, id est, ex edito loco publice prædicate : nam (ut supra diximus) prædicatio Evangelii est instrumentum, quo civitas fundatur, et ædificatur. *Ponite corda vestra in virtute ejus,* id est, serio cogitate de munitione, et robore civitatis, ne pateat hostium incursibus : *et distribuite domos ejus,* id est, post fundata, et ædificata mœnia fundentur, et ædificentur domus : et quoniam ad hoc opus multi requiruntur, distribuite variis operariis partes suas, ut domos ædificent, et sic civitas paulatim repleatur, et crescat : et sic fiet, *ut enarretis in progenie altera*, id est, ut per vos multiplicato populo Dei, ad posteros transmittatis notitiam Dei.

13. Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, et in sæculum sæculi, ipse reget nos in sæcula.

Hoc est quod narrandum est posteris, quod videlicet, hic Deus, qui fecit mirabilia in civitate sancta Jerusalem, *ipse est Deus noster in æternum*, nec unquam recedemus ab eo, nec ipse recedet a nobis; nos erimus in æternum populus ejus, et *ipse Deus noster in æternum*, *et reget nos in sæcula.* S. Hieronymus vertit ex Hebræo hæc ultima verba, *Ipse reget nos in morte.* Sed facile est videre, unde orta sit varietas lectionis: nam vox Hebraica si legatur, עלמות *holamoth*, significat in sæcula, et sic legerunt Septuaginta Interpretes; si legatur cum aliis punctis, עלמות *halmuth*, significat *ad mortem*, et sic legit S. Hieronymus, et legunt hodie Rabini. Uterque autem sensus verus est, et in idem recidit: nam si Deus regat nos usque ad mortem, reget sine dubio in sæcula: non enim post mortem ab illo excidere poterimus. Qui exponunt hunc Psalmum de terrena Jerusalem, valde laborant in explicatione undecimi, et duodecimi versiculi. Qui autem exponunt ad litteram de Ecclesia, nullas patiuntur angustias.

PSALMUS XLVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem filiis Core Psalmus.

In titulo nihil est novi. Argumentum est adhortatio utilissima ad virtutem sectandam, et fugienda vitia.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem.

2. Quique terrigenæ, et filii hominum, simul in unum dives et pauper.

Hæc est præfatio ad captandam attentionem, quæ sumitur ex eo quod oratio habenda conveniat omnibus hominibus æqualiter, nec solum præsentibus, sed etiam futuris. Itaque convocatur omne genus humanum ad audiendum; et quoniam neque locus ullus tantam multitudinem caperet, neque ulla vox Oratoris a tam multis audiri posset: intelligere debemus Prophetam prævidisse Psalmos suos in omni terra, et in omni futuro tempore decantandos; et ideo omnes omnino ad audiendum invitasse. *Audite*, inquit, *omnes gentes* (sive ut habetur in Hebræo, כל העמים *col hahhamim*,) *omnes populi*: quia videlicet, ad omnes pertinent ea, quæ dicenda sunt. *Auribus percipite omnes, qui habitatis terram*: declarat verba præcedentia, quod enim dixerat, *Audite*, declarat addens, *auribus percipite*, id est, non ita audite, ut sermo tantum circumsonet aures, et pertranseat: sed ita audite, ut sermo intra aures recipiatur, ibique hæreat, ut attente cogitari possit. Quod autem dixit: *Omnes gentes*, explicat addens *omnes qui habitatis orbem*, ne videlicet per gentes intelligantur soli gentiles; vel, per populos, ut est in Hebræo, intelligerentur soli, qui civitates incolunt. Vocat igitur ad audiendum omnes, qui orbem terrarum incolunt, sive sint gentiles, sive Hebræi, sive congregati in civitatibus, sive dispersi in montibus, et solitudinibus habitent. Ac ne videatur solos viventes, et præsentes alloqui, addit aliquid generalius, dicens, *Quique terrigenæ, et filii hominum*, id est, audite omnes, qui ex terra, et ab hominibus ortum ducitis: omnes enim homines, tam qui sunt, quam qui erunt, communem habent matrem, terram, et communem patrem, Adamum; sive communem habent materiam ex qua sunt, terram; et commune principium activum, hominem. In Hebræo habetur, בני אדם *bene Adam*, filii Adam, ubi nos habemus, terrigenæ: sed credibile est Septuaginta Interpretes non legisse, Adam, sed, אדמה *adama*, quæ vox terram significat: facile enim est, litteram ultimam ex nostris codicibus Hebraicis excidisse. Adjungit postremo, *simul in unum dives et pauper*: ut ostendat id, quod dicendum est in hoc Psalmo, ad omnes æqualiter pertinere, non magis ad divites, quam ad pauperes: neque in hoc theatro ullam rationem habendam differentiæ personarum, sicut non habebitur in conventu illo, quo convocabimur ad judicium in die novissimo. Hæc enim oratio, quam in hoc Psalmo, per Prophetam, Spiritus sanctus ad homines habet, talem omnino conventum requiret, qualis erit in ultima die.

3. Os meum loquetur sapientiam, et meditatio cordis mei prudentiam.

4. Inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in psalterio propositionem meam.

Hæc est altera pars præfationis, in qua rursum Propheta præparat auditorem ex alio duplici capite, ex dignitate materiæ, et ex dignitate docentis. Dignitas materiæ ostenditur ex eo quod sermo futurus est de sapientia, et prudentia, et sermo non simplex, sed parabolicus, et ænigmaticus, qualem decet esse sermonem de rebus gravissimis, ut non contemnatur, neque intelligatur, nisi a diligentibus, et attentis auditoribus, *Os meum*, inquit, *loquitur sapientiam*, id est, docebit ea, quæ faciunt hominem sapien-

tem : *et meditatio cordis mei, prudentiam,* id est, et meditatio cordis mei, quæ per os foras erumpit, docebit ea, quæ faciunt homines prudentes : declarat enim priorem versiculi partem per posteriorem : cum enim dixisset, *Os meum loquetur,* ne putaremus eum temere loquuturum, quicquid in buccam venerit, addit, *et meditatio cordis mei,* supple, loquetur, id est, os meum pariet, quod cor meum diuturna meditatione conceperit. Et quia dixerat se loquuturum sapientiam, ne quis existimaret, sermonem futurum de rebus speculativis, et ad actiones humanas parum pertinentibus, addidit, *prudentiam.* Itaque significat sermonem habendum de rebus, quæ sapientiam simul et prudentiam contineant, quæque faciant hominem sapientem in altissimis causis contemplandis, et prudentem in vita rectissime instituenda. Attingit deinde magnitudinem Doctoris, cum addit, *Inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in psalterio propositionem meam;* quasi dicat, non ego loquuturus sum, quæ mox audietis, sed spiritus Domini per me loquetur : ego enim attente primum audio in æternum Doctorem meum, deinde quæ audivi loquor. *Inclinabo in parabolam aurem meam,* id est, subjiciam aurem meam spiritui loquenti, et obedienter audiam ; et sic aperiam in psalterio propositionem meam, mihi videlicet a Deo inspiratam, et communicatam. Per parabolam, hoc loco intelligitur ænigma, id est propositio obscura, quæ attentionem, et studium requirit ut intelligatur. Id patet ex verbis Hebraicis, quæ significant proverbium et ænigma : et similia habentur Judic. 14. ubi Samson proposuit explicandam illam sententiam, *De comedente exivit cibus, et de fortis egressa est dulcedo;* quam sententiam vocat problema, et propositionem : et habentur eo loco eadem verba Hebraica, משל חידה *messel thidet,* quæ hic habentur; quod autem additur, *in psalterio,* sive *in cithara,* ut proprie sonat vox Hebraica, pertinet etiam ad præparationem auditorum : significat enim David se propositurum doctrinam suam gravissimam cum cantu, et sono, ut suavitas musicæ temperet gravitatem doctrinæ, et præcepta utilissima jucundius et avidius suscipiantur.

5. Cur timebo in die mala ? iniquitas calcanei mei circumdabit me.

Hoc est proverbium, sive ænigma, quod præmissa tam accurata præfatione toti humano generi Propheta proponit, et solvit. Sed solutio non minus est obscura, quam propositio, ut tam propositio, quam solutio ænigmatica dici possit. Sed tamen ænigmata sunt hæc verba hominibus hujus sæculi amore præoccupatis, nam veris spiritualibus, et veris Dei servis apertissima sunt. Ait igitur, *Cur timebo in die mala?* quasi dicat, propono vobis omnibus, qui habitatis orbem terrarum, hanc quæstionem solvendam. Qui est, quod me terrere poterit *in die mala,* id est, in die judicii divini, quæ dicitur, Sophoniæ 1. *dies iræ, dies tribulationis, et angustiæ, dies calamitatis, et miseriæ, dies tenebrarum, et caliginis, dies nebulæ, et turbinis, dies tubæ et clangoris?* Sive (quod est idem) quid me securum reddere poterit in die illius judicii, a quo summa bonorum omnium, et malorum meorum dependet? Magnum profecto problema, et quod omnes omnino contingit. Solvit autem Propheta suum ænigma, cum dicit, *Iniquitas calcanei mei circumdabit me,* id est, quod me timere faciet in die illa mala, non est paupertas, quia Judex non corrumpitur donis; non est humilitas generis, aut status, quia Judex non respicit personas; non est malitia testium, aut Advocatorum, quia Judex omnia novit : non est potentia adversariorum, quia Judex neminem timet; denique nihil est aliud, nisi iniquitas; et non quævis iniquitas, sed sola *iniquitas calcanei mei,* id est, iniquitas extremæ vitæ meæ, iniquitas perseverans usque ad finem vitæ : illa enim si inveniatur in illa die in me, *omnino circumdabit me* instar aggeris, aut muri, ut nullo modo evadere possim ; quia tunc non erit amplius locus pœnitentiæ, vel indulgentiæ. Et contra, quod me securum, et impavidum in die mala facere poterit, non erunt divitiæ, aut nobilitas, aut Advocatorum diligentia, vel amicorum potentia, sed sola justitia ; et non quævis justitia, sed justitia calcanei mei, id est, extremæ vitæ meæ ; sive innocentia perseveraverit mecum usque ad mortem, sive per veram pœnitentiam iniquitate deleta, in ejus locum successerit vera justitia. Scio multis aliis modis hos versiculos ab aliis exponi : sed ego brevitati studeo; et de variis sententiis Lectori judicium relinquo.

6. Qui confidunt in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur.

Posteaquam dixerat Propheta, nihil esse timendum nisi peccatum, ut quis in die mala securus sit : addit nunc multos esse, qui non intelligentes, confidunt in viribus suis, ac per hoc gloriantur in divitiis, quas magno studio paraverunt, existimantes hac ratione, se tutissimos fore in qualibet mala die; et simul demonstrat illos omnino falli, et problema suum, ejusque solutionem esse verissimam. Ait igitur, *Qui confidunt in virtute sua,* id est, qui non timent diem malam, freti potentia et viribus suis, ut sunt plurimi ex filiis hujus sæculi, illi etiam consequenter *gloriantur in multitudine divitiarum suarum ;* existimant enim pecuniis omnia vinci, et expugnari posse. Et vere in hoc sæculo magna vis est in opibus et divitiis, ut vere dixerit Sapiens, *Pecuniæ obediunt omnia.* Eccles. 10. Sed in die mala nullæ amplius invenientur pecuniæ, neque, si invenirentur, prodesse possent. Ideo subjungit Propheta :

7. Frater non redimit, redimet homo ? non dabit Deo placationem suam.

Ostendit vanam esse fiduciam confidentium in pecuniis. Ait enim, *frater non redimit,* id est, nemo poterit quamlibet magnis divitiis in die mala redimere fratrem suum. *Redimet homo?* hoc legendum est cum interrogatione, ut monet sanctus Basilius, *frater non redimit, redimet homo?* vel repetenda est negatio de more Scripturæ sanctæ. Frater non redimit, non redimet homo. Est enim sensus, *frater non redimit,* multo minus alius homo redimet. *Non dabit Deo placationem suam,* id est, neque alium, neque se ipse liberare poterit ; quamvis enim pecuniis maxime abundet, et eas omnes offerat ad placandum Deum in die mala, nihil ei proderit. Nam ut Dominus in

Evangelio, Matth. 16. loquitur, *Quam dabit homo commutationem pro anima sua?* superat enim pretium animæ humanæ omnia bona hujus mundi, et ideo solus sanguis unigeniti Dei, qui infiniti valoris erat, pretium animarum esse potuit. Itaque qui hoc magno pretio neglecto, in diabolica captivitate detentus perveniet ad diem malam, *non dabit Deo placationem suam.*

8. Et pretium redemptionis animæ suæ, et laborabit in æternum, et vivet adhuc in finem.

Declarat quod dixerat, *Non dabit Deo placationem suam :* placatio enim Dei est pretium redemptionis, quod solus unigenitus Dei dare potuit : de quo intelligit S. Basilius verba sequentia, *Laborabit in sæculum, et vivet adhuc in finem,* id est, laborabit in hoc mundo ad tempus, et vivet postea in æternum. Sancti autem Ambrosius et Chrysostomus exponunt hæc eadem verba de viro pio, et sapiente quocumque, quem opponunt viro stulto, et impio confidenti in multitudine divitiarum suarum : Vir enim pius et sapiens laborat ad tempus in servandis præceptis, sed vivet in æternum. Sanctus vero Augustinus exponit de illo *eodem, de quo dictum est paulo ante, non dabit Deo placationem suam ;* et vult hunc sensum esse : ille, qui confidit in multitudine divitiarum suarum, *laborabit in æternum,* quia labor ejus non habebit finem, et vivet modico tempore, quia vita ejus erit usque in finem, et non ultra. Et videtur secundum hanc expositionem melius continuari textus Prophetæ, et magis proprie exponuntur verba *in sæculum,* et *in finem;* nam laborare in sæculum non est laborare in hoc mundo, vel laborare modico tempore, sed est laborare in æternum : et, vivere in finem, non est vivere sine fine, sed est vivere, usque ad finem statutum, et definitum; ita ut finis naturalis vitæ non præveniatur, neque extendatur verba Hebraica, pro, laborabit in sæculum, videntur habere, *quiescet in sæculum:* nam חדל *chadal,* quiescere significat. Sed non est verisimile, Septuaginta Intrepretes reddidisse omnino contrarium sensum, ideo suspicor illos legisse, חרל *charal :* nam litteræ ד, et ר, simillimæ sunt. Verbum autem, חרל *charal,* significat, *angustiari,* et cruciari, et quasi urticis pungi : quod satis proprie convenit amatoribus divitiarum, quas Dominus in Evangelio Matth. 13. spinis comparavit. Itaque qui in divitiis suis confidunt, non solum non dabunt pretium redemptionis animæ suæ, sed laborabunt in tormentis cum divite Epulone usque in æternum; et vivent vitam voluptariam, quæ illis sola videtur esse vita, usque in finem a Deo constitutum. De varia interpunctione textus Hebraici non laboro; quoniam illa posita est ad arbitrium Rabbinorum, quibus injuriam non facimus, cum eis Septuaginta Interpretes antiquiores anteponimus.

9. Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes : simul insipiens, et stultus peribunt.

Quia dixerat, impium victurum usque in finem, cursu videlicet naturali; addit confirmans hoc ipsum, *Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes,* id est, continuabit cursum vitæ suæ usque ad ultimam senectutem, etiamsi videat aliquos sapientes, et justos rapi ante tempus, et non continuare cursum vitæ usque in finem naturalem ; sæpe enim Deus iis, quibus daturus non est vitam æternam, dat vitam temporalem diuturnam, quomodo Lazarus in Evangelio Luc. 16. mortuus legitur ante Epulonem. Sed quamvis vita hæc temporalis aliquando impiis satis longa contingat : tandem finitur, et fit quod sequitur in Psalmo, *simul insipiens et stultus peribunt.* Itaque sensus totius versiculi, *Non videbit interitum,* id est, non morietur stultus confidens in divitiis ante tempus, cum viderit aliquos sapientes ante tempus morientes, tandem tamen simul cum sapientibus etiam stultus, et insipiens ad vitæ temporalis finem pervenient. S. Augustinus paulo aliter exponit illud, non videbit interitum : vult enim sensum esse, non intelliget quis sit verus interitus : non enim verus interitus est mors corporis, sed mors animæ. Posset etiam dici, *non videbit interitum,* id est, non cogitabit se quoque moriturum, quando sapientes viderit morientes : quæ sententia verissima est; hæc est enim cæcitas humana, ut cum quotidie videamus morientes homines, nobis etiam meliores, et juniores ; tamen vix adduci possimus, ut sero cogitemus, nos quoque morituros esse; tamen ad litteram in Scripturis sanctis, *non videre interitum,* est non corrumpi, Ps. 15. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* et Joan. 8. *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.* Quid autem intersit inter stultum, et insipientem, docet S. Basilius : dicit enim insipientem esse, qui ad humana, et communia ineptus est, qui videlicet, humana sapientia, sive prudentia caret; stultum autem vocari eum, qui caret notitia rerum divinarum, et solis terrenis intentus est : et videtur S. Basilius non tam ad Græcas, quam ad Hebraicas voces respexisse. Vere enim, כסיל *chesil,* vox Hebraica, significat eum, qui sapientia etiam humana caret : vox autem, בער *baar,* significat hominem pecori similem, pecora enim sola terrena cogitant : unde etiam paulo post dicit Psal. *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus.*

10. Et relinquent alienis divitias suas, et sepulchra eorum domus illorum in æternum.

Confidentes in divitiis stultos, insipientes vocaverat sanctus Propheta, quomodo vocat etiam Dominus in Evangelio Luc. 12. cum dicit cuidam diviti, *Stulte, hac nocte repetent a te animam tuam, et quæ parasti, cujus erunt?* Ideo probat eos vere stultos esse, ex eo quod divitiis uti nesciunt, easque relinquunt iis, quos ignorant. *Peribunt,* inquit, *insipientes,* et stulti, quales sunt confidentes in divitiis, et ut stultitiam suam manifeste prodant, relinquent alienis divitias suas. Ubi recte notat S. Augustinus, per alienos, intelligi posse etiam filios, et nepotes hominum impiorum : nam etiam isti tanquam alieni cito obliviscuntur eorum quorum opes obtinuerunt : et quamvis etiam non obliviscerentur, tamen mortuos impios juvare non possent : quomodo dives ille de Evangelio quinque fratres habebat in sæculo, et tamen ab eis juvari non poterat, quo minus arderet in gehenna, Luc. 16. Proinde quinque illi fratres inter extraneos deputaban-

tur : unus autem Lazarus, qui eum juvare potuisset, vere proximus, et non extraneus fuisset, si misericordiam in illum facere voluisset. Adjungit Propheta, *Et sepulchra eorum domus illorum in æternum,* id est, ipsi quidem morientes reliquerunt alienis divitias suas, sibi autem nihil retinuerunt, nisi angustissimam domum, id est, sepulchrum, in quo jacere debent *in æternum,* id est, ad finem usque sæculi: sæpe enim æternum, in Scripturis, significat integram durationem alicujus temporis, vel status : et declaratur hæc phrasis in verbis sequentibus, *Tabernacula eorum in progenie, et progenie.* Quod enim vocaverat sepulchrum, et domum æternam, idipsum nunc vocat tabernaculum in progenie, et progenie, id est, habitaculum, ubi manebunt corpora eorum, donec generationes, et generationes peragentur : quod sine dubio erit usque ad mundi consummationem. In Hebræo non habetur *sepulchra,* sed, *interiora:* cæterum credibile est Septuaginta Interpretes non legisse, קרבם, *karbam,* ut modo legitur, et significat interiora eorum, sed litteris transpositis, קבתם, *kebtam,* et significat sepulchra eorum.

11. Tabernacula eorum in progenie, et progenie, vocaverunt nomina sua in terris suis.

De priore parte versiculi dictum est in explicatione versiculi superioris. Quod autem additur, significat, post mortem hominum insipientium, nihil superesse in terris, præter nomina ipsorum : multis enim modis conantur mortales, qui hanc solam vitam noverunt, nomina sua æternitati commendare : vel enim nomina sua inscribunt parietibus; vel ea civitatibus indunt; vel in libris a se scriptis apponunt, vel denique filios, aut nepotes ad memoriam perpetuandam nomina sua gerere curant. Ita filii hujus sæculi nomina sua scribunt in terris, quoniam scripta esse non sperant in cœlis.

12. Et homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.

Occasione insipientis, atque in divitiis confidentis, digreditur Propheta ad ipsum genus humanum coarguendum, quasi dicat, *Et sic homo cum in honore esset, non intellexit,* id est, homo præter cætera animalia honoratus a Deo intelligentia, et ratione, libero arbitrio, imagine divinitatis, immortalitate animæ, imperio super omnia quæ in terris sunt, non intellexit hunc honorem suum : sed *comparatus est jumentis insipientibus,* quibus non est intellectus. *Et similis factus est illis,* dum more pecudum, non prospicit in futurum, sed præsentibus solum inhiat; et subjicit se corporalibus passionibus, quibus imperare debuerat; denique vera, et sempiterna bona contemnit, ut falsis, et caducis fruatur; cum e contrario temporalia omnia despicere debuisset, ut sempiternam vitam sibi compararet. In Hebræo codice non habetur, intellexit, sed, ילין *ialin, commorabitur :* cæterum Septuaginta Interpretes non legerunt *ialin,* sed, יבין *ianin,* quod est, *intellexit.* Facile autem fuit progressu temporis unam litteram in alteram mutari.

13. Hæc via illorum scandalum ipsis, et postea in ore suo complacebunt.

Pergit explicare, vel deplorare miseriam generis humani. *Hæc via,* inquit, *illorum scandalum ipsis,* id est, hæc vita, quam ducunt similem vitæ brutorum, sive, hæc via quam sequuntur, dum vivunt more bestiarum, hæc lex, hi mores, hoc institutum *scandalum est ipsis,* id est, offendicula multa illis præbent, ruinæ magnæ causa sunt illis, *qui tamen postea in ore suo complacebunt,* id est placebunt ipsi sibi in sceleribus, et gloriabuntur, cum male fecerint; quod ad summam miseriam, et calamitatem pertinet. In Hebræo non est, *scandalum,* sed insipientia, sed facile est videre, unde nata sit discrepantia; siquidem Septuaginta Interpretes in suis codicibus Hebraicis non habuerunt, כסל *chesel,* quod insipientiam significat, sed כשל *cheschel,* quod significat scandalum. Veriores autem fuisse codices, quos habuerunt Septuaginta, iis, quos posteriores habuerunt, non credimus posse negari.

14. Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos.

Quoniam dixit homines factos esse per peccatum similes bestiis insipientibus, addit finem illorum fore, ut more ovium insipientium mactentur : ubi demonstratur tum multitudo, tum imbecillitas hominum, qui post mortem ad inferos detruduntur : oves enim gregatim conjiciuntur in stabula, et sine ulla resistentia ducuntur ad macellum. Itaque minori labore Deus multitudinem impiorum, quamvis in mundo ditissimi, et potentissimi fuerint, detrudet in infernum ad mortem sempiternam, quam soleat pastor oviculas simplices, et inermes vel trudere in stabulum, vel educere ad cædem. Quod autem dicitur, *mors depascet eos,* duplicem sensum habere potest : unum, ut significetur, mortem instar pastoris futuram, et homines instar ovium ducturam ad pascua squalida, et arentia, ubi nihil inveniant præter gemitus, et dolores : alterum, ut significetur mortem instar lupi famelici, depasturam, et consumpturam homines impios instar ovium destinatarum ad escam. Prior sensus convenit voci Græcæ ποιμανεῖ, posterior voci Latinæ, *depascet :* utrumque autem optime recipit vox Hebraica, רעה *raha,* sed in re nulla videtur esse discrepantia. Huc enim tandem recidit uterque sensus, ut significetur mors impiorum nunquam finienda.

15. Et dominabuntur eorum justi in matutino, et auxilium eorum veterascet in inferno a gloria eorum.

Pergit narrare miseriam impiorum ad inferos descendentium, ac dicit eos *in matutino,* id est, in principio novi, ac futuri sæculi, quod incipiet in resurrectione universali, futuros omnino justis subjectos : justi enim in die novissimo, qui etiam erit principium futuri sæculi, judices erunt impiorum, eisque in æternum dominabuntur; et nihil erit, quod impios eo die adversus justos juvare possit : omne enim *auxilium eorum,* quod in robore, et potestate situm erat, *veterascet,* ac marcescet atque inu-

tile fiet in inferno, *a gloria eorum*, id est, post gloriam eorum, quam in hoc mundo habuerunt, dum gloriosa palatia inhabitarent. Illud, *in matutino*, demonstrat tempus hujus sæculi totum esse noctem quamdam. Unde dicit Apostolus Rom. 23. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* In nocte hujus sæculi videtur sæpe injustitia prævalere, sed in matutino apparebit, ubi sint justi, et ubi sint injusti. In Hebræo secunda pars versiculi longe aliter haberi videtur : sic enim vertit sanctus Hieronymus, *Et figura eorum conteretur in inferno post habitaculum suum :* aliud est enim auxilium, aliud figura, et aliud gloria, aliud habitaculum. Sed de prima voce non est magna difficultas : vox enim Hebraica, צור *tsur*, quamvis figuram significare possit a verbo, יצר *iatsar*, quod est formare : tamen proprie, *tsur*, quæ vox hoc loco habetur, significat, *petram*, metaphorice robur, ac potentiam. Itaque recte Septuaginta Interpretes verterunt *auxilium*, quod in viribus, et potentia consistit. Altera vox, quæ Hebraice dicitur זבול *zebul*, videtur proprie significare habitaculum, non quodcumque, sed gloriosum, quale est cœlum : habetur enim hæc vox in duobus tantum locis. Isaiæ 63. vers. 15. *Attende de cœlo, et vide de habitaculo sancto tuo, et gloriæ tuæ.* Et Habac. 3. vers. 11. *Sol et luna steterunt in habitaculo suo.* Hoc igitur loco sanctus Propheta opponit infernum, habitaculum videlicet obscurissimum, et vilissimum, domibus gloriosis, et splendidis, quas in hoc mundo impii possidebant. Septuaginta vero Interpretes verterunt, *a gloria ipsorum*, volentes per gloriam significare gloriosas domos, quas impii cum inferno commutant ; hic igitur totius versiculi sensus erit, *Et dominabuntur eorum;* impiorum videlicet in inferno positorum : *justi in matutino*, id est, cum illucescet dies resurrectionis, atque initium sæculi futuri. *Et auxilium eorum*, id est robur, et potentia impiorum *veterascet*, id est, conteretur, et inutile erit, instar vestis consumptæ, et laceræ. *In inferno a gloria eorum*, id est, quando post gloriam splendidorum habitaculorum, infernum teterrimum, et vilissimum habitaculum etiam corporaliter habere incipient.

16. Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me.

Addit nunc quæ sit futura sors piorum, in quorum numero se ipse ponit, quasi dicat, impiis quidem accidet id, quod dixi : verum mihi, meique similibus contrarium eveniet. *Deus enim redimet animam meam de manu inferi*, id est, liberabit me, ne ab inferno detinear; quando veniens assumet me. Videtur hoc loco prædicere redemptionem, quæ est in Christo Jesu, et descensum ejusdem Christi ad inferos : tunc enim persoluto pretio sanguinis redemit de manu inferi animas justorum; cum descendens ad inferos accepit eas, et ad se assumpsit. Sic veteres Patres, Basilius, Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, et Euthymius. Potest tamen cum Chrysostomo hic locus intelligi de inferno inferiore, ubi torquentur animæ impiorum, ut sensus sit, *Deus redimet animam meam de manu inferi*, id est, non patietur Deus animam meam rapi a manu inferi, nec deduci ad loca pœnarum ; *cum* de hoc mundo per corporis mortem *accipiet me.*

17. Ne timueris, cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus.

18. Quoniam cum interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus.

Ex dictis concludit per modum exhortationis, non esse timendam potentiam divitum hujus mundi, quoniam brevissima est : alloquitur autem justos pauperes, atque a divitibus hujus mundi oppressos. *Ne timueris*, inquit, *cum dives factus fuerit homo*, id est, ne formides potentiam ejus, ne ob timorem temporalis potentiæ forte offendas æternam omnipotentiam Creatoris : neque etiam timeas, si forte videris, non solum hominem inimicum tuum divitem esse factum, sed etiam *multiplicatam gloriam domus ejus*, per numerosam familiam, et multiplices dignitates propinquorum ejus. *Quoniam cum interierit* per mortem videlicet, quam nemo effugere potest; et quæ divitibus, et pauperibus communis est, *non sumet omnia*, id est, nihil sumet, nihil secum asportabit eorum, quæ in hoc mundo possidebat : neque descendet cum eo gloria ejus, id est, non comitabuntur eum ad inferos descendentem propinqui, vel famuli, et multo minus honores et dignitates. Itaque divitiæ, et gloria impiorum ad brevissimum tempus durant; paupertas, et confusio sempiterna sunt. *Contra vero paupertas*, et confusio piorum momentanea sunt; opes et gloria manent in sæculum sæculi : quod Apostolus pulchre expressit, cum ait 2. Corinth. 6. *Quasi tristes, semper autem gaudentes.* Tristitia enim piorum non est tristitia, sed quasi tristitia; qualis est ea, quam somniantes aliquando patimur : lætitia vero non quasi lætitia, sed vera, solidaque lætitia est, nunc quidem in spe, postea vero in re : et contra, lætitia impiorum de carnali voluptate, vel gloria, non est lætitia, sed quasi lætitia, quali fruuntur dormientes, dum se possidere, quæ diligunt, somniant. Tristitia autem in gehenna non erit quasi tristitia, sed verissima, certissima, ac sempiterna tristitia.

19. Quia anima ejus in vita ipsius benedicetur : confitebitur tibi, cum benefeceris ei.

Reddit rationem, cur gloria impiorum non comitetur eos ad inferos. Quoniam, inquit, sicut ipsi Deum laudare consueverunt, quando eis beneficia temporalia tribuit : ita Deus in hac solum vita eis benedicere solet. *Anima ejus in vita ipsius benedicetur*, id est, anima impii, sive ipse impius, in hac solum vita benedicetur, tum a Deo per beneficiorum temporalium collationem, tum ab hominibus per laudationes, sive potius adulationes. *Confitebitur tibi*, id est, et ipse vicissim confitebitur tibi, hoc est laudabit te, tibique gratias aget, *cum benefeceris ei:* sin autem aliquid mali illi evenire permiseris, continuo blasphemabit te : non enim ex illis est, qui dicunt, Psalm. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo :* vel Job. 2. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* In Hebræo habetur active, יברך *ierech*, *benedicet*, pro quo habemus

in Græco, εὐλογηθήσεται, et Latino, *benedicetur:* sed idem est sensus. Sic enim legi debent verba Hebraica, *Quia animam ejus in vita ipsius benedicet*, ex quo intelligimus illud, *benedicet*, referri ad Deum, ac per hoc etiam, illud, *benedicetur anima ejus*, referri debet ad Deum, ut nos supra exposuimus. Idem autem sensus est, sive legas, *anima ejus benedicetur a Deo in vita ipsius*, sive, *animam ejus benedicet Deus in vita ipsius.* Quod autem sequitur, *confitebitur tibi, cum benefeceris ei*, in Hebræo legitur, *cum benefeceris tibi :* sed ex litterarum similitudine corruptus videtur textus Hebraicus : nam Septuaginta Interpretes non legerunt, לך *lac*, quod est tibi, sed, לו *lo*, quod est ei, et hoc modo posteriore legitur in omnibus codicibus Græcis, et Latinis, et est sensus multo facilior, et clarior.

20. Introibit usque in progenies Patrum suorum : et usque in æternum non videbit lumen.

Impius in hac vita in luce honorum, et gloriæ vivit, Deo illum beneficiis temporalibus replente, ut vel remuneret aliqua bona opera ejus, vel alliciat ad resipiscentiam, et conversionem. Sed in alia vita *apponitur* (ut Scriptura loquitur) *ad patres suos*, ut eos sequatur in suppliciis, quos sequutus est in flagitiis, *introibit*, impius videlicet, post hanc vitam, *usque in progenies Patrum suorum*, id est, introibit ad ea loca, ad quæ illum præcessit progenies Patrum suorum, *et usque in æternum non videbit lumen*, quia justo judicio manebit in æternis tenebris, qui nimirum delectatus est in luce honorum, et gloriæ temporalis, et lucem gloriæ cœlestis non quæsivit.

21. Homo cum in honore esset non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.

Repetit Propheta versiculum duodecimum, tum ut ostendat præcipuam causam miseriæ hominum esse insipientiam, et merito homines plurimos in æternum lumine carituros, atque in tenebris futuros, quia lumine rationis uti non voluerunt : tum etiam, ut non miremur, si pauci omnino ænigma propositum in hoc Psalmo intelligant. Id enim accidit, quia *homo* propter peccatum *comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.*

PSALMUS XLIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

Psalmus Asaph.

In priore libro Paralip. cap. 16. legimus Asaph fuisse Principem Cantorum a Davide constitutum. Utrum autem ipse Psalmos composuerit, qui inscribuntur nomine ejus, an solum cecinerit, vel canenti præfuerit, non est omnino certum, ut in præfatione diximus. Argumentum Psalmi est duplex Domini adventus, unus ad prædicandum, alter ad judicandum, unus occultus, et in humilitate, alter manifestus et in majestate. Et quoniam in utroque adventu Christus congregat homines, vel ad fidem, vel ad judicium : recte Psalmus inscribitur, אסף *Asaph*, qui interpretatur *congregans.* Addit, et declarat Propheta, quibus de rebus potissimum reddituri simus rationem in die judicii : proinde Psalmus utilissimus est.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Deus Deorum Dominus locutus est, et vocavit terram.

Incipit a primo adventu, ac dicit Dominum locutum esse ore proprio, qui per ora Prophetarum antea loquebatur : et ad concionem suam vocasse non Judæos tantum, sed *omnem terram*, id est, omnes inhabitantes terram : quod per Apostolos suos fecit, siquidem, *in omnem terram exivit sonus eorum*, ut dicitur Psal. 18. Dicitur autem hoc loco Dominus esse *Deus Deorum*, ut intelligamus Christum esse Deum verum, veri Dei Filium, qui eamdem cum Patre divinitatem habet : una enim et sola esse potest vera divinitas, multi autem sunt Dii, vel per errorem, et æstimationem, ut Dii gentium; *qui Dæmonia sunt*, ut dicitur in Psalmo 95. vel per gratiam adoptionis, ut sancti Angeli, et sancti homines; vel per similitudinem, ut Principes, et Judices terræ. Sed omnes isti Dii subjecti sunt uni, et soli Deo vero, qui ideo dicitur *Deus Deorum.* Ex Hebræo, אל אלהים יהוה *el elohim*, Adonai, sanctus Hieronymus vertit, *Fortis Deus Dominus locutus est :* sed voces Hebraicæ utramque versionem patiuntur, et sensus utriusque lectionis est verus, ad propositum rerum dicendarum. Nam si respiciamus primum adventum, Christus Dominus Deum Deorum se ostendit, cum terribilis fuerit Dæmonibus, qui sunt Dii gentium, et ipse per adoptionis gratiam multos fecerit Deos : et ipse idem *fortis Deus fuit*, cum hostem generis humani per cru-

cem devicerit, et vasa ejus diripuerit. Si respiciamus secundum adventum, *Deus Deorum* rectissime dicitur, quoniam Judex Judicum omnium erit; nec minus proprie conveniet ei titulus *fortis Dei*, cum Diabolum, et omnes asseclas ejus, sive Dæmones, sive homines in gehennam verbo detrudet, et vectibus sempiternis portas inferni claudet. Ait igitur, *Deus Deorum Dominus locutus est*, id est, Dominus Christus, qui est Deus Deorum in hunc mundum adveniens, locutus est verba Evangelii sui. *Et vocavit terram*, id est, et ad sermones suos audiendos, terram universam convocavit dicens, *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos*, Matth. 11.

2. A solis ortu usque ad occasum : ex Sion species decoris ejus.

Declarat se per terram, non intellexisse terram Palæstinæ, vel aliquam aliam particularem, sed omnem omnino terram : et simul explicat locum, unde Dominus loqui cœperit. Cœpit enim ex Sion, sive ex Jerusalem, juxta illud Isaiæ 2. *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem*, et illud Luc. ult. *Oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma. A solis ortu*, inquit, *usque ad occasum*, vocavit terram, id est, omnes homines, qui habitant terram a principio, ubi Sol oritur, usque ad finem, ubi Sol occidit. *Ex Sion species decoris ejus*, id est, locutus est Dominus, et vocavit terram ex Sion, quæ est species decoris ejus, id est, ex Sion orta est prædicatio Evangelica, quæ est species decoris ejus. Porro species decoris significat speciem pulcherrimam, sive perfectam pulchritudinem, ut magis sonant verba Hebraica. Erat autem Jerusalem, juxta priorem sensum, *perfecti decoris*, ut dicitur Thren. 1. quia erat civitas nobilissima, antiquissima, frequentissima, ornata sede regia et pontificia, necnon tabernaculo, arca fœderis, et cæteris, quæ eam caput Religionis, et Regni faciebant : unde etiam typus erat cœlestis, ac divinæ civitatis. Sed, juxta posteriorem sensum, erat Evangelica prædicatio perfecti decoris, quia continebat mysteria redemptionis, notitiam sanctissimæ Trinitatis, sacramenta efficacissima, legem perfectam, et innumerabilibus signis, et prodigiis comitata veniebat; atque audientes, et credentes renovabat, et justificabat, et ex ima terra ad summum cœlorum exaltabat.

3. Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit.

Hic jam prædicit secundum adventum; quasi dicat, Deus Deorum venit, et vocavit terram, sed occulte venit, quia in forma servi, in humilitate, in mansuetudine, ut esset locus redemptioni per passionem et mortem; sed postea *manifeste veniet* in potestate, et majestate magna, non in præsepi speluncæ, sed in nubibus cœli, non cruci affixus inter latrones, sed in sede Judicis cum omnibus Angelis suis. Neque solum manifeste veniet, sed etiam *non silebit*, sicut in primo adventu, quando ut agnus mansuetus ductus ad occisionem non aperuit os suum : et sicut hoc tempore silet, dum peccata fieri videt, et tacet; sed veniet cum tuba, et clamore horribili. *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit*, Matth. 25. *Et mittet Angelos suos cum tuba, et voce magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis*, Matth. 24. et, *Ipse Dominus in jussu, et voce Archangeli in tuba Dei descendet de cœlo*, 1. Thessal. 4. et, *In novissima tuba, canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti*, 2. Cor. 15. In Hebræo prima illa verba, *Deus manifeste*, conjunguntur cum versu superiore, hoc modo, *Ex Sion species decoris ejus, Deus manifestabitur* : et deinde subjungitur novus versiculus, *Veniet Deus noster, et non silebit*. Sed non tenemur sequi distinctionem Hebraicam, quæ a Rabinis excogitata est : illud autem verbum, *manifeste*, in textu Hebraico ambiguum est, ut possit esse adverbium, manifeste, et verbum, manifestabitur; proinde non erraverunt Septuaginta Interpretes, qui per adverbium expresserunt. Quod si Rabini contendant vocem Hebraicam, הופיע *hophiag*, non posse accipi adverbialiter; dicemus Septuaginta Interpretes reddidisse non verba, sed sensum; idem enim est, Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit : et Deus manifestabitur, veniet Deus noster, et non silebit.

4. Ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida.

Hæc accipiuntur communiter pro conflagratione mundi, id est, eorum omnium, quæ sunt in terra, civitatum videlicet, hortorum, vinearum, palatiorum, animantium, et similium rerum corruptibilium, de quibus dicit S. Petrus in epist. 2. cap. 3. *Adveniet autem dies Domini, ut fur, in qua cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem, et quæ in ipsa sunt opera, exurentur* : de qua conflagratione disputat S. Augustinus lib. 20. de civit. Dei, cap. 18. et Scholastici in 4. Sentent. dist. 47. Sensus igitur est, *Ignis in conspectu ejus exardescet*, qui exuret omnia, quæ in terris inveniet. *Et in circuitu ejus tempestas valida*, id est, commotio maxima ex omni parte mundi, tum in terra, tum in mari, tum in aere, tum in cœlo, *arescentibus hominibus præ timore, et expectatione, quæ supervenient universo orbi*, ut ait B. Lucas cap. 21. tamen S. Augustinus hunc locum Psalmi exponens, per ignem intelligit judicium divinum; per tempestatem vero ventum separantem grana a paleis, id est, discretionem bonorum a malis. Alii non male, per ignem, et tempestatem, describi volunt iram Judicis æterni, cum qua adveniet in novissimo die; vel certe hæc omnia signa esse majestatis Dei omnipotentis : nam et quando descendit Deus in montem Sinaï daturus legem, mons totus ardere videbatur, et audiebantur tonitrua, et conspiciebantur fulgura, et omnino tempestas ingens, et terror maximus, Exod. cap. 19.

5. Advocabit cœlum de sursum, et terram discernere populum suum.

Describit frequentiam eorum, qui in illo quasi theatro intererunt, atque ad spectaculum omnium maximum convenient. *Advocabit*, inquit, *cœlum de sursum*, id est, ex parte mundi superiore advocabit Judex ipsum cœlum, id est, omnes Angelos cœli habitatores : sic enim Dominus ait Matth. 25. *Cum venerit filius hominis*

in majestate sua, et omnes Angeli ejus cum eo. Ex parte inferiore *advocabit terram*, id est, omnes homines, qui ab initio mundi usque ad finem per successiones generationum incoluerunt terram. Aderunt ergo omnes Angeli, et omnes homines. Advocabit autem hunc tam magnum conventum, *discernere populum suum*, id est, ad judicandum populum suum, et segregandos electos a reprobis : nam ut dicitur Matth. 13. *in consummatione sæculi exibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum.* Et Matth. 25. *Separabit oves ab hœdis*, id est, ea facilitate Judex cœlestis secernet omnes electos ab omnibus reprobis, quamvis prope innumerabiles sint futuri, qua Pastor separare potest paucas oves a paucis hædis. Alii existimant advocari cœlum, et terram in testes divinæ sententiæ, tanquam immobilis, quomodo alibi sæpe in divinis litteris. Prior expositio est S. Augustini, posterior S. Joannis Chrysostomi, quem sequuntur Theodoretus et Euthymius. Utraque est vera, et una alteri non repugnat.

6. Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.

Quamvis omnes omnino homines ad judicium vocandi sint, tamen peculiari ratione judicium ad fideles pertinebit, *qui* enim *non credunt, jam judicati sunt*, Joan. 3. unde etiam Matth. 25. soli fideles judicandi introducuntur, et de operibus, non de fide discutiuntur. Itaque nomine Sanctorum intelligendi sunt fideles, qui ad populum Dei pertinent, qui per circumcisionem olim Deo consecrabantur, et nunc per baptismum consecrantur : sic David in Psal. 85. dicit, *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum*, et Apostolus in epistolis suis omnes Christianos vocat *sanctos.* Alloquitur igitur Angelos, et dicit, *Congregate illi sanctos ejus*, id est, adducite ad judicium populum Dei peculiarem quem sibi per sacramenta sanctificavit : quod enim id per Angelorum ministerium faciendum sit, perspicuum est ex cap. 13. Matthæi, *Exibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum :* et cap. 24. *Et mittet Angelos suos cum tuba, et congregabunt electos ejus.* Quod sequitur, *Qui ordinant testamentum ejus super sacrificia*, est declaratio vocis Sanctorum ; illi enim dicuntur Sancti, qui ordinant testamentum super sacrificia : quæ sententia clarior est in textu Hebraico, ubi ad verbum legitur, *Qui feriunt pactum ejus super sacrificio*, id est, qui pactum cum Deo faciunt, ut sint populus ejus ; et ipse sit Deus eorum, quod pactum est super sacrificio, id est, super cultu divino, qui præcipue in sacrificiis offerendis consistit. Lectio nostra est paulo obscurior, sed eumdem sensum facit : nam per *testamentum*, intelligitur pactum, et per *ordinare*, significatur, *disponere.* Disponere testamentum, et ferire pactum idem sunt, ut perspicuum est ex variis locis Scripturæ, sed præcipue ex lib. 1. Machab. cap. 1. *Eamus, et disponamus testamentum cum gentibus, quæ circa nos sunt : nam ex quo recessimus ab eis, invenerunt nos multa mala.* Igitur sensus hujus versiculi est, congregandos esse ad judicium sanctos Dei, id est, homines Deo dicatos, *qui ordinant testamentum ejus super sacrificia*, id est qui testamentum disponunt, et pactum feriunt cum Deo, ut ipsi colant Deum sacrificiis, et Deus sit eorum Deus, eosque beneficiis semper afficiat. In Hebræo codice habetur pronomen primæ personæ, hoc modo, *Congregate mihi sanctos meos, qui feriunt pactum meum super sacrificio.* Sed Septuaginta Interpretes in omnibus his vocibus legerunt litteram, *vau*, ubi nunc est littera, *iod*, facile autem fuit, mutari litteram, *vau*, in litteram, *iod*, cum non differant, nisi quod una est paulo longior altera : posita autem in textu littera, *vau*, efficitur pronomen tertiæ personæ, et recte Septuaginta verterunt, *congregate illi*, et *sanctos ejus*, et *testamentum ejus.*

7. Et annunciabunt cœli justitiam ejus, quoniam Deus Judex est.

Congregatis omnibus ad judicium, tum demum *annunciabunt cœli justitiam ejus*, id est, de cœlo proferetur sententia in bonos, et malos, inde apparebit omnibus, quanta sit justitia Dei, quæ nunc sæpe non apparet, cum permittente Deo justi opprimantur ab iniquis : tunc igitur *annunciabunt cœli justitiam ejus*, quia de cœlo veniet, qui justissime judicabit, et in cœlo aereo sedens sententiam justissimam proferet, et totum cœlum, id est, omnes cœlites assensu, et laudibus confirmabunt justam sententiam, ac dicent, *Justus es Domine, et rectum judicium tuum.* Neque poterit esse falsa hæc cœli annunciatio, *quoniam Deus Judex est*, id est, quoniam, qui judicabit, Deus est, in quem injustitia cadere non potest.

8. Audi populus meus, et loquar, Israel, et testificabor tibi, Deus Deus tuus ego sum.

Transit nunc Propheta ad eruditionem populi ac docet, quæ sit futura materia judicii, id est, quibus de rebus reddenda sit ratio in judicio, ut unusquisque parare se possit. Atque ut admonitio majorem fidem habeat, Deum ipsum loquentem, et paterne admonentem inducit, *Audi*, inquit Deus, *populus meus, et loquar :* nisi enim audieris, non tibi loquar, sed aliis, qui habent aures audiendi : nam non sine causa Dominus in Evangelio Matth. 11. et alibi sæpe dicit, *Qui habet aures audiendi audiat :* sicut enim qui surdi sunt habent aures ad ornamentum corporis, sed non ad audiendum : sic etiam qui mentem habent, sed non attendunt ad doctrinam Dei, habent aures interiores, quasi non haberent. Oportet igitur attente cogitare, et considerare quid dicat Deus, si volumus ut nobis loquatur. Explicat deinde clarius, dum addit, *Israel et testificabor tibi*, id est, audi populus meus Israel, et loquar testificando, et notum faciendo tibi, quod tua maxime interest. Per Israelem autem non intelligitur solum populus, qui secundum carnem ab Israele descendebat, sed etiam populus Christianus, qui fidem Israelis imitatur. Imo hic maxime per Israelem intelligendus est, cum Apostolus dicat Rom. 9. *Non omnes, qui ex Israel, hi sunt Israelitæ, neque omnes, qui semen Abrahæ, hi filii ; sed qui filii sunt promissionis æstimantur in semine.* Quod autem sequitur, *Deus, Deus tuus ego sum*, est ratio, cur nos oporteat audire, quia videlicet, qui loquitur, est Deus, et peculiariter Deus noster : ac per hoc certo scimus, illum scire, et velle nobis utilissima præcepta tra-

dere : nam si Deus est, omnia novit, si noster est, amat nos, ac propterea vult utilia nos docere.

9. Non in sacrificiis tuis arguam te : holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

Summa doctrinæ divinæ est, Deum non requirere a nobis munera, qualia sacrificia sunt, quasi illis indigeat, vel quasi hæc illi præcipue placeant : sed requirere internas virtutes, fidem, spem, dilectionem, obedientiam : propter quas virtutes munera placent, et sine quibus non placent. Id conforme est verbis Samuelis 1. Reg. 15. *Numquid vult Deus holocausta, et victimas, et non magis, ut obediatur voci Domini?* et Isaiæ cap. 1. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus : plenus sum, etc.* et infra, *Lavamini, mundi estote; etc.* et Christi ipsius, Matth. 23. *Væ vobis Scribæ, et Pharisæi hypocritæ, quia decimatis mentam, et anethum, et cuminum, et reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium, misericordiam, et fidem.* Et denique ipsius Davidis in Psalm. 50. *Si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Ait igitur, *Non in sacrificiis tuis arguam te*, id est, non accusabo, vel damnabo te in judicio, quod pauca mihi sacrificia obtuleris : deinde reddit hujus rei multas rationes : quarum prima est in secunda parte hujus versiculi, quia videlicet, satis multa holocausta sibi quotidie offerantur : nam cum dicit, *holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper*, illud, autem, ponitur pro, enim : nam in Hebræo est particula, *et*, quæ frequentissime ponitur pro, *enim*. Sensus igitur est, non arguam te de defectu sacrificiorum, quoniam holocausta tua semper inveniuntur in altari meo.

10. Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.

11. Quoniam meæ sunt omnes feræ sylvarum, jumenta in montibus, et boves.

12. Cognovi omnia volatilia cœli, et pulchritudo agri mecum est.

Hæc est secunda ratio, cur Deus non magnopere requirat nostra sacrificia, quoniam ipse est rerum omnium Dominus, et ideo si velit oves, aut boves, aut aves, aut aliquid aliud, nullo negotio potest habere, cum ipse omnia noverit, omnia possideat. *Non accipiam*, inquit, *de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos*, id est, non opus est mihi, si velim vitulos, aut hircos, ut illos tibi eripiam, vel a te petam. *Quoniam meæ sunt omnes feræ sylvarum*, id est, mea sunt omnia animantia sylvestria, ut cervi, capreæ, apri, et similia. *Jumenta in montibus et boves*, id est, mea sunt etiam omnia animalia, quæ pascuntur in montibus, ut oves, capræ, arietes, hirci, boves, et vituli. *Cognovi omnia volatilia cœli*, id est, non solum animalia quadrupedia mea sunt, sed etiam omnes volucres cœli quos ego novi ubi sunt, et ad quid prosint. *Et pulchritudo agri mecum est*, id est, non solum animalia; sed etiam omnes fructus terræ, ex quibus agri pulchri, et divites redduntur, apud me sunt, ad jus meum pertinent, et omnibus uti possum, ut mihi placet : vel apud me est, id est omnis perfectio agri, cum omnibus frugibus, arboribus, animantibus, fontibus, et cæteris rebus, mecum est ab æterno eminenter in essentia mea consistens, ut mihi opus non sit ad ista exteriora descendere : In Hebræo pro illa voce, jumenta, est vox, בהמות *behemoth*, quæ vox significat *animalia* generatim, et non sola *jumenta* proprie dicta : nam Psalm. 8. eadem vox habetur, ubi noster interpres vertit, *pecora campi :* et Psalm. 148. ubi legimus, universa pecora, eadem etiam vox reperitur. Illud autem, *in montibus et boves*, ex Hebræo verti posset, in montibus mille : nam vox Hebraica, אלף *eleph*, quæ hic habetur, significat, et *bovem*, et mille. Itaque Septuaginta Interpretes non male verterunt, *boves ;* quamvis S. Hieronymus vertit, *millium :* sed utraque lectio verum sensum habet : nam secundum lectionem S. Hieronymi sensus est, Dei esse animalia innumerabilia quæ in montibus mille, id est, plurimis inveniuntur. Secundum lectionem Septuaginta, sensus est, Dei esse animalia, quæ libere vagantur in montibus, et etiam boves, qui in præsepibus detinentur : et quoniam in textu Hebraico, ut nunc legitur, illud in montibus, regit post se genitivum, et legi debet, in montibus bovis, quæ verba non videntur aptum sensum reddere ; suspicor Septuaginta Interpretes non legisse, בהררי אלף *beharere heleph*, *in montibus bovis :* sed בהרר ואלף *beerer veeleph*, in monte et bos, unica littera paululum immutata, id est, iod, mutata in vau, quæ sunt litteræ simillimæ; quod facile contingere potuit vitio librariorum : sed explicandi gratia Septuaginta posuerunt numerum multitudinis, pro singulari, et pro, *in monte et bos*, posuerunt, *in montibus et boves.* Illud autem, *cognovi omnia volatilia cœli*, Sanctus Hieronymus ex Hebræo vertit, *cognovi omnes aves montium :* et vere vox Hebræa non cœlum, sed montes significat, neque est similitudo litterarum inter vocabula, ut errorem librariorum suspicari possimus. Sensus tamen idem est, nam *volatilia cœli*, *et aves montium* idem sunt, dicuntur enim volatilia cœli, quia per cœlum aereum discurrunt, et aves montium, quia in arboribus montium, ut plurimum nidificant. Illud denique, et pulchritudo agri, vertitur a S. Hieronymo, *et universitas agri :* vox autem Hebraica, זיז *ziz*, est omnino ambigua : nam Septuaginta hoc loco reddiderunt, *pulchritudo*, in Psalm. 99. reddiderunt eamdem vocem, *singularis ferus*, Isaiæ 66. eamdem vocem transtulerunt, *introitus.* Sanctus autem Hieronymus hoc loco reddidit, *universitas :* in Psal. 79. *Omnes bestiæ* Isaiæ 66. *omnimoda.* In hac tanta varietate tutissimum est auctoritatem Septuaginta Interpretum sequi, a quibus quoad sensum S. Hieronymus non dissentit. Siquidem pulchritudo agri ex universitate agri, id est, ex universis fructibus agrorum consurgit.

13. Si esuriero, non dicam tibi : meus est enim orbis terræ, et plenitudo ejus.

14. Numquid manducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo.

Hæc est tertia ratio, cur Deus non requirat nostra munera propter suam necessitatem, vel

utilitatem, quia videlicet, non esurit, neque sitit : et consequenter non calet, neque friget, neque ulla re indiget, et si indigeret omnia illi præsto essent, quia Dominus est omnium rerum, *Si esuriero,* inquit, *non dicam tibi,* ut cibum videlicet mihi provideas : quia *meus est orbis terræ, et plenitudo ejus. Numquid manducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo?* id est, non vescor ego ejusmodi rebus, qui substantia sum spiritualis, et immortalis.

15. Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.

16. Et invoca me in die tribulationis, eruam te, et honorificabis me.

Docuit hactenus, non esse spem ponendam in externis sacrificiis, quasi illa sine interiori cognitione, et amore sufficiant : nunc docet, in internis actibus virtutum consistere sacrificium, quo delectatur Deus, et quod nos in Judicio ultimo securos præstare poterit. Sed observandum est aliud esse laudem Dei, aliud sacrificium laudis. Potest enim laudari Deus ab iis, qui labiis solis Deum honorant, sed non potest sacrificari laus, nisi ab iis, qui in ara cordis, et cum igne charitatis thus laudis offerunt, id est, nisi ab iis, qui credunt, et aliquo modo apprehendunt Deum esse summum bonum, quique Deum sic creditum, et cognitum toto corde diligunt, et tanquam pulcherrimum, optimum, sapientissimum, admirantur, et laudant. Itaque sacrificium laudis, signum, et effectus est cognitionis, et amoris : et quia beati in cœlo semper Deum vident, et amant, ideo de illis dicitur Psalm. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Ait igitur, *Immola Deo sacrificium laudis,* id est, non solis labiis, sed ex intima cognitione, et amore Deum lauda. *Et redde Altissimo vota tua,* id est, posteaquam Deum, ut est in se, laudasti, respice illum, ut est auctor, et fons omnium bonorum tuorum, quia ex te nihil es, et redde illi gratiarum actionem, et solve tributum obedientiæ, quod est præcipuum votum inter omnia vota tua : hoc enim promisisti, cum ad populum, et familiam ejus admissus es, et hoc ipse requirit magis, quam externa sacrificia : *melior enim est obedientia quam victimæ,* ut dicitur 1. Reg. cap. 15. Denique *invoca me in die tribulationis,* id est, sicut in die prosperitatis agnoscere debes omnia bona tua a me fonte bonorum descendere ; sic etiam in die tribulationis ad me confugere, et in me spem tuam totam collocare debes : ego enim *eruam te,* de omni tribulatione, *et tu vicissim honorificabis me* sacrificio laudis, et gratiarum actionis.

17. Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum.

Post instructionem justorum, pergit Psalmus ad eruditionem iniquorum, sed fidelium. *Peccatori,* inquit, *dixit Deus,* id est, peccatorem Deus per me admonitum voluit, *Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?* id est, quare profiteris te scire legem meam, ut enarres præcepta mea, in quibus omnis justitia continetur, et profiteris etiam ad te pertinere testamentum, sive pactum meum, dum te filium Abrahæ esse gloriaris ; cum neque legem meam serves, neque pactum custodias, neque vestigia Abrahæ imiteris?

18. Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsum.

Describit primum interna vitia iniquorum, deinde in sequentibus versiculis enumerat peccata operis et oris, *Tu,* inquit, *odisti disciplinam,* id est, aversaris animo eruditionem divinæ legis. *Et projecisti sermones meos retrorsum,* id est, et factus es, quasi oblitus esses præcepta mea, eaque post tergum haberes.

19. Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas.

Ex oblivione, et odio divinæ legis nascuntur peccata operis, qualia sunt furta, et adulteria, quo nomine fornicationes quoque intelliguntur. Sunt autem hæc duo peccata frequentissima, quæ ex avaritia et luxuria oriuntur : ideo horum duorum meminit Propheta : dicit autem, Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas, et non dicit, *furabaris,* vel *fornicabaris,* quoniam minus est furari, vel mœchari, quod occulte, et libidine stimulante fieri solet, quam cum furibus concurrere, vel cum adulteris portionem ponere, quia ista fiunt palam, et prompte, et ex animi perversitate potius, quam ex inopia vel libidine.

20. Os tuum abundavit malitia, et lingua tua concinnabat dolos.

Transit ad peccata oris, ac dicit, *Os tuum abundavit malitia,* id est, abundanter ex ore tuo, tanquam ex fonte scaturivit maledicentia : nam verbum Hebraicum, *scialach,* significat *dimittere,* quasi dicat, dimisisti linguam tuam quasi ruptis habenis in omnem maledicentiam : sed Septuaginta interpretes declaraverunt metaphoram. *Et lingua tua concinnabat dolos,* id est, loquebaris apposite ad fallendum, adhibens artificium dissimulationis, vel mendaciorum.

21. Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum : hæc fecisti, et tacui.

Addit ad peccatum oris, quod non solum adversus extraneos, sed etiam proprios fratres per linguam deliquerit. *Sedens,* inquit, *adversus fratrem tuum loquebaris,* id est, non obiter, et per iram, sed sedens otiosus, et pacato animo, studiose, et longo tempore detrahebas fratri. *Et adversus filium matris tuæ,* id est, adversus eumdem fratrem scandalum ponebas, calumnias struendo, unde ille offenderetur, et ruinæ occasionem haberet. In textu Hebraico habetur vox דפי *dophi,* quæ proprie *opprobrium,* sive probrum, aut convicium significat. Sed Septuaginta Interpretes *scandalum,* verterunt, aut quia vox illa scandalum etiam significat, aut quia probrum jactatum in alium, scandalum illi sit. Quod sequitur, *Hæc fecisti et tacui,* apud Hebræos ad sequentem versiculum pertinet. Sed non est magnifacienda interpunctio Hebraici textus, cum a Rabinis excogitata sit : significant autem illa verba Deum hoc tempore omnia

videre, sed non omnia statim punire, ut det locum pœnitentiæ. Itaque videt, et tacet, ac si non videret : cæterum veniet brevi dies judicii, in quo, ut supra dictum est versu 3. *Deus manifeste veniet, et non silebit*; et hoc idem subjungit, cum ait.

22. Existimasti inique, quod ero tui similis, arguam te, et statuam contra faciem tuam.

Dum sine timore Dei peccant impii, videntur existimare Deo non displicere peccata : sed in judicio intelligent quod in hoc Psalmo dicitur. *Existimasti*, inquit, *quod ego essem tui similis*, id est, quod iniquus essem, et peccatorum amicus, sed non ita est; imo *arguam te*, in die judicii, *et statuam contra faciem tuam*, peccata tua, id est, faciam, ut videas gravitatem, et multitudinem peccatorum tuorum, et negare non possis sententiam contra te latam esse justissimam. In Hebræo habetur, Statuam te contra faciem tuam; sed idem est sensus : nam *statuam te contra faciem tuam*, nihil est aliud, nisi statuam vitam tuam, actiones tuas, peccata tua ante oculos tuos, ut non possis ea non videre.

23. Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum, ne quando rapiat, et non sit qui eripiat.

Hæc exhortatio est prophetæ ad impios qui obliviscuntur Deum esse Judicem justum, et omnipotentem; ut intelligant, attenta consideratione recogitantes, quæ dicta sunt. *Ne quando Deus rapiat eos*, dum nihil minus cogitant, et ad judicium adducat, et pro meritis damnet; et non sit, qui de manu ejus eripere possit. In Hebræo habetur in prima persona, פן אטרף *pen ettherop, ne quando rapiam*; et secundum hanc lectionem continuantur verba Dei : sed Septuaginta Interpretes videntur legisse in tertia persona : et sensus est idem.

24. Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.

Concludit Deus verba sua docens, vitam salutis ad unum sacrificium laudis reduci, ita ut illi in die judicii salvi futuri sint, qui hoc sacrificium jugiter obtulerint; illi reprobi, et condemnandi, qui hoc sacrificium offerre neglexerint. *Sacrificium laudis*, inquit, *honorificabit me, et illic iter quo ostendam illi salutare Dei*, id est, qui sacrificaverit laudem mihi, ille mihi acceptus erit, nam ab eo me honorificatum esse confitebor, *et illic*, id est, in eo sacrificio, *iter erit*, ad salutem : nam per illud iter perveniet ad locum, in quo *ostendam illi salutare Dei*, divinam videlicet, plenam, atque perfectam salutem. In Hebræo est vox ambigua, שם *sam*, quæ significat, illic, si legatur cum puncto in dextero cornu, ut Septuaginta Interpretes legerunt : sed si legatur cum puncto in sinistro, ut S. Hieron. legit, significat, *posuit*, sive *disposuit* : sed in re ambigua non est, quod a communi, et recepta lectione recedamus. At unde est, quod summa salutis ponitur in oblatione sacrificii laudis? S. August. respondet, ex eo esse, quod nemo vere laudat Deum, nisi pius sit : impii enim si verbis laudant, vita non laudant; ac per hoc non vere laudant, cum verbis eorum vita contradicat. Potest etiam dici, ut nos supra monuimus, *sacrificium laudis*, non esse simplicem laudem, sed laudem ex ara cordis, et igne charitatis procedentem : quare cum sacrificium laudis includat charitatem, et sit inchoatio sacrificii, sive officii, quod in sæcula sæculorum in cœlo a beatis omnibus exercetur, mirum non est, si in eo summa salutis includitur.

PSALMUS L.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem Psalmus David, cum venit ad eum Nathan Propheta, quando introivit ad Bethsabee.

Titulus docet, qua occasione compositus fuerit Psalmus iste a Davide : historia vero fusius narratur lib. 2. Reg. cap. 12. summa historiæ hæc est. David ex Palatio suo vidit mulierem formosissimam nomine Bethsabee, se lavantem. Captus amore adulterium cum ea commisit : quod ut facilius celaretur, maritum ejus Uriam neci dedit : sic viduam conjugio sibi copulavit, et filium ex ea suscepit. Postea Dei monitu venit Nathan Propheta ad Davidem, eumque de perpetrato flagitio, et cæde corripuit. David in se reversus pœnitentiam serio egit, atque hunc Psalmum, in quo peccatum suum deflet, ea occasione composuit. Sensus igitur tituli hic est, *Psalmus in finem* usque mundi canendus, quem David composuit, *quando venit ad eum Nathan* Propheta, qui tunc ad eum increpandum venit, *quando intravit idem David ad Bethsabeam* uxorem Uriæ, atque adulterium cum ea patravit. Ad hunc titulum pauca quædam annotanda videntur circa personas, quæ in eo nominantur, videlicet Davidem, Nathan, et Bethsabeam. Primo, peccatum Davidis justis hominibus magnum timorem incutere posse : si enim tantus amicus Dei, tam facile corruit, quis non timebit casum? Secundo, ejusdem Davidis pœnitentiam omnibus peccatoribus spem salutis adferre : peccatum enim ejus omni ex parte gravissimum fuit, et tamen per veram pœnitentiam facile invenit indulgentiam. Tertio, Nathan fuisse quidem Prophetam, sed Davide inferiorem non solum dono prophetiæ, sed etiam potestate, sapientia, aliisque donis Dei : et

tamen placuisse Deo, ut is Davidem corriperet, et ad pœnitentiam adduceret. Quo exemplo admonentur homines magni, ut non contemnant ministros Verbi Dei, sed ad eos audiendos accedant, etiamsi sint ipsi forte sapientiores, et majores illis. Quarto, hinc cognosci, quantorum malorum causa sit pulchritudo mulieris cum imprudentia, et facilitate conjuncta. Si enim Bethsabea mulier speciosissima in loco, unde videri posset, corpus suum non nudasset; aut non tanta facilitate Davidi consensisset, certe vir tantus in tam gravia scelera non cecidisset. Quinto, Nathan non intrasset ad monendum Davidem statim post ingressum ejus ad Bethsabee, ut titulus indicare videtur, sed multo postea: jam enim natus erat filius Davidi ex Bethsabea, quando venit Nathan. Itaque quod dicitur in titulo, intelligitur potius de occasione, quam de tempore, et sensus est, Psalmum scriptum esse, quando Nathan intravit ad Davidem ex occasione, quia intraverat David ad alienam conjugem, nomine Bethsabeam.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.

Incipit Propheta Psalmum ab oratione, qua remissionem peccati petit; et simul explicat primam rationem, qua movetur ipse ad petendum; et Deum moveri posse credit ad indulgendum: alias deinde rationes in sequentibus versiculis explicaturus. Ait igitur, *Miserere mei Deus;* Psal. 111 et 123. miserum se agnoscit et confitetur David ob iniquitatem admissam, quamvis alioqui naturæ, et fortunæ bonis omnibus abundaret; ut e contrario beatos dicere solet eos, *qui timent Dominum*, non qui divitiis, aut honoribus abundant: ex quo intelligimus, quam perverse de miseria, et felicitate judicent filii hujus seculi. Addit, *secundum magnam misericordiam tuam;* quasi dicat, ideo misericordiam tuam implorare audeo, quia miser sum: misericordia enim miseriam respicit, ut eam tollat: quamvis autem in Hebræo codice non sit vox illa, *magnam*, tamen Septuaginta Interpretes eam vocem in sua versione posuerunt, vel quod in codicibus Hebraicis emendatioribus illam invenerint: vel quod hunc locum voce illa addita explicare voluerint. Vocatur autem *magna misericordia*, qua peccata remittuntur, tum quia peccatum magna miseria est, tum quia comparatione hujus misericordiæ, parva misericordia dici potest ea, per quam Deus bona temporalia tribuere solet: bona enim temporalia Deus inimicis etiam suis, atque iis, quos in fine reprobaturus est, præbet; gratiam vero remissionis peccatorum illis tantum donat, quos in filios, et hæredes æterni Regni adoptare dignatur. David igitur non contentus parva illa misericordia, qua Regni gloriam, et opes copiosas, ac filiorum multitudinem, et victoriam, de hostibus atque alia id genus acceperat, petit *misericordiam magnam*, quam in peccatorum remissione, et gratiæ restitutione positam esse sciebat.

2. Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.

Idem repetit, et declarat: quod enim dixit, *Miserere mei*, declarat, dicens, *Dele iniquitatem meam;* et quod ait, *secundum magnam misericordiam tuam*, declarat cum dicit, *secundum multitudinem miserationum tuarum.* Sed ordinem Prophetæ non invertamus; ipse enim eleganter in hoc secundo versiculo incepit ab eo, quod erat postremum in primo versiculo, ut hac varietate pulchriorem Psalmum efficeret. Illæ igitur voces, *secundum multitudinem miserationum tuarum*, explicant quid sit magna misericordia Dei, quæ filiis dilectis exhibetur. Significat autem multitudo miserationum affluentiam pietatis Dei: nam vox Hebraica רחמיך *rechamecha*, ut notavimus in primo versiculo Psalm. 17. significat proprie paternum, ac tenerum amorem, quem Scriptura explicare solet, per, *viscera misericordiæ.* Ecclesia quoque rectissime id expressit in collecta Dominicæ XI. post Pentecosten, cum ait, *Qui abundantia pietatis tuæ, et merita supplicum excedis, et vota.* Vere enim pietas divina tanta est, ut multo plus donet non solum, quam mereamur, sed etiam, quam optare audeamus. Quod ostendit etiam Dominus in parabola de filio Prodigo, Luc. 15. Pater enim filium pœnitentem, non solum admisit ad gratiam; sed etiam continuo amplexatus, et osculatus est, et jussit illi dari stolam primam, et annulum pretiosum, et occidi in gratiam ejus vitulum saginatum, ac denique tanta signa benevolentiæ erga filium qui universa bona sua dissipaverat, ostendit; ut plura non posset erga eum, qui victor ac triumphator de hostibus rediisset. Quod sequitur, *dele iniquitatem meam*, refertur tum ad reatum, tum ad maculam peccatorum: sciebat enim David ex actione peccati relinqui in anima reatum mortis æternæ, qui scribitur in conscientia: et maculam privationis gratiæ, quæ reddit animam deformem, tenebricosam, Deo invisam; ad utrumque refertur vocabulum *delendi*, nam Scripturæ deleri solent, cum remittitur debitum, et maculæ etiam delentur, cum abluitur, quod maculatum erat. Petit igitur David, ut Deus non agat secum ex rigore justitiæ; sed ex paterna misericordia remittat debitum peccati, et lavet maculam restituendo nitorem gratiæ.

3. Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.

Post culpam remissam, et gratiam restitutam, adhuc remanent in homine mali habitus vitiorum, et ipsa concupiscentia carnis, quæ hominem reddunt infirmum, et debilem, quales sunt, qui recens ex gravi morbo convaluerunt; et quidem mali habitus paulatim exterminantur exercitatione virtutum: concupiscentia vero potest quidem minui, sed ordinarie non eradicatur, nisi in morte: quamvis autem ad vitiorum exterminationem, et concupiscentiæ diminutionem multum valeat studium, et

diligentia nostra : tamen præcipuæ partes sunt gratia Dei, sine qua nihil possumus, et cum qua omnia possumus. Ideo Propheta David, qui hæc noverat omnium optime, in Psal. 102. scripsit, *Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Et hoc loco posteaquam petiit deleri peccatum suum, et audivit a Nathan Propheta 2. Reg. 12. *Deus transtulit peccatum tuum, non morieris*, iterum petit lavari, et mundari, id est, magis ac magis justificari per majorem gratiæ infusionem, ut malis habitibus sublatis, et concupiscentia mortificata, anima candidior et pulchrior fiat, et per hoc etiam ad resistendum tentationibus fortior. *Amplius*, inquit, *lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me*, id est, spero peccatum meum per gratiam tuam esse deletum, et animam meam lotam, et mundatam a reatu, et macula per actionem peccati contracta, sed cupio, et peto iterum, atque iterum lavari per gratiæ incrementum, ut anima mea candidior, et fortior evadat. Posset etiam simplicius exponi, ut hæc secunda petitio pertineat ad magnitudinem peccati declarandam ; quasi dicat, si macula peccati mei levis esset, sufficeret simplex ablutio : sed quia macula ingens, et multiplex est, ideo multum, valde, amplius, atque amplius lavari desidero, ut tantæ maculæ vestigium nullum supersit.

4. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.

Hæc est secunda ratio, unde persuadere Deo conatur, ut indulgeat peccanti : quia videlicet confitetur peccatum suum, et illud in se punit continua cogitatione, et recordatione. Ignosce, inquit, *quia ego peccatum meum agnosco*, non excuso, non nego, nec solum agnosco, sed perpetuo de illo cum dolore animi cogito : nam *contra me est semper*, id est, in conspectu meo positum, me quasi jaculum fodere, et cruciare non cessat. Hoc exemplum imitari debemus, qui Psalmos Pœnitentiales recitamus ; ut vere dicere possimus, *peccatum meum contra me est semper :* quod fiet si peccatum semel admissum, et per gratiam Dei forte deletum, in memoria nostra vivat, et ingratitudinis nostræ erga tam magnum benefactorem nos semper admoneat.

5. Tibi soli peccavi, et malum coram te feci ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.

Tertia hæc est ratio, cur a Deo indulgentiam postulet : quoniam non alium Judicem timet. *Tibi*, inquit, *soli peccavi*, non dicit, contra te solum peccavi : peccaverat enim etiam contra Uriam, quem occiderat ; et contra Bethsabeam quam adulteraverat, et contra populum, quem scandalizaverat ; sed dicit, *Tibi soli peccavi*, nimirum ut Judici, apud quem solum convinci poterat : nam nec alium Judicem habebat, et si habuisset, convinci non potuisset ; quoniam factum erat sine teste ; et quamvis ex suspicione fama peccati manasset in vulgus, tamen legitime peccatum probari non poterat ; sed apud Deum Judicem convictus erat, tum quia Deus viderat, tum quia conscientia ipsius testis erat apud Deum, qui scrutatur renes et corda ; et ideo subjungit declarans, *et malum coram te feci :* quamvis enim David occulte peccaverit, in tenebris clausi cubiculi, tamen oculos Dei excludere non potuit. *Ut justificeris in sermonibus tuis :* illud, *ut*, non significat causam, sed consequentiam, ut Theodoretus hoc loco notavit, et sensus est, *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci*, ex quo secutum est, *ut tu justificeris in sermonibus tuis*, dum me peccatorem et injustum esse pronuncias : vel certe subintelligitur verbum aliquod, ut hic sensus sit. Dico, *tibi soli peccavi*, dico, *malum coram te feci*, confiteor me injustum, ut justus, et verax inveniaris in sermonibus tuis, quibus per Nathan Prophetam me adulterii et homicidii reum esse pronunciasti. *Et vincas cum judicaris :* repetitio est ejusdem sententiæ : ac si dicat, et si judicium inter te et me instituatur, et ego negare velim crimen, cujus tu reum me esse dixisti, tu omnino vinces causam, et ego causa cadam, cum mecum judicaris. Hunc existimo litteralem esse sensum hujus obscuræ sententiæ, qui sensus valde confirmatur ex verbis Apostoli, Rom. 3. *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax, sicut scriptum est, ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.* Sed non rejicio, quod alii dicunt, *Deum justificari in sermonibus suis*, et vincere cum judicatur, si pœnitentibus ignoscat, quoniam veniam pœnitentibus repromisit. S. August. refert ad Christum hunc versiculum, quia solus ipse est sine peccato, et ideo illi soli justo nos injusti peccamus, et ille solus vicit, cum judicatus est injuste ab injustis.

6. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.

Quarta ratio ducitur a prima origine, et primi hominis peccato in nos transfuso per generationem, ex quo facti sumus infirmi, et proclives ad peccandum, et ob hanc quasi naturalem miseriam misericordia digni sumus. Quod autem hic locus non intelligatur de peccatis parentum, sed de ipso peccato originali, quod ex conceptione trahimus ; probat hoc loco S. August. quia David non est natus ex adulterio, sed ex casto conjugio piorum parentum. Sed hoc ipsum probare possumus ex proprietate verborum Hebraicorum : illud enim, *conceptus sum*, est in Hebræo, הוללתי *holalthi*, quod non significat actum gignendi, qui ad parentes pertinet, sed actum formationis membrorum, quæ conformatio in utero fit satis diu post concubitum parentum. Et videtur Spiritus Sanctus divina providentia non voluisse scribi hoc loco, genitus sum, sed *conceptus*, sive *formatus sum*, ut præveniret hæreticorum perversas interpretationes. Illud etiam, *concepit me mater mea*, in Hebræo est, יחמתני *iechematni*, quod proprie significat, *calefecit me*, sive *fovit me :* proinde non refertur ad actum concubitus, in quo peccant parentes, quando fornicantur, vel mœchantur : sed ad actionem confovendi fœtum in utero, dum formantur membra, ut anima infundatur. Quamvis autem S. Hieron. verterit, *peperit me mater mea ;* et S. August. legat, *aluit me mater mea :* et nos cum Septuaginta legamus, *concepit me mater mea :* tamen proprietas verbi est, quam diximus, cum qua non pugnant illæ variæ lectiones : mater enim recte dicitur *con-*

cipere, quando fœtus in utero ejus formatur, et fovetur : sic etiam dicitur *alere*, non solum quando lacte nutrit jam editum, sed etiam quando in utero conservat, et auget : denique non male S. Hieron. vertit, *In peccato peperit me mater mea*, quia peccatorem peperit, quem in peccato conceperat. Adde etiam quod in textu originali, dicitur in singulari, *in peccato conceptus sum, et in peccato concepit me mater mea.* Vere enim peccatum originale, quod in conceptione contrahimus, unum est, non plura. Sed Septuaginta Interpretes verterunt in numero multitudinis, *in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea;* quia unum illud peccatum est quasi fons omnium aliorum peccatorum, et in illo includuntur omnia.

7. Ecce enim veritatem dilexisti, incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Hæc est ratio quinta, quæ ducitur a veritate, et simplicitate cordis, quæ semper fuit in Davide ; et quam Deus maxime diligere solet, propter quam etiam Deus, qui veritas est, Davidi multa mysteria futura revelavit : nam, ut S. Joan. Chrysost. hoc loco copiose docet, nullum est fere mysterium Christi, et Ecclesiæ, quod David non prævideril, et in Psalmis prædixerit. Igitur David hanc veritatem commemorat, propter quam tot mysteria divina cognovit, et quia in eadem veritate perseverat, simpliciter peccatum suum confitendo, inde petit a Deo remissionis donum. *Ecce*, inquit, *veritatem dilexisti*, id est, tu Deus veritatem, et sinceritatem cordis semper amasti : sicut etiam contra duplicitatem, et perversitatem semper odisti. *Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*, id est, quia veritatem amas, et in me veritatem, et rectitudinem cordis invenisti, ideo tam multa mihi patefecisti mysteria divina, secretissima, et occultissima, quæ signa sunt infinitæ sapientiæ tuæ. Illud, *incerta*, non significat mysteria divina esse incerta, id est, dubia in se, quasi possint non fieri : sed *incerta*, et dubia nobis, quomodo dicimus, incertus est hominibus dies Judicii, non quod non certum sit, futurum esse diem Judicii, sed quia incertum est nobis quando sit futurus. In textu originali vox Hebraica, בטחות ובסתום *battuchot ubsathum*, significat *absconditum, et coopertum.* Itaque *incerta, et occulta* sapientiæ divinæ dicuntur illa, quæ Sapientia divina ordinavit ab æterno, ut fiant temporibus suis, sed abscondita, et occulta sunt, antequam fiant, nisi speciali privilegio revelentur.

8. Asperges me hyssopo, et mundabor : lavabis me, et super nivem dealbabor.

Aperit hic unum ex incertis, et occultis mysteriis divinæ sapientiæ, quod videlicet tempore novi Testamenti aspergendi essent homines aqua munda in Baptismo, et perfectissime justificandi : alludit autem ad cæremoniam, quæ describitur, Num. 19. ubi ad expiationem tria necessaria esse dicuntur, cinis vaccæ rufæ immolatæ in holocaustum ; aqua cineribus mixta : et hyssopus, quo aqua aspergebatur : per cinerem vaccæ rufæ significatur Christi mors : per aquam, Baptismus : per hyssopum, fides : hyssopus enim herba est humilis, radices habens in petra. Sicut enim in illa expiatione typica, aqua mundabat, sed vim habens ex cineribus vaccæ occisæ, et per hyssopum aspersa : sic etiam in Baptismo aqua mundat, sed vim habens ex morte, et merito Christi, et per fidem applicata. Ad has igitur expiationes tum figurantem, tum figuratam respicit David, cum dicit, *Asperges me hyssopo et mundabor :* petit enim illam purgationem, quam noverat figuratam, per expiationem aquæ hyssopo aspersæ, et quam implendam prævidebat, et prædicebat in Baptismo : et ut ostendat illius expiationis primarium auctorem esse Deum dicit, *Asperges me hyssopo*, et non dicit, asperget me Sacerdos hyssopo : et ut demonstret, expiationem Baptismi fore perfectissimam, ita ut vere tollat peccata, ut non solum non imputentur, sed ut non sint : et non solum tollat peccata, verum etiam infundat copiosam gratiam, addit, *Lavabis me, et super nivem dealbabor.* Vide S. August. lib. Quæst. super Num. cap. 33. et Theodoretum in hunc locum Psalmi.

9. Auditui meo dabis gaudium et lætitiam, et exultabunt ossa humiliata.

Effectus, et signum perfectæ justificationis est, cum spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Hoc testimonium in se aliquando Propheta expertus, iterum illud petit, dicens, *Auditui meo dabis gaudiam, et lætitiam*, id est, cum perfecte laveris, addes et hoc beneficium, ut interiore quodam gaudio tanquam signo remissi peccati me mirabiliter afficias : quod gaudium erit veluti bonus nuncius, quem cordis aure jùcunde percipiam. In Hebraico textu חשמיעני est unicum verbum, pro eo quod nos habemus, *auditui meo dabis*, et significat proprie, *audire me facies.* Itaque sensus est, audire me facies internam vocem Spiritus sancti, qui me gaudio, lætitiaque perfundet. *Et tunc exultabunt ossa humiliata*, id est, tunc animus spiritu timoris confractus, et dissolutus, resumptis viribus exultabit. In Hebraico textu habetur, תגלנה עצמות דכיתה *thagalenah hhatsamoth dicchithah. Et tunc exultabunt ossa quæ tu confregisti.* Ex quo intelligimus spiritum timoris, quo conteritur, et humiliatur, a Deo esse, et disponere ad spiritum dilectionis, quo anima justificatur. Per ossa, intelliguntur vires animi, non ossa corporis, nam et paulo post dicitur, Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.

10. Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.

Quod prædixit futurum, in præsenti sibi postulat : dixerat enim, *Asperges me hyssopo, et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor, Auditui meo dabis gaudium*, etc. nunc ista ipsa postulat. Ac primum petit remitti peccata, sicut antea dixerat, *Asperges me hyssopo, et mundabor, Averte*, inquit, *faciem tuam à peccatis meis*, id est, ne consideres peccata mea, ut ea punias : quomodo alius Sanctorum dixit, Tobi. 3. *Ne reminiscaris Domine delicta mea.* Sunt tamen istæ omnes loquutiones metaphoricæ : neque enim fieri potest, ut Deus, quem nihil latet, avertat faciem a peccatis, vel obliviscatur eorum ; sed dicitur *avertere faciem*, vel oblivisci, quando facit id quod faciunt, qui non

considerant, aut non recordantur : qui enim non considerant aut non recordantur, non puniunt. Addit autem, *et omnes iniquitates meas dele*, ut non solum ad tempus Deus non puniat, sed numquam omnino puniat : qui enim avertit faciem a scriptura aliqua, potest iterum convertere faciem, et considerare quod scriptum est : sed qui delevit scripturam, non potest amplius legere. Facit hoc adversus hæreticos, qui docent, peccatum in justificatione non imputari, sed manere tamen ; quasi Deus avertat quidem faciem a peccatis, sed ea numquam omnino doleat.

11. Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Hoc respondet illis verbis, *lavabis me et super nivem dealbabor :* petit enim, ut non solum peccata deleat, sed etiam justitiam infundat, quæ animam renovet, et formosam, ac splendidam reddat : quod etiam est contra hæreticos, qui justificationem in sola peccatorum remissione constituunt. Quod autem dicit : *Cor mundum crea in me Deus*, intelligitur formaliter ; ut scholæ loquuntur, id est, de creatione munditiei, non de creatione cordis : per peccatum enim non perit substantia cordis, sed mundities. Itaque sensus est; crea munditiem in corde meo : et satis proprie dicit, *crea*, quoniam nihil invenerit Deus in corde peccatoris, unde munditiem in illo efficiat, sed ex magna misericordia sua sine ullis meritis homines justificat : nam etiam si disponantur peccatores per fidem et pœnitentiam ad justificationem : tamen fides, et pœnitentia, et alia omnia similia dona Dei sunt. *Et spiritum rectum innova in visceribus meis.* Explicatio est verborum præcedentium : ut enim intelligeremus, creari cor mundum, esse, creari munditiem in corde ; addit, et in visceribus meis innova spiritum rectum, non autem, innova mihi viscera. Per viscera intelliguntur interiora animi, id est, voluntas ipsa, quæ paulo ante cor dicta est. Per spiritum rectum, intelligitur recta affectio, quæ nihil aliud est, nisi charitas : per cupiditatem enim affectus cordis distortus efficitur, dum convertitur ad inferiora, ac præcipue ad seipsum ; sed per charitatem dirigitur, dum convertitur ad superna ac potissimum ad Deum. Innovatur igitur spiritus rectus in visceribus, quando corde mundato per gratiam, renovatur in anima pia affectio in Deum, quæ per peccatum amissa erat, et in cujus locum cupiditas distorta successerat.

12. Ne projicias me a facie tua : et Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.

Hic jam perseverantiam postulat, memor videlicet fragilitatis suæ, ne forte per gratiam erectus, iterum labi contingat. Dicitur in Scriptura, *projici a facie Dei*, qui dimittitur, ac deseritur non amplius recipiendus in gratiam, 1. Reg. 16. *Dixit Dominus ad Samuel, usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim eum ?* et 2. Reg. 7. *Misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea;* et 4. Reg. 24. *Irascebatur Dominus contra Jerusalem, et contra Judam, donec projiceret eos a facie sua.* Ait igitur, *Ne projicias me a facie tua*, id est, ne sinas me iterum labi in peccatum, ne forte in perpetuum a gratia tua me removeas : parum mihi prodesset lavari, et super nivem dealbari, et spiritum rectum in me innovari, si tandem a facie tua cum reprobis projiciendus essem. Ut autem me non projicias a facie tua, *Spiritum sanctum tuum ne auferas a me*, id est, donum perseverantiæ mihi tribue, efficiendo per gratiam tuam, ut Spiritus tuus sanctus jugiter in me manens, spiritum rectum in visceribus meis conservet. Hoc loco notandum est, verum esse dogma Ecclesiasticum Concil. Trid. sess. 6. cap. 13. S. Augustini tract. 2. in Joannem et S. Prosperi resp. 7. ad objectiones Vincentianas, Neminem a Deo deseri, nisi prius ipse deserat Deum, id est, non auferri Spiritum sanctum a justis, nisi ipsi peccando spiritum in se extinguant; tamen, ut homo non peccet, et spiritum non extinguat, ad donum perseverantiæ pertinere, de quo dicit Apostolus, *Oramus, ut nihil mali faciatis*, 2. Cor. 13. De hoc dono hunc locum Psalmi intelligimus : cum enim dicit David, *Spiritum sanctum tuum ne auferas a me;* non significat, non auferas, si peccavero, sed ne auferas, ut non peccem.

13. Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me.

Respondet hic versiculus illis verbis, *Auditui meo dabis gaudium et lætitiam ;* sicut enim prædixit, post veram, perfectamque justificationem secuturum in homine internum gaudium, ex testimonio spiritus intus loquentis : ita nunc posteaquam petiit remissionem peccati, et infusionem gratiæ cum dono perseverantiæ, petit signum, et effectum justificationis, dicens : *Redde mihi lætitiam salutaris tui*, id est, per peccatum amisi gratiam, et lætitiam consequentem, ideo sicut petii reddi mihi gratiam amissam, ita consequenter peto reddi lætitiam salutaris tui, id est, lætitiam, quæ nascitur ex donata a te mihi salute : ac ne forte lætitia extollat, et periculosam securitatem inducat, adjungit, *Et spiritu principali confirma me*, id est, peto ut stabilias et confirmes me in bono per spiritum principalem mihi a te inspiratum. In Hebraico textu est vox, נדיבה *nediva*, quæ significat *principem*, et *spontaneum*, sive *liberalem;* et potest referri tum ad Spiritum sanctum, qui vere princeps est omnium spirituum, et liberalissimus, ac munificentissimus, cum sit fons omnium donorum : tum ad spiritum, id est, affectum ipsius Davidis, qui petitur a Deo talis qualis decet optimum principem, qui debet esse spontaneus erga Deum, et liberalis erga populum. S. Augustinus, et S. Hieronymus in commentario, et S. Bernardus serm. 3. de Pentecoste scribunt, posse per spiritum principalem intelligi Deum Patrem ; per Spiritum rectum, Deum Filium ; per Spiritum sanctum, Deum Spiritum sanctum. Sed videtur hæc pia, non tamen litteralis expositio.

14. Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur.

Exponit fructum justificationis suæ quæ redundabit in gloriam Dei, et multorum utilitatem. Ego, inquit, a te receptus in gratiam, post tam graves offensiones, *docebo*, et verbis et exemplo *vias tuas*, misericordiam videlicet, et

justitiam : nam *omnes viæ Domini misericordia, et veritas :* et inde sequetur, ut impii exemplo meo edocti ad te convertantur. Fuit autem David omnibus posteris insigne exemplum misericordiæ, et justitiæ divinæ; misericordiæ quidem, quia post tam gravia scelera, mox ut ex corde dixit, *Peccavi Domino*, remissum fuit ei peccatum; justitiæ autem, quoniam gravissimas temporales pœnas de eo Dominus sumpsit, ut non solum statim moreretur filius ex adulterio natus, sed etiam paulo post ipse ejiceretur a solio Regni, uxores ejus publice violarentur a proprio filio, duo ejus filii Amon et Absalon interficerentur. Hoc autem exemplum non solum profuit hominibus illius sæculi; sed etiam cæteris omnibus usque ad mundi consummationem, nam Psalmus de hac re ab ipso compositus ubique frequentatur, et frequentabitur, quamdiu Ecclesiæ militantis status permanebit. Itaque implevit David quod promisit, cum hunc Psalmum edidit : docuit enim iniquos vias Domini, et multi peccatores ad Deum conversi sunt, et alii deinceps sine dubio convertentur. Verisimile quoque est, Davidem post reparationem suam multis prædicasse divinam indulgentiam, atque ejus exhortatione non paucos peccatores ad Deum fuisse conversos.

15. Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ, et exultabit lingua mea justitiam tuam.

Oravit paulo ante David pro ablutione peccati, et promisit se docturum peccatores vias Domini : nunc orat pro liberatione a pœna sive vindicta, quam expetebat sanguis Uriæ injuste fusus, et promittit se laudaturum Dei justitiam. Cur autem dicat, *de sanguinibus*, et non potius, de sanguine, ut requirebat phrasis latina, rationem reddit S. Augustinus, quia voluit Interpres servare numerum, quem invenit in textu Hebraico : in textu autem Hebraico ponitur numerus multitudinis, מדמים *middamim*, ad significandum magnam effusionem sanguinis, ut Gen. 4. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* In Hebræo est קולדמי *koldeme, vox sanguinum*, id est vox multi sanguinis effusi. Sic igitur hoc loco dicitur, *Libera me de sanguinibus*, id est, libera me a voce multi sanguinis Uriæ, qui a me injuste fusus clamat ad te, et vindictam contra me exposcit, et dicit, *Libera me*, quoniam videbat sanguinem illum, quasi militem armatum contra se stare : proprie etiam addit, *Deus, Deus salutis meæ :* nam proprium est Salvatoris liberare ab imminenti periculo. Et hæc etiam ratio est, cur adjungat, *et exultabit lingua mea justitiam tuam :* nam liberatio, et salvatio vera per meritum Christi prævisi fiebat, ut nunc fit per meritum Christi re ipsa exhibiti. Meritum autem Christi exquisitissime justitiam continet, et talem, ut toto corde et maxima vocis contentione laudari mereatur. Atque hoc significat verbum Hebraicum, תרנן *therannen*, pro quo nos habemus, *exultabit*, id est, exultando, et vociferando laudabit. S. Augustinus et alii, per sanguines, intelligunt peccata : sed, ut bene notavit Euthymius, litteralis sensus ad verum sanguinem Uriæ referendus est : spiritualiter autem per sanguinem, peccata intelligi possunt, quoniam peccata, ex prava concupiscentia oriuntur, in concupiscentia vero præcipue sanguis dominatur.

16. Domine labia mea aperies : et os meum annunciabit laudem tuam.

Hoc jam sequitur ex perfecta justificatione, et liberatione peccatoris, ut labia solita Deum laudare, quæ per peccatum clausa fuerant, iterum per indulgentiam aperiantur ad gratiarum actionem, et laudem Redemptoris. Ait igitur, *Domine labia mea aperies*, id est, tu quidem indulgendo, et condonando peccata; et fiduciam, et lætitiam restituendo, *aperies labia mea*, et tunc *os meum annunciabit laudem tuam*, prædicando misericordiam, et justitiam, non solum præsentibus, sed etiam futuris hominibus.

17. Quoniam si voluisses sacrificium dedissem utique, holocaustis non delectaberis.

Reddit rationem, cur sacrificium laudis offerre velit, quoniam videlicet, sacrificia pecorum Deo non placent, ac si dixisset, *Os meum annunciabit laudem tuam*, quoniam sacrificio laudis delectari te scio, non sacrificiis animantium brutorum; nam si ea tibi placerent, non distulissem ea offerre. Non est autem sensus, sacrificia pecorum nullo modo placere Deo, cum satis constet ex libro Levitici a Deo illa esse instituta, et offerri jussa. Sed dicuntur non placere ex seipsis, quasi mactatio pecorum sit ex se opus Deo gratum, vel utile, aut necessarium : item dicuntur non placere, si conferantur cum sacrificio Eucharistiæ, ut patet ex primo capite Malachiæ, ubi sacrificia vetera dicuntur cessatura, quando oblatio munda in omnibus gentibus offeretur : dicuntur etiam non placere, quando offeruntur a peccatoribus, ut dicitur Isaiæ primo; cum *Deo magis obedientia placeat, quam victimarum oblatio.* 1. Reg. 15. Denique dicuntur non placere ad expianda peccata; quoniam *impossibile est*, ut dicit Apostolus ad Hebr. 10. *sanguine taurorum et hircorum auferri peccata*, et in hoc sensu dicit hoc loco David, *si voluisses sacrificium*, pro remissione peccati mei, *dedissem utique :* sed quia *holocaustis non delectaberis*, ita ut eorum gratia mihi peccata condones; ideo *os meum annunciabit laudem tuam :* nam, ut diximus in explicatione Psalmi superioris, sacrificium laudis Deo gratissimum est, quoniam in ara cordis igne charitatis succenditur. In Hebræo videtur paulo aliter. Sic enim ad verbum legitur, *Quoniam non voles sacrificium, et dabo : holocaustum non placebit.* Sed videtur repetenda negatio, cum dicitur, *et dabo*, ut sensus sit, *quoniam non voles sacrificium, ego quoque non dabo.* Vel forte Septuaginta Interpretes loco negationis legerunt particulam conditionalem : nam ea posita potest littera Hebraica sic legi, *Quoniam si velles sacrificium, et darem*; quod est idem cum eo, quod nos habemus, ex versione Septuaginta; *si voluisses sacrificium, dedissem utique.*

18. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, et humiliatum Deus non despicies.

Explicat clarius, quod sacrificium laudis Deo placeat, illud videlicet, quod ex corde contrito,

et humiliato procedit, quando videlicet homo agnoscens miseriam suam et misericordiam Dei, humiliatur sub potenti manu ejus, et illi honorem, et gloriam, sibi autem ignominiam, et confusionem tribuit. Dan. 9. *Tibi Domine justitia, nobis autem confusio faciei*, et paulo post, *Domine nobis confusio faciei, Regibus nostris, et Principibus nostris, et Patribus nostris, qui peccaverunt : tibi autem Domino Deo nostro, misericordia, et propitiatio.* Spiriritus contribulatus idem est, quod, cor contritum : nam in codice Hebraico, et Græco codice eadem vox repetitur, *spiritus contritus, et cor contritum;* sed Interpres maluit variare vocabula; et sensus idem est : dicitur enim *spiritus contribulatus*, anima dolore affecta, ac per hoc in tribulatione posita ob peccatum in Deum commissum : sic etiam spiritus contritus, dicitur anima ex dolore concepto ob admissum peccatum, quasi scissa, et in pulverem redacta, non amplius retinens lapideam duritiem, et resistentiam. Hæc autem contritio spiritus est gratissimum Deo sacrificium; quia quemadmodum peccatis Deus offenditur, ita pœnitentia placatur : et ideo recte subjungitur, *Cor contritum, et humiliatum Deus non despicies : quoniam despicit Deus superbos, illisque resistit; sed humilibus,* qui se illi libenter subjiciunt, *semper dat gratiam*, Jac. 4.

19. Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion ; ut ædificentur muri Jerusalem.

Hæc est ultima ratio, qua David utitur ad placandum Deum, et impetrandam perfectam justificationem, et reparationem post tam gravem lapsum : Dicit enim hanc suam reparationem toti populo profuturam, sicut toti populo noceret ejus ruina. Itaque rogat, ut præstet hoc beneficium ipsi civitati Sion, et Jerusalem. *Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion*, id est, si ego dignus non sum, qui exaudiar, respice civitatem, cujus ego sum caput, et illi benefac sanando caput illius, *in bona voluntate tua*, id est, juxta beneplacitum tuum, quo tibi complacuit, hanc civitatem tibi eligere in propriam, et peculiarem sedem. *Ut ædificentur muri Jerusalem*, id est, ut sic muri Jerusalem qui corruerunt, iterum ædificentur. Vocat muros Jerusalem seipsum, qui instar murorum totum populum custodiebat, et defendebat, qua metaphora dicitur etiam de Rege Christo, *Salvator ponetur in ea murus, et antemurale*, Isaiæ 26. et, *Dabo te populo huic in murum æneum.* Hierem. 15. In Hebræo legitur, *ædifica muros Jerusalem*, qui per lapsum meum ceciderunt : restitue mihi spiritum copiosum, et gratiam abundantem, ut populum tuum instar murorum defendere, et custodire valeam.

20. Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, et holocausta : tunc imponent super altare tuum vitulos.

Effectus justificationis sunt opera justitiæ, quæ placent Deo, ut vera sacrificia spiritualia, juxta illud Apostoli ad Hebr. 13. *Beneficentiæ, et communionis nolite oblivisci : talibus enim hostiis promeretur Deus*, et 1. Petr. 2. *Offerte spirituales hostias acceptabiles Deo, per Jesum Christum. Tunc*, inquit, id est, cum ego perfecte reparatus, et justificatus fuero, *acceptabis sacrificium justitiæ*, bona videlicet opera mea, et populi mei; *oblationes et holocausta ;* id est, quæ bona opera, vel erunt spirituales oblationes, vel spiritualia holocausta. Oblationes spirituales sunt, cum quis ex charitate donat bona sua, eleemosynas erogando : holocausta vero, cum donat se totum in Dei obsequium, juxta illud Rom. 12. *Obsecro vos, fratres, ut exhibeatis corpora vestra, hostiam viventem, sanctam*, etc. *Tunc imponent super altare tuum vitulos*, id est, cum viderint homines ista sacrificia justitiæ acceptissima tibi esse, accurrent multi, et certatim imponent super altare tuum sacrificia, non quæcumque, sed omnium optima : sacrificium enim vituli erat omnium sacrificiorum præstantissimum : ac per hoc vitulos super altare imponere, nihil est aliud nisi opera justitiæ perfectæ Domino Deo offerre. S. Augustinus more suo exponit hunc locum de ædificatione cœlestis Jerusalem, ubi sacrificia justitiæ undequaque perfecta ab omnibus offerentur. Theodoretus et Euthymius exponunt etiam mystice de ædificatione Ecclesiæ Christianæ, quæ versatur in terris : iidem quoque addunt, posse intelligi hos duos versiculos de reædificatione Jerosolymæ, quæ facta est tempore Nehemiæ, ut videlicet David in spiritu post defletum peccatum suum, et impetratam remissionem, prævideret peccatum commune totius gentis, ob quod evertenda esset Jerusalem, et simul oraverit pro remissione illius peccati, et restauratione Civitatis.

PSALMUS LI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem intellectus David, cum venit Doeg Idumæus et nunciavit Sauli : Venit David in domum Abimelech.

Titulus Psalmi notissimus est ex historia libri primi Regum cap. 22. Argumentum autem est reprehensio Doeg Idumæi, qui calumniatus est Davidem, et Achimelech Sacerdotem apud Regem Saul, et causa fuit perditionis multorum hominum.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate ?

Orditur David ab interrogatione, ut efficacior sit reprehensio, quomodo M. Tullius adversus Catilinam incepit : Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? *Quid gloriaris*, inquit, *in malitia, qui potens es in iniquitate?* gloriabatur enim Doeg Idumæus, quod accusatione sua perdidisset Sacerdotem Domini, et omnem familiam ejus. Saul enim cum audivisset ab isto Doeg Idumæo, Davidem fuisse receptum hospitio ab Achimelech Sacerdote, in tantam iram exarsit, ut non solum occidi jusserit ab ipso Doeg Sacerdotem Achimelech, sed etiam octoginta quinque alios Sacerdotes, qui erant cum eo : et deinde percussit in ore gladii civitatem sacerdotalem, occidens viros et mulieres, parvulos et lactentes, oves quoque et boves, et asinos. Ecce quanta mala nata sunt ex calumniatore illo, ut vere dictus sit *potens in iniquitate.* Sed occurrit difficultas ex discordia codicum Hebraicorum, Græcorum et Latinorum. Nam S. Hilarius et S. Augustinus legunt, *Quid gloriatur ?* Sed nostræ lectioni, *Quid gloriaris?* favent textus Hebraicus et S. Hieronymus, non solum in versione, sed etiam in commentario. Præterea in textu Hebraico, et Græco constituitur punctum post vocabulum, *potens es*, *Quid gloriaris in malitia, qui potens es.* Sed nostræ lectioni favent S. Hilarius, et S. Hieronymus in commentario, quamvis S. Augustinus, et Euthymius legant ut nunc habetur in Hebraico et Græco textu. Apparet igitur apud veteres fuisse varias interpunctiones. Denique in Hebraico codice habetur, *miseria Dei*, pro eo quod est in Græco, ἀνομία, *iniquitas :* sic enim ad verbum legitur in Hebraico, *Quid gloriaris in malitia, qui potens es misericordia Dei*? Sed vox Hebraica חסד *chesed* non significat solam misericordiam, sed etiam opprobrium, ut perspicuum est ex Levitico c. 20. vers. 17. et ex Proverbiis cap. 14. vers. 37. Igitur hoc loco non debuisset verti, *misericordia Dei*, sed, *opprobrio Dei :* quia occidit multitudinem Sacerdotum, quod in opprobrium Dei redundavit. Septuaginta Interpretes verterunt, ἀνομίαν, iniquitatem, quia factum illud Doeg Idumæi iniquissimum fuit : nam, ut legitur 1. Reg. 22. nulli alii ausi sunt mittere manus suas in sacerdotes, etiam Rege jubente, præter istum Doeg Idumæum, qui tamen omnium optime noverat innocentiam Sacerdotum, ut testis oculatus omnium rerum.

2. Tota die injustitiam cogitavit lingua tua, sicut novacula acuta fecisti dolum.

Exaggerat miris modis calumniosam illam delationem Doeg Idumæi : ac primum dicit, non fuisse repentinam delationem, sed diu meditatam : *Tota die*, inquit, *injustitiam cogitavit lingua tua*, id est, assidue cogitabas, quomodo injuste deferres, et tandem oblata occasione lingua tua peperit, quod diu antea parturiebat : quamvis enim cogitatio ad mentem pertineat, tamen David poetice tribuit hoc linguæ, quasi ipsa lingua tam mala fuerit, ut etiam silens apud aures hominum, tamen apud se ipsa cogitando loqueretur. Deinde addit deceptionem ab ipso celerrime factam esse, quomodo novacula acuta expeditissime, et facillime scindit : conjungit enim Propheta eleganter tarditatem meditationis cum celeritate exequutionis. Vere enim Doeg Idumæus quod diu antea cogitaverat, celerrime data occasione perfecit. Siquidem paucissimis verbis omnino Sauli persuasit, Achimelech sacerdotem cum Davide conjurasse, qui fuit dolus et impostura gravissima : ait igitur, *Sicut novacula acuta fecisti dolum*, id est, sicut novacula acuta facillime scindit capillos, ita tu facillime Saulem decepisti. Potest etiam per *dolum*, intelligi dolosa, et fraudulenta occisio Sacerdotum, quam Doeg effecit interficiendo totam progeniem Sacerdotum usque ad parvulos, et lactentes, quomodo novacula abradit penitus omnes pilos, quamvis tenuissimos. Dicitur autem dolosa occisio, quia Sacerdotes non fuerunt vocati ad Regem tamquam inimici, ut timere potuerint se occidendos, sed circumventi sunt, et de improviso perierunt.

3. Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis, quam loqui æquitatem.

Declarat ex qua radice prodierit illa calumniosa delatio, ac dicit, illam non prodiisse ex ignorantia, vel casu aliquo, sed ex mala voluntate ipsius, qui dilexit semper malum potius, quam bonum, et mendacium potius, quam veritatem. *Dilexit*, inquit, *malitiam super benignitatem*, id est, delectaris potius nocere proximo quam illi benefacere. *Iniquitatem magis, quam loqui æquitatem*, id est, mendacium potius loqui te delectat, quam veritatem : nam verbum Hebraicum, שקר *schecher*, proprie *mendacium* significat : sed quia mendacium perniciosum iniquitas quædam est; ideo Septuaginta Interpretes verterunt, ἀδικίαν *iniquitatem*, ut declararent hic agi de mendacio pernicioso : sic etiam ipse David cum deberet mendacio apponere veritatem, opposuit tamen justitiam, dicens, *quam loqui æquitatem* : quoniam voluit indicare mendacium illius Doeg Idumæi non fuisse mendacium otiosum, vel officiosum, sed plane perniciosum, et injustum. Porro, per *æquitatem*, intelligenda est justitia, ut sonat vox Hebraica, צדק *tsedek*, non autem id quod apud Latinos proprie sonat vocabulum, *æquitas*. At non videtur Doeg mendacium aliquod protulisse, cum ait, *Venit David in domum Achimelech*. Respondeo mendacium fuisse in verbis illis juxta intentionem dicentis, et audientiam : ipse enim significare voluit, Achimelech fuisse socium conjurationis David : et in eo sensu accepta sunt verba ejus a Rege Saul.

4. Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa.

Explicat adhuc magis, quid dixerit *mendacium* et *iniquitatem* : et ait, fuisse mendacium vere perniciosum, cum fuerit causa perditionis plurimorum hominum innocentium. *Dilexisti*, inquit, *omnia verba præcipitationis*, id est, dilexisti omnia verba, quibus possent homines innocentes præcipitari in ruinam, et perditionem : vox Hebraica, בלע *balah*, significat deglutire, absorbere, perdere, et similia. Itaque illud, *præcipitationis*, exponi debet, præcipitationis in mare, vel in foveam, ut absorbeantur, vel devorentur, vel positum est, *præcipitationis*, pro, ruinæ, et perditionis : constat autem ex lib. 1. Reg. c. 22. propter verba Doeg Idumæi integram civitatem periisse. Illud autem, *lingua dolosa*, varie legitur ab auctoribus : nam S. Hilarius, et S. August. legunt, *linguam dolosam*, ut etiam legit Theodoretus, et nunc habent Græci codices ; γλῶσσαν δολίαν, et si ita legatur, sensus erit, *Dilexisti omnia verba præcipitationis, linguam dolosam* id est, dilexisti omnia verba præcipitationis, dilexisti, inquam, linguam dolosam. At S. Hieron. quamvis in Hebræo vertat, *linguam dolosam*, tamen in commentario Psalmorum legit in lingua dolosa, ut etiam legit Euthymius, licet non taceat veritatem codicum Græcorum, in quorum nonnullis sit in accusativo *linguam dolosam* : et si quis ita legat, sensus erit, *dilexisti omnia verba præcipitationis in lingua dolosa*, id est, per instrumentum linguæ dolosæ. Nostri codices videntur accipiendi in vocativo, ut sensus sit, *o lingua dolosa*, tu dilexisti omnia verba præcipitationis, id est delectaris semper loqui verba perniciosa : et videtur nostra lectio satis concordare cum textu Hebraico, ubi simpliciter ponitur vocabulum sine ullo signo casus obliqui.

5. Propterea Deus destruet te in finem, evellet te, et emigrabit te, de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium.

Prædicit non fore impunitum peccatum Doeg Idumæi, sed pro temporali destructione Sacerdotum, cujus ipse causa fuit, retribuendum ei exitium sempiternum. *Propterea*, inquit, *Deus destruet te in finem*, id est, propter hoc tuum peccatum Deus te radicitus destruet in hoc sæculo, et in futuro, ita ut in æternum destructus maneas, quibus significari videtur æterna desolatio in hoc sæculo, et æterna damnatio in futuro, atque hæc est justa retributio impiorum, ut qui alios perdunt, ipsi quoque male pereant. Deinde quod generatim dixerat, explicat per partes, dicens, *Evellet te, et emigrabit de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium*, id est, hoc modo te penitus destruet, quia puniet te exilio, et orbitate, ita ut primum amittas opes, et patriam, deinde in exilio et sine liberis moriaris, *Evellet*, inquit, *te, et emigrabit*, id est, migrare faciet de tabernaculo tuo, et sic exul, et vagabundus errabis : *et radicem tuam evellet de terra viventium*, id est, te cum omni posteritate tua de terra eradicabit : filii enim similes sunt radicibus, quia per hos Pater radicatur, et stabilitur in terra. Et quoniam per terram viventium significari potest patria cœlestis, indicatur hoc loco, ut supra diximus, etiam damnatio sempiterna. In Hebraico textu, pro evellet te, habetur, יחתך *iaththeca*, quam vocem S. Hieronymus vertit, *terrebit te*. Sed S. Hieronymus deduxit eam vocem a חתת *chathath*, quod est *terrere*. Cæterum Septuaginta Interpretes deduxerunt a חתה *chatha*, quod est *capere* sive *carpere*, quod idem est cum *evellere*.

6. Videbunt justi, et timebunt, et super eum ridebunt, et dicent : Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum.

7. Sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et prævaluit in vanitate sua.

Ex pœna impii delatoris id sequetur, ut multi erudiantur. *Videbunt justi, et timebunt*, id est, casum istum considerabunt viri justi, et cordati, et horrebunt. *Et super eum ridebunt, dicentes, Ecce homo*, etc. id est, et illum irridebunt, quod stultissime egerit, cum in Deo, qui potentissimus est, sperare noluerit, et in divitiis fragilibus, quæ facillime amittuntur, spem suam posuerit. *Prævaluit in vanitate sua*, id est, eumdem irridebunt, quod prævalere studuerit non in vero robore veraque virtute, sed in insidiis, et mendaciis vanitate plenissimis : illud enim, *prævaluit*, non significat, quod vere tandem prævaluerit, sed quod opinione sua prævaluere se posse crediderit : nam etiamsi ad tempus adversus innocentes prævaluere visus est; tamen exitus demonstrabit, eum succubuisse, non prævaluisse; quando *justi stabunt in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt*, ut dicitur Sap. 5.

8. Ego autem sicut oliva fructifera in domo

Dei; speravi in misericordia Dei in æternum et in sæculum sæculi.

Concludit Psalmum ostendens se omnino contrariam viam ingressum esse. *Ego,* inquit, *similis sum olivæ fructiferæ in domo Dei,* id est, non evellar, neque eradicabor, ut Doeg lignum aridum, sed radicabor magis et magis, ut oliva speciosa, semper virens, et fructum adferens; et quia talis sum, ideo *speravi in misericordia Dei in æternum, et in sæculum sæculi,* id est, speravi, me adjutum iri a Deo in æternum, et in sæculum sæculi. Ubi mire opponit se Doeg Idumæo; illum comparat ligno arido, se vero olivæ virenti: illum dicit evellendum etiam de tabernaculo suo; se dicit radicandum in domo Dei: illum dicit, sperasse in divitiis suis, se autem in misericordia Dei.

9. Confitebor tibi in sæculum, quia fecisti: et expectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu Sanctorum tuorum.

Gratias agit pro re futura, quasi præterita, quoniam futura apud Deum, et in cognitione Prophetarum certissima sunt. *Confitebor,* inquit, *tibi in sæculum,* id est, laudabo te semper, quia fecisti judicium hoc, ut sperantem in divitiis suis confunderes, et destrueres; sperantem in te consolareris et ædificares. *Expectabo nomen,* id est, et semper deinceps sperabo in te: idem enim est sperare in Deo, et expectare Deum, et nomen Dei pro ipso Deo ponitur. *Quoniam bonum est in conspectu Sanctorum tuorum,* id est, merito sperabo in nomine tuo, quoniam nomen tuum dulce est Sanctis tuis, qui ejus dulcedinem gustaverunt.

PSALMUS LII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

IN FINEM PRO MACHELETH INTELLIGENTIA DAVID.

Hic titulus habet unam vocem non interpretatam, videlicet pro אל מחלת Macheleth. Et S. Hieronymus vertit, per chorum, sed per chorum videtur intellexisse instrumentum musicum, ut ipse idem testatur in epistola ad *Dardanum* (si tamen ea epistola ipsius est) de musicis instrumentis; quomodo nonnulli accipiunt vocabulum chori in Psalmo ultimo in illis verbis, *in tympano et choro, in chordis et organo.* Neque improbabile est, per chorum posse intelligi cœtum Cantorum canentium, ut sensus sit, Psalmum esse compositum pro choro, ut videlicet canatur a multis simul. Fateor tamen priorem expositionem videri veriorem; quoniam Septuaginta Seniores non reliquissent eam vocem non interpretatam, nisi existimassent ea voce significari nomen proprium alicujus instrumenti musici. Quod additur, *intelligentia David,* significat, in hoc Psalmo aperiri intelligentiam, sive *eruditionem David,* ut vertit S. Hieronymus: ex quo titulo colligitur argumentum Psalmi, quod est, Deploratio insipientiæ generis humani: ideo enim fit mentio intelligentiæ David, quia per ipsum coarguenda erat cæcitas, et insipientia generis humani.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.

2. Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis, non est qui faciat bonum.

3. Deus de cœlo prospexit, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum.

4. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.

5. Nonne scient omnes, qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam, ut cibum panis.

6. Deum non invocaverunt, illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.

7. Quoniam Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.

8. Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum converterit Deus captivitatem plebis suæ, exultabit Jacob, et lætabitur Israel.

Hic Psalmus idem fere est cum Psalmo tertiodecimo, inde igitur petatur explicatio: satis enim erit hic annotare diversitatem utriusque Psalmi.

Primus versiculus est omnino idem.

Secundus versiculus est etiam idem, nisi quod in isto habetur, *in iniquitatibus*, in illo, *in studiis:* sed idem est sensus: studia enim illa sunt affectus, et desideria mala, quæ omnia iniqua sunt, et peccata, ac per hoc iniquitates.

Tertius versiculus idem est, nisi quod hic dicitur, Deus, ibi dicitur Dominus.

Quartus versiculus idem omnino est.

Quintus versiculus, sextus, et septimus, qui habentur in Psalmo tertiodecimo, in hoc non habentur: sed, ut ibi admovimus, illi tres versiculi additi sunt ex diversis Scripturæ locis, et ad Psalmum proprie non pertinent.

Quintus versiculus, qui respondet octavo in Psalmo tertiodecimo, idem cum illo est, nisi quod hic dicitur, *Nonne scient?* ibi dicitur, *Nonne cognoscent?*

Sextus versiculus, qui respondet nono, idem est cum illo, nisi quod hic dicitur, *Deum*, ibi *Dominum.*

Septimus versiculus, qui respondet decimo, plane diversus est. Ibi enim dicitur, *Quoniam in generatione justa est: consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes ejus est:* hic vero dicitur, *Quoniam Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* Hic igitur versiculus, qui solus explicandus est, reddit rationem, cur impii trepident timore, ubi non est timor; et dicit, causam esse, *quoniam Deus dissipat omnia ossa eorum*, id est, debilitat omne robur eorum, ut etiam levissima quæque formident: id vero facit admirabili providentia sua infatuando consilia eorum, impediendo conatus eorum, et ad nihilum redigendo omnes machinationes eorum: ossa enim in Scripturis pro fortitudine passim accipiuntur. Addit Propheta, *qui hominibus placent;* quoniam ejusmodi homines pleni sunt timore humano, sive mundano, et totum studium eorum est hominibus placere. Apostolus autem e contrario dicit, Gal. cap. 1. *si hominibus placerem, Christi servus non essem.* In Hebræo non habetur, Qui hominibus placent, sed, Circumdantium te, sed Septuaginta Interpretes non legerunt, חֹנֵךְ *chonach*, quod est, circumdantium te, sed, חֹנֵף *chonaph*, quod significat hypocritam, simulatorem, adulatorem, quam vocem rectissime interpretati sunt, ἀνθρωπαρέσκων, id est, eorum qui hominibus placent; ejusmodi enim sunt adulatores, et hypocritæ. Adjungit Propheta, *Confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos:* quibus verbis videtur alludere ad versiculum decimum Psalmi decimitertii, *Consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes ejus est.* Quasi dicat, vos impii confudistis consilium inopis confidentis in Deo: Deus confundet vos, et ut sæpe erubescere cogamini videntes irrita consilia vestra, quoniam in Deo non sperastis, et Deus sprevit vos, ac per hoc non adjuvit vos. Possent etiam hæc referri ad novissimum judicium, in quo omnes impii confundentur, quoniam Deus Judex omnium spernet eos, dicens: *Non novi vos, ite in ignem æternum.* Matth. 25.

Octavus versiculus, qui et postremus, idem est cum postremo versiculo Psalmi tertii decimi, nisi quod ibi dicitur, *Cum averterit Deus captivitatem.* Sed quamquam avertere, et convertere videantur esse contraria: tamen hoc loco sensum eumdem faciunt: dicitur enim Deus avertere captivitatem, cum tollit e medio et ad nihilum redigit ipsam captivitatem, quod fit cum captivis liberatis, captivitas esse desinit. Dicitur autem idem Deus convertere captivitatem, quando captivos revocat et reducit in patriam. Denique cum dicitur averti captivitas, sumitur captivitas pro forma, id est, pro ipsa vera captivitate: cum dicitur converti captivitas, sumitur captivitas pro personis, quæ erant captivæ.

PSALMUS LIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem in carnibus intellectus David, cum venissent Ziphæi, et dixissent ad Saul: Nonne David absconditus est apud nos?

Ex titulo colligitur argumentum. Scribitur lib. 1. Reg. cap. 23. Ziphæos proditores fuisse Davidis, qui apud eos, tamquam apud amicos manens, declinabat persecutionem Saulis. Ipsi enim Sauli patefecerunt Davidem apud se latere, unde factum est, ut Saul cum maximo exercitu ad eos accederet, et quasi in modum coronæ totum locum cingeret, ut David pene de vita desperaret. Occasione igitur tam imminentis periculi, David ad Deum per orationem confugit, et hunc Psalmum, Domino inspirante, composuit. Theodoretus, et Euthymius, quem aliqui recentiores sequuntur, existimant Psalmum compositum fuisse post liberationem; et esse hymnum gratiarum actionis. S. Hieronymus et Augustinus, quamvis mystice solum exponant, tamen indicant Psalmum compositum fuisse instante persecutione, quod clarius tradit S. Hilarius exponens ad litteram, et mystice, hanc sententiam veriorem esse, et ipse titulus, et totus Psalmi contextus ostendit. Illud, *intellectus David*, significat hanc fuisse sanctam prudentiam Davidis, ut intelligeret in tam magno periculo ad Deum esse recurrendum, et in illo sperandum. In qua ratione intellexit etiam inspirante Domino se de omni periculo liberandum.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Deus in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me.

Orat Deum, ut quando defecerant omnia humana remedia, ipse per se ad juvandum accederet. *Deus*, inquit, *in nomine tuo*, id est, po-

testate tua, cui omnia cedunt, *salvum me fac:* et per alia verba idem significans, addit, *et in virtute tua*; id est potentia, robore tuo, *Judica me*, id est, sis judex meus, et pro meritis retribue mihi defensionem; et adversario meo ultionem: non enim habebat tunc David, ad quem appellaret ab injustitia Regis, nisi solum Deum. Quo exemplo admonemur, numquam esse desperandum de auxilio Domini, etiamsi mors evidentissime imminere videatur, Deus enim ubique est, et omnia in manibus habet, et cultores suos ad se confugientes non despicit.

2. Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei.

Jam confessus fuerat potentiam Domini: nunc orat, ut Dominus ad potentiam adjungat voluntatem. *Deus*, inquit, *exaudi orationem meam*, quasi dicat, scio te omnia posse; sed oro, ut velis; ideo peto, ut exaudias orationem meam, qua te rogavi, ut potestate tua salvum me faceres. Idem repetit sequentibus verbis, *auribus percipe verba oris mei*, id est, ne avertas aures tuas, neque despicias orationem meam.

3. Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam, et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Explicat pericula, a quibus liberari desiderat, dicens, *Quoniam alieni insurrexerunt adversum me*, id est, Ziphæi, qui proximi videbantur, sed corde alieni erant a me: insurrexerunt contra me, irritantes Saulem ad me persequendum: *et fortes quæsierunt animam meam*, id est, et Saul cum armato exercitu, quæsierunt vitam meam ad extinguendum eam: hæc enim erat tota ratio persecutionis: quia enim timebat Saul, ne aliquando David regnaret, cupiebat eum de medio tollere: quamvis enim Davidem innocentem esse Saul non ignoraret, tamen cupiditas retinendi in propria familia Regnum, quam rationem status nunc vocant, faciebat, ut justum videretur, quod injustissimum erat. *Et non posuerunt Deum ante conspectum suum*, id est, et neque illi, neque isti timorem Domini præ oculis habuerunt; illi enim, Ziphæi videlicet, gratiam Regis legi Domini; et isti, Saul et satellites ejus regnandi cupiditatem justitiæ, quam Deus in primis observari jubet, anteposuerunt. Vere enim initium omnium malorum est avertere oculos mentis a Deo, et ejus lege naturali omnibus nota. Vide S. Thomam quæst. 1. de Malo, articulo 3.

4. Ecce enim Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animæ meæ.

Illi, inquit, non habuerunt Deum ante oculos suos: sed Deus habuit illos ante oculos suos, et vidit quid molirentur, et non permisit, ut malam suam voluntatem implerent. Illud *ecce*, significat repentinam illustrationem Prophetæ, qua prævidit auxilium Dei sibi non defuturum, et tam certo prævidit ut tamquam de re præsente dicat, *Ecce Deus adjuvat me:* particula *enim*, vel ponitur pro, autem, vel subintelligitur aliquid, hoc modo, Illi non proposuerunt Deum ante conspectum suum, ut facere debuissent: *ecce enim Deus adjuvat me. Et Dominus susceptor est animæ meæ*, id est, ecce video Deum me adjuvantem, et suscipientem quasi in sinu suo custodiendam vitam meam, quam isti quærunt mihi eripere. Et vere repentinum, et inopinatum fuit auxilium Dei: nam cum undique circumdedisset Saul exercitu suo Davidem, ut evadere non posset: repente venit nuncius ad Saulem, qui diceret Philistæos magno agmine se infudisse in regione Saulis, quo nuncio coactus est Saul recedere a persequendo Davide, et fortasse orante Davide venit ille nuncius, et David, qui eum in spiritu præviderat, dicit, *Ecce enim Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animæ meæ.*

5. Averte mala inimicis meis, et in veritate tua disperde illos.

Per imprecationem intelligitur prædictio, ut sæpe monuimus; et in Hebræo legitur per modum prædictionis, sic enim ad verbum reddi possunt verba Hebraica, *Revertitur malum inimicis meis*, nostra autem lectio facilior esset, si ita legeremus, *Averte mala a me ad inimicos meos.* Sed in eumdem sensum verba explicanda sunt. *Averte mala quæ mihi impendent*, a me, et converte illa ad inimicos meos. Quod quidem ita factum est, nam Saul Davidem persequebatur, et continuo factum est, ut Philisthæi persequerentur Saulem. Ita pericula, quæ imminebant a Saule David, cœperunt imminere a Philistæis Sauli. Illud autem, *et in veritate tua disperde illos*, impletum est non diu postea, nam in montibus Gelboe periit Saul cum exercitu suo, in quo exercitu credibile est adfuisse, et similiter periisse illos, qui Davidem persequuti fuerant: disperdere enim hoc loco non significat dissipare, sed omnino delere, et extinguere, si vox Hebraica, הצמיתם *hatsemitham*, consideretur. Vide lib. Reg. cap. ult. Illud, *In veritate tua*, significat, juxta promissiones tuas, sive secundum justitiam tuam, qua reddis unicuique secundum opera sua. Matth. 16.

6. Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.

Videns Propheta se continuo exauditum sive ex prænotione futuræ liberationis, sive ipso orante discesserit Saul propter pericula Philistinorum sibi denuntiata; gratias agit Deo, ac dicit, *Voluntarie sacrificabo tibi*, id est, promptissimo animo offeram sacrificium laudis: et idem aliis verbis repetens ait, *et confitebor nomini tuo*, id est confessionem laudis offeram tibi (nomen enim Dei pro ipso Deo ponitur) *quoniam bonum est.* Siquidem nomen Dei, pro re significata sumptum, id est, pro ipso Deo res est omnium optima; ita ut Christus ipse dixerit, *Nemo bonus nisi solus Deus.* Matth. 19. Luc. 18. Marci 10. S. Augustinus recte monet, occasione adverbii *voluntarie*, Deum esse diligendum propter seipsum amore puro, non tam propter præmium aliquod, quam propter ipsius Dei summam, et ineffabilem bonitatem; quam dilectionem qui habet, non minus Deo sacrificat, eique confitetur in adversis, quam in prosperis: siquidem Deus non minus bonus est, cum nos flagellat, quam cum pascit, et reficit.

7. Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, et super inimicos meos despexit oculus meus.

Ostendit ex effectu Deum esse bonum, quoniam tam cito exaudivit servum suum. *Quoniam*, inquit, *ex omni tribulatione eripuisti me*, id est quoniam revelans mihi meam certam liberationem, jam in spe ex omni tribulatione liberasti me, *et super inimicos meos despexit oculus meus*, id est, et in eadem prænotione jam oculus meus vidit inimicos meos prostratos, et consumptos: refertur enim hoc ad id, quod antea dixerat, *in virtute tua disperde illos.* Nisi forte placeat, ut supra indicavimus, ipso Propheta orante incœpisse ejus liberationem; recedente videlicet Saule propter nuncium allatum de adventu Philistinorum, tunc enim sensus erit; *Quoniam ex omni præsenti tribulatione eripuisti me, et oculus meus* vidit *inimicos meos*, recedentes cum Saule Duce ipsorum. Nam vox illa despexit, non significat contemptum, sed simplicem visionem, ut perspicuum est ex Hebraica voce, ראתה *rahatha*, verti enim potuisset: Super inimicos meos respexit oculus meus, id est, oculus meus libere, et sine timore respexit inimicos meos. Vulgatus Interpres posuit, *despexit*, ut significaret Davidem ex alto loco vidisse inimicos prostratos, aut recedentes, juxta duas expositiones indicatas. Vere enim David *despexit*, id est, deorsum aspexit inimicos suos, sive quia tunc erat in monte edito corporaliter, sive quia spiritus prophetiæ in altum illum evexerat et ex alto divinæ revelationis inimicos suos vidit quasi jacentes in imo. Porro hic Psalmus quotidie in Ecclesia frequentatur ad horam primam ut exemplo Davidis discamus adversus omnes persecutores armis orationis ad initium diei communiri, scientes quod *omnes qui pie vivere volunt in Christo Jesu, persecutiones assidue patiuntur.*

PSALMUS LIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

IN FINEM, IN CARMINIBUS INTELLECTUS DAVID.

IN titulo nihil est, quod non sit alias explicatum. Argumentum esse volunt Sancti Patres Hilarius et Hieronymus de Passione Christi: Euthymius et Theodoretus Psalmum exponi volunt de Davide fugiente persecutionem Saulis, vel potius Absalonis: S. Augustinus de homine justo in tribulatione posito, sive de corpore Christi, quod est Ecclesia. Sed omnes expositiones admitti debent, aut certe possunt: nam quod de Davide Psalmus ad litteram recte exponatur, intelligi potest ex præcedente, et sequente, et ex aliis multis, ubi disertis verbis ponitur in titulo, Psalmum esse compositum occasione talis vel talis persecutionis, quam David patiebatur: quod etiam David figuram Christi gesserit, et quod Psalmi fere omnes ad Christum principaliter pertineant, dubitari non potest, cum ipse Dominus aliquoties Psalmos de se scriptos allegaverit, et Lucæ ultimo dixerit, *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Mosis et Prophetis, et Psalmis de me.* Denique quod exemplo Davidis omnis justus eodem modo orare possit, dubium esse non potest.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Exaudi Deus orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam: intende mihi, et exaudi me.

Incipit David quasi a procemio, quo captatur benevolentia Judicis, ac petitur, ut benigne et attente audire velit: ac primum dicit, *Exaudi Deus orationem meam.* Deinde ne forte oratio, vel persona orantis displiceat, utrumque commendat, ac de oratione dicit, *Ne despexeris deprecationem meam*, id est, humilem, et supplicem precem meam: id enim proprie significat vox Hebraica מתחנתי *mithchanathi*, hoc loco posita: de persona vero orantis addit, *Intende mihi et exaudi me*, id est, benigne me respice, et benignam aurem mihi porrige. Fortasse etiam ter eamdem orationem repetit, quia noverat Deum esse Trinitatem, et orationem dirigit ad Patrem, deprecationem ad Filium, personam orantis ad Spiritum sanctum. Denique tertio idem aliis verbis orat, ut affectum, et desiderium ostendat: quo modo et *Christus in horto eamdem orationem tertio repetivit*, Matth. 26. et Apostolus *ter Dominum rogavit*, 2 Cor. 1.

2. Contristatus sum in exercitatione mea, et conturbatus sum a voce inimici, et a tribulatione peccatoris.

Exponit nunc materiam orationis suæ, quæ est vehemens persecutio inimicorum, ob quam contristabatur, et conturbabatur, et a qua liberari desiderabat. In Hebræo, pro voce, *Contristatus*, est verbum אריד *arid*, quod significat flebo, sive ululabo, sed futurum ponitur pro

præterito, ut ex versione Septuaginta, et S. Hieronymi perspicuum est, et pro voce in exercitatione mea, est, שיחי *Sichi*, quod significat, *meditationem*, *et submissa voce loquutionem.* Itaque sensus est, flevi dum exercerer cogitando, et mecum ipse conferendo miserias meas; quod idem est cum eo, quod nos habemus, *Contristatus sum in exercitatione mea.* Sed verba Hebraica clariora sunt. Sequitur, *et conturbatus sum a voce inimici, et a tribulatione peccatoris*, id est, non solum tristis fui, et flevi ob præsentes miserias, sed etiam timui futuras, *conturbatus a voce inimici*, comminantis longe pejora; et a tribulatione, quam minabatur peccator inimicus meus. Idem enim est a voce inimici, et tribulatione peccatoris; nam inimicus peccator voce sua tribulationem minabatur innocenti. Istum autem inimicum peccatorem intelligere possumus, tum Saulem aut Absalonem respectu Davidis; tum Caipham et Annam respectu Christi, tum quemlibet persecutorem respectu hominis probi.

3. Quoniam declinaverunt in me iniquitates, et in ira molesti erant mihi.

Ostendit, non vanam fuisse turbationem suam. *Quoniam*, inimici *declinaverunt*, inquit, *in me iniquitates*, id est projecerunt in me falsa crimina, convicia, calumnias, opprobria, ut exponunt SS. Patres Hilarius, et Augustinus ex quo intelligimus, vocem, iniquitates, esse in casu accusandi, non in casu nominandi, ut nunc habent codices Græci communiter: *et in ira molesti erant mihi*, id est, et ob iram in me conceptam, molesti erant non verbis tantum calumniantes, sed etiam factis me persequentes.

4. Cor meum conturbatum est in me: et formido mortis cecidit super me.

Explicat magis in particulari, quod dixerat, *conturbatus sum*, *conturbatum*, inquit, *est cor meum in me*, id est, in intimis meis, ubi sedes cordis est, conturbatus sum. In Hebræo habetur clarius, *cor meum doluit in medio mei.* Et subjungit rationem, dicens, *et formido mortis cecidit super me:* nulla enim res facilius ad intima descendit, et magis totum hominem turbat, quam mortis imminentis periculum: hoc impletum fuisse in Davide, cum plorans fugeret a facie Absalon, et in Christo, cum in horto paveret, et sudorem sanguineum funderet, Matth. 26. Luc. 22. notissimum est.

5. Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ.

Idem aliis verbis dicit, et quasi summatim omnia comprehendit: nam timor in anima erat, tremor in corpore, tenebræ autem mœroris totum hominem operuerant: sicut enim lætitia exhilarat, et dilatat cor, sic etiam mœstitia constringit, et obducit, ac per hoc tenebras facit, unde etiam qui mœrent tenebras quærunt, in cubicula se abdunt, fenestras claudunt.

6. Et dixi, quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, et volabo et requiescam.

Verba sunt justi suspirantis ad patriam cœlestem, neque enim alibi vera requies invenitur, quasi dicat, o si nunc possim ad altissimos montes cœlestis Hierusalem confugere, quomodo columba potest pernicitate sua ungues accipitris evadere, vel quomodo columba tempore diluvii, *cum non inveniret, ubi requiesceret pes ejus, ad manus Noe, atque ad arcam rediit.* Genes. 8. Proprie autem justus columbæ comparatur, quæ innoxium est animal, fecundum, et simplex; et non pugnando, sed fugiendo vincit: sic enim, et vir justus adversus tentationes accipitris Tartarei fugiendo potius quam disputando, vel altercando vincere solet.

7. Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine.

Hæc satis apposite Davidi conveniunt, qui fugiens Saulem, et postea Absalonem ad desertum se contulit, quasi dicat, quia non datur mihi, ut instar columbæ ad locum veræ quietis ascendam, feci quod potui: nam *elongavi fugiens*, *et mansi in solitudine.* Idem convenit cuilibet viro justo in tribulationibus posito, qui cum possit ad patriam commigrare, elongat se cogitatione a tumultibus sæculi, quantum potest, et ad solitudinem cordis, et conscientiæ se transfert ubi solus cum solo Deo colloquens, aliquantulam quietem invenit.

8. Expectabam eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus, et tempestate.

In ea solitudine, *expectabam Deum*, id est, auxilium ejus, *qui me salvum fecit*, id est, qui alias salvum fecit, et salvum facere solet, *a pusillanimitate spiritus et tempestate*, id est, a parvo animo ad tolerandum, et a magna tentatione. Ubi conjunguntur duo, quæ mirum in modum amplificant necessitatem auxilii divini: nam si parvitati animi contingat parva tentatio, vel magno animo magna tentatio, æquale erit certamen; sed si cum parvitate animi, jungatur magna tentatio, intolerabilis erit. Hoc igitur nunc dicit sibi accidisse, ac proinde petit a Deo, vel ut sibi addat vires, vel diminuat tentationem, vel (quod magis optandum est) utrumque faciat. Sed codices hoc loco sunt admodum varii: nam Hebraicus habet ad verbum, *Festinabo*, *ut salver a spiritu concitato*, *a tempestate.* Græcus autem habet, *Expectabam Deum, qui me salvum faceret* a pusillanimitate, et tempestate. Noster autem interpres videtur aliquid ab Hebræo, aliquid a Græco accepisse, prima vox Hebraica אחישה *achisa*, significat, *Festinabo*, nec video quid legere potuerint Septuaginta, ut verterent, *expectabam;* ideo existimo illos vertisse non verba, sed sensum, nam, *festinabo*, *ut salver*, bene cohæret cum, *expectabam salvantem Deum:* si quidem expectabat salutem ex festinatione per orationem ad Deum, quomodo, qui in fuga spem ponit, dicere potest, expectari salutem ex festinatione in currendo, et fugiendo. Sic igitur vir justus, festinans ad Deum ferventi desiderio, orando, et pulsando, expectabat auxilium, quo salvus fieret. Illa vox, *Deum*, quæ est in Græco, non est in Hebræo, neque in Patribus, Hilario, Hieronymo, Augustino. Itaque videtur addita a posterioribus explicandi gratia. Illud autem, *a pusillanimitate spiritus,* facile colligitur ex He-

bræo, et concordatur cum Græco; nam vox Hebræa סעה Sohha non habetur nisi hoc loco, et communiter dicitur significare concitationem; unde sanctus Hieronymus vertit, *a spiritu tempestatis*, id est, a spiritu concitato; sed quia sequitur, *a turbine*, sive *a tempestate;* rectius dicemus, spiritum concitatum hoc loco significare spiritum hominis metu concitatum, et turbatum, quod idem est cum pusillanimitate spiritus: nam qui magno spiritu, vel animo sunt, non facile turbantur, et concitantur; sed firmi, ac stabiles permanent. Itaque sensus erit in Hebræo, *festinabo, ut salver a spiritu concitato a tempestate*, id est, a parvitate animi, *et a tempestate tribulationis.* In Græco non nominatur spiritus, quia intelligitur in voce pusillanimitatis, idem est enim pusillus animus, et pusillus spiritus.

9. Præcipita Domine, divide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem, et contradictionem in civitate.

Quia expectabat salutem a Domino per orationem, orat Deum: ut impediat consilia hostium suorum. *Præcipita*, inquit, *Domine*, id est, præcipita in profundum inimicos meos, hoc enim significat vox Hebræa בלע balahh, et Græca καταπόντιζον. Unde legit Augustinus, *demerge eos:* deinde addit modum, quo velit illos præcipitari in exitium. *Divide*, inquit, *linguas eorum*, id est, fac, ut qui contra me conspirarunt, non conveniant in consiliis, sed unus hoc, alius aliud judicet, et loquatur; et vere sic accidit inimicis David: nam cum Absalon capta civitate, consultaret de modo perdendi Davidem, varii varia consilia dederunt: infatuavit autem Deus consilium Achitophelis, quia inspiravit Absaloni, ut consilium ejus non sequeretur; inde deteriore consilio electo rem male gesserunt et plurimi eorum perierunt. Itaque ex divisione linguarum in præcipitium acti sunt; vide lib. 2. Reg. cap. 17. et 18. Sequitur, *Quoniam vidi iniquitatem, et contradictionem in civitate.* Hæc etiam satis apposite exponuntur de Davide, qui viderat in civitate sua Hierusalem proditionem iniquissimam adversus personam suam, et rebellionem manifestissimam, quæ significata est nomine contradictionis; quia contradicebant ejus imperio, cum Absalonem in Regem elegissent. Possunt etiam exponi hæc omnia de Christo, ut exponit sanctus Hilarius; nec non de viro justo, qui persecutionem injustam patitur, et contradictionem a civibus Babyloniæ, id est, ab amatoribus Mundi, qui semper persequuntur, et odio habent eos, qui de Mundo non sunt, sed ut hospites, et peregrini in Mundo sunt.

10. Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas: et labor in medio ejus, et injustitia.

11. Et non defecit de plateis ejus usura, et dolus.

Pergit describere iniquitatem civitatis, a qua ipse persecutionem patiebatur, ac mirabili modo loquendi dicit iniquitatem, quasi armatum militem obtinuisse muros ejus, ut justitia non posset accedere. *Die*, inquit, *ac nocte*, id est semper, *circumdabit eam super muros ejus iniquitas*, id est, iniquitas super muros ejus consistens circumdabat eam instar custodiæ militaris: *et labor in medio ejus, et injustitia*, id est, et interim intus in ipsa civitate nihil aliud erat, nisi labor miserorum, et injustitia potentiorum, dum secure, et libere, injusti divites et potentes opprimerent pauperes, et imbecilles. *Et non defecit de plateis ejus usura et dolus*, id est, et oppressio illa partim erat manifesta, dum in ipsis plateis exigerent usuras divites a pauperibus, partim occulta, dum variis dolis, et insidiis eos circumveniebant, et vexabant. Hæc conveniebant quidem Jerosolymæ tempore Davidis, sed multo magis tempore Christi; et multo maxime conveniunt Babyloniæ; id est, amatoribus mundi hujus in quo regnat concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.

12. Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique.

13. Et si is, qui oderat me, super me magna loquutus fuisset: abscondissem me forsitan ab eo.

14. Tu vero homo unanimis, Dux meus, et notus meus.

15. Qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu.

Postea quam conquestus est David de tota civitate, et populo, conqueritur nunc de uno particulari proditore, qui videtur fuisse Achitophel, si Psalmus exponatur de Davide: Judas autem, si exponatur de Christo: quivis alius falsus amicus, si de homine justo generatim accipiatur. Ait, igitur: *Si inimicus aliquis* manifestus *maledixisset mihi*, æquo animo tulissem; quia inimicus solet id facere, et non est mirum, si faciat. *Et si is qui oderat me*, ita ut profiteretur manifestam inimicitiam mecum, magna aliqua convicia, vel magnas calumnias de me loquutus fuisset; *ego forsan abscondissem me ab eo*, ut ejus iracundiam mitigarem, et ne darem occasionem majorum conviciorum. Sed a te abscondi non poteram, neque umquam ejusmodi proditionem a te expectassem, quoniam *tu homo unanimis videbaris*, id est, amicissimus meus, et unum cor, et unam animam mecum habens. Item *Dux meus*, id est, consiliarius meus primarius, cujus ego sententiam in rebus agendis semper sequebar. (*Erat enim Achitophel consiliarius Davidis, et talis consiliarius, ut consulere Achitophelem idem fere esset, ac Deum consulere*, ut dicitur 2. Reg. 16.) Sed si exponatur Psalmus de Juda, dicetur Judas *Dux Christi*, quia a Christo Dux fuerat constitutus populorum cum aliis Apostolis, juxta illud Psal. 44. *Constitues eos Principes super omnem terram.* Item *notus meus*, id est familiaris et commensalis, *qui simul mecum dulces capiebas cibos:* dicuntur autem dulces cibi, quia amicitia convivarum eos facit dulciores; nam in Hebræo ad literam habetur, *qui simul dulces faciebamus cibos.* Sed Sanctus Augustinus *per dulces cibos*, intelligit Eucharistiam quam Judas cum Christo in ultima cœna gustavit, qui cibus omnem habet saporum sua-

vitatem. Denique non solum unanimis, et notus, et commensalis in rebus politicis, et domesticis; sed ejusdem religionis, et ejusdem sententiæ in sacris cæremoniis : *ambulavimus enim in domo Dei cum consensu*, id est, non fuit inter nos ulla dissensio in actionibus, quæ ad cultum Dei pertinebant. In Hebræo pro, *cibos*, est סוד *sod*, quod *secretum*, non *cibum*, significat. Sed credibile est Septuaginta Interpretes non habuisse in suis codicibus, סוד *sod*, sed, זיד *zed*, quod *escam* significat : et magis cohæret dulcedo cum cibis, quam cum secreto : capere enim dulces cibos, rectius dicitur, quam capere dulce secretum. Illud etiam, *cum consensu ;* ex Hebræo sanctus Hieronymus vertit, *in terrore.* Sed fortasse sanctus Hieronymus non habuit in suo Codice, רגש *raghes*, ut nos habemus, quod significat, *conjunctim*, sed habuit רגז *raghez*, quod *terrorem* significat: nostra lectio convenit cum Hebraico, et Græco codice.

16. Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes.

Imprecatur, seu potius prædicit per formam imprecationis, eam pœnam, quam juste dederunt Dathan et Abiron, Num. 16. Qui seditionem, et schisma facientes vivi a terra dehiscente absorpti sunt : qui quidem *viventes perierunt*, id est, videntes se absorberi, et vivos sepeliri, perierunt. Hoc impletum est in iis, qui Davidem, Absalone duce, persequebantur : nam *plurimos eorum saltus consumpsit, non gladius*, ut dicitur 2. Reg. 18. Impletum quoque est in Judæis, qui in obsidione Jerosolymæ viventes, et videntes peribant, vel fame cadentes in plateis, vel ex muris se dejicientes, vel in foveis delitescentes : denique impletur in plurimis impiis, qui vident apertissimam veritatem, et sponte oculos claudunt; vel non ignorant in eo statu, in quo versantur, se salvos esse non posse, et tamen scientes, et volentes in eo ad mortem usque perseverant.

17. Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eorum.

Hæc est ratio tam severæ imprecationis; juste enim absorbentur viventes a terra, ut perpetuo habitent cum pœnis, qui elegerunt habitare cum vitiis : nam *nequitiæ in habitaculis eorum*, et non in habitaculis vacuis, *sed in medio eorum*, id est, cum ipsis in eisdem habitaculis commoratæ sunt.

18. Ego autem ad Deum clamavi, et Dominus salvabit me.

19. Vespere, mane, et meridie narrabo, et annunciabo, et exaudiet vocem meam.

Prædixit interitum inimicis : nunc sibi salutem prædicit. *Ego*, inquit, *clamavi ad Dominum*, ardenti oratione, et ipse salvabit me a periculo in quo versor, et deinceps clamabo non semel; sed etiam secundo, et tertio, videlicet *vespere, mane et meridie*, narrando, et annunciando ærumnas meas, et misericordias Domini, *et ipse Dominus exaudiet me.* Consuetudo ter in die orandi, legitur etiam apud Danielem, cap. 6. Fortasse in honorem sanctissimæ Trinitatis, cujus mysterium Prophetis non erat incognitum. Cur autem dicatur, *vespere, mane, et meridie*, et non potius mane, meridie, et vespere; ratio esse videtur quoniam secundum legem *festa celebrabantur a vespera ad vesperam*, ut dicitur Levit. 23. proinde primum tempus orationis erat vespertinum : quod etiam nunc observat Ecclesia, quæ incipit officia Divina a primis vesperis.

20. Redimet in pace animam meam ab his qui appropinquant mihi : quoniam inter multos erant mecum.

Explicat in quo sit exaudiendus a Deo. *Redimet in pace*, id est, ad pacem restituet, *animam meam*, id est, vitam meam, *ab his, qui appropinquant mihi*, id est, qui de propinquo adversus me dimicant : *quoniam inter multos erant mecum*, id est, quoniam multi erant dimicantes mecum, sive multi erant adversum me unum, sive in magna multitudine erant qui mecum pugnabant. Hunc existimo sensum esse hujus obscurissimi loci cum sancto Hieronymo in versione sua ex Hebræo. Itaque sententia erit, Deus liberabit vitam meam, transferendo eam a prælio appropinquantium contra me, ad optatam pacem, et id faciet ea ratione, quoniam iniquum erat, ut multi contra me unum pugnarent. Quod si hoc duriusculum videatur, poterit cum Euthymio ita exponi, *Redimet in pace*, id est, sine labore meo, *animam meam*, id est, vitam meam, *ab his qui appropinquant mihi*, ut mihi noceant; quoniam isti ipsi antea inter multos alios erant mecum : proinde proditorie et injuste contra me pugnabant, qui paulo antea in meis castris militabant. Impletum est hoc in Davide, qui in prælio contra Absalonem sine labore vicit, quia domi remansit, ut dicitur 2. Reg. 18. Impletum quoque est in Christo, qui liberatus est a morte per resurrectionem omnino in pace, et sine labore.

21. Exaudiet Deus, et humiliabit illos, qui est ante sæcula.

Exaudiet, inquit, *me*, qui oppugnor injuste, *et humiliabit eos*, qui me oppugnant, *is qui est ante sæcula*, id est, Deus creator sæculorum. In Hebræo significantius habetur, *Qui sedet ab initio*, id est, qui ab initio mundi judex sedet omnium hominum, is judicabit pro me, et condemnabit adversarios meos.

22. Non enim est illis commutatio, et non timuerunt Deum : extendit manum suam in retribuendo.

Merito, inquit, humiliabit illos justus Judex, *quia non est illis commutatio*, obdurati enim sunt, neque pœnitet eos sceleris sui : *et non timuerunt Deum ;* sed magis homines reveriti sunt, ideo *Deus extendit manum suam in retribuendo* singulis, prout merebantur. Non desunt, qui illud (*non est illis commutatio*) volunt debere exponi, non est illis redditio vicissitudinis, et hanc esse vim Græcæ vocis. Sed vox Hebraica non potest accipi pro redditione vicissitudinis : nam sanctus Hieronymus recte vertit, *non mutantur*, et similiter reddidit Symmachus, Theodoreto teste : proinde si velimus concordare Codicem Græcum cum Hebraico : oportet vo-

cem illam ἀντάλλαγμα accipere hoc loco pro commutatione hominis a vitio ad virtutem, non pro permutatione unius rei cum altera : et potest ita accipi, ut communiter accipiunt Interpretes tum Græci, tum Latini, quia vox illa generalis est.

23. Contaminaverunt testamentum ejus, et divisi sunt ab ira vultus ejus, et appropinquavit cor illius.

Hic versiculus obscurissimus est propter mutationes numeri singularis in numerum multitudinis. In Hebræo habetur in singulari, *contaminavit testamentum ejus, diviserunt,* sive *molliverunt præ butyro os suum*, vel *os ejus :* sed cum dicitur, *contaminavit*, potest exponi, *contaminavit unusquisque testamentum ejus*, quod est idem cum illo, *contaminaverunt testamentum ejus.* Illud etiam, præ butyro, si legatur vox Hebraica חמהות *chamahoth,* per ה, non per א, significabit חמאות *præ ira*, vel *ab ira*, ut vertunt Septuaginta Interpretes. Ilud etiam, *diviserunt*, potest etiam significare, divisi sunt : nam utramque significationem habet vox חלקו *chalecu*, sensus igitur hic erit, Deus juste extendit manum suam in retribuendis suppliciis inimicis meis, quoniam illi non solum non voluerunt mutari de vitio ad virtutem ; sed magis, ac magis contaminaverunt testamentum, sive pactum ejus, malis suis operibus, prævaricando leges ejus ; propter *divisi sunt*, hoc est, dispersi ac dissipati sunt ab ira vultus Dei ; *quia appropinquavit cor illius*, Dei videlicet, ad eos puniendos.

24. Molliti sunt sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula.

Redit ad malitiam præcipui proditoris, qualis fuit Achitophel respectu Davidis, et Judas respectu Christi. *Molliti*, inquit, *sunt sermones ejus super oleum,* id est, præ oleo ; et tamen ipsi sermones ejus non sunt verba ; sed jacula, sive lanceæ, delectant aures, feriunt corda : tales sunt omnes occultæ detrectationes, omnes blanditiæ meretricum, omnes persuasiones hæreticorum, omnes proditorum simulationes.

25. Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet : non dabit in æternum fluctuationem Justo.

Consolatur Propheta in fine Psalmi se, et sui similes, atque exhortatur ad fiduciam totam in Domino collocandam, qui sine dubio sollicitus est pro servis, et amicis suis, ut S. Petrus admonet in epistola prima cap. 5. *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis :* quod ipsum copiose, et multis exemplis allatis Christus ipse monet, Matth. 6. Quæ non eo pertinent, ut otiose vivamus, et de victu quærendo solliciti nullo modo simus : sed ut non anxie et perturbate vivamus, ac ut præcipuam spem, et fiduciam non in nostris viribus, vel industria, sed in Dei misericordia et providentia collocemus, *Jacta*, inquit, o anima mea, et quisquis es timens Deum, *in Dominum curam tuam*, id est, relinque providentiæ divinæ curam eorum, quæ tibi necessaria sunt ad vitam, sive sustentandam sive protegendam, *et ipse te enutriet*, ipse tibi de necessariis omnibus providebit, benedicens laboribus manuum tuarum, et prosperans omnia opera tua : nec solum enutriet te, sed etiam defendet ab inimicis, et si aliquandiu fluctuari justum permiserit ad probandam patientiam, sive defectu rerum necessariarum ad vitam, sive persecutionibus impiorum : tamen hæc non diu durabunt, quia non permittet Deus Justum in æternum ærumnarum fluctibus agitari ; æterna enim tribulatio solis impiis reservatur, ut dicitur in sequenti versiculo.

26. Tu vero Deus deduces eos in puteum interitus.

Impios videlicet, tu Deus Judex deduces in puteum mortis, unde numquam emergere poterunt. Vocatur autem *puteus interitus* ipsa gehenna ignis æterni, in qua qui decidunt, perpetuo moriuntur ; vivunt enim semper in pœnis, ut semper moriantur, et mortis finem, quem cupiunt, numquam inveniant.

27. Viri sanguinum, et dolosi non dimidiabunt dies suos : ego autem sperabo in te Domine.

Non solum viri, qui insidiantur sanguini, præcipitabuntur in puteum mortis æternæ, sed etiam hic in terris non diu vivent : justum enim judicium est, ut qui vitam eripiunt, vitam perdant. Sic enim Deus ait Genes. 9. *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*, et Dominus Matth. 26. *Omnes qui acceperint gladium gladio peribunt.* Sed hæc omnia testimonia tum Psalmi hujus, tum Genesis et Evangelii, non significant omnes omnino, qui occidunt, esse occidendos ; sed eos tantum, qui injuste occidunt, et eos præcipue, qui ex insidiis occidunt : illi enim proprie sunt viri sanguinum et dolosi. Deinde neque significant omnes omnino, qui ex insidiis occidunt, gladio perituros ; sed ut plurimum fieri, ut occidantur vel a Judice, vel ab hostibus, vel a se ipsis, vel a casu aliquo, qui tamen respectu Dei non sit casus, sed dispositio providentiæ ipsius. Denique illud, *non dimidiabunt dies suos*, non est accipiendum mathematice, id est, nimis subtiliter ; sed est modus loquendi, quo vitæ brevitas significatur. Quod autem quidam objiciunt ex Psal. 72. *Et dies pleni invenientur in eis*, non impedit veritatem hujus versiculi : nam S. Hilarius hoc loco scribit, verba illa intelligi de justis, hæc de iniquis : quod si etiam quis contendat, utraque intelligi de peccatoribus, responderi poterit, illud non dici de viris sanguinum et dolosis ; sed de aliis peccatoribus, vel de paucis quibusdam, qui interdum extra communem regulam diu vivere permittuntur. Concludit Propheta illis verbis sibi valde familiaribus, *Ego autem sperabo in te, Domine*, quæ videntur referenda ad omnia supra dicta, ut sensus sit, Ego autem, tum ut liberer a proditoribus, qui sunt hostes occulti ; tum ut evadam inimicos manifestos ; tum ut non incidam in pœnas impiorum, ut non cadam in puteum interitus ; ut dies mei in medio cursu non deficiant ; sperabo in te, Domine, non in viribus meis.

PSALMUS LV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem pro populo, qui a Sanctis longe factus est. David in tituli inscriptionem cum tenuerunt eum Allophyli in Geth.

In hoc titulo habetur primo materia, sive argumentum Psalmi : deinde auctor, et excellentia Psalmi. Sed hæc omnia pendent ex historia, quæ habetur lib. 1. Reg. cap. 21. ubi scribitur Davidem fugisse a Saule, qui eum quærebat ad necem ; et pervenisse ad Achis Regem Geth Philisthæum : sed cum a Philisthæis agnitus fuisset, et detentus tamquam hostis ipsorum ; simulasse insaniam, et furorem, et eo modo e manibus eorum elapsum venisse in speluncam quamdam, ibique ad eum congregatum fuisse populum quadringentorum hominum exulum et miserorum. Ex hac historia colligimus, populum elongatum a Sanctis, pro quo scribitur Psalmus, esse populum illum quadringentorum exulum, qui ad tabernaculum Dei accedere non poterant, sed cum Davide huc, atque illuc vagabantur : et hoc est argumentum Psalmi, deploratio miseriarum Davidis, et populi ejus. Auctor, et excellentia Psalmi continetur in illis verbis, David in tituli inscriptionem : nam tituli inscriptio, ut intelligi potest ex voce Græca στηλογραφία, est inscriptio incisa in columna ad æternam memoriam. Sensus igitur est, Psalmus Davidis scriptus ab eo, quasi incisus in columna, ad memoriam sempiternam : denique occasio scribendi fuit illa evasio de manibus Philistinorum per simulatam stultitiam, quandu tenuerunt eum Allophyli, id est, Philisthæi in Geth. S. Hieronymus ita vertit hunc titulum. *Pro columba muta, eo quod procul abierit David simplex, et humilis, quando tenuerunt eum Philisthæi in Geth.* Quæ versio satis convenit cum verbis Hebraicis, ut nunc habentur in Bibliis : et pro columba muta, intelligitur idem David, qui obmutuit, quando stultum se finxit. Cæterum Septuaginta Interpretes viri doctissimi, sine dubio recte verterunt, quod in libris Hebraicis invenerunt. Ideo dicendum est, per columbam, quæ legitur in Hebræo, illos intellexisse populum, et vertisse sensum, non verba. Sæpe enim in Scripturis populus per columbam significatur : per vocem, אלם, *ellem*, quod significat *mutam*, illi verterunt, a Sanctis, quia habuerunt in suo codice inverso modo easdem litteras, מאל, *meel*, quod est a Deo, et per Deum intellexerunt arcam Dei, et ut clariorem sensum redderent, verterunt, *a Sanctis*, id est, a sanctuario, ubi erat arca Dei : per vocem, מכתם, *mictam*, quam S. Hieron. vertit, *simplicem, et humilem*, ipsi verterunt, inscriptionem tituli, quia legerunt, מכתב, *mictab*, quod inscriptionem significat. S. Hilarius, et S. Augustinus, totum Psalmum de Christo exponunt, qui per Davidem figuratus est : at per tituli inscriptionem, S. Augustinus titulum Crucis intelligit.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo : tota die impugnans tribulavit me.

Incipit ab oratione, et misericordiam postulat ; quoniam miseriam suam agnoscebat, patiebatur enim indignam persecutionem Saulis, et cum ab ea declinare vellet, incidit in graviorem Philistinorum : et ab utraque ad tempus liberatus, in spelunca interim exul, et inops delitescebat. *Miserere*, inquit, *mei, Deus*, qui miserorum unicum soles esse refugium. *Quoniam conculcavit me homo*, id est Saul ; dicit autem, *homo*, potius quam Saul, ut opponat hominem Deo, quasi dicat, Tu, Deus, miserere, quandoquidem homo est, qui me tribulat : cœlum aspicio, dum a terra despicior, ad Dominum confugio, dum conservus me persequitur, *Tota die impugnans tribulavit me*, hoc est, non semel mihi nocuit, sed omni tempore mihi molestus fuit ; neque me umquam quiescere passus est. Hæc verissima esse intelliget, qui legerit primum librum Regum. Neque difficile erit hæc omnia ad Christum applicare, qui propter nos factus est homo, et tamen homo semper eum impugnavit, et tribulavit a nativitate usque ad sepulturam, et postea corpus ejus, quod est Ecclesia, impugnare et tribulare non cessat, neque ad diem usque judicii cessabit. Significatur autem nomine hominis, cum dicitur, *conculcavit me homo*, vel Diabolus, qui in Evangelio Matth. 13. dicitur *inimicus homo*, vel ipsum genus humanum, quatenus spiritu Dei caret, et nihil est nisi homo, juxta illud 1. Corinth. 2. *Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis?* et paulo infra : *Nonne homines estis?* unde et Dominus, Matth. 16. distinguit Apostolos ab hominibus, cum dicit, *Quem dicunt homines esse filium hominis? et vos autem, quem me esse dicitis?*

2. Conculcaverunt me inimici mei tota die : quoniam multi bellantes adversum me.

Non solus Saul, sed omnes servi ejus Davidem persequebantur, et conterere nitebantur. Nec solus Diabolus, sed omnes ministri ejus adversus Christum et Ecclesiam bella gerebant, et gerunt.

3. Ab altitudine diei timebo : ego vero in te sperabo.

Hic variant Hebræa et Græca : nam in Hebræo conjungitur altitudo cum versiculo superiore, hoc modo, *Multi bellantes adversum me altissime;* et deinde sequitur alter versiculus, *Diem timebo, ego in Deo confidam.* Sed de hac distinctione Judæorum parum laboramus ; quoniam in textu antiquo nulla erat distinctio. In Græcis codicibus additur negatio, hoc modo, *Ab altitudine diei non timebo :* et sic etiam legit S. Hilarius. Sed nostram lectionem approbat S. Hieronymus in epist. ad Sunniam et Fretellam, ubi dicit negationem esse superadditam : et in Commentario hujus Psalmi utramque lectionem explicat. Igitur sensus est, Ego tametsi tam multos habeam inimicos : tamen non ab illis timebo, sed *ab altitudine diei timebo*, id est, a divinis judiciis timebo, quæ procedunt ab altissimo lumine, quale est in meridie, quod lumen omnia penetrat, etiam intima cordium ; sed cum timore spem quoque adjungam, ego enim, qui timebo ab altitudine luminis tui, simul etiam in tua misericordia et bonitate confidam.

4. In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi : non timebo, quid faciat mihi caro.

Explicat clarius fiduciam suam et rationem fiduciæ. Deus enim per Samuelem olim promiserat Davidi Regnum : nam lib. 1. Reg. cap. 13. dicit Samuel de Davide, *Quæsivit sibi Dominus virum secundum cor suum, et præcepit ei ut esset Dux super populum suum :* ac deinde eodem lib. cap 16. jussit eum inungi in medio fratrum ejus. Hæc igitur promissio erat causa fiduciæ, et de hoc dicit, *In Deo laudabo sermones meos*, id est, fretus auxilio Dei, laudabo aliquando promissiones mihi factas a Deo, tamquam verissimas, quando videlicet completæ fuerint. *In Deo speravi*, ad implendas scilicet ejus promissiones ; *et ideo non timebo, quid faciat mihi caro*, id est, non timebo minas et persecutiones inimicorum meorum, qui caro sunt, id est, infirmi et fragiles, si cum Deo, qui mihi salutem et Regnum promisit, comparentur. In Hebræo habetur, *laudabo verbum ejus*, sed non repugnat nostræ lectioni quæ habet, sermones meos, siquidem illæ promissiones erant Dei, quia ille promiserat, et erant Davidis, quia illi promiserat. Potest etiam fieri, ut Septuaginta Interpretes non legerint, דברו *debaro, verbum ejus,* sed דברי *debari*, verbum meum, sola enim differentia consistit in una media littera. Non erit difficile de Christo exponere hunc versiculum, siquidem Angelus promittens Virgini, ait, *Dabit ei Dominus sedem David Patris ejus*, etc. et ipse Christus verissime dicere potuit, *Non timebo quid faciat mihi caro.*

5. Tota die verba mea execrabantur, adversum me omnes cogitationes eorum in malum.

Redit ad explicandam malitiam adversariorum suorum, ac dicit eo toto tempore, quo apud illos fuit, non cessasse vituperare omnia verba et facta ejus : et excogitare, quomodo eum perderent, quod non minus convenit in Scribas et Pharisæos calumniantes verba et opera Christi, et consilia agitantes de morte ejus, quam in Saulem et ministros ejus erga Davidem. Dixit autem verba et opera, quia vocabulum דבר *dabar* verbi apud Hebræos, et verba et opera significat.

6. Inhabitabunt, et abscondent : ipsi calcaneum meum observabunt.

Addit aliam malam adversariorum suorum qualitatem. *Inhabitabunt*, inquit, *et abscondent*, id est, simul habitare solebant mecum, tamquam amici et contubernales; et interim abscondebant se, et tecte atque occulte machinabantur dolos. *Et calcaneum meum*, id est, gressus meos, actiones meas *observabant*, ut me ad casum impellerent. Hæc enim erga Davidem ministri Saulis, et erga Christum Judæi faciebant. Quamvis autem verba, *inhabitabunt*, *et abscondent*, sint futuri temporis, tamen apud Hebræo pro præterito, ac præsertim pro imperfecto præterito frequenter accipiuntur. S. Hieronymus ex Hebræo vertit, congregabuntur : sed vox Hebraica, יָגוּדוּ *iagudu*, a Septuaginta lecta est יגורו *iaguru*, per ר, non per ד.

7. Sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo salvos facies illos : in ira populos confringes.

Prædicit nunc ruinam adversariorum suorum, justo Judice Deo illis reddente, quod proximo suo facere cogitaverunt. *Sicut*, inquit, *sustinuerunt animam meam*, id est, sicut in abscondito observantes expectaverunt vitam meam, ut eam perderent : ita tu Deus, *pro nulla re eos salvos facies*, id est, nullo modo salvabis, sed *in ira tua populos illos confringes*, et ad internecionem persequeris. Hoc impletum est in hostibus Davidis, qui cum Saule Rege simul interierunt in montibus Gelboe, ut dicitur l. 2. Reg. c. ult. Impletum est quoque in hostibus Christi, qui consumpti fuerunt in obsidione Jerosolymæ a Romanis, et reliquiæ dispersæ inter gentes; sed multo magis implebitur in die ultimi Judicii. Hoc loco in Codice Hebraico et Græco est manifesta corruptio : nam in Hebraico ubi nos habemus, pro nihilo, est, על און *hal aven*, quod significat, *pro iniquitate*, sed legendum est, על אין *hal ain*, pro nihilo : sic enim legunt Septuaginta, et ipse etiam sanctus Hieronymus, sanctus Hilarius, sanctus Augustinus, et alii. In Græcis quibusdam Codicibus est ὠσεις *expelles*, et sic legunt et exponunt Theodoretus et Euthymius. Sed vera lectio est ϛώσεις *salvabis :* quæ respondet Hebraicæ, et exponitur ab omnibus fere interpretibus. Porro illud, *pro nihilo salvos facies illos*, sanctus Hilarius exponit, resurgent quidem impii, sed pro nihilo, sive ad nihilum, quia non proderit illis resurrectio. Sanctus vero Augustinus in bonam partem explicat, *pro nihilo*, id est, sine meritis propriis, ex pura gratia salvabis illos. Sanctus Hieronymus tum in versione, tum in Commentario, impios non salvandos dicit : quod magis cohæret cum sequentibus, *in ira populos confringes.*

8. Deus vitam meam annunciavi tibi : posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Posteaquam de supplicio inimicorum loquutus est, revertitur ad precandum pro se. accidit, *Deus vitam meam annunciavi tibi*, id est, narravi in oratione cursum vitæ meæ, transmigrationes, varietates, labores : vox enim Hebraica נאדי *nodi*, significat mutationem et migrationem : sed Septuaginta Interpretes verterunt, *vitam meam*, ut brevissime omnia comprehenderent. Itaque per vitam intellexerunt cursum vitæ. et tu *posuisti in conspectu tuo lacrymas meas*, id est, ego flens coram te exposui cursum afflictissimæ vitæ meæ, et tu misericors, et pius Pater non avertisti faciem tuam, sed aspexisti cum misericordia lacrymas meas. In Hebræo habetur, pro, *in conspectu tuo* נאדי *nodi*, quod utrem Hebræi significare dicunt. Sed non solum Septuaginta verterunt *in conspectu tuo*, sed etiam sanctus Hieronymus ex Hebræo reddidit, *in conspectu tuo :* et sic habent omnes Latini et Græci Codices. Quare vel vox illa significat conspectum, vel aliquid aliud legerunt, tum Septuaginta, tum sanctus Hieronymus. Parum autem refert, quod in Hebræo habetur *numerasti* pro eo quod nos hactenus annunciavi : nam facile potuit mutari persona secunda in primam addendo unam, vel alteram litteram Hebraicam : et sensus est idem : nam et Propheta narravit suæ vitæ miserias, et Deus eas numeravit : idem autem verbum ספר *saphar*, *narrare*, et *numerare*, significat.

9. Sicut et in promissione tua ; tunc convertentur inimici mei retrorsum.

Prima pars hujus versiculi pertinet ad versiculum superiorem : nam non solum in Codice Hebraico conjunguntur hæc verba, *sicut et in promissione tua*, cum superioribus : sed etiam sic exponunt Hilarius, Hieronymus, Augustinus, Euthymius et alii. Itaque sensus est, *posuisti lacrymas meas in conspectu tuo*, *sicut et in promissione tua :* id est, sicut promisisti, te exauditurum deprecantes cum lacrymis, ita fecisti, quia *posuisti lacrymas meas in conspectu tuo*, ut eas exaudires : et cum exaudieris, *tunc convertentur inimici mei retrorsum*, id est, fusi, fugatique dissipabuntur et peribunt. Sanctus Augustinus exponit more suo in bonam partem, ut sensus sit, inimici, qui antea præire nos volebant, et ad interitum ducere, convertentur per pœnitentiam, et nos sequentur ad vitam, quomodo dixit Dominus Petro Matth. 16. *Vade post me Satana, scandalum es mihi*, *quia non sapis quæ Dei sunt*, id est noli me præire, sed post me ambula ; quoniam dum præire tentas, scandalum es mihi. Euthym. non minus utiliter exponit de Dæmonibus, qui nos præire, et ducere cupiebant ad gehennam : sed per gratiam Dei nostras preces audientis coguntur retrocedere, et nos oblatrantes sequi, dum properamus ad Regnum, unde illi exciderunt.

10. In quacumque die invocavero te, ecce cognovi, quoniam Deus meus es.

Concludit gratias agendo, et laudando Deum. Ecce, inquit, experimento cognovi, quod *in quacunque die invocavero te*, *tu Deus meus es*, id est, tu declarabis exaudiendo, te meum esse Deum.

11. In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem : in Deo speravi, non timebo, quid faciat mihi homo.

Hunc versiculum exposuimus : est enim omnino idem cum versiculo quarto, eo excepto, quod hic bis repetitur, *in Deo laudabo verbum :* quamvis enim interpres primo verbum dixerit, deinde sermonem ; tamen in Hebræo, et Græco est eadem vox utrobique. Quare poterat verti, *in Deo laudabo verbum*, *in Domino laudabo verbum :* cur autem primo dixerit, *in Deo*, deinde *in Domino ;* ratio esse videtur, ut ostendat se confidere in Deo, ut Judice, quod significat nomen Dei, et ut executore justitiæ, quod significat nomen Domini, cui omnia serviunt : addit, *non timebo quid faciat mihi caro*, ut declaret quod ibi dixerat; per carnem videlicet hominem intelligi debere.

12. In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi.

Pro his omnibus beneficiis pollicetur se persoluturum vota laudum in tribulatione concepta. *In me sunt*, inquit, *vota tua*, id est, in memoria mea sunt, sive in intimis præcordiis apud me conservantur, ut non excidant, *vota tua*, id est, promissiones tibi factæ a me. *Quæ reddam laudationes tibi*, id est, *quæ vota reddam ;* vota videlicet laudum et gratiarum actionis, sive, quæ vota continent laudationes tibi assidue a me concinendas.

13. Quoniam eripuisti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu : ut placeam coram Deo in lumine viventium.

Hæc est summa beneficiorum divinorum. *Quoniam eripuisti animam meam de morte*, id est vitam meam conservasti ab imminente morte, sive a Saule, sive ab Achis rege Philistinorum : *et pedes meos de lapsu*, id est, et conservasti me, ne laberer in peccatum inter tot, et tantas tentationes, quibus provocabar, ut Saulem interficerem, vel ei maledicerem : conservasti autem me a morte et a peccato, a morte corporali et spirituali. *Ut placeam coram Deo*, *sive ut ambulem* (ut habet vox Hebraica להתהלך *lechitthalech*) *placens Deo in lumine viventium*, id est, in lumine vitæ hujus temporalis, quo carent, qui mortui sunt : item in lumine fidei et gratiæ, quo carent infideles et peccatores, ut tandem perveniam ad lumen gloriæ cœlestis, quo fruuntur illi, qui soli vere proprieque viventes dici possunt. Possunt hæc etiam de Christo exponi, qui per resurrectionem liberatus est a morte carnis, et ab omni periculo subjacendi ulli passioni, et vivit, et regnat a dextris Patris in lumine viventium. Amen.

PSALMUS LVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

IN FINEM, NE DISPERDAS, DAVID IN TITULI INSCRIPTIONEM, CUM FUGERET A FACIE SAUL IN SPELUNCAM.

HISTORIA, cujus occasione Psalmus iste conscriptus fuit, habetur lib. 1. Reg. cap. 24. tunc enim David Saulem fugiens absconditus est cum aliquot ex suis in spelunca Engaddi, et cum Saul casu ad eam speluncam devenisset, et solus in eam intrasset, ut purgaret ventrem; David, qui in parte interiore latebat, incitatus a suis, ut interficeret Saulem, noluit id facere, ex qua historia colligitur argumentum hujus Psalmi simile esse argumento Psalmi superioris. In titulo nihil est novi, præter illa duo verba, *ne disperdas*, quæ quid significent, incertum est. S. Hilarius id refert ad Christi resurrectionem, per quam factum est, ne caro Christi in sepulchro corrumperetur: nam alia lectio habet, *ne corrumpas.* S. Augustinus, et S. Hieronymus interpretantur de titulo crucis Christi, quem Pilatus noluit corrumpere ad petitionem Judæorum, quasi id prædixerit David hoc loco. Theodoretus, et Euthymius exponunt de Davide, qui noluit occidere Saulem, cum impune posset. Itaque volunt ad æternam rei memoriam scriptum, *ne disperdas*, sive *ne perdas*, quia David non perdidit Saulem. Sed quamvis hæc expositio in hunc Psalmum quadret, tamen in Psalmum 57. et 58. et 74. ubi est eadem sententia in titulo, non videtur quadrare. Alii volunt Davidem pro se rogare Deum, ut non sinat eum occidi, et perdi. Alii denique arbitrantur, illis verbis significari instrumentum musicum, in quo Psalmi isti concinendi erant.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Miserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea.

2. Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.

David in spelunca precatur Deum pro liberatione a persecutione Saulis, et in hoc figura Christi est, qui latens in spelunca in forma servi, cum esset Dominus omnium, orat pro liberatione corporis sui, quod est Ecclesia, a persecutione Satanæ et ministrorum ejus. *Miserere*, inquit, *mei Deus*, id est, tu Deus misericors tolle miseriam, quam patior ob periculum vitæ; cui Saul insidiatur, *Miserere mei, quoniam in te confidit anima mea*, confidentia in Deo est optima ratio, quæ allegari potest ad impetrandam misericordiam, cum Deus promiserit auxilium confidentibus in se. *Et in umbra alarum tuarum sperabo:* id est, non solum hactenus in te confidit anima mea; sed etiam perseverabo in hac confidentia toto tempore quo protectione indigebo, quod erit, *donec transeat iniquitas*, id est, donec finem habeat hæc nostra peregrinatio, et exilium a patria cœlesti; tamdiu enim durabit iniquitas, quamdiu durabit peregrinatio, in qua mali bonis admixti sunt. Porro metaphora illa de umbra alarum Dei familiaris est Scripturæ sanctæ: nam in Psalmo 16. dicitur, *sub umbra alarum tuarum protege me*, in Psalmo 62. *In velamento alarum tuarum sperabo*, et in Psal. 90. *sub pennis ejus sperabis:* et Dominus Matth. 24. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?* Sensus autem est, sperabo in protectione tua, quomodo sperant pulli in protectione gallinæ, quæ sub alas colligit eos, et mirabili zelo a milvo defendit. Significatur hac metaphora ingens amor Dei erga suos electos, quos fovet et protegit, ut res sibi unice charas.

3. Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi.

Ex hac fiducia qua sub umbra alarum Dei speravit, prodibit clamor *ad Deum altissimum*, id est, ad supremum Judicem, qui super omnes alios Judices in altissimo throno residet; et ratio clamandi erit experimentum proprium: jam enim expertus erat David clamando ad Deum, se multum profecisse. *Clamabo*, inquit, *ad Deum, qui benefecit mihi*, id est, qui ultus me est de inimicis meis: vox enim Hebraica, *gemer*, hoc loco non significat benefacere absolute, sed ulcisci, ac per hoc benefacere ulciscendo innocentium injurias, unde sanctus Hieronymus vertit ex Hebræo, *invocabo Deum altissimum, Deum ultorem meum.* Qualis autem fuerit hæc ultio, habetur lib. 1. Reg. cap. 23. Nam cum Saul cinxisset exercitu suo montem, ad quem David confugerat, ut jam de vita sua pene desperaret: providentia divina fecit ut nuntius veniret ad Saulem, qui referret Philistæos cum magnis copiis in terram Israelitarum se infudisse, quo nuntio accepto coactus est Saul recedere a persequendo Davide, cum magno suo opprobrio et dolore. Et hoc breviter attingitur in sequenti versiculo.

4. Misit de cœlo, et liberavit me, dedit in opprobrium conculcantes me.

5. Misit Deus misericordiam suam, et veritatem suam : et eripuit animam meam de medio catulorum leonum : dormivi conturbatus.

6. Filii hominum dentes eorum arma, et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus.

Misit de cœlo, auxilium videlicet, *et liberavit me*, quando cinctus legionibus hostium jam jam capiendus, et occidendus eram. *Dedit in opprobrium conculcantes me*, id est, exposuit probris Saulem et milites ejus, qui me ut pulverem conculcabant et contemnebant, quando re infecta coacti sunt recedere, et Philistæis occurrere, ut supra diximus ex cap. 23. lib. 1. Reg. *Misit*, inquam, *de cœlo misericordiam et veritatem*, quasi duas manus suas, *misericordiam* qua liberaret me, *et veritatem*, id est, justitiam, qua hostes meos pudore, et dolore afficeret. *Et eripuit animam meam*, hoc est, vitam meam, *de medio catulorum leonum*, id est, Saulis et militum ejus, qui ferocia leones juvenes, ac per hoc, fortissimos referebant. Sed etiam sic liberatus ab imminente morte, tamen *dormivi conturbatus*, quia timui detractiones et calumnias inimicorum meorum, quorum dentes et linguæ feriunt instar lancearum, et gladiorum acutorum. In Hebræo deest verbum, *eripuit*, et sic vertit sanctus Hieronymus, *Anima mea in medio leonum dormivit ferocientium*. Sed in Hebræo Codice non est, *dormivit*, sed *dormivi*, אשכבה *eschebah*, in prima persona. Quare vel excidit verbum, *eripuit*, vel subintelligi debet; et quia Hebræi non habent casus, recte possumus vertere, tam *anima mea*, quam *animam meam* : denique illud, *conturbatus*, quod Hieronymus vertit, ferocientium, videlicet leonum, in Hebræo proprie significat, *ardentem*, vel, *inflammatum*, quod satis apte convenit cum voce, *conturbatus* : qui enim conturbati sunt, æstuare et ardere solent. Itaque lectio Hebraica non difficulter cum nostra Græca et Latina concordari potest, et hunc sensum facere, *Animam meam eripuit de medio leunculorum, dormivi æstuans, et conturbatus* : cur autem dormierit conturbatus, quando jam liberatus erat; exponit cum addit, *Filii hominum, dentes eorum arma, et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus*, id est, *dormivi conturbatus*, quoniam etiam si Saule recedente liberatus eram a morsu leonum, qui de propinquo mordent : tamen sciebam non deesse detractores et calumniatores; qui etiam longe feriunt, instar jaculorum et sagittarum; multi enim erant, qui calumniis suis incitabant Saulem adversus Davidem, ut ipse testatur lib. 1. Reg. cap. 24. *Quare*, inquit, *audis verba hominum loquentium, quærit David malum adversum te?* Porro phrasis illa, filii hominum dentes eorum arma et sagittæ, est Hebræorum propria; sensus autem est, filii hominum tales sunt, ut dentes eorum sint veluti lanceæ (hoc enim sonat vox Hebraica, חנית *thanith*, pro qua Septuaginta reddiderunt *arma et sagittæ*.) *Et lingua eorum*, veluti *gladius acutus* : quibus verbis significatur detractio, quæ per instrumenta dentium et linguæ formatur, et non minus nocet et interimit, quam lancea, sagitta, et gladius, cum incitet ad iracundiam, et sit causa malorum plurimorum.

7. Exaltare super cœlos Deus, et in omnem terram gloria tua.

Exposito timore suo precatur Deum, ut exercendo justitiam in impios hostes suos, manifestet gloriam suam. *Exaltare*, inquit, *super cœlos Deus*, id est, sede in altissimo throno, qui est super omnes cælos, ut judices : vel, exaltetur nomen tuum super cœlos coram Angelis, *et in omnem terram* coram hominibus dilatetur *gloria tua*, ita ut omnes intelligant, et laudent justitiam tuam.

8. Laqueum paraverunt pedibus meis, et incurvaverunt animam meam.

9. Foderunt ante faciem meam foveam, et inciderunt in eam.

Reddit causam, cur judicium Dei adversus hostes suos imploret. Nam præter alia, inquit, *laqueum paraverunt pedibus meis*, id est, insidias mihi tetenderunt ut me quasi feram de improviso caperent. *Et incurvaverunt animam meam*, id est, atque his insidiis me afflixerunt, ut præ continua sollicitudine incurvus ac mœstus incederem. Deinde idipsum repetit alia metaphora. *Foderunt*, inquit, *foveam ante faciem meam*, id est, foderunt foveam in itinere, quo iturus eram, ita ut fovea ante me esset, quamvis eam a me conspici non existimarent : illud enim, *ante faciem meam*, non significat, me aspiciente, et vidente; sed in loco, qui ante me erat, et per quem transiturus eram. *Et inciderunt in eam*, id est, paraverunt mihi periculum vitæ, et ipsi in illud inciderunt : nam ut dictum est supra ex cap. 23. lib. 1. Reg. Saul insidiabatur vitæ Davidis, et illo ipso tempore incidit in spelunca in manus Davidis, a quo poterat occidi, si David voluisset.

10. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo, et psalmum dicam.

Jam in fine Psalmi excitat Propheta spiritum suum in Deum, ac dicit, *Paratum cor meum, paratum cor meum*, id est, paratus sum vivere, paratus sum mori; paratus conculcari; paratus regnare, et quicquid acciderit de manu tua accipiam : *cantabo, et psalmum dicam*, laudabo misericordiam, laudabo justitiam, et voce, et instrumento musico.

11. Exurge gloria mea, exurge psalterium, et citharae : exurgam diluculo.

Quia dixerat *cantabo, et psalmum dicam* : nunc ut id recte fiat, non invocat Musas, ut prophani poetæ faciunt, sed invocat Spiritum prophetiæ, ut Theodoretus exponit. *Exurge*, inquit, *gloria mea*, id est, donum spiritus, quo afflante canere soleo mysteria divina, *exurge psalterium, et cithara*, id est, exurge spiritus meus, et lingua mea : spiritus enim per psalterium intelligitur, quod ex parte superiore sonum edit, et lingua per citharam, quæ ex parte inferiore sonat. *Exurgam diluculo*, id est, summo mane, quod est aptissimum tempus contemplandi divina, et canendi Deo, ego spiritus Dei exurgam, et excitabo spiritum tuum, et linguam tuam ad canendum. Potest etiam cum S. Hieronymo, et S. Augustino hic locus intelligi de resurrectione Christi; David enim, qui satis

intelligebat, se in passionibus suis Christi patientis, et morientis figuram gerere, Spiritu sancto afflatus ad Christum loquitur, ac dicit, *Exurge gloria mea:* nullam enim majorem gloriam David habere potuit, quam ut Pater Christi diceretur. *Exurge*, inquit, *gloria mea*, Christe redemptor filius meus, et Dominus meus: *Exurge psalterium, et cithara*, id est, exurge caro Christi, quæ psalterium fuisti, dum divina miracula operando ex parte superiore sonuisti; et cithara, dum humana patiendo ex parte inferiore sonitum dedisti. Deinde inducit ipsum respondentem, *Exurgam diluculo:* satis enim constat, Christum a mortuis diluculo surrexisse.

12. Confitebor tibi in populis Domine, et psalmum dicam tibi in gentibus.

Surgens diluculo David ad canendum Deo, dicit, *Confitebor tibi*, id est, laudabo te in populis Judæorum, *et psalmum dicam tibi in gentibus.* Noverat enim sanctus Propheta psalmos suos toto terrarum orbe cantandos a fidelibus, tum ex Judæis, tum ex gentibus in Ecclesia congregatis. Potest etiam sic exponi, ut Christus, qui dicit, *Exurgam diluculo*, addat etiam, se per corpus suum, quod est Ecclesia, Deum semper, et ubique laudaturum.

13. Quoniam magnificata est usque ad cœlos misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua.

Hæc est materia laudis apud omnes gentes; quod *misericordia Dei* magna effecta sit, et creverit usque ad cælos, non in se, quomodo semper est infinita, sed in operibus suis: et pari ratione *veritas Dei*, sive pro fidelitate, sive pro justitia accipiatur; replevit omnia *usque ad nubes*, id est, usque ad cælos: accipit enim propheta pro eodem usque ad cælos, et usque ad nubes, quæ ideo dicuntur in scripturis nubes cæli. Matth. 26. *Videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cæli.*

14. Exaltare super cœlos Deus, et super omnem terram gloria tua.

Quomodo misericordia, et veritas Domini pertingunt usque ad cælos: sic etiam par est; ut gloria, et laus ejus, et cælum, et terram repleat.

PSALMUS LVII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

IN FINEM, NE DISPERDAS DAVID, IN TITULI INSCRIPTIONEM.

TITULUS nihil habet novi. Argumentum est acris reprehensio hominum iniquorum: quamvis enim occasio scribendi nata sit ex iniquitate Saulis, et ministrorum ejus persequentium Davidem: tamen reprehensio est generalis, et, ut monuit sanctus Augustinus, concionatur Spiritus sanctus per os Prophetæ ad universum genus humanum.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Si vere utique justitiam loquimini: recta judicate filii hominum.

Non desunt ex recentioribus, qui velint totum versiculum hunc legi per interrogationem, hoc modo, *Num vere justitiam loquimini? num recta judicatis filii hominum?* Sed veteres omnes, Hilarius, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Euthymius, et alii legunt ut nos in textu nostro habemus. Sanctus autem Hieronymus non solum in expositione Psalterii, sed etiam in versione ex Hebræo vertit, *Si vere utique justitiam loquimini, recta judicate filii hominum.* Quamvis enim in prima parte versiculi adsit in Hebræo littera, ה *he*, quæ est signum interrogationis: tamen in secunda non habetur: proinde ad verbum sic vertendum esset, *Num vere justitiam loquimini? recta judicabitis filii hominum;* quæ sententia eadem est, cum ista, *si vere justitiam loquimini, recta judicabitis filii hominum.* Igitur sententia Prophetæ hæc est, Cum omnes homines interrogati, an sit bonum furari, mœchari, decipere, et similia; recte respondeant, non esse bonum; quia lex scripta in corde docet, ista non esse bona; cum nemo velit talia sibi fieri, convincuntur omnes iniqui non vere loqui justitiam, sed ficte, ac simulate, quia in corde suo judicant sibi esse bonum furari, mœchari, decipere, et similia: non enim facerent, nisi bonum sibi esse crederent. Nec solum convincuntur esse mendaces, dum falso loquuntur justitiam, et dicunt, non est bonum furari, mœchari, decipere, et similia: sed etiam convincuntur mirabili cæcitate laborare, cum negare non possint, malum esse furari, cum videant se non posse pati fures: et tamen judicent, sibi bonum esse furari, et facere alteri, quod sibi fieri nolunt, nam si bonum est furtum, quare nolunt sibi fieri? si non est bonum, quare volunt alteri facere? Adversus istam voluntariam et inexcusabilem cæcitatem clamat Spiritus sanctus, *si vere utique justitiam*

loquimini, dum dicitis, malum est furari, mœchari, et similia, *recta judicate filii hominum*, id est judicate in corde vestro, non esse facienda, ac per hoc nolite facere, quæ mala esse confessi estis.

2. Etenim in corde iniquitates operamini : in terra injustitias manus vestræ concinnant.

Ostendit, non sine causa se admonuisse, ut recta judicent, si justitiam vero loquuntur, nam apparet contraria illos facere, ac per hoc non vere justitiam loqui, sed ficte, ac mendaciter. *Etenim*, inquit, *in corde iniquitates operamini*, id est, corde judicatis, ac decernitis mala : neque ibi sistitis ; *sed in terras manus vestræ* cordis mandata exequentem *concinnant iniquitates*. Illud, in terra, significat peccata operum non posse fieri, nisi dum hic in terris vivimus : nam in inferno, erunt quidem mala desideria, sed facultas exequendi non erit. Illud *concinnant*, in Hebræo est, תפלטון *thephalesum appendunt* in Græco συμπλέκουσιν *connectunt*. Sed omnia idem significant, nimirum peccata peccatis apte conjungi, et appendi unum alteri, sed admixta sæpe specie aliqua virtutis, ut turpitudo iniquitatis aliquo modo tegatur. Exemplo esse potest Davidis adulterium : nam adulterio perpetrato, concinnavit David dolum, quo adulterium tegeretur, advocato videlicet Uria marito, atque ad uxorem misso, ut ex eo concepisse videretur : et quia hoc non successit, adjunxit adulterio homicidium, atque hoc etiam dolo alio concinnato, ut in prælio periisse dici posset. Vide alia exempla apud S. Augustinum.

3. Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, loquuti sunt falsa.

Hæc est alia peccatorum miseria, quod non post multos annos vitæ peccare incipiunt, sed ab ipsa nativitate, vix in lucem editi a recto tramite deflectunt. *Alienati sunt peccatores a vulva*, id est ab ipso exitu de vulva alienati sunt a recto tramite, a via veritatis, a beata vita, *erraverunt ab utero*, hæc est repetitio, et declaratio ejus quod dictum erat, *alienati sunt a vulva*, *loquuti sunt falsa* : hoc enim est primum ordinarie peccatum actuale, quod pueri committunt, mendacium videlicet; inde se primum prodit naturæ corruptio.

4. Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, et obturantis aures suas.

5. Quæ non exaudiet vocem incantantium : et venefici incantantis sapienter.

Docuit morbum peccati ab ipsa infantia incipere : nunc addit, non solum hunc esse morbum diuturnum, sed etiam gravissimum, quia nonnunquam peccatores tanto furore, et tanta obstinatione grassantur in perniciem aliorum hominum, ut similes efficiantur serpentibus illis, qui surdi dicuntur, quia incantationibus nullis cedunt. *Furor illis*, id est, gravissimis peccatoribus, qualis tunc erat Saul, *est secundum similitudinem serpentium*, qui nulla arte mansuefieri possunt : imo secundum similitudinem, *Aspidis surdæ*, quæ obturat cauda aures suas, *ut non exaudiat vocem incantantium*, *nec venefici incantantis sapienter*, id est, valde periti in arte sua. Utrum sit verum, an fabulosum, quod dicitur de Aspide, claudente sibi aures, ne audiat maleficum incantantem : non multum refert ad hujus Psalmi explicationem. David enim similitudinem ducit ab eo quod vulgo fertur. Monet etiam S. August. non ideo approbari incantationes veneficorum, quia David inde similitudinem accepit : nam et Dominus in Evangelio similitudines duxit a Judice injusto, *qui nec Deum timet nec hominem reveretur :* Luc. 18. et a villico iniquitatis qui, *donando bona Domini sui amicos multos sibi conciliavit*, Luc. 16. et ab illo qui *invento thesauro in agro alieno*, *continuo emit agrum illum ut thesauro solus potiretur*, Matth. 13. nec tamen approbavit injustitiam Judicis, neque fraudes servorum, nec astutiam cupidorum.

6. Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum, molas leonum confringet Dominus.

Descripta gravitate peccati aliquorum, inter quos Saulem David numerabat in primis : describit nunc pœnas eorumdem peccatorum aptissimis similitudinibus. Prima similitudo continetur in hoc sexto versiculo, et summa ejus est, a Deo auferri potentiam hominum peccatorum, quantumvis magni, robusti, et feroces esse videantur : nihil enim robustius, et terribilius leone, et in ipso leone nihil durius, acutius, horribilius dentibus molaribus. *Deus* igitur *dentes leonum confringet*, id est, robur, et potentiam peccatorum quamvis potentissimorum auferet : *Deus*, inquit, *conteret dentes eorum* peccatorum videlicet, qui instar leonum discerpunt, et dilaniant innocentes. *In ore ipsorum :* id est, dum adhuc sunt in ore ipsorum viventium, et rugientium, nam conterere dentes leonum jam evulsos facile est. Declarat, vel repetit more suo Propheta, quod dixit, dum addit, *Molas leonum confringet Dominus*, id est, non solum dentes minores sed etiam molares, qui sunt omnium maximi, et durissimi, confringet Dominus.

7. Ad nihilum devenient, tamquam aqua decurrens intendit arcum suum, donec infirmentur.

Hæc est altera similitudo, quæ docet potentiam impiorum fore brevissimam et post modicum ita redigendam esse ad nihilum, ut tota progenie extincta, ne vestigium quidem ejus remaneat. Similitudo autem ducitur, vel à torrentibus secundum Augustinum, qui ita intumescunt, et omnia secum rapiunt, ut flumina maxima esse videantur, et tamen post unam, vel alteram horam omnino siccantur, et evanescunt, ut ne gutta quidem aquæ remaneat in alveis torrentium, vel ducitur similitudo ab ingenti pluvia hiemali, ut exponit S. Hieron. quæ per loca declivia ita statim decurrit ut post modicum cessante pluvia, nusquam aqua ipsa compareat. Exempla innumerabilia adduci possunt tum potentissimorum tyrannorum, ut Saulis, Achab, et Hieroboam, vel Neronis, Caii, Domitiani, et similium : tum hæresiarcharum magni nominis, ut Arii, Nestorii, et cæterorum. *Ad nihilum*, inquit, *devenient tanquam aqua decurrens*, torrentis vel pluviæ, quæ velocissime transit, et vestigium non relinquit. Ac ne putaremus,

casu fieri, vel ex naturalibus causis, ut potentissima Regna tyrannorum: aut famosissimæ hæreses tam cito finem accipiant; subjungit Propheta, *Intendit arcum suum, donec infirmentur*, id est, impiorum potentia tam celerem finem habebit, quia Deus omnipotens intendit arcum suum adversus eos; neque arcum remittet, donec illi infirmentur, ac debilitentur, et viribus amissis deficiant et pereant.

8. Sicut cera, quæ fluit auferentur: supercecidit ignis, et non viderunt solem.

Tertia est hæc similitudo, quæ demonstrat, non minus facile esse Deo potentiam tyrannorum, atque aliorum impiorum ad nihilum deducere, quam facile sit soli, aut igni ceram liquefacere: cera enim quantumvis indurata calori solis vel ignis nullo modo resistit; sed continuo liquescit, defluit et perit. *Sicut cera*, inquit, *quæ fluit*, tangente illam sole, vel igne, ita *auferentur* de medio homines peccatores. Nam *supercecidit ignis iræ Dei*, in illos, et ipsi tanquam cera continuo liquefacti perierunt, et non viderunt amplius solem, quem soli viventes videre possunt. In Codice Hebræo hic versiculus longe aliter habetur. Sic enim vertit S. Hieron. *Quasi vermis tabefactus pertranseant, quasi abortivum mulieris, quod non vidit solem.* Sed quod attinet ad vocabulum, שבלול *sciabbelul*, non possunt reprehendi Septuaginta, quod verterint, ceram, quia vox non habetur, nisi hoc loco, et aliqui volunt significare *vermiculum:* aliqui *limacem*, alii alia. Inter tot opiniones de obscurissima voce cur non magis credemus Septuaginta Interpretibus antiquioribus, doctioribus, et pluribus? Quod vero pertinet ad illam vocem, תמס *themes*, nulla est difficultas: nam proprie significat *liquefactionem*, et Septuaginta recte verterunt *ceram quæ fluit*, hoc est, liquescit: et S. Hieronymus, qui vertit, *tabefactum*, sensum expressit, non verbum. Denique illa verba, נפל אשת *nephel esseth*, S. Hieronymus recte vertit, *abortivum mulieris:* sed Septuaginta recte etiam verterunt, *supercecidit ignis*, quia remotis punctis Rabinorum illud נפל *nephel*, potest legi *naphel*, quod significat, cecidit, et illud, אשת *esseth*, legerunt sine ultima littera, et verterunt, *ignis*, quia, *es*, ignem significat.

9. Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum, sicut viventes sic in ira absorbet eos.

Hæc est ultima similitudo, qua docet Propheta, impios succidendos, et perdendos à Deo, antequam implere possint mala, quæ adversus justos meditati sunt, ut non habeant gaudium de exterminio justorum, quod maxime cupiebant: quomodo Saul antea male periit, quam de morte David lætari potuerit, et Diocletianus, et Maximianus, aliique persecutores Ecclesiæ prius perierunt quam ultimum exitium Christianorum viderint, ad quod totis viribus inhiabant. Similitudo autem desumpta est à spinis, quæ ab agricola succiduntur dum teneræ sunt, antequam ad robur rhamni quod est lignum magnis, et durissimis spinis instructum, crescendo perveniant, *Priusquam intelligerent spinæ vestræ ramnum;* S. Hieronymus ex Hebræo vertit, *Antequam spinæ vestræ crescant in rhamnum.* Sanctus Hilarius, et S. Augustinus legunt, *antequam producat spinas vestras rhamnus.* Nostra lectio concordat ad verbum cum Hebraica, et cum Græca. Porro lectio S. Hilarii, et S. Hieronymi in sensu conveniunt: nam spinas crescere in rhamnum, et spinas teneras, quæ ferire non possunt paulatim crescere, et fieri rhamnum, qui duris aculeis suis pungat et feriat, sic etiam rhamnum producere spinas, est rhamnum tenerum, et qui nocere non potest, crescere et induere aculeos; ut maxime nocere valeat. Oportet igitur ad eumdem sensum reducere verba obscura nostræ lectionis: id quod fiet, si per vocem, *intelligere*, quæ est in Hebraico יבינו *jabinu*, et Græco Codice συνιέναι, interpretemur, crescere ad perfectum robur: quod quidem hominibus convenit, qui tunc ad perfectam ætatem pervenerunt, quando sapere, et intelligere incipiunt: sed per metaphoram tribuitur etiam aliis rebus. Itaque sic exponi potest versiculus, *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum*, id est, priusquam ad perfectionem suam spinæ teneræ crescendo pervenirent, ut ad instar rhamni pungere, ferire, et lacerare possent: *sicut viventes, sic in ira absorbet eos*, id est, Deus absorbebit (*absorbet* enim hoc loco positum est pro *absorbebit*, sicut in Evangelio, Joan. 15. *ardet* pro *ardebit*) Deus, inquam, absorbebit eos sic in ira sua, sicut viventes, absorbere solet terra, aut mare: mutatio autem illa personæ familiaris est Prophetis, ut cum loqueretur ad ipsos impios in secunda persona dicens, *spinæ vestræ*, mox transeat ad tertiam dicens, *absorbet eos*, pro absorbebit.

10. Lætabitur justus cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris.

Cum hæc facta fuerint, quæ supra dicta sunt de perditione impiorum: tunc *lætabitur justus, cum viderit vindictam*, non autem amore vindictæ lætabitur, sed amore justitiæ; et quia videbit se Dei gratia custoditum non esse lapsum in ea peccata, unde tam severe puniri mereretur: nec solum lætabitur, sed etiam, *manus suas lavabit in sanguine peccatorum*, id est, opera bona ipsius magis elucebunt ex comparatione malorum operum peccatorum: nam opposita juxta se posita magis splendent, per sanguinem enim in Scripturis, peccatum intelligi solet. Vel dici potest cum sancto Augustino, Justum hic in terris lavare manus suas, id est, mundare opera sua, et bene operando fieri diligentiorem, dum cernit sanguinem, id est, mortem, ac supplicia impiorum. In Hebræo habetur פעמיו *pehhaman*, *pedes suos lavabit.* Sed omnes alii Codices Græci, et Latini, et omnes tractatores legunt, *manus.*

11. Et dicet homo, si utique est fructus justo: utique est Deus judicans eos in terra.

Cum impii punientur, et justus lætabitur; tunc *dicet homo*, id est, tunc homines, qui ista videbunt, dicent, si justitia fructum aliquem adfert, ut vere adfert, ille maximus est fructus, quod Deus summus omnium Judex non sinit peccatores impunitos, neque justos irremuneratos; sed retractat omnia injusta judicia, et judicat eos, id est tam malos, quam bonos; tribuens justis debita præmia pro omnibus bo-

nis operibus, quæ fecerunt, et pro omnibus malis, quæ pertulerunt: et impiis debita supplicia pro omnibus malis, quæ fecerunt, et pro omnibus deliciis, in quibus lasciverunt. Et sic impletur illud Apoc. 18. *Quantum se glorificavit, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, et luctum.* Judicium autem hoc dicitur fieri in terra; quia fit pro his actionibus, quæ factæ sunt in terra; et quia sæpe inchoatur in hac vita, licet perficiendum sit in altera; denique quia ultimum etiam judicium fiet de hominibus, qui adhuc erunt in terra, et inde transituri erunt, vel ad cœlum, vel ad gehennam. Unde dicitur Deus judicaturus orbem terrarum in æquitate. In Hebræo Codice non habetur conditionalis, *si*, cum dicitur *si est fructus justo:* sed אך *ac*, *vere est fructus justo, vere est Deus judicans eos in terra.* Illud igitur *si*, quod ex Græco transiit in Codices Latinos, non est conditio, vel particula dubitationem significans: sed explicanda est, ut nos paulo ante explicuimus, *si est aliquis fructus justo*, ut sine ullo dubio est, ille est, quod Deus judicabit accuratissime omnia opera bona, et mala, et non sinet justos in perpetuum opprimi ab impiis, sed impiis condemnatis justos coronabit. Quæ certe magna est consolatio justorum afflictorum, qui ex fide vivunt, et expectant beatam spem, et adventum magni Dei, et salvatoris nostri Jesu Christi, cui sit laus et gloria.

PSALMUS LVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

NE DISPERDAS, DAVID IN TITULI INSCRIPTIONEM, QUANDO MISIT SAUL, ET CUSTODIVIT DOMUM EJUS, UT EUM INTERFICERET.

Ex hoc titulo colligitur occasio scribendi Psalmum præsentem. Scribitur enim lib. 1. Reg. cap. 19. missos fuisse satellites a Saule, qui custodirent domum David, ne forte noctu effugeret, ut eum mane facto interficerent: sed Davidem conjugis suæ consilio, et auxilio per fenestram noctu demissum aufugisse. Scribit igitur in hoc Psalmo David orationem, quam imminente tam ingenti periculo fudit ad Deum: et simul prædicit, ut solet, perditionem inimicorum suorum. S. Augustinus, et Theodoretus volunt, Davidem figuram fuisse: Christus enim in sepulchro, quasi in domo, custodiebatur a satellitibus, ut impediretur ejus resurrectio, et proinde etiam prædicatio Apostolorum, et ædificatio Ecclesiæ, quæ corpus est Christi. Sed Christus resurrexit non aperto sepulchro, relictis sindonibus, et David evasit relictis in lecto pellibus caprinis. Potest etiam totus Psalmus commode explicari generatim de impiis persequentibus justos, et impiorum exitio, ac justorum liberatione. Solet enim David occasione afflictionum suarum concionari in universum de afflictionibus, et consolatione justorum, et malitia, ac suppliciis iniquorum. Quæ etiam causa est cur Ecclesia frequentet assidue Psalmodiam; quod non tam accurate faceret, si de solo Davide plerique Psalmi intelligendi essent.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Eripe me de inimicis meis Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me.

Vox est Davidis in propria domo, quasi in carcere detenti, obsidentibus eum satellitibus Saulis: vox item est Christi in sepulcro jacentis, custodibus adhibitis: vox denique est cujuscumque justi in mortis periculo constituti.

2. Eripe me de operantibus iniquitatem, et de viris sanguinum salva me.

Hæc est explicatio versiculi superioris: quos enim dixit ibi *inimicos suos*, hic dicit, *operantes iniquitatem*, justi enim non alios habent inimicos, nisi iniquos; neque alia est causa inimicitiæ ipsorum, nisi quia illi iniqui sunt, isti justi, et quos ibi dixit, *insurgentes in se*, hic dicit, *viros sanguinum*, id est, viros homicidas, et qui insurgunt in proximum, ut ejus sanguinem fundant.

3. Quia ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes.

Reddit rationem, cur dixerit, *salva me*, vel *eripe me:* quia videlicet in maximo discrimine vitæ amittendæ versabatur. Erat enim quasi fera inter rete conclusa, et comprehensa, et jam jam interficienda: quod explicat clarius vox Græca ἐθήρευσαν, id est, *venati sunt animam meam*, quod etiam satis congruit cum Hebraica ארבו *arebu*, quam sanctus Hieron. vertit, insidiati sunt animæ meæ. Ergo illud, quod in nostra editione legimus, *ceperunt animam meam*, non significat, acceperunt vitam meam, neque occiderunt, sed comprehenderunt me, sive captivum me ceperunt. *Et irruerunt in me fortes*, id est, viri potentes, qualis erat Rex Saul, Abner Dux militiæ, et similes, in me impetum fecerunt: quod dicit, ut ostendat persecutionem suam non esse paucorum satellitum

a quibus tunc obsidebatur, sed Regis potentissimi, qui alios satellites, ac milites ad eum occidendum mittere poterat.

4. Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine: sine iniquitate cucurri, et direxi.

Si ad personam Davidis hæc referantur, non significant, nullum fuisse in Davide peccatum absolute, sed non fuisse peccatum adversus Regem, ut æmuli ejus calumniabantur. At si referantur ad Christum, absolute verissima sunt: Christus enim *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, ut scribit. B. Pet. 1. epist. 2. Ait igitur, *Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine*, id est, irruerunt in me fortes, et tamen, nulla est iniquitas, nulla injustitia, neque peccatum aliud adversus eos a me patratum, ut causam persequendi me habeant. Ego enim *sine iniquitate cucurri*, id est, cursum vitæ hucusque peregi sine ulla ipsorum offensione. *Et direxi*, id est, rectum cursum institui, non declinavi ad dexteram ad aucupandos favores potentiorum: neque ad sinistram, ut opprimerem pauperes, et humiles. In Hebræo habetur in tertia persona: *cucurrerunt*, *et direxerunt*, id est, inimici mei cucurrerunt adversum me, et direxerunt acies suas, ut me occiderent. Sed Septuaginta Interpretes aliter legerunt verba Hebraica, et facilis fuit mutatio, cum prima persona, et tertia non differant, nisi in ultima terminatione. Sed res non est magni momenti.

5. Exurge in occursum meum, et vide: et tu Domine Deus virtutum, Deus Israel.

6. Intende ad visitandas omnes gentes; non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem.

Dixerat, *cucurri*, *et direxi:* qui autem dirigit cursum suum, sine dubio ad Deum currit, ad quem omnia bona, ut ad finem ultimum diriguntur. Ait igitur, Ego bene operando ad te cursum meum direxi: tu igitur vicissim me protegendo, *mihi occurre*, *atque ad me cursum auxilii tui dirige; et vide* de proximo periculum meum: considera afflictionem meam: neque potes excusare impotentiam, vel ignorantiam; nam *Dominus Deus*, *et virtutum es;* atque ut Dominus, omnia potes, ut Deus, omnia vides, ut Deus virtutum, id est, exercituum, non solum per te, sed etiam per Angelos, et quaslibet alias creaturas me juvare potes; quia tibi omnia militant: denique *tu es Deus Israel*, proinde Israelitas, ut proprius eorum Deus ex fœdere cum patribus nostris inito protegere debes. *Intende ad visitandas omnes gentes*, id est, adveniat aliquando dies universalis Judicii tui, *et tunc non miserearis omnium operantium iniquitatem*, id est, nullius operantis iniquitatem miserearis, sed omnes pro meritis punias. Hæc videntur accipienda prophetice potius, quam per modum imprecantis, ut sensus sit, Veniet aliquando magna illa visitatio omnium gentium, in qua reddent omnes Deo summo Judici rationem factorum suorum; et tunc Deus nullius impii miserebitur, sed omnes malos male perdet. Atque ex hac explicatione cessat quæstio, quam S. Augustinus movet; quomodo verum sit, quod hic dicitur, *non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem*, cum constet, Deum misertum esse ipsius Davidis operantis iniquitatem adulterii, et homicidii; et S. Petri ipsum Christum negantis; et S. Pauli Ecclesiam persequentis. Cessat, inquam, ista quæstio, quoniam Deus miseretur operantium iniquitatem, non ut Judex, sed ut Pater misericordiarum, dum operantes iniquitatem misericorditer convertit ad pœnitentiam. David autem hoc loco loquitur de Deo, ut Judex est, *qui reddet unicuique secundum opera sua*, Matth. 16. ac præsertim in ultimo Judicio nullius impii, vel iniqui miserebitur.

7. Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes: et circuibunt civitatem.

Pergit explicare miseram conditionem iniquorum in novissimo die. *Ipsi enim convertentur ad vesperam*, id est, finito die in quo fructuose converti licebat nimisque sero sapere incipient, et pœnitentiam agere nihil eis profuturam, de quibus dicitur Sap. 5. *Pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes. Et famem patientur ut canes*, famem utique justitiæ, quam esuriere nequaquam quando tempus erat: vel famem qualiscumque consolationis, et quietis; *et circuibunt*, ut canes famelici, *civitatem Dei:* id est, electorum cœtum: respicient enim ad omnes, si quo modo apud aliquem misericordiam invenire possint, sed non invenient: nemo enim Sanctorum in illa die miserebitur operantium iniquitatem. Erit autem hæc digna retributio, quoniam in hac vita viri iniqui *conversi sunt ad vesperam*, id est, ad tenebras noctis, non ad lucem diei: *et famem passi sunt*, ut canes, id est, famelici fuerunt carnalium delectationum, quæ si comparentur ad spiritualia, cibi sunt corrupti, ac putridi, et canum proprii; et ideo circuierunt civitatem: nam extra civitates in fossis murorum projici solent cadavera equorum, aliorumque animantium immundorum, quæ non ab hominibus, sed a canibus devorantur. Hunc locum alii exponunt de reversione satellitum ad vesperam, ut noctu Davidem in domo sua raperent, et instar canum vitam ejus devorarent. Alii de conversione Judæorum circa finem Mundi, juxta illud Apostoli Rom. 11. *Cæcitas ex parte cecidit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret.* Alii de conversione eorumdem Judæorum ad vesperam, id est, post mortem Christi, qui famem passi sunt, sicut canes, id est, sicut gentiles, et simul saturati sunt ad prædicationem Apostolorum, et tum ipsi quoque circumierunt civitatem docendo, et prædicando; quæ est expositio S. Augustini. Alii de reversione Judæorum in Palæstinam, post eversionem civitatis suæ Jerusalem, qui famem patiebantur pristinæ felicitatis, et ceremoniarum legalium, et circuibant eversam civitatem; si quo modo eam reædificare possent. Nos lectori judicium relinquimus.

8. Ecce loquentur in ore suo, et gladius in labiis eorum: quoniam quis audivit?

Revertitur ad malitiam iniquorum: vicissim enim loquitur Propheta nunc de culpa, nunc de pœna impiorum. *Ecce*, inquit, qui me quæ-

runt ad necem, *loquentur in ore suo*, id est, submissa voce inter se loquentur, ut vix ex ore sonus egrediatur. *Et gladius in labiis eorum*, et verba ipsorum quasi gladius erunt, quoniam de nece inter se consultabunt. Secure autem inter se loquentur, *quoniam*, dicent, *quis audivit?* id est, nemo audivit, secretus erit sermo.

9. Et tu Domine deridebis eos, ad nihilum deduces omnes gentes.

Illi putant se non audiri, quando inter se secreto consultant, et putant se magna facturos: *sed tu, Domine*, cui nihil est occultum, *deridebis eos*, tamquam vanos, qui nosti eorum consilia, et impedire conatus ipsorum nullo negotio potes, nec solum inimicos meos deridebis, sed etiamsi omnes gentes cum illis conjungerentur, eas quoque contemneres, et nihil faceres. Ubi illud, Ad *nihilum deduces*, in Hebræo est, תלעג *thilhhad*, *subsannabis*, ut sit fere idem cum deridebis. In Græco est ἐξουδενώσεις, *pro nihilo duces*, quod in idem recidit. Itaque ut nostra latina editio cum textibus originalibus conveniat, sic explicandum est illud, *Ad nihilum deduces*, id est, pro nihilo habebis, sive ad nihilum deduces in mente tua, quia tamquam nihilum existimabis. Clarius id habetur in Psal. 14. ubi dicitur; *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus*, ubi illud, *in conspectu ejus*, demonstrat deduci ad nihilum, non esse extingui penitus, ac deleri, sed pro nihilo reputari. Quomodo dicitur Isaiæ 40. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei.*

10. Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es, Deus meus, misericordia ejus præveniet me.

Quia meminit omnipotentiæ Dei, coram quo omnes gentes pro nihilo reputantur; humiliat se sub potenti manu Dei, ut gratiam mereatur. *Fortitudinem*, inquit, *meam ad te custodiam*, id est, ego robur meum non ex me habeo, sed a te accepi, ideo non in meis viribus est illud conservare, sed *ad te*, id est, apud te custodiam: tu qui dedisti, conservabis: *quia susceptor meus es, Deus meus;* id est, non sine causa confido in protectione tua, quia tu, Deus, suscepisti me protegendum ab infantia mea, quia tu es proprie Deus meus, quem solum colo. *Misericordia ejus præveniet me*, id est, non frustra hæc loquor, quia misericordia Dei prævenit me olim, et (ut confido) semper præveniet, ut non sinat me opprimi ab hostibus meis. Hæc justissime David dicit, qui in pueritia præventus fuit gratia Dei, et robur divinitus accepit, ut ursum et leonem, ac deinde Goliath gigantem armatum ipse inermis occiderit, et in Regnum item adhuc puer a Samuele inunctus fuit. Quod si hæc referantur ad Christum, multo magis verificantur, cum ipse non a pueritia, aut infantia, sed a conceptione *unctus fuerit Spiritu Sancto et virtute*, ut loquitur S. Petrus Apostolus Act. 10. In Hebræo legitur, *Dei misericordia ejus præveniet me*. Sed Septuaginta Interpretes non legerunt, אלהי *elohe*, sed אלהי, *eloha*, Deus meus. Itaque Rabini non recte puncta collocaverunt.

11. Deus ostendet mihi super inimicos meos, ne perdas eos, ne quando obliviscantur populi mei.

12. Disperge illos in virtute tua: et depone eos protector meus Domine.

Revertitur Propheta ad inimicos suos, ac prædicit pœnam ipsorum: sed hæc omnia magis loquitur in persona Christi, quam in persona propria. *Deus*, inquit, *ostendet mihi super inimicos meos*, id est, demonstrabit mihi supplicium, quod patientur inimici mei, quasi dicat, jam revelavit mihi Deus quid eventurum sit inimicis meis, sed etiam reipsa ostendet eventum, et tunc videbo supplicium, quod justissime patientur. Ego autem precor Deum, ut non occidat eos, id est, non omnino extinguat gentem Judaicam: *nequando homines obliviscantur populi mei*, vult enim Christus agnosci populum suum, unde originem secundum carnem ducit. Rogo igitur, inquit, *ut Deus in virtute sua*, in potentia sua, cui nemo resistere potest, *dispergat illos* per orbem terrarum, et deponat eos de altitudine gloriæ, in qua positi erant, cum essent populus Dei peculiaris, et Regnum, ac Sacerdotium obtinerent. Quæ omnia in Judæis videmus ad litteram adimpleri. In Græcis codicibus habetur, *nequando obliviscantur leges tuas*, et sic legunt Hilarius, Augustinus, Euthymius et alii: sed nostra lectio concordat cum Hebraico codice; et credibile est sic etiam vertisse Septuaginta Interpretes, sed Græcum textum postea fuisse mutatum: testatur enim S. Hieronymus in epist. ad Suniam et Fratellam, in Septuaginta Interpretibus haberi, populi mei, ut habetur in Hebræo.

13. Delictum oris eorum, sermonem labiorum ipsorum, et comprehendantur in superbia sua.

Explicat causam dispersionis Judæorum, quasi dicat, hæc illis eveniant, propter *delictum oris eorum*, id est, propter sermonem labiorum ipsorum quo dixerunt Joan. 19. *non habemus Regem nisi Cæsarem;* et, *Sanguis ejus super nos et super filios nostros*, Matth. 27. Deus enim juste illis tribuit quod sibi imprecati sunt, juxta illud Dan. 9. *Et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et comprehendantur in superbia sua*, id est, captivi fiant a Romanis, et humilientur, ac dejiciantur ob superbiam suam, qua gloriabantur se filios esse Abrahæ, et nemini usquam servivisse, ut perspicuum est ex capite 8. Joannis. Vere enim propter superbiam, et contumaciam suam Romanorum indignationem in se provocaverunt, ut patet ex libris Josephi de bello Judaico. Sed illa occasio fuit exitii; vera autem causa fuit superbia, qua Dei Filium contempserunt.

14. Et de execratione, et mendacio annunciabuntur in consummatione, in ira consummationis, et non erunt.

Per execrationem et mendacium intelligo verba illa supra dicta, *Sanguis ejus super nos:* et, *non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Illud enim, *Sanguis ejus super nos*, fuit horrenda execratio, qua sibi imprecati sunt Judæi pœnam debitam immanissimo omnium scelerum; illud

autem, *Non habemus Regem, nisi Cæsarem*, mendacium, et simulatio fuit: constat enim illos noluisse dare Cæsari censum, et jactasse se liberos, et nemini unquam servivisse, cum tamen hoc ipsum esset insigne mendacium: servierunt enim Pharaoni in Ægypto, Nabuchodonosori in Babylonia, Philistæis in terra promissionis, et tunc, cum hæc dicerent, Romanis manifestissime serviebant. Prædicit ergo Propheta, quod de hac execratione, et mendacio, id est, propter hæc delicta oris ipsorum, propter eam horrendam execrationem, et tam superbia mendacia, *annunciabuntur in consummatione*, id est, divulgabuntur, et infames erunt toto orbe terrarum, quando eversa civitate consummaretur, ac destrueretur omnis potentia, omnis gloria, omnis status Reipublicæ Judæorum. *In ira consummationis*, hoc est in illa consummatione, quæ non casu accidet; sed ab ira et indignatione Dei proveniet, et ideo erit perfecta, et absoluta consummatio, ut nunquam deinceps Judæi Regnum, et civitatem regiam sint habituri: ideo additur, *et non erunt*, id est, et sic peracta consummatione, non amplius subsistent Judæi, id est, non erunt populus, nec Regnum, sed dispersio, et dissipatio miserabilis, ut hodie cernimus oculis nostris. In codice Hebraico legitur, *De execratione, et mendacio annunciabunt:* sed verba Hebraica facile mutant significationem: propterea Septuaginta Interpretes, qui peritissimi erant Hebraicæ linguæ, verbum activum in passiva significatione interpretati sunt. In eodem codice legitur, *Consume in ira, consume, ut non subsistant.* Verum Septuaginta Interpretes, vel acceperunt vocem, כלה *calle*, pro nomine, non pro verbo, id est, pro consummatione, non pro imperativo, *consume*, vel certe sensum expresserunt, non verbum verbo reddiderunt.

15. Et sciant, quia Deus dominabitur Jacob, et finium terræ.

Et cum fuerint dispersi Judæi per omnes terras; *tunc scient*, et aperte videbunt, Deum verum, non solum Dominum esse Jacob, id est, populi Israelitici, sed etiam *finium terræ*, id est, omnium gentium usque ad ultimos fines terræ. Antea siquidem *notus erat in Judæa Deus, et in Israel magnum nomen ejus*, Psalm. 75. dicebatur, *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt, et in Regna, quæ nomen tuum non invocaverunt*, Psalm. 78. sed post eversionem Jerosolymæ, Evangelio Christi per orbem terrarum prædicato, dispersi Judæi viderunt ubique Deum verum coli, idola confringi, Psalmos Davidicos cani: ita didicerunt, Deum non solum Judæorum Deum esse, sed etiam gentium.

16. Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes: et circuibunt civitatem.

Sed nunquam apertius scient Deum dominari Jacob, et finium terræ, quam in novissimo die, quando *stabimus omnes ante tribunal Christi*, Rom. 14. *et illi flectetur omne genu:* tunc convertentur ad pœnitentiam, sed ad vesperam, finito tempore misericordiæ; et famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem electorum, ut cibum consolationis inveniant.

17. Ipsi dispergentur ad manducandum: si vero non fuerint saturati, et murmurabunt.

Iidem Judæi dispergentur ad manducandum, recurrendo ad Patriarchas suos, et Prophetas, atque ad eos clamando, ut canes famelici; et quia nihil consolationis accipient, neque ab illis pro filiis agnoscentur, murmurare incipient, et queri de infelicitate sua. Quod si hæc nostra explicatio non probetur, jam indicavimus alias multa, dum versiculum septimum explicaremus.

18. Ego autem cantabo fortitudinem tuam, et exultabo mane misericordiam tuam.

Hactenus de impiis persecutoribus; nunc David in persona propria, sive potius in persona Christi, et Ecclesiæ, quæ corpus ejus est, explicat lætitiam, et exultationem suam, nec non laudem Dei, et actionem gratiarum. *Ego autem*, inquit, *cantabo fortitudinem tuam*, id est, miseri illi latrabunt, et murmurabunt; ego autem e contrario *cantabo*, et laudabo *fortitudinem tuam*, id est, magnam potentiam tuam, quam ostendisti in debellatione, et perditione iniquorum. *Et exultabo misericordiam tuam*, id est, exultans laudabo misericordiam, quam ostendisti in liberatione, et glorificatione justorum: id autem faciam summo *mane*, id est, primo quoque tempore, ante omnia alia negotia, vel *mane*, id est inchoante die sempiternæ felicitatis transacta jam nocte terribilis Judicii universalis. Pro *exultabo*, multi Latini Codices habent, *exaltabo:* sed lectio nostra concordat cum textu Hebraico et Græco, et sic legunt.

19. Quia factus es susceptor meus, et refugium meum in die tribulationis meæ.

Declarat effectum misericordiæ, quam exultando decantaturum se promittit: quod videlicet *Deus susceptor ejus fuerit*, id est, protegendum susceperit, *et refugium illi præstiterit in omni tribulatione sua.*

20. Adjutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es, Deus meus misericordia mea.

Idem aliis verbis repetit, ut affectum suum, et gratum animum erga tantum benefactorem ostendat, illud, *Adjutor meus*, in Hebræo est, עזי *hhazi*, *fortitudo mea*, ex quo intelligimus significari adjutorem robustum, et potentissimum: proinde laudatur ea voce potentia Dei. Pro illud autem, *Susceptor meus*, laudatur bonitas Dei, quæ sub alas suas protegendos suscipit electos. Per illud, *Deus meus*, significatur summum bonum nostrum, ac finis ultimus omnium desideriorum; quamvis autem in Hebræo sit, Deus misericordiæ meæ: tamen recte Septuaginta, et Latinus Interpres verterunt, *Deus meus, misericordia mea*, quia vox Hebræa, una, et eadem, si legatur, אלהי *Elohe*, significat Deus, si legatur, אלהי *Elohai*, significat Deus meus: et sic legerunt Septuaginta, et hæc est vera lectio, quicquid Rabini dicant. Denique illud, *Misericordia mea*, significat in compendio omnia beneficia Dei, quibus ad ipsum Deum, id est, ad summum bonum pervenimus: recte enim ob-

servat S. Augustinus, multo amplius esse misericordia mea quam salus mea, vita mea, spes mea, et similia. Misericordia enim fecit, ut essemus, ut viveremus, ut liberaremur a malo, ut proficeremus in bono : misericordia Dei prædestinati sumus, vocati sumus, justificati sumus, glorificati tandem erimus : nam etiamsi glorificatio ex meritis detur, tamen ipsa merita nostra, dona sunt Dei, quia sine gratia præcedente nulla essent. Merito igitur idem Propheta in Psal. 102. dicit, *Qui coronat te in misericordia, et miserationibus.*

PSALMUS LIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem pro his, qui immutabuntur, In tituli inscriptionem ipsi Davidi, in doctrinam, cum succendit Mesopotamiam Syriæ, et Sobal, et convertit Joab, et percussit Idumæam in valle Salinarum duodecim millia.

Occasio scribendi Psalmi præsentis fuit ea victoria, quæ narratur in titulo, et fusius lib. 2. Reg. cap. 8. et 1. Paralip. 18. Occasione, inquam, hujus victoriæ canit Propheta præteritas afflictiones suas, et totius populi, et præsentem, ac futuram fœlicitatem. Quæ omnia possunt etiam applicari Ecclesiæ, quæ post multas persecutiones mirum in modum dilatari, et crescere cœpit, ut etiam Imperatores, et Reges, eorumque Imperia, et Regna sceptro suo subjiceret. Non legitur quidem in libris Regum, quod David succenderit Mesopotamiam, et Sobal, sed tantum quod ceperit : cæterum non omnia scripta sunt in libris Regum, neque pugnat hic titulus cum ea historia, cum utrumque fieri potuerit. Videtur etiam hic titulus dissentire ab historia, quod hic videantur cæsa a Joab duodecim millia Idumæorum : in lib. autem 1. Paral. 18. dicantur cæsi Idumæi ab Abisai fratre Joab, ad decem et octo millia. Sed non est necesse, ut de eadem cæde intelligamus titulum hujus Psalmi, et locum Paralipom. Potest enim fieri, ut et Joab interfecerit duodecim millia, et Abisai alio tempore decem et octo millia.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Deus repulisti nos, et destruxisti nos : iratus es, et misertus es nobis.

Incipit narrare præteritas afflictiones populi Israelitici : *Deus*, inquit, *repulisti nos a paterna cura* et protectione, *et destruxisti nos*, permittens nos destrui, opprimi, et vexari a Philistæis, Idumæis, Moabitis, aliisque populis inimicis nostris. *Iratus es, et misertus es nobis*, id est, iratus es nobis ob peccata, quibus te ad iracundiam provocavimus, et ideo tradidisti nos in manus hostium nostrorum : sed tamen paulo post *misertus es nobis*, dum nos per gratiam tuam ad pœnitentiam revocasti, et post pœnitentiam a captivitate, et persecutione liberasti. Hæc verissima esse intelliget, qui leget librum Judicum, et librum primum Regum. Vicissim enim Judæi nunc ob peccata tradebantur in manus hostium, nunc ob pœnitentiam liberabantur. Eadem contigerunt Ecclesiæ Christi : persecutionum enim causa tribuitur peccatis Christianorum a S. Cypriano in serm. de lapsis; ab Eusebio lib. 8. hist. Ecclesiasticæ, a Victore Africano lib. 1. de persecutione Vandalica, et ab aliis. Tanta autem erat interdum vis persecutionis, ut Ecclesia verissime dicere posset, *Deus repulisti nos, et destruxisti nos : iratus es, et misertus es nobis.* Illud autem, *misertus es nobis*, potissimum tribui debet fortitudini Sanctorum Martyrum; quamvis enim Deus iratus peccatis Christianorum persecutiones permitteret : tamen valde miserebatur Ecclesiæ, dum insigni dono fortitudinis armaret plurimos Christianorum; et major esset Ecclesiæ gloria ob coronas innumerabilium Martyrum, quam depressio, et vastatio ob rapinas bonorum, et ruinas ædificiorum sacrorum.

2. Commovisti terram, et conturbasti eam, sana contritiones ejus, quia commota est.

Explicat magnitudinem persecutionis. *Commovisti*, inquit, *terram*, id est, non unum, aut alterum populum, non unam, aut duas civitates, sed orbem terræ commovisti. Et quidem si respiciamus persecutiones Judaicas, sensus erit, *Commovisti* totam *terram* promissionis; si vero cogitemus persecutiones Christianas, quæ sæpe universales erant, sensus erit, *Commovisti terram* universam, id est, Ecclesiam toto orbe diffusam : *et conturbasti eam*, id est, *dirupisti* (id enim proprie sonat vox Hebraica, פצם *patsam*) sive *scidisti, aut vulnerasti eam*, multis Ecclesiæ membris amputatis, ac per hoc valde *conturbasti eam.* Magna enim turbatio erat in Ecclesia, quando membra principalia, Episcopi, et Doctores trucidabantur. *Sana contritiones ejus, quia commota est*, id est tu Deus,

qui non ut hostis, sed ut Medicus Ecclesiam ferro, aut igne vexasti, sana etiam scissiones, et vulnera ejus, quoniam bona commotione mota est, admonita videlicet hoc flagello, conversa est ad pœnitentiam, et ad currendam deinceps viam mandatorum tuorum, quæ diuturna prosperitate languere, ac in via subsistere cœperat.

3. Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis.

Persistit in eadem narratione, ac dicit, *Ostendisti populo tuo dura:* id est, fecisti ut populus tuus videret, et experiretur duras persecutiones, et afflictiones, *Potasti nos vino compunctionis,* id est, occasione hujus flagelli, fecisti ut rediremus ad cor, et biberemus calicem amarum, sed salubrem sanctæ compunctionis. In verbo *ostendisti*, insinuatur benignitas Dei, qui tribulationes nobis, non tam immittit, quam ostendit, ut terreat, non ut noceat: unde multo sunt minores, quam carnalibus videantur: ideo dicit Apostolus, 2. Cor. 4. *Momentaneum hoc, et leve tribulationis nostræ, etc.* In verbo autem, *potasti nos,* insinuatur eadem benignitas Dei, qui donum saluberrimum pœnitentiæ non ostendit, sed intra nos, atque adeo in imum cordis infundit: quomodo vinum epotum ad viscera calefacienda descendit. Non desunt, qui legant, *vinum soporis,* et sic in Hebræo haberi contendant. Sed vox Hebraica, תרגלה *targhela,* ambigua est, et sicut *soporem* secundum aliquos significat, ita secundum alios *tremorem, vel fletum,* vel ut Septuaginta viri peritissimi transtulerunt, compunctionem. S. Aug. legit, *vino stimulationis,* quod est idem cum vino compunctionis, stimulus enim ad pungendum fieri solet.

4. Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus.

Per illa omnia dura (persecutiones videlicet, et afflictiones) quibus in hoc mundo Justi vexantur, *signum dat* electis suis *metuentibus eum, ut fugiant a facie arcus,* qui sagittas lethiferas jaculabitur in omnes impios tempore suo, id est, in novissimo die: tribulationes enim, quibus nunc purgantur electi a venialibus maculis, signa sunt gravissimarum pœnarum, quas luent impii post hanc vitam, atque hoc est, quod scribit Apostolus Petrus in priore epistola cap. 4. *Tempus est, ut incipiat judicium a domo Dei: si autem primum a nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Evangelio?* Et coapostolus ejus Paulus 1. Cor. 11. *Cum judicamur a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Deus igitur dum purgat electos, significat illis, ut a temporali sua tribulatione admoniti, intelligant, quæ supplicia maneant impios, et ideo juste, et pie viventes fugiant a facie arcus divini, qui extensus nunc manet, sed in die novissimo cum tanto impetu laxabitur, ut impios in æternum perdat.

5. Ut liberentur dilecti tui, salvum fac dextera tua, et exaudi me.

Concludit orationem suam, ac si diceret, ut ergo liberentur dilecti tui a persecutionibus, et angustiis, in quibus tandiu versati sunt: *salvum fac dextera tua me Regem populi* tui, *et exaudi me* pro universo populo deprecantem.

6. Deus locutus est in sancto suo: lætabor, et partibor Sichimam, et convallem tabernaculorum metibor.

7. Meus est Galaad, et meus est Manasses: et Ephraim fortitudo capitis mei.

Jam incipit ostendere, exauditam fuisse orationem suam, et se victoriam obtinuisse de omnibus fere hostibus suis, ac dilatasse vehementer imperium suum. *Deus,* inquit, *locutus est in sancto suo,* id est, Deus locutus est per me sanctum Prophetam suum, et aperte prædixit, quæ futura erant, et jam magna ex parte completa sunt. In textu Hebræo juxta puncta Rabinorum legitur, *Deus locutus est in sanctitate sua,* sive in sanctuario. Sed eadem vox Hebraica cum aliis punctis significat, in sancto suo: nam קדשו *codscio,* est, *in sanctitate sua,* et קדשו *chedoscio,* est, *in sancto suo,* et sic legerunt Septuaginta Interpretes, et omnes veteres, excepto S. Hieronymo, qui in versione ex Hebræo legit cum Rabinis, *in sanctuario suo;* sed in Commentario legit et interpretatur, *in sancto suo,* id est in Christo, cujus typum David gerebat. Erat autem notissima prædictio toti populo: nam Abner Dux militiæ Saulis lib. 2. Reg. cap. 3. dicit populo, *Dominus locutus est ad David, dicens, In manu servi mei David salvabo populum meum Israel de manu Philistiim, et omnium inimicorum ejus. Lætabor, et partibor Sichimam.* Post mentionem factam prophetiæ, incipit demonstrare, eam prophetiam magna ex parte esse adimpletam. *Lætabor,* inquit, tamquam victor Imperio acquisito, et mirifice dilatato: ac primum *partibor Sichimam,* id est, Samariam, tamquam Dominus ejus in partes suas dividam, numerabo urbes, oppida, pagos, constituam in eis judices, et magistratus. *Et convallem tabernaculorum metibor,* id est, et idem faciam in regione proxima, quæ dicitur *convallis tabernaculorum.* Lege cap. 33. Gen. ibi enim dicitur regio illa appellata *Sochos,* id est, *tabernacula,* quia ibi primum Jacob fixit tabernacula, et emit partem agri in terra Sichimorum. Notandum hoc loco est, Davidem enumeraturum Provincias Regni sui, cœpisse a Sichima, quæ in Samaria est, et pro ipsa Samaria accipitur et a valle tabernaculorum; quia ibi fuit initium possessionis Jacob, et filiorum ejus in terra promissionis. Notandum etiam Davidem non meminisse hoc loco nisi Sichimæ, Sochot, Galaad, Manasse et Ephraim, quæ omnia pertinebant ad tribum Joseph; quia illa erat omnium maxima, et ideo sub nomine ejus intellexit provincias omnium decem tribuum, quæ pertinebant ad Regnum Israel. Seorsim postea meminit tribus Juda, cum qua conjungebatur tribus Benjamin, et dicebatur Regnum Juda, post divisionem factam sub Roboam. Addit igitur, *Meus est Galaad, et meus est Manasses,* id est, mea est regio, quæ dicitur Galaad, a viro sic nominato, et mea est regio quæ dicitur Manasses a Manasse filio Joseph. *Et Ephraim fortitudo capitis mei,* id est, mea in regio quæ dicitur Ephraim ab altero filio Joseph; quæ quidem regio plena est virorum fortium, ut dici possit *fortitudo capitis mei,* id est, in qua consistit

præcipuum robur, et defensio capitis mei, seu vitæ meæ, et Regni mei.

8. Juda Rex meus : Moab olla spei meæ.

Post enumeratas provincias decem tribuum sub nomine Manasse, et Ephraim, nunc addit tribum Juda, cum qua, ut dixi, conjungebatur tribus Benjamin. *Juda*, inquit, *Rex meus*, id est, mea quoque est tota regio, quæ dicitur Juda a Juda filio Jacob, quæ tribus Juda est tribus regia : nam ut dixit idem David lib. 1. Paralip. cap. 28. *Deus de Juda elegit Principes :* et ipse etiam Jacob moriens, et benedicens filiis, dixit de Juda Gen. 49. *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, etc.* ad quam promissionem hoc loco David alludens usus est eadem voce Hebraica, qua usus fuerat Jacob, nam in Hebræo est utrobique vox, מחקק *mechochec*, pro qua hoc loco habemus, Rex, et in Genesi, *Dux.* Si significat autem proprie מחקק *mechokek* legislatorem : proprium enim Principis, sive Regis, sive Ducis est leges dare subjectis populis. Dicit igitur, *Juda Rex meus*, id est, tribus Juda quæ principatum gerit in populo meo, ut ex qua prodierunt Principes, patres mei, et prodibunt principes filii mei. Post enumeratas provincias Regni proprii, enumerat provincias hostium debellatorum, quæ tributariæ factæ erant : ac primo loco ponit provinciam Moabitarum, quæ dicebatur Moab a Moab filio Loth nepote Abraham. *Moab*, inquit, *olla spei meæ*, id est provincia Moab mihi jam subjecta est instar ollæ plenæ carnibus, in cujus abundantia et ubertate sperare possum. In Hebræo legitur סיר רחצי *sic rachetsi*, *Moab olla lotionis meæ :* et sensum esse volunt, qui ita legunt, Moabitas coactos fuisse ab Israelitis victoribus servire in humili ministerio lotionum : sed in nulla historia legitur, Moabitas in tam humili ministerio serviisse Hebræis. Deinde, quamvis verbum, רחץ *rachats*, quod hic habetur, significet *lavare*, tamen Septuaginta Interpretes non erant tam imperiti, ut verterent *olla spei meæ*, si vox Hebræa solam *lotionem* significaret. Itaque credibile est, aut Septuaginta Interpretes aliquid aliud legisse, aut eam vocem significare non solum *lotionem*, sed etiam *spem* ac *fiduciam*, quemadmodum apud Chaldæos significat.

9. In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ subditi sunt.

Pergit referre, quas alias provincias hostium debellaverit, aut debellare cupiat. *In Idumæam*, inquit, *extendam calceamentum meum.* Idumæa est regio, quam possidebant, qui ab Esau fratre Jacob ortum ducebant. Et quamvis, cum hic Psalmus scriberetur, jam obtinuisset David unam victoriam adversus Idumæos et occidisset ex ipsis duodecim millia, ut dicitur in titulo Psalmi : tamen nondum totam Idumæam sibi subjecerat : quod postea factum est, ut patet ex illis verbis 2. Regum 8. *Et facta est universa Idumæa serviens David.* Ait igitur, *In Idumæam extendam calceamentum meum*, id est, pergam ad bellandam, et pedibus conculcandam Idumæam. *Mihi alienigenæ subditi sunt*, hoc est, jam enim Philistæos, qui alienigenæ sunt, debellavi. Philistæi dicuntur alienigenæ, quia nullam affinitatem habebant cum Israelitis. Idumæi enim, Ammonitæ, et Moabitæ quamvis non essent filii Jacob, tamen erant affinitate aliqua illis conjuncti, siquidem Idumæi descendebant ab Esau, sive Edom, qui erat frater Jacobi; Ammonitæ et Moabitæ descendebant a Loth nepote Abrahami. Ex Hebræo S. Hieronymus vertit, *Alienigenæ confœderati sunt :* et nostra vulgata editio in Psalmo 107. ubi repetuntur hi versiculi, sic habet, *Alienigenæ mihi amici facti sunt.* Vox Hebraica התרועעי *hithruhhahh*, ambigua est, potest enim deduci a verbo רעע *rahah*, quod significat subjicere et conterere, hanc significationem sequuti Septuaginta dixerunt, *Mihi subditi sunt.* Potest etiam deduci a verbo רעה *raha*, quod significat pascere, et societatem, atque amicitiam contrahere : et hanc significationem amplexus est S. Hieronymus, et noster Interpres in Psalmo 107. qui dixerunt, *confœderati sunt*, vel *amici facti sunt :* sed uterque sensus bonus est. Siquidem Philistæi devicti bello, et tributarii effecti, ac per hoc subditi, ad fœdus, et amicitiam admissi sunt.

10. Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumæam?

Quoniam hæc sola gens restabat omnino subjicienda, quæ habitabat in locis munitissimis, ideo David nunc dicit, *Quis deducet me in civitatem munitam?* id est quo duce, quo auxiliante ingredi potero victor in Regiam Idumææ, quæ est civitas valde munita? De munitione Regis Idumæorum scribit Abdias Propheta cap. 1. v. 3. et 5. *Superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum, qui dicis in corde tuo : quis detrahet me in terram? si exaltatus fueris, ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum : inde detraham te, dicit Dominus.* Declarat autem David de qua civitate munita loquatur cum addit, *Quis deducet me usque in Idumæam?* Id est, quis faciet, ut capiam Idumæam, et in eam victor ingrediar? Hæc omnia ad Christum, et Ecclesiam mirifice accommodantur : nam regnum Juda est ipsa Ecclesia fidelium. Sichimitæ, sive Samaritani significant hæreticos, qui magno cum labore, sed tandem aliquando vincentur et subjicientur omnes. Ephraim et Manasse significant schismaticos, siquidem Hieroboam separavit eos a Hierosolyma, et a templo Domini, et erexit aliud altare : et isti quoque tempore suo subjicientur. Moabitæ et Philistæi significant Gentiles qui et ipsi ab Ecclesia separabuntur. Denique Idumæi significant Judeos qui in Christum credere noluerunt, qui omnium obstinatissimi in fine mundi convertentur ad Christum. Quamvis enim Judæi recentiores nos Christianos, Idumæos vocent; se autem Israelitas : tamen Apostolus 6. Rom. 9. satis aperte declaravit carnales Israelitas secundum spiritum Idumæos esse, non Israelitas, Christianos autem secundum spiritum veros esse Israelitas : de qua re vide sanctum Augustinum in epist. 197. quæ est ad Asellicum, alias 200.

11. Nonne tu Deus, qui repulisti nos? et non egredieris Deus in virtutibus nostris.

Respondet interrogationi per aliam interrogationem, quasi dicat, non est alius, qui me introducere possit in civitatem munitissimam

Idumeæ, nisi tu *Deus qui repulisti nos, et non egredieris* ad bellum confisus *in virtutibus*, id est, in exercitibus nostris : sicut enim te repellente, et deserente vincebamur, ita te solo præsente, et adjuvante vincere poterimus, non confidentes in viribus exercituum nostrorum, sed in tua solius omnipotentissima virtute.

12. Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.

Ergo, inquit, tu qui solus potes, et in quo solo confidimus, *da nobis auxilium, quo de* omni *tribulatione* et angustia liberemur, quia *vana est salus*, quæ ab hominibus expectari potest.

13. In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.

In Dei auxilio confisi *faciemus virtutem*, id est, fortiter agemus : *et ipse* erit, qui ut principalis auctor per instrumenta manuum nostrarum profligabit omnes inimicos qui nos tribulant. Nomine virtutis in versu undecimo intelleximus *exercitum*, in hoc autem versiculo intelligimus *fortitudinem ;* quia verba Hebraica, צבאת חירת *tsibbeoth chaiit* diversa sunt, et illud exercitum, hoc fortitudinem significat. Quod si in bello corporali verum est in solo Deo confidendum esse, tamquam in auctore præcipuo ; multo magis id verum est de bello spirituali, quo Ecclesia pugnat adversus hæreticos, schismaticos, Ethnicos, et Judæos, *et contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Ephes. 6.

PSALMUS LX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem, in hymnis David.

Argumentum hujus Psalmi ex sententia recentiorum quorumdam est oratio Davidis in exilio positi. Ex sententia Theodoreti et Euthymii est oratio populi apud Babylonem captivi. Sed ex sententia SS. Hilarii, Hieronymi, et Augustini, quos nos sequimur, est oratio hominis justi, sive Ecclesiæ Christianæ in peregrinatione inter tentationes varias laborantis, et ad patriam cœlestem, et quietem perpetuam suspirantis.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Exaudi Deus deprecationem meam, intende orationi meæ.

Præfatio brevissima hæc est, quia vir justus, sive populus Christianus petit audientiam a Deo, ut exaudiat deprecationem suam, et ab ea audita non avertatur, sed benigne potius eam consideret. Vox Hebraica רנה *rinna* significat, *clamorem*, non simplicem deprecationem, proinde per deprecationem intelligere debemus orationem magno affectu prolatam, et cum ingenti clamore cordis ; et ideo merito petit audiri, et attendi : oratio enim frigida, et solis labiis fusa non penetrat nubes, ne dum cœlum cœlorum.

2. A finibus terræ ad te clamavi, dum anxiaretur cor meum : in petra exaltasti me.

Nunquam fuit David exul in finibus terræ, neque captivi ducti sunt unquam filii Israel in fines terræ : quare vox hæc Ecclesiæ est, quæ occupavit orbem terræ usque ad ultimos terminos ejus, juxta illud Psal. 2. *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* Ait igitur. Ego propagata usque ad fines terræ, *ex ipsis finibus terræ*, id est, ex toto orbe simul per voces membrorum meorum, *ad te clamavi*, ubi per verbum, *clamavi*, declaravit vocem illam *deprecationem* nihil esse aliud, nisi ingentem clamorem. Potest etiam *per fines terræ*, intelligi distantia maxima ab eo qui clamat, ad eum cui clamatur. Deus enim cui clamatur est in finibus cœli, id est, in summo cœlo; is vero, qui clamat, est in finibus terræ, id est, in ima terra ; ut hæc sit ratio tanti clamoris. Quomodo in Psal. 129. dicitur, *De profundis clamavi ad te Domine.* Magna enim voce clamare debet, qui in imo positus exaudiri vult ab eo qui sedet super Cherubim in altissimo cœlo, id est, qui intelligens infinitam distantiam inter suum nihil et divinas perfectiones, tamen cum ipso Deo colloqui in oratione præsumit. *Dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me.* Reddit rationem cur magna fiducia clamet ad Deum, quia videlicet, alias expertus est auxilium divinum sibi in tribulatione non defuisse. *Dum* alias, inquit, non raro *anxiaretur cor meum*, ob varias tentationes deprimentes me : tu clamantem exaudisti, *et in petra exaltasti me*, id est, in altissimo et munitissimo loco collocasti, quem locum paulo post, *turrim fortitudinis* appellavit. Porro petra ista sublimis Christus est, in quem quicumque per contemplationem exaltatur, et quanta ipse prior passus sit, et quem exitum passiones ejus habuerint, diligenter recogitat, facile vincit, et contemnit omnia. In Hebræo habetur, *in petra*

exaltabitur supra me, quæ verba nullum sensum faciunt, ideo credibile est Septuaginta non legisse ירום ממני *iarum mimmenni*, *exaltabitur supra me*, sed iisdem litteris, una dempta, ירוממני *ieromemenni*, *exaltabit me*, sive *exaltavit me*, ut habetur in Psal. 26. nam futurum sæpe accipitur pro præterito: parum autem refert quod ad sensum attinet, sive dicatur, *in petra exaltasti me*, sive Deus in petra exaltavit me.

3. Deduxisti me, quia factus es spes mea, turris fortitudinis a facie inimici.

Declarat quod dixit, *in petra exaltasti me*, *Deduxisti me*, inquit, id est, Dux mihi fuisti, cum fugerem ab hoste tentationibus me impugnante. *Quia factus es spes mea;* id est, hoc fuit me deducere, et Ducem mihi se præbere, implere me bona spe; quæ fecit ut non caderem, sed magno animo omnia tolerarem. Itaque tu *factus es spes mea, et turris fortissima a facie inimici:* qui enim confidit in Deo, et recogitat quid Christus ipse sit passus, et ad quantam gloriam resurgendo pervenerit, et ipsum esse caput nostrum, quem intuendo discimus, quid in terris agere et pati, et quid in cœlo expectare et desiderare debeamus: ille sine dubio turrim munitissimam ascendit, ubi non solum jacula hostium vitare, sed etiam in hostes tela jaculari poterit.

4. Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula, protegar in velamento alarum tuarum.

Docet turrim istam fortissimam non esse cœlestem habitationem, sed peregrinantium tabernaculum: nam et vox Hebræa גור *gur*, et Græca παροικεω quæ hic habentur, significant proprie, habitare more peregrinorum. Ait igitur, *Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula*, id est, in turri illa fortitudinis inhabitabo tamquam peregrinus in tabernaculo; atque interim *protegar in velamento alarum tuarum*, ut pullus sub alis gallinæ, ne morsibus milvorum pateam. Sanctus Hilarius exponit hanc habitationem tabernaculi de habitatione domus cœlestis, propter illud verbum, *in sæcula*. Sed sanctus Augustinus exponit de habitatione peregrinantium, cui favent proprietates vocabulorum, et etiam metaphoræ, quibus Propheta utitur, *Turris* quæ defendit ab impetu hostium, tabernaculi, quod defendit a pluviis, et sole, et velamentis alarum, quod defendit à morsibus milvi. Illud, *in sæcula*, significat hoc loco, assidue, perpetuo, semper, ut sensus sit: ab hoc tabernaculo non recedam, quamdiu periculum tentationis erit: quod verbis propriis dicere potuisset, in tua protectione semper confidam, quamdiu vixero in hac carne mortali, vel ut S. Augustinus exponit, illud, *in sæcula*, significat, usque in finem sæculi: Ecclesia enim, quæ hic loquitur, durabit usque ad mundi consummationem, in velamento alarum Dei: quamvis enim undique ab hostibus impetatur, tamen *portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Matth. 16.

5. Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam: dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.

Ratio fiduciæ meæ est, *quia tu Deus meus semper exaudisti*, id est, semper exaudire consuevisti *orationem meam*, exaudisti autem orationem meam, quia inter filios tuos numerasti me, *quibus hæreditatem jam dedisti*, id est firmiter promisisti: si enim Deus timentibus se filiis suis hæreditatem æternam servat, quomodo non defendet eos in via? quomodo non exaudiet eos de quacumque tribulatione clamantes ad se? quis enim pater filios probos unquam despexit, aut deseruit? *Et si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. 8. Itaque de hæreditate in cœlis, et protectione in terris omnino securi, ac certi sumus, si vere timuerimus eum.

6. Dies super dies Regis adjicies: annos ejus usque in diem generationis, et generationis.

Quia Propheta meminit hæreditatis Sanctorum, quæ est vita æterna, declarat hanc hæreditatem toti Ecclesiæ promissam, inchoandam esse in capite: et ideo dicit, *Dies super dies Regis adjicies*, id est, Christo Regi multiplicabis dies super dies sine ullo fine, et similiter *annos ejus* multiplicabis *usque in diem generationis et generationis*, id est: usque in diem æternitatis, qui dies, quamvis unus sit, tamen æquivalet generationi et generationi; sæculo et sæculo; temporibus et temporibus sine fine. Hac phrasi æternitatem significari perspicuum est ex Psalmo 118. ubi dicitur: *In æternum Domine, verbum tuum permanet in cœlo in generatione, et generationem veritas tua.* Cui simile est quod dicitur in Psalmo 134. *Domine nomen tuum in æternum, Domine memoriale tuum in generatione et generationem.* In quibus locis pro eodem accipitur, *in æternum* et *in generatione et generationem.* Ex his aperte colligitur hunc Psalmum non convenire Regi Davidi, sed soli Regi Christo. David enim non vixit ultra septuaginta annos: neque Regnum permansit in domo ejus, nisi ad certum ac definitum tempus. Itaque æternitas Regis, et Regni in Scripturis sanctis prædicta, in Christo adimpletur: nam *et Regni ejus non erit finis*, ut dicitur Luc. 1. et *ipse resurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Rom.* 6.

7. Permanet in æternum in conspectu Dei: misericordiam, et veritatem ejus quis requiret?

Rex Ecclesiæ *Christus permanet in æternum in conspectu Dei*, ad hoc enim *introivit in cœlum ut appareat vultui Dei pro nobis.* Apostolo teste, ad Hebr. 9. In Hebræo est ישב *iescheb*, *sedebit*, sive *sedet in æternum in conspectu Dei*, ut intelligamus Christum permanere sedendo, ut decet Regem, non assistendo more ministrorum. *Misericordiam, et veritatem ejus quis requiret?* id est, misericordiam, qua redemit genus humanum, et veritatem, qua promissa servavit, et servat, *quis investigabit?* Sunt enim abyssus multa, ac ut Apostolus dicit ad Ephes. 3. *Charitas Christi supereminet scientiæ*, id est major est, quam intelligi possit. Ita exponunt Theodoretus et Euthymius. S. Hilarius, et S. Hieronymus hunc sensum esse volunt, *Misericordiam, et veritatem ejus nemo requiret*, quia præsto erit omnibus. In Hebræo habetur, *Misericordiam, et veritatem para, servabunt eum.* Sed septuaginta vocem מן *man*, *para*, legerunt מי *mi quis*, et verbum נצר *natsar*, quod significat *servare*, ipsi interpretari solent, *scrutari*, ut perspicuum est ex Psal. 118. vers. 2 et alibi sæpe. Itaque dubium esse non debet, quin significet etiam *quærere*,

investigare, scrutari : alioqui non tam constanter Septuaginta viri doctissimi ita redderent: sed mirum est, quam varie legant Patres pronomen additum in Hebræo; nam sanctus Hilarius legit, *Quis requiret eorum*. Sanctus Augustinus, Quis requiret ei; sanctus Hieronymus in commentario, *Quis requiret ejus;* at in versione ex Hebræo legit, *eum*. Septuaginta omiserunt pronomen in fine verbi : sed addiderunt ad nomen veritatis, *veritatem ejus quis requiret?* Et sine dubio versio Septuaginta Interpretum optima, et clarissima est. Ad litteram ex Hebræo, sic verti deberet, *Misericordiam et veritatem ejus quis requiret eum?* et sensus est, Misericordiam, et veritatem quis requiret ab eo, vel in eo? quem sensum optime reddiderunt Septuaginta, dicentes, *Misericordiam et veritatem ejus quis requiret?*

8. Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi : ut reddam vota mea de die in diem.

Quia misericordia Domini Christi tam abundanter mihi adest, et veritas ejus tam certa est, ut non sit opus eam requirere, *ego sic psallam nomini tuo in sæculum sæculi*, id est, laudabo te Deum meum; non hic in terris tantum, sed etiam in cœlis, æternis hymnis, et canticis celebrabo : ut hoc modo *reddam vota* gratiarum actionis *de die in diem*, id est, omnibus diebus præsentibus et futuris, usque ad eum diem, cui nox nulla succedet. Potest etiam sic accipi, *sic psallam voce nomini tuo semper*, ut etiam opere impleam promissa mea, legem tuam semper, et ubique servando; sed prior expositio, quæ sancti Hilarii est, magis probatur.

PSALMUS LXI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem pro Idithum, Psalmus David.

De hoc titulo diximus in explicatione Psalmi tricesimi octavi. Argumentum Psalmi est exhortatio ad patientiam in adversis, et confidentiam in Deo; cujus occasione agitur de vana confidentia in divitiis.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Nonne Deo subjecta erit anima mea ? ab ipso enim salutare meum.

Vir justus graviter impugnatus a concupiscentiis variis, quarum quælibet animum humanum sibi subjicere satagit, fortiter reluctans clamat, *Nonne Deo subjecta erit anima mea?* id est, nonne æquum est, et mihi utilius, ut Deo subjiciar, quam dominatui avaritiæ, vel superbiæ, vel luxuriæ, *ab ipso enim salutare meum.* Nam concupiscentiæ, quæ mihi dominari affectant nullum stipendium aliud polliceri possunt, nisi mortem sempiternam. Deus autem salutem pollicetur, et certissime præstabit, si fidelem illi subjectionem, et obedientiam exhibebo. In Hebræo ad literam legitur, *Attamen ad Deum silebit anima mea, quia ab ipso salus mea;* sed idem est sensus, est enim ac si dicat : quamvis multa mihi dominari velint, tamen anima mea soli Deo subjecta ad omne mandatum, sive ad omne ejus beneplacitum, ut vera obediens silebit, non contradicet, non murmurabit.

2. Nam et ipse Deus meus, et salutaris meus; susceptor meus, non movebor amplius.

Non solum, inquit, ab ipso pendet salus mea, sed ipse est Deus meus, et salutaris meus. In Hebræo pro voce *Deus*, est צור *tsur*, quod proprie *petram* sive *fortitudinem* significat. Itaque sensus est, Ipse Deus mihi in hac vita est petra, ac robur, in alia erit Salus mea; in utraque *Susceptor meus est*, quippe qui nunc suscipit protegendum; tunc suscipiet coronandum. Ideo non multum movebor, non nutabo, sed fortis permanebo, quamvis tentationibus quatiar. Illud *amplius*, ut ex Hebræo רבה *rabba* cognoscitur, non significat, *deinceps*, aut, *in posterum*, sed *multum*, sive *valde*.

3. Quousque irruitis in hominem ? interficitis universi vos : tamquam parieti inclinato, et maceriæ depulsæ ?

Posteaquam de se locutus est, convertitur ad deplorandam stragem animarum, quam per arma variarum concupiscentiarum maligni spiritus quotidie faciunt. Vere enim innumerabiles sunt homines, quos dæmones dejiciunt in peccatum quod est mors animæ, per avaritiam, ambitionem, luxuriam, iracundiam, invidentiam, et alias ejusmodi passiones. Itaque indignabundus adversus malignos spiritus, dicit, *Quousque irruitis in hominem?* et quia vox Hebraica ההותתו *hehothethi*, proprie *insidiari* significat; intelligimus, Prophetam per *irruere*, significare voluisse irruere per desiderium, et astutiam, ut sensus sit, Quousque non cessatis, insidiando generi humano irruere in hominem impetu as-

tutiæ et insatiabilis desiderii vestri? *Interficitis universi vos*, id est, undique stragem editis animarum universi vos maligni spiritus, diversis quidem in locis, et modis variis, sed ad malefaciendum conjuncti. *Tanquam parieti inclinato*, et maceriæ depulsæ; hic subintelligitur verbum accommodatum, ut sensus sit, vim facitis humano generi, ex peccato originis sauciato, et ad malum prono, tanquam parieti inclinato, et parieti non solido, sed ex luto, et paleis composito, ut maceria potius quam murus dici possit. Quibus verbis miro modo descripsit Propheta tum dæmonum potentiam, et crudelitatem erga genus humanum, tum debilitatem et fragilitatem ipsius generis humani. Vere enim homines post corruptam naturam similes facti sunt maceriæ impulsæ et inclinatæ quæ facillime dejici potest; quum et fragiles sint, *et propensi ad malum ab adolescentia sua*, ut dicitur Gen. 8. proinde merito clamat Apostolus, *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* et mox addit de potentia gratiæ, *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Rom. 7.

4. Veruntamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in siti, ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant.

Revertitur vir justus ad causam, unde digressus erat, ad apostrophem contra inimicos, atque ostendit finem hostibus spiritualibus propositum dum justos impugnant, esse, ut privent eos æternis honoribus, quos videlicet illis invident, quoniam ipsi inde culpa sua exciderunt. Veruntamen, inquit, pretium meum cogitaverunt repellere, id est ideo tentant, ideo impugnant, ideo concupiscentias excitant, ut pretium, quo redemptus sum, repellant a me, et dignitatem, atque honorem illum magnum æternæ gloriæ mihi auferant. Sed ego contra *cucurri in siti*, id est, tanto ardore cucurri ad bravium supremæ vocationis, quanto illi cucurrerunt ad illud a me repellendum. *Ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant*, id est, ore suo blandiebantur hortantes ad voluptates vitæ præsentis, tamquam res bonas, atque utiles : atque interim *corde maledicebant*, scientes eas ipsas voluptates venenum esse animæ, atque ad impediendam lætitiam sempiternam instrumenta esse aptissima. In Hebræo, ut nunc legitur secundum puncta Rabinorum, sic habetur, *Veruntamen exaltationem ejus cogitaverunt repellere, complacuerunt mendacio, ore suo benedicebant, corde suo maledicebant.* Itaque de quatuor vocibus est difficultas, quæ sunt, *pretium, meum, cucurri, in siti.* Vox pretium, in Hebræo est משאת *masseoth*, quam vocem S. Hieronymus vertit *partem*, Septuaginta verterunt *pretium*, alii vertunt *exaltationem*, in Græco est, τιμῆ, quæ honorem et pretium significat. Hilarius, Augustinus, Theodoretus, Euthymius, et Hieronymus in commentario legunt *honorem* : et satis concordat vox Hebraica, quæ exaltationem significat. Basilius et Ambrosius legunt pretium, et exponunt de pretio redemptionis Christi. Sed vox pretium significat etiam dignitatem, proinde possumus per pretium intelligere dignitatem, honorem, et exaltationem. Et quod attinet ad sensum in idem recidit, sive pro dignitate, sive pro pretio redemptionis, sive accipiamus pretium pro utroque, ut supra in nostra explicatione ostendimus. Vox, *meum*, sine dubio recte posita est hoc loco, et eam habent omnes codices Græci et Latini, et omnes tractatores, proinde illud, *ejus*, quod est in Hebræo, indicat vocem Hebraicam esse corruptam vitio scriptorum, quod facile fuit, cum littera quæ significat, meum, sit Iod, littera quæ significat ejus, sit Vau quæ non differunt, nisi quod una est paulo longior altera. Vox *cucurri*, vel *cucurrerunt*, ut alii legunt, bene posita est, et cum Hebraica concordat, si removeantur puncta Rabinorum. Rabini enim legunt ירצו *yrtsu complacuerunt*, sed Septuaginta viri longe doctiores legerunt ירצו *iarutsu concurrerunt.* Vox Græca ἔδραμον ambigua est, et tam *cucurri* quam *cucurrerunt* significare potest. Et quidem Hilarius, Augustinus, et Hieronymus in commentario legunt *cucurri*, Basilius, Theodoretus, et Euthymius legunt, *cucurrerunt.* Ambrosius utramque lectionem probat et exponit, ut et nos in nostra explicatione fecimus : nam uterque sensus est verus. Vox *in siti*, habetur in textu Græco, et in omnibus Latinis, et legitur ab omnibus expositoribus. Quid autem legerint Septuaginta in Hebræo, ut verterent *in siti*, fateor me ignorare, nam vox Hebraica כזב *cazab*, mendacium significat, neque est ulla litterarum similitudo inter *sitim*, *et mendacium* in lingua Hebraica, sitis enim dicitur צמא *tsama*. S. Ambrosius conatur concordare hanc diversitatem textuum, dicens, mendacium sitim habere, veritatem ubertatem. Sed verisimile est Septuaginta Interpretes aliter legisse, et in voce כזב *cazab* pro *caph* legisse *beth*, quæ sunt litteræ similes, et sic habuisse præpositionem *in* pro aliis duabus litteris, vel aliquid aliud legisse, vel scivisse ea voce *sitim* significari.

5. Veruntamen Deo subjecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea.

6. Quia ipse Deus meus, et salvator meus, adjutor meus, non emigrabo.

7. In Deo salutare meum, et gloria mea Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est.

Redit ad primos duos versiculos, eosque repetit ut ostendat, magnas quidem esse tentationes, quibus urgetur, sed tamen se in Dei amore fundatum, atque ejus auxilio fretum nihil metuere. *Veruntamen*, inquit, *Deo subjecta esto anima mea*, id est, quantumvis hostes fremant, tu anima mea tacita, et subjecta obedias Deo. Est enim hoc loco eadem vox Hebraica, quæ in primo versiculo, nimirum, *Deo silebit anima mea. Quoniam ab ipso patientia mea*, id est, tace Deo, quoniam ipse tibi præstabit auxilium. Nam hoc loco nomine patientiæ significatur patiens expectatio auxilii divini, ut ex verbo Hebraico et Græco constat. *Quia ipse Deus meus, etc.* Hic versiculus sextus est omnino idem cum secundo : quamvis enim Interpres Latinus vocabula variaverit, tamen in Hebræo sunt omnino eadem. Itaque illud, *Deus meus*, est etiam hoc loco, *petra mea*, et illud, *Salvator meus*, est *salus mea*, sive *salutaris meus* : et illud *adjutor meus*, est *susceptor meus* : et denique illud, *non emigrabo*, est eadem vox, quæ antea versa est, *non movebor* : proinde non emigrabo, significat hoc loco, non dejiciar de statu meo, non emigrabo ad partes hostium, sed immotus

in castris Dei permanebo Concludit in septimo versiculo, se omnia a Deo expectare, finem videlicet et media. Finis est liberatio ab omnibus malis, et adeptio summi boni: illud significatum est per salutem, hoc autem per gloriam: media sunt auxilium Dei, et spes nostra quæ proprie nominata sunt. *In Deo*, inquit, *salutare meum, et gloria mea*, id est, a Deo expecto salutem, id est, liberationem a malis, et gloriam æternam, quæ est summum bonum: nam cum Deum videbimus, et similes ei erimus, perfecteque illi adhærebimus, tunc vere salvi et beati erimus: potest tamen etiam cum S. Basilio exponi, in Deo solo, non in ulla re alia glorior: non in divitiis, non in honoribus, non in potentia humana, quia nihil excellentius cogitari potest, quam filium esse Dei. Nec solum in Deo finem ultimum repositum habeo, sed ipse etiam Deus auxilii mei, id est, ipse est fons gratiæ, qua adjutus perveniam ad finem illum: et ideo tota spes mea in eo est. In Hebræo habetur, *petra roboris mei*, pro, *Deus auxilii mei*.

8. Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra: Deus adjutor noster in æternum.

Hortatur nunc cæteros ad virtutem, quam ipse Dei dono acceperat: ac primum monet, sperandum esse in Deo, deinde addit, non esse sperandum in rebus creatis. *Sperate*, inquit, *in eo*, id est, in Deo, *omnis congregatio populi*, id est, omnis cœtus, omnis populus, omnes homines, non Judæi solum, sed etiam gentes. In Hebræo est, *Sperate in omni tempore*: sed manifesta est corruptio in textu Hebraico per defectum unius litteræ; nunc enim legitur, עת *heth*, quod significat *tempus*, sed esse debet עדת *hadath*, quod significat congregationem, et sic legerunt Septuaginta. *Effundite coram illo corda vestra*: effundi dicitur vas, cum evacuatur, et etiam liquor, cum ex vase ejicitur. Itaque si cor accipiatur pro vase, ut accipit S. Basilius, *effundere cor* est evacuare cor a vitiis, affectibus malis, perversis cogitationibus, et similibus quasi liquoribus noxiis, non enim impleri potest cor gratia Dei, sanctisque cogitationibus, et desideriis, nisi evacuetur contrariis. Pulchre notat S. Ambrosius, admonitos esse homines, ut effundant corda evacuantes ea sordibus; quia scriptum est Joel. 2. *Effundam de spiritu meo super omnem carnem*. Si cor accipiatur pro actu cordis, id est pro cogitationibus et affectibus, tunc effunditur cor, quomodo effunditur aqua, vel vinum. Et hoc modo accipit S. Augustinus, qui vult effundendum esse cor, id est, non retinendum cor in corde, sed effundendum ad Deum, ut cogitationes nostræ, et affectus sint in Deo, non in nobis. Significat etiam effusio cordis secundum Ambrosium confessionem sinceram, et apertam, qua confitemur peccata, et miserias nostras, et ex intimo corde oramus Deum, ut misereatur, quomodo dixit Anna 1. Reg. 1. *Effudi animam meam in conspectu Domini*. Et de hac effusione videtur hic locus præcipue intelligendus: nam sequitur, *Deus adjutor noster in æternum*: id est, secure confitemini Deo ærumnas vestras, et orate eum, nam adjutor noster, et non despicit orationes sperantium in se. Illud, in æternum, in Hebræo est סלה *selah*, quod Græci vertunt διάψαλμα, noster autem Interpres aliquando omittit, aliquando omittit, aliquando vertit, *semper*, aut, *in æternum*, hæc est ratio cur Hilarius, Augustinus, et alii non legant in æternum.

9. Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant, ipsi de vanitate in idipsum.

Quoniam animadvertit Propheta, paucos esse, qui consilium suum sequi velint, ideo invehitur in multitudinem iniquorum, *Verumtamen*, inquit, *vani filii hominum*, *mendaces filii hominum*. In Hebræo significantius dicitur, אבל בני אדם *ebel bene Adam*, *vanitas filii hominum*, quia maxima pars hominum vacua est vera sapientia, etsi apparenti sapientia, quam *prudentiam carnis* Scriptura sacra Rom. 8. appellat, plenissima sit: ideo autem plerique homines vani, insipientes, et imprudentes sunt, quia *mendaces sunt in stateris ad decipiendum*, id est, in stateris dolosis, et fraudulentis. Nam ut recte observat S. Basilius, non agitur hic de stateris proprie dictis, quibus pauci utuntur, illi videlicet soli qui vendunt carnes, aut lanas, aut alia id genus, sed de stateris communibus toti humano generi, id est, de judicio rectæ rationis, quod nobis datum est a Deo, ut discernamus, et quasi in statera appendamus vera bona, et vera mala, apparentia bona, et apparentia mala, et eligamus vera bona, et vitemus vera mala. Porro maxima pars hominum mentitur sibi et aliis, decipitque se, et alios, utens stateris dolosis, et quod miserius est, voluntarie stateris utitur dolosis, juxta illud, *Video meliora proboque, deteriora sequor*. Non est enim qui negare audeat, maximum verissimumque malum esse peccatum, et gehennam; maxima verissimaque bona justitiam et beatitudinem: et tamen cum appenduntur in statera lucrum temporale, et offensio Dei, lucrum præponderat, et præeligitur: et cum appenduntur temporale detrimentum, et mors æterna, temporale detrimentum præponderat; atque ut illud evitetur, ignis gehennæ contemnitur. Addit Propheta, *Ipsi de vanitate in idipsum*, id est, ipsi vani et mendaces, licet variis modis vani sint et mendaces, tamen idipsum conveniunt, uniti, et conjuncti sunt in hoc, ut vani sint, et mendaces: vel brevius, *Ipsi de vanitate in idipsum*, id est, ipsi ex vanitate habent, ut unum sint. In Hebræo habetur paulo aliter, *Vanitas filii hominum*, *mendaces filii hominum in stateris, ad ascendendum ipsi præ vanitate in idipsum*, id est, filii hominum non solum vanitas sunt, et mendacium, sed etiam positi in statera cum ipsa vanitate, ascendunt præ vanitate; ac per hoc leviores, et magis vani sunt, quam ipsa vanitas; quæ est elegantissima amplificatio. Sed tamen non existimo hunc esse litteralem sensum; sed eum, quem paulo ante tradidimus: nam vox illa Hebraica, לעלות *lahaloth, ad ascendendum*, cum aliis punctis legi potest, לעלות *laholoth*, ad iniquitatem, sive ad deceptionem, et sic legerunt Septuaginta: imo etiam S. Hieronymus eodem modo legit, cum verterit, in stateris dolosis: et omnes Patres Græci et Latini sic legunt, et interpretantur. Illud, *ut decipiant*, non debere conjungi cum, *ipsi*, perspicuum est ex Hebræo et Græco textu. Sic enim legendum est, *mendaces in stateris ad decipiendum, ipsi de vanitate in idipsum*.

10. Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere : divitiæ si affluant, nolite cor apponere.

Redit ad exhortationem, ac præcipue, ut caveatur avaritia, quæ est *radix omnium malorum. Nolite*, inquit, *sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere*, 1. Tim. 6. per iniquitatem intelligitur calumnia, ut proprie significat vox Hebraica בעשק *behosek*, proinde prohibetur lucrum injustum, tum ex occulta injustitia, quale est calumniantium, tum ex manifesta, quale est rapientium : et additur, *divitiæ si affluant, nolite cor apponere*, id est, ad opes etiam justo titulo acquisitas nolite affectum ponere. Pulchre notat S. Augustinus, eos qui rapinis delectantur, videre quid rapiant, sed non videre a quo rapiantur : rapiunt enim pecuniam fratri, et rapit illis Diabolus animam : notat idem Augustinus cum Basilio, divitias fluere dum affluunt, cæcos autem cupidos considerare quod affluant, et non cogitare quod fluant. Ideo dictum esse, nolite cor apponere, ne videlicet cum fluentibus fluat, et pereat. Oportet igitur cum affluunt divitiæ, corde immoto, et stabilito apud Deum, disponere fluxum earum, ut utiliter fluant : quomodo prudens agricola disponit fluxum aquarum ad irrigandum hortum, ad molam vertendam, et alia ejusdem generis opera, sed non labitur ipse cum aquis labentibus.

11. Semel locutus est Deus : duo hæc audivi : quia potestas Dei est, et tibi Domine misericordia; quia tu reddes unicuique juxta opera sua.

Concludit rationem reddens, cur non sint appetendæ divitiæ, et cur ab omni peccato cavendum sit. *Semel*, inquit, *loquutus est Deus, duo hæc audivi*. In Hebræo est, חאד דבר אלהים *chad dibber Elohim, Unum loquutus est Deus*, quod non videtur cohærere cum sequentibus, *Duo hæc audivi* : sed illud *semel*, vel, *unum*, significat immobilitatem Verbi Dei, ut docet S. Hieronymus in Commentario hujus Psalmi, quasi dicat, *Semel Deus loquitur, et sit omnino quod loquitur*, obediunt enim omnia Deo ad nutum, ut non sit opus repetere. Vel per *unum* quod Deus loquutus dicitur, non intelligitur unum verbum, sed unus sermo, quo multa continentur, ut docet S. Basilius. Vel per *unum* intelligitur Verbum æternum, ut S. Augustinus exponit, Deus enim unum tantum Verbum dixit ab æterno, et illud, manet in æternum, et æquivalet innumerabilibus verbis. Duo autem, quæ David audivit, et nobis omnibus nunciavit, hæc sunt : Unum quod potentia, et misericordia in Deo sint; illa ut timeatur, ista ut ametur : alterum, *quod unicuique reddet secundum opera sua*, ita ut neque injuste oppressurus sit aliquos per potentiam, neque misericordia ejus sit præjudicatura justitiæ. Et vere, qui ista duo serio cogitant, atque illis cor suum apponunt, sapientissimi sunt.

PSALMUS LXII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

Psalmus David, cum esset in deserto Idumææ.

Non legitur David latuisse umquam in deserto Idumææ, sed in deserto Judææ, 1. Reg. 22. et 23. et in textu Hebraico, et Græco habetur, *in deserto Judææ*, tamen quoniam Sancti Patres Hilarius, Hieronymus, et Augustinus in Commentario legunt, *in deserto Idumææ* : non est contemnenda lectio vulgatæ editionis. Euthymius conatur concordare has lectionum varietates, dicens, desertum in quo latuit David, olim ad Idumæam pertinuisse, postea ad Judæam : sed hoc divinare est. Probabilius videtur, desertum Judææ vocatum esse desertum Idumææ amplificandi gratia : quomodo Jerusalem aliquando vocatur Sodoma : Nam desertum Idumææ est longe majus deserto Judææ : imo tota Idumæorum regio in montibus, et solitudine est, ut intelligi potest, ex cap. 1. Malachiæ, ubi loquens Deus de possessione Edom, *Posui*, inquit, *montes ejus in solitudinem, et hæreditatem ejus in dracones deserti*. Idem colligitur ex lib. 4. Reg. cap. 3. ubi describitur desertum Idumææ itineris septem dierum, et carens aqua, etc. Argumentum Psalmi est oratio Davidis, qui occasione deserti in quo tunc latebat, deplorat peregrinationem suam, et similium justorum, et desiderium suum ostendit migrandi aliquando ex deserto Mundi hujus ad patriam cœlestem.

EXPLICATIO PSALMI.

1. **Deus Deus meus, ad te de luce vigilo.**
2. **Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea !**

Describit vir justus, quæ sint prima opera sua, oriente die : ac dicit esse, quærere Deum, desiderare Deum, miserias suas confiteri *Deo, Deus, Deus meus*, id est. Tu Deus es fortitudo, et robur meum, quia sine te nihil sum, et nihil possum : in Hebræo sunt duo nomina אלהים אלי *Elohim eli*, unum si-

gnificat Deum, alterum significat fortem, sed verti solet etiam per vocem, Deus. Itaque editio Græca, et Latina quæ habent, *Deus Deus*, reprehendi non possunt, tamen sensus est, quem diximus, quia vox אל *El* significat Deum, ut fortem. *Ad te de luce vigilo*, id est, cum primum lucem aspicio corporalibus oculis, aperio pariter oculos mentis ad te lucem spiritualem, et increatam; atque ita ad te quærendum vigilare incipio, non ad opera mundi hujus. Id autem facio, quia *sitivit in te anima mea*, id est, quia desiderat te, ut cibum, et potum suum, ut lumen, et lætitiam suam. Ipsa enim caro mea multis modis sitivit ad te fontem omnium bonorum: quamvis enim caro non proprie Deum sitiat, tamen sitire dicitur, quia indiget ejus misericordia ob multiplices suas miserias: quomodo dicitur terra arida sitire pluviam, sine qua nihil boni producere potest. Quot sint autem carnis hujus corruptibilis necessitates et miseriæ, quibus ille solus mederi potest, de quo dicitur in Psalmo 102. *Qui sanat omnes infirmitates tuas*, nemo est, qui non experiatur. In Hebræo codice post illa verba, Deus Deus meus, est pronomen אתה *atthahtu*: quod Septuaginta omiserunt, sed subintelligi debet, ut sensus sit, *tu es Deus*, et ideo confidenter ad te confugio, et te alloqui præsumo. Illud autem, *Ad te de luce vigilo*, in Hebræo est unica dictio אשחרך *asciacharecha*; quæ significat, sub auroram te quæro; sive in crepusculo matutino, cum incipit misceri lux auroræ tenebris noctis, evigilo, ut te quæram: ex quo intelligimus continuum, et vehemens fuisse in Davide desiderium Dei, et merito, cum ipse sit omne bonum nostrum; et ingrati sint omnes homines, qui obliviscuntur Deum juxta illud Luc. 6. *qui benignus est super ingratos et malos*. Denique illud *quam multipliciter*, est in hebræo כמה *camach*, quæ vox non habetur, nisi hoc loco: S. Hieronymus vertit *desideravit*, sed frustra laboramus de significatione vocis, quæ nusquam habetur alibi, et nemo potest reprehendere primos interpretes.

3. In terra deserta, invia, et inaquosa, sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam.

Describit proprietates deserti, quæ tres sunt, *terra deserta* ab habitatoribus, terra *invia*, terra *sine aqua*: quarum secunda est effectus, et tertia est causa primæ, nam terra aliqua deseri solet ab habitatoribus præcipue propter carentiam aquæ: quæ carentia terram arentem et sterilem reddit: sed cum terra deseritur, et inhabitabilis efficitur, hoc ipso fit invia: quamvis hoc loco, *invia*, non est solum terra sine via, sed terra inaccessa, et per quam difficulter ambulari potest: nam vox Græca ἄβατον inaccessum significat, et vox Hebræa עיף *hhaieph*, significat *lassum, fatigatum, laboriosum:* ac per hoc significat terram, quæ magno cum labore et fatigatione transmittitur. Videtur enim Propheta significare voluisse terram illam incultam, et rebus necessariis ne dum deliciis carentem utilem sibi fuisse ad inveniendum Deum. Anima enim quo magis destituitur carnalibus bonis, vel certe quo magis affectum removet a rebus terrenis, et se in quodam deserto mentis constituit, eo facilius ascendit ad cœlestia contemplanda, et gustanda. *Ego*, inquit, *in terra ista deserta, invia, arida* et sitiente constitutus, *sic apparui tibi*, id est, sic apparui coram te per ascensionem mentis, quasi in sanctuario tuo essem; ita ut desertum loco sanctuarii mihi fuerit. Apparui autem coram te *ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam:* id est, potentiam tuam, et majestatem tuam. Illud enim in sancto in Hebræo est, בקדש *bachodesch in sanctitate*, per quam sanctuarium Hebræi significare solent. S. Augustinus paulo aliter exponit, et eum sequentes dicere possumus per desertum intelligi mundum, qui desertus est a veris hominibus, et inhabitatur a bestiis, hominibus videlicet *carnalibus et animalibus*, ut eos vocat Apostolus 1. Cor. 2. item est invius: quia difficillimum est invenire viam, qua exeatur; denique est inaquosus, quia quamvis lacunas habeat aquæ putrefactæ, quæ est sapientia carnalis, caret tamen aqua de cœlo, quæ est sapientia vera: nisi Deus ex magna gratia sua peregrinantibus in hoc deserto viam ostendat, et rorem de cœlo aspergat. Ait igitur David in persona sua, et sanctorum peregrinorum comitum suorum. Ego in hoc deserto positus et sitiens aquam de cœlo, et exitum invenire cupiens, de mane vigilans mente conscendi ad sanctuarium tuum cœleste, et sic in sancto apparui coram te, ut meditando et contemplando viderem virtutem tuam et gloriam tuam, quoniam in deserto mundi non videmus nisi temporalia, fragilia et vilia. *Ut viderem*, inquit, *virtutem tuam*, qua de nihilo omnia fecisti et portas ea verbo virtutis tuæ; viderem quoque gloriam tuam, qua longe superemines universis, et nihil est simile tibi, et omnia velint nolint, serviunt tibi: et ex hac visione irrorari cœpi, et manna gustare, et viam quæ Christus est, invenire.

4. Quoniam melior est misericordia tua super vitas, labia mea laudabunt te.

Illud, *quoniam*, non videtur referendum esse ad superiora, sed ad sequentia, ut sensus sit, Non solum videbo virtutem tuam, et gloriam tuam, sed etiam laudabunt te assidue labia mea, quoniam misericordia tua melior est mihi præ ipsa vita: nam misericordia tua vitam dedit, eadem ipsa misericordia vitam conservat, et si ipsam vitam propter te perdidero, misericordia tua illam mihi multo feliciorem restituet: sed si ut vitam conservem, a misericordia tua, et gratia excidero; et vitæ et misericordiæ jacturam faciam. In Hebræo habetur quidem חיים *chaiim*, vitas, in numero multitudinis, sed vox illa etiam pro vita in singulari accipitur: quo modo multa vocabula habent formam numeri multitudinis, et significationem numeri singularis: et in versiculo sequenti, *Sic benedicam te in vita mea*, habetur eadem vox in numero multitudinis, et tamen Interpretes verterunt in numero singulari. Itaque possumus hoc loco simpliciter per *vitas*, vitam interpretari; ut interpretantur sancti Patres Hilarius, et Hieronymus in commentario: et sicut legit in textu S. Hilarius: tamen si magis placet accipere in significatione numeri multitudinis, per vitas accipiemus varias functiones viventium, ut vitas mercatorum, vitas militum, vitas clericorum, vitas agricolarum, et similes, ut accipit S. Augustinus, vel vitas

quantumlibet longas et felices in hoc mundo, vel denique vitas, tum nostram, tum nobis conjunctorum, et charorum, ut parentum, fratrum, filiorum.

5. Sic benedicam te in vita mea, et in nomine tuo levabo manus meas.

Sic laudando assidue, *benedicam te in vita mea*, id est, quicquid mihi acciderit, sive prosperum, sive adversum, benedicam tibi in omni tempore, *et in nomine tuo levabo manus meas*, id est, in invocatione nominis tui levabo in oratione manus meas, a te solo expectans auxilium in adversis, et tibi vicissim gratias agens in prosperis. Porro ritus levandi manus in oratione, in utroque testamento in usu fuit. Nam cum Moyses Exod. 17. levaret manus ad Deum, populus vincebat, cum deponeret, vincebatur. Et Apostolus 1. Timoth. 2. *Levantes*, inquit, *puras manus.* Monet Autem S. Augustinus eos qui levant manus ad Deum in oratione, si impetrare velint, debere etiam levare manus ac bona opera facienda. Significat etiam in Scripturis, *levare manus*, idem quod jurare per Deum. Sic legimus Gen. 14. dicentem Abrahamum : *Levo manum meam ad Deum possessorem cœli et terræ, quod a filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt.* Et Apoc. 10. *Levavit manum suam ad cœlum, et juravit per viventem in sæcula sæculorum.* Posset igitur illud, *In nomine tuo levabo manus meas*, exponi hoc modo, per nomen tuum jurabo, ac per hoc te solum pro vero Deo colam, sed prior expositio communior est.

6. Sicut adipe, et pinguedine repleatur anima mea, et labiis exultationis laudabit os meum.

Hoc est, quod petebat cum levaret in oratione manus suas ad Deum. Hoc, inquit, peto, *ut anima mea repleatur adipe, et pinguedine*, id est, repleatur adipe et pinguedine spirituali, quæ non adeps et pinguedo proprie (id enim corporale quid est) sed quasi adeps et pinguedo. Nam sicut qui adipe bona, et pinguedine naturali præditi sunt, non autem inflati, aut vento distenti, sani, fortes, rubicundi, et hilares sunt : et contra macie confecti, aridi, debiles, tristes, deformesque sunt : sic qui gratia spirituali, quasi bona adipe pleni sunt, devoti, ferventes, ac semper gaudentes sunt : et contra qui spiritu carent, ad omnia spiritualia nauseant, acedia consumuntur, infirmi, ac debiles nihil boni facere, nihil mali tolerare valent. Sed ut recte monet Sanctus Augustinus, in hac eremo saginam sapientiæ et justitiæ desiderare, et petere possumus; sed tunc demum obtinebimus, cum ad patriam pervenerimus : tunc enim implebitur illud Psal. 147. *Frumenti adipe satiat te Dominus*, et illud Matth. 5. *Beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur*, et tunc perfecte, et sine ullo fine, vel tædio, *labiis exultationis*, id est, labiis exultationem resonantibus laudabit Deum *os nostrum*, tunc enim succedet orationi laudatio, quando ita pleni erimus, ut nulla re indigeamus, quod fiet cum Deus erit omnia in omnibus : nunc autem numquam tam multa habemus, quin pluribus egeamus, ac per hoc oratione assidua opus habemus.

7. Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus.

Ostendit, in hac etiam vita se perpetuo recordaturum Dei, et beneficiorum ejus, et non solum in patria, quando repletus adipe, labiis exultantibus laudabit Deum. Si, inquit, *memor fui tui* nocte etiam profunda, dum adhuc jacerem *super stratum meum*, multo magis interdiu, atque adeo *tempore matutino surgens meditabor in te*, id est, de te cogitabo et considerabo potentiam tuam, et gloriam tuam ; *quia* tu semper *fuisti adjutor meus*, id est, ideo semper recordabor tui in gratiarum actione, quia tu semper recordatus es mei in auxilio, et protectione. Sanctus Augustinus colligit ex hoc loco utilissimum documentum, si quis velit inter operandum recordari Dei ; atque ejus amorem, et timorem semper ante oculos habere, dum operatur, necesse esse, ut antea super stratum, id est, in quiete recordetur Dei, et beneficia ejus ac promissa consideret. Ideo enim plerique mortales inter operandum se gerunt, ac si Deum non haberent ; quia non habent tempus aliquod feriatum, in quo colligant se, et meditationi rerum cœlestium vacent. *Quidam* Codices Latini habent, *Sic memor fui* : sed recte habet nostra lectio, *Si memor fui*, quoniam sic legunt codices Hebraici, et S. PP. Hilarius et Augustinus.

8. Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua.

Quia dixerat, *tu fuisti adjutor meus* : ne putaretur jam securus, et de Dei protectione non amplius laborare, subjungit, *Et in velamento alarum tuarum exultabo*, id est, continebo me sub umbra alarum tuarum, et in protectione tua sperans, *exultabo*, securus a Milvo, dum sub omnipotentis Aquilæ pennis latebo. *Adhæsit anima mea post te.* Et hac protectione, et tam ingentibus beneficiis provocata *anima mea adhæsit*, glutine fortissimæ charitatis *post te*, id est, vestigiis tuis inhæsit, ab illis nulla tentationum vi separari se patiens. Porro adhærere vestigiis Domini glutine charitatis, non est sterili quodam affectu Deum diligere, sed ejus præcepta ex charitate servare ; nam *qui diligit me*, ait Dominus Joan. 13. *sermonem meum servabit* : ideo non dixit, adhæsit tibi, sed *post te*, tibi videlicet obediens, ac subjecta. Ac ne videatur sibi tribuere, quod tam ardenter Deo inhæserit, addit, *me suscepit dextera tua;* id est, ideo sequor te, quia tu me traxisti ; ideo te diligo, quia tu prior dilexisti me, ac ut te diligerem, tu me diligendo fecisti. Beatus plane, qui quantumvis in virtute proficiat, sub Deo proficere se intelligit, et semper ut parvulum, et quasi pullum gallinæ sub alis Dei se collocat. Beatior autem, qui vere dicere potest, *Adhæsit anima mea post te*, qui non solum sperat in velamento alarum Dei, sed etiam ex toto corde ita diligit, ut cum Apostolo dicere possit, *Quis me separabit a charitate Christi?* Rom. 8. Beatissimus vero, qui proprio experimento, vel potius testimonium reddente spiritu suo, didicit se *a dextera Dei*

esse susceptum : ipse enim Dominus de talibus dicit Joan. 10. *Non rapiet eos quisquam de manu mea. Et nemo potest rapere eos de manu Patris mei, Ego et pater unum sumus.*

9. Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.

In duobus ultimis versiculis prædicit Propheta interitum, et exterminium ultimum eorum, qui persequuntur justos, et felicitatem, ac beatitudinem sempiternam justorum. *Ipsi vero,* videlicet impii persecutores, *in vanum quæsierunt animam meam,* nam ideo impii persequuntur justos, ut ipsi soli secure possideant terram, et fruantur deliciis, et imperio terreno: sed frustra laborant; nam ipsi non possidebunt terram, sed a terra absorbebuntur: et absorpti a terra et in inferno constituti, non ibi deliciis, aut imperio fruentur, ac ne quiescent quidem, sed addicti erunt perpetuis suppliciis et subjecti erunt dæmonibus, quasi lupis et vulpibus crudelissimis. *In vanum quæsierunt animam meam,* id est, frustra conati sunt vitam meam tollere, meque interficere. Hoc dicere potest quilibet justus, sive Christus pro se et pro membris suis, *Introibunt in inferiora terræ :* ecce cur in vanum quæsierunt, nam finis eorum erat, libere terram possidere, sed infra terram dejicientur, in corde terræ, in inferno cogentur perpetuo habitare. *Tradentur in manus gladii,* id est, in inferno non quiescent, multo minus fruentur bonis terræ; sed *tradentur in manus gladii,* id est, in potestatem tormentorum: supplicia enim, ut instrumenta Dei Judicis supremi, et irati in miseros sine cessatione desævient. *Partes vulpium erunt:* id est, non dominabuntur amplius super homines justos, sed ipsi subjecti erunt dæmonibus injustis, quasi pars et hæreditas ipsorum. Vocantur autem vulpes potius, quam lupi vel leones, ipsi dæmones, quia magis versutia vulpina, quam vi leonina peccatores capiunt, sibique subjiciunt. In Hebræo nunc habetur, *Ipsi interficere quæsierunt animam meam*, pro eo quod nunc habemus, *Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam.* Sed facile est videre, quid nostri interpretes secuti sint. Eadem enim vox Hebraica לשואה *lesohah*, si legatur cum aliis punctis, et ultima littera tollatur, fiet לשוא *lesave, in vanum,* et hæc videtur esse verissima lectio, quam habuerunt in suis codicibus Septuaginta Interpretes.

10. Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes, qui jurant in eo, quia obstructum est os loquentium iniqua.

Ecce quomodo omnino in vanum impii laboraverunt : nam non solum ipsi non consequentur bona, quæ optabant, sed neque poterunt justos bonis suis privare. Nam *Rex* ipsorum Christus, de quo dixerunt Judæi, *Tolle, tolle, crucifige eum.* Joan. 19. et cujus nomen pagani delere totis viribus laboraverunt, et cui omnes impii contradicebant, vivet et regnabit in sæcula, et *lætabitur in Deo*, sedens in dextera Patris gloriosus: *et laudabuntur* (in die judicii) *omnes qui jurant in eo :* qui videlicet hoc tempore, non obstantibus persecutionibus, eum tamquam verum Deum religiose colunt, et per nomen ejus jurant, sive illi fidelem obedientiam jurant. *Laudabuntur*, inquam, omnes Christi fideles, *quoniam obstructum est os loquentium iniqua*, id est, obstruetur in die novissimo os omnium iniquorum: tunc enim veritas manifesta erit, et nemo erit qui eam inficiari possit, proinde impii dicent, ut habetur in lib. Sapient. cap. 5. *Ergo erravimus a via veritatis, et hi sunt quos habuimus in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est.* Itaque laudabuntur justi ab inimicis, quando veritas per divinum judicium patefacta, obstruet ora omnium, qui nunc blasphemantes, maledicentes, calumniantes, detrahentes, conviciantes, mentientes iniqua loquuntur. Hos duos versiculos aliqui exponunt de Davide, aliqui de Christo. Vere enim Saul, et cæteri inimici Davidis, qui eum interficere cupiebant, ut ipsi secure regnarent, *in vanum laboraverunt*, nam et ipsi extincti sunt, et David gloriose regnavit. Sic etiam Judæi, qui Christum occidere satagebant, *ne venirent Romani, et tollerent locum eorum, et gentem,* ut dicitur Joann. 11. noluerunt Agnum habere Regem, et habuerunt vulpem simul et leonem: nam et Romani civitatem eorum everterunt, et Regnum abstulerunt, ipsis maxima strage ferme deletis, et Christus resurrexit, et gloriosissime regnavit, *et Regni ejus non erit finis.* Luc. 1. Nos tamen sanctum Hilarium et sanctum Augustinum sequuti exposuimus de justis in universum, et eorum capite ac Rege Christo, ut doctrina et consolatio Scripturarum ad plures pertineret.

PSALMUS LXIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus David.

Hunc Psalmum de solo David aliqui explicant, qui liberari a persecutoribus cupiebat; aliqui ad solum Christum referunt, cujus passio in hoc Psalmo ex parte describi videtur. Sed nihil impedit quominus de Davide, et de Christo, cujus typum David gerebat, Psalmum intelligamus, imo etiam de Martyribus aliisque justis, quorum caput Christus est, et in Psalmis, nunc in persona sua, nunc in persona membrorum suorum loquitur. Nos tamen persequemur expositionem sanctorum Patrum, qui de Christo potissimum totum hunc Psalmum explicaverunt.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Exaudi Deus orationem meam, cum deprecor, a timore inimici eripe animam meam.

More suo Propheta primum petit exaudiri, deinde exponit, quid cupiat. *Exaudi*, inquit, *orationem meam, cum deprecor*, id est, fac obsecro ne frustra deprecer. Sanctus Hilarius legit, *Cum tribulor*, pro eo, quod nos habemus, *cum deprecor*: sensus est idem: sed nescio quid sequutus sit: nam vox Hebraica בשיחי *beschicchi*, significat submisse loqui, quod est signum humilitatis, et reverentiæ: et sic Anna orabat 1. Reg. 1. *ut tantum labia moverentur, et vox penitus non audiretur*: vox enim Græca, δεῖσθαι, precari, non tribulari significat. *A timore inimici eripe animam meam*: hæc est petitio, quæ duobus modis intelligi potest, primum, ut petat liberari a timore inimici volentis occidere, tollendo materiam timoris; efficiendo videlicet, ut inimicus non possit, vel non velit occidere: et hæc videtur litteralis expositio: secundo, ut petat liberari ab ipso timore humano, non tollendo materiam timoris, sed augendo charitatem, et constantiam, ut non timeat mortem carnis; sed timeat mortem peccati: sive, ut non timeat homines, *qui possunt corpus occidere, et post hæc non habent amplius, quid faciant*: sed timeat Deum, *qui potest, et corpus, et animam perdere in gehennam*, ut Dominus monet Matth. 10. Et hæc est expositio sancti Augustini spiritualis, et utilissima: nam liberari a timore mundano, et radicari in timore divino in omni tribulatione optimum est. Sed in hoc posteriore sensu Christus in persona membrorum suorum infirmorum loquutus est: in priore autem, in persona etiam sua loquutus esse videtur: sicut enim in horto pridie passionis timere, et pavere dignatus est, et orare, Matth. 26. *Pater, si fieri potest, transfer calicem hunc a me*: sic hoc ipsum per Prophetam prædicere voluit.

2. Protexisti me a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem.

In hoc versiculo exauditum se fuisse Christus ostendit, et quod de se dicit in præterito, idem membris suis promittit in futurum. *Protexisti*, inquit, *me a conventu malignantium*. Notum est ex Evangelio, quam sæpe *convenerint Principes Judæorum adversus Jesum, ut eum morti traderent*. Matth. 26. ac doctrinam ejus, et nomen extinguerent: nec solum Principes in Concilium convenerunt ad consultandum, sed etiam multitudo militum, ac satellitum *convenit ad operandum iniquitatem*, ad Christum videlicet, illudendum, flagellandum, et crucifigendum. Sed protexit eum Deus, ut neque conventus malignantium Judæorum, neque multitudo gentilium operantium iniquitatem illi noceret. Permisit quidem Deus Christi carnem flagellari, et cædi, sed et flagella, et mors mundi salutem operata, in gloriam, et triumphum versa sunt: et quod in capite præcessit in membris quoque factum est, et fiet. Martyres enim protexit Deus, ut occisio corporis non solum non eis obesset, sed etiam prodesset ad gloriam sempiternam; et pios omnes Deus proteget, ut tribulatio, ac persecutio cooperetur eis semper in bonum. Illud *protexisti*, in Hebræo est הסתירני *hastireni*, *proteges*, sive *abscondes*: in Græcis plerisque, σκέπασον, *protege*, et sic legunt Theodoretus, et Euthymius. Tamen Hilarius, Hieronymus, et Augustinus in Commentario legunt, *protexisti*, quæ lectio facile cum Hebraica concordatur: nam apud Hebræos sæpe futurum ponitur pro præterito, et contra: sed in sensu nulla varietas est.

3. Quia exacuerunt, ut gladium linguas suas, intenderunt arcum, rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Hæc referuntur ad conventum malignantium, qui lingua pugnarunt, non manibus, nimirum consultando, accusando, insistendo apud Judicem Pilatum, ut Christum de medio tolleret: comparat autem Propheta verba malignantium Judæorum gladio, et sagittis, quoniam gladius de proximo ferit, et præsentem: sagitta longe

positum, et absentem vulnerat: sic igitur Judæi palam præsentem Christum gladio linguæ occiderunt, cum eum coram in concilium suum adductum accusarunt, et quasi convictum damnarunt dicentes, Matth. 26. *Reus est mortis*, et postea ad tribunal Pilati iterum accusarunt, quasi seductorem, et ut crucifigeretur sæpe, ac sæpius institerunt; et hoc modo gladio linguæ iterum interfecerunt. *Quia*, inquit, *exacuerunt ut gladium linguas suas*, ut acutis interrogationibus eum ferirent, dum eum examinarent, et lethifero ictu eum occiderent, dum condemnarent. *Intenderunt arcum rem amaram*, non solum palam quasi gladio ferierunt, sed etiam in absentem ex occulto per insidias, quasi sagittas tetenderunt, cum tam sæpe ad eum miserunt, qui eum caperent in sermone, et cum proditore Juda occulta colloquia miscuerunt, et cum falsos testes instruxerunt. *Intenderunt arcum, rem amaram*, id est, insidias tetenderunt, quæ insidiæ res amaræ ac lethiferæ erant, *ut sagittent*, id est, ut sagittarent *in occulto*, id est, ex insidiis *immaculatum*, hic enim erat finis, et quasi scopus insidiarum, ut Christum maculatum et peccatorem, id est, blasphemum, et seductorem falsis testimoniis, et accusationibus ostenderent; qui tamen revera immaculatus erat, et ad hoc venerat in mundum, ut maculas peccatorum ab aliis abstergeret. Illud, *quia*, non est in omnibus codicibus: nam in Græcis, et quibusdam Latinis habetur *qui*, res est parvi momenti; et vox Hebræa, אשר *ascher*, ambigua est, et tam *qui*, quam *quia*, significare potest. S. Hilarius legit *qui*, sanctus Hieronymus et S. Augustinus *quia*.

4. Subito sagittabunt eum, et non timebunt, firmaverunt sibi sermonem nequam.

Dixerat conventum malignantium jam intendisse arcum, ut sagittarent immaculatum: nunc addit, omnino id futurum, eo quod obfirmati, et obdurati sint in malo: prævidebat enim Spiritus sanctus et prædicebat obstinationem pene incredibilem Judæorum, quam etiam clarissime prædixit Isaias, cap. 6. Cujus vaticinii meminit sanctus Joannes cap. 12. *Subito*, inquit, *sagittabunt eum*, id est, de improviso sagittas insidiarum emittent, *et non timebunt*, id est, audacter sagittabunt, non cogitantes timorem Domini, non formidabunt divinum judicium, non reverebuntur oculos Dei omnia videntis. *Firmaverunt sibi sermonem nequam*, id est, ideo non timebunt sagittare immaculatum, quia obstinati, et obdurati sunt, et jam stabilierunt firmiter sententiam illam plenam injustitiæ, qua semel dixerunt, *Reus est mortis*, hinc enim postea cum Pilatus multis rationibus conaretur eos a scelere revocare, semper obstinate clamaverunt, *crucifigatur*.

5. Narraverunt, et absconderunt laqueos, dixerunt, quis videbit eos?

Addit Propheta ad obstinationem malignantium Judæorum, etiam hypocrisim qua tegere voluerunt invidiam, et malignitatem suam sub tegumento obsequii ad Cæsarem. Christum enim propter invidiam persequebantur, quod Pilato quoque notum erat. *Sciebat enim*, (inquit sanctus Matthæus cap. 27.) *quod per invidiam tradidissent eum*: sed illi hanc invidiam tegebant dicentes. *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dari Cæsari*, Luc. 23. et Rursum: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris*, Joan. 19. *omnis enim qui se Regem facit, contradicit Cæsari*: Hoc ergo est, quod dicit: *Narraverunt, ut absconderent laqueos*, id est, dixerunt intra se, abscondamus insidias, fingamus nos moveri ob injuriam Cæsaris: quis videbit hanc simulationem? quis propterea nos puniet? quasi vero Deus non omnia videat; vel parum sit videri a Deo, qui supremus est Judex.

6. Scrutati sunt iniquitates, defecerunt scrutantes scrutinio.

Pergit Propheta in explicanda et amplificanda malignitate Judaica; ac dicit Judæos non contentos insidiis, et hypocrisi, addidisse, ut diligentissime scrutarentur, et investigarent iniquitates, si quas invenire possent in Christo. Hinc enim *Principes sacerdotum, et omne concilium quærebant falsum testimonium contra Jesum*, et quamvis testimonia convenientia non erant, dicebant tamen, *Nihil respondes ad ea quæ isti contra te testificantur?* Matth. 26. Id enim est *scrutari iniquitatem*, quærere falsa testimonia, et his quasi veris scienter abuti. *Defecerunt autem scrutantes scrutinio*, quia nihil invenerunt, quod vel colorem veritatis habere videretur, et quia Dei judicio tanta cæcitate percussi sunt, ut non averterent se ab omnibus deridendos, quod etiam dormientes testes adduxissent, cum ad custodes sepulchri dixerunt, *Dicite quia vobis dormientibus venerunt discipuli noctu, et furati sunt eum*, Matth. 27. quam cæcitatem notavit et expendit S. Augustinus. Parum autem refert si legamus, *scrutantes scrutinio*, sive *scrutantes scrutinia*, sive *scrutantes scrutationes*: omnia enim in idem recidunt.

7. Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus.

Exposita perversitate malignantium inimicorum, prædicit nunc Propheta quid Christus egerit tempore tantæ persecutionis. *Accedet*, inquit, *homo ad cor altum*, id est, Christus, qua homo est, *accedet*, offeret atque objiciet se quasi infirmus, et quasi nesciens; et tamen vere penetrans profunda cordis ipsorum: *accedet* ad illas omnes passiones, quas in occulto corde suo disposuerunt; id est, perferet patienter et humiliter injurias, quas illi alto, profundo, et pravo corde machinati sunt. Potest etiam per *cor altum*, intelligi cor ipsius Christi, ut sensus sit, *Accedet homo Christus ad cor altum*, id est, ingredietur cor suum profundum, et secretum, quo disposuit objicere Judæis formam servi percutiendam, et celare intus formam Dei, per quam resuscitandus erat. Utramque expositionem attingit sanctus Augustinus. *Et exaltabitur Deus*, id est, humiliabit se ut homo, exaltabitur ut Deus, quia tunc maxime demonstrabitur Sapientia divina vincens malitiam humanam, quando apparebit, Christum moriendo mortem destruxisse, et resurgendo vitam reparasse. Hæc est expositio verborum editionis nostræ vulgatæ; sed sciendum est, hanc lectionem nostram a multis oppugnari, et rejici; quoniam textus Hebraicus et Græcus repugnare videntur. In Hebræo sic legitur ad verbum, *Et cogitatione viri, et corde profundo, et sagittabit eos Deus*: pro eo quod nos

habemus, *Accedet homo ad cor altum*, *et exaltabitur Deus.* Sed facile conciliabitur hic textus cum nostra editione : nam vox Hebraica קרב *chereb*, quæ *intimum*, sive *cogitationem* significare potest, si legatur cum aliis punctis, קרב *charab*, significabit, *accessit*, sive *accedet :* et sic legerunt Septuaginta Interpretes, qui verterunt, *Accedet homo.* Illud autem, *et corde alto*, potest etiam legi : *et cor altum*, quia non habent Hebræi diversos casus, et tota difficultas est in particula *et*, pro qua nos habemus, *ad*, et quamvis in Græcis libris, qui nunc extant, habeatur, *et cor altum*, tamen cum veteres Patres Hilarius, Hieronymus et Augustinus legant in Commentario, *ad cor altum*, credibile est, eos ita in Græcis textibus invenisse : nam erant periti linguæ Græcæ, et ex iis Hieronymus in Commentario Psalmos exponit ex interpretatione Septuaginta virorum. Mirum autem est, quod Cornelius Jansenius, vir doctissimus, conetur ostendere ab Augustino lectum fuisse *et cor altum*, cum Augustinus sæpissime repetat *ad cor altum*, et ne semel quidem, *et cor altum*: corruptum autem fuisse textum Augustini in tam multis locis, et in omnibus editionibus, verisimile non est : credibilius autem est, corruptum fuisse textum Hebraicum post interpretationem Septuaginta virorum, in particula, *et*, sicut corruptum esse constat in particula, בקרב *chereb*, ut ostendimus, præsertim cum ista lectio (*Accedet homo, et cor altum,*) nullum fere sensum commodum recipiat, quid enim significat, *Accedet homo*, *et cor altum ?* Illud autem, *et sagittabit eos Deus*, pro *et exaltabitur* Deus, ex errore Rabinorum natum esse videtur : nam vox Hebraica, ויורם *vaiorem*, si deducatur a verbo, ירה *iarah*, significat, *sagittabit eos*, si deducatur a verbo, רום *rum*, in conjugatione *hophal*, significat, *exaltabitur*, et sic acceperunt eam vocem Septuaginta viri Rabinis omnibus doctiores.

8. Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.

Hoc fecit potentia et sapientia Dei, de qua dictum est, *et exaltabitur Deus*, ut plagæ ab adversariis Christo inflictæ, tam parum illi nocuerint, ac si factæ essent a sagittis infantium parvulorum : nam et tela infantium leves festucæ sunt, et manus eorum infirmæ, ac teneræ, quæ nihil detrimenti adferre possunt. Et vere quales plagas Christo intulerunt Judæi, cum triduo, vel potius in momento post triduum, ita curatæ sint, ut corpus ejus impassibile, et immortale surrexit ? *Sagittæ*, inquit, *parvulorum fuerunt*, quibus factæ sunt plagæ, ac vulnera eorum. *Et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum*, id est, et calumniæ ac blasphemiæ eorum infirmatæ sunt: quia nihil ei nocere potuerunt ac si gladii plumbei fuissent ; sed *infirmatæ sunt contra eos*, id est, in detrimentum, et pœnam ipsorum calumniantium et blasphemantium. Alludit Propheta ad illud, quod supra dixerat, *Exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram ;* ac si diceret, laboraverunt, ut gladium linguæ exacuerent, atque ut sagittas lethales ex arcu jacerent, sed linguæ gladius plumbeus, et sagittæ, tela infantium evaserunt. Atque hoc ipsum de persecutoribus Martyrum, omniumque justorum dici potest : dies enim Judicii ostendet quam parum, ac potius nihil eis nocuerit crudelitas persecutorum, quando stabunt in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt. Ex Hebræo juxta puncta Rabinorum non legitur, *sagittæ parvulorum*, sed *sagitta repentina.* Facile autem est videre, unde sit nata diversitas : nam vocem Hebraicam legerunt, פתאם *pitheom*, quod significat *repente* aut *repentinum :* cum Septuaginta legerint, פתאים *pethaim*, quod *parvulos*, significat.

9. Conturbati sunt omnes, qui videbant eos, et timuit omnis homo.

Explicat Propheta, quid consecutum sit ex eo quod per Christi resurrectionem factæ sint Judæorum sagittæ, *sagittæ parvulorum, et infirmatæ sint*, ac prorsus evanuerint calumniæ, et contumeliæ eorum. *Conturbati sunt*, inquit, *omnes qui videbant eos*, Judæos videlicet, attonitos, et confusos, quando ab Apostolis audiebant eum quem occiderant, surrexisse a mortuis, in cœlum ascendisse, et venturum Judicem vivorum et mortuorum ; et ea quæ audiebant, signis magnis, ac divinis approbari cernebant : *et tunc timuit omnis homo*, id est, omnes, qui recta ratione utebantur, cœperunt contremiscere, et expavescere, et dicere, *Quid faciemus viri fratres?* De hoc timore sancto sic scribit sanctus Lucas Act. 2. *Fiebat autem omni animæ timor; multa quoque prodigia, et signa per Apostolos in Jerusalem fiebant, et metus erat ingens* in universis. Parum autem refert, quod sanctus Hieronymus ex Hebræo vertit, *Fugerunt omnes qui videbant eos :* nam vox Hebraica, נדד *nadad*, quæ hoc loco habetur, utrumque significat, et fugere et commoveri : et omnis qui commovetur, ac turbatur, fugit, si non pedibus, saltem affectu : contrahit enim se, et latebras quærit : timor enim fuga quædam est hominis ad seipsum : sicut e contrario desiderium et amor effundunt hominem extra se.

10. Et annunciaverunt opera Dei, et facta ejus intellexerunt.

Illi, qui sancto timore correpti sunt, ac in primis, Apostoli, qui primi Christo resurgente, atque eis apparente timuerunt, ut dicitur Luc. 24. *Illi*, inquam, *annunciaverunt opera Dei*, id est, prædicare cœperunt Christi Incarnationem, passionem, resurrectionem, doctrinam, miracula, et similia. *Et facta ejus intellexerunt*, particula enim, *et*, passim in scripturis accipitur pro *quia*. Apostoli ergo edocti, tum ab ipso Christo, qui post resurrectionem *aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas.* Luc. 24. tum a Spiritu sancto, qui superveniens in eos, *docuit illos omnem veritatem.* Joan. 16. *facta ejus intellexerunt*, et eadem toti mundo annunciaverunt.

11. Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo, et laudabuntur omnes recti corde.

Ex illa Apostolica prædicatione id consequetur, ut omnis vere justificatus, id est, justus ex impio factus, *lætetur deinceps in Domino, et speret in eo*, deposito metu servili et mundano, *fructus enim spiritum justificantis est charitas gaudium, pax.* Gal. 5. Et tandem in fine sæculorum *laudabuntur omnes recti corde*, omnes qui in justitia

perseveraverunt, et per hoc rectum cor habuerunt ad Deum, non sapientes, neque volentes, nisi quæ Deo placent, illi a Deo laudabuntur in theatro totius Mundi, quando e contrario omnes pravi corde in theatro eodem cum summa ignominia confundentur.

PSALMUS LXIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem Psalmus David, Canticum Hieremiæ, et Ezechielis populo transmigrationis, cum inciperent exire.

Titulus hujus Psalmi in codicibus Hebraicis non continet nisi prima illa verba, *In finem Psalmus David.* Apud Hilarium quoque non habentur alia verba. Theodoretus autem affirmat, nihil aliud haberi in editione Græca Septuaginta Interpretum; cætera addita esse a posterioribus. Tamen non videtur contemnendum, quod additur, *Canticum Jeremiæ, et Ezechielis populo transmigrationis, cum inciperent exire:* nam hæc verba habentur in antiquis codicibus, et leguntur a S. Hieronymo et Augustino in Commentario hujus tituli. Quicumque autem addidit hanc partem tituli, non voluit significare reipsa cantatum fuisse hunc Psalmum a Hieremia et Ezechiele, quando populus incipiebat exire ex captivitate Babylonica: Nam Hieremias numquam fuit in Babylonia, et sine dubio mortuus erat, quando cœpit solvi captivitas. Credibile est etiam Ezechielem tunc fuisse defunctum, ut Epiphanius testatur in vita Ezechielis: Tribuitur igitur his Psalmus (qui revera Davidis est) Hieremiæ et Ezechieli, quoniam isti duo Prophetæ prædixerunt reversionem populi de Babylone in Jerusalem: et fingitur decantatus ab his Prophetis initio egressionis Hebræorum de captivitate, ut intelligeremus hunc Psalmum exponi debere de reditu filiorum Israel a captivitate in patriam. Et quoniam ea liberatio de captivitate, typus fuit liberationis generis humani de captivitate Diaboli, altiore sensu Psalmus prædicit conversionem infidelium ad Ecclesiam, et reditum spiritualium peregrinorum ad patriam cœlestem: nam et Ecclesia, et cœlestis patria per Jerusalem in sacris litteris significari solet.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Te decet hymnus Deus in Sion, et tibi reddetur votum in Jerusalem.

Incipit Propheta in persona populi Dei a quodam verissimo principio, ex quo colligitur desiderium justum redeundi ad patriam. Principium verissimum est, conveniens esse, ut populus Deum laudet, et vota illi offerat in Jerusalem. Laus enim debetur bono, et summa laus summo bono, quod est Deus: et hæc laus debet exhiberi, ubi bonum, quod laudatur, est notum. Deus autem notus non erat in Babylone, sed in Jerusalem, ideo in Jerusalem Deus a populo laudandus erat. Sic etiam vota, ac præsertim sacrificiorum, ibi solvenda sunt, ubi templum, et altare invenitur: templum Dei, et altare non erat nisi in Jerusalem, igitur in Jerusalem vota populi Dei solvenda erant. Ex hoc principio recte colligitur, populum Dei jure desiderare, ac petere reditum in patriam. Et si hoc erat verum de reditu ad terrenam Jerusalem, multo verius est de reditu ad cœlestem Jerusalem, ubi multo notior est magnitudo divinæ bonitatis, et ubi est tabernaculum non manufactum, et altare aureum, in quo igne perfectissimæ charitatis sese totos offerunt omnes cives Jerusalem in holocaustum Deo. Veniamus ad verba Psalmi: *Te decet hymnus Deus in Sion*, id est, convenit omnino, ut populus tuus tibi Deo suo laudes canat *in Sion*, id est, ubi nota est magnitudo tua, non in terra aliena, ubi Dii lignei et lapidei, aurei et argentei laudantur. *Et tibi reddetur votum in Jerusalem*, id est, convenit quoque ut idem populus tibi solvat vota gratiarum actionis in Jerusalem, ubi nota sunt beneficia tua, et vota sacrificiorum, ubi est templum, et altare tuo nomini dicatum, non in Babylone, ubi nec agnoscuntur beneficia tua, neque sunt templa, et altaria, nisi Idolorum: nam *omnes Dii gentium Dæmonia*, ut dicitur in Psalm. 95. In Hebræo pro verbo *decet*, est nomen, *silentium.* Sic enim vertit S. Hieronymus, *Tibi silentium laus Deus in Sion.* Sed Septuaginta Interpretes viri doctissimi per vocem דמיה, *damiia*, non existimaverunt significari *silentium*, quod deducitur a verbo, דום *dum*, sed convenientiam, ut sic loquar, a verbo, דמה *dama*, quod significat *assimilari.* Similitudo enim nihil est aliud, nisi conformitas et convenientia unius ad aliud. Laus autem convenit maxime bonitati, et ideo soli Deo propriissime convenit laus, quia solus Deus propriissime bonus est; dicente Domino, *nemo bonus, nisi solus Deus.* Luc. 18. Sed tamen vox, *silentium*, quamvis non sit ex mente Septuaginta Interpretum, tamen utilissimum documentum continet: nam laus Dei quæ ore cantatur, deberet sequi ex præcedenti silentio, atque attenta admiratione magnitudinis Dei, qui enim cantant absque prævio tali silentio, *labiis Deum honorant, cor autem eorum longe est a Deo*, ut dicitur Isai.

29. Itaque recte dicitur, *Tibi silentium, laus Deus in Sion*, id est, tibi Deus primum convenit tacita admiratio magnitudinis tuæ : deinde constituto corde in hoc silentio, debetur tibi laus in Sion, et votum in Hierusalem. Porro vox *Jerusalem*, non habetur in Hebraico codice : sed vel excidit vitio librariorum, vel addita ab Interpretibus explicandi gratia.

2. Exaudi orationem meam : ad te omnis caro veniet.

Ex eo quod debetur Deo laus in Jerusalem, orat populus, ut sibi concedatur ex captivitate redire in Jerusalem ad ipsum Deum laudandum, et non solum optat sibi reditum concedi, sed ut omnes homines convertantur ad Deum, et veniant per fidem in Jerusalem, quæ est in terris, id est, ad Ecclesiam, et postea per visionem in Jerusalem, quæ est in cœlis : sicut enim *Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*, 1. Timoth. 2. sic etiam populus Dei cupit, et orat, ut omnes homines veniant ad Deum agnoscendum, et laudandum. *Exaudi*, inquit, *orationem meam*, quæ est, ut te auxiliante quam citissime canam tibi hymnum in Sion, et reddam tibi votum in Jerusalem. *Ad te omnis caro veniet*, id est, si me exaudieris, non ego solus, sed omnes homines ad te laudandum, et vota tibi reddenda venient. Id enim cupio, et peto, et quod in me erit, verbis et exemplo, ut id fiat, laborabo. Quod omnis caro per figuram intellectionis omnes homines significet, perspicuum est ex multis Scripturæ locis. Gen. 6. *Omnis caro corruperat viam suam.* Joelis 2. *Effundam de spiritu meo super omnem carnem.* Isai. 40. *Videbit omnis caro salutare Dei.* Matth. 24. *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro.* Joan. 17. *Dedisti ei potestatem omnis carnis.* S. August. per omnem carnem intelligit omne genus hominum, quia de omni genere aliqui veniunt ad Deum per fidem, et salvantur, videlicet, ex divitibus, ex pauperibus, ex doctis, ex indoctis, ex viris, ex fœminis, ex Judæis, ex Romanis, ex Græcis, ex Barbaris, etc. *Non enim omnium est fides, neque omnium est salus; sed eorum, qui præordinati sunt ad vitam æternam*, ut dicitur, Act. 13. In Hebræo habetur, *Donec tibi omnis caro veniat :* sed Septuaginta Interpretes non legerunt, עדיך *hhadecha, donec tibi :* sed עליך *hhalecha, ad te :* et hæc est verior lectio.

3. Verba iniquorum prævaluerunt super nos, et impietatibus nostris tu propitiaberis.

Hæc est altera ratio cur populus Dei petat a Deo liberationem de captivitate, et reditum in patriam, quia videlicet ex peccatis parentum traditus sit in captivitatem : qui enim erant in Babylone, cum soluta est captivitas, fere omnes in captivitate nati erant, ac per hoc parentum peccatis captivitatem suam tribuere poterant : sicut nos omnes captivitatem sub diabolo primis parentibus debemus. *Verba iniquorum prævaluerunt super nos*, id est, mala opera iniquorum parentum nostrorum prævaluerunt super nos filios eorum, nosque gravaverunt jugo durissimæ captivitatis : sed *tu Pater misericordissimus propitiaberis impietatibus nostris*, quas a parentibus hæreditavimus, et quas ipsi eorum exempla imitati superaddidimus. Quod autem per *verba*, interpretati simus, *opera*, nemo mirabitur, qui in Scripturis versatus sit. Sic Luc, 2. *Videamus hoc verbum, quod factum est, quod fecit Dominus, et ostendit nobis.* Psalm. 21. *Verba delictorum meorum.* Psalm. 104. *Posuit in eis verba signorum suorum.* 2. Reg. 1. *Quod est verbum, quod factum est, indica mihi.*

4. Beatus quem elegisti, et assumpsisti : inhabitabit in atriis tuis.

Hæc est tertia ratio, cur populus Dei desideret, et oret revocari in patriam : quæ ratio ducitur a fœlicitate patriæ. *Beatus*, inquit; *est* omnis ille, *quem tu elegisti ab æterno*, et assumpsisti in tempore ad tantam dignitatem, ut sit civis Sanctorum, et domesticus Dei. *Is enim inhabitabit in atriis tuis*, id est, in domo tua manebit : ponitur enim pars pro toto, atrium pro palatio.

5. Replebimur in bonis domus tuæ : sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.

Bona spe fretus populus Dei, jam numerat se inter beatos illos, qui habitabunt in domo Dei, ac dicit in ea domo se bonis omnibus abundaturum, imo ita satiandum, ut nihil desideret amplius, hic enim versiculus etiamsi utcumque convenire possit terrenæ Jerusalem, vel Ecclesiæ militanti; tamen absolute soli cœlesti patriæ convenit. *Replebimur*, inquit, *in bonis domus tuæ*, id est replebimur ex bonis domus tuæ, ut nihil nobis desit, quod foris quærendum sit. Quid enim boni deesse poterit in domo illius qui fecit omnia, cui serviunt omnia, qui erit omnia in omnibus, in quo sunt thesauri bonorum infiniti? De hoc dicitur in Psalm. 102. *Qui replet in bonis desiderium tuum*, et in Psalm. 16. *Satiabimur, cum apparuerit gloria tua. Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.* In illa sancta civitate Jerusalem hoc erit prorsus mirabile et amabile, quod nos in Deo habitabimus, tamquam in domo, et ipse habitabit in templo : ipse erit domus nostra, et nos domus ejus, juxta illud, *Manete in me, et ego in vobis*, Joan. 15. Et illud, *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* 1. Joan. 4. Et si hæc reciproca mansio inchoatur in via, certe multo magis perficietur in patria. Porro *templum hoc Dei sanctum, est mirabile in æquitate*, id est, in justitia, ut vox Hebræa, בצדק *betsedek*, demonstrat. Mirabile enim valde erit, videre homines in peccato natos, et peccatis ita obnoxios, ut de illis diceretur, Psalm. 13. *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in iniquitatibus, non est qui faciat bonum;* et Prov. 24. *Septies in die cadit justus :* et Psalm. 142. *non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens :* qui tamen postea ad illam sanctitatem, justitiamque perveniunt, ut neque peccatum ullum habeant, neque habere possint et evadant in templum sanctum, cujus sanctitatem, et justitiam ipsi etiam sancti Angeli admirentur in cœlis. In Hebræo, pro, *mirabile*, habetur, נוראות *noaroth*, terribile. Sed quoniam admirabilia terrorem venerationis incutiunt, recte Septuaginta Interpretes, *mirabile*, posuerunt, ut indicarent, *terribile*, quod legitur in Hebræo, non esse terribile, quia terreat, sed quia admirationem magnam pariat.

6. Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, et in mari longe.

Redit ad orationem, et adfert novum motivum ut exaudiri debeat, videlicet, quia Deus salvator est, et in eo sperant omnes gentes. *Exaudi*, inquit, *nos Deus*, dum a te petimus liberationem a captivitate, et revocationem in patriam; exaudiri autem petimus confidenter, quia *tu es Salvator noster*, quippe qui sæpe ab hostibus, et persecutoribus nos salvasti : tu etiam *es spes omnium finium terræ*, id est, in te sperant omnes gentes totius terræ usque ad ultimos ejus fines: nec non tu spes es *in mari longe*, id est, omnium habitantium Insulas maris longissime positas. Hæc dicit Propheta prævidens conversionem omnium gentium ad cultum veri Dei : et dicit in præsenti, *Tu es spes omnium finium terræ*, quia Prophetis erant præsentia, quæ in se futura erant.

7. Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus.

Addit aliam rationem a potentia Dei maxima, cui facile est, si velit, populum suum de captivitate liberare, atque ad patriam, unde pulsus fuerat, reducere. Ostendit autem omnipotentiam Dei ex duobus contrariis : nam Deus omnipotentia sua ita firmiter stabilivit terram, ut montes ejus nulli venti commovere possint : et contra ita fecit elementum aquæ liquidum, et mobile, ut quavis aura moveatur. *Præparans montes in virtute tua*, id est, tu es Deus, qui præparasti, sive stabilivisti (utrumque enim significat vox Hebraica, כון *cun*), montes altissimos in virtute tua; *Accinctus potentia*, id est, potentia tua firmasti montes, quia accinctus es potentia, id est, ab omni parte circumdatus, et armatus potentia. *Qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus.* In Hebræo habetur, *Qui mitigas sonitum maris, sonitum fluctuum ejus.* Sed Septuaginta videntur non legisse, משביך *masbiach*, quod est *mitigans*, sive *compescens*, sed מבעת *maubhith*, quod est *conturbans*, et tunc sensus erit, tu conturbas profundum maris, excitans sonitum fluctuum ejus. At si non videatur verisimile Septuaginta legisse, *maubhith*, pro, *masbiach*, ut textus Græcus et Latinus cum Hebræo conveniant, et unus explicetur per alium; per illud verbum, *conturbas*, non erit intelligenda *commotio* et *concitatio* tempestatis maris, sed *comminatio* et *terrefactio*, qua compescatur fremitus maris : quo modo Dominus comminatus est mari turbato dicens, *Tace, obmutesce*, Marc. 4. Confirmatur hæc expositio ex eo quod idem verbum, *conturbas*, refertur etiam ad sonitum fluctuum ejus. *Qui conturbas*, inquit, *profundum maris, et conturbas sonitum fluctuum ejus :* non recte autem diceretur, qui conturbas sonitum fluctuum, nisi sensus esset : Qui terrendo, et comminando compescis sonitum turbati maris. In Hebræo eadem vox habetur, שאון *scheon*, cum dicitur in Latino, *profundum*, et cum dicitur, *sonitus*, quare per profundum intelligere debemus hoc loco, *fremitum maris*, qui ex imo mari erumpit : deinde per sonitum fluctuum, altiorem vocem, quam fluctus turbati maris emittunt. Illud etiam non est omittendum, in Hebræo haberi omnia in tertia persona, Præparans montes in virtute sua, Deus videlicet, accinctus potentia, conturbans, sive compescens fremitum maris, sonitum fluctuum ejus. In editione Latina habentur in secunda persona, sed sensus est omnino idem.

8. Turbabuntur gentes, et timebunt, qui habitant terminos a signis tuis, exitus matutini et vesperæ delectabis.

Quemadmodum versiculo superiore potentiam Dei Propheta ostenderat ex montium stabilitate, et fluctuatione maris : ita in hoc versiculo demonstrat sapientiam Dei, qui cœlestibus signis nunc terret, nunc exhilarat humanum genus. *Turbabuntur*, inquit, *gentes*, omnes videlicet gentes universæ terræ. Id quod explicat clarius, cum subjungit, *et timebunt, qui habitant terminos*, id est, turbabuntur, et timebunt omnes homines, usque ad illos, qui habitant terminos terræ. Turbabuntur autem, et timebunt *a signis tuis*, id est, a coruscationibus, tonitruis, et fulminibus cœlestibus, juxta illud, 1. Reg. 2. *Formidabunt Dominum adversarii ejus, et super ipsos in cœlis tonabit :* nihil est enim horribilius, et formidolosius, et quod fortissima etiam pectora metu concutiat, et dissolvat, quam fulmen cœleste. Sed idem Deus per ortum et occasum solis humanum genus mirifice recreat : nam oriente sole refectis artubus homines læti ad opera exeunt, et occidente sole fatigati respirare incipiunt, et rursum nihil jucundius ortu fulgentissimi, et pulcherrimi luminis : nihil item delectabilius conspectu cœli, sideribus innumerabilibus, quasi gemmis pretiosissimis ornati. *Exitus*, inquit, *matutini et vesperæ delectabis*, id est, exortum auroræ, et crepusculi vespertini delectabiles facies. In Hebræo, pro, *turbabuntur gentes*, habetur, *multitudo gentium ;* sed Septuaginta Interpretes non legerunt, אמון *hamon*, quod multitudinem significat; sed, המו *hamu*, quod significat turbati sunt. Illud autem, delectabis, in Hebræo est, תרנין *tharnin*, quod est *laudare*, sive *jubilare facies :* quod intelligi debet efficienter, non formaliter : dicitur enim aurora, et vespera *laudare*, seu *jubilare ;* quia facit homines præ lætitia exultare, et laudare. Sicut etiam cum dicitur in textu Latino, *Delectabis exitum matutini et vesperæ*, intelligi debet per figuram, quia exortus auroræ, et vesperæ delectat homines illa varietate, et vicissitudine noctium, ac dierum. Miratus sum, cur quidam ex recentioribus vir doctus scripserit, pro voce *exitum*, in Hebræo esse vocem, quæ ad solum diei exortum referatur, et non possit referri etiam ad exitum noctis : nam, מוצה *motsah, exitum*, in genere significat, a verbo, יצה *iatsa*, quod est exire. Et si exitus in Hebræo, significaret ortum diei, non fuisset opus addere, בקר *bocher*, quod tempus matutinum significat, ut revera in textu Hebræo est additum. Sic enim habetur ad verbum, *exitus ipsius mane, et ipsius vesperæ laudare facies.*

9. Visitasti terram, et inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam.

Laudavit potentiam et sapientiam Dei, nunc adjungit laudes bonitatis, sive beneficentiæ ejusdem, quæ maxime ostenditur in admistione terræ et aquæ, ex qua oriuntur omnes fructus terræ, sine quibus hæc vita non ducitur. Terra enim si non irrigetur aquis, et aqua nisi misceatur terræ, nihil omnino producit. *Visitasti*, inquit, *ter-*

ram, quæ per se *erat inanis et vacua*, sed visitatione tua facta est fœcunda, et plena. Visitatio enim Dei efficax est, et non simplex visio, sed provisio. Explicat quomodo visitavit terram, dum adjungit, *et inebriasti eam*, id est, aquis ad satietatem irrigasti, et hac irrigatione *multiplicasti locupletare eam*, id est, multum valde illam locupletem, et copiis omnibus refertam reddidisti.

10. Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum : quoniam ita est præparatio ejus.

Explicat idipsum clarius, per flumen rivi aquarum intelligendi sunt : nam in Hebræo est, פלג *pheleg*, quod divisionem significat. Itaque sensus est, *Flumen Dei*, id est, rivi aquarum a Deo effecti ad irrigandam terram, pleni sunt aquis, ex divina providentia, et benignitate : sic enim ita *tu Deus præparasti cibum eorum*, id est, hominum, et animantium cæterorum : *quoniam ita est præparatio ejus*, id est, quoniam sic fundata, et disposita est terra, ut per aquarum irrigationem fœcundetur, et fructus suos pariat.

11. Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus, in stillicidiis ejus lætabitur germinans.

Rursus aliis, atque aliis verbis idem beneficium Dei extollit. Sed hoc loco per *rivos* intelliguntur sulci terrarum, ut ex Hebræo textu perspicitur; et textus quem sanctus habuit Augustinus, *sulcos ejus legit*. Ait igitur, *Rivos ejus inebria*, id est, perge Domine, et sulcos terræ abundanter riga fluentibus aquis; et sic *multiplica genimina ejus*, herbas, fruges, plantas : *in stillicidiis ejus*, id est, pluvia Dei desuper cadente *lætabitur* terra *germinans*.

12. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, et campi tui replebuntur ubertate.

Benedicendo, benefacies totius anni revolutioni, quæ *instar coronæ* variis floribus ornatæ a tua benignitate quasi semper renovatur : et ex hac benedictione *campi tui* a te conditi, et fœcundati *replebuntur* abundantia omnium bonorum.

13. Pinguescent speciosa deserti, et exultatione colles accingentur.

Nec solum campi aratione, et satione culti replebuntur ubertate frugum ; sed etiam loca deserta, quæ solis pascuis deserviunt, et speciosa præ cæteris sunt ex multitudine, et varietate herbarum, et florum, quæ sponte funduntur a terra ; *pinguescent cœlesti rore, et colles* pariter deserti, et inculti herbescente viriditate ita vestientur, ut ex omni parte lætari, et exultare videantur.

14. Induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt frumento : clamabunt, etenim hymnum dicent.

In summa fœcunditas erit maxima, et multiplicatio tum pecorum, tum frugum. In Hebræo sic legitur ad verbum, *Induti sunt agni pecore*, id est, pusillus grex, qui quasi nudus ob paucitatem videbatur ; *tanta multitudine pecoris circumdabitur, ut vestitus multiplici indumento videatur, Induti sunt arietes ovium*, id est, ovibus multiplicatis vestiti sunt arietes, sive agni, qui pauci antea erant. Alii tamen referunt hæc verba ad vellera, quibus induuntur pecora, quando bona pascua inveniunt. Sed qui ita exponunt, non considerant verba Hebraica, quæ non habent, *arietes ovium*, sed, *arietes*, sive potius *agni pecore sive ove induti sunt : Et valles abundabunt frumento*, id est, loca deserta abundabunt pecore, et valles cultæ abundabunt frumento : omnia autem, sive colles, sive valles, sive campi exculti, sive deserti, sive pecora, sive fruges, suo modo clamabunt in laudem Dei, imo etiam quodam modo hymnum cantabunt conditori, et benefactori suo. Porro res omnes creatæ specie sua clamant, et canunt : ut homines, quorum usui deserviunt, et mente, et voce Deum laudent, eique perpetuo gratias agant. Hæc omnia sanctus Propheta in laudem potentiæ, et sapientiæ, et bonitatis Dei cecinit, ut inde argumentum duceret, quo probaret sperandum esse, et cum fiducia petendam liberationem a captivitate, et revocationem in patriam. Sed possunt etiam mystice exponi de vocatione gentium, et beneficiis Dei in Ecclesiam, ut S. Augustinus, et Theodoretus tradit : qui Theodoretus recte Judæos redarguit, quod fabulentur hæc omnia impleta fuisse in terra Palæstinæ post reversionem ex captivitate : tantum enim abest ut post reditum ex Babylone terra illa fœcundior fuerit, et beatior ; ut potius in deterius semper abierit.

PSALMUS LXV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem, Canticum Psalmi Resurrectionis.

Non habetur in Hebræo nomen *resurrectionis*, neque legitur apud Hilarium : et Theodoretus testatur non esse in editione Septuaginta Interpretum, sed postea additum. Legitur tamen a sanctis Patribus Hieronymo, et Augustino in Commentario hujus Psalmi : et videtur hæc unica vox, a quocumque addita sit, prudenter addita, ut indicaret argumentum Psalmi. Argumentum enim Psalmi est gratiarum actio pro beneficiis Dei, sed potissimum pro perfecta fœlicitate post omnes finitas calamitates : quod sine dubio in resurrectione erit.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Jubilate Deo omnis terra : psalmum dicite nomini ejus : date gloriam laudi ejus.

Invitat ad jubilandum, et psallendum Deo omnem terram, id est, omnes electos ex universa terra vocatos, quia communis erit causa lætandi in communi resurrectione justorum. Tria vult exhiberi, jubilum, sonum psalterii, et vocem humanam. Jubilum, quod magis in affectu, quam in verbis positum est, recte tribuitur Deo. *Jubilate Deo.* Deo enim, qui spiritus est, spirituale desiderium maxime convenit. Sonitus Psalterii debetur nomini, id est, famæ, sive gloriæ Dei. *Psalmum dicite nomini ejus*, vel, ut clarius habetur in Hebræo, *psallite gloriæ ejus*, id est, pulsate psalterium in gloriam ejus. Denique vox humana divinæ laudi tribuenda est. *Date gloriam laudi ejus*, id est, nolite gloriam vobis sumere, vel tribuere, sed totum date laudi ejus, vel ut habetur in Hebræo, *ponite gloriam in laude ejus*, id est, hæc sit gloria vestra Deum perpetuo laudare, et in ejus laudibus gloriari.

2. Dicite Deo, quam terribilia sunt opera tua Domine! in multitudine virtutis tuæ, mentientur tibi inimici tui.

Hæc est materia laudis Dei, opera summæ potentiæ, et sapientiæ. *Dicite Deo*, dum eum laudare vultis, *quam terribilia sunt opera tua Domine!* id est, opera tua præ magnitudine sua terrorem omnibus incutiunt. *In multitudine virtutis tuæ, mentientur tibi inimici tui*, id est, tanta est virtus, et potentia tua, ut mendaces ostendat omnes inimicos tuos, qui te multo etiam minora non posse jactabant : Exempla sunt in Scripturis non pauca. Psal. 77. *Male*, inquit, *locuti sunt de Deo; dixerunt, Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Deus autem in multitudine potentiæ suæ, fecit, ut tanta multitudo coturnicum deferretur in desertum, ut omnibus abunde sufficeret, atque hoc modo mendaces eos ostendit, et ut mendaces terribiliter punivit, ut dicitur in eodem Psalmo, et fusius in lib. Num. cap. 11. Item lib. 4. Reg. 7. cum Elisæus Propheta empore gravissimæ famis dixisset, *Audite verbum Domini, cras modius similæ statere uno vendetur in porta Samariæ :* Dux quidam respondit, *Etiamsi Deus faciat cataractas in cœlo, non poterit verum esse quod dicis.* Sed Deus in multitudine virtutis suæ mendacem illum ostendit. Vere enim sequenti die tanta fuit abundantia rerum omnium, ut modius similæ statere uno in porta Samariæ venderetur; et Dux, qui contra Deum mentitus fuerat, in ipsa porta conculcatus a populo transeunte miserrime periit. Simile est mendacium Judæorum adversus Christum, cum pendenti in Cruce insultarent : *Si filius Dei es, descende de Cruce.* Ille autem in multitudine virtutis suæ fecit miraculum longe majus, quia surrexit de sepulchro, quod est multo majus, quam de Cruce descendere. Itaque mendacii coarguit inimicos suos potentia virtutis suæ. Posset etiam cum Theodoreto dici, *In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici*, hoc significare, multos fore, qui mentiantur Deo, se illius esse cultores ob metum terribilium operum ipsius : multos item Christi fidem, non sincero, sed ficto corde suscepturos propter eamdem rationem.

3. Omnis terra adoret te, et psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo.

4. Venite et videte opera Dei, terribilis in consiliis super filios hominum.

Iterum excitat Propheta universos homines, qui terram incolunt, ad Deum vero corde adorandum, et laudandum. Atque ut majore affectu id faciant, hortatur ad consideranda opera Dei, qui terribilis est in consiliis rerum agendarum supra omnes filios hominum.

5. Qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede : ibi lætabimur in ipso.

Ponit duo exempla operum mirabilium Dei, quæ nullo humano consilio umquam fieri potuissent. *Qui convertit*, inquit, *mare in aridam;* hoc est primum opus, quod narratur Exod. 14. Fecit enim Deus, ut siccaretur mare Rubrum, ut filii Israel libere pertransirent. *In flumine per-*

transibunt pede; hoc est alterum, quod refertur Josue 3. Rursus enim Deus fecit, ut Jordanis fluvius siccaretur, ut filii Israel non ponte, aut navicula, sed pede flumen trajicerent. *Ibi lætabitur in ipso,* id est, ubi hæc facta sunt, ibi lætati sumus in ipso, non in nobis gloriati sumus, quasi nostra hæc essent opera; sed in Deo lætati et gloriati sumus, Deumque laudavimus, ut narratur Exod. 15. Utitur autem Propheta tempore futuro, pro præterito, nisi forte hoc loco uti voluerit verbo futuri temporis, ut indicaret miracula illa præterita fuisse figuras majorum miraculorum futurorum. Majus enim miraculum est quod homines transeunt mare amarum hujus sæculi, quod in maligno positum est, et transmittant flumen temporalitatis, et mortalitis hujus quæ numquam stat, et plurimos absorbet, et suffocat; et perveniant vivi, et salvi ad terram æternæ promissionis: et ibi lætentur in ipso Deo ipsum videntes facie ad faciem: et tamen hoc majus miraculum ita facit per gratiam suam Deus, ut multi jam transeunt per hoc mare, quasi per aridam, et flumen pertranseant pede, id est, facillime temporalia omnia, sive bona, sive mala despicientes, id est, nec bonis adhærentes, nec mala pertimescentes, ut securi perveniant usque ad ipsam cœlestem Jerusalem, ubi lætabimur in ipso, non spe gaudentes, sed ipso in æternum fruentes.

6. Qui dominatur in virtute sua in æternum, oculi ejus super gentes respiciunt, qui exasperant, non exaltentur in semetipsis.

Hæc videtur digressio ad impios, qui Deo subjici, eumque laudare contemnunt. Eos enim admonet omnipotentiæ et omniscientiæ Dei, ut vel timore pœnæ resipiscant. *Qui dominatur,* inquit, *in virtute sua in æternum,* id est, ille, qui ex potentia sua, non aliunde accepta, sed sibi propria, dominatur æterno imperio, is quoque videt omnes gentes, et ex alto speculatur omnia. Ideo *qui exasperant* tam potentem et sapientem Dominum, *non exaltentur in semetipsis,* non superbiant, non glorientur de suis viribus, quia non effugient manus omnipotentis, et omnia videntis Dei.

7. Benedicite gentes Deum nostrum, et auditam facite vocem laudis ejus.

Illa digressione præmissa, repetit exhortationem, quam in primo, et in tertio versiculo posuerat. Itaque tertio jam invitat omnes gentes ad benedicendum Deo nostro, qui solus est verus Deus, et ad prædicandas laudes ejus tam clara voce, ut ab omnibus audiatur.

8. Qui posuit animam meam ad vitam, et non dedit in commotionem pedes meos.

Aperit nunc causam, cur tanto ardore cupiat Deum ab omnibus laudari, quia videlicet de maximis periculis vitam suam liberavit. *Qui posuit animam meam ad vitam,* id est, laudari cupio Deum, qui fecit, ut anima mea non periret, et qui me titubare, et labi non permisit. Hæc dicuntur ab electis, qui post multas variasque tentationes ad portum salutis tandem aliquando perveniunt. Per *animam,* intelligitur totus homo; quod frequens est in Scripturis sanctis: ac ut alia loca omittamus in lib. Gen. cap. 46. plusquam sexies ponitur anima pro toto homine. Illud autem, *posuit,* significat, ordinavit, sive præordinavit, vel prædestinavit, ut sensus sit, Qui me præordinavit ad vitam; sive qui me posuit in numero eorum, qui victuri sunt in æternum. Quod autem sequitur, *Et non dedit in commotionem pedes meos,* ad donum perseverantiæ pertinet; quod est proprium prædestinatorum ad vitam, quos enim Deus prædestinavit, eos etiam conservat, protegit, ac dirigit, ut non cadant ad dexteram, vel sinistram. In Hebræo habetur, *animam nostram, et pedes nostros,* in numero multitudinis. Sed idem est sensus: nam per *animam meam, et pedes meos,* non intelligitur unus tantum homo, sed unus populus, cœtus videlicet omnium electorum.

9. Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.

Variis metaphoris explicat Propheta tribulationes justorum, ac primum metaphora fornacis probantis argentum, ut significet, justis a Deo permitti tribulationes, non ut lædantur, sed ut probentur, vel probati, et puri, sinceri, fideles ostendantur. Ignis enim paleas consumit, argentum et aurum purius reddit: et palea in igne fumat, argentum in igne lucet. Hinc Angelus sanctus dicit Tob. 12. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te,* et Sap. 3. *Deus tentavit illos, et invenit eos dignos se, tanquam aurum in fornace probavit illos.* Et Ecclesiastici 27. *Vasa figuli probat fornax, et viros justos tentatio tribulationis.* Et 1. Petri 1. *Ut probatio vestræ fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur.*

10. Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra.

Descendit nunc ad particulares afflictiones sub aliis metaphoris. *Induxisti nos in laqueum,* id est, in captivitatem nos tradidisti hostibus nostris, in vincula, in catenas, in compedes, in carceres. Sicut enim aves, et feræ, cum laqueis comprehenduntur, libertate sua privantur; ita dici possunt homines induci in laqueos, cum captivi effecti, carceribus includuntur, vel catenis, et vinculis constringuntur. *Posuisti tribulationes in dorso nostro,* id est, nos more jumentorum onerari, et cædi verberibus permisisti: quibus oneribus, et verberibus intelliguntur varii labores, et dolores, quos Sancti in hoc mundo ab impiis pertulerunt, ut cum ad metalla fodienda, ad marmora secanda, ad onera pro extruendis ædificiis portanda, aliaque id genus laboriosa opera facienda, non sine flagellis, et verberibus adigebantur. *Imposuisti homines super capita nostra,* id est, fecisti ut homines pedibus suis capita nostra calcarent, quasi nobis jure belli devictis, et triumphatis. Sed hæc etiam metaphora est, quia per similitudinem conculcationis capitum devictorum significatur tyrannica, et crudelis potestas Principum in miseros subditos. Nam Principes modesti et æqui præsident quidem capitibus subditorum, sed ita leviter premunt, ut onus obedientiæ suaviter ferri possit: Tyranni vero, et sævi, atque inhumani Principes, quales erant persecutores Christianorum, et

quondam Pharao Ægyptius, et Nabuchodonosor Assyrius, ita premunt subditos exactionibus, edictis, pœnis, ut respirare non possint. Hoc versiculo Propheta miro artificio personas Justorum toto corpore afflictas demonstravit, nam laquei ad manus, et pedes, onera, et verbera ad dorsum, conculcatio ad capita pertinent.

11. Transivimus per ignem, et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.

Hæc est ultima metaphora, qua Propheta pulcherrimis similitudinibus sub aspectum ponit supplicium Sanctorum. Ignis enim et aqua contraria sunt; ignis ardet, aqua congelatur; ille acerrimus, ista mollissima; ignis desiccat aquam, et aqua extinguit ignem; quare si ignis dolore afficit hominem, aqua consolari, et mulcere deberet. Et tamen in pœnam justorum servorum Dei, ignis et aqua conjurasse videntur, ignis consumendo, aqua suffocando. Igitur, *per ignem*, intelliguntur acriora supplicia, flagella, vulnera, cædes, combustio: *per aquam*, supplicia lenta, sed diuturna, ut exilia, carceres, nuditas, fames. Sanctus tamen Augustinus per ignem, intelligit omne genus angustiarum, et molestiarum contristantium hominem: per aquam vero omne genus voluptatum, et abundantiam temporalium bonorum, quæ spiritum suffocant. Sed sicut ignis consumit lignum, non aurum; sic etiam aqua corrumpit, et putrefacit lignum, non aurum; et sicut aurum per ignem purgatur a scoria, sic idem aurum per aquam lavatur a sordibus. Itaque justi, et sancti, qui sunt auro similes, sine detrimento transeunt per ignem, et aquam; quia in tribulatione patientiam, in prosperitate modestiam servant. Sed filii hujus sæculi similes ligno putrido in igne consumuntur, in aqua suffocantur: quia impatientes in tribulatione murmurant, maledicunt, blasphemant: dissoluti in prosperitate mollescunt, luxuriantur, superbiunt. Dicunt igitur Electi, *Transivimus per ignem, et aquam, et eduxisti nos in refrigerium:* quoniam etiam in cœlesti patria non deerunt ignis, et aqua, tamen ille ignis calefaciendo recreabit, non comburendo consumet, et illa aqua sitim extinguet, non vitam. Ita utrumque suo modo refrigerabit, id est, erunt in cœlo ardores charitatis, erit ignis divinus fœliciter consummans, non consumens; perficiens, non destruens; transformans in Deum, non convertens in cineres: erit aquarum abundantia, erit veritas bonorum æternorum, erunt gaudia immensa, et ineffabiles jucunditates, sed non mollem, aut pigrum efficient animum, non carnis adversus spiritum concupiscentiam nutrient, denique refrigerando delectabunt, non obruendo suffocabunt.

12. Introibo in domum tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.

Hæc videtur esse conclusio ex iis, quæ dicta sunt, quasi dicat, *Tu eduxisti nos in refrigerium, postquam transivimus per ignem et aquam. Introibo, igitur, in domum tuam,* ad quam te Duce, te defensore perveni. Introibo autem *in holocaustis*, id est, offeram sacrificium gratiarum actionis: holocaustum est enim proprie ad gratias agendas pro acceptis beneficiis. Et vere holocaustum nusquam perfectius offertur, quam in cœlo, ubi Sancti omnes totos se offerunt Deo in igne perfectæ charitatis, nulla parte animæ repugnante: tota enim actio, totum negotium in cœlo erit laudare Deum. *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea*, id est, ista oblatio holocausti debita est; quoniam id vovi, dum essem in tribulatione positus. Itaque introibo in domum tuam cum holocaustis, ut sic reddam vota mea, quæ non alius pro me, sed ego ipse labiis meis distincte promisi. S. Augustin. more suo ad ædificationem populi psalmos exponens, notat illud, *distinxerunt*, significare distinguenda esse vota, ut placeant Deo. Distinctio autem talis esse debet, ut confiteamur nos Deo indigere, Deum bonorum nostrorum non egere, nos mutabiles, illum immutabilem, nos creaturas, illum Creatorem; nos ex nobis nihil esse, illum ex se perfectum esse.

13. Et locutum est os meum in tribulatione mea.

14. Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum: offeram tibi boves cum hircis.

Explicat, quæ vota voverit in tribulatione sua; et dicit se vovisse sacrificia pinguia omnium pecorum, quæ in holocaustum secundum legem offerri possunt. Ea vero tria tantum erant, Arietes, Boves, et Hirci. Sed nomine Arietum intelliguntur etiam Agni, et nomine Boum intelliguntur etiam Vituli, et nomine Hircorum, intelliguntur etiam Hædi. *Et locutum est os meum in tribulatione mea*, id est, hoc est, quod dixi, *Reddam vota*, quæ distinxerunt labia mea, quia locutum est os meum dum tribularer, et auxilio Domini indigerem, atque illius opem cum lacrymis implorarem. *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum*, id est, immolabo tibi agnos pingues, et medullis plenos cum bono odore ex arietibus pariter in holocaustum oblatis: *offeram tibi boves cum hircis*, id est, ad holocaustum agnorum et arietum, addam holocaustum vitulorum et hircorum. In textu Græco legitur, *holocausta medullata offeram tibi cum incenso, et arietibus:* et sic legit etiam S. August. et per incensum intelligit thus. Sed S. Hieronym. in epist. ad Suniam et Fretellam improbat hanc lectionem, et veram lectionem esse dicit, *cum incenso arietum* (ut nos in nostra Latina editione habemus) cui concordat Lectio Hebraica. Per incensum autem non intelligitur thus, sed odor, qui ex incensis arietum carnibus emanat, qui odor suavissimus dicitur Levitici. Odor autem ex incensis carnibus sacrificiorum suavissimus dicebatur, quoniam figura erat odoris vere, ac proprie suavissimi patientiæ, et humilitatis, obedientiæ, et charitatis filii Dei, qui ut Patrem glorificaret, et mundum redimeret, *humiliatus est usque ad mortem, mortem autem Crucis*, Phil. 2. Dicuntur vero holocausta medullata, quæ offeruntur in cœlis, actiones gratiarum, confessiones, et laudes ex intimo corde, et ex pinguedine veræ charitatis profectæ.

15. Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.

Hortatur in fine Psalmi Propheta in persona

beatorum electorum Dei, nos omnes, ut intelligamus beneficia Dei in Sanctos collata, et quid illi contra rependerint, ut eos imitantes similia beneficia recipiamus, et ad eamdem quietem, et gloriam aliquando perveniamus. *Venite*, inquit, *audite et narrabo*, *omnes qui timetis Deum*, *quanta fecit animæ meæ*, id est, venite omnes qui timetis Deum, et audite, et ego narrabo vobis quanta fecit animæ meæ: oratio enim in Hebræo et Græco textu perturbata est quantum ad ordinem verborum, et Latinus Interpres non est ausus ordinem codicum originalium commutare. Vocat *timentes Deum*, quoniam *timor Domini est initium sapientiæ*, Psal. 110. ipse solvit pedes, ipse aperit aures: proinde, qui nullo Dei timore tangitur, frustra vocatur, ut veniat, vel ut audiat.

16. Ad ipsum ore meo clamavi, et exaltavi sub lingua mea.

Hoc est primum donum Dei, quod animæ suæ datum dicit electorum cœtus, qui in hoc Psalmo loquitur. *Hoc*, inquit, *fecit Deum animæ meæ:* dedit fidem, et spiritum orandi. *Quomodo enim invocabunt in quem non crediderunt?* inquit Apostolus Rom. 10. Igitur ex dono fidei cognovi miseram captivitatem, in qua detinebatur, cognovi liberatorem, et redemptorem, et sic *ad ipsum ore meo clamavi.* Addit deinde secundum beneficium, *et exaltavi sub lingua mea*, id est, non solum oravi, sed etiam laudavi Deum meum, et pro acceptis beneficiis gratias egi, ut rursum alia mererer accipere, quæ mihi deerant. Atque hoc totum, ut laudarem, et orarem, ipse fecit, ut facerem. Quamvis autem illud, *sub linga mea*, vel, *in lingua mea*, idem sit, quod lingua mea, vel in lingua mea: tamen annotavit S. Augustinus fortasse dictum, *sub lingua*, ut intelligeremus, justum non solum lingua ad aures hominum, sed etiam *sub lingua*, in silentio ad aures Dei, exaltare solitum ipsum Deum.

17. Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.

Hoc est beneficium tertium, quod accepit a Domino, ut videlicet Deo illuminante cognosceret, quid sit, quod impedit, ne oratio exaudiatur. *Iniquitatem*, inquit, *si aspexi in corde meo*, *non exaudiet Dominus.* Aspicere iniquitatem in corde, est in secreto cordis diligere iniquitatem, sive aspicere ad concupiscendum eam, quomodo dicitur in Evangelio, Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam.* Multi enim et verbis et factis videntur odisse peccata, reprehendunt, et puniunt peccatores; et ipsi tamen in secreto cordis, ubi nemo videt quid agatur, cum delectatione aspiciunt iniquitatem, et si impune possent, exercerent. Hos hypocritas non exaudit Dominus, sed eos exaudit, qui ex corde iniquitatem odio habent, et si forte peccant, confitentur peccata sua, et medicum quærunt, a quo sanentur. Et quoniam tales sunt omnes electi, ideo subjungit Propheta in persona populi electi.

18. Propterea exaudivit Deus, et attendit voci deprecationis meæ.

Propterea exaudivit Deus, quia ipse scrutatur corda, et vidit mihi serio displicere peccata, meque non *aspicere iniquitatem in corde*, sed faciem cordis avertere ab omni iniquitate. *Et attendit voci deprecationis meæ;* quia vidit me attendere voci præceptorum suorum, non voci serpentis prævaricationem suadentis.

19. Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, et misericordiam suam a me.

Ergo *benedictus sit*, et in perpetuum laudetur *Deus*, qui tanta fecit animæ meæ, quorum summa est, *quod non amovit a se orationem meam*, nec amovit *a me misericordiam suam.* Ita misericordia ejus perseverante mecum, perseveravi et ego in via mandatorum ipsius, et perseverantiæ præmium jam obtinui, liberationem a captivitate, et reditum in cœlestem Jerusalem. Sanctus Augustinus paulo aliter exponit, et quamvis fortasse non omnino ad litteram, tamen utilissime ad mores. Vult igitur, illud, *non amovit deprecationem meam*, sic intelligi, *non amovit a me deprecationem meam*, id est, fecit, ut non omitterem unquam orationem, et per hoc implerem dominicum præceptum, *Oportet semper orare, et numquam deficere*, Luc 18. Est autem insigne donum Dei, perseverantia in oratione, quia securum reddit hominem de perseverantia miserationis. Cum videris, inquit sanctus Augustinus, non a te amotam deprecationem tuam, securus esto, quia non est a te amota misericordia ejus.

PSALMUS LXVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

IN FINEM, IN HYMNIS PSALMUS CANTICI DAVID.

IN Hebræo codice non habetur nomen David, et ideo non desunt qui auctorem hujus Psalmi nolint esse Davidem : sed cum in codice Græco et Latino habeatur, et sic legant Hilarius, Hieronymus, Augustinus, et alii in commentariis in Psalmos : credibile est, aut ex codice Hebraico vocem illam excidisse, vel a Septuaginta Interpretibus additam fuisse, ne quis suspicaretur Psalmum non esse a Davide compositum, quia non legatur nomen ejus in titulo. Argumentum Psalmi est expressio desiderii vehementis, quo David tenebatur videndi a dventum Messiæ, et redemptionem generis humani juxta illud Luc 10. *Multi Prophetæ, et Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, et non viderunt :* existimo enim Dominum loqui de Prophetis, qui simul etiam Reges fuerunt; alioqui non dixisset, *Multi Prophetæ*, sed omnes Prophetæ. Nomine autem Regis intelligendi videntur omnes Principes, qui regium jus in populum suum habebant, quales fuerunt Adam, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Moses, et alii, qui simul prophetæ fuerunt, et Christum videre desideraverunt : sed inter omnes excellit David, qui proprie Rex, et Propheta fuit, et desiderium Messiæ in multis Psalmis expressit, sed in hoc potissimum, qui totus in hoc desiderio explicando consumitur.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Deus misereatur nostri, et benedicat nobis : illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

Vox optantis et desiderantis est, quasi dicat, Utinam *Deus misereatur nostri* secundum magnam illam misericordiam, qua mittat ad nos, quem missurus est : et ex hoc affectu misericordiæ paternæ *benedicat nobis*, benedictio autem sit non solum ubertas temporalium rerum, sed *illuminatio vultus sui super nos.* Illuminatio vultus Dei super nos multa significare potest. Primum enim dicitur Deus *illuminare vultum suum super nos*, quando remotis nubibus iræ, et indignationis sereno vultu nos respicit ut filios, ut amicos, ut ad gratiam revocatos. Deinde dicitur etiam *illuminare vultum suum super nos*, quando nos illuminat, et calefacit, sapientiam, et charitatem infundens, quomodo Sol iste corporalis facere solet, quando nullis nubibus tegitur. Denique dicitur *illuminare vultum suum super nos*, quando præstat, ut eum, quasi remoto velamine, intueamur : quod maxime præstitit, quando per incarnationis mysterium *in terris visus est et cum hominibus conversatus est*, ut dicitur Baruch. 8. Atque hoc videtur hoc loco petere sanctus Propheta, ut Deus vultum suum, si non in forma Dei, saltem in forma hominis nobis ostendat. Quod etiam petiit cum ait in Psalmo 79. *Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Benjamin, et Manasse.* Et quoniam hæc est misericordia quam initio petiit, ideo repetit, *Et misereatur nostri*, id est, et sic, illuminando videlicet vultum suum super nos, misereatur nostri. In Hebræo non habetur hæc repetitio, *et misereatur nostri*, neque legitur a S. Augustino, et S. Hieronymo : tamen habetur in codice Græco, et legitur a S. Hilario, ab Euthymio, et aliis.

2. Ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.

Hæc est ratio, cur tanto ardore desideretur illuminatio vultus Dei, ut in lumine illo divino cognoscamus in hac terra tenebrosa viam Dei, id est, viam ad patriam, a qua tamdiu peregrinamur ambulantes in tenebris, et umbra mortis : hæc autem via sine dubio Christus ipse est, qui ait Joan. 16. *Ego sum via*, et non solum via, sed etiam lux, qua via ipsa cognoscatur; de qua dixit Isaias cap. 9. et explicuit sanctus Matthæus cap. 4. *Populus, qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. In omnibus gentibus salutare tuum*, hæc est explicatio verborum superiorum. *Ut cognoscamus in terra viam tuam*, id est, ut cognoscatur inter omnes gentes Salvator tuus : clarius habetur in Hebræo, *Ut nota fiat in terra via tua, in omnibus gentibus Salvator tuus :* quod etiam Isaias prædixit cum ait : *Videbit omnis caro salutare Dei;* ut refert S. Lucas cap. 3.

3. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes.

Quoniam desiderium Prophetæ secundum veram charitatem ordinatum erat, cupiebat Christum venire in terras, primum propter gloriam Dei, deinde propter utilitatem generis humani. Ideo de gloria Dei dicit, *Confiteantur tibi populi Deus :* deinde adjungit, *Lætentur et exultent gentes*, etc. Ait igitur, *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes*, id est, ob

hoc tam insigne, et tam universale donum, omnes populi confiteantur tibi confessionem laudis, et gratiarum actionis. Cesset cultus, et veneratio falsorum Deorum, tibi uni vero Deo ab omnibus populis honor divinus habeatur.

4. Lætentur, et exultent gentes, quoniam judicas populos in æquitate et gentes in terra dirigis.

Post laudem Dei agnoscatur etiam utilitas populorum : Ideo *lætentur et exultent gentes,* omnes videlicet homines gaudeant, *quoniam* tu Deus per Christum tuum *judicas populos in æquitate,* id est, ablato jugo tyrannicæ potestatis Principis tenebrarum harum, Regnum justissimum in Ecclesia tua constituisti. *Et gentes in terra dirigis,* regens eas, et dirigens per saluberrimas leges tuas ad portum æternæ salutis. In Hebræo, et Græco codice hæc habentur in futuro, *Quoniam judicabis populos in æquitate, et gentes in terra diriges.* Sed non ideo falsum est, quod habetur in Latino, quoniam etsi futura erant, tamen Propheta spiritu Dei videbat ea tanquam præsentia. Sanctus Augustinus refert ad ultimum judicium id quod dicitur, *Judicabis populos in æquitate*, et ad præsentis vitæ directionem, quod additur, *Gentes in terra diriges,* ut sensus sit : *Lætentur et exultent gentes,* quoniam si quid mali hic ab hominibus patiuntur, veniet tempus quo tu Deus judicabis populos in justitia : et interim gentes tibi subjectas, et devotas in terra diriges.

5. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes : terra dedit fructum suum.

Iterum repetit exhortationem; ut populi omnes Deum laudent, et addit novam rationem; quoniam *terra dedit fructum suum*, id est, quoniam jam tandem terra protulit fructum suum illum, cujus gratia facta erat, id est, Christum in carne. *Hic est enim fructus terræ sublimis*, de quo dicitur in cap. 4. Isaiæ, *Erit germen Domini in magnificentia, et gloria, et fructus terræ sublimis.* Et in Psalmo 84. *Et terra nostra dedit fructum suum :* tantus enim hic fructus fuit, ut comparatione ejus nihil umquam terra nostra protulisse videatur, nisi spinas, et tribulos. Utitur autem Propheta tempore præterito pro futuro, quoniam in ejus prænotione jam factum erat, quod nobis futurum prædicebat. Potest tamen hic versiculus cum S. Augustino exponi de fructu bonorum operum, quem homines habitantes in terra facturi erant per gratiam Christi reconciliati, et justificati; de quo dicit Apostolus ad Tit. 2. *Qui tradidit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum.* Terra enim olim arida, et sterilis, id est, genus humanum per peccatum primi hominis gratia Dei destitutum, non nisi spinas, et tribulos, id est, peccata, vel opera inutilia ad salutem germinare noverat : sed a sole justitiæ postea calefacta, et imbre doctrinæ cœlestis compluta per Jesum Christum, qui et sol, et verbum est, fœcunda effecta producere cœpit fructum bonum justitiæ, fidei, et operum sanctorum, quibus merces deberetur corona justitiæ, et bravium salutis æternæ.

6. Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus; et metuant eum omnes fines terræ.

Ergo deinceps hæc sit grata vicissitudo, ut Deus aperiat manum suam, et impleat nos omni benedictione, id est, copia bonorum omnium, præcipue spiritualium, et cœlestium : et contra, omnes homines usque ad ultimos terræ fines habitantes, Deum verum timeant timore sancto, reddentes ei tributum obedientiæ, et laudis usque in æternum. Porro trina illa repetitio nominis Dei quæ in hoc versiculo habetur, quamvis affectum Prophetæ significet, tamen insinuat etiam mysterium sanctissimæ Trinitatis, quæ per Christum et Apostolos manifestissime prædicata est.

PSALMUS LXVII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

IN FINEM PSALMUS CANTICI IPSI DAVID.

ARGUMENTUM hujus Psalmi volunt aliqui esse victoriam Ezechiæ de Assyriis aut aliquam aliam similem, quæ post tempora Davidis contigerit : quoniam in hoc Psalmo fit mentio templi Domini, dum dicitur, *A templo tuo, quod est in Jerusalem,* quod tamen post mortem Davidis a Salomone ejus filio extructum fuit. Sed hoc argumentum non convincit : nam tabernaculum Domini, quod erat in Silo, postea in Jerusalem, templum dicitur 1. Reg. 3. *Samuel dormiebat in templo*, et habetur eadem vox Hebraica, היכל, *hechal*, quæ habetur in hoc Psalmo. Alii volunt, Psalmum compositum, et decantatum, quando translata est Arca Domini in Jerusalem, quod ea ratione confirmant, quia verba primi versus, *Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus*, dici solebant, quando elevabatur Arca ut alio transferretur, ut notum est ex c. 10. Num. Alii totum Psalmum referunt ad Christum resurgentem et ascendentem in cælum, et ad Ecclesiam, quæ est corpus ejus, ut S. Augustinus et Euthymius. Sed S. Hilarius, et qui eum sequitur S. Hieronymus, docent in hoc Psalmo decantari mysteria utriusque Testamenti, quod verissimum nobis esse videtur, cum negari non possit, in hoc Psalmo describi descensum Domini in montem Sina ad legem populo dandam; et

Christi Ascensionem in cœlum, et alia id genus mysteria. Est autem Psalmus plenus figuris, et metaphoris, et poeticis descriptionibus admirabilibus, ut propterea, quanto est pulchrior, tanto sit etiam difficilior; augent vero obscuritatem lectionum varietates, et dissensiones, quæ inter codices Hebraicos, et Græcos, ac Latinos esse videntur.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant, qui oderunt eum a facie ejus.

Hæc sunt verba quæ a Mose dici solebant, cum elevaretur Arca et populus migrare inciperet: quibus verbis Moses precabatur Deum, ut Arca exurgente, et præcedente populum, ipse quoque surgere dignaretur, et defensione sua, ac protectione securum populum reddere. David igitur Mosem imitatus, et prævidens Christi resurrectionem, per quam Arca humanitatis ejus elevanda erat, et ipse Dux futurus erat omnibus Electis ad terram veræ promissionis; dicit, *Exurgat Deus*, id est, Resurgat a mortuis Christus Deus, et sic elevetur Arca, et populum Dei præcedat ad cœlestem Jerusalem: sic exponunt communiter Patres, Hilarius, Hieronymus, Augustinus, et alii. *Et dissipentur inimici ejus*, id est, Judæi, qui dixerunt, *Nolumus hunc regnare super nos.* Luc. 19. Atque hoc jam impletum videmus: nulla enim gens magis dissipata est per omnes terras, quam Judæorum. *Et fugiant, qui oderunt eum a facie ejus*, id est et dæmones inimici ejus jam devicti et superati, fugiant a facie Dei, Christi videlicet, triumphantis, et per resurrectionem verum se Deum esse demonstrantis.

2. Sicut deficit fumus deficiant, sicut fluit cera a facie ignis: sic pereant peccatores a facie Dei.

Celeritas, et facilitas, qua præsentia Christi dissipat peccatores, non poterat aptius depingi, quam similitudine fumi, qui a vento dispergitur; et ceræ, quæ coram igne liquescit, atque consumitur. Quod si per peccatores intelligantur dæmones, quod dicitur, *pereant*, significat interitum virium, et roboris, non substantiæ: et hoc modo intellexisse hos duos versiculos sanctum Antonium: testis est S. Athanasius, qui describens vitam ejus, dicit eum, cum a dæmonibus oppugnaretur, cantare solitum, *Exurgat Deus*, etc. quod si ad homines referatur hæc sententia; tunc sensus erit homines peccatores, qui justos injuste persequuntur, maxima celeritate, et facilitate a Deo tollendos de medio.

3. Et justi epulentur, et exultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia.

Iniquis persequutoribus deturbatis hoc sequitur, ut Justi fruentes præsenti auxilio Dei, *securi epulentur*, id est, reficiantur, alimonia tum corporali, tum spirituali. *Et exultent coram Deo*, id est, gestiant præ gaudio, sed ea modestia, et gravitate, quæ decet eos, qui sciunt se a Deo semper videri, ut pote in conspectu ejus jugiter constitutos. *Et delectentur in lætitia*, id est, et ex ea lætitia delectationem capiant, ut non sit eis necessarium ob inopiam consolationis cœlestis, carnalem, atque mortiferam quærere voluptatem.

4. Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus; iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.

Hæc dicuntur ad Apostolos, aliosque primos fideles ex sententia non solum veterum Latinorum, sed etiam Græcorum, Theodoreti, et Euthymii. *Cantate Deo*, vos primitiæ credentium. *Psalmum dicite nomini ejus*, laudate Deum voce, et opere vos, qui digni facti estis cognitione tantorum mysteriorum. *Iter facite ei, qui ascendit super occasum*, id est, parate viam Domino prædicationibus vestris, ut is qui jam ascendit super occasum, qui supergressus est omnem corruptionem et mortalitatem, et habitaturus est per fidem in cordibus omnium gentium, per vestras prædicationes aditum apertum, et paratum inveniat. *Dominus enim est nomen illi*, et ideo jure suo regnare debet. Dominus autem est, quia condidit et redemit. Quod attinet ad verba, iter facere, hoc loco non est, ambulare, sed ponitur iter pro via, ut sensus sit, facite viam ubi non est, parate transitum liberum removendo impedimenta, quomodo dicitur Isaiæ 40. *Parate viam Domino:* et declaratur cum additur, *Omnis valles implebitur, omnis mons, et collis humiliabitur:* quo spiritualiter significat, debere pusillanimes erigi in spem salutis, et superbos deprimi ad humilitatem terrore divini judicii. Illud, *qui ascendit*, non significat ascendere in altum, sed equitare, sive curru vehi, id est, ascendere super rem aliquam eam conculcando pedibus equorum, aut rotis currus. Id patet ex Hebraica voce, רכב, *rocheb*. Illud, *super occasum*, Hebraice est, בערבות *bahhararoth, super vesperam*, sive *tenebras noctis*, vel etiam *super desertum:* quæ omnia significant corruptionem mortalitatis, quæ plena est tenebris, et ariditate. Dicitur igitur Christus resurgens ascendere super occasum, quia quodammodo equitat, et curru invehitur super omnia mortalia, triumphans de morte, de tenebris, de deserto Mundi hujus inferioris, et sic exponunt non solum Patres citati, sed etiam S. Gregorius in homilia de Ascensione Domini.

5. Exultate in conspectu ejus: turbabuntur a facie ejus, patris orphanorum, et judicis viduarum.

Vos qui paratis viam Domino, *exultate in conspectu ejus:* non timeatis eos, qui vos turbant persecutionibus suis: nam et ipsi *turbabuntur a facie ejus*, id est, tempore suo, cum dies *Judicii venerit*, aut etiam antea, quando tempus opportunum Deo esse videbitur, gravissime *turbabuntur a facie iræ Dei*, qui est *Pater orphanorum, et*

judex viduarum, id est, omnium desolatorum, et afflictorum. In Hebraico textu desunt illa verba, *Turbabuntur a facie ejus*, et legitur, *Exultate in conspectu ejus, Patris orphanorum, et Judicis viduarum.* Unde aliqui existimant in Græcis, et Latinis codicibus esse duplicem interpretationem illius sententiæ, *Exultate in conspectu ejus :* nam verba Hebraica litteris paululum immutatis, possunt etiam facere hanc sententiam, *Turbentur a facie ejus.* Sed non video, cur non possimus dicere, excidisse ex textu Hebraico illa verba, *turbabuntur a facie ejus :* id enim facilius est, quam ut Septuaginta Interpretes in eodem loco duplicem interpretationem posuisse credantur.

6. Deus in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit unius moris in domo.

Quia dixerat Propheta, Deum esse Patrem orphanorum, et Judicem viduarum, ut ostendat se potissimum loqui de orphanis, et viduis spiritualibus, de iis videlicet hominibus, qui non agnoscunt in terris Patrem, neque sponsum, sed Deum solum habent pro Patre, et sponso, et in illo solo confidunt, eum solum diligunt, ad ejus visionem suspirant, ideo addit, *Deum habitare in loco sancto suo*, id est, in mentibus horum orphanorum, et viduarum, horum peregrinorum in terra aliena : et ipsum esse, qui facit sibi hanc domum, *dum habitare facit unius moris in domo.* Verbum Hebraicum, pro quo nos habemus, unius moris, est, יחידים *iechidim*, quæ vox proprie significat unitos, et ideo recte verterunt Septuaginta, *unius moris*, id est, unius sensus, unius voluntatis, unius fidei, spei, dilectionis, quales erant in Jerusalem primi Christiani, qui dicebantur esse *cor unum, et anima una*, Act. 4. Sed potest etiam eadem vox significare *unicos, et solitarios*, ut S. Hieron. vertit, et tunc sensus erit, *Qui habitare facit unicos, et solitarios*, destitutos aliorum auxilio, facit, inquam, habitare *in domo sua* sine timore, et periculo, quia ipse Pater orphanorum, eos protegit. Potest etiam sensus esse secundum alios, *Qui habitare facit unicos in domo*, id est, facit ut qui unicus erat, multa prole procreata, amplam familiam habere incipiat. Denique non est absurdus sensus eorum, qui hæc referunt ad Monachos, qui relictis mundi curis solitarii habitant. Isti sensus veri sunt omnes, et unus alium non destruit : sed primus videtur maxime litteralis, et eum sequuntur omnes fere Patres, Græci, et Latini, qui hunc locum tractaverunt, qui etiam per unius moris, interpretantur, unanimes. Sic exponit S. Hilarius, sic etiam S. Augustinus, Theodoretus, Euthymius, et alii.

7. Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulchris.

Declarat magnam pietatem Dei, qui non solum unanimes facit habitare in domo, sed etiam *educit vinctos in fortitudine*, id est, ligatos vinculis peccatorum educit de captivitate in fortitudine brachii sui; et quod magis est admirandum, *eos qui exasperant* per incredulitatem ipsum Deum, et qui *habitant* quasi jam mortui *in sepulchris* profundissimæ iniquitatis, eos quoque potentia gratiæ suæ educit de sepulchris, reducit ad vitam, et habitare facit unanimes in domo. Notat autem S. August. discrimen inter vinctos, et sepultos : vincti enim dicuntur, qui ligati quidem sunt vinculis concupiscentiæ, et in peccatis hærent, sed cupiunt liberari; et petunt auxilium. Sepulti autem dicuntur illi, qui cum in profundum malorum venerint, contemnunt salutem, et incredulitate sua Deum valde exasperant. Et tamen utrosque interdum magna Dei pietas emollit ad pœnitentiam, et liberat a miseria illa diabolicæ captivitatis, qua major non invenitur. Possunt etiam hæc intelligi de liberatione a malis temporalibus, ut a captivitate Ægyptiaca, et Babylonica, et similibus, et per sepulchra metaphorice intelligenda erunt loca arida deserti, ut sonat vox Hebraica hoc loco posita, צחיחה, *zechiha*, quæ locum arentem proprie significat; vel ipsa terra captivitatis, per sepulchra, intelligenda erit : quomodo Ezechiel cap. 37. captivitatem Babylonicam non semel appellat sepulchra Hebræorum.

8. Deus cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto.

9. Terra mota est, etenim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel.

Jam ut credibiliora faciat Propheta beneficia redemptionis Christi, commemorat beneficia antiqua, quæ figura erant futurorum beneficiorum. *Deus*, inquit, *cum egredereris in conspectu populi tui*, id est, cum coram populo tuo præcederes in columna nubis per diem, et in columna ignis per noctem ; eo tempore cum pertransires in deserto, post transitum maris Rubri, tunc *terra mota est, et etiam cœli distillaverunt, sed terra mota est a facie Dei Sinai, et cœli distillaverunt a facie Dei Israel.* Sic enim ordinanda sunt verba hujus versiculi. Porro terra mota est, quando tremere cœpit a conspectu Dei descendentis in montem Sinai, ut perspicuum ex lib. Exodi cap. 19. ubi dicitur, *Eratque omnis mons terribilis :* nam pro voce, terribilis, est in Hebræo, *tremens*, sive *saliens.* Dicitur autem *Deus Sinai*, Deus qui apparuit in monte Sinai. Cœlum autem distillavit, quando pluit manna, et dicitur distillasse à facie Dei Israel, quoniam Deus in gratiam populi sui Israel fecit, ut manna de cœlo descenderet.

10. Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ, et infirmata est, tu vero perfecisti eam.

Patribus in deserto cœlum distillavit te jubente pluviam quamdam, id est, manna : sed *hæreditati tuæ*, id est, Ecclesiæ tuæ, quam tibi tamquam propriam hæreditatem vindicasti, *segregabis pluviam voluntariam*, id est, pluviam spontaneam, quæ ex se descendit : hæc vero pluvia, gratia est Spiritus sancti, quæ voluntaria, sive spontanea dicitur : quia non descendit ex meritis operum, quasi vaporibus terræ sursum elevatis, sed sponte sua Spiritus sanctus infundit corda fidelium aqua cœlesti : et dicitur *segregata hæreditati Dei ;* quia bona temporalia sunt communia fidelibus, et infidelibus, sed gratia Spiritus sancti segregata est, ut detur solum fidelibus in Ecclesia, extra quam non est salus. Posset etiam per pluviam voluntariam intelligi doctrina cœlestis : quæ non solum voluntaria est respectu Dei, sed etiam (ut Theo-

doretus observavit) respectu hominum, qui eam recipiunt, si volunt; rejiciunt, si nolunt. *Et infirmata est, tu vero perfecisti eam.* Illud, *et*, ponitur pro, quia, ut sensus sit, *pluviam voluntariam segregabis hæreditati tuæ;* quia, *hæreditas tua infirmata est*, jam dudum, videlicet ob ignorantiam Dei, et invalescentes concupiscentias debilitata erat, cum idolis serviret, et vitiis omnibus laboraret : sed tu per gratiam Spiritus sancti, tamquam per pluviam salutarem confirmasti, et roborasti eam.

11. Animalia tua habitabunt in ea; parasti in dulcedine tua pauperi Deus.

In ea hæreditate, id est, Ecclesia, quæ irrigatur aqua cœlesti, *habitabunt animalia tua*, id est, oves pascuæ tuæ, quas pascendas, regendasque suscipies : tu enim Deus *parasti*, cibum videlicet *pauperi*, id est, egeno populo tuo, *in dulcedine tua*, id est, juxta bonitatem, et misericordiam tuam, quæ dulcissima est miseris, et egentibus.

12. Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa.

Declarat quis cibus, quem paravit Deus pauperi populo suo, ac dicit esse verbum suum. *Dominus*, inquit, *dabit verbum evangelizantibus*, id est, efficiet Deus, ut qui annuntiant verbum Dei, quod est cibus animarum, abundent copia sermonis, *virtute multa*, id est, multa cum efficacia, et libertate, ut non possint resistere, et contradicere omnes adversarii eorum. Posset etiam per multam virtutem, intelligi efficacia signorum, et prodigiorum, quibus Deus prædicationem Evangelii confirmabat. In Hebræo habetur in fœminino genere, annuntiantibus, sed non est inusitatum apud Hebræos ponere genus fœmininum pro masculino ; nam in libro Ecclesiastæ cap. 1. juxta Hebraicum textum legitur, *Verba concionatricis filii David, Regis Jerusalem : Vanitas vanitatum, dixit concionatrix*, ubi ponitur *concionatrix* pro, *concionator*. Itaque Septuaginta, qui hæc non ignorabant, recte verterunt, *evangelizantibus*. Illud autem, virtute multa, contendunt nonnulli vertendum fuisse, *exercitibus multis*. Sed non est necesse ita vertere : nam vox, צבא *tsaba*, significat exercitum, sed significat etiam robur, et fortitudinem : imo credibile est exercitum dici צבא, *tsaba*, sive virtutem, quia exercitus res est magnæ fortitudinis, et multarum virium. Denique non solum Septuaginta Interpretes, hoc loco verterunt, *multa virtute*, sive *potentia*, sed etiam Sanctus Hieronymus vertit *fortitudinis plurimæ*. Quare inepta videtur expositio illorum, qui docent in hoc versiculo significari, datum esse sermonem feminis Hebræis, ut concinendo annunciarent victoriam exercitibus multis.

13. Rex virtutum dilecti, dilecti et speciei domus dividere spolia.

Hoc loco ridet Joan. Calvinus hæresiarcha in antidoto Concilii Tridentini hanc lectionem editionis Latinæ Vulgatæ, et vult ipse legendum esse, *Reges exercituum fugerunt, fugerunt, et habitatrices domus diviserunt spolia.* Sed Interpres Latinus non ex Hebræo, sed ex Græco traduxit Psalmos : Græcus autem textus (qui Septuaginta Interpretum esse censetur) habet idipsum, quod Latinus Interpres fideliter reddidit. Sanctus quoque Hieronymus non vertit *fugerunt, fugerunt*, sed, *fœderabuntur, fœderabuntur.* Proinde Calvinus ridere potuisset non solum editionem vulgatam, sed etiam interpretationem sancti Hieronymi, et Septuaginta virorum sapientissimorum : ipse pro tam impia temeritate deflendus potius quam ridendus. Adde quod non est difficile videre, quid in textu Hebraico legerint Septuaginta Interpretes, et eos recte vertisse hunc locum, et Latinum Interpretem eundem locum fideliter reddidisse : ac primum, pro, *Rex virtutum*, in Hebræo sunt duo verba, quæ si legantur, מלכי צבאות *mulchi tsibaoth*, significant, *Rex virtutum*, ut noster Interpres vertit: si legantur cum aliis punctis, מלכי צבאות *malche tsebaoth*, significant, *Reges virtutum*, sive *exercituum.* Sed ut sæpius diximus, credibile est melius legisse Septuaginta Interpretes, quam Rabinos, qui puncta litteris addiderunt. Illud autem dilecti, in Hebræo nunc est, ידדון, *iddodun*, quod significat, *fugient :* sed Septuaginta Interpretes non habuerunt hanc vocem in suis codicibus, ut neque etiam sanctus Hieronymus; videntur enim Septuaginta legisse, ידידות, *iedidoth*, quod significat *dilectum :* hæc enim vox habetur in titulo Psalmi quadragesimi quarti, quam Septuaginta verterunt, *dilecto*, et sanctus Hieronymus, *amantissimo.* Denique illud, נבת בית *nebath bait*, significat quidem *habitatricem domus*, sed significat etiam *mulierem speciosam*, et *delicatam*, quæ fere semper domi manet : et inde translato vocabulo, significat *speciem*, et *pulchritudinem*, ut hoc loco non solum Septuaginta, sed etiam B. Hieronymus reddiderunt, quibus major fides debetur, quam Rabinis, aut Calvino. Sensus igitur ex Patrum expositione hic erit, *Rex virtutum*, id est, Rex exercituum multorum, *dilecti, dilecti*, id est, dilectissimi, Christi videlicet, dilectissimi Deo, et hominibus; *ipse dabit speciei domus*, id est, ad speciem, et decorem domus Dei, quæ est Ecclesia, *dividere spolia*, gentium videlicet ad fidem Christi conversarum per evangelizantes Apostolos. Ubi verbum, *dabit*, subintelligitur ex versiculo præcedenti, ut hic sit integer sensus, *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa*, et ipse idem *Dominus Rex virtutum dilectissimi, dabit ad speciem domus dividere spolia.* Illud autem dilectissimi, conjungitur cum nomine, *virtutum*, *Rex virtutum*, id est, exercituum, qui exercitus sunt Christi filii Dei dilectissimi. Neque obstat, quod nomine Regis, idem Christus intelligatur, nam phrasi Hebraica consuetum est dicere, Christus Rex exercituum Christi, pro quo nos diceremus, Christus Rex exercituum suorum, ut notat S. Augustinus, et sunt exempla in Scripturis plurima, ut Rom. 1. *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi*, id est, ex resurrectione ejus a mortuis, et Exodi 16. *Dicit Moses ad Aaron, Sume vas, etc. sicut præcepit Dominus Moysi*, id est, sicut præcepit Dominus mihi. Denique in Pentateuch. sæpe legitur, *fecit Moyses hoc*, aut illud, *sicut præcepit Dominus Moysi*, id est, sicut præcepit ei Dominus. Porro rectissime dicitur Christus Rex exercituum : Nam Apoc. 19. *Vidit Joannes quemdam insignem equitem, qui habebat vestem sanguine aspersam, et nomen ejus erat*

Verbum Dei, et sequebantur eum exercitus, qui sunt in cœlo.

14. Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri.

Hunc versiculum fateor obscurissimum esse: sed interim mirari satis non possum temeritatem recentiorum, quorum unus Calvinus est, qui sequuti Rabinos legendum esse contendunt, *Si dormiatis inter medias ollas, eritis sicut pennæ columbæ, quæ tecta est argento, et cujus alæ tectæ sunt auro.* Ad refutandam horum temeritatem sufficere deberet auctoritas S. Hieronymi, et Septuaginta Interpretum, quibus istæ ollæ numquam in mentem venerunt. Sed accedit, quod eadem vox habetur in Genesi cap. 49. ubi dicitur, *Isachar Asinus fortis accubans inter terminos :* quo loco Septuaginta verterunt, *inter medios cleros*, ut hoc loco : sanctus Hieronymus utrobique vertit, *inter terminos.* Et huic loco nullo modo ollæ interseri possunt; cum sequatur, *Vidit requiem quod esset bona, et terram, quod optima, et supposuit humerum suum ad portandum, et factus est tributis serviens.* Ubi per *cleros*, sive *terminos*, intelliguntur *sortes*, sive possessiones duæ, inter quarum terminos contigit Isacharo possessio, sive hæreditas; et quoniam ea visa est illi satis fœcunda, et pinguis, maluit laborare in cultura terræ, et tributa pendere, quam bello excutere jugum dominantium. Adde etiam quod vox Hebraica, שפתים *schephathaim*, habet numerum dualem, quo non utuntur Hebræi nisi ad significandas res geminas, ut duo labia, duas manus, duos pedes, duos oculos, duas aures, duas malas, et similia : ollæ autem non sunt geminæ ex natura sua, sed et una, et plurimæ esse possunt. Denique qui *inter ollas dormiunt*, non solent instar argenti dealbari, sed instar fuliginis denigrari. Igitur Calvino cum Rabinis inter suas ollas dimisso, existimamus sensum hujus versiculi hunc esse, *Si dormiatis inter medios cleros*, id est, *si vos* qui evangelizatis verbum Domini, *dormiatis*, id est, quiescatis in medio duorum testamentorum, novi, et veteris, acquiescentes videlicet veritati divinitus inspiratæ Prophetis, et Apostolis, tunc *pennæ columbæ*, id est, Ecclesiæ fides, et mores *erunt deargentatæ* puritate sapientiæ, et deauratæ fervore charitatis. Nam per *duos cleros*, intelligenda esse duo testamenta, scribunt communi consensu Latini, et Græci expositores, sanctus Augustinus, et sanctus Hieronymus, Theodoretus, et Euthymius. Neque absurdum est per duos cleros, intelligi duo testamenta, quoniam clerus sortem, possessionem, et hæreditatem significat. Sunt autem Scripturæ divinæ possessio quædam, et hæreditas Ecclesiæ. Quod si etiam per cleros intelligamus cum S. Hieronymo, terminos; rectissime duo testamenta duo termini erunt, extra quos egredi non licet, nisi veritatis semitam perdere velimus. Possent etiam per duos cleros, intelligi possessio cælestis, et terrena. Debent enim prædicatores Evangelii non toti esse affixi contemplationi cælestium bonorum, neque toti addicti vitæ activæ, et operibus charitatis erga proximos, sed in medio utriusque sortis quiescere, et nunc per contemplationem erigi in Deum, nunc per charitatis obsequium descendere ad proximos. Potest denique cum S. Augustino sic exponi versiculus, *Si dormiatis inter medios cleros*, si moriamini inter fœlicitatem terrenam contemptam, et fœlicitatem æternam speratam, et nondum adeptam, tunc erunt *pennæ columbæ deargentatæ :* quia quando sancti Prædicatores perseverant usque ad mortem contemnentes terrenam fœlicitatem, et sperantes æternam, et sic dormientes dormitione mortis inter has duas hæreditates constituti, tunc fama Ecclesiæ quasi pennis deargentatis volat ubique, et exaltatur, ac magnificatur.

15. Dum discernit cœlestis Reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon, mons Dei, mons pinguis.

16. Mons coagulatus, mons pinguis : ut quid suspicamini montes coagulatos ?

17. Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo : etenim Dominus habitabit in finem.

Descripsit Propheta Prædicatores, per similitudinem dormientium inter cleros, et Ecclesiam, per similitudinem columbæ deargentatæ, et deauratæ : nunc describit eosdem Prædicatores per similitudinem Regum a summo Rege constitutorum, et Ecclesiam, per similitudinem montis altissimi candidi propter nives, et uberrimi propter abundantiam lactis. Selmon enim mons est altissimus, et ideo nivibus in vertice coopertus, sed in imo fertilis, cujus fit mentio in libro Judicum c. 9. Ait igitur, *Dum discernit cælestis Reges super eam*, id est, Dum *cælestis*, vel, ut est in Græco, ἐπουράνιος, *super cœlestis*, et in Hebraico, שדי *Schadai omnipotens*, Deus videlicet Christus, Rex cælestis, et omnipotens, *discernit*, id est, dividit, ac segregat unicuique provinciæ suum. *Reges super eam*, id est, Apostolos super Ecclesiam, per columbam antea designatam; *eos enim constituit Principes super omnem terram*, Psalm. 44. ut regant, ac dirigant populos. *Nive dealbabuntur in Selmon*, id est, tunc populi multi justificabuntur, et nigrore peccatorum in candorem justitiæ commutato, super nivem dealbabuntur in Selmon monte altissimo, qui Ecclesiam significat. *Qui mons Selmon* est *mons Dei*, *mons pinguis*, quoniam Ecclesia est mons propter excellentiam dignitatis, et *est mons Dei*, quia in ea Deus habitat : elegit enim eam in habitationem sibi, et est *mons pinguis* ob abundantiam gratiæ, et donorum Spiritus sancti. Et est etiam *mons coagulatus*, et per hoc pinguissimus, quia lac divinæ gratiæ non defluit, sed quasi coagulatus in ea semper manet. *Ut quid suspicamini montes coagulatos ?* id est, quare igitur suspicamini, vel opinamini esse alios montes æque coagulatos, et pingues ? quasi dicat, Non est, quod existimetis esse alios montes æque pingues, atque hic Selmon. Hic enim est unicus *mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo :* nec in eo habitabit ad tempus, ut fecit in monte Sina, *sed habitabit in finem*, id est, semper. Hæc videntur dici adversus hæreticos, qui alias Ecclesias erigere conantur. Pro voce, *suspicamini*, legunt aliqui *æmulamini*, vel, *contenditis*, sed idem est sensus. Significant enim illæ voces, frustra alios montes contendere cum isto monte, vel ei in-

videre. De hoc monte legimus apud Isaiam, cap. 2. *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles; et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent, ascendamus in montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus:* quæ sine controversia intelliguntur de Ecclesia.

18. Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina, in sancto.

19. Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.

20. Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum.

Nunc comparat Propheta descensum Dei in montem Sina, ut daret legem veterem populo Judaico, cum ascensione Christi in cælum, ut inde mitteret donum Spiritus sancti, et legem novam populo Christiano: quam comparationem facere videtur Propheta, ut ostendat, unde tanta abundantia lactis, et tantus candor Ecclesiæ data sint. *Currus Dei decem millibus multiplex*, id est currus quo vehebatur Deus, cum descenderet in montem Sina, erant *multa millia sanctorum Angelorum:* quæ omnia non erant gementia sub pondere, sed *lætantia*, et plaudentia præ voluptate vehendi Dominum. *Dominus enim in eis*, sedens fuit in *Sinai, in monte sancto.* Quod autem sancti Angeli sint, qui cum Deo descenderint in montem Sinai, dicitur apertius in Deuter. cap 33. *Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis, apparuit de monte Paran, et cum eo sanctorum millia.* Quod autem currus Dei sint Angeli, Scriptura passim docet, cum ait, Psalm. 79. *Qui sedes super Cherubim.* Porro illud, *decem millibus multiplex*, in Hebræo est unica vox, רבתים *rabbothaim*, quæ proprie significat, *bis decem millia*, sed accipitur pro plurimis millibus. Itaque *decem millibus multiplex* significat, plus decem millibus, id est, innumerabilis multitudo. Illud, *millia lætantium*, vertit S. Hieronymus, *millia abundantium*, et sic legit ex Græco Euthymius, et interpretatur, *millia abundantium virtute, et gratia, et omnibus bonis*, quales sunt Angeli beati, qui cum bonis omnibus abundent, lætissimi semper sunt. Sed vox Hebræa, שנאן *Sinaan*, est vox quatuor litterarum, et valde obscura, unde alii ex Hebræis putant significare *Angelos*, alii *duplicata millia*, alii etiam vertunt nobiscum *millia lætantium.* Quod sequitur, *Ascendisti in altum*, sanctus Paulus de Ascensione Christi interpretatur ad Ephes. 4. Itaque sensus est, Dominus olim descendit in montem Sina cum multis millibus Angelorum; sed tu Messias *ascendisti in altum*, id est in summum cælum, cepisti captivitatem, id est, captivos Diaboli fecisti captivos tuos; miseram captivitatem in captivitatem felicissimam commutasti: et sic triumphator multis millibus Sanctorum, quos ab inferis eduxisti, comitatus in Regnum tuum intrasti. *Accepisti dona in hominibus*, id est, accepisti a Patre dona Spiritus sancti *in hominibus*, id est, pro hominibus a te redemptis, et ea dona a Patre accepta dedisti hominibus. Sic explicat S. Paulus, qui hunc locum his verbis refert, *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Et est expositio conformis Evangelio: nam Joan. 14. dicitur, *Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis.* Et cap. 15. *Cum venerit Paraclitus quem ego mittam vobis a Patre.* Porro inter dona a Christo in terras effusa, præcipuum est charitas, quæ est lex nova, dicente Apostolo ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Et ad Gal. 5. *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, etc.* Denique illud, *Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum*, significat, etiam incredulos per dona Spiritus sancti conversos esse ad Christum, et ad bonam captivitatem pertinere cœpisse. Ubi illud *etenim*, ponitur pro, *etiam:* nam in Hebræo non est, כי *chi*, sed אף *aph*, quod significat, *etiam, veruntamen, insuper.* Unde S. Hieron. vertit, *Insuper et non credentes inhabitare Dominum Deum.* Itaque sensus est, *cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus*, etiam eos cepisti captivos, et pro iis accepisti dona qui antea *non credebant Dominum Deum inhabitare in homine*, id est, non credebant, Verbum carnem factum esse, et inhabitasse in nobis: vel non credebant Dominum Deum inhabitare in monte sancto, id est, in Ecclesia Christianorum.

21. Benedictus Dominus die quotidie: prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.

22. Deus noster, Deus salvos faciendi, et Domini Domini exitus mortis.

Græci conjungunt verba præcedentia cum hoc versiculo, hoc modo κύριος ὁ θεὸς εὐλογητὸς, εὐλογητὸς κύριος τῶν κατασκηνῶσαι, ἡμέραν καθ' ἡμέραν, *Dominus Deus benedictus Dominus*, et finiunt præcedentem versiculum in illis verbis, *Etenim inhabitare:* et sic legunt etiam S. Augustinus, et S. Hilarius. Sed noster Interpres vertit conformiter ad Hebraicum codicem. Et S. Hieronymus in Epist. ad Suniam, et Fretellam, reprehendit lectionem Græcorum, et confirmat nostram ut veriorem. Igitur Propheta posteaquam descripsit Ascensionem Christi, qui nobis Dux fuit ad patriam cælestem, agit gratias Deo, ac dicit, *Benedictus sit Dominus per singulos dies.* Id enim significat, *die quotidie:* nam Interpres Latinus reddit ad verbum, quod invenit in Græco, sed in Hebræo est, יום יום *iom, iom, die, die*, id est, *omni die; sive de die in diem.* Benedicimus autem Deum omni die, quia omni die nobis benefacit; *Prosperum iter faciet nobis*, id est, benefaciet nobis omni die, quia non deseret nos in hoc itinere, quod facimus omni die, donec ad æternitatis diem pervenerimus. Vox Hebraica, יעמום *iahamos*, significat, *portabit*, quam unam vocem expressit Interpres tribus vocibus: *prosperum iter faciet*, vere enim prospere ambulat, qui portatur a Deo. In Græco est etiam unicum verbum, κατευοδῶσαι, quod significat *prosperare iter*, complanando videlicet viam, et impedimenta removendo. Itaque promittitur hoc loco continua assistentia gratiæ Dei, dum peregrinamur a Deo. *Deus salutarium nostrorum*, id est, prosperabit nobis iter Deus, qui est auctor totius nostræ salutis: non enim indigemus simplici salute, sed mul-

tiplici periculo sumus obnoxii. *Deus noster, Deus salvos faciendi*, id est non sine causa dixi, Deum prosperaturum iter nobis, et salutes multas allaturum : nam hoc est illi proprium, hæc est ejus natura; ipse enim Deus noster, est Deus salvans Deus misericors, et pius, *Et Domini, Domini exitus mortis*, id est, et ab ipso provenit evasio mortis, sive egressio a morte. Pro illud, *Domini*, *Domini*, in Hebræo sunt duo nomina : unum quatuor litterarum, quod est proprium Dei, et in Scripturis non pronunciatur, sed loco ejus legitur, יהוה ADONAI; alterum nomen est, אדני ADONAI, quod Dominum significat. Itaque sensus est, *et Dei nostri*, qui est verus Dominus omnium rerum, *sunt exitus mortis*, id est liberatio a morte sive evasio mortis. Ipse enim est vita æterna, et eam nobis communicabit, cum infinita peregrinatione transferet nos de morte ad vitam.

23. Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum : verticem capilli perambulantium in delictis suis.

Docuit, quid faciet Dominus amicis suis : docet nunc, quid faciet inimicis, qui increduli permanserint, atque a Regno ejus alieni esse voluerint. *Confringet*, inquit, *Deus capita inimicorum suorum :* id est superbiam inimicorum suorum humiliabit, dum eos ad inferos æternis cruciatibus puniendos damnabit. *Verticem capilli perambulantium in delictis suis:* Idem aliis verbis repetit, ac declarat more suo Propheta: nam quod dixerat, *capita*, nunc dicit *verticem capilli*, id est, verticem crinitum, superbum, ac vanum confringet, quod dixerat *inimicorum*, nunc dicit, *perambulantium in delictis suis :* illi enim soli sunt inimici Dei, qui non ambulant in lege Domini, sed in delictis suis, hoc est, qui tempus vitæ suæ peccando consumunt. Paulo aliter exponit S. Hilarius : vult enim per capita inimicorum Dei, intelligi Principes tenebrarum, id est, Principes Dæmonum, quos Dominus dicit *perambulare verticem capilli*, id est, insidere, et dominari capitibus hominum perversorum; *in delictis suis*, quia ad hoc solum insident, et dominantur capitibus hominum impiorum, ut eos ad varia delicta alliciant.

24. Dixit Dominus, ex Basan convertam, convertam in profundum maris.

25. Ut intingatur pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.

Confirmat Deus sententiam Prophetæ de perditione impiorum. *Dixit Dominus*, *ex Basan convertam*, *convertam in profundum maris*, id est, Ego Dominus abstraham inimicos meos ex Basan, regione uberrima et pinguissima, et *projiciam in profundum maris*, ut olim egi cum Pharaone. Convertam videlicet impios a deliciis et voluptatibus, in ultimam perditionem, tantaque erit hostium strages, *ut pes tuus*, o popule meus, *tingatur in sanguine occisorum*, et lingua canum tuorum tingatur ab ipso sanguine ex inimicis effuso. Hæc mihi videtur sententia apte cohærens cum superioribus. In Hebræo habetur, ממצלות ים *mmetsuloh iam*, *ex profundis maris*, quæ videtur lectio contraria lectioni nostræ editionis vulgatæ, quam tamen habuerunt S. Hilarius, S. August. et S. Hieron. in commentario. Et quamvis in Hebræo sit præpositio, מין *min*, quæ significat *ex*, vel, *ab :* tamen ponitur aliquando pro, ב *be*, quæ significat, in, et contra, *in*, ponitur pro, ab : nam Ecclesiastæ 2. ubi legimus, *Cogitavi distrahere a vino carnem meam*, in Hebræo est, *in vinum*. Sed S. Hieron. recte judicavit, *in*, positum esse pro, a, vel, ab, et contra, Deut. 33. ubi legimus, *Dominus de Sina venit*, Rabbi David existimavit positum esse, *de*, pro, in, quia *Dominus in Sina montem venit*, non de Sina, quando legem dedit. Scio hos versiculos varie explicari, et tot esse expositiones, quot sunt auctores. Ideo in tanta obscuritate licitum mihi esse duxi, novam expositionem excogitare, quam lectorum judicio permitto.

26. Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei, Regis mei, qui est in sancto.

Explicata victoria, et triumpho Christi de hostibus ejus, docet Propheta, eos, qui testes fuerunt tantarum rerum, cœpisse illas toti Mundo cum cantu, et lætitia publicare. *Viderunt*, inquit, *ingressus tuos Deus*, id est, non desunt qui viderint itinera tua, Christe Deus, actiones tuas, prælia tua, victorias tuas, *Ingressus*, inquam, *tuos*, *qui es Deus meus*, *et Rex meus*, *qui nunc es in sanctuario tuo :* sive summum cœlum, sive Ecclesia sanctum habitaculum ejus dicatur : nam utrumque est verum; est enim Christus in cœlo per præsentiam visibilem, in Ecclesia per fidem et providentiam.

27. Prævenerunt Principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum.

Alludit Propheta ad id quod fecerunt filii Israel, quando Deus liberavit populum suum de manu Pharaonis : tunc enim Moses Princeps populi cum aliis filiis Israel cantavit canticum illud, Exod. 15. *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est. Et Maria soror Mosis, cum sequentibus se mulieribus sumpsit tympanum, et ludebat laudans Deum.* Exod. 15. Sic igitur quando viderunt principes Ecclesiarum Christi victoriam et triumphum, quo de potestate Satanæ liberati sumus, *prævenerunt ipsi alias gentes et populos*, ut Christi laudes prædicarent et resonarent. *Conjuncti psallentibus*, id est, conjuncti sanctis Angelis in cœlo psallentibus ob eamdem victoriam, *in medio juvencularum tympanistriarum*, id est psallentibus Angelis in medio animarum sanctarum, quæ cum Christo in cœlo ascenderunt, quæ dicuntur juvenculæ, quoniam recens vitam beatam ducere, et cum Angelis Deo assistere, eique psallere et cantare cœperunt.

28. In Ecclesiis benedicite Deo, Domino de fontibus Israel.

Hic versiculus est quasi parenthesis, qua Propheta prævidens futuram lætitiam Principum Ecclesiæ, hortatur eos, *ut in Ecclesiis*, quas fundaturi erant, pergant *benedicere Domino Deo, de fontibus Israel*, materiam laudis haurientes; vocat autem *fontes Israel* promissiones Dei ad Patriarchas, et vaticinia Prophetarum

prædicentium ea, quæ nunc impleta esse videmus, et gaudemus. Illud, *Deo Domino*, legi debet cum distinctione hoc modo, *In Ecclesiis benedicite Deo, Domino de fontibus Israel*, id est, *benedicite Deo in Ecclesiis*, benedicite, inquam, *Domino de fontibus Israel*. Sic enim distinguitur hic versiculus in codicibus Hebraicis, et hoc modo distinctus majorem habet venustatem.

29. Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu.

30. Principes Juda, duces eorum, Principes Zabulon, Principes Nephtalim.

Redit ad superiorem narrationem, et explicat qui sint illi Principes, de quibus dixit, *Prævenerunt Principes*. Isti, inquit, sunt *Benjamin adolescentulus, Principes Juda, et Principes Zabulon, et Nephtali*: per quæ nomina intelligunt communiter Latini Patres, Hilarius, Hieronymus, et Augustinus, et Græci expositores Theodoretus, et Euthymius, sanctos Apostolos, qui constituti sunt a Deo Principes super omnem terram, Psal. 44. ac primo loco nominatur *Benjamin adolescentulus*, per quem intelligitur Apostolus Paulus, qui erat de tribu Benjamin, et qui novissimus fuit vocatione, *sed plus omnibus laboravit* prædicando, et laudando victoriam Christi: et is *in mentis excessu*, ita conjunctus fuit psallentibus in tertio cœlo et in paradiso, ut nesciret, *an tunc in corpore esset, vel extra corpus*, ut ipse testatur 2. Corinth. 12. Per *Principes Juda*, intelliguntur Apostoli, qui erant de tribu Juda, et Christi fratres dicuntur in Evangelio, quod essent filii Cleophæ fratris Joseph, sponsi B. Virginis, ut ex Egesippo refert Eusebius lib. 3. hist. cap. 11. juxta versionem Ruffini, videlicet Jacobus, Simon, Judas: Principes Zabulon, et Nephtali, dicuntur Apostoli cæteri, Petrus, et Andræas, Jacobus, et Joannes, Philippus, Matthæus, qui erant a Bethsaida, vel Capharnaum, et vicinis civitatibus, ad sortem Zabulon, et Nephtali pertinentibus: quod colligitur ex Evangelio sancti Matthæi, qui scribit c. 4. *Cum audisset Jesus, quod Joannes traditus esset, secessit in Galilæam, et relicta civitate Nazareth habitavit Capharnaum maritima in finibus Zabulon, et Nephtali, ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam, terra Zabulon, et terra Nephtali via maris trans Jordanem Galilææ gentium, populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam, sedentibus in regione umbræ mortis lux orta est eis*: sed quoniam ex captivitate non redierunt decem tribus, sed sola tribus Juda et Benjamin cum Levitis, ut colligitur ex lib. 1. Esdræ: Apostoli dicuntur Principes Zabulon et Nephtali, vel quia in sortibus horum duorum Patriarcharum habitabant; vel quia forte pauci aliqui ex his tribubus redierint admixti Judæis: quod cogimur dicere de Anna prophetissa, quæ dicitur fuisse de tribu Azer, Luc. 2. Miratur Calvinus hæresiarcha in antidoto Concilii Tridentini, quid cogitaverit Interpres noster Latinus, quando vertit, *Benjamin adolescentulus in mentis excessu*, cum in Hebræo non habeatur, *in mentis excessu*, sed, *dominator eorum*. At nos miramur Calvinum non cogitasse, a Latino Interprete redditum fidelissime fuisse, quod est in Græco: vulgata enim Latina editio Psalterii ex Græco expressa est, non ex Hebræo. Sed neque dissentit lectio Græca, vel Latina ab Hebraica bene intellecta, ut eam intellexerunt Septuaginta Interpretes. Vox enim Hebraica, רדם *rodem*, si deducatur a verbo, רדה *radah*, significat, *dominator eorum*, ut Calvinus dicit secutus Rabinos. Sed si deducatur a verbo, רדם *radam*, ut eam deduxerunt Septuaginta Interpretes, significat, *altissime dormiens*, sive *mentis excessum patiens*. Pro illo autem, *duces eorum*, vertunt alii, *in purpura sua*: sed vox Hebraica, רגמתם *rigmatham*, utroque modo reddi potest, et sensus est idem.

31. Manda Deus virtuti tuæ; confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

Descripta victoria Christi, et lætitia Apostolorum, petit a Deo Propheta, ut potentiam suam, quam exercuit in superandis hostibus, et constituenda Ecclesia, iterum exerceat in confirmando, et conservando opere suo. *Manda*, inquit, *virtuti tuæ*, id est, impera potentiæ tuæ, ut operi inchoato assistat illudque conservet et augeat. Explicat deinde hoc ipsum clarioribus verbis, dicens, *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis*, id est, liberasti nos de potestate Satanæ, transtulisti in Regnum filii tui, plantasti Ecclesiam sanguine ejusdem filii tui, effudisti in nos Spiritum adoptionis filiorum; *confirma hæc omnia*, quæ opera sunt misericordiæ tuæ. In Hebræo habetur, *Mandavit Deus tuus virtuti tuæ*: sed vox Hebraica, צוה אלהיך *tsihua, elohecha*, potest esse præteritum, *mandavit*, et imperativum, *manda*. Sed illud pronomen additum nomini Deus, cum dicitur, Deus tuus, totam sententiam obscurat. Itaque suspicor esse additum, et non fuisse in codicibus, quos habuerunt Septuaginta Interpretes: nam omnes veteres, Græci et Latini, legunt, *Manda Deus virtuti tuæ*, dum exponunt hunc versiculum ex interpretatione Septuaginta. Sanctus enim Hieronymus vertit quidem ex Hebræo, *Præcepit Deus tuus de fortitudine tua*; tamen in commentario legit et exponit cum aliis Patribus, *Manda Deus virtuti tuæ*.

32. A templo tuo in Jerusalem, tibi offerent Reges munera.

Potest hic versiculus intelligi de regibus, qui in cœlo cum Christo regnant, et tunc sensus est, *A templo, quod est in cœlesti Jerusalem, tibi Deo sancti, qui regnant cum Christo, offerent munera*, id est, sacrificia laudis perpetuæ. Potest etiam intelligi de Regibus spiritualibus, id est, de sacerdotibus Ecclesiæ, de quibus paulo ante dictum est, *Dum discernit cœlestis Reges super eam*; et tunc sensus est: *A templo*, quod est in Ecclesia Catholica, *tibi Deo* sacerdotes, qui sunt ministri Regni tui, et populum vice tua regunt, *offerent munera*, id est, sacrificia Eucharistica, sacrificia item laudum et precum, sacrificia denique conversionis animarum. Postremo potest intelligi de Regibus temporalibus, et tunc illud a *templo*, exponendum est, propter templum, id est, propter sanctitatem templi tui, quod est in Ecclesia, offerent tibi Reges terræ, munera pretiosa ad ipsius templi ornatum, et ad alendos templi ministros: de qua oblatione Regum multa prædicit Isaias cap. 60. et 66.

33. Increpa feras arundinis, congregatio

taurorum in vaccis populorum, ut excludant eos, qui probati sunt argento.

Convertit nunc orationem ad hostes Ecclesiæ, qui pacem ejus perturbare satagunt; ne munera laudum, et sacrificia bonorum operum offerantur Deo: ac primum loquitur de hostibus invisibilibus, ut exponunt S. Hilarius ex Latinis, et Euthymius ex Græcis. Ait igitur, *Increpa*, id est, exterre, coerce, reprime *feras arundinis:* per feras arundinis intelliguntur bestiæ silvestres, quæ latent inter arundineta: et per has bestias describuntur Dæmones, qui libenter versantur inter homines vanos et leves: et in locis humentibus, ubi regnat luxuria. Sic enim de Diabolo sub figura Behemoth loquitur Dominus in libro Job, cap. 40. *Sub umbra dormit, in secreto calami, et in locis humentibus.* Deinde addit de hominibus, *Congregatio taurorum in vaccis populorum*, id est, Congregatio Principum impiorum sævientium instar taurorum. *In vaccis populorum,* id est, in medio populorum insipientium, et insanientium instar vitulorum, sive juvencarum; (nam in Hebræo per בעגלי עמים *bihhegle hammim,* exprimitur non solum genus femininum, sed etiam juventus.) *Congregatio*, inquam, *facta est, ut excludant eos, qui probati sunt argento*, id est, convenerunt Principes et populi impii, Satana instigante et impellente, ut excludant, rejiciant, ad nihilum redigant prædicatores Fidei, qui probati sunt instar argenti in fornace ignis, et inventi purissimi et fidelissimi. Itaque significantur his verbis persecutiones gravissimæ, tum Judæorum, tum Paganorum, quæ exortæ sunt post Christi Ascensionem in cœlum. S. Augustinus per feras arundinis, sive calami, ut ipse legit, intelligit hæreticos, qui calamo, id est, scriptura vexant Ecclesiam. Et illud, *ut excludant eos, qui probati sunt argento*, exponit in hunc sensum, ut faciant eminere eos, qui probati sunt, ut argentum excluditur ab artificibus, quando ex massa impolita excludunt vas argenteum, id est, apparere et eminere faciunt. Hæretici enim exercent Ecclesiam, et occasionem præbent, ut multi viri docti et probi emineant in intelligentia Scripturarum.

34. Dissipa gentes, quæ bella volunt: venient legati ex Ægypto, Æthiopia præveniet manus ejus Deo.

Prædicit nunc victoriam adversus persecutores. *Dissipa*, inquit, id est, tu dissipabis omnes qui bella movent adversus populum tuum: et tunc *venient legati ex Ægypto* pacem petentes, et subjectionem profitentes: et *Æthiopia*, quæ longius distat, *præveniet manum ejus Deo*, id est, præveniet apud Deum manum Ægypti offerentis munera. Nominat Propheta Ægyptum et Æthiopiam, illam, ut valde inimicam veræ religionis, istam, ut valde longinquam. Volunt autem Patres per Æthiopiam prævenientem, significari Eunuchum Candacis Reginæ Æthiopum, qui ad fidem Christianam adjunctus est multo antea, quam eadem fides ad Ægyptum, aliasque gentilium regiones pervenisset: de qua re lege caput 8. Actorum Apostol.

35. Regna terræ cantate Deo, psallite Domino, psallite Deo, qui ascendit super cœlum cœli ad orientem.

Pergit prædicare, per modum exhortantis, conversionem Gentilium ad fidem Christianam. *Regna terræ*, id est, totius terræ, non solum Regnum Israël, aut Juda, *cantate Deo*, ex fide agnoscentes verum Deum, cantate laudes ejus. *Psallite Domino*, non solum verbis cantate, sed etiam bonis operibus: *Psallite Deo, qui ascendit super cœlum cœli ad orientem*, id est, qui posteaquam ascendit in altum sedet in summo cœlo ad fontem lucis, unde oritur omne lumen. In Hebræo, et Græco codice non sunt illa duo verba, *psallite Deo;* et S. Hieronymus in epistola ad Suniam et Fretellam, dicit esse supervacanea: tamen nihil obest, quod in nostra editione legantur; cum nihil sint, nisi repetitio præcedentium verborum. Illud autem, *ascendit super cœlum cœli*, non significat, ascendit in cœlum, sed sedet super cœlum; vox enim Hebraica est, רכב *rocheb*, quæ non significat, *sursum ascendere*, sed *equitare*, vel curru vehi, ut supra diximus ad illa verba, *Qui ascendit super occasum.* Itaque significat Propheta Christum Dominum post ascensionem in cœlum, de qua locutus est, cum ait, *Ascendisti in altum*, esse cœpisse ipso cœlo altiorem et superiorem, quippe qui sedet super cœlum, ut eques super equum, vel auriga super currum, vel Rex super solium. Illud autem *ad orientem* optime cohæret cum eo, quod supra dictum est, *Qui ascendit super occasum;* id est, quia sub se habet tenebras omnes, ipse est in luce, vel ad lucem inaccessibilem, unde oritur lumen omne, quod communicatur Angelis et hominibus. S. Hieronymus vertit, *Qui ascendit super cœlum cœli a principio:* et vere vox Hebraica, קדם *chedem*, utrumque significat, et orientem, et principium, et utrumque est verum. Christus enim, ut Deus, a principio sedit super cœlum cœli, et ut homo, post resurrectionem ascendit in cœlum, et nunc est super cœlum cœli ad orientem, assistens æterno, et supremo Orienti, id est, fonti lucis.

36. Ecce dabit voci suæ vocem virtutis: date gloriam Deo super Israel: magnificentia ejus, et virtus ejus in nubibus.

37. Mirabilis Deus in sanctis suis Deus Israel, ipse dabit virtutem, et fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus.

Hos duos versiculos referunt Græci, Theodoretus, et Euthymius ad missionem Spiritus Sancti, quando post Ascensionem Domini, induti sunt Apostoli virtute ex alto. Sed Latini, Hilarius, Augustinus, et Hieronymus referunt ad secundum adventum Christi: et hoc magis probo. Hic enim Psalmus (ut initio diximus) omnia mysteria utriusque testamenti complectitur. *Ecce*, inquit, *dabit voci suæ vocem virtutis*, id est, qui humilis apparuit, *et sicut Agnus coram tondente obmutuit*, ut dicit Isaias cap. 53. nunc *sedet super cœlum cœli*, et paulo post *dabit voci suæ*, ut sit *vox virtutis*, id est, vox potentissima et efficacissima: quod fiet quando *omnes mortui audient vocem Filii Dei, et resurgent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem Judicii*, ut habetur Joan. 5. nulla enim vox potentior cogitari potest.

Vox quidem virtutis fuit, quæ dixit, *Adolescens, tibi dico surge,* Luc. 7. et, *Lazare, veni foras,* Joan. 11. Sed vox, quæ cineres omnium hominum ab initio Mundi defunctorum, subito formabit, animabit, excitabit, quantæ tandem virtutis erit? Vox item maximæ virtutis erit, quæ dicet, *Ite, maledicti, in ignem æternum,* Matth. 25. et, *Venite, benedicti, possidete paratum vobis Regnum;* cui voci absque ulla resistentia, vel retractatione respondebit affectus. Certe comparatione ad hanc vocem, omnia omnium Principum edicta, et imperia nullius virtutis existimanda sunt. Recte igitur subjungit, *Date gloriam Deo super Israel,* id est, glorificate Deum super beneficia in electos ejus collata. *Omnia enim propter electos,* inquit Apostolus, 2. Tim. 2. *Magnificentia ejus, et virtus ejus in nubibus,* id est, *date gloriam Deo super Israel,* quoniam magnificentia Dei, et potentia Dei manifestabitur maxima *super Israel in nubibus cœli;* quando videlicet, *rapientur electi in nubibus obviam Christo,* ut ait B. Paul. 1. Thessal. 4. et in ipsis nubibus erunt sedentes, quasi in soliis cœlestibus et sublimissimis omnes electi Dei a dextris, et a sinistris Judicis omnipotentis. Quare exclamare licet, *Mirabilis Deus in sanctis suis:* tunc enim vere totus mundus intelliget Deum in sanctis suis provehendis ab imo ad summum, a summa humilitate ad summam et celsissimam gloriam plane admirabilem fuisse: nam *Deus Israel,* Deus electi populi sui, tunc *dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ,* cum electos suos vera immortalitate et impassibilitate donabit. Neque obstat, quod in Hebræo legatur, נורא אלהים *Mirabilis Deus in sanctuariis:* ipsi enim sancti viri sunt verissima sanctuaria Dei; neque etiam quod in Hebræo sit in secunda persona, דשיך ממק *mimik deschecha in sanctuariis tuis.* Videtur enim errore scriptorum id accidisse. Nam non solum Septuaginta verterunt in tertia persona, sed etiam sanctus Hieronymus vertit, *sanctuario suo.* Denique parum refert quod in Hebræo sit, *Terribilis Deus,* pro quo nos habemus, *Mirabilis Deus:* nam utrumque est verum, et una lectio explicat aliam: discimus enim ex lectione Hebraica, Christum in die novissimo fore mirabilem in sanctis suis, cum magno terrore impiorum: quamquam omnis admiratio terrorem quemdam incutere soleat. Concludit Propheta illis verbis, *Benedictus Deus:* id enim sequitur ex prædictis in toto Psalmo, ut omnes Deum benedicere debeant, cum ejus misericordia, et justitia, potentia, et sapientia, ex tot mysteriis mirifice declarata sint.

PSALMUS LXVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

IN FINEM, PRO IIS, QUI COMMUTABUNTUR DAVID.

De hoc titulo dictum est in explicatione Psalmi 44. quæ non sunt repetenda. Consentiunt fere omnes expositores veteres, ut Hilarius, Augustinus, Hieronymus: et recentiores, ut Genebrardus, Jansenius, Agellius, et alii, in hoc Psalmo prædici passionem Christi plane ad litteram, nec non eversionem Judæorum, et ædificationem Ecclesiæ, quæ constat ex iis, qui fœliciter commutabuntur de iniquitate ad justitiam, et de miseria temporali ad gloriam sempiternam. Unus est Theodoretus, quem sequitur Euthymius, qui Psalmum exponendum censuit de captivitate Babylonica Judæorum: sed beatus Augustinus constanter reprehendit eos, qui audent aliter exponere, quam Apostoli exposuerint. Apostoli enim de Christo prædicta esse affirmant illa, *Qui oderunt me gratis,* Joan. 15. et illa, *Zelus domus tuæ comedit me,* Joan. 2. item illa, *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me,* Rom. 15. et illa, *In siti mea potaverunt me aceto,* Joan. 19. et illa, *Fiat habitatio eorum deserta, et non sit qui habitet in ea.* Act. 1.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.

2. Infixus sum in limo profundi, et non est substantia.

3. Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me.

Passio Domini nostri Jesu Christi in Evangeliis ita describitur, ut non multa dicantur de vehementia doloris ejus. Voluerunt enim Evangelistæ declarare passionem illam fuisse voluntariam, et summa constantia toleratam a Christo. Sed quoniam oportebat etiam, ut mundus intelligeret acerbitatem doloris in Christo fuisse maximam, atque inde colligeret quantum debeat Redemptori, ideo Spiritus Sanctus hanc doloris vehementiam multo antea Prophetis revelavit, ac per eos, ut testes fide dignissimos, et ab omni adulatione alienos, scribi voluit. Itaque multa de hac re scripsit Isaias, multa Hieremias, sed nullus plura quam David. Igitur in primis tribus hujus Psalmi versiculis, describitur passio Christi per similitudinem mersionis in aquas lutulentas et profundissimas. *Salvum me fac, Deus:* salutem petit Salvator a Deo Patre, non salutem animæ quam habe-

bat, et perdere non poterat, cum beatus esset: sed salutem corporis, eamque non absolute petit, sed ut ostendat magnitudinem doloris, et contrarietatem naturalis appetitus ad mortem, eo prorsus modo, quo in horto dixit; *Pater, si vis, transfer calicem hunc a me*, Luc. 22. *Quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.* Hic incipit similitudo demersionis in aquas, Quoniam, inquit, similis factus sum ei, qui projectus in aquas incipit sentire aquas penetrantes ad vitalia, ut jam respirare, et vivere non possit. *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia*, id est, similis factus sum, non solum homini præcipitato in aquas, sed in aquas limosas et sine fundo, ut non liceat emergere, neque subsistere. Illud, *Et non est substantia*, significat, et non est fundamentum, sive fundus, ubi subsisti possit: nam Græce est ὑπόστασις, et Hebraice, מעמד *mahamad*, quæ *stationem*, sive *consistentiam*, vel *subsistentiam*, significant. *Veni in altitudinem maris*, id est, non in parvum gurgitem demersus sum, sed in mare magnum, et profundissimum, ut aquarum immensa multitudo super me sit. *Et tempestas demersit me*, id est, quia tempestas vehementissima ventorum et fluctuum demersit me. In hac similitudine per *multitudinem aquarum usque ad animam penetrantium*, intelliguntur pœnæ multæ, quas Christus pertulit, quæ usque ad mortem sævierunt: non enim simplici morte defunctus est, sed innumeras pœnas, doloresque sustinuit. *Per limum profundum*, cui infixus inhæsit, significantur peccata totius humani generis, quæ illum in pœnis detinuerunt: *per tempestatem*, qua demersus fuit in aquas, intelliguntur justitia, decretumque divinum, quod expiari peccata voluit, intelligitur quoque rabies, et crudelitas Judæorum: intelligi denique potest, et maxime proprie, vehementia amoris ipsius erga genus humanum. Nam per eam tempestatem, intelligitur causa efficiens passionis, quæ multiplex fuit, ut Theologi docent ex divinis Scripturis. Nam Apostolus ad Rom. 8. dicit, *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Et Actor. 3. dicit S. Petrus ad Judæos, *Auctorem vitæ interfecistis.* Et rursus B. Paulus ad Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea.* Itaque tempestas valida, quæ Christum demersit in profundum passionis et mortis, fuit partim bona et laudabilis, partim mala et reprehensione dignissima.

4. Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ: defecerunt oculi mei, dum spero Deum meum.

Ex hoc versiculo intelligimus, quæ dicta sunt in tribus versiculis superioribus accipienda esse per similitudinem: nam si proprie Christus demersus fuisset in aquas, non potuisset clamare. Sed hic etiam versiculus quartus per similitudinem accipiendus est: Christus enim clamavit quidem in passione, cum ait, *Deus meus, Deus meus, utquid dereliquisti me?* Matth. 27. et rursum clamavit, cum ait, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, Luc. 23. Sed hi clamores tam breves fuerunt, ut non potuerint raucedinem facere. Quod autem Christus in passione defecit aspiciendo, et expectando auxilium a Deo, nusquam legimus. Itaque sensus est, Tanta fuit acerbitas, et prolixitas doloris mei, quantam intelligimus esse in illis, qui usque ad raucedinem auxilium implorantes vociferantur et clamant: et quanta in illis esse solet, quorum oculi deficiunt aspiciendo in cœlum, et expectando auxilium a Deo. Quod igitur Christus in passione semper fere tacuerit, *ut agnus mansuetus, qui portatur ad victimam*, ut dicit Hier. cap. 11. et adjuvantem non requisiverit, quasi nihil acerbi pateretur non fecit levitas passionis, sed magnitudo constantiæ, et flamma charitatis. Si enim juxta magnitudinem dolorum lamentatio esse debuisset, sine dubio raucæ factæ fuissent fauces ejus ob continuam vociferationem, et oculi ejus caligassent, dum aspiraret in auxiliatorem. Quare (ut supra indicavimus) Propheta expressit magnitudinem passionis: Evangelista vero constantiæ magnitudinem demonstravit.

5. Multiplicati sunt super capillos capitis mei: qui oderunt me gratis.

6. Confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici mei injuste; quæ non rapui, tunc exsolvebam.

Explicat nunc Propheta in persona Christi, propriis verbis, quæ hactenus dixit per similitudinem. Comparavit enim persecutores Christi multitudini aquarum et violentiæ tempestatis: nunc aperte dicit inimicos suos fuisse prope innumerabiles, et violentissimos, et absque ulla justa causa, imo sine ulla causa ita sæviisse. *Multiplicati sunt super capillos capitis mei*, Matth. 27. id est, plures fuerunt, quam sit numerus capillorum capitis, qui numerari vix possunt, *Qui oderunt me gratis*, Joan. 19. id est, plurimi fuerunt, qui oderunt me absque ulla causa. Quod plurimi fuerint perspicuum est ex Evangelio: nam præter concilium Seniorum, Pontificum, Scribarum, et Pharisæorum accessit turba populi maxima, *quæ clamavit, Crucifige eum.* Luc. 23. Accesserunt integræ cohortes militum paganorum; *sprevit enim eum Herodes cum exercitu suo.* Et in domo Pilati convenit universa cohors militaris ad Christum illudendum. Accessit etiam Judas super numerum odientium Christum. Quod autem gratis eum oderint non potest dubitari, *cum pertransierit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo*, Actor. 10. et neminem unquam læserit. Causa vero quam allegabant in Concilio, Joan. 11. *Si dimittimus eum sic, venient Romani, et tollent locum nostrum et gentem*; eventus docuit quam fuerit vana et ex falsa prudentia prodierit: nam non dimiserunt eum, imo impediverunt, quantum potuerunt, Evangelii progressum, et tamen venerunt Romani, et tulerunt locum eorum et gentem: quod non accidisset si Christum qui pacis, et mansuetudinis et charitatis doctor, et auctor erat, fideliter recepissent. Addit Propheta de violentia inimicorum Christi. *Confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici mei injuste*, id est, injusti persecutores mei roborati sunt, fecerunt sibi animum, prævaluerunt, et ideo injusti fuerunt, quia coegerunt ut solverem *quæ non rapui*, id est, pœnam darem sine merito culpæ. Omnis iniquus, raptor dici potest, quia rapit gloriam Dei, et ideo, cum punitur, solvit quod rapuit: sed Christus nihil rapuit, quia nunquam peccavit: et tamen pœnas gravissimas dedit. Agnovit id latro pendens in cruce, cum ait, *nos quidem juste*

(crucis videlicet supplicium patimur) *nam digna factis recipimus, hic autem nihil mali gessit;* Luc. 23.

7. Deus tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita.

Quia dixerat injuste se pati, et solvere quæ non rapuit: reddit nunc rationem, cur voluerit pati, cum facile posset ab injusta persecutione se liberare; causam autem esse dicit insipientiam suam, et delicta sua, quæ Deo notissima, sed mundo occultissima erant. *Insipientiam suam*, vocat insipientiam Adami quam in se suscepit, et *delicta sua*, vocat delicta ejusdem Adami et cæterorum hominum, quæ portavit, non commisit. *Deus*, inquit, *tu bene nosti, quæ sit insipientia mea*, quæ *delicta mea*, id est, tu scis me pati propter insipientiam primi hominis, qui seductori credidit similem Deo se futurum, si ligno vetito vesceretur: et propter inobedientiam ejusdem, quæ insipientiam illam consecuta est. Addit S. Augustinus insipientiam Christi dici posse eam, quæ apud omnes homines insipientia visa est, cum tamen sapientia esset maxima, videlicet quod, cum posset unico verbo a morte se liberare, voluit tamen pati acerbissima tormenta, et mortem ipsam crucis, ut servulos et ipsos inimicos a tormentis et morte redimeret. Hæc stultitia visa est hominibus, sed Deus novit hoc genus stultitiæ sapientius esse omni humana sapientia. Quomodo stultitia videri potest ignorantibus artem agriculturæ, cum grana optima projiciuntur in campos, et amitti irreparabiliter videntur: sed, cum eadem grana multiplicata colliguntur in messe, tunc apparet, non stultitiam, sed sapientiam fuisse projicere eo modo grana in sulcos terræ.

8. Non erubescant in me, qui expectant te Domine, Domine virtutum.

9. Non confundantur super me, qui quærunt te Deus Israel.

10. Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam.

Sollicitus pro membris suis orat, ut hæc ipsius passio non sit scandalum fidelibus suis, aut certe non desperent: nam ipse dixit, *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me*, Matth. 11. et ad discipulos passione jam imminente, *Omnes vos scandalum patiemini in me nocte ista*, Matth. 26. Ideo nunc ait, *Non erubescant in me, qui expectant te, Domine*, id est, non erubescant propter me, qui sperant in te, quasi ego derelictus a te sim, et spes mea vana fuerit; ne dicant: Quis audebit expectare Dominum, id est, sperare in Domino, si filium suum Dominus ita negligit, ita deserit? Ac deinde repetit et declarat, addens: *Non confundantur super me, qui quærunt te, Deus Israel:* nam qui confunduntur, erubescunt, et qui sperant, quærunt. Quod ergo dixerat; *Non erubescant in me*, declarat per illa verba, *Non confundantur super me*, id est, mei causa. Et quod dixerat, *qui expectant te*, explicat per illa, *qui quærunt te*, id est, qui sperantes in te quærunt auxilium tuum: et ad id quod dixerat, *Domine virtutum*, addit, *Deus Israel:* ut ostendat merito homines confidere in Deo, quia Dominus est virtutum, id est, exercituum, ac per hoc potentissimus: et simul est Deus Israel, id est, amator, et protector populi sui, ac per hoc benignus, et qui non solum potest, sed etiam vult, et solet defendere suos. Reddit postremo causam, cur id juste petat, *Quoniam*, inquit, *propter te sustinui opprobrium*, id est, hæc juste peto, quia ignominiam, quam passus sum, non propter culpas meas, sed propter honorem tuum passus sum. Propter te, inquam, *operuit confusio faciem meam*, id est, proter gloriam tuam, ego sustinui contumelias, flagella, irrisiones, sputa in faciem, et alia id genus, quæ verecundia ac rubore vultum meum impleverunt.

11. Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ.

12. Quoniam zelus domus tuæ comedit me, et opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt super me.

Explicat Propheta in persona Christi occasionem persecutionis Judæorum. Occasio enim fuit, quia Dominus reprehendebat mala opera eorum: sic enim ipse ait Joan. 7. *Non potest Mundus odisse vos, me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala sunt.* Et in libro Sapientiæ, capite secundo, dictum est, *Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ, etc.* Dicit igitur, *Extraneus factus sum fratribus meis*, id est, tamquam extraneum me reputaverunt fratres mei, Judæi, *et peregrinus filiis matris meæ*, id est, tamquam hospes vel alienigena existimatus sum a filiis matris meæ synagogæ. Et hoc est quod initio Evangelii scripsit S. Joannes, *In propria venit, et sui eum non receperunt:* Nam etiamsi dixerant Joan. 7. *Hunc scimus unde sit;* et Dominus eis, *Et me scitis, et unde sim scitis:* tamen Joan. 9. dicunt, *Scimus quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus unde sit*, id est, non novimus eum, extraneus est nobis. Reddit autem rationem cur tamquam extraneum eum habuerint, cum addit, *Quoniam zelus domus tuæ comedit me:* Zelus enim domus Dei tum corporalis, id est, templi, quod prophanabant Judæi negotiationibus; tum spiritualis, id est, congregationis fidelium, quam vitiis variis inquinabant, *comedebat*, id est, consumebat, urebat, dolore afficiebat ipsum: ac propterea ipse zelo illo permotus gravissime Judæos arguebat, ut perspicuum est ex cap. 23. Matth. et c. 11. Luc. et c. 8. Joan. et sicut ipse juste eos arguebat, ut emendaret; sic vicissim illi eum blasphemabant, eique conviciabantur, dicentes, *Dæmonium habes, Samaritanus es:* et, *In Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia:* et, *Scimus quia hic homo peccator est;* Joan. 8. et ideo subjungit in Psalmo, *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Dicit autem opprobria exprobrantium tibi; quia injuriæ Filii pertinent ad Patrem, præsertim, cum in divinis Pater et Filius unum sint in essentia: et quamvis communes essent omnes injuriæ Patri et Filio, tamen eæ præcipue pertinebant ad Patrem, quæ ad miracula pertinebant, quæ sunt opera divina, de quibus ipse dicebat, *Opera, quæ dedit mihi Pater, ut faciam illa,* testimonium perhibent

de me, Joan. 5. et, Pater in me manens ipse facit opera, Joan. 14. Illa ergo calumnia, *In Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia*, propriissime ad Patrem pertinebat, cum opera Dei, quæ Filius faciebat in nomine Patris sui, et quæ Pater per Filium operabatur, ipsi tribuerent Diabolo. Ista ergo opprobria exprobrantium Patri cadebant super Filium, tum quia intentio Judæorum erat Filium calumniari, non Patrem, tum quia ipse Filius libenter super se accipiebat injurias quæ ad Patrem pertinebant, et in hoc sensu allegatur hic versiculus ab Apostolo ad Rom. 15.

13. Et operui in jejunio animam meam, et factum est in opprobrium mihi.

14. Et posui vestimentum meum cilicium, et factus sum illis in parabolam.

Prior versiculus obscurissimus est, tam quoad verba, quam quoad sententiam. Et obscurior etiam videtur esse juxta verba Hebraica, ubi legimus, *Et flevi in jejunio animam meam:* neque satisfaciunt, qui contendunt lectionem puram esse in quodam codice Vaticano, ubi legitur, *Et incurvavi in jejunio animam meam:* et verba Hebraica esse immutata, et pro אבכה *euche*, legendum esse אכפה *echpe*. Isti, inquam, non satisfaciunt, tum quia vulgata editio habet *et operui*, tum quia omnes tractatores Græci et Latini legunt *et operui*. Neque vox Hebraica *echpe* significat incurvari, ut ipsi volunt, non enim כפה *capha*, sed חפה *chapha*, significat incurvare. Igitur, his omissis, primo anima ponitur pro toto homine, et *operui animam meam* significat: operui me, id est, operui caput meum jejunando. Operire autem caput jejunando, est cum luctu et mœrore in signum humilitatis et pœnitentiæ jejunare, unde dicitur in alio Psal. 34. *Humiliabam in jejunio animam meam.* Quod autem lugentes et mœrentes solerent operire caput, perspicuum est ex multis locis Scripturæ sacræ, lib. 2. c. 15. *Porro David ascendebat clivum Olivarum, scandens et flens, nudis pedibus, et operto capite.* Et eodem lib. c. 19. *Porro Rex operuit caput suum, et clamabat voce magna, Fili mi Absalon, Absalon fili mi.* Esther. 6. *Aman festinavit in domum suam lugens, et operto capite.* Et de ritu jejunandi Isaiæ 58. *Numquid hoc est jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam, numquid contorquere quasi circulum caput suum, et saccum, et cinerem sternere?* ubi contorquere caput quasi circulum est caput cooperire undique, et tegmen arcte constringere. Atque hinc conciliari potest lectio Hebraica cum Græca et Latina. Quod enim habetur in Hebraico, *Et flevi in jejunio animam meam*, existimarunt Septuaginta Interpretes, intelligendum esse non proprie de fletu, sed de signo et ritu fletus, et doloris, et ideo verterunt, *operui in jejunio animam meam.* Neque est novum quod fletus accipiatur pro signo fletus: nam in Scriptura passim legimus, defletos fuisse mortuos multis diebus, quod significat signa præcedentia molestissimi doloris multis diebus portata. Et quod legimus in Genesi cap. ultimo, quod Ægyptus fleverit Jacobi Patriarchæ mortem septuaginta diebus, sine dubio de signis luctus intelligitur, ut notat sanctus Hieronymus. Jam quod attinet ad sententiam, non legimus Christum jejunasse operto capite, neque saccum induisse, multo minus ea causa fuisse derisum; sed contra legimus dictum de eo, Matth. 11. *Ecce homo vorax et potator vini:* et discipulos ejus reprehensos, quod non jejunassent, ut discipuli S. Joannis et Pharisæorum jejunabant Matth. 9. Jejunavit quidem Dominus quadraginta diebus in deserto, sed hoc fuit occultum jejunium, ut non potuerit inde opprobrium pati. Jejunavit quoque sæpissime totos dies occupatus in prædicatione, quemadmodum vigilabat sæpe totas noctes orationi vacans; sed non inde opprobrium illi accessit. Denique jejunavit in Passione sua a vespera feriæ quintæ usque ad horam nonam feriæ sextæ, et ob defatigationem et flagella sine dubio esurivit et sitivit: nec defuit ritus operiendi caput: nam spineo galero coopertus jejunavit, nec sine opprobrio, cum in fame sua felle cibatus, et in siti aceto potatus fuerit: tamen de cilicio, sive sacco nihil in Evangelio legimus. Quare cum S. Augustino duo isti versiculi exponendi esse videntur spiritualiter, ut per jejunium cum fletu, et mœrore intelligamus esuriem et sitim ardentissimam salutis animarum, pro quibus angebatur, et gemebat; per cilicium vero intelligatur caro mortalis et passibilis, qua Verbum indutum mundo apparuit ut humilitate sua mortales adduceret ad contemptum rerum transeuntium, et desiderium æternarum: et ob ista opprobrium factus est, et fuit Judæis *in parabolam*, id est, in irrisionem, inquit S. Augustinus. Parabola enim est similitudo quæ potest esse in bono, et in malo, sed hoc loco intelligitur in malo, quomodo Sap. 5. dicuntur sancti fuisse *in similitudinem improperii.* Fuisse autem Christum irrisum in terris manifestum est: nam Marci 5. cum diceret, *Non est mortua puella, sed dormit, irridebant eum.* Et Luc. 16. cum loqueretur de eleemosynis large faciendis, audiebant Pharisæi avari, *et deridebant eum.* In Passione autem irrisus fuit a militibus, ab Herode, a Principibus Sacerdotum, et ab aliis.

15. Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta, et in me psallebant, qui bibebant vinum.

Hæc est quasi appendix ad ea quæ dicta sunt, quasi dicat, Accedit præterea, quod *adversum me loquebantur qui sedebant in porta*, id est, Principes ac Judices in conciliis suis de interitu meo consultabant, et falsa testimonia quærebant, ac me denique ad mortem condemnabant. Judicia in portis civitatum apud Hebræos exercebantur; unde Proverb. 31. *Nobilis in portis vir ejus, cum sederit cum senatoribus terræ. Et in me psallebant qui bibebant vinum*, id est, non solum publice in conciliis, sed etiam privatim in domibus tempore conviviorum inter pocula de me garriebant, et cantabant ludentes, et irridentes.

16. Ego vero orationem meam ad te Domine, tempus beneplaciti Deus.

Exposuit hactenus Propheta magnitudinem Passionis Dominicæ, nunc exponit orationem Christi ad Patrem pro liberatione a tantis malis, de qua scribit Apostolus ad Hebr. 5. *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum*

qui posset illum salvum facere a morte, cum clamore valido, et lachrymis offerens exauditus est pro sua reverentia. Ex quo intelligimus orationem Christi absolutam non fuisse, ut non pateretur, aut non moreretur, sed ut in passione, vel morte non detineretur *in quo exauditus fuit,* nam oratio illa fusa est in cruce, et mox emisso spiritu, liberatus est a passione, et post triduum resurgens gloriosus liberatus est omnino a morte, et omni tribulatione. *Ego vero,* inquit, *orationem ad te, Domine,* id est, illi mihi insultabant, et opprobria in me jaciebant, *ego vero orationem* pro illis, et pro me tibi Deo Patri cum lachrymis offerebam, dicens, *Tempus beneplaciti, Deus,* id est, jam advenit tempus a te definitum, ut complaceat tibi me ab his cruciatibus liberare, et mundum hoc tanto oblato sacrificio reconciliare. Hoc idem legimus Joan. 17. *Pater, venit hora, clarifica filium tuum*, et Joan. 19. *Consummatum est.*

17. In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, in veritate salutis tuæ.

Pergit in oratione, ac petit, ut quandoquidem jam venit tempus beneplaciti exaudiat orationem ejus. *In multitudine misericordiæ, et in veritate salutis tuæ,* id est, propter multitudinem misericordiæ, ex qua motus est ad promittendam reconciliationem per passionem Filii sui, et propter veritatem, id est, veracitatem, et fidelitatem salutis, quia Deus non minus pius, et misericors est in promittenda salute, quam promisit.

18. Eripe me de luto, ut non infigar : libera me ab iis, qui oderunt me, et de profundis aquarum.

19. Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum : neque urgeat super me puteus os suum.

Petit liberationem sub eadem metaphora aquarum, et luti, et tempestatis, de qua dixerat in primis tribus versiculis. *Eripe me de luto, ut non infigar*, id est, ut non tam alte infigar, ut non emergam : dixerat enim, *Infixus sum in limo profundi,* nunc petit, non detineri in eo luto. *Libera me ab iis, qui oderunt me*, id est, ab iniquis persecutoribus, *et de profundis aquarum*, id est, de magnis tribulationibus, in quas illi me conjecerunt. *Non me demergat tempestas aquæ :* antea dixerat *tempestas demersit me,* ideo nunc petit, non demergi, id est, non detineri in illa immersione : quod declarat, dicens : *Non ita me absorbeat profundum,* ut numquam emergam. *Et non urgeat super me puteus os suum,* id est, non claudat puteus in quem cecidi os suum : nam, dum patet os putei, spes est evadendi, sed, clauso atque obturato ore putei, nihil nisi desperatio superest. Verbum Hebraicum אטר *atar,* proprie significat claudere, et sic legit sanctus Augustinus, *Non coarctet puteus os suum;* et exponit non claudat. Sanctus Hilarius legit, *Non contineat.* Sanctus Hieronymus, *Non coronet,* quare nostra lectio, quæ habet, *Non urgeat*, exponenda est, non comprimat os suum, id est, non claudat. Quomodo etiam exponunt Græcam vocem, συχέτω, Theodoretus et Euthymius, id est, *Non concludat.* In summa petit celerem resurrectionem a mortuis et liberationem ab omi malo, primum sibi, deinde membris suis.

20. Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua, secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.

21. Et ne avertas faciem tuam a puero tuo, quoniam tribulor, velociter exaudi me.

22. Intende animæ meæ, et libera eam, propter inimicos meos eripe me.

Multiplicat Propheta verba orationis in persona Christi patientis ut ostendat magnitudinem passionis. *Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua,* proponit tres rationes, ob quas debet exaudiri ; unam ex parte misericordiæ Dei : alteram ex parte magnitudinis doloris sui ; tertiam ex parte inimicorum persequentium. Prima ratio est in hoc versiculo, ubi dicitur misericordia Dei benigna et multa esse. Sanctus Augustinus legit, *Quoniam suavis est misericordia tua,* et dicit misericordiam miseris suavissimam esse, quemadmodum cibus suavis est esurientibus, non autem saturis a quibus contemnitur. Itaque vult sensum esse, *Exaudi me Domine, quoniam* mihi in tribulatione constituto *suavis est misericordia tua :* jam enim incipio experimento discere, quam dulciter sapiat misericordia tua. In Hebræo est vox generalis, nimirum טוב חסדך *tob chasdecha, bona est misericordia tua :* quæ vox potest, et benignam, et suavem significare. Altera ratio est in sequenti versiculo : *Et ne avertas faciem tuam a puero tuo, quoniam tribulor velociter exaudi me.* Nusquam Deus faciem suam avertit a Filio suo, sed visus est avertisse, quando eum in cruce prudentem in summis doloribus dereliquit, dicente ipso Domino, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Matth. 27. Huc igitur respicit, cum dicit : *Ne avertas faciem tuam a puero tuo,* id est, ne diutius me in his doloribus derelinquas. Per vocem *puerum*, S. Augustinus intelligit parvulum, quia Christus *humiliavit se usque ad mortem,* et sic parvulum, abjectum et humilem se fecit. Vox Hebraica מעדך *mehhabdeca* servum significat, et est hoc loco valde ad rem ut ostendat Christum in forma servi orasse, et dixisse, *quoniam tribulor*, vehementissima videlicet, et intolerabili passione, *velociter exaudi me.* Tertia ratio est in sequenti versiculo, *Intende animæ meæ, et libera eam, propter inimicos meos eripe me.* Quid petierit, cum ait, *Velociter exaudi me,* explicat per sequentia verba, *Intende animæ meæ,* id est vitæ meæ ad extremum perductæ, et libera eam per celerem resurrectionem. Et subjungit rationem, quæ tertia est, ut diximus : cum ait, *Propter inimicos meos eripe me*, id est, eripe me a doloribus, et a morte, resuscitans me in vitam immortalem, ut inimici mei videntes se prævalere non potuisse, vel confundantur, vel convertantur : quod factum esse legimus, Act. 2. ubi audientes populi Christum resurrexisse, et videntes id manifestissimis signis, et prodigiis confirmari, multi compuncti dicere cœperunt, *Quid faciemus, viri fratres?* et conversi sunt ad tria millia. Alii obstinati in malo ita confusi sunt, ut dicerent, Act. 4. *Quid faciemus hominibus istis? quoniam notum signum*

factum est per eos, omnibus habitantibus Jerusalem, manifestum est, et non possumus negare.

23. Tu scis improperium meum, et confusionem meam, et reverentiam meam.

24. In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me, improperium expectavit cor meum, et miseriam.

Vocat ipsum Deum in testem passionis suæ, ac præcipue ejus passionis, quæ in ignominia consistit: nobiles enim animi pluris faciunt ignominiam, quam dolorem corporis. *Tu*, inquit, *scis improperium meum*, id est, quæ improperia in me jaciant adversarii: *et confusionem meam*, id est, confusionem, quæ nascitur ex opprobriis: confunditur enim apud alios non solum, qui culpam veram agnoscit, sed etiam qui sine culpa est, sed videt credi ab aliis crimina, quæ sibi falso objiciuntur. *Et reverentiam meam*, id est, verecundiam, quæ ex confusione oriri solet: erubescunt enim, qui apud alios confunduntur, etiamsi injuste confundantur. In Hebræo est vox, כלמה *chelimma*, quæ *verecundiam* significat, et verecundiam in hoc loco legunt sanctus Hilarius, sanctus Augustinus, Euthymius, et alii: quare vox, reverentia, quæ habetur in nostra editione, non significat reverentiam, quæ debebatur Christo, sed reverentiam, quam ipse in se habebat, id est, erubescentiam, et verecundiam. *In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me*, id est, sicut non te latet afflictio mea, ita non te latent, qui me affligunt: a quibus nihil expectare possum, nisi improperium, et miseriam; sicut semper expectavit cor meum, multo antea quam advenirent. Ex Hebræo S. Hieron. vertit, *Opprobrio contritum est cor meum, et desperatus sum.* Sed facile est videre, quid Septuaginta legerint, ut verterent, *Improperium expectavit cor meum, et miseriam:* nam, שבר *schiabar*, si legatur cum puncto in dextro cornu, significat, *contritum est*, ut vertit S. Hieron. sed si legatur, שבר *sabar*, cum puncto in sinistro, significat, *expectavit*, et sic legerunt Septuaginta. Sic etiam vox Hebraica, אנושה *anuscha*, et nomen esse potest, et verbum; si nomen sit, ut Septuaginta crediderunt, ταλαιπωρίαν significat *gravem afflictionem*, quam ipsi *miseriam* dixerunt: si verbum sit, ut credidit S. Hieron. significat *valde dolui;* vel etiam ut ipse vertit, *desperatus sum.* Itaque lectio Græca et Latina non discordat ab Hebraica, si legatur, ut eam Septuaginta Interpretes legerunt.

25. Et sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit, et qui consolaretur, et non inveni.

26. Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.

Addit ad extremum, in tantis passionibus suis, non solum se nullum habuisse consolatorem, et compatientem, sed in fame fel sibi datum in escam, et in siti acetum in potum. Non defuerunt, qui contristarentur in morte Christi, sed defuerunt, qui simul cum illo contristarentur, id est, ob eam causam tristarentur, unde ipse tristabatur. Nam Apostoli, et piæ mulieres tristabantur ob mortem Christi, temporalem; ipse vero tristabatur ob mortem spiritualem, et spiritualem cæcitatem Judæorum, qui insaniebant in medicum, qui venerat curare eos. *Sic etiam quæsivit consolantem, et non invenit*, quia consolatio, quam quærebat, erat conversio impiorum. In passione autem ejus multi perversi sunt, pauci, aut nulli conversi. Nam latro conversus quidem est; sed sub finem passionis: at in ipsa passione turbæ clamarunt, Joan. 19. *Tolle, tolle, crucifige eum;* Apostoli scandalum passi, fugerunt; Petrus negavit, Judas desperavit. Quod autem dicitur de felle dato in escam, ad litteram non legitur in Scriptura, quia Mat. 27. fit quidem mentio fellis, sed dati in potum, non in escam, *Dederunt*, inquit, *ei bibere vinum cum felle mixtum:* et fortasse non fuit proprie fel, sed dictum est fel, quia erat potio amara. Marcus enim cap. 15. hoc idem referens dicit, *Dabant ei bibere myrrhatum vinum*, et hæc est causa fortasse, cur Matthæus non allegaverit scripturam istam Psalmi, ut semper solet diligenter notare, quando scriptura aliqua impletur in actionibus, et passionibus Christi. Probabile igitur est, escam istam fellis intelligendam esse spiritualiter, ut per escam fellis intelligatur amaritudo peccatorum, quæ Christo in passione jejunanti loco cibi ingesta est. Quod denique dicitur de potu aceti, non solum spiritualiter, sed etiam ad litteram impletum est, ut perspicuum est ex c. 19. Joann. ubi notat Evangelista, Christum dixisse, *Sitio*, et accepisse acetum sibi in spongia porrectum, ut impleretur Scriptura. Scriptura autem implenda hæc erat, *In siti mea potaverunt me aceto.*

27. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributiones, et in scandalum.

28. Obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper incurva.

29. Effunde super eos iram tuam, et furor iræ tuæ comprehendat eos.

30. Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet.

Incipit nunc Propheta per modum imprecationis, prædicere mala, quæ eventura erant Judæis ob ingratitudinem, et crudelitatem in Christum, qui ad eos missus fuerat Salvator, et Redemptor. Describit autem pœnas spirituales, et corporales, quas in Judæis, manifestissime cernimus, *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum:* per mensam intelligunt Patres lectionem Scripturarum, unde pascuntur animæ fidelium veritate divina. Vocat autem mensam; ut opponat escæ fellis, quasi dicat, Illi mihi dederunt fel in escam; tu facies, ut eorum mensa, et esca vertatur eis in laqueum: hæc mensa coram Judæis est, quia assidue legunt Mosem, et Prophetas, sed facta est illis in laqueum, quia perperam intelligentes capiuntur laqueo infidelitatis, et illa ipsa Scriptura, quæ fideliter considerata poterat eis salutem adferre, adfert eis perditionem, quia detinet illos in incredulitate. Eadem facta est illis *in retributiones*, quia quod mensa Scripturarum versa sit illis in laqueum permisit Deus, ut retribueret illis quod merebantur. Nam justum est, ut qui lucem aspicere noluerunt, in tenebris maneant. Facta quoque est illis *in scandalum*, quia lapidem angularem a Deo missum, non cognoverunt, sed in eum

potius impegerunt, et offenderunt, unde factus est illis *lapis offensionis, et petra scandali*, Isaiæ 8. et Rom. 9. *Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva.* Hæc est radix malorum supradictorum, quia permittente Deo depravatus est intellectus, et affectus eorum. *Obscurati sunt oculi eorum* interiores, imo *velamen est super cor eorum*, teste Paulo 2. Corinth. 3. *imo excæcati sunt*, ut dicitur Isaiæ 6. Matth. 13. Joan. 12. et Rom. 11. Depravatus quoque est eorum affectus, ut nihil appetant, nisi terrena, quod significat illud, *Dorsum* eorum semper incurva, id est, te permittente, ac per hoc puniente eorum ingratitudinem, semper curvi incedent, ut nihil nisi terram aspiciant. Ut autem intelligamus hanc eorum cæcitatem, et pravitatem de ira Dei descendere, subjungit Propheta, *Effunde iram tuam super eos*, id est, effundes super eos iram tuam: quod Apostolus confirmat, 1. Thessal. 2. *Qui Dominum occiderunt Jesum, et Prophetas, et nos persecuti sunt, et Deo non placent, etc.* Et paulo post, *Pervenit enim ira Dei super illos usque in finem.* Et ex hac ira Dei processit spiritualis plaga primum, deinde etiam temporalis, qua expulsi de terra promissionis toto orbe exules, et profugi vagantur, quod subjungit Propheta, dicens, *Fiat habitatio eorum deserta;* et non sit qui in tabernaculis eorum inhabitet: id impletum est ad litteram, cum Tito Imperatore jubente eversa est Jerusalem, et inhabitabilis reddita: postea vero reædificata quidem est, et habitari cœpta, sed a Gentilibus, vel Christianis, vel Saracenis non autem a Judæis. Unde quod ad Judæos attinet, adhuc deserta est, quia ibi non permittuntur habitare, nisi pauci admodum, prædixit hoc etiam Dominus, Matth. 23. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.*

31. Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

32. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, et non intrent in justitiam tuam.

33. Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur.

Quemadmodum paulo ante propter escam fellis Christo exhibitam, Judæi puniti sunt, ut mensa eorum fieret illis in laqueum: ita nunc dicit Propheta, Judæos sic puniendos, ut apponantur peccata ad peccata eorum, quemadmodum ipsi addiderunt Christo pœnas ad pœnas, et dolores ad dolores. Sed explicandum est quomodo sit intelligendum, Judæos *persecutos esse, quem Deus percussit*, et *addidisse dolores super dolores vulnerum Deo percutiente acceptorum:* Deus enim non videtur percussisse Christum, nisi permittendo, ut a Judæis percuteretur; proinde videntur eadem omnino vulnera fuisse, quæ Christus a Deo, et a Judæis accepit. Sciendum igitur est quamdam percussionem, et quædam vulnera a solo Deo inflicta fuisse Christo sine ulla cooperatione Judæorum: aliam fuisse percussionem, et alia vulnera a Judæis proprie Christo inflicta, Deo permittente, et ut illa Christus pateretur, decernente, et volente: Percussio, et vulnera a Deo inflicta, sine cooperatione Judæorum, fuit assumptio carnis passibilis, et mortalis, unde secuta est fames, sitis, fatigatio, frigoris, et æstus perpessio, et alia permulta incommoda. Porro incarnatio, unde ista secuta sunt, facta est opera Spiritus sancti, ac per hoc Deus solus Christum percussit, dum sine culpa ejus propria, tam multas peccati originalis pœnas illum subire voluit. Ad has pœnas, sive percussiones addiderunt Judæi persecutiones, et vulnera. Nam etiamsi Deus definito consilio voluerit Christum illa pati, et bene usus sit mala voluntate Judæorum: tamen vere et proprie Judæi ex propria malignitate, et invidia Christum persecuti sunt, et vulneribus, ac morte affecerunt. Ait igitur Propheta, *Quoniam quem tu percussisti*, mittens in mundum in similitudinem carnis peccati, fami, et siti, frigori, et æstui, aliisque innumerabilibus incommodis obnoxium; *persecuti sunt* calumniis, conviciis, falsis testimoniis. *Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt*, id est, super dolorem, quem capiebam ex consideratione innumerabilium peccatorum; quæ quasi vulnera mea essent curanda et purganda susceperam, *addiderunt* dolorem flagellorum, spinarum, clavorum: et cum jam mortuus essem, *addiderunt* vulnus lateris mei: et cum e sepulchro surrexissem, et in me quid amplius facerent, non haberent, addiderunt persequi, et vulnerare me in membris meis, discipulos meos lapidando, et occidendo. In Hebræo habetur, יספרו חלליך *chalelecha iesapperu.* Et super dolorem vulnerum tuorum *narraverunt*, vel *numeraverunt.* Sed idem est sensus, nam *vulnera illa* dici possunt a Christo vulnera mea, et vulnera tua; mea, quia mihi inflicta, tua, quia a te inflicta. Illud autem *narraverunt*, vel, *numeraverunt*, a Septuaginta acceptum est, in significationem numerationis, non narrationis; et ideo verterunt, *addiderunt:* quia idem est addere ad numerum percussionum, seu vulnerum; et numerare super vulnera, et percussiones, non enim quis potest numerare super vulnera inflicta, nisi addendo nova vulnera. *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum.* Quoniam, inquit, illi addiderunt vulnera super vulnera, ideo tu juste Judex, *appone iniquitatem super iniquitatem*, id est, justo judicio tuo non eos liberes a prima iniquitate, sed sine ut addant iniquitatem ad iniquitatem, sine ut impleant mensuram patrum suorum, Matth. 23. *Ut veniat super illos omnis sanguis justus.* Dicitur enim Deus facere, quando permittit fieri id quod sine ejus permissione non fieret, et hoc non casu, sed ex certo decreto ad punienda peccata eorum, qui merentur sic deseri, et excæcari: nulla enim est pœna gravior, quam cum peccatum est pœna peccati. De qua re vide S. Augustinum lib. 4. in Julianum. *Et non intrent in justitiam tuam.* Hæc est explicatio superiorum verborum: illi enim, qui non intrant in justitiam Dei, id est, qui non admittuntur ad justificationem, quam Dei gratia gratis operatur in vasis misericordiæ, illi de peccato in peccatum ruunt, et peccata peccatis apponunt. *Deleantur de libro viventium.* Aliqui hæc exponunt de libro vitæ temporalis, ut deleri de libro viventium, nihil sit aliud, nisi interfici. Sed huic expositioni repugnant verba sequentia, *Et cum justis non scribantur:* nam ex usu Psalmorum una pars versiculi alteram explicat: proinde idem esse videtur, *deleri de libro viventium*, et non *scribi in libro justorum*, ut per deleri, vel non scribi, intelligatur non compu-

tari : et per viventes intelligantur justi, qui soli vere vivunt, cum injusti mortui sint in peccatis, et delictis suis. S. Augustinus intelligit hæc omnia de libro æternæ prædestinationis, de quo deleri dicuntur, qui tandem intelligunt, se in eo scriptos non fuisse. Sed quoniam liber ille vitæ ante merita prævisa scriptus fuit, ut in primis S. Augustinus affirmat; non video, quomodo in pœnam istorum nunc dicatur, *Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur.* Probabilior videtur eorum sententia qui per librum viventium, et justorum, intelligunt librum populi Dei, in quo scripti sunt veri cultores Dei, quibus solis vera justificatio contingit, et qui sunt filii et hæredes. Vere enim Judæi, qui olim erant populus Dei, nunc deleti de libro viventium, et justorum, non sunt amplius populus Dei, neque partem habent in hæreditate filiorum Dei : et contra gentiles, qui non erant populus Dei, per fidem in Christum cœperunt esse populus Dei, et partem habere in regno Dei. Hoc prædixit Ezechiel cap. 13. *In concilio populi mei non erunt, et in Scriptura domus Israel non scribentur.* Et Daniel cap. 9. *Non erit ejus populus, qui eum negaturus est.* Et Osee 1. *Non populus meus, et ego non ero vester Deus.* Et Dominus in Evangelio sæpissime hoc prædixit Judæis, fore, *ut auferretur ab eis Regnum Dei*, et *filii Regni ejicerentur foras; et in locum eorum venirent gentes ab oriente et occidente, et recumberent cum Abraham, Isaac, et Jacob in Regno cœlorum.* Hanc expositionem attingit breviter S. Hilarius : sed fusius S. Hieronymus, qui dicit, Judæos persecutores Christi deletos esse de libro in quo scribebantur Patriarchæ, et Prophetæ, et non esse scriptos in libro eorum, qui justificantur per fidem Christi, quorum nomina scripta sunt in cœlis.

34. Ego sum pauper, et dolens : salus tua Deus suscepit me.

Nunc tandem in fine Psalmi prædicit Propheta Christi gloriam, et Ecclesiæ ædificationem. Loquitur autem in persona ipsius Christi, ut etiam in superioribus fecit. *Ego*, inquit, Dominus, *sum pauper et dolens*, id est, in cruce fui pauper, et dolens, nudus vestibus, coopertus plagis. Ita nihil habuit ex hoc nostro mundo exiens, nisi mala nostra, exemplum nobis præbens, ut sequamur vestigia ejus, contemnentes cum gaudio bona mundi, et tolerantes cum patientia mala mundi. *Salus tua Deus suscepit me*, cum talis essem, egens bonis, dives malis, salus tua me resuscitans a mortuis abstersit omnia mala, replevit omnibus bonis. Quid enim mali hærere possit in eo, quem ipsa salus suscipit, et undique complectitur? In Hebræo non est verbum, *sum;* sed, *Ego pauper et dolens*, debet autem illud verbum explicari accommodate ad sententiam, ut sensus sit, Ego pauper, et dolens eram, vel cum essem pauper, et dolens, vel, Ego sum ille pauper, et dolens, quem salus tua suscepit.

35. Laudabo nomen Dei cum cantico, et mangificabo eum in laude.

Christus in forma hominis resuscitatus, et glorificatus a Deo Patre, gratias illi agit, et aget in æternum; ideo dicit, *Laudabo nomen Dei cum cantico*, defunctus videlicet laboribus, et doloribus, non cessabo laudare nomen Dei, id est, potentiam Dei, *cum cantico*, id est, cum lætitia, et gaudio. *Et magnificabo eum in laude :* quod est idem aliis verbis repetitum, ad effectum indicandum.

36. Et placebit Deo super vitulum novellum, cornua producentem, et ungulas.

Sacrificium laudis in cœlo exhibitum Deo, multo est excellentius sacrificiis, quæ in lege præstantissima habebantur : sacrificium enim omnium præstantissimum erat immolatio vituli juvenis, incipientis cornua, et ungulas emittere. Ideo dicit, *Et placebit Deo* canticum meum *super vitulum novellum*, id est, magis, quam placeat immolatio vituli juvenis; atque ad significandum non debilem, ac tenerum, sed perfectum, et validum, adjungit, *cornua producentem, et ungulas.* In Hebræo est elegans allusio nominum : nam canticum vocavit, שיר *schir*, vitulum vocavit, *schior*, quasi dicat, magis placebit *schir*, quam שיור *schior*, id est, *canticum*, quam *vitulus;* sive, sacrificium laudis, quam sacrificium pecoris.

37. Videant pauperes, et lætentur : quærite Deum, et vivet anima vestra.

Laudationi admiscet exhortationem. *Videant*, inquit, id est, intelligant, et considerent hæc *pauperes*, *et lætentur* in paupertate sua. Alloquitur autem pauperes, sibi similes, qui magis voluntate, quam necessitate sunt pauperes; qui si divitias forte possident, habent eas ad dispensandas secundum voluntatem Dei, ut œconomi, non ut Domini; ad promerendum, non ad superbiendum, ad opera charitatis, non ad passiones desiderii : denique, qui non minori lætitia dicant, *Sit nomen Domini benedictum*, cum egent, quam cum abundant. *Quærite Deum, et vivet anima vestra.* O vos pauperes spiritu, qui terrena despicitis omnia, tanto onere levati, erigite animum, quærite Deum, et anima vestra, quæ ex rebus caducis vivere non potest, vere vivet. *Cavete* (inquit Dominus Luc. 12.) *ab omni avaritia, quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his, quæ possidet.* Contra autem de Deo dicitur, *In ipso vita erat*, Joan. 1. et in Psal. 35. *Apud te est fons vitæ.* Et Ecclesiastici primo, *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis*, et Prov. 8. *Qui me invenerit, inveniet vitam.* Nam animæ rationali vivere, sapere est : tunc autem sapientissima erit anima, ac per hoc perfectissime vivet, cum primam, atque altissimam causam in seipsa sine ullo medio cernet. Ergo quærite Deum per viam mandatorum ejus incedendo, et non declinando ad dexteram, vel sinistram, et cum perveneritis, vivet anima vestra.

38. Quoniam exaudivit pauperes Dominus, et vinctos suos non despexit.

Reddit rationem, cur bonum sit quærere Deum, ut vivamus : et ratio sumpta est ab experimento sanctorum Patrum, quos Christus descensu suo ad inferos visitavit. Illi enim diu quæsierunt Deum, et primi fuerunt, qui eum per Christum vitæ æternæ aditu patefacto, invenerunt, et ex ejus visione vitam æternam acceperunt. *Quoniam*, inquit, *exaudivit pauperes Dominus :* Patriarchæ enim et Prophetæ omnes

pauperes spiritu fuerunt, et in hoc mundo, tamquam hospites, et peregrini habitaverunt, patriam cœlestem inquirentes, ut dicit Apostolus ad Hebr. 11. Hos ergo pauperes exaudivit Dominus, et quia exaudivit, *vinctos suos non despexit*. Iidem enim ipsi vincti erant, et quasi compediti, quoniam ex inferno ad cœlestem patriam transire non poterant, nisi Christus inferni claustra perrumperet, vectesque ferreos sua morte confringeret.

39. Laudent illum cœli, et terra, mare, et omnia reptilia in eis.

Ob communia beneficia ipsa rerum universitas ad agendas gratias invitatur. *Laudent illum* (Deum videlicet) *cœli, terra, et mare, et omnes qui habitant in eis.* Meminit autem proprie *reptilium*, quæ degunt in aquis : non autem Angelorum, qui vivunt in terris : quoniam dubium esse non poterat, an Angeli et homines ad laudem Dei excitarentur.

40. Quoniam Deus salvam faciet Sion, et ædificabuntur civitates Juda.

Hic jam prædicitur ædificatio Ecclesiæ, quæ passionem, et resurrectionem Christi consecuta est : vel ut alii volunt, ædificatio cœlestis Jerusalem, vel utrumque simul. *Quoniam Deus salvam faciet Sion*, id est Ecclesiam suam primitivam ex Judæis collectam, id est, cœtum illum Apostolorum, ac discipulorum primorum, salvabit ab omni periculo, et persecutione in terris, et postea salvabit illam perfecta salute in cœlis. *Et ædificabuntur civitates Juda*, id est, propagabitur prima illa Ecclesia, dum multi lapides vivi accedent, et multæ Ecclesiæ toto orbe ædificabuntur, quæ dicuntur civitates Judæ, id est, confessionis; quia confessio veræ Fidei Ecclesiam ædificat, et propagat. Juda enim confessionem significat.

41. Et inhabitabunt ibi, et hæreditate acquirent eam.

42. Et semen servorum ejus possidebit eam, et qui diligunt nomen ejus habitabunt in ea.

Hic vero prædicitur firmitas, et beatitudo Ecclesiæ. Nam civitates Juda, id est, cives civitatum Juda *habitabunt ibi*, id est, in Sion. *Et hæreditate acquirent eam :* omnes enim veri fideles Ecclesiarum particularium adhærent Ecclesiæ Apostolicæ, quæ est Sion, *et hæreditate acquirent eam.* Ad quam hæreditatem non pertinent sectæ hæreticorum, et schismaticorum. Et isti iidem veri fideles, si permanserint in Fide, *quæ per dilectionem operatur*, Galat. 5. inhabitabunt quoque Sion cœlestem, *et hæreditate acquirent eam*, quia, *si filii, et hæredes*, ut ait Paul. Rom. 8. *Et semen servorum ejus possidebit eam*; id est, istam Sion, sive in terris, sive in cœlis, non soli primi fideles possidebunt, sed etiam posteri eorum. Non enim perit Ecclesia Christi, quæ fundata est supra firmam petram : *Et qui diligunt nomen ejus, habitabunt in ea*, id est, illi ex posteritate fidelium permanenter habitabunt in Ecclesia, et pervenient ad cœlestem Sion, *qui diligunt nomen ejus.* Qui enim sine charitate invenientur in fine, tamquam paleæ segregabuntur a frumento, et igni tradentur, ut comburantur. Salus enim æterna charitatis est præmium, dicente Apostolo Jacobo, cap. 1. *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Poterunt igitur ad tempus cum sola fide, absque charitate, peccatores cum justis esse in Ecclesia, ut paleæ cum tritico in area, et pisces boni cum malis in rete; sed non permanebunt usque in finem, neque hæreditate acquirent cœlestem Sion, ut in æternum habitent in ea.

PSALMUS LXIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem Psalmus David, in rememorationem, quod salvum fecerit eum Dominus.

In hoc titulo apud Hebræos habetur tantum, *In finem David in rememorationem :* sed Septuaginta Interpretes addiderunt, explicandi gratia illa verba, *quod salvum fecerit eum Dominus.* Quod enim quidam bonus auctor, sed modernus, scripsit, a Septuaginta Interpretibus posita fuisse in titulo aliqua verba primi versiculi, non est probabile, tum quia in Hebræo non ponitur in titulo pars ulla primi versiculi; tum quia in primo versiculo mentio fit auxilii, non salutis; quæ tamen expresse nominatur in titulo, tum denique quia si ulla pars primi versiculi pertineret ad titulum, certe prima esset : at prima pars, videlicet, *Deus in adjutorium meum intende,* in omnibus codicibus, Hebraicis, Græcis, et Latinis invenitur in principio Psalmi, non in titulo. Argumentum Psalmi idem est cum argumento Psalmi trigesiminoni, cujus sex ultimi versiculi sunt iidem cum sex ultimis versiculis hujus Psalmi. Igitur continet hic Psalmus orationem Christi in cruce pendentis pro salute sua, id est, pro celeri resurrectione corporis sui, et pro salute populi sui, quod est etiam corpus ipsius, sed mysticum. Dicitur autem Psalmus compositus in rememorationem salutis acceptæ; quoniam David spiritu prophetico, ut prævidit orationem Christi pro salute fundendam; sic etiam prævidit salutem sine dubio secuturam, et in ejus memoriam Psalmum Deo cecinit.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Deus in adjutorium meum intende : Domine ad adjuvandum me festina.

Hic versiculus in Ecclesia Catholica celeberrimus est : inde enim incipiunt Officia divina omnium horarum. Quamvis enim præcipue conveniat Christo in cruce pendenti, potest tamen usurpari ab omnibus fidelibus in periculo versantibus: et quoniam semper in multis, magnisque periculis versamur, dum peregrinamur a Domino, et *dum adversarius noster Diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret*, ut scribit B. Pet. 1. c. 5. ideo non solum licet, sed etiam expedit assidue hunc versiculum frequentare : ad quod faciendum hortatur monachos Joan. Cassianus collatione 10. c. 9. ubi fusissime persequitur utilitatem, et virtutem hujus versiculi. Petitur igitur in hoc versiculo auxilium Dei magnum, et velox ad avertendum malum grave, et imminens : de priore dicit, *Deus in adjutorium meum intende*, id est, incumbe diligenter in me juvando, ut gravitas mali requirit : de posteriore dicit, *Domine ad adjuvandum me festina*, id est, non solum diligenter incumbas in me juvando, sed etiam velociter, et nulla interposita mora, quoniam periculum imminet. S. Hilarius, et sanctus Augustinus exponunt solum prima illa verba, *Deus in adjutorium meum intende.* Reliqua ejusdem versiculi omittunt : quæ fuit causa, cur auctor ille, de quo supra loquuti sumus, existimaverit, posteriora verba hujus versiculi non fuisse apud Hilarium, et Augustinum in ipso Psalmo, sed in titulo. Sed apud Hilarium invenitur integer titulus, et integer Psalmus descriptus, et in primo versiculo non desunt illa verba, *Domine ad adjuvandum me festina.* Cur autem non exposuerint hæc verba sancti Hilarius et Augustinus, ratio est, quia sunt eadem cum superioribus, præsertim si quis consulat Hebræum textum, ubi unicum est verbum, hoc modo, *Deus ad me liberandum, Domine ad adjuvandum me festina.*

2. Confundantur, et revereantur, qui quærunt animam meam.

Hic versiculus idem est cum versiculo decimonono Psalmi trigesiminoni, et sensus est, ut per Christi resurrectionem, et fidelium liberationem de potestate inimicorum, inimici videntes se frustra laborasse, confundantur, et erubescant quod partim jam est factum, partim complebitur in novissimo die.

3. Avertantur retrorsum, et erubescant, qui volunt mihi mala.

Idem est hic versiculus cum vicesimo versiculo Psalmi trigesiminoni, nisi quod hic dicitur, *Avertantur*, ibi, *convertantur.* Sed idem est sensus, repetitio videlicet ejusdem precationis ad rem magis explicandam, et confirmandam.

4. Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, Euge, euge.

Et hic versiculus idem est, quoad sensum, cum versiculo vicesimoprimo Psalmi trigesiminoni : ubi res eadem tertio repetitur, ut videlicet hostes Christi, et Ecclesiæ cito confundantur, qui nunc exultant dicentes inter se, *Euge, euge.*

5. Exultent, et lætentur in te omnes qui quærunt te : et dicant semper, magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Idem est hic versiculus cum versiculo vicesimo secundo Psalmi trigesiminoni, in quo per modum precationis prædicitur victoria, et exaltatio Christi et Ecclesiæ.

6. Ego vero egenus, et pauper sum, Deus adjuva me.

Hic quoque idem est cum versiculo vicesimotertio Psalmi trigesiminoni, in quo revertitur Christus ad statum illum describendum, quem habuit in cruce, cum vere pauper, et nudus Patri dicebat, Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?

7. Adjutor meus, et liberator meus es tu, Domine ne moreris.

Hic denique versiculus idem est cum ultimo versiculo Psalmi trigesiminoni, in quo repetitur prima petitio celeris auxilii. Vide plura in explicatione Psalmi trigesiminoni.

PSALMUS LXX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

PSALMUS DAVID FILIORUM JONADAB, ET PRIORUM CAPTIVORUM.

Hic Psalmus titulo caret apud Hebræos: sed Interpres aliquis titulum supra scriptum addidit; ad quem intelligendum, sciendum est filios Jonadab fuisse homines ob obedientiam celebres. Scribit enim Hieremias c. 35. eos habuisse præceptum parentis sui, *ut vinum non biberent, et in domibus non habitarent*, idque diligentissime observasse. Sciendum præterea filios Israel bis fuisse captivos factos a Rege Nabuchodonosor, semel tempore Joachim Regis Jerusalem, et iterum tempore Sedechiæ; sed priores captivos ad verbum Domini per Hieremiam prædicatum, sponte se tradidisse in captivitatem; posteriores vi coactos fuisse, ut perspicuum est ex quarto libro Regum, et ex ipso Hieremia. Credibile autem est filios Jonadab fuisse ex primis, qui obedierunt Deo ad verbum Hieremiæ, ut se traderent Regi Babyloniæ, cæteros autem eorum exemplum esse secutos. Et congruit etymologia nominis: *Jonadab* enim *spontaneum* significat. Hic igitur Psalmus canitur in persona filiorum Jonadab, et cæterorum, qui sponte in priorem captivitatem cum Rege Joachim profecti sunt. Utrum autem David ad hanc captivitatem respexerit, an interpres, aut ipsa Ecclesia testamenti veteris accommodaverit Psalmum ad hanc captivitatem, quomodo Ecclesia Christiana accommodat Psalmos varios ad varias celebritates, incertum est. Tractatores ut plurimum volunt hunc Psalmum a Davide compositum ob persecutionem, quam ab Absalone filio in senectute sua perpessus est. Quod etiam confirmari potest ex eo, quod hic Psalmus idem habet principium, quod Psalmus trigesimus, et in cæteris partibus cum eodem satis conveniat. Psalmum autem trigesimum nos etiam cum aliis exposuimus de persecutione Absalonis. Neque titulus repugnat: David enim sponte in exilium profectus est, agnoscens illam esse Dei voluntatem, ut ejectionem illam e Regno, et fugam, atque exilium patienter ferret; et gratiam liberatoris, cum paulo post in Regnum reduceretur, agnosceret. Quod exemplum Davidis secuti postea sunt filii Jonadab, et priores captivi, de quibus titulus loquitur. S. Augustinus monet, in hoc Psalmo mirifice commendari gratiam Dei, et sub exemplo Davidis, omnes pios debere in hoc Psalmo cantare laudes gratiæ Dei, per quam liberamur a captivitate Diaboli, et gratiam iterum, atque iterum implorare, ut proficiamus, et perseveremus in bono non præsumentes de propriis viribus, sed de adjutorio Dei, in omni tentatione confidentes. Sic enim tutissime ad perfectam libertatem, quæ est libertas gloriæ filiorum Dei, perveniemus.

EXPLICATIO PSALMI.

1. In te Domine speravi, non confundar in æternum: in justitia tua libera me, et eripe me.

Memor sanctus Propheta promissionum Domini erga sperantes in eum, et de suis propriis viribus non præsumens, ait, *In te Domine*, non in me, vel in alia creatura *speravi*. Ideo securus, quod *non confundar in æternum*, ad te in præsenti tribulatione confugio, ac peto, *ut in justitia tua*, id est, secundum justitiam tuam, qua impios punire et innocentes liberare soles, *liberes me*, et *eripias* de manibus persequentium *me*.

2. Inclina ad me aurem tuam, et salva me.

Conjungitur hic versiculus cum secunda parte versiculi superioris. Idipsum enim repetit ad affectum ostendendum. *Inclina aurem tuam*, id est, audi vocem humilem, sive de imo sonantem, et salva me a præsenti periculo.

3. Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum, ut salvum me facias.

Explicat clarius quid a Deo desideret, nimirum, ut Deus eum protegat instar arcis munitissimæ, ad quam hostes sui penetrare non possint. Nam in Hebræo pro, *in Deum protectorem*, habetur, לצור מעון *letsur mahhon, in petram fortissimam;* sed Interpretes explicaverunt metaphoram, et dixerunt, *in Deum protectorem*, id est, in Deum protegentem instar arcis in petra sublimi locatæ; quod exponitur per verba sequentia, *et in locum munitum*. Vere autem nulla est facilior via evadendi omnes tribulationes, quam si quis sciat mente conscendere in Deum, et bona æterna contemplari: inde enim omnia humana facile despiciet. Sic B. Paulus, 2. Cor. 4. vocat *momentaneas, et leves tribulationes* suas, quæ alioqui gravissime videri poterant, qui subjungit, *Non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ non videntur, æterna sunt*, 2. Corinth. 4. In Hebræo pro, in locum munitum, habetur, *ad ingrediendum jugiter jussisti*, sed apparet corruptio ex loco simili in Psalmo trigesimo: nam pro, לבוא *labo*, ad ingrediendum, est in Psalmo trigesimo, לבית *lebeth, in domum*, sive *in locum*, ut Septuaginta hic et ibi verterunt: pro, צויית

תִּמִּיד *tamid tsivita*, *jugiter præcepisti*, est in Psalmo trigesimo, מְצוּדוֹת *metsudoth*, quæ sunt eædem litteræ, sed aliter dispositæ, et significant *munitionem*. Itaque ex Psalmo trigesimo, et ex interpretatione Septuaginta videtur manifeste colligi, lectionem Hebraicam hoc loco esse mutatam.

4. Quoniam firmamentum meum, et refugium meum es tu.

Esto mihi, inquit, *tu Domine in Deum protectorem et in locum munitum, quoniam tu solus es firmamentum meum*, id est, domus firma, et stabilis, utpote lapidea (ut clarius habetur in Hebræo) ad quam confugere possim. Cætera enim omnia, sive respiciam ad favores hominum, sive ad industriam meam, domus sunt luteæ, et super arenam ædificatæ, sive baculus arundineus. Quid enim sunt mortalia omnia, nisi res caducæ, et fragiles, in quibus non nisi stulti confidunt? Beati qui hæc intelligunt, beatiores qui experiuntur.

5. Deus meus eripe me de manu peccatoris, et de manu contra legem agentis, et iniqui.

Descendit magis ad particularia, ac petit liberari *de manu*, id est, de potestate *peccatoris, contra legem agentis, et iniqui;* quibus nominibus intelligit ad litteram Absalonem, Achitophelem, et ministros eorum: nam hic Psalmus convenit omnino cum Psalmo 30. in quo omnium consensu agitur de persecutione Absalonis. S. Augustinus, per *peccatorem*, intelligit peccatorem in genere, quem dicit dividi in prævaricatorem legis; quales sunt Judæi, et Christiani, qui legem a Deo sibi datam non servant; et iniquum non prævaricatorem, quales sunt Pagani, qui legem scriptam a Deo non acceperunt, et ideo iniqui sunt, quia male agunt, et peccant contra rationem naturalem, sed prævaricatores legis scriptæ non sunt, quia ut ait B. Paulus, Rom. 4. *ubi non est lex, nec prævaricatio*. Sed verba Hebraica non recipiunt istam explicationem: nam vox Hebræa, מְחוֹמֵץ *mechomots*, pro qua habemus, *iniquum*, significat proprie *violentum raptorem;* et pro qua habemus, *contra legem agentis*, significat *iniquum* simpliciter. Videtur igitur Propheta per *peccatorem*, intelligere hominem pravum, sive improbum, qualis erat Absalon; per *iniquum*, eum qui occulte, et ex insidiis nocet, quales sunt fraudulenti, Achitophel, et alii: per *raptorem*, eum qui palam, et aperte opprimit, qualis erat tunc populus armatus contra Regem suum. Spiritualiter per peccatorem intelligere possumus Diabolum; per iniquos, hæreticos, per raptores, tyrannos et persecutores. Cupit autem vir justus liberari non solum a vexatione corporali, sed multo magis a periculo spirituali, ne forte consentiens peccato ob persecutionum immanitatem, incidat in periculum mortis æternæ.

6. Quoniam tu es patientia mea Domine, Domine spes mea a juventute mea.

7. In te confirmatus sum ex utero, de ventre matris meæ tu es protector meus.

Sanctus Augustinus per *patientiam*, intelligit tolerantiam dolorum et persecutionum, ut sensus sit, *Eripe me de manu peccatorum*, dando mihi *patientiam*, ne per impatientiam consentiam peccato. Et quidem verbum Græcum, ὑπομένην, et Latinum, hanc expositionem patiuntur; sed vox Hebraica תִּקְוָתִי *thikuathi* significat *expectationem, et spem*, ac per hoc patientia hoc loco significat patientiam in expectando potius, quam in tolerando dolores, juxta illud, *Per patientiam expectamus*, Rom. 8. et Jacobi 5. *Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum, et serotinum: patientes estote et vos, et confirmate corda vestra, quoniam adventus Domini appropinquabit.* Ait igitur, *Eripe me de manu peccatoris, quoniam tu es patientia mea*, id est, quoniam a te patienter expecto auxilium. *Tu es spes mea a juventute mea*, id est, quia semper in te speravi ab eo tempore, quo te noscere cœpi, sed tamen multo ante quam ego in te sperare inciperem, tu pro tua misericordia protector meus fuisti: nam *ex utero matris meæ in te confirmatus sum*, id est, in te stabilitus robur accepi, cum ex me infirmissimus essem; *ex utero matris meæ protector meus es*, id est, vix natus protectione tua frui cœpi, cum adhuc te invocare non possem. Hæc beneficia Deus omnibus hominibus conferre solet, præsertim in ea ætate, qua sibi ipse homo nullam opem adferre potest: sed pauci admodum sunt, qui hæc beneficia agnoscant, et pro iis debitas Deo gratias agant. Ideo Propheta, qui Spiritus illustratione hæc agnoscebat, magno cum animi sensu dicit. *In te confirmatus sum ex utero, et ab utero matris meæ protector meus es:* quasi dicat, Scio Domine, et confiteor me tibi curæ fuisse ab ipso primo ortu, ideo fiduciam habeo, multo magis te mihi protectorem fore, cum te invocavero.

8. In te cantatio mea semper: tamquam prodigium factus sum multis, et tu adjutor fortis.

His de causis, et ob tanta beneficia, *in te erit cantatio mea semper*, id est, te semper laudibus celebrabo in prosperis, et in adversis, in hoc seculo, et in futuro. Et nunc quidem *tamquam prodigium factus sum multis*, id est, expulsus e Regno a proprio filio; et dum misere fugio, qui antea gloriose hostes fugabam, factus sum admirationi omnibus hominibus, præsertim cum a te desertus videar, quem semper colui, et in quo speravi; sed tamen *tu adjutor fortis*, et constans es; et quamvis ad tempus secundum consilium sapientiæ tuæ, hostes in me prævalere permiseris, tamen tempore suo *mihi adjutor eris*. Sanctus Augustinus spiritualiter exponens dicit, illum fieri prodigium, sive portentum multis, qui contemnit temporalia, et patienter fert injurias, et per hoc ambulat contraria via, atque ambulent cæteri homines. Talis fuit Joannes Baptista, talis Christus ipse: talis sanctus Petrus, sanctus Paulus, Apostoli cæteri: tales Martyres omnes, et plerique sancti Confessores, sanctus Antonius, sanctus Hilarion, sanctus Franciscus, et alii, qui a sapientibus mundi stulti habiti sunt: sed vere dicere poterant, etiamsi prodigium factus sim multis, tamen tu adjutor meus fortissimus es, quo duce viam angustam perambulabo, et Regno cœlorum vim inferam, et tunc apparebit, stultus, an sapiens fuerim.

9. Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.

Ergo, inquit, quicquid homines de me sentiant, et dicant, ego opto, ut *os meum repleatur laude tua*, ut nihil mihi aliud placeat, nihil me delectet, nisi te diligere, et laudare gloriam tuam, et *tota die*, id est, omni tempore *decantare magnitudinem tuam.* Porro illi soli, et omnes similes sunt huic sancto Regi, et Prophetæ, qui vere cogitant, et sentiunt, ac intima consideratione penetrant, et persuadentur nihil esse magnum, nihil admirandum, præter Deum.

10. Ne projicias me in tempore senectutis: cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

Cum David persecutionem Absalonis pateretur, senex erat: ideo memor victoriarum, quas in juventute, et in ipsa pueritia obtinuerat, dicit: *Ne projicias me in tempore senectutis;* id est, ne deseras me in hoc ultimo tempore, quem adhuc semper juvisti. *Cum defecerit jam virtus mea*, robur, ac vires meæ debilitatæ sint, *ne derelinquas me*, qui auxilio tuo magis egeo, quam alias umquam eguerim. Possunt hæc omnia spiritualiter accommodari homini, qui a fervore charitatis, quo aliquando flagravit, tepescere incipit, et tamen cupit in eodem studio perfectionis perseverare.

11. Quia dixerunt inimici mei mihi, et qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum.

12. Dicentes, Deus dereliquit eum, persequimini, et comprehendite eum, quia non est, qui eripiat.

Hæc ad litteram Davidi conveniunt, adversus quem populus, Absalone duce, et Achitophel consiliario rebellavit, quoniam vidit jam senuisse, et debilem effectum, atque a Deo destitutum esse credidit. *Quia dixerunt inimici mei mihi*, id est, de me. *Et qui custodiebant animam meam*, id est, qui antea custodes mei erant, vel consilio, vel armis, illi *consilium fecerunt in unum*, id est, simul uniti inter se consultaverunt de perditione mea, *dicentes, Deus dereliquit eum.* Ad hoc refertur illud, *Inimici* mei dixerunt mihi, id est, dixerunt de me, *Deus reliquit eum:* et hoc dixerunt consultantes simul, *Persequimini, et comprehendite eum, quia non est qui eripiat.* Hoc fuit consilium Achitophelis, quod non habuit effectum, quia Deus non permisit. Vide lib. 2. Regum cap. 17. Illud, qui custodiebant animam meam, potest etiam significare, qui observabant animam meam, ut illam perderent, et hic sensus convenit homini justo in tentationibus posito. Dæmones enim, inimici nostri, qui perpetuo vigilant, et observant occasiones nos perdendi, consilium faciunt inter se, tunc maxime, cum nos a Dei gratia destitutos existimant.

13. Deus ne elongeris a me, Deus meus in auxilium meum respice.

14. Confundantur, et deficiant, detrahentes animæ meæ, operiantur confusione, et pudore, qui quærunt mala mihi.

Illi consultant adversus Davidem, et ille recurrit ad Deum, qui nullo negotio potest dissipare consilium eorum, ut reipsa fecit. *Deus*, inquit, *ne elongeris a me*, ut illi jactant, te jam fecisse: imo potius *in auxilium meum respice*, id est, per auxilium tuum mihi propinqua. Illud, respice, in Hebræo est, *festina;* in Græco πρόσχες, intende. Fieri potest ut Septuaginta non legerint, חושה *chuscia*, id est, *festina*, sed חשב *chascieb*, id est, considera, sive attende; sed tamen sensus est idem, et una lectio explicat aliam, quod enim Hebraica lectio habet, *festina*, intelligitur per providentiam: Deus enim ubique est, neque proprie festinare debet, ut alicubi esse incipiat. Festinare per providentiam, idem est, quod attendere, et respicere. *Confundantur, et deficiant detrahentes animæ meæ*, id est, te in auxilium meum festinante, confundantur consiliarii Absalonis, et deficiant in consiliis suis, evanescant, infatuentur, *detrahentes animæ meæ*, id est, calumniantes me. *Operiantur confusione, et pudore, qui quærunt mala mihi.* Idem aliis verbis repetit: pro verbo, *detrahentes mihi;* in Hebræo est, *adversantes mihi*, sed idem est sensus: nam qui calumniantur, sine dubio calumniando adversantur. S. Augustinus legit, *Confundantur, et deficiant qui committunt animam meam:* et sensum esse vult, Confundantur, qui committunt cum Deo animam meam, id est, qui faciunt, ut cum Deo contendam, quasi ille injuste mecum agat, dum tribulationibus me affligit: sed non video, unde eam lectionem acceperit.

15. Ego autem semper sperabo, et adjiciam super omnem laudem tuam.

16. Os meum annunciabit justitiam tuam, tota die salutare tuum.

Illi confundantur, et deficiant; *ego autem semper sperabo*, magis, ac magis in te confidam, experimento edoctus, quanta sit virtus auxilii tui: et semper *adjiciam laudes* ad laudes tuas, pro novis beneficiis novos hymnos tibi decantans. *Os meum non cessabit annunciare justitiam tuam*, qua punis impios, *et tota die*, id est, assidue prædicabo *salutare tuum*, quo innocentes liberas, et salvas. Sanctus Augustinus quærit hoc loco, quomodo possit fieri, ut adjiciatur aliquid super omnes laudes Dei. Et respondet omnes laudes, dici perfectam laudem, cui nil desit: qualis fuisset, si Deus totum genus humanum post lapsum Adami damnare voluisset; fuisset enim ea perfecta laus justitiæ, cui perfectæ laudi nihil adjici potest, quod ad justitiam attinet; sed tamen adjici potest nova laus misericordiæ, quia placuit Deo gratis justificare impios. Cæterum facilius dici potest, Prophetam adjicere velle laudem ad omnes laudes Dei, non ad omnes simpliciter, sed ad omnes, quas ad illud usque tempus cecinerat.

17. Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini, Domine memorabor justitiæ tuæ solius.

Hic sunt duæ difficultates, prior, an illa verba, *Quoniam non cognovi litteraturam*, debeant conjungi cum superiore versiculo, ut conjunguntur in textu Hebraico; an potius cum sequentibus verbis ut conjunguntur in Græco,

et Latino. Sed nos existimamus distinctionem Hebraicam non esse attendendam, quando discrepat a Græca; quoniam distinctionem addiderunt in textu Hebraico Rabini posteriores, qui non sunt ullo modo comparandi cum Septuaginta Senioribus, qui aliter legerunt, et distinxerunt. Accedit quod hoc loco sunt quædam similiter cadentia ita posita in textu Hebraico, ut videatur omnino Propheta voluisse legi hunc versiculum, ut nos cum Græcis legimus, non ut alii cum Rabinis legunt. Sic enim ait, *Quoniam non cognovi* ספרות *sopheroth, introibo in* דברות *gheburoth:* ac si nos diceremus, *quoniam non cognovi litteras, adibo potentias.* Posterior quæstio est, de nomine litteraturæ : nam vox Hebraica, ספר *saphar*, unde nomen, ספרות *sopheroth*, significat, *scribere, narrare, numerare*, et alia, ac per hoc nomen, *sopheroth*, potest significare *scripturas, numerationes, libros, litteras*, sive *litteraturas*, et similia. Aliqui igitur volunt ut litteratura accipiatur pro, numeratione, et hic sit sensus, *Quoniam non cognovi numerationem mirabilium tuorum*, id est, quoniam non possum assequi numerum, cum sint innumerabilia, *introibo*, id est, ingrediar, *ad narrandas potentias*, sive fortitudinem, et vires Domini potentissimas et robustissimas. Sed hanc expositionem probare non possum : nam et Septuaginta Interpretes, et S. Hieronymus bene noverant vim Hebraicæ vocis, et tamen non verterunt numerationem, sed *litteraturam :* neque deerant illis voces Græcæ, vel Latinæ, quibus numerationem exprimerent, si voluissent. Alii simpliciter dicunt, Davidem non novisse *litteraturam*, id est, doctrinam, quæ litteris continetur, quoniam pastor ovium erat, et ex pastoritio illo munere assumptus fuit ad militiam, et ad Regnum, ut dicitur in Psal. 77. *de post fœtantes accepit eum, pascere Jacob populum suum.* Sed huic expositioni repugnat, quod ipse de se dicit in Psal. 118. *Super omnes docentes me intellexi;* et liber Psalmorum indicat, eum excultum fuisse omni doctrina divina, et humana : quamvis enim pastor ovium, et postea miles esset, non tamen ita totus intentus erat pascendis ovibus, aut bellis gerendis, quin etiam studiis, et contemplationi vacaret. Existimo igitur, Davidem hoc loco per *litteraturam*, intelligere humanam sapientiam, et astutiam, quali abundabat Achitophel, qui contra ipsum consilium dederat; et per verbum, *cognovi*, non accepisse scientiam simpliciter, sed approbationem, et usum. Quomodo dicimus, non novi te, et quomodo Apostolus 1. Cor. 2. dicit, *se nihil scire, nisi Christum, et hunc crucifixum.* Itaque sensus est, *non cognovi litteraturam*, id est, non novi sapientiam hujus mundi, non confido in humanis consiliis, non approbo astutiam, et prudentiam sæculi : sed *introibo in potentias Domini*, id est, adhærebo penitus omnipotentiæ Dei, in illa confidam, in illa quasi in arce munitissima abscondar : *Et sic memorabor justitiæ tuæ solius*, id est, non recordabor humanorum consiliorum, aut virium mearum, vel amicorum meorum, sed recordabor, et mente retinebo justitiam tuam, qua servas promissa, qua punis impios; qua pios coronas. S. Augustinus legit, *non cognovi negotiationes :* verisimile enim est in aliquo Græco codice pro, γραμματείας, fuisse, πραγματείας, et inde fluxisse in Latinum aliquem codicem, *negotiationes.* Fatetur tamen idem S. Augustinus in aliis codicibus legi, *litteraturam;* et exponit tam per negotiationem, quam per litteraturam, confidentiam in operibus factis ex propriis viribus, quasi ad justitiam faciendam sufficiat littera legis sine gratia, aut negotiatio liberi arbitrii sine adjutorio Dei, et ideo ponderat illud, *Memorabor justitiæ tuæ solius*, id est, non meæ justitiæ, sed tuæ solius, quam dare soles per gratiam tuam, cum justificas impium. Quæ scientia, ut est optima ad ædificationem, ita parum videtur facere ad sensum litteralem.

18. Deus docuisti me a juventute mea, et usque nunc pronunciabo mirabilia tua.

Tu, inquit, docuisti me, ut contempta litteratura humana confiderem in potentia tua, *docuisti autem a juventute mea;* et secundum hanc doctrinam eruditus pugnavi cum urso et leone, et cum gigante Goliath, inermis adolescens, et victoriam reportavi. *Et usque nunc pronunciabo mirabilia tua*, id est, et dum vivam, usque ad ultimum finem vitæ meæ pronunciabo hæc mirabilia tua quæ per me fecisti a juventute mea.

19. Et usque in senectam, et senium, Deus, ne derelinquas me.

20. Donec annunciem brachium tuum generationi omni, quæ ventura est.

Et simul rogo, ut usque *ad senectam non derelinquas me*, sed mihi semper adsis auxilio tuo *donec annunciem*, id est, donec perficiam librum Psalmorum, per quem *annunciem brachium tuum*, id est, fortitudinem tuam, omni posteritati : per *senectam et senium* idem significare videtur : nam in Hebræo est זקנה ושיבה חעד *hhad zikna veschebah*, *usque ad senectutem, et canos :* cani enim indicant senectutem. Quomodo autem David dicat se annunciaturum potentiam Domini omni posteritati, sæpe diximus, quia videlicet prævidebat, Psalmos a se compositos in toto orbe usque ad consummationem sæculi decantandos.

21. Potentiam tuam, et justitiam tuam Deus usque in altissima, quæ fecisti magnalia : Deus quis similis tibi?

Explicat quid sit brachium quod se annunciaturum dixit generationi venturæ, et ait, *Potentiam tuam, et justitiam tuam*, id est, annunciabo brachium tuum, quod est potentia tua conjuncta cum justitia tua. *Omnipotens Deus est*, sed simul justissimus est, potest quicquid vult, sed nihil injuste vult. Hæc autem potentia cum justitia extenditur *usque in altissima magnalia*, quæ Deus fecit : non enim Deus potentia sua creavit solum terram et maria, et habitantes in eis, sed etiam creavit cœlum et cœlos cœlorum, et habitantes in eis millia millium Angelorum. Itaque usque ad hæc altissima magnalia extenditur brachium potentiæ Dei. Neque solum justitia Dei punit homines peccatores, qui sunt pulvis et cinis. Sed punivit etiam altissimos Angelos, quos de cœlo ob superbiam præcipitavit in abyssum : proinde brachium divinæ justitiæ usque ad altissima magnalia pervenit,

ut exclamare liceat, *Domine quis similis tibi?* Neque hoc repugnat Scripturæ quæ dicit, *Fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam,* Gen. 1. Et, *Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est,* 1. Joan. 3. Nam cum dicitur, *Quis similis tibi?* accipitur similitudo pro æqualitate, ac si dictum esset, Quis est similis tibi in potentia, id est, æque potens, ac tu? Quis est similis tibi in essentia, id est, qui a nullo pendeat et a quo omnia pendeant qualis es tu?

22. Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, et malas : et conversus vivificasti me, et de abyssis terræ iterum reduxisti me.

23. Multiplicasti magnificentiam tuam, et conversus consolatus es me.

Consolatur David præsentem calamitatem suam ex eo quod alias calamitates, Deo juvante feliciter evaserit. *Quantas*, inquit, *ostendisti mihi tribulationes multas, et malas,* id est, magnas varietate et amaritudine, quas pertuli in persecutione Saulis. *Et conversus vivificasti me,* cum pene ad portas mortis pervenissem. *Et de abyssis terræ iterum reduxisti me,* id est, et de extremis malis, cum pene ad inferos descendissem liberasti me. *Multiplicasti* enim *magnificentiam tuam* secundum multitudinem dolorum meorum, *et conversus ad misericordiam,* cum me paterne castigasses; magnifice *consolatus es me,* cum ex misero exule Regem beatissimum feceris. Spiritualiter significat hic locus hominem peccatorem cum Christo resurrexisse a morte peccati, et mirifice spe vitæ æternæ.

24. Nam, et ego confitebor tibi in vasis Psalmi veritatem tuam Deus, psallam tibi in cithara sanctus Israel.

25. Exultabunt labia mea, cum cantavero tibi : et anima mea, quam redemisti.

26. Sed et lingua mea tota die meditabitur justitiam tuam : cum confusi, et reveriti fuerint, qui quærunt mala mihi.

In fine Psalmi prædicit ipse sibi Propheta David liberationem de manu Absalonis, et pollicetur gratiarum actionem corde, et ore, et instrumentis musicis psalterio et cithara. *Nam et ego,* adepta scilicet victoria, *confitebor tibi veritatem tuam,* id est laudabo justitiam tuam, sive fidelitatem tuam, *in vasis Psalmi,* id est, in instrumento Psalmi concinendi, quod Psalterium vocatur. Addam etiam psallere tibi, *o sanctus Israel,* in instrumento citharæ. Illud, *sanctus Israel*, est cognomen Dei, qui vocatur sanctus Israelis, quoniam sanctificari debebat a populo Israel, sanctificatione cultus et honoris, et ipse sanctificabat populum Israel sanctificatione gratiæ. Neque solum per Psalterium et citharam tibi gratias agam, teque laudabo; sed etiam, *Exultabunt labia mea,* id est, os meum jubilabit *cum cantabo tibi,* et *ipsa anima mea,* et vita mea, *quam redemisti,* ab interitu, exultabit tibi, id est, exultans laudabit te. Denique non semel, aut iterum *lingua mea laudabit justitiam tuam,* sed *tota die,* omni tempore *meditabitur,* id est, exercebit se in decantanda justitia tua, quando confusi erubuerint omnes inimici mei, qui quærunt nocere mihi. Hæc omnia multo verius conveniunt homini justo, qui toto corde, et pleno ore, et per totam æternitatem laudabit Deum, cum in die Judicii confusi fuerint omnes persecutores ejus, et ipse redemptus fuerit, et liberatus ab omni malo corporis et animæ.

PSALMUS LXXI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In Salomonem.

Hic Psalmus videtur esse omnium postremus, quamvis non sit collocatus in postremo loco. Scriptus est enim eo tempore, quo David vicinus morti tradidit Regnum Salomoni filio suo. Unde etiam ad finem hujus Psalmi leguntur hæc verba, *Defecerunt laudes David filii Jesse.* Cur autem non sit positus hic Psalmus in fine libri, fortasse causa fuit, quia visum est ei qui Psalmorum ordinem disposuit, ut librum concluderent Psalmi, qui solas Dei laudes continent, et incipiunt et desinunt in vocem *Alleluia,* quales hymni continuabuntur post hanc vitam in sæculum sæculi. Titulus est, *In Salomonem,* quia occasio scribendi, vel canendi hunc Psalmum fuit, ut bene precaretur Salomoni filio suo, quem in Regni solium extulerat. Et vere primi versiculi satis apposite Salomoni conveniunt. Sed mox a Spiritu sancto elevata mens et lingua Prophetæ transtulit sermonem ad Christum, qui per Salomonem significatur. Fuit enim Salomon apertissima Christi figura; et tria nomina Salomonis, *Salomon,* id est, *pacificus, Ecclesiastes,* id est, *concionator,* et *Idida,* id est, *dilectus Domino,* magis proprie Christo conveniunt, quam Salomoni. Ipse enim est pax nostra, qui reconciliavit mundum Deo, ipse est Verbum incarnatum ad evangelizandum pauperibus missum; denique ipse est de quo Pater non semel dixit, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Matth. 3. et 17. Vide S. Augustinum in lib. 17. de civitate Dei cap. 8. Describit autem David in hoc Psalmo elegantissimis similitudinibus adventum Christi, et propagationem Regni ejus, nec non rectitudinem gubernationis ejus.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Deus judicium tuum Regi da, et justitiam tuam filio Regis.

2. Judicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio.

Hæc est bona precatio, qua precatur David Salomoni filio suo gratiam Dei ad juste judicandum. Vir enim sanctus non precatur filio suo abundantiam auri et argenti, neque propagationem imperii, ut filii hujus sæculi facere solent : sed precatur ei gratiam bene fungendi officio suo. Sciebat enim Regem esse propter populum, non populum propter Regem : et ideo illum esse bonum Regem, qui bene regit populum juste judicando. Quod ipsum et Salomon filius a Davide Patre edoctus postulavit a Deo, 3. Reg. cap. 3. Ait igitur, *Deus judicium tuum Regi da*, id est, da Salomoni Regi recens instituto, *judicium tuum*, id est, judicium tale, quale est tuum, rectum, sapiens, justum ; sive gratiam judicandi, ut tibi placet, vel secundum leges tuas. Et idem repetens addit, *et justitiam tuam filio Regis*, id est, da Salomoni, qui est Rex, et filius Regis, justitiam tuam, id est, justitiam talem, qualis est tua, ut juste judicet ad imitationem tuam, qui semper justissime judicas. *Da*, inquam, *Salomoni judicium tuum, et justitiam tuam, judicare populum tuum in justitia*, id est justo judicio, *et pauperes tuos*, id est, populum tuum, *in judicio*. Est enim hic etiam repetitio ejusdem sententiæ. Vocat autem populum Dei, pauperes Dei, quia omnes homines quantumvis divites esse videantur, tamen pauperes Dei sunt. Egent enim auxilio ejus in omnibus rebus, et quidquid habent, a Deo habent, non tam donatum, quam commodatum, unde et repetere, et auferre sine ulla injuria Deus potest : et quamvis populi gentium hæc non intelligant, tamen populus Dei intelligere, et profiteri debet. Hic mihi videtur sensus litteralis : tamen non repugno, quin possit etiam hic locus intelligi de auctoritate regia et judiciaria, ut sensus sit, Da Deus regi a me electo, et filio meo judiciariam potestatem, ut juste judicet populum tuum. Vel si de Christo hos etiam primos versiculos exponere placeat, sensus sit, Da Deus Pater Regi Christo filio tuo potestatem judicandi, juxta illud Joan. 5. *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Porro inter judicium et justitiam est quidem differentia, quod justitia est virtus, judicium autem actus est justitiæ, tamen hoc loco accipiuntur pro eodem, videlicet pro judicandi potestate, vel pro gratia bene judicandi, vel pro ipso actuali judicio. Siquidem, ut observat hoc loco S. August. et confirmat ex aliis locis, in singulis fere versiculis repetitur bis eadem sententia : neque solum hoc loco, sed etiam alibi passim accipiuntur pro eodem judicium et justitia, ut 2. Reg. 8. *Faciebat David judicium et justitiam omni populo suo*, et Psal. 118. *Feci judicium et justitiam, non calumnientur me superbi.*

3. Suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam.

4. Judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum, et humiliabit calumniatorem.

Hi quoque versiculi pertinent ad bonam imprecationem Regi Salomoni : quasi dicat David, Precor Deum, ut regnante filio meo Salomone descendant pax et justitia in omnem terram hujus Regni, et ad omnes populos, qui habitant in ea : et quia terra illa maxima ex parte in montibus, et collibus sita erat ; ideo dicit, *Suscipiant montes pacem populo*, id est, descendat pax ad omnes montes hujus terræ promissionis, et suscipiatur ab eis pro populo in eis habitante, *et colles* hujus terræ suscipiant *justitiam*, quæ est causa pacis : nam ex injustitia oriuntur bella, et seditiones ; ex justitia oritur pax. Isaiæ 32. *Erit opus justitiæ pax.* Vel per montes intelligi possunt homines Regni majores, et nobiliores, per colles vero viliores, et humiliores : nam cum majores inter se pacem habent, et communi consilio Rempublicam gerunt, facile continent humiliores intra cancellos justitiæ. Itaque si montes suscipiant pacem, colles quoque suscipient justitiam. *Judicabit pauperes populi*, id est, si pax et justitia vigeant in Regno, ita ut pauci admodum inveniantur oppressores aliorum, facile Rex ipse judicabit pauperes populi a calumniis, et oppressionibus paucorum potentiorum, qui in tanta multitudine deesse non possunt. *Judicabit*, Rex videlicet, *pauperes populi*, et judicio suo *salvabit filios pauperum*, de manu calumniatorum, *et ipsos* calumniatores *humiliabit*, deprimet et confundet.

5. Et permanebit cum sole, et ante lunam in generatione, et generationem.

Jam incipit Propheta transitum facere a Salomone ad Christum : dicit enim Salomonem Regem permansurum in Regno quamdiu Sol et Luna permanebunt in cœlo, id est, quamdiu tempus durabit. Et quoniam de persona Salomonis hæc dici non possunt, cogit nos Spiritus sanctus, ut hæc intelligamus de Salomone, non per se, sed per Christum, ut sensus sit, continuabitur regnum Salomonis per Christum, qui ex progenie ejus nascetur usque ad mundi consummationem. *Et permanebit* Rex Salomon in filio suo, qui verissimus erit pacificus, et amabilis Domino : *cum Sole*, id est, quamdiu Sol erit, et *ante Lunam*, id est, et coram Luna, *in generatione, et generationem*, id est, usque ad finem sæculi. Hic multa notanda sunt : primo illud, *Et permanebit*, in Hebræo habetur *timebunt te*, sed Septuaginta videntur legisse ואריך *varioch et prolongavit*, vitam videlicet, quod est idem quod permanebit, pro ויראך *viraucha*, et timebunt te. Solum enim una littera mutat locum, et fit lectio quam habemus : sensus enim est idem, nam *timebunt te*, significat timendum Salomonem, ut Regem a populis, ac

per hoc permansurum in Regno. Secundo illud, *cum Sole*, non solum significat permansurum Regem, quandiu Sol erit, sed permansurum in terris Regnum ejus, dum Sol peraget dies, id est, usque ad mundi consummationem; nam post mundi consummationem, non erit Regnum Christi cum Sole et supra Solem, neque Sole ullo modo indigebit. Tertio illud *ante Lunam*, in Hebræo est לפני *liphne*, coram Luna, sive ante faciem Lunæ, quod recte cohæret cum illo, *cum Sole*: quasi dicat; permanebit in conspectu Solis et Lunæ, quamdiu Sol et Luna dies noctesque distinguent: tamen in Græco est, πρὸ σελήνης, id est, antequam esset Luna, et hinc colligunt S. Augustinus, Euthymius et alii, hic significari æternitatem Christi, qui fuit ante Lunam. Cæterum non desunt, qui illud πρὸ, velint significare ante, id est, *coram*, ut concordet Græca lectio cum Hebraica, præsertim cum non cohæreat verbum *permanebit, cum illo, antequam Luna esset*, sed bene cohæreat *cum illo, coram Luna*. Rectissime enim dicimus, permanebit coram Luna, sed non nisi absurde diceremus, permanebit antequam esset Luna. S. Hieronymus vertit, *ultra Lunam*, sed fateor me ignorare quid sequutus sit: nam neque vox Hebraica neque Græca hoc significat. Quarto illud *in generatione et generationem*, potest accipi pro æternitate, ut alias notavimus, sed hoc loco accipiendum est proprie pro spatio temporis quo durat sub sole vicissitudo generationum. Neque hinc sequitur Christum aut ejus regnum non permansurum, nisi usque ad finem generationum et consummationem. Solum enim hic significatur Christum, et ejus Regnum duraturum usque ad finem sæculi, sed non significatur, ibi finem esse habiturum quomodo intelligimus illud Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum usque ad mundi consummationem.* Hic enim significatur, Christum futurum nobiscum usque ad mundi consummationem per gratiam, et auxilium: sed in æternum futurum per gloriam, et felicitatem: Sic etiam Christus, et ejus Regnum permanebit in terris *coram Sole et Luna* per temporum vicissitudines, donec Sol et Luna movebuntur super terram, et generationes præteribunt, et generationes advenient: sed his finitis Christus, et Regnum ejus permanebit supra Solem, et supra Lunam, sine ulla veritate in æternum: *nam Regni ejus nullus erit finis.* Daniel 2. et Luc.

6. Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram.

Quia dixerat Regem Salomonem permansurum usque ad finem mundi, et hoc intelligendum erat, non in persona propria, sed in filio suo Christo: ideo nunc Propheta describit adventum Christi et propagationem ac proprietates Regni ejus. Adventum Christi ad Judæos primum, deinde ad Gentes describit similitudine pluviæ, velleris, et terræ, juxta signum liberationis populi datum olim Gedeoni, Jud. 6. nam petente Gedeone signum a Deo, factum est ut vellus in area positum impleretur rore cœli, area tota sicca permanente, deinde sequenti nocte area tota completa est, solo vellere in medio areæ remanente arido: sic igitur descendit primo Christus ad Judæos, per vellus significatos, tota reliqua terra permanente arida, dicente ipso, *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel.* Matth. 15. Deinde venit ad Gentes per Apostolorum prædicationem, et sic completa est terra pluvia doctrinæ salutaris, et gratia Baptismi, dicente eodem Domino, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Matth. 28. et solum vellus remansit aridum, ariditate incredulitatis, ut etiam hodie cernimus. Ita S. Augustinus. Addit S. Bernardus ser. 2. super, Missus est, Christum descendisse *sicut pluviam in vellus* per incarnationem, *et sicut stillicidia stillantia super terram*, per prædicationem, quia sicut ros cadit de cœlo in vellus cum maximo silentio, ita Christus descendit in Virginem ut lanam purissimam, maximo silentio, et cœlesti solum virtute; et sicut stillicidia stillantia super terram magno sonitu guttas demittunt ie terram, sic idem Christus venit per prædicationem suam et Apostolorum cum magno strepitu verborum, et miraculorum.

7. Orietur in diebus ejus justitia; et abundantia pacis, donec auferatur luna.

Hic erit primus fructus adventus Christi, vera justificatio, verissima pax, cum Deo, et cum omnibus hominibus. *Orietur in diebus ejus justitia*, id est, cum venerit Salvator abolebitur peccatum, et in locum ejus, *adducetur justitia sempiterna*, ut prædixit Daniel cap. 9. Quamvis enim non defuerint ab initio mundi vere justi, ut Abel, Henoch, Noe, Abraham, et alii; tamen omnes justificati sunt ex meritis Christi prævisis. Vere enim dixit Angelus Josepho, Matth. 1. *Vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*: et hoc est gaudium, quod Angelus evangelizavit Pastoribus. Luc. 2. *Quia natus est vobis hodie Salvator. Orietur* ergo *justitia* in cordibus hominum per fidem Jesu Christi: et inde sequetur *abundantia pacis*: quia vera justitia in charitate consistit, charitatis autem proles est pax, et pax, quam mundus dare non potest, sed vera, stabilis, et in tanta copia, ut cœlum, et terram, repleat. In cujus rei signum nascente Christo quieverunt bella in toto orbe terrarum sub Augusto Cæsare. Durabit autem hæc justitia, et pax in terris *donec auferatur Luna*, id est durabit justitia Fidei, et pax conscientiæ, non sine externis persecutionibus, donec tollatur e medio omnis corruptio, et mortalitas, quæ per Lunam significatur: sive donec tollatur Lunæ varietas, et transmutatio: nam post mundi consummationem Luna semper erit plena, et justitia Fidei mutabitur in justitiam gloriæ, et pax non solum erit in corde, sed et in corpore interior, et exterior, sine ullo hoste. In Hebræo, pro, *orietur justitia*, habetur, *orietur justus*, sed facile est Septuaginta legisse צדק *tsedech, justitia*, non ut nunc legitur צדיק *tsadich*, justus: sensus tamen est idem: nam cum oritur justitia, oritur justus: neque justus oriri potest, nisi in eo oriatur justitia: pro, *Donec auferatur Luna*, in Hebræo est, עד בלי ירח *hhad cheli iereah, donec non sit Luna*, ex quo tollitur ambiguitas vocis Græcæ: nam, ut S. August. notavit, vox Græca significare potest, Lunam tollendam, ut non sit: et Lunam tollendam, ut altior sit. Sed vera sententia est, tollendam, ut non sit. Id enim cohæret cum lectione Hebraica, et Latina. Intelligimus autem, Lunam tollendam, ut non sit: qualis nunc est, modo clara, modo obs-

cura, modo magna, modo parva : sed et illa lectio, *Donec extollatur Luna,* optimum sensum habet, videlicet, donec Ecclesia per Lunam significata, extollatur per resurrectionem, et glorificationem.

8. Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.

Describitur nunc propagatio Regni Christi, quod est ipsa Ecclesia toto orbe diffusa. Videtur autem hic describi terra habitabilis secundum longitudinem a mari Indico, sive Orientali usque ad mare Gaditanum, sive Occidentale : et per latitudinem a flumine Tanai Septentrionali, usque ad fines Æthiopiæ quæ est ultima provincia ad Meridiem. Alii existimant per flumen intelligi Euphratem, qui erat ultimus terminus Regni Salomonis. Sed hoc non est probabile, quoniam Regnum Christi non incipit ab Euphrate, neque terminatur ad Euphratem, sed ultra, et citra Euphratem extenditur. Melius S. Augustinus, et Theodoretus per flumen intelligunt Jordanem, in quo dictum est Christo, *Hic est filius meus dilectus*, Matth. 3. Luc. 3. et in quo Baptisma dedicatum est, et circa quem prædicatio Domini, ac per hoc propagatio Regni initium habuit. Itaque secundum Augustinum illa verba, *A flumine usque ad terminos orbis terrarum;* explicant quod antea dictum erat, *a mari usque ad mare :* quasi dicat, *Dominabitur per totam terram a mari usque ad mare*, quia terra undique cingitur mari Oceano : id autem fiet, quia a Jordane flumine incipiet prædicatio; et diffundetur per omnes terras usque ad mare Oceanum, quod undique terminat orbem terræ.

9. Coram illo procident Æthiopes, et inimici ejus terram lingent.

Nominantur Æthiopes in particulari, vel quia paulo ante dictum erat, a flumine usque ad terminos orbis terrarum, et secundum latitudinem ipsi Æthiopes sunt in finibus orbis terræ, ut supra diximus, vel quia primus fuit Eunuchus Candacis Reginæ Æthiopum, ut legimus Act. c. 8. qui ad fidem Christi conversus est ex iis qui extra terram promissionis habitabant, vel quia Æthiopes, ut nigerrimi corpore, ita feri moribus, longissime videbantur abesse a cultu veri Dei. Quod autem subditur, *Et inimici ejus terram lingent*, explicatio est verborum superiorum : nam procidere est prosterni usque ad terram, quod faciunt, qui terram lambere volunt. Itaque significatur humillima subjectio, et adoratio, quæ proprie debetur Deo : et quam deferent Christo inimici ejus, id est, infideles, et peccatores conversi ad fidem et pœnitentiam. Et qui noluerint sponte procidere Christo, eumque pie et fideliter adorare, cogentur in novissimo die inviti procidere, et subjici sub scabellum pedum ejus.

10. Reges Tharsis, et Insulæ munera offerent, Reges Arabum et Saba dona adducent.

Quia dixerat Christum dominaturum a mari usque ad mare, id est, per universam terram, quæ mari cingitur : ne putaremus ab ejus dominio excludendas insulas quæ sunt in medio mari, adjungit, *Reges Tharsis, et Insulæ munera offerent.* Quid significet Tharsis, diximus in explicatione Psal. 47. Probabilissima sententia est, ea voce significari insulas maris orientalis, quæ plurimæ et maximæ sunt, et unde tertio quoque anno adferebatur Salomoni maxima copia auri, et aromatum, ut legimus 3. Reg. 18. Sensus igitur est, *Reges Tharsis*, id est, Insularum orientalium, et ipsæ etiam insulæ, id est, populi earum, munera pretiosa Regi Christo offerent. Adjungit deinde his Regibus in insulis, *Reges Arabum et Saba*, quia hæc sunt loca, unde eruitur copia rerum pretiosarum, auri, argenti, lapidum pretiosorum, et omnis generis aromatum. Nam, ut legimus loco citato, 3. Reg. 18. *Regina Saba attulit Salomoni infinitam copiam auri, argenti, lapidum pretiosorum, et aromatum.* In Hebræo est *Reges* שבא *Scheba, et* שבא *Saba,* qui solum differunt, quod prior habeat durius, nimirum *schin*, posterior mollius *samech.* Quamvis autem aliqui velint, priorem Sabam hoc loco nominatam significare Æthiopiam : posteriorem, Arabiam, tamen Septuaginta Interpretes et S. Hieronymus, per priorem intellexerunt Arabiam, per posteriorem ipsam Sabam, quo nomine utuntur etiam Græci, et Latini, et nisi ego decipior, Saba, per *schin*, est Arabia felix. Nam etiam paulo post, cum dicitur, *Dabitur ei de auro Arabiæ*, in Hebræo est שבא *scheba*, et Isaiæ 6. cum dicitur, *Omnes de Saba venient, aurum, et thus deferentes,* in Hebræo est, שבא *scheba :* סבא *Saba* autem per samech, latius patet, et significat Arabiam, Madian, et Epha, ut sanctus Hieronymus indicat in commentario ad cap. 60. Isaiæ. Itaque *Reges Arabum, et Saba*, significant Reges Arabiæ, et totius regionis quæ dicitur Saba. Atque hujus totius regionis Reginam fuisse existimamus Reginam Saba, quæ venit ad Salomonem lib. 3. Reg. cap. 10. Nam dicitur Regina Saba per schin, id est, שבא *scheba,* et hoc nomine Septuaginta Interpretes, et S. Hieronymus in versione hujus Psalmi intelligunt Arabiam, et rursus idem Hieronymus in commentario Isaiæ cap. 43. et cap. 60. dicit Reginam Saba fuisse Reginam Saba, quæ scribitur per samech, Isaiæ 60. proinde fuit Regina Arabiæ felicis et præterea Madian et Epha, et totius regionis Sabæorum. Neque his repugnat, quod Regina Saba dicitur, Matth. cap. 12. *Regina austri, et venisse a finibus terræ :* nam Arabia felix ad Austrum porrigitur, et pertinet ad mare Æthiopicum, et ad Zonam torridam : proinde rectissime dicitur *Regina Austri venisse a finibus terræ.* Quod autem quidam dicit, Reginam Saba imperasse Ægypto, et Æthiopiæ, cujus regia est Meroe; nescio unde probari possit : nam tempore Salomonis regnabat Pharao in Ægypto, cujus filiam Salomon duxit uxorem; non igitur Regina Saba, quæ venit ad Salomonem regnabat in Ægypto. Sed his omissis, illud utilius considerandum est, munera, quæ Christo Regi offerenda sunt, quæque illi maxime placent, esse aurum charitatis, thus orationis, et myrrham patientiæ, sive, esse fidem cum invocatione, spem cum desiderio rerum supernarum, charitatem cum fructibus bonorum operum : ex qua charitate fit, ut qui ea flagrant, non difficulter omnes terrenas opes, nec non duros

corporis labores, et ipsam vitam Christo offerant.

11. Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei.

Hæc omnia in Christo impleta sunt in aliquo sensu, et in alio sine dubio implebuntur. Nam si subintelligantur de adoratione et servitute fidelium, impleta sunt per figuram intellectionis : Scriptura enim tribuit omnibus ea, quæ conveniunt multis, Genes. 6. *Omnis caro corruperat viam suam :* et tamen ibidem dicitur, *Noe vir justus, atque perfectus,* Matth. 2. Turbatus est Herodes, et omnis *Jerosolyma cum illo :* et tamen non deerat Simeon justus, et Anna Prophetissa, et cæteri justi, qui non turbati cum Herode, sed gaudio magno cum Magis affecti sunt. Sic igitur dicuntur omnes Reges adoraturi Christum, et omnes gentes ei servituræ, quia plurimi Principes cum populis suis ad Christi cultum, et obsequium convertendi erant. Sed si intelligatur hic locus de adoratione sive spontanea sive coacta ; in die judicii adimplebitur perfectissime ; tunc enim Christo curvabitur omne genu ; denique si intelligatur de potestate Christi, quam habet in omnes Reges et populos, ut sive ipsi sciant, sive nesciant, et sive velint, sive nolint, ipse de ipsis agat quidquid sibi placet, ac per hoc serviant omnes ejus voluntati ; adimpletur semper hæc prophetia : *Data enim illi est omnis potestas in cælo in terra.* Matth. 28. Et ipse est Princeps Regum terræ. Apocal. 1. *Et habet in femore suo scriptum, Rex Regum, et Dominus Dominantium*, Apocal. 19.

12. Quia liberabit pauperem a potente, et pauperem, cui non erat adjutor.

Hæc est ratio, cur Reges et populi servient Christo, quia per ipsum liberabuntur a potestate diaboli, a crudelissima tyrannide Principis tenebrarum, et transferentur in pacatissimum Regnum ejus. Per pauperem, intelligitur genus humanum spoliatum a diabolo omnibus bonis suis, quibus in statu innocentiæ abundabat : per potentem, intelligitur diabolus, quem ex astuto potentem fecit iniquitas nostra : si enim homo persuasioni ejus consentire noluisset, numquam eum diabolus debellare potuisset. Sed post peccatum captivus diaboli factus est homo, et diabolus potentiam in eum acquisivit. Incipit autem homo liberari, cum incipit cognoscere paupertatem suam, ac per hoc humiliari, et non in se, sed in Domino confidere. *Liberabit ergo pauperem hominem a potente diabolo*, et *pauperem cui non erat adjutor*, id est, quem neque alius homo, neque Angelus, neque ulla creatura poterat adjuvare. In Hebræo, pro, *a potente*, est, *clamantem*, ut sit adjectivum pauperis. Sed Septuaginta non legerunt, משוע *mesaveahh*, sed cum aliis punctis, משוע *misvahh*, a potente sive divite clamoso, et hoc eodem modo legit S. Hieron. qui vertit, *a potente.*

13. Parcet pauperi, et inopi, et animas pauperum salvas faciet.

Explicat modum, quo Christus liberabit homines a diabolo : modus enim erit condonando eis peccata, et restituendo gratiam ; cum enim remittuntur peccata, rumpitur catena, quæ captivos tenebat sub diaboli potestate. *Parcet* ergo Rex noster *pauperi, et inopi*, id est, condonabit delicta agnoscentibus debita sua, et confitentibus paupertatem suam, ob quam solvendo non erant ; nec solum ignoscet peccatis, sed etiam donabit gratiam, sive justitiam, et per hoc animas pauperum salvas faciet.

14. Ex usuris, et iniquitate redimet animas eorum, et honorabile nomen eorum coram illo.

Homo per originale peccatum debitor factus est mortis æternæ. Atque hoc est debitum capitale ; sed dum hujus debiti solutio differtur, iniquus exactor diabolus exigit usuras, impellens quotidie ad nova peccata, quæ sunt pœnæ primi peccati ; et dum horum peccatorum pœna differtur, usuræ transeunt in sortem principalem. Ita quo diutius peccator vivit, eo magis debitum crescit. Christus ergo benignissimus Dominus, non solum peccatum originis, quod fuit primum capitale debitum, per gratiam suam remittet, sed etiam ab usuris, id est, ab actualibus peccatis et ab iniquitate tam duri exactoris redimet. Hoc prædixit etiam Isaias cap. 9. cum ait, *Jugum enim oneris ejus, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti.* S. Augustinus dicit peccati pœnam reddi cum usura, quia plus peccator reddit, quam accepit. Homicida occidit carnem proximi ; ipse peribit in corpore, et in anima : fur accipit pecuniam ; et perdet vitam æternam : fornicator sumit modicam, et brevem voluptatem ; reddet supplicia gravissima, et sempiterna. *Et honorabile nomen eorum coram ipso :* hæc est causa tantæ pietatis Domini, quia nomen istorum pauperum fuit honorabile coram Deo. Ubi, *et*, accipitur pro, *quia*, et nomen significat naturam humanam creatam ad imaginem Dei : quamvis enim homo per peccatum vilis, et despectus valde factus sit, tamen natura humana, et nomen hominis, non est vile apud Deum, neque despicit Deus imaginem suam. Et vere incarnatio filii Dei manifeste ostendit, quam pretiosa sit natura humana apud Deum : quod certe deberet omnes homines rapere in amorem Dei, a quo tanti se fieri præter omne meritum suum intelligunt. In Hebræo habetur, *Sanguis eorum* pro eo quod nos habemus, *Nomen eorum.* Sed idem est sensus ; nam Deus magni fecit sanguinem nostrum, id est, vitam nostram, quam ideo de interitu redemit ; quia pretiosum fuit coram eo nomen nostrum, natura nostra, genus nostrum.

15. Et vivet, et dabitur ei de auro Arabiæ, et adorabunt de ipso semper : tota die benedicent ei.

Quoniam dicens, *Redimet animas eorum*, insinuaverat mortem Christi, quæ fuit redemptio, et propitiatio pro animabus nostris, addere voluit etiam resurrectionem et vitam ejus æternam ; ideo subjungit, *Et vivet*, id est, et posteaquam per mortem redemerit, *iterum vivet. Et dabitur ei de auro Arabiæ*, id est, pretiosis muneribus coletur : quod autem S. Augustinus legit, *Dabitur ei de auro Abrahæ*, videtur manifesta cor-

ruptio. *Et adorabunt de ipso semper*, id est, et redempti ab ipso adorabunt Deum verum ex ipsius ritu, doctrina, et institutione usque ad mundi consummationem, *Et tota die*, id est, jugiter et assidue benedicent ei, hoc est, *laudabunt, et glorificabunt eum.* In Hebræo habetur in numero singulari, יתפלל *ithpallel*, orabit. Sed Septuaginta, et S. Hieronymus verterunt in numero multitudinis, *orabunt;* et omnes tractatores exponunt verbum in numero multitudinis. Quare videndum est, an fortasse in verbo Hebraico una litera in fine, videlicet, vau, desideretur. Quod autem in Hebraico, יתפלל *ithpallel*, et Græco sit verbum, προσεύξονται, *orabunt*, in Latino, *adorabunt*, non variat sensum : nam qui orat, adorat, et qui adorant, ut plurimum id faciunt, ut orent : ergo adorabunt, exponendum est, adorantes orabunt, vel, orantes adorabunt. Illud, *de ipso*, varie exponitur : aliqui enim volunt, *de ipso*, significare, pro ipso, id est, pro felici progressu ipsius, vel Regni ejus. Alii, *de ipso*, hoc est, pro salute, quæ est ab ipso. Alii, *de ipso*, id est, per ipsum, orabunt Patrem : sed si præpositio, *de*, proprie accipienda sit, ut eam accipiendam esse arbitramur, jam diximus, quis nobis sensus esse videatur.

16. Et erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus ejus; et florebunt de civitate sicut fœnum terræ.

Hic jam describitur fructus Apostolicæ prædicationis post Christi resurrectionem, et ascensionem in cœlum. Sed primum declaranda est vox firmamentum, pro qua in Hebræo est, פסת בר *pissath bar.* Rabini, et qui eos sequuntur volunt, *pissath bar*, significare *pugillum frumenti*, sive quantum vola manus potest capere frumenti, vel etiam *placentulam panis :* sed non possunt ex Scripturis hanc suam expositionem probare. Sanctus Hieronymus vertit ex Hebræo contrariam sententiam videlicet, *memorabile triticum*, id est, abundantiam optimi frumenti, et potest confirmari hæc expositio ex cap. 37. Genesis, ubi dicitur, Jacob fecisse Josepho filio suo unice dilecto vestem egregiam variorum colorum : et habetur vox Hebræa, פסת פס *pas pissath*, ex hac eadem radice, unde hic habemus, *pissath*, quomodo ergo in eo loco non significatur vestis angusta, aut brevis; sed talaris, et pulcherrima : ita hoc loco significatur frumentum non modicum, quod pugillo, aut vola contineatur, sed *abundans et memorabile*, ut S. Hieronymus recte vertit. Atque huc respexerunt Septuaginta, qui transtulerunt, *firmamentum*, id est, *firmamentum panis*, ut dicitur in Psalmo 104. *Omne firmamentum panis contrivit.* Est enim abundantia frumenti firmamentum familiæ, ut non cogatur mendicare, juxta illud Gen. 27. *Frumento, vino, et oleo, stabilivi eum.* Per abundantiam autem frumenti, hoc loco non intelligitur abundantia frumenti corporalis, sed abundantia Verbi Dei, ut colligitur ex illis verbis, *Et florebunt de civitate sicut fœnum terræ;* ubi explicatur metaphora superiorum verborum. Hic igitur est sensus hujus loci, alioqui valde obscuri, *Erit in terra firmamentum*, id est, abundantia frumenti spiritualis, quod est Verbum Dei. In summis montium, id est, etiam in locis ex se sterilibus, valles enim, non montes abundare solent frumento, *superextolletur fructus ejus*, id est, crescet, et multiplicabitur fructus hujus frumenti in terra sati, *super Libanum*, id est, fructus hujus frumenti excrescet supra altitudinem cedrorum Libani, vel supra fructum Libani, qui producit arbores plurimas, et altissimas. *Et florebunt de civitate sicut fœnum terræ*, id est, et hic fructus frumenti non consistet in spicis corporalibus, sed in multiplicatione credentium : nam ex civitate Dei, quæ est Jerusalem, de qua dictum est ab Isaia cap. 2. *De Sion exibit lex, et Verbum Domini de Jerusalem;* florebunt, et germinabunt credentes in tanta copia, ut fœnum in terra germinare solet. Et quod ita factum sit docet S. Lucas Act 6. ubi dicit, *Et Verbum Dei crescebat, et multiplicabatur numerus credentium valde.* Scio quid Paulus Burgensis ex paraphrasi Chaldaica adferat ad probandum ex hoc loco sacrificium Missæ : sed scio etiam quam multis fabulis Judaicis paraphrasis illa scateat. Ideo piget ex lacunis expositionum Judaicarum haurire, quæ nobis ex purissimis fontibus sacrarum Scripturarum abundant.

17. Sit nomen ejus benedictum in sæcula, ante Solem permanet nomen ejus.

Concludit Psalmum Propheta orando, et laudando futurum Messiam. *Sit*, inquit, *nomen ejus benedictum in sæcula*, id est, ab omnibus, ubique, et semper benedicatur nomen Christi : quod nomen *ante Solem permanet*, id est, coram Sole, sive quamdiu Sol erit, permanebit. Conabuntur quidem persecutores illud extinguere, sed non prævalebunt. In Hebræo non habetur illud, *benedictum*, sed simpliciter legitur, *Erit nomen ejus in sæcula*, et idem aliis verbis repetitur, *quamdiu sol erit nomen ejus permanebit.* Testatur quoque Theodoretus a nullo interprete, id est, neque ab Aquila, neque a Symmacho, neque a Theodotione illud, *benedictum*, in textu esse positum, neque haberi in Exemplis apud Septuaginta Interpretes : tamen habetur in Græcis, et Latinis antiquis libris, et legitur in commentariis Hieronymi, Augustini, et Euthymii. Illud, *permanet*, seu *permanebit* in Hebræo est, ינון *innon*, quod Verbum *filiabitur*, dici posset, id est, propagabitur : quod satis proprie convenit nomini Christi, quod per prædicatores propagatur, et propagabitur usque ad mundi consummationem.

18. Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eam.

Hoc desumptum est ex Genesi, c. 22. *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ.* Et explicatur ab Apostolo ad Gal. 3. *Non dictum est*, inquit, *in seminibus, tanquam in multis, sed tanquam in uno, et semini tuo, quod est Christus*, Omnes ergo gentes benedicentur a Deo Christo, id est, nemo benedicetur, nisi in Christo, et in ipso benedicentur, quotquot ex ipso renati fuerint, et in ipso perseveraverint. Ipsis enim dicetur in judicio, *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum a constitutione mundi*, Matth. 25. Proinde benedictio ista, est justificatio, et adoptio filiorum per Christum. Sicut autem in ipso benedicentur omnes tribus terræ; sic etiam vicissim *omnes gentes magnifi-*

cabunt, id est, laudabunt, et glorificabunt eum.

19. Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus.

Hæc est laus, qua magnificabunt eum omnes gentes : agnoscent enim, et prædicabunt hæc mirabilia, quæ fecit Deus Christus justificando impios, et eruendo eos de potestate tenebrarum, et transferendo in Regnum suum, ab ipso solo fieri potuisse.

20. Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum, et replebitur majestate ejus omnis terra : fiat, fiat.

Optat in fine Propheta, ut nomen divinæ Majestatis in æternum ab omnibus benedicatur, non in cœlo tantum, ubi semper ab Angelis benedicitur ; sed etiam in terra, ita ut repleatur omnis terra gloria Domini ; et omnes homines agnoscant, et laudent Dominum. Addit ex magno affectu, fiat, fiat, sive Hebraïce, *Amen, Amen* ; *vere ita sit, vere ita sit.* Atque hic est finis libri secundi secundum Hebræos.

PSALMUS LXXII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

Psalmus Asaph.

De hoc titulo diximus aliquid in explicatione Psalmi quadragesiminoni, et in præfatione. Argumentum est exhortatio ad infirmos fideles, ut non scandalizentur, si videant improbos in hoc Mundo florere : quæ adhortatio semper utilis, sæpe etiam necessaria est ; tum videlicet, cum populus Dei, vel justus quicumque persecutionem patitur, et injusti maxima pace, et tranquillitate fruuntur.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde!

Explicaturus David tentationem, et scandalum pusillorum, quorum personam in hoc Psalmo induerat; primo, jacit fundamentum rectæ Fidei, ut intelligamus, neque ipsum, neque illos, quorum personam induerat, circa fidem divinæ providentiæ naufragasse. Quod idem fecit Propheta Hieremias cap. 12. primum enim ait, *Justus quidem tu es Domine, si disputem tecum*, deinde hoc fundamento posito, subjungit, *Verumtamen justa loquar ad te : quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus, qui prævaricantur.* Sic igitur hoc loco David primum affirmat Deum bonum esse, ac per hoc justum ; sed bonum ut est, videri bonis, qui sano judicio præditi sunt ; quamvis perversis perversus videatur. Ait igitur, non interrogando, sed affirmando, *Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde!* id est, Perquam bonus est Deus Israeli, Israelitis, inquam, qui recto sunt corde. In Hebræo sic legitur ad verbum, *Certe bonus est Deus Israeli his, qui puro sunt corde.* Itaque Deus, qui in se semper est bonus, rectus, et justus, est etiam talis Israelis judicio, non tamen omnis Israelis, sed iis ex Israele, qui purum cor habent, id est, liberum a fumo passionum, ut recte possint judicare, sive, iis, *qui recto sunt corde*, ut conforme sit rectitudini Dei, distortis enim, quod rectum est, distortum esse videtur.

2. Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei.

Incipit nunc exponere tentationem infirmorum, quorum personam, ut diximus, in hoc Psalmo gerit. Boni, inquit, fideles, qui puro et recto sunt corde, bonum, et justum Deum esse non dubitant, quicquid illis accidat : sed ego infirmus, et qui cor habeo non usquequaque purum, et rectum, pene cecidi in dubitationem de justitia Dei. Hanc enim dubitationem metaphorice significat motio pedum, et effusio gressuum. Sicut enim qui nutare incipit pedibus, et qui labitur dum ambulat, deficit a firmitate, et stabilitate sua ; sic ille, qui agitatur dubitationum tentationibus contrariis veritati, deficere incipit, et quasi nutat a constantia Fidei. *Mei autem*, inquit, *pene moti sunt pedes*, id est, nutare cœpi, non tamen omnino cecidi. *Pene effusi sunt gressus mei*, id est, labi cœpi, dum ambularem, non tamen rui usque ad terram : denique significat se parum abfuisse a lapsu in dubitationem circa justitiam, et providentiam Dei.

3. Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.

Aperit causam suæ tentationis, ac dicit esse, quia viderit iniquos, quos puniri a Deo oporteret, frui altissima pace, aliisque bonis permultis. Illud, *zelavi super iniquos*, significat zelo indignationis, exarsi, *super iniquos*, id est, adver-

sus iniquos, quos vidi prosperitate et pace gaudere, quam non merentur.

4. Quia non est respectus mortis eorum, et firmamentum in plaga eorum.

Pergit in explicanda felicitate iniquorum; ac dicit eos frui pace, et prosperitate, quoniam tanta sanitate utuntur, ut de morte non cogitent, quasi semper essent victuri, et si forte plaga aliqua, sive morbus illis contingat, ea plaga non habet firmamentum, sed continuo evanescit. Illud, *non est respectus mortis eorum*, hunc sensum habere videtur, non respiciunt iniqui mortem suam, neque alii, qui eos vident in mortem ipsorum, id est, non videntur umquam morituri, propter diuturnam, et stabilem sanitatem, qua fruuntur. In textu Græco legitur, οὐκ ἐςὶν ἀνανευσις ἐν τῷ θανάτῳ ἀυτων, *non est abnutio mortis eorum*, vel, ut legit S. Augustinus, *non est declinatio mortis eorum:* quæ verba eumdem sensum facere possunt, videlicet, Iniqui non declinant neque abnuunt mortem, quia de ea non cogitant, confidentes in optima constitutione corporis sui. Ex Hebræo S. Hieronymus vertit, *Non cogitant mortem suam*: quæ lectio nihil fere differt a nostra. Alii ex Hebræo vertunt, *Non sunt vincula in morte ipsorum;* et potest sensus esse, Non trahuntur iniqui ad mortem vinculis variorum morborum, ut sæpe accidit justis: Hæc nobis videtur explicatio loci obscurissimi, quia cohæret cum verbis sequentibus: quod enim sequitur, *Et firmamentum in plaga eorum*, sine dubio requirit repetitionem negantis particulæ initio positæ, ut sit sensus, et non est firmamentum, id est, firmitas et stabilitas in plaga eorum, quia si qua plaga illis accidit, facillime curatur.

5. In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur.

Ad sanitatem iniquorum, quæ est pax cum morbis, et plagis corporalibus; accedit etiam abundantia omnium rerum, ut non necesse habeant conflictari cum inopia, fatigatione, litibus, angoribus, aliisque tribulationibus, quibus flagellantur plerique hominum, qui *in sudore vultus sui vescuntur pane suo*, et calumniis potentiorum opprimuntur. Sed recte admonet S. Bernardus in declamatione sua, qui cum hominibus in hac vita non flagellantur, cum dæmonibus flagellabuntur in gehenna: nam generale est quod dicit Apostolus. 2. Timoth. 3. *Omnes, qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutiones patientur;* et ad Hebr. 12. *Quem diligit Deus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit.*

6. Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate, et impietate sua.

Declarat Propheta, quem fructum producat prosperitas in impiis; superbiam videlicet et cumulum iniquitatum. Utuntur enim copia rerum temporalium ad explendas libidines suas, et ad opprimendos debiliores, cum e contrario viri pii valde timeant, et humilientur, cum arridet prosperitas; suspectam enim habent prosperitatem, ne forte sit merces eorum, et excidant a mercede sempiterna, quam toto corde sitiunt: sed notanda sunt verba. *Tenuit*, inquit, *eos superbia*, non enim superbi superbiam tenent, sed tenentur a superbia, quasi vinculo quodam: Nam *qui facit peccatum servus est peccati.* Joan. 8. et vox Hebræa, ענקדמו *hhanakadmo*, hoc sonat, *Circumdedit eos superbia, velut torques collo alligatus. Et operti sunt iniquitate, et impietate.* Hoc significat, iniquos in prosperitate non habere peccatum solum intus in corde, ut sæpe habent pauperes, et miseri, qui corde concupiscunt furta, adulteria, pompas sæculi; sed opere non implent, quod libenter implerent, si possent, itaque latet intus peccatum eorum. Iniqui autem rebus omnibus abundantes, toti cooperti sunt iniquitate, quia non solum cogitatione, et desiderio, sed oculis, manibus, pedibus, lingua, visu, verbo, et opere peccant.

7. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis.

Ostendit originem iniquitatis natam esse ex malo usu rerum temporalium abundanter illis a Deo concessarum: quoniam enim non dispensarunt divitias magis egentibus, ut par erat, sed ipsi sibi omnia retinuerunt, inde pingues effecti, velut tauri ac equi indomiti, pauperes oppresserunt. Pulchre notat S. August. in pauperibus ex macie prodire iniquitatem, in divitibus ex adipe: pauperes enim interrogati cur furentur, respondent, ob inopiam rerum necessariarum; divites, interrogati cur alienum agrum invadant, respondent, si tamen respondere dignantur, quia multos habent agros vicinos, hunc etiam adjungi congruum est. Sic Achab Rex. 3. Reg. 21. abstulit vineam Naboth, non quod ipse vineis indigeret, sed quia vicina erat palatio suo. Porro abundantiam esse causam iniquitatum, quando non fiunt inde eleemosynæ pauperibus, docet Ezechiel, cap. 16. *Hæc fuit*, inquit, *iniquitas Sodomæ;* id est, occasio, sive causa iniquitatis gravissimæ, ob quam igne de cœlo consumpta fuit; *superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius, et filiarum ejus: et manum egeno, et pauperi non porrigebant; et elevatæ sunt, et fecerunt abominationes coram me*, et abstuli eas. In Hebræo non legitur, *iniquitas*, sed *oculus*: et hunc sensum esse volunt Hebræi, *Prodiit quasi ex adipe oculus eorum*, id est, ex nimia pinguedine, oculus eorum prominebat, quasi exire vellet. Sed Septuaginta Interpretes viri doctissimi non legerunt, עין *hain*, quod significat *oculum*, sed, עון *havon*, quod significat, *iniquitatem.* Facile autem fuit vitio librariorum mutari vau in iod, cum non differant, nisi quod una littera est paulo longior, quam altera. Quod sequitur, *Transierunt in affectum cordis*, difficile admodum est: nam in Hebræo secundum versionem S. Hieronymi pro, *affectu*, ponitur, *cogitatio*, secundum alios *pictura*, in Græco est, διαθέσις, *dispositio*, et sic legit S. Augustinus. Aliqui tollunt præpositionem, *in*, et legunt, *transierunt affectum, sive cogitationem cordis;* et sensum esse volunt, iniquos transgressos esse, quoad abundantiam bonorum temporalium, ipsum desiderium, et cogitationem suam, id est, plus accepisse, quam desiderarent, vel cogitarent, quæ expositio non placet; experientia enim docet, iniquos amatores mundi, non satiari temporalibus, nec fieri posse, ut habeant plus, quam desiderent, cum res temporales sint modicæ, et cito finian-

tur; et desiderium humanum vastissimum sit, nec satiari possit, nisi summo et infinito bono, ut dicit S. Augustinus lib. 1. Confess. cap. 1. Adde quod præpositio, *in*, non debet tolli cum habeatur in textibus omnibus Græcis, et Latinis. Existimo igitur, *transire in affectum cordis*, esse, transmutari, et converti in carnales passiones, et effici hominem totum carnalem, et animalem: quod aliis verbis dicitur ad Rom. 1. *Tradidit eos Deus in desideria cordis sui*, et infra, *Tradidit eos in passiones ignominiæ*, et ad hanc expositionem accommodari possunt omnes lectiones: nam affectus et cogitatio conjunctissimæ sunt, et pro eodem accipiuntur. Nihil enim homo desiderat, nisi quod cogitat, et cognoscit. Sed significantius est nomen picturæ, quam dicunt periti linguæ Hebraicæ proprie significare vocem, משכיות *maschioth*, quam nomen cogitationis; quia Mundi amatores, non desiderant quod verum, bonum, et pulchrum est, sed quod ipsi sibi pingunt, et fingunt in corde suo perverso bonum, et pulchrum esse. Adulter enim, qui summo affectu diligit adulteram, et eam rem omnibus anteponit, etiam æternæ fœlicitati, non id facit, quia revera illa sit pulcherrima, et pretiosissima; sed quia ita ipse judicat, et talem sibi ipse eam in corde pingit, et fingit. Itaque *transierunt iniqui* abundantes rerum temporalium *in affectum, et cogitationem, et picturas cordis sui;* quia conversi sunt, et transformati in concupiscentias et figmenta cordis sui: quo etiam referri potest vox Græca διάθεσις, id est, dispositio, nam tales effecti sunt, qualis est dispositio cordis ipsorum, id est, toti carnales.

8. Cogitaverunt, et locuti sunt nequitiam, iniquitatem in excelso locuti sunt.

Pergit in explicanda perversitate iniquorum abundantium rebus temporalibus, ac dicit, eos cogitasse apud se iniquitatem adversus Deum, et homines, et non timuisse eam palam etiam prædicare, irridendo Dei majestatem, et qui illum colunt. Illud, *cogitaverunt*, S. Hieronymus vertit, *irriserunt*, et potest fieri ut vox Hebraica, מיק *mik*, utrumque significet; nam raro hoc verbum occurrit in sacris libris. Fortasse etiam significat, irridendo in corde suo cogitasse nequitiam, quam postea loquendo propalaverunt. Quam autem audacter locuti sint nequitiam, explicat Propheta, dicens, Iniquitatem in excelso locuti sunt, id est, Iniquitatem, sive blasphemiam iniquissimam in excelso loco positi palam, et aperte locuti sunt. Illud *enim in excelso*, Hebraice est, ממרום *mimmarom, de excelso*, sive ex excelso: proinde sensus est, istos iniquos divites in sublimi locatos, ut superbiam eorum decebat, de excelso illo loco blasphemiam protulisse: sed hæc clariora erunt in versu sequenti.

9. Posuerunt in cœlum os suum, et lingua eorum transivit in terra.

Hæc est nequitia impiorum. *Posuerunt in cœlum*, id est supra cœlum, os suum, non timentes Deum, et Angelos blasphemare. *Et lingua eorum transivit in terra*, id est, *et lingua eorum perambulavit* (ut sonat vox Hebraica), תהלך *thihallech, in terra*, detrahens cultoribus Dei, eosque irridens, quasi vana sit spes eorum.

10. Ideo convertetur populus meus hic, et dies pleni invenientur in eis.

11. Et dixerunt quomodo scit Deus, et si est scientia in excelso?

Revertitur Propheta in persona infirmorum in Fide, ad explicandam tentationem, et scandalum ipsorum ex felicitate, qua fruuntur peccatores. *Ideo*, inquit, *convertetur populus meus hic*, id est, propter tanta scelera, et tantam felicitatem iniquorum populus meus, qui est populus fidelis, et timens Deum, *convertetur hic*, id est, convertet se ad consideranda hæc. *Et dies pleni invenientur in eis*, id est, considerando inveniet, vere felices esse impios, ita ut etiam diutissime vivant, et impleant dies suos pervenientes ad ultimam senectutem. *Et dixerunt; Quomodo scit Deus, et si est scientia in excelso?* id est, et titubantes in fide dixerunt, Quomodo potest fieri, ut Deus hæc sciat, et permittat? estne scientia in Deo excelso? an potius hæc ignorat, vel non considerat? Hanc existimo veriorem esse hujus loci explicationem. Theodoretus enim docet verba versiculi decimi dicta esse per parenthesim in consolationem populi justi, et verba versiculi undecimi esse verba iniquorum, qui posuerunt os suum in cœlum. Quam expositionem non reprobo, sed priorem, ut faciliorem, et magis connexam cum sequentibus et præcedentibus præfero. In Hebræo non habetur, *populus meus*, sed, *populus ejus*, videlicet Dei. Sensus est idem, sed lectio nostra est clarior, et credibile est Septuaginta Interpretes non legisse, עמו *hammo, populus ejus*, sed עמי *hammi, populus meus*. Facile enim fuit librariis errorem committere in scribendo vau, pro, iod, quæ sunt litteræ similes: sic etiam in Hebræo non habetur nunc, *dies pleni*, sed vel, ut S. Hieronym. vertit, *quis plenus*, vel ut alii legunt, *aquæ pleni*, supple calicis. Sed Septuaginta Interpretes non erant tam imperiti, ut per aquas intelligerent, et verterent, dies, ergo necesse est dicere, eos non habuisse in suis codicibus, מי *mi*, id est, *quis;* neque, מי *me*, id est, *aquæ*, sed ימי *ieme*, id est, *dies*. Neque mirum est, si tam longo tractu temporis exciderit una littera, quæ minima est omnium litterarum. Illud est verum, legendum esse ex Hebræo, ימי מלא *iame mele*, *dies plenitudinis* potius quam, dies pleni: sed dies plenitudinis, significat dies plenissimos, vel plenos, ut verterunt Septuaginta.

12. Ecce ipsi peccatores, et abundantes in sæculo, obtinuerunt divitias.

13. Et dixi, ergo sine causa, justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas.

14. Et fui flagellatus tota die, et castigatio mea, in matutinis.

Aperit causam dubitationis, an Deus sciat quæ aguntur in terris: et loquitur in persona infirmorum, quasi unus esset ex illis, ut facilius eorum infirmitati medeatur. *Ecce*, inquit, *ipsi peccatores, et abundantes in sæculo obtinuerunt divitias*, id est, hæc ratio est, cur incipiam dubitare de providentia Dei, quia peccatores, qui flagellari deberent, abundantes sunt in sæculo, et obtinent divitias magnas. *Et dixi* apud me

ista considerans, *Ergo sine causa justificavi cor meum*, id est, frustra cor meum purum a peccatis servare studui, et frustra *lavi manus meas cum innocentibus*, innocenter operans, et vivens : frustra, inquam, quoniam Deus non benefacit justis, sed peccatoribus : imo non solum Deus benefacit justis, sed eos affligi patitur. Ego enim, qui justitiæ studeo, *fui flagellatus tota die*, id est semper in tribulationibus versor. *Et castigatio mea in matutinis;* id est, summo mane incipit vexatio, et tribulatio mea, non differtur saltem ad tempus, ut vel modicum requiescam. Hæc est sententia horum versiculorum : sed verba consideremus. Illud, *abundantes in sæculo*, in Hebræo, ושלוי עולם *veschelve hholam*, significat proprie, *pacem et quietem habentes*, ac per hoc abundantes sanitate, robore, amicis, et similibus rebus. Illud, *obtinuerunt divitias*, poterat etiam verti, *multiplicaverunt, et coacervarunt substantiam :* quo declaratur id, quod nos legimus, *obtinuerunt divitias* : nam qui multiplicant divitias, illi vere eas obtinent, id est, tenent ne dilabantur; tenuis enim substantia facile evanescit. Illud, *justificavi cor meum*, in Hebræo est, זכתיתי לבבי *zicthithi lebabi*, *purificavi cor meum*, id est, maculas peccatorum tersi per pœnitentiam, vel mundum, et justum conservavi. Illud, *lavi inter innocentes manus meas*, significat, unum ex innocentibus me probavi, ut vere innocens eram opere, et purus corde. Nam lotio manuum signum erat innocentiæ, cum quærebatur reus homicidii, ut legemus Deuteron. 21. ex quo etiam *Pilatus lavit manus coram populo*, Matth. 27. ut se innocentem demonstraret in passione Christi.

15. Si dicebam, narrabo sic, ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.

Incipit adhibere medicinam infirmis. Exposuit hactenus eorum querelas, et causam scandali, quod patiebantur ex prosperitate impiorum, et adversitatibus piorum : nunc quasi compunctus et pœnitens ait, *Si dicebam, narrabo sic*, id est, *si dicebam* apud me, *narrabo*, id est, pergam narrare prosperitates impiorum quasi injustas, et hanc injustitiam in Deum referre. *Ecce nationem filiorum tuorum reprobavi*, id est, hoc ipso reprobavi, et damnavi omnes filios Dei, Abraham, Isaac, Jacob, Mosem, et cæteros. Omnes enim confitebantur, habere Deum providentiam rerum humanarum, et justo judicio peccatoribus interdum dare prosperitates, et justis afflictiones. Vel *reprobavi*, et damnavi *omnes filios Dei*, quasi insipientes, qui frustra justitiæ studeant. Vel denique, *reprobavi omnes filios Dei*, quia judicavi eos omnes a Deo derelictos esse : quæ omnia falsa sunt, et reprehensione dignissima. Atque hæc est prima ratio, qua persuadet Propheta infirmis, ut non dubitent de providentia Dei, ne videlicet contrarii sint omnibus filiis Dei, sanctis videlicet Patriarchis, et Prophetis, neve illos insipientes fuisse credant, aut a Deo derelictos. Vox Hebræa, בגדתי *bagadti*, pro qua habemus, *reprobavi*, significat, *spernere*, *relinquere*, *deficere*, *prævaricari*, *fidem fallere*. Itaque S. Hieronymus vertit, *generationem filiorum tuorum reliqui*, id est, ab eis defeci. S. Augustinus legit, *non concinui*, *dissonui*, id est, non conveni in sententia cum filiis Dei. In eumdem sensum exponendum est, *reprobavi*, id est sprevi eos, neque fidem servavi, quam debebam.

16. Existimabam ut cognoscerem hoc, labor est ante me.

17. Donec intrem in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum.

Ad primam illam rationem, addit secundam petitam a difficultate hujus quæstionis, quæ deterrere deberet homines, ne prompti essent ad reprehendenda, quæ non intelligunt. *Existimabam*, inquit, *ut cognoscerem hoc*, id est, reputabam, mecum cogitando investigabam, ut ad hujus rei cognitionem pervenirem : sed *labor magnus*, et difficultas mihi objiciebatur, *donec intrarem in sanctuarium Dei*, et per orationem a Deo lumen obtinerem : et eo lumine ad novissima iniquorum abundantium adspicerem, nam ex novissimis, id est, ex divino judicio, quod post mortem impios manet, manifeste declarabitur, illos non fuisse vere felices. Illud, *existimabam, ut cognoscerem hoc*, obscurum est ex ambiguitate verbi, *existimabam* : nam hoc loco non significat opinabar, vel arbitrabar, sed *reputabam*, sive discutiendo judicabam, quomodo dicimus, ex præteritis futura existamare possumus. Verbum Hebræum, כשב *chasab*, quod hoc loco habetur, significat cogitare, existimare, reputare, et sanctus Hieronymus vertit, *cogitavi, ut intelligerem hoc*, id est, cogitavi apud me discutiens quæstionem istam, ut ejus solutionem invenirem. Illud, *labor est ante me*, in Hebræo habetur, גמלהי *gamalhi*, vel בעיני אלה *elhu behhenai*, *labor in oculis meis hoc*, id est, dum inquiro notitiam hujus rei, opponitur oculis mentis meæ labor penetrandi, quasi currus quidam impenetrabilis. Illud, *intelligam in novissimis eorum*, vel significat, intelligam solutionem quæstionis in novissimis eorum, id est, considerando novissima eorum, cognoscam Deum habere providentiam rerum humanarum : vel significat, intelligam novissima eorum, id est, considerando vitam eorum perveniam ad intelligendum exitum, et ultimum finem ipsorum; et inde colligam quæstionis solutionem.

18. Verumtamen propter dolos posuisti eis, dejecisti eos, dum allevarentur.

Hic jam Propheta ostendit, ex novissimis intelligi posse iniquos abundantes in sæculo non esse felices, et Deum justum esse judicem. Sed quia lectio nostra, quæ fideliter ex Græco translata est, multum dissentire videtur ab Hebraica, quod ad verba licet in sensu conveniant, utramque explicemus. *Verumtamen*, inquit, *propter dolos posuisti eis*, subintellige, *dolos*, aut *mala*, ut addunt aliqui textus Græci, id est, ἔθου αὐτοῖς κακὰ, propter dolos, quibus usi sunt erga proximos suos illi injusti, ut multiplicarent divitias : tu Domine, secundum providentiam tuam fecisti, ut ipsi doli ipsorum verterentur ipsis in dolos longe majores : nam dum per dolos lucrati sunt pecunias, aut agros, aut vestes; per eosdem dolos imprudentes ipsi jacturam fecerunt æternæ vitæ. *Et dejecisti eos, dum allevarentur*, id est, et dum extollerentur ad honores et dignitates, per eas dejecti sunt in præcipitium mortis æternæ, justo judicio tuo. Hebraica lectio quæ est apud S. Hieronymum, sic habet, *Verumtamen in lubrico posuisti eos*, *dejecisti eos in interitum*, id est, dum injustis de-

disti magnas divitias, posuisti eos in loco, unde facile labi possent in interitum, et quia non sciverunt in lubrico caute ambulare, lapsi sunt justo judicio tuo in interitum. Utraque lectio congruit cum Apostoli sententia in epist. 1. ad Timoth. c. 6. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et laqueum Diaboli, desideria multa inutilia, et nociva, quæ mergunt homines in interitum, et perditionem.* Quod si velimus concordare lectionem Latinam cum Hebraica sciendum est, propter dolos in Hebraico esse, בחלקות *bachalacoth*, quæ vox non significat proprie, *propter dolos*, neque, *in lubrico*, sed significat in rebus lenibus, politis, blandis, quales sunt lapides valde politi, specula, et similia : nam חלק *calach*, est dividere, lenire, etc. Itaque potuisset verti hic locus, In blanditiis, vel propter blanditias, quales sunt doli, et insidiæ desipientium, et huc respexerunt Septuaginta Interpretes : potuit etiam verti *in lubrico* loco, siquidem locus lubricus, blandus et lenis est, et hanc significationem secutus est B. Hieronymus. Illud autem, *dum allevarentur*, non difficulter invenitur in textu Hebraico. Nam vox illa משואת *mesuoth*, si scribatur cum *schin* habente punctum in sinistro cornu, derivabitur a verbo נשא *nasa*, quod elevare significat, et huc respexerunt Septuaginta Interpretes משואת : si vero scribatur cum *schin*, habente punctum in dextro cornu, derivabitur a verbo נשא *nascia*, quod significat desolare, et hanc lectionem secutus est Sanctus Hieronymus.

19. Quomodo facti sunt in desolationem? subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam.

Declarat quod obscure dixerat, et admirans celerem ruinam iniquorum, quorum felicitas vix exorta arescit, vix apparuit, et evanescit; *Quomodo*, inquit, *facti sunt in desolationem subito?* id est, quomodo, qui videbantur rebus abundare, repente facti sunt instar civitatis desolatæ, ubi præter ruinas nihil cernitur? *defecerunt*, qui videbantur in æternum super terram victuri? *perierunt propter iniquitatem suam.* Illud, subito, in Hebræo, Græcoque textu conjungitur cum verbis, *Facti sunt in desolationem:* et sic etiam legunt sanctus Augustinus, et Euthymius. Dicuntur autem iniqui subito periisse, quia prosperitas eorum brevissima est, si cum futura æternitate pœnarum comparetur. Videtur quidem prosperitas eorum diuturna esse, dum permanet : sed cum finem acceperit, tunc sentietur quam brevis et momentanea fuerit. Illud, *propter iniquitatem suam*, S. Hieronymus vertit ex Hebræo, *Quasi non sint*, id est, *ad nihilum redacti sunt.* Alii vertunt *ab horroribus*, *vel terroribus* : Sed vox illa, בלהות *ballachoth*, obscuræ significationis est, et in tanta varietate versionum, sua remanere debet Septuaginta Interpretibus auctoritas.

20. Velut somnium surgentium Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.

Comparat Propheta eleganti similitudine prosperitatem iniquorum somnio : Somnium non est res vera, sed apparens : qui somniat se divitem esse, cum evigilat, intelligit se delusum inani spectro fuisse. Sic omnes iniqui abundantes in sæculo, felices sibi esse videntur, sed cum transierit nox hujus sæculi, intelligent vere se felices non fuisse, et *tunc imago ipsorum*, id est, imaginaria eorum felicitas *ad nihilum redigetur;* quia in civitate Dei, ubi vera, et sempiterna felicitas est, nullum locum habebit felicitas ista imaginaria, et momentanea, quæ in auro, et argento, in famulis et equis; in palatiis et hortis; in honoribus et dignitatibus, in conviviis et luxuria posita est : hæc enim omnia peribunt, et amatores suos infelicissimos reddent. Ideo rectissime admonet Apostolus Paulus, *ut qui habent bona hujus mundi, tamquam non habentes sint, non de iis glorientur, non in illis confidant, quia præterit figura hujus mundi.* 1. Corinth. 7. *Velut somnium*, inquit, *surgentium*, quod evigilando evanescit; *sic tu Domine in civitate tua*, quæ in novissimo demonstrabitur et aperietur, *imaginem impiorum*, id est, imaginariam eorum felicitatem *ad nihilum rediges;* umbratilis enim felicitas evanescet, cum vera felicitas apparebit. Juste, inquit sanctus Augustinus, Deus in civitate sua cœlesti imaginem iniquorum ad nihilum rediget, qui in civitate sua terrena imaginem Dei ad nihilum redigere sategerunt.

21. Quia inflammatum est cor meum : et renes mei commutati sunt, et ego ad nihilum redactus sum, et nescivi.

22. Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum.

23. Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me.

Exponit nunc Propheta, unde noverit solutionem quæstionis, et apud Deum multum profecerit. *Quia inflammatum est cor meum.* Causalis ista vox *quia*, non reddit rationem superiorum, sed inferiorum, quæ habentur versiculo 23. Tenuisti manum dexteram meam. *Quia*, inquit, *inflammatum est cor meum*, in Deum videlicet, *et renes mei commutati sunt*, id est, affectio mea carnalis mutata est in spiritualem. *Et ego ad nihilum redactus sum, et nescivi*, id est, humiliatus sum, et ignorantiam meam confessus sum. Imo ut insipiens *jumentum factus sum apud te* id est, obedire tibi sine contradictione constitui, et onus quodcumque portare decrevi, more jumenti. *Et ego semper tecum*, id est, a fide et charitate tua non recedam : propter has omnes virtutes meas, quæ dona tua sunt, *tenuisti manum dexteram meam*, ne forte tentatio illa gravissima me aberrare faceret a te. *Et in voluntate tua*, id est secundum beneplacitum tuum, *deduxisti me* per viam rectam, *et cum gloria suscepisti me* in civitatem tuam, nunc quidem in spe, suscepturus postea in re. Illud, *inflammatum est cor meum*, aliqui exponunt in deteriorem partem, id est, exarsit indignatione cor meum; et sic etiam illud, *ad nihilum redactus sum, et nescivi*, exponunt de peccato, et ignorantia Davidis; ut etiam illud, *ut jumentum factus sum;* exponunt de stultitia ejusdem, quod more brutorum non intellexerit mysteria divina : sed nos in bonam partem cum sancto Hieronymo, qui hæc omnia tribuit Christo, et ex parte cum S. Augustino, interpretati sumus, non præjudi-

cantes aliorum commentariis, si forte Lectoribus magis arrideant. Quod attinet ad verba, S. Hieronymus ex Hebræo vertit, *Quia contractum est cor meum;* nos cum Græcis ἐξεκάυθη legimus, inflammatum est: et verisimile est Septuaginta Interpretes, non habuisse in suis codicibus Hebraicis יתחמץ *itchamez*, sed יתחמם *itchamem*, ultima littera immutata, hoc enim significat *calefactum est.* Illud, *renes mei commutati sunt*, Sanctus Hieronymus ex Hebræo vertit, *Lumbi mei velut ignis fumigans*, quia fortasse derivavit vocem, אשתונן *estonan*, ab, אש *es*, quod significat *ignem.* Sed eadem vox, *estonan*, rectius derivatur a verbo שנה *scianah*, quod est *mutare*, et significat *commutati sunt*, ut Septuaginta Interpretes reddiderunt. Illud, *et ego ad nihilum redactus sum*, ex Hebræo vertit sanctus Hieronymus: Et ego insipiens, et vere in Hebræo non est nisi una vox trium literarum, בער *bahhar*, pro tribus illis vocibus, *ad nihilum redactus sum.* Significat autem, *bahhar*, insipientem, quasi jumentum, proinde illud, *ad nihilum redactus sum*, videtur exponendum, ad nihilum sapientiæ redactus sum, quasi jumentum factus sum ex homine, ac per hoc nihil hominis in me remansit; et videtur explicatio hæc confirmari per sequentia, *et nescivi*, et *ut jumentum factus sum:* quæ omnia dicuntur a Davide ex profunda humilitate, qua se coram Deo insipientissimum esse judicabat: quare non repugnat hæc expositio accommodata ad verba Hebraica, cum ea quam supra tradidimus ex simplici lectione Latina, et Græca.

24. Quid enim mihi est in cœlo: et a te quid volui super terram?

Quia dixerat, *cum gloria suscepisti me;* oculo cordis in gloriam illam defixo, ita raptus a spiritu est, ut jam omnia creata despiciat. *Quid mihi*, inquit, *est in cœlo?* quid pulchri, quid pertiosi est, quod appetam, in cœlo? *aut a te quid volui super terram?* quid pulchri, quid pretiosi est, quod appetam, et a te expetam super terram? quasi dicat, Nihil creatum invenio, quod mihi satisfaciat, nihil in quo cor meum penitus acquiescat, neque in cœlo, neque in terra. In Hebræo legitur, מי *mi*, non, מה *ma*, id est, *quis mihi est in cœlo*, non, *quid mihi est in cœlo.* Sed cum Septuaginta Interpretes, et ipse etiam S. Hieronymus verterint, *quid;* omnino retinenda est nostra lectio, ac dicendum in antiquis codicibus fuisse, מה *ma*, non, מי *mi.* Quod autem in Hebræo sequitur, *et tecum non volui super terram*, hunc sensum facit, Nihil mihi in cœlo quod cupiam, super terram autem non volui quicquam etiam tecum, quia te solum habere desidero. Sensus igitur idem est, etiamsi verba diversa sint.

25. Defecit caro mea, et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.

Reddit rationem, cur nihil cupiat præter Deum, quia, ubicumque posuerit cor suum, aut carnem suam, putrescent, et deficient, nisi quieverint in Deo. *Defecit*, inquit, *caro mea, et cor meum*, si quando per amorem ea collocavi in creatis rebus, putruerunt, et corrupta sunt. *Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.* In Hebræo est, צור לבבי *tshur lebabi, petra cordis mei, et pars mea Deus in æternum*, id est, Deus solus est petra, in qua quiescit secure cor meum, ut neque cadere, neque deficere possit, ipse est centrum omnium desideriorum meorum: ipse est pars mea, portio mea, hæreditas mea, id totum quod prætendere possum in æternum: habeant alii partes alias, sive aurum, et argentum; sive delicias carnis, sive superba palatia; sive Regna, et Imperia; mihi Deus sufficit in hac vita, et in futura.

26. Quia ecce qui elongant se a te peribunt: perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.

Recte elegit consistere in Deo, petra sua, quoniam omnes, qui per iniquitatem separantur a Deo, peribunt omnino, quomodo perit corpus, cum separatur a spiritu; et ruit ædificium, cum subducitur fundamentum. *Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te;* non solum pereunt, qui avertuntur à Deo, quia carent hoc ipso gratia Dei, quæ dat vitam animæ, sed etiam quia Deus zelotes est, et animas sibi primus desponsavit: et ideo gravissime punit morte sempiterna eos, qui fornicantur a Sponso tam bono, et tam potente.

27. Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.

28. Ut annunciem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion.

Concludit Psalmum dicens, *Mihi adhærere Deo bonum est*, id est, viderint, alii, quid eis bonum sit, mihi certe bonum est, utile, jucundum, honorificum, adhærere Deo: et quoniam adhærere per amplexum in hac vita non datur, bonum mihi nunc est *ponere in Domino Deo spem meam*, id est, adhærere per spem, et in spe perfectæ adhæsionis interim gaudere. *Ut annunciem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion*, id est, ut per hanc adhæsionem ad Deum, liberatus ab omni cupiditate terrena, totus occuper in laudibus ejus, idque *in portis filiæ Sion*, coram multitudine fidelium, ut multos erudiam, quam sit inane, et noxium adhærere temporalibus bonis, et quam bonum adhærere Deo, et ponere in Domino Deo spem suam. Illud, *omnes prædicationes* in Hebræo est, omnia opera tua: ex quo intelligimus, sensum esse, ut annunciem prædicationem operum tuorum, sive, ut prædicem omnia opera justitiæ, et misericordiæ tuæ, unde, et tu lauderis, et populus erudiatur. Illud, *in portis filiæ Sion*, non est in Hebræo, proinde, vel excidit, ut quædam alia, vel huc translatum est ex Psalmo nono vers. 14. ubi habetur, Ut annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.

PSALMUS LXXIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

INTELLECTUS ASAPH.

In hoc Psalmo prædicitur, et deploratur desolatio Jerosolymæ; et ideo dicitur in titulo, Intellectus, sive, ut alii vertunt, eruditio Asaph; ut admoneantur Judæi diligenter cogitare et intelligere, quæ in hoc Psalmo de ipsis dicuntur. Quæstio est inter Expositores, an Psalmus intelligi debeat de persecutione Nabuchodonosor, an Antiochi, an Titi, et Vespasiani, an Diocletiani et Maximiani, an Antichristi : nam his omnibus persecutionibus aliquo modo verba Psalmi applicari videntur. Sed verior sententia omnibus consideratis videtur eorum, qui hunc Psalmum exponunt de persecutione Antiochi Illustris, de quo agitur in libris Machabæorum, aliæ enim aliorum sententiæ non videntur commode sustineri posse. Nam tempore captivitatis Babylonicæ non deerant Prophetæ : et tamen hic dicitur, *Jam non est Propheta :* Tempore Diocletiani non fuit populus Christianus repulsus a Deo, et derelictus in finem; sed contra multis miraculis illustratus, et propagatus, quod idem dici potest de tempore Antichristi : eminebit enim tunc Ecclesia in fortissimis Martyribus suis, hic autem dicitur, *Ut quid Deus repulisti in finem?* In tempus Titi et Vespasiani omnia convenire videntur; nam tunc nulli amplius erant Prophetæ in Israel, et templum incensum fuit, et facta est desolatio, quæ durabit usque in finem, et ideo hanc expositionem amplexi sunt S. Augustinus, Theodoretus, et Euthymius. Sed verba hujus Psalmi non conveniunt Judæis perfidis, qui non erant oves pascuæ Dei, neque vere confitebantur Domino; sed erant inimici et rebelles : et tamen in hoc Psalmo dicitur, *Iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ,* et infra, *Ne tradas bestiis animas confitentes, et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem :* neque Ecclesia frequentaret hunc Psalmum, si contineret voces infidelium Judæorum : quare improbabilis est expositio Theodoreti et Euthymii, qui verba Psalmi tribuunt populo Judaico. Sanctus autem Augustinus aliqua tribuit Apostolis, aliqua Judæis, alia aliis. Itaque si quis uniformem explicationem velit, et liberam ab omni scrupulo, eligat sententiam, quæ totum Psalmum ad litteram exponit de persecutione Antiochi.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Ut quid Deus repulisti in finem ? iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ.

Deplorat sanctus Propheta in persona populi Judaici universalem illam calamitatem, qua totus populus Judaicus miserrime oppressus fuit a gentilibus sub Antiocho Rege, qui dictus est Epiphanes, *Ut quid*, inquit, *tu Deus repulisti*, supple *populum in finem*, id est, *in æternum*, et generaliter, quasi non amplius curaturus eum, aut pro populo tuo habiturus. *Iratus est furor tuus*, id est, accensus est furor tuus *super oves pascuæ tuæ,* id est, contra populum tuum, quem singulari providentia regere solebas; ut Pastor proprias oves pascit, et regit. Illud, *repulisti in finem,* non significat revera Deum, fixo decreto, repulisse in æternum populum suum; sed populum dubitasse, ne forte rejectus esset in finem ; et ideo lamentando dixisse, *Ut quid repulisti in finem* ? id est, quare ita te geris, ut videaris repulisse in finem. Nam versu 20, cum dicitur in eodem Psal. *Animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem;* satis apparet non fuisse certum, an essent repellendi in finem. Illud autem, *Iratus est furor tuus*, in Hebræo eleganti metaphora dicitur יעשן אפך *iehheschen appecha*, *Fumavit nasus tuus*, quam metaphoram recte explicaverunt Septuaginta Interpretes.

2. Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.

Orat idem populus Deum, ut non repellat in finem, adducens pro argumento, quod olim, id est, in egressu de Ægypto, ipse idem Deus populum Judaicum congregaverit in formam populi, dans eis magistratus, et leges, et judicia : quasi dicat, non videri bonum, ut Deus dispergat, et abjiciat eum populum, quem ipse congregavit, et cui formam Reipublicæ tribuit, *Memor,* inquit, *esto congregationis tuæ*, id est, populi a te congregati, *quem possedisti ab initio*, id est, qui nullum habuit Regem et Dominum ante te, sed tu primus ab initio congregationis tuæ in unam quasi Rempublicam, eum possedisti, ut Rex et Dominus ejus. Posset etiam illud, ab initio referri ad Abraham, qui fuit Pater Hebræorum : vel ad Seth, qui cœpit invocare nomen Domini, et cujus filii dicebantur *filii Dei*, ad distinctionem filiorum, qui erant *filii hujus sæculi.* Sed congregatio, sive Synagoga, proprie initium habuit sub Mose, ut dictum est.

3. Redemisti virgam hæreditatis tuæ, mons Sion, in quo habitasti in eo.

Hoc est alterum argumentum quo probatur æquum esse, ut Deus non repellat populum suum : quia non solum primus congregavit, et

possedit eum ; sed etiam in Regnum exaltavit, ejiciens Chananæos ex terra promissionis, et dans eam populo suo, *Redemisti virgam hæreditatis tuæ*, id est, acquisivisti bellando sceptrum Regni terræ promissionis, et proprie redemisti ejiciendo injustos possessores ab ea terra, quam promiseras Abrahæ, et nepotibus ejus, filiis Israel. Dicitur autem, *Virga hæreditatis Domini*, quia sceptrum illud, Regnum terræ promissionis acquisivit Deus pro hæreditate sua, id est, pro populo suo peculiari, quem ut propriam hæreditatem, possessionem, et partem sibi vindicabat. Alii tamen volunt hac parte versiculi significari, redemptum fuisse populum a servitute Ægyptiaca, et per virgam hæreditatis suæ intelligi sceptrum Regni in populum Judaicum, quem Deus in hæreditatem sibi elegerat. Non desunt qui per *virgam hæreditatis* accipiant virgam dimensoriam, qua distinguebantur possessiones. Sed veteres Augustinus, Theodoretus, et Euthymius per *virgam* nihil aliud nisi sceptrum Regium intelligi voluerunt. Illud, *Mons Sion in quo habitasti in eo*, potest referri tum ad virgam, tum ad hæreditatem. Itaque sensus erit, mons Sion est virga, *quam redemisti*, id est, Mons Sion est Regnum sive caput Regni tui, in quo habitasti, ut Rex in Regia civitate sua. Vel mons Sion est Regnum, sive caput Regni tui, in quo habitasti, ut Rex in Regno. Prior sensus confirmatur ex Psal. 109. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*; posterior ex Psalm. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus*.

4. Leva manus tuas in superbias eorum in finem : quanta malignatus est inimicus in sancto !

Propter causas jam dictas orat populus Dei, ut Deus convertat manum suam in hostes populi sui, et confundat superbiam eorum in perpetuum, ut non audeant ultra erigere se contra servos Dei. Fuisse autem Regem Antiochum superbissimum, testatur liber primus Machabæorum cap. 1. *Et intravit*, inquit, *in sanctificationem cum superbia* : et paulo post, *Et locutus est*, inquit, *cum superbia magna*. Quod attinet ad verba, S. Hieronymus ex Hebræo vertit, *Sublimitas pedum tuorum dissipata est usque ad finem*. Et sensus esse videtur, quod arca Dei, vel sanctuarium, in quo tamquam in scabello excelsi solii stabant pedes Dei dissipatum fuerit ab inimicis, et verba Hebraica eum sensum ferre possunt. Sed recte etiam verterunt Septuaginta, unde nostra lectio translata est. Nam vox הרימה *harima* significat *eleva*, et etiam *sublimitas*; vox פעמיך *pehhamecha*, significat, pedes tuos, vel pedum tuorum. Septuaginta vero transtulerunt, *manus tuas*, magis ad sensum quam ad verba respicientes. Et semper idem sensus est, sive dicamus, *eleva pedes tuos*, et *contere superbiam eorum*, sive eleva manum tuam, et deprime superbiam eorum. Vox למשואות *lemasuchot*, si scribatur per schin, significat ad dissipationes, et sic legit S. Hieronymus, si scribatur per sin, significat superbias elevationes, et sic legunt Septuaginta Interpretes. Sequitur, *Quanta malignatus est inimicus in sancto*; ubi redditur ratio, cur justum sit ut Deus comprimat superbiam inimici, quoniam multa mala fecit in sanctuario Dei : quæ conveniunt aptissime Regi Antiocho, qui ut legimus 1. Machab. 1. *spoliavit, et prophanavit sanctuarium Dei*, quod hoc loco sanctum appellatur. In Hebræo est, omne malum fecit inimicus in sanctuario. Sed Septuaginta expresserunt hunc sensum per admirationem. *Quanta malignatus est*, id est, quanta mala fecit inimicus, in sancto, id est, in sanctuario !

5. Et gloriati sunt, qui oderunt te, in medio solemnitatis tuæ.

Ex hoc loco præcipue deducunt aliqui Psalmum hunc esse intelligendum de Tito et Vespasiano, quoniam obsidere cœperunt Jerusalem in solemnitate Paschali : sicut enim Judæi Christum occiderunt in Paschate, sic et ipsi occisi sunt in Paschate. Sed hæc ratio non convincit, tum quia non constat, de qua solemnitate loquatur hoc loco David, nam multæ erant Judæorum solemnitates : tum quia vox Hebraica מועד *mohad*, non solum significat tempus solemne, sed etiam locum sacrum, imo etiam pactum; ut sanctus Hieronymus vertit. Denique Titus et Vespasianus non oderant Deum Judæorum, quem non noverant, sed oderant Judæos factiosos, et rebelles, et sine dubio non everterunt Jerusalem propter odium Dei, sed propter odium Judæorum, quod idem dici potest de Rege Babylonis. Antiochus autem Deum Judæorum oderat, et cæremonias legis, et conabatur omnes Judæos pervertere et inducere ad cultum Idolorum, ut legimus 1. Machab. 1. Itaque de Antiocho, et militibus ejus proprie dicitur, *Et gloriati sunt rugitu et fremitu plane barbaro*, ut sonat vox Hebraica; *Qui oderunt te*, id est, qui oderunt sacra tua, et cæremonias legis tuæ, idque in medio solemnitatis tuæ, id est, ingressi templum, et sanctuarium tuum, dum sacra solemnia peragerentur, ibi gloriati sunt, et fremuerunt (ut vertit S. Hieronymus) quasi victores capta præda.

6. Posuerunt signa sua, signa, et (non cognoverunt) sicut in exitu super summum.

Clarius hæc omnia vertit S. Hieronymus. *Posuerunt*, inquit, *signa sua in trophæum, manifesta in introitu de super*, id est, posuerunt vexilla sua, quasi trophæa manifesta, in suprema parte portarum, vel turrium civitatis, unde intratur in urbem. Illud, *non cognoverunt*, legendum est per parenthesim, et in Hebræo caret particula negante, et positum est secundum formam participii, ut S. Hieronymus vertit. Sed Septuaginta Interpretes in libris suis Hebraicis invenerunt negationem, et mutatis punctis, ac una littera transposita, pro יודע *iuadahh*, legerunt ידגו *iadegu, cognoverunt*, et addita negatione, *non cognoverunt*. Significat autem, *non cognoverunt*, hostes Dei non cognovisse quid facerent cum civitatem, et templum Dei omnipotentis ita prophanarent. Illud autem *quasi in exitu*, in Hebræo est, כמיבי *chomebi, in introitu*, sed exitus et introitus idem sunt, nam unde intratur, inde etiam exitur. Adverbium *sicut*, non est in Hebræo, sed additum est ab Interpretibus declarandi causa : vere enim signa non sunt posita *in exitu*, sive in introitu, sed quasi in exitu, id est, quasi in portis ipsis, id est, in locis publicis, et notissimis.

7. Quasi in sylva lignorum securibus exci-

derunt januas ejus in idipsum, in securi, et ascia dejecerunt eam.

Pergit explicare mala, quæ fecerunt hostes in Jerusalem, ac dicit eos evertisse portas ejus, *quasi in sylva lignorum* versarentur. *Securibus exciderunt januas ejus*, videlicet civitatis Jerusalem: *in idipsum*, id est, omnes simul, uno animo, uno conatu, *In securi et ascia dejecerunt eam*, videlicet ipsam Jerusalem. Id autem fecit Antiochus, qui dejecit portas, et muros Jerusalem. Illud, *exciderunt*, in Hebræo est ועתה *vehathh*, quod S. Hieronymus vertit, *et nunc*, Septuaginta Interpretes verterunt *exciderunt*; sed nisi aliquid addatur, vel mutetur, vox illa non significat *exciderunt*, neque *et nunc*. Itaque confitendum est aliquid erroris esse in textu Hebraico, qui vitio librariorum irrepserit. Et quidem qui vertunt, *et nunc*, addunt unam litteram, et faciunt ועתה *vehhatha et nunc*. Qui vertendum existimant *exciderunt*, cum Septuaginta Interpretibus, non conveniunt inter se; sed alii legunt התתו *hathatu*, alii פתחו *patthu*, alii aliter, quæ sunt valde diversa ab illa voce, quæ est in textu Hebraico: proinde existimarem posse legi *hhavath*, transponendo solum primam litteram in secundum locum. Significat enim עות *hhavath*, *invertere*, sive *evertere*, *et pervertere*, et sensus erit, *Quasi in sylva lignorum evertit*, hostis videlicet, *januas ejus in idipsum*, id est, simul et conjunctim.

8. Incenderunt igni sanctuarium tuum, in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.

Hic unicus locus videtur impedire, quo minus Psalmus intelligatur de persecutione Antiochi, cui alioqui reliqua omnia aptissime conveniunt. Sed meo judicio hic locus non impedit: quamvis enim tempore Nabuchodonosor, et tempore Titi totum templum crematum, et eversum fuerit, quod factum non est sub Antiocho: tamen tempore Antiochi portæ templi exustæ fuerunt: sic enim legimus 1. Machab. 4. *Et viderunt Machabæi sanctificationem desertam, et altare prophanatum et portas exustas, et in atriis virgulta nata, sicut in saltu, vel in montibus, et pastophoria diruta*, et paulo post loquens Scriptura de renovatione templi; *Dedicaverunt*, inquit, *portas, et imposuerunt januas*. Illud igitur, *incenderunt igni sanctuarium*, potest intelligi de parte, non de toto: et videtur id satis aperte colligi ex sequentibus: nam si totum sanctuarium concremassent, non diceret David in altera parte versiculi, *In terra polluerunt tabernaculum nominis tui*; quod enim crematum fuisset, pollui non potuisset. Incenderunt ergo portas, et ipsum templum, seu tabernaculum polluerunt, ponentes in eo idolum abominationis, et sacrificantes idolis, ut dicitur 1. Machab. 1. Adde etiam quod in Hebræo ad verbum dicitur, שלחו באשמיק דשך *schalchu baeschmic descheca*, *posuerunt ignem in sanctuarium*: quæ verba non significant totum sanctuarium fuisse exustum, sed aliquid ejus: quid autem sanctuarii ex igne applicato consumptum fuerit; declaratur, (ut diximus 1. Machab. 4.) ubi dicuntur portæ fuisse exustæ, et a Machabæis reparatæ. Ait igitur, *Incenderunt igni sanctuarium tuum*, id est, hostes nostri tempore Antiochi injecerunt ignem in sanctuarium, et portis ejus exustis polluerunt idem sanctuarium, quod est habitaculum nomini tuo dicatum: *polluerunt autem in terra*: id est, polluerunt sanctuarium, quod habes in terra; quia cœleste tabernaculum polluere non poterant. Aliqui existimant, *polluere tabernaculum in terra*, esse dejicere tabernaculum in terram, id est, funditus destruere: sed neque S. Hieronymus ex Hebræo vertit, in terram, sed in terra: et vox Hebræa, חלל *chalal*, non significat, *dejicere*, sive *evertere*, sed *polluere* et *contaminare*, ut Græci, ἐβεβήλωσαν, Latinique verterunt.

9. Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul, quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.

Hæc proprie convenire videntur paganis, qui tempore Antiochi conati sunt totis viribus delere religionem veri Dei, ut patet ex libris 1. Machab. 1. *Dixerunt*, inquit, *in corde suo*, id est, decreverunt apud se tota natio gentilium, qui Antiocho serviebant, dicentes, *Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra*, id est, contaminemus sanctuarium, repleamus omnia idolis, tollamus omnia signa religionis, et hoc modo quiescent, id est: deficient, et cessabunt omnes solemnitates Dei in terra Israel. Quod attinet ad verba, S. Hieronymus in epist. ad Suniam, et Fretellam, testatur, se vertisse ex Græco, ut habet nostra editio, *Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra;* quamvis non ignoraret in Hebræo esse, *Incenderunt omnes dies festos Dei a terra*, et in exemplis Origenis, versionem Septuaginta habere, *Incendamus omnes dies festos Dei a terra*, et monet has varias lectiones notandas fuisse ad marginem; sed antiquam lectionem non debuisse mutari. Itaque constat ex verbis S. Hieronymi, unam lectionem Græcam fuisse καταπαύσωμεν, *quiescere faciamus*: aliam autem κατακαύσωμεν, *incendamus*: sed quoniam Septuaginta Interpretes per vocem Hebraicam, מועד *mohhad*, non intellexerunt synagogas, ut nunc recentiores intelligunt, sed *dies festos*, ἑορτὰς; probabilissimum est eos non vertisse *incendamus*, (ut sonat vox Hebraica, שרפו *scharephu*) sed *quiescere faciamus*, ut verbum conveniret cum nomine, non enim dies festi proprie incendi possunt, sed cessare et tolli possunt: ac per hoc Septuaginta Interpretes non reddiderunt verbum, sed sensum, explicantes metaphoram verbi Hebraici; neque improbabile est, lectionem Græcam postea fuisse mutatam, ut cum voce Hebraica consentiret. At in exemplis erat *incendamus*, et illa erat purissima lectio Septuaginta Interpretum. Respondeo in exemplis, ut plurimum fuisse lectionem purissimam: sed non est necesse, ut ubique esset purissima: certe Ecclesia antiqua, et moderna magis probavit aliam lectionem: et S. Hieronymus aperte dicit se vertisse ex editione Septuaginta, *Quiescere faciamus*, et sic monet esse psallendum, ut Septuaginta transtulerunt.

10. Signa nostra non vidimus, jam non est Propheta, et nos non cognoscet amplius.

Ponit nunc verba populi fidelis in tanta afflictione pene desperantis de auxilio Dei. Et proprie conveniunt hæc in tempora Antiochi, quando et miracula antiqua, et Prophetarum oracula de-

fecerant, ut videretur Deus non amplius cognoscere populum suum : quod de Babylonica captivitate dici non potest, cum eo tempore esset Hieremias in Jerusalem; et Daniel et Ezechiel in Babylone. Neque possum probare quod aliqui dicunt, verba hujus Psalmi non dici a populo Judaico, sed a Gentibus : hæc enim est nimis dura expositio. At, inquies, Dan. 3. dicunt tres pueri, *Et non est in tempore hoc Princeps, et Dux, et Propheta :* igitur in captivitate etiam Babylonica non erat Propheta, ac per hoc de illa captivitate possunt intelligi hæc verba, *Jam non est Propheta.* Respondeo, antequam Jerusalem everteretur a Nabuchodonosore, tempore regis Joacim, non fuisse in Babylone ullum Prophetam, et de illo tempore, et loco posse intelligi verba trium puerorum : sed eodem tempore erat in Jerusalem Hieremias Propheta, et post captam et eversam Jerusalem, toto tempore captivitatis fuerunt in captivitate Babylonica Daniel et Ezechiel Prophetæ : Ezechiel enim cœpit prophetare anno quinto captivitatis Joachim Regis, qui fuit annus sextus ante eversionem Jerosolymæ, et perseveravit prophetare usque ad annum vicesimum quintum captivitatis, ut dicitur Ezech. 40. Daniel autem Propheta fuit in Babylone ab anno primo Nabuchodonosor, usque ad annum primum Cyri, id est, toto tempore captivitatis, ut dicitur Dan. 1. et prophetare cœpit adhuc adolescens : successerunt autem Danieli Aggæus, et Zacharias Prophetæ. Porro Psalmus præsens cum dicit, *Jam non est Propheta*, loquitur de tempore post Jerusalem vastatam, et templum prophanatum, ac per hoc non loquitur de captivitate Babylonica, in qua nunquam defuerunt Prophetæ post civitatem vastatam, et templum incensum : sed de persecutione Antiochi, quo tempore defecerunt omnino Prophetæ.

11. Usquequo Deus improperabit inimicus? irritat adversarius nomen tuum in finem.

Pergit populus Dei exorare Dei clementiam, ut memor populi sui convertat iram in adversarios, qui improperabant Deo infirmitatem, quasi non valeret salvare populum suum. Hæc videntur dici de Nicanore, qui superbe *irridebat populum Dei, et irritabat nomen Domini*, ut dicitur lib. 1. Machab. cap. 7. Et de ipso Rege Antiocho, et Rege Demetrio, et Ducibus eorum inimicis Dei, et populi sui, ut cognosci potest ex 1. lib. Machabæorum.

12. Utquid avertis manum tuam, et dexteram tuam de medio sinu tuo in finem ?

Oraverat populus Deum, ut irasceretur in hostes suos : nunc orat, ut complectatur populum suum, ut antea faciebat, et non excludat a sinu suo paterno filios suos. *Utquid*, inquit, *avertis manum tuam*, sinistram videlicet, *et dexteram tuam de medio sinu tuo*, ut videlicet sinas nos cadere de sinu tuo, vel non complectaris in sinu tuo *in finem*, id est, in perpetuum : qui enim complectitur aliquem, admovet utramque manum ad sinum; qui rejicit, vel non vult complecti, manus a sinu removet : hæc mihi videtur litteralis expositio. Alii existimant, *avertere manum a sinu*, significare non velle bona, quæ sunt in sinu, communicare cum aliis, intelligentes per sinum Dei, thesaurum bonorum omnium, qui est apud Deum. Omitto aliam expositionem, quod *avertere manum a sinu*, sit manus post tergum convertere, in signum negantis auxilium. Pro in finem, in Hebræo est, כלה *calleh*, quam vocem S. Hieronymus vertit, consumens : sed potest optime verti *perfecte et absolute*, quod est idem cum *in finem*, præsertim si deducatur a verbo, כלל *calal*, quod est *perficere;* unde, כלה *calla*, *sponsa*, quia perfecta omni decore et ornatu esse solet.

13. Deus autem Rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ.

Communis expositio litteralis est, in hoc versu, et quinque sequentibus explicari potentiam, quam olim Deus ostendit tum in liberatione filiorum Israel de Ægypto, tum in creatione mundi : ut ostendat posse Deum, si velit, liberare eosdem filios Israel, a præsenti calamitate. *Deus*, inquit, *Rex noster a sæculo*, id est, *Deus Rex noster*, qui est *ante sæcula Deus, operatus est salutem*, Judæorum videlicet, *in medio terræ*, id est, in terra promissionis, in quam eos introduxit, ex captivitate Pharaonica. Illud, *ante sæcula*, conjungit quidam auctor cum verbo, *operatus est salutem :* sed repugnant omnes codices Hebraici, Græci et Latini. Omnes enim distinctionem ponunt post vocem, sæcula : neque intelligi potest quomodo Deus ante sæcula, operatus sit salutem in medio terræ, cum terra non fuerit ante sæcula : neque testimonium, quod ille adducit ex Isaia pro ipso facit : aliud enim est a sæculo, quod habetur in Isaia, aliud, ante sæcula, quod hic habetur. Multo aptius Sanctus Augustinus conjungit cum voce *Deus*, ut sensus sit *Rex noster*, qui est ante sæcula Deus. Illud, *in medio terræ*, exponunt nonnulli publice et palam, quod non improbo. Sed etiam verum est Palæstinam esse in medio terræ olim notæ et habitabilis : nam est in finibus Asiæ, Africæ et Europæ, ut vere dici possit esse in medio Asiæ, Africæ, et Europæ. Unde etiam opus Redemptionis operatus est Salvator noster in medio terræ, ut commodissime deferretur ejus prædicatio ad omnes tres partes orbis terrarum.

14. Tu confirmasti in virtute tua mare, contribulasti capita draconum in aquis.

Explicat quomodo Deus operatus sit salutem Judæorum, et ait, *Tu Deus confirmasti mare in virtute tua*, id est, potentia tua fecisti, ut mare Rubrum firmissime quasi murus consisteret, dum transirent per medium ejus divina virtute siccatum filii Israel. Et eadem potentia obruisti in aquis ejusdem maris, ad locum suum revocatis, *capita Ægyptiorum*, qui instar *draconum* filios Israel insequebantur. In Hebræo habetur, פררת *poraretha*, *dissipasti*, sive *rupisti et divisisti in virtute tua mare :* sed Septuaginta Interpretes docere voluerunt, mare Rubrum ita divisum, et disruptum fuisse, ut firmisssime divisum maneret, dum transiret populus Dei, quasi dicerent : Tu divisum mare confirmasti. Illud *contribulasti*, est in Hebræo, שברת *schibhartha*, *contrivisti*, sive, *confregisti*, sed Septuaginta Interpretes explicaverunt metaphoram : qui enim suffocantur in aquis, non proprie pereunt ex contritione capitis, quod ergo Hebraice dictum est, *Contrivisti capita draconum*, id est, interemisti draconem; Septuaginta dixerunt, *Con-*

tribulasti capita draconum, id est, mortifera tribulatione affecisti capita draconum.

15. Tu confregisti capita draconis, dedisti eum escam populis Æthiopum.

Hunc versum proprie ad Pharaonem referunt fere omnes expositores: nam in Hebræo non est idem nomen draconis in hoc versu et in superiore. In hoc enim versiculo est, לויתן *liviathan*, qui draco maximus, et princeps draconum marinorum est: illud autem, *Dedisti eum escam populis Æthiopum*, significat secundum aliquos, Regnum Ægypti post submersionem Pharaonis datum fuisse in prædam Æthiopibus: secundum alios, ipsum Pharaonem, et capita ejus, id est, Principes ejus mortuos, et ad littus ejectos fuisse spoliatos ab Arabibus, qui in Scriptura Æthiopes dicuntur. Denique secundum alios, ipsum Pharaonem mortuum, et in littore expositum, factum esse escam corvis, qui a nigrore dicuntur populi Æthiopum. Non multum refert quid proprie his verbis significetur, dum constet explicari pœnam de Pharaone sumptam.

16. Tu dirupisti fontes et torrentes, tu siccasti fluvios Ethan.

Hic jam describitur potentia Dei, qui paulo post in deserto ex petra excitavit fontem, et rivum aquæ instar fluminis, et deinde siccavit Jordanem, ut populus transiret in terram sibi promissam. *Tu dirupisti fontes*, id est, dirupta petra fecisti scaturire fontes et torrentes. *Tu siccasti fluvios Ethan*, id est, siccasti flumen Jordanis, quod flumen maximum est: *Hethan* enim *fortem* significat, unde S. Hieronymus vertit, *flumina fortia*. Sed Interpretes cæteri relinquere maluerunt ipsam vocem Hebraicam non interpretatam.

17. Tuus est dies, et tua est nox, tu fabricatus es auroram, et solem.

Transit ad potentiam; quam Deus in creatione monstravit: et quoniam creatio in summa complectitur duas partes principales, cœlum et terram, juxta illud, Gen. *In principio creavit Deus cœlum et terram*, de his duabus partibus tantum loquitur, *Tuus*, inquit, *est dies, et tua est nox*, et reddens rationem addit, *tu fabricatus es auroram, et solem*, id est, tu fecisti initio lucem, similem auroræ, deinde quarto die fecisti Solem, ut distingueret dies et noctes. In Hebræo non est nomen auroræ, מאור *mehor*, sed nomen luminis, sive lucis, ut etiam in Græco textu, φαῦσιν. Et quidem multi per lumen hoc intelligunt Lunam, ut sensus sit: *Tu fecisti Lunam, et Solem*: et quoniam hic videbatur inversus ordo, correxerunt aliqui, et legerunt Solem et Lunam, et sic legit S. Augustinus: sed Interpres noster recte vertit Auroram et Solem: quoniam explicare voluit, lucem, quam Deus initio creavit, non fuisse Solis, neque Lunæ, sed simplicem lucem, quæ præcedebat Solis creationem, quasi quædam aurora mundi.

18. Tu fecisti omnes terminos terræ, æstatem et ver, tu plasmasti ea.

Attigit creationem cœli mentione facta lucis et Solis: nunc attingit creationem terræ, dicens, *Tu fecisti omnes terminos terræ*, id est, tu fecisti totam terram usque ad omnes ejus ultimos fines, id est, ab ortu ad occasum, ab Aquilone ad Austrum. *Æstatem et ver tu plasmasti*, id est, tu fecisti vicissitudines temporum, in quibus terra nunc fructus concipit, nunc parit: nam in fine æstatis, id est, in Septembri, in terra promissionis reconduntur omnes fructus: et tunc incipit terra iterum concipere, et præparare se ad novum partum: et initio veris iterum incipit parere flores, ac deinde fructus. S. Hieronymus vertit, *Æstatem et Hiemem tu plasmasti*: et vere vox Hebraica, חרף *choreph*, Hiemem significat, ut perspicuum est ex cap. 8. vers. 22. Geneseos. Et ideo existimavimus hic accipiendam esse æstatem pro fine æstatis, quo terra deposito onere iterum concipere incipit: et ver pro fine hiemis, sive initio veris, quando flores apparere incipiunt.

19. Memor esto hujus, inimicus improperavit Domino: et populus insipiens incitavit nomen tuum.

Explicata potentia Dei redit ad orationem, ac precatur ut Deus dignetur recordari, quemadmodum inimicus blasphemaverit Deum, quasi impotentem et infirmum. Videntur autem verba hujus versiculi, et cæterorum usque ad finem alludere ad superbiam Antiochi, de qua dicitur lib. 1. Machab. cap. 1. *Et locutus est cum superbia magna*, et lib. 2. cap. 5. cum dixisset Scriptura, *Antiochum indigne contrectasse sacra vasa, et templum diripuisse*, addit, *Igitur Antiochus mille et octingentis ablatis a templo talentis, velociter Antiochiam reversus est, existimans se præ superbia terram ad navigandum, pelagus vero ad iter agendum deducturum propter mentis elationem.* Ait igitur Psalmista, Memor esto hujus, id est, recordare Domine hujus rei, quam dicturus sum, *Inimicus improperavit Domino*: id est, hostis noster improperavit tibi Domino impotentiam: *Et populus ejus insipiens incitavit* blasphemando *nomen tuum.*

20. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

Hinc etiam cognosci potest hunc Psalmum scriptum esse magis contra Antiochum, quam contra Nabuchodonosor, vel Titum, aut Vespasianum: siquidem tempore Antiochi sæpe fuerunt in maximo periculo Judæi ne omnino in manus ejus devenirent, et vel occiderentur omnes, vel captivi abducerentur: et ideo orabant, *ut non traderentur bestiis devorandi*, id est, Antiocho, et militibus ejus penitus destruendi; sicut revera nunquam fuerunt universaliter ab Antiocho subjugati. At Nabuchodonosor, et Titus et Vespasianus universaliter Judæos oppresserunt partim occidendo, partim captivos abducendo. *Ne tradas*, inquit, *bestiis*, id est, hominibus insipientibus, et crudelibus more ferarum, *animas confitentes tibi*, id est, homines qui te colunt, et confitentes laudes tuas; et easdem *animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem*, id est, ne obliviscaris defendere, et liberare animas pauperum tuorum, qui ad januam misericordiæ tuæ panem mendicant. In Hebræo, pro confitentes tibi; nunc est, *thoreca*, quod S. Hie-

ronymus vertit, *Eruditos in lege tua;* alii, *Turturis tuæ*, sed Septuaginta Interpretes non legerunt, תורך *thoreca*, sed תודך *thodeca*, fuit autem facillimum librariis ob similitudinem litterarum; resch et daleth, scribere, *thoreca*, pro *thodeca;* neque est causa cur anteponamus textum, quem nunc habemus, textui quem habuerunt Septuaginta Interpretes : neque est in sensu diversitas : nam per turtures posset intelligi populus Dei gemens, et confitens Deo tribulationem suam.

21. Respice in testamentum tuum, quia repleti sunt, qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum.

Adducit duo alia argumenta ad placandum Deum, unum ex parte fœderis initi cum Patribus, alterum ex iniquitate adversariorum, qui cum essent homines vilissimi, obtinebant injuste palatia ipsorum, *Respice*, inquit, *in testamentum tuum*, si non vis nos respicere, saltem respice pactum, sive testamentum, quod fecisti cum Patribus nostris, ut esses nobis in Deum nosque protegeres atque defenderes in terra, quam nobis dedisti. Quoniam, *qui obscurati sunt terræ*, id est, qui obscuri sunt in terra, viles, et barbari homines. *Repleti sunt domibus iniquitatum*, id est, abundant jam domibus, sive palatiis inique nobis ereptis. Illud, *obscurati terræ*, obscurum est, et ideo variis modis exponitur; sed res non est magni momenti, et facile est, ut Latinus Interpres dixerit, *obscurati*, pro obscuri. *Obscuri autem terræ* ii dicuntur, qui non sunt ullius nominis in terra. Illud autem domibus, in Hebræo, non est domibus, sed מאת חמים *meth chames*, id est, *habitationibus desiderabilibus* et pulchris, qualia sunt egregia palatia.

22. Ne avertatur humilis factus confusus; pauper et inops laudabunt nomen tuum.

Pergit in oratione, ac petit ne humilis populus cogatur reverti ab orando Deo confusus, si non impetraverit, quod postulat : et rationem reddit cur non debeat dimitti confusus, quoniam ipse est, qui laudare solet nomen Domini. *Ne avertatur*, quasi a te repulsus, et rejectus, *humilis factus confusus*, id est, ne avertatur confusus is qui se humiliat coram te. Illud enim, factus, conjungitur cum voce humilis, unica enim vox est tum in Hebræo, tum in Græco, pro eo quod nos habemus, humilis factus. *Pauper et inops laudabunt nomen tuum*, id est, ne dimittas humilem confusum, quoniam humilis, qualis est *pauper et inops laudabunt nomen tuum*, quod a divitibus, et superbis despicitur.

23. Exurge Deus, judica causam tuam, memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die.

Addit aliam rationem, quoniam causa populi est causa Dei, quoniam improperia, quæ dicuntur ab inimicis, in ipsum Deum recidunt. *Exurge*, inquit, *Deus, judica causam tuam*, id est, defende causam tuam : nam in Hebræo est ad verbum, ריבה ריבך *ribba Ribbecha*, *litiga litem tuam*, hoc est, sis tu patronus causæ tuæ. *Memor esto improperiorum tuorum, quæ ab insipiente sunt tota die*, id est, quæ jugiter in te jactantur ab insipientibus populis, inimicis tuis. Illud, *judica causam tuam*, quamvis ad litteram ex Hebræo significet, *litiga litem tuam;* tamen quia Deus non potest litigare nisi apud tribunal justitiæ suæ, cum non habeat superiorem, ideo ad ipsum pertinet judicare, id est, judicium ferre de lite, quam habet cum iniquis : proinde recte versio Septuaginta, et vulgatæ editionis habet : *judica causam tuam*. Sanctus Augustinus legit, *judica causam meam*, sed nescio quid secutus sit : nam Hebræus et Græcus codex habet secundam personam, et sic invenitur in Latinis libris.

24. Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum : superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.

Concludit rogans Deum, ut non obliviscatur punire hostes suos, quia illi non obliviscuntur peccare. *Ne obliviscaris*, inquit, *voces inimicorum tuorum*, id est, ne impunitas dimittas blasphemias inimicorum tuorum, *quoniam superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*, id est, superbæ voces inimicorum tuorum numquam cessant, sed jugiter ascendunt a linguis eorum, tamquam scintillæ a fornace malignis cordis eorum. Illud *inimicorum* in Græcis libris est, οἰκετῶν σοῦ *servorum*, sive *supplicum tuorum;* et sic etiam legit S. Augustinus. Sed in Hebræo est, צורריך *tsorerecha inimicorum*, et sic etiam vertisse Septuaginta Interpretes testatur S. Hieronymus in epist. ad Suniam et Fretellam : proinde necesse est in textibus Græcis irrepsisse errorem et positum esse οἰκετῶν pro ἐχθρῶν. Illud, *superbia eorum*, in Hebræo est, שאון קמיך *scheon kamecha, sonitus, sive tumultus insurgentium in te*. Ex quo intelligimus, per superbiam, hoc loco accipiendam esse vocem superbam, et elatam, ut diximus.

PSALMUS LXXIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem, ne corrumpas, Psalmus cantici Asaph.

Omnes partes hujus tituli sunt alibi explicatæ, si tamen plane explicari possunt. Tanta est enim titulorum obscuritas, ut divinatore opus sit potius, quam explicatore. Argumentum est admonitio ad humanum genus, ut juste vivant omnes, et superbiæ tumorem deponant, quoniam imminet judicium Dei severissimum, atque justissimum. Videtur autem Psalmus compositus per modum dialogismi; quamvis non indicetur mutatio personarum, nisi per ipsa verba, quæ nunc populi justorum, nunc Prophetæ, nunc Dei esse ipsa se produnt.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Confitebimur tibi Deus : confitebimur, et invocabimus nomen tuum.

2. Narrabimus mirabilia tua. Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.

Vox est populi electi qui ex notitia Dei, quam habet præ cæteris hominibus, dicit, suum officium esse laudare, orare, et prædicare Deum. *Confitebimur*, inquit, *tibi*, id est laudabimus te; *confitebimur, et invocabimus nomen tuum*, id est non solum laudabimus in hac vita; sed etiam invocabimus : pura enim laudatio non est vitæ præsentis, sed futuræ. *Narrabimus mirabilia tua*, id est, non solum laudabimus in corde nostro, et orabimus, sed etiam prædicabimus aliis omnibus *mirabilia opera tua*, ut etiam cæteri discant timere et amare te. Quod attinet ad verba, non levis difficultas est. Nam in Hebræo pro *invocabimus nomen tuum*, legitur ad verbum, וקרוב שמך *vekarob schemecha*, *Et propinquum nomen tuum.* Verisimile est Septuaginta legisse, וקרו בשמך *vecaro besimacha*, et *invocare in nomine tuo :* non autem, ut nunc habetur, וקרוב שמך *vecarob schemecha*, *Et propinquum nomen tuum.* Facile enim fuit librariis conjungere litteram primam vocabuli sequentis cum ultima præcedentis. *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* Hæc est pars versiculi secundi, et continet verba Dei summi Judicis, qui approbans verba justorum, promittit suo tempore, se redditurum illis præmium, ut etiam impiis non confitentibus, nec invocantibus, pœnam. *Cum*, inquit, *accepero tempus*, id est, cum venerit hora ab æternitate determinata judicii mei, *tunc ego justitias judicabo*, id est, justissime sive rectissime judicabo. Diem judicii, ut etiam horam, esse certo definita docet Apostolus, Act. 17. *Nunc*, inquit, *annunciat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant, eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate in viro, quam statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a morte.* Docet S. Joannes in Apocalypsi cap. 14. *Timete Deum, et date illi honorem, quia venit hora judicii.* Magnæ gratiæ, ut inquit S. Augustinus, agendæ sunt Deo, quod non statim post peccatum judicat, sed expectat homines ad pœnitentiam, interim exhortari, et invitare non cessans multis et variis modis, donec statuta dies et hora adveniat. Illud, *justitias judicabo*, non significat Deum judicaturum opera justa, ut aliqui existimant, sed Deum recte judicaturum : nam eadem vox Hebræa, מישרים *mescharim*, habetur in Psal. 57. *Si recte utique justitiam loquimini, recta judicate filii hominum.* Quod hic dixit *justitias*, ibi dixit *recta*, et sicut ibi sensus est, justam sententiam proferte, ita hic sensus est, justam sententiam proferam.

3. Liquefacta est terra, et omnes qui habitant in ea : ego confirmavi columnas ejus.

Iterum loquitur populus justorum dicens : Si juste judicabis Domine, quis sustinebit? nam *liquefacta est terra*, id est, defluxit, corrupta est, dissipata est propter iniquitates habitantium in ea; *et omnes habitantes in ea* deflexerunt, et corrupti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Respondet Dominus, *Ego confirmavi columnas ejus.* Quasi dicat, non omnis terra omnino corrupta est; nam ego confirmavi columnas ejus, viros perfectos, ob quos terra subsistit; semper enim habuit Deus servos suos electos et perfectos. Nam Gen. 6. ubi dicitur, *terra corrupta ob iniquitates inhabitantium*, ibi dicitur, *Noe vir justus atque perfectus.*

4. Dixi iniquis, Nolite inique agere, et delinquentibus, Nolite exaltare cornu.

5. Nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui adversus Deum iniquitatem.

Nunc jam loquitur Propheta, ut unus de numero justorum, et admonet iniquos, ut desinant ab iniquitate, cum adhuc spes remaneat salutis, et propterea differatur judicium, ut locus sit pœnitentiæ. *Dixi*, inquit, *iniquis, Nolite inique agere*, id est, nolite perseverare in iniquitate. Verba Hebraica possent etiam verti,

Dixi stultis, nolite stultescere, sed quamquam interpretatio Septuaginta Seniorum optima est quam etiam in sua versione secutus est S. Hieronymus, tamen utraque vera est. Omnes enim iniqui stulti sunt, cum errent a vero itinere, et ridentes, ac ludentes ruant in præcipitium. Addit Propheta, *et delinquentibus, Nolite exaltare cornu*, id est, dixi delinquentibus, Nolite gloriari in iniquitate, nolite superbe defendere peccata vestra. Cornu enim superbiam significat, et illi longius a salute recedunt, qui non solum peccant, sed etiam gloriantur, cum malefecerint, et laudari volunt in sceleribus suis, *Nolite extollere in altum cornu vestrum*, id est, nolite in profundum malorum tam alte descendere, ut etiam Deum contemnatis, et in ipsum Deum verba blasphemiæ evomatis. Verba Hebræa, בצבאר עלק *betsabar hhalhak*, ut non legitur, nunc habet, *adversus Deum*, sed ut S. Hieronymus vertit, *in cervice veteri*, vel ut alii legunt *collo duro*. Sed Septuaginta non videntur legisse בצואר *betsavar*, sed אצור *betsur*, quod est unum ex nominibus Dei, et proprie significat *petram*, quia Deus fortissimus est; et per vocem עתק *hathak* quæ significat *durum*, non intellexerunt Septuaginta collum *durum*, sed verba dura, et iniqua, et ideo verterunt, *Nolite loqui adversus petram verba dura et iniqua*, id est, adversus Deum fortissimum verba dura, id est, iniqua, quales sunt blasphemiæ. Et sane eleganter alludit Propheta a verbis duris ad petram duram; quasi dicat, Nolite contendere verbis duris cum Deo, qui est petra durissima, quia petra conteret vos, et verba vestra inania esse monstrabit.

6. Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus : quoniam Deus Judex est.

Reddit rationem, cur non oporteat adversus Deum loqui iniquitatem; quia videlicet ab illius judicio nusquam erit effugium : non enim *ab oriente* judicabit, ut possis fugere in occidentem; *neque ab occidente*, ut possis latere in oriente; *neque a desertis montibus*, ut abscondas te in aliqua valle inter arborum ramos. Iste enim *Judex Deus est*; qui ubique est, et nullo excluditur loco cum nullum occupet locum. Ita S. Augustinus. Alii exponunt, quia neque ab oriente expectandum est auxilium, neque ab occidente, neque a desertis montium, *quia Deus Judex est*, cui nemo resistere potest.

7. Hunc humiliat, et hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri plenus misto.

8. Et inclinavit ex hoc in hoc : veruntamen fæx ejus non est exinanita : bibent omnes peccatores terræ.

Dixerat non esse effugium a judicio Dei; nunc declarat dicens, *hunc humiliat*, superbum videlicet; *et hunc exaltat*, scilicet humilem. *Quia calix in manu Domini vini meri*, id est, quia in potestate Dei est justitia vindicativa, quæ dum peccatores superbos punit, simul exaltat, et consolatur justos humiles, quos ab oppressione impiorum liberat. Porro *calix vini meri*, dicitur justitia vindicativa in Scripturis passim, ut Isaiæ 51. Hieremiæ 25. Threnorum 4. Ezechielis 23. Apocalypsis 14. et alibi. Ratio hujus metaphoræ est, quoniam vinum merum epotum debilitat adeo totum hominem, ut nec sciat, nec possit se juvare: ebrius enim amittit judicium, tremit, cadit, soporatur. Qui punitur ab homine sæpe remedium habet, vel favoris, vel fugæ, vel violentiæ : qui autem punitur a Deo, tamquam multo vino mero inebriatus, repente cadit, et omni prorsus remedio caret. Addit Propheta, *plenus misto*, id est, plenus est calix Domini non simplici vino unius generis, sed mistione variorum generum vini meri, qua mistione non temperatur vinum, sed fortius redditur. Id significat, justitiam Dei vindicativam abundare multitudine, et varietate pœnarum. *Ignis et sulphur, et spiritus procellarum pars calicis eorum.* Psal. 10. Aliqui dicunt vinum calicis Dei dici mistum, quia turbidum, aut seculentum. Alii mistum interpretantur, *infusum*, quia miscere vinum, aliquando significat infundere. Alii fingunt duos calices, unum plenum mero, alium plenum misto. Sed quod nos diximus probabilius videtur, et plures habet auctores. *Et inclinavit ex hoc in hoc*; id est, jam Deus propinavit multis hunc calicem iræ suæ, inclinavit calicem ex hoc ore in hoc os, transtulit ad varias gentes, punivit Sodomitas, Chaldæos, Ægyptios, et alios. *Veruntamen fæx ejus non est exinanita*, id est, adhuc remanet gravissima pars justitiæ vindicativæ, quæ servatur in diem ultimi judicii, et tunc *ex ea bibent omnes peccatores terræ.* Tunc enim non erit amplius locus misericordiæ, sed omnes, qui peccatores in illa die invenientur, cogentur bibere fæces calicis iræ Domini.

9. Ego autem annunciabo in sæculum, cantabo Deo Jacob.

Vox hæc Prophetæ est, qui descripto judicio Dei, et supplicio impiorum, pollicetur se annunciaturum laudes Dei in æternum. Illi, inquit, bibent calicem iræ Dei : *ego autem* liberatus per gratiam Dei, *annunciabo in sæculum* : deinde declarans, quomodo annunciabit, *Cantabo*, inquit, *Deo Jacob*, hæc erit annunciatio mea hymnus laudis, et gratiarum actionis *Deo Jacob*, quem in æternum cantabo.

10. Et omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua justi.

Hæc vero Dei vox est, qui subjungit et concludit Psalmum, dicens, Et ego *confringam omnia cornua peccatorum* : omnem superbiam, omnem gloriam, omnem potentiam, *Et exaltabuntur cornua justi*; et faciam, ut exaltetur gloria, et potentia justi cujuscumque, sed præcipue Christi, qui sic fuit eminenter justus, ut multos justificaverit, ut dicitur Isaiæ 52. *Justificabit ipse justus servus meus multos.* Posset hic versiculus conjungi cum superiore, ita ut Propheta intelligatur utrumque dicere. *Annunciabo in sæculum, et omnia cornua peccatorum confringam.* Dicitur enim confringere cornua peccatorum non solum, qui reipsa peccatores humiliat, sed etiam qui denunciat peccatores humiliandos esse, ad quem modum dicitur Hieremias constitutus *super gentes, et Regna, ut destruat, et evellat, ædificet et plantet.* Hierem. 1. Videtur tamen prior expositio magis accommodata huic Psalmo, qui secundum formam dialogismi compositus est, ut S. Hieronymus in Commentario, docet.

PSALMUS LXXV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem, in laudibus Psalmus Asaph, canticum ad Assyrios.

Propter ultima verba Tituli, *canticum ad Assyrios,* quæ non sunt in codice Hebraico, existimant Theodoretus, Euthymius, et multi recentiores in hoc Psalmo prædici victoriam, quam obtinuit Ezechias de Sennacherib Rege Assyriorum. Sed non dubium est, altiore sensu prædici victoriam electorum Dei adversus omnes hostes tum visibiles, tum invisibiles.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus.

Propter hæc verba valde superbiunt carnales Judæi, sed frustra. *Notus* enim erat *Deus in Judæa* terrena, quando in ea degebant Prophetæ et populus Prophetis acquiescens: et pari ratione, *in Israel* secundum carnem *magnum erat nomen Dei*, quando populus Israel non solum carne, sed etiam corde circumcidebatur: sed posteaquam Dei filium, quem omnes Prophetæ annunciaverant, negaverunt, et ejus populus esse desierunt; non est amplius Judæa terrena notus Deus; neque in Israel secundum carnem, magnum est nomen ejus. Quia tamen hic Psalmus in titulo habet, in finem, et ideo respicit Christum, qui est finis legis, et usque in finem mundi canendus est: nunc etiam verum est, et semper erit verum, quod hic dicitur, *Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus.* Sed per Judæam Ecclesia accipienda est, in qua sunt veri Judæi, circumcisi corde, non carne, de quibus Apostolus ad Rom. 2. *Non qui in manifesto Judæus est, neque quæ in manifesto in carne est circumcisio: sed qui in abscondito Judæus est, et circumcisio cordis in spiritu, non littera.* Et cap. 9. *Non omnes, qui ex Israel, hi sunt Israelitæ*, etc. In Ecclesia igitur Christiana notus Deus est, et in populo Christiano magnum est nomen ejus: major enim sapientia est in parvulis Christianis callentibus brevissimum Catechismum, quam olim fuerit in Philosophis Gentium, vel in magistris in Israel. Sed præcipue notus Deus est viris perfectis in Ecclesia Dei, qui totos se contemplationi rerum divinarum dediderunt, et ex contemplatione in confessionem divinæ magnitudinis toto corde erumpunt. Judæa enim confessionem significat.

2. Et factum est in pace locus ejus, et habitatio ejus Sion.

Ad litteram redditur ratio cur in Judæa potius, quam in aliis locis olim Deus notus esset: quia videlicet Jerusalem, quasi Regiam suam; et Sion quasi arcem sibi Deus elegerat. *Et factus est*, inquit, *in pace locus ejus,* id est, Deus elegit sibi locum peculiarem, in quo tabernaculum suum collocaret, in civitate Salem, quæ pacem significat: *Et habitatio ejus in Sion,* id est, elegit sibi habitationem in Sion; quæ est pars altissima, et nobilissima civitatis Jerusalem. In Hebræo pro *in pace,* habetur, בשלם *beschalem*, in Salem, quod est nomen civitatis Jerosolymæ; sed Septuaginta interpretati sunt nomen, et ideo verterunt *in pace:* nam, ut dicitur ad Hebr. 7. *Rex Salem*, est *Rex pacis.* Itaque hoc loco ad litteram *in pace*, non significat virtutem, sed civitatem: quod satis facile intelligitur ex verbis sequentibus, *Et habitatio ejus in Sion.* Sed altiore sensu significatur, ideo Deum notum esse viris perfectis, quia Deus præcipue habitat in mentibus pacem habentium, et contemplantium: nam ut Salem significat pacem; ita Sion speculam. Et nisi quis per mortificationem carnis pacem habeat ad Deum, ad proximum, et ad seipsum, non facile per contemplationem transcendit res omnes creatas, et uni Deo conjungitur.

3. Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, et bellum.

Hic etiam describit victoriam adversus Assyrios, de quibus in titulo Psalmi. Historia hujus victoriæ habetur lib. 4. Reg. 19. ubi Deus liberavit Jerusalem ab obsidione Regis Sennacherib sine ulla pugna Judæorum. Angelus enim Domini una nocte occidit centum octoginta quinque millia Assyriorum, et eo modo *confregit Deus potentias arcuum;* id est, sagittas, quas Assyrii paraverant, ut jacerent in Hebræos, et *scutum,* quod paraverant, ut se defenderent ab Hebræis, et *gladium*, quem exacuerant, ut cominus pugnarent adversus eos, adversus quos sagittis eminus pugnassent; denique *bellum* totum confregit, id est, avertit ab urbe Jerusalem. In Hebræo pro vocibus, potentias arcuum, habetur, רשפי חשת *rispecheseth,* quæ voces proprie significant *carbones arcuum*, id est, jacula ignita arcuum: sed Septuaginta verterunt, *Potentias arcuum*, quia potentia arcus in sagittis ejaculandis consistit. Altiore sensu per jacula ignita, et gladios, significantur tentationes dæmonum, et persecutiones hominum. Per scuta intelliguntur prætextus varii, quibus se tegunt

hostes nostri spirituales, cum nos oppugnant: sed in animis perfectorum servorum suorum Deus victorias maximas obtinet, ut perspicuum est ex historiis sanctorum Martyrum, et perfectorum Monachorum.

4. Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis : turbati sunt omnes insipientes corde.

Ostendit Propheta, unde potissimum orta sit victoria Hebræorum adversus Assyrios : id autem facit per apostrophen ad Deum; *Illuminans*, inquit, *tu mirabiliter a montibus æternis*, id est, confregit Dominus in Jerusalem arma offensiva et defensiva Assyriorum : ille autem Dominus tu es, qui hæc fecisti, dum ex cœlis, tamquam *æternis quibusdam montibus* tuis, ac veluti altissima specula, et arce tua, *mirabiliter* fulgurasti, et Angelum tuum tamquam cœleste fulmen misisti in exercitum Assyriorum, unde *turbati sunt omnes* illi milites Sennacherib, tamquam amisso judicio obtenebrati, et præ stupore mentis *insipientes corde* effecti. Quod ad verba attinet, in Hebræo pro voce, *æternis* est טרף *tereph*, quæ prædam significat, vel captivitatem, non æternitatem. Sed omnino necessarium est, ut Septuaginta Interpretes aliquid aliud legerint : neque enim fieri potest, ut viri doctissimi, et utriusque linguæ peritissimi verterint, montibus æternis, vel Græce ἀπ' ὀρέων αἰωνίων, si legissent, מהרר טרף *meharere tereph.* Itaque suspicor eos legisse, טרם *terem*, non טרף *tereph*, significat autem, *terem, ante*, vel, *antequam*, sive *priusquam :* et fieri potest, ut non solum sit adverbium, sed etiam nomen, et significet, antiquitatem, vel antiquum, quomodo, חדם *chedem*, significat ante, et significat etiam antiqua ; ut patet ex Psalmo 76. versu 6. *Cogitavi dies antiquos.* Et Psal. 43. vers. 2. *Quod operatus es in diebus antiquis.* Idem autem est, *a montibus æternis*, et *a montibus antiquis;* quemadmodum Dan. 7. *Antiquus dierum* dicitur Deus, quia æternus est. Illud autem, *turbati sunt omnes insipientes corde*, Sanctus Hieronymus vertit ex Hebræo, *Spoliati sunt superbi corde.* Sed Septuaginta Interpretes sensum verterunt. Illud enim, *spoliati sunt*, non significat, spoliati sunt vestibus, sed spoliati sunt judicio, erraverunt, stupefacti sunt : quod est idem cum illo, *turbati sunt.* Pro, insipientes corde, Sanctus Hieronymus vertit, *superbi corde*, quia legit, אביוי לב *abbire leb :* Septuaginta legerunt, אבידי לב *abbide leb :* facile autem fuit mutari unam litteram in aliam similem, id est, *daleth*, in *resch.* Jam vero in sensu spirituali significat hic versiculus, principium victoriæ adversus hostes invisibiles esse illuminationem internam Dei, per quam videre nos facit Deus tum ipsos hostes, tum ipsorum fraudes ; nec non bona invisibilia, *quæ præparavit Deus diligentibus se;* et mala invisibilia, quæ præparavit odio habentibus se. Et quemadmodum Deus illuminans mirabiliter a montibus æternis cœlestis habitaculi sui, fortissimos reddit servos suos : sic e contrario conturbat hostes suos, insipientes corde, qui videntes viros sanctos et perfectos contemnere visibilia, condonare injurias, bonum pro malo reddere, durissima quæque propter Deum libenter pati, obstupescunt, et irascuntur; sed in fine dicturi sunt, *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore.* Sap. 5.

5. Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

Communis expositio est, quod Propheta describat mortem Assyriorum, qui ab Angelo interfecti sunt, ut hic sit sensus, *Dormierunt somnum suum :* id est, somno mortis soporati sunt, qui Jerusalem desiderabant invadere, et se brevi eam capturos, et spoliaturos esse sperabant : et *omnes viri divitiarum nihil invenerunt in manibus suis*, id est, et isti Assyrii, qui ditissimi erant, et majores divitias appetebant : post mortem illam repentinam in infernum detrusi, nihil invenerunt in manibus suis, neque ex iis, quæ habebant, neque ex iis, quæ sperabant. Sed altiore sensu doctrina generalis traditur adversus insipientes corde, qui magnifaciunt bona temporalia, et despiciunt viros sanctos et perfectos, qui ista contemnunt. *Dormierunt*, inquit, *insipientes corde somnum suum*, id est, toto tempore vitæ hujus quasi sopore gravi concupiscentiæ et ignorantiæ oppressi quiete dormierunt, somniantes se divites, et beatos esse : sed ubi per mortem evigilaverunt (pœna enim aperit oculos, quos culpa clauserat) nihil invenerunt in manibus suis : et tunc intellexerunt, bona hujus vitæ non vera bona, sed ludibria somniantium fuisse, et ex iis nihil sibi remansisse, nisi vermem conscientiæ, et pœnæ sempiternæ reatum.

6. Ab increpatione tua Deus Jacob, dormitaverunt, qui ascenderunt equos.

Declarat mortem Assyriorum non fuisse naturalem, sed ab ipso Deo irato immissam. *Ab increpatione tua, Deus Jacob, dormitaverunt*, illi videlicet, de quibus dictum est versu superiore, *Dormierunt somnum suum*, illi, inquam, dormierunt somnum suum *ab increpatione tua* prostrati, et interfecti soporem mortis acceperunt : nam increpatio Dei efficacissima est, et eam continuo effectus sequitur. Si enim B. Petri increpatio Ananiam, et Saphiram occidit. Act. 5. quanto magis increpatio Dei omnipotentis? Illud, *qui ascenderunt equos*, est descriptio superbiæ, et arrogantiæ Assyriorum, qui in equitatu suo confidebant. In Hebræo ad verbum habetur, *currus et equus :* sed Septuaginta non legerunt, רכב *recheb*, id est, *currus*, sed רכב *rocheb*, id est, *eques*, ut sensus sit, *Consopiti* sunt eques et equus. In sensu autem spirituali significatur, morte sempiterna plectendos ab irato Deo, et dæmonem tanquam equitem, et hominem peccatorem tanquam equum, qui dæmonem sibi insidere, et ab eo regi se turpiter passus est.

7. Tu terribilis es, et quis resistet tibi, ex tunc ira tua?

Alloquitur nunc Propheta Deum, et ex ultione et supplicio Assyriorum admiratur potentiam Dei erudiens nos, ut similiter admiremur, et timeamus, *Tu*, inquit, *terribilis es, et quis resistet tibi*, quando iratus fueris? Illud enim, *ex tunc ira tua*, significat, ex quo tempore incipit ira tua, et conjungendum est cum præcedentibus, ut conjungit etiam S. August. Sed in textu Latino ponitur distinctio, et interpunctio

sæpe ob commoditatem canentium. Illud, *Quis resistet tibi*, in Hebræo est ad verbum, רפניך מי יעמוד *mi iehhamod lephanecha, Quis stabit ante faciem tuam?* quod aliquid amplius significat, quam resistentiam, quasi dicat, Quis audebit faciem tuam iratam intueri? Sed Septuaginta sensum verum transtulerunt.

8. De cœlo auditum fecisti judicium, terra tremuit, et quievit.

9. Cum exurgeret in judicium Deus, ut salvos faceret omnes mansuetos terræ.

Occasione accepta ex ira Dei in Assyrios, transitum facit ad iram, quam ostendet idem Deus in die Judicii generalis : tunc enim vere et proprie nemo impiorum sustinere poterit vultum irati Judicis : loquitur autem de rebus futuris per verba temporis præteriti more Prophetico. *De cœlo auditum fecisti in judicium*, id est, de cœlo annunciabis per varia signa, quæ erunt in Sole, et Luna, et stellis, et tandem per horribilem tubam Angelicam, ad judicium novissimum te esse venturum : et tunc terra contremiscet; et præ timore silebit, id est, omnes habitantes in terra silebunt, *arescentes præ timore, et expectatione eorum, quæ supervenient universo orbi.* Luc. 21. Illud, *quievit*, non significat requiem a labore, sed taciturnitatem, et silentium ob timorem. S. Hieron. optime sensum vertit, *Terra timens tacebit;* sed Septuaginta verterunt ad verbum, *Terra tremuit, et quievit;* sic etiam est in Hebræo, *Cum exurgeret in Judicium Deus*, id est, de cœlo auditum facies judicium, cum tu Deus exurges in judicium, surges de solio tuo cœlesti, et venies ad judicandum orbem terrarum, *ut salvos facias omnes mansuetos terræ :* hic enim erit finis judicii, ut omnes mansueti, qui sunt in terra, non amplius vexentur a crudelibus, et superbis persecutoribus, sed omnibus impiis, et peccatoribus justo judicio condemnatis, omnes pii et justi salutem æternam, requiem videlicet, et felicitatem sempiternam possideant. Illud, *omnes mansuetos terræ*, satis aperte significat, non posse referri ad liberationem Hebræorum de manu Sennacherib Regis Assyriorum, sed referenda esse ad universam liberationem omnium justorum. Vocat autem Scriptura *mansuetos*, eos qui liberabuntur; quoniam mansuetudo opponitur crudelitati persecutorum, et quoniam mansuetudo propria est discipulorum Christi, qui ut Agnus mansuetus in hoc mundo versatus est, et coram tondente, et jugulante se obmutuit; denique quia mansueti non resistunt Deo revelanti quæ credenda sunt, neque promittenti quæ speranda sunt, neque jubenti quæ facienda sunt, ac per hoc mansuetudo omnes virtutes includit.

10. Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi : et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.

Hoc sequetur ex Judicio ultimo, ut mansueti liberati ab omni oppressione persecutorum, hoc tantum beneficium cogitantes, perpetuo Deum laudent, et festos dies celebrent in cœlo, memoria retinentes hæc Dei magnalia. Illud, *quia*, non reddit rationem hoc loco, sed accipitur pro, *quare,* vel, *propter quod,* ut sensus sit, Quare cogitatio hominis liberati confitebitur tibi laudes, imo ipsa jugis cogitatio tanti beneficii, erit jugis et assidua laudatio : *et reliquiæ cogitationum*, id est, perpetua memoria, quam in ipsis relinquet cogitatio tantæ rei, *diem festum aget tibi*, in æternum tibi cantabit, et jubilabit. Quod attinet ad verba, S. Hieron. ex Hebræo vertit, *quia ira hominis confitebitur tibi, reliquiis iræ accingeris :* quæ verba nullum commodum sensum facere videntur, cum revera satis apte respondeant verbis Hebraicis, quæ nunc in Bibliis excusis habentur. Sed sciendum est vocem, חמה *chama*, posse deduci a verbo, נחם *nacham*, quod *pænitere*, et *consolari*, et secundum Septuaginta etiam *cogitare*, significat : nam Gen. 6. v. 6. ubi nos habemus, *Pænituit Deum, quod hominem fecisset in terra*, Septuaginta Interpretes verterunt, *Cogitavit Deus, quod hominem fecisset in terra.* Quare illud, חמה *chama*, non solum significat iram, sed etiam cogitationem ex sententia Septuaginta Interpretum, quibus major fides habenda est, quam omnibus dictionariis. Illud autem, תחגור *thahgor,* quod significat, *accingeris,* a verbo, חגר *chagar,* Septuaginta Interpretes legerunt sine ullo dubio, תחגג *thichgog*, a verbo, חגג *chagag,* quod *festum agere* significat. Imperitissimi enim fuissent, si vertissent, *festum agere*, et dictionem, quam invenerunt non derivassent a radice, *chagag*, sed a radice, *chagar*, quæ similes sunt, et facile per errorem librariorum mutari potuerunt. Itaque retinenda est lectio, et interpretatio Septuaginta Seniorum, quam fideliter Interpres Latinus expressit.

11. Vovete, et reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu ejus affertis munera.

12. Terribili, et ei, qui aufert spiritum Principum, terribili apud Reges terræ.

Concludit Propheta Psalmum exhortans fideles populos, ad vovendum, et reddendum, ut eo modo placatum habere possint Deum qui terribilis est, adeo ut ipsis etiam Regibus vitam adimat, quando ei libitum fuerit. *Vovete,* inquit, *et reddite*, id est, promittite Deo sacrificia, et dona, quæ illi grata sunt, sed simul fideliter reddite, quæ promisistis. Vovete, inquam, et reddite, vos *omnes qui in circuitu ejus affertis munera*, id est, vos omnes, qui frequentatis aras dominicas et in circuitu altaris consistentes offerre soliti estis munera : vovete autem, et reddite Deo vero, *qui terribilis est* in judiciis suis, et a nemine irrideri, aut falli potest : nec solum terribilis est erga privatos homines, sed etiam in Reges, et Principes, qui aliis hominibus terribiles esse solent. Ex illis verbis, *Vovete, et reddite*, refellitur hæresis modernorum hæreticorum, qui vota rerum non imperatarum a Deo, omnino contemnunt. Sanctus enim Augustinus, exponens hunc locum, scribit rectissime voveri Deo perpetuam virginitatem, spontaneam paupertatem, et alia id genus, quæ a Deo non imperantur. Illud, *in circuitu ejus sunt*, exposuimus de circuitu altaris, juxta illud Psal. 25. *Circumdabo altare tuum Domine.* S. Augustinus docet illos esse in circuitu Dei, qui communem habent Deum; quod enim commune, et

publicum est, in medio ponitur, ut omnes ex eo participent. Illi autem non sunt in circuitu Dei, qui si quid sciunt de Deo, quasi proprium habere volunt. Illud, *affertis munera*, in Hebræo, et Græco legitur in tertia persona, *qui in circuitu ejus sunt, offerunt illi munera*, sed idem est sensus. Illud, *qui aufert spiritum Principum*, exponunt aliqui de spiritu superbiæ, id est, qui humiliat Principes. Sed nostra expositio confirmatur ex Psalmo 103. *Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur :* et in hoc vere ostenditur terribilis Deus; quod potentissimos Reges ad nutum in momento interimere possit.

PSALMUS LXXVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem, pro Idithun Psalmus Asaph.

Cur dicatur in titulo, pro Idithun Psalmus Asaph, omnino difficile est divinare. Euthymius existimat, Psalmum datum esse ad decantandum ipsi Asaph, pro Idithun, id est, vice Idithun qui forte cantare impediebatur, nimis humilis explicatio est, neque vox Hebraica אל ידותון *hal Iedathun*, patitur ut, pro, significet, vice; cum ad litteram sonet, *super Idithun Psalmus Asaph.* Alii existimant, Psalmum compositum ab Asaph, et datum ipsi Idithun ad canendum. Sed neque id probabile est, cum Idithun fuerit unus ex Principibus Cantorum, non minus quam Asaph. Alii volunt Psalmum cantatum esse alternatim ab Idithun, et Asaph. Alii denique nomen Idithun hoc loco volunt non esse nomen cantatoris, sed instrumenti musici, vel certi generis modulationis, ad cujus formam Psalmus canendus esset; atque huic expositioni satis convenit illa phrasis, *Psalmus Asaph super Idithun.* Argumentum est oratio adversus tribulationes : quæ sit autem tribulatio, de qua Psalmus hic loquitur, non convenit inter auctores : aliis existimantibus hic agi de captivitate Babylonica; aliis de persecutione Antiochi, quæ contigit tempore Machabæorum; aliis de incerta, et nobis incognita tribulatione : sed S. Augustinus utilissime exponit Psalmum de miseria humana generatim, ac præsertim de ea, quam sentiunt viri perfecti, qui dum anhelant ad patriam cœlestem, molestissime ferunt moram exilii, et peregrinationis.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Deum, et intendit mihi.

Indicat hoc primo versiculo anima viri sancti quam moleste ferat moram, et pericula hujus peregrinationis. Dicit enim, *voce mea*, id est, non per nuncios, non per amicos, non etiam per linguam corporis mei, sed *voce mea*, proprio animæ desiderio pulsavi aures Dei. Dicit, *ad Dominum*, vel ut est in Hebræo, אל אלהים *el elohim*, *ad Deum*, et repetit secundo, ad Deum, quia videbat a nulla re creata posse obtineri, quod cupiebat, ideo transiliens omnia ad ipsum Deum accessit. Dicit, *clamavi*, quia se videbat in regione dissimilitudinis longe separatam a Deo, magna voce, magno affectu sibi opus esse, ut de tanto profundo, ad tantam sublimitatem vocem suam transmitteret. Addit, *et intendit mihi*, ostendens sibi profuisse ejusmodi clamorem. In Hebræo ad verbum est, והאזין אלי *veheazin eli*, id est, *et aures mihi præbuit*.

2. In die tribulationis meæ Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum, et non sum deceptus.

Declarat cur, et quomodo Deum quæsierit, et invenerit. *In die tribulationis meæ Deum exquisivi*, id est, in tempore hujus vitæ mortalis, *quæ est tota tentatio*, ut dicit sanctus Job, cap. 7. vel, ut in nostro textu habetur, *militia*, id est, *perpetua colluctatio cum vitiis, et concupiscentiis nec non principibus, et potestatibus aeris*, ut dicitur ad Ephes. 6. unde exclamat Apostolus Rom. 7. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Manibus meis nocte contra eum*, id est, in nocte hujus vitæ manibus contra Deum extensis illum quæsivi attingere, et apprehendere, *et non sum deceptus :* tempus hujus vitæ non est dies, sed nox, quia *per fidem ambulamus, et non per speciem.* 2. Corinth. 5. et opus habemus attendere *ad lucernam scripturæ lucentem in caliginoso loco*, ut dicitur 2. Pet. 2. Noctu autem melius quærimus manibus tentando, quam oculis vestigando; unde dicit Apostolus Act. 17. *Quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant.* Porro manibus quærere Deum in nocte, nihil est aliud, nisi per opera bona, per obedientiam mandatorum, per vitæ puritatem in hoc exilio caliginoso Deum quærere : et sæpe contingit, ut qui ita quærunt, Deum attingant, quem speculando, vel legendo invenire non potuerant : testimonium enim conscientiæ bonæ, et patientia in tribulationibus, et frequentes victoriæ adversus tentationes, efficiunt, ut anima experimento quodam dulcedinem Dei sentiat, et testimonium spiritus in se habeat, quod sit filius Dei. In Hebræo pro, contra eum, habetur, נגרה *niggera*, id est, *extenta*, ut sensus sit, Nocte manus mea extenta est ad eum; et idem est sensus; sed

Septuaginta non videntur legisse, נגרה *niggera*, sed, נגדה *negda*, id est, contra, vel e regione; voces enim simillimæ sunt, ut patet. Rursus ibi nos habemus, *et non sum deceptus*, ex Hebræo vertunt alii, *et non quiescit, vel non remittitur,* manus mea videlicet, id est, manus mea extenta, et debilitata, aut fatigata non quievit. Sed Septuaginta verterunt sensum, non verba. Significarunt enim manum viri justi ad Deum quærendum extentam non quievisse præ lassitudine, quia invenit cito, quod quærebat, et ideo virum justum manibus quærendo non fuisse deceptum, hoc est spe sua frustratum. Multi hunc versiculum exponunt de extensione manus in oratione tempore nocturno, quorum expositionem non reprehendo, sed malui S. Augustinum sequi, qui etiam satis apte adducit hoc loco factum S. Thomæ Apostoli, qui manibus tangendo Christi cicatrices, Deum quæsivit in nocte dubitationis, et non est deceptus : nam invento Deo exclamavit, *Dominus meus, et Deus meus.*

3. Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, et delectatus sum : et exercitatus sum, et defecit spiritus meus.

Quia quærens Deum non fuit deceptus : renuit deinceps anima ejus consolationem accipere a rebus mundi hujus, quoniam videbat in omnibus esse deceptionem, *Renuit,* inquit, *consolari anima mea,* id est, quantumvis blandirentur carnales voluptates, noluit inde gaudere anima mea, sciens eas secum trahere graviores tristitias. *Memor fui Dei, et delectatus sum,* id est, ne tamen sine omni consolatione essem, *memor fui Dei* qui nullum decipit, et in quo solo solidum gaudium reperitur, quod nemo potest tollere a nobis; *et delectatus sum.* Magnum est hoc arcanum sapientiæ Dei, quod in hoc exilio plus delectet memoria Dei, quam præsentia carnalium voluptatum : et si in medio illecebrarum carnalium tantum delectat memoria Dei, quantum delectabit ipsa præsentia Dei, quando nullæ erunt carnales illecebræ? *Exercitatus sum, et defecit spiritus meus,* id est, post memoriam Dei, et voluptatem inde haustam, exercitatus sum meditando, et mecum ipse colloquendo de mœroribus exilii, et de jucunditate patriæ, et præ desiderio defecit spiritus meus. In Hebræo, pro, *delectatus sum* habetur, ואהמיה *vechemaiah*, quod proprie significat, *et sonui*, sive clamavi : quod potest intelligi de clamore lætitiæ, ut Septuaginta intellexerunt, et de clamore turbationis, ut intellexit S. Hieronymus, qui vertit, *conturbabor.* Pro illo, *exercitatus sum,* S. Augustinus legit, *garrivi,* quod vox Græca ἠδολεσχοῦν, significare videtur : sed vox Hebraica, אשיחה *asicha*, quæ frequens est in Psalmis, significat *summisse loqui,* sive *secum loqui,* quod est proprium meditantium, et se in consideratione exercentium. Illud, *defecit spiritus meus,* exponunt nonnulli de defectu ob ingruentes tribulationes, quasi eas diutius ferre non posset; sed non minus proprie dicitur spiritus deficere, quando magno desiderio alicujus rei tenetur; quo modo etiam languere, et liquefieri dicitur, juxta illud Psal. 83, *Concupiscit, et deficit anima mea, in atria Domini.*

4. Anticipaverunt vigilias oculi mei, turbatus sum, et non sum locutus.

Declarat quod dixit; exercitatus sum, et ait, *Anticipaverunt vigilias oculi mei,* id est, noctu surgebam ad meditandum, antequam excubiæ militares vigilare inciperent : nam per vigilias intelliguntur *custodiæ*, sive *excubiæ*, ut perspicue habetur in codice Hebraico, שמרות *schemuroth*, et Græco, φύλακας. Similis est locus in Psal. 118. *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.* Quod sequitur, *Turbatus sum, et non sum locutus;* significat ex meditatione periculorum hujus vitæ, Prophetam turbatum fuisse, sed non fuisse ausum aliquid loqui, quod sciret, judicia Dei justissima, quamvis occulta. In Hebræo pro, *Anticipaverunt vigilias oculi mei*, habetur, *tenuisti custodias oculorum meorum.* Sanctus autem Hieronymus vertit, *Prohibebam suspectum oculorum meorum.* Sanctus denique August. legit, *Anticipaverunt vigilias inimici mei,* sed illud, *inimici mei,* non habetur in Hebræo, neque in Latina editione vulgata, proinde facile contemni potest. Vox Hebræa, אחזת *achazta*, quæ significat, *tenuisti*, non fuit in Codice S. Hieronymi, neque Septuaginta Interpretum. Manifeste enim est verbum temporis præteriti secundæ personæ a radice, אחז *achaz*, quæ significat *tenere, apprehendere, possidere,* et similia : quare S. Hieronymus, qui vertit, *prohibebam*, et Septuaginta qui verterunt, *anticipaverunt*, sine dubio aliquid aliud legerunt. In re autem tam obscura nihil est tutius, quam antiquissimæ versioni Septuaginta Interpretum adhærere, quam nobis fideliter Interpres Latinus expressit. Verum est tamen, Hebraicam lectionem, qualis nunc est, in sententia non discrepare a lectione editionis vulgatæ. Illud enim, *tenuisti custodias oculorum meorum,* ita exponi potest, Tu Deus tenuisti palpebras oculorum meorum, ne clauderentur in somnum, ac per hoc fecisti, ut tota nocte vigilarem, et sic vigilias omnium excubiarum anticiparem.

5. Cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui.

Ecce quid meditaretur quando præveniebat vigilias. *Cogitabat dies antiquos*, id est, dies hujus vitæ temporalis a principio usque ad finem : et simul cogitabat *annos æternos vitæ futuræ*, qui non prætereunt, sed stabiles permanent : neque sola spatia cogitabat, sed quæ habemus, et quæ agimus in his diebus, qui mox antiquantur, et pereunt; et quæ habebimus, et agemus in annis æternis, qui semper in eodem statu permanent. Digna plane cogitatio, quæ totas noctes occupet meditantem.

6. Et meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum.

Idipsum aliis verbis repetit, et inculcat, dicens, *Et meditatus sum nocte cum corde meo,* id est, et consumpsi integras noctes, mecum ipse colloquendo, non ore, sed corde : *et exercitabar,* cogitando videlicet, ac mecum ipse discurrendo : *Et scopebam spiritum meum,* id est et hoc modo quasi scopis cogitationum versabam huc atque illuc spiritum meum. In Hebræo pro, et meditatus sum, habetur, נגנתי *neghinathi*, quod significat *canticum meum*, vel *psalmum meum*, ut vertit S. Hieronymus. Sed Septuaginta sine dubio legerunt, ut infra versiculo duodecimo,

והגיתי *vehaghithi*, quod significat, *et meditatus sum* : et facile fuit librariis in hac re errare cum similes voces sint ; nec sit ullo modo credibile Septuaginta viros, aut ullum alium interpretem redditurum, *et meditatus sum*, si legisset, *veghinathi*. Illud autem, *et scopebam*, S. Augustinus legit, *Et scrutabar spiritum meum;* et hoc proprie significat vox Hebraica, ויחפש *iechappis*, quæ hoc loco habetur : tamen S. Hieronymus novo et inusitato vocabulo vertere maluit, *scopebam spiritum meum.* Intelligimus autem ex utraque lectione illud, *scopebam*, non significare, *scopis mundabam*, aut *purgabam*, sed *scopo verrebam et agitabam* : ut enim mulier illa de Evangelio Luc. 15. domum verrebat, ut drachmam perditam inveniret : sic iste spiritum suum scrutabatur, et quasi scopis verrebat, ut veritatem absconditam inveniret. Idem S. Hieron. in commentario dicit, *scopebam*, id est, fodiebam : et in epist. ad Suniam et Fretellam dicit *scopebam*, idem esse, *quod sarculo sarriebam* : quare perspicuum est, *scopebam*, non esse, mundabam, sed versabam. In Hebræo habetur, ויחפש רוח *veiecheppes ruchi*, *scopebat*, vel, *scrutabatur spiritus meus* : tamen S. Hieron. vertit in prima persona, *scopebam*, et in epist. ad Suniam et Fretellam dicit Septuaginta vertisse in prima persona non in tertia, ἔσκαλλον, non ἔσκαλλε, sic etiam legit S. August. Proinde videtur error librariorum esse tum in Hebraico, tum in Græco codice, quoad mutationem personæ.

7. Numquid in æternum projiciet Deus? aut non apponet, ut complacitior sit adhuc?

8. Aut in finem misericordiam suam abscindet, a generatione in generationem?

9. Aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?

Hæc est meditatio, et agitatio mentis, in qua noctu exercebatur. Videns enim multitudinem hominum peccatorum prope infinitam, et quod vix inveniretur, qui faceret bonum, dicebat intra se, num Deus projiciet omnes homines in interitum sempiternum? Ubi est igitur infinita misericordia ejus? Sed his interrogationibus contrariam sententiam concludere intendit, videlicet futurum aliquando tempus redemptionis generis humani, quo per misericordiam Dei, non solum reliquiæ Judæorum, sed etiam multitudo gentium salvaretur. Ait igitur, *Numquid in æternum projiciet Deus?* id est, numquid Deus tantam multitudinem generis humani in æternum projiciet a misericordia sua, et in infidelitate, et cæcitate dimittet? quasi dicat, non projiciet, sed tempore suo visitabit. *Aut non apponet, ut complacitior sit adhuc,* id est, numquid Deus non addet aliquando ad iram suam misericordiam suam, ut incipiat sibi complacere in gentibus, quas nunc odio prosequi videtur? Addet omnino propitiationem, *Aut in finem misericordiam suam abscindet, a generatione in generationem?* id est, numquid removebit misericordiam suam ab hominibus in æternum? non removebit. *Aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordiam suam?* id est, non obliviscetur, et non continebit. Facilius est enim Deo continere iram suam, quam misericordiam suam; et ideo quamvis juste irascatur in peccatores, tamen in ipsa ira non continebit misericordiam suam, sed effundet misericordiam, quæ iram mitiget. Quod attinet ad verba, illud, *non apponet ut complacitior sit adhuc?* S. Hieronymus ex Hebræo clarius reddit, non propitiabitur ultra? ad verbum enim in Hebræo habetur, ולא יסיף לרצות עוד *velo iosiph lirtsoth hhod,* id est, *non addet ad complacendum adhuc?* id est, non addet complacentiam, sive propitiationem aliquando? Illud *non abscindet misericordiam suam*, S. Hieronymus ex Hebræo vertit, *ergo non complebit misericordiam suam?* quæ sententia omnino contraria videtur, sed non est : nam vox Hebraica, אפס *aphes*, significat, *consumere*, vel *consumi*, deficere, perire, et similia : quare S. Hieronymus verbum, *complebit*, non accepit in bonam partem, pro eo quod est, *perficere*, sed in malam pro eo quod est, *finire, ut non ultra pergat*, quomodo dicitur Danielis 5. *Numeravit Deus regnum tuum, et complevit illud*, id est, finivit Regnum tuum, jam non ultra regnabis. Additur in Hebræo, גמר אמר *gamar homer*, id est, *Consummabitur verbum*, sic enim habetur ad litteram in Hebræo. *Numquid peribit in finem misericordia ejus, consummabitur verbum a generatione in generationem?* ubi illud, *Consummabitur verbum*, omissum est a Septuaginta Interpretibus, et ab omnibus antiquis Interpretibus, ut testatur S. Hieron. in epist. ad Suniam et Fretellam, qui etiam addit, recte non haberi in Latino : Ex quo intelligimus duo illa verba additia esse non solum in Græco, sed etiam in Hebræo. Theodoretus quidem scribit haberi hæc duo verba apud Symmachum ; sed nos majorem fidem habemus S. Hieronymo, quam Theodoreto. Denique illud, *Continebit in ira sua misericordias suas*, S. Hieron. ex Hebræo vertit, *complebit in furore suo misericordiam suam.* Sed non sunt contraria, quia S. Hieron. per *complere*, intelligit, *finire*, et verbum, קפץ *caphaz*, quod habetur hoc loco, significat *claudere*, ac per hoc continere, ne exeat, ne fluat. Idem autem est complere misericordiam, id est, finire, ut jam non sit; et continere, ut non fluat, et claudere, ut non exeat.

10. Et dixi, Nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelsi.

Prævisa, et prædicta redemptione, dicit Propheta, se respirare cœpisse a tædio, et mœrore, quo ante tenebatur. *Et dixi*, inquit, *nunc cœpi*, id est, nunc incœpi respirare posteaquam meditando, et vigilando, Deo revelante cognovi, misericordiam Domini effundendam super genus humanum, *hæc est mutatio dexteræ Excelsi*, id est, mutatio, quam prævideo, et prædico, iræ divinæ in misericordiam : iniquitatis hominum in justitiam ; captivitatis in redemptionem ; pœnæ sempiternæ in gloriam æternam ; mutatio est admirabilis, quam nemo poterat efficere, nisi dextera Excelsi, quæ Christus est, ipse enim placavit iram Patris, et in benevolentiam commutavit, ipse justificavit impios, ipse redemit captivos, ipse glorificavit miseros ; et quod mirabilius est, hanc mutationem fecit dextera Excelsi quodam modo per suam mutationem, ut notat S. Hier. in commentario, ipsa enim dextera Excelsi infirmata est, ut nos roboraret; et *cum esset in forma Dei formam servi accepit.* Pro *nunc cœpi*, S. Hieronymus vertit ex Hebræo, *imbecillitas mea* : alii, *do-*

lor meus; alii aliter. Sed vox Hebraica, *callothi*, ambigua est et omnes interpretationes admittit, in re autem ambigua, mirum est, cur non anteponatur omnibus interpretibus auctoritas Septuaginta Seniorum, qui sapientia, antiquitate, et admirabili inter se concordia omnibus præstant.

11. Memor fui operum Domini, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.

12. Et meditabor in omnibus operibus tuis, et in adinventionibus tuis exercebor.

Respirans jam Propheta in spem futuræ redemptionis, dicit, se memorem futurum operum Domini mirabilium; et incipit enarrare mirabilia quædam opera. *Memor fui*, inquit, *operum Domini, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum*, id est, antea quidem memor fui aliquorum operum Domini, quæ fecit in Ægypto coram Patribus nostris; sed nunc, o Domine, memor ero ab initio Mundi omnium mirabilium tuorum, *Et meditabor in omnibus operibus tuis*, considerans videlicet opera justitiæ, et misericordiæ; opera potentiæ, et sapientiæ; opera naturæ, et gratiæ: *Et in adinventionibus tuis exercebor*, mente revolvens, et admirans arcana consilia, et admirabiles rationes curandi genus humanum, quas sapientia tua adinvenit. Illud, *quia*, non est semper particula causalis, sed ex Hebraica phrasi interdum redundat, interdum exponenda est juxta exigentiam loci, hoc loco videtur exponenda per, *sed*, vel, *etiam*, vel, *quin etiam*. Illud, *adinventionibus*, Hebraice, עלילות *haliloth*, significat *opera*, et *cogitationes*, sed opera egregia, et cogitationes prudentes, hoc loco, ut etiam Isaiæ 12. et 2. Paralip. 16. accipitur pro adinventionibus sapienter, et subtiliter excogitatis ab ipso Deo, quæ numquam venissent hominibus in mentem, nisi eas opere completas vidissent, talis adinventio fuit incarnatio Verbi, passio Christi, mysterium Eucharistiæ, et similia.

13. Deus in sancto via tua; quis Deus magnus, sicut Deus noster? tu es Deus, qui facis mirabilia.

Incipit laudare opera Domini mirabilia, in quibus cogitandis exerceri solebat: ac primum generatim dicit opera Domini esse sancta, magna, et mirabilia, id est, facta sancte, potenter, et sapienter, sicut ipse sanctus omnipotens, et sapientissimus est. *Deus*, inquit, *in sancto via tua*, id est, actio tua, sive operatio tua, per quam ad nos quodammodo exis in sanctitate efficitur, nihil enim agis, quod non rectum, et justum sit. In Hebræo est, חדש *chodes*, quod proprie sanctitatem significat: proinde exponendum est, *in sanctitate*, quod nos legimus, *in sancto. Quis Deus magnus sicut Deus noster?* id est, non solum Deus noster sanctus est, et sancta via ejus; sed etiam magnus, et magna opera ejus, *Tu es Deus, qui facis mirabilia*, id est, non modo sancta, et magna; sed etiam mirabilia sunt opera tua ob sapientiæ profunditatem, quæ in ipsis cernitur. Sanctus Augustinus legit, Qui facis mirabilia solus. Sed nostri codices Hebraici, Græci, et Latini non habent hanc vocem, *solus*. Verissimum tamen est, Deum solum mirabilia facere, quia ipse solus non eget auxilio aliorum: et omnes alii, qui mirabilia faciunt, ut Apostoli et Prophetæ, et alii sancti viri dono miraculorum præditi nunquam faciunt mirabilia soli, quia sine Deo nihil facere possunt. Illud, *in sancto via tua*, potest etiam congruere cum textu Hebraico ad litteram, si mutentur puncta, et legamus, קדש *chados*, non *chodes*. Et hac lectione posita secundum Augustinum; sanctus est Christus, et via Dei dicitur esse in sancto, quia per Christum imus ad Deum, et Deus per Christum venit ad nos: secundum Hieronymum via est Christus, et Christus in sancto habitat, quia *in malevolam animam non introibit sapientia*, ut dicitur Sap. 1. proinde sanctus sit, qui Christum in se habitantem habere desiderat.

14. Notam fecisti in populis virtutem tuam: redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Jacob et Joseph.

Descendit ad particulare opus Dei magnum, et mirabile; videlicet ad liberationem populi de Ægypto, *Notum*, inquit, *fecisti in populis virtutem tuam*, id est, potentiam tuam manifestasti populis Ægyptiorum, atque aliarum gentium quæ audierunt plagas Ægypti. *Redemisti in brachio tuo populum tuum*, quando per multa signa, et prodigia liberasti populum tuum, qui miseram servitutem serviebat in Ægypto. *Liberasti autem in brachio tuo*, id est, propria tua potentia, et fortitudine, quia non eges aliorum auxilio. *Filios Jacob, et Joseph*, id est, liberasti populum tuum, qui constat ex filiis Jacob, et Joseph. Nominatur autem Joseph cum ipso Jacob patre suo: quia populus Israel constabat ex tredecim tribubus, quarum undecim descendebant ab undecim filiis Jacob, duæ autem a filiis Joseph, Ephraim videlicet, et Manasse. Spiritualiter *notam fecit Deus virtutem*, id est, potentiam suam in populis omnium gentium; quia redemit ex omnibus gentibus populum suum a tyrannide diaboli, *in brachio suo*, quod est Christus. De quo dicitur Isaiæ 53. *Brachium Domini cui revelatum est?* Sunt autem in populo Dei filii Jacob, et filii Joseph, id est, ut S. Augustinus exponit, Judæi et Gentiles ad fidem conversi. Per filios enim Jacob intelliguntur carnales Israelitæ, per filios Joseph ii, qui in Christo renati sunt. Joseph enim invidia fratrum in Ægypto venditus, ibique primum humiliatus, deinde exaltatus Christum significat, qui invidia Judæorum extra Synagogam ejectus, venditus et humiliatus, deinde per Resurrectionem, et Ascensionem ita exaltatus est, ut impletum sit, quod in Psalmo 71. dicitur, *Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei.*

15. Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, et timuerunt, et turbatæ sunt abyssi.

Describit scissionem maris Rubri, quæ facta est, quando Deus liberavit populum suum a servitute Pharaonis. Describit autem more poetico, tribuens aquis, et sensum, et tremorem, quasi ob timorem præsentiæ Dei aquæ recesserint: quo modo etiam dicitur in Psal. 113. *Mare vidit, et fugit. Viderunt*, inquit, *te aquæ Deus, viderunt te aquæ et timuerunt*, id est, aquæ maris Rubri ita siccatæ sunt jubente te, ac si majestatem tuam vidissent, et ob timorem, et reve-

rentiam fugissent. *Et turbatæ sunt abyssi,* id est, non solum in superficie, sed etiam in imo profundo existentes aquæ, quasi a præsentia tua conturbatæ recesserunt. Abyssus enim nihil est aliud, nisi altitudo, sive profunditas aquarum. Spiritualiter aquæ, populos significant, juxta illud Apocal. 17. *Aquæ multæ, sunt populi multi.* Aquæ igitur, id est, populi gentium viderunt Deum, quando liberavit Dominus populum suum, *quia vidit omnis caro salutare Dei,* Isaiæ 40. Viderunt autem per fidem non per speciem, *et timuerunt,* agnoscentes peccata sua, et judicia Dei; nam per Evangelium (ut dicit Apostolus ad Rom. 1.) sicut revelatur gratia Dei super pœnitentes, et credentes; *Ita revelatur ira Dei super omnem impietatem, et iniquitatem.* Et præcipue turbatæ sunt abyssi, id est, majores et altiores in gentibus, quia per fidem agnoverunt judicia Dei esse abyssum multam ut est in Psalmo 33. et potentes potenter tormenta passuros, ut legitur Sap. 6. Unde in Actis Apostolorum cap. 24. prædicante Paulo de justitia, et castitate, et judicio futuro, *Præses Romanorum Fœlix tremefactus est.*

16. Multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes.

17. Etenim sagittæ tuæ transeunt, vox tonitrui tui in rota.

Descripserat mirabile opus Dei in scissione maris Rubri: nunc describit reversionem maris et tempestatem ad obruendos Ægyptios: quod fuit etiam opus mirabile ejusdem Dei. *Multitudo,* inquit, *sonitus aquarum,* id est, maximus sonitus, et fremitus aquarum postea successit, cum jubente te Deo, aquæ maris quæ steterant instar murorum, dum transiret populus Dei, magno impetu cadentes submerserunt, et suffocaverunt Ægyptios, quando etiam *sagittæ tuæ* cœlestes, id est, fulmina discurrentia *transibant super eos, et vox tonitrui tui super rotarum cursum Pharaonis,* eas subvertebat, et in profundum dejiciebat. Habetur hæc historia in Exodo c. 14. Quod attinet ad verba, illud, *Multitudo sonitus aquarum;* ex Hebræo vertit S. Hieronymus, *Excusserunt aquas nubila,* et hunc sensum manifeste recipiunt Hebraica verba. Possunt tamen tres illæ voces Hebraicæ, זרמו מים עבות *zoremu maim hhavoth,* esse tria nomina distincta, et in casu recto, si solum mutetur unum punctum primæ vocis, et pro, *zoremu,* legatur, *zoremo,* quæ sic commode reddentur, *Inundatio ejus aquæ,* nubila, et sic videntur legisse Septuaginta Interpretes, et accepisse, per inundationem Dei, multitudinem aquarum obruentium Ægyptios; per aquas, et nubila, accepisse causas illius inundationis, quæ fuerunt aquæ maris revertentes in locum suum, et nubila desuper fundentia aliam aquam, ut facilius involverentur in aquis Ægyptii. Hæc autem omnia significarunt breviter per illa verba, *Multitudo sonitus aquarum:* nam et aquæ maris redeuntes et aquæ descendentes e nubibus magnum sine dubio sonitum edebant. Illud, *vox tonitrui tui in rota,* varie admodum exponitur. S. Hieron. ad litteram dicit, vocem tonitrui in rota, esse sonitum tonitruorum in orbe terrarum, et hoc dicit confirmari ex verbis sequentibus, *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ.* Alii volunt dici, *vocem tonitrui in rota,* id est, in æthere, sive in cœlo, quod rotandum est. Posset etiam dici *vox tonitrui in rota,* id est, in nube, quæ est quasi rota, sive currus Dei, ut ostendimus in explicatione Psalmi 17. Sed communior expositio est, quam supra posuimus, ut per *rota,* intelligantur rotæ curruum Pharaonis; quam expositionem tradit Theodoretus, et eam plurimi alii sequuntur. Spiritualiter sonitus aquarum, est confessio populorum, vox nubium est vox Prædicatorum Evangelii; fulmina, et tonitrua, sunt probitas vitæ, et miracula, quibus veritas Fidei confirmatur. Sed illud, *Vox tonitrui in rota,* pulchre admodum exponitur a S. Hieronymo, qui notat vocem tonitrui Evangelii tunc valde commovere populos, quando est in rota, id est, in homine plane spirituali, et contemptore rerum terrenarum, qui terram vix tangat, et transeat, quomodo currens rota in puncto terram contingit, et mox deserit et ad altiora defertur.

18. Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ, commota est, et contremuit terra.

Addit Propheta animadversionem Dei in Pharaonem, non solum innotuisse Judæis præsentibus, sed etiam instar coruscationis cœlestis notam factam esse orbi terrarum, et inde commotionem et tremorem gentibus longe positis attulisse, quod verum esse testatur liber Josue c. 3. ubi Raab dicit, *Audivimus quod siccaverit Dominus aquas maris Rubri ad introitum vestrum, et pertimuimus,* etc. *Illuxerunt,* ait, *coruscationes tuæ orbi terræ,* id est, hæc mirabilia magna, hæ coruscationes, hæc signa, hæc miracula *illuxerunt,* non solis Ægyptiis, et Judæis, sed *orbi terrarum,* longe lateque nota facta sunt, et ideo *commota est, et contremuit terra,* id est, habitantes in terra perturbati sunt, et populum Israeliticum formidare cœperunt. Spiritualiter significatur his verbis, quod in Psalmo 18. clarius habetur de prædicationibus Evangelicis, *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.*

19. In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis, et vestigia tua non cognoscentur.

Hic aperte describitur transitus filiorum Israel duce Deo, per novam, et inusitatam viam, id est, per medium mare sicco vestigio. *In mari via tua,* id est, in mari novo et insolito modo invenisti populo tuo viam, *et semitæ tuæ in aquis multis,* id est, et semitam fecisti eidem populo inter aquas multas. *Et vestigia tua non cognoscentur,* id est, sic admirabili ratione reduxisti populum tuum per medium maris, ut nullus deinceps vestigia tua, et eamdem viam invenire potuerit. Spiritualiter significatur his verbis, opera Domini non solum esse admirabilia, sed etiam investigabilia, quomodo via in mari investigabilis est, quia nulla in ea vestigia relinquuntur.

20. Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi, et Aaron.

Hic fuit finis omnium operum mirabilium Dei in Ægypto, et in mari Rubro ut populum suum inde liberaret, et in terram promissionis introduceret: quod fecit per Mosem et Aaron primos pastores Synagogæ, *Deduxisti,* inquit, *sicut oves populum tuum,* id est, magna facilitate, magna charitate, indefessa providentia deduxisti per desertum, et usque ad promissionis terram,

quasi ad pascua uberrima populum tuum; *in manu Moysi, et Aaron*, id est, sub potestate, et regimine duorum optimorum Principum. Spiritualiter admonemur, eos, qui ad terram promissionis, id est, cœlestem patriam perventuri sunt deducendos esse sicut oves in manu Moysi, et Aaron: ita ut sint mites, et patientes sicut oves in medio luporum: nam ut dicitur Matth. 5. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Et Luc. 25. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Item, ut sinant se regi a magistratu Ecclesiastico, et civili; Deus enim etiamsi paucos quosdam per se doceat, et regat: tamen ordinarie per Vicarios suos regit, et docet, et filios obedientiæ vult esse electos suos. Nominatur autem hoc loco Moses ante Aaronem, non quod Princeps politicus tantum esset Moses, et Princeps Ecclesiasticus Aaron: sed quia Moses primarius erat Princeps Ecclesiasticus et politicus, Aaron autem solum erat Princeps Ecclesiasticus et a Mose, ut majore consecratus, et ordinatus. Quod enim Moses Sacerdos esset, perspicuum est ex Psalm. 98. *Moyses et Aaron in Sacerdotibus ejus*, et ex plurimis actionibus Sacerdotalibus, quas exercuit consecrans Sacerdotes, et tabernaculum, et offerens sacrificia, imo instituens ritus sacrificandi, et omnes cæremonias divini cultus.

PSALMUS LXXVII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

INTELLECTUS ASAPH.

Hic titulus admonet Psalmum non esse ita facilem et apertum, ut in superficie apparet. Videtur enim Psalmus totus historicus esse, atque ad hoc solum compositus, ut populus agnoscens beneficia Dei, et ingratitudinem veterum Israelitarum, qui propterea graviter puniti sunt, discat sequi potius legem Dei, quam exempla majorum. Cæterum non hoc solum Davidi propositum est in hoc Psalmo; sed etiam adumbrare Regnum Christi, qui ex tribu Juda, et familia David existens finem dedit veteri testamento, et novum longe excellentius, et felicius inchoavit. Id enim significat David in extremo Psalmo, ubi posteaquam varia peccata, et varia flagella populi enarravit: tandem concludit, Deum elegisse Judam, non Ephraim, et ex Juda ipsum Davidem, qui deinceps magna tranquillitate populum Dei regeret, et gubernaret. Hoc igitur admonet titulus, Intellectus Asaph; ut nimirum Asaph, cui Psalmus cantandus dabatur, intelligeret, et alios intelligere faceret mysterium futuri Messiæ, et hoc indicant nomina parabolarum, et propositionum, quæ habentur in secundo versiculo Psalmi.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Attendite popule meus legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei.

David hortaturus populum longissimo sermone, captat initio attentionem, ostendens se utilia, et magna loquuturum. *Attendite*, inquit, *legem meam*, id est, præceptiones meas, quæ vos dirigere poterunt ad felicitatem, instar legum optimarum, et sapientissimarum. Atque idipsum repetens, et declarans addit, *Inclinate aurem vestram in verba oris mei*: quod dixerat, *Attendite*, nunc dicit, *Inclinate aurem vestram*; et quod dixerat, *legem meam*, nunc dicit, *verba oris mei*: proinde per legem non intelligit legem Mosis, quæ proprie dicitur lex; sed verba sua, quibus populum instruere, et exhortari volebat, quomodo accepit nomen legis Dominus, cum ait Joan. 15. *Ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis.* Porro inclinare aurem, significat obedienter, et humiliter audire, quando dicitur populo, *inclina aurem tuam*, sed cum dicitur Deo, *inclina aurem tuam*, significat clementer, et misericorditer audire. S. Augustinus hunc primum versiculum tribuit Deo, non Davidi, quia Deus legem suam dedit populo, non David. Sed, ut diximus, hic non agitur de lege proprie dicta, sed de sermone hortatorio. S. Hieron. hunc eumdem versiculum vult esse verba Christi, non Davidis: quia sanctus Matthæus cap. 13. scribit Christum loqui solitum in parabolis, *ut adimpleretur, quod scriptum est, Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi*: quæ verba habentur in secundo versiculo hujus Psalmi: sed S. Matthæus allegavit hunc locum, non ut ostenderet, verba hujus Psalmi esse verba Christi, non Davidis: sed ut significaret, Davidem loquentem in parabolis figuram fuisse Christi, qui in parabolis loquutus erat: quemadmodum cum Joannes dicit cap. 19. *Facta sunt hæc, ut Scriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo*: non vult negare de agno Paschali dicta esse verba illa Exod. 12. *Os non comminuetis ex eo*, sed indicare vult, agnum Paschalem figuram Christi fuisse, et ideo Deo providente factum esse, ut non frangerentur crura Christi crucifixi, quando confracta sunt crura duorum latronum, qui cum ipso crucifixi fuerant. Quod autem nos diximus, secuti Theodoretum ex veteribus, et multos recentiores, verba hujus versiculi, ut etiam sequentium,

esse Davidis, colligitur ex tertio versiculo, ubi Propheta continuans sermonem suum addit. *Quanta audivimus, et cognovimus ea, et Patres nostri narraverunt nobis*, quæ certe neque Deo, neque Christo conveniunt.

2. Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio.

Hæc est ratio, cur David petat attente, et humiliter audiri verba sua, quia videlicet verba hujus Psalmi continent res obscuras et secretas, quæ non possunt intelligi, nisi attente, et humiliter audiantur. *Per parabolas*, intelliguntur hoc loco similitudines, sive proverbia, quæ brevia, et metaphorica esse solent. Per propositiones, intelliguntur ænigmata, quæ obscurissima sunt: id enim significat vox Hebraica, חידות *chidoth*, et Græca προβλήματα, ut perspicuum est ex cap. 14. Judicum, ubi ænigma illud Samsonis, *de comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo*, vocatur Hebraice, חידה *chida*, et Græce problema. Multa sunt autem in hoc Psalmo proverbia, et ænigmata, ut suis locis videbimus: sed illud potissimum ænigma hic significari videtur, quo per Regnum Davidis figuratur Regnum Christi, et per montem Sion adumbratur Ecclesia. Per illud, *ab initio*, si corticem Psalmi respiciamus, videtur intelligi tempus liberationis populi a captivitate Ægyptiaca, quo tempore cœpit populus Israel sub Mose formam habere Reipublicæ, et regi legibus, et judiciis. Sic enim habetur versu sexto, *Et suscitavit testimonium in Jacob, et legem posuit in Israel*: sed sanctus Matthæus cap. 13. citans hunc locum, declarat hoc initium intelligendum esse de initio Mundi, dicens: *Ut adimpleretur quod scriptum est, Aperiam os meum in parabolis, eructabo abscondita a constitutione mundi*. Itaque sensus est, proferam sententias, quæ fuerunt absconditæ, et quasi ænigmata a principio mundi: quamvis enim mysteria Christi omni tempore prædicta, et adumbrata fuerint, tamen velata erant, et paucissimis aperte revelata. De qua re sic loquitur Apostolus ad Ephes. 3. *Mihi autem omnium Sanctorum minimo data est gratia* hæc, *in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi; et illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo*. Proprie autem S. Matthæus dixit, *eructabo*, nam vox Hebraica hoc loco posita, אביעה *abihahh*, non significat loqui quocumque modo, sed ebullire, profundere, ex imo corde proferre: quod per vocem eructare satis aperte explicatur, ructus enim ex plenitudine oritur.

3. Quanta audivimus, et cognovimus ea: et Patres nostri narraverunt nobis.

4. Non sunt occultata a filiis eorum, in generatione altera.

5. Narrantes laudes Domini, et virtutes ejus, et mirabilia ejus, quæ fecit.

Narraturus historiam rerum gestarum, sub quibus tegebantur mysteria abscondita a constitutione Mundi; docet eam historiam accepisse se a Patribus, qui et ipsi a majoribus suis acceperunt. *Loquar*, inquit, *propositiones ab initio*, *quanta* videlicet *audivimus, et cognovimus*, quoniam *Patres nostri narraverunt nobis*; tum scriptis litteris, tum ore proprio: non enim *occulta* esse voluerunt *ea filiis suis*, quos post se *in generatione altera relinquebant*: qui quidem Patres narrantes erant laudes Domini, et virtutes ejus, id est, potentiam ejus admirabilem, et mirabilia opera, quæ fecit: ob quæ dignissimus est omni laude. Illud, *quanta*, in Hebræo est, אשר *ascher*, *quæ*, quare in Græco, et Latino codice ponitur, *quanta*, pro, *quantacumque, vel quotcumque*. Illud, *ea*, redundat apud Latinos, sed usitate ponitur apud Hebræos. Illud, *Et Patres nostri*, videtur positum, pro, *Nam Patres nostri*. Siquidem, *et*, sæpissime usurpatur apud Hebræos, pro, *enim*, ut alias admonuimus. Illud, *non sunt occultata*; non repugnat verbis S. Matthæi, *Eructabo abscondita*: nam res gestæ non sunt occultatæ a filiis narrantium eas: sed mystica significatio abscondita erat ab eis. Denique illud, *narrantes*, conjungitur cum nomine, *Patres*, ut S. Augustinus notavit: ac per hoc verba interposita deberent claudi per parenthesim hoc modo. *Patres nostri narraverunt nobis* (*non sunt occultata a filiis eorum in generatione altera*) narrantes laudes Domini, etc. Posset etiam illud participium, *narrantes*, conjungi cum pronomine subintellecto, hoc modo, Nos igitur narrantes erimus laudes Domini, et virtutes ejus, etc.

6. Et suscitavit testimonium in Jacob, et legem posuit in Israel.

7. Quanta mandavit Patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera.

8. Filii qui nascentur, et exurgent, et narrabunt filiis suis.

Hic incipit narrare res gestas a Deo, quas a Patribus accepit: ac primo loco ponit, quod Deus dederit populo Israelitico legem, et mandata per Mosem: et jusserit eam legem, et mandata tradi filiis a parentibus, et sic propagari ad posteritatem. Illud, *et*, potuisset omitti, ut S. Hieron. omisit: nam habetur quidem in Hebræo, sed nihil conjungit. Additur enim ornatus gratia non solum in principio periodorum; sed etiam in principio librorum, ut initio Levitici, Numer. Josue, Ruth, Ezechielis, et aliorum. Illud, *suscitavit*, sumptum est ad verbum ex Hebræo, ויקם *vaiekem*, sed potuisset etiam verti, *stare fecit*, sive *constituit*, sive *posuit*. Vox, *testimonium*, nihil aliud hoc loco nisi legem significat. Vocatur autem lex Dei testimonium, quia testificatur hominibus quæ sit voluntas Dei, ut fusius diximus in explicatione Psalmi decimi octavi, versiculo octavo. Itaque idem omnino est, *suscitavit testimonium in Jacob*, cum eo quod sequitur, *Legem posuit in Israel*, id est, dedit Deus legem suam filiis Jacob, qui et Israel dictus est. Illud, *quanta mandavit*, in Hebræo est, אשר צוה *ascher tsivua*, id est, *quæ mandavit*: proinde vox, quanta, accipienda est, pro quantacumque, sive quotcumque: ex quo intelligimus nomine legis significari hoc loco non solum legem Decalogi, sed omnia mandata moralia, cæremonialia, et judicialia, quæ habentur in quinque libris Mosis.

9. Ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur operum Dei, et mandata ejus exquirant.

10. Ne fiant sicut Patres eorum, generatio prava, et exasperans.

11. Generatio, quæ non direxit cor suum, et non est creditus cum Deo spiritus ejus.

Explicat Propheta, cur Deus legem dederit populo suo, et mandaverit, ut parentes docerent filios suos, et illi nepotes Patrum suorum. Ratio enim fuit, ut filii Israel non sperarent in diis falsis, et idolis gentium : *sed in Deo vero*, qui legem sanctam de cœlo illis dederat, non sine ingentibus prodigiis : nec non ut nunquam obliviscerentur mirabilium operum Dei, quæ fecit in liberatione eorum de servitute Pharaonis. Præterea, ut sollicite quærerent, quid vellet ab eis Deus, atque id opere implerent. Denique ut non imitarentur ingratitudinem, et infidelitatem majorum suorum, qui affecti maximis beneficiis a Deo per Mosem, ingratissimi fuerunt. Nam et in Ægypto cum essent, ægre adduci potuerunt, ut crederent Mosi : et egressi de Ægypto, sæpissime defecerunt ab obedientia Mosis, et Dei, assidue murmurantes, et (quod gravius est) vitulos aureos adorantes. Illud, *generatio, quæ non direxit cor suum*, significat, populum Hebræorum, non habuisse cor directum firmiter ad Deum, sed ad varia auxilia respexisse. Illud autem, *Et non est creditus cum Deo spiritus ejus*, clarius est in Hebræo codice : ולא נאמנה אתאל רוחו *velo neemna ethel rucho*, sic enim verti potest ad verbum, *Et non fuit fidelis ad Deum spiritus ejus.* Vox autem Latina accipienda est in significatione non passiva, sed activa, ac si esset deponentis conjugationis, *Non est creditus cum Deo*, id est, non credidit Deo spiritus ejus : sic enim exponit S. August. vel accipiendum est verbum, *creditus*, pro, *fidelis*, ut accipiunt verbum Græcum ἐπιστώθη, Theodoretus, et Euthymius. Itaque sensus erit, non fuit fidelis spiritus populi cum Deo, quia sæpe defecit a fide, et obedientia.

12. Filii Ephrem intendentes, et mittentes arcum, conversi sunt in die belli.

Plerique notari putant in hoc versiculo pugnam aliquam infelicem Hebræorum de tribu Ephraim : sed neque facile est invenire in divinis litteris, quæ illa pugna fuerit : neque credibile est, Prophetam quasi ex abrupto inserere voluisse hoc loco particulare aliquod factum, cum generatim describit vitia totius populi de Ægypto mirabiliter educti, ac de servitute liberati. Igitur probabilius est, per quamdam similitudinem explicari, quod dictum est, populum Hebræum non fuisse constantem in fide, et obedientia Dei; ut sensus sit; *Filii Ephrem*, id est, Israelitæ similes fuerunt militibus incipientibus præliari cum hostibus, et mox dimisso prælio terga vertentibus, sic enim Israelitæ in deserto, non semel promiserunt, se Deo parituros, et facturos quæcumque ille mandasset : et statim mutata voluntate cogitabant de reditu in Ægyptum, et contra Deum, et Mosem murmurabant. Nominat autem David filios Ephraim, id est, tribum Ephraim, et per illam intelligit totum cœtum Israelitarum; quia tribus Ephraim erat numerosissima, et potentissima post tribum Juda : et per hoc æmula tribui Juda : et in Scripturis ut plurimum reprehenditur tribus Ephraim, et laudatur tribus Juda; et ideo mala universi populi describuntur potius sub nomine Ephraim, quam sub nomine aliarum tribuum, et in fine hujus Psalmi dicit, *tribum Ephraim non elegit : sed elegit tribum Juda.* Vide Oseam Prophetam.

13. Non custodierunt testamentum Dei, et in lege ejus noluerunt ambulare.

14. Et obliti sunt benefactorum ejus, et mirabilium ejus, quæ ostendit eis.

15. Coram Patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti, in campo Taneos.

Explicat, quod metaphorice dixerat, filios Ephraim, id est, Israelitas, conversos fuisse retrorsum; nam cum professi essent, se obedituros Deo, non servaverunt pactum, nec legem Dei impleverunt, et cito obliti sunt beneficiorum Dei, et mirabilium operum, quæ Deus fecerat in Ægypto pro ipsis, quæque a Patribus suis narrari audierant. Illud, *non custodierunt testamentum Dei*, significat, non steterunt promissis, sive non servaverunt pactum : nam in Hebræo est vox, ברית *berith*, quæ significat *pactum* : sed Septuaginta Interpretes verterunt, *testamentum*, ut alias sæpe diximus. Illud, *in campo Taneos*, significat in planitie Ægypti, cujus regia dicitur Tanis. Mirabilia enim, quæ fecit Moses coram Pharaone, non facta sunt in loco obscuro, sed loco celeberrimo, et apertissimo, in agro videlicet Urbis regiæ.

16. Interrupit mare, et perduxit eos, et statuit aquas, quasi in utre.

17. Et deduxit eos in nube diei, et tota nocte in illuminatione ignis.

18. Interrupit petram in Eremo, et adaquavit eos velut in abysso multa.

19. Et eduxit aquam de petra, et deduxit tamquam flumina aquas.

20. Et apposuerunt adhuc peccare ei, in iram excitaverunt excelsum in inaquoso.

Posteaquam attigerat David mirabilia facta in Ægypto coram Pharaone, describit alia facta in egressu, id est, divisionem maris Rubri, ut transiret populus sicco vestigio per medium maris : et alia patrata post egressum de Ægypto in solitudine, videlicet columnam nubis, quæ præeundo ostendebat iter per diem, et columnam ignis, quæ ostendebat iter per noctem; ac postea sitienti populo eductas aquas de petra in maxima copia. Addit vero David, post hæc omnia mirabilia, populum incredulum iterum provocasse Deum ad iracundiam, in deserto inaquoso ob aquæ penuriam. Quæ iterum educta est de petra ut habetur. Num. 20. Nam illa prior eductio contigerat anno superiore, ut habetur Exodi 17. Illud, *statuit aquas quasi in utre*, significat Deum ea facilitate fecisse, ut mare con-

sisteret, et non operiret Hebræos, quiper fundum maris iter faciebant, qua facilitate potest continere modicam aquam inclusam in utre ut non defluat in terram. Illud, *in nube diei*, potuisset clarius verti, *in nube per diem :* nam in Hebræo non habet formam genitivi. In Græco est quidem ἡμέρας, in genitivo, sed accipitur pro ablativo, quo Græci carent. Illud, *velut in abysso multa*, significat ex petra fluxisse tantam copiam aquarum, ac si petra conversa fuisset in lacum profundissimum, vel in magnum, et profundum flumen, ut dicitur in sequenti versiculo : abyssus enim est profunditas magna. Denique illud, *et apposuerunt adhuc peccare*, potest referri ad secundam eductionem aquæ ex petra; ut sensus sit, olim peccaverunt murmurantes ob inopiam, aquæ, et Deus dedit illis aquam de petra Exod. 17. et obliti illius miraculi apposuerunt secundo murmurare, et de potentia Dei dubitare, ob similem aquæ penuriam, ut habetur Num. 20. ubi rursum dedit eis Deus aquam de petra. Potest etiam, ut alii volunt, conjungi cum sequenti versiculo, ut commemoretur peccatum murmurationis de inopia panis, non de penuria aquæ. Sed prior expositio mihi magis placet, tum propter vocabulum, *inaquoso*, quod denotat carentiam aquæ; tum ne desit in Psalmo memoria peccati illius celeberrimi, quo populus bis murmuravit contra Deum, et Mosem ob aquæ penuriam. Et secundum hanc expositionem, illa verba, *et eduxit aquam de petra*, continent repetitionem versiculi superioris: non autem narrationem secundæ eductionis aquæ ex petra.

21. Et tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis.

22. Et male locuti sunt de Deo: dixerunt, Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?

23. Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt.

24. Numquid et panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?

25. Ideo audivit Dominus, et distulit, et ignis accensus est in Jacob, et ira ascendit in Israel.

26. Quia non crediderunt in Deo, nec sperarunt in salutari ejus.

27. Et mandavit nubibus desuper, et januas cœli aperuit.

28. Et pluit illis manna ad manducandum, et panem cœli dedit eis.

29. Panem angelorum manducavit homo, cibaria misit eis in abundantia.

30. Transtulit Austrum de cœlo, et induxit in virtute sua Africum.

31. Et pluit super eos sicut pulverem carnes, et sicut arenam maris volatilia pennata.

32. Et ceciderunt in medio castrorum eorum circa tabernacula eorum.

33. Et manducaverunt, et saturati sunt nimis : et desiderium eorum attulit eis; non sunt fraudati a desiderio suo.

Conjungit Propheta beneficium panis cœlestis cum beneficio aquæ productæ ex petra : quoniam hæc erat figura insignis passionis Christi, et sacrosanctæ Eucharistiæ, ut explicat Dominus ipse Joan. 6. et Apostolus 1. Corinth. 10. Aqua enim ex petra, est sapientia ex stultitia. Non enim minus contraria est sapientia stultitiæ, quam aqua res mollis, et fluida, petræ arenti, et duræ : sapientia est mysterium crucifixi, Christus enim crucifixus, id est, petra percussa; gentibus stultitia erat, et Judæis scandalum : et tamen hominibus fide illustratis producit altissimam sapientiam. *Et quia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes*, ut scribit Paulus 1. Cor. 1. Panis autem de cœlo verus, non erat manna pluens ex cœlo aereo; sed caro Christi, qui de cœlo cœlorum descendit, et dat vitam Mundo. Manna tamen hunc panem verum adumbrabat : et hoc significavit Propheta, cum initio Psalmi se parabolas, et ænigmata cantaturum pollicebatur : sed veniamus ad expositionem verborum. Propheta posteaquam commemoraverat beneficium aquæ de petra eductæ, et infidelitatem populi, transit ad beneficia panis, et carnis, et ad novam populi incredulitatem explicandam. Sciendum autem est, bis a Deo datum fuisse Hebræis cibum carnium, semel una cum manna, Exodi 16. et rursum carnis solius, Num. 11. et manna cum carnibus datum est, antequam aquæ producerentur ex petra; sed cibus carnis solius datus est post eductionem aquæ ex petra. Sed David conjungit utrumque beneficium, et utramque murmurationem simul : et ideo nascitur in verbis aliqua obscuritas, quæ facile tolli potest. Ait igitur, *Et tentaverunt Deum in cordibus suis*, id est, experiri voluerunt, an Deus vere esset omnipotens, et curam gereret populi sui : et ideo *petierunt escas animabus suis*, quas videlicet anima ipsorum desiderabat, ut panes, et carnes : sic enim narrat Moses Exodi 16. et Num. 11. *Et male loquuti sunt de Deo*, dubitantes videlicet, an posset in deserto pascere populum suum, sicut potare potuerat, hæc pertinent ad secundam murmurationem. Nam prior præcessit priorem eductionem aquæ ex petra, ut patet ex libro Exodi cap. 16 et 17. *Ideo audivit Dominus, et distulit*, id est, audivit murmurationem ex incredulitate procedentem : et distulit, hoc est longe fecit a se populum suum, amovit a benevolentia sua, quin potius convertit benevolentiam in iram, et indignationem; et immisit ignem in castra, et multos occidit, ut dicitur Num. 11. Et tamen voluit convincere populum infidelem, et demonstrare potentiam suam; et ideo *mandavit nubibus desuper, et januas cœli aperuit, et pluit illis manna ad manducandum, et panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo.* Hæc pertinent ad priorem murmurationem : manna enim datum est ante productionem aquæ ex petra. Porro manna dicitur panis de cœlo, quia ex cœlo aereo pluebat; et panis Angelorum, quia opera, et ministerio Angelorum fiebat. Vocabulum autem, manna, ductum est ab admiratione populi, qui videns terram coopertam novo illo cibo, מן הוא *Man hu?* quod significat, *quid hoc?* Inde positum est illi

cibo nomen, מן *man*, et Græce Μάννα, erat autem manna simile pruinæ, Exodi 16. et sicut semen coriandri, quod in mortario contusum, et coctum igni, saporem habebat panis oleati, Num. 11. Deinde, *Transtulit Deus Austrum de cœlo ; et induxit in virtute sua Africum ; et pluit super eos sicut pulverem carnes*, id est, effecit, ut ventus vehementissimus deferret coturnices in desertum ubi Judæi morabantur : in tanta copia, quanta est copia pulveris in littore maris. In Hebræo habetur, *Transtulit ventum Orientalem :* ex quo intelligimus per Austrum, Orientalem, qui dicitur Eurus : sed quia Auster Orientalis non est contrarius Africo, sive Lybico, ut vocatur in textu Græco, sed potius ei vicinus, et conjunctus ; ideo Theodoretus, et Euthymius, et alii per vocem, *transtulit*, non intelligunt, *amovit*, sive *cessare fecit ;* sed *excitavit*, et *flare jussit*, ac si dictum esset, transtulit de cœlesti thesauro, et emisit in terram, ut etiam exponit S. Augustinus, ut simul cum Africo adduceret coturnices in desertum. Itaque non unus, sed duo venti ex duabus vicinis regionibus adduxerunt copiam coturnicum. Non tamen est improbabilis aliorum sententia, quod ventus Australis Orientalis, id est, Eurus remotus sit, et prohibitus flare ; et solus Africus, sive Lybicus impulerit coturnices in castra Hebræorum : nam Num. 11. dicitur ventus e Domino adduxisse coturnices trans mare ad castra Hebræorum. Ubi unius venti solum mentio fit, et venti, qui per mare Lybicum transiret, ut adduceret coturnices ad desertum. Ejusmodi autem ventus, non est Eurus, sed Lybicus. Adde quod S. Hieronymus vertit, *Abstulit Eurum de cœlo, et induxit in fortitudine sua Africum.* Denique verba Græcæ et Latinæ editionis facile explicantur in hanc sententiam, et duriuscule in priorem.

34. Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum : et ira Dei ascendit super eos.

35. Et occidit pingues eorum, et electos Israel impedivit.

36. In omnibus his peccaverunt adhuc, et non crediderunt in mirabilibus ejus.

37. Et defecerunt in vanitate dies eorum, et anni eorum cum festinatione.

38. Cum occideret eos quærebant eum, et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum.

39. Et rememorati sunt, quia Deus adjutor est eorum, et Deux excelsus redemptor eorum est.

40. Et dilexerunt eum in ore suo, et lingua sua mentiti sunt ei.

41. Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento ejus.

Demonstrat in his versiculis Propheta, Deum magno miraculo satisfecisse desiderio Hebræorum, ut ostenderet potentiam suam : sed non dimisisse impunitam infidelitatem, et contumaciam eorum : Hebræos autem tum ob miraculum, tum ob flagellum conversos fuisse ad obedientiam, et fidem, sed non stabili corde, neque perseveranter, ut par erat. *Adhuc*, inquit, *escæ erant in ore eorum*, id est, nondum consumpserant coturnices, *et ira Dei excitata est adversus eos ;* et occidit ex eis partem maximam, ita ut appellaretur locus ille, sepulcra concupiscentiæ, ut dicitur Num. 11. Quomodo eos Deus occiderit, Scriptura non docet ; sed credibile est, morbo aliquo ex nimia aviditate, et saturitate comedentium exorto. Occidit autem Deus præcipue pingues, et electos, id est, magis deditos voluptatibus, et juventute, ac viribus robustiores : quos electos dicit impeditos, quia morbus dejecit eos, et impedivit, ne a morte fugere possent, quamvis alioqui robustissimi essent. Hoc autem illis accidit, quia peccaverunt in Deum infidelitate sua et non credentes mirabilia illa a Dei omnipotentia fieri, sed casu accidisse, ut coturnices ad eos deferrentur. Ideo morte puniti sunt tanta velocitate, ut defecerint dies eorum in vanitate, id est, velut fumus, aut umbra, quæ celerrime transit, et vestigium nullum relinquit. Ipsi autem cum flagellarentur a Deo, et morte afficerentur, redibant ad cor, et quærebant adjutorium Dei, et diluculo, id est, continuo, statim, cum primum flagellum sentire inciperent, veniebant supplices ad misericordiam Domini implorandam : vera conversio eorum, sed metu extorta et ficta, nam ore quidem amorem et tunc ad memoriam revocabant beneficia Dei priora : sed non erat stabilis, et devotionem erga Deum profitebantur, sed mentiebantur ; quia *cor eorum non erat vere directum ad Deum, neque fideles permanebant in servanda promissione, et pacto cum Deo inito.* Utinam non imitaremur et nos Christiani hanc Hebræorum inconstantiam ; quam multi enim sunt ex nobis, qui in periculo vitæ constituti promittunt, et vovent Deo, et Sanctis ejus morum emendationem ; et periculo evitato, redeunt ad pristinam vitiorum consuetudinem ? sed Deus non irridetur, et qui tales sunt, non effugient judicium Dei.

42. Ipse autem est misericors, et propitius fiet peccatis eorum et non disperdet eos.

43. Et abundavit ut averteret iram suam, et non accendit omnem iram suam.

44. Et recordatus est quia caro sunt, spiritus vadens, et non rediens.

45. Quoties exacerbaverunt eum in deserto in iram concitaverunt eum in inaquoso ?

46. Et conversi sunt, et tentaverunt Deum, et sanctum Israel exacerbaverunt.

47. Non sunt recordati manus ejus, die qua redemit eos de manu tribulantis.

Confert nunc Propheta bonitatem Dei cum nequitia hominum ; ac dicit Deum quidem flagellasse populum suum, sed non esse oblitum misericordis naturæ suæ : ideo non tam severe in illos animadvertisse, ut eorum peccata merebantur. Nam propitius erit peccatis eorum, et non disperdet omnino populum suum. Ipsi quidem digni erant ultimo exterminio, sed misericordia Dei fecit, ut aliqui remanerent : ut revera ex numero eorum, qui exierant ex Ægyp-

to duo remanserunt, Josue, et Caleb : qui figuram gerebant Electorum, qui salvi fient : nam ut Apostolus loquitur ad Rom. 11. *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit : sed reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt.* Itaque non repugnat hic versiculus dispersioni Hebræorum, quam videmus : nam impleta est hæc promissio in Apostolis, qui ex Hebræis erant, et non solum dispersi non sunt, sed collegerunt multitudinem magnam Deo in populum electum : de quo prophetavit Oseas cap. 1. et 2. et explicat Apostolus Petrus 1. epist. cap. 2. *Qui aliquando non populus Dei, nunc autem populus Dei, qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.* Pergit Propheta, ac dicit, *Et abundavit, ut avertet iram suam*, id est, abundanter, et copiose avertit iram suam, quia multum remisit de pœna, quam populi peccata merebantur, et hoc modo temperavit, sive avertit iram, quia *non accendit omnem iram suam*, ut juste facere potuisset. *Et recordatus est, quia caro sunt, spiritus vadens, et non rediens*, accessit ad rationem miserendi natura hominis post peccatum primi hominis infirma, et mortalis, obnoxia carnalibus concupiscentiis. Ipse enim novit figmentum nostrum, *quod caro sumus*, id est, carnales, infirmi, ac debiles; *et quod spiritus sumus vadens, et non rediens*, id est, vitam habemus mortalem, quæ continuo progreditur a pueritia ad juventutem, et non revertitur ad pueritiam : progreditur a juventute ad senectutem, et non revertitur ad juventutem, sed brevi compendio tendit ad mortem. Itaque similis est floribus, aliisque rebus caducis : non autem soli, et lunæ, et stellis, quæ in circulos suos revertuntur, et semper sunt eædem, quia solidæ sunt, et æternæ. Non desunt qui velint, hoc loco per spiritum, intelligi animum, qui exit de corpore per mortem, et non revertitur vi sua ad corpus. Sed non videtur ad rem præsentem facere tractatio de resurrectione, ubi solum describitur infirmitas, et brevitas humanæ vitæ. Proinde hoc loco per spiritum intelligendus est spiritus vitalis corporis nostri, sive corporalis vita; quæ progrediendo consumitur, et mutabilis, atque instabilis est. Quod autem sit talis vita hominis, probat Propheta sequentibus versiculis. *Quoties*, inquit, *exacerbaverunt eum in deserto? in iram concitaverunt eum in inaquoso?* instabilitate sua videlicet nunc promittendo fidem et obedientiam; nunc contra obloquendo, et recalcitrando : nam conversi sunt a bono proposito, et promissis, et tentaverunt Deum experiri volentes, an vere Deus omnipotens esset : et hoc modo *sanctum Israelis*, id est, Deum exacerbaverunt. Vocatur autem Deus Israelis, *sanctus*, non solum a Davide, sed etiam ab Isaia in plurimis locis, quoniam solus Deus verus est proprie sanctus, id est, purus, et inviolabilis : Dii enim gentium immundi dæmones sunt. Denique tanta fuit mutabilitas, et stultitia Hebræorum, quos Deus eduxit ex Ægypto, ut statim obliti sint signorum, et prodigiorum maximorum, et plurimorum, quæ manus Dei fecit, cum eos de servitute Ægyptiaca liberaret.

48. Sicut posuit in Ægypto signa sua, et prodigia sua in campo Taneos.

49. Et convertit in sanguinem flumina eorum, et imbres eorum, ne biberent.

50. Misit in eos cœnomyiam, et comedit eos; et ranam, et disperdidit eos.

51. Et dedit ærugini fructus eorum, et labores eorum locustæ.

52. Et occidit in grandine vineas eorum, et moros eorum in pruina.

53. Et tradidit grandini jumenta eorum, et possessiones eorum igni.

54. Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, et iram, et tribulationem immissiones per angelos malos.

55. Viam fecit semitæ iræ suæ : non pepercit a morte animabus eorum, et jumenta eorum in morte conclusit.

56. Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti : primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.

57. Et abstulit sicut oves populum suum, et perduxit eos tamquam gregem in deserto.

58. Et eduxit eos in spe, et non timuerunt, et inimicos eorum operuit mare.

Occasione versiculi quadragesimi septimi, ubi dixerat Propheta, non fuisse recordatos Hebræos mirabilium, quæ fecit Deus, cum educeret eos de Ægypto : describit his undecim versiculis signa, et prodigia, quæ fecit Deus adversus Pharaonem, donec tandem eum cum exercitu suo demersit in mare. Quæ omnia narrantur in Exodo a cap. 7. ad 14. Porro David non meminit omnium signorum, sed præcipuorum : neque ordine illa enumerat, sed ut sibi visum est : sic igitur loquitur, *Non sunt recordati* Hebræi in deserto, *manus Domini*, id est, potentiæ, vel operis Domini, quod liberavit eos de manu Pharaonis tribulantis. *Sicut posuit in Ægypto signa*, id est, non sunt recordati, quemadmodum statuerit Deus ingentia miracula, signa potentiæ suæ in Ægypto, ac potissimum in parte nobiliore Ægypti, ubi est Tanis Regia Pharaonis. *Et convertit*, id est, quia convertit, *in sanguinem flumina eorum, et imbres eorum, ne biberent.* De hoc signo scribit Moses Exod. cap. 7. Vocat Propheta flumina Ægypti varios ramos Nili fluminis, qui per Ægyptum fluunt; *per imbrem*, non intelligitur pluvia, quæ in Ægypto videri non solet, sed ponitur imber pro aqua, species videlicet pro genere. Quomodo Virgil. lib. 1. Æneid. dixit:

Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt.

Ubi per imbrem intelligit aquam marinam, quæ in navim per rimas ingrediebatur. Itaque David more suo idipsum bis repetit, et quod in priore parte versiculi vocavit *flumina* in posteriore vocat *imbrem. Misit in eos cœnomyiam, et comedit eos, et ranam, et disperdidit eos*, de hoc agitur Exodi cap. 8. Vulgaris quæstio hic est, an sit legendum cœnomyia, id est, musca communis, sive omne genus muscarum, an cynomya, id est, musca canina. Vulgata editio correcta habet, cœnomyiam, cui favet sanctus

Hieronymus tum in versione sua ex Hebræo, tum epist. ad Suniam et Fretellam. Græci tamen libri communius habent cynomyiam, et sic legit, et exponit idem sanctus Hieronymus in commentario. Vox Hebræa, ערב *hharob*, mistionem significat, et satis convenit lectioni vulgatæ correctæ : sed res non est magni momenti. *Et dedit ærugini fructus eorum, et labores eorum locustis*, hoc signum habetur Exod, 10. ubi fit tantum mentio locustarum : proinde per æruginem intelligendæ sunt locustæ, vel bruchi (ut vertit sanctus Hieronymus) : quæ animantia devorant herbas ad modum æruginis. Itaque nomen æruginis, quod proprie significat vitium aeris, hoc loco accipitur metaphorice. *Et occidit in grandine vineas eorum, et moros eorum in pruina :* de hac re agitur Exod. 9. ubi non fit mentio pruinæ, sed solius grandinis. S. Hieronymus vertit, *et sycomoros eorum in frigore:* ubi per frigus posset intelligi frigus grandinis, ut sit repetitio ejusdem rei : vel certe grandine, et pruina afflixit Deus vineas et arbores Ægypti ; sed David addidit, quod Moses omiserat. *Et tradidit grandini jumenta eorum et possessiones eorum igni.* Grando enim cum igne fulgurum, et fulminum descendebat, nec solum herbas, sed etiam jumenta perdebat, ut ibidem legimus. *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, et iram, et tribulationem, immissiones per Angelos malos.* In hoc versiculo generatim complectitur Propheta omnes alias plagas, quas omiserat, ut ulcera, vesicas, et alia id genus ; et simul attingit postremam, et gravissimam plagam, occisionem videlicet primogenitorum omnium, quæ facta est per Angelum percutientem, ut dicitur Exod. 12. *Non sinam*, inquit, *percussorem ingredi domos vestras*, etc. *Misit iram indignationis suæ*, id est, effectum iræ et furoris sui, tribulationem videlicet magnam, et hoc idem repetens, ait, *Iram, et indignationem*, id est, effectum iræ, et furoris, qui effectus est tribulatio. *Immissiones per Angelos malos*, id est, quæ tribulatio fuit per immissionem Angelorum malorum. Ex quo intelligimus, plagas Ægypti, ac præcipue occisionem primogenitorum factas esse opera Angelorum, qui non nocent, nisi quantum Deus permiserit, cum Dei summi Judicis administri sint. Possunt autem Angeli mali dici Angeli sancti, qui dicuntur mali ab effectu, quia puniunt quos Deus vult puniri. Possunt etiam dici Angeli mali, dæmones impuri, qui sunt vere mali malam voluntatem gerentes. Deus enim utrisque utitur : nam per Angelos sanctos punivit Sodomitas igne cælesti : et per Angelos impuros flagellavit Jobum, igne pariter cælesti. Vide S. August. in hunc locum. *Viam fecit semitæ iræ suæ, non pepercit a morte animabus eorum.* Insignis metaphora est, quasi dicat, Ira divina ultionem parans detinebatur a divina misericordia, ne usque ad mortem desæviret : sed tandem remoto obice misericordiæ, *viam aperuit iræ suæ*, et non pepercit vitæ ipsorum a morte : sed occidit omnia primogenita hominum, et jumentorum, quæ erant primitiæ laborum eorum, id est, Ægyptiorum : laborant enim plurimum homines in educandis filiis suis, et jumentorum, suorum ; sed primitiæ laboris erga primogenita exercentur ; ac per hoc dicuntur primogenita primitiæ laborum. Illud, *in tabernaculis Cham*, significat in Ægypto. Cham enim fuit filius Noe, et Mizraim fuit filius Cham : et ab hoc filio חם *Cham* dicta est Ægyptus, מצרים *Mizraim*. Itaque dicitur Ægyptus tabernaculum Cham a parente primi habitatoris, et possessoris Ægypti. *Et abstulit sicut oves populum suum et perduxit eos sicut gregem in deserto.* Occisis primogenitis Ægyptiorum dedit Pharao facultatem Hebræis abeundi ex Ægypto, ut habetur Exodi 12. Et tunc Deus eduxit populum suum ex Ægypto, et eduxit in desertum Arabiæ. *Et eduxit eos in spe, et non timuerunt*, id est, cum fiducia magna, *et inimicos eorum operuit mare :* quæ fuit ultima plaga Ægyptiorum, et in qua finem accepit captivitas filiorum Israel, ut habetur Exod. 14.

59. Et induxit eos in montem sanctificationis suæ, montem, quem acquisivit dextera ejus.

60. Et ejecit a facie eorum gentes, et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.

61. Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israel.

62. Et tentaverunt, et exacerbaverunt Deum excelsum, et testimonia ejus non custodierunt.

63. Et averterunt se, et non servaverunt pactum : quemadmodum Patres eorum, conversi sunt in arcum pravum.

64. In iram concitaverunt eum in collibus suis, et in sculptilibus suis ad æmulationem eum provocaverunt.

Transit nunc Propheta ad historiam libri Josue, et Judicum, atque ostendit, fuisse Hebræos introductos a Deo in terram promissionis, quam vocat *montem sanctificationis suæ*, quia erat terra montuosa, et quam Deus sibi ipse sanctificaverat, et dedicaverat, ut in ea coleretur a populo suo, dicit quoque eam terram acquisitam a Deo quia Deus fecit evidentibus miraculis, duce Josue, ut Israelitæ vincerent bello, et expellerent pristinos habitatores cultui Idolorum addictos. Addit vero Propheta, Hebræos in terram promissionis introductos, non fuisse meliores Patribus suis, qui in deserto perierant : nam ipsi quoque *tentaverunt, et exacerbaverunt Deum servientes Idolis*, et verum Dei cultum deserentes. Illud, *conversi sunt in arcum pravum*, significat, eos imitatos esse arcum distortum, qui non jacit sagittas, quo jaciendæ sunt, sed in aliam partem ubi non oportebat. Sic enim Hebræi promittebant observantiam legis Dei, ac videbantur sagittas operum suorum dirigere ad cultum veri Dei, sed interim sacrificabant Diis alienis, id quod propriis verbis explicat Propheta in sequenti versiculo, cum ait, *In iram concitaverunt eum in collibus suis, et in sculptilibus suis ad æmulationem eum provocaverunt*, siquidem in excelsis collibus, præsertim frondosis collocabant altaria Idolorum, ibique eis sacrificabant.

65. Audivit Deus et sprevit, et ad nihilum redegit valde Israel.

66. Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus.

67. Et tradidit in captivitatem virtutem eorum, et pulchritudinem eorum in manus inimici.

68. Et conclusit in gladio populum suum, et hæreditatem suam sprevit.

69. Juvenes eorum comedit ignis, et virgines eorum non sunt lamentatæ.

70. Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt, et viduæ eorum non plorabantur.

Hic jam explicat Propheta ultionem divinam in peccata populi sui: ac præcipue commemorat tempus illud, quo Philistæi fuderunt exercitum populi Dei, et Arcam Domini captivam duxerunt, Sacerdotibus occisis, qui eam custodiebant; quæ historia narratur in 1. Reg. cap. 4. Ait igitur, *Audivit Deus,* id est, cognovit peccata populi sui clamantia in cælum, *et sprevit* populum suum tanquam inutilem, et tanquam morte dignissimum, *redegit valde ad nihilum*, id est, valde humiliavit, concessa victoria maxima hostibus eorum. *Et repulit tabernaculum Silo*, id est, abjecit tabernaculum, in quo erat Arca, quod tabernaculum tunc erat in Silo: et in quo tabernaculo Deus quodam modo habitabat inter homines, quia inde dabat responsa hominibus. *Et tradidit in captivitatem virtutem eorum, et pulchritudinem eorum in manus inimici*, id est, permisit circumveniri, et undique circundari gladiis hostium populum suum, quem elegerat sibi in hæreditatem, id est, in populum peculiarem, et proprium. *Juvenes eorum comedit ignis*, id est, ardor belli, sive ignis iræ Dei consumpsit præstantissimos quosque, quales solent esse homines in flore juventutis: *et virgines eorum non sunt lamentatæ,* id est, occisis juvenibus in bello, virgines eis desponsatæ non habuerunt, qui earum sortem lugerent, quoniam in communi strage quisque habuit, quod domi suæ lugeret. Itaque illud, lamentatæ, passive accipiendum est, ut indicat S. Hieronym. qui vertit, *Et virgines ejus nemo luxit.* Rabini legunt, *Et virgines eorum non sunt laudatæ*, carmine videlicet nuptiali. Sed vox Hebræa, *hullalu*, utrumque significare potest: *defletæ* et *laudatæ*, nos autem anteponimus Septuaginta Seniores, et S. Hieronymum, omnibus Rabinis. *Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt*, videlicet Ophni, et Phinees filii Heli, qui nominatim referuntur inter mortuos, 1. Reg. 4. *Et viduæ eorum non plorabantur*, id est, relictas uxores eorum nemo fuit, qui deflendo consolaretur, quoniam, ut dictum est, omnes occupati erant in propriis consanguineis deplorandis, quos ruina communis oppresserat. In Hebræo תבכינה *tibehenah*, et Græco habetur in futuro κλαυθήσονται, *non plorabuntur*: sed S. Hieronymus intelligens futurum poni pro prætorito, vertit, *non sunt defletæ*, et eum noster Interpres vertit, *non plorabantur.*

71. Et excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus a vino.

72. Et percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis.

73. Et repulit tabernaculum Joseph, et tribum Ephraim non elegit.

74. Sed elegit tribum Juda, montem Sion, quem dilexit.

75. Et ædificavit sicut Unicornium sanctificium suum in terra, quam fundavit in sæcula.

76. Et elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium, de post fœtantes accepit eum.

77. Pascere Jacob servum suum, et Israel hæreditatem suam.

78. Et pavit eos in innocentia cordis sui, et in intellectibus manuum suarum deduxit eos.

In hac postrema parte Psalmi, David ostendit, Deo placuisse afflictionem populi sui, quatenus pœna erat peccatorum: sed non placuisse superbiam, et iniquitatem Philistinorum, qui eos afflixerunt: et ideo vindictam ab ipso Deo sumptam de Philistæis, ut narratur in eodem 1. lib. Reg. cap. 5. Deus enim sæpe utitur mala voluntate impiorum ad aliquos puniendos; et deinde punit eosdem impios, non tam attendens, quod per illos ipse fecit bonum, quam malam nocendi cupiditatem, quam in eis ipse non fecit. Addit deinde, noluisse Deum, ut tabernaculum esset amplius in Silo, civitate de tribu Ephraim, neque ut summa Imperii esset in tribu Joseph, sed voluisse, ut tabernaculum statueretur in monte Sion, et Imperium pertineret ad tribum Juda et ex tribu Juda Davidem elegisse Regem populo suo: quod est vaticinium de Christo, et Ecclesia, ut initio Psalmi diximus. Nam, ut hoc loco diligenter observavit sanctus Augustinus, non repulit Deus Joseph, et elegit Judam ob meritum personarum. Nam Joseph melior fuit multo, quam Judas, sive castitatem, sive patientiam, sive sapientiam, sive prudentiam, sive dilectionem inimicorum consideres: sed elegit Judam propter Davidem, et Davidem propter Christum, et Synagogam destruxit, ut Ecclesiam ædificaret. Sed ipsa verba explicemus; *Et excitatus est tanquam dormiens Dominus*, id est, prævaluerunt Philistæi in Hebræos, non ob Philistæorum potentiam, vel Domini impotentiam; sed quia Dominus dormiebat, et dormiebat sopore gravi, tanquam crapulatus a vino. Ebrietas enim alte dormire facit. Sed a sopore illo excitatus potentiam suam in Philistæos mirifice demonstravit. Dicitur autem Deus dormire metaphorice, quando ita se gerit, ac si non adverteret injurias, quas illi faciunt iniqui: et dicitur dormire, ut crapulatus a vino, quando patienter agit erga gravissimos peccatores, ac si ita alte dormiat, ut non advertat injurias maximas contra se fieri, qualis injuria fuit captivitas Arcæ. Non desunt, qui metaphoram ebrietatis ita explicent, ut sensus sit, Deum excitatum a somno potenter, et furiose egisse in adversarios, ut solent ebrii, qui valentissimi, et audacissimi sunt cum non advertant, quid faciant. Sed non placet ista expositio; tum quia ebrietas facit quidem audaces homines, sed non potentes, imo debilitat potius; et qui a somno exurgunt, non surgunt ebrii, sed sobrii: maneat

ergo prior expositio, quæ S. Augustini est. *Et percussit inimicos suos in posteriora:* immisit enim morbum gravissimum, et pudendum *in posteriora* corporis Philistinorum, ac, ut Scriptura loquitur, *in secretiore parte natium*, ut simul cruciarentur dolore, et rubore, ut legitur primo Reg. cap. 5 *Opprobrium sempiternum dedit illis;* quia providentia Dei fecit, ut ipsi Philistæi anos aureos appenderent arcæ ad memoriam sempiternam morbi pudendi, quo Deus illos affecerat, 1 Reg. cap. 6. *Et tabernaculum Joseph*. id est, noluit deinceps tabernaculum sacrum, in quo servabatur Arca, esse in Silo, quæ est civitas in tribu Ephraim, qui filius erat Joseph. *Et tribum Ephraim non elegit*, id est, constiturus Regnum in populo suo, non elegit Regem ex tribu Ephraim, quæ erat una ex duabus tribubus Joseph, et quidem numerosissima, et potentissima. *Sed elegit tribum Judà, montem Sion, quem dilexit:* id est, elegit tribum Juda, ex qua daret populo suo Principes: et elegit montem Sion, in locum tabernaculi, et postea templi, in quo servaretur Arca, et fierent sacrificia. *Et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra, quam fundavit in sæcula*, id est, ædificavit Deus in monte Sion, sive in Jerusalem, quæ est terra duratura in æternum, sanctuarium suum firmissimum quasi cornu monocerotis. Hæc est parabola præcipua, et propositio, sive ænigma potissimum, quod initio Psalmi Propheta promisit; neque enim sanctuarium testamenti veteris fuit firmum, ut cornu monocerotis, nisi in typo sanctuarii testamenti novi: neque mons Sion, aut Jerusalem fuit terra fundata in sæcula, cum brevi eversa fuerit, nisi in figura Ecclesiæ Christianæ, *adversus quam portæ inferi non prævalebunt.* Matt. 15. et cujus religio, et sacramenta non mutabuntur usque ad mundi consummationem. Vox *unicornium* Græce, μονοκέρωτες, in Hebræo legitur, רמים *ramim*, quod significat excelso; sed Septuaginta, et S. Hieronymus non legerunt, רמים *ramim*, sed, *remin* quod *monocerotes*, id est, bestias, quæ solum unum cornu, sed firmissimum, et robustissimum gerunt, et sine dubio hæc est vera lectio. *Et elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium, de post fœtantes accepit eum: pascere Jacob servum suum, et Israel hæreditatem suam.* Omisit Propheta Regnum Saulis, quia modicum duraturum erat, et quia quasi extortum fuit à Deo clamoribus populi, sed Regnum Davidis posuit, qui Christi figuram gerebat, et ex propria Dei voluntate duraturum in æternum erat. Elegit ergo David servum suum; et sustulit eum de humili loco, ne forte ejus virtuti tribueretur tanta exaltatio. *Sustulit*, inquam, *de gregibus ovium*, id est, de officio, et munere pastoritio, quod reipsa exercebat, cum oves fœtas sequeretur. *Pascere Israel servum suum, et Jacob hæreditatem suam*, id est, transtulit de ministerio pascendi oves, ad ministerium pascendi homines: præposuit enim illum Regem populo suo, et hæreditati suæ, quæ Israel, et Jacob appellatur. In Hebræo habetur, *Jacob populum suum*, non ut nos habemus, *servum suum.* Aliqui supplicantur Septuaginta Interpretes vertisse, λαόν, non δοῦλον. At cur non verisimilius sit in Hebræo olim fuisse עבדו *hhabdo*, *servum suum*, et postea successu temporis a sciolis mutatum in, עמו *hhammo*, populum suum? In sensu nulla est dissensio. Populus enim Israeliticus est populus Dei, et servus Dei dici potest. *Et pavit eos in innocentia cordis sui; et in intellectibus manuum suarum deduxit eos*, id est, optimam fuisse divinam electionem eventus probavit. David enim pavit, et rexit populum Dei in innocentia cordis, et sapientia operis: in innocentia cordis, quia cor purum, et immaculatum gerens non affectabat gloriam suam, sed Dei, non utilitatem suam, sed populi, cupiebat non tam præesse, quam prodesse, passebat oves, non ut suas, sed ut Domini sui; ut minister, non ut herus: in sapientia operis, vel, ut David loquitur, *in intellectibus manuum deduxit populum*, quia considerate agebat, quicquid agebat: non temere, non sine consilio, non absque maturitate. Quæ omnia etiam si utcumque Davidi conveniunt; absolute tamen, et perfecte non nisi Christo conveniunt. Alioqui non reprehenderetur in Scriptura David, quod uxorem alienam concupierit, quod adulterium, et homicidium perpetraverit, quod populum sine causa numerari voluerit; quod Miphiboseth inauditum damnaverit, et bona ipsius imprudens calumniatori donaverit. Christus autem vere innocens corde, et sapiens in opere fuit: *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus,* 1. Petri 2. Quique audacter dicere poterat, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Joan. 8.

PSALMUS LXXVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

Psalmus Asaph.

De hoc titulo nihil dicendum occurrit. Argumentum est deploratio calamitatis, quæ accidit Hebræis sub Antiocho, et cæteris regibus tempore Machabæorum, ut communiter docent S. Augustinus, Theodoretus, Euthymius, et multi recentiorum, et ipse etiam auctor libri Machabæorum primi cap. 7. allegat hunc Psalmum, tanquam vaticinium earum calamitatum. Potest tamen accommodari idem Psalmus, ut eum accommodat S. Augustinus, ad persecutiones, quas passa est Ecclesia a Regibus, et Imperatoribus paganis. In hoc Psalmo concordant textus Hebraici, Græci, et Latini, et totus Psalmus facillimus est.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam : polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.

Alloquitur Propheta Deum, et in persona populi Dei, qui futurus erat tempore Machabæorum, conqueritur de vastatione templi, et civitatis. Narrat autem hic Propheta Deo, non ut eum doceat, quasi ignorantem, cum potius ab eo sibi revelata didicerit : sed ut hac commemoratione moveat ipse se ad orandum ardentius. *Deus*, inquit, *venerunt gentes*, pagani videlicet Idololatræ, *in hæreditatem tuam*, id est, in eam civitatem, et provinciam, quam elegisti de toto orbe terrarum in propriam possessionem. Hæreditas enim, et possessio in Scripturis pro eodem accipiuntur. Explicat deinde, ad quid venerint gentes in hæreditatem Dei; *Polluerunt*, inquit, *templum sanctum tuum*. Quod factum est sub Antiocho, ut dicitur lib. 1. Machab. cap. 1. tunc enim Idolum in templo collocatum est, et altaria prophanata, atque Idolis consecrata. *Posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam*, id est, ipsam regiam civitatem adeo desolaverunt, ut non videretur amplius civitas, sed tugurium desertum, qualia sunt quæ eriguntur ad custodiam pomorum in hortis, aut vineis, et pomis collectis deseruntur. Id accidisse sub Antiocho testatur lib. 1. Machab. cap. 3. ubi sic legimus, *Et Jerusalem non habitabatur, sed erat sicut desertum*. Vox Hebræa, לעיים *lehhiim*, pro qua habemus, *pomorum custodiam*, significat, *vastationem, desolationem, desertum*, et similia. Sed Interpretes Septuaginta, ut rem declarent per similitudinem, dixerunt, *In pomorum custodiam*. S. Hieronymus vertit, *In acervum lapidum*. Sed melior videtur interpretatio prior quam Latinus Interpres secutus est. Civitas enim reducitur in acervum lapidum, quando omnino destruitur, et lapides domorum in locum unum colliguntur, at Jerusalem non ita funditus eversa fuit, ut habitari non posset : sed muri dejecti fuerunt, et civitas ex parte incensa, et habitatores fugati, ut habetur lib. 1. Machab. cap. 1. Sed tamen adhuc retinebat formam civitatis, et habitari potuisset, ut colligitur ex eodem lib. 1. cap. 3. et 4. proinde rectius comparatur pomorum custodiæ, id est, tugurio semidiruto, et deserto, quam acervo lapidum.

2. Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cœli : carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.

3. Effuderunt sanguinem eorum, tanquam aquam in circuitu Jerusalem, et non erat qui sepeliret.

Deploravit vastationem templi, et civitatis; nunc deplorat cædem hominum, et barbariem, ac feritatem hostium, qui cadavera sepeliri non patiebantur. *Posuerunt*, inquit, *morticina*, id est, cadavera, occisorum Judæorum, non dederunt sepulturæ, sed exposuerunt in escam corvis, et canibus. Morticina proprie dicuntur cadavera eorum, qui morbo intereunt : tamen hoc loco extenditur vocabulum ad cadavera occisorum. Nam in sequenti versiculo explicatur, quæ sint illa morticina cum additur, *effuderunt sanguinem eorum*, id est, *servorum tuorum*, sive *sanctorum tuorum*, id est, hominum tibi sacrificatorum per fidei professionem ; *In circuitu Jerusalem tanquam aquam :* id est, magna copia, sine delectu personarum, sine timore aliquo; *et non erat qui sepeliret*, et ideo relinquebantur cadavera illa avibus cœli, et bestiis terræ. Hoc impletum est, tum in aliis multis, tum potissimum in illis sexaginta viris primariis, quos una die curavit occidi Alcimus prope Jerusalem, ut dicitur lib. 2. Machab. cap. 7. Ibi enim citatur hic versiculus, ubi cædes illorum describitur.

4. Facti sumus opprobrium vicinis nostris : subsannatio, et illusio his, qui in circuitu nostro sunt.

Deplorat nunc etiam infamiam, quæ ex persecutione illa est sequuta. *Facti sumus*, inquit,

opprobrium vicinis nostris, id est, vicinis Regnis Judæorum, Moabitarum, Ammonitarum et aliarum gentium, quæ despiciebant, et irridebant Hebræos, ut homines imbelles, et contemptibiles.

5. Usquequo Domine irasceris in finem? accendetur velut ignis furor tuus.

Videbat Propheta iram Dei in populum suum accensam adeo vehementer, ut videretur periculum imminere, ne populus funditus interiret; ideo in persona populi precatur finem tantæ indignationis. *Usquequo*, inquit, *irasceris in finem?* id est, quousque crescet ira tua, et crescendo minabitur nobis ultimum exterminium? Idipsum repetens addit, *Usquequo accendetur velut ignis zelus tuus?* ubi comparat indignationem Dei, igni, qui nisi celeriter extinguatur, crescere solet in immensum, et in cinerem omnia redigere. Per iram non intelligitur perturbatio, sed voluntas exigendi spiritualem castitatem, et puniendi eos, qui fornicantur ab ipso.

6. Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt, et in Regna quæ nomen tuum non invocaverunt.

Orat converti iram Dei in hostes populi sui, quasi dicat, Nos etsi mali filii sumus, tamen filii sumus, te novimus Deum verum, te colimus et invocamus. *Effunde*, igitur potius *iram tuam in hostes tuos, qui te non noverunt*, id est, non habent pro Deo, et non invocant nomen tuum, quia omnipotentem te esse non credunt. Sed occurrit quæstio ex cap. 12. Lucæ, ubi dicitur, *Servus qui non novit voluntatem Domini sui, vapulabit paucis; qui autem novit, et non fecit, vapulabit multis.* Respondet S. Augustinus, Evangelium loqui de servis, qui sunt in eadem familia: inter eos enim gravius peccant et sed verius puniuntur, qui scientes peccant quam qui peccant nescientes: sed utrisque multo gravius peccant et longe asperius puniendi sunt, qui de familia non sunt, sed hostes jurati sunt, *et serviunt creaturæ potius quam Creatori*, et familiam totam gravissime persequuntur, quales erant illi, de quibus in hoc Psalmo agitur versiculo sequenti.

7. Quia comederunt Jacob, et locum ejus desolaverunt.

Non solum enim isti Deum non invocarunt, verum etiam populum ejus quasi panem consumpserunt spoliantes, fugantes, interficientes, vel etiam minis et tortoribus in corpus suum trajicientes per Fidei abnegationem: quomodo e contrario dicitur S. Petro Act. 10. *Macta et manduca*, id est, in corpus Ecclesiæ recipe per conversionem ad veram Fidem. *Et locum ejus desolaverunt*, id est civitatem Jerusalem desolantes in solitudinem redegerunt. In Hebræo habetur, נוהו *navehu*, *decorem ejus*, sive *pulchram habitationem ejus desolaverunt.*

8. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.

Ne videretur populus Dei, dum hostes accusat, et dignos pœna esse judicat, seipsum voluisse justificare, quasi non meritas pœnas daret, et quasi potentia adversariorum, non justitia Dei attereretur; confitetur in hoc versiculo peccata sua, et parentum suorum, et ad misericordiam Patris, non justitiam Judicis appellat. *Ne memineris*, inquit, *iniquitatum nostrarum antiquarum*, id est, ne punias nos ob iniquitates antiquas, tum nostras, tum parentum. Solet enim Deus aliquando reddere iniquitatem patrum in filios in tertiam, et quartam generationem, ut dicitur Exod. 20. Imo et Dominus dicit Matth. 23. *Implete mensuram patrum vestrorum*, et paulo post, *Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barrachiæ*, etc. Neque contraria est hæc sententia Ezechieli cap. 18. qui dicit, *Filius non portabit iniquitatem Patris*, filius enim proprie punitur ob peccata sua, sed dicitur aliquando puniri ob peccata parentum, quoniam Deus non punivisset illum, quamvis juste eum punire potuisset, nisi iratus peccatis parentum. Quod autem filius non portet iniquitatem patris, nisi sequatur iniquitatem patris: docent SS. Patres Hieronymus in cap. 18. Ezechielis, Augustinus in Psalm. 118. Gregorius lib. 15. Moral. cap. 22. et Chrysostomus homil. 29. in Genesim. *Cito anticipent nos misericordiæ tuæ*, id est, jam ruimus in interitum, nisi velocissime misericordia tua præveniat nos: anticipare enim hoc loco, est præoccupare, sive prævenire ultimam ruinam, ad quam velocissime currimus. Addit, et declarat, cur tanta celeritate auxilii sit opus. *Quoniam*, inquit, *pauperes facti sumus*, Ubi per *pauperes*, intelliguntur afflicti, humiliati, attenuati, egeni non solum divitiarum, sed etiam virium et auxilii.

9. Adjuva nos Deus salutaris noster, et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos, et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Explicat, quomodo misericordia Dei anticipet nos: explicat autem per modum orantis, non per modum docentis. *Adjuva*, inquit, *nos Deus salutaris noster*, id est, anticipent nos misericordiæ tuæ adjuvando nos in facienda justitia, ad evitanda peccata futura, et in agenda pœnitentia, ad expianda peccata præterita. Dicit autem *adjuva*, ut ostendat, non tolli arbitrii libertatem per auxilium gratiæ, sed stabiliri: non enim proprie adjuvatur, nisi qui aliquid agit cooperando gratiæ. Declarat deinde utrumque. *Et propter gloriam nominis tui libera nos*, id est, non propter merita nostra, sed propter gloriam tuam libera nos a morte peccati futuri, quod facis dum adjuvas in facienda justitia. *Et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum*, id est, et propter eamdem gloriam tuam; non propter merita nostra remitte peccata præterita, quod facis, dum adjuvas in agenda pœnitentia. Potest etiam sic exponi, et fortasse magis ad litteram, *Adjuva nos Deus salutaris noster*, in hac præsenti calamitate, quod ut facias duo sunt necessaria, et ut liberes nos a persecutione, et ut ignoscas peccatis propter quæ in persecutionem incidimus. Utrumque autem petimus non propter justitiam, et merita nostra: sed propter nomen et gloriam tuam.

10. Ne forte dicant in gentibus, Ubi est Deus eorum, et innotescat in nationibus coram oculis nostris.

Ecce cur dixerit in præcedenti versiculo, propter gloriam nominis tui; nimirum, *ne forte dicant in gentibus; Ubi est Deus eorum*, id est, ne forte dicant gentes, sic enim habent Hebræi, et Græci codices, (quod est idem) ne dicatur inter gentes, *Ubi est Deus*, qui solebat adesse Judæis? et blasphemetur potentia, vel sapientia Dei quasi fugerit, aut absconderit se tamquam imbecillus; aut ignoraverit, quid acciderit populo suo, *Et innotescat in nationibus coram oculis nostris*, id est, non solum aliqui ita blasphement, sed divulgetur hæc blasphemia inter nationes, nobis ipsis videntibus, et audientibus, ac per hoc etiam graviter erubescentibus.

11. Ultio sanguinis servorum tuorum qui effusus est, introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.

Ergo ne blasphemetur nomen tuum, *introeat in conspectu tuo ultio sanguinis servorum tuorum, tam immaniter effusi;* introeat etiam gemitus servorum tuorum captivorum, et in compedibus constitutorum, id est, respice aliquando sanguinem effusum servorum tuorum occisorum, et ulciscere: respice, et ulciscere servos tuos, qui reliqui sunt, et in compedibus viventes gemunt ad te Domine. In codicibus Græcis conjungitur illud, *ultio sanguinis*, cum verbo præcedente, *innotescat in nationibus;* ut sensus sit, *Innotescat in nationibus ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est, et introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum:* sed quia in textu originali verbum innotescat, est generis masculini, et verbum introeat, est generis fœminini, et nomen *ultio*, ut etiam *gemitus*, sunt generis fœminini apud Hebræos; oportet conjungere nomen *ultio* cum verbo *introeat*, non cum verbo *innotescat*, ut recte conjunxit Latinus Interpres; et credibile est, sic etiam conjunxisse Septuaginta Interpretes, quamvis postea interpunctionem mutaverint, qui hæc non adverterint: utraque tamen lectio verum sensum continet, et posset dici pro lectione Græca, non esse universale, ut nomen generis fœminini semper conjungatur cum verbo generis fœminini apud Hebræos. Nam ipse etiam S. Hieronymus conjunxit nomen *ultio* cum verbo *innotescat*.

12. Secundum magnitudinem brachii tui, posside filios mortificatorum.

13. Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum, improperium ipsorum, quod exprobraverunt tibi Domine.

Duo supra petierat Propheta in persona populi Dei, ut ulcisceretur sanguinem occisorum et ut liberaret captivos morti destinatos: nunc eadem duo petit, sed ordine converso, primum enim petit conservationem vivorum, deinde ultionem interemptorum. *Secundum magnitudinem*, inquit, *brachii tui posside filios mortificatorum*, id est, quemadmodum brachium tuum robustissimum est, ita fortiter resiste persecutoribus nostris, et posside, ut propriam hæreditatem, reliquias populi tui, filios videlicet eorum, qui ab hostibus occisi sunt, *Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum*, id est, retribue vicinis hostibus nostris pœnam longe majorem, quam pœnam reconde in sinu eorum, ut non facile eam excutere possint. *Retribue*, inquam, *illis improperium, quod exprobraverunt tibi Domine*, id est, sicut exprobraverunt tibi imbecillitatem, et insipientiam, quasi verus Deus non esses, sic ostende illos vere fuisse imbecilles et insipientes, et non tam homines, quam vermiculos terræ, aut pulverem, et cinerem. Illud *posside*, in Hebræo est, הותר *hether*, *reliquos fac*, sive *fac ut supersint*, et *remaneant*, quare Septuaginta verterunt sensum, non verbum. Illud *filios mortificatorum*, in Hebræo est, בני תמותת *bene themuthoth*, *filios mortis*, quod potest significare homines morti destinatos, et sic multi exponunt; tamen Septuag. Interpretes per *filios mortis*, intellexerunt filios occisorum, vel ut habet alia lectio, filios morte punitorum, et hanc putamus veram hujus loci sententiam; nam non solum hoc loco, sed etiam in Psalmo 101. ubi legimus, *Ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios interemptorum:* habentur eadem verba Hebraica, quæ ad litteram significant *filios mortis*: et tamen Septuaginta constanter verterunt, *filios interemptorum*, et sic exponunt Hieron. August. et alii veteres. Per illud *vicinis nostris*, aliqui intelligunt Idumæos et Philistæos, et alios vicinos qui videbant ærumnas Judæorum, et non miserebantur; sed verius exponunt alii, qui per vicinos intelligunt Antiochenos, qui cum Antiocho rege Syriæ incenderunt Jerusalem, templum prophanaverunt, et Judæos a vera religione crudelissima persecutione abstrahere conati sunt: isti enim et vicini erant, et hostes jurati. Illud, *septuplum*, non proprie septuplum, sed generatim *majus* et *multiplex*, significat. Denique illud, *in sinu eorum*, significat punitionem inimicorum non futuram exteriorem, et brevem; sed internam, et perpetuam, quam velint, nolint, intra se retinere debeant.

14. Nos autem populus tuus, et oves pascuæ tuæ, confitebimur tibi in sæculum.

15. In generationem, et generationem annunciabimus laudem tuam.

Vere scribit S. Augustinus illa verba, *Redde vicinis nostris septuplum*, et similia, esse potius prædictionem, quam imprecationem: ex illa enim certissima prædictione concluditur Psalmus, promittens Deo sempiternam laudem. Illi, inquit, ut meriti sunt, recipient in sinum suum gravissimam ultionem: *nos autem confitebimur tibi in æternum*, id est, laudabimus te, et prædicabimus gloriam tuam in sæcula. Quod quidem adumbratum est in Hebræis, apud quos Machabæi utcumque longo tempore post persecutionem Antiochi principatum feliciter tenuerunt. Sed verius multo impletur in Ecclesia Christiana; quæ post superatas multas, et varias persecutiones, videbit in die Judicii omnes persecutores suos recipere in sinum suum mercedem iniquitatis, et ipsa cum Rege suo Christo in cœlesti Jerusalem in sæcula sæculorum laudabit Dominum.

PSALMUS LXXIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem pro his, qui commutabuntur, testimonium Asaph, Psalmus.

De hoc titulo, quoad particulam, in finem, et pro his, qui commutabuntur, diximus in explicatione Psalmi 44. et alibi, Illud, *testimonium Asaph,* significat, hunc Psalmum esse testimonium per Asaph decantatum, quo Spiritus sanctus testificatur captivitatem Israel, et liberationem. In Græco additur, *pro Assyriis,* quoniam captivitas, de qua agitur in hoc Psalmo, fuit primum sub Rege Assyriorum Salmanasar, qui transtulit decem tribus in Assyriorum regionem captivas, ut scribitur lib. 4. Reg. cap. 17. et deinde sub Rege Nabuchodonosor, qui captivum duxit reliquum populum in Babylonem, ut dicitur eodem lib. 4. Reg. cap. 24. et 25. Argumentum ex titulo cognoscitur : prædicitur enim captivitas, et liberatio Hebræorum, quæ figuræ sunt captivitatis generis humani per diabolum, et liberationis per Jesum Christum Salvatorem nostrum.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Qui regis Israel, intende; qui deducis velut ovem Joseph.

Incipit Propheta ab invocatione Dei, atque orat, ut exaudiat orationem, et respiciat populum suum. *Qui regis Israel intende*, id est, tu Deus, qui es proprius Rector, et pastor populi Israelitici, audi orationem, quam fundo pro ipso populo tuo. Deinde repetit primam partem, et subintelligit secundam. *Qui deducis velut ovem Joseph*, id est, tu Deus qui deducis ad pascua velut ovium gregem, populum descendentem ex Joseph, audi orationem, quam fundo pro ipso populo tuo, qui et Israel, et Joseph dicitur. Illud, qui regis, in Hebræo ad litteram est, רועה *rohheh,* qui pascis : tamen hoc verbum non significat solum pascere corporali cibo, sed etiam *regere*, quod est officium Principis, nam in Psalm. 2. ubi legimus, *Reges eos in virga ferrea*, habetur hoc idem vocabulum : illud *intende*, significat *intende auribus*, sive *ausculta.* Nam vox Hebraica, האזינה *haazinah*, proprie sonat, *auribus percipe.* Cur autem meminerit Propheta Israel, et Joseph, et non aliorum filiorum Israel, ratio est, quia per Israel intelligitur totus populus Dei. Per Joseph similiter intelligitur hoc loco totus populus Dei. Nam in secunda parte versiculi, repetitur quod dictum est in prima parte, ut alias cum S. Augustino admonuimus. Et quidem cur Israel totum populum significet, notum est, quia omnes Israelitæ Israelem, ut patrem agnoscunt. Cur autem Joseph, qui unus erat ex duodecim filiis Israel, totum populum significet, ratio est, quia Joseph in Ægypto totum populum pavit, et toti populo præfuit : et postea duo ejus filii, Ephraim et Manasse, duas tribus constituerunt, quod nulli alii contigit. Singuli enim filii Israel singulas tribus fecerunt, excepto Joseph, qui singulari prærogativa duas fecit : denique diviso Regno post mortem Salomonis, in Regnum Israel, et Regnum Juda, primus Rex Israel, qui præfuit decem tribubus, Hieroboam fuit de tribu Ephraim filii Joseph.

2. Qui sedes super Cherubim manifestare coram Ephraim, Benjamin et Manasse.

Rogavit Propheta Deum, ut intenderet aurem ad orationem populi sui : nunc addit ut regat ; et intendat etiam oculos, et pie respiciat, atque ostendat serenam faciem populo suo. Dicitur autem Deus respicere aliquem, vel faciem illi ostendere, quando ei placatur : contra autem dicitur avertere oculos, vel tegere faciem suam nube, quando irascitur. *Qui sedes,* inquit, *super Cherubim*, idest, tu Deus, qui sedes in cœlo super primarios Angelos, qui Cherubim appellantur, et in typum hujus rei in sanctuario tuo, super imagines Cherubim, propitiatorium, quasi thronum tuum habes, ubi et arca est quasi scabellum pedum tuorum, *manifestare coram Ephraim, et Benjamin, et Manasse*, id est, ostende faciem tuam, et respice, hoc est, placare populo tuo ; filiis Israel. Cur autem populum Israel significet per Ephraim, et Manasse, et Benjamin, ratio esse videtur, quia Ephraim et Manasse erant filii Joseph, per quem diximus paulo ante totum populum significari : Benjamin erat frater uterinus Joseph, et ideo ab illo separandum non esse duxit, præsertim cum in castris, quando Hebræi armati ordine procedebant, simul incederent, tribus Ephraim, tribus Manasse, et tribus Benjamin. Vide lib. Num. cap. 2. et cap. 10. Fortasse etiam nominavit Propheta hos tres potissimum ut comprehenderet præcipuas partes terræ promissionis. Nam in tribu Ephraim erat Samaria caput Regni Israel, in tribu Benjamin, erat Hierusalem, caput Regni Juda; in tribu Manasse erat regio trans Jordanem. Cur autem inter Ephraim et Manasse fratres, posuerit Propheta medium Benjamin, fortasse causa fuit, ut nepotes patruum honorare viderentur. Erant enim

Ephraim, et Manasse, filii Joseph fratris uterini Benjamin.

3. Excita potentiam tuam et veni : ut salvos facias nos.

Explicat clarius, cur velit Deum intendere aurem, et oculos ad populum suum, ut videlicet eum de tribulatione liberet. *Excita*, inquit, *potentiam tuam*, id est, potentia tua quasi sopita videtur, cum nos affligi sinis ab injustis persecutoribus nostris : ideo *excita potentiam tuam, et veni* per auxilium tuum potentissimum, *ut salvos nos facias*.

4. Deus converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Cur Deus sæpe nos respiciat, causa est, quia nos avertimus ab eo faciem, et convertimus ad res creatas : sed quia sine auxilio Dei non possumus ad eum converti, ideo Propheta utrumque petit in persona populi Dei. *Deus*, inquit, *converte nos*, id est, inspira nobis amorem tuum, ut aversi a rebus creatis ad te iterum convertamur. *Et ostende faciem tuam*, id est, et simul converte ad nos faciem tuam, ut hoc modo sanctæ charitatis vinculo tecum uniti ab hostibus omnibus, qui nos impugnant *salvi esse possimus*, te enim avertente faciem, ægrotamus et perimus, te convertente faciem, resurgimus et sanamur.

5. Domine Deus virtutum, quousque irasceris super orationem servi tui ?

Videbat Propheta magnam iram Dei exarsisse in populum peccantem, et ideo se non facile posse exaudiri : ideo vehementius orat, et precatur, dicens, *Domine Deus virtutum*, id est, Domine Deus exercituum, id enim sonat vox Hebraica, צבאות *tsebaoth*, qui terribilis es, militia cœlesti innumerabili circumdatus, *quousque irasceris*, etiam mihi oranti? sic etiam legimus dixisse Hieremiam, Thren. 5. *Opposuisti nubem tibi, ut non transeat oratio*. In Hebræo non habetur, *servi tui*, sed *populi tui*, sed idem est sensus. Propheta enim servus Dei in persona populi orabat, ac per hoc Deus nolens exaudire irascebatur super orationem servi sui, qui eam fundebat, et super orationem populi sui, quæ per Prophetam ipsius populi nomine fundebatur: potest etiam fieri, ut Septuaginta non legerint, עמך *hammecha*, *populi tui*, sed עודך *haudecha*, *servi tui*. In Græcis quibusdam legitur *servorum tuorum*, et sic legit Euthymius : tamen S. Augustinus et Theodoretus legunt, *servi tui*. Illud, *irasceris*, in Hebræo est, עשנת *hhaschantha*, fumabis : sed Septuaginta declarare voluerunt metaphoram, fumus enim narium indignationis est signum, et ideo per fumum ira significatur.

6. Cibabis nos pane lachrymarum, et potum dabis nobis in lachrymis in mensura.

Conjungitur hic versiculus cum superiore, et subintelligitur illud *quousque*, ut sensus sit, *quousque irasceris super orationem servi tui? quousque cibabis nos pane lachrymarum, et potum dabis nobis in lachrymis*, id est, quousque sines nos in tanta afflictione morari, ut nihil magis, quam lachrymari nobis libeat, et sic lachrymis quasi cibo, et potu sustentemur? Illud autem, *in mensura*, non significat, ut aliqui putant, cum moderatione, sed e contrario in mensura plenissima et supereffluente : nam vox Hebræa, שליש *salis*, significat aliquid *magnum et triplicatum*, et cum ad mensuram refertur, significat mensuram magnam, vel potius ter magnam, id est maximam.

7. Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris, et inimici nostri subsannaverunt nos.

Explicat populus Dei causam tanti mœroris, et lachrymarum, ac dicit esse, quia undique a vicinis gentibus oppugnatur, et superatur, et victus deridetur, et subsannatur. *Posuisti nos*, inquit, *in contradictionem vicinis nostris*, id est, cum nos auxilio tuo destituisti, fecisti, ut omnes vicinæ gentes auderent nobiscum contendere et pugnare : nam illud, *in contradictionem*, in Hebræo est, מדון *madon*, *in contentionem*, ac per hoc significat contradictionem non verborum tantum, sed etiam factorum, id est, concertationes, et prælia. *Et inimici nostri subsannaverunt nos*, id est, inimici nostri nobiscum contendentes vincunt, et debellant nos, atque ut victis insultant et exprobrant debilitatem. In Hebræo est, ילעגו למו *ilhhagu lamo*, *subsannaverunt eos*, sed omnino credibile est textum esse mutatum unius litteræ corruptione : nam et ipsi Septuaginta, et S. Hieronymus verterunt ex Hebræo, *subsannaverunt nos*. Itaque legerunt, לנו *lanu*, non ut nunc legitur, למו *lamo*.

8. Deus virtutum converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Versiculus hic est idem cum quarto, qui repetitur etiam in fine Psalmi, sed hic additur vox *virtutum*, id est, exercituum, et in fine additur, *Domine*. Hæc repetitio significat hunc versiculum esse conclusionem præcipue intentam in toto Psalmo. Et vere nihil melius peti potest a Deo, quam *ut convertat nos ad se, et ipse convertatur ad nos*. Hæc enim gratia fons est omnium bonorum. Illa vero additio unius vocis in prima repetitione, et duarum in secunda, signum est crescentis affectus, et desiderii in oratione.

9. Vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes, et plantasti eam.

Ut impetret, quod petit, commemorat beneficia Dei erga populum Judaicum, quem de captivitate Ægyptiaca liberavit, et in Regna Chananæorum introduxit. Utitur autem metaphora vineæ, qua usi sunt postea etiam Isaias cap. 5. et Ezechiel cap. 15. et 19. et postremo etiam Dominus in Evangelio Matth. 21. Est autem aptissima similitudo vineæ ad populum Dei significandum propter multa : sed præcipue, quia sicut lignum vitis, aut producit fructum optimum et dulcissimum ; et ideo gratissimum est Domino suo, et diligentissime colitur ; aut si sterile sit, ad nullum opus utile est, et ideo in ignem projicitur : sic unusquisque nostrum, aut ad regnum æternum perveniet, si fructum bonorum operum adferat : aut in ignem æternum mittetur, si bonis operibus careat. *Vineam*, inquit, *de Ægypto transtulisti*, id est, populum

tuum, quasi vineam de terra sterili Ægypti in terram fœcundam Palæstinæ transtulisti. Et quoniam terra illa optima occupabatur ab inutilibus et sylvestribus vitibus, *ejecisti gentes* idololatras tanquam inutiles vites, *et plantasti eam*, vineam tuam videlicet.

10. Dux itineris fuisti in conspectu ejus : plantasti radices ejus, et implevit terram.

Ut intelligeremus de vinea rationali, id est, de hominibus sermonem hoc loco haberi; admiscet Propheta aliqua verba propria multis metaphoricis. *Dux*, inquit, *itineris fuisti in conspectu ejus*, id est, cum transferres vineam tuam de Ægypto in Palæstinam, et vinea ipsa, utpote rationalis progrederetur, tu viam ostendebas quasi Dux itineris præcedens eam per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis, ut dicitur in Exodo cap. 13. et Num. 14. Moraliter etiam Dux itineris fuit Deus vineæ suæ, id est, populo suo ad terram promissionis pergenti, dum ei legem dedit. *Plantasti radices ejus, et implevit terram*, id est, confirmasti populum tuum in terra promissionis, et propagasti eum, ita ut totam illam terram habitatoribus repleret.

11. Operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus cedros Dei.

12. Et extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad flumen propagines ejus.

Describit hoc loco incrementum, et propagationem populi Israelitici quo ad altitudinem et latitudinem, id est, quoad gloriam et multitudinem, et admiscet metaphoris hyperbolas. *Operuit*, inquit, *montes umbra ejus*, id est, crevit in altum hæc vinea adeo sublimiter, ut esset altior montibus, eosque umbra sua tegeret, imo etiam in tantam altitudinem elevata est, ut ejus palmites essent altiores Cedris Libani, quæ sunt arbores celsissimæ, in vertice montis altissimi, ita ut palmites hujus vineæ, *Cedros Dei*, id est, Cedros altissimas obumbrarent. Significat autem hæc altitudo potentiam, et gloriam Regni Israelitici, quæ superavit potentiam et gloriam multorum Regnorum. Nam sub Mose populus Israel debellavit Amorræhos; sub Josue vicit triginta et unum Reges; sub Davide domuit Philistæos, Idumæos, et Moabitas. Describit postea propagationem, dicens, *Extendit palmites suos usque ad mare: et usque ad flumen propagines ejus*, id est, propagata est gens Israelitica, et multiplicata valde, ut repleret terram promissionis ab Occidente usque ad mare Mediterraneum, et ab Oriente usque ad flumen magnum Euphratem. Et sic impleta est promissio Dei, Deuteron. 11. *A flumine magno Euphrate usque ad mare occidentale erunt termini vestri.*

13. Ut quid destruxisti maceriam ejus, et vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam?

Explicata magnitudine, et excellentia populi Judaici per similitudinem vineæ; nunc persistens in eadem similitudine, deplorat miseriam ejusdem populi, in quam incidit ex indignatione Dei. *Ut quid*, inquit, *destruxisti maceriam ejus?* id est, quare removisti ab hoc populo auxilium tuum, quod erat quasi maceria claudens undique vineam? *Et vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam*, id est, quare sinis ut omnes inimici hujus populi in illum prævaleant, eumque diripiant, quomodo diripiuntur vineæ ab omnibus iter facientibus, quando destructa est maceria? Sæpe enim Regnum Israelitarum, deserente eos Domino ob peccata populi provocato, datum est in prædam Philistæis aut Madianitis, aut aliis vicinis gentibus.

14. Exterminavit eam aper de sylva, et singularis ferus depastus est eam.

Deplorat nunc in particulari sub eadem vineæ metaphora, gravissimam captivitatem, quæ contigit sub Rege Assyriorum, sive Salmanasar, qui totas decem tribus, sive Nabuchodonosor, qui reliquas duas captivas transtulit in Assyrios, eversa penitus civitate Regia, incenso templo, et Regni solio deturbato: hunc enim Regem vocat aprum sylvestrem, et singularem ferum, qui non vindemiavit, sed eradicavit penitus vineam. Aprum sylvestrem inimicum esse vitibus scribit hoc loco Theodoretus, et Nabuchodonosor Regem ob carnalia vitia porco similem fuisse scribit Euthymius: utraque de causa rectissime persecutorem populi Dei apro comparatum dicere possumus. Illud autem, *singularis ferus*, in Hebræo est, זיזשדי *ziz sadai*, de qua voce diximus in explicatione Psal. 49. hoc loco vertit potest, *bestia agri*, quod idem est cum *apro de sylva :* nam idipsum repetivit Propheta, ut solet. In Græco est, μόνιος ἀγρίος, id est, porcus agrestis : proinde ubi nos habemus in Latino, *singularis ferus*, illud *singularis* est potius etymologia nominis, quam significatio Dicitur enim bestia illa, μὸνιος, quia solitaria esse solet. Itaque per vocem, singularis, hoc loco intelligendus est porcus sylvester, qui singularitate, et solitudine gaudet. Per vocem, *ferus*, intelligendum est, quod porcus ille ferus, et agrestis sit, et in campis sylvæ, non in stabulis et domibus habitet.

15. Deus virtutum convertere, respice de cœlo, et vide, et visita vineam istam.

Hic jam prædicit per modum orantis Propheta adventum Christi, qui vineam reformavit, et aliis colonis custodiendam tradidit, sicut legitur Matth. 21. *Malos male perdet, et vineam suam aliis agricolis locabit :* et clarius explicante Domino parabolam, *Auferetur a vobis Regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.* Non enim Ecclesia veteris Testamenti, quæ erat vinea Dei, funditus periit, sed mutata est in melius. Primitiæ enim Ecclesiæ Apostoli fuerunt, qui utique ex Israel erant. Et multa illa millia, quæ initio prædicante Petro conversa sunt ad Dominum, ex Israel etiam erant. Et Apostolus Paulus ad Rom. 11. aperte demonstrat, *gentes esse veluti ramos insertos in bonam olivam :* id est, adjunctos ad Ecclesiam ex Judæis initio congregatam. Ait igitur, *Deus virtutum convertere*, id est, Deus exercituum cui multa millia Angelorum, imo omnes res creatæ militant, ac per hoc potentissimus es, *convertere* per misericordiam ad vineam tuam, ad populum tuum, a quo per indignationem justam jamdudum aversus es. *Respice de cœlo et vide*, id est, quando longe recessisti a vinea tua, saltem de cœlesti

habitaculo respicere dignare, et vide quam deformata sit vinea tua ab apro sylvestri. *Et visita vineam istam*, id est, et veni, ac visita per teipsum vineam istam. De hac visitatione dixit Zacharias, Luc. 1. *Visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ.* Et Christus ipse, Luc. 19. quando flevit Jerusalem illam terrenam, et prædixit ruinam illius, addidit rationem, *Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.*

16. Et perfice eam, quam plantavit dextera tua, et super filium hominis, quem confirmasti tibi.

Clarius prædicit adventum Messiæ. *Et perfice*, inquit, *eam, quam plantavit dextera tua*, id est, inchoatum opus perfice; Ecclesiam testamenti veteris pene destructam reforma, et meliorem redde, quoniam tu eam initio fundasti, et quasi vineam plantasti, non ut periret, sed ut fructum faceret. *Et super filium hominis, quem confirmasti tibi*, id est, et respice etiam super Messiam, qui filius hominis dicitur, cum sit etiam verus filius tuus, *quem confirmasti tibi*, in colonum præcipuum vineæ tuæ, id est, in Ducem, et Principem Ecclesiæ tuæ: hunc enim locum de Christo intelligunt ad litteram, non solum SS. Hieronymus et Augustinus, sed etiam Theodoretus, et Euthymius Græci, Arnobius, et alii; et ipse quoque Paraphrastes Chaldæus: et accedit manifesta ratio: nam post captivitatem Babylonicam non fuit melior Respubl. Judæorum, quam antea, sed longe deterior, ut S. Augustinus demonstrat in lib. 18. de Civit. Dei, c. 45. quare si hæc prophetia de perficienda vinea, implenda sit, oportet eam ad Christum necessario referre. Sicut etiam refertur illa Aggæi cap. 2. *Magna erit gloria domus novissimæ plusquam primæ.* Quod autem ad verba attinet, illud, *et perfice*, ex Hebræo S. Hieronymus reddit, et radicem; sed vox Hebraica וכנה *vecanna*, quamvis possit esse nomen, et significare radicem, aut plantulam: tamen potest etiam esse verbum a radice כון *con*, quod stabilire et perficere significat, et sic intellexerunt hanc vocem Septuaginta Interpretes. Illud, *et super filium hominis*, in Hebræo est בן ועל *vehhal ben, super;* sed quoniam paulo infra habetur, *super filium hominis;* visum est Septuaginta Interpretibus, hic etiam addere, *hominis*, explicationis gratia. Incertum autem est, an sensus sit, *respice super filium hominis*, ut nos exposuimus, an perfice super filium hominis, sed utrumque recte dici potest. Orat enim Propheta, ut Deus impleat promissionem suam de mittendo Messia: et quoniam si genus Hebræorum omnino periisset, Messias sine dubio non venisset, ideo rogat, ut non permittat vineam istam omnino destrui: sed respiciat super Messiam futurum de semine Abrahæ, et ideo conservet gentem Hebraicam, unde tantum bonum expectatur, vel perficiat super Messiam, id est, adimpleat, quod promisit circa Messiam, quem ipse tibi ab æternitate stabilivit.

17. Incensa igni, et suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt.

Declarat effectum quem pariet adventus Messiæ futurum videlicet esse, ut vinea Domini incensa, et eradicata continuo iterum virescat, et floreat: nam increpante Deo vastatio illa vineæ subito evanescet: quomodo quando Dominus increpabat tempestates, statim evanescente tempestate succedebat tranquillitas maris, et quando imperabat morbis, et morti, statim evanescente morbo succedebat sanitas, et evanescente morte succedebat vita. *Incensa*, inquit, et *suffossa*, id est, vinea incensa igni, et suffossa ab hostibus eradicantibus vites; *ab increpatione vultus tui peribunt*, id est, imperante te, ut cesset vastatio, et quasi increpante ipsam vastationem, continuo peribunt incensio, et suffossio, et redibit viriditas, et integritas vineæ. S. Augustinus more suo exponit per incensionem, cupiditatem malam; per suffossionem, timorem malum: nam amor inflammat, timor humiliat: sunt autem cupiditas, et timor radices omnium peccatorum. Quicumque enim peccat, aut id facit, ut lucretur bonum temporale, quod amat, vel ut evitet malum temporale quod timet. Porro Christus adveniens increpavit, et increpando expulit cupiditatem et timorem, et contra accendit amorem bonum, et introduxit timorem bonum, id est, amorem Dei, et bonorum æternorum, et timorem iræ Dei, et malorum æternorum. Dixit enim, *Ignem veni mittere in terram*, Luc. 12. et, *Nolite timere eos qui occidunt corpus*, Matth. 10. Neque est aliud remedium potentius ad pellendum amorem mundi, vel timorem mundi, quam si quis serio cogitet et firmissime credat, multo majora bona daturum esse Deum amantibus se, et multo majora supplicia offendentibus se, quam ea sint, quæ mundus polliceri, aut minari potest. Alii versiculum præsentem ita exponunt, *incensa igni et suffossa* vinea tua est; sed hostes ejus ab increpatione vultus tui peribunt. Alii, *incensa igni et suffossa* vinea tua est; et si ita pergas indignari vineæ tuæ, omnes filii Israel ab increpatione vultus tui peribunt: sed facilior et planior videtur expositio, quam attulimus. Illud certum est, incensa et suffossa, non esse generis neutri, et numeri multitudinis: sed generis fœminini, et numeri singularis tam in Hebræo textu, quam in Græco, ut ad vineam omnino referri debeant.

18. Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, et super filium hominis, quem confirmasti tibi.

Securus de adventu Messiæ, fausta illi precatur Propheta. *Fiat*, inquit, *manus tua super virum dexteræ tuæ*, id est, fiat manus tua ad protegendum semper, et ubique virum dexteræ tuæ, id est, virum, quem dextera tua sola proprie formavit, et præfecit Ecclesiæ: Christum enim, ut hominem, non cooperatio viri, sed sola divina virtus in utero Virginis formavit. Sic enim dicitur Luc. 1. *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Et eumdem Christum non electio humana, sed sola voluntas divina Regem Ecclesiæ fecit, ut ipse dicit in Psal. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.*

19. Et non discedimus a te, vivificabis nos, et nomen tuum invocabimus.

Christo nos regente, *non amplius discedemus a te*, quia Regnum Christi æternum erit, et

portæ inferi non prævalebunt adversus Ecclesiam, Matth. 16. *Vivificabis nos* vita gratiæ hic in terris, et vita gloriæ, postea in cœlis; et nos tributum reddemus invocationis, et laudis, et actionis gratiarum in æternum.

20. Domine Deus virtutum converte nos : et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Hæc est ultima conclusio Psalmi, de qua supra diximus in versiculo octavo.

PSALMUS LXXX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem pro torcularibus, Psalmus ipsi Asaph.

Quid sit *pro torcularibus*, diximus in explicatione Psalmi 8. hoc solum addendum videtur hoc loco, non esse probabile quod Theophylactus scribit ad cap. 7. S. Joannis, hunc Psalmum inscribi *pro torcularibus*, quod in eo gratiæ agantur Deo pro collectione uvarum, et aliorum fructuum, quæ sit in mense Septembri. Hoc, inquam, non est probabile, quoniam in toto Psalmo, ut etiam annotavit S. Augustinus, nulla sit mentio collectionis uvarum, aut aliorum fructuum. Deinde non solum hujus Psalmi, sed etiam Psalmi octavi, et octogesimi tertii titulus est, *pro torcularibus*, in quibus Psalmis nulla mentio fit Septembris, aut collectionis uvarum. His ergo omissis, argumentum est cohortatio ad festos dies rite celebrandos : et simul commemoratio beneficiorum Dei, ob quæ dies festi celebrantur; et reprehensio negligentiæ, et ingratitudinis Hebræorum. In quibusdam codicibus additur ad titulum, quinta Sabbati, sed in Hebraicis codicibus, et in correctioribus Græcis et Latinis non habetur.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Exultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob.

Hortatur Propheta, ut cum Deum laudamus, cum magna cordis lætitia id agamus : *hilarem enim datorem diligit Deus*, ut ait Apostolus in 2. Cor. 9. et si hilarem datorem, multo magis hilarem laudatorem. Hilaritas autem cordis ex desiderio, et amore nascitur; proinde qui cum acedia psallit, et qui divinum officium, non dulce canticum, sed grave onus judicat; indicat se parum amare, cui psallit. *Exultate*, inquit, *Deo adjutori nostro*, id est, cum exultatione laudate Deum, qui potens est, et fortis ad nos in omnibus rebus juvandos. *Jubilate Deo Jacob*, id est, magna et læta voce canite laudes Dei nostri. In Hebræo, pro *adjutori nostro*, est עזנו *hhezenu*, *fortitudini nostræ*, sed idem est sensus : nam fortitudinem Dei celebramus, quam in nostro auxilio quotidie experimur.

2. Sumite psalmum, et date tympanum, psalterium jucundum cum cithara.

Hortatur, ut non solum voce, sed etiam instrumentis musicis Deum celebremus, quod etiam si ad litteram de corporalibus instrumentis intelligitur; tamen in novo testamento præcipue intelligi debet de sonitu bonorum operum, quæ verbis laudatoriis quasi ex altera parte respondere, et consonare debent. S. Augustinus exponit prima verba, quasi sacerdotes dicant plebi, *Sumite psalmum* a nobis, *et date nobis tympanum*, id est, sumite a nobis spiritualia, et date nobis carnalia. Sed quanquam id justissimum sit, et confirmatum ab Apostolo 1. Cor. 9. *Si nos spiritualia seminavimus, magnum est si carnalia vestra metamus :* tamen hoc loco secundum litteram, *sumite psalmum*, *et date tympanum;* iisdem personis dicitur, Levitis videlicet, quorum officium erat canere Psalmos, et pulsare tympana, psalteria, et citharas. Itaque *sumite Psalmum*, significat assumite psalmum, et incipite canticum : *date tympanum*, significat proferte tympanum, et incipite pulsationem : nec solum tympanum, sed etiam psalterium et citharam proferte, et jucunde pulsate. In Hebræo legitur inverso ordine, *Citharam jucundam cum psalterio*, pro quo Græci et Latini habent, *Psalterium jucundum cum cithara*, sed in sensu nulla diversitas est. Illud *jucundum*, videtur opponi sono gravi et rudi tympanorum; psalterium enim et cithara jucunde, et dulciter sonant, tympanum aspere, et incondite.

3. Buccinate in neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ.

Explicat, quo tempore sit præcipue jubilandum, et ait, *Buccinate in neomenia tuba*, id est, initio mensis, quod Græce dicitur νεομενία quasi nova luna; quia in novilunio Hebræi incipiebant menses, et festa celebrabant, *In insigni die solemnitatis vestræ*, id est, *buccinate in neomenia* quæ est insignis dies solemnitatis vestræ. Disputant hoc loco tractatores, an Propheta hoc loco loquatur de omnibus neomeniis, an de neomenia Septembris : nam omnes neomeniæ, id est, omnia initia mensium lunarium erant dies

festi apud Hebræos, et in illis clangebatur tubis, ut habetur in lib. Num. cap. 10. tamen neomenia septembris erat celeberrima omnium, quia in eam diem incidebat festum tubarum, ut habetur Levit. 23. Num. 29. Qui volunt, Prophetam loqui de sola neomenia septembris, nituntur potissimum sequentibus verbis; *In insigni die solemnitatis vestræ.* Ubi videtur restringi nomen neomeniæ ad unam neomeniam insignem, et solemnem, in qua potissimum erat usus tubarum, quæ sine dubio erat neomenia septembris quæ dicitur Num. 29. *Dies clangoris et tubarum:* et Levit. 23. dicitur, *sabbatum memoriale clangoribus tubis celebrandum et vocandum sanctum*, atque in eo ab omni opere servili esse vacandum. Qui autem existimant, Prophetam loqui de Neomenia cujusque mensis, dicunt verba sequentia, *In insigni die solemnitatis vestræ*, non intelligi de Neomenia, sed de aliis festis, ut Pascha, Pentecoste, tabernaculorum, et aliis, ut sensus sit, *Buccinate in Neomenia*, et buccinate etiam tuba in omni alia insigni die solemnitatis vestræ. Res est parvi momenti: tamen prior sententia mihi probabilior videtur, quoniam ut plurimum in Psalmis, quod passim observat sanctus Augustinus: posterior pars versiculi repetit, aut declarat partem priorem. Quod attinet ad verba, illud, in insigni, Hebraice est, בכסה *bachese*, quod proprie significat, *in operimento*, sive *tegmine*, vel, ut alii dicunt, *in tempore constituto*, sive *solemni*, et ad verbum si verti posset hæc sententia, *Buccinate in neomenia tuba; in tempore solemni ad diem festum vestrum:* quod idem est cum eo, quod vertunt Septuaginta quantum ad sensum attinet; idem enim est, *in insigni die festivitatis*, et in tempore solemni ad diem festum, nisi quod in Hebræo est prima persona pronominis, in Græco et Latino est secunda. Nam in Hebræo est, חגנו *chaggenu*, *solemnitatis nostræ*, in Græco vestræ. Sed utrumque est verum, et fortasse Septuaginta legerunt in secunda persona, etiam in Hebræo: advertimus enim non raro aliter legisse Hebraicum textum Septuaginta Interpretes, quam nunc habeatur in nostris libris.

4. Quia præceptum in Israel est, et judicium Deo Jacob.

5. Testimonium in Joseph posuit illud, cum exirent de terra Ægypti: linguam, quam non noverat, audivit.

Reddit rationem, cur oporteat cum exultatione cantare, et instrumenta musica pulsare in die festo: quia videlicet hoc Deus ipse mandavit, quando eduxit populum de captivitate Pharaonis. Vult enim Deus, qui nulla re indiget, hoc tributum laudis et memoriæ beneficiorum suorum. *Quia*, inquit, *præceptum in Israel est*, id est, psallere, et tympana cum aliis instrumentis pulsare oportet in signum lætitiæ, et gratiarum actionis; quia hoc præcepit Deus populo suo Israel; et hoc præceptum habetur, et conservatur in Israel, id est, in populo Dei, qui a parente dicitur Israel. *Et judicium Deo Jacob*, idem repetit aliis verbis: idem enim est præceptum, et judicium hoc loco, ut etiam in Psal. 18. et 118. et alibi. Idem quoque est Israel, et Jacob, ait igitur, *Et judicium Deo Jacob*, id est, et hoc ipsum est decretum, quod servandum est a populo Jacob erga Deum suum. *Testimonium in Joseph posuit illud, cum exiret de terra Egypti.* Idipsum secundo repetit cum additione temporis, idem enim intelligitur per Israel, per Jacob, et per Joseph, populus videlicet Dei, qui totus constabat ex filiis Jacob et Joseph, ut supra diximus in Psalm. 76. et Psalm. 79. Idem quoque est præceptum, judicium et testimonium, ut dictum est in Psal. 18 et 118. *Posuit*, inquit, *testimonium in Joseph*, id est, constituit hoc præceptum in populo suo, qui Joseph dictus est a Patriarcha Joseph, qui pater fuit naturalis duarum tribuum, et pater protectione et providentia in Ægypto omnium filiorum Israel. Posuit autem hoc præceptum Deus in populo suo, quando eduxit eum de Ægypto. Siquidem omnia præcepta, et hoc unum cum cæteris data sunt a Deo per Mosem in deserto; paulo post egressionem de Ægypto, ut notum est ex lib. Levit. et Num. *Linguam, quam non noverat, audivit.* Hæc pars ultima versiculi duobus modis exponi solet. Prior expositio est veterum scriptorum, Hieronymi, Augustini, Theodoreti, Euthymii, et aliorum, quod per linguam, quam non noverat populus Dei, intelligatur vox audita de monte Sina: non enim audierat unquam antea populus vocem Dei loquentis: et spiritualiter intelligitur vox Evangelii, quam incipiunt audire et credere, qui exeunt de Ægypto, et serio convertuntur ad Deum. Posterior expositio est aliquorum recentiorum, quod per vocem quam non audierat, intelligitur lingua Ægyptiaca, ut sensus sit, *linguam, quam non noverat audivit*, id est, populus Dei in Ægypto, unde per gratiam Dei eductus fuit, *linguam, quam non noverat audivit*, ac per hoc cum barbaris ignotæ linguæ conversatus est. In Hebræo habetur in prima persona, ידעתי עשמע *iadahthi eschmahh*, *Linguam quam non noveram audivi.* Sed credibile est Septuaginta Interpretes legisse in tertia persona, et sic fuisse in antiquis codicibus.

6. Divertit ab oneribus dorsum ejus, manus ejus in cophino servierunt.

Hoc est alterum beneficium Dei erga Hebræos in exitu eorum de Ægypto. Siquidem Ægyptii Hebræos cogebant serviliter laborare in operibus duris laterum faciendorum, et coquendorum, ut perspicuum est ex lib. Exod. cap. 1. 2. et 5. Ait igitur; *Divertit ab oneribus dorsum ejus*, id est, Deus divertit ab oneribus dorsum Israel, sive Jacob sive Joseph, id est, dorsum populi sui, liberans eum ab oneribus duris luti, et laterum, quibus opprimebatur ab Ægyptiis. *Manus ejus in cophino servierunt*, id est, divertit Dominus ab oneribus dorsum populi sui, cujus populi manus longo tempore in gestandis cophinis plenis luto, vel lateribus servierunt. In Hebræo habetur in prima persona, diverti ab onere dorsum ejus: et quamvis sensus idem sit, sive loquatur Propheta, sive Deum loquentem introducat: tamen omnino credibile est, in codicibus antiquis, quos habuerunt Septuaginta Interpretes, fuisse in tertia persona: nulla enim est ratio, cur vertere voluerint aliter quam in textu invenerint. Illud autem, in cophino servierunt, in Hebræo est, *a cophino recesserunt.* Sed manifesta est ratio diversitatis ob unius litteræ similitudinem: nam Septuagina legerunt, תעבודנה *tahavodena*, quod est ser-

vierunt : et nunc legitur, תעבורנה *tahavorena*, quod est, *recesserunt*, sunt enim litteræ simillimæ

7. In tribulatione invocasti me, et liberavi te : exaudivi te in abscondito tempestatis : probavi te apud aquam contradictionis.

Ab hoc versiculo usque ad finem vicissim commemorat Deus beneficia sua in populum, et ingratitudinem populi in Deum. *In tribulatione invocasti me, et liberavi te*, id est, dum in Ægypto tribulationem gravissimam patereris, invocasti me, et liberavi te, educens de terra illa, et liberans de durissima servitute. *Exaudivi te in abscondito tempestatis*, id est, exaudivi te non solum cum timeres iram Pharaonis; sed etiam cum timeres tempestates, et plagas, quibus percussi Ægyptum : tunc enim abscondi te, et protexi, ne plagæ illæ tibi nocerent. Vel, ut alii volunt, *exaudivi te*, cum transisses per mare Rubrum, et Pharao cum curribus suis et equitibus te sequeretur, ego latens in columna nubis et ignis excitavi tempestatem in mari, et subverti rotas curruum Pharaonis, et universum exercitum interfeci. Itaque illud, *in abscondito*, potest referri tum ad populum absconditum a Deo tempore tempestatis; tum etiam ad ipsum Deum absconditum in columna nubis, et invisibiliter pugnantem cum Pharaone et exercitu ejus. *Probavi te apud aquam contradictionis*, id est, post hæc tam magna beneficia tentavi te per aquæ penuriam, ut explorarem fidem, et patientiam tuam : sed inveni te impatientem, et infidelem. Scribitur hæc historia Exod. 17. et Num. 20. ubi Deus permisit ad modicum tempus, ut populus aquæ penuria laboraret, et populo murmurante, et verso in seditionem, Deus ex petra eduxit aquas largissimas. Vocata est autem aqua illa contradictionis, quoniam propter aquam populus contradicere cœpit Mosi, atque ejus imperium detrectare.

8. Audi, populus meus, et contestabor te, Israel si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.

9. Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, dilata os tuum, et implebo illud.

Refert Propheta in persona Dei, quam æquas conditiones Deus populo suo proposuerit, et quam amplas pollicitationes addiderit, si pactis conventis stare voluisset. In quo apparet ineffabilis benignitas Dei. *Audi*, inquit, tu gens Hebræa, quæ es *populus meus*, et palam admonebo te, sive testatum faciam tibi, quid a te requiram, et quid tibi redditurus sim. *Israel, si audieris me, non erit in te Deus recens*, id est, si me audire, et mihi obedire volueris; hoc a te requiro, hoc in primis tibi mando, *ut non sit apud te Deus recens*, id est Deus, quem non coluerunt patres tui, sed recens introductus. Sic enim hoc explicatur in cantico Mosis, Deuteron. 32. Vere tamen scribit sanctus Augustinus omnes Deos falsos esse Deos recentes, quia non sunt æterni nec sine principio, sed nuper in officina sculptoris effecti, vel in cerebro humanæ vanitatis formati. *Neque adorabis Deum alienum* : est declaratio, vel repetitio ejusdem rei : dicuntur enim Dii aliarum gentium, quos non coluerunt Patriarchæ Hebræorum. *Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti.* Optima ratio, cur non debeat gens Judaica colere Deos alienos; quoniam, inquit, *Ego sum Dominus Deus tuus, qui redemi te de captivitate*, ac transtuli a servitute Pharaonis ad servitutem meam. Quæ ratio multo etiam magis convincit Christianos, non debere colere Deos alienos : quia Deus verus atque æternus, non solum nos cum cæteris creavit, sed per Christum filium suum liberavit de captivitate Diaboli, et transtulit in Regnum filii dilectionis suæ. *Dilata os tuum, et implebo illud.* Hæc est promissio amplissima Dei cultoribus suis, quæ sumpta est a metaphora cibi. *Dilata*, inquit, quantum potes, *os*, et fauces desiderii tui, quia replebo cibo suavissimo famem tuam. Hanc promissionem solus Deus implere potest. Quicquid enim creatum nobis detur; non satiat, neque explere potest appetitum cordis humani. Sola Dei visio, atque fruitio, quæ bonum est infinitum, et omnia omnino bona comprehendit, satiare nos poterit. Recentiores referunt hunc versiculum ad orationem ut sensus sit, *Aperi os tuum*, et pete quod vis, et implebo petitionem tuam. Sed veteres, S. Hieron. S. August. Theod. et Euthym. referunt ad cibum, ut exposuimus, et vere dilatare os, et implere os, ad comestionem potius pertinent, quam ad locutionem. Sensus autem idem est.

10. Et non audivit populus meus vocem meam, et Israel non intendit mihi.

Queritur nunc Deus de ingratitudine populi sui, quod tam æquis conditionibus non acquieverit. Et mirum est valde, quod cum in terris servuli ambiant gratiam Domini sui, et pro magno beneficio reputent, si cum eis Dominus loqui, vel eos respicere dignetur, Israel tamen, id est, pulvis et cinis Deum Deorum audire, et in eum intendere dedignetur. Sed vere dixit in Evangelio Luc. 16. Dominus, *Prudentiores esse filios hujus sæculi filiis lucis in generatione sua.* Vox Hebraica pro eo, quod nos habemus, *non intendit mihi*, habet, לא אוהלי *lo avali, non voluit me*, id est, rejecit me, contempsit me, in me respicere non est dignatus.

11. Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.

Horrendum, sed justissimum flagellum minatur Deus contemptoribus suis, ut videlicet fiat eis peccatum pœna peccati, id est, sinantur in peccato semper graviora prolabi, donec ad profundum malorum deveniant, hoc est, quod dicit Apostolus ad Rom. 1. *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum*, et paulo post, *Tradidit illos in passiones ignominiæ*, et iterum, *Tradidit illos in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt.* Hæc est illa obduratio cordis, de qua dicit Ecclesiastes cap. 7. *Considera opera Dei, quia nemo potest corrigere, quem ille despexerit. Et dimisi*, inquit, *eos secundum desideria cordis eorum*, id est, permisi ut ambularent, et operarentur juxta concupiscentias suas ; non dedi eis, ut filiis, disciplinam ; sed ut alienos dimisi ut præcipitarentur et colliderentur. *Ibunt*

in adinventionibus suis, id est, sequentur non semitas Patrum suorum, non vias rectas legis meæ, sed cogitationes cordis sui in cultu Deorum, quos humana curiositas adinvenit; et in omni genere turpitudinis vitiorum quibus corrumpi solet humana natura, cum Dei lumine non dirigitur, et Dei dextera non tenetur, et Dei efficaci gratia non juvatur.

12. Si populus meus audisset me, Israel si in viis meis ambulasset.

13. Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem : et super tribulantes eos misissem manum meam.

Iterum redit ad promissiones per modum optantis, ut ostendatur innata Deo nostro misericordiæ affluentia. Vere enim Deus noster, *Pater misericordiarum est, et Deus totius consolationis*, ut ait Apostolus, 2. Cor. 1. Nam ubi legimus : Si populus meus audisset me, in Hebræo est לו *lu*, quæ est particula optantis, *Utinam populus meus audisset me!* Sed quia in Deum proprie non cadit talis affectio, et est ea metaphorica locutio, Septuaginta Interpretes verterunt, *Si populus meus audisset me, et in viis meis*, id est, in legibus meis, *ambulasset. Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem*, id est, facillime et celerrime omnes hostes populi mei, qui nunc eum tantopere vexant, humiliassem et dejecissem, ut caput attollere non valerent. *Et super tribulantes eos misissem manum meam*, id est, quia super persecutores populi mei misissem manum potentiæ meæ, atque eos contrivissem. Illud, *pro nihilo*, in Hebræo est, כמעט *chimhhat*, *quasi modicum*, vel, ut sanctus Hieronymus vertit, *quasi nihilum*. Et sensus est, Deo non esse difficile debellare quoslibet inimicos, quoniam omnis humana potentia, quasi nihil est coram Deo; ac per hoc potest facillime et velocissime id agere, quia nihil ei resistit. Itaque illud, *pro nihilo*, exponendum est, ac si nihil essent omnes inimici, ita eos humiliassem. Illud, *forsitan*, non habetur in Hebræo, sed additum est a Septuaginta declarationis gratia, ut intelligeremus Deum non necessario, sed libere agere, et posse pro arbitrio, si velit, agere.

14. Inimici Domini mentiti sunt ei, et erit tempus eorum in sæcula.

Hic jam loquitur Propheta, et confirmat quod Deus dixerat, *Et non audivit populus meus vocem meam :* proinde per inimicos intelligit Judæos, qui ex filiis inimici facti sunt, ac tum præsertim cum Christum negaverunt coram Pilato, Regem suum esse, de qua re Dan. cap. 9. diserte ait, *Et non erit ejus populus qui eum negaturus est.* Ita exponunt omnes veteres, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Euthymius et alii. Recentiores nonnulli cum Rabbinis exponunt de inimicis Judæorum : sed nos malumus Patres nostros, quam Rabbinos sequi. Ait igitur, *Inimici Domini*, id est Judæi rebelles et increduli, *mentiti sunt ei*, quia promiserunt ad radices Montis Sinai, se facturos omnia, quæ Dominus imperasset, Exod. 24. *Omnia verba*, inquiunt, *quæ locutus est Dominus, faciemus*, et tamen nihil eorum opere compleverunt. Ex Hebræo יכחשולו *iechachessehulo*, posset etiam verti, *negaverunt ei* vel *eum :* sed rectissime etiam vertitur, *mentiti sunt ei. Et erit tempus eorum in sæcula*, id est, et erit tempus defectionis et rebellionis eorum in sæcula, quia vix in fine mundi reliquiæ Judæorum convertentur, vel, juxta S. Augustinum, erit tempus supplicii eorum in sæcula, quia ignis gehennæ non extinguetur. Theodoretus et Euthymius notant apud Syros per tempus interdum significari supplicium, sive calamitatem : quod S. Augustini expositionem confirmat.

15. Et cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos.

Hic notatur maxima Judæorum ingratitudo, qui mentiti sunt Domino, cum tantis eos beneficiis affecisset. Possunt autem hæc verba referri ad manna, quod pluebat Judæis in deserto, et aquam quæ in eodem deserto scaturivit de petra; nam cibus ille recte dicitur adeps frumenti, quia erat panis Angelorum, ut dicitur in Psal. 77. et habebat omnem saporem, ut dicitur Sap. 16. Mel de petra non absurde dicitur aqua illa, quam de petra Moses eduxit, quia ut Theodoretus dicit, sitientibus Hebræis instar mellis videbatur. Potest tamen etiam referri totus hic versiculus ad ubertatem tritici, vini et olei, quæ erat in terra promissionis, quamvis magna ex parte montuosa et saxosa esset. Sic enim scribit Moses, Deuteron. 32. *Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* Ubi per fructus agrorum, intelligitur præcipue frumentum, de quo paulo infra dicit : *Et hircos cum medulla tritici.* Per mel de petra, intelligitur mel ipsum, quod apes in cavernis petrarum producebant, necnon ficus, uvæ, et reliqua dulcia quæ in montibus illis petrosis gignebantur. Sed adeps frumenti, et mel de petra multo pretiosiora sunt apud Christianos, quibus adest sub specie panis corpus Redemptoris, et mel sapientiæ cœlestis de petra, quæ idem Christus est; et tamen non pauci post abrenunciationem Diabolo, et pompis, et operibus ejus factam in Baptismo, mentiuntur Deo revertentes ad ea, quibus renunciaverant : et post gustatum panem de cœlo, et mel de petra, revertuntur, ut canes immundi, ad vomitum suum. Qui timere debent æternitatem futuri supplicii ignis, qui non extinguitur, et vermis, qui non moritur.

PSALMUS LXXXI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

PSALMUS ASAPH.

ARGUMENTUM hujus Psalmi est exhortatio ad Judices, ut juste judicent. Sed ut majorem efficaciam habeat exhortatio, inducitur Deus summus Judex increpans Judices minores.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat.

Pronunciat S. Propheta Deum semper adesse, cum Judices sententias ferunt, et de ipsis eorum sententiis judicare, rectæne an iniquæ sint. Quod certe multum prodesset Judicibus, si serio cogitarent, in conspectu summi Judicis omnes causas judicari. *Deus*, inquit, *stetit*, id est, semper assistit præsens invisibili majestate, *in synagoga Deorum*, id est, in conventu et consessu Judicum, dum causas populi judicant : et dum illi judicant populos, Deus *in medio eorum* præsens assistens *judicat ipsos Judices.* Hic sunt aliqua dubia breviter dissolvenda. Primum est, quia in Hebraico textu ubi dicitur, Deus stetit, vox *Deus*, est אלהים *Elohim*, quæ est numeri multitudinis, et significat *Deos*, sive Judices : vox autem Deorum, cum dicitur in synagoga Deorum, est numeri singularis, על *El*, et significat Deum. Quare videntur Septuaginta Interpretes non recte vertisse, *Deus stetit in synagoga Deorum.* Respondetur primo, fieri posse, ut verba illa in nostris codicibus sint transposita, et in codicibus antiquis fuerit in primo loco אל *El*, et in novissimo אלהים *Elohim*, ut Septuaginta reddiderunt. Secundo, posse hunc locum Hebraice ita legi, *Deorum stetit in synagoga Deus*, carent enim Hebræi casibus; tamen Septuaginta Interpretes, ut sensum clariorem redderent, vertisse, *Deus stetit in synagoga Deorum.* Tertio, posse verti cum S. Hieronymo, Deus stetit in synagoga Dei, id est, in synagoga sua : tamen Septuaginta Interpretes vertisse *in synagoga Deorum*, quia synagoga Dei nihil est aliud, nisi conventus Judicum a Deo constitutorum, quibus etiam nomen suum impertivit, quia communicavit cum illis auctoritatem judicandi, quæ est ipsius propria, dicente S. Jacobo cap. 4. *Unus est legislator, et Judex.* Neque obstat quod, אלהים *elohim*, sit numeri multitudinis : recipit enim usitate significationem numeri tum singularis, tum multitudinis. Alterum dubium est, cur dicatur in præterito, *Deus stetit*, et non potius, Deus stat. S. August. quærit, si Deus stetit in synagoga Deorum, quando id fuit, quando stetit? et non inveniens, quando Deus Pater steterit, refert hunc locum ad Deum filium, qui in carne stetit in synagoga Scribarum et Pharisæorum. Sed non est necesse restringere hæc verba ad tempus Christi, cum hoc perpetuum sit, ut Deus semper assistat judicantibus : unde etiam sequitur, *In medio autem Deos dijudicat :* vel, ut est in Hebræo, ישפט *ispat*, dijudicabit. Itaque illud, stetit, significat, ab initio stare consuevit, sive, constituit se præsentem. Et quia Deus non mutatur, sicut ab initio stetit, ita semper stat, et stabit, et semper judicabit. Tertia dubitatio, cur dicit, *stetit*, et non potius sedit? Judicis enim sedere est, non stare. Sed facilis est responsio : nam vox illa, *stetit*, non significat hoc loco stare, ut distinguitur contra sedere, sed adesse, ut distinguitur contra abesse, et præsertim hoc significat vox Hebraica, יצב *iatsab;* ut perspicuum est ex lib. Judic. c. 3. v. 22. nam ubi legimus, *Infixit sicam in ventrem ejus tam valide, ut capulus sequeretur ferrum in vulnus*, in Hebræo est, *ut sequeretur, quod stetit post ferrum*, ubi describitur capulus, qui est in gladio post ferrum, quo loco vox, *stetit*, quam etiam hic habemus, non significat, *stare*, id est, *non sedere*, sed *adesse*, vel *manere*.

2. Usquequo judicatis iniquitatem; et facies peccatorum sumitis?

Utrum hæc dicantur a Propheta, qui reprehendit Judices, propterea quod non cogitent, Deum assistere judiciis ipsorum, et ideo injuste judicent : an potius dicantur a Deo, qui assistens judicantibus, et sententias eorum diligenter examinans, arguit malos Judices de præcipuo, et frequentissimo eorum crimine, videlicet de acceptione personarum, ob quam plerumque injuste judicant, incertum est; sed sive Propheta, sive Deus hæc dicat; divina reprehensio est, quia per os Prophetæ Spiritus sanctus sine dubio loquebatur : et quia raro accipitur persona hominis pauperis et justi; frequentissime autem persona divitis, et injusti; ideo de hac acceptione potissimum eos reprehendit, *Usquequo*, inquit, *judicatis iniquitatem*, id est, quamdiu perseverabitis in hoc peccato inique judicandi? et addit causam præcipuam iniquorum judiciorum dicens, *Et facies peccatorum sumitis*, id est, quia facies, sive personas peccatorum accipitis : hinc enim oriuntur iniqua judicia, quia Judices non attendunt ad merita causæ, sed ad gratiam hominum divitum et

potentium, qui hoc ipso peccatores sunt, quod cupiant a Judicibus gratiam suam justitiæ anteponi. Porro sumere faciem alicujus in judicio, nihil est aliud, nisi talem sententiam ferre, non qualem justitia exigit, sed quam requirit amicus, vel benefactor, vel cognatus. Et hoc idem est respicere in faciem hominis, non in regulam justitiæ.

3. Judicate egeno, et pupillo, humilem, et pauperem justificate.

Reprehendit Deus, sive Propheta primo loco vitium acceptionis personarum : nunc secundo addit vitium oppressionis pauperum, quos Judices opprimunt, tum quando differunt eis justitiam facere, tum quando damnant eos injuste, ut adversariis potentioribus non displiceant. *Judicate*, inquit, *egeno et pupillo*, id est, causam pauperis, et præsertim pupilli libenter admittite, diligenter discutite, sollicite expedite, ne cogantur bona sua litigando consumere : *humilem*, id est, hominem abjectum atque afflictum, *et pauperem justificate*, id est absolvite, et justum declarate. Hoc tamen intelligitur si vere justus sit, scriptum est enim Levit. 16. *Non consideres porsonam pauperis, nec honores vultum potentis : juste judica proximo tuo.* Sensus igitur non est, ut semper pro paupere, sive in favorem pauperis judicetur : sed ut quando pauper justus est, et injuste accusatur, Judex efficiat, ut justitia pauperis emineat, et non opprimatur potentia adversariorum.

4. Eripite pauperem, et egenum de manu peccatoris liberate.

Non satisfacit Judex officio suo, si solum proferat justum judicium, nisi etiam cogat divites et potentes, ut pauperibus et egenis reipsa satisfaciant, sive restituendo ablata, sive resarciendo detrimenta, quæ ob calumnias et lites passi sunt. Ideo sive Deus, sive Propheta adjungit, dicens, *Eripite pauperem*, videlicet de manu potentis, *et egenum* de manu ejusdem potentis *liberate*. Idem enim bis repetit more suo, ut res menti altius infigatur. Eripere autem pauperem de manu potentis, est sententiam adversus potentem pro paupere juste pronunciatam executioni mandare, et reipsa efficere, ut pauper nihil detrimenti a potentiore inimico patiatur. In hoc igitur potissimum deberent Judices, et Principes potestatem suam demonstrare. Sic enim et gratiam Dei, et benevolentiam populorum sibi compararent : sed quoniam ut plurimum id non faciunt, sequitur Propheta et dicit :

5. Nescierunt, neque intellexerunt : in tenebris ambulant, movebuntur omnia fundamenta terræ.

Deplorat Propheta voluntariam cæcitatem Judicum, ob quorum injustitias totus orbis terrarum conturbatur. Nam ut Dominus dicit in Evangelio Matth. 5. *Si sal evanuerit, in quo salietur?* et alibi Luc. 11. *Si lux quæ in te est, tenebræ sint, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Sic etiam dicere possumus, si apud eos, qui ex officio justitiam administrant, justitia non invenitur, ubi tandem invenietur? nonne iniquitas omnia confundet? *Nescierunt*, inquit, *neque intellexerunt*; id est, neque cognoverunt quid facti, neque intellexerunt quid juris esset in causa. Hoc enim interest inter duo verba Hebraica, ידעו *iadehhu*, et יבינו *iabinu*, quæ hic habentur, quod inter *cognoscere* et *intelligere*, apud Latinos. Cognoscere latius patet, ut etiam ad notitiam sensuum pertineat, intelligere proprium est mentis et rationis, atque proprie dixit Propheta Isaias cap. 1. *Cognovit bos possessorem suum et asinus præsepe domini sui;* non autem proprie dixisset, *Intellexit bos possessorem suum et asinus præsepe domini sui.* Ex hac ignorantia judicum fit *ut in tenebris ambulent*, id est, errent in judicando, quomodo cæci errant inter ambulandum. Ex hoc autem errore, et injustitia sequitur perturbatio, et tumultus, seditio et defectio populorum; quod significatur verbis sequentibus; *Movebuntur omnia fundamenta terræ*, id est, totus orbis terrarum turbabitur, et quasi fluctuabit, neque alia fuit causa, cur totum Regnum Israel deficeret a Rege David, nisi quia persuasit Absalon populus, Regem Davidem non intendere causis cognoscendis, ut patet ex lib. 2. Regum, cap. 15. Cur autem Judices permulti cæci sint, causam refert Scriptura ; cupiditatem munerum. Isaiæ 1. *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non judicant, et causa viduæ non ingreditur ad eos*, Exod. 23. Nec accipias munera, quæ excæcant prudentes. Deut. 16. *Munera excæcant oculos sapientium.* Ecclesiastici 20. *Dona excæcant oculos Judicum.*

6. Ego dixi, Dii estis, et filii Excelsi omnes.

Reprehendit hactenus Propheta, sive Deus ipse, Judices acceptionis personarum, injustitiæ et ignorantiæ : nunc ostendit, quam indigna sint hæc vitia eo sublimi honore, in quo Deus illos constituit. *Ego*, inquit, *dixi*, pronunciavi, asserui, *Dii estis, et filii Excelsi omnes*, vos Judices et Principes terræ. Vocat autem filios Excelsi vel comparans eos cum Angelis, qui apud Job cap. 1. et 38. *Filii Dei* dicuntur : vel, ut ostendat, Judices non esse Deos proprie, ut est verus et summus Deus, qui caret principio; sed esse Deos, quia filii Dei, id est, ab uno vero Deo, Dei constituti, per participationem auctoritatis judicandi et jubendi. In Evangelio Joan. cap. 10. Dominus hunc locum adducens dicit, vocari Deos, *quia sermo Dei ad illos factus est. Si illos*, inquit, *dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, quem Deus sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, filius Dei sum?* Sermonem Dei ad aliquem fieri est, Deum committere alicui officium aliquod. Sic enim dicitur, Factum est verbum Dei ad Prophetas, quos mittebat ad prædicandum. Et Luc. 3. dicitur, *Factum est verbum Dei super Joannem Zachariæ filium in deserto :* et mox adjungitur executio, *Et venit in omnem regionem Jordanis prædicans*, etc. Et quod Lucas dixit, *Factum est verbum Dei super Joannem.* Joannes cap. 1. explicuit, dicens, *Fuit homo missus a Deo cui nomen erat Joannes.* Atque hinc manifeste colligitur vis argumenti Christi, *Si illos dixit Deos* Scriptura, *ad quos sermo Dei factus est*, id est, quos Deus misit ad aliquid faciendum, communicans illis auctoritatem suam; quanto magis ego Filius Dei, et Deus dici possum, quem de cœlo Pater æternus misit in mundum cum plenaria potestate? Ne-

que ex hoc loco colligi debet, omnes Judices et Principes habere a Deo immediate potestatem suam. Satis enim est, si eam habeant, vel immediate, ut habuit Moses in Testamento veteri, et S. Petrus in novo; vel mediante consensu populi, ut habent Reges et Principes terræ, in quos transtulit populus auctoritatem suam, quam accepit a Deo jure naturæ: *non enim est potestas nisi a Deo,* ut Apostolus scribit ad Romanos. 13.

7. Vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de Principibus cadetis.

Ego, inquit, *dixi,* quid estis dignatione Dei, sed nunc addam, quid sitis vitio vestro; ex Dei munere Dii estis, et Angelis similes; sed ex peccato, quod habetis ex primo homine, sicut cæteri *homines moriemini*, et ex proprio vestro vitio, quo abutimini potestate vobis tradita, *sicut unus de Principibus cœlestibus*, id est, de Angelis apostaticis *cadetis*, et sic de summo gradu ad imum; de magna gloria ad extremam miseriam præcipitabimini. Illud, *sicut homines*, in Hebræo est, כאדם *che Adam, sicut Adam*, et S. Hieronymus in commentario exponit: Sicut primus homo mortuus est, ita et vos ejus filii secundum carnem peccatricem moriemini. Non potest tamen Septuaginta Interpretum versio improbari, quoniam vocabulum, *Adam,* ita proprium est primi hominis, ut etiam sæpe toti generi humano accommodetur. Illud autem, *sicut unus de principibus,* refertur ad Diabolum, non solum a S. Hieronymo, sed etiam a sancto Augustino, Theodoreto, Euthymio, et aliis.

8. Surge Deus, judica terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.

Hæc Psalmi conclusio duplicem habet sensum: unum, ut Propheta imploret auxilium Dei adversus injustitias Principum et Judicum terræ; ut videlicet ipse, qui est verus Dominus, et possessor totius orbis, emendet judicia hominum, puniat improbos Judices et pauperes oppressos sublevet juxta sapientiam et potentiam suam: alterum, ut hæc sit prædictio per formam precationis, qua prædicitur adventus Messiæ, qui sicut hæreditabit orbem terræ, ita etiam judicabit terram justo judicio per suos administros, id est, fideles Principes et Reges, dum sæculum durat, et postea per se novissimo die. *Surge Deus, judica terram*, id est, quandoquidem abutuntur Judices potestate sua, tu Deus, summe Judex, exurge, *et judica terram*, exercens judicia in ipsos Judices, et liberans pauperes innoxios ab oppressione potentium iniquorum. *Quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus,* id est, quoniam possessio tua semper erit sicut fuit in omni humano genere. Non enim sic distribuis Regna filiis hominum, ut tu supremam potestatem non semper retineas, vel, *Surge Deus* Christe, veni in terras, *judica terram*, vindica eam a potestate tenebrarum, trade eam ministris tuis fidelibus, quoniam tu *eris hæres universorum*, ut verus et naturalis Filius Dei. Et demum surge iterum, et veni de cœlo cum Sanctis tuis, et judica terram judicio ultimo, a quo nulla dari poterit appellatio; quia *hæreditabis in omnibus gentibus*, quando *omnes inimici tui subjecti erunt sub scabellum pedum tuorum;* ut dicitur in Psalmo 109. et sublato omni principatu et potestate, tu solus pacifice cum Patre et Spiritu sancto regnabis per omnem æternitatem.

PSALMUS LXXXII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

CANTICUM PSALMI ASAPH.

HIC est postremus Psalmus ex iis, qui inscribuntur Asaph. De Argumento tres invenio sententias. Recentiores volunt in hoc Psalmo describi orationem Regis Josaphat adversus Moabitas, Ammonitas, et Idumæos, qui adversus eum conspiraverant, ut dicitur 2. Paralip. 20. Sed contra hanc sententiam facit, quod in hoc Psalmo non tantum nominantur tres illæ gentes, sed aliæ sex, vel septem. Theodoretus, et Euthymius existimant hunc Psalmum continere bella gentium quæ erant in circuitu terræ promissionis adversus Judæos, qui redierant ex captivitate Babylonica. Sed neque illæ gentes tam multæ erant, quam multæ hic numerantur: solum enim 2. Esdræ 4. nominantur Ammonitæ, Arabes, et Azotii. Probabilius est hæc omnia contigisse tempore Machabæorum, ut colligitur ex lib. 1. cap. 5. Machab. Sanctus Augustinus omnino contendit hunc Psalmum intelligendum esse de bellis Antichristi adversus Ecclesiam, quæ sententia probabilissima videtur. Nam sine dubio cum Antichristo convenient omnes barbaræ nationes, ac præsertim Orientales Agareni, et Ismaelitæ, a quibus Mahumetani originem ducunt. Sed quicquid sit de sensu historico, non potest, nec debet negari, quin præcipua intentio Spiritus sancti ad Christum, et Ecclesiam dirigatur.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Deus quis similis erit tibi? ne taceas, neque compescaris Deus.

Precatur Deum Propheta in persona populi, ut quoniam ipse est potentior omnibus inimicis, non amplius dissimulet vindictam sumere de

persecutoribus populi sui. *Deus, quis similis erit tibi?* id est, nemo tibi comparari poterit in potentia et robore, cum tu solus sis omnipotens : ideo *ne taceas*, id est, ne dissimules, neque compescaris, id est, ne te ipse mitiges, et compescas a sumenda vindicta, tu qui Deus es cui nemo resistere potest. S. Augustinus satis apte ad Christum accommodat, qui in hoc mundo similis aliis hominibus videbatur; sed in die Judicii nemo similis illi erit, quando apparebit *in gloria Patris sui*, *et sedebit in sede Majestatis suæ*, ut habetur Matth. 25. Qui etiam tempore passionis tacuit, *sicut Agnus mansuetus*, et compescuit ipse se, sed in die judicii non tacebit, nec justissimam iram compescet, quando dicet, *Ite maledicti in ignem æternum.* Quod attinet ad verba, ex Hebræo S. Hieron. sic vertit totum hunc versiculum, *Deus ne taceas, ne sileas, et non quiescas Deus.* Et quidem voces Hebraicæ hunc sensum facere possunt, sicut etiam hunc, Deus ne silentium tibi sit. Sed etiam recipiunt hunc alium sensum; *Deus non similis tibi*, id est, nemo similis tibi est : *Deus*, *quis similis tibi?* vox enim, דמי *domi*, deducitur a verbo דמה *damah*, quod et *similem esse*, et silere significat. Illud, neque compescaris, in Hebræo proprie est, neque quiescas; sed idem est sensus. Ultima vox, Deus, in Hebræo est, אל *El*, quæ vox Deum significat, ut fortem, et robustum, ex qua intelligimus illud, *Quis similis tibi*, accipiendum esse de similitudine in potentia et robore.

2. Quoniam ecce inimici tui sonuerunt, et qui oderunt te extulerunt caput.

Magna ratio cur Deus silere non debeat, hic adducitur; quoniam inimici ejus tumultum insolitum excitaverunt convenientes ex variis nationibus in maxima multitudine adversus populum Dei, et qui aliquando dissimulaverant, aperte se hostes professi sunt. Illud, *sonuerunt*, non significat sonitum tubæ, aut tympani tantummodo, sed tumultum gravem, unde existit sonitus inconditus multitudinis, id enim proprie significat vox Hebraica, המה *hamah;* quare S. Hieron. vertit, *Quoniam ecce inimici tui tumultuati sunt.* Illud, *extulerunt caput*, S. Augustinus refert ad Antichristum qui erit caput hostium Christi : ipso enim apparente, plurimi, qui non audebant se hostes Ecclesiæ profiteri, palam se Antichristo adjungent, et tum ipsi efferent audacter caput suum proprium, tum etiam extollent caput commune omnium iniquorum, id est, Antichristum.

3. Super populum tuum malignaverunt consilium, et cogitaverunt adversus sanctos tuos.

4. Dixerunt, venite, et disperdamus eos de gente, et non memoretur nomen Israel ultra.

Hic explicat magnitudinem periculi; ut Deus non expectet diutius, neque differat auxilium : quoniam hostes non moliuntur excursionem, aut deprædationem aliquam; sed ultimum exterminium, et perfectam desolationem Ecclesiæ Dei. Ex hoc loco probabile fit, hæc adimpleta esse utcumque, id est, tamquam in typo et figura tempore Machabæorum. Dicitur enim lib. 1. cap. 5. convenisse omnes gentes, quæ erant in circuitu, ut tollerent genus Jacob. Sed proprie pertinent hæc omnia ad tempus Antichristi, tunc enim omni conatu contendent omnes impii simul congregati delere castra Sanctorum. Sed verba consideremus. *Super populum tuum malignaverunt consilium*, id est, malignum consilium inierunt adversus totum populum tuum : sed per malignum intelligi debet malitiosum et astutum : nam verbum, יערימו *iaharemu*, proprie significat, astute et secreto consultaverunt, sicut etiam vox, סוד *sod*, quam *consilium* verterunt Septuaginta, significat secretum, ac per hoc consilium, quatenus secretum esse solet. Hoc autem consilium astutum et secretum, erit multiplex apud Antichristum, nam et consilium secretum habebit cum diabolo, quem occulte colet : et astuto consilio finget se Christum esse, ut Christianos decipiat; et simul circumcisionem et sabbata probabit, ut seducat Hebræos, etc. *Et cogitaverunt adversus sanctos tuos*, id est malitiosum illud consilium excogitaverunt in perniciem fidelium tuorum, qui sanctificati sunt per sanguinem tui Unigeniti, et tibi proprie sanctificati et dedicati sunt; vel certe sancti tui sunt per sanctam fidem et religionem quam susceperunt. In Hebræo legitur, על צפוניך *hhalitsephunecha, adversus absconditos*, vel *abscondita tua*, vel *arcana tua*, proinde non desunt, qui intelligant per vocem, *sanctuarii*, interiora : neque ab hac expositione dissentit Græca lectio, nam ἁγίων tam significare potest sancta tua, quam sanctos tuos. Cæterum editio Latina vulgata antiquissima, quæ sine variatione legit sanctos tuos, declaravit ambiguitatem, quæ in Hebræo et Græco esse poterat. Recte autem fideles Dei dicuntur absconditi Dei, quoniam Deus sub umbra alarum suarum protegit eos : et quoniam (ut Apostolus dicit ad Coloss. 3.) *Abscondita est vita nostra cum Christo in Deo, et, cum apparuerit Christus vita nostra, tunc et nos apparebimus cum illo in gloria*, cui subscribit S. Joan. in epist. 1. c. 3. dicens, *Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus.* Itaque sancti Dei recte dicuntur absconditi, quoniam etsi Fidei professio non sit abscondita, tamen gloria, et pretium inæstimabile hujus professionis abscondita sunt, et suo tempore revelanda. *Venite, disperdamus eos de gente*, id est, efficiamus ut non sint amplius gens et populus : vel, ut S. August. exponit, *Disperdamus eos de gente*, id est de gentibus; ut inter gentes, sive homines nullum locum habeant. *Et nomen Israel non memoretur amplius*, id est, ne nomen quidem populi Dei supersit. Jam enim sæpe monuimus per Israelem intelligi populum Dei, sive secundum carnem, sive secundum spiritum ab Israele descendat.

5. Quoniam cogitaverunt unanimiter simul, adversum te testamentum disposuerunt tabernacula Idumæorum et Ismaelitæ.

6. Moab, et Agareni, Gebal, et Ammon, et Amalech : alienigenæ cum habitantibus Tyrum.

7. Etenim Assur venit cum illis, facti sunt in adjutorium filiis Loth.

Describit gentes, quæ delere nitebantur populum Dei de terra. *Quoniam*, inquit, *cogitaverunt unanimiter simul*, id est, consilium cœperunt uno animo omnes inimici Israel simul : ubi

enim nos legimus, *cogitaverunt*, in Hebræo est, נועצו *nohhetsu, consultaverunt*, ac per hoc illud, *cogitaverunt:* significat, inito consilio cogitaverunt. *Adversus te testamentum disposuerunt*, id est, fœdus inierunt adversus populum tuum, vox enim testamentum, in sacris litteris pactum significat, et in textu Hebraico expresse, ברית *berith, pactum*, sive *fœdus* legitur. *Tabernacula Idumæorum et Ismaelitæ, etc.* Isti sunt qui consultando inter se cogitaverunt, et pactum inierunt adversus populum Dei. Primum quidem Idumæi, sive potius tabernacula Idumæorum, id est, integra castra Idumæorum. Sunt autem Idumæi populi, qui descendunt ab Esau, qui alio nomine dicebatur Edom. Deinde Ismaelitæ, id est, populi, qui descendunt ab Ismaele filio Abrahæ ex Agar ancilla. Tertio *Moab*, id est, populus, qui descendit a filio Loth, qui dictus est Moab. Quarto *Agareni*, id est, populi, qui descendunt ex Agar ancilla Abrahæ, sed ex alio marito cui nupsit posteaquam dimissa fuit ab Abraham. Quinto *Gebal*, id est, populus, qui descendit a Gebal. Utrum autem Gebal sit nomen viri, an regionis, incertum est, cum hoc nomen non inveniatur in Scripturis, nisi hoc loco. Fortasse idem est Gebal cum Gebelem, cujus fit mentio lib. 2. Reg. cap. 8. ubi dicitur. *Fecit quoque sibi David nomen, cum reverteretur, capta Syria, in valle Salinarum, cæsis decem et octo millibus, et in Gibelem ad viginti tria millia:* vel est idem cum Geba, de qua dicitur lib. 2. Esd. cap. 12. *de domo Galgal, et de regionibus Geba.* Theodoretus et Euthymius dicunt, Gebal fuisse gentem vicinam Idumæis. Sexto Ammon, id est, populus, qui descendebat ab Ammon filio Loth, fratre Moab: hos enim duos genuit Loth ex filiabus suis, Genes. 19. Septimo *Amalech*, id est, populus, qui descendebat ab Amalech, qui fuit nepos Esau, ut legitur Gen. 36. Octavo *Alienigenæ*, id est populus Philistinorum, de quibus frequentissima mentio est in libris Regum. In Hebræo habetur, פלשת *peleschet*, *Palæstina;* sed Septuaginta hanc unam gentem perpetuo alienigenas vocare solent. Nono, habitantes Tyrum, id est, Tyrii, qui sunt populi ad mare, sic dicti a Tyro civitate, atque emporio nobilissimo. Decimo Assur, qui venit in auxilium filiis Loth, id est, populus Assyriorum, qui juvabant Moabitas, et Ammonitas adversus Judæos. Per hos Assyrios, recte Theodoretus interpretatur Samaritanos, id est, Assyrios, quos constituit Salmanasar Rex Assyriæ in Samaria, quando transtulit decem tribus in Assyriam, ut habetur lib. 4. Reg. c. 17. Non enim legitur in Scripturis, quod aliquando venerit aliquis ex Assyria in adjutorium filiis Loth, id est, Moabitis, et Ammonitis: sed legimus in primo libro Machab. cap. 5. quod gentes, quæ erant in Galilæa, et Samaria conjunxerint arma cum Moabitis, et Ammonitis adversus Judæos. Porro isti decem populi significant, ut supra diximus, gentes, quæ pugnaverunt cum Machabæis, vel potius multitudinem orientalium barbarorum, qui cum Antichristo gravissimam persecutionem movebunt adversus Ecclesiam.

8. Fac illis sicut Madian, et Sisaræ, sicut Jabin in torrente Cisson.

Prædicit nunc Propheta per modum imprecationis exterminium gentium, quæ cum Machabæis præliabantur, sed præcipue Antichristi, et exercitus ejus, comparans illos aliis persecutoribus, qui similiter perierunt. *Fac illis*, inquit, *sicut Madian*, id est, disperde illos, sicut olim tempore Gedeonis Judicis dispersisti, ac penitus profligasti Madianitas. Historia hæc habetur in lib. Jud. cap. 6. et 7. *Et Sisaræ*, id est, sicut tempore Barach Judicis perdidisti Sisaram Principem militiæ Jabin Regis. *Et Jabin, in torrente Cisson*, id est, sicut delevisti ipsum Jabin Regem Chanaam cum exercitu suo prope torrentem, qui dicitur Cisson. Habetur hæc historia in lib. Jud. cap. 4. et 5. Meminit autem Propheta horum Principum præter cæteros, quoniam devicti sunt, non sine miraculo a paucis hominibus: et magis terrore a Deo immisso, quam viribus Judæorum.

9. Disperierunt in Endor, facti sunt ut stercus terræ.

Describit locum ubi perierint Jabin et Sisara cum exercitu suo; locus enim fuit Endor: cujus fit mentio in lib. Josue cap. 16. Ibi ergo perierunt, et facti sunt ut stercus terræ, quia insepulti computruerunt, et a maxima gloria ad summam ignominiam redacti sunt.

10. Pone Principes eorum, sicut Oreb, et Zeb, et Zebee, et Salmana.

Revertitur ad historiam Gedeonis, qui non solum exercitum Madianitarum profligavit; sed etiam paulo post interfecit duos Principes Madianitarum *Oreb, et Zeb*, et duos reges *Zebee, et Salmana.* Vide lib. Jud. cap. 7. et 8.

11. Omnes Principes eorum, qui dixerunt, Hæreditate possideamus sanctuarium Dei.

Pone, inquit, sicut Reges et Principes Madianitarum omnes Principes eorum populorum, qui dixerunt, *Hæreditate possideamus*, id est, tanquam hæreditatem, et propriam possessionem vindicemus nobis *sanctuarium Dei*, id est, civitatem Jerusalem, quæ erat sanctificata Deo, ut proprium ejus habitaculum. Significat autem Jerusalem (ut sæpe diximus) Ecclesiam Dei, quam totis viribus sibi subjicere, et captivare conabitur Antichristus. In Hebræo pro, *sanctuarium*, habetur, נאות *nehot*, quam vocem S. Hieronymus vertit, *pulchritudinem Dei*, sed commodius verti posset, pulchra habitacula Dei. Septuaginta verterunt sensum; habitacula enim Dei, sanctuaria sunt.

12. Deus meus pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti.

Aptissima similitudine describit Propheta instabilitatem, et interitum impiorum; quæ procedunt ex justo judicio Dei. Rota enim semper circumvolvitur, cum ruit in præceps, nec ad punctum temporis consistere potest, et tandem tota confringitur: sicut enim stipulæ, flante vento, huc illucque jactantur, donec dissipatæ non amplius compareant. Ad hunc modum prædicit Propheta per modum imprecationis, Deum acturum esse cum impiis persecutoribus justorum: et rvera sic fieri experientia testis est; nihil enim instabilius est prosperitate impiorum, et finis eorum mors æterna erit.

13. Sicut ignis, qui comburit sylvam, et sicut flamma comburens montes.

14. Ita persequeris illos in tempestate tua, et in ira tua turbabis eos.

Prædixit supplicium impiorum, instabilitatem in hoc sæculo et interitum in futuro: nunc prædicit velocitatem, et facilitatem, qua Deus illos puniet: nam non contentus similitudine venti dissipantis stipulas, comparat iram Dei igni comburenti ligna sylvarum, aut fœnum camporum. *Sicut*, inquit, *ignis qui comburit ligna sylvarum*, inter quæ multa sunt arida, et velocissime absumuntur, *et sicut flamma comburens montes*, id est, fœnum in montibus, præcipue, cum siccum fuerit. *Ita persequeris eos*, id est, pari facilitate, et celeritate persequeris, et perdes eos *in tempestate tua:* quod declarans, addit, *et in ira tua turbabis eos.* Idem enim est tempestas, et ira; utrumque enim justum Dei judicium significat, quod instar vehementissimæ tempestatis, et turbinis, cui resisti nullis viribus potest, impios percellet, conturbabit, et dissipabit. S. Augustinus notat impios comparari montibus propter elationem ac superbiam, et lignis sylvarum propter sterilitatem, et carentiam fructuum bonorum, ob quæ jure sempiternus ignis illis debeatur.

15. Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum Domine.

16. Erubescant, et conturbentur in sæculum sæculi, et confundantur, et pereant.

17. Et cognoscant, quia nomen tibi Dominus, tu solus altissimus in omni terra.

Prædicit in fine Psalmi, alios ex persecutoribus per flagella erudiendos, et convertendos ad Deum; quales erunt plurimi Judæi, qui tunc demum agnoscent errorem suum, et pudefacti convertentur ad Deum: alios in pertinacia et in obstinatione sua permansuros; sed eos quoque confundendos, et vel invitos cognituros potentiam Dei singularem; et quod ipse solus sit verus Dominus omnium rerum. *Imple*, inquit, *facies eorum ignominia*, id est, confusione, ut ignominiam suam intelligentes verecundati *quærant nomen tuum*, id est, quærant te: sæpe enim nomen ponitur pro persona: vel *quærant nomen tuum*, id est, invocent nomen tuum; vel *quærant nomen tuum*, id est, quærant gloriam tuam, non amplius suam, ex inimicis amici facti, et ex servis filii: Illi autem, qui ex flagellis non molliuntur, sed obdurantur, ad imitationem Pharaonis, *Erubescant et confundantur in sæculum sæculi*, id est, æterna confusione repleantur; nec solum confundantur, sed etiam *pereant in æternum. Et cognoscant inviti quia nomen tibi Dominus*, id est, jam propria experientia edocti intelligant, tibi soli nomen Domini proprie convenire, cui ad nutum serviunt omnia, et tu nulli necessitati servis, qui nulla re indiges, in te ipso habens omnia. Cæteros autem qui dicuntur Domini, vel usurpasse nomen alienum, vel improprie Dominos dici, cum et ipsi multis rebus indigeant, ac per hoc multis necessitatibus serviant. *Tu solus altissimus in omni terra*, id est, et cognoscant, quia tu solus præeminens potestate super omnes Principes universæ terræ, neque ullus est, qui tecum contendere, vel tibi ullo modo comparari possit. Hæc prophetia nunc ex parte impletur, sed in die Judicii omnino et absolute implebitur.

PSALMUS LXXXIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem pro torcularibus, filiis Core Psalmus.

De hoc titulo alibi diximus. Argumentum idem fere est, quod Psal. 41, cujus initium est, *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum.* Utrumque Psalmum videntur nonnulli nimis humiliter exponere dum docent, vel Davidem, vel populum in hoc Psalmo exprimere desiderium redeundi ad terrenam Jerusalem, ut tabernaculum Domini visitare posset: longe autem humilius exponunt, qui docent Coritas in hoc Psalmo proferre desiderium suum redeundi ex Babylone in Jerusalem, ut possent deservire tabernaculo, unde victum capiebant. Nos cum patribus existimamus, tam ardens desiderium, quale in hoc Psalmo legimus, etiam ad litteram, ad cœlestia tabernacula pertinere, et nihil humanum, nihil corporale Spiritum sanctum his suis vocibus exprimere voluisse: et ideo ab Ecclesia Catholica peregrinante cantica ista frequentari, etiamsi tabernaculum, quod erat in Jerusalem, jamdudum conflagraverit, et ipsa Jerusalem funditus eversa fuerit.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

Hæc vox est hominis pii peregrinantis ad patriam, et desiderium perveniendi declarantis; nascitur autem hoc desiderium, tum ex felicitate, quæ est in patria, tum ex miseria, quæ

est in peregrinatione. Vir enim pius, quantumvis in hoc exilio abundare videatur terrenis rebus, intelligit tamen se miserum esse, *et persecutionem pati*, ut Apostolus dicit 2. ad Timoth. 3. Quoniam ipsa etiam terrena prosperitas magna tentatio, et persecutio est. Ait igitur: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum.* Vox est admirantis, quasi dicat: O quantum diligunt omnes pii tabernacula tua, cœlestes videlicet mansiones tuas, o Domine exercituum! vocat autem Dominum exercituum, quia hoc ipsum facit pulchra valde, et amabilia tabernacula cœlestia, quod ibi sint innumerabiles exercitus Angelorum, id est, civium sapientissimorum, optimorum, potentissimorum, pulcherrimorum; quorum vel unus sufficeret lætificare peregrinationem nostram, si cum toto suo decore nobis appareret, sed præter exercitum tantum tantorum Principum, ibi videtur facie ad faciem Dominus virtutum, cujus comparatione fulgor omnium Angelorum tenebræ sunt. Recte notat hoc loco Theod. non fuisse in terrena Jerusalem plura tabernacula Dei, sed unicum: ac propterea non de illo uno ligneo, et deaurato, ac manibus hominum constructo tabernaculo, Prophetam hoc loco intelligendum esse, sed de cœlestibus tabernaculis non manufactis, de quibus Dominus dicit Joan. 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.* Dixerat in genere tabernacula Domini multum diligi a piis peregrinis: nunc se in eorum numero ponit, ac dicit, *Concupiscit, et deficit anima mea*, quasi dicat: Ego certe ita desidero atria illa, ut præ amore langueam, et anima mea deficiat, ac deliquium patiatur, in atria Domini intendens, et pulchritudinem eorum considerans.

2. Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum.

Declarat vim amoris et desiderii sui per effectum; qui enim vehementer amat, et desiderat; corde recogitat, et ore laudat quod desiderat. *Cor meum*, inquit, et *caro mea*, id est, mens et lingua exultando laudaverunt Deum vivum: ipse enim est pulchritudo increata, et infinita, cui suspiro. In Hebræo pro exultaverunt est, ירננו *ierannenu, jubilaverunt*, sive magna voce laudaverunt: proinde illud, *exultaverunt*, non debet accipi pro sola lætitia: sed pro lætitia prorumpente in vocem jubilationis. Neque repugnat hic versiculus cum superiore, etiamsi ibi anima mea deficiat, hic exultet; varii sunt enim amantium affectus: nunc deflent absentiam rei amatæ, et præ amore deficiunt: nunc exultant potiundæ rei tam pulchræ: et in laudes ejus erumpunt. *Deum vivum*, seu viventem appellat, non solum ad distinctionem idolorum, *quæ oculos habent, et non vident, aures habent, et non audiunt*, ut dicitur in Psal. 113. quia res inanimæ sunt: sed etiam, quia Deus solus propriissime vivit; vivere enim est moveri non ab alio, sed a se: res autem creatæ, vivere dicuntur: quia habent in se principium aliquod motus, tamen sine Deo non moventur; *in illo enim vivimus, movemur, et sumus*, act. 17. Solus Deus ita vivit, ut a nullo moveatur, id est, a se solo habet intelligere, et velle, et ideo ipse solus est vita, ipse fons vitæ non aliunde accipiens, sed omnibus tribuens. *In ipso*, inquit Joan. cap. 1. *vita erat, et vita erat lux hominum.*

3. Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi ubi ponat pullos suos.

4. Altaria tua Domine virtutum, Rex meus, et Deus meus.

Hi versiculi obscuri sunt, et ab aliis aliter exponuntur. Sanctus Hieronymus et Theodoretus videntur satis commode eos explicuisse. Eos secutus hunc sensum esse existimo: optaverat sanctus peregrinus domum cœlestem: sed interim, dum ejus possessio differtur, consolatur se, quod vel nidulum in terris invenerit, altaria videlicet Domini sui; nihil enim habemus in terris, quod melius nobis repræsentet tabernaculum cœleste, quam sacrum altare. Ibi enim adest multiplex memoria rerum cœlestium; ibi quotidie immolatur Agnus Dei, qui sanguine suo aperuit credentibus regna cœlorum, ibi futuræ gloriæ nobis pignus datur; ibi Deo proprius astamus, eique intentius supplicamus; ibi effundimus corda nostra et divinas laudes devotius et attentius, quam usquam alibi decantamus. Ait igitur, *etenim passer invenit sibi domum*, id est, omnia animantia quærunt sibi locum aliquem quietis: et ipse etiam passerculus invenit sibi domum, id est, nidulum aliquem: *et turtur nidum sibi*, id est, non solum animalia, quæ delectantur frequentia, ut passeres, sed etiam animalia solitaria, ut turtures, parant sibi nidos, ubi ponant pullos suos, et cum eis quasi secure quiescant. *Altaria tua, Domine*, id est, mihi vero, sive activam vitam ducam, more passerum, sive contemplativam more turturum, *altaria tua nidi sunt*, ubi interim paulisper quiescam, et ubi vota mea, et casta desideria, piasque meditationes, et preces, et laudes, quasi pullos reponam. *Altaria*, inquam, *tua, Rex meus, et Deus meus*, id est, qui me regis, dum ut passer huc et illuc vagor, et qui me consolaris, dum ut turtur solitarius gemo, sive, *Rex meus*, cui milito, cum aucupes mihi, ut passeri laqueos tendunt, et *Deus meus*, cui voco, dum, ut turtur viduus, divina contemplor. In Hebræo non habetur proprie nomen turturis, id est, תור *thor*, sed דרור *deror*, quod proprie *libertatem* significat, et quia aviculæ libere volant per aerem, Hebræi hoc nomine, avem significari volunt. Cæterum fieri potest ut Septuaginta legerint, *thor*, non *deror*, facile enim fuit successu temporis, ut ex littera ח, sint factæ duæ litteræ, ר, ד, *resch et daleth*, vel, si hoc non placeat, dicemus Septuaginta Interpretes nomen generale avis restrinxisse ad turturem; quomodo nunc Rabini illud idem nomen restringunt ad hirundinem: nec enim minus libere volant per aerem turtures, quam hirundines, et mystica significatio requirebat, ut nomen turturis hoc loco, non hirundinis poneretur.

5. Beati, qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.

Dixerat se invenisse nidum, ubi interim requiesceret: sed ex ipso nido admonitus, quanto melior sit domus æterna nidulo temporali, exclamat, *Beati, qui habitant in domo tua Domine*, id est, ego quidem in hoc nidulo paulum quiesco, sed illi vere beati sunt, illi felicissime requiescunt, *qui habitant in domo tua*, ubi divitiæ,

et gloria, ubi mansiones multæ, ubi pax et securitas sempiterna est. Et quoniam non habent necesse in sudore suo vesci pane suo, neque in aliorum gratiam laborare, ubi nulli sunt egentes; id solum illis superest negotium, *ut in sæcula sæculorum laudent te :* neque periculum est, ut tædeat semper laudare, quem numquam tædebit semper amare; et quem sine labore, sine fatigatione, sine satietate laudabunt.

6. Beatus vir cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit : in valle lacrymarum, in loco quem posuit.

Dixit, beatum esse, qui habitat in domo Domini, nunc addit beatum etiam esse, si non in re, saltem in spe, eum qui fretus divino auxilio decernit firmiter in corde suo non hærere in valle, sed ascendere semper magis, ac magis per gradus virtutum, donec ad locum perveniat, quem posuit Deus finem omnium laborum, quæ est æterna beatitudo. Duæ sunt autem hujus versiculi expositiones; una, si solum latinum contextum inspiciamus; altera, si eum cum Græco, et Hebræo concordare velimus. Prior est, *Beatus* ille *vir* est, *cujus auxilium* non in propriis viribus, sed *in te*, Domine, est : hic enim *ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum*, id est, disposuit semper ascendere ad majorem virtutis perfectionem, dum est in hac mortali vita, quæ est vallis lacrymarum. *In loco quem posuit*, id est, in valle lacrymarum, quem locum ipse sibi peccando constituit. Deus enim in Paradiso eum posuerat, sed ipse sibi locum posuit in valle lachrymarum. Posterior expositio hæc est, *Beatus vir, cujus est auxilium abs te*, id est, qui non confidit in viribus suis, sed a te auxilium expectat. *Ascensiones in corde suo disposuit*, id est, Deus disposuit in corde ejus numquam stare, vel retrocedere, sed de gradu inferiore ad superiorem ascendere. *In valle lachrymarum*, id est, per vallem lachrymarum, dum videlicet peregrinatur in hac valle plena periculis, et tentationibus. *In loco quem posuit*, id est, usque ad locum, sive habitaculum quod idem Deus statuit, tamquam metam, et finem peregrinationis. Quod attinet ad verba, in Hebræo multo aliter legitur hic versiculus : ac primum pro illis verbis, cujus est auxilium abs te, in Hebræo habetur, עוז לו בך *hhoz lo bach, fortitudo ei in te*, sed idem omnino est sensus. Idem enim est, *cujus auxilium abs te est*, et *cujus fortitudo in te*. Pro *ascensiones*, in Hebræo habetur, *semitas*, sed per semitas intelliguntur altæ semitæ, vel etiam *exaltationes* et *gradus*, nam סלל *salal*, exaltare significat : inde, מסלות *mesilloth*, *ascensiones*, et altas semitas significat. Pro, *in corde suo*, in Hebræo est, בלבבם *hilbubam*, *in corde eorum*, tamen et Septuaginta et S. Hieronymus verterunt in singulari, *in corde ejus :* et sic etiam legit S. Augustinus, qui refert verbum, disposuit, et verbum, *posuit*, ad Deum. Ipse enim disponit in corde nostro ascensiones ad locum quem ipse potius : et non est novum, ut in Latina editione accipiatur, suo, pro, ejus : sicut etiam aliquando accipitur ejus pro suo, ut Joan. 8. *Patrem ejus dicebat Deum*, id est, Patrem suum. Pro, *disposui*, in Hebræo est transeuntes : sed Septuaginta vocem hebraicam, עברי *hhobre*, non deduxerunt a verbo עבר *hhaber*, quod est *transire*, sed a verbo, עבד *hhabad*, quod est *servire, facere, operari;* et legerunt sine ultima littera, *habad, operatus est*, quod est idem cum verbo, *disposuit*. Sic legendam esse hanc vocem, non solum colligimus ex litterarum similitudine, et ex convenientia cum textibus Græcis, et Latinis, sed etiam quia si legeremus, transeuntes, vix divinari posset, quis esset sensus hujus loci. Denique pro, loco, in Hebræo est fontem. Sed Septuaginta Interpretes non legerunt מעין *mahheian*, id est, *fontem*, sed, מעין *mahhon*, locum, sive habitaculum; ex quo etiam intelligimus, per locum, non intelligi quemlibet locum, sed locum commodum ad habitandum; et recte a S. Augustino referri ad mansionem cœlestem : et quod nos legimus, *in loco quem posuit*, clarius habetur in Græco, εἰς τὸν τόπον, *in locum, quem posuit*, et sic legit S. Augustinus. Interpres enim Latinus aliquando non servat constructiones grammaticales : nam et apud Joan. cap. 7. legimus, *Ambulabat Jesus in Galilæam; non enim volebat in Judæam ambulare :* pro, in Galilæa, et in Judæa.

7. Etenim benedictionem dabit legislator : ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.

Declarat Propheta, quomodo vir justus ascendens per vallem lacrymarum perveniet ad locum quietis, quem Deus posuit : ac demonstrat initium, medium, et finem hujus ascensionis. Initium est justificatio, sine qua lex impleri non potest; medium est impletio legis; finis est visio Dei, in qua beatitudo consistit. *Etenim benedictionem dabit legislator*, id est, legislator Deus, qui dedit legem, et eam viam esse voluit ad vitam, juxta illud Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata; dabit etiam benedictionem*, abundantem videlicet gratiam per Spiritum Sanctum, justificando a peccatis, infundendo charitatem, pellendo timorem. *Ibunt de virtute in virtutem*, id est, accepta gratiæ benedictione, proficient quotidie in melius, ac magis roborabuntur, superantes omnem difficultatem, et resistentes omni tentationi : per virtutem enim hoc loco intelligitur robur, et potentia. *Videbitur Deus deorum in Sion*, id est, et sic tandem pervenient ad montem Sion cœlestem, ubi videbitur facie ad faciem Deus unus, et verus, qui est Deus, non solum cœli et terræ, sed etiam Angelorum, et Beatorum, qui participatione sunt dii. In Hebræo, ברכות *berachoth*, et Græco textu εὐλογίας habetur in numero multitudinis, *benedictiones*, ut intelligamus, multiplicem esse gratiam Dei, quæ non solum delet peccata, sed etiam juvat ad opera bona facienda, et legem implendam. Illud autem, *dabit legislator*, S. Hier. ex Hebræo vertit, *amicietur Doctor*, ut sensus sit, Benedictionibus vestietur, qui docet legem Dei. Sed Septuaginta Interpretes verbum, יעטה *iahhte*, acceperunt active, ut revera est, non passive, ut sensus sit, Benedictionibus vestiet Legislator ascendentes in convalle lachrymarum. Idem autem est dare benedictionem, et vestire benedictionibus, nisi quod prior sententia est propria, posterior metaphorica. Solent enim Septuaginta Interpretes vertendo

verba Hebraica in Græca explicare metaphoras, ut sententia facilius intelligatur. De voce Legislatoris, et Doctoris, non debet fieri quæstio : omnis enim Legislator est Doctor, quia dum leges condit, et præbet, hoc ipso docet, quæ sit recta via : et quoniam hoc loco de Deo sermo est, maluerunt Septuaginta vertere, *Legislatorem*, quam simpliciter Doctorem; quia Deus non docet explicando legem ab alio datam, sed ipse dedit leges, ipse explicat, ipse juvat, ut impleantur. Illud, *ibunt de virtute in virtutem;* quamvis sit explicandum de vi, et robore, ut sonant voces Hebraicæ, מחיל אל חיל *mechail el chail*, et Græcæ ἐκ δυνάμεως εἰς δύναμιν hoc loco positæ : tamen non male S. August. exponit de virtutibus moralibus, justitia, prudentia, fortitudine, et temperantia : et de virtute contemplationis divinæ, quia istæ virtutes roborant animum adversus tentationes, et vitia : ut sensus sit, *Ibant de virtute in virtutem*, id est, de virtute actionis ad virtutem contemplationis, sive, de virtutibus necessariis in via, ad virtutem, quæ habebitur in patria, ubi non erit necessaria ista prudentia, cum nulla mala vitanda occurrent; neque justitia ista, cum nulla sit futura injustitia; neque ista fortitudo, cum nullus instabit timor; neque ista temperantia, cum nulla erit frenanda libido.

8. Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam, auribus percipe Deus Jacob.

Revertitur ad gemitum suum, cupiens esse ex illis, qui ascendunt ex convalle plorationum, et pergunt fœlici itinere de virtute in virtutem. *Domine, Deus virtutum*, tu, qui fortissimus, et potentissimus, ac virtute plenissimus es, exaudi orationem meam, qua peto gratiam ambulandi de virtute in virtutem, et virtute corroborari in interiori homine. *Auribus percipe, Deus Jacob*, tu, inquam, qui es Deus fidelium tuorum, quorum Pater est sanctus Jacob, exaudi orationem meam, qui unus sum ex populo tuo, ex filiis Jacob secundum spiritum.

9. Protector noster aspice Deus, et respice in faciem Christi tui.

Imploravit Dei auxilium, sumens argumenta ad impetrandum quod ipse potentissimus sit, et curam gerat populi sui : nunc eadem repetit aliis verbis, sed majori efficacia. Quod enim dixit, *Deus virtutum*, nunc dicit, *protector noster*, in Hebræo, מגננו *meginnenu, clypeus noster*, ubi ostendit Deum esse potentissimum ad protegendum populum suum, esse videlicet Deum quasi fortissimum clypeum populi sui. Ibi dixerat, *exaudi orationem;* hic dicit, *aspice*, quasi dicat, *non solum audi me*, sed tu ipse vide, et considera pericula in quibus versor. Ibi dixerat, *auribus percipe, Deus Jacob*, hic dicit, *respice in faciem Christi tui*, id est, respice verum principem populi tui, Messiam videlicet, Agnum sine macula, qui tollit peccata mundi, ac propter eum protege nos. Sanctus Augustinus exponit, *respice in faciem Christi tui*, id est, fac ut omnes respiciant in faciem Christi, agnoscant eum, credant in eum, obediant ei. Sed prior sensus est magis litteralis, et magis communis. Neque obstat quod tempore Davidis nondum esset Verbum incarnatum, neque *mediator Dei et hominum homo Christus Jesus interpellare cœpisset pro nobis*, 1. Tim. 2. Merita enim Christi ab æternitate fuerunt in conspectu Dei, unde dicitur in Apoc. 13. *Agnus occisus ab origine mundi;* quoniam ab origine mundi Deus propter merita passionis Christi prævisa, multa beneficia, præsertim spiritualia servis suis concessit. *Qui benedixit nos*, inquit Apostolus ad Ephes. 1. *omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.*

10. Quia melior est dies una in atriis tuis, super millia.

11. Elegi abjectus esse in domo Dei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Ut ostendat sanctus peregrinus Dei, se non petivisse protectionem adversus temporalia mala : sed adversus tentationes, et pericula spiritualia, quæ impediunt ascensum ad domum Dei; subjungit, tantam esse cœlestis patriæ felicitatem, ut optabilius sit unum diem tantum ibi manere, quam mille diebus alibi : et melius sit in eo loco inter ultimos sedere, quam alibi inter primos : quæ duæ comparationes si serio cogitentur, magnum affectum in corde puro gignere possunt. Illud, *quia*, reddit causam, cur tanto affectu dixerit. *Protector noster aspice, etc.* quasi dicat, Ideo cupio valde protectionem tuam in hac ascensione ad patriam, quia nimis magna esset jactura, si ad patriam illam non pervenirem. *Melior est enim habitatio unius* diei in atriis illis cœlestibus, quam mille, id est, innumerabilium dierum alibi, sic exponit sanctus Augustinus in lib. 3. de liber. arb. c. ult. Tanta, inquit, est pulchritudo justitiæ, tanta jucunditas lucis æternæ, hoc est, incommutabilis veritatis, atque sapientiæ, ut etiam si non liceret amplius in ea manere, quam unius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis, et circumfluentia temporalium bonorum, recte meritoque contemnerentur : non enim falso, aut pravo affectu dictum est, *Quoniam melior est dies una in atriis tuis super millia.* Idem tamen sanctus August. et hoc loco, id est, in comment. hujus Psal. et in lib. cit. de liber. arbit. scribit, per unam diem, intelligi posse diem æternitatis, quæ una est, et eadem semper manens : per millia dierum, tempora volubilia, et instabilia hujus vitæ, quæ quantumvis multiplicentur, semper longe inferiora erunt die semper manentis æternitatis. Sed prior sensus est magis litteralis, et magis cohæret cum sequenti comparatione, *Elegi*, inquit, *abjectus esse in domo Dei mei*, id est, tanta est dignitas domus æternæ in cœlis, ut malim ibi sedere ad januam cum ultimis, quam *habitare in tabernaculis peccatorum :* vox enim Hebraica, quam noster interpres vertit, abjectus esse, est הסתף הף *hastopheph*, quæ proprie significat, sedere ad januam more janitoris : nam, סף *saph*, limen significat; et ducta est similitudo a janitoribus tabernaculi, qui erant infimi omnium ministrorum domus Dei, ut patet ex lib. 1. Paralip. cap. 9. Recte autem vocat Propheta palatia hujus mundi, tabernacula peccatorum; tum quia in domo cœlesti nulla invenitur iniquitas, hic autem nemo est, qui non peccet : tum quia respectu domus cœlestis, sunt veluti tentoria quædam, quæ facile mutantur, et fundamento carent : non enim

hæc est eadem vox, quæ in principio Psalmi. Ibi enim vox Hebræa מזחנתוך *mizchenotheca*, proprie significat tabernacula, sive tentoria, quæ transferuntur de loco ad locum.

12. Quia misericordiam, et veritatem diligit Deus, gratiam, et gloriam dabit Dominus.

Consolatur hoc versiculo, et sequenti Propheta virum justum ascendentem in valle lacrymarum, atque ad patriam anhelantem: promittit enim illi a Deo gratiam, et gloriam: gratiam per quam justificetur, et in justitia proficiat, dum de virtute in virtutem ascendit: et gloriam, per quam glorificetur, cum ad Sion montem pervenerit, ubi Deus deorum, non jam per fidem, sed per speciem se videndum præbebit. Probat autem, gratiam, et gloriam dandam à Deo justis hominibus, quia misericordiam, et veritatem diligit Deus. *Quia enim misericordiam diligit, miserebitur*, et miserendo gratiam dabit: quia *veritatem*, id est, justitiam *diligit*, reddet fideliter quod promisit diligentibus se, ut S. Jacobus scribit cap. 1. In Hebræo, pro his verbis, Misericordiam, et veritatem diligit Deus, habetur, *Sol, et scutum Dominus Deus*, et quidem probabile est Septuaginta Interpretes, pro voce, שמש *scemes*, quæ *Solem* significat, legisse, שמן *scemen*, quæ significat *oleum*. Sic etiam pro voce, יהוה, quæ significat *Dominus*, probabile est eos legisse, יאוה *ieue*, quæ significat, diliget. Denique probabile est, eos per oleum, et scutum, intellexisse misericordiam, et veritatem: quia oleum misericordiam significare solet, et de veritate scriptum est in Psal. 90. *Scuto circumdabit te veritas ejus.* Tamen si quis contendat, omnino esse legendum in Hebræo, *Quia Sol, et scutum Dominus Deus, gratiam, et gloriam dabit Dominus*, idem sensus erit: nimirum, quia Dominus Deus Sol, et scutum est, ut scutum dabit gratiam protectionis in via, ut Sol dabit gloriam manifestæ visionis in patria.

13. Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.

Confirmat quod dixit, et restringit promissionem gratiæ, et gloriæ ad eos, qui ambulant in innocentia; quasi dicat, Deus misericors, et justus, non privabit bonis gratiæ, et gloriæ, quæ sola sunt vere, et absolute bona, eos qui semel justificati ambulant in innocentia, perseverantes, et proficientes in Fide, Spe, et Charitate. Alioqui enim, si retrocedant, et ambulent in iniquitate, a gratia excident, et pro gloria confusionem accipient. Concludit Psalmum conversus ad Deum, *Domine*, inquit, *virtutum*, id est, exercituum, *beatus erit*, qui in te confidit, confidentia vera, ac solida, quam fides vera, et conscientia bona gignere solet.

PSALMUS LXXXIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem filiis Core Psalmus.

Duæ sunt de argumento hujus Psalmi Tractatorum sententiæ. Alii enim volunt commemorari a Propheta liberationem populi ab una captivitate, et inde argumento sumpto orari pro liberatione ab alia captivitate, commemorari videlicet liberationem a captivitate Ægyptiaca, et orari pro liberatione a captivitate Babylonica; vel commemorari liberationem a captivitate Ægyptiaca, et Babylonica, et orari pro liberatione a captivitate diaboli, quæ per illas figurata fuerat. Alii, et fortasse rectius, existimant, in hoc Psalmo de una tantum captivitate agi, id est de captivitate generis humani sub Principe tenebrarum, a qua liberamur per Christum Dominum nostrum; sed in primis tribus versiculis prædici liberationem ab hac captivitate, in reliquis orari pro executione prædictionis. Cur autem prædictio de re futura exponatur per verba temporis præteriti, causa est, quoniam quæ nobis futura sunt, in Dei præscientia, et decreto jam facta sunt.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Benedixisti Domine terram tuam, avertisti captivitatem Jacob.

Initio Psalmi Propheta, Spiritu sancto revelante, æternum Dei decretum de futura liberatione nobis aperit; ac primum docet primam causam, et ultimum effectum nostræ liberationis. Prima causa fuit dilectio, qua Deus dilexit genus humanum: Cur enim Deus *sic mundum dilexerit, ut filium suum unigenitum daret*, per quem redimeremur, *et omni benedictione benediceremur*, ut loquitur Dominus Joan. 3. et Apostolus ad Ephes. 1. nulla ratio reddi potest, nisi ipsa Dei bona voluntas, sive beneplacitum, et misericordia. Ultimus effectus erit perfecta liberatio a captivitate, quam habebimus in Resurrectione, quando perveniemus ad libertatem gloriæ filiorum Dei. Nunc enim ex parte libe-

rati sumus, sed expectamus redemptionem corporis nostri, per quam liberabimur ab omni corruptione, et necessitate. Ait igitur, *Benedixisti Domine terram tuam*, id est, propter peccatum primi hominis maledixisti terræ, quam ipse feceras, et hominibus inhabitandam dederas : sed scio etiam, te revelante, quod in mente tua, in decreto tuo, *Benedixisti terram tuam;* decrevisti enim in æterno beneplacito tuo terram tuam, quam fecisti, visitare, benedicere omni benedictione, et gratia, mittens ad eam unigenitum tuum *plenum gratiæ, et veritatis*, ut est Joan. 1. Hebræus, et Græcus codex clarius explicant hanc primam causam omnium bonorum nostrorum, quæ est bona voluntas Dei. Vox Hebræa est רציתה *ratsithah*, quæ significat proprie, *bene tibi placuisti in terra tua*, sive bene voluisti terræ tuæ. Vox Græca εὐδόκησας significat, bene voluisti terræ tuæ. Inde est εὐδοκία, quam sæpissime legimus in Evangelio, et in Apostolo commendatam, ut initium, et radicem omnium beneficiorum Dei. Sicut autem maledixit Deus terræ, non propter ipsam, sed propter inhabitantes : sic etiam benedixit terram propter habitantes : quare tota ista benedictio ad homines referenda est. *Avertisti captivitatem Jacob.* Hic exprimitur ultimus effectus misericordiæ Dei, qui erit perfecta liberatio a captivitate, in quam incidimus per peccatum. *Avertisti*, inquit, *captivitatem Jacob*, id est, jam in æterno decreto tuo per mortem filii tui prævisam placatus, removisti, sive dissolvisti captivitatem populi tui Jacob, ut deinceps fruatur libertate gloriæ filiorum Dei. Ex Hebræo שבתה *schabthah* pro, *avertisti*. S. Hieron. vertit, *reduxisti*, sed idem est sensus. Nomine autem Jacob intelligitur, teste S. August. totus populus Dei, sive ex Jacob descendat secundum carnem, quales sunt Judæi credentes in Christum, sive secundum spiritum fidei, quales sunt gentiles conversi ad Christum, *qui sunt quasi rami oleastri inserti in bonam olivam, et quasi lapides vivi superædificati super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum*, ut Apostolus docet ad Rom. 9. et 11. et ad Ephes. 2.

2. Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum.

Declarat nunc modum, quo Deus benedicens terræ suæ dissolvit captivitatem Jacob : ac dicit id eum fecisse, remittendo peccati populi sui. Sicut enim peccatum fuit causa captivitatis, ita remissio peccati fuit causa liberationis a captivitate. *Remisisti*, inquit, *iniquitatem plebis tuæ*, id est, in mente, et decreto tuo condonasti iniquitatem populo tuo, ob quam iniquitatem tradideras eumdem populum diabolo, tamquam administro justitiæ tuæ : *Operuisti omnia peccata eorum*, hæc est repetitio, et declaratio ejusdem rei. *Operuisti*, id est, abscondisti a facie tua, ut non videres ad puniendum quia vero Deus non potest non videre id quod revera est, quantumvis abscondatur, et tegatur; ideo quando Deus tegit peccata, omnino illa delet, et remittit, ut nusquam sint; et, ut alibi diximus, tegit Deus peccata, quando ea remittit, non quasi velo occultante, sed quasi emplastro curante, et sanante. Dicit autem *omnia peccata eorum*, ut explicet quod dixerat iniquitatem plebis tuæ, non significare unicam iniquitatem communem toti plebi, quale est peccatum originis, sed omnem iniquitatem tum communem omnibus, tum propriam singulis. In Græco τὰς ἀνομίας habetur, Remisisti iniquitates : sed in Hebræo habetur in singulari עון *hhauon iniquitatem;* sed idem est sensus.

3. Mitigasti omnem iram tuam, avertisti ab ira indignationis tuæ.

Hic vero reddit causam, cur Deus dimiserit iniquitatem plebi suæ; ac dicit, ideo dimisisse, quia placatus fuerat, et iram deposuerat. Quemadmodum enim ira Dei causa erat ultionis, sic etiam placatio Dei causa fuit remissionis : placavit autem iram Dei, id est, justitiam punitivam Dei, *Agnus occisus ab origine mundi*, Apocal. 13. Agnum autem immaculatum dedit nobis misericordia, et bona voluntas illius, *qui sic dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*, Joan. 3. Hic igitur est ordo liberationis, Benedictio, sive bona voluntas Dei dedit filium liberatorem : filius morte sua placavit iram Dei, et satisfaciendo justitiæ pro peccatis totius mundi : placatus Deus remisit peccata : remissio peccati solvit captivitatem. Atque hoc totum mysterium absconditum in mente Dei revelavit Spiritus sanctus Prophetæ suo, et ille nobis in tribus his versiculis descripsit. Illud *omnem iram tuam*, significat, Christi redemptionem sufficientissimam fuisse ad plenam satisfactionem. Significat etiam libertatem, quam habebimus tempore suo, id est, in novissimo die, futuram omnino plenam, et absolutam, ut nihil pœnæ, nihil miseriæ relinquatur; omnis enim pœna ex ira Dei procedit. Illud, *avertisti ab ira indignationis tuæ*, idipsum repetit, et hunc sensum habet, Avertisti te ab ira, et indignatione tua. In Hebræo habetur, *Convertisti te, sive conversus es ab ira furoris tui.*

4. Converte nos Deus salutaris noster, et averte iram tuam a nobis.

Incipit nunc Propheta in persona populi Dei orare pro executione, atque adimpletione decreti divini. Ac primum petit, ut Deus incipiat mitigare iram suam, cujus mitigationis primus effectus est, initium salutis nostræ, id est, auxilium divinum, per quod incipiamus converti ad Deum. Neque enim converti possumus ab iniquitate ad Deum, nisi gratia ejus præveniat nos, et vocando, illuminando, adjuvando, movendo convertat. Ait igitur, *Converte nos Deus salutaris noster*, id est, incipe salutem nostram operari tu Deus salvator noster, quod facies, si nobis bonam voluntatem conversionis inspires. Et ut hoc misericorditer facere incipias, *averte iram tuam a nobis*, id est, reconciliare nobis, oblitus offensionum, quæ te nobis inimicum reddiderunt.

5. Numquid in æternum irasceris nobis? aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

Persistit in eadem petitione, quasi dicat, satis diu iram tuam portavimus ne differas misericordiam impertiri, et pacem nobis reddere, *Numquid in æternum irasceris nobis?* id est, num æterna erit inimicitia tua ad genus humanum? num *a generatione in generationem sine*

fine extendetur ira tua? quasi dicat, id non convenit infinitæ clementiæ et bonitati tuæ. In Hebræo non habetur particula, *aut*, sed omnino subintelligitur, ideo recte Septuaginta Interpretes eam expresserunt.

6. Deus tu conversus vivificabis nos, et plebs tua lætabitur in te.

Declarat effectum, qui sequetur ex reconciliatione, inde enim fiet, ut homo lucretur vitam, et Deo reddatur laus. *Deus tu conversus ad nos* per depositionem iræ, et reconciliationem *vivificabis nos :* nam *stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita æterna,* Rom. 6. *et plebs tua* vivificata, et respirans ob tam ingens beneficium, *lætabitur in te,* ac lætabunda cantabit laudes tuas. In Hebræo pro voce, Deus, habetur, הלא *halo, nonne :* et sic vertit S. Hieronymus, *Nonne tu reversus vivificabis nos?* Sed facile est videre, quid Septuaginta habuerint, et legerint in suis codicibus, non enim tam imperiti erant, ut verterint, *Deus,* si habuissent, הלא *halo,* sed habuerunt, אלה *eloha,* quod significat Deus : et sunt eædem litteræ, sed transpositæ. Pro, *conversus,* S. Augustinus legit, *convertens,* ut etiam sonat vox Græca ἐπιστρέψας, sed sensus non est, *Tu convertens nos, vivificabis nos,* sed *tu convertens te ad nos, vivificabis nos;* et hoc modo conciliatur hæc lectio cum Hebraica, et Latina.

7. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis.

Petiit Propheta mitigationem iræ divinæ, petiit reconciliationem, et vivificationem, quæ fit cum per gratiam remittuntur peccata : petit nunc adventum Salvatoris, per quem factum est, ut plane perspiceremus, et videremus Dei benignitatem, et misericordiam erga nos. De qua manifestatione dicit Apostolus, *Apparuit gratia Dei omnibus hominibus,* ad Tit. 2. et rursum, *Benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei.* Ad Tit. 3. Quis enim dubitare potest, an Deo curæ sit genus humanum, nosque verissime Deus diligat, posteaquam misit Filium suum unigenitum, ut nos pretioso sanguine suo de diabolica captivitate redimeret? *Ostende,* inquit, *nobis misericordiam tuam,* id est, fac, ut plane cernamus, et experimento certo discamus misericordiam illam, qua in mente tua ab æterno benedicere decrevisti terram tuam. *Et Salutare tuum da nobis,* id est, et mitte nobis Salvatorem filium tuum; tunc enim vere ostendes omnibus hominibus misericordiam, et benignitatem, et gratiam tuam. Ex Hebræo verti posset, וישעך *veieschuhhacha, et Jesum tuum da nobis :* nomen enim, *Jesus,* Salvatorem significat, ut notum est. Potest etiam hic versiculus exponi rectissime, et ad litteram de salute perfecta, quæ erit in Resurrectione; tunc enim propriissime ostendet nobis Deus misericordiam suam, ita ut eam videamus, et quasi tangamus, *quando coronabit nos in misericordia, et miserationibus, et sanabit omnes infirmitates nostras, et replebit in bonis desiderium nostrum, et renovabit, ut Aquilæ juventutem nostram,* ut dicitur Psal. 102. Et tunc dabit possidendum in æternum salutare suum, quando manifestabit nobis seipsum. Sed prior expositio pertinet ad Patres testamenti veteris, qui expectabant Christum in carne venturum : posterior pertinet ad nos, qui expectamus Christum venturum in gloria, *ut reformet corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ,* ut habetur Philip. 3. S. August. utiliter ad mores dicit, tunc Deum ostendere misericordiam suam, quando persuadet nobis, nosque intelligere, et quasi cernere facit, nihil nos esse; aut posse ex nobis, sed ex misericordia ejus esse quod sumus, et posse quod possumus. Ita enim non extollimur, nec superbimus, sed humiles sumus in oculis nostris : humilibus autem datur gratia Salvatoris.

8. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus : quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Ut certos nos reddat Propheta eorum, quæ dicturus est, admonet in hoc versiculo, se non loqui ex se, sed ex revelatione Domini; et ea solum canere, quæ ipse prius a Domino audivit. *Audiam,* inquit, *quid loquatur in me Dominus Deus,* id est, ego, quod audio a Deo, hoc loquor, ideo, et nunc exposita petitione, audiam, quid Dominus respondeat, ut idipsum cæteris manifestem. Dicit autem, *Quid loquatur in me;* ut significet loquutionem Dei ad Prophetas, esse interiorem, et spiritualem. Spiritus enim sanctus Prophetas inhabitans illis loquebatur, quod ipsi primi aure cordis audirent, et deinde per ipsorum linguam, ad aures corporis aliorum perveniret. Non habetur quidem in textu Hebraico illud, *in me,* sed Septuaginta Interpretes addiderunt, ut explicarent modum loquendi Dei in Prophetis, juxta illud Oseæ 1. *Principium loquendi Domino in Osee* et Zachar. 1. *Et dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me.* Porro illud, *audiam,* significat præterea attentionem, et desiderium audiendi, quasi dicat, libenter, et attentissime audiam, quoniam Deus more suo loquetur bona, et utilia. *Quoniam,* inquit, *loquetur pacem in plebem suam,* id est, scio Deum locuturum esse pacem in plebem suam, ideo libenter, et attente audiam, quid loquatur in me Dominus Deus. Itaque summa verborum Dei, est, annunciatio, et promissio pacis per adventum Messiæ, quem Propheta petierat dicens, *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis.* Dabit igitur Deus Salvatorem; et per eum annunciabit, et præstabit verissimam pacem : unde et *Princeps pacis* dicitur Isaiæ 9. *Et pacificabit omnia, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt,* ut dicitur ad Coloss. 1. Pax autem complectitur complementum omnium beneficiorum Dei, neque antea perfectam pacem habebimus, quam perveniamus ad cœlestem Jerusalem; quæ interpretatur *visio pacis.* Pax enim opponitur bello, bello autem non carebimus *donec absorpta fuerit mors in victoria, et mortale hoc induerit immortalitatem,* ut ait B. Paulus 1. Corinth. 15. tunc enim cessabit bellum cum vitiis et concupiscentiis, cum Principibus tenebrarum harum, cum necessitatibus, et difficultatibus omnibus. Dum autem hic vivimus, *militia est vita hominis super terram,* Job. 7. quantumvis quod in nobis est, pacem cum omnibus habere cupiamus.

9. Et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor.

Explicat, quod dixit, *in plebem suam*, promittit enim Deus pacem plebi suæ, sed non toti : nam in plebe Dei sunt boni, et mali : malis autem pax non convenit, sed bonis, *Pax enim multa diligentibus legem Domini.* Psal. 118. et *Non est pax impiis, dicit Dominus* Isa. 48. Qui autem sint sancti quibus promittitur pax, explicatur per verba sequentia. *Et in eos qui convertuntur ad cor.* Tunc enim incipit sanctitas, et consequenter inchoatur pax, cum homo ab exterioribus ad interiora convertitur, unde dicitur, *Redite prævaricatores ad cor*, Isa. 46. et de filio prodigo dicitur Luc. 15. *In se autem reversus.* Tunc autem incipit homo reverti ad se, sive redire ad cor, quando apud se cogitare incipit vanitatem rerum temporalium, et quam sit brevis, et modica dulcedo peccati; et contra quanta sit nobilitas virtutis, quam ingens pretium bonorum æternorum : sed proficit postea paulatim homo, cum secum habitare incipit, et de rebus, quæ foris sunt, non credit judicio sensuum externorum, neque sermonibus filiorum hujus sæculi; sed conversus ad cor consulit de omnibus rectam rationem, consulit fidem divinitus inspiratam, consulit veritatem ipsam, quæ Deus est. Denique perfecte ad cor suum ille convertitur, et pacem, quæ superat omnem sensum, gustare incipit, qui in corde suo tabernaculum erigit Deo, et ex imagine, quæ est anima rationalis, ad exemplar, quod est ipse Deus, alis contemplationis ascendit : et ibi pulchritudinem infinitam Creatoris attendens, in ejus amorem ita rapitur, et accenditur, ut omnia quæ foris sunt nihili ducat; ita uni Deo vinculo charitatis inhæret, ut rerum aliarum penitus obliviscatur. Hominis autem sic affecti nulla mundi pressura pacem, quam in Deo habet, perturbare potest. Sed veniamus ad verba. Codex latinus in secunda parte hujus versiculi, neque cum Hebraico, neque cum Græco concordare videtur. Hebraicus codex sic habet, ואל חסידיו ואל ישובו לכסלה *ve el chasidau veal iaschubu lechislach. Et super sanctos, et non revertentur ad stultitiam.* Græcus autem, *Et super sanctos suos, et in eos, qui convertunt cor ad ipsum.* Lectio tamen nostræ latinæ vulgatæ editionis antiquissima est, et eam sequitur S. Hieron. in textu, et in commentario Psalmorum; nec non S. Bernardus in sermone super hæc verba, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*, neque in sensu ulla diversitas est : Converti enim ad cor, et convertere cor ad Deum, idem significant; siquidem qui convertitur ad cor, desinit attendere ad externa, et visibilia, quæ temporalia sunt, et incipit considerare interna, et invisibilia, quæ æterna sunt, in quibus primum locum obtinet Deus, sic etiam converti ad cor, et non converti ad stultitiam, pro eodem accipi possunt. Neque difficile est, si quis velit voces Hebraicas cum latina editione concordare : nam vox אל *al*, quæ significat, *non*, potest legi, אל *el*, solius puncti facta mutatione, et significat, *in*, sic etiam vox לכסלה *lechislah* quæ significat, *ad stultitiam*, potest legi, לב סלה *beb sela*, et significat, *cor*, *selah* enim adjungitur passim in Psalmis : et vel nihil significat, vel significat, *semper*, quod hoc loco optime quadrat, vel significat aliquid nobis incognitum, unde ab interpretibus omitti solet. Itaque sic reddi possunt verba Hebraica. *Et in eos qui convertuntur corde sive ad cor, semper.*

10. Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius, ut inhabitet gloria in terra nostra.

Adveniente Messia prædicabitur pax, sed diu postea exhibebitur : verumtamen salus, id est, gratia sanitatis, et aliorum miraculorum præsentissima erit, et vicinissima omnibus credentibus in eum, ac timentibus eum timore reverentiæ, et pietatis. Inde vero maxima gloria Deo exurget, laudantibus, et magnificantibus Deum omnibus, qui mirabilia ejus videbunt, cujus rei plurima testimonia legi possunt apud Evangelistas. Hoc igitur est, quod nunc Propheta subjungit, *Veruntamen prope timentes eum salutare ipsius*, id est, salus Dei, sive Christus ipse Salvator prope erit ad sanandum per omnipotentiam suam omnes timentes eum, omnes videlicet colentes eum timore sancto, *ut inhabitet gloria in terra nostra*, id est, fient ista magnalia Salvatoris frequentissima, ut gloria Dei manifestetur, et inhabitet in terra promissionis, ad quam proprie Salvator mittetur. Sed si corporalis salus vicina erit timentibus eum, et inde gloria Dei magnifice orietur; multo magis salus spiritualis prope timentes eum erit : *quotquot enim receperunt eum, dabit eis potestatem filios Dei fieri*, Joan. 1. et inde manifestabitur gloria ejus, *quasi unigeniti a Patre, pleni gratia, et veritate.*

11. Misericordia, et veritas obviaverunt sibi : justitia, et pax osculatæ sunt.

Aperit hoc loco Propheta mysterium aliud in adventu Messiæ complendum; misericordiam videlicet, et justitiam, quæ contrariæ videntur, cum una ignoscat, altera puniat, simul esse conjungendas. Futurum enim erat per Christi passionem, ut et genus humanum misericorditer liberaretur, et tamen divinæ justitiæ plenissime satisfieret. *Misericordia*, inquit, *et veritas obviaverunt sibi*, id est, obviaverunt sibi tempore Messiæ, cum alias in diversa pergere viderentur. *Justitia, et pax osculatæ sunt*, id est, justitia punitiva, quæ paulo ante veritas nominata est, et pax sub nomine misericordiæ significata, amicissime conjungentur, et quasi inter se osculabuntur. Hunc sensum, qui mihi litteralis videtur, eleganter prosequitur S. Bernardus in serm. 1. de Annunciatione. S. Hieronym. in Commentario, et sanctus Augustinus per misericordiam, intelligunt misericordiam, qua usus est Deus erga gentiles, quibus dedit Salvatorem, quem non promiserat; per veritatem autem intelligunt justitiam, sive fidelitatem, qua exhibuit Judæis Messiam, quem patribus eorum pollicitus fuerat, unde est illud Apostoli Rom. 15. *Dico Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis ad confirmandas promissiones patrum : gentes autem super misericordia honorare Deum :* tunc enim misericordia et veritas obviaverunt sibi, cum in unam Ecclesiam convenerunt gentiles, et Judæi, illi per misericordiam, isti per veritatem adducti. Per justitiam, quæ osculatur pacem, intelligit idem sanctus Augustinus justitiam, quæ reddit unicuique suum, ex cujus observatione pax oritur, quemadmodum ex violatione justitiæ oritur bellum; et rectissime admonet, frustra illos quærere pacem, qui sororem pacis justitiam complecti recusant. Alii hunc versiculum exponunt de virtutibus, quæ florebunt in po-

pulis tempore Messiæ, vel de virtutibus, quæ in ipso Messia maxime eminebunt.

12. Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit.

Hic jam explicat Propheta mysterium incarnationis, utens verbo temporis præteriti pro verbo temporis futuri more Prophetarum. *Veritas*, inquit, *de terra orta est*, hoc est, Christus, qui veritas est, de Virgine Maria nascetur. *Et justitia de cœlo prospexit*, id est, et tunc justitia de cœlo manifestabitur, tum quia nato Christo cœpit vera justitia de cœlo descendere, et homines per fidem Christi justificari; tum quia per adventum Christi revelari cœpit *ira Dei de cœlo super omnem iniquitatem*, ut dicitur ad Rom. 1. Numquam enim plene cognitum fuisset, quanta sit ira Dei adversus peccatum, nisi expiari Deus voluisset illud morte unigeniti Filii sui : et etiam numquam plene cognitum fuisset, quanta sit ira Dei futura in die judicii adversus iniquos, nisi vidissemus, quanta fuerit Christi passio pro peccatis alienis expiandis, nam *si in ligno viridi hæc faciunt, in arido quid fiet?* ait ipse Dominus, Luc. 23.

13. Etenim Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum.

Pergit explicare mysterium incarnationis; atque ostendit veritatem ex terra nascituram, non quomodo nascuntur fruges ex terra arata et sata opera hominum, sed quomodo nascuntur flores in campis sylvestribus, sine cultura humana, ex pluvia de cœlo, et radiis solis in eam cadentibus. *Etenim*, inquit, *Dominus dabit benignitatem*, id est, emittet de cœlo Spiritum sanctum suum, qui virginem obumbrabit, et sic terra nostra neque arata, neque sata, sed omnino virgo intacta dabit fructum suum. Unde in Cantico canticorum ipse dicit, *Ego flos campi, et lilium convallium.*

14. Justitia ante eum ambulabit, et ponet in via gressus suos.

Concludit Propheta demonstrans, Christum omnino justum, et sanctum futurum, ita ut radios justitiæ suæ ante se præmittat, et luce sua sibi viam aperiat ad omnem progressum in hac valle tenebricosa hujus nostræ mortalitatis. *Justitia*, inquit, *ante eum ambulabit*, id est, Christus quasi sol quidam, et vere lux mundi radios justitiæ, et sapientiæ suæ præmittet, sicut etiam scriptum est in Psal. 88. *Misericordia, et veritas præcedent faciem tuam*, et Isaiæ. 58. *Anteibit faciem tuam justitia tua*; et sic *ponet in via gressus suos*, id est, aggredietur iter peregrinationis suæ, ut multos peregrinos perducat ad patriam. Possunt hi tres versiculi exponi etiam de justificatione, et bonis operibus hominum credentium in Christum : nam utroque modo exponit S. August. *Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit*, id est, veritas confessionis peccatorum, et laudis Dei cœpit per Christum oriri ex ore hominum terrenorum, et tunc *justitia Dei de cœlo prospexit*, ut confitentes peccata sua, et laudem dantes gratiæ Dei justificaret; sed hæc ipsa veritas confessionis, non orietur ex terra per vires ipsius terræ, sed per auxilium gratiæ Dei prævenientis, nam *Dominus dabit benignitatem*, qui dilucescere faciet justitiam in corde peccatorum, et sic *terra nostra dabit fructum suum.* Porro justicatus homo per Christi gratiam, semper justitiam ante oculos suos habebit, ut omnia faciat juxta regulam justitiæ : sic *justitia ante eum ambulabit* præferens illi quasi facem legem Domini, ne ambulet in tenebris, et sic securus, et gaudens ponet in via gressus suos, ut fæliciter ad patriam aliquando perveniat.

PSALMUS LXXXV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

Oratio ipsi David.

Titulus indicat hunc Psalmum nihil esse aliud, nisi orationem Davidi a Deo inspiratam, cum amaro esset animo, et consolatione divina indigeret. David enim ut erat homo spiritualis, et in Schola Spiritus sancti eruditus, cum variis tribulationibus premeretur, non quærebat consolationem a rebus creatis, in quibus vera consolatio animæ inveniri non potest, sed ad Deum fontem omnis suavitatis per contemplationem, et orationem, confugiebat. Proinde nos etiam hoc Psalmo uti debemus cum tentationibus variis, undecumque illæ veniant, fatigati, mœrore tabescimus.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Inclina Domine aurem tuam, et exaudi me, quoniam inops, et pauper sum ego.

Incipit orationem a magnitudine Dei, et utilitate sua : quæ est optima ratio precandi, apta ad impetrandum : *oratio enim humiliantis se pe-*

netrat nubes, Eccles. 35. *Inclina*, inquit, *aurem*, id est, tu qui excelsus es, inclina ad me, qui in imis jaceo, *aurem tuam. Exaudi* me, *quoniam inops et pauper sum ego;* hæc est ratio, cur dixerit, *inclina*, *quoniam*, inquit, *inops et pauper ego*, id est, quoniam mendicus jaceo ad portam divitis; inclina ex alto aurem tuam ad humilem servulum, et quia talis est, *exaudi eum.* Pauper enim, et inops hoc loco dicitur is, qui sive habeat, sive non habeat opes terrenas, non in illis confidit, non inde superbit, non alios contemnit, sed ipsas potius opes contemnit, si habet neque se meliorem, aut majorem reputat iis qui non habent. Rectissime admonet S. August. Lazarum non delatum fuisse ab Angelis in sinum Abrahæ propter inopiam. Luc. 16. sed propter humilitatem : neque divitem epulonem sepultum fuisse in inferno propter divitias, sed propter superbiam. Alioquin ipse etiam Abraham, qui ditissimus fuerat, in inferno sepultus fuisset. Sed quoniam Abraham *cinerem, et pulverem se esse arbitrabatur*, ut ipse de se loquitur Gen. 18. et mandata Domini ita diligenter observabat, ut non solum opes, sed ipsum filium unigenitum, cui servabat opes propter Deum sacrificare promptissimus erat Genes. 22. ideo non solum ad locum refrigerii post mortem ductus fuit, sed etiam ad ejus sinum congregabantur omnes, qui eo tempore in Domino moriebantur. Ipse etiam David dives erat quod ad terrenam substantiam attinet; sed quoniam non inde superbiebat, neque eam magnifaciebat, et totus a Deo pendebat, in quo spem suam, et vires suas, et omnia bona sua collocaverat, et sine quo nihil se esse, aut posse sciebat, ideo se vere pauperem et inopem prædicabat.

2. Custodi animam meam, quoniam sanctus sum : salvum fac servum tuum Deus meus sperantem in te.

Explicat in quo cupiat exaudiri; ac primum proponit id, quod est vere primum in intentione, et quod ipse Dominus primum quæri jussit, cum ait : *Primum quærite Regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis*, Matth. 6. *Custodi*, inquit, *animam meam*, id est, conserva vitam animæ meæ, cui tam multi hostes in hoc exilio insidiantur. *Quoniam sanctus sum*, id est, ideo peto conservari vitam animæ meæ a te; quoniam tu mihi eam dedisti, tu me in sanguine Filii tui justificasti, et sanctificasti, et per hoc vivificasti, qui in peccatis mortuus eram. Nam, ut recte dicit S. August. cum quis per sacramenta Christi justificatum se esse confidit, et ex gratia Dei sanctum se nominat, non est superbia elati, sed confessio non ingrati; quod si quis dicere non audeat, *sanctus sum*, id est, justificatus, et mundatus : saltem dicere potest, *sanctus sum*, id est, fidelis sum, sanctæ religionis, et fidei professor sum, Deo per baptismum dedicatus, et sanctificatus sum. *Salvam fac servum tuum Deus meus sperantem in te.* Idem repetit aliis verbis. Ideo enim cupit custodiri animam suam, ut non perdat salutem æternam; sic enim loquitur S. Petrus in epist 1. c. 1. *Qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem paratam revelari in tempore novissimo.* Petit igitur salutem, quam ne amitteret, petierat custodiam. Addit rationem, cum dicit, *Servum tuum sperantem in te*, quia cum Deus salvum facit servum suum, salvam facit rem suam : et cum salvum facit sperantem in se, fidelem, et justum se demonstrat, quia implet, quod promisit.

3. Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die : lætifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.

Petiit in secundo versiculo summum bonum, id est, salutem animæ quæ est finis omnium desideriorum : nunc recto ordine petit medium ad finem, lætitiam videlicet, spiritualem, qua fortiter toleret tentationes, et pericula exilii, donec ad salutem perveniat, ubi nullæ erunt tentationes, nulla pericula. *Miserere mei Domine*, id est, misericorditer exaudi orationem meam, *quoniam ad te clamavi tota die*, id est, quoniam ardenter, et perseveranter oravi; nihil enim magis requiritur ad impetrandum quam si oratio fundatur ex accenso desiderio, quod significatur in verbo, *clamavi;* et cum perseverantia, quæ significatur in vocibus illis, *tota die. Lætifica animam servi tui;* hæc est petitio, quam misericorditer exaudiri petit, et pro qua tota die clamavit. *Lætifica*, inquit, *animam servi tui*, id est, undique angustiis tentationum premor, nihil mihi in valle lacrymarum occurrit, nisi amarum, dum non minus prosperitas terret, quam adversitas ipsa contristet. Ideo, *lætifica animam servi tui*, *quoniam ad te Domine animam meam levavi*, id est quoniam non inveniens requiem in ulla re creata, ad te creatorem pennis cogitationis, et desiderii animam meam levavi. Amor animam nostram portat, et vere dictum est, anima magis est ubi amat, quam ubi animat. Alæ amoris sunt cogitatio, et desiderium; qui enim amat, cogitando assidue, et desirando rem amatam; in illam fertur, et in illa manet. Qui vere, et ex corde Deum amat, cogitando, et desiderando Deum, animam suam ad Deum levat. Contra qui terram amat, cogitando, et concupiscendo terram, animam suam ad terram deprimit. Itaque ille solus cum Propheta vere dicere potest, *Ad te Domine animam meam levavi*, et jure suo petere potest consolationem spiritus, ac dicere, *Lætifica animam servi tui*, qui nulla tenetur concupiscentia rei creatæ, nec ullo terreno luto affixus inhæret. Recte S. Bernard. ferm. 6. de Ascensione Domini, explicans illa verba Domini Joan. 16. *Nisi ego abiero Paracletus non veniet ad vos.* Quid est, inquit, *Nisi ego abiero Paracletus non veniet?* quam nisi carnis præsentia vestris subtrahatur aspectibus, spiritualis gratiæ plenitudinem occupata mens non admittit, non capit affectus. Quid vobis videtur fratres? si hæc ita sunt, imo quia ita sunt, audeat qui huic sterquilinio semper inhæret, qui carnem fovet, carnem sapit, illam nihilominus consolationem supernæ visitationis sperare, quam ne cum ipsa quidem Verbi carne percipere ullatenus Apostoli potuerunt. Errat omnino, si quis cælestem illam dulcedinem huic cineri, divinum illud balsamum huic veneno, charismata illa spiritus misceri hujusmodi illecebris arbitratur.

4. Quoniam tu Domine suavis, et mitis, et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

Hæc est ratio cur animam suam ad Deum levaverit pro consolatione recipienda; quia *Deus*

suavis est, *et dulcis;* et sicut dicit Joan. epist. 1. cap. 5. *Deus lux est*, *et in eo tenebræ non sunt ullæ :* sic dicere possumus, suavis est Deus, et in eo amaritudo non est ulla : cum e contrario in carnalibus consolationibus, suavitas sit modica, et amaritudo plurima. Nec solum Deus suavis est, sed etiam mitis, ut ad se accedentes non repellat, et imperfectum nostrum toleret. Notat S. Augustinus in eo plane perspici mansuetudinem Dei, quod orantes nos patiatur: cum tam sæpe inter orandum ad alia cogitanda mentem avertamus; certe enim Judex homo non pateretur reum, si dum causam agit, ad colloquendum cum amicis, de rebus præsertim nullius momenti, averteretur. Nec solum Deus suavis est in se, et mitis, quia non repellit accedentes ad hunc fontem suavitatis, sed etiam *multæ misericordiæ* est, quia facile admittit et recipit, et se gustandum præbet omnibus invocantibus se, non accipiens personas divitum, aut pauperum; Judæorum, aut Gentilium. *Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit*, Rom. 10. Quod si aliquos orantes non exaudit, neque eorum miseretur, causa est, quia non vere Deum invocant, aut non sicut oportet, invocant. Sæpe etiam exaudit, sed tempore opportuno; et non raro exaudit orantis desiderium, non verba loquentis, quando videlicet, qui orat id petit quod sibi non expedire ignorat, et si non ignoraret omnino non peteret. Quod attinet ad verbum illud, *suavis*, in Hebræo est, טוב *tob*, quod significat, *bonum;* et multi exponunt *benignum*, sive *beneficum.* Et quamvis Deus sit vere bonus, benignus, et beneficus : tamen noster interpres, non solum hoc loco, sed etiam in Psal. 33. et 99. eamdem vocem vertit, *suavis ;* et hæc interpretatio concordat cum verbo, *gustate. Gustate*, *et videte*, inquit, *quoniam suavis est Dominus;* gustatur enim proprie suavitas, non benignitas, et huc alludens S. Petrus in epist. 2. cap. 2. ait, *Si tamen gustatis, quoniam dulcis est Dominus ;* illud autem, *mitis*, in Hebræo est, סלח *sallah*, quod proprie significat propitiabilis, et sic vertit S. Hieron. et in sensu non est discordia ; mitis enim facile propitiatur, et facile ignoscit : et sic exponit Sanctus Augustinus, cum dicit Deum esse mitem, quia facile ignoscit evagationibus nostris, cum oramus.

5. Auribus percipe Domine orationem meam, et intende voci deprecationis meæ.

Repetit primam partem primi versiculi, sed aliis verbis idem significantibus, ad affectum ostendendum erga rem desideratam, et petitam.

6. In die tribulationis meæ clamavi ad te, quia exaudisti me.

Videtur hic versiculus additus esse ad explicationem superioris; quia enim dixerat, *Auribus percipe orationem meam :* poterat Deus interrogare, quando orabis? quando vis percipiam auribus orationem tuam? respondet Propheta, omni die oravi, et omni die oro, et orabo, dum vivam in hoc exilio. Omnis enim dies peregrinationis, dies tribulationis meæ est; cui enim dulcis est patria, non potest non amara esse peregrinatio. *In die ergo tribulationis meæ*, id est, omni tempore peregrinationis tribulationem, et dolorem inveni, et ideo semper *clamavi ad te :* et ea fiducia clamavi, *quia tu semper exaudisti me*, id est, semper me exaudire solitus es.

7. Non est similis tui in Diis Domine, et non est secundum opera tua.

Reddit rationem, cur ad solum Deum confugiat, illum invocet, atque ad eum animam suam levare conetur; quia videlicet, nemo sit Deo similis, neque in essentia, neque in potentia, neque in sapientia, neque in bonitate, non tantum inter homines, sed etiam inter Deos; quod si per Deos intelligamus Deos falsos, nimirum idola, et dæmones, de quibus dicitur in Psal. 95. *Dii gentium dæmonia*, absolute verum est, quod hic dicitur, *Non est similis tui in Diis Domine :* quoniam idola oculos habent, et non vident, et ab hominibus pendent, ut sint et ut custodiantur, et moveantur : Deus autem verus sine oculis corporalibus videt, et a nullo pendet, sed omnia ab ipso pendent. *In ipso enim vivimus*, *movemur*, *et sumus.* Act. 17. Dæmones autem ad imaginem quidem, et similitudinem Dei facti sunt, sed per peccatum hanc similitudinem perdiderunt. Si vero per Deos intelligamus Deos per participationem potentiæ, et auctoritatis, quales sunt Principes et Judices terræ; vel per participationem sapientiæ, et justitiæ, quales sunt omnes homines justi; vel per utramque participationem, quales sunt Angeli sancti : tunc id quod dicitur, *Non est similis tui in Diis Domine*, intelligendum erit de similitudine perfecta, quæ requirit æqualitatem : illi enim sunt perfecte similes in potentia, vel sapientia, vel justitia, qui sunt æque potentes, æque sapientes, et æque justi. Constat autem Deum esse infinito modo potentiorem, sapientiorem, et justiorem omnibus Angelis, et hominibus : proinde verum est, non esse ullum *similem Deo in Diis participatione*, nisi imperfecta, et inæquali similitudine. *Et non est secundum opera tua*, non solum nemo ex Diis est perfecte similis Domino Deo nostro : sed neque est ullum opus Deorum quorumcumque, quod possit comparari cum operibus Dei nostri. Deus enim fecit ex nihilo cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt : Dii autem cæteri intra mundum operantur, et ex iis quæ Deus fecit materiam operandi sumunt. Ergo non est opus ullum, *secundum opera Dei*, id est, quod comparari possit operibus Dei.

8. Omnes gentes quascumque fecisti venient, et adorabunt coram te Domine, et glorificabunt nomen tuum.

Ex hoc versiculo intelligimus, versiculum superiorem accipiendum esse de Diis falsis, qui ab errantibus adorabantur tanquam veri, et summi Dii; probat enim Propheta, nullum ex Diis esse similem Domino Deo nostro, ex hoc quod aliorum Deorum cultus tandem aliquando cessabit, et manifeste apparebit falsitas, et vanitas ejusmodi Deorum : cultus autem Domini Dei nostri sempiternus erit. Quod autem hic dicit Propheta partim impletum est in Ecclesia Christi, partim implebitur in die judicii : nam quamvis tempore Davidis alii essent Dii

Moabitarum, alii Ammonitarum, alii Philistinorum, alii aliarum gentium; tamen, adveniente Christi Evangelio, in omnibus gentibus Idololatria cessare, et veri Dei cultus introduci cœpit. Itaque *omnes gentes venerunt*, id est, ex omnibus gentibus venerunt; et relictis Diis falsis Deum verum adoraverunt : sed in die Judicii omnes omnino homines nullo excepto, apertissime cognoscent, Deos gentium fuisse Dæmonia, vel inania simulachra, et velint, nolint, curvabunt genua coram Domino, et implebitur illud Isaiæ 45. *Mihi curvabitur omne genu*, quod applicatur Christo, ut vero Deo, ab Apostolo Rom. 14. et Phil. 2. Illa phrasis, *adorabunt coram te Domine*, Hebraica est : vox enim, ישתחון *istachun*, proprie significat, *prosternent se*. Hoc autem verbum requirit particulam, *coram*, prosternimur enim coram eo, quem adorare volumus. Itaque illud, *adorabunt coram te*, exponendum est, adorando prosternent se coram te. Illud, *et glorificabunt te*, ad omnes pertinet, sed vario modo; justi enim ex amore et libentes, injusti ex timore, et inviti glorificabunt in die judicii Dominum; ac dicent, *Justus es Domine, ac rectum judicium tuum*, Psal. 118.

9. Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia, tu es Deus solus.

Hæc est ratio cur cessabit cultus inanium Deorum, et omnes gentes adorabunt, et glorificabunt Dominum, *quoniam ipse solus est Deus*, vere magnus, et Deus *faciens mirabilia*, quæ nullus alius facere potest; quod in die judicii potissimum cognoscetur, cum ad nutum Domini omnes mortui resurgent, et congregabuntur ante tribunal Christi, et sine ullo impedimento et resistentia justi exaltabuntur ad Regnum; injusti deprimentur ad supplicium sempiternum. Hinc et Apostolus utitur voce, *magni Dei*, cum de judicio loquitur, quia in judicio magnitudo Dei apertissime demonstrabitur. *Expectantes*, inquit, *beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi.* ad Tit. 2.

10. Deduc me Domine in via tua, et ingrediar in veritate tua : lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Revertitur ad orationem, qua postulat dirigi in hac peregrinatione, et exilio, ne forte aberret a via, quæ ducit ad patriam : et simul postulat consolationem spiritualem, quasi refectionem, ne deficiat in via. *Deduc me Domine in via tua*, id est, per auxilium gratiæ tuæ ostende mihi viam tuam, nec solum ostende illuminando mentem, sed etiam movendo voluntatem; et sic *ingrediar* iter *in veritate tua*, id est, juxta veritatem fidei tuæ, et legis tuæ. *Lætetur cor meum*, hoc est, quod supra dixit, *Lætifica animam meam*, ergo lætetur te lætificante, et consolante cor meum, *ut timeat nomen tuum*, id est, non affecto consolationem propter consolationem, sed ut per eam quasi cibo recreatus, perseverem in timore sancto tuo; timendo offensionem tuam pergam recto itinere per viam mandatorum ad patriam, ubi sine timore serviam tibi. Non displicet S. Augustini expositio. *Lætetur cor meum*, sic tamen, ut etiam timeat nomen tuum; hic enim exultandum est, sed cum tremore, dum ad dulcem patriam, sed inter pericula tentationum currimus. In Hebræo pro, *lætetur cor meum*, legimus יחד לבבי *iachad lebabbi*, quod verti potest, *unitum, vel unicum sit cor meum*; vel; *uni cor meum*, sive cum S. Hieronymo, *unicum fac cor meum, ut timeat nomen tuum* : ex qua lectione colligitur optimus sensus, ut videlicet optet Propheta, cor suum uniri in timore Domini, ut totum cor suum timeat Dominum, et non pars Dominum, pars mundum timeat. Cæterum, nostra versio ex Græca fideliter derivata est. Græci autem interpretes viri Septuaginta antiquissimi, et doctissimi numquam sic vertissent, si legissent, quod nos in nostris Codicibus habemus : credibile igitur est, eos non legisse יחד *iachad*, sed יחד *iechad*, cum iisdem litteris, sed diversis punctis, quod significat *lætabitur*, a verbo חדה *chada*, et habetur hæc ipsa vox, Exodi 18. vers. 9. et eam reddit S. Hieronymus, *lætatus est*, accipiendo præteritum, pro futuro, propter litteram, vau, præcedentem. Sed hoc loco ubi non est vau, præcedens, rectissime vertit noster interpres, *lætatur*, et potuisset etiam vertere lætabitur.

11. Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in æternum.

Orationi adjungit gratiarum actionem; nihil enim utilius est ad impetranda nova beneficia, quam memorem, et gratum se ostendere præteritorum. *Confitebor*, inquit, *tibi Domine Deus meus*, confessionem laudis, et gratiarum actionis *in toto corde meo*, id est, ex vero et pleno cordis affectu. *Et glorificabo nomen tuum*, id est, potentiam tuam, *in æternum*, donec vixero sine intermissione.

12. Quia misericordia tua magna est super me, et eruisti animam meam ex inferno inferiore.

Hoc est beneficium, pro quo gratias agit : quia videlicet ex magna misericordia sua Deus non ex meritis ipsius hominis supplicantis, eruerit animam ejus ex inferno inferiore, id est, justificaverit eum a peccatis, ob quæ ad infernum inferiorem descensurus erat, nisi per gratiam liberaretur. Et vere tam magna misericordia Dei est ea, qua nos ex injustis justos facit, quam magna est pœna gehennæ perpetuæ, a qua liberamur, et quam magna est felicitas sempiterna, ad quam jus accipimus, et aditum apertum habemus. Unde et Apostolus Petrus dicit. *Secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam.* 1. Petr. 1. Cur gehenna dicatur infernus inferior, duplicem rationem reddit S. Augustinus, unam, quod terra hæc plena periculis sit infernus quidam respectu cœli, sed superior respectu gehennæ. Alteram quod in ipso inferno subterraneo sit pars superior, in qua erat Lazarus in sinu Abrahæ requiescens, et inferior, in qua dives Epulo cruciabatur in flammis. Addit S. Hieronymus infernum inferiorem dici gehennam respectu peccati, qui est infernus quidam, sed quasi superior. Non desunt ex recentioribus, qui hoc loco per infernum inferiorem intelligant graves ca-

lamitates, et pericula vitæ hujus temporalis. Sed nos maluimus sequi SS. Patres Hieronymum et Augustinum, quibus addi potest S. Bernardus in Serm. de Assump. qui per infernum inferiorem, intelligit illum, ubi nemo confitetur Domino, et unde non datur egressus : præsertim cum magna misericordia, non ad res temporales, quæ parvæ sunt, et breves, sed ad sempiternas pertinere videatur.

13. Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quæsierunt animam meam, et non proposuerunt te in conspectu suo.

Post actionem gratiarum revertitur ad orationem, qua petit liberari a multitudine hostium, qui vitæ ejus insidiabantur, et quamvis nonnulli exponant hæc omnia de hostibus corporalibus Davidis, vel Ezechiæ : alii de hostibus Christi, qui mortem illius procuraverunt : tamen magis cohæret cum superioribus partibus Psalmi expositio S. Augustini, qui docet hæc omnia esse intelligenda de membris corporis Christi, de hominibus justis, vel de quolibet homine justo qui patitur varias tribulationes ab hostibus animarum, sive sint hæretici, sive schismatici, sive in ipsa Ecclesia perdite viventes : quibus addere possumus, et dæmones, qui istis omnibus præsunt. Ait igitur homo Dei, liberatus per gratiam Christi ab inferno inferiore, et interim prælians cum hostibus animæ suæ, et graviter ingemiscens; o Deus meus, *ecce iniqui insurrexerunt adversus me;* neque pauci, aut debiles sunt, sed *synagoga potentium*, id est, congregatio magna fortissimorum hostium, *quæsierunt animam meam*, ut eam perdant : et excæcati, atque obdurati *non proposuerunt te ante conspectum suum*, id est, non cogitaverunt te esse protectorem justorum, et quod non cum homine infirmo, sed cum Domino Deo exercituum bellare audeant. In Hebræo pro voce *iniqui*, est זדים *zedim*, quæ proprie superbos significat, sed idem est sensus. Superbi enim præter cæteros omnes iniquissimi sunt.

14. Et tu Domine Deus miserator, et misericors, patiens, et multæ misericordiæ, et verax.

Dixit quot et quales hostes haberet : nunc petit adversus eos auxilium, ac primum prædicat multis nominibus bonitatem Dei, ut ostendat se non temere a tam bono Domino auxilium sperare. *Et tu*, inquit, *Domine Deus miserator et misericors, patiens, et multæ misericordiæ, et verax.* Miserator Hebraice רחום *rachum*, significat proprie pio, et paterno affectu miserantem filios, misericors Hebraice, חנון *channun*, significat proprie gratiæ largitorem, sive gratificatorem, ut loquitur Apost. ad Ephes. 1. *Qui gratificavit nos in dilecto filio suo*, id est gratos nos sibi fecit, sive in gratiam recepit. Patiens Hebraice longanimis, ארך אפים *erech appaim*, proprie *longus naribus*, id est, longus sive tardus ad iram, nares enim pro ira accipiuntur apud Hebræos. Multæ misericordiæ Hebraice, רב חסד *rab chesed*, id est, multus misericordiæ, sive multus in misericordia : Verax Hebraice, אמת *emeth*, veritatis, sive fidelitatis, et conjungitur cum voce multus, ut sit sensus, multæ misericordiæ, et veritatis, id est multus in misericordia, et veritate, sive fidelitate. Ex his habemus, Deum esse amantem affectu paterno, inde esse facilem ad gratiam, inde esse tardum ad iram, inde denique esse multum, id est liberalem, et promptum ad misericorditer promittendum, et fideliter adimplendum, quæ omnia afferunt ineffabilem consolationem, et fiduciam hominibus piis, et ipsi Deo ex corde adhærentibus : hæc enim dicuntur timentibus Deum, ut clarius explicatur in Psal. 102. Qui enim Dei benignitate abutuntur, *ii thesaurizant sibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei*, ut dicit Apostolus ad Rom. 2. quibus etiam dicit ad Heb. 10. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.*

15. Respice in me, et miserere mei, da imperium tuum puero tuo, et salvum fac filium ancillæ tuæ.

Explicata tot nominibus Dei benignitate, nunc petit, eam in se converti. *Respice*, inquit, *in me*, oculis tantæ bonitatis tuæ, *et miserere mei*, tu qui tam multus es ad miserandum. *Da imperium tuum puero tuo*, id est, in hoc peto, ut miserearis mei, ut non prævaleant hostes tam multi in servum tuum, sed contra des servo tuo robur, et fortitudinem, ad eos vincendos, et subjiciendos : et hoc modo *salvum me fac filium ancillæ tuæ*, ab eorum sive occultis insidiis, sive manifestis persecutionibus. Pro voce imperium, in Hebræo est, עזך *hhuzecha*, robur tuum sive potentiam : ex quo intelligimus, non peti hoc loco Regnum aliquod, aut imperium, prout sonat verbum latinum : sed peti gratiam fortiter resistendi hostibus, et illos subjiciendi, atque vincendi.

16. Fac mecum signum in bonum, ut videant, qui oderunt me, et confundantur, quoniam tu Domine adjuvisti me, et consolatus es me.

Concludit petens aliquod externum signum, unde constet etiam apud adversarios, Deum adjutorem et consolatorem esse servorum suorum fidelium. *Fac mecum signum in bonum*, id est, ostende in me signum aliquod, quod rem bonam, id est, gratiam, et favorem tuum manifestet : *ut videant*, illud signum, *qui me oderunt*, et confundantur diffidentes videlicet de victoria, *Quoniam tu Domine adjuvisti me, et consolatus es me*, id est, quoniam revera adjuvisti me in certamine, et consolatus es me in tribulatione per internam gratiam tuam, ostende etiam exterius signum aliquod favoris tui erga me, ut qui oderunt me videant hoc signum et confundantur. Posset etiam cum Euthymio sic exponi, Ut videntes qui me oderunt, quoniam tu Domine adjuvisti me, et consolatus es me, confundantur : sed prior expositio videtur facilior, et conformis est interpunctioni Hebraicæ, Græcæ, et Latinæ, quæ non videtur admittere hyperbaton. Quærunt scriptores quod sit illud signum, quod hoc loco Propheta requirit. S. Hieronymus dicit esse signum crucis Christi, illud enim est signum in bonum, quia signum redemptionis, et cum illud aspiciunt

dæmones, qui nos oderunt, sine dubio confunduntur. S. Augustinus exponit hunc locum de signo, quod apparebit in die novissimo, quod erit in bonum electis: et quo viso confundentur omnes inimici nostri. Alii intelligunt de signo, quod accepit ab Isaia Rex Achaz, cum ei dictum est, *Dabit Dominus ipse vobis signum, Ecce virgo concipiet, et pariet Filium, etc.* Isaiæ. 7. Hoc enim signum vere fuit in bonum Davidi, cujus filius futurus erat Messias, et toti mundo qui per Christum ab omnibus hostibus liberandus erat. Fortasse vocatur hoc loco, *signum in bonum*, lætitia spiritualis, quam initio petivit David, cum ait, *Lætifica animam servi tui:* hæc enim lætitia in homine justo, atque in tribulatione posito signum clarissimum est gratiæ Dei; et hoc signo conspecto confunduntur non solum dæmones, sed etiam omnes alii persecutores, et tunc sensus erit. *Fac mecum signum in bonum*, id est da mihi gratiam spiritualis lætitiæ, quæ etiam in ipsa vultus mei serenitate resplendeat: *et videant qui oderunt me* hoc signum patientiæ, et tranquillitatis animæ meæ, *et confundantur*, quoniam tu Domine adjuvisti certantem, et consolatus es mœrentem, et tristitiam in gaudium internum jam convertisti.

PSALMUS LXXXVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

Filiis Core Psalmus Cantici.

In hoc Psalmo cantatur laus civitatis Jerusalem, per quam Ecclesia Christiana sine dubio intelligi debet, terrenæ siquidem civitatis Jerusalem; etsi convenit, quod initio dicitur, fundamenta ejus esse in montibus, tamen non conveniunt cætera, ac præsertim, quod in ea sit habitatio Babyloniorum, Ægyptiorum, et Tyriorum, Ecclesiæ autem sive militanti sive triumphanti omnia conveniunt.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

Incipit Propheta laudare civitatem Jerusalem a fundamentis, quæ sunt montes sancti, sed antequam progrediamur, solvenda quæstio communis, quæ statim unicuique occurrere potest; quid igitur significat pronomen *ejus?* non enim videtur posse referri ad Jerusalem vel Sion, tum quia non est antea nominata civitas Jerusalem vel Sion, tum quia in textu Hebræo et Græco, illud *ejus* est generis masculini; Jerusalem autem et Sion sunt generis feminini. Respondeo illud, *ejus*, referri ad nomen subintellectum Civitatis; quamvis enim nomen civitatis sit regulariter generis feminini: tamen habet terminationem ad modum masculinorum, dicitur enim הִיר *hir*, et in numero multitudinis, הרים *hirim*, et non desunt viri doctissimi, qui velint esse etiam generis masculini. Præterea sicut inveniuntur multa nomina, quæ per ordinem conjunguntur cum verbis diversi generis, ut ostendimus in institutionibus linguæ Hebraicæ, p. 4. c. 4; sic etiam fieri potest, ut pronomen generis masculini præter ordinem conjungatur cum nomine generis feminini, non enim ista sunt ita rara in lingua Hebraica, ut sunt in Græca et Latina. Itaque sensus est, *Fundamenta ejus* Civitatis, quam mente intueor, et cujus laudes prædicare incipio, *sunt in montibus sanctis.* Omisit autem Propheta nomen Civitatis et dixit, *Fundamenta ejus*, ut ostenderet se continuare verba externa cum interna admiratione: contemplans enim et admirans magnitudinem, et pulchritudinem Civitatis novæ descendentis de cœlo, prorumpit in verba illa, *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Non placet autem quod aliqui dicunt illud, *ejus*, referri ad Christum, neque enim Christus pendet a fundamentis, sed omnia fundamenta pendent ab ipso, qui est, ut recte monet S. Augustinus, Fundamentum fundamentorum, sicut est Pastor pastorum, et Rex regum, et Dominus dominantium. Ad Ephes. 2. *In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino.* Multo minus placet quod dicunt Rabini, illud, *ejus*, referri ad Psalmum, et conjungi priorem partem hujus versiculi cum titulo hoc modo, *Canticum Psalmi. Fundamenta ejus in montibus sanctis*, id est, fundamenta hujus Psalmi sunt in montibus sanctis: hoc, inquam, non placet, quia Septuaginta Interpretes viri doctissimi aperte distinxerunt titulum a Psalmo, et Psalmum inchoarunt in illis verbis, *Fundamenta ejus in montibus sanctis*, distinctio autem et interpunctio Rabinorum est multo posterior, ac per hoc minorem habere debet fidem. Porro nomine fundamentorum, juxta varias considerationes, res varias accipere debemus. Si cogitemus eos, qui primi ad Ecclesiam convenerunt, et primi eam propagaverunt, fundamenta sunt Apostoli duodecim, juxta illud Apoc. 21. *et Civitas habebat fundamenta duodecim, et in eis nomina duodecim Apostolorum Agni.* Si consideremus doctrinam, in qua fundatur fides Ecclesiæ, fundamenta sunt Apostoli, et Prophetæ, qui fuerunt immediati Mi-

nistri Verbi Dei, et de his dicit Apostolus ad Ephes. 2. *Superædificati supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum.* Si denique inspiciamus auctoritatem, et potestatem Ecclesiasticam, secundum quam id est fundamentum in domo, quod caput in corpore, fundamenta sunt Christus, et Petrus. Christus fundamentum primarium, Petrus secundarium. De Christo dicit Apostolus 1. Cor. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est Christus Jesus.* De Petro dicit Christus, Matth. 16. *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Isti sunt ergo montes sancti, super quos fundata est Civitas Dei : qui dicuntur montes propter altitudinem, et excellentiam; sancti autem, quia non fuerunt alti altitudine superbiæ, sed altitudine sanctitatis, et sapientiæ, et auctoritatis. Neque obstat, quod Christus dicatur lapis angularis superpositus ædificatio, Psal. 117. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*, et ad Ephes. 2. *Ipso summo angulari lapide Christo Jesu;* Nam lapis angularis est duplex, unus in fundamento, et alius in summo ædificio, et uterque connectit duos parietes; sed quamvis in ædificio corporali non possit esse idem lapis angularis in fundamento sustentans totum ædificium, et in vertice sustentatus a toto ædificio : tamen in fabrica spirituali unus et idem lapis, id est, unus et idem Prælatus sustentat, et portat auctoritate sua totum ædificium, et simul præest, et portatur per obedientiam a toto ædificio, id est, ab omnibus lapidibus vivis : quæ duo officia conveniunt principaliter Christo, qui est absolute caput, et Princeps Ecclesiæ totius; sed conveniunt summo Pontifici, ut Vicario Christi generali : et suo modo omnibus aliis prælatis respectu eorum, quibus præsunt; debent enim omnes Prælati portare et portari, portare infirmitates subditorum, et portari ab eis dum imperant, vel corripiunt. Sequitur alia laus civitatis Dei ducta a portis, *Diligit*, inquit Propheta, *Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.* Dixerat civitatem Dei fundatam esse super montes sanctos, ac per hoc non posse ruere, ut solent ædificia fundata super arenam : nunc addit, non solum non posse ruere, sed nec posse expugnari ab hostibus, quia munita est portis fortissimis, de quibus dicitur in Psal. 147. *Quoniam confortavit seras portarum tuarum. Diligit ergo Deus portas Sion*, id est, diligit Deus Sion ob firmissimas ejus portas, quæ eam faciunt inexpugnabilem : *super omnia tabernacula Jacob*, id est, magis quam diligat quæcumque tabernacula Jacob, quoniam etiamsi tabernacula illa pulchra essent, et miro ordine disposita, quando iter faciebant Hebræi ab Ægypto in terram promissionis, tamen erant sine fundamento, et sine portis, ac per hoc mutabilia, et temporaria. Significatur igitur his verbis stabilitas, et firmitas Ecclesiæ adversus quam portæ inferi non prævalebunt ac præsertim, quando pervenerit ad patriam cœlestem. ad quam etiam suspirabant Patriarchæ, de quibus dicit Apostolus ad Hebr. 11. *Expectabant enim fundamenta habentem Civitatem, cujus artifex, et conditor Deus.* In Apocalypsi cap. 21. dicuntur *duodecim esse portæ civitatis novæ Jerusalem, et in illis scripta esse nomina duodecim tribuum filiorum Israel.* Per duodecim portas intelligunt communiter expositores illius loci, et S. Augustinus in expositione hujus Psalmi, duodecim Apostolos, quia per illorum verissimam, et firmissimam prædicationem intramus omnes in Ecclesiam Dei : neque obstat, quod paulo post dicuntur Apostoli duodecim, esse duodecim fundamenta ejusdem civitatis, sunt enim Apostoli, et portæ et fundamenta, portæ prædicando, fundamenta sustinendo. Neque etiam obstat, quod Joan. 10. Christus dicit, *Ego sum ostium, per me si quis introierit salvabitur.* Nam Christus porta est ratione meriti, siquidem per ejus meritum omnes intramus, et salvamur. Præterea (ut dicit S. Augustinus) hujus civitatis una porta est, et duodecim portæ sunt; quemadmodum unum fundamentum est, et duodecim fundamenta sunt. Christus enim in Apostolis erat, et per Apostolos loquebatur, ut dicit Apostolus 2. ad Cor. ultimo, *An experimentum quæritis ejus; qui in me loquitur Christus?* Itaque cum intramus per Apostolos, per Christum intramus, quia Apostoli non se ipsi, sed Christum prædicabant, et Christus per eos prædicabat : et cum in Apostolis fundamur, et super eos ædificamur, in Christo fundamur, et super eum ædificamur. Quod autem in portis scripta erant nomina duodecim tribuum filiorum Israel; per id significatur, primos qui intrarunt in Ecclesiam per Apostolorum prædicationem, fuisse filios Israel, ex quibus etiam ipsi Apostoli erant; deinde intrasse gentium plenitudinem : nam et Apocal. 5. ubi describuntur electi, et salvandi, primo loco numerantur duodecim millia ex singulis tribubus filiorum Israel; deinde additur *turba magna, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, tribubus, et linguis.*

2. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.

Propheta David spiritu ebrius, et excellentiam hujus civitatis admirans sicut ex abrupto cœpit, *Fundamenta ejus, etc.* sic mutat continuo formam dicendi, et ipsam civitatem alloquitur dicens, *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei*, id est, Non mireris, o sancta civitas, si ex abrupto loqui cœpi, quoniam obruor copia encomiorum tuorum; multa enim, gloriosa, magnifica, præstantissima, dicta sunt mihi a Spiritu sancto de te. Et vere possetne ordine servato narrare laudes illius civitatis, ubi erit Deus omnia in omnibus, et ubi bona illa servantur electis, *quæ oculus non vidit, auris non audivit, et in cor hominis non ascenderunt?* Isaiæ. 64. et 1. Cor. 2. Quamvis autem proprie gloriosa dicta sint de civitate Dei, quæ est in cœlis, et suo modo etiam de illa, quæ est in terris toto orbe diffusa : tamen de terrena etiam Jerusalem, ut typum gerebat Ecclesiæ, *gloriosa dicta sunt*, quod videlicet, civitas esset Regia, et sacerdotalis; quod in ea templum Domini, arca testamenti, et alia id genus multa conservarentur; et quod omnium maximum est, quod in ea Rex Angelorum, et Dominus omnium docuerit, miracula fecerit, redemptionem generis humani operatus, sepulchrum suum reliquerit, Spiritum sanctum de cœlo miserit, et Ecclesiæ suæ perpetuo duraturæ fundamenta jecerit.

3. Memor ero Raab, et Babylonis, scientium me.

4. Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, hi fuerunt illic.

Laudat nunc Propheta sanctam civitatem a multitudine, et varietate nationum, quæ ad illam inhabitandam convenerunt; non enim soli Judæi, ut in testamento veteri ad Jerusalem pertinent; sed omnes nationes Ecclesiam Catholicam, quæ est vera Jerusalem in hoc Psalmo laudata, inhabitaturi erant. Nominat autem Raab, et Babylonem, Palæstinos, Tyrum, et Æthiopes, quæ erant nationes gentilium, sed notæ Judæis. Per Raab intelligunt scriptores veteres Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Euthymius, et alii in hunc locum, meretricem illam, quæ dicebatur Raab, et excepit exploratores Josue in civitate Hiericho, ut habemus Josue 2. Sed recentiores recte adverterunt, meretricem illam, et in Hebræo, et in Græco vocari רחב *Rahab*, cum aspiratione gravi, ῥαχάβ, in hoc autem loco scribi per lenem aspirationem, ῥαὰβ: per Raab autem intelligunt Ægyptum, sive Regem Ægypti; vox enim Hebraica, רהב *Raab*, significat superbum, et sic vertitur in Psal. 88. et Isaiæ. 51. et in utroque loco, per superbum, intelligunt scriptores Ægyptum. Hic igitur erit sensus, *Memor ero Raab et Babylonis scientium me*, id est, ego Deus conditor civitatis Jerusalem, in advocandis, et conscribendis electis civibus Jerusalem, memor ero, non Judæorum tantum, sed etiam Ægyptiorum, et Babyloniorum, qui scient me, per fidem videlicet, et religiosum cultum cognoscent me. *Ecce* enim *etiam alienigenæ*, id est, Palæstini, *et Tyrus*, id est populus Tyri, et populus Æthiopum, *fuerunt illic;* id est, istæ quoque gentes, me vocante, et adducente erunt in civitate sancta Jerusalem. Ponitur enim præteritum pro futuro, more Prophetico. In Hebræo, pro, *scientium me*, habetur לידעי *leiodehhai*, *scientibus me*, et eodem modo habetur in Græco. Sed articulus ל *le*, qui habetur hoc loco, non solum deservit dativo, sed etiam genitivo, imo et accusativo, ut Grammatici docent. Quare si Græcam interpretationem sequi velimus, non erit vertendum, *Memor ero Raab et Babylonis*, sed, *Commemorabo Raab et Babylonem scientibus me*, id est, fidelibus meis. Sed quia Latinus Interpres vertit, ut jure potuit, *memor ero Raab et Babylonis*, rectissime addit, *scientium me*, et est hæc lectio antiquissima apud Latinos, ut perspicuum est ex commentario S. Hieronymi in hunc Psalmum. Illud autem, *hi fuerunt illic*, in Hebræo est, זתרלד שם *zetrillad scham*, *iste natus est ibi.* In Græco habetur in numero multitudinis, οὗτοι ἐγεννήθησαν ἐκεῖ; *hi nati sunt illic*, et idem est sensus, nimirum, unusquisque horum natus est illic. Quare Latina interpretatio explicari debet hoc modo, *hi fuerunt illic*, id est, hi omnes populi enumerati, fuerunt, sive erant in Jerusalem per novam generationem: per antiquam enim generationem cives erant Ægypti, vel Babyloniæ, vel Tyri, vel Palæstinæ, vel Æthiopiæ, sed per novam generationem renati ex Deo per Christum, erunt omnes cives unius, atque ejusdem civitatis sanctæ Jerusalem, *ubi non est gentilis, aut Judæus, Barbarus aut Scytha, servus, aut liber, sed omnia, et in omnibus Christus*, Coloss. 3.

5. Nunquid Sion dicet, homo et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.

Addit Propheta præcipuam laudem sanctæ civitatis, quod in ea natus sit, qui fundavit eam *altissimus Filius Dei.* Hinc enim potissimum gloriosa dicta sunt de ea, quod civis ejus esse voluerit secundum naturam humanam, qui fundator ejus est secundum naturam divinam. Sic enim intelligunt hunc locum SS. Patres Hieronymus, et Augustinus, et post eos Theodoretus, et Euthymius Doctores Græci, ante hos omnes vetustissimus Latinorum Tertullianus in libro adversus Praxeam; *Nunquid Sion dicet homo*, id est, num fieri poterit, ut homo aliquis dicat Sioni rem tam novam et tam admirandam, et inauditam a sæculo: *Et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus*, id est, nunquid significabit aliquis ipsi Sion, *quod homo natus sit in ea*, et ipse idem fundaverit eam; *cum sit Altissimus?* Hanc tam evidentem prophetiam nonnulli cum Judæis obscurare nituntur. Sed nos majorem fidem habemus SS. Patribus, quam omnibus Judæis. Quod attinet ad verba, illud, *nunquid*, in Hebræo est האך *et*, sed fortasse textus Hebraicus corruptus est vitio scriptorum et pro, *vau*, legendum est *he*, quod significat *nunquid.* Cæterum etiamsi maneat particula, *et*, idem est sensus; si accipiatur per modum interrogandi: idem est enim, *Et Sioni dicet homo? et nunquid Sion dicet homo?* In textu Græco non habetur, nunquid, neque, et, sed *Mater*, et sic legit S. Augustinus; *Mater Sion dicet homo*, sed B. Hieronymus in commentario aperte docet, textum Græcum esse corruptum, et Septuaginta vertisse μητὶ, quod est, nunquid, sed ab aliquo sciolo additum esse ρ, et factum esse μητηρ. Illud, *Sion*, est in casu dandi, ut ex articulo Hebraico notum est: et etiam ex eo, quod verbum dicet, in Hebræo est generis masculini, et Sion est generis feminini. Itaque homo dicet Sioni, non ipsa Sion dicet. Illud, dicet, in Hebræo est יאמר *ieamar*, dicetur; sed remotis punctis eædem litteræ faciunt יאמר *iomar*, quod significat *dicet*, et sic legerunt Septuaginta, qui verterunt ἐρεῖ, *dicet.* Illud, *homo et homo*, Rabini, et qui eos sequuntur, ita conjungunt, ut sensus sit, *homo et homo*, id est, multi homines. Sed in textu Hebraico et Græco primum *homo* conjungitur cum verbo *dicet*, ut sensus sit, Dicet homo ad Sion: alterum, *homo*, conjungitur cum verbo *natus est*, et hæc est vera interpunctio et lectio; neque debemus propter Rabinorum glossas pervertere textum, et relinquere Patrum expositionem. Illud, *et*, cum dicitur, *Et homo natus est in ea*, potest accipi pro *quia*, ut sæpissime alias in Scripturis. Si quis quærat, quomodo Christus dicatur natus in Sion, cum constet eum esse in Bethlehem, respondebimus hoc loco per Sion significari Ecclesiam, sive populum Dei; Christum autem natum esse secundum humanitatem in populo Dei, sive in Ecclesia, quæ cœpit in Abel; cujus Ecclesiæ ipse est conditor secundum divinitatem. Addimus, recte etiam posse dici, Christum natum esse in Sion, ratione parentum suorum, Davidis, Salomonis, et aliorum, qui sedem suam posuerunt in Sion.

6. Dominus narrabit in scripturis populorum, et Principum: horum qui fuerunt in ea.

Respondet ad interrogationem, qua dixerat; *Nunquid Sion dicet homo?* dicit enim Propheta,

Dominum ipsum hoc dicturum, imo scripturum ad æternam memoriam in libro, in quo scribit populos, et Principes populorum, qui per novam nativitatem fuerunt in ipsa civitate. *Dominus*, inquit, *narrabit*, id est, annunciabit quod in Sion natus sit homo, qui ipse idem sit fundator Sionis; *narrabit autem in scripturis populorum et Principum*, qui fuerunt in ea, id est, narrabit in illis scripturis, in quibus continentur nomina populorum, et Principum renatorum in ipsa civitate: caput enim horum omnium est ille homo qui simul est fundator Sionis, ac per hoc in capite libri scribetur. Porro publicatio hujus libri fiet in die Judicii: tunc enim aperientur libri, et alius liber, qui est vitæ, ut dicitur Apoc. 20. de quo libro dicitur Luc. 20. *Gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt in cœlo.* Per Principes, intelligit sanctus Augustinus, Apostolos, quos constituit Dominus Principes super omnem terram. Quod attinet ad verba: In Hebræo pro, *narrabit*, est verbum *ispor*, quod sanctus Hieronymus vertit, numerabit. Verbum enim ספר *sapar*, utrumque significat, et *narrare*, et *numerare*: et utraque significatio hic locum habet: in libro enim vitæ narrantur res gestæ electorum, et eorum numerus describitur. Pro voce *in scripturis*, in Græco habetur ἐν γραφῇ, *in scriptura*, sed numerus non mutat sensum. In Hebræo habetur ad verbum, בכתוב עמי *bachtob hhamim*, *in scribendo populos*, id est, narrabit, vel numerabit, dum scribet populos: atque hinc exposuimus verba vulgatæ editionis Latinæ, in scripturis populorum, id est, in scripturis, in quibus scribuntur populi, sive nomina populorum: una enim editio aliam explicat. Illud, *et Principum*, in Hebræo habetur transpositum post illa verba, *Horum qui fuerunt in ea*, imo, sequens versiculus apud Hebræos incipit per ista verba, Et Principum. Sed nos sequi debemus lectionem Septuaginta Interpretum, qui emendatiores libros habuerunt: ista enim transpositio videtur facta negligentia librariorum, et totum sensum obscurat. Illud, *horum qui fuerunt in ea*, in Hebræo est in singulari, *hic natus est in ea*, sed idem est sensus, hic videlicet, Dominus narrabit cum describet populos, et Principes, quorum unusquisque per nativitatem fuit in ea.

7. Sicut lætantium omnium habitatio est in te.

Hæc est conclusio Psalmi, quæ continet summam felicitatem habitantium in illa civitate, cujus fundamenta initio Psalmi descripta sunt. Hæc est enim felicitas propria civitatis sanctæ Jerusalem, quod in ea nullus est miser, nullus mœrens, nullus gemens: quoniam *absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum*: Apoc. 21. et quamvis hæc implenda sint reipsa in cœlesti Jerusalem: tamen etiam in Ecclesia militante, qui sunt descripti cives in cœlo, omnes sunt spe gaudentes; et illis dicit Salvator Joan. 16. *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis*: et Apostolus, Philip. 4. *semper gaudete*, et revera si servi Dei gaudent etiam in tribulatione, quando mœsti esse poterunt? Notat autem S. August. non esse dictum, *lætantium*, sed quasi lætantium, ne putaremus lætitiam patriæ esse lætitiam, qualem hic videmus in filiis hujus sæculi, qui lætantur in acquisitione auri et argenti, vel in carnalibus deliciis, aut aliis ejusmodi rebus. Erit ergo habitatio in cœlesti Jerusalem similis habitationi, ubi convivium, vel nuptiæ, cum lætitia et canticis jucunde celebrantur, sed non erit eadem causa lætitiæ, hic et ibi, ac si diceretur, Non erit habitatio tripudiantium, vel potantium, sed sicut tripudiantium, et potantium, neque erit habitatio lætantium in nuptiali convivio, sed sicut lætantium in nuptiali convivio. Ex Hebræo S. Hieron. vertit, *Et cantores quasi in choris, omnes fontes mei in te.* Sed ut supra diximus, Septuaginta Interpretes habuerunt codices magis correctos, et verba illa, ושרים *vesarim*, quæ S. Hieronymus legit in hoc ultimo versiculo, et vertit, *Et cantores*, ipsi legerunt in versiculo superiore, et verterunt, *Et Principum*: nam vox, שרים *sarim*, si legatur cum puncto in dextro cornu primæ litteræ, significat, *cantores*, a verbo שור *sur*, si legatur cum puncto in sinistro, significat שרים *Principes*, a verbo, שרה *sarah*, et sic legerunt Septuaginta Interpretes. Illud, quasi in choris, כחללים *cecholelim*, potest etiam recte verti, Sicut tripudiantium, vel lætantium, ut notum est. Denique illud, *Omnes fontes mei in te*, non habet difficultatem, nisi ratione duorum vocabulorum, *fontes mei*: sed vox Hebraica, מעיני *mahianai*, *fontes mei*, lecta videtur a Septuaginta Interpretibus, מעוני *mahoni*, cum iod paragonico, quæ significat habitationem: neque enim tam imperiti erant Septuaginta, ut pro fontibus, ponerent habitationem, nisi legissent verbum, quod ita verti posset. Sed quamvis vera lectio sit, quam ex Septuaginta, Interpres noster Latinus expressit: tamen lectio quoque illa verum sensum habet, quam S. Hieronymus ex Hebræo transtulit. Vere enim beati omnes in cœlis sunt quasi cantores in choris laudantes Deum, quoniam omnes fontes bonorum divinorum in cœlesti Jerusalem inveniuntur.

PSALMUS LXXXVII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

CANTICUM PSALMI FILIIS CORE, IN FINEM PRO MAHELETH, AD RESPONDENDUM INTELLECTUS EMAN EZRAYTÆ.

OBSCURUS titulus est, ut fere tituli cæteri esse solent. Illud, *pro Maheleth*, est ipsa vox Hebraica, quam Septuaginta Interpretes intactam reliquerunt, ut Amen, Alleluia, et similes; sanctus Hieronymus vertit, per chorum, alii volunt esse instrumentum musicum. Illud, *ad respondendum*, S. Hieronymus vertit, *ad præcinendum*, vox tamen Hebraica, לְעַנּוֹת *lehhanon*, respondere significat. Videtur autem Eman Ezrayta ille esse, qui cantor dicitur lib. 1. Paral. cap. 6. et nepos Samuelis fuisse describitur: quamvis et alii fuerint, qui hoc nomine dicti sunt. Igitur sensus erit, Canticum Psalmi filiis Core datum ad canendum et frequentandum usque in finem super choros vel super instrumento *Maheleth*, appellato, ad respondendum alternatim canendo, in quo explicatur eruditio, sive intelligentia mysterio plena Eman Ezraytæ, sive ipse, sive David in ejus persona Psalmum composuerit. Argumentum Psalmi ex Hieronymo, Augustino, et Euthymio est passio Domini nostri Jesu Christi, quæ hoc loco manifeste prædicitur, ut in aliis multis Psalmis.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Domine Deus salutis meæ, in die clamavi, et nocte coram te.

Propheta in persona Christi, ut ostendat magnitudinem passionis, multis et variis modis repetit, et inculcat, quod Dominus in Cruce pendens dixit, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Incipit autem ab oratione invocans Deum Patrem, ac dicens, *Domine Deus salutis meæ*, id est, a quo salutem expecto per celerem resurrectionem, *in die clamavi, et nocte coram te:* clamavit enim in die passionis ex cruce dicens, *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* et nocte præcedente in horto ter clamavit, *Pater mi, si fieri potest, transfer calicem hunc a me.*

2. Intret in conspectu tuo oratio mea, inclina aurem tuam ad precem meam.

Exaudiatur, inquit, obsecro, oratio mea: id enim significant omnia verba hujus versiculi, sed metaphoris multis poeticis admixtis, *Intret in conspectu tuo oratio mea*, id est, admittatur quasi orator quidam ad præsentiam tuam hæc oratio mea. *Inclina aurem tuam ad precem meam*, id est, posteaquam oratio admissa fuerit ad præsentiam tuam, præbe illi benignam aurem, ut cum fiducia exponat petitionem suam. In Hebræo pro verbis, *ad precem meam*, habetur לְרִנָּתִי *lerinnathi*, id est, *ad laudationem meam*, sive *ad hymnum meum:* est enim oratio cum admixta laude. Laus autem est in primis verbis Psalmi, ut dicitur, *Domine Deus salutis meæ.*

3. Quia repleta est malis anima mea, et vita mea inferno appropinquavit.

Hæc referri possent ad verba illa, *Tristis est anima mea usque ad mortem*, Matth. 26. sed magis aperte respondent illis quæ dicta sunt in cruce, *Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Matth. 17. tunc enim plane repleta erat malis anima Christi, ob ingentes dolores totius corporis sui, et astantis matris suæ, et vita ipsius propinquissima erat morti, ac per hoc inferno, ad quem tunc omnes animæ defunctorum descendebant. Non desunt qui hæc omnia, et sequentia referant ad morbum corporalem Davidis, aut Oziæ Regis: sed si ita esset, nihil mysterii in hoc Psalmo esset, neque in titulo diceretur, *Intellectus Eman*, neque Ecclesia Psalmum hunc cum cæteris frequentaret.

4. Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Commemoravit dolores gravissimos corporis sui, ob quos jam vicinus erat morti: commemorat nunc ignominiam et contemptum, quem patiebatur jam mortuus ex opinione hominum: existimabant enim homines illum esse quasi unum de cæteris, qui invitus descendisset in mortem, nec posset ullo modo seipsum juvare, neque haberet a quo juvaretur, cum tamen ipse vere esset inter ipsos etiam mortuos liber a dominatu mortis, et a captivitate diaboli, et posset quando vellet, mori, et quando vellet resurgere. *Æstimatus sum*, inquit, *cum descendentibus in lacum*, id est, putaverunt homines me descendisse in locum animarum, sicut alii descendunt, invitum videlicet et coactum; ac per hoc existimaverunt me esse unum de numero infirmorum mortalium: *factus sum* opinione hominum insipientium, *quasi homo sine adjutorio*, nam ideo insultabant moventes capita sua, et dicentes, *Alios salvos fecit, seipsum non*

potest salvum facere. Inter mortuos liber : id est, qui inter morti addictos, et potestati ejus subjectos solus liber sum, ut nemo me ad mortem cogere possit, *et qui potestatem habeo ponendi animam meam ; et potestatem habeo iterum sumendi eam*, ut dicitur Joan. 10. Ego, inquam, existimatus sum sicut homo sine adjutorio, infirmus, et imbecillus, ut cætera turba mortalium.

5. Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius, et ipsi de manu tua repulsi sunt.

Pergit explicare opinionem hominum de morte sua. Existimatus, inquit, sum *sicut vulnerati dormientes in sepulchris,* id est, sicut alii vulneribus occisi, et in sepulchris jacentes sopore mortis oppressi. *Quorum non est memor amplius,* id est, quorum tu Deus curam, quam de hominibus habes, deposuisti, cum amplius non sint inter homines. Quod idem repetit, et declarat, dicens ; *et ipsi de manu tua repulsi sunt*, id est, ideo tu Deus oblitus es eorum, neque de illis amplius cogitas, quoniam a manu providentiæ tuæ repulsi sunt, cum non sint amplius in rerum natura. Ubi non dicit Propheta, corpora defunctorum non pertinere ad curam Dei, sed homines mortuos, quia homines mortui, non sunt homines ; neque indigent victu, vestitu, aliisque rebus quibus indigent. Porro Christus, etiamsi in triduo mortis non fuerit homo, et vere vulneribus occisus jacuerit in sepulchro, tamen valde dissimilis erat aliis hominibus, quoniam ipse se resuscitare poterat, quod nulli alii possunt. Sanctus Augustinus exponit illud, *quorum non es memor amplius*, in hunc sensum. Non es memor aliorum mortuorum, ut eos continuo resuscites : sed memor eris in fine sæculi : et illud, *et ipsi de manu tua repulsi sunt ;* exponit de Judæis existimantibus Christum similem fuisse aliis mortuis, non autem de mortuis jacentibus in sepulchris. Non rejicio expositionem; sed quam supra posuimus, ea nobis videtur magis textui inhærere. Qui Psalmum exponunt de ægrotatione Davidis, vel aliis ejus calamitatibus, coguntur hæc omnia explicare per tropos, et similitudines, cum tamen Christo Domino proprie, et ad litteram apertissime conveniant.

6. Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, et in umbra mortis.

Hæc referuntur ab Euthymio ad sepulchrum Christi, quod lapide superposito, tenebrosum erat. Sed de sepulchro dictum est in versiculo superiore : et sepulchrum tenebrosum quidem dici potest, sed non profundum instar lacus. Itaque melius referentur ad limbum, qui est locus subterraneus, et infernus etiam dici solet, et sic exponit S. Hieronym. S. Augustin. per locum inferiorem, sive infimum, ut ipse legit, intelligit summam miseriam, qua major non sit, ut in Psal. 39. *Eduxisti me de lacu miseriæ. Posuerunt me in lacu inferiori*, id est, inimici mei, qui me occiderunt, fecerunt ut descenderem ad inferiores partes terræ, secundum animam, qui jacebam secundum corpus occisus in sepulchro : describit autem locum inferni, dicens, *In tenebrosis et in umbra mortis*, id est, in locis tenebrosis, et in umbra densissima, qualis est umbra mortis. Vide in explicatione Psal. 22. vers. 4. In Hebræo habetur, *posuisti me*, sed Septuaginta legerunt cum aliis punctis non, שתני *sattani, posuisti me*, sed שתנו *sattanu, posuerunt me :* sed etiamsi legerint, *posuisti me*, sensus esset verus : siquidem Deus Pater recte dici potest, posuisse Christum in limbo, quemadmodum etiam in Cruce, et in sepulchro, quia *proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum,* ut ait Paul. Rom. 8. Illud etiam, *in umbra mortis*, in Hebræo habetur, במצלות *bimtsoloth, in profundis.* Sensus est idem, et fortasse, ut alii ante nos observarunt, litteræ sunt transpositæ, et Septuaginta legerunt, מות בצל *bitsal, maveth*, quod significat, *umbra mortis.* Sunt enim litteræ omnino eædem.

7. Super me confirmatus est furor tuus, et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Duabus metaphoris declaravit David in persona Christi magnitudinem passionis. *Super me confirmatus est furor tuus,* id est, furor tuus, quo indignabaris peccatis generis humani, sive zelus justitiæ, quo peccata omnia vindicari volebas; super me non solum effusus est, sed etiam confirmatus, et roboratus, ut non inde recederet, donec plenissima satisfactio existeret. Hæc est prima metaphora, ex qua intelligimus, tantam fuisse acerbitatem Dominicæ passionis, quantam requirebat furor Dei omnipotentis in peccata totius mundi. Digna plane res, quam omnes redempti attentissime contemplentur. *Et omnes fluctus tuos induxisti super me.* Hæc est altera metaphora, qua comparatur passio Dominica omnibus fluctibus totius maris obruentibus, sive agitantibus, et allidentibus ad varios scopulos hominem in mare præcipitatum. Sicut enim Dominus Jesus Christus omnia peccata hominum super se diluenda susceperat; sic etiam non unus, aut alter fluctus pœnalis, sed omnes omnino in eum irruerunt.

8. Longe fecisti notos meos a me; posuerunt me abominationem sibi.

Addit ad cæteras passiones aversionem notorum ab ipso. Per notos autem intelliguntur, qui eum noverant inter ipsos conversantem, et docentem ; sed non credebant esse Deum, aut Messiam, de quibus dicitur Joann. 1. *In propria venit, et sui eum non receperunt. Longe fecisti*, inquit, *notos meos*, id est, permisisti, ut qui me noverant, longe recederent a me; posuerunt me abominationem sibi, id est, non solum recederent, tamquam si me non nossent, sed etiam execrarentur ut seductorem, et Samaritanum, et dæmoniacum, ei amicum publicanorum, et peccatorum : hæc enim omnia leguntur in Evangelio dicta esse a Pharisæis de Christo. Posset tamen hic versiculus exponi de discipulis Domini, qui proprie noti ejus dicuntur, Luc. 23. *Stabant*, inquit, *omnes noti ejus a longe.* Et Matth. 26. *Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt.* Quod autem additur de abominatione, impletum videtur in S. Petro, qui Matth. 27. *cœpit detestari, et jurare, quia non novisset hominem ;* ubi quamvis revera Sanctus Petrus in corde suo non abominaretur Christum, tamen visus est abominari, cum juraret cum juramento execratorio, se non novisse illum. Denique discipuli

ejus, cum nondum intelligerent sacramentum Dominicæ passionis, et apprehenderent passionem, et mortem Domini, ut rem noxiam, et sibi et Christo; non mirum est, si tum eam abominarentur, unde etiam ei dicebant, *Nunc te quærebant Judæi lapidare, et iterum vadis illuc*, Joann. 11. Et Sanctus Petrus audita prædictione passionis, abominatus eam dixit, *Absit a te Domine, non erit tibi*, Matth. 16. Utramque expositionem attingit S. Augustinus; sed anteponit primam. S. Hieronymus per *notos* intelligit Apostolos, per *abominantes*, intelligit Judæos: ut et Euthymius. Sed difficile est ita dividere, cum pronomen *sibi*, referatur ad notos: illi enim *posuerunt eum abominationem sibi*, qui longe facti sunt ab eo, quamvis noti ejus essent.

9. Traditus sum, et non egrediebar, oculi mei languerunt præ inopia.

10. Clamavi ad te Domine tota die, expandi ad te manus meas.

Explicata passionis magnitudine, revertitur ad initium passionis et ad initium Psalmi, id est, ad orationem, qua deprecatur mortem corporalem, ut fecit in horto, vel certe longiorem moram in morte, *Traditus sum*, inquit, *et non egrediebar*, id est, traditus sum quasi in carcerem, et conclusus undique in decretam a te passionem, unde egredi non potero; et ideo *oculi mei* lacrymis multis effusis *languerunt*, ut quasi siccati sunt *præ inopia* humoris. Illud enim, *traditus sum*, in Hebræo significat, *traditus sum in carcerem*, sive *conclusus sum in carcere*. Sed per carcerem intelligimus angustias passionis, et quoniam videbat, Dei præscientia, et prædefinitione, se traditum in ejusmodi angustias, ideo dicit, *Et non egrediebar*, id est, nec poteram, nec volebam egredi, stante decreto Patris æterni. *Clamavi ad te Domine tota die*, hoc idem habetur in principio Psalmi, et declaratur ab Apostolo ad Hebr. 5. *Qui in diebus carnis suæ, preces, supplicationesque ad eum qui posset eum salvum facere a morte, cum lacrymis et clamore valido offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Dicitur autem clamasse *tota die*, quia et die et nocte clamavit, ut dicitur in primo versiculo: nam ex die et nocte completur dies naturalis, ac per hoc tota dies dicitur utraque pars diei, quamvis non utraque pars integra sit. *Expandi ad te manus meas*, orando videlicet, vel expandi in cruce manus meas, ut tanto oblato sacrificio facilius impetrarem, et mihi celerem resurrectionem, et corpori meo mystico liberationem a morte sempiterna. Neque obstat, quod non expandit Christus manus tota die: illud enim, tota die, refertur solum ad clamorem, non autem ad expansionem manuum. S. Augustinus exponit omnia mystice, quoniam non existimabat posse ad litteram ostendi, quomodo Christi oculi potuerint languere præ inopia: neque quomodo tota die clamaverit, et extenderit manus suas.

11. Numquid mortuis facies mirabilia, aut Medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?

12. Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, et veritatem tuam in perditione?

13. Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, et justitia tua in terra oblivionis?

Reddit rationem Propheta in persona Christi, cur a morte salvari petierit. Possunt autem hi tres versiculi tribus modis exponi, primum de morte æterna quam Christus a membris suis, hoc est, fidelibus suis amoveri oraverit: et in hoc sensu facile est intelligere hos tres versiculos. Redditur enim ratio, cur petendum, et optandum sit ut hæc mors amoveatur a fidelibus, quia Deus erga damnatos ad mortem æternam, non ostendere solet, nec debet mirabilia sua: neque illi umquam resurgere debent ad vitam beatam, neque narrabunt cum laude misericordiam, et veritatem Dei: denique quia non solum non narrabunt ista, sed neque cognoscent. Contra hanc expositionem facit, quod hic nominantur sepulchra, et Medici: sepulchra enim sunt corporum mortuorum, non animarum damnatarum, et Medici si experimentum ullum facere auderent, circa corpora, non circa animas auderent. Secunda expositio est, quod per mortuos et sepultos intelligantur obstinati in peccato, apud quos parum valent mirabilia Dei, et quos Medici spirituales, quantumvis magni, non resuscitant. Hanc persequitur S. Augustinus, et ex parte etiam S. Hieronymus; sed mystica est interpretatio, non litteralis. Tertia est Theodoreti, et Euthymii, quod intelligantur hæc omnia de morte corporali, quam Christus a se, et suis deprecatur, optans, et petens celerem resurrectionem, et nunc sensus hic erit, *Numquid mortuis facies mirabilia?* id est, horreo mortem, cupio vitam conservari, aut brevi restitui mihi, et fidelibus meis: quoniam mortuis, qui non vivunt, nec sentiunt, frustra ostenderes mirabilia opera tua, quæ tamen mirabilia honorificum est te facere, et justum est, ut agnoscantur, et tibi gratiæ agantur. *Numquid medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?* id est, mortui non solum non vivunt, nec sentiunt; sed neque arte ulla humana suscitari possunt, ut sentiant, et vivant, et tibi confiteantur confessionem laudis. *Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, et veritatem tuam in perditione*, id est, ideo non facis mortuis mirabilia tua, quia illi in sepulchris jacent sine sensu, et mirabilia tua narrare non possunt, quæ mirabilia sunt misericordiæ, et veritatis tuæ opera. Perditio autem hoc loco amissionem vitæ corporalis significat: proinde jacere in sepulchro, et in perditione idem est: soli enim in sepulchris jacent, quorum vita perdita, et extincta est. *Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, et justitia tua in terra oblivionis?* id est, ideo non narrabunt mortui in sepulchris mirabilia tua, quia non ea cognoscunt, neque cognoscere possunt, cum degant in tenebris mortis, et in terra oblivionis, ubi nulla est memoria rerum præteritarum, sicut nec sensus rerum præsentium. Hæc expositio confirmari potest ex verbis Regis Ezechiæ apud Isaiam cap. 38. qui sine dubio petebat vitam corporalem sibi conservari a Deo, et dicebat, *Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te vivens, vivens ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodie.* Similia habentur in Psal. 113. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum, sed nos qui vivimus, benedicimus Domino.* Quod attinet ad verba in Hebræo pro illis verbis, *aut medici suscita-*

bunt, habetur, *aut Gigantes resurgent.* Sed hæc varietas nata est ex ambiguitate vocis Hebraicæ, ut etiam S. Augustinus admonuit; nam vox, רפאים *rephaim*, quæ significat *Gigantes*, vel mortuos : si scribatur, רופאים *ropheim*, uno puncto duntaxat mutato, significat *Medicos.* Sic autem legisse Septuaginta Interpretes certissimum est. Quod autem recte legerint, et verterint, ex hoc etiam agnosci potest, quod radix hujus vocabuli est, רפא *rapha*, quæ significat, *mederi*, sive *sanare.* Quando enim *rephaim* accipitur pro Gigantibus, *vel mortuis*, debet sumi aleph pro he : nam radix est, רפה *raphah*, quæ significat, *dissolvere*, unde dicuntur mortui, *rephaim*, quasi resoluti in cineres, et Gigantes dicuntur *rephaim*, quasi qui terribili aspectu suo dissolvant intuentes. Illud autem, יקומו *iakumu*, similiter est ambiguum, et potest significare tam *resurgent*, quam *suscitabunt :* et ideo Interpretes accommodate transtulerunt, sive *resurgent*, sive *suscitabunt.* Illud, *et confitebuntur tibi*, aliqui referunt ad Medicos, quasi dicat Propheta : Numquid Medici suscitabunt mortuos, et laudabunt te, quod tantam virtutem medicinæ tradideris ? sed rectius refertur ad mortuos, ut sensus sit, Numquid Medici suscitare poterunt mortuos, et ipsi mortui laudabunt te? Et sic exponit sanctus Augustinus. Denique illud, *in terra oblivionis*, ambiguum est: potest enim significare, in loco ubi est oblivio omnium rerum, et talis est regio mortis; vel in loco oblito, cujus loci videlicet, nemo amplius recordatur. Codex Hebræus ambiguus est, Septuaginta Interpretes, et sanctus Hieronymus interpretati sunt posteriore modo. Consequentia autem sermonis videtur requirere priorem sensum : sed uterque sensus in idem recidit, terra enim oblivioni data, est terra deserta, et desolata, ad quam nemo vivens accedit: proinde nemo est ibi, qui ullius rei recordetur, cum nemo sit ibi vivens et sentiens.

14. Et ego ad te Domine clamavi, et mane oratio mea præveniet te.

15. Ut quid Domine repellis orationem meam ? avertis faciem tuam a me.

Demonstrat in fine Psalmi divino decreto confirmatam fuisse Christi passionem, ut mutanda omnino non esset : et pluribus verbis (ut initio diximus), explicatur illud in cruce brevissime dictum a Domino, Matth. 27. *Deus meus, ut quid dereliquisti me. Et ego ad te Domine clamavi*, ut videlicet calix passionis transiret a me, *et mane oratio mea præveniet te*, id est satis tempestive, in ipso exortu passionis oratio præveniet te : nam etiamsi oratio Christi in horto fusa, nocturno tempore fuerit fusa, tamen dicitur mane fusa, quia tunc oriri incipiebat ipsa passio, et erat illud tempus quasi aurora passionis. *Ut quid repellis orationem meam*, id est, quare non exaudis? quare non facis, ut calix iste transeat a me? *Avertis faciem tuam a me?* id est, quare avertis faciem tuam a me, quasi alienus? quare derelinquis me ? Hæc autem dicuntur, ut intelligatur magnitudo passionis, quam natura humana naturaliter horrebat : alioquin enim absolute Dominus ipse passionem, ut remedium ad tollenda peccata generis humani, omnino volebat, et eligebat, et Pater semper exaudivit in eo quod absolute petiit. In Hebraico, et Græco textu, habetur, למה יהוה תזנח נפשי *lamma* Adonai *tiznach nahpschi*, ἵνα τί κύριε ἀπωθῇ τὴν ψυχήν μου, *Ut quid Domine repellis animam meam*, pro eo quod nos habemus, *Ut quid Domine repellis orationem meam.* Sed tamen etiam veteres Patres Hieronymus et Augustinus legunt *orationem meam.* Proinde Latina vulgata lectio non est nova; et una lectio aliam declarat. Sensus enim est, Ut quid Domine repellis orantem animam meam?

16. Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea : exaltatus autem humiliatus sum, et conturbatus.

Ne putarent homines Christi passionem trium horarum aut unius diei tantum fuisse : revelat hic nobis Spiritus sanctus, Christum in diebus carnis suæ numquam sine passione vixisse. Nam præter calicem mortis amarissimæ, quam semper ante oculos mentis habuit, in omni ætate sua, in laboribus et ærumnis fuit. *Pauper*, inquit, *sum ego, et in laboribus a juventute mea*, id est, cum in forma Dei essem beatus, et dives, propter vos homines egenus factus sum, et in laboribus a juventute mea, sive a pueritia mea, quod significat vox Hebraica, מנער *minnahhar.* Poterat enim vere dicere ab infantia mea, vel a nativitate mea : quod præsepe et spelunca Bethlehemitica, et in Ægyptum fuga, exiliumque testantur. *Exaltatus* autem in cruce tanquam in solio Regni, habens super caput titulum scriptum, *Jesus Nazarenus Rex Judæorum, humiliatus sum*, Joan. 19. usque ad mortem, *et conturbatus* ob cæcitatem, et ruinam populi mei. Vel, exaltatus autem a populis clamantibus, et dicentibus, *Benedictus qui venit Rex in nomine Domini*, ut habetur Luc. 19. vel, *Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel*, ut dicitur Joan. 12. humiliatus ea de causa usque ad flagella, et mortem crucis, et conturbatus sum videns cæcitatem populi mei. In Hebræo, pro, *exaltatus autem humiliatus sum*, habetur ex versione sancti Hieronymi, *Portavi furorem tuum.* Sed Septuaginta Interpretes aliter acceperunt verbum ambiguum, נשאתי *nasathi*, nam *et portare*, *et exaltare*, vel exaltari significat. Itaque S. Hieronymus unam significationem, aliam Septuaginta Interpretes sequuti sunt. Vocem autem, אמיך *emecha*, furorem tuum, Septuaginta legisse videntur, מכה *makach*, quod *humiliari, et depauperari*, significat

17. In me transierunt iræ tuæ, et terrores tui conturbaverunt me.

Reddit causam, cur exaltatus humiliatus sit; quia videlicet, ira Dei in peccata multa, et multiplicia totius generis humani, in ipsum Christum transierunt : nam *propter scelus populi sui percussit eum Deus*, ut ait Isaias cap. 53. *Et ipse* (ut sanctus Petrus ait in 1. epist. cap. 2.) *peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum. In me*, inquit, *transierunt iræ tuæ*, quæ super iniquos casuræ erant : *et terrores tui*, quibus iniqui percellendi erant, *conturbaverunt me*, inde est enim, quod in horto cœpit pavere, et tædere, et mœstus esse, quia terrores Dei conturbabant eum, ut qui peccata totius mundi expiaturus, divinæ justitiæ satisfacturus erat.

18. Circumdederunt me sicut aqua tota die, circumdederunt me simul.

Declarat iram illam, et terrores Dei fuisse instar maris deglutientis, et absorbentis hominem, quod supra breviter dixerat, *Repleta est malis anima mea. Circumdederunt me torrentes tui, sicut aqua tota die*, id est, undique, et semper me opprimebant, et absorbebant. Idem repetit, dicens, *circumdederunt me simul*, ubi in Hebræo est aliud, הקפו *hekkiphu*, sed idem significans.

19. Elongasti a me amicum, et proximum, et notos meos a miseria.

Hoc denique ad cumulum malorum accedebat, quod solus calicem illum amarum bibere opus illi erat, nullo participe, et socio tantæ calamitatis. *Elongasti*, inquit, tempore passionis, *a me amicum et proximum*, Judam videlicet, qui longissime ab illo recessit factus proditor, et hostis ex amico et proximo. *Et omnes notos*, Apostolos videlicet, elongasti *a miseria mea:* nam *relicto eo omnes fugerunt*. Matth. 26. Et quamvis postea mulieres, et Joannes accesserint: illi non dolorem minuebant, sed augebant. Vere enim apud Isaiam loquitur Dominus, *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum, circumspexi, et non erat auxiliator, quæsivi, et non fuit, qui adjuvaret*. Isaiæ 63. In Hebræo, pro *a miseria*, habetur, משחך *macheschech*, id est, *a tenebris :* sed idem est sensus, tenebræ siquidem miseriam significant, ut lux prosperitatem. S. August. a versu quintodecimo usque in finem exponit omnia de corpore Christi, quod est de Ecclesia, non de ipso Christo in se.

PSALMUS LXXXVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

INTELLECTUS ETHAN EZRAITÆ.

DE Ethan Ezraita mentio fit lib. 3. Regum cap. 4. ubi is ponitur inter viros sapientes. Est etiam Ethan unus ex principibus Cantorum lib. 1. Paralip. cap. 6. Utrum autem sint unus, et idem, an diversi; et si diversi, quis eorum in hoc titulo ponatur, incertum est. Græci legunt, Ethan Israelitæ; sed videtur id vitio librariorum irrepsisse: codices enim Hebraici, et Latini habent, Ethan Ezraitæ. Argumentum Psalmi continet desiderium populi Dei in captivitate positi, ut cito Christus tanto ante promissus adveniat. Itaque primo loco ab initio Psalmi usque ad versiculum tricesimumseptimum explicatur promissio facta Davidi de perpetuitate Regni ipsius. Deinde a versiculo tricesimoseptimo usque ad versiculum quadragesimumquintum, ostenditur eam promissionem non fuisse adimpletam in filiis carnalibus, et Regno temporali Davidis. Denique a versiculo quadragesimoquinto usque ad finem, ponitur desiderium, et oratio, ut promissio adimpleatur in Christo, vero et sempiterno Rege, de quo intelligenda erat; non autem de terreno Regno: Nam ut S. Augustinus fuse docet in lib. 17. de Civit. Dei cap. 9. 10. 11. 12. et 13. ea præcipue de causa voluit Deus, Regnum terrenum Davidis finiri in Jechonia, et Sedechia, ut promissio de Christo Jesu Domino nostro intelligeretur: atque hoc admonet vox, משכל, *masichil, id est, intellectus,* in titulo posita.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Misericordias Domini in æternum cantabo.

Hæc est propositio, et argumentum totius Psalmi. Dicit enim Propheta, se in hoc Psalmo cantaturum misericordias Domini stabiles, et firmas, id est, beneficia misericorditer promissa, quæ numquam deficient, quæ apud Isaiam dicuntur c. 55. *Misericordiæ David fideles.* Illud ergo, *in æternum,* non conjungitur cum verbo, *cantabo,* sed cum nomine, *misericordias.* Non enim Davidi in æternum cantare poterat, qui paulo post moriturus erat: sed cantaturum se dicit misericordias Domini in æternum permansuras, id est, beneficia firma, et stabilia in æternum. Parum autem refert, quod in Græco codice legatur, τά ἐλέη σου κύριε, *Misericordias tuas Domine :* in Hebræo, חסדי יהוה *chasde* ADONAI, et Latino, *Misericordias Domini :* nam idem est sensus, et priorem lectionem habet sanctus Augustinus, posteriorem sanctus Hieronymus.

2. In generationem, et generationem, annunciabo veritatem tuam in ore meo.

Hic secundus versiculus est repetitio, et explicatio primi: idem enim est, *in æternum*, quod, *in generationem, et generationem :* idem quoque est, *cantabo*, quod *annunciabo in ore meo :* idem denique est, *misericordias fideles*, quod *veritatem tuam.* Itaque in primo versiculo dicit se cantaturum misericordias Domini, quæ in æternum erunt: in secundo dicit, se cantaturum veritatem Domini, id est, fidelitatem in servandis promissis, quæ in generationem, et generationem permanebit. Quod autem hoc loco illud, *In generationem, et generationem*, debeat conjungi cum nomine, *veritatem tuam,* non cum verbo, annunciabo; perspicuum est ex illa additione, *in ore meo :* ne forte existimaremus, voluisse Davidem dicere, se cantaturum, et annunciaturum in æternum per ora fidelium, qui perpetuo Psalmos ejus cantabunt, addidit, *in ore meo*, id est, ego ipse ore meo cantabo et

annunciabo misericordiam, et veritatem Dei sempiternam. Sed hunc esse sensum horum versiculorum, manifestius intelligetur ex versiculo sequenti.

3. Quoniam dixisti, In æternum misericordia ædificabitur in cœlis; præparabitur veritas tua in eis.

Probat æternam esse misericordiam, et veritatem Dei, id est, in æternum duraturas; quoniam Deus ipse hoc dixit, qui mentiri non potest. Ego, inquit, cantabo misericordiam, et veritatem tuam, quæ in æternum erit, *quoniam tu dixisti*, et mihi Prophetæ tuo revelasti; *In æternum misericordia ædificabitur in cœlis:* id est, beneficia misericorditer Davidi promissa in æternum ædificium in cœlis consurgent, id est, firma, et stabilia erunt, ut ædificium immobile, quod nulla temporum duratione destrui potest. *In cœlis* autem hoc misericordiæ ædificium erit, ubi sunt omnia æterna. Non enim eventus pendebit a voluntate hominum mortalium, neque consiliis, et decretis mutabilibus nitetur: sed in cœlis fundamentum suum habebit. *Præparabitur veritas tua in eis*, id est, in iisdem cœlis fidelitas tua, qua promissa adimples, præparabitur. Vox Hebraica, תכין *thachin*, ducitur a verbo, כון *cun*, quod significat, *parare, firmare, dirigere, ordinare.* Itaque sensus est, Fidelitas tua non poterit impediri ab ulla inferiore causa, quoniam in cœlis firmabitur, et stabilietur; et similis erit ipsis cœlis, qui permanent in sæculum sæculi. In hoc versiculo est aliqua varietas lectionis, nam in Hebræo legitur in prima persona, כי אמרתי *chi amarthi, Quia dixi:* in Græco, et Latino in secunda. Quoniam dixisti: sed in Hebræo unius solius litterulæ mutatione, differentia est inter primam, et secundam personam. Itaque facile fuit litterulam illam addere, vel demere librariis. Sensus autem est idem: nam si legatur, *dixi*, sensus erit, te inspirante dixi: si legatur, *dixisti*, sensus erit, per os meum dixisti, vel mihi dixisti. Illud, *in cœlis*, in Græco, ἐν τοῖς οὐρανοῖς ἑτοιμασθήσεται ἡ ἀλήθειά σου, conjungitur cum verbo, præparabitur, et omittitur illud, in eis, hoc modo: *In cœlis præparabitur veritas tua:* sed quoniam in Hebræo habetur, בהם *bahem, in eis*, distinctio, et lectio communis vulgatæ editionis retinenda est, quæ conjungit, *in cœlis*, cum verbo, *ædificabitur:* et non omittit, *in eis.* Hebræus codex non concordat neque cum Græco neque cum Latino: sic enim S. Hieron. ex Hebæro reddit, *Cœlos fundabis, et veritas tua in eis.* Et quidem hanc lectionem voces Hebraicæ patiuntur: sed sententia non videtur apte cohærere cum præcedentibus, neque facile intelligi posse. Quid enim est, *Misericordia præparabitur, cœlos fundabis*, nonne cœli ab initio fundati sunt? cur debent iterum fundari, et quemadmodum de misericordia dicitur, *ædificabitur*, nonne aptum erat, ut de veritate diceretur, *præparabitur*, vel, firmabitur, aut fundabitur? Et vox Hebraica, תכין *tachin*, facile potest per mutationem punctorum, et iod in vau, verti in, תכון *thicon*, quod est præparabitur, vel firmabitur, et sic legisse credibile est Septuaginta Interpretes. De voce, *in cœlis*, non est facienda difficultas, quoniam etiamsi in Hebræo desit præpositio, *in*, et ideo S. Hieron. verterit, cœlos: tamen sæpe Hebræi præpositionem omittunt, eamque subintelligunt: et Septuaginta Interpretes eam addere solent, ut hoc loco fecerunt.

4. Disposui testamentum electis meis: juravi David servo meo, usque in æternum præparabo semen tuum.

5. Et ædificabo in generationem, et generationem sedem tuam.

Explicat nunc misericordiam fidelem, quam initio cantaturum se dixit. Est autem hæc misericordia, promissio quædam pacto et juramento firmata de posteritate Davidis, et Regia dignitate sempiterna, quæ promissio habetur 2. Reg. 7. ubi David cupivit ædificare Domum Domino, id est, templum, ubi requiesceret Arca Dei, et sacrificiis Deus coleretur. Deus autem hoc bonum Davidis desiderium remuneravit per Nathan Prophetam, promissione domus ejus ædificandæ, id est, propagandæ posteritatis, et Regni in domo ejus stabiliendi usque in sempiternum. Hoc igitur significat, cum ait, *Disposui testamentum electis meis*, id est, percussi fœdus cum populo meo electo. *Juravi David servo meo*, id est promisi cum juramento Davidi Principi populi mei electi, *Usque in æternum præparabo semen tuum*, id est, hoc erit pactum juratum, ut stabiliam sobolem ejus usque in æternum, ut numquam desit filius aliquis Davidis. *Ædificabo in generationem et generationem sedem tuam*, id est, et multiplicabo tempora Regni tui in æternum. Quemadmodum enim ædificare domum Hebraica phrasi, est multiplicare sobolem: sic etiam ædificare sedem Regni, est multiplicare tempora Regni, sive efficere, ut Regnum diuturnum, vel potius æternum sit. Hæc omnia sine dubitatione in Christum solum conveniunt, qui futurus erat de semine David, et regnaturus in æternum. Declaravit hoc Isaias cap. 9. ubi ait, *Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis: Super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in judicio, et justitia, a modo, et usque in sempiternum.* Id etiam declaravit Angelus Gabriel Luc. 1. *Dabit ei Dominus Deus sedem Davidis patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et Regni ejus non erit finis.* Neque possunt hæc intelligi de Regno temporali, quod jamdudum eversum est, sed de Regno spirituali, et sempiterno, in quo Judæi valde hallucinantur, et errant expectantes Messiam, qui Jerosolymis temporaliter regnet. In Hebræo legitur in singulari, לבחירי *libehiri electo meo*, sed Septuaginta verterunt in numero multitudinis *electis meis:* nam populus electus per utrumque numerum significari potest. In eodem Hebraico codice legitur, כרתי ברית *charithi berith, Pepigi pactum*, pro quo nos habemus, *Disposui testamentum.* Sed Septuaginta plerumque pactum, testamentum vocant. Vulgatus quoque Interpres lib. 1. Machab. cap. 1. scribit, *Disponamus testamentum in gentibus*, quod nihil alius est, nisi pactum faciamus cum gentibus.

6. Confitebuntur cœli mirabilia tua Domine, etenim veritatem in Ecclesia Sanctorum.

Exposita summa promissionis Dei, antequam fusius illam explicet, excurrit in laudes ejusdem Dei, ut offerat sacrificium gratiarum actionis:

ac primum sanctus David videns se non esse idoneum ad agendas gratias pro tanto beneficio, dicit Angelos in cœlo Deum laudaturos, gratiasque acturos. *Confitebuntur,* inquit, *cœli mirabilia tua,* id est ego par non sum tantæ laudi quanta pro ac re tibi debetur, sed *confitebuntur,* id est, laudabunt *cœli,* id est, Angeli habitantes in cœlis, *mirabilia tua,* id est, admirabilem misericordiam tuam : *etenim veritatem tuam in Ecclesia sanctorum,* id est, confitebuntur etiam laudes veracitatis, et fidelitatis tuæ in cœtu sanctorum Angelorum, qui tibi innumerabiles semper assistunt. Illi enim melius noverunt magnitudinem misericordiæ, quæ in æternum ædificatur in cœlis, quam nos, qui in terra jacemus. Illud, *etenim,* non est particula rationalis hoc loco, sed conjunctiva, idem valens, quod *et* vel *etiam :* nam in Hebræo est, אף, *aph,* quod significat, *etiam.*

7. Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino : similis erit Deo in filiis Dei ?

Probat Angelos non recusaturos officium laudandi Deum, quoniam sunt ipso Deo longe inferiores. *Quoniam,* inquit, *quis in nubibus æquabitur Domino :* id est, quis eorum, qui super nubes cœli degunt, *æquabitur Domino?* quasi dicat, nullus cœlitum conditori cœli æqualis est, omnes subjecti, omnes servi : ac deinde idipsum repetit, dicens, *Similis erit Deo in filiis Dei?* id est, quis ex filiis Dei, quales sunt Angeli sancti qui cum sint filii Dei, consequenter etiam Dii sunt, *similis erit,* similitudine æqualitatis, ipsi uni vero Deo, qui Deus est per naturam, non per gratiam; per essentiam, non per participationem ? Illud in nubibus idem est, ac si dictum fuisset, in cœlo. Vox enim Hebraica utrumque significat; et tum Septuaginta, tum S. Hieron. eamdem vocem Hebraicam, שחק *sciachah,* hic verterunt, nubes et paulo infra verterunt *cœlum,* ubi dicitur, *Et testis in cœlo fidelis.* Itaque non significat hoc loco, quod Angeli proprie sint in nubibus, sed quod sint in cœlo. Nubes enim pro cœlo ponuntur. S. August. existimavit sensum esse, nullam ex nubibus æquari posse Deo; et quia videbatur nimis humilis esse comparatio nubium ad Deum, per nubes significari voluit Prædicatores, per Dominum vero, Deum incarnatum, id est, Christum, sed prior expositio est magis litteralis.

8. Deus qui glorificatur in consilio Sanctorum, magnus et terribilis super omnes, qui in circuitu ejus sunt.

Ostendit, vere nullum Angelorum sanctorum conferri posse cum Deo; quoniam *Deus est, qui glorificatur in consilio Sanctorum,* id est, qui in cœtu supernarum potestatum gloriosus agnoscitur, *Magnusque* est potentia, et sapientia, et ideo reverendus, et metuendus super omnes Angelos, qui in circuitu ejus sunt ut milites in circuitu Regis et servi in circuitu domini sui. Verbum, glorificatur, in Hebræo, נערץ *nahharatz,* proprie significat, *robustus est, prævalet, eminet :* S. Hieron. vertit, *inclytus est.* Illud, in consilio, accipitur pro loco consilii secreti : nam in Hebræo est, סוד *sod,* quod secretum significat. Sunt autem Angeli, quasi secretum consilium Dei, non quod Deo consilium dent, *Quis enim ejus consiliarius fuit?* inquit Isaias cap. 40. et Apostolus Rom. 11. sed quod Deus secreta consilia sua eis revelet et per eos exequatur : atque in hoc consilio sanctorum Deus mirifice glorificatur, admirantibus supernis illis Senatoribus consilia, et judicia infinitæ sapientiæ Dei. Illud, *In circuitu ejus sunt,* non repugnat immensitati Dei, quæ omnia ambit et replet ; nam quamvis Deus sit ubique, tamen non extenditur per loca, sed est ubique totus, et ideo possunt Angeli esse in circuitu Dei, quatenus omnes illum intuentur et totum vident, quamvis et ipse sit in circuitu Angelorum, eosque undique circumspiciat, et conservet. Similis sententia est Apocal. 11. *Et omnes Angeli erant in circuitu throni.*

9. Domine Deus virtutum quis similis tibi ? potens es Domine, et veritas tua in circuitu tuo.

Quod Propheta dixit in laudibus Dei per modum narrantis : nunc idem dicit ipsum Deum alloquendo, et copiosus laudes ejus percurrendo. *Domine,* inquit, *Deus virtutum quis similis tibi?* id est, tu Domine es Deus exercituum, multorum videlicet millium Angelorum, sed in his omnibus ita emines, ut nullus sit perfecte tibi similis. *Potens es Domine, et veritas tua in circuitu tuo,* id est, ideo nullus est perfecte similis tibi, quia tu solus es potens, non potens facere hoc, aut illud, sed absolute potens, quia omnia potes, et nihil potestati tuæ resistit : nec solum potes omnia facere, sed etiam reipsa facis, quod promittis te facturum ; fidelis enim es in omnibus verbis tuis. Dicitur autem veritas, id est, veracitas, et fidelitas esse in circuitu Dei, quoniam est veluti cingulum Dei ; dicitur enim Isaiæ 11. *Et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus;* ut enim cingulum adstringit vestes, ut corpori firmiter adhæreant : sic veracitas adstringit verba promissionum, ut non mutentur, sed impleantur, et quemadmodum cingulum facit hominem expeditum ad ambulandum, unde dicitur Tobiæ 5. Angelum Raphaelem apparuisse, ut juvenem præcinctum, et paratum ad ambulandum ; sic veracitas facit ut omnibus remotis impedimentis homo expedite progrediatur ad implenda promissa.

10. Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas.

Dixit Deum esse potentem et fidelem, nunc probat Deum esse potentem, ex eo quod dominatur mari, et motus ejus mitigat. Mare siquidem horrendum in modum aliquando turbatur, et fremit; et quia latissimum, et profundissimum est, et fluctus suos usque ad cœlum extollere videtur, ideo Creatoris omnipotentia in eo sedando et compescendo cernitur. De qua re sic loquitur Dominus Job. 38. *Circumdedi illud terminis meis, et posui vectem, et ostia, et dixi, Usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos.* Et Hierem. 5. *Me ergo non timebitis, et a facie mea non dolebitis, qui posui arenam terminum mari præceptum sempiternum, quod non præteribit; et intumescent fluctus ejus, et non transibunt illud,* sed maxime Deus ostendit potentiam suam super mare quando siccavit mare Rubrum, et motum ejus ita mi-

tigavit ut staret quasi murus hinc, atque inde, dum transiret populus Hebræus per medium sicci maris, ut dicitur Exod. 14. Illud, *potestati maris*, significat elationem, et quasi superbiam maris, ut sensus sit, Tu dominaris superbiæ maris, elationes ejus comprimendo. Quod explicatur in verbis sequentibus, *et motum fluctuum ejus tu mitigas*.

11. Tu humiliasti sicut vulneratum superbum : in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.

Hæc ad litteram videntur intelligenda de Pharaone, et exercitu ejus : et recte conjunguntur cum superioribus verbis. Eodem enim tempore Deus mitigavit mare, usque ad siccationem, et interfecit superbum Pharaonem, quasi vulneratum, et debilem, et dispersit exercitum ejus. Quod clarius legitur apud Isaiam cap. 51. *Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis, ut transirent liberati?* Ergo, inquit, *tu humiliasti superbum*, dejiciens illum in profundum maris, humiliasti autem nullo negotio, quemadmodum prosternitur facillime is, qui graviter vulneratus est, *in brachio virtutis tuæ*, id est, brachio tuo potentissimo *dispersisti* per mare Rubrum *inimicos tuos*, exercitum videlicet Pharaonis. Possunt etiam hæc omnia referri ad Diabolum, qui per Pharaonem in Scripturis significatur, et ad Angelos ejus. Deus enim initio Mundi dominatus est potestati maris, et mitigavit motum fluctuum ejus, quando sedavit seditionem, et tumultum malorum Angelorum, quasi maris turbati, et æstuantis, cujus fluctus, id est, superbia usque ad solium Dei elevabatur; humiliavit superbum Diabolum, quasi hominem præ vulneribus debilem, et imbecillum, et dispersit omnes inimicos suos, qui Diaboli superbiam imitati fuerant.

12. Tui sunt cœli, et tua est terra, orbem terrarum, et plenitudinem ejus tu fundasti : Aquilonem, et mare tu creasti.

Docet, non esse mirum, si Deus tam facile compescuit mare, et humiliavit superbum, quia Dominus est universorum, et ideo Dominus, quia omnia fecit, *Tui sunt cœli*, et omnes habitantes in eo : *tua est terra*, id est, Mundus inferior, et quidquid in eo est; solet enim Scriptura per cœlum et terram mundum universum significare, ut Gen. 1. *In principio creavit Deus cœlum, et terram*. Et Matth. 11. *Confiteor tibi Pater, Domine cœli, et terræ. Orbem terræ, et plenitudinem ejus tu fundasti*, id est, ideo tui absoluti juris est orbis terræ cum omnibus rebus, quibus plenus est; quia tu eum fundasti, id est, a fundamentis fecisti, nullo præsupposito fundamento ab alio Architecto constituto. *Aquilonem, et mare tu creasti*, id est, tu fundasti orbem terræ, cum omnibus suis partibus, septentrionali, australi, orientali, et occidentali. Per Aquilonem intelligitur pars orbis septentrionalis omnium consensu, sic dicta a vento, qui ab illa parte flare sentitur. Per mare aliqui intelligunt occidentem, sed refelluntur ab ipso Propheta in Psalm. 116. *A solis ortu et occasu, ab Aquilone et mari*. Igitur per mare intelligitur pars orbis australis, quoniam mare Oceanum maxima ex parte jacet ad Austrum. In Hebræo non est, ים *iam*, quod significat mare, sed, ימים *iamim*, quod significat dextrum; ideo vel dicendum est Septuaginta Interpretes legisse, ימים *iammim*, quod est *maria*, ut etiam legit S. Augustinus : vel reddidisse sensum, non verba. Mare enim, sive Auster, dextra pars mundi censetur, Aquilo sinistra, Orientis anterior, Occidens posterior. Sed cur Propheta tam accurate meminit creationis orbis terræ, et partium ejus, et de creatione cœli nihil dicit? Opinor, quia de hominibus habitatoribus terræ magis sollicitus erat, ut eis persuaderet, Deum esse verum eorum Dominum, quam de Angelis habitatoribus cœli, quibus ea persuasio necessaria non erat : quamquam etiam ab una parte de toto judicium fieri poterat.

13. Thabor et Hermon in nomine tuo exultabunt : tuum brachium cum potentia.

Dixerat Deum creavisse Aquilonem, et mare, id est, Austrum; nunc addit orientem, et occidentem. Sed more poetico describit orientem et occidentem per montes *Thabor*, *et Hermon*, quorum unus est terræ promissionis ad orientem, alius ad occidentem : sicut etiam poetico more describit creationem per effectum exultationis, ac si diceret, oriens, et occidens a te creati *exultabunt*, et gestient, et in laudes tuas suo modo prorumpent, ob tam insigne beneficium creationis. His dictis concludit, *tuum brachium cum potentia*, id est, ex creatione cœli, et terræ, uti etiam ex eo quod dominaris potentiæ maris, et humiliasti superbum, et dispersisti inimicos tuos, colligimus tuum brachium esse fortissimum, conjunctum videlicet non cum debilitate, vel infirmitate, sed cum absoluta omnimodaque potentia.

14. Firmetur manus tua et exaltetur dextera tua, justitia et judicium præparatio sedis tuæ.

Duo quædam prædicaverat de Deo sanctus Propheta in octavo versiculo, potentiam, et veritatem; ac de potentia multa dixit in quinque versiculis nono, decimo, undecimo, duodecimo et tertiodecimo; nunc incipit explicare et laudare veritatem, quæ judicium etiam, et justitia dicitur, et cum misericordia semper conjuncta esse solet. Ait igitur, *firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua : justitia, et judicium præparatio sedis tuæ*, id est, opto quidem, et gaudeo quod manus tua *firmetur*, id est, roboretur : sive potens, et robustissima sit, *et eadem dextera tua exaltetur*, id est, laudetur, et magnificetur ab omnibus, ut æquum est; sed simul *justitia*, *et judicium*, *sit præparatio sedis tuæ*, id est, misericordia et justitia præparent, ornent, et stabiliant thronum tuum. Existimamus hoc loco per justitiam, intelligi bonitatem et misericordiam, quo modo accipitur nomen justitiæ, Matth. 5. *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, et Pharisæorum*, etc. et Matth. 6. *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus?* ubi per justitiam significatur eleemosyna, et ibidem, *Primum quærite Regnum Dei, et justitiam ejus*. Nam hoc idem repetitur aliis verbis in sequenti versiculo, *Misericordia, et veritas præcedent faciem tuam*. Est autem hoc loco metaphora de-

sumpta a corporali solio Regum : quemadmodum enim antequam Rex procedat ad solium jura daturus, præcedunt famuli, qui solium præparant, stabiliunt, et ornant; sic ad judicium Dei præsupponuntur misericordia, et justitia, quæ faciunt, ut judicia Dei justissima sint, nec possint ullo modo esse iniqua. Deus enim primo exhibet misericordiam magnam hominibus omnibus, docendo per leges, juvando per gratiam, incitando ad bonum per præmiorum promissionem, absterrendo a malis per comminationem pœnarum; et postea exhibet justitiam remunerando bonos, et puniendo malos : nisi enim misericordia præcederet justitiam, omnes periremus. Hinc etiam admonentur Reges, et Principes terreni, thronos eorum multo melius ornari, et stabiliri misericordia, et justitia, quam auro, et gemmis : nec minus debere bonos Principes dare operam, ut peccata; non fiant quam ut puniantur, cum facta sunt non enim desunt aliquando si non Principes ipsi, at certe aliqui ipsorum Ministri, qui lætentur multiplicatione delictorum, ut habeant occasionem lucri in exercenda justitia : quique moleste ferant, cum a viris piis excogitantur remedia ad impedienda, vel minuenda delicta, quasi hoc redundet in detrimentum causidicorum, et judicum : sed ubi misericordia, et justitia præparant thronum, cupiditas, et iniquitas locum non habent.

15. Misericordia, et veritas præcedent faciem tuam : beatus populus, qui scit jubilationem.

Prior pars hujus versiculi apud Hebræos conjungitur cum superiori versiculo; nihil enim est aliud, nisi repetitio illorum verborum, *justitia, et judicium præparatio sedis tuæ.* Itaque sensus est, *misericordia, et veritas,* id est, justitia, *præcedent faciem tuam,* ut præparent sedem tuam, cum ad judicium venturus eris, id est, certi sumus te non judicaturum, nisi justissime, et præmissa misericordia; ut minus invenias, quod punias, et fideliter reddas unicuique secundum opera ejus. His explicatis de potentia, et veritate Dei cum misericordia conjuncta : applicat hæc ad populum Israeliticum, et in particulari ad ipsum Davidem; ostendens in populo Dei et in persona Davidis maxime locum habere potentiam, misericordiam, et justitiam Dei. *Beatus,* inquit, *populus, qui scit jubilationem,* id est, vere præ omnibus populis felix est populus Israeliticus, qui scit per notitiam et experientiam has laudes Dei, et scit jubilare, id est, magno affectu laudare Deum. Hinc intelligimus non esse beatum, qui voce tantum Deum laudat, nisi etiam vere intelligat, et cogitet Deum esse laude dignissimum, imo digniorem, quam verbis exprimi possit, et ideo ad jubilum cordis recurrendum esse, dum utcumque voce, et cantu eum laudamus.

16. Domine in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exultabunt tota die, et in justitia tua exaltabuntur.

Explicat quare beatus sit populus, qui scit jubilare : quoniam, inquit, homines hujus populi, non ambulabunt in tenebris, sicut gentes, quæ ignorant Deum, sed conversi ad Deum *in lumine vultus ejus ambulabunt viam hujus vitæ :* significat autem lumen vultus Dei tum illuminationem intelectus per notitiam legis, et voluntatis Dei, tum etiam favorem gratiæ, qua inflammatur affectus; lux enim illuminat, et calefacit. Ex hac autem ambulatione in lumine vultus Dei, sequitur lætitia bonæ conscientiæ, et gratiarum actio, et ideo *in nomine Dei exultabunt tota die,* id est, jugiter exultabunt Deum laudantes, et gratias agentes. Et quoniam qui ita ambulant, quotidie magis, ac magis proficiunt et ascendunt ad majorem Dei notitiam, et amicitiam, et inde donis majoribus cumulantur, ideo addit, *et in justitia tua exaltabuntur*, id est, exaltabuntur ad majorem vitæ perfectionem, et postea ad gloriam sempiternam, in justitia Dei qua servat promissa, sive in justitia, quam Deus nobis donat, cum nos quotidie magis magisque justificat, id est, justiores facit. Ubi admonemur, non in nostra scientia, aut viribus confidendum esse, sive cum incipimus ambulare, sive cum proficimus ambulantes. Illud, *in lumine vultus tui*, opponitur præsumptioni de proprio lumine: et illud, *in nomine tuo*, opponitur vanæ gloriationi de proprio nomine; et illud, *in justitia tua*, opponitur superbiæ Pharisæorum, *qui ignorantes justitiam Dei, propriam justitiam statuere volunt, et ideo justitiæ Dei non sunt subjecti*, ut ait B. Paulus ad Rom. 10.

17. Quoniam gloria virtutis eorum tu es, et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.

Pergit humiliare superbiam humanam, quæ valde facile sibi tribuit, quæ Dei sunt, et inde meretur amittere, quæ acceperat. *Dixi*, inquit, *in justitia Dei exaltabuntur, quoniam gloria virtutis eorum tu es,* id est, virtus, et robur eorum, unde proficiunt, et ascendunt, a te est, non ab illis, et ideo in te, non in se gloriari debent; tu enim es, qui das illis virtutem, et gloriosos eos facis. Id autem facis, non quia illi merentur, sed quia tibi placet : nam *in beneplacito tuo*, id est, in bona voluntate tua erga nos, a qua bona omnia procedunt, *exaltabitur cornu nostrum*, id est, robusti, et fortes erimus adversus inimicos nostros.

18. Quia Domini est assumptio nostra, et sancti Israel Regis nostri.

In hoc enim apparuit beneplacitum Dei, quod ex omnibus populis terrarum, placuit illi assumere populum Israel in suum, ac proprium. *Domini est assumptio nostra,* id est, Dominus ex beneplacito suo, non ex meritis nostris nos assumpsit in populum peculiarem, ac Rex noster esse dignatus est; ideo enim subjungit, *Et sancti Israel Regis nostri,* ubi Israel est genitivi casus, ut apparet ex textu Hebraico. Dicitur autem Deus a Davide, et ab Isaia, et aliis Prophetis, *sanctus Israelis*, quoniam a populo Israel peculiariter sanctificari, id est, sanctus haberi, et dici, et nomen suum nulla blasphemia, aut maledictione, pollui volebat. In Hebræo pro, *assumptio nostra* habetur, מגננו *magginnenu protectio nostra ;* sed idem est sensus. Deus enim assumpsit populum Israel, ut eum protegeret et defenderet.

19. Tunc locutus es in visione sanctis tuis,

et dixisti, Posui adjutorium in potente, et exaltavi electum de plebe mea.

Hic jam incipit descendere ad personam suam, tanquam caput populi a Deo peculiariter dilecti. Sed oritur hoc loco gravis quæstio, An hæc verba, et sequentia debeant exponi de Davide, an de Christo, an partim de Davide, partim de Christo? S. Augustinus exponit omnia de Christo: sed repugnat huic expositioni quod Apostolus Act. 13. exponit de ipso Davide illa verba, *Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum,* quæ verba sumpta sunt, partim ex hoc loco, partim ex lib. 1. Reg. cap. 13. Præterea, quod dicit infra, *Et ponam in seculum seculi semen ejus*, non videtur ad litteram convenire Christo, qui proprie non reliquit semen, id est, filios: sed optime convenit Davidi, cui Deus promisit, 2. Reg. 7. quod post mortem ejus poneret de semine ipsius in throno Regni, et Regnum per ipsum semen æternum esset. Alii exponunt omnia de Davide in persona sua; sed repugnant huic expositioni illa verba, *Ego primogenitum ponam eum, excelsum præ Regibus terræ*, et alia multa, ut infra demonstrabimus. Euthymius exponit partim de Davide, partim de Christo: sed huic expositioni repugnat continuatio verborum; omnia enim verba incontexta sunt, et continua, ut ad eumdem pertineant. Existimo igitur omnia exponenda esse ad litteram de Davide, sed implenda magna ex parte, per Christum, ita ut dicatur David primogenitus Dei; et excelsus præ Regibus terræ, non in se, sed in Christo filio suo, et hæc videtur esse Theodoreti sententia. Sed si hoc non placeat, adhærendum erit omnino sententiæ S. Augustini: quod enim omnia dicantur de Davide in persona propria, Judaicus error est. Tunc, inquit, quando assumpseras populum Israel in populum peculiarem, providisti etiam ei Regem peculiariter tibi placitum: nam locutus es in visione, sive revelatione Sanctis tuis Prophetis, videlicet Samueli primum, et postea Nathan, ut intelligi potest ex lib. 1. Reg. 16. et lib. 2. cap. 7. *Et dixisti, Posui adjutorium in potente,* id est posui, sive, constitui auxilium populo meo in homine robusto, et forti corpore, et animo, qui facile poterit liberare populum ab omnibus hostibus ejus. *Et exaltavi electum de plebe mea*, id est, constitui adjutorium populo meo in viro potente, quia exaltavi in Regem, et protectorem, ac defensorem populi, hominem electum a me de omni plebe mea. S. August. hæc etiam exponit de Christo, qui proprie potentissimus fuit, et electus, ac dilectus, præ omnibus. In Græco pro *sanctis* tuis, habetur, τοῖς υἱοῖς σοῦ, *filiis tuis,* sed S. Hieronym. in epist. ad Suniam, et Fretellam, dicit omnes Interpretes vertisse, *sanctis tuis*, ut habetur in Hebræo, לחסידיך *lechassidecha*, excepto auctore sextæ editionis, quæ habet, *Prophetis tuis*, et auctore communis editionis, quæ habet, *filiis tuis.* Theodoretus tamen scribit Symmachum vertisse, *filiis tuis:* sed in sensu nulla est diversitas; iidem enim et prophetæ, et filii Dei, et sancti dici possunt.

20. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum.

Explicat quis sit ille vir potens, ac dicit esse ipsum Davidem, quem invenit dignum qui eligeretur, et ungeretur in Regem: et quidem de Davide ad litteram hæc exponi possunt, quem constat unctum fuisse a Samuele. Sed etiam per Davidem hoc loco S. August. intelligit Christum quem Ezech. cap. 34. et 37. expresse Davidem nominat: de cujus unctione legimus Psalm. 44. *Unxit te Deus, Deus tuus.* Quod autem dicitur, Deum invenisse Davidem, metaphoricum est: non enim Deus eget inquisitione, qui omnia quantumvis occulta, uno intuitu respicit: se dicitur quærere, et invenire, quia non eligit casu, neque accipit obvium quemque, sed facit sine labore inquirendi, quod facere solent homines, cum post longam, et maturam inquisitionem inveniunt quod optimum est, id est elegit eum, qui dignissimus, atque aptissimus est.

21. Manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum.

22. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non apponet nocere ei.

23. Et concidam a facie ipsius inimicos ejus, et odientes eum in fugam convertam.

Hæc quoque de Davide utcumque exponi possunt, qui Dei auxilio multas victorias de inimicis suis obtinuit: tamen longe verius exponuntur de Christo. Nam in Davide profecit inimicus diabolus, eumque decepit, cum ad crimen adulterii, atque homicidii eum perduxit: profecit quoque in eo inimicus Absalon, et circumvenit, cum eo de Regno expulit, et ad fugam compulit. Sed manus, et brachium Domini, quod est ipsum Dei Verbum, potentia, et sapientia Patris, ita corroboravit humanitatem Christi hypostatice sibi unitam, ut nihil in eo homine proficere potuerit ullus inimicus: neque eum ullo modo decipere, aut circumvenire; sed contra potius, omnes qui eum oderant a facie ejus cæsi, et victi in fugam conversi sint: quamvis enim Christus flagellis cæsus, et cruci affixus fuerit ab inimicis: tamen hæc passus est, quia voluit, et hac ipsa passione diabolum vicit, et captivos illi eripuit, et de illo gloriosissime triumphavit: Judæos quoque inimicos Christi, videmus hodie dispersos per orbem terrarum, quasi exercitum fusum, et fugatum.

24. Et veritas mea, et misericordia mea cum ipso, et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

Hæc quoque in Davide vix adumbrata, in Christo perfectissime impleta sunt: nam veritas et misericordia Dei cum Christo semper perseveraverunt: misericordia fuit assumptio humanitatis ad unionem hypostaticam, quæ numquam disrumpi potuit, ne per ipsam quidem mortem: veritas autem fuit, in eo quod fideliter implevit Deus, quod Angelus promisit, Luc. 1. *Regnabit in domo Jacob in æternum, et Regni ejus non erit finis.* Ex hoc autem quod veritas, et misericordia semper cum eo perseveraverunt, factum est ut *in nomine Dei exaltaretur cornu ejus*, id est, potentia ejus eousque ut in nomine ejus omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum. Dicitur autem exaltari potestas Christi in nomine Dei, qui *gloria ejus tamquam unigeniti a Patre*, Joan. 1. et ab om-

nibus adoratur, ut Filius æterni Patris, et ipse venit in nomine Patris sui, *et Deus Pater exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Philip. 2.

25. Et ponam in mari manum ejus, et in fluminibus dexteram ejus.

Ab hoc loco conveniunt fere omnes, Augustinus, Hieronymus, Theodoretus, et multi recentiorum, non posse exponi verba Psalmi, nisi de Christo, vel de Davide per filium ejus Christum, ita ut tribuatur Davidi, quod in Christo ejus filio impletum est, non enim David habuit potestatem in mari, sed in terra tantum, eaque satis angusta. Terra enim promissionis extendebatur usque ad mare Palæstinæ, et usque ad flumen Euphratem, et non ultra. De hoc autem nostro Rege dicitur, *Ponam in mari manum ejus*, id est, dabo ei potestatem, etiam in ipso mari, *et in omnibus fluminibus,* ac per hoc in omni orbe terrarum: mare siquidem est in finibus terræ circumiens totam terram, flumina autem sunt in medio terræ. Itaque per mare, et flumina, intelliguntur omnia, fines, et meditullium: quod aliis verbis dictum est in Psalm. 71. *Dominabitur a mari usque ad mare*, id est, ab uno extremo ad aliud. Possunt etiam per mare, et flumina intelligi omnes populi, gentiles, et Judæi: nam *aquæ multæ populi multi*, Apoc. 17. et mare amarum, et vastissimum, significat gentilitatem, quæ maximam partem generis humani tunc comprehendebat: flumina aquæ dulcis, et modicæ, si comparentur ad mare, significant populum Hebraicum, qui tunc erat populus Dei electus, et peculiaris.

26. Ipse invocabit me, Pater meus es tu, Deus meus, et susceptor salutis meæ.

Adhuc apertius loquitur Propheta de Christo, non de se, nisi, ut diximus, hæc conveniant Davidi ratione Christi, filii ejus. David enim in toto Psalterio nusquam invocat Deum sub nomine Patris: proinde non de ipso dicitur, *Ipse invocabit me, Pater meus es tu.* Et fortasse particulari providentia Dei factum est, ut David numquam invocaret Deum sub nomine Patris, ut fecit Isaias, et alii Prophetæ, ut hic locus non acciperetur de Davide, nisi ratione Christi. Christus enim initium verborum suorum, quæ in Evangelio leguntur, inde sumpsit, *Nesciebatis quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Luc 2. sic etiam ultima verba ejus fuerunt in hac vita, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, Luc. 23. In toto autem progressu vitæ, frequentissime Deum appellat, sub nomine Patris. *Ipse*, inquit, *invocabit me, Pater meus es tu,* quoad divinitatem; *Deus meus*, quoad humanitatem; *susceptor salutis meæ*, quoad mortalitatem. In Hebræo pro voce, *susceptor*, habetur, צור *tsur,* quod petram, sive arcem, sive fortitudinem, et robur significat. Itaque sensus est; *tu es susceptor salutis meæ*, id est, tu suscepisti salutem meam custodiendam, ut propugnaculum, sive arx munitissima.

27. Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ Regibus terræ.

Hic vero apertissime de Christo Propheta loquitur: Christus enim, qui secundum divinitatem Unigenitus est, secundum humanitatem primogenitus est inter multos fratres. Dicitur autem primogenitus tribus rationibus. Primo, quia primus est in prædestinatione: in illo enim tanquam in capite nos prædestinavit Deus, ut dicitur ad Ephes. 1. Secundo, quia primus est in secunda generatione ad vitam immortalem, unde dicitur, *primogenitus ex mortuis*, Coloss. 1. et *primogenitus mortuorum,* Apoc. 1. Denique, quoniam ipse habuit jura primogenitorum, *quem constituit Pater hæredem universorum*, Heb. 1. Nec solum posuit illum Pater, *primogenitum, sed etiam excelsum præ Regibus terræ,* id est, Principem Regum terræ, et Regem Regum, ut exponit S. Joan. in Apoc. 1. et 19. Habetur in Hebræo vox, עליון *hhelion,* quod est unum ex nominibus Dei, et significat excelsum, sive altissimum, nec facile invenietur tributum creaturis. Hoc nomen habetur in Psalm. 82. *Tu solus Altissimus in omni terra,* et in Psalm. 90. *Qui habitat in adjutorio Altissimi.* Sunt igitur omnes Reges terræ subjecti Christo, uti Regi altissimo, quo nihil altius invenitur. At certe hæc de Davide, vel Salomone nullo modo dici possunt, nisi ratione Christi, qui ab illis descensurus erat. Non solum enim non erant altissimi absolute, sed erant inferiores multis Regibus terræ, ac præcipue Regibus Assyriorum, qui eo tempore Monarchiam tenebant.

28. In æternum servabo illi misericordiam meam, et testamentum meum fidele ipsi.

Hic jam prædicit Propheta æternitatem Regni Christi, quemadmodum antea prædixerat excellentiam: quam æternitatem non habuit David neque in se, neque in Salomone, neque in aliis filiis, vel nepotibus, qui temporaliter regnarunt in Jerusalem: defecit enim Regnum illud in Jechonia. *In æternum*, inquit, *servabo illi misericordiam meam*, id est, misericordia, qua motus promisi Davidi filium, per quem Regnum ejus æternum esset, semper manebit: nam *testamentum meum*, id est, pactum, et promissio facta illi per Nathan, 2. Reg. 7. fidelissime conservabitur. Sed si de Christo sint exponenda hæc omnia verba, hic erit sensus, *in æternum servabo illi misericordiam meam*, id est misericordia, qua illum prædestinavi, et elegi ante sæcula, ut esset filius Dei in virtute, primogenitus, et excelsus præ regibus terræ, semper manebit; non enim solvetur umquam unio hypostatica humanitatis cum Verbo, ac per hoc semper erit ille homo Christus filius Dei, *primogenitus, et excelsus præ Regibus terræ. Et testamentum meum fidele* ipsi, id est, pactum cum ipso de stabiliendo Regno ejus in æternum, fideliter semper observabitur. Expressit hanc promissionem Angelus Gabriel, Luc. 1. cum ait, *Regni ejus non erit finis.*

29. Et ponam in sæculum sæculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies cœli.

Explicat modum, quo volet Deus conservare Davidi misericordiam suam in æternum: modus autem erit, quia dabit illi semen, id est, filium Christum, qui manebit, et regnabit in sæculum sæculi, ac per hoc *thronus ejus*, id est, Regnum Davidis numquam finem habebit, sed tempora ejus erunt *sicut dies cœli*, id est, sicut tempus,

quo durabit cœlum : quod quidem Deus ipse statuit in æternum, et in sæculum sæculi, ut dicitur in Psal. 148. S. Augustinus per semen, hoc loco, intelligit filios Christi regeneratos ex aqua, et Spiritu sancto, qui post resurrectionem manebunt in Regno Dei in sæculum sæculi. Sed magis convenit litteræ, ut per semen intelligatur ipse Christus, juxta illud Psal. 131. *Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, et in Psalmo paulo infra, *Semel juravi in sancto meo, si David mentiar, semen ejus in æternum manebit.*

30. Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint.

31. Si justitias meas prophanaverint, et mandata mea non custodierint.

32. Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum.

33. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea.

34. Neque prophanabo testamentum meum, et quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita.

Respondet objectioni, quæ fieri potuisset, ac dicit, quod si filii Davidis iram Domini malis suis operibus provocaverint, ipsos quidem peccantes puniendo corripiet, non tamen irritum faciet, quod jurejurando promisit. *Si autem dereliquerint filii ejus*, id est, Davidis posteri, legem meam, sive judicialem, sive cæremonialem, sive moralem. *Et in judiciis meis non ambulaverint*, id est, si vel solam judicialem legem sequi noluerint : *si justitias meas prophanaverint*, id est, si vel solam cæremonialem legem polluerint, *et mandata mea non custodierint*, id est, si vel solam moralem legem non observaverint; *Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum*, id est, non relinquam eorum scelera impunita, sed castigabo paterno flagello. *Misericordiam autem meam non dispergam ab eo*, id est, non propter peccata filiorum removebo a Patre beneficium, quod misericorditer promisi : *neque nocebo in veritate mea*, id est, neque offendam veritatem meam quam utique offenderem, eique nocerem, si irritum facerem, quod promisi. Illud nocere in veritate, accipiendum est, pro, nocere veritati. In Hebræo clarius habetur, ולא אשקר באמונתי *velo aschaker beimunathi, neque mentiar contra veritatem meam. Neque prophanabo testamentum meum*, id est, non polluam pactum meum, illud non observando : *et quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita*, id est, non irritabo promissa mea. Hic duo sunt observanda. Unum per filios Davidis, intelligi posteros Davidis secundum carnem, si per Davidem accipiatur persona ipsa Davidis filii Jesse, ut nos ad litteram accipimus : sin autem per Davidem intelligitur Christus, ut ad litteram intelligit sanctus Augustinus, et nos spiritualiter intelligi posse existimamus : tunc per filios Davidis, accipiendus erit populus Christianus, qui per baptismum in Christo regeneratur. Alterum est, ex hoc loco non esse colligendum, filios Davidis sive Judæi, sive Christiani sint, non posse perire in æternum, si mali sint, quemadmodum hæretici aliqui docuerunt; non enim dicit per Psalmistam Deus, *Misericordiam meam non dispergam ab eis*, sed *non dispergam ab eo*. Itaque si mali filii flagello paterno correpti corrigi voluerint, hæreditatem non amittent, imo in gratiam instar filii prodigi amantissime recipientur : sed si obstinate in malo perseveraverint, ipsi quidem ab hæreditate paterna excident; sed veritas Domini stabit, neque Regnum Christi peribit, quoniam *potens est de lapidibus suscitare filios Israel*, ut legitur apud Matth. cap. 3. quamquam qui præcogniti sint, et prædestinati in Christo ante mundi constitutionem, sine dubio ad finem usque in fide, spe et charitate perseverabunt.

35. Semel juravi in sancto meo, si David mentiar, semen ejus in æternum manebit.

36. Et thronus ejus sicut Sol in conspectu meo, et sicut Luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis.

Reddit rationem, cur velit adimplere promissionem de stabiliendo Regno Davidis, etiamsi filii ejus non adimpleant præcepta ipsius, et ratio est, quia juravit, id est, firmissime, et sine retractatione promisit. *Semel*, inquit, *juravi in sancto meo*, id est irrevocabiliter, et immutabiliter juravi per sanctitatem meam. Illud, *semel*, significat immutabilitatem, quia unicum Dei juramentum æquivalet innumerabilibus aliorum juramentis. Illud, *in sancto meo*, potuisset verti, *in sanctitate mea*, sed idem est sensus, *in sancto meo*, id est, in sancto nomine meo, sive in sancto numine meo; quod Genes. 22. dicit, *Per memetipsum juravi. Si David mentiar*; existimant aliqui hæc esse verba juramenti, quasi dicat, si David mentiar, hoc aut illud mihi contingat. Sed improbabile est, Deum jurare juramento execratorio. Verius est illud, *si*, æquivalere particulæ neganti, et sensum esse, *si David mentiar?* id est, non mentiar Davidi, quomodo dicitur in Psal. 131. *Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam.* Similis locutio est apud Isaiam cap. 22. *Si dimittitur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, dicit Dominus exercituum.* Verba juramenti sunt quæ sequuntur, *Semen ejus in æternum manebit, Et thronus ejus sicut sol*, etc. id est, Juravi, et non mentiar Davidi, quod filius ejus Christus in æternum vivet, et Regnum quoque ejus sempiternum erit. Illustrat autem hanc juratam promissionem tribus similitudinibus, Solis, Lunæ plenæ, et arcus cœlestis. *Thronus*, inquit, *ejus in conspectu meo in æternum manebit, sicut Sol, sicut Luna perfecta, et sicut testis in cœlo fidelis* : quæ significant Regnum Christi, ac per hoc Ecclesiam ejus, fore semper illustrem, et perspicuam; non obscuram, vel invisibilem, ut hæretici somniant; nihil enim clarius, et pulchrius Sole interdiu; nihil item clarius, et pulchrius in nubibus arcu cœlesti, qui testis est fidelis a Deo datus hominibus, numquam amplius fore diluvium aquarum. Per testem in cœlo fidelem aliqui ipsam Lunam intelligunt; sed videtur probabilius, ut intelligatur Iris, siquidem hoc loco vox, *in cœlo*, non est שמים *schamaim*, sed חשה *schachah*, quo nubes, aut cœlum aerium proprie significat, ut perspicuum est ex illo

Psal. 17. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*, et ex illo Deuteron. 33. *Magnificentia ejus discurrunt nubes.* Porro Regnum Christi in communi prosperitate lucet, ut Sol undique in die sereno : in communi persecutione fulget ut Luna plena in tenebris noctis. Ubi vero admixta est persecutioni prosperitas, similis est Iridi in nubibus. Illud, *Luna perfecta*, in Hebræo est יכון *iccon*, *stabilietur*, sive *præparabitur.* Ex quo intelligimus vocem, *perfecta*, explicandam esse, ac si dictum esset, *Luna stabilis*, sive *præparata ;* et siquidem agatur de stabilitate luminis, ut idem sit Luna perfecta, quod Luna plena, tunc id quod sequitur, *in æternum*, non est conjungendum cum Luna, sed cum *thronus tuus :* ut sit sensus, thronus tuus erit in conspectu Dei in æternum, sicut Sol, et sicut Luna plena : et hunc sensum supra persecuti sumus; sed si agatur de stabilitate substantiæ Lunæ, quæ incorruptibilis est : tunc, in æternum, jungi poterit cum Luna perfecta, ut sensus sit, thronus tuus erit in conspectu meo sicut Sol, et sicut Luna, quæ perfecta est quoad substantiam, et stabilis in æternum.

37. Tu vero repulisti, et despexisti, distulisti Christum tuum.

Hæc est altera pars Psalmi, in qua Propheta in persona populi captivi, orat pro adimpletione promissionis divinæ; quamvis enim Deus firmiter, et cum juramento promiserit, vult tamen rogari, ut faciat quod promisit : sic Isaac Genes. 25. *deprecatus est Dominum pro uxore sua, quod esset sterilis ;* et tamen Genes. 22. promiserat Deus Abrahæ sobolem copiosam ex filio. *Multiplicabo*, inquit, *semen tuum, sicut stellas cœli*, et ibidem, *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Orat autem Propheta Deum, illum quodam modo admonendo, quod si tandiu differat implere promissum, videbitur non velle servare pactum et juramentum suum. Itaque sensus est hujus versiculi, et sequentium, Tu Domine promisisti cum juramento filium Davidis perpetuo regnaturum : nunc autem videmus Regnum ablatum esse a filiis David, et occupatum a Rege Assyriorum : ergo, ut confirmes verbum tuum, mitte filium illum Davidis, quem promisisti, et da illi Regnum sempiternum, ut jurasti, alioqui ridebunt nos inimici nostri, et in te redundabit opprobrium nostrum. *Tu vero repulisti, et despexisti*, id est, promisisti bona, nunc vero reddis mala, quia repulisti nos a protectione tua, et despexisti nos, quos magnifacere videbaris. *Distulisti Christum tuum*, id est, elongasti a te Regem populi tui, Jechoniam videlicet, et Sedechiam, qui captivi ducti sunt in Babylonem. S. Augustinus aliter exponit, videlicet, distulisti mittere ad nos Christum tuum, illum qui perpetuo regnaturus est. Vox Hebraica התעברת עם משיחך *hithabartha im mescischeca*, vertitur a S. Hieronymo et Hebræis, *Iratus est cum Christo tuo :* cum qua sententia cohæret prior expositio : *Distulisti Christum tuum*, id est, elongasti regem a favore tuo, et a Regno suo, quod est signum iræ, et indignationis in eum : tamen sententia S. Augustini, quæ est conformis Græcæ, et Latinæ lectioni, potest etiam concordari cum voce Hebraica : nam eamdem vocem in Psal. 77. S. Hieronymus vertit, ut hoc loco verterunt Septuaginta Interpretes versic. 59 alias 62. ubi nos legimus, *Audivit Deus, et sprevit*, S. Hieronymus ex Hebræo vertit, *Audivit Deus, et distulit.* Itaque videmus eamdem vocem Hebraicam, et a Septuaginta, et a S. Hieronymo nunc verti, *differre*, nunc *spernere*, nunc *irasci.* Illa verba *repulisti*, et *despexisti*, non necessario conjunguntur cum sequentibus, ut sit sensus, *repulisti Christum tuum, despexisti Christum tuum, distulisti Christum tuum :* nam in Hebraico ponitur interpunctio post verbum, despexisti, et ideo potest facile defendi expositio S. Augustini, qui vocem *Christum tuum*, solum conjungit cum verbo, *distulisti*, non cum antecedentibus repulisti, et *despexisti*, atque subintelligitur nos, aut populum tuum, aut aliquid ejusmodi, ut sensus sit, repulisti et despexisti populum tuum, et distulisti mittere Christum tuum. Utraque expositio bonum sensum habet.

38. Evertisti testamentum servi tui, prophanasti in terra sanctuarium ejus.

Explicat quomodo Deus repulerit, et despexerit populum suum : ac primum dicit, Deum evertisse testamentum servi sui, id est, retractasse pactum initum cum servo suo David : quod intelligendum est de eversione sive retractatione, quoad apparentiam, non quoad veritatem. Videbatur enim Deus nolle regnum Davidis esse perpetuum, quia permiserat occupari civitatem Hierusalem, et totam Palæstinam a Rege Assyriorum, sed revera non de illo terreno intelligenda erat promissio : sed de spirituali et cœlesti. *Prophanasti in terra sanctuarium ejus*, id est, projecisti in terram, et hoc modo prophanasti sacrum diadema ejus : quod factum est quando cessavit Regnum Davidis, deturbatis de solio Jechonia, et Sedechia, et ablato ejus Regio diademate : nam in Hebræo habetur, נזרו *nizro*, quod proprie significat diadema Regium, quod sanctum, et sacrum habebatur in Græco est, ἁγίασμα, quod *sanctitatem*, et *sanctuarium*, et *sanctificationem* significat. Noster interpres hoc loco vertit sanctuarium, sed in Psal. 131. vertit sanctificationem, ubi apertissime loquitur Propheta de diademate, non de templo; sic enim loquitur, *Super ipsum efflorebit sanctificatio mea.* Itaque per sanctuarium videtur intelligenda sanctitas diadematis. Si tamen quis velit Theodoreti, et Euthymii expositionem sequi, qui per sanctuarium prophanatum intelligunt templum Salomonis per Nabuchodonosor regem eversum, et incensum ; dicere poterit, ipsum templum vocatum esse diadema populi Judaici, quoniam revera erat illis instar coronæ gloriosissimæ, et eo maxime, tamquam insigni diademate gloriabantur.

39. Destruxisti omnes sepes ejus : posuisti firmamentum ejus formidinem.

40. Diripuerunt eum omnes transeuntes viam, factus est opprobrium vicinis suis.

Comparat populum Judaicum, per Davidem significatum, vineæ quæ, destructa sepe, sit omnium transeuntium præda ; ita enim populus ille, Deo non protegente, factus est in direptionem Assyriis non semel, sed sæpius capientibus, et spoliantibus Jerusalem. Historia nota est ex 4. lib. Reg. *Destruxisti*, inquit, *omnes*

sepes ejus, id est tu Deus nos auxilio, et protectione tua destituens, in causa fuisti, ut instar vineæ, destructa sepe, diriperemur ab hostibus. *Posuisti firmamentum ejus formidinem*, id est, fecisti ut in locum munitionis firmissimæ succederet in Davidis Regno, et civitate, formido : erant enim antea in eo Regno fortissimi milites, sed Deo deserente facti sunt timidi, et imbelles, ut hostibus nullo modo resistere possent. Tribuit autem populus Deo causam horum malorum, quoniam intelligebat, sine Dei voluntate non fieri, et facillimum Deo, si velit, omnia impedire. *Diripuerunt omnes transeuntes viam*, id est, diripuerunt populum Dei hostes ejus sine ulla prohibitione, quomodo diripiunt vineas omnes transeuntes per viam, quando disjectæ sunt sepes, vel maceriæ, quæ aditum prohibebant. *Factus est opprobrium vicinis suis*, id est, inde factum est ut omnes populi vicini irrideant populum Dei, qui tam imbellis factus est, ut nulli hosti resistere valeat.

41. Exaltasti dexteram deprimentium eum lætificasti omnes inimicos ejus.

42. Avertisti adjutorium gladii ejus, et non es auxiliatus ei in bello.

Pergit narrare calamitates populi Dei, in quas incidit desertus ab adjutorio divino. *Exaltasti dexteram deprimentium eum*, id est, juvisti hostes populi tui, ut facilius deprimerent populum tuum. Exaltare, hoc loco, significat magnificare, roborare, excelsum facere. Inde vero secuta est lætitia magna apud hostes, ob tam facilem victoriam ; ideo subjungit, *lætificasti omnes inimicos ejus :* contra vero *avertisti adjutorium gladii ejus*, id est, avertisti adjutorium tuum a gladio ejus, Regis videlicet, vel exercitus populi tui : quod clarius explicat dicens : *Et non es auxiliatus ei in bello ;* ideo Reges Juda resistere nequierunt Assyriis, hostibus suis.

43. Destruxisti eum ab emundatione, et sedem ejus in terram collisisti.

Obscurus est hic locus, sed ex posteriore parte versiculi apparet sermonem esse de privatione cultus Regii, qui mundissimus et splendidissimus esse solebat. Hebræus textus est clarior ; השבת מטהרו וכסאו לארץ מגרתה *hischbatha mittocharo ukisseo laareiz miggerathah.* Quod sic ad litteram verti posset, *Cessare fecisti munditiam ejus, et thronum ejus in terram detraxisti.* Græcus autem sic verti potest, *Dissolvisti eum a munditia sua, et sedem ejus in terram collisisti.* Igitur hic videtur esse sensus, Spoliasti Regem vestibus regiis, et hoc modo destruxisti, et cessare fecisti munditiem ejus, induens illum sordidis, et atris vestibus, et thronum Regni ejus detraxisti in terram, et confregisti, ut neque cultus, neque thronus regius illi superesset. Alii volunt, per emundationem, intelligi templum, in quo per sacrificia mundabantur Judæi. S. Augustinus intelligit hunc locum de emundatione cordis per fidem Christi, a quo destructi sunt Judæi, qui in Christum credere noluerunt. Sed ad litteram probabilius est accipi mundationem pro emunditia, et nitore vestium regiarum, quas cum throno reges illi amiserunt.

44. Minorasti dies temporis ejus : perfudisti eum confusione.

Hæc est ultima, et principalis calamitas, quod cum Deus promisisset Davidi Regnum perpetuum, jam videretur illam promissam æternitatem ad brevissimum tempus contraxisse : nam in Jechonia et Sedecia finitum est Regnum illud temporale Davidis, quod speraverat nullum finem habiturum ; ex hac autem diminutione temporis repletus est David in posteris suis magna confusione. In Hebræo habetur, הקצרת ימי עלומו *hiktsartha ieme halumau*, *Abbreviasti dies adolescentiæ ejus.* Sed Septuaginta non videntur legisse, עלומו *halumau*, quod est *adolescentiæ ejus*, ut sanctus Hieronymus vertit, sed *hōlamau*, unica littera transposita, quod significat, *sæculorum* ejus, ubi etiam indicatur promissio sæculorum, sed abbreviata postea, et contracta ; qui autem legi volunt, adolescentiæ ejus, intelligunt per adolescentiam, tempus virentis, et florentis Regni, quasi Deus non permiserit Regnum saltem pervenire ad senectutem, sed in ipso quasi flore ætatis illud occumbere voluerit.

45. Usquequo Domine avertes in finem ? exardescet sicut ignis ira tua ?

Hic jam incipit oratio pro acceleratione Messiæ, ut impleatur promissio jurata Dei. *Usquequo Domine avertes in finem*, id est, quamdiu avertes te ; aut faciem tuam, usque in finem, id est usque ad ultimam perniciem, et consumptionem, sine spe reconciliationis ? quamdiu *exardescet indignatio tua*, quasi ignis, qui non cessat, donec in cinerem redegerit quod cremandum suscepit. In Hebræo habetur, תסתר עדמה יהוה *hhadma* Adonai *tissarther*, *Usquequo* Domine absconderis ; ex quo intelligimus illud, *usquequo avertes*, requirere, ut subintelligatur, *faciem tuam ;* vel, te ; tunc enim Deus abscondi dicitur, cum avertit a nobis faciem suam, et sic cessat nos illuminare et calefacere lumine gratiæ suæ, quæ est vita vera animarum.

46. Memorare quæ mea substantia, numquid enim vane constituisti omnes filios hominum ?

47. Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem ? eruet animam suam de manu inferi ?

Nonnulli sic exponunt hos versiculos, ut sensus sit, Vita nostra brevissima est, et mors omnibus viventibus imminet : proinde, nisi in vanum constituisti filios hominum, da nobis Domine solatium aliquod, dum vivimus, et accelera consolationem, ne ante rapiamur a morte, quam adveniat consolatio tua. Nimis humilis videtur hæc interpretatio : et Judaismum sapit, cum ultra præsentis vitæ bona non assurgat. S. Augustinus de Christo exponit, ut sensus sit : Memorare, Domine, quod Christi natura humana, mea substantia est, et propter illum non vane constituisti filios hominum : ille est, qui vivet, et non videbit mortem, quia ipse solus eruet animam suam de manu inferi, et resurgens a mortuis vivet, et non videbit am-

plius mortem. Sed hæc expositio non est litteralis, nam vox, *substantia*, hoc loco non significat, naturam, sed tempus vitæ, sive subsistentiam: nam in Hebræo ad verbum sic legitur, זכר אני מה־חלד *zecor ani mechaler. Memorare ergo quanti temporis sim,* id est, quam sit brevis vita mea, quam brevi tempore subsistam in vivis; cui sententiæ recte connectitur quod sequitur, *Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem?* id est, nemo vivit in terris, qui non sit moriturus: et non est diuturnum, quod finem habet. Idem repetitur, cum additur, *eruet animam suam de manu inferi,* id est, quis est homo, qui non sit iturus ad locum mortuorum: quasi dicat, nemo vivit super terram, qui possit evadere mortem, per quam descendunt corpora sub terram, et animæ ad inferos. Eo siquidem tempore nondum apertum erat cœlum, quo nunc ascendunt animæ justorum perfectorum. Existimo igitur Prophetam, qui spiritualis erat, ex brevitate vitæ humanæ, et caducitate rerum humanarum exarsisse in desiderium vitæ futuræ æternæ in cœlis, ac Deum precari voluisse, ut Messiam cito mitteret, Patrem futuri sæculi, qui aperiret credentibus Regna cœlorum; nisi enim saltem pars aliqua generis humani ad vitam illam æternam, et beatam per Christum perveniret: vere in vanum condidisse videretur Deus omnes filios hominum. Ait igitur, *Memorare quæ sit mea substantia*, id est, quam brevis, quam fragilis, quam ærumnosa sit subsistentia mea in terris. *Numquid enim vane constituisti omnes filios hominum?* id est, num constituisti, et creasti filios hominum, ut solum hanc vitam viverent, eamque tam brevem, et ærumnis plenam? id enim esset frustra condidisse genus humanum, si nulla ejus pars finem ultimum attingeret, *Quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem?* id est, quod sit brevis, et ærumnosa hæc vita nostra, vel ex eo constat, quod nemo potest mortem evadere; nemo eruet animam suam de manu inferi; inferus enim sine ulla exceptione, omnes mortales ad se trahit.

48. Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine, quas jurasti David in veritate tua?

Hic jam aperte Deum precatur, ut impleat promissum de Rege mittendo ex semine David, qui populum suum in æternum regat. *Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine?* id est, promissiones ex misericordia tua olim factæ Davidi, quas etiam juramento confirmasti per ipsam tuam veritatem jurans, ac dicens, *Semen ejus in æternum manebit, et thronus ejus, sicut dies cœli.*

49. Memor esto Domine opprobrii servorum tuorum, quod continui in sinu meo multarum gentium.

Addit aliam rationem, cur tanto affectu postulat adventum Messiæ: quoniam populi infideles exprobrare non cessant populo Dei, quod frustra speravit Regem æternum ex semine David. *Memor,* inquit, *esto Domine opprobrii servorum tuorum*, id est, vituperationis, quam patiuntur servi tui ab infidelibus. *Quod continui in sinu meo multarum gentium*, id est, quod opprobrium ego populus tuus continui, sive portavi, ut sonat vox Hebraica, שאתי *scheethi in sinu meo*, multarum gentium, id est, a multis gentibus: dicitur autem portari in sinu, sive contineri in sinu opprobrium, quando non potest excuti per manifestam responsionem. Ita populus ille tacens, et dolens ferebat opprobrium a multis gentibus sibi objectum, quia non poterat ostendere promissionem Dei fuisse impletam, vel brevi, ac certo implendam.

50. Quod exprobraverunt inimici tui Domine, quod exprobraverunt commutationem Christi tui.

Hoc videlicet est opprobrium, quod portabat in sinu suo, quod inimici Domini exprobrarent populo Dei commutationem Christi sui, id est qualem compensationem habuisset David a Deo, pro tam amplis promissis, destructionem videlicet Regni sui: nam commutatio hoc loco accipitur, pro, compensatione, ut Matth. 16. *Quam compensationem dabit homo pro anima sua?* nam vox Hebraica, עקבות *hikeuoth*, significat proprie calcaneum, et inde accipitur pro vestigio: nec desunt qui hic vertant, *vestigia Christi tui:* denique significat etiam *mercedem*, quæ datur in compensationem, sive commutationem meriti; ac per hoc pro compensatione, et commutatione accipi potest. Atque hæc facillima ratio est concordandi textum Græcum cum Hebraico: qui enim vertunt, vestigia, sive itinera Christi tui, nullam rationem reddere possunt, cur Septuaginta verterint *commutationem*.

51. Benedic tus Dominus in æternum fiat, fiat.

Hæc Psalmi conclusio satis aperte docet, Prophetam intellexisse, promissionem factam Davidi stabilem et firmam fuisse, et omnino implendam tempore suo, quantumvis contrarium suadere viderentur quæ fiebant tempore Nabuchodonosor. Imo etiam eadem hæc conclusio docet, cognovisse Davidem, imo divinam providentiam effecisse, ut Regnum illud terrenum everteretur, ne putarent carnales Judæi in Salomone, aut alio ex Regibus Judæ promissionem divinam impletam fuisse. Ait igitur, *Benedictus Dominus in æternum*, id est, laus, et gratiarum actio semper Domino deferatur, quoniam omnia bene facit, et justus est in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. Fiat, fiat. In Hebræo, אמן אמן *Amen, Amen*, id est, sic est, et sic opto ut fiat, ut videlicet Dominus benedicatur in æternum. Atque hic est finis libri tertii secundum Hebræos.

PSALMUS LXXXIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

ORATIO MOYSI HOMINIS DEI.

SANCTUS Hieronymus in Epistola ad Cyprianum constanter affirmat, hunc Psalmum cum aliis decem sequentibus a Mose fuisse compositos : id colligit ex titulo : Sanctus tamen Augustinus hunc Psalmum exponens, constanter id negat, ea ratione, quia si hic Psalmus a Mose compositus fuisset, haberetur in ejus libris, id est, in Pentateucho, ubi habentur alia cantica ejusdem auctoris. Addere possumus aliam rationem; quoniam in hoc Psalmo definitur vita hominis, ut plurimum annis septuaginta, et in robustioribus, annis octoginta : at Mosis tempore plurimi centesimum annum transcendebant : ipse enim Moses obiit annorum centum viginti, ut dicitur Deuteron. ult. et octoginta annorum erat, quando fecit eum Dominus Ducem populi sui, et Aaron frater ejus erat annorum octoginta trium, antequam fieret summus Sacerdos, ut intelligi potest ex cap. 7. Exodi; et tamen non est credibile electum fuisse, aut Mosem Ducem populi, aut Aaronem summum Sacerdotem, homines decrepitos, et morti proximos. Itaque ætas octoginta annorum non erat tunc extrema decrepita, sed ætas matura, et vigens, atque ad res maximas gerendas aptissima. Neque probabile est, quod reliqui decem Psalmi sequentes, sint compositi a Mose, cum in Psal. 98. fiat mentio Samuelis, qui diu post mortem Mosis natus est. Neque satisfacit huic objectioni S. Hieronymus dicens, nomen Samuelis fuisse prophetatum a Mose, ut lib. 3. Reg. cap. 13. prædicitur nomen Josiæ Regis : nam de Josia sic loquitur propheta, *Nascetur filius domui David, Josias nomine, etc.* ubi est manifesta prædictio de futuro : at in Psal. 98. narrantur res præteritæ, his verbis, *Moyses, et Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus. Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos, custodiebant testimonia ejus, etc.* Non igitur hic prædicitur nomen Samuelis, quemadmodum nec Mosis, aut Aaronis, sed narrantur res ab ipsis gestæ, antequam hic Psalmus scriberetur. Quare videtur nobis, titulum hujus Psalmi inscribi Moysi, quod Mosem loquentem David introducat. Introducitur autem Moses fortasse, quod ipse scripserit creationem mundi, peccatum primorum parentum, et pœnas inde secutas. Argumentum enim hujus Psalmi est oratio ad Deum pro humano genere, quod ob peccatum primorum parentum in maximas incidit calamitates, et auxilio gratiæ assidue indiget, tum ut ærumnas hujus vitæ facilius toleret, tum ut ad gaudia sempiterna perveniat.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Domine refugium factus es nobis, a generatione in generationem.

Orditur Propheta orationem à gratiarum actione pro acceptis beneficiis : hæc enim est Spiritus sancti utilissima rhetorica, ut gratum se gratiæ ostendat, qui nova beneficia petit. *Domine,* inquit, *refugium factus es nobis,* id est, fatemur nos multis, variisque periculis esse obnoxios; sed in nobis te protectorem, et adjutorem experti sumus, idque non semel, aut iterum, sed omni tempore per omnes generationes, sibi invicem succedentes. Vox Hebraica, מעין *mahon*, proprie habitationem significat. Itaque per refugium in hoc loco intelligitur domus bene munita et loco edito posita, ad quam qui refugiunt, tutissimi sunt ab omni injuria sive hostium, sive bestiarum, sive pluviæ, aut ventorum. Et vere qui confugiunt ad Deum, et in eo tamquam in arce munita per Fidem, Spem, et Charitatem, cogitatione assidua, et jugi desiderio habitant : securissimi sunt ab omni incursu malo; *quoniam eis omnia cooperantur in bonum*, ut ait Paulus ad Rom. 8.

2. Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, et orbis a sæculo, et usque in sæculum tu es Deus.

Probat eumdem ipsum Deum in omni generatione et generatione refugium esse potuisse sperantibus in eum : quoniam ipse semper est, videlicet æque potens, æque sapiens, æque benignus. Ut ostendat Deum esse ante omnes res creatas, in quibus homines confidere solent, primum nominat montes, *Priusquam,* inquit, *montes fierent :* Montes enim cum altissimi, et solidissimi sint, multis modis refugium hominibus præbent. Fortasse etiam primo loco nominat montes, quia primi apparuerunt, cum terra discooperiri cœpisset ab aquis, a quibus initio creationis undique cooperiebatur : vel denique quia montes sunt pars terræ, maxime eminens et conspicua. Deinde subjungit formationem terræ cujus partes quædam sunt montes. Sed observanda est proprietas vocum Hebraicarum : nam de montibus dicit, fierent, in Hebræo, *nascerentur*, *iuladu* ילדו, de terra dicitur, in Hebræo, *parturiretur,* תחולל *theolel*; itaque sensus est priusquam montes nascerentur, imo priusquam ipsa terra partu-

riretur. Parturitio enim nativitatem præcedit. Addit, *et orbis*, nimirum habitabilis; hoc enim significat, תבל *thebel*, ex quo intelligimus per terram hoc loco intelligi terram incultam, et desertam; per orbem, terram cultam et habitabilem: montes enim in utraque parte terræ inveniuntur. Addit ultimo, *a sæculo, et usque in sæculum tu es Deus*, id est, non solum tu es ante montes, et terram, tum incultam, tum habitabilem, sed *es a sæculo*, id est ab æterno, et *usque in sæculum*, id est, usque in æternum. Nec dicit, tu eras a sæculo, et eris usque in sæculum, sed tu es, ut ostendat veram æternitatem Dei, quæ est duratio sine ulla varietate et mutatione, quod in Psal. 101. dicit, *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Vox, *Deus*, in Græco codice non habetur, sed in Hebræo habetur אתה אל *attha el*, et S. Hieronymus testatur in epist. ad Suniam et Fretellam, haberi apud Septuaginta, et apud alios quoque interpretes. Videtur autem esse vocativi casus, ut sit sensus, Tu o Deus a sæculo, et usque in sæculum es, et idem ipse semper es.

3. Ne avertas hominem in humilitatem, et dixisti, Convertimini filii hominum.

Hic incipit oratio, qua precatur Propheta Deum, ut non sinat genus humanum abire in extremam vilitatem, et ruinam. Videbat enim hominem per peccatum primi hominis aversum a Deo præcipitem ruere in deterius; ideo clamat, *Ne avertas hominem in humilitatem*, id est, ne sinas averti humanum genus a lumine vultus tui ad vilitatem, et abjectionem extremam, ut oblitum veri boni amplectatur terram, et lutum sæcularium desideriorum, et per ea demergatur in interitum sempiternum. Nam vox Hebraica, דכא *dacca*, non significat virtutem humilitatis, sed attenuationem, et miseriam. Addit rationem cur conveniat ut Deus non sinat perire tam nobilem creaturam. *Nam*, inquit, *tu dixisti, Convertimini filii hominum*, id est, tu hortatus es per Prophetas tuos externa prædicatione et per internam quoque tuam inspirationem ad conversionem peccatores; decet igitur, ut potenti auxilio gratiæ tuæ juves hominem ad conversionem, et non sinas eum averti ad extremam vilitatem. Illud, *et*, ponitur pro quia, cum dicitur, *et dixisti*, convertimini filii hominum, id est, quia tu dixisti, et invitasti ad conversionem; non enim *vis mortem peccatorum, sed ut convertantur, et vivant.* Ezech. 18. In Hebræo non habetur negatio, sed affirmatio, *Convertes hominem in abjectionem.* Nisi S. Hieronymus diceret Septuaginta Interpretes posuisse in versu superiore vocem illam, Deus, possemus suspicari Septuaginta non legisse, אל *el*, quod est, Deus, sed אל *al*, quod est, *ne*; et posuisse hanc vocem in principio hujus versiculi: sed quoniam non audemus S. Hieronymo contradicere, existimamus vel excidisse ex codice Hebraico particulam illam negantem, quod facile fieri potuit, cum eædem litteræ bis repeterentur: vel esse legendam litteram Hebraicam cum interrogatione, *Convertes*, vel *avertes hominem in humilitatem?* quæ sententia eadem est cum illa, *Ne avertas hominem in humilitatem.*

4. Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna, quæ præteriit.

5. Et custodia in nocte, quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.

Describit abjectionem generis humani post peccatum primi hominis ex brevitate vitæ comparatæ cum æternitate Dei: nam Dei æternitas sic immensa est, ut mille anni apud Deum, sint ut una pars diei apud nos: et tamen vita nostra post peccatum, non est mille annorum, neque centum, sed vix septuaginta, aut in robustioribus octoginta. Quare vita nostra comparata cum æternitate Dei, minor est, quam unus dies, aut notabilis aliqua pars diei proinde fere nihil est: et tamen si homo non peccasset, sine ullo fine in æternum vixisset, sed explicemus verba. *Quoniam*, inquit, *mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesterna quæ præteriit*, id est, in vilitatem maximam conversi sumus, quoniam tu quidem æternus es, ita ut apud te mille anni sint velut una dies, quæ statim præterit, *aut veluti custodia in nocte*, id est, una nocturna vigilia, quæ tribus horis absolvitur: hominum autem qui ad tuam imaginem creati sunt, ac per hoc semper vivere deberent, anni tam breves erunt, ut in nihilum reputari possint: sic enim intelligimus illa verba, *quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt*, id est, anni hominum post peccatum erunt numerandi inter ea, quæ pro nihilo habentur, id est, brevissimi, ac pene nulli. In textu Græco habetur, ἔτι, id est, *adhuc*, et sic legit Euthymius, adhuc erunt, sed verior lectio est ἔτη, id est, *anni erunt;* nam in Hebræo habetur, שנים *schanim*, quod *annos* significat, non *adhuc*. Ex Hebræo sic vertit S. Hieronymus hæc ultima verba, *Percutiente te eos in somnium erunt.* Pro quo nos habemus, *quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.* Et quidem de voce *somnii* et *annorum*, non magna est difficultas: nam eadem vox Hebræa, si legatur, שנה *schena*, significat *somnum*, sive *somnium:* et sic legit sanctus Hieronymus, et legitur hodie in textu Hebraico, juxta puncta Rabinorum: sed si legatur, שנה *schana*, significat *annum*, et sic legerunt Septuaginta, et vulgatus noster Interpres. Illud autem, Percutiente te eos, in Hebræo est, זרמתם *zeramtham*, quod ad litteram reddi potest, *inundasti eos.* Sed potest etiam legi cum aliis punctis זרמתם *zirmatam*, id est, *inundatio eorum*, sive *fluxus eorum:* et sic legisse videntur Septuaginta, qui nomen, non verbum verterunt, τὰ ἐξουδενώματα αὐτῶν, id est, *contemptibilia ipsorum*, quod recte noster Interpres latine reddidit, *Quæ pro nihilo habentur eorum:* verterunt autem Septuaginta non tam verbum, quam sensum. Illa enim quæ fluunt, et transeunt, pro nihilo habentur, quia mox evanescunt. Illud pronomen, *eorum*, in Hebræo conjungitur cum nomine, *inundatio*, sive *fluxus*, non cum nomine *anni.* Quare sensus est, inter ea quæ fluunt, et pro nihilo habentur, eorum, id est, hominum anni sunt, vel clarius, anni vitæ, sive tempora vitæ computantur inter eas res humanas, quæ contemptibiles sunt, quia celerrime finiuntur.

6. Mane sicut herba transeat, mane floreat, et transeat: vespere decidat, induret, et arescat.

Declarat annos vitæ esse vere contemptibiles per similitudinem fœni, quod una die oritur, viret, floret, exarescit, et perit. In Hebræo sunt

verba futuri temporis, et eodem modo videntur accipienda verba Latina, ut hic sit sensus, *Mane*, id est, prima parte diei homo, quasi herba virens apparebit in pueritia, et non ibi sistet, sed mox transibit. Mane item in eadem prima parte diei florebit in juventute, et nec ibi consistet, sed mox transibit. *Vespere*, in altera parte ejusdem diei *decidet*, in virilitate, flore scilicet juventutis cadente; *indurabitur in senectute*, amisso vigore virilitatis, *et arescet* in morte, siccato humore vitæ. Vel, ut exponit sanctus Augustinus, *mane virescet*, et florebit in vita, *et vespere decidet in morte*, *indurabitur* in cadavere, *arescet* in pulvere; et qui de pulvere factus est, in suum pulverem continuo revertetur, ut sit aliud tempus nostrum quam nasci et mori, incipere et finiri. Væ cæcitati hominum, qui vitam unius diei, quæ pro nihilo duci deberet, sic amant, ac si esset æterna : et vitam vere sempiternam sic contemnunt, ac si esset unius diei, et pro nihilo habenda ! Neque solus David hæc docet, sed ante eum sanctus Job cap. 14. *Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra, et numquam in eodem statu permanet.* Et post eum Isaias cap. 40. *Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos; quia spiritus Domini sufflavit in eo.* Quod si non placeat accipere verba illa, *transeat et floreat*, pro, transibit, et florebit : oportebit aliquid subintelligere, ut, tu Deus jussisti ut homo sicut herba transeat, et floreat, etc. vel, Ergo homo juxta sententiam Dei sicut herba transeat, etc.

7. Quia defecimus in ira tua, et in furore tuo turbati sumus.

Reddit causam brevitatis vitæ nostræ, ac dici esse justissimam iram Dei, quam iniquitas humana succendit. *Defecimus*, inquit, *in ira tua*, id est, consumpti sumus, et mortales effecti, quoniam irritavimus iram tuam : *et conturbati sumus* mortis horrore, et terrore, ob furorem tuum, qui securi, et quieti antea vivebamus. Non est in Deo proprie furor, vel ira, vel alia perturbatio; sed metaphorice dicitur ira et furor in Deo; quando non parcit peccatori, sed eum pro meritis punit.

8. Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo : sæculum nostrum in illuminatione vultus tui.

Dixerat causam brevitatis vitæ nostræ fuisse iram Dei : nunc dicit causam iræ Dei fuisse iniquitates nostras. Vocat autem iniquitates nostras peccatum primorum parentum, quod nobis commune fuit, et in quo multæ fuerunt iniquitates, juxta doctrinam sancti Augustini in Enchiridio cap. 45. et aliis in locis. Fuit enim in eo peccato superbia, inobedientia, infidelitas, curiositas et alia. Fortasse etiam respicit David ad iniquitates posterorum, ob quas magis contracta est brevitas humanæ vitæ : nam usque ad diluvium vivebant homines ad nongentos annos : deinde post diluvium ad ducentos vel trecentos. Postea tempore Mosis ad centum viginti. Denique tempore David ad octoginta. Ait igitur, *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo*, id est, noluisti parcendo abscondere peccata nostra a facie tua; sed ea ante conspectum tuum posuisti, ut ea diligenter considerares et punires. Quod enim Deus intelligatur ignoscere, quando avertit faciem a peccatis, docet idem Propheta, cum ait in Psal. 50. *Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.* Quod autem additur, *sæculum nostrum in illuminatione vultus tui*, est repetitio ejusdem rei : nam per sæculum nostrum intelliguntur iniquitates vitæ, sive temporis nostri, quas ne laterent posuit Deus *in illuminatione vultus sui*, id est, luce vultus sui detexit et illuminavit, ut earum turpitudo nota esset, et justo Dei judicio puniretur. Vox Hebraica עלמנו *halumenu*, tria significare potest, occulta nostra, adolescentiam nostram, et sæculum nostrum. Omnia enim hæc derivantur a verbo עלם *halam*, quod est occultare. Addit S. Hieronymus etiam quartum, videlicet, *negligentias nostras*, sed omnia in idem recidunt. Nam multa sunt proprie peccata cordis, vel etiam omnia peccata quatenus a corde exeunt : et huic voci aptissime respondet illud, *In illuminatione vultus tui :* nam *qui male agit odit lucem*, ut habetur Joan. 3. sed Deus luce sua omnia detegit. Unde dicit Apostolus 1. Corinth. 4. *Illuminabit abscondita tenebrarum*, *et manifestabit consilia cordium.* Per adolescentiam, intelliguntur peccata adolescentiæ, id est, primum peccatum Adami, quod factum est in prima adolescentia generis humani. Denique per sæculum nostrum (ut diximus) significantur peccata temporis nostri.

9. Quoniam omnes dies nostri defecerunt : et in ira tua defecimus.

Quod Deus viderit, et condemnarit peccata nostra, pœna ipsa mortis nobis inflicta demonstrat. *Quoniam omnes dies nostri defecerunt*, id est, omnes dies nostri abierunt, ut nulli jam supersint. *Et in ira tua defecimus*, id est, non solum dies nostri abierunt, sed et nos cum illis consumpti sumus. Nam si Adam non peccasset, dies quidem præteriissent, sed numquam fluere cessassent, neque nos cum illis defecissemus, at nunc dies nostri ita fluunt, ut finem accipiant morte illorum cursum interrumpente, et nos ipsi cum illis finem vivendi accipimus, et consumimur, ira Domini peccatum illud justissime puniente.

10. Anni nostri sicut aranea meditabuntur, dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni.

11. Si autem in potentatibus, octoginta anni, et amplius eorum labor, et dolor.

Dixit, mortem esse pœnam peccati : nunc addit, vitam ipsam, quam agimus ante mortem esse miseram et brevem, juxta illud Patriarchæ Jacob. Gen. 47. *Dies peregrinationis meæ, anni centum triginta sunt, parvi et mali.* De miseria dicit, *Anni nostri sicut aranea meditabuntur.* In Hebræo solum habetur, כמו הגה שנינו *schenenu chemo heggeh*, *Anni nostri sicut meditatio*, id est, anni nostri nihil sunt, nisi quædam continua exercitatio, et laboriosa meditatio. Sed Septuaginta Interpretes, ut clarius rem explicarent, addiderunt : *sicut aranea*, et pro, *meditatio*, posuerunt, *meditabuntur* ; et sensus est, Anni nostri, id est, tempus vitæ nostræ exercebitur vanis laboribus, et dolori-

bus, timoribus, suspicionibus in temporalibus bonis procurandis, et temporalibus malis cavendis, sicut aranea exercetur in texendis retibus omni re fragilioribus, non sine propriæ substantiæ consumptione. Transit postea a miseria ad brevitatem, dicens, *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni*, id est, tempus vitæ nostræ in seipso conclusum, et definitum, non transcendit ultra septuaginta annos: et in robustioribus, *usque ad octoginta:* et si quid ultra sit, *erit labor et dolor*, ætas videlicet infirma; et variis malis, et ærumnis obnoxia. Hic aliqua notanda sunt. Primum illud, *in ipsis*, obscurum est propter phrasim propriam linguæ Hebraicæ, quæ interdum ponit casum nominandi, cui nullum verbum respondet, ut in Psalm. 10. *Dominus in cœlo sedes ejus:* nos diceremus, Dominus in cœlo sedem habet, vel, *Domini sedes in cœlo est*, sic etiam in Psal. 17. *Deus impollata via ejus:* nos diceremus, Dei impolluta via est. Sic igitur hoc loco nos diceremus, Dies annorum nostrorum septuaginta anni sunt: vel in diebus annorum nostrorum septuaginta anni. Itaque absolute legendum est, *Dies annorum nostrorum;* et postea subjungendum, *in ipsis* diebus videlicet annorum nostrorum, septuag. anni numerantur. Vel dicendum est, *illud*, in ipsis redundare, ut in Psal. 121. redundat pronomen *ejus*, cum dicitur, *Cujus participatio ejus in idipsum.* Secundo, illud, *in potentatibus*, in Hebræo est, בגבורות *bigburoth*, *in fortitudine sive robore*, id est, in homine robusto: in Græco est, ἐν δυναςείαις, quod significare posset *in principatibus*, sive *Imperiis*, sed hoc loco ista significatio non facit ad propositum: non enim Principes diutius vivunt, quam alii: quin potius contra scriptum est in Eccles. cap. 10. *Omnis potentatus brevis vita.* Ergo hoc loco vox illa significat vim, et potentiam complexionis, et sic exponunt omnes Interpretes. Tertio illud, *et amplius eorum*, communiter exponitur, ut nos diximus, de vita, quæ producitur ultra annos octoginta: quidam tamen minus probabiliter intelligunt, quod potissima pars vitæ intra ipsos septuaginta vel octoginta annos sit labor et dolor. Prior expositio est Hieron. Aug. Theodoreti et aliorum gravium auctorum. Quarto, S. August. videtur subdubitare, an ad litteram hic locus intelligi debeat de vita contracta ad septuaginta vel octoginta annos, tum quia multi robusti inveniuntur ultra annum octogesimum, et plurimi valde infirmi ante annum septuagesimum: tum quia ante diluvium vivebant homines usque ad annos nongentos; et tamen illi gravissime peccarunt in Deum, et propter ipsos potissimum contrahi debuit humanæ vitæ tempus. Cæterum, communis sententia Hieron. Theodoreti, Euthymii et recentiorum est, quod ad litteram hic definiatur vita hominis septuag. vel octoginta annis, quæ utcumque longa est, si comparetur ad vitam multarum bestiarum, tamen brevissima, si ad æternitatem conferatur. Neque mirum est, aliquos ultra annum octogesimum robustos inveniri: nam et paucissimi sunt, et omnis regula patitur exceptionem. Multo minus est mirum, quod aliqui reperiantur infirmi ante annum septuagesimum: nam etiam ante annum quadragesimum et trigesimum ob complexionis virium plurimi reperiuntur imbecilli. Propheta vero loquitur de solo vitio ætatis, et dicit secundum communem et ordinarium cursum, homines vivere consuevisse integris viribus et sensibus usque ad annum septuagesimum, vel octogesimum. Tempore S. August. credibile est communem, et ordinarium vitæ robustæ cursum fuisse paulo breviorem, nunc vero experimur communem, et ordinarium cursum vitæ robustæ et integræ ad quinquagesimum annum, et in robustioribus ad sexagesimum pertinere: et ex eo tempore laborem, et dolorem, quamvis non desint hoc etiam tempore pauci quidam satis vegeti, et robusti annorum septuaginta, vel octoginta, vel etiam nonaginta. Quod autem ante diluvium, et proxime post diluvium homines diutissime vixerint, factum est ex providentia Dei, ut genus humanum facilius propagaretur, quemadmodum postea pertinuit ad providentiam Dei, ut contraheret tempus humanæ vitæ, tum quia æquum est, ut sicut multiplicantur peccata, sic contrahatur tempus vitæ: tum etiam quia si propagato humano genere adhuc homines diutissime viverent, mundus eos non caperet.

12. Quoniam supervenit mansuetudo, et corripiemur.

Ex ærumna senectutis hoc boni consequimur, ut deposita superbia, et fastu juvenili humiliemur, et mansuescamus conscii propriæ infirmitatis, et miseriæ, et corripiamur, id est, erudiamur ad subjectionem sub potenti manu Dei. Illud, *quoniam*, accipitur hoc loco pro, *verumtamen*, aut *certe:* non enim apud Hebræos כי *chi*, semper est particula causalis. Ait igitur David, *Verumtamen*, ex labore, et dolore senectutis *supervenit in nos mansuetudo*, humilitas, et modestia; et inde corripiemur, et discemus subjecti esse Deo, et id parum temporis, quod superest, in ejus timore, et amore consumere. Aliqui per mansuetudinem intelligunt, mansuetudinem Dei, qua nos in senectute, laboribus, et doloribus clementer erudit. Sed prior expositio videtur anteponenda, cum in sequenti versiculo dicatur, *Quis novit potestatem iræ tuæ, et præ timore tuo iram tuam dinumerare?* non enim recte conjunguntur mansuetudo et ira. In Hebræo, ut nunc se habet, longe alius est sensus: sic enim legitur ad verbum, כי גזחיש ונעפה *chi gazchisch vannehhaphah*, *Quoniam tonsio celeriter*, *et avolabimus;* et sensum esse volunt, quod senes, ac præsertim decrepiti facillime extinguuntur, quomodo fœnum aridum facile demetitur, et avolat. Miratur S. Hieronymus in epist. ad Cyprianum, quid legerint in codicibus Hebraicis Septuaginta Interpretes, ut vertere potuerint, *Quoniam supervenit mansuetudo, et corripiemur.* Sed aliquid eos legisse, quod recte in eam sententiam verti posset, dubitare non debemus, cum viri doctissimi, et fidelissimi essent, et cum eis consentiant Theodotio, et sexta editio, eodem S. Hieronymo teste.

13. Quis novit potestatem iræ tuæ: et præ timore tuo iram tuam dinumerare?

Ex gravitate pœnæ redditæ peccato primi hominis, colligit Propheta, magnam valde esse iram et severitatem Dei adversus peccata; sed poetico more, et eleganti metaphora ita magnitudinem iræ divinæ describit, *Quis novit potes-*

tatem iræ tuæ , id est , quis cogitando poterit assequi quanta sit vis , potentia , et efficacitas iræ tuæ, Domine ? *et præ timore tuo iram tuam dinumerare* , id est, et quis poterit te tantum timere , quantum timendus es, et juxta hunc timorem mensurare magnitudinem iræ tuæ , vel omnes ejus puniendi modos enumerare ? Nam ex eo quod propter unum peccatum primi parentis Deus iratus est universo humano generi , et omnes homines ad vitam laboribus , et doloribus plenam , et postea ad mortem damnavit, ac voluit ut omnes homines post multas ærumnas in pulverem suum redirent : certe recte colligitur , immensam esse indignationem divinam contra peccatum , et infinitos esse in ipsa divina indignatione modos puniendi peccatores. Ac si ex morte ista corporis recte colligitur magnitudo iræ divinæ contra peccatum ; quanto magis colligi deberet ex eo, quod animas et corpora iniquorum post diem judicii mittet Deus in ignem inextinguibilem , et sempiternum : id enim omnem humanam intelligentiam longe superat. In Hebræo illud, *dinumerare* , conjungitur cum versiculo sequenti : sed nos non sequimur interpunctionem Rabbinorum recentiorum , sed Septuaginta Interpretum antiquissimorum , illud , *præ timore tuo* : aliqui ita exponunt : Quis impeditus timore , et terrore tuo poterit mensurare iram tuam ? Sed prima expositio videtur melior : quoniam propositum Prophetæ est ostendere magnitudinem iræ Dei : non autem ostenditur ex eo quod aliquis perturbatus timore , non potest in eum intendere aciem mentis ; sed ex eo quod homo valde timet , et ex magno timore colligit magnitudinem iræ. Itaque illud , *præ timore* , accipiendum est pro, a timore , vel , propter timorem , vel , *secundum* , aut , *juxta timorem* , ut clarius habetur in Hebræo , וכיראתך *uchireathecha.*

14. Dexteram tuam sic notam fac , et eruditos corde in sapientia.

Ab hoc versiculo usque ad finem orat Propheta pro genere humano , ut sicut illud Deus juste punivit pœna mortalitatis , ita misericorditer respicere , et adjuvare dignetur in hujus vitæ mortalis peregrinatione. *Dexteram tuam sic notam fac* , id est , fac Deus , ut jam tandem innotescat nobis dextera tua , qua nos suscipias , et sustentes , et qua munera gratiæ tuæ nobis abundanter tribuas. Fortasse etiam per dexteram significatur Christus , quem Propheta promissum sciebat , et ut cito veniret , assidue precabatur. *Et eruditos corde in sapientia* , 1. Cor. 8. id est , et simul notos fac nobis homines eruditos corde in sapientia , id est , Prophetas et Apostolos , qui habebant cor vera sapientia eruditum , non ut sapientes hujus mundi, qui vel habent linguam eruditam , non cor ; vel si cor eruditum , non sapientia divina , et salutari , sed sapientia humana , et perniciosa , *quæ inflat , non ædificat.* In Hebræo , ut nunc legitur, sic habetur , *Dies nostros sic notos fac* , *et veniemus corde sapienti.* Sed facile est videre , quid legerint Septuaginta Interpretes : nam non legerunt , ימינו *iamenu* , *dies nostros* , sed , ימינך *iaminecha* , dexteram tuam : nec legerunt נאבי *nabi* , *veniemus* , sed , נביאם *nebeiim* , Prophetas : tamen sensus , qui ex Hebræo colligitur , non est contemnendus ; rogat enim Propheta , ut notos faciat nobis Deus dies nostros ; id est, faciat ut intelligamus brevitatem dierum vitæ nostræ , et non ipsi nos fallamus indicantes diuturnum id quod est brevissimum ; nam si hoc intellexerimus , veniemus ad Deum corde sapienti ; et inquiremus bona futura , quæ sunt æterna , et contemnemus præsentia , quæ sunt brevissima.

15. Convertere Domine usquequo , et deprecabilis esto super servos tuos.

Idipsum petit , sed oratione magis generali. *Convertere Domine usquequo* , id est, tu Domine avertisti a nobis faciem tuam , iratus nobis propter peccata nostra ; sed aliquando tandem placatus convertere ad nos , et respice nos oculo benignitatis tuæ , *et deprecabilis esto super servos tuos* , id est , exorabilis esto : sine te exorari a servis tuis , quos ipse formasti , et alis , ac sustentas in obsequium tuum. Illud, *usquequo* , posset accipi separatim , et cum interrogatione hoc modo , *Convertere Domine* , *usquequo* non converteris ? Sed nulla est distinctio in textu Hebræo , vel Græco , vel Latino inter convertere, et usquequo : ideo præstat illud, *usquequo*, accipere , pro , *aliquando* , ut supra diximus.

16. Repleti sumus mane misericordia tua , exaltavimus , et delectati sumus omnibus diebus nostris.

17. Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti , annis quibus vidimus mala.

Hi duo versiculi possunt ex Hebræo verti per tempus præteritum , ut verterunt Septuaginta Interpretes : possunt etiam verti partim per modum imperandi , seu deprecandi , partim per tempus futurum , ut vertit S. Hieron. qui sic habet , *Imple nos matutina misericordia tua* , *et laudabimus* , *et lætabimur in cunctis diebus nostris : lætifica nos pro diebus , quibus afflixisti nos , et annis quibus vidimus mala.* Sed cum vertuntur per tempus præteritum , vel subintelligendum est aliquid in hunc sensum , *Convertere Domine aliquando , et deprecabilis esto super servos tuos* , ut aliquando dicere possimus , *Repleti sumus mane misericordia tua* , etc. vel certe , ut explicat S. August. Propheta prænunciat res futuras per verba temporis præteriti propter certitudinem prædictionis. Itaque versiculi isti non ad tempus vitæ , sed ad tempus patriæ pertinent : tunc enim dicemus , *Repleti sumus mane misericordia tua* , id est , initio veræ illius diei , quo Solem justitiæ aspicere cœpimus sine ullius nobis interpositione , et nocte , ac tenebris hujus vitæ recedentibus , repleti sumus magna illa misericordia tua , quæ nullum locum miseriæ relinquit , de qua scriptum est in Psal. 102. *Qui coronat te in misericordia , et miserationibus , qui sanat omnes languores tuos , qui replet in bonis desiderium tuum :* ideo exultavimus , et delectati sumus , hoc enim solum restat hominibus beatis , et liberatis a malis omnibus , ut exultent laudantes Deum , et delectentur fruentes Deo. Nec solum lætati sumus ob tantum cumulum bonorum , sed etiam *lætati sumus pro diebus , quibus nos humiliasti* , et pro *annis* , *quibus passi sumus mala :* tum quia dulciora sunt bona post experientiam malorum ; tum etiam

quia patientia in malis hæc nobis tanta bona promeruit, juxta illud Apostoli, 2. Cor. 4. *Quod momentaneum est, et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Itaque nunc benedicimus dies illos, et annos, qui nobis materiam patiendi præbuerunt, et Deo gratias agimus, qui nobis in tempore non pepercit, ut parceret in æternum.

18. Respice in servos tuos, et in opera tua, et dirige filios eorum.

Posteaquam petivit summum bonum quod est finis ultimus humanæ naturæ, et omnium actionum nostrarum: nunc petit media, id est, gratiam bene operandi. Primum enim, juxta præceptum Domini, Matth. 5. *Quærendum est Regnum Dei, deinde justitia ejus.* Ait igitur, *Respice in servos tuos*, id est, illumina servos tuos atque accende ad amorem tuum. Deus enim Sol est increatus, qui respiciendo illuminat, et calefacit. Item, *Respice in servos tuos*, id est, oculo benevolentiæ et favoris tui respice illos, ut tuos, dirige, protege, auge, *et in opera tua*, id est, in opera bona, quæ tu operari cœpisti in illis. Omnia enim bona opera nostra dicitur Deus operari in nobis, quia ipso excitante, et adjuvante fiunt, et sine illius gratia præveniente, et comitante nulla essent. Nec solum servos tuos, sed etiam *filios eorum*, sive naturales, sive spirituales respice, et dirige, ut parentes cum filiis, te dirigente, in via mandatorum perseverent, et ad patriam pertingere mereantur æternam. In Hæbræo legitur paulo aliter, videlicet, *Appareat ad servos tuos opus tuum, et gloria tua super filios eorum:* sed Septuaginta non legerunt, יראה *irach, appareat*, sive videatur; sed ראה *rech*, dempta prima littera quod significat, *vide*, sive *respice*, deinde explicandi gratia addiderunt conjunctionem, et verterunt, *Respice in servos tuos, et in opera tua:* quamvis enim in Hebraico sit, *opus tuum*, licuit tamen interpretibus id exprimere numero multitudinis. Illud autem, *et gloria tua*, Hebraice, הדרך *hadarecha*, legerunt Septuaginta, הדרך *hadrech*, solis punctis mutatis, quod est, *dirige*, a verbo, דרך *darac.* Itaque lectio Græca non dissidet ab Hebraica, quam habuerint Septuaginta Interpretes. Sed et ipsa lectio Hebraica, quam sequitur S. Hieron. bonum sensum habet. *Appareat opus tuum super servos tuos*, id est, operare in servis tuis per gratiam tuam opera bona, et sic manifeste operare, ut etiam alii videant opera eorum bona, et glorificent te Patrem eorum, qui in cœlis es, et qui opera bona operaris in eis: et gloria tua similiter appareat super filios eorum, ut etiam in illis opereris opera bona, et per illos nomen tuum glorificetur.

19. Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, et opera manuum nostrarum dirige super nos, et opus manuum nostrarum dirige.

Idipsum petit aliis verbis, ut ostendat se valde optare, quod petit. Quod enim dixit, *Respice in servos tuos*, repetit nunc, dicens: *Et sit splendor Domini Dei nostri super nos:* Deus enim, ut diximus, respiciendo illuminat, avertendo faciem, in tenebris nos relinquit. Quod autem dixit, *Et in opera tua*, nimirum respice, nunc repetit, dicens: *Et opera manuum nostrarum dirige super nos*, id est, tu præsidens nobis fac, ut recte operemur, et regulam rectissimam, quæ est lex tua, et voluntas tua semper sequamur. Addit, *Et opus manuum nostrarum dirige*, ut ostendat omnia opera revocari ad unum opus, quod est radix omnium, et in quo continentur omnia: hoc autem est opus charitatis, *nam qui diligit, legem implevit*, Rom. 13. *Et charitas patiens est, benigna est*, etc. 1. Cor. 13. In Hebræo pro voce splendor est, נעם *nahham*, quod significat decorem, et dulcedinem: sed decor, et splendor in idem recidunt: et recte Septuaginta verterunt, *sit splendor*, quoniam decor lucis splendor est. *Deus autem lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ*, 1. Joan. 1. et *Pater luminum est*, Jacobi 1. Item pro verbo, *dirige*, est in Hebræo, כוננה *conena*, quod non solum *dirigere*, sed etiam *stabilire* significat. Itaque sensus erit, opus manuum nostrarum perseveranter dirige, ut non solum directio in bonis operibus, sed etiam perseverantia postuletur.

PSALMUS XC.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

LAUS CANTICI DAVID.

Hic titulus non habetur in codice Hebraico, neque in omnibus codicibus Græcis, et sanctus Hilarius in prologo Psalmorum, sanctus Hieronymus, Theodoretus, et Euthymius in commentario hujus Psalmi disertis verbis dicunt, eum carere titulo. S. Joannes Chrysostomus, et S. Augustinus nullam tituli mentionem faciunt. Quare credibile est titulum fuisse postea additum, ut intelligeremus hunc Psalmum a Davide fuisse compositum; non a Mose, ut Hilarius, et quidam alii tradiderunt. Et certe ratio, quia nonnulli adducti sunt, ut existimarent hunc Psalmum non Davidis esse, sed Mosis, infirma omnino est. Dicunt enim, Psalmos qui carent titulo, illius esse, cujus est Psalmus præcedens: Psalmum autem præcedentem esse Mosis, probant ex titulo illo, *Oratio Moysi hominis Dei.* At nos in explicatione Psalmi superioris ostendimus, Psalmum illum inscribi Moysi,

non quod ille fuerit auctor, sed quod David Mosem loquentem introduxerit: et rationem adduximus, cur probabile non sit, Psalmos qui carent titulo, ejus auctoris esse, cujus nomen invenitur in Psalmo præcedente. Argumentum Psalmi est exhortatio ad fiduciam in Dei auxilio firmissime collocandam. Id enim in principio ponitur, et per totum Psalmum variis rationibus confirmatur. Forma Psalmi est dramatica: nunc enim loquitur Propheta, nunc homo justus, nunc ipse Deus. Psalmus est plenus metaphoris, et ideo non minus elegans quam difficilis. Quam vero sit utilis, et ad mores formandos accommodatus, vel ex eo cognosci potest, quod ex vetusto Ecclesiæ instituto, quotidie in divino officio frequentatur; idque ad initium noctis, ut Deo protegente, nocturna pericula, hoc armati clypeo propulsemus.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.

Hoc primo versiculo continetur insignis promissio, per quam Spiritus sanctus certos nos reddit, auxilium divinum numquam defuturum iis, qui vere spem suam in Deo repositam habent. Sed verba singula explicemus. *Qui*, hæc prima vox significat promissionem esse generalem; quasi dicat Propheta: Quicumque sit, sive dives, sive pauper, sive doctus, sive patricius, sive plebeius, sive juvenis, sive senex: non enim Deus personam accipit; sed *dives est in omnes, qui invocant illum. Habitat*, hoc significat, promissionem hanc tam liberalem non requirere quamlibet fiduciam, sed assiduam, constantem, firmam, ita ut homo per fidem et fiduciam faciat sibi quasi domum in Deo, in quo habitet, et quiescat, et eam quocumque ierit, circumferat, quomodo testudines faciunt. Vox Hebræa, ישב *iaschab*, habet aliquid majoris energiæ, quam verbum, *habitat*, significat enim sedere, quiescere, durare; itaque sensus erit, qui habitat cum quiete, et perseverentia. *In adjutorio*, vox Hebræa, בסתר *besether*, proprie significat, *in abscondito*, sive *in loco secreto*: sed Septuaginta Interpretes explicaverunt metaphoram cum dixerunt, *in adjutorio;* adjutorium enim Dei non est visibilis aliqua turris, sed arx invisibilis, et secretissima, quæ sola fide invenitur, et penetratur. Vocabulum tamen Græcum, et Latinum admonet, confidendum quidem firmissime esse in Deo, sed non esse negligenda ea quæ studio, et labore humano adhiberi possunt. Exemplo nobis esse possunt agricolæ, qui sperant in eo, qui dat pluvias de cœlo, et solem suum oriri facit: sed interim laborant arando, serendo, metendo, quia sciunt eos adjuvari, qui aliquid cooperando faciunt. *Altissimi:* Multa sunt nomina Dei, sed nomen *Altissimi* hoc loco aptissime ponitur; nam quia Deus est altissimus, id est, in altissimo loco sedet: ideo omnia videt, et nullum nostrum periculum eum latet. Rursum, quia non solum est altissimus, quia omnia speculatur; sed etiam quia in altissimo throno sedet, et omnia subjecta habet, ideo potest ab omnibus periculis nos eruere. *In protectione Dei cœli commorabitur*, hæc est altera pars versiculi, in qua promittitur merces confidentibus in Deo: et sensus est, qui vere confidit in auxilio divino, spe sua non frustrabitur, sed omnino a Domino protegetur. Et pulchre respondent verba singula singulis. Verbo, *habitat*, respondet, *commorabitur;* verbo, *in adjutorio*, respondet, *in protectione;* verbo, *Altissimi*, respondet, *Dei cœli*, sed singula consideremus. In protectione, vox Hebraica, בצל *betsel*, proprie significat, *in umbra*, sive *in umbraculo*, ut S. Hieron. vertit. Septuaginta Interpretes explicare voluerunt metaphoram, et ideo verterunt, *In protectione.* Deus enim, sub umbra alarum suarum instar aquilæ, vel gallinæ protegit confidentes in se. Potest etiam umbra significare gratiam et favorem Principum, quæ umbra facillime, et longissime protegit, ut etiam cervus quidam ubique securus libere vagaretur, quia scriptum gerebat ad collum, *Cæsaris sum, noli me tangere:* sic veri servi Dei ubique tuti sunt, inter leones, ursos, serpentes, ignes, aquas, fulmina, tempestates, quoniam omnes creaturæ umbram Dei cognoscunt, et reverentur. Sed etiam vox Latina, *protectio*, hoc loco valde ad rem facit; protegere enim est procul tegere: potest autem homo procul tegi duobus modis, si vel protector prope adstans sagittas procul venientes repellat; vel si protector quidem procul absit, sed tamen repellat tela vicina, ut gladios, vel pugiones. Utrumque facit Deus; ipse enim manens in nobis repellit sagittas longissime venientes; videt enim prima initia periculorum, et ea, si vult, mirabili virtute in ipso primo exortu extinguit: sic etiam ipse in cœlo sedens pericula nobis quantumvis proxima removet; habet enim oculos acutissimos, et manus longissimas, ut omnia mala nobis imminentia prævenire possit: oculus ejus, intelligentia ejus; manus ejus, potentia ejus; et potentia ejus, voluntas ejus. *Dei cœli*, S. Hieron. vertit, *omnipotentis*, sed vox Hebraica, שדי *saddai*, non solum omnipotentem, sed sibi sufficientem, id est, in se, et per se omnipotentem significat: nam et Apostolus se omnipotentem esse dixit, sed in Deo, non in se, *Omnia, inquit, possum in eo, qui me confortat.* Philip. 4. Septuaginta Interpretes verterunt, *Dei cœli*, quia nullus est sibi sufficiens, nullo egens, et per se, atque in se omnipotens, nisi Deus verus, qui cœlum ex nihilo fecit, *Dii gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit*, Psalm. 95. Et quamvis etiam terra, et mare, et aer sint opera Dei magna, et mirabilia, tamen nihil est in rebus corporalibus majus, et mirabilius cœlo, sive molem, sive pulchritudinem, sive efficaciam, sive velocitatem, sive stabilitatem, consideres. Quare idem Propheta de cœlis singulariter dixit: *Cœli enarrant gloriam Dei;* Psal. 18. *Commorabitur*, hoc significat, confidentem in Deo; non semel, aut iterum, sed assidue protegendum a Deo; erit enim ei protectio Dei non tugurium in via, sed quasi do-

mus paterna, ac propria. In Hebræo est, יתלונן *ithlonan*, id est, *pernoctabit*; quia videlicet protectio nobis necessaria est in nocte, ac tenebris hujus vitæ: non autem in cœlesti patria, ubi nox nulla est, sed perpetuus dies, ut dicitur in Apoc. cap. 21. Hic admirari cogimur insipientiam hominum, qui tantam promissionem tam parvi faciunt; certe enim Principes terræ multa insumunt in custodes corporis sui, aut arcium suarum: et tamen ab eis sæpe produntur. At nunc non homo mendax, et fragilis, sed Deus omnipotens, et verax dicit, *Confide, et protegam*: et vix invenitur, qui sicut oportet, illi se credere velit.

2. Dicet Domino, susceptor meus es tu, et refugium meum, Deus meus, sperabo in eum.

Explicat, et probat Propheta propositionem suam testimonio justi confidentis in Deum, qui de experimento suo testatur. *Dicet*, inquit, *Domino*, id est, gratias agens justus, qui habitat in adjutorio Altissimi, confitebitur Domino beneficium protectionis acceptum. In Hebræo est, אמר *omar*, quod significat, *dicam*; sed sanctus Hieronymus vertit, *dicens*; videtur enim legisse, אמר *omer*. Septuaginta Interpretes verterunt, dicent, quia legerunt, עמר *amar*, et acceperunt præteritum pro futuro: sensus semper est idem, sive legamus, *dicam ego in persona omnium justorum*; sive *dicens justus*, sive *dicet justus Domino*, absolute vocat Deum, Dominum, quia vere ac proprie solus Deus, Dominus est: tum quia non habet superiorem, neque parem; tum quia nulli necessitati servit, cum nulla re indigeat, tum quia omnia serviunt illi ad nutum, sine quo neque esse, neque moveri possunt, tum denique quia solus potest res omnes mutare, destruere, reparare pro arbitrio. *Susceptor meus es tu*, ex Hebræo sanctus Hieronymus vertit, *spes mea*. Et quidem vox Hebraica, מחסי *machsi*, potest quidem significare, *spes mea*, sed potest etiam significare, *susceptor meus*; nam verbum, חסה *chasah*, unde est illud nomen, significat sperare, et etiam recipere se in aliquem locum tutum, denique Septuaginta viri doctissimi non ignorabant vim hujus vocis, et videntur tria ista vocabula, *susceptor meus*, *et refugium meum*, *et Deus meus*, continere tria beneficia Dei, pro quibus justus gratias agit, unum præteritum, alterum præsens, tertium futurum. Primum ergo beneficium est ineffabilis misericordia Dei, qua suscipit hominem jam lapsum in lethale peccatum, et ad gehennam ruentem, de quo dicitur in Psalm. 117. *Impulsus eversus sum, ut caderem, et Dominus suscepit me*; sic enim hunc locum exponit sanctus Bernardus serm. 2. in Psalm. 90. Signum hujus susceptionis est, quando qui ceciderat, resurgit humilior, et fortior, et cautior, ut David, ut Petrus, ut Magdalena. Hoc primum beneficium commemorat homo justus, et confidens in Deo, non quod oriatur ex fiducia (præcedit enim fiduciam, non sequitur), sed quia dicit apud se: Si tam bonus est Deus, ut suscipiat inimicum non confidentem, eique pœnitentiam, et confidentiam inspiret; quam bonus, et fidelis erga amicum, et filium confidentem! Alterum beneficium est præsens, et continetur in illo verbo, *Et refugium meum*. Deus enim, quem suscipit per gratiam justificationis, non statim assumit in cœlum, ubi nulla sunt pericula; sed constituit in acie præliantium militum suorum: sed si confidat in Domino, Dominus illi refugium erit in omni tentatione, et refugium optimum, atque firmissimum; vox enim Hebræa, מצודה *metsura*, quæ hoc loco habetur, significat *munitionem*, sive *arcem munitam*. Tertium beneficium est futurum, et maximum, et significatur in illis verbis, *Et Deus meus*. Deus enim est summum bonum: et quidem Deus semper in se est Deus, ac per hoc summum bonum: sed nobis tunc proprie erit Deus, *quando videbimus eum sicuti est*, ut ait B. Joan. 1. Joan. 3. tunc enim summo bono fruemur. Justus igitur, quia cogitat, et confitetur, Deum sibi fuisse aliquando susceptorem, nunc esse refugium, et post hanc vitam fore beatitudinem; ideo concludit, *sperabo in eum*, id est, firmiter statuo semper sperare in eum in omni periculo, et tentatione; quod B. Job faciebat, cum diceret, *Etiamsi me occiderit, in ipso sperabo*. Job. 13.

3. Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero.

Variant hoc loco codices: nam in Hebræo, יצילך *iatsilecha*, et Græco legimus ῥύσεταί σε, *liberabit te*. S. Hieronymus, et sanctus Augustinus in Commentario hujus Psalmi, et sanctus Gregorius lib. 6. Moralium cap. 15. legunt, *liberabit me*. Editio nostra vulgata habet, *liberavit me*: quomodo legit etiam S. Bernardus serm. 3. in hunc Psalmum. Res non est magni momenti, sed si legatur in secunda persona, verba erunt Prophetæ, et continuabuntur cum sequentibus: si legatur in prima persona, erunt verba hominis justi, et continuabuntur cum præcedentibus: sic etiam, si legatur verbum temporis futuri, erit promissio; si temporis præteriti, erit confessio, beneficium autem, quod hic commemoratur, idem omnino est, sive exprimatur in prima persona, sive in secunda, sive in præterito, sive in futuro. Nos editionem nostram sequimur. Ergo vir justus, qui dixerat, *Sperabo in eum*, subjungit rationem, *Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero*. Quibus verbis duo beneficia continentur, unum temporale, spirituale alterum: beneficium temporale est liberatio ab insidiis, dolis, fraudibus malorum hominum, ex quibus detrimenta temporalia oriuntur; fraudes enim sunt laquei, verbum asperum est detrimentum quod inde sequitur; verbum enim apud Hebræos passim accipitur pro ipsa re. Et quoniam fraudes, et doli plerumque fiunt per instrumentum linguæ; ideo Ecclesiasticus cap. 51. dicit, *Liberasti me a laqueo linguæ iniquæ*. Deus igitur singulari providentia sua fecit, et faciet deinceps, ut justis confidentibus in adjutorio Altissimi non obsint fraudes, et insidiæ impiorum. Alterum beneficium est longe majus, liberatio videlicet a tentationibus dæmonum: tanta est enim dæmonum versutia, ut non immerito homines quamtumvis prudentes cum dæmonibus comparati bestiolæ esse videantur. Igitur venatores, dæmones sunt, de quibus Apostolus dicit, *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum Diaboli*. 1. Tim. 5.

et, *Resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur.* 2. Tim. 2. Sunt autem dæmones, et plurimi numero, ut aerem istum caliginosum ferme totum repleant, teste S. Hieronymo in c. 6. ad Ephes. et potentissimi, ac ferocissimi, ut in Scripturis leonibus, et draconibus conferantur. 1. Petri 5. et Apocal. 12. neque aliud negotium habent, quam assidue rugiendo circuire quærentes, quem devorent : quæ si serio, et attente cogitaremus; cum timore et tremore magno vigilaremus in orationibus, non minus, quam fecisse Danielem credibile est, cum esset in lacu leonum, et tres pueros in camino ignis ardentis. Laquei sunt omnes res creatæ, quæ sensus humanos oblectare possunt, sive quæ concupiscentiam carnis, vel concupiscentiam oculorum, vel superbiam vitæ irritare solent : de quibus dicit Sapiens, *Creaturæ factæ sunt in muscipulam pedibus insipientium,* Sap. 14. et, *In medio laqueorum ingredieris,* Eccles. 9. Verbum asperum, est mors animæ, quam incurrit qui laqueis istis capitur; sic enim vertit ex Hebræo S. Hieronymus, *Liberabit te de laqueo venantium, et de morte insidiarum :* nam ut supra diximus, per verbum res ipsa intelligi debet, quod si quis velit per verbum asperum, proprie verbum ipsum accipere; poterimus per verbum asperum intelligere sententiam Judicis supremi, *Ite maledicti in ignem æternum;* vel, ut docet S. Bernardus serm. 3. in hunc Psalmum, *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei,* hoc enim verbo nihil asperius cogitari potest, cum eo significetur privatio omnium bonorum, et cumulus omnium malorum, non temporalis, sed æternus, hanc sententiam justissimi Judicis Dei juste merentur, qui voluntarie laqueis venatorum dæmonum se implicari sinunt.

4. Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis.

Incipit nunc Propheta ipse loqui, et confirmat verba hominis justi, ac si dicat, Merito dixisti, *sperabo in eum, quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero.* Vere enim liberavit te, et deinceps semper liberabit ab omni periculo : nam, dum eris parvulus, et impar hostibus tuis, fovebit te sub alis suis, quomodo aquila, vel gallina fovet pullos suos; quando autem creveris, et per te pugnare poteris; dabit tibi scutum firmissimum, per quod invulnerabilis esse poteris; sed in hoc versiculo explicatur solum prior similitudo, in sequenti explicatur posterior. In Scripturis sanctis duabus avibus comparatur Deus, aquilæ, et gallinæ, Deut. 32. *Sicut aquila provocans pullos suos, et super eos volitans.* Matth. 13. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos.* Aquila erat Deus ante incarnationem, gallina factus est post incarnationem : vel, si placeat ad Christum omnia referre, Christus, ut Deus, est aquila; ut homo, gallina, vel Christus homo tempore mortalitatis suæ gallina fuit, post resurrectionem aquila. Ait igitur, *scapulis suis obumbrabit tibi*, id est, Deus instar aquilæ, vel gallinæ sub alis suis te colliget, et sic sub alis suis obumbrabit tibi, ut neque ab ardore solis, neque a pluvia, et ventis, neque a morsibus milvorum timeas : quare tutissime *sub pennis ejus*, id est, sub ejus protectione, et defensione constitutus, sperare poteris liberationem, et incolumitatem.

5. Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis a timore nocturno.

6. A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu, et dæmonio meridiano.

Explicat nunc Propheta alteram similitudinem pro majoribus, qui per se pugnare possunt, hos enim Deus armat scuto admirabili. Finxerunt Poetæ Achillem et Æneam scuto quodam cœlesti donatos fuisse, ut invulnerabiles fierent : sed illæ fabulæ sunt. Hic autem clypeus de quo loquitur David, vere clypeus cœlestis est, et invulnerabiles reddit eos, qui ipso bene uti sciunt : et dicit Propheta, *Scuto circumdabit te,* quoniam scutum non est simile galeæ, quæ solum caput tegit, vel loricæ, quæ tegit pectus et scapulas : sed est generalis quædam defensio, cum possit attolli, demitti, converti ad omnes partes, et opponi omnibus ictibus. *In omnibus,* inquit Apostolus ad Ephes. 5. *sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* S. Hieronymus ex Hebræo vertit, *scutum et protectio veritas ejus.* Sed facile est videre quæ fuerit causa diversæ translationis : nam S. Hieronymus legit, וסחרה *vosochera, et protectio,* Septuaginta vero Interpretes legerunt, יסחרך *ischorecha,* circumdabit te. Facile autem fuit negligentia librariorum mutari primam, et ultimam litteram. Melior est autem lectio, quam Septuaginta Interpretes habuerunt, quam ea sit quam habuit S. Hieronymus : nam verbum סחר *sachar*, circuire, et circumdare significat : nomen סחרה *sochera*, scutum rotundum proprie designat : non est autem verisimile, Prophetam scripsisse scutum et scutum; ad quam repetitionem vitandam, S. Hieronymus vertit, scutum et protectio : quamvis illa vox proprie non protectionem, sed scutum significet. Porro scutum hoc veritas est, sic enim dictum est, *Scuto circumdabit te veritas ejus,* ac si dictum esset : Circumdabit te veritas Domini instar scuti, vel clypei. Veritas Domini in Scripturis sacris duobus modis accipitur, uno modo pro veracitate, et constantia in scrutandis promissis, ut in Psalm. 88. *Veritas mea et misericordia mea cum ipso,* et infra, *misericordiam meam non dispergam ab eo, neque nocebo ei,* id est, non decipiam eum, *in veritate mea :* altero modo pro veritate Fidei revelata per Apostolos et Prophetas : de qua dicitur Joan. 17. *Sermo tuus veritas est,* et Prov. 31. *Omnis sermo Domini clypeus ignitus est :* et ad Ephes. 6. *In omnibus sumentes scutum fidei,* id est, veritatis, quæ sola fide percipitur, cum sit veritas supernaturalis. Utraque veritas clypeus est optimus ad propulsanda jacula omnia inimici, sive in prosperis, sive in adversis : nam veritas promissionum Dei est immobilis et firma, ut de ea dici possit : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt,* Luc. 21. Est enim veritas Dei, quasi terra solida, in qua anchora Spei tutissime figitur. Anchora, dum per aquam descendit, non firmat navim, quoniam aqua est elementum liquidum, et instabile : at dum terræ adhæret, firmissime navim retinet. Sic spes nostra, dum adhæret promissionibus hominum, non potest non semper nutare : sed cum in Dei veritate figitur, firmissima permanet, *est enim*

Deus verax, omnis autem homo mendax, inquit Apostolus ad Rom. 3. Et quis ei nocere poterit, cui protectionem promittit Deus, qui mentiri non potest? nec minus veritas Fidei instar scuti protegit, dum nos certos reddit, esse post hanc vitam paratam justis felicitatem æternam, et impiis supplicia sempiterna : futurum judicium in novissimo die, in quo singuli homines rationem exactissimam reddent Judici Deo omnium operum, verborum, cogitationum, desideriorum, omissionum, denique otiosi cujuslibet, brevissimique sermonis. Hæc enim, et similia, quæ veritas fidei nobis ostendit, facile protegere nos possent ab omni tentatione, tam in rebus prosperis quam in adversis, si hoc scuto assidue uteremur, id est, si veritates fidei assidue et fideliter cogitaremus. Quis enim non fortiter adversus terrores omnes persistet, si attente cogitet illa verba Domini, Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum qui potest corpus et animam perdere in gehennam?* Et quis vana blandimenta sæculi, et injusti lucri occasiones non facile spernet, si verba illa cœlestis Magistri serio considerare voluerit, Matth. 16. *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur : animæ vero suæ detrimentum patiatur?* aut, *Quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Sequitur, *Non timebis a timore nocturno, etc.* In quibus verbis Propheta explicat generatim pericula, in quibus avertendis scuto veritatis opus habemus. Sunt autem verba valde obscura, et a scriptoribus varie exponuntur. Duæ videntur expositiones præcipuæ. Una sancti Augustini, qui per *timorem nocturnum*, intelligit tentationem levem, sed occultam : per *sagittam volantem in die*, tentationem levem, sed manifestam; per *negotium perambulans in tenebris*, tentationem gravem, sed occultam; per *dæmonium meridianum*, tentationem gravem, sed manifestam. Altera est sancti Bernardi serm. 6. in hunc Psalmum, qui per *timorem nocturnum*, intelligit tentationem pusillanimitatis; per *sagittam volantem in die*, tentationem vanæ gloriæ: per *negotium perambulans in tenebris*, tentationem ambitionis vel avaritiæ: per *dæmonium meridianum*, tentationem operis mali sub specie boni. Possumus addere tertiam expositionem quæ ex parte S. Joannis Chrysostomi esse videtur, ut per noctem intelligatur tempus adversitatis, per diem tempus prosperitatis : et hic sit sensus, *Non timebis a timore nocturno*, id est, in nocte adversitatis non timebis ab iis rebus, quæ non lædunt, si non timeantur : talia sunt detractiones, convicia, contumeliæ, quæ nocent illi a quo dicuntur; non illi in quem dicuntur, nisi ipse timendo, et eas magni faciendo seipsum lædat. *A sagitta volante in die*, id est, in die prosperitatis non timebis verba laudantium et adulantium, quæ superbiam gignunt, et instar sagittarum occidunt incautos. *A negotio perambulante in tenebris*, id est, in tenebris adversitatis non timebis veras calamitates, et persecutiones, quas homines impii negotiando negotia iniquitatis inferunt justis. *Ab incursu et dæmonio meridiano*, id est, in meridie prosperitatis, non timebis a gravissimis, et notissimis sceleribus ad quæ nimia opulentia, vel potentia illos impellit. Possumus et quartam expositionem adjungere, quæ præter cæteras simplex et litteralis esse videtur, ut sensus sit, non timebis ulla pericula, neque nocturna, neque diurna. Illud enim, *Non timebis a timore nocturno*, significat, non afficieris timore ab ulla re, quæ nocturno tempore timorem incutere potest. Accipitur enim timor pro re quæ timetur, ut 1. Petr. 3. *Timorem eorum ne timueritis*. Sicut spes accipitur pro re sperata; et desiderium pro re quæ desideratur, ad Tit. 2. *Expectantes beatam spem*, id est, beatitudinem quæ speratur, et Psal. 77. *Desiderium eorum attulit eis*, id est, rem quam desiderabant. Illud autem, *A sagitta volante in die*, significat, non timebis offensionem, sive calamitatem ullam diurnam. Ponitur enim sagitta pro quacumque re quæ lædere potest interdiu, species videlicet pro genere. Illud vero, *A negotio perambulante in tenebris*, est repetitio et explicatio illorum verborum, *non timebis a timore nocturno*, significat enim negotium perambulans in tenebris nocturnis. Vox Hebraica, דבר *dabar*, significat proprie *verbum*, sed accipitur pro re quacumque, quomodo etiam accipitur negotium pro quacumque actione, quæ lædere potest. S. Hieronymus vertit, a peste in tenebris ambulante, quia legit דבר *deber*, quod significat *pestem*, sed Septuaginta Interpretes legerunt דבר *dabar*, quod significat *verbum*, id est, rem omnem. Illud denique, *ab incursu et dæmonio meridiano*, est repetitio et explicatio illorum verborum, *A sagitta volante in die*; significat enim incursus, et dæmonium meridianum, omnem occursum malum, sive omnem læsionem, omnem ærumnam quæ accidere potest in die, atque adeo in ipso tempore meridiano. Sanctus Hieronymus vertit, *a morsu insanientis meridie*. Sed verbum Hebraicum, קטב *keteb*, significat *morsum*, e *excidium*, et *ruinam* : ideo Septuaginta Interpretes non male verterunt, incursum, ut designarent generatim omnem occursum malum. Vox autem, ישוד *iasud*, quam S. Hieronymus vertit, *insanientis*, videntur Septuaginta Interpretes legisse, litteris transpositis, ושיד *vesed*, quod significat, *et dæmonio*. Vocat autem David dæmonium meridie, sive meridianum, omnem aggressorem robustum et potentem, qui non timet in ipso meridie nocere et lædere; quoniam enim dæmon princeps est omnium iniquorum et malefactorum, recte transfertur hoc nomen ad omnes iniquos et malefactores præsertim audaces, et robustos. In summa, continetur in omnibus his verbis generalis promissio, qua securi redduntur ab omni periculo nocturno et diurno, qui confidunt in Deo, et armati sunt clypeo veritatis : nam, *Si Deus pro nobis quis contra nos?* Rom. 8. *Et quis est, qui vobi noceat, si boni æmulatores fueritis?* 1. Petr. 3

7. Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis : ad te autem non appropinquabit.

Pergit Propheta, et describit victoriam hominis justi confidentis in Deo, et rite utentis clypeo veritatis. Possunt autem illa verba, *Cadent a latere tuo*, exponi de sagittis, ut vult Euthymius, vel de hostibus, ut docent Theodoretus et sanctus Bernardus, vel de commilitonibus, ut indicat S. Augustinus. Omnia sunt vera, sed expositio S. Augustini videtur anteponenda. Nam sagittæ quidem repercussæ a scuto, cadent in magna copia, sed non satis est ad victoriam

sagittas repellere, nisi etiam occurratur timori nocturno, negotio perambulanti in tenebris, et dæmonio meridiano. Itaque prima expositio non plene hunc locum explicat. Altera expositio melior, duobus modis potest intelligi : uno modo ut hostes dicantur casuri felici casu : quod tunc fit, cum infideles convertuntur ad fidem, et peccatores convertuntur ad justitiam, et sic prosternuntur, et occiduntur, ut moriantur peccato, et de hostibus fiant amici. Altero modo, ut hostes dicantur casuri infelici casu, quod fit cum hostes justorum, sive dæmones, sive homines mali, repelluntur a justis, et non solum non obtinent victoriam, sed etiam victi prosternuntur et cadunt : nec solum non lucrantur nova gaudia : sed graviora sibi ipsis præparant supplicia. Tertia expositio verissima est, et simplex, ac litteralis; vult enim Propheta justos admonere, ut magni faciant gratiam hujus victoriæ, cum rara sit, et ad paucos omnino pertineat : *Cadunt* enim in hoc prælio ex commilitonibus *mille a latere, et decem millia a dextris, ad ipsum autem non appropinquabit*, neque timor nocturnus, neque sagitta volans in die, neque negotium perambulans in tenebris, neque dæmonium vastans, et sæviens in meridie. Porro per latus videtur intelligi sinistra, cui opponitur dextera : et quidem mille dicuntur casuri a latere, id est, a sinistra, et decem millia a dextris; quoniam per sinistram intelligitur adversitas, per dexteram prosperitas. Multo autem plures ex hominibus cadunt, et pereunt ex prosperitate, quam ex adversitate. Prosperitas enim dat occasionem superbiæ, deliciis, licentiæ, audaciæ, et aliis id genus malis : adversitas vero reddit homines humiles, castos, patientes. *Tribulatio enim*, ut ait Apostolus ad Rom. 5. *patientiam operatur*. Jamvero numerus ille mille, et decem millium, nihil aliud significat nisi multos casuros a sinistris, sed multo plures a dextris. Quomodo accipiuntur hi numeri lib. 1. Reg. c. 18. *Saul percussit mille, et David decem millia*. Et Deut. 32. *Quomodo persequatur unus mille, et duo fugent decem millia*.

8. Veruntamen oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis.

Hæc est nova causa lætitiæ homini justo, cui non solum promittitur victoria, sed etiam quod sit cum magna voluptate visurus propriis oculis inimicos suos jacentes, et pro meritis punitos, quæ promissio impletur aliquando in hac vita. Sic enim viderunt filii Israel Ægyptios mortuos, et jacentes in littore maris Rubri, Exod. 14. Sic viderunt Moses et Aaron absorberi vivos a terra Dathan et Abyron, Num. 16. Sic Ezechias vidit cadavera prostrata exercitus Sennacherib, 4. Reg. 19. Sic Judith, et populus Dei, vidit caput Holophernis amputatum, et exercitum ejus fusum, et fugatum, Jud. 15. Sed plenissime implebitur hæc promissio in die novissimo : tunc enim videbimus omnes inimicos nostros humi jacentes, inermes et nudos, et sine ullis viribus, et pœnæ sempiternæ addictos. *Veruntamen*, inquit Propheta, *oculis tuis*, id est, non ex auditu et fama cognosces, sed tu ipse cernes, illis ipsis oculis, quibus vidisti arma hostium, et pericula, qui quidem oculi tunc proprie tui erunt post resurrectionem; nunc enim quomodo tui sunt, quos te invito curiositas aperit, somnus claudit, fumus affligit, senectus obscurat, mors extinguit? *Considerabis*, id est, non obiter, et per transitum videbis, sed diligenter et accurate considerabis omnes hostes tuos, qui sint, quot sint, quid meruerint, quid patiantur. *Et retributionem peccatorum videbis*, id est, et tunc plane perspicies quam mercedem habeant omnes impiorum labores. Ex quo existet pulcherrima species rerum : nunc enim omnia confusa, et perturbata esse videntur, nam cum pœna debeatur culpæ, et præmium virtuti, sæpe accidit ut justi affligantur, et iniqui honorentur, et per hoc justitiæ copuletur dolor, et iniquitati conjungatur gaudium : sed in die novissimo omnia ponentur suo loco, et pœna retribuetur culpæ, eique jungetur insolubili nexu, et major pœna majori culpæ reddetur, et minor minori : et contra, nexu pariter insolubili præmium adjungetur justitiæ, et majori justitiæ majus præmium, et minus minori reddetur : et tunc implebitur quod dicitur in Psal. 57. *Lætabitur justus, cum viderit vindictam*, id est, cum retributionem peccatorum viderit : non quidem lætabitur ob calamitates miserorum; sed ob decorem justitiæ, et sapientiæ divinæ, quæ splendebit mirum in modum in suppliciis impiorum.

9. Quoniam tu es Domine spes mea, Altissimum posuisti refugium tuum.

Hic versiculus facilis est quoad verba, quæ sunt omnia declarata in explicatione primi, et secundi versiculi : sed de connexione non levis quæstio est : nam in verbis præcedentibus loquebatur Propheta cum homine justo, dicens; *Oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis :* nunc videtur loqui cum Deo, dum ait, *Quoniam tu es Domine spes mea :* et non apparet, quorsum hæc dicat. Et rursum verba sequentia, *Altissimum posuisti refugium tuum*, ad hominem justum dirigi videntur, sed non apparet ulla connexio. Theodoretus et quidam alii volunt subintelligi verbum, *dixisti*, ut hic sit sensus, Quoniam dixisti, tu es Domine spes mea, ideo altissimum posuisti refugium tuum. Euthymius et alii nihil existimant subintelligi debere : sed verba priora hujus versiculi esse hominis justi, verba posteriora esse Prophetæ; jam enim admonuimus Psalmum esse dramaticum, et ad formam dialogi factum, ut quamvis non designentur nominatim personæ, tamen nunc Propheta, nunc homo justus, nunc Deus loqui intelligatur. Igitur posteaquam Propheta viro justo dixit, *Scapulis suis obumbrabit tibi Deus*, ut gallina pullo; et *scuto circumdabit te*, ut Imperator militem; et *non timebis a timore nocturno*, vel *diurno;* et multi hinc inde a dextris, et a sinistris cadent, sed tibi malum non appropinquabit, quin potius devictos hostes oculis tuis videbis : justus vir his auditis interloquitur, et ad Deum conversus dicit, *Quoniam tu es Domine spes mea*, id est, vera sunt quæ audivi; sed ideo vera sunt, quoniam tu es Domine spes mea, non confido in viribus, et armis meis, non in viribus et armis amicorum meorum, sed in te uno confido, qui es unica, et tota spes mea; dicitur autem Deus ipse spes justorum, quoniam justi non sperant solum auxilium a Deo, sed ipsum Deum sperant sibi fore veluti arcem munitissimam, ad

quam confugientes tempore persecutionis, et in qua per fidem, spem et charitatem, perque orationem et contemplationem habitantes, nihil adversi pati possint. Atque hoc bene Propheta intellexit, et ideo subjunxit, *Altissimum posuisti refugium tuum*, quasi diceret, recte, ac sapienter posuisti Deum spem tuam, sic enim refugium tuum constituisti in arce omnium altissima. et munitissima, ad quam (ut in versiculo sequenti dicetur) nullum malum pertingere poterit. Ubi observandum est, per Altissimum, non intelligi rem aliquam altissimam, sed ipsum Deum, cujus unum ex nominibus est *Altissimus :* nam in Hebræo habetur ועליון *hhelion*, quod est unum ex decem nominibus Dei, et significat *Altissimum*, sive *Excelsum*, et in Græco habetur ὕψιστον, generis masculini, et καταφυγήν, generis feminini. Ex quo intelligimus nomen *Altissimum*, non esse adjectivum, quod cum substantivo, *refugium*, concordari debeat, ut sensus sit, posuisti tibi refugium altissimum, sed elegisti tibi Deum, qui dicitur et est Altissimus, in domum sive arcem refugii.

10. Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Explicat nunc Propheta quid boni consequatur justus ex eo, quod refugium sibi constituit in Altissimo; ac dicit eum tutissimum fore ab omni malo. Duplex est malum, culpæ, et pœnæ. Malum culpæ absolute et simpliciter malum est, ideo de malo culpæ intelligimus, *Non accedet ad te malum;* malum pœnæ non est simpliciter malum, propterea de malo pœnæ explicandum existimamus id quod sequitur, *Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Malum culpæ esse malum absolute et simpliciter, malum pœnæ non item, ex eo constat, quod malum culpæ facit hominem malum, malum pœnæ non facit malum, sed miserum: malo culpæ nemo bene uti potest; malo pœnæ bene uti possumus. Malum culpæ non potest dici bonum, quia non est justum, cum sit iniquitas: neque est utile, cum is qui peccat semper plus perdat, quam lucretur; malum pœnæ bonum dici potest, cum sæpe sit justum et utile; mali culpæ non est auctor Deus, qui est auctor omnis boni: malum pœnæ a Deo est Judice justo. Denique id etiam colligitur ex verbis Prophetæ: nam, cum dicit, *non accedet ad te malum*, loquitur de malo, quod in nobis est, et extra nos esse non potest; et tale est malum culpæ, quod nonnisi intra nos, id est, in libero nostro arbitrio esse potest, cum addit, *et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Loquitur de malo, quod potest locum habere in rebus nostris, in liberis, in servis, in domo, in agris, in substantia reliqua, et tale est malum pœnæ. Sed existit non levis dubitatio, de veritate hujus promissionis: nam David unus erat ex justis, et confidentibus in Deo: et tamen ad eum accessit malum culpæ, adulterium, et homicidium, et flagellum, imo flagella multa appropinquaverunt tabernaculo ejus: sic enim ipse dicit in Psal. 72. *Lavi inter innocentes manus meas, et fui flagellatus tota die*, quod idem dici potest de Job, Tobia, Prophetis, et Apostolis, et de ipso Christo, quod ad flagellum attinet: omnes enim flagellati sunt, imo *Deus ipse flagellat omnem filium quem recipit*, ad Hebr. 12. Duæ sunt responsiones, quæ dari possunt ad hanc dubitationem. Prior est, hanc promissionem non pertinere ad hanc vitam, sed ad futuram, quando impletum erit illud, *Oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis :* tunc enim in tabernaculum cœleste ingressi, tutissimi erimus ab omni malo tam culpæ, quam pœnæ: nam ideo *confortavit Deus seras portarum cœlestis Jerusalem*, ut dicitur Psal. 147. *et posuit fines ejus pacem*, ut flagellum ad ipsam appropinquare non possit. Posterior solutio est, pertinere quidem hanc promissionem ad tempus hujus vitæ, sed sano modo esse intelligendam: nam non accedet malum culpæ ad electos justos, et in Deo confidentes, non quod peccare non possint, sed quia per divinam, et singularem providentiam ipsum etiam peccatum ipsis cooperabitur in bonum: quoniam permittet Deus eos in peccatum labi, ut inde fiant humiliores et cautiores, et tanto magis accendantur in amorem Dei, quanto se agnoscent ejus gratiæ, et misericordiæ magis debitores. Sic de S. Petro dicit B. Gregorius hom. 21. in Evangelia, quod idem de S. Apostolo Thoma, et S. Maria Magdalena, aliisque permultis dici potest. Flagellum vero, id est, malum pœnæ non appropinquabit tabernaculo ipsorum, quoniam ipsi habitantes per desiderium in cœlesti tabernaculo, et conversantes cum Apostolo Paulo per assiduam contemplationem in cœlo, mala ista temporalia vix sentient, et omnino contemnent: imo mala esse non reputabunt, sed bona, cum materiam patientiæ, et segetem gloriæ illis præbeant: hoc certe sentiebat Apostolus, cum diceret, *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*, 2. Corinth. 7.

11. Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Hunc versiculum, et sequentem allegavit diabolus in disputatione cum Christo, Matth. 4. sed perperam; quoniam Christus non eguit custodia Angelorum, ut S. Thomas docet in 1. p. q. 113. art. 4. ad primum, Christus enim ratione divinitatis custos est Angelorum et hominum, *et omnia portat verbo virtutis suæ*, ad Hebr. 1. Ratione animæ, beatus erat, ac per hoc custodia non egebat, quemadmodum neque nos egebimus, cum beati erimus. Denique ratione carnis, eguit quidem tempore mortalitatis suæ protectione aliqua, sed eam illi exhibebat Verbum divinum, cum quo hypostatice unita erat, sed his omissis; quoniam poterat homo justus dicere, jam quidem securus sum nihil mihi mali eventurum, cum ero in cœlesti tabernaculo; sed audire cupio, quis me custodiet in via, ne forte errem a recto itinere, vel incidam in latrones, aut in foveam aliquam ruam: respondet Propheta. Ne timeas, quoniam *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Sed verba singula consideremus, *Quoniam*, hæc particula reddit rationem verborum sequentium, non præcedentium; est enim sensus, quoniam Deus mandavit Angelis, ut custodiant te in via, ideo ipsi Angeli in manibus te tollent, ne unquam offendas ad lapides pedem tuum. *Angelis*, Angeli sunt spiritus beati, et Principes nobilissimi, et eorum custodia tutissima est, quoniam potentissimi, sapientissimi, optimi sunt: ex quo admonemur, quanti Deus faciat

genus humanum, cui tam magnos Principes attribuit quasi pædagogos : sed cur dicit, Angelis, et non potius Angelo; quoniam habemus quidem singuli singulos Angelos custodes proprios, ut colligitur ex verbis Domini; Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*, et ex Actis Apostol. c. 12. *Angelus ejus est*, tamen habemus etiam Angelos alios custodes communes, eos videlicet, qui præsunt civitatibus, aut Regnis, de quibus vide Danielem c. 10. et sanctum Basilium lib. 3. in Eunomium. *Suis*, hoc additur, quoniam sunt etiam angeli mali, de quibus dicitur Apoc. 12. *Et Draco pugnabat, et angeli ejus;* Deus ergo mandavit Angelis suis, ut te custodiant, non mandavit Angelis alienis, qui non custodire, sed perdere tantum noverunt. Origenes hom. 35. in Lucam, et ex eo loco Cassianus collatione 13. docent Deum unicuique nostrum duos Angelos attribuisse, unum bonum, qui nos protegendo custodiat, alterum malum, qui nos tentando exerceat. Sed falsa ista sententia est. *Deus enim intentator malorum est*, Jacob 1. et mali Angeli non egent mandato Dei, ut nos tentent, satis enim per se ad hoc agendum prompti sunt. *Mandavit*, hæc est præcipua causa, cur Angeli diligentissime nos custodiant, quia videlicet Deus id eis mandavit, quamvis enim libenter id faciant, quia nos amant, et quia malos Angelos oderunt, et quia cupiunt instaurari sedes cœlestis Jerusalem, et quia sciunt id esse gratissimum Regi suo Christo Domino : tamen nihil magis eos movet, quam præceptum Domini : intelligunt enim se esse ministros Dei, et Deum nihil magis requirere a ministris suis quam promptam, ac simplicem obedientiam. *De te*, hoc significat, Deum quidem omnium hominum providentiam gerere, et omnibus ac singulis hominibus Angelum custodem dedisse : tamen peculiari affectu prosequi homines justos, atque in se confidentes, et ideo peculiari studio mandavisse Angelis suis de te, id est, de te homine justo, et confidente in auxilio ejus. *Ut custodiant te*, hoc est quod Deus Angelis bonis mandavit, ut custodiant justum ab hoste invisibili, id est, ab Angelis malis : quandoquidem homo, qui carne circumdatus est et nihil cernere potest, nisi quod oculis carnis manifestatur, impar est ad prælium cum dæmonibus, nisi a potentiore adjuvetur. *In omnibus viis tuis*, non dicit in via, sed in viis, et in omnibus viis ; quia multæ sunt viæ hominis, et in omnibus auxilio Angeli custodis eget. Via est lex, juxta illud Psal. 118. *Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini*, et ibidem. *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Via quoque est operatio, juxta illud Proverb. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Denique vita præsens est quædam via, ut S. Basilius pulchre docet in explicatione Psalmi primi. Via legis est multiplex, quia multæ sunt leges; via operationis est etiam multiplex, quia multæ sunt operationes; via quoque vitæ est multiplex, quia multæ sunt partes vitæ, multæ ætates, multi status. In omnibus igitur istis viis egemus custodia, quoniam labi possumus in omni lege, in omni operatione, in omni ætate, et statu vitæ nostræ.

12. **In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.**

Hic versiculus plenus est metaphoris, sed alioqui facillimus est. Itaque solum explicandum est quæ sint manus Angelorum, qui lapides in via, qui pedes hominum. *Manus Angelorum*, sunt intellectus, et voluntas; sive sapientia et potentia; nam intelligendo et volendo omnia faciunt. *Lapides in via*, sunt omnia impedimenta, quæ occurrunt in hac vita, sive temporalia, sive spiritualia: scandala, tentationes, persecutiones, et similia. *Pedes*, quibus ad lapides offendere solemus, sunt affectus humani : Pes tuus, inquit S. Bernardus serm. 13. affectio tua, et S. Augustinus in Psal. 94. Pedes nostri, inquit, in hoc itinere affectus nostri sunt. Duo sunt autem principales affectus, quasi duo pedes, amor et timor : et quocumque homo operando, loquendo, desiderando pergit, vel amore movetur, vel timore : amore acquirendi aliquid boni, vel timore illud amittendi; sive amore cavendi malum, vel timore in illud incidendi; tunc autem offendimus pedem ad lapidem, cum oblata occasione temporalis boni acquirendi, vel temporalis mali evadendi labimur in peccatum, unde bonum æternum amittimus, et sempiternum supplicium incurrimus : sed qui habitant in adjutorio Altissimi, ab Angelo custode ita juvantur, ut vel occasio illa tollatur, id est, lapis ille de via removeatur : vel animus ita illustretur ad vera bona, et vera mala internoscenda, ut pede, id est affectu elevato a terra, occasio temporalis boni, quod sine peccato acquiri non potest, et facile contemnatur, et malum temporale, quod sine peccato vitari non potest patientissime toleretur.

13. **Super Aspidem, et Basiliscum ambulabis, et conculcabis Leonem, et Draconem.**

Posteaquam Propheta loquutus est de Angelis bonis, qui justum in Deo confidentem custodiunt : adjungit de Angelis malis, ac dicit, eos justo confidenti non prævalituros, sed e contrario ab eo conculcandos, et conterendos, juxta illud Apostoli, Rom. 16. *Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter.* Vocat autem Satanam Propheta serpentem propter astutiam, et leonem propter ferociam : et quoniam multa sunt genera serpentium, vocat eum aspidem, basiliscum, et draconem, quoniam cum astutia, quæ omnibus serpentibus communis est, habet aspis conjunctam obstinationem, basiliscus crudelitatem, et draco potentiam, et vires maximas : quæ omnia Diabolo mirifice conveniunt. Neque solum hoc loco Diabolus vocatur serpens et leo, sed etiam alibi sæpe : nam Job. 26. et Isaiæ 28. *Serpens sive anguis tortuosus* nominatur, Apoc. 12. dicitur *Draco*, et c. 20. *Serpens antiquus.* 1. Pet. 5. *Leo rugiens*, atque hæc videtur esse expositio litteralis, quam sequuntur SS. Patres Chrysost. et August. et alii, tamen rejiciendæ non sunt aliæ tres expositiones, quæ ad hunc locum adferri solent. Una est Theodoreti, et Euthymii, quod hoc loco promittatur subjectio verorum serpentum, et leonum hominibus justis, atque in Deo confidentibus. Scimus enim Danieli non nocuisse leones, neque S. Paulo viperam, et in historiis SS. Patrum a S. Gregorio, Sulpitio, Palladio, aliisque bonis auctoribus descriptis, non rara sunt exempla subjectionis exhibitæ sanctis viris a leonibus, et serpentibus, aliisque sylvestribus feris. Altera est per ista quatuor nomina intelligi quatuor persecutiones Ecclesiæ : persecu-

tionem Judæorum, qui instar aspidum surdarum obstinatissimi sunt; persecutionem hæreticorum, qui per basiliscum designantur; persecutionem Paganorum, qui leonibus comparari possunt; et persecutionem Antichristi, qui satis apte Draco nominari potest. Hanc explicationem ex parte indicavit S. Augustinus. Tertia est S. Bernardi, et aliorum, qui per ista quatuor animalia quatuor vitia significari docent; per aspidem videlicet obstinationem, vel avaritiam; per basiliscum invidentiam; per leonem superbiam: per draconem iracundiam. Sed vir justus, non suis viribus, sed auxilio Dei fretus, facile per charitatem super aspidem, et basiliscum ambulabit, et per humilitatem conculcabit leonem et draconem.

14. Quoniam in me speravit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Quoniam *in ore duorum vel trium testium stat omne verbum*, ut dicitur Deut. 17. Propheta sanctus tribus testimoniis probare voluit, quod initio promisit, eos omnes protegendos a Deo, qui vere confidunt in Deo. Primum testimonium fuit hominis justi, qui ex proprio experimento testimonium reddidit veritati dicens, *Quoniam ipse liberavit me laqueo venantium, etc.* Alterum testimonium fuit ipsius Prophetæ, qui ut Spiritus sancti tuba, vel præco dixit, *Scapulis suis obumbrabit tibi, etc.* Testimonium tertium est ipsius Dei, qui in tribus ultimis versiculis confirmat omnia, quæ supra dicta sunt, et multa etiam addit: Sunt enim in his tribus versiculis octo promissa Dei, quæ optimo ordine incipiunt a liberatione a malis, et procedunt usque ad exaltationem ad summum bonum. Et quidem quatuor pertinent ad hanc vitam. *Liberabo eum, protegam eum, exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione:* quatuor reliqua ad futuram, *eripiam eum, glorificabo eum, longitudine dierum replebo eum, ostendam illi salutare meum.* Ait igitur, *Quoniam in me speravit, liberabo eum,* libertas, quæ hic promittitur, sive liberatio potest intelligi generatim ab omnibus malis, et potest referri ad liberationes supradictas per Angelos, per scutum, et per alias res, ut sensus sit, non putet justus liberari se posse per scutum, vel per Angelos sine me, illa enim sine me nihil possunt: sed ego liberabo eum per scutum, per Angelos, et sæpe etiam per meipsum sine illis, quoniam in me, non in illis potissimum speravit. Cæterum, potest etiam altiore sensu significari hoc loco libertas a tyrannide vitiorum, quæ est libertas propria hominum justorum perfectorum: et præter cæteras omnes maxime expetenda, de qua Dominus dicit in Evangelio Joan. 8. *Qui facit peccatum, servus est peccati,* et, *si vos filius liberaverit, vere liberi eritis.* Hæc vero libertas non datur omnibus, sed sperantibus in Deo, *Quoniam,* inquit, *in me speravit, liberabo eum,* ubi vox hebræa, חשק *chasak,* adhærere, diligere, placere significat: quare non quæcumque spes, sed ea fiducia, quæ oritur ex bona conscientia, et ex dilectione et filiali adhæsione nascitur, liberat hominem a tyrannide vitiorum; nam quemadmodum cupiditas ligat, et captivum facit, et qua magis charitas crescit, eo magis cupiditas minuitur: et cum perfectissima erit charitas, et adhæsio ad summum bonum, tunc perfectissima erit libertas, quæ ab Apostolo dicitur *libertas gloriæ filiorum Dei,* ad Rom. 8. Sequitur altera promissio, *Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* Nam qui liberatur in hac vita a tyrannide vitiorum, non perfecte liberatur, sed eget protectione Dei, tum ut non iterum captivus ducatur ab hostibus, tum ut proficiat in acquisita libertate gratiæ, donec perveniat ad libertatem gloriæ; ideo Deus protectionem continuam pollicetur iis qui cognoverunt nomen ejus: dicitur enim cognoscere nomen Domini, qui ejus potentiam, et sapientiam, et bonitatem cognoscit, unde in spem, et fiduciam firmissimam erigitur. Dicitur etiam cognoscere nomen Domini, qui ex intima familiaritate novit Deum, ut pastorem, amicum et patrem: de qua notitia dicitur in Evangelio Joan. 10. *Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ,* et contra de aliis dicitur Matth. 25. *Non novi vos,* et 2. Thess. 1. *Dantes vindictam iis qui non noverunt Deum.* Ineffabilis omnino benignitas Dei est, qui non solum innotescere dignatus est, ut Dominus, sed etiam ut amicus; quod miratur David, cum ait, *Quid est homo, quia innotuisti ei?* Psal. 143.

15. Clamabit ad me, et ego exaudiam eum; cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum.

In hoc versiculo quatuor alia promissa continentur. Primum est exauditio generalis quæ soli Deo, qui omnipotens est, convenire potest: quod autem hæc sit promissio generalis exaudiendi omnes preces confidentium in Deo; perspicuum est ex eo, quod nulla restrictio adhibetur, sed absolute dicitur, *Exaudiam eum.* Deinde alia loca Scripturæ confirmant hanc promissionem. Deuter. 4. *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest omnibus obsecrationibus nostris.* Joan. 15. *Quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis.* Marc. 11. *Omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, et evenient vobis.* 1. Joan. 3. *Fiduciam habemus ad Deum, et quicquid petierimus, accipiemus ab eo.* Quamvis autem conditiones nonnullæ requirantur, ut semper oratio exaudiatur: tamen præcipua est, quæ habetur hoc loco, cum dicitur, *Clamabit ad me,* clamor enim significat vehementiam desiderii ex dilectione, et fiducia procedentem. Sequuntur tria promissa, *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum,* quæ promissa optime respondent tribus diebus totius anni celeberrimis; Feriæ sextæ, in qua Dominus in cruce pendens in maxima tribulatione fuit; Sabbato, in quo erutus de omni tribulatione suaviter requievit; et diei Dominico, in quo resurgens ex mortuis gloriosissime triumphavit. Ejusmodi tres dies ad omnes justos et electos pertinent, omnes enim cum Christo tribulationes ferre debemus. Feria sexta, id est, in hac vita, quæ brevissima est, et pro uno die computatur: deinde requiescere in sepulchris die sabbati: denique resurgere die Dominica, et cum Christo in æternum glorificari. Ait igitur Dominus, *Cum ipso sum in tribulatione;* qui enim clamabat, ante omnia donum patientiæ postulabat, quæ *necessaria est ut reportemus promissiones Dei,* ad

Hebr. 10. Dominus autem qui dixit, exaudiam eum, primo loco promittit donum patientiæ dicens, *Cum ipso sum in tribulatione*, in qua sententia singula verba suum pondus habent. Illud, *cum ipso*, significat Deum quidem esse cum rebus omnibus multis modis, sed speciali quodam modo, per internam consolationem, et influxum ineffabilis dulcedinis esse cum iis, qui tribulantur, quo modo mater ægrotanti filiolo majora signa benevolentiæ exhibet quam cæteris filiis bene valentibus, et nos omnes membrum male affectum diligentius fovemus, quam cætera membra sana. Illud, *sum*, est verbum temporis præsentis, cum cætera omnia sint temporis futuri, *liberabo, protegam, exaudiam, eripiam, glorificabo, replebo, ostendam:* hoc autem significat tribulationem hujus vitæ esse momentaneam : quia de tempore præsenti nihil habemus, nisi momenta impartibilia : proinde proprie Apostolus dixit 2. Cor. 4. *quod in præsenti est momentaneum, et leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Itaque misericordia Dei nostri facit, ut tribulatio non nisi guttatim instilletur nobis, cum futura gloria sit quasi flumen inundans, juxta illud Psal. 36. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Illud, *in tribulatione*, significat Deum in hac vita donare quidem consolationes multas amicis suis, sive corporales, sive spirituales, sed non sine admixtione tribulationis. S. Basilius homil. 5. in Hexameron scribit in statu innocentiæ nasci solitas in campis rosas sine spinis, sed post peccatum inventas quidem fuisse spinas sine rosis; sed non rosas sine spinis, ut impleretur illud Gen. 3. *Spinas et tribulos germinabit tibi.* Sed quicquid sit de veritate historiæ, moralis significatio verissima est : nam tribulationes sine consolationibus aliqui habent, præsertim ex impiis : sed consolationes sine tribulatione in hac vita nulli habent : neque impii, neque pii : sed hoc est discrimen inter pios et impios, quod pii cum consolationibus brevibus, et apparentibus magis, quam veris, veras et solidas tribulationes habent, *Fructus spiritus est charitas et gaudium* ex Apostolo ad Gal. 6. qui autem spiritum non habent, quomodo fructum ejus habere possunt? Sequitur, *Eripiam eum,* quæ promissio proprie spectat ad vitam futuram : justi enim in morte liberantur ab omni tribulatione præsenti, et futura, sic enim scribit S. Joannes Apoc. 14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur : amodo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis*, et Apoc. 21. *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* Impii vero videntur quidem eripi per mortem a tribulationibus hujus vitæ, sed non vere eripiuntur a tribulatione, sed transeunt de tribulatione temporaria ad æternam : quomodo, non dicuntur proprie de carcere liberari qui educuntur de carcere ad patibulum. Aliquando tamen sancti viri etiam in hac vita eripiuntur ab aliqua tribulatione, ut contigit Patriarchæ Joseph, Job, David, Tobiæ, Danieli, tribus pueris, Susannæ, et aliis : sed illa modica et temporalis liberatio fuit. Restat quarta promissio, *Et glorificabo eum,* quæ interdum in hac vita utcumque adimpletur : sanctus enim Job post gravissimam tribulationem non solum ab illa ereptus et liberatus fuit, sed etiam valde glorificatus, quod idem legimus de Patriarcha Joseph, et de Rege David. Cæterum vera glorificatio ad aliam vitam sine dubio pertinet : *tunc enim justi fulgebunt sicut sol in Regno Patris eorum*, Matth. 13. *Et sedebunt super sedes judicantes mundum universum.* Matth. 19. et 1. Cor. 6. de quorum gloria Propheta canit Psal. 138. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Et Apostolus concinit ad Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

16. Longitudine dierum replebo eum, et ostendam illi salutare meum.

Hæc sunt duo postrema beneficia, quæ promittuntur iis, qui habitant in adjutorio Altissimi; et continent explicationem beneficii sexti, in quo dictum est, *glorificabo eum*, gloria enim sanctorum nascetur ex adeptione summi boni : summum vero bonum est æterna felicitas : nam felicitas sine æternitate, est felicitas misera, et æternitas sine felicitate est æterna miseria. Primum ergo describitur in hoc versiculo vera æternitas, cum dicitur, *Longitudine dierum replebo eum :* deinde vera felicitas, cum additur, *Et ostendam illi salutare meum.* Per longitudinem dierum intelligitur diuturnitas temporis, sed tanta, ut plane repleat desiderium humanum; hoc enim promittit, qui dicit, *longitudine dierum replebo eum*, quia vero non potest repleri desiderium humanum, nisi æterna duratione, ideo per hanc longitudinem dierum significatur æterna duratio. Utitur autem Scriptura ejusmodi verbis in designanda æternitate, quia nobis loquitur, qui non novimus aliam longam durationem, nisi in diebus multis, aut longis; alioqui enim in vera æternitate non erit successio dierum, sed una dies semper manens, vel potius unum momentum, semper durans absque ulla mutatione, aut vicissitudine. At, inquies, vicissitudo temporum mirifice delectat, et videmus homines variis oblectationibus fallere tædium longitudinis dierum in æstate, et longitudinis noctium in hyeme. Respondeo id accidere, quia tempora hujus vitæ sunt omnia variis incommodis plena, et ideo semper anhelamus ad futura : sed quando veniet illa dies, qua nulla expectari poterit melior, votum omnium erit, ut illa semper duret. *Et ostendam illi salutare meum,* si per salutare intelligamus salutem, sensus erit, ostendam illi salutem meam, id est, efficiam, ut vir justus non amplius ex fide vivat, credendo quod non videt : sed plane videat, et sentiat, atque experimento proprio cognoscat salutem, quæ ex me est : est autem salus hæc, quæ nobis promittitur, ipsa Dei visio, quæ perfecta et perpetua sanitas totius hominis erat : tunc enim sanabitur mens ab omni errore, et ignorantia, cum ad summam sapientiam perveniet, quæ in visione supremæ atque altissimæ causæ posita est. Ex illa sapientia nascetur in voluntate amor erga summum bonum ardentissimus, et stabilis, unde perfecte sanabitur affectus ab omni mala cupiditate. Redundabit autem hæc sanitas in partem inferiorem, quæ superiori sine ulla resistentia, vel rebellione subjicietur, et in ipsum corpus, quod immortale, impassibile, formosissimum, et sole fulgentius resurget. Quod si per *salutare*,

intelligatur Salvator, ut Sanctus Augustinus magis probat, tunc sensus erit. *Ostendam illi Salutare meum*, id est, Salvatorem, quem ego misi, et faciam, ut vir justus oculis mentis cernat eum, qua Deus est, et oculis corporis cernat eumdem, qua homo est : quam ostensionem suæ divinitatis promisit Christus Joan. 14. cum ait, *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.* Hæc autem manifestatio divinitatis, ipsa est vita æterna, et summum bonum et salus, sive sanitas perfecta totius hominis. Quare sententia hujus loci in idem recidit, sive per *salutare*, intelligamus salutem, sive Salvatorem. Sed libet in fine hujus Psalmi admirari cæcitatem generis humani : nam cum omnes cupiant felicitatem æternam, neque possint eam non vehementer optare : tamen pro temporali, et parva prosperitate sive in divitiis acquirendis, vel cumulandis, sive in honoribus et dignitatibus adipiscendis, vel conservandis, sive in delectationibus carnis, ac sensuum undecumque captandis, nihil non faciunt, currunt, discurrunt, vigilant, laborant, sudant, ingenium acuunt, linguam expoliunt, animum intendunt : et pro vera et solida, et sempiterna felicitate, pro veris divitiis, pro summis honoribus, pro ineffabili jucunditate, quæ parata sunt diligentibus Deum, ita pigri sunt, ut pro his vix digitum movere dignentur. Horror est omnino cogitare, hominem, ratione et intelligentia præditum, iis rebus consectandis toto vitæ suæ tempore occupari, quibus sæpe aditum ad æterna, et summa bona sibi ipse præcludit. Orandus est Deus, ut qui promittere dignatus est tam ingentia bona, idem spiritum bonum nobis infundat, et illuminatos oculos cordis habere nos faciat, ut sciamus, *quæ sit spes vocationis ejus, et quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis*, ut Apostolus admonet Ephes. 1.

PSALMUS XCI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

PSALMUS CANTICI IN DIE SABBATI.

Hic titulus habetur in omnibus codicibus Hebraicis, Græcis et Latinis : et continet argumentum Psalmi; est enim compositus Psalmus, ut cantetur in die Sabbati, ad erudiendum populum, ut discat die Sabbati vacare laudibus Dei, præsertim ob creationem, et gubernationem mundi. Errant Judæi, qui otium Sabbati sibi datum esse existimant ad vacandum conviviis, et deambulationi. Et Judæos imitantur Christiani, quando ignorantes Sabbatum cordis, in sola abstinentia ab operibus et labore manuum sanctificationem festorum constituunt; hæc enim oportet facere, et alia graviora non omittere, hoc est, sanctificandi sunt dies festi abstinendo ab operibus servilibus, sed otium illud ponendum est in considerandis operibus Dei, ex qua consideratione accenditur amor divinus, et sic in corde quies, et tranquillitas ineffabilis, quæ dicitur Sabbatum cordis, Sabbatum vere delicatum et sanctum.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo Altissime.

Hæc est exhortatio ad laudandum Deum et psalterio et voce, *Bonum*, inquit, *est confiteri Domino*, id est, justum, utile, delectabile et honorificum est confiteri Domino confessionem laudis : justum, quia debitum : utile, quia meritorium : delectabile, quia dulce est amanti laudare dilectum : honorificum, quia munus est quasi proprium cœlestium potestatum. *Et psallere nomini tuo Altissime*, id est, non solum bonum est confiteri corde, et lingua, sed etiam in instrumentis musicis, quale in primis psalterium est, laudes personare nomini tuo, id est, gloriæ tuæ, o Altissime.

2. Ad annunciandum mane misericordiam tuam, et veritatem tuam per noctem.

Hæc est materia confessionis, de qua dictum est, *bonum est confiteri.* Bonum igitur est confiteri, *ad annunciandum mane misericordiam tuam*, id est, ut annuncietur, et prædicetur omnibus misericordia tua, qua mundum creasti, et veritas, sive justitia, qua mundum gubernas : et quoniam opus misericordiæ manifestum est, annunciatur de die; quis enim ignorat, cœlum et terram, et quicquid in eis est a Deo fuisse condita ex misericordia et bonitate, non ex necessitate, vel debito? Quia vero opus justitiæ occultum est, cum arcano Dei judicio sæpe justi affligantur, et iniqui exaltentur, ideo hoc opus annunciatur *per noctem*, in obscuro fidei, non in luce cognitionis. Item annunciatur mane misericordia, et per noctem justitia, ut homines in luce prosperitatis gratias agant misericordiæ Dei, et in tenebris tribulationis gratias agant justitiæ Dei : nam, ut S. Augustinus hoc loco docet, non minus Pater amat filios, quando minatur, quam quando blanditur : nec minus grati esse debemus Deo disciplinam cor-

reptionis danti tempore tribulationis, quam beneficia conferenti tempore prosperitatis. Quare imitari debemus hunc eumdem Prophetam, qui alibi canit, *Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo.* Psal. 33.

3. In decachordo psalterio cum cantico, in cithara.

Explicuit materiam confessionis, de qua dictum erat, *Bonum est confiteri Domino*, nunc explicat quod adjunxit, *et psallere nomini tuo;* dicit enim psallendum esse in psalterio, et cithara, sed non sine dulci cantico vocis humanæ. In Hebræo videtur distingui decachordum a psalterio, sic enim vertit sanctus Hieronymus, *in decachordo et psalterio :* et vere habetur distinctio in Codice Hebraico : sed tamen constat psalterium fuisse instrumentum decem chordarum : sic enim legimus in Psalm. 134. *Confitemini Domino in cithara, in psalterio decem chordarum psallite illi*, et in Psal. 143. *In psalterio decachordo psallam tibi*, et concordat textus Hebraicus cum Græco et Latino, quare hoc loco, ubi dicitur in Hebræo, in decachordo, et in psalterio; vel abundant illæ particulæ, *et, in*, et eas Septuaginta in suis libris non invenerunt : vel certe significant non distinctionem, sed explicationem, ac si dictum esset, *In decachordo;* in *psalterio*, inquam; sed res non est magni momenti. Quid spiritualiter significet psalterium, et cithara, diximus in explicatione Psalmi tricesimi secundi vers. 2.

4. Quia delectasti me Domine in factura tua, et in operibus manuum tuarum exultabo.

Incipit nunc prædicare opus creationis, quod ad misericordiam pertinet. Contemplatus, inquit, pulchritudinem, varietatem, excellentiam, virtutes, utilitates facturæ tuæ, cœli, terræ, aquarum, siderum, animalium, plantarum; admirabilem animo voluptatem percepi: sed in his omnibus non ipsa factura tua me delectavit, quoniam non substiti in eo, sed *tu me delectasti in factura tua;* ex ea enim ascendit animus ad infinitam pulchritudinem tuam considerandam, et in amorem tantæ pulchritudinis raptus cœpi vehementius admirari, et delectari, ac propter ea jugiter *exultabo*, et exultans *laudabo te in operibus tuis.* Nota diligenter, non dixisse Prophetam, delectavit me factura tua; sed *delectasti me in factura tua;* quando enim sistimus in delectatione creaturarum, fiunt creaturæ muscipulæ pedibus insipientium, quomodo facta est Bethsabeæ pulchritudo muscipula pedibus ejusdem Prophetæ, quando eam videns in ea delectari voluit. Nota præterea pro voce, *exultabo*, in Hebræo esse, ארנן *arannen* quod significat, *exclamabo;* quare exultabo, exponendum est, præ lætitia, et admiratione exultans cantabo laudes tuas magna voce cordis, et corporis.

5. Quam magnificata sunt opera tua Domine! Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.

Quia dixerat se valde delectatum esse in operibus Domini; ne quis existimaret eum plane comprehendisse, ac penitus inspexisse, omnem excellentiam operum Domini; addit opera Domini majora, et sapientiam, per quam facta sunt, profundiorem esse, quam ut ad eorum perfectam cognitionem pervenire in hac vita possimus. *Quam magnificata*, inquit, *sunt opera tua Domine!* id est, admiror magnitudinem, et excellentiam operum tuorum : non comprehendo animo, vel cogitatione tantam magnitudinem, vere enim dixit Ecclesiast. cap. 1. *Arenam maris, et pluviæ guttas, et dies sæculi quis dinumeravit? Altitudinem cœli, et latitudinem terræ, et profundum abyssi quis dimensus est?* Sed hæc licet magna sint valde, tamen sine comparatione major est sapientia opifex, de qua subjungit Ecclesiasticus, *sapientiam Dei præcedentem omnia, quis investigavit?* Et David hoc loco, *nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ*, id est, sapientissimæ illæ cogitationes, quibus adinvenisti res tam mirabiles, et tam perfectas, quibus nihil addi, vel detrahi potest, tam sunt occultæ, ut omnem intelligentiam superent. Ac ut in rebus minimis et vulgaribus exemplum ponamus : quis capiat quomodo in exiguo semine lateat tanta proceritas arboris; varietas ramorum, viriditas frondium, decor florum, utilitas fructuum, et ipsum etiam semen ad speciem propagandam? quis comprehendat qua arte Dominus in minimis animalculis inseruerit vitam, et sensum et motum; et præterea in formicis prudentiam, astutiam in araneis, in culicibus, et pulicibus tantam vim fodiendi instrumento tam fragili.

6. Vir insipiens non cognoscet, et stultus non intelliget hæc.

Concludit hanc partem Psalmi, quæ ad creationem rerum pertinet, affirmans non esse hominum insipientium, sed sapientium cognoscere, quam sint magna et inscrutabilia opera Domini. Stulti enim non cogitant in rebus creatis nisi voluptatem, vel utilitatem, quam ex illis capiunt : quod illis commune est cum jumentis insipientibus, quæ neque intelligentiam habent, neque ignorantiam suam norunt. Sapientes autem tametsi non assequuntur magnitudinem operum Dei, tamen intelligunt eam se assequi non posse, et ignorantiam suam intelligunt, et quo perfectius ignorantiam suam intelligunt, eo magis admirantur opera Dei, et ad veram sapientiam propinquant. *Vir*, inquit, *insipiens non cognoscet*, quam videlicet magnificata sint opera Domini, *et stultus non intelliget*, quam profundæ factæ sint cogitationes ejus; hæc enim docta ignorantia sapientium tantum est.

7. Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum : et apparuerint omnes qui operantur iniquitatem.

Transit nunc Propheta ad opus gubernationis, et providentiæ divinæ, in qua præcipue justitia sive veritas elucet. In hoc autem summa providentiæ consistit, quo impii ad tempus florere permittuntur, ut æterna ariditate damnentur : Justi contra ad tempus ariditate mulctantur, ut in æternum floreant. *Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum*, id est, cum repente et in magna copia germinaverint, et creverint peccatores, ut solet fœnum, quod statim, et multum crescit. *Et apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem,*

id est, cum non solum germinaverint, sed etiam floruerint, ut sonat vox Hebraica, ויציצו *vatetsitsu*, et valde conspicui apparuerint, in sublimitate videlicet positi; et in divitiis abundantes.

8. Ut intereant in sæculum sæculi, tu autem altissimus in æternum Domine.

Pendet sententia versiculi superioris ab hoc versiculo, et subintelligitur aliquid, ut, *hoc fiet*, vel hoc divina providentia permittet, *ut intereant in sæculum sæculi*, id est, ideo dabit iniquis Deus prosperitatem temporalem, ut remunerentur aliqua bona opera eorum, et propter scelera sua juste puniantur morte sempiterna. *Tu autem Altissimus*, in æternum Domine, id est, tu Domine valde dissimilis es iniquis, quoniam illi ad breve tempus emergunt ad aliquam altitudinem, tu autem in æternum altissimus es.

9. Quoniam ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt, et dispergentur omnes, qui operantur iniquitatem.

Probat iniquos ad tempus solum, idque breve prosperandos, *Ecce*, inquit, *inimici tui, ecce*, inquam, *inimici tui peribunt*. Illud, *ecce*, significat repentinam mutationem, quasi dicat, Qui virebant et florebant, subito peribunt. Illa vero repetitio, *Ecce inimici tui, Ecce inimici tui*, auget execrationem; quemadmodum e contrario illud Psal. 125. *O Domine ego servus tuus, ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ*, auget pietatis affectum. Vere enim valde execrandus est, qui ut amicus sit hujus mundi, non timet inimicus Dei constitui: sic enim scribit sanctus Jacobus in 4. cap. epistolæ suæ, *Quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur*. Quanta autem perversitas est propter amicitiam rei creatæ contemnere amicitiam Creatoris! *Et dispergentur omnes qui operantur iniquitatem.* Hæc posterior pars versiculi est repetitio, et declaratio prioris. Quos enim vocavit inimicos Dei, nunc vocat operantes iniquitatem: et quos dixit perituros, nunc dicit dispergendos: nam hoc ipso fiunt homines inimici Dei, quod contrarii esse incipiunt voluntati ejus, quæ nobis per legem divinam declarata est. Illi autem contrarii sunt legi Dei, qui operantur iniquitatem. Lex enim Dei rectissima est, et rectitudinis regula: iniquitas autem curvitas est, et recessus a regula. Porro dispergendi dicuntur impii ad similitudinem aridi fœni, cui paulo ante comparati sunt. Sicut enim fœnum aridum a vento rapiatur, et dispergitur, ut non amplius compareat; sic impii ubi modicum creverint, et floruerint, volente Deo exciduntur, et de terra tolluntur, ut etiam memoria eorum pereat.

10. Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum, et senectus mea in misericordia uberi.

Opponit nunc justos impiis, atque ostendit eos tandem a divina providentia et justitia vere exaltandos: loquitur autem in persona sua, bene sperans de se, quod videlicet sit ipse unus de numero justorum. *Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum*, id est, cornu meum, potentia videlicet et gloria, ac felicitas mea crescet in altum, non sicut fragile fœnum, sed ut cornu unicornis: unicornis enim animal est gerens in fronte cornu unicum, sed excelsum, et robustum valde. Et senectus mea in misericordia uberi, id est, non solum potentia mea, et gloria, ac felicitas magna erit, sed etiam diuturna, et constans usque ad ultimam senectutem: nam et senectus mea erit in abundanti misericordia apud Deum. S. Augustinus mystice per senectam intelligit vitam futuri sæculi, quæ erit post hanc vitam temporalem, sicut senectus est post juventutem. Vere enim vita futura sanctorum erit in misericordia uberi tollente omnem ab eis miseriam: et erit similis senectuti ob maturitatem judicii, et vacuitatem passionum, et habebit caput ab omni parte candidum, ubi ne unus quidem capillus niger, id est, nulla cogitatio, nulla cupiditas, nulla voluntas tetra inveniri poterit. In Hebræo pro misericordia, habetur, שמן *scemen*, oleo, et senectus mea in oleo uberi. In Græco quoque legitur, ἐν ἐλαίῳ, id est, *in oleo*. Sed noster Interpres videtur legisse, ἐν ἐλέῳ, *in misericordia*. Dicitur autem senectus, *in oleo uberi*, quando abundat humore, qui facit eam esse diuturnam: quia vero per oleum misericordia intelligitur, recte Interpres vertit, *in misericordia uberi*, etiamsi forte legerit *in oleo*.

11. Et despexit oculus meus inimicos meos, et in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.

Adjungit Justus ad felicitatem suam, quod non timebit amplius inimicos suos. *Et despexit oculus meus inimicos meos*, id est, vidi, et contempsi præsentes inimicos, quoniam divina providentia fecit, ut mihi nocere non possent. *Et in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea*, id est, et quantum ad inimicos absentes, qui maligni cum sint, in me insurgere cogitant, *audiet auris mea*, nuncium interitus eorum. In Hebræo pro *despexit*, est, ותבט *vathabet, respexit*, sed idem est sensus; significatur enim eo verbo, quod justus aspexit libere, et sine timore inimicos suos. Qui enim timent vim inimicorum, non audent eos aspicere, sed oculos demittunt et fugiunt, qui vero eos contemnit, libere illos intuetur: et eodem modo posset exponi quod sequitur, videlicet, quod justus sine timore audiet aggressionem malignantium in se futuram, quoniam non dubitat de victoria.

12. Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Quod de se Propheta dixerat, transfert nunc ad alios justos, quos eleganti similitudine comparat palmæ et cedro, ut opponat iniquis, quos comparaverat fœno. Nam fœnum mane floret, vespere arescit, et nullo negotio secatur a messoribus, vel a vento dispergitur, et ad nihil utile est, nisi ad ignem. Palma vero stabilis est, et longo tempore florens, et fructus conservat: sicut etiam cedrus Libani celsissima, et robustissima est, et ex ea ornantur palatia, et laquearia Regum: sic impii brevissimo tempore virent et florent, et paulo post in clibanum gehennæ mittuntur. Justi vero instar palmæ in æternum virebunt et efflorescent, et fructus dulcissimos

afferent : nec facile succumbent oneribus, sed virtute omnia superabunt : nec non ut *cedri Libani multiplicabuntur*, id est, augebuntur, et crescent in maximam altitudinem ; multiplicatis ramis bonorum operum, et firmissimis radicibus perseverantiæ nixi nullo tentationum vento dejicientur : et tandem utiles erunt instar ligni cedrini ad ornanda laquearia Regis regum in cœlesti Jerusalem.

13. Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt.

Reddit rationem, cur justi instar palmarum, et cedrorum sint futuri : quoniam non in campis sylvæ, aut desertis montibus, sed in domo Domini plantati erunt, et in atriis Dei nostri florebunt : id est, in Ecclesia Dei per rectam fidem plantati, et aquis Sacramentorum, et verbi Dei rigati, in charitate fundati, et radicati, flores honestatis, et fructus bonorum operum parient. Siquidem extra Ecclesiam, et sine fundamento fidei omnis plantatio eradicabitur, quippe quam non plantavit Pater cœlestis.

14. Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi, et bene patientes erunt, ut annuncient.

Quod de se paulo ante dixerat Propheta, quod habiturus esset senectam in *misericordiam uberi*, idem nunc dicit de aliis justis, quod non solum sint prosperandi in juventute et ætate matura, sed etiam senectutem bonam, et diuturnam habituri sunt. *Adhuc*, inquit, *multiplicabuntur in senectute uberi*, id est, præterea justi multiplicabuntur in diebus vitæ hujus temporalis et mortalis, id est, multiplicabunt dies vitæ suæ, usque ad senectutem pinguem humore vitali, id est, viridem senectam; et bene patientes erunt, id est, in ipsa quoque senectute facile patientes erunt laborum, ob firmam corporis constitutionem. Illud, *uberi*, sanctus Hieronymus cum Hebræis jungit cum sequentibus sic legens, *Fructificabunt in senectute : pingues et frondentes erunt.* Sed vox, דשנים *desenim*, quæ significat pingues, potest etiam recte conjungi cum superioribus, ut Septuaginta voluerunt, ut hæc sit translatio ad verbum, *Multiplicabuntur pingues in senecta*, id est, conservantes pinguedinem vitalis humoris in ipsa senectute, quod est idem cum nostra lectione, *Multiplicabuntur in senecta uberi.* Illud autem *bene patientes*, S. Hieronymus vertit, *frondentes;* et vere vox Hebraica, רעננים *rahannim*, significat proprie virentes et florentes, ac per hoc etiam frondentes : sed Septuaginta Interpretes explicaverunt metaphoram, et verterunt, εὐπαθοῦντες, quod significat *homines bene affectos :* Interpres vero latinus vertit, *bene patientes*, quia magis respexit ad significationem vocis, quam ad proprietatem sermonis : sed sensus semper est idem. Illud, *annuncient*, pertinet ad versiculum sequentem.

15. Quoniam rectus Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo.

Hæc omnia, inquit, evenient justis, ut annuncient, et notum faciant omnibus, aut verbo, aut exemplo suo, quod *Dominus Deus noster*, et justus et *rectus* est, *et nulla in eo iniquitas*, quoniam etiamsi ad tempus impios prosperari sinit : tamen suo tempore justitiæ suæ judicia exercet remunerando justos et puniendo iniquos.

PSALMUS XCII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

Laus cantici ipsi David in die ante Sabbattum quando fundata est terra.

Titulus hujus Psalmi non habetur in Hebraicis codicibus, sed solum in Græcis, et Latinis, iisque non omnibus. Videtur autem qui titulum addidit, voluisse Psalmum decantari feria sexta, quæ est dies ante Sabbatum; propterea quod in hoc Psalmo narretur, terram a Deo fuisse firmatam, vel ut alii codices habent, inhabitatam : quod recte dicitur factum esse feria sexta. Illo enim die formatus est homo dominus terræ, ac per hoc tum primum stabilita est terra, qua propter hominem creata fuerat. Eodem die non solum homo, sed etiam animantia cætera quæ terram incolunt creata sunt, proinde illo die primum inhabitari cœpta est terra. Eodem die per Christi passionem et mortem renovata, ac reparata est terra, et stabilita in Regnum Christi devicto ac triumphato Mundi Principe, juxta illud, *Nunc judicium est mundi, nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras; et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum,* Joan. 12. Porro Ecclesia Christiana Psalmum hunc canere solet in aurora diei Dominicæ, ad Laudes, quoniam Christus etsi Regnum acquisierit per passionem, et fundamenta novæ terræ jecerit feria sexta; tamen possessionem Regni accepit quando resurrexit, et tunc, *induit decorem, et fortitudinem,* quod in aurora Dominicæ diei factum esse credimus.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Dominus regnavit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se.

Hoc principium Psalmi recte potest tum ad creationem, tum ad redemptionem accommodari : neque novum est ut sententiæ Scripturæ divinæ plures habeant sensus litterales. *Dominus*

regnavit, idem est, ac si dictum fuisset, Dominus Regnum acquisivit, sive regnare cœpit. *Decorem indutus est*, gloriam videlicet, et majestatem regiam. *Indutus est Dominus fortitudinem*, id est, non solum gloriam, sed et potentiam; ac robur accepit, quod regiæ majestati necessarium est. *Et præcinxit se*, id est, accinxit se ad regnandum, et gubernandum. Quod si hæc ad creationem referantur, dicetur Deus regnare cœpisse, quando mundum creavit, quoniam tunc primum cœpit habere subditos : si referantur ad reparationem, Christus in Resurrectione Regnum accepit, et tunc indutus est decorem gloriosi corporis, et fortitudinem quoque indutus est, quia data est illi omnis potestas in cœlo, et in terra, ut deinceps nulli creaturæ subjectus sit, sed omnia habeat sub pedibus suis. Denique præcinxit se ad propagandum Regnum suum per Apostolorum prædicationem usque ad fines terræ.

2. Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur.

Regnare cœpit Deus ab initio mundi, quia tunc constituit ab imis fundamentis orbem terræ, *Et firmavit, ac stabilivit, ut commoveri non possit*, ac per hoc præbuit hominibus, qui Deum Regem agnoscere, eique servire debent, stabilem mansionem. Christus quoque per passionem et resurrectionem suam, orbem terræ, qui variis montibus a Dæmonibus agitabatur, dum alii aliis Diis serviebant, firmavit, ac stabilivit in una, ac verissima religione, et fide.

3. Parata sedes tua ex tunc : a sæculo tu es.

Quamvis, inquit, *sedes Regni tui parata sit ex tunc*, id est, ex rerum creatione, vel ex resurrectione : tu tamen non tunc esse cœpisti, sed *a sæculo*, ab æternitate sine principio *es*. Ubi illud *es*, non significat simplicem existentiam naturæ divinæ, sed plenitudinem essendi, in qua omnia continentur : non enim Deus antequam mundum conderet, pauper erat, aut aliqua re indigebat : neque posteaquam mundum condidit, ditior aut locupletior factus est. Mundum enim Deus creavit, non ut ipse cresceret, sed ut nobiscum bona sua communicaret. Itaque non coactus aliqua necessitate, sed charitate et misericordia motus, mundum creavit, et eadem charitate et misericordia mundum reparavit. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Joan. 3.

4. Elevaverunt flumina Domine, elevaverunt flumina vocem suam.

5. Elevaveruut flumina fluctus suos, a vocibus aquarum multarum.

6. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.

Hæc omnia, si ad creationem referantur, ut referri debent juxta priorem sensum, significant modum, quo Deus terram habitabilem fecit, ut esset firma sedes generis humani. Initio enim creationis, aquæ terram universam operiebant, et magno motu inundationis aquarum elevabantur, sed Deus altior et excelsior, et in infinitum potentior increpuit, et compescuit aquas, easque in cavernas terræ conclusit, eisque præcepit, ut non reverterentur operire terram. Hoc dicitur clarius Psal. 108. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi, Abyssus, sicut vestimentum amictus ejus, super montes stabunt aquæ*, id est, ita initio terra formata est, ut abyssus aquarum illam undique tegeret, ita ut super ipsos montes starent aquæ. *Ab increpatione tua fugient, a voce tonitrui tui formidabunt*, id est, sed tu Deus omnipotens increpasti aquas et quasi tonitru imperii tunc illas ita turbasti, ut fugerent, et absconderent se intra profunda loca terræ. *Terminum posuisti, quem non transgredientur neque converterentur operire terram.* Eadem descriptio habetur in lib. Job. cap. 38. sed hic brevissime Propheta hæc omnia illis verbis complexus est. *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus*, id est, omnes aquæ maris, atque omnis abyssus quarum magno fremitu elevabantur super terram : sed mirabilis Deus in excelsis habitans, et omni altitudine superior aquas compescuit, et terram habitabilem reddidit. Sed quoad sensum posteriorem, describitur hoc loco magnitudo persecutionum Judæorum, et Paganorum adversus Christi Regnum in resurrectione inchoatum, et victoria Christi de omnibus hostibus suis. *Elevaverunt*, inquit, *flumina voces suas*, et *fluctus suos.* Per flumina intelligo persecutiones Judæorum, qui continuo cœperunt elevare voces suas adversus Evangelium, illique ubique contradicere. *Mirabiles elationes maris :* per mare, quod fluminibus multo est majus, intelligo persecutiones Neronis, Domitiani, aliorumque Principum Romanorum, *Mirabilis in altis Dominus*, id est, sed Dominus in altis habitans mirabilior apparuit, cum de omnibus persecutoribus victoriam reportaverit, et invitis omnibus, Regnum suum per omnes terras propagaverit. S. August. per flumina intelligit Apostolos, qui pleni Spiritu sancto tanquam cœlestia flumina per mundum discurrebant, et voces prædicando liberrime elevabant. *Per maris elationes*, intelligit infidelium persecutiones : quemadmodum enim cum flumina intrant in mare, aquæ illæ salsæ ad introitum aquarum dulcium intumescunt, et fremunt, sic infideles ad prædicationem Apostolorum tamquam contrariam doctrinæ, et moribus ipsorum fremere, et tumultuari cœperunt. Utraque expositio optima est.

7. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis, domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum.

Quantum attinet ad sensum priorem, respondet Propheta tacitæ objectioni; quæ occurrere poterat : unde videlicet sciamus ea, quæ dicta sunt de fundatione terræ, de abysso aquarum, et reductione aquæ in loca humiliora, quibus rebus nullus testis adfuit, cum præcesserint hominum omnium creationem. Respondet igitur Propheta, id haberi ex testimonio Dei, qui hæc revelavit servo suo Moysi : et testimonium illud valde credibile esse, cum Moses multis signis, et prodigiis, aliisque modis servum Dei fidelem, et Propheta verum se esse probaverit. Idem dici potest de sensu posteriore; testimo-

nia enim Christi per Apostolos ad nos delata credibilia facta sunt nimis, tum ob signa, et prodigia Christi, et Apostolorum; tum quia videmus impleta, quæ prædicta sunt; tum ob infinita alia, quæ Fidem Christianam omnino credibilem faciunt, ut nemo possit, posteaquam prædicatores audierit, sine magna temeritate non credere. Ex quibus concludit Propheta, *domum* Dei, id est, Ecclesiam Dei, in qua talia testimonia continentur, et prædicantur, debere sanctam, et inviolabilem conservari usque ad mundi consummationem, *domum tuam*, inquit, *decet sanctitudo*, id est, decet ut eam omnes ut sanctam venerentur: item decet, ut qui in illa sunt, sancti sint, et moribus sanctis respondeant sanctitati doctrinæ testimoniorum tuorum. Denique decet ut a te Domine inviolata, et sancta conservetur in longitudine dierum *ut portæ inferi numquam prævaleant adversus eam*, Matth. 16.

PSALMUS XCIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

PSALMUS IPSI DAVID, QUARTA SABBATI.

In Hebræo nullus est titulus. Legunt tamen hunc titulum tanquam olim, vel a Septuaginta, vel ab aliis adjectum sanctus Hieronymus, sanctus Augustinus, Theodoretus, Euthymius, et alii omnes: habetur enim in Græcis et Latinis codicibus. Illud, *quarta Sabbati*, significat cantari solitum ab Hebræis, quarta die post Sabbatum, id est, in medio hebdomadæ. Reprehendit occasione hujus nominis S. Augustinus homines Christianos, qui ex antiqua paganorum consuetudine diem quartam vocant diem Mercurii, ut etiam diem tertiam diem Martis; diem quintam, diem Jovis; diem sextam, diem Veneris; et diem Sabbati, diem Saturni; cum deberent Christiano more dicere, secundam feriam, tertiam, etc. quamvis enim illa sint nomina stellarum, tamen apud paganos stellæ illæ a certis hominibus nomina acceperunt, quos homines benevolentia populorum Deos fecit, et in cœlum transtulit. Argumentum hujus Psalmi est providentia Dei punientis tandem malos, et remunerantis bonos, quamvis aliquando justo judicio sinat prosperari malos, et opprimi bonos.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Deus ultionum Dominus: Deus ultionum libere egit.

Ponit initio David propositionem unam, ex qua possent omnes, si vellent, plane cognoscere nullos malos impunitos fore. Propositio hæc est, Dominus Deus Judex summus, justissimus, et potentissimus est, ut ei nemo resistere possit. Nam vindicta ad Judicem pertinet, et ideo privatis hominibus prohibetur. Rom. 12. *Non vos defendentes*, id est, vindicantes, *charissimi*, *sed date locum iræ: scriptum est enim, mihi vindicta, ego retribuam.* Et quamvis ad omnes Judices pertineat vindicta scelerum, necnon et facinorum, tamen absolute et antonomastice dicitur vindicta Dei esse, quia ipse supremus Judex est, et vindictam sumet de omnibus sceleribus, non solum populorum, sed etiam Judicum, Principum, et Regum omnium. Ait igitur, *Deus ultionum Dominus*, id est, Dominus noster, qui proprie solus Dominus est, cui omnia serviunt in cœlo, et in terram: hic, inquam, Dominus est *Deus ultionum*, id est, summus Judex, ad quem ultio scelerum omnium pertinet, *Deus ultionum libere egit*, quandocumque punire voluit peccatores; quia neminem timet: nullius personam accipit, nemo illum impedire, nemo ei resistere potest. Id patuit in dejectione Diaboli et Angelorum ejus de cœlo; in diluvio, quo genus humanum extinxit exceptis paucis, quos ipse salvos esse voluit; in incendio Sodomæ et Gomorræ, in demersione Pharaonis in mari Rubro, et in aliis judiciis ejus permultis, quod attinet ad verba, vox *Deus*, in Hebræo est, *El*, quod significat Deum, ut *fortem*, et *robustum*, et recte conjungitur cum ultione, ut significetur Deum esse fortissimum ultorem scelerum. Vox *ultionem*, vel ponitur loco superlativi, quo modo, *Deus scientiarum*, id est scientissimus, *Deus misericordiarum*, id est, misericordissimus: vel significat Deum esse auctorem ultionum quomodo ab Apostolo dicitur *Deus pacis*, *Deus spei*, *Deus salutis.* Vere enim Deus ultionum Deus est, quia non solum ipse per se judicando ulciscitur scelera, sed etiam per creaturas suas innumerabilibus, et occultissimis modis ultionum causa est: nam et peccatum sæpe ex divino judicio est pœna peccati, et ea quæ maxime homines aliquando appetunt et quærunt, Deus facit ut pœnalia ipsis reddantur. Illud *libere egit*, in Hebræo est, *hophiahh*, quod S. Hieronymus vertit in imperativo, *ostendere*, sed potest etiam verti, *ostensus est*, sive apparuit, splenduit, illuxit: quod est idem cum illo, libere egit: nam qui timet, tenebras quærit: sed qui nihil timet, et libere ultionem facit, palam et aperte illam facit. Itaque sensus est, Deus ultionis auctor apparuit, sive ultionem scelerum liberrime, et in luce coram omnibus fecit. Potest etiam fieri, ut Septuaginta non le-

gerint, הופיע *hophiahh*, sed הופיח *hophiach*, ultima littera mutata. Hanc enim vocem habemus Psalm. 11. vers. 6. sed in futuro; et Septuaginta verterunt, παῤῥησιάσωμαι, *fiducialiter agam*, et poterat etiam Latine reddi, libere agam. Nam hoc loco habemus in Græco idem verbum, sed in præterito, ἐπαῤῥησιάσατο, et noster Interpres vertit, *libere egit*.

2. Exaltare qui judicas terram, redde retributionem superbis.

Quia dixit Dominum esse ultorem scelerum: precatur nunc consequenter, ut officio suo fungatur, et puniendo impios claudat ora eorum, qui providentiam ejus in dubium revocant. *Exaltare*, inquit, *qui judicas terram*, id est, ascende solium tuum, qui judex es universæ terræ; *et redde retributionem superbis*, id est profer sententiam damnationis in homines superbos, et hoc modo vindictam sume de præcipuo scelere generis humani. Superbia enim est Regina vitiorum, et ea debellata, universitas vitiorum debellata erit. Nominat quoque Psalmus superbos, quoniam illi soli tandem puniuntur in Judicio, qui noluerint humiliari ad pœnitentiam: *omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei*, ut B. Paulus ait Rom. 3. sed qui humiliantur sub potenti manu Dei, et cor contritum et humiliatum gerunt, salvantur: qui cervicem erigunt, et peccata sua defendunt, retributionem vindictæ accipient.

3. Usquequo peccatores Domine, usquequo peccatores gloriabuntur.

4. Effabuntur, et loquentur iniquitatem? loquentur omnes, qui operantur injustitiam?

Reddit causam, cur petit judicium in impios et superbos: et causa est, quia nimium diu jam videtur superbia, et impietas eorum durasse. Sed precatio ista Prophetæ, prædictio est per modum precationis, ad consolationem enim justorum afflictorum, prædicit sanctus Propheta, brevi futurum, ut superbi atque impii dispereant, quamvis in præsenti tempore diuturna videatur eorum potentia. *Usquequo peccatores Domine, usquequo peccatores gloriabuntur*, de viribus suis, de prosperitate sua, de sceleribus suis? *Effabuntur et loquentur iniquitatem*, id est, jactabunt et prædicabunt injusta opera sua. *Loquentur omnes, qui operantur injustitiam*, id est, libere, et sine timore ullo loquentur de rebus suis gestis, vel gerendis homines impii, *qui operantur injustitiam*. Illud, *effabuntur*, in Hebræo, יביעו *iabihhu*, habet majorem vim: significat enim *fundent sermonem*, sive *diffluent eloquio*, quasi dicat, ex abundantia cordis fluet in eis abundantia verborum: itaque recte sanctus Hieronymus vertit, *garrient*. Pro voce, *iniquitatem*, cum dicitur *loquentur iniquitatem*, in Hebræo est, עתק *hhatac*, quod vetus, et durum significat. Sed Septuaginta, non solum hoc loco, sed etiam in Psalmo 74. vers. 6. verterunt hanc vocem *iniquitatem*: *Nolite loqui adversus Deum iniquitatem*. Quare, vel hæc vox, iniquitatem etiam significat, vel Septuaginta explicare voluerunt vocem Hebraicam; vere nihil durius est iniquitate, quæ facit cor lapideum ex carneo: nec male dicitur iniquitas antiqua, quia hominem ex novo veterem fecit, mortique addixit, quia quod antiquatur, et senescit, prope interitum est, ad Hebr. 8.

5. Populum tuum Domine humiliaverunt, et hæreditatem tuam vexaverunt.

6. Viduam, et advenam interfecerunt, et pupillos occiderunt.

Explicat injustitiam, quam operantur impii, dum furere permittuntur. *Populum*, inquit, *tuum humiliaverunt*; id est, cœtum piorum, qui proprie populus tuus est a te electus, et segregatus, et tibi uni dedicatus, *humiliaverunt*, affligentes, et persequentes. *Et hæreditatem tuam vexaverunt*: id est eundem cœtum piorum quem tuam possessionem, et hæreditatem esse voluisti, vexaverunt injuste opprimentes. Nec solum populum in commune vexaverunt, sed in personas miserabiles, et omni auxilio destitutas furorem suum præcipue effuderunt: occiderunt enim *viduas* maritorum solatio destitutas: *et advenas*, qui procul a patria inter ignotos versantur: *pupillos*, qui parentibus, dum adhuc auxilio eorum indigerent, orbati sunt, in Græcis libris legitur, *Viduam et pupillum occiderunt, et advenam interfecerunt*: sed nostra lectio conformis est Hebraico textui, et sensus est idem.

7. Et dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob.

Reddit rationem, cur iniqui tam audacter peccent; quia videlicet ita stulti sunt, ut existiment Deum non habere providentiam rerum humanarum, et nullum esse Judicem, cui rationem operum suorum reddere teneantur. *Et dixerunt*, id est, quia dixerunt apud se, *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob*, id est, neque sensu videndi, aut audiendi, cognoscet opera nostra: neque mentis intelligentia illa considerabit vel examinabit. Et quidem possent hæc intelligi hoc sensu, ut iniqui existiment Deum quidem posse, si velit, videre et intelligere opera nostra; sed ea non curare, neque ad ea attendere: tamen verba sequentia cogunt, ut dicamus, iniquos in tantam cæcitatem animi aliquando devenire, ut confidentissime peccent, ac si existimarent, Deum neque videre, neque audire, neque intelligere. Sequitur enim.

8. Intelligite insipientes in populo, et stulti aliquando sapite.

9. Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?

10. Qui corripit gentes, non arguet, qui docet hominem scientiam?

Illud, *qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum non considerat?* est refutatio ejus, quod supradictum est, *Non videbit Dominus*, ubi videre, positum est pro cognoscere sensu exteriore, per aures videlicet, aut per oculos. Probat autem Propheta, Deum audire, et videre; quia ipse dedit hominibus aures, quibus audiunt, et oculos, quibus vident, proinde multo magis ipse audit, et videt: nemo enim dare potest quod non habet. Quod autem sequitur, *Qui corripit gentes, non arguet; qui docet hominem*

scientiam? est refutatio ejus, quod impii dixerant, *Nec intelliget Deus Jacob.* Probat autem Propheta Deum intelligere, ac per hoc mente, et intelligentia præditum esse, quia ipse auctor est hominibus, ut intelligant : ipse enim eos erudit, ipse docet, dum in creatione dat eis mentem rationis capacem, et intelligentiæ lumen infundit. Quod attinet ad verba illa, *insipientes in populo*, significat iniquos esse homines insipientiores toto reliquo populo : quod verissimum est, cum falsa bona veris anteponant, et temporaria sempiternis. Illud autem, *qui plantavit aurem*, est insignis metaphora significans sensum audiendi, ut etiam alios sensus non nasci ex corpore terreno, sed plantari a Deo : quemadmodum arbores non oriuntur a terra, vi ipsius terræ, quæ inanima est, sed plantantur ab hominibus in terra, et in ipsa terra crescunt. Itaque aures accipiuntur hoc loco non pro solo organo, sed pro organo. et sensu audiendi, qui in eo insertus est. Quod sequitur, *non audiet*, non significat Deum habere sensum audiendi, corporalem, sed Deum agnoscere per suam essentiam, quæ nos per sensum audiendi cognoscimus : ideo enim non dixit, *Qui plantavit aurem non habet aures*, sed, *Qui plantavit aurem non audiet?* Illud, *qui finxit oculum*, est alia metaphora, per quam intelligimus, mirabilem structuram oculi et mirabiliorem vim, quæ in ipso viget ad res videndas, et a Deo factam esse ea facilitate qua figulus vas quodcumque figere solet. Illud, *non considerat*, poterat etiam verti, non videt, hoc enim significat vox Hebraica, יביט *iabbit*, sed Septuaginta Interpretes maluerunt vertere, non considerat, ut intelligeremus, Deum non videre oculis carneis; sed mente considerare. Illud, *qui corripit gentes*, potuisset etiam verti, qui erudit gentes : nam hanc significationem optime patitur verbum Hebraicum, היסר *haioser*, et Græcum ἐπαιδεύων. Recte tamen noster Interpres vertit, *Qui corripit gentes*, quia sequitur, *non arguet ?* et sensus est, Qui corripit omnes gentes, dum per synderesim in earum animis insertam, eas admonet, ut a malo desistant; sæpe etiam manifesta ultione peccata eorum punit : non arguet etiam populum suum, castigans eum per verba Prophetarum, vel etiam per flagella tribulationum, et si Deus corripit et arguit, certe intelligit, et cognoscit, quæ ab hominibus aguntur, et falso dicunt impii, *Non intelliget Deus Jacob.*

11. Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.

Posteaquam refutavit Propheta verba illa iniquorum, *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob*, addit hanc calumniam impiorum Deo non esse novam : *Ipse enim scit cogitationes hominum, quod vanæ sint.* Homo enim post corruptam naturam peccato primi hominis, vanus factus est, et similis jumentis insipientibus, quæ non cogitant, nisi præsentia. Quare admonemur hoc versiculo, non de nobis præsumere, sed humili prece a Deo sapientiam petere. *Vani enim sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.* Sap. 13. et ideo monet sanctus Jacobus cap. 1. *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo qui dat omnibus affluenter, et non improperat*, id est, nunquam exprobrat importunitatem, quasi nimium sæpe, et nimis multa petamus. Dives enim est in misericordia, et usque adeo liberalis et magnificus, ut non solum libenter tribuat, quæ postulamus, sed etiam mercedem reddat, quia postulamus, *Ora Patrem tuum in abscondito, et Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi.* Matth. 6.

12. Beatus homo, quem tu erudieris Domine, et de lege tua docueris eum.

Hoc sequitur ex versiculo superiore : nam si cogitationes hominum vanæ sunt, quas nimirum ex se habent; certe sequitur, ut ille solus beatus sit, id est, non vanus, seu inani vento distentus, sed plenus veris, et solidis bonis, quem Deus erudire dignatur, id est, cui Deus oculos aperit ad ea, quæ vere bona sunt, aspicienda, atque ut ad ea perveniat, *de lege sua docet eum*, id est, intime illi persuadet, obedientiam legis divinæ toto affectu mentis amplectendam esse : non enim didicit proprie legem Dei, qui solum novit, quæ sint, et quot legis divinæ præcepta, sed qui per divinam illustrationem, et charitatis infusionem ita affectus est erga legem Dei, ut libentissime illam impleat amore justitiæ, non timore pœnæ, et sit illi eadem ipsa lex jugum sive suave, et onus leve. Illud, *De lege tua*, in Græco est, *ex lege tua*, ex Hebræo posset verti, *A lege tua*, sive, *ex lege tua*, sive, *de lege tua.* Sensus igitur est, Beatus est, quem tu Deus, docueris ex lege tua, quasi dicat, ex libro tuo : ut non solum Deus sit Doctor, sed ex libro suo doceat, librum legis suæ ipse explanet, et illam ipsam legem observandam esse ei, qui vere beatus esse velit, intus per gratiam loquendo persuadeat.

13. Ut mitiges ei a diebus malis, donec fodiatur peccatori fovea.

Subjungit Propheta unum ex fructibus doctrinæ divinæ, qui est, ut homo doctus a Deo moderatius ferat persecutiones impiorum, donec adveniat impiorum ruina. *Ut mitiges ei a diebus malis*, id est, ad hoc utilis erat doctrina tua homini justo, ut mitiges ei tristitiam, quæ oritur a diebus malis, a tempore videlicet persecutionis, et tribulationis : et quamdiu mitigatione ista opus erit? *donec fodiatur peccatori fovea*, id est, donec perficiatur effossio foveæ, in quam deijciendi sunt impii : tunc enim cessabit mitigatio doloris, quia nulli erunt, qui dolore afficiant justos, cum omnis dolor fugiet a justis, et recidet in justos. Notandum est hoc loco, delectationem legis, et gaudium spirituale, quo fruuntur in hac vita Justi, non esse purum, et simplex, ut erit in patria cœlesti, sed admixtum tristitiæ : mitigatur enim hic nobis tristitia, sed non tollitur omnino. Audi Apost. 2. Corinth. 1. *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra*, etc. 6. *Quasi tristes, semper autem gaudentes*, ubi non dicit, tristes absolute; sed quia tristes, quia gaudium superabundat, ut dicitur c. 7. *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Notandum præterea, eodem tempore texi coronam justis, et fodi foveam impiis : et non esse mirandum, si non statim impii puniantur, quoniam nondum est fovea eorum plane effossa : quemadmodum nec mirandum est, si non statim justi coronentur,

quia nondum finita est coronæ ipsorum textura. Sed hoc vere mirandum est, quod felicitas et exaltatio impiorum sit effossio foveæ ipsorum, et quo altius evehuntur, eo profundius fovea fodiatur. Impii enim quo magis exaltantur, eo magis superbiunt, et hoc ipso coram Deo profundius cadunt, juxta illud, *Dejecisti eos, dum allevarentur*. Ps. 72.

14. Quia non repellet Dominus plebem suam : et hæreditatem suam non derelinquet.

Reddit rationem, cur dixerit, *Donec fodiatur peccatori fovea*. Præparatur enim interitus peccatoribus a providentia divina, *quoniam Dominus non repellet plebem suam*, quamvis ei videatur ad tempus iratus, et affligi eam sinat. Atque idem aliis verbis repetit, dicens, *Et hæreditatem suam non derelinquet*. Vocatur autem plebs, et hæreditas Dei cœtus piorum electorum. Illi enim vere sunt populus Israel electus in hæreditatem.

15. Quoadusque justitia convertatur in judicium, et qui juxta illam, omnes qui recti sunt corde.

Declarat Propheta, cœtum justorum non repellendum, nec derelinquendum a Deo usque ad diem ultimi judicii, id est, quamdiu versamur in periculis tentationum. *Quoadusque*, inquit, *justitia convertatur in judicium*, id est, usque ad illum diem, in quo justitia divina, quæ nunc videtur esse quasi in habitu, vel in potentia, dum non punit impios, nec remuneratur pios, prodibit in actum judicii, et quæ erat justitia quasi habitualis, fiet justitia actualis, reddens omnibus pro meritis sive coronam justitiæ, sive stipendium mortis æternæ. *Et qui juxta illam omnes qui recti sunt corde*, id est, et tunc juxta divinam justitiam, quæ in nubibus admirabilis apparebit, qui proximi sedebunt, erunt omnes ejus amatores, qui eam non timebunt, sed diligent, cum sint recti corde, id est, conformes rectitudini ejus ac per hoc justi. S. Hieronymus ex Hebræo vertit, *Quoniam ad justitiam revertetur judicium*, id est, judicium, quod nunc sæpe injustum esse perspicitur, tunc revertetur ad justitiam, id est, justissimum erit, quia tunc non judicabunt amplius homines mortales, sed judicabit Christus judex supremus, et justissimus, quia omnia judicia injusta retractabit, et irritabit, et ultimum judicium cum exactissima justitia copulabit. Hic sensus verus est neque a superiore dissentiens : et verba Hebraica utrumque sensum ferre possunt. Illud enim, כיעד *chihhad*, significare potest *quousque*, quemadmodum si dictiones invertantur, et legamus, עדכי *hhadchi*, significabit, *usquequo*. Sequentia verba æque bene legi possunt cum Septuaginta, *Justitia convertatur in judicium*, et cum S. Hieronymo, *Ad justitiam revertatur judicium :* nam in Hebræo non habentur particulæ illæ, in, vel ad, et nomina non recipiunt varietatem casuum. Denique illud, *Et qui juxta illam, omnes qui recto sunt corde :* clarius est in Hebræo, et in Græco : nam in Hebræo ad verbum sic legitur, *Et post illud*, judicium videlicet, *omnes recti corde*. In Græco vero sic. *Et qui habent eam*, justitiam videlicet, *Omnes recto sunt corde*. Sed in Latina editione, si subintelligatur interrogatio, *Et qui juxta illam? omnes qui recto sunt corde :* vel si addatur verbum, quod sæpe apud Hebræos omittitur, et legamus : *Et qui juxta illam sedent, sunt illi omnes qui recto sunt corde :* vel denique si detrahatur pronomen relativum, quod in Hebræo non habetur, et legatur, *Et juxta illam omnes qui recto sunt corde*, sententia perspicua erit.

16. Quis consurget mihi adversus malignantes? aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem?

Dixerat in ultimo judicio cessaturam omnem injustitiam, et contra perpetuo regnaturam esse justitiam; nunc dicit, interea temporis, dum videlicet differtur conversio justitiæ in judicium, valde necessarium esse divinum adjutorium adversus injustorum persecutiones. *Quis*, inquit, *consurget mihi*, id est, pro me, *adversus malignantes?* Qui me a tanto numero malignorum hominum, ac dæmonum proteget? *aut quis stabit mecum*, ut me videlicet defendat, *adversus operantes iniquitatem?* Ubi posterior pars versiculi prioris repetitio, et explicatio est. Illud, *mihi*, sanctus Hieronymus recte interpretatur, pro me.

17. Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea.

Declarat magnitudinem periculi, in quo versamur ob multitudinem malignantium, qui undique nobis occurrunt. Induit autem Propheta personam omnium piorum et ait, *Nisi quia Dominus adjuvit me*, id est, nisi Dominus adjuvisset me, *paulo minus habitasset in inferno anima mea*, id est, parum abfuissem a morte sempiterna : quia videlicet tentationibus succubuissem, et de ipsa divina providentia dubitassem. Phrasis illa, *Nisi quia Dominus adjuvit me*, Hebraica est, et Davidi familiaris, ut perspicuum est ex Psalmo 123. et supplenda est hoc modo : *Nisi hoc accidisset quod Deus adjuvit me*, etc. et planius, Nisi Dominus adjuvisset me. Illud autem, *paulo minus habitasset in inferno anima mea*, potest intelligi de morte corporali, per quam eo tempore omnes animæ descendebant ad aliquam mansionem subterraneam : sed verius existimo, ut intelligatur de morte animæ, et de inferno damnatorum. At inquies, ex hac sententia videtur sequi, ut auxilium Dei non sit necessarium ad superandas tentationes, sed solum ad facilius superandas : quod est dogma Pelagianum ex S. Augustino lib. de gratia Christi c. 27. Si enim Dominus non juvisset, vix mortem animæ evasissem : certe sequi videtur, ut nisi Dominus juvisset, mortem quidem animæ evadere potuissem, sed valde ægre, et difficulter. Respondeo, *paulo minus*, non referri hoc loco ad difficultatem rei, sed ad brevitatem temporis, ut sensus sit. Nisi Dominus adjnvisset me, paulo post habitasset in inferno anima mea. Vox Hebraica, כמעט *chimhhat*, et Græca, παραβραχὴ, hunc sensum faciunt, et juxta eum explicanda est vox Latina, *paulo minus*, id est, *paulo post*, habitasset in inferno anima mea, sive parum abfuisset a casu in infernum anima mea.

18. Si dicebam, motus est pes meus, misericordia tua Domine adjuvabat me.

Explicat, in quo consistat auxilium illud, sine quo in inferno habitasset anima ejus. *Si dicebam*, inquit, *motus est pes meus*, id est, si agnoscebam, et confitebar infirmitatem meam, et me ex meipso non sufficere ad superandas tentationes : *tunc misericordia tua adjuvabat me*, illuminans intellectum, et purificans affectum, et vires tribuens voluntati, quæ sufficerent ad stabiliendos pedes animæ meæ in via mandatorum tuorum.

19. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.

Non solum Deus justis per providentiam suam tribuit patientiam, sed etiam consolationem magnam, et ineffabilem, quæ non tollit tribulationes, sed cum iis consistit easque vertit in materiam gaudiorum. Sic enim dicit Apostolus 2. Cor. 7. *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra :* quia videlicet vir justus, dum tribulatur, intelligit se purgari a scoria vitiorum, si adest; vel, se probari a Domino, si ea non adest : intelligit se conformem fieri Christo patienti, ut cum eo postea glorificetur : intelligit denique magnum esse, et supra modum excellens præmium patientiæ, juxta illud Apost. 2. Cor. 4. *Quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Ait igitur, *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo*, id est, juxta mensuram dolorum, qui tristitiam in corde meo gignebant : *consolationes tuæ lætificaverunt animam meam*, non enim juxta mensuram dolorum in carne, reddit Deus justis in hac vita consolationes in carne : neque simul esse possunt dolores in carne, et consolationes in carne : sed juxta mensuram enim dolorum in carne, tribuit Deus consolationem in anima, quæ mitigat tristitiam cordis ex doloribus carnis provenientem. Neque repugnat hoc dictum Prophetæ, *Secundum multitudinem*, etc. cum illo dicto Apostoli, *Superabundo gaudio*, etc. vere enim gaudium spirituale majus est omni tristitia corporali, sed majus est servata proportione, ut minori tribulationi minus gaudium, et majori majus respondeat. S. Hieronymus ex Hebræo vertit, *In multitudine cogitationum mearum*, pro eo quod nos habemus ex versione Septuaginta Interpretum, *Secundum multitudinem dolorum meorum*, vox Hebraica, שרעף *sciarahhaph*, est vox inusitata quatuor litterarum, quæ forte non habetur nisi hoc loco. Videtur deduci a verbo שרע *sciarahh*, quod est excrescere, et secundum Rabinos significat summas frondes arborum, quæ excrescunt in magna copia, et ab omni flatu ventorum moventur. Metaphorice igitur hoc loco significant dolores cordis, id est, cogitationes affligentes et torquentes ipsum cor, quæ quidem multæ et molestæ, nasci solent ex inopia, infamia, morbo, aliis ærumnis corporalibus : et ideo recte dicitur, *Secundum multitudinem*, quia plurimæ sunt, et recte comparantur frondibus excrescentibus in arbore, quia vanæ sunt, et instabiles.

20. Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto ?

Reddit rationem, cur Deus consoletur justos in tribulationibus eorum : et ratio est, quia Deus justissimus cum sit, et præcepta laboriosa hominibus dederit, æquum fuit, ut jugum legis alioqui asperum et durum, oleo consolationis liniret, et suave redderet. *Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis*, id est, nunquid adhæret sive adjungitur tibi tanquam socius, thronus inique judicantium? *Qui fingis laborem in præcepto*, id est, tibi qui in præcepto tuo observando laborem inseris sive facis, ut præcepta tua non sine magno labore possint impleri? Hæc mihi videtur hujus loci satis obscuri litteralis expositio : sunt tamen duæ aliæ expositiones. Una est eorum, qui considerantes illud, *qui fingis*, in textu Hebræo, et Græco esse participium, omittunt relativum, *qui*, et conjungunt participium *fingens*, cum sede, sive throno iniquitatis. Itaque sensum esse volunt, *Nunquid adjungitur tibi thronus iniquitatis*, id est, nunquid particeps es iniqui judicii, quod fingit laborem in præcepto, id est, quod judicium iniquorum facit præcepta divina nobis laboriosa, et impossibilia, et ideo non punit prævaricatores? Hæc expositio repugnat editioni vulgatæ, quæ per pronomen, qui, declaravit participium, quod est in textu Hebræo et Græco : et illud, *fingens*, voluit referri ad Deum, non ad thronum, sive ad secundam personam, non ad tertiam. Alia est expositio S. Augustini, qui dicit Deum fingere laborem sive dolorem in præcepto, quia facit, ut ex laboribus, et doloribus, quos in hac vita patiuntur justi, erudiamur, et intelligamus quo supplicio afficiendi sunt injusti a Deo, qui justos sic affligi permittit. Itaque sanctus Augustinus ita exponit, quasi dictum esset, Qui fingis laborem in præceptum, id est, ex labore facis præceptum; et per præceptum, non intelligit mandatum, sed eruditionem, qualia sunt præcepta Sapientium, non mandata Principum.

21. Captabunt in animam justi, et sanguinem innocentem condemnabunt.

Concludit Psalmum affirmans, impios inique acturos adversus justos : sed providentiam Dei vigilaturam, et utrisque pro meritis retributuram. *Captabunt*, inquit, *in animam justi*, id est, homines iniqui more suo insidiabuntur justis, ut capiant eos, ut venatores prædam capiunt. *Et sanguinem innocentem condemnabunt*, id est, et posteaquam laqueo suo irretierint, morti eum addicent, quamvis innoxium esse non ignorent. Hæc possunt intelligi tum de malis Judicibus, tum de malis accusatoribus, tum etiam de quibusvis sceleratis homicidis, et de eorum magistris et Principibus dæmoniis. Verbum, *captabunt*, in Græco est θηρεύσουσι, quod significat, *venabuntur*, et ideo sensus est, captabunt per insidias, ut venatores faciunt. In Hebræo est, יגדו *iagheddu*, id est, conveniunt, sive *congregabuntur adversus animam justi*, sed credibile est Septuaginta Interpretes legisse, יגודו, *iagudu*, una littera mutata, quod significat, *venabuntur;* particula, *in*, abundat apud Latinos, cum dicitur, *Captabunt in animam justi.* Proinde sensus est, captabunt, id est, venando capient animam, id est, vitam justi.

22. Et factus est mihi Dominus in refugium : et Deus meus in adjutorium spei meæ.

Loquitur Propheta in persona justorum, et sicut dixerat in numero singulari, *captabunt in animam justi*, sic etiam introducit justum loquentem in numero singulari, ac si dicat, illi quidem insidiabuntur mihi homini justo, meque ad mortem condemnabunt : sed *Dominus factus est mihi refugium*, ut non mihi noceant insidiæ illorum. Et *Deus meus* factus est *adjutorium spei meæ*, id est, Deus factus est quasi petra solida, in quo tuto innititur spes mea ; sic enim habetur in Hebræo; Deus meus לצור *letsur*, id est, in petram spei meæ. Itaque posuerunt Septuaginta, et noster Interpres vocem, adjutorium spei, pro fundamento spei : adjuvat enim fundamentum ipsam spem ; dum facit, ut non vacillet.

23. Et reddet illis iniquitatem ipsorum, et in malitia eorum disperdet eos; disperdet illos Dominus Deus noster.

Hæc est justissima providentia Dei, ut tandem justos adjuvet, et iniquos disperdat, *Reddet illis*, inquit, *iniquitatem ipsorum*, id est Deus faciet ut iniquitas impii revertatur in caput ipsius impii; dum justo non nocet, qui ob patientiam coronatur : et ipsi impio nocet, qui ob malitiam punitur. Quod explicatur sequentibus verbis, *In malitia eorum disperdet eos*, ubi notat S. Augustinus, recte dici, *in malitia*, quia Deus non tam punit eos, ob id, quod fecerunt, quam propter malitiam, qua id fecerunt. Tradidit enim Christum ad mortem Judas, tradididit etiam Deus Pater : sed Patri gratias agimus, *quia ex nimia charitate proprio Filio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum* : ut ait B. Paul. Rom. 8. Judam detestamur, quia ex cupiditate ; non ex charitate, et pro pecunia sua, non pro salute nostra tradidit illum. Addit Propheta, *Disperdet illos Dominus Deus noster*, ut explicet quis sit, qui disperdet impios, dixerat enim, *Reddet illis iniquitatem ipsorum, et in malitia eorum disperdet eos*, et non dixerat, quis hæc facturus esset, explicat igitur, ac dicit, *Disperdet illos Dominus Deus noster*, cujus providentiam, aut negaverunt, aut contempserunt.

PSALMUS XCIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

LAUS CANTICI IPSI DAVID.

In codice Hebræo nullus est titulus : sed vel excidit, vel hanc titulum addiderunt Septuaginta viri, ut indicarent, argumentum hujus Psalmi esse laudem Deo, voce, non instrumentis musicis decantatam. Theodoretus censet, Psalmum compositum esse a Davide in persona Josiæ Regis, quem spiritu prævideriț repurgaturum templum, et altare remotis cultibus Idololatricis, et ipsis Sacerdotibus Idololatris interfectis : sed non est necesse ad Josiam recurrere : Psalmus enim omni tempore, omnibus locis, et omnibus fidelibus, tum Judæis, tum Christianis convenit. Continet enim invitationem ad laudandum Deum, corde, voce, et opere. Quare Ecclesia Catholica rectissime hunc Psalmum esse voluit initium nocturnæ Psalmodiæ, quæ ut longissima est, ita ista præparatione et exhortatione indigebat.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Venite exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro.

Invitatio, et exhortatio est ad laudandum Deum. Illud, *Venite*, est exhortatio, et excitatio ad conjungendos animos, et voces in laudem Dei, quomodo Gen. 11. est exhortatio, et excitatio, ad conjungenda studia, et operas in ædificanda civitate, et turri. *Venite, faciamus lateres* : et ibidem, *Venite, faciamus nobis civitatem*: et ibidem Dominus dicit, *Venite, descendamus, et confundamus ibi linguas eorum. Exultemus Domino*, invitat primum ad exultationem spiritus, deinde ad jubilationem vocis : non enim recte jubilamus voce, nisi prius mens excitata sit in Deum per internam lætitiam, et admirationem. Unde, et de Domino scriptum est Luc. 10. *Exultavit spiritu, et dixit, Confiteor tibi Pater*, et Mater Domini de se dixit, Luc 1. *Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus.* Ait igitur, *Venite exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro*, id est, omnes simul uniti exultemus spiritu, coram Domino præ lætitia gestientes, et voce jubilemus Deo, qui est salus nostra. S. Augustinus per jubilationem, intelligit vocem lætitiæ quæ non potest exprimere quod intelligit. Sed vox Hebræa, נריעה *narihhah*, significat potius magnum clamorem, lætum tamen, qui magnus clamor magnum potius affectum, quam magnum strepitum hoc loco significat.

2. Præoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei.

Duobus modis potest hic versiculus intelligi. Uno modo, ut Propheta admoneat, ut summo mane appareamus coram Domino ad laudandum eum, quasi dicat, Antequam alii surgant,

nos primi sumus ante faciem Domini, et hoc satis convenit tempori, quo hunc Psalmum in Ecclesia canimus. Altero modo, ut Propheta doceat, miscendam esse confessionem propriæ miseriæ, cum confessione misericordiæ Dei, ut sensus sit, *Præoccupemus faciem ejus in confessione*, id est, antequam Dominus ad judicium veniat, et vindictam de peccatis sumat, præveniamus eum confitendo peccata nostra, vel præveniamus iram ejus (potest enim facies, in Hebræo, פנו *panau*, sumi *pro ira*) et antequam Deus irascetur, confiteamur peccata; *et simul jubilemus in Psalmis*, magnis vocibus extollendo misericordiam ejus. Et videtur hæc posterior expositio magis ad mentem Patrum, S. Hieron. S. August. Theodoreti et Euthymii in Comment. Psalm. et S. Greg. Nazianz. in orat. de plaga grandinis.

3. Quoniam Deus magnus, Dominus, et Rex magnus super omnes Deos.

Reddit quinque rationes, cur Deus a nobis laudandus sit. Prima est, quia Dominus noster est magnus Deus super alios omnes Deos, et magnus Rex super alios omnes Reges, qui etiam Dii dici solent. Quo loco pro voce, Dominus, est in Hebræo nomen quatuor litterarum, יהוה Adonai, quod est proprium Dei veri; et ideo nomen appellativum, magnus, non debet conjungi cum, *Dominus*, sed cum, *Deus*, ut diximus. Porro per Deos, intelligendi sunt primo loco Dii falsi, id est, dæmonia, quæ sibi apud gentiles usurpant cultum veri Dei, ut dicitur in Psalm. 95. *Omnes Dii gentium dæmonia.* Deinde intelligendi sunt Reges, et Judices terræ, de quibus dicitur in Psal. 81. *Ego dixi: Dii estis.* In Græco legitur, *super omnem terram;* et sic legunt Theodoretus, et Euthymius, sed in Hebræo est, על כל־אלהים *hhal col Elohim, super omnes Deos*, et sic legunt S. Hieron. et Augustinus, credibile est Græcum esse corruptum.

4. Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et altitudines montium ipsius sunt.

Altera ratio est, quia Dominus habet in potestate sua orbem terræ, sive longitudinem, et latitudinem, sive etiam altitudinem consideres; proinde omnes, qui terram incolunt illi subjecti sunt, et sacrificium laudis illi debent. *Quia*, inquit, *in manu ejus*, id est, in potestate ejus, sunt *omnes fines terræ*, id est, tota terra usque ad ultimos ejus fines. *Et altitudines montium ipsius sunt*, id est, non solum longitudo, et latitudo terræ, sed etiam omnis altitudo usque ad altissimos montes ad ejus ditionem pertinet. In codice quodam antiquo, ex quo legitur hic Psalmus communiter in Ecclesia, præmittitur huic versiculo, *Quia non repellet Dominus plebem suam*, et hæc verba leguntur, et exponuntur a SS. Hieronymo, et Augustino in Commentario Psalmorum. Sed in codice Hebræo, et Græco, et in Latina vulgata editione non habentur, et vere hoc loco supervacanea esse videntur, sed in Psalmo superiore locum suum habent, et inde huc translata sunt, verissima autem esse dubitari non potest. In eodem antiquo codice legitur, *altitudines montium ipse conspicit*, pro, *ipsius sunt.* Sed in Hebræo et Græco habetur, *ipsius sunt*, et sic legunt Patres. Cæterum illa lectio, *altitudines montium ipse conspicit*, nihil aliud significat, nisi Dominum esse quolibet altissimo monte altiorem, ita ut commode respiciat ea, quæ sunt in verticibus montium altissimorum, ad quos nullus umquam hominum penetravit. In Hebræo pro, *fines terræ*, habetur, מחקרי ארץ *mechekaret arets, investigationes* terræ, a verbo חקר *chàcar*, quod est investigare, et scrutari. Inde aliqui existimant, significari profundas terræ cavernas, quæ opponuntur altitudini montium, ut sensus sit, in manu Dei esse tum profunditatem, tum altitudinem terræ. S. Hieron. vertit, *In cujus manus fundamenta terræ, et excelsa montium ipsius sunt*, cum qua lectione potest concordari lectio Græca, τὰ πέρατα τῆς γῆς, et Latina, si per *fines terræ*, intelligamus fines, quo ad profunditatem, non quo ad longitudinem, vel latitudinem, sed uterque sensus est verus.

5. Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et siccam manus ejus formaverunt.

Tertia ratio est, quoniam Deus noster non solum terræ, sed etiam maris Dominus est, quippe qui fecit illud, et arenam siccam illi circumdedit, in qua tamquam in vase continetur. Quare æquum est, ut homines, qui ex mari maxima commoda percipiunt, illi gratias agant eumque laudibus efferant.

6. Venite adoremus, et procidamus, et ploremus ante Dominum, qui fecit nos.

Quarta ratio est, quia idem Dominus non solum fecit terram, et maria, sed etiam nos homines fecit; nos autem factorem nostrum peccatis nostris offendimus. *Venite*, inquit, *adoremus, et procidamus, et ploremus*, deflentes ingratitudinem, et peccata nostra *ante Dominum, qui fecit nos*, ac per hoc omni jure Dominus noster est, atque illi omnem obedientiam debemus. Ex Hebræo S. Hieronymus vertit, *genua flectamus*, pro eo quod nos habemus, *ploremus.* Sed omnes codices Græci, et Latini habent, *ploremus*, et sic legunt, et explicant omnes veteres tractatores: neque est verisimile Prophetam dicturum fuisse, *genua flectamus*, posteaquam dixerat, *adoremus et procidamus;* nam adorare in Hebræo significat, *prosterni, et succumbere*, quod explicatur per vocem sequentem, *procidamus.* Plus est autem procidere, et toto corpore prosterni, quam genua flectere. Itaque probabile est, veram Hebraicam lectionem, quam habuerunt Septuaginta, fuisse נורכה *niurecha*, quod significat, *ploremus:* sed successu temporis irrepsisse unam litteram, et factum esse נורכה *niarecha*, quod est *genua flectamus.* Neque ullo modo credibile est Septuaginta Interpretes, homines doctissimos reddituros fuisse, *ploremus*, si ita legissent, ut nunc in codicibus Hebraicis legimus.

7. Quia ipse est Dominus Deus noster, et nos populus pascuæ ejus, et oves manus ejus.

Hæc est quinta et ultima ratio, quia Dominus non solum nos fecit, sed particulari providentia nos regit, quomodo pastor proprium gregem. Observat S. August. elegantem transpositionem verborum; videtur enim Propheta conjungere debuisse oves cum pascua, et populum cum manu, ac dicere, *et nos populus manus ejus*,

et oves pascuæ ejus : sed conjunxit populum cum pascua, et oves cum manu, ut significaret, populum esse respectu Dei instar ovium, quæ pastore indigent : et tamen non esse oves expertes rationis, quæ baculo cogi debeant; dicuntur autem oves istæ, oves manus Dei, vel quia Deus eas fecit, ut exponit S. August. vel ut alii communiter docent, quia Deus quasi manu propria eas regit ; quamvis enim populus Dei habeat Pastores, et Doctores, a quibus pascitur, et regitur : tamen ipse etiam Deus peculiarem curam illius habet, et non sinit ut negligentia, vel ignorantia, vel etiam malitia Pastorum illis noceat. Ex quo intelligimus, debere populum Dei in Deo summo pastore fiduciam ponere, atque ad illum per orationem recurrere, quando pastor minus idoneus illis contingit, ipse enim per Ezechielem cap. 34. dicit, *Ego pascam oves meas.*

8. Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.

Hæc est secunda pars Psalmi, qua Propheta exhortatur populum Dei, ut non solum voce, sed etiam opere Deum laudet. Sacrificium autem operis Deo gratissimum, est obedientia, quam exhibemus præceptis ejus, juxta illud 1. Reg. 15. *Numquid vult Deus holocausta et victimas, et non magis, ut obediatur voci Domini?* Introducit autem Propheta Deum loquentem, ut exhortatio majorem vim habeat. Neque obstat illud *ejus :* nam in Scriptura sæpe Deus loquitur de se, ac si de alio loqueretur, ut in loco proxime citato. *Numquid vult Deus holocausta, et non magis, ut obediatur voci Domini.* Sic igitur hoc loco dicit Spiritus sanctus, *Hodie si vocem ejus*, id est, Domini, *audieritis*, id est, si vocem meam audieritis, qui Dominus vester sum, *nolite obdurare corda vestra.* Illud, *hodie*, significat, hoc tempore, et, ut Apostolus declarat ad Hebr. 3. habet locum hæc exhortatio, *donec hodie cognominatur*, id est, dum tempus hujus vitæ durat ; nam post hanc vitam non erit amplius tempus, sed æternitas. Illud autem, *si*, videtur significare Deum non singulis momentis nobis loqui, sed pro loco, et tempore nos admonere, vel per internas inspirationes, vel per voces Prædicatorum, vel per lectionem Scripturarum, vel alio quocumque modo, ut nobis voluntatem suam patefaciat. Illud, *nolite obdurare corda vestra*, significat, parum prodesse audire vocem Domini, nisi ea vox penetret intima cordis, et inflectat ad fidem, et obedientiam : cur autem vox Dei non penetret, causa est durities cordis. Induratio autem cordis aliquando tribuitur homini, aliquando Deo: nam Exod. 7. dicit Dominus, *Ego indurabo cor Pharaonis.* et 1. Reg. 6. dicitur, *Cur aggravatis corda vestra, sicut aggravavit Ægyptus, et Pharao cor suum?* Porro Deus indurat corda non impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam, ut S. August. dicit in epist. 105. ad Sixtum, qui etiam tractatu 53. in Joan. scribit : Sic obdurat Deus, deserendo, et non adjuvando, quod occulto judicio facere potest, inique non potest. Cui subscribit S. Gregor. lib. 11. Moral. cap. 5. Obdurare per justitiam dicitur Deus, quando cor reprobum per gratiam non emollit. Homo autem obdurat cor suum, quando resistit inspirationibus, et vocibus Dei, juxta illud Act. 7. *Vos semper Spiritui sancto restitistis :* inducit autem hominem ad resistendum Deo, et claudendas aures interiores, peccati præsens dulcedo, quam Apostolus ad Hebr. 3. vocat, *fallaciam peccati*, cum ait, *ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* In Hebraico textu verba illa, *Hodie si vocem ejus audieritis*, conjunguntur cum superioribus, *nos autem populus pascuæ ejus, et oves manus ejus, hodie si vocem ejus audieritis ;* deinde incipit alius versiculus, *Nolite obdurare corda vestra, sicut in irritatione.* Sed Apostolus ad Hebr. 3. citat hunc locum, ut nos in codicibus Græcis et Latinis habemus. Itaque Apostolo Judice melior est lectio Septuaginta, et nostræ vulgatæ editionis, quam Hebraica, ut nunc se habet, quidquid hæretici moderni blaterent.

9. Sicut in irritatione secundum diem tentationis in deserto ; ubi tentaverunt me Patres vestri, probaverunt me, et viderunt opera mea.

Ponit exemplum obdurationis : nam Patres antiqui educti per Mosem de Ægypto, dum in itinere essent, et desertum pertransirent, non semel obduraverunt cor suum, nolentes credere promissis Dei, neque illi obedire; unde *irritaverunt eum, et exacerbaverunt*, ut habet alia lectio : tentarunt etiam potentiam ejus, et experti sunt, ac viderunt mirabilia opera ejus, qualia fuerunt manna de cœlo pluens, et aqua de petra scaturiens. Vide Num. 14. *Sicut*, inquit, *in irritatione*, id est, quando Deum ad iracundiam provocaverunt, *secundum diem tentationis in deserto*, id est, juxta diem illum, quo Deum tentaverunt : tunc enim tentantes Deum, illum irritaverunt. Non est necesse unam diem particularem hic notari, cum multis vicibus Deum Judæi tentaverint in deserto, sed potest accipi dies pro tempore, ut sensus sit, *sicut in irritatione*, quæ facta est in tempore illo, quo me sæpius tentaverunt in deserto. *Ubi tentaverunt me*, id est, ubi explorare voluerunt, utrum ego vere Deus essem, possemque illis in deserto panem, et aquam, et carnes parare, quibus rebus desertus locus ille carebat. *Probaverunt me, et viderunt opera mea*, id est, ubi etiam experti sunt me esse omnipotentem, quia viderunt opera mea, qualia solus Deus verus, vereque omnipotens facere potest.

10. Quadraginta annis offensus fui generationi illi, et dixi, Semper hi errant corde.

Explicat clarius tempus irritationis, et tentationis in deserto. *Quadraginta annis*, inquit, *offensus fui generationi illi*, id est, toto tempore, quo duxi eos per desertum, ut introducerem in terram promissionis, *offensus fui generationi illi*, id est, offensus fui ab illis, sive infensus illis fui, ut explicat Apostolus Hebr. 3. Vox Hebraica, אקוט *akut*, significat, *litigavi cum illis*, vel abominatus sum illos : sed omnia in idem recidunt, in quem sensum explicanda est etiam lectio Psalterii Romani, *Quadraginta annis proximus fui generationi huic*, id est, propinquavi illis, ut de proximo illorum querelas audirem, eosque variis plagis flagellarem : et quia de proximo vidi, et audivi, quid agerent, aut loquerentur, *dixi, semper hi errant corde*, id est,

ducuntur variis desideriis, et ideo errant, et vagantur extra rectam viam salutis. Apost. ad Hebr. 3. aliter distinguit, *Probaverunt*, inquit, *et viderunt opera mea quadraginta annis : propter quod infensus fui generationi huic.* Sed quia neque Hebræi, neque Græci, neque Latini ita distinguunt : dicendum est Apostolum declarare voluisse verba hujus Psalmi, et ideo addidisse illud, *propter quod*, ut sensus sit, *Viderunt opera mea*, *quadraginta annis*, *propter quod totidem annis infensus fui generationi huic.*

11. Et isti non cognoverunt vias meas, ut juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.

Declarat, cur corde erraverint; *quia non cognoverunt vias;* id est leges meas, quæ sunt rectæ viæ, per quas qui incedunt, errare non possunt : Loquitur autem de cognitione approbationis, non de simplici notitia. *Ut juravi in ira mea*, subintelligatur, non pervenerunt ad requiem, sicut juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam. Itaque sensus est, isti, qui semper errant corde, non cognoverunt vias meas, quibus itur ad requiem, ac per hoc in illam non introierunt, *prout juravi in ira mea*, *si introibunt*, id est, quod non introibunt in requiem meam. Per requiem in sensu historico intelligitur terra promissionis, in quam non introierunt, nisi paucissimi ex illis, qui exierunt ex Ægypto; sicut Dominus juravit illis Num 14. *Vivo ego, dicit Dominus, sicut loquuti estis audiente me, sic faciam vobis, in solitudine hac jacebunt cadavera vestra.* In sensu anagogico Apostolo teste ad Hebr. 4. intelligitur cœlestis patria, ubi erit perfecta requies. Juramentum autem Dei significat, rem esse certissimam, et immutabilem. In Hebræo habetur, אשר *ascher*, quod recte verti potest, tam ut, quam quibus. In Græco habetur ὡ, ut etiam in Epistola Græca S. Pauli ad Hebræos : tamen in editione Latina ejusdem Epistolæ cap. 3. habetur, *quibus juravi:* sed cap. 4. *sicut juravi.* In Psalterio Romano, et apud Augustinum, habetur, quibus juravi. Sensus semper est idem, tamen communior lectio est quæ habetur in editione vulgata, et sic legit Apostolus, quando proprie citat verba Psal. dicens, *Quemadmodum dixit; sicut juravi*, etc. ad Hebr. 4.

PSALMUS XCV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

CANTICUM IPSI DAVID, QUANDO DOMUS ÆDIFICABATUR POST CAPTIVITATEM.

Hic Psalmus apud Hebræos titulo caret : neque mirum est, quoniam videtur esse pars quædam Psalmi centesimiquarti, ut perspicuum est ex lib. 1. Paralip. c. 16. ubi in reductione Arcæ Domini canitur Psalmus, cujus prior pars est principium Psalmi 104. posterior est Psalmus 95. videtur enim Esdras, vel si quis alius fuit, qui librum Psalmorum collegit, et ordinavit, ut numerum centum quinquaginta Psalmorum compleret, ex parte Psalmi 104. fecisse hunc Psalmum 95. quemadmodum ex fine Psalmi 56. et ex fine Psalmi 58. composuit Psalmum centesimumseptimum qui incipit, *Paratum cor meum,* et ex fine Psalmi 39. fecit Psalmum sexagesimumnonum, qui incipit, *Deus in adjutorium meum intende.* Titulum ergo, quem habemus in codicibus Græcis, et Latinis; vel addiderunt Septuaginta Interpretes, vel quod verius reor, Esdras ipse addidit, et jussit cantari, cum templum reædificabatur post captivitatem Babylonicam. Quamvis autem David hunc Psalmum composuerit occasione reductionis Arcæ Domini, et Esdras eumdem Psalmum cantari jusserit in reædificatione templi : tamen certum est intentionem primariam Davidis, et ipsius Spiritus sancti fuisse prædicere adventum Christi, et Regnum ejus, *quando Deus eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in Regnum Filii dilectionis suæ,* ut scribit Apostolus ad Coloss. 1. Recte enim observavit S. Augustinus, in toto hoc Psalmo nullam fieri mentionem ædificationis templi, nec reductionis arcæ, ac per hoc, vel Psalmum non convenire cum titulo, vel exponendum esse, ut verba sonant de Regno Christi in toto terrarum orbe propagando; hoc est de Ecclesia in omnibus gentibus ædificanda. Atque in hanc sententiam conveniunt scriptores veteres, Hieronymus, Augustinus, et Ambrosius Latini; Chrysostomus, Theodoretus, et Euthymius Græci.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra.

Incipit ab exhortatione, ut pro communi beneficio communiter ab universa terra gratiæ agantur Deo; ter autem repetit *Cantate*, ut etiam infra ter repetit, afferte Domino, ut obscure insinuaret mysterium sanctissimæ Trinitatis, quod aperte in testamento novo prædicandum erat. *Cantate*, inquit, *Domino canticum novum*, id est, laudate et gratias agite cum cantu et lætitia. Vocat autem *cantivum novum*, canticum pulchrum, et sapienter compositum : item canticum pro novo beneficio ; item canticum, quod

a renovatis hominibus cani debet, in quibus non amplius regnet cupiditas, sed charitas. Denique, ut exponit Chrysostomus, canticum, non quale fuit canticum Mosis, aut Deboræ, aut alia vetera cantica, quæ non poterant cantari extra terram promissionis, juxta illud Psal. 136. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* sed canticum novum, quod per universam terram celebrari queat. Ideo enim subjungitur, *Cantate Domino omnis terra*, id est, non solum Judæa, sed orbis terrarum universus.

2. Cantate Domino, et benedicite nomini ejus : annunciate de die in diem salutare ejus.

Præmissa exhortatione generali, incipit explicare materiam cantici et laudationis, quæ est Salvatoris adventus. *Cantate*, inquit, *Domino, et benedicite nomini ejus*, id est, cantando laudate potentiam ejus, quæ per nomen significatur, nisi forte per nomen insinuetur nomen Salvatoris, de quo fit clarius mentio in verbis sequentibus, *Annunciate de die in diem salutare ejus*, id est, prædicate cum cantu, et laudibus venturam salutem, idque *de die in diem*, id est, omni die : quemadmodum enim sine cessatione dies diei succedit, sic æquum est ut laudatio laudationi sine cessatione succedat. Verbum Hebraicum, בשרו *bascheru*, significat, bonum nuncium afferte, quod Septuaginta recte verterunt εὐαγγελίζεσθε, et Interpres noster vertere potuisset, *evangelizate*, vel *bene nunciate*, ut legit S. Augustinus. Itaque ex Hebræo et Græco exponi debet verbum Latinum, annunciate, id est bonum nuncium afferte.

3. Annunciate inter gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus.

Dixit Deum ob tam ingens beneficium omni tempore laudandum : addit nunc etiam in omni loco laudandum. *Annunciate*, inquit, *inter gentes gloriam ejus*, id est, notam facite non solum Judæis, ut faciebant Prophetæ veteres, sed etiam gentilibus gloriam Dei : et hoc ipsum clarius explicans ait, *annunciate in omnibus populis*, id est, omnibus gentibus, *mirabilia ejus*, id est, admiranda opera Dei, ex quibus manifestatur gloria ejus. Quamvis autem hæc exhortatio pertineat ad omnes, qui noverunt mirabilia Dei; tamen præcipue pertinet ad Apostolos Domini : illi enim sunt, qui omnibus gentibus notam fecerunt gloriam Dei, et mirabilia opera non solum Creatoris, sed etiam Redemptoris, et Sanctificatoris, id est, Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

4. Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis : terribilis est super omnes Deos.

5. Quoniam omnes Dii gentium Dæmonia, Dominus autem cœlos fecit.

Declarat quæ sit gloria Domini, quæ mirabilia opera ejus, quæ paulo ante prædicanda semper, et ubique esse dicebat, *Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis, terribilis est super omnes Deos.* Hæc est gloria Domini, quod magnus sit absolute, sive potentiam, sive sapientiam, sive bonitatem, sive imperium, sive divitias, sive quæcumque alia consideres ; quod juxta hanc magnitudinem sit laudabilis valde, et reipsa ab omnibus laudetur : hinc enim pleni sunt cœli et terra gloria ejus; quod denique terribilis sit super omnes Deos; id est, quod usque adeo emineat super omnes, qui ullo modo dicuntur Dii, ut non solum non audeant ei se conferre, sed ut servi, vel potius mancipia Majestatem ejus contremiscant : nam de bonis Angelis, qui sunt Dii per participationem, canit Ecclesia, *Majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates.* De malis Angelis, qui sunt Dii per errorem gentium, dicit B. Jacobus in Epist. cap. 2. *Dæmones tremunt, et contremiscunt :* et quoniam præcipue de falsis Diis loquitur hoc loco David, ideo subjungit rationem, cur Deus noster terribilis sit super omnes Deos, dicens, *Quoniam omnes Dii gentium Dæmonia, Dominus autem cœlos fecit*, id est, propterea Dominus terribilis est super omnes Deos, falsos videlicet, et a gentibus per errorem adoratos, quoniam Dii gentium non sint veri Dii, sed Dæmonia, id est, spiritus mali, qui a Deo creatore per superbiam recesserunt, et ab eodem æternis suppliciis destinati sunt : *Dominus autem* non est spiritus creatus, sed spiritus creator, qui *cœlos fecit*, corpora omnium maxima, et pulcherrima, et omnia, quæ cœli ambitu continentur, id est, res omnes creatas. Ex Hebræo Sanctus Hieronymus vertit, *omnes Dii populorum sculptilia.* Sed sciendum est vocem Hebraicam, quæ hic habetur, אלילים *elilim*, non significare proprie neque dæmonia, neque sculptilia. Dæmon enim dicitur, שדפסל *schedpesel, sculptile*, vox autem, *elilim*, significare videtur Deiculos, ut sit diminutivum ab אל *el*, quod significat Deum, ut sensus sit, *Dii gentium non sunt Dii, sed Deiculi*, vel *Deastri* inutiles et vani; Dominus autem est Deus verus et potens, qui cœlos fecit. Itaque vocem illam Septuaginta Interpretes retulerunt ad dæmonia potius quam ad simulachra; quoniam dæmonia habitabant in simulachris, et erant ii, qui potissimum a gentibus adorabantur, juxta illud Apostoli 1. Cor. 10. *Quæ enim gentes immolant, dæmonibus immolant, et non Deo.*

6. Confessio et pulchritudo in conspectu ejus : sanctimonia, et magnificentia in sanctificatione ejus.

Dixerat Deum esse magnum et terribilem : nunc addit, eumdem esse undique laudabilem, pulcherrimum, gloriosum, et sanctissimum ; idque præcipue cerni in cœlesti sanctuario, ubi spectandum se præbet oculis Angelorum, aliisque spiritibus beatis. Illustrabit hunc versiculum, alioqui satis obscurum, versiculus secundus Psal. centesimitertii, *Confessionem, et decorem induisti, amictus lumine, sicut vestimento :* dicitur enim Deus induisse confessionem et decorem, quia ab omni parte conspicitur laudabilis, et ideo laudabilis, quia pulcher, et decorus totus, sive quis essentiam, sive attributa, sive judicia, sive cogitationes, sive opera ejus attendat, quod brevissime dixit S. Joan. 1. epist. cap. 1. *Deus lux est, et in eo tenebræ non sunt ullæ.* Dicit ergo Propheta de Deo, *Confessio, et pulchritudo in conspectu ejus*, id est, laus, seu materia laudis, et pulchritudo, sive decor, et gloria, est in circuitu Dei, quia confessionem, et pulchritudinem induit ; ac per hoc undique conspicit laudem, et pulchritudinem suam, et undique conspicitur decorus et laudabilis : quo-

modo sol, si sensum videndi haberet, undique conspiceret radios lucis suæ, sicut undique conspicitur micans et lucidus. *Sanctimonia, et magnificentia in sanctificatione ejus*, id est, sanctitas, sive puritas et magnificentia, sive majestas et gloria, quibus Deus, quasi vestimentis indutus est, conspicitur in sanctificatione ejus, id est, in sanctuario, sive in templo sancto, quod in cœlis ipse Deus habet. Posset etiam hic versiculus sic exponi, *Confessio, et pulchritudo in conspectu ejus*, id est, offeratur in conspectu Dei confessio laudis et pulchritudo justitiæ, *sanctimonia, et magnificentia in sanctificatione ejus*, id est, sanctitas vitæ, et magnificentia honorum operum in sancto templo ejus similiter offeratur. Sanctus Augustinus per confessionem intelligit confessionem peccatorum, per quam homo deformis incipit pulchrescere, et sanctificari, et placere sponso cœlesti, qui pulcherrimus et sanctissimus est. Quod attinet ad verba, pro vocabulo, *sanctimonia*, in Hebræo est, עז *hhoz*, quod proprie robur, et fortitudinem significat; sed accipitur etiam pro gloria, honore, substantia, opibus. Videntur igitur Septuaginta Interpretes, eam vocem accepisse pro gloria, et puritate, quæ sanctitatis propria est: ut in sequenti versiculo acceperunt pro honore, et conjunxerunt cum gloria. Pro vocibus, in sanctificatione ejus, in Hebræo habetur, במקדשו *bemikdaschu*, id est, *in sanctuario ejus*, et sic etiam vertit S. Hieronymus. Neque est novum in Scripturis, ut sanctificatio accipiatur pro sanctuario: sic enim legitur lib. 1. Machab. cap. 1. *Et intravit in sanctificationem cum superbia, et accepit altare aureum, etc.*

7. Afferte Domino, patriæ gentium, afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus.

Prædixerat prædicandam esse notitiam Dei omnibus gentibus per Christi adventum: nunc prædicit convertendas esse omnes gentes, et glorificaturas Deum. Sed sicut illud prædixerat per modum hortantis dicens, *Annunciate inter omnes gloriam ejus;* sic etiam nunc prædicit hoc per modum hortantis dicens, *Afferte Domino, patriæ gentium*, id est, o familiæ gentilium toto orbe diffusæ, cum vobis annunciata fuerit gloria Domini, qui de cœlo ad terram descendit, et peracta redemptione iterum ad cœlum gloriosus ascendit: non sitis duræ ad credendum, nec pigræ ad operandum, sed accurrite ad tabernaculum Domini, et afferte gloriam et honorem, glorificando, et honorificando verbis et operibus Deum, et sanctum nomen ejus. Illud, patriæ gentium, Hebraice est משפחות *mispechoth*, quod proprie significat familias. Sed Latinus interpres reliquit hoc loco vocem Græcam, πατριαὶ. quæ significat familiam. Quare per, *patrias gentium*, non debemus hic accipere id, quod significat nomen Latinum, sed quod significat Græcum. Cur autem Propheta nominet *familias*, ratio esse videtur, ut alluderet ad ritum Hebræorum, qui distincti per familias suas ascendebant festis diebus ad templum Domini, quod erat in Jerusalem. Significat igitur Spiritus sanctus, quod faciebant familiæ Judæorum corporaliter, faciendum esse a familiis omnium gentium spiritualiter, ut videlicet, omnes ad Ecclesiam veniant, et Deo tribuant gloriam, et honorem omnium mirabilium, quæ facta sunt in redemptione generis humani; non enim nostra industria, aut meritis effecti sumus ad filiorum Dei adoptionem et gratiam; sed ex misericordia Dei, cui proinde debetur omnis honor et gloria. Pro illa voce, *gentium*, in Hebræo est, populorum עמים *hhammim*, sed Septuaginta Interpretes maluerunt vertere, *gentium*, quam populorum, ne Judæi dicerent, de populis suis tantum Prophetam esse locutum. Itaque sustulerunt ambiguitatem vocis, et docuerunt Spiritum sanctum locutum esse de populis gentium, de quibus paulo ante dixerat, *Annunciate inter gentes gloriam ejus*, et paulo infra, *Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit:* nam utrobique in Hebræo habetur vox, גוים *goim*, quæ proprie significat gentiles.

8. Tollite hostias, et introite in atria ejus, adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Hic etiam alludit ad morem Hebraicum, juxta quem Judæi cum ascendebant ad templum, offerebant victimas, et adorato Deo revertebantur in civitates suas. Sed quia hoc loco invitantur gentiles, ut ad Ecclesiam Domini veniant; intelligenda est hæc oblatio de spiritualibus hostiis, de quibus loquitur sanctus Petrus in prima Epistola cap. 2. *Offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum.* Sunt autem spirituales hostiæ, sacrificium cordis contriti, confessio peccatorum, oratio, jejunia, eleemosynæ, et similia. Potest etiam hic locus intelligi de sacrificio Missæ, quod successit omnibus sacrificiis Hebræorum, et quod juxta prophetiam Malachiæ cap. 1. *Offertur Deo ab ortu solis usque ad occasum a gentibus conversis ad Deum per manus Sacerdotum testamenti novi.* Nam non sine mysterio in Hebraico textu non habetur vocabulum, זבח *zebach*, quod significat hostiam, quæ occiditur, dum immolatur, qualia erant sacrificia ovium et boum; sed מנחת *minchath*, quod significat hostiam incruentam, ac præsertim ex farina confectam. Parum autem refert quod pro, atrio sancto, in Hebræo habetur, בהדרת כדש *bechaderath Kodesch, in decore sanctitatis:* nam idem est sensus; vocat enim Scriptura, *decorem sanctitatis*, ipsum sanctuarium quod esset decore, et sanctitate plenum.

9. Commoveatur a facie ejus universa terra, dicite in gentibus, quia Dominus regnavit.

Hactenus quasi longe prævidit Regnum Messiæ, et hortatus est prædicatores ad annunciandum, et populos ad recipiendum novum Regem: nunc quasi propius intueatur, et ipsum venientem cernat, spiritu exultat, et hortatur ad venerationem et lætitiam, non solum gentes, sed etiam terram, cœlum, maria, arbores ipsas: non quod ista sensu prædita sint, sed ut declaret affectum suum et universalem lætitiam, quæ in toto mundo futura erat in adventu Christi. Quamvis autem aliqui hæc referant ad secundum adventum, quando veniet judicare vivos et mortuos: alii ad primum adventum, *quando venit quærere, et salvum facere quod perierat.* Luc. 19. tamen sancti Patres Hieronymus, et Augustinus, nec non Græci scriptores, Theodoretus, et Euthymius ad utrumque adventum referunt, quod et nobis probabilius esse videtur. Ait igitur, *Commoveatur a facie ejus universa terra*,

id est, commoveantur commotione timoris et reverentiæ omnes habitatores terræ ante faciem Domini venientis. In Hebræo est, מפנוכל הארץ חילו *chilu mippanaucol haarets, paveant a facie ejus omnis terra*, ubi numerus multitudinis judicat, per terram, non intelligi elementum terræ, sed habitantes in terra. *Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit*, id est, ut commoveatur terra, prædicate gentibus omnibus, quod Dominus adveniens regnum suum auspicatus est. Intelligitur autem nomine Regni, Regnum spirituale, quo regnat per fidem in cordibus hominum: semper enim Deus regnat in cœlo, et in terra regno potentiæ et majestatis: sed per fidem regnare cœpit in gentibus ab adventu Messiæ, antea siquidem Diabolus regnabat per errores idololatriæ: Unde et Dominus Joan. 12. ait, *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras.* Sanctus Augustinus legit, *quia Dominus regnavit a ligno*: quam lectionem fuisse olim in Septuaginta virorum interpretatione, et ab Hebræis fuisse abrasam et sublatam, testatur sanctus Justinus in dialogo cum Tryphone, et Fortunatus in hymno, qui ab Ecclesia frequentatur tempore Passionis, ex hac lectione accepit illud.

Impleta sunt quæ concinit
David fideli carmine,
Dicens in nationibus,
Regnavit in ligno Deus.

Quamvis autem hæc lectio optimum sensum habeat; tamen in libris Græcis hodie non habetur, nec habebatur tempore S. Hieronymi, Theodoreti, et Euthymii, ut ex eorum commentariis perspicuum est: nec habetur in codicibus Hebraicis, nec in editione Latina vulgata.

10. Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur, judicabit populos in æquitate.

Hoc Regnum merito convenire Christo, probat duplici ratione, Primum quia ipse est, qui cum in forma Dei esset, orbem terrarum condidit, confirmavit et stabilivit, ut commoveri non posset; justum enim est ut ipse regnet in terra, qui terram ipsam condidit. In Hebræo est, תכון *thicon*, a verbo, כון *cun*, quod est *stabilire, firmare, dirigere*, et hoc idem verbum habetur in Psal. 92. ubi legimus, *Etenim firmavit orbem terræ: qui non commovebitur.* Itaque potest referri hæc pars versiculi ad creationem mundi: et tunc, *correxit*, idem erit, quod ita directe fundavit, ut nutare non possit: potest etiam idem verbum exponi de correctione morum per optimas leges, et instituta; et tunc sensus erit Christum jure ac merito regnare debere in orbe terrarum, quia orbem terræ nutantem ob pravas institutiones gentilium ita correxit per legem suam Evangelicam, quæ prohibet omnia vitia, ut jam commoveri non possit, si leges illas sequatur et observet. Unicum enim Domini præceptum de dilectione, si observetur, totum orbem terrarum corrigit, et in summa pace constituit. Secunda ratio est in verbis sequentibus, *Judicabit populos in æquitate*, id est, non solum correxit orbem terræ sanctissimis legibus suis; sed etiam tempore suo judicabit orbem justissime, tribuet enim iis, qui legem Evangelii servaverint, amplissima præmia; et iis, qui servare noluerint, justissimas pœnas.

11. Lætentur cœli, et exultet terra, commoveatur mare, et plenitudo ejus: gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt.

12. Tunc exultabunt omnia ligna sylvarum a facie Domini, quia venit, quoniam venit judicare terram.

Excitat ad lætitiam omnes res creatas propter adventum Domini, tum primum, tum secundum. Primus enim adventus omnia consecravit; secundus omnia glorificabit: *nunc enim omnis creatura ingemiscit, et parturit subjecta corruptioni, sed postmodum liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*, ut dicitur ad Rom. 8. *Lætentur ergo cœli, et exultet terra*, quæ sunt partes mundi principales: *commoveatur etiam mare*, motu exultationis, *et plenitudo ejus*, id est, omnia quæ continentur in eo, sive pisces. *Gaudebant campi et omnia, quæ in eis sunt*, id est, sic erit, ut optavi, ut terra exultaret; ipsa vero omnino exultabit, quia *gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt*, sive pecora, sive plantæ: imo etiam *ipsa ligna sylvarum*, quantumvis sterilia et inculta, exultabunt a facie domini, ad præsentiam videlicet conditoris; exultabunt autem, *quia venit Dominus*, redempturus orbem terræ in misericordia, et quoniam iterum venit judicare orbem terræ in justitia. Sic enim exponunt S. Hieronymus, S. Augustinus, Theodoretus, et Euthymius, qui referunt illud *quia venit*, ad primum adventum illud, *quoniam venit judicare terram*, ad secundum adventum. Sed si magis placeat juxta morem Hebraicum, utrumque referre ad judicium, quæ est simplicior, et fortasse magis litteralis expositio; tunc dicendum erit, judicium novissimum fore simul, et terribile, et lætissimum; terribile impiis, lætissimum justis. Nam ea de causa in Scripturis nunc describitur, ut quid lugubre; horroris et timoris plenum, juxta illud Luc. 21. *Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris, et fluctuum, arescentibus hominibus præ timore, et expectatione quæ supervenient universo orbi; nam, et virtutes cœlorum movebuntur*: nunc vero describitur, ut quid jucundum et lætum, propter gloriam electorum, quæ redundabit in ipsum cœlum, et terram, et maria, quæ renovabuntur, et statum omnino meliorem acquirent, unde dicitur paulo infra in eodem loco Evangelii, *His autem fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.*

13. Judicabit orbem terræ in æquitate, et populos in veritate sua.

Concludit prædicens quale futurum sit judicium, *Judicabit*, inquit, *orbem terræ in æquitate*, id est, in justitia; id enim sonat vox Hebraica בצדק *betsedek*, et Græca δικαιοσύνη, proinde non est accipienda hoc loco æquitas proprie, sed pro vera justitia. Repetit et declarat hoc ipsum, cum addit, *et populos in veritate sua*, ubi quod dixerat, *judicabit orbem terræ*, explicat cum dicit, *Judicabit populos*; non enim terram ipsam, sed populos habitantes in ea judicabit. Quod autem dixerat, *in æquitate*, explicat, cum dicit, *in veritate sua*, id est, in ea veritate, et fidelitate, quæ

semper adimplet quod promisit, promisit autem se redditurum unicuique secundum opera sua, non accepturum personas, juste denique judicaturum. Hoc igitur modo judicabit, et non aliter. Hæc certe sententia deberet somnum, et torporem mortalium excutere, neque, quia differtur judicium, et Deus interim patienter agit, credere debemus, judicium non esse futurum. Qui enim tam multa promisit antequam fierent, et reipsa præstitit, non decipit nos in hoc uno, quod tanti momenti est. An vero, inquit S. Augustinus, exhibuit nobis Deus omnia quæ promisit, et de solo die judicii nos fefellit? Vide explicationem S. Augustini ad Psalmum septuagesimumtertium prope finem, ubi copiose de hac re tractat.

PSALMUS XCVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

HUIC DAVID, QUANDO TERRA EJUS RESTITUTA EST.

HUNC titulum non habent Hebraici codices, proinde vel excidit incuria scriptorum, vel eum addiderunt Septuaginta Interpretes : habetur enim in Græcis, et Latinis editionibus, et ab antiquis Patribus exponitur. Et quamvis in libris Græcis καθίςατο non sit proprie restituta, sed constituta : tamen idem est sensus ; cum enim restituta fuit terra Davidi, quam ei Absalon filius abstulerat, tunc *ipsa terra constituta fuit*, id est, confirmata, et stabilita, quæ antea quodam modo fluctuaverat; vocatur enim terra hoc loco possessio terræ, sive Regnum terrenum. Sed non videtur Psalmus ad litteram intelligendus de restitutione, aut constitutione Regni Davidis; nihil enim ejusmodi in Psalmo legimus, sed videtur sanctus Propheta occasione terræ a se recuperatæ, Spiritu S. afflatus cecinisse restitutionem, et constitutionem perfectam Ecclesiæ, quæ futura est post ultimum judicium, quando remotis persecutionibus omnibus, et omnibus inimicis Christi sub pedibus ejus constitutis, Ecclesia pace perpetua, et tranquillitate fruetur, et Christus ipse pacifice in universa creatura regnabit.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Dominus regnavit, exultet terra, lætentur insulæ multæ.

Duobus modis ad litteram potest hic Psalmus exponi, primum de Regno Dei absolute, deinde de Regno Christi post Resurrectionem, ut exponunt Augustinus, Theodoretus, Euthymius. Juxta priorem intelligentiam hic sensus erit, *Dominus regnavit*, id est, Dominus Deus est verus, et supremus Rex ; et omnes alii Reges servi ejus sunt : ideo *exultet terra, lætentur insulæ multæ*, id est, exultent et lætentur omnes habitantes orbem terrarum, sive habitent continentem terram, sive insulas, quæ plurimæ sunt in mari : quia si forte opprimantur a Regibus terrenis, non deerit illis Dominus, qui Rex est supremus, et inferiores Reges nullo negotio coercere, et in ordinem redigere potest. Juxta posteriorem intelligentiam hic sensus erit, Dominus Christus, qui aliquando humilis ante Reges judicandus stetit, jam regnavit ; quia *data est ei omnis potestas in cœlo, et in terra*. Matth. 28. ut jam nulli potestati nec de jure, nec de facto subjiciatur; sed omnibus præsit, ut *Princeps Regum terræ, et Rex Regum, ac Dominus dominantium : ideo exultet terra, et lætentur insulæ multæ*, quia Dominus, qui regnum Mundi adeptus est, Apoc. 19. frater noster est dignatione, quamvis et Deus noster sit creatione, et Dominus redemptione.

2. Nubes, et caligo in circuitu ejus, justitia, et judicium correctio sedis ejus.

Juxta priorem sensum explicatur natura Dei, qui cum invisibilis sit, tamen gubernat et regit mundum visibilem, summa justitia. *Nubes, et caligo in circuitu ejus*, id est, Dominus Rex noster invisibilis est, *quia lucem habitat inaccessibilem*. 1. Thimoth. 6. et similis est soli, qui quando nube et caligine tectus est, non potest videri, et tamen lumen et calorem ejus sentimus. Sic in Psalm. 17. describitur Deus : *Posuit*, inquit, *tenebras latibulum suum, in circuitu ejus tabernaculum ejus, tenebrosa aqua in nubibus aeris*, sic in monte Sina apparuit tectus nubibus et caligine, ut dicitur Exod. 20. *Justitia, et judicium correctio sedis ejus*, id est, quamvis invisibilis sit, vere tamen adest, et judicat populos justissimo judicio. Illud, *correctio*, potuisset etiam verti, *firmamentum*, ut vertit sanctus Hieronymus, nec non stabilitas, rectitudo, præparatio, ut alibi vertunt iidem Septuaginta Interpretes : nam hæc omnia significat vox Hebraica, מכון *mecon*, a verbo, כון *cun*, ut diximus in explicatione Psalmi superioris. Itaque illud, *correctio*, significat hoc loco rectitudinem, sive directionem, ut sensus sit, rectitudo, sive directio sedis Dei consistit in justitia et judicio : rectissima enim est potestas judiciaria Dei, quæ per sedem significatur, quia Deus semper juste

judicat, nec potest ullo modo injuste judicare, cum sit ipsa sapientia et justitia : est autem hoc proprium Dei; nam sedes aliorum Regum non carent obliquitate aliqua, cum facile illis error obrepat, vel ex ignorantia, vel ex falsa informatione, vel ex passione. Juxta posteriorem sensum, significatur adventus Christi ad Judicium : *veniet enim in nubibus cœli*, splendore magno circumdatus, ut ipse dixit in Evangelio Matth. 24. et 26. et ut Joannes scripsit Apocalyp. 11.

3. Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Juxta priorem sensum significatur admirabilis potentia, efficacitas et celeritas punitionis, quam Deus exercet in impios, quando vult eos punire in hoc Mundo. *Ignis ante eum præcedet*, id est, quandocumque voluerit judicare et punire impios, ignem a sede sua emittet; id est, virtutem efficacissimam et velocissimam, quæ subito *inflammabit*, et consumet *in circuitu*, undique ut non sit ullum effugium, *omnes inimicos ejus*. Potest etiam per ignem intelligi Angelorum ministerium : nam ut dicitur in Psal. 103. *Facit Angelos suos spiritus, ministros suos ignem urentem*. De hoc igne dicitur in Psal. 17. *Ignis a facie ejus exarsit*, et Danielis 7. *Fluvius igneus, rapidusque a facie ejus egrediebatur*. Juxta sensum posteriorem significatur ignis ille, qui præibit ante judicium, et comburet omnia, quæ in terra sunt, homines, domos, hortos, vineas, animantia, et cætera : de qua re scribit Apostolus Petrus in 2. Epist. cap. ultimo, *quemadmodum tempore Noe mundus aquis inundatus periit; ita in adventu Christi ad judicium, terram, et omnia quæ in ea sunt, igni exurenda*, et consumenda esse. Quod autem dicit Psalmus, solos inimicos Dei illo igne inflammandos, ideo dicit, quia solis impiis ignis ille nocebit, quique thesaurum suum, et cor suum habent in terra. Illi enim molestissime ferent, per ignem illum occidi, et absumi opes omnes terrenas, quas diligebant : Justis autem non nocebit, quia bona terrena jam spreverant, seque ad meliora transferri per mortem videbunt.

4. Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ, vidit et commota est terra.

Juxta priorem sensum pergit David explicare potentiam Dei in impios. Deus enim non solum igne virtutis suæ, aut Angelorum sanctorum, sed etiam corporalibus fulguribus terret, quando ei placet, vel etiam tanta velocitate interimit hostes, ut tela ejusmodi nulla arte præcaveri, aut repelli possint. De hoc etiam dicit in Psal. 17. *Intonuit de cœlo Dominus, et altissimus dedit vocem suam, misit sagittas suas, et dissipavit eos, fulgura multiplicavit, et conturbavit eos;* ait igitur, *Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ*, id est, quod placuit illi, in promptu habuit sagittas fulgurum jacere, et ubi illa illuxerunt orbi terræ, terra ipsa, quasi sensum haberet, et videret horrendam speciem cœlestium jaculorum, tota contremuit, et tremore commota est. Est hæc poetica descriptio, qua vis maxima fulgurum demonstratur. Juxta sensum posteriorem declaratur modus quo ante judicium ignis maximus exorietur, et consumet omnia; id enim fiet per instrumenta fulgurum, quæ frequentissima erunt, sic legimus Sap. 5. *Ibunt directe emissiones fulgurum, et tanquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur, et ad certum locum insilient.*

5. Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini, a facie Domini omnis terra.

Hic explicat Propheta juxta utrumque sensum potentiam Domini per effectum : et persistit in eadem similitudine ignis : quomodo enim cera non potest subsistere ante faciem ignis, quin statim liquefiat, et pereat : sic montes quantumvis maximi, et durissimi sint, imo omnis terra, quæ solidissima est omnium elementorum, vim divinæ potentiæ sustinere non posset, si Deus eam repente consumere, et ad nihilum redigere vellet. Itaque verba hujus versiculi non ita sunt accipienda, quasi reipsa montes fluxerint, sicut cera; sed quia ita fieret, si Deus vellet. Alii exponunt, montes fluxisse veluti ceram, per apparentiam, quia visi sunt liquescere, et consumi, quamvis revera non consumerentur. Alii volunt, per montes, significari homines superbos, qui in judicio præ timore liquescent instar ceræ ante faciem ignis. Illud, *omnis terra*, in Græco est, πάσης τῆς γῆς *omnis terræ*, et sic legit sanctus Augustinus, et concordat cum Hebraica lectione, quam sic reddit S. Hieronymus, *a facie dominatoris omnis terræ*. Fieri potest, ut nostra lectio vitio librariorum sic mutata, quod facillime contingere potuit : uterque tamen sensus est verus, neque est varietas hæc alicujus momenti.

6. Annunciaverunt cœli justitiam ejus, et viderunt omnes populi gloriam ejus.

Juxta priorem sensum *cœli annunciaverunt justitiam ejus*, quia ex conspectu Solis et Lunæ, et Stellarum, et continuis conversionibus eorum, potuerunt homines intelligere Deum esse moderatorem justissimum orbis terræ. Sicut etiam dicitur in Psal. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei*, et idem affirmat Apostolus ad Rom. 1. et Sapiens in lib. Sap. c. 14. Possunt etiam per cœlos annuntiatores justitiæ Dei, intelligi Apostoli et Prophetæ, ex quorum prædicatione viderunt omnes populi gloriam ejus, id est, cognoverunt, vel certe cognoscere potuerunt magnitudinem potentiæ, sapientiæ, bonitatis Dei, ex quibus consequitur gloria, id est, claritas nominis ejus. Juxta sensum posteriorem, significatur his verbis angelica tuba quæ de cœlo annunciabit venturum Judicem mundi totius et rigorem justitiæ ejus in eos, qui misericordem Redemptorem suscipere noluerunt; et tunc videbunt omnes populi gloriam Domini, cum apparebit in nubibus cum omnibus Angelis in majestate sua. De hoc adventu scribit Apostolus. 1. Thessal. 4. *Ipse Dominus in jussu et voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo.* Ipse etiam Dominus Matth. 24. *Mittet*, inquit, *Angelos suos cum tuba, et voce magna.* Et Apocal. 1. scribit Joan. *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt. Annunciabunt* ergo *cœli*, id est, Angeli de cœlo, *justitiam ejus :* qui veniet reddere unicuique secundum opera ejus : *et tunc videbunt omnes populi*, omnes omnino nullo excepto, *gloriam ejus*, quando *omne genu flectetur ei, cœlestium, terrestrium, et infernorum*, Philip. 2.

7. Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, et qui glorientur in simulacris suis.

Juxta priorem sensum colligit Propheta ex jam dictis, merito confundi debere omnes Idolorum cultores, cum jam satis constet unum solum esse verum Deum, qui dominatur, et regnat in cœlo et in terra, quique summa potentia, sapientia, et justitia præditus gubernat omnia. *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia*, quæ Dii sunt inanes, et nec se, neque alios juvare possunt; et multo magis confundantur, *qui glorientur in simulacris*, id est, in Idolis suis; cum errore decepti glorientur in ea re, ob quam maxime erubescere deberent. Juxta sensum posteriorem, per modum imprecationis prædicitur confusio maxima, quæ operiet in die judicii omnes idololatras: tunc enim apertissime cognoscent, Idola nihil fuisse, et Idolorum habitatores fuisse spiritus immundos, cum quibus ad æterna supplicia damnabuntur.

8. Adorate eum omnes Angeli ejus: audivit, et lætata est Sion.

9. Et exultaverunt filiæ Judæ propter judicia tua Domine.

Juxta priorem sensum, ut probat Propheta merito se dixisse, *Confundantur qui adorant sculptilia*, convertit se ad Angelos, et invitat eos ad adorandum Deum: Si enim Angeli, qui sunt nobilissimæ creaturæ, non debent adorari tamquam Dii, sed ipsi Deum adorare debent, ut ejus servi: quanto minus dæmones, vel Idola colenda sunt? *Audivit et lætata est Sion*, id est, audivit populus Dei, Deum ubique regnare, Idola nihil esse, ipsos etiam Angelos subjectos esse Deo nostro: et ideo his auditis valde lætatus est, quod tantum habeat Regem, *Et exultaverunt filiæ Judæ propter judicia tua Domine*, id est, idem populus Dei, qui et nomine Sion et nomine filiorum Judæ intelligitur, exultavit propter judicia tua, id est, quia tu Deus judicas omnes justo judicio. Juxta sensum posteriorem, demonstrat Propheta majestatem Christi venientis ad judicium, ex eo quod in judicio manifeste apparebit, Christum vere esse Deum ex ministerio, quod illi exhibebunt omnes Angeli. Astabunt enim Angeli, ut ministri, eumque adorabunt, et obedient missi ab ipso ad diversa ministeria: ex quo sequetur maxima lætitia, et exultatio in veris fidelibus, cum viderint tanta gloria coram toto mundo affici Dominum suum. Utitur autem Propheta apostrophe ad Angelos, et quasi exhortans ad faciendum, quod sua sponte facturos eos prævidebat. *Adorate*, inquit, *eum*, id est, Christum pro tribunali sedentem omnes Angeli ejus. Confirmat hanc expositionem Apostolus ad Hebr. 1. dicens, *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, et adorent eum omnes Angeli Dei.* Videtur enim Apostolus per illud, *iterum*, significare voluisse secundum adventum Christi, et ad illum adventum applicare ista verba Psalmi, *Adorate eum omnes Angeli ejus:* non enim alibi similia verba inveniuntur. Certe Theodoretus ex hoc Psalmo Apostolum accepisse testimonium illud, diserte affirmat. Quod autem quidam auctor dicit, verba citata ab Apostolo, sumpta esse ex ultimo versiculo cantici Mosis, quod habetur in Deuteron. c. 32. non videtur probabile, cum neque in textu Hebraico, neque in versione Septuaginta fiat mentio adorationis. Per filias Judæ, aliqui intelligunt oppida, subjecta civitati Jerusalem: sed quidquid sit de verbis, certum est sensum pertinere ad populum Dei electum.

10. Quoniam tu Dominus Altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes Deos.

Reddit rationem, cur populus Dei exultare cœperit auditis illis, quæ dicta sunt: ratio autem est, quia ex illis colligitur, Dominum populi Dei esse vere supremum Dominum, *Altissimum super omnem terram*, id est, super omnes Reges, et Principes terræ, *et exaltatum nimis*, id est, maxime, super omnes Deos falsos, qui per errorem colebantur a gentibus. Et quamvis hæc sint vera juxta priorem sensum, quia variis miraculis Deus noster se superiorem omnibus Regibus terræ, et omnibus Diis manifeste probavit: tamen juxta sensum posteriorem, non minus vera, et magis clara sunt. Nunquam enim Deus manifestavit gloriam suam apertius, quam faciet in novissimo die, quando, ut supra diximus, omnes omnino homines, et Angeli tam boni quam mali, curvabunt genua ante illum.

11. Qui diligitis Dominum, odite malum, custodit Dominus animas Sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Concludit Psalmum exhortans populum Dei ad sectandam vitæ puritatem et sanctitatem, quæ, et in hoc tempore, et in futuro magnum præmium habebit. *Qui diligitis Dominum, odite malum.* Non poterat brevius, et plenius exhortari Propheta sanctus populum Dei electum: nam cum ait, *Qui diligitis Dominum*, appellat omnes vere justos: charitas enim complectitur omnes virtutes: nam *qui diligit, legem implevit, et plenitudo legis est dilectio*, Rom. 13. Itaque illud, *Qui diligitis Dominum*, significat, o vos omnes, qui vere, non ficte, qui non ore tantum, sed etiam corde, qui secundum legis intimum, non secundum externam superficiem justi, et sancti et Deum timentes estis. Illud, *odite malum*, comprehendit summam perfectæ exhortationis, quoniam non ait, *fugite malum*, vel *declinate a malo*, quod utcumque actu externo fieri potest: sed, *odite malum*, quod nisi corde fieri non potest. Cor autem fons est omnium actionum bonarum et malarum: ut enim ex corde procedit amor summi boni, ita *ex corde procedunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.* Matth. 15. Subjungit deinde præmium dicens, *Custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos*, id est, custos est Dominus fidelis, et diligens, fortis, et prudens diligentium se, ut vitam ipsorum defendat, et liberet de potestate iniquorum, qui ordinarie inimici sunt hominum justorum. Hæc autem promissio impletur quidem in hac vita secundum priorem sensum, quoniam Deus custodit sæpe vitam corporalem sanctorum suorum; semper autem custodit vitam spiritualem, quod est beneficium longe majus; et ideo fortasse dixit, *Custodit animas.* Facit enim, *ut omnia cooperentur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti*,

Rom. 8. Sed juxta sensum posteriorem, custodiet animas sanctorum suorum in die novissimo, ut nihil eis noceant accusationes inimici : perfectissime de manu peccatoris liberabit eos: quia post ultimam illam sententiam nihil amplius poterunt peccatores adversus justos.

12. Lux orta est justo, et rectis corde lætitia.

Hoc est alterum præmium justorum, quod non solum liberabuntur a malis, sed etiam implebuntur bonis. Per lucem hoc loco potest intelligi lux favoris divini, vel, quod verius videtur, lumen justitiæ, et intelligentiæ, de quo dicitur Sap. 5. *Ergo erravimus a via veritatis, et lumen justitiæ non luxit nobis, et sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Dicitur autem lux justitiæ et intelligentiæ oriri alicui, quando cognoscere incipit non theorice tantum, sed etiam practice, justum et injustum, bonum et malum; et illud judicat, et elegit quod vere justum, et bonum est, non quod apparet justum et bonum, menti male affectæ ex perturbatione passionum. Hæc igitur lux orta est justo, sine qua non esset justus, et quia gaudium est justo facere justitiam, ut Philosophus docet, recte subjungitur, *et rectis corde lætitia;* justitia enim dirigit cor, et recto cordi ineffabilis infunditur lætitia ex eo quod conforme redditur voluntati Dei, et omnia ei placent, quæ placent Deo, a cujus nutu pendent omnia. Itaque nihil est, quod justum contristare possit; sed inter ipsas etiam gravissimas tribulationes gaudet, et gaudium ejus nemo tollit ab eo. In Hebræo legitur, *Lux seminata est justo :* sed corrupta videtur littera Hebraica unius litteræ mutatione, nam זרע *zarahh*, significat, *seminare*, et sic legitur hodie; זרח *zarach*, significat, *oriri*, et sic legerunt Septuaginta Interpretes, et S. Hieron. et idipsum confirmat ratio metaphoræ, non enim lux recte dicitur seminari, sed oriri rectissime dicitur. Itaque lectio nostræ vulgatæ editionis non est corrigenda ad Hebraicam; sed contra, Hebraica ad nostram.

13. Lætamini justi in Domino, et confitemini memoriæ sanctificationis ejus.

Hoc sequitur ex iis, quæ dicta sunt in superiori versiculo. Si enim lætitia orta est rectis corde; utique hoc sequitur, *ut recti corde*, id est, justi lætentur, non in vanitatibus sæculi in quibus lætentur injusti; sed *in Domino*, qui eis justitiam et lætitiam donat, imo qui est ipsorum gaudium verum, et solidum, cum sit pulcherrima oculis interioribus, et dulcedo maxima interno palato. Nec solum *lætari debent justi in Domino*, sed etiam, *confiteri memoriæ sanctificationis ejus*, id est, laudibus celebrare memoriam sanctificationis a Deo acceptæ : non enim decet umquam oblivisci tanti beneficii, quo Deus nos ex impiis et iniquis sanctos et justos effecit. Potest etiam per sanctificationem intelligi sanctitas Dei, qua ipse sanctus est, quæ est summa, et excellentissima sanctitas. Unde dicitur Isaiæ 6. *Sanctus, sanctus, sanctus.* Est autem confiteri memoriæ sanctitatis Dei, cum laudibus semper recordari Deum nostrum sanctissimum esse, ac per hoc debere nos summo studio sanctitati studere, *hæc enim voluntas Dei sanctificatio nostra*, 1. Thessal. 4. Et, *Sancti estote*, (inquit Dominus) *quoniam ego sanctus sum.* Levit. 11. et 1. Petri. 1.

PSALMUS XCVII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

Psalmus ipsi David.

In Hebræo non habetur nomen Davidis, sed simpliciter legitur *Psalmus.* Quis addiderit, ipsi David, ignoratur; credibile est Septuaginta Interpretes addidisse, Argumentum est idem fere quod Psalmi nonagesimiquinti. Prædicit enim David Christi adventum primum, et secundum : illum ad salvandum, istum ad judicandum.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.

Invitat homines ad Deum laudandum ob mirabilia, quæ fecit. *Cantate*, inquit, *Domino canticum novum*, quia videlicet novum affertur argumentum carminis nec solum novum, sed magnum, et admirabile. *Quia mirabilia*, inquit, *fecit Dominus :* mirabiliter enim, et novo modo conceptus de Spiritu sancto, natus de Virgine peccatum nullum fecit, peccatores justificavit, surdos fecit audire, et mutos loqui, quin etiam cæcos videre, claudos ambulare, ægrotos bene valere, mortuos vivere, et quod omnium est maxime novum, et mirabile mortuum ipse se tertia die vivum exhibuit, cœlum cum corpore penetravit, Spiritum sanctum de cœlo misit, per homines idiotas, et viles, sapientibus et prudentibus persuasit crucifixum colere, præsentia spernere, futura desiderare, denique (ut loquitur S. Augustinus) domuit orbem, non ferro, sed ligno. Possunt etiam hæc referri ad

Deum Patrem, qui in filio suo, et per filium suum hæc mirabilia fecit: ait enim Dominus Joan. 14. *Pater in me manens ipse facit opera.*

2. Salvavit sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus.

Explicat quæ sint illa mirabilia; et proponit unum, in quo continentur omnia. Hoc mirabile fecit Dominus, quod ipse solus virtute sua salvavit mundum, non eguit sociis, non exercitu, non armis: ipse solus Principem mundi ejecit foras, et universitatem generis humani de ipsius potestate liberavit. Hic finis erat omnium mirabilium, quæ paulo ante numeravimus, ac per hoc in isto uno intelliguntur omnia. Illud, *salvavit*, potest referri ad Filium, qui sua virtute mundum salvavit; et ad Patrem, qui per dexteram suam, id est, per Christum mundum salvavit: sed in idem recidunt omnia. Illud, *sibi*, secundum Hebraicam phrasim idem significat, quod ipsa, ac si dixisset Propheta, Dextera ipsius ipsa salvavit, sive ipsa salutem Mundi operata est. Sic legimus in Canticis cap. 1. *Abi post vestigia gregum tuorum*, ubi est in Hebræo, ולכי לך *ulchi lecha, abi tibi*, et c. 2. *Imber* abiit, in Hebræo *imber abiit* sibi: sed illud, *tibi*, et illud, sibi, omissum est ab Interprete, quia redundat, et in ipso verbo subintelligitur. Sed Isaiæ 59. expressit Interpres illud *sibi*, cum ita vertit, *Salvabit sibi brachium suum*, et c. 53. *Salvabit mihi brachium meum.* Alii tamen volunt illud, *sibi*, positum esse pro *eum*, ut sensus sit, *Salvabit eum dextera ejus*, quia propria virtute resurrexit a mortuis. S. Augustinus refert illud *sibi* ad Christum, ut ad finem, ut sensus sit, Salvavit Christus homines, sed sibi, id est ad gloriam suam. Omnes sunt expositiones veræ, sed prima est minime litteralis. Quod addunt, *Et brachium sanctum ejus*, est repetitio, et declaratio præcedentium, idem enim est dextera, et brachium, id est, virtus, et potentia; sed additur sanctum, ut intelligamus robur hujus brachii non esse aliquid carnale, sed spirituale, non enim Christus armis, aut viribus corporis hostem dejecit, sed charitate, et patientia, humilitate, et obedientia, meritis vitæ sanctissimæ, sanguine pretioso ex charitate fuso, non hasta et gladio victoriam de hoste potentissimo reportavit. Sic enim ait Apostolus Philipp. 2. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.*

3. Notum fecit Dominus salutare suum: in conspectu gentium revelavit justitiam suam.

Potest hic etiam versiculus referri ad Patrem, qui *notum fecit salutare suum*, id est, Salvatorem, quem misit, primo per Prophetas, deinde per Apostolos; et per eosdem *revelavit justitiam suam.* Potest etiam referri ad ipsum Filium, qui salutem, quam operatus est, ipse idem per se, et suos notam fecit: prædicavit enim ipse palam totos tres annos, et amplius: deinde misit Apostolos, qui omnibus gentibus evangelium annuntiaverunt. Itaque Dominus ipse prædicando, *notum fecit salutare suum*, id est, salutem suam, quam attulerat, et dabat credentibus in eum, deinde, *in conspectu gentium*, per Apostolos suos *revelavit justitiam suam*, id est, mysterium absconditum, et velatum a sæculo revelavit, et manifestavit Gentibus; est autem hoc mysterium, justitia sua, id est, adimpletio promissionis olim facta patribus de Redemptione generis humani. Sic enim intelligendam puto hoc loco justitiam, quoniam in versu sequenti declaratur hæc justitia per nomen veritatis, ut mox videbimus. Si quis tamen velit per justitiam accipi hoc loco satisfactionem Christi ex rigore justitiæ pro peccatis totius mundi, non repugno; sive hæc referantur ad Patrem, sive ad Filium. Vere enim Pater per passionem Filii, et Filius per passionem suam revelavit, quanto zelo punienda sit iniquitas, et quanto rigore justitiæ eam ipse expiare voluerit. De hoc mysterio scribit Apostolus ad Ephes. 3. *Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi a sæculis in Deo.*

4. Recordatus est misericordiæ suæ, et veritatis suæ domui Israel.

Reddit rationem, cur Deus notum fecerit salutare suum, et revelaverit justitiam suam. Ratio autem est, quia promiserat hoc Patribus: et quamvis aliquandiu distulerit implere: tandem tamen recordatus est, id est, fecit, quod faciunt ii, qui recordantur: non enim in Deum cadere potest oblivio, sed metaphorice dicitur recordari, cum implet quod distulerat implere, quasi oblitus esset. Eadem metaphora utitur passim Scriptura, ut Gen. 8. *Recordatus est Dominus Noe*, et Luc. 1. *Recordatus misericordiæ suæ. Recordatus est* igitur Deus Pater *misericordiæ suæ*, qua promisit Patribus Salvatorem; *et recordatus est* Deus Filius *misericordiæ suæ*, qua venturum se esse pollicitus est: et simul recordatus est uterque *veritatis suæ*, id est, fidelitatis, et justitiæ in adimplenda promissione. Addit Propheta, *Domui Israel*, promissio enim domui Israel facta est non gentibus: tametsi gentium quoque misereri Deus decreverat, et per Prophetas sæpe prædixerat: hinc Dominus Matth. 25. dicit, *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel*, et Apostolus Rom. 15. *Dico, Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum, gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est, Propterea confitebor tibi in gentibus Domine.*

5. Viderunt omnes termini terræ, salutare Dei nostri.

Hic declaratur fructus prædicationis Apostolicæ; non enim frustra notum fecit Dominus per evangelicam prædicationem salutare suum. Audierunt enim gentes prædicatores Dei, et crediderunt, atque eo modo purificato cordis oculo per Fidem et experimentum gratiæ, *viderunt omnes termini terræ*, id est, tota terra usque ad terminos suos, *salutem*, sive *Salvatorem.* Illud, *viderunt*, energiam habet: significat enim fidem actualem, cum notitia conjunctam, quæ movet voluntatem ad amandum, et desiderandum: non enim dici possunt vidisse salutare Dei; qui fide habituali contenti de Salvatore non cogitant, neque de salute (quæ ab ipso est) acquirenda solliciti sunt. Illud, *omnes termini terræ*, non significat omnes, et singulos homines, sed multos ex omni natione, et gente.

6. Jubilate Deo omnis terra, cantate, et exultate, et psallite.

Signum fidei est gratias agere Deo, et præ lætitia spirituali exultare, et jubilare. Sic ille, qui invenit thesaurum, Matth. 13. *abiit, et præ gaudio vendidit omnia, quæ habuit.* Sic Act. 8. cum prædicasset Philippus in Samaria, et recepissent Samaritani verbum Dei; *factum est gaudium magnum in illa civitate*, et ibidem conversus, et baptizatus, *Eunuchus ibat per viam suam gaudens.* Sic 1. Petri 1. *Credentes exultatis lætitia inenarrabili, et glorificata.* Hoc igitur gaudium prædicit nunc Propheta per modum invitantis, et cohortantis. *Jubilate*, inquit, *omnis terra*, id est, omnes fideles ex universa terra conversi de tenebris ad lumen admirabile, ad notitiam veri Dei, et Salvatoris Jesu Christi, magna voce laudate, et gratias agite, cantate linguis, exultate animis, psallite moribus: et quia mores, sive virtutum opera multiplicia sunt: ideo multa hic subjiciuntur genera instrumentorum.

7. Psallite Domino in cithara, in cithara et voce psalmi, in tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ.

Quatuor instrumenta numerantur, quibus Deo psallere debent, qui viderunt salutare Dei per fidem, et videre cupiunt per speciem, cithara, psalterium (idem enim significat, in voce Psalmi, et in sonitu Psalterii) tuba ductilis, et tuba cornea. Hæc instrumenta erant in usu apud Hebræos secundum litteram: sed a nostris, varie explicatur eorum significatio spiritualis. Mihi videntur posse satis commode applicari virtutibus cardinalibus; cithara prudentiæ, psalterium justitiæ, tuba ductilis fortitudinis, tuba cornea temperantiæ. Cithara variarum chordarum sonos miscens unum dulcem concentum efficit: Sic prudentia, varias circumstantias operis bonis conjungens, perfectum opus reddit. Psalterium decem chordis instructum Decalogum nobis repræsentat, id est, omnia præcepta justitiæ. Tuba ductilis malleorum ictibus extenditur, et formatur, ut sonum suavissimum edat: Sic fortitudo, tribulationes, et angustias patienter ferendo ita extendit, et perficit hominem Dei, ut suavem illum sonum edat cum sancto Job, *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?* cap. 1. Denique temperantia quasi durum cornu carnem mollem exedens, et superans, id est, corpus castigans jejuniis, atque vigiliis, et in servitutem spiritus redigens, tubam spiritualem effecit: qualis erat præcursor Domini, qui melle sylvestri, et locustis contentus, et pilos camelorum indutus, ac zona pellicea præcinctus dicebat, *Ego vox clamantis in deserto.* Matth. 3. qualis et beatissimus Paulus, qui diuturna temperantiæ exercitatione edoctus, dulcissimos illos edebat sonos. 1. Cor. 6. *Habentes victum, et quibus tegamur, his contenti simus*, et 1. Tim. 4. *Esca ventri, et venter escis, Deus autem hunc, et has destruet*, et vere, *magnus quæstus est pietas cum sufficientia.*

8. Jubilate in conspectu Regis Domini: moveatur mare, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et qui habitant in eo.

Quoniam adventus Domini communiter omnibus utilis erit; ideo Propheta invitat ad jubilandum, non solum terram in genere, sed omnes partes ejus. *Jubilate*, inquit, *in conspectu Regis Domini*, id est, cum advenerit Rex magnus, qui Dominus omnium est, utpote verus Deus, *Jubilate in conspectu ejus*; id est, ipso vidente, et audiente. *Moveatur ergo mare* motu exultationis, ac si sensu præditum esset, et simul exultet *plenitudo ejus*, id est, quicquid in eo est aquarum, insularum, piscium. Moveatur quoque simili exultationis motu *orbis terrarum, et universi qui habitant in eo*, id est, omnes homines, quia Dominus Salvator est omnium hominum, maxime fidelium, ut Apostolus loquitur 1. Timoth. 4. Et S. Leo. serm. 1. de Natali Domini, Pro liberandis omnibus venit.

9. Flumina plaudent manibus, simul montes exultabunt a conspectu Domini, quoniam venit judicare terram.

Mare, et terram invitavit: invitat nunc flumina, et montes, ut similiter signa lætitiæ edant, sed de mari dixit, *Moveatur mare*, et in Hebræo, ירעם הים *irhham haym, tonet mare*, id est, magno fremitu quasi tonet: de fluminibus dicit, *Flumina plaudent manibus;* quia sonitus fluminum multo levior est, quam fremitus maris; proinde recte ille comparatur tonitruo, iste complosioni manuum. Quod autem dicitur, montes exultabunt, in Hebræo est, הרים ירננו *harim ierarenu*, *Montes laudabunt*, sed omnia sunt metaphorica, sive dicantur montes exultare, sive laudare, et semper idem significant, videlicet Prophetam ex amore, et desiderio erga Messiam venturum, optare, ut omnes res creatæ lætentur, et laudent eo modo, quo possunt. Illud, *quoniam venit judicare terram*, potest referri tam ad primum, quam ad secundum adventum, ut diximus in explicatione Psalmi nonagesimiquinti. Si ad primum adventum referantur, sensus erit, *Exultent, et lætentur terra et mare, montes et flumina, quoniam Dominus venit judicare*, id est, regere, et moderari optimis et justissimis legibus orbem terrarum, non solum, ut olim majestate invisibilis divinitatis, sed etiam corporali, et visibili forma, *in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo*, ut dicitur ad Philip. 2. Si referatur ad secundum, sensus erit, *Exultet terra, et mare, montes et flumina, quoniam Dominus venit judicare terram*, et exterminabit omnes peccatores de ea, et renovabit omnia elementa, *et liberabit ea de servitute corruptionis, sub qua nunc ingemiscunt, et parturiunt*, ut ait Apostolus ad Rom. 8.

10. Judicabit orbem terrarum in justitia, et populos in æquitate.

Hæc conclusio eadem est cum conclusione Psalmi nonagesimiquinti, excepto ultimo vocabulo. Ibi enim erat, *in veritate*, hic est, *in æquitate*, et per æquitatem intelligitur hoc loco *directio*, sive *rectitudo*, ut sonat vox Hebraica, במישרים *bemescharim*, et est repetitio, sive declaratio vocabuli justitiæ. Quod enim dixit, in justitia, repetit, et declarat, cum dicit, *in æquitate*, sive rectitudine: quemadmodum quod dixit, *orbem terrarum*, repetit et declarat, cum dicit *populos.* Itaque sensus est, *Judicabit orbem terrarum*, id est, omnes populos, *in justitia*, id est, in rectitudine judicii, in quo nihil erit obliquum, nihil iniquum.

PSALMUS XCVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

PSALMUS IPSI DAVID.

In hoc Psalmo nullus omnino titulus est apud Hebræos : apud Græcos, et Latinos titulus est, *Psalmus ipsi David*, quem eumdem titulum invenimus in Psalmo superiore. Argumentum est cohortatio Prophetæ ad agnoscendum Regnum Dei, eumdemque Deum adorandum, et invocandum, ut fecerunt magna cum sua utilitate Moses, Aaron, et Samuel. Est autem duplex sensus in verbis hujus Psalmi; unus deserviens tempore Davidis, cum Regnum stabilitum esset in domo David, neque enim negari potest, quin in hoc Psalmo sermo sit de vero monte Sion, de vera arca Dei, de Patribus illis, qui hic nominantur. Alter sensus est de regno Christi, de sacrosancta ejus Ecclesia, et de glorioso corpore ejus : quorum typi fuerunt regnum David, mons Sion, et arca testamenti. Utrumque sensum breviter aperiemus, ut fecimus in explicatione Psalmi 96.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Dominus regnavit, irascantur populi : qui sedet super Cherubim, moveatur terra.

Juxta priorem sensum significatur in hoc primo versiculo, stabilitum fuisse Regnum Dei in Jerusalem tempore Davidis, quantumvis inimici ejus Idololatræ indignarentur, et turbarentur. *Dominus*, inquit, *regnavit*, id est, jam Dominus expulsis Jebusæis et Chananæis Idololatris Regnum suum stabilivit in Jerusalem. Quamvis enim David Rex esset, tamen sub Deo regnabat, et ipsi Deo principaliter Regnum suum attribuebat. *Irascantur populi*, id est, *Dominus regnavit*, invitis et repugnantibus populis idololatris; *regnavit*, inquam, quantumvis irascantur, et indignentur populi : vel, ut exponit S. Augustinus, prophetia est, non jussio, et sensus est, *Regnavit Dominus, irascantur populi*, qui regnum ejus ferre non possunt. *Qui sedet super Cherubim, moveatur terra*, id est, ille Dominus regnavit, qui sedet super Cherubim, moveatur licet, et turbetur terra. Dicitur Dominus ad litteram sedere super Cherubim, quia sedem sibi elegerat propitiatorium, quod sustinebatur a duobus Cherubim ligneis, sed deauratis, sub quibus erat arca, quasi scabellum pedum Domini. Dicebatur autem Dominus sedere invisibiliter in propitiatorio, quia inde responsa dabat. Unde dicitur 1. Paralip. 13. *Arca Dei sedentis super Cherubim*, sed altiore sensu dicitur Deus sedere super Cherubim, quia præsidet spiritibus Angelicis : vel, ut sanctus Augustinus exponit, quia Cherubim interpretatur plenitudo scientiæ, et Deus supereminet omnem scientiæ plenitudinem. Ubi etiam monet, posse nos fieri Cherubim, et habere in nobis præsidentem Deum, si habuerimus plenitudinem scientiæ, non cujuscumque, sed ejus, quam in nobis Deus requirit, quæ est scientia voluntatis ejus, id est, scientia legis ipsius. *Et quoniam plenitudo legis est dilectio*, ut ait Apost. Rom. 13. tunc erimus Cherubim, et habebimus præsidentem Deum, si dilectionem habuerimus, sicut scriptum est, Anima justi sedes est sapientiæ. Illud, *moveatur terra*, declaratio est verborum præcedentium, *irascantur populi*. Voluit enim Spiritus sanctus ostendere, eos qui irascuntur contra Deum, nihil esse, nisi terram, et ideo nihil posse adversus Deum, qui sedet in cœlo super Cherubim, neque esse timendos a nobis, si et ipsi fuerimus Cherubim, et Deum in nobis sedentem habuerimus. Juxta sensum posteriorem significatur hoc loco, Regnum Christi declaratum post ejus Resurrectionem et Ascensionem : tunc enim prædicari cœpit per omnem terram, et continuo irati sunt populi, et commota est terra pugnantibus pro idolis suis contra Dominum suum : sed illis invitis et repugnantibus regnavit Dominus Christus, et contrita sunt idola. Quamvis autem ira populorum infidelium videatur prævaluisse adversus corpora Sanctorum Martyrum : revera tamen non prævaluit; quoniam corpora illa reformabuntur ab eo, qui mortem in se ipso occidit, et vivent in æternum : idola vero semel contrita nunquam reficientur.

2. Dominus in Sion magnus, et excelsus super omnes populos.

Juxta priorem sensum redditur ratio, cur frustra irascantur populi adversus Deum, qui Regnum suum stabilivit in Sion. Ratio enim est, *quoniam Dominus in Sion*, regnans, *magnus* est, *et excelsus super omnes populos*, id est, excellit omnes magnitudine, potentia, et sapientia, ut nullo modo superari possit. Juxta sensum posteriorem significatur, Christum, qui regnat in Ecclesia tum militante, tum triumphante, quæ per Sion, et Jerusalem intelligitur, magnum esse, et excelsum super omnes populos, ut nullus ei resistere valeat.

3. Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile, et sanctum est, et honor Regis judicium diligit.

Juxta utrumque sensum hortatur Propheta populos, ut non solum non irascantur adversus Dominum, sed potius ad illum conversi laudibus celebrent nomen ejus, *quoniam terribile, et sanctum est.* Dicitur autem nomen Domini terribile, et sanctum, quoniam nomen est Judicis, sive Regis potentissimi, et justissimi: et quia potentissimi Regis nomen est, terribile est, et quia justissimi, sanctum, ac venerabile. Id quod sequitur, *Et honor regis judicium diligit*, est quasi ratio quædam, cur nomen Dei, sive Christi sit terribile, et sanctum; hic enim est sensus: Terribile et sanctum est nomen Domini, qui Rex justissimus est, quoniam dignitas Regia, vel sanctitas Regia, vel auctoritas Regia id proprie requirit, ut Rex judicium diligat, hoc est, amore justitiæ recte judicet, non timore, aut necessitate aliqua, vel passione coactus. Itaque illud, *et*, ponitur pro, *quia*, ut alibi passim in Scripturis. Illud autem, honor Regis, significat Regiam dignitatem, sive auctoritatem: vox enim Hebræa, עז *hoz*, multa significat, robur, auctoritatem, honorem, sanctitatem, substantiam, et similia.

4. Tu parasti directiones, justitiam, et judicium in Jacob tu fecisti.

Ostendit verum esse, quod paulo ante dixit, *Honor Regis judicium diligit:* ostendit autem per apostrophem ad Deum, sive Christum, quasi dicat: Vere tu, ut Rex optimus, et justissimus justitiam diligis: nam *tu parasti directiones*, id est, leges directissimas, et ad dirigendos mores hominum aptissimas parasti, et confirmasti: et præterea tu non solum leges ferendo, sed etiam judicia rectissima exercendo demonstrasti, te *justitiam* diligere: nam, *In populo tuo Jacob justitiam, et judicium fecisti*, puniendo peccata, et remunerando benefacta, cujus rei multa sunt exempla in utroque testamento: quamvis enim ad tempus patiatur Deus pios affligi, et impios exaltari: tamen postea pios liberat, et coronat, impios damnat, et cruciat, sæpe hic in terris, semper autem in sæculo futuro.

5. Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.

Ex his colligit Propheta, adorandum esse Deum, et hortatur ad id studiose faciendum; et quidem juxta priorem sensum hortatur ad Deum adorandum non solum in seipso, sed etiam in arca fœderis, quæ scabellum erat pedum ejus: sic enim legimus 1. Paralip. 28. *Ut requiescat arca Domini, et scabellum pedum ejus.* Neque mirum est, quod arca dicatur scabellum pedum Domini, cum propitiatorium, quod sustentabatur a duobus Cherubim, esset sedes Dei, ut in primo versiculo dictum est: erat enim arca sub ipso propitiatorio, quasi scabellum subpedaneum sub solio. Ait igitur, *Exaltate Dominum Deum nostrum*, corde videlicet, et voce laudando, et magnificando majestatem ejus: *et adorate scabellum pedum ejus*, corpore scilicet incurvantes, et prosternenentes vos ad arcam fœderis, quæ est scabellum pedum ejus. *Quoniam arca*, sive scabellum hujusmodi *sanctum est*, propter relationem ad Deum, cui dicata est, et propter ejus honorem adoratur. Ex hoc loco satis aperte colligitur adversus hæreticos nostri temporis, res sacras, ut imagines Christi, et Sanctorum, reliquias eorumdem, et altaria, sacra vasa, et similia propter relationem ad Deum, vel Sanctos, sanctas esse, et honoraria adoratione dignas. Neque obstat, quod in Hebræo ad verbum legatur, *adorate ad scabellum*, non, *adorate scabellum.* Nam vox Hebraica, ישתחוי *istachanu*, pro qua habemus, *adorate*, significat proprie prosternere se: idem est autem, prosternite vos ad scabellum, et, adorate scabellum. Neque etiam obstat, quod in Græco legatur, *Quoniam sanctus est*, non autem, *quoniam sanctum est:* nam vox Hebraica, קדושהו *chadoschu*, ambigua est, et potest referri ad scabellum, et verti, *Quoniam sanctum est:* et potest etiam referri ad Deum, et verti, *Quoniam sanctus est;* utroque autem modo significatur, scabellum esse adorandum propter relationem ad Deum, qui sanctissimus est; et sanctitatem impertit iis, quæ ad eum pertinent, quatenus ipsius sunt. Nostra autem lectio reprehendi non potest: nam S. Hieronymus in commentario, ubi exponit Psalmos juxta versionem Septuaginta, legit in textu, et in commentario, *Quoniam sanctum est:* et S. Augustinus quamvis uno in loco legat, *Quoniam sanctus est;* tamen in textu, et in commentario pluribus in locis legit, *Quoniam sanctum est*, ex quo intelligimus, Græcum textum varium fuisse. Neque obstat, quod in fine Psalmi dicatur, *Quoniam sanctus Dominus Deus noster:* nam in fine Psalmi non dicitur, adorate montem, sed *in monte:* et jam dictum erat, *In monte sancto*, unde non erat opus iterum repetere, quoniam sanctus mons est. Juxta sensum posteriorem, hortatur Propheta, ut omnes adorent humanam Christi naturam, quæ scabellum est divinitatis longe nobiliore modo, quam esset arca lignea. In illa enim erat verbum Dei scriptum in tabulis lapideis, in hac autem est ipse Deus Verbum; illi conjunctæ erant tabulæ legis sola unione extrinseca, quia continebantur in illa, ut in vase: isti unitum est Verbum hypostatice, ut vere dictum sit a Joanne, cap. 1. *Verbum caro factum est.* Neque solum adorandam esse Christi humanitatem: ut est in propria forma, sed etiam ut latet sub speciebus sacramentalibus in Eucharistia, docent ex hoc loco Psalmi S. Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto cap. 12. et S. Augustinus in explicatione hujus versiculi. Ex quo refellitur alius error hæreticorum, qui negant Christum in Eucharistia esse adorandum.

6. Moyses, et Aaron in Sacerdotibus ejus, et Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus.

Hic jam ponit Propheta exemplum, quod imitemur, trium insignium virorum, qui Dominum exaltaverunt, et adoraverunt scabellum pedum ejus, atque adorantes invocaverunt Dominum, et audivit eos Dominus, et mirabilia per eos operatus est. Nominat autem tres Principes viros, qui super omnes eminuerunt post Rempub. Judaicam constitutam; Moses enim fuit summus Princeps politicus, et summus Sacerdos Hebræorum; Aaron fuit summus Sacerdos tantum, Samuel summus Princeps politicus tantum. Quamvis enim nonnulli Patres Samuelem Sacerdotem appellent, ut sanctus Ignatius

in epist. ad Magnesianos, sanctus Cyprianus in epist. 65. ad Rogatianum, S. Athanasius in homil. de semente, S. Joannes Chrysostomus homil. 2. in epist. 2. ad Timotheum, et S. Augustinus lib. 17. de Civit. Dei cap. 4. et lib. 2. Retract. cap. 43. et in explicatione hujus Psalmi: contra tamen S. Hieronymus lib. 2. in Jovinianum, et auctor quæstionum veteris Testamenti (apud Augustinum tom. 4.) quæst. 46. constanter docent, Samuelem non fuisse Sacerdotem, sed simplicem Levitam, et probant his argumentis. Primo, quia non erat de filiis Aaron, ut manifestum est ex genealogia ipsius, lib. 1. Paralip. cap. 6. vers. 34. quæ est conformis genealogiæ patris sui Elcanæ lib. 1. Reg. cap. 1. vers. 1. constat autem solos posteros Aaronis fuisse Sacerdotes: cæteros vero Levitas, ministros Sacerdotum. Num 16. et 18. Deinde quia Samuel ministrabat amictus ephod lineo, ut patet ex lib. 1. Reg. cap. 2. is vero habitus proprius erat Levitarum, non Sacerdotum. Tertio, quia Elcana pater Samuelis, erat Levita, non autem Sacerdos. Quarto, quia David in hoc Psalmo distinguit Samuelem a Mose, et Aaron Sacerdotibus, dum eum non numerat in Sacerdotibus, sed in iis, qui invocabant nomen Domini, id est, qui studiose Deum colebant, et invocabant pro se, et populo.

7. Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos, in columna nubis loquebatur ad eos.

Ostendit viros istos fuisse amicos Dei: nam invocabant Dominum pro se, et pro populo, et ipse ut amicos fideles exaudiebat eos. Id constat ex testimonio Scripturarum, de Mose quidem Exod. 32. de Aaron Num. 16. de Samuele 1. Reg. 7. Quod autem in columna nubis loqueretur Deus ad Mosem, constat ex lib. Exod. cap. 33. quod etiam ad Aaronem, constat ex lib. Num. cap. 12. de Samuele nusquam legitur. Itaque vel illud, *Loquebatur ad eos in columna nubis*, intelligendum est, ad aliquos eorum: vel, ut exponit S. Augustinus, per columnam nubis significatur obscura locutio, quomodo certum est, ad Samuelem quoque Deum esse loquutum. Nam. 1. Reg. 3. Deus in tenebris noctis Samueli loquebatur, ita ut vocem Dei loquentis audiret, neminem autem loquentem videret.

8. Custodiebant testimonia ejus, et præceptum quod dedit illis.

Hæc est ratio, cur Deus prompte audiret Mosem, Aaronem, et Samuelem, quoniam obedientes erant imperio ejus. Nam, ut Dominus ait in Evangelio, Joan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit:* et ideo qui vult audiri a Deo in orationibus suis, debet audire Deum in præceptis ipsius. *Custodiebant*, inquit, *testimonia ejus*, id est, omnia mandata, quæ communia erant omnibus. *Et præceptum quod dedit illis*, id est, non solum custodiebant præcepta communia toti populo de non colendis Idolis, de sanctificando Sabbato, de parentibus honorandis, de non occidendo, non mœchando, et cætera ejusmodi; sed etiam præceptum de recte gubernanda, et docenda multitudine, quod proprie ad ipsos, ut Principes populi pertinebat. Principes enim non sunt exempti a præceptis divinis, imo debent in iis custodiendis toti populo prælucere.

9. Domine Deus noster tu exaudiebas eos: Deus tu propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones eorum.

Hæc verba dupliciter exponi solent. S. Augustinus ita exponit, ut velit hic significari viros etiam perfectos in conspectu hominum, habere aliquid purgandum coram Deo, et Deum hoc ipso benevolentiam erga illos ostendere, quod non sinit impunita eorum errata, quamvis levia. Ponit exemplum in opificiis quæ oculis imperitorum videntur omnino perfecta, et tamen ab artifice adhuc poliuntur, quoniam aliter judicat peritus artifex, aliter imperitus inspector. Sic igitur exponit S. Augustinus, *Domine Deus noster tu exaudiebas eos*, cum justa peterent, *Deus tu propitius fuisti*, facilis ad ignoscendum cum in te peccarent: *et ulciscens in omnes adinventiones eorum*, non sinens impunita peccata eorum. Quia vero Samuelis peccatum nullum legitur in Scriptura, ut neque etiam aperta vindicta; S. Augustinus recurrit ad communem pœnam omnium Prælatorum Sanctorum, quam patiuntur dum vident peccata populorum, et coguntur tolerare infirmitates eorum, et cum Apostolo 2. Cor 11. dicere, *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* Posset etiam dici, quod hic legimus de propitiatione, et vindicta peccati, referendum esse ad Mosem, et Aaronem tantum, quemadmodum ad eos tantum proprie referendum est, quod supra dictum est, *In columna nubis loquebatur ad eos.* Nam Mosis et Aaronis peccatum, et pœna peccati legitur Num. 1. ubi cum non nihil hæsitassent in educenda aqua de petra, dixit Dominus ad Mosem, et Aaron, *Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam ego dabo eis.* Altera expositio est Græcorum, Theodoreti, et Euthymii, qui non admittunt hoc loco reprehendi ullo modo Mosem, Aaronem, Samuelem. Sic igitur exponunt, *Deus tu propitius fuisti eis*, quando te invocabant pro peccato populi, nam in eorum gratiam toti multitudini parcebas: et *ulciscens in omnes adinventiones eorum*, id est, et ulciscens fuisti omnes injurias, quas ipsi patiebantur ab iniquis, qui adinveniebant varias calumnias, et insidias adversus sanctos Principes suos. Ubi illud, *adinventiones eorum*, volunt accipi passive, id est, *adinventiones* quas Moses, Aaron, et Samuel non faciebant, sed patiebantur. Utraque expositio probabilis est, sed prior videtur simplicior, et facilior.

10. Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate in monte sancto ejus: quoniam sanctus Dominus Deus noster.

Concludit Propheta repetens versiculum quintum, quoniam in hoc versiculo continetur summa totius Psalmi, sive finis, et quasi scopus, quo omnia diriguntur. Hoc solum interest, quod in quinto versiculo dicebatur, *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est:* hic dicitur, *Adorate in monte sancto ejus: quoniam sanctus Dominus Deus noster:* in Hebræo, sicut in quinto versiculo, dicebatur ad verbum, *Prosternite vos ad scabellum pedum ejus*, id est, ad arcam: ita

hic dicitur, *Prosternite vos ad montem sanctum ejus :* et potuisset Latine verti, *Adorate montem sanctum ejus*, id est, montem Sion, ubi erat tabernaculum, et arca. Sed Latinus interpres imitari voluit Græcam interpretationem : Græci enim de scabello dixerant, προσκυνεῖτε τῷ ὑποπόδίῳ, *Adorate scabellum :* de monte autem dixerant, προσκυνεῖτε εἰς ὄρος, *Adorate in monte.* Nec solum Græci, sed etiam S. Hieronymus in sua versione ex Hebræo, posuit, *Adorate scabellum* : et postea : *Adorate in monte sancto ejus.* Quare credere debemus versiculum Hebraicum non debere in utroque loco eodem modo accipi : et retinendam esse lectionem vulgatæ Latinæ editionis quæ et a Græca Septuaginta Interpretum, et a S. Hieronymo testimonium habet. Igitur juxta priorem sensum hortatur David Hebræos, ut adorent Dominum in monte Sion, ubi erat tabernaculum, et ubi futurum erat templum. Juxta sensum posteriorem hortatur Christianos, ut adorent Deum in Ecclesia Catholica, quæ mons est sanctus, et Sion spiritualis, et fugiant conventicula schismaticorum, et hæreticorum : quoniam sanctus est Dominus Deus noster, ac per hoc odit montes pollutos sordibus falsarum religionum, et sicut ipse sanctus est, ita in monte sancto, in cœtu fidelium adorari vult.

PSALMUS XCIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

PSALMUS IN CONFESSIONE.

HUIC titulo, qui est in Hebraicis codicibus, Græci addunt nomen *Davidis.* Argumentum ex titulo cognoscitur. Hortatur enim Propheta populum Dei ut frequenter, et diligenter Deo confiteatur confessionem laudis, tum quod Deus nos condiderit, tum quod pascat, tum quod dulcissima sit ejus commemoratio, et perpetua erga nos ejus misericordia, et fidelitas.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Jubilate Deo omnis terra : servite Domino in lætitia.

Jubilare, ut sæpe diximus, est magna et læta voce laudare ; servire autem in lætitia, est non ex timore, sed ex dilectione obedire. *Jubilate Deo omnis terra*, id est, omnes qui Deum verum colitis, ubicumque sitis in universa terra, Deum laudate : nam et boni, et mali sunt in universa terra, admixta enim sunt zizania tritico, et spinis lilia. Et sicut in universa terra blasphemant, et murmurant contra Deum mali, si quid eis pro voto non successerit : ita par est ut in universa terra laudent, et benedicant Dominum, boni, quidquid illis acciderit : *Quoniam omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt sancti*, teste B. Paulo Rom. *Servite Domino in lætitia*, id est, servite obediendo Deo, non coacte, sed spontanee, non cum amaritudine, ut mancipia, sed cum lætitia, ut liberi : nam ut pulchre dicit S. Augustinus : Veritas nos liberavit, sed charitas servos fecit : et qui servit ex charitate, cum lætitia servit. Causa vero potissima, cur Deo cum lætitia serviendum sit, ea est, quia summa præceptorum ejus dilectio est, et dilectione nihil dulcius. Accedit, quod servitus Dei nobis utilis est, non Deo ; ut vere dictum sit, *Servire Deo regnare est.*

2. Introite in conspectu ejus in exultatione.

Ubique quidem Deum laudare debemus, sed præcipue cum intramus in domum ejus, quæ domus orationis est, ubi et ipsum Deum in sacris rebus conspicimus, et ipse nos speciali providentia respicit, et audit juxta illud 1. Paral. 7. *Erunt oculi mei aperti, et aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco isto oraverit.* Idcirco igitur monet Propheta, *Introite in conspectu ejus*, in domum Dei, ubi peculiari modo conspicitis Deum, et conspicit vos Deus ; sed introite in exultatione cordis, animo erecto, et inflammato, ut Deus vos præ desiderio sui exultantes videat.

3. Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, et non ipsi nos.

Ad excitandam devotionem, quæ in domo Dei requiritur, nihil magis prodest, quam attenta consideratio magnitudinis Dei, et beneficiorum ejus. *Scitote*, inquit, *quoniam Dominus ipse est Deus*, id est, considerate, et attenta cogitatione cognoscite, quoniam Dominus, quem colitis, et ad quem orandum, et laudandum acceditis, ipse est verus Deus, quo nihil majus, vel melius cogitari potest. Ipse est etiam, cui vitam vestram, et totum quod estis debetis. *Ipse enim fecit nos, et non ipsi fecimus nos*, id est, non caremus principio efficiente, neque aliud habemus, quam ipsum Deum : quamvis enim parentes gignant filios, tamen prima causa, sine qua parentes nihil efficerent, Deus est. Quam multi dant operam liberis, et nullum gignere possunt ! quam multi contra vellent satiare libidinem, et liberos non gignere, quibus tamen

licet invitis liberi nascuntur! Recte mater sanctorum Machabæorum filiis suis dicebat, *Nescio qualiter in utero meo apparuistis : neque enim ego spiritum, et animam donavi vobis, et vitam, et singulorum membra non ego ipsa compegi : sed enim mundi creator formavit hominum nativitatem, et omnium invenit originem.* 2. Machab. 7. S. Hieronymus ex Hebræo vertit, *Ipse fecit nos, et ipsius nos.* Sed videtur corruptum textum habuisse, codices enim nostri habent, לא *lo*, per aleph, quod significat *non :* et sic legerunt Septuaginta Interpretes, qui verterunt ad verbum, *Ipse fecit nos, et non ipsi nos.* Sanctus Hieronymus videtur legisse, לו *lo*, per vau, quod significat ipsius sive ipsi in dativo : et ideo vertit, *Ipse fecit nos, et ipsius nos.* Quidam recens auctor reprehendit vulgatam Latinam editionem dicens, aliquem sciolum conjunxisse in Latino codice duas Hebraicas lectiones, et fecisse, *Et non ipsi nos ;* et sic omnia confudisse : sed immerito reprehendit hanc lectionem, quæ optima est, et quam habent S. August. et ipse S. Hieron. in commentario hujus loci, et alii fere omnes. Latinus enim Interpres addidit illud, ipsi, ad vitandam cacophoniam, quæ sentitur, cum dicitur, *Ipse fecit nos, et non nos :* nec volunt illud, *ipsi*, accipi in dativo, ut iste scriptor existimat, sed in nominativo. Itaque non conjunxit sciolus duas lectiones; sed Interpres unam expressit, quam invenit in Græco, quæque congruit cum Hebraico magis correcto. At, inquiunt aliqui, nemo nescit se non esse a se factum, proinde non erat, quod admoneret nos Spiritus sanctus, dicens, *Ipse fecit nos, et non ipsi nos :* proinde melior est illa lectio, *Ipse fecit nos, et ipsius nos.* Respondeo, etiamsi nemo ignorare possit, se non esse sibi vitæ auctorem : tamen multos esse, qui non considerent a quo facti sint, et qui ita se gerant, ac si neque Deum, neque ullum alium auctorem haberent, propterea utilissimum fuisse, ut serio admonerentur homines cogitare, se non esse sibi auctores vitæ, sed vitam, et omnia uni debere Deo.

4. Populus ejus, et oves pascuæ ejus, introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis confitemini illi.

Commemorat alterum beneficium Dei, ob quod justum est, ut ei confessionem laudis persolvamus : quia videlicet non solum fecit nos, sed etiam regit, et pascit nos. *Populus ejus*, id est, populus, quem Deus peculiari providentia regit, *et oves pascuæ ejus*, id est, et quos veluti rationales oves in pascuis suis doctrinæ pabulo reficit, et corporalibus etiam alimentis pascit, introite portas *domus ejus*, sive tabernaculi ejus, *in confessione laudis*, et *atria ejus* in hymnis, et sic *confitemini illi*, vos omnia ei debere, ac de manu ejus bona omnia suscepisse.

5. Laudate nomen ejus, quoniam suavis est Dominus, in æternum misericordia ejus, et usque in generationem, et generationem veritas ejus.

Addit Propheta tres proprietates Dei, quasi tres rationes, cur dignus sit, ut ab omnibus laudetur, quia suavis, quia misericors, quia verax; quæ tria ita connexa sunt, ut unum nascatur ab alio. *Suavis est Deus*, et quia suavis, facile miseretur; quia miseretur, promittit liberationem; quia verax, implet promissa. *Laudate*, inquit, *nomen ejus*, id est laudate Deum; nomen enim pro re nominata poni solet in Scripturis. *Laudate* autem, *quoniam suavis est Dominus.* Mira proprietas omnipotentis, ac tremendæ Majestatis, quæ lucem habitat inaccessibilem, et quæ terribilis est super omnes Deos, et aufert spiritum Principum, et de quo Apostolus dicit, Hebr. 10. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis :* et tamen verissime dictum est : Quoniam suavis est Dominus, quod non semel in Psalmis aliisque divinis Scripturis repetitur. Psal. 34. *Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus.* Psal. 83. *Quoniam tu Domine suavis, et mitis, et multæ misericordiæ.* 1. Petr. 2. *Si tamen gustatis, quoniam dulcis est Dominus.* 2. Cor. 1. *Pater misericordiarum et Deus totius consolationis.* Sed facile concordantur ista quæ videntur contraria : Deus enim suavis est rectis corde ac timentibus eum : asper autem, et terribilis distortis corde, et contemnentibus eum, *Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde*, inquit David in Psalmo 72. Nam planum, asperum videtur distorto, quia conjungi non possunt : Sunt autem distorti sive pravi corde, qui nolunt conformari rectissimæ voluntati divinæ : quales sunt contemptores, et ideo dicitur in Ps. 102. *Sicut miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se :* et *misericordia ejus ab æterno et usque in æternum super timentes eum ;* quod etiam in cantico suo Virgo Deipara posuit dicens : *Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.* Itaque si quis incipiat cor suum dirigere, et conformare ad beneplacitum Dei, et nihil magis timere, quam ne Deum offendat, mox gustare incipiet, quam dulcis sit Dominus : et implebitur erga eum quod sequitur, *In æternum misericordia ejus, et usque in generationem et generationem veritas ejus,* id est veracitas et fidelitas ejus.

PSALMUS C.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

IPSI DAVID PSALMUS.

In hoc Psalmo David explicat exemplo suo qualis debeat esse bonus princeps, tum erga familiares, et privatam suam domum; tum erga Rempublicam. Equidem in textu Hebraico omnia dicuntur per verba temporis futuri; ex quo intelligimus Prophetam Regium non tam cantare laudes proprias, quam optare, et petere a Deo gratiam bene imperandi, et proponere, ac statuere sic vivere, ut pium Regem decet. Sed quoniam Septuaginta Interpretes verterunt fere omnia in tempus præteriti imperfecti, et eorum interpretationem sequutus est Latinus interpres, non oportet negare, quin etiam Propheta Regius narret bona opera sua ad informandos successores, ac potissimum filium; neque id superbiæ, vel arrogantiæ tribui debet, quando vera dicuntur coram Deo, et ad finem bonum: sic enim idem David in Psalm. 17. multa cecinit de sua innocentia. Sic Job cap. 19. plurima de suis benefactis prædicavit. Sic Esther cap. 14. sic Nehemias cap. 6. sic Ezechias. 4. Reg. 20. sic alii. Porro Pharisæus in Evangelio, non reprehenditur, quod gratias egerit Deo de suis operibus bonis: sed quod superbe illa jactaverit, et proximum suum contempserit Luc. 18. Adde quod David ideo incipit Psalmum ab illis verbis, *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine*, ut ostendat bonorum operum suorum causam efficientem fuisse, tum misericordiam Dei cujus dona sunt opera nostra bona; tum judicium Dei, cujus timore adductus justitiam coluit.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine.

Hæc est quasi præfatio totius Psalmi, qua significat Propheta, se cum cantu celebraturum misericordiam, et judicium Domini cujus rei multæ sunt causæ; prima, ut omnes intelligant benefacta Davidis, quæ in Psalmo commemorantur, esse dona misericordiæ Dei, coronanda postea per justum judicium Dei: secunda, ut Principes admoneantur, Deo maxime placere misericordiam, et judicium, et ideo ipsi quoque misericordes sint, sed non injusti; justi, sed non crudeles: tertia, ut omnes homines sperent de misericordia Dei et timeant judicium Dei: non ita sperent, ut præsumant; non ita timeant, ut desperent. Posuit autem David primo loco misericordiam, deinde judicium, quia hoc tempus præsens misericordiæ est, futurum erit judicii, et ideo nemo miretur, si hoc tempore *Deus solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos*, Matth. 5.

2. Psallam, et intelligam in via immaculata, quando venies ad me.

Hic versiculus pars est præfationis, dicit enim Propheta, se non solum voce cantaturum misericordiam, et judicium Dei: sed etiam per instrumentum, id est, psalterium celebraturum, et mente consideraturum, et contemplaturum, *Psallam*, inquit, id est, psalterium manu pulsabo, ut voce mea, et voce psalterii decantem misericordiam, et judicium: *et intelligam in via immaculata*, id est, considerabo, attendam, cogitabo viam immaculatam et perfectam, quæ consistit in misericordia, et judicio: nam *omnes viæ Domini misericordia et veritas*. Psalm. 18. Similis est locutio in Psalm. 40. *Beatus qui intelligit super egenum, et pauperem*, id est, qui attente considerat miseriam pauperis, ut eam sublevet. Sic igitur hoc loco dicitur, *intelligam in via immaculata*, id est, attente considerabo viam immaculatam, ut ambulem per eam. *Quando venies ad me*, id est, id autem faciam non viribus meis, sed auxilio gratiæ tuæ, *quando venies ad me*, ut me illumines, et doceas, et accendas, et moveas. Hanc ultimam particulam aliqui legunt cum interrogatione, *quando venies ad me?* sic S. Hieronymus in Commentario, et Theodoretus, atque Euthymius, et textus Hebraicus et Græcus huic lectioni favent: et tunc vox est optantis, ut sensus sit, *Intelligam in via immaculata*, O quando venies ad me, ut perfecte intelligam, et intelligens ambulem in via immaculata? Sed quamvis hæc lectio verum sensum contineat, non tamen est necessarium ita legere, neque rejicienda est Latina, et vulgata lectio: siquidem vox Hebraica, מתי *mathai*, significat, *quando*, et potest cum interrogatione, et sine interrogatione legi; certe S. Hieronymus in sua versione ex Hebræo ita reddidit, *Erudiar in via perfecta quando venies ad me.*

3. Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ.

Hic jam incipit explicare mores suos laudabiles ut cæteri imitentur, tum successores, tum subditi. Ad hoc enim Princeps in sublimi loco sedet, ut tamquam lucerna in candelabro posita omnibus luceat. Ac primum declarat, qualis fuerit

apud se, et in oculis Dei: deinde qualis fuerit erga alios, et in oculis populi. Ait igitur, *Perambulabam in innocentia cordis mei*, id est, vitam ducebam, sive perambulabam viam hujus præsentis vitæ, conservans imprimis cordis innocentiam; cogitabam bona, appetebam bona, delectabar attentius in bonis; cavebam ne cor meum vitiosis cogitationibus, aut desideriis inquinarem: sciebam enim a corde vitam mortemque procedere. Hinc filius ejus Salomon a patre institutus postea scripsit Proverb. 4. *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ab ipso vita procedit.* Illud, *in medio domus meæ*, significat, in penetralibus domus meæ, ubi non erat, qui me reprehendere posset. Multi enim in foro, et plateis modeste, et temperate se gerunt; sed in cubiculo, ac præsertim in cubiculo cordis per omnia scelera volutantur: sed David etiam in penetralibus domus, etiam in cubiculo cordis innocentiam custodiebat.

4. Non proponebam ante oculos meos rem injustam: facientes prævaricationes odivi.

Dixit de innocentia cordis, nunc addit de innocentia oculorum, et manuum. *Non proponebam ante oculos meos rem injustam*, id est, avertebam oculos, tum mentis, tum corporis, ab omni injustitia, sive in judicando subditos, sive in distribuendis honoribus, et præmiis, sive in commutationibus, et contractibus. Potest etiam latius hic locus explicari, ut sensus sit, avertebam oculos ab omni spectaculo vitioso, a ludis illicitis, a choreis impudicis, ab omni aspectu rerum, quæ mentem inquinare possunt. Codex Hebræus pro re injusta, habet, דבר בליעל *devar beliahhal, verbum Belial*, ubi verbum pro re ponitur, et *Belial* significat absque jugo, quibus duabus vocibus significatur omne genus vitii. Dicuntur viri Belial homines indisciplinati, immorigerati, perversi. *Facientes prævaricationes odivi*, id est, non solum oculos averti a rebus illicitis, nec tantum prævaricationem legum operari nolui; sed odio habui omnes prævaricationes facientes; ac per hoc ipsam prævaricationem maxime detestatus sum. In Hebræo clarius dicitur, עשה סטים שנאתי *hhascho setim schunethi, id est, facere prævaricationem odivi*, id est, ego rem injustam nec videre, nec facere volui.

5. Non adhæsit mihi cor pravum, declinantem a me malignum non cognoscebam.

Docuit qualis esset apud se: docet nunc qualis esset apud alios; ac primum dicit talem se fuisse, ut perversi homines non auderent se illi adjungere. Magna virtus hæc est, cum tanta est apud homines opinio de sanctitate alicujus, ut iniqui non audeant coram illo apparere: et tales omnino esse deberent Principes, et Prælati, qui sunt dati a Deo aliis in exemplum. *Non adhæsit mihi cor pravum*, id est, non adjunxit se mihi homo pravi cordis, sic interpretatur Theodoretus. Alii per cor pravum intelligunt affectum vitiosum: sed de cordis puritate, et innocentia supra dictum est, neque verisimile est, idem hoc loco repeti: et sequentia verba melius cohærent cum expositione Theodoreti; neque est inusitatum, ut homo valde perversus dicatur *cor pravum*, et homo scelestus dicatur *scelus*, et homo carnalis dicatur caro. *Declinantem a me malignum non cognoscebam*, id est, declinabant a me maligni etiam me ignorante, vel, si declinabat a me malignus, non curabam, nihilique faciebam, vel, declinantem a me malignum non cognoscebam, id est, non approbabam, neque amabam, ac per hoc non laborabam, ut rediret ad amicitiam meam. Sanctus Hieronymus aliter ex Hebræo distinguit, et vertit, *Cor pravum recedet a me: malum non cognovi.* Sed voces Hebraicæ utramque distinctionem et versionem recipiunt, et sensus in eamdem sententiam recidit; tractatores autem Græci et Latini editionem nostram communiter sequuntur.

6. Detrahentem secreto proximo suo: hunc persequebar.

Alia virtus plane Regia hic aperitur, in qua mirifice lucent misericordia et judicium, quoniam enim Reges potestatem habent puniendi iniquos: multi non zelo justitiæ, sed odio proximorum, deferunt ad Reges, quasi noxios eos, quos perdere volunt, et falsis querelis, vel potius calumniis eos gravant: David Rex sapiens et justus, ejusmodi delatores iniquos gravissime puniebat, et eo modo misericordiam exercebat in injuste delatos et judicium in delatores injustos. *Detrahentem*, inquit, *secreto proximo suo*, id est, eum qui falsi criminis accusabat proximum suum innocentem, et secreto apud me detrahebat de fama ejus, eum, inquam, non modo non audiebam, sed *graviter persequebar et puniebam.* In Hebr. pro voce, *persequebar*, est, אצמית *atsmith*, quam S. Hieron. vertit, *interficiam*, proprie autem significat *exscindam*, sive *exscindebam*, et potest exponi variis modis pro varietate criminis delatorum, ut sensus sit, exscindam ab amicitia, vel ab aula, vel a civitate, vel a provincia, vel denique a vita: non enim omnis injusta delatio meretur mortem. Itaque prudenter Septuaginta Interpretes posuerunt verbum generale, *persequebar*, quod potest exponi, usque ad exilium, vel usque ad necem, vel ad pœnas mitiores pro gravitate, vel levitate criminis. Exstat etiam apud Ethnicos laus Imper. Trajani, quod delatoribus operam non daret: et contra, Maximini reprehensio, quod delatoribus nimium indulgeret.

7. Superbo oculo, et insatiabili corde, cum hoc non edebam.

Non solos detractores, sed etiam superbos et cupidos, David detestabatur; et merito. Nihil enim tristius accidere populis potest, quam si ministri Regum superbi, aut avari sint; abutuntur enim ejusmodi ministri publica potestate ad explendas cupiditates proprias; non sine magno detrimento subditorum. Ait igitur, *superbo oculo, et insatiabili corde, cum hoc non edebam*, id est, non convescebar quasi domestico et familiari, homini superbo oculo, id est, homini, qui oculis, vel superciliis elatis superbiam ostendit, neque convescebar homini insatiabili corde, cujus cupiditas nullis opibus satiatur. S. Hieronymus et Euthymius per insatiabilem corde, avarum intelligi volunt. Alii cum Sancto Augustino, per *insatiabilem corde, et superbum oculo*, eumdem significari docent, hominem videlicet elatum, et tumidum. Vox Hebraica utrumque sensum recipit: nam, ורחב לבב *urehab lebab*, proprie significat, *latum corde*: dicitur autem *latum cor*, quod impleri non

potest, sive id referatur ad divitias, sive ad honores. Pro, *non edebam*, S. Hieronym. ex Hebræo vertit, *non potero*. Sed Septuaginta Interpretes vocem, אוכל *ucal*, deduxerunt a verbo, אכל *achal*, quod significat comedere, et legerunt, אוהל *ocal*. S. autem Hieronymus eamdem vocem deduxit a יכול *iochol*, quod significat, *posse*. Quod autem solerent ministri principales comedere in eadem mensa cum Rege apud Hebræos, intelligi potest ex lib. 1. Regum cap. 20. ubi David qui tunc Dux militiæ erat, sedere solitum se dicit de more in mensa juxta Regem : et ibidem dicitur Abner, qui erat etiam Princeps militiæ, sedisse in mensa ad latus Saul Regis.

8. Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum : ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.

Explosis detractoribus, superbis, et avaris a familiaritate, et ministerio suo; David adjungit eligere se fuisse solitum fideles, et probos ; hæc enim duo præcipue requiruntur in bonis ministris, ut fideles sint Domino suo, et probi ad propriam et aliorum salutem. Sæpe a Principibus ministri retinentur, et chari habentur, quia fideles sunt; quamvis alioqui impuri, et scelesti, et se ipsos perdant propria culpa, et alios malo exemplo; sed sanctus David non solum fideles sibi ministros quærebat, sed etiam omni ex parte innocentes, et probos, ac sibi per omnia similes. Ait igitur, *Oculi mei et fideles terræ*, id est, oculi mei quærebant, et investigabant fideles, qui erant in terra, sive, ad eos, quos tales noveram, benigne respiciebam, eosque eligebam, *ut sederent mecum in mensa*, ut domestici et familiares. *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat*, id est, si quis erat in civitate, vel in Regno meo non solum fidelis, sed etiam perfecte conversans, innocenter vivens, immaculatis moribus vitam ducens, is mihi præcipuus minister erat.

9. Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam : qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum.

Supra eos detestatus est, qui superbo oculo arrogantiam ostendebant : hic jam detestatur eos, qui manibus superbi sunt, id est, qui superbe alios opprimunt, sic etiam supra reprehendit eos, qui detrahebant secreto proximo suo; nunc reprehendit, et a suo consortio rejicit eos, qui loquuntur mendacia ad fallendos quoscumque homines. *Non habitabit in medio domus meæ*, id est, non erit inter intimos familiares meos, *qui facit superbiam*, id est, qui facit opera superba : qui superbe insultat aliis, vel opprimit alios. *Qui loquitur iniqua*, id est, mendacia quibus injuste alios fallat sive in commerciis, sive in aliis negotiis, *non direxit in conspectu oculorum meorum*, id est, non placuit oculis meis, sive non direxit cursum desiderii sui, non prosperatus est coram me ; non enim invenit gratiam in oculis meis. In Hebræo pro, *superbia, dolus* legitur. Sic enim vertit sanctus Hieronymus, *non habitabit in medio domus meæ faciens dolum*. Sed Septuaginta viri non videntur legisse, רמיה *remiia*, quæ vox significat, *dolum*. sed, רמה *rama*, quæ significat, *alta*, sive excelsa, nisi forte ipsum, *remiia*, deduxerint a verbo, רום *rum*, quod significat, exaltari, et ideo verterint superbiam.

10. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.

Concludit Psalmum, demonstrans zelum suum in purganda civitate Domini, in qua purgatione faciebat misericordiam erga bonos cives, quos liberabat ab oppressionibus, et scandalis iniquorum, et judicium erga malos, quos meritis pœnis afficiebat. *In matutino*, id est, mature, celeriter, antequam mala radicarentur, *interficiebam omnes peccatores terræ*, eos videlicet, qui morte digni erant et quibus vita concedi non poterat sine periculo innocentium. Id autem faciebam, *ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem*, id est, ut civitati sanctæ et pacificæ pacem suam, et tranquillitatem restituerem, exturbatis inde omnibus perturbatoribus. Hæc omnia, quæ dicta sunt in persona Davidis, aptius conveniunt Christo Regi, ac præsertim hic ultimus versiculus : David enim conabatur disperdere de civitate Domini omnes operantes iniquitatem : sed non poterat, nec potuit unquam. Christus autem in matutino futuri sæculi vere, et proprie disperdet omnes operantes iniquitatem, et deinceps civitas sancta Jerusalem cœlestis erit secundum nomen suum *visio pacis*.

PSALMUS CI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

ORATIO PAUPERIS, CUM ANXIUS FUERIT, ET IN CONSPECTU DOMINI EFFUDERIT PRECEM SUAM.

HUNC titulum habent omnes codices Hebraici, Græci et Latini : ex quo titulo habetur argumentum Psalmi. Est enim hic Psalmus formula quædam orandi, qua uti poterit unusquisque pauper, et afflictus, cum valde anxius fuerit, et effundere voluerit precem suam ad Deum. S. Augustinus, et S. Gregorius per pauperem hoc loco, intelligunt Christum, qui partim in sua persona, partim in persona corporis sui loquatur, eo modo, quo caput loqui solet pro toto corpore. Theodoretus et Euthymius, per pauperem, intelligunt populum captivum in Babylone, et petentem liberationem a captivitate. Alii volunt, pauperem, qui in hoc titulo ponitur, fuisse sanctum aliquem virum : qui anxiabatur pro liberatione populi, qualis fuit Daniel. Et quidem ad hos omnes accommodari possunt verba Psalmi ; sed tamen Propheta generatim instruere voluisse videtur omnes oratores in afflictione positos : non enim ait, *Oratio pauperis cujusdam cum anxiaretur :* sed, *oratio pauperis, cum anxiatus fuerit.* Et hoc videtur sensisse B. Hieronymus, qui in Commentario scribit, Prophetam loqui in persona peccatoris. Vere enim nullus est pauperior, et miserior eo, qui indiget gratia Dei. Unde, et Ecclesia hunc Psalmum numerat inter septem pœnitentiales. Hic igitur erit sensus tituli. Oratio pauperis, cum anxius fuerit, id est, Hic Psalmus docet formam orationis, qua uti poterit omnis pauper, ac præcipue is, qui ob admissa peccata, debitor est decem millium talentorum, et non habens unde reddat, anxiatur stimulante conscientia, timens judicia Dei, anhelans ad reconciliationem : *Et in conspectu Domini effuderit precem suam*, id est, hac formula orandi uti debet pauper anxius, non quocumque tempore, neque apud quemcumque Judicem, sed cum in conspectu Domini Dei, supremi Judicis, et Patris omnium, effundere voluerit ex vase cordis contriti et humiliati cum abundanti fletu preces suas, vel, ut habetur in Hebræo, שיחו *schicho, eloquium suum.*

EXPLICATIO PSALMI.

1. Domine exaudi orationem meam : et clamor meus ad te veniat.

Hunc versiculum assidue pronunciat Ecclesia tamquam præparationem ad reliquas petitiones; didicit enim ex Propheta, petendam esse a Deo audientiam, antequam petitiones particulares explicentur, non quod Deus quasi ad alia intentus egeat excitari ad audiendum : sed quia nos egemus, ut Deus det nobis spiritum precum, imo *spiritus ejus sit, qui postulet pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, ut habetur Rom. 8. id est faciat nos clamare, et postulare cum inenarrabili gemitu. *Domine*, inquit, *exaudi orationem meam*, id est, *fac me sic orare, ut dignus sim exaudiri.* Et rursum idem repetit ad indicandum affectum : *et clamor meus ad te veniat,* id est, fac me sic orare, ut oratio mea sit vehemens clamor cordis, et ita vehemens, et accensus, ut non deficiat in via, sed ad te, qui in altissimo throno sedes, quamvis profecta ex imo profundo, tandem perveniat. Multa sunt enim, quæ impediunt ne oratio nubes penetret, ut sunt defectus fidei, fiduciæ, humilitatis, desiderii et similium. Itaque petit gratiam bene orandi, hoc est, apte ad impetrandum.

2. Non avertas faciem tuam a me : in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

3. In quacumque die invocavero te, velociter exaudi me.

Hæc est prima, et principalis petitio pauperis tribulati, sive peccatoris pœnitentis : *nemo enim potest corrigere, quem Deus despexerit*, ut dicit Sapiens. Eccles. 7. Et prima gratia, et fons gratiarum est respectus Dei ; ideo iste primum omnium petit respici a Deo, quasi dicat, *Non avertas faciem tuam a me,* quantumvis fœdus, et turpis sim ; et si non provocat te ad me respiciendum imago tua, quoniam fœdavi eam ; provocet misericordia tua, quia quo turpior sum, eo miserior, et miserabilior sum ; et nisi me respexeris, nunquam ego ad te respiciendum convertar, sed quotidie magis ac magis in peccatis tabescam, et semper fœdior, ac turpior fiam. Itaque qui hæc dicit, jam cœpit respici a Deo, sed a Deo adhuc subirato, et subinde faciem avertente : ideo gustata utcumque gratia luminis, et respectus Dei, clamat, *Non avertas faciem tuam a me, ne projicias me a facie tua ;* perfice quod cœpisti, convertens te ad me, ut ego perfecte convertar ad te. *In quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.* Hæc est altera petitio, sed consequens ad primam : nam ex respectu vultus Dei, incipit homo agnoscere turpitudinem, et nuditatem, ac per hoc veram paupertatem suam. Inde incipit affligi, et tribulari, et medicum supremum, qui dives est in

misericordia, invocare. Scit enim a Deo cor contritum, et spiritum contribulatum nunquam despici. Ait igitur confidenter, *In quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam*, id est, quandocumque ex respectu gratiæ tuæ spiritum contribulatum gero; et inde clamo ad te, peto ut benigne exaudias me. Et idipsum explicans addit, *In quacumque die invocavero te, velociter exaudi me*, id est, quandocumque tribulor, et ex tribulatione invoco te medicum omnipotentem, exaudi me, et quidem velociter, ne si forte tardaveris, non invenias quem sanes.

4. Quia defecerunt sicut fumus dies mei, et ossa mea sicut cremium aruerunt.

Reddit rationem, cur dixerit, *velociter exaudi me*. Ratio enim est, quia vita humana velocissime tendit ad interitum, et ideo nisi peccati vulnus velociter curetur, periculum est, ne plaga incurabilis fiat. *Quia defecerunt sicut fumus dies mei*, id est, tempus vitæ meæ hucusque transactum, velocissime præteriit instar fumi, qui quamvis in magnam molem intumescendo excrescat, tamen subito dispergitur, et evanescit in auras: et sine dubio sic transibit, id quod superest, *et ossa mea*, quæ sunt quasi columnæ totius corporis, brevissimo tempore *aruerunt*, ac per hoc debilitata sunt, ut brevi ruinam minentur. Per cremium intelligitur lignum, seu virgultum aridum, quod facile cremari potest, ut S. Hieron. docet in Commentario ad cap. 10. Oseæ; vel, ut alii volunt, lignum semiustum, ac fere crematum, utrumque autem fragile est, ac debile, ut pondus superpositum diu sustinere non possit. S. Aug. legit, *ossa mea sicut in frixorio confrixa sunt*, quam lectionem invenimus in editione antiqua Romana. S. Hieron. in Hebræo vertit, *ossa mea, quasi frixa contabuerunt*. Vox Hebraica, מוקד *moched*, non habetur, nisi hoc loco, ideo unusquisque pro suo arbitrio eam interpretatur. Septuaginta verterunt, ὡσεὶ φρύγιον συνεφρύγησαν, quæ verba utrumque significare possunt, nimirum, *quasi cremium aruerunt, et quasi in frixorio confrixa sunt*. Possunt hæc referri etiam ad deplorandum tempus in peccatis misere consumptum, ut sensus sit, *Dies mei*, in quibus videlicet voluntatem meam faciebam, et quos pro arbitrio, sine timore Dei, in voluptatibus consumebam, illi, inquam, *dies defecerunt sicut fumus*, quia tenebricosi et brevissimi fuerunt, neque ullum sui vestigium reliquerunt. *Et ossa mea*, id est, fundamenta, et quasi columnæ prosperitatis meæ, *sicut cremium aruerunt*: citissime enim transit omnis mundana felicitas, neque aliquid post se relinquit, nisi tetrum odorem quasi rei concrematæ, aut frixæ, malam videlicet famam, et nominis execrationem.

5. Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.

Pergit deplorare statum suum præteritum, ac dicit, *Percussus sum ut fœnum*, id est, a sole prosperitatis mundanæ percussus sum, *ut fœnum*, quod facillime exarescit; *et aruit cor meum*, quia occupatus in curis hujus mundi, oblitus sum comedere panem meum, panem videlicet veritatis cœlestis, qui proprie panis noster est, non communis cum bestiis: nam cibus corporalis non est proprie panis noster. Verissima sententia, et ab iis, qui prosperitate fruuntur assidue consideranda; nisi enim, qui in prosperitate sunt, sub umbra alarum Dei commorentur, vel imbre divinæ gratiæ continuo perfundantur, fieri non potest, quin ut fœnum percutiantur, et cor eorum nauseans ad cœlestem panem, non penitus exarescat. *Videte*, ait Dominus Luc. 21. *ne graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitæ;* qui enim tales sunt, obliviscuntur comedere panem verum, et ab omni devotionis gratia aridi fiunt.

6. A voce gemitus mei, adhæsit os meum carni meæ.

Explicat nunc dolorem vitæ præteritæ, et fructus dignos pœnitentiæ; quemadmodum enim antea virebat caro in deliciis, et arescebat cor oblitum comedere panem suum; ita nunc e contrario *a voce gemitus sui*, id est, a continuo fletu obliviscitur caro comedere panem suum, *et sic adhærent ossa carni*, id est, pelli suæ; accipitur enim hoc loco caro pro pelle, ut S. Hieronymus admonet. Itaque commendantur hoc loco fletus, et jejunia, quæ veræ pœnitentiæ fructus et signa sunt.

7. Similis factus sum pelicano solitudinis; factus sum sicut nycticorax in domicilio.

8. Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Addit ad fletum, et jejunia solitudinem et vigilias, quæ propria sunt vere pœnitentium; nisi enim quis a frequentia hominum ad tempus se subducat, et serio vigilans recogitet magnitudinem, et multitudinem peccatorum suorum, vix fieri potest, ut ea digne defleat. Tres aves commemorat Propheta, quibus pœnitentem similem facit, *Pelicanus*, alias Onocrotalus, avis est in solitudine degens; *Nycticorax*, alias noctua, sive bubo, degit in domibus dirutis, sive in parietibus tecto carentibus: et quod nos legimus, *in domicilio*, supplendum est, diruto. Sic enim habetur in textu Hebraico. S. Augustinus legit, *in parietinis*, et explicat, in ædificiis, ubi muri stant sine habitatore: *Passer solitarius* habitat quidem in domibus, sed in parte domus suprema, ut magis supra domos, quam in domibus habitare dicendus sit. In Græco habetur ἐπιδώματος. Notat S. Hieronymus in Epist. ad Suniam, et Fretellam, in Palæstina, et in Ægypto non esse in usu tecta acuminata, sed plana, quæ etiam solaria dicuntur, in quibus frequenter conveniunt homines ad fabulandum, apricandum, et convescendum, proinde idem esse in domate, et in tecto, quia quod Romanis est tectum, Palæstinis est *doma*: et quod dicitur Matth. 10. *Prædicate super tecta*, intelligendum esse de ejusmodi solariis, sive domatibus; ut etiam quod dicitur Act. 11. de S. Petro, *Ascendit in superiora domus, ut oraret*. Significant autem hæ tres aves tria genera pœnitentium: aliqui enim omnino loca deserta petunt, ut Maria Magdalena, Maria Ægyptiaca, Paulus primus Eremita, Antonius, Hilarion, et alii plurimi, qui dicere possunt cum Propheta, Psalm. 54. *Elongavi fugiens, et mansi in solitudine*, et quemad-

modum Pelicanus cum venenatis animantibus, ac potissimum cum serpentibus bellum gerit, ut Sanctus Hieronymus scribit; sic Anachoretæ cum dæmonibus assidue luctantur, et ex victoriis adversus dæmones quasi pascuntur. Alii pœnitentiam agunt intra civitates, sed in cœnobiis, et exiguis cellulis, quasi in tuguriis, et a mundo separati quasi nycticoraces magnam noctis partem in divinis laudibus decantandis consumunt: nycticorax enim dicitur, quasi noctu clamans, et sicut nycticoraces ex timore clamant; ita pœnitentiam agentes ex timore judiciorum divinorum in orationibus, et hymnis, et canticis spiritualibus clamant. Denique alii, qui vel alligati uxoribus, vel officio publico fungentes, non possunt corpore ab hominum frequentia separari, sunt veluti passeres qui solitarii in tectis habitant, eminentes animo non solum super familias et super turbas, sed etiam super ipsas domos. Hi quidem in mundo sunt, sed de mundo non sunt, dum non subjiciuntur opibus, aut honoribus, aut sæculi negotiis; sed ea sibi subjiciunt, illis præsunt eaque disponunt, atque dispensant, et non sinunt se ita capi, aut illaqueari quin animus libere in solitudine degat, et in cœlis subinde versetur. Horum est proprium vigilare, et prædicare super tecta; vigilare adversus tentationes, et pericula sua, et suorum: et verbo, atque exemplo prædicare iis, quibus præsunt. Estque hoc genus utilissimæ pœnitentiæ, in sublimi loco humilitatem servare, in amplis opibus sobrio victu, et tenui vestitu, contentum esse, ut abundanter tribui possit, iis qui necessitatem patiuntur, in magna peccandi licentia corpus castigare jejuniis, et vitæ asperitate in servitutem redigere; denique proximis ex charitate servire, eorum infirmitatibus compati, eorum molestias, et scandala sustinere.

9. Tota die exprobrabant mihi inimici mei, et qui laudabant me, adversum me jurabant.

Semper vita eorum, qui serio pœnitentiam agunt, displicet peccatoribus, qui in peccatis hærere volunt, *Gravis est nobis*, inquiunt impii Sap. 2. *etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et immutatæ sunt viæ ejus:* quamvis enim hæc dicantur de justo, tamen conveniunt etiam in peccatorem pœnitentem qui ad justitiam anhelat. Ait igitur, *Tota die exprobrabant mihi inimici mei*, id est, qui mihi erant amici ob communia studia iniquitatis, jam mihi in alterum hominem mutato, facti sunt inimici, et omni tempore exprobrabant mihi hanc mutationem, quasi insipienter agerem: et qui antea laudabant me, ut prudentem, et fortem socium eorum, quia laudatur impius cum male fecerit; postea *adversum me jurabant*, id est, juramento inter se præstito conspirabant. S. Hieronymus ex Hebræo vertit, per me jurabant. Sed vox Hebraica, בי *bi*, significat proprie, *in me*, ac per hoc recte habet nostra editio, *adversum me*, idem enim est, in me jurabant, et adversum me jurabant.

10. Quia cinerem tamquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam.

Reddit causam cur exprobrarent ei inimici ipsius. *Quia*, inquit, *cinerem tamquam panem manducabam*, *et potum meum cum fletu miscebam*, id est, quoniam insipientiam esse arbitrabantur tantam asperitatem vitæ sponte assumptam. Porro cinerem tamquam panem manducare, est vesci pane sordido, et cinere aspero, quod præcipue contingit, cum comeditur panis subcinericius non diligenter excusso cinere, quod solent pœnitentes, vesci videlicet cibis male præparatis, pane hordeaceo, vel furfureo, et admisto cinere, vel terra, quod de S. Francisco testatur S. Bonaventura cap. 5. vitæ ipsius. Cocta, inquit, cibaria, tempore sanitatis vix admittebat, admissa vero conficiebat cinere, etc. potum autem cum fletu miscere, nil aliud est, nisi inter bibendum vinum, *quod lætificat cor hominis*, non lætari, sed flere ob memoriam admissæ offensionis divinæ. Posset etiam per cinerem, intelligi pœnitentia ipsa, et sensus esset, *cinerem tamquam panem manducabam*, id est, actione pœnitentiæ reficiebam animam, ut pane refici solet corpus: *et potum meum cum fletu miscebam*, id est, lachrymarum effusione sitim internam reconciliationis temperabam, quomodo potu aquæ aut vini, temperatur sitis corporalis. De nique quomodo dicitur in Psalm. 41. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes, die ac nocte;* et Thren. 1. *Cibavit me cinere:* ita potest hic locus intelligi, ut sensus sit. Quotidie in amaritudine eram, et ipsa amaritudo, quæ per cinerem significatur, erat mihi panis quotidianus; et assiduus fletus erat mihi quotidianus potus: sustentabar amaritudine, reficiebar lachrymis doloris, et desiderii.

11. A facie iræ, et indignationis tuæ, quia elevans allisisti me.

Ecce cur verus pœnitens cinere saturari, et lachrymis refici eligat, non ex insipientia, non ex inopia, sed quia recogitat indignationem Altissimi, cui per hanc humiliationem, et veræ pœnitentiæ signa aliquo modo satisfacere cupit. *Manducabam*, inquit, *cinerem tamquam panem, et potum meum cum fletu miscebam, a facie iræ et indignationis tuæ*, id est, quia conspiciebam iram, et indignationem tuam adversus me succensam ob admissa peccata. Cernebam autem iram, et indignationem tuam, *quia elevans allisisti me*, id est, quia elevans ex gratia tua ad maximam dignitatem amicitiæ, et filiationis tuæ postea merito peccati mei allisisti me ad terram, deturbans de dignitate amici et filii, ad sortem inimici, et servi rebellis, et fugitivi. Ne putarent homines peccatores modicam esse jacturam gratiæ, quam peccando faciunt, utitur Scriptura verbo allisionis: vas enim, quod ex alto loco in terram alliditur, non solum amittit dignitatem loci, sed omni ex parte confringitur, ut nihil boni remaneat. Sic homo peccator, quamvis amore carnali cæcatus non videat detrimentum animæ suæ, vere tamen totum amittit, cum et corpus et anima ejus deputata sit ad gehennam ab eo, cui nemo resistere potest.

12. Dies mei sicut umbra declinaverunt, et ego sicut fœnum arui.

Signum, et pars quædam allisionis est hæc ipsa nostra mortalitas: nam cum primus homo elevatus esset ad gloriam magnam, ut posset in æternum vivere; per peccatum tamen allisus

est cum tota posteritate, et mortalis effectus, declinantibus diebus ejus, velut umbra, ipse quoque sicut fœnum aruit. Ait igitur Propheta in persona pœnitentis, Non solum ego ab ira tua allisus sum in terram ob mala merita mea propria, sed etiam ex antiqua, et communi allisione dies *mei sicut umbra declinaverunt*, id est, velociter, et sine quiete ulla, insensibiliter transierunt; quomodo umbra insensibiliter, et continuo movetur; donec occidente sole, penitus evanescat, et in tenebras noctis quodam modo transeat, *Et ego sicut fœnum arui*, id est, qui creatus eram, ut semper sicut palma virerem, nunc allisus immortalitatem, sicut fœnum, quod facillime siccatur, exarui.

13. Tu autem Domine in æternum permanens, et memoriale tuum in generationem, et generationem.

Hæc est altera pars Psalmi, in qua Propheta in persona pauperis pœnitentis, post explicatam miseriam suam, spem reconciliationis concipit, et spiritu divino illustratus prædicit reparationem, et renovationem Ecclesiæ futuram per Christum: et verba sua ad ipsum Christum dirigit, ut Apostolus exponit ad Hebr. 1. Volens enim Apostolus eo loco demonstrare Christi divinitatem, allegat primo loco verba Psal. 44. *Thronus tuus Deus in sæculum sæculi.* Deinde Psalm. 95. *Adorent eum omnes Angeli Dei.* Postremo Psalm. hujus 101. *Tu Domine initio terram fundasti, etc.* quæ verba ad eumdem dicuntur, ad quem dicuntur ista, *Tu autem Domine in æternum permanes.* Proinde si illa dicuntur ad Filium Dei, ista quoque dicuntur ad filium Dei. Neque videntur satisfacere huic rationi, qui dicunt, hæc verba dici ad Deum simpliciter, sed posse tribui Filio, quia Filius Dei Deus est: si enim ita esset, Apostolus non probaret, sed poneret ut concessum, Christum Deum esse. Igitur sensus erit, Ego quidem ut fœnum arui, tu autem Domine quem expectamus Messiam, in æternum permanes; et nostra quidem memoria cum sonitu perit, memoriale autem tuum, id est, memoria tua propagabitur semper in generationem et generationem, quia semper erunt per temporum successiones qui recordentur mirabilium operum tuorum.

14. Tu exurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Ideo memoriale tuum propagabitur in generationem et generationem, quia tu quoque non oblivisceris misereri populi tui, sed *exurgens* quasi a longo somno *misereberis Sion*, et misertus advenies, et salvabis nos: quia per spiritum video, *quia tempus miserendi jam venit*, id est, jam prope est, ut veniat, jam propinquat, imo in mente mea jam venit, quoniam rem futuram ex certitudine luminis Prophetici cerno ut præsentem. Hoc est tempus de quo Apostolus ad Gal. 4. *Cum venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum.* Et de quo Isaias cap. 49. *Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te.* Quod explicans Apost. 2. ad Cor. 6. ait, *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.*

15. Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus: et terræ ejus miserebuntur.

Prævidit, et prædixit Propheta renovationem sanctæ Sion, ex eo quod prævidit servos Dei jam desiderio accensos ad Ecclesiæ ædificationem, prævidit videlicet, sanctos Apostolos, qui antea piscationi, et rebus vilissimis intendebant, postea a Christo edoctos, a Spiritu sancto repletos, relictis omnibus aliis curis, totos se dedisse Ecclesiæ ædificationi. *Quoniam*, inquit, *placuerunt servis tuis*, id est, iis, quos tibi in servos elegisti, et prædestinasti: placuerunt, *lapides ejus*, id est, placuit ædificatio novæ Jerusalem, placuit colligere, et congregare lapides vivos, qui super fundamentum jam positum superædificarentur. *Et terræ ejus miserebuntur;* et terram ipsam novæ Jerusalem fovebunt, et amabunt, ut mater fovet, et diligit infantem uteri sui: nam in Scriptura verbum, miserendi, significat paterno, vel materno affectu diligere. Isaiæ 49. *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui?* Per lapides intelliguntur viri constantes, et perfecti; per terram sive pulverem, ut sonat vox Hebraica, עפר *hhaphar*, intelliguntur infirmi, et instabiles: de quibus Apostolus Rom. 14. *Infirmum in fide assumite*, et Rom. 15. *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere*, et 2. Cor. 11. *Quis infirmatur et ego non infirmor?*

16. Et timebunt gentes nomen tuum Domine, et omnes Reges terræ gloriam tuam.

Ex hoc loco intelligimus, minus recte exponi hunc Psalmum ab iis, qui docent in versiculis præcedentibus prædici reversionem Judæorum ex captivitate Babylonica, et reædificationem Jerusalem eversæ a Rege Nabuchodonosor; non enim tunc omnes gentes terræ timuerunt nomen Dei, neque omnes Reges gloriam ejus. Siquidem hæc adventui, et glorificationi Messiæ reservabantur, et ut prædictum fuit, sic et adimpletum fuisse constat. Ait igitur, *Et timebunt gentes*, id est, et tunc cum ædificabitur nova Sion, gentiles convertentur, et timebunt timore sancto, piaque veneratione *nomen tuum Domine*, Jesu Christe, et omnes *Reges terræ pariter convertentur, et timebunt gloriam tuam*, id est, Majestatem tuam, ut Regis Regum, et Principis Regum terræ sedentis ad dexteram Patris, donec subjiciantur sub scabellum pedum omnes inimici tui, et postea venturi Judicis omnium vivorum, et mortuorum, et reddituri singulis secundum opera ipsorum.

17. Quia ædificavit Dominus Sion, et videbitur in gloria sua.

Ecce cur timebunt omnes gentes, et omnes Reges gloriam Christi. *Quoniam ædificavit Sion*, id est, in præsenti, invitis licet, et repugnantibus gentibus, et Regibus, ædificavit Ecclesiam suam, *adversus quam portæ inferi non prævalebunt;* Matth. 16. et *in futuro videbitur in gloria sua*, quando veniet cum omnibus Angelis, in nubibus cœli, cum potestate magna judicare sæculum. Quando cœpit ædificare Sion, visus est in humilitate sua, dicente Isaia c. 53. *Vidimus eum, et non erat ei species:* sed quando veniet judicare, tum plane videbitur in gloria sua.

18. Respexit in orationem humilium, et non sprevit preces eorum.

Hæc referuntur ab aliquibus ad preces Sanctorum Prophetarum, et piorum virorum testamenti veteris, qui expectabant adventum Messiæ; sed fortasse rectius sentiunt, qui referunt ad preces Sanctorum Martyrum, qui dicunt in Apoc. c. 6. *Usquequo Domine non judicas et non vindicas sanguinem nostrum de his, qui sunt in terra?* Videbitur ergo Filius Dei in gloria sua, quia respexit in orationem humilium Martyrum, aliorumque piorum servorum suorum, et non sprevit preces eorum, et ideo veniet judicaturus, et vindicaturus sanguinem eorum de his, qui sunt in terra. Hæc expositio melius connectit verba Psalmi: nam secundum priorem expositionem, præsens versiculus reddit rationem verborum illorum, *Tu exurgens misereberis Sion*, quæ habentur in versic. 14. at secundum expositionem posteriorem reddit rationem verborum, quæ habentur in versiculo proxime præcedenti, imo in secunda parte versiculi, videlicet, *Et videbitur in gloria sua.*

19. Scribantur hæc in generatione altera, et populus qui creabitur, laudabit Dominum.

Ne Judæi sibi tribuerent hanc Prophetiam, et ne forte intelligerentur, quæ supradicta sunt de solutione captivitatis Babylonicæ, et ædificatione Jerusalem terrenæ; placuit Spiritui sancto disertis verbis admonere, quod postea scripsit S. Petrus in epist. priore c. 1. *Prophetæ de futura in vobis gratia prophetaverunt:* et infra, *quibus revelatum est, quia non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea, quæ nunc annunciata sunt vobis per eos qui evangelizaverunt vobis.* Ait igitur Spiritus sanctus per os David, *Scribantur hæc in generatione altera*, id est, notentur hæc mysteria pro generatione olim futura: dicitur enim, *in generatione altera*, pro, in generationem alteram, εἰς γενεὰν ἑτέραν, ut habetur in Græco: vel pro, generationi alteri; sive ad generationem alteram, ut verti potest ex Hebræo. Neque multum refert, quod in Hebræo et Græco habetur in numero singulari, *scribatur hoc:* nam idem omnino est sensus. *Et populus, qui creabitur*, id est, populus, qui erit futuris temporibus, *laudabit Dominum*, cum viderit impleta, quæ tanto antea prædicta sunt. Fortasse etiam, ut notat S. August. insinuatur per populum, qui creabitur, nova creatura, de qua dicit Apostolus ad Gal. 6. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura;* et ad Ephes. 2. *Creati in Christo Jesu in operibus bonis.*

20. Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de cœlo in terram aspexit.

Hæc est ratio, cur populus novi testamenti laudabit Dominum, quia Dominus de excelso sanctuario suo dignatus est aspicere vallem nostræ miseriæ, id est, de cœlo in terram aspexit, non otioso intuitu, sed, ut de excelso fieret humilis, et in terris videretur, et cum hominibus versaretur.

21. Ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios interemptorum.

Cur autem Dominus excelsus usque ad terram humiliaretur, ea causa fuit, ut de proximo, *audiret gemitus compeditorum*, quos Princeps hujus mundi captivos fecerat, et compeditos retinebat: et ut audito gemitu solveret eos, liberosque dimitteret. Quod impletum fuisse in suo adventu Dominus testatus est Luc. 4. In Hebræo pro, *compeditorum*, habetur, *vincti*, *ut audiret gemitus vincti*, sed idem est sensus. Pro, *filios interemptorum*, habetur in Hebræo, אנקתאסיר בני תמותה *enkathasir*, *bene themutha*, *filios mortis*, id est, homines ad mortem damnatos: quomodo etiam habetur in Psalm. 78. ubi nos legimus, *filios mortificatorum*, sed, ut eo loco diximus, Septuaginta Interpretes *per filios mortis* intellexerunt in his locis filios parentum occisorum. Potest etiam fieri, ut Septuaginta in Hebraico suo textu habuerint *interemptorum*, quod per unius litteræ mutationem fieri potuit. Porro per compeditos, hoc loco intelligimus homines opera diaboli alligatos propriis concupiscentiis, et gementes sub jugo passionum suarum. Per *filios interemptorum*, intelligimus filios veteres Adami et Evæ qui fuerunt primi occisi ab astutia serpentis: nam ut dicitur Sap. 2. *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum;* et Dominus in Evangelio de diabolo dicit, Joan. 8. *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit.*

22. Ut annuncient in Sion nomen Domini, et laudem ejus in Hierusalem.

Venit Dominus solvere compeditos, et eruere de potestate tenebrarum, ut *annuncient in Sion nomen Domini*, id est, ut conversi ad Deum vivum, et verum, glorificent nomen Domini in spirituali Sion, quæ est Ecclesia, quod idem repetit, dicens, *et laudem ejus*, supple annuncient, *in Jerusalem*, laudantes, et benedicentes Deum, gratiasque agentes pro tam insigni beneficio in Ecclesia Catholica, quæ est nova Jerusalem. Exponit hoc S. Petrus in priore epist. cap. 2. ubi dicit, *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuncietis ejus, qui vos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum.*

23. In conveniendo populos in unum, et Reges, ut serviant Domino.

Explicat tempus, quo liberati a potestate tenebrarum laudare debeant nomen Domini: *In conveniendo*, inquit, *populos in unum*, id est, quando populi nationum, qui antea diversi erant ambulantes post varios Deos, convenient in unum, et efficientur unum corpus, et erit eis unus spiritus, unus Deus, una fides, unum baptisma, imo etiam per charitatem erunt cor unum, et anima una: quando non solum populi, sed etiam Reges eorum convenient in unum corpus Ecclesiæ, ut et ipsi serviant Domino. In Hebræo habetur, *Regna*, et sic legit etiam S. Augustinus: tamen in Græco habetur, *Reges*, et sic legunt in Commentario S. Hieronymus, et S. Gregorius, et alii. Sensus est idem: nam cum dicitur, *Regna serviant Domino*, sensus est, Reges cum populis serviant Domino. Fortasse etiam Septuaginta legerunt, מלכים *melakim*, Reges, non ממלחות *mamlachoth*, Regna.

24. Respondit ei in via virtutis suæ, paucitatem dierum meorum nuncia mihi.

Hic versiculus obscurissimus est, quoad verba, et quod sensum. S. Hieron. ex Hebræo vertit, *Afflixit in via fortitudinem meam.* Sed facile est videre rationem diversitatis : nam vox Hebræa ענה *hinnech*, deducitur a verbo, ענה *hanach*, quod et *respondere* et *affligi* significat, ac per hoc si legatur cum puncto in secunda littera, ut legit S. Hieron. significabit *afflixit :* si legatur sine puncto, ut legerunt Septuaginta Interpretes, significabit, *respondit.* Sic etiam illud, כחי *cochi*, si legatur cum Iod, ut legit S. Hieron. *significat fortitudo mea :* si legatur cum Vau, כחו *cocho*, ut legerunt Septuaginta, significat, *fortitudo ejus*, sive, *virtutis ejus.* Neque refert, si vertas, *In vias virtutis ejus*, sive *In via virtutem ejus*, quia nomina Hebræorum non declinantur per casus. Itaque recta est nostra lectio. *Respondit ei in via virtutis suæ*, sed difficile est judicare, cum quo nomine conjungatur verbum *respondit.* S. Hieron. in Commentario scribit sensum esse, Respondit Dominus ad Jerusalem. S. Aug. contra vult sensum esse, Respondit Jerusalem ad Dominum. Euthymius dicit, respondisse pauperem, de quo in titulo Psalmi. Quid si addamus quartam expositionem, et dicamus respondisse Prophetam ad eum, qui imperavit illi, ut scriberet hæc in generationem alteram? videtur enim esse contextio horum versiculorum. Dixit Dominus Prophetæ, *Scribantur hæc in generationem alteram, et populus qui creabitur, laudabit Dominum*, etc. *Respondit ei Propheta, in via virtutis suæ*, id est, in flore ætatis suæ, cum esset in via vitæ suæ robustissimæ : *paucitatem dierum meorum nuncia mihi*, id est, fac ut intelligam et serio mihi persuadeam, paucos fore dies vitæ meæ, ne forte deceptus hoc flore ætatis, arbitrer me longissimam vitam habiturum, et rapiar hinc quando minus cogito, immaturus, et imparatus. et non pertineam ad populum, qui creabitur, et qui perpetuo te laudabit in cœlesti Jerusalem.

25. Ne revoces me in dimidio dierum meorum : in generationem, et generationem anni tui.

Dimidia pars hujus versiculi pertinet ad versiculum superiorem : quia enim dixerat, *Paucitatem dierum meorum nuncia mihi;* addit orans, *Ne revoces me in dimidio dierum meorum, nuncia mihi ;* id est, ne revoces mede curriculo vitæ in medio cursu, quando minus expecto mortem, quando nihil minus cogito, quando paratum me non invenies. In Hebræo distinguuntur aliter isti versiculi, ideo S. Hieron. vertit, אמד אלי, *Dicam Deus meus, ne rapias me in dimidio dierum meorum.* Sed illud, *Dicam Deus meus* mutatis punctis, potest legi, אמד אדלי, *dic ad me*, et sic legerunt Septuaginta, et conjungentes cum superiore versiculo verterunt, *nuncia mihi*, neque ulla ratio est, cur non sequamur distinctionem et lectionem Græcam et Latinam, cum eam optime ferant verba Hebraica, demptis punctis quæ a Rabinis addita fuerunt. Quod sequitur, *In generationem et generationem anni tui*, ratio est, cur æquum sit, ut Deus hominem permittat tamdiu vivere, quamdiu necesse est, ut bene et sancte moriatur, quasi dicat, Anni tui Domine, æterni sunt, et generationi ac generationi coexistunt sine ullo fine : æquum igitur est, ut imagini tuæ spatium vivendi indulgeas amplum, et commodum, ut requiritur ad salutem æternam acquirendam.

26. Initio tu Domine terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli.

27. Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent.

28. Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur : tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.

Probat Deum solum esse æternum ex eo quod solus est immutabilis : quæ est ratio plane theologica, et a priori, ut scholæ loquuntur. Deum autem solum esse immutabilem, probat ex eo quod ipse idem semper manens mutavit cœlos de non esse ad esse, et rursum mutabit de esse ad non esse : et quod de cœlo dicitur, de toto Mundo intelligitur, cujus maxima et nobilissima pars est cœlum. *Initio tu Domine terram fundasti*, id est, a principio antequam Mundus esset, tu Domine eras, et terram, quæ est inferior Mundi pars, a fundamentis fecisti, non super fundamentum aliquod præexistens posuisti. *Et opera manuum tuarum sunt cœli*, id est, non solum terram, sed etiam cœlos, qui sunt Mundi pars superior, tu solus non per Angelos, aut alios quoscumque opifices, sed manibus propriis, id est, propria potentia, et sapientia condidisti; itaque Mundum universum ex non esse ad esse perduxisti. *Ipsi*, cœli videlicet, *peribunt, tu autem permanes.* Duobus modis hæc intelligi possunt. Primum ex hypothesi hoc modo, Etiamsi cœli veterascerent, mutarentur, et perirent : tu idem semper maneres. Sic in Evangelio quod dicitur Matth. 5. *Donec transeat cœlum et terra, iota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant ;* exponitur Luc. 16. *Facilius est cœlum et terram præterire, quam de lege unum apicem cadere.* Deinde absolute, sed de mutatione non quoad substantiam, sed quoad modum. Peribunt enim cœli, veterascent, et mutabuntur, quoad motum stellarum, quoad influxum caloris, quoad generationes rerum inferiorum : quomodo etiam terra peribit, quoad productionem herbarum, et animalium, et Mundus totus consummabitur, quoad figuram, et statum, quem nunc habet; scribit enim Apostolus, *Præterit figura hujus Mundi*, 1. Cor. 7. et *Quæ videntur temporalia sunt, quæ non videntur æterna sunt.* 2. Cor. 4. Ubi omnia, quæ videntur, temporalia esse dicit, quia ipsa etiam elementa, et cœli secundum eum modum qui tunc a nobis conspicitur, finem habitura sunt. Videmus enim terram vestitam arboribus, plenam pecudibus, ornatam ædificiis : videmus aquas fluentes et sæpe turbatas : videmus aerem nunc serenum, nunc nubilum ; videmus sidera perpetuo motu : quæ omnia temporalia sunt, et finem habitura : *Novos autem cœlos, et novam terram secundum promissionem ejus expectamus*, ut B. Petrus scribit in epist. poste-

riore cap. 2. *Et omnes sicut vestimentum veterascent*, id est, omnes cœli, quoad externam figuram et modum consumentur. *Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur*, id est, sicut pallium aliquod vetus, removebis a cœlis externum istum habitum cœlorum, et novo indues: sic mutabuntur cœli quomodo mutatur homo cum vestimenta mutat, quoad externam faciem, non quoad internam substantiam. *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient*, id est, tu nullo modo mutaberis quantavis longitudine annorum. Cur autem Deus nulla ratione mutari possit, ratio manifesta est, quoniam omne quod mutari potest, est in potentia ad aliquid aliud acquirendum: Deus autem actus est purus, et perfectissimus, imo infinitæ perfectionis, proinde nihil acquirere potest, cum nihil ei desit.

29. Filii servorum tuorum habitabunt, et semen eorum in sæculum dirigetur.

Descripta æternitate Dei et Mundi consummatione, ac renovatione, prædicit in Mundo renovato participes fore æternitatis ejus servos ipsius, et filios ac filios servorum usque in sempiternum: non quod in futuro sæculo sit futura propagatio filiorum, sed quod ad beatam illam requiem perventuri sint omnes fideles servi Dei cum omnibus posteris, qui eorum pietatem imitati fuerint: atque hæc est promissio facta olim ad Abraham, Genes. 17. *Statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te fœdere sempiterno.* Per servos Dei, intelligimus Patriarchas; per filios eorum, Apostolos: per filios Apostolorum reliquos pios Christianos. *Filii servorum tuorum habitabunt*, id est, Apostoli cum parentibus eorum Patriarchis habitabunt in Regno tuo, in renovatis cœlis, in cœlesti Jerusalem: *et semen eorum in sæculum sæculi dirigetur*, id est, neque illi solum, sed etiam quotquot illi per Evangelium genuerint, si in fide et in dilectione permanserint, *in sæculum dirigentur*, id est, in æternum recti et stabiles in omni prosperitate permanebunt. In Hebræo habetur, *et semen eorum ante faciem tuam perseverabit*: sic enim vertit Sanctus Hieronymus. Sed vox Hebraica, יכון *icon*, amplissimæ significationis est, ut dirigi, stabiliri, permanere, et perseverare significare possit. Illud autem, לפניך *lepanecha*, proprie non significat, in æternum, sed, *coram te*, sive, *ad faciem tuam.* Sensus tamen est idem: nam permanere ante Deum, est permanere, quandiu manebit Deus, quod erit sine fine. Similis habetur loquutio in Psalm. 71. *Permanet cum Sole, et ante Lunam*, id est, quandiu manebunt Sol et Luna. En, Lector, quo perducat vera pœnitentia, quæ initio Psalmi descripta est: perducit enim ad æternam felicitatem cum Deo; sine qua peccator in æternis suppliciis mansisset cum Diabolo.

PSALMUS CII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

IPSI DAVID.

TITULUS significat Psalmum hunc ipsi Davidi a Spiritu sancto inspiratum, ut eum ad solatium timentium Deum in hac lachrymarum valle decantaret. Et sane necesse fuit nobis revelari, hunc Psalmum de cœlo allatum fuisse: alioqui nemo facile fidem haberet promissionibus divinis, quæ in hoc Psalmo declarantur: superant enim longissimo intervallo capacitatem animi nostri. Primum igitur exponit Propheta beneficia Dei erga electos suos, quæ in hac vita inchoantur, et in alia perficiuntur: deinde ostendit, unde veniant ista beneficia, et ad quos pertineant; quod videlicet sint opera ineffabilis misericordiæ divinæ erga timentes Deum. Denique cum impar sibi esse videretur ad agendas gratias, invitat omnes Angelos, imo omnes creaturas, ut benedicant Dominum, eique pro nobis gratias agant. Psalmus dulcissimus est, et ad fiduciam in Deum erigendam, et collocandam aptissimus; modo post actam de peccatis quantumvis gravibus pœnitentiam, Deum vere, et ex corde timeamus.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Benedic anima mea Domino, et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.

David pie credens unum se esse de numero Electorum Dei, excitat ipse se in persona omnium Electorum ad benedicendum Dominum. *Benedic*, inquit, *anima mea Domino*, cogita beneficia, lauda benefactorem, tu potissimum anima mea, quæ non solum beneficia recipere, sed etiam ea agnoscere ex dono Dei meruisti. Neque tu sola anima mea laudes Dominum, sed *omnia quæ intra me sunt*, vertantur in linguas, et *benedicant nomen sanctum Dei.* Per ea, quæ intus sunt, sanctus Augustinus animam ipsam intelligit, ut sit repetitio, vel expositio ejusdem sententiæ, et quod dictum est, *Benedic, anima mea Domino*, repetatur, et explicetur per sequentia, *Et omnia interiora*

mea, id est, omnes cogitationes et affectiones, quæ in imo corde latent, benedicant nomen sanctum ejus. Recte hæc dicuntur, sed non est absurdum, si per interiora, intelligamus totum quod est in homine, et exteriore hac nostra pelle contegitur : nam et alibi dicitur Ps. 83. *Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum :* et alibi Psalm. 34. *Omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi ?* Tribuitur autem laus Dei rebus inanimis, et non sentientibus Deum, vel eo modo, quo omnia opera opificem laudare dicuntur, vel ex affectu animæ, quæ si fieri posset, optaret, ut omnia Deum cognoscerent, et laudarent.

2. Benedic anima mea Domino : et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Iterum repetit, *Benedic anima mea Domino*, tum ut vehementiam affectus ostendat ; tum quia novit infirmitatem cordis humani, quod facillime frigescit in iis, quæ per sensus corporis non percipiuntur, qualis imprimis est Deus, *qui lucem habitat inaccessibilem*, ideo adjungit, *Et noli oblivisci omnes retributiones ejus.* Vocat autem beneficia Dei, *retributiones,* quoniam non sunt beneficia simplicia, sed (ut sic loquar) sunt omnia duplicia : nam et beneficium est, quod non tribuit nobis debitas pœnas, ut peccata nostra quotidiana merentur; et rursus beneficium est, quod pro tot malis nostris tanta bona nobis retribuit. Qui numerare poterit peccata hominum, quibus assidue retribuimus Deo mala pro bonis : is fortasse aliquo modo intelliget, quanta sit pietas Dei, quæ assidue nobis retribuit bona pro malis, juxta illud Domini Luc. 6. *Qui benignus est super ingratos et malos.*

3. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.

Incipit enumerare beneficia Dei, et ordine progreditur a primo usque ad ultimum. Primum est remissio peccatorum, qua nos de injustis justos, et de inimicis amicos, et de mancipiis filios facit. *Qui propitiatur*, inquit, *omnibus iniquitatibus tuis,* 1. Tim. 6. id est, gratis debita condonat, quantumvis multa : gratis ignoscit culpis quantumvis ingentibus, quantumvis innumerabilibus. Nec solum propitiatur iniquitatibus ; sed *sanat omnes infirmitates,* ut abscindat radices peccatorum. *Radix enim peccatorum cupiditas est,* sive, ut S. Joannes loquitur, *Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ,* 1. Joan. 2. Porro infirmitatem hanc, sive languorem ex peccato primi hominis in natura humana relictum curat Deus in nobis in hac vita, sed perfecta sanitas post hanc vitam erit. Attendat unusquisque, an hanc infirmitatem in se minui sentiat, et an manus Medici cœlestis æquo animo ferat ; qui enim Medici manus repellunt, et concupiscentiæ languorem in se nutriunt, non possunt animæ suæ vere dicere, *Qui sanat omnes infirmitates tuas*, et qui hoc dicere nequeunt, frustra ad sequentia Dei dona aspirant.

4. Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia, et miserationibus.

Transit a beneficiis gratiæ ad beneficia gloriæ. *Qui redimit de interitu vitam tuam*, id est, qui per redemptionem, quæ est in Christo, liberat vitam tuam a morte sempiterna et transfert in Regnum suum, coronas te corona gloriæ in misericordia et miserationibus : nam ut coronam justitiæ accipere merereris prævenit te misericordia, gratis justificans, et miseratione plurima dirigente, et protegente in via, sine quibus in accepta justitia non perseverares. Nonnulli, præsertim recentiores, per *coronat te*, intelligunt protectionem circumdantem nos, ut sit misericordia Dei quasi clypeus undique nos tegens adversus tela inimicorum : sed nos sequuti sumus veteres expositores Hieronymum, Augustinum, Theodoretum. Euthymium, et alios, qui de corona gloriæ hunc locum exponunt, quæ corona redditur meritis, sed merita dona sunt miserentis Dei.

5. Qui replet in bonis desiderium tuum, renovabitur ut aquilæ juventus tua.

Explicat quid in se contineat corona gloriæ. Duo enim continet, satietatem desiderii, et corporis immortalitatem sive plenam felicitatem animi, et corporis; tunc enim desiderium animæ conquiescet, et fames cordis satiabitur, cum fruetur summo bono, quod ita continet omnia bona, ut animus eo bono plenus non habeat quod appetat, vel requirat amplius. Accedet autem per gloriosam resurrectionem renovatio corporis, in beatam et nunquam senescentem juventutem. Comparatur autem hæc renovatio renovationi Aquilarum, non quod Aquila per renovationem vitam perpetuare possit, sed quod utcumque adumbrare soleat corporum beatorum resurrectionem, præsertim cum Aquila altissime volet, acutissime videat, et diutissime vivat; quæ erit beatorum hominum felicitas, ut supra cœlos conscendant, et ipsam lucem inaccessibilem cernant, et ævo sempiterno fruantur. Quomodo autem Aquilæ renoventur, incertum est. S. Hieronymus in cap. 40. Isaiæ scribit, Aquilas renovari crebra mutatione pennarum. S. Augustinus in hunc locum narrat, Aquilas renovare rostrum, quod cum nimirum creverit, impedit sumptionem cibi, et interitum adfert, nisi ad petram allidatur, et reformetur. Rabini more suo fabellas texunt. Quod attinet ad verba. Illud, *Qui replet in bonis desiderium tuum*, a S. Hieronymo sic redditur, *Qui replet bonis ornamentum tuum.* Vox Hebraica, עדיך *hhedech*, ambigua est : nam *et ornamentum, et os*, significare potest. S. Hieronymus priorem significationem sequutus est, et videtur ornamentum ad coronam retulisse, ut sensus sit, qui coronam tuam ornatissimam reddit, replens eam auro purissimo, et lapidibus pretiosissimis, et vere corona gloriæ Beatorum incomparabili varietate decoratur. Tamen Septuaginta Interpretes posteriorem significationem magis probaverunt, et per os, sive buccam, non os corporis, sed animæ intellexerunt ; nimis enim abjecte et humiliter hunc locum exponunt, qui volunt sensum esse, *Qui replet cibos os tuum corporale.* Ergo per os recte Interpres noster vertit, *desiderium*, et nos per desiderium, famem cordis accipimus, quæ tunc satiabitur bonis, cum apparuerit gloria Domini.

6. Faciens misericordias Dominus, et judicium omnibus injuriam patientibus.

Declaravit Propheta bona, quæ justis parata sunt: declarat nunc fontem horum bonorum esse misericordiam Dei; ne quis cum Pelagio hæresiarcha delirans sibi tribuat, quæ Dei sunt, et hoc ipso per superbiam amittat, quæ humilis accepisset. *Faciens*, inquit, *misericordias Dominus*, id est, Dominus noster ipse est, qui benefacit, qui largitur munera, qui liberaliter tribuit bona sua: et idem ipse ex bonitate sua liberat omnes oppressos de manibus iniquorum. In Hebræo habetur ad litteram, *Faciens justitias Dominus;* et sic etiam vertit S. Hieronymus. Sed justitia hoc loco accipitur pro opere bono, sive pro actu charitatis, quomodo Matth. 6. Dominus eleemosynam vocat justitiam, dicens, *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioqui mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est: cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, etc.* quo sensu scripsit S. August. in lib. de natura, et gratia cap. ult. Inchoata charitas, inchoata justitia est: perfecta charitas, perfecta justitia est. Non ergo erraverunt a propria significatione, neque Græcus, neque Latinus Interpres, qui verterunt, *Faciens misericordias Dominus*, id est, qui facit eleemosynas multas, et magnas Dominus est. Una vero ex præcipuis eleemosynis ejus est, quod, *facit judicium omnibus injuriam patientibus;* nam et ipsos patientes injurias liberat; et facientes injurias, non relinquit impunitos.

7. Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas.

Explicat quod dixit in versiculo superiore; nam Mosi, singulari servo suo, *notas fecit Deus vias suas*, quæ sunt misericordia et veritas, juxta illud, *Universæ viæ Domini misericordia, et veritas*, Psal. 24. *Notas autem fecit vias suas*, quia dedit ei legem sanctissimam, per quam tum ipsi Mosi, tum omnibus filiis Israel declaravit voluntates suas; quæ sunt, ut sicut ipse misericors est, et justus, ita et nos simus: et hæc ipsa fuit magna Dei misericordia, quod nos ita instruere dignatus sit. Sed præterea *notas fecit Moysi vias suas, et filiis Israel voluntates suas*, quia liberavit populum suum de captivitate Pharaonis misericorditer, et Pharaonem cum exercitu suo interfecit juste: ita misericordiam, et justitiam suam evidenti facto demonstravit.

8. Miserator, et misericors Dominus, longanimis, et multum misericors.

Hæc nomina Dei, quæ veracissima Scriptura nobis insinuat, mirum in modum consolari possunt homines bonæ voluntatis. Dicitur Deus *miserator*, Hebraice, רחום *rachum*, quia paternum affectum habet ad homines pios: siquidem, רחם *racham*, significat *tenere, et ex visceribus diligere.* Dicitur quoque *misericors*, Hebraice, חנון *channum*, id est, *gratiæ et donorum largitor;* qui enim diligit affectu paterno, non potest non multa liberaliter donare. Sic igitur Deus, qui ab æterno complacuit sibi in electis suis, eosque præscivit, et prædestinavit conformes fieri imagini filii sui: in tempore plurima eis beneficia contulit, tum naturæ, tum gratiæ. Dicitur tertio, *longanimis*, id est, tolerans, patiens, tardus ad iram: sustinet enim Deus infirmitatem, et imperfectionem nostram in hoc itinere ad patriam; quo modo parentes, ac matres potissimum tolerant insipientiam et nugas, offensiones, et ingratitudinem infantiæ, et pueritiæ filiorum suorum. Quis enumeret evagationes nostras, dum cum Deo in oratione colloquimur? quis instabilitates cordis, appetitiones varias, ingratitudines, lapsus, delicta digne consideret? et tamen tolerat nos bonitas Dei: pro qua Dei longanimitate certe par esset, ut frequentissime, et intensissime gratias ageremus. In Hebræo habetur, ארך אפים *erech appaim* quod proprie significat, *longus naribus*, sed nasus accipitur pro ira: et ideo recte vertitur, *longanimis*, sive tardus ad iram. Dicit ultimo, *Et multum misericors*, quod referendum videtur ad magnam illam, et ineffabilem misericordiam, qua nos Deus evehet ad æqualitatem Angelorum et similitudinem Dei, quam tunc accipiemus, cum videbimus eum sicuti est. Itaque quatuor ista nomina significant omnia beneficia Dei a primo usque ad ultimum. Primum est gratia prædestinationis, sive æternus amor Dei: deinde sequuntur dona justificationis, et remissionis offensionum variarum, postremo accedit corona gloriæ.

9. Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur.

Explicat per partes nomina illa Dei, quæ in superiore versiculo posuit: ac primo loquitur de pio affectu Dei erga timentes se. *Non in perpetuum*, inquit, *irascetur*, id est, irascetur quidem interdum Deus peccantibus electis suis, eosque flagellabit, sed brevi reconciliabitur eis. Manet in corde patris paterna pietas, unde et ipsa flagella procedunt. Idipsum aliis verbis repetit, dicens, *Neque in æternum comminabitur*, id est, non semper iratus minas intentavit, sed vicissim eos blande consolabitur. Hæc autem promissio non favet ullo modo errori illorum, qui damnatorum pœnas aliquando finem habituras existimant: non enim ad omnes pertinet, sed restringitur ad Electos timentes Deum timore filiali, ut non semel in hoc Psalmo explicatur. In Hebræo sunt alia verba, sed idem est sensus; sic enim ad verbum sonat Hebraicus textus, *Non usque in finem litigabit, neque in perpetuum reservabit*, id est, non semper contendet nobiscum objurgans, et reprehendens facta nostra, neque in perpetuum reservabit iram semel conceptam.

10. Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

Transit ad secundum nomen, ac dicit Deum ex infinita misericordia sua, non reddidisse nobis pœnas, quas merebamur, sed dona multiplicasse, quæ non merebamur, quid enim meretur iniquus et peccator, nisi mortem? nam *Stipendium peccati mors*, Rom. 6. Deus autem non solum non retribuit mortem, sed vitam gratiæ tribuit, et vitam æternam promisit, et interim adjecit abundanter omnia, quibus in hac peregrinatione indigemus.

11. Quoniam secundum altitudinem cœli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se.

12. Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras.

Hæc pertinent ad idem nomen secundum: probat enim Propheta Deum non retribuisse electis secundum peccata ipsorum: quoniam corroboravit misericordiam suam in beneficiis cumulandis, et iniquitatibus longissime removendis. Utitur autem comparationibus distantiæ cœli a terra, et ortus ab occasu, sive maximæ altitudinis, et maximæ longitudinis, ut ostendat remissionem peccati, et infusionem justitiæ esse verissimam, et maximam; non autem (ut Lutherani somniant) esse solam non imputationem peccati, et imputationem justitiæ. *Secundum altitudinem*, inquit, *cœli a terra*, id est, secundum mensuram distantiæ cœli a terra, quæ est maxima, et verissima, *Deus confirmavit et stabilivit misericordiam veræ summæque justificationis* et gratiæ, super timentes se; *et quantum distat ortus ab occidente*, id est, secundum mensuram distantiæ ortus ab occasu, quæ est verissima et maxima, *longe fecit Deus a nobis* timentibus eum *omnia peccata nostra*. Vere ac proprie illa delens, et remittens, ac si nunquam commissa fuissent.

13. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.

Explicat Propheta hoc versiculo, et duobus sequentibus tertium nomen, videlicet, *longanimis*, et utitur aptissima comparatione: nulli enim hominum magis patientes et longanimes sunt, quam parentes in tolerandis ineptiis et levitatibus infantium filiorum. Siquidem amor paternus, vel maternus cogit parentes assiduo et incredibili labore servire parvulis filiis, atque eorum ingratitudinem, atque injurias invicto animo tolerare. *Quomodo*, inquit, *miseretur pater filiorum: misertus est Dominus timentibus se*, id est, quomodo parentes carnis nostræ intimo, et invicto quodam affectu miserentur miseriarum infantium suorum, eorumque infirmitates et insipientiam tolerant: sic Dominus noster *miseretur timentium se*, dum eorum errata quotidiana non ut injurias suas respicit, sed ut ægritudines filiorum considerat. *Ipse enim novit figmentum nostrum*, id est, quia probe novit nos, ex terra psalmatos, carnem mortalem, et concupiscentiis variis obnoxiam gerere: ac per hoc valde miserabiles esse.

14. Recordatus est, quoniam pulvis sumus; homo sicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri sic efflorebit.

15. Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet: et non cognoscet amplius locum suum.

Declarat quod dixit, nos esse figmentum, ac dicit, *Recordatus est quoniam pulvis sumus*, id est consideravit, misericordia nos dignos esse, quoniam ex pulvere compositi, et plasmati sumus, et per hoc pulvis sumus, quantum ad materiam, ex qua ipse nos finxit: et cum pulvis simus, instabiles, et fragiles sumus. Dicitur autem Deus recordari, non quod unquam oblivisci possit, sed quod aliquando ita se gerat ac si oblitus esset. Addit ad majorem fragilitatis nostræ declarationem aliam similitudinem dicens, *Homo sicut fœnum dies ejus*, id est, hominis dies brevissimi sunt, ac persimiles diebus, quibus fœnum in agro perseverat, numquam enim fœnum integrum annum permanet: nascitur enim in vere, et mox in æstate proxima metitur, et colligitur; et sicut fœnum non in toto illo tempore, quo est in agro, floret, sed mane floret, et vespere arescit: sic etiam homo brevi tempore vivit, sed multo breviore durat in flore adolescentiæ, et mox arescit in senectute. Verba textus servant phrasim Hebraicam, sed hoc modo supplenda sunt, *Homo sicut fœnum dies ejus*, id est homo sic se habet, ut dies ejus sint veluti dies fœni, vel duratio vitæ ejus similis sit durationi viriditatis fœni. *Tamquam flos agri sic efflorebit*, id est, et idem homo florebit flore adolescentiæ, sicut floret flos fœni in agro, id est, tempore brevissimo. Quod additur de spiritu transeunte, significat vitam hominis, non solum esse brevissimam, sed etiam semper mutari, donec extinguatur. Hic igitur est sensus. *Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet*, id est, spiritus vitalis, sive ipsa vita corporalis non permanebit in homine, sed transiens in eo erit, et nunquam subsistet in eodem statu, quia semper mutabitur de infantia ad pueritiam, de pueritia ad adolescentiam, de adolescentia ad juventutem, de juventute ad maturitatem, de maturitate ad senectutem, de senectute ad mortem. *Et non cognoscet amplius locum suum*, id est, non redibit ad locum unde discessit, nec videbit amplius ætatem, quam semel dimisit. In quo multum distant corruptibilia ab incorruptibilibus, cœlestia a terrenis: siquidem Sol et Luna, et stellæ oriuntur mane, et occidunt vespere in occidente: sed iterum revertuntur in circulos suos, et nihil immutatæ vident locum, unde discesserunt: quæ vero oriuntur ex terra, cursum suum peragunt, sed currendo mutantur, et non redeunt unquam ad locum, unde cursum inchoarunt, sed senescunt, et pereunt. Itaque per spiritum, hoc loco non intelligo animam rationalem, quæ immortalis est, et in die novissimo redibit ad corpus, sed spiritum vitalem, sive ut dixi, vitam corporalem. Quod si quis velit per spiritum hic significari animam rationalem: dicere debebit, ejusmodi spiritum non rediturum ad locum suum, id est, ad corpus, vi sua, sed omnipotentia Dei: nec cognosciturum amplius locum suum, quia immutatum inveniet, videlicet corpus immortale reperiet, cum mortale reliquerit, sic Euthym. Ex Hebræo S. Hieronymus sic vertit, *Quia spiritus pertransivit eum, et non subsistet, et non cognoscet eum ultra locus ejus*. Quam sententiam Rabini sic exponunt, Spiritus, id est, ventus pertransivit eum, id est, florem fœni, sed mox vento flante siccabitur, et non cognoscet eum ultra locus ejus, id est, non apparebit, ubi fœnum floruerit: flos enim arescens nullum vestigium pulchritudinis suæ relinquit. At nos sequimur Septuaginta Interpretes, qui verba Hebraica, quæ ambigua sunt, et utrumque sensum recipere possunt, non de vento et flore, sed de spiritu vitali et corpore humano intellexerunt. Ad quam sententiam corroborandam multum valet similis locus ex Psal. 77. *Recordatus est, quia caro sunt, spiritus*

vadens et non rediens. Ubi per spiritum non potest intelligi ventus, sed vita humana.

16. Misericordia autem Domini ab æterno, et usque in æternum super timentes eum.

Hic tandem explicatur quartum nomen versiculi octavi, *Et multum misericors*, pertinet autem quartum hoc nomen ad beneficium glorificationis, quod est postremum et maximum. Igitur *misericordia Domini* quæ fuit ab æterno super timentes eum in prædestinatione, durabit *usque in æternum*, in glorificatione: atque ita erit Deus multum misericors, sive multitudinem beneficiorum, sive magnitudinem, sive durationem consideremus. Quis autem digne recogitet quid sit, quod Dominus universorum, qui bonorum nostrorum non eget, jam inde ab æterno misereri decreverit pulveris hujus, id est, hominis, eamque cœlestibus spiritibus coæquare, atque in æternum sibi summo bono felicissime inhærere voluerit? certe par esset, ut tantæ misericordiæ, ne ad momentum quidem oblivisceremur, et perpetuas ei gratias ageremus.

17. Et justitia illius in filios filiorum, his qui servant testamentum ejus.

18. Et memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea.

Hæc est quasi appendix magnæ illius misericordiæ, quam exercet Deus erga timentes se. Addit enim Propheta non solum timentes Deum exaltandos, et protegendos ab æterna misericordia Dei: sed etiam eam misericordiam extendendam esse ad posteritatem timentium Deum, modo ipsi parentum, et majorum suorum pietatem imitentur. *Et justitia illius*, id est, veracitas, et fidelitas Dei, qui semper reddit quod promittit, conservabitur *in filiis filiorum his, qui servant testamentum ejus*, id est, qui observant pactum cum Deo initum, ut sint ipsi populus Dei, et Deus sit eorum Deus. *Et memores mandatorum ejus*, non ut solum ea mente, et cogitatione revolvant, *sed ut ea diligenter adimpleant*. S. Augustinus per filios timentium Deum intelligit opera bona ipsorum, et per filios filiorum mercedem, quæ debetur operibus bonis. Justi enim pariunt opera justa, et opera justa pariunt coronam justitiæ.

19. Dominus in cœlo paravit sedem suam, et regnum ipsius omnibus dominabitur.

Demonstrat Propheta posse Deum facere, quæ promisit timentibus se, et filiis filiorum ipsorum, quoniam Deus judex est omnium, *et ideo paravit*, et stabilivit (utrumque significat vox Hebraica) *sedem suam*, id est, thronum suum judiciarium in altissimo loco, id est, in summo cœlo, unde omnes prospicere, et judicare possit: et ne forte suspicemur, Deum esse Judicem ab aliquo Rege constitutum, addit: *Et regnum ipsius omnibus dominabitur*, id est, sedem habet in cœlo, non ut Judex sub Rege, sed ut Judex supremus, Rex super omnes Reges. Regnum enim ipsius, id est, regia ejus potestas, omnibus omnino rebus creatis dominabitur.

20. Benedicite Domino omnes Angeli ejus; potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.

In extrema parte Psalmi invitat Propheta omnes alias creaturas ad benedicendum Domino, et prædicandas laudes ejus, quoniam videbat se non esse ullo modo parem ad agendas gratias tanto benefactori: ac primum invitat Angelos qui sunt nobilissimæ creaturæ, et idonei maxime ad Deum laudandum, Nos enim minus idonei sumus, tum quia debiles, ac fragiles sumus; tum quia frequenter peccamus, *et non est speciosa laus in ore peccatoris.* Angeli vero fortissimi sunt, neque unquam fatigantur; et semper obediunt Deo, ac per hoc nunquam peccant, semper grati, et amici sunt. *Benedicite Domino omnes Angeli ejus*, id est, laudate communem Dominum vos Angeli, qui propius illi assistitis, et magnitudinem ejus perfectius nostis: et non unus aut duo, sed omnes omnino quotquot estis, qui prope innumerabiles estis, convenite ad laudandum: omnes, inquam, qui Angeli ejus estis, qui ab illo non solum conditi fuistis, sed etiam cum illo cæteris cadentibus, permansistis, illique in æternum felicissimi inhæretis. *Potentes virtute*, id est, præditi robore maximo ad exequenda omnia mandata Dei, quique casum nullum timetis, neque est, qui vos a laudibus Dei prohibere possit. *Facientes verbum illius*, id est, qui Dei mandata semper accurate perficitis. *Ad audiendam vocem sermonum ejus.* Hæc ultima particula duobus modis potest intelligi. Uno modo, ut sensus sit, *Facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonem ejus*, id est, mox ut audierint vocem sermonum ejus: ita ut significetur celeritas obediendi, ac si dictum esset, *Facientes verbum illius in audiendo vocem sermonum ejus.* Altero modo, ut significetur causa finalis executionis mandatorum Dei, quæ est desiderium obediendi Deo; et sensus sit, *Facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum ejus*, id est, exequentes mandata Dei ad hunc finem, ut obediant voci ejus, et se fideles servos probent: non ob aliquam suam utilitatem, vel necessitatem. Atque hæc videtur expositio litteralis, nam textus Hebræus et Græcus, non facile admittunt illum sensum, *Ad audiendam vocem*, id est, in audiendo vocem.

21. Benedicite Domino omnes virtutes ejus, ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

Ne forte per Angelos, qui invitantur ad benedicendum Deum, intelligeremus solos Angelos ultimi chori; addit Propheta in hoc versiculo, *omnes virtutes Domini*, id est, omnes exercitus cœlestes, videlicet Archangelos, Principatus, Dominationes, et cæteros ordines superiores: nam in Hebræo habetur, *omnes exercitus ejus*, et quod Angeli sint militia cœlestis exercitus, docet S. Lucas cap. 2. Sunt quidem milites, et ministri Dei omnes res creatæ: sed in Scriptura, ut plurimum per virtutes, intelliguntur Angeli; ac præsertim in Psal. 148. *Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus*, et hunc locum ita exponunt Theodoretus, Euthymius et alii. Nam de aliis rebus creatis agitur in sequenti Versiculo. Ait igitur, *Benedicite Dominum omnes virtutes ejus*, id est, non solum Angeli proprie dicti, sed omnis militia cœlestis exercitus: qui omnes ministri Dei estis, et imple-

tis diligenter, et assidue, quicquid ille vobis mandat.

22. Benedicite Domino omnia opera ejus, in omni loco dominationis ejus : Benedic anima mea Domino.

Posteaquam invitavit Propheta ad laudes Dei homines et Angelos, qui Dei notitiam habent, et eum proprie laudare possunt : invitat etiam omnes alias res creatas, quamvis mente, vel sensu, vel vita careant, ut etiam ipsæ suo modo opificem suum laudent. Ac ne quis exciperet aliquid, et intelligeret Prophetam non loqui de omnibus operibus, quæ sunt in cœlo, aut in terra, aut in mari addit : *In omni loco dominationis ejus*, id est, *Benedicite Dominum omnia opera ejus*, omnia omnino ubicumque sitis : nam omnia ipse fecit, et omnibus dominatur, et ipse cum eis ubique est : omnia replens, omnia portans, omnia conservans, omnia movens. Tu vero *anima mea*, quæ omnia ad laudem invitasti, *Benedic Dominum* in omni tempore, semper laus ejus in ore tuo.

PSALMUS CIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

IPSI DAVID.

HIC Psalmus apud Hebræos non habet titulum. Apud Græcos invenitur hic titulus, *Ipsi David pro mundi constitutione*. Sed ejusmodi titulum, neque S. Hieronymus, neque S. Augustinus, neque Theodoretus in suis codicibus invenerunt. Proinde a recentioribus additus videtur. In Latinis codicibus habetur, *Ipsi David*, vel *Psalmus David*. Videtur autem hic Psalmus recto ordine positus post Psalmum præcedentem : in illo enim aguntur gratiæ Deo pro beneficiis gratiæ, in isto pro beneficiis naturæ : ibi laudatur Dei misericordia, hic prædicatur Dei sapientia. Ac primum cantatur gloria Dei ex mirabilibus, quæ sunt in cœlo : deinde ex iis quæ sunt in aere : tum ex iis quæ sunt in terra : postremo ex iis quæ sunt in mari.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Benedic anima mea Domino, Domine Deus meus magnificatus es vehementer.

Excitat Propheta animam suam ad benedicendum, id est, laudandum Deum, et mox anima excitata exurgit in admirationem et laudem, dicens, *Domine Deus meus magnificatus es vehementer*, id est, ex operibus tuis magnus valde factus es in oculis omnium, qui quoquo modo gloriam tuam aspicere possunt : non enim Deus in se crescere potest, cum sit immensus, et infinitus; sed apud Angelos, et homines tanto fieri potest major, quanto magis notitia ejus crescit ex contemplatione potentiæ, et sapientiæ, et bonitatis, quæ lucet in operibus ejus.

2. Confessionem, et decorem induisti, amictus lumine, sicut vestimento.

Declarat quomodo Deus magnificatus sit, adhibita insigni similitudine vestimenti : quomodo enim ex gloriosa veste cognoscimus Pontificem, Regem, atque alias sublimes potestates : sic etiam ex gloria, qua Deus quasi circumdatus est, cognoscimus ejus potentiam, et sapientiam. Et quidem *Deus in se lux est, et tenebræ apud eum non sunt ullæ*, ut scribitur 1. Joan. 1. tamen *ea lux inaccessibilis est, et eam nullus hominum vidit, sed nec videre potest*, 1. Timoth. 6. Sed præter eam lucem, est alia quædam lux gloriæ, id est, splendor, qui ex operibus ejus micat, et de hac loquitur Propheta, cum ait, *Confessionem et decorem induisti*, id est, confessionem laudis, quam assidue decantant opera tua, tibi quasi vestimentum undique circumdedisti : et quoniam nihil pulchrius est luce, sive gloria; ideo induisti decorem, et pulchritudinem, dum amictus es lumine gloriæ, quod ex operibus tuis emicat. Hic admonendi sumus mirum valde esse, quod oculi corporis nostri, etiamsi solem ipsum intueri nequeant : tamen ex lumine quo cinctus est sol, facillime et adesse et pulcherrimum esse judicent : et oculi cordis nostri tam difficulter erigantur ad Deum, et ejus immensam pulchritudinem vix tenuiter sentiant, cum tamen undique cinctus sit splendore maximo, et pulcherrimo, qui ex admirandis ejus operibus lucet, et ipse sit, *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Joan. 1. Sed hujus rei nulla videtur esse alia ratio, nisi quia cor gerimus pulvere carnalium cogitationum, et affectionum quasi cæcatum. *Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, Matth. 5. Certe enim si cor mundum haberemus, Deum in operibus suis, et gloriam ejus omnia replentem facile intueremur, et cum Abrahamo, Elia, et Elisæo diceremus, *Deus in cujus conspectu sto*. Vide Gen. 24. 3. Reg. 17. et 4. Reg. 3.

3. Extendens cœlum sicut pellem, qui tegis aquis superiora ejus.

Incipit demonstrare lumen potentiæ, et sapientiæ Dei, quod cernitur in creatione firmamenti, sive cœli : et duo quædam valde admiranda in eo considerat, et a nobis consideranda proponit. Unum est, quod Deus tanta felicitate extenderit immensam molem firmamenti, et eo circumdederit omnia corpora inferiora, quanta solent homines extendere tabernaculum unum, sive tentorium ex pellibus confectum. Alterum est, quod Deus miro artificio posuerit aquas supra cœlum, quasi aquas super ignem, et tamen neque aquæ extinguant ignem, neque ignis consumat aquas. De his aquis multa Scholastici disputant : sed communis Patrum sententia esse videtur, aquas esse super æthereum cœlum, quod firmamentum dicitur : non autem supra cœlum aereum tantum ubi sunt nubes. Vide inter cæteros Basilium homil. 3. Hexameron, Chrysostomum homil. 4. super Genesim, Ambrosium lib. 2. Hexameron cap. 3. et 4. Augustinum lib. 2. super Genesim cap. 4. et in hunc Psalm 103. Eucherium lib. 1. in Gen. cap. 3. Procopium in 1. cap. Genes. Theodoretum quæst. 11. in Genesim. Bedam lib. de natura rerum cap. 7. et 8. Quod ad verba attinet, illud, *Extendens*, valde proprie dictum est : quoniam firmamentum Hebraice dicitur רקיע *rachiahh*, id est, extensio, sive expansio. Illud, *qui tegis*, contendunt aliqui recentiores, legendum esse, *qui tegit*, ex textu Hebraico et Græco : et mirantur, quod latini codices habeant, *qui tegis*. At Hebraici et Græci codices habent participium, המקרה במים *hamkarch bammaiim*, *tegens aquis*, quod ambiguum est, et potest referri tam ad secundam personam, quam ad tertiam. Congruentius autem est, ut ad secundam referatur, cum præcesserit, *Confessionem et decorem induisti*, ubi est expressa secunda persona, etiam in codicibus Græcis et Hebraicis. Alloquitur ergo Propheta Deum; et illi dicit, Tu qui induisti confessionem et decorem; tu extendis cœlum sicut pellem : tu tegis aquis superiorem partem cœli, etc. Adde quod S. Hieronymus vertit ex Hebræo : *Qui tegis*, et sic etiam legit in textu, quem exponit ex versione Septuaginta Interpretum; et in epist. ad Suniam et Fretellam contendit, hunc locum, et sequentes esse legendos in secunda persona, ut nos in editione latina vulgata legimus.

4. Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum.

De cœlo æthereo descendit Propheta ad cœlum aereum, et canit admirabilem Dei sapientiam in velocitate nubium, quæ vi ventorum stupenda celeritate transeunt ab una parte mundi ad aliam. Aliquando enim serenum aerem conspicimus, et mox in ictu oculi, flante austro, cernimus eumdem aerem obductum nubibus : et contra videmus interdum aerem nubibus undique coopertum, et mox, flante Aquilone, cernimus nubes omnes in puncto temporis dissipari. Describit autem hæc omnia more poetico, ac si Deus insideat nubibus, quasi in curru, et utatur ventis, quasi equis pennigeris. Sed hac metaphora nihil significatur aliud, nisi Deum esse principalem auctorem omnium rerum, et ejus nutu ventos moveri, et nubes adduci vel abduci. In Hebræo et Græco habetur in tertia persona, רכובו *rechabo*, *Ascensum ejus sive currum ejus*. Sed S. Hieronymus ex Hebræo vertit, *Currum tuum*, ex quo apparet eum sic legisse in suo codice Hebraico. Sic etiam legit in commentario; et sic docet esse legendum in epist. ad Suniam et Fretellam; proinde nostra lectio non est mutanda, cum a tanto Doctore præponatur cæteris.

5. Qui facis Angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem.

Nisi obstaret auctoritas Apostoli, potuisset hic locus intelligi de procellis, et fulguribus quæ fiunt in aere; ut sensus esset, *Qui facis ut spiritus procellarum sint Angeli tui*, id est, nuncii tui ad homines admonendos, et *ut ignis urens*, id est, cœlestia fulgura, aut fulmina, *sint ministri tui*, ad homines puniendos. Sed quoniam Apostolus ad Hebr. 1. exponit hunc locum de Angelicis spiritibus, et hinc argumentum ducit ad probandam Christi divinitatem, et præstantiam super Angelos : dicendum est Prophetam loqui de veris Angelis, ac dicere voluisse, non solos ventos, ac nubes velocissime discurrere per aerem, ut Deo jubenti serviant; sed habere Deum ministros longe sublimiores, et potentiores, Angelos videlicet, quos mittat ad homines, vel admonendos, vel puniendos. Potest autem duobus modis intelligi hæc sententia. Uno modo sic, *Qui facis Angelos tuos spiritus*, id est, qui facis, ut spirituales creaturæ, quæ tibi in cœlo semper assistunt, *fiant Angeli tui*, id est fiant nuncii tui ad homines instruendos, *et ministros tuos ignem urentem*, id est, qui facis ut eædem illæ spirituales creaturæ, quæ charitate semper ardent, fiant ministri tui ad efficienda celerrime et efficacissime quæcumque jusseris. Atque hæc est expositio S. Augustini hoc loco, et S. Gregorii hom. 34. super Evangelia. Altera expositio facilior, et fortasse magis litteralis, est Theodoreti in hunc locum, et S. Thomæ in c. 1. ad Hebræos, qui sic exponunt, *Qui facis Angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem*, id est, facis ut Angeli ministri tui habeant velocitatem spirituum, id est, ventorum, et efficaciam ignis urentis : atque ita sint veluti quidam venti spirituales in discurrendo, et veluti quidam ignes divini in operando. Comparat autem Propheta sanctos Angelos ventis et ignibus, non quod non sint velociores ventis, et potentiores ignibus; sed quia nos nihil novimus inter hæc corporalia, quibus aptius Angelorum velocitas et efficacitas conferri possit. Favet huic expositioni etiam S. Hieronymus in commentario hujus loci : et quod majus est, textus Græcus tum in Psalmo, tum in Apostolo ad Hebr. 1. nam in utroque loco videmus articulum addi ad nomina, Angelos et ministros, non autem ad nomina spiritus, et ignem. Una restat difficultas, quod apud Apostolum, etiam in editione latina vulgata legitur in tertia persona, *Qui facit Angelos suos spiritus*, quomodo legitur etiam in textu Hebræo, עשה מלאכו רוחות *hhoscheh maleaco ruchoth*, et Græco in libris quos nunc habemus. In editione autem latina vulgata legitur in hoc Psalmo in secunda persona, *Qui facis Angelos tuos spiritus*, quam lectionem probat S. Hieronymus in epistola ad Suniam et Fretellam. Sed responderi potest, Apostolum non fuisse sollicitum de verbis, sed de sensu : sensus autem idem est, sive illum exprimamus alloquendo Deum, sive narrando.

6. Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi.

Ab aere descendit ad terram Propheta: et quoniam ea est sedes nostra, et nobis notior, quam sint aliæ partes mundi, diutius in ea consideranda, et admirandis operibus Dei, quæ in ea conspiciuntur, describendis immoratur: ac primum incipit in ejus creatione, et considerat admirabilem Dei potentiam, quæ terram, molem utique maximam, et gravissimam sine ullo fundamento posuit in medio mundi, ita ut ipsa non in fundamento aliquo, sed in sua stabilitate nitatur. *Qui fundasti*, inquit, *terram super stabilitatem suam*, id est, non erexisti terram super aliquod fundamentum, sed voluisti ut suo pondere niteretur. *Non inclinabitur in sæculum sæculi*, id est, præceptum tuum solidius est omni fundamento, et ideo quia sic jussisti, sic fiet, ut videlicet terra suo pondere innixa æterna stabilitate consistat.

7. Abyssus sicut vestimentum amictus ejus, super montes stabunt aquæ.

8. Ab increpatione tua fugient, a voce tonitrui tui formidabunt.

9. Ascendunt montes, et descendunt campi, in locum quem fundasti eis.

10. Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque convertentur operire terram.

Deinde considerat Propheta, qualis fuerit terra initio creationis suæ, quod videlicet fuerit undique cincta aquis, quasi vestibus: et tamen solo imperio voluntatis suæ Deus aquas concluserit in locis terræ humilioribus, et potentia, ac sapientia sua fecerit, ut magna ex parte terra emineret, et redderetur apta ad gignendas herbas et fruges, ad animantia sustentanda, et alenda. Id autem factum est ex condensatione aquarum: initio enim aquæ non tam erant perfectæ aquæ, quam vapores aquei qui condensati descenderunt ad concavitates terræ: et fortasse hoc significavit sapientia apud Ecclesiasticum cap. 24. cum ait, *Et sicut nebula texi omnem terram.* Sed David more poetico hæc describit, *Abyssus*, inquit, *sicut vestimentum amictus ejus*, id est, initio creationis terra erat cincta, et veluti amicta profunditate aquarum, quasi vestimento quodam undique cooperta. Abyssum enim vocat profunditatem aquarum, de qua dicitur Gen. 1. *Tenebræ erant super faciem abyssi*, et tunc, *super montes stabant aquæ*, id est, vapores aquei, sive nebula illa altissima ipsos etiam montes cooperiebat: dicit autem *stabunt*, pro *stabant*. Hanc enim vim habet futurum apud Hebræos, ut significet continuationem, qualis apud nos significatur per præteritum imperfectum. *Ab increpatione tua fugient*, a voce tonitrui tui formidabunt, id est, aquæ, quæ undique terram operiebant, solo Dei nutu condensatæ descenderunt ad loca decliviora; fuit enim nutus divinus aquis instar terribilis increpationis, et quasi tonitruum rebus sentientibus. *Ascendunt montes et descendunt campi in locum quem fundasti eis*, id est, tunc cœperunt apparere montes in loco sublimi, quasi ascendissent: et simul cœperunt apparere campi in loco humili, quasi descendissent: omnia vero constiterunt in loco, quem constituisti eis, ut ascendunt montes aquarum, et descendunt campi aquarum, dum ab increpatione Dei timentes aquæ magno fremitu, attollunt fluctus suos, et deponunt, donec ad locum sibi paratum perveniant: nam et Poeta dixit, *Quanti montes volvuntur aquarum. Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque convertentur operire terram*, id est aquis recedentibus, et in cavernis terræ conclusis terminum posuisti, quem non transgredientur, neque convertentur, ex se, aut vi sua, cooperire terram. Nam quod tempore diluvii conversæ sint, et terram cooperuerint; id factum est divino jussu, et virtute. Porro terminus quem Deus posuit aquis est arena, ex Job. c. 39. et ex Hierem. c. 5. arena videlicet littoris altioris: tunc autem Deus hunc terminum posuit, quando instituit naturas elementorum: aquæ siquidem, cum sint naturaliter graviores aere, semper descendunt ad loca decliviora, et relinquunt aeri loca subliniora.

11. Qui emittis fontes in convallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ.

12. Potabunt omnes bestiæ agri, expectabunt onagri in siti sua.

13. Super ea volucres cœli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces.

Tertio considerat Propheta mirabilem Dei sapientiam in productione fontium, et fluminum: nam, si aquæ recedentes a terra, aridam illam omnino dimisissent, animantia terræ siti consumerentur; ideo sapientia Dei produxit fontes aquarum dulcium, et ex fontibus fluvios, qui ubique discurrant, et potui animantium omnium deserviant. Porro fontes in montibus originem habent; sed aquæ fontium ad convalles defluunt, et hic videtur esse sensus verborum, *Qui emittis fontes in convallibus*, id est, qui facis ut aquæ fontium ad convalles defluant, et inter medios montes rivuli earum pertranseant. *Potabunt omnes bestiæ agri*, et præsertim *onagri*, asini videlicet sylvestres, qui in montibus degunt, et natura siticulosi sunt, anhelabunt ad ejusmodi aquas. Nec solum animalia quadrupedia de fontibus bibent; sed etiam volucres cœli juxta aquas in locis editioribus nidos suos ponent, ut iisdem aquis frui possint, et ex cavernulis suis voces dabunt, canentes quomodo possunt laudes Domino. Illud, *Onagri expectabunt in siti sua*, ex Hebræo S. Hieronymus vertit, *Onager reficiat sitim suam*. S. Augustinus vero legit, *Suscipient onagri in sitim suam.* Vox Hebraïca ישברו *isberu*, ut nunc legitur cum puncto in sinistro cornu, significat *frangent sitim*, id est, sedabunt et reficient; sed Septuaginta legerunt cum puncto in dextro cornu, ישברו quod significat, *sperabunt*, sive *expectabunt*, et sensus est, Onagri ad sitim suam sedandam expectabunt, hoc est desiderabunt, sperabunt, quærent aquas fontium. In Græco nunc legitur, προσδέξονται, id est, suscipient, sed verisimile est eos scripsisse προσδοκήσονται, id est, *expectabunt*. Certe noster Interpres ita omnino legisse videtur. Illud, *super ea*, refertur ad fontes, et aquas inter montes discurrentes. Illud, de medio petrarum, S. Hieronymus vertit, de medio nemorum. Vox Hebræa, עפאים *hhaphaim*, significat frondes, et ra-

mos arborum, sed Septuaginta Interpretes aut legerunt, צפאים *tsephaim*, quod significat *petrarum :* aut quod verius censeo, sensum respexerunt, non verba : volucres enim inter frondes quidem, et ramos arborum, sed in rupibus, et petris montium nidulos ponunt, proinde utrumque est verum, et quod ex mediis frondibus, et quod ex mediis petris cantus suos edant.

14. Rigans montes de superioribus suis : de fructu operum tuorum satiabitur terra.

15. Producens fœnum jumentis, et herbam servituti hominum.

16. Ut educas panem de terra, et vinum lætificet cor hominis.

17. Ut exhilaret faciem in oleo, et panis cor hominis confirmet.

Quarto, considerat et canit Propheta aliam admirabilem providentiam Dei, qui præter fontes, et flumina, quæ non possunt irrigare loca superiora montium et collium, neque ad omnes agros derivari, excogitavit pluvias, quæ ex nubibus tamquam fontibus cœlestibus omnia omnino loca terrestria irrigare possunt, ut inde satiata terra possit herbas et fruges producere in alimenta viventium super terram. *Rigans*, inquit, *montes de superioribus suis*, id est, Deus rigans est, sive irrigat montes, ad quos flumina non pertingunt, *de superioribus suis*, id est, de nubibus, quæ sunt in aere superiore. *De fructu operum tuorum satiabitur terra*, id est, de aquis, quas tu ex nubibus tuis exprimis, terra arida et sitibunda satiabitur. *Producens fœnum jumentis, et herbam servituti hominum*, id est, per hanc providentiam tu, Deus, producens es, sive producis ex terra fœnum in cibum jumentorum, et herbam, unde fruges, et vites, et arbores existunt, in cibum hominum. *Ut educas panem de terra*, id est, ut hac ratione producas ex terra cibum : panis enim sæpe accipitur in Scriptura pro cibo generatim sumpto : hoc autem loco dicimus accipi pro cibo, tum quia ita explicat Theodoretus, tum quia de pane proprie dicto paulo infra fit mentio : subjungit enim Propheta, *Et vinum lætificet cor hominis*, id est, et vinum a te productum lætificet cor hominis, *Ut exhilaret faciem in oleo*, id est, ut homo exhilaret faciem suam in oleo a te producto, *et panis cor hominis confirmet*, id est, panis sustentet, et roboret vitam humanam. Hoc loco pauca quædam annotanda sunt. Primum, Deum esse auctorem omnium bonorum, quæ ad vitam corporalem sustentandam, et delectandam pertinent; quamvis enim laborent homines fodiendo terram, seminando fruges, plantando arbores, ponendo, ac putando vites : tamen nisi Deus solem suum oriri faceret, et nisi de cœlo plueret, et nisi fœcunditatem terræ præberet, et nisi vires hominibus suppeditaret, et cum iis cooperaretur, nihil omnino fieret: et quoniam potest Deus sine causis secundis omnia facere, ut fecit initio mundi; et secundæ causæ nihil sine Deo possunt efficere; verissime dicit Apostolus, *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*, 1. Cor. 3. et, *Non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de cœlo, dans pluvias, et tempora fructifera, implens cibo, et lætitia corda nostra*, Act. 14. et rursum, *Ipse dat omnibus vitam, et inspirationem, et omnia. Et in ipso vivimus, movemur, et sumus*, Act. 17. Verissime quoque canit hoc loco Psalmographus, Deum esse, qui producit fœnum jumentis, panem, vinum, et oleum hominibus. Ex quo apparet incredibilis multorum hominum ingratitudo, qui, etsi tanta bona imo omnia bona a Deo recipiant, nunquam tamen erigunt oculos mentis in cœlum, ut agnoscant Patrem amantissimum, a quo tamquam filii ex paternis bonis aluntur, et sustentantur. Secundo, notandum est, Deum, ut parentem vere pium, et amantem filiorum, non solum nobis dedisse, quæ necessaria sunt ad vitam sustentandam, panem videlicet et aquam : sed etiam addidisse quæ jucundiorem, et suaviorem potum et cibum facere potuerant, ut solatium aliquod in laboribus haberemus : dedit enim vinum ad cor lætificandum, juxta illud Proverb. 31. *Date vinum his, qui amaro sunt animo :* dedit et oleum, vel ad ungendam, et illustrandam faciem, sed etiam ad cibum, ut Theodoretus docet : ut videlicet admixtum herbis, et leguminibus suaviorem cibum efficiat, et homo exhilaret faciem suam in eo cibo percipiendo, vel ut Deus exhilaret faciem hominis in oleo, dum ei cibum oleo conditum porrigit; facies enim nitidior apparet, cum homo nutritur iis, quæ sapiunt. Hinc Monachi veteres apud Cassianum in collationibus, ut hospitibus lautiorem cibum apponerent, olera, vel legumina oleo condiebant. Tertio notandum est hinc admoneri homines, frugali victu et potu sobrio contentos esse debere : moderata enim jucunditas a Deo est, supervacaneæ deliciæ, et varia irritamenta gulæ, ac multo magis crapula, et ebrietas a Diabolo sunt.

18. Saturabuntur ligna campi, et cedri Libani, quas plantavit : illic passeres nidificabunt.

19. Herodii domus dux est eorum, montes excelsi cervis, petra refugium herinaciis.

Quinto, considerat Propheta divinam providentiam in eo, quod Deus ipse sine ulla opera hominum producit, et nutrit arbores valde proceras, quales sunt cedri Libani : quæ arbores deserviunt habitationi, et latibulo avium quarumdam, quemadmodum montes refugium præstant cervis, et petræ herinaciis. *Saturabuntur*, inquit, *ligna campi*, id est, ex pluviis humorem sibi debitum sument arbores sylvestres, et præcipue cedri Libani, quas Deus ipse plantavit. In Hebræo legitur, עצי יהוה *hhetse Adonai, ligna Domini.* Sed Septuaginta Interpretes explicare voluerunt, cur dicantur ligna Domini, et ideo posuerunt, *ligna campi;* dicuntur enim *ligna Domini*, quia non plantantur, nec irrigantur ab hominibus, sed jubente Domino sponte nascuntur in campis, et irrigantur pluviis de cœlo cadentibus. *Et cedri Libani, quas plantavit.* In Hebræo et Græco textu non habetur, *et*, sed explicatur quæ sint illa ligna campi, sive Domini, et dicitur, *cedri Libani, quas plantavit*, id est, ligna illa Domini, sunt cedri Libani, quas Dominus ipse plantavit in campis : vel in textu latino irrepsit, *et*, vitio scriptorum, vel explicandum est, ut nos diximus, ligna campi, et præcipue cedri Libani, quas Dominus

plantavit, id est, sponte nasci voluit absque hominum industria. *Illic passeres nidificabunt*, id est, in his agrestibus arboribus nidos suos ponent aves, ut tutiores sint ab aucupibus. Nam apud Hebræos nomine passerum intelliguntur omnes aviculæ. *Herodii domus dux est eorum*, id est, milvi, aut fulicæ, aut ardeæ, aut ciconiæ nidus præeminet nidulis aliarum volucrum, tum magnitudine, tum altitudine; vox Hebræa חסידה *chasida*, et Græca *Herodius*, significat milvum apud Hieronymum, *fulicam*, apud Augustinum, *ciconiam*, apud Suidam, *ardeam*, apud Plinium: certe magna avis significatur, quæ nidum majorem et altiorem habeat, quam aves cæteræ. In Hebræo habetur. *Herodio abietes domus ipsius*, id est, Herodius in abiete nidum ponit. Cæterum Septuaginta Interpretes non videntur legisse, ברושים *beroscim*, id est, *abietes*, sed, בראשם *beroscem*, id est, *dux eorum*, sive in ducem eorum: sed res non est magni momenti. *Montes excelsi cervis, petra refugium herinaciis*, id est, sicut magnæ arbores præbent refuginm volucribus, sic montes cervis, et lapideæ cavernæ herinaciis. In Græco habetur leporibus pro, *herinaciis*, et sic legit sanctus Augustinus: sed sanctus Hieronymus in Epist. ad Suniam et Fretellam, dicit voce Hebraica לשפנים *laschphanim*, significari animal quoddam simile muri, et urso, non majus hericio, quod in Palæstina frequens est, et in cavernis petrarum habitat.

20. Fecit lunam in tempora. Sol cognovit occasum suum.

21. Posuisti tenebras, et facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ sylvæ.

22. Catuli leonum rugientes, ut rapiant, et quærant a Deo escam sibi.

23. Ortus est Sol, et congregati sunt, et in cubilibus suis collocabuntur.

24. Exibit homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperam.

Sexto, considerat et laudat Propheta divinam providentiam, quæ divisit tempora operibus hominum, et ferarum. Siquidem feris attribuit noctem, ut quærant sibi prædam in cibum; hominibus attribuit diem, ut operando victum sibi parent. *Fecit*, inquit, *lunam in tempora, sol cognovit occasum suum*, id est, Dominus Deus ad usum hominum, et animantium cæterorum fecit lunam in tempora, id est, ut tempore opportuno luceret, per noctem videlicet; nam vox Hebraica מועדים *mohadim*, et Græca καιροὺς non significant quælibet tempora, sed tempora opportuna, et apta ad opera facienda. *Sol cognovit occasum suum*, id est, sol quoque non semper est super terram, sed novit suo tempore occumbere, ut det locum nocti, quemadmodum divina providentia disposuit. *Posuisti tenebras et facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ sylvæ*, id est, ex hac vicissitudine solis, et lunæ, tu Domine fecisti, ut suo tempore occumbente sole existerent tenebræ; et sic fieret nox: et ipsam dedisti sylvestribus animantibus, ut per sylvas discurrerent; et potissimum *catuli leonum rugientes præ fame*, in rapinam occumbant, et hoc modo *quærant a Deo escam sibi*, id est, quærant sibi cibum eo modo, quem divina providentia statuit. *Ortus est sol, et congregati sunt, et in cubilibus suis collocabuntur*, id est divina providentia facit, ut oriente sole feræ sylvestres per noctem dispersæ ad prædam, congregentur in speluncis suis, et in suis quasi cubilibus collocentur. *Exibit homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperam*, id est, exorto sole, et feras in antra sua cogente, surget homo, et in agrum exhibit ad opus suum, ad agriculturam videlicet, *et operationem suam*, id est, ad laborem suum, sive, ut habetur in Hebræo, לעבדתו *lahhabdatho*, *servitutem suam usque ad vesperam*. Hinc admonemur bestiis quæ ratione, et manibus carent, datum esse a Deo, ut per insidias nocturnas ex raptu vivant: hominibus vero, qui ratione, et manibus ornati sunt, prohibitas esse rapinas et insidias, cum possint ex justo labore manuum suarum terram exercendo, vel mercaturam faciendo vivere. Proinde fures, et latrones, et quicumque insidiando, decipiendo, mentiendo, rapiendo vitam ducunt: ordinem divinæ providentiæ, quantum in se est, perturbant, et de illis recte dici potest, *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis*, Psal. 48.

25. Quam magnificata sunt opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tua.

Hæc est exclamatio ex admiratione operum Dei circa terram, quasi conclusio sex considerationum præcedentium; miratur autem Propheta excellentiam, rationem, et numerum operum Dei. De excellentia dicit, *Quam magnificata sunt opera tua Domine!* id est, quam sunt eximia, præstantia, et laude, ac prædicatione digna! Ex Hebræo S. Hieron. vertit; *Quam multiplicata sunt!* sed vox Hebraica, רבו *rabbu*, utrumque significat, *multiplicata sunt*, et etiam *magna; sive magnificata sunt*, quasi multæ scientiæ. Quomodo nomen, *Rabbi*, significat Magistrum quasi multæ scientiæ, sive magnum in scientia. Recte autem Septuaginta Interpretes, quos Latinus sequutus est, verterunt, *magnificata sunt* non *multiplicata sunt;* quoniam de multitudine agitur in fine versiculi. De ratione dicit, *Omnia in sapientia fecisti*, id est, nihil in operibus Dei factum est temere, aut casu, sed omnia facta sunt cum maxima ratione, et judicio, nihil deest, nihil abundat, nihil denique est, cujus non sit ratio in sapientia Dei. Demonstravit hoc Galenus in libro de partibus, ubi stupore maximo admiratur artificium auctoris naturæ in fabricatione manus, et aliorum membrorum corporis humani: de numero dicit, *Impleta est terra possessione tua*, id est, hæc opera, tam eximia, et tam sapienti artificio condita. non pauca sunt, sed fere innumerabilia, ita ut terram universam repleverint; vocat autem Propheta res creatas, quibus plena est terra, *possessionem Dei*, quoniam Deus est Dominus omnium rerum, et ideo Dominus, quia omnia fecit, hanc vim habet vox Hebraica קנין יך *kinian echa*, derivatur enim a verbo קנה *kana*, quod significat *possidere* ex productione, ut Gen. 4. *Possedi hominem per Deum*, id est, genui filium, et sic possedi illum. Impleta est ergo terra possessione Dei, quia

plena est rebus, quas Deus possidet, et possidet quia fecit.

26. Hoc mare magnum et spatiosum manibus : illic reptilia quorum non est numerus.

27. Animalia pusilla cum magnis, illic naves pertransibunt.

28. Draco iste, quem formasti ad illudendum ei : omnia a te expectant, ut des illis escam in tempore.

Laudavit Propheta Dei sapientiam ex operibus ejus in cœlo, in aere, et in terra : nunc tandem descendit ad mare, et decantat sapientiam Dei ex amplitudine maris, ex multitudine, et varietate piscium, ex utilitate, quam adfert navigatio et ex inusitata magnitudine ceti, qui in eo degit; et concludit omnia illa animalia, quin etiam omnia omnino animalia, quamvis innumerabilia a Deo nutriri, et conservari. *Hoc mare magnum et spatiosum manibus*, id est, spectandum præterea se offert in operibus mirabilibus Dei, *hoc mare*, quod est magnum profunditate, et extensum latitudine : illud enim, *spatiosum manibus*, metaphoricum est, et metaphora sumpta est a similitudine hominis, cujus latitudo sumitur ab extensione brachiorum, et distantia unius manus ab altera; quemadmodum longitudo sumitur a distantia verticis ad plantam pedis. Declaraverunt hanc metaphoram Septuaginta Interpretes, qui verterunt, εὐρύχωρος, id est, amplas habens regiones : dicitur igitur, *mare spatiosum manibus*, quia est latissimum, et maximum spatium intercedit inter ejus extremas regiones. Quod alii volunt per manus maris, intelligi sinus angustiores, qui multi inveniuntur in medio terræ, ut mare Adriaticum, mare Rubrum, mare Ponticum, et alia, quæ sunt veluti brachia, vel manus maris Oceani; non improbo, sed verius existimo, quod supra dixi : hæc enim est ratio cur in textu Græco desit vox *manibus*, quæ expresse habetur in Hebraico; omiserunt enim illam vocem Septuaginta Interpretes, quia intellexerunt per eam non significari aliud, nisi magnam extensionem. *Illic reptilia, quorum non est numerus :* hoc est alterum Dei opus valde mirabile quod in mari, ubi nullus homo dat operam conservandis piscibus, sed potius dat operam capiendis : inveniatur, et perpetuo conservetur tanta multitudo piscium, ut a nullo hominum numerari possint. Hanc fœcunditatem significavit benedictio illa conditoris, de qua dicitur Genes. 1. *Benedixit illis Deus, et ait, crescite, et multiplicamini, et replete aquas maris.* Nec solum vivit in mari infinita multitudo, sed etiam prope infinita varietas piscium, quod significatur in verbis sequentibus, *Animalia pusilla cum magnis.* Addit tertio Propheta, *Illic naves pertransibunt :* est enim admirandum opus Dei quod per elementum liquidum deferantur naves onustæ gravissimis rebus, et inde afferantur humano generi maxima commoda, dum summa celeritate transmutantur merces, tribuitur autem Deo adinventio navium, tum quia ipse primus docuit Noe ædificationem arcæ : tum quia ipse dedit aquis eam naturam ut naves ferre possint, et homini ingenium, quo naves apte componeret. Adjungit quarto, *Draco iste quem formasti ad illudendum ei*, quasi dicat, non solum naves quantumvis magnæ, et onustæ per liquidum elementum maris transibunt : sed etiam *draco*, id est, piscis quidam major, et gravior omni navi, non solum pertransibit per aquas maris, sed etiam in illis ludet, huc atque illuc se circumvolvens. Hunc piscem, quem Græcus et Latinus interpres vocat draconem, Hebraica lectio vocat *leviathan ;* esse autem *leviathan* piscem maximum et horrendum valde, scribit Job cap 40. et inde hoc nomen tribuit diabolo Isaias cap. 27. vocans eum *leviathan serpentem tortuosum.* Significantur igitur hoc nomine cete grandia; sive balænæ, quæ magnitudinem tam immoderatam habent, ut Olaus magnus scribat, balænam quamdam, insulam fuisse creditam. Illud autem, *ad illudendum ei*, variis modis exponitur tum a Rabinis, tum a Nostris : sed simplicissima expositio videtur, ut sensus sit ad ludendum in eo, id est, in mari : nam in Hebræo sic habetur ad verbum, *Leviathan, quem formasti ad ludendum in eo;* et sic exponit Theodoretus, et Euthymius verba Græca ἐμπαίζειν αὐτῷ, et notat Theodoretus mare apud Græcos esse generis feminini, tamen interpretem vertisse αὐτῷ, quia sic invenit in Hebræo, ubi tam nomen maris quam pronomen ibi positum, est generis masculini. Adde quod expositio eorum, qui volunt sensum esse, Leviathan formatum esse a Deo, ut illudatur ei ab hominibus, dum eum capiunt, et inter se dividunt, videtur repugnare Scripturæ in lib. Job. 40. ubi Deus ipse describit magnitudinem Leviathan : et ostendit difficillimum esse illum capere, aut ex aquis extrahere : et formatum potius esse ut potentia Dei per eum agnoscatur, quam ut ei illudatur ab homine. Addit postremo Propheta, ista omnia animalia, quæ vivunt in mari, non solum a Deo condita fuisse, sed etiam a Deo nutriri. *Omnia*, inquit, *a te expectant, ut des illis escam in tempore :* Deus enim tempore congruo, admirabili ratione et modo, cibum procurat : unde animalia ista vivant.

29. Dante te illis, colligent, aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.

30. Avertente autem te faciem, turbabuntur : auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur.

Declarat Propheta paulo fusius, vitam omnium animalium ita pendere a Deo, ut si Deus aperiat manus, et cibos distribuat, omnia vivant : si Deus avertat faciem, et alimenta dare renuat, omnia intereant, quamvis proprie loquatur de aquatilibus, tamen ad omnia omnino animalia hæc verba pertinent, cum sit eadem omnium ratio. *Dante te illis, colligent*, id est, si tu cooperando cum secundis causis, vel potius movendo secundas causas, illasque in omnibus adjuvando dederis animalibus cibum ipsis congruentem; *colligent*, et inde vivent, *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* Idipsum repetit aliis verbis, quæ plane monstrant omnium bonorum auctorem esse Deum, sine quo nihil valeret terræ fœcunditas, et humana industria. Illud, *replebuntur bonitate*, significat, replebuntur bono, sive bonis, ut aperte in Hebr. ישבעון טוב *iasbehhun tob.* Itaque bonitas hoc loco non significat probitatem, sed

substantiam, unde homines, et animalia cætera sustentantur. Vox Græca χρηστότης, ambigua est: nam et utilitatem, et benignitatem significat: hoc autem loco ad priorem significationem referenda est, si cum voce Hebraica convenire debeat. *Avertente autem te faciem turbabuntur.* Contra vero, inquit, si tu avertas faciem, et quasi iratus desinas ea respicere favore tuo, et subtrahas auxilium, continuo turbabuntur et quasi languebunt, *et mox deficient; auferes enim spiritum tuum,* id est, spiritum vitalem, quem eis dedisti: *et illa in pulverem suum revertentur,* id est, redibunt in pulverem aridum et inanimem, ut antea erant.

31. Emittes spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ.

Ostendit potentiam Domini inde etiam valde laudandam, et prædicandam esse, quod potest etiam restituere spiritum vitæ iis rebus, quibus abstulerat, et quamvis possit Deus restituere spiritum in individuo, ut vere restituet hominibus in resurrectione mortuorum: tamen hoc loco loquitur Propheta ad litteram de restitutione in specie. Deus enim aufert spiritum vitalem ab animantibus, cum ea variis modis interire sinit: et rursum emittit spiritum vitalem in animantia per novam generationem, et sic renovat faciem terræ, cum terra iterum repletur animalibus omnium generum. Vox illa, *et creabuntur,* non est accipienda proprie pro eductione ex nihilo, sed pro formatione, sive productione in genere. Quamvis autem sit expositio litteralis, non repugnat tamen veritati, ut sic versiculus exponatur mystice, vel pro resurrectione corporum humanorum, vel pro inspiratione Spiritus sancti ut qui mortui fuerant peccato, vivere tandem incipiant Deo per gratiam.

32. Sit gloria Domini in sæculum: lætabitur Dominus in operibus suis.

Explicatis admirandis operibus Dei in cœlo, in aere, in terra, et in mari, concludit Psalmum oratione, ac primum petit, ut *sanctificetur nomen Domini,* quæ est etiam prima petitio in oratione Dominica. *Sit,* inquit, *gloria Domini in sæculum,* id est, semper laudetur Dominus, non solum voce, sed etiam vita, et moribus servorum suorum. *Lætabitur Dominus in operibus suis,* id est, et inde fiet, ut Deus semper lætetur in operibus suis, et non habeat occasionem dolendi, et pœnitendi quod fecerit ea; dicitur enim Genes. 6. *Videns Deus malitiam hominum, tactus dolore cordis intrinsecus, Delebo,* inquit, *hominem quem creavi, a facie terræ, ab homine usque ad animalia, a reptili usque ad volucres cœli: pœnitet enim me fecisse eos.* Et quidem in Deum neque dolor, neque pœnitentia, neque nova lætitia cadere potest: sed hæc dicuntur more humano ad significandum, Deum in pœnam peccatorum destruere opera sua; quod faciunt ii, quos pœnitet ea fecisse, et contra, fovere, et augere opera sua in præmium justorum, quod faciunt ii, qui ea se fecisse lætantur.

33. Qui respicit terram, et fecit eam tremere, qui tangit montes, et fumigant.

Quia dixerat res creatas esse opera Domini, id breviter probat ex eo quod tanta est potentia Dei in res creatas, ut solo aspectu minaci terram concutiat, et solo contactu montes ardere faciat. Alludit David ad caput decimumnonum Exodi, ubi describitur mons Sinai terribilis, et fumigans descendente Domino.

34. Cantabo Domino in vita mea, psallam Deo meo quandiu ero.

35. Jucundum sit ei eloquium meum; ego vero delectabor in Domino.

Hæc est altera petitio, ut placeat Deo laus ejus. *Ego,* inquit, quemadmodum opto, ut ab omnibus Deus laudetur: sic ipse *cantabo Domino dum vixero,* et non sola voce, sed etiam Psalterii sonitu celebrabo laudes ejus. Hoc autem oro, et peto, *ut jucundum sit ei eloquium meum,* id est, hymnus, quem in ejus laudem assidue decanto, gratus sit majestati ejus, et ego quoque delectabor in amore Dei, et deliciæ meæ erunt meditatio assidua bonitatis ejus.

36. Deficiant peccatores a terra, et iniqui, ita ut non sint. Benedic anima mea Domino.

Hæc est ultima petitio, ut peccatores, qui Deum laudare nesciunt, deficiant de terra, ita ut vel conversi ad Dominum non sint amplius peccatores, vel si converti noluerint, dejiciantur infra terram, et ultra non compareant.

PSALMUS CIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

Titulus hujus Psalmi est, *Alleluia.* Quamvis non habetur apud Hebræos *Alleluia* in principio Psalmi : habetur tamen in fine Psalmi superioris : sed Septuaginta Interpretes posuerunt *Alleluia* in principio hujus Psalmi, non in fine superioris, et idem fecerunt, in Psal. 106. 113. 114. 116. 117. 135 et 146. semper enim posuerunt in titulo *Alleluia*, cum in Hebræo haberetur in fine Psalmi superioris : credibile autem est Septuaginta Interpretes ita invenisse in suis codicibus Hebraicis. Certe S. August. monet in Præfatione Psalmi sequentis, celeberrimam Ecclesiæ consuetudinem habere, ut *Alleluia* ponatur in titulo Psalmorum potius, quam in fine. Rectissime autem convenit *Alleluia* in titulo hujus Psalmi, et duorum sequentium : quoniam *Alleluia* significat, *laudate Dominum*, et in his Psalmis narrantur beneficia præstita populo Dei, ob quæ omni laude dignus est. Habentur primi quindecim versiculi hujus Psalmi in lib. 1. Paralip: cap. 16. deinde subnectuntur eo loco duodecim versiculi ex Psalm. 95. et rursum tres alii versiculi adduntur in fine ex Psalm. 105. Hinc autem post quindecim versiculos, qui habentur in lib. Paralipomenon, subjiciuntur alii viginti octo versiculi.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Confitemini Domino, et invocate nomen ejus : annunciate inter gentes opera ejus.

Invitat Propheta spiritu fervens populum Dei ad laudandum, et invocandum Deum, et ad annuncianda cæteris gentibus mirabilia opera ejus, ut per hoc multiplicetur laus, et invocatio Dei : non enim contentus est verus amator, si solus ipse cognoscat, et laudet dilectum : sed cupit a multis, vel ab omnibus omnino cognosci, et laudari. Ait igitur, *Confitemini* confessionem laudis vos populi Dei, et invocate nomen ejus, ut recte laudare possitis : neque enim sine auxilio gratiæ ejus id præstare sufficitis. *Annunciate inter gentes*, id est, spargite inter alias gentes sermonem *de mirabilibus operibus Dei*, ut illæ quoque ex operibus incipiant cognoscere, laudare, et invocare factorem.

2. Cantate ei, et psallite ei : narrate omnia mirabilia ejus.

Explicat, quod supra dixit, *Confitemini*, dicens : *Cantate, et psallite*, id est, confitemini laudes Dei cantando vocibus, et psallendo instrumentis musicis, sive laudando verbo, et opere; benedicendo, et bene vivendo : explicat quoque, quod supra dixit, *annunciate inter gentes opera ejus;* dicens : *Narrate omnia mirabilia ejus*, id est, annunciate gentibus opera Dei, quæ sunt omnia valde admirabilia, et laude dignissima.

3. Laudamini in nomine sancto ejus : lætetur cor quærentium Dominum.

Invitavit ad laudem, et cantum exteriorem : nunc invitat ad lætitiam, et exultationem interiorem, ac primum dicit, *Laudamini in nomine sancto ejus*, id est, gloriamini in corde vestro, quod Deum noveritis auctorem omnis boni. Vox Hebræa, היתהללו *hithallelu*, ad verbum reddi potest, *laudate vos ipsos*, sed quia sequitur, *in nomine sancto ejus*, sensus est, *laudate vos ipsos*, et bene fortunatos vos dicite ; sive, quod est idem, gloriamini non in vobis, non ex virtute vestra, sed ob nomen sanctum Dei, vobis manifestatum, juxta illud Apostoli 2. Cor. 11. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Potest etiam vox illa accipi pro lætitia, et exultatione ; ut idem sit, *laudamini*, quod lætamini : sic enim vertit S. Hieronymus, *Exultate in nomine sancto ejus.* Per nomen Dei significatur notitia Dei, sive etiam ipse Deus. *Lætetur cor quærentium Dominum*, id est, cum lætitia, et exultatione, non cum tædio, et mœrore quærite Dominum ; quia tantum bonum est Dominus, ut melius sit illum quærere, quam cætera omnia possidere : vel, *lætetur cor quærentium Dominum*, id est, lætabitur valde cor quærentium Dominum, quia desinet anxie quærere quæ sunt mundi, et per hoc liberabitur a mordacibus curis, et sollicitudinibus multis : deponet quinque juga boum, *et tollet jugum suave, et onus leve, et inveniet requiem animæ suæ*, ut legitur Matth. 11.

4. Quærite Dominum, et confirmamini : quærite faciem ejus semper.

Id ipsum urget, ut serio, et assidue quæratur Deus : illud enim, *confirmamini*, significat proprie, roboramini, id est, non defatigemini in quærendo Domino ; sed confirmate vires animi, et infatigabiliter quærite. S. Hieronymus vertit, *Quærite Dominum, et virtutem ejus;* quia legit, עזו *hhuzo*, quod significat, *robur, sive virtutem ejus :* sed Septuaginta Interpretes quos Latinus Interpres secutus est, legerunt, עזו *hhozzu*, cum iisdem litteris, mutatis tantum punctis ; et ideo recte verterunt, *confirmamini*, sive *roboramini.* Quod sequitur, *quærite faciem ejus semper*, duobus modis exponi potest. Si respiciamus ad homines testamenti veteris sensus erit, Quærite præsentiam Domini per gratiam,

et favorem, id est, procurate, ut Deus vos placido vultu semper aspiciat, benefaciat vobis de cœlo, non avertat faciem a vobis, neque vos iratus despiciat, et affligat. Sed si ad homines testamenti novi referantur hæc verba, ut præcipue referri debent, sensus erit, *Quærite faciem ejus semper,* id est, ascendite semper corde, amando et desiderando faciem Domini; donec ad eam videndam aliquando perveniatis, et quia nemo quærit quod non novit, et quod aliquo modo per notitiam non invenit : recte dicit S. Augustinus, eos, qui quærunt faciem Domini, jam invenisse per fidem, et adhuc quærere per spem et desiderium. Ex quo intelligimus, ab illis non quæri faciem Domini, qui fidem, vel non habent, vel non exercent, proinde initium quærendi faciem Domini, sumendum esse ab exercitatione fidei, cogitando, et meditando eminentiam summi boni, sibique firmiter persuadendo ex divinis litteris, veram felicitatem, in qua sola quiescere possit desiderium nostrum, non esse nisi in visione infinitæ pulchritudinis Dei : et ad hanc visionem posse hominem pertingere, si quærat, sicut oportet, faciem Dei. Porro quærere, sicut oportet, in duabus rebus positum est, videlicet in removendis impedimentis, et adhibendis mediis : quod Apostolus docuit ad Titum secundo, *Abnegantes impietatem, et sæcularia desideria; sobrie, juste, et pie vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem.* Impedimenta ergo sunt, pravæ cupiditates, affectusque rerum terrenarum, quantum enim minuitur cupiditas, tantum crescit charitas. Itaque qui cupiunt divites fieri, ac ut opes cumulent, non tribuunt necessitatem patienti; quique serviunt gulæ, aut luxuriæ : ii non ascendunt ad faciem Domini quærendam, sed descendunt, et elongantur ab ea, quia non removent, sed multiplicant impedimenta. Medium ad faciem Domini inveniendam, est vera justitia, sive divinæ legis impletio; dicente Domino Matth. 5. *Quærite primum Regnum Dei, et justitiam ejus;* illud ut finem, istam ut medium, et, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata,* Matth. 19. Quare ille quærit faciem Domini semper, qui fidem cogitando et meditando exercet, quique mortificat membra sua, quæ sunt super terram ; et sæcularibus desideriis abnegatis, corde puro, et conscientia bona semper juste vivit, et ad faciem Domini videndam semper anhelat.

5. Mementote mirabilium ejus, quæ fecit : prodigia ejus, et judicia oris ejus.

Docet nunc Propheta materiam laudis Dei, et quasi scalam ad ascendendum ad amorem et desiderium Dei ; ad quæ duo nos invitaverat in tribus versiculis præcedentibus. Materia laudis sunt opera Dei mirabilia, quæ nobis indicant omnipotentiam, et summam sapientiam, et suavissimam bonitatem Dei : quæ eadem, si ut par est, pie, fideliterque cogitentur, evehunt mentem ad amorem, et desiderium Dei. *Mementote,* inquit, *mirabilium ejus, quæ fecit,* id est, revocate ad memoriam, et recogitate mirabilia opera, quæ a Deo facta fuisse cognovistis. *Prodigia ejus, et judicia oris ejus,* id est, mementote mirabilium quæ fecit; quæ mirabilia sunt prodigia et judicia ejus. Per prodigia intelliguntur miracula, quæ fecit Deus per Mosem, Josue, et Samuelem et alios, quæ naturæ viribus fieri nequeunt. Per judicia oris ejus, possunt intelligi horrenda flagella, quibus Deus justo judicio punivit Pharaonem, et alios persecutores populi Dei, ut sint eadem prodigia, et judicia, quia prodigia illa facta sunt, ut per ea judicaretur, et puniretur superbia, et injustitia Pharaonis, sic enim exponit Theodoretus. Possunt etiam per *judicia oris ejus,* intelligi sanctissimæ leges, quas Deus populo suo dedit, juxta illud Psalm. 147. *Qui annunciat verbum suum Jacob, justitias, et judicia sua Israel,* ut prodigia pertineant ad potentiam Dei manifestandam, judicia ad sapientiam. Sic videtur exponere S. Augustinus, et sic exponunt aliqui recentiores.

6. Semen Abraham servi ejus, filii Jacob electi ejus.

Declarat quibus dixerit, *Mementote mirabilium ejus :* quasi dicat, Vobis loquor, Hebræi, qui estis *semen Abrahæ, et filii Jacob,* id est, qui propagati estis ab Abraham per Jacob, ac per hoc etiam per Isaac, non per Esau, aut Ismaelem. Vos enim estis *servi ejus, et electi ejus,* quia vos elegit Deus in proprios et peculiares servos, quibus legem daret, et quos doceret, quo ritu coli vellet. Recte autem admonet sanctus Augustinus, hæc non pertinere solum ad filios carnis Abrahæ, et Jacob ; sed potissimum pertinere ad filios fidei Abrahæ, et Jacob, dicit enim Apostolus, ad Rom. 4. *Signum accepit* (Abraham) *circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio : ut sit Pater omnium credentium per præputium, ut reputetur et illis ad justitiam : et sit Pater circumcisionis non iis tantum, qui sunt ex circumcisione; sed et iis, qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio Patris Abrahæ,* et ad Rom. 4. *Non omnes, qui ex Israel, ii sunt Israelitæ, neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii, sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est, non qui filii carnis, ii filii Dei; sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine,* et Gal. 3. *Cognoscite,* inquit, *quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ,* et infra, *Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat gentes Deus, prænunciavit Abrahæ. Quia benedicentur in te omnes gentes : igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham,* et infra, *Si autem vos Christi estis, ergo semen Abrahæ estis, secundum promissionem hæredes.* Quod attinet ad verba, illud *servi ejus,* in Hebræo est genitivus singularis, et sensus est, *Semen Abrahæ servi ejus,* id est, qui Abraham est servus ejus, sed in Græco est, δοῦλοι, nominativus numeri multitudinis, et refertur ad filios Abrahæ, qui sunt servi Dei, et hæc est verior lectio; nam quod sequitur, *electi ejus,* tam in Græco, quam in Hebræo, est numeri multitudinis. Quod igitur nunc est in Hebræo, עבדו *hhabdo,* quod significat, *servi ejus,* in genitivo singulari : legerunt Septuaginta Interpretes, עבדי *hhabdo servi ejus,* in numero multitudinis.

7. Ipse Dominus Deus noster : in universa terra judicia ejus.

8. Memor fuit in sæculum testamenti sui : verbi, quod mandavit in mille generationes.

Incipit narrare mirabilia opera Dei ; ac primo loco ponit, quod Deus universæ terræ imperans, elegerit Abrahamum, et cum eo fœdus æternum percusserit de terra promissionis in perpetuum tradenda semini ejus, quæ promissio in Christo impleta est, cujus Regnum nullum habebit finem : terrena enim possessio Palæstinæ non semper apud filios Abrahami permansit. *Ipse, inquit, Dominus Deus noster, in universa terra judicia ejus*, id est, Deus, cujus judicia sunt in omni terra, quique omnem terram, ut summus Rex, et Monarcha judicat : ipse, inquit, Deus tam magnus, *memor fuit in sæculum testamenti sui*, id est, memor fuit fœderis sui, ut illud impleret, quod æternum esse voluit. *Verbi sui*, id est, promissionis suæ *quam mandavit*, id est, jussit, et voluit stabilem esse *in mille generationes*, id est, in æternum : ponitur enim numerus millenarius, qui longe excedit numerum omnium generationum, quæ fuerunt ab initio mundi, pro quadam perfecta duratione, quæ non habet finem. Sic S. August. hoc loco, et S. Gregorius lib. 9. Moral. c. 3. et perspicuum est tum ex præcedentibus, et sequentibus, ubi dicitur, *Testamentum in sæculum et æternum :* tum ex eo quod quocumque modo accipiatur generatio, etiamsi solum pro quindecim annis, in qua ætate homo incipit posse generare, quæ est minima duratio, credibile est mundum, a prima conditione, usque ad ultimam consummationem non duraturum mille generationibus, id est, quindecim millibus annorum. Siquidem S. Joannes in prima epist. cap. 2. dicit, *novissimam horam nunc esse*, et tamen nondum effluxerunt sex millia annorum.

8. Quod disposuit ad Abraham, et juramenti sui ad Isaac.

9. Et statuit illud Jacob in præceptum, et Israel in testamentum æternum.

10. Dicens, Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis vestræ.

11. Cum essent numero brevi, paucissimi, et incolæ ejus.

Id ipsum repetit, et declarat pluribus verbis, ad confirmationem veritatis. *Quod disposuit ad Abraham*, id est, memor fuit ejusdem pacti, quod disposuit ad Abraham ; et memor fuit ejusdem pacti, quod cum juramento confirmavit Isaac filio Abrahæ : et *statuit illud* pactum, sive promissum juratum ipsi *Jacob in præceptum*, id est, in decretum, et statutum; *et in testamentum æternum*, hoc est fœdus in æternum duraturum. Verba autem promissionis, in pacto sive decreto divino inclusæ, fuerunt, *Tibi dabo terram Chanaan*, quæ dicitur terra promissionis, in qua Chananæi tunc habitabant. *Funiculum hæreditatis vestræ*, id est, quam possidebunt filii tui, tanquam hæreditatem funiculo illis divisam. Pro illo verbo, in præceptum, in Hebræo habetur, לחק *lechok*, quod proprie *statutum et decretum*, significat. Porro hæc promissio Dei ad Abraham habetur Gen. 17. ad Isaac habetur Gen. 26. ad Jacob, qui et Israel dicebatur, habetur Gen. 28. Facta est autem hæc promissio Hebræis, *cum essent numero brevi*, id est, paucissimi ; et cum essent *incolæ*, id est, peregrini, et advenæ in ipsa terra Chanaan. Quo magis admirandum est consilium Dei, et potentia, ac sapientia ejus, et dignatio erga Patriarchas : quod elegerit ex toto mundo familiam unam, eamque exiguam, cui promitteret, et postea reipsa traderet regionem amplissimam, in qua multi Reges solium suum habebant. Sed multo magis admirandum est, quod pusillum gregem electorum ex universo genere humano idem Deus elegerit, cui daret Regnum cœlorum in æternam hæreditatem, cujus Regni sempiterni figura erat terra promissionis. Pro verbo, incolæ, in Hebræo est גרים *garim*, quod proprie *peregrinos*, et *advenas* significat.

12. Et pertransierunt de gente in gentem, et de Regno ad populum alterum.

13. Non reliquit hominem nocere eis, et corripuit pro eis Reges.

14. Nolite tangere Christos meos, et in Prophetis meis nolite malignari.

Hic recenset Propheta alterum beneficium Dei, quod videlicet Patriarchas singulari providentia custodierit, atque protexerit. Attingit autem historiam Gen. cap. 12. et 20. ubi Abraham bis in periculo fuit, propter pulchritudinem uxoris suæ : et cap. 26. ubi Isaac simile periculum adiit, et cap. 30. et 31. ubi Jacob parum abfuit, quin multa pateretur, primum a Laban, deinde ab Esau. Sed ab omnibus periculis eruit eos providentia Dei. *Et pertransierunt*, Patriarchæ videlicet, Abraham, Isaac, et Jacob cum familia sua, *de gente in gentem*, de una provincia in aliam; *et de Regno uno ad populum* Regni alterius, ut de Regno Palæstinæ ad populum Regni Ægypti. *Non reliquit*, id est, non permisit Deus, *hominem ullum nocere eis;* imo etiam *corripuit pro eis Reges*, Pharaonem videlicet Regem Ægypti, et Abimelech Regem Geraræ; dixit enim Deus Regibus istis, *Nolite tangere Christos meos*, Abraham videlicet, Isaac, et Jacob : *et in Prophetis meis nolite malignari*, id est, et in eosdem istos, qui Prophetæ mei sunt, ac per hoc uncti, mihique consecrati, nolite aliquid mali perpetrare, nolite eis nocere, nolite illos vexare. Prophetas fuisse sanctos Patriarchas non dubium est : nam Abraham prævidit captivitatem populi Israelitici in Ægypto, et quamdiu duratura, et quem exitum habitura esset, ut constat ex cap. 15. Genesis. Isaac paulo ante mortem prædixit Esau filio suo, quod serviturus esset Jacob fratri suo, et quod aliquando excussurus esset jugum illud servitutis, quæ omnia prædicebantur de posteris eorum, non de personis ipsorum, vide cap. 27. Gen. quæ impleta esse testantur libri Regum. Denique Jacob plurima prædixit, quæ eventura erant singulis filiis, ac præsertim Judæ, ex cujus tribu Messiam venturum prophetavit, vide cap. 49. Gen. Itaque Patriarchæ illi recte Prophetæ dicti sunt, et ea de causa dicti sunt Christi, id est, uncti, non quod uncti fuerint oleo visibili, quomodo postea Sacerdotes, Reges, et aliqui Prophetæ ungi cœperunt, sed quod spiritali, atque interna unctione spiritus delibuti fuerint, de qua unctione dicitur Isaiæ 61. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me.*

15. Et vocavit famem super terram, et omne firmamentum panis contrivit.

16. Misit ante eos virum, in servum venundatus est Joseph.

17. Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransiit animam ejus, donec veniret verbum ejus.

18. Eloquium Domini inflammavit eum, misit Rex, et solvit eum, Princeps populorum, et dimisit eum.

19. Constituit eum dominum domus suæ, et Principem omnis possessionis suæ.

20. Ut erudiret Principes ejus sicut semetipsum, et senes ejus prudentiam doceret.

21. Et intravit Israel in Ægyptum, et Jacob accola fuit in terra Cham.

Hoc est tertium beneficium Dei erga populum suum, in quo est ingens materia laudis propter admirabilem Dei sapientiam, qui ex magnis malis eruere novit maxima bona. Narrat igitur Propheta famem gravissimam, quæ orta est super terram tempore Jacob : cujus occasione idem Jacob transmigravit in Ægyptum; ubi vixit cum tota familia sua tempore illius famis. Historia nota est ex lib. Gen. cap. 37. et seq. Ait igitur Propheta, *Et vocavit famem super terram*, id est, Deus auctor fuit per providentiam suam, ut gravissima fames ex penuria frumenti opprimeret terram : loquitur autem more poetico, cum ait, *Vocavit famem super terram*, quasi fames esset exercitus aliquis armatus, qui de uno loco ad alium vocari posset; sed hæc metaphora significat, omnia Deo servire ad nutum, et quæ videntur nobis fortuita, ex decreto Dei justissimo provenire. Idipsum repetit, et declarat addens, *et omne firmamentum panis contrivit*, id est, fames illa exorta est super terram, quia Deus contrivit firmamentum panis, stabilimentum videlicet victus humani, qui in pane consistit. Fecit enim, ut annis septem, nec arari, nec meti posset, ut dicitur in Gen. cap. 45. In Hebræo pro, firmamentum panis, est מטה לחם *matte lechem*, id est, *baculum panis*. Sed Septuaginta Interpretes explicaverunt metaphoram baculi, dicitur enim baculus panis, sustentatio vitæ ex pane. *Misit ante eos virum*, id est, occasione illius famis venturæ promisit Deus in Ægyptum ante filios Israel, *virum* magnum, id est, Josephum, qui liberaret ab ea fame Israelem cum omni familia sua. Historia Genesis testatur cap. 37. Josephum venditum fuisse a fratribus ex invidia mercatoribus pergentibus in Ægyptum : sed David recte dicit eum missum fuisse a Deo, qui Dei providentia permisit eum vendi, et asportari in Ægyptum, ut per eum mirabili ratione, et modo introduceretur Jacob cum filiis in Ægyptum. Explicat autem idem Propheta, quomodo Joseph missus fuerit in Ægyptum, subdens, *In servum venundatus est Joseph*, id est, venditus a fratribus Joseph mercatoribus euntibus in Ægyptum, sic in Ægyptum ipse quoque pervenit. *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus*, id est, in Ægypto positus Joseph, et accusatus falsi criminis ab uxore domini sui, conjectus fuit in carcerem, pedes compedibus ferreis alligatus. *Ferrum pertransiit animam ejus, donec veniret verbum ejus*, id est, ferrum compedum dolore afflixit animam Joseph, et quodam modo eam pertransivit per multos dies, donec impleretur vaticinium ejus, quo prædixit pincernæ Regis Pharaonis liberationem ex carcere : nam ex adimpletione vaticinii processit liberatio ipsius etiam Joseph, ut patet ex Genes. cap. 40. Illud, *ferrum pertransiit animam ejus*, in Græco legitur, σίδηρον διῆλθεν ἡ ψυχὴ αὐτοῦ, *ferrum pertransiit anima ejus*, in Hebræo utroque modo legi potest : nam verbum, נפשו *naphscho*, significare potest, *animam ejus*, et *anima ejus*, et quamvis sensus idem sit, tamen clarior est oratio; *ferrum pertransiit animam ejus*, et similis illi Luc. 2. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, et sic legerunt S. Hieronymus, et Augustinus in commentario, et alii Latini, proinde non recte aliqui recentiores legere maluerunt, *ferrum pertransiit anima ejus*, corrigentes sine causa Latinum textum ex Græco. Illud, *donec veniret verbum ejus*, S. Hieronymus in commentario refert ad verbum Domini, quo Josephum liberare constituit : sed planior sensus est, si referatur ad verbum ipsius Joseph, qui prædixit liberationem pincernæ Pharaonis, quæ expositio est S. Augustini, et communior. *Eloquium Domini inflammavit eum*, id est, verbum illud Joseph, quo prædicebat futura, non oriebatur ex ejus ingenii sagacitate, sed ex virtute Dei, qui eloquium ignitum, et lucidum, et efficax illi tribuebat. *Eloquium enim Domini*, id est, a Domino immissum et inspiratum, cum esset *quasi facula ardens*, ut dicitur de eloquio Eliæ Prophetæ, Eccles. 48. et *ut lingua ignea, quæ sedit super Apostolos*, Act. 2. *inflammavit pectus ejus*, ut libere loqueretur, quæ per spiritum Domini prævidebat. S. Hieronymus ex Hebræo vertit, *eloquium Domini probavit eum*. Et quidem vox Hebraica, צרפתהו *tseraphathehu*, significat, probare, sed Septuaginta Interpretes legerunt, סרפתהו *seraphathehu*, per scin, quod significat, *inflammare*, et hanc existimamus veram esse lectionem, quæ postea incuria librariorum mutata sit. *Misit Rex, et solvit eum; Princeps populorum, et dimisit eum*, id est, Rex Pharao Princeps omnium populorum terræ Ægypti, audita sapientia Joseph per pincernam suum, misit qui eum liberaret de carcere, et auctoritate sua solvit eum compedibus, et liberum dimisit. *Constituit eum dominum domus suæ*, et Principem omnis possessionis suæ, id est, non solum liberavit eum de carcere, sed constituit eum præpositum domus suæ, et totius Regni, ut omnia, quasi Princeps, et dominus, administraret. *Ut erudiret Principes ejus sicut semetipsum, et senes ejus prudentiam doceret*, id est, ea de causa præposuit Rex Pharao Josephum domui suæ, non solum, ut corporibus alendis tempore famis operam daret; sed etiam, ut erudiret Principes Regni, et seniores consiliarios, qui cum Rege negotia Regni tractare solebant, ea sapientia, et prudentia, qua ipse pollebat. Illud, *sicut semetipsum*, S. Hieron. vertit ex Hebræo, *secundum voluntatem suam*. Vox Hebraica, בנפשו *benaphscho*, ad verbum significat, *in anima sua;* et potest sensus esse, in voluntate sua; sed Septuaginta videntur legisse per caph, כנפשו *kenaphscho*, non per beth; et tunc sensus est, *secundum animam suam;* id est, ad similitudinem sapientiæ, quæ erat in anima

sua ; quod proprie dictum est, *sicut semetipsum. Et intravit Israel in Ægyptum*, id est, hac occasione ingressus est Patriarcha Jacob, *cum omni familia* sua in Ægyptum; vocavit enim eum Joseph, ut habetur Gen. 45. Et Jacob accola *fuit in terra Cham*, id est, hoc modo Jacob, id est, populus congregatus ex filiis, et nepotibus Jacob, cœpit habitare in terra Ægypti, quæ dicitur terra Cham, quia Mizraim filius Cham filii Noe, primus fuit, qui habitavit in terra Ægypti.

22. Et auxit populum suum vehementer : et firmavit eum super inimicos ejus.

23. Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus : et dolum facerent in servos ejus.

24. Misit Moysem servum suum : Aaron, quem elegit ipsum.

25. Posuit in eis verba signorum suorum, et prodigiorum in terra Cham.

Sequitur quartum beneficium Dei erga populum suum, quem divina providentia crescere fecit, et multiplicari valde in Ægypto : et cum a Rege Pharaone opprimeretur idem populus Dei, misit Deus Mosem, et Aaronem cum potestate magna in signis, et prodigiis faciendis; ob quæ tandem populus Dei gloriose discessit ex Ægypto. Ait igitur Propheta, *Et auxit populum suum vehementer, et firmavit eum super inimicos ejus.* Quid hoc significet, potest intelligi ex cap. 1. Exod. ubi sic legitur, *Filii Israel creverunt, et quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati nimis impleverunt terram. Surrexit interea Rex novus in Ægypto, qui non noverat Joseph, et ait ad populum suum, Ecce populus filiorum Israel multus, et fortior nobis est.* Ubi illud, germinaverunt, in Hebræo est, ישרצו *isretsu*, quod significat, *producere reptilia in maxima copia :* proinde comparatur Hebræorum multiplicatio in Ægypto multitudini formicarum; aut vermium, qui ita ebulliunt ex aliquo loco, ut numerari non possint. *Convertit cor eorum*, id est, Deus convertit cor Ægyptiorum inimicorum Israelitarum, *ut odirent populum ejus, et dolum facerent in servos ejus*, id est, ut astute, et fraudulenter illos opprimerent. Porro Deus dicitur convertisse cor Ægyptiorum in odium, et ruinam Hebræorum; non inserendo in cordibus eorum malam voluntatem (Deus enim non est causa peccati) sed benefaciendo populo suo, et fœcunditatem insolitam illi donando, occasionem quodam modo præbuit perversis cordibus Ægyptiorum, ut inviderent alienæ felicitati, et inde illos opprimere desiderarent; benefecit autem Deus populo suo, præsciens invidiam, et odium in Ægyptiis ea occasione nascitura, quia poterat, et volebat mala eorum voluntate, quam ipse non fecerat, bene uti ad punienda peccata Ægyptiorum, et ad populum suum de captivitate liberandum. Sic exponit Sanctus Augustinus. Si cupiat lector plenius explicari, quomodo Deus convertat corda aliquorum, ut alios odio prosequantur, et tamen non sit causa peccati, videant, quæ scripsimus lib. 2. cap. 13. de amissione gratiæ, et statu peccati, tom. 4. controversiarum. *Misit Moysen servum suum, et Aaron, quem elegit ipsum;* id est, occasione afflictionis populi sui misit Deus in Ægyptum Mosem, et fratrem ejus Aaronem legatos ad Pharaonem. Illud, *quem elegit ipsum*, in Græco ὃν ἐξελέξατο ἑαυτῷ, habetur, *quem elegit ei*, id est, Moysi, ut sensus sit, Misit Deus Mosem servum suum, et Aaronem, quem elegit ei socium, et adjutorem. Potest tamen vox Hebraica בו *bo*, quæ proprie significat, *in eo*, sive *in ipso*, verti, *ipsum;* ut legunt hoc loco S. August. S. Hieron. in commentario, et alii : ut habent omnes codices vulgatæ editionis, ac ut recte monet S. August. apud Latinos redundat illud, *ipsum*, quod apud Hebræos eleganter additur. Similis est locus in Psalmo sequenti, v. 5. *Ad videndum in bonitate electorum tuorum :* ubi in Hebræo est eadem propositio, *in*, ut etiam in Græco et Latino, et S. Hieron. vertit, *Ut videam bona electorum tuorum. Posuit in eis verba signorum suorum, et prodigiorum in terra Cham*, id est, mittens Deus ad liberandos filios Israel, Mosem, et Aaronem; posuit in eis verba signorum, potestatem videlicet edendorum miraculorum in terra Ægypti, ut tum filii Israel, tum etiam Ægyptii crederent, Mosen, et Aaron missos esse a Deo; ut illis obedirent, ut nunciis veri atque omnipotentis Dei. Vox illa, *verba*, apud Hebræos latissime patet, ut non solum verba, sed etiam res quascumque significare possit : itaque hoc loco, *verba signorum*, sunt vel ipsa signa, vel, ut dixi, potestas signorum faciendorum.

26. Misit tenebras, et obscuravit, et non exacerbavit sermones suos.

In hoc versiculo, et sequentibus octo describit in particulari prodigia edita in Ægypto, quibus Deus Pharaonem, et Ægyptios flagellavit, ubi notandum est, Prophetam non recensere omnes plagas, neque eodem ordine, ut habentur in Exodo : quoniam non historiam texit, sed carmen scribit, ad laudandum Deum, quod etiam observavimus in Psalmo septuagesimo-septimo. Incipit igitur a prodigio tenebrarum, quæ tres integros dies occupaverunt Ægyptum, quæ plaga est una ex postremis in Exodo, c. 10. *Misit*, inquit, *tenebras*, id est, immisit tenebras in Ægyptum, *et obscuravit* eam regionem. Fuerunt autem illæ tenebræ tam horribiles, et crassæ, ut nemo alterum agnosceret : et quod mirabilius est, nemo se moveret de loco, in quo erat, quod sequitur, *et non exacerbavit sermones suos*, varie legitur in codicibus Hebraicis, Græcis, et Latinis. In Hebræo sic habetur, ולא מרו *velo maru; et non exacerbaverunt sermones ejus*, vel ut S. Hieronymus vertit, דברו *Et non fuerunt increduli verbis ejus*, id est, Moses, et Aaron audacter impleverunt mandata Domini facientes signa, et prodigia; quorum unum fuit, immissio tenebrarum, in Græcis vero sic habetur, ὅτι παρεπίκραναν τοὺς λόγους αὐτοῦ, *quoniam exacerbaverunt sermones ipsius*, id est, misit Deus tenebras, quoniam Ægyptii exacerbaverunt sermones ejus, obstinate resistentes mandatis ipsius. In Latinis varia lectio erat tempore S. Augustini, nam, ut ipse dicit, plerique codices habebant, *exacerbaverunt*, nonnulli, *non exacerbaverunt.* S. Hieronymus in commentario Psalmorum legit, *Et exacerbavit sermonem ejus*, id est, populus exacerbavit sermones Dei, illis non parendo. Nostra lectio, quæ habet, *Non exacerbavit sermones suos*, videtur repugnare omnibus aliis codicibus; sed facile convenire potest cum Hebraica, et Græca; nam in Hebraica expresse

habetur negatio. In Græca verisimile est, pro ὅτι legendum esse οὔτε, quod est *neque;* et sic legisse videtur Theodoretus, et sic absque dubio noster Interpres legit, non enim vertisset *et non*, si legisset ὅτι, nisi imperitissimus fuisset. Quod autem Latinus habeat in singulari, *non exacerbavit;* Græcus, et Hebræus in plurali, *non exacerbaverunt*, non mutat sensum: nam juxta Latinam lectionem sensus est, *Non exacerbavit Moses, aut Aaron sermones suos,* id est, Dei. Confundit enim Latinus interpres pronomen *suum,* cum pro nomine *ejus,* quemadmodum in Græco et in Hebræo confunduntur; at juxta lectionem Hebraicam et Græcam sensus est, *non exacerbaverunt* Moses et Aaron *sermones suos*, id est, *ejus,* Dei videlicet, qui jussit eos mirabilia signa facere. Cum igitur lectio, quæ nunc habetur in omnibus libris vulgatæ editionis Latinæ, concordet cum Græca, et Hebraica, nullo modo corrigenda, aut mutanda est, ut aliqui nimis audacter faciunt.

27. Convertit aquas eorum in sanguinem: et occidit pisces eorum.

28. Edidit terra eorum ranas, et in penetralibus Regem ipsorum.

29. Dixit, et venit cœnomyia, et ciniphes in omnibus finibus eorum.

30. Posuit pluvias eorum grandinem, ignem comburentem in terra ipsorum.

31. Et percussit vineas eorum, et ficulneas eorum, et contrivit lignum finium eorum.

32. Dixit, et venit locusta, et bruchus, cujus non erat numerus.

33. Et comedit omne fœnum in terra eorum, et comedit omnem fructum terræ eorum.

34. Et percussit omne primogenitum in terra eorum, primitias omnis laboris eorum.

Hæc omnia, quæ ad Plagas Ægypti pertinent, explicata sunt in explicatione Psalmi septuagesimiseptimi, a versiculo quadragesimonono, et deinceps, et nota sunt ex lib. Exod. cap. 7. et sequentibus: neque est in his octo versiculis ulla dissensio inter codices.

35. Et eduxit eos cum argento, et auro, et non erat in tribubus eorum infirmus.

Hoc est beneficium quintum, quo Deus affecit populum suum, quia non solum liberavit eum de captivitate Pharaonis, sed etiam ditavit eum magnis opibus: jussit enim ut Hebræi peterent a vicinis suis Ægyptiis, viri a viris, et mulieres a mulieribus vasa argentea, et aurea, et vestes pretiosas, et simul dedit gratiam populo suo coram Ægyptiis, ut facile illis crederent, et commodarent omnia, quæ petebant, ut habetur Exod. 11. et 12. atque hoc est, quod Propheta commemorat, dicens, *Et eduxit eos,* de Ægypto videlicet, *cum argento et auro,* id est, cum ingenti copia vasorum aureorum, et argenteorum, quæ commodato acceperant ab Ægyptiis. Disputant Theologi an dispensaverit Deus in præcepto, *Non furaberis,* quando jussit Hebræis, ut per speciem mutui vel commodati spoliarent Ægyptios, sed non opus erat dispensatione in præcepto naturali, cum Deus, ut Dominus absolutus rerum omnium, potuerit transferre bona illa Ægyptiorum in Hebræos: et etiam quia potuit, ut summus Judex, tradere bona illa Ægyptiorum Hebræis loco mercedis, quam illis debebant Ægyptii ob labores, in quibus eos servire coegerant. Sic S. August. q. 39. in Exodum, et lib. 22. contra Faustum, c. 71. et videtur hoc ipsum affirmare liber Sap. cap. 10. in illis verbis, *Et reddidit justis mercedem laborum suorum, et deduxit illos in via mirabili.* His accessit aliud beneficium, quod cum Ægyptii variis morbis affecti fuerint, et tandem primogenita omnia eorum occisa, apud filios Israel nulla plaga desæviit, et hoc est, quod cantat hoc loco Propheta, cum addit, *Et non erat in tribubus eorum infirmus.*

36. Lætata est Ægyptus in profectione eorum, quia incubuit timor eorum super eos.

Hoc pertinet ad cumulum beneficii superioris: quia non solum Ægyptii non retinuerunt Hebræos propter vasa aurea, et argentea, quæ illis commodaverant: sed lætati sunt in eorum discessu ob timorem majoris mali, ne videlicet omnes perirent, sicut jam periisse viderant omnia primogenita; sic enim legitur in Exodo c. 12. *Urgebant Ægyptii populum de terra exire velociter dicentes, Omnes moriemur.* Itaque non est opus cum S. August. anxie quærere cur lætata sit Ægyptus in profectione Hebræorum, cum antea semper restiterit eorum profectioni: et cur non saltem repetierit vasa, quæ commodaverat: neque opus est hoc referre ad tempus illud, quod secutum est demersionem Pharaonis in mari: nam tantus timor mortis incubuerat super Ægyptios, cum viderunt una nocte occisa fuisse omnia primogenita hominum, et jumentorum, ut existimaverint paulo post omnes Ægyptios occidendos, et delendam omnino Ægyptum, nisi Hebræi subito dimitterentur.

37. Expandit nubem in protectionem eorum, et ignem ut luceret eis per noctem.

Sextum beneficium fuit columna nubis per diem, et columna ignis per noctem, quam Angelorum ministerio erexit Deus populo suo, cum exisset de terra Ægypti. Quod autem hic dicitur, *expandit nubem in protectionem*, non videtur significare nube tectos fuisse Hebræos, ne læderentur a sole per diem; ut multi existimant, et in eis Theodoretus: nam columna nubis præcedebat populum interdiu, et columna ignis noctu; non autem operiebat eos instar nubis super eos expansa, alioqui viam ostendere non potuisset, neque figuram columnæ prætulisset. Sic autem legimus Exodi 13. *Dominus præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis; ut dux esset itineris utroque tempore: nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo.* Quid ergo sibi vult illud, *expandit nubem in protectionem?* Explicatur hoc in Exodo, c. 14. ubi, cum Pharao, et exercitus ejus persequeretur Hebræos recedentes, Angelus Domini cum columna nubis interposuit se inter exercitum Pharaonis, et populum Israel, ut ad se invicem accedere non possent: et hoc modo expansa nubes illa inter

utrumque populum protexit Hebræos, ne læderentur ab Ægyptiis, atque hæc dicta sint, si per nubem hoc loco intelligatur columna nubis, de qua fit sermo in Exodo, cap. 13. et 14. nam potest etiam dici, præter illam nubis columnam, fuisse aliam nubem, quæ expansa super Hebræos protegeret illos ab æstu in itinere; cujus nubis non fit mentio in Exodo. Atque hanc intelligentiam juvat lectio Hebraica, quam sic vertit S. Hieron. *Expandit nubem in tentorium*, et liber Sap. cap. 10. *Et fuit illis in velamento diei, et in luce stellarum per noctem.*

38. Petierunt, et venit coturnix, et pane cœli saturavit eos.

Septimum hic recolitur beneficium, quo Deus pavit in deserto populum suum pane cœli, id est, manna, quod pluebat e cœlo, et carnibus coturnicum, quas Deus ministerio venti in desertum adduxit. Ubi notandum est, bis Deum dedisse populo coturnices, semel Exodi 16. et iterum Num. 11. et prima vice non fuisse populum a Deo punitum, ob petitionem carnium; sed altera vice gravissime fuisse punitum. In hoc ergo Psalmo, ubi sola beneficia commemorantur, mentio fit prioris tantum petitionis, quæ habetur Exodi 16. non posterioris, quæ habetur Num. 11.

39. Dirupit petram, et fluxerunt aquæ: abierunt in sicco flumina.

Octavum beneficium hic adjungitur, quo Deus ex petra copiam aquarum eduxit in solitudine, ex qua rivi instar fluminum decurrebant. Vide c. 17. Exodi, et c. 20. Numerorum.

40. Quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum.

Ratio præcedentium et futurorum beneficiorum tribuitur promissioni factæ ad Patriarcham Abraham, singularem puerum, id est, servum Domini; quamvis enim hæc non fuerint illi promissa in particulari: tamen continentur in genere in illis verbis Genes. 15. dictis ad Abraham, *Scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subjicient eos servituti; et affligent quadringentis annis. Verumtamen, cui servituri sunt, ego indicabo; et post hæc egredientur cum magna substantia.*

41. Et eduxit populum suum in exultatione, et electos suos in lætitia.

Notum est hoc beneficium, quo Deus submerso Pharaone in mari Rubro, eduxit de servitute populum suum canentem cum exultatione, et lætitia magna, *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est*, Exod. 15.

42. Et dedit illis regiones gentium, et labores populorum possederunt.

Hoc est beneficium ultimum, introductio videlicet, duce Josue, Hebræorum in regiones gentium multarum, et in labores earum, id est, in urbes, quas ædificaverant, et arva, quæ coluerant gentes illæ. Apostolus, Actor. 13. narrat fuisse gentes septem, quas Deus ejecit e terra promissionis, ut in eam introduceret populum suum.

43. Ut custodiant justificationes ejus, et legem ejus requirant.

Hoc est quasi tributum, quod Deus requirit a suis, pro tam multis bonis in eos collatis: nimirum, ut obediant mandatis ejus; quæ obedientia ipsis obedientibus utilissima est, quia perducit ad bona multo majora, quam sit terræ promissionis adeptio. Per *justificationes*, intelliguntur hoc loco cæremoniæ, et judicia, quæ multa erant. Per *legem*, intelligitur lex moralis, quæ reducitur ad unum præceptum, quod est dilectio. In Hebræo habetur, ותורתיו ינצורו *vethoratau intsoru*, *Et legem ejus servarent*; sed idem est sensus, nam legem requirere, nihil est aliud, nisi in omni actione legem consulere, eamque scrutari, ut juxta eam omnia fiant.

PSALMUS CV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

ALLELUIA.

TITULUS hujus Psalmi est *Alleluia*, et juxta hunc titulum laudatur Deus, non ut in superiore, ob sola beneficia; sed etiam ob misericordiam præstitam erga ingratos, qui præventi a Deo in benedictionibus tantæ dulcedinis, Deo frequenter inobedientes, et rebelles fuerunt, et tamen per pœnitentiam reconciliati in gratiam redierunt. Hujus quoque Psalmi mentio fit in libro primo Paralipomenon, cap. 16. ubi ponitur prima pars Psalmi superioris: et in fine adduntur tres ultimi versiculi hujus Psalmi.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

Loquitur Propheta in persona fidelis populi pœnitentis, et gratias Deo agentis. Invitat autem omnes ad laudes Dei: tum quia bonus est, et prævenit homines, beneficia multa in illos conferens; tum quia misericordia ejus in recipiendis peccatoribus ad pœnitentiam revertentibus semper invicta manet: vincit enim misericordia Dei miserias nostras, ad quas miserias pertinent præcipue scelera nostra, et quidem miseriæ nostræ, Deo propitio, brevi evanescunt, sed *misericordia ejus manet in sæculum sæculi,* Psal. 110.

2. Quis loquetur potentias Domini? auditas faciet omnes laudes ejus?

Invitavit omnes ad confessionem laudis: nunc objicit sibi, vix inveniri qui sit idoneus ad prædicandas laudes Dei. *Quis* (inquit) *loquetur,* id est, loqui sufficiet *potentias Domini*, id est, opera potentiæ, sive potius omnipotentiæ ejus? et mox idem repetit aliis verbis, *Quis auditas faciet,* id est, quis loquendo faciet, ut audiantur *omnes laudes ejus?* Quæ videlicet laudes ex cognitione operum potentiæ ejus oriuntur. Nominat hoc loco Dei potentiam Propheta, cum de omnibus operibus Dei laude dignis loquitur; quia omnia opera Dei mirabilia ad potentiam revocari possunt. Nam de sapientia scriptum est, Sap. 8. *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter,* et vere fortissima est Dei sapientia, quæ in sua dispositione impediri non potest; et quia impediri non potest, ideo nec falli potest. Pari ratione opera misericordiæ ad potentiam revocantur, quoniam ideo Deus solus absolute misericors est, quia solus potest omnes miserias tollere, ac per hoc ideo solus proprie misericors est, quia solus omnipotens est. Ergo qui loqui posset omnes potentias Domini, posset etiam auditas facere omnes laudes ejus. Sed quis ad hæc idoneus erit? Vir justus in hac vita utcumque, et pro modulo suo: sed longe melius, et plenius, qui beatus erit in vita futura. Ideo subjungit Propheta, respondens interrogationi suæ, ac dicit.

3. Beati qui custodiunt judicium: et faciunt justitiam in omni tempore.

Quasi dicat, soli illi beati sunt ac per hoc loqui possunt potentias Domini, et auditas facere omnes laudes ejus, *qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore*, id est, qui semper recte judicant de omnibus rebus, quas agunt, quia regulam divinæ legis in omnibus sequuntur, et semper juste vivunt, declinantes a malo, et facientes bonum. Potest etiam hic versiculus ita exponi, ut idem bis repetatur, et idem sit custodire judicium et facere justitiam: nam pro eodem accipiuntur in multis locis psalmorum, judicium, et justitia. Porro justi soli loqui possunt laudes Domini; tum quia ipsi non solum lingua, sed etiam vita, laudant Dominum, ut scriptum est in Psal. 2. *Rectos decet collaudatio,* tum quia ipsi soli beati sunt, et habitant in domo Domini, vel in spe dum hic vivunt, vel in re cum ad patriam perveniunt, et talium officium est Deum laudare, juxta illud Ps. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Quod autem hic dicitur, *Beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore*, potest intelligi de utrisque, id est, tam de beatis in spe quam de beatis in re; beati enim in spe custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore, pro modo fragilitatis humanæ viventes sine crimine, et pro peccatis quotidianis veniam precantes: beati autem in re *custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore,* tanta perfectionis plenitudine, ut peccare nullo modo possint. Atque utrosque quidem decet collaudatio, sed pro modo perfectionis justitiæ, et juxta differentiam beatitudinis.

4. Memento nostri Domine in beneplacito populi tui: visita nos in salutari tuo.

5. Ad videndum in bonitate electorum tuo-

rum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, ut lauderis cum hæreditate tua.

Posteaquam Propheta dixit, justorum, ac beatorum esse officium laudandi Deum : optat, et precatur sibi, et suis hanc felicissimam sortem; et breviter attingit prædestinationem, justificationem, et glorificationem, quæ sunt initium, medium, et finis beatitudinis humanæ. *Memento*, inquit, *nostri Domine in beneplacito populi tui*, id est, adimple Domine beneplacitum illud, quo tibi complacuisti in populo tuo, in cœtu videlicet electorum, quos elegisti ante mundi constitutionem ex bona voluntate tua, in qua complacuit tibi dare pusillo gregi tuo Regnum sempiternum. *Visita nos in salutari tuo*, id est, ut impleas beneplacitum æternæ prædestinationis : visita nos in Christo Salvatore, justificans nos a peccatis per merita ejus, sive, *Visita nos*, per gratiam justificationis, quæ est salus inchoata, et veluti semen salutis æternæ. Nam salutare utrumque significat, Salvatorem, et salutem, et una significatio alteram includit. Vera enim salus sive inchoata per gratiam, sive consummata per gloriam, non potest haberi, nisi per Salvatorem Jesum Christum Dominum nostrum, *non enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*, ut dicit sanctus Petrus Act. 4. *Ad videndum in bonitate electorum tuorum*, id est, ut prædestinati, et justificati perveniamus ad videndum bonum electorum tuorum ; quæ est ipsa facies Domini conspicua : *tunc enim similes ei erimus, cum videbimus eum sicuti est*, ut ait beatus Joan. 1. cap. 3. Per *bonitatem electorum*, non intelligitur hoc loco probitas, sed ipsum bonum : et sanctus Hieronymus recte vertit, *Ut videam bona electorum;* id enim significat, טובה *tova*, *Ad lætandum in lætitia gentis tuæ*, id est, ad participandam inenarrabilem illam lætitiam, quæ nascitur ex visione divina, quæ est lætitia propria gentis tuæ, populique tui electi, quam extranei gustare non possunt, de qua dicitur in Evangelio, Matth. 23. *Intra in gaudium Domini tui*, *ut lauderis cum hæreditate tua*, id est, ut finis ultimus sit omnium beneficiorum tuorum, perpetua laus tua, et hæreditatis tuæ, ut sine fine lauderis tu, ut opifex, et hæreditas tua, ut opificium; tu ut summus, potentissimus, sapientissimus, et optimus artifex, cui nullus est similis : et hæreditas tua, ut opus egregium, et incomparabile, cui nullum est simile. Per hæreditatem autem intelligitur cœtus justorum, quem sibi Deus elegit quasi propriam possessionem. Hæreditas enim, et possessio pro eodem accipiuntur in Scripturis. Hic duæ sunt difficultates; una, quod in Hebræo omnia sunt in numero singulari, *Memento mei, visita me, ut videam, ut læter, ut lauder :* in Græco et Latino sunt omnia in numero multitudinis, *Memento nostri, visita nos, etc.* sed facilis est concordia; quia in his verbis loquitur populus Dei, qui et unus est, ut possit loqui in numero singulari, et multitudinem continet, ut possit loqui in numero multitudinis. Præterea non est improbabile Septuaginta Interpretes legisse voces Hebraicas in numero multitudinis, quæ nunc habentur in numero singulari; sola enim differentia est inter hos numeros, quod in singulari est in fine littera *iod*, in plurali est littera *vau*, quæ solum differunt, quod una est paulo brevior, quam altera ; sic enim scribitur iod י; et sic scribitur vau ו : itaque facile fuit librariis mutare unam in alteram. Altera difficultas est in illis verbis, *ut lauderis cum hæreditate tua :* nam in Hebraico et Græco sunt tria verba modi infinitivi, ad videre, ad lætari, ad laudari, quæ nos Latini efferimus per gerundia, ad videndum, ad lætandum, ad laudandum : noster autem Interpres vertit per gerundia duo priora verba, et retulit ad nos, quasi diceret *ad videndum*, id est, *ut videamus, ad lætandum*, id est, *ut lætemur*, et tertium variavit dicens, *Ut lauderis*, cum debuisset vertere, *ad laudandum*, id est, *ut laudemur*, sive gloriemur. Hanc difficultatem notavit S. Augustinus, et miratur valde, cur Interpres Latinus tertium membrum sententiæ ita variaverit. Ad hanc difficultatem respondemus, Interpretem Latinum variasse modum interpretationis, ut sententiam redderet clariorem : nam si vertisset, *ad laudandum cum hæreditate tua*, ambiguum fuisset quid significaret illud, ad laudandum, an, ut laudemur, vel, ut lauderis : et elegit hoc posterius, ut non solum clarior, sed etiam magis indubitata sententia esset. Cæterum quicquid sit de verbis, sensus semper est idem, nam si Interpres vertisset, ut laudemur, vel ut magis sonat vox Hebraica, להתהלל *lehithallel*, *vel laudemus nos ipsos*, sive ut gloriemur ; oportet subintelligi, *in Domino*, juxta illud Psalmi superioris, *Laudamini in nomine sancto ejus*, et illud Apostoli, 1. Cor. 1. *Qui gloriatur, in Domino glorietur :* quare omnis laus tandem ad Dominum referenda est, et ideo recte vertit Interpres, *Ut lauderis cum hæreditate tua :* ut omnis obscuritas, et ambiguitas tolleretur. Fateor hos duos versiculos potuisse etiam exponi de bonis temporalibus, qualia promittebantur, et expectabantur in testamento veteri, sed malui persequi sensum altiorem, et magis intentum a Spiritu sancto, et ab ipso Propheta, in quem sensum accepit hæc verba S. Bernardus serm. 23. et super Cantica.

6. Peccavimus cum Patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus.

7. Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua : non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ.

8. Et irritaverunt ascendentes in mare, mare Rubrum.

9. Et salvavit eos propter nomen suum, ut notam faceret potentiam suam.

10. Et increpuit mare Rubrum, et exsiccatum est, et deduxit eos in abyssis, sicut in deserto.

11. Et salvavit eos de manu odientium, et redemit eos de manu inimici.

12. Et operuit aqua tribulantes eos, unus ex eis non remansit.

13. Et crediderunt verbis ejus, et laudaverunt laudem ejus.

Hic jam incipit Propheta in persona aliorum fidelium minus perfectorum, sed vere pœnitentium confiteri peccata sua, et peccata Patrum ab egressu de Ægypto usque ad sua tempora ; ut

simul commemoret laudes misericordiæ Dei, quæ nunquam sinum pœnitentibus claudit. Sunt autem hi octo versiculi satis noti ex historia libri Exodi, et ex Psalmo septuagesimo septimo; neque est hic ulla dissensio inter codices Latinos, Græcos, et Hebraicos. Illud, *peccavimus cum Patribus nostris*, significat, socii fuimus Patrum nostrorum in peccatis, quia imitati sumus peccata eorum, et sic implevimus mensuram eorum. Illud, *Non intellexerunt mirabilia*, refertur ad illud tempus, quo filii Israel egressi de Ægypto, cum vidissent exercitum Pharaonis post se venientem, adeo desponderunt animum, ut etiam quererentur de Mose, qui eos eduxerat de Ægypto, vide cap. 14. Exodi. Nam si intellexissent mirabilia Dei tam multa, quæ præcesserant, omnino confisi fuissent de potentia et auxilio Domini. Illud, *et irritaverunt*, significat filios Israel in angustiis illis constitutos, cum ante se cernerent mare rubrum, post se Pharaonis exercitum, irritasse Deum diffidentia et incredulitate sua. Illud, *Ascendentes in mare, mare rubrum*, difficile est; nam mare est inferius terra, ac per hoc descenditur in mare, vel ad mare, non ascenditur. S. Augustinus respondet illud *ascendentes*, referri ad Ægyptum, ut sensus sit, ascendentes ex Ægypto, et in mari rubro, id est, ad littus maris rubri constitutos, ibi irritasse iram Dei, itaque notandam esse virgulam post vocem, *ascendentes*. Sed quia in textu Latino non habetur *in mari*, sed *in mare*, et additur mare rubrum, dicendum est illud, *in mare*, positum esse pro *ad mare*, ut sensus sit. Hebræi ascendentes de Ægypto irritaverunt Deum ad mare rubrum, sive ad littus maris rubri. In Hebræo clarior est sensus, ubi sic legitur ad verbum, *Irritaverunt super mare, mare rubrum*, id est, irritaverunt Deum, cum essent super mare rubrum, id est, proximi mari rubro. Illud, *increpuit mare*, metaphoricum est, significatur autem mare recessisse ad nutum Dei, quo modo recedit velociter, qui timet indignationem et minas viri potentis. Illud, *in abyssis*, sicut in deserto, est locutio similis illi, Matth. 11. *Cæci vident, surdi audiunt*, id est, qui erant cæci nunc vident, et qui erant surdi, nunc audiunt. Abyssus enim significat profunditatem aquarum, quæ contraria est locis desertis et arentibus. Itaque sensus est, *deduxit eos in abyssis;* id est, in locis ubi solebant esse aquæ profundissimæ, ac si eos deduceret per desertum, ubi nullæ sunt aquæ. Illud, *laudaverunt laudem ejus*, in Hebræo est, *cantaverunt laudem ejus;* proinde *laudaverunt*, quod nos habemus, significat, celebraverunt concinentes laudem ejus: quid autem cantaverint, habetur Exod. 15. ubi ponitur canticum illud, *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, etc.*

14. Cito fecerunt, obliti sunt operum ejus, et non sustinuerunt consilium ejus.

15. Et concupierunt concupiscentiam in deserto : et tentaverunt Deum in inaquoso.

16. Et dedit eis petitionem ipsorum, et misit saturitatem in animas eorum.

Pergit Propheta in enarranda ingratitudine populi, qui cum vidisset miraculum tam insolitum in mari rubro, et Deum tam eximie inde laudasset : mox incurrente penuria panis, et aquæ, obliti sunt omnipotentiæ et providentiæ Dei, et in verba impatientiæ, et infidelitatis proruperunt. *Cito fecerunt;* id est, festinarunt, sive acceleraverunt, ut clarius habetur in textu Hebraico, et Græco. Quid autem cito fecerint, et in quo festinaverint, explicat dicens, *obliti sunt operum ejus*, id est, festinaverunt oblivisci operum Dei mirabilium, quæ viderant, *Et non sustinuerunt consilium Dei*, id est, non patienter expectaverunt finem divino consilio constitutum. Deus enim permittens illos ad tempus affligi, tentabat fidem, et spem, et dilectionem ipsorum : sed ipsi non intelligentes consilium Dei, murmurabant, quasi Deus curam illorum non gereret, aut eos juvare non posset. Explicat deinde in particulari, in qua re impatientes fuerint, dicens, *Et concupierunt concupiscentiam in deserto, et tentaverunt Deum in inaquoso*, id est, non potuerunt, vel ad modicum tempus tolerare famem, et sitim in deserto inaquoso, ubi deerant panis et aqua. Illud, *concupierunt concupiscentiam*, est phrasis non omnino inusitata etiam apud Latinos; sic enim dicimus, *vivere vitam, et servire servitutem*, sed apud Hebræos frequens est ponere concupiscentiam pro re concupita, desiderium pro re desiderata, et petitionem pro repetita; unde sunt illa, *Desiderium eorum attulit eis*, Psal. 77. et dabit tibi petitiones cordis tui, Psal. 36. et in hoc Psalmo, versiculo sequenti, *Et dedit eis petitionem ipsorum*, id est, panes, carnes, et aquam, quæ petierant. *Et misit saturitatem in animas eorum*, id est, satiavit appetitum ipsorum abundantia panum, carnium, et aquarum copia, ut perspicuum est ex cap. 16. et 17. Exodi et ex cap. 11. et 20. Numer. In Hebræo pro, *saturitatem*, habetur, *tenuitatem*, sive *maciem*. Sed Septuaginta Interpretes non legerunt רדון *razon*, quod significat, *maciem*, sed רצון *ratson*, quod significat *complacentiam*, quod recte positum est pro saturitate, quia illis cibis saturamur, qui nobis valde placent, et hanc esse veram lectionem perspicuum est; quia est conformis Scripturæ; sic enim legimus Exod. 12. *Vespere comedetis carnes, et mane saturabimini panibus*, et in Psal. 77. legimus, *Comederunt, et saturati sunt nimis: desiderium eorum attulit eis, et non sunt fraudati a desiderio suo.*

17. Et irritaverunt Moysen in castris, Aaron sanctum Domini.

18. Aperta est terra; et deglutivit Dathan, et operuit super congregationem Abiron.

19. Et exarsit in synagoga eorum : flamma combussit peccatores.

Attingit hoc loco Propheta historiam Dathan et Abiron, quæ habetur c. 16. libri Numer. *Et irritaverunt Moysen in castris*, id est, Core, Dathan, et Abiron irritaverunt Moysen, objicientes ei, quod imperium sibi usurpasset super filios Israel. *Aaron sanctum Domini*, id est, non solum Mosem, sed etiam Aaron fratrem ejus irritaverunt, quem Deus sibi sanctificaverat, ut sacerdotio fungeretur. *Aperta est terra, et deglutivit Dathan* cum sociis ejus Core, et Abiron, et omni familia et substantia eorum. *Et operuit super congregationem Abiron*, id est, terra disrupta, posteaquam deglutivit schismaticos, iterum clausa est, et cooperuit omnem congregationem

Abiron, et sociorum ejus. Illud, *super*, redundat; quamvis enim habeatur in Hebræo, tamen S. Hieronymus vertit, *Et operuit synagogam Abiron :* sed Latinus interpres imitari voluit phrasim Hebraicam, quod etiam fecerunt Septuaginta Interpretes. *Et exarsit ignis in synagoga eorum, flamma combussit peccatores :* nam, ut narratur in eodem cap. 16. Numeri, cum deglutisset terra Core, Dathan, et Abiron, cum tabernaculis ipsorum, divino jussu excitatus est ignis, qui combussit ducentos quinquaginta viros, qui præsumpserant incensum offerre Deo; quod ad eorum officium non pertinebat : et paulo post, cum murmuraret populus contra Mosem, quasi ipse viros occidisset, iterum exarsit ignis immissus a Deo, qui cremavit quatuor millia et septingentos viros. Pro voce, *peccatores,* in Hebræo est, רשעים *reschahhim,* quod *impios significat.* Itaque non significantur hoc loco quicumque peccatores, sed gravissimi, schismatici videlicet, et eorum fautores.

20. Et fecerunt vitulum in Horeb, et adoraverunt sculptile.

21. Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.

22. Obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.

23. Et dixit, ut disperderet eos, si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus.

24. Ut averteret iram ejus, ne disperderet eos : et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.

Detestatur nunc Propheta Idololatriam populi, qui vitulum aureum fieri jussit, eumque tamquam Deum adoravit : et simul laudat misericordiam Dei, qui ad preces Mosis placatus, tam immane peccatum populo condonavit; habetur hæc historia in libr. Exodi cap. 32. *Et fecerunt vitulum in Horeb,* id est, vitulum aureum ad similitudinem idoli Ægyptiaci, fieri curaverunt ab Aarone, qui metu compulsus obtemperavit vocibus populi. Fecerunt autem illud idolum in Horeb, id est, in regione adjacente monti, qui vocatur Horeb, et idem est cum monte Sinai, ut Theodoretus docet, et notum est ex Deuter. cap. 4. vers. 15. et Exod. cap. 19. vers. 20. *Et adoraverunt sculptile,* vitulum videlicet aureum : quamvis enim vitulus ille opere potius conflatoris, quam sculptoris factus fuerit, ut habetur in textu Hebraico; tamen sculptile dictum est significatione generali, ut comprehendit omnes imagines solidas, sive ligneas et marmoreas, quæ proprie sculpuntur, sive aureas et argenteas, quæ proprie conflantur. Meminit autem David montis Horeb, et sculptilis, cum notat idololatriam populi, quia in monte Horeb non multo antea Deus apparens initio divinæ legis dixerat, *Non facies tibi sculptile, non adorabis ea, neque coles.* Itaque multum auget crimen Hebræorum, quod in ipso loco fecerint et adoraverint sculptile, sive conflatile, ubi hoc ipsum præcise vetitum fuerat. *Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.* Exaggerat Propheta stultitiam Hebræorum, quod substituentes idolum in forma vituli Deo vero, commutaverint gloriam suam, id est, Deum verum, qui erat gloria ipsorum, in imaginem animantis bruti : nec dicit, Deum in vitulum, sed quod vilius est, in imaginem vituli, id est, rem pretiosissimam in rem vilissimam. *Obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.* Hoc etiam pertinet ad augendam stultitiam Hebræorum, qui obliti sunt Dei, qui eos salvaverat de captivitate Pharaonis, ut colerent Deum, qui neque se, neque alios salvare poterat : nam Moses contrivit vitulum aureum, et redegit in pulverem; ipso vitulo non se defendente, ac ne sentiente quidem. Item obliti sunt Hebræi Dei omnipotentis, *qui fecit magnalia in Ægypto*, id est, mirabilia signa, et prodigia in tota terra Ægypti, quæ etiam dicitur terra Cham, *et terribilia in mari rubro*, siccans mare illud, ut transirent filii Israel, et iterum aquis replens, ut suffocarentur Ægyptii, et coluerunt Deum inanem et imbellem, simulachrum videlicet mutum et inutile. Hic notanda est temeritas Joan. Calvini hæresiarchæ, qui scripsit Hebræos in vitulo aureo coluisse Deum verum; cum David aperte dicat, *Obliti sunt Deum, qui salvavit eos.* Et paulo ante, *Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.* Vide quæ scripsimus in libro de Reliquiis et imaginibus cap. 13. *Et dixit, ut disperderet eos, si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus*, id est, tunc Deus dixit, ac pronunciavit voluntatem suam esse, ut disperderet populum Hebræorum; et fecisset, nisi Moses electus famulus ejus, intercessione sua obstitisset, *ut averteret iram ejus, ne disperderet eos.* Illud, *in confractione*, in Hebræo est, בפרץ *bapperets,* quod significat, *in divisione,* sive in disruptione. Sanctus Hieronymus secutus priorem significationem vertit, *nisi Moyses stetisset medius contra faciem illius,* id est, nisi opponens se medium divisisset Deum a populo, et eo modo fecisset, ne gladius iræ Dei ad populum perveniret : sed Septuaginta Interpretes secuti posteriorem significationem, verterunt, ἐν τῆτραύσει, *nisi stetisset in fractura*, et disruptione, hoc est, nisi opposuisset se ruinæ imminenti : vel, nisi disrupto jam muro stetisset in medio, ut impediret irruptionem iræ Dei. Itaque metaphora sumpta est, vel ab eo, qui sustinet ruentem fabricam, et impedit ne penitus ruat : vel ab eo, qui disrupto jam muro opponit se loco muri, ut arceat ingressum hostium : summa est, magnam vim habere intercessionem Sanctorum apud Deum, ut hoc loco sanctus Augustinus annotavit. Et certe si non essent assiduæ preces servorum et amicorum Dei, quibus Deus placari se patitur, Mundus, qui *totus in maligno positus est*, ut scribit B. Joan. 1. epist. cap. 5. non tam diu subsisteret.

25. Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.

26. Non crediderunt verbo ejus, et murmuraverunt in tabernaculis suis : non exaudierunt vocem Domini.

27. Et elevavit manum suam super eos, ut prosterneret eos in deserto.

27. Et ut dejiceret semen eorum in nationibus, et disperderet eos in regionibus.

In parte versiculi vigesimiquarti, in qua novum versum incipiunt Hebræi, et tribus sequentibus versiculis, commemorat Propheta peccatum illud populi Hebræi, quo spreverunt terram promissionis, quam Deus esse dixerat fluentem lacte et melle. Habetur hæc historia in lib. Num. 13. et 14. et clarius Deuter. 1. *Et pro nihilo*, inquit, *habuerunt terram desiderabilem*, id est, terram promissionis quam uti felicissimam desiderare debuissent, ipsi contempserunt, et pro nihilo habuerunt, dicentes, *Terra hæc devorat habitatores suos.* S. Hieron. vertit, *Et despexerunt terram desiderabilem.* Non *crediderunt verbis ejus*, id est, Dei, qui toties dixerat terram esse optimam : et murmuraverunt in tabernaculis suis adversus Dominum, qui de Ægypto illos eduxerat, ut in terram promissionis induceret. *Non exaudierunt vocem Domini;* id est, non obedierunt præceptis ejus. *Et elevavit manum suam super eos, ut prosterneret eos in deserto : Et ut dejiceret semen eorum in nationibus, et dispergeret eos in regionibus*, id est, levavit manum suam gladio justitiæ armatam super peccatorem populum suum, ut eos qui tunc murmuraverant, occideret in deserto : et filios eorum dejectos et abjectos dispergeret inter gentes, ut non essent amplius populus, aut Resp. Et quidem illud prius executioni mandavit Deus : omnes enim, qui murmuraverant, mortui sunt in solitudine, ut Scriptura refert Num. 14. Illud autem posterius, non mandavit tunc executioni propter preces Mosis : sed postea irritatus majoribus sceleribus omnino implevit tum sub Rege Babylonis, tum præcipue sub Tito et Vespasiano, ut nos videmus. Quo loco notandum est, quam graviter irascatur Deus in eos, qui spernunt Regnum cœlorum nobis a Dei filio prædicatum, et promissum; si tam graviter iratus est Hebræis, quod spreverint terram promissionis prædicatam a Mose, quæ nihil aliud, nisi terra erat, et figura Regni cœlorum.

28. Et initiati sunt Beelphegor, et comederunt sacrificia mortuorum.

29. Et irritaverunt eum in adinventionibus suis, et multiplicata est in eis ruina.

30. Et stetit Phinees, et placavit, et cessavit quassatio.

31. Et reputatum est ei in justitiam, in generationem et generationem usque in sempiternum.

Attingit hoc loco David aliud peccatum populi, cujus historia habetur Num 25. Nam, ut ibi legimus, filii Israel decepti a filiabus Moab, cœperunt fornicari cum eis, et colere Idolum earum, dictum Beelphegor : ex quo iratus Dominus jussit suspendi in patibulis omnes Principes populi. Sed cum Phinees filius Eleazari, nepos Aaronis Sacerdotis, zelo Dei ductus, occidisset unum de filiis Israel una cum muliere Madianitide, in ipso actu fornicationis, placatus fuit Deus, ob meritum zeli ipsius toti populo. *Et initiati sunt Beelphegor*, id est, et addiderunt filii Israel ad alia peccata, ut initiarentur, sive consecrarentur in honorem idoli Moabitarum, quod vocabatur Beelphegor. Dicebatur autem idolum Moabitarum, Beel Phegor a monte Phegor, cujus montis mentio fit Num. 23. quasi diceretur, *Dominus Phegor*, בעל *Bahal* enim Dominum significat. *Bahal* et *Beel* idem sunt : sed Hebræi dicunt, *Behal Phegor*, Græci *Behel Phegor*. *Et comederunt sacrificia mortuorum*, id est, comederunt sacrificia oblata Diis mortuis, non Deo vivo, qui unus est Deus : dicuntur Dii mortui, vel ipsa idola, quæ veluti mortua oculos habent, et non audiunt : vel homines mortui, qui a paganis referebantur in Deos, quales erant in Ægypto Apis et Serapis, apud Græcos Jupiter et Apollo, apud Romanos Romulus et alii. *Et irritaverunt eum in adinventionibus suis, et multiplicata est in eis ruina*, id est, irritaverunt Deum in cultu novorum Deorum, quem ipsi excogitaverunt; non quod ipsi primi fuerint inventores idoli Beelphegor, sed quod fuerint primi, qui cultum illius idoli a Moabitis acceptum introduxerunt populum Israeliticum. *Et multiplicata est in eis ruina*; id est, propter hoc peccatum multiplex ruina facta est in populo, plurimis videlicet misere interemptis. *Et stetit Phinees, et placavit, et cessavit quassatio*, id est, Phinees zelo divini honoris accensus stetit intrepidus adversus impios desertores antiquæ religionis, et placavit zelo suo Deum, et sic cessavit inchoata strages in populo Dei. Vox Hebraica, פלל *palal*, ambigua est : nam et judicare, atque oratione placare significat. S. Hieronymus primam significationem secutus vertit, *Stetit Phinees, et dijudicavit.* Septuaginta Interpretes secuti tertiam significationem verterunt, *Stetit Phinees, et placavit :* uterque sensus est verus. Phinees enim dijudicando, et damnando, ac puniendo impios, hoc facto quasi sacrificio Deo gratissimo Deum placavit. *Et reputatum est ei ad justitiam*, id est, a Deo qui scrutatur corda, et qui probe novit optimam intentionem Phinees, reputatum est hoc factum non injusta cædes, sed justa punitio, quæ non pœnam mereretur; sed laudem et præmium : *idque in generationem et generationem usque in sempiternum.* Hoc dicit Propheta, quia propter meritum illius facti, ut habetur Num. 15. stabilivit Deus dignitatem summi Sacerdotii ipsi Phinees, et posteris ejus in æternum, id est, toto tempore, quo duraret Resp. Judaica.

32. Et irritaverunt eum ad aquas contradictionis : et vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum ejus.

Transit Propheta ad aliud peccatum Judæorum, quod habetur in lib. Num. cap. 20. Ubi populus altercari cœpit cum Mose propter aquæ penuriam : Moses autem perturbatus nonnihil hæsitasse videtur, dicens, *Num de petra hac aquam vobis poterimus ejicere ?* percussit tamen bis virga petram, et egressæ sunt aquæ in maxima copia. Sed Deus subiratus Mosi propter hæsitationem, punivit eum ea pœna, ut non introduceret ipse populum in terram promissionis, sed moreretur in itinere. *Et irritaverunt eum*, id est, Hebræi Deum, *ad aquas contradictionis*, id est, in eo loco, ubi propter aquæ penuriam contradixerunt Mosi, et jurgati sunt adversus eum. *Et vexatus est Moses propter eos*, id est, et anxiatus est, atque afflictus Moses propter jurgia populi. *Quia exacerbaverunt spiritum ejus*, id

est, quia jurgando, et murmurando adversus Mosem, ad amaritudinem et tristitiam adduxerunt spiritum ejus, qui alias alacer, et promptus esse solebat ad omnia Dei mandata sine ulla hæsitatione complenda.

33. Et distinxit in labiis suis, non disperdiderunt gentes, quas dixit Dominus illis.

34. Et commixti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum, et factum est illis in scandalum.

Aliqui conjungunt primam partem versiculi trigesimitertii, cum versiculo superiore, ut sensus sit, Moses non plena fide imperavit petræ, ut aquas funderet, quemadmodum jusserat Deus dicens Mosi et Aaroni, *loquimini ad petram et ipsa dabit aquas:* sed cum distinctione et dubitatione dixit, *Num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere?* Itaque illud, *distinxit in labiis suis,* significare volunt, Mosem non absolute imperasse petræ, sed distinguendo, et dividendo verba hæsitasse; sic enim hunc locum intellexerunt S. Augustinus, et auctores Græci Theodoretus et Euthymius. Cæterum adversus hanc expositionem duo pugnant. Unum, quod verba sic exposita non cohærent cum sequentibus, *non disperdiderunt gentes,* etc. Alterum, quod verbum tum Græcum, tum Hebraicum, tum etiam Latinum, *distinguere labiis,* in aliis locis Scripturæ, non significat dubitare, vel hæsitare, sed absolute pronunciare, Psal. 65. *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea,* ubi habetur idem verbum Græcum, διαςέλλειν, quod habetur hoc loco: ut etiam habetur Num. 30. et Lev. 15. ubi agitur de promissione voti, vel juramenti. Sic etiam vox Hebraica, חטא *hata,* quæ habetur hoc loco significat loqui, pronunciare, ut patet ex c. 5. Levitici, et c. 30. Num. supra citatis: nusquam autem dubitare, vel hæsitare. Denique vox Latina, distinguere labiis, et distincte loqui, non videtur ad ambiguitatem, sed ad perspicuitatem, potius pertinere. Existimo igitur, salvo meliore judicio, in hoc versiculo inchoatam aliam historiam, quæ habetur in libro Judicum, ubi legimus, Hebræos non disperdidisse omnes gentes idololatras ex terra promissionis, quemadmodum Dominus jusserat, sed habitasse cum illis, et didicisse superstitiones et sacrilegia eorum. Ait igitur David, *Et distinxit in labiis suis,* id est, Deus aperte pronunciavit, et reprehendit Hebræos, quod non exterminaverint gentes, *quas dixit Dominus illis,* id est, quas ipse idem Dominus jusserat exterminari, Deut. 7. Videtur David alludere ad verba Angeli, qui in persona Domini sic loquitur in c. 2. Judic. *Eduxi vos de Ægypto, et introduxi in terram, pro qua juravi patribus vestris, et pollicitus sum, ut non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum, ita dumtaxat, ut non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ hujus, et aras eorum subverteretis; et noluistis audire vocem meam. Et commisti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum.* Id notum est ex toto libro Judicum. *Et factum est illis in scandalum,* id est, in ruinam: ea enim causa fuit, ut traderentur a Deo in potestatem diversorum Regum idololatrarum, ut patet ex cap. 2. Judicum, vel potius ex toto libro. Justum enim fuit, ut qui Diabolum pro Deo elegerant, traderentur in servitutem eorum, quibus Diabolus dominabatur.

35. Et immolaverunt filios suos, et filias suas Dæmoniis.

36. Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.

37. Et infecta est terra in sanguinibus, et contaminata est in operibus eorum, et fornicati sunt in adinventionibus suis.

Hæc non habentur in libro Judicum: tamen vera esse necesse est, cum a Spiritu sancto per Prophetam dicantur, et credibile est ea per traditionem a majoribus ad Davidem pervenisse. Semel Deus verus imperavit Abrahamo, ut filium immolaret; quod tamen perfici noluit, contentus præparatione mentis ad obediendum: Dii vero falsi, dæmones videlicet, inimici crudelissimi generis humani, invidentes Deo tantam servi sui Abrahami obedientiam, non contenti promptitudine voluntatis, reipsa filios et filias sibi sacrificari a propriis parentibus voluerunt. Et tanta erat cæcitas hominum, ut non agnoscerent tyrannidem dæmoniorum, et quantum interesset inter jugum suave conditoris, et compedes ferreas, et durissimas destructoris. Illud, infecta est terra in sanguinibus, in Græco est, ἐφονοκτενήθη id est, *interfecta est terra.* Sed in Hebræo est, תחנף *thechenaph,* id est, *infecta, sive polluta,* sensus autem idem est: dicitur enim terra interfecta, id est, destructa in sanguinibus, quando ob multitudinem interfectorum, et copiam sanguinis effusi desolatur: sive autem dicatur terra destructa, sive polluta sanguine, significatur cædes facta filiorum et filiarum in sacrificium dæmoniorum; sed per verbum, destructa, sive desolata, significatur major cædes, quam per verbum, infecta. Illud vero, *et fornicati sunt in adinventionibus suis,* significat spiritualem fornicationem, quam committebat synagoga Judæorum, quæ Deo desponsata fuerat; cum adorabat idola, illisque tanquam adulteris viris se subjiciebat. Dicitur vero cultus idolorum, propria ipsorum adinventio, quia non eam didicerant a Mose legislatore, sed ipsi per se cogitaverant bonum esse imitari gentes idololatras.

30. Et iratus est furore Dominus in populum suum, et abominatus est hæreditatem suam.

39. Et tradidit eos in manus gentium, et dominati sunt eorum, qui oderunt eos.

40. Et tribulaverunt eos inimici eorum, et humiliati sunt sub manibus eorum, sæpe liberavit eos.

41. Ipsi autem exacerbaverunt eum in consilio suo: et humiliati sunt in iniquitatibus suis.

42. Et vidit, cum tribularentur, et audivit orationem eorum.

43. Et memor fuit testamenti sui, et pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ.

44. Et dedit eos in misericordias, in conspectu omnium qui ceperant eos.

In his septem versiculis decantat Propheta historiam libri Judicum, in qua narratur, Hebræos ob peccata sua, quibus Deum ad iracundiam provocabant, traditos fuisse a Deo frequenter in potestatem hostium, Moabitarum, Ammonitarum, Philisthinorum, et aliorum: sed cum ad pœnitentiam redirent, solitum quoque fuisse Deum, excitare virum aliquem strenuum, per quem liberarentur, ut Jephte, Gedeonem, Samsonem, et alios. Versiculus 41. ubi dicitur, *exacerbaverunt eum in consilio suo*, non significat in consilio Dei de liberandis Hebræis, ut multi existimant, sed in consilio ipsorum Judæorum, qui sæpe consilium inibant recedendi a Deo: nam in Hebræo habetur expresse, *In consilio ipsorum*, proinde illud, *suo*, quod apud Latinos est ambiguum, explicandum est per textum Hebraicum, ubi nulla est ambiguitas. Ultimus versiculus, *Et dedit eos in misericordias in conspectu omnium, qui ceperant eos*, duobus modis exponi potest. Primum, ut sensus sit, fecit Deus per providentiam suam, ut qui captivos duxerunt Hebræos, eorum misererentur, et vel relaxarent, ut fecit Cyrus et Darius: vel benigne tractarent, ut fecit Nabuchodonosor cum multis Hebræis. Ita exponit Theodoretus, sed exempla ejus misericordiæ non facile invenientur, nisi post tempora Davidis, et prætterea David dicit, in conspectu omnium, qui ceperant eos; non est autem verum omnes, qui ceperant Hebræos, habuisse erga eos misericordiam, neque ante tempora Davidis, neque postea. Videtur igitur probabilior sententia S. Augustini quam etiam attingit Euthymius, ut sensus sit, *dedit eos in misericordias*, id est, fecit cum eis Deus misericordiam, sive posuit eos in sinu misericordiæ suæ, *in conspectu omnium, qui ceperant eos*, id est, videntibus, et mirantibus iis, qui eos ceperant; semper enim Deus tam evidenti signo misericordiæ suæ liberavit populum suum sive de Ægypto, sive de potestate Moabitarum, vel Philisthinorum, vel aliorum, ut ne hostes quidem negare possent, Deum pugnare pro populo suo: reliqui versiculi nullam habent difficultatem.

45. Salvos nos fac Domine Deus noster, et congrega nos de nationibus.

46. Ut confiteamur nomini sancto tuo: et gloriemur in laude tua.

47. Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo, et usque in sæculum; et dicet omnis populus, fiat, fiat.

Hæc est conclusio Psalmi, qua precatur Deum Propheta, ut omnem populum fidelem congreget de nationibus, id est, reducat omnes dispersos ad cœtum piorum, ut omnes simul gratias agant Deo, eumque laudent, et glorientur in laude ipsius. Existimant quidem aliqui, Davidem loqui de dispersione et captivitate Babylonica, quam per spiritum prævidebat futuram; sed credibilius est eum loqui de dispersione inter gentes, quæ adhuc supererant in terra promissionis, initio Regni Davidis, adversus quas gentes multa ipse bella gessit, ut perspicuum est ex lib. 1 et 2. Regum. Concludit postremo David Deum laudans, et dicens, *Benedictus sit Dominus Deus Israel* omni tempore, vel potius in æternum, et omnis populus confirmet benedictionem, dicens, *fiat*, *fiat*, sive *Amen*, *Amen*. Atque hic est finis libri quarti secundum Hebræos.

PSALMUS CVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

ALLELUIA.

TITULUS est, *Alleluia*, quam vocem codices Hebraici nunc habent in fine Psalmi superioris: sed Septuaginta Interpretes ponunt eam initio hujus Psalmi, quoniam in suis codicibus Hebraicis invenerunt. Recte autem titulus Psalmi est, *Alleluia*, id est, *laudate Dominum*, quoniam in hoc Psalmo laudatur primo misericordia Dei, qua liberat homines a quatuor communibus miseriis, quas paulo post enumerabimus, et ideo quater repetuntur duo versiculi: *Clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos, et confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.* Deinde in altera parte Psalmi laudatur omnipotentia Dei, quæ solo nutu mutat rerum naturas. Dissensio quidem est inter expositores de quatuor illis miseriis: alii enim volunt eas esse corporales, et ad populum Hebræorum proprie pertinere. Alii existimant corporales esse, sed pertinere ad humanum genus universum: non ad solos Judæos. Alii spirituales esse censent, et liberationem ab illis esse propriam electorum. Alii denique spirituales esse dicunt, et liberationem ad omnes pertinere. Sed videntur sententiæ istæ facile posse ad concordiam redigi, si dicamus ad litteram de miseriis corporalibus agi, mystice de spiritualibus: et ad genus humanum universum pertinere: sed exempla poni in iis rebus, quæ populo Hebræorum proprie contigerunt; liberationem vero perfectam ad solos electos, imperfectam ad omnes pertinere.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Confitemini Domino quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus.

2. Dicant, qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici, et de regionibus congregavit eos.

3. A solis ortu et occasu, ab aquilone et mari.

Hæc est præfatio totius Psalmi, in qua David hortatur omnes, qui experti sunt misericordias Domini, ut confiteantur laudes Domini, ac potissimum confiteantur ipsi Domino, quod ipse sit vere bonus, et misericors, et misericordia ejus nunquam deficiat. Et quidem maxime proprie invitat fideles, quos redemit sanguine Unigeniti sui de manu inimici potentissimi, a quo captivi tenebantur ad ipsius voluntatem, id est, Principis tenebrarum ; quosque congregavit in unum populum, in unam Ecclesiam, in unum Regnum filii dilectionis suæ, non ex Ægypto, vel Babylone, ut olim Hebræos, sed *ab ortu solis et occasu, ab aquilone et mari*, id est, a quatuor Mundi partibus, sive ex toto orbe terrarum, juxta illud Joan. 10. *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus Pastor*, et Joan. 11. *Quia Jesus moriturus erat pro gente, et non solum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* Quamvis autem maxime proprie invitentur fideles, sive ex Hebræis, sive ex gentibus : tamen invitantur etiam generatim omnes homines, quos quocumque loco, et tempore liberavit Dominus de quacumque vexatione: nam redemptio in Scripturis accipitur passim pro liberatione, etiamsi non fiat pretio interveniente : item quos liberavit de manu, id est, potestate cujuscumque inimici : denique quos liberavit de quocumque exilio, de quacumque dispersione, de quacumque extremitate terræ, et revocavit in patriam, atque ad populum suum congregavit. Porro illa descriptio a solis ortu et occasu, ab aquilone et mari, continet, ut notum est, longitudinem et latitudinem terræ : nam longitudo incipit ab ea regione, unde oritur sol, et desinit in eam, ubi sol occidit : latitudo incipit ab ea parte unde flat ventus, qui dicitur Aquilo, et desinit in eam, quæ alluitur mari magno, quod Oceanus vocatur, quæ pars Australis etiam dici solet, quia ventus Auster, Aquiloni oppositus, inde oritur.

4. Erraverunt in solitudine, in inaquoso, viam civitatis habitaculi non invenerunt.

5. Esurientes, et sitientes : anima eorum in ipsis defecit.

6. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum eripuit eos.

7. Et deduxit eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis.

8. Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.

9. Quia satiavit animam inanem : et animam esurientem satiavit bonis.

Hæc est prima pars Psalmi in qua explicatur liberatio a prima miseria. Quatuor sunt miseriæ communes corporales, et quatuor etiam spirituales. Corporales miseriæ sunt primo, fames et sitis, quæ oriuntur a sterilitate terræ, vel penuria pluviæ cœlestis, id est, a principio extrinseco naturali : secundo, captivitas, quæ oritur ab aliena violentia, id est, a principio extrinseco voluntario : tertio, morbus, sive ægrotatio, quæ oritur ab interna mala constitutione, id est, a principio interno naturali : quarto, periculum naufragii, quod oritur a principio externo naturali, id est, ab impulsu ventorum, et a principio interno voluntario, id est, a curiositate hominum, qui non contenti solido elemento terræ, per liquidum etiam iter facere voluerunt. Miseriæ quatuor spirituales eæ sunt, quæ a Theologis dicuntur vulnera naturæ, relicta in nobis ex peccato originali, ignorantia in mente, concupiscentia in appetitu concupiscibili, infirmitas in appetitu irascibili, et malitia in voluntate : quorum vulnerum contraria sunt, prudentia in mente, temperantia in appetitu concupiscibili, fortitudo in irascibili, justitia in voluntate, quæ dicuntur virtutes quatuor Cardinales. Vide S. Thom. in p. 2. q. 85. art. 3. Igitur in hac prima parte Psalmi cantatur a Propheta misericordia Dei liberans a prima miseria tam corporali, quam spirituali. Videtur autem alludere ad famem, et sitim, quam passi sunt Hebræi in deserto : sed tamen doctrina communis est, atque ad omnes pertinens, ut supra diximus : sic igitur ait, *Erraverunt in solitudine, in inaquoso*, id est, multi homines quærentes patriam suam erraverunt aliquamdiu per inviam, et inaquosam solitudinem, quod Judæis contigit per annos quadraginta ; *et viam civitatis habitaculi non invenerunt*, id est, longo tempore vagantes non inveniebant viam, quæ ducit ad civitatem propriæ habitationis, ubi tuto habitare, et requiescere possent. *Esurientes, et sitientes, anima eorum in ipsis defecit*, id est, erraverunt in solitudine esurientes, et sitientes, quia neque panis ibi reperitur, neque aqua : et ideo anima, id est, vita eorum in ipsis præ fame et siti deficiebat. *Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur*, id est, deficiente omni humano auxilio conversi sunt ad implorandum adjutorium Dei : *et de necessitatibus eorum eripuit eos*, id est, non defuit invocatus Deus, sed pro innata sibi misericordia liberavit eos. *Et deduxit eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis*, hoc modo eripuit eos de necessitatibus suis, quoniam ostendit eis viam rectam, imo in eam eos deduxit, ut per eam brevi itinere pervenirent ad civitatem suæ habitationis. *Confiteantur Domino misericordiæ ejus*, id est, justum est igitur ut tanta beneficia misericorditer præstita homini-

bus, confiteantur Deo laudem, sive agnoscantur ab omnibus, ut vere beneficia Dei: *et mirabilia ejus filiis hominum*, id est, mirabilia opera Dei exhibita filiis hominum ad eorum liberationem, confiteantur Deo auctori laudem suam. In textu Hebraico clarius habetur, *Confiteantur Domino misericordiam ejus*, id est, homines liberati confiteantur Domino misericordiam ejus. Textus Græcus utroque modo intelligi potest, cum vox, ἐλέν, possit esse tam in casu nominandi, quam accusandi: sed res non est magni momenti. *Quia satiavit animam inanem*, id est, quia mirabili modo alimoniam paravit in solitudine, et inde replevit animam inanem, homines videlicet jejunos et esurientes saturavit bonis, id est, et eosdem homines valde esurientes non solum pavit, sed etiam satiavit optimis cibis, pane de cœlo Angelorum manibus allato. Hæc omnia, ut dixi, de cibo corporali Judæis præstito, possunt satis commode exponi; sed non dubium est quin hoc exemplo docere velit Propheta, omnes alios, qui de errore viæ, et a miseria famis et sitis liberantur, a Deo liberari, et misericordiæ ejus gratias debere. Neque dubium esse potest, quin Propheta respexerit præcipue ad ignorantiam salutis, qua plurimi laborant, et quasi extra viam in deserto vagantur, esurientes, et sitientes veritatis cognitionem, fontem sapientiæ, et prudentiæ. Omnes enim naturaliter bonum appetunt; neque ullus est, qui non optet beatitudinem, ac per hoc etiam notitiam viæ, quæ ad illam ducit: sed tamen plurimi præoccupati cogitatione, et concupiscentia temporalium bonorum, beatitudinem quærunt ubi non est, imo etiam beatitudinem esse opinantur eam, quæ vere non est: et ignorantes finem, viam quoque ad eum ignorare coguntur. Ita vagantes, et errantes civitatem veræ habitationis non inveniunt, et semper esuriunt, ac sitiunt, quia bona terrena, exigua, et temporalia cum sint, desiderium animæ immortalis, et capacis infiniti boni, satiare nullo modo possunt. Sed ii, quos Deus redemit de manu inimici, et de variis regionibus congregavit, ex magno misericordiæ divinæ munere agnoscere incipientes cæcitatem suam, clamant ad Dominum, et exaudiuntur ab eo, diriguntur in viam rectam, quæ ducit ad civitatem; intelligunt finem ultimum esse Regnum Dei; et medium ad finem, esse justitiam ejus, inde esurientes, et sitientes justitiam, ad fontem gratiæ currunt: eoque fonte interim refecti ad civitatem cœlestem perveniunt ubi replentur, et satiantur bonis omnibus, ut nunquam amplius esuriant, neque sitiant in æternum.

10. Sedentes in tenebris, et umbra mortis vinctos in mendicitate, et ferro.

11. Quia exacerbaverunt eloquia Dei, et consilium Altissimi irritaverunt.

12. Et humiliatum est in laboribus cor eorum: infirmati sunt, nec fuit, qui adjuvaret.

13. Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos.

14. Et eduxit eos de tenebris, et umbra mortis: et vincula eorum disrupit.

15. Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.

16. Quia contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit.

Hæc est altera pars, in qua proponitur liberatio a secunda miseria tam corporali, quam spirituali. Secunda miseria corporalis est captivitas, per quam miseri homines clauduntur in obscuris carceribus alligati vinculis, et onerati ferro. Et videtur Propheta alludere ad captivitatem Hebræorum sub diversis persecutoribus tempore Judicum, vel etiam tempore Pharaonis. David enim in Psalmis non multum laborat, ut historias ordine temporum commemoret, sed tamen hæc eadem transferri, et accommodari possunt omnibus captivis, et in vinculis, et compedibus constitutis, quos misericordia Domini postea liberavit. Explicemus verba: *Sedentes in tenebris, et umbra mortis, vinctos in mendicitate, et ferro,* id est, novi alios, qui capti ab hostibus, et tetris carceribus inclusi sedebant in tenebris, et tenebris valde densis, quales significantur in Scripturis per umbram mortis, ut diximus in explicatione Psalmi 22. vers. 4. et Psalmi 43. vers. 21. qui simul erant alligati vinculis, redacti ad mendicitatem, et onerati ferreis catenis, et compedibus. Illud, *sedentes*, cum sit accusativi casus, non habet, unde regatur. Ideo supplendum, *novi*, aut aliquid simile: nam quod alii dicunt, jungi posse cum verbo præcedente, satiavit bonis, vel cum sequente, *liberavit*, nimis durum mihi esse videtur. Illud, *vinctos in mendicitate, et ferro*, existimo legendum cum distinctione, ut tria sint membra, et sensus sit, *sedentes vinctos, sedentes in mendicitate, et sedentes in ferro,* id est, in compedibus ferreis. *Quia exacerbaverunt eloquia Dei, et consilium Altissimi irritaverunt,* id est, merito traditi fuerant in captivitatem, et afflicti carcere, tenebris, vinculis, mendicitate, et compedibus, quoniam non obtemperaverunt præceptis Dei, et consilium ejus contempserunt. *Exacerbare eloquia Dei*, significat hoc loco, ad iram provocare Deum loquentem, sive præcipientem, quod facit, qui præcepta ejus non servat. Potest etiam dici, exacerbare eloquia Dei, qui provocat ad iram ipsa Dei præcepta; quemadmodum enim præcepta Dei coronant observantes, ita puniunt prævaricantes; ac per hoc, qui præcepta prævaricantur, provocant adversus se ipsa præcepta. Itaque in his verbis figura quædam necessario admittenda est, vel in verbis, *eloquia Dei*, quæ accipiantur pro Deo loquente, et præcipiente; vel in verbo, *exacerbaverunt*, quasi eloquia, id est, præcepta Dei dicantur provocari ad iram, dum prævaricantes puniunt. Similis est figura in verbis sequentibus, *et consilium Altissimi irritaverunt*: nam vel consilium Altissimi accipiendum est pro ipso Deo altissimo bene consulente, quem irritaverunt, id est, ad iram concitaverunt, qui consilio ejus adversati sunt: vel *irritaverunt*, positum est pro contempserunt, sive spreverunt; qui enim aliquem contemnit, hoc ipso eum irritat, id est, provocat ad iram. *Et humiliatum est in laboribus cor eorum*, id est, superbia cordis eorum humiliata est ob labores captivitatis, vinculorum, et compedum. Captivi enim, velint nolint, humiles esse coguntur.

Infirmati sunt, nec fuit, qui adjuvaret, id est, debiles facti sunt, ut non possent resistere adversariis; *Neque fuit qui eos juvaret*, ne ab hostibus caperentur, et captivi abducerentur: et in ipsa captivitate duriter haberentur. *Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, etc.* Hic jam ponitur imploratio divini auxilii, et liberatio, tum a carcere tenebroso, tum a vinculis et compedibus. Ac ut ostendat magnitudinem beneficii, addit, *contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit.* Qua metaphora significatur liberatio a captivitate tali, qualis est eorum, qui clausi sunt intra portas æreas, quarum vectes ferrei sunt, ita ut non nisi maxima vi reserari possint. In summa describitur liberatio a captivitate durissima, et maxima. Porro secunda spiritualis miseria est concupiscentia rerum terrenarum, id est, honorum, opum, voluptatum, quæ concupiscentia instar catenæ, et vinculorum, ac compedum hominem ita constringit, ut quamvis non ignoret veram felicitatem esse quærendam in Deo, et mortificanda esse membra, quæ sunt super terram: tamen captivus maneat, et progredi non possit, nisi gratia Dei vincula illa disrumpat. Initium liberationis ducendum est ab humilitate, ut homo intelligens captivitatem suam, et debilitatem virium suarum, humiliatum habens cor in laboribus, et videns non esse alium, qui adjuvet, præter unum cœlestem Patrem, corde contrito, et humiliato cum intimo gemitu dicat, *Domine vim patior, respice, et miserere. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* ut clamat Apost. Rom. 12. Aderit enim sine dubio misericordia Patris, et educet vinctum de carcere, et vincula disrumpet, ut homo per gratiam Dei liberatus cum lætitia dicat, *Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Psal. 115. Vide exemplum hujus liberationis, maxime a concupiscentia carnalium voluptatum, in S. August. in fine libri octavi, et in principio libri noni Confessionum.

17. Suscepit eos de via iniquitatis eorum: propter injustitias enim suas humiliati sunt.

18. Omnem escam abominata est anima eorum: et appropinquaverunt usque ad portas mortis.

19. Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur: et de necessitatibus eorum liberavit eos.

20. Misit verbum suum, et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum.

21. Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.

22. Et sacrificent sacrificium laudis, et annuncient opera ejus in exultatione.

Hæc est pars tertia Psalmi, in qua narratur tertia miseria corporalis, quæ est morbus, et languor gravissimus, qualis fuit filiorum Israel, cum percussit eos Dominus plaga magna per serpentes ignitos, ita ut plurimi continuo morerentur; sed cum clamarent ad Dominum, liberati sunt: et eodem modo quicumque a morbis, et plagis variis cruciantur, si Dominum serio ex corde, firma fide, et cum aliis requisitis invocaverint, sine dubio liberabuntur. Sed verba consideremus, atque ea præcipue, quæ non sunt antea explicata. *Suscepit eos de via iniquitatis eorum; propter injustitias enim suas humiliati sunt.* Hoc aliquid necessario subintelligendum est, ut, *Vidit Deus quosdam prostratos jacere, et suscepit eos*, id est, erexit de via iniquitatis eorum, in qua miseri jacebant: *nam propter injustitias suas humiliati sunt usque ad terram.* In Hebraico textu legitur secundum versionem S. Hieron. *Stultos propter viam sceleris eorum*, pro eo quod nos habemus, *Suscepit eos de via iniquitatis eorum.* Sed vox, אוילים *avilim*, vel, אווילים *evilim*, quæ *stultos* significat, non videtur fuisse in libris antiquis, quos habuerunt Septuaginta Interpretes; sed vox, אילם *aialem*, quod est, *suscepit eos*, quamvis enim a radice, איל *aial*, in Dictionariis deducatur, *fortitudo, aries, cervus*, et alia id genus: tamen apud Septuaginta Interpretes ea vox etiam *suscipere*, significat. Hinc enim in titulo Psal. 21. posuerunt, *pro susceptione*, quod est in Hebræo, אילת *aieleth*: et sane major fides habenda est Septuaginta Interpretibus, quam omnibus Dictionariis. *Omnem escam abominata est anima eorum, et appropinquaverunt usque ad portas mortis.* Hoc demonstrat gravissimum morbum, qui cum cibum non admittat, quo vita sustentatur, mors immineat necesse est. *Misit verbum suum, et sanavit eos*, explicat modum quo sanavit ægrotos illos, dicens, eos sanatos verbo, id est, jussu Domini, sive Dei voluntate, non a serpente æneo, vel aliqua alia re creata: non quod res creatæ ut pharmaca, et medicamenta cætera nullam vim habeant, sed quia vim suam a Deo habent, et sine Dei cooperatione nihil efficere possunt. Deus autem sine illis solo verbo, et imperio suo omnia sanare potest, et hoc modo intelligimus illud Sap. 16. *Etenim neque herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus Domine sermo, qui sanat omnia.* Et paulo ante loquens de iis, qui per aspectum serpentis ænei curabantur a morsibus serpentum ignitorum. *Qui enim, inquit, conversus est, non per hoc quod videbat, sanabatur, sed per te omnium salvatorem.* Utitur autem David figurata locutione cum ait, *Misit verbum suum, et sanavit eos*, quasi verbum, sive imperium Dei sit persona aliqua de cœlo missa ad sanandos ægrotos. Nisi forte prædicere voluerit missionem Verbi incarnati ad homines per quod plurimi sanati sunt a corporali morbo: et a morbo spirituali, id est, a peccato, nemo sanatur, nisi per ipsum. *Non enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*, ut dicitur Act. 3. Tertia vero miseria spiritualis est infirmitas, sive debilitas, et fragilitas humanæ naturæ per peccatum corruptæ. Multi sunt enim, qui satis intelligunt quid sit agendum, et cupiunt interdum illud perficere: sed vires non habent, vel infirmas habent, donec induantur virtute ex alto. Sæpe etiam tædio, vel languore quodam affecti, omnem cibum renuit anima eorum, quia quamvis jam eos neque error seducat, neque concupiscentia mala illiciat: tamen non delectat eos verbum Dei, neque ad cœlestia suspirare norunt; et periculum est ne fames eos, non inopia, sed ex fastidio perimat: neque levis aut rara hæc tentatio est. Ideo et isti clamare debent ad Deum, ut sanetur palatum cordis eorum, et assuescant lac

divinæ consolationis concupiscere : et cum inceperint sapere, quæ sursum sunt, et gustare quam dulcis sit Dominus, non sibi hoc tribuant; sed *confiteantur Domino misericordias ejus : et sacrificent ei sacrificium laudis, et annuncient opera ejus in exultatione.* Divinum enim plene opus est, non humanum, cum homo solis visibilibus, et terrenis assuetus, incipit invisibilia et cœlestia dulciter sapere, et ardenter requirere.

23. Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis.

24. Ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo.

25. Dixit, et stetit spiritus procellæ; et exaltati sunt fluctus ejus.

26. Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos, anima eorum in malis tabescebat.

27. Turbati sunt, et moti sunt sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est.

28. Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, et de necessitatibus eorum eduxit eos.

29. Et statuit procellam ejus in auram : et siluerunt fluctus ejus.

30. Et lætati sunt, quia siluerunt : et deduxit eos in portum voluntatis eorum.

31. Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.

32. Et exaltent eum in Ecclesia plebis, et in cathedra seniorum laudent eum.

Hæc est pars quarta Psalmi, in qua laudatur Deus ob liberationem periclitantium in mari. Hujus miseriæ non occurrit exemplum in Scripturis ante tempora Davidis; sed post illa tempora habemus exemplum in libro Jonæ c. 1. et in Evangelio S. Matth. c. 8. et 14. et in Act. cap. 27. Explicemus verba, *Qui descendunt mare in navibus facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo,* id est, qui navigant mare, ac per hoc operantur in aquis remigando, vel vela tendendo, vel contrahendo, experimento cognoscunt multa mirabilia opera Dei, quæ aliis plurimis nota non sunt, nisi forte ex relatione aliorum, videlicet quanta sit vis procellæ; quanta elevatio undarum et fluctuum, quanta vastitas et profunditas maris, quam ingentia et frequentia mortis pericula, quantus denique timor, et horror invadat pectora hominum, etiam fortissimorum. Proprie autem dictum est, *qui descendunt mare in navibus*, non enim ut quidam interpres Psal. hoc loco ait, ratione probatum est altius esse mare, quam terram : sed contra, probatum est manifesta demonstratione inferius esse mare, quam terram, quoniam alioqui terram operiret aqua, cum natura sua ad loca semper decliviora descendat. *Dixit, et stetit spiritus procellæ,* id est, dixit Deus, et dicendo jussit ut ventus procellæ existeret, et continuo procella obediens creatori stetit, id est, exstitit, exurrexit, exorta est : non enim, *stetit*, hoc loco significat quietem, sed exortum est, inde *exaltati sunt fluctus ejus,* id est maris, et ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos, poetica hyperbole est : quomodo etiam Latinus Poeta dixit, *fluctusque ad sidera tollit. Anima eorum in malis tabescebat*, id est, iis visis anima navigantium, spiritus videlicet vitalis, vigor, omnis in ipsis existens præ timore, et horrore tabescebat. *Turbati sunt, et moti sunt, sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est.* Aptissimis similitudinibus describit Propheta, quid animi gerant homines imminente naufragio : nam neque vires, neque consilium suppetit. Vacillant pedes, nutat judicium, imo omnis sapientia, id est, ars et peritia navigandi a timore nimio quasi absorpta videtur, *Et clamaverunt ad Dominum*, et hic est versus intercalaris, supra explicatus, et versiculi sequentes facillimi sunt, nisi forte aliquem moveat illud, *et statuit procellam in auram*, quod significat Deum convertisse ventum furiosum in ventum placidum, sive tempestatem in tranquillitatem, ut magis proprie sonat vox Hebraica דממה *demama.* Illud *statuit*, ex voce Hebraica יקם *iakem*, significat proprie *surgere fecit*, id est, fecit ut procella surgeret in auram, hoc est, mutaretur in auram lenem, sive ut paulo ante dixi, in tranquillitatem. Jam vero quarta miseria spiritualis est, ut supra diximus, malitia voluntatis, quæ præcipue sita est in superbia, quæ Regina est vitiorum. Et vere cum ventus superbiæ exagitare incipit mare cordis humani, tunc extolluntur fluctus desideriorum usque ad cœlum; notæ sunt voces illius, qui est Rex super omnes filios superbiæ, *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum : ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo*, Isaiæ 14. Ab illo didicerunt antiqui Gigantes turrim Babel ædificare, quæ cœlum contingeret, Gen. 11. Horum nepotes sunt, qui Regna Regnis, et Imperia Imperiis adjungere satagunt, neque ullus est finis cupiditatis eorum : quod si illi ipsi intrarent in corda sua, et attente considerarent, quantis cogitationum, suspicionum, timorum, desideriorum, præsumptionis quoque et desperationis procellis continuo agitentur, et tandem demergantur in abyssum : sine dubio clamarent ad Dominum, et ipse misericors, et pius de tantis periculis liberaret eos : mitteret enim spiritum filii sui in corda eorum, ut doceret eos mansuetudinem, et humilitatem, et eo modo sedatis fluctibus desideriorum invenirent requiem animabus suis, et deducerentur in portum voluntatis suæ, id est, in portum tranquillitatis, quem omnis homo naturaliter cupit. Et quoniam hoc est maximum beneficium misericordiæ Dei, jure optimo cantarent, *Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum. Et exaltent eum,* Deum videlicet, *in Ecclesia plebis,* id est, in cœtu populi totius congregati ad laudes Domini celebrandas, et non solum in cœtu plebis, sed etiam *in cathedra seniorum*, id est, in consessu majorum, principum videlicet populi, et sapientium Senatorum *laudent eum.*

33. Posuit flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim.

34. Terram fructiferam in salsuginem, a malitia inhabitantium in ea.

Hæc est altera pars hujus Psalmi, in qua post decantatas misericordias Domini in depulsione quatuor miseriarum, laudat Deum ab omnipotentia et providentia, qua naturas rerum aliquando permutat; qua mutatione manifeste indicat se verum et solum esse illarum conditorem, et gubernatorem. Ac primum dicit, Deum aliquando *posuisse flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim*, id est, quando illi placuit, siccassè flumina, et fecisse, ut ubi rivi aquarum abundanter decurrebant, ibi fieret desertum et siticulosum, *Terram quoque fructiferam vertisse in salsuginem*, id est, in terram sterilem qualis est terra operta sale, *a malitia habitantium in ea*, id est, in pœnam peccati eorum, qui terram illam incolebant. Exemplum hujus mutationis habemus in Genes. cap. 13. ubi dicitur, *Elevatis Loth oculis vidit omnem circa regionem Jordanis, quæ universa irrigabatur, antequam subverteret Dominus Sodomam et Gomorram, sicut paradisus Domini*, hanc vero terram irriguam, et fructiferam, instar paradisi. Deus sulphure et igne de cœlo demisso totam siccavit, et sempiterna sterilitate damnavit, ut legitur In eodem lib. cap. 19.

35. Posuit desertum in stagna aquarum, et terram sine aqua in exitus aquarum.

36. Et collocavit illic esurientes, et constituerunt civitatem habitationis.

37. Et seminaverunt agros, et plantaverunt vineas, et fecerunt fructum nativitatis.

38. Et benedixit eis, et multiplicati sunt nimis; et jumenta eorum non minoravit.

Hæc est altera mutatio in contrarium secundum quam Deus, quando voluit, *posuit desertum in stagna aquarum*, id est, fecit, ut in locis desertis, et arentibus existerent flumina; et terra, quæ erat sine aqua, abundaret rivis aquarum. Et in iis locis, alias incultis, et desertis fecit ut frequentes homines habitarent, civitates construerent, terram colerent, fructus inde percipe rent, multiplicarentur denique valde tum homines tum jumenta ipsorum, hoc enim significat illud, *non jumenta ipsorum minoravit*, id est, fecit ut non esset exiguus numerus jumentorum, sed plenus et copiosus. Ad quam historiam respiciat hoc loco Propheta, non est adeo certum, nam fecit quidem Deus in deserto propter filios Israel ex rupe saxea nasci flumina, ut habemus Num. 11. sed non collocavit illic populum suum, neque sunt illic urbes ædificatæ, neque seminati agri, neque plantatæ vineæ. In terra vero promissionis, collocavit quidem populum suum Deus, sed jam antea erant in ea terra flumina, urbes, agri culti et vineæ. Existimo igitur Prophetam respicere ad antiquas historias, et primordia propagationis generis humani post diluvium quemadmodum enim mutavit terram Sodomorum ex irrigua et fertili in aridam et desertam; sic etiam in aliis locis fecit existere flumina, et ædificari civitates, et coli campos, et plantari vineas et propagari homines et jumenta. Quia vero Isaias propheta cap. 41. hunc locum Psalmi notare videtur, cum, ait *Ponam desertum in stagna aquarum, et terram inviam in rivos aquarum:* et verba Isaiæ a S. Hieronymo, et aliis intelliguntur de gentilitate, quæ olim deserta, et inculta sine fide, sine lege, sine Prophetis, sine sacerdotio; futura erat per Christum irrigua Spiritus sancti donis; ideo totum hunc locum recte S. Augustinus in sensu vel litterali, vel certe allegorico exponit de synagoga Judæorum, et Ecclesia gentium: synagoga enim, quæ olim abundabat aquis verbi Dei, et veluti terra fœcunda et culta proferebat Prophetas et Sacerdotes, et habebat altaria, sacrificia, miracula, visiones: nunc deserta et arida versa est salsuginem et his tribus caret: contra vero gentilitas, quæ deserta et inaquosa erat, conversa est in stagna aquarum, et facta est fœcunda, ac fructibus omnium generum refertissima, id est, cœpit esse populus Domini, Ecclesia Dei vivi, gens sancta, Regnum sacerdotale, in quo solo verum est sacrificium, veri sacerdotes, vera miracula, vera sanctificatio, vera sapientia, denique Spiritus sancti charismata omnia.

39. Et pauci facti sunt, et vexati sunt a tribulatione malorum et dolore.

40. Effusa est contemptio super Principes, et errare fecit eos in invio, et non in via.

41. Et adjuvit pauperem de inopia, et posuit sicut oves familias.

42. Videbunt recti, et lætabuntur, et omnis iniquitas oppilabit os suum.

Docet nunc Propheta, nihil in terris esse perpetuum aut stabile. Nam illi, quos Deus aliquando benedixit et benedicendo multiplicavit, paulo, post exigentibus peccatis eorum immuniti sunt et ad paucitatem redacti, et qui paulo ante florebant omnibus bonis, iisdem cœperunt angustiis et persecutionibus premi: nec solum privatis hominibus hoc accidit; sed etiam Principibus, quos Deus propter eorum peccata contemptibiles reddidit, quoniam sapientia, ac prudentia, eos privatos, permisit in multis, magnisque rebus errare. Sed eodem tempore non defuerunt viri probi, quos Deus sublevavit de inopia et pavit, ac rexit ut proprios oves. Ex quo factum est per divinam providentiam, ut tandem viri justi lætarentur, et iniqui confusi remanerent. Hoc autem, quod dictum est generatim de providentia Dei erga genus humanum: potest etiam dici de providentia Dei speciali erga Ecclesiam, quæ brevi tempore crevit, et paulo post per schismata, et hæreses immunita est, et vexata atque afflicta, et Principes ejus, id est, Episcopi, et Sacerdotes contemptibiles redditi quia multi eorum longe recessissent a via majorum suorum, qui in omni sanctitate, et justitia populo suo præluxerant. Cæterum, non tam immunita est Ecclesia quin multi etiam manserint tum ex Principibus, tum ex privatis, tum ex sacerdotibus, tum ex laicis, viri sancti, quos Deus bonis spiritualibus ditavit, et ut proprias oves ad optima pascua duxit et crescere fecit; sed verba consideremus, *et pauci facti sunt*, id est, et postea cum multum crevissent, vicissim minui cœperunt: *Et vexati sunt a tribulatione malorum, et dolore*, id est, et cum aliquandiu prosperitate vigente læti fuissent, cœperunt vexari a tribulatione, et dolore ob mala, quæ illis advenerunt. illud enim, *malorum*, non significat malorum hominum, sed malorum rerum, id est, calamitatum, ærumnarum, infortuniorum, *Effusa est*

contemptio super principes. Recte editio vulgata correcta est hoc loco : nam vitio librariorum legebatur *contentio* in omnibus fere codicibus. Sed ex textibus Græcis, et Hebraicis, et ex lectione veterum Hieronymi, Augustini, et aliorum certum est legi debuisse, *Effusa est contemptio,* accedit etiam, quod hic idem versiculus legitur apud Job. cap. 11. v. 21. *Effundit despectionem super Principes;* et credibile est, Davidem ex Job. hunc versiculum accepisse. Gravis hæc pœna est, tum populis, tum Principibus, et magni criminis præcedentis judicium, quando Deus effundit contemptionem in Principes, id est, providentia sua facit, ut Principes sive Ecclesiastici, sive sæculares, sint valde contemptibiles. (Illud enim verbum *effundit*, significat abundantiam sive magnitudinem contemptionis) tunc enim laxatur disciplina, et omnia in deterius irruunt. *Et errare fecit eos invio, et non in via:* hæc est causa contemptus, quia Principes ob sua, et populi peccata deserti lumine sapientiæ, et gratiæ per devia incedunt, et non per vias rectas, id est, vitiose vivunt, exemplo malo populum scandalizant, vel etiam leges iniquas constituunt, favent malis, vexant bonos. Dicitur autem Deus eos errare facere, quia in pœnam peccati non eos illuminat, neque bonam voluntatem eis inspirat. S. August. in epist. 105. ad Sixtum, Non obdurat Deus infundendo malitiam, sed non impartiendo misericordiam ; et tract. 53. in Joan. Sic excæcat, sic obdurat Deus deserendo, nec adjuvando, quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest ; et lib. 1. ad Simplic. q. 2. Non ab illo irrogatur aliquid, quo sit homo deterior, sed tantum quo sit melior non erogatur. Denique lib. de gratia, et libero arbitrio cap. 23. Quando auditis dicentem Dominum. *Ego Dominus seduxi Prophetam illum;* in eo quem seduci permittit, mala ejus merita credite. *Et adjuvit pauperem de inopia,* id est, sicut Deus superbos Principes errare permittit, et contemptibiles reddit : sic e contrario pauperes, et humiles adjuvat, et de inopia sive temporali, sive spirituali sublevat. *Et posuit sicut oves familias*, id est, posuit Deus familias pauperum justorum sicut oves, ita ut eas, et multiplicaverit, et in unum congregaverit, et Pastorem eis dederit, et singulari providentia gubernaverit. *Videbunt justi, et lætabuntur, et omnis iniquitas oppilabit os suum*, id est, ex hac providentia Dei tandem fiet, ut justi lætentur, et ex lætitia exultent et laudent Deum, *et omnis iniquitas*, id est, omnes iniqui obmutescant, nec audeant ullo modo contradicere. Id vero quamvis aliquando conspiciatur in particularibus judiciis, tamen absolute, et universe apparebit in judicio universali.

43. Quis sapiens, et custodiet hæc, et intelliget misericordias Domini ?

Hæc est conclusio totius Psalmi, in quo colligit Propheta ex dictis illum esse vere sapientem, qui observabit, et custodiet in corde suo supra dictas vicissitudines rerum, et intelliget, quemadmodum in omnibus appareat ineffabilis misericordia Domini erga pios hominos, et timentes Deum; dicit autem, *Quis sapiens*, quoniam paucorum est ista sapientia, et stultorum infinitus est numerus.

PSALMUS CVII.

PARATUM COR MEUM DEUS.

Hic Psalmus non eget explicatione : constat enim ex parte extrema Psalmi quinquagesimisexti, et quinquagesiminoni. Cur autem Psalmus hic additus sit ad alios, cum nihil novi contineat, ratio videtur fuisse, ut compleretur numerus centum quinquaginta Psalmorum : nisi forte subsit aliqua ratio magis recondita, quam mihi fateor notam non esse.

PSALMUS CVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem Psalmus David.

Non desunt ex recentioribus, qui hunc Psalmum exponant ad litteram de persecutoribus David, qualis fuit Doeg Idumæus, Achitophel, et alii : sed cum nulla fiat in titulo mentio persecutorum David; et veteres expositores, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, et Euthymius simpliciter de Juda proditore, et Judæis exponant, et sanctus Petrus in Actis Apostolorum cap. 1. de Juda proditore, Psalmum hunc scriptum esse confirmet : nos quoque de Juda, et Judæis Psalmum totum simpliciter exponemus. Igitur argumentum Psalmi est Prophetia per modum imprecationis adversus Judam et Judæos Christi persecutores.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Deus laudem meam ne tacueris; quia os peccatoris, et os dolosi super me apertum est.

Verba Christi sunt, similia illis, quæ habentur in Evangelio Joan. 17. *Clarifica me tu Pater.* Rogat igitur Christus homo Deum Patrem, ut laudem ejus, id est, innocentiam, charitatem, aliasque virtutes non taceat, quod impletum est per Apostolos Spiritu sancto plenos, qui omnibus linguis toti mundo Christi laudes prædicaverunt; impletum quoque est per sequentes Martyres, et Confessores, et Doctores qui vel sanguine, vel moribus, vel litteris, vel miraculis, vel præconio vocis Christi encomia omnibus sæculis, et omnibus gentibus nunciaverunt. Reddit deinde causam, cur gloriam istam a Deo petat; quoniam non desunt, qui eam falsis criminationibus obscurare conentur. *Quia*, inquit, *os peccatoris et dolosi*, Caiphæ videlicet et Judæ, vel generatim populi Judaici, *super me apertum est.* Dicit autem *peccatoris et dolosi*, quoniam persecutores Christi odio, et invidia pleni erant, et tamen dolo simulabant amicitiam, cum dicerent, *Magister scimus quia verax es et viam Dei in veritate doces*, etc. Matth. 22. Itaque peccatores erant, quia oderant, quem diligere debuissent: et dolosi erant, quia fingentes amicitiam eum capere volebant in sermone: vel, alii peccatores erant manifesti, qui aperte blasphemabant *eum seductorem esse, et in Beelzebub ejicere Dæmonia;* alii dolosi erant, ac peccatores occulti, qui sub specie interrogationum, quasi discere cupientes, insidiabantur famæ, et vitæ ejus. Ex Hebræo nonnulli vertunt, *Deus laudis meæ*, quia legunt in Hebræo, אלהי *elohe*, non אלהים *elohim*, sed falluntur: nam vox, *elohe*, non semper est in regimine, sed est unum ex nominibus Dei, ut sanctus Hieronymus docet in epistola ad Marcellam. Adde quod nec Septuaginta Interpretes, nec S. Hieronymus agnoverunt istud regimen in nomine Dei, ut patet ex versionibus ipsorum. S. Hieronymus ex Hebræo vertit, *Deus laudabilis mihi ne taceas;* sed vox Hebræa, תהלתי *thebillathi*, significat, *laus mea, vel laudem meam*, non enim Hebræi declinant nomina per casus. Septuaginta Interpretes intellexerunt ea voce significari *laudem meam.* S. Hieronymus autem significari credidit, *laus mea*, et ideo reddidit, *laudabilis mihi;* idem enim est, *Deus est laus mea, et Deus est laudabilis mihi.* Latinus Interpres Græcam lectionem secutus est, quæ reprehendi non potest, cum Hebraicæ lectioni conveniat. Illud, *Ne tacueris*, opponitur illis, *os peccatoris apertum est*, æquum enim est ut veritas non taceat, quando falsitas clamat.

2. Locuti sunt adversum me lingua dolosa, et sermonibus odii circumdederunt me, et expugnaverunt me gratis.

Declarat quod dixit, *os peccatoris, et os dolosi apertum est super me. Apertum est*, inquit, *os dolosi*, quia locuti sunt adversum me lingua dolosa, laudantes, ut Magistrum bonum, et interim insidiantes mihi, ut caperent in sermone, apertum quoque est os peccatoris; quia *sermonibus odii circumdederunt me* manifestantes verbis apertis odium, quod gerebant in corde, dicentes, *Non est hic homo a Deo; ecce homo vorax, et potator vini: Tolle, tolle, crucifige eum.* Sed sive dolosa lingua, sive sermonibus odii me oppugnarent, *gratis me oppugnabant*, quia sine ulla justa causa, cum redderent mala pro bonis. Illud, *expugnaverunt*, positum est pro *oppugnaverunt.* Verbum enim Hebraicum et Græcum, bellare et pugnare significat. In eadem significatione ponitur hoc verbum in Psalm. 128. *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea: etenim non potuerunt mihi*, ubi illud, *Non potuerunt mihi*, demonstrat, expugnaverunt, positum esse pro pugnaverunt.

3. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam.

Explicat ultimam illam particulam, *gratis*, nam cum rependere deberent amorem amori, illi vice dilectionis detrahebant mihi; ego tamen non reddidi mala pro malis, sed orabam Deum pro illis. Id aperte fecit Dominus in cruce, cum ait, *Pater ignosce illis:* sed credibile est, id eum occulte fecisse quotiescumque detractiones audiebat. Ex Hebræo S. Hieron. vertit. *Pro eo quod eos diligebam*, ubi nos habemus, *pro eo ut me diligerent.* Sed vox Hebraica ambigua est, potest enim esse nomen, ut est in sequenti versiculo, et significare, *dilectio mea*, et potest esse verbum, et significare, *dilexi*, vel *diligebam*, nam a verbo, אהב *abab*, quod est diligere, fit, אהבתי *ababthi*, quod *dilexi, et dilectio mea*, significare potest. Græca vox, ἀγαπᾶν με, quæ significat, *diligere me*, est etiam ambigua, et potest accipi tam active, quam passive: pro *diligere me*, id est, pro dilectione, quam eis impendebam; et pro diligere me, id est, pro dilectione, quam mihi debebant, sed Latinus Interpres sustulit istam ambiguitatem, et vertit, *pro eo ut me diligerent*, et hanc intelligentiam sequuti sunt expositores veteres, tum Græci, ut Chrysostomus, et Theodoretus, tum Latini ut Hieronymus et Augustinus. Itaque veteres expositores vulgatam Latinam versionem suis expositionibus probaverunt.

4. Et posuerunt adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea.

Idipsum clarius repetit, quasi dicat, rependerunt mihi maledictionem pro benedictione, odium pro amore, vulnera multa pro curationibus multis; mortem corporalem pro vita spirituali.

5. Constitue super eum peccatorem, et Diabolus stet a dextris ejus.

Transitum facit Propheta ad Judam, quem prævidebat *ducem futurum eorum, qui comprehenderunt Jesum*, ut loquitur S. Petrus Actorum

1. et per modum imprecantis prædicit, quæ illi eventura prospiciebat. Ac primum, inquit, *constitue super eum peccatorem*, id est, noluit Judas super se Christum Dominum utique justissimum, et mitissimum; ideo constitues super eum spiritum avaritiæ, cui serviet infœliciter usque ad mortem. Judas enim servire voluit mammonæ, ac per hoc servire non potuit Christo, *quia nemo potest duobus Dominis servire.* Matt. 7. Porro spiritus avaritiæ iniquissimus est, cum honorem Deo debitum idolo tribuat, dicente Apostolo ad Ephes. 5. de avaritia, *quod est Idolorum servitus. Et Diabolus stet a dextris ejus*, id est, et Diabolus erit dux ejus in operibus malis, et illi perpetuo assistet, vel potius tanquam canem alligatum vinculo cupiditatis illum trahet, et ad nocendum proprio etiam Magistro incitabit. Sanctus Augustinus per peccatorem præpositum Judæ, intelligit eundem Diabolum, qui tanquam ejus dominus stabat a dextris ejus. Idem Sanctus Augustinus recte monet, Judam gessisse personam totius synagogæ: quemadmodum Sanctus Petrus gerebat personam totius Ecclesiæ et ideo, quæ hic dicuntur de Juda, illa quidem convenire, sed convenire etiam et illustrius toti synagogæ, quæ recusans habere Christum Regem, habuit Diabolum et Cæsarem, et ejus loco Pilatum.

6. Cum judicatur exeat condemnatus, et oratio ejus fiat in peccatum.

Prædicit nunc Propheta infœlicissimum exitum Judæ, ad quam Prophetiam respexisse videtur Dominus Joan. 17. cum ait, *Quos dedisti mihi custodivi, et nemo ex iis periit, nisi filius perditionis*, ut Scriptura impleatur. *Ergo*, inquit, *cum judicatur* a Deo in exitu de hac vita, *exeat*, id est, exibit condemnatus, et si forte oraverit Deum, oratio ejus non solum non impetrabit remissionem peccati, sed ipsa oratio fiet illi in peccatum. Cur oratio Judæ facta sit illi in peccatum, rationem reddit S. Hieronymus, qui oravit sine spe indulgentiæ, et desperans laqueo se suspendit. S. Augustinus dicit factam esse in peccatum, quia non est facta per Christum mediatorem. Euthymius addit, factam esse in peccatum, quia Judas, ut etiam cæteri persecutores Christi, orabant Deum pro exterminatione nominis Christiani. Posset etiam addi, Judæ orationem factam esse in peccatum, quia Judas non a Deo, sed a Diabolo auxilium petiit. Diabolus autem suspendium illi suasit. Quo loco admonendi sunt lectores, orationem peccatoris, non semper esse peccatum, sed sæpe multum valere ad remissionem peccatorum, ut intelligi potest ex oratione Publicani Luc. 18. tum autem fieri in peccatum, et vere esse peccatum, cum is qui orat, vel non orat quem debet orare, id est, Deum verum, sed Idola, vel Diabolum: vel non orat pro re bona quam æquum est a Deo peti, sed pro re mala, quæ Deo displicet, ut pro ruina inimicorum: vel non orat per unicum Mediatorem, qui est Christus, sed per merita sua, quæ superbe se habere præsumit: vel denique non orat cum spe, aut fide, aut aliis necessariis bonæ orationis comitibus. Eadem quæ hic dicuntur de Juda conveniunt Judæis, quorum ille typum gerebat. Judæi enim qui credere nolunt in Christum, exeunt de hac vita condemnati ad mortem sempiternam, et oratio eorum, quam assidue fundunt, in synagogis suis, fit illis in peccatum: quia non orant Patrem per Filium, cum nec Filium, nec Patrem norint, et quia postulant quæ Deo non placent, excidium videlicet Christianorum, et celerem adventum Antichristi, hunc enim illi pro Christo recipient, ut dicitur Joan. 5.

7. Fiant dies ejus pauci, et Episcopatum ejus accipiat alter.

Hic est locus, quem S. Petrus allegavit Actor. 1. ut ostenderet necessarium fuisse, ut in locum Judæ aliquis substitueretur; et cum omnes Apostoli et discipuli judicio S. Petri acquieverint, ac per hoc unanimi consensu locum istum Psalmi de Juda intellexerint, nemini licet aliter exponere. *Oportet*, inquit Apostolus Petrus Act. 1. *impleri Scripturam quam prædixit Spiritus sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum.* Videmus autem impletum fuisse hoc vaticinium in Juda perfectissime: nam facti sunt dies ejus pauci, sive cum S. Augustino intelligamus dies Apostolatus, sive cum S. Hieronymo dies vitæ, sive cum Euthymio, dies ejus post peccatum commissum. *Et Episcopatum*, id est, Apostolatum *ejus accepit alter*, Matthias videlicet, qui omnibus modis erat alter, id est, non consanguineus, non familiaris, non amicus, non similis vitæ, ac morum. Nomen Episcopatus in Hebræo est פקדה *pecuda*, quod ab inspiciendo, et visitando deducitur. Debet enim Episcopus assidue inspicere, et visitare oves suas, de quibus rationem Domino redditurus est. Id quod, qui longe absunt ab Episcopatu suo præstare non possunt. Hoc idem impletum est in Judæis: nam post Judæ peccatum pauci fuerunt dies Judæorum in Episcopatu, id est, in Sacerdotio, sive Pontificatu: et Episcopatum eorum accepit alter, quia translatum est sacerdotium Aaronicum ad sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, et nulli sunt hodie Pontifices Judæorum, et multi sunt Pontifices Christianorum.

8. Fiant filii ejus orphani, et uxor ejus vidua.

Ne quis forte existimaret Judam condemnandum ad pœnam aliquam, vita durante et ut fierent dies ejus pauci in Episcopatu, non in corpore, Propheta declarat dies ejus futuros etiam paucos, ob imminentem veram mortem, per quam filii ejus orphani, et uxor vidua remaneret. Quod impletum est, quia eadem die laqueo se suspendit, et non diu postea in excidio Hierosolymæ omnes fere viri interierunt: et relicti sunt plurimi orphani, et plurimæ viduæ.

9. Nutantes transferantur filii ejus et mendicent; et ejiciantur de habitationibus suis.

Explicat ærumnas filiorum Judæ ac dicit, eos instabiles vagaturos, et mendicaturos in aliena regione, quoniam ab habitatione sua ejicientur. In Hebræo paulo aliter leguntur ultima Verba hujus versiculi. Sic enim vertit S. Hieronymus; *Et quærentur in parietinis suis.* Sed Septuaginta Interpretes, quos Latinus sequitur, non legerunt in Hebræo דרשו *daresu*, quod significat quærere, sed גרשו *garesu*, quod significat *ejicere*. Et ut sæpe diximus, lectio quam

habuerunt in suis codicibus Septuaginta seniores, omnino præferenda est lectioni Rabinorum. Illud *in parietinis suis*, optime translatum est à Septuaginta interpretibus ἐκ τῶν οἰκοπέδων αὐτῶν, id est, *ex ruinosis habitationibus suis.* Nam idem significat parietina, id est, domus dirutæ, ubi soli remanent parietes. Particula *ex*, quam habent Septuaginta interpretes, habetur satis aperte in Hebræo, quamvis S. Hieronymus verterit *in :* quoniam particula מן *min*, utrumque significare potest, sed frequentius accipitur pro *ex*, vel *ab.* Itaque sensus nostræ lectionis est, quod Judæ filii, et cæteri Judæi non solum non permittentur habere integras domos, quia Hierusalem evertenda erat, sed ejicientur etiam de habitationibus dirutis, ut ne ruinas quidem domorum suarum possidere eis liceat, quod impletum esse res ipsa testatur.

10. Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus; et diripiant alieni labores ejus.

Redditur hoc loco ratio cur filii Judæ, et Judæi cæteri sint futuri pauperrimi, ac plane mendici : quia videlicet creditores eorum quibus solvendo non erunt, diligentissime quærent, et accipient substantiam eorum; et si quid superfuerit ex labore eorum quæsitum, diripient alieni, milites scilicet Titi Imperatoris, qui (ut scribit Josephus lib. 6. de bello Judaico cap. 15.) scrutabantur aurum etiam in visceribus hominum, ad hunc finem illos dissecantes. Et hæc quidem olim passi sunt Judæi, sed nunc fœneratores effecti ex bonis pauperum Christianorum ditescunt. Illud *scrutetur*, nunc est in codice Hebraico, ינכש *ienaches*, quod *illaqueare*, vel *irretire*, significat. Sed Septuaginta, et sanctus Hieronymus, qui verterunt *scrutetur*, videntur legisse, ירכש *ieuaches*, quod est, *diligenter quærere*, proinde post tempora S. Hieronymi, locus hic vitio librariorum corruptus videtur.

11. Non sit illi adjutor, nec sit, qui misereatur pupillis ejus.

Et hoc manifeste impletum est in Juda et in Judæis, Judas enim ad Principes Sacerdotum accessit, et pecunias retulit, ac se peccasse confessus, nihil auxilii vel consolationis accedit, responderunt enim : *Quid ad nos? tu videris?* Matth. 27. Quare rejectus à Sacerdotibus, et a Christo veniam non sperans abiens laqueo se suspendit. Porro Judæi a Romanis obsessi neminem habuerunt, qui eos juvare auderet.

12. Fiant nati ejus in interitum, in generatione una deleatur nomen ejus.

Prædicit Propheta, filiis Judæ mortuis delendum omnino nomen ejus in generatione una, quia videlicet non remanebunt filii filiorum, id est, secunda vel tertia generatio. Et hoc quidem de filiis carnis Judæ impletum esse credimus : sed scimus etiam adimpletum in filiis spiritualibus. Nam aliorum Apostolorum multi numerati sunt filii filiorum, quos illi per Evangelii prædicationem in Christo genuerunt : et posteritas eorum in æternum manebit. Judæ vero spiritualis posteritas nulla est. Judæi vero quamvis non omnino extincti sint, periit tamen in generatione una Regnum, sive Respublica eorum : nam post eversam Hierosolymam, dispersi fuerunt in gentes, et nunc impletur in eis quod prædixit Osee Propheta cap. 3. *Quia dies multos sedebunt filii Israel sine Rege, et sine sacrificio, et sine Ephod, et sine Therapphim.* Itaque illud, *interitum*, significat interitum populi, sive Regni, ut non sint amplius unus populus, sive Regnum, sed homines dispersi per omnes populos et Regna. Ex Hebræo sanctus Hieronymus vertit, *Fiat novissimum ejus, interitus, in generatione altera deleatur nomen ejus.* Sed Septuaginta non male verterunt, *Fiant nati ejus in interitum, in generatione una deleatur nomen ejus.* Nam vox Hebræa, אחריתו *acharito*, significat ad litteram *reliquiæ ejus*, sive, quod post eum remanet. Et quamvis possit hoc significare, *novissimum ejus*, ut vertit sanctus Hieronymus, quia novissimum postea erit : tamen rectissime verterunt Septuaginta Interpretes, *nati ejus*, id est, reliquiæ ejus, sive posteritas ejus. Illud quoque *in generatione una*, recte interpretatum est : quoniam Septuaginta non legerunt, אחר *acher*, id est, *altera*, ut legit S. Hieronymus, sed, אחד *achad*, id est, *una*, litteræ enim simillimæ sunt, et facile fuit librariis unam litteram pro alia ponere.

13. In memoriam redeat iniquitas Patrum ejus, et peccatum matris ejus non deleatur.

Addit Propheta ad calamitates Judæ et Judæorum : ut peccata parentum in eis puniantur. Vocat autem patres non solum patrem ejus naturalem, sed omnes eos Hebræos qui peccaverunt in deserto, et postea in terra promissionis; vocat vero matrem, non tantum matrem propriam, sed integram Synagogam, sive ipsam civitatem Hierusalem, de qua dicitur Thren. 1. *Peccatum peccavit Hierusalem.* Quod autem hic dicit Propheta, significavit etiam Dominus; Matth. 23. cum ait, *Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram a sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quam occidistis inter templum et altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam.* Et hoc ipsum imprecati sunt impii Judæi filiis suis, Matth. 27. *Sanguis ejus super nos et super filios nostros.* Neque repugnat hæc sententia verbis Ezec. cap. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris.* Ezechiel enim loquitur de filiis qui non imitantur peccata parentum; Psalmus autem loquitur de filiis qui peccata parentum imitantur. Deus enim irritatus peccatis parentum, expectat quidem filios ad pœnitentiam, sed si illi pergant parentum iniquitates imitari, et sic implere mensuram patrum suorum, tandem omnes exterminat, non solum considerans peccata præsentium, sed etiam præteritorum. Atque hoc est quod Exod. 20. Deus dixit, cum legem populo daret, *Ego sum Deus tuus fortis zelotes, visitans peccata parentum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me.* Vide de concordia harum Scripturarum S. Thomam in 1. 2. q. 87. art. 8. et Theologos cæteros apud Magistrum sententiarum lib. 2. dist. 33.

14. Fiant contra Dominum semper, et dispereat de terra memoria eorum, pro eo quod non est recordatus facere misericordiam.

Repetit quod dixit de peccatis parentum, et

eleganter opponit memoriæ peccatorum memoriam gloriæ Judæ, et Judæorum : quasi dicat, Vivet coram Deo memoria peccatorum patris et matris ipsorum, ut pœna semper maneat, et contra dispereat de terra memoria gloriæ, et fœlicitatis ipsorum. Illud enim *contra Dominum*, significat, coram Domino, sive ex opposito oculorum Domini, ut semper videantur a Domino peccata illa : hæc enim est vis vocis Hebraicæ, נגד *negheb*, et Græcæ, ἐναντιων. Illud autem, *memoria illorum*, non significat simplicem memoriam personarum, sed faustam commemorationem. Viget enim commemoratio aliorum Apostolorum, quæ quotannis renovatur cum honore, et laudibus ipsorum : Judæ commemoratio nulla fit : et si quando nomen ejus pronunciandum est, cum execratione et horrore pronunciatur ; sic etiam gentis Judæorum nulla fit commemoratio nisi cum contemptu, ut gentis vilissimæ, quæ ubique servit. Addit Propheta causam tot calamitatum Judæ, et Judæorum, *Quoniam*, inquit, *non est recordatus facere misericordiam :* nam ut scribit B. Jacobus cap. 2. *Judicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam.* Hoc enim fuit peccatum Judæ, quod cum videret Principes Judæorum furere adversus Christum, ipse nulla misericordia motus erga innocentum magistrum, et Dominum suum crudelissime illum tradidit capiendum et occidendum.

15. Et persecutus est hominem inopem, et mendicum, et compunctum corde, mortificare.

Explicat Propheta in quo sita fuerit crudelitas Judæ, et populi Judæorum, quia videlicet persecutus est Christum, *hominem inopem et mendicum, et compunctum corde mortificare*, id est, ad eum morti tradendum. S. Augustinus non audet hæc de Christo exponere, quia Christus non potest dici *compunctus corde*, cum compunctio sit propria eorum, quorum est pœnitentia. Ideo per hominem *compunctum corde*, intelligit Apostolos, et alios fideles, quos Judæi usque ad mortem persecuti sunt. Sed quia S. Hieronymus, Theodoretus, Euthymius et alii de Christo hæc omnia intelligunt, et textus ipse quadammodo nos cogit, ut hunc versiculum de Christo potissimum exponamus ; dicendum est, Christum dici *hominem inopem*, quia cum esset dives, *propter nos egenus factus est*, ut nos inopia sua locupletaret, ut dicit Apostolus 2. Corinth. 8. Dici etiam *mendicum*, quia ex aliena misericordia in hoc mundo vivere voluit ut verbo Dei prædicando, et orationi pro nobis faciendæ totus incumberet, dici denique *compunctum corde*, non compunctione culpæ, sed compunctione pœnæ, et anxietatis, ac sollicitudinis, quam pro salute generis humani assidue in corde gerebat. Notatur autem in his verbis summa crudelitas : nam qui hominem occidere quærunt, vel moveri solent ab iracundia ob injuriam acceptam, vel a cupiditate spoliandi divitem, vel ab invidia alienæ felicitatis. Christus autem mitis, et humilis corde, nemini faciebat injuriam ; et cum esset adeo contemptor bonorum hujus mundi, ut voluntarie mendicus factus esset, non habebat unde oculos cupidorum provocaret. Denique cum assidue hominum peccata defleret, et ad pœnitentiam agendam, ad felicitatem mundi spernendam, ad bona cœlestia desideranda hortaretur, nulla erat causa, cur eum ad mortem ullus quæreret.

16. Et dilexit maledictionem, et veniet ei, et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo.

Nemo est qui diligere possit maledictionem, vel odio habere benedictionem, si sub ratione maledictionis et benedictionis voluntati proponantur : sed dicitur homo diligere maledictionem, et nolle benedictionem, quando ipse sibi causa est, malis suis operibus, cur maledicatur et non benedicatur. Sic Judas tradendo Christum Judæis ob cupiditatem modicæ pecuniæ, dilexit maledictionem, quia ipse sibi causa fuit cur malediceretur a Deo : et ipse idem deserendo Christum, in quo benedicendæ erant omnes generationes, noluit benedictionem, qua ipse sibi causa fuit cur non benediceretur a Deo. Quod idem de populo Judæorum dici potest. Venit enim filius Dei de cœlo, ut benediceret populum suum, sed illi Christum occidendo, sibi ipsi in causa fuerunt, cur pro benedictione maledictionem acciperent, et benedictio ad gentes transferretur. Porro benedictio Dei cumulum bonorum omnium significat quemadmodum, et maledictio cumulum omnium malorum. Videmus autem hæc impleta fuisse primum in Juda, qui continuo et pecunias, quas acceperat, et vitam temporalem et sempiternam amisit : deinde in populo Judæorum, qui regnum et sacerdotium perdidit, et excæcatus atque obstinatus in incredulitate vivit, donec ad tenebras exteriores, quæ sunt in gehenna descendat.

17. Et induit maledictionem sicut vestimentum, et intravit sicut aqua in interiora ejus, et sicut oleum in ossibus ejus.

Declarat Propheta pulcherrimis similitudinibus maledictionem divinam esse cumulum omnium malorum tum externorum, tum internorum, ita ut homo maledictus a Deo cunctis malis ita repleatur, ut nulli bono relinquatur locus. Primum comparat maledictionem divinam vestimento, quod totum corpus undique tegit : et quia vestimentum non intrat ad viscera, comparat etiam aquæ, quæ hominem demersum in mari, non solum exterius abluit, sed etiam intrat ad stomachum, ad ventrem, ad pectus, ad omnia interna corporis humani : et quoniam aqua non penetrat ossa, imo neque carnes, venas, nervos, addit comparationem olei quod subtilissimum est, et non solum carnes, et venas, et nervos, sed ipsa etiam ossa pervadit. Sic igitur divina maledictio, non solum Judæ, et Judæorum, sed omnium illorum, quibus dicetur, *Ite maledicti*, replebit malis corpus et omnia ejus membra ; replebit animam, et omnes ejus sensus ; replebit et mentem, et usque ad intima intelligentiæ, et voluntatis penetrabit. Quæ certe si homines mortales serio cogitarent, non sine magno horrore viverent.

18. Fiat ei sicut vestimentum, quo operitur, et sicut zona, qua semper præcingitur.

Addit Propheta maledictionem illam non solum ubique penetraturam, sed etiam sempiternam futuram. *Fiat*, inquit, *ei*, Judæ videlicet et populo Judæorum, *ea maledictio sicut vestimentum quo operitur*, id est, semper illi adhæreat, quemadmodum vestis semper adhæret homini, ne turpitudo ejus appareat. *Et sicut zona qua semper præcingitur*, id est, non solum maledictio illi adhæreat, sed etiam firmissime adhæreat, quomodo cingulum firmissimis, et multiplicibus nodis adstringi solet. Quis digne cogitare valeat, qualis sit nodus, quam firmus, quam insolubilis, decretum immutabile omnipotentis voluntatis Dei?

19. Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum; et qui loquuntur mala adversus animam meam.

Concludit Propheta prædictionem miseriarum Judæ dicens, *Hoc opus eorum*, id est, hæc erit merces operis eorum. Accipitur enim in Scriptura opus pro mercede operis, ut Levit. 19. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane, Qui detrahunt mihi*, id est, qui seductorem vocant, qui filium Dei esse negant, etc. *apud Dominum*, id est, hæc erit merces eorum apud Dominum, sive a Domino, ut clarius habetur in textu Hebraico, quem S. Hieronymus sic reddidit, *Hæc est retributio a Domino his qui mihi adversantur, et qui loquuntur mala adversus animam meam*, id est, qui obloquuntur de me mala. Est enim hæc pars posterior versiculi, repetitio, et explicatio prioris.

20. Et tu Domine, Domine, fac mecum propter nomen tuum, quia suavis est misericordia tua.

In ultima parte Psalmi precatur Christus pro se, et pro corpore suo quod est Ecclesia; et precando prædicit multa bona quemadmodum in superioribus partibus per modum imprecationis prædixit multa mala Judæ et Judæis. Primum igitur orat Dominum, ut sibi semper adsit seque et corpus suum adjuvet propter gloriam nominis sui. *Et tu*, inquit, אדני יהוה *Domine, Domine.* Prima vox continet nomen quatuor litterarum, quod est proprium Dei, et deducitur ab esse, quia Deus est fons essendi: secunda continet aliud nomen, quod proprie Dominum significat. Itaque sensus est. *Tu fons essendi*, qui es Dominus omnium rerum, *fac mecum*, id est, mecum operare, mihi te adjunge, *propter nomen tuum*, id est, ad gloriam tuam. *Quia suavis est misericordia tua*, id est, quia misericordia tua benigna est, et facile inclinatur ad succurrendum miseris. Ubi loquitur tum pro se, tum pro corpore suo, quod est Ecclesia, et poscit auxilium Dei adversus persecutores ex tribus capitibus: primo, quia Deus est Dominus omnium rerum, ac per hoc potest, si velit, hostes reprimere: secundo, quia hoc postulatur propter nomen Dei extollendum: tertio, quia Dei misericordia benigna est, ac per hoc Deus non solum potest, sed etiam vult misereri. Et quoniam, ut dixi, hæc est, prædictio per modum precationis, vel simul precatio, et prædictio: ideo certi sumus, Ecclesiam Christi semper a Deo protegendam et juvandam esse, *ut portæ inferi non prævaleant adversus eam*, juxta id quod dictum est Matth. 16.

21. Libera me, quia egenus, et pauper ego sum; et cor meum conturbatum est intra me.

Pergit in oratione Propheta in persona Christi et videtur respicere tempus illud, quo Christus dixit Joan. 22. *Nunc anima mea turbata est, et quid dicam? Pater salvifica me ex hac hora:* vel cum in horto precatus est Patrem, et Apostolis dixit, *Tristis est anima mea usque ad mortem. Libera*, inquit, *me ab imminente morte, quoniam egenus et pauper ego sum*, id est, omni humano auxilio destitutus, non habeo, qui pugnet pro me, et anima mea turbata est intra me, id est, tristitia et horror ex consideratione mortis futuræ turbavit me. Hæc autem Christus dicebat, ut ostenderet, se vere esse hominem, qui mortem absolute consideratam, ut naturæ contrariam exhorrebat: cum tamen eandem mortem, ut pretium redemptionis a Patre decretum, et ordinatum maxime desideraret. Quare Joan. 12. cum dixisset, *Salvifica me ex hac hora*, subjunxit, *Sed propterea veni in hanc horam*, et Matth. 26. cum dixisset, *Transeat a me calix iste:* continuo addit, *Sed non sicut ego volo, sed sicut tu.* Porro quod attinet ad corpus Christi, quod est Ecclesia, petitur liberatio a persecutionibus, et tentationibus, quia cœtus Ecclesiæ egenus, et pauper est, id est, non nititur viribus suis, aut meritis suis, sed tanquam vere mendicus, in solo Deo confidit.

22. Sicut umbra cum declinat, ablatus sum, et excussus sum sicut locustæ.

Hæc pertinent ad comprehensionem Domini, quæ facta est post orationem in horto. Comparat vero Propheta comprehensionem umbræ deficienti, quoniam umbra sine ullo strepitu deficit, et maximo cum silentio. Sic enim et Dominus avulsus est a Discipulis, et captivus ductus, imo etiam ad varia tribunalia, et ad ipsam Crucem adductus sine murmure, sine resistentia, sine defensione. *Sicut umbra*, inquit, *cum declinat, ablatus sum*, id est, ablatus sum a comitatu Discipulorum ad tribunal Caiphæ, Pilati, et Herodis eo silentio, quo declinans umbra deficere solet. *Et excussus sum*, id est, jactatus ab uno tribunali ad aliud, *sicut locustæ*, vilissima scilicet animalia, a vento jactari solent ab uno loco ad alium. S. Augustinus priorem partem versiculi refert ad Christum in persona propria, posteriorem ad Christum in persona Discipulorum. Ille enim ablatus est, sicut umbra, illi excussi velut locustæ.

23. Genua mea infirmata sunt a jejunio, et caro mea immutata est propter oleum.

Hic videtur describi debilitas Christi ex jejunio, adjuncta vigilia, et labore illius noctis, et sequentis diei, quo passio peracta est. Quamvis etiam toto vitæ tempore Dominum frequentissime jejunasse credendum sit, *Genua mea*, inquit, *infirmata*, id est, debilitata sunt *a jejunio, et caro mea immutata*, id est, macie, et pallore confecta apparuit *propter oleum*, id est, propter pinguedinem suam amissam. In Hebræo clarius habetur *Caro mea immutata est*, משמן *mischemen*, id est,

a pinguedine, id est, ex pingui macilenta reddita est. Varie hic locus ab aliis explicatur; sed hæc nobis explicatio litteralis maxime visa est.

24. Et ego factus sum opprobrium illis, viderunt me, et moverunt capita sua.

Hic concludit passionem : nam post illam summam debilitatem factus est Dominus opprobrium Judæis, cum eum in medio latronum crucifixum viderunt, et vivo eo moverunt capita sua stantes ante crucem, et dicentes, *Vah qui destruis templum Dei*, etc. Matth. 27.

25. Adjuva me Domine Deus meus, salvum me fac secundum misericordiam tuam.

Precatur Dominus de corpore exiens auxilium Patris ad celerem resurrectionem, ut diximus in explicatione Psalm. 21. et 68. et simul. precatur corpori suo mystico, id est, Ecclesiæ, veram salutem corporis et animæ.

26. Et scient, quia manus tua hæc, et tu Domine fecisti eam.

Ne putarent homines, Christum ad passionem et mortem ignominiæ plenam invitum pervenisse, et ne jactarent Judæi, se potentia sua in Christum prævaluisse; admonet Propheta in persona Christi, hoc totum a Deo factum esse, juxta illud S. Petri Act. 3. *Deus qui prænunciavit per os omnium Prophetarum, implevit sic.* Ait igitur, *Et sciant*, homines omnes, ac præsertim Judæi, *quia manus tua hæc,* id est, quia hæc res, hæc passio, hæc mors mea, a manu tua, hoc est, voluntate, et potestate tua processit : *Et tu Domine fecisti eam.* Neque enim potuissent Judæi, aut Gentes Christo prævalere, eumque affligere et occidere, nisi Deus voluisset. Neque tamen excusantur a gravissima culpa, qui Christum occiderunt, quasi voluntatem Dei adimpleverint; ipsi enim non voluntatem Dei, sed odium cordis sui implere voluerunt : Deus autem mala eorum voluntate, quam ipse non fecerat, usus est ad mundum redimendum per obedientiam et charitatem, patientiam, et humilitatem unici sui. S. Augustinus per manum Dei, hoc loco intelligit Christum, quem Deus fecisse dicitur, quia humanitatem ejus fecit. Alii per manum Dei intelligunt potentiam Dei, sed per particulas illas, hæc, et eam, intelligunt salutem. Sed nos Theodoretum secuti sumus, cujus expositio maxime literalis nobis visa est.

27. Maledicent illi, et tu benedices, qui insurgunt in me confundantur, servus autem tuus lætabitur.

Persecutores ignorantes hæc, quæ dicta sunt, *maledicent mihi*, et Ecclesiæ meæ : ut revera usque ad hanc diem Judæi blasphemare, et maledicere pergunt: *sed tu benedices:* non solum mihi, me glorificando, et exaltando ad dexteram tuam, sed etiam propter me benedices omnes gentes, eas per fidem, et Baptismum in filios adoptando. Ex quo fiet, ut illi, qui me persequuntur, et mihi maledicunt, tandem *confundantur; servus autem tuus*, ego et fratres mei lætitia sempiterna fruamur.

28. Induantur, qui detrahunt mihi pudore, et operiantur sicut diploide confusione sua.

Confirmat quod dixit, et per modum imprecationis prædicit, omnes Christi et Ecclesiæ adversarios tandem cooperiendos confusione, et pudore instar vestimenti duplicis undique hominem operientis. Quod quidem in die indicii omnino implebitur. Vox Hebraica *mehhil*, significat vestem amplam, et honorificam, qualis erat tunica sacerdotalis, quæ describitur Exod. 28. Sed Septuaginta interpretes verterunt διπλοΐδα vel quia vestis erat tam ampla, et longa, ut duplicari posset; vel quia revera, ea vox significat vestem suffultam alia veste, ac per hoc duplicem, ut sunt apud nos vestes permultæ. Sensus autem est, confusionem damnatorum in novissimo die fore maximam, ita ut pleni sint futuri erubescentia et pudore. Et certe, quæ major confusio cogitari potest quam ingratitudinem, insipientiam, aliaque vitia damnatorum in theatro mundi totius, coram angelis et hominibus, qui ab initio sæculi fuerunt, apertissime detegi?

29. Confitebor Domino nimis in ore meo, et in medio multorum laudabo eum.

Hoc opponitur confusioni impiorum. Illi enim præ confusione obmutescent : Christus autem, et electi ejus *confitebuntur laudes Deo, nimis in ore suo*, id est, magno clamore, magnoque jubilationis affectu, idque in medio multorum, in theatro orbis terrarum, in die judicii, et postea in theatro cœlestis Jerusalem in æternum.

30. Quia astitit a dextris pauperis, ut salvam faceret a persequentibus animam meam.

Hæc est ratio tantæ confessionis, et laudis, quoniam Deus auxilio suo, *astitit a dextris pauperis Christi*, et populi ejus, *ut salvaret a persequentibus Judæis*, vitam temporalem Christi, quod factum est per celerem resurrectionem, et a persequentibus tum hominibus, tum dæmonibus, vitam æternam electorum ejus. In Hebræo est, משפטי *mischophete*, id est, *a judicibus*, pro eo quod nos habemus, *a persequentibus*, et quidem quod attinet ad Christum, præcipui persecutores Christi fuerunt Caiphas, et Pilatus, qui Christum morti adjudicaverunt. Sed sapientia Dei astitit Christo, tanquam optimus Patronus, et sententiam iniquam revocare fecit a divina potentia, quæ Christum ad vitam revocavit. Quod vero attinet ad Ecclesiam, judices qui persequebantur Ecclesiam, erant tum Imperatores et Reges, ac magistratus Paganorum, qui multa millia Sanctorum Martyrum morti adjudicaverunt, tum præcipue dæmones, qui sententiam Dei in genus humanum latam proferebant, et ex illa genus humanum morti æternæ adjudicabant: sed astitit advocatus potentissimus Christus, *qui tulit de medio chirographum, quod erat contrarium nobis, illudque delevit, et affixit cruci;* et pauperum animas salvas fecit, ut scribit Apost. ad Coloss. 2. Hic illud annotandum est, Deum *assistere a dextris pauperum*, id est, eorum, qui agnoscunt paupertatem suam, debilitatem videlicet virium suarum, et ideo assidue pulsant ad ostium Dei, qui dives est in misericordia. Item *a dextris pauperis*, id est, eorum, qui exuerunt affectum rerum omnium creatarum, et spiritu pauperes effecti in solo Deo divitias suas posuerunt.

PSALMUS CIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

PSALMUS DAVID.

Hic Psalmus celeberrimus est, tum magnitudine mysteriorum, tum obscuritate sententiarum. Sed quamvis excæcati Judæi multa fabulentur, tamen apud Christianos nulla dubitatio est, quin hic Psalmus de Christi Regno et sacerdotio intelligatur, ita explicante Spiritu sancto in multis locis sanctarum Scripturarum, *Matth.* 22. *Act.* 2. 1. *Corinth.* 15. *ad Hebr.* 1. 5. 7 *et* 10.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis.

Vidit in spiritu David Messiam, post mortem et resurrectionem, ascendentem in cœlum, et refert ad nos verba Dei Patris ad Filium, quibus eum invitat ad consedendum, et corregnandum. *Dixit*, in Hebræo est, נאם *nehum*, quod proprie significat, *dictum*, et conjunctum cum nomine sequenti, verti potuisset, *Dictum Domini ad Dominum meum.* Sed sensus est idem, et gratia claritatis verterunt Septuaginta, *Dixit Dominus.* Quamvis autem, *dixit*, sit temporis præteriti, et tempore Davidis id tempus nondum advenisset, tamen recte utitur David verbo temporis præteriti, quia vidit rem futuram, tanquam præteritam. Dominus in Hebræo est nomen quatuor litterarum, quod proprie soli Deo vero convenit; quod quamvis a modernis pronuncietur, יהוה *Iehova*, tamen ab antiquis non solebat pronunciari; sed loco ejus pronunciabatur aliud nomen, quod Dominum significat. Ita Septuaginta Interpretes ubicumque hoc nomen proprium Dei invenerunt, verterunt κύριος, id est, *Dominus*, de qua re scripsimus in exercitatione grammatica ad primum versic. Psalm. 33. *Domino meo.* In Hebræo est, לאדני *Ladoni*, quod proprie *Domino meo*, significat; quamvis autem Rabini per Dominum hoc loco intelligant Abraham, ut S. Hieron. refert in commentario ad cap. 22. Matth. vel Ezechiam ut refert Justinus in Dialogo contra Thryphonem, et Tertull. lib. 5. in Marcionem: tamen certum est, non alium hoc loco Dominum vocari, nisi Messiam, qui fuit filius David secundum carnem, et Dominus David secundum divinitatem: totus enim Psalmus id clamat, cum neque Abraham, neque Ezechias sederint ad dexteram Dei, neque geniti sint ante luciferum, neque sacerdotes fuerint secundum ordinem Melchisedech. Quare Judæi interrogati a Christo Matth. 22. quomodo David in spiritu vocet Messiam Dominum suum; non sunt ausi negare psalmum intelligendum esse de Messia. Cur autem non repetatur hoc loco nomen proprium Dei, non est ratio, quia Filius non sit verus Deus, ut est Pater, ut Arriani docebant, sed quia hic non agitur de Filio Dei simpliciter, sed de Filio Dei incarnato. Filius autem Dei incarnatus in Scripturis passim Dominus appellatur, et Pater Deus, cum simul nominantur, cujus rei ratio est, quia nomen Domini convenit Filio secundum utramque naturam; nomen autem Dei non convenit ei, nisi ratione naturæ divinæ. Itaque si hoc loco idem nomen tributum fuisset Patri, et Filio, suspicari possemus hæc dici Filio tantum, ut Deus est. Quod autem Filius Dei incarnatus, qui etiam Christus dicitur, in Scripturis passim appelletur Dominus et Pater Deus dicatur, perspicuum est ex illo 1. Cor. 8. *Unus Deus Pater, et unus Dominus Jesus Christus*, et 2. Cor 1. *Gratia vobis et pax a Deo Patre, et Domino Jesu Christo*, et ad Ephes. 6. *Pax fratribus, et charitas cum fide a Deo Patre, et Domino Jesu Christo:* et in ipsis Evangeliis, atque Actis Apostolorum, et Epistolis eorumdem Apostolorum, cum ubique Christus dicatur Dominus, vix in uno, aut altero loco dicitur Deus, quia videlicet, ut diximus, nomen Dei convenit Christo solum ratione divinæ naturæ; nomen Domini convenit secundum utramque naturam; unde etiam in Symbolo dicimus, *Credo in Deum, Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum Filium ejus, unicum Dominum nostrum. Sede a dextris meis.* Sessio quietem, et auctoritatem præcipue regiam denotat, hæc autem Christi sessio est ineffabilis quies, et summa regia potestas. Illud autem, *a dextris meis*, significat æqualitatem, et consortium Regni Dei Patris super omnes creaturas. Quam æqualitatem semper habuit Filius Dei ratione divinæ naturæ, sed ad eam elevatus est ratione naturæ humanæ, post humiliationem usque ad mortem, mortem autem crucis. Sic enim loquitur Apostolus Philip. 2. *Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Idem enim est esse in dextera Dei, et in gloria Dei, hoc est in majestate Dei, hæc autem gloria est, quod habeat nomen super omne nomen, et illi omne genu flectatur; sic etiam 1. Cor 15. ait idem Apostolus, *Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus*, ubi explicat Apostolus illud, *sede a dextris meis*, ut idem sit, quod regna mecum, donec

ponam, etc. Idem quoque Apostolus ad Hebr. 1. *Cui dixit Angelorum, sede a dextris meis, nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi?* etc. Ubi per, sedere a dextris Dei, significatur differentia inter Christum, et Angelos, quod isti sint ministri, et servi, et ideo non sedeant, sed mittantur in ministerium : Christus autem, ut Rex et Dominus, sedeat cum Patre : creaturis omnibus superior. Denique S. Petr. Act. 2. *Dextera*, inquit, *Dei exaltatus effudit hoc donum, quod vos videtis, et auditis; non enim David ascendit in cœlum : dicit autem ipse, Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia et Dominum et Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis.* Ubi S. Petr. docet, sedere a dextris Dei, esse ascendisse in cœlum; dominari, et regnare ubique ut dominatur, et regnat Deus.

2. Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.

Hic versiculus continuatur cum primo apud Hebræos, juxta Rabbinorum distinctiones, sed Septuaginta Interpretes, qui Rabbinos omnes præcesserunt, novum versiculum esse debere judicarunt. Significat autem his verbis Propheta, Regnum Christi nunquam finiendum, neque periculum esse, ut ab inimicis evertatur, cum Deus statuerit, paulatim omnes omnino inimicos illi subjicere, ut pacifice postea duret in æternum. Itaque illud, *donec*, non significat Christum non amplius sessurum, ubi fuerint omnes hostes debellati, sed significat Christi Regnum semper propagandum magis, et magis, donec nullus omnino supersit inimicus, qui illi genua non flectat, quasi dicat, perge regnare mecum, nec desistas propagare Regnum, donec omnes hostes debellentur. Porro ista propagatio quotidie impletur, dum alii convertuntur ad fidem, et obedientiam, et sponte subjiciuntur pedibus Christi, ut in eis, tanquam in scabello quiescat, et tandem finito exilio pergunt ad patriam, ubi feliciter sub Deo requiescunt : alii vel perverterunt, vel in perversitate perdurant, et tandem per mortem ad judicium rapiuntur, et damnati ad inferos detruduntur, ubi Christi pedibus perpetuo comprimuntur. In novissimo die propagatio complebitur, et tum Christo flectetur omne genu, cœlestium, terrestrium, et infernorum. At cur dicit Pater, *donec ponam?* nonne etiam Filius ponit inimicos suos scabellum pedum suorum? Omnino quod Pater operatur, etiam Filius operatur, ut ipsemet asserit; sed tribuitur hæc actio Patri, quia per eam redditur merces obedientiæ Filii, ut paulo ante Apostolum dicentem audivimus, *Propter quod et Deus exaltavit illum.* Præterea omnis actio, quæ ad potentiam pertinet, Patri solet tribui, quamvis etiam Filio sit communis, quoniam a Patre Filio communicatur, non Patri a Filio, et Filio quidem, ut Deus est, communicatur per generationem; eidem Filio, ut homo, communicatur per gratiam hypostaticæ unionis. Quod autem Filius Patri cooperetur in hac actione subjiciendi communes hostes, dicitur in sequenti versiculo.

3. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion : dominare in medio inimicorum tuorum.

Propheta David cum in spiritu audivisset Patrem loquentem ad Filium, ac dicentem, *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, convertit se ad Filium, et eodem spiritu revelante demonstrat, unde incipienda esset propagatio Regni Christi in terris. *Virgam*, inquit, *virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*, id est, Dominus Pater, ut ponat inimicos tuos scabellum pedum tuorum, sceptrum Regalis potentiæ tuæ ex civitate Jerusalem, et ex ipso monte Sion extendere incipiet, et propagabit usque ad ultimum terræ. Concordat cum hac Prophetia verbum Domini, Luc. 24. *Oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab Hierosolyma*, et Act. 1. *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ.* Virga hoc loco sceptrum significat, et per sceptrum intelligitur Regalis potestas : per virtutem autem significatur robur, et fortitudo, ut clarius habetur in textu originali. Itaque virga virtutis est sceptrum potentiæ; dicitur autem hæc virga emittenda ex Sion, quasi ex monte illo germinaverit, quoniam in Jerusalem cœpit Regnum Christi spirituale; ibi enim fuerunt primi credentes, et ibi cœpit propagatio fidei per Apostolos. *Dominare in medio inimicorum tuorum*, est quasi fausta acclamatio, et exhortatio ad propagandum imperium per omnes gentes, quasi dicat, tu igitur perge feliciter, infer vexillum crucis tuæ in medium paganorum, et Judæorum, ubi sunt confertissimi hostes tui, ibique in medio eorum dominare, id est, illis invitis et repugnantibus Regnum tuum constitue. Quod certe brevi factum videmus : nam intra paucos annos, frustra Judæis et Paganis reluctantibus, Ecclesiæ Christi in toto orbe terrarum constitutæ fuerunt. Scribit enim Apostolus ad Coloss. 1. *Evangelium in universo mundo est, et crescit, et fructificat*, et S. Irenæus vicinus Apostolicis temporibus lib. 1. cap. 2. Ecclesia, inquit, per universum orbem usque ad fines terræ seminata est, et cap. 3. meminit Ecclesiarum Germaniæ, Iberorum, Libyæ, Ægypti, Galliarum, Orientis, et earum, quæ in medio mundi erant, per quas intelligit Ecclesias Græciæ et Italiæ. Recte autem dicit Psalmus, *in medio inimicorum tuorum*, quia quantumlibet Ecclesia propagetur et crescat, semper erit in medio inimicorum, id est, Judæorum, Paganorum, Hæreticorum, et falsorum Christianorum, dum in terris peregrinatur. Sed in consummatione sæculi fiet separatio bonorum a malis, et non erit amplius Regnum Christi in medio inimicorum suorum, sed eminebit, et exaltabitur super omnes inimicos suos.

4. Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te.

Dixerat, *dominare in medio inimicorum tuorum*, quod intelligitur in hoc tempore, dum Regnum Christi ab inimicis oppugnatur : declarat nunc quid erit in novissimo die, quando omnes inimici subjecti erunt, ut scabellum pedibus ejus. *Tecum*, inquit, *principium in die virtu-*

tis tuæ, id est, tecum erit principatus manifestus, tunc apparebit omnibus tuum esse Regnum, et apud te solum esse verum principatum. *In die virtutis tuæ*, in die videlicet novissimo, quando potentia tua cœlum movebit, solem obscurabit, terram concutiet, mortuos excitabit, et omnes ad tribunal tuum adducet. *In splendoribus sanctorum*, id est, quando circumdatus eris sanctis tuis, qui omnes fulgebunt sicut sol. *Ex utero ante luciferum genui te*, id est, ideo tecum erit tantus principatus, quia ego Deus Pater omnipotens *genui te*, non ex nihilo, ut res creatas, sed *ex utero* meo, ut filium verum, naturalem, et consubstantialem, idque *ante luciferum*, id est, antequam stellas crearem, ante omnem creaturam, ante omnia sæcula. Hæc est communis expositio Patrum, Hieronymi, Chrysostomi, Augustini, Theodoreti, et Euthymii. Sed consideremus singula verba. *Tecum*, ex Hebræo, S. Hieronymus vertit, *populus tuus*. Sed verbum Hebraicum potest legi, עמך *hhammecha*, et significat, *populus tuus;* potest etiam legi, עמך *hhimmecha*, et significat, tecum, et sic legerunt Septuaginta Interpretes, et recte verterunt. Principium in Hebræo est, נדבות *nedaboth*, quod proprie significat *Principes*, sed Septuaginta videntur legisse, נדבו *nedabu*, principatus, et sic exponit Chrysostomus hoc loco vocem Græcam ἀρχὴ, quæ et *principium*, et *principatum* significare potest. Quod si placeat, non accipere principium pro principatu, sed simpliciter pro principio; exponere poterimus, *Tecum principium*, id est, tecum est principium primum omnium rerum, quia tu es in Patre, et Pater in te. Sed prior expositio videtur præferenda, ut magis consentanea textui Hebraico. *In die virtutis tuæ*, in his verbis nulla est discrepantia inter codices, nisi quod in Hebraico per virtutem significatur proprie fortitudo, et potentia. *In splendoribus sanctorum*, in Hebraico legitur, *in montibus sanctitatis*. Sed videntur Septuaginta Interpretes non legisse, הררי *herere* per, ה, quod significat montes, sed, הורי *hore*, per, א, quod significat splendores. Idem autem est, *in splendoribus sanctitatis*, et *in splendoribus sanctorum*, dici siquidem possunt sancti homines *splendores sanctitatis*, quia sanctitas in eis resplendet. *Ex utero*, ex hoc verbo probant Sancti Patres efficacissime Christi divinitatem: namsi Christus creatura esset, non posset dici genitus ex utero: nemo enim dicit se genuisse ex utero domum, vel scamnum, vel aliud quidpiam ex arte factum: neque Deus unquam dixit se genuisse ex utero cœlum, aut terram. Porro per uterum intelligitur essentia Dei secreta, et intima; et quamvis uterus proprie ad matrem, non ad patrem pertineat: recte tamen Deus Pater dicitur ex utero genuisse, tum ut clarius ostendatur filius consubstantialis genitori (clarius enim filius est ex substantia matris, quam ex substantia patris), tum quia Deus non opus habuit uxore ad filium gignendum, et pariendum. Ipse enim genuit, ipse peperit, unde dicit Isaiæ ult. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? Ante luciferum*, hinc significatur æternitas filii, qui genitus fuit ante luciferi creationem, ac per hoc ante omnes creaturas. Sed posuit nomen luciferi, quoniam ipse etiam filius Dei, est quidam lucifer increatus. Est enim lux vera, quæ illuminat omnem hominem, et omnem Angelum. In Hebræo habetur *mischar*, quod S. Hieronymus vertit, *ex aurora*. Sed potest etiam verti, *præ aurora*, id est, ante auroram. Septuaginta Interpretes pesuerunt luciferum pro aurora, sive quia cum aurora solet oriri lucifer, sive quia ipsa aurora etiam est lucifer; quare S. Hieronymus Job. 11. vers. 12. vertit, *orieris ut lucifer*, cum tamen in Hebræo sit, *mane;* itaque luciferum accipit pro mane, sive pro aurora. *Genui te*, in Hebræo nunc legitur, *Tibi ros nativitatis tuæ*. Sed Septuaginta non habuerunt illa duo vocabula, *Tibi ros*, et pro, nativitatis tuæ, legerunt, genui te; quia verba Hebraica mutatis punctis utroque modo legi possunt, ילדותך *ialdutheca*, est nativitatis tuæ, ילדתיך *ialadthicha*, est, *genui te*. Potest etiam fieri ut Septuaginta Interpretes legerint, *Tibi ros nativitatis tuæ*, sed verba obscura declarare voluerint per suam versionem; et ideo dixerint, *genui te*. Id enim obscure significant illa verba, *ex utero ante luciferum tibi ros nativitatis tuæ*, id est, ex utero ante luciferum fuit tibi nativitas ex me, ut est rori ex cœlo. S. Augustinus addit aliam expositionem minus principalem, quod videlicet David Christo filio suo secundum carnem dicat, Ego genui te ex utero Virginis Mariæ, filiæ meæ, antequam lucifer oriretur, id est, media nocte. Tertullianus quoque lib. 5. in Marcionem exponit de partu Virginis, sed tribuit Deo illud, *genui te*, hoc modo, Ego Deus Pater genui te ex utero Virginis, nocturno tempore antequam lucifer oriretur.

5. Juravit Dominus, et non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Transit nunc a dignitate Regia ad sacerdotalem, atque ostendit Christum esse sacerdotem æternum, non succedentem Aaroni, sed immediate a Deo institutum, cujus figura fuerat sacerdotium Melchisedech. *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum*. Juramentum Dei promissionis stabilimentum est, id quod declaravit addens; *et non pœnitebit eum*, id est, firmissime statuit, nunquam mutaturus: significat enim David his verbis, sacerdotium Aaronicum fuisse mutandum, sed sacerdotium Christi nunquam esse mutandum. Pœnitentia enim Dei dicitur per metaphoram, cum Deus facit id, quod faciunt homines, cum eos pœnitet facti: mutant enim quod eos fecisse pœnitet, sic Gen. 6. dicit Deus, *Delebo hominem, quem creavi, a facie terræ, ab homine usque ad animantia, pœnitet enim me fecisse eos*, etc. 1. Reg. 15. *Pœnitet me* (ait Deus) *quod constituerim Regem Saul. Tu es sacerdos in æternum*, dicuntur hæc Deo, non a Davide, Apostolus enim ad Hebr. 5. non semel repetit, hæc esse verba Patris ad Filium; dicitur autem Christus sacerdos in æternum, tum quia effectus unici sacrificii, quo corpus suum obtulit in cruce, manet in æternum, juxta illud Apostoli ad Hebr. 10. *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos:* tum quia vivens ipse in æternum, sacrificium quotidie offert per manus ministrorum sibi invicem in Ecclesia succedentium, quod idem Apostolus ad Hebr. 7. confirmat, dicens, *Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Secundum ordi-*

nem Melchisedech, per ordinem intelligitur ritus, lex, traditio, consuetudo; hæc enim significat vox Hebraica, דברתי *dibrathi*, opponitur autem ordo Melchisedech ordini Aaron secundum Apostolum ad Hebr. 7. Distinguitur vero ordo Melchisedech ab ordine Aaron in multis; primo, Melchisedech non legitur successisse alteri, neque ei successisse alter legitur: nam ideo dicitur *sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens*, ut dicitur ad Hebr. 7. In sacerdotio autem Aaronis unus alteri succedebat, quia singuli moriendo sacerdotium filiis relinquebant: secundo, Melchisedech erat sacerdos, et Rex; Aaron, simplex sacerdos; tertio, Melchisedech obtulit panem; et vinum; Aaron oves et boves; quarto, Melchisedech erat sacerdos universalis, non unius gentis tantum, Aaron erat sacerdos dumtaxat Hebræorum; quinto, Melchisedech non egebat tabernaculo, vel templo ad sacrificandum, Aaron egebat, et ideo nunc apud Hebræos cessavit sacrificium, quia eversum est templum. Christus igitur sacerdos est secundum ordinem Melchisedech, quia revera nulli successit, neque alius ei successit in amplissima dignitate sempiterni sacerdotii: et ipse vere, ac proprie non habet Patrem, ut homo, neque matrem ut Deus, idem Christus Rex est, et sacerdos, et obtulit panem, et vinum in cœna, id est, corpus suum sub specie panis, et sanguinem suum in specie vini, et non est sacerdos Hebræorum tantum, sed Hebræorum, et gentium, neque alligatur sacerdotium ejus uni templo, vel tabernaculo, sed, ut prædixit Malachias cap. 1. *a solis ortu usque ad occasum in omni loco sacrificatur, et offertur oblatio munda.* Ex his locis aperte convincitur hæresis Lutheranorum, qui negant sacrificium verum, proprieque dictum extare in Ecclesia Dei, vel ostendant Lutherani, si possunt, quomodo prædictio sit adimpleta de sacerdotio secundum ordinem Melchisedech instituendo, et nunquam mutando.

6. Dominus a dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges.

Sanctus Joannes Chrysostomus, quem Græci sequuntur, per Dominum, hoc loco intelligit Patrem; S. Augustinus intelligit filium, S. Hieronymus dicit quidem, Dominum hoc loco nominatum esse Patrem, tamen statim addit illum, qui *confregit Reges, judicabit in nationibus, implebit ruinas, et bibet de torrente*, esse filium. Videtur autem nobis sententia S. Augustini esse aptior, et facilior, non enim debet rationem reddere, quomodo Pater sit a dextris filii, cum paulo ante dictum sit, filium sedere a dextris Patris, neque quomodo Pater de torrente biberit, et caput exaltaverit. Denique melius continuatur contextus verborum Prophetæ, si expositionem S. Augustini sequamur. Igitur Propheta posteaquam dixerat, filium a Patre sacerdotem æternum appellatum fuisse: convertit sermonem ad Patrem, ac dicit Christum vere fore sacerdotem æternum, quoniam etiamsi multi Reges terræ conspirabunt, ut sacerdotium, totamque ejus Religionem evertant: ipse tamen sedens a dextris Patris confringet adversarios, et illis omnibus invitis sacerdotium, et sacra sua perpetuabit. *Dominus a dextris tuis*, id est, Christus a dextris tuis sedens, sicut illi dixisti, *sede a dextris meis, confregit in die iræ suæ Reges*, id est, in die qua irascetur inimicis suis, Regibus terræ, Ecclesiam suam persequentibus, confringet eos, et jam in prænotione mea confregit; jam enim prævideo per spiritum Prophetiæ Herodem ab Angelo percussum, Neronem destitutum, sibi manus injecisse, Domitianum, Maximinum, Decium, et cæteros interfectos; Valerianum captivum in manus barbarorum devenisse; Diocletianum, et Maximianum præ desperatione Imperium deposuisse; Julianum, Valentem, Hunericum, et omnes denique inimicos Reges misere periisse, atque in gehennam detrusos meritas pœnas dare.

7. Judicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum.

Dixit, quid faciet Christus in præsenti tempore adversus hostes suos, Reges et Principes terræ: nunc addit, quid faciet in die novissimo adversus omnes inimicos suos. *Judicabit*, inquit, *in nationibus*, id est, is, qui hoc tempore confregit impetum Regum, et conservavit Ecclesiam suam tempore persecutionum, postea in fine sæculi *judicabit omnes nationes*, sive judicium exercebit in nationibus omnibus; et condemnatis omnibus impiis, *implebit ruinas*, id est, consummabit ultimum exterminium, complementum ruinæ impiorum perficiet. Ex Hebræo S. Hieronymus legit, *implebit foveas*, quod etiam est verum, quia tunc implebuntur foveæ inferorum, omnibus malis hominibus et dæmonibus eo detrusis, et conclusis: et hoc modo *conquassabit capita in terra multorum*, id est, humiliabit, et conteret omnes superbos, qui nunc erecto capite adversus eum incedunt; tunc enim conculcabit superbiam eorum, cum coram toto mundo ostendet infirmitatem eorum, et contemptibiles, atque confusos efficiet: et hoc erit conquassare, et conterere capita eorum. Dicit autem, *in terra multorum*, quia in terra paucissimi inveniuntur veri humiles, et pii, respectu superborum, et impiorum, qui prope infiniti sunt. In Hebræo habetur, *in terra multa*, id est, in magna parte terræ; sed idem est sensus, sive quis dicat superbos multos inveniri in terra, sive, superbos occupare multum terræ. S. August. exponit hæc omnia de præsenti tempore, et in bonam partem, ut implere ruinas, sit instaurare quod cecidit, et, conquassare capita, sit humiliare ad salutem per contritionem, quæ pia est, et utilis expositio, sed mystica: nam ad litteram exponunt de ultimo judicio Theodoretus, Euthymius, et alii communiter.

8. De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.

Hunc ultimum versiculum exponunt magno consensu omnes veteres de Christi humilitate in carne mortali, et exaltatione in gloria cœlesti, tum illi, qui verba superiora exponunt de ipso Christo, tum qui exponunt de Patre. Quare mirum est aliquos recentiores aliter sensisse. Reddit igitur David rationem cur tanta sit Christi potentia, ut Reges confringere, nationes judicare, implere ruinas, et conquassare capita possit; et dicit, *De torrente in via bibet, propterea*

exaltabit caput, ac si diceret cum Apostolo, *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Torrentem appellat cursum rerum humanarum : quomodo enim torrens magno impetu et sonitu fluit, et turbidus, ac turbatus incedit, et paulo post cessat, et ne vestigium quidem sui relinquit : sic sunt res humanæ tempore hujus mortalitatis; transeunt enim omnia, et ut plurimum turbida, et turbata : audiuntur sæpe maxima prælia, et turbationes gentium et populorum, ut tempore Alexandri Magni, et postea Cæsaris, et aliorum similium. Sed paulo post finem accipiunt tum ipsi, tum posteri eorum, et vix inveniuntur vestigia potentiæ ipsorum. Ad hunc torrentem descendit filius Dei per incarnationem suam, *et in via*, id est, in spatio vitæ suæ mortalis, et transeuntis, *bibit aquam* turbidam hujus *torrentis*, pertulit ærumnas nostræ mortalitatis; imo etiam in profundum torrentis descendit per passionem, ita ut non biberit aquam ad refrigerium, et delectationem; sed biberit molestissimam aquam, ut illi faciunt, qui demerguntur in aquis, juxta illud Psal. 68. *Intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, et non est substantia : veni in altitudinem maris et tempestas demersit me.* Merito igitur hujus tantæ humiliationis sponte susceptæ pro gloria Patris, et salute generis humani, *exaltavit postea caput* suum, ascendens cœlum, et sedens ad dexteram Patris, constitutus Judex vivorum, et mortuorum. Aliqui legunt in præterito, *bibit :* sed textus Hebraicus et Græcus habent in futuro, *bibet :* proinde nostra communis lectio cum textibus originalibus concordat.

PSALMUS CX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

ALLELUIA.

Hic Psalmus, ut etiam multi sequentes, nihil habet in titulo, nisi Alleluia, quod significat, Laudate Dominum : ex quo intelligimus argumentum Psalmi esse laudationem Dei. Notat S. Hieronymus hunc esse primum perfecte alphabeticum : nam Psalmus 24. 32. et 35. alphabetici sunt, sed non perfecte, quia in eis aliqua littera deest, et ejus loco altera ponitur. Psalmus etiam trigesimus octavus alphabeticus est, sed non ita perfecte, ut hic qui nunc est in manibus : nam in illo sub una littera modo ponitur unus versiculus, modo duo, modo tres : in hoc autem Psalmo tot sunt parvi versiculi, quot sunt litteræ alphabeti. Itaque Psalmus continet vigintiduos versiculos, quales sunt apud Latinos iambici, et apud Italos versiculi septem syllabarum. Sed Septuaginta Interpretes magis ad sententias, et ad similitudinem aliorum Psalmorum, quam ad litteras respicientes, partiti sunt Psalmum in decem versus.

EXPLICATIO PSALMI.

Aleph. Confitebor tibi Domine in toto corde meo.

Beth. In consilio justorum, et congregatione.

David sanctus incipit hymnum ab invocatione, et simul explicat modum, quo utiliter laudari debet Deus. *Confitebor tibi Domine*, id est, laudabo, sive confessionem laudis offeram tibi. *In toto corde meo;* hæc est conditio bonæ laudationis, ut non fiat solum voce, sed etiam corde : et non solum corde, sed toto corde, id est, toto affectu, nihil magis vel æque diligendo, et laudando. Est etiam, *toto corde*, summa attentione, nihil aliud cogitando : indignum est enim versantem in laude omnipotentis Dei, quem Cherubim et Seraphim cum tremore adorant, mentem ad inferiora deflectere. *In consilio justorum, et congregatione*, id est, laudabo te toto corde, tum inter paucos justos, tum in cœtu multorum, et eorum promiscua multitudine : nam per consilium justorum videtur intelligendus locus secretus, ubi soli conveniunt sapientes ad consilium. Vox enim Hebraica, סוד *sod*, *secretum* significat, sive *consilium* quod secretum requirat. Vox autem עדה *hheda*, synagogam significat, sive congregationem, ad quam totus populus venire solebat.

Gimel. Magna opera Domini.

Daleth. Exquisita in omnes voluntates ejus.

Laudat primum ab operibus in communi, quod videlicet Deus laude dignus sit, quod omnia opera ejus magna sint, et quod sint ita perfecta, ut ad omnem usum Deo serviant. Magna laus, quod artifex non faciat alia opera magna, alia parva, alia pretiosa, alia vilia, sed quod omnia omnino, quæ ab ejus ingenio, vel manu prodeunt, magna sint. Talia esse opera Dei certe cognoscet, qui cogitabit in omnibus; etiamsi

nobis præ multitudine viluerint, infinitam Dei potentiam, et sapientiam elucere, et nullum a nobis perfecte comprehendi. Vere enim scripsit Ecclesiastes cap. 1. *Cunctæ res difficiles, non valet homo eas explicare sermone*, et cap. 8. *Intellexi, quod omnium operum Dei, nullam possit homo invenire rationem.* Neque solum magna sunt opera, sed *exquisita in omnes voluntates ejus*, id est, quæsita, et parata in omnem usum Deo placitum, ut Deus de illis faciat quicquid voluerit, juxta illud Psal. 118. *Quoniam omnia serviunt tibi :* nam, ut S. Augustinus recte disputat, nihil est, quod magis Dei voluntati repugnare videatur, quam liberum arbitrium; quo fiunt peccata, quæ Deus prohibet : et tamen de ipso libero arbitrio Deus facit, quod vult, vel enim reformat illud per gratiam, vel punit per justitiam, et nisi ipse permitteret liberum arbitrium non peccaret. Præclarissima laus, et soli Deo propria, facere opera, qui in omnem usum quæri, aptari, et accommodari possint, et de quibus Deus quicquid velit, possit efficere. Vide Commentarium S. Joannis Chrysostomi, qui hæc omnia mira eloquentia tractat, descendens ad singula opera Dei. In Hebræo habetur in numero multitudinis, *Exquisita in omnes voluntates eorum :* sed fortasse Septuaginta aliter legerunt, vel certe ad insinuandam Trinitatem divinarum personarum in una essentia divinitatis, positum est pronomen in numero multitudinis, cum nomine Domini, numeri singularis.

He. Confessio, et magnificentia opus ejus.

Vau. Et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Transit nunc Propheta ab opere creationis ad opus gubernationis, et ostendit hoc etiam opus omni laude esse dignissimum. *Confessio*, inquit, *et magnificentia opus ejus*, id est, operatio ejus, qua regit et gubernat mundum à se creatum, est confessio, id est, materia confessionis, laudis, et gratiarum actionis; et etiam materia magnificentiæ suæ omnibus declarandæ. Simili modo loquitur Sapiens, cum ait, *Gloria filiorum patres eorum*, Prov. 17. *Et dedecus filii Pater sine honore*, Ecclesiastici 3. Hic enim accipitur *gloria*, vel *dedecus* pro materia gloriæ, vel dedecoris. *Et justitia ejus manet in sæculum sæculi*, id est, non solum Deus magnifice gubernando operatur; quia prospicit omnibus abundanter, sed etiam justissime, ut nunquam magnificentia ejus a justitia disjuncta inveniatur; semper enim Deus servat promissa, et nulli facit injuriam. Id quod videtur præcipue additum propter vulgarem illam querimoniam, cur Deus sinit impios exaltari, et pios ærumnis, et calamitatibus premi? Judicia enim Dei occulta esse possunt, injusta esse non possunt. Quantumvis igitur nobis aliter videatur; semper tamen opera Dei justa sunt, et omni laude digna.

Zain. Memoriam fecit mirabilium suorum.

Cheth. Misericors, et miserator Dominus.

Descendit ad particulare quoddam opus providentiæ divinæ, quando videlicet pluit manna de cœlo, quod fuit opus magnæ misericordiæ; non solum præsentibus, quos aluit in deserto, sed etiam posteris, quibus reliquit urnam manna plenam in memoriam miraculorum, quæ patraverat in deserto. Sic enim habetur Exod. 16. et ad Hebr. 9. Manna vero illud figura fuit sacramenti Eucharistiæ, quod datum est populo Christiano in cibum spiritualem, et in memoriam mirabilium, quæ operatus est Christus in terris, quorum præstantissimum est gloriosa passio, quæ mortem nostram moriendo destruxit, et de Principe hujus mundi triumphavit. Ait igitur, *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, et miserator Dominus.* Misericors et miserator distingui videntur apud Latinos, quod misericors ad habitum, miserator ad actum pertineat; sed in Hebraico differunt in eo quod, חנום *channum*, significat simpliciter misericordem, רחום *rachum*, addit affectum paternum, ac tenerum, qualis est patris in filium. Itaque misericors, et miserator, hoc loco significant misericors, et paterne misericors.

Teth. Escam dedit timentibus se.

Iod. Memor erit in sæculum testamenti sui.

Hæc esca est manna, *quod Deus pluit de cœlo, et dedit timentibus se*, id est, cultoribus suis Hebræis : quamvis enim plurimi in eo populo peccatores essent, tamen Deum verum colebant : nam timere Deum, in Scripturis colere significat. Et sicut volebat, ut populus memor esset mirabilium suorum, quæ fecit quando eduxit populum de Ægypto, et per desertum in terram promissionis introduxit : ita vicissim promittebat se memorem futurum pacti sui, quod cum illis inierat : ideo addit, *memor erit in sæculum testamenti sui*, id est, ostendet continua providentia et protectione, se memorem esse fœderis, et promissorum suorum.

Caph. Virtutem operum suorum annunciabit populo suo.

Lamed. Ut det illis hæreditatem gentium.

Præcipuum caput fœderis, quod cum Abraham pepigit Deus, fuit ut daret posteris ejus Hebræis terram Chananæorum, quæ ideo postea dicta est terra promissionis. Explicat igitur quomodo *memor erit testamenti sui*, dicens, *Virtutem operum suorum annunciabit populo suo*, id est, memor pacti sui notam faciet populo suo virtutem, hoc est, potentiam, et fortitudinem operum suorum, convertendo Jordanem retrorsum, clangore tubarum evertendo muros Hierico, sistendo Solem et Lunam ad imperium Josue, lapides de cœlo super hostes Hebræorum pluendo, et similia multa mirabilia operando. *Ut de illis hæreditatem gentium*, id est, ut daret illis fidelibus suis terram Palæstinæ, quam gentiles Chananæi tamquam propriam hæreditatem et possessionem obtinebant.

Mem. Opera manuum ejus veritas, et judicium.

Nun. Fidelia omnia mandata ejus.

Samech. Confirmata in sæculum sæculi.

Hain. Facta in veritate, et æquitate.

Ac ne quis injustitiam suspicaretur in eo, quod Deus terram Palæstinæ abstulit Chananæis, et donavit Judæis : addit, *Opera manuum ejus veritas, et judicium*, id est, omnia opera Domini, et in iis hoc particulare opus expulsionis Chananæorum, et introductionis Judæorum, facta sunt cum magna fidelitate et justitia. Veritas enim hoc loco, ut etiam alibi passim fidelitatem significat servandi promissa. Quoniam igitur promiserat Deus Abrahæ terram illam se daturum posteris ejus; hoc opus Dei factum est *in veritate*, et quoniam idem Deus non ante expulit Chananæos, quam *impleta esset mensura peccatorum*, ob quæ expelli mererentur; ideo hoc idem opus factum est *cum justitia*, quæ hoc loco dicitur judicium, quod est justitiæ actus. *Opera ergo manuum ejus veritas et judicium*, id est, fideliter et juste fiunt. Quod autem mererentur puniri Chananæi, et in pœnam privari terra Palæstinæ, probat Propheta, quia non servaverunt præcepta Dei naturalia, quæ sunt omnibus communia, et immutabilia, quia continent prima principia justitiæ : nam Levit. 18. prohibet Deus incestum, adulterium, vitium contra naturam, idololatriam, et similia, et addit, *Omnes execrationes istas fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos*, et polluerunt eam, cavete *ergo, ne et vos similiter evomat, cum paria feceritis, sicut evomuit gentem, quæ fuit ante vos.* Ait igitur, *fidelia omnia mandata ejus*, id est, omnia præcepta Dei, præsertim naturalia, fidelia sunt, quia neminem decipiunt, cum sint rectissima, et justissima, et per hoc pœnam adferant prævaricatoribus, et præmia observatoribus. Nec solum fidelia sunt, sed etiam immutabilia, et indispensabilia, cum in nullo casu inveniri possint injusta; ideo addit, *Confirmata in sæculum sæculi, facta in veritate, et æquitate*, id est, stabilita sunt æterna firmitate, quia condita sunt *in veritate*, id est, in rectitudine, *et æquitate*, id est justitia : nam ut diximus, rectitudinem et justitiam absolutam continent. Vide S. Thomam in 1. 2. q. 100. art. 8.

Phe. Redemptionem misit populo suo.

Tsade. Mandavit in æternum testamentum suum.

Non desunt etiam ex veteribus, qui hæc referant ad litteram ad liberationem populi de Ægypto : sed videtur omnino Propheta altiorem redemptionem intelligere, ut exponunt S. Augustinus et Euthymius; nam de Judæis jam dixerat, datum illis fuisse manna de cœlo, et hæreditatem gentium; neque ulla erat ratio, cur reverteretur ad antiquiora. Igitur post decantata beneficia Dei erga Patres testamenti veteris; transit ad beneficium longe excellentius testamenti novi, quo vera, atque æterna redemptio continetur. *Redemptionem*, inquit, *misit populo suo :* quasi dicat, post hæc misit Redemptorem tam sæpe promissum, et tamdiu expectatum, de quo prophetavit etiam Zacharias, cum ait Luc. 1. *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ.* Redemit autem Christus populum suum de captivitate, et servitute peccati, et potestate tenebrarum pretio sanguinis sui. Et hoc modo vere, et proprie, *Mandavit in æternum testamentum suum*, id est, jussit (hoc enim significat vox Hebræa, צוה *tsuah*,) et statuit, ut testamentum, sive pactum esset æternum, de vera et æterna salute, et possessione cœlestis patriæ; nam testamentum vetus, quo promittebatur terra Palæstinæ, non fuisse æternum experientia docet. Quare et Hieremias cap. 31. ait, *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et feriam domui Israel, et domui Juda fœdus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, pactum quod irritum fecerunt, et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus : sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus, Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum.*

Coph. Sanctum et terribile nomen ejus.

Resch. Initium sapientiæ timor Domini.

Docet consequenter modum permanendi testamento Domini, ut assequamur promissiones ejus, ac dicit, *Sanctum et terribile nomen ejus*, id est, is qui mandavit in æternum testamentum suum, sanctus, et terribilis est, et ideo odit pollutionem, et immunditiam peccati, quia sanctus est, et dicit, Levit. 11. *Sancti estote, quia sanctus sum Dominus Deus vester :* et simul punit pollutos, et immundos, quia terribilis est, et *horrendum est incidere in manus Dei viventis*, Hebr. 10. et propterea, *Initium sapientiæ timor Domini*, id est, illi vere incipiunt sapere, qui timent Dominum, et ex timore illo cavent a peccatis, observant legem, operantur bona, ut paulatim ex timore ad amorem perveniant, et incipiant odisse malum, non timore pœnæ, sed amore justitiæ. Potest etiam hic locus intelligi de timore sancto, quo timemus offensionem Dei, quia diligimus Deum : qui timor dicitur initium sapientiæ, quia pertinet ad primam, et magis necessariam partem sapientiæ. Sapientia enim perfecta duo requirit, cognitionem, et amorem Dei; sed in hac vita priores partes tribuuntur amori, sive timori sancto filiali. Unde Ecclesiasticus cap. 1. ubi dixit, *Initium sapientiæ timor Domini*, addit, *plenitudo sapientiæ est timere Deum :* ut intelligamus timorem Domini sanctum dici initium, quia est quasi caput, id est, pars prima, et potissima, ut dici possit etiam tota sapientia.

Scin. Intellectus bonus omnibus facientibus eum.

Tau. Laudatio ejus manet in sæculum sæculi.

Declarat, quod dixit, initium sapientiæ timorem Domini. Est enim, ac si dicat, *intelligentia quidem*, quæ pars est sapientiæ, *bona est*, sed facientibus eam, id est, ex timore sancto facientibus, quod scientia docet esse faciendum : alioqui intelligentia sine timore, inutilis, vel perniciosa est : *nam scienti bonum facere, et non facienti, peccatum est illi*, Jacobi 4. Nomine intellectus, significatur hoc loco ipsa intelligentia, sive scientia, aut doctrina, ut voces Hebraicæ שכל *schechel*, et Græca συνέσις, clarius sonant : pronomen, *eum*, cum dicitur, *facientibus eum*, refertur ad intellectum, ut referunt Chrysostomus et August. In Hebræo habetur, *Facientibus*, ea nimirum quæ intelliguntur esse facienda. Itaque sensus in idem recidit. Quod autem sequitur, *Laudatio ejus manet in sæculum sæculi*, aliqui referunt ad Deum, ut sensus sit, Laudatio

ejus, cujus nomen est sanctum et terribile, semper manebit, ita sanctus Chrysostomus. Sed videtur melius continuare textum expositio sancti Augustini qui hunc versiculum refert ad illum, qui timet Dominum, et qui facit quod intelligit esse faciendum : illius enim præmium erit, ut inhabitet in domo Domini omnibus diebus vitæ suæ, et sit unus ex illis, qui laudabunt Deum in sæculum sæculi. *Quare laudatio ejus,* est laudatio, qua ipse homo timens Deum, perpetuo laudabit Dominum. Potest etiam satis commode intelligi versiculus de laude, qua ipse timens Deum, et faciens, quod intelligit esse faciendum, laudabitur a Deo ; ut servus bonus et fidelis , et consequenter laudabitur ab Angelis et aliis sanctis, et ejusmodi laus erit æterna, quia ut dicitur in Psal. 111. *In memoria æterna erit justus, ab auditione mala non timebit.*

PSALMUS CXI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

ALLELUIA, REVERSIONIS AGGÆI, ET ZACHARIÆ.

HIC Psalmus recte conjungitur superiori, quia laudat virum justum, ut ille laudabat Deum, et est alphabeticus, continens viginti duos versiculos incipientes a litteris alphabeti ordine positis. Eumdem quoque habet titulum, *Alleluia,* apud Hebræos et Græcos : sed apud Latinos, teste Augustino, adduntur hæc verba, *Alleluia reversionis Aggæi, et Zachariæ.* Videtur enim David in spiritu prævidisse, Aggæum et Zachariam, post expletum tempus captivitatis, rediisse ad populum, eumque admonuisse, quanta sit felicitas viri justi, et timentis Deum, ut hoc exemplo exhortetur alios ad probitatem, ut non incidant in similem captivitatem.

EXPLICATIO PSALMI.

Aleph. Beatus vir, qui timet Dominum.
Beth. In mandatis ejus volet nimis.

Hæc est propositio, quam per totum Psalmum variis argumentis probat, ut suadeat omnibus pietatem, *Beatus,* inquit, *est, quicumque timet Dominum.* Sed quia non quicumque timor facit beatum, addit declarans, *In mandatis ejus volet nimis.* Ubi repetendum est, *qui,* ut hic sit sensus : Beatus est vir ille, qui timet Dominum, qui ex eo timore in mandatis ejus libentissime implendis versabitur : nam in mandatis velle nimis, nihil est aliud, nisi mandata valde diligere. et ad mandata multum esse affectum, sive in adimplendis mandatis magnam habere voluntatem. In summa ille dicitur felix, qui et interius timet Deum timore sancto, et exterius promptus est ad implenda mandata, ac per hoc justus et pius est.

Gimel. Potens in terra erit semen ejus.
Daleth. Generatio rectorum benedicetur.

Hæc est prima felicitas hominis timentis Deum, quod multam prolem consequetur. *Potens,* inquit, *in terra erit semen ejus,* id est, robusta erit posteritas ob multitudinem filiorum ; et rationem reddit, cum addit, *Generatio rectorum benedicetur,* quia videlicet generatio justorum ex divina benedictione fœcundissima erit. Benedictio enim in testamento veteri, ut plurimum ad fœcunditatem pertinet. Hæc prima felicitas non erat in viris justis perpetua, sed frequens. Scimus enim Abrahamum longo tempore in matrimonio sine liberis vixisse, ut etiam filium ejus Isaac, et postea non paucos alios. Sed si exponatur Psalmus de fructu bonorum operum, ex semine gratiæ cœlestis prodeunte, felicitas erit omnino perpetua : nemo enim est vere pius et justus, qui non assidue serat opera bona, ex quibus magnam omnino messem tempore suo collecturus sit.

He. Gloria, et divitiæ in domo ejus.
Vau. Et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Secunda felicitas est honorum, et opum abundantia, quæ tamen non inducant ad peccatum, neque justitiam corrumpant. Sæpe enim accidit ut honores et divitiæ superbiam gignant, vel carnalibus voluptatibus deserviant, et tum non felicitati, sed calamitati potius deputandæ sunt. Ait igitur, *Gloria et divitiæ in domo ejus,* id est, non solum multitudine filiorum, sed etiam honoribus, et divitiis abundabit justus, et tamen (quod est omnium felicissimum) non corrumpetur animus ejus istis fortunæ bonis, sed *justitia,* et probitas ejus, *perseverabit usque ad finem.* Hæc etiam felicitas non est perpetua, si agatur de gloria, et divitiis temporalibus : sed si de gloria interna, et de bonæ conscientiæ testimonio, et de divitiis fidei, ac de illo quæstu magno intelligatur, de quo Apostolus 1. Timoth. 6. *Quæstus magnus est pietas cum sufficientia,* id est, pietas sine sollicitudine temporalium, ita ut animus sit contentus iis, quæ habet ; perpetua felicitas erit : nam, ut ille dixit, animus

dives debet esse, non arca: tunc autem animus dives est, quando alimentis, et tegumentis contentus, nihil optat amplius, sed sibi ipse sufficit quod Apostolus dixit, *pietas cum sufficientia*, et Græce significantius αὐτάρχεια, quod declaravit idem Apostolus Philip. 4. cum ait, *Didici in quibus sum sufficiens esse: scio et abundare, et penuriam pati.*

Zain. Exortum est in tenebris lumen rectis.

Cheth. Misericors, et miserator, et justus.

Tertia felicitas timentium Deum, est lumen prudentiæ, et consilii divinitus affulgens in tenebris dubitationum, quæ passim occurrunt in rebus gerendis, item in discernendis fraudibus falsorum fratrum, denique lumen consolationis in omnibus calamitatibus, et ærumnis hujus vitæ. *Exortum est in tenebris lumen rectis*, id est, affulsit rectis hominibus, quales sunt timentes Deum, lumen consilii, et consolationis in tenebris dubitationum, et tribulationum; quod lumen est ipse Deus, *misericors, et miserator, et justus*, qui misericordiam facit viris misericordibus, quia justum est, ut misericordes misericordiam consequantur.

Theth. Jucundus homo, qui miseretur, et commodat.

Iod. Disponet sermones suos in judicio.

Caph. Quia in æternum non commovebitur.

Quarta felicitas est lætitia spiritualis, quæ residet in corde timentium Deum. Qui enim Deum timent, facile indulgent offensiones miserando fragilitates humanas, facile etiam commodant egentibus, et sic implent Dominicum præceptum, Luc. 6. *Dimittite, et dimittemini, date, et dabitur vobis.* Hæc autem bona opera maximam lætitiam pariunt; sicut e contrario, qui retinent offensiones, vel negant proximo beneficium, semper amaro sunt animo, tum quia conscientia pungit, tum quia cogitant se odio haberi. Illud, *miseretur*, a nonnullis refertur ad eleemosynas, quæ dantur egentibus, sed quia de eleemosyna paulo post fit specialis mentio, cum dicitur, *Dispersit, dedit pauperibus;* ideo maluimus cum S. Augustino referre ad indulgentiam offensionum, quod est genus eleemosynæ spiritualis. Quinta felicitas est prudentia in loquendo, propter quam evitantur incommoda maxima, inimicitiæ, rixæ, detractiones, et similia. Qui enim timet Deum, *disponit sermones suos in judicio*, id est, dispensabit verba sua cum maturitate judicii, ut neminem lædat, et inde plurima bona lucrabitur. Alii per sermones, intelligunt rationes, et negotia. Sed quamvis vox Hebræa, et Græca id patiantur, tamen vox Latina non patitur; et verisimile est, Prophetam varia bona timentium Deum enumerare, non eadem sæpius repetere. De prudentia in negotiis supra jam dixerat; de prudentia in loquendo nihil hactenus dixit. Reddit autem rationem, cur disponet sermones suos in judicio, cum addit, *Quia in æternum non commovebitur*, id est, quia vir est constans in propositis suis, et stabilis, et prævidet prudenter omnia, ut quicquid accidat, eum commovere non possit.

Lamed. In memoria æterna erit justus.

Mem. Ab auditione mala non timebit.

Sexta felicitas timentis Deum est, quod vivet semper in hominum memoria, et vivet non per memoriam insignis alicujus flagitii, quomodo vivunt Juda, et Cain, Herodes, et Pilatus, Annas, et Caiphas, sed vivet per memoriam gloriosam: nam laudes ejus enarrabit omnis Ecclesia sanctorum; neque solum, *In memoria æterna*, erit apud mortales, sed etiam nomen ejus scriptum erit in libro vitæ, quod numquam delebitur, et eo modo vere, ac proprie in memoria æterna erit apud Angelos in cœlo; *et ab auditione mala non timebit*, id est, non timebit a detractionibus, et reprehensionibus hominum impiorum: neque etiam timebit a sententia illa formidolosa Judicis æterni, videlicet, *Ite maledicti in ignem æternum*, etc. Matth. 25.

Nun. Paratum cor ejus sperare in Domino.

Samech. Confirmatum est cor ejus, non commovebitur.

Hain. Donec despiciat inimicos suos.

Septima felicitas timentis Deum est, firma, atque stabilis divina protectio, qua fretus nihil umquam malorum timebit. *Paratum cor ejus sperare in Domino*, id est, in omni adversitate, sive periculo imminenti cor ejus paratum, habet refugium ad Deum; quia semper est promptum, et paratum sperare in Domino, numquam obliviscitur adjutorium Dei, numquam diffidit, numquam hæsitat. *Confirmatum est cor ejus in hac fiducia*, ut nullum ei sit periculum, ne ab illa forte deficiat. *Non commovebitur donec despiciat inimicos suos*, id est, numquam timebit, dum periculum ab inimicis durabit. Multo autem minus timebit, cum eos ut prostratos, et devictos despiciet. In Hebræo pro, *non commovebitur*, habetur, *non timebit*: sed idem est sensus: pro *despiciat*, habetur, *videat*, ex quo sequitur, ut despicere hoc loco non sit proprie contemnere, sed videre ex altiore loco, ut sit despicere quasi deorsum inspicere, juxta illud Virgilii, *Despiciens mare velivolum.* Sed quia respicere inimicos ex alto, contingit illis, qui vident inimicos dejectos, et prostratos, ac per hoc illos contemnunt: recte potest exponi, *Donec despiciat*, id est, donec contemnat, ut jam devictos, et profligatos; quamvis vox illa immediate non contemnere, sed inspicere significet, si cum voce Hebraica convenire debeat. Et quoniam durante hac vita mortali numquam cessabunt pericula ab hostibus pietatis, nec videbimus eos omnino prostratos, nisi cum in cœlesti sede positi, longissime abjectos despiciemus; ideo illud, *donec*, tamdiu durabit quamdiu præsens vita durabit.

Phe. Dispersit, dedit pauperibus.

Tsade. Justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Coph. Cornu ejus exaltabitur in gloria.

Octava felicitas est, gratia bene utendi divitiis: nam ex dono Dei habent amici Dei, ut in-

telligant quanta sapientia sit per eleemosynas transferre thesauros suos in cœlum, Matth. 6. *ubi nec tinea demolitur, nec fures effodiunt, nec furantur. Dispersit,* inquit, *dedit pauperibus*, id est, iste homo timens Deum, opes suas non abscondit, neque augere studuit, sed sparsit in pauperes, id est, abundanter effudit, sed ea prudentia, ut dederit potius multis parum, quam paucis multum, ut multis provideret necessaria, nullis daret superflua. Simile est, qued habetur Isaiæ 58. *Frange esurienti panem tuum*, et 1. Cor. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas.* Nec tamen negamus, quin aliquando melius sit multum uni dare, quam multis parum; ut cum virgo pauper tradenda est viro, vel Ecclesia exædificanda, vel captivus redimendus. Vide S. Thom. in 2. 2. quæst. 32. art. 10. et S. Gregorium de cura pastorali par. 3. admonit. 21. Ex hac liberalitate duo bona lucratus est, unde vere beatus dici potest: primum, si pecunias diminuit, justitiam auxit, *et justitia ejus*, id est bonum opus ejus *manet in sæculum sæculi*, conservandum apud Deum, ut suo tempore mercedem plenam accipiat: nam *Qui miseretur pauperis, fœneratur Deo*, inquit Sapiens Proverb. 19. Deinde *cornu ejus exaltabitur in gloria*, id est, non solum mercedem habebit in vita futura, sed etiam in hoc sæculo potentia, et gloria augebitur: cornu in Scripturis potentiam et robur significat. Dicitur autem exaltari cornu alicujus, quando ille fit potentior, et fortior. *Exaltari autem cornu in gloria* est, hominem fieri non solum potentem, sed etiam gloriosum, quales sunt viri celebres, et honorati, quibus alii deferunt et cedunt. Significat igitur hic versiculus per eleemosynas non fieri homines tenuiores, et despectos, sed augeri divitiis, potentia, et gloria, cujus rei multa sunt exempla in divinis litteris, præsertim in libro Job, et in libro Tobiæ: et non pauca legi possunt in vitis Sanctorum, ac præcipue in vita sancti Joannis Eleemosynarii, et in Prato spirituali Sophronii.

Resch. Peccator videbit, et irascetur.
Scin. Dentibus suis fremet et tabescet.
Tau. Desiderium peccatorum peribit.

Postrema felicitas est, quod timens Deum omnem invidiam superabit, *Peccator videbit*, id est, considerabit bona opera timentis Deum, et ejus felicitatem, et invidia torquebitur, *et irascetur* sorti ejus. Et instar rabidi canis *fremet adversus illum*, et præ dolore tabescet: sed interim *desiderium impii*, quo cupit perditionem justi, non adimplebitur, sed una cum ipsò impio brevi *peribit.* Ergo beatus et felix est, qui timet Dominum; miser et infelix, qui non timet.

PSALMUS CXII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

ALLELUIA.

Hic Psalmus brevis et facilis hortatur cultores Dei ad ipsum Deum laudandum ob id potissimum, quod cum sit Altissimus, tamen non dedignatur ad nos oculos inclinare, et multis nos beneficiis afficere.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini.

Nomine puerorum intelliguntur servi Dei qui eum pure colunt: quamvis enim vox Græca παῖδες, et Latina, *pueri*, sint communes ad servos, et ad parvulos significandos: tamen vox Hebraica, עבדי *habde*, nihil significat, nisi servum, et clarius etiam id apparet ex eo quod in Hebræo vox, *Domini*, est in casu gignendi, *Laudate servi Dominum, laudate nomen Domini.* Magna tamen est affinitas servis cum parvulis, ut non immerito servi dicantur pueri, et pueri servi; quoniam servi sinere debent se regi a dominis, quomodo parvuli reguntur a majoribus, unde etiam B. Paulus ait ad Gal. 4. *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo.* Admonemur igitur voce *puerorum*, servos Dei simplices et puros esse debere, et ad nutum Domini sine tergiversatione procedere, *Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini*, id est, o vos omnes, qui servi estis Dei, in hoc præcipue illi servite, ut pura mente cogitetis magnitudinem Domini vestri, et toto cordis affectu laudetis nomen ejus, potentiam videlicet, et gloriam ejus infinitam. Similis exhortatio habetur in Psalmo 133. *Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi Domini*, et in Psalmo 136. *Laudate nomen Domini, laudate servi Dominum.*

2. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Declarat modum, quo servi Dei laudare debent nomen Domini, ac dicit affectu saltem, et desiderio laudandum esse, quandoquidem reipsa nos humi repentes laudare, ut oportet nescimus. Dicite ergo, ait, intimo cordis affectu, *Sit nomen Domini benedictum, et nunc* a præsentibus, *et usque in æternum* a futuris, ut ab ejus laudibus nunquam cessetur, vel potius,

ex hoc nunc, incipite laudare, *et usque in sæculum* laudate, id est, semper laudate, sive prospera, sive adversa contingant, sive in hac vita, sive in futura, semper laus ejus sit in ore vestro, et cum sancto Job semper dicite, *Sit nomen Domini benedictum.*

3. A Solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini.

Declarat hoc versu, et sequentibus materiam laudis Dei, ac dicit, ubique inveniri materiam laudis Dei, cum omnia sint plena operibus ejus magnis, et mirabilibus, quæ diligenter considerata laudabilem reddunt artificem, *A Solis ortu usque ad occasum*, id est, per totam Mundi amplitudinem a principio usque ad finem, *laudabile est nomen Domini*, propter opera ejus, quibus ab omni parte plenus est Mundus.

4. Excelsus super omnes gentes Dominus, et super cœlos gloria ejus.

Non solum per amplitudinem Mundi, sed etiam per altitudinem ubique invenitur materia laudis Dei: nam etiamsi multi sint in terra magni Principes et potentissimi reges: tamen super omnes longe eminet Deus: neque solum *super omnes gentes terræ*, sed etiam super omnes Angelos cœli excelsus est Deus, et gloria ejus cœlos omnes, et qui habitant in eo, transcendit. Sanctus Joannes Chrysostomus in his duobus versiculis vult contineri prædictionem Ecclesiæ Christianæ; per quam factum est, *ut nomen Domini*, quod in sola fere Judæa notum erat, nunc *a Solis ortu usque ad occasum*, laudetur, et omnes gentes illi subjiciantur, et eo modo sit *excelsus Dominus super omnes gentes.*

5. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo, et in terra?

Laudat nunc Deum ab admirabili benignitate, quæ conjuncta cum tanta sublimitate mirabilior apparet. *Quis*, inquit, *est sicut Deus noster, qui in altis habitat*, videlicet in summo cœlo, *et tamen humilia respicit*, homines videlicet, qui jacent in terra. Nam sic explicandus videtur ad litteram hic versiculus juxta distinctionem Hebraicam, et modum loquendi Scripturæ; ut illud, in cœlo, referatur ad illa verba, *in altis habitat*, et illud, *in terra*, referatur ad illa, *humilia respicit*: præsertim cum in Hebræo sint duo participia contraria, *Quis sicut Dominus Deus noster exaltans se ad sedendum, et humilians se ad respiciendum, in cœlo, et in terra*, id est ad sedendum in cœlo, et ad respiciendum in terra. Similis est sententia illa in primo capite Canticorum, *Nigra sum, sed formosa filia Sion, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis:* ubi, *sicut tabernacula Cedar*, conjungitur cum, *Nigra sum: et sicut pellis Salomonis*, conjungitur cum, *sed formosa.* Significatur autem hac phrasi, Deum per excellentiam naturæ omnia sub se habere; et tamen per clementiam rebus omnibus, quamvis humillimis, adesse ac præcipue hominibus mitibus, et corde humilibus se inclinare. Quod si non placeat hæc distinctio, potest etiam recte exponi, quo Deus quamvis naturæ sit excellentissimæ, et sublimissimæ, tamen a superbis, et tumidis oculos avertere, ad humiles, et mites libenter aspicere soleat; idque tam in cœlo, quam in terra: nam et in cœlo superbos Angelos detestatus, humiles respexit, et ad gloriæ suæ participationem evexit: et in terra superbis Pharaonibus, Saulibus, aliisque similibus contemptis, ad Mosem, Davidem, aliosque mites, et humiles respexit. Sed altiore, et prophetico sensu significatur his verbis, Deum in cœlo sedentem non neglexisse genus humanum in terra humiliter abjectum.

6. Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem.

7. Ut collocet eum cum Principibus, cum Principibus populi sui.

Declarat cur Deus respiciat humiles: ac dicit, id eum facere, ut eos exaltet. Quamvis autem hæc applicari possint singulis hominibus, quos ex infimo gradu Deus evexit ad summum, quales fuerunt Joseph Patriarcha, Moses, David, et similes: tamen aptissime conveniunt hi duo versiculi humano generi, id est, toti gregi pusillo electorum, quibus Salvator ait, Luc. 22. *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum:* nam genus humanum jacebat in terra, et in stercore peccati originalis, et consequentium miseriarum: et tamen Deus sedens in cœlo respexit in terram, et inde suscitavit inopem, hominem videlicet spoliatum a latronibus, et relictum semivivum, jacentem in stercore miseriarum, ut collocaret eum *cum Principibus;* non quibuscumque, sed *cum Principibus populi sui*, possessoribus cœlestis Jerusalem, et participibus Regni cœlorum. Nam exaltatio a paupertate temporali ad opes Regni temporalis, etiamsi nobis magna esse videatur: vere tamen exigua, ac pene nulla exaltatio est, cum opes Regni caducæ sint, et ad dispensandum traditæ, et cum obligatione reddendæ rationis in die judicii, et conjunctæ cum magna afflictione spiritus, et periculo æternæ salutis amittendæ. At exaltatio a statu peccati, et mortis, ad statum gloriæ, et beatæ immortalitatis, ad æqualitatem Angelorum, ad consortium boni illius, quod ipsum Deum beatum facit, hæc vera, et vere magna, et appetenda maxime exaltatio est.

8. Qui habitare facit sterilem in domo matrem filiorum lætantem.

Quemadmodum infelicitas virorum est status humilis, et despectus, ita infelicitas mulierum est sterilitas. Sed quomodo Deus respicit viros humiles, ut de statu infimo erigat ad Regnum; ita respicit humiles feminas, ut de sterilitate perducat ad fœcunditatem. Potest autem hoc totum referri ad singulas feminas, ut Saram, Rebeccam, Rachelem, Annam, et similes. Sed altiore sensu pertinet ad Ecclesiam ex gentibus congregatam, quæ longo tempore mansit sterilis, sed in senectute peperit plurimos, juxta illud Apostoli ad Gal. 4. ex c. 54. Isaiæ, *Lætare sterilis, quæ non paris, erumpe, et clama quæ non parturis, quia multi filii desertæ magis, quam ejus, quæ habet virum.* Quod autem ad verba attinet, cum dicitur, *Qui habitare facit sterilem in domo;* per domum intelligitur

familia, sive abundantia filiorum, ut sensus sit, Qui facit ut sterilis, quæ manebat solitaria, jam habitet inter multas proles, in magna familia. Id quod explicatur per verba sequentia, *Matrem filiorum lætantem*, id enim est, *habitare in domo*, esse matrem filiorum, ac per hoc esse lætantem ob filiorum multitudinem, quæ erat mœsta ob sterilitatem, et solitudinem.

PSALMUS CXIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

ALLELUIA.

DECANTAT in hoc Psalmo David mirabilia opera Dei, dum educeret filios Israel de Ægypto in terram promissionis : idque ad eum finem, ut hortetur populum ad permanendum in confessione unius veri Dei, et sperandum continuo in ejus protectione.

EXPLICATIO PSALMI.

1. In exitu Israel de Ægypto : domus Jacob de populo barbaro.

2. Facta est Judæa sanctificatio ejus, Israel potestas ejus.

Narrat initio Psalmi quemadmodum populus Hebræorum in egressu de Ægypto cœperit habere formam populi peculiariter Deo subjecti, et a Deo singulari providentia gubernati, ac si Deus esset proprius eorum Rex. Nam antequam ingrederetur Ægyptum, erant una familia, non unus populus : dum autem manserunt in Ægypto multiplicati sunt valde, sed admixti erant Ægyptiis, et Regi Pharaoni serviebant : sed egressi de Ægypto formam propriæ Reip. habere cœperunt, Mose, tanquam Dei Vicario, et interprete, summum Magistratum apud eos gerente. Hoc igitur est quod dicit, cum ait, *In exitu Israel de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro*, ubi cum dicitur, *Domus Jacob*, repetendum est, *in exitu*, hoc modo : *In exitu Israel de Ægypto, in exitu*, inquam, *domus Jacob de populo barbaro :* quæ pars secunda versiculi est explicatio primæ ; declarat enim per nomen, Israel, se non intellexisse hominem illum, qui proprio nomine dicebatur, Israel, sed totam familiam Jacob, id est, totam illam gentem, quæ a Jacob Patriarcha, qui etiam Israel vocabatur, per carnalem generationem originem ducebat. Per populum barbarum intelligitur Ægyptus. Significat autem vox Hebr. לעז *lohhets*, loquentem lingua ignota, et barbarus dicitur, cujus lingua non intelligitur, juxta illud Apost. 1. Cor. 4. *Si nesciero virtutem vocis, ero cui loquor barbarus et qui loquitur mihi barbarus.* Dicitur igitur *populus barbarus*, populus Ægypti, quia alia lingua utebatur ab ea, qua utebantur Hebræi. *Facta est Judæa sanctificatio ejus*, hoc est: tunc primum, cum egressi sunt filii Israel de Ægypto, Deus sanctificavit, sive dedicavit sibi in populum peculiarem, populum Judaicum. *Israel potestas ejus :* idem repetit aliis verbis, id est, tunc assumpsit peculiarem potestatem, ac dominium super filios Israel. Quod attinet ad verba, *per Judæum*, intelligi debet hoc loco non terra quæ dicitur Judæa, sed gens Judaica, nam in Hebræo est, *Judas*, sicut paulo post, *Israel.* Solet autem Scriptura populum Hebræum, nunc vocare Judam de nomine principalis filii Israel, nunc Israel, de nomine patris : unde etiam vocantur Judæi, vel Israelitæ. Sed illud, *sanctificatio et potestas*, intelligitur quasi materia sanctificationis, et potestatis, ut sensus sit, Facta est gens Judaica, sive Israelitica, gens sanctificata Deo, et peculiariter subjecta potestati ejus. Pro nomen relativum, *ejus*, refertur ad Deum, sive Dominum, qui nominatus est in titulo, *Alleluia, laudate Dominum :* quasi dicat, Laudate Dominum, quia cum egrederentur filii Israel de Ægypto, tunc factus est populus sanctificatus ei, et subjectus peculiariter potestati ejus.

3. Mare vidit, et fugit, Jordanis conversus est retrorsum.

4. Montes exultaverunt, ut arietes, et colles sicut agni ovium.

Narrat mirabilia, quæ acciderunt in egressu filiorum Israel de Ægypto, et commoratione in deserto, et ingressu in terram promissionis, ut hinc ostendat, Deum Hebræorum esse verum Deum omnipotentem, quem jure ipsi colere, et timere debeant : ac primum narrat miraculum, quo mare jubente Deo divisum est, ut populus transiret : ut habetur Exod. 14. sed narrat poetica venustate tribuens ipsi mari sensum, quasi videns majestatem Domini, ex timore et reverentia se subduxerit. Conjungit deinde aliud miraculum circa Jordanem, quoniam ad idem elementum pertinet, quamvis multo posterius, id est, post annos quadraginta contigerit. Jordanis enim fluvius divisus quoque est tempore Josue, ut populus per siccum alveum transiret, ut habetur Josue 4. Deinde

commemorat miracula, quæ acciderunt in terra, quando acceperunt legem, descendente Deo in montem Sinai: tunc enim terra mota est, et tremore concussa a majestate Domini, quasi trepidare, et saltitare videbatur. Quod enim legimus Exod. 9. *Erat totus mons terribilis,* significat montem tremore suo terrorem aliis incussisse, ut ex textu Hebraico, et Græco clarius colligitur. Postremo addit aliud miraculum de aquis in magna copia ex petra eductis, *Qui convertit petram in stagna aquarum, et rupem in fontes aquarum:* sed veniamus ad verba, *Mare vidit, et fugit,* id est, ita recessit de loco suo pars illa maris rubri, ac si a conspectu Domini territa fugisset. *Jordanis conversus est retrorsum.* In libro Josue legitur, *quod steterit flumen, et in altum instar montis excreverit;* sed ex interpretatione Davidis intelligimus, non solum in altum crevisse, sed etiam ex parte refluxisse, et refluxus iste confirmari potest ex eo, quod longissimo spatio temporis cessaverit fluere, donec videlicet totus populus commode transiret, qui multa centena millia hominum complectebatur. Itaque si solum in altum crevisset, et non etiam simul ex parte refluxisset, non solum ad instar montis, sed in altitudinem multo majorem excrevisset. Simul igitur refluebat, ut David canit, et simul erigebatur, et stabat, ne flueret in partem illam, per quam Israelitæ transibant, *Montes exultaverunt, ut arietes, et colles sicut agni ovium,* id est, montes Sinai, partes videlicet majores illius montis, et colles, partes minores ejusdem montis contremiscere, et subsilire visæ sunt instar arietum, vel agnorum repentino terrore saltantium: quamvis enim vox, *exultare,* significare soleat gestire præ lætitia; tamen hoc loco videtur omnino referendum ad tremorem; tum quia eadem est causa mari, ut fugiat, et monti ut saliat; fugere autem timoris est, non lætitiæ: tum quia paulo infra dicitur, *A facie Domini mota est terra:* quæ verba terrorem indicant, et hunc locum exponunt.

5. Quid est tibi mare, quod fugisti? et tu Jordanis, quia conversus es retrorsum?

6. Montes exultastis sicut arietes, et colles sicut agni ovium.

7. A facie Domini mota est terra, a facie Dei Jacob.

8. Qui convertit petram in stagna aquarum, et rupem in fontes aquarum.

More poetico interrogat mare, quare fugerit, et Jordanem, quare conversus sit retrorsum, et montes, et colles, quare tremuerint: et respondet, id fecisse præsentiam virtutis Dei, qui non solum hoc fecit, ut mare fugeret, et terra tremeret, sed etiam, quod est mirabilius, unum elementum in alterum transmutavit: convertit enim terream rupem stantem, atque durissimam in aquas mollissimas; et velocissime discurrentes. *Quid est,* inquit, *tibi mare, quod fugisti? et tu Jordanis,* quid habes, *quod conversus es retrorsum? et vos montes quare exultastis ut arietes, et vos colles, quasi agni ovium? A facie Domini mota est terra.* Hæc nimirum est causa, quia Dominus apparuit, et vim suam, et potentiam manifestavit, et ideo terra conspectum ejus non sustinens, tota contremuit. Qui *Dominus convertit petram in stagna aquarum,* quando Mose percutiente petram Numeri 20. egressæ sunt aquæ largissimæ; quod factum est, quia petra, jubente Domino, *conversa est in fontem aquarum,* quod repetitur, et declaratur, cum additur, et rupem in fontes aquarum. Significatur enim his verbis, non parvam aliquam, et mollem petram, sed rupem saxeam, duramque instar silicis conversam fuisse in fontem aquarum.

9. Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

Hic incipit secundum Hebræos alius Psalmus: sed nos sequimur distinctionem antiquam Septuaginta Seniorum: quam etiam sequitur S. Hieronymus in sua versione ex Hebræo: quod est argumentum, non in omnibus Hebraicis codicibus dividi hunc Psalmum in duos. Igitur explicatis mirabilibus Dei, quæ facta sunt in exitu Israel de Ægypto; precatur Propheta Deum nomine totius populi, ut non respiciat demerita populi, sed gloriam suam, et pergat protegere cultores suos. *Non nobis,* inquit, *non nobis,* id est, non meritis nostris, quæ nulla sunt, gloriam, sive laudem petimus, *sed nomini tuo da gloriam,* id est, propter gloriam nominis tui protege nos, non propter merita nostra.

10. Super misericordia tua, et veritate tua; ne quando dicant gentes, ubi est Deus eorum.

Indicat brevissime tres rationes, cur Deus debeat nominis sui gloriam quærere in conservando populo suo: prima est, quia ipse misericors est: secunda, quia verax est, et fidelis in promissione servanda: tertia, ne detur occasio gentibus blasphemandi, si cultores Dei destitutos videant. Ait igitur, *super misericordia tua, et veritate tua,* nimirum funda gloriam tuam, sive da gloriam nomini tuo: inde enim gloria tua demonstrabitur, si ostendes misericordiam erga populum tuum; et rursus, si implebis veritatem promissorum tuorum, quæ fecisti Patribus nostris. *Ne forte dicant gentes, ubi est Deus eorum?* id est, ne detur occasio gentibus incredulis detrahendi de potentia, vel etiam de existentia tua.

11. Deus autem noster in cœlo, omnia quæcumque voluit, fecit.

12. Simulacra gentium argentum, et aurum, opera manuum hominum.

13. Os habent, et non loquentur, oculos habent, et non videbunt.

14. Aures habent, et non audient, nares habent, et non odorabunt.

15. Manus habent, et non palpabunt, pedes habent, et non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo.

Propter id, quod dixerat, *Ne forte dicant gentes, ubi est Deus eorum?* adjungit pulcherrimam antithesim Dei veri, et falsorum Deorum. Quasi dicat non est danda occasio gentibus blasphemandi: sed tamen si forte dixerint, *ubi*

est Deus eorum? nos respondebimus, *Deum nostrum esse in cœlo*, idque testari mirabilia ejus, quia fecit, quidquid voluit; sed contra, Dii eorum jacent in terra, et usque adeo nihil possunt facere, ut ne possint quidem exercere actiones membrorum, quæ habere videntur: nam cum habeant figuram humanam, et videantur habere membra omnia, et sensus omnes; tamen nec vident, nec audiunt, nec olfaciunt, nec palpant, nec ambulant, nec loquuntur, ac ne vocem quidem ullam ex gutture emittunt, si non ut homines, saltem ut jumenta.

16. Similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes, qui confidunt in eis.

Hæc prædictio est, per modum imprecationis pronunciata, ut moris est Prophetarum. Vere enim qui faciunt idola, et qui confidunt in eis, similes illis fient in vita futura post resurrectionem: nam etiamsi habebunt sensus, et membra, tamen sic habebunt quasi non haberent, imo etiam cupient non habere; nihil enim videbunt, nihil audient, nihil olfacient, nihil palpabunt, nisi quod nollent: ligatis enim manibus, et pedibus, projecti in tenebras exteriores se commovere non poterunt. In hac etiam vita similes sunt idolis, quia videntur potius videre, et audire, quam revera videant et audiant, cum non videant, neque audiant, quæ ad salutem pertinent, et quæ vera bona sunt, ut magis somniare, quam videre, vel audire dicendi sint, juxta illud Marci 8. *Oculos habentes non videtis, et aures habentes non auditis.* Quod si etiam placeat hæc exponere per modum imprecationis, non poterunt Pagani conqueri, quia non fit illis injuria, si eos fieri cupiamus similes Diis ipsorum. Monet autem S. Augustinus hæc, quæ supra dicta sunt, pertinere ad eos Paganos, qui credunt ipsa idola esse Deos, quia vero nonnulli dicebant, non ipsa idola, sed numen in illis habitans esse colendum; ideo in alio Psalmo videlicet 95. dicit, *Dii gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit*, et apud Apostolum 1. Cor. 10. *Quæ immolant gentes, dæmonibus immolant, et non Deo.* Ex his autem colligimus, imagines Sanctorum non esse Idola, neque earum venerationem esse idololatriam: quoniam neque ipsas imagines Deos esse credimus, neque Sanctos viros, quos repræsentant, pro Diis habemus.

17. Domus Israel speravit in Domino, adjutor eorum, et protector eorum est.

18. Domus Aaron speravit in Domino, adjutor eorum, et protector eorum est.

19. Qui timent Dominum speraverunt in Domino, adjutor eorum et protector eorum est.

Quia dixerat, *Similes illis fiant, qui confidunt in eis*, adjungit per antithesim, filios Israel confidisse in Domino, et ideo habuisse Deum protectorum; nominat autem primo domum Israelis, id est, totam gentem Hebraicam: deinde domum Aaronis, id est, tribum sacerdotalem, quia sacerdotes cum Levitis cæteris peculiaris portio Domini erant, et specialiter in Deo confidere debebant: addit postremo omnes timentes Deum, quoniam non deerant aliqui extra filios Israel, qui Deum colerent, et timerent, quamvis ii pauci essent: in his numerari solent Job, et amici ejus, et postea Naaman Syrus, et alii.

20. Dominus memor fuit nostri, et benedixit nobis.

21. Benedixit domui Israel, benedixit domui Aaron.

22. Benedixit omnibus, qui timent Dominum, pusillis cum majoribus.

Confirmat quod dixerat, Deum adjutorem et protectorem esse sperantium in se. Ac se ipse constituit in numero confidentium in Deo, quippe qui præter cæteros auxilium Dei, et protectionem expertus fuerat. Deinde eodem ordine confirmat Deum benedixisse domui Israel, domui Aaron et omnibus timentibus Deum, sive magnis, sive parvis, quod intelligi potest de omni magnitudine, et parvitate, sive ætatis, sive potestatis, sive sapientiæ, sive divitiarum. Memoria Dei significat hoc loco singularem providentiam erga cultores suos. *Memor*, inquit, *fuit nostri*, id est, singulari providentia demonstravit, se memorem esse nostri; *et benedixit nobis*, id est, benefecit nobis adjuvando et protegendo. Explicat autem quid sit illud, *nobis*, cum addit *domui Israel, domui Aaron, et omnibus timentibus eum.*

23. Adjiciat Dominus super vos, super vos, et super filios vestros.

24. Benedicti vos a Domino, qui fecit cœlum, et terram.

Ex abundantia cordis os loquitur, ut ait D. Lucas cap. 6. quia pectus sancti Prophetæ ardebat desiderio gloriæ Dei, et salutis proximorum; ideo multiplicat verba, nunc prædicendo, nunc exhortando, nunc bene precando, ut hac ratione accendat homines ad Deum timendum timore sancto, et ad spem omnem in eo collocandam. Igitur conversus ad timentes Deum, quibus dixit Deum benedixisse, ait, *Adjiciat Dominus super vos*, nimirum benedictionem suam, id est, omnium bonorum copiam: nec solum, inquit, *super vos, sed etiam super filios vestros.* Et hoc modo sitis vos benedicti, plena, atque perfecta benedictione, a Domino, *qui fecit cœlum, et terram*, id est, ab eo, in cujus manu est ros cœli, et pinguedo terræ. Solebant enim Sancti testamenti veteris precari suis a Domino rorem cœli, et pinguedinem terræ, quia omnes fructus terræ nascuntur ex fœcunditate terræ, et ex pluvia cœli. Sed altiore sensu Deus benedicit de rore cœli, et de pinguedine terræ, quos bonis cœlestibus, et terrenis cumulat, quod fecit erga Abrahamum, Isaacum, Josephum Davidem, et similes.

25. Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.

26. Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum.

27. Sed nos qui vivimus benedicimus Domino, ex hoc nunc et usque in sæculum.

Hi tres versiculi duplicem sensum : habent unum accommodatum Hebræis secundum vetus testamentum; alterum accommodatum Christianis secundum testamentum novum. Igitur priore sensu posteaquam dixerat, *Benedicti vos a Domino, qui fecit cœlum, et terram ;* docet æquum esse, ut ii, qui benedicti sunt a Domino, benedicant ipsi quoque Dominum, dum vivunt super terram, quam a Deo incolendam acceperunt, relinquentes Angelis officium benedicendi in cœlo, ubi est domicilium Dei, et ministrorum ejus, qui illi coram assistunt. *Cœlum*, inquit, *cœli Domino*, id est, summum cœlum, quod super cœlum aereum, Domino proprie dicatum est, et familiaribus ministris ejus Angelis sanctis : *terram autem* cum elementis, quæ illi conjuncta sunt, *dedit filiis hominum habitandam ;* ac pro tam insigni parte mundi debent filii hominum Deo assidue gratias agere, dum vivunt, et bonis terræ fruuntur. Nam *non mortui laudabunt te Domine :* mortui enim, cum sensibus corporis careant, neque fruantur amplius terrenis bonis, imo nec vivant secundum corpus ; non laudant Dominum ore corporali, neque pro rebus terrenis gratias agunt. *Neque omnes, qui descendunt in infernum*, id est, non solum mortui, qui jacent in sepulchris non laudant Dominum, sed neque illi *qui descendunt in infernum*, id est, spiritus mortuorum, qui descendunt in varias inferni regiones, Dominum benedicent pro terrenis bonis, quæ ad illos jam non pertinent : *sed nos qui vivimus in terris*, et fruimur terrenis bonis, *benedicimus Domino*, *ex hoc nunc, et usque in sæculum*, per generationes sibi invicem succedentes. At sensu Christianis accommodato secundum promissiones testamenti novi, dicendum est, per cœlum cœli, intelligi supremam partem cœli, ubi est domus filiorum Dei, de qua dicit Apostolus 2. Cor. 5. *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam æternam in cœlis*, vel cum Sancto Augustino, per cœlum cœli, intelligere possumus mentes justorum Angelorum, et hominum, in quibus Deus habitat per cognitionem, et amorem : hanc domum sibi Deus elegit ; *terram autem*, id est, mundum hunc visibilem dedit *filiis hominum*, prout distinguuntur a filiis Dei : et ideo subjungitur, *Non mortui laudabunt te Domine*, id est, qui mortui sunt morte peccati, etiamsi vivant vita naturæ, non laudabunt te Domine, *neque omnes qui descendunt in infernum*, qui in morte peccati confirmati sunt, et ad pœnas æternas descenderunt : *sed nos qui vivimus* vita gratiæ, qui per fidem, et charitatem tibi inhæremus, et jam cœlestis patriæ cives sumus, quamvis interim ad tempus habitemus in terra, nos, inquam, *benedicimus tibi*, et benedicimus *usque in æternum.* Vide Chrysostomum hanc expositionem eleganter persequentem.

PSALMUS CXIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

ALLELUIA.

PSALMUM hunc exponunt aliqui cum Hebræis de temporali aliqua pressura, vel morbo, a quo liberari cupiebat Propheta. Sed nos cum Sanctis Patribus, Basilio, Chrysostomo, Hieronymo, Augustino, existimamus intelligendum Psalmum esse de homine spirituali sitiente salutem æternam, et gemente propter tentationes, et pericula.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.

Anima ardens desiderio Domini absolute dicit, *Dilexi*, et non explicat, quem : quoniam existimat omnes alios similiter amare rem undecumque amabilem, ac proinde scire, quem dicere velit. Sic B. Maria Magdalena Joan. 20. interroganti, *Quem quæris?* respondit, *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi*, et non declarat, quem quærat, et quem sublatum doleat, quia putabat omnes amare, quem ipsa amabat, et sollicitos de illo esse, de quo ipsa sollicita erat. Et vere cum omnia bonum appetant, ut dicitur initio Ethicorum, et in solo Deo sit omnis ratio boni, et absit ab eo omnis ratio mali, quod significavit B. Joannes, cum ait in prima epist. cap. 1. *Deus lux est, et in eo tenebræ non sunt ullæ :* deberent homines solum Deum absolute amare, et cum audiunt, *Dilexi*, intelligere deberent dilectionem summi boni significari. Sed tamen David ex ratione, quam reddit satis indicat se de dilectione Dei esse loquutum : ait enim, *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ*, id est, dilexi Dominum, quoniam benignus et misericors est, et naturali sua benignitate exaudiet vocem orationis meæ. Magna causa diligendi, quod altissimus Dominus, et qui rerum nostrarum non indiget, tam facilis sit ad audiendas preces vilissi-

morum servorum, ut secure promittere nobis possimus audientiam, quod in Psalm. 8. clarius exprimitur, cum dicitur, *Quoniam tu Domine suavis, et mitis, et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.* Sensus igitur est, Dilexi Dominum, quoniam certus sum, quod exaudiet vocem orationis meæ.

2. Quia inclinavit aurem suam mihi, et in diebus meis invocabo.

Declarat unde didicerit, Deum exauditurum preces suas dicens, Inde scio, quia ipse prævenit me, ipse invitavit, dum *inclinavit ad me aures suas;* quorsum enim inclinaret ad os meum aurem suam, nisi me audire paratus esset? Porro Deus inclinat aures ad nos, quando inspirat nobis orationem, neque enim nos oraremus, nisi Deus per gratiam prævenientem inspiraret desiderium orandi. Igitur David assuetus internis vocationibus, ex desiderio orandi sibi cœlitus inspirato intellexit, aurem Domini ad se inclinatam; et ideo etiam adjungit, *et in diebus meis invocabo*, id est, dum affulgent mihi dies gratiæ Dei, et in hac luce videbo aurem Domini ad me inclinatam, non omittam occasionem, sed invocabo Dominum. Vocat enim dies suos, dies illos, quibus luce prævenientis gratiæ fruebatur, absente enim luce gratiæ nox succedit diei, de qua dicitur, *Veniet nox, in qua nemo potest operari*, Joan. 9. S. Joannes Chrysostomus per illud, *in diebus meis*, intelligit omnibus diebus vitæ meæ. S. Augustinus per dies meos, intelligit dies hujus mortalitatis, qui nostri dies dicuntur, quia nos ipsi peccando nobis illos fecimus.

3. Circumdederunt me dolores mortis, et pericula inferni invenerunt me.

Explicat nunc materiam suæ orationis, quæ sunt tentationes, et pericula salutis æternæ, quas solas tribulationes magni pendit anima vere Deum diligens. In Psalm. 17. similia verba exposuimus de periculis mortis corporalis; quoniam titulus Psalmi ad id cogebat, sed hic Psalmus, qui nihil habet in titulo, nisi *Alleluia*, ad sublimiorem intelligentiam nos invitat. Ait igitur, *Circumdederunt me dolores mortis*, id est, undique tentationes mortiferæ me circumstant, ut compellar clamare, cum Apostolo ad Rom. 7. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* In Hebræo est vox ambigua, quæ et funes, sive laqueos, et dolores significare potest; et vere tentationes mortiferæ, funes sunt, sive laquei mortis, et etiam dolores mortis, quia ex illis viri pii dolorem concipiunt, qualis est in illis, qui mortem sibi vident imminere. Declarat paulo apertius, cum addit, *pericula inferni invenerunt me:* nam ex hoc periculo omnium periculorum maximo concipiunt dolores mortis, qui in illo adhuc se versari cogitant. Vox Hebraica, ומצרי שעול *umtisare schol*, proprie *angustias inferni* significat, qua voce designatur locus angustus, per quem qui gradiuntur, in periculo præcipitii versantur, nisi singulos gressus vigilantissime observent, et talis est via salutis, arcta, atque angusta: unde nullo negotio in præcipitium inferni ruunt, qui non caute ambulant. Unde monet Apostolus, *Videte quomodo caute ambuletis*, ad Ephes. 5.

4. Tribulationem, et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi.

Multi sunt, qui circumdati sunt laqueis mortis, et periculis inferni, et non advertunt, occupati fortasse prosperitatibus sæculi; et quo magis circumdati sunt ejusmodi periculis, eo minus ea considerant, et ideo neque timent, neque dolent; David autem ea considerabat, et considerando invenerat, ubi esset, et ideo tremens, ac dolens dicebat, *tribulationem et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi*, id est, *Tribulationem et dolorem inveni*, quia blandiente licet sæculi prosperitate, et felicitate, tamen adverti me circumdatum esse furibus, et doloribus mortis, et periculis inferni expositum esse; ideo gemens nomen Domini invocavi, et dixi, *O Domine libera animam meam.* S. Basil. paulo aliter exponit, ut sensus sit, *Circumdederunt me dolores mortis, et pericula inferni invenerunt me*, id est, peccatum mortale commisi, unde in mortem animi incidi, et inferno propinquavi: sed ego tribulationem, et dolorem pœnitentiæ salutaris inveni, et hoc modo corde contrito, et animo contribulato nomen Domini invocavi dicens, *o Domine libera animam meam.*

5. O Domine libera animam meam: misericors Dominus, et justus: et Deus noster miseretur.

Dixerat, *nomen Domini invocavi:* nunc subjicit ipsa verba invocationis, *O Domine libera animam meam*, nimirum de doloribus mortis, et periculis inferni. In Hebræo est particula non solum vocantis, sed etiam obsecrantis, nimirum אנא *ana.* Itaque potuisset verti, *Obsecro Domine, libera animam meam*, sed idem est sensus. Deinde, ut ostendat se bona spe invocasse Dominum, addit quasi rationem, dicens, *Misericors Dominus, et justus*, supple est, *et Deus noster miseretur*, misericors Dominus est, quia prævenit peccatorem gratia sua, dum ei pœnitentiam, et orationem inspirat: Ipse enim prior dilexit nos, ut dicit Apostolus Joan. 4. Justus etiam est, quia non sine flagello dimittit, *flagellat enim omnem filium quem recipit*, ut ait Paulus ad Heb. 9. et iis ignoscit, qui sibi ipsi non ignoscunt, et tandem *Deus noster miseretur*, quia recipit quem flagellavit, et non solum peccata indulget, sed hæredem facit. S. Joan. Chrysost. scribit, Deum dici misericordem, et justum, quia semper admiscet misericordiam justitiæ, et justitiam misericordiæ, et addit, *Deus noster miseretur*, quia Deus magis pronus est ad miserandum, quam ad puniendum.

6. Custodiens parvulos Dominus, humiliatus sum, et liberavit me.

Miseretur Dominus, ut paulo ante dictum est, sed præcipue parvulis timentibus eum: id enim in Psal. 102. clarius habetur, cum dicitur, *Secundum altitudinem cœli a terra corroboravit Dominus misericordiam suam super timentes se.* Item. *Sicut miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.* Quod idem legimus in Cantico Virginis Deiparæ, Luc. 1. *Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.* Quoniam igitur verba illa ultima versiculi superioris, *Et*

Deus noster miseretur, intelliguntur de miseratione paterna, ut sonat vox Hebraica, מרחם *merachem*, ideo nunc declarat, quos respiciat ista paterna miseratio, ac dicit respicere parvulos, id est, mites, et humiles, ac timentes Deum filiali timore. *Custodiens parvulos Dominus*, id est, Dominus ex paterna miseratione custodiens est parvulos suos, quasi teneros filios, quibus æternam hæreditatem paravit. Et quoniam David non ignorabat, testimonium reddente Spiritu sancto spiritui ejus, se unum ex illis esse, addit, *humiliatus sum*, id est, ex parvulis esse studui, et tandem concludit, *liberavit me*, quod de liberatione in spe intelligi debet; præsertim cum in Hebræo sit in futuro, *et liberabit me*.

7. Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.

Liberatus homo justus in spe, gratulatur sibi ipsi tantum bonum, dicens, *Convertere anima mea in requiem tuam*, id est, festina passibus desiderii ad locum veræ, ac sempiternæ quietis, ad cœlestem Jerusalem, ad sinum veri Abraham, *quoniam Dominus benefecit tibi*. In Hebræo habetur, *Quoniam Dominus retribuit super te*; quo verbo significatur vita æterna, esse corona justitiæ, et merces operum bonorum, ut hoc loco notavit S. Basil. Itaque textum vulgati interpretis ex Hebraica proprietate explicare licebit.

8. Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu.

Declarat, quid sit bonum illud magnum, sive magna illa retributio, de qua dictum est *benefecit tibi*, sive, *retribuit tibi*, ac dicit esse vitam beatam, et sempiternam. *Quia eripuit animam meam de morte*, id est, eripuit a morte, et donavit vitam: *oculos meos a lacrymis*, id est, dedit vitam non subjectam ulli malo, sed cumulatam omni bono; *abstergit enim Deus omnem lacrymam ab oculis eorum*, ut dicitur Apoc. 21. *Et pedes meos a lapsu*, id est, dabit vitam non solum fœlicem, sed etiam securam, ac sempiternam, ut ab ea excidere nunquam possim. Ita liberabit a doloribus mortis, et a periculis inferni, et in vitæ fœlicissimæ æternitate, et securitate constituet.

9. Placebo Domino in regione vivorum.

Concludit Psalmum dicens, quod quemadmodum ipse secure possidebit vitam optimam, et dulcissimam, quæ vehementer ipsi placebit: ita etiam placebit ipse Domino vehementer, et secure *in regione vivorum*. Dicit regio vivorum, ubi omnes ab omni parte vivunt, et ideo placent omnibus modis Deo viventi: nam in hac peregrinatione multi mortui sunt, *et qui vivunt, secundum spiritum vivunt, non secundum corpus, quod propter peccatum mortuum est*, Rom. 8. unde clamat Apostolus Rom. 7. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* In Hebræo habetur, *Ambulabo coram Deo in terra viventium*. Sed idem est sensus: nam *ambulare coram Deo*, est placere oculis Dei, recte et juste vivendo. Sic legimus Gen. 5. *Ambulabit Henoc cum Deo*, et Gen. 6. *Noe fuit vir justus, atque perfectus, cum Deo ambulavit*, et Gen. 17. *Ambula coram me, et esto perfectus*, et Luc. 1. *Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris*.

PSALMUS CXV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

ALLELUIA.

HUNC Psalmum Hebræi partem esse volunt Psalmi superioris: sed nos distinctionem Septuaginta Seniorum sequimur: nec tamen negamus, hunc Psalmum immediate subjungendum esse superiori, ut Sanctus Basilius monet. Agit enim Propheta gratias Deo, et vota se persoluturum pollicetur pro salute æterna, quam bona spe jam possidere cœpit.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Credidi propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.

Respicit ad verba illa, *Placebo Domino in regione vivorum*, et quasi aliquis interrogasset, unde nosti regionem vivorum? respondet se novisse per spiritum fidei. *Credidi*, inquit, *esse regionem vivorum* quandam, licet oculis ea non videatur, et propter hanc fidem dixi, *Placebo Domino in regione vivorum*. Citavit hunc locum Apostolus 2. Cor 4. *Habentes*, inquit, *eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est, Credidi propter quod locutus sum, et nos credimus, propter quod et loquimur, scientes quoniam, qui suscitavit Jesum, et nos cum Jesu suscitabit, et constituet vobiscum*. Ubi B. Paulus docet, ex spiritu fidei, non ex ulla humana demonstratione, cognosci resurrectionem corporum, et veram viventium regionem, in qua cum Domino Jesu constituendi sumus. Et quoniam hæc fides requiret

animam vere humilem, quæ se Spiritui sancto plene subjiciat ad obedientiam fidei, subjungit, *Ego autem humiliatus sum nimis*, id est, ego vero credidi, quia non ingenio meo nitor, sed valde humilem, ac docilem me Spiritui sancto præstiti. Sic enim et Dominus ait Matth. 11. *Confiteor tibi Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis*, et in alio loco, *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis?* Joan. 5.

2. Ego dixi in excessu meo, Omnis homo mendax.

Varie admodum hunc versiculum exponunt auctores, ut alii referant ad quandam quasi desperationem Regni obtinendi, quod Samuel Davidi promiserat, et in excessu quodam turbatus dixerit, *Omnis homo mendax*, videlicet, ut etiam Samuel mentitus videatur: alii referunt ad populum in captivitate Babylonica constitutum, et desperantem de promissis Prophetarum, alii aliter exponunt. Sed non video, quomodo ista, et alia id genus cohæreant cum reliquis partibus hujus Psalmi. Ideo magis probo sententiam Euthymii, qui hæc refert ad excessum mentis, per quem Propheta ascenderit ad notitiam regionis vivorum, et dixerit in comparatione ejus regionis mendacium esse quidquid homines loquuntur de felicitate humana. *Ego*, inquit, qui humiliavi me valde, exaltatus a Domino ad mentis excessum, *in eo excessu*, videns, quam falsa et fallacia sint, quæ videntur hominibus vera, et solida bona; *dixi, Omnis homo mendax*, id est, omnis homo, qui humano affectu loquitur de felicitate, et magni æstimat bona mortalia, et caduca, mendax est: vera enim et stabilia bona non inveniuntur nisi in regione vivorum. Ex hac expositione cessat objectio, quam nomine sophistarum sibi ipse proposuit magnus Basilius: Si omnis homo mendax; igitur et David, qui est homo, mendax est: ergo mentitur cum dicit, *Omnis homo mendax*, ac per hoc sibi ipse contradicit, et dictum suum ipse destruit, hoc, inquam, sophisma cessat, quia per hominem intelligitur hoc loco humano affectu loquens, non autem homo loquens spiritu divino afflatus. Posset etiam dici, aliud esse hominem semper mentiri, aliud esse mendacem: potest enim homo mendax aliquando vera loqui, præsertim si non ex se, sed spiritu Dei loquatur: mendax enim dicitur homo, quoniam ex natura sua obnoxius est errori, et falsitati. Quomodo intelligitur, quod scribit Apostolus ad Rom. 3. *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax*, id est, solus Deus mentiri nequit, homines autem omnes mendacio sunt obnoxii: sed non continuo sequitur ut perpetuo mentiantur.

3. Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi?

Animadvertens tantis se bonis cumulatum, cum et regionem vivorum Dei beneficio agnoverit, et in eam se ingressus esset, præ lætitia exultaverit; quærit, quid Domino retribuere possit. *Quid*, inquit, *retribuam Domino pro his quæ retribuit mihi?* Ille me de nihilo fecit, ille de iniquitate redemit, ille regionem viventium demonstravit, ille mihi etiam se daturum promisit; quid igitur illi retribuam? Quod autem dicit, *retribuit mihi*, potest simpliciter accipi pro *tribuit;* ut exponit Euthymius: vel cum S. Augustino, notari liberalitas, et misericordia Dei, qui tanta bona tribuit pro tantis malis.

4. Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.

Non desunt, qui hunc calicem exponant de sacrificio legis veteris, quod liquoribus, et libaminibus continebatur: vel de calice convivali, quo in memoriam acceptæ salutis utebantur, sed ista levia sunt, et Sancti Patres, Basilius, Chrysostomus, in 2. expositione, Hieronymus, Augustinus, et cum iis Theodoretus, et Euthymius magno consensu de calice patientiæ, et passionis hunc locum intelligunt, de quo calice Dominus Matth. 20. dixit, *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* et Matth. 26. *Transeat a me calix iste*, et Joan. 18. *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum?* Nec solum in testamento novo, sed etiam apud Prophetas passim accipitur calix pro amara potione tribulationis, ut Psal. 74. *Quia calix in manu Domini vini meri plenus misto*, et Isaiæ 51. *Elevare Hierusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ ejus*, et Hier. 25. *Sume calicem vini furoris hujus de manu mea*, et Ezech. 23. *Hæc dicit Dominus Deus, Calicem sororis tuæ bibes profundum, et latum: veris in derisum, et in subsannationem, et bibes illum, et epotabis usque ad fæces*, et Habac. 2, *Repletus es ignominia pro gloria: bibe tu quoque, et consopire, circumdabit te calix dexteræ Domini, et vomitus ignominiæ super gloriam tuam.* Dicit igitur vir justus, et amator Dei, cum nihil habeam præstantius, quod offeram Deo meo, pro tam multis bonis, quæ retribuit mihi, *calicem salutarem accipiam*, id est, bibam libenti animo calicem Domini quantumvis amarum, sive tribulationes, sive pericula, sive mortem ipsam Pro suo honore sustinere me velit: scio enim calicem hunc amarum quidem, sed salutare futurum. Et quia de meis viribus non confido, sed in Domini adjutorio omnia possum, ideo, *nomen Domini invocabo*, ut det mihi calicem suum intrepide haurire. Vocat autem Propheta, *calicem salutaris*, calicem salutis id est, calicem salutiferum. Confirmat hanc expositionem consuetudo Ecclesiæ, quæ hunc Psalmum in Martyrum solemnitatibus cantare solita est.

5. Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

Paratus ad calicem passionis bibendum securus dicit: sacrificium laudis, et confessionis Domini, non in angulis solum, et in cubiculis, sed palam et publice coram omni populo ejus inimicis etiam præsentibus immolabo, etiamsi mortem inde mihi imminere intelligam. *Pretiosa enim in conspectu Domini mors sanctorum ejus*, id est, magni æstimat Dominus mortem Sanctorum pro suo honore, et confessione susceptam; quomodo apud homines magni fiunt gemmæ pretiosæ, quibus Regum diademata ornari solent, et quibus nihil clarius apud homines invenitur. Expendit hoc loco S. Basilius gloriam Martyrum, quorum non solum animæ mox coronantur in cœlis: sed etiam reliquiæ corporum in maximo

pretio habentur in terris, antea siquidem qui tangebat cadaver hominis immundus erat: nunc autem, qui ossa Martyrum contingit, sanctificationem acquirit.

6. O Domine, quia ego servus tuus, ego servus tuus et filius ancillæ tuæ.

Non superbit vir sanctus, qui se totum Deo in sacrificium offert, sed agnoscit debitum servitutis, et juxta mandatum Domini dicit, servus inutilis sum; quod debui facere feci. *O Domine*, inquit, quid magnum feci, quod vota mea publice reddidi, neque ob timorem mortis confessionem tuam omisi? quod debui facere feci, *quia ego servus tuus sum*, redemptus de captivitate diaboli pretioso sanguine filii tui, *ego*, inquam, *servus tuus sum*, non solum redemptionis gratia, sed etiam dono creationis, *sed et filius ancillæ tuæ*, id est, non emptitius tantum, et vernaculus, quia et mater mea ancilla tua est, duplici illo nomine, et creationis, et redemptionis. Dicit autem, filius ancillæ tuæ, non filius servi tui; quia servitus sequitur ventrem: nam si liber ex ancilla gignat filium, ille filius servus nascitur. Unde Sara Abrahamo dixit, *Ejice ancillam, et filium ejus: nomen enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac*, Gen. 21. Itaque Ismael servus erat, quia matrem habuit ancillam, quamvis patrem habuerit liberum, videlicet Abrahamum. S. Augustinus per ancillam intelligit Ecclesiam, quæ est mater nostra, ancilla ex naturæ debito, et libera ex gratiæ munere.

7. Dirupisti vincula meà, tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Docet servum se Domini esse, sed servitute bona, erutum autem a servitute mala. Quomodo Dominus in Evangelio hortatur eos qui laborant, et onerati sunt, ut tollant jugum suum, *quia jugum ipsius suave est, et onus ejus leve*. Matth. 11. non liberat omnino a jugo, et onere, sed tollit jugum asperum, ut imponat jugum suum suave, et aufert onus grave, ut imponat onus leve. Ita omnino dirupit Deus vincula, quibus a Satana alligabamur, vincula peccatorum, et onera cupiditatum, quibus ad inferos deprimebamur: et alligat jugo suavi legis divinæ, et onere levissimo charitatis, quo in altum evehimur, et exaltamur ad cœlum. *Dirupisti*, inquit, *vincula mea*, id est, liberasti a servitute durissima, et servum tuum esse voluisti, cui servire, regnare est. Ideo tibi *sacrificabo hostiam perpetuæ laudis*, et non amplius invocabo falsos Deos, mammonam videlicet, et ventrem, et opes, et honores, quibus antea serviebam: *sed nomen Domini*, qui solus est Deus, assidue *invocabo*.

8. Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus, in atriis domus Domini, in medio tui Hierusalem.

Hæc repetitio est quinti versiculi, *Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus*, additur enim in atriis domus Domini, in medio tui Hierusalem, ad significandum, ut sanctus Augustinus monet, debere servum Dei offerre vota sua, confessionem suam, et seipsum Deo, intra Ecclesiam, quæ per Hierusalem significatur: qui enim extra Ecclesiam id faciunt, nihil faciunt: nam, ut scribit S. Cypr. in libro de unitate Ecclesiæ, Hæretici occidi possunt, coronari non possunt: et eorum mors non est fidei corona, sed pœna perfidiæ. Posset fortasse hic versiculus referri ad cœlestem Hierusalem, ut sicut supra dictum est, *Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus*, de confessione in terris: ita nunc in fine Psalmi tale aliquid dicatur de confessione laudis, et votis gratiarum actionis, quæ reddetur in cœlis: ut hic sit sensus, *Vota mea Domino reddam*, id est, et tandem diruptis vinculis omnibus, et ad perfectam libertatem filiorum Dei vocatus, sacrificinm laudis, et gratiarum actionis, *immolabo in conspectu omnis populus ejus*, jam glorificati in cælis, *in atriis domus Domini*, id est, in ingressu domus Dei: de qua dicitur in Psalm. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*, nec solum in atriis, sed etiam in domo, quæ domus in medio tui est, o superna gloriosa Jerusalem, et quæ patria nostra es, ad quam ex peregrinatione quotidie suspiramus.

PSALMUS CXVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

ALLELUIA.

Hunc Psalmum omnium brevissimum declarat Apostolus ad Rom. 5. ubi dicit *Christum fuisse ministrum circumcisionis ad confirmandas promissiones Patrum: gentes autem super misericordia honorare Deum*, et allegat hæc verba, *Laudate Dominum, omnes gentes, et magnificate eum omnes populi*. Ex quo intelligimus, Prophetam hoc loco alloqui totam Ecclesiam ex gentibus, et Judæis congregatam, eamque hortari ad laudandum Deum, quod misericordiam, et veritatem erga eam ostendat. Sed observandum est cum Apostolus dicit, *gentes super misericordia debere hônorare Deum*, ad Judæos autem pertinere *veritatem*, quam Deus ostendit confirmando promissiones Patrum, non esse sensum, ad Judæos non pertinere misericordiam, sed ad gentes pertinere solam misericordiam, ad Judæos autem misericordiam et veritatem; quia licet miserit Deus ad Judæos Messiam,

ut impleret promissiones Patrum, tamen promissiones non ex meritis eorum, sed ex mera misericordia processerunt. Sic enim cecinit Zacharias Luc. 1. *Ad faciendam misericordiam cum Patribus nostris, et memorari testamenti sui sancti*, et hoc tractat, ac demonstrat Apostolus ad Rom. 3. *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei*, et persequitur hoc argumentum usque ad finem capitis undecimi, ubi dicit, *Concludit Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur*, et idem docet in tota epistola ad Galatas, et ad Ephes 2. *Eramus, et nos natura filii iræ, sicut et cæteri.*

EXPLICATIO PSALMI.

1. Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.

Ecclesiam, ut dixi, totam alloquitur et ad laudandum Dominum cohortatur : intelligit autem per gentes ut Apostolus monuit gentilitatem conversam ad fidem, quam primo loco posuit, quia videbat multo majorem partem Ecclesiæ ex gentibus, quam ex Judæis congregandam. *Per populos* autem intelligere videtur populos, sive tribus Judæorum, similiter ad fidem conversorum, ut hoc loco notavit in commentario S. Hieronymus, et similia verba Psal. 2. *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania?* exposuerunt Apostoli Act. 4. per gentes gentiles, et per populos Judæos intelligentes.

2. Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus : et veritas Domini manet in æternum.

Ratio laudandi Deum est, *quoniam misericordia Domini stabilita est*, per adventum Messiæ super gentes, et super Judæos. Fundata enim est Ecclesia, *adversus quam portæ inferi non prævalebunt*, et constitutum est regnum, cujus non erit finis. Nec solum misericordia confirmata est, sed etiam *veritas promissionum adimpleta*, Matth. 16. in æternum amplius non mutabitur.

PSALMUS CXVII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

ALLELUIA.

PSALMUS hic de Davide exponi potest ad litteram, ut facit S. Joannes Chrysostomus, tamen convenit etiam toti populo Christiano, cujus figuram David gerebat, et hanc expositionem persequitur S. Augustinus : Canit autem tum David, tum populus Dei multa beneficia Dei, sed illud potissimum, quo Christum, lapidem angularem extulit in summum ædificium, ut duos parietes connecteret et contineret, quod factum est in die Resurrectionis, et ideo Ecclesia canit hunc Psalmum in Dominica die ad Primam : et verba illa ex hoc Psalmo. *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus, et lætemur in ea*, Resurrectioni applicat, et per Octavam Paschæ frequentissime cum jubilo canit.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.

Invitat David omnes ad laudandum Deum, et rationem reddit, *quoniam bonus*, nihil brevius, nihil grandius dici potuit, nam solus Deus proprie, et simpliciter bonus est, et nihil jure laudari potest, nisi bonum; addit, *Quoniam in sæculum misericordia ejus*, ut ostendat ab effectu, Deum esse bonum, ac per hoc etiam laudabilem. Nam bonitas Dei nulla in re magis cognosci potest a miseriis, quam in misericordia. Misericordia enim nos creavit, misericordia redemit, misericordia protegit, misericordia coronabit, ita usque in sæculum misericordia ejus.

2. Dicat nunc Israel quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.

3. Dicat nunc domus Aaron, quoniam in sæculum misericordia ejus.

4. Dicant nunc qui timent Dominum, quoniam in sæculum misericordia ejus.

Explicat qui sunt, quos invitaverat ad laudandum Deum, et nominat primo loco Israelem, id est, populum Israeliticum, quoniam inde fuerunt omnes Apostoli, qui primi credi-

derunt, et Apostoli inchoarunt. Secundo nominat domum Aaron, quia post Apostolos, *magna turba sacerdotum obedire cœpit fidei*, ut dicitur Act. 6. denique addit, *omnes qui timent Dominum*, quales fuerunt omnes gentiles, qui crediderunt, et Ecclesiæ jam inchoatæ se adjunxerunt. Itaque totam Ecclesiam ex Judæis, et gentibus collectam invitat ad laudandum Deum.

5. De tribulatione invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine Dominus.

Incipit declarare materiam laudis divinæ; quod in angustia positus cum esset, invocavit Dominum, et Dominus continuo exaudiens posuit illum in latitudinem; opponit enim pulcherrime angustias latitudini, *Ego*, inquit, *de tribulatione invocavi Dominum*, id est, cum essem *in tribulatione*, sive *in angustia*, ut sonat vox Hebraica, תמצר *thammatsar, invocavi Dominum*, id est, non merita mea jactavi, non conquestus sum, quod injuste paterer persecutionem, sed ad misericordiam Dei confugi, *et exaudivit me in latitudine Dominus*, id est, exaudivit me et de angustiis in latitudinem transtulit. Sicut autem per angustias significatur tribulatio, ita per latitudinem significatur liberatio a tribulatione. Quod autem id possit David de persona sua merito dicere, notissimum est ex Psal. 17. et 53. et aliis multis. Quod idem etiam conveniat Ecclesiæ non minus est notum. Certe initio nascentis Ecclesiæ, cum Herodes S. Petrum Ecclesiæ totius Pastorem et Principem inclusisset in carcerem, *oratio fiebat ab Ecclesia sine intermissione* ad Deum pro eo: Act. 12. et continuo exaudita est, et maximo miraculo de summis angustiis tribulationum in latitudinem magnæ consolationis educta est; et quoties de angustiis variarum persecutionum Neronis, Decii, Diocletiani, et similium Tyrannorum ad latitudinem pacis, et quietis Deo miserante transivit, totius dicere potuit, *De tribulatione invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine Dominus.*

6. Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.

7. Dominus mihi adjutor, et ego despiciam inimicos meos.

Experimento proprio doctus David, sive populus Dei, magna fiducia exultat, et non dicit, *Dominus mihi adjutor*, est, nihil deinceps patiar, scit enim se adhuc peregrinum inter hostes multa passurum: sed dicit, *Dominus mihi adjutor*, supple est, *non timebo quid faciat mihi homo*, id est, non turbabor propter mala, quæ mihi infert homo: quia Dominus omnia convertet in bonum. Sic enim Dominus monuit, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant*, Matth. 10. *Nam capillus de capite vestro non peribit.* Luc. 21. et Apostolus. *Momentaneum, et leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Cor. 4. Quare merito addit, *et ego despiciam inimicos meos*, quippe qui sæviendo in corpus gloriæ meæ deserviunt.

8. Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine.

9. Bonum est sperare in Domino, quam sperare in Principibus.

Deducit ex dictis utilem admonitionem de spe collocanda in Deo, non in hominibus quantumvis potentibus. Deus enim et potest, et vult confidentes in se juvare, homines autem sæpe non possunt, sæpe etiam variis passionibus acti nolunt. Quod expertus fuerat David, qui aliquando speravit in Saule Rege suo, alias in Achis Rege Cethæo, alias in Achitophel consiliario prudentissimo, alias in aliis, et in nullo fidem invenit: in Deo autem nunquam sine prospero eventu speravit. Ait igitur monens omnes, *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine*, id est, magis quam confidere in homine. *Bonum est sperare in Domino*, magis *quam sperare in Principibus*, terrenis videlicet. Hæc comparatio accommodata est infirmitati humanæ, cui nota est potentia hominum, et maxime Principum; Dei autem potestas occulta est plurimis, qui neque vident, neque considerant: fortasse etiam non credunt magnitudinem Dei, alioqui dicendum fuisset, Bonum est sperare in Domino, malum autem sperare in homine. Sic enim ait Hieremias cap. 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine.* Neque tamen malum est spem aliquam collocare in adjutorio Angelorum, vel hominum bonorum, quia hæc spes ad Deum refertur, qui non solum per se, sed etiam per suos adjuvat confidentes in se.

10. Omnes gentes circuierunt me, et in nomine Domini, quia ultus sum in eos.

11. Circumdantes circumdederunt me, et in nomine Domini, quia ultus sum in eos.

12. Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis, et in nomine Domini, quia ultus sum in eos.

Ostendit exemplo suo, quam sit bonum confidere in Domino, cum ipse non semel, sed sæpius obsessus a magna multitudine hostium, Dei adjutorio ita liberatus fuerit, ut hostes suos prostratos viderit, notum est, si de persona Davidis agatur, quam sæpe a Saule cum magna manu obsessus fuerit, et mirabiliter liberatus: sed notius est, quam sæpe populus Dei a Regibus potentissimis, et a populis innumerabilibus persecutiones gravissimas perpessus divinam ultionem viderit. Verba sunt paulo obscuriora, quoniam vulgatus interpres voluit omnes voces Hebraicas exprimere, et phrasis Hebraica phrasi latinæ non respondet. Clarius reddidisset, ut Græci fecerunt, si omisisset illud, *quia*, et illud, *in*, ac dixisset, *omnes gentes circuierunt me, et in nomine Domini ultus sum in eos.* Illud enim *quia*, et illud *in*, redundant, et illud *eos*, est masculini generis, quia vocabulum Hebraicum גוים *goim*, quod gentes significat, est etiam generis masculini. Itaque interpres fideliter vertit, et quod in Græco deerat, addidit ex Hebræo. Sensus autem hic est, *Omnes gentes*, id est, tota fere multitudo gentium *circumdederunt me, et in nomine Domini ultus sum eas*, id est, in virtute Dei vidi ultionem, quia Deus ultus est innocentiam meam, dum hostes prostravit, ac delevit, addit autem, *circumdantes circumdederunt me*, ut ostendat non quomodo-

cumque se fuisset circumdatum, sed ita arcte obsessum, ut nullum pateret effugium, addit etiam, *Circumdederunt me sicut apes, et sicut ignis in spinis*: ut ostendat multitudinem et vehementiam hostium; nam apes in tanta copia circundant favum, ut numerari non possint: et ignis tanto impetu corripit spinas aridas, ut in puncto temporis eas consumat. In Hebræo habetur דעכו *dehhechu*, *Extinctæ, vel consumptæ sunt gentes*, videlicet *sicut ignis*. Sed non est verisimile Septuaginta Interpretes, vel auctorem vulgatæ editionis Latinæ reddidisse contrarium sensum: neque satisfaciunt qui dicunt, non esse contrarium sensum, exardescere ignem in spinis; et consumi ignem in spinis, quia utraque lectione significatur celeritas actionis ignis in spinas, qui mox, ut exarserit extinguitur. Qui hoc dicunt, ideo non satisfaciunt, quoniam David subjungit, *et in nomine Domini ultus sum in eos*, quod non diceret, si inimici ejus antea fuissent extincti, sive consumpti. Existimo igitur Septuaginta Interpretes, vocem illam דעכו *dohacu*, accepisse in significatione activa, qualem habet in conjugatione *Piel*, et *Poal*, non in passiva: et ideo non vertisse, *extinctæ*, vel *consumptæ sunt*, sed *consumere cupierunt*, sive exarserunt ad consumendum, sicut ignis in spinis.

13. Impulsus eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me.

14. Fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem.

Amplicavit hactenus multitudinem, et atrocitatem inimicorum: nunc confitetur infirmitatem suam, quæ tanto robori par esse non poterat, ut hinc magis agnoscatur gloria Domini. Ego, inquit, tantæ violentiæ resistere non poteram; ideo ab hostibus impulsus in ruinam jam eversus ruere cœperam, *sed Dominus* in tempore *occurrens sustentavit me*. Referri potest hoc ad pericula amittendæ vitæ corporalis, in quæ sæpe incidit David: referri etiam potest ad pericula spiritualia gravissimarum tentationum in quæ incidebat populus Christianus tempore persecutionum, qui propterea agnoscens, et confidens non suis viribus, sed ex gratia Dei vicisse, dicit, *Fortitudo mea, et laus mea Dominus*, id est, Dominus est fortitudo mea, quia viribus ejus vinco, *et ipse idem est laus mea*, quia semper eum laudare debeo, *et ipse factus est mihi in salutem*, ipse Salvator meus fuit.

14. Vox exultationis, et salutis in tabernaculis justorum.

Ex liberatione Davidis gavisi sunt justi, qui eam liberationem scire potuerunt: sed multo magis ex liberatione populi Christiani de ingenti persecutione orta *est vox exultationis, et vox salutis*, id est, *salutem annuncians in tabernaculis justorum*, ubique enim resonat vox lætitiæ, et nuncius salutis. Notat Sanctus Chrysostomus, justos hic in terris non habere domos stabiles, sed tabernacula peregrinorum, vel militantium.

15. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me: dextera Domini fecit virtutem.

Hæc est vox exultationis et salutis, quæ resonat in tabernaculis justorum, quod *dextera Domini*, id est, virtus et potentia filii Dei *fecit virtutem*, id est, operata est fortiter, ac potenter: nam filius Dei dicitur in Scripturis brachium Domini, sive manus ejus dextera, quia Pater per filium omnia fecit, et facit. *Omnia per ipsum facta sunt*, Joan. 1. *Per quem fecit et sæcula*, ad Hebr. 1. et Isaiæ 53. *Quis credidit auditui nostro, et brachium Domini, cui revelatum est.* Luc. 1. *Fecit potentiam in brachio suo. Dextera Domini exaltavit me*, id est, in hoc dextera Domini fecit virtutem, quod depressit inimicos meos, et me exaltavit: sive id de Davide, sive de populo Dei intelligatur. *Dextera Domini fecit virtutem*, id repetitur lætitiæ causa. In Hebræo non habetur, *Dextera Domini exaltavit me*, sed *Dextera Domini excelsa*, ut vertit S. Hieron. vel *Dextera Domini exaltans*, utrumque enim significat vox, רוממה *romema*. Hanc secundam significationem secuti sunt Septuaginta Interpretes, et addiderunt *me*, ut sensus sit, *Dextera Domini exaltans me fuit*, quod est idem cum illo, Exaltavit me.

16. Non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini.

17. Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me.

Pergit idem, sive David, sive populus Domini, commemorare beneficium Domini, qui persecutiones permittit, ut Pater, non ut hostis, ad purgationem, non ad mortem, quasi diceret, quantumvis magnas persecutiones passus sim, et adhuc patiar: tamen non moriar, sed vivam, id est, non exterminabor, non deficiam omnino, ut adversarii vellent: sed permanebo, et narrabo opera Domini, *qui castigans castigavit me* paterno flagello, *sed morti non tradidit me.*

18. Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino. Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam.

Ex acceptis beneficiis sumit animum aspirandi ad majora, ac petit introduci tandem in cœlestem Hierusalem in qua nulli injusti habitant. *Aperite*, inquit, *mihi portas justitiæ*, id est, portas Regni cœlorum, quæ ex justitia constant; porta enim gloriæ justitia est. *Quærite*, inquit Dominus Matth. 6. *primum Regnum Dei, et justitiam ejus. Ingressus in eas confitebor Domino*, quoniam *qui habitant in domo Domini, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Psalm. 83. *Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam.* Hæc porta justitiæ est vera porta, et unica quæ ducit ad Dominum: et ideo justi soli intrabunt in eam. Alii aliter exponunt, videlicet de portis templi, vel civitatis Jerusalem. Sed nos secuti sumus Augustinum, Chrysostomum, et Hieronymum: neque verum est, quod per portas templi, vel civitatis terrenæ Jerusalem, soli justi intrarent.

19. Confitebor tibi, quoniam exaudisti me, et factus es mihi in salutem.

Declarat quod dixit, *ingressus in eas confitebor Domino.* Dicit enim, *Confitebor tibi*, quando videlicet ingressus ero in cœlestem Jerusalem per portas justitiæ, *quoniam exaudisti me*: nam

etiamsi multa, et varia justi petant in hoc mundo, tamen omnia tendunt ad unam petitionem, de qua dicitur in Psal. 26. *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* De hac igitur petitione dicit, *Confitebor tibi, quoniam exaudisti me,* et clarius adhuc exponit, dicens, *Et factus es mihi in salutem*, id est, qui eras spes mea, factus es salus mea : qui eras viaticum, factus es præmium.

20. Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.

21. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.

Hos versiculos aliqui recentiores de Davide exponunt ad litteram, quem dicunt *factum fuisse in caput anguli*, quando factus est Rex super Israelem, et Judam : sed Davidem figuram gessisse Christi, qui factus est in caput anguli, cum factus est caput Ecclesiæ, ex Judæis, et Gentibus congregatæ. Cæterum, SS. Patres absolute exponunt de Christo, nulla mentione facta Davidis. Imo S. Joannes Chrysostomus, qui priores partes de Davide exponit ad litteram, hoc loco scribit, Prophetam de improviso mutasse argumentum, et de Christo prophetasse. Adde quod Christus ipse publice hunc locum tanquam ad se proprie spectantem allegavit Matth. 21. Marc. 12. et Luc. 21. neque ullus respondit, de Davide hæc verba esse intelligenda. Sanctus etiam Petrus Act. 4. iterum coram omni populo hunc locum allegavit tanquam proprie de Christo scriptum, neque ullus contradixit. Sanctus etiam Paulus ad Rom. 9. et S. Petrus 1. epist. cap. 2. allegant Isaiam cap. 28. de hoc lapide angulari, summo, electo, probato, etc. Denique idem Apostolus Paulus ad Ephes. 2. vocat Christum *angularem lapidem summam.* Certe non auderem, Scripturam ita celebrem, et decantatam a Christo et Apostolis explicatam, ullo modo cum Davidis persona communicare. Accedit quod David non fuit primus, neque solus Rex super Israelem et Judam, ut ideo meruerit dici lapis angularis, nam ante ipsum fuit Saul Rex super utrumque populum, et post eum Salomon : neque Israel, et Judas erant proprie duo populi, sive duæ gentes diversæ, ut sunt Hebræi, et Gentiles. Igitur omissa illa expositione, dicendum est, quod cum David in persona sua, et populi Dei decantasset liberationem a temporalibus malis, et petiisse introitum in æternam salutem; declarat nunc quomodo Deus aperuerit viam ad hanc æternam salutem, et sine dubio auctus majore lumine prophetico hos versiculos scripsit. *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli,* Matth. 11. Marc. 8. Luc. 9. id est, misit Deus lapidem vivum, pretiosum, electum in terras; sed Judæi, ad quos tunc pertinebat officium ædicandæ Ecclesiæ, hunc lapidem reprobaverunt, dicentes de Christo, *Non est hic homo a Deo, qui Sabbatum non custodit;* et *Non habemus Regem nisi Cæsarem;* et *Seductor ille dixit, post dies resurgam,* et similia. Sed hic idem lapis ab ædificantibus reprobatus, quasi inutilis ad ædificium spirituale, a Deo principali Architecto *factus est in caput anguli*, id est, constitutus est super duos parietes, ut eos conjungeret, et contineret, id est, factus est caput totius Ecclesiæ ex Hebræis Gentibus congregatæ, et tale caput, ut qui sub eo non ædificatur, salvus esse non possit : et omnis, qui sub ipso tanquam lapis vivus ædificatur, omnino salvandus sit. Atque hoc *a Domino factum est*, id est, electione, et potestate divina, non consilio, vel ope humana, et ideo *mirabile est in oculis nostris.* Quis enim non miretur, hominem crucifixum, et mortuum, ac sepultum, post dies resurgere immortalem cum amplissima potestate; et caput, ac Principem declarari omnium hominum et Angelorum; et per eum aditum patefieri hominibus mortalibus ad Regnum cœlorum, et ad societatem Angelorum, ab beatam immortalitatem?

22. Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus, et lætemur in ea.

Hæc dies, qua id factum est, proprie dies, *quam fecit Dominus*, et ideo ob tantum beneficium, *exultemus, et lætemur in ea.* Hæc sine dubio est dies Resurrectionis Dominicæ : quamvis enim ab ipsa conceptione propter unionem hypostaticam Dominus Jesus fuerit Christus, et caput Ecclesiæ; unde Pastoribus ab Angelo dictum legimus, *Annuncio vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David :* tamen debuit prius reprobari ab hominibus, et humiliari usque ad mortem crucis, et postea exaltari per resurrectionem, et tunc declarari summus angularis lapis, et prædicari per omnes gentes, *quod non esset in alio aliquo salus*, ut dicitur Act. 4. Unde ipse etiam dixit Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Dicitur autem dies resurrectionis, dies quam fecit Dominus, vel quia Christus resurgens, ut Sol justitiæ, novo modo fecit eum diem, vel quia peculiariter Deus eam diem sibi consecravit : vel *hæc est dies, quam fecit Deus* ad hunc finem, *ut exultemus et lætemur in ea.*

23. O Domine salvum me fac, o Domine bene prosperare; benedictus qui venit in nomine Domini.

Has laudes Christo dixerunt turbæ in die Palmarum, ut S. Hieronymus annotavit in commentario ad cap. 23. Matthæi. Quod enim illi dixerunt, הושיעהנא *Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini*, in hoc versiculo nos habemus : sed in Evangelio relinquitur vox Hebraica, *Hosanna;* hic explicatur per illa verba, *o Domine salvum me fac.* Itaque Dominus in die Palmarum voluit visibiliter exhibere, et quasi præoccupare triumphum quem acturus erat invisibiliter in die Resurrectionis. Non enim poterat illi juste objici, quod triumphum ageret ante victoriam, quoniam de victoria certissimus erat. Propheta autem sicut prævidit et prædixit, Christum ut lapidem reprobandum tempore passionis, et postea a Deo exaltandum in caput anguli tempore resurrectionis : ita prævidit et prædixit ipsa verba, quæ turbæ dicturæ erant in die triumphi Christi in die Palmarum, quo significaretur triumphus Resurrectionis, et optime accipit, quod utraque dies et Palmarum et Resurrectionis esset dies Dominica. Ait igitur,

Exultemus, et lætemur in hac die, dicentes, *O Domine salvum me fac:* in Hebræo non est illud, *me*, sed simpliciter, *Hosanna*, id est, *salva obsecro.* Græci tamen addiderunt explicandi gratia, *O Domine bene prosperare*, nimirum inchoato regno tuo, *benedictus qui venit in nomine Domini*, id est, benedicatur ab omnibus Messias, Rex noster, *factus in caput anguli*, *qui venit in nomine Domini*, id est, non a seipso venit, non sibi Regnum usurpavit, ut faciet Antichristus: sed venit missus a Patre suo, Domino cœli, et terræ, sic enim explicavit Christus ipse, Joan. 5.

24. Benediximus vobis de domo Domini: Deus Dominus, et illuxit nobis.

25. Constituite diem solemnem in condensis, usque ad cornu altaris.

Explicata tota prophetia adventus Christi, et triumphi ejus, convertitur Propheta ad populum, atque illum exhortatur ad celebrandum diem festum solemnem in gratiarum actionem. *Benediximus*, inquit, *vobis de domo Domini*, id est, nos Prophetæ benediximus vobis populis fidelibus annunciantes mysteria divina in salutem vestram: *Benediximus autem de domo Domini*, id est, vobis qui estis de domo Domini, vel nos ex domo Domini, unde hæc ex revelatione didicimus, *benediximus vobis.* Summa autem est, *Deus Dominus*, *et illuxit nobis*, id est, Dominus noster ipse est verus Deus, et ipse illuxit nobis, ostendens nobis lucem miserationum suarum. Propterea *constituite diem solemnem*, id est, agite diem solemnem *in condensis*, id est, densos virides ramos adferentes, et ornantes templum *usque ad cornu altaris.* Ista varie exponuntur secundum ritus Judæorum quæ ad nos nihil pertinent.

26. Deus meus es tu, et confitebor tibi, Deus meus es tu, et exaltabo te.

27. Confitebor tibi, quoniam exaudisti me, et factus es mihi in salutem.

28. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.

Hæc est repetitio dictorum, affectum Prophetæ demonstrans.

PSALMUS CXVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

ALLELUIA.

Hic Psalmus tribus in rebus omnibus aliis antecellit. Primo utilitate, est enim totus moralis, et hortatorius ad vitam secundum legem Domini instituendam, et ea causa est, cur quotidie ab Ecclesia frequentetur. Secundo longitudine, continet enim versus centum septuaginta sex, cum Psalmus septuagesimus septimus, qui ex reliquis longissimus est, non ascendat ultra versus septuaginta octo. Causa hujus tantæ longitudinis fortasse fuit, ut populus haberet, in quo pie, et cum fructu occuparetur, dum ter in anno ex omni parte ad tabernaculum ascenderet: videtur enim Psalmus compositus, ut in itinere caneretur, quo Psalmo finito sequuntur Psalmi graduales, qui in ascensione graduum tabernaculi canebantur. Tertio, elegantia et artificio alphabetico: siquidem primi octo versus incipiunt singuli a prima littera alphabeti, sequentes octo a secunda, et sic deinceps, ita ut octies totum alphabetum repetatur. Hujus rei causam non aliam esse arbitror, nisi ad memoriam adjuvandam, cum hic Psalmus memoriter recitandus, vel concinendus esset. Explicant hunc Psalmum diligenter sancti Patres, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, et innumerabiles alii, tum veteres, tum recentiores. Argumentum Psalmi est encomium legis divinæ, et exhortatio ad eam servandam, sed interim admiscentur varii affectus, et precationes ad Deum.

EXPLICATIO PSALMI.

Aleph.

1. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.

Rectissimo ordine primum argumentum ad suadendam præstantiam, et utilitatem divinæ legis, ducit Propheta a beatitudine, quæ est ultimus finis hominis: nam in scientia morali, id est finis, quod sunt prima principia in scientia naturali. Est autem hic sensus primi versiculi, *Beati*, sunt qui in via hujus vitæ non inquinantur luto, vel sordibus peccatorum; illi autem sunt, qui non inquinantur, ac per hoc beati sunt, *qui ambulant in lege Domini*, id est, dimissis aliis viis, eligunt viam legis Domini, quæ sola mundissima, et nitidissima est. Sed singula verba expendamus. Illud, *beati*, significat tum felicitatem æternam, quæ sola est perfecta beatitudo, tum felicitatem tempora-

lem, qualis in hac vita haberi potest. Itaque sensus est : Beati erunt æterna felicitate, et nunc etiam beati sunt, id est, læti, atque quieti, nihil in hoc mundo cupientes, qui vivunt sine macula peccati, eo quod *ambulent in lege Domini.* Quod enim recta via ad cœlestem beatitudinem sit observantia legis Dei, docet Christus Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Quod etiam in hac vita nulli sint feliciores iis, qui recte, ac pie vivunt; notum est tum experientia, tum ratione : nam beatus est, qui habet quicquid vult, et nihil mali vult. Viri iniqui multa mala volunt, et multa non habent eorum, quæ volunt. Viri justi nihil mali volunt, et habent quicquid volunt; quia solum Deum volunt, et ejus voluntatem implere cupiunt. Illud, *immaculati,* non significat carentiam omnis peccati, etiam venialis. Sic enim nulli essent in hac vita immaculati; sed significat carentiam omnis peccati lethalis, quod solum proprie inducit maculam. Videtur autem sumpta metaphora a maculis quæ contrahuntur inter ambulandum, cum iter facimus per vias lutosas, aut pulverulentas, aut alio modo sordidas. Illud, *in via,* significat in vita hac mortali, quæ aptissime dicitur via, cum semper mutetur, et, ut ait Job cap. 10. *numquam in eodem statu permaneat*, sed ab initio nascendi decurrat sine intermissione usque ad metam moriendi. Denique illud, *in lege Domini,* significat legem Domini esse quamdam viam rectam, et mundam, cum peccatum omne prohibeat. Opponitur autem lex Domini legi carnis, de qua Apostolus ad Roman. 8. *Quæ est via cupiditatum*, et plena pulvere superbiæ, cœno luxuriæ, et aqua sordida avaritiæ.

2. Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum.

Declarat priorem versiculum, ac docet, non sufficere quamcumque legis observantiam ad beatitudinem acquirendam. Multi enim superficie tenus observant legem, dum non occidunt, non furantur, non mœchantur, sed non vere ambulant, ut oportet ad acquirendam felicitatem in lege Domini, quia forte oderunt proximum suum, retinent opes superfluas, cum meretricibus fornicantur. Oportet igitur, si quis beatus esse velit, *ut scrutetur omnia testimonia Domini,* id est, consideret diligenter sensum totius legis, quæ dicitur testimonium, quia testificatur nobis Dei voluntatem; qui enim scrutatur legem, invenit, non solum prohiberi homicidium, per legem, *non occides*, sed prohiberi etiam odium, et iram, ut Dominus exposuit Matth. 5. imo juberi amorem, quia finis omnis legis est dilectio; et qui dicit, *non occides*, ideo dicit, ne lædatur dilectio, et hoc idem intelliget de aliis præceptis, qui ea scrutabitur. Ille autem scrutatur testimonia ejus, *qui ex toto corde exquirit eum :* qui enim serio Deum quærit, et toto corde desiderat ejus gratiam in hoc mundo, et ejus præsentiam in futuro : is sine dubio in omni opere suo diligenter scrutatur, quæ sit voluntas ejus, et secundum eam ambulare conatur. Exemplum habemus in viatoribus : qui enim ad aliquam civitatem quam citissime pervenire cupiunt, ii sollicite scrutantur, et quærunt a quibuscumque obviis, quæ sit recta, et commoda via ad eam civitatem : qui vero deambulant animi gratia, neque propositum habent locum quo ire cupiant, non multum laborant de via. Ait igitur Propheta, *Beati qui scrutantur testimonia ejus*, id est, dixi beatos qui ambulant in lege Domini : sed explico, me beatos dicere voluisse illos, qui ita ambulant in lege Domini, ut diligenter scrutentur sensum totius legis, et voluntatem legislatoris; in quod illi soli faciunt, *qui ex toto exquirunt Deum,* nihil creatum illi anteponentes, vel æquantes, neque amorem cordis inter Deum, et creaturam dividentes; sed solum Deum diligentes in se, et creaturas propter ipsum.

3. Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.

Probat quod supra dixit, eos esse immaculatos, qui ambulant in lege Domini. Probat autem, quoniam nullus eorum, *qui operantur iniquitatem*, ac per hoc inquinati inveniuntur in itinere, *in viis*, id est, legibus Domini ambulavit, id enim manifestum signum est, solam viam Domini præstare immaculatos ambulantes in se. Erit igitur argumentum a contrario sensu, *Qui operantur iniquitatem*, et consequenter qui maculati inveniuntur, non ambulaverunt in viis Domini : igitur quia ambulant in viis Domini, non operantur iniquitatem, et proinde immaculati sunt. Movet hoc loco S. Augustinus quæstionem, ut ipse dicit, gravissimam : Quomodo qui operantur iniquitatem, non ambulent in viis Domini; cum omnes sancti ambulent in viis Domini, et tamen dicant cum sancto Joanne 1. epist. cap. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et omne peccatum sit iniquitas,* eodem Joanne teste 1. epist. cap. 3. Sed responderi potest eos, qui operantur iniquitatem, non ambulare in viis Domini, quatenus operantur iniquitatem; qui enim operantur iniquitatem lethalem, ambulant contrariam viam viæ Domini; qui operantur iniquitatem venialem, ambulant præter viam Domini. Porro sancti viri ambulant in viis Domini, qui voluntatem habent in lege Domini et in ea semper habitualiter manent, et si quando divertunt a via, quia operantur præter legem Domini; mox per pœnitentiam, et confessionem redeunt in viam.

4. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.

Alterum argumentum ducit Propheta ab excellentia legislatoris, quasi dicat, Hæc mandata non sunt mandata hominum, sed Dei, et Dei, qui omnino vult a servis suis debitam obedientiam. Sed ut argumentum majorem vim habeat, alloquitur ipsum Deum, dicens, *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis,* id est, tu Domine, qui libere potes servis imperare, et qui potes inobedientiam severissime ulcisci, et qui non potes ignorare, vel oblivisci prævaricatores, *tu*, inquam, *mandasti*, non consilium dando, sed plane imperando, *mandata tua custodiri*, non negligenter et oscitanter, sed diligentissime, et summo zelo. Quis igitur erit, qui non continuo applicet animum ad parendum ?

5. Utinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas justificationes tuas.

Ex auctoritate tanti legislatoris, et tam severe

jubentis, motus Propheta, optat quam diligentissime Dei mandata servare. Sed hoc proponit in persona sua, ut exemplo suo persuadeat omnibus aliis obedientiam exhibere Deo. Si enim ipse Rex et Princeps supremus, ita tremit ad mandata Domini, et tanto affectu cupit illa implere : quid facere debent homines privati? *Utinam*, inquit, *dirigantur viæ meæ!* id est, actiones meæ, consilia mea, sermones mei, *dirigantur*, id est, conformentur rectitudini legis tuæ. *Ad custodiendas justificationes tuas*, id est, ad observandas leges tuas : lex enim Domini variis nominibus in Scripturis, atque in hoc potissimum Psalmo, appellatur, ut quoniam sæpissime mentio ejus facienda est, verborum varietate Lectoris fastidium minuatur. Igitur nunc dicitur lex, nunc præceptum, nunc mandatum, nunc sermo, nunc eloquium, nunc verbum, nunc alia, quæ perspicua sunt : interdum dicitur testimonium, ut supra monuimus, quoniam lex testificatur voluntatem Dei : interdum justificatio, ut hoc loco, quia justificat observatores suos, id est, justiores facit, juxta illud Apostoli Rom. 2. *Factores legis justificabuntur.* Dixi autem justiores fieri, qui legem observant, quia prima justificatio, qua ex peccatoribus efficimur justi, non potest legi tribui, sed gratiæ, dicente eodem Apostolo Gal. 2. *Si ex lege esset justitia, ergo Christus gratis mortuus est.*

6. Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.

Colligit magnum fructum ex directione viarum suarum ad custodiendas justificationes Domini. Qui enim attendunt magnitudinem tanti legislatoris, si forte dum operantur, non respiciant ad regulam divinæ legis, et inveniant postea opera sua distorta, et non conformia rectitudini legis Dei : miro modo confunduntur, et erubescunt, neque audent oculos ad Deum levare, dicentes intra se, *Quis ego sum, qui opera mea, aut verba, aut cogitationes meas ausus sum non conformare rectitudini mandatorum summi legislatoris;* qui ea tanto zelo custodiri jussit? David igitur magnum fructum existimat, ut vere est, non habere causam tantæ confusionis : ideo dicit, Optavi dirigere vias meas, ad custodiendas justificationes Domini, *quia tunc non confundar*, neque erit cur erubescam coram te Domine, *cum perspexero in omnibus mandatis tuis*, id est, cum respexero in omnibus actionibus meis ad regulam mandatorum tuorum, ut rectitudini ejus conformem omnes actiones meas. Porro phrasis est linguæ Hebraicæ, *perspicere in mandatis*, pro eo quod dicimus, perspicere ad mandata. Ex his intelligimus quantum distent a spiritu et pietate Davidis, qui tam multa faciunt opera distorta, et nullo modo conformia legibus Dei; et tamen confusionem illam internam non concipiunt, quia magnitudinem legislatoris non considerant.

7. Confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici judicia justitiæ tuæ.

Addit, quod non solum non confundetur, sed etiam gratias aget Deo, quod ejus gratia, et adjutorio didicerit observantiam legis divinæ. *Confitebor*, inquit, *tibi*, id est, laudabo te, et gratias agam tibi, sive confitebor laudes tuas, et gratiam tuam : *in directione cordis*, id est, in rectitudine cordis, sive rectissimo corde; confitebor autem laudes tuas, *in eo quod didici*, id est, propterea quod gratia tua adjuvante didici, *judicia justitiæ tuæ*, id est, justissimas leges tuas. Est autem hoc loco observandum, illud, *didici*, non significare simplicem cognitionem, quæ ad intellectum pertinet, sed certam persuasionem et approbationem, quam illi soli habent, qui reipsa legem observare firmissime apud se constituunt : quomodo accipitur vox discendi Joan. 6. ubi Dominus ait, *Omnis, qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me:* illi enim discunt a Patre cœlesti, qui intus in corde per infusionem Spiritus sancti certo persuadentur, bonum esse credere, vel converti, vel legem servare, etc. Nascitur autem hæc persuasio ex rectitudine cordis, quia rectis corde optimus videtur Deus, juxta illud Psal. 72. *Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde!* quibus autem placet Deus, non possunt non placere omnes voluntates Dei, quæ per præcepta manifestantur : quare et ipsa præcepta mirifice placent. Porro per *judicia justitiæ*, intelliguntur eadem præcepta legis divinæ, quæ nunc dicuntur judicia, nunc etiam judicia justitiæ. Judicia dicuntur, quia sunt quædam sententiæ a Deo judicatæ optimæ, sive quædam decreta, et statuta divina; dicuntur etiam justitiæ, quia sunt regulæ justitiam continentes : dicuntur denique judicia justitiæ, quia sunt judicia et decreta justissima. Itaque sensus versiculi est, Laudabo te recto corde, ex eo quod persuasus sum leges tuas esse justissimas, et omnino custodiendas, quod totum non ex me, sed ex gratia tua me habere confiteor.

8. Justificationes tuas custodiam, non me derelinquas usquequaque.

Hæc est conclusio primi octonarii, quasi dicat, Igitur cum lex tua custodita faciat beatos, et a te summo legislatore sit proposita, et severissime observari mandata; ego *justificationes tuas custodiam*, id est, decrevi et statui omnibus viribus custodire : sed tu quoque vicissim non me deseras auxilio et gratia tua, sine qua nihil possum : et si forte justo tuo judicio ad modicum deseras me, ut intelligam infirmitatem meam, et ad te confugere, atque in te confidere discam, saltem *non me derelinquas usquequaque*, id est, omnino et in perpetuum. In Hebræo habetur עד מאד *hhad meod*, *usque nimis*, sive *usque valde :* quod in eamdem sententiam recidit. Sanctus enim David bene noverat, nullum esse in hac peregrinatione, qui aliquando non sentiat gratiæ substractionem : ait enim in alio loco, *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum; Avertisti faciem tuam, et factus sum conturbatus*, Psal. 29. et in hoc ipso Psal. 118. sæpe David repetit, se didicisse mandata Domini, et non minus sæpe doceri eadem mandata.

Beth.

1. In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos.

Laudavit legem Dei a fine et ab auctore : nunc laudat ab utilitate, quam affert ei, cui datur, et quoniam nullus magis indiget lege, quam ingrediens iter vitæ, id est, adolescens, ideo de

illo peculiariter loquitur. Adolescens enim primo, indiget lege Dei, quia in ipso maxime viget lex membrorum : secundo, quia nondum acquisivit prudentiam proprio experimento : tertio, quia sicut viatori maxime prodest initio itineris invenire rectam viam, ne posteaquam diu erraverit, cogatur majore labore, et dispendio reverti ad principium viæ : sic etiam optimum est in adolescentia assuescere mandatis Domini, ut conservet innocentiam. *Bonum est viro*, inquit Hieremias Thren. 3. *cum portaverit jugum ab adolescentia sua.* Quæritur hoc loco quid intelligendum sit per *adolescentiorem.* Non existimo Davidem loqui de adolescente lapso in varios errores, qualis erat filius prodigus de Evangelio, Luc. 15. nam ad corrigendos similes errores, necessaria est gratia pœnitentiæ, neque sufficit notitia, vel custodia legis : neque videtur David loqui de juniore, vel distingui potest, contra hominem veterem, id est, de homine renovato per gratiam; hic enim agitur de corrigendis erroribus, qui in homine renovato correcti censentur. Existimo igitur Davidem simpliciter loqui de adolescente ratione ætatis, qui indiget remedio contra naturales impetus naturæ corruptæ, *quæ prona est ad malum ab adolescentia sua.* Gen. 8. Est igitur sensus, *In quo corrigit*, id est, qua arte, quo modo, quo remedio *corrigit adolescentior viam suam*, id est, actiones, sive vitam suam corruptam naturali depravatione ex peccato originis, et propensam ad malum? In Hebræo, et Græco habetur in futuro, *in quo corriget*, sed in sensu nulla dissensio est; nam illud, *in quo corrigit*, idem est, ac si dictum esset, in quo corrigere potest, sive quid habet, unde corrigat errores, quos committet in adolescentia sua? Respondet, *In custodiendo sermones tuos*, qui enim ab adolescentia assuescit timere Deum, et ex eo sancto timore, sermones Dei, divinas videlicet leges diligenter custodire; is haud dubie multos vitabit errores, cujus rei exemplum habemus in Tobia juniore, *quem pater ejus ab infantia Deum timere docuit et abstinere ab omni peccato.* Tob. 1.

2. In toto corde meo exquisivi te : ne repellas me a mandatis tuis.

Ex hac tanta utilitate motus David, petit a Deo gratiam servandi mandata, et proponit omnino illa servare; et exemplo suo idem nos facere docet, ac primum ponit rationem, cur exaudiri debeat; quæ est ratio Evangelii, *Quærite, et invenietis*, et, *Omnis qui quærit, invenit*, Luc. 11. *In toto corde meo*, inquit, *exquisivi te.* Hæc est ratio exauditionis, quia exquisivit Dominum toto corde, id est, quæsivit gratiam ejus, et cupivit illi placere, ejusque voluntatem adimplere : *Ne repellas me a mandatis tuis*, hæc est mira petitio, quasi Deus, qui *mandavit mandata sua custodiri nimis*, repellere velit aliquem a mandatis suis custodiendis. Sed hic modus loquendi significat necessitatem gratiæ, quam illi soli cognoscunt, qui cupiunt mandata servare, et virium suarum imbecillitatem experiuntur. Igitur *ne repellas me a mandatis tuis*, hunc habet sensum; Ne deseras me gratia tua, alioquin idem esset, ac si repelleres me ab impletione mandatorum, cum sine auxilio gratiæ illa servari non possint.

3. In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.

4. Benedictus es Domine, doce me justificationes tuas.

Addit aliam rationem, cur exaudiri debeat; et rursum petit gratiam legis implendæ. Ratio cur exaudiri debeat, est magnum desiderium non peccandi, ac per hoc legis custodiendæ. *In corde meo*, inquit, *abscondi eloquia tua*, id est, in intimo recessu cordis posui legem tuam, sive, quod est idem, *eloquia tua*, ut nunquam obliviscar eorum. Finis autem hujus absconsionis est, *ut non peccem tibi* : itaque desiderium non peccandi, facit ut nunquam oblivisci velim legis divinæ, et ut nunquam obliviscar, abscondi eam in intimo corde, ut nulla res inde mihi illam eripere possit. Præmissa ratione exauditionis, addit petitionem, *Benedictus es Domine, doce me justificationes tuas*, ubi illud, *doce*, ut supra diximus, non significat simplicem notitiam : hanc enim se habere testatur cum dicit, *in corde se abscondisse eloquia Domini*, et supra dixit, *Didici judicia justitiæ*, sed significat gratiam implendæ legis. Tunc enim Deus docet justificationes suas, cum per gratiam intus in animo inspirat delectationem legis, et facit ut homo plane persuasus omnino velit legem servare. Illud autem, *Benedictus es Domine*, additur ad confirmandam rationem exauditionis, quasi dicat, tu Domine doce me justificationes tuas, qui ab omnibus rebus creatis benediceris, quia imples omnia benedictione, et inde vivunt et florent: unde dicitur in Psal. 83. *Etenim benedictionem dabit legislator.* Itaque Deus benedicitur, et benedicit; benedicitur dum laudatur, benedicit dum beneficia præstat.

5. In labiis meis pronunciavi, omnia judicia oris tui.

6. In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.

7. In mandatis tuis exercebor, et considerabo vias tuas.

8. In justificationibus tuis meditabor, non obliviscar sermones tuos.

In his quatuor reliquis versiculis declarat amorem suum erga legem Domini; quia fortasse mox benedictionem legislatoris acceperat, quam paulo ante petierat. Dicit enim se habere legem Dei in ore, in voluntate, in intelligentia et memoria, ac per hoc in omnibus partibus animæ. De ore dicit, *In labiis meis pronunciavi omnia judicia oris tui*, id est, assidue locutus sum, et prædico præcepta tua omnibus, qui audire volunt : per judicia enim præcepta intelligimus, et per id quod additur, *oris tui*, intelligimus præcepta illa non esse humana, sed divina, cum ore Domini manifestata sint. De voluntate et affectu dicit, *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis*, id est, delectatus sum ambulare in via testimoniorum tuorum, sicut delectantur avari in omni copia divitiarum. Magnus sane affectus, et rarus apud homines, cum e contrario soleant plerique pro tenui lucro contemnere omnia mandata Dei. De intelligentia, sive cogitatione dicit, *in man-*

datis tuis exercebor, et considerabo vias tuas : nam, *exercebor*, hoc loco significat exercebor meditando, ut ex voce Hebraica, אשתעשע *esththaschahh*, manifestum est, unde etiam subditur idem aliis verbis, *et considerabo vias tuas.* Est igitur sensus, In mandatis tuis ruminandis, et sæpe mecum submissa voce repetendis, et diligenter considerandis exercebor. De alio affectu cordis dicit, *In justificationibus tuis meditabor.* Illud enim, meditabor, non est idem hoc loco cum exercebor, quod recte verti potuisset, *meditabor*, sed significat, delectabo meipsum ludendo in justificationibus tuis decantandis; vox enim Hebraica, אשתעשע *esthahhasahh*, significat, *ludere et oblectare seipsum.* Supra dixerat, *Delectatus sum in via testimoniorum tuorum, sicut in omnibus divitiis*, ubi mentionem facit delectationis ex re utili : nunc dicit, *Oblectabo meipsum ludendo in mandatis tuis*, ut ostendat ex lege Domini sumi etiam delectationem tanquam ex re dulci et suavi. Quomodo etiam in Psalm. 18. comparata est lex Domini auro et melli, rei utili et dulci. Hic igitur est sensus hujus versiculi, *In justificationibus tuis meditabor*, id est, in præceptis tuis decantandis exercebor, ut inde delectationem animo percipiam, qualis jucunde ludendo percipitur. Addit ultimo de memoria, *Non obliviscar sermones tuos*, id est, ex tam crebra meditatione et suavi decantatione fiet *ut sermones tuos*, id est, legem tuam, *nunquam obliviscar.* Hinc colligimus legem Domini habentibus benedictionem Legislatoris, id est, spiritum veræ charitatis, non esse gravem, neque difficilem, sed esse, ut Dominus ait in Evangelio Matth. 11. *jugum suave, et onus leve.*

Gimel.

1. Retribue servo tuo, vivifica me, et custodiam sermones tuos.

In hoc octonario enumerat impedimenta legis custodiendæ, et orat, ut a se removeantur. Primum impedimentum est mors animæ : non enim possunt homines mortui servare mandata vitæ, eo modo, quo oportet, ad vitam æternam acquirendam. David autem si sperare poterat se esse vivum, tamen *quia nemo scit utrum odio, vel amore dignus sit*, Eccles. 9. et quia transfigurabat personas peccatorum in se, ideo vel pro se, vel pro illis orat, et dicit, *Retribue servo tuo, vivifica me, et custodiam sermones tuos*, id est, restitue servo tuo, si forte in peccatis mortuus sit, vitam animæ, et tunc sermones tuos custodire poterit. Illud, *retribue*, posset etiam explicari pro tribue : nam vox Hebraica, גמול *gemol*, id facile patitur : tamen hoc loco servare possumus propriam significationem Latinam, si per *retribue* intelligamus *restitue*, vel redde illud. *Vivifica me*, in Hebræo et Græco est, *vivam*, et tunc sensus est, *Retribue ut vivam*, id est, restitue, vel redde vitam. Verba nostræ editionis sunt paulo obscuriora, sed in eumdem sensum explicanda sunt; nimirum sic, *Retribue servo tuo*, id est, iterum tribue mihi servo tuo per gratiam, quod amisi per peccatum, et mox explicat, dicens, *Vivifica me*, hoc enim est, quod amisi ; et vitæ restitutus ambulare incipiam viam mandatorum tuorum, *et sic custodiam sermones tuos.*

2. Revela oculos meos : et considerabo mirabilia de lege tua.

Alterum impedimentum, sunt passiones animi, amor, timor, desiderium, ira, et similes perturbationes, quæ sæpe faciunt ut homo non recte judicet. De hoc dicit, *Revela oculos meos*, id est, tolle per infusionem luminis tui velamen passionum ab oculis mentis meæ, et tunc oculo interiore purificato, *considerabo mirabilia de lege tua*, id est, mirabilem æquitatem, mirabilem sapientiam, mirabilem utilitatem, et alia id genus mirabilia, quæ de lege tua emicant.

3. Incola ego sum in terra, non abscondas a me mandata tua.

Tertium impedimentum, est terrena peregrinatio; nam qua parte peregrinamur in terra, carnales et terreni sumus : *lex autem tota spiritualis est*, ut dicitur Rom. 7. Quare nisi Deus per gratiam nos spirituales efficiat, legem spiritualem implere non possumus. *Incola*, inquit, *sum in terra*, id est, homo terrenus sum, animalis sum, in terra habito, dum peregrinor a patria : ideo peto, *ut non abscondas a me mandata tua*, id est, per gratiam efficias, ut capax fiam mandatorum tuorum. Potest etiam hoc referri ad ignorantiam viarum : vox enim Hebraica, גר *gher*, proprie *advenam* et *peregrinum*, significat; peregrini autem, et advenæ ignorantes sunt viarum, et facile decipiuntur a civibus regionis. Petit igitur advena et peregrinus, ut Deus illi viam bonam ostendat, ac dicit, *Non abscondas a me mandata tua*, id est, fac ut me non lateat via mandatorum tuorum, quæ sola est recta via, quæ ducit ad vitam.

4. Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore.

Quartum impedimentum, est imperfectio. Pauci enim sunt viri perfecti qui toto corde diligant legem Dei, et ex amore justitiæ operentur bona. Plurimi autem bonis desideriis tanguntur, sed ultra non proficiunt. In horum persona Propheta dicit, *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore :* non potuit dicere, *Concupivit anima mea implere mandata tua*, sed imperfectionem suam confessus, ait, *Concupivit desiderare*, et hæc ipsa confessio imperfectionis est petitio perfectionis, quam Deus concedit, cum facit hominem ardenter desiderare custodiam mandatorum. Recte docet S. Augustinus, aliud esse concupiscentiam desiderii extra potentiam concupiscentem : aliud concupiscentiam desiderii intra eamdem potentiam : concupiscentia enim prior potest esse sine desiderio ejus rei, quæ concupiscitur, posterior non potest : exempli gratia, ægrotus, qui laborat inappetentia cibi, concupiscit desiderare cibum, et tamen non habet desiderium cibi, quia concupiscentia desiderii est in voluntate rationali, desiderium cibi deberet esse in faucibus, et palato, ubi tamen non est, dum ibidem manet inappetentia cibi. At concupiscentia desiderii mandatorum Domini, in voluntate rationali est, et in eadem esse debet desiderium mandatorum : quare fieri non potest, ut homo concupiscat desiderare, et non desideret; quia ipsa concupiscentia est desiderium mandatorum. Intelligendum igitur est per concupiscen-

tiam desiderii significari imperfectum desiderium, ut paulo ante diximus; qui enim imperfecte desiderat, vult et non vult, cupit et non cupit: et ejusmodi sunt plurimi, qui desiderant beatitudinem Regni cœlorum, sed ita frigide, ac tenuiter, ut nullus inde sequatur affectus: qui si ardore illo desiderarent, quo res tanta desideranda est, sine dubio non quiescerent, donec ad illam pervenirent; sed qui tales sunt, cum Davide imperfectum suum in oratione Domino manifestent ac dicant, *Concupivi desiderare justificationes tuas,* adjuva ut perfecte, ardenterque desiderem, ut desiderium in opus transeat, et mandata tua custodiam in omni tempore.

5. Increpasti superbos, maledicti, qui declinant a mandatis tuis.

Quintum impedimentum omnium maximum superbia est, quæ non sinit collum jugo submittere; sed hoc impedimentum in se David non agnoscebat, neque in sui similibus, sed solum in hostibus Dei: ideo simpliciter illud execratur. *Increpasti,* inquit, *superbos,* qui videlicet ex contemptu mandata non servant. Talis fuit initio mundi Lucifer, quem Deus increpatione sua ad inferos tanto impetu deturbavit, ut Dominus dicat, *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem,* Luc. 10. Talis fuit et Adam qui ex superbia, qua fieri voluit sicut Deus, Deo non obedivit, et a Domino increpatus tulit sententiam mortis pro se, et pro toto humano genere. Vide S. Augustinum tract. 4. in epist. Joannis, et in Psalm. 68. vers. 6. et lib. 14. de Civit. Dei cap. 13. Denique superbos omnes terribili increpatione Deus in judicio feriet: et ideo subjungit David, *Maledicti qui declinant a mandatis tuis,* nimirum qui declinant potissimum ex superbia, et contemptu Legislatoris: illis enim præcipue dicetur, *Ite maledicti in ignem æternum.* Matth. 25.

6. Aufer a me opprobrium, et contemptum, quia testimonia tua exquisivi.

7. Etenim sederunt Principes, et adversum me loquebantur: servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.

Superbi non solum obedire Deo recusant, sed etiam contemnunt, et contumeliis afficiunt eos qui obediunt: sed tandem contemptus, et opprobrium in eos recidet, ut hoc loco David prædicit: nam ut sæpe ex Augustino monuimus, eæ quæ videntur in Psalmis imprecationes, prædictiones sunt per modum imprecationis. Ait igitur, *Aufer a me opprobrium et contemptum,* id est, tempus erit, cum auferes a me opprobrium et contemptum, et in superbos inobedientes rejicies: *quia ego testimonia tua exquisivi,* quæ illi videlicet exquirere contempserunt. In Hebræo habetur, נצרתי *nathsarthi, quia testimonia tua custodivi,* sed Septuaginta verterunt, *exquisivi,* quod exponi debet, exquisivi ut custodirem. Declarat autem sequenti versiculo, cur dixerit, *Aufer a me opprobrium et contemptum,* dicens, *Etenim sederunt Principes, et adversum me loquebantur, servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.* Principes enim superbi sederunt, vel congregati in concilium, vel in thronis suis judicantes, vel quiescentes in divitiis, et potentia sua, *et adversum me loquebantur,* exprobrantes obedientiam mandatorum Dei. *Ego autem servus tuus,* non respiciens ad minas, vel opprobria eorum, *exercebar in justificationibus tuis,* videlicet considerandis, prædicandis, et adimplendis. De quibus Principibus David loquatur ad litteram, incertum est: mystice autem hæc referuntur a Patribus ad principes infideles, qui Martyres persequebantur.

8. Nam et testimonia tuam editatio mea est, et consilium meum justificationes tuæ.

Explicat quod dixit, *Exercebar in justificationibus tuis.* Dicit enim, *Testimonia Domini, et justificationes Domini,* hoc est, præcepta Domini, *fuisse sibi loco dulcis consolationis,* in rebus adversis, in dubiis autem loco fidelis consiliarii. In Hebræo habetur, *Nam testimonia tua, gaudium meum, viri consilii mei;* id est, lex tua mihi gaudium afferebat, et erat quasi vir consiliarius: nam in ea cogitanda oblectabar, et cum ea consultabam negotia mea. Ad hunc sensum reducenda sunt verba nostræ editionis, ut cohæreant cum textu originali. Hic igitur erit sensus: *nam et testimonia tua meditatio mea est,* id est, lex tua est mihi dulcis exercitatio, quasi ludi, vel cantici, unde consolationem accipio in rebus tristibus: *et consilium meum justificationes tuæ,* id est, et consilium meum, et quasi senatus meus, quem consulo in rebus dubiis, *sunt mihi justificationes tuæ,* id est, eadem lex tua.

Daleth.

1. Adhæsit pavimento anima mea: vivifica me secundum verbum tuum.

In hoc etiam octonario David induit personam hominis imperfecti, qui ex carnali concupiscentia retardatur a perfecta impletione mandatorum, et petit gratiam et adjutorium ad servanda mandata. *Adhæsit,* inquit, *pavimento anima mea;* id est, adhæsit terræ, hoc est terrenæ substantiæ per amoris affectum anima mea. *Vivifica me secundum verbum tuum,* id est, da mihi vitam conformem legi tuæ: nam adhærendo terræ factus sum terrenus, adhærendo carni, factus sum carnalis; sed si vixero secundum legem tuam, quæ spiritualis est, adhærebo Deo, et unus spiritus fiam cum eo. In Hebræo habetur, לעפר *lehhaphar Adhæsi pulveri:* sed idem est sensus: nam pavimentum est terra, vel ex terra. Itaque qui adhæret pavimento, adhæret terræ. Notat sanctus Augustinus, nunc animam adhærere carni, sive terræ, et ideo fieri carnalem et terrenam, et impediri ab observatione perfecta legis: sed post resurrectionem gloriosam, caro adhærebit animæ, et anima Deo, et ideo tunc caro fiet spiritualis, et anima quodam modo deificabitur, et sine ulla difficultate perfectissime legem observabit, imo non egebit lege, quia sine lege, ea quæ sunt legis implebit.

2. Vias meas enunciavi, et exaudisti me: doce me justificationes tuas.

Pergit in confessione miseriæ, et petitione gratiæ. *Ego,* inquit, *vias meas enunciavi,* id est, actiones malas, quæ propriæ meæ sunt, non erubui confiteri, sed palam enunciavi, *et tu ex-*

audisti me parcens mihi, solita misericordia tua. *Doce me justificationes tuas*, id est, nunc reconciliatus peto, ut doceas me justificationes tuas, id est, præcepta tua servare me facias. Illi enim, ut supra diximus, in hoc Psalmo doceri intelliguntur, qui ita persuadentur ut faciant.

3. Viam justificationum tuarum instrue me, et exercebor in mirabilibus tuis.

Proficere cupit in via Domini, ideo magis, et magis precibus instat, ut doceatur a Deo. *Viam*, inquit, *justificationum tuarum instrue me*, id est, diligentius doce me, quæ sit via præceptorum tuorum, quomodo videlicet ambulare debeam in lege tua. *Et exercebor in mirabilibus tuis*, id est, in schola tua edoctus exercebor in custodiendis illis etiam præceptis, quæ tam mirabilia sunt, ut præ altitudine vix per ea incedi posse videatur, qualia sunt, *Diliges Deum ex toto corde;* et, *Non concupisces*, et, *Diliges inimicum tuum*, et similia.

4. Dormitavit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis.

Iterum redit ad infirmitatem carnis confitendam, et misericordiam postulandam. Nam in hac peregrinatione vix invenitur, qui aliquando laxetur, et præ tædio continuæ luctæ, quam habet spiritus cum carne, dormitet, et tepidior fiat. *Dormitavit*, inquit, *anima mea præ tædio*, dum videlicet tædet ambulare viam laboriosam, carne concupiscente adversus spiritum. *Confirma me in verbis tuis*, id est, in præceptis tuis sectandis confirma me, addito fervore gratiæ tuæ, quo excitatus ambulare non cessem. In Hebræo pro verbo *dormitavit*, est verbum דלפה *dalepha*, distillavit. Non est improbabile Septuaginta Interpretes vertisse, ἔςαξεν, quod est, *distillavit*, et postea errore librariorum factum esse, ἐνύσταξεν, quod est, *dormitavit*. Certe S. Ambrosius utriusque lectionis meminit. In Hebræo autem nulla est similitudo litterarum inter *dormitavit* et *distillavit :* nam distillavit scribitur, דלפה *dalepha*, *dormitavit* scribitur, ינום *ianus*, sensus tamen in idem recidit : nam *distillavit anima mea*, significat, defecit anima mea instar earum rerum, quæ liquefiunt et distillant humorem suum : qui autem deficiunt, et liquefiunt præ tristitia, solent etiam deficiendo dormitare. Luc. 22. *Invenit eos dormientes præ tristitia.* Vox tædium Græce est, ἀκιδία; acedia autem est tristitia de bono opere faciendo.

5. Viam iniquitatis amove a me, et de lege tua miserere mei.

Declarat pluribus verbis, quod uno verbo dixerat, *Confirma me. Viam*, inquit, *iniquitatis amove a me*, id est, fac per gratiam tuam, ut longe recedam a via iniquitatis, id est, a lege peccati, quam ingredi incipiebam dormitando præ tædio : et contra, *de lege tua miserere mei*, id est, misericorditer operare, ut ambulem per legem tuam. In Hebræo habetur, *Viam mendacii amove a me*, et opponitur ei, quod dicitur in sequenti versiculo, *Viam veritatis elegi*, sed sensus est idem : nam via iniquitatis est via mendacii, quia est via falsa et fallax, et potius devium, quam via, et per eam ambulare, non est viam carpere, sed deviare. Illud autem, *de lege tua miserere mei*, est clarius in Hebræo, ותורתך חננו *vethoratheka channeni*, *legem tuam dona mihi*, sed idem est sensus : est enim ac si dixisset, miserere mei, donando mihi legem tuam.

6. Viam veritatis elegi, judicia tua non sum oblitus.

Hactenus confessus est miseriam, quam ex se habet : nunc in sequentibus versiculis declarat, quid possit ex misericordia Dei, quasi dicat, Ex me viam mendacii elegi, sed ex misericordia tua, qua de lege tua misertus es mihi, *viam veritatis elegi*, id est, jam serio proposui veram viam, quæ est via mandatorum tuorum ambulare : et ex misericordia tua, *judicia tua*, id est, legem tuam, *non sum oblitus*, quamvis caro adversus spiritum vehementer concupisceret.

7. Adhæsi testimoniis tuis Domine, noli me confundere.

Ex me adhæsi pavimento : sed ex misericordia tua, *adhæsi testimoniis tuis*, et quamvis carne serviam legi peccati, tamen mente servio legi tuæ, et ideo *noli me confundere*, quod fieret. si auxilio tuo me destitueres.

8. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.

Ex me dormitavi præ tædio, sed ex misericordia tua *viam mandatorum cucurri*, id est, alacriter, expedite cum delectatione legem tuam servavi, *cum dilatasti cor meum*, per infusionem charitatis, quæ facit jugum suave, et onus leve.

He.

1. Legem pone mihi Domine viam justificationum tuarum : et exquiram eam semper.

In hoc octonario petit ordine quodam, primo, desiderium observandæ legis, deinde lumen ad eam intelligendam, tertio gratiam ad implendam : postea vero petit remotionem contrariorum. David enim in hoc longissimo Psalmo rem eamdem sæpius repetit, sed sub variis verborum formis ad excitandum affectum, et tollendum fastidium. Primi versiculi hic sensus est, Fac Domine, ut nullam aliam legem velim, nisi legem tuam, *Legem pone mihi Domine viam justificationum tuarum*, id est, statue mihi pro lege viam justificationum tuarum, id est, pone mihi in corde desiderium solius legis tuæ. In Hebræo clarius habetur, *Doce me viam præceptorum tuorum.* Sed Septuaginta Interpretes considerantes quod a verbo ירח *iarach*, sit vocabulum תורה *thorah*, quod legem significat, prudenter intellexerunt verbum הורני *horeni*, quod hoc loco habetur, non solum *docere*, sed etiam legem ferre, significare posse, et ideo verterunt, νομοθέτησον, quod Latinus uno verbo exprimere non potuit, et ideo sensum obscuriorem fecit. Hinc cessant quæstiones, cur dicatur *legem pone*, cum jamdudum lex tradita sit, et cur justus roget, ut sibi lex ponatur, cum Apostolus dicat, 1. Tim. 1. *Justo non est lex posita.* Hæ quæstiones cessant, quia non petit Propheta sibi legem absolute poni; sed petit ut per gratiam Dei fiat, ut sibi non placeat lex peccati, vel mundi, vel carnis, sed sola lex

Dei, illam solam sibi in corde, in desiderio, in affectu poni cupit, et ideo subdit, *et exquiram eam semper*, id est, si illam solam ex munere tuo desiderabo, fiet ut in omni mea actione quæram, quid jubeat lex tua. S. Hieronymus vertit, *vestigium*, pro eo quod nos habemus, semper, sed vox Hebræa עקב *hhekeb*, est ambigua, *et vestigium et finem*, significat, et utroque modo sensus est bonus, sive dicat, *exquiram vestigium*, nimirum legis, hoc est, sequar eam : sive *exquiram usque in finem*, id est, semper.

2. Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo.

Posteaquam petivit desiderium sive affectum legis, petit etiam intellectum ; ut recte illam intelligat, et scrutari possit ejus utilitates, et præstantiam, ac cæteras ejus laudes, idque *ut custodiat illam in toto corde suo*, non enim cupit intelligere ad curiositatem, sed ad observantiam.

3. Deduc me Domine in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui.

Nunc tertio postulat gratiam implendi legem. *Deduc me Domine in semitam mandatorum tuorum*, id est, fac me implere mandata tua, id enim est, incedere per semitam mandatorum. Vocantur autem semitæ, quia semitæ sunt viæ angustæ, breves, rectæ, mundæ ; per quas non solent incedere, nisi homines pedites ; non equi, non currus : et talis omnino est lex Domini, si comparetur ad leges carnis, et mundi, quæ sunt viæ latæ, sordidæ, obliquæ et per eas animalia expertia rationis, id est, homines animales, et carnales incedunt. Ratio autem cur debeat exaudiri, est in illis verbis, *quia ipsam volui*, id est, quia hanc semitam elegi, et per eam ambulare desideravi, ex munere Dei : decet enim, *ut qui dedit velle, det etiam perficere*, juxta promissionem Apostoli, Philip. 2. *Qui operatur in vobis velle et perficere.*

4. Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam.

Hic versiculus respondet primo, ibi enim oraverat pro affectu cordis erga legem Dei : hic orat pro remotione affectus avaritiæ, qui maxime impedit affectum erga legem Dei. *Inclina cor meum in testimonia tua*, id est, infunde cordi meo copiosam gratiam, per quam inclinetur in custodiam legis tuæ, *et non in avaritiam*, id est, et non inclines cor meum in avaritiam. Dicitur autem Deus inclinare aliquem in malum, quando deserendo gratia sua, sinit illum inclinari in malum. Itaque isto modo loquendi Scriptura sancta demonstrat potentiam gratiæ, non autem quod Deus proprie inclinet aliquando ad malum. Similia sunt illa Rom. 1. *Tradidit illos in reprobum sensum*, et Isaiæ 63. *Quare nos errare fecisti de via tua?*

5. Averte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua vivifica me.

Hic etiam versiculus recto ordine respondet secundo : nam ibi petit donum intelligentiæ ad considerandam legem : hic petit, ne oculi mentis avertantur a lege ad vanitates. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem*, id est, ne occupentur in cogitandis temporalibus rebus, quæ vanæ sunt, sed potius effice, ut totus intendam legi tuæ, et sic *in via tua vivifica me*, id est, in via tua ambulantem, hoc est, legem tuam custodientem vivifica, refice, et conserva.

6. Statue servo tuo eloquium tuum, in timore tuo.

Nonnulli significari existimant per eloquium Domini promissa Domini, et volunt sensum esse, *Statue eloquium tuum*, id est, imple promissa tua. Nos autem existimamus cum S. Augustino, per eloquium, intelligi legem, et sensum esse, *Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo*, id est, fac ut per sanctum timorem tuum statuatur, confirmetur, solidetur lex tua in servo tuo, ut immobiliter in illo hæreat et perseveret. Itaque respondet hic versiculus tertio versiculo : ibi enim petitur gratia legis implendæ ; hic petitur remotio instabilitatis, et petitur gratia perseverantiæ.

7. Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum ; quia judicia tua jucunda.

Magnum erit opprobrium in die judicii, et nunc est etiam in conspectu Angelorum, non perseverasse in lege servanda, cum lex Domini non solum utilis, sed etiam suavis, et jucunda. Ideo cum petiisset gratiam perseverantiæ, addit quasi rationem, timorem videlicet opprobrii, quod sequetur non perseverantes. *Amputa*, inquit, *opprobrium meum quod suspicatus sum*, id est, quod timui si non perseverarem in lege tua, cum tam bona sit : judicia enim in hoc Psalmo præcepta significant.

8. Ecce concupivi mandata tua, in æquitate tua vivifica me.

Concludit petitiones hujus octonarii dicens, jam satis patere, quod ex corde cupiat mandata servare. *Ecce*, inquit, *concupivi mandata tua*, quasi dicat, Ecce apparet quod serio cupiam mandata tua, ideo *in æquitate tua*, id est, in ipsis mandatis tuis, id est, in observatione mandatorum, *vivifica me*, id est, auge, et conserva mihi spiritualem vitam. Justus enim justificatur adhuc, dum mandata custodit.

Vau.

1. Et veniat super me misericordia tua Domine, salutare tuum secundum eloquium tuum.

Illud, et, nihil continuat, sed additur ad initium librorum, vel capitulorum ornatus gratia apud Hebræos, sic enim incipit liber Levitici, liber Ruth, liber Ezechielis, sic incipiunt multa capitula, ut Isaiæ 7. *Et factum est*, et cap. 8. *Et dixit Dominus.* In hoc autem octonario ad singulos versus additur, *Et*, quoniam debent omnes versus incipere per Vau, et per hanc litteram nulla fere vocabula incipiunt excepta conjunctiva particula *et*. Petit autem Propheta initio octonarii misericordiam Dei, ac deinde in reliquis versibus declarat effectus hujus misericor-

diæ, qui potissimum pertinent ad legis divinæ custodiam, quem finem, et quasi scopum totus Psalmus respicit. Ait igitur, *Veniat super me misericordia*, id est, descendat ex alto gratia tua, et misericordia *super me*. Declarat autem quæ sit hæc misericordia, addens, *salutare tuum secundum eloquium tuum*, id est, salus tua, sive misericordia sanans animam, *secundum eloquium tuum*, quo promisisti misericordiam, et salutem sperantibus in te.

2. Et respondebo exprobrantibus mihi verbum, quia speravi in sermonibus tuis.

Et cum venerit super me misericordia tua secundum promissionem tuam, non timebo adversarios exprobrantes mihi, quod frustra Deum timeam : nam *respondebo illis verbum verum*, cui non poterunt contradicere, quod videlicet *speraverim in sermonibus tuis*, quia promissa tua servare potes, quia es omnipotens, et servare vis, quia bonus es.

3. Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque, quia in judiciis tuis supersperavi.

Oro autem ut hoc verbum veritatis, quo glorior adversus exprobrantes mihi, *non auferas de ore meo*, id est, non efficias, me destituendo gratia tua, ut non audeam hoc verbum loqui, non claudas ora de te confidentis, et promissa tua prædicantis ; vel si auferas ad modicum, ut probes me, non auferas *usquequaque*, non auferas omnino, vel in æternum. *Quia in judiciis tuis supersperavi ;* id est, quia in tua justitia et fidelitate multum omnino speravi. S. Augustinus refert hoc ad electos Martyres, qui si ad tempus permissi sunt negare veritatem, non tamen usquequaque negare permissi sunt, sed post negationem fleverunt, et post confessionem coronam meruerunt, quales fuerunt S. Petrus, S. Marcellinus, et alii permulti.

4. Et custodiam legem tuam semper in sæculum, et in sæculum sæculi.

Hic jam subjicit effectum misericordiæ sanantis animam, qui est perpetua legis divinæ custodia.

5. Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisivi.

6. Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, et non confundebar.

7. Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi.

8. Et levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi, et exercebar in justificationibus tuis.

His quatuor versiculis explicat per partes quæ sit perpetua legis custodia, quam promisit in quarto versiculo, dicens se corde, verbo, mente, et opere in lege Domini semper futurum, et quidem in Hebraico textu hæc omnia habentur in futuro, *ambulabo, loquar, meditabor, levabo, exercebor*. Sed quia tempora variant significationes apud Hebræos, non debent reprehendi Septuaginta et Latinus Interpres, qui per præteritum imperfectum ista reddiderunt. Videtur autem Propheta, ut mox exauditus mutasse modum loquendi. Dicit enim, *Et ambulabam in latitudine*, id est, veniente misericordia Domini super me, jam ambulabam non in angustiis timoris, sed in latitudine dilectionis, id est libenter, cum gaudio, magno affectu cordis legem servabam ; quia *illam exquisivi*, ut rem valde desideratam et amatam, *et loquebar* libere, et sine timore de justitia sanctissimæ legis, etiam *coram Regibus iniquis, et non confundebar*, et assidue cum animo meo de ipsa lege cogitabam, et ejus mysteria meditando considerabam, *et levavi manus meas*, ad implenda mandata sublimia, et excelsa, id est, valde perfecta et ardua, vel ut exponit S. Augustinus : Levavi manus meas ad opera legis, quia propter finem altissimum legem custodivi : qui enim propter mercedem temporalem legem custodiunt, non levant, sed deprimunt manus, dum operantur, neque dicere possunt, *ad mandata tua quæ dilexi*, non enim diligunt mandata, qui legislatorem non diligunt. Denique his omnibus modis, id est, corde, mente, verbo et opere *exercebor in justificationibus tuis.*

Zain.

In hoc octonario canit Propheta æternam retributionem, quam Deus legem servantibus repromisit, ac propter eam spem dicit, se et legem servasse, et in tribulatione consolationem accepisse, et de iniquorum prævaricatione doluisse.

1. Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti.

Non potest oblivisci Deus, nec voluntatem mutare, neque sententiam retractare : sed per figuram quamdam sermonis humani dicitur Deus oblivisci, quando differt implere, quod promisit, quasi promissi sui esset oblitus. Differt autem aliquando Deus implere promissa sua, non oblivione, sed judicio : et quamvis facturus sit omnino Deus, quod facere decrevit, vult tandem rogari a fidelibus servis suis, et hæc oratio est unum ex mediis, per quæ Deus promissa sua adimplere decrevit. Orat igitur David in persona sua, et aliorum fidelium, dicens, *Memor esto verbi tui*, id est promissi tui, *in quo mihi spem dedisti*, cum dixisti servo tuo Abraham Gen. 17. et in illo omnibus filiis ejus. *Ambula coram me : et esto perfectus*, Gen. 15. ego ero merces tua magna nimis.

2. Hæc me consolata est in humilitate mea, quia eloquium tuum vivificabit me.

Illud, *hæc*, non potest proprie referri ad spem, ut communiter exponitur, quoniam in textu Hebraico, unde cæteræ editiones translatæ sunt, non habetur nomen spei, sed verbum, et verti potuisset, *Memor esto verbi tui, in quo me sperare fecisti.* Sensus igitur est, *Hæc res*, sive hoc me consolatione affecit in humilitate mea, id est, in afflictione, et despectione mea, quia *eloquium tuum*, id est promissio tua, *vivificavit me*, id est, vitam, et spiritum mihi tribuit, vel roboravit et auxit.

3. Superbi inique agebant usquequaque : a lege autem tua non declinavi.

Vita et vigor, quem mihi tribuit promissio

tua, in causa fuit, ut non declinarem a lege tua; etiamsi *superbi irrisores inique* agerent valde, cum me irrisionibus suis a legis custodia avertere conarentur. In Hebræo pro, *inique agebant*, habetur, הליצני *helitseni*, *irridebant me*. Sed idem est sensus.

4. Memor fui judiciorum tuorum a sæculo Domine, et consolatus sum.

In humilitate et irrisionibus *memor fui judiciorum tuorum a sæculo*, id est, judiciorum, quæ ab initio sæculi exercuisti exaltans humiles, superbos deprimens, reddens custodientibus legem tuam præmia magna et prævaricatoribus magna supplicia, et hinc accepi in omni tribulatione mea solatium.

5. Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

Eadem illa spes tantæ mercedis fecit, ut misererer hominum peccatorum, qui derelinquentes legem tuam tanto bono privantur. Vox Hebraica, זלעפה *zalhhaphah*, pro qua nos habemus *defectio*, significat horrorem, sive *tremorem*, ardorem sive æstum. Sed noster Interpres vertit, *defectionem*, ut significaret tantum esse horrorem, et æstum, de quo agit Propheta, ut defectionem inducat: magnæ charitatis judicium est, contremiscere, ardere, deficere, ex misericordia erga peccatores, vel ex dolore offensionis divinæ; nam de utraque defectione versiculus iste potest exponi.

6. Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.

Iniqui legem dereliquerunt, quia insuavem esse judicarunt: mihi autem scienti, quanta merces posita sit custodientibus legem tuam, *justificationes tuæ*, id est, præcepta tua usque adeo dulcia et suavia erant, ut in hac peregrinatione, qua peregrinamur a patria, dulce canticum fuerint. In Hebræo legimus, *Carmina mihi fuerunt præcepta tua*, quare illud, *cantabiles*, significat leges Domini non fuisse sibi graves, quæ cum labore portandæ essent, sed suaves, quæ instar carminum oblectare possent.

7. Memor fui nocte nominis tui Domine, et custodivi legem tuam.

Illa beata spes tantæ promissionis non solum interdiu, sed etiam *noctu mihi nomen tuum in memoriam revocabat*, et ex affectu nominis tui, id est, ex ardenti amore tuo perseveravi in custodia legis tuæ.

8. Hæc facta est mihi, quia justificationes tuas exquisivi.

Quærunt Interpretes quid sit illud, *hæc*, an hæc spes, an hæc lex, an hæc promissio, an quid aliud. Sed apud Hebræos genus femininum ponitur pro neutro quo illi carent. Itaque sensus est, *Hoc* totum mihi evenit, nimirum, ut promissiones Dei considerarem, et spem inde conciperem, et cætera bona, quæ inde nata sunt, *quia justificationes tuas exquisivi*. Vult enim Propheta in hoc Psalmo, qui est encomium legis, omnia referre ad ipsam legem diligenter investigandam et amandam; ut hac ratione excitet homines ad considerationem et impletionem.

Cheth.

1. Portio mea Domine, dixi custodire legem tuam.

In hoc octonario ponitur initio hæc propositio, *Dominus est portio mea*, inde deducitur desiderium legis diligenter custodiendæ et preces ad Deum pro gratia legis implendæ non obstantibus quibuslibet impedimentis. *Portio mea Domine*, subintelligitur, *tu es*. Quamvis enim aliqui conjungant cum sequentibus, ut sensus sit, *Portio mea, o Domine*, dixi, *custodire legem tuam*, tamen multo verius est, sensum esse, *Portio mea* tu es Domine, nam in Græco additur verbum, *es*, et in Hebræo ponitur distinctio post vocabulum, Domine. Posset etiam legi, *Portio mea Dominus*, estque id conforme aliis locis, ut in Psal. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ*, et Psal. 72. *Pars mea Deus in æternum*, et Thren. 3. *Pars mea Dominus*, et sic exponunt hunc locum sancti Patres, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus. Felix anima, quæ ex corde dicere potest, *Portio mea Domine*: id est, omnibus rebus creatis abrenuncio, nihil juris in eis habere cupio, occupet ea quicunque voluerit, mihi tu Domine solus sufficis, neque aliud requiro, aut requiram in æternum, et quia, ut te aliquando possideam, tibi soli placere cupio, ideo *dixi, statui*, firmiter proposui *custodire legem tuam*, scio enim, quia non dignaris esse portio eorum, qui legem tuam non custodiunt.

2. Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo, miserere mei secundum eloquium tuum.

Dixit, custodire legem Domini, sed quia sine adjutorio Dei vires humanæ non sufficiunt, ideo *deprecatur faciem Domini in toto corde suo*, et dicit, *miserere mei secundum eloquium tuum*, id est, secundum promissionem tuam, *miserere mei*, ut te adjuvante impleam, quod te inspirante decrevi.

3. Cogitavi vias meas, et converti pedes meos in testimonia tua.

Non satis est Deum orare, sed oportet etiam cooperari auxilio Dei, ideo Propheta posteaquam precatus est Deum, addit, *Cogitavi vias meas*, rectene an secus ambularem, item consideravi actiones meas, an legi Dei conformes essent, et *converti pedes meos in testimonia tua*, id est, et converti affectus meos a lege carnis, et peccati, ad legem tuam Domine, quæ sola est via recta.

4. Paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.

Nec solum legem custodire decrevi, sed promptus fui statim aggredi opus justum, neque ulla perturbatio me tardare potuit a custodia legis tuæ. In Hebræo legitur, *Festinavi, et non tardavi custodire mandata tua.* Sed idem est sensus: nam qui imparatus est non potest festinare: et qui turbatur, hærere solet, et moram facere. Ideo illud, *paratus sum*, sic ex-

plicandum : nullum tempus observandæ legis me imparatum inveniet, ut festinare non possim, sed semper paratus sum, et expeditus ad opus celeriter implendum : et nunquam turbatus sum, ut propterea moram facere me oporteat.

5. Funes peccatorum circumplexi sunt me, et legem tuam non sum oblitus.

Non defuerunt tamen, qui me perturbare et retardare conarentur; nam *funes peccatorum*, id est, laquei, sive retia variarum tentationum, quæ peccatores homines, sive dæmones tendere solent, *circumplexi sunt me*, *et tamen legem tuam non solum oblitus*, id est, facere non potuerunt tentationes illæ, ut legis tuæ oblivisscerer, et ab ipsa implenda retardarer.

6. Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super judicia justificationis tuæ.

Quia tu es Domine portio mea; non solum interdiu, sed etiam noctu, imo etiam media nocte, quando summa quies est in terris, vacavi legi tuæ considerandæ, *surgebam enim media nocte ad confitendum tibi*, id est, ad te laudandum *super justissima et sapientissima præcepta tua*. S. August. interpretatur hunc versiculum de tempore persecutionis, quod per noctem significari solet. Sed ad litteram videtur omnino intelligendus Propheta de laudibus nocturnis, ut exponunt Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Theodoretus, et alii fere omnes. Atque hinc didicit Ecclesia surgendum esse media nocte ad nocturnam Psalmodiam; hunc enim locum allegant auctores, qui de divinis officiis scripserunt.

7. Particeps ego sum omnium timentium te : et custodientium mandata tua.

Hoc etiam deducitur ex prima illa propositione, *Portio mea Dominus ;* omnes enim timentes Deum, et custodientes mandata ejus, colligantur tanquam membra viva in unum corpus, glutino charitatis, quæ dicit, *Portio mea Dominus*, et hoc modo, *singuli sunt participes omnium*, quia charitas facit omnia communia : *et si gaudet unum membrum, congaudent omnia membra, et si dolet unum membrum, condolent omnia membra*, ut ait Apost. 1. Cor. 12. S. Augustinus exponit hunc versiculum de Christo, qui per ascensionem carnis humanæ factus est particeps omnium timentium Deum, juxta illud Apostoli ad Hebr. 2. *Quia pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse participavit eisdem*, et paulo ante, *Unde*, inquit, *non confunditur fratres eos vocare*, sed prior expositio est communis, et magis litteralis.

8. Misericordia tua Domine plena est terra : justificationes tuas doce me.

Ego quidem *participes sum omnium timentium te :* sed misericordiæ tuæ participes sunt omnes qui habitant in terra, et boni et mali; et homines, et jumenta, et animata, et inanimata. Proinde miserere mei, *ut doceas me justificationes tuas*, hæc enim summa miseria est non scire legem tuam, ut sciunt qui illam implent. Hanc miseriam tollat a me misericordia tua : quia hoc unum ambio, hoc concupisco, cum tu sis *portio mea Domine.*

Theth.

1. Bonitatem fecisti cum servo tuo Domine, secundum verbum tuum.

2. Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi.

In hoc octonario petit a Deo Propheta tria dona necessaria ad custodienda præcepta Domini: et ostendit ex effectis, horum donorum necessitatem. Primum igitur utitur quodam quasi proœmio, dicens, *Bonitatem fecisti cum servo tuo Domine*, id est, suavitatem, et benignitatem, sive mansuetudinem tuam exhibuisti servo tuo, *secundum verbum tuum*, id est, juxta promissiones tuas; quamvis enim in Hebræo legatur, טוב *tob*, quod significat *bonum*, et verti possit, ut vertit S. Hieronymus, *Benefecisti servo tuo :* tamen Septuaginta Interpretes legerunt, *tub*, *bonitatem*, ut etiam in sequenti versu; et utrobique verterunt, χρηστότητα, id est, *bonitatem, sive suavitatem*, sequitur postea, *Bonitatem et disciplinam, et scientiam doce me*, id est, sicut Domine bonitatem, sive suavitatem erga servum tuum ostendisti; ita rogo ut doceas me eamdem bonitatem, sive suavitatem, quam exhibeam proximis meis, ita ut nulli nocere, nullum decipere, nullum fraudare velim : hoc addas etiam, *ut doceas me disciplinam*, id est, prudentiam, ut caveam deceptores, et fraudulentos; et sic habeam suavitatem et bonitatem columbæ, ut non desit mihi consilium et prudentia serpentis. Intelligo autem per vocem, *disciplinam*, virtutem prudentiæ, quia hoc requirit vox Hebraica, טעם *taham*, quæ significat proprie saporem, et *consilium*, neque vox Græca, et Latina hanc significationem respuunt, cum sint vocabula generalia. Denique post bonitatem, et prudentiam, peto etiam scientiam, qua agnoscam mysteria legis tuæ, quæ scientia, sicut sine bonitate et prudentia inflat, ita habentibus bonitatem et prudentiam, utilissima est; sequitur, *Quia mandatis tuis credidi*, id est, quia credidi mandatorum tuorum promissionibus, sive, credidi mandata tua divina esse, et dignissima, quæ diligentissime custodiantur. Observandum est hoc loco, plerosque homines scientiam quærere, vel prudentiam, de bonitate parum laborare, sed Prophetam a Spiritu sancto edoctum rectum ordinem esse secutum, ut primo bonitatem; deinde prudentiam; ultimo, scientiam postularet.

3. Priusquam humiliarer, ego deliqui, propterea eloquium tuum custodivi.

4. Bonus es tu, et in bonitate tua doce me justificationes tuas.

Declarat necessitatem trium illorum donorum; quasi dicat, non sine causa peto bonitatem, disciplinam, et scientiam : nam ex defectu horum donorum deliqui, et propter delicta humiliatus sum a Deo justo judice. Priusquam humiliarer per immissionem tribulationum, ego deliqui per ignorantiam, quia scientia carui : nam vox Hebræa, שגג *sagag*, quæ hoc loco habetur, significat *ignorare*, sive, delinquere ex ignorantia; sequitur, *Propterea eloquium tuum custodivi*, id est, propterea deinceps attentius custodivi legem tuam : sed tu qui *bonus*,

id est, suavis, et benignus *es*, *in hac* tua *bonitate*, id est, juxta hanc mansuetudinem tuam, *doce me justificationes tuas*, ut non amplius delinquam.

5. Multiplicata est super me iniquitas superborum : ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.

6. Coagulatum est sicut lac cor eorum ; ego vero legem tuam meditatus sum.

Hic significatur necessitas alterius doni, videlicet prudentiæ. *Multiplicata est super me iniquitas superborum*, id est, superbi prævaricatores multiplicarunt super me mendacia sua, ut me ad transgressionem inducerent ; unde prudentiæ donum mihi necessarium fuit, quo dono adjutus *in toto corde meo scrutabor mandata tua*. In Hebræo pro vocabulo, *iniquitas*, habetur, שקר *scecher*, id est, *mendacium* ; unde intelligimus per *iniquitatem*, ipsum mendacium, quod sine dubio quædam iniquitas est, præcipue si mendacium sit perniciosum. *Coagulatum est sicut lac cor eorum*, id est, superbi illi induratum cor habent, sicut induratur caseus ex lacte coagulato confectus ; ideo illis dimissis, legi tuæ meditandæ vacavi. In Hebræo legitur, *adeps*, pro *lacte* : sed eædem litteræ mutatis punctis utrumque significant : nam, חלב *chalab*, est *lac*, et חלב *cheleb*, est *adeps*.

7. Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.

8. Bonum mihi lex oris tui super millia auri, et argenti.

Ex abundantia primi doni, quod jam consecutus erat, dicit, *Bonum mihi, quia humiliasti me*, neque enim hoc dicere potest nisi homo vere mitis et humilis corde, ac per hoc vere bonus, qui per experientiam judicium de bono ferre potest. Existimat enim is, qui vere bonus est, magnum donum humiliationem ex tribulatione venientem, quoniam causa est custodiæ legis, quæ quantum sit bonum, explicatur in versiculo sequenti, *Bonum mihi lex oris tui super millia auri, et argenti;* et vere ita est, quoniam per custodiam legis acquiritur vita æterna, cui nulli thesauri comparari possunt.

Iod.

1. Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me, da mihi intellectum, ut discam mandata tua.

In hoc octonario multis novis argumentis poscit gratiam legis custodiendæ, ac primum ex eo quod, cum sit figmentum manuum Domini, debet illi summam obedientiam. *Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me*, id est, potentia tua, et sapientia tua, quasi duæ manus tuæ, fecerunt me, cum non essem, et plasmaverunt me, ordinantes membra et potentias, cum essem initio quasi massa luti, vel, fecerunt me, quoad animam, et plasmaverunt, quoad corpus. Ideo cum totus sim tuus, debeamque tibi summam obedientiam, peto ut des mihi intellectum, ut discam mandata tua, non ut solum sciam, sed etiam faciam. In Hebræo, pro *plasmasti*, habetur, *parasti*, sive, *firmasti*, per quod intelligitur perfecta formatio, et distinctio membrorum, unde fit, ut homo subsistat. Item pro, *da mihi intellectum*, in Hebræo et Græco est una vox tantum, quæ significat *intelligentem facere*. Itaque illud, *da migi intellectum*, non significat, da mihi vim intelligendi, quasi sine ea formatus esset, sed, da mihi lumen divinum, quo mens mea perfecte discat mandata tua, et sibi persuadeat optimum esse illa complere.

2. Qui timent te, videbunt me, et lætabuntur, quia in verba tua supersperavi.

Hæc est secunda ratio, quæ sumitur ab ædificatione proximorum. *Qui timent te*, videbunt me servantem mandata tua, *et lætabuntur*, quia videbunt me sperantem valde in verbis tuis, id est, in promissis, quæ continentur in lege tua.

3. Cognovi Domine quia æquitas judicia tua, et in veritate tua humiliasti me.

Tertia ratio a confessione propriæ culpæ. *Cognovi*, inquit, *quia æquitas judicia tua*, id est, quod judicia tua justissima sint, et si quando *me humiliasti* destituens gratia tua ; *in veritate*, id est, in justitia tua fecisti, quia ita commerui ; ideo non conqueror de tua justitia, sed ad misericordiam tuam confugio, et dico :

4. Fiat misericordia tua, ut consoletur me, secundum eloquium tuum servo tuo.

Consolatio, quam petit, est gratia servandæ legis ; qui enim dolet se humiliatum, quia destitutus gratia in peccatum incidit, consolationem magnam accipiet, si copiosa gratia perfusus legem Domini perfecte, integreque servabit.

5. Veniant mihi miserationes tuæ, et vivam, quia lex tua meditatio mea est.

Petiit gratiam servandæ legis, ut consolationem acciperet : explicat nunc, quæ sit vera consolatio, quam desiderat. *Veniant mihi miserationes tuæ, et vivam*, id est, miserere mei secundum multitudinem miserationum tuarum, ut acquiram veram vitam, quæ sola est vita beata, et sempiterna. Recte enim monet S. August. ubi sine addito ponitur nomen, *vitæ*, ut plurimum intelligi *vitam æternam*, quæ sola est simpliciter vita, Joan. 1. *In ipso vita erat*, Joan. 5. *In resurrectionem vitæ*, Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Quia lex tua meditatio mea est*; hæc est ratio, cur audeat petere misericordias Domini : decet enim, ut Deus misericorditer respiciat in eum, qui assidue meditatur in lege.

6. Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me, ego autem exercebor in mandatis tuis.

Quarta ratio ad obtinendam gratiam servandæ legis, sumitur a confusione iniquorum, sicut secunda sumebatur ab ædificatione piorum. *Confundantur superbi*, id est, da mihi gratiam, per quam perfecte leges tuas custodiam, ut hinc confundantur superbi prævaricatores, qui vexando, et persequendo injuste, efficere conantur, ut etiam alii prævaricentur. Interim autem dum illi confunduntur, et erubescunt, ego multo alacrius exercebor in mandatis tuis cogitandis et implendis. Illud, *injuste*, significat superbos iniquitatem fecisse scienter, et studiose, non casu, non ex ignorantia, non ex inad-

vertentia, unde ab iniquitate immunes videri possent.

7. Convertantur mihi timentes te, et qui noverunt testimonia tua.

Hortatur pios, ut si qui sunt, qui a prævaricatoribus decepti ad illos respicere cœperint, ad se redeant, et cum ipso jungantur. *Convertantur mihi*, id est, convertantur ad me, et mecum juncti legem Dei custodiant, timentes te, et qui noverunt testimonia tua, id est, illi omnes, qui timorem Dei, et scientiam legis habent. Ex Græco textu legunt nonnulli, *Convertant me*. Sed antiqua lectio id habebat, quod nos habemus, ut perspicuum est ex Patribus, Hilario, Ambrosio, Hieronymo, Augustino; et S. Hieronymus vertit ex Hebræo, *Revertantur ad me*.

8. Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar.

Concludit petens gratiam sæpe, ac sæpius postulatam, qua corde perfecto mandata divina custodiat, ut neque in hoc sæculo, neque in futuro judicio, confusionis opprobrium timeat.

Caph.

1. Defecit in salutare tuum anima mea, et in verbum tuum supersperavi.

In hoc octonario inducit David personam cupientis servare mandata, et tamen inter tentationes graviter laborantis, atque auxilium de cœlo miserabiliter postulantis. Sanctus Augustinus totum octonarium Ecclesiæ Christum expectanti, et sanctis Martyribus, accommodat, pie omnino, vere: sed quia totum Psalmum ad legis custodiam commendandam video pertinere, ideo hunc etiam octonarium ad litteram de legis custodia explicare decrevi. *Defecit in salutare tuum anima mea*, id est, anima mea præ magnitudine desiderii salutis æternæ jam pene defecit, *Deficere enim in salutare*, nihil est aliud, nisi expectando, et desiderando salutem, laborare, languere, deficere, *Et in verbum tuum supersperavi*, id est, et ego tamen valde speravi in verbum promissionis tuæ. Itaque dilatio salutis deficere facit, sed spes firma promissionis erigit, et confortat.

2. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum dicentes, Quando consolaberis me?

Mira Prophetæ loquutio, quæ oculis officium aurium et linguæ tribuit. Sed oculi interiores, et aures interiores, et lingua interior idem sunt. Intellectus enim videt, audit, loquitur. *Defecerunt oculi mei eloquium tuum*, id est, mens mea attendendo auxilium promissum, dum diutius differtur, deficit præ desiderio, quo modo deficiunt oculi corporales, cum nimis diu respiciunt ad locum; unde persona desiderata ventura speratur, *dicentes: Quando consolaberis me?* id est, oculi interiores defecerunt præ expectatione, et defectum suum explicant, dicentes: Quando veniet consolatio illa perfecta, ut non amplius timeam casum, et legis sanctæ prævaricationem? Possent etiam hæc explicari de oculis exterioribus, qui cœlo inhærentes videntur quasi deficere, et dicere Domino, *Quando veniet auxilium de cœlo promissum?* Sic enim S. Hieronymus in Epist. ad Eustochium de servanda virginitate de se loquitur, *Post multas lacrymas, post in cœlum inhærentes oculos, etc.* Videtur dicere debuisse Propheta secundum leges Grammaticæ, *Quando consolaberis nos?* Sed quia oculi sunt instrumenta animæ, de qua dictum erat, *defecit anima mea*, ideo per oculos quæritur consolatio non tam oculorum, quam animæ, quæ per illos respicit. Est igitur sensus, Quando consolaberis animam meam, cujus oculi deficiunt attendendo, et expectando.

3. Quia factus sum sicut uter in pruina, justificationes tuas non sum oblitus.

Non sine causa dico, *Quando consolaberis me?* quia præ desolatione, et angustiis tentationum, factus sum aridus, et destitutus humore gratiæ consolantis, ut est uter tempore frigidissimo in medio pruinæ constitutus. Similis est illa vox in Psalmo 124. *Anima mea facta est sicut terra sine aqua tibi*. Sed quamquam tanta spiritus ariditate laborem, *tamen justificationes tuas*, id est, præcepta tua, *non sum oblitus*. S. Ambrosius, et S. Augustinus per *utrem in pruina*, intelligunt carnem mortificatam, et castigatam, et pruina cœlesti respersam, ut spiritui subjiciatur, quasi dicat Propheta, Carnem castigavi, et legem tuam non sum oblitus: æquum igitur est, ut consoleris animam meam.

4. Quot sunt dies servi tui? quando facies de persequentibus me, judicium?

Instat eidem petitioni optans consolationem, et liberationem a tentationibus. *Quot sunt dies servi tui*, quibus afflictio durabit? quando finientur dies tentationis, et miseriæ? *quando facies de persequentibus me judicium?* quando judicabis, et condemnabis persequentes, et tentantes me, ut iis condemnatis persecutio conquiescat? Non curiose quærit, quot anni supersint, aut vitæ suæ, aut durationis mundi; sed explicat his verbis desiderium æternæ vitæ, quando omnes impii ad inferos detrusi, cessabunt vexare pios, et pii summa atque æterna pace fruentes, in sanctitate, et justitia Domino servient sine ullo timore cadendi.

5. Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.

Hæc est causa, cur maxime cupiat ab iniquorum consortio liberari; quoniam iniqui tentantes pios narrant delectationes mundi, quæ sunt meræ fabulæ, id est, delectationes sordidæ, fugaces, magis confictæ, quam veræ; et nihil habent simile cum lege Domini, quæ pie custodita, delectationes stabiles et solidas adfert. Potest etiam *fabulatio* referri ad hæreticorum colloquia, ut referunt Ambrosius, et alii. Sanctus Hieronymus ex Hebræo vertit, *Foderunt mihi superbi foveas*, sed sciendum est vocem, שיחות *scichoth*, esse ambiguam, et posse significare *fabulationes*, a verbo, שוח *suach*, et *foveas*, a nomine, שחה *sacha*. Sanctus Hieronymus ut verteret consequenter ad verbum, *foderunt*, transtulit, *foveas*; non enim cohærent *fabulationes*, cum verbo *foderunt*. At Septuaginta Seniores, quia per nomen *scichoth*, intellexerunt, *fabulationes*, noluerunt vertere, *foderunt*, ne nimis impropria, et obscura esset oratio; sed sequentes non verba, sed sensum, maluerunt vertere *narraverunt*, et vere sensum expresse-

runt : nam *fodere*, in Hebraica lingua significat *emere*, acquirere, præparare, eruere : igitur sensus est, *foderunt mihi fabulationes*, id est, emerunt fabulationes, ut mihi eas venderent, vel araverunt fabulationes, ut mihi eas narrarent; vel foderunt, et eruerunt ex fodina vanitatis fabulationes, ut eas mihi præberent. S. Augustinus legit, *Narraverunt mihi delectationes.* Sanctus Ambrosius, *exercitationes*, alii aliter. Sed verbum Hebraicum significat proprie *confabulationem*, et submurmurationem submissa voce editam, quæ ad colloquia clandestina hæreticorum, vel impudicorum hominum recte accommodari potest. Vox Græca ἀδολεσχία, ab Ambrosio dicitur esse *superflua loquacitas*, ab Augustino, *delectabilis in sermone exercitatio*, ab Euthymio, *garrulitas*, et *nugacitas.*

6. Omnia mandata tua veritas ; inique persecuti sunt me, adjuva me.

Quia dixerat, non sicut lex tua : dicit nunc, *Omnia mandata tua* sunt ipsa *veritas*, id est, verissimas promissiones continent, et inde verissimas delectationes observantibus legem tuam adferunt. Ideo injusti narrantes suas fabulationes inique persecuti sunt me, et tu contra eorum insidias adjuvas me.

7. Paulo minus consummaverunt me in terra, ego autem non dereliqui mandata tua.

Tam gravis fuit persecutio justorum, qui per dulces sermones me subvertere nitebantur, ut pene me perdiderint in terra, et ad cœlum aspirare nequirem : tamen non obtinuerunt : quoniam *non dereliqui mandata tua.*

8. Secundum misericordiam tuam vivifica me, et custodiam testimonia oris tui.

Redit ad primam petitionem, et concludit octonarium, dicens, *secundum misericordiam tuam magnam vivifica me*, vita beata, et sempiterna, et tunc demum perfectissime custodiam legem tuam : potest etiam hoc intelligi de vita gratiæ, per quam mandata Dei custodiuntur.

Lamed.

1. In æternum Domine verbum tuum permanet in cœlo.

2. In generationem, et generationem veritas tua, fundasti terram et permanet.

3. Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi.

In hoc octonario a firmitate promissionum divinarum sumit Propheta argumentum ad exhortandos homines ad legem servandam, quæ habet promissiones vitæ præsentis, et futuræ. *In æternum Domine verbum tuum*, id est promissio tua, *permanet in cœlo :* nam etiamsi in terris videatur non permanere, dum justi opprimuntur, et injusti exaltantur : tamen in cœlo apud Deum omnino permanet. Deus enim quod promisit, implebit. Faciet enim, ut justis breves tribulationes vertantur in gaudium sempiternum ; et brevis gloria impiorum vertatur in opprobrium, et supplicium sine fine duraturum. Idem autem repetit, vel explicat, dum addit, *In generationem et generationem veritas tua*, supple permanet, id est, semper manet veritas promissionum, dum semper verbum promissionis impletur, *in omni generatione et generatione*, id est, ab initio usque in finem, quod est idem, quod *in æternum.* Probat autem Propheta stabilitatem promissionum a stabilitate ordinationum divinarum duobus exemplis. *Fundasti terram, et permanet*, hoc est primum exemplum, quasi dicat, fundasti terram immobilem, et semper manet immobilis, ut ordinationi tuæ obediat. *Ordinatione tua perseverat dies*, hoc est alterum exemplum. Ordinavit enim Deus, ut e contrario cœlum, sive sol moveretur semper, et motu suo diem efficeret ; et obtemperat, et sic semper ordinatione divina perseverat dies. In Hebræo conjungitur verbum numeri multitudinis cum nomine numeri singularis hoc modo, *Perseverant hic dies*, sive *hodie;* ad significandum, diem transeundo, et fluendo permanere ; transeunt dies, et numquam stant, et tamen semper *hodie* permanet, ad quod alludens Apostolus, Hebr. 3. *Adhortamini*, inquit, *vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur*. Ratio hujus tantæ firmitatis est, quod sequitur, *Quoniam omnia serviunt tibi :* nihil enim est in rebus creatis, quod Deo creatori ad nutum non pareat.

4. Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte periissem in humilitate mea.

Nisi, inquit, in lege tua assidue meditatus fuissem, ubi veritatem promissionum tuarum didici, forte periissem in afflictione mea, tentationibus adversariorum superatus. Pro *meditatio*, in Hebræo est, *delectatio*, ex quo intelligimus hic agi de jucunda et dulci meditatione, quæ valde recreat animum hominis in tribulatione constituti, dum promissa divina ob oculos interiores ponit, et cordi intime infigit. Per *humilitatem* autem hoc loco non significatur virtus humilitatis, sed afflictio, sive pressura, ut S. Hieron. ex Hebræo transtulit.

5. In æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me.

Confortatus ex meditatione promissionum, quæ in lege continentur confidenter jam dico, *In æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis*, id est, super eorum observationem, *vivificasti me*, vitam gratiæ augendo, et vitam gloriæ promittendo.

6. Tuus sum ego, salvum me fac, quoniam justificationes tuas exquisivi.

Scriptum est in Psal. 23. *Domini est terra, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo :* ego tamen proprie tuus sum, quia agnosco me tuum esse, et volo tuus esse, et nullius alterius Domini volo esse, cum nulli cupiditati servire decreverim; ideo recte peto, ut me salvum facias, id est, rem tuam conserves, ne pereat. *Quoniam justificationes tuas exquisivi*, id est, quoniam tuus sum, et tanquam tui solius mancipium, nihil aliud quæro, nisi mandata tua, ut illa perficiam. Vere pauci sunt, qui dicere possint, *Tuus sum ego*, quia pauci sunt, qui per affectum nulli rei serviant, nisi Deo.

7. Me expectaverunt peccatores, ut perderent me: testimonia tua intellexi.

Non sine causa dixi, *Salvum me fac*, quoniam *peccatores* in loco opportuno ad capiendum, *me expectaverunt*, ut tentationi consentire me facerent, et sic *perderent me*: sed ego gratia tua adjutus *testimonia tua intellexi*, id est, intellexi quid lex tua in tali articulo præciperet: quid promitteret, quid minaretur.

8. Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.

Intelligens testimonia tua, ex eis cognovi, et *vidi finem consummationis* omnium rerum, judicium videlicet novissimum, in quo consummatis meritis bonis, et malis, reddentur præmia bonis, et supplicia malis. Vere igitur *latum mandatum tuum nimis*, id est, vere amplum, et fœcundum est mandatum tuum, sive lex tua, cum in ea conspiciantur regulæ bene vivendi, et præmia custodientium legem, et contra regulæ declinandi vitia, et supplicia prævaricatorum. Posset etiam sic exponi versiculus iste, *Intelligens testimonia tua*, id est, legem tuam, *vidi finem omnis consummationis*, id est, omnis perfectionis vitæ, esse *mandatum tuum*, id est, præceptum dilectionis, quod est *latum nimis*, cum omnia mandata comprehendat, et cum ad Deum, et omnes Angelos, et omnes homines, etiam inimicos extendatur. Alii aliter exponunt, et unusquisque propriam expositionem adfert. Ambrosius, et Hieronymus, *finem omnis consummationis* dicunt esse Christum. Augustinus, *finem omnis consummationis*, dicit esse coronam Martyrii, quia consummata perfectio est mori pro Christo. Theodoretus dicit omnia humana, opes, honores, et similia, quantumvis consummata et perfecta, habere finem. Euthymius, per *omnem consummationem*, intelligit omnem interitum, tum bonorum, tum impiorum. Vidit enim Propheta finem mortis omnium, esse pœnam, vel gloriam.

Mem.

1. Quomodo dilexi legem tuam Domine: tota die meditatio mea est.

In hoc octonario iterum redit ad encomium legis, eamque laudat a multiplici utilitate, et delectatione, quam secum adfert. Ac primum testatur amorem suum erga divinam legem, deinde reddit causam amoris, enumerans ejus utilitates. *Quomodo dilexi*, id est, quam vehementer dilexi legem tuam: signum amoris est continua conversatio cum re amata. *Tota die*, inquit, *meditatio mea est*, nihil aliud cogito, nihil aliud loquor, nihil aliud ago.

2. Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in æternum mihi est.

Hæc est prima utilitas legis, quia diligenter considerata, et factis adimpleta, prudentem facit hominem, ut sciat quid, et quomodo, et quando, et ubi debeat loqui, et agere, vel silere, et quiescere: quam prudentiam non habent prævaricatores, qui regulam hanc rectissimam inter loquendum et agendum non respiciunt. Ait igitur, *super inimicos meos*, prævaricatores videlicet legis prudentem me fecisti mandato tuo, id est, per mandatum tuum, dum illud assidue meditor, et adimpleo. *Quia in æternum mihi est*, quia perpetuo mihi adest ante oculos mentis, neque unquam illius obliviscor.

3. Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est.

4. Super senes intellexi, quia mandata tua quæsivi.

Hæc est altera utilitas legis: quia non solum prudentiam, sed etiam sapientiam gignit. Sed tamen quoniam videtur David nimium sibi tribuere, anteponendo sapientiam suam sapientiæ omnium, qui illum præcesserunt, in quibus erat Adam, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Moses, Samuel, et alii: Sanctus Augustinus docet hæc dici in persona Christi, qui cum esset annorum duodecim, et videretur quasi discipulus audiens legis doctores, et seniores: tamen *super omnes docentes* se intelligebat Sanctus Ambrosius in persona populi Christiani. Sed fortasse non erit necesse ad ista confugere: nam per *omnes docentes* intelligere possumus eos solos, qui Davidem puerum, vel adolescentem, docuerunt, parentes videlicet, et pædagogos suos familiares. Quamvis enim non sit discipulus super Magistrum, dum discipulus est: potest tamen is, qui discipulus fuit, diligentia et studio superare eum, qui Magister ipsius aliquando fuerat. Sic David facile sapientia Magistros suos vicit propter continuam meditationem in lege Domini. Idem etiam intelligimus de senibus, non enim voluit David dicere, se sapientem *super* omnes *senes*, qui fuerant ab initio mundi, sed se adhuc juvenem sapientiorem fuisse multis senibus, ob studium suum assiduum in lege Domini meditanda.

5. Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam verba tua.

6. A judiciis tuis non declinavi, quia tu legem posuisti mihi.

Hæc est tertia utilitas legis Domini, quia facit multa vitare peccata. *Ab omni via mala prohibui pedes meos*, id est, cavi ne ambularem per vias iniquorum, qui pro lege habent cupiditatem suam, quæ est lex carnis, et peccati, id est, cavi ne aliqua in re delinquerem: idque, ut custodirem verba tua, id est, legem tuam, quæ contrarium iter ostendebant. *A judiciis* enim *tuis*, id est, a justissimis mandatis tuis, *non declinavi, quia tu legem posuisti mihi*, id est, quia hanc sanctam legem tu Dominus meus mihi dedisti: sive, ut exponit S. Augustinus, *Quia tu legem in corde mihi posuisti*, tu fecisti per spiritum tuum, ut legem sanctam ex intimo corde meo diligerem.

7. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, snper mel ori meo.

Hæc est quarta utilitas, quod summam adfert lex Domini se custodientibus voluptatem. Eloquia enim Domini, id est, mandata Domini, dulcia sunt faucibus animæ, magis quam mel faucibus corporis; nihil jucundius bona conscientia, et spe supernæ beatitudinis, quam parit observantia legis divinæ.

8. A mandatis tuis intellexi, propterea odivi omnem viam iniquitatis.

Probat, ex lege Domini magnam voluptatem se percepisse, eo quod lex Domini bonam conscientiam pariat. Nam, inquit, *a mandatis tuis intellexi*, id est, a mandatis tuis, eruditus, prudens, et sapiens factus sum : clarior est hæc sententia in Hebræo et Græco textu. *Propterea odivi omnem viam iniquitatis*, id est, ex hac sapientia, et prudentia acquisita ex assidua meditatione legis, non solum abstinui a peccatis, sed etiam magnum odium concepi adversus omnes iniquas actiones. Hoc autem odium mirifice conservat animi puritatem, et sanctitatem, et gignit magnam fiduciam in Domino, unde oritur ineffabile gaudium, pax et tranquillitas omnibus thesauris, et voluptatibus anteponenda.

Nun.

1. Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.

In hoc octonario laudat legem divinam Propheta ab eximia quadam utilitate : deinde promittit se eam observaturum, non obstante qualibet tribulatione. Utilitas eximia est, quod lex Domini sit nobis in via vitæ hujus, instar lucernæ ambulantibus in tenebris. Lex enim peccati, id est, cupiditas, excæcat homines sive maximas tenebras effundit, ut vera bona et vera mala non internoscantur; et hinc ii, qui hanc legem sequuntur, id est, qui passionibus animi rapi se sinunt, in varia præcipitia ruunt : sed lex Domini has tenebras dissipat, et vera bona, ac vera mala demonstrat; et ideo, qui eam sequuntur non errant, neque cæcutiunt, sed recto tramite ad patriam cœlestem iter faciunt. Ait igitur, *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, id est, lex tua est lucerna pedibus meis. Et hoc ipsum repetens, et declarans addit, *Et lumen semitis meis.* Lucerna enim dum illuminat semitas per quas incedendum est, dirigit pedes ambulantium, sermo est mataphoricus, sed facile intelligitur.

2. Juravi, et statui custodire judicia justitiæ tuæ.

Quia lex est lux, ac proinde res optima, et utilissima, Propheta jurat, et statuit, id est, firmissime apud se constituit, custodire ipsam legem, quam vocat *judicia justitiæ*, id est, judicia justissima.

3. Humiliatus sum usquequaque Domine : vivifica me secundum verbum tuum.

Humiliatus, id est, afflictus, et vexatus sum valde, occasione legis servandæ : quia *omnes qui volunt pie vivere, persecutionem patiuntur*, ut dicit Apostolus 2. Timoth. 3. sed tu Domine, *vivifica me*, id est, veram vitam, quæ a malis omnibus libera erit, mihi aliquando tribue, secundum promissum tuum. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, Matth. 19. Posset etiam hic locus exponi de virtute humilitatis. Qui enim humiliant seipsos, ut jugo legis se omnino subjiciant, illi secundum promissionem merentur exaltari ad vitam beatam, et sempiternam.

4. Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine, et judicia tua doce me.

Quod juravi, et statui custodire legem, non obstante qualibet persecutione, est voluntarium sacrificium oris mei : hoc igitur voluntarium sacrificium oro, ut tibi sit beneplacitum, et quia ex se id non meretur, tu Domine fac illud beneplacitum, dum benigne ex gratia tua illud approbare digneris : ac ut rite hoc sacrificium offeram, *doce me judicia tua*, id est, doce me perfecte legem tuam observare. Alii referunt hæc *voluntaria*, ad sacrificia votiva ovium, et hircorum; alii ad sacrificia laudis, et confessionis : sed continuatio Psalmi videtur requirere, ut per *voluntaria* intelligamus spontaneum juramentum legis custodiendæ.

5. Anima mea in manibus meis semper : et legem tuam non sum oblitus.

Quam serio juraverim custodire legem tuam, et hoc tibi sacrificium sponte obtulerim, ex hoc intelligi potest, quod quotidie de vita periclitor propter legis tuæ custodiam, et tamen ipsam *legem non sum oblitus.* S. Ambrosius, et S. Augustinus dicunt, in plerisque libris legi, *Anima mea in manibus tuis*, et hanc veriorem lectionem esse judicant. Eodem modo legunt S. Hilarius, et S. Hieronymus in commentario Psalmorum : et sensus optimus, et verissimus est, Animas nostras in manu Dei esse, a quo pendet vita nostra, et in cujus potestate est, ut vivamus, vel moriamur. Sed in Hebræo textu aperte est, *in manibus meis*, ut nos in editione vulgata legimus, et S. Hieronymus non solum in sua versione posuit, *in manibus meis*, sed etiam in epistola ad Suniam et Fretellam dicit, Septuaginta Interpretes vertisse, *in manibus meis*, et omnes veteres Græcos tractatores explicasse hoc modo, *Anima mea in manibus meis est*, id est, in periculo vitæ sum. Quod enim manibus tenetur, facile potest cadere, vel eripi, nisi fortiter custodiatur, et defendatur : et sic intelligitur illud Judic. 12. *Posui animam meam in manibus meis*, hoc enim dicit Jephte, dum ad prælium valde periculosum pergit; et illud 1. Reg. 19. de Davide, *Posuit animam suam in manu sua, et percussit Philisthæum.* Itaque credibile est Septuaginta Interpretes vertisse, *in manibus meis*, sed postea a sciolo aliquo textum fuisse mutatum, quod videretur lectio clarior et facilior.

6. Posuerunt peccatores laqueum mihi, et de mandatis tuis non erravi.

Non sine causa dixi, *Animam meam in manibus meis semper* fuisse, quia *peccatores posuerunt laqueum mihi*, ut me caperent, et occiderent, et tamen ego *de mandatis tuis non erravi*, id est, non aberravi a mandatis tuis. Hoc impletum est cum David quæreretur a Saule ad mortem, et tamen ipse David semel, et iterum, cum facile posset Saulem occidere, seque ab omni periculo liberare, noluit id facere, ne peccaret in Deum, vide lib. 1. Reg. cap. 23. 26.

7. Hæreditate acquisivi testimonia tua in æternum, quia exultatio cordis mei sunt.

Cur de mandatis tuis non erraverim, ea causa est, quia *hæreditate acquisivi testimonia tua in æternum*, id est, elegi mihi in hæreditatem æternam ipsam legem tuam, quia jucundissima, et dulcissima mihi est, et summæ delectationis, et exultationis causa.

8. Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.

Porro causa tantæ delectationis est merces copiosissima, quam secum adfert legis custodia. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas,* id est, cum ab una parte lex peccati traheret me, ab altera lex tua, ego inclinavi cor meum tanquam staterem, aut bilancem, ad legem tuam faciendam, propter retributionem; quia videlicet consideravi stipendium legis tuæ esse vitam sempiternam. S. Hieronymus ex Hebræo vertit, *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter æternam retributionem*, textus Hebraicus utramque lectionem admittit.

Samech.

1. Iniquos odio habui, et legem tuam dilexi.

In hoc octonario Propheta detestatur prævaricatores legis divinæ, et se contrarium eis esse demonstrat. Monet autem S. Augustinus non dixisse Prophetam in primo versiculo, *Iniquitatem odio habui, et legem tuam dilexi,* ut videbatur requirere ordo verborum; sed dixisse, *Iniquos odio habui, et legem tuam dilexi*, ut ostenderet se non solam iniquitatem, sed etiam iniquos odisse: et rursum non dixisse, *Iniquos odio habui et justos dilexi,* sed et legem tuam dilexi, ut judicaret se non odisse iniquos, nisi quia contrarii sunt legi divinæ quam dilexit. Itaque odio habuit iniquos, non ratione naturæ, sed ratione iniquitatis: sicut contra diligebat inimicos, ac per hoc iniquos, non ratione iniquitatis, sed ratione naturæ.

2. Adjutor et susceptor meus es tu, et in verbum tuum supersperavi.

Ut non timeam iniquos, quos odi, et legem adimpleam quam dilexi, *Adjutor et susceptor meus es tu :* adjutor, in lege custodienda; et susceptor in evadenda persecutione iniquorum. Et ego vicissim in verbum promissionis tuæ valde speravi.

3. Declinate a me, maligni, et scrutabor mandata Dei mei.

Una ex causis, cur odio habeat iniquos Propheta, est, quia eorum consortium valde impedit meditationem Verbi Divini, quæ quietem et pacem animi desiderat. Ideo cupit eos a se recedere, ut muscas molestissimas.

4. Suscipe me secundum eloquium tuum, et vivam; et non confundas me ab expectatione mea.

Ut cupio iniquos a me recedere; ita cupio ut tu Domine ad me accedas, et in sinum tuum suscipias *secundum eloquium* promissionum tuarum, et tum verissime *vivam*, cum tibi, qui vita es, conjunctus ero. Et quia de benignitate tua, non de meritis meis, id expecto, *non confundas me ab expectatione mea.*

5. Adjuva me, et salvus ero, et meditabor in justificationibus tuis semper.

Idem aliis verbis repetit : idem enim est, *Suscipe me et vivam,* et, *Adjuva me et salvus ero.* Fructus autem hujus susceptionis erit, ut sine impedimento semper meditari valeat in lege Domini.

6. Sprevisti omnes discedentes a judiciis tuis, quia injusta cogitatio eorum.

Ostendit nunc, quod si ipse odio habet iniquos, et a se recedere cupit, id facit exemplo Dei, qui iniquos justissime execratur. *Sprevisti*, inquit, tanquam rem nullius momenti, *omnes discedentes a judiciis tuis*, id est, omnes iniquos, qui discedunt a via legis divinæ. *Quia injusta cogitatio eorum*, id est, quoniam ipsi cogitant, se non debere subdi legi Dei, nec ab ea pendere; qua cogitatione nihil iniquius esse potest, cum omnis creatura summo jure Creatori subjici debeat. Hæc fuit cogitatio Luciferi, qui similis Altissimo, non autem ei subditus esse voluit. Eadem fuit cogitatio primorum parentum qui cupierunt esse sicut Dii. Eadem est cogitatio omnium superborum, qui dicunt in corde suo, *Quis noster Dominus est?* Hos igitur spernit Deus, et non multum curat, si multa millia eorum pereant in æternum, quia quanto pluris ipse se æstimant, tanto minoris fiunt a Deo.

7. Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ : ideo dilexi testimonia tua.

Movet hoc loco magnam quæstionem S. August. Quomodo omnis peccator prævaricator dici possit, cum Apostolus dicat, *Ubi non est lex, nec prævaricatio*, Rom. 4. et rursum, *Qui sine lege peccaverant, sine lege peribunt,* Rom. 2. Respondet illud, *Ubi non est lex, nec prævaricatio;* intelligi de lege in universum: illud autem, *Qui sine lege peccaverunt*, intelligi de lege scripta tantum: proinde omnes peccatores dicendi sunt *prævaricatores*, quia omnes prævaricantur legem naturalem scriptam in cordibus. Sed cur Propheta hoc dicit? ut ostendat, peccatum, quod est maximum malorum, non aliunde nobis accidere, nisi ex prævaricatione legis. Subjungit, *Ideo dilexi testimonia tua*, id est, ut tam magnum malum effugiam, dilexi legem tuam. S. Hieron. ex Hebræo vertit, *Quasi scoriam reputasti omnes peccatores terræ.* Sed Septuaginta Interpretes, per vocem, סגים *sighim*, non intellexerunt *scoriam*, a voce סיג *sig*, sed *recedentes*, quod est idem cum, *prævaricantes;* nam verbum, סוג *sug*, significat *recedere*, inde, סוגים *sughim*, significat *recedentes.* Iod autem et Vau sunt litteræ permutabiles : sic etiam non legerunt, חישבת *chisbatta :* quod est, *reputasti*, sed, חישבתי *chisbatti*, quod est, *reputavi.*

8. Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui.

Postulat in fine confirmationem in timore Dei, ut custodia legis per eum timorem perseveret. *Confige*, inquit, quasi clavis, *timore tuo carnes meas,* id est, cupiditates meas carnales, ut se commovere non possint, juxta illud Apostoli, *Qui autem sunt Christi*, *carnem suam crucifixerunt cum vitiis, et concupiscentiis,* Gal. 5. *A judiciis enim tuis timui,* id est, quoniam jam cœpi timere a judiciis tuis pœnas horribiles comminantibus, ideo cupio stabiliri in hoc sancto timore, ut ab eo nunquam divellar. Ex Hebræo S. Hieron. vertit, *Horripilavit caro mea*, sed sciendum, quod verbum, סמר *samar*, non solum significat *horrere*, sed etiam *clavis configere :* nam ex hoc verbo deducitur nomen מסמר *masmer,* quod significat *clavum.* Parum

autem refert, quod hic ponatur verbum præteriti temporis, et modi indicativi : nam eædem litteræ mutatis punctis faciunt imperativum : proinde recte Septuaginta verterunt, *confige*, vel, ut Patres legunt, *confige clavis.*

Hain.

1. Feci judicium, et justitiam, non tradas me calumniantibus me.

In hoc octonario petit gratiam liberationis a calumniatoribus, et auxilium ad legem perfecte adimplendam. *Feci*, inquit, *judicium, et justitiam*, id est, reddidi unicuique suum, ideo æquum est, *ut non tradas me calumniantibus* mihi. Calumniatores nostri perpetui, dæmones sunt, quibus tradimur a Deo, quando permittimur tentari ab illis, vel potius quando Deo deserente superamur, et tentantibus consentimus.

2. Suscipe servum tuum in bonum, non calumnientur me superbi.

Feci, inquit, *justitiam*, sed ut semper faciam, et non deficiam faciendo, *suscipe servum tuum in bonum*, illum dirigendo. Clarior est textus Hebraicus, ubi habetur, *Dirige*, sive *ordina et apta servum tuum ad bonum*, ut semper placeat illi bonum : et hinc fiet, ut non calumnientur mihi superbi, sive homines, sive dæmones. Qui enim bene confirmatus est in bono, et bene aptatus, ut ubique, et semper bonum illi placeat, ita perseveranter bene se gerit, ut nihil sit, cur timeat calumniatores.

3. Oculi mei defecerunt in salutare tuum, et in eloquium injustitiæ tuæ.

Confirmat se valde ardenter desiderare perfectam illam directionem ad bonum, quæ in vita æterna dabitur electis. *Oculi mei defecerunt*, præ desiderio respicientes assidue in salutem tuam, quæ de cœlo nobis adveniet, et *in eloquium justitiæ tuæ*, id est, in promissionem tuam fidelissimam. Vide quæ dicta sunt ad versiculum primum, et secundum litteræ Caph.

4. Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et justificationes tuas doce me.

Pergit in oratione, ac petit, ut Dominus operetur secum non secundum merita ipsius, sed *secundum misericordiam* suam, quæ in eo potissimum consistit, ut doceat *justificationes* suas, id est, intime persuadeat, bonum esse implere, et custodire legem Domini, atque hoc modo doceat non tam scire, quam facere quod facere. Quod fit, quando Deus infundit magnam charitatem, non quando solam donat scientiam, quæ sine charitate inflat, non ædificat.

5. Servus tuus sum ego, da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.

Ista tam frequens petitio ejusdem rei, signum est magni desiderii. *Servus tuus sum ego*, ac per hoc teneor mandatis tuis obedire : *da mihi* igitur *intellectum*, id est, fac me intelligere testimonia tua, ut illa perfecte addiscam. Vide primum versiculum litteræ Iod, qui est huic similis.

6. Tempus faciendi Domine, dissipaverunt legem tuam.

Hic versiculus duobus modis exponi solet, Sancti Patres Hilarius, Ambrosius et Augustinus exponunt de gratia Salvatoris, ut sensus sit, O Domine, *jam tempus est faciendi*, quia satis docuisti verbis, satis mandasti ; nunc tempus est, ut facias, ut exemplo doceas, ut carnem sumas, ut obedientiam usque ad mortem crucis exhibeas, ut gratiam dones, quia justificatio legis impleri posset a nobis : nam *dissipaverunt legem tuam*, Judæi videlicet, quibus data erat. At Græci, Theodoretus, et Euthymius, quos plerique recentiorum sequuntur, exponunt de punitione sceleratorum, ut sensus sit, Tempus est, Domine, ut facias judicium adversus impios, eosque punias, quoniam *dissipaverunt legem tuam*, id est, non solum utcumque violaverunt, sed penitus dissipaverunt, cum nihil ejus observent. Utraque bona est expositio, sed videtur illa magis mystica, hæc magis litteralis. S. August. legit, *Tempus faciendi, Domino*. S. Ambros. *Tempus faciendi, Domine*, ut habet editio nostra vulgata. S. Hilarius utroque modo hunc versilum legit. In Hebraico et Græco textu habetur, *Domino :* sed idem est sensus, dummodo illud *faciendi*, tribuatur Deo, non homini : et sensus sit, Tempus est, ut tu Domine facias.

7. Ideo dilexi mandata tua super aurum, et topazion.

8. Propterea ad omnia mandata tua dirigebar : omnem viam iniquam odio habui.

Quia multi dissipaverunt legem tuam, et ob hoc video illis gravissimum imminere supplicium : ideo ego ex adverso magis incensus sum amore legis tuæ, et pluris illam facio quam aurum, et lapides pretiosos : ideo etiam non solum legem diligebam, sed etiam custodire satagebam : *dirigebar enim ad omnia mandata tua*, id est, recte ambulabam per viam mandatorum tuorum, non declinans ad dexteram, vel sinistram : imo etiam *omnem viam iniquitatis*, id est, omnem legem carnis, et peccati *odio habui*, et declinavi. Porro per vocem, *topazion*, quod est in Hebræo, פז *paz*, significatur lapis pretiosus, quem dicunt aurei coloris esse, et valde lucidum : vide Strabonem lib. 6. et Plin. lib. 37. cap. 8. eamdem vocem habemus in Psal. 18. ubi Septuaginta Interpretes, et S. Hieronymus verterunt, *lapidem pretiosum :* quia videbant Prophetam in una specie intellexisse genus ipsum lapidum pretiosorum.

Phe.

1. Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est ea anima mea.

In hoc octonario iterum Propheta revertitur ad laudandam legem, et ad petendam gratiam, et ad eamdem legem perfecte servandam. Laudat igitur legem, quod admirabilis sit, et ideo eam scrutatus sit diligenter. At Deuter. 30. ubi legimus, *Mandatum hoc non supra te est ;* in Hebræo habetur, *Mandatum hoc non mirabile est.* Respondeo leges Domini sive morales, sive judiciales, sive ceremoniales, non esse mirabiles, quod attinet ad sensum litteralem, non apertæ sunt, et faciles : et qui eas non servant, non possunt excusari ab ignorantia : et hoc affirmat Moses in Deuteronomio. At, quod attinet ad mysticos sensus, præsertim legum ceremonialium, mirabiles, et obscurissimæ sunt, cum per illas figurentur

omnia mysteria Christianæ religionis : atque hoc significare videtur hoc loco Propheta. Præterea Decalogus, quo lex Domini potissima continetur, hoc ipso valde mirabilis est, quod tam claris et apertis sententiis conscriptus sit, cum tamen in summa brevitate complectatur omnia principia justitiæ, ad quæ reducuntur omnes leges, quæ factæ sunt, et quæ fient. Omnes enim aliæ leges, quæ sunt innumerabiles, et maxima volumina repleverunt, et deinceps replebunt; omnes, inquam, vel sunt conclusiones, vel determinationes legum Decalogi. Itaque sicut parva semina mirabilia sunt, quia virtute continent magnas arbores : sic Decalogus mirabilis est, quia virtute continet omnes leges totius mundi.

2. Declaratio sermonum suorum illuminat, et intellectum dat parvulis.

Quia dixerat mirabilia esse mandata divina; nunc addit, quod si declarentur vel ab ipso Deo per infusionem luminis divini, vel ab aliquo perito doctore, mirifice mentem illustrant. Declaratur autem lex, tum quando aperiuntur mysteria figurarum, quæ in lege cæremoniali continentur : tum quando deducuntur conclusiones ex lege morali; tum denique quando decreta legis judicialis ad facta particularia applicantur. Ex Hebræo vertit S. Hieron. *Ostium sermonum tuorum :* sed vox, פתח *petach*, non solum, *ostium*, sed etiam, *apertionem*, ac per hoc declarationem significat. Quod sequitur, *Et intellectum dat parvulis*, significat legis declarationem parvulis esse necessariam, id est, simplicibus, et ignorantibus. Fortasse etiam, ut S. Augustinus monet, per parvulos intelligere debemus humiles : Isti enim facilius res divinas addiscunt, juxta illud Matth. 11. *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis*, iis videlicet, qui non sunt in oculis suis sapientes, nec prudentes.

3. Os meum aperui, et attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam.

Et ego, ut unus ex parvulis, os meum interius aperui orando, et petendo, *et attraxi spiritum* bonum, spiritum scientiæ, et pietatis, quo mandata intelligere, et implere possem. Nam ipsa mandata tua intelligere, et implere desiderabam. Sumpta est metaphora a respiratione corporali : cum enim gravamur aliquo magno labore, ac pene suffocamur; tum aperientes os, et anhelantes, respiramus, et melius habemus.

4. Aspice in me, et miserere mei secundum judicium diligentium nomen tuum.

Aperiendo autem os ad orandum ita dixi, *Aspice in me, et miserere mei*, id est, aspice in me oculis pietatis, et miserere mei laborantis sub onere præceptorum tuorum, quæ meis viribus implere non possum : *miserere*, inquam, *mei secundum judicium diligentium nomen tuum*, id est, juxta consuetudinem, qua uteris erga amicos tuos, qui te in veritate diligunt; vox enim Hebraica, משפט *mispat*, significat, *judicium*, morem, consuetudinem, modum, habitum, et alia. Sed quia Septuaginta Interpretes verterunt, κρίμα, et noster interpres, *judicium*, in eumdem sensum exponere debemus hoc modo, *Miserere mei secundum judicium*, quo uteris in judicandis amicis tuis, qui te diligunt.

5. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur mei omnis injustitia.

In hoc misereberis mei *secundum judicium diligentium nomen tuum*, si direxeris gressus meos *secundum eloquium tuum*, id est, si per gratiam tuam feceris, ut ego rectam viam ingrediar ambulans secundum directionem legis tuæ; et sic *non dominetur mei omnis in justitia*, id est, nullam injustitiam committam, quæ me captivum teneat : nam, ut Dominus dicit Joan. 8. *Qui facit peccatum servus est peccati.*

6. Redime me a calumniis hominum, ut custodiam mandata tua.

Gressus meos dirige tunc potissimum, cum periculum est, ne perturbatus calumniis declinem a recta via, *calumnia enim perturbat sapientem, et perdit robur cordis illius*, ut dicit Ecclesiastes cap. 7. *Redime me a calumniis hominum*, id est, libera me a calumniis hominum, ut animo tranquillo custodiam mandata tua. Non est facienda vis in verbo, redime, nam apud Hebræos passim accipitur pro, *libera.*

7. Faciem tuam illumina super servum tuum, et doce me justificationes tuas.

Quod supra dixerat, *aspice in me*, idem aliis verbis repetit, dicens, *Faciem tuam illumina super servum tuum.* Sicut enim Sol cum interpositione nubium obscuratur, privat nos calore, et lumine : ita Deus cum nos gratia sua non adjuvat, videtur abscondere faciem suam, vel tenebris cooperire, et contra, cum nos gratiæ suæ lumine collustrat, videtur nubium obstacula dissipare, et nobis serenam faciem ostendere. Ait igitur, *Faciem tuam illumina super servum tuum*, id est, sereno me vultu respice, et lumine ad me transfuso, doce me justificationes tuas, id est, legem tuam intelligere, et servare.

8. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.

Quam vehementer David Dei legem dilexerit, ostendit hactenus tot precibus toties repetitis pro gratia servandæ legis : nunc demonstrat ex magno dolore, quem concepit ex prævaricatione; non enim dicit se unam vel alteram lacrymam fudisse, sed rivos aquarum, id est, lacrymarum, ex oculis, quasi ex fontibus, produxisse, *quia non custodierant legem Domini.* Tametsi enim peccatum, id est, transgressio legis, procedat a voluntate, sive a corde : tamen instrumenta peccati nunc sunt oculi, nunc lingua, nunc manus. Peccati autem gravissimi, quod David aliquando commisit, et pro quo *lavabat per singulas noctes lectum suum*, instrumenta fuerunt oculi. Vidit enim nimis curiose mulierem nudam, dum se lavaret; inde exarsit in concupiscentiam, inde processit ad adulterium, et homicidium. Theodoretus, et Euthymius, quos aliqui recentiores sequuntur, dicunt Davidem flevisse peccata aliorum, et sic exponunt illud, *Quia non custodierunt legem tuam.* Sed sancti Patres nostri Hilarius, Ambrosius,

Hieronymus, et Augustinus constanter affirmant Davidem loqui de peccato suo, non de alieno.

Tsade.

1. Justus es Domine, et rectum judicium tuum.

In hoc octonario laudatur lex Domini a summa rectitudine, et justitia: ac primum demonstrat David esse justissimam legem, quoniam auctorem habet justissimum, in quem justitia cadere non potest. Ait igitur, *Justus es Domine*, id est, justus, per antonomasiam, et solus justus ea justitia, cum qua admisceri injustitia nequeat, juxta illud 1. Joan. 1. *Deus lux est, et in eo tenebræ non sunt ullæ. Et rectum judicium tuum*, id est, et consequenter rectum, ac justum est judicium, decretum, mandatum tuum. Nam in hoc Psalmo *per judicium*, fere semper ipsa lex intelligitur. Quanquam etiam illud verum est, judicium Dei, quo distribuit pœnas, et præmia, semper esse justum; licet interdum non appareat ejus justitia.

2. Mandasti justitiam testimonia tua, et veritatem tuam nimis.

Ostendit, legem Dei non solum esse justam, quia procedit a Deo justo, sed etiam, quia continet ipsam justitiam. *Mandasti*, inquit, *justitiam testimonia tua*, id est, præcepisti nobis testimonia tua, quæ sunt ipsa justitia: *et veritatem tuam nimis*, id est, et sunt ipsa veritas omnino. S. Thom. 1. 2. q. 100. art. 8. ex hoc principio colligit, legem Decalogi esse omnino indispensabilem, quia continet ipsum ordinem justitiæ, quomodo si quis juberet, ut nullus peccet; vel, ut nemo sit iniquus, lex esset omnino indispensabilis, quia non potest dari casus, in quo liceat peccare, vel iniquum esse.

3. Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.

Propter hanc tantam æquitatem legis tuæ, dolore afficiebar, ita ut etiam tabescerem, et languerem præ zelo, cum viderem homines, etiamsi inimicos meos, oblivisci verborum tuorum, id est, tam utilium præceptorum tuorum. In Græco legitur, *Zelus tuus*, et sic legunt Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, et Theodoretus in commentario Psalmorum. Sed nostra lectio conformis est Hebraico textui, nec desunt antiqui codices, qui nostræ lectioni faveant. Sanctus enim Augustinus testatur alios codices habere, *zelus meus*, alios, *zelus domus tuæ*: sensus autem semper est idem, ut notum est.

4. Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud.

Iterum docet Propheta legem Dei esse justissimam, et purissimam, ex similitudine ad aurum igne probatum. Dicitur enim *eloquium* Dei, *ignitum vehementer*, quia similis est lex Dei auro in fornace ignis constituto, ubi non læditur, quia purum est ab omni sorde. Nam in textu Hebraico habetur, צרופה *tserupha*, quod significat, *probatum* et *examinatum igne*. Neque dici potest Septuaginta Interpretes non legisse, *tserupha*, sed שרופה *scerupha*, quod proprie *ignitum* significat: nam in hoc octonario singuli versus accipiunt per litteram *tsade*, et hoc vocabulum est initium versiculi. Itaque certum est hoc loco per *ignitum*, intelligi probatum, et examinatum igni, ac per hoc significari legem Domini esse purissimam ab omni injustitia, ut est aurum igne examinatum. Simile habetur in Psal. 11, *Eloquia Domini casta, argentum igne examinatum*. Unde etiam sequitur, ut eadem lex summo amore diligenda sit: et merito David adjungit, *et servus tuus dilexit illud*. Neque tamen est falsum, sed verissimum, legem Domini esse etiam igneam, ut dicitur Deuter. 33. *In dextera ejus ignea lex;* tum quia instar ignis illuminat, et purificat: tum quia finis ejus est charitas, quæ est ignis divinus.

5. Adolescentulus sum ego, et contemptus justificationes tuas non sum oblitus.

Hoc refert David ad comparationem fratrum suorum, quasi dicat, Ego sum minimus inter fratres meos (hoc enim proprie significat vox Hebræa, צעיר *tsahhir*, et contemptus a patre, et fratribus; et tamen exaltatus ad Regnum, et a Deo præ omnibus honoratus, *quia justificationes tuas non sum oblitus*. Vide lib. 1. Reg. 16. S. Ambros. et S. August. exponunt mystice de populo Christiano, qui est frater junior respectu fratris senioris populi Judaici, et ab illo contemptus, sed a Deo magis dilectus, quia *justificationes Domini non est oblitus*, quas populus Judaicus oblitus est.

6. Justitia tua justitia in æternum, et lex tua veritas.

Hæc est repetitio, et declaratio secundi versiculi. Justitia enim Domini, id est, justissima lex Domini est justitia æterna, quia immutabilis, et indispensabilis; et simul est veritas, quia nihil falsi continet; promissiones enim ejus, et comminationes omnino impleri debent.

7. Tribulatio et angustia invenerunt me, mandata tua meditatio mea est.

Ex hac veritate fit, ut in omni tribulatione consoletur me legis tuæ assidua meditatio, *Tribulatio et angustia invenerunt me*, id est, quotiescumque tribulatio et angustia invenerunt me, *mandata tua meditatio mea est*, id est, id remedii accipio, ut mediter, et oblecter in mandatis tuis considerandis.

8. Æquitas testimonia tua in æternum, intellectum da mihi, et vivam.

Idem aliis verbis dicit, quod in secundo et sexto versiculo: nam per *æquitatem* hoc loco, *justitia* accipienda est, ut ex textu Hebraico constat, *Æquitas testimonia tua in æternum*, id est, præcepta tua sunt æterna justitia, quia semper justissima sunt: ideo peto, ut des mihi intelligentiam præceptorum tuorum, ut ea custodiendo vivam, quæ si non custodirem, continuo morerer.

Coph.

1. Clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine, justificationes tuas requiram.

In hoc octonario Propheta desiderium suum

erga divinam legem ardenti oratione demonstrat: ac primo quidem, et secundo versiculo exprimit vehementiam desiderii per clamorem: in tertio, et quarto per horam intempestivam, *Clamavi*, inquit, *in toto corde meo*, id est, toto affectu, totisque viribus clamavi: ideo *exaudi me Domine*. Sicut enim vocem corporalem submissam non facile exaudivimus; clamorem autem non possumus non exaudire: ita Deus orationem frigidam, et remissam, quasi non audierit, non admittit: ardentem autem, et magno desiderio emissam, quasi non possit non audire, facile admittit. *Justificationes tuas requiram*, id est, exaudi me, ut *justificationes tuas*, id est, præcepta tua, diligenter requiram: vel *exaudi me*, et ego gratia tua adjutus præcepta tua requiram, quod in idem recidit.

2. Clamavi ad te, salvum me fac, ut custodiam mandata tua.

Potest hoc intelligi de salute in spe, quæ habetur per gratiam in hoc sæculo, et de salute in re, quæ habetur per gloriam in futuro sæculo. *Clamavi ad te*, id est, magno desiderio oravi; *salvum me fac*, per gratiam, quæ est salus inchoata, *ut custodiam mandata tua*, quantum in hoc sæculo fragilitas humana permittit, et rursum, *salvum me fac*, in æterna vita, *ut custodiam mandata tua*, sine ullo timore prævaricandi.

3. Præveni in maturitate, et clamavi: quia in verba tua supersperavi.

Hunc locum corruptum esse aliqui putant, quia S. August. legit, *Præveni in immaturitate*. Sed credendum est potius corruptum fuisse codicem, quem habuit S. August. nam sanctus Hilarius, S. Ambrosius, et S. Hieron. in comment. et alii, legunt, ut nos habemus, *in maturitate*. Sciendum est autem verbum *maturare*, esse ambiguum, et aliquando significare *perficere*, ut cum dicimus, *maturare fructus*, aliquando, *accelerare*, et *festinare*, qua notione dixit Poeta, *Maturate fugam*, lib. 1. Æneid. et, *mature venisti*, tam significat, tempore opportuno venisti, quam satis cito venisti. Hoc igitur loco *maturitas*, non est opportunitas temporis, sed acceleratio, et anticipatio horæ, et sensus est, *Præveni in maturitate*, id est, præveni tempus surgendi, et in acceleratione, et festinatione, antequam dies illucesceret, cum adhuc tempus dormiendi esset, ego præ desiderio anticipavi vigilias, et in oratione mea clamavi; quia valde speravi in verba promissionum tuarum.

4. Prævenerunt oculi mei ad te diluculo: ut meditarer eloquia tua.

Idem repetit aliis verbis. *Prævenerunt*, inquit, *oculi mei* tempus vigilandi, *diluculo*, id est, valde mane, ante ortum Solis ad te respicere cœperunt, ut gratia tua adjuvante meditarer eloquia tua.

5. Vocem meam audi secundum misericordiam tuam Domine, et secundum judicium tuum vivifica me.

Pergit in oratione quam diluculo, remotis curis temporalibus, in magno silentio rerum omnium, attentissimo animo faciebat. *Vocem meam*, inquit, *audi* non secundum merita mea, sed *secundum* solitam *misericordiam tuam*, *et secundum judicium tuum*, quo reddis quod promisisti, *vivifica me* conservans, et augens vitam spiritualem, quam dedisti, et in futuro sæculo perficiens, et consummans, ut amplius moveri non possim.

6. Appropinquaverunt persequentes me iniquitati; a lege autem tua longe facti sunt.

Non sine causa peto vivificari, quoniam non desunt persecutores qui tentationibus assiduis mortificare me satagunt, qui persecutores, sive homines, sive dæmones, *Appropinquaverunt iniquitati, et a lege tua longe facti sunt*, id est, iniquitatem diligunt, illi adhærent, illam persuadere aliis conantur; sicut e contrario legem tuam oderunt, illam fugiunt, illam omnibus invisam reddere student. S. Augustinus, S. Ambrosius, et S. Hieron. in commentario legunt, *Appropinquaverunt persequentes mihi inique* sive *iniquitate*, id est, cum iniquitate: ita ut appropinquatio sit ad hominem, ut ei noceant, non ad iniquitatem, ut illi conjungantur. Et quidem vox Græca ambigua est, et tam *iniquitate* quam *iniquitati reddi potest*. Vox Hebraica, ut nunc se habet, favet lectioni S. Augustini, nam ad verbum sic reddi potest, *Appropinquaverunt persecutores iniquitatis*, id est, persecutores iniquissimi appropinquaverunt, supple, *ad me*. Tamen omnino credibile est, verba Hebraica non esse legenda, רדפיזמה *rodephezimma*, id est, *persecutores iniquitatis*, sed, רדפאיזמה *rodephaizimma*, id est, *persecutores mei iniquitati*, quæ lectio est nostræ editionis vulgatæ, et habetur apud S. Hilarium, et cum lectione Græca bene cohæret, et optime respondet verbis sequentibus, *a lege autem tua longe facti sunt*: ubi Propheta opponit iniquitatem legi, et dicit, Persecutores suos appropinquasse iniquitati, et recessisse a lege: tamen uterque sensus bonus est.

7. Prope es tu Domine: et omnes viæ tuæ veritas.

Quamvis persecutores mei *a lege tua longe facti sint*, tamen a te longe fieri non potuerunt: quia tu *prope es* illis per justitiam, *et omnes viæ tuæ veritas*, id est, omnes leges, omnia judicia tua justissima sunt. Itaque manum tuam punientem ipsorum scelera fugere non potuerunt. Mihi quoque *prope es* tu Domine per auxilium, et quia *omnes viæ tuæ veritas*, non patieris, ut mihi noceant persecutores: nam etsi forte dabis illis potestatem in corpus meum, non dabis in animam meam, et tandem omnis persecutio in coronam gloriæ convertetur.

8. Initio cognovi de testimoniis tuis, quia in æternum fundasti ea.

Quod autem *omnes viæ tuæ sint veritas*, imo etiam æterna veritas, Initio *cognovi de testimoniis tuis*, id est, jam inde a primo tempore, quo primum cœpi intendere in mandata tua, cognovi ex ipsis dum ea attente considerarem, *quia in æternum fundasti ea*, id est quod sint æternæ veritatis, et plane immutabilia et indispensabilia. Nam jam supra dictum est, ea esse immutabilia, quia continent ordinem justitiæ, et ipsam legislatoris intentionem.

Resch.

1. Vide humilitatem meam, et eripe me, quia legem tuam non sum oblitus.

2. Judica judicium meum, et redime me, propter eloquium tuum vivifica me.

In hoc octonario rursum Propheta orationem fundit ad Deum, pro liberatione ab inimicis sive dæmonibus, sive hominibus, qui eum tentationibus suis ad prævaricationem legis pertrahere nitebantur. *Vide*, inquit, *humilitatem meam*, id est, afflictionem, et tribulationem meam, *et eripe me, quia legem tuam non sum oblitus*, id est, quamvis legem non perfecte custodiam, tamen non post tergum meum eam abjeci, sed recordor, et recogito eam, et custodire desidero, ideo æquum est, ut eripias me a tentantibus inimicis, et perficias in me, quod per gratiam tuam cœpisti. *Judica* igitur *judicium meum*, id est, judica causam meam, *et redime me*, per judiciariam sententiam tuam de manu inimicorum meorum, *propter eloquium tuum vivifica me*, id est, propter promissionem tuam, sive propter legem, quam constituisti de præmiis bonorum, et suppliciis malorum, vivifica me, vitam gratiæ augendo, et vitam gloriæ suo tempore largiendo.

3. Longe a peccatoribus salus, quia justificationes tuas non exquisierunt.

Dixi, *vivifica me, quia legem tuam non sum oblitus:* Scio enim longe esse a peccatoribus salutem, quia justificationes tuas non exquisierunt. Nam imprimis dæmones, qui per antonomasiam *peccatores* dici possunt, longissime absunt a salute, quia nunquam ad eam pervenient, quod legem Domini non exquisierint; sed eam potius superbiendo contempserint. Alii quoque peccatores tam longe a salute absunt, quam longe absunt a lege Domini exquirenda, neque enim frustra dictum est a Domino, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, Matth. 19.

4. Misericordiæ tuæ multæ Domine: secundum judicium tuum vivifica me.

Quamvis severissime punias eos, a quibus longe fecisti salutem tuam: tamen multæ sunt etiam misericordiæ tuæ, ideo peto, ut secundum judicium tuum, quo misericorditer judicas eos, qui faciunt misericordiam et qui diligunt legem tuam, vivifices me.

5. Multi qui persequuntur me, et tribulant me; a testimoniis tuis non declinavi.

Non sine causa postulo, ut vivifices me, quia multi sunt hostes mei visibiles, et plures invisibiles, qui me mortificare contendunt: et tamen ego gratia tua adjutus *a testimoniis tuis*, hoc est, a præceptis tuis, quæ sunt quasi rectissima via, *non declinavi*, neque ad dexteram, neque ad sinistram.

6. Vidi prævaricantes, et tabescebam: quia eloquia tua non custodierunt.

Ostendit in hoc versiculo Propheta verum spiritum charitatis, quia non tam moleste ferebat persecutores ob propriam afflictionem, quam ob injuriam Dei: quod idem antea dixerat illis verbis, *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam:* et rursum, *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.*

7. Vide, quoniam mandata tua dilexi Domine, in misericordia tua vivifica me.

Ego videns prævaricantes, tabescebam, æquum est ut tu videns me diligentem mandata tua, misericorditer me vivifices.

8. Principium verborum tuorum veritas, in æternum omnia judicia justitiæ tuæ.

Duobus modis potest intelligi præsens versiculus. Uno modo, ut sensus *sit*, verba tua procedunt a veritate, ut a suo principio, et quasi fonte, et ideo verissima sunt, et *in æternum* manent *judicia justitiæ tuæ*, quæ sunt ut pios maneat præmium, et impios pœna: ita exponit S. August. Altero modo, ut sit sensus, *Principium verborum tuorum*, quando videlicet cœpisti loqui cum Adamo, et jubens sub pœna mortis, ne tangeret lignum scientiæ boni, et mali: *veritas, fuit*, id est verissimum fuit, et *judicia justitiæ tuæ*, quibus peccata tunc punire cœpisti, sempiterna sunt: ita exponit Euthymius.

Scin.

1. Principes persecuti sunt me gratis, et a verbis tuis formidavit cor meum.

In hoc octonario demonstrat Propheta constantiam suam in custodienda lege Domini, et desiderium cavendi ab omni prævaricatione, *Principes*, inquit, *persecuti sunt me gratis*, id est, Saul Rex, sine ulla causa me persecutus est, reddens mala pro bonis, ut etiam postea fecit Isboset filius Saulis, qui duce Abner injuste mecum bella gessit, et tandem idem fecit filius meus Absalon; qui Regnum sibi usurpare, meque de solio exturbare conatus est. *Et a verbis tuis formidavit cor meum*, id est, ego tamen tantis tentationibus non succubui, ut eis nocerem, sed timens mandata tua, semel atque iterum Sauli peperci, et mortem Isboset ultus fui, et Absalonem deflevi, reddens bona pro malis. S. Ambrosius, et S. Augustinus hæc verba accommodant sanctis Martyribus, qui persecutionem injustissimam passi ab Imperatoribus infidelibus, plus timuerunt Deum, ut fidem conservarent; quam minas Principum, ut fidem negarent.

2. Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.

Non solum timui a verbis tuis, sed etiam dilexi verba tua, et ideo *lætabor super eloquia tua*, cum dabitur occasio illa adimplendi, sicut lætatur, qui peracto prælio invenit multa spolia hostium devictorum. Aptissima similitudo, tum quia David vir bellicosus erat, et assuetus præliis: tum quia in præceptis Dominicis observandis cum diabolo alacriter pugnandum est, et ex ea pugna, qui victor revertitur, invenit illustres coronas a Deo paratas omnibus hostium spoliis pretiosiores.

3. Iniquitatem odio habui, et abominatus sum, legem autem tuam dilexi.

Iterum repetit amorem suum erga legem divinam, et odium erga iniquitatem. Quod erat

manifestum judicium amoris Legislatoris : nam et Dominus in Evangelio dicit, *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*, Joannis 14. et ibidem, *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me.* Felix, qui Spiritu sancto reddente testimonium spiritui ejus, dicere potest, *Iniquitatem odio habui, et legem tuam dilexi.*

4. Septies in die laudem dixi tibi, super judicia justitiæ tuæ.

Et hoc est charitatis signum, sine intermissione Deum laudare, quod judicia ejus justissima sint, et leges ipsius summam justitiam in se contineant. Quamvis per numerum septenarium intelligatur hoc loco frequentissima laus, quomodo intelligitur frequens lapsus, cum dicitur, *Septies in die cadit justus*, Prov. 24. tamen non sine causa ex hoc loco Ecclesia usum septem horarum Canonicarum instituisse videtur. Nam cum ad imitationem tam sancti Regis vellet filios suos frequentissime Deum laudare, determinavit septenarium numerum, cui si addatur octava hora, de qua dictum est supra, *Media nocte surgebam ad confitendum tibi*, fiet ut tertia quaque hora Trinitas Deus a fidelibus laudetur, ut S. Cypr. notavit in ser. 6. qui est de oratione Dominica.

5. Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum.

Magna, et verissima laus est dilectionis legis divinæ : nam qui diligit legem, diligit Deum legislatorem : qui autem diligit Deum, diligit omnia in Deo, ac per hoc nullum habet ex parte sua inimicum, sed cum omnibus ex parte sua pacem habet. Deinde, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, ut dicit Apostolus Rom. 8. Nemo autem nocere potest ei, cui *omnia cooperantur in bonum;* quare qui diligit Deum, cum omnibus pacem habere debet, et ideo Apostolus ad Gal. 5. dicit, *Charitas, gaudium, pax*, etc. Pari ratione non est scandalum *diligenti legem* Domini, sed sine offensione currit ad patriam : nam scandalum activum non cadit in eum, qui diligit legem, cum scandalizare peccare sit, et peccare sit legem prævaricari. Scandalum autem passivum, vel est pusillorum, qui ex ignorantia existimant, illicitum esse, quod licitum est, et offenduntur cum vident illa fieri, quæ ipsi arbitrantur illicita ; vel est Pharisæorum, qui ex propria malitia in pejorem partem interpretantur quæ interpretanda erant in meliorem. At qui diligunt legem Domini, perfecti sunt in charitate, proinde nec pusilli ; nec Pharisæi sunt, ac per hoc non est illis scandalum. Vide S. Thom. q. 43. art. 5. et 6. in 2. 2.

6. Expectabam salutare tuum Domine, et mandata tua dilexi.

Induit personam perfectorum hoc loco Propheta, et ideo cum fiducia dicit, *Expectabam salutare tuum*, id est, salutem æternam, quæ a te est, et rationem reddit, *Et mandata tua dilexi*, id est, quia *mandata tua dilexi.* Quomodo dicit Apostolus 2. Tim. 4. *Cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi in illa die justus Judex.*

7. Custodivit anima mea testimonia tua, et dilexit ea vehementer.

In eadem perfecti persona loquitur, ac testatur se mandata servasse, quoniam ea vehementer amavit. *Vere enim amor*, ut scripsit S. Gregor. *operatur magna, si est ; si autem operari renuit, amor non est*, et Dominus in Evangelio Joan. 14. *Qui non diligit me, sermones meos non servat*, et Apostolus ad Rom. 13. *Dilectio malum non operatur : Plenitudo ergo legis est dilectio*, et ibidem, *Qui diligit, legem implevit.*

8. Servavi mandata tua, et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

Iterum in persona perfectorum, se omnia mandata, et testimonia servasse affirmat : sed ex alio motivo, quod proprium est perfectorum, videlicet, quia in omnibus actionibus suis cogitabat Deum esse præsentem, id enim significat illud, *quia omnes viæ meæ in conspectu tuo*, id est, quicquid agebam, in conspectu tuo agebam, sciens, et cogitans te omnia conspicere. Hæc enim cogitatio mirabilem vim habet ad moderandas actiones humanas : nam si conspectus Principis terreni id efficit, ut subditi coram eo peccare non audeant, imo etiam desides, et negligentes, vel timidi et parvi animi videri erubescant : quid faceret conspectus Principis cœlestis, atque omnipotentis, si ante oculos mentis perpetuo versaretur? Hinc Dominus Abrahamo dicebat, *Ambula coram me, et esto perfectus.* Gen. 17. et Abraham dicebat, *Dominus in cujus conspectu ambulo*, Gen. 24. et Elias, ac Elisæus dicebant, *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto*, 3. Reg. 17. et 4. Reg. 3.

Tau.

1. Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine : juxta eloquium tuum da mihi intellectum.

In hoc ultimo octonario concluditur Psalmus oratione ad Deum pro gratia et salute sæpius petita ; sciebat enim Propheta, quod postea in Evangelio Dominus admonuit, perseverantiam in oratione, esse ad impetrandum longe utilissimam, Luc. 11. Ait igitur, *Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine*, id est, deprecatio mea, quæ suis meritis non confidit, elevetur, et ascendat aspirante gratia tua, et appropinquet tibi, ita ut eam propius aspicere, et admittere digneris. Illud, *in conspectu tuo*, positum est pro, ad conspectum tuum, sive conspectui tuo. Quid autem contineat *deprecatio*, explicatur in verbis sequentibus, *juxta eloquium tuum da mihi intellectum*, id est, juxta promissum tuum, quod audivi, in Psal. 31. *Intellectum tibi dabo, et instruam te;* da mihi intelligere mandata tua eo modo, quo intelligunt, qui ea opera adimplent, et qui adimplendo ad vitam perveniunt.

2. Intret postulatio mea in conspectu tuo, secundum eloquium tuum eripe me.

Repetit aliis verbis eamdem petitionem ; illud autem *eripe me*, significat finem, cur petierit intellectum sibi dari : nam finis illuminationis est liberatio a peccatis, juxta illud Evangelii, *Cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos*, Joan. 8.

3. Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me justificationes tuas.

Promittit gratiarum actionem, si obtinuerit gratiam tam sæpe imploratam. *Cum docueris me justificationes tuas*, ita ut gratia tua illuminante, et juvante, perficiam mandata tua, tunc ex plenitudine lætitiæ interioris, et agnitionis magni hujus beneficii, *eructabunt labia mea hymnum laudis*, et gratiarum actionis : nam ructus ex repletione oritur, *et ex abundantia cordis os loquitur.*

4. Pronunciabit lingua mea eloquium tuum, quia omnia mandata tua æquitas.

Non solum dicit se laudaturum Deum, sed etiam docturum homines, ac demonstraturum quanta sit æquitas mandatorum Dei. *Pronunciabit*, inquit, *lingua mea eloquium tuum*, id est, loquar hominibus præcepta tua, et docebo, quod *omnia mandata tua, æquitas sunt*, id est, æquissima sunt, ac proinde æquum est, ut ab omnibus diligentissime observentur. Nisi magis placeat, hunc versiculum esse repetitionem versiculi superioris, ut sensus sit, Laudabit *lingua mea eloquium tuum*, id est, præcepta tua, quia æquissima sunt. Sed prior expositio est S. August. et communior.

5. Fiat manus tua, ut salvet me : quoniam mandata tua elegi.

Pergit in oratione sua David, petens, quod unice petendum est, æternam salutem, quæ est finis mandatorum. *Fiat manus tua, ut salvet me*, id est, sit potentia et sapientia tua ad me salvandum. Sic enim ex Hebræo verti posset, ex quo intelligimus, illud, *fiat*, positum esse pro, *sit*, quomodo etiam in 1. cap. Genesis, ubi dicitur, *Fiat lux*, *fiat firmamentum*, *fiant luminaria;* semper in Hebræo est verbum substantivum, *sit*. Et quoniam *potentiam et sapientiam Dei* Christum esse docet Apostolus 1. Cor. 1. recte exponunt Patres, *sit Christus tuus ad me salvandum : Quoniam mandata tua elegi.* Optima ratio, cur prætendat salutem, quia mandata elegit, quoniam scriptum est, *Si vis ad vitam ingredi*, *serva mandata*, Matth. 19.

6. Concupivi salutare tuum Domine; et lex tua meditatio mea est.

Reddit rationem, cur tantopere petat salutem; quia videlicet illam præ omnibus desideratis concupivit. Sicut revera super omnia bona concupiscenda est, cum sola desiderium nostrum possit implere, et quoniam non satis est concupiscere salutem, si quis ad eam pervenire velit, sed necesse est ambulare per viam præceptorum Dei; ideo subjungit, *et lex tua meditatio mea est*, id est, de lege custodienda semper cogito, et in illa custodienda me semper exerceo.

7. Vivet anima mea, et laudabit te; et judicia tua adjuvabunt me.

Vivet anima mea, cum salutem concupitam obtinuerit, et manus tua fuerit ad salvandum eam : et tunc officium ejus erit, et solum negotium, te laudare : nam *Beati qui habitant in domo tua Domine*, *in sæcula sæculorum laudabunt te*, Psalm. 83. *Et judicia tua adjuvabunt me*, id est, et mandata tua a me custodita adjuvabunt me, ut aliquando etiam corpore vivam, cum resurrexero in resurrectionem vitæ, vel *judicia tua*, quibus in novissimo die judicabis pro meritis vivos et mortuos, *adjuvabunt me*, ut corpore quoque vitam sempiternam possideam.

8. Erravi sicut ovis, quæ periit, quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.

Erravi enim a patria expulsus, et adhuc exul erro propter culpam parentis primi, toti humano generi communicatam, et *erravi, sicut ovis*, quæ seducta periit, non sicut Diabolus, leo rugiens, qui ex malitia cecidit. *Quære* ergo *servum tuum :* quamvis enim ex parte quæsieris, et inveneris, quatenus animam justificasti a peccato, et reconciliasti Deo, tamen adhuc quærenda est ovis perdita, quatenus expectat redemptionem corporis sui, ut tota ad montes cœlestes, et uberrima pascua, ubi relictæ sunt nonaginta novem, quæ non errarunt, perducatur; confidenter autem peto salutem animæ, et corporis, *quia mandata tua non sum oblitus.* In libris Græcis varietas est propter vocabulorum similitudinem, ut notarunt sancti Patres Ambrosius, et Augustinus : nam alii codices habent ζήτησον, id est, *quære;* alii ζῶσον, id est, *vivifica :* imo S. Hilarius legit solum, *vivifica*, sed in Hebræo nulla est varietas, neque litterarum similitudo, et habetur vocabulum, quod nihil significat, nisi, *quære.* Non desunt ex recentioribus, qui hunc versiculum exponant de Davide errante in montibus, quando persecutiones Saulis, vel Absalonis, fugiebat. Sed nimis humilis videtur sensus, et ab expositione veterum Patrum alienus.

PSALMUS CXIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

CANTICUM GRADUUM.

Psalmi quindecim, qui proxime sequuntur post Psalmum centesimumdecimumoctavum, omnes in titulo habent, *Canticum Graduum;* et quamvis gradus tam ad ascensum, quam ad descensum referri possit; tamen hoc loco non nisi ad ascensum pertinet: nam Hebraica vox, המעלות *ammahaloth, ascensionem,* significat, et similiter vox Græca, ἀναβαθμῶν. Igitur Psalmi isti quindecim, cantica quædam ascensionum sunt, sive cantica eorum, qui per gradus quosdam sursum ascendunt, et quidem Græci, Theodoretus, et Euthymius, docent cantica ista intelligenda esse ad litteram de ascensione Judæorum de Babylone in Jerusalem, Spiritu sancto per os David præcinente calamitatem captivitatis Babylonicæ, et lætitiam liberationis. Alii malunt hos quindecim Psalmos compositos fuisse, ut canerentur in ascensione quindecim graduum templi Salomonis: tot enim fuisse gradus templi non solum scribunt Nicolaus Lyranus, et alii recentiores, sed etiam S. Augustinus tractatu in Psalmum postremum, *Tot sunt*, inquit, *Psalmi, qui appellantur Graduum, quoniam tot fuerunt etiam templi gradus.* Sed quidquid sit de his opinionibus, illud certum est, ascensiones istas sive de Babylone in Jerusalem, sive per gradus templi Salomonis, figuras fuisse ascensionis electorum, qui per gradus virtutum ac præcipue charitatis, ascendunt de valle lacrymarum ad cœlestem Jerusalem, et de hac ascensione Spiritum sanctum potissimum esse loquutum. Certe Psalmi sunt pleni affectibus in Deum, et proprii eorum, qui se peregrinos, atque exules in terra inimicorum esse intelligunt; et nunc ærumnas exilii deflent, nunc ad requiem patriæ suspirant; semper autem se ad ascendendum, et in via Domini proficiendum accendunt.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me.

Inter varias hujus exilii calamitates, una est maxime deploranda; videlicet, lingua dolosa eorum cum quibus versari cogimur, ab hac se liberari petiisse, et impetrasse, canit Propheta, ut exemplo suo instruat cæteros peregrinos. Ego, inquit, *cum tribularer* non respexi ad auxilium hominum, sed *clamavi* in oratione ad Dominum, et ille pro sua pietate *exaudivit me.* Verba sunt clara, codicesque Hebraici, Græci, et Latini conveniunt.

2. Domine libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa.

Declarat quid oraverit clamando, Dixi, inquit, *Domine libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa*, quod est unum ex majoribus, et frequentioribus malis hujus nostræ peregrinationis, *labia iniqua* proferunt detractiones, convicia, calumnias, falsa testimonia, et similia verba contra legem justitiæ: *lingua dolosa* profert verba deceptionis, adulatoria, simulatoria, fraudulenta; et possunt inveniri labia injusta sine lingua dolosa, ut cum quis aperte conviciatur, vel detrahit, sed cum lingua dolosa adjungitur ad labia injusta, malum est gravissimum, adeo ut nihil fere addi possit, ut dicetur in sequenti versiculo. Quod attinet ad verba, illud, *animam meam,* positum est pro *me*, quasi diceret, libera me: sed nominatur *anima*, vel quia lingua dolosa parum nocet, nisi vulneret animam, inducendo videlicet eam ad peccandum. Illud autem, *a labiis iniquis,* S. Hieronymus legit ex Hebræo, *a labiis mendacii.* Sed vox Hebræa, שקר *sceker*, utrumque significat, *mendacium*, et *prævaricationem*, proinde recte verterunt etiam Septuaginta *a labiis*, ἀδίκων, *iniquis,* et sententia est plenior, et gravior, ut etiam in Psalmo 42. *Ab homine iniquo et doloso eripe me.*

3. Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?

Reddit rationem, cur petierit liberari *a lingua dolosa*, quia videlicet sit tale malum, ut nihil ei addi possit, quasi dicat, Quid enim mali dari, aut addi posset supra linguam dolosam? sed difficultas est in verbis, tum quia in Hebræo legitur active, *Quid dabit, aut quid apponet:* tum quia illud pronomen, *tibi*, videtur cogere, ut hæc sententia non referatur ad Deum, et proinde, non continuetur cum superioribus verbis. Quod attinet ad primam difficultatem, verba Hebraica legi possunt etiam passive, si mutentur puncta, præsertim illud, יתן *itten*, quod potest legi, יתן *iuttan*, et legenda esse passive perspicuum est, quia non solum Septuaginta verterunt passive, sed etiam S. Hieron. reddit ex Hebr. passive, *Quid dabitur tibi, aut quid apponetur tibi ad linguam dolosam?* Illud, *tibi*, potest esse otiosum, ex phrasi Hebr. ut in Cant. c. 1. *Egredere tibi*, et cap. 2. *Veni tibi, surge tibi, imber abiit sibi,* et in hoc Psalmo, *multum incola fuit anima mea sibi,* quod *sibi*,

ut redundans, omiserunt Interpretes, et tunc tota sententia continuatur hoc modo, *Domine libera animam meam a labiis iniquis et a lingua dolosa :* quid enim mali dari, aut apponi potest *ad linguam dolosam*, id est, super linguam dolosam? Quod si non placeat esse hoc loco otiosum illud, *sibi*, potest ita exponi, ut Propheta post orationem ad Deum, vertat se, vel ad incertam personam, dicens, *Domine libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa :* quid enim, ô anima mea, vel ô quicumque hic ades, tibi dari mali, aut addi potest *ad linguam dolosam?* id est, super malum linguæ dolosæ.

4. Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis.

Declarat elegantissima similitudine quale malum sit *lingua dolosa;* ac dicit esse verba ejus, quasi sagittas, quæ natura sua longe feriunt, et celeriter, ut vix caveri possint, et addit amplificationem admirabilem dicens, non esse qualescunque sagittas, sed *potentis*, id est, a robusta manu cum impetu emissas, et præterea ab artifice bene politas, et acutas; et denique adeo ignitas, ut quidvis desolari, et vastare possint, qualia sunt fulgura cœlestia, quæ ab omnipotenti manu mittuntur, et sunt vere ignita, et acutissima. Igitur talia sunt verba dolosa, præsertim quando sunt instrumenta Diaboli ad occidendas animas, quæ vocantur ab Apostolo ad Eph. 6. *Tela nequissimi ignea*, S. Augustinus hos duos versiculos multo aliter exponit, nimirum vult esse dialogismum, ut primum homo in tribulatione positus oret, *Domine libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa :* deinde Dominus respondeat? *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?* id est, quid remedii tibi dari poterit, aut apponi contra linguam dolosam? hoc videlicet unicum tibi remedium erit : *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis*, id est, verba Dei cum exemplis charitatis igne succensis : *Vivus enim est sermo Dei, et penetrabilior omni gladio ancipiti*, cui si accedat exemplum ex vera charitate prodiens, quasi carbo ignitus, nihil ei resistere poterit. Utraque expositio ad ædificationem facit, sed prior videtur magis litteralis. Quod attinet ad verba, illud *desolatoriis*, in Hebræo est רתמים *rethamim*, quod S. Hieron. recte vertit, *juniperorum.* Sed Septuaginta explicaverunt metaphoram. Carbones enim juniperorum sunt valde solidi, et ideo aptissimi ad incendendum, et desolandum.

5. Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est : habitavi cum habitantibus Cedar : multum incola fuit anima mea.

Ex occasione tam magni mali, et tam frequentis in hac peregrinatione, suspirat ad patriam, et sic vere, et ex corde cantat canticum ascensionis. *Heu mihi*, inquit, *quia incolatus meus*, vel, ut ex Hebræo vertit S. Hieronymus, *peregrinatio mea, prolongata est.* Cupit enim verus peregrinus cum Apostolo magis peregrinari a corpore, quam a Domino, et ideo nimis longam judicat præsentem vitam, in qua peregrinatur a Domino. *Habitavi cum habitantibus Cedar.* Non mirum videatur, si longam nimis queror esse hanc habitationem : *habitavi* enim hucusque *cum habitantibus Cedar*, id est, cum barbaris, et efferatis gentibus, quæ non habitant in civitatibus, sed in tentoriis, iisque nigris, et rusticis, quales sunt Arabes. In Hebræo et Græco codice habetur, *Habitavi cum tabernaculis Cedar*, sed idem est sensus, quid enim est aliud *habitare cum tabernaculis*, quam habitare cum habitantibus in tabernaculis (Vox *Cedar*, Hebraica est, קדר et nigredinem tenebrasque significat, unde Canticorum 1. opponuntur *tabernacula Cedar*, *pellibus Salomonis*, id est, tentoria nigra, et rustica, tabernaculis pretiosis, et splendidis. Vere autem civitates, et palatia Regum hujus mundi, nihil sunt nisi tabernacula rusticorum, comparata ad mansiones cœlestis Jerusalem. Ideo rursum lamentatur peregrinus Dei dicens, *Multum incola fuit anima mea*, id est, nimis longus fuit jam incolatus meus in terra aliena. In Hebræo additur, *sibi*, sed, ut supra diximus, ex phrasi Hebraica otiose additur, et propterea ab interpretibus sæpe omittitur : idem enim est *habitavit sibi*, et *habitavit.* Hinc potest colligi, paucos hodie reperiri, qui ex corde cantent canticum graduum, cum plerique omnes diligant adeo peregrinationem, et *tabernacula Cedar*, ut nihil tristius audiant, quam sermonem de discessu ab hac vita.

6. Cum his, qui oderunt pacem eram pacificus : cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

Concludit, rationem reddens, cur sit malum tandiu peregrinari, et simul declarans metaphoram *tabernaculorum Cedar :* quod enim metaphorice, et obscure dixit, *habitavi cum habitantibus in tabernaculis Cedar*, clare exponit dicens, *Habitavi cum his, qui oderunt pacem*, ego nihil diligo magis, quam pacem, id est, habitavi cum mihi dissimilibus, cum perversis, et adeo injustis ut non solum hostibus, sed etiam cum amicis belligerare soleant : et si forte loqui de pace incipiebam ad illos, ipsi sine ulla causa magis me impugnabant. In textu Hebræo est alia interpunctio, quam etiam sequitur S. Hieronymus : sic ibi legitur, *Multum incola fuit anima mea cum his, qui oderunt pacem. Ego pacem loquebar, et illi ad bellum.* Sed melior est interpunctio Septuaginta Interpretum, quæ est etiam antiquior; nam in Hebræo non est simpliciter, *Ego pacem loquebar*, sed hoc modo, si verbum verbo reddamus, *Ego pacem, et cum loquebar.* Ex quo intelligimus, recte Septuaginta post *pacem*, posuisse punctum, et quod diximus ex Hebræo reddi, *ego pacem*, potest etiam reddi, *ego pax*, ut sit sensus, cum his qui oderunt pacem, ego pax eram, id est, adeo pacificus eram, ut ipsa pars dici possem; et postea sequitur alius versiculus, *Et cum loquebar; illi ad bellum* nimirum provocabant, quod in sententia convenit cum eo, quod verterunt Septuaginta, et nos in nostra editione Latina legimus, *Cum loquebar illis impugnabant me.* Quod autem additur, *gratis*, positum est a Septuaginta explicationis gratia. Totus hic Psalmus hic convenit quidem omnibus electis, sed præcipue capiti electorum Christo, qualenus viator erat, secundum carnis passibilis conditionem. Vere enim clamavit ipse ad Dominum patrem suum

pernoctans in oratione Dei, et postea in horto, et demum in cruce, et verissime exauditus est, cum exaltaverit illum Deus, et dederit ei *nomen super omne nomen.* Vere quoque passus est *labia iniqua*, et *linguas dolosas* usque ad mortem, ut ex toto decursu Evangeliorum patet. Verissime dicere potuit, *Incolatus meus prolongatus est;* cum in Evangelio dixerit, *Generatio adultera, et incredula, quamdiu apud vos ero, quamdiu vos patiar? vere habitavit cum habitantibus Cedar*, quia licet ipse lux esset, ac per hoc, *in Cedar*, id est, in tenebris, non habitaret, sed in lumine : tamen *cum habitantibus Cedar* visus est, et inter eos conversatus est. Denique vere cum iis, *qui oderunt pacem*, erat pacificus ; quia *cum maledicitur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur :* et cum loqueretur illis de pace, de charitate, de Regno Dei; ipsi contra, eum impugnabant sine ulla ratione, vel causa, quod Joan. 15. ipse idem notavit, cum ait, *Sed ut impleatur sermo qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis.*

PSALMUS CXX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

CANTICUM GRADUUM.

SECUNDUS Psalmus ex Gradualibus consolatur peregrinos ascendentes in Jerusalem, promittens perpetuam Dei custodiam, ac primum loquitur Propheta in persona peregrini : deinde loquitur in persona propria, et consolatur peregrinum.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Levavi oculos meos in montes : unde veniet auxilium mihi.

Peregrini nihil frequentius aspiciunt, quam locum, ad quem tendunt, si is concipi possit; sin minus, locum aliquem viciniorem, inde enim consolationem magnam percipiunt : quæ consolatio vires et auxilium præbet ad ambulandum, et quia terrena Jerusalem in montibus erat, et cœlestis Jerusalem supra omnes cœlos est, ideo peregrinus, sive umbraticus, sive verus, dicit, *Levavi oculos meos in montes*, ubi sedet civitas sancta, *unde veniet mihi auxilium* consolationis. In Hebræo est verbum temporis futuri, *Levabo*, sed sæpe variantur tempora apud Hebræos, et præterea quod ad sensum attinet, non multum refert, sive peregrinus dicat, Levavi jam oculos meos, sive levabo jam oculos meos. S. August. mystice more suo, per montes, intelligit Sanctos Apostolos; sicut enim oriente Sole primi sunt montes, qui lumen recipiunt, sic veniente Christo, justitiæ Sole, primi fuerunt Apostoli, qui lumen receperunt.

2. Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum et terram,

Declarat peregrinus, se non expectare auxilium à montibus, ad quos oculos levavit, sed ab eo, qui præsidet sanctæ civitati in montibus positæ, quod clarius explicat initio Psal. 122. *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis*, describit autem verum Deum per opus creationis cœli, et terræ, sicut in alio Psal. 95. *Dii gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit.*

3. Non det in commotionem pedem tuum, neque dormitet qui custodit te.

Mutat Propheta personam, et loquitur in persona propria, et respondet peregrino, quasi dicat, Bene, et sapienter levasti oculos tuos in montes, et non respexisti vanitates, quæ occurrunt in via : sed iis prætermissis a conditore cœlestis patriæ auxilium, et consolationem expectasti : ideo ego opto, *ut Deus non det in commotionem pedem tuum*, id est, non sinat te labi, et cadere in via; sed roboret pedes tuos, ut stabiles in cursu ad patriam perseverent. *Et non dormitet, qui custodit te*, id est, opto etiam, et rogo, ut Pater, qui est custos tuus, semper vigilet in tua custodia, et numquam sinat commoveri pedes tuos. Observa primo circa hunc versiculum, quod Deus metaphorice dicitur dormitare, quando permittit nos cadere, ac si non adverteret, quomodo qui dormitat, non advertit, quid fiat. Secundo, phrasis Hebraica est, commoveri pedes, sive nutare, pro eo quod est labi in peccatum, ut Psal. 17. *Non sunt infirmata vestigia mea;* et Psal. 72. *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei.* Tertio, in Hebræo habetur in futuro, *Non dabit ad movendum pedem tuum*, juxta quam lectionem, esset prædictio, et promissio. Sed tamen, ut diximus, tempus unum in Hebræo sæpe ponitur pro alio tempore, unde non solum Septuaginta, sed etiam S. Hieron. vertit, *non det.* S. August. legit, *Non det commoveri pedem meum.* Sed nescio quem codicem sequutus sit, nostri enim Hebraici, Græci, et Latini habent tertiam personam, *non det*, vel *non dabit commoveri pedem tuum.*

4. Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.

Promittit Propheta peregrino impetrationem gratiæ, quæ petebatur quasi dicat, oro, ut Pater non dormitet, qui te custodiendum suscepit, et sine dubio non dormitabit : nam nunquam dormitat, neque dormit, qui custodit populum suum peculiarem, qui per Israelem significatur, et in quo populo omnes illi continentur, qui tanquam peregrini in hoc mundo versantur, et ad patriam cœlestem ascendere festinant. Quod dicitur, *non dormitabit, neque dormiet*, hunc habet sensum, non dormitabit subinde oculos claudendo, et aperiendo; et multo minus se tradet profundo somno : itaque semper vigilabit, neque oculos ad momentum claudet. S. August. pulchre dicit, homines dormitare quando carnem infirmitatis portant : dormire, quando moriuntur : et ideò non esse fidendum custodiæ hominum ; Domino autem fidelissimo custodi tuto credere nos posse, cum ipse neque dormitet umquam in infirmitate, neque dormiat in morte. Monet etiam idem August. recte fideles homines per Israelem significari, quia Israel, Deum videns interpretatur, et fideles Deum nunc per fidem vident, visuri postea etiam per speciem.

5. Dominus custodit te, Dominus protectio tua super manum dexteram tuam.

6. Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.

Dixit paulo ante Propheta peregrinum in Deo confidentem, custodiendum esse, ne cadat in via : addit nunc aliam consolationem, custodiendum videlicet etiam esse, ne fatigetur ab æstu solis per diem, neque a lumine lunæ per noctem, quoniam Deus erit illi quasi umbraculum, quod manu dextera tenebit, eoque tum caput, tum etiam reliquum corpus tegere poterit. *Dominus*, inquit Propheta, non solum *custodit Israelem*, id est, populum suum universe, sed te quoque in particulari custodit, custodit autem, quia est protectio, sive umbraculum, ut proprie sonat vox Hebraica, *super manum dexteram tuam*, ex quo fiet, ut te tali umbraculo, ministerio dexteræ manus, tectum, neque sol urat per diem neque luna per noctem. In textu Græco est tempus futurum, Dominus custodiet te; sed in Hebræo non est proprie tempus præsens, neque futurum, sed participium, *Dominus custodiens te*, sive custos tuus : sensus autem idem est. Illud autem, *Dominus protectio tua super manum dexteram tuam*, posset continere metaphoram, ut alii volunt, hominis armati, et ad dexteram stantis, ut sensus sit, Dominus erit, vel est protectio tua, quia stat quasi miles armatus ad dexteram tuam. Sed quod nos diximus, magis convenit litteræ, tum quia in Hebræo pro voce protectio est צל *tsel*, umbra, sive umbraculum : tum quia et in Hebræo et in Græco est, super manum, non ad manum; unde videtur Propheta respexisse ad umbraculum, quod super manum ponitur, et manu geritur, tum denique quia sequitur, neque sol per diem uret te, neque luna per noctem : a calore autem, vel lumine solis, et lunæ non defendit miles ad dexteram constitutus, sed umbraculum manu dextera super caput extensum. Porro metaphora umbraculi, et solis ac lunæ, diei, et noctis, significat gratiam Dei, quæ peregrinum custodit tempore prosperitatis, et adversitatis; neque enim minus lædere solet in hoc itinere dies prosperitatis, quam nox adversitatis. Sanct. August. more suo mystice exponit dexteram, et sinistram, ac dicit Deum protegere dexteram, non sinistram, quia sæpe permittit hominem lædi in temporalibus, quæ significantur per sinistram, et non sinit lædi in bonis spiritualibus, quæ significantur per dexteram.

7. Dominus custodit te ab omni malo, custodiat animam tuam Dominus.

Addit Propheta aliam consolationem, eamque generalem quasi dicat non solum te Dominus custodiet, ne cadas, et ne fatigeris, sed ab omni alio malo, quod in itinere occurrere possit, te Dominus proteget, atque custodiet, ex quo fiet, ut anima tua, seu vita tua incolumis omnino toto in itinere conservetur. In Hebraico Græcoque textu habetur in tempore futuro, Dominus custodiet te, sed in sensu nulla differentia est : Dominus enim et custodit nunc, et custodiet postea, et hanc continuationem significare solet tempus futurum apud Hebræos.

8. Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Concludit Propheta, addendo ultimam, et optatissimam consolationem quasi dicat, non solum in aliqua parte itineris peregrinus Dei, qui ascensiones disposuit in corde suo custodietur : sed in toto itinere semper custodietur : omne enim iter consistit in introeundo, et exeundo, dum enim progredimur, intramus unam viam, et ea finita eximus : deinde intramus aliam, et post eximus; sic etiam intramus unam civitatem, unam domum, et deinde eximus, et inintramus aliam, et eximus, donec finito itinere ad patriam perveniamus. Sic igitur in via vitæ progredimur dum inchoamus, et perficimus opera bona, inchoare enim, intrare : perficere, exire est. Illud autem, *ex hoc nunc et usque in seculum*, idem est, quod nunc et semper, quasi dicat, *ex hoc nunc*, id est, ex hoc præsenti tempore, incipiat Dominus introitum, et exitum tuum custodire, et usque in sæculum non desinat custodire. S. Augustinus per introitum et exitum, intelligit introitum in tentationem, et exitum ex tentatione. Alii generalius initium, et finem omnium negotiorum, sive omnium actionum nostrarum, sive omnem humanam consuetudinem, juxta illud Act. 1. *Ex quo intravit, et exivit inter nos Dominus Jesus*, id est, ex quo nobiscum cœpit conversari Dominus Jesus. Parum autem refert, quod in Hebræo legatur in futuro, *custodiet :* nam significationes temporum facile variantur. Unde ipse etiam S. Hieronymus vertit ex Hebræo, *custodiat*, ut nos in editione vulgata legimus.

PSALMUS CXXI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

Canticum Graduum.

Hic est tertius Psalmus Gradualis, in quo Propheta describit pulchritudinem, et nobilitatem civitatis sanctæ Jerusalem, ad quam reverti cupiebant Hebræi ex Babylonica captivitate. Sed ut civitas illa typus erat cælestis patriæ, ita redeuntes Hebræi ex captivitate ad terrenam Jerusalem figura erant peregrinationis, et ascensionis nostræ ad eam, quæ sursum est, Jerusalem. Itaque totus Psalmus de utraque civitate, et de peregrinis utrisque intelligi debet : sed primaria intentio Spiritus sancti ad primarium finem sine dubitatione dirigitur.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.

Verba sunt populi Dei, qui lætari se dicit de optimo nuncio accepto reversionis in patriam. Et quidem nuncius, qui signficavit Hebræis, revertendum jam esse in Jerusalem Hieremias fuit, qui prædixerat post septuaginta annos solvendam esse captivitatem, et civitatem, ac templum rædificandum, Hierem. 25. et 29. sed clarius idipsum nunciaverunt Daniel, Aggæus, et Zacharias, qui vixerunt illo ipso tempore, quo soluta est captivitas. Isti igitur magno gaudio populum repleverunt, cum evolutis jam septuaginta annis dicebant, *In domum Domini ibimus*, id est, ad patriam revertemur, ubi montem Sion, et locum domus Domini videre nobis dabitur, ibique templo reædificato, in domum Domini rursum ingrediemur. Sed nuncius sine comparatione ulla fœlicior Christus fuit, qui in Evangelio nobis loquitur, et dicit, *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim Regnum cœlorum*, Matth. 4. et clarius. Joan. 17. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt; si quominus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum; et si abiero, et paravero vobis locum, iterum veniam, et assumam vos ad me ipsum, ut ubi ego sum, et vos sitis*, Joan. 14. Hic autem nuncius ineffabili lætitia replet eos qui didicerunt, quam bonum sit in domum Domini ire, et in ea domo non esse hospitem, et advenam, sed civem sanctorum et domesticum Dei. Id autem novit, qui attente cogitavit illud ejusdem Prophetæ, *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*, Psalm. 34. et rursus. *Replebimur in bonis domus tuæ*, Psalm. 64. et illud Apostoli ad Ephes. 1. *Ut sciatis, quæ sit spes vocationis ejus, et quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis.* Iste ex corde cupit in domum Domini ire, et ideo ex corde cantat, *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domum Domini ibimus :* animalis autem homo non percipit quæ Dei sunt, et ideo propinquante morte, id est, exilii, et peregrinationis fine non hilarescit, non turbatur, et gemit, et merito, quia sicut non disposuit ascensiones in corde suo dum viveret; ita non sperat in domum Domini, quæ sursum est, ascendere; sed ad carcerem damnatorum in æternum puniendus descendere timet. Parum autem refert quod Hebræus, et Græcus textus pro, his *quæ dicta sunt*, habeant participium activum, videlicet, *in dicentibus mihi*, vulgatus enim interpres sensum expressit Latina phrasi, ut facilius intelligeretur.

2. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem.

Explicat, cur Hebræi lætentur de reditu in patriam; et rationem esse dicit, quoniam recordabantur ejus temporis, quo fuerant in patria ante captivitatem, et viderant pulchritudinem, et magnitudinem Jerusalem : multi enim, qui pueri, vel adolescentes abducti fuerant in Babylonem, facile recordari poterant se fuisse antea in civitate Jerusalem, multos autem rediisse ex iis qui ante captivitatem fuerant in Jerusalem, et viderant civitatem, et templum; scribit Esdras lib. 1. cap. 3. dicunt igitur. *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem*, id est, quia recordamur temporis, quo stantes erant pedes nostri in atriis tuis, id est, in portis tuis, ut expresse habetur in Hebraico codice. Nominat autem Propheta portas, sive atria, et quasi vestibula civitatis, potius quam fora, vel plateas, quoniam eo tempore præcipui conventus et negotia fiebant in portis civitatum, ibique erat maxima hominum frequentia, ut colligitur ex illo Prov. 51. Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum Senatoribus terræ. Constat etiam ex lib. 2. Reg. cap. 18. fuisse in Jerusalem non simplices portas, sed duplices, et inter utrasque satis magnum spatium, quod hoc loco fortasse vocatur atrium, *David autem* (inquit Scriptura) *sedebat inter duas portas*, et Hierem. 39. *Et ingressi sunt omnes Principes Regis Babylonis, et sederunt in porta media*, certe magnum spatium debuit esse in illa porta media, ut tot Principum cum administris suis capere posset. Sed quomodo nos Christiani dicere poterimus, *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem*,

qui in cœlestis patriæ atriis nunquam fuimus? Imo fuimus in atriis patriæ cœlestis; alioqui exules, et peregrini non essemus; neque nos Christus de captivitate redemisset nisi a patria extorres, et in terra aliena captivi fuissemus. Fuimus igitur in atriis cœlestis Jerusalem, quando in parente nostro Adamo Paradisum terrestrum incoluimus, qui Paradisus terrestris quasi vestibulum erat Paradisi cœlestis; et status ille innocentiæ quasi atrium, et porta erat status gloriæ, et fortasse hac de causa Spiritus sanctus scribi non voluit, *Stantes erant pedes nostri* in plateis *Jerusalem*, sed in atriis, vel portis, ut intelligeremus in hoc Psalmo præcipue sermonem fieri de cœlesti Jerusalem, non de terrena. Igitur lætati sumus ad vocem dicentium, *In domum Domini ibimus*, quia recordamur temporis illius, quo stantes erant pedes nostri in paradiso terrestri, ac per hoc in atriis paradisi cœlestis; et ex bonis illis conjecturam facimus de bonis longe melioribus, quæ nobis in ipsa domo Domini conservantur, et quamvis paulo ante domus Domini nominata sit; nunc autem civitas Jerusalem nominetur, tamen unus et idem locus est Patria enim cœlestis nunc Regnum, nunc civitas, nunc domus dicitur: quoniam si respicias multitudinem, et varietatem incolarum, Regnum erit, cum in eo Joannes Apoc. 7. *turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, et populis, et tribubus, et linguis.* Si consideres societatem et familiaritatem, quæ est inter sanctos, et beatos, civitas est: quamvis enim multiplicetur numerus electorum, omnes se invicem noscent, et diligent, ut ejusdem civitatis cives. Denique si cogites, omnes electos unum habere patrem, unamque hæreditatem; domus sine dubio erit, in qua omnes erunt quasi fratres sub uno Patre Deo.

3. Jerusalem, quæ ædificatur, ut civitas cujus participatio ejus in idipsum.

Hic jam incipit Propheta sub nomine peregrinorum ad Jerusalem properantium, laudes ejusdem Jerusalem numerare, ut ex iis se magis ac magis ad ascendendum sine intermissione inflamment. Prima laus est, quod sit civitas pacatissima, ita ut ex charitate incolentium omnibus omnia sint communia. *Stantes*, inquiunt, *erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem,* quæ Jerusalem ita ædificata est, et quotidie magis ac magis ædificatur, ut sit civitas, *cujus participatio est in idipsum,* id est simul, et communiter participatur ab omnibus. Ubi notandum est illud, ejus, redundare ex phrasi Hebraica, idem est enim, *cujus participatio* et *participatio ejus.* Adverte præterea, interpunctionem in Hebraico codice positam esse post vocem, *ædificatur:* non post vocem, ut *civitas:* proinde non est sensus, Jerusalem ædificatur, ut civitas, quasi possit aliter ædificari, quam ut civitas; sed ædificatur, ut civitas talis, cujus participatio simul est. Adverte postremo illud, *in idipsum*, quod a S. Augustino refertur ad æternitatem Dei: quæ semper est eadem; ad litteram nihil aliud significare, nisi simul, vel conjunctim, ut ex voce Hebraica perspicuum est, ut etiam alibi diximus. Jam vero in sensu posteriore tota hæc sententia multo est clarior, et sublimior: siquidem cœlestis Jerusalem vere ædificatur ut civitas, quia non est proprie civitas, neque sunt in ea lapides proprie dicti, sed ædificatur ut civitas dum quotidie lapides vivi a summo artifice expoliti, et conquadrati adjunguntur cœlestis habitaculi ædificationi: ex quo sequitur, ut qui hæc intelligunt, non modo persecutiones æquo animo ferant, sed gaudeant, et glorientur, in tribulationibus, cum sciant, eo modo se præparari ad cœlestem ædificationem. *Omne gaudium*, inquit unus ex his vivis lapidibus, Jac. 1. *existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis.* Deinde in cœlesti patria verissime est participatio in idipsum, nam in terrena Jerusalem non tam fuit, quam esse debuit participatio in idipsum, id faciente charitate, ut amicorum omnia sint communia, qualis participatio ad breve tempus fuit in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, *ubi nemo dicebat, aliquid suum esse, sed erant illis omnia communia,* Act. 4. Et nunc etiam cernitur in familiis ordinum Religiosorum, ubi regularia instituta in suo vigore persistunt. Sed in cœlesti Jerusalem summa est participatio in idipsum cum sit Deus unus omnia in omnibus id est, unus, et idem Deus sit honor, et divitiæ, et deliciæ omnibus habitantibus in domo Domini, et ea felicissima, et summa ubertas sit vere semper idipsum, cum nullam patiatur diminutionem vel alterationem.

4. Illuc enim ascenderunt tribus tribus Domini, testimonium Israel ad confitendum nomini Domini.

Hæc est secunda laus Jerusalem, frequentia videlicet incolarum, et conjungitur hic versiculus cum secundo. Reddit enim rationem hoc loco populus Dei cur dixerit, *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem:* quamvis non omnes fuissent cives Hierosolymitani, sed diversarum civitatum incolæ, tamen omnes ascendebant in Jerusalem ter per annos singulos. Dicitur igitur, *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem, quoniam illuc ascenderunt tribus tribus Domini*, id est, multæ tribus, sive omnes tribus, et ideo maxima multitudo conveniebat in Jerusalem: Hebraismus est enim, tribus, tribus, pro multæ tribus, ubi enim legimus Gen. 14. *Vallis autem sylvestris habebat puteos multos bituminis*, in Hebræo est, *puteos puteos bituminis*, quod sequitur, *Testimonium Israel ad confitendum nomini Domini;* explicat cujus rei gratia tanta multitudo conflueret in Jerusalem: id enim fiebat juxta testimonium, id est, legem datam Israeli, quæ præcipiebat, ut non obliviscerentur visitare templum Domini, quod unicum erat in tota terra promissionis, atque ibi confiterentur nomini Domini, confessionem laudis, et gratiarum actionis. Sed in posteriore sensu, quem diximus esse a Spiritu sancto magis intentum, redditur ratio, cur dictum sit, *Jerusalem, quæ ædificatur* ut civitas, ideo enim ædificatur ut civitas, *quia illuc jam ascenderunt, et quotidie ascendunt tribus tribus Domini*, id est, animæ sanctæ ex omni tribu, et natione, ut tamquam lapides vivi superædificentur in domos spirituales ut dicit S. Pet. in 1. epist. cap. 2. Ascenderunt autem animæ illæ sanctorum in cœlestem Jerusalem ad confitendum nomini Domini, quoniam hoc est totum quod agitur in illa domo et civitate cessantibus omnibus negotiis aliis. *Beati*,

inquit idem Propheta Psalm. 83. *qui habitant in domo tua Domine, in sæculum sæculi laudabunt te*, et Tobias cap. 13. de cœlesti Hierosolyma loquens, *Per vicos*, inquit, *ejus alleluia cantabitur*, et hoc est testimonium, id est, præceptum datum Israeli, id est, animæ videnti Deum; ut numquam cesset à laude, quæ numquam cessat ab amore. Quod autem testimonium idem sit, quod præceptum, ostendimus in explicatione Psalmi decimi octavi, et perspicuum est ex toto Psalmo 118. ubi frequentissime accipitur testimonium pro lege, sive præcepto.

5. Quia illic sederunt sedes in judicio, super domum David.

Hæc est tertia laus Jerusalem, quod illic sit sedes Regia, et supremum tribunal, et potest continuari hic versiculus cum superiore propter illam particulam causalem, *quia:* videtur enim reddi ratio, cur Deus voluerit in Jerusalem esse templum, ad quod ter in anno veniret omnis populus Israel, quia illa erat civitas Regia, et quasi Metropolis totius Regni. Dicit igitur, *Quia illic*, id est, in Jerusalem, *sederunt sedes in judicio*, id est, sedes Regum invicem succedentium, quorum proprium est judicare populum, *sederunt*, id est, quieverunt immobiliter constitutæ, et fixæ, quod dicitur ad differentiam sedis Saul primi Regis, quæ fuit in Gabaa Benjamin; sed ibi non quievit, cum paulo post translata fuerit, et similiter ad differentiam sedium Judicum, qui fuerunt ante Reges, quæ non sederunt alicubi, sed frequenter transmutabantur de loco ad locum: at sedes Regum de familia David sederunt in Jerusalem immobiliter, et ideo subjungit, *Sedes super domum David*, id est, sedes Regni, quæ super familiam David fundatæ, quietem, et stabilitatem invenerunt, sic enim dictum est Davidi a Deo 2. Reg. 7. *Fidelis erit domus tua, et Regnum tuum usque in æternum, et thronus tuus erit firmus jugiter.* Igitur non dicuntur *sedes super domum David*, quia regerent domum David: regebant enim totam domum Jacob, id est, omnes duodecim tribus Israel, non solum familiam David; sed dicuntur sedes fundatæ super domum David, quia ex illa domo nascebantur Reges populi Dei. In Hebræo non habetur, super domum David, sed domui David, id est, sedes datæ domui David. Sed hæc omnia longe melius in Christum, et in cœlestem Jerusalem conveniunt. Nam ne forte Judæi crederent, verba Psalmi intelligenda esse principaliter de terrena Jerusalem, ac non potius de ea, ut cœlestis Jerusalem figuram gerebat, permisit Deus, ut non solum sedes Regia de Jerusalem tolleretur, sed ipsa etiam Jerusalem everteretur. Promissio igitur illa ad Christum, et ad Jerusalem, quæ sursum est, pertinet, juxta vaticinium Isaiæ c. 9. et Danielis c. 9. et Angeli ad Virginem Luc. 1. *Dabit ei Dominus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et Regni ejus non erit finis.* Vere enim ac proprie in cœlesti Hierusalem sederunt sedes in judicio, tum quia firmissime stabiliti sunt in cœlo thronus Christi, et throni eorum, qui cum ipso regnant: tum quia ipsi sancti cum Christo regnantes et judicantes sunt sedes Dei: nam anima justi sedes est sapientiæ, et istæ sedes vere etiam sedent in judicio, juxta promissionem Domini Matth. 19. *Vos qui sequuti estis me sedebitis super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel.* Et sedes sunt super domum David fundatæ, quia omnis Sanctorum potestas, Regia, et judiciaria a Christo dependet, qui filius David in Evangelio dicitur, et accepit sedem David patris sui, et regnabit in domo Jacob in æternum, et Regni ejus non erit finis.

6. Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem, et abundantia diligentibus te.

Hortatur jam Propheta peregrinos de captivitate revertentes, ut salutent saltem a longe civitatem Jerusalem, bene precantes ei pacem, et abundantiam, quæ sunt duo potissima, quæ faciunt beatas civitates: nam pax sine abundantia, est secura possessio miseriæ; abundantia sine pace est dubia et incerta felicitas; sed quando abundantia cum pace jungitur, nihil deest ad statum felicissimæ civitatis. Dicit igitur, *Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem*, id est, precamini patriæ vestræ a Deo veram et solidam pacem, et ut sit abundantia non solum ipsi civitati Jerusalem, sed omnibus diligentibus te civitas sancta. In Hebræo habetur simpliciter, *Rogate pacem ipsi Jerusalem;* proinde illa, verba, quæ ad pacem sunt, nihil sunt aliud, nisi periphrasis pacis.

7. Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis.

Ponit Propheta ipsa verba, quæ dicenda sunt ab iis, qui salutantes Jerusalem, precantur illi pacem, et abundantiam, quasi dicat, cum salutatis Jerusalem dicite, *Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis.* Per, *virtutem*, recte S. Hieron. vertit, *muros:* vox enim Hebraica, בחילך *bechilach*, significat proprie *virtutem*, hoc est, robur, et vires. Sed accommodatur etiam ad omnia, in quibus robur consistit, ut ad muros, in quibus consistit robur ædificii; item ad exercitum, in quo consistit robur armorum; item ad multitudinem populi, in qua consistit robur civitatis. Sed hoc loco accommodari debet ad muros, ut cohæreat cum sequentibus verbis, ubi turres nominanter. Itaque Septuaginta Interpretes, qui verterunt virtutem, expresserunt significationem verbi Hebraici, ut sonat generatim, sed S. Hieron. expressit significationem, ut hoc loco accommodanda erat. Dicitur autem, *fiat pax in virtute tua*, id est, in muris tuis fortissimis, quia quando pax est in muris, id est, quando muri non oppugnantur ab hostibus, tota civitas est in pace. Per turres autem, de quibus dicitur, *et abundantia in turribus tuis*, significantur magna palatia, quæ turrita esse solent: nam vox Hebraica, ארמנותיך *armenuthecha*, significat palatia potius quam turres, et S. Hieron. vertit, *in omnibus tuis.* Porro vox, *abundantia*, tum in hoc versiculo, tum in superiore, deducitur a voce Hebraica, quæ significat pacem, sed cum Septuaginta viri, et S. Hieron. verterint *abundantiam*, dubitare non debemus quin hoc vere significet, neque absurdum est a vocabulo pacis derivari vocabulum abundantiæ, cum vere sit pax quasi mater abundantiæ, ut bellum pater est caritatis, et inopiæ. Porro duo isti versiculi, quatenus pertinent ad cœlestem Jerusalem, continent quidem salutationem, et imprecationem pacis et abundantiæ: sed non significant, periculum esse, ne civitati illi supernæ desit

unquam vel pax, vel abundantia, cum de ea scriptum sit in Psal. 147. *Qui posuit fines tuos pacem, et adipe frumenti satiat te.* Exprimunt igitur solum pium affectum, et lætitiam, quam habemus de bonis cœlestis Jerusalem, quomodo etiam dicitur in Apocalypsi cap. 7. *Salus Deo nostro qui sedet super thronum et Agno.*

8. Propter fratres meos, et proximos meos loquebar pacem de te.

9. Propter Domum Domini Dei nostri quæsivi bona tibi.

Claudit Psalmum Propheta, dum breviter explicat, ob amorem civium sanctæ civitatis, quos fratres et amicos suos agnoscit, et multo magis ob amorem Dei conditoris, et habitatoris ejusdem civitatis, vel domus, se impulsum fuisse, ut precaretur eidem civitati pacem, et abundantiam omnis boni. In Hebræo codice verba illa, *loquebar et quæsivi*, futuri sunt temporis : sed qui periti sunt linguæ Hebraicæ, sciunt, tempus futurum sæpissime poni pro perfecto, vel imperfecto : sæpe etiam significare continuationem actionis, quæ ita facta est, ut sit etiam futura.

PSALMUS CXXII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

CANTICUM GRADUUM.

ORATIONEM continet hic Psalmus hominis peregrinantis ad cælestem Jerusalem, et in exilio, vel itinere pressuram patientis.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis.

Loquitur Propheta tum in persona peregrini, tum etiam in persona sua, qui unus erat ex veris peregrinis, ac dicit, se in quibuscumque pressuris non respicere ad alium adjutorem, nisi ad Deum, tum quoniam ipse solus habitat in summo cœlo, et inde omnia inferiora conspicit, et moderatur : tum quia ipse est, qui per malos nos flagellat, ac propterea frustra confugimus ad alios, cum sit nemo, qui de manu Dei nos possit eripere.

2. Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum.

3. Sicut oculi ancillæ in manu dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.

Explicat cur oculos ad Deum levaverit, ut videlicet respiciat Deum flagellantem, ut eo aspectu miserabili moveat ipsum ad misericordiam, et flagellare desinat. Id quod illustrat similitudine servorum, qui dum cæduntur a Dominis, respiciunt mœsti ad manus cædentium, ipso aspectu quasi petentes, ut miserti ipsorum cessent a plagis. Illud autem, *sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum*, clarius est in Hebræo, ubi habetur, *Ad manus Dominorum suorum*, et respondet applicatio, *Ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* Posita est autem similitudo, non servorum tantum, sed etiam ancillarum, vel quia non soli viri, sed etiam fœminæ peregrinantur ad patriam, et in peregrinatione flagellantur; vel quia viri fortes, proprie viri sunt; viri debiles, et delicati fœminæ dici possunt : et utrique tamen sua flagella in hoc itinere patiuntur. Ad flagella vero, quibus a Domino castigamur, non solum pertinent manifestæ persecutiones, et calamitates; sed etiam tentationes occultæ, quibus anima vexatur assidue, item timores, angores, tristitiæ, quibus nemo caret in hac vita, et ideo non dicit Psalmus oculos nostros aliquo certo tempore levandos ad Deum, sed sine intermissione, *donec misereatur nostri;* quod non fiet, nisi cum ad patriam pervenerimus : tunc enim *coronabit nos Deus in misericordia, et miserationibus, cum sanaverit omnes languores nostros, et repleverit in bonis desiderium nostrum,* ut dicitur in Psalmo 102.

4. Miserere nostri Domine, miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione.

Non contentus Propheta oculis ad Deum fixis misericordiam implorasse; voce etiam cordis, et corporis clamat, et clamorem ingeminat pro se, et pro sociis peregrinationis dicens, *Miserere nostri Domine, miserere nostri.* Et sane, qui recte adverteret, atque attente consideraret, quid sit quod sequitur, *Quia multum repleti sumus despectione,* plane intelligeret tantam esse nostram miseriam, ut cessare ab isto clamore non posset. Homo enim ad imaginem Dei creatus, et super omnia opera Domini constitutus, sæpe etiam ab ipso Deo in filium adoptatus, et ad regnum cœlorum prædestinatus; ita in hac peregrinatione, non solum a dæmonibus, et pravis hominibus; sed etiam ab animalibus,

etiam minimis, et ab ipsis elementis despicitur, et assidue vexatur, ut Propheta verissime dixerit, quia non despicimur solum sed etiam *repleti sumus despectione*, nec solum repleti sumus, sed multum repleti sumus. Quid enim est quod hominem, etiam justum et sanctum, in hac lacrymarum valle non despiciat? sed præcipua tamen despectio, de qua proprie loquitur hoc loco Propheta est ea, quam patiuntur boni a malis, et justi ab iniquis. Verissima enim, et universalis est illa Apostoli sententia, *Omnes qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutiones patientur.* 1. Tim. 3. Joan. 15. et illa Domini, *Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat diligeret, sed quia de mundo non estis, propterea odit vos mundus :* et ratio est manifesta, quoniam bonum et malum contraria sunt, et contraria pacem inter se habere non possunt. Et quoniam justi patientes sunt, et mites, et didicerunt a Domino non resistere malo, et percutienti maxillam præbere etiam alteram, ideo ab improbis superbe despiciuntur, vexantur, et irridentur.

5. Quoniam multum repleta est anima nostra : opprobrium abundantibus, et despectio superbis.

Docet hoc ultimo versiculo David contemptum, ac despectionem de qua supra loquebatur, accidere pauperibus, et humilibus peregrinis ab hominibus copiosis, et superbis. Quamvis enim aliqui auctores velint, illud, *opprobrium abundantibus, et despectio superbis*, esse imprecationem, ut sensus sit : Opprobrium recidat super abundantes, et despectio super superbos : tamen, si respiciamus textum originalem, et velimus concordare versionem S. Hieron. cum versione Septuaginta Interpretum, cogemur sequi S. August. et dicere sensum hunc esse, *Multum repleta est anima mea*, confusione videlicet, quia factus sum opprobrium abundantibus, et despectio superbis. S. enim Hieron. ex Hebræo recte vertit, Multum repleta est anima opprobrio abundantium, et despectione superborum : cum qua versione rectissime cohæret, quod habent Septuaginta Interpretes, et Latina editio vulgata, si subintelligatur verbum, *factus sum*, et continuetur opprobrium, etc. Ait igitur Propheta, Multum repleta est anima mea, quod est idem cum eo quod supra dixit, *Multum repleti sumus despectione.* Sed hoc loco explicandi gratia nominat animam quoniam despectionis sensus proprie ad animam intelligentem pertinet; quæ enim anima intelligente carent, sentire possunt dolorem, sed non despectionem. Illud autem repleta est, in Hebræo legitur, *satiata est :* quæ vox mirum in modum auget significationem : si enim qui multum satiantur, id est, ultra satietatem replentur, etiamsi bonis cibis repleantur, magnum dolorem percipiunt : quid sentient, qui nimium satiantur malis cibis, qualia sunt opprobria, et despectiones? Quod vero sequitur, *Opprobrium abundantibus, et despectio superbis*, idem omnino significat : idem sunt enim opprobrium, et despectio; et iidem etiam sunt, abundantes, et superbi. Omnes enim superbi inflati sunt, et proinde abundantes sunt; sed abundant vento, non solido bono, id est, abundant opinione et existimatione sui ipsorum; si divitias terrenas habeant, putant suas esse, neque cogitant Deo reddendam esse de earum dispensatione rationem. Si in dignitate et honore constituti sint, arbitrantur sibi illa omnia deberi, et sua bona esse, et non intelligunt data esse, ad aliorum utilitatem, et rationem gravissimam de ea dignitate reddendam; neque ad se aliud quam onus pertinere. Proinde non minus desipiunt etsi de tali onere inflentur, quam si bajulus gloriaretur, quod valde oneratus incederet. Si virtutes aliquas, si ingenium, si doctrinam habeant, sibi persuadent multo majora esse quam sint, et sibi tribuunt, quæ sunt Dei dona. Denique si carent divitiis, dignitatibus, honoribus; et contra si puniuntur, et flagellantur, existimant sibi fieri injuriam, et de Deo murmurant, et blasphemant; quod totum inde oritur, quia pleni sunt, vel potius inflati vento propriæ existimationis. Sed veniet tempus quo opprobrium, et despectio in ipsos revertetur, quando videlicet in die novissimo dicent, quod scriptum est in lib. Sap. cap. 15. *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est.* Et infra, *Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt illa omnia tamquam umbra.*

PSALMUS CXXIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

CANTICUM GRADUUM.

Hic Psalmus continet exultationem eorum, qui de gravissimis tribulationibus liberati fuerant. Et quidem filii Israel, qui de captivitate Babylonica redierunt in Jerusalem, in itinere nullas graves persecutiones passi fuisse leguntur : sed solum dum captivi detinerentur, et inter ædificandam civitatem, et templum, ut ex utroque libro Esdræ intelligi potest. Itaque Psalmus hic quatenus ad carnales Israelitas pertinet, referendus est ad eas afflictiones, quas passi sunt, vel dum essent in captivitate, vel dum templum, et civitatem iterum ædificarent : quatenus autem ad spirituales Israelitas, id est, ad Christianos ad cœlestem Jerusalem ascendentes pertinet; referendus est ad persecutiones Paganorum, aliorumque impiorum, a quibus liberati sunt Martyres sancti, et electi cæteri quotidie liberantur.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis.

Sermo imperfectus, et interruptus, initio Psalmi, signum est magnæ, atque insolitæ exultationis, quæ loquentem non sinit perficere sententias inchoatas. Dicit igitur multitudo Sanctorum de magnis tentationibus liberatorum, *Nisi quia Dominus erat in nobis*, id est, nisi Dominus omnipotens nobiscum fuisset, numquam evadere potuissemus. Sed antequam compleat sententiam, præ lætitia gestiens invitat Israelem, id est, totum populum Dei ad confessionem, et laudem, dicens, *Dicat nunc Israel :* et iterum repetit, *Nisi quia Dominus erat in nobis.* Quod attinet ad verba, illud, *quid*, in Hebraico textu habetur post verbum, Dominus, hoc modo, *Nisi Dominus quia erat in nobis.* Sed Interpretes Septuaginta, ut sententia esset clarior, ordinem verborum immutasse videntur. S. Hieron. eam particulam, ut redundantem, et otiosam ex Hebr. phrasi, in sua versione omisit. Sic enim vertit, *Nisi Dominus fuisset in nobis.* Si quis tamen velit eam retinere, ita suppleri poterit, *Nisi Dominus*, quia erat in nobis, nos liberasset, vel secundum Septuaginta, *Nisi liberati essemus, quia Dominus erat in nobis.* Quid autem factum fuisset, nisi Dominus nos liberasset, explicatur in sequentibus.

2. Cum exurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos.

3. Cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos.

Ecce quid accidisset nobis, nisi Dominus fuisset in nobis, neque juvisset potentissima sua virtute. Cum exurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos, id est, cum nostri persecutores exurgerent adversus nos, periculum fuit, ne tanta velocitate nos perderent, quanta solet mare, vel flumen vivos deglutire eos, qui in illud forte præcipitantur. Tria sunt hoc loco consideranda. Primum vocantur homines, persecutores piorum, quia ducuntur sola ratione humana, qualis remansit in natura per peccatum corrupta : ratio enim humana post naturæ corruptionem, nihil altum sapit, nihil divinum, nihil spirituale, neque alium finem propositum habet, nisi conservationem, et augmentum propriæ temporalis felicitatis. De his dicit Apost. 1. Cor. 3. *Cum sit inter vos zelus, et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis?* et paulo infra, *Nonne homines estis?* ut pro eodem Apostolus accipit, carnalem esse, et hominem esse : secundum carnem ambulare, et secundum hominem ambulare. Deinde difficultas non exigua est de particula, *forte*, quæ etiam bis repetitur paulo infra. Videtur enim hæc particula non bene posita in editione vulgata, cum potius affirmativa, ut certe, utique, sane poni debuisset. Nam si legamus, *forsitan*, sequetur, non necessarium esse auxilium Dei in magnis tentationibus superandis, quandoquidem Propheta non audet certo affirmare, sed sub dubio relinquit, an gravissima tentatio nos dejectura sit, si Deus non sit in nobis. Sed quamquam non desint ex recentioribus, quibus ista particula non placeat, et verbum tum Hebraicum אזי *azai*, tum Græcum, ἄρα, non velint reddi per forte aut certe : nos tamen non audemus ullo modo a lectione vulgatæ editionis recedere: nam S. Hieronymus vir doctissimus, et utriusque linguæ peritissimus fuit; et major ei fides, quam ullis dictionariis habenda est. Is autem ex Hebræo constanter vertit, *forsitan;* et in expositione Psalmorum, in qua editionem Septuaginta interpretatur, similiter legit, *forsitan*, denique in emendatione Psalterii ad Suniam, et Fretellam, nihil in hoc loco emendat. Sanctus quoque Hilarius, Origenem sequutus, Sanctus Joannes Chrysostomus, Sanctus Augustinus magno consensu, forsitan legerunt, neque in Bibliis hoc loco ulla est varietas lectionis. Neque timendum est, ut particula ista detrahere nos cogat aliquid de

gratia Dei, non enim illud *forsitan*, significat, potuisse nos forte resistere inimicis in nos irruentibus sine auxilio gratiæ protegentis : sed, potuisse fieri, ut non vivi deglutiremur, quia forsitan inimici non eo usque desævissent. Sed quoniam periculum erat etiam ut usque ad internecionem crudelissimam desævirent, ideo dicitur, *Nisi Dominus fuisset in nobis, forsitan vivos deglutissent nos.* Postremo diximus illud, *vivos deglutissent nos*, sumptum esse a similitudine maris, vel fluminis deglutientis, sive absorbentis eos, qui *cadunt in aquas :* tum quia nullæ sunt fere bestiæ, quamvis crudelissimæ, quæ vivos deglutiant homines, sed lacerant ac discerpunt, ut notum est; tum etiam quoniam hoc requirit versiculus sequens, qui de more Psalmorum, idipsum aliis verbis repetit : sic enim habet, *Cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos :* sensus enim est forsitan ut aqua absorbuisset nos, id est, furor hostium nostrorum instar aquæ profundissimæ repente absorbuisset nos. Neque in hoc solo versiculo, sed etiam in sequentibus persistit Propheta in similitudine aquarum, ut mox videbimus.

4. Torrentem pertransivit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.

Persistit in eadem similitudine, comparans adversariorum persecutiones torrenti rapido, et profundo, qui sine potentissimo auxilio pertransiri non potest. Et si quis cogitet, quales fuerint persecutiones Paganorum, et Hæreticorum in sanctos Martyres, et tentationes dæmonum adversus sanctos Eremitas, aliosque Christi Confessores, videbit simillimas fuisse torrenti violentissimo, quoniam licet sancti Confessores gloriosi evaserint : tamen plurimi, ac fere sine numero, quasi vi torrentis abrepti, et absorpti perierunt, ut cognosci potest ex Cypriano in serm. de lapsis, et Eusebio Cæsariensi in lib. 8. hist. cap. 1. ex versione Ruffini. Dicit igitur Propheta in persona Sanctorum, *Torrentem pertransivit anima nostra*, id est, persecutionem, quasi torrentem pertransivit anima nostra : caro enim succubuit, et cessit persecutorum furori, sed anima gloriose pertransiit : sed, *Nisi Dominus fuisset in nobis, forsitan pertransisset anima nostra aquam in tolerabilem,* id est, intrasset torrentem nimis profundum, unde evadere non potuisset. Itaque illud, *pertransisset,* non significat, transivisset, vel evasisset : sed intrasset, et pertransire cœpisset, sive pertransire coacta fuisset : Illud autem, *intolerabilem*, recte verterunt Septuaginta, ἀνυπόστατον, id est, *sine substantia, sine hypostasi*, sine fundamento, sine fundo, ubi pedes figi possent, quo verbo significatur profunditas aquarum, quæ transmitti non potest. Sed occurrit hoc loco contrarietas aperta inter Codicem Hebraicum, et versionem Septuaginta Interpretum. Codex enim Hebraicus diserte habet, *Torrens pertransivit super animam nostram*, et editio Septuaginta habet, *Torrentem pertransivit anima nostra;* et paulo post Hebraicus textus habet, *Forsitan pertransissent super animam nostram aquæ intolerabiles;* Editio autem Septuaginta habet, *Forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.* Et quidem S. Hieronymus in expositione hujus loci non tacet, meliorem esse lectionem Hebraicam. Sed existimamus posse conciliari has lectiones duobus modis. Primum enim fieri potest, ut Septuaginta Interpretes non habuerint in suo textu particulam על *hhal*, quæ significat, *super*, remota autem illa particula, quæ determinat vocabulum animæ ad casum accusandi, remanet ambiguum, utrum vocabulum animæ, sicut etiam vocabula torrentis, et aquarum, sint casus nominandi, aut accusandi. Proinde utramque lectionem patiuntur verba Hebraica, illam videlicet sancti Hieronymi, *Torrens pertransivit animam nostram*, et illam Septuaginta, *Torrentem pertransivit anima nostra*, et quoniam Septuaginta Interpretes meliores codices habuisse credibile est, quam S. Hieronymus habuerit, et fidelissime transtulerunt, quod invenerunt, sequitur, ut lectio Septuaginta quæ est etiam nostræ vulgatæ editionis, retinenda, et Hebraicæ, quæ nunc extat, anteponenda sit. Deinde potest etiam fieri, ut Septuaginta legerint quidem, ut legit sanctus Hieronymus, sed maluerint sensum potius transferre, quam verba. Nam cum aliquis pertransit profundum torrentem, simul fit, ut et ipse transeat torrentem, et torrens pertranseat super eum. Sed clarior sententia esse videtur, si dicatur homo pertransire torrentem, quam si dicatur torrens super eum transire. Potest enim torrens transire super hominem, etiam immobilem, et jacentem in profundo, sed non potest homo transire per torrentem, quin torrens transeat super eum. Ut ergo significarent Septuaginta, torrentem transire super hominem non jacentem, sed ambulantem, vel natantem; maluerunt dicere hominem transisse per torrentem, quam torrentem per hominem.

5. Benedictus Deus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

6. Anima nostra, sicut passer erepta est de laqueo venantium : laqueus contritus est, et nos liberati sumus.

Aggreditur Propheta aliam similitudinem, ex qua magis adhuc illustretur, et intelligatur magnitudo beneficii divini. Comparat igitur persecutionem, sive tentationem laqueo aucupis, ac dicit, gratias esse Deo agendas, Deumque benedicendum, quod non dederit nos in captionem dentibus adversariorum, id est, non permiserit capi, et occidi, ac devorari. Quomodo autem id fecerit, explicat, dicens, *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium*, id est, anima nostra incidit quidem in persecutionem, et tentationem, sicut passer, aut quæcumque alia avis (nomen enim Hebraicum צפור *tsippor*, generatim aves significat) in laqueum venatoris, sive aucupis : sed tamen liberata est ab illa tentatione, et persecutione, antequam caperetur a tentatore, et occideretur; quomodo aliquando avis capitur quidem laqueo, sed eripitur inde, antequam ab aucupe capiatur manibus, et occidatur, et manducetur. Id autem factum est, quia laqueus contritus est, et nos liberati sumus, id est, quia tentationi per gratiam Dei finis impositus est, antequam anima fidem negaret, vel alio modo in peccatum consentiret, quomodo aliquando la-

queus, qui avem comprehenderat, frangitur, et avis avolat, et spem aucupis in prædam inhiantis frustratur.

7. Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum, et terram.

Concludit cum laude Dei, humiliter agnoscens victoriam tantam, et liberationem de tam periculosis tentationibus, non viribus suis tribuendam; sed adjutorio cœlesti Dei omnipotentis: cujus omnipotentiæ manifestum est argumentum, quod fecerit cœlum, et terram. Modus autem, quo Deus solet de magnis tentationibus eripere servos suos, insinuatur dum dicitur, *Laqueus contritus est:* laqueus enim frangi solet, quando avis, vel exterrita aliquo clamore, vel allecta meliore esca, vim facit, et sic laqueum frangit. Quando enim avis quamvis laqueo irretita, inhæret escæ ab aucupe propositæ, nec intelligit se comprehensam, non conatur aufugere, et eo modo facile capitur et occiditur. Sic igitur anima hominis in tentatione posita, cum primum a Deo illustrata, et vel clamore Judicii divini, et gehennæ exterrita, vel promissionibus cœlestis gloriæ allecta, incipit cogitare, dura quidem esse tormenta præsentia; sed duriora sine comparatione ulla tormenta futura, et sempiterna: vel dulcem esse vitam præsentem, dulcem voluptatem, dulces divitias, sed dulciora sine comparatione præmia vitæ futuræ; incenditur amore bonorum supernorum, et metu suppliciorum gehennæ, atque eo igne divinitus accenso vires concipit, et magno impetu firmissimæ deliberationis non peccandi in Deum, laqueum tentationis frangit, et liberata volat, et cum jubilatione canit, *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum, et terram.* De hoc modo evadendi scribit S. Cyprianus in lib. de exhortatione martyrii cap. ultimo. Has cogitationes, quæ persecutio potest vincere? quæ tormenta superare?

PSALMUS CXXIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

CANTICUM GRADUUM.

In hoc Psalmo consilium bonum dat sanctus Propheta peregrinis ascendentibus in patriam, tum terrenam, tum cœlestem. Consilium autem est, ut in Deo totam spem suam ponant. Deus enim potentissimus et fidelissimus est, neque unquam confundet sperantes in se, atque ad se toto desiderio properantes.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem.

Ponit initio Propheta generalem atque certissimam promissionem, eamque bis repetit ad majorem veritatis asseverationem. Dicit igitur, *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion,* id est, omnes qui vere confidunt in Domino, erunt immobiles et securi, quæcumque tandem ingruat tempestas, sicut est ipse mons Sion, qui non solum immobilis est, quia mons est, sed etiam quia Deo sacer et charissimus est. Addit repetens, et quasi explicans quod dixerat, *non commovebitur in æternum,* qui habitat in Jerusalem; ubi quod dicitur, *non commovebitur in æternum,* respondet illis verbis, Erit immobilis sicut mons Sion: quod sequitur, *qui habitat in Jerusalem,* respondet illis, *qui confidunt in Domino.* Illi enim qui cogitant habitatione, et spe in cœlesti Jerusalem, ipsi sunt qui confidunt in Domino. Sic enim explicatur fiducia in Deum in Psalmo 90. *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.* Quod attinet ad verba, in Hebræo codice habetur alia interpunctio, et proinde alia ordinatio verborum. Sed quia interpunctio non erat in antiquis codicibus, sed a Rabbinis addita est, ideo non tanti facienda est, ut propter eam contemnamus interpunctionem Septuaginta Seniorum, et Latinæ nostræ vulgatæ editionis. Præterea illud, *qui habitat in Jerusalem,* ambiguum est in Hebræo, utrum ad montem Sion, an potius ad hominem confidentem in Deo referendum sit: sed Interpretes Septuaginta declaraverunt referri ad hominem, non ad montem: nam *mons* Græce ὄρος, est generis neutri, et illud, *qui*, tam Græce, quam Latine est generis masculini. Adde quod *mons* non tam proprie dicitur habitare in civitate, quam homo. Quia vero non omnibus, qui habitant in terrena Jerusalem, convenit *non commoveri in æternum,* cum ipsa Jerusalem stare non potuerit in æternum; et quia *habitare in Jerusalem,* hoc loco idem est, quod *confidere in Domino,* ideo diximus cum S. Augustino, hic agi de habitatore cœlestis Jerusalem per spem et desiderium, quomodo habitabant, qui dicebant, *Conversatio nostra in cœlis est,* Philip. 3.

2. Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Probat quod dixit, montem Sion securum et stabilem esse; sed multo magis eos qui confidunt in Domino. Siquidem Sion montes habet, *in circuitu*, quasi pro muro; sed qui *confidit in Domino*, ipsum Dominum omnipotentem habet in circuitu; et montes, qui Sion montem circumdant, complanari possunt, et cadere, sed Dominus in circuitu est populi *ex hoc nunc, et usque in sæculum.* Sententia igitur horum versiculorum est: Omnes qui confidunt in Domino, securos esse debere, quia Dominus protegit eos ab omni malo, et quamvis interdum temporaliter affligantur, id etiam cooperatur illis in bonum; et si forte permittit Deus illis auferri divitias, vel sanitatem, vel aliquid ejusmodi, reponit aliquid melius, id est patientiam et consolationem cum merito gloriæ sempiternæ. Sed hoc loco per confidentiam non debet intelligi vana præsumptio, sed fiducia illa, quæ ex fide non ficta, ex corde puro, et conscientia bona, ex dilectione ferventi nasci solet.

3. Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum: ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.

Explicat paulo clarius, qua ratione Dominus protegat confidentes in adjutorio ipsius. Quod si, inquit, permittet Dominus aliquando justis de causis, iniquos dominari piis, non diu hoc permittet, ne pii desperantes incipiant etiam ipsi facere opera impiorum: sic igitur ait, *Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum*, id est, dabit quidem aliquando Dominus impiis virgam, id est, sceptrum, quod est insigne potestatis *super sortem*, id est, super hæreditatem, sive partem et portionem *justorum*, sed non diu relinquet virgam in manu impiorum: in Hebræo est ad verbum, *Non requiescet virga peccatoris super sortem justorum*, quæ verba eumdem habent sensum; sed metaphora *quietis*, eleganter explicat brevitatem temporis, quo peccatores permittuntur regnare super justos: quamvis enim tempus quo regnant impii super justos, longum videri possit iis, qui non cogitant æternitatem; tamen iis, qui certi sunt ex divina promissione Regnum Sanctorum cum Christo sine fine duraturum, momentaneum videtur omne quod finem habet. Ait igitur, *Non requiescet virga peccatoris super sortem justorum*, id est, erit quidem potestas peccatoris aliquando super justos ad eorum probationem, vel exercitationem, vel correctionem; sed erit quasi stans, non sedens, transitura, non manens; temporalis, non æterna. *Ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas*, hoc est, ne justi non perseverent in justitia, si videant felicitatem iniquorum tam esse diuturnam, ut credi possit nullum finem habitura.

4. Benefac Domine bonis, et rectis corde.

Quia dixerat, periculum esse ne justi scandalum paterentur ex nimis diuturna potestate iniquorum, convertit se ad Deum, atque precatur ut benefaciat bonis, liberando videlicet eos velociter a potestate impiorum, aut certe patientiam illis, et consolationem internam copiose suppeditando: et simul admonet ac docet illos vere esse bonos, qui sunt *recti corde*, id est, qui non scandalizantur de judiciis Dei, sed in bonam partem accipiunt omnia, quæ Deus facit, etiam si permittat impios dominari quantumvis diuturno tempore. Illi enim sunt recti corde, qui conformant cor suum, id est, judicium et voluntatem, cum rectissima regula judicii, et voluntatis Dei, etiamsi non intelligant cur Deus hoc, aut illud faciat, vel fieri permittat; de his scribitur in alio Psalmo, *Quam bonus Israel Deus, his, qui recto sunt corde!* Isti enim acquiescunt in omnibus Deo, et placet illis Deus, et illi placent Deo, quomodo lignum rectum in pavimento recto optime collocatur et quiescit, lignum autem distortum non potest collocari, nec quiescere nisi in loco distorto.

5. Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem, pax super Israel.

Occasione ultimi versiculi superioris, quo bona optabantur rectis corde, subjungit Propheta terribilem comminationem iis, qui declinant a rectitudine cordis, ac dicit eos, qui declinant a rectitudine ad tortuositatem, et in persecutione, vel tribulatione perdunt sustinentiam, ac vel per fidem negant, vel de Deo queruntur ac murmurant eos, *cum operantibus iniquitatem*, id est, cum ipsis persecutoribus, atque impiis hominibus in judicium adducendos: quoniam, ut ait S. Jacobus cap. 2. *Qui totam legem servaverit, ostendat autem in uno, factus est omnium reus*, et tum demum separatis omnibus malis de medio bonorum pax vera, et sempiterna erit *super Israel*, id est, super populum Dei. Hoc loco magna est quæstio de verbo, *obligationes*, et quidem alii alia dicunt: sed ego ut permitto unumquemque abundare in sensu suo, ita si debeat hic versiculus cohærere cum superiore, et si conciliandi sunt codices Latini cum Græcis et Hebraicis, nihil dubito quin Latinus Interpres scripserit *obligationes*, non tam respiciens ad rem, quæ ligatur et stringitur per obligationem, quam ad ipsam obliquitatem et tortuositatem, quæ cernitur in fune, dum aliquid ligatur; neque enim obligari potest aliquid, nisi funis, alioqui directus, torqueatur, et in circulos ducatur. Id ita esse primo colligitur ex voce Græca, quam Euthymius explicat, per obliquitatem et perversitatem. Denique ex ratione continuationis: nam si per *obligationes* intelligamus obligationes ad aliquid faciendum, ut sunt vota, juramenta, promissa, pacta, et similia, vix percipi poterit quid sibi hoc loco Propheta velit: si vero per *obligationes* intelligantur nodi, et tortuositates, quæ opponuntur rectitudini cordis, de qua proxime fuerat locutus, omnia optime cohærebunt. Interpres igitur vulgatus obscure quidem, sed vere et proprie locutus est.

PSALMUS CXXV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

CANTICUM GRADUUM.

PSALMUS hic apertissime loquitur de reversione a captivitate, et ascensione ad patriam, et convenit proprie in tempus illud, quo decretum Cyri de solvenda captivitate Judæorum primum promulgatum est : quod quidem figura fuit Evangelii, quo nobis annunciata est remissio peccatorum, et ascensio ad cœlestem Jerusalem.

EXPLICATIO PSALMI.

1. In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati.

Latinus Interpres voluit ad verbum reddere verba Græca, et ideo minus Latine locutus videtur. S. Hieronymus sententiam, non verba secutus ita reddidit, *Cum converteret Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut somniantes.* Vere enim vox Hebraica, חלמים *cholemim somniantes,* significat, et sensus est, cum primum auditum est a nobis decretum relaxationis et reversionis in patriam, præ gaudio vix credere potuimus quod dicebatur, et nobis non videre et audire, sed somniare videbamur. Simile quid accidit Patriarchæ Jacob, Gen. 45. qui cum audisset filium suum Joseph vivere quem jamdudum mortuum luxerat, quasi de gravi somno evigilans non credebat. Sanctus etiam Petrus Act. 12. de carcere præter spem mirabiliter liberatus, existimabat se visum videre. Porro Septuaginta Interpretes verterunt, *consolati*, quia ex nimia consolatione fiebat, ut sibi Judæi somniare viderentur. Sed perspicua erit lectio, si utrumque jungamus hoc modo, *Cum converteret Dominus captivitatem Sion, facti sumus ex nimia consolatione, et lætitia quasi somniantes* nos liberatos, vel si placeat, hic esse potest sensus, *Facti sumus sicut consolati,* id est, facti sumus ut sunt ii, qui consolationem post magnam tribulationem accipiunt, id est, hilares et jucundi ex tristibus et mœrentibus. Hanc ineffabilem consolationem vere experiuntur, qui serio convertuntur ad Deum, et contempta spe sæculi, atque omnium rerum terrenarum cupiditate deposita, dirigunt pedes suos in viam pacis. Intelligunt enim quam ineffabile bonum sit, erui de captivitate Diaboli, et de profundo gehennæ, et ad veram libertatem, atque æternam pacem in cœlesti patria possidendam, Deo vocante, et ducente præparari.

2. Tunc repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione.

Ex consolatione interna prodiit lætitia externa, quæ in hilaritate vultus, et in voce exultationis agnoscitur. *Tunc,* inquit, id est, ubi auditus est bonus nuncius liberationis, *repletum est gaudio os nostrum,* id est facies nostra hilaris et jucunda apparuit, et lingua nostra prorupit in verba lætitiæ et jubilationis. In Hebræo pro *gaudio* habetur risus : sed in idem recidit sententia : risus enim lætitiæ signum est. Si quis autem velit per *os,* non intelligere faciem, sed quod proprie dicitur *os,* sensus erit, repletum est os nostrum lætis vocibus et laudibus, et idem significabitur per verba sequentia, *et lingua nostra exultatione*, quæ repetitio est in Psalmis frequentissima.

3. Tunc dicent inter gentes, Magnificavit Dominus facere cum eis.

Nuncius bonus hujus liberationis, sicut eos qui liberati sunt, affecit ingenti lætitia ; ita etiam alios, qui hoc audierunt, magna admiratione replevit, et ideo dixerunt, *Magnificavit Dominus facere cum eis,* id est, magnifice gessit se Dominus cum populo suo : quamvis enim Cyrus fuerit, qui populum Hebræorum ex tam longa captivitate liberavit ; tamen omnes facile intelligebant, id factum esse divino instinctu ; nam liberatio facta est ipso tempore, quo Deus per Hieremiam prædixerat esse faciendam, id est, post annos Septuaginta, et Cyrus ipse lib. 1. Esdræ cap. 1. agnoscit Imperium orbis terræ a Deo cœli sibi tributum, et ab eodem Deo jussum se templum in Hierusalem ædificare, populumque dimittere : et denique numquam sperandum erat ; ut Rex ullus sponte sua, et sine ullo pretio tot millia captivorum dimitteret, nec solum dimitteret, sed etiam magnis donis oneratos dimitteret. Itaque merito gentes omnes tam magnum beneficium divinæ providentiæ tribuebant. Sed cur Propheta utitur hoc loco tempore futuro, cum paulo ante usus sit tempore præterito ? dixit enim, *Tunc repletum est gaudio os nostrum,* unde consequens erat ut diceret, Tunc dixerunt inter gentes, cur igitur ait, *Tunc dicent inter gentes?* Hebræus codex utrumque verbum ponit in tempore futuro, quod tamen secundum consuetudinem linguæ Hebraicæ, utrumque verti potest in tempus præteritum. Sed codex Græcus, quem secutus est Interpres Latinus, primum posuit in præterito, secundum in futuro. Fortasse igitur hic est Hebraismus,

et accipiendum est tempus futurum pro præterito. Fortasse etiam illud, *tunc*, hoc loco non significat tempus liberationis jam præteritum, sed tempus divulgationis hujus rei ad gentes etiam longe positas, quod erat futurum, ut sensus sit, Cum perveniet fama hujus rei ad gentes longe positas, tunc dicent inter se gentes, *Magna fecit Deus cum populo Judæorum*. Neque minus hæc admiratio gentium locum habet, cum homines, qui de hoc mundo sunt, vident aliquos qui de mundo erant, mundo terga vertere, et ad patriam cœlestem per viam veræ virtutis, et Christi imitationis ascendere. Mundus enim non diligit quidem eos, qui de mundo non sunt, sed miratur tamen, et Deum in illis, et cum illis esse negare non potest.

4. Magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes.

Approbant liberati quod gentes dicunt, quia vera dicunt, ac si ita subjungerent, Vere Dominus magnifice se nobiscum gessit, et præter meritum, et spem nostram egit nobiscum, cum de tam miserabili captivitate nos ad dulcissimam patriam revocavit : et ideo facti sumus lætantes, qui sub jugo captivitatis gemebamus mœrentes.

5. Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in Austro.

Quoniam non statim omnes captivi reversi sunt, sed primum aliqui cum Esdra, deinde alii cum Nehemia : ideo qui primi redierant, precantur Deum pro plena atque integra reversione captivorum. Utuntur vero similitudine torrentis, qui flante Austro plenissime et velocissime fluere solet. Dicunt igitur, *Converte Domine captivitatem nostram*, id est, fac ut revertantur captivi nostri, qui adhuc remanent in terra aliena, plane omnes, et quam citissime, ut sit plena et velox reductio, qualis esse solet earum rerum, quas torrens secum abripit et devolvit, quando flante Austro tum pluviis de cœlo cadentibus, tum nivibus liquefactis, et de montibus fluentibus impletur. Sed multo magis spiritualibus peregrinis hæc precatio necessaria est : quamvis enim jam aliqui ad patriam pervenerint, tamen multi adhuc peregrinantur : plurimi etiam amare cœperunt captivitatem, et affixi rebus temporalibus, de patria nihil cogitant, ideo necesse est, ut Deus instar torrentis Austro flante violenter eos compellat, et quasi cogat ascendere. Denique tum isti, tum illi, adhuc ex parte captivi tenentur, omnes enim expectant, ut liberetur omnis creatura a servitute corruptionis, et ipsi etiam in cœlo Beati expectant redemptionem corporis sui. Pro hac igitur perfecta libertate filiorum Dei, de qua loquitur Apostolus ad Rom. 8. recte precamur, *Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in Austro :* Quod attinet ad verba, in Hebraico et Græco codice habetur, *torrentes*, sive *rivos aquarum*, in numero multitudinis, et casu accusandi : sed probabile est in Græcis antiquis, et magis correctis fuisse χειμαῤῥος, id est, *torrens*, non χειμάῤῥους, id est, *torrentes*. Nam S. Hieronym. in commentario, ubi exponit editionem Septuaginta legit *torrens*, et S. August. similiter legit *torrens*, verbum autem Hebraicum potest intelligi tam in casu nominandi quam accusandi : sed in sensu nulla difficultas est. Nam idem est sensus, sive dicamus, *Converte captivitatem nostram*, ut torrens convertit et trahit omnia secum : sive, *Converte captivitatem nostram*, ut torrentem protrudis et impellis, quando Austro flante impletur aquis. Major quæstio est de nomine Austri; siquidem recentiores quidam accurati et docti contendunt, nomine *Austri*, non debere intelligi *ventum*, sed regionem Australem desertam et aridam, qualia sunt deserta Arabiæ : ac sensum hujus loci esse volunt, *Converte captivitatem nostram*, sicut torrentes fluunt in locis aridis et desertis : sic enim lætificabit nos reversio captivorum : quomodo lætificantur loca arida fluentibus aquis. Sed nobis veneranda est Patrum auctoritas : nam Septuaginta Interpretes sine dubio per *Austrum*, intellexerunt *ventum :* id enim proprie significat νότος, qua voce hoc loco usi sunt : deinde Sanctus Hieronymus, Sanctus Augustinus, Theodoretus, Euthymius, et alii veteres tum Græci, tum Latini agnoscunt hoc loco similitudinem venti Australis liquefacientis nives, et congregantis nubes, atque eo modo torrentes implentis. Ratio etiam connexionis, et nomen *torrentis*, huic expositioni favere videtur. Utitur enim Propheta nomine *torrentium*, ut significet plenitudinem reversionis captivorum; per loca vero deserta, et arida rivuli quidam fluere solent, non autem torrentes pleni et magni; quos ingentes pluviæ vel nives de montibus fluentes faciunt. At, inquiunt, vox Hebraica, נגב *negheb*, non significat *ventum*, sed *australem plagam*, vel loca arida et deserta. Respondeo quod sæpe respondi, non debere restringi significationes vocum Hebraicarum ad Hebraica dictionaria : major enim fides habenda est Septuaginta Interpretibus et S. Hieronymo, quam omnibus dictionariis : et quemadmodum vox Græca νοτος significat proprie ventum Australem, et inde transfertur aliquando ad significandam regionem, unde ventus ille spirat : sic etiam fieri potest, ut vox Hebraica *negheb*, quam ipsi volunt significare *plagam australem*, transferatur etiam ad significandum ventum australem, et hoc loco accipiendam esse hanc vocem, veterum auctoritas satis nobis persuadet.

6. Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.

Posteaquam rogavit Propheta Deum, ut reducat ad patriam omnes captivos : exhortatur ipsos captivos, ut libenter suscipiant laborem ambulandi et ascendendi, neque retineantur amore earum rerum, quas in terra aliena possidebant : quoniam in patria sua, multo plura, et meliora invenient. Utitur autem similitudine aptissima seminantis et metentis. Seminans enim ordinarie in lacrymis seminat, id est, cum dolore et gemitu ; quia cogitur triticum suum projicere in terram, neque scit an unquam illud recuperabit, ac proinde videtur laborare et fatigari, ut opes suas amittat : sed quando messis venit, cum magno gaudio metit, quia videt triticum suum, quod videbatur dum seminaretur, amissum, non solum non periisse, sed cum maximo fœnore redditum sibi fuisse. Sed hæc exhortatio apud spirituales peregrinos præcipue locum habet. Qui enim captivitatem diligunt, et amore mundi capti, de cœlesti patria nihil cogitant,

ii existimant justorum iter ad cœlum, nihil esse aliud nisi jacturam et detrimentum. Qui enim vere peregrini sunt, et ad patriam cœlestem ascendunt, opes suas pauperibus largiuntur, qui nunquam restituent : sine pretio vel præmio laborant, ut fratres suos doceant, ut Apostolus faciebat; sponte seipsi voluptatibus privant ; quæ stultitia esse videtur iis qui nesciunt quid ista pariant. Sed hoc nihil est aliud, nisi seminare in lacrymis, ut postea tempore suo cum exultatione metant : quod si ii, qui captivitatem adhuc amant attente considerarent, certe ipsi etiam mutato consilio, ascendere inciperent, et sua omnia, licet cum sensu aliquo doloris, interim seminarent, ut paulo post in cœlesti patria cum exultatione meterent.

7. Euntes ibant, et flebant, mittentes semina sua.

8. Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.

Describit paulo fusius et clarius morem seminantis et metentis. *Euntes*, inquit, *ibant*, id est, rustici ex domo sua exeuntes ibant ad agrum, *et flebant mittentes semina sua*, id est, cum dolore spargebant triticum suum in terram, videntes se privari interim opibus suis non sine sudore quæsitis. Sed postea *venientes* ex agro tempore messis, *venient* domum *cum exultatione portantes manipulos suos*, id est, referentes pro paucis granis integros manipulos spicarum. Neque curavit Propheta similitudinem applicare, quia facile erat unicuique id per se facere. Utitur hac eadem similitudine Apostolus 2. Cor. 9. *Qui parce seminat, parce et metet.* Et quoniam similitudo admirabilis est, non erit inutile considerare quibus in rebus semen cum eleemosyna comparetur, ut magis animentur qui ascensiones in corde suo disponunt ad opes suas libentissime cum pauperibus communicandas. Primum igitur granum, quod seminatur, res est exigua, tamen producit tantam granorum multitudinem, ut incredibile videatur : sic etiam eleemosyna res est in se vilis, cum sit actio humana et temporaria : et per organum corporis corruptibilis facta, et tamen producit non multas pecunias, aut panes, aut vestes, sed Regnum sempiternum : quomodo si granum tritici seminatum non produceret spicam triticeam, sed spicam auream plenam gemmis pretiosis loco granorum. Deinde granum seminatum debet corrumpi et perdi, alioqui non nasceretur, juxta illud Evangelii, *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet :* sic eleemosyna debet donari, non commutari, et donari iis qui non possunt retribuere: denique debet amitti ac perdi sine ulla spe recuperationis in hac vita : ita enim corrupta et perdita iterum nascitur, et fructum plurimum parit in æterna vita. Denique seminatum granum eget sole et pluvia, ut germinare possit : sic etiam eleemosynæ, ut alia omnia bona opera, egent sole divinæ gratiæ, et pluvia sanguinis Mediatoris, id est, requirunt, si meritoria esse debeant, ut fiant ex gratia Dei, quæ nascitur ex Christi sanguine : tunc enim res in se minima efficitur maxima ratione virtutis, quam ex gratia recipit : et sic non solum meritoria de congruo, sed etiam de condigno, ut scholæ loquuntur, meritoria est vitæ æternæ. Sed hoc interest inter sationem tritici, et distributionem eleemosynæ recte factam, quod plurima sunt, quæ facere possunt, ut qui seminavit in lacrymis triticum, in exultatione non metat : nam et potest seminatum granum deficiente imbre non nasci; et potest natum a bruchis, vel nebulis corrumpi; et potest jam maturum a furibus diripi, vel incendio perdi. At eleemosyna ex charitate facta, salva est, quippe in cœlo reconditur, ubi nec bruchi, neque nebulæ, neque fures accessum ullum habent. Igitur qui spirituale semen in lacrymis seminat, in exultatione fructum magnum sine ulla dubitatione metet.

PSALMUS CXXVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

CANTICUM GRADUUM SALOMONIS.

PSALMUS hic semper mihi visus est supra modum obscurus, et nunc etiam post longum studium fateor me non perfecte assequi litteralem sensum. Probabilior expositio videtur esse illa, quam tradiderunt Græci, S. Joannes Chrysostomus, Theodoretus, et Euthymius, quod videlicet pertineat hæc prophetica exhortatio, sive admonitio, ad populum Hebræorum post reversionem a captivitate Babylonica, quando laborabat in ædificanda domo Dei ; et restauranda civitate Jerusalem, et a vicinis gentibus toto fere illo tempore vexabatur et impediebatur. Huc etiam pertinere videtur titulus, *Canticum graduum Salomonis*, tribuitur enim Salomoni hæc adhortatio, quoniam ipse prior ædificavit domum Domini et civitatem Jerusalem amplificavit, et multis bonis replevit. Ipse igitur commode introducitur, qui admoneat Zorobabelem, qui fuit quasi alter Salomon, quomodo se gerere debeat in domo et civitate reædificanda, custodienda, et amplificanda. Sed altiore sensu verus Salomon, id est, *pacificus* Christus, qui est *pax nostra,* juxta Apostolum, admonet eos, qui ad veram pacem aspirant, et aspirando ascendunt de valle lacrymarum ad visionem pacis, Jerusalem cœlestem, quomodo debeant ædificare et custodire domum, sive civitatem Ecclesiæ :

tum etiam quia unusquisque sibi per bona opera domum ædificare debet in cœlo, eamque custodire, ut ad eam suo tempore feliciter inhabitandam, perpetuoque possidendam, ascendat. Scio nonnunquam in Scripturis, per *ædificationem domus*, intelligi fœcunditatem, sive copiam filiorum. Sed hunc Psalmum communis expositio Patrum de vera domo Dei, id est, de templo, sive materiali, sive mystico, non de carnali filiorum copia intelligendum esse docuit.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.

Hæc dicuntur Judæis ædificantibus domum Dei, id est, templum, quando infeliciter opus procedebat, impedientibus vicinis gentibus, ut scribitur in 1. lib. Esdræ. Admonentur autem, ut cogitent, nihil valere opera hominum, nisi primarius ædificator Deus adsit; et ideo non solum operentur manibus, sed etiam corde et ore Deum invocent, et in ejus adjutorio præcipue fidant. *Nisi Dominus ædificaverit domum*, id est, nisi Dominus invocatus cum fiducia, operantibus adfuerit, *In vanum laboraverunt qui ædificant eam*, id est, omnis labor frustra consumptus est, et frustra etiam deinceps consumetur. Hæc eadem dicuntur Præpositis Ecclesiæ, qui prædicatione verbi Dei convertere nituntur homines ad Deum, et ex iis templum Domino, id est, Ecclesiam, ædificare, juxta illud, 1. Corinth. 3. *Dei ædificatio estis*, et ibidem, *Ut sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superædificat:* sed nisi adsit ille principalis architectus, qui dixit Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, in vanum ædificant homines, frustra prædicant Doctores verbi Dei, dicente Domino, *Sine me nihil potestis facere*, Joan. 16. Denique dicuntur eadem unicuique nostrum, qui domum nobis per actus fidei, spei et charitatis in cœlo ædificare debemus: domus enim Dei, ut S. Augustinus ait serm. 22. de verbis Apostoli, credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur, neque ullus in cœlesti patria civis admittitur, qui talem domum non ante paraverit. Sed hæc domus magis orando et gemendo, quam operando fabricatur, quia *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis*, 2. Cor. 3.

2. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.

Cum civitas Hierusalem post captivitatem ædificaretur, simul ædificanda, et simul custodienda erat, ut testatur Scriptura in lib. 2. Esdræ. Gentes enim quæ in circuitu erant, non solum impedire conabantur ædificationem, sed etiam demoliri quod ædificatum fuerat: et ideo filii Israel una manu gladium tenebant; altera faciebant opus: et multi eorum dispositi ad custodiendum perpetuas agebant excubias. Sed nihilominus tot vigiliis suis nihil profecissent, nisi Dominus civitatem custodire voluisset. Hoc idem contingere certum est Præpositis Ecclesiæ, qui simul ædificare Ecclesiam, et simul custodire debeant: versamur enim in medio inimicorum, qui nihil magis oderunt, quam Ecclesiæ amplificationem. Et quamvis Episcopis ad hoc detur in Ecclesia locus altior, ut quasi e specula omnia prospicere, et populum custodire possint, tamen neque corda penetrant, neque ubique cum omnibus esse possunt: ideo *Nisi Dominus custodiat civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.* Hoc ipsum singulis nobis accidere solet, ut dum per bona opera domum nobis ædificamus, non desint hostes, qui variis tentationibus destruere moliantur ædificium inchoatum, unde nos Apostolus armat, scribens Ephesiis cap. 6. dum dicit, *Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo*, et infra, *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Sed nisi Dominus nobis adsit, et nos sæpe dormitantes custodiat, et pro nobis pugnet, frustra erit omnis labor noster.

3. Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Filii Israel præ nimia sollicitudine, dum in angustiis essent ante lucem opus ædificationis aggrediebantur, ideo monet illos Spiritus sanctus, nihil profuturum quod ante lucem operari incipiant, nisi Dominus illis adfuerit; sed si Dominum adjutorem habuerint, et in illo spem suam posuerint, opus prospere successurum, etiamsi post necessariam quietem, orto jam sole operi se accingant. *Vanum*, inquit, *est vobis ante lucem surgere*, ad opus videlicet ædificationis prosequendum: ubi subintelligendum est, nisi Dominus ædificaverit domum, vel *custodierit civitatem*, et ideo confidentes in Domino, et illum assidue invocantes, *surgite postquam sederitis*, id est, per nocturnam, ac necessariam quietem, surgite ad opus, *qui manducatis panem doloris*, id est, vos, qui in angustia et oppressione nunc vivitis propter infestationem continuam inimicorum. Sed in sensu magis intento a Spiritu sancto monentur Præpositi Ecclesiæ, singuli etiam fideles, ut in ædificanda domo, sive communi, sive particulari, non magis fidant operationi, quam orationi; sed imitentur Dominum, qui per noctes vigilabat in oratione, juxta illud Luc. 6. *Erat pernoctans in oratione Dei, et interdiu concionabatur, et miraculis sermonem confirmabat*, necnon Apostolos imitentur, qui in Actis cap. 6. dicunt, *Nos autem orationi et ministerio verbi instantes erimus. Vanum*, inquit, *vobis est ante lucem surgere*, id est, totum tempus consumere in ædificatione vel custodia. *Surgite postquam sederitis*, id est, surgite ad opus postquam sederitis; vacantes quieti contemplationis, et orationis. *Qui manducatis panem doloris*, id est, vos qui præ desiderio cœlestis patriæ assidue gemitis et dicitis, *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte*, dum dicitur mihi quotidie, *Ubi*

est Deus tuus? Qui enim valde amant, dum non possunt frui præsentia rei amatæ, sustentantur interim desiderio, et gemitu, et modo lacrymæ fiunt illis panes die ac nocte, id est, in prandio et cœna. In Hebræo non habetur illud *surgite :* sed videntur Septuaginta legisse paulo aliter quam nunc habeatur in nostris codicibus, ubi enim nunc est קום *kum*, id est, *surgere,* ipsi videntur legisse, קומו *kumu, surgite,* et quamvis Euthymius ex Græco codice legat, *surgere*, tamen veteres Patres legunt, *surgite*, ut S. Hieronymus, et S. Augustinus in commentario, et videtur etiam S. Joannes Chrysostomus ita legisse, denique ita legit S. Hilarius, qui ut S. Hieronymus scribit in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, imitatus est Origenem in explanatione Psalmorum. Certum autem est Origenem, et alios veteres Græcos et Latinos habuisse codices correctiores, quam unus Euthymius habuerit, nisi forte Euthymius etiam legerit, *surgite*, sed corrigendum putaverit esse textum, unius litteræ mutatione : nam ἐλείρεσθαι, est *surgere*, et ἐλείρεςε, est *surgite.*

4. Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filii merces fructus ventris.

Post exhortationem, et admonitionem, addit Propheta consolationem, prædicens, fore ut post præsentes tribulationes, det Dominus pacem et quietem populo suo, et tunc filios Israel manifeste futuros Dei hæreditatem, et potentissimos atque fortissimos, ut nullos deinceps hostes passuri sint, quæ Prophetia respicit novum populum, id est, Ecclesiam Christi, cujus typus erat templum, et civitas ipsa Hierusalem. Nam ut S. Augustinus demonstrat lib. 18. de civitate Dei cap. 45. Judæis post civitatis, et templi instaurationem omnia in deterius prolapsa sunt, donec per Vespasianum, et Titum iterum civitas eversa, et templum incensum fuit. Ait igitur, *Cum dederit dilectis suis somnum*, id est, cum pacem, et quietem Dominus populo suo dederit mittens ad illos verum Salomonem, qui templum verum, id est, Ecclesiam suam fundabit, et propagabit, atque ipsos etiam imperatores orbis terræ illi subjiciet, *ecce hæreditas Domini, filii merces fructus ventris*, id est, ecce tunc apparebit, quod hæreditas Domini erunt filii plurimi, juxta illud Psalmi 2. *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ :* et *merces* ejusdem Christi Domini erit *fructus ventris*, filii videlicet plurimi, juxta illud Isaiæ 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Nam, ut sæpe monuimus, frequentissime in Psalm. idipsum bis repetitur. Itaque idem est, *hæreditas Domini filii*, et *merces fructus ventris*, id est, Christi Domini hæreditas, et merces, erunt multi filii, qui nihil aliud sunt, nisi fructus ventris. Atque hæc expositio est conformis Hebr. textui, ubi vox illa *fructus* est nominativus casus, non genitivus. Sed in editione Græca vox *fructus*, est casus genitivi, et ideo juxta Græcum codicem sensus erit, quod filiorum multitudo *erit hæreditas Domini, et merces Christi*, qui Christus vere proprieque *fructus ventris* fuit, cum non ex viro, sed ex sola Virgine ortum habuerit, et hæc fortasse verior est expositio, quoniam verbum Hebraicum potest mutatis punctis reddi per genitivum; sed verbum Græcum non potest reddi per nominativum. Proinde si codices omnes conciliandi sint, hæc posterior expositio priori anteponenda erit. Jam vero si Psalmus explicetur secundum altiorem sensum, in hoc versiculo prædicitur felicitas cœlestis Hierusalem, quæ post somnum mortis temporariæ in resurrectione manet eos, qui sicut oportebat ad patriam sempiternam passibus amoris et fidei ascendere properarunt. Ait igitur, *cum dederit dilectis suis somnum*, id est, cum post varios labores et certamina dederit Deus omnibus dilectis suis, tam Præpositis Ecclesiæ ædificatoribus, quam privatis fidelibus domum sibi per opera bona fabricantibus, somnum beatæ mortis, *ecce hæreditas Domini, filii merces fructus ventris*, id est, tunc apparebit in die ultimi Judicii, quod filii Dei sint ipsius Dei hæreditas, quia tunc dilecti salutem æternam consequentur, et post hoc transibunt in æternam Dei possessionem, et hæreditatem, et iidem filii erunt merces Christi, qui est *fructus ventris*, quia salus electorum est Christi merces : ipse est enim, qui gratiam, et gloriam electis suis patiendo et moriendo promeruit. Non multum autem refert, quod in Hebræo habetur, *sic dabit dilecto suo somnum*, pro eo quod nos habemus in Græca, et Latina versione, *cum dederit dilectis suis somnum :* nam particula Hebraica, כן *chen*, multa significat, nimirum, *sic, vere, tunc*, etc. Itaque reddi potest, *tunc dabit*, id est, post illas tribulationes dabit, et sensus in idem recidit, vox autem לידידו *lerido, dilecto suo*, potest etiam legi, לירידיו *leridau dilectis suis*, et sic legerunt Septuaginta et S. Hieronymus : qui habuerunt codices sine punctis, quæ a Rabbinis postea addita sunt, et si forte necessario legendum esset, *dilecto suo*, exponeremus unicuique dilecto suo, vel dilecto populo suo, quod est idem cum eo, quod nos habemus, dilectis suis.

5. Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum.

Declarat his verbis Propheta potentiam filiorum Christi qui sunt ejus hæreditas et merces, ac dicit fore potentissimos, quales sunt sagittæ in manu viri robustissimi, quæ maximo impetu jaciuntur, et omnia perrumpunt; loquitur autem de spirituali potentia servorum Christi, quæ non minus cernitur in actione quam in passione, nam et cum instar tonitrui et fulguris, terrefaciunt et convertunt infideles ad fidem, vel peccatores ad pœnitentiam, efficacia prædicationis, splendore sanctitatis, et miraculorum virtute; et quando tormenta omnium generum, incredibili patientia et fortitudine, ad mortem usque decertantes pro fide, et pietate tolerant, qui sunt aliud nisi *sagittæ in manu potentis?* sed cur filii isti tam fortes, dicuntur *filii excussorum?* quia filii sunt hominum ejectorum, et expulsorum a mundo quasi quisquiliæ, et rejectamenta : videlicet filii Prophetarum et Apostolorum : nam de Prophetis Apostolus dicit Hebr. 11. *Alii vero ludibria et verbera experti, insuper et vincula, et carceres, tentati sunt, lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt, circuierunt in melotis, et in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, qui-*

bus dignus non erat mundus. De Apostolis dicit idem Paulus 1. Cor. 4. *Puto quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tanquam morti destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus, usque in hanc horam esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris. Maledicimur, et benedicimus, persecutionem patimur, et sustinemus, blasphemamur, et obsecramus, tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.* Et tamen isti ita excussi, et rejecti, fortissimi fuerunt, et de mundo et de dæmonibus mirabiliter triumpharunt. Horum filii sunt omnes electi, qui sicut sagittæ in manu potentis hostes vulnerarunt, et vicerunt. Scio locum istum varie tam a veteribus, quam a recentioribs exponi, sed ut alias dixi, unusquisque in suo sensu abundet, ubi nullum subsit fidei periculum. Neque refert quod S. Hieronymus ex Hebræo vertit, *filii juventutis*, ubi nos habemus, *filios excussorum,* et versionem suam defendit in Epistola ad Marcellam de quæstionibus super hunc Psalmum: nam vox Hebraica נערים *neharim*, utrumque significat et *juventutem* et *excussorum*, proinde versio Septuaginta et nostra vulgata editio non repugnat textui originali. Neque reprobamus S. Hieronymi intelligentiam, siquidem electi ut sunt *filii excussorum*, quia filii Prophetarum et Apostolorum a mundo reprobatorum: ita sunt etiam filii juventutis, quia sunt per regenerationem, et renovationem juvenes facti, ac per hoc alacres, et fortes, et expediti ad bellum contra spirituales hostes. Sed in futuro sæculo, ac præsertim in die resurrectionis et ultimi judicii, maxime apparebit quam sint potentes isti *filii excussorum:* qui tunc per resurrectionem gloriosam erunt veri filii juventutis; quia *renovabitur ut aquilæ juventus* eorum, *stabunt enim in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt*, ut dicitur Sap. 5. et adversarii *videntes turbabuntur timore horribili, et dicent, hi sunt quos aliquando habuimus in derisum,* etc. et Psal. 149. *Gladii ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos Reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis, ut faciant in eis judicium conscriptum: gloria hæc est omnibus sanctis ejus.*

6. Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis, non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.

Concluditur Psalmus per epiphonema acclamando ipsi Domino Christo, *Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis*, id est, vere felix est ille, Christus videlicet, *qui implevit desiderium suum ex ipsis* filiis, quoniam perduxit ad finem desiderium suum, quod erat videndi salutem et gloriam filiorum suorum, pro quibus tam multa fecit, et pertulit, et ideo *non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta*, id est, in ultimo judicio, quod exercebitur in amplissima porta, id est, in conventu totius mundi, *non confundetur, cum loquetur inimicis suis* dæmonibus, et hominibus iniquis, sed eos potius confundet, et convincet justitiæ et imbecillitatis: tota enim contentio Christi cum diabolo et ministris ejus, ab initio mundi usque ad finem, fuit circa salutem generis humani, quod totum ad inferos secum diabolus pertrahere semper conatus est. Atque ad hunc finem singulis ætatibus persecutiones Judæorum, paganorum, hæreticorum, iniquorum omnis generis, adversus Ecclesiam excitavit: Sed cum in die Judicii conspicientur tot millia Electorum cum Christo gloriose regnantium et triumphantium, et justissime coronatorum: et contra sublata erit iniquis omnis potestas, et ad æterna supplicia juste damnatis nulla spes erit bella renovandi; tunc ipse Christus non confundetur, sed confundet omnes inimicos suos. In Hebræo habetur, *Beatus vir qui implevit pharetram suam ex ipsis*, sagittis videlicet. Septuaginta Seniores maluerunt explicare metaphoram: et quia *implere pharetram sagittis*, significat *implere domum fortissimis filiis;* ideo maluerunt vertere, *Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis*, hoc est pro voto, et desiderio implevit domum suam filiis optimis, et robustissimis. Illud autem, *non confundetur, cum loquetur inimicis suis*, in Hebraico et Græco codice habetur in numero multitudinis, non confundentur, cum loquentur. Non est improbabile in aliquo textu vitio scriptorum esse numerum variatum: non enim verisimile est interpretem Latinum, vel Græcum de industria numerum mutasse. Et cum S. Hieronymus et S. Augustinus in commentario legant in singulari, *non confundetur, cum loquetur*, et contra S. Hilarius et S. Joannes Chrysostomus legant in numero multitudinis, *non confundentur, cum loquentur:* necesse est ut Græci codices fuerint varii, sicut etiam Latini codices vulgati varii sunt: sed utraque lectio vera est, nam et de Christo vere dicitur, *non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta*, et de electis filiis Dei vere etiam dicitur, *non confundentur, cum loquentur inimicis suis in porta*, cum scriptum sit Sap. 5. *Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt.* Illud autem, *in porta*, interpretati sumus, *in ultimo judicio*, quoniam, ut diximus in explicatione Psalmi 121. apud Hebræos in portis civitatum conveniebat multitudo populi ad judicia: et præterea ex doctrina S. Augustini in expositione hujus versiculi, *in porta loqui*, est, *publice loqui*, sicut *loqui in cubiculo*, est *loqui occulte et secrete.* Quoniam igitur ultimum judicium palam et publice, et in conspectu omnium hominum, et Angelorum fiet, rectissime dicitur *in porta* fieri, et Christus, atque ejus recte, *inimicis suis loqui* dicuntur *in porta.*

PSALMUS CXXVII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

CANTICUM GRADUUM.

VIDETUR hic Psalmus S. Hilario et S. Augustino juxta litteræ corticem ita de temporalibus bonis quorum promissio propria testamenti veteris est, agere, ut necessarium sit mysticum sensum invenire, si ad Christianorum mores accommodari debeat. Sed fortasse non erit difficile ita illum exponere, ut simul ad testamentum vetus, et ad novum, ad bona Hierusalem terrenæ et cœlestis pertineat. Est igitur argumentum hujus Psalmi, exhortatio ad pietatem, proposita ingenti mercede virtutis.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.

Docet Propheta redeuntes a captivitate quomodo se gerere debeant, si nolint iterum in captivitatem reverti; sed perpetuo frui bonis Hierusalem, quæ doctrina utrisque peregrinis convenit, tam iis, qui peregrinabantur a patria terrena, atque ad eam ascendere cupiebant, quam iis, qui peregrinantur a patria cœlesti, atque ad eam redire festinant. Ait igitur, *Beati omnes qui timent Dominum*, id est, illi omnes, sive viri, sive feminæ, sive magni, sive parvi, sive nobiles, sive ignobiles, sive domini, sive servi, sive docti, sive indocti, denique omnes omnino nullis exceptis, tunc solum vere beati erunt, id est, fortunati, contenti, hilares, in optimo statu constituti, quem statum omnes desiderant, si Deum vere timuerint, id est, si Deum offendere formidaverint, atque eo timore muniti, a Dei gratia quæ fons est omnium bonorum, nunquam exciderint. Signum autem sancti hujus timoris est, si *in viis ejus*, id est, in præceptis ejus ambulaverint. Nam timor iste sanctus ex amore procedit, et Dominus ait Joan. 14. *Si diligitis me, mandata mea servate :* et iterum, *Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me :* et iterum, *Qui non diligit me, sermones meos non servat.*

2. Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit.

Incipit enumerare felicitates hominis timentis Deum, atque ad eum ipsum sermonem dirigit, dicens, prima felicitas tua erit, quod *manducabis labores manuum tuarum*, id est, frueris iis bonis, quæ labore manuum, sive operum tuorum acquisieris. Quo loco diligenter considerandum est, non ponere Prophetam felicitatem piorum in magna copia divitiarum; sed in iis bonis, quæ proprio labore acquiruntur, quæ ordinarie modica esse solent. Magnæ enim divitiæ, vel ex hæreditate parentum, vel ex rapina et usura, aliisque malis artibus plerumque habentur. Laudat S. Hieronymus in epist. ad Hedibiam, quæst. 1. vulgatam illam sententiam, *Dives aut iniquus, aut iniqui hæres.* Quare idem Propheta in Psalm. 36. dicit, *Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas;* et in Psalm. 72. *Ecce ipsi peccatores, et abundantes in sæculo obtinuerunt divitias :* et in Psalm. 143. *Promptuaria eorum plena eructantia ex hoc in illud, oves eorum fœtosæ abundantes in egressibus suis, boves eorum crassæ, non est ruina maceriæ, neque clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt. Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.* Itaque sanctus David non Hebræis tantum, sed etiam Christianis concionatur, cum non ponat felicitatem in magnis divitiis; sed in eo solum, quod vivant de suis justis laboribus : ubi duo vitia extrema reprehendit : unum, eorum qui labores aliorum manducant; alterum, eorum qui ne suum quidem laborem manducant, sed avare recondunt, ut divitias augeant. Illi igitur soli beati sunt, qui labores manuum suarum manducant. Quod si forte aliqui timentes Deum, et ambulantes in viis ejus, non possint frui bonis suis, sed esurire et sitire cogantur, quod bona sua ab aliis direpta fuerint; non propterea falsa erit promissio quæ hoc loco habetur : nam si Deus quibusdam amicis suis permittit, ut cupiant saturari de micis, quæ cadunt de mensis divitum, ut de Lazaro mendico legimus Luc. 16. et nemo illis eas micas tribuit : dat sine dubio illis Deus aliquid longe melius, videlicet *gaudium de tribulatione*, ut Apostolus dicit ad Heb. 10. *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis*, et de se ipse dicit. 2. Corinth. 7. *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*, et tunc sensus hujus versiculi hic erit, *Laborem manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit*, id est, nunc manducabis laborem, id est, de gaudio laboris, et tribulationis reficieris, postea vero de fructu ipso laboris, id est, de præmio bonorum operum saginaberis; et ideo nunc *beatus es*, in spe, et postea *bene tibi erit*, in re. Atque hoc proprie pertinet ad spirituales peregrinos, qui gaudent tribulatione inopiæ, et ærumnarum, scientes, quod *tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Rom. 5. Quod attinet ad verba, in He-

bræo est, *labores manuum*, ut nos habemus, sed in Græco videtur esse, *labores fructuum*, et sic plurimi vertunt et legunt ex Græco. Sed vox Græca καρπῶν, et *fructus*, et *volas manuum* significat. Proinde Septuaginta propriissime verterunt Hebraicam vocem כפיך *cappecha*, quæ proprie *volas manuum* significat. Igitur nostra editio vulgata plane concordat cum originali Hebraico et cum editione Septuaginta.

3. Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.

Hæc est altera felicitas timentis Deum, et ambulantis *in viis Domini*, quod si forte uxorem ducere voluerit, unam tantum ducet, eamque non ad libidinem explendam, sed ad filiorum procreationem accipiet, ut Angelus Tobiam monuit dicens, *Accipies Virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quam libidine ductus :* et ipse Tobias vere dixit, *Domine, tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem, sed solo posteritatis amore.* Tob. 6 et 8. Ait igitur, *Uxor tua*, non uxores, non concubinæ tuæ, *sicut vitis* abundans, id est, multos pariens filios, ut vitis fœcunda multos racemos, *in lateribus domus tuæ*, id est, intus manens, ut modesta et pudica, et curam domus interioris habens, dum vir de his quæ foris sunt, cogitat. S. Hieron. vertit, *in penetralibus domus*, quoniam de lateribus interioribus hoc loco agitur. Sed quamvis hæc felicitas quædam sit, tamen ut intelligamus non magnam esse felicitatem, Deus multis magnisque amicis suis, etiam conjugatis, hanc felicitatem non dedit, ut Abrahamo, et Saræ, Isaaco, et Rebeccæ, Zachariæ et Elizabethæ : multis etiam inspiravit desiderium, et propositum sanctæ virginitatis, ut creditur de sanctis Prophetis Elia, et Hieremia, et scitur de B. Virgine Maria, S. Joanne Baptista, S. Joseph, et aliis prope infinitis, quos certe Deus non privasset felicitate conjugii, et fœcunditatis carnalis, si non esset virginitas donum longe excellentius. Adde quod sancti viri, qui vel conjuge caruerunt, vel sterilem sortiti sunt, non fuerunt privati felicitate fœcunditatis, sed eam habuerunt alterius generis, et sine comparatione majorem. Christus imprimis, qui caput est omnium Sanctorum, non habuit carnalem uxorem, neque filios carnales, sed habuit tamen sponsam Ecclesiam, et filios spirituales innumerabiles. Sic etiam Abraham unum habuit filium ex Sara, sed per fidem factus est pater multarum gentium; omnes enim fideles *filii Abrahæ* dicuntur ab Apostolo Rom. 4. et quod mirabile est, viri Sancti non solum patres, sed etiam matres sunt eorum, quos ad fidem, vel ad pœnitentiam convertunt : patres enim sunt prædicando verbo aut exemplo, et matres gemendo pro eis, et orando. Idem enim Apostolus *patrem* se dicit 1. Cor. 4. cum ait, *Non ut confundam vos hæc scribo, sed ut filios meos charissimos moneo, nam et si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres, nam per Evangelium ego vos genui :* alibi vero se *matrem* dicit, cum ait ad Gal. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Quod si placet spiritualibus filiis assignare patrem, et matrem, quamvis ab eodem homine generentur, et pariantur; dicere poterimus, *patrem* esse amorem Dei et proximi, *matrem* esse sapientiam ; vere enim amor est, qui filios gignit, sed per sapientiam gignit, dum sapienter loquens, et Scripturas explanans persuadet auditoribus fidem, aut pœnitentiam. Sic enim de sapientia scribitur Sap. 8. *Hanc amavi, et exquisivi a juventute mea, et quæsivi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formæ illius.*

4. Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.

Tertia felicitas hic describitur, educatio videlicet filiorum. Viri enim timentes Deum, et ambulantes *in viis ejus*, non tantum filios multos, sed etiam bonos et bene moratos habebunt, quoniam ab infantia illos docebunt timere Deum, et ambulare *in viis ejus.* Sic igitur ait : *Filii tui sicut novellæ olivarum*, id est, similes erunt arbusculis optimis, quales sunt oleæ, quæ semper virent, et fructum dulcissimum faciunt; non autem similes erunt rubis, aut spinis, aut sterilibus plantis : erunt autem *in circuitu mensæ tuæ*, ut eos omnes simul videns, et cum eis convivens, et convescens, majorem ex illis delectationem capias. Quæ omnia conveniunt etiam in filios spirituales, quos cum pater Verbo Dei pascit, et proficere videt, mirifice gaudet, et cum Apostolo dicit, *Gaudium meum, et corona mea, sic state in Domino charissimi.* Philipp. 4.

5. Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum.

6. Benedicat tibi Dominus ex Sion, et videas bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

7. Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.

Quarta est hæc felicitas, quod videlicet vir timens Deum non solum de bonis propriis gaudium habere debeat, sed etiam de communibus. Ideo addit, quod ita sit a Deo, qui habitat in Sion, benedicendus, ut videat civitatem suam Hierusalem abundantem omnibus bonis, toto tempore vitæ suæ ; et videat in ea civitate filios filiorum similiter beatos et felices; et denique pacem, quæ omnia bona conservat, et custodit, stabilem videat super populum Israel. Sed altiore sensu, et magis proprio, atque a Spiritu sancto intento, hic describitur felicitas tanto major tribus superioribus, quantum distat cœlum a terra ; et Deus a creaturis : et propterea non eam narrando, sed prædicando Propheta proponit. *Ecce*, inquit, præter omnia quæ dicta sunt, *sic benedicetur homo, qui timet Dominum*, nimirum dicetur illi : *Benedicat tibi Dominus ex Sion*, id est, non solum benedicat tibi Dominus de terra, temporalia bona tribuens, sed etiam benedicat ex monte sancto suo, ex altissimo habitaculo suo, tibique præstet, ut *videas bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ*, id est, videas Deum, in quo sunt omnia bona Hierusalem, *omnibus diebus vitæ tuæ*, id est, in æternum, et in sæculum sæculi : nam cum anima sit immortalis, et corpus etiam post brevem somnum mortis temporalis, sit resurrecturum ad vitam immortalem, certe bona quæ hic

videmus, non videmus omnibus diebus vitæ nostræ, sed per minimam partem dierum vitæ nostræ, ut vere cum Jacob dicere possimus, *dies vitæ nostræ,* quibus in terra peregrinamur, *pauci sunt et mali*, sed bona cœlestis Hierusalem vere videbimus omnibus diebus vitæ nostræ, qui sine fine erunt : sicut etiam omnes iniqui videbunt mala Babylonis omnibus diebus æternæ mortis suæ. Neque mirum est, quod non dixerit Propheta, ut possideas bona Hierusalem, sed, *ut videas*, quoniam vera bona Hierusalem videndo possidentur ; siquidem in visione Dei perfecta beatitudo consistit. *Similes*, inquit Joannes in 1. epist. cap. 5. *ei erimus*, id est beatissimi, et felicissimi, et quasi Dii quidam, *quoniam videbimus eum sicuti est.* Accedet ad gaudium beatorum quod videbunt in patria illa cœlesti *filios filiorum suorum*, id est, non solum illos, quos ipsi per se Deo genuerunt, sed etiam, qui per filios suos spirituales, et per *filios filiorum*, usque ad mundi consummationem ad Deum adducti fuerint ; et de omnibus, tanquam de propriis, et ad se pertinentibus, gaudebunt. Denique accedet ad consummationem felicitatis, quod videbunt *pacem super Israel*, pacem firmam, et stabilem, quæ securissimos reddet omnes habitatores Hierusalem usque in æternum : videbunt enim omnes suos inimicos perfecte subjectos sub scabello pedum Christi, id est, in profundam gehennam detrusos, æternis vinculis assignatos : *terra* enim *scabellum est pedum Dei*, iniqui autem omnes sub terram conclusi jacebunt per sæcula sempiterna.

PSALMUS CXXVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

Canticum Graduum.

In Psalmis Gradualibus, ut initio admonuimus, vicissim Propheta nunc deplorat ærumnas peregrinationis, nunc bona patriæ cœlestis laudat, ut tam illæ quam ista ad ascendendum et festinandum hortentur. Quoniam igitur in præcedenti Psalmo multa dixit de bonis Hierusalem : nunc redit ad mala Babylonis, in qua exules sumus et peregrini.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, dicat nunc Israel.

Consolatur se populus Dei in tribulatione positus, quod jam sit assuetus talibus angustiis, et semper Deo adjuvante liberatus fuerit. Conveniunt autem hæc verba populo Judæorum, dum in reædificatione templi, et civitatis, a vicinis gentibus oppugnaretur ; et conveniunt etiam Ecclesiæ Christi, quæ vix unquam ab oppugnatione paganorum, vel hæreticorum, vel falsorum Christianorum respirare potuit. Ait igitur, *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, dicat nunc Israel*, id est, populus Dei *Israel* vocatus, non miretur si ab hostibus oppugnatur, quia nihil novi patitur, sed revocet ad memoriam præteritas angustias, et dicat, *Sæpe expugnaverunt me inimici mei* jam inde a prima mea ætate : nam vix nata Ecclesia, passa est in Abele persecutionem Cain, ac deinceps sæpissime similia pertulit. Quod attinet ad verba, id solum notandum est, verbum *expugnaverunt*, positum esse, pro, oppugnaverunt : nam vox Hebraica, צרר *tsarar*, significat, *angustiare,* et vox Græca significat, *bellaverunt*, et ex versiculo sequenti manifeste colligitur, non prævaluisse hostes in populum Dei ; proinde pugnasse, sed non expugnasse, bellasse, sed non debellasse.

2. Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, etenim non potuerunt mihi.

Reddit rationem, cur sæpe hostes repetierint prælium, sive pugnam ; ac dicit causam esse, quia nunquam prævaluerunt : nam si semel prævaluissent, et populum Dei penitus extinxissent, non fuisset opus tot præliis toties renovatis. Verissimum esse quod hic asseritur, Ecclesiastica historia testatur. Illud, *non potuerunt mihi*, vel positum est pro, non potuerunt in me, vel subintelligitur aliquid, ut non potuerunt mihi nocere, vel prævalere.

3. Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam.

Quod propriis verbis propheta dixerat, id nunc per similitudines et metaphoras repetit, et confirmat : dicit igitur populus Dei de persecutoribus suis, *Supra dorsum meum frabricaverunt peccatores;* id est, supra dorsum meum artem fabrilem exercuerunt utentes dorso meo pro incude, quam fabri ferrarii assidue percutiunt. In Hebræo habetur verbum, חרש *charas*, quod Septuaginta verterunt *fabricare*, et S. Hieronymus, *arare :* sic enim ad verbum reddidit, *Supra dorsum meum araverunt arantes*, et vere utrumque significare potest : quamvis enim non habeamus locum in Scripturis (quod ego

sciam) ubi חרש *charas*, significet, *fabricare*, habemus tamen Gen. 4. vers. 22. et 3. Reg. 7. vers. 14. vocem *chores*, ab eadem radice, quod significat fabrum ferrarium, ex quo sequitur ut *charas*, significet fabrilem artem exercere. Neque dubium esse potest, quin Septuaginta interpretes, homines doctissimi, ex nomine *fabri*, deduxerint verbum, *fabricare*, quod hoc loco non significat, ædificium erigere ex lapidibus, et lignis (inepta enim similitudo videretur, si quis diceret super dorsum hominis domum, vel ædificium quodlibet fabricari) sed, ut diximus, significat juxta proprietatem vocis Hebraicæ, fabricare instrumenta ferrea super dorsum, quasi super incudem; quæ similitudo significat assiduam et durissimam persecutionem: nihil enim crebrius, et fortius percuti solet, quam incus a fabris. Idem significatur verbis sequentibus, *prolongaverunt iniquitatem suam*, prolongatio enim iniquitatis, est continuatio persecutionis, quam semper boni patiuntur a malis, S. Hieronymus vertit, *prolongaverunt sulcum suum*. Sed quamvis vox Hebraica, quæ nunc habetur in Hebraico textu, significet *sulcum*; tamen si una littera postponatur, vel altera anteponatur, significabit iniquitatem, et hoc modo sine dubio legerunt Septuaginta Seniores; et quod littera, *vau*, debeat anteponi, perspicuum est, ex eo quod ubi nunc est, otiosa est, et supervacanea. Itaque Septuaginta non legerunt, למעותם *lemavotam, sulcum suum*, sed רמעונותם *lemaavonitam*, iniquitatem suam a voce *avon*, quæ est *iniquitas*. Sed licet nos hoc modo concordemus lectionem Græcam, et Latinam cum Hebraica, et sententiam vulgatæ lectionis, omnino sequendam esse existimemus: tamen non negamus lectionem S. Hieronymi habere etiam bonum sensum, si ita exponatur, *Supra dorsum meum araverunt arantes, prolongaverunt sulcum suum*, id est, supra dorsum meum jugum gravissimum posuerunt quasi bove abusi araverunt arantes, et non parvo tempore me jugum ferre compulerunt, sed tempore longissimo, quoniam longissimum sulcum ducere voluerunt.

4. Dominus justus concidet cervices peccatorum: confundantur et convertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.

Consolatur nunc Propheta populum Dei, prædicens non procul abesse vindictam divinam in impios persequutores justorum, quasi dicat; bono animo estote justi, quoniam persequutores quidem vestri, injuste dorsum, sive cervicem vestram non premunt: sed paulo post Dominus justus juste cervices ipsorum non premet, sed concidet, et in frusta comminuet gladio suo, ut nunquam amplius vobis nocere possint: et tunc demum confundentur, qui antea superbe exultabant, et convertentur retrorsum fugientes, et cadentes omnes illi, qui oderunt, et persequebantur populum Domini. Observa primo, illud, *concidet*, in textu Græco, et Hebraico esse in præterito, *concidit*. Sed tamen sanctus Hilarius, et sanctus Augustinus legunt, et exponunt, *concidet*, proinde videtur fuisse varia lectio in textu Græco, quam illi sequuti sunt. Hebraica vero lingua facile patitur mutationem temporum, ut possimus præteritum accipere pro futuro. Itaque non est facile mutanda lectio nostra Latina. Sed sive legamus, *concidit*, sive *concidet*, sensus constat. Deus enim jam concidit cervices multorum persequutorum, ut Pharaonis, Nabuchodonosor, Balthasaris, Antiochi, Neronis, Domitiani, Diocletiani, et similium: et in futuro etiam concidet cervicem omnium aliorum, qui similiter persequutores piorum, vel erunt, vel sunt. Observa secundo, pro verbo, *cervices*, in Hebræo esse, *laqueos*, sive *funes*; sed verisimile est Septuaginta non legisse עבת *habbot*, ut nunc est in Hebræo, sed גבת *gabbat*, quod *cervices*, significat, sive dorsum, nec minus verisimile est Davidem conservasse eamdem similitudinem; et sicut dixerat *supra dorsum meum*, גבי *gabbi*, ita postea addidisse *concidet dorsa*, גבת *gabbot*, ut ostendat simili pœna puniendos peccatores, sed graviore. Observa tertio, quod dicitur, Deus *concidere cervices peccatorum*, intelligi de peccatoribus superbis, vel obstinatis; nam peccatoribus, qui humiliter confitentur peccata sua, et emendare cupiunt, Deus non concidit cervices, sed medetur languoribus ipsorum. Observa quarto, illa verba, *confundantur, et convertantur retrorsum* non esse proprie imprecationem, sed prædictionem, ut sæpe monuimus. Sed si quis velit accipere, ut verba sonant, poterit pie imprecationem exponere, ut nimirum sit imprecatio bonæ confusionis, quæ pœnitentiam adducit, et conversionem a peccatis ad Deum, sed prior expositio est magis ad litteram.

5. Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam evellatur, exaruit.

6. De quo non implebit manum suam, qui metit, et sinum suum, qui manipulos colligit.

Alia est imprecatio, quæ similiter prædictionem notat; significat enim brevissimam fore persequutorum felicitatem; et mirabili amplificatione comparat eam fœno, quod est res per se vilis, et fragilis, et sicut dicitur in Evangelio, *hodie est, et cras in clibanum mittitur*, sed non contentus fœno comparasse, addit, similem esse fœno, quod non in campis, sed in tectis domorum nascitur, id est, herbæ minutissimæ quæ nullius est pretii, nullique usui apta: ac propterea nemo illam metit, neque in manipulos redigit, sed arescere, et perire permittit. Sed quamvis hæc amplificatio sit apud nos, qui nihil videmus vilius et fragilius, tamen cum ad judicium novissimum venerimus, fortasse hæc non amplificatio, sed extenuatio nobis videbitur; quid enim erit tunc cernere viros quondam potentissimos, et ditissimos, et qui se domos suas regnis, et imperiis stabilivisse crediderant, cernere inquam, abjectos projici in locum totius mundi infimum? et qui deliciis et voluptatibus assueti, nec levissimum quidem incommodum ferre poterant, sempiternis cruciatibus addictos videre, sine ulla consolatione in æternum perseveraturos?

7. Et non dixerunt qui præteribant, Benedictio Domini super vos: benediximus vobis in nomine Domini.

Quia dixerat, fœnum tectorum non solere meti, et colligi, addit non futurum etiam, ut

messoribus ejus a prætereuntibus benedicatur, quomodo benedici solet messoribus tritici, vel fœni, quod in campis nascitur, et crescit; quod pertinet ad majorem confusionem iniquorum, qui fœno nascenti in tectis comparati sunt. Dicit igitur, Non contigit vobis, neque continget, ut qui transeunt per vias benedicant iis, qui vos metunt: nulli enim vos metent, sed qui tecta purgant projicient vos in ignem, vel in cloacam. Quamvis autem benedictio prætereuntium proprie ad messores pertineat, tamen redundat etiam in id, quod metitur; prætereuntes, ut copiosa, et matura sit missis; sic igitur benedictionis carentia, et privatio redundabit in ipsos iniquos, quibus in judicio novissimo nemo benedicet, nemo eorum miserebitur; sed ab omnibus despicientur, et contemnentur, quod ad maximam eorum ignominiam pertinebit. Nemo igitur illis dicet, *Benedictio Domini super vos*, neque dicet, *Benedicimus vobis in nomine Domini*, sed contra potius a Christo judice et ab omnibus Sanctis ejus dicetur, *Ite maledicti in ignem æternum.*

PSALMUS CXXIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

CANTICUM GRADUUM SALOMONIS.

BREVIS hic Psalmus est, sed plenus saluberrima doctrina, ut non sine causa in Ecclesia præter cæteros frequentetur; unus est ex Gradualibus, quia deplorat miseriam exilii; unus est etiam ex pœnitentialibus, quia docet rationem agendi veram pœnitentiam; pro defunctis quoque recitari solet in Ecclesia frequentissime, quoniam si dicatur in persona animæ in purgatorio detentæ, omnia optime quadrant; nam et animæ illæ sunt in quodam profundo, et ascendere cupiunt, et expectant misericordiam Dei per Redemptoris nostri pretium. In summa tria continet, orationem ad Deum, exhortationem ad populum, et prædictionem Redemptionis futuræ.

EXPLICATIO PSALMI.

1. De profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Oraturus Propheta Deum, primo postulat audientiam, deinde exponit petitionem suam. Audientiam postulat in primis duobus versiculis. Incipit autem a similitudine hominis jacentis in ima valle, vel in profundo puteo, qui nisi magna voce clamet, non potest exaudiri ab iis, qui sunt in altissimo monte; et vere aptissima similitudo est: nam licet Deus sit ubique per essentiam et potentiam, tamen ratione dissimilitudinis homo peccator longissime distat a Deo. Deus enim semper est justus, et beatus, et in altis habitat; homo peccator semper est malus, et miser, et similis Jonæ Prophetæ, qui cum Deo noluisset obedire, dejectus fuit non solum in profundum maris, sed etiam in profundum ventrem ceti; et tamen inde clamans exauditus est: oratio enim fervens omnia perrumpit, et penetrat. Dicit autem David, *De profundis*, non de profundo, quia verus pœnitens ex duobus profundis clamare debet, ex profundo miseriæ, tanquam ex valle lacrymarum, sive, ut in alio Psalmo dicitur, ex luto fæcis, et profundo lacu; et ex profundo cordis, id est, ex intima consideratione, et cognitione propriæ miseriæ: qui enim non cogitat, et non cognoscit profundum in quo est, non curat inde ascendere; sed contemnit: et sic in majus profundum cadit, juxta illud Prov. 18. *Impius cum in profundum venerit, contemnit:* qui autem profunda consideratione intelligit se exulem esse, peregrinum, et in magno periculo versari, ne forte ad patriam nunquam perveniat, et quod infinitæ miseriæ est, se jam in inferno inferiore, si non præsentia, certe merito peccatorum suorum jam locum habere cœpisse; non potest non toto corde horrere, et pavere, et magno affectu clamare ad eum, qui solus potest eum ex tam horrendo profundo eripere, et manum ad ascendendum porrigere. Sequitur, *Domine exaudi vocem meam*, id est, quamvis in profundo sim, et tu in altis habites, tamen quia magna voce clamo, potes me exaudire, ideo peto ut exaudias vocem meam.

2. Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.

Non sufficit, ut quis magna voce clamet, ut audiatur, sed requiritur, ut is ad quem clamatur attendat. Sæpe enim fit ut, quis ita animum defixum habeat in alia re, ut non attendat ad vocem loquentis secum: et tunc frustra sonitus verborum pulsat ad aures ejus. Deus autem omnia quidem semper videt, et audit; sed quando non facit quod petimus, videtur ita se gerere, ac si non attenderet ad vocem orantis, quasi alia cogitaret; ideo David omnino audiri cupiens, non contentus magna voce clamasse, rogat etiam ut Deus dignetur attendere, id est, admittere preces, et donare quod petitur.

3. Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?

Captata jam audientia, exponit petitionem

suam, quæ est, ut Deus non judicio utatur secum, sed misericordia; non rigide quærat rationem debitorum, sed misericorditer ea condonet; sed hanc petitionem non simpliciter proponit, ne nimis audax videatur, sed illam involvit in ratione propter quam Deus moveri potest ad eam concedendam, quæ est mirabilis rhetorica, et ab ipso Spiritu sancto hausta. Sic igitur loquitur, *Domine si iniquitates* hominum *observare volueris*, omnes condemnabis, non decet autem infinitam bonitatem tuam omnes omnino perdere; igitur non debeo nimis audax videri, si peto, ut peccata mihi condones et de hoc profundo eruas; in quod me iniquitas sola demersit. Quod attinet ad verba, nomen, *iniquitates*, significat omnia genera peccatorum, ut sunt prævaricatio legis, ut dicitur 1. Joan. 5. *et peccatum est iniquitas;* alioqui enim non omnia peccata proprie sunt iniquitas, id est, injustitia, cum alia sint peccata luxuriæ, alia superbiæ, etc. Illud, *observaveris*, in textu originali, et in editione Septuaginta proprie significat *custodire*, ut sensus sit, Si iniquitates, quæ sunt debita quædam nostra, in tuo libro rationum diligenter custodias, ut exigas de illis rationem, nemo nostrum tibi satisfaciet; ideo peto ut eas de libro tuo deleas, et misericorditer indulgeas, cum solvendo non simus. Illud autem, *quis sustinebit?* non significat patienter expectare, ut paulo infra, *propter legem tuam sustinui te Domine*, sed significat, sustinere in judicio, sive in reddenda ratione non deficere: quamvis enim in Latina editione idem sit verbum in hoc versiculo, et in sequenti, tamen in textu Hebr. et Græco sunt verba diversa. Vere autem si Deus sine misericordia nos judicare velit, nemo omnino subsistet; nam offensio in Deum est infinitæ magnitudinis, et nos sine gratia ejus non solum condigne satisfacere non possumus, sed neque sufficientes sumus ad peccati gravitatem agnoscendam, vel ad dolorem pro admissis concipiendum, vel ad pœnitentiam ipsam inchoandam: præterea nos non scimus numerum neque gravitatem peccatorum nostrorum, nam *delicta quis intelligit?* Deus autem scit exactissime numerum peccatorum, et in libro suo omnia scripta tenet. *Tu quidem*, inquit Job, *gressus meos dinumerasti*, idem etiam scit, et solus cognoscit gravitatem infinitam peccati mortalis, quomodo ergo poterit homo tam ignorans, et tam infirmus reddere rationem tam sapienti calculatori, et tam potenti exactori? Itaque sicut potest homo se in puteum dejicere, sed non inde ascendere; ita potest peccare, sed non satisfacere, nisi misericorditer adjuvetur.

4. Quia apud te propitiatio est, et propter legem tuam sustinui te Domine.

Vera pœnitentia, quam in hoc Psalmo Pœnitentiali Propheta nos docet, duo potissimum requirit, cognitionem propriæ miseriæ, et cognitionem misericordiæ divinæ: qui enim miseriam propriam ignorat, non quærit medicinam, nec agit pœnitentiam; qui misericordiam Dei nescit, desperat veniam, et pœnitentiam inutilem agit. Igitur Propheta in tribus versiculis præcedentibus ostendit, se plane cognoscere miseriam suam, cum de profundo clamet, et cum dicat, peccata ejusmodi esse, ut si Deus ex solo judicio agere velit, nemo subsistere possit: nunc ostendit se nosse etiam misericordiam Dei, maxima et ideo non obstante magnitudine, vel multitudine peccatorum, se sperare veniam, et salutem. Sic igitur ait, *Quia apud te propitiatio est, et propter legem tuam sustinui te Domine*, id est, quamvis nemo subsistere possit, si observare velis iniquitates nostras, ego tamen quia novi te ex natura misericordem esse, et scio apud te inveniri propitiationem, et quia tu legem posuisti tibi, ut cum impœnitentibus severissime te geras, cum pœnitentibus misericorditer, et suaviter, ideo *propter* hanc *legem tuam sustinui te Domine*, sperans, et expectans indulgentiam peccatorum. Nota illud, *quia*, non reddere rationem superiorum, sed sequentium, nimirum ejus quod dicitur; *sustinui te Domine.* Nota præterea, illud, *apud te propitiatio est*, ab Augustino referri ad pretium sanguinis Redemptoris, qui vere est propitiatio pro peccatis totius mundi; tamen hoc loco simplicior intelligentia esse videtur, ut sensus sit, quia tu facile propitiaris pœnitentibus: nam de pretio redemptionis agitur in fine Psalmi, ut paulo post videbimus. Illud autem, *propter legem tuam*, non significat legem, quam nobis dedit; (nam secundum illam nos condemnaret, non absolveret) sed legem suam, quam ipse servare solet, juxta illud, *Omnes viæ Domini misericordia, et veritas:* et alibi, *Misericordiam et judicium cantabo tibi.* Itaque Deus *juxta legem suam*, id est, quam sibi ipse præscripsit, primo peccatoribus misericordiam offert, ut pœnitentiam agant; deinde justitiam, si impœnitentes esse perseverent. Recte ergo S. August. dicit hic agi de lege charitatis, non de lege justitiæ. Sed mira est in codicibus varietas; nam in Hebræo est, *ut timearis*, vel, ut S. Hieron. reddit, *cum terribilis sis;* in Græco, *propter nomen tuum;* in Latino, *propter legem tuam.* Quæ tamen varietas facile tolli poterit, si verbum Hebraicum, *tivare*, legatur cum aliis punctis, תורא *torah*, et sine dubio Septuaginta Interpretes legerunt תורה *torah*, id est, legem; neque obstat quod, *torah*, in fine habeat litteram *he*, et *tivare* habeat litteram, *aleph*, nam illæ sunt litteræ permutabiles, et sæpe una ponitur pro alia. Porro Græca exemplaria variant, ut Chrysost. notavit, et alia habent, *propter nomen tuum;* alia, *propter legem tuam*, quæ lectio optima est, et eam habent S. Hilarius, S. Hieron. S. August. et S. Gregor. in Comment. hujus loci, neque difficile fuit in Græco textu ponere *nomen*, pro lege, cum in Græco idiomate nomen, et lex iisdem fere scribantur litteris. Itaque lectio Latina vulgatæ editionis omnino conservanda est, cum a vero textu Hebraico et Græco non discordet; et habeatur in Comment. Sanctorum Patrum; et sensum optimum faciat. Verbum *sustinui*, in Hebraico et Græco clarius est: significat enim *expectare*, sive *sperare*, quod etiam declaratur in verbis sequentibus hujus Psalmi.

5. Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

Hic jam incipit exhortatio ad alios, quos exemplo suo hortatur ad spem in Deo ponendam. Ego, inquit, in profundo miseriarum fui; sed non desperavi de misericordia Dei, siquidem anima mea peccatorum vulneribus saucia *sus-*

tinuit, id est, expectavit medelam; *in verbo ejus*, id est, juxta promissionem ejus. Sæpe enim Deus per Mosem in Deuteronomio, et alibi promisit indulgentiam pœnitentibus. *Cum quæsieris*, inquit, Deuter. 4. *Dominum Deum tuum, invenietis eum, si tamen toto corde quæsieris, et tota tribulatione animæ tuæ.* Hinc ipse David in Psal. 118. dicebat, *Memento verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti.* Quod autem paulo obscurius dixerat, iterum repetit verbis clarissimis dicens, *Speravit anima mea in Domino*, nimirum indulgentiam se accepturam, quam petebat. Multum autem valere debet Davidis exemplum: fuit enim ipse in profundo miseriarum, sive culpam, sive pœnam respicias; culpa ejus gravissima fuit, nam adulterium commisit, cum abundaret uxoribus; occidit militem innocentem, qui sibi fidelissime serviebat, offendit Deum, a quo acceperat Regnum, et donum prophetiæ, item robur, pulchritudinem, prudentiam, divitias, etc. Sed etiam in profundo miseriæ fuit, quando persequebatur eum Rex Saul, ut sæpe in periculo mortis fuerit: et tamen quia non desperavit, sed speravit potius, liberatus est.

6. A custodia matutina usque ad noctem, speret Israel in Domino.

Quod ego, inquit, facio, totus Israel, id est, omnis populus Dei faciat; speret videlicet in Domino, cum in quocumque profundo fuerit: sive peccatis, sive peccatorum pœnis prematur, in Dei adjutorio confidat. *A custodia matutina usque ad noctem*, id est, tota die, a summo mane, usque ad noctem extremam, ita ut nullo tempore desinat sperare in Domino. Dicitur autem *custodia matutina*, sive, vigilia matutina, tempore auroræ: nam veteres dividebant noctem in quatuor partes, quarum quælibet tres horas continebat: et dicebantur custodiæ, sive vigiliæ, quia custodes, sive vigiles civitatum, vel castrorum, tribus horis vigilando custodiebant civitatem sive castra, ac deinde tradebant alteri officium vigilandi, et custodiendi. *Custodia* igitur *matutina*, est tempus a nona hora noctis usque ad exortum solis: in codice Hebraico et Græco bis repetitur *custodia matutina*, et in Hebræo non habetur, *usque ad noctem.* Ex quo videtur Latina vulgata editio partim esse mutila, partim redundans, cum non habeat bis, *a custodia matutina*, ut habet Hebraica veritas; et habeat, *usque ad noctem*, quod non habet eadem veritas Hebraica. Sed si quis diligenter omnia consideret, videbit lectionem Latinæ vulgatæ editionis, cum Hebraica veritate plane congruere. Nam S. Hieronymus ex Hebræo ita reddidit, *A custodia matutina usque ad custodiam matutinam*, et vulgatus Latinus interpres hoc ipsum significavit, cum posuit, *A custodia matutina usque ad noctem;* non enim dixit, A custodia matutina usque ad vesperam, quasi per diem tantum, et non per noctem sperare debeamus in Deo, sed *usque ad noctem*, totam videlicet, quæ terminatur in custodiam matutinam, sive auroram, quæ in Evangeliis dicitur quarta vigilia noctis. Itaque idem est, ac si dixisset, A summo mane usque ad summam noctem, sive ab initio diei, usque ad finem noctis: et hoc modo acceperunt hanc sententiam Chrysostomus, et Euthymius, qui scripserunt, admoneri hoc loco fideles, ut tota die, et tota nocte sperent in Domino. Ratio cur tota die et nocte sperandum sit, duplex est; una, quia semper in periculis versamur, nec est momentum in quo Dei auxilio non egeamus: altera, quia in omni tempore licet sperare in Domino, et semper accepta est conversio et pœnitentia, sive id fiat mane, id est, in adolescentia, sive in meridie, id est, in virilitate, sive ad vesperam, id est, in senectute, et sive fiat de die, id est, tempore prosperitatis, sive de nocte, id est, tempore adversitatis. Scio textum Hebraicum paulo aliter distingui, quam textum Græcum, vel Latinum; sed quoniam id accidit ex punctis recens a Rabinis additis, non est difficile, remotis punctis, distinctionem eamdem in codicibus omnibus invenire. Fateor quidem Græcos codices, qui habent, *A custodia matutina usque ad noctem, a custodia matutina speret Israel in Domino*, non omnino concordare cum codice Hebraico, et cum Latina vulgata editione: sed credibile est, in codice Græco aliquid redundare, quod forte relictum est ex adjunctione alicujus alterius versionis, ad versionem Septuaginta Interpretum. Fortasse etiam variæ sunt lectiones editionis Græcæ: nam Chrysostomus videtur omnino legisse in codice Græco, ut nos legimus in Latino.

7. Quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.

Reddit rationem, cur oporteat semper in Deo confidere, et simul prædicit redemptionem generis humani, quæ futura erat per Jesum Christum Dominum nostrum. Merito sperare possumus in Domino tota die, et nocte, quoniam apud ipsum *misericordia est* Sunt. quidem extra Deum opera misericordiæ; unde dictum est, *Misericordia Domini plena est terra;* et alibi, *Misericordia tua usque ad nubes;* est etiam in piis hominibus participatio quædam misericordiæ; sed ipsa misericordia apud Deum tantummodo reperitur, inque solo ejus sinu requiescit: misericordia enim miserias tollit: quis autem potest miserias tollere, nisi qui miser esse non potest? quis potest defectus omnes curare, nisi qui defectu omni caret, et omnipotens est? Deo soli proprie convenit, quod idem Propheta dicit; *Tu Domine suavis, et mitis, et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.* Itaque rectissime sancta Mater Ecclesia in precibus Deum appellans dicere solet, *Omnipotens et misericors Deus*, neque solum sperare debemus in Deum, quoniam apud eum *misericordia est*, sed etiam quoniam apud eumdem *copiosa redemptio est:* nam misericordia Dei, quæ generi humano misereri decreverat, ut justitiæ quoque satisfaceret, invenit ipsa pretium magnum, sanguinem videlicet Unigeniti, qui redimeret copiosissime omnes omnino captivos: potuit enim homo seipse vendere sub peccato, et a divina justitia subjici diabolo tanquam tortori, cui homo consenserat ad peccatum. Sed non potuit ullo modo seipse redimere, neque de potestate diaboli eruere. Ergo quod homo non potuit, misericordia divina fecit, ut per sanguinem Unigeniti fieret. Sed hæc redemptio apud Deum erat, cum Psalmus iste scriberetur, id est, in consilio, et decreto Dei, nunc autem *misericordia Domini plena est terra*, quando quotidie pretium illud

in redemptionem captivorum expenditur, unde ab Apostolo dicitur, *Empti estis pretio magno, glorificate, et portate Deum in corpore vestro*, 1. Cor. 6. et clarius a B. Petro, *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati, et incontaminati Christi*, 1. Petri 1. Dicitur autem hæc redemptio copiosa, tum quia *propitiatio est pro peccatis nostris: et non tantum nostris, sed etiam totius mundi*, 1. Joan. 2. tum quia non solum hoc pretio redimimur a captivitate, sed etiam evehimur ad participationem hæreditatis, et Regni, ut simus *hæredes Dei, cohæredes autem Christi.* Rom. 8.

8. Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.

Redemptio quæ erat apud Deum, tum plane manifestabitur, cum redimetur Israel, id est, populus Dei, non ut Judæi carnales expectant a potestate Regum temporalium, sed ab omnibus iniquitatibus suis. Quod Angelus de Jesu Christo exposuit; cum ad sanctum Joseph ait, Matth. 1. *Vocaberis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Hæc redemptio jam quidem inchoata est, sed perfectissime complebitur in die novissimo, cum liberabimur non solum a peccatis, sed etiam a pœnis omnibus peccatorum, et a periculo deinceps peccandi, quod significavit David in Psalm. 102. cum ait, *Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras*; et initio Psalmi, *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam, qui replet in bonis desiderium tuum, etc.* et perspicue Daniel cap. 9. *Ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna.*

PSALMUS CXXX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

CANTICUM GRADUUM.

CANTAT in hoc Psalmo David humilitatis suæ virtutem, et cantat non coram tribus, aut quatuor hominibus, sed in theatro orbis terræ; et tamen cum hoc sit vehementer se laudare, non facit contra præceptum illud Proverb. 20. *Laudet te alienus, et non os tuum, extraneus, et non labia tua.* Siquidem, ut laudare se turpe est, cum absque necessitate id fit: sic non se laudare, quando necessitas id requirit, stultum est. Itaque B. Paulus, qui dixerat, *Non qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat;* seipse mirifice commendavit in 2. ad Corinth. cap. 10. quia vidit id necessarium esse ad pseudoapostolorum calumnias retundendas. David igitur in hoc Psalmo humilitatis virtutem sibi ipse tribuit, quoniam sæpe accusatus fuerat superbiæ et ambitionis, a quo vitio maxime abhorrebat. Lib. 1. Reg. cap. 17. dicit ad eum frater ejus, *Ego novi superbiam tuam, et nequitiam cordis tui*, lib. eodem cap. 22. et alibi sæpe Saul queritur de Davide, quod illi insidiaretur, et lib. 2. Reg. cap. 16. Semei maledicens Davidi, objicit ei, quod Regnum Saulis invaserit. David igitur ad ejusmodi calumnias refellendas Deum vocat in testem summæ suæ humilitatis, ac modestiæ singularis. Præterea etiam si nulla calumnia præcessisset, poterat humilitatem suam prædicare, non ut virtutes suas jactaret, sed, ut ostenderet se, quamvis robore, potestate, sapientia, et opibus omnibus hominibus sui temporis in Palæstina excelleret, tamen non in suis viribus fiduciam unquam posuisse, et ideo debere omnes alios ad ipsius exemplum, in solo Deo sperare, ut in fine Psalmi dicitur. Est autem hic Psalmus ex Gradualibus unus, quoniam docet in quo humilitas vera consistat, et nulla est via securior ad ascendendum, humilitate, dicente Domino, *Omnis qui se humiliat, exaltabitur.*

EXPLICATIO PSALMI.

1. Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei.

Securus Propheta, quod vera dicturus esset, Deum ipsum alloquitur, quem nemo fallere potest: Dicit autem coram Deo se vitio superbiæ numquam fuisse obnoxium, sive cor internum, sive signa oculorum externa considerentur. Multi enim occulte superbi sunt in corde suo, magni se æstimantes; tamen extrinsecus humilitatem simulant: multi etiam non minus elato supercilio despiciunt proximos suos, quam eos corde tumido atque inflato contemnant. David autem neque cor elatum, neque elatos oculos gerebat; sed erat humilis corde, et eam humilitatem oculis præferebat.

2. Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.

Dixit de superbia cordis et oculorum: nunc addit de superbia verborum, et operum: aliqui enim jactant, se posse facere, vel fecisse, aut esse facturos majora et mirabiliora, quam revera

possint, et hoc modo ambulant, sive ascendunt super se inter loquendum: aliqui etiam reipsa præsumunt aggredi opera, quæ superant vires ipsorum, et isti ambulant, sive ascendunt supra seipsos opere et factis. David autem stabat in gradu suo, in vera humilitate fundatus, et ideo neque loquendo, neque operando ambulabat super seipsum in magnis et mirabilibus, id est, neque gloriabatur se magna et mirabilia fecisse supra vires suas; neque tentabat facere, quæ sciebat se non posse perficere.

3. Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam.

4. Sicut ablactatus est super matre sua: ita retributio in anima mea.

Non contentus Propheta, ipsi Deo, qui corda scrutatur, dixisse, se ab omni superbia semper abhorruisse; idipsum confirmat juramento execratorio, ut tanto major fides ipsius verbis ab omnibus habeatur. Dicit igitur; *Si non humiliter sentiebam* de me ipso, *sed exaltavi animam meam;* vel, ut significantius loquitur textus originalis, *Si non composui me ad æqualitatem cum cæteris, sed supra cæteros me extuli. Sicut ablactatus est super matre sua*, id est, sicut infans recens ablactatus manet in sinu, vel super genua matris suæ, mœstus et plorans, quia privatus est dulcedine lactis, quæ pro illo tempore summæ deliciæ ipsius erat: *ita retributio in anima mea* sit, id est, sic anima mea privetur dulcedine consolationis divinæ, quæ meæ potissimæ, ac pene solæ deliciæ sunt. Quantum sit hoc supplicium, quod sibi Propheta sanctissimus imprecatur, soli illi intelligere possunt, qui eodem spiritu repleti gustaverunt, quam dulcis sit Deus. Quod enim David nihil faceret opes, et delicias terrenas, et ipsam regiam celsitudinem, ac majestatem præ amore divinæ suavitatis, Psalmi ab ipso compositi, tanquam amatoria cantica, manifeste testantur: *Quam magna*, inquit Psalm. 30. *multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te!* et rursum Psalm. 33. *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus:* et Psalm. 26. *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram, ne avertas faciem tuam a me:* et Psalm. 76. *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, et delectatus sum:* et Psal. 85. *Lætifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi, quoniam tu Domine suavis, et mitis:* et Psalm. 103. *Ego vero delectabor in Domino:* et Psalm. 62. *In velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te:* Denique in Psalm. 72. *Quid mihi est in cœlo? et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum*, et ibid. *Mihi autem adhærere Deo bonum est;* quasi dicat, quærant alii bona quæcumque, sive in cœlo, sive in terra: *mihi adhærere Deo* summum est bonum, ipse *Deus* est *cordis mei,* ipse pars, hæreditas, portio, omne meum bonum, ipso uno contentus sum, et in æternum ero. Cum ergo David humilis, et simplex, quasi infans lactaneus, in lacte divini amoris omne suum bonum haberet, non poterat sibi majus aliquod malum imprecari, quam ut fieret, sicut infans ante tempus ablactatus, qui consolationem nullam admittit, cum se ab uberibus matris removeri videt. Quod attinet ad verba, illud, *Si exaltavi animam meam*, ex Hebræo vertit S. Hieronymus, *Si silere feci animam meam.* Sed Septuaginta non legerunt, דוממתי *domamthi*, quod est, *silere feci*, sed רוממתי *romamthi*, quod est exaltavi: nam litteræ (d.) et (r.) in Hebræo simillimæ sunt: neque dubitare debemus, quin libros correctiores habuerint Septuaginta Interpretes, quam S. Hieronymus habuerit. Sic etiam, *Ita retributio in anima mea:* S. Hieron. ex Hebræo reddit, *Ita ablactata ad me anima mea.* Sed in Hebræo eadem vox, *ablactatum*, et *retributionem* significat, punctis paululum immutatis: nam, גמל *gamul*, est *ablactatus*, גימל *gemul*, *retributio.* Igitur Septuaginta, ubi habetur, *ablactatus*, legerunt, *gamul;* ubi habetur, *retributio*, legerunt, *gemul:* S. autem Hieron. utrobique legit *gamul:* sed lectio Septuaginta, cui concordat nostra vulgata editio, est longe melior, tum quia vix intelligi potest quid sit, *ita ablactata ad me anima mea;* tum quia secundum lectionem Septuaginta habetur in Hebræo elegantissima allusio vocis retributionis ad vocem similem, *ablactati.*

5. Speret Israel in Domino, ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Ex hac Psalmi conclusione intelligi potest, quo tendat illa humilitatis prædicatio: non enim vir vere humilis propositum habuit se laudandi, sed admonendi populum suum, quam parum de se præsumere, et quam multum in Deo confidere debeat. Ait igitur, *Speret Israel in Domino*, id est, si ego Rex, et Propheta, non me efferre audeo, propter potentiam et sapientiam, neque de me ipso præsumo, sed omnem spem meam in Deo collocatam habeo; certe pars est, ut populus meus Israel, qui etiam populus Dei est, non se existimet aliquid esse, cum nihil sit, neque in viribus suis confidat, sed speret in Domino, et non hodie solum, aut cras, sed omni tempore speret.

PSALMUS CXXXI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

CANTICUM GRADUUM.

PSALMUM hunc vel Salomon composuit, cum, ædificato templo, intulit arcam Domini in locum ei præparatum, vel certe compositum a Davide, sibique datum ad concinendum post templi ædificationem Salomon cecinit : id perspicuum est tum ex fine capitis sexti in 2. lib. Paralipom. tum ex tota serie hujus Psalmi, ac præcipue ex illis verbis, Propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui. Continet autem ad litteram Psalmus hic, primo commemorationem ardentissimi desiderii, quo tenebatur David ædificandi templi : secundo, petitionem ad Deum, ut stabiliatur Regnum in domo David, ut sanctificentur ministri Domini, et alia id genus, juxta promissiones Dei, quas multo ante David acceperat. Numeratur hic Psalmus inter Graduales, tum quia cani debebat a populo redeunte a captivitate, et excitaretur ad imitandum desiderium Davidis, et diligentiam Salomonis in templo reædificando; tum, ut admoneatur spiritualis peregrinus quanto fervore flagrare debeat in ædificando spirituali templo, tum in corde suo, tum in cœlesti Hierusalem, cum pro templo lapideo, in quo arca lignea locum quietis acceptura erat, tam ingenti desiderio arserit cor Davidis, et sumptus prope infinitos fecerit Salomon, et tantos labores susceperint longissimo tempore multa hominum millia. Nam ut legimus in lib. 3. Reg. cap. 5. erant octoginta millia latomorum, et septuaginta millia portantium onera, et tria millia trecenti præfecti operum. Neque tamen supervacanea, aut nimia dicenda sunt, cum ad illius honorem pertineant, cujus magnitudinis non est mensura, vel finis.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Memento Domine David, et omnis mansuetudinis ejus.

Verba Salomonis hæc sunt, qui Deum orat per merita patris sui David. *Memento*, inquit, Davidis amici tui; et meritorum ejus, inter quæ præcipuum fuit studium mansuetudinis. Illud, *memento*, non arguit oblivionem in Deo, sed significat Deum, quando non miseretur filiorum viri justi, ita se gerere quasi non recordaretur, quid apud se vir ille justus meruerit. Nihil igitur isto modo loquendi significatur, nisi Deum orari velle per merita hominum justorum : et propter eadem merita multa concedre, quæ alioqui minime concessisset. Id cognosci potest ex lib. 3. Reg. cap. 11. ubi Deus per Prophetam loquitur ad Hieroboam, ac dicit se valde irritatum esse peccatis Salomonis, sed tamen conservaturum illi Regnum omnibus diebus vitæ suæ, *propter David servum suum, qui custodivit mandata et præcepta sua :* ex quo loco apparet, orationem hujus Psalmi fuisse exauditam. Meminit autem Salomon mansuetudinis Davidis, omissis aliis virtutibus, tum quia mansuetudo in Davide potissimum eluxit, ut patuit ex eo, quod noluit Saulem occidere, cum posset, cum tamen ab eo sine ulla causa quæreretur ad mortem, lib. 1. Reg. cap. 24. tum etiam quia mansuetudo mirabiliter placet in oculis Dei, quia individua comes est humilitatis, et charitatis, et quia similem facit hominem Deo, qui *suavis, et mitis est, et multæ misericordiæ omnibus invocantibus eum*, Psalm. 85. Itaque ante Davidem, Moses amicus Dei maximus fuit, quia *mitissimus erat super omnes homines*, Numer. 12. et Post Davidem Christus Dominus, plenus gratia, et veritate, non aliam virtutem magis in se imitandam esse docuit, cum ait, *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde*, Matth. 11. Neque repugnat mansuetudini Davidis, vel Mosis, quod uterque multos homines occiderit, neque mansuetudini Christi, quod ejecerit ex templo ementes et vendentes, mensasque eorum subverterit : nam mansuetudo non est contraria justitiæ, imo soror est zeli honoris Dei; et qui facile tolerat injurias proprias, quod est mansuetudinis, aptior est ad vindicandas injurias Dei, et proximi, tum quia omnes vident eum non moveri ex affectu proprio, sed ex solo justitiæ zelo, tum quia oblitus quodam modo sui, totus occupari potest in Dei honore quærendo, et propugnando. S. Hieron. ex Hebræo vertit, *Memento Domine David, et omnis afflictionis ejus.* Sed vox Hebraica, ענותו *hunnotho*, quam Hebræi *humiliari eum*, reddere solent, potest cum aliis punctis legi, ענותו *hanavato*, quod significat, *mansuetudinis ejus :* et sic legerunt Septuaginta Interpretes.

2. Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob.

3. Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei.

4. Si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem.

5. Et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.

Effectum exponit Salomon, mansuetudinis et humilitatis David patris sui : quoniam enim mitis erat et humilis corde, indignum putabat, ut ipse haberet domum ad habitandum, et lectum ad quiescendum; et arca Dei non haberet sedem stabilem, templum videlicet, in quo honorifice permaneret, sed huc et illuc transferretur : propterea juravit, et vovit, se non intraturum domum suam, nec in lectum ascensurum, imo etiam neque extra lectum dormiturum, aut quietem ullam capturum, donec inveniret locum quietis arcæ Dei. Quando David hoc votum voverit, non habetur expresse in divinis litteris; sed tamen colligi videtur ex lib. 2. Reg. cap. 7. ubi David dicit ad Nathan Prophetam, se constituisse ædificare templum Domino, eo quod erubesceret ipse habitare in *domo cedrina*, dum arca Dei maneret in tentorio. Sed eadem nocte jussit Deus per Nathan significari Davidi, non velle, ut ipse ædificaret templum, sed hanc provinciam filio suo relinqueret; quod ipsum repetit ipse Davidi in 1. lib. Paralip. cap. 22. et 28. Sed quæstio est, quid proprie David voverit. Qui Hebræos sequuntur, existimant Davidem ignorasse, ubi Deus vellet sibi erigi templum, et ideo voluisse se non accepturum ullam quietem, donec sibi a Deo locus templi revelaretur; ac ne nimis longo tempore cogant Davidem extra domum sub dio manere; addunt hoc votum susceptum fuisse a Davide, quando vidit Angelum percutientem populum, et illo ipso die revelatum ei fuisse per Gad Prophetam velle templum sibi ædificari in area Ornan Jebesæi in monte Moria, 2. Reg. 24. Sed ista sine fundamento dicuntur, et ad fabulas Rabbinorum fortasse rejici possunt: non enim de situ templi, sed de ipso templo ædificando sollicitus erat David : neque vovisset quod non erat in sua potestate, quale est, habere Dei revelationem; sed quod ipse præstare poterat suo sumptu, et labore. Quando igitur dicit, *Donec inveniam locum Domino*, per *locum*, non intelligitur situs, sed templum, quod erat futurum locus, id est, habitaculum Dei : quod explicatur per vocem sequentem, *tabernaculum Deo Jacob*, id est, donec tale templum extruxero, ut in eo digne possit arca Domini collocari. Verum est quidem situm templi fuisse a Deo demonstratum Davidi, ut dicitur in 2. Paral. 1. c. 3. sicut etiam demonstrata fuerant omnia, quæ ad templum pertinebant, ut dicitur 1. Paral. 28. *Omnia*, inquit, *venerunt scripta manu Domini ad me :* sed nulla fit eo loco mentio juramenti, aut voti; neque vero, si David juravit, se non ingressurum in domum suam, donec extrueret templum, periculum erat ne nimis diu pernoctaret sub dio; verba enim illius juramenti amplificationem continent Scripturæ divinæ familiarem : proprie autem significant sollicitudinem magnam rei faciendæ. Simile est illud in primo Psalmo, *Sed in lege ejus meditabitur die ac nocte :* et illud Psalmi 33. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo :* et clarius Isaiæ 62. *Super muros tuos constitui custodes, tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt :* et Prov. 6. præscribit Salomon talem sollicitudinem ei, qui promisit aliquid proximo suo, qualem hoc loco tribuit Davidi, dicens, *Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.* Simile est illud in testamento novo, *Oportet semper orare, et nunquam deficere,* Luc. 18. et c. 21. *Vigilate itaque omni tempore orantes.* Neque enim ista significant, omni hora, et omni momento esse orandum, sed habendam esse orationem in maximis negotiis, et non permittendum, ut ab aliis terrenis occupationibus impediatur. Sic igitur juramentum illud intelligimus, *Si introiero in tabernaculum domus meæ :* id est, *juro me non intraturum in domum* meam, ita ut obliviscar domus Dei ædificandæ : *Si ascendero in lectum strati mei*, id est, juro me non ascensurum in lectum strati mei, ita ut non cogitem de lecto, id est, de loco templi, ubi proprie arca Domini requiescat : *Si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem,* id est, juro me non dormiturum, neque dormitaturum, ita ut non vigilem circa templum Domini erigendum : *et requiem temporibus meis*, id est, juro me non compositurum caput meum ad quiescendum, ita ut quiescam a sollicitudine domus Domini præparandæ. Quod juramentum, et votum, quod in se fuit, accuratissime adimplevit, ut intelligi potest ex verbis ejus, Paralip. 29. *Ego,* inquit, *totis viribus meis præparavi impensas domus Domini Dei mei : aurum ad vasa aurea, argentum in argentea, æs in ænea, ferrum in ferrea, lignum in lignea ; et lapides onychinos, et quasi stibinos, et diversorum colorum, omnemque pretiosum lapidem, et marmor Parium abundantissime, et super hæc, quæ obtuli in domum Dei mei, de peculio meo aurum, et argentum in templum Dei mei exceptis his, qaæ præparavi in ædem sanctam, tria millia talenta auri de auro ophir, et septem millia talentorum argenti probatissimi ad deaurandos parietes templi.* Ac præter has ingentes opes, paravit etiam idem David descriptionem omnium partium templi, atriorum, porticuum, cœnaculorum, exedrarum, et similium rerum, præterea omnium ornamentorum, ut habetur 1. Paralip. c. 28. Hæc omnia typi fuerunt, ac figuræ veri Davidis Christi, qui ut templum vivum, et tabernaculum æternum Deo pararet, pernoctans in oratione, vere non intrabat in domum suam, neque ascendebat in lectum suum, neque dabat oculis somnum, neque temporibus requiem; *et non corruptibilibus auro, vel argento,* sed pretioso sudore, ac sanguine pretiosissimo paravit sibi *gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam,* et civitatem illam ædificavit in cœlis, quam vidit S. Joannes in Apocalypsi ornatam *omni lapide pretioso,* Apoc. 21. Ex his denique unusquisque nostrum intelligere debet, quanta vigilantia, sumptu, et labore sit opus, ut in corde nostro templum Domino erigamus.

6. Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis sylvæ.

Adfert rationem, cur David optaverit templum Domino ædificare ; quoniam arca Domini sedem propriam, et stabilem non habebat. *Ecce*, inquit, *audivimus eam* arcam videlicet, *fuisse in Ephrata*, id est, in terra Ephraim, quando videlicet erat in Silo tempore Samuelis, 1. Reg. 4. deinde *invenimus eam in campis sylvæ*, 1. Reg. 6. quando

dimissa a Philisthæis inventa est in agro Josue Bethsamitæ, quem esse locum sylvosum perspicuum est ex proxima civitate Cariathiarim, quo fuit transportata ex agro Josue : nam *Cariathiarim* dicitur civitas sylvarum; sed singula verba consideremus : per pronomen, *eam*, dicimus significari arcam, ut Chrysostomus, Euthymius, et alii docent; tametsi enim antea nominata non fuerit, tamen significata est implicite in illis verbis, *Donec inveniam locum Domino tabernaculum Deo Jacob*, neque enim Dominus, et Deus Jacob eget loco pro se, sed pro arca sua, in qua ipse tanquam in sede sua manere, vel tanquam in scabello pedes habere videbatur, cum inde responsa daret. Quod autem S. Hieronymus reddit ex Hebræo, *Audivimus eum in Ephrata, invenimus eum in campis sylvæ*, nos movere non debet; nam fieri potest, ut S. Hieronymus inciderit in textum corruptum : nunc enim in Hebræo habetur *eam*, non eum, ut etiam in codice Græco, et Latinis omnibus; et hoc modo Patres legunt. Per vocabulum *Ephrata*, exposuimus terram Ephraim, in qua erat Silo, ubi longo tempore mansit arca : quamvis enim *Ephrata* in uno, vel in altero loco Scripturæ significet Bethlehem, tamen hoc loco non potest Bethlehem significare, cum in ea non legatur unquam fuisse arca Domini, et cum minore fundamento alii quidam per *Ephrata*, hoc loco intelligi volunt Hierusalem, quod non longe absit a Bethlehem. Per *campos sylvæ*, non desunt, qui intelligant aream Ornan Jebusæi, quæ erat in monte Sion, quos irridet S. Hilarius, quia nihil simile habet area cum sylva. Alii intelligunt Cariathiarim, quæ interpretatur *civitas sylvarum :* sed Scriptura non dicit inventam fuisse arcam in civitate, sed in campis; et verbum, *invenimus*, significat casu inventam, cum esset amissa : cum autem esset in Cariathiarim non erat quærenda, vel invenienda tanquam amissa, cum in ea civitate studiose collocata fuisset. Respicit igitur Scriptura, ut nos diximus, ad illud tempus, quo arca jamdudum a Philisthæis capta, inventa est in agro Josue Bethsamitæ, quo eam detulerant vaccæ indomitæ, quibus a Philisthæis fuerat alligata. Verba illa, *audivimus*, et *invenimus*, volunt quidem significare, arcam fuisse in Silo ante tempora Davidis, sed Davidis tempore fuisse in Cariathiarim : ideo enim de priore mansione dictum esse *audivimus*, quia non ipse viderat, sed a majoribus acceperat : de posteriore dictum esse *invenimus*, quia tempore suo id acciderat. Sed nos existimamus non esse verum, Davidis tempore fuisse arcam inventam in *campis sylvæ :* fuit enim eo loco inventa post septem menses a captivitate sua, ut patet ex lib. 1. Reg. c. 6. quo tempore David nondum natus erat, ut ex collatione temporum manifeste colligitur. Itaque verba illa non dicuntur a Davide, vel a Salomone in persona sua, sed in persona populi, et idcirco dicitur in numero multitudinis, *Audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis sylvæ*, quasi dicat, Audivimus a majoribus nostris arcam aliquando fuisse in Silo, in terra Ephraim, et rursum postea invenimus, et vidimus eam *in campis sylvæ;* non enim deerant senes qui ejus rei meminisse potuissent : ex quo refellitur argumentum, quo nonnulli demonstrari putant, hunc Psalmum non fuisse compositum a Salomone, quia videlicet ipse nondum natus erat, quando arca inventa est in campis sylvæ. Si enim hoc argumentum concluderet, demonstraretur etiam Psalmum non fuisse a Davide compositum : nam neque ipse natus erat, quo tempore arca Dei reperta est in campis sylvæ.

7. Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.

Exposito voto et desiderio patris sui Davidis, reducturus Salomon arcam in templum a se ædificatum, ait, *Introibimus in tabernaculum ejus*, id est, fuit hactenus Dominus quasi hospes in variis locis, sed nunc habebit stabilem domum, et ideo nos introibimus *in tabernaculum ejus* jam erectum, et constructum in monte Sion, et *adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus*, id est, adorabimus conversi ad arcam sanctam, quæ est scabellum, ubi steterunt, ac stare solent pedes ejus. Sic enim sanctuarium in interiore parte tabernaculi constructum erat, ut arca esset quasi *scabellum pedum Domini*, et super arcam esset propitiatorium, quasi sedes Domini, quæ tenebatur a duobus Cherubim. Itaque illud, *adorabimus in loco*, positum est pro, adorabimus locum, ut in Hebræo clarius est, *Adorabimus scabellum pedum ejus.* Adorabant enim Hebræi arcam, non ut Deum, sed ut scabellum pedum ejus, unde dicitur etiam in Psal. 98. *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.* Et autem hoc loco notandum, verbum *adorandi* in Hebræo, ישתחוה *istachave*, proprie significare, *incurvare* se, et ideo construi cum dativo, vel cum accusativo addita præpositione, *ad*, ut incurvate vos arcæ, vel ad arcam; et non recte diceretur, incurvate vos arcam, et hæc est ratio, cur aliquando Interpretes vertant, *Adorate ad scabellum*, aliquando, *Adorate scabellum*, quia aliquando servant phrasim Hebraicam, aliquando Latinam.

8. Surge Domine in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ.

Introducturus Salomon arcam in templum magnificentissime ædificatum, poetico more eam invitat ad templum ingrediendum, et inhabitandum. *Surge*, inquit, Domine de loco, ubi hactenus, quasi hospes habitasti, et ingredere in domum tuam propriam, in qua deinceps requiesces, id est, unde non transibis de loco ad locum, ut usque modo fecisti. Explicat autem se loqui Domino, non ut est in se, sic enim cœli cœlorum Deum non capiunt, ut idem Salomon alibi dicit, sed ut peculiari modo in arca testamenti erat, quia ex illa responsa dabat, et ideo addit, *Tu et arca sanctificationis tuæ*, id est, tu cum throno tuo, et scabello pedum tuorum : quod scabellum est arca sanctificationis tuæ, id est, arca, in qua et per quam tu ab omnibus qui illam sciunt, sanctificaris, et honoraris. In Hebræo habetur, *Arca fortitudinis tuæ*, et hoc modo legitur in 2. Paralip. cap. 6. non solum in textu Hebraico, sed etiam in Græco, et Latino. Videntur igitur Septuaginta Interpretes hoc loco voluisse non tam reddere verbum, quam explicare sententiam. *Arca* enim *fortitudinis Dei* dicitur, quia per eam ostendit Deus fortitudinem suam; nam Jos. 3. cum arca intrasset Jordanem, portantibus eam Sacerdotibus, continuo aquæ Jordanis conversæ sunt; item Jos. 6. cum arca septies civitatem Hierico circuisset, muri Hierico

corruerunt. Item libro primo Reg. c. 5. cum arca capta fuisset a Philisthæis, et posita in templo idoli Dagon, mane sequenti inventus est Dagon jacens pronus in terra coram arca, et quocumque circumferretur arca a Philisthæis, interficiebat innumerabiles homines, ita ut Philisthæi dicerent, *Non maneat apud nos arca Dei Israel, quia dura est manus ejus super nos, et super Dagon Deum nostrum.* Denique Bethsamitæ cum arcam Dei ad se delatam curiose inspexissent, occisi sunt supra quadraginta millia ex ipsis, ut habetur lib. 1. Reg. cap. 6. et cum Oza tetigisset arcam Dei, continuo a Deo occisus est, 2. Reg. cap. 6. Sed hæc ipsa fortitudo Dei, quæ per arcam demonstrabatur, efficiebat ut Deus ab omnibus sanctificaretur, timeretur, et honoraretur. Siquidem Bethsamitæ, cum interficerentur ob arcam Dei a se visam, dixerunt, *Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus?* in idem igitur recidit, *arca fortitudinis tuæ*, ut habetur in Hebræo, *et arca sanctificationis tuæ*, ut habetur in codice Græco, et Latino.

9. Sacerdotes tui induantur justitiam, et sancti tui exultent.

Introducta jam arca in templum, orat Salomon primo pro Sacerdotibus, secundo pro Rege, id est, pro se: nam ab his dependet salus totius populi. Sacerdotes enim regunt populum in spiritualibus, et Reges in temporalibus. Pro Sacerdotibus duo quædam postulat, ut sint justi et sancti, quales esse debent, ut recte fungantur officio suo, et ut alacriter Deum laudent, quod est proprium eorum munus. Debent enim pro se, et pro toto populo reddere Deo tributum laudis, et gratiarum actionis, pro beneficiis, quæ omni tempore accipimus a Deo, et gratias agendo, ac laudando benefactorem, provocare benignitatem ejus ad continuanda et augenda beneficia. Dicit igitur, Oro, Domine, ut per gratiam tuam *Sacerdotes tui induantur justitiam*, id est, non solum justi sint intus in corde, et animo, sed etiam exterius in omni eorum vita, in verbis, et operibus cernatur justitia, et nihil turpe in eis appareat, qui tibi ministraturi, et populum tuum docturi sunt. Metaphora enim indumenti ad hoc adhibetur ut intelligamus quemadmodum vestis tegit turpitudinem, et ornat hominem, ac distinguit a cæteris: ita debere Sacerdotes per opera justitiæ id efficere, ut nihil turpe in eis appareat, et per eximiam sanctitatem discernantur a reliquo populo, et non possit dici, *Sic populus, sic Sacerdos. Et sancti tui exultent*, id est, et iidem Sacerdotes, qui Sancti tui proprie sunt, cum ad ministrandum tibi sanctificati, et dedicati sint, exultent alacriter laudando te, et sic bene fungantur munere suo. In Hebræo habetur; *Et sancti tui laudent te*, sive jubilent tibi: ex quo intelligimus exultationem, quam in nostro textu habemus ex Græco, non esse quamcumque exultationem, sed exultationem in laudando Deo, et gratias agendo illi, sive dum sacrificant, sive dum psallunt. Et si tanta justitia, et sanctitas, et alacritas requirebatur in Sacerdotibus illis qui sacrificabant oves, et boves, et laudabant Deum pro temporalibus beneficiis; quid quæso requiritur in Sacerdotibus illis, qui sacrificant divinum agnum, et gratias agunt pro beneficiis sempiternis? væ nobis miseris, qui ministerium altissimum sortiti, tam procul absumus a fervore, quem Salomon in umbraticis Sacerdotibus exigebat!

10. Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui.

Orat nunc pro Rege, id est, pro se, Salomon, ut facilius impetret, adducit merita patris sui Davidis. Orat autem, ut quandocumque accesserit ad precandum Deum, Deus exaudiat orationem ejus. *Propter David*, inquit, *servum tuum*, id est, propter fidele obsequium, quod tibi præstitit pater meus dum in terris vixit; *ne avertas faciem Christi tui*, id est, non facias ut ego, qui loco patris mei unctus sum in Regem populi tui, confusus recedam a te, rejecta videlicet prece mea, et eo modo facias me avertere faciem meam a te. Quod enim *avertere faciem orantis*, sit eum non exaudire, sed confusum dimittere, perspicuum est ex lib. 3. Reg. c. 2. ubi cum mater Salomoni dixisset, *Petitionem unam parvulam ego deprecor a te, ne confundas faciem meam:* respondit Salomon, *Pete, mater mea, neque enim fas est ut avertam faciem tuam.* Sed quamvis hæc vera sint, tamen videor mihi altiorem sensum in his verbis videre. Omne bonum nostrum in duplici respectu positum est, in respectu pio Dei ad nos, et in respectu nostro pio ad Deum, ut videlicet ille nos patris pietate respiciat, et nos illum filiorum pietate respiciamus; mutuus enim iste pietatis aspectus fons est et origo bonorum omnium, sed prior est respectus Dei, et ab illo respectu noster oritur. *In hoc* (inquit Joan. in prima epistola c. 4.) *est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Itaque Deus dum nos diligit, facit etiam nos diligere, et dum nos respicit ut filios, facit, ut eum respiciamus ut patrem: quamvis autem nos peccando, libere avertamus faciem a Deo, tamen si Deus respicere nos voluerit, et misereri respiciendo, et miserendo faciet, ut peccare non libeat, et ut faciem a Deo non avertamus; vel si averterimus; iterum convertamus. Quomodo Luc. 22. quando conversus Dominus respexit Petrum jam aversum, continuo illum convertit, ita ut *egressus foras amare fleverit:* atque hoc est, quod David orat in Psalm. 24. *Respice in me, et miserere mei;* et hoc loco Salomon, *Ne avertas faciem Christi tui*, id est, ne sinas averti a te faciem meam, quod facies, si non avertis a me faciem tuam.

11. Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Hic jam incipit commemorare promissiones factas a Deo Davidi patri suo, ut iis commemoratis facilius impetret quod petit, cum quasi debitum reposcere videatur. *Juravit*, inquit, *Dominus David veritatem*, quasi dicat, Juravit David Domino, se domum illi ædificaturum; et Dominus vicissim juravit Davidi, se Regnum in domo ejus in sempiternum stabiliturum: Deus enim vinci se liberalitate non patitur, et non solum opera, sed etiam voluntates, et desideria cumulatissime remuneratur. *Juramentum* Dei significat rei immobilitatem, et hoc loco præsertim, ubi dicitur, *Juravit David veritatem*, id est, rem per se veram ex Dei promissione, certiorem et

firmiorem reddidit juramento. Addit postea aliam firmitatem, dicens, *Et non frustrabitur eum*, id est, non faciet irritum juramentum, quod alias dicere solet, *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum.* Quo loco recte admonet S. August. pœnitentiam in Deum cadere non posse, sed metaphorice dici, *pœnitere,* quando rem aliquam mutat; non pœnitere, quando non mutat, sed stabilem et firmam esse decernit. Ponit exemplum ex lib. 1. Reg. cap. 15, ubi Dominus dicit, *Pœnitet me, quod constituerim Saul Regem :* et in eodem capite dicit Samuel, Deum non esse ut hominem, *ut pœnitentiam agat.* Ergo, inquit Augustinus, cum Deus immutabili suo consilio aliquid mutat, propter ipsam rei, non consilii mutationem, *pœnitere* dicitur. Neque multum refert, quod in Hebræo et Græco legatur, *Non frustrabitur eam,* id est veritatem promissam, etsi in Latino textu legamus, *Non frustrabitur eum,* id est, Davidem, ut legit etiam S. Hilarius : nam sensus est idem. Pergit Salomon, ac docet quæ sit veritas promissa et juramento confirmata a Deo, et ait, *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam,* id est, dabo tibi successorem in Regno filium tuum : quæ verba videntur intelligenda ad litteram de Christo, non de Salomone, nisi forte de Salomone dicantur, ut typum Christi gerebat : nam de hoc eodem juramento dicitur in Psal. 88. *Semel juravi in sancto meo, si David mentiar; semen ejus in æternum manebit, et thronus ejus sicut Sol in conspectu meo, et sicut Luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis.* Itaque illud *ponam* cum dicitur, *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam,* non significat simpliciter, *ponam*, sed *constituam,* et *firmabo :* quæ certe Salomoni non conveniunt. Adde, quod B. Petrus Act. 2. dicit de Davide, *Propheta cum esset, et sciret quia jurejurando jurasset illi Deus, de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus; providens loquutus est de Resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.* Ubi S. Petrus unam scripturam Psalmi 15. trigesimi exponit ex alia Psalmi centesimi primi, quem nunc explicamus. Atque hoc est, quod Luc. 1. Angelus dicit ad Virginem, *Dabit ei Dominus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum.*

12. Si custodierint filii tui testamentum meum, et testimonia mea hæc, quæ docebo eos.

13. Et filii eorum usque in sæculum sedebunt super sedem tuam.

Juramentum et promissio sine pœnitentia, est de uno filio, id est, de Christo, cujus Regni nullus unquam erit finis : sed de aliis promissio conditionata est, id est, *si custodierint testamentum,* hoc est, fœdus Domini de non habendis Diis alienis ; et si custodierint *testimonia*, id est, præcepta Dei, *sedebant super sedem tuam,* sin minus, projicientur. Sic enim expressius dicit ipse David Salomoni, 1. Paralip. 28. *Si quæsieris Dominum, invenies eum : si autem dereliqueris eum, projiciet te in æternum,* et paulo ante de eodem Salomone dicit Deus, *Firmabo Regnum ejus usque in æternum, si perseveraverit facere præcepta mea, et judicia, sicut et hodie,* et in Psal. 88. ubi legimus, *Si dereliquerint filii ejus legem meam, visitabo eos in virga virorum;* non addit, *misericordiam meam non dispergam ab eis;* sed *non dispergam ab eo,* id est, a Davide, quia videlicet thronus David erat firmus jugiter, propter æternum Christi Regnum ; etiamsi Regnum terrenum Salomonis, et Roboam, et similium deficiat, et destruatur. Quod attinet ad verba, in Hebræo pro *testamento,* est, pactum, sive *fœdus,* sed Septuaginta vertere solent illam vocem Hebraicam, ברית *berith,* per vocem Græcam, διαθήκην, quæ *testamentum* significat, nec solum Septuaginta, sed etiam B. Paulus ad Rom. 9. ad Gal. 4. et alibi *testamentum vocat,* quod Hebræi dicunt *fœdus.* Verisimile igitur est, vocem illam Hebraicam utrumque significare, vel etiam præcipue *testamentum :* major enim fides habenda est Septuaginta Interpretibus, quam Rabbinorum dictionariis; constat autem ex S. Hieron. in cap. 2. Malachiæ, Septuaginta Interpretes semper vertisse, *testamentum.* Fortasse autem divina providentia voluit, ut in Ecclesia extarent duo ista vocabula, *testamenti*, et *pacti :* quoniam revera pactum Dei cum populo non est simplex pactum, sed habet conditiones testamenti, cum sit pactum de hæreditate danda, et quod non habuit vim, nisi intercedente morte testatoris Christi, ut dicitur Hebr. 9. ad hoc enim significandum Moses aspersit sanguinem, cum pactum nomine Dei cum populo sancivit Exod. 24. Et præterea testamentum hoc non est simplex testamentum, sed habet rationem pacti, cum requirat conditionem de observantia mandatorum, et perseverantia in fide. Est igitur testamentum simul et pactum. Illud autem, *usque in sæculum,* non conjungitur cum, *sedebunt super sedem tuam,* sed cum verbis præcedentibus, *si custodierint filii tui, et filii eorum,* ut aperte colligitur ex textu Hebraico. Igitur sensus est, Si filii tui, et filii eorum custodierint pactum, et præcepta usque in sæculum, id est, si perseveraverint in timore Dei, non deturbabuntur a solio Regni tui, si autem non perseveraverint, Regnum ipsorum ad alios transferetur, ut factum est, et experientia docet.

14. Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi.

15. Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.

Possent aliquo modo hæc accommodari ad arcem, sive civitatem Sion terrenam, ut figura erat Ecclesiæ nunc militantis, et postea triumphantis : elegit enim Deus civitatem illam pro tempore, ut esset civitas Regia, et Sacerdotalis, ita ut ibi esset thronus regius, et etiam templum Domini. Sed tamen quia brevi diruenda erat, et evertenda, et Regnum ex ea tollendum, et templum ipsum incendendum, dicendum est hæc pertinere ad Ecclesiam, quæ est Regnum Christi, et ipsa est Hierusalem, et Sion, de qua dicitur in Psal. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus,* et continuantur hæc verba cum illis, *Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam,* id est, juravit Davidi se positurum, et stabiliturum filium ejus Christum super sedem ejus, quæ est Sion, quæ ideo dicitur civitas David, quia *elegit Dominus Sion,* id est, Ecclesiam in habitationem suam perpetuam; et de ea dixit,

Hæc requies mea in sæculum sæculi, id est, non deseram unquam hanc Ecclesiam, sed in ea perpetuo requiescam, quoniam transferam eam ad perfectam certitudinem in cœlis, et ibi habitabo in ea in sempiternum, quoniam firmissimo, atque æterno decreto elegi eam. Dicitur autem Deus *requiescere*, ut S. August. notat, quando facit nos requiescere: tunc autem perfecte requiescemus, quando pars Ecclesiæ peregrinans in terris perveniet ad eam partem, quæ gloriosa triumphat in cœlis.

16. Viduam ejus benedicens benedicam, pauperes ejus saturabo panibus.

Hic versiculus cum sequentibus, promittit civitati David, quæ est Sion, multa bona, quæ utcumque applicari possunt terrenæ civitati, ut figura erat Ecclesiæ: sed ipsi Ecclesiæ proprie et perfecte conveniunt. Primum igitur promittit abundantiam rerum temporalium tantam, ut etiam viduæ, quæ solent esse maxime destitutæ, et alii pauperes satiari possint: benedictio enim Dei abundantiam in Scripturis significare solet. Sed hæc abundantia in sensu altiore significat copiam cibi spiritualis verbi Dei, et Sacramentorum, quibus abundant filii Ecclesiæ, illi præsertim, qui sunt spiritu pauperes. Antiqua hæreticorum calumnia occurrit hoc loco breviter refellenda. Ridet enim Calvinus editionem nostram vulgatam, quod pro, *victu*, substituerit, *viduam*. Dicit enim presbyterum aliquem lusciosum existimasse (c) et (t) esse unum (d), et sic pro *victum*, legisse, *vidum*, et quia *vidum* nihil significat, addidisse, a, et fecisse viduam; et neminem fuisse in Ecclesia nostra qui hanc corruptionem advertere potuerit. Sed facile est, calumniam refutare: Latinus enim Interpres rectissime vertit, quod invenit in Græco: in Græco autem sine dubio invenit, χήραν, quod viduam significat omnium consensu: neque solus noster Interpres in Græco legit, χήραν, sed etiam Patres, Hilarius, Ambros. August. Chrysost. Prosper. Cassiod. et alii. Imo S. Hilarius meminit utriusque lectionis, et contendit veram lectionem esse, *viduam*, et sic lectum fuisse antequam Christus nasceretur. Verum quidem est in Hebræo non haberi, *viduam*, sed *venationem*, vel *victum*, neque ullam esse similitudinem litterarum, ob quam suspicari quis possit illos scripsisse *viduam*: siquidem vidua Hebraice dicitur, אלמנה *almana*, et *victus*, seu *venatio* dicitur, צידה *tseda*, et hanc vocem in omnibus codicibus invenimus: sed in Græco idiomate magna similitudo litterarum est inter χήραν, quod significat *viduam*, et θήραν, quod significat *victum*. Igitur necesse est, vel in Hebræo mutatum esse textum, et Septuaginta legisse longe aliter, quam modo se habet: et hæc sententia S. Hilarii est, vel in Græco textu esse corruptionem factam vitio scriptorum, quia unam litteram legerunt pro alia, ut S. Hieron. putat. Sed in sensu nulla fere diversitas est, cum per utrumque vocabulum significetur, abundantiam ciborum fore in civitate Dei. Et quoniam, ut idem Hieronymus dicit, usus obtinuit, ut legeretur, *vidua*, non est lectio Latina ullo modo mutanda, cum non a luscioso Sacerdote, ut Calvinus dicit, sed a veneranda antiquitate ortum habuerit.

17. Sacerdotes ejus induam salutari, et sancti ejus exultatione exultabunt.

Alterum bonum sanctæ civitatis erit, quod Sacerdotes ejus sanctitate, et justitia conspicui erunt. Salus enim animæ justitia est, sicut morbus animæ iniquitas est: et quia precatus fuerat Salomon, ut Sacerdotes induerentur *justitiam*, ideo nunc Deus dicit se id effecturum, ut Sacerdotes induantur *salutari*, id est, salute, quæ est eadem cum justitia, cum de salute spirituali agatur. Fortasse etiam altiore sensu per, *salutare*, intelligitur hoc loco Salvator Christus, ut in Cantico Simeonis, *Quia viderunt oculi mei salutare tuum*, et ab hoc loco Psalmi accepit fortasse B. Paulus modum illum loquendi ad Rom. 13. *Induimini Dominum Jesum Christum*, id est, facite ut in vestris moribus conspiciatur sanctitas, et justitia Christi. Illud autem, *et sancti ejus exultatione exultabunt*; respondet ei quod antea dictum erat, et sancti tui exultent: nam ut eo loco per exultationem intelligebatur laus Dei cum alacritate; ita hic quoque intelligitur, et ut ibi per Sanctos intelligebantur Sacerdotes, ita et hic. Eadem enim verba sunt in textu Hebraico in utroque loco.

18. Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo.

Tertium bonum, et quidem maximum, sanctæ Sion erit, quod ibi orietur Regnum David: nam pro voce, *illuc*, in Hebræo et Græco est, *ibi*. Accipiendum est igitur, *illuc*, pro, *illic*, id est, in Sion. Per *cornu*, significatur metaphorice potestas, et excellentia Regia: ut enim cornu est durissimum, et elevatum, ita Regia dignitas est potens, et supereminens. Significatur autem ad litteram per *cornu David*, Regnum Messiæ, quod erat inchoandum in Sion, et inde per totum mundum propagandum. Explicuit hoc Zacharias in suo cantico Luc. 1. cum ait, *Erexit nobis cornu salutis in domo David pueri sui*; et idem prædixerunt omnes Prophetæ. Isaias cap. 9. *Super solium David, et super Regnum ejus sedebit, ut confirmet, et corroboret illud usque in æternum.* Hierem. cap. 23. *Ecce dies veniunt, et suscitabo David germen justum, et regnabit Rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam.* Ezechiel, cap. 1, non solum prædicit Regnum Christi, sed etiam currum ejus triumphalem, qui vehebatur a quatuor animalibus, homine, leone, vitulo et aquila: quæ sunt quatuor Evangelistæ. Dan. cap. 2. *In diebus Regnorum illorum suscitabit Deus cœli, Regnum, quod in æternum non dissipabitur.* Zach. cap. 9. *Exulta satis filia Sion, Ecce Rex tuus venit tibi justus, et Salvator, ipse pauper, et ascendens super asinam*, etc. Ex quo manifeste apparet, non posse intelligi versiculum istum Psalmi, de Salomone, nec de Regno ejus: tunc enim Salomon regnabat, et florebat; hic autem de futuro dicitur, *Illud producam*, id est, oriri faciam, et quasi germinare cornu David: quasi aperte prædiceret eversionem Regni temporalis, quod tunc vigebat, et suscitandum postea in eadem civitate, Regnum æternum Messiæ. Quod autem sequitur, *Paravi lucernam Christo meo*, potest duobus modis intelligi. Primum enim per *lucernam* potest intelligi Messias, et per *Christum*, David. Scriptura

enim passim vocat *lucernam*, filium sive posteros; nam in filiis parentes vivunt, et lucent: vide lib. 3. Reg. cap. 11. et 15. et tunc sensus erit, *Illic producam cornu David*, quia *paravi lucernam*, id est, filium, successoremque ejus Messiam, *Christo meo* Davidi: et erit quasi explicatio ejus, quod antea dixerat, *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Ut enim hoc non intelligerent carnales Judæi de Salomone, explicatur hoc loco de Messia futuro. Potest tamen etiam aptissime intelligi, ut sanctus Augustinus exponit, de Præcursore Domini, et ipso Domino, ut lucerna sit Joannes, et Christus sit Dominus Jesus; quoniam enim Messias venturus erat sine opibus, et comitatu regio, non facile a Judæis expectantibus Messiam, Regem temporalem agnosci potuisset, nisi præcessisset Joannes, qui singulari sua sanctitate, et vitæ austeritate, omnium oculos in se converteret instar lucernæ lucentis in caliginoso loco: dicit igitur, *Illuc producam cornu David*, id est, Regnum æternum Messiæ, et jam præparavi *lucernam*, id est, Præcursorem, qui erit quasi lucerna *Christo meo*, id est, ipsi Messiæ: atque ad hunc locum videtur Dominus aspexisse, cum ait Joan. 5. *Ipse erat lucerna ardens, et lucens.*

19. Inimicos ejus induam confusione, super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.

Prædicit Christum multos habiturum inimicos, ut revera habuit Judæos, qui dixerunt, *Nolumus hunc regnare super nos*, Luc. 16. et ad Pilatum, *Non habemus Regem, nisi Cæsarem*, Joan. 19. Sed prædicit quoque pœnam inimicorum Christi, *Inimicos*, inquit, *ejus induam confusione*, id est, implebo ignominia maxima, quod etiam impletum esse scimus, et oculis nostris videmus. Nam paulo post Christi mortem venerunt Romani, et civitate illorum eversa, ipsos magna strage affecerunt, et eorum qui supererant, alios vilissimo pretio vendiderunt, alios in publicis ludis bestiis objecerunt: et ab illo tempore gens Judæorum ubique servit, ubique contemnitur: Sed in die novissimo, non solum Judæi, sed etiam omnes pagani, et hæretici, et omnes falsi fratres, qui Christo in membris ejus inimici fuerunt, induentur confusione, *Super ipsum autem*, id est, super Christum, *efflorebit sanctificatio mea.* Illi induentur confusione, Christus induetur gloria: nam sanctificatio, quæ in hoc mundo erat quasi semen in terra absconditum, tunc florebit in gloriam, id est, germinabit flores sanctificationis. Nec solum Christus, sed etiam omnia membra ejus induentur gloria, quia tunc sanctificatio emittet flores incredibilis pulchritudinis, quando gratia vertetur in gloriam. In Hebræo vox est, נִזְרוֹ *nizro*, quæ significat *diadema ejus:* sed quamvis Exod. 24. illa vox significet *tiaram Pontificis;* et l. Reg. 4. c. 11. accipiatur pro *corona regia:* tamen potest etiam significare *sanctificationem*, ut hoc loco verterunt Septuaginta Interpretes: nam venit a verbo, נזר *nazar*, quod significat, *separare*, et *consecrare;* unde dicuntur, *nazarei*, quasi *sanctificati*, et consecrati Deo: et *corona pontificia*, vel *regia* dicitur, נזר *nezer*, quia consecrat quodam modo Pontificem, vel Regem, et a vulgo separat. Sed in sensu non est diversitas, nam *gloria sanctificationis* rectissime, corona, vel diadema dici potest: nec multum interest, si dicatur, *florebit sanctificatio*, id est, sanctificatio emittet flores gloriæ; sive florebit sanctificatio, id est, micabit diadema gloriæ. Neque etiam multum refert, quod nos legamus *sanctificatio mea*, et in Hebræo *sanctificatio, sive diadema ejus:* nam Septuaginta legerunt, *iod*, ubi nunc est, *vau :* et eadem sanctificatio, vel diadema, et Dei est, quia ab illo datur, et nostra est, quia nobis datur: proinde utraque lectio veritatem continet; sed nostra præponenda est, cum sit in codicibus Græcis, et Latinis, quibus Ecclesia semper usa est.

PSALMUS CXXXII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

CANTICUM GRADUUM.

COMPOSITUS videtur hic Psalmus, ut a Judæis cantaretur, quando post reditum a captivitate, et reædificata civitate, ac templo, cœperunt simul pacifice habitare, et esse unus populus remota distinctione vel schismate, quod erat ante captivitatem inter Regnum Israel et Regnum Juda. Sed convenit etiam omni multitudini, ubi viget concordia, et communio, quales sunt multitudines servorum Dei in Monasteriis, ubi regularis observantia viget. Sed potissimum locum habet hic Psalmus in cœlesti patria, et cantatur ab iis qui finita peregrinatione illuc perveniunt, ubi omnes sunt consummati in unum, ut loquitur Dominus Joan. 17. et ubi Deus est *omnia in omnibus*, juxta Apostolum 1. Cor. 15.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum.

Vox est eorum, qui jam experiri, et gustare cœperunt utilitatem et dulcedinem perfectæ charitatis. Vocat enim *bonum*, id quod est utile;

et *jucundum*, id quod est dulce: quamvis enim aliqua sint bona, quæ non sunt jucunda, ut labor pœnitentiæ; et quædam jucunda, quæ non sunt bona, ut voluptas peccati; tamen in concordia et pace fratrum simul habitantium hæc duo conjuncta inveniuntur. Nam virtus unita est major et fortior, et melius ac facilius conservatur, quod pertinet ad utilitatem: et ubi per charitatem multi sunt cor unum, et anima una, unusquisque gaudet de bono aliorum non minus quam de suo; quod pertinet ad jucunditatem.

2. Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.

3. Quod descendit in oram vestimenti ejus; sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Duabus similitudinibus explicat jucunditatem, et utilitatem habitantium in unum; ac primo jucunditatem comparat unguento pretioso, quo ungebatur caput summi Pontificis, quod erat odoris suavissimi, ut patet ex cap. 30. Exodi, quod quidem unguentum effusum in caput Pontificis, inde defluebat ad barbam, et a barba in oram vestimenti, id est, in illam partem quæ circumdat collum, quæ immediate subjecta est barbæ: non enim per oram, intelligitur extremitas vestis, sed summitas, ut notavit S. August. et ut sonant vox Hebraica, et Græca, et ut ratio ipsa demonstrat: non enim tantum unguenti effundi solebat in caput, ut usque ad extremas vestes deflueret. Sed illud hoc loco notandum est, unguentum non communicari a capite, nisi partibus unitis: nisi enim barba capiti adhæreret, sed abscissa alicubi maneret, sine dubio defluxum unguenti non participaret, et nisi vestis unita esset corpori, sed plicata maneret in arca, similiter unguento non perfunderetur; sic igitur, nisi fratres habitarent in unum, et inter se glutino charitatis conjuncti essent, dona cœlestia a capite Christo defluentia, non descenderent in barbam, id est, in Prælatos, neque a barba in vestimenta, id est, in reliquum populum. Ait igitur, *sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam*, id est, jucunditas fratrum habitantium in unum, et inter se conjunctorum, ac debita proportione invicem subjectorum, est sicut unguentum pretiosum, et fragrantiæ suavissimæ, quod in capite effusum descendit in barbam. *In barbam Aaron*, id est, non loquor de quocumque unguento, sed de illo quod descendit in barbam Aaronis, tempore consecrationis suæ: quod etiam descendit *in oram*, superiorem videlicet partem vestimenti ejus. Deinde comparat utilitatem eorumdem fratrum habitantium in unum, rori, qui descendit in montem: neque enim montes ex rore jucunditatem ullam percipiunt, sed utilitatem magnam: quoniam pluvia ad montes vel non descendit, vel non hæret, sed ex montibus ad valles continuo descendit: ros autem hæret in montibus, eosque infundit, et germinare facit: nominat autem duos montes, Hermon, et Sion, qui quamvis loco conjuncti non essent, cum mons Hermon esset trans Jordanem ad orientem; et mons Sion citra Jordanem ad occidentem: tamen conjuncti erant quoad similitudinem qualitatum, cum uterque sit verus mons, et unus major et altior, videlicet Hermon, alius minor et humilior, id est, Sion. Ex quo voluit nos Spiritus sanctus admonere, conjunctionem fratrum habitantium in unum debere esse cordium magis quam corporum; nam de primis fratribus habitantibus in unum, scriptum est, *Erat autem multitudinis credentium cor unum et anima una*, Act. 4. Dicit igitur, *sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion*, id est, bonum utilitatis habitantium in unum, est *sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion*, sive ut est in Hebræo, *in montes Sion.* Quomodo autem ros montis Hermon, qui longe distat a Sion, descendat in montem Sion, variis modis exponunt Interpretes. Mihi videtur Prophetam considerasse montem Hermon esse altissimum, et amplissimum, atque in eo magnam esse roris abundantiam: montes autem Sion esse multo humiliores, et aridiores: et ideo more poetico dixisse, ex monte Hermon descendere rorem in montes Sion, quasi communicet mons Hermon rorem, quo abundat, cum montibus Sion, qui eo carent: non quod idem omnino ros, qui est in monte Hermon descendat in montes Sion, sed quod similis ros descendens in montes Sion videatur quodam modo ex monte Hermon descendere. Et aptissime convenit hæc similitudo in conventum fratrum habitantium in unum: sunt enim fratres concordes quasi tot montes, sive colles Sion in quos descendit ros cœlestis a Christo, qui est quasi Hermon altissimus et rore cœlesti plenissimus: unde dixit Joannes, *Et de plenitudine ejus omnes accepimus*, Joan. 1. Non communicat autem Christus nobiscum eam ipsam gratiam, et gloriam numero, quam in se habet; sed aliam similem, et minorem.

4. Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, et vitam usque in sæculum.

Reddit rationem, cur tantis bonis abundet conventus fratrum concorditer, pacificeque viventium, *Quoniam*, inquit, *illic mandavit Dominus benedictionem*, id est, illuc misit Dominus benedictionem suam, quæ est fons omnium bonorum; Domino enim *benedicere, benefacere* est: quoniam igitur Deo gratissima est concordia, et charitas fraterna, ideo replet eam copia bonorum omnium; idque non ad breve tempus, sed in æternum; nam ideo cum benedictione misit ad eos *vitam usque in sæculum;* quæ omnia hic in terris habentur in spe, sed in patria habentur in re. Recte igitur initio diximus, hunc Psalmum ab illis proprie cantari, qui ex peregrinatione perveniunt ad patriam. Ibi enim perfecta est concordia, ibi unguentum perfectæ charitatis continuo defluit a capite Christo in omnia membra, et ros luminis gloriæ, a monte Hermon in omnes colles Sion; dicitur enim *Hermon*, lumen elevatum; et *Sion*, specula: proinde recte ab altissimo lumine descendit participatio ejus in eos qui digni sunt speculari Deum facie ad faciem: ibi est benedictio Domini, id est affluentia omnium aliorum bonorum: ibi denique est vera vita *usque in sæculum*, quæ nunquam deficiet.

PSALMUS CXXXIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

CANTICUM GRADUUM.

HIC est Psalmus postremus Gradualium, qui eos qui jam feliciter ascenderunt, hortatur, ut vacent perpetuis laudibus: quod est officium habitantium in domo Domini, juxta illud Psalmi 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Pertinet tamen suo modo hic Psalmus ad eos, qui post ædificationem templi, in illo habitabant; et ad eos qui, dum peregrinantur in terra, corde habitare nituntur in cœlo, et cum Apostolo dicere possunt, *Conversatio nostra in cœlis est*, Philipp. 3.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi Domini.

Ecce, inquit, nunc liberati a tentationibus, et persecutionibus, tempus est ut toti intenti sitis laudibus Domini, proinde *benedicite Dominum* vos *omnes servi Domini*, qui non habetis aliud in quo illi jam serviatis, nisi in persolvendo tributo perpetuæ laudis, et gratiarum actionis.

2. Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.

Vos, inquam, *qui statis in domo Domini*, id est, qui permanentem habetis domum, et non amplius tanquam peregrini in tentoriis habitatis; et præterea statis, id est, securi consistitis, non timentes casum, quomodo ille, *qui in veritate non stetit*, Joan. 8. Nec solum domum, sed etiam atriam possidetis, ita ut et interiorem domum, ubi Deus videtur, et exteriorem ubi videntur creaturæ, quæ sunt veluti atria, felicissimi habeatis.

3. In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum.

Tempus maxime opportunum orandi et laudandi Deum, nox est, et quando quies ubique esse solet. Itaque David Psalm. 118. *Media nocte surgebat ad confitendum Domino;* et Isaias cap. 26. dicit, *Anima mea desideravit te in nocte;* et Jeremias Thren. 2. hortatur, *Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum.* Et ipse Dominus noster, Luc. 5. pernoctabat *in oratione Dei;* et Apostolus cum Sila Act. 16. in ipso carcere *media nocte orantes laudabant Dominum.* Recte igitur admonet Propheta servos Dei, ut nocturno potissimum tempore extollentes manus in Sancta Sanctorum, ubi erat propitiatorium, et arca Dei, benedicant Dominum. Moraliter autem significat hic versiculus, servos Dei debere benedicere Deum, non solum in die prosperitatis, sed etiam in nocte adversitatis. Sed in sensu præcipue intento, significatur hoc loco, in cœlesti patria, sicut semper est dies, si de luce et tenebris agatur, ita semper esse noctem; si agatur de labore, et quiete. Intrantibus enim in illam requiem *dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis, quia opera eorum sequuntur illos;* et illa est *nox* de qua dicitur in Psal. 138. *Et nox illuminatio mea in deliciis meis;* et de qua dicit Dominus Joan. 5. *Venit nox, in qua nemo potest operari*, et proinde solis Dei laudibus vacare oportet. In his igitur quietissimis, sed lucidissimis noctibus, *extollite manus vestras*, beati servi Dei; et ad sanctuarium verum, ubi Deus ipse residet conversi, *benedicite Dominum.*

4. Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cœlum et terram.

Hortatus est Propheta sanctos Dei servos, ut assidue Dominum benedicant: nunc vicissim benedictionem illis a Domino precatur, sed utitur numero singulari, quia videbat eos ita esse glutino veræ charitatis unitos, ut essent unum in Domino. Illi igitur unitati servorum Dei dicat, *Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cœlum et terram.* Quod ad verba attinet, in Hebræo codice desunt illa verba, *in atriis domus Dei nostri*, Sed verisimile est, in codicibus correctioribus, quos habuerunt Septuaginta Interpretes, illa verba non defuisse, præsertim cum in Psalm. 134. idem versiculus repetatur, et in eo verba illa legantur etiam in codicibus Hebraicis. Illud vero, *in noctibus*, Hebræus codex conjungit cum superioribus, hoc modo. Qui statis in domo Domini in noctibus; et postea incipit alium versiculum ab illis verbis, *Extollite manus vestras*, etc. Sed interpunctio Rabbinorum modernorum, qualis nunc est in codicibus Hebraicis, non debet præjudicare auctoritati gravissimæ Septuaginta Interpretum, qui illud, *in noctibus*, principium esse versiculi, et cum sequentibus verbis conjungi debere censuerunt.

PSALMUS CXXXIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

Alleluia.

Duo Psalmi sequentes ejusdem sunt argumenti; hortantur enim fideles ad laudes Dei; quod argumentum in titulo demonstrant; et recte subjunguntur Psalmis Gradualibus, quoniam optime conveniunt iis, qui ex captivitate in patriam redierunt; quique jam gradus perfectionis, Deo juvante vel ascenderunt, vel in ascensione non modicum profecerunt.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Laudate nomen Domini, laudate servi Dominum.

2. Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.

Hi duo versiculi habentur etiam initio Psalmi superioris: sed ideo repetuntur, ut continuetur laudatio, quæ ibi fuerat inchoata. Alloquitur igitur Propheta servos Domini, eosque hortatur, ut laudent *nomen Domini* et ipsum *Dominum:* hic enim est sensus, ut colligitur ex principio Psalmi centesimiduodecimi, *Laudate*, pueri, id est, *servi Dominum, laudate nomen Domini.* Qui sint autem *servi,* quibus indicitur laudatio, explicat, dicens, *Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri*, id est, qui non estis exules, non in via positi, non peregrini, quibus oratio magis quam laudatio necessaria sit, sed jam pervenistis, jam *statis in domo Domini,* de qua dicitur in alio Psalmo, *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Itaque videtur hic Psalmus præcipue convenire iis, qui ad cœlestem patriam pervenerunt, et domum Domini non manufactam, sed æternam in cœlo introierunt. Convenit tamen illis etiam, qui spe ac desiderio in ea domo degere incipiunt, et cum Apostolo dicere possunt, *Nostra autem conversatio in cœlis est;* convenit denique speciali quadam ratione sacerdotibus, quorum officium est stare in domibus Deo sacris, et ipsi Deo immediate et proprie ministrare. Sunt quidem omnes fideles servi Domini, sed illi præter cæteros, qui toti sunt Domini obsequio addicti, et mancipati. Ex Hebræo legunt aliqui, *Laudate servi Domini,* quia vox, *servi* אבדי *aude*, secundum regulas Grammaticæ, regit genitivum. Sed hoc non est perpetuum, et legendum esse, *Laudate servi Dominum*, perspicuum est ex versione non solum Septuaginta, sed etiam S. Hieronymi. Sunt etiam qui *stare in domo*, tribuunt Sacerdotibus, *stare in atriis* tribuunt laicis. Sed probabilius est, pro eodem accipi hoc loco *domum Domini*, et *atria domus Domini;* nam ut plurimum secunda pars versiculi repetit, et explicat priorem; unde sensus est, *Qui statis in domo Domini,* qui statis, inquam, *in atriis domus Dei nostri.*

3. Laudate Dominum, quia bonus Dominus; psallite nomini ejus, quoniam suave.

4. Quoniam Jacob elegit sibi Dominus, Israel in possessionem sibi.

Hortatus est Propheta populum Dei ad laudandum Dominum, nunc adducit tres rationes, quibus persuadeat ita esse faciendum; primam, quoniam Deus dignissimus est omni laude; secundam, quia id nobis bonum, et jucundum erit; tertiam, quia tenemur, cum nos præter cæteras gentes Deus maximis beneficiis affecerit. *Laudate*, inquit, *Dominum, quoniam bonus est Dominus:* bonum enim laude, malum vituperatione dignum est. Deus autem ita bonus est, ut solus sit absolute bonus, et omni ex parte bonus, et non aliunde, sed ex se ipso sit bonus, et nihil sit bonum, nisi participatione et dono ejus; denique cætera sint bona in certa specie, et cum addito, ut bonus homo, bona domus, bona vestis, Deus autem sit ipsa bonitas omnem omnino boni rationem continens. *Psallite nomini ejus, quoniam suave;* hæc est secunda ratio, quasi dicat, *Psallite nomini ejus*, quoniam istud psallere, et laudare, non erit vobis opus molestum, et laboriosum, sed dulce, jucundum, suave. Vox Hebraica, נעים *nahim*, significat *dulce*, et *dulcis*, et ideo referri potest tum ad Dominum, tum ad nomen, tum ad psallere; et sensus esse potest, *psallite nomini ejus,* quoniam suavis est Dominus; item, *quoniam suave* est nomen Domini: denique *quoniam suave* est psallere nomini Domini. Sed vox Græca, et Latina, quæ sunt generis neutri, non possunt referri ad Dominum, sed, vel ad nomen, vel ad psallere; et hæc postrema acceptio videtur esse magis propria. Cæterum in sententia nulla dissensio est. Ideo enim laudare Deum suave est, quia Deus suavis est: quomodo dulces cibos comedere dulce est, quoniam ipsi cibi dulces sunt. Et quidem beatis in cœlo psallere Deo suavissimum est, et ideo ne ad momentum quidem cessant a laudibus, quoniam dulcedinem Dei in ipso fonte suavitatis sine in-

termissione degustant; nobis autem nunc dulce est canere Deo, nunc laboriosum, quoniam non semper gustamus, quam suavis sit Dominus; sed tunc solum, cum ex gratia Dei, et præcedente meditatione assurgimus ad cognitionem, et accendimur ad amorem. Quoniam Jacob elegit sibi Dominus, elegit, inquam, Israel in possessionem sibi, hæc est tertia ratio, quæ ducitur a debito, et jure obligationis: cum enim Deus singulari dono gratiæ suæ filios Jacob in populum peculiarem sibi delegerit, certe justum est ut is populus præter omnes alias gentes Deum laudet. Hic sunt aliqua notanda. Primo, Deum conditorem universitatis, omnium gentium providentiam gerere, et omnibus dedisse lumen rationis, et legem naturalem scriptam in cordibus, et Angelos custodes tum singulorum hominum, tum etiam Provinciarum et Regnorum: sed præter hæc omnia quæ communia sunt populo Israelitico cum aliis populis: suscepisse Abrahamum, et posteros ejus per Isaac, et Jacob descendentes in proprium populum, qui esset quasi ejus hæreditas, et portio, et possessio, eisque dedisse legem scriptam in tabulis, et ceremonias, quibus coli volebat, et Prophetas, quasi internuntios a quibus de notitia Dei erudirentur. Secundo, hoc fuisse admirabile beneficium Dei: elegit enim Deus populum illum in possessionem sibi, ut ejus benefaceret, eosque diligenter excoleret, quasi vineam dilectam; addo, fuisse hoc beneficium gratis omnino illi populo collatum, non enim elegit Deus populum illum ob eorum merita, sed quia sibi ita placuit: quod perspicuum est ex prædestinatione æterna, cujus meminit Malachias c. 1. et Apostolus ad Rom. 9. Nam antequam nati essent Jacob, et Esau, et cum nihil boni, vel mali egissent, dictum est, *major serviet minori, quoniam Jacob dilexi, Esau odio habui.* Tertio, hoc idem, et etiam majus beneficium collatum esse populo Christiano, ex gentibus congregato: nam, ut Apostolus docet Rom. 11. Gentiles erant quasi oleastri respectu Judæorum, qui erant naturales rami olivæ: sed cum fracti essent multi rami naturales ob incredulitatem, Deus assumpsit oleastros, et inservit in bonam olivam, id est, super fundamentum Apostolorum et Prophetarum superædificavit gentiles, vocans eos per fidem ad populum suum: et faciens cives Sanctorum, et domesticos Dei. Nobis igitur convenit, et ex debito obligationis tenemur, laudare Deum: sed propriissime Jacob, sive Israel, electus in possessionem, est cœlestis Jerusalem, cœtus videlicet beatorum, cui dicitur, *Lauda Jerusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion.*

5. Quia ego cognovi, quod magnus est Dominus, et Deus noster præ omnibus diis.

6. Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo, in terra, in mari, et in omnibus abyssis.

Respondet Propheta objectioni quæ fieri poterat, cur ipse tanto ardore invitaret populum Dei ad laudes Domini. *Quia,* inquit, *ego cognovi, quod magnus est Dominus:* et non solum magnus super omnes homines, sed etiam super omnes Deos: et ideo silere non possum, ideo clamo, ideo canto, et psallo, et ad canendum et psallendum omnes invito. Deinde probat utrumque, nimirum Deum esse magnum Dominum; et esse majorem omnibus Diis, ac primum, quod sit magnus Dominus, probat ab omnipotentia, quia *omnia quæcumque voluit, fecit* in universa creatura, *in cœlo, in terra, in mari, et in omnibus abyssis;* ubi per *mare* intelligit mare Oceanum; per *abyssos* intelligit maria Mediterranea, quasi diceret, in mari magno, et in aliis aquarum profunditatibus. Ita Chrysostomus; sed possunt etiam per *abyssos* intelligi loca subterranea inferorum, ubi est gehenna, de quibus legimus, in Evangelio, rogatum fuisse Dominum a dæmonibus, ne eos mitteret in abyssum. Sic enim comprehendentur omnia loca, summum cœlum, imi inferi, media terra, et mare. Sed placet breviter conferre nostram infirmitatem cum Dei potentia. Ille *fecit omnia quæ voluit,* nihil enim impossibile est illi: nos autem multa volumus facere, et non possumus. Item Deus fecit, quia voluit, id est, libera voluntate fecit, non aliqua necessitate; quia nulla re indiget: nos maxima ex parte operamur, quia indigemus, et nisi cogeret necessitas, otiaremur. Denique Deus in omnibus rebus fecit quæcumque voluit, quia Dominus est rerum omnium: nos ne in nobis quidem facere possumus omnia, quæ volumus, quanto minus in aliis rebus? Æquum igitur est, ut non nos ipsi, sed Deum nostrum assidue laudemus.

7. Educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit.

Ponit exempla aliquot eorum, quæ Deus facit quando vult, in aere, in terra et in aquis. Facit quidem Deus mirabilia in Angelis, et cœlis superioribus, rursum in abyssis subterraneis. Sed quia incognita nobis sunt; ponit exemplum eorum, quæ facit in cœlo aereo, in terra, et in aquis, quæ a nobis videntur, quamvis causas ignoremus. Primum igitur ponit exemplum in nubibus, quæ oriuntur ex terra, sed formantur in cœlo aereo, et conversæ in aquas revertuntur ad terram. *Educens,* inquit, *nubes ab extremo terræ:* id est, qui educit nubes ab extrema parte terræ. Accommodat se Spiritus sanctus in Scripturis sensibus nostris: nos autem videmus ordinarie nubes ascendere, vel ab oriente, vel ab occidente, vel a meridie, vel a septentrione, quæ sunt quatuor extrema terræ, sed varia pro varietate regionum; et quamvis ista assiduitate viluerint, tamen omnino mirabile est, unde tanta copia vaporum repente existat, ut totum cœlum in puncto fere temporis nubibus quasi velo cooperiat; nisi ideo mirabile esse desinat, quia ab Omnipotente fit. Sed mirabilius est, quod sequitur, *Fulgura in pluviam fecit*, ubi, *in pluviam,* positum est, pro, *in pluvia*, quomodo 2. Cor. 12. dicit Apostolus, *Nocte et die in profundum maris fui,* pro, *in profundo maris fui.* Sensus autem est, Deus in pluvia fecit fulgura, id est, inter pluviam miscuit fulgura, quæ res est omnino mirabilis: nam fulgura sunt arentia, acutissima; et pluvia est res humida, frigida, mollis: et tamen nec fulgura absumunt aquam, nec pluvia extinguit fulgura. Ita exponunt antiquissimi Patres, Hilarius, et Chrysost. et confirmari potest eorum expositio ex cap. 9. Exodi, *Grando, et ignis mista pariter ferebantur,* ad quem locum videtur allusisse Propheta David; omitto alias expositiones recentiorum, quæ minus probabiles sunt.

8. Qui producit ventos de thesauris suis, qui percussit Primogenita Ægypti ab homine usque ad pecus.

9. Et misit signa, et prodigia in medio tui Ægypte, in pharaonem, et in omnes servos ejus.

Tertium exemplum magnitudinis Dei sumitur a generatione ventorum; venti enim notissimi sunt, et quotidie sentiuntur a nobis; tamen nihil est obscurius generatione ipsorum; unde et Dominus Joan. 3. ait, *Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, et nescis unde veniat, aut quo vadat*, id est, audis strepitum venti, *et nescis unde veniat, aut quo vadat*, id est, quomodo oriatur, et quomodo desinat, præsertim quando repente ventus existit, et paulo post repente cessat. Illud autem *de thesauris suis*, metaphoricum est: non enim venti inclusi manent in speluncis, aut abditis locis, ut fabulantur Poetæ, sed ita repente producuntur a Deo, quasi educerentur de thesauris, id est, de locis absconditis. Vere autem educuntur de thesauris Dei, id est, de potentia Dei secretissima, et ditissima, quæ nunquam exhauriri potest. Cum hoc tertio exemplo conjungit Propheta quartum de occisione omnium primogenitorum Ægypti tam hominum, quam jumentorum, quæ habetur Exodi 12. Conjungit autem hanc occisionem cum productione ventorum, quia quemadmodum venti spiritus quidam sunt corporales, qui non videntur ob nimiam subtilitatem, et tamen maximas edunt strages arborum in campis, domorum in civitatibus, et navium in mari: sic spiritus angelici invisibiles oculis hominum, incredibili celeritate ad nutum Domini interfecerunt omnia primogenita Ægypti, tum hominum, tum jumentorum: neque enim occisio illa poterat tribui pesti, aut morbo naturali, cum eadem nocte perierint omnia, et sola primogenita Ægyptiorum, tum hominum, tum pecorum: et apud Hebræos, qui in Ægypto degebant, nullus omnino homo, aut bestia perierit. Adjungit denique in summa omnia signa, et prodigia, quæ fecit Deus per Mosem in Ægypto; quæ legi possunt in Exodo. cap. 7. 8. 9. 10. 11. et 12.

10. Qui percussit gentes multas, et occidit Reges fortes.

11. Sehon Regem Amorrhæorum, et Og Regem Basan, et omnia Regna Chanaan.

12. Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israel populo suo.

Post mirabilia Dei edita in Ægypto adversus Pharaonem, addit mirabilia edita in itinere adversus duos potentissimos Reges, Sehon, et Og, quos populus Dei debellavit magis extraordinario auxilio Dei, quam armis, vide lib. Num. cap. 21. Et denique addit mirabila quæ fecit Deus in ipsa terra promissionis adversus triginta et unum Reges, qui regnabant in illis provinciis. Ubi multa miracula acciderunt, ac præter alia, ut muri Jericho ad sonitum tubarum Sacerdotalium corruerint: et sol, et luna steterint ad imperium Josue; vide lib. Josue cap. 9. 10. et 12. Ipse igitur Deus dedit totam illam terram possidendam, et quasi propriam hæreditatem, populo suo Israelitico: quomodo etiam Regnum cœlorum per terram promissionis significatum, vult quidem Deus a fidelibus suis bellando et laborando capi; sed quia nisi ipse præveniret et comitaretur, et subsequeretur gratia sua labores nostros, nihil omnino facere possemus; ideo ipse est, qui nos salvat, ex captivitate liberat, et nobis hæreditatem æternam donat.

13. Domine nomen tuum in æternum, Domine memoriale tuum in generatione et generationem.

14. Quia judicabit Dominus populum suum, et in servis suis deprecabitur.

Concludit Propheta priorem partem suæ probationis, qua demonstrare instituerat magnitudinem Dei; ea enim satis aperte demonstrata, dicit, *Domine nomen tuum in æternum*, id est, propter hæc tanta mirabilia, *nomen tuum*, memoria tua, fama tua in æternum vigebit, et idipsum more suo repetens, *Domine*, inquit, *memoriale tuum*, id est, recordatio nominis tui *in generatione et generationem*, permanebit. *Quia judicabit Dominus populum suum*, id est, semper manebit celebris memoria Dei, quoniam Deus semper, ut hactenus fecit, *judicabit populum suum*, id est, justo judicio vindicabit de persequentibus eum, puniens iniquos hostes ejus. *Et in servis suis deprecabitur*, id est, erga servos suos exorabilis erit: accipiendum enim est passive illud *deprecabitur*, pro *exorabitur*. In cantico Mosis Deuter. 32. eadem sententia sic vertitur a Latino Interprete, *Judicabit Dominus populum suum, et in servis suis miserebitur.*

15. Simulachra gentium argentum, et aurum, opera manuum hominum.

16. Os habent, et non loquentur, oculos habent, et non videbunt.

17. Aures habent, et non audient, neque enim est spiritus in ore ipsorum.

Probat his versiculis David, Deum nostrum magnum esse præ omnibus Diis, quod erat alterum, quod affirmaverat in quinto versiculo. Quamvis enim non magnum sit Deo, majorem esse Diis aureis et argenteis, ut S. Hilarius admonuit; cum longe major sit regibus, dæmonibus et Angelis: tamen voluit Propheta conferre Deum cum simulachris, ut clarius ostenderet infirmitatem Deorum gentilium; tum etiam quoniam licet Dii gentium essent dæmonia, ut dicitur in Psalm. 95. tamen, multi gentilium hoc non sciebant, sed arbitrabantur ipsa simulachra esse Deos, ut perspicuum est 1. Reg. de statua Dagon. Denique, quia ex his argumentis colligitur etiam infirmitas ipsorum dæmonum, qui simulachris suis non potuerunt dare sensum et vitam, quomodo Deus verus simulachro suo, quod est homo, dedit spiritum vitæ, sensum, et motum, et, quod est excellentius, dedit rationem et arbitrii libertatem. Recte igitur David probat, Deum esse magnum præ omnibus Diis, quia *simulachra gentium*, sive ipsa, sive inhabitatores eorum habeantur pro Diis, *oculos habent, et non vident; aures habent*,

et non audiunt ; os habent, et non loquuntur; manus et pedes habent, et nec movere, nec moveri possunt : quia non est spiritus vitæ in facie ipsorum, ubi alludit Propheta ad id quod dicitur Gen. 2. de simulachro veri Dei, *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* Cætera, quæ ad hos versiculos pertinent, vide in explicatione Psalm. 113.

18. Similes illis fiant, qui faciunt ea ; et omnes qui confidunt in eis.

19. Domus Israel benedicite Domino, domus Aaron benedicite Domino.

20. Domus Levi benedicite Domino, qui timetis Dominum, benedicite Domino.

Facta collatione Dei veri cum Diis falsis confert cultores falsorum Deorum cum Dei veri cultoribus, et illis prædicit per modum imprecationis, similitudinem Deorum suorum, videlicet illos fore mutos, cæcos, et surdos, quoad vera bona intelligenda, et quærenda, et laudanda : cultores autem Dei invitat ad benedicendum Dominum, quoniam cultores Dei vident, audiunt, loquuntur, ut imagines vivæ Dei viventis, et ideo debent exercere linguam ad laudandum Deum, a quo habent sentire, vivere, intelligere. Invitat autem primum in genere *domum Israel,* id est, populum Dei, deinde per partes, *domum Aaron* imprimis, quia illa erat domus sacerdotalis ; tum *domum Levi,* unde erant Levitæ qui Sacerdotibus ministrabant; denique omnes *timentes Deum,* id est, laicos omnes. Porro quamvis hæc comparatio cultorum Dei ad cultores Idolorum, proprie conveniat Idololatris Paganis respectu Christianorum : tamen convenit etiam iis qui sequuntur avaritiam, quæ est Idolorum servitus, et iis quorum Deus venter est, et denique illis omnibus, qui fatentur se nosse Deum, factis autem negant, respectu hominum vere piorum, quorum *conversatio in cœlis est.* Illi enim veluti simulachra Idolorum, non vident vera bona, nec vera mala, quamvis oculos habere videantur : neque audiunt quid loquatur in illis Deus, quamvis auribus non careant : denique non loquuntur laudes Dei, quamvis ore et lingua præditi sint. Contra, viri pii, et qui cor habent in cœlo, oculos interiores habent, et vident; aures cordis apertas habent, et intelligunt, os, et linguam solutam et liberam habent, ut Deum benedicant in omni tempore, et semper laus ejus sit in ore ipsorum, lege Psalm. 113.

21. Benedictus Dominus ex Sion, qui habitant in Hierusalem.

Concludit, orans ut ex Sion procedat benedictio Domini, *qui habitat,* tanquam in propria regia sua, *in Hierusalem,* id est, ut omnes cives Sion et Hierusalem non cessent benedicere Domino, qui Rex magnus est, et in ipsa Hierusalem sedem Regni sui collocavit : quæ conveniunt Ecclesiæ Christianæ militanti, sed multo magis triumphanti, quæ omni labore vacua, et ab omni molestia libera, unicum habet negotium, vacare et videre, quoniam Dominus ipse est Deus.

PSALMUS CXXXV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

ALLELUIA.

PSALMUS iste idem habet argumentum, quod Psalmus superior. Invitat enim populum Dei ad laudem misericordiæ Dei, et in singulis versiculis repetit, *Quoniam in æternum misericordia ejus;* ut ostendat omnia opera Dei, sive ad creationem, sive ad providentiam, sive ad redemptionem pertineant, ex misericordia Dei perfecta esse. Deus enim, qui nulla re indiget, et rerum omnium absolutus Dominus est, nihil facit ex necessitate, nihil ex debito : sed omnia ex misericordia, quia placuit illi bonitatem suam effundere, et communicare. In Hebræo non habetur, *Alleluia*, in principio hujus Psalmi, sed solum in fine superioris. Cæterum Septuaginta Interpretes initio Psalmi posuerunt, *Alleluia*, vel quia invenerunt in suis Hebraicis codicibus in principio hujus Psalmi, et non in fine superioris : vel quod credibilius est, invenerunt in utroque loco, ut habetur in fine Psalm. 104. et in principio Psalm. 105. qui idem habet initium cum 135. videlicet, *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus;* et postea negligentia scriptorum excidit ex Hebraico codice in principio hujus Psalmi, *Alleluia.* Utut se res habeat, aptissime ponitur initio hujus Psalmi titulus, *Alleluia.*

EXPLICATIO PSALMI.

1. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus.

2. Confitemini Deo Deorum, quoniam in æternum misericordia ejus.

3. Confitemini Domino Dominorum, quoniam in æternum misericordia ejus.

In primis tribus versiculis laudatur Deus Trinitas ab his, quæ in se habet: in sequentibus autem laudatur ab operibus suis. In primo versiculo habetur nomen quatuor litterarum, quod soli Deo vero proprium est, et nunquam communicatur cum rebus creatis: significat autem hoc nomen, ipsum esse, ut Exod. 3. ipse Deus explicuit, cum ait, יהוה *Ego sum, qui sum.* Et quoniam esse et bonum convertuntur, et omne quod est, bonum est, et quod summe est, summum bonum est: ideo hic adjungitur bonum absolute ei qui absolute est, *Confitemini,* inquit, *Domino,* idest, confitemini confessionem laudis ei qui est, *quoniam* absolute *bonus* est: nec solum in se bonus est, sed etiam *in æternum misericordia ejus* est: nam ipse qui est summum bonum, nullum habet admixtum malum, nullam miseriam: et ideo solus potest mala et miserias aliorum tollere, et reipsa semper tollit, et tollet in æternum, magna miseria est nihil esse; Deus igitur dum conservat esse rerum quarumdam in æternum; in æternum erga eas misericors est, et dum beatos facit sanctos Angelos, et homines in æternum, misericordiam æternam illis exhibet, non tollendo miseriam infelicitatis, quæ sit, sed quæ esset, nisi beatitudinem æternam illis donaret. Porro hæc prima confessio tribui potest personæ Patris, quoniam Pater fons est essendi, et communicat ipsum suum esse Filio per generationem, et Spiritui sancto per spirationem, sibi filioque communem. Secunda confessio tribui potest personæ filii, nam dicitur filius Deus Deorum, quoniam Dii creati dicuntur Angeli et homines, quia sunt filii Dei juxta illud Psal. 81. *Ego dixi, Dii estis, et filii excelsi omnes.* Filius autem Dei unigenitus est Deus Deorum, quia filius est Dei naturalis, cæteri adoptati; ille natus est Deus de Deo, isti sunt Dii facti, ac per hoc tanto inferiores Deo filio, quanto res creata inferior est Creatore. Et quamvis aliquo modo dicantur Dii respectu inferiorum: tamen respectu filii unigeniti non sunt Dii, sed creaturæ. Ergo confitemini confessionem laudis Deo Deorum, id est, filio Dei unigenito, cujus participatione dicimini Dii, filii Dei adoptivi. *Quoniam in æternum misericordia ejus*, id est, quoniam ipse cum Patre in æternum miserias tollit a rebus creatis. Tertia confessio tribui potest Spiritui sancto; dominium enim fundatur in natura liberi arbitrii, illi sunt domini qui faciunt quod volunt; illi servi, qui aliorum voluntati subjiciuntur. Princeps autem libertatis Spiritus sanctus est, de quo dicitur, *Ubi spiritus Domini, ibi libertas*, 2. Cor. 3. *et Spiritus ubi vult spirat*, Joan. 3. et *Hæc omnia operatur unus, atque idem spiritus dividens singulis prout vult.* Ait igitur David, *Confitemini Domino Dominorum,* id est, laudate Spiritum sanctum, amorem increatum, et omnipotentem, cui omnia serviunt, quoniam in æternum misericordia ejus. Notat hoc loco S. Joan. Chrysostomus, in Psalmo superiore dictum esse, *Deum magnum præ omnibus Diis*, sed in hoc Psalmo multum accessisse ad laudes Dei, quod appellatus sit *Deus Deorum et Dominus Dominorum*, ut non solum cæteri Dii minores sint Deo nostro, sed ejus sint creaturæ, atque mancipia.

4. Qui facit mirabilia magna solus, quoniam in æternum misericordia ejus.

Ad hunc versiculum, ut ad cæteros omnes sequentes, subintelligendum est, *Confitemini Domino.* Incipit igitur laudare Deum ab operibus magnis et mirabilibus, quæ solus ipse facere potuit, qualia sunt opera creationis, nam in cæteris usus est Deus opera Angelorum, vel aliarum creaturarum. In his autem operibus laudatur præcipue misericordia, quia, ut supra diximus, nihil fecit Deus ex necessitate, quasi egeret creaturis, sed ex misericordia sua magna et ineffabili.

5. Qui fecit cœlos in intellectu, quoniam in æternum misericordia ejus.

Primum opus Dei fuit cœlum, ut notum est ex cap. 1. Gen. *Fecit autem Deus cœlum*, sive cœlos, *in intellectu,* id est, in sapientia sua, sive per sapientiam suam. *Fecit* autem, *quoniam in æternum misericordia ejus,* id est, quia placuit ei cœlos ex nihilo educere, et simul parare æternam domum Angelis et hominibus. *Fecit* igitur *cœlos* per sapientiam et bonitatem suam, intelligendo et volendo, quæ sunt quasi duæ manus ejus. Itaque non laboravit, non fatigatus est, non eguit mora temporis; non instrumentis variis, non materia circa quam operaretur, non adjutoribus administris.

6. Qui firmavit terram super aquas, quoniam in æternum misericordia ejus.

Alterum opus principale fuit terra. Fecit enim in principio Deus cœlum et terram. Cœlum enim factum est, ut esset palatium immortalium civium; terra, ut esset mansio mortalium. Aer et aqua sunt elementa intermedia, quæ in usum hominum deserviunt. Porro dicitur terra stabilita *super aquas*, non quod aqua sit infra terram in imo loco mundi; sed quod superficies terræ magna ex parte sit altior superficie aquæ, ut possint in superficie terræ homines, et cætera animalia vivere. Quod enim terra sit in imo loco mundi, scribit idem David in Psal. 103. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi.* Itaque terra intra cavitates suas ita continet aquas, ut ex una parte aquæ super terram quiescant, et tamen ex altera parte terra supereemineat aquis. In Hebræo pro *firmavit*, est *extendit*, ut sensus sit, terram, quæ initio erat cooperta undique aquis, et erat minus extensa, quam aqua; Deus congregando aquas in cavitates terræ, extendit eam super aquas, id est, fecit ut latius pateret quam aqua. Uterque sensus est verus, et juxta utrumque sensum in hoc facto triplex cernitur misericordia Dei; una respectu terræ, quam eduxit ex nihilo; altera, respectu aquæ, cui sedem stabilem præparavit; tertia, respectu hominum, quibus dedit terram aquis discoopertam, et tamen aquis irrigatam, ut possint in ea degere, eam colere et frugiferam reddere.

7. Qui fecit luminaria magna, quoniam in æternum misericordia ejus.

8. Solem in potestatem diei, quoniam in æternum misericordia ejus.

9. Lunam, et stellas in potestatem noctis, quoniam, etc.

Tertium opus magnum et mirabile fuit fabricatio Solis, Lunæ, et Stellarum, quæ ad cœlum et terram pertinent: siquidem cœlum mirifice exornant, et terræ mirifice prosunt; dicuntur autem omnia *luminaria magna*, quia revera majora sunt, quam ut a nobis eorum magnitudo mente comprehendi possit, cum stellæ firmamenti, quæ nobis ob longinquitatem perexiguæ videntur, totum orbem terræ molis magnitudine superent : dicitur autem sol factus in potestatem diei, et luna cum stellis cæteris in potestatem noctis; quia lucendo, et illuminando terram, præsunt operibus nostris, tum diurnis, tum nocturnis, ut dicitur cap. 1. Gen. Et quidem in libro Geneseos duo sola dicuntur luminaria magna, sol et luna, quia ista duo majus lumen in terra effundunt, quam omnes aliæ stellæ simul, tamen hoc loco videtur David, non solem tantum et lunam, sed omnes stellas appellare *luminaria magna*, quia in se talia sunt, et si Astronomis credimus, longe majores sunt stellæ firmamenti, quam luna sit.

10. Qui percussit Ægyptum cum Primogenitis eorum, quoniam in æternum misericordia ejus.

11. Qui eduxit Israel de medio eorum, quoniam, etc.

12. In manu potenti, et brachio excelso, quoniam, etc.

13. Qui divisit mare rubrum in divisiones, quoniam, etc.

14. Qui eduxit Israel per medium ejus, quoniam, etc.

15. Et excussit Pharaonem, et virtutem ejus in mari rubro, quoniam in æternum, etc.

16. Qui traduxit populum suum per desertum, quoniam, etc.

17. Qui percussit Reges magnos, quoniam, etc.

18. Et occidit Reges fortes, quoniam, etc.

19. Sehon Regem Amorrhæorum, quoniam, etc.

20. Et Og Regem Basan, quoniam, etc.

21. Et dedit terram eorum hæreditatem, quoniam, etc.

22. Hæreditatem Israel servo suo, quoniam, etc.

In his versiculis laudatur Deus ab opere providentiæ; et sunt omnia perspicua tum ex libro Exodi, tum ex Psalmo superiore. Illud quæri posset, cur dicantur *opera misericordiæ*, percussio Ægypti, occisio primogenitorum, interfectio Regum, et cætera quæ videntur ad justitiam potius quam ad misericordiam pertinere? Respondetur, opera illa fuisse respectu impiorum percussorum et occisorum opera justitiæ; sed respectu populi Dei fuisse opera misericordiæ; et quia liberatio populi erat præcipue a Deo intenta, ideo illa omnia tribuuntur simpliciter misericordiæ. Quanquam etiam impiis misericordiam facit Deus, cum eos cito de hoc mundo tollit, ne diutius vivendo gravius peccent, et graviorem iram sibi ipsi thesaurizent *in die iræ, et justi judicii Dei*. Circa verba horum versiculorum pauca notanda sunt. Vers. 12. *In manu potenti, et brachio excelso;* metaphora est, significans Deum graviter punisse Ægyptum plagis multis, ut cogeretur dimittere liberum Dei populum, quomodo si vir bellator robusta manu, et brachio fortissimo uteretur ad ejusmodi opera. Vers. 13. illud, *in divisiones*, fabulantur Hebræi significare duodecim divisiones maris rubri factas fuisse, ut unaquæque tribus per suam divisionem transiret. Sed fabula sine fundamento est : nam Exodi 14. dicitur Deum immisisse ventum validum, qui tota nocte flaret et siccaret partem quamdam maris, ita ut a dextera, et a sinistra essent aquæ stantes instar murorum, et in medio esset terra arida, per quam transivit populus Dei. Itaque, *in divisiones*, significat divisionem maris, in duas partes. Vers. 15. illud, *et virtutem ejus*, significat, et exercitum ejus; id enim sonat vox Hebraica, et aperte dicitur Exod. 15. *Currus Pharaonis, et exercitum ejus projecit in mare.*

23. Quia in humilitate nostra memor fuit nostri, quoniam in æternum misericordia ejus.

24. Et redemit nos ab inimicis nostris, quoniam in æternum misericordia ejus.

Hæc referri possunt ad liberationem Judæorum a servitute Pharaonis, Philisthinorum, et Nabuchodonosoris; item ad liberationem Ecclesiæ a persecutionibus tyrannorum et hæreticorum; denique maxime proprie ad liberationem electorum a captivitate Diaboli, et omnibus periculis hujus sæculi. Illud, *quia*, non refertur ad versiculos immediate præcedentes, sed ad illa verba quæ in singulis versibus subintelliguntur, nimirum *Confitemini Domino*, ut sensus sit, *Laudate Deum, quia in humilitate nostra*, in afflictione, et tribulatione, et humiliatione nostra, *memor fuit nostri*, etc.

25. Qui dat escam omni carni, quoniam in æternum misericordia ejus.

Hunc versiculum adjunxit Propheta pro iis, qui non patiuntur persecutiones, ne putarent sibi non esse necesse confiteri Domino. Dicit igitur, *Confitemini Domino*, omnes omnino, quia ipse est, qui nutrit et conservat omnem creaturam viventem, ac præcipue omnes homines. Id quod facit, *Quoniam in æternum misericordia ejus*. In Hebræo est, *Qui dat panem omni carni*, sed *panis* accipitur pro omni cibo apud Hebræos.

26. Confitemini Deo cœli, quoniam in æternum misericordia ejus.

27. Confitemini Domino Dominorum, quoniam in æternum misericordia ejus.

Concludit repetendo duos ultimos versiculos ex primo ternario : nam per *Deum cœli*, intelligit Deum Deorum, ut notat S. Augustinus : dicitur enim *Deus cœli*, tum quia ipse solus verus Deus cœlum fecit, juxta illud Psalmi 95. *Dii gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit*, tum quia residens in summo cœlo tanquam in proprio throno, hoc ipso demonstrat se Deum Deorum esse. Ultimus versiculus non habetur in

Hebræo, nec in Græco, nec apud Hilarium, in commentario: et apud Chrysostomum habetur repetitio primi versiculi loco tertii. Ad extremum hujus explicationis reddenda est causa, cur a S. Augustino dissentire coactus sim in expositione verborum illorum, *Quoniam in æternum misericordia ejus.* Existimat Sanctus Augustinus hæc verba non esse referenda ad singula opera Dei, quæ narrantur in toto Psalmo, sed solum ad prima illa verba, *Confitemini Domino,* et vult hunc sensum totius Psalmi, *Confitemini Domino,* qui est *bonus,* qui est *Deus Deorum,* qui est *Dominus Dominorum,* qui *fecit mirabilia,* qui *fecit cœlos in intellectu,* qui *firmavit terram super aquas,* etc. *quoniam in æternum misericordia ejus* est in peccatores, quos redemit a servitute peccati, etc. Ratio ejus est, quoniam opera quæ narrantur, ut effectio mirabilium, formatio cœli et terræ et similia, non sunt opera misericordiæ, sed bonitatis et benignitatis Dei. At nos secuti sumus Hilarium et Chrysostomum, qui verba illa, *Quoniam in æternum misericordia ejus,* accommodant ad singula opera, quæ in singulis versiculis narrantur: alioqui enim frustra repeterentur in singulis versiculis, si ad opera illa non pertinerent. Accedit quod vox *misericordia* in divinis litteris, et Hebraice חסד *chesed,* non restringitur ad misericordiam, quæ tollit miseriam proprie dictam, sed extenditur ad bonitatem et benignitatem. Adde ultimo, quod non est difficile in singulis operibus Dei invenire veram misericordiam, ut nos ostendimus, et comprobatur ex verbis illis, *Universæ viæ Domini misericordia, et veritas.*

PSALMUS CXXXVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

PSALMUS DAVID HIEREMIÆ.

Hic titulus non habetur in Hebræo, et a Theodoreto confictus dicitur ab aliquo audaculo, sed extat in libris Græcis et Latinis, neque ratio Theodoreti convincit, titulum esse confictum, quia Hieremias non fuerit unquam in Babylone. Titulus enim significat Hieremiam in Babylone fuisse, sed Psalmum compositum fuisse a Davide prævidente, et prædicente captivitatem Babylonicam, quam postea Judæis imminentem Hieremias prædicavit, et præsentem deploravit, et finem ejus post Septuaginta annos futurum denuntiavit. Fieri quidem potest, ut hunc titulum David non addiderit præsenti Psalmo, sed postea additus fuerit vel a Septuaginta Interpretibus, vel ab aliquo alio; tamen non ideo rejiciendus est, quasi falsam historiam contineret. Argumentum Psalmi continet lamentationem captivorum, et desiderium patriæ, ac prædictionem severissimæ animadversionis in Babylonicos et Idumæos: quæ a Davide scripta sunt, non tam ut simplicem historiam futuram narraret, quam ut admoneret Hebræos, ut quando in Babylone m ducerentur captivi, non afficerentur rebus Babylonis, sed assidue ad patriam suspirarent. Et quoniam Propheta spiritualis erat, et noverat Babylonicam captivitatem figuram esse captivitatis humani generis, et terrenam Hierusalem figuram esse cœlestis patriæ; simul admonet omnes electos, quomodo se gerere debeant in exilio et captivitate. Et sine dubio ad hunc præcipue finem Ecclesia cantica ista spiritualia frequentat, ut ex his intelligere possint homines, an sint cives Babylonis, an Hierusalem, id est, an sint cum electis in cœlesti patria regnaturi, an cum reprobis et hoc mundo damnandi.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Super flumina Babylonis illic sedimus, et flevimus, cum recordaremur Sion.

Verba sunt captivorum, qui ab Hierusalem in Babylonem abducti fuerant: qui quidem, ut Chrysostomus docet, non ipsa civitate primaria habitabant, sed in agris ad varia opera vilia deputati degebant, et ad ripas fluminum quibus ea provincia abundat, aliquando fessi sedebant, et ex recordatione et desiderio patriæ flebant. Dicitur autem, *flumina Babylonis,* non quod omnia per ipsam civitatem labantur (solus enim Euphrates per Babylonem fluit) sed quod ad ditionem Babylonis pertinerent; nisi placeat per Babylonem, totam provinciam hoc loco significari: quomodo Samaria civitas est, quæ toti etiam regioni nomen dedit. Sed spiritualiter verba sunt electorum Dei qui corpore captivi tenentur in hoc mundo, quamvis corde a mundo separati, cives se noverint cœlestis Hierusalem: isti enim sancti peregrini super flumina consistunt, non in fluminibus demersi volvuntur, et præcipitantur ad mare. *Flumina Babylonis* sunt bona temporalia hujus mundi, quibus qui affixi sunt per desiderium, ut avari, ambitiosi, voluptuarii, magno sonitu contentionum, et litium alliduntur ad saxa, et cum ipsis aquis volvuntur in præceps, donec ad abyssum magni maris in æternum puniendi præcipitentur. Hæc igitur est prima conditio civium supernæ patriæ, et primum signum, unde quisque intelligat, ad quem populum pertineat: qui enim su-

pereminent rebus temporalibus, et corde in cœlum defixo, non abripiuntur desiderio rerum terrenarum: hi sunt qui non ad Babyloniam, sed ad Hierusalem pertinent. Deinde iidem cives Sanctorum sedent ad ripas fluminum, id est, in humili loco se ponunt, et non erigunt se ad excelsa, non ambiunt dignitates, non superbe sapiunt: et si forte contingat eos elevari ad regimen Babylonis, ut vere contigit Danieli et non paucis sanctis Christianis Regibus; isti in alto positi non alta sapiunt, neque existimant exaltationem suam esse honorem; sed onus sub quo gemant, non in quo glorientur, ac semper quod ad se attinet, discumbunt in novissimo loco, si vere spiritum illius habent, qui mitis fuit, et humilis corde. Tertio, non solum in humili sedent, sed gemunt ac plorant, non jacturam temporalium rerum, sed captivitatem suam, dum recordantur dulcissimæ patriæ, quæ est in sancto monte Sion: qui enim obliviscuntur patriæ, exultant cum filiis Babylonis: qui autem desiderant, et ex desiderio recordantur patriam, etiam tunc cum abundant rebus temporalibus, non in eis lætantur, sed gemunt ex desiderio patriæ, neque ullum manifestius signum habere possumus unde cognoscamus, utrum cives Babyloniæ, an Hierusalem simus, quam si attente consideremus, quid nos delectet, quidve nobis cordi sit. *Ubi enim thesaurus noster est, ibi et cor nostrum erit*, Luc. 12.

2. In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra.

Captivi Hebræi organa lætitiæ, citharas videlicet, ut est in Hebræo, suspendebant *in salicibus in medio* Babylonis, id est, palam et publice Babyloniis videntibus abjiciebant a se instrumenta lætitiæ, ut ostenderent, sibi fletum magis cordi esse, quam cantum. Quod ipsum imitantur viri Dei, qui intelligentes captivitatem et exilium suum, dicunt cum eodem Propheta, *Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, et delectatus sum;* quamvis enim non delectet cives Hierusalem cantare et lætari cum Babyloniis, et de bonis Babyloniæ; tamen cantant in cordibus suis Domino, et gaudent in spe futuræ beatitudinis. Illud, *In salicibus in medio ejus*, id est, Babylonis, significat, *in salicibus*, quæ sunt ad ripas fluminum, quæ per mediam regionem Babylonicam fluunt. *Suspendere* autem *citharas in salicibus fluminum Babyloniæ*, nihil est aliud, nisi relinquere instrumenta lætitiæ hominibus hujus sæculi, qui tamquam arbores infructuosæ irrigantur assidue aquis Babyloniæ, et fructum nullum ferunt, ipsi pulsent citharas, ipsi cantent in hoc sæculo, quibus manet in alio luctus sempiternus.

3. Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum.

4. Et qui abduxerunt nos: hymnum cantate nobis de Canticis Sion.

Non solum ob mœstitiam suspenderunt citharas suas in ramis arborum captivi Judæi, sed etiam ne obsequerentur Babyloniis, audire, et irridere cupientibus sacros hymnos, quos in celebritatibus Domini cantare soliti erant. Ubi notat S. Joan. Chrysost. ex tribulatione illa Judæos factos esse meliores, id est, magis religiosos, et magis timentes Deum, antea siquidem ridebant Prophetas, imo et occidebant: nunc autem captivi in terra aliena, non audent hymnos sacros gentilium irrisioni exponere. Aiunt igitur, *Quoniam illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum*, ideo, *suspendimus organa nostra*, et noluimus illis uti, ne sacra cantica irrisioni gentilium exponeremus, *quia ii, qui nos captivos duxerunt, illic*, in sua regione, *interrogaverunt nos verba cantionum*, id est, de verbis cantionum, et dixerunt, *qui abduxerunt nos, hymnum cantate nobis de canticis Sion.* Per verba *cantionum* intelliguntur cantica, id est, verba ad cantum accommodata; quasi dicant, Interrogaverunt nos de canticis nostris, cur videlicet non caneremus, ut in patria nostra faciebamus. Posset etiam illud, *interrogaverunt*, verti, *rogaverunt*, ut sensus sit, *Rogaverunt nos verba cantionum*, id est, petierunt ut caneremus. Illud autem, *Et qui abduxerunt nos*, quod in Hebræo est, תוללינו *tholalenu*, aliqui vertunt, *spoliaverunt nos*, volentes ת, positum esse more Chaldaico pro ש; alii, *afflixerunt nos*, quasi ejulare fecerunt, a verbo, תלל *thalal:* sed non video cur non possit verti, *extulerunt nos*, quod est idem, cum, *asportaverunt nos*, vel *abduxerunt nos*, ut Septuaginta verterunt: nam, תלל *thalal*, est *elevare, extollere, suspendere. Extollere* autem non solum significat, tollere in altum, sed etiam tollere ex uno loco, et asportare in alium, et hoc modo acceperunt hanc vocem Septuaginta Interpretes. Illud, *hymnum cantate*, in Hebræo est, *lætitiam cantate:* sed sensus est idem, nam *hymnus* est carmen lætum, proinde *lætitia*, hoc loco accipienda est pro cantico lætitiæ. Denique parum refert, quod pro illo, *de canticis Sion*, sit in singulari *de cantico Sion*, accipitur enim numerus singularis pro numero multitudinis.

5. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?

Hæc est responsio captivorum ad petitionem illam, *Cantate nobis de canticis Sion.* Aliqui existimant legendum esse, *in terra alieni*, id est, in terra Dei alieni: atque adeo noluisse Judæos cantare, ne honorem Dei veri tribuerent falsis Diis. Sed quamvis secundum regulas Grammaticæ illa vox *in terra*, regat post se genitivum: tamen Septuaginta Interpretes, et ipse etiam S. Hieronymus verterunt, *in terra aliena;* quia vel sciebant regulas Grammaticæ non esse infallibiles, vel acceperunt illud, *in terra alieni*, pro in terra alieni populi, quod est idem cum *in terra aliena.* Sensus igitur est, respondisse Judæos ob mœrorem captivitatis, non se potuisse cantare cantica læta, ut in patria sua solebant. Quamvis enim, ut supra diximus, ideo cantare nolebant, ne sacri hymni ab infidelibus riderentur: tamen non hoc responderunt, ne Dominos suos offenderent, sed quod justæ causæ speciem habere poterat. Spiritualiter, viri justi, cives supernæ Hierusalem, scientes lætitiam propriam esse patriæ, gemitum exilii, et captivitatis, dicunt, Quomodo possumus lætis canticis operam dare, inter tot pericula et tentationes? *Risum reputavi errorem, et gaudio dixi, cur frustra deciperis?* Sed illi quoque cantant canticum Domini in terra aliena, qui sacros hymnos, et psalmos ita decantant,

ut carnalem aurium voluptatem solum, aut præcipue quærant: quique audientium carnales aures delectare variis vocum inflexionibus satagunt, cantica enim sacra instituta sunt ad mentem erigendam in Deum, et spiritum potius quam corpus recreandum. Contra autem nonnulli sunt, qui canticum Babyloniæ in domum Dei, et sanctam Sion inducunt, illi videlicet, qui verba sacra modulis prophanis ita vestiunt, ut qui audiunt, non tam verba considerent quam prophanam modulationem attendant.

6. Si oblitus fuero tui Jerusalem, oblivioni detur dextera mea.

7. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.

8. Si non proposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ.

Qui dixerant, *Quoniam cantabimus canticum Domini in terra aliena?* nunc una voce, quasi unus homo, totus populus introducitur jurans, et firmiter statuens, se nunquam oblivioni mandaturum patriam: et quia signum oblivionis fuisset pulsare citharam, et canere canticum Domini in terra aliena, ideo imprecatur sibi per juramentum execratorium, ut manus qua pulsari solet cithara, exarescat, et lingua, quæ cantui deservit, adhæreat immobilis faucibus, si unquam obliviscatur patriam, et in signum oblivionis pulsare citharam, vel canere canticum Domini in terra aliena decreverit, *Si oblitus*, inquit, *fuero tui Jerusalem*, quod fiet si pulsare incipiam citharam in terra aliena, *Oblivioni detur dextera mea*, id est, pereat dextera mea, arescat, non sit ulli usui: quorum enim obliviscimur ea non amplius curamus, neque conservamus. S. Hilarius, et S. Augustinus legunt active, *Obliviscatur me dextera tua*, et sic putant recentiores vertendam esse vocem Hebraicam, תשכח *tischah;* sed vox Hebraica rectissime accipitur etiam passive, unde S. Hieronymus ex Hebræo vertit, *In oblivione sit dextera mea:* et S. Hilarius testatur vocem Græcam passive accipiendam, et dum reprehendit lectionem sui codicis, laudat lectionem nostram, quæ respondet Græcæ, et Hebraicæ voci. *Adhæreat lingua mea faucibus meis*, ut moveri nequeat, *si non meminero tui* Hierusalem, id est, sic cantando in terra aliena demonstrabo me tui non amplius meminisse. Imo etiam *oblivioni detur dextera mea, et adhæreat lingua mea faucibus meis*, si non solum obliviscar, et non meminero tui Hierusalem; sed etiam nisi proposuero te in principio lætitiæ meæ, id est, nisi initium, et summa lætitiæ meæ fuerit civitas sancta Hierusalem. In Hebræo pro verbo *proposuero*, est אעלה *ahale*, quod significat *ascendere faciam*, sive *extollam;* pro nomine in principio, est, עלראש *alrose, ad caput*, quod et *initium* et *summam* significat. Itaque sensus est, Nisi extulero Hierusalem super omnes jucunditates meas, ut ipsa mihi prima et summa lætitia sit. Hæc vero propria qualitas est civium patriæ cœlestis, et certa nota electorum Dei, si neque in prosperis, neque in adversis obliviscantur patriæ supernæ; et si optent carere manu et lingua, si gloriæ Dei atque æternæ saluti deservire non debeant, et si nulla in re serio lætari noverint, nisi in desiderio, et spe cœlestis illius domus non manufactæ, ubi est gaudium Domini, de quo dicitur in Evangelio, *Intra in gaudium Domini tui*, Matth. 25.

9. Memor esto Domine filiorum Edom, in die Hierusalem.

10. Qui dicunt, Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.

11. Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.

12. Beatus qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram.

Prædicit David in fine Psalmi perditionem Idumæorum et Babyloniorum, qui persecuti sunt filios Israel; Babylonii enim sub Rege Nabuchodonosore verterunt Hierusalem, et transtulerunt Hebræos captivos in Babyloniam, ut notum est ex lib. 4. Regum et lib. 2. Paralipom. in fine. Idumæi autem, qui descendebant ab Esau fratre Jacob, qui et *Edom* dictus est, hortati sunt Babylonios, ut everterent Hierosolymam, et populum captivum abducerent. Id aperte narrat Abdias Propheta, et multo ante id futurum prædicit David hoc loco: incipit igitur David ab Idumæis, vel quia ipsi incitaverunt Babylonios adversus Israelitas, vel ut a minoribus ad majora procedat: multo enim minus nocuerunt Hebræis Idumæi, quam Babylonii, *Memor*, inquit, *esto Domine filiorum Edom, in die Hierusalem*, id est, memor esto filiorum Edom, quid videlicet egerint in die Hierusalem, id est, quando Hierusalem affligebatur, et evertebatur a Babyloniis. Quid autem egerint, explicat in sequenti versiculo, *Qui dicunt*, id est, qui dicebant Babyloniis. *Exinanite*, evacuate, effodite *usque ad fundamentum in ea*, id est, evertite eam a fundamentis; illud, *memor esto*, intelligitur ad puniendum: Deus enim dicitur, *non recordari*, quando non punit, et *recordari*, quando punit. Ezech. 18. *Iniquitatem ejus non recordabor amplius*, et Tob. 3. *Ne reminiscaris delicta mea*, vel parentum meorum. Transit deinde ad Babyloniam, et per modum imprecationis prædicit ejus ruinam. *Filia*, inquit, *Babylonis misera*, id est, civitas Babylon, quam ego miseram esse prævideo, licet nunc tibi felicissima videaris: *Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis*, id est, Rex Medorum et Persarum beatus erit, quia prosperabitur adversus te, et retribuet tibi mala, quæ tribuisti nobis. Quod factum esse testatur Daniel cap. 5. et Isaias cap. 13. Prædixit, quod hoc loco David etiam prædixit, tanta crudelitate sævituros Medos et Persas in Babylonios, ut etiam infantes eorum ad parietes allisuri sint, et sine ulla miseratione interfecturi. Illud *parvulos tuos*, in Hebræo, et Græco, et in multis Latinis manuscriptis, legitur *parvulos suos*, neque est incredibile in nostram editionem Impressorum vitio irrepsisse *suos*, pro *tuos*, proinde recte correctus est hic locus Apostolica auctoritate. Sensus autem est idem, si illud *suos* accipiatur non ut reciprocum secundum proprietatem linguæ Latinæ, sed juxta phrasim Græcam, et Hebraicam accipitur pro *ejus*, ut significentur

parvuli Babyloniæ. Spiritualiter hæc omnia dupliciter intelligi possunt. Primo allegorice, ut per *Idumæos* intelligantur Judæi; per *Babylonios*, Pagani: vere enim Pagani sunt, qui præcipue conabantur Ecclesiam Christianam a fundamentis diruere, sed Judæis exhortantibus, incitantibus et gaudentibus. Nam ipsum etiam Christum Judæis accusantibus, Pagani crucifixerunt. Jacobum occidit, et Petrum vinculis alligavit Herodes, quia videbat id placere Judæis. Apostolum Paulum Judæi apud Romanos reum mortis facere conati sunt. Alias etiam Judæi concitaverunt animos gentilium adversus Christianos, teste sancto Luca Act. 14. sed memor fuit Deus, ut utrosque puniret. Nam Judæorum urbem primariam evertit, regnum destruxit, et ipsos per totum orbem terrarum dispersit. Paganorum quoque qui toto fere orbe imperabant, potentiam et Regna ita sustulit, ut jam paucissimi restent Pagani Reges. Et quoniam idololatria, et potentia Paganorum non armis et violentia, sed prædicatione verbi Dei superata est, Deo dicit Propheta, *Beatus qui retribuet tibi*, etc. nam Pagani infeliciter persequebantur Christianos, sed felicem persecutionem a Christianis passi sunt. Utilissimum enim illis fuit, ut idololatria extincta ipsi morerentur peccato et justitiæ vivere inciperent: quod præcipue parvulis eorum contigit, id est, iis, qui minus radicati erant in erroribus et vitiis Paganorum. Scimus enim maximam multitudinem puerorum et puellarum, aliorumque simplicium hominum, facillime conversam ad Christum, et ad martyrium usque decertasse pro Christi gloria adversus paternam Idololatriam: quod significatur illis verbis, *Beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos*, sive parvulos ejus, *ad petram*, id est, qui admovebit parvulos Babyloniæ ad petram Christum, ut feliciter allisi moriantur homini veteri, et resurgant in hominem novum. Secundo possunt hæc intelligi moraliter, ut per *Idumæos* intelligantur carnales homines, ut Augustinus exponit, per *Babylonios* intelligantur Dæmones; quod est magis conforme principio Psalmi: Babylonica enim captivitas figura fuit, ut initio diximus, captivitatis generis humani; quæ captivitas adhuc ex parte durat, dum caro concupiscit adversus spiritum, et electi clamant, *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Roman. 7. et Apostolus dicit, *Nos ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis nostri*, Roman. 8. et denique hospites, et peregrini habitamus in terra aliena, et in mundo damnabili sumus, licet de mundo non simus. Retribuet ergo Deus Babyloniæ retributionem, quam retribuit nobis, quoniam sicut Rex Babyloniæ Diabolus captivos nos fecit, et alligavit vinculo culpæ, quo vinculo alligati nascuntur omnes filii Adam: sic in die judicii captivum faciet Christus, Rex Hierusalem, Diabolum, et alligabit vinculis æternæ pœnæ, ut nulli amplius nocere possit, de quo dicit Beatus Judas, *Angelos qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in Judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit.* Neque solum Diabolum ligabit Christus vinculis æternis, sed etiam omnia membra ejus, sive omnes ministros ejus, mundanos videlicet homines qui pios persequebantur, et captivos tenebant, alligabunt Angeli in *fasciculos ad comburendum*, ut dicitur Matth. 13. Sicut autem Rex Babyloniæ seducit præcipue, et captivos facit *parvulos* Christi, id est, eos, qui non creverunt, nec profecerunt in Christo, quibus semper lacte opus est: sic e contrario beatus est, qui parvulos Babyloniæ, id est, qui minus creverunt in vitiis mundi, feliciter allidit ad petram, occidens peccato, ut justitiæ vivant. Non est omittenda spiritualis expositio sanctorum Patrum, Hilarii, Hieronymi, et Augustini, qui per, *parvulos Babyloniæ*, intelligunt initia tentationum, quæ facile superari possunt, si continuo exortæ allidantur ad petram, quæ Christus est. Vere enim *beatus* dici potest, qui semper vigilat, et incentiva tentationum crescere non sinit.

PSALMUS CXXXVII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

DAVID.

In Græcis libris, quos nunc habemus, invenitur titulus *Aggæi et Zachariæ*, sed videtur additus a recentioribus : nam non solum in Hebræo nihil est, nisi *David*, sed neque ullus veterum legit, *Aggæi et Zachariæ*, nec Hilarius, nec Hieronymus, nec Chrysostomus, nec Augustinus, nec Theodoretus, nec Euthymius. Itaque merito contemni potest. Argumentum est gratiarum actio, quod exaudiverit Deus humilem orationem suam : pro qua re autem oraverit, et quid acceperit, alii aliter sentiunt : sed nobis videtur petiisse adventum Messiæ, et gratias agere, quod exauditus præviderit, et prædicere potuerit Christi gloriam, et conversionem gentium.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Confitebor tibi Domine in toto corde meo : quoniam audisti verba oris mei.

Initio Psalmi pollicetur Propheta sacrificium laudis, et toto corde, quia pro beneficio omnium maximo gratias acturus erat pro salute sua, et totius populi sempiterna. *Confitebor tibi Domine*, confessionem laudis, et gratiarum actionis, non verbis tantum, sed ex intimo corde, summa attentione, et ardore mentis, eo quod exaudieris verba oris mei, orationem videlicet meam. In Hebræo non habentur hæc verba, *quoniam audisti verba oris mei.* Sed credibile est excidisse, et esse debere : habentur enim apud antiquos Patres, Hilarium, Hieronymum, et Augustinum in commentariis hujus Psalmi. Apud Græcos autem habentur quidem, sed post verba, *In conspectu Angelorum psallam tibi*, sensus semper est idem.

2. In conspectu Angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Declarat confessionem suam fore talem, qualem requirit excellentia auditorum. *In conspectu Angelorum psallam tibi*, id est scio me psallentem tibi, ab Angelis, qui tibi assistunt videri, et attendi, et ideo ita considerate me geram in psallendo, ut qui intelligam in quo theatro consistam. Et certe, si nos quoque cum Psalmos recitamus, intelligeremus, vel cogitaremus ab Angelis sanctis videri, et audiri, et nostram attentionem, et devotionem laudari, vel contra, evagationes, et negligentiam reprehendi ; profecto longe aliter caneremus, quam nunc facimus. S. Joan. Chrysostomus addit illud, *in conspectu*, significare, *e regione*, ut re vera significat vox Hebraica, נגד *neged*, et vult sensum esse, Psallam e regione Angelorum, quasi unum chorum faciant Angeli : alterum homines ; ut non solum nobis canendum sit audientibus, et videntibus Angelis, sed etiam illis ex altera parte concinentibus, et respondentibus. Quare multum omnino prodesset ad attentionem et diligentiam, si recitaturi divinum officium, intra nos cogitando diceremus, *In conspectu*, vel e regione *Angelorum psallam tibi :* id enim efficeret, ut vere in toto corde confiteremur Domino. *Adorabo ad templum sanctum tuum*, id est, in templo manufacto, quod est, *orationis domus* psalmos decantans, *adorabo*, hoc est, *incurvabor*, et prosternar ad templum sanctum tuum, quod est non manufactum, sed æternum in cœlo : et in eo templo, animo et contemplatione positus, *confitebor* laudes *nomini tuo.* In Hebræo, pro, *Angelorum*, habetur, *Deorum ;* sed Septuaginta intellexerunt per *Deos*, hoc loco significari *Angelos*, ut etiam in Psalmo octavo, *Minuisti eum paulo minus ab Angelis :* et videmus ab Apostolo hanc interpretationem approbari ad Hebr. 2. proinde verissima interpretatio censenda est. Illud autem, *adorabo ad templum*, potest accipi de templo, sive tabernaculo, in quo erat arca Dei, et potest sensus esse, *adorabo ad templum*, id est, in templo, vel etiam, *Adorabo ad templum*, id est, versus templum quod faciebant Hebræi, quando aberant a Hierosolyma : tunc enim adorabant, et orabant conversi ad eam partem Mundi ubi erat tabernaculum Domini, ut intelligi potest ex cap. 9. Danielis. Sed quoniam David dixerat, se in toto corde laudaturum, et in conspectu Angelorum Psalmos cantaturum, credibile mihi est, eum de templo cœlesti esse loquutum, ubi sunt Angeli, et ubi præsidet ille, qui intuetur corda.

3. Super misericordia tua, et veritate tua, quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum.

Antequam exponatur hic versiculus, constituenda est littera ex concordia codicum. In Hebræo habetur sic, *Super misericordia tua et veritate tua, quoniam magnificasti super omne nomen tuum verbum tuum.* In Græco illud *sanctum tuum* est generis neutri, τὸ ἅγιον σοῦ, nec desunt, qui existiment Græcum textum esse corruptum, et legendum esse λόγον pro ἅγιον, id est, *elo-*

quium, sive *verbum*, pro *sanctum*. Sed cum antiqui Patres, Hilarius, August. Chrysost. Theodor. et alii in comment. et ipse S. Hier. in epist. ad Suniam et Fretellam, ex Græco legant, *Sanctum tuum;* non facile adducor, ut credam textum Græcum esse corruptum. Existimo igitur sic textum Hebraicum cum Græco et Latino esse concordandum, ut per *Sanctum tuum*, intelligamus Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum, ut S. Hieron. admonet loco citato epist. ad Suniam et Fretellam. Ipse enim est verbum Dei, ut dicitur in Hebraico codice, et est sanctus Dei, ut dicitur in Græco et Latino : neque refert, quod in Græco, sanctum sit generis neutri; nam Angelus quoque Gabriel Luc. 1. dixit, *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Dicitur autem Filius Dei, *sanctum* absolute, quia res est sanctissima, neque est in cœlo, vel in terra aliquid eo sanctius. His ita constitutis, sensus versiculi erit, *Confitebor nomini tuo super misericordia tua et veritate tua*, id est, hæc erit materia canticorum meorum : In toto corde laudabo te super magna illa misericordia tua, et fidelitate tua, qua sicut promisisti Patribus, misertus generis humani, *magnificasti* Christum tuum, qui est *Verbum tuum* et *sanctum tuum*, *super omne nomen*, quia dedisti illi nomen, quod est super omne nomen. Nam hoc facto misertus es generis humani misericordia prorsus ineffabili, et ab omnibus in æternum prædicanda, cum genus humanum depressum per peccatum usque ad inferos, exaltaveris in Christo super omnes cœlos et super omnes res creatas; et sic implevisti cumulatissime veritatem tuam qua promissis tuis stare solitus es. Quia vero in Hebræo non est absolute, *Super omne nomen*, sed, *Super omne nomen tuum*, dupliciter potest accipi nomen *Dei.* Primo, pro potentia, et gloria, quam Deus communicare solet cum creaturis; et tunc sensus est, *Magnificasti* filium tuum, *super omne nomen tuum*, id est, super omnem potentiam, et gloriam, quam alii a te acceperunt, quod est idem cum illo, *Dedit ei nomen*, *quod est super omne nomen*, *ut in nomine Jesu omne genu flectatur.* Secundo, ut nomen *Dei* accipiatur pro fama, et gloria, quæ redundat ex operibus Dei, et tunc sensus est, *Magnificasti* filium tuum *super omne nomen tuum*, id est, ex nullo alio opere acquisivisti majus nomen, famam, et gloriam, quam ex glorificatione Filii tui.

4. In quacumque die invocavero te, exaudi me : multiplicabis in anima mea virtutem.

Ex eo quod *magnificasti sanctum tuum*, confidenter peto, ut semper per illum advocatum nostrum exaudias me, *in quacumque die*, id est, quocumque tempore, *invocavero te :* ille enim dixit, *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Multiplicabis in anima mea virtutem.* Hoc autem est quod peto invocans te, ut multiplices, sive dilates, ut proprie sonat vox Hebraica, non annos vitæ corpori meo, aut opes, aut filios, aut alia ejusmodi, sed *virtutem in anima mea*, id est, robores animam meam (*virtus* enim hoc loco *robur significat*, ut vox Hebraica et Græca demonstrant) ut resistam cupiditatibus, ut tolerem patienter adversa, ut ambulem sine fatigatione in via justitiæ, ut vim inferam Regno cœlorum, ut ad eum, quem magnificasti, aliquando perveniam.

5. Confiteantur tibi Domine omnes Reges terræ, quia audierunt omnia verba oris tui.

Quemadmodum paulo ante dixit, *Magnificasti sanctum tuum*, prædicens futurum per verbum præteriti temporis, quoniam videbat per spiritum rem futuram, quasi præsentem, vel præteritam more prophetico : sic nunc prædicit futuram conversionem gentium per modum imperantis. *Confiteantur*, id est, magnificato sancto tuo per Resurrectionem, et Ascensionem ejus, confitebuntur tibi confessionem laudis omnes Reges terræ, quoniam per Apostolorum prædicationem *audierunt omnia verba oris tui*, id est, quicquid Mundo revelare dignatus es per Prophetas et Apostolos tuos; quæ *verba oris Domini* antea in sola Judæa erant, ut dicit Apostolus Rom. 3. *Illis tradita sunt eloquia Dei :* sed postea per Apostolos audierunt omnes Reges et omnes populi terræ : nam, *in omnem terram exivit sonus eorum.*

6. Et cantent in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini.

Pergit Propheta explicare mysterium vocationis gentium, *Et cantent*, inquit, *in viis Domini*, id est, ambulabunt Reges, et eorum populi *in viis Domini*, quæ sunt misericordia et veritas : istis enim viis Deus ad nos descendit, et nos ad illum ascendimus; ille misericorditer condonando peccata pœnitentium : et juste puniendo impœnitentes, et coronando justos; nos misericorditer condonando peccata proximorum, et juste cum omnibus conversando, atque Deo, et proximo reddendo quod debemus : ambulant autem non inviti, et mœsti, sed læti, et volentes cantando, *quoniam magna est gloria Domini.* Cognoscent enim, et admirabuntur quotidie magis ac magis, quam magna Dominus fecerit, et quam magnifice glorificaverit Christum suum, caput nostrum, et quæ sint divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in Sanctos.

7. Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit, et alta a longe cognoscit.

Hæc est magna gloria Domini, quod cum excelsus imo altissimus sit natura, dignitate, potentia, sapientia, imperio, tamen *humilia* de proximo *respicit*, quoniam ad humiles descendit : et vere in filio suo in terris visus est, et cum hominibus conversatus est : *alta* autem *a longe cognoscit;* quoniam a superbis longe recedit, vel eos longe a se projicit : quomodo Regem superborum diabolum de cœlo ad inferos præcipitavit. Hæc doctrina sanctæ humilitatis omnibus quidem necessaria est, sed præcipue Regibus et aliis in sublimitate constitutis : ipsis enim maximum periculum est a spiritu superbiæ. At cur Deus excelsus non diligit excelsos, sed humiles, cum omne simile diligat sibi simile? Diligit Deus excelsos vera celsitudine præditos, non elatos celsitudine falsa : illi enim similes Deo sunt, isti dissimiles. Porro humiles, qui se nihil esse ex se agnoscunt, implentur a Deo veris bonis, et exaltantur ad celsissimam dignitatem : superbi autem qui se existimant esse quod non sunt, inanes remanent, et solo vento distenti, et inflati procul abjiciuntur.

8. Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me : et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.

Quoniam Deus excelsus humilia benignissime respicit, David, conscius propriæ humilitatis, cum fiducia sibi pollicetur auxilium Domini in omni tribulatione. *Si ambulavero*, inquit, *in medio tribulationis*, ita ut undique tribulantibus, et tentantibus cinctus sim, tamen *vivificabis me*, id est, vivum, illæsum, incolumemque servabis. *Et super iram*, id est, nam super iram (*et*, pro *quia*, passim legitur in Scripturis, ut sæpe monuimus) *inimicorum meorum*, me undique circumstantium et devorare cupientium, *tu extendisti manum tuam*, ut eorum furorem compesceres et conatus impedires ; et sic *salvum me fecit dextera tua*, id est, potentia et virtus tua, quæ Christus est. In Hebræo habentur omnia in futuro, *vivificabis, extendes manum tuam, salvum me faciet dextera tua;* sed idem est sensus, S. Augustinus more suo utiliorem, sed spiritualem sensum excogitavit : *Si ambulavero in medio tribulationis*, id est, si ex amore cœlestis patriæ invenero præsentem vitam esse laboriosam peregrinationem, et sic invenero tribulationem et dolorem, quem non inveniunt, qui vitam præsentem amant ; tunc *vivificabis me*, vita gratiæ tuæ : *et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam*, id est, *in medio tribulationis* ambulabo, quia tu extendisti manum tuam ad me feriendum magis, quam ira inimicorum ferire me possit. Inimici possunt spoliare, vulnerare, occidere, amplius non possunt : tu differs reditum in patriam, et adoptione cœlestis beatitudinis, quod mihi gravius est omni tribulatione corporali : sed tamen non despero, quia, *salvum me fecit dextera tua*, spe et promissione, postea quoque reipsa et visione salvum me faciet eadem dextera tua.

9. Dominus retribuet pro me, Domine misericordia tua in sæculum, opera manuum tuarum ne despicias.

Explicat modum, quo *dextera Domini salvos nos facit. Dominus*, inquit, qui est *dextera tua, retribuet pro me;* retribuet autem tibi Deo Patri pretium pro peccatis meis, sicut alibi dicit, *Quæ non rapui, tunc exsolvebam :* retribuet etiam vindictam inimicis meis, quam ego retribuere non possum. *Domine misericordia tua in sæculum durat*, finem non habet ; ideo peto, *ut opera manuum tuarum non despicias*, id est, quæ tu misericorditer inchoasti opera, inspirans fidem, spem, et charitatem, non deseras, sed conservando, augendo, perficiendo consummes. Recte autem dicit, *opera manuum tuarum*, non opera manuum nostrarum ; quia quidquid boni habemus, illius dono habemus, sine quo non solum nihil possumus facere, sed neque sufficientes sumus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis.

PSALMUS CXXXVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

IN FINEM, PSALMUS DAVID.

AD hunc titulum additur in Græcis Codicibus, *Zachariæ in dispersionem.* Sed hæc verba non habentur in Hebræo : et Theodoretus monet non haberi apud Septuaginta, neque apud ullum interpretem : neque ea nos invenimus apud veteres tractatores. De argumento magna controversia est. S. Hilarius totum Psalmum ad Christum accommodare nititur. S. Augustinus partim de Ecclesia, partim de Christo exponit. Theodoretus prophetiam esse dicit de rebus gestis Josiæ Regis. Alii volunt Davidem de se proprie loqui, et Deum scientem omnia in testem adducere, quod ipse amicos Dei amaverit, inimicos oderit. S. Joannes Chrysostomus, quem Euthymius sequitur, exponit, maxime secundum litteram, de scientia et providentia Dei. Chrysostomum præter cæteros, sequens, existimo Davidem voluisse admonere genus humanum, Deum esse magnum remuneratorem operum bonorum, et contra, severum Judicem operum malorum, atque ut id persuadeat, prolixe disputare de scientia Dei, qua exactissime et profundissime omnia nostra novit, naturam, opera, verba, cogitationes, ut nemo dicere possit : Deus non novit, aut non considerat res nostras, ideo vel judicium ejus effugiemus, vel pro meritis non coronabimur.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Domine probasti me, et cognovisti me : tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam.

Hæc David non de se solum dicit, sed assumit personam generis humani, et in persona omnium affirmat, Deo nos, et nostra omnia esse notissima. *Domine*, inquit, *probasti me*, id est,

examinasti, et scrutatus es me : id enim sonat vox Hebraica. Dicitur autem Deus *examinare* et *probare*, per metaphoram, quia vult perfectissime et exactissime cognoscere omnia, ut revera cognoscit : et quia qui volunt exactissime cognoscere, diligenter scrutantur, examinant, et probant, ideo David utitur hoc modo loquendi, non quod Deus egeat examine, et scrutinio. Itaque sensus est, Tu Domine non es contentus quacumque cognitione rerum nostrarum, sed voluisti accuratissime cognoscere, ut faciunt, qui examinant et probant, et reipsa accuratissime cognovisti me. *Tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam.* Quod dixerat generatim, nunc per partes explicat. Tu, inquit, cognovisti ab æternitate, quando, et quomodo, et qua de causa sedere, vel surgere deberem : nec solum corporaliter, sed etiam moraliter, id est, quando, cur, et quomodo humiliandus, vel exaltandus essem. Et si Deus hæc de omnibus hominibus novit, multo magis novit de Christo, qui est caput hominum, et Angelorum : et ideo recte Ecclesia in die Resurrectionis Christo accommodat hæc verba, *Cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam.*

2. Intellexisti cogitationes meas de longe ; semitam meam, et funiculum meum investigasti.

Docet Deum non solum cognoscere humiliationem, et exaltationem, quæ ad totam vitam pertinent, sed etiam in particulari omnes cogitationes, omnia consilia, omnem eventum. Vel cum docuisset David Deum cognoscere exteriora nostra, humiliationem et exaltationem, nunc docet Deum cognoscere etiam interiora, cogitationes et desideria. *Intellexisti*, inquit, *cogitationes meas de longe*, id est, multo anteaquam cogitare inciperem, tu nosti quid essem cogitaturus, item nosti *de longe semitam meam*, id est, progressum meum, itinera mea, tum corporalia, tum multo magis spiritualia, quæ sunt consilia et deliberationes, denique *funiculum meum investigasti*, id est, finem et metam, ad quam perventurus essem, quam hæreditatem, quam quietem assecuturus. In summa intellexisti ab æternitate principia, media, et finem actionum mearum. Ex Hebræo S. Hieronymus vertit, *malum meum*, pro *cogitationes meas*, sed S. Hieronymus existimavit vocem Hebraicam deduci a רוע *ruah*, et legit, רועי *rohi*, *malum meum :* sed Septuaginta Interpretes deduxerunt eamdem vocem a רעה *raha*, et legerunt רעי *rehi*, quam vocem etiamsi aliqui vertendam putent, *amicum meum*, tamen recte vertere possumus, *cogitationem meam*, ut ipsi etiam Judæi fatentur. De voce *funiculum meum*, magna controversia est : in Hebræo habetur, רועי *rivhi*, *accubitum meum*, sive *accubationem meam*, ut vertit S. Hieronymus, ut sensus sit, *Cognovisti ambulationem meam, et accubitum meum :* sanctus Augustinus legit, *Semitam meam et limitem meum*, et recte, quia finis itineris est limes, sive terminus, et quia in termino homo quiescit, recte dixit David, *semitam meam, et accubitum meum.* Hoc idem significare voluerunt Septuaginta Interpretes per *funiculum :* nam secundum Scripturas *funiculus* significat *hæreditatem*, sive *possessiones*, quæ funiculis dividebantur, Ezechielis 47, Joseph, *duplicem funiculum habet*, id est, duplicem hæreditatem, sive possessionem, quia Joseph duas tribus habuit, Ephraim et Manassem. Omitto eos, qui per *funiculum*, intelligunt itinera longa, vel distorta, et alia id genus, quæ cum voce Hebraica nulla ratione cohærent.

3. Et omnes vias meas prævidisti, quia non est sermo in lingua mea.

Dixerat Deum prævidisse cogitationes, consilia et eventus : nunc addit generatim omnes alios motus etiam otiosos, ut verba multa. Prævidisti omnes alios motus meos usque ad verba inutilia, et otiosa, *quia non est sermo in lingua mea*, supple, quem tu non prævideris. Hinc enim Dominus in Evangelio testatur homines de omni verbo otioso reddituros esse rationem in die judicii : quia Deus omnia observat, omnia considerat, ut omnia in tempore suo in judicium adducat. Unde et S. Job perterritus dicebat, Job. 14. *Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis.* In Græcis codicibus legitur, *Non est dolus in lingua mea*, sed videtur esse nostra lectio verior. Nam S. Hieronymus in epist. ad Suniam et Fretellam testatur, non solum in Hebraico esse, מלה *milla*, *eloquium*, sed etiam Septuaginta Interpretes vertisse, λόγον, id est, *sermonem.* Sanctus etiam Chrysost. varias lectiones adducit, quarum alia habet, *Non est sermo*, alia, *Non est dolus.*

4. Ecce Domine tu cognovisti omnia novissima, et antiqua : tu formasti me, et posuisti super me manum tuam.

Persuadet Propheta duobus argumentis Deum omnia scire, quæ ad nos pertinent, primo, quia novit omnia præterita et futura; unde non est mirum si etiam res humanas exacte sciat, quæ inter cætera non ultimum locum obtinent: secundo, quia ipse fecit hominem, ipse gubernat ; ergo dubitari non debet quin sciat omnia quæ ad illum pertinent. *Ecce*, inquit, *Domine*, *tu cognovisti omnia novissima et antiqua*, id est, futura in novissimis diebus et præterita ab antiquissimo tempore. *Tu* præterea *formasti me*, tu fecisti hominem, et posteaquam fecisti, non dimisisti, ut cæteri opifices faciunt, sed *posuisti super me*, super hominem a te formatum, *manum tuam*, ut eum regeres, conservares, et quasi portares ; alioqui enim in suum pulverem, imo in suum nihilum reverteretur. In Hebræo, quod nos legimus *novissima et antiqua*, posset etiam legi, *retro* et *ante*, et sic legit S. Hieronymus. Ratio cur ita legat, est, quia conjunxit illa verba cum sequentibus *formasti me*, non cum præcedentibus *cognovisti omnia*, non autem cohærebant, *novissima et antiqua*, cum *formasti me*, sicut cohærent *retro* et *ante*. Contra autem Septuaginta Interpretes, quia conjunxerunt cum præcedentibus, ideo verterunt, *Cognovisti omnia novissima et antiqua.* Quamvis autem recentioribus quibusdam valde placeat illud, *retro et ante formasti me*, tamen vulgata editio præferenda est, tum quia maxima est auctoritas Septuaginta Interpretum, tum quia sic legunt omnes patres Græci et Latini : tum quia non est res magna, neque mirabilis, quod qui formaverit hominem, formaverit partes et membra omnia, anteriora et posteriora : id enim omnes

artifices statuarum et picturarum, et ædificiorum faciunt. Sed quod Deus sciat *omnia novissima et antiqua*, id vere magnum et mirabile, et soli vero Deo proprium, et prophetica commemoratione dignissimum est.

5. Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, et non potero ad eam.

Quia demonstraverat Propheta duobus illis argumentis, scientiam Dei ad omnia, quæ hominis sunt, se extendere, ne quis putaret scientiam Dei nobis jam satis cognitam et perfectam esse, subjunxit hunc versiculum ut intelligeremus, scientiam Dei notissimam esse, quoad existentiam, id est, quod sit scientia maxima in Deo, sed obscurissimam esse et plane incognitam, quoad modum, id est, incomprehensibilem esse, quomodo Deus prævideat futura, præsertim libera, quæ pro arbitrio hominis possunt esse et non esse, qualia sunt cogitata, desideria, verba, et pleraque opera hominum. Idem dici potest de essentia et attributis Dei, Deum esse, et esse potentem, sapientem, bonum, justum, misericordem, etc. notissima sunt : quid autem sit Deus, et quomodo tot attributa sint una simplicissima res, una essentia, unum esse, quis novit? quis dicere poterit? Ait igitur, *Mirabilis facta est scientia tua ex me*, id est mirabilior, quam ego assequi possim. Illud enim, *ex me*, phrasi Hebraica, significat, *præ me*, vel *super me*, quod explicatur per verba sequentia, *Confortata est, et non potero ad eam*, id est, prævaluit supra capacitatem meam, sive elevata est altius, quam ego conscendere possim, ut rem apprehendam. Duæ sunt aliæ quæ dantur a Patribus ad hunc versiculum expositiones. Prima est S. Basilii oratione nona in Hexameron, quod illud, *ex me*, significet ex iis quæ sunt in me, ut sensus sit, Ex fabrica humani corporis, mirabilem ostendi scientiam et sapientiam Dei, non minus quam ex fabrica cœli et stellarum. Hæc expositio veram doctrinam continet, sed non est ad mentem Prophetæ, ut intelligi potest ex verbis sequentibus, *Confortata est, et non potero ad eam.* Altera est S. Joannis Chrysostomi, qui existimat Davidem loqui de scientia naturæ et attributorum Dei, ut sensus sit, *Mirabilis est scientia tua*, id est, de te, de tua essentia et attributis; quamvis enim sciamus te esse, et esse bonum et misericordem, tamen non capimus quid sis. Hæc expositio vera est, sed debet restringi ad unum solum attributum, id est, ad scientiam quæ est in Deo : de hac enim Propheta loquitur. Imo in textu Hebraico non habetur pronomen *tua*, sed *mirabilis facta est scientia præ me*, id est, ista scientia, de qua supra dictum est, *Tu cognovisti omnia novissima et antiqua : et omnes vias meas prævidisti*, et *intellexisti cogitationes meas de longe*, ista, inquam, scientia mirabilis facta est *præ me*, id est, mirabilior, quam ego cognoscere possim.

6. Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam?

7. Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades.

8. Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris.

9. Etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua.

Addit aliud argumentum ad probandum neminem esse qui possit latere scientiam Dei, quia videlicet Deus ubique est et omnia penetrat. *Quo ibo a spiritu tuo*, ut videlicet abscondar a te, a tua mente et intelligentia? et idipsum clarius repetit, dicens, *Quo a facie tua*, id est, ab oculis tuis, *fugiam? si ascendero in* summum *cœlum, tu illic es, si descendero in infernum*, in profundum abyssi longissime a cœlo situm, ibi quoque tu ipse idem ades. *Si sumpsero pennas meas*, id est, si dentur mihi pennæ, et mane surgens velocissime fugiam ab Oriente, *et habitem in extremis maris*, id est, in ultimo Occidente : non tamen te effugere potero : nam *manus tua deducet me, et tenebit me :* quia sine Dei auxilio moveri non possumus, et quocumque imus, Deo nos portante imus. *In ipso* enim (ut ait Apost. Act. 17.) *vivimus, movemur, et sumus.* In Hebræo habetur pulcherrima figura poetica, sic enim habetur ad litteram, *Si sumpsero pennas auroræ, et habitavero in extremis maris.* Aurora enim ut mox apparuerit in Oriente, spargit radios suos usque ad Occidentem, ut videatur quasi pennis velocissime ferri ab ortu usque ad occasum. Porro per *extrema maris*, intelligimus ultimum Occidentem, non ut quidam volunt, quia Scriptura soleat per *mare* intelligere Occidentem; sed quia hoc loco extrema maris opponuntur Orienti, ubi oritur Aurora : nam absolute Scriptura per *mare* intelligit Austrum, non Occidentem. Psalm. 106. *A solis ortu et occasu, ab Aquilone et mari :* et quamvis terra promissionis habeat ad occasum mare Mediterraneum, habet tamen ad Austrum mare Rubrum et mare Oceanum. Et hoc loco non terram promissionis, sed totum mundum Propheta describit, a summo cœlo usque ad imum infernum, et a mari Orientali, usque ad mare Occidentale, quo spatio totus orbis terrarum continetur, ut diximus in explicatione Psalm. 71. Denique observandum est illa verba, *Si ascendero in cœlum, si descendero in infernum, si sumpsero pennas*, esse accipienda conditionaliter, non absolute, in hunc sensum : Etiamsi ascendere possem in cœlum, vel descendere in infernum, vel volare ab ortu ad occasum; non possem a te abscondi, vel a te fugere.

10. Et dixi, Forsitan tenebræ conculcabunt me, et nox illuminatio mea in deliciis meis.

11. Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur : sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus.

Objicit ipse sibi, posse fieri ut abscondatur a Deo, beneficio tenebrarum. Et respondet id non posse fieri, quia tenebræ apud Deum non sunt tenebræ. *Deus* enim *lux est*, ut scribit S. Joan. 1. epist. 2. *lux autem in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt*, ut idem scribit in 1. cap. Evangelii. Sicut enim lux solis corporalis non potest obrui tenebris, quia tenebras præsentia sua fugat, et ubicumque sol est, dies est : sic etiam lux spiritualis et increata, quæ Deus est, nullis tenebris impediri potest, quia præsentia sua tenebras omnes dissipat. Itaque

nullum omnino latibulum homini relinquitur, in quo ab oculo Dei abscondi queat. Et dixi, *Forsitan tenebræ conculcabunt me*, id est, forsitan tenebræ densissimæ operient me, et sic effugiam oculos Dei. Ubi illud, *conculcabunt*, non significat, conterent, sed tegent, et obscurabunt sua densitate : id enim sonat vox Hebraica, quam S. Hieron. recte vertit, *operient me*. Verbum autem Græcum et Latinum metaphoricum est, quod enim calcatur, in profundo ponitur et absconditur. *Et nox illuminatio mea in deliciis meis*. Hæc est responsio ad objectionem factam: quæ responsio in codice Hebraico clarissima est, secundum versionem S. Hieronymi, videlicet; *Et nox lux est circa me*, id est, nox respectu oculorum Dei non est nox, sed illuminatio *circa me*. Septuaginta Interpretes non verterunt *circa me*, sed *in deliciis meis* : quia vocem Hebraicam, בעדני *bahadeni*, duxerunt ab עדן *eden*, quod est voluptas, et rectissime reddiderunt, *in deliciis meis* : sed quia hæc interpretatio obscurior est, S. Joannes Chrysostomus, et alii multi, qui eum sequuntur, confugiunt ad metaphoram, et volunt per *noctem* et *tenebras* significari tribulationes, et hunc sensum esse horum verborum, forsitan tenebræ tribulationum conculcabunt me ; sed per gratiam Dei consolantem me, nox ipsa erit mihi illuminatio, tribulatio vertetur in consolationem in deliciis meis spiritualibus. Sed non est opus ad metaphoram confugere; et totus contextus Psalmi melius continuabitur et cohærebit, si de veris tenebris hic versiculus explicabitur. Hic igitur est sensus litteralis, *Nox illuminatio mea in deliciis meis*, id est, nox ipsa per se obscura coram oculis Dei, non erit nox, neque obscura, sed erit illuminatio mea, id est illuminabit, et patefaciet me in deliciis meis nocturnis versantem : nam, qui deliciis impuris vacant, tenebras noctis quærunt, existimantes se a nemine videri, et ita securius peccare : unde et Apostolus ait, *Qui dormiunt, nocte dormiunt, et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt* : et poterat addere, Qui in cubilibus et impudicitiis delicias quærunt, in noctibus eas quærunt. Sed frustra; nam oculus Domini sole ipso lucidior tenebras omnes penetrat, et nihil est ei absconditum. Induit autem hoc loco personam impiorum Propheta sanctus, dum hæc dicit; et in sequentibus clarius idem repetit, *Quia tenebræ*, inquit, *non obscurabuntur a te*. In Hebræo elegantius, Quia tenebræ non tenebrescent apud te. *Et nox sicut dies illuminabitur*, id est, et nox non erit obscura, ut solent noctes, sed erit lucida, ut lucidi sunt dies. *Sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus*. In Hebræo paulo clarius, *Sic tenebræ, sicut lumen*. Sed addiderunt Septuaginta pronomen, *ejus*, generis feminini, αὐτῆς, et sensus est, *Sicut tenebræ ejus*, id est, noctis, *ita et lumen ejus*, id est, diei, perinde enim est apud Deum, sive sint tenebræ noctis, sive lumen diei : quia non minus videt in tenebris noctis quam in luce diei.

12. Quia tu possedisti renes meos : suscepisti me de utero matris meæ.

Probat Deum in tenebris videre, et nihil ei esse absconditum, quamvis occultissimum, ex formatione membrorum nostrorum internorum in utero matris adhuc reconditorum : duplex enim hic est obscuritas : una, quia membra sunt interna ; altera, quia sunt in utero matris. *Quia tu possedisti renes meos*, id est, hinc apparet, tibi perinde esse noctem, et diem, tenebras, et lucem ; quia tu formasti, et formando, tuos effecisti *renes meos*, partes videlicet secretas et absconditas, ubi est sedes internæ cupiditatis : proinde affectus mei, et desideria mea in manu tua sunt : neque solum *renes meos*, sed me totum in utero latentem suscepisti formandum, et fovisti formatum. Illud, *possedisti*, est in Hebræo קנית *canitha*, quod significat, *producere*, et ratione productionis possidere ut rem suam. Sic Gen. 2. dicit Eva, *Possedi hominem per Deum*, quando genuit Cain : et Proverb. 8. dicit Sapientia Dei, *Dominus possedit me in initio viarum suarum*. Utrobique est idem verbum Hebraicum : illud autem, *suscepisti me*, non significat suscipere quomodocumque, sed suscipere formandum, sive fovere et tegere. Unde Sanctus Hieronymus vertit, *Orsus es me*, alii *obumbrasti me*. Illud denique *de utero*, in Hebræo est, *in utero*, et colligitur ex versieulis sequentibus, omnia hæc intelligenda esse de conformatione humani corporis in utero. Quare, ut verba Græca et Latina concordent cum Hebraicis et cum sensu ipso Prophetæ, illud, *suscepisti me de utero*, non debet exponi de egressu ab utero, sed de tempore quo erat in utero, in hunc sensum. Suscepisti me formandum, et fovendum de ipso utero, id est, antequam exirem de utero, dum adhuc essem in utero. Sicut intelligitur illud Isaiæ 49. *Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei* : sive enim hoc intelligatur de Christo, sive de S. Joan. Baptista, id significat Deum vocasse nomen ejus, et destinasse illum ad magnum officium ab ipsa conceptione, dum adhuc esset in utero.

13. Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, et anima mea cognoscet nimis.

Interrumpit Propheta narrationem de opificio humano per apostrophen ad Deum, et admirans magnitudinem scientiæ et sapientiæ Dei in hoc opere, *Confitebor*, inquit, *tibi*, id est, cogitans hæc opera tua, confitebor tibi confessionem laudis, quia terribiliter terrore admirationis, et reverentiæ magnificatus es. Declarat autem in quo sita sit hæc admirabilis magnificentia, dicens, *Mirabilia opera tua, et anima mea cognoscet nimis*, id est, admiranda sunt opera tua in formatione hominis in utero matris tam recondito et obscuro, et anima mea valde sataget, ut cognoscat multitudinem horum operum tuorum ; ubi non significatur perfecta cognitio operum Dei, sed cognitio, quod magna et mirabilia sint. Quo modo non videmus, nec scimus, quanta sit magnitudo maris, sed cognoscimus mare esse amplissimum, et ex hoc ipso cognoscimus esse amplissimum, quod ex nullo loco totum cernere possumus. Quo modo etiam solem adversum intueri nequimus, sed hoc ipso intelligimus solis lucem esse maximam. In Hebræo nunc legimus, *magnificatus sum* ; sed Septuaginta legerunt in secunda persona, non in prima : sensus autem est idem, nam ideo Deus magnificatus est valde in hoc opere, quia magnificum opus fecit, cum nos ita magnificavit.

14. Non est occultatum os meum a te quod fecisti in occulto : et substantia mea in inferioribus terræ.

Revertitur ad scientiam et sapientiam Dei in opificio humano. *Non est occultatum*, inquit, *a te os meum*, id est non latet scientiam tuam ossatura mea, ut sic loquar, id est, qualia, et quam multa ossa lateant intra carnem humanam, quia tu ipse ea fecisti, et in occulto fecisti, videlicet in utero matris, et intra pellem et carnem nostram. Idem repetit aliis verbis dicens, *Et substantia mea in inferioribus terræ*, id est, non est occultata a te substantia corporis mei, adhuc etiam latens in profundo utero, quasi metallum in visceribus terræ : vel si non placeat, per *inferiora terræ*, intelligere uterum matris : possemus exponere proprie de ipsa terra, quæ infima est inter elementa : nam admirationem operum Dei pertinet, quod tam nobilem substantiam formaverit in hac infima terra. Porro qui viderunt anatomiam corporis humani, satis mirari non possunt sapientiam Dei in fabrica tot ossium magnorum, parvorum, minimorum, mirabiliter inter se connexorum, atque id totum sine instrumentis in loco angustissimo, et obscurissimo peractum. Potest etiam hoc intelligi simul de ossibus corporis, et animæ, id est, de robore, et fortitudine animi humani, quod tantum est, ut homo natus inermis et nudus audeat, auxilio Dei fretus, non solum bestias, sed et ipsos dæmones ad bellum provocare. In Hebræo, pro, *quod fecisti*, habetur, *quod factus sum;* sed credibile est Septuaginta legisse, עשית *hasita*, fecisti, non עשתי *huseti, factus sum :* et sensus interpretationis Septuaginta est longe clarior. Pro illo autem, *et substantia mea*, in Hebræo legitur, רקמתי *ruchamti*, id est, *variegatus sum*, ut sensus sit, *non occultatum est a te os meum, quod fecisti in occulto;* neque etiam occultatum est a te, quomodo variegatus sim a te varietate membrorum, et potentiarum, et partium similarium, *in inferioribus terræ*, id est, in utero matris, sive in hac ima terra, in qua degimus : quæ sententia elegans est, et vera. Sed Septuaginta non legerunt רקמתי *ruchamti*, sed unica littera paululum immutata, et aliis punctis subintellectis, וקמתי *vecomati, et erectio mea*, sive exaltatio, a non esse ad esse, quod est ipsa substantia : et sic legerunt omnes veteres.

15. Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur : dies formabuntur, et nemo in eis.

Pergit in ostendenda scientia Dei erga humani corporis opificium : et per *imperfectum*, intelligit corpus informe, quod vocant embryonem, in quo nondum apparet forma, et distinctio membrorum. Hoc, inquit, *imperfectum meum viderunt oculi tui*, nec simpliciter viderunt, sed cognoverunt, quid inde fieri deberet, et quo tandem evasurum esset. Reddit mox rationem subjiciens, *Et in libro tuo omnes scribentur*, id est, quia habes apud te exemplaria, sive ideas omnium, quo modo pictor, vel sculptor scit ex informi materia, quid futurum sit, quia videt exemplar. Itaque illud, *et*, accipitur pro, *quia :* Quia, inquit, *in libro tuo*, id est, in mente tua, omnes homines, imo etiam res omnes descriptæ invenientur. *Dies formabuntur, et nemo in eis.* S. Hilarius legit, Die formabuntur, et in Græco textu est casus accusativus, ac per hoc subintelligitur aliquid, ut sensus sit, In dies formabuntur informia corpora, et perducentur ad perfectionem suam, ut in exemplari relucent. *Et nemo in eis*, supple, deerit, vel ut est in Hebræo, nihil in eis deerit. Ordinarie siquidem nullus homo conceptus in utero, ad perfectionem suam non pertingit, neque aliquid ex iis, quæ naturaliter requiruntur, in eis deficit : cum enim secus accidit, ut in abortivis, vel iis, qui nascuntur cæci, aut muti; id non accidit ex defectu primæ causæ, sed secundarum. Possent hæc omnia intelligi etiam de perfectione hominis quantum ad animam, id est, de sapientia, prudentia, virtutibus moralibus, gratia, et gloria. Novit enim Deus *imperfectum* nostrum, et nos ex nobis nihil esse, nisi massam informem, sed juxta descriptionem in libro vitæ, in dies formamur, et perficimur, donec efficiamur conformes imagini Filii Dei, et configuremur corpori claritatis ejus. Atque ad hanc perfectionem tam excellentem corporis et animæ, ad quam ex tanta imperfectione perducuntur amici Dei, respiciens Propheta exclamat id quod sequitur.

16. Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.

Exclamatio ob admirationem nascitur, ut dixi, ex eo quod Propheta consideravit ex quanta abysso imperfectionis Deus perducat amicos suos ad summam et eminentissimam perfectionem, in qua simul ostenditur providentia Dei considerantis, et curantis res humanas, ut maxime proprias, et merita hominum altissime remunerantis, et demerita severissime punientis. *Mihi autem*, inquit, id est, apud me, sive meo judicio, *nimis honorificati sunt amici tui Deus*, id est, valde omnino, et supra quam intelligam, *honorificati sunt amici tui*, valde omnino confortatus est, roboratus, et stabilitus principatus eorum : nam reducti ex massa perditionis, et ex diabolica captivitate, transferuntur ad Regnum æternum, facti Angelis æquales, Filii Dei, et hæredes, fratres autem, et cohæredes Unigeniti, quem constituit Deus hæredem universorum. Non desunt, qui illud, *mihi*, interpretentur, *a me*, ut sensus sit, a Davide honoratos semper fuisse amicos Dei. Sed prior expositio est communior, et verior, et melius cohæret cum verbis sequentibus, *Nimis confortatus est principatus eorum.* Qui enim honorificavit amicos Dei, ille idem confortavit principatum omnium amicorum suorum. In Hebræo, et Græco habetur in numero multitudinis, *confortati sunt principatus eorum.* Sed idem est sensus : principatus enim justorum et unus est, et multi; unus, quia unum est Regnum Dei commune omnibus Sanctis; multi, quia omnes et singuli Reges sunt, et Principes magni : ejus enim naturæ et conditionis est Regnum cœleste, ut sine contentione, vel æmulatione, vel detrimento a singulis possideri possit in solidum. Quod autem dicitur, confortatus est, non solum referri debet ad robur, sed

etiam ad multiplicationem subditorum : tunc enim confortatur principatus, cum crescit, et propagatur, et hoc declaratur in sequenti versiculo.

17. Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur, exurrexi, et adhuc sum tecum.

Declarat quomodo confortatus sit principatus amicorum Dei : et dicit confortatum esse, quia mirifice brevi propagatus est. Quod quidem verissimum est, tum quia ipsi Principes tot sunt futuri, ut S. Joannes dicat, Apoc. 5. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, et tribubus, et linguis*, etc. tum etiam, quia omnes res creatæ, et ipsi etiam dæmones, et homines reprobi subjecti erunt post judicium pedibus Sanctorum, atque ad principatum eorum pertinebunt. Ait igitur, *Dinumerabo eos*, id est, conabor numerare vel amicos Dei, quia principatu fruentur, vel subditos eorum, et præ multitudine numerare non potero, quia *super arenam multiplicabuntur*, id est, plures erunt, quam grana arenæ in littore maris. Est autem hæc amplificatio quædam, sed familiaris divinæ Scripturæ. Gen. 13. dicit Dominus Abrahæ, *Faciam te*, sicut pulverem terræ, id est, multiplicabo posteritatem tuam secundum multitudinem granorum pulveris terræ, quæ numerari non possunt. Genes. 22. *Crescere te faciam, sicut arenam, quæ est in littore maris.* His dictis Propheta de se loquitur, atque ostendit, ex cognitione tam ingentis gloriæ Sanctorum amicorum Dei, se quoque exarsisse in affectum Dei, et desiderium participandæ ejusmodi gloriæ. *Exurrexi*, inquit, sive ut sonat vox Hebraica, *evigilavi*, ad hanc novam lucem, et surrexi per amorem, et desiderium in te : *et adhuc*, id est, usque ad hoc tempus *tecum sum*, tibi inhæreo, a te pendeo, cupidus perseverandi usque in finem. Scio hæc pauca verba mille modis exponi a veteribus, et recentioribus; sed piguit ea describere, quæ alii dicunt, cum in ipsorum libris legi possint. SS. Patres Hilarius et Augustinus exponunt de Resurrectione Christi, quos sequuta Ecclesia in Missæ introitu hæc verba posuit, *Resurrexi, et adhuc tecum sum; posuisti super me manum tuam, mirabilis facta est scientia tua.* Sed nimis difficilis est continuatio verborum, si hæc ad litteram intelligantur de Christi Resurrectione ; ideo dicendum videtur, hæc posse applicari ad Christum, quia illi maxime proprie conveniunt, quamvis de alio dicta sint quomodo exposuimus illud, *Tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam*, de humiliatione et exaltatione omnium hominum : et tamen admonuimus, Christi passioni, et resurrectioni potissimum convenire, quo modo etiam Ecclesia in Missa de Assumptione applicat B. Virgini Deiparæ illa verba, *Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea :* quoniam in eam optime conveniunt ; quamvis de Maria Magdalena dicta esse constet ad litteram, Luc 7.

18. Si occideris Deus peccatores, viri sanguinum declinate a me.

19. Quia dicitis in cogitatione, accipient in vanitate civitates tuas.

Dixit Propheta, justos Dei amicos valde honoratos esse a Deo, et optaverat consortium eorum : nunc e contrario dicit, impios inimicos Dei interficiendos justo Dei judicio, et recusat amicitiam, et consortium ipsorum. *Si occideris Deus peccatores*, id est, si tu Deus justo tuo judicio, ut probos honorificabis, et exaltabis, ita peccatores reprobabis, et ad interitum sempiternum damnabis : ego nolo consortium istorum, ideo dico vobis, impiis, *Viri sanguinum declinate a me.* Vocat autem *viros sanguinum*, non solum homicidas, qui sanguinem humanum injuste fundunt, et proprie dicuntur *viri sanguinum*, sed omnes alios improbos, et scelestos qui aliis nocere cupiunt, vel nocent, et occidunt animas proprias per peccatum, et animas aliorum per scandalum, et vere etiam odio habentes proximum homicidæ dici possunt, quia odium principium est homicidii. Quare S. Joannes in Epist. 1. cap. 3. dicit, *Qui odit fratrem suum homicida est. Quia dicitis in cogitatione*, id est, quia cogitatis apud vos, et in corde vestro dicitis, *Accipient*, justi videlicet, *in vanitate*, id est, frustra, et in vanum, *civitates tuas*, id est, civitates Dei, frustra, inquam, accipient, quia brevi auferentur ab eis. Hæc referuntur ad id quod supra dictum erat, *nimis confortatus est principatus eorum*, id est, valde propagatus per conversionem infidelium ad finem, et impiorum ad justitiam. Quoniam igitur per propagationem Ecclesiæ, civitates, id est, cœtus plurimi ablati fuerant a dæmonum servitute, et idololatrarum dominio ; ideo dicebant impii, qui reliqui erant, in corde suo, invidentes propagationi Regni Christi, *Accipient in vanum civitates*, quoniam sperabant, brevi fore, ut eas recuperarent. Observanda sunt aliqua hoc loco. Primo, magnam esse in Græcis textibus varietatem, quod pertinet ad illud, *quia dicitis in cogitatione :* sed cum lectio vulgatæ Latinæ editionis concordet cum Hebraica lectione; non dubitabimus, illam ex Græcis veriorem esse, quæ cum Hebraica Latinaque concordat. Secundo, in Hebraico haberi, *Quia dicunt tibi*, sed in nostra lectione omissum esse illud, *tibi*, quia facile subintelligi poterat : qui enim dicunt, *in cogitatione*, non verbis externis ; illi non audiuntur ab hominibus, sed a solo Deo ; ideo dicunt tibi Deo, non nobis hominibus. Tertio, illud, *civitates tuas*, recte correctum esse, cum antea haberetur, *suas;* nam, *tuas*, habetur in textibus non solum Hebraicis, sed etiam Græcis, et in manuscriptis Latinis, et errore librariorum mutatum erat in impressis, *tuas*, in *suas.*

20. Nonne qui oderunt te Domine, oderam : et super inimicos tuos tabescebam.

21. Perfecto odio oderam illos, et inimici facti sunt mihi.

Qui evigilat in Deum, et illi pleno corde adhæsit, nihil mirum est, si profiteatur se odisse eos, qui Dominum oderant : et si tabescebat ex tædio et dolore, cum videbat offendi ab impiis Dominum suum. Quod autem dicit, *Perfecto odio*, S. Augustinus refert ad virtutem charitatis, quæ diligit personas, et odit iniquitatem. Sed potest etiam significare odium consummatum, et inimicitiam irreconciliabilem : quo tamen odio vir justus persequebatur peccata, non personas : ideo enim adjungit, *inimici*

facti sunt mihi, quasi dicat, non ego illis, cum eos diligam, et emendari cupiam, sed illi mihi, qui oderunt increpationem, et converti ad justitiam nolunt.

22. Proba me Deus, et scito cor meum: interroga me, et cognosce semitas meas.

23. Et vide si via iniquitatis in me est, et deduc me in via æterna.

Quod initio dixerat, Deum fecisse: nunc ipse rogat, ut faciat, id est, ut pergat scrutari et examinare cor, et semitas ejus, id est cogitationes, desideria, progressus, et actiones ejus. Finem autem scrutationis esse cupit, ut si Deus videat in ipso viam iniquitatis, quæ ducit ad acquirenda temporalia, abstrahat eum inde, et deducat in viam æternam, id est, ad ea cogitanda, desideranda, et facienda quæ pertinent ad bona sempiterna.

PSALMUS CXXXIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus David.

Recentiores sequuti Theodoretum, Psalmi hujus argumentum esse docent precationem Davidis adversus Saulem Regem, et ministros ejus. Sed veteres Patres, Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, argumentum esse volunt, precationem Corporis Christi adversus Diabolum, et iniquos homines, qui instrumenta, vel satellites Diaboli sunt. Sanctus autem Hilarius non solum ita exponit, sed etiam refellit expositionem, quam recentiores sequuntur: dicit enim hunc Psalmum non debere exponi de Davide persecutionem patiente a Saule, tum quia nihil proprie in hoc Psalmo de Saule, vel Davide dicatur; tum quia non desint multa, quæ non possunt Sauli et Davidi accommodari, ut illud, *tota die constituebant prælia:* non enim quotidie Saul adversus Davidem bella constituit; imo nunquam Saul prælium adversus Davidem constituit, si proprie loqui velimus: sed fugientem persequebatur, vel delitescentem perscrutabatur; bella enim et prælia inter duos exercitus constituuntur, non inter unum insequentem, et alium fugientem. Adde quod, quando placuit Davidi de suis persecutoribus Psalmos canere, in titulo nomina eorum posuit, quod videmus in Psal. 141. 142. 143. et aliis plurimis, et quia hic factum non est, dicamus cum Patribus, Psalmo præsenti doctrinam generalem tradi.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Eripe me Domine ab homine malo, a viro iniquo eripe me.

Christus loquitur secundum Hilarium in persona sua, et membrorum suorum: vel, quod est fere idem, loquitur corpus Christi, id est, cœtus fidelium, ut alii Patres dicunt. Per *hominem malum*, intelligit S. Augustinus Diabolum, qui dicitur Matth. 13. *inimicus homo:* alii intelligunt homines malos, qui a Diabolo excitantur, et reguntur. Utrumque est verum, et simul conjungi potest, ut sensus sit, *Eripe me ab homine malo*, sive Diabolus, qui est inimicus homo, per se, sive per homines sibi subjectos, me infestet. Et quemadmodum illud, *me*, non significat unum certum hominem patientem, sed cœtum justorum; sic etiam illud, *ab homine malo*, non significat unum certum hominem infestantem, sed cœtum iniquorum, sive omnem iniquum: Quod sequitur, *a viro iniquo eripe me*, est repetitio ejusdem rei: quamvis enim aliqui sint mali, qui non videntur esse iniqui, id est, injusti: tamen aliquo modo omnis malus est iniquus, quia nocet saltem ipse sibi, nocet etiam aliis saltem exemplo, et S. Joannes in epist. 1. cap. 3. dixit, *Qui facit peccatum, iniquitatem facit, et peccatum est iniquitas.*

2. Qui cogitaverunt iniquitates in corde, tota die constituebant prælia.

Reddit rationem, cur dixerit, *eripe me*, et dicit, rationem esse, quia patitur infestationem cogitationum, verborum, et factorum, et infestationes tales, quæ dici possint prælia assidua, ut nullæ dentur induciæ, nulla intermissio: proinde non sine causa hortatur Apostolus ad Ephes. 6. *ut sumamus armaturam Dei*, Græce, πανοπλίαν, id est, *omne genus armorum*, galeam, loricam, scutum, gladium, ut possimus resistere, et in omnibus perfecti stare. Ac primum de prælio cogitationum, *Qui cogitaverunt*, inquit, *iniquitates in corde.* Illud, *cogitaverunt*, demonstrat verum esse quod supra diximus, per *hominem malum*, non intelligi unum certum hominem, ut Saulem, sed cœtum iniquorum, dæmonum, et hominum. Porro, *cogitare iniquitates in corde*, est meditari deceptiones, parare insidias, ordiri strategemata. *Tota die constituebant prælia*, id est, per omne tempus sine ulla intermissione instruebant prælia, quæ in corde meditati fuerant. Possent hæc fortasse præcipue intelligi de præliis internis cogitationum malarum, quæ opera Principis tenebrarum nobis immittuntur, qualia sunt desideria impudica, tentationes,

infidelitates, scrupuli, et perplexitates mentis, quæ miro modo nos cruciant, et perturbant.

3. Acuerunt linguas suas sicut serpentis : venenum aspidum sub labiis eorum.

Hoc est alterum malum, quod patimur ab inimicis, malum verborum videlicet, calumniarum, detractionum, conviciorum, fraudum, et aliorum id genus malorum, et quidem finis hominum malorum conviciantium, detrahentium, fraudantium, est lucrum temporale, vel vindicta temporalis. Sed finis Diaboli est pertrahere hominem ad impatientiam, vel iracundiam, vel odium proximi, et ad peccata, quæ inde sequuntur ; potest etiam per *linguam serpentium* intelligi prædicatio hæreticorum, quæ molliter serpit, sed lethale virus inspirat, et occidit. *Acuerunt*, inquit, viri illi mali, *linguas suas, sicut serpentis*, ut facilius penetrarent in aures, et in corda : *venenam aspidum* nocentissimum, *sub labiis eorum*, absconditum est, quod per linguam jaculantur in auditores. Illud *sicut serpentis*, antea legebatur, *sicut serpentes :* sed merito correctum est, quia in Hebræo erat ambiguum, an esset legendum, *sicut serpens*, an, *sicut serpentis :* sed textus Græcus declaraverat ambiguitatem, et posuerat, *sicut serpentis. Serpentes* autem in numero multitudinis, neque in Hebræo legebatur, neque in Græco, sed in sensu nulla diversitas est.

4. Custodi me Domine de manu peccatoris, et ab hominibus iniquis eripe me.

Hoc est tertium malum, quod ad rem ipsam pertinet, ac primum petit cœtus justorum protectionem, ne manus peccatoris appropinquet, et noceat : ubi videtur per *peccatorem* intelligere Principem ipsum tenebrarum, deinde addit ad petitionem, ut etiam eripiat, *ab hominibus iniquis*, qui membra sunt Diaboli, ne et ipsi nocendi potestatem accipiant. Quid autem mali potissimum timeat, et a quo liberari cupiat, explicat in duobus versiculis sequentibus.

5. Qui cogitaverunt supplantare gressus meos : absconderunt superbi laqueum mihi.

6. Et funes extenderunt in laqueum : juxta iter scandalum posuerunt mihi.

Qui cogitaverunt supplantare gressus meos. Hic est finis Principis tenebrarum, ut nos impediat a via salutis, ex qua ille irreparabiliter excidit. Itaque ipse, et Angeli ejus in hoc unum semper intenti sunt, ut supplantent gressus nostros, ut non ambulemus in via Domini, ut cadamus in ea, ut retrocedamus, ut saltem lente progrediamur. Id autem faciunt abscondendo, et multiplicando laqueos, eosque juxta viam constituendo. *Absconderunt,* inquit, *superbi laqueum mihi;* non poterant dæmones aptius designari, quam nomine *superborum*, siquidem peccatum eorum non est ortum ex concupiscentia carnis, id est, luxuria, vel concupiscentia oculorum, id est, avaritia, sed ex sola superbia vitæ, quia *similes Altissimo* esse voluerunt. Tob. 4. *Superbiam in tuo sensu, aut in tuo verbo nunquam dominari permittas, in ipsa enim sumpsit initium omnis perditio*, et Job. 41. dicitur Diabolus, *Rex super omnes filios superbiæ. Abscondit* autem Diabolus *laqueos*, quando in actionibus humanis manifestat bonum, abscondit malum, id est, facit ut homo cogitet utilitatem, aut voluptatem, non cogitet jacturam, et amaritudinem adjunctam ; manifestat adultero pulchritudinem mulieris, abscondit turpitudinem peccati ; manifestat furi lucrum pecuniarum, abscondit jacturam Regni cœlorum ; manifestat ambitioso excellentiam gradus altioris, abscondit periculum lapsus gravioris ; denique manifestat dulcedinem culpæ, abscondit amaritudinem pœnæ. *Extendit* autem *funes in laqueos*, dum multiplicat laqueos, quasi dicat, extendit funes, ut inde multiplices efficiantur laquei : nam cui tetendit laqueum adulterii, tendit paulo post laqueum homicidii, ut adulterium tegatur ; et cui tetenderat laqueum homicidii, tendit postea laqueum perjurii, ut justam sententiam Judicis evadat. Denique, *juxta iter ponit scandala*, id est, laqueos, id enim sonat vox Hebraica, מוקשים *moschescim, laqueos*, et *offendicula :* quia *in ipsa via, quæ est lex Domini*, nulla offendicula, sive laquei esse possunt, juxta illud Psalm. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum.* Sed cum incipimus declinare a via, ibi continuo inveniuntur laquei, et offendicula. Quare unicum remedium est, caute ambulare, ut Apostolus monet, et pedem extra viam legis Domini nunquam ponere.

7. Dixi Domino, Deus meus es tu, exaudi Domine vocem deprecationis meæ.

8. Domine, Domine virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meum in die belli.

Adversus tot pericula invocat auxilium Dei, sine quo nihil possumus facere. *Dixi*, inquit, *Domino, Deus meus es tu*, ac per hoc ego sum populus tuus ; Dominus meus es tu, servus tuus sum ego : quare ad te pertineo, ideo exaudi vocem deprecationis meæ. Deinde, ut ostendat præsentia et urgentia pericula, iterum clamat Domino, *Domine virtus salutis meæ*, id est, ideo confidenter te rogo, quia tu solus es robur, unde pendet salus mea : tu es virtus, id est, potentia, et fortitudo, per quam ab inimicis salvus esse potero. *Obumbrasti super caput meum in die belli*, id est, jam alias protectionem tuam expertus, iterum ad te confugio ; tu enim in die belli, cum videlicet graviter ab hostibus oppugnarer, fuisti mihi, instar galeæ ; nam *obumbrasti*, et texisti auxilio tuo caput meum, ut mortem, quæ mihi instabat, evaderem. Sed potest etiam hoc intelligi de umbraculo ad refrigerandum caput, et totum hominem *in die belli* interioris, quod in æstu concupiscentiarum consistit, homo enim fatigatus, et æstuans tentationibus mali desiderii omnino aresceret et inflammaretur, nisi Deus obumbraret illi.

9. Ne tradas me Domine a desiderio meo peccatori : cogitaverunt contra me, ne derelinquas me, ne forte exaltentur.

Consequenter ad superiora petit semper obumbrari ab æstu mali desiderii : nisi enim

concupiscentia mala nos ceperit, frustra dæmones tentant, frustra homines sæviunt. *Ne tradas*, inquit, *me Domine*, id est, ne sinas me tradi *a desiderio meo peccatori*, dæmoni videlicet, vel homini tentanti. Tunc enim a desiderio nostro tradimur inimicis, quando concupiscentia mala nos captivos facit, et in potestatem satanæ tradit: exempli gratia, cum vides mulierem ad concupiscendam eam, concupiscentia te reum facit, et tentationi subjicit: cum persecutor mortem minatur, nihil potest tradere diabolo, nisi desiderium vitæ temporalis: cum tentator offert occasionem lucri per fraudes, nihil tradit peccatori tentanti, nisi desiderium lucri; et idem de cæteris dici potest. *Cogitaverunt contra me, ne derelinquas me*, id est, ideo cupio ut non derelinquas me sine umbraculo gratiæ tuæ, quia inimici *cogitaverunt contra me*, id est, meditati sunt insidias, et si forte ceperint me, triumphabunt, et gloriabuntur, et exaltabuntur, quasi non me solum, sed etiam te superaverint. In Hebræo longe aliter habetur hic versiculus, sic enim ad verbum reddi potest, *Ne tradas Domine desideria impio, scelus ejus ne effundas, exaltabuntur.* Sed Septuaginta Interpretes legerunt easdem voces Hebraicas alio modo, quam Rabbini legant: nam vox illa, מאויי *maavaie*, quæ significat *desideria*, potest legi, מאויי *meavaie*, et significat *a desiderio meo*, et sic legerunt Septuaginta; sic etiam illa vox, זממו *zemamo*, quæ significat *scelus ejus*, potest legi, זממו *zamemu*, id est, *cogitaverunt:* denique illud, אלתפך *altephoch*, potest significare, *ne effundas*, et etiam, *ne avertaris*, supple a me, quod est idem cum illo, *ne derelinquas me.* Et quamvis lectio Septuaginta Interpretum, et vulgatæ Latinæ editionis verior sit, quippe antiquissima, et quam recipiunt SS. Patres: et expositio a nobis tradita, quæ est S. Augustini, et Euthymii, optima nobis videatur: tamen sensus qui eruitur ex Hebraico textu, quem nunc habemus secundum puncta Rabbinorum, est etiam verus, et videtur a S. Joanne Chrysostomo traditus; hic autem est sensus, *Ne tradas Domine desideria sua impio*, id est, ne permittas impium satiare desiderium suum, quod de me perdendo habet. *Ne scelus ejus effundas*, id est, ne sinas scelus ejus effundi super me, ne impii exaltentur, et triumphum canant.

10. Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos.

Ab hoc loco Propheta prædicit pœnas, quas dabunt impii, qui persecuti sunt justos. Quod autem in hoc versiculo dicitur obscure, idem est cum eo quod dicitur clarius in Psalm. 7. *Convertetur dolor ejus in caput ejus: et incidit in foveam quam fecit*, id est afflictio, quam paraverunt impii justis, super eos revertetur, eosque obruet. Id impii experiuntur in morte, et in die judicii omnibus manifestum erit: tunc enim omnis pœna justorum convertetur in gloriam, et omnia peccata impiorum convertentur in miserias sempiternas. *Caput*, inquit, *circuitus eorum*, id est, summa insidiarum, quibus impii quasi per vias distortas circuibant, ut istos perderent, quo modo Diabolus, ut leo rugiens circuit, *quærens quem devoret*, tota, inquam, summa talium insidiarum, *operiet eos*, in eosque recidet, et hoc idem repetens Propheta addit, *Labor labiorum ipsorum operiet eos*, id est, labor, sive afflictio, et miseria, quam labiis suis procurabant justis, similiter *operiet eos*, in eosque recidet, et ipsos opprimet. In Hebræo habetur in prima persona, *caput circuitus mei*, sive circuituum meorum, sed non dubium est quin Septuaginta Interpretes habuerint in suis Hebraicis codicibus in ultima littera, *vau*, non *iod*, et legerint, מסבו *mesibbau*, quod significat, *circuitus eorum*, non, ut nunc legitur, מסבי *mesibbai*, *circuitus mei*, et veriorem esse lectionem quam habuerunt Septuaginta facile unusquisque sibi persuadebit. S. Hieronymus vertit ex Hebræo, *Amaritudo convivarum meorum:* pro, *caput circuitus eorum*, et quidem verba Hebraica hanc etiam sententiam ferre possunt, quoniam, ראש *ros*, et *caput*, et *venenum*, significat, sed ut plurimum pro *capite*, sive *principio accipitur.* Sic etiam, מסבי *mesibbai*, significare potest, *circumdantium me;* sive *accumbentium in circuitu meo:* sed tamen hæc sententia nec bene cohæret cum sequentibus verbis, et vera lectio, ut diximus, est ea quam habuerunt Septuaginta, quæ lectio hanc sententiam non recipit. S. August. per, *caput circuitus*, intelligit superbiam, quæ est principium peccatorum; et per, *laborem labiorum*, intelligit mendacium, quia laborant, qui mentiri volunt, non laborant qui vera simpliciter dicunt. Sed hæc spiritualis potius, quam litteralis expositio est; nos Chrysostomum sequuti sumus.

11. Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos, in miseriis non subsistent.

Pergit explicare pœnas impiorum. *Cadent*, inquit, *super eos carbones*, per *carbones ignis* intelliguntur acerrima supplicia, per verbum, *cadent*, significatur ea supplicia ab alto descendere, a judicio videlicet Dei judicis supremi. Ac, ne putaremus paucos, aut parvos futuros eos carbones, addit, *In ignem dejicies eos*, id est, tanta erit copia carbonum super eos cadentium, ut obruantur, et opprimantur ab eis. Sic enim Deus in ignem dejiciet impios, quia cooperiet eos igne de cœlo cadente, atque ad majorem explicationem addit, *In miseriis non subsistent*, id est, oppressi miseriis, ita jacebunt, ut se attollere, et surgere, ac subsistere non possint. In Græco legitur in dativo qui servit pro ablativo, *in ignem dejicies eos*, id est, igni de cœlo demisso dejicies, sed idem est sensus ex Hebræo. Pro *in miseriis non subsistent*, S. Hieron. vertit *in foveas*, ut non consurgant. At Septuaginta reddiderunt sensum: dejectio enim in foveas profundissimas gehennæ, intolerabilis miseria est, præsertim cum inde nulla consurgendi spes maneat. Alii exponunt, *non subsistent*, id est, non tolerabunt, et ideo deficient, et morientur, sic tamen ut nunquam mortem finiant. Sed prior expositio est conformior verbis textus Hebraici.

12. Vir linguosus non dirigetur in terra, virum injustum mala capient in interitu.

Prædicit Propheta pœnas æternas impiorum: nunc addit de pœnis etiam hujus vitæ. *Vir*, inquit, *linguosus non dirigetur in terra*, id est, vir

promptus ad loquendum, mendax, adulator, detractor, conviciis assuetus, rixosus, non prosperabitur in terra: ejusmodi enim odio, ut plurimum, habentur tum a bonis, tum a malis. Ideo præcipit S. Jacobus, *Sit autem omnis homo velox ad audiendum; tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram*, Jac. 1. *Virum injustum mala capient in interitu,* non solum non dirigetur, nec prosperabitur vir linguosus, ac per hoc injustus; sed mala, quæ illum capient, non erunt ad præmium patientiæ, ut justis esse solent, sed ad interitum sempiternum. Illud, *capient*, in Græco et in Hebræo est, *venabuntur:* proinde exponendum est, *capient*, ut prædam, vel ut venationem de improviso, et non expectatam. Sic enim viri injusti dum intenti sunt, ut capiant et spolient justos; ipsi nihil tale metuentes capiuntur a diabolo, ut feræ a venatore; nec solum a diabolo, sed etiam miseriis multis, anxietatibus, sollicitudinibus, timoribus, amoribus capiuntur: sed hoc interest inter bonos et malos, quod bonis, *omnia cooperantur in bonum*, et ad vitam: malis omnia cooperantur ad interitum, et miseriam sempiternam. Illud in interitu in Hebræo et Græco habetur, *in interitum:* proinde vel in Latina editione est error librariorum, vel, *in interitu* debet accipi pro, *ad interitum.* Posset quidem sic exponi hic locus, *injustum mala capient in interitu*, id est, quando morietur injustus, tunc eum mala capient; et sic videtur intellexisse S. Hilarius qui exponit hunc locum de Juda, quem mala ceperunt in interitu, quia se ipse suspendio enecavit; prior tamen expositio, quæ est Sanctorum Chrysost. et August. magis convenit textui Græco, et Hebraico. Quidam modernus per vocem Hebraicam, למדחפת *lamadchepoth*, contendit esse vertendum, *celeriter*, ut sensus sit, *injustum mala capient celeriter*, et allegat quamdam versionem apud Chrysostomum. Sed Septuaginta et S. Hieron. verterunt *interitum*, et moderni etiam linguæ Hebraicæ periti vertunt, *ad expulsionem*, quod idem est cum interitu, in quo anima expellitur a corpore, et homo expellitur a vita. Omnes Patres, imo omnes alii tractatores intelligunt per eam vocem, *interitum*, aut *ruinam*, denique S. Joan. Chrysost. non adducit illam novam translationem ad hunc versiculum, sed ad superiorem; quare caret omni fundamento expositio moderni; sed alioqui docti expositoris.

13. Cognovi quia faciet Dominus judicium inopis, et vindictam pauperum.

14. Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo, et habitabunt recti cum vultu tuo.

Concludit certam esse liberationem, et felicitatem justorum, ut etiam supplicia, et miseriam impiorum. *Cognovi*, inquit, *quia faciet Dominus judicium inopis*, id est, certo scio tum ab experimento proprio, tum ab exemplis majorum, tum ab ipsa Dei justitia, et promissis, curæ esse Deo viros humiles et pauperes, qui etiamsi divitiæ forte affluant, non apponunt illis cor ut ad res proprias, sed œconomos Dei se esse intelligunt, *Cognovi*, inquit, *quod Dominus* sine dubio justissime judicabit causas pauperum suorum, et vindictam faciet illorum, puniens digna animadversione persecutores eorum. Ipsi autem *justi confitebuntur nomini Domini*, non sibi tribuentes innocentiam, sed gloriam dantes gratiæ ejus: vel etiam *confitebuntur*, id est, laudabunt in æternum Dominum, sicut in æternum habitabunt in domo ejus cum vultu ipsius, videntes eum facie ad faciem, et fruentes visione ejus. *Habitare cum vultu Dei*, est eum videre, et cognoscere sicuti est: ex vultu enim persona cognoscitur: nam si totum hominem videas, vultu solo excepto, non eum cognosces; sin autem vultum solum videas, reliquum corpus non videas, omnino cognosces.

PSALMUS CXL.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

PSALMUS DAVID.

HIC Psalmus ejusdem argumenti est cum superiore. Notat autem S. Joannes Chrysostomus, decreto Patrum, dici solitum hunc Psalmum quotidie ad Vesperas, quemadmodum Psalm. 62. dicitur quotidie ad laudes matutinas. Uterque igitur est ardens oratio ad Deum, sed ille matutinus fugat tenebras noctis, et conciliat nobis solem justitiæ: iste vespertinus abstergit maculas peccatorum interdiu contractas, ut securi requiescamus in nocte.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Domine clamavi ad te, exaudi me, intende voci meæ, cum clamavero ad te.

Verba sunt corporis Christi, sive cœtus fidelium inter hostium agmina constituti, *Domine clamavi ad te*, ut auxilium ferres inter tot pericula laboranti, et quia clamavi, id est, magna voce interiori, magnoque affectu cordis, invocavi te, *exaudi me.* In Hebræo est, *festina mihi*, id est, ad adjuvandum me festina, et sic re ipsa, et factis exaudi me. Neque solum hodie clamantem, *exaudi me*, sed *intende voci meæ*,

cum clamavero ad te, id est, quotiescumque clamavero ad te, tu quoque intende voci meæ aures tuas.

2. Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo; elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Explicat nunc quid petat, et in quo velit exaudiri a Deo. Ac primum recto ordine petit, ut Deus adjuvet eum in bene orando: nam, ut Apostolus dicit, quid oremus nescimus, et pari ratione, quomodo oremus nescimus, nisi spiritus adjuvet infirmitatem nostram. Petit ergo, ut Deus illi auxilio gratiæ suæ adsit, ut bene oret. Qualitates autem bonæ orationis declarat similitudine thymiamatis, quod offerebatur in templo ex præcepto Dei, mane, et vesperi, Exod. 30. *Dirigatur*, inquit, *oratio mea sicut incensum*, id est, hoc primum peto, ut per gratiam tuam oratio mea dirigatur ad te ad modum thymiamatis. Porro thymiama illud has habebat qualitates. Primo, constabat ex quatuor generibus aromatum, thure, galbano, onyche, stacte, ut S. Hilarius monet: hinc efficiebatur odor suavissimus. Secundo, offerebatur in templi parte nobilissima, et interiore, quæ dicebatur Sancta Sanctorum, ubi erant tabulæ testamenti et altare aureum. Tertio, offerebatur per summum Sacerdotem. Quarto, ponebatur super ignem, et inde excitabatur fumus recta sursum ascendens. Quatuor aromata sunt quatuor virtutes, Fides, Fiducia, Charitas et Humilitas, ex his componitur oratio Deo gratissima. Templum Dei est homo, *Vos estis*, inquit Apostolus, *templum Dei*, 1. Cor. 6. sed pars interior est anima in cujus mente est lex Domini, digito Dei scripta; et in cujus voluntate est altare aureum, cor videlicet mundum, et ornatum gratia Dei. Summus Sacerdos est Christus; per illum enim, ut advocatum nostrum, semper orare debemus, et ideo singulas preces concludimus per Dominum nostrum Jesum Christum. Denique ignis, qui fumum suavissimum, et directe sursum ascendentem excitat, est fervor desiderii: sed in recta ascensione notatur recta intentio, et jugis attentio; qui enim orant ut videantur ab hominibus, illi aura temporali detorquent incensum, ut non recta ascendat; illi etiam qui evagationes mentis habent, non dirigunt orationem ut debent: evagationes enim veluti flatus ventorum distrahunt, et dissipant fumum orationis, ut non recta sursum ascendat: et quia valde difficile est liberari ab omni evagatione mentis, ideo Propheta hujus rei proprie meminit dicens, *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* Quod sequitur, *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*, ejusdem rei repetitio est: nam per *elevationem manuum*, oratio significatur, quia elevando manus, orare solebant Hebræi, ut etiam nos facimus. Psalm. 133. *In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Domino*, et Apostolus 1. Tim. 2. *Levantes puras manus sine ira, et disceptatione.* Itaque a ritu elevandi manus significatur oratio. Per *sacrificium vespertinum*, intelligitur oblatio incensi, quæ vesperi fiebat. Est igitur sensus, *elevatio manuum mearum*, id est, oratio, quam elevatis manibus fundo, sit veluti sacrificium incensi, quod ad vesperam offerebatur. Nisi magis placeat, *per sacrificium vespertinum*, intelligi mactationem Agni immaculati, quæ vesperi fiebat. Cur autem Propheta optet, orationem suam similem esse sacrificio vespertino potius quam matutino, cum tam oblatio thymiamatis, quam Agni mactatio fieret mane, et vesperi; ratio est, vel quia Psalmum hunc cecinit David ad vesperam, ut etiam Ecclesia Christiana in vesperis eumdem Psalmum canit; vel quia sacrificium vespertinum nobilius erat, quia figura erat sacrificii Crucis, quod ad vesperam factum est.

3. Pone Domine custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis.

Hæc est secunda petitio, quam exaudiri cupit a Domino, ut videlicet detur sibi donum loquendi, et tacendi, quando oportet: nam *qui non offendit verbo hic perfectus est vir*, ut dicit S. Jacobus, cap. 3. et *aliud est tempus loquendi, aliud tacendi*, ut dicitur Eccles. 3. Sumit autem Propheta, ut hæc explicet, metaphoram a custodia portarum domus, vel civitatis: duo enim sunt necessaria ad hoc, ut exeant, qui debent exire et non exeant, qui non debent exire; janitor, et ostium: nam ostium sine janitore non sufficit, quia vel semper erit apertum, vel semper clausum: janitor sine ostio non facile potest custodire portam, nisi semper vigilet, et vires habeat ad impediendum, ne quis ingrediatur, vel egrediatur ipso invito: sed cum ostium, et ostiarius adsunt, omnia sunt tuta, et facilia. Ait igitur, *Pone Domine, custodiam ori meo*, id est, os meum est quasi porta, unde exeunt verba, et per verba exeunt cogitata et facta, ideo rogo ut adhibeas custodiam, janitorem videlicet, qui diligenter custodiat. *Et ostium circumstantiæ labiis meis*, id est, quia solus janitor ægre custodire potest hanc portam, rogo etiam ut apponas *ostium circumstantiæ*, id est, ostium circumstans, sive ostium munitionis, id est, munitum, et forte ut expugnari non possit; in Hebræo ad verbum legitur, *Custodiam super ostium labiorum meorum*, ut sensus sit, *pone custodiam ori meo*, custodiam, inquam, super ostium labiorum meorum: sed eadem sententia est. Porro ostiarius et ostium significant in præsenti duo dona Spiritus sancti: unum ex parte intellectus, ut sciat homo quando, et quomodo, et quid loqui, vel tacere debeat: alterum ex parte voluntatis, ut audeat loqui, quod oportet, et timeat loqui quod non oportet, quæ dona dicuntur Isaiæ 11. *Spiritus consilii, et fortitudinis:* quæ sunt fere eadem cum virtutibus Prudentia, et Charitate. Non autem hæc ita petuntur a Deo, ut non debeamus etiam nos diligentium adhibere, ut custodiamus os nostrum, sed ut intelligamus, ipsam etiam diligentiam nostram donum esse Dei, et in nullo gloriemur, quando nostrum nihil est, ut monet S. Cypr. lib. 3. ad Quirinum cap. 4.

4. Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.

Hæc est tertia petitio, ut quoniam adhibita etiam omni custodia, tamen fragilitas humana facit, ut septies in die cadat justus, et in multis offendamus omnes: Deus auxilio suo nobis concedat, ut peccata libere confiteamur; ne dum

excusando sani videri volumus, a cœlesti medico non sanemur. *Non declines*, inquit, *cor meum in verba malitiæ*, id est, non permittas ut, quando peccavimus, cor nostrum declinet in verba mendacii, et simulationis. *Ad excusandas excusationes in peccatis*, id est, ad excusanda peccata variis prætextibus: nam *excusare excusationes*, phrasi Hebraica, est facere excusationes, id est, texere prætextus, quomodo dicunt, *præliari prælia*, pro facere prælia : et *judicare judicia*, pro facere judicia. In Hebræo est verbum generale, עלל *halal*, quod *operari* significat; itaque verti poterat, *ad operandas operationes in peccatis.* Sed Septuaginta declaraverunt per *operari*, hoc loco significari, *prætexere*, quod est idem cum *excusare.* Ipsi etiam Rabbini docent, *halal*, non esse operari quomodocumque, sed operari ex occasione, et prætextu.

5. Cum hominibus operantibus iniquitatem, et non communicabo cum electis eorum.

Quarta petitio est, ut custodiat nos Deus a consuetudine, et familiaritate impiorum : multi enim innocentiam conservarent, nisi in perversos amicos et sodales inciderent. Porro pars prima hujus versiculi pendet a versiculo superiore, et hic est sensus, Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis cum hominibus operantibus iniquitatem, id est, non patiaris me quærere excusationes peccatorum, ut ii faciunt, qui iniqui sunt, ut non fiam socius eorum, *Et non communicabo cum electis eorum*, id est, et sic per gratiam tuam adjutus non communicabo cum convivis eorum, sed fugiam ipsorum consortium. Illud *non communicabo*, in Græco est, *non combinabo*, et sic legunt Sancti Hilarius et Augustinus; sed idem est sensus, nam *combinare* est conjungi binos, et binos, ut cum duo socii conjunguntur in mensa, vel in opere aliquo. In Hebræo est, *non comedam*, id est, non convivabor, non assidebo in mensa. Itaque unus textus alium declarat, ac per hoc, *non communicabo*, idem est, ac si dixisset, non communicabo in mensa; et hoc ipsum magis declaratur ex verbis sequentibus : nam cum electis eorum, non significat, ut ii existimant, qui verba Hebraica non legerunt, cum viris electis : sed cum electis cibis, sive, ut vox Hebraica sonat, cum dulcibus cibis eorum. Itaque sensus est, *Non communicabo cum electis cibis eorum;* id est, non ero particeps familiaritatis, conviviorumque ipsorum. Quamvis enim ubique noceat malorum conversatio, sed nusquam magis, quam in conviviis, et compotationibus.

6. Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me : oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Quinta petitio est, ut ex gratia Dei incidamus in amicos ex charitate corripientes, non in adulatores falsis laudibus blandientes, et decipientes. Et hoc unum ex magnis Dei beneficiis est, ut inveniamus fideles amicos, qui vera nobis de nobis dicant, et nos ex magno Dei beneficio libenter eos audiamus, et ex corde gratias agamus. Nam apud eos qui de mundo sunt, et qui hoc Dei donum non acceperunt, *obsequium amicos, veritas odium parit. Corripiet*, inquit, *me justus in misericordia*, id est, reprehendet, ac, ut vox Hebræa sonat, feriet me peccantem vir justus, ut sanet, non injustus, ut occidat, *in misericordia*, in charitate, quia miseretur languentis, non in iracundia, et felle amaritudinis, quia ulcisci cupit injuriam; iste, inquam, *increpabit me*, severius castigans delicta mea, *oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Oleum peccatoris*, id est, unguentum, quo suaviter et cum voluptate perungitur caput, significat blandiloquentiam adulatoris, qui peccata extenuat, vel excusat, imo etiam sub aliquo colore, ut benefacta laudat. In Hebræo explicatur utrumque simul, et suavitas, et pernicies adulationis : dicitur enim, *oleum veneni*, sive amaritudinis, ut vertit S. Hieronymus : et est in verbis elegans allusio : nam *venenum*, et *caput*, eadem voce significantur : *ros* enim et *caput*, et *venenum* significat. Itaque ait, *oleum*, ראש *ros*, *non impinguet meum ros.* Neque est admittenda eorum expositio, qui utroque loco per ראש *ros*, intelligi volunt *caput*, et per *oleum capitis*, accipiunt oleum principale, et pretiosum, et sensum esse volunt, *Corripiet me justus in misericordia*, quia correptio fraterna est oleum principale, quod non destruit caput. Hæc, inquam, expositio non est admittenda, quia non solum repugnat vulgatæ editioni, sed etiam versioni S. Hieron. et Septuaginta Interpretum, et expositioni omnium veterum Patrum Latinorum et Græcorum : neque obstat, quod pro *impinguet*, in Hebræo est franget : nam non est certum verbum, יני *iani*, significare, *franget*, cum desit littera aleph in fine et cum Septuaginta, et S. Hieron. verterint, *impinguet.* Adde etiam, quod vox, *impinguet*, non repugnat voci Hebraicæ, quæ *frangere*, et *destruere*, significare dicitur, imo cum ea optime cohæret : nam ideo Septuaginta Interpretes non dixerunt, liniat aut perfundat; quæ verba in bonum sonant, sed, *impinguet*, quod sonat in malum; pinguedo enim deformat, et destruit caput : et prudentissime consideraverunt Septuaginta viri, oleo non posse frangi, aut destrui caput quasi malleo contunderetur, sed destrui per deformationem, quam pinguedo affert; ideo non dixerunt, non destruat, sed *non impinguet caput meum.*

7. Quoniam adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum : absorpti sunt juncti petræ Judices eorum.

Hic versiculus omnium judicio obscurissimus hunc sensum ex Chrysostomo habere potest. Non solum non communicabo cum impiis : sed adhuc oratio mea ad Deum est in *beneplacitum eorum*, id est, adversus eorum vitia, et scelera, in quibus ipsi sibi placent. Sed ipsi brevi peribunt, sicut judices eorum, id est, Principes eorum, et Duces aliorum ad malum, *absorpti sunt juncti petræ*, id est, allisi ad petras perierunt. In Hebræo est, *Præcipitati sunt ad manus petræ*, et sensus est idem; significatur enim velox interitus impiorum, qualis est eorum qui absorbentur a fluctibus marinis, dum agitati ab undis alliduntur ad scopulos. S. Augustinus existimat prædici conversionem infidelium superborum ut sensus sit, Veniet tempus, quando oratio mea, quæ est, *Dimitte nobis debita nostra*, *erit in beneplacitis eorum*, id est, placebit, et frequentabitur ab

eis : nam judices eorum Philosophi Gentiles, qui de virtutibus et vitiis judicabant, *juncti petræ*, id est, computati ad Christum, *absorpti sunt*, evanuerunt, et nihil scivisse ostensi sunt ; sed prior expositio est magis litteralis, et communius recepta.

8. Audient verba mea, quoniam potuerunt, sicut crassitudo terræ erupta est super terram.

Redit ad id quod dixerat, *Oratio mea in beneplacitis eorum;* et addit multos impios, qui sibi ipsi in peccatis complacebant, audituros verba sua, et per ea convertendos esse ad Deum : quomodo enim terræ durities aratro scinditur super terram; sic humanum cor scinditur potentia, et efficacia verbi Dei. *Audient*, inquit, illi pro quibus oratio a me fiebat, *verba mea, quoniam* ea verba *potuerunt*, sive ut legit Sanctus Augustinus, *prævaluerunt*, efficacissima fuerunt ad conterenda corda eorum ; *sicut crassitudo terræ erupta est super terram*, id est, sicut durities, et crassities terræ rumpi sole vi ligonis, aut aratri super terram. In Hebræo, et aliquibus Græcis habetur, *Audient verba mea, quoniam dulcia*, sive *decora fuerunt;* sed idem est sensus ; verba enim tunc sunt potentia, et efficacia, et prævalent in animis hominum, quando dulcia, et decora sunt, atque adeo placent, et delectant et persuadent.

9. Dissipata sunt ossa nostra secus infernum : quia ad te Domine, Domine, oculi mei : in te speravi, non auferas animam meam.

Hæc est ultima petitio, quam exaudiri initio Psalmi postulaverat, ut videlicet Deus liberet animas nostras ab omni periculo tentationum. *Dissipata sunt*, inquit, *ossa nostra secus infernum*, id est, propter multitudinem, et gravitatem tentationum, virtus et fortitudo nostra, quæ per *ossa* significatur ita dispersa, infirmata, et debilitata est, ut ad os inferni pene pervenerit, ut videlicet pene ad nihilum redacta sit : et quia in his omnibus *ad te Domine* sunt *oculi mei*, ad auxilium tuum respexi, *in te speravi*, oro, ut *non auferas animam meam*, id est, non sinas tolli vitam meam, non patiaris me perire. Juxta interpunctionem Hebraicam conjunguntur illa, *Sicut crassitudo terræ erupta est super terram, dissipata sunt ossa nostra secus infernum ;* ut sensus sit, Quemadmodum terra scinditur aratro, et rumpitur, ita ut partes terræ hinc inde spargantur, ita dissipata sunt ossa nostra secus infernum in magna tribulatione : sed nos interpunctionem Græcam et Latinam sequuti sumus, quoniam interpunctio non est ab ipso Propheta apposita, sed ab interpretibus addita.

10. Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi, et a scandalis operantium iniquitatem.

Declarat unde timeat mortem ; ac dicit se timere a laqueis et a scandalis, id est, a tentatione diaboli, et a malis exemplis hominum. *Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi* insidiatores, sive is laqueus sit concupiscentia carnis, sive concupiscentia oculorum, sive superbia vitæ : *et a scandalis operantium iniquitatem*, id est, ab exemplis carnalium, cupidorum et superborum ; quamvis in Hebræo sit potius repetitio ejusdem rei, id est, a laqueo quem posuerunt mihi, et a muscipulis, sive laqueis operantium iniquitatem : tamen in sensu non est discrepantia : nam scandalum quoque est genus laquei, et muscipulæ.

11. Cadent in retiaculo ejus peccatores : singulariter sum ego, donec transeam.

Docet in fine, illos tandem casuros esse in retia diaboli, qui amant peccata ; se autem, et sui similes qui oderunt peccata, liberos evasuros : quæ admonitio demonstrat, hominem esse liberi arbitrii, et simul valde consolatur eos, qui timent Deum. *Cadent*, inquit, *in retiaculo ejus*, id est, in rete principis venatorum qui est diabolus, *peccatores*, id est, qui delectantur peccatis, qui sunt, et esse volunt peccatores. *Singulariter sum ego, donec transeam*, id est, ego autem solitarius ero, donec transeam omnes laqueos, et retia ; de mundo non ero quamvis in mundo, ut peregrinus esse cogar, donec transeam ad patriam, ubi nulla erunt pericula. Per pronomen, *ejus*, aliqui intelligunt Deum, ut sensus sit, peccatores capiendos retibus Dei ad supplicium. Ita Chrysostomus et Theodoretus : sed quia illud, *ejus*, est relativum ad aliquid antea nominatum, et Dei nulla mentio facta est ; ideo probabilius est referri ad diabolum Principem peccatorum, ut S. Hilarius exponit. Illud autem *singulariter sum ego*, S. Augustinus exponit de Christo, qui in passione fuit relictus solus, cum omnes discipuli fugerint, et in rete diaboli per negationem, vel proditionem, vel nimium metum, vel scandalum acceptum aliquo modo inciderint. Ipse enim Dominus ait, *Omnes vos scandalum patiemini in me in nocte ista*, Matth. 26. et futurum est, *ut dispergamini in propria, et me solum relinquatis*, Joan. 16. Sed hæc expositio vera et pia non videtur litteralis; et ideo Chrysostomum potius in expositione litteralis sequuti sumus : qui S. Joannes Chrysost. rectissime monet, non satis esse, si aliquo tempore singulares simus et solitarii ac penitus segregati a moribus peccatorum ; sed necesse esse, ut tales simus donec transeamus, perseverantes usque ad vitæ finem.

PSALMUS CXLI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

INTELLECTUS DAVID CUM ESSET IN SPELUNCA, ORATIO.

TITULUS demonstrat tempus, et locum, et occasionem, et materiam Psalmi. Tempus fuit cum fugisset a Saule ad Regem Achis, et ab illo etiam male habitus contulisset se in speluncam Odollam solus atque in maximo vitæ periculo constitutus, ut habemus lib. 1. Reg. c. 22. Locus est ipsa spelunca Odolla: nam quod alii dicunt de spelunca Engaddi, de qua lib. 1. Reg. c. 24. non est probabile: quia in hac secunda spelunca Saul potius in periculo vitæ fuit, quam David. Occasio, fuit persecutio Saulis, et periculum a Rege Achis. Denique materia, sive argumentum, est oratio ad Deum, qua liberationem petit a periculo imminente. Sensus tituli hic est, *Intellectus David*, id est, in hoc Psalmo declaratur prudentia, et sapientia David, qui cum esset delitescens in spelunca, sapienter cogitavit, unicum remedium in tantis malis esse orationem ad Deum. Recte autem totus hic Psalmus altiore sensu refertur ad Christum filium David, cum oraret in horto, vel in cruce desertus ab omnibus, et in mortis præsentissimæ periculo constitutus.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum.

2. Effundo in conspectu ejus orationem meam, et tribulationem meam ante ipsum pronuncio.

Hoc principium Psalmi nihil aliud continet, nisi argumentum, quod videlicet David orationem fundat ad Deum; sed verba singula consideranda sunt. Illud, *voce mea*, significat Davidem non orasse sola voce corporis sui, ut faciunt, qui non intelligunt, vel non attendunt quid dicant; sed orasse voce sua, quam ipse in corde formabat, et per organum corporis etiam foris emittebat. Illud, *clamavi*, significat, ut alias diximus, vehementiam desiderii. Illud, *deprecatus sum*, est explicatio clamoris: clamant enim ad Dominum etiam qui blasphemant et maledicunt, sed non orant, hic autem precando et invocando clamabat. Illud, *effundo orationem in conspectu ejus*, significat orationem illam factam fuisse, ubi solus Deus videbat, in spelunca, quasi in clauso cubiculo, ut Dominus postea monuit esse orandum: sed præterea significat præcipuum clamorem fuisse in corde, ubi revera solus Deus conspicit. Illud, *et tribulationem meam ante ipsum pronuncio*, est explicatio præcedentium verborum: nam *effundere orationem in conspectu ejus, et tribulationem ante ipsum pronunciare*, idem sunt: tunc enim effunditur oratio, cum tota paulatim ex vase cordis producitur, ut ab aliquo videatur; hoc autem fit, cum tribulatio in oratione per partes ad aures audientis pronunciatur.

3. In deficiendo ex me spiritum meum: et tu cognovisti semitas meas.

Explicat, cur, et quando pronunciaverit tribulationem suam coram Deo. *In deficiendo*, inquit, *ex me spiritum meum*, cum ex me fere discederet spiritus meus vitalis; cum deficeret vita mea, et in vicinia mortis essem. Vox Hebraica, significat *angustiari*, deficere, constringi et operire seipsum, ut faciunt qui valde timent. Id autem optime Davidi in spelunca latitanti, et in magno vitæ periculo constituto; sed verius convenit Christo in horto, vel in cruce oranti. Sanctus Augustinus applicat sanctis Martyribus pro Fide agonizantibus. *Et tu cognovisti semitas meas*, id est, oravi cum deficeret spiritus meus, et oravi ad te, quia tu omnium optime *cognovisti semitas meas*, actiones, et studia mea, et nosti quam sine ulla justa causa hæc patior.

4. In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.

Docet afflictionem suam primum incepisse ab insidiis inimicorum, deinde ab aperta violentia. Saul enim sæpe procuravit mortem Davidis per insidias, mittens eum ad prælia, et sperans in præliis occidendum, sed cum id non succederet, aperta vi illum aggressus est. Sic etiam Dominum nostrum sæpissime tentarunt capere in sermone, ut eum perderent; sed cum sapientia vinceret malitiam, violenter ceperunt, et per Pilatum crucifigi postularunt. *In via hac, qua ambulabam*, id est, in via justitiæ, et mandatorum Dei, in qua ambulabam, in ipsis semitis, quas tu optime nosti, *absconderunt laqueum mihi.* Explicemus hoc exemplis. Saul obtulit filiam suam Davidi in conjugem, modo ille interficeret ducentos Philisthæos, cum quibus tunc bellum justum erat populo Dei. Id autem fecit Saul, sperans Davidem in eo prælio interficiendum: sed ille a Deo adjutus obedivit Regi, et progressus ad prælium

ducentos Philisthæos interfecit. Sic etiam Pharisæi observabant Christum, an Sabbato curaret, ut postea dicerent, *Non est hic homo a Deo, qui Sabbatum non custodit :* Joan. 9. ita ponebant laqueos in via mandatorum Dei : sed ille curabat, et ostendebat, ea curatione non violari Sabbatum; sicut vere non violabatur, cum essent illa opera non servilia, sed divina : sic alias oblata adultera ponebant laqueos in via justitiæ, dicentes, Hanc *mandavit Moyses lapidare, tu quid dicis ?* Joan. 8. Notat hoc loco sanctus Augustinus, in ipsa via Domini non posse poni laqueos, sed juxta viam, ut dictum est in Psal. 139. *Juxta iter scandalum posuerunt mihi ;* unde et Ecclesiasticus cap. 9. dicit, *Ignoras, quia in medio laqueorum ingrederis ?* Sunt enim laquei a dextris et a sinistris, in medio est via justitiæ. Quod ergo hic dicitur, *In via absconderunt laqueos,* intelligendum est opinione ipsorum, non revera; nam cum illi sint extra viam, et existiment se esse in via, ponunt laqueos juxta viam, existimantes se ponere in via : sed vir justus non declinans a via justitiæ, neque ad dexteram, neque ad sinistram, laqueos omnes evadit.

5. Considerabam ad dexteram, et videbam; et non erat qui cognosceret me.

Hæc jam pertinent ad violentiam. Inimici enim, quibus insidiæ non profuerunt, convertunt se ad vim apertam. In illa autem pressura, *Considerabam,* inquit, *ad dexteram,* id est, auxilia amicorum, *et videbam,* num quis mihi socius, et amicus adesset : *et non erat, qui cognosceret me,* id est, nullus mihi notum se esse confiteri ausus est. Hæc Davidi conveniunt, qui Saulis persecutionem fugiens ad Regem Achis pervenit, sed et ille inimicum se ostendit; proinde solus in speluncam se contulit. Sed apertius Christo accommodantur, qui in passione multos videbat a sinistris, id est, inimicos, et adversarios : a dextris autem, id est, amicos, et notos nullos habuit. Nam et Evangelista dicit, *Stabant autem omnes noti ejus a longe,* et Petrus ipse, qui præcipuus erat amicorum, cum juramento dixit, *Non novi hominem hunc.* Recte igitur Dominus dicebat, Non erat, qui cognosceret me. In Hebræo sunt verba infinitivi modi considerare, et videre : sed modus infinitivus deservit etiam aliis modis, ac præsertim indicativo : et sensus etiam esse potest, servato modo infinitivo, erat mihi considerare, et videre, id est, considerabam, et videbam, quomodo Germani, et Turcæ, qui non tenent perfecte linguam Italicam, vel Latinam, dicunt, *Io stare Todesco, Io stare Turco*, et passim utuntur modo infinitivo pro indicativo.

6. Periit fuga a me, et non est qui requirat animam meam.

Ostendit se in iis angustiis fuisse, ut non solum ab aliis auxilium habere non posset, sed neque fuga seipse juvare posset. *Periit,* inquit, *fuga a me,* id est, nullum remanet effugium. Et non est qui requirat animam meam, id est, non invenitur, qui sollicitus sit de vita mea, ne pereat. Et quidem David querebatur sibi aditum ad fugam corporalem non patere, quia fugere non poterat : sed Christus dicit periisse a se fugam, quia fugere nolebat, et ipse sibi, et Pater ei fugam interdixerat. Fuga enim non minus perit ab illo, qui non vult, quam ab illo, qui non potest fugere. Et vere non erat, qui requireret vitam Christi, ut eam servaret, cum ipse idem dixisset, *Ego pono animam meam :* et *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis ?* Joan. 10. et Patri dixerit, *Deus meus, ut quid dereliquisti me,* Matth. 27.

7. Clamavi ad te Domine, dixi : tu es spes mea, portio mea in terræ viventium.

Exclusus David ab omni humano auxilio, ad Deum recurrit, cui nihil difficile est; et quoniam vir erat spiritualis, et noverat Deum aliquando amicos suos in terra peregrinationis hujus affligere, ut in patria gloriosius coronet; dicit, *Clamavi ad te Domine, dixi : tu es spes mea;* hic in peregrinatione, *portio mea,* hæreditas videlicet, *in terra viventium.* Sed cum ad Christum hæc referuntur, accipienda sunt pro corpore ejus, quod est Ecclesia; vel si in persona propria Christus loquitur, accipienda sunt de expectatione resurrectionis, et gloriæ corporis : quasi dicat, Quia non est qui requirat animam meam, id est, vitam meam corporalem, ne pereat; *clamavi ad te Domine Pater, dixi : tu es spes mea,* id est, expectatio mea, ut non des, *sanctum tuum videre corruptionem;* sed ostendas illi vias vitæ : tu quoque es *portio mea in terra viventium,* id est, tu facies, ut caro mea glorificata per resurrectionem, adipiscatur per ascensionem hæreditatem suam in superna Hierusalem, quæ est terra viventium.

8. Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus sum nimis.

9. Libera me a persequentibus me, quia confortati sunt super me.

Duplici argumento petit a Deo liberationem, tum quia ipse nimium depressus sit, tum quia inimici ejus nimium sint exaltati, et adversum se innocentem viribus prævaluerint. *Intende ad deprecationem meam,* et tandem exaudi me, *quia humiliatus,* id est depressus, et afflictus sum valde. *Libera me a persequentibus me, quia confortati sunt,* id est, roborati sunt, et viribus aucti, ut facile prævalere possint. Hæc David merito dicebat, cum ipse solus lateret in spelunca, et hostis ejus Saul exercitum armatum duceret. Christus autem plane ad litteram dicere poterat, *Humiliatus sum nimis,* quia *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Item *humiliatus erat nimis,* cum penderet inter latrones, cui jure convenit sedere super Cherubim. Vere etiam inimici ejus *confortati* erant valde, quando venit hora ipsorum, et potestas data est tenebris, ut in ipsum Solem justitiæ ad tempus prævalere viderentur.

10. Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo : me expectant justi, donec retribuas mihi.

Quod attinet ad Davidem, sanctus Joannes Chrysostomus intelligit per *custodiam,* tribulationes et afflictiones, ob quas se in speluncam abdiderat, ut sensus sit, Educ me de his afflic-

tionibus, ut de hac spelunca egressus, et libere ubique discurrens, laudem nomen tuum. Id enim *expectant* omnes *justi*, ut a tua providentia tribuatur mihi innocenti liberatio. Sed fortasse David, ut vir sanctus, et a Deo mirifice illustratus altius aspirabat, et de mortali corpore, tanquam de custodia edici desiderans, cum Apostolo dicebat, *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Illi enim vere confitentur nomini Domini, qui illuc ascendunt, ubi qui habitant, in sæcula sæculorum laudant Dominum, quod confirmatur verbis sequentibus, *Me expectant justi donec retribuas mihi;* expectabant enim Prophetam justum animæ sanctorum Patriarcharum in Limbo, donec requies tribueretur ei: et Angeli sancti in cœlo, donec vera, atque æterna felicitas retribueretur meritis ejus. Sed quod attinet ad Christum orat educi *de custodia* corporis passibilis et animalis, et induere per resurrectionem corpus impassibile et spirituale, *ad confitendum nomini Domini*, ut qui laboraverat prædicando populis, deinceps requiescat laudando Patrem. Atque, ut sanctus Augustinus, sanctus Hieronymus, et sanctus Hilarius docent, Christo maxime proprie convenit quod sequitur, *Me expectant justi donec retribuas mihi:* omnes enim justi, et qui mortui fuerant ab origine Mundi, et qui vivebant in carne, ut Apostoli, aliique fideles discipuli, expectabant maximo desiderio Christum resurgentem, et debita retributione gloriæ exaltatum; quia ex *plenitudine gloriæ ejus* omnes accepturi erant: nam quemadmodum dicit S. Joannes c. 7. *Nondum erat Spiritus datus, quia nondum Jesus erat glorificatus:* sic etiam dicere possumus, nondum animæ Sanctorum ex carcere Limbi ad Regna cœlorum ascenderant, quia Rex gloriæ Christus, in gloriam suam nondum introierat. Ex Hebræo aliqui vertunt. *Me coronant justi* pro, *me expectant*, sed vox, כתר *cathar*, non solum *coronare*, sed etiam *expectare*, et *sustinere* significat, ut perspicuum est ex cap. 36. Job. vers. 2. nam quod legimus, *Sustine me*, in Hebræo est, כתר לי *catther li.*

PSALMUS CXLII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

PSALMUS DAVID, QUANDO EUM FILIUS SUUS PERSEQUEBATUR.

In Hebræo solum habetur, *Psalmus David*, cætera verba explicandi argumenti gratia Septuaginta Interpretes addiderunt, ut sanctus Hilarius affirmat. Quamvis autem Patres Latini hunc Psalmum exponant de passione Christi, quem quasi alterum Davidem persequebatur Judas, ut alter Absalon secundum Augustinum, vel populus Judaicus secundum Gregorium: tamen dubitari non debet, quin ad litteram exponi possit de ipso Davide, qui persecutionem Absalonis, pœnam peccati sui esse agnoscens, peccata sua deplorat, et misericordiam a Deo postulat. Hinc enim Ecclesia Catholica hunc Psalmum inter septem pœnitentiales numerat, quia præscribit David exemplo suo formam precandi veris pœnitentibus, atque hunc sensum persequitur S. Joannes Chrysostomus.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Domine exaudi orationem meam: auribus percipe obsecrationem meam, in veritate tua: exaudi me in tua justitia.

Postulat initio Psalmi David exaudiri in veritate, et in justitia, et explicat in qua petitione exaudiri velit, quia præsupponit Deum intelligere, peti a se remissionem culpæ commissæ, ob quam puniebatur. Intelligebat autem Deus hoc eum petere, et in hoc exaudiri velle, tum quia videbat desiderium cordis ejus, tum etiam fortasse ex gemitu, et suspiriis veræ contritionis. Sic enim S. Maria Magdalena non legitur postulasse verbis remissionem peccati, sed ex lachrymis quibus pedes Domini rigabat, intellexit Dominus quid peteret, et ait, *Remittuntur tibi peccata tua.* Ergo corde contrito David, et interno gemitu, petens culpæ remissionem dicit, *Domine exaudi orationem meam*, quam tu bene intelligis, quæ sit; et idipsum repetens, addit, *Auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua*, id est, juxta fidelitatem tuam, qua servas promissa tua de remissione pœnitentibus danda. Quod ipsum iterum repetit, cum addit, *Exaudi me in tua justitia*, ubi per *justitiam*, intelligit fidelitatem, quæ est pars justitiæ, quam paulo ante veritatem vocavit. S. Joan. Chrysost. intelligit per *justitiam*, benignitatem, qua utitur Deus erga veros pœnitentes: ideo enim notat Prophetam non dixisse, *Exaudi me in justitia*, sed, *in tua justitia*, qua videlicet uti soles erga pœnitentes, quæ non tam justitia, quam ineffabilis benignitas est. Siquidem Deus ubi viderit pœnitentiam, ubi audierit confessionem, continuo indulget offensas. *Dic tu prior*, inquit per Isaiam cap. 43. *iniquitates tuas ut justificeris.* Judices homines quærunt confessionem rei, ut eum damnent. Deus quærit, ut absolvat. Denique pater filii prodigi, per quem intelligitur

Deus, mox ut vidit revertentem filium, et audivit, *Pater peccavi in cœlum, et coram te*, cecidit super collum ejus, et osculatus eum jussit afferri stolam primam, annulum, calceos, occidi vitulum saginatum, etc. Hæc expositio fere eadem est cum ea, quam supra attulimus; nam justitia illa, qua Deus promissam indulgentiam pœnitentibus exhibet, nihil est aliud, nisi fidelitas præstandæ benignitatis eximiæ. S. Augustinus per *justitiam* Dei, intelligit justitiam, quam non ex nostris meritis, sed ex gratia Dei habemus: quæ sententia vera est, sed prior magis convenit litteræ.

2. Et non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Petiit remissionem peccati ex promissione, et fidelitate Dei: nunc addit aliud argumentum ex conditione et fragilitate generis humani. *Non intres in judicium cum servo tuo*, id est, noli mecum judicio contendere, neque enim ego resistere audebo, neque me justum dicam; sed peccatum meum confitebor. *Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, id est, quia non ego solus, sed omnis vivens cadet causa, si tecum judicio contendere voluerit. Omnis enim vivens, aut est peccator, aut justus in via, aut justus in patria. Qui peccatores sunt, ut homicidæ, adulteri, et similes potuerunt quidem justificari coram hominibus, apud quos aliorum crimina sæpe occulta sunt, vel juridice probari non possunt: sed in conspectu Dei non justificabuntur, quia Deus videt corda et conscientias, et ex ipsius conscientiæ testimonio convincet eos. Qui justi sunt, sed adhuc in via, non justificabuntur in conspectu Dei, quoniam non audebunt se justificare; sed cum Apostolo dicent, 1. Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum, qui enim judicat me, Dominus est.* Fortasse enim ille videt in me, quod ego non video: et cum Job cap. 9. dicere debeo, *Si habuero quidpiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor.* Item non justificabuntur, *in conspectu Dei*, quoniam intelligunt justitiam suam, non a se acquisitam, sed a Deo donatam esse, et ideo non se justificabunt coram Deo, quasi ex se justi sint, sed gratias agent justificatori suo. Denique non justificabuntur *in conspectu Dei*, quoniam etiamsi justi sint, quia criminibus carent, tamen etiam peccatores se esse intelligunt, quia peccatis quotidianis non carent, et dicunt cum aliis Sanctis, *Dimitte nobis debita nostra.* Matth. 6. *et si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus*, 1. Joan. 1. Qui justi sunt in patria, et criminibus, et peccatis non solum carent, sed etiam inquinari non possunt, non justificabuntur *in conspectu tuo*, tum quia justitiam suam non sibi tribuunt, sed Deo, a quo illam habent, tum quia tanta est puritas Dei, ut comparatione ejus omnis alia justitia injustitia esse videatur. *Stellæ* enim *non sunt mundæ in conspectu ejus*, Job. 25. Sed quoniam hæretici Lutherani, et Calviniani, ex hoc loco probare contendunt, nullam esse in homine justificato veram justitiam, sed solum imputatitiam, et omnia opera justorum esse peccata mortalia, et digna supplicio æterno, si a Deo imputarentur: observandum est Davidem non dixisse, nullum esse vere justum; sed contra dixisse in Psal. 17. *Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi, quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo: Et ero immaculatus cum eo, etc.* et in Psal. 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Neque hoc loco dixisse eumdem Davidem, nullus vere justificabitur, sed, *non justificabitur in conspectu tuo:* quod intelligunt Patres, vel quia justitia justorum vera quidem est, sed ab ipsis non est, quasi propriis viribus acquisita, sed a Deo gratis donata. Ita sanctus Augustinus hoc loco; vel quia justitia eorumdem justorum vera, sed non pura est, cum admixta sit peccatis venialibus. Ita S. Gregorius hoc loco, sanctus Hieronymus in epistola ad Ctesiphonem, et sanctus Augustinus in libro de perfectione justitiæ. Vel denique, quia etiamsi vera, et pura esset absolute, tamen comparata ad justitiam Dei increatam et infinitam, justitia esse non videtur, quomodo lux lucernæ coram Sole non lucet. Ita sanctus Hilarius, sanctus Hieronymus, et alii hoc loco, et sanctus Bernardus serm. 5. de verbis Isaiæ. Atque hoc est quod legimus Job. 4. *Nunquid homo Dei comparatione justificabitur?* et cap. 9. *Vere scio quod ita sit, et quod non justificabitur homo compositus Deo.* In quem locum vide S. August. in lib. ad Orsium contra Prisciallianistas, et Origenistas cap. 10.

3. Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Hæc est tertia ratio, quam adducit ad impetrandam remissionem peccatorum, quæ sumpta est ex gravitate tentationis: non enim sponte sua, et nullo tentante peccavit, ut fecerunt Angeli reprobi, qui propterea remissionem peccati non invenerunt: sed gravissima persecutione inimici nostri diaboli, qui tanquam *leo rugiens circuit quærens quem devoret*, prostratus fuit, et dejectus ab altitudine innocentiæ ad imum peccati lethalis. Itaque illa particula causalis, *quia*, jungenda est cum verbis illis, *Exaudi me in tua justitia:* quasi dicat, Exaudi me, quia es justus, promissa adimplens: *quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens: quia persecutus est inimicus animam meam*, sollicitando ad adulterium, et tentando ad homicidium, et *humiliavit*, prostravit, abjecit *vitam meam* usque ad terram, quia me vilem et contemptibilem reddidit in conspectu tuo, et sanctorum Angelorum; et rursum humiliavit ad terram, quia terræ amatorem fecit, qui antea in cœlestibus conversabar. Hæc expositio communis est Sanctorum Patrum, Chrysostomi, Augustini, Gregorii, et aliorum.

4. Collocavit me in obscuris, sicut mortuos sæculi: et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Pergit in explicatione calamitatum, quas Diabolica persecutio per peccatum adfert. Postquam enim animam humiliavit ad terram, id est, terrenis cupiditatibus implicavit, *in obscuris* eam collocat, in tenebris videlicet spiritualibus, excæcans oculos interiores; ut falsa bona amplectatur pro veris, ut voragines et præcipitia non advertat, ut viam, quæ ducit ad vi-

tam, omnino non videat; denique in iis tenebris collocat, in quibus versantur mortui sæculi, id est, jam dudum mortui, sive a sæculo mortui, vel, ut vertit S. Hieronymus, antiqui mortui, in quibus ne vestigium quidem oculorum remanet. Est enim hæc amplificatio tenebrarum spiritualium, in quibus versantur amatores mundi. De quibus tenebris loquitur Apostolus ad Ephes. 4. *Tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a via Dei propter ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum,* et c. 6. Non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus Mundi rectores tenebrarum harum; quamvis fortasse sit non dicenda amplificatio tenebrarum spiritualium, cum tantæ sint, ut nihil addi posse videatur. Quæ enim major obscuritas mentis, quam propter momentaneam voluptatem contemnere felicitatem æternam? Sequitur, *Et anxiatus est super me spiritus meus*; quibus verbis indicat se ex divino lumine cœpisse videre tenebras suas, et abjectionem animæ ad res terrenas diligendas; et inde consecutam esse anxietatem spiritus ex terrore divini judicii, et ex misero statu, in quem cecidit propter peccatum. Atque hoc est initium pœnitententiæ. *Anxiatus est super me spiritus meus;* in Hebræo est eadem vox, quæ in Psalmo superiore, *In deficiendo ex me spiritum meum.* Itaque significat magnam anxietatem, quæ fere ad defectum vitæ perducebat, nisi spes misericordiæ consolationem attulisset. Illud, *super me,* significat meam miseriam, super maximum languorem meum anxiatus est spiritus meus. Deinde idem repetit aliis verbis, *In me turbatum est cor meum:* nisi quod, *in me,* non est idem quod super me, sed significat hoc loco, in medio mei, sive, intra me. Itaque sensus est, Spiritus meus hanc miseriam considerans, valde anxiatus est, et cor meum in intimis meis conturbatum est, non leviter, aut in superficie; sed serio, et in profundo cordis expavescere, et conturbari cœpi. Ad hujus pœnitentis imitationem debent, qui liberari cupiunt, serio, et profunde cogitare detrimenta peccati.

5. Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis, et in factis manuum tuarum meditabar.

Docet nunc, unde ex tanta anxietate respirare cœperit, et nobis exemplo suo viam ostendit ad reparationem post lapsum. *Memor,* inquit, *fui dierum antiquorum,* id est, recogitare cœpi misericordiam tuam, quam ab initio Mundi patribus nostris exhibuisti, portans infirmitates eorum, sanans languores, et parcens iniquitatibus. Nec solum obiter memor fui, sed *meditatus sum in omnibus operibus tuis,* id est, diligenter consideravi omnia opera tua sive naturæ, sive gratiæ, et in omnibus misericordiam tuam eminere vidi: et idipsum iterum repetens addit, *In factis manuum tuarum meditabar,* id est, operibus tuis considerandis exercebar. Possent hæc cum sancto Gregorio referri ad antiquos dies, quibus in statu innocentiæ homo fruebatur deliciis paradisi, et inde magis intelligitur miseria captivitatis; sed prior expositio, in qua Chrysostomum secuti sumus, videtur litteræ magis inhærere.

6. Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Spe concepta ex consideratione misericordiæ, ad Deum aspicere et suspirare incipit, *Expandi,* inquit, *manus meas* in oratione *ad te:* quoniam anima mea ita sitit gratiam tuam, ut terra arida pluviam. Quæ aptissima similitudo est. Nam sicut terra sine aqua, neque consistentiam habet, neque vestitur herbis, neque ornatur floribus, neque producit fructus, sed est inanis et vacua: sic anima sine gratia Dei non resistit tentationibus, sed sicut pulvis jactatur a facie venti, neque vestem habet justitiæ, neque ornamentum sapientiæ, neque fructus operum bonorum: quod totum intelligit pœnitens experimento suo, et ideo magis sitit, quod melius cognoscit.

7. Velociter exaudi me Domine, defecit spiritus meus.

Turpitudo peccati, quam agnovit, et desiderium gratiæ urget animam pœnitentis, ut non possit ferre moras reconciliationis; atque est signum veræ contritionis, quando peccator non differt confessionem, et alia remedia de die in diem; sed cito currit ad medicum animæ, quomodo ægrotus in periculo constitutus cito medicum accersiri jubet, et sitibundus cito currit ad aquas. *Velociter,* inquit, *exaudi me,* non possum diutius ferre turpitudinem meam, cito lava me ab iniquitate mea, sana velociter languorem meum, quia *deficit spiritus meus,* id est, in extremis ago, vix spiritum duco: ponitur enim præteritum pro præsenti, amplificandi gratia.

8. Non avertas faciem tuam a me, et similis ero descendentibus in lacum.

Idem petit aliis verbis, *Non avertas faciem tuam a me,* id est, ne recuses reconciliari mihi, ne fias inexorabilis, converte faciem benignitatis tuæ ad me misericorditer respiciendum, ne fiam similis pereuntibus, qui descendunt in lacum profundissimum gehennæ. Quibus enim Deus non ignoscit, neque donat vitam gratiæ, ii pereunt in æternum. Illud, *et,* sumitur pro, *quia,* ut sæpe notavimus, et sensus est, *Non avertas faciem tuam a me,* quia si averteris *similis ero descendentibus in lacum.*

9. Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi.

Rursus ad idem redit, sed alia ratione. *Auditam fac mihi mane,* id est, cito, velociter incipiente die, *misericordiam tuam:* vel per *mane,* intelligit lumen gratiæ quod succedit tenebris peccati in reconciliatione, quasi dicat, satis diu fui, te irascente, in nocte peccati: incipiat te miserante dies gratiæ, et audiam in corde meo vocem tuam dicentem mihi, *Salus tua ego sum. Quia in te speravi,* id est, gratia spei, quam jam accepi, mereatur gratiam remissionis, quamvis enim peccator ex se non mereatur aliquid apud Deum, tamen ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur, et perfici, ut loquitur Sanctus Augustinus in epist. 106. et quemadmodum eo loco S. Augustinus dicit, per Fidem impetrari

justificationem, ita etiam dici potest de Spe, quod videlicet impetret justificationem.

10. Notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam.

Pœnitens David accepta justificatione, timens ne iterum cadat, in hac extrema parte Psalmi petit sollicite gratiam cognoscendi viam justitiæ, et per eam ambulandi. Atque hoc etiam signum est veri pœnitentis, quando post reconciliationem, studet viam instituere, ut docet amicum et filium Dei. *Notam*, inquit, *fac mihi viam, in qua ambulem*, id est, illumina mentem meam: ut cognoscam viam justitiæ, in qua ambulare debeo, ut ad te perveniam. Siquidem *ad te levavi animam meam*, id est, ad te direxi cursum meum, renuntiavi sæcularibus desideriis, te unum desidero: ideo lumen sapientiæ quæro, ne aberrem a te. Potest etiam cum Chrysostomo, illud, *ad te levavi animam meam*, intelligi per spem, ut sensus sit, a te pendeo, in te confido.

11. Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Persistit in eadem petitione, rogans liberari a tentationibus Diaboli, qui sæpe conatur obscurare mentem, ne videat viam justitiæ. Concupiscentiæ siquidem a Diabolo excitatæ faciunt, ut res aliter appareant, quam sint, et inde contingat error judicii. *Eripe me*, inquit, *de inimicis meis*, id est, eripe me a tentationibus inimici; quoniam ad te confugi, et illi renuntiavi. *Doce me facere voluntatem tuam*, id est, adjuva me lumine tuo, ut repulsis tentationibus veram viam inveniam, et sic intelligam; quæ sit voluntas tua bona, beneplacens, et perfecta. *Quoniam Deus meus es tu*, id est, debeo, et cupio tibi uni servire; quoniam tu es Deus meus, principium et finis omnium bonorum meorum, a quo naturam, et cætera bona animæ et corporis accepi, et a quo beatitudinem, et gloriam sempiternam expecto.

12. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam; propter nomen tuum vivificabis me in æquitate tua.

Petiit sapientiam, quæ ad intelligentiam pertinet: nunc petit charitatem, quæ pertinet ad voluntatem: tunc enim vere ambulamus per viam justitiæ, quando scimus, et volumus bene agere. *Spiritus tuus bonus*, id est, non spiritus meus, sed tuus qui bonus est, et de quo Salvator dicit Luc. 6. *Quanto magis Pater vester dabit spiritum bonum petentibus se?* Spiritus bonus est, Spiritus sanctus, essentialiter bonus, per quem diffunditur *charitas in cordibus nostris*, Rom. 5. et hic facit ut velimus, et operemur, et de hoc dicitur Ezech. 36. *Ponam Spiritum meum in medio vestri, et faciam ut ambuletis in præceptis meis.* Hic igitur *Spiritus deducet me in terram rectam*, id est, in viam planam, et directam, quæ est lex Domini rectissima et planissima. Posset etiam per *terram rectam*, intelligi patria cœlestis, quæ est terra viventium, in qua justitia inhabitat, et in qua obliquitas vitiorum nullum locum habet. Sequitur, *Propter nomen tuum vivificabis me in æquitate tua;* ut ostendat justificationem, quæ est quædam vivificatio spiritualis, non ex meritis propriis, sed ex dono gratiæ Dei nobis contingere, *Propter nomen tuum*, inquit, id est, propter gloriam tuam ex gratia tua *vivificabis me in æquitate tua*, id est, in justitia tua; sic enim est in Hebræo. Per *justitiam* autem potest intelligi veritas, sive fidelitas in servandis promissis: potest etiam intelligi justitia, quæ nos justificat. Denique potest intelligi lex Domini justissima, quomodo intelligitur illud Psalm. 118. vers. 40. *In æquitate tua vivifica me.*

13. Educes de tribulatione animam meam, et in misericordia tua disperdes inimicos meos.

14. Et perdes omnes, qui tribulant animam meam, quoniam ego servus tuus sum.

Concludit prædicens salutem, et liberationem suam, et perditionem omnium inimicorum suorum: quod sine dubio adimpletur in ultimo Judicio: et quod de se David Propheta dicit, etiam potest dici de omnibus veris Dei servis, qui vel innocentiam custodierunt, vel per veram pœnitentiam ad viam justitiæ redierunt.

PSALMUS CXLIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

PSALMUS DAVID ADVERSUS GOLIATH.

In Hebræo habetur solum, *Psalmus David :* quæ sequuntur, addita esse a Septuaginta Interpretibus testatur sanctus Hilarius : sed quoniam Psalmus videtur meminisse Regni ipsius David versu tertio, ubi dicit, *Qui subdit populum meum sub me ;* existimant aliqui verba illa, adversus Goliath, non esse conformia Psalmo : et liberius etiam putant hæc verba posse contemni, quod Theodoretus testatur ea non haberi in exaplis Origenis, ac proinde non esse ex interpretatione Septuaginta Seniorum. Sed respondere possumus Psalmum scriptum esse proprie pro victoria adversus Goliath, et verba illa, *Qui subdit populum meum sub me*, non intelligi de Regno, sed de principatu militiæ : fuit enim David Dux belli multo anteaquam Rex fieret : neque verum est, quod aliqui dicunt, hunc Psalmum esse ejusdem argumenti cum Psalmo septimodecimo, ut patet ex versu octavo hujus Psalmi. Itaque existimamus hunc Psalmum compositum fuisse paulo post victoriam adversus Goliath, ut habet titulus. Quod autem attinet ad versionem Septuaginta, majorem fidem habere debemus S. Hilario, qui affirmat hæc addita a Septuaginta viris, quam Theodoreto, qui negat. Sanctus enim Hilarius in explicatione Psalmorum, Origenem sequutus est, ut testatur S. Hieronymus in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis : quare credibile est Hilarium in Origene legisse, verba illa addita fuisse a Septuaginta viris : nemo autem melius novit, quid esset in versione Septuaginta, quæ habetur in exaplis, quam Origenes, qui exapla collegit. Adde quod, cum hic titulus legatur in omnibus libris Latinis, et a sancto Augustino, et aliis exponatur, non est ulla ratione tollendus, aut contemnendus. Argumentum Psalmi ex Hilario, est victoria Christi adversus Diabolum : ex Augustino, victoria Ecclesiæ adversus eumdem Diabolum ; ex Theodoreto, victoria Machabæorum adversus Antiochum. Sed nos cum sancto Joanne Chrysostomo existimamus, ad litteram cani victoriam Davidis adversus Goliath, ut titulus docet : spiritualiter prædici victoriam Christi, et Ecclesiæ adversus Diabolum.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum.

Laudat Propheta Deum, et gratias illi agit, quia dono singulari ejus vicerit Gigantem, unde initium duxit omnis ipsius gloria. Dicit autem, *Qui docet manus meas ad prælium*, et non dicit, Qui robustam fecit manum meam ; quoniam in eo genere prælii, quo vicit Gigantem, plus valuit ars, quam robur. *Prævaluit* enim, ut Scriptura dicit, *in funda et lapide adversus Philisthæum*, 1. Reg. 17. Jacere autem lapidem ex funda ita ut recte attingat frontem hominis, maximæ artis est, quam tamen victoriam sapiens Propheta non suæ arti, aut exercitationi, sed Dei dono tribuit. Pari ratione in prælio spiritali adversus Diabolum magis indigemus arte quam robore, et Christus ipse per Davidem figuratus non potentia, sed sapientia Diabolum vicit. Patientia enim, et humilitate superbum, et crudelem hostem prostravit : et ideo non dixit Propheta, Qui armat manus meas, sed, *Qui docet manus meas.* Quod additur, *Et digitos meos ad bellum;* idipsum est aliis verbis repetitum.

2. Misericordia mea, et refugium meum, susceptor meus, et liberator meus.

3. Protector meus, et in ipso speravi, qui subdit populum meum sub me.

His quinque vocibus docet Propheta, quo ordine dederit illi Deus victoriam : quo etiam ordine nobis quoque dabit, si in illo spem nostram totam posuerimus. Primum Deus misericorditer Davidem respexit. Misericordia enim Dei prima origo est omnium bonorum nostrorum, et omnia omnino merita prævenit : hinc igitur primo dicit, *Misericordia mea.* Deinde David misericorditer præventus, et vocatus, respexit ad Deum, atque ad eum sperando, et invocando confugit : hic subjungit, *Et refugium meum.* Tertio, Deus confugientem a se non despexit, sed manum illi porrigens suscepit, eum protegendum, et adjuvandum : inde subjunxit, *Susceptor meus.* Quarto, susceptum liberavit de captivitate, et ab imminente periculo vitæ : hinc subjunxit, *Et liberator meus.* Denique liberatum, ne iterum caperetur, aut vulneraretur protexit, et protegere pergit, dum prælium durat : ideo subjunxit, *Protector meus;* addit,

Et in ipso speravi, qui subdit populum meum sub me, id est, Deus quidem mihi est misericordia, refugium, susceptor, liberator, et protector: et ego vicissim in ipso sperabo, qui fecit plus quam petere, aut optare potuissem: nam non solum liberavit me de manu Goliath, sed etiam subjecit mihi populum meum, cum fecit me Principem militiæ super omnem populum meum, nam 1. Reg. 18. paulo post victoriam de Goliath, fecit Saul Rex Davidem Tribunum super mille viros: nec solum illis, sed universo populo præerat David. Sic enim legimus ibidem, *Omnis Israel, et Juda diligebat David; ipse enim ingrediebatur et egrediebatur ante eos*, quod repetitur 2. Reg. 5. Nec solum subjecit, sed etiam nunc subdit, cum dono gratiæ suæ facit, ut populus quiete et pacifice regi se sinat.

4. Domine quid est homo, quia innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum?

Ex tot beneficiis prorumpit David in magnam admirationem, quod tantus Deus, quo nihil majus cogitari potest, dignetur tanti facere hominem, qui fere nihil est, ut etiam velit ab illo cognosci, et amari. Et si hæc David dicit, et tanto sensu pietatis dicit, quid nos facere, sentire, et dicere par esset, quibus Deus non solum innotuit, sed formam servi accepit, et in ea forma *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, et victoriam nobis tribuit, non adversus carnem et sanguinem, sed *adversus Principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus*, et qui nobis non populum unum subjicit, sed evectos ad participationem Regni sui constituit cum Christo super omnia bona sua? sed verba consideremus, *Domine quid est homo, quia innotuisti ei?* ex Hebræo aliqui vertunt, *Quid est homo, quia cognoscis eum?* Sed S. Joannes Chrysostomus affirmat, recte vertisse Septuaginta Interpretes, *innotuisti ei?* nam et vox Hebraica hunc sensum patitur, et est multo admirabilius, quod Deus dignetur agnosci ab homine, quam quod hominem cognoscat, imo nihil admirationis habet, quod Deus hominem cognoscat, qui hominem fecit, et nihil ignorare potest. Observat quoque idem Chrysostomus recte dictum esse, *quia innotuisti ei*, non autem, quia cognitus es ab eo: cognitio enim Dei in homine ab ipso Deo est, qui ei se revelare, et demonstrare dignatur. *Aut filius hominis quia reputas eum?* Repetitio ejusdem admirationis est: nam in hoc apparet quanti Deus hominem æstimet, quia voluit ei innotescere, et cum eo familiaritatem amicitiamque contrahere.

5. Homo vanitati similis factus est, dies ejus sicut umbra prætereunt.

Explicat causam suæ admirationis; quia videlicet homo sit res modica, et id modicum brevi desinat esse. Non poterat magis extenuari vilitas hominis comparata ad magnitudinem Dei. Deus plenitudo est omnium bonorum, et plenitudo semper stans, et manens in æternum sine ulla imminutione, aut mutatione: Homo non est quidem vanitas, quia aliquid est, sed *vanitati similis*, quia modicum quid est, et capax magnorum bonorum, si a Deo impleatur, sed donec impleatur, similis est vasi vacuo, et inani. Id autem quod est, semper mutatur, et transit donec deficiat: quomodo interdiu umbra montium insensibiliter transit, donec nocte superveniente, penitus evanescat. Atque hæc dicit Propheta de homine, quoad vitam corporalem, et comparatione facta cum Deo: alioqui enim homo magna res est, ad imaginem et similitudinem Dei creatus, et ad ipsum Deum intelligendum, et amandum factus: propter quem Unicus Dei sanguinem profundere non dubitavit; qui denique si Deo per fidem, spem, et charitatem in hac peregrinatione inhæserit, futurus sit in patria æqualis Angelis, semperque felicissimus. Itaque quemadmodum pulverem et cinerem se reputare debet, cum Deo collatus, ita dignitatem suam agnoscere debet, cum ei bestiales voluptates a Diabolo suggeruntur, ut dedignetur delectari voluptatibus pecorum, quia ad Angelorum æqualitatem aspirat.

6. Domine inclina cælos tuos, et descende: tange montes, et fumigabunt.

7. Fulgura coruscationes, et dissipabis eos: emitte sagittas tuas, et conturbabis eos.

Propheta Sanctus ex beneficiis Dei prorumpit in admirationem misericordiæ Dei, quod tanta Majestas tantam utilitatem aspicere dignaretur: nunc vero considerans ex adverso superbiam et cæcitatem multorum hominum, qui Deo contempto toti essent occupati in opprimendis hominibus piis, et in cumulandis terrenis divitiis: precatur Deum, ut ostendat potentiam suam in ejusmodi homines, ut saltem timore pœnæ peccare cessent, qui amore justitiæ, et reverentia conditoris bene agere nesciunt. *Domine*, inquit, *inclina cælos tuos, et descende*, id est, quando quidem humana superbia ex beneficiis te non agnoscit, nec timet, ostende præsentiam tuam per nubes tenebrosas, per ignem de cælo demissum, per fulgura et tonitrua, aliaque id genus, quibus homines terreri et expavescere cogantur; dicitur autem Deus *inclinare cælos*, quando demittit nubes, et densas caligines, quæ videntur partes cæli aeri; et eo modo *descendere* dicitur, quia demonstrat per eos effectus præsentiam suam. Sic dicitur Exod. 19. Deum descendisse in montem Sina, quando implevit montem illum tenebrosa nube, et caligine densissima, et simul montem calefecit, ut totus fumigare videretur: et hoc est quod addit, *tange montes, et fumigabunt*, sed præcipue Deus præsentiam, et potentiam suam demonstrat fragore horrendo tonitruorum, et coruscatione fulgurum, ac vibratione fulminum, quibus nihil velocius, subtilius, efficacius, horribilius. Ideo addit, *fulgura coruscationes, et dissipabis eos*, superbos videlicet hostes piorum. *Emitte sagittas tuas*, id est, cælestia fulmina, *et conturbabis eos*, nemo enim est tam ferox, et audax, qui non expavescat fulmina de cælo, adversus quæ nihil valet humana defensio. Unde dicitur 1. Reg. 2. *Dominum formidabunt adversarii ejus, et super ipsos in cælis tonabit.*

8. Emitte manum tuam de alto, eripe me,

et libera me de aquis multis, de manu filiorum alienorum.

Ex hoc versiculo apparet Psalmum hunc non esse scriptum a Davide post Regnum adeptum, neque esse ejusdem argumenti cum Psalmo septimodecimo : nam in eo Psalmo gratias agit de liberatione a manu Saul, et omnium aliorum inimicorum ; in hoc autem Psalmo adhuc pugnabat cum filiis alienis, id est Philisthæis, et orat Deum pro liberatione et victoria. Itaque posteaquam rogaverat Deum generatim adversus impios et superbos, rogat pro se in particulari. *Emitte*, inquit, *manum tuam de alto*, id est, de cœlo potentiam tuam ostende, et *eripe me, et libera me de aquis multis*, id est, a multitudine hostium infidelium, cum quibus quotidie bellum gero : et declarans ipse metaphoram, addit, *de manu filiorum alienorum*. Itaque, *aquæ multæ* significant multitudinem filiorum alienorum, qui ad litteram erant Philisthæi : spiritualiter sunt hæretici, ut vult S. Joannes Chrysostomus, vel generalius omnes hujus sæculi, sive foris, sive intus sint, ut docet S. Augustinus, et conformius est versiculo sequenti et a versiculo duodecimo usque ad finem.

9. Quorum os loquutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis.

Describit filios alienos, atque ait illos esse, qui et ore, et opere iniqui sunt. *Quorum os loquutum est vanitatem*, non veritatem, non legem tuam, non boni aliquid : *et dextera eorum* non operatur, nisi rapinas, oppressiones pauperum, adulteria, homicidia, etc,

10. Deus canticum novum cantabo tibi, in psalterio decachordo psallam tibi.

11. Qui das salutem Regibus, qui redemisti David servum tuum de gladio maligno : eripe me.

12. Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os loquutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis.

Interponit duos versiculos, quasi parenthesim ex affectu in Deum : deinde revertitur ad describendos filios alienos. *Deus*, inquit, *canticum novum cantabo tibi*, id est, peto alia multa beneficia, sed non sum oblitus acceptorum, ideo canticum novum, præclarum, nondum auditum, cantabo tibi, et simul in psalterio decem chordarum psallam tibi, jungens sonitum psalterii cum laudatione vocis ; id autem faciam, *quia tu das salutem Regibus*, ut paulo ante dedisti Sauli Regi per ministerium meum; et, *tu redemisti me Davidem servum tuum de gladio maligno*, id est, de gladio injusto Gigantis Goliath : tu igitur sicut hactenus fecisti, *eripe me*. Erue, inquam, me de manu filiorum alienorum, qui et ore et opere scelestissimi sunt.

13. Quorum filii sicut novellæ plantationes in juventute sua.

Declarat filios alienos ab affectu et opinione ipsorum : illi enim sunt filii alieni, qui non noverunt, neque diligunt nisi terrenam felicitatem, in fœcunditate et prosperitate filiorum et filiarum : in abundantia frumenti, vini, et olei, in armentis pecorum, et fructibus eorum ; in pace et securitate omnium quæ possident. Sed hoc loco observandum est, ex Hebræo hæc omnia nunc legi in prima persona, non in tertia, et sensum facere omnino contrarium, nimirum hunc, Eripe *me de manu filiorum alienorum*, ut sint filii nostri *sicut novellæ plantationes; filiæ* nostræ *compositæ*, ut similitudo templi, promptuaria nostra, etc. sed cum omnes Græci, et Latini codices habeant in tertia persona, et omnes Patres ita exponant, non possumus approbare lectionem Hebraicam, nisi dicamus, ut Genebrardus indicavit, hic introduci loquentes ipsos filios alienos, et Davidem non ex suo sensu, sed in persona eorum hæc dicere, ut hic sit sensus, *Eripe me de manu filiorum alienorum, quorum os loquutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis*, qui videlicet locuti sunt vanitatem dicentes, Sunt filii nostri *sicut novellæ plantationes*, etc. Posset etiam facile fieri, ut verba Hebraica tempore Septuaginta Interpretum fuerint in tertia persona, et postea successu temporis incuria librariorum mutata sint in personam primam : quod facillimum fuit, cum discrimen personæ primæ et tertiæ in litteris non in syllabis consistat : nam si desit littera, *nun*, erit persona prima, si adsit, erit persona tertia : præterea vox אשר *ascer*, potest verti, *quorum*, ut nostri legunt, potest etiam verti, *ut*, quomodo legunt Hebræi : videtur hoc loco vertenda *quorum*, non *ut* : nam in versu 9. et 12. ubi legimus, *Quorum os locutum est vanitatem*, eadem est vox, et ab omnibus vertitur, *quorum*, cur ergo non etiam hoc loco vertatur, *quorum*, et legamus, *quorum filii?* Quare lectio nostra omnino retinenda est. Ac primo loco inter humanas felicitates ponuntur filii, quoniam illi super omnia alia desiderantur, et propter eos quæruntur cætera. Ideo Propheta dicit, *Quorum filii sicut novellæ plantationes in juventute sua*, id est, tunc habentur felices filii hujus sæculi, quando filii eorum sunt in juventute sua similes novellis plantationibus arborum, id est, bene radicati et fundati, et virides ac florentes, ut spes sit, eos longissimo tempore supervicturos.

14. Filiæ eorum compositæ circumornatæ, ut similitudo templi.

Hæc est secunda felicitas temporalis, filiæ formosæ et ornatæ, ut facile viros inveniant, quibus nubant. Illud, *compositæ*, videtur referendum ad naturalem pulchritudinem, quæ ex compositione, sive conformatione membrorum constat ; ex Hebræo vertunt aliqui, *Filiæ ut anguli incisi*, sed incredibile est Septuaginta Interpretes deduxisse vocem Hebraicam a זיו *zin*, quod splendorem significat, ut sensus sit, *filiæ eorum compositæ*, id est, splendidæ et speciosæ. Quod sequitur de similitudine templi, videtur intelligendum de ornatu tabernaculi, in quo erant multa ornamenta purpuræ, byssi, auri, gemmarum, ut nihil pulchrius in tota regione inveniretur.

15. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud.

Hoc est tertium genus felicitatis filiorum alienorum, promptuaria ita plena variarum frugum, aliarumque rerum ad hujus vitæ usum, ut necesse sit ex uno in aliud exonerare copiam rerum. Qualis felicitas describitur in Evangelio, cum dicitur, divitem quemdam cogitasse intra se, *Quid faciam, quia non habeo ubi congregem fructus meos? scio quid faciam, destruam horrea mea, et majora faciam, etc.* Luc. 12. Id vero potissimum contingit, quando supervenientibus novis frugibus, adhuc supersunt veteres, quæ in illud promptuarium refundendæ sunt, ut detur locus novis.

16. Oves eorum fœtosæ abundantes in egressibus suis : boves eorum crassæ.

Hoc est quartum genus bonorum temporalium, oves fœcundæ et plurimæ, *abundantes in egressibus suis*, id est, quæ plurimæ conspiciantur, et cum egrediuntur ad pascua: et simul cum gregibus ovium armenta boum, et quidem pinguium.

17. Non est ruina maceriæ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum.

Hoc est ultimum bonorum temporalium, ut non solum domus et palatia nullam ruinam minentur, sed ipsæ etiam maceriæ, quæ ex vili materia eriguntur, integre maneant: et nullus sit tumultus, neque rumor in plateis eorum, sed omnia tranquilla et pacata. Illud, *neque transitus*, potest significare transitum per diruptas macerias, vel transitum latronum, aut militum cum tumultu circumcursantium.

18. Beatum dixerunt populum qui hæc sunt; beatus populus cujus Dominus Deus ejus.

Hæc est conclusio sancti Prophetæ, qui refert ex sententia filiorum alienorum beatum esse populum cui hæc sunt, quæ paulo ante descripsimus : sed ex propria sententia dicit beatum esse populum, non cui hæc sunt, sed cujus Deus est Dominus, id est, qui habet pro Deo verum Deum: nam vox Dominus hoc loco scribitur quatuor litteris, quæ nomen proprium Dei significant, quod nunquam tribuitur, nisi vero Deo; qui fecit cœlum et terram. Ad finem hujus Psalmi diligenter annotandum est, non facere differentiam inter filios Dei et filios alienos, copiam, vel inopiam rerum temporalium : multi enim filii Dei his bonis abundarunt, et Dominus Matth. 19. promisit centuplum eorum, quæ dimittimus in hoc mundo, et postea vitam æternam : et contra multi filii hujus sæculi misere perierunt in egestate, in exilio, in triremibus, in patibulis. Sed quod differentiam facit inter filios Regni et filios gehennæ, filios hujus sæculi et filios lucis, est affectio : qui enim bona temporalia magna bona esse ducunt, et iis ita afficiuntur, ut præ illis æterna bona contemnant, et contra qui detrimenta temporalia, magna mala esse ducunt, eaque ita timent, ut pro iis evadendis Deum offendere, et vitam æternam perdere non formident, illi sunt filii tenebrarum hujus sæculi et gehennæ, et hoc significatur in illis verbis, *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt*, id est, qui tanti faciunt hæc temporalia, ut in illis beatitudinem sitam esse arbitrentur. Qui vero bona temporalia, parva bona, et jacturam eorum parva mala esse ducunt, ut revera sunt : contra autem gratiam Dei, et cœlestem patriam in maximis bonis reponunt : et offensionem Dei, ac vitæ æternæ detrimentum, mala gravissima putant, illi sunt filii lucis, filii Dei, filii Regni; qui non surda aure audierunt, *Primum quærite Regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* Matth. 6. et hoc significatur in illis verbis, *Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus*, id est, bona temporalia, bona sunt, sed beatum non faciunt : quod autem vere facit beatum, est possessio summi boni, quod in Dei visione consistit.

PSALMUS CXLIV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

LAUDATIO DAVID.

TITULUS indicat argumentum : est enim hic Psalmus perpetua laudatio Dei, quæ partim sumitur ab ipsa Dei magnitudine, partim ab operibus ejus, partim a qualitatibus Regni ipsius, partim a virtutibus Regiis, quæ in ipso perfectissime inveniuntur. Est autem Psalmus alphabeticus, ut facilius memoriæ commendetur, et delectabilius canatur. S. Hilarius et S. Augustinus ita exponunt titulum, *Laudatio David*, id est, laudatio, qua laudatur David. Et per Davidem intelligunt Christum, qui filius est David secundum carnem. Sed communior expositio est, ut sit sensus, laudatio, qua laudatur Deus a Davide. Neque obstat, quod in Græco dicatur in dativo, *Laudatio ipsi David.* Est enim sensus, laudatio Dei inspirata, et dictata a Spiritu sancto ipsi Davidi Vide titulum Psalmi tertii.

EXPLICATIO PSALMI.

1. *Aleph.* Exaltabo te Deus meus Rex, et benedicam nomini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi.

2. *Beth.* Per singulos dies benedicam tibi, et laudabo nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi.

In his duobus primis versiculis continetur prooemium, in quo Propheta docet quid in hoc Psalmo canere proposuerit, sed hoc docet more poetico, per apostrophen ad Deum. *Exaltabo*, inquit, *te*, id est, in hoc Psalmo celebrabo te versibus meis, ut tu, qui altissimus es, altissimus etiam habearis et prædiceris ab hominibus. Vocat autem Deum Regem suum, vel ut ostendat se Regem esse sub Rege Deo, qui omnes regit et a nullo regitur, vel quia Deum celebrare intendit ob ea præcipue attributa, vel opera quæ illi conveniunt, ut Rex est, et gubernator hominum et cæterarum rerum creatarum. *Et benedicam nomini tuo*, repetitio est ejusdem rei, idem enim est. *Exaltabo te, et benedicam nomini tuo*, id est, laudabo nomen tuum, celebrabo gloriam tuam. Quod autem additur, *in sæculum, et in sæculum sæculi*, significat laudationem hanc fore perpetuam, ita ut hic incipiat, et perseveret per successiones hominum canentium hos Psalmos usque ad mundi consummationem, et deinde in cœlesti patria nunquam omnino deficiat. *Beati enim qui habitant in domo tua Domine*, ait ipse idem in Psalm. 83. *in sæcula sæculorum laudabunt te.* Hoc idem clarius repetitur, et explicatur in secundo versiculo, *Per singulos dies benedicam tibi*, id est, perpetuo laudabo te, sive in prosperis, sive in adversis, dum hic vivam, et postea quoque in cœlesti patria, *laudabo nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi.*

3. *Gimel.* Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis.

Quatuor sunt quasi partes magnitudinis, latitudo, longitudo, sublimitas, et profundum, quæ suo modo in Deo quoque considerari possunt juxta illud Apostoli ad Ephes. 3. *Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, et profundum.* Igitur Propheta incipit laudare Deum a magnitudine, et potest hæc laus intelligi de magnitudine essentiæ divinæ, quæ est magna quoad latitudinem, quia est immensa, quoad longitudinem, quia æterna, quoad sublimitatem, quia altissima, quoad profunditatem, quia incomprehensibilis; vel si placet, Prophetam explicare de magnitudine Dei, ut Rex est, magnus Rex est Dominus, quoad latitudinem, quia omnia serviunt illi a summo Angelo usque ad ultimum vermiculum, quoad longitudinem, quia Regni ejus æterna duratio est, quoad sublimitatem, quia potestate summa, et absolutissima regnat, quoad profunditatem, quia non solum corpora, sed etiam corda regit, et moderatur intimas omnium cogitationes, et affectiones, denique nihil est tam abditum, et reconditum, quo virga Regni ejus non penetret. *Magnus* ergo *Dominus*, ideo *laudabilis nimis*: id est, valde, *et magnitudinis ejus non est finis*, quia et latitudo infinita est, et longitudo, et sublimitas, et profundum pariter infinita sunt. Vox Hebraica proprie *inventionem*, sive *investigationem*, non *finem* significat. Sed Septuaginta sensum verterunt. Ideo enim magnitudinis Dei nulla est inventio, quia finis ejus non invenitur, nec inveniri potest, cum non sit. Itaque magnitudo Dei est infinita, et ideo a nobis qui finiti sumus, est omnino investigabilis: dicitur autem a nobis investigabilis, non quod ignoremus magnum esse Deum, et magnitudinis ejus nullum esse finem, sed quia magnitudinem illam totam non capimus, non comprehendimus. Admonet autem nos hæc magnitudo infinita Dei, ut sicut magnitudinis ejus non est finis, sic etiam laudationis nullus est finis. Ita Sanctus Augustinus. Item, ut nos quoque non simus contenti angustiis nostris, sed quotidie magis ac magis in vera magnitudine, quæ in virtutibus posita est, crescere studeamus, juxta illud Psalm. 83. *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum; ibunt de virtute in virtutem*, etc. nam qui crescere student potentia, vel divitiis, ut alios supergrediantur; isti non magni, sed inflati sunt: non succo pleni, sed vento distenti: aliud enim superbia, aliud animi magnitudo est. Ita S. Joan. Chrysost.

4. *Daleth.* Generatio, et generatio laudabit opera tua, et potentiam tuam pronunciabunt.

Ab essentia Dei magni Regis, quæ investigari non potest, transit Propheta ad opera ipsius mirabilia, ex quibus potentia ejus intelligi potest, et non dicit, Ego laudabo opera tua, sed *generatio et generatio laudabit opera tua*, quasi dicat, Ego solus non sufficio laudare, sed omnes generationes laudabunt *opera tua*, quia nunquam deerunt qui ea considerent, admirentur, et laudent. *Et potentiam tuam pronunciabunt*, id est, omnes generationes laudabunt opera tua; et inde potentiam tuam, quæ in illis relucet, assidue prædicabunt. In Hebræo habetur ad verbum, *Generatio generationi laudabit opera tua*, ut in Psalm. 18. *Dies diei eructat verbum*, qua phrasi significatur generationes sibi invicem succedere, ut dicitur Ecclesiastæ 1. *Generatio advenit, et generatio præterit*, et sicut una alteri succedit quoad subsistentiam, ita etiam unam alteri succedere in laudandis operibus Dei, quasi una defuncta munere suo, tradat alteri munus Deum laudandi, et hoc modo generatio, et generatio, id est, omnes generationes laudabunt opera Dei. Itaque lectio Hebraica non est contraria lectioni Græcæ, et Latinæ, sed eas explicat et illustrat.

5. *He.* Magnificentiam gloriæ, sanctitatis tuæ loquentur, et mirabilia tua narrabunt.

Dixit in genere de operibus Dei mirabilibus : nunc distinguit tria genera operum Dei, quædam gloriosa, et pulcherrima, ac per hoc mirabilia ob eximiam speciem et splendorem; quædam terribilia, et ob terrorem maximum valde mirabilia; quædam denique amabilia, et ob ingentis benignitatis Dei significationem, non minus quam cætera mirabilia. In hoc igitur versiculo laudantur opera mirabilia ob splendorem, et gloriam operis, qualia sunt cœli superiores quibus nihil majus, et pulchrius; de quibus dicitur Psalm. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei;* ad idem opus pertinent ea, quæ in cœlo conspicimus, sol, luna, stellæ cæteræ, et earum varietas, multitudo, splendor et perpetui sine ulla intermissione, vel fatigatione discursus. *Magnificentiam*, inquit, *gloriæ sanctitatis tuæ loquentur*, id est, omnes generationes laudando loquentur excellentiam gloriosi operis magnificentiæ tuæ, et quia multa sunt in eo opere mirabilia, ideo laudantes gloriosum hoc opus, mirabilia tua multa, et magna narrabunt; per *magnificentiam* non intelligitur hoc loco actio virtutis, quæ dicitur magnificentia, sed qualitas operis magnificentissimi, quæ dici potest excellentia sive præstantia, sive decor et pulchritudo : hæc enim omnia significat vox Hebræa, quæ hoc loco ponitur : per *gloriam*, intelligitur claritas, et splendor, et per *claritatem*, et *splendorem*, ipsum opus gloriosum, et splendidum; denique per *Sanctitatem Dei*, si respiciamus vocem Hebraicam, intelligenda est majestas, sive magnitudo, sive magnificentia Dei, quæ etiam *sanctitas* dici potest, quia majestas Dei sanctissima est; vox Hebraica non est, קדש *chodes*, id est sanctitas, sed הוד *hod*, quam vocem in Ps. 8. verterunt Septuaginta, *magnificentiam*, et loco vertit S. Hieron. *magnitudinem*, et potest etiam verti, *majestas*, sive *decor*, sive etiam *robur*, ac *potentia*. Itaque sensus erit, omnes generationes præstantissimum, et clarissimum opus Majestatis Dei, quæ sancta, id est, inviolabilis, et purissima est, decantabunt.

6. *Vau*. Et virtutem terribilium tuorum dicent, et magnitudinem tuam narrabunt.

Hoc est alterum genus operum Dei, quo terror divinæ Majestatis in puniendis impiis demonstratur. *Et virtutem*, inquit, *terribilium tuorum dicent*, id est, robur et potentiam terribilium flagellorum, quibus impios castigare solitus es, dicent; et ex eis *magnitudinem* potentiæ tuæ *enarrabunt*. Ad hoc opus pertinent, diluvium generale tempore Noe; combustio quinque civitatum igne de cœlo demisso : plagæ Ægypti et Pharaonis : hiatus terræ ad absorbendos vivos, seditiosos Dathan et Abiron : denique terræ motus, pestilentiæ, fulmina cœlestia, eluviones aquarum, procellæ ventorum, et alia, quæ non raro ex divino judicio terris immittuntur.

7. *Zain*. Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, et justitia tua exultabunt.

Hoc est tertium genus operum Dei, quod ad misericordiam pertinet, quod quidem pluribus verbis, et majori significatione grati animi explicatur, quoniam ad pios Dei servos maxime pertinet. *Memoriam*, inquit, *abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt*, id est, omnes generationes repletæ abundantia suavitatis et benignitatis et misericordiæ tuæ, quoniam *misericordia Domini plena est terra*, ex hac plenitudine eructabunt memoriam hujus abundantissimæ suavitatis, id est, mandabunt posteritati memoriam horum tantorum, et tam multiplicium beneficiorum : nec solum eructabunt hanc memoriam posteris, sed ipsi *exultabunt justitia tua*, id est, ob fidelitatem, qua promissa beneficia præstitisti.

Ad hoc genus pertinent innumerabiles consolationes, quas toti generi humano divina bonitas tribuit ex vicissitudine dierum, et noctium, ex pluviis de cœlo, ex fœcunditate terræ, ex infinita multitudine pecorum, avium, piscium, quæ generi humano serviunt; ex amœnitate sylvarum, pulchritudine hortorum, commoditate maris et fluminum, aliisque id genus plurimis. Sed hæc levia et parva sunt, si comparentur ad dona gratiæ, ad incarnationem Verbi divini, ad passionem, resurrectionem, et ascensionem Christi, ad missionem Spiritus sancti, vocationem gentium, ædificationem imperiorum, prædicationem, promissionem, et exhibitionem Regni cœlorum. Quæ omnia cum suavi meditatione quasi comedantur, mirum non est, si ex tanta plenitudine pii omnes eructent memoriam abundantiæ suavitatis Dei.

8. *Cheth*. Miserator, et misericors Dominus, patiens et multum misericors.

9. *Teth*. Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus.

Non contentus dixisse, tantam esse abundantiam suavitatis Dei, ut omnes generationes eructaturæ sint memoriam hujus suavitatis : ipse eructat primus et prædicat, dicens, *Misericors, et miserator Dominus, patiens, et multum misericors*, Dominus est, quia tollit miserias creando, justificando, glorificando : nec solum *misericors* est, sed etiam *miserator*, id est, paterne misericors, id enim significat vox Hebraica, רחום *rachum*, nec solum affectu paterno misericors, sed etiam *patiens*, sive longanimis, ut est in Hebræo, id est, perseveranter misericors; etiam si enim sæpe a nobis provocetur ad iram, ille tamen non subito irascitur, sed expectat ad pœnitentiam, denique hæc misericordia non modica, non exigua, sed multa et copiosissima est. Id explicatur in sequenti versiculo, nam suavis est Dominus omnibus, id est, omnibus benignus et misericors, et ex se suavis, sed iis tantum, qui sanum palatum habent, nec solum erga omnes suavis, et bonus, ac per hoc misericors est, sed etiam misericordia ejus extenditur *super omnia opera ejus*, nullum enim est opus Dei, in quo misericordia ejus locum suum non habeat, sic enim intelligimus illud, *super omnia opera ejus*, id est, in omnia opera ejus, ut exponunt SS. Chrysostomus, et Augustinus, et ut vertit ex Hebræo S. Hieronymus, et ut requirit proprietas linguæ Græcæ. S. tamen Hilarius exponit, *super omnia opera ejus*, id est, excellit omnibus operibus ejus, et hanc expositionem patitur textus Hebraicus, et hinc Theologi disputant quomodo intelligendum sit, misericordiam esse excellentiorem omnibus virtutibus, de qua re vide S. Thomam, et Cajetanum in 2.2.q. 30. art. 4.

Illud autem, *suavis Dominus universis*, verum est absolute quia Deus *solem suum oriri facit super bonos, et malos, et pluit super justos et injustos*, ut dicitur Matth. 5. Et ne dæmones quidem Deus excludit a misericordia sua, cum eis vitam et intelligentiam tribuat, et conservet: tamen magna misericordia, quæ ad salutem æternam perducit, de qua dicit David Psalm. 50. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam*, et Jacobus cap. 2. *judicium sine misericordia ei qui non fecit misericordiam*, restringitur ad timentes, et invocantes Deum: nam Psalm. 85. dicitur, *Tu Domine suavis, et mitis, et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te;* et Ps. 102. *Quoniam secundum altitudinem cœli a terra corroboravit misericordiam suam super timentes se;* et, *Quomodo miseretur Pater filiorum misertus est Dominus timentibus se;* et, *Misericordia Domini ab æterno, et usque in æternum super timentes eum*, quod etiam significavit B. Virgo Luc. 1. cum ait, *Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.*

10. *Iod.* Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, et sancti tui benedicant tibi.

11. *Caph.* Gloriam regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur.

12. *Lamed.* Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, et gloriam magnificentiæ Regni tui.

13. *Mem.* Regnum tuum, regnum omnium sæculorum, et Dominatio tua in omni generatione, et generationem.

Cecinit hactenus opera Dei gloriosa, terribilia, et amabilia: nunc transit ad qualitatem Regni, cantaturus etiam postea qualitates ipsius Regis. *Confiteantur*, inquit, *tibi Domine omnia opera tua*, id est, laudent te opera tua, de quibus hactenus te laudavi: opera enim opificem laudant, quando pulchra sunt, et bona. Opera autem Dei talia sunt, ut nihil eis addi, vel minui possit. *Vidit enim Deus omnia quæ fecit, et erant valde bona*, Gen. 1. et, *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus.* Psalm. 10. Atque his verbis concludit narrationem præteritam. Addit deinde inchoans novam laudationem. *Et sancti tui benedicant tibi*, id est, opera tua, quæ patent oculis omnium, generatio, et generatio laudabit, ut supra dictum est, sed qualitatem Regni, de qua nunc dicturus sum, non noverunt nisi sancti tui, quibus per Spiritum sanctum revelata est; ideo *sancti tui*, fideles tui, populus tuus peculiaris, *benedicant tibi*, laudent te. In quo autem laudaturi sint, subjungit, cum ait, *Gloriam Regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur. Gloria Regni* est potentia Regni. Potentia Regni consistit in multitudine subditorum, et in magnitudine divitiarum, quibus subditi ali et sustentari possunt. Gloria, sive potentia Regni Dei cognosci potest ex differentia inter Regnum Dei et Regnum hominum. Est autem quadruplex differentia. Prima, quod homines Reges habeant subditos paucissimos, et opes tenuissimas, homines videlicet, et opes unius aut plurium provinciarum; Deus autem subditos habet omnes Angelos, omnes homines, omnes dæmones: et quicquid in cœlo, in terra, et in mari est opes ejus sunt. Altera differentia est quod, Reges terreni sic dominantur subditis, ut etiam illis serviant, quia pendent ab illis, et sine illis nihil possunt, et pari ratione sic abundant opibus, ut semper egeant, et cogantur a subditis exigere vectigalia, et tributa, et ut plurimum gravati sunt ære alieno: Deus autem dominatur omnibus et nulli servit, quia non eget opera illorum, abundat opibus sine ulla inopia, quia potest in momento producere ex nihilo multo plura, quam habeat.

Tertia differentia sequitur ex secunda; Reges enim terreni gaudent honore, ac dignitate sua, sed simul anguntur assidua sollicitudine, et formidine, ut propterea inventi sint, qui sponte Imperium deposuerint: Deus autem nulla premitur sollicitudine, nullo metu, sed cum tranquillitate et securitate regnat.

Quarta est, quod Reges terreni brevi tempore regnant: Deus autem in æternum.

Prima differentia attingitur in versiculo illo, *Gloriam Regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur*, id est, Sancti tui prædicabunt gloriam et potentiam Regni tui, quæ in multitudine innumerabili subditorum, et abundantia infinita opum tuarum consistit. Secunda et tertia attinguntur in versiculo sequenti, *Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, et gloriam magnificentiæ Regni tui;* quæ verba indicant maximum discrimen inter regna hominum, et Regnum Dei. Ideo enim dicit, *ut notam faciant filiis hominum*, id est, ut faciant filios hominum intelligere regna sua terrena nihil esse, si comparentur ad Regnum Dei, et non contentus dixisse, *ut notam faciant potentiam tuam*, addidit, *et gloriam*, et hoc non contentus addit, *magnificentiæ Regni*, id est, gloriam excellentissimi Regni tui. Denique quarta differentia habetur in versiculo sequenti, *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum, etc.*

14. *Nun.* Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.

Hic jam incipit explicare Propheta virtutes proprias Regis, quæ in Deo perfectissime inveniuntur, et etiam in Christo homine; et ad quarum quasi speculum, vel exemplar Reges omnes respicere deberent. Prima virtus regia est probitas vitæ, et præcipue veracitas in verbis: nam *totus componitur orbis Regis ad exemplum*, et de Christo Rege dicitur, *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, 1. Petri 2. et hoc ipsum dicit hoc loco Propheta. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis*, id est, verax, non mendax, non decipiens, non fallens, promissa omnia constanter observans, *et sanctus in omnibus operibus suis*, innocens, impollutus, immaculatus in omni opere suo. Hunc versiculum non habent codices Hebraici; sed hoc ipso convincuntur esse corrupti: nam Septuaginta viri nullo modo ausi fuissent verba sua, ac præcipue integrum versiculum inserere verbis Dei: præterea cum totus hic Psalmus alphabeticus sit, nulla ratio reddi potest, cur David unam litteram omittere voluerit. Itaque non dubitamus in Hebraico textu quem habuerunt Septuaginta Interpretes fuisse hunc versiculum, cujus prima littera erat *nun*, ut revera vox Hebraica, quæ *fidelem* significat, a littera ista principium habet: dicitur enim נאמן *neeman*, id est, *fidelis.*

15. *Samech.* Allevat Dominus omnes qui corruunt, et erigit omnes elisos.

Hæc est altera virtus Regia, et Pastoralis: nam Regis et Pastoris idem est officium regere subditos, ne corruant, et erigere eos qui forte corruerunt. Misericordia hæc virtus dicitur, et Regibus maxime necessaria. Illud, *allevat*, in Hebræo est, *sustentat*, sive confirmat, proinde, *allevare,* hoc loco non est erigere eos, qui corruerunt, sed sustentare, et allevare ne cadant, cum in proximo sunt ut cadant, juxta illud, *Impulsus eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me.* At quomodo verum est, a Deo sustentari omnes cadentes, et erigi omnes elisos? nonne plurimi cadunt, et eliduntur quotidie; sive corporaliter, sive spiritualiter hoc intelligatur? Dicitur Deus *omnes allevare ne cadant,* et *erigere elisos:* quia quicunque in tentatione non cadunt, Deo juvante non cadunt, et qui ex casu resurgunt, Deo erigente resurgunt: qui autem cadunt, aut ex casu non resurgunt, ex se habent, non ex Deo, ut cadant, vel non resurgant. Quod aliis verbis dicit Osee cap. 13. *Perditio tua ex te Israel; tantummodo in me auxilium tuum.* Quod autem non velit David dicere, omnes omnino corruentes allevari, sive sustentari, perspicuum est verbis sequentibus, ubi dicit, erigi a Deo omnes elisos: nam si Deus sustentaret omnes cadentes, nemo caderet, aut certe nemo cadens eliderelur; quomodo ergo verum esset illud, *erigit omnes elisos?* Atque hæc de spirituali casu dicta sunt; de corporali autem casu dicimus Deum omnes allevare, et erigere, quia ex natura pronus est ad allevandum, et erigendum, quod si multos non allevat, neque erigit; imo sæpe ipse dejicit, et præcipitat in ruinam: id facit vel ad probationem, et coronam, ut cum justos affligit, et hoc non est proprie dejicere, sed exaltare: vel ad pœnam, et supplicium, et tunc id exigunt peccata hominum, ac per hoc prima radix malorum ex nobis est, et semper vera est Prophetæ sententia, *Perditio tua ex te Israel: tantummodo in me auxilium tuum.*

16. *Ain.* Oculi omnium in te sperant Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno.

17. *Phe.* Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.

Tertia virtus Regia liberalitas est, pertinet enim ad Reges non expilare subditos, non emungere pecunias variis artibus, eosque ad egestatem redigere: sed contra liberaliter alere, ut filios: sic tamen ut tempore suo comedant, non totos dies in comessationibus consumant. *Oculi omnium,* inquit, *in te sperant Domine,* id est, oculi omnium viventium ad te respiciunt, sperantes a te cibum, ut inde alantur, et vivant. *Et tu das escam illorum,* id est, et tu per creaturas tibi subjectas, terram, solem, pluvias, producis fructus copiosos in escam omnium viventium: *das* autem *escam illorum in tempore opportuno,* quando tempus opportunum est, ut comedant; non enim semper comedere debent. Itaque qui comessationibus superfluis vacant, non accipiunt escam a Deo, sed a cupiditate sua. Item *dat escam Deus in tempore opportuno,* id est, quando esuris, quando eges, quando necesse habes, proinde qui recondunt et multiplicant superflua, non a Deo accipiunt, sed furantur bona communia, et ideo mirum non est, si multi egeant, et esuriant. Item *dat escam in tempore opportuno,* quia dat, quando æquum est dari: aliquando enim æquum est tolli, quia id merentur peccata hominum, quo modo medicus præscribit cibi inediam, et abstinentiam vini, hinc sæpe Deus immittit sterilitates, et penuriam, ut flagellet peccatores. Denique juxta Chrysostomum *dat escam in tempore opportuno,* quia non omnes fructus dat omni tempore, sed per temporum varietates varios fructus ex terra producit. Ut autem intelligas primam causam omnium bonorum esse Dei liberalitatem, addit, *Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione,* in qua sententia omnia verba sonant liberalitatem. *Aperis,* inquit, *manum,* id est, non stricta manu, sed larga atque aperta, summa liberalitate; *imples,* id est, abunde satias; omne animal, non solum hominem, sed omnia animalia, *benedictione,* id est, abundanti refectione. Sic enim accipit benedictionem Apostolus 2. Cor. 9. *Ut benedictionem, non ut avaritiam,* id est, largam eleemosynam. In Hebræo non est proprie, *benedictione,* sed רצון *razon, beneplacito;* sed idem est sensus, significat enim Propheta, impleri omnia animalia cibo sibi convenienti, qui eis placet, et quem cupiunt. S. Hieron. vertit generalius, *refectione.* Septuaginta adhuc generalius, *benedictione.* At si Deus larga manu implet omne animal benedictione, unde tot mendici? tot famelici? tot nudi? Jam supra indicavimus id accidere ex injustitia divitum, qui multo plura volunt, et conservant, quam necesse habent, et multa effundunt in vanitates, quæ pauperibus dari debuissent; addidimus etiam id aliquando evenire ex judicio Dei, quia id exigunt peccata hominum; denique adjungimus ipsos pauperes sæpe esse in causa, quia vel confidunt in astutia sua, et malis artibus, non in Deo, vel non sunt contenti victu, et vestitu statui suo congruenti; vel quod lucrantur per integram hebdomadam, uno die comessando, vel ludendo perdunt.

18. *Tsade.* Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.

Quarta virtus Regia, est justitia; quæ omnino necessaria est, ut populi pacem, et quietem habeant. *Justus Dominus in omnibus viis suis,* id est, Dominus in omnibus actionibus suis externis, quibus quodam modo exit ab interno conclavi suo ad nos, justissimus est; tribuit enim omnibus, quod illis debetur; et hoc idem significant verba sequentia, *Et sanctus in omnibus operibus suis.*

19. *Coph.* Prope est Dominus omnibus invocantibus eum: omnibus invocantibus eum in veritate.

Quinta virtus Regia est facilem se præbere omnibus accedentibus, atque auxilium implorantibus. Hoc mirifice præstat Deus noster, qui *prope est omnibus invocantibus eum,* id est, quamvis Deus excelsior cœlo sit; tamen appropinquat facile omnibus invocantibus eum, neque umquam audientiam negat; hinc gloria-

tur Moses Deuter. 4. *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris :* addit Propheta declarans quomodo intelligendum sit, *omnibus invocantibus eum*, et ait, *omnibus invocantibus eum in veritate ;* quæ particula, *in veritate*, includit omnes conditiones bonæ orationis : nam qui sine vera fide orat, non invocat Deum *in veritate*, quia non invocat Deum, sed Idolum capitis sui; et qui sine spe, et fiducia orat, non invocat Deum *in veritate*, quia non potest serio, et ex animo invocare eum, a quo non sperat se audiri; et qui sine charitate vel sine dilectione saltem inchoata orat, non invocat Deum *in veritate*, quia nemo invocat serio eum quem odit, et a quo se odio haberi credit; et qui sine affectu, ac desiderio orant, ut qui recitant Psalmos, et orationem Dominicam absque desiderio consequendi, quæ petunt, non invocant Deum *in veritate*, sed invocare videntur; denique qui sine attentione orant, nec sciunt quid dicant, ii voce tantum, non mente orant, et ideo non invocant Deum *in veritate;* quia non ipsi vere invocant, sed signum inane invocationis ostendunt.

20. *Resch.* Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos.

Sexta virtus Regis est benignitas, qua non solum facile admittit subditos ad audientiam; sed etiam benigne concedit, quæ ipsi petunt, modo ea petant, quæ deceat Regem concedere. *Voluntatem,* inquit, *timentium se faciet,* id est, audita oratione præstabit quod ipsi volunt. Sed addit, *timentium se*, quia hoc justum est, ut Deus faciat voluntatem eorum, qui faciunt voluntatem ipsius. Illi autem faciunt voluntatem Dei, qui timore sancto metuunt offendere Deum, et quidlibet potius amittere volunt, quam gratiam Dei. Id ipsum more suo repetit, cum addit, *et deprecationem eorum exaudiet.* Addit postremo, *et salvos faciet eos*, ut declaret quomodo Deus semper exaudiat deprecationes timentium se. Sæpe enim Deus videtur non exaudire orationem *timentium se*, ut cum Apostolum non liberavit a stimulo carnis, pro qua re ter Dominum rogaverat. 2. Cor. 12. et tamen vere semper exaudit primarium desiderium *timentium se*, quod est salutis æternæ desiderium. Sicut enim Dominus jussit, *Primum quærite Regnum Dei*, et *justitiam ejus*, id est, et gloriam, et gratiam : sic omnes timentes Deum timore sancto, primo, et principaliter in omni ratione petunt salutem inchoatam, quæ est gratia, et perfectam, quæ est gloria. Deus igitur exaudit semper timentes se, quia *salvos faciet eos*, id est, exaudit, quando et quomodo expedit ad salutem.

21. *Scin.* Custodit Dominus omnes diligentes se, et omnes peccatores disperdet.

Ultima virtus, sed maxime necessaria Regi est providentia, qua protegit justos, ne a multitudine peccatorum opprimantur; et peccatores dissipat, ne justis noceant, aut non tantum noceant, quantum vellent; tametsi enim aliquando sinit justos a peccatoribus multa pati; tamen custodit eos, ne passio illis noceat; imo gratia sua facit, ut multum prosit. Permisit Deus Martyres Sanctos flagellari, et occidi; sed custodivit eos tribuens illis constantiam in fide, et patientiam in doloribus, ut animæ gloriam mox adipiscerentur, et paulo post corpus etiam reciperent gloriosum, et verum esse intelligerent, quod eis veritas promisit, *Capillus de capite vestro non peribit.* Quod autem dicit, *omnes peccatores disperdet*, ideo verum est, quia vel peccatores convertentur ad justitiam, et non erunt amplius peccatores : vel injusti permanebunt usque ad finem, et disperdentur per detrusionem in gehennam, ut ad justos in æternum appropinquare non possint.

22. *Thau.* Laudationem Domini loquetur os meum : et benedicat omnis caro nomini sancto ejus in sæculum, et in sæculum sæculi.

Concludit Propheta Psalmum, jungens finem cum principio, quasi dicat, propter hæc omnia, quæ dixi de magnitudine Dei, de operibus ejus, de perpetuitate Regni ipsius, ac de virtutibus regiis, quæ in ipso perfectissimæ et absolutissimæ inveniuntur, *laudationem* ejus semper *loquetur os meum;* nec solum ego laudare cupio, sed opto ut omnis caro, omnis homo, omne quod spirat, et vivit, nomen Domini semper laudet.

PSALMUS CXLV.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

ALLELUIA, AGGÆI ET ZACHARIÆ.

HUNC titulum non habent codices Hebraici, excepta prima voce, *Alleluia;* sed habent codices Græci, et Latini, etiam antiquissimi: S. Hilarius docet, nomina Aggæi, et Zachariæ addita esse ab Interpretibus, quoniam duo illi Prophetæ prædixerunt renovationem Hierusalem; et captivos consolabantur, et hortabantur ad reditum in patriam, et ad ipsam civitatem instaurandam. Hic autem Psalmus, ut etiam duo sequentes, cœlestem Hierusalem prædicant, atque ad iter suscipiendum ad eam invitant. Et quoniam nihil est quod magis retardet Peregrinos ab hoc itinere, quam spes felicitatis terrenæ, quæ ab amicitia et obsequio magnorum Principum dependet, hortatur gravissimis verbis, ut in nullo homine, quantumvis magno, spem ponamus, sed totam fiduciam nostram in Domino collocemus.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Lauda anima mea Dominum: laudabo Dominum in vita mea; psallam Deo meo quandiu fuero.

Incipit per dialogismum. Peregrinus enim homo animadvertens carnem suam gemere in labore peregrinationis, hortatur animam suam, ut ipsa saltem, quæ spe beata esse cœpit, Deum laudet, et canendo reficiat totum hominem. *Lauda*, inquit homo ad animam suam, *anima mea Dominum.* Respondet anima, *laudabo Dominum in vita mea*, id est, tunc vere laudabo, quando veram vitam vivam, nunc enim gemendum, et orandum est, potius quam canendum, et laudandum; quamvis enim et nunc Deum laudemus, tamen non est hæc simplex, et plena laudatio; sed admixta lacrymis, et precibus: tunc autem erit sola, et perpetua, ac jucundissima laudatio. Repetit hoc idem, dum addit, *psallam Deo meo quandiu fuero*, id est, cum ad vitam æternam pervenero, sine intermissione psallam Deo meo. Nunc enim non possum psallere quandiu sum, quia multa nimis psallentem interrumpunt, sed tunc ab omnibus negotiis liber et expeditus, *psallam Deo meo, quandiu ero*, id est, toto spatio veræ illius vitæ; et sicut semper ero sine timore moriendi, ita semper psallam sine periculo deficiendi. Ita S. Hilarius, et S. August. exponunt. Non tamen rejicimus expositionem aliorum, qui de præsenti laude hunc versum exponunt.

2. Nolite confidere in Principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.

Videt Sanctus Propheta multos retardari ab itinere ad salutem, quia mirantur Præfecturas humanas, Principatus, et Regna; quasi possint, qui ea possident, beatos facere quos volunt; et miseratus cæcitatem ipsorum exclamat, *Nolite confidere in Principibus;* et mox declarat, *in filiis hominum*, id est, in Principibus qui sunt hominum filii; nam unus est Princeps verus, qui est conditor hominum, in quo confidere licet. Adjungit rationem, cur in Principibus filiis hominum non sit fidendum, cum dicit, *in quibus non est salus.* Potest autem intelligi efficienter, et formaliter: siquidem in Principibus terrenis non est salus, quia salvare non possunt alios, neque ipsi salvi sunt, sed salvandi cum cæteris, si digni erunt. At, inquies, Salvator noster filius hominis est; sic enim in Evangelio se vocat Salvator noster Dominus Jesus Christus, quomodo ergo in filio hominis non est salus? Recte S. August. respondet, In Christo salutem esse, non quia filius hominis est, sed quia filius Dei, ac per hoc Deus super omnia benedictus in sæcula; ubi S. August. non negat Christi humanitatem concurrere ad salutem nostram, ut instrumentum conjunctum, sed significat originem, et fontem salutis in Christo esse, non ex eo quod sumpsit ex homine, sed ex eo quod erat in principio apud Patrem; et eumdem Christum non fore Salvatorem, si filius hominis esset, et filius Dei non esset.

3. Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

Non esse salutem *in filiis hominum* multis rationibus demonstrare potuisset Propheta, quia videlicet infirmi sunt, mutabiles, fallaces, sæpe non possunt quod volunt, sæpe non volunt quod possunt; sed unicam rationem attulit, cui nemo contradicere potest; videlicet a morte communi petitam; quomodo enim salvare potest alios, qui se ipse salvare non potest? nam, velit, nolit, etiam in arce munitissima constitutus, et exercitu armato vallatus; etiamsi orbis terrarum Monarcha fuerit, *exibit spiritus ejus* ex corpore, et corpus spiritu recedente, *in terram*, unde sumptum est, *revertetur;* et

tunc *peribunt omnes cogitationes eorum*, qui videlicet in illo spem suam posuerunt: nam qui Principis favore gaudent, magnas cogitationum fabricas erigunt, ipsi sibi divitias, honores, dignitates ex illius Principis favore promittunt; sed cum Deus aufert spiritum Principis, concidunt omnia illa palatia quæ cogitando fabricaverant, et sic illo pereunte pereunt omnes cogitationes eorum. Illud, *in terram suam revertetur*, non potest ullo modo referri ad spiritum, de quo dicitur, *exibit spiritus ejus;* nam in codice Hebraico *spiritus* est generis feminini, ut etiam verbum *exibit*; sed verbum, *revertetur*, est generis masculini. Ideo vel exponendum est cum S. August. *exibit spiritus ejus*, et caro, sive corpus *in terram suam revertetur:* nam et vox, *caro*, et vox *corpus*, Hebraice sunt generis masculini; vel, ut alii volunt, *exibit spiritus ejus*, et ipse homo *in terram suam revertetur.* Illud quoque, *in illa die peribunt omnes cogitationes eorum*, posset intelligi de cogitationibus Principum morientium: ut sensus sit, *exibit spiritus ejus*, id est, uniuscujusque Principis, ac per hoc omnium et singulorum Principum, *et tunc peribunt omnes cogitationes ipsorum.* Neque explicatio quam supra posuimus, huic explicationi repugnat; sed utraque vera est, et simul consistere potest; non enim repugnat Scripturæ divinæ, ut plures habeat sensus litterales.

4. Beatus cujus Deus Jacob, adjutor ejus: spes ejus in Domino Deo ipsius, qui fecit cœlum, et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt.

Rejecta vana confidentia in Principibus terrenis, docet Propheta fiduciam ponendam esse in solo Deo vero, si quis ad veram atque æternam salutem pervenire desideret. *Beatus*, inquit, est, spe videlicet beatus, et in via recta et secura ad ipsam beatitudinem in re: *cujus Deus Jacob adjutor ejus*, id est, qui adjutorem, et protectorem in hac vita Deum verum habet. Vocat enim Deum verum, *Deum Jacob*, quia familia Jacob Deum verum colebat, cum Moabitæ, Ammonitæ, Philisthæi, et cæteræ gentes vicinæ Deos falsos colerent. Illud autem, *ejus*, supervacaneum est in lingua nostra, sed apud Hebræos in usu est, ut alibi monuimus. Declarat continuo Propheta, quis habeat Deum adjutorem, ac dicit, *Spes ejus in Domino Deo ipsius*, id est, *beatus est cujus adjutor* est *Deus Jacob*, *beatus*, inquam cujus *spes* est *in Domino Deo ipsius.* Nam hoc loco subintelligitur relativum, *cujus*, et superfluum est pronomen *ejus.* Esse autem Deum adjutorem omnium in se sperantium, Scriptura divina passim docet. Ecclesiastici 2. *Nullus speravit in Domino, et confusus est,* et Psalm. 113. *Domus Israel speravit in Domino: adjutor, et protector eorum est:* et ibidem hoc sæpius repetitur. Probat denique Propheta optimum esse sperare in Domino, *quoniam*, inquit, ipse *fecit cœlum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt;* ex quo sequitur, ut sit potentissimus, et Dominus omnium rerum, et omnia sint ei subjecta, ac per hoc qui ab eo protegitur, nihil timere debeat.

5. Qui custodit veritatem in sæculum, facit judicium injuriam patientibus, dat escam esurientibus.

Poterat peregrinus dicere: Deum omnipotentem esse scio, et posse si velit me protegere, et juvare; sed unde intelligam illum velle? Huic respondet Propheta, ac demonstrat, Deum velle, quia justus et misericors est. Et quidem quia justus est, *custodit veritatem in sæculum*, id est, semper observat promissa, promisit autem auxilium sperantibus in se. Item quia justus est, *facit judicium injuriam patientibus*, id est, juste judicat causam, quam habent justi adversus iniquos, et iniquos punit, justos coronat: quia vero misericors est, *dat escam esurientibus*, id est, per admirabiles vias providentiæ suæ prospicit inopiæ, tum spirituali, tum corporali eorum, qui sperant in se.

6. Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat cæcos.

7. Dominus erigit elisos, Dominus diligit justos.

Quia non sufficit peregrinantibus ad patriam protegi a latronibus, et alimonia refici, sed necesse est habere pedes solutos, et oculos illuminatos, et totum corpus sanum; ideo adjungit, ut ostendat Deum omnino velle juvare sperantes in se, *Dominus solvit compeditos*, a compedibus concupiscentiæ malæ, mortificans paulatim omnes cupiditates: et quia concupiscentia excæcat, *Dominus illuminat cæcos*, præbens lumen sapientiæ, et prudentiæ interioris: et quoniam ex peccato non sola cupiditas, et cæcitas, sed etiam infirmitas orta est, et homo per peccatum similis illi factus est, qui descendens ab Hierusalem in Hierico incidit in latrones, et spoliatus, ac vulneratus semivivus relictus est; ideo addit Propheta, *erigit elisos.* Denique adjungit, *Dominus diligit justos*, ut homo per gratiam sanatus, solutus, et illuminatus speret perseverantiam de Dei benignitate. S. Augustinus legit, *Dominus sapientes facit cæcos:* et notat non esse dictum, *Illuminat cæcos*, sed, *sapientes facit cæcos*, ne putaremus Prophetam loqui de illuminatione corporali. Sed sciendum est, in Hebræo esse, *Dominus illuminat cæcos*, ut habet nostra lectio; Septuaginta autem vertisse, *Dominus sapientes facit cæcos*, ut explicarent Hebraicam lectionem non esse intelligendam de cæcitate corporali, sed spirituali; proinde utraque lectio laudanda est.

8. Dominus custodit advenas, pupillum, et viduam suscipiet, et vias peccatorum disperdet.

Alia metaphora docet Propheta, Deum esse adjutorem et protectorem peregrinorum suorum, qui per viam angustam tendunt ad patriam, *Dominus custodit advenas*, qui non sunt cives Babylonis, nec filii hujus sæculi, sed peregrini in terra aliena. *Pupillum et viduam suscipiet; pupilli* sunt homines justi, destituti humano præsidio, qui Patrem non habent in terris, neque confidunt in ulla re temporali; *vidua* autem di-

citur Ecclesia; quia est quasi vidua, cum virum suum non videat in terris, et multis injuriis et calamitatibus exposita sit. Hos pupillos, et hanc viduam suscipiet Dominus in domum suam, tempore suo: et tunc *vias peccatorum disperdet*, id est, prosperitates Mundi, per quas ambulant peccatores, ut per vias latas, quæ ducunt ad perditionem, Deus in consummatione sæculi omnino disperdet, ac destruet.

9. Regnabit Dominus in sæcula, Deus tuus Sion in generationem, et generationem.

Denique peregrinatione finita, et viis peccatorum cum impiis peccatoribus exterminatis, adveniet Regnum Christi sempiternum. *Regnabit* enim *Dominus* cum sanctis suis *in sæcula:* regnabit, inquam, o sancta Sion, Deus tuus cum filiis suis in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXLVI.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

Alleluia.

Titulus, Alleluia, in Hebraicis codicibus ponitur in fine Psalmi præcedentis secundum distinctionem Judæorum, sed Septuaginta Interpretes posuerunt in principio Psalmi, ut credibile est se habuisse codices Hebraicos tempore Septuaginta Interpretum. Addunt aliqui Interpretes ad vocem, *Alleluia, Aggæi, et Zachariæ*, ut in Psalmo præcedente. Argumentum Psalmi est exhortatio ad laudandum Deum, propterea quod Deus sit dignissimus laude ob ejus beneficentiam, sapientiam, potentiam, providentiam, injustitiam et misericordiam.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus, Deo nostro sit jucunda, decoraque laudatio.

Hortatur Propheta omnes ad laudandum Deum, quoniam laudatio Dei, et nobis utilissima, et Deo gratissima est. Hunc sensum apertius facit littera Hebraica, quæ ad verbum sic reddi potest, *Laudate Dominum, quoniam bonum Psallere Deo nostro, quoniam jucundum, decora laudatio.* Ubi post jucundum subintelligitur, Deo nostro, ut sensus sit, laudate Dominum, quoniam bonum est vobis psallere Deo nostro, et jucundum est Deo, quando psallitur sicut oportet. Septuaginta Interpretes paulo aliter verterunt, sed erit idem sensus, si hoc modo exponamus, *Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus*, id est, quoniam nobis utile est psallere Domino: *Deo nostro sit jucunda, decoraque laudatio*, id est, efficite ut laudatio, quam offertis Deo, dum psallitis, sit illi jucunda; ut revera erit, si sit etiam decora, id est, qualis decet ejus Majestatem, pulchra, ornata, virtutum omnium choro stipata. Porro bonum nobis esse psallere Deo, dubitari non potest: primo enim mercedem non parvam accipit divina laudatio: nam si is qui orat mercedem accipit, ut Dominus dicit. Matth. 6. cur non magis qui laudat? secundo, eadem laudatio animum a terrenis ad cœlestia elevat: tertio, est prægustatio cœlestis beatitudinis, nosque cum Angelis, et Beatis conjungit: quarto, dulcissima est, cum ex charitate procedit, nihil enim jucundius amanti, quam laudare dilectum: quinto, utilis est, quia per eam solvimus debitum tributum; justum enim est, ut laudemus bonorum omnium fontem, et gratias agamus summo benefactori. Hinc enim in divino sacrificio, cum Sacerdos dicit, *Gratias agamus Domino Deo nostro*, respondetur: *Dignum et justum est*, et Sacerdos addit, *Vere dignum et justum est, æquum, et salutare, etc.* Quod autem *jucunda sit Deo decoraque laudatio*, vel ex eo intelligi potest, quod ipse non alia de causa creavit Angelos et homines, nisi ut essent, qui bonitatem ejus cognoscerent, et laudarent. Isaiæ 43. *Omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum*, neque hæc est ambitio, sed justitia. Justus autem Deus est, et *justitiam dilexit, æquitatem vidit vultus ejus.* Præterea delectatur Deus sacrificio, ut odore gratissimo, et suavissimo: sacrificium autem laudis sacrificiorum præstantissimum est, juxta illud Psal. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Denique jucunda est Deo decora laudatio, quia delectatur bonis nostris, ac præcipue bonis magnis, quales sunt virtutes: in laudatione autem Dei exercetur Fides, Spes, Charitas, Religio, Devotio, Humilitas, etc.

2. Ædificans Hierusalem Dominus, dispersiones Israelis congregabit.

Incipit materiam divinæ laudis ostendere, ut sciamus, unde Deum laudare possimus, ac primum dicit laudandum esse Deum ex beneficentia erga populum suum, quasi dicat, Laudate Dominum, quoniam ipse ædificavit Hierusalem, et ad eam *congregabit dispersiones Israelis*, id est, filios Israel in locis variis dispersos. Potest autem hoc intelligi cum Chrysostomo et Theodoreto de terrena Hierusalem, quæ post eversionem a Nabuchodonosore cœpit iterum ædifi-

cari tempore Cyri, et Darii, Regum Persarum, et captivitate soluta redierunt in patriam dispersi Judæi : hoc autem prævidit David futurum spiritu prophetiæ. Potest etiam intelligi de ædificatione Ecclesiæ per Apostolorum prædicationem, et congregatione dispersorum filiorum Dei, juxta illud Joan. 11. Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. Denique potest intelligi cum sanctis Hilario, et Augustino, de cœlesti Hierusalem, quæ quotidie ædificatur ut civitas, ascendentibus ad eam lapidibus vivis, ad quam congregandi sunt omnes peregrini, qui nunc dispersi sunt per regiones Babyloniæ.

3. Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum.

Docet quomodo dispersiones Israelis congregabit : et quidem si hunc locum intelligamus de dispersis in captivitate Babylonica, contriti corde dicuntur illi qui magnitudine calamitatum humiliati erant, et in se non amplius confidebant : ut exponit S. Joan. Chrys. Hos ergo calamitosos, et mœstos, et inde humiliatos ex corde, Deus sanavit, variis consolationibus illos erigendo, et lætificando, et alligavit *contritiones eorum*, quando per Cyri benevolentiam effecit, ut calamitas non procederet ulterius, et ad perfectam liberationem disponerentur. Sed altiore sensu colligit Deus dispersos Israelis, quando sanat contritos corde, id est, quando cor contritum et humiliatum non despiciens, sanat a morbo peccatorum : sic enim explicat ipse idem David in Psal. 102. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Quod autem hic additur, *Et alligat contritiones eorum*, significat modum, quo Deus sanat contritiones. Id enim facit more Chirurgorum colligando vulnera. Sunt autem ex S. Augustino, alligamenta peccatorum, sacramenta visibilia, per quæ Deus peccata curare solet : et quemadmodum curatis perfecte vulneribus alligamenta tolluntur : sic in resurrectione corporum, curatis omnino languoribus nostris, omnia sacramenta cessabunt.

4. Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat.

Secundo, laudandum esse dicit Propheta Deum a sapientia. Et quidem sancti Patres Hilarius et Augustinus dicunt, non esse magnum Deo numerare stellas, quod etiam homines tentare ausi sunt : et ideo exponunt hunc locum de stellis spiritualibus, id est, de electis, qui veluti stellæ fulgebunt in cœlesti Hierusalem. Electorum enim numerum solus Deus novit, sed nos quemadmodum expositionem horum Patrum libenter amplectimur; sic etiam ad litteram existimamus hunc locum de veris stellis accipi posse. Nam etiamsi non sit difficile Deo stellas numerare, cui non fuit difficile eas creare : tamen absolute magnum est, et multæ sapientiæ multitudinem stellarum numerare : alioqui non diceret Deus Abrahamo Gen. 15. *Numera stellas si potes*, neque conferret Gen. 22. multitudinem stellarum cum multitudine arenæ, quæ est in littore maris, de qua dicitur Ecclesiastici, 1. *Arenam maris quis dinumeravit?* præterea non solum hic dicitur, *Qui numerat multitudinem stellarum :* sed etiam additur, *Et omnibus eis nomina vocat :* quod significat notitiam distinctam naturæ, et proprietatum singularum stellarum. Neque hoc solum significat, sed etiam obedientiam stellarum, quæ vocatæ nominatim, cum non essent, esse cœperunt. Deus enim vocat ea quæ non sunt, et vocando, facit ut sint. Baruch. 3. *Stellæ vocatæ sunt et dixerunt ; adsumus, et luxerunt ei cum jucunditate qui fecit illas.* Denique significat etiam stellas, quasi militum exercitum, vocari ut progrediantur; quæ velocissime obediunt vocanti, Isaiæ 40. *Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc, qui educit in numero militiam eorum, et omnes ex nomine vocat.* Recte igitur subjungit Propheta.

5. Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus.

Ubi non solum sapientia, sed etiam virtus, id est, potentia Dei laudatur, quia non solum Deus novit numerum, et naturas, et proprietates stellarum : sed etiam vocando eas nominatim, dedit illis esse, et moveri. Illud autem, *Sapientiæ ejus non est numerus*, significat, non esse numerum earum rerum, quas Deus per sapientiam suam cognoscit. Novit etiam sapientia Dei omnia quæ sunt, quæ fuerunt, quæ futura sunt, et quæ esse possunt, quamvis nunquam futura sint, item, omnia verba, omnes cogitationes, omnia desideria, præterita, præsentia, et futura usque in æternum; denique novit omnia quæ sunt in Deo, id est, in essentia sua, perfectiones, et attributa, usque ad intima, et profunda Dei, quæ sunt sine mensura, et numero.

6. Suscipiens mansuetos Dominus, humilians autem peccatores usque ad terram.

Tertia laus Dei sumitur a justitia, et misericordia. Dominus enim ut pius et misericors suscipit humiles, et mansuetos in protectionem suam; eosque exaltat usque ad cœlum : contra autem, ut justus Judex superbos peccatores, qui se ipsi exaltant super sidera, ut fecit Rex eorum Satanas, humiliat, et deprimit, ut humi jaceant, et viles atque abjecti vivant.

7. Præcinite Domino in confessione, psallite Deo nostro in cithara.

In medio Psalmi, antequam pergat ad laudem providentiæ divinæ, iterum hortatur ad canendum, et psallendum Deo. *Præcinite*, inquit, *Domino in confessione*, id est, præmittite confessionem laudis canendo hymnum, deinde etiam *psallite in cithara*, addite ad hymnum sonitum citharæ. Spiritualiter significat post verba laudis Dei, debere sequi sonitum operum bonorum, ut manus non discordet a lingua, neque de nobis dici possit, *Dicunt et non faciunt.*

8. Qui operit cœlum nubibus, et parat terræ pluviam.

Materiam confessionis esse docet providentiam Dei generalem, qua suis temporibus cogit aerem in nubes, non ut cœlum obscuret, sed ut pluviam necessariam terræ tribuat; sine qua nihil omnino in terra nasceretur. Spiritualiter *operit Deus cœlum nubibus*, cum serenitatem prosperitatis subducit, ut ex tribulatione pluvia

gratiæ Dei per patientiam, et humilitatem ad nos descendat, vel secundum S. Augustinum, *operit* Deus *cœlum nubibus*, cum Scripturas figuris et metaphoris obscurat, ut iis explicatis per Doctores, pluvia intelligentiæ gratissima descendat.

9. Qui producit in montibus fœnum, et herbam servituti hominum.

Declarat cui usui deserviat pluvia, nimirum, ut producatur in montibus fœnum, et herba servituti hominum. Illud, *qui producit*, significat, non sufficere terram, et pluviam ad producendam herbam, nisi Deus auxilio suo cooperetur; imo nisi Deus ut principalis auctor, sicut per nubes exprimit pluvias; ita per pluvias tamquam per instrumenta sua, producat herbas. Illud, *in montibus*, significat, montibus maxime necessarias esse pluvias, quoniam valles, et campi, per aquas fluviorum irrigari possunt: montes autem, nisi de cœlo pluvias acciperent, omnino arescerent. Quod sequitur, *Et herbam servituti hominum*, non habetur in Hebræo, sed vel excidit, cum ibi fuisset tempore Septuaginta Interpretum, vel ab aliquo alio positum est hoc loco ex Psalmo 130. ubi dicitur, *Producens fœnum jumentis et herbam servituti hominum*, significatur autem his verbis, fœnum agreste nasci in montibus in pastum jumentorum; herbam autem, quæ satione et cultura gignitur, produci in cibum hominum, vel ut exponit S. Joan. Chrysost. fœnum esse herbam jumentorum, ut jumenta homini deserviant. Vide versiculum 8. Psal. 103.

10. Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum.

Pergit in explicanda providentia Dei erga bestias, et volatilia, ut inde intelligat homo, quanto magis sperare debeat se a Dei providentia nunquam esse deserendum. Quod argumentum habetur etiam in Evangelio Matth. 6. et Luc. 12. Quod autem hic dicitur de pullis corvorum, valde probabiliter S. Gregor. Nazianz. in epist. 1. ad Cledonium Presbyterum intelligit de omnibus avibus, ut posita sit species pro genere; nam et Matth. 6. dicitur, *Respicite volatilia cœli*, et Luc. 12. dicitur, *Considerate corvos :* et tamen res eadem ab utroque Evangelista narratur; Expositores tamen explicant hunc locum de corvis in specie: et quoniam corvi non possunt invocare Deum, necesse est, vel corvos, vel *invocationem* accipere per metaphoram. Sancti Patres Hilarius et August. accipiunt *invocationem* Dei proprie, et *corvos* metaphorice. Dicunt enim per *corvos* significari paganos, per *filios corvorum*, Christianos, qui invocant Deum, quem patres eorum invocare nescierunt. Alii communius accipiunt *filios corvorum* proprie, et *invocationem* improprie. Dicuntur enim *filii corvorum invocare Deum*, dum crocitant quærentes cibum, non quod Deum agnoscant, sed quia Deus est, qui providentia sua illis cibum desiderantibus procurat; quo modo etiam dicitur in Psal. 103. de catulis leonum, *Quærunt a Deo escam sibi.* Cur autem Propheta dicat potius, Deum providere pullis corvorum, quam ipsis corvis; ratio est, quia corvi jam assueti sunt cibum quærere; sed pulli corvorum cito deseruntur a parentibus, et insueti per se cibum quærere, vagantur crocitando; quasi destituti omni auxilio, ut dicitur Job. 38. Quod si Deus pullis corvorum, avibus immundis, inutilibus, rapacibus, tanta benignitate prospicit, quid præstabit hominibus, si in ejus pietate sperare voluerint?

11. Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.

12. Beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus.

Quia dixerat, Deum providere *pullis corvorum invocantibus eum ;* concludit Psalmum dicens, Deo non esse gratos superbos, qui in suis viribus confidunt; sed humiles, qui timent Deum, et confidunt in Deo, qui similes sunt pullis corvorum infirmis, de se diffidentibus, et qui crocitando a Deo auxilium petunt. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit*, id est, non placet Deo, sive, non amat Deus fortitudinem equi, quatenus de ea superbiunt homines. *Neque in tibiis viri beneplacitum erit ei*, id est, neque complacet sibi Deus in tibiis robustis hominum, quatenus in illis ipsi confidunt, ut Dei auxilio sibi egere non videantur ad evadenda pericula: sed *beneplacitum est Deo super timentes eum*, id est, super humiles, et trementes ad mandata Dei, et qui non in suis viribus, sed in Dei misericordia totam spem suam ponunt Sanctus Hilarius et Sanctus Augustinus pro illis verbis, *Neque in tibiis viri*, legunt, *Neque in tabernaculis viri :* sed in Hebraicis codicibus habetur, *tibiis*, non *tabernaculis.*

PSALMUS CXLVII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

ALLELUIA.

Hic Psalmus apud Hebræos non habet titulum, quia non est novus Psalmus, sed continuatio Psalmi superioris : nos autem sequimur Septuaginta Interpretes, qui hunc incipiunt novum Psalmum cum titulo, Alleluia, et credibile est in codicibus Hebraicis antiquis, quos ipsi Septuaginta viri habuerunt, hunc fuisse novum Psalmum cum suo titulo. Quod autem ad argumentum attinet, hortatur Propheta populum Dei ad ipsum Deum laudandum ob multa beneficia in ipsum collata : et quæ hic dicuntur, conveniunt primo terrenæ Hierosolymæ, ut S. Chrysostomus docet ; sed magis perfecte conveniunt Ecclesiæ Christianæ, ut idem S. Chrysostomus et S. Hieronymus admonent ; sed perfectissime quadrant in cœlestem Hierusalem, de qua hunc Psalmum exponunt S. Hilarius et S. Augustinus.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Lauda Hierusalem Dominum : lauda Deum tuum Sion.

Hierusalem civitas sancta est, Sion pars ejus civitatis nobilior, ubi templum Domini ædificatum erat, et pro ipsa tota civitate accipitur, proinde idem est, *Lauda Hierusalem*, et, *Lauda Sion.* Si de cœlesti Hierusalem hæc accipiantur, nihil potuit magis apposite dici ; nam civitas illa cœlestis, nullum habet negotium, vel ut sibi prospiciat, quæ ad vitam sustentandam necessaria sunt, vel ut in alios exerceat opera charitatis, cum ibi nullus sit egenus, nullus miser : ideo tota, et semper vacare potest, ut revera vacat laudibus Dei : Recte igitur illi dicitur, *Lauda Dominum,* quæ ab omni alio negotio libera es ; lauda Deum tuum, quoniam præ omni alia civitate beneficiis Domini frueris ; lauda denique, quia singulariter tibi pulchritudinem, et præstantiam Domini speculari vel potius cernere, datum est. Ecclesia quæ peregrinatur in terris, laudare quidem Dominum debet; sed nec tota, nec semper id facere potest, cum sæpe sollicita esse, et circa plurima turbari necesse habeat. Et si Ecclesia non potest tota, et semper laudare : multo minus Judæorum synagoga poterat.

2. Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te.

Hæc est ratio, cur debeat Hierusalem laudare Dominum, quia dedit illi securitatem, et abundantiam, in quibus summa bonorum omnium consistit : nam securitas sine abundantia est securitas egestatis ; abundantia sine securitate, est abundantia plena timoris et periculi. Deus igitur confortavit seras portarum Hierusalem, ut nulla vi expugnari possint, et qui intus sunt securi sint, quia nihil mali intrabit; nihil boni exibit : nullus admittetur inimicus, nullus excludetur amicus : atque in hanc tam munitam civitatem benedictio divina copiam omnium bonorum intulit : non enim benedixit Deus filiis Hierusalem hac aut illa benedictione, sed benedictione absoluta, id est, ut Apostolus loqui solet, *omni benedictione spirituali in cœlestibus.* Ephes. 1. Sed hæc duo perfecte conveniunt cœlesti Hierusalem, ubi securitas est æternitas, et benedictio est fruitio summi boni. Ecclesiæ peregrinanti in terris conveniunt etiam suo modo, sed non omnibus modis : nam *portæ inferi non prævalebunt adversus eam :* et non desunt ei bona plurima : sed interim tamen multi in eam intrant mali, multi ex ea deficiunt boni : paleas cum tritico, pisces malos cum bonis, hædos cum agnis admixtos habet. Denique conveniunt etiam utcumque, sed valde imperfecte terrenæ Hierusalem : nam in montibus sita, et montes in circuitu habens satis munita videri poterat, et plena populo, atque opibus aliquando fuit : sed tamen non semel eversa, et succensa satis ostendit, non de illa potissimum intelligendum esse, quod hic dicitur, *Confortavit seras portarum tuarum :* sed illud potius, quod dicitur Thren. 2. *Defixæ sunt in terra portæ ejus, perdidit et contrivit vectes ejus, luxitque antemurale, et murus pariter dissipatus est.* Quo tempore non ita abundavit copia bonorum, ut in eodem legamus, *Matribus suis dixerunt, ubi est triticum et vinum, cum deficerent quasi vulnerati, in plateis civitatis, cum exhalarent animas in sinu matrum suarum.*

3. Qui posuit fines tuos pacem : et adipe frumenti satiat te.

Non solum munitissima est civitas sancta Hierusalem, sed immunis a bellorum periculis, unde et nomen habet *Hierusalem*, id est, *visio pacis.* Qui enim initio pacem turbare tentavit, tanto impetu mox expulsus fuit, ut Dominus dicat, *Videbam satanam tamquam fulgur de cœlo cadentem*, Luc. 10. *Qui posuit,* inquit, *fines tuos*

pacem, id est, pacem diffudit per universam regionem tuam usque ad ultimos ejus fines : vel, fines, sive terminos tuos pacem esse voluit, ut nullo modo ad te bellum penetrare possit. Nec solum hæc civitas abundat copia bonorum, sed habet bona optima, et exquisitissima, atque adeo ipsam medullam bonorum. *Et adipe*, inquit, *frumenti satiat te :* ubi notatur excellentia ciborum in verbo, *adipe frumenti*, et ubertas maxima in verbo, *satiat te.* Hæc omnia proprie, et absolute soli patriæ cœlesti conveniunt : ibi pax summa erit partis inferioris cum superiore; et superioris cum Deo : nec non inter omnes cives sanctæ illius civitatis majores, et minores. Erunt enim vere cor unum, et anima una, et, ut Dominus dicit Joan. 17. *Consummati in unum.* Ibi quoque satiabuntur omnes adipe frumenti; quoniam cibus animæ veritas, et sapientia est : habebunt autem veritatem in se ipsa, non in figuris, et ænigmatibus ; gustabunt dulcedinem æterni Verbi, sine cortice Sacramenti, vel Scripturarum ; apponent os ad fontem sapientiæ, non ad rivulos, aut stillicidia stillantia super terram. Ita vero satiabuntur, ut non esuriant, neque sitiant in æternum. In Ecclesia peregrinante, quæ etiam Hierusalem quædam est, habemus pacem ad Deum, sed simul in Mundo pressuram sustinemus. Cum omnibus, quantum in nobis est, pacem habere curamus ; sed in medio versamur eorum, qui oderunt pacem. *Proinde foris pugnæ, intus timores* nunquam desunt, et adipe quidem frumenti pascimur, sed non sine integumentis variis : Verbum Dei habemus, sed in carne, et ipsam carnem Verbi vere manducamus : sed sub cortice sacramenti. Aquas sapientiæ bibimus ; sed ex stillicidio Scripturarum ; et adeo non satiamur his bonis, ut nostra beatitudo interim sit esurire, et sitire. Multo minus ista conveniebant terrenæ Hierusalem, antiquæ Synagogæ Judæorum, quibus omnia contingebant in figuris.

4. Qui emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo ejus.

Hortatus est Propheta sanctam civitatem, ut Deum laudet pro beneficiis sibi præstitis : nunc hortatur, ut laudet etiam pro beneficiis præstitis aliis nationibus, ex quibus cognoscet quanto majora dona sibi, quam aliis concesserit Deus. Hortatur igitur ut laudet Deum, *qui emittit eloquium suum terræ*, id est, qui præcepta, et decreta providentiæ suæ dat universæ terræ, et *ejus sermo velocissime currit*, id est cujus præcepta, et decreta celerrime deferuntur ad omnes res creatas, mox penetrant omnia, et executioni mandantur. Significatur his verbis ordo providentiæ divinæ, qui se ad omnia extendit, idque summa velocitate, quia Deus ubique est, *et omnia portat verbo virtutis suæ*, ut dicitur Hebr. 1. *et attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*, Sap. 8. unde David Deo dicit Psal. 118. *Omnia serviunt tibi.* Expendit S. August. verba Græca quæ pro eo, quod nos habemus, *velociter*, habent, ἕως τάχους, *usque in velocitatem*, et sensum esse dicit : sermonem Dei tanta celeritate ferri, ut non modo aves, ventos, fulmina, quæ velocissime moventur, sed ipsam velocitatem currendo æquent, juxta illud Sap. 7. *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia ;* non quod sapientia, vel sermo Dei proprie moveatur, sed quod omnibus in locis adsit præsens, ac si velocissime accurrisset.

5. Qui dat nivem, sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit.

6. Mittit crystallum suam sicut buccellas, ante faciem frigoris ejus quis sustinebit ?

Ab universali providentia descendit ad effectum unum particularem, in quo apparet admirabilis potentia, et sapientia Dei, ob quam merito laudari debeat Dominus etiam ab illis, qui in superna Hierusalem extra, vel supra mutationes temporum degunt. Effectus mirabilis potentiæ, et sapientiæ Dei, qui tamen sensu percipitur, et omnibus notissimus est, in frigore et calore aeris cernitur : Aliquando enim in certis regionibus tanta nivium, pruinæ, et glaciei copia repente existit, ut lacus, et flumina, et ipsa maria congelentur, et ita congelentur ut super lacus et flumina ducantur plaustra bene onusta, ut per campos duci solebant : cujus rei testis est S. Basilius oratione in Quadraginta Martyres : et nos ipsi in Gallia Belgica aliquid hujusmodi vidimus. Et cum ea glacies ferreis ligonibus vix dirumpi queat ; Deus tamen cum ei placet, ventum calidum repente ex thesauris suis advocat, et dicto citius solvitur glacies omnium fluminum et lacuum, et marium simul, et ubique ex tectis domorum, ex montibus et collibus defluunt aquæ. Ita fere in momento Deus rigorem frigoris maximum cum caloris suavitate commutat : sed verba singula explicemus. *Qui dat nivem sicut lanam*, id est, nivem dimittit e cœlo tantæ magnitudinis, ut frustra singula floccos lanæ imitari videantur. Comparatur enim hoc loco nix lanæ, non solum ob similitudinem levitatis, et candoris, sed ut magnitudo nivis ostendatur : aliquando enim ita modice ningit, ut frustula nivis videantur similia atomis ; sed alias, ut diximus, ita granditer ningit, ut frusta nivium lanarum floccos imitentur. *Nebulam sicut cinerem spargit.* S. Hieronymus in commentario hujus loci reprehendit Latinum Interpretem, quod nebulam verterit, cum pruinam vertere debuisset ; sed Latinus Interpres non verba Hebraica, sed Græca traduxit in Latinum idioma. Verbum autem Græcum hoc loco positum, ὁμίχλην, *nebulam* proprie significat : quamvis autem vox hebraica, כפר *chephor*, *pruinam* significet, et sit ad propositum hujus loci, ubi de frigore agitur, tamen textus facile conciliantur. Siquidem quando densa pruina decidit, nebulosum, sive caliginosum aerem reddit, et ipsa pruina ex caliginoso vapore concrescit. Porro comparatio pruinæ cum cinere ad densitatem pruinæ pertinet, sicut diximus de comparatione nivis cum lana. Itaque sensus est, tanta densitate pruinam caliginosam, sive nebulam ex pruina diffundit, ut cinerem spargere videatur ; cinis enim fusus obscurissimam nebulam facit. *Mittit crystallum suam sicut buccellas : crystallum* vox est Græca, et non solum quam vulgo *crystallum*, sed etiam *glaciem* significat : et hoc loco *glaciem* significare aperte colligitur ex voce Hebraica. Aliqui per *crystallum* hoc loco grandinem significari volunt, quæ est aqua in aere congelata ; sed grando non habet similitudinem buccellæ, neque dicitur hebraice, קרח *kerach*, sed, ברד *barad*, hoc autem loco est, קריח

charecho, *glaciem suam*, non ברדו *berado grandinem suam*, denique grando in æstate potissimum descendere solet, proinde non efficit in aere frigus, de quo hic dicitur, *Ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?* Illud igitur, *qui mittit crystallum*, non significat, qui de cœlo descendere facit; sed qui jussu suo causa est ut glacies frigidissima in terra existat: quo modo dicebatur Deus mittere Prophetas, et Joannes dicitur homo missus a Deo, qui tamen non de cœlo cadebant. Illud, *sicut buccellas*, significat fragmenta glaciei, quæ tempore frigidissimo passim inveniuntur in terra, ubicumque aliquid aquæ fuerat, similia esse buccellis panis, quia figuram habent fragmentorum panis. *Ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?* Hæc est apostrophe Prophetæ admirantis frigoris vehementiam quasi dicat, Quis tantum frigus tolerare poterit? *Ante faciem frigoris ejus*, id est, coram tanto frigore, sive ad præsentiam tanti frigoris quis sustinere poterit? quis non congelabitur et peribit? est enim hebraica phrasis, *ante faciem*, pro *coram* usitatissima.

7. Emittet verbum suum, et liquefaciet ea: flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.

Descripsit hactenus vehementissimum frigus ex nive, pruina, et glacie: nunc ostendit quanta facilitate, et celeritate Deus illud recedere faciat. *Emittet*, inquit, *verbum suum*, id est, mandatum suum, *et liquefaciet ea*. Jubebit Deus et mox liquescent nix, pruina, et glacies: et continuo frigus remittetur. Modus autem quo id faciet Deus, explicatur, cum subjungitur, *Flabit spiritus ejus, et fluent aquæ*, id est, jubente Deo surget ventus australis, perflabit undique aerem, et nix, pruina, et glacies solventur in aquas.

8. Qui annunciat verbum suum Jacob, justitias, et judicia sua Israel.

9. Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis.

Concludit, ostendens quantum intersit inter providentiam Dei erga populum suum, et alias nationes. Alias enim nationes docuit Deus per effecta naturalia, ut ex rebus creatis agnoscerent creatorem: sed populum suum ipse docuit per Prophetas suos. *Qui annunciat verbum suum Jacob*, id est, lauda Hierusalem Dominum, *qui annunciat verbum suum* populo suo *Jacob*, loquens illi per Mosem, et Prophetas; et qui demonstravit *justitias, et judicia sua Israeli* per Mosem, cui Deus ipse legem dedit, ut eam traderet populo suo Israel: et ex hoc intelliges, quia *non fecit taliter omni nationi*, quia tibi soli, non aliis *judicia sua*, leges videlicet suas, *manifestavit*. Porro ista conclusio convenit quidem terrenæ Hierusalem, cui Deus misit Prophetas, qui annunciarent verba ejus, et docerent leges ejus: sed multo magis conveniunt spirituali Hierusalem, quæ est Ecclesia, quæ recepit ipsum Verbum Dei incarnatum per Apostolorum prædicationem, et multo sublimiorem legem, justitias et judicia didicit: sed perfectissime conveniunt cœlesti Hierosolymæ, cui Deus ipse coram annunciat Verbum suum, et in ipso Verbo vident omnes habitatores Hierusalem judicia Dei, ordinem, ac dispositionem, et rationes providentiæ divinæ; quæ nobis sunt abyssus multa. Vere igitur, *non fecit* Deus *taliter omni nationi*, sed cœlestis patriæ habitatores præ omnibus aliis hominibus dilexit, et diligendo felicissimos fecit. Hæc mihi visa est litteralis expositio hujus obscurissimi Psalmi, in qua S. Joannem Chrysostomum ex Patribus præcipue imitatus sum, quantum ad illos versiculos, *Qui dat nivem sicut lanam*, etc. Quia tamen hæc pars obscurissima est, indicabo brevissime quid sanctus Hilarius, et sanctus Augustinus senserint. Igitur sanctus Hilarius existimat, in illis verbis, *Qui dat nivem sicut lanam*, etc. Prophetam declarare, quæ sit via ad cœlestem Hierusalem, de qua dixerat, *Lauda Hierusalem Dominum.* Viam autem esse dicit per multas tribulationes, et angustias; easque significari per *nivem*, *pruinam* et *glaciem*, et frigus ferme intolerabile: sed ex his omnibus tandem liberandos peregrinos Dei, flante spiritu consolationis, et refrigerii. Sanctus Augustinus paulo aliter exponit. Dicit enim Prophetam, post commemorata bona cœlestis Hierusalem in tribus versiculis, commemorare bona peregrinantium in sequentibus versiculis, et ejus expositio satis prolixa nota est in libris ejus: nos ad ejus imitationem, aliam similem adjungemus. Igitur illud, *Qui emittit eloquium suum terræ*, exponi potest de consolatione Scripturarum, quam hic habemus, quasi manna de cœlo pluente in desertum. Illud autem, *Qui dat nivem, sicut lanam;* potest exponi de consolatione, quam accipiunt Sancti ex tribulationibus, juxta illud Apostoli, *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra:* nam nix quidem frigore affligit, sed lana calore suo fovet, et calefacit. Itaque Deus dat nivem sicut lanam, quia dat nivem, ac si daret lanam: dat enim tribulationem, quæ Sanctis convertitur in consolationem. Illud, *Nebulam sicut cinerem spargit*, referri potest ad pœnitentiam, ad quam pertinet cinis: Deus enim spargit nebulam, sive pruinam tribulationis, ex qua multi compunguntur ad pœnitentiam; atque ita Deus dat *nebulam sicut cinerem*; quia dat nebulam, ac si daret cinerem, quia tribulatio ad pœnitentiam adducit. Illud denique, *mittit crystallum suam, sicut buccellas*, exponi potest de maxima consolatione, quam Deus in tribulatione concedit: tunc enim *mittit crystallum sicut buccellas*, quando ita dat glaciem, ac si daret panem, quia in ipsa glacie tribulationis infundit panem consolationis.

PSALMUS CXLVIII.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

ALLELUIA.

TRES postremi Psalmi, qui habent in titulo, *Alleluia*, invitant omnes res creatas ad laudandum creatorem; et quidem in Psalmo 148. enumerantur ordine res omnes creatæ, et quasi vocantur ad chorum, ut suo modo omnes canant: in Psalmo sequenti injungitur hominibus, ut ii potissimum Deum laudent, qui plura, et majora beneficia receperunt: in postremo mandatur iisdem hominibus, ut non solum Deum laudent, sed et per omne genus instrumentorum musicorum laudent.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Laudate Dominum de cœlis: laudate eum in excelsis.

2. Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus.

Primo loco invitantur Angeli, qui in summo cœlo, tanquam in ipsa Regis æterni aula resident. Porro vox illa, *laudate*, non est imperantis, neque proprie exhortantis, quasi Angeli desint officio suo, sed est invitantis per affectum complacentis, et optantis, quasi dicat Propheta, Dei amore vehementer accensus, Utinam omnes res creatæ creatorem laudent; et vos Angeli, qui primi estis in ordine rerum creatarum, pergite, ut facitis, laudare Dominum. Illud, *de cœlis*, significat locum, ubi Angeli degunt, ut sensus sit, Laudate Dominum de habitaculo vestro cœlesti, vos omnes qui estis in cœlo. Idem vero repetitur cum additur, *Laudate eum in excelsis.* Deinde clarius explicatur, qui sint qui habitant in excelsis, cum dicitur, *Laudate eum omnes Angeli ejus:* et idem aliis verbis repetitur, cum additur, *Laudate eum omnes virtutes ejus*, id est, omnis exercitus ejus, ut habetur in Hebræo. Per *virtutes Dei*, sive exercitum, et militiam Dei, intelligi debere Angelos, non Solem, et Lunam et Stellas, ut aliqui volunt, perspicuum est primo ex consuetudine Davidis, qui frequentissime idem repetit aliis verbis: secundo ex Patribus, qui hunc locum exponunt, ac præsertim ex Chrysostomo, qui *virtutes* hoc loco dicit esse Cherubim, et Seraphim, et cæteros Angelos: tertio ex cap. 2. Lucæ, ubi Angeli dicuntur *multitudo militiæ cœlestis:* quarto ex Psalm. 102. ubi clarius Angeli dicuntur *virtutes Dei*, et *ministri qui faciunt verbum ejus.*

3. Laudate eum Sol et Luna, laudate eum omnes stellæ, et lumen.

4. Laudate eum cœli cœlorum, et aquæ omnes quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.

Ab Angelis qui mente et intelligentia præditi Deum proprie laudant, descendit ad corpora cœlestia, quæ non laudant mente, vel intelligentia, qua carent, sed laudant magnitudine, velocitate, efficacitate, splendore, et pulchritudine admirabili; quomodo omne opus egregium, opificem laudare dicitur. Ac primo nominat Solem, qui omnium consensu princeps est luminum reliquorum: deinde addit Lunam, quæ vel absolute, ut Patres velle videntur, præsertim S. Augustinus lib. 2. de Gen. cap. 16. vel certe quoad apparentiam, et efficaciam in corpora inferiora, major est omnibus aliis stellis; postea adjungit stellas cæteras: postremo subjungit lumen per quod intelligimus lumen a Sole, Luna, et stellis diffusum in corpora inferiora, ac potissimum in aerem, unde nos omnes mirifice recreat. His enumeratis, quæ continentur in cœlo transit ad ipsum cœlum, et vocat *cœlos cœlorum*, id est, cœlos superiores, quibus subjecti sunt cœli inferiores, in quibus nubes concrescunt, et aves volant, unde in Scripturis legimus, *nubes cœli, et volucres cœli.* His cœlis superioribus adjungit aquas, quæ super cœlos *sunt*, ut nihil omnino sit in parte Mundi superiore, cujus non meminerit. Porro de aquis istis aliqua videntur extra controversiam esse debere, alia disputationi hominum permittuntur: primo certum esse debet, aquas esse corporales, non spirituales, in quo errasse Origenem convicit Sanctus Epiphanius in epist. ad Joannem Episcopum Hierosolymæ, quam Sanctus Hieronymus Latinam fecit, nec non Basilius, et Ambrosius, de opere sex dierum. Secundo, esse super cœlum æthereum, non ut quidam voluerunt, in cœlo aereo: nam hoc loco indicat Propheta, eas esse super cœlos cœlorum; quia cum dixisset, *Laudate eum cœli cœlorum*, mox adjungit, *Et æque omnes, quæ super cœlos sunt*, illos videlicet quos immediate nominaverat *cœlos cœlorum*, et in Psalm. 103. de cœlo eodem loquens Propheta dicit, *Extendens cœlum sicut pellem, qui tegis aquis superiora ejus;* et aperte in primo capite Geneseos, ponit Moses aquas, super firmamentum, in quo firmamento paulo post stellas posuit. Et apertissime in hymno trium puerorum Danielis capite 3. enumerantur ordine omnia opera Domini: et

primo loco ponuntur Angeli, deinde cœli, et aquæ quæ super cœlos sunt, postea Sol et Luna, et stellæ, et cætera inferiora; atque hæc est sententia veterum Patrum, ut notavimus in Psalm. 103. vers. 3. tertio esse aquas incorruptibiles, et sempiternas : nam de iis, quæ hucusque numerata sunt, dicitur in sequenti versiculo, *Statuit ea in æterno, et in sæculum sæculi.*

5. Quia ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt.

6. Statuit ea in æternum, et in sæculum sæculi : præceptum posuit, et non præteribit.

Hæc est ratio cur omnia, quæ hactenus nominata sunt, Deum laudare debeant : quoniam ab illo facta sunt, et in æternum incorrupta permanebunt : et quod est admirabilius, non magno labore, nec multo tempore, sed verbo, atque imperio fecit ut essent, et in æternum essent. Ipse dixit, *Fiat lux, et facta est lux,* Ipse mandavit rei non existenti, ut existeret, et mox obediens cœpit existere, quæ antea nihil erat. *Statuit ea in æternum, et in sæculum sæculi,* id est, constituit ut semper maneant, et non ad morem inferiorum corporum oriantur, et occidant. *Præceptum posuit :* id est, decretum de hac re fecit Deus, *et non præteribit*, id est, et hoc decretum non præteribit, non abibit in auras, sed manebit, et manens res ipsas conservabit, ut nec ipsæ præterant; per hoc *præceptum* intelligitur natura incorruptibilis, quam Deus Angelis, et cœlestibus corporibus in creatione attribuit. Potest etiam per *præceptum positum,* intelligi præceptum datum rebus cœlestibus, id est, Angelis, ut semper Deum laudent : Soli, et Lunæ, et stellis, ut circumeundo, et illustrando, serviant humano generi, quod præceptum *non præteribit,* id est, ut exponit Sanctus Hilarius, non irritum erit; ut revera non irritum fuisse experimento didicimus. Euthymius legit, *non præteribunt :* sed codices Hebraici, Græci, et Latini omnes, quos videre potui, habent, *non præteribit.*

7. Laudate Dominum de terra, dracones, et omnes abyssi.

Transit nunc ad elementa corruptibilia, et Mundum inferiorem, ubi sunt terra, aqua, et aer, et animantia terrestria; aquatica, et volatilia : nec non tonitrua, fulmina, grandines, venti, et alia id genus. Ex quo apertissime refelluntur Manichæi, qui res istas inferiores non a Deo bono, sed a malo quodam principio conditas fabulabantur. *Laudate*, inquit, *Dominum de terra*, dixerat, *Laudate Dominum de cœlis:* nunc dicit, *Laudate Dominum de terra :* quoniam Dominus *in principio creavit cœlum et terram :* et sicut ad cœlum, quod est sedes Angelorum, omnia superiora revocavit : sic ad terram, quæ est sedes hominum, omnia inferiora revocare voluit. Hæc videlicet est causa, cur non primo loco nominaverit ignem, aut aerem, aut aquam : quoniam terra est altera pars Mundi, et homini habitatori terræ cætera omnia, sive ignis, sive aer, sive aqua deserviunt. Sed posteaquam dixit, *Laudate Dominum de terra,* id est, omnia, quæ estis in terra, vel pertinetis ad terram : incipit particularia numerare, et primo loco meminit aquarum, et piscium, quæ sunt in locis terræ declivioribus : nam per *Dracones* intelliguntur hoc loco magni pisces, et per *abyssos* intelliguntur aquarum profunda, in quibus pisces habitant : ita S. Joan. Chrysostomus, qui id probat ex Psal. 103. *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei*, id est mari, et Psal. 73. *Contribulasti capita Draconum in aquis.*

8. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.

Ab aquarum abysso transit ad aerem ubi inveniuntur ignes, id est, fulgura, fulmina, coruscationes : item grando, nix, glacies; item spiritus procellarum, id est, venti vehementes, qui tempestates excitant, et ingentes pluvias secum ferunt, quæ omnia *faciunt verbum ejus,* id est, obediunt præcepto ejus : quod postremum addi voluit Spiritus sanctus, ne Manichæus aliquis, aut Atheus suspicaretur, vel hæc mala esse, quod sæpe magnas calamitates hominibus inducant, vel casu fieri, ut fulmine quis percellatur, ut grando vineas urat, ut vi procellarum navigia pereant. Deus igitur utitur his rebus, ut instrumentis justitiæ, vel misericordiæ suæ, ad malos puniendos, vel bonos admonendos, ac per hoc non casu eveniunt, neque res malæ dici debent, sed bonæ, cum bono Deo serviant.

9. Montes et omnes colles, ligna fructifera et omnes Cedri.

10. Bestiæ et universa pecora, serpentes, et volucres pennatæ.

Nunc tandem ab aere ad terram revertitur, et enumerat primo partes ipsius terræ eminentiores. *Montes* et *colles,* ex quibus subintelliguntur campi patentes, et valles : neque enim montes, et colles sine campis, et vallibus esse possunt. Deinde transit ad ea quæ nascuntur ex terra, et primo nominat ligna fructifera, deinde infructifera, quales imprimis sunt *Cedri*, quæ tamen ad ædificandas domos, et naves necessariæ sunt. Postea convertit orationem ad animantia, quæ terram inhabitant, et ipsa genera breviter attingit, bestias sylvestres, jumenta, et pecora domestica : serpentes qui per terram repunt, et aves, quæ per aerem volant. Atque ista omnia ad Deum laudandum provocat, non quod ista Deum noverit cogitare, nedum laudare, sed ut homines considerantes utilitatem, quæ ex illis capitur, Deum laudent eique debitas gratias agant. At, inquies, quæ utilitas ex agrestibus feris, ex serpentibus, leonibus, muscis, et culicibus capitur? Magna omnino utilitas ex animantibus illis capitur, quæ nobis vel terrorem incutiunt, quales sunt leones, et serpentes; vel molestiam adferunt, quales sunt culices, et muscæ. Nam erudiunt nos ad humilitatem, dum in memoriam nobis revocant inobedientiam et superbiam parentum primorum in nos generatione transfusam, ob quam imperium in animantia, magna ex parte perdidimus.

11. Reges terræ, et omnes populi : Principes, et omnes Judices terræ.

12. Juvenes, et virgines : senes cum junioribus, laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen ejus solius.

Postremo genus humanum citat ad laudes Dei, atque ut omnes homines comprehendat, tres differentias hominum enumerat, potestatis, sexus, et ætatis. *Reges*, inquit, *et populi*, id est, qui imperant, et qui parent; et quoniam qui imperant, non sunt ejusdem ordinis, sed alii aliis præsunt, addit, *Principes*, supremi videlicet, *et omnes Judices:* qui a Principibus auctoritatem habent, atque hæc est differentia potestatis. *Juvenes et virgines;* id est, viri et feminæ, quod pertinet ad differentiam sexus, *Senes cum junioribus*, quæ est differentia ætatis. Omnes igitur sive Principes, sive privati, sive viri, sive feminæ, sive senes, sive adolescentes, laudent nomen Domini, quoniam *exaltatum est nomen ejus solius*, id est, quoniam non est aliud nomen vere sublime, et omni laude dignum, nisi Dei nomen. Pes enim creatæ quamvis magnæ, si ad magnitudinem Dei comparentur, nihil sunt, et quicquid magnitudinis, et excellentiæ habent, ab illo habent, qui solus altissimus jure nominatur, et est.

13. Confessio ejus super cœlum, et terram, et exaltavit cornu populi sui.

Reddit rationem, cur dixerit, *exaltatum est nomen ejus solius*, quoniam, inquit, *Confessio ejus super cœlum et terram*, id est, quia omnia quæ in cœlo, et quæ in terra sunt confitentur laudes ejus: ita pleni sunt cœli et terra gloria ejus, vel, ut ait Habacuc; *operuit cœlos gloria ejus, et laudis ejus plena est terra:* ideo *exaltatum est nomen ejus solius, et exaltavit cornu populi sui*, id est, ipse per se solus sublimis, et excelsus, exaltavit potentiam et gloriam populi sui Israel, quia elegit eum sibi in populum peculiarem, deditque illi divinas leges proprio digito scriptas, ac singulari providentia curam illius gerit.

14. Hymnus omnibus sanctis ejus, filiis Israel, populo appropinquanti sibi.

Hæc est conclusio Psalmi, quasi dicat, Igitur hymnus Deo canendus, præcipue convenit omnibus Sanctis ejus, id est, omnibus Deo dicatis et consecratis, filiis Israel videlicet, qui populus est præter cæteros omnes Deo ipsi propinquans vera cognitione, et fide, et vero cultu, et adoratione, vera filiali fiducia, et dilectione. Sed rectissime admonet Sanctus Augustinus, hæc non dici de filiis Israel secundum carnem, sed de filiis Israel secundum spiritum, siquidem filii Israel secundum carnem dura cervice cum essent, Deo non propinquabant. Sic enim loquitur sanctus Protomartyr Stephanus Act. 7. *Vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut Patres vestri, ita et vos; quem Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri? et occiderunt eos, qui prænunciabant de adventu justi, cujus vos nunc proditores, et homicidæ fuistis:* Apostolus autem ad Roman. 9. demonstrat, qui sint veri filii Israel appropinquantes Domino, cum ait, *Non omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitæ: neque qui semen Abrahæ, omnes filii; sed in Isaac vocabitur tibi semen*, id est, non qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis æstimantur in semine, et ad Rom. 4. scribit eos ad filios Abrahæ pertinere, qui sectantur vestigia fidei Patris nostri Abrahæ, sive ex circumcisione, sive ex præputio sint. Neque enim excludere debemus omnes Israelitas secundum carnem; alioqui etiam Prophetas et Apostolos excluderemus, sed eos tantum excludimus, qui solum secundum carnem Israelitæ sunt, et non secundum spiritum, quales erant ii, de quibus loquitur S. Stephanus loco citato, et quibus Præcursor Domini dicebat, *Genimina viperarum, quis vobis demonstravit fugere a ventura ira?* et, *Nolite dicere, Patrem habemus Abraham.* Luc. 3. et quibus Dominus ipse dicebat, *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite:* et, *Vos ex patre diabolo estis.* Joan. 8. Denique tales sunt qui post abnegatum Dominum dispersi sunt inter gentes, et sine Rege, sine Sacerdotio, sine Deo vivunt in hoc mundo.

PSALMUS CXLIX.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

ALLELUIA.

PSALMUM hunc exponunt Græci de victoriis Machabæorum, alii de victoriis ipsius Davidis. Sed nescio ubi legatur vel tempore Davidis, vel tempore Machabæorum fuisse ab Hebræis alligatos Reges nationum in compedibus. Alii mystice exponunt omnia de victoria spirituali Ecclesiæ adversus infideles. Quas expositiones ut non rejicio, ita existimo ad litteram Psalmum esse exponendum de obligatione, qua tenetur populus Dei laudare Dominum semper præter cæteras gentes, ob gloriam sempiternam sibi promissam, et ad quam finito præsenti exilio sine dubitatione perveniet.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Cantate Domino canticum novum, laus ejus in Ecclesia sanctorum.

Primus hic versiculus alloquitur eos, quibus dictum est in fine Psalmi superioris, *Hymnus omnibus sanctis ejus, populo appropinquanti sibi.* Sunt enim hi tres ultimi Psalmi inter se connexi, et unus continuatur cum alio, et ea causa est fortasse, cur in officio Ecclesiastico in fine laudum matutinarum quasi unus Psalmus tres isti

Psalmi concinantur. Ait igitur, o vos Sancti, qui populus estis Deo propinquans, *Cantate Domino canticum novum*, id est, cæteræ creaturæ cantant canticum ratione creationis, quod est canticum vetus, vos autem cantate canticum ratione renovationis, justificationis, glorificationis, quod est canticum novum, super nova materia, a novis hominibus decantandum. *Laus ejus in Ecclesia Sanctorum :* hæc est ratio verborum superiorum, quasi dicat Propheta, Vos sancti, *cantate Domino canticum novum*, quia decet ut laus Dei potissimum audiatur in congregatione Sanctorum.

2. Lætetur Israel in eo, qui fecit eum, et filii Sion exultent in Rege suo.

Canticum novum magnam habet lætitiam, quoniam annunciat beneficia perfectæ felicitatis, et quia ex ardentissimo amore procedit. Igitur Israel populus Dei electus, qui cantat *canticum novum*, lætetur cantando *in eo, qui fecit eum*, in ipso conditore suo, qui non solum creavit naturam, sed etiam donavit gratiam; et sic fecit non solum ut esset, sed ut esset Israel : *et filii Sion exultent in Rege suo :* est repetitio per alia verba, nam *filii Sion*, ipse est Israel. Recte in Bibliis recognitis sublatum est, *filiæ*, et repositum, *filii :* quoniam in Hebræo et Græco habetur, *filii Sion*, et sic legunt S. Augustinus, Sanctus Hieronymus, S. Chrysostomus, Euthymius, et alii : neque deerant textus Latini, qui haberent, *filii*, ut videri possit typographorum vitio irrepsisse vox, *filiæ*, pro, *filii*.

3. Laudent nomen ejus in choro, in tympano et psalterio psallant ei.

Neque solum cantent canticum novum cum lætitia, et exultatione; sed etiam instrumenta musica ad voces suas adjungant, id est, non solum ore, sed etiam opere, non lingua tantum, sed etiam manu, hoc est, vita, et moribus cantent : per *chorum*, intelligunt aliqui instrumentum musicum, ut etiam per *tympanum* et *psalterium :* quod clarius colligi videtur ex Psalmo sequenti : dicunt autem *chorum*, cum accipitur pro instrumento, *tibiam* significare : sed possumus etiam per *chorum* intelligere multitudinem cantorum simul canentium, ut sonat vox Græca, et Latina, et ut Patres intellexerunt. Ait igitur, laudent eum *in choro* vocibus consonis simul concinentes, *in tympano*, *et psalterio* manibus psallentes, lætitiæ sonitum edant.

4. Quia beneplacitum est Domino in populo suo, et exaltabit mansuetos in salutem.

Hæc est ratio cantici novi, quia complacuit sibi Dominus in populo suo, id est, amavit eum ab æterno ex mera benignitate sua : hoc bene placitum Dei, Græce εὐδοξία, est fundamentum, et prima radix omnium bonorum nostrorum : nam ideo prædestinavit, ideo vocavit, ideo justificavit, ideo glorificavit, *quia complacuit sibi in populo suo :* de hoc dicit Dominus Luc. 12. *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum :* hoc beneplacitum passim in suis epistolis B. Paulus prædicat. Merito ergo materia est cantici novi, *Et exaltabit mansuetos in salutem.* Non complacuit solum sibi Deus in mente sua, sed hoc beneplacitum reipsa implebit, quia *exaltabit mansuetos in salutem*, id est, populum suum humilem, et mitem, ut vera membra ejus, qui dixit, *mitis sum et humilis corde*, exaltabit usque ad summam excellentiam, quæ est æterna salus. Quidam Latini codices habent, *exaltavit*, sed emendata lectio habet, *exaltabit*, nam et in Græco et in Hebræo habetur, in futuro, *exaltabit*, utrumque est verum, nam exaltavit in spe, et exaltabit in re.

5. Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.

Hic jam describit futuram gloriam electorum, ob quam toto corde cantare debebant canticum novum, *Exultabunt*, inquit, *Sancti in gloria* illa cœlesti, ad quam non perveniunt nisi vere sancti : et simul *lætabuntur in cubilibus suis*, in loco illo summæ quietis : *Amodo* enim *dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis*, Apoc. 14. Itaque, *Sancti in gloria* requiescent a laboribus, sed non requiescent ab actione laudationis. Erunt *in cubilibus*, ut quiescant, non ut dormiant.

6. Exaltationes Dei in gutture eorum, et gladii ancipites in manibus eorum.

In illa superna felicitate adeo non sunt otiosi Sancti ut et ore cantent, et manibus gladios vibrent. In textibus Hebraicis et Græcis habetur, *Exaltationes Dei*, ut etiam legitur in Bibliis recognitis. Tamen S. August. et quidam alii legunt, *Exultationes Dei*, facile fuit unius litteræ mutatione inducere hanc varietatem : sed in sensu nulla dissensio est : nam Sancti cum magno gaudio laudant, et exaltant magnitudinem Dei, proinde simul exaltant, et exultant. Per *gladios* autem intelligimus potestatem judiciariam, qua Sancti omnes in die novissimo ferient persecutores suos, juxta illud Deut. 32. *Si acuero ut fulgur gladium meum, et si arripuerint judicium manus meæ.*

7. Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.

Ad hoc utuntur Sancti gladiis bis acutis, ut in die judicii vindictam sumant de hostibus suis, et eos increpent, atque eis exprobrent iniquitates suas. *Stabunt enim tunc justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt.* Sap. 5. Ex hoc loco intelligi potest, paulo duriorem esse eorum expositionem, qui hæc referunt ad conversionem iniquorum, qui dicuntur occidi gladio verbi Dei : nam qui convertunt iniquos, eosque feliciter occidunt gladio verbi, occidentes in eis peccatum, et resuscitantes justitiam, non sumunt de eis vindictam, sed beneficio maximo illos afficiunt.

8. Ad alligandos Reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis.

Diximus, per *gladios*, intelligi judiciariam potestatem, ideo non debet absurdum videri, si dicantur Sancti habere gladios in manibus, *ad faciendam vindictam*, *et ad alligandos Reges in compedibus;* potestas enim judiciaria utrumque facere potest, et ferire condemnando, et alligare in compedibus, sententiam per ministros suos exequendo, tunc igitur Sancti alligabunt Reges gentium *in compedibus*, *et nobiles eorum*, id est, Principes terræ *in manicis ferreis*, quando cum Christo in extremo die judicii sen-

tentiam ferent adversus Antiochos, Herodes, Nerones, Diocletianos et cæteros Principes infideles, ac dicent, *Ligatis manibus et pedibus projiciantur in tenebras exteriores*, Matth. 22.

9. Ut faciant in eis judicium conscriptum, gloria hæc est omnibus Sanctis ejus.

Hic aperte declarat Propheta quorsum dixerit, *Ad faciendam vindictam*, et *Alligandos Reges eorum in compedibus. Ut faciant*, inquit, Sancti, qui in terris injuste judicati sunt, justum *judicium* jam olim *conscriptum*, decretum, et firmatum, et quasi in columna, inquit Chrysostomus, incisum, ut mutari non possit. Gloria hæc sedendi cum Christo in nubibus, et judicandi mundum, et Principes ejus, erit omnibus Sanctis ejus. Quamvis enim Beda in sermone de S. Benedicto, dicat, in Judicio duos ordines futuros electorum; unum judicantium cum Christo, alterum misericorditer judicandorum; tamen illi qui misericorditer judicati fuerint, postea etiam judicabunt cum Christo persecutores suos, ut constat ex B. Paulo 1. Corinth. 6. *Nescitis quia Sancti de hoc mundo judicabunt; si* ergo *in vobis*, id est, a vobis, *judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis.* Vere igitur *gloria hæc est omnibus Sanctis ejus.*

PSALMUS CL.

TITULUS, ET ARGUMENTUM.

ALLELUIA.

In hoc postremo Psalmo invitatur populus Dei ad laudes Domini in summo cœlo habitantis, cum omnibus musicis instrumentis, ut hoc modo demonstret ardentissimum affectum suum.

EXPLICATIO PSALMI.

1. Laudate Dominum in sanctis ejus, laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate Dominum in sanctis ejus, id est, o vos electi, et Sancti, laudate Dominum in sanctuario cœlesti habitantem. Nam vox Hebræa, *chodes, sanctitatem* proprie, et *sanctuarium* significat, et quamvis cum aliis punctis legi posset, *in sancto ejus*, et in numero multitudinis, *in sanctis ejus :* et exponi de sanctis hominibus, ut fere Patres exponunt; tamen quia in secunda parte versiculi idem repeti solet, et ibi expresse legitur, *laudate eum in firmamento virtutis ejus*, et per *firmamentum* intelligitur cœlum ex 1. cap. Geneseos : ideo ad litteram videtur omnino per vocem, *in sanctis ejus*, intelligendum esse sanctuarium cœleste, quod ad Hebræos 9. vocatur *sancta*, in numero multitudinis, *Introivit*, inquit, *semel in sancta.* Quia tamen sanctuarium Dei supremum sunt animæ justorum, imo ipsi Sancti sunt templum Dei : ideo potest etiam cum Patribus simpliciter hic locus exponi de sanctis hominibus, quatenus in eis Deus habitat, ut in præcipuo sanctuario suo. *Laudate eum in firmamento virtutis ejus.* Vox, *firmamentum*, eadem est hoc loco etiam in textu Hebraico, quæ est in 1. cap. Gen. proinde non est dubium sensum esse, *laudate eum in firmamento virtutis suæ*, id est, in fortissimo palatio suo, quod est cœlum, habitantem, vel in firmissimo throno suo cœlesti residentem : nam Dominus ait Matth. 5. *Nolite jurare per cœlum, quia thronus Dei est*, et quemadmodum paulo ante diximus, sanctuarium Dei esse sanctos homines, sic etiam dicere possumus, per firmamentum sideribus plenum, intelligi posse Ecclesiam Sanctorum, qui veluti stellæ fulgent, et in quibus Deus sedet, ut in præcipuo solio suo. Anima enim justi sedes est sapientiæ.

2. Laudate eum in virtutibus ejus, laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Docet Deum esse laudandum, non quia in cœlo simpliciter habitat; sed quia in eo habitat, ut omnipotens Imperator, et Dominus omnium rerum : nam per *virtutes* hoc loco non intelliguntur virtutes morales, neque exercitus Angelorum, sed robur, ac potentia : et per multitudinem magnitudinis intelligitur excellens magnitudo : quo modo alibi dixit idem Propheta. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ !* et alibi, *Secundum multitudinem miserationum tuarum*, id est, quam magna excellentia dulcedinis tuæ! et secundum eximiam misericordiam tuam : est enim phrasis Hebraica per vocem, רב *rab*, significare *multum* et *excellens.* Ergo, inquit, *laudate eum in virtutibus ejus*, id est, ob magnas vires, et magnum robur ejus : *laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus*, id est, magnifice laudate eum, quoniam eximia est magnitudo ejus, cum sit absolute, et simpliciter magnus.

3. Laudate eum in sono tubæ, laudate eum in psalterio, et cithara.

Tria sunt instrumentorum musicorum genera, vox, flatus, et pulsus : omnium meminit hoc loco Propheta : nam in hoc versiculo nominantur *tubæ*, quæ flatu sonitum reddunt, *psalterium*, et *cithara*, quæ pulsu chordarum resonant. Psalterium enim esse instrumentum decem chordarum, non semel legitur in Psalmis.

4. Laudate eum in tympano, et choro, laudate eum in chordis, et organo.

Hic numerantur omnia genera : nam tympanum, et chordæ pulsantur, *chorus est*, ut alibi diximus, vel instrumentum musicum nobis incognitum, vel concentus vocum humanarum; *organum* inflatur : quamvis enim ignotum sit quid *organum* hoc loco significet : tamen probabiliter dici potest, esse instrumentum plurium tibiarum simul conjunctarum ; ad cujus postea imitationem facta sunt ea, quæ nos organa vocamus.

5. Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis : omnis spiritus laudet Dominum.

Cymbala quatiuntur, et tinnitum reddunt. Dicuntur autem *cymbala jubilationis*, quæ magnum lætumque sonitum reddunt, quales sunt campanæ apud Christianos. Mystice a Patribus instrumenta ista exponuntur, vel pro sensibus corporis, ut a Chrysostomo, vel pro virtutibus animi, ut a sancto Augustino. Concludit Psaltes, *Omnis spiritus laudet Dominum.* Sunt autem quatuor hujus loci explicationes. Prima sancti Augustini est qui per *Spiritum* intelligit spiritualem vim, ut opponitur carni. Quia, inquit, sapere secundum carnem, mors est : *Omnis spiritus laudet Dominum*, id est, omnis qui spiritualis est, et de Spiritu sancto vivit, *laudet Dominum.* Sed Beatus Augustinus non observavit proprietatem linguæ Hebraicæ : nam in Hebræo est, כל נשמה *col nesema,* quæ vox non significat spiritum, ut opponitur carni, sed ut opponitur non spiranti et non viventi. Itaque, *omnis spiritus laudet,* hoc loco ponitur pro omni quod spirat, et vivit. Altera explicatio est Theodoreti, et Euthymii, qui per *omnem spiritum* intelligi volunt omnem hominem, quomodo accipitur illud Psalmi 144. *Benedicat omnis caro nomini sancto ejus :* sæpe enim in Scriptura per *carnem*, vel per *animam* intelligitur totus homo. Sed mirum esset, si David restringere voluisset laudis officium ad solos homines, cum paulo ante invitaverit Angelos, homines, bestias, Solem, Lunam, stellas, ignem, grandinem, nivem, et cætera omnia. Tertia explicatio est aliquot recentiorum, qui per *omnem spiritum*, intelligunt omnia animalia; sed si David loquitur de laudatione proprie dicta, frustra bestias invitat ad laudes : si de laudatione etiam impropria, non debuit excludere ea, quæ non spirant. Potest igitur quarta explicatio afferri, ut per *omnem spiritum,* intelligamus generatim omnia quæ vivunt, sive spirituali vita, ut Angelos; sive animali, ut bestias; sive utraque, ut homines, sive metaphorica vita, ut cætera omnia, quæ licet in se inanima sint, tamen *Deo vivere* dicuntur, quoniam ita serviunt, et obediunt Deo, ac si viverent, et sentirent, et Creatoris mandata perciperent : unde est illud Ecclesiasticum, *Regem cui omnia vivunt :* in quem sensum accipiendum est illud Baruch. 3. *Vocatæ sunt stellæ, et dixerunt, adsumus:* et illa ex Evangelio, *Imperavit febri, et dimisit eam,* Luc 4. et, *Comminatus est vento, et dixit mari, tace, obmutesce, et cessavit ventus, et facta est tranquillitas magna*, Marc. 4. Ergo Propheta cum multa percurrisset, et videret se non posse omnia singillatim enumerare, et ad laudandum Deum invitare, voluit compendio omnia comprehendere, et ait, *Omnis spiritus laudet Dominum.* Sed si omnia comprehendere volebat, cur non aperte dicebat, Omne quod subsistit, laudet Dominum? Ratio est quoniam laudatio ad viventes pertinet, et absurdum videtur, res mortuas, aut inanimas vocare ad chorum, præsertim cum idem Propheta dixerit in Psalm. 113. *Non mortui laudabunt te Domine.* Et Ezechias apud Isaiam cap. 38. *Vivens, vivens ipse confitebitur tibi.* Voluit ergo David potius dicere, Omne quod vivit quam omne quod subsistit, *laudet Dominum*, ut declararet, se invitare omnes res ad Deum laudandum, quatenus aliquo modo vivunt, ut supra explicatum est. Atque hic sit finis hujus Commentarii. Precor autem Deum, ut quemadmodum dedit, ut has divinas laudes utcumque explicare possemus, ita ex misericordia sua donet, ut aliquando de peregrinatione perveniamus ad patriam, ubi præsentes præsentem toto corde diligamus, et sine ullo fine laudemus. Amen.

LAUS DEO.

Magnus quæstus pietas cum sufficientia. 1. *Tim.* 6.

FINIS.

INDEX

RERUM NOTABILIUM.

Prior numerus Psalmum indicat, posterior vero ejusdem Psalmi versiculum.

A

B

C

D.

E

I.

J.

N.

O.

T

INDEX PSALMORUM.

FINIS.

CORNELII A LAPIDE
COMMENTARIIS
IN SACRAM SCRIPTURAM
APPENDIX.

LUGDUNI, EX TYPIS LUDOVICI LESNE.

R. P. JACOBI TIRINI

E SOCIETATE JESU

IN LIBRUM JOB

COMMENTARIUS.

LUGDUNI,

APUD LUDOVICUM LESNE.

M.D.CCC.XLII.

Il migliore commentatore del Libro
di Giobbe è il ... Pineda.

R. P. JACOBI TIRINI

COMMENTARIUS

IN LIBRUM JOB.

Veram hanc esse Historiam, non autem parabolam, ut quidam Judæi voluere, patet ex Tobia (2, v. 15) Ezechiele (14) et Jacobo Apostolo (5, v. 11) qui eam ut Historiam citant. Conscripta fuit primum ab ipsomet Jobo, ut vult S. Gregorius, Albertus Magnus, Suidas (in Job) et alii: et quidem lingua Syriaca, seu Arabica, vel Idumæa: nam, teste S. Hieronymo (Prologo in Job) syrismis passim et arabismis inspergitur. Ex Syriaca vero in Hebræam linguam convertit eam Moyses, forte dum soceri sui Jethro oves pasceret in Madianitide. Unde Moysen ipsum auctorem libri faciunt Origenes, Philippus Presbyter, Isidorus (l. 1, Offic. c. 12) Abulensis (in Prologo Genes.) et quidam alii. Causa scribendi finalis fuit, ut omnibus, et maxime Hebræis, sub id tempus in Ægypto graviter afflictis, vivum daretur exemplum patientiæ. Graphice enim hic depingitur duellum pœnarum et tolerantiæ: naturæ et gratiæ: dæmonis et viri justi, ut pulchre explicat S. Prosper (l. 1 de Promiss. c. 22) et alii Patres in Catena Græcorum (c. 9). Porro præcipua toto libro quæstio agitatur, an soli peccatores a Deo adversis affligantur in hac vita: an vero etiam pii et justi, qui nil tale meruerunt. Priorem partem et falsam tuentur amici Jobi: posteriorem et veram ipse S. Job. Unde verba tum Dei, tum Jobi, quæ Deus cap. ult. probat, infallibilem habent veritatem Canonicæ Scripturæ: non item verba amicorum Jobi, ut passim patebit. Ita S. Gregorius, Augustinus, Chrysostomus et Polychronius in Catena (c. 7). Qui idcirco dicunt, hos tres gessisse typum hæreticorum Ecclesiam et pios impugnantium. Allegorice et anagogice, Christi et cujuslibet patientis victoria ac triumphus in resurrectione adumbratur.

CAPUT PRIMUM.

Jobi pietas insignis, divitiæ et proles commemorantur. Convivia vicissim celebrant: Job pro ipsis sacrificat Deo. Satan impetrat ut Jobum liberis et opibus omnibus exuere liceat. Job omnia patientissime tolerat.

Vers. 1. In terra Hus,] id est, in Idumæa, ut habetur in Threnis Jeremiæ (4, v. 21). Fuit autem Hus filius Aram filii Sem (Genesis 10, v. 23). Hussitis vero vel Ausitis terra sita est ultra Jordanem, inter montem Hermon et Trachonitidem, quæ postea cessit in sortem *dimidiæ tribui Manasse*, ubi etiamnum visitur pyramis sepulchri S. Job, inquit Adrichomius. Hinc Patres passim nunc Idumæum, nunc Arabem vocant, prout terminos Idumææ vel Arabiæ latius aut longius extendunt.

Nomine Job,] vel Jobab: quod, ut S. Gregorius, Philippus Presbyter et Chrysostomus in Catena exponunt, significat ululantem, vel ejulantem. In appendice libri Job (quam habent LXX et Theodotion, et S. Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Polychronius, et alii SS. Patres in Catena (in fine lib.) et a Bellarmino citati (l. 1 de verbo Dei c. 4) passim ut legitimam admittunt) dicitur Job natus matre Bosra, patre Zara vel Zareph Isaaci pronepote: nam Abraham genuit Isaac: hic Esau, hic Raguel, hic Zara, hic Job (Gen. 36, v. 10, 13, 17, 33.) Fuit ergo Job quintus ab Abrahamo. In eadem appendice additur, habitasse in *Ausitide, in finibus Idumææ et Arabiæ:* et ut *regem imperasse in Edom, post* Balac seu Bela, ut in Genesi nominatur. Ex quibus patet, Job non ex Hus filio Nachor fratris Abraham (Genes. 22, vers. 21) oriundum esse, ut volunt quidam Hebræi, et cum his S. Hieronymus (QQ. in Genes.) Rupertus (in Genes. 36.) Rabanus (ibid.) Isidorus (de Vita et

Morte SS.) et Lyranus : sed ex ipsomet Abrahamo, Isaaco et Esau. Ita Origenes, Gregor. Volaterr. et alii quos citat noster Pineda (in c. 1 Job v. 1, n. 32). Secundo patet, Job *regem* fuisse, ut ipsemet sat innuit c. 19, v. 9 et alibi. Imo *regem regum* fuisse, probat Pineda ex v. 3 hujus cap. ubi dicitur : *Erat vir ille magnus inter omnes Orientales.* Fuit idem etiam *sacerdos*, ut patet ex *sacrificio* quod obtulit v. 5. Fuit et *Propheta*, inquit S. Hieron. (ep. ad Evagrium) Augustinus (ser. 6. de Tempore) et Gregorius (l. 14, Moral. c. 17) et colligitur ex c. 40, v. 1. Denique *Martyrem*, imo multis Martyribus majorem vocat S. Chrysost. (hom. 25 ad pop., et hom. 1 et 5 de laudib. Job) et alii quos citat Pineda et Salianus. Tertio patet, vixisse Jobum sub tempus habitationis Hebræorum in Ægypto. Et quidem natum ipso anno quo Jacob cum suis in Ægyptum descendit : trigesimo post anno uxorem duxisse Bosorram Arabissam, ac sub idem tempus regnum administrasse : septuagesimo luctam cum dæmone complevisse : denique anno vitæ Moysis 75, quinquennio ante egressum Hebræorum ex Ægypto vita functum esse, ex probatis auctoribus patet.

Vir simplex,] id est, simplici et candida mente, omnis falsitatis, duplicitatis, simulationis et peccati experte. Ita vocem hanc usurpat Cicero, et alii auctores. Hebraice est, *perfectus ;* græce, *verus*, veritate non doctrinæ tantum, sed et vitæ. Ita S. Chrysostomus et alii Patres in Catena.

5. Sanctificabat eos,] id est, jubebat sanctificari seu mundari et præparari ad fructus sacrificii percipiendos. Vide 2 Paral. 29, v. 15, et c. 30, v. 18, et 2 Esdræ 3, v. 1, Aug. lib. cont. mendacium, c. 10.

Ne forte benedixerint Deo,] pro maledixerint, per antiphrasin, ut ait S. Augustinus : vel per euphemismum : in LXX est, *ne mali quidpiam cogitarint contra Deum*, id est, peccatum aliquod admiserint. Hebræis enim *dicere* vel *cogitare* idem est quod *agere.* Ita Origenes, Basilius, Polychronius, Olympiodorus, et alii in Catena.

6. Cum filii Dei, seu angeli, assisterent coram Domino,] non parabolice, vel per prosopopeiam, quasi solum hic significetur omniscientia Dei, et machinationes seu bonæ angelorum, seu malæ dæmonum, ut volunt Origenes, Cajetanus, Emmanuel Sa, Mariana et quidam alii : non etiam per solam visionem seu revelationem scriptori hujus libri factam, ut vult Eusebius et Hugo : sed vere ac realiter. Fuit enim hoc quasi *judicium*, ut ait Chaldæus, aut *concilium magnum*, in quo sancti angeli referebant Deo sua ministeria. In quo *affuit et Satan*, quasi lictor et satelles Dei, visus a Deo et angelis, non tamen vicissim videns ipse Deum, sed solos angelos, et quasi cæcus respectu Dei : sola locutione mentali cum Deo et angelis colloquens, hominesque accusans ; et ad pœnam deposcens. Ita sonant simpliciter verba Scripturæ : et ita explicant Athanasius (q. 8 in Script.) Lactantius (l. 1, c. 1) Salvianus (l. 1 Anticimenon.) Augustinus, Nazianzenus.

11. Nisi in faciem,] id est, palam impudenter in tua præsentia maledicat tibi. Supple, dispeream vel mentiar. Ita Chrysostomus, Olympiodorus et alii in Catena.

CAPUT SECUNDUM.

Satan, permittente Deo, Jobum pessimis ulceribus morbisque excruciat. Uxor maritum ridet, eique insultat; Job ejus impietatem redarguit. Tres amici Jobi solandi causa adcurrunt : sed magnitudine mali perculsi, toto septiduo illum affari non audent.

3. Ut affligerem eum frustra,] id est, immerentem. Vel frustra, id est, absque eo quod spe et intentione tua potiaris. Ita Origenes, Olympiodorus, S. Thomas.

4. Pellem pro pelle,] id est, omnem pellem, id est, omnes *opes*, quæ inde vocantur *supellex*, eo quod *sub pellibus* adservari solerent. Sic Joan. 1, v. 16, *gratiam pro gratia*, id est, omne genus gratiarum. Chaldæus hic vertit, *membrum pro membro,* seu omne membrum. Sed aptius, *pellem*, nempe alienam, boum, camelorum, mancipiorum, et etiam filiorum, libenter *dabit* quis *pro pelle* propria : ut idem sit quod mox sequitur.

Cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua,] seu pro vita et valetudine salva. Similis phrasis est Exod. 21, v. 23. Ita Origenes, Hieronymus (epist. 34) Gregorius, Apollinaris (in Catena) Lyranus et alii.

7. Ulcere pessimo,] id est, fœdissimo simul et acutissimis doloribus referto. Chaldæus vertit, *scabiem*, lepræ et elephantiasi conjunctam, inquit Chrysostomus et alii in Catena. *Arthritide* et *podagra* laborasse, consequenter etiam chiragra et ischiade, colligitur ex c. 16, v. 8, et c. 13, v. 27 ; *phthiriasi* seu pediculari morbo ex c. 30, v. 17 ; *dysenteria*, ex c. 16, v. 14 ; *marasmo* seu totius corporis marcore ex siccitate et febri hectica, ex c. 19, v. 20, et c. 30, v. 16 ; *incubo* quoque, ex c. 7, v. 4 et 14. Denique ex aliis locis conjectat Pineda, Jobum laborasse etiam *lue venerea*, *angina*, *fame canina*, *igne sacro*, *cancro* seu erysipelate per totum corpus, *asthmate*, *etc.* Neque dubium est, cum Deus in hoc duello Jobum in potestate dæmonis posuerit, dæmonem ex innato odio et superbia omnes quas vivens ferre potuit, in eum plagas immisisse. Addit Chrysostomus cum S. Athanasio, lethales fuisse hos morbos, et mortem illaturos fuisse, si Deus eos ad cor, aliamve principem partem proserpere permisisset. Et consequenter, Jobum Martyrem vocat ; sicut plerique Patres B. Virginem et S. Joannem Martyres faciunt.

8. Sedens in sterquilinio,] nempe extra civitatem, eo quod elephantiacus esset, ideoque sejunctus a solio suo et palatio regali, et a cœtu hominum, inquiunt Apollinaris, Polychronius et alii. In quo typus Christi fuit, vulneribus pleni, extra urbem in Calvaria crucifixi.

9. Benedic Deo, et morere,] sarcasmus est, q. d. I nunc, servi Deo, benedic et lauda Deum, tam tibi amicum, ut te jam jam morte perditurus sit.

11. Tres amici Job.] Hi reges vocantur Tob. 2, v. 15, et hic apud LXX, et in appendice, de qua cap. 1, vers. 1, ubi Eliphaz vocatur *Themanorum Rex*, Baldad *Sauchæorum tyrannus*, et Sophar *Minæorum Rex.* Porro Eliphazi mentio fit Genesis 36, v. 4, et ejus filii Theman,

v. 11. Baldad ex nepotibus fuit Abrahæ ex Cetura, cujus filius fuit Sue, Gen. 25, v. 2, et 1 Paral. 1, v. 32. Unde Baldad dicitur Suhites. Porro Sophar Naamathites verisimiliter est filius Nahath, Genes. 36, v. 13 (quod per *crasin* videtur idem nomen esse cum Nahamath) fratruelis Eliphazi.

Notat vero Origenes (initio l. 3) Olympiodorus (in Catena) Chrysostomus (ibid.) et Gregorius (in præfat. cap. 5 Job) hos amicos Job fuisse *viros sanctos*, utpote sanctissimi hominis amicos et familiares. Dum igitur arguunt Jobum, peccant non malitia, sed ignorantia.

CAPUT TERTIUM.

Job laxatis naturæ habenis, maledicit diei suo natali et præsenti vitæ: pulcherrimo carmine describens mortalium miserias, et a quantis malis liberentur qui tam miseræ vitæ subtracti sunt.

Nota, a vers. 2 hujus cap. usque ad vers. 7 ultimi cap. omnia carmine conscripta sunt, teste S. Hieronymo (in præfat.) Isidoro et aliis (l. 6 Etymol. c. 2).

1. Maledixit diei suo,] natali. Maledixit eidem etiam Habacuc (3, v. 16) et Jeremias. Id est, optarunt eum nunquam fuisse in rerum natura, seu nunquam se natos fuisse: idque justissimas et gravissimas ob causas: nempe quia dies ille natalis, adeoque ipsa nativitas et vita fuit ipsis infinitarum ærumnarum exordium et causa, ut jam omittam *peccatum originale*, aliaque inde consequentia mala, v. g. periculum æternæ damnationis: Job enim hic ab illis abstrahit, et solas naturales ærumnas attingit. Porro cum subest justa causa, licet vovere et optare irrationabilibus creaturis malum, nempe, ut non sint, aut ut careant aliquo suo ornamento. Neque vero læditur hic charitas, cum adversus irrationabilia non sit charitas. Suppono autem non maledici eis quatenus creaturæ Dei sunt, neque in odium proximi, sed solum ut causant vel comitantur malum. Quin et maledicere ex zelo justitiæ, creaturis rationalibus non qua tales, sed qua impiæ sunt, et ob ingentia quæ procreant mala, peccatum non est. Unde et Christus non soli *ficui* infrugiferæ *maledixit*, Marc. 11, v. 14, sed et *reprobis hominibus*, Matth. 25, v. 41: *Discedite a me, maledicti.* Item maledictus omnis qui pendet in ligno (Deut. 21, v. 23, et c. 23, v. 4). Unde non est quod hic confugiamus ad locutionem indeliberatam, quasi hæc Jobi verba fuerint solius sensus aut affectus inferioris: nam etiam rationis et partis superioris verba esse constat ex prædeliberato exordio, totoque orationis decursu. Neque vero ex impatientia animi (ut quidam Hebræi, et hæretici nostri volunt) hic loquitur patientissimus Job, ut patet ex 1, 2, et ult. cap. sed ratio et pars animi superior laxat consulto habenas parti seu appetitui inferiori, ut dolor internus in verba et querelas erumpat, quibus tam amicis præsentibus, quam posteris omnibus testata fiat dolorum suorum et ærumnarum acerbitas, utpote quibus mortem, et ab utero carentiam vitæ longe præoptet. Ita Origenes (hic) Chrysostomus (in Caten.) Ambrosius (l. de Bono Mortis, c. 2) Hieronymus (in c. 20) Hilarius (in ps. 119) S. Thomas, Bonaventura, Scotus (in 4 dist. 50) et alii. Porro licere in efficaci volitione et conditionata desiderare *se natum non esse*, vel in genere *non esse*, dummodo absoluta et efficaci voluntate resignatus sis in omnem voluntatem Dei (ut erat Job) patet etiam ex ipsius Christi exemplo, Matth. 26: *Transeat à me calix iste.* Damnandis quoque melius esse, nunquam natos fuisse, de fide est ex Matth. 26, v. 24. Quidni possint etiam alii, qui multis magnisque ærumnis tum animi, tum corporis involvuntur, prudenter idem exoptare, si Dei voluntas ea fuisset? maxime, cum præstet nunquam fuisse, quam Deum, vel semel offendisse. Denique in genere melius esse homini mori, quam vivere, non soli Gentiles apud Herodotum (l. 1 de Solone et Crœso, et l. 7 de Artabano et Xerxe) et Ciceronem (in fine 1 Tuscul.) sed et SS. Patres, Cyprianus (de Mortalitate) Ambrosius (de Bono Mortis) Gregorius (hic) et alii docuerunt.

3. Pereat dies.] Pro, utinam periisset! nunquam fuisset! Est enim enallage temporum, Hebræis familiaris, quæ et in sequentibus frequens occurret.

5. Obscurent eum tenebræ et umbra mortis,] id est, densissimæ tenebræ, adeoque ipsa nocte et morte obscuriores. Nihil porro morte, seu mortuis obscurius, quia nihil amplius vident omnium quæ in mundo sunt.

Involvatur amaritudine,] id est, densissimis nebulis, tempestatibus ac procellis, quæ diem faciunt homini amarum. Pergit enim in carmine, poetice loqui de die præterita, quasi adhuc existente et præsente.

8. Maledicant ei qui maledicunt diei,] scilicet sibi infausto et infesto. Ut solent Æthiophes, qui juxta Atlantem Æthiopiæ montem habitant; hi enim, teste Herodoto, Plinio, Solino et Mela, solem, et dum oritur, et dum occidit, exsecrantur, eo quod nimio suo calore ipsos ipsorumque terras perdat: quasi dicat Job, illi potiori jure meum natalem diem, multo nocentiorem, maledictis prosequantur.

Qui parati sunt suscitare Leviathan.] Aquila, Symmachus, Theodotion vertunt *draconem*, nempe cetum magnum seu balænam, de qua infra cap. 40. Solent enim nautæ in maledicta proni, tum maxime in ea prorumpere, cum, expeditis magno molimine omnibus ad venandas capiendasque belluas illas marinas necessariis, turbo vel procella ex improviso supervenit, quæ omnia disjicit, discerpit et irrita reddit. Ita communiter Interpretes. Chaldæus non proprie, sed appellative exponit *Leviathan*, ut significet lamentationem seu luctum. Ita Aben Esra, Levi Ben Gerson, Kimchi, et fere Hebræi recentiores apud Pagninum et Vatablum. Et solent subinde in nostra Vulgata retineri nomina peregrina quasi propria, cum sint appellativa. v. g. Psal. 73, v. 15, *Fluvii Ethan*, id est, potentes et perennes: sic *Maran Atha*, *Racha*, *etc.* Unde putat Mariana hic alludi ad *planctores* et *planctrices*, quæ Festus Pompeius et Varro *Præficas* (Jerem. 9, v. 17) vocat, et *Leviathan* significare canticum exsecrationibus refertum; quod suscitari dicitur quando intonatur et canitur. Additque, proverbio Hebræis vulgari, prohiberi mulieri in dio festo *Leviathan suscitare.*

17. Ibi, post mortem, *impii* tyranni, cessaverunt a tumultu,] seu tumultuari, metumque et plagas aliis incutere.

Et requieverunt fessi robore,] id est, quorum robur et vires morbo vel labore exhaustæ fuerant. Est enim mors, vel Seneca teste, *portus æternæ placidus quietis*; et Sophocle, *extremus morborum medicus* (Plutarch. in consolat. ad Apollon.)

23. Cur data lux vitæ viro, cui circumdato miseriarum tenebris, abscondita est et inaccessa via,] qua possit ad lætam felicemque vitam pertingere.

26. Nonne dissimulavi,] etc., patientur ferendo omnia priora mala, quæ seu ab hominibus, seu a Deo mihi illata fuerunt cap. 1. Ita Chaldæus. Quæ ergo causa tam graviter me affligendi?

CAPUT QUARTUM.

Eliphaz arguit Jobum impatientiæ; conaturque ei persuadere, quod propter peccata sua flagelletur a Deo, qui nulli innocenti adversa immittat.

3. Manus lassas, id est, eos qui nimio labore, morbo, dolore, vel adversa fortuna fracti, tardius aut segnius officio suo fungebantur, opportunis monitis, aliisque remediis excitasti et roborasti.

6. Ubi est timor tuus.] Nempe filialis ille, quo Deum, præ rerum omnium jactura constanter timere, ejusque placitis acquiescere solebas?

9. Flante Deo,] seu naribus iram efflante, et immittente celerem vindictam. Solet vero *ira Dei*, comparari *spiritui* seu vento, tum ob facilitatem, inquit Polychronius: tum ob vehementiam et celeritatem, inquit Chrysostomus. Simile habes Exodi 15, v. 10. Porro

10. Per leonem, leænam et tigridem] potentes et tyrannos designat, qui cives et subditos suos deprædantur; sed tandem, Deo puniente, etiam ipsi ab aliis spoliantur, et non raro cum filiis fame quoque consumuntur.

12. Venas susurri ejus.] Hebraice, tenue quiddam et modicum ex eo, puta lenem sibilum vel aurem tenuem. Significat Eliphaz se quidem de lapsu angelorum accepisse divinum oraculum, sed clanculum, et valde occisum seu breve. Nam de divinis ac cœlestibus pauca novimus, et parvas subinde guttas, non integra pocula haurimus.

15. Cum transiret spiritus,] seu ventus, index et præcursor personæ Dei, per angelum legatum suum apparituræ. Sicut et Eliæ factum 3 Reg. 19, v. 12. Subdit:

17. Numquid homo, Dei comparatione justificabitur?] Hebraice, Deo justior erit, aut justior censeri poterit? quasi homo sit justus et innocens; Deus vero quia illum affligit, injustus et nocens.

18. Ecce qui in cœlesti palatio serviunt ei, nempe angeli, non sunt stabiles] in bono et justitia et virtute: tum quia non sunt, uti Deus, natura sua immutabiles: tum quia de facto plurimi cum Lucifero deflexerunt a bono ad *pravitatem*, ad insaniam, ad miseriam. Ita Symmachus vertit, et explicant Athanasius, Chrysostomus, Didymus et alii Patres Græci in Catena.

19. Quanto magis homines qui habitant domos luteas,] puta corpus e luto et limo formatum, Gen. 2. Et similem habes hominis periphrasin 2 Corinth. 5, v. 1.

Qui terrenum, seu ex terra, habent fundamentum,] vel basin, nempe corpus, quod quasi basis est animæ, vitæ, et hominis totius.

Consumentur velut a tinea.] Tum physice secundum corpus, corruptione intrinseca: tum moraliter secundum animam, concupiscentia, aliisque pravis motibus, quasi tineis animam arrodentibus, et in peccatum, et ratione peccati, in mille miserias homines pertrahentibus.

20. De mane usque ad vesperam, id est, quotidie et continuo, ab ipso primo vitæ exordio, donec perveniant ad vesperam, seu terminum vitæ, succiduntur,] id est, sensim ad mortem tendunt, imo *nascentes morimur*: et vita hæc potius mors longa est quam vita.

Et quia nullus impiorum id intelligit, per consequens nec providet, resipiscendo ac pœnitendo, in æternum damnati peribunt.

21. Qui autem reliqui eis fuerint, nempe posteri illorum, nihilo parentibus meliores cautioresve, etiam ipsi non in sapientia, sed in sua insipientia auferentur] e medio, et similiter æternum peribunt. His omnibus vult Eliphaz Jobo probare, nullius hominis seu naturam, seu justitiam plene stabilem ex se esse, hominemque variis ut vitiis, ita et casibus ac miseriis obnoxium esse; et, licet vitia seu peccata sua homo ignoret (ut mox dicet, Jobum sua ignorare) Deum tamen, cui omnia patent, latere non posse.

CAPUT QUINTUM.

Arguit Eliphaz Jobum iniquitatis, licet non omnibus, et nec ipsi forsan notæ propter quam a Deo flagelletur. Unde monet, ut supplex Deo fiat, veniamque precetur peccatorum; ita cuncta fore ipsi prospera exemplo aliorum Deo supplicum.

1. Voca ergo,] id est, si mihi ex Dei revelatione docenti, neminem innocentem plecti a Deo, necdum credis, ipsemet Deum, vel angelum, vel Sanctum aliquem invoca, ut contrarium, si verius sit, tibi revelet, ita S. Thomas, vel, si lubet, ex piorum numero saltem cita aliquem, qui contrarium seu verbo, seu exemplo suo nos doceat.

2. Vere stultum interficit iracundia, dum impatientia et cholera præfervida miser contabescit. Et parvulum mente, Chaldæus *insipientem*, occidit invidia,] q. d. Vide et tu, ne stulto similis stulta impatientia et invidia contabescas.

3. Firma radice,] id est, familia ampla, bene sana, et divitiis fulta.

Et maledixi pulchritudini ejus statim,] id est, male ominatus sum, et mala vertici ejus jam jam impendentia, ut prævidi, et prædixi. Simile Psal. 36, v. 35 et alibi.

4. Filii conterentur in porta,] id est, a judicibus et Magistratibus publica sententia (quæ in portis urbium ferre solebat) damnabuntur et supplicio afficientur.

5. Armatus,] nempe miles aut prædo.

6. De humo, seu terra, non oritur dolor,]

supple, sed ex peccato et prava voluntate. Unde S. Gregorius: *Nequaquam pœna de ea nascitur creatura quæ percutit, sed de ea quæ peccando vim percussionis extorsit.*

7. Homo nascitur ad laborem.] Non ad quietem vel gaudia, saltem in hac vita. *Quamobrem,* inquit, non obmurmurandum, sed patienter *deprecandus* et exorandus Deus, qui laborum et dolorum omnium portus est tutissimus, et asylum certissimum.

15. A gladio oris,] id est, a calumnia, quæ est quasi gladius anceps.

19. In sex, et in septima.] Hebraismus Poeticus, q. d. Etsi septies, id est pluries, in omne genus mala incidas, semper liberabit te. (Simile habetur Levit. 26, v. 28; Jerem. 15, v. 19; Eccle. 11, v. 2; Amos 1, v. 3; Prov. 30, v. 15, 18, 21. 29.) Septenarius enim in Scripturis plenitudinem et universitatem significat, teste S. August. (l. 11 de Civ. c. 31) Didymus, Anagogice, inquit, sex diebus hujus vitæ variis tribulationibus exercebit et eripiet te: et in septimo, seu Sabbato resurrectionis, impassibilitate et gloria æterna cumulabit te.

23. Cum lapidibus regionum pactum tuum,] id est, non lædent te lapides, seu quos nudis (ut olim solebant) pedibus calcas: seu qui superne decidui e montibus vel maceriis, periculum tibi creare possent. Non, inquam, lædent, perinde ac si pacto de non te lædendo, tibi obstricti essent. Nisi malis per lapides *scopelismum* cum Pineda intelligere, proprium Arabibus. De quo sic Ulpianus: *In Arabia* scopelismus *tale est crimen. Plerique inimicorum solent prædium inimici* σκοπελίζειν, *id est, lapides* in agro *ponere indicio futuros, quod, si quis eum agrum coluisset, malo letho periturus esset insidiis eorum qui scopelos posuissent; ita ut nemo deinde eum colere audeat* (Ulpianus l. *Sunt quædam* ff. de extraordinariis criminibus) q. d. Tibi, o Job, si Deo nitaris, ejusmodi scopeli non nocebunt.

24. Visitans speciem tuam, id est, speciosam, pulchram, splendidam familiam tuam, non peccabis,] superbiendo ex ea, vel vane confidendo in ea.

26. In abundantia] dierum et annorum, id est, in plena senectute morieris.

CAPUT SEXTUM.

Quæritur Job se longe graviora pati quam peccatis suis secundum legem Dei ordinariam promeritus sit, affirmans se tantos corporis animique dolores naturaliter non posse diutius perferre. Quæritur et se ab amicis deleri: ac nominatim tres istos, cum consolaturi ipsum venerint, jam prorsus contrarium præstare.

3. Quasi arena maris.] In Hebræo, Chaldæo, et LXX est, *præ arena maris*, q. d. Calamitas notabiliter gravior, appareret demeritis meis. Allegorice, Passio Christi infinite major fuit omni demerito nostro.

4. Sagittæ Domini, nempe plagæ, ulcera, vulnera: quarum indignatio, id est, acrimonia, vehementia, frequentia (nam hoc symbolum et signum est *indignationis* seu acris castigationis Dei, non ex odio, sed ex amore profectæ) ebibit spiritum meum,] id est, exhausit omnem animi et corporis mei vigorem.

5. Numquid rugiet onager, etc.] q. d. Nil mirum, vos non dolere, nec mihi condolere, sed instar ferorum et silvestrium asinorum, ne tangi quidem sensu aliquo mearum miseriarum, cum omnia vobis sint prospera.

6. Quod gustatum affert mortem.] Hebraice et chaldaice, *salivam albuminis ovi*, quæ prorsus insipida est. Sed optime Vulgatus per *salivam* metonymice *gustatum* (cujus præcipuum instrumentum est *saliva*) intellexit, et quidem *doloris*, aut *vulneris mortis*, seu lethalis, q. d. Ego multo justiore ratione horreo et gemo, qui non modo insulsum aut insipidum cibum, sed plane mortiferum dolorem, non jam summis labris gustare, sed omnino deglutire et penitus exhaurire cogor.

9. Solvat manum suam,] quæ jam quasi ligata, solum lente me vulnerat; dissoluta et libera percutiat me totis viribus, citoque interimat. Brevem enim mortem longæ morti præopto.

10. Nec contradicam sermonibus Sancti.] Quibus decernet et conabitur me simul et semel occidere: imo gratias agam pro celeri nece.

11. Ut sustineam,] seu diu sustinere possim, vires non adsunt.

Quis finis meus?] id est, quam longe adhuc distat mors, *ut patienter* illam exspectem? Nam ex tanta ægritudine naturaliter cogar cito morti succumbere.

13. Necessarii mei,] id est, amici proximi et intimi, quorum quia ope carere ægre possumus, *necessarii* merito vocantur. Pungit enim tres illos amicos, quod in se acerbiores eos experiretur.

16. Qui timent pruinam, irruet super eos nix.] Proverbium est, q. d. Qui minus incommodum immerito subterfugiunt, merito in gravius incurrunt. Sic amici mei qui me prætergrediuntur, ne vel tantillum malorum meorum sensum hauriant vel dolorem, forsan graviores molestias ferre cogentur. Nam instar *nivis* non in spissam massam collectæ, sed

17. Dissipatæ, nempe mutuis discordiis, peribunt: et ut incaluerint æstu et fervore divinæ indignationis et punitionis, subito solventur de loco suo,] id est, excident pristina gloria et felicitate.

18. Involutæ sunt semitæ gressuum eorum,] id est opera et negotia illorum implicantur multis peccatis, laboribus, molestiis, doloribus: ac tandem æterna damnatione involvuntur.

19. Considerate semitas Thema, itinera Saba. Id est, videte quam pauci amicorum meorum in *Thema et Saba* habitantium, ad me invisendum et solandum accurrant. Nempe, omnes pene victi pudore, et contemptu deterriti, fugiunt me et aversantur. Confusi sunt, quia speravi,] id est, puduit eos infelicis et abjectæ sortis meæ, necessitudinisque qua mihi adstringebantur, et opem ferre cogebantur, quam jure merito, sed frustra *speravi.* In Hebræo, Chaldæo et Græco est, *quia speravit*, supple, unusquisque eorum se lucrum ex me, gaudium, solatium et gloriam capturum: sed jam spe sua frustrati dolent, lugent, confusi sunt.

25. Quare detraxistis sermonibus veritatis.] Seu quare fidem denegatis verbis verissimis?

hebraice, *quare vim patientur verba mea?* Quod exponi potest; quare violenter irrumpitis in verba mea?

CAPUT SEPTIMUM.

Humanæ vitæ suasque in primis calamitates depingit: petitque a Deo tantis malis cito exsolvi.

VERS. 1. MILITIA EST VITA HOMINIS.] LXX, πειρατηριον, id est, *locus tentationis*, vel, si mavis, *exercitium piraticæ*, aut *locus piratis infestus*, q. d. Mille periculis, mille conflictibus, mille mortibus quotidie expositi sumus, sicut qui militiæ dant operam terra vel mari, innumeris undique hostibus cincti. Vide S. Gregorium.

ET DIES EJUS, seu vita tota continuis laboribus, molestiis, fatigationi obnoxia et adstricta est, SICUT DIES MERCENARII,] ad laborandum pretio conducti et obstricti. Sic enim paterno Adami et hereditario jure omnes adstringimur labori et dolori.

Unde 3. HABUI MENSES VACUOS] omni quiete et solatio, id est, tempora molestissima.

5. INDUTA EST CARO MEA PUTREDINE, id est, computruit: hebraice, græce, chaldaice, *caro mea scatet vermibus.* ET SORDIBUS PULVERIS,] hebraice, *ramentis scabiei*, seu furfuribus, qui corpore scalpto decidebant, alias impetigine et pruritu cutem ustulabant.

6. DIES MEI pristini, læti et prosperi, jam dilapsi et CONSUMPTI SUNT ABSQUE ULLA] humana SPE eos recuperandi. Quare ad te convertor, o Deus, qui omnia potes, et solus potes.

7. MEMENTO QUIA sicut VENTUS, sic cito transvolabit VITA MEA, tot malis jam pressa. Neque arte ulla vel industria, aut ope humana reddi possum pristinæ sanitati. Nec unquam deinceps felicem aut sanum ME ASPICIET VISUS HOMINIS.

8. OCULI TUI ergo IN ME] sint, id est, benigno vultu me aspice, o Deus, et cum decreveris me non liberare quibus premor doloribus, concede et indulge, cito vita defungar, et inter mortales diutius *non subsistam.*

12. NUMQUID MARE EGO SUM, AUT CETUS, quorum utrumque, ne terris noceant, CARCERE.] id est, littoribus, *circumdas* et coerces, quasi dicat: Adeone tibi, o Deus, videor ferus et noxius inter homines, ut instar insani maris, aut marinæ belluæ, debeam in corporis hujus ærumnosi carcere tot plagis, tot doloribus violenter deprimi, vinciri, compesci?

14. TERREBIS ME PER SOMNIA ET PER VISIONES.] Tum naturaliter (imaginibus diurnæ miseriæ noctu recurrentibus) tum per dæmonem (somnia terrifica fingentem, et phlegma et melancholiam commoventem) tum per incubum. Vide Chrysostomum et alios Patres in Catena.

15. QUAMOBREM ELEGIT ANIMA MEA, ET OSSA MEA, seu corpus meum, id est, ego elegi, SUSPENDIUM.] Hebraice, *strangulationem;* chaldaice, *suffocationem.* Sensus idem est, nempe, præopto mortem, quantumvis miserrimam maximeque infamem, vitæ tot doloribus refertæ.

16. DESPERAVI, non de beatitudine æterna (de qua nullus hic sermo) sed de vita et salute corporis, seu sanitate naturaliter recuperabili.

PARCE MIHI,] Deus, nec me tam diris cruciatibus torqueas, enixe rogo.

NIHIL ENIM SUNT DIES MEI.] Hebraice, et græce, *vanitas sunt* dies vitæ meæ reliqui, id est, paucissimi et brevissimi ex se sunt; quid ergo iis quasi accidendis, opus est tot tantisque cruciatibus et ærumnis?

17. QUID EST homuncio, QUIA MAGNIFICAS EUM,] seu tam magni eum facis, ut sicut antagonistam tibi opponas, cum quo quasi pari duello congrediaris, tela plagarum tuarum in pectus illius torquendo? *Ecce*, inquit Seneca, lib. de Provid. *par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus.*

18. VISITAS EUM DILUCULO.] Id est, initio demulces eum variis consolationibus et deliciis.

ET SUBITO, subtractis iis omnibus, *probare*, id est exercere, ILLUM] et tentare incipis mille afflictionibus, ut dixi v. 1.

19. UT GLUTIAM SALIVAM MEAM,] quam præ nimio pectoris æstu, et faucium siccitate, nec attrahere, nec transmittere possum, imo vix respirare possum. Putant aliqui, Jobum etiam queri de *asthmate* et *angina.*

20. PECCAVI, ut amici objiciunt, et libens agnosco. Sed, O CUSTOS HOMINUM, qui singulari providentia invigilas non perdendis, sed custodiendis hominibus; QUID FACIAM TIBI?] Id est, quomodo tibi satisfaciam juste ac plene pro admissis peccatis! Nam licet infinitas de me pœnas sumeres, tamen iis omnibus in rigore justitiæ tibi nunquam fieret satis, nisi accedat infinita tua clementia, qua mihi (intuitu meritorum Messiæ) ignoscas. Hæc enim ut in omni merito, sic et in omni satisfactione interveniat necesse est.

POSUISTI ME CONTRARIUM TIBI, seu antagonistam, ut dixi v. 17. Sed tantum abest, ego tibi resistendo sim aut ferendo ictus tuos, ut MIHIMETIPSI GRAVIS SIM,] id est, meipsum, measque ipse miserias, dolores et cruciatus ferre diutius non possim.

21. ECCE NUNC IN PULVERE DORMIAM, id est, in terram revertar et resolvar, ET MANE, seu cito, deprehendar mortuus, et NON] amplius in vita *subsistens.*

CAPUT OCTAVUM.

Baldad Suhites Jobum quasi impietatis arguit, monetque ad Deum et ad pœnitentiam se convertat: sic omnia illi prospera fore; cum Deus bona bonis, mala malis rependat.

2. SPIRITUS MULTIPLEX.] Hebraice, *validus;* græce, *multiloquus:* quo tanto verborum et rationum apparatu jactas innocentiam tuam, et quasi accusas clementiam et justitiam divinam?

3. NUMQUID DEUS SUPPLANTAT; hebraice, *corrumpit*, JUDICIUM.] An putas quod tui unius causa deflectet a justitia Deus, a qua nullius unquam causa deflexit?

4. DIMISIT filios tuos IN MANU, id est, in potestate, INIQUITATIS SUÆ.] Ut nempe scelera eorum eos condigna pœna punirent, et merita morte afficerent. Hic Baldad mitius cum Jobo

agere videtur, quam Eliphaz : iste enim peccatis ipsius Jobi; ille peccatis filiorum Jobi, adversa hæc omnia adscribit.

6. PACATUM REDDET,] id est, omni prosperitate beabit : Hebræis enim *pax* omnem prosperitatem designat.

9. HESTERNI SUMUS.] Pro, nuper seu recens nati sumus. Unde multa *ignoramus*, id est, experti non sumus.

11. NUMQUID VIRERE, seu crescere, POTEST SCIRPUS, seu juncus; LXX, *papyrus* : quæ planta est frequens in Ægypto, ut dixi Exodi 2, v. 5. Huic comparat *hypocritam*, id est, fictum cultorem Dei : insinuans, filios Jobi tales fuisse, ac proinde punitos merito fuisse.

14. NON EI, nempe Deo, PLACEBIT VECORDIA SUA,] pro ejus, hypocritæ, ut sequitur.

16. HUMECTUS scirpus seu juncus, VIDETUR initio, seu IN ORTU suo; hebraice, chaldaice, græce, *in horto suo*, bene virens et *germinans* : sed SUPER PETRAS radicatus, quia RADICES profundius jacere non potest, ideoque eas in superficie petræ CONDENSAT; hinc solis ardore statim exarescit, absorpto omni quo ante fovebatur humore : adeo ut *loco suo* prorsus excidat, possitque locus ei *dicere*, NON NOVI TE :] quia scilicet nullum tui superest vestigium. Sic impius hypocrita initio videtur florens et felix : at mox marcescit, et justo Dei judicio; *alii de terra germinantur*, et in locum ejus succedunt.

20. DEUS NON PROJICIET SIMPLICEM, seu justum et rectum : NEC PORRIGET MANUM MALIGNIS, id est, non juvabit, non roborabit impios adversus justum : supple, sed roborabit et stabiliet justum (et consequenter te quoque, si justus et simplex fueris) adversus quosvis alios adversarios : ditabitque bonis omnis generis : DONEC IMPLEATUR RISU OS TUUM,] id est, ad plenum usque risum et gaudium. S. Gregorius, anagogice per *risum*, intelligit jubilum proborum in die judicii : per *confusionem*, ignominiam improborum.

CAPUT NONUM.

Admittit Job, Deum per omnia justum esse, nec posse hominem convincere Deum injustitiæ, cum ipse, ut omnium Dominus, possit de omnibus pro libito disponere. Contendit tamen, Deum nihilominus percutere et affligere non solos impios (ut volebant amici) sed et innocentes : innocentiam deinde suam demonstrat, simul et afflictiones exaggerat.

5. ET NESCIERUNT HI QUOS SUBVERTIT,] id est, non præsciverunt, non præsenserunt hunc montium casum accolæ, quos Deus terræ motu vel diluvio, ob peccata sua subito involvit.

6. COMMOVET TERRAM,] non totam, sed partes aliquas, v. g. urbes, montes, insulas aliquas terræ motu concutiendo.

ET COLUMNÆ EJUS, seu fundamenta, id est, ima terræ, simili motu CONCUTIUNTUR,] nempe extraordinario, et cum placuerit Deo. Nam quod de naturali et continuo motu globi terrarum, docuere Pythagorici (teste Plutarcho in Numa et de placitis Philosoph.) Copernicus, et quidam alii, meras nugas esse docet Clavius noster (Clavius in c. 1. Sphæræ) et Scripturæ convincunt (Psal. 92, v. 1; Eccle. 1, v. 4). Semel terram totam conquassatam, et e centro divulsam fuisse, nempe in passione Christi, docet hic Didymus : et rursus in fine mundi sic concutiendam, non improbabile putat Cornelius a Lapide (A Lapide in Isaiæ 24, v. 18).

7. PRÆCIPIT SOLI, ET NON ORITUR.] Allegorice idem Didymus, uti etiam Athanasius et Olympiodorus in Catena hæc intelligunt de obscurato sole in passione Christi.

STELLAS CLAUDIT SUB SIGNACULO,] primum divinæ voluntatis et potentiæ suæ : dein etiam tempestatum et tenebrarum, quæ sunt externa signacula divinæ potentiæ. Solet enim in Scripturis *cœlum* comparari *libro*, cujus *characteres* sunt *stellæ*, *signaculum* sunt *tenebræ*, quibus nobis hic *liber* clauditur. *Extenditur* vero, cum sudum lucet, et stellatum prodit (Isaiæ 34, v. 4; Apocal. 6, v. 14).

8. GRADITUR SUPER FLUCTUS MARIS.] Metaphorice, id est, imperat maris fluctibus : sicut eques equo imperat cui insidet. Simili phrasi dicitur Deus *ambulare* aut volare *super pennas ventorum*.

9. ARCTURUM, ORIONA, ET HYADAS.] Tres has constellationes sat cuivis conspicuas vide in Sphæra Clavii vel aliorum Astrologorum.

PER INTERIORA AUSTRI,] intelligit absconditas et occultas *Australis* seu Antarctici poli constellationes, quæ solis Antipodibus nostris patent. Porro per hæc quatuor constellationum genera synecdochice intelligit omnes cœli stellas : atque in omnibus miram Dei potentiam sapientiamque deprædicat, nec *stellis* vult tribui *tempestates* aut *fatum*, sed ad *Deum* auctorem stellarum omnia vult referri. Sanctus Gregorius allegorice, per *cœlum* Ecclesiam vult designari, Apostolos vero per *Acturum*, seu *Booten*, qui circa *polum Arcticum*, post caudam ursæ majoris semper immotus versatur : unde et nomen habet Arcturi, quasi ab ἄρκτος, id est ursa, et οὐρά, id est cauda. A Cicerone (l. 2, de nat. deor.) vocatur Arctophylax, id est, ursæ custos, et, ut Plinius (lib. 18, c. 28) loquitur, vim ordinaria majorem et quasi divinam habet in ciendis tempestatibus ac procellis, quod optime in Apostolos quadrat. Per *Oriona*, nimbosum, hiemale et horridum sidus (inter Hyadas et Sirium, seu canem majorem) juxta frontem tauri ex triginta octo stellis compositum, vult tyrannorum persecutiones, et ex his prognata Martyrum agmina denotari. Per *Hyadas* (seu *Pleiadas*, ut habent LXX) septem stellas in capite tauri, indices pluviæ, nuntias veris (unde et *Vergiliæ* Latinis dicuntur) intelligi possunt *Doctores* Ecclesiæ, imbrem sacræ doctrinæ spargentes. Per *interiora austri*, occulti *Angelorum ordines*, et secreti *patriæ cœlestis sinus*.

11. SI VENERIT AD ME,] mihique benevolus adfuerit; *si abierit*, mihique malevolus defuerit : *non videbo*, *non intelligam*,] id est, non certo sciam, non certo mihi innotescet.

12. SI REPENTE INTERROGET.] Nempe raptum hominem (ut in Hebræo est) ad judicium : interrogatumque et convictum judicet ac puniat.

13. SUB QUO CURVANTUR QUI PORTANT ORBEM,]

id est, sub cujus immensa celsitudine humiliter se inclinant tum angeli, tum principes, seu boni, seu mali : nam hi sua sapientia, potentia et imperio, quasi manibus et humeris, orbem sustinent. Unde hebraice, princeps vocatur אדן *Adon*, id est basis : et græce βασιλεος, quasi βασις λάων, basis populorum.

16. NON CREDO.] Hebraice, *non credam.* Id est, non ero certus me exauditum esse. Facit et hoc ad explicandam Dei infinitam et inaccessam Majestatem.

17. TURBINE, id est, subita calamitate, CONTERET ME, ETIAM SINE CAUSA,] seu culpa (quod sciam) a me data.

20. SI JUSTIFICARE ME VOLUERO,] id est, si dicam, me nullum unquam facere peccatum, et me per omnia justum esse atque innocentem, mentiar profecto, et *os meum* hoc præsumptuose jactans, arguet me, et exosum ac *damnabilem* coram Deo faciet, quasi dicat : Sunt occulta peccata, quæ pœnas semper merentur.

23. NON DE POENIS INNOCENTUM RIDEAT,] id est, non tam lentis longisque pœnis hominem sibi amicum exagitet, perinde ac si illis oblectaretur et gauderet; ut pulchre docet Tertullianus (in Scorpiaco c. 7) illum eximie gaudere patientia justorum, et ipsis tanquam pilis ludere, sed ipsorum lucro nec cessare, quantumvis hic lusus ipsis molestus accidat.

24. TERRA DATA EST a DEO IN MANUS, seu potestatem, IMPII, id est, diaboli et ministrorum illius. Hic impius VULTUM JUDICUM terræ OPERIT,] id est, excæcat judices, ut perverso ordine bonos deprimant, malos attollant, quasi dicat: Hæc causa est afflictionis meæ et perturbationis bonorum. *Quod si* impius *ille non est* horum causa ; dic *ergo quis* sit causa.

26. PERTRANSIERUNT QUASI NAVES POMA PORTANTES, seu vehentes ad nundinas. Tales enim naves concitatissimæ sunt, tum ne poma putrescant : tum ne ab aliis mercatoribus præveniantur. Addunt LXX : *Quæ nullum sui vestigium relinquunt.* Tales enim sunt anni nostri.

27. CUM DIXERO, seu animo proposuero, vestris obsecutus consiliis : NEQUAQUAM ITA LOQUAR] amplius, id est, non plangam amare, non conquerar de miseria. Frustra id est. Nam quo magis comprimo intus *dolorem*, tanto magis *torqueor*, adeo ut et vultus meus notabiliter immutetur. Atque ita quod verbis sileo, facie prodo : nec minuitur hac via, sed augetur dolor. Solatium enim est miseris posse flere et plangere. Nam (ut medici et experientia docent) dum dolet homo, excitatur spiritus vehemens in præcordiis ; qui si intus comprimatur, auget angustias et dolores.

29. SI ET SIC IMPIUS SUM.] Id est, si post tam serium totius vitæ conatum, post constantem timorem Dei, adhuc impius sum, judicor, et ut talis punior (uti vos vultis) merito sane lamentari possum, quod tota vita *frustra laborarim.* Neque tamen me jacto quasi prorsus innocentem coram Deo ; quia quantumcumque me lateant meæ sordes, te tamen, o Deus, nulla ex parte latere possunt : unde

31. SORDIBUS INTINGES ME, id est, intinctum ostendes, justo et incorrupto judicio tuo : adeo ut ET VESTIMENTA MEA ABOMINENTUR ME,] seu abominabilem ostendant. Id est, etiam foris et palam aliis omnibus appaream abominabiliter sordibus. Metaphora est a vestimentis desumpta, quæ corporis scabiem et saniem, cui tegendæ adhibentur, infectione sua produnt et palam faciunt.

33. PONERE MANUM SUAM IN AMBOBUS,] id est, instar judicis utrumque, nempe Deum et me, reprehendere, apprehendere, dijudicare, et coercere, q. d. Altior et potentior est Deus, quam ut vel a me, vel ab alio quopiam possit in litem aut judicium trahi : sed omnes ipsius tribunali et judicio subjacent, et ipsum tanquam supremum Dominum merito timent et pavent. Absque quo *pavore* esset, auderem ex testimonio conscientiæ pro mea innocentia aliquid Deo *respondere.*

CAPUT DECIMUM.

Leniendo nonnihil dolori vias omnes tentat Job; lamentatur, plangit, causas inquirit. Securus de sua innocentia, certus de divina justitia, se conjicit in sinum ejus misericordiæ : sed propter exuberantiam dolorum mallet se nunquam natum fuisse. Vivum est exemplum luctæ carnis et spiritus : partis inferioris et superioris.

1. DIMITTAM ADVERSUM ME ELOQUIUM,] id est, loquar libere et conquerar contra meam miseriam, spero id mihi fore aliquando levamini.

2. CUR ME ITA JUDICES.] Metonymice pro *punias.*

3. NUMQUID BONUM TIBI VIDETUR, SI CALUMNIERIS ME, ET OPPRIMAS ?] id est, per calumniam opprimas, id est, injuste mecum agas ? q. d. Minime hoc tibi placet : alienum id a tua bonitate, sapientia et clementia. Unde mox vias omnes injustitiæ, quibus terreni judices corrumpi solent, a Deo amolitur. Optat ergo vel sibi insonti parci ; vel certe significari, quam ob culpam, vel quo fine, quo fructu sic exerceatur.

4. NUM OCULI CARNEI TIBI SUNT,] ut specie externa decipi possis, ut solent homines in judicio ?

5. NUM SICUT DIES HOMINIS,] qui successive per partes, et post longa demum tempora veritatem cognoscunt, et de statu causæ certiores fiunt ?

7. CUM SIT NEMO, etc., id est, cum scirem certissimo neminem manus ultrices tuas vel oculos tuos evadere posse; timore tui deterritus, NIHIL IMPIUM EGI.

9. MEMENTO QUOD SICUT LUTUM FECERIS ME,] id est, miserere fragilitatis et vilitatis meæ ; sum enim quasi fictile vasculum tuum, brevi *in pulveres* redigendum.

10. SICUT LAC MULSISTI ME, ET COAGULASTI,] nempe in utero matris meæ. Nam ut Plinius (l. 7, c. 15) et medici docent, semen mulieris est instar lactis album, liquidum et diffluens : sed accedente virili semine, calore illius quasi coagulatur, consolidatur, et concrescit ut fiat embryo.

12. MISERICORDIAM TRIBUISTI MIHI, id est, misericorditer mecum egisti, mihique benefecisti, conservando me in vita, nutriendo, pie educando. Nam VISITATIO TUA,] id est, suavitas et

blanda providentia, quam semper habuisti mei, conservavit mihi vitam.

14. Si peccavi, pro, si peccata pristina sunt causa hujus meæ afflictionis, et ad horam pepercisti mihi, id est, ad hoc usque tempus distulisti punire illa mea peccata; cur jam saltem, quando id tam obnixe precor, non mundas me ab illa iniquitate, ut sic tollas et causam plagarum, et simul ipsas plagas?

16. Propter superbiam, quasi leænam capies me, id est, videris me, sicut leænam insectari, et ut superbum, crudelem, rapacem exagitare. Reversusque, id est, iterum atque iterum, mirabiliter me crucias,] plagam plagæ superinducendo. Simili hebraismo *verbum* pro *adverbio* ponitur psalmo 84, v. 7. *Conversus*, id est iterum, *vivificabis nos.*

17. Instauras testes tuos, nempe flagella tua et *plagas*, ut vertit Pagninus: nam hæ testes videntur iræ divinæ. Et pœnæ militant in me. Hebraice, vice exercitus sunt adversum me, q. d. Ilias malorum et pœnarum in me incurrit, et aliæ aliis denso agmine succedunt, uti solent in conflictu milites integri succedere fessis. Quare et ego fessus enixe rogo, v. 20. Dimitte me,] et aliquid indulge quietis ut respirem nonnihil.

21. Non revertar ad hanc vitam, sed vadam ad terram tenebrosam,] secundum *corpus*, in sepulcrum: secundum *animam*, in limbum. Poetice describi regionem *mortis*, quæ vulgi opinione, tenebris, miseriis et horrore scatet, *neque ullus* ibi *ordo*, cum neque ex ætate, neque ex censu, neque ex pietate, neque ex scientia, neque ex eloquentia, neque ex ullo certo capite citemur.

CAPUT UNDECIMUM.

Sophar, tertius amicorum, multa recenset peccata, quorum reum facit Jobum, et causas esse dicit afflictionum illius: spondet tamen resipiscenti prospera omnia et secunda.

4. Purus a mendacio et peccato, id est verax, est sermo meus.

6. Multiplex lex ejus, id est, multa exigens, multa præscribens, multis rationibus fulta, multum obligans: ac proinde multis quoque modis in eam peccatur. Et multo minora exigaris,] id est, justo minus puniaris, ab eo.

13. Tu autem firmasti, seu obfirmasti cor tuum, id est, obduratus manes in tua superbia, et expandis sic manus ad Deum.] Quid mirum si ab eo non exaudiaris? Ubi contra, si humillime pœniteas.

17. Meridianus fulgor, seu plena prosperitas, consurget tibi ad vesperam, elapso jam æstu calamitatum, et orieris ut lucifer,] id est, illustrior et lætior ipso lucifero. Hæc enim stella utramque repræsentat fortunam; adversam, cum sequitur solum occidentem; prosperam, cum præcurrit orientem.

18. Et defossus, id est, etiam defodiaris in terram, vel in lacum conjiciaris leonum, securus dormies,] spe opis divinæ. S. Thomas, Dionysius, Lyranus et Titelmannus cum plerisque aliis, id exponunt de sepulcro et morte, q. d. Etsi jamjam moriendum tibi: vel, etsi mortuus, tutus eris.

19. Deprecabuntur faciem tuam,] id est, eris in maxima dignitate et auctoritate apud omnes.

20. Spes impiorum abominatio animæ] id est, *anima* impiorum in fine *opem* suam quam habuit, *abominabitur*, quando videbit, illam fuisse vanissimam, et fallacissimam, prout graphice describitur Sapientiæ 5, v. 6.

CAPUT DUODECIMUM.

Job ut amicorum retundat jactantiam, ostendit, jam pridem sibi perspecta ea omnia quæ de Deo proferebant. Sed vicissim divinam illis vindictam minatur, quod justo insultent, et simplicem rideant. Extolllit deinde divinam potentiam, sapientiam et providentiam in universi gubernatione.

5. Lampas, etc. Id est, vir justus miseriis oppressus revera est lucerna ardens et lucens, sed contempta a divitibus superbis: parata tamen ad tempus statutum,] id est, ut statuto tempore judicii exaltetur, honoretur, et inter filios Dei æternum collocetur, Sapient. 5, v. 2. Quod S. Gregorius pulchre hic declarat.

7. Jumenta docebunt te,] nempe Dei bonitatem, sapientiam, providentiam.

11. Auris verba dijudicat, et fauces saporem,] q. d. Ut externo sensu statim percipiuntur sensibilia: sic intellectu, si quis velit attendere, facile capiuntur intelligibilia nempe Dei opera, et operum auctor Deus, maxime in adulta ætate, ut sequitur. Agebat enim jam tum Job annum vitæ 70. ut dixi in Chronico, c. 16.

13. Sapientia, fortitudo, consilium et intelligentia.] Quatuor sunt equi, qui currum triumphalem divinæ providentiæ trahunt: ante quem currum captivi in triumphum aguntur, et toti mundo spectandi ridendique proponuntur superbi *consiliarii*, injusti *judices*, impii *reges*, inglorii *sacerdotes*, de quibus in versibus sequentibus. Vide S. Chrysost. Ambros. Augustinum.

17. Consiliarios, seu viros prudenter, adducit in stultum finem, ut consilia dent vel fatua; vel quorum exitum reperire non possint: et judices in stuporem,] id est, stupidos facit, et aliis stupori ut sint, ob infelicem eorum sortem, quam subeunt. Exemplo sit Achitophel 2 Reg. 15, v. 31 et alii de quibus Isaias c. 19, v. 11: *Stulti consiliarii Pharaonis.*

18. Balteum regum dissolvit, id est, gloriosam potestatem qua alios vinciebant et premebant, aufert Deus a regibus: Et præcingit fune renes eorum,] id est, facit ut loco baltei, funibus in carcere vinciantur, vel in triumphum, vel ad mortem trahantur. Et his talius *balteus* vere est *bullateus*: nam à bullis affixis *balteum* nomen traxisse docent Varro et Pierius (In hieroglyph. Bullæ.)

20. Commutans labium veracium,] puta Prophetarum et doctorum: non quod Deus iis suggerat aut inspiret falsitatem, ut Beza, et alii Calvinistæ blasphemant: sed quia permittit, cum impedire posset: deserit, cum juvare posset: occasiones erroris objici sinit, etc.

ut dixi sæpe alibi. Simili modo dicit v. 24. Deum *decipere principes.*

21. EFFUNDIT DESPECTIONEM SUPER PRINCIPES,] id est, reddit maxime despectos et contemptibiles.

22. UMBRAM MORTIS,] id est, densissimas tenebras commutat *in lucem* splendidissimam.

22. UT FRUSTRA, nullo suo bono, sed maximo malo, INCEDANT PER INVIUM,] id est, per loca ignota, periculosa, exitialia. Sicut deceptus fuit *Pharao,* ut intraret, *mare Rubrum,* Exodi 14. Vide Isaiæ 29, v. 9.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

Ejusdem argumenti est cum cap. præcedenti : nisi quod hic fortius urgeat Job suam innocentiam : rogetque Deum, dignetur sibi aperire, propter quæ peccata vel alias causas tam graviter affligatur.

3. DISPUTARE, seu rationibus agere CUPIO, non vobiscum qui in multis fallimini, sed CUM DEO,] qui infallibilis est veritatis.

7. DOLOS,] id est, falsas calumnias, quibus fingitis, Deum me pro solis peccatis meis tam acerbe affligere, q. d. Putatis Dei bonitatem et justitiam non aliter a vobis defendi posse, quam si me innocentem calumniemini ?

8. FACIEM EJUS ACCIPITIS,] non causam, sed personam respicientes, ut solent iniqui judices, qui contra innocentem pronuntiant pro eo qui, et quia potentior et honoratior est. Ita sane facitis, sed

10. IN ABSCONDITO, id est, tecte, latenter, fraudulenter : nam ut videamini favere Deo (quem timetis et suspicitis propter infinitam potentiam) causam et judicium meum subvertitis. Cujus rei non alium volo testem, quam ipsum Deum : qui suo tempore vos ARGUET et puniet.

14. QUARE LACERO CARNES MEAS ?] id est, quænam est causa, quod ita ululem et plangam, et mortem optando rogandoque, videar vobis instar furibundi dentibus meipsum discerpere velle. Est ergo metalepsis.

ET ANIMAM, seu vitam MEAM PORTO IN MANIBUS MEIS, quasi illius prodigus et pertæsus, illam cuivis rapiendam exponam, q. d. Causa cur hæc faciam, non est *impatientia* vel *desperatio,* ut vos putatis. Nam ut sequitur, ETIAMSI OCCIDERIT ME, IN IPSO SPERABO,] id est, etiam in media morte spem certam fovebo, et cum Abrahamo, contra spem naturæ, in spem gratiæ credam. HAC TAMEN spe non obstante, VIAS MEAS IN CONSPECTU EJUS ARGUAM,] id est, Deo qui falli non potest, probare conabor vitam meam honestam et probam fuisse. Patet ex v. 16. sequenti.

17. ÆNIGMATA MEA.] Hebraice, elocutiones, propositiones meas, quæ vobis videntur obscuræ quasi *ænigmata.*

19. QUI JUDICETUR MECUM,] id est, qui sententiam æqui judicis una mecum subeat. Hebraice, qui litiget mecum, coram judice.

QUARE TACENS CONSUMOR ?] id est, cur instar rei et probati nocentis sileam, et sic moriar ? et non potius innocentiam meam quibus potero viis aperiam et defendam ?

23. QUANTAS HABEO INIQUITATES ?] id est, quot, qualia, quam gravia admisi delicta ?

24. CUR FACIEM TUAS ABSCONDIS ? cur detrectas intueri me, et respondere mihi ? Nam si nossem delicti mei gravitatem, subito etiam mihi innotesceret æquitas pœnæ pro illo mihi inflictæ. Sed jam ex silentio tuo videor merito colligere posse, vel nullum esse delictum meum, vel admodum leve, saltem impar tantis pœnis. Nihilominus, ARBITRARIS ME INIMICUM TUUM,] id est, sic tractas et exagitas me, ac si essem juratus tibi hostis. Sed pugnas

25. CONTRA FOLIUM,] q. d. Indignum hoc tua majestate et potentia, ut manus conseras cum tam imbelli antagonista, folio et stipulæ potius comparando quam robori vel cedro.

26. SCRIBIS ENIM, more forensi, hoc est, instar judicis, de scripto data sententia, pronuntias et decernis AMARITUDINES, id est, amaras pœnas et mulctas. ET CONSUMERE, seu perdere, ME VIS PECCATIS ADOLESCENTIÆ MEÆ,] id est, ob peccata jam pridem commissa, sed longa pœnitentia, prolixisque operibus bonis plene, ut putabam, compensata.

27. POSUISTI IN NERVO, id est, in compedibus, in cippis, PEDEM MEUM.] Nervus enim est lignum magnum quo pedes vinctorum stringuntur. Sic metaphorice vocat Job suas afflictiones et dolores, quibus secundum corpus et animam stringebatur.

OBSERVASTI,] hebraice, *Custodisti,* seu quasi custode apposito exploras quidquid ago. Periphrasis est arctissimi carceris, et strictissimæ custodiæ.

CONSIDERASTI, Hebraice, notasti, et circumscripsisti, VESTIGIA MEA,] ne scilicet loco vel tantillum moveri possim.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

Fragilitatem deprædicat humanam, simulque divinam erga miseros providentiam : maxime quod post hanc vitam ærumnosam concedat alteram felicem, adeoque et corporum quoque resurrectionem.

4. QUIS POTEST FACERE MUNDUM DE IMMUNDO, supple Adamo, vel, ut Noster supplevit, SEMINE CONCEPTUM ?] Non quod semini insit aliqua qualitas quæ sua contagione animam inficiat, ut voluit Tertullianus; sed *causaliter* dicitur *immundum semen,* quia eo ipso quo causa est generationis hominis, facitque ut hic infans sit filius Adæ, censetur etiam causa immunditiæ originalis, quæ propria est filiis Adæ. Vide Scholasticos in 1. 2. LXX quos passim citat et sequitur Cyprianus, Leo, aliique plurimi Patres, legunt : *Quis mundus erit a sorde ? Nullus, etsi unicus dies vita ejus in terra,* q. d. Miserere hominis tam miseri, ut peccati reus sit prius quam natus : unde nec a seipso, nec ab alia creatura, sed a te solo juvari, liberari et purgari potest.

6. RECEDE PAULULUM, id est, intermitte nonnihil cruciare et torquere miserum : DONEC VENIAT OPTATA DIES mortis, et quæ consequitur *vitæ æternæ,* qua fesso et laboribus doloribusque fracto dabitur et requies, et laborum merces, ut *mercenario.* Ita Chaldæus et LXX.

8. EMORTUUS TRUNCUS,] ut apparet exterius, quia foliis spoliatus et aridus, rursum *germinare* incipit.

9. AD ODOREM,] seu ad tactum et attractum aquæ. Est catachresis et enallage sensuum.

10. HOMO MORTUUS UBI QUÆSO EST?] q. d. Nusquam in mundo comparet, sed putrefactus in terra jacet.

12. NON RESURGET ad hanc mortalem vitam, DONEC ATTERATUR; hebraice, prætereat vel pereat, COELUM,] nempe secundum qualitates suas, id est, non ante extremum judicii diem.

13. IN INFERNO PROTEGAS ET ABSCONDAS ME. Id est, in loco et statu mortuorum, nempe *in limbo*, fac degam liber et procul ab his miseriis, quas *furor tuus* jam *transiens* et sæviens in me immittit. Ibi CONSTITUAS MIHI TEMPUS, nempe diem resurrectionis, QUO MEI RECORDERIS,] meque resuscites ad vitam meliorem. Ita Gregorius, Chrysostomus et alii in Catena.

14. PUTASNE MORTUUS HOMO RURSUM VIVAT? q. d. Supra naturam hoc est, et videtur incredibile. Tamen fide certo id credo: unde continuo EXPECTO MEI IMMUTATIONEM,] puta per gloriam animæ et corporis.

15. VOCABIS ME divino imperio et nutu tuo, quum tibi placuerit: ET EGO RESPONDEBO TIBI, non tam voce, quam reipsa tibi parendo, et ad jussum et imperium tuum statim resurgendo: non meis viribus aut meritis, sed tua potenti *dextera* et consueta misericordia, quam de more PORRIGES OPERI MANUUM TUARUM,] id est, creaturæ tuæ, illam ex mortuis erigendo et excitando.

17. SIGNASTI, id est, obsignata et recondita habes in memoria tua, QUASI IN SACCULO, peccata MEA, SED, ut confido, jam CURASTI] ea, remittendo et ignoscendo, propter pœnitentiam quam egi.

19. ET HOMINEM ERGO PERDES,] q. d. Si montes et lapides tam duri, tam solidi, tamen naturæ mutabilitate paulatim pereunt; quid mirum si fragilis homo cadat?

20. ROBORASTI EUM, id est, hac lege vitam homini et robur das, UT IN PERPETUUM TRANSEAT, id est, ut perpetuis alterationibus continuo immutetur, ac tandem moriatur, et ex hac vita in aliam *emittatur*: quod facillimo negotio curas, nempe IMMUTANDO FACIEM EJUS,] id est, inducendo vultui ejus, adeoque toti corpori, alium colorem puta pallidum, cinericium et cadaverosum.

22. ANIMA ILLIUS SUPER SEMETIPSO LUGEBIT,] id est, ex omni eo quod in se sentit, dolorem hauriet et mœrorem, quamdiu hæc misera vita durabit. Unde vitæ tam miseræ, tam molestæ, merito præeligo mortem quietam.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

Eliphaz arguit Jobum superbiæ, impatientiæ et blasphemiæ in Deum, in cujus oculis dicit neminem mundum aut innocentem inveniri. Describit deinde impiorum hypocritarum multiplicem nequitiam, terrorem, pœnam et maledictionem.

2. NUMQUID SAPIENS, qualis esse et videri vis, RESPONDEBIT QUASI IN VENTUM LOQUENS?] id est, pro seriis reddet vana et impertinentia responsa? idque cum *ardore* seu ira *stomachi*, id est, mentis et animi, *sui?* Sicut enim stomachus concoquit et digerit cibum, sic mens meditatur, ponderat et designat verba et discursus.

4. TULISTI de medio, vel sustulisti, PRECES,] quia non vis Deo supplex fieri, sed audacter cum eo disceptas, quasi qui innocentes opprimat. Hinc tollis divinam justitiam, et consequenter *evacuas* ejus *timorem* et cultum.

11. GRANDE,] id est, difficile.

12. QUID ATTONITOS, elatos, tumidos, HABES OCULOS,] ut solent attoniti?

15. INTER SANCTOS EJUS, id est, angelos, NEMO est IMMUTABILIS per se ex natura sua. ET COELI NON SUNT MUNDI,] quia polluti peccatis dæmonum, quos proinde velut sordidas fæces expuerunt. Vel metonymice cum Chaldæo, *cœli* pro angelis cœli incolis, non sunt mundi comparatione divinæ munditiei. Quia, ut recte Dionysius, lux omnis et mundities creata, comparata increatæ, non videtur esse lux, sed solum umbra lucis. Et hoc sensu dicebat Christus: *Nemo bonus nisi unus Deus.* Marci 10, v. 18.

16. Sicut AQUAM copiosissime et avidissime sine sensu aut metu mali haurit sitiens et febri æstuans æger, sic HOMO peccator concupiscentiæ siti accensus, BIBIT INIQUITATEM] largissimo haustu, maxima copia, nullo obstaculo, nullo sensu mali, nullo metu pœnæ, summa animi voluptate, inquit S. Gregorius.

18. NON ABSCONDUNT PATRES SUOS,] id est, citant auctores suæ assertionis et meæ, majores suos, q. d. Est traditio antiquorum patrum, quod dicturus sum v. 20 et sequentibus, nempe quod soli impii et tyranni affligantur a Deo. Videtur alludere ad Abrahamum et Isaacum, et illis coævos patres.

19. QUIBUS SOLIS DATA EST A DEO TERRA, nempe certa promissione. ET NON TRANSIVIT ALIENUS PER EOS,] id est, nullus unquam hostis prævaluit eis, q. d. Tam sapienter et fortiter omnia administrarunt, ut nemo eis nocere potuerit; unde merito credere debemus illorum tam sapientum monitis et instructionibus.

20. SUPERBIT. LXX, *est in curis;* hebraice, *parturit*, seu instar parturientis est in magnis angustiis: vel ob hoc solum, quod tempus TYRANNIDIS EJUS, sit *incertum*, timeatque omni momento præcisum iri.

21. SONITUS TERRORIS,] strepitus vel levissimus folii vento concussi terret miserum. Quod si de facto subinde in *tenebras* seu calamitates incidat, tam vili et abjecto est animo, ut mox desperet.

22. NON CREDENS QUOD REVERTI POSSIT AD LUCEM, seu felicem statum: CIRCUMSPECTANS UNDIQUE GLADIUM,] quasi e seta equina supra caput pendulum, ut aiebat Siculus tyrannus Dionysius.

23. CUM SE MOVERIT AD QUÆRENDUM PANEM, id est, cum omnibus ingenii et industriæ viribus, corraserit undique sibi suæque familiæ necessaria, et spoliis etiam vi extortis abundet; NOVIT tamen, et certo sibi persuadet, QUOD PARATUS SIT IN MANU EJUS TENEBRARUM DIES,] id est, quod proxime sibi instet dies exitii.

26. PINGUI CERVICE,] id est, arrogantia et obstinatione in malo. Hæc enim sola duo pariunt divitiæ tyrannis cum pinguedine et gula;

et his solis armis utitur tyrannus adversus Deum.

30. NON RECEDET DE TENEBRIS, id est, non evadet miserias. Quin et RAMOS, id est, proles ejus, AREFACIET FLAMMA,] et absumet ignis tribulationis.

ET AUFERETUR SPIRITU ORIS SUI.] Hebraice, ejus, puta flammæ, vel *Dei*, q. d. Levi flatu tribulationis, vel solo imperio Dei tolletur de medio.

34. CONGREGATIO ENIM HYPOCRITÆ STERILIS] est. Id est, quidquid congregat impius, proles, opes, potentia, dignitates, evanida ipsis sunt omnia nec duratura. Porro insinuat Eliphaz hæc ipsa omnia in Jobum quoque quadrare, qui cum impius sit (ut colligit ex pœnis quibus a Deo punitur) velit tamen pius haberi et justus.

35. UTERUS EJUS,] id est, animus, seu mens parturiens semper impias inventiones.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

Job amicis reponit, si suo loco essent, secus locuturos. Explicat sigillatim morbos et miserias quas patitur citra meritum suum

3. NUM ALIQUID TIBI MOLESTUM EST SI LOQUARIS,] q. d. Nulla molestia, nullo labore effutis temere quidquid in buccam venit.

4. UTINAM ESSET ANIMA VESTRA PRO ANIMA MEA,] seu, utinam vos essetis meo loco! non quod optem id vobis : sed, si ita contingeret.

5. MOVEREM CAPUT MEUM SUPER VOS,] LXX, cum planctu : nempe ex compassione. Nisi malis per mimesin hæc dici, q. d. Simili modo quo vos nunc me, ego tunc vos irridere possem, præ me ferendo verbis compassionem, sed revera subsannando. Ita Chrysostomus.

6. QUASI PARCENS VOBIS,] id est, quasi levans et minuens vestrum dolorem.

8. OMNES ARTUS MEI, hebraice, *omnis congregatio mea*, quod quidam de *familia* exponunt : sed Noster de *membrorum collectione* accepit, IN NIHILUM REDACTI SUNT.] Hyperbole, pro viribus destituti sunt, ulceribus et doloribus exesi sunt.

9. ET SUSCITATUR FALSILOQUUS,] q. d. Et cum his omnibus malis, etiam amici falso me accusant. Allegorice, quadrant hæc omnia in Christum patientem, cujus figura erat Job.

13. TENUIT DEUS CERVICEM MEAM, sicut tenet miles cervicem gallinæ, et intorquens illam CONFREGIT ac dispersit ME, POSUIT ME SIBI QUASI IN SIGNUM,] seu scopum, in quem omnia sua tela conjiciat. Simile habes Threnorum 3, v. 12. Ita S. Augustinus et Gregorius.

14. EFFUDIT VISCERA MEA.] Hyperbolice designat dysenteriam.

19. TERRA, NE OPERIAS SANGUINEM MEUM,] id est, ne occultes afflictionem et miseriam meam, qua consumitur sanguis meus et vita mea, q. d. Velim cœlo et toti mundo notam esse calamitatem meam et causam meam : ut sic constet de mea innocentia. Ita Chrysost. Polychronius, Olympiodorus, qui etiam hoc referunt ad appetitum justæ de hostibus vindictæ (Genes. 4, v. 10). S. Gregorius refert allegorice ad sanguinem Christi, *melius clamantem* quam *Abel*, nempe misericordiam, non vindictam.

21. AD DEUM STILLAT OCULUS MEUS,] id est, cum lacrymis clamo.

22. UTINAM JUDICARETUR,] seu, utinam posset judicio contendere, seu pari jure litigare! q. d. Possem facile meam causam probare et justificare.

23. ECCE ENIM BREVES ANNI mei jam TRANSEUNT] et finientur. Id est, instat mihi mors. Unde opto, ad mei memoriam, et exemplum aliorum, publicam meæ innocentiæ probationem et sententiam, quæ etiam mihi in divino tribunali, cui jam sistar, usui esse possit.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

Ex ærumnarum magnitudine et multitudine certam sibi mortem imminere præsagit : unde amicos increpat, qui bona præsentis vitæ pro præmio toties pœnitentiam inculcarent. Mavult enim quietem vitæ futuræ.

1. SPIRITUS MEUS vitalis paulatim ATTENUATUR] et minuitur, et sensim ad mortem tendo.

3. PONE ME JUXTA TE,] hebraice, *pone fidejussionem meam tecum*, id est, fide jube, seu promitte, quod apud te, et non apud homines, causa mea agetur, et tuo, non humano judicio causa definietur. Tum neminem timebo.

4. COR EORUM, nempe impiorum quorumcumque, contra quos pugnare paratum me dixi, LONGE FECISTI A VERA DISCIPLINA,] seu scientia, id est, relinquis eos in illa sua cæcitate, qua putant neminem a te affligi, nisi qui te graviter offenderit.

5. QUI PRÆDAM POLLICETUR SOCIIS (sicut vos mei amici fecistis, qui non tam ad solandum me, quam ad reliquias spoliorum meorum advolasse videmini) OCULI FILIORUM EJUS DEFICIENT] miseriis et morte.

6. EXEMPLUM SUM.] Hebraice תופת *Topheth*, quod Chaldæus et Pagninus vertit, *vallem Ennon*, seu *gehennam*, de qua dixi 4 Reg. 23, vers. 10. Græce est γελως, id est, *risus*, seu ludibrium, q. d. Factum sum fabula vulgi, et abominatio amicis meis, sicut ipsa gehenna.

8. SUPER HOC quod mihi innocenti et justo tantæ obvenerint miseriæ, et tamen me tam fortiter ac constanter gesserim adversus omnes impiorum et dæmonum insultus ; STUPEBUNT JUSTI, seu mirabuntur pii posteri, ET INNOCENS CONTRA HYPOCRITAM SUSCITABITUR,] id est, erigentur pii ut simili modo sese impiis opponant.

Nota *impios* hic passim vocari *hypocritas*, quia ut plurimum tales sunt : nam licet mali sint, volunt tamen et student videri boni.

9. MUNDUS MANIBUS ; seu piis manuum operibus, ADDET FORTITUDINEM,] q. d. De virtute in virtutem fortiter procedet : et quanto ab hypocritis magis ridebitur aut tentabitur, tanto ad bene agendum magis invalescet. *Gaudet* enim *patientia duris :* iisque ut cote acuitur, teste Apostolo Rom. 5, v. 3.

10. CONVERTIMINI,] nempe huc ad me, et ad verba mea.

12. COGITATIONES MEÆ sollicitæ et anxiæ, NOCTEM mihi VERTERUNT IN DIEM, id est, faciunt me noctu æque ac die vigilare : adeo ut nox mihi sit instar strepitosi diei, nec vel tantillum quietis concedat. Unde RURSUM SPERO, et avide exopto POST TENEBRAS LUCEM,] ut pulsa nocte redeat

aurora levamini mihi futura, q. d. Nulla umquam mihi quies, nec die, nec nocte.

13. SI SUSTINUERO, seu patienter toleravero, ut vos monetis, et ego facio: non tamen restituar pristinæ vitæ et bonis prioribus ut pollicemini: sed quiquid egero, INFERNUS DOMUS MEA EST, brevi moriendum mihi erit, et corpore ad sepulcrum, anima ad limbum necessario demigrandum: ubi IN TENEBRIS] quasi in lectulo quiescam, usque ad adventum Messiæ.

14. PUTREDINI DIXI, etc.] q. d. Pro parentibus et cognatis qui me deserunt, alii me propinqui excipient, putredo et vermes; cum iisque arctissima societate jungar.

15. UBI EST ERGO NUNC PRÆSTOLATIO MEA, seu pristina felicitas, quam jubetis me præstolari? ET PATIENTIAM MEAM, quam adeo mihi commendatis, QUIS CONSIDERAT?] nempe ut ejus merito me reducat ad pristinam fortunam.

16. PUTASNE in inferno ERIT REQUIES MIHI?] q. d. Non. Nam et cadaver putrescet, et ossa dispergentur: anima vero diu cum tædio et gemitu in tenebris cogetur adventum Messiæ exspectare.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

Etiam Baldad pergit arguere Jobum impatientiæ et jactantiæ: describit impiorum pedicas et pœnas, ut inde probet, Jobum non nisi ob sua scelera puniri a Deo.

4. NUM PROPTER TE DERELINQUETUR TERRA?] q. d. An idcirco tanto *furore* seu impatientia quereris coram Deo et toto mundo, quod putes de unum omnibus eminere? et te cadente, *lucem*, gloriam, decus universæ *terræ* simul tecum occasura? ut merito Deus, ad hoc præcavendum, ne tu cadas, potius *rupes loco suo* movere, leges impiorum vindices refigere, totumque universi cursum invertere debeat. Ita Olympiodorus.

7. ARCTABUNTUR GRESSUS VIRTUTIS,] seu potentiæ impii, id est, ita angustiabitur, ut non possit exequi quæ velit.

8. IN MACULIS, hebraice, in implexo reti, AMBULAT.] Nam retis oculi seu cancelli *maculæ* vocantur latine; hispanice, *malla;* gallice, *mailles*, q. d. Sicut avis capta reti, ex uno filo ejus, vel ocello, dum egredi conatur, in alium graditur, et magis sese implicat: ita impius captus reti concupiscentiæ suæ, ex uno vitio in aliud, ex una macula in aliam transit, magis magisque sese intricando.

9. SITIS.] Pro flamma concupiscentiæ: cui quo magis indulgetur, eo magis exardescit.

13. PRIMOGENITA MORS vocatur,] quia inter omnia mala principatum tenet quasi jure primogenituræ. Nam prima per peccatum Adæ invecta est in mundum, adeoque quasi primogenita peccati filia et princeps, in regno peccati successit patri, et pro eo dominatur: et omnia alia mala ipsi tamquam dominæ et principi famulantur, et viam sternunt. Simili modo vox *primogeniti* usurpatur psal. 88. v. 28. et Noster hic v. seq. sese explicans, *interitum* seu mortem, *regem* vocat.

15. SOCII, seu sodales, hominis impii, QUI jam amplius NON EST, id est, qui defunctus et mala morte extinctus est, HABITENT IN TABERNACULO ILLIUS, id est, occupent et rapiant omnia bona defuncti, exclusis filiis alioquin hæredibus. ASPERGATUR IN TABERNACULO EJUS SULPHUR,] id est, conflagret sulphure et igne domus impii jam ab extraneis spoliata.

16. RADICES EJUS SICCENTUR, id est, filii, familia, et stirps omnis a teneris unguiculis contabescat et extinguatur, ne scilicet alia inde excrescere possit. MESSIS VERO EJUS. id est, quidquid jam adultum est, ATTERATUR] et præcidatur.

20. IN DIE, seu super diem, excidii EJUS, STUPEBUNT NOVISSIMI, id est, infimi: vel posteri etiam post multa secula, ET PRIMOS, seu primates, quoque INVADET HORROR,] q. d. Omnes, novissimi et primi, a minimo usque ad maximum, horrebunt super plagis et horribili clade impii. Id S. Gregorius. Allegorice applicat excidio Antichristi.

CAPUT DECIMUMNONUM.

Job crudelitatis arguit amicos: fortiterque contendit, se non propter sua scelera flagellari a Deo, sed propter alias justas causas. Unde solius, sed certæ, resurrectionis spe se solatur.

3. DECIES, id est (Genes. 31, v. 41) sæpius CONFUNDITIS ME,] seu confundere conamini.

4. ETSI IGNORAVI (ut vos contenditis) multa eorum quæ jam effutitis; MECUM ERIT IGNORANTIA MEA,] quasi dicat: Mihi id uni nocebit, non vobis.

5. AT VOS ARGUITIS ME OPPROBRIIS MEIS,] hebraice, *exprobratis mihi opprobrium meum*, seu afflictionem et miseriam meam, quæ me faciunt opprobrio esse aliis, q. d. Ex eo solo quod affligar a Deo, arguitis me impium esse. Quod est petere principium, et velle gratis concedi quod ab aliis negatur. Nam, ut ego contendo,

6. DEUS NON ÆQUO JUDICIO AFFLIXIT ME,] id est, non pro mensura peccatorum meorum immisit mihi pœnas, ut vos contenditis: neque hoc spectavit, ut puniret de condigno peccata mea. Supple, sed longe alias causas habuit cur me ita torquendum putarit, æquissimas et justissimas, quas vos vel ignoratis, vel dissimulatis. Et ut alia nulla esset, illa sola, quod Creator in creaturam suam plenum jus habet, illi ab omni injustitia excusando sufficeret.

8. SEMITAM MEAM, seu vitam, conversationem, actiones omnes meas, CIRCUMSEPSIT] vallo miseriarum, quæ me undique premunt, in quibus quasi in *tenebris* volvor.

12. LATRONES EJUS,] id est, milites; qui olim *latrones;* quasi *laterones* vocabantur, ut dixi 2 Reg. 4, v. 2. Metaphorice sermo est de agmine tribulationum et dolorum, de quibus cap. 1 et 2. supra.

17. HALITUM MEUM propter nimium fœtorem EXHORRUIT UXOR MEA: et si quare indigebam, ORARE et supplex fieri debebam FILIIS UTERI MEI;] LXX, *filiis concubinarum mearum*, seu secundariarum uxorum. Nam filii primariæ uxoris omnes interempti jam erant, c. 1. Symmachus vertit, *filios puerorum meorum*, seu nepotes meos.

20. DERELICTA SUNT TANTUMMODO LABIA CIRCA DENTES,] nempe absumptis genis et gingivis.

Marasmum id morbi genus Græci vocant, cum toto corpore succo exhausto, ossa cuti præ siccitate adhærescunt.

22. QUARE CARNIBUS MEIS SATURAMINI,] seu, videmini velle saturari? q. d. Ita me vexatis et conviciis proscinditis, ac si velletis carnibus meis pasci, et voluptatem haurire ex mea miseria et afflictione. Ubi pulchre comparantur obtrectatores vulturibus, utpote qui quasi vivis pascantur carnibus vitæ et famæ alienæ. In Hebræo, Chaldæo et Græco est, *quare non saturamini carnibus meis?* Ac si dicat: Non vobis sufficit omnia mihi subtracta esse subsidia, solatia, divina, humana; et me continuis doloribus ac miseriis prorsus exhaustum esse? necdum contenti, necdum saturi estis?

24. PLUMBI LAMINA.] Veteres solebant, ut ceratis, sic etiam plumbeis tabulis inscribere, et libros inde componere; quales in antiquis sepulcris juxta Neapolim repertos testatur Georgius Fabricius, et ex eo Franciscus Valesius (S. Philosophiæ c. 49).

CELTE, instrumentum est sculptorium, quod *cœlum*, a cælando vocari solet. Ita Hieron. (ep. 61 ad Pam.) Marius Victorius (in eamdem) Calepinus et Franciscus Lucas (Annot. 82. in Biblia). Chaldæus vertit, *in æternum;* S. Augustinus, *in testimonium.* Nempe celte consignantur res quasi testimonio æterno. Optat ergo Job æternam statui memoriam sui hujus agonis, afflictionis, constantiæ et spei, præsertim ejus quam de resurrectione mox subjungit. Et obtinuit profecto quod optavit: nam libro hoc sacro longe certius quam plumbi lamina, triumphus ejus consignatus est æternitati, inquit Chrysostomus et Olympiodorus.

25. REDEMPTOR MEUS, Filius Dei, VIVIT] ab omni æternitate, nempe vita divinitatis.

28. RADICEM VERBI INVENIAMUS,] id est, fundamentum, subjectum et occasionem insectandi eum verbis et rationibus, etiam falsis et calumniosis. Non quod amici sic loquerentur in actu signato, sed in exercito: nam de facto sic se gerebant, ac si verbis condixissent se ita facere decrevisse.

29. FUGITE ERGO A FACIE GLADII,] id est, iræ et vindictæ divinæ, q. d. Cessate insultare mihi, si non amore Dei aut mei, saltem terrore *judicii* et ultionis divinæ.

CAPUT VIGESIMUM.

Quia solent impii justo Dei judicio gravissime puniri, et fortunis omnibus everti, uti Jobo quoque jam contigerat: colligit Sophar, sed male, Jobum impium fuisse, et suis sceleribus eas sibi pœnas accersivisse.

3. RESPONDEBIT MIHI,] seu in mei gratiam et loco mei.

10. MANUS impii REDDENT EI DOLOREM SUUM,] id est, punietur impius ob mala opera sua, et vim aliis illatam.

11. OSSA EJUS jam solidata et indurata IMPLEBUNTUR VITIIS ADOLESCENTIÆ EJUS. Id est, vitiis, quibus puer assuevit, vacabit per totam vitam, usque ad senium et usque ad mortem. Et sic CUM EO IN PULVERE DORMIENT,] id est, cum eo quasi condientur in sepulcro: nam opera sequuntur morientes. Ita S. Greg. Olympiodorus et alii.

12. CUM DULCE FUERIT IN ORE EJUS MALUM,] q. d. Ratio obstinationis in malo est impiis, quia inescati dulcedine voluptatis et peccati, tenacissime illam in faucibus animæ suæ condunt et asservant: sicut qui dulciaria gustant illa avide diuque lingua versant et faucibus retinent, ut diuturnior sit oblectatio. Unde Philoxenus Erixeus, teste Aristotele (3 Ethic. c. 11) collum gruis sibi optabat, quo diutius sapore cibi frueretur. Sed falluntur miseri: nam

14. PANIS VERTETUR IN FEL, q. d. Deliciæ peccati, quibus ut melleo et sapido pane fruebatur, vertentur illi in fel ASPIDUM,] seu venenum, puta in tormentum conscientiæ, in exitium corporis et animæ.

16. CAPUT ASPIDUM SUGET,] id est, pessimum et exitiale venenum, quale habet aspis in capite. et vipera in lingua, sibi suget peccator ex peccato. Ita S. Gregorius.

21. NON REMANSIT,] id est, nihil pauperibus relictum fuit de cibariis impii: nam devorat ipse cum suis omnia, nec micas pauperibus donat, instar Evangelici Epulonis, Lucæ 16.

23. UTINAM IMPLEATUR, supple cito, VENTER EJUS,] et aqualiculus pro voto saginetur! nempe, ut tanto citius a Deo puniatur, e medio tollatur, et aliis nocere desinat, ut sequitur.

25. EDUCTUS, scilicet gladius Dei, id est, simul ac strinxerit Deus vindicem gladium suum, VADENT impii in interitum, et VENIENT SUPER EOS HORRIBILES,] nempe pœnæ, dolores, pavores, ut habent LXX, vel dæmones, ut alii.

26. OMNES TENEBRÆ ABSCONDITÆ SUNT IN OCCULTIS EJUS,] hebraismus, pro, omnes tenebræ illum abscondere non poterunt.

DEVORABIT EUM IGNIS QUI NON SUCCENDITUR alimento terreno, vel flabello, ut noster ignis: sed semel *ab origine mundi* a Deo succensus, in semetipso cum suis fomentis inconsumptibilis æternum ardebit, Deo illum conservante ad æternam impiorum punitionem. Unde Chaldæus vertit, *ignis gehennæ.* Nec tamen solus impius devorabitur, sed et quicumque fuerit RELICTUS IN TABERNACULO SUO, puta uxor, filii, familia reliqua, ejus relicti hæredes AFFLIGENTUR] pari pœna. Significat, summam imminere vastitatem impio. Sicut alibi dicitur simili hebraismo: *Clausi quoque defecerunt, residuique consumpti sunt* (Deut. 32, v. 36).

27. REVELABUNT COELI INIQUITATEM EJUS, quam conspexerunt, ET TERRA,] quæ monstrum hoc indignabunda tulit: *revelabunt* scelera ejus, nempe puniendo illa; *cœlum* tempestatibus, *terra* infecunditate. Unde Olympiodorus putat Spharem tacite exprobrare Jobo cœlestem vindictam, qua greges ipsius igne cœlesti, domus et liberi aereo flatu, oppressi fuerant, c. 1. De avibus ultoribus Ibici, vide Plutarchum (de sera Numinis vindicta). Allegorice potest etiam applicari extremo judicio, quando *terra* per horrendos hiatus et insolitos motus, et *cœli* per signa terrifica in *sole, luna* et aliis *stellis* quasi accusabunt impios, et a judice Christo vindictam de eis deposcent. Metonymice Chaldæus per cœlos et terram, angelos cœlicolas, et homines terrigenas intelligit.

28. GERMEN EJUS, id est, fruges omnes impii et opes, APERTUM ERIT,] id est, prædæ exponetur et a prædonibus auferetur.

29. HÆREDITAS VERBORUM EJUS,] id est, factorum malorum, vel etiam blasphemiarum ejus merces.

CAPUT VIGESIMUMPRIMUM.

Errorem amicorum ut refellat Job, docet impios plerumque in hac vita prosperari, pios vero affligi : Unde colligit, non recte concludi impium se esse, quia a Deo affligitur.

4. NUMQUID CONTRA HOMINEM DISPUTATIO MEA EST ?] supple nequaquam, sed contra Deum, q. d. Non est mihi quæstio, de offensione vel inimicitia hominum, quam parvi penderem : sed de offensa Dei, quam si incurrissem, merito contristarer et angerer.

13. IN PUNCTO AD INFERNA DESCENDUNT,] id est, subito moriuntur, et sine longa infirmitate vel cruciatu transeunt ad locum mortuorum. Quale mortis genus optasse Julium Cæsarem, et impetrasse, testatur Suetonius (in Julio Cæs.). Pertinet ergo etiam hoc, uti omnia præcedentia, ad prosperitatem impiorum quam exoptant. Unde LXX vertunt, *in requie inferni dormierunt.* Et ita exponunt Hebræi, et recentiores Interpretes omnes, et Græci in Catena : Beda tamen cum S. Gregor. id ad pœnam impiorum refert, quasi ex hac vita, quæ est instar puncti, in æterna inferorum supplicia detrudantur.

16. NON SUNT IN MANU, seu potestate impiorum, BONA SUA,] id est, non possunt illa firmiter et diu retinere, utpote caduca et aliena. Unde S. Gregorius moraliter : *Boni sua bona habent in manu, et possident tamquam Domini : sed impii et avari a bonis suis tenentur et possidentur tamquam mancipia.*

17. QUOTIES, seu quotiescumque, LUCERNA, id est, prosperitas et gaudium, IMPIORUM EXTINGUETUR, variante fortuna : ET SUPERVENIET EIS INUNDATIO iræ divinæ, quæ instar torrentis exundabit in eos : ET DIVIDET cuique (ut fit accumbentibus in mensa) DOLORES et pœnas quas quisque meretur; tunc ERUNT SICUT PALEÆ, etc.] Psal. 1. *sicut pulvis terræ*, id est, instar quisquiliarum abjicientur.

19. DOLOREM et pœnas PATRIS SERVABIT quoque DEUS FILIIS ILLIUS, ut, quemadmodum scelerum patris, sic et pœnarum participes et hæredes fiant. ET CUM REDDIDERIT, ac de facto inflixerit pœnas filiis, TUNC SCIET] et agnoscet justam vindicis Dei manum. Multo enim magis moventur parentes afflictionibus filiorum suorum, quam propriis.

20. VIDEBUNT INTERFECTIONEM,] id est excidium, interitum absolutum, plenum, atque adeo æternum post hanc vitam. Alioqui

21. QUID AD impium PERTINET DE DOMO SUA POST SE ?] q. d. Parum curaret impius post mortem suam, quid obveniat familiæ suæ in terris, sive prosperum, sive adversum : parum item curaret quod vita seu sua, seu suorum, *dimidietur*, id est, abbrevietur ; si nullæ aliæ post hanc vitam superessent ipsi in inferno subeundæ pœnæ. Et hoc est primum argumentum, quo probat Job pœnas posthumas inferni. Secundum est sequenti :

22. Quia DEUS] justissimus judex sic voluit, sic statuit, sic decrevit. Idque jure merito. Et hoc est tertium argumentum, quia, ut

23. Et sequentibus dicitur id conveniens, imo necessarium est, ut impiis hoc in mundo ditibus, voluptuariis, honoratis piis ; e contra pauperibus, afflictis, despectis, æqua et promerita sors ac præmia condigna aliquando reddantur, et saltem post mortem. Hoc enim exigit justitia et providentia divina.

28. DICITIS : UBI EST DOMUS PRINCIPIS ?] supple, iniqui et impii Jobi, qui fuit princeps magnus inter omnes Orientales, q. d. Juste a Deo palatium ejus et omnis familia subversa est.

29. INTERROGATE QUEMLIBET DE VIATORIBUS,] seu de trivio, q. d. Vulgares et plebeii sciunt, nempe quod sequitur :

30. QUIA IN DIEM PERDITIONIS extremæ post hanc vitam, et æternæ, SERVATUR MALUS,] nec semper in hac præsenti vita punitur.

31. QUIS enim in præsenti vita ARGUET CORAM EO VIAM EJUS ? q. d. Ne verbis quidem corripitur, ut plurimum, impius in hac vita : neque potest quis, vel audet, ILLI *reddere* QUÆ FECIT] mala, seu pro meritis punire.

32. IPSE secundum corpus pacifice DUCETUR AD SEPULCRA, seu sepelietur, secundum animam vero IN CONGERIE MORTUORUM VIGILABIT,] id est, inter mortuos vivet in inferno : secundum famam quoque in mundo vivet, probatus vulgo et gloriosus.

33. DULCIS, seu gratus admodum et amicus FUIT GLAREIS, id est, arenis seu glebis, COCYTI] LXX, *lapidibus torrentis ;* Hebræus et Chaldæus, *glebis torrentis.* Ponitur enim hîc species pro genere, *Cocytus* pro quovis *fluvio* vel *torrente.* Est vero *Cocytus* Arcadiæ fluvius, ex *Styge* promanans, quem esse inferorum fluvium Poetæ (ad quos hic Job alludit) ideo finxerunt, quod ad illam paludem solerent recondi in arenis, more tum recepto, cadavera defunctorum, ut mordacibus illius aquis cito exederentur. Glarea est terra prope fluvios arenosa et lapidosa, in qua cadavera recondebantur. Unde Stuniga teste, Arabes sepulcra vocare solent *glebas* vel *glareas torrentis.* Sensus ergo est, delationem cadaveris impii ad sepulcrum non tam tristem et amaram esse, quam lætam et dulcem, utpote festis epulis et ludis conditam : ut fere videatur deductio esse ad nuptialem thalamum : ac proinde non tanto sit impiis horrori. Nam quod mors, horribilium omnium horribilissimum concomitetur et conjungatur, nil novi mali affert impiis, cum *post se omnem hominem trahat, et ante se innumerabiles*, id est, omnibus sive bonis, sive malis, pari lege mors immineat, trahatque omnes subsequentes, sicut traxit omnes præcedentes. Cum ergo omnia in hac vita cedant impiis, non item piis, ex voto et animi sententia, certo inde colligitur, primo, post hanc vitam utrisque reservari condignam retributionem ; secundo, non propter sola scelera homini adversa immitti a Deo in hac vita. Unde sequitur tertio, ex iis colligi non posse Jobum impium et sceleratum esse, ut amici contendebant.

CAPUT VIGESIMUMSECUNDUM.

Eliphaz ut Jobum convincat impietatis, enumerat sigillatim patrata ab ipso scelera : pœnitenti tamen prospera rursus omnia promittit.

4. NUMQUID TIMENS Deus?] ne scilicet illi noceas, aut illum erroris vel injustitiæ convincas.

12. SUPER STELLARUM VERTICEM SUBLIMETUR,] cum ergo visu nostro, quantumcumque perspicaci non possimus assequi numerum, quantitatem, qualitates stellarum ; quomodo assequemur potentiam, sapientiam aut excellentiam Dei, qui stellis longe sublimior est, et altissimorum altissimus, et prorsus inaccessus ?

15. NUM SEMITAM SECULORUM CUSTODIRE CUPIS ?] id est, an insistere vis opinioni impiorum atheorum, qui superioribus seculis ita impie senserunt de Deo ?

16. QUOS FLUVIUS SUBVERTIT,] id est, aquæ diluvii, ut Hebræi : vel metaphorice, impetus iræ et vindictæ divinæ.

20. SUCCISA EST a radicibus ERECTIO, seu superbia, EORUM : ET RELIQUIAS DEVORAVIT IGNIS,] nempe Pentapoleos (Gen. 19, v. 24) inquiunt Rabbini. Vel metaphorice, ultio divina, ut S. Tho. exponit.

23. SI per seriam pœnitentiam REVERSUS FUERIS AD Deum, ÆDIFICABERIS,] id est, rursus instaurabitur pristina felicitas tua.

24. DABIT PRO TERRA SILICEM, metaphorice, id est, pro infirmitate robur ; Chaldæus, pro pulvere arcem munitam. ET PRO SILICE dabit TORRENTES AUREOS,] hebraice, *Ophir*, quasi dicat : Ea copia qua silices inveniuntur in torrentibus, dabit tibi aurum Ophir, seu præstantissimum. Qui vero

29. INCLINAVERIT OCULOS, id est, qui se humiliaverit, IPSE SALVABITUR,] ita Chaldæus et LXX, id est, ab omnibus malis quibus affligebatur, eripietur. Hebraice est, *ipse innocens salvabit insulam*, vel provinciam, q. d. Tanti meriti est apud Deum innocens vita justorum, ut non se solos, sed et totam regionem salvent ac liberent. Sicut Joseph Ægyptum, Moyses, Josue, et tot pii judices totum populum Israeliticum. Et huc alludere videtur Ezechiel c. 14, v. 14.

CAPUT VIGESIMUMTERTIUM.

Job contra humanum judicium, quo censebatur impius, optat divinum judicium, quo sperat se innocentem declaratum iri, neque conscientiam suam aliud sibi dictare.

MANUS PLAGÆ MEÆ,] id est, manus Dei, qua plagam hanc mihi inflixit, AGGRAVATA EST SUPER GEMITUM MEUM,] id est, gravior est quam gemitus meus præ se fert aut prodit.

3. QUIS MIHI TRIBUAT, UT INVENIAM ILLUM,] nempe Deum ? Condemnatus enim judicio hominum provocat ad Dei judicium infallibile et incorruptum. Loquitur autem ανθρωποπαθως, seu more et conceptu humano, de Deo, quasi certo loco considente in *solio* ad jus dicendum.

4. PONAM CORAM EO JUDICIUM, id est, causam apud illum dicam, et jus atque innocentiam meam tuebor. ET OS MEUM REPLEBO INCREPATIONIBUS,] id est, libere eloquar amaras querelas, quas mihi justus dolor et bona conscientia in os dabunt, seu suggerent.

9. Per SINISTRAM, Septentrionem ; per DEXTERAM, Meridiem intelligit, quasi dicat : Frustra provoco ad tribunal et judicium Dei, quia *lucem habitat inaccessibilem*, et a mortalibus adiri non potest, neque sententia ejus sensu humano percipitur.

13. IPSE ENIM SOLUS EST,] puta essentialiter et necessario, ut ipsemet dixit Exodi 3. v. 14. Unde et solus est omniscius et omnipotens, ut hic sequitur. Hebraice, *ipse est in uno*, id est, ipse in sua unitate constans persistit, in suo decreto et voluntate stabilis atque immutabilis perseverat, neque in ullius gratiam, vel ob ullius potentiam, a vero vel justo deflectet.

16. MOLLIVIT COR MEUM,] nempe, malleo tribulationum nervos et vires animi mei ante robusti ac solidi, valde extenuavit : non tamen penitus elisit. Ita Græci in Catena.

17. NON ENIM PERII prorsus, nempe per blasphemiam vel desperationem. Licet enim gemam et querar PROPTER IMMINENTES, imo incumbentes, mihi tribulationum TENEBRAS ; necdum tamen plena CALIGO OPPERUIT FACIEM MEAM,] neque destitutus sum usu rationis, aut lumine seu naturali, seu supernaturali : sed ope et gratia Dei erectus maneo fide et spe et charitate constanti in Deum.

CAPUT VIGESIMUMQUARTUM.

Ostendit occultam prorsus esse rationem providentiæ divinæ, et gubernationis hujus mundi : quippe qui sæpe etiam ad sævissimam tyrannorum, latronum et adulterorum improbitatem diu admodum conniveat, nec nisi futuræ vitæ cruciatibus puniat.

1. AB OMNIPOTENTE NON SUNT ABSCONDITA TEMPORA, nec quæcumque aguntur in tempore. Id est, Deus omnia perspecta habet : sed homines, etiam QUI NOVERUNT EUM, id est, etiam fideles et pii, IGNORANT DIES ILLIUS,] nempe æternitatem, inquit S. Gregorius. Vel melius, ignorant consilia et opera Dei, quæ per singulos dies exequitur, et rationes cur singula exequatur, vel ab aliis exequi permittat, v. g. cur permittat ut prædones et tyranni impune,

2. TRANSFERANT TERMINOS] agrorum suorum, et sic vicinis suis partem adimant. Item ut iidem prædones,

5. QUASI ONAGRI,] seu asini sylvestres, qui liberi in deserto vagantur, excutiant jugum et imperium non modo principum et dominorum suorum, sed et rectæ rationis, et Dei. Quorum injusta violentia nudati viatores.

8. AMPLEXANTUR LAPIDES,] id est, applicant se saxis et rupibus, ut harum latebris tegantur ab imbribus.

10. Etiam pauperculis ESURIENTIBUS TULERUNT, pro abstulerunt, SPICAS,] quæ solæ famelicis supererant. Et

11. INTER ACERVOS] segetum, vel potius olivarum, vel uvarum, quos tota nocte et matutino tempore rustici pauperes, magno labore acervarant, et mulsum inde atque oleum ex-

presserant, meridie raptores isti palam invadunt, et de alieno comessantes, *sitientes* et famelicos relinquunt misellos *qui torcularia calcarant.*

13. Rebelles lumini divino, et rectæ rationi: vel, ut Chaldæus, legi et inspirationi Dei.

14. A primo mane usque ad vesperam invigilat homicidiis, ut latrones solent: per noctem vero erit quasi fur,] id est, in tenebris vacat furtis. Et hæc tanta latronum scelera intuens oculus divinus, dissimulat tamen. Ut et adulterorum, qui

16. Ignoraverunt lucem,] id est, aversantur, fugiunt lucem et diem, ne sordes illorum prodant.

18. Levis est super faciem aquæ,] id est, facilis, dissolutus, profusus, diffluens in libidinem, sicut aqua defluit in terram. Ita Græci in Catena. Sic Genes. 49, v. 4. Rubeno dicitur: *Effusus es sicut aqua:* S. Thomas hic et Symmachus legunt, *innatat aquæ:* et Mariana, *trajicit aquas* maris et fluminum, ut suis obsequatur libidinibus.

Maledicta sit pars ejus, seu ipse et opera ejus, non solum post mortem in inferno, sed et ante in terra: nec ambulet per viam vinearum,] id est, cultam, fertilem et lætam, q. d. Non ditetur, sed spolietur omnibus opibus corporis et animæ. Moraliter, via vinearum, quia clivosa, amœna, plena fructibus, designat viam ad cœlum. Ita S. Gregorius, S. Thomas et alii.

19. Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium,] id est, hieme nivibus, æstate caloribus omnia exurantur. Moraliter, ab una calamitate in aliam præcipitetur. Anagogice, reprobi in inferno nunc frigore nivali (unde alioqui stridor dentium, Matth. 25, v. 30 et 41.) nunc æstu igneo cruciabuntur (Judith. ult. v. 21). Ita iidem cum Ven. Beda, Lyrano et Titelmanno.

Et usque ad inferos peccatum illius,] id est, pœna peccatorum illius continuetur tota vita, usque dum descendat ad inferos, æternum ibi cruciandus gravioribus tormentis.

20. Obliviscatur ejus misericordia. Poetica prosopopœia, q. d. Ne ipsa quidem misericordia, licet infinita; et natura sua misereri consueta, nempe Deus, moveatur compassione erga tam impium. Sed omnis dulcedo illius, id est, deliciæ et solatia illius sint vermes,] intus conscientiam rodentes, foris cadaver absumentes.

21. Pavit enim, id est, depastus est, spoliavit, sterilem, satis alioqui per se malo sterilitatis afflictam.

22. Cum steterit in prospera fortuna, et scelerum effræni licentia, non credet vitæ suæ sat cautum esse, quia mala conscientia semper meticulosa, etiam omnia tuta timet, ut supra c. 15, v. 21. Quin et

23. Oculi Dei sunt in viis impii, id est, intuentur, judicant, et ut suo tempore puniantur, acta illius annotant.

24. Sicut summitates spicarum,] quæ scilicet primo tritura conteruntur, ut grana eliciantur; deinde granis vacuæ substernuntur pedibus jumentorum, et ungulis conculcantur.

25. Quod ei non est ita, hebraismus, pro *id non ita esse*, vel, *non ita se habere*, quis arguet, et ponet ante Deum?] id est, accusabit coram judicio divino?

CAPUT VIGESIMUMQUINTUM.

Baldad ex infinita Dei sublimitate, et creaturarum vilitate, probat hominem Deo comparatum non debere, non posse, mundum censeri vel justum.

2. Potestas et terror, hendyadis, id est, terribilis potestas, quia infinita: apud Deum est, qui facit concordiam, hebraice, *pacem;* in sublimibus suis,] id est, in stellis et in angelis, licet illorum quasi infinitus sit *numerus*, quasi dicat: Ibi nulla est dissensio aut contrarietas, per consequens nec corruptio, qualis est in his inferioribus. Ita S. Thomas hic.

3. Et super quem istorum sublimium militum et servorum Dei, non surget lumen illius?] Quis illorum non illuminatur eximie à Deo? Quis non singularibus beneficiis à Deo afficitur? Et tamen

5. Ecce luna etiam, si Deo, divinoque lumini comparetur, non splendet, imo nullum censetur lumen ejus. Nec stellæ reliquæ mundæ sunt in conspectu Dei, seu comparatione munditiei et nitoris divini; ut dixit c. 4, v. 18. Unde recte infert:

6. Quanto magis immundus coram illo censebitur, homo, qui non est nisi putredo et vermis?] id est, vilis, sordidus, infirmus et fragilis ut vermis, et vermium esca futurus. Ita S. Augustinus (epist. 120.)

CAPUT VIGESIMUMSEXTUM.

Respondet Job, non egere Deum vano et imbecilli seu Baldadi, seu aliorum hominum auxilio, ut incomprehensibilis ejus majestas et potentia innotescat. Sat innotescere nobis per ejus effectus et opera vere stupenda.

3. Cui dedisti consilium?] Ironia est, q. d. Deum vis instruere, quomodo ipse pro se contra me causam agat?

5. Ecce Gigantes tempore Noe, gemunt sub aquis diluvii, et qui habitant cum eis,] id est, omnis *familia*, et, ut Chaldæus vertit, omnis *exercitus* illorum. Allegorice, dæmones in tartara deturbati, in centro terræ gemunt sub aquis, seu sub abysso aquæ quæ permeat viscera terræ. Ita S. Greg. S. Thom. et Lyran. Sic passim Scriptura (Prov. 9, v. 18, et c. 21, v. 16. Sap. 14, v. 6. Isaiæ 26, v. 14.) infernum vocat locum Gigantum, imo et Gentiles, teste Macrobio (1. Satur. c. 20.)

6. Nullum est operimentum perditioni,] id est, perditio, seu mors et infernus, occultari Deo non potest.

7. Qui extendit aquilonem, ventum maxime procellosum: vel Aquilonarem cœli partem: synecdoche, pro toto cœlo: super vacuum, seu super nihilum,] id est, super nullis columnis aut aliis fulcris. Quanquam ipsum spatium in

quo cœlum extensum est, vere etiam sit per se vacuum, et ex se nihil.

9. Tenet vultum solii sui,] id est, occultat quando vult faciem seu speciem cœli, hoc est, id quod sudo et sereno cœlo nobis apparet. Dicitur vero cœlum solium Dei, quia Deus in eo quasi in palatio et throno regali gloriam suam et seipsum ostendit. Ita Olympiodorus.

10. Usque dum finiantur lux et tenebræ,] seu vicissitudo diei et noctis, id est, usque ad finem mundi.

11. Columnæ coeli, id est, firmamenta et robora cœlorum, contremiscunt] tonitruis, fulguribus, et orbis concussione. Tum enim videntur quasi columnæ universi vacillare, et loco moveri. Allegorice S. Gregorius et S. Thomas id de angelis cœlorum motoribus exponunt, ut hic locus respondeat alteri supra cap. 9, v. 13. Sequitur :

12. Percussit Deus superbum,] supple, elementum istud, nempe *mare :* cujus ferociam solo nutu suo repressit, et etiamnum littoribus quasi frenis coercet.

13. Obstetricante, id est, creante, manu ejus eductus est e suo nihilo, seu productus est, coluber tortuosus,] id est, *circulus* in cœlo *lacteus*, ob varie intortas stellas figuram habens colubri, inquit Vatablus ; vel *Zodiacus*, ut Franc. Valesius; vel *sidus draconis*, juxta ursam majorem, ut Stuniga, vel *anguis* juxta Arcturum ; vel *hydræ* juxta leonem, ut alii volunt. Sed simplicius exponendum videtur de quovis *colubro* naturali, maxime marino : unde Chaldæus vertit, *Leviathan*, seu balænam. Ex balænis enim non minus quam ex cœlorum fabrica solet Dei potentiam Scriptura commendare (Gen. 1, v. 1.) LXX. vertunt *: Præcepto ejus interfectus est draco apostata,* scilicet Lucifer cum suis interiit interitu seu damnatione æterna. Et sic Allegorice exponunt S. Gregor. S. Thom. Lyranus et alii. Moraliter idem dæmon Dei gratia educitur e mentibus pœnitentium.

14. Stillam sermonis ejus,] id est, minimum operum Dei. Est metaphora in voce *stilla :* metonymia in voce *sermonis.* Sic *tonitru* metaphorice designat *terrificam majestatem* Dei, quam nemo potest *intueri* oculis mentis, id est, intelligere.

CAPUT VIGESIMUMSEPTIMUM.

Pergit Job fortiter inculcare suam vitæ totius innocentiam : et causas affert cur adeo studuerit illi fovendæ et conservandæ, et primo, quia impios nihil boni manet post hanc vitam.

1. Parabola] sermonem gravem et sententias eruditas significat. Unde et Salomonis sententiæ, parabolæ vocantur.

2. Deus abstulit judicium meum,] puta ordinarium, seu ordinarie cum mortalibus usurpari solitum. Chaldæus : *Abstulit regulam judicii mei;* quia scilicet, non judicavit me juxta morem legum ordinariarum, quæ solos peccatores seu delinquentes affligunt.

5. Absit, judicem vos esse justos,] seu æquos judices, in eo nempe, quod me damnatis iniquitatis.

7. Sit ut impius, inimicus meus,] id est, qui hac in parte mihi *adversatur*, habendus est impius et injustus; quia falso me accusat peccati, ex hoc solo quod me affligi videat.

8. *Quæ est enim spes hypocritæ ?*] LXX. impii : q. d. Si impius et hypocrita fuissem, quomodo potuissem tam constanter in Deum sperare? quod tamen me perpetuo fecisse, vos ipsi testes estis.

11. Docebo vos per manum Dei, id est, Deo bene juvante, quæ omnipotens habeat,] id est, quæ sint occultæ viæ et secreta judicia Dei : et consequenter, rationes cur subinde etiam innocentem affligat, simul etiam cur ego tanta semper cura studuerim me ipsi exhibere innocentem.

12. Ecce, vos nostis,] q. d. Incipio ab iis quæ vobis et omnibus nota sunt, nempe a divina providentia vindice acerrimo impiorum : de qua vos hactenus tam multa declamastis, sed sine causa urgente aut necessitate, et ideo in vanum. Quorum tamen similia, ne videar secus sentire, paucis repetam.

15. Viduæ impii, interitum mariti vel filiorum non plorabunt,] nempe planctu publico et solemni, qui ad honorem defuncti, et solatium viduæ et familiæ superstitis, adhiberi solet ingenti impensa. Sed defectu mediorum id non licebit viduis impiorum, quantoscumque illi thesauros in vivis inique corraserint. Justo enim Dei judicio fit, ut quod magno labore corraserunt, usui veniat non ipsis, aut ipsorum posteris, sed alienis, et subinde quos pessime oderant, *justis* ipsis et *innocentibus*, ut dicitur v. 17. e quorum spoliis ipsi se ditarant. Atque ita impio et tyranno accidere solet, quod *tineis*, seu vermibus et erucis, v. g. quæ sericum subministrant.

18. Sicut enim tinea, seu vermis, ædificat domum suam,] involvens se in folia arborum non suarum, eaque contrahens, et in iis sese eviscerans, sibi in iis domicilium facit, sed vix, confecto domicilio, decerpitur, abjicitur, et divulso serico, vermis jam in tineam transmutatus, pede calcatur et conteritur : simili successu sese exenterat impius assiduis curis et laboribus, corradens undique quæ potest; sed hæredem relinquit non quem voluit, sed quem maxime horruit.

Et sicut custos pomorum vel uvarum in autumno fecit sibi umbraculum,] quod exiguo tempore usui illi fuit, nec tamen in ipsius, sed in alienos usus.

19. Aperiet oculos mentis in morte, et nihil inveniet,] nihil sibi utile commodum, fructuosum ex omnibus opibus vel operibus suis.

20. Apprehendet eum quasi aqua inopia, id est, undique magna copia, maximo impetu in eum irruet et obruet, idque nocte,] id est, insperato, cumque serius erit, nec spes supererit aut effugii, aut remedii.

21. Tollet eum de medio ventus urens,] id est, morbus et mors, quæ instar *venti urentis* vehementissimi, *et turbinis* impetuosissimi, ac validissimas etiam quercus subvertentis, evellet impium et prosternet.

22. Fugiens fugiet,] id est, celerrime aufugiet, vita et omnibus opibus suis valere jussis.

23. Stringet manus,] quicumque pœnam et

exterminium impii viderit vel audierit. Hebraice, Græce et Chaldaice est, *plaudet complosis manibus*, nempe præ admiratione, irrisione et subsannatione. His, inquam, et aliis similibus impiorum pœnis deterritus, cavi semper mihi ab omni graviore peccato, et vitæ morumque innocentiam perpetuo fovi.

CAPUT VIGESIMUMOCTAVUM.

Secundam hic causam recenset Job, cur adeo studuerit semper innocentiæ, quia hæc unica via est ad obtinendam veram sapientiam: quæ licet in Dei sinu occulta, inaccessa et inscrutabilis maneat, homini tamen particula illius aliqua communicatur per sincerum timorem Dei. Qua particula jubetur in hac vita contentus esse; integra sapientia fruiturus in futura Dei visione.

2. LAPIS SOLUTUS CALORE, IN ÆS VERTITUR,] Hebraice, *æs effundit*, ut ad oculum patet in fornacibus seu æris, seu ferri, in quibus lapides metallici vi ignis liquati, effundunt æs vel ferrum, quod in ipsis latuerat, de quibus vide Plinium (l. 37, c. 10), Galenum (l. 9. Simplicia), Dioscoridem (l. 5, c. 10) et Valesium (S. Philosoph. c. 49), quasi dicat: *Auri, argenti, ferri, æris*, et omnium sequentium *mirabilium* locus, origo et materia inventu sunt facilia: sed non ita *sapientiæ*, de qua v. 12 et seq.

3. LAPIDEM CALIGINIS,] id est, lapidem sepulcralem, inquit Mariana: alii, gemmas et lapides pretiosos. Sed malim universim applicare omnibus lapidibus metallicis, qui idcirco *caliginis*, seu caliginosi et *umbra mortis*, vocantur, quod in profundissimis specubus densissimisque tenebris, quasi in umbra mortis absconditi jaceant, quasi dicat: Etiam hos Deus videt, et suo tempore eruderat et profert in lucem: certa tamen quantitate, pondere et mensura: neque semper ad libitum fossorum: nam sæpe dum minime cogitant, ignis e saxo vel terræ venis erumpens, aut, ut sequitur,

4. TORRENS aquarum ebulliens, DIVIDIT quæsita et optata metalla A POPULO PEREGRINANTE, id est, a fossoribus, qui plerumque peregrinis et pauperibus constant. Hic ergo *torrens* facit, UT PES EGENTIS HOMINIS,] fossioni incumbentis, *obliviscatur eos*, id est, non sequatur votum aut desiderium illorum, id est, non possit ulterius fodiendo transire.

6. LOCUS SAPPHIRI LAPIDES EJUS. Id est, locus quidam in terræ visceribus est, cujus *lapides* sunt *sapphiri*, ET GLEBÆ AURUM: sed SEMITAM, v. 7. ad ea ducentem, *ignorat* non modo homo, sed et VULTUR,] et lynx, quantumcumque oculatissimæ et rapacissimæ aves, sed soli Deo nota est semita, qui illam suo etiam tempore pandit.

9. AD SILICEM in quo latent, EXTENDENDO MANUM SUAM, eumque frangendo, et subinde A RADICIBUS divellendo, idque vel vi naturali fulminis, aut terræ motus, vel miraculo, etiam rivos et flumina ex eis educendo. Nisi malis hæc referre ad improbam mortalium avaritiam, qua etiam per rupes viam ferro pandunt, montes exscindunt, aurum et gemmas eruunt pene ex inferno, q. d. Hæc omnia, quantumcumque inaccessa et impervestigabilia videantur, aliquando tamen seu naturæ sagacitate, seu divina revelatione patefiunt et in manus veniunt. Sed non ita sapientia: cujus ut summum particula quædam, et quasi vestigium, subinde singulari Dei lumine et dono hominibus obtingit. Ita Methodius, Alexander, Dionysius et alii in Catena.

13. NEC INVENITUR IN TERRA VIVENTIUM,] item Hebræa, ubi *suaviter*, non additur: quanquam in idem redeat.

15. NON DABITUR, quasi condignum pretium, PRO EA AURUM OBRIZUM, seu præstantissimum, q. d. *Ophirizum*, de quo dixi 2. Paralip. 8, v. 18. Sequitur

17. VEL VITRUM, ita etiam LXX. Pagninus cum plerisque Hebræis vertit, *adamantem*, vitrei coloris, incredibilis duritiei gemman; Chaldæus, *speculum*, alii, crystallum.

18. TRAHITUR AUTEM SAPIENTIA DE OCCULTIS,] nempe cœlorum, sedibus, e sinu Patris, seu, ut ait Apostolus Jacobus (1, v. 5 et 17), *a Patre luminum*, a quo nascitur increata Sapientia, Verbum Patris, quod causa et fons est omnis creatæ sapientiæ, ut ait Baruch cap. 3, v. 12 et seq. Unde Gentiles fabulantur de Prometheo (sic dicto απο τησ προμηθιας, id est, prudentia) quod auxilio Minervæ cœlum ascenderit, faculaque in sole accensa nonnihil luminis seu ignis ad homines, quos e luto plasmarat, animandos detraxerit. De quo Plutarchus (in Protagora) et alii.

22. MORS ET PERDITIO,] id est, mortui et perditi in inferno. Allegorice, qui in limbo sunt patres, quantumcumque longævi hic fuerint et docti; damnati item et dæmones, quantumcumque sagaces; non nisi exiguam habuerunt scientiam, et notitiam veræ sapientiæ. Sed ipsa tota penes solum Deum est, in cujus sinu delitescit.

27. TUNC, seu ab initio creationis mundi, VIDIT ILLAM, id est, visibilem fecit Deus sapientiam, per suos nempe effectus, per quos et angelis et hominibus innotesceret, saltem ex parte. ET ENARRAVIT EAM, seu reipsa declaravit cœlo et mundo. ET PRÆPARAVIT, nempe tam hominibus, quam angelis, sapientissime omnia et elegantissime condendo et ornando. ET INVESTIGAVIT, id est, exegit, requisivit ab omnibus ratione utentibus, ut eam agnoscerent, agnitam venerarentur, obsequerentur et parerent in omnibus. Hic enim finis et scopus est omnis elegantiæ et ornatus cœli et terræ, omniumque creaturarum, ut nempe ex iis, tamquam ex libris divinitatis (ut aiebat Trismegistus) disceremus Dei sapientiam, eamdemque laudaremus, coleremus, serviremus.

Allegorice, S. Gregorius hæc exponit de Filio Dei, qui est incarnata Sapientia; quam *vidit* Deus, quia spiritus est: *enarravit*, quia Verbum: *præparavit*, quia remedium: *investigavit*, quia occultum.

28. ET DIXIT HOMINI.] Ac si dicat: Noluit homines esse pro libito censores seu sapientiæ: sed solos spectatores effectuum ejus, et humiles adoratores et servos illius. Quæ servitus in timore Dei filiali consistit, et vitæ puritate: *Deum time et recede a malo.* Ita fere S. Thomas

(2. 2 , quæst. 45, Eccles. 12, v. 13) et Interpretes. Simili periodo etiam Ecclesiastes librum suum concludit : *Deum time , et mandata ejus observa.*

CAPUT VIGESIMUMNONUM.

Job ut refellat quæ Eliphaz cap. 22 sigillatim affinxerat Jobo scelera , sigillatim recenset virtutes suas, quibus ab adolescentia perpetuo emicuit, sed quæ jam defectu virium et mediorum , et multitudine miseriarum , occultabantur : unde optat pristinæ restitui felicitati, quo rursum palam innotescant.

3. LUCERNA *et lumen ejus* , id est, favor et benignitas Dei, me instar splendidissimæ facis illuminans , docens , dirigens , et prosperans , *in tenebris* omnium dubiorum, difficultatum , molestiarum.

4. SECRETO, id est, familiariter, quasi amicus; consiliarius, secretarius , ERAT IN TABERNACULO MEO ,] res omnes domesticas meas dirigens , protegens , secundans.

6. LAVABAM PEDES MEOS BUTYRO.] Est metalepsis , quasi dicat : Tanta mihi erat gregum et armentorum copia, ut lac inde mihi et butyrum copiosissimum proveniret, imo instar aquæ abundans , potuissemque , si voluissem , pedes eo , loco aquæ lavare : nec vel tantillo damno mihi fuisset. Simile habes Genes. 49 , v. 11 , et Deuter. 33 , v. 25.

ET PETRA FUNDEBAT MIHI RIVOS OLEI ,] id est, maximam olivarum et olei copiam proferebat mihi non modo ager fœcundus et cultus, sed etiam petrosus, saxosus et incultus : Deo singulariter omnia benedicente.

7. PROCEDEBAM instar supremi judicis AD PORTAM , in qua exerceri solebant judicia. ET IN PLATEA , seu foro publico, PARABANT MIHI CATHEDRAM , tanquam principi et omnium domino (Job 1, v. 3).

8. JUVENES præ reverentia ABSCONDEBANT SE.

11. OCULUS VIDENS , id est, quotquot me videbant. TESTIMONIUM REDDEBANT MIHI prudentiæ, æquitatis , integritatis.

13. BENEDICTIO PERITURI SUPER ME VENIEBAT,] id est , qui vel suo infortunio, vel aliena malitia perire debuisset, mea ope liberatus , me benedicebat.

15. OCULUS FUI CÆCO , ET PES CLAUDO ,] id est , iis qui vel ignorantia , vel imbecillitate judicii sibi ipsis consulere non valebant, aderam sapienti et fideli consilio. Et qui propter inopiam facultatum , vel amicorum penuriam progredi et expedire non poterant, eorum negotia promovebam et confecta dabam.

17. CONTEREBAM MOLAS INIQUI,] id est, potentiam et avaritiam impii, quibus quasi molaribus , seu lapididibus , seu dentibus, subditos conterere solet, ego prævertens contrivi , etiam vi et armis , si quando esset opus.

18. DICEBAMQUE animo, seu cogitabam fore : IN NIDULO MEO MORIAR,] id est, suaviter et quiete, in patria et palatio meo, fortunis et liberis meis pro voto fruens, in bona senectute lætus expirabo.

ET SICUT PALMA MULTIPLICABO DIES ,] palma enim maxime longæva est, et perenni fronde viret : Chaldæus vertit, *sicut arena*, et hoc proprie significat hebræum חול *chol.* Quanquam etiam significet *phœnicem* , ut hic vertit R. Salomon, Pagninus Mercerus, et quidam alii. Et hoc optime quadrat præcedenti, *in nidulo moriar;* LXX vertunt, *ut truncus* φοινιχος : quod licet S. August. et Olympiodorus de trunco palmæ accipiant, alii tamen de corpore *phœnicis* avis exponunt , quasi dicat : In similitudinem avis phœnicis per mortem in cinere carnis , velut in nido , ad tempus moriar; sed inde resurgam quasi phœnix in vitam et gloriam æternam.

Dices : Fictitia et fabulosa est illa avis. Ita Ulysses Aldrovandus (opere de Avibus) et quidam moderni. Respondeo primo, id valde incertum esse. Nam , ut Pierius ait, omnium veterum auctorum constans est sententia, veram esse avem, et mortuam renasci. Et Gesnerus (de Animalib.) in eam rem citat Manilium , Herodotum , Lactantium, Claudianum , Suidam, Philostratum et plures alios. Imo Tertullianus (l. de Resurrect. c. 13), Ambrosius, Albertus Magnus , adeoque et Ægyptii , phœnicem proferunt in argumentum et symbolum resurrectionis. Respondeo secundo, etsi fabulosa esset avis, posse nihilominus comparationem ab ea desumi : ut desumimus a chimæra, a Cerbero , a campis Elysiis.

19. RADIX MEA APERTA EST.] Solent enim coloni per hiemem removere terram , ut radice liberalius aquam sugant arbores , q. d. Sugebam plenis buccis continuo aquam divini favoris.

24. NON CREDEBANT ,] supple , me ridere , sed aliquid serii in risu meo latere arbitrabantur. Tanta erat modestia mea, et de me opinio.

ET LUX VULTUS MEI NON CADEBAT IN TERRAM ,] id est , splendor, auctoritas, majestas mea non minuebatur nec contemnebatur propter risum.

25. ERAM TAMEN MŒRENTIUM CONSOLATOR ,] q. d. Majestas vicissim de humanitate et comitate nihil detrahebat.

CAPUT TRIGESIMUM.

Recenset intolerabiles miserias, quibus loco pristinæ felicitatis nunc obruitur.

2. QUORUM VIRTUS MANUUM , id est robur, industria , servitium quotidianum quod mihi præstabant , nihili æstimabatur , ut qui VITA PUTARENTUR INDIGNI ,] hebraice, *super quos periit senium*, id est, qui ætatem et vitam inutiliter exigebant.

3. EGESTATE STERILES ,] hebraice *solitarii* , seu sine liberis.

6. HABITABANT SUPER GLAREAM, seu terram lapidosam et sterilem, ut dixi c. 21 , v. 33. Iidem

8. IN TERRA NON PARENTES ,] id est, non au-

dentes comparere, vel lucem aspicere : nempe homines nihili, terræ filii, etc. qui olim nec ausi fuissent, vel a longe sub oculos meos venire, nunc *faciem meam conspuere non verentur*, utpote hominis monstrosi, execrabilis et abominabilis. Nec possum tamen ipsos compescere, aut a me depellere.

11. FRENUM ENIM POSUIT DEUS IN OS MEUM,] id est, coercet, continet, impedit me, neque amplius ea auctoritate polleo, qua solebam tales terrere, et in officio continere.

12. AD DEXTERAM ORIENTIS, seu exortus mei : id est, prope, juxta ortum meum, q. d. Simul atque Dei benignitate deveni ad summam felicitatem, quasi filius ejus recens natus : mox invasit me agmen *calamitatum*, non secus ac solent rami circumdare truncum arboris, aut lictores deprehensum reum.

PEDES MEOS SUBVERTERUNT, ut caderem in terram : et corruentem OPPRESSERUNT SEMITIS, seu pedibus, SUIS, QUASI FLUCTIBUS,] id est, continuis et novis semper calumniis, dolis, injuriis exagitant me.

13. DISSIPAVERUNT ITINERA MEA.] Hebraice, *destruxerunt semitas meas*, scilicet, ut nulla per quam effugiam via supersit.

17. QUI ME COMEDUNT, nempe pediculi et alii vermes, NON DORMIUNT, nunquam cessant me arrodere. Alii metaphorice id exponunt de febribus, aliisque doloribus et calamitatibus seu corporis, seu animi.

18. QUASI CAPITIO TUNICÆ.] Hebraice, *quasi os tunicæ;* græce, *circumorale*, quod os seu collum undique cingit et stringit; ita et vermes me undique cingunt et arrodunt.

19. COMPARATUS SUM LUTO, propter ulcera, saniem et sordes : ET FAVILLÆ et CINERI, propter furfures decidentes.

21. MUTATUS ES MIHI IN CRUDELEM,] id est, in severum, austerum. Quod humano more loquendi est esse *crudelem.*

22. SUPER VENTUM PONENS,] id est, loco altissimo, ex quo decidens, *eliderer.*

24. VERUMTAMEN NON AD CONSUMPTIONEM, seu, ut penitus consumat, puta etiam secundum animam, nam hæc est immortalis. ET SI CORRUERINT, seu morte occubuerint, IPSE SALVABIS,] id est, suo tempore rursus excitabis. Hebraice, *si in contritione*, seu dum morte conteruntur, *clamor eis* adfuerit, id est, ad te clamarint, te invocarint. Græce est, *utinam possem* (supple, bona tua venia) *meipsum occidere*, *aut alium rogare ut hoc mihi præstet!* Innuit intolerabilem dolorum acerbitatem, inquit S. Ambrosius (l. 2 de Interpellatione), Augustinus, Basilius, Chrysostomus, Olympiodorus et alii in Catena.

28. MOERENS fui SINE FURORE : nam patienter tuli quantoscumque cruciatus : etsi præ nimiis doloribus cogerer, etiam *in* promiscua hominum TURBA *clamare* et ejulare. Quod in viro gravi et constanti signum est extremæ anxietatis.

29. FRATER enim FUI DRACONUM ET STRUTHIONUM.] LXX pro draconibus habent, *sirenes ;* Olympiodorus (Isaiæ 13, v. 22) legit, *instar alcyonum et ulularum*, q. d. More istorum animalium, præ nimiis doloribus ululabam, sibilabam, stridebam.

CAPUT TRIGESIMUMPRIMUM.

Enarrat plures alias virtutes suas, quibus a puero assuevit : removens scelerum a se suspicionem, quæ semper exhorruit : denique Deum ipsum citat et optat judicem suæ innocentiæ.

2. QUAM PARTEM HABERET IN ME DEUS?] id est, quomodo habitaret in me, quomodo mihi sua gratia et favore, quasi filio et hæredi adesse vellet Deus? q. d. Soli casti sunt filii, hæredes et templum Dei : impuri dæmonum sunt cloacæ, et inferni mancipia, longe *alienati* à Deo, v. 3 et *perditi* æternum.

6. SCIAT, seu scire se demonstret SIMPLICITATEM et innocentiam MEAM,] nempe justa sententia sua illam declarando.

12. Adulterium IGNIS EST USQUE AD plenam, imo æternam, PERDITIONEM DEVORANS : nam instar flammæ absumit omnia corporis et animi bona, opes, famam, honorem, amicos, valetudinem, vitam præsentem et futuram, ET OMNIA ERADICANS GENIMINA,] nempe posteros et legitimam stirpem, quæ vel non subnascitur, vel nata, ab offensis seu hominibus, seu Deo extirpatur.

21. IN PORTA,] id est, in publico judicio, cum judices faverent meæ causæ adversus pupillos : non tamen eos violente oppressi, aut debitum extorsi.

27. SOLE *fulgente* aut LUNA, SI LÆTATUM : hebraice, *si lactatum* (ut legit Ribera) vel, ut alii, si deceptum EST COR MEUM, ut nempe putarem, illa sidera deos esse : atque in signum reverentiæ et adorationis (cum non possem ipsa sidera contingendo, vel e propinquo osculando, adorare), *manus meas* e longinquo versus ipsa protenderim, et mox quasi luce illorum perfusas OSCULATUS SIM,] ita Rabbini, Mercerus, et S. Thomas. De hac adorandi cæremonia vide S. Hieronymum (l. 1 cont. Ruff.), Minutium (in Octavio), Apuleium (in Apolog., et l. 4 de Asino) et Plinium (l. 28, c. 2). Alii explicant metaphorice fulgorem solis et lunæ lætam fortunam et prosperos successus : quos dum quis suæ industriæ acceptas fert, dicitur *osculari manum suam*, quasi fontem et causam tanti boni, ut faciebat Nabuchodonosor, Daniel. 4. Ita fere Chrysostomus, Olympiodorus et alii in Catena.

30. Neque *expetii* ANIMAM, seu vitam, *ejus qui me oderat*, MALEDICENS, id est, malum aliquod ei imprecans : licet ille tam proterve, tam indigne me injuriis incesseret, ut VIRI TABERNACULI MEI, id est, domestici mei *dicerent :* QUIS DET DE CARNIBUS EJUS UT SATUREMUR?] id est, optarent eum dentibus suis discerpere ac devorare (Job. 19, vers. 22). Est enim hoc extremi odii judicium, ut dixi c. 19, v. 22. Ita Paulus Burgensis, Stuniga, Vatablus, Rabbini, Philippus et Olympiodorus in Catena. Alii tamen, ut S. Chrysostomus (in Catena), Lyranus, Titelmannus et S. Thomas id accipiunt ut symbolum amoris, q. d. Domesticis meis tam amicum, tam suavem me exhibui (in Græco additur : *Cum valde bonus* ipsis *essem*), ut carne mea, seu corporis mei præsentia nil eis gratius accideret, eaque satiari nequirent: ita mihi

affixi; ut artus meos absorbere, meque intra sua viscera rapere peroptarent. Idem Allegorice S. Thomas applicat Eucharistiæ (in Officio corporis Christi). Nota. In Hebræo et Chaldæo præposita negatione legitur : *Non saturabimur*. Ac si dicant : Nisi carnibus ejus pascamur, nunquam saturabimur.

33. SI ABSCONDI QUASI HOMO,] hebr. *sicut Adam*. Id est, si peccata mea celavi vel excusavi, sicut olim *Adam*, et sicut quivis alius *homo* solet, ex innata superbia et hypocrisi.

34. SI EXPAVI AD MULTITUDINEM, quo minus pro justitia pronuntiarem : ET TERRUIT ME DESPECTIO PROPINQUORUM : nempe cum me calumniis, aut etiam conviciis, incesserent propinqui ejus cui causam adjudicabam. TACUI tamen ad illa et dissimulavi : nec præ pudore aut impatientia EGRESSUS SUM OSTIUM *ad illa fugienda*.

35. QUIS MIHI TRIBUAT AUDITOREM, seu cognitorem et judicem Deum; ET IPSE LIBRUM SCRIBAT, nempe processus et causæ meæ ? q. d. Ex eo libro pateret palam mea innocentia. Quare fidenter eum circumferrem QUASI CORONAM honorificam.

37. PER SINGULOS GRADUS (hebraice, gressus) *pronuntiarem*, seu prælegerem illum, etiam coram quovis *principe*, quantumcumque potente et præcellente, q. d. Adeo præfido causæ meæ, ut nullius tribunal, ne Dei quidem, subterfugiam : imo sponte ad eum appellem.

38. SI TERRA MEA, seu agri a me possessi, ADVERSUM ME pro alio justo domino, cui illos eripuerim, CLAMAT vindictam : aut SULCI DEFLENT,] id est, agricolæ mercenarii et operæ queruntur de non solutis stipendiis; maledicat Deus omnibus frugibus meis. Hac porro imprecatione, simulque ad Deum appellatione finit Job orationem suam pro innocentia sua, Deo ejusque providentiæ reliqua committens.

CAPUT TRIGESIMUMSECUNDUM.

Fessis jam et cedentibus tribus amicis, quartus incipit Eliu, jactans se longe aliis et validioribus argumentis convicturum Jobum, sed, ut ex progressu patebit, nec validioribus, nec novis argumentis, sed solis verborum novis ampullis Jobum aggreditur. Estque insignis typus superbiæ, inquit S. Gregorius.

1. EO QUOD JUSTUS SIBI VIDERETUR,] neque pateretur sibi contrarium persuaderi, LXX. pro *sibi* habent, *ipsis*, q. d. Tandem amici rationibus Jobi persuasi, innocentem ipsum esse, conticuerunt deinceps : Cum filum resumit,

2. ELIU BUZITES, ex progenie *Buz* filii *Nachor*, fratris *Abrahæ*, Genes. 22, v. 51.

DE COGNATIONE RAM,] LXX *Aram*, adduntque de *Ausitidis regione* fuisse, in qua eadem erat terra *Hus* patria Jobi, ut vidimus c. 1, v. 1. Chaldæus vertit, *de cognatione Abrahæ;* alii appellative vertunt, *de cognatione illustri* : nam *ram* illustrem significat. Recte et vere omnes. Sed falso Hebræi putant, hunc *Eliu*, *Balaam* fuisse qui tempore Moysis maledixit Israelitis : nam *Eliu* cum *Jobo* longe antiquiores sunt Moyse, ut patet ex Chronico c. 16.

8. SPIRITUS, id est, *inspiratio Dei*, ut sequitur : unde Chaldæus vertit, *spiritus prophetiæ*, q. d. Non cani, non senium, non longa vita dat veram sapientiam, et rerum intelligentiam, sed solus Deus. Ita Olympiodorus.

13. NE FORTE DICATIS, pro, nec est quod dicatis, vos reperisse sapientem et solidam rationem, qua Jobum impietatis conviceritis, nempe hanc, quod Deus, qui infinite et per essentiam justus atque infallibilis est, Jobum PROJECIT in has miserias, NON vero HOMO quispiam, qui potest falli et injuste punire. Unde infertis, Jobum impium esse debere, suaque impietate pœnas has sibi accersivisse : et hoc tanquam Achille conamini Jobum convincere. Dico, me hoc vestrum argumentum parvi facere. Neque tamen Jobo propterea palmam concedo : nam et ille NIHIL LOCUTUS EST MIHI, v. 14, id est, mea quidem sententia nil solidi pro se attulit. Unde ET EGO RESPONDEBO ILLI, et, ut spero, convincam, sed NON SECUNDUM VESTROS SERMONES, id est, non argumentis quæ vos hactenus protulistis, sed aliis longe efficacioribus.

15. EXTIMUERUNT,] pro, extimuistis. More thrasonis vel hominis irati, avertens se cum indignatione, transit a secunda ad tertiam personam, q. d. Indignum est et probrosum, tantos viros seu metu, seu inscitia, obmutuisse.

21. EGO NON ACCIPIAM PERSONAM VIRI, neque curabo quod Job tanti principis munere functus sit. ET DEUM HOMINI NON ÆQUABO,] id est neque patiar ut Job, homo cum sit, se Deo æquet, irreprehensibilem justitiam sibi arrogando. LXX vertunt : *Mortalem non reverebor;* Vatablus et recentiores Rabbini : *Non blandiar cuiquam honorificis compellationibus*, q. d. Propter nullius majestatem aut dignitatem deviabo a vero et æquo : idque ob timorem Dei judicis mei, qui forte me jam jam rapiet ad tribunal suum.

CAPUT TRIGESIMUMTERTIUM.

Etiam Eliu negat Jobum justum et innocentem esse, neque ad ejus impietatem declarandam judicio divino, ad quod Job provocarat, ait, opus esse verbali eloquio aut voce Dei : multis et variis modis Deum loqui solere, atque in præsenti, re ipsa, sat manifeste ipsum loqui, et declarare Jobum nocentem esse, quando ipsum tot pœnis tam acriter castigat et punit.

4. SPIRITUS DEI, seu Deus qui est spiritus, creavit ME : ET SPIRACULUM,] id est, anima, quæ Gen. 2 vocatur *spiraculum vitæ*, q. d. Ab eodem auctore processimus, et simili modo conditi sumus : quare non est cur me vel mea dicta contemnas.

7. MIRACULUM MEUM,] id est, mira et stupenda quæ dicam.

10. QUERELAS IN ME REPERIT.] Hebraice : *Adversum me invenit irritationem :* vel occasionem querendi de me, meque puniendi quæsivit et invenit Deus, perinde ac si essem ipsi *inimicus*. Repetit, sed sinistre explicat quæ dixerat Job

supra in fine cap. 13. miserias suas graphice depingens.

12. *Hoc est ergo*, *in quo non es justificatus*, sed peccas; quod nempe de Deo quasi de injusto tyranno quereris. Neque opus habeo aliud ad id *respondere* TIBI, quam quod MAJOR SIT DEUS HOMINE, possitque cum illo, utpote creatura et mancipio suo, facere quod placet, nec teneatur rationem ullam illi reddere. Unde immerito conquereris secundo, QUOD NON AD OMNIA VERBA, seu ad omnes tuas petitiones, quibus divinum judicium implorasti, c. 23, v. 5, et c. 30, v. 20. e vestigio RESPONDERIT TIBI,] neque enim tenetur Deus nobis, quoties et quando et quomodo lubet, respondere.

14. SEMEL LOQUITUR DEUS. Hebraice, *in una*, seu uno modo, indicat Deus mentem suam : neque necesse est, ut SECUNDO idem REPETAT.] Hebraice, *in duabus*, q. d. Non opus est ut Deus multis et variis viis ac rationibus, instar causidicorum, exponat, et probet hominibus cur quodque agat. Sat nobis esse merito debet, quod vel una via, et una vice id manifestet, puta vel per vocalem internam aut externam locutionem, eamque vel in somnis, vel in vigilia, per se, per Angelum, vel per Prophetam. Vel absque vocali locutione, per aliquam realem actionem suam, mala puniendo, bona remunerando, manifestat nobis causas actionum suarum, v. g. puniendo te tot morbis, tot plagis, aperte indicat te injustum fuisse : neque enim puniret te, nisi pœnas promeritus fuisses. Hos loquendi modos prosequitur à v. 15 usque ad 23. q. d. Sat tibi sit oportet, quod hoc reali modo loquendi Deus tibi ad ejus judicium provocanti respondeat : cui responso ac sententiæ debes prompte acquiescere et obedire. Idem monet Psalmista Psalm. 94, vers. 8. et ex eo S. Paulus Hebr. 3 et 4, v. 7 : *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

22. VITA APPROPINQUAVIT MORTIFERIS,] supple, morbis, doloribus, paroxismis : ingruente præsentissimo vitæ periculo.

23. SI tum forte FUERIT PRO EO ANGELUS, id est, nuntius, interpellator, mediator, LOQUENS, UNUS DE MILLIBUS, id est, si dum Deus peccatorem morbo juste punit, inveniatur ex infinitis Angelorum vel piorum hominum myriadibus vel unus, qui intuitu *æquitatis*, seu bonorum aliquorum operum præteritorum, vel præsentium, vel novi emendandæ vitæ propositi, et seriæ pœnitentiæ istius *hominis* peccatoris, *loquatur* et intercedat *pro eo* apud Deum, continuo MISEREBITUR EJUS.] Quem locum nota tum pro meritis bonorum operum, et efficacia pœnitentiæ : tum pro invocatione et intercessione Sanctorum.

26. REDDET HOMINI JUSTITIAM SUAM,] nempe gratiam ante per peccatum deperditam restituet pœnitenti Deus cum novo gratiæ auctario. Chaldæus vertit, *secundum justitiam suam*, nempe condigna præmia reddet homini temporalia et spiritualia, ut nullam habiturus sit homo causam amplius dolendi vel querendi. Quin potius

27. RESPICIET HOMINES,] LXX. *Accusabitis homo seipsum apud alios homines*, et confitebitur palam, se juste a Deo punitum fuisse, nec tamen pro merito aut mensura scelerum suorum : sed valde benigne clementerque secum actum.

29. ECCE, HÆC OMNIA, nempe, punire nocentem, pœnitenti parcere, et ampliorem gratiam reddere; OPERATUR DEUS non in uno solo homine, sed PER SINGULOS : nec una solum aut altera vice, sed TRIBUS, id est, multis, VICIBUS,] est enim ternarius signum multitudinis seu universitatis, ut et septenarius, de quo dixi c. 5, v. 19, q. d. Hic modus agendi cum hominibus, et sic eos ad mentem et justitiam revocandi, est Deo perfamiliaris et maxime usitatus.

32. VOLO TE APPARERE JUSTUM,] nempe si justus es, ut dicis, volo id palam et manifestum fieri, et probari à te si quibus potes rationibus et argumentis : neque enim teneor credere solum asserenti, maxime in propria causa.

CAPUT TRIGESIMUMQUARTUM.

Ad jactabundi hominis verba prudenter silente Jobo, Eliu blasphemiæ ipsum incusat aliorumque criminum : fuse demonstrans, Deum in judiciis suis nunquam errare aut injuste agere.

3. AURIS VERBA PROBAT.] Hunc versum explicui cap. 12, v. 11.

4. JUDICIUM ELIGAMUS NOBIS, id est, in modum judicii publici pro tribunali, causam hanc excutiamus, disceptemus INTER NOS justis rationibus, et VIDEAMUS uter nostrum MELIUS sentiat, et verum dicat, quasi dicat : Vos appello et facio judices.

5. DIXIT JOB. Et hæc controversia nostra : DEUS SUBVERTIT; Hebraice, *abstulit*, *removit*, JUDICIUM MEUM. Ita vere dixerat Job cap. 27, v. 2. Sed invidiose exaggerat Eliu, cum addit dixisse Jobum : IN JUDICANDO ME MENDACIUM EST, seu error in divino judicio, pro eo quod dixerat errari ab amicis, et mendaci seu fallaci sequela se impium ab illis judicari, eo quod affligetur à Deo.

7. BIBIT JOB SUBSANNATIONEM QUASI AQUAM,] id est, profuse, copiose, sine sensu mali subsannat, et contumeliosus et blasphemus est in Deum. Vide c. 15, v. 16. Sed en novam calumniam.

9. DIXIT JOB : NON PLACEBIT VIR DEO, ETIAMSI CUCURRERIT CUM EO,] supple, viam mandatorum ejus : vel, etiamsi prompte et celeriter executus fuerit omnia mandata Dei. Sic dicitur homo *ambulare cum Deo* (Gen. 5, v. 24), quando divinæ voluntati per omnia se accommodat. Calumniose hoc affingit Eliu Jobo, qui nil tale dixerat, sed solum, tractari interdum perinde a Deo pios, sicut impios, nempe quoad externos casus et eventus, cap. 21 et aliis. Nusquam vero negavit justos placere Deo, vel præmium habere repositum apud Deum.

13. QUEM ALIUM a se CONSTITUIT Deus gubernatorem vel judicem SUPER universam TERRAM?] id est, nonne solus Deus est supremus hominum, totiusque universi dominus et judex, sicut solus est creator ejusdem? Quis ergo do-

cebit Deum, vel leges illi præscribet, quibus mundum regere debeat? quasi dicat: Regit Deus mundum pro libito et placito suo, facitque in eo quod vult et prout vult.

14. SI DIREXERIT AD hominem COR SUUM, vel si posuerit in corde suo, id est, si Deo libuerit hominem etiam immerentem perdere, facillimum id ei esset, nec posset argui injustitiæ. Nam SPIRITUM ET FLATUM, id est, animam et halitum, quo jure et qua facilitate homini dedit, eadem potest rursum *trahere ad se.*

18. QUI DICIT REGI, APOSTATA. Hebraice, *Belial* (Deut. 13, v. 13, Prov. 6, v. 12). Supple ex vers. præced. *An sanari poterit* in causa et lite sua? quasi dicat: Quæ spes reo triumphandi in causa, qui regem seu judicem suum arguit impietatis, apostasiæ et infidelitatis? ET DUCES, id est, principes ac magistratus, seu superiores suos, VOCAT IMPIOS?] Sicut tu blaspheme in Deum Opt. Max. judicem tuum supremum inveheris.

19. Qui tam justus est, ut nullius, ne potentissimi quidem *tyranni* seu *principis*, PERSONAM ACCIPIAT, nec illum agnoscat præ paupere mendico coram divino tribunali suo.

20. ABSQUE MANU valida, sive copiis militaribus, facillime AUFERENT seditiosi POPULI VIOLENTUM tyrannum de medio, IN MEDIA NOCTE, in tenebris et ex improviso: si justo suo judicio Deus ita vel decernat, vel permittat.

23. NEQUE ENIM ULTRA, cum semel a Deo condemnatus est *homo*, IN ejus POTESTATE vel arbitrio EST, UT VENIAT, iterum AD DEUM IN JUDICIUM, seu appellet a male informato ad melius informandum: multo minus, ut ab illius sententia appellet ad aliud tribunal: aut executioni sententiæ moras injiciat, fraudes nectat, novas tenebras offundat, ut fit in hominibus.

26. QUASI IMPIOS, seu more latronum et furum publice convictorum, PERCUSSIT EOS, id est, supplicio afficit etiam potentissimos reges, idque non clam, sed IN LOCO VIDENTIUM,] id est, palam et in propatulo, coram toto mundo: ut publice pudefacti, ab omnibus explosi et exsibilati cedere cogantur et regno, et vita. Ea vis est et efficacia sententiæ divinæ. Alioqui

29. IPSO *Deo* CONCEDENTE tyranno PACEM, QUIS tam potens, tam audax EST, QUI hunc seu CONDEMNET seu puniat? Et ex QUO ABSCONDERIT Deus VULTUM suum, dissimulans se videre nequitias illius: QUIS tam lynceus EST QUI CONTEMPLETUR EUM, et palam probet, atque in publicum proferat scelera ipsius? idque seu SUPER GENTES, seu SUPER OMNES HOMINES,] id est, hæc contingunt tam circa universos, quam circa singulos; tam circa nationes integras et regna, quam circa personas particulares.

30. QUI REGNARE FACIT HOMINEM HYPOCRITAM, seu impium, PROPTER PECCATA POPULI.] Nam vel hæc sola sunt justa causa, cur subinde Deus impios et sceleratos principes seu provehat ad regnum, seu toleret in regno. Quare qui talibus principibus expediri volunt, ipsi prius se suis sceleribus expediant.

33. NUMQUID a TE, O Job, EXPETIT DEUS iniquitatem, seu ut inique sentias, judices et loquaris de DEO, *quia* ipse DISPLICUIT TIBI, justo suo judicio flagellans te? quasi dicat: Extreme Deo displicet hæc tua obmurmuratio, qua adversus Deum COEPISTI OBLOQUI.

36. PATER MI, addit Chaldæus, *qui es in cœlis*, fac ut JOB HOMO INIQUITATIS, seu nequissimus, PROBETUR continuis flagellis USQUE AD FINEM,] id est, diu multumque, donec resipiscat.

37. INTER NOS INTERIM CONSTRINGETUR,] id est, nostrum omnium communi calculo et judicio (ad quod v. 4 provocavi) condemnetur Job, et falsitatis ac blasphemiæ reus declaretur. Hoc solum jam postulo. Tum, per me licet, provocet ad divinum tribunal, quamdiu lubebit.

CAPUT TRIGESIMUMQUINTUM.

Pergit Eliu falso accusare Jobum, quasi dixisset, Deo cordi non esse pios præ impiis, docetque si non Deo, certe ipsi homini, et pietatem prodesse, et impietatem obesse plurimum.

3. DIXISTI ENIM, NON placere Deo, QUOD RECTUM EST. Hanc calumniam impegerat etiam Jobo cap. præced., v. 9. Item dixisti: QUID DEO PRODERIT, vel oberit, SI EGO PECCAVERO?] q. d. Non curat Deus quid agant homines seu boni, seu mali; cum nihil ab utrisque seu commodi, seu detrimenti accipiat. Nunquam id Job dixerat.

8. HOMINI, QUI SIMILIS TUI, seu peccator, EST; NOCEBIT IMPIETAS sua, sicut tibi jam nocet *tua*, q. d. Etsi Deo non possit nocere impietas impii, valde tamen nocet ipsimet impio. Sicut *justitia* cujusque prodest *filio hominis*, id est, cuique homini juste operanti. Uterque enim condignam meritis suis mercedem accipiet a Deo.

9. CLAMABUNT ad Deum, supple, pauperes et afflicti, q. d. Etsi Deo non noceat impietas impii, quia tamen nocet membris et filiis ejus, nempe pauperibus et afflictis, quia ad Deum pro vindicta et ope clamant; hinc punit impietatem illam Deus perinde ac si sibi noceret. Quod vero subinde non puniat, sed sinat pauperem et afflictum sub jugo impii tyranni diutius gemere, inde contingit, quod pauper ille.

10. NON DIXIT, UBI EST DEUS?] id est, non confugit ad Deum, nec fidit divinæ potentiæ ac providentiæ.

QUI DEDIT CARMINA IN NOCTE,] id est, qui materiam canendi carmen Eucharisticum, nempe lætam et prosperam fortunam, solet clientibus suis subministrare, etiam in media tribulationum nocte. LXX, *Qui ordinat custodias nocturnas*, seu phalanges angelorum disponit ad custodiendum, eripiendum et salvandum te. Unde Chaldæus vertit: *Ante cujus conspectum angeli Excelsi ordinant laudem in nocte*, seu præsidium et subsidium miseris, unde Deus singulariter laudetur. Vide S. Chrysostomum,

Olympiodorum et alios in Catena, et S. Gregorium hic.

11. Qui docet nos super, seu plusquam, jumenta,] id est, efficit ut scientia et sapientia præstemus bestiis, q. d. Etsi hæc non semper in oculos incurrant, oportet tamen mente concipiamus, qua bestiis præcellimus. Hæc enim causa esse solet, cur e suis miseriis pauperes non eruantur; et cur, dum

12. Ibi, id est, in suis afflictionibus et miseriis, clamabunt, ejulabunt, et lamentabuntur apud homines propter superbiam malorum tyrannorum, tamen non exaudiet] illos Deus: quia nempe, non attollunt mentem et cor ad Deum, sola terrena solatiola et auxilia quærentes.

13. Non ergo frustra (Hebraice et Chaldaice, *vanitatem;* LXX, *indecentia,* seu res indecentes) audiet Deus,] id est, qui tam vane et indecenter, ac proinde frustra cum Deo agunt, illum seu negligendo, seu contemnendo, saltem opem ejus non humiliter implorando, non est quod sperent se adjutum iri à Deo. Unde tibi, o Job, suadeo, id facias quamprimum, et opem divinam, promptam paratamque semper, ex animo implores.

14. Etiam cum dixeris in mente, id est, etiamsi tibi surrepat cogitatio, Deum nostra non considerare, seu non curare; statim illam mente excludas, et judicare coram illo, id est, permitte te tuamque causam libero judicio et arbitrio ac nutui divino: et *sic* expecta] certissimam ejus opem.

15. Nunc enim in præsenti vita, licet peccatores pro meritis puniat, tamen non infert furorem suum, nec liberas iræ suæ laxat habenas, nec ulciscitur scelus valde,] seu extreme, vel pro condigno, sed semper misericordiæ locum relinquit. Illa jam utere, si sapis.

CAPUT TRIGESIMUMSEXTUM.

Fortius urget Eliu, ut Job se ex animo convertat ad Deum, utpote quem suis sceleribus, ac nominatim injustis pro tribunali sententiis, provocarit ad tantam iram.

3. Repetam a principio,] seu a capite, id est, altius exordiar.

7. Reges justos et probos in solio regio collocat Deus in perpetuum,] id est, quoad vivunt: et ut in filios ac posteros quoque, si paternæ justitiæ imitatores fuerint, regnum transmittant.

10. Revelabit aurem eorum.] Id est, indicabit eis clare et aperte, ob quæ sua scelera puniantur.

13. Neque clamabunt] *hypocritæ* ad Deum, quia etiam dum corripiuntur et puniuntur, nolunt videri deliquisse, quare nec liberabuntur a Deo; sed ut sequitur,

14. Morientur in tempestate.] Hebraice *cum rugitu*, id est, horribili morte, vel ut LXX et Chaldæus vertunt, *in adolescentia sua*, id est, intempestiva et præmatura morte.

Et vita eorum inter effeminatos.] Hebraice, *inter cinædos*, qui ob fœdissimam turpitudinem solent exosi esse Deo et hominibus, et fere violenta ac probrosa morte in prostibulis cadere: unde LXX legunt, *vita eorum vulnerata ab Angelis.*

15. Pauperem vero humiliter resipiscentem, et ad Deum pie clamantem; et consequenter te] quoque, si talis esse volueris.

16. Salvabit de ore angusto, seu angustiæ, quasi ex rictu feræ pessimæ eductum. Per prosopopœiam enim tribuit *angustiæ*, ac si fera esset, os hians ad devorandum. Et vero miseriis conteritur et absumitur paulatim homo, quasi dentibus feræ crudelissimæ. Vel, si mavis aliam metaphoram, absorbetur quasi hiatu foveæ profundissimæ, et non habente fundamentum, seu fundum, subter se, ex quo possis emergere. Quod S. Gregorius moraliter de immenso *vitiorum profundo;* Philippus et quidam alii in Catena, allegorice de *inferno* exponunt. Ex quo Deus te, si resipiscens, opem ejus inclames, latissime salvabit: Hebraice et Chaldaice, *dilatabit te ne* amplius *sis in angustia:* et erit requies mensæ tuæ plena pinguedine,] id est, omnibus bonis ac deliciis quiete affiues, ac si mensæ instructissimæ assideres. Hæc expende, o Job: et sano consilio obsequere. Jam enim, ut palam constat,

17. Causa tua quasi impii judicata est, seu convictus es impius esse. Unde et impiæ causæ judicium, id est, pœnam, recipies,] si pergas impius esse. Sed jam resili, si sapis, et evita deinceps peccata ob quæ puniris.

18. Non amplius te superet ira: nec multitudo donorum inclinet te] ad injusta judicia.

19. Depone magnitudinem, seu superbiam animi tui, absque tribulatione, id est, spontanee et ultro, neque expecta, ut novis tribulationibus ad id compellaris a Deo. *Depone* etiam omnes robustos fortitudine,] quos hinc inde judices et exactores constitutos habes: nam si pergas illos fovere, et ipsi violente pauperes opprimant, ut solent, peccata illorum in te recident.

20. Ne protrahas noctem, justo diutius stertendo, vel comessando, sed tuis perinde ac tibi invigila: ut ascendant populi pro eis,] id est, ut subditi et clientes tui possint tempore commodo pro causis et negotiis suis te semper interpellare.

24. De Deo, divinisque operibus cecinerunt viri] eruditi, insignes Philosophi, Theologi, Prophetæ. Quin et

25. Omnes homines vident eum, seu cognoscunt, sed procul,] et a longe, nempe non *intuitiva*, sed abstractiva cognitione: si nempe velint vel tantillum oculo mentis attendere: nam ex fabrica et gubernatione mundi, adeoque ex omnibus operibus ejus ac creaturis, quasi ex certis vestigiis, Deus creator agnosci potest. Ita S. Gregor.

31. Per hæc, nempe fulgura, pluvias, imbres, et alias tempestates, judicat, id est, terret populos] simul et pascit eosdem.

32. In manibus suis, seu apud se, cum vult, abscondit lucem,] ne nobis appareat, v. g. per noctem, per densas nubes, per substractio-

nem radiorum miraculosam, ut fecit Exodi 10 in Ægypto, et Matth. 27 in passione Christi.

33. ANNUNTIAT DE EA luce AMICO SUO, id est, amicis suis eam impertit, ut fecit Israelitis Exodi 10, v. 23. eo QUOD POSSESSIO illorum SIT, et jus habent ad lucem, quasi ad propriam hæreditatem; nam propter illos et lucem et alia omnia Deus creavit: unde ET AD EAM ASCENDERE] *possunt*, seu pertingere, et compotes illius fieri, tum in præsenti, tum in futura vita. Nam hæc non tam ad litteram de *lumine naturali*, quam allegorice, de *lumine fidei* et *gratiæ*: et anagogice, de *lumine gloriæ*, S. Gregorius, S. Thomas, et alii Patres ac Doctores interpretantur.

CAPUT TRIGESIMUMSEPTIMUM.

Ex fulmine, tonitru, ventis, imbribus, et horum mirabilibus effectibus concludit tandem Eliu, inscrutabilia esse Dei judicia, sicut etiam est ejus potentia, majestas et sapientia: unde monet Jobum, ut se nutui divino penitus subjiciat, integreque permittat.

2. TERRORE VOCIS EJUS,] id est tonitru, quod DE ORE, id est, Imperio, Dei *procedit*. Videtur enim vulgi opinione Deus, quando tonat, vociferari more hominis irati.

3. SUBTER OMNES COELOS, id est, omnia sublunaria, IPSE CONSIDERAT,] perlustrans suo fulmine, quod quasi facem infert in omnia etiam abditissima loca.

4. POST EUM sic omnia suo fulmine lustrantem; Hebraice est, *post ipsam*, nempe lucem; vel, *post ipsum*, fulmen, RUGIET SONITUS] tonitrui. Licet enim tonitru præcedat fulmen: fulmen tamen prius a nobis conspicitur.

ET NON INVESTIGABITUR,] id est, non poterit perfecte ab homine cognosci seu modus formationis, seu terminus; seu effectus tonitrui: quanto minus ipse Deus, divinaque potentia, sapientia, majestas?

7. QUI IN MANU OMNIUM HOMINUM SIGNAT.] Hebraismus est, pro, manu seu potentia sua divina (quam singulariter exerit, dum tonat, pluit, aliasque tempestates excitat) aperte ostendit se omnium hominum personas et res omnes obsignatas habere quasi sera, claustro vel sigillo, ut habent LXX. In Hebræo est, *in manu omnem hominem clausum tenet.* Nam tonando, fulminando, pluendo, ningendo, et quasvis pro libito tempestates ciendo, re ipsa demonstrat, et quasi sigillis signat, se absolutum esse Dominum universi et omnium hominum. Vultque UT SINGULI NOVERINT OPERA SUA,] id est, opera hæc omnia a Deo esse, et a manu divina. Frustra ergo Franc. Valesius (de S. Philos. c. 32), et quidam alii conantur, ex hoc loco astruere chiromantiam physicam seu naturalem, qua ex manu hominis colligatur indoles animi ejusdem, sicut et ex physiognomia vultus. Neque enim hic sermo est de manu hominis, sed de *manu Dei.*

9. AB INTERIORIBUS, id est, ab Australi et Meridionali plaga, seu polo Antarctico, qui nobis perpetuo absconditur, quasi intra terræ viscera, ut dixi cap. 9, vers. 9. Inde oritur TEMPESTAS, seu ventus tempestuosus, quia calidus et humidus, pluviarum parens. AB opposito vero ARCTURA,] seu Septentrione frigidi venti procedunt. Vide ibidem.

13. SIVE IN TERRA SUA,] id est, tota aliqua regione.

15. NUMQUID SCIS QUANDO PRÆCEPERIT DEUS PLUVIIS, id est, ordinarit, UT OSTENDERENT LUCEM NUBIUM EJUS, seu fulgura emittant? quasi dicat: Qui tibi videris omnia scire, scisne quo tempore et qua ratione nubes, totæ aqua cum sint, tamen fulmen et ignem ejaculentur? ET MAGNAS ET PERFECTAS SCIENTIAS?] Id est, multaque alia de nubibus et aliis rebus naturalibus vere stupenda et scitu dignissima?

18. COELOS, QUI SOLIDISSIMI QUASI ÆRE FUSI SUNT.] Hebraice, *quasi aspectus* seu speculum *fusionis*; Chaldaice, *sicut speculum fusile*, seu extensum, nitidum, splendens, durum, firmum; ut solent esse ænea specula bene tersa et polita.

20. QUIS NARRABIT EI, seu digne ipso, vel coram ipso, causas et modos exponere ausit eorum quæ loquor, et jam dixi, de nubibus, fulmine, tonitru, ventis? q. d. Potius obmutescet quivis, etiam doctissimus. SI LOCUTUS FUERIT, et illa exponere voluerit, DEVORABITUR,] absorbebitur multitudine, profunditate et mirabilitate rerum. Quanto magis qui secreta Dei judicia scrutari tentarit, *opprimetur a gloria.* Si enim

21. NUNC NON VIDENT LUCEM, seu rationem et modum et causam lucis corporeæ non intelligunt: si enim corporalem lucem cœli quantumcumque fulgentissimam videre non possunt, cum nubibus aer obducitur; quanto minus lucem spirituale et alia arcana divina?

22. AB AQUILONE AURUM VENIT;] LXX, *à Borea veniunt nubes aurei fulgoris*; vento enim Aquilonari discussis nubibus serenatur aer, et aurea lux solis et cœli emicat. Et sic cohæret versui præcedenti, q. d. Si aureum jubar Solis oculo tuo ferre non potes, qui poteris lucis illius inaccessæ et divinæ Majestatis radios tolerare? Ita Titelmannus, Vatablus, Mercerus. Quamquam etiam, ut in Latino sonat, proprie verum sit, ex Aquilonaribus regionibus aurum prodire, inquit Franciscus Valesius (de S. Philos. c. 49): nam omnes qui de metallis scribunt, Pannoniam, Bohemiam, Austriam et citeriorem Germaniam inter feraces auri provincias numerant. Et hoc sensu sic formandum esset argumentum: Quid jactas te divina arcana penetrare, qui capere non potes, neque exponere hoc naturæ arcanum? Quomodo aurum non modo in calidis, sed etiam in frigidis regionibus nascatur, et quidem nobilissimum ac præstantissimum? Id vero fit tum per occultas cœli influentias, tum per antiperistasin, calore se intra viscera terræ ob externi frigoris vim cogente et condensante. Allegorice, Auster, est Judæa; Aquilo, frigida gentilitas; calor, est fidei fervor; aurum, charitas, justitia, gloria æterna.

AD DEUM FORMIDOLOSA LAUDATIO,] supple, ascendat: Hebraice, *super Deum terribilem sit laus.* Est enim Hebræis familiaris illa laudis Deo debitæ apprecatio: pro qua nos diceremus, Deo mirabilium istorum patratori sit gloria et laus: sed *formidolosa*, id est, plena timoris et reverentiæ, ob infinitam illius Majestatem, nostrique vilitatem.

CAPUT TRIGESIMUMOCTAVUM.

Deus ipse se disputationi interponit, et reprehenso Eliu ac silere jusso, docet Jobum, cæterosque omnes divinam potentiam ac sapientiam suam esse homini prorsus incomprehensibilem, inductione facta per varias creaturas, et creaturarum operationes ac proprietates, quæ aciem mentis humanæ penitus effugiunt.

1. RESPONDENS, id est allocutus, DOMINUS] *Jobum :* neque enim dignabatur alloquio suo reliquos, utpote in amicum sibi charissimum valde injurios.

DE TURBINE,] id est, e nube obscura, aut caligine procellosa, et quasi tonante. Erat hæc index divinæ Majestatis ac sublimitatis. Sic apparuit etiam postea Moysi et Israelitis Exodi 19, et Eliæ 4. Regum 2. Et significare volebat, calamitatem Jobi, turbinem esse cito transiturum.

2. QUIS EST ISTE] Eliu ? Nam de ipso id exponunt S. Gregorius, Titelmannus, Stuniga, Emmanuel Sa, et alii quidam. Et est hoc probabilius, quam ut Jobo aptetur, qui jam pridem siluerat. Eliu ergo tacere jusso, convertit Deus sermonem ad Jobum ; simul tamen cum Jobo volebat aliis quoque præsentibus aptari sua dicta.

5. Quis, nisi ego, SUPER *terram* TETENDIT LINEAM ?] Chaldæus, *perpendiculum*, q. d. Quis est architectus vel latomus terræ, qui tam recta et concinna forma illam construxit, et quasi circino vel linea circulari circumducta rotundam descripsit.

6. BASES *terræ* et LAPIS ANGULARIS] sunt ipsa terræ a Deo indita stabilitas, qua in loco suo firma et immota consistit, perinde ac si basibus inniteretur, et lapidibus angularibus latera undique stringentibus vinciretur. Ita passim Doctores. Unde non est quod pro his basibus cum Valesio (de S. Philos. c. 52.) confugiamus ad imam terræ partem circa centrum, quam dicit esse gravissimam, solidissimam et quasi adamantinam, multo minus cum Thalete sentiendum, terram aquis, ut lignum innatare. Minime omnium cum Xenophane et Empedocle, immensam esse terræ profunditatem.

7. ASTRA,] id est, sidera proprie dicta, vel allegorice, Angeli, qui *matutini* vocantur, non quod ante mundum creati sint (Gen. 1, v. 1), ut voluerunt Basilius, Nazianz. Origen. Hier. Ambr. Hilar. Damascen. in Catena : sed quia sub prima mundi initia creati sunt. Ita Conc. Lateranense, et Doctores passim : qui addunt Angelos bonos propter excellentia tum naturæ, tum gratiæ dona, merito comparari astris semper lucentibus, nunquam occumbentibus, nunquam cadentibus. Iidem propter eximiam sanctitatis excellentiam vocantur hic *filii Dei*, ut patet ex LXX et Chaldæo. Porro jubilum Angelorum, cujus hic est mentio, describit Isaias cap. 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, etc.

8. QUANDO MARE ERUMPEBAT QUASI DE VULVA PROCEDENS,] LXX, *de ventre matris suæ.* Mater autem maris est omnipotentiæ divinæ sinus, e quo quasi infans prodiit, inquit Olympiodorus, vel est chaos illud seu abyssus Genes. 1, v. 2. unde quasi ex utero prorupit. Hebræi enim formationem et originem cujusque rei vocant egressum e *matrice.* Qua eadem phrasi etiam *Verbum* divinum Psal. 109, v. 3. dicitur *genitum ex utero* Patris.

9. CALIGINE] designantur tenebræ illæ quæ erant super faciem abyssi. Genes. 1, vers. 2. Porro

10. VECTIS et OSTIA] maris sunt sinus, promontoria, littora, et alii termini.

12. *Numquid post ortum tuum* (Hebr. et Chald. *a diebus tuis*, seu ex quo natus es) *præcepisti diluculo*, id est, fecisti oriri lucem matutinam ? *et ostendisti auroræ locum suum*, ubi sol vel æstate, vel hieme oriri debeat ?

13. EXTREMA, hebraice et græce, *alas*, id est, cardines, TERRÆ, quasi dicat : An potes tu, conservato orbe terrarum, excutere ex eo impios perinde ac si VESTIMENTUM *stans* seu permanens integrum, mundares excusso inde *luto* et sordibus quo fœdabatur ? Hoc est enim quod dicit : RESTITUETUR terræ UT LUTUM, id est, ex veste excutietur instar luti, SIGNACULUM,] id est, homo, qui est verum signaculum seu imago signata Dei. Ita fere LXX (Genes. 1, 2. 26), et Chaldæus.

17. OSTIA TENEBROSA.] Chaldæus addit, *gehennæ ;* LXX, *janitores inferni te videntes stupuerunt.* Id factum, inquit Chrysostomus, quando Christus in infernum descendit.

21. SCIEBAS TUNC, cum ego lucem crearem, etiam ante solem, Gen. 1, v. 3. *quod* et quando NASCITURUS ESSES ?]

22. THESAUROS (Chaldæus, *apothecas*) NIVIS ET GRANDINIS, PRÆPARAVI IN TEMPUS HOSTIS,] id est, quando per illa volo perdere hostes. Ut factum Exodi 9 et 13, Josue 10 et alias sæpius.

30. SUPERFICIES ABYSSI glacie CONSTRINGITUR.] Phrasi hebræa per *abyssum* potest accipi quævis aquarum vorago, etiam in lacubus et paludibus. Quamquam constet ipsum quoque mare non paucis locis gelu concrescere : ut de mari glaciali, et locis sub octavo altitudinis gradu, experientia constat.

31. Tunc ita *junges* septem STELLAS PLEIADAS, ut ego conjunxi ? De his egi c. 9, v. 9, q. d. Tune poteris cœli terræque ordinem pro libito mutare, ut possum ego ? S. Gregorius per septem Pleiadas accipit septiformem gratiam novi Testamenti, quod asperæ hiemi veteris Testamenti successit instar amœni veris, cujus nuntiæ sunt Pleiades.

33. NUMQUID NOSTI ORDINEM COELI, ET PONES RATIONEM EJUS IN TERRA ?] Hebraice, *statuta*, seu leges, *cœli, et imperium*, seu præfecturam, *in terra*, qua per suas influentias gubernat terram : Inferiora enim hæc, inquit Aristoteles (de cœlo l. 1 etc.), superioribus cœli motionibus gubernari necesse est. Anagogice, S. Gregorius per rationem et ordinem cœli intelligit inscrutabiles causas Judiciorum Dei, quas in hac vita nemini patefacit.

34. ELEVABIS VOCEM TUAM, id est, præcipies, IN NEBULA ; hebraice, *ad nebulam*, seu nubem, nempe ut depluat. ET OPERIET TE ;] LXX, *obediet tibi*, copiose pluendo, adeo ut etiam te cooperiat.

35. Reverti] dicuntur *fulgura* ad Deum, cum officium suum peregerunt, et jam quiescunt. Est enim catachresis, quia omnes creaturæ ita Deo parent, ac si animo præditæ essent, inquit Chrysostomus.

36. Quis dedit gallo intelligentiam?] in Hebræo est לשכוי *lassecui*: quod Arias vertit, *contemplationi;* alii, *intellectui;* sed plerique vertunt, *gallo.* Ita etiam Thalmudici et veteres Hebræi. Porro causa cur gallus post medium noctis et ante solis ortum statis temporibus canat (quasi *a natura genitus rumpendo somno, et excitandis in opera mortalibus,* inquit Plinius) esse videtur, singularis proprietas indita illi a Deo, qua vi nativi temperamenti ærei et ignei, excitantur ei sensus illis temporibus quibus solis accessum et influxum notabilius percipit: unde instinctu phantasiæ mox in cantum et alarum plausum erumpit. Vide Franc. Valesium.

37. Concentum cœli, non musicum, ut volebat Pythagoras, quem optime refellit Aristoteles (de cœlo l. 2): sed concordem motum, ac stabilem cursum, quis dormire, seu cessare, faciet?] Utique solus Deus in fine mundi, et resurrectione mortuorum. Posset etiam de ventis, tonitru, pluviis, aliisque aeris tempestatibus exponi. Nam Chaldæus et recentiores Hebræi vertunt, *utres cœli,* seu lagenas, *an cessare facies?*

39. Numquid capies leænæ, seu pro leæna, prædam? qua animam, id est, appetitum, catulorum ejus exsaties? quasi dicat: Non tu, sed ipsa leæna, quantumcumque ferum animal, a natura sic facere edocta est. Quando in specubus insidiatur] minoribus bestiis, nec audet a nido longius abscedere: tum enim singulari Dei providentia fit, ut minores et captu faciles bestiæ in casses et insidias leænæ incurrant.

41. Quis, nisi similis Dei providentia, præparat escam *pullis* corvorum a parentibus jam desertis, et ad Deum] flebili crocitatione *clamantibus*, et circum nidum *vagantibus*, ut escam aliquam reperiant? Nam, ut Aristoteles, Plinius, Ælianus et alii tradunt, corvi, seu innata truculentia, sed potius oblivione, negligunt pullos suos, etiam cum adhuc in nidis degunt: cum vero volare cœperint, propter ingluviem, inquit Chrysostomus, contra reliquarum avium morem, nido statim exturbant. Quibus undique escam quæsitantibus et quasi emendicantibus, singulari cura prospicit Deus de rore, de muscis, deque aliis vermiculis in vicinia enatis, quibus tantisper aluntur, quoad assueti volatui, ad cadavera deferantur. S. Gregorius, S. Thomas et Lyranus dicunt corvum pullos suos primis septem diebus ideo deserere, quia implumes albi sunt, et parenti dissimiles. Sed e priscis probatisque Historicis nil tale habemus, inquit Valesius (de S. Phil. c. 55).

CAPUT TRIGESIMUMNONUM.

Idem comprobat Deus ex ibicibus, onagro, rhinocerote, struthione, equo et aquila: arguens Jobum quod cum Deo expostularit. Job vero culpam suam agnoscit, et se temere locutum fatetur.

1. Partus ibicum in petris.] Hebraice et Græce, *caprarum sylvestrium;* quas Chaldæus, *rupium ibices;* Plinius, *rupicapras* vocat. Hæ naturali sagacitate *in petris* inaccessis et in summis montium cacuminibus pariunt et jaciunt fœtus suos.

2. Dinumerasti menses conceptus?] Tradunt Physici ibices, uti et cervas, uterum gestare octo mensibus præter propter: sed quo præcise die, imo qua hebdomada pariant, constare non potest. Vide Aristotelem (de hist. animal. lib. 6, c. 29, et l. 9, c. 5 et 50) et Plinium (l. 8, c. 32) quasi dicat: Nescis, o Job, tempus partus illarum molestissimi, ac periculosissimi, ut eis obstetricari possis, sicut ego quotidie facio.

3. Incurvantur ad fœtum summo nisu et dolore. Sed partui facilitando dicit Plinius sese herba cesali ante purgare, et rugitus emittunt] præ anxietate et dolore. Porro Psalmo 28, versicul. 9, insinuatur, horrore tonitrui *Deum præparare*, hebraice, parturire facere, *cervas.*

4. Separantur mox a partu filii earum.] Nam matres recens editos fœtus statim exercent ad cursum, docent meditari fugam, ad prærupta deducunt, et saltus demonstrant. Tropologice, partus cervarum est conversio animarum, inquit S. Gregorius.

9. De *Rhinocerote* vide quæ dixi Num. 23, v. 22.

13. Penna struthionis (de quo vide Deut. 14, v. 15) similis est pennis herodii et accipitris] id est, alas habent persimiles, puta amplas et elegantes, unde et equites adhibent illas conis galearum suarum: dissimilem tamen habet struthio volatum, seu potius gressum. Et ut crudelitate illos superat, ita cedit sagacitate; cum sit capite, et consequenter etiam cerebro, exiguo. Tropologice, struthio typus est hypocrisis: herodius genus est ciconiæ (S. Ambros. in Catena) typus pietatis in parentes et filios: accipiter symbolum sagacitatis.

14. Derelinquit struthio ova sua in terra, seu in calidis arenis: nihil ultra curans illa; sed divina providentia solo calore arenæ pulli inde excluduntur. Cui eidem providentiæ adscribendum, quod non nisi in calidissimis regionibus, Libya et Arabia versentur, inquit Valesius (de S. Phil. c. 55).

16. Frustra laboravit, nempe deserendo et defodiendo sua ova, quia nullo ad id timore] cogitur. Cum enim vasto sit corpore, equo suppar, et vastis viribus, quid est cur timeat ovis suis ab aliis bestiis? Nam

18. Cum tempus fuerit, seu cum periculum aliquod majus, cui resistendo non sit, ingruerit, præ aliis feris habet quibus se extricet, nempe binas alas, quibus in altum erectis, quasi explicatis velis, juvatur non quidem ad volandum, sed ad currendum, tanta pernicitate, ut concitatissimum equum et canes venaticos effugiat, et sic illos derideat.] Ita Plinius, Ælianus, Gesnerus et alii.

20. Numquid suscitabis equum, seu equos, quasi locustas?] ut nempe pari celeritate subsiliant et saltitent, etiam ad mensuram et ad modos musicos. Docilitas enim equorum tanta est, ut *integer Sibaritani exercitus equitatus*, teste Plinio (lib. 8, cap. 42), *ad symphoniæ cantum saltatione continua moveri solitus fuerit.*

Gloria narium ejus terror] id est, flatus

ille equi, et fumus quasi flammeus, quem per nares emittit, in quo maxime gloriatur et animositatem suam ostentat, timorem incutit hosti.

24. SORBET et mordet, seu vorat, TERRAM præ impatientia nimiæ moræ : NEC REPUTAT, id est, non curat, strepitum TUBÆ.] Tropologice, S. Gregorius per equum dicit designari Spiritum sanctum, et fortes Christi athletas Martyres.

26. PLUMESCIT ACCIPITER quotannis de novo, ut novis plumis succrescentibus quasi rejuvenescat, naturali instinctu EXPANDENS ALAS SUAS AD AUSTRUM,] sed ad flatum venti Australis : qui quia lenis est et calidus, laxat corpora et poros, ut plumæ facilius excidant. Et facit hoc, inquit Ælianus (l. 12, c. 4), antequam Nilus inundet, id est, ante dies caniculares, post solstitium æstivum, ut, sicut arbores novam comam, sic ipse novellas pennas ante hiemem induat. Symbolum est spiritalis renovationis, inquit S. Gregorius et Pierius (in hieroglyph. Accipitris). Addit Ulysses Aldrovandus (de Animalibus in Accipitre) hunc modum renovandæ juventutis, esse omnium pene avium, sed non quotannis, ut in accipitre contingit.

30. PULLI aquilæ LAMBENT SANGUINEM] prædæ captæ. Solent enim non modo aquilæ, sed et omnes reliquæ adunci rostri aves (si milvum, et paucas alias exceperis) sitim suam restinguere non aquam potando, sed sanguinem prædæ sorbillando, ut docet Oppianus (in Ixeuticis), et Ulysses Aldrovandus (in Aquila). Quod S. Gregorius, Ambrosius (l. 3. in Luc. cap. 7) et Chrysostomus (in Psal. 102 et l. 1, hom. 34) pulchre Christo et Christianis allegorice adaptant.

UBICUMQUE CADAVER FUERIT, STATIM ADEST,] seu advolat aquila. Idem dicit Christus Matt. 24, v. 28. Licet enim aquila, utpote rex vel regina avium, pro innata generositate, dicatur non vesci cadavere nisi quod ipsa prostrarit et necarit : quod idem narratur de leone, rege quadrupedum : certo tamen constat, tum ex his Scripturis, tum ex Ulysse Aldrovando (in υπαετω) Gesnero (in Aquila) et aliis Physicis passim, genus esse aquilarum degener et vulturinum (unde et LXX hic vertunt *vulturem*) quod morticiniis inhiet. Aristoteles (de hist. Animal. l. 9, c. 32) vocat υπαετον : Plinius (l. 10, c. 3) dicit nigris esse alis, quod alæ nigris maculis distinguantur. Allegoriam vide apud SS. Patres jam citatos.

32. QUIESCIT,] supple a respondendo: id est, silet, non respondet. Et vero quid aliud homo reprehensus a Deo respondeat, quam quod hic Job insigni modestia prudentiaque respondet? Nempe culpam agnoscendo, deprecandoque.

33. LEVITER LOCUTUS SUM] id est, temere, nimis audacter, et re non sat mature excussa. Non quod peccarit refellendo levia amicorum dicta: sed quod ex aliqua naturali impatientia plusculum quæstus esset de *Deo*, ipsum *redarguens*, ut hic habent LXX. et cum eo contendere gestiens, quasi præfisus suæ justitiæ et plenæ innocentiæ, adversus inscrutabile judicium Dei, ut patet ex v. 3, c. seq. et ipsemet explicat initio cap. ult.

35. QUOD UTINAM NON DIXISSEM !] Et hoc est illud *unum* et *alterum*, quod dolet à se semel iterumque dictum factumve, seu sæpius repetitum.

CAPUT QUADRAGESIMUM.

Idem confirmat Deus ex elephante et balæna: docetque potentiam et sapientiam suam sublimiorem esse, quam ut ab ullo mortalium comprehendi possit, absit reprehendi.

2. ACCINGE SICUT VIR LUMBOS TUOS.] LXX addunt dixisse Deum Jobo : *Minime*, supple volo te tacere : sed para te virili animo ad mecum disceptandum.

3. NUMQUID IRRITUM FACIES JUDICIUM MEUM, nempe quo te affligo? Hebraice, *dissipabis*, LXX *repelles*, quasi iniquum et injustum? UT TU JUSTIFICERIS] id est, justus et innocens declareris et appareas.

5. ESTO GLORIOSUS, ET SPECIOSIS INDUERE VESTIBUS ;] hebraice, græce et chaldaice, *gloriam et decorem indue*, q. d. Age, magna et mira operando, ut ego facio, declara te dignum esse gloria et decore.

10. ECCE BEHEMOTH] id est, *bestiæ ;* et significat *elephantem*, qui propter ingentem corporis molem est instar multarum bestiarum. Ita S. Thomas, Lyranus, et passim Hebræi : et patet ex sequentibus. Quæ S. Gregorius, Olympiodorus, Nazianzenus et alii allegorice *diabolo* adaptant.

QUEM FECI TECUM : LXX apud te, q. d. Tam grandem et terribilem bestiam cicuravi, ut tecum habitet, tuisque usibus serviat. ET FOENUM QUASI BOS COMEDET] non vero carnes, ut leo : sed vili pabulo est contentus.

11. VIRTUTIS ILLIUS, seu robur, est IN LUMBIS ET UMBILICO.] Quæ partes in aliis animantibus sunt teneriores, in elephante sint robustissimæ, eo quod e spina dorsi deducti nervi umbilicum fortissime devinciant, adeo ut et turres cum pluribus armatis militibus dorso impositæ, cingulo sub ventre constricto firmentur : quam constrictionem, nisi ventre esset durissimo, ferre ibidem non posset. S. Hieronymus (ep. 22) putat his nominibus *lumborum* et *umbilici* honeste designari, sed sensu tropologico, viri et feminæ genitalia, quibus ut potentissimis armis, ad eos et alios prosternendos dæmon ut plurimum utitur. Ita etiam Origenes, Olympiodorus, S. Gregorius, Beda et alii.

12. STRINGIT CAUDAM SUAM QUASI CEDRUM], non propter altitudinem (quia breviore cauda est elephas) sed rectitudinem et firmitatem. Allegorice, cauda diaboli est Antichristus in fine mundi affuturus, inquit sanctus Gregorius et alii.

NERVI TESTICULORUM EJUS PERPLEXI, sicut rami arboris, et funes mutuo implexi. Tropolog. sunt mira artificia et argumenta, quibus dæmon homines ad libidinem provocat et implicat, ut difficillime extricentur.

14. IPSE EST PRINCIPIUM VIARUM DEI,] id est, præcipuum operum et animalium terrestrium a Deo procreatorum, sive magnitudinem spectes, sive fortitudinem, sive comitatem (de qua v. 15) sive docilitatem et quasi prudentiam naturalem, qua et linguas rectorum intelligere et distinguere norunt, tripudiare, scribere, reges et Deum adorare assuescunt, et alia pene

incredibilia faciunt, de quibus fuse Plinius, Ælianus, Cicero, Oppianus, et pulchre Lipsius (Cent. 1. epist. 50). Allegorice S. Gregorius, Hieronymus, Isidorus et D. Thomas in Catena, id primo Angelorum Lucifero adaptant.

QUI FECIT EUM, creator ejus, APPLICABIT EI GLADIUM EJUS, seu suum,] id est, adeo fortis est elephas (allegorice diabolus) ut a solo Deo compesci et occidi posse videatur : LXX vertunt, *ut eluderetur ab Angelis ejus,* quod proprie in Luciferum quadrat.

15. OMNES BESTIÆ AGRI LUDENT IBI,] juxta elephantem tutæ et ludibundæ versantur. Cum enim sanguinarius non sit, nec carnibus, sed solis herbis vescatur, non est cur reliquis bestiis terrori sit, quin, etsi quid subinde adversus tam potentem belluam moliantur, non nisi ludere, illamque oblectare videntur. Sic impii, quamdiu impii manent, quantacumque videantur moliri pro republica, pro Ecclesia, pro Deo, non nisi lusum diabolo faciunt, et operam ludunt. Quem mysticum sensum LXX expressisse videntur, cum vertunt, gaudium fieri *in tartaro.*

16. SUB UMBRA, in locis umbrosis, DORMIT IN SECRETO CALAMI,] id est, in arundinetis, ubi calami sunt plurimi, densissimi, altissimi; nempe ibi quærit et invenit refrigerium. Ita ex Aristotele sanctus Thomas, Mercerus et alii.

18. ABSORBEBIT FLUVIUM, ET NON MIRABITUR,] id est, non putat rem grandem aut difficilem esse, si fluvius vel torrens illi exsorbendus esset. Hyperbole illa denotatur, quanta aviditate et copia bibat elephas, quia vasto, terrestri et sicco est corpore, ob melancholicam complexionem, teste Aristotele (de hist. Animal. lib. 8, c. 19) et aliis.

19. IN OCULIS EJUS, id est, palam, vidente elephante, nec resistere valente, CAPIET EUM (divina providentia) venatos, *sicut* piscem piscator capit HAMO.] Videtur alludere ad vulgarem morem quo bellua illa, vastissima licet et robustissima, tamen facili negotio se capi sinit. Nempe in foveam ante paratam a venatoribus adacta et delapsa, cum ab illis in parte corporis teneriore, puta oculo vel nare fodicatur et vulneratur, ex composito accurrenti alteri, qui illos vulnerantes abigit, et famelicæ belluæ hordeum, cibum illi gratissimum subinde porrigit, ipsa se illis gratitudinis ergo, ut vitæ servatori ac benefico Pastori, sponte subjicit. Ita Albertus Magnus, S. Thomas et alii apud Gesnerum, qui ex Aristotele et Æliano plures alios modos suggerit capiendi et cicurandi elephantes. Et hactenus de terrestri bellua : jam de marina omnium maxima et terribilissima.

20. LEVIATHAN.] LXX, *draco.* Nomine hoc hebraice designatur quivis maximus piscis : hic vero cetus seu balæna, non ex vulgaribus istis, quæ mare Balticum vel Mediterraneum incolunt, sed ex horrendis illis Oceani monstris, de quibus Plinius commemorat (libr. 9, c. 30), unam subinde balænam in mari Indico longam esse 960. pedes et vastitate corporis adæquare quatuor jugera. Et, ut S. Basilius (apud Ambrosium in Hexameron.), Theodoretus (in cap. 1. Genes.) et Olaus Magnus (de Gentib. Septentrionalibus, lib. 21, cap. 25. et 26) notant, cum ejusmodi belluæ e mari prominent, instar insularum esse videntur, in quas incauti nautæ si impegerint, in profundum cum universa navi decutiuntur. De hoc ceto ad litteram locum hunc exponunt etiam Aquila, Symmachus, Theodotion, Hebræi, Græci et Latini passim. Allegorico sensu (et quidem a Spiritu sancto præcipue intento) applicatur Lucifero, excellentissimo et superbissimo Angelorum, qui incarnatione Filii Dei, et cruce Christi, quasi hamo captus est, inquit Origenes, S. Athanasius, Cyrillus, S. Gregorius, Olympiodorus et Philippus in Catena. Similia habes Isaiæ 14, vers. 12. et Ezechiel. 28, vers. 12, de Nabuchodonosore, et de rege Tyri sub typo Luciferi : et Apocal. 12, v. 1. de Muliere Sole amicta, etc.

22. NUMQUID MULTIPLICABIT AD TE PRECES, AUT LOQUETUR TIBI MOLLIA?] id est supplex tibi fiet quasi a te devictus?

24. NUMQUID AUT ILLUDES EI QUASI AVI, ut solent pueri? AUT LIGABIS, seu alligabis, EUM filo ANCILLIS (hebraice et chaldaice, puellis) TUIS,] ut cum vincto ludant, seque recreent?

25. CONCIDENT EUM AMICI ET NEGOTIATORES in frusta, quasi bovem, et concisum inter se DIVIDENT,] ut solent alias merces, q. d. Nulli homini possibile esset illum capere, aut captum in siccum attrahere, atque in frusta concidere, nisi divina mea providentia, ipse vel se incautius in siccum ejiceret, vel anchora devorata, vel alio artificio in littus attraheretur. Vide de hoc etiam quæ dixi cap. 3, vers. 8.

26. An capti ILLIUS CAPITE IMPLEBIS GURGUSTIUM PISCIUM?] id est, *fiscellam*, vel melius *tugurium* piscatorum.

27. PONE SUPER EUM MANUM TUAM, si audes, et periculum vis facere, sed MEMENTO BELLI, ab eo tibi imminentis : nam ni caveris, ita te tuosque omnes excipiet, ut æternum recorderis suscepti temere negotii, NEC ULTRA ADDAS LOQUI,] id est, nec deinceps ausis simile quid vel cogitare, vel attentare. Quicumque enim attentarit,

28. FRUSTRABITUR EUM SPES EJUS,] quam de eo capiendo ceperat. Hebraice : *Nonne etiam ad aspectum ejus* belluæ *cadet*, vel proripiet se?

CAPUT QUADRAGESIMUMPRIMUM.

Fusius explicat robur balænæ : ut inde clarius eluceat divina potentia et sapientia et dominium absolutum, etiam in omnes alias creaturas.

1. NON QUASI CRUDELIS SUSCITABO EUM,] id est, non indicium crudelitatis quod belluam tam immanem, tam noxiam aliis creem (per consequens, neque quod tibi, o Job, tam acerbas pœnas infligam) : sed argumentum est meæ potentiæ, sapientiæ et dominii in omnes creaturas.

3. NON PARCAM EI (Leviathan), et consequenter nec tibi, o Job, si sic mihi libuerit. Nec cedam VERBIS seu POTENTIBUS, seu AD DEPRECANDUM COMPOSITIS,] id est, propter nullius aut minas, aut preces desinam ferire, lædere, perimere, si sic animo collibitum fuerit meo. Possum enim facile ego, quod nemo alius potest vel audet. Nam

4. QUIS REVELABIT, seu revelare possit vel ausit, FACIEM INDUMENTI Leviathan, id est, quis

possit cetum excoriare, vel pellem detrahere? Hebræis enim *facies indumenti*, seu indumentum, est pellis quæ est quasi superficies corporis. Aut IN MEDIUM ORIS EJUS, QUIS INTRABIT] ad frenum ei in os injiciendum?

5. PORTAS VULTUS EJUS, id est rictum et labia ejus, QUIS APERIET,] tam terribili vi dentium armata?

9. STERNUTATIO EJUS, seu aquæ eructatio, SPLENDOR IGNIS.] Tanto enim impetu et vi eructat aquam, ut dispersa et dissiliens in subtilissimas guttas vel vapores, eminus ignis potius fulgens, quam crassa aqua videatur. Quod S. Chrysostomus et S. Thomas dicunt, eum dum sternutat, videri flammas ignis ejaculari.

ET OCULI EJUS lucentes et flammei (quod nocte maxime advertitur) UT PALPEBRÆ DILUCULI,] seu auroræ, ut vertit Chaldæus; LXX habent, *ut species Luciferi*, quem, quia auroram præcedit, vocat Olaus Magnus (de Gentibus Septentrion. cap. 15.) *palpebras auroræ*. Habet enim cetus oculos lucentes et flammeos: unde et eminus videntur a nautis, et tempori evitantur. Allegorice diabolus, proprie dictus Lucifer, se transfigurat in angelum lucis, inquit Origenes et Olympiodorus.

10. DE ORE EJUS LAMPADES PROCEDUNT.] Flammas enim (ob ea quæ vers. 9. dixi) evomere videtur, tum maxime cum halitum emittit, et aerem interno calore pene succensum efflat, ut novum recentemque hauriat. Ejus enim halitus calor tantus est, ut *prunas ardere faciat;* seu facere posset, vers. 12. Licet enim plerique pisces pulmone careant, neque respirent, ut contra Democritum et Anaxagoram optime docet Aristoteles (lib. 1. de de Respir. cap. 1), itemque contra Plinium (lib. 9, cap. 7) et Tertullianum (de Anima, cap. 10) Rondeletus (lib. 3, de Piscibus, cap. 11. et l. 4, cap. 9) et Conimbricenses (de Respirat. c. 5). Nam ad refrigerium nativi caloris sufficit illis aqua, ad spiritus vero animales fovendos sufficit calor nativus et sanguis. Tamen certum est nonnullos pisces habere pulmones, et per eos respirare, puta delphinos, physeteres et balænas: unde et fistulam in capite prominentem habent per quam respirant. Quia tamen frigidiore sunt complexione, ideo minus frequenti respiratione egent: et pulmones eorum, utpote exsangues et minus fungosi, ubi semel aerem imbiberint, sat diu sine nova attractione possunt cor refrigerare: si tamen justo diutius sub aqua detineantur, emori certum est, ut accidit subinde delphinis reti conclusis, et nimis diu sub aqua detentis. Ita Aristoteles, Rondeletus, Conimbricenses et alii physici. Tropologice Lucifer, ejusque ministri flammas irarum, persecutionum et tentationum in Christianos evomunt, inquit S. Gregor. et S. Thomas.

13. IN COLLO EJUS MORABITUR FORTITUDO: nam circa collum robustissima est hæc bellua: et ante FACIEM PRÆCEDIT EGESTAS.] LXX, *currit perditio*, nempe unica et sola, nam omnia alia devorat vel fugat; hebraice et chaldaice est, *coram eo exultabit dolor*, nempe qui unicus et solus, fugatis vel devoratis aliis omnibus, reliquus manet.

14. MITTET DEUS CONTRA EUM FULMINA,] sic legendum, non *flumina*, ut legerunt Lovanienses), nil læditur, nil timet, licet directe in illum unum missa et vibrata, nec AD ALIUM LOCUM *ferri* videantur, q. d. Cœleste fulmen et tonitru, quæ omnia alia animantia quasi exanimant, unum cetum non terrent, potius STRINGETUR, et magis magisque compingetur et indurescet COR EJUS fulmine percussum, sicut INCUS] *malleo* percussa. Ita S. Thomas. Clarum hoc in obduratione diaboli, inquit sanctus Gregorius.

16. CUM SUBLATUS in altum FUERIT, erigens se supra undas, TIMEBUNT etiam ANGELI: hebraice et chaldaice, *fortes* et robusti sicut Angeli, id est robustissimi quique et TERRITI PURGABUNTUR,] soluta alvo præ timore, inquit Emmanuel Sa et Mariana.

21. SUB IPSO ERUNT RADII SOLIS,] quia illos quasi in sua potestate habet, ut, quando volet incalescere, diductis loricis et squamis, pro libito eos excipiat: sin nolit, conclusas teneat, et quasi ferreum et impervium montem sese illis opponat.

STERNET SIBI AURUM QUASI LUTUM,] id est, merces aureas et pretiosas quæ magna copia navigiis quaquaversum vehuntur, ipse diripit, dissipat, dispergit, confractis navibus, nec pluris facit immensos thesauros, quam lutum, quod pedibus ejus in fundo maris substractum jacet. Ita S. Thom.

22. FERVESCERE FACIET MARE suo motu, agitatione, halitu et vomitu jam dictis.

23. POST EUM LUGEBIT SEMITA, id est, ex fluctuum concussione et spumis relinquet post se aquam albicantem, et ABYSSUM QUASI SENESCENTEM,] id est, mare canescens (ut est in Hebræo et Chaldæo) præ alba spuma.

25. OMNE SUBLIME VIDET, nempe interritus et immotus: quia IPSE instar regis eminet SUPER UNIVERSOS FILIOS SUPERBIÆ.] Hebraice, *filios elationis;* Chald. *filios montium:* id est, super omnia alta et elata animalia. Unde LXX vertunt, *ipse est rex omnium quæ in aquis sunt.* Hebræis enim familiare est, tribuere *filii* nomen etiam *bestiis*, ut psalm. 28, vers. 1. *Afferte Domino filios arietum.* Ita Vatabl. Aben-Esra, Mercerius et alii. Allegorice in diabolum omnia optime quadrant, quo noster Interpres respexisse videtur.

CAPUT QUADRAGESIMUM SECUNDUM.

Job iterato culpam agnoscit coram Deo, veniamque petit et impetrat: laudaturque a Deo præ amicis, qui jubentur per holocausta et intercessionem Jobi reconciliari Deo. Job duplicia omnia recuperat, et plenus dierum in pace quiescit.

3. QUIS EST ISTE tam audax, tam perfrictæ frontis, QUI CELAT, seu celatum esse putet Deo, aliquod CONSILIUM ABSQUE SCIENTIA? id est, rem aliquam absconsam et secretam esse, absque quod sciat Deus: quasi Deo aperire quis aliqua de novo, vel illum docere se posse speret. *Ideo* fateor me valde INSIPIENTER LOCUTUM] esse, dum dixi Deo quæ sequuntur.

4. AUDI, ET EGO LOQUAR: INTERROGABO TE, cur me ita judices, etc. ET RESPONDE MIHI. Hæc enim verba videri possent et ab animo plusculum sibi præfidente profecta, et in Deum, quasi non sat gnarum omnium, vel saltem non sat singulis attendentem injuriosa. Unde et me *pœnitet* dictorum, et ultro ME REPREHENDO]

meamque inscitiam lubens agnosco : maxime cum tam prolixa instructione tumet, o Deus, coram erudire me dignatus es. Hactenus enim.

5. AUDITU AURIS AUDIVI quidem TE aliquando, seu per internas, seu per externas inspirationes mecum loquentem : NUNC AUTEM majore me dignatus es beneficio, nempe ut etiam OCULUS MEUS VIDEAT TE] sensibili et visibili forma mihi præsentem, meque docentem. Ut mirum non sit, omnia mihi jam clarius certiusque constare, meque magis et melius erga te affici, quam ante. Ita S. Thomas. Hactenus rythmice omnia, ut dixi initio cap. 3. Quæ jam sequuntur prosa conscripta sunt.

7. IRATUS IN TE ; ET IN DUOS AMICOS TUOS.] Sic etiam in græco est et chaldæo. An ergo non iratus fuit Deus etiam tertio Eliu ? Fuit profecto, sed hominem incredibili fastu, et falsa opinione sapientiæ turgentem, uti statim ab initio silere jusserat Deus initio cap. 38. Ita nunc negligit, fastidit, et quasi ignotum præterit, qui *humilia respicit, et alta a longe cognoscit* (ps. 137, v. 6).

NON ESTIS LOCUTI RECTUM, SICUT SERVUS MEUS JOB.] Damnat ergo hic Deus amicos quasi qui a scopo aberrarint : Jobo vero, quia rem acu tetigit, causam addicit et palmam. Certum enim est, non solos sceleratos et Deo exosos ab eo affligi in hac vita, quod urgebant amici, sed etiam pios et sanctos, quod Job contendebat. Petulantius etiam et acrioribus verbis, quam deceret, incurrerant in afflictum, unde et jubentur supplices illi fieri, et venia ab Jobo petita, preces quoque ejus ad Deum pro se deposcere. Quod cum promptu animo faceret Job,

9. SUSCEPIT DOMINUS FACIEM JOB] id est, exaudivit preces ejus pro illis fusas. Quin et

10. AD PŒNITENTIAM JOB, Pagninus, *ad conversionem Job*, id est, simul atque pœnituit Job de suis defectibus v. 6. et toto corde conversus est ad Deum, simulque ORAT PRO AMICIS SUIS, licet ergo se non valde amicis ; intuitu utriusque tam pii operis, DOMINUS QUOQUE CONVERSUS EST,] hebraice et chaldaice, *Dominus convertit captivitatem Job*, id est, Deus a captivitate dæmonis Jobum exsolvit, neque amplius reliquit illum in ejus potestate. Hinc et ex omnibus supra dictis patet, non admodum diuturnam fuisse hanc Jobi afflictionem, nec nisi paucis mensibus, ut summum durasse. Nam amici Job, simul atque eis innotuit illius infortunium, solandi juvandique ejus causa adcurrerunt. Disceptatio vero illa omnis quæ intercessit, paucis diebus expediri potuit. Disceptationi Deus finem cito imposuit, simulque Jobum malis omnibus exemit. Vide quæ dixi in Chronico cap. 16. in fine.

ET ADDIDIT DOMINUS OMNIA QUÆCUMQUE FUERANT JOB, DUPLICIA,] etiam annos vitæ, ut ibidem dixi, et Rabbini diserte affirmant. Filiorum tamen et filiarum numerum non auxit, quia alioquin ex pecorum et reliquarum opum multiplicatione familia non evasisset auctior et ditior.

11. CUNCTI MOVERUNT SUPER EUM CAPUT] partim præ compassione, partim præ stupore et admiratione, ut habent LXX.

14. NOMEN UNIUS, seu primæ filiæ, VOCAVIT DIEM, eo quod pulchra esset tum corpore, tum mente, instar splendidæ diei. NOMEN SECUNDÆ, CASSIAM, quod nobilis et gratiosa esset instar aromaticæ cassiæ. ET NOMEN TERTIÆ, CORNUSTIBII] quod elegantissimo esset vultu, quasi tota stibio depicta, quo facies et oculi præsertim inungi solent. Ita S. Thomas ; Olympiodorus vero, Vatablus et Mercerus dicunt Job ea nomina filiabus indidisse in memoriam et monimentum utriusque suæ fortunæ, adversæ et prosperæ, quasi jam ex miseriarum *tenebris*, ope divina rediisset ad felicitatis *diem :* a *pedore* ad *fragrantiam :* ex *sordibus* ad *nitorem.* Porro pro *cornustibii* LXX vertunt, *cornu Amalthææ*, id est, cornu copiæ : alludentes ad fabulam Poetarum, qui capram *Amaltheam* finxerunt *nutricem* esse *Jovis*, è cujus proinde *cornu* Jupiter omnia bona hauserit. Ita Olympiodorus. Qui et tropologice *tres* istas *trium* filiarum Job proprietates applicat *tribus justorum statibus.* Primo, incipientium ; secundo, progredientium ; tertio, perfectorum. S. Gregorius allegorice, de *tribus humani generis statibus* exponit : Primo, de primis parentibus in gratia creatis ; secundo, de nobis omnibus per gratiam Christi redemptis ; tertio, de resurrecturis ad gloriam sempiternam.

Coronidis loco, breviter ex ante dictis contraham hic in unum, quibus in rebus Job figura et typus fuerit Christi. Primo, Job rex fuit Idumææ : Christus rex cœli et terræ. Secundo, Job excidit omnibus bonis et opibus suis ; Christus, omnibus etiam vestibus exutus, nudus pependit in cruce. Tertio, Job filiis simul omnibus et filiabus una hora privatus fuit : Christum captum omnes ejus Apostoli deseruerunt. Quarto, Job omnes pene morborum et dolorum species sustinuit, ulcerosus à capite usque ad talos : Christo totum corpus flagris concisum, manus, pedes clavis, caput spinis confossum fuit, et omnia membra doloribus acerbissimis excruciata. Quinto, Job in animo sensit ingentem mœrorem, tædium, scrupulos, anxietates : Christus in horto cœpit pavere, tædere, tristari et mœstus esse ad mortem usque. Sexto, Job ab amicis quoque imo et propria uxore gravia probra sustinuit, dictus impius, hypocrita, tyrannus, leo, tigris, etc. Christus a Principibus Sacerdotum et Magistratibus, adeoque tota Synagoga audivit impostor, blasphemus, seditiosus, et quid non ? Septimo, in Jobo vexando et affligendo dæmon laxatis sibi à Deo habenis, omnes suas vires exeruit : sed multo magis exeruit in Christum. Octavo, Job queritur se ab omnibus, etiam ab intimis amicis, derelictum. Christus etiam ad Patrem suum cœlestem exclamat, *Ut quid dereliquisti me ?* Nono, Job omnia hæc mala sustinuit incredibili patientia, humilitate et constantia, sed exclusa morte : Christus usque ad mortem inclusam, mortem autem crucis. Decimo, Jobo reddita omnia duplicia : Christo omnia centuplicia.

Ecce, sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est, et miserator ; Jacobi 5, vers. 11.

FINIS.